K.2,00 1

THEATRVM VITÆ HVMANÆ:

HOC EST,

Eorum omnium ferè quæ in hominem cadere possunt Bonorum atque Malorum Exempla historica, Ethicæ philosophiæ præceptis accommodata, & in XIX libros digesta, comprehendens: Vt non immeritò historiæ Promptuarium, vitæque humanæ Speculum nuncupari possit.

Primùm à CONRADO LYCOSTHENE *Rubeaquẽse inchoatum: deinde* THEODORI ZVINGGERI *Philosophi & Medici Basilienſis studio & labore eousque deductum, vt omnium ordinum hominibus ad vitam præclarè instituendam vtile et iucundum sit futurum:*

Hac verò editione permultis locis & exemplis auctum & locupletatum: à multis etiam hæresibus & erroribus, quæ pio lectori & vero catholico nauseam mouere potuissent, consultò vindicatum & repurgatum.

Adiecto præterea indice locupletissimo, cùm rerum, tum nominum propriorum, eo studio artéque concinnato, vt omnia hoc opere contenta, tanquam per compendium, ordine alphabetico digesta Lectori exhibeat.

PARISIIS.
Apud Michaëlem Sonnium, sub scuto Basilienſi, via Iacobęa.
M. D. LXXI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

R. 2,889

THEATRVM VITÆ HVMANÆ:

HOC EST,

Eorum omnium ferè quæ in hominem cadere possunt Bonorum atque Malorum Exempla historica, Ethicæ philosophiæ præceptis accommodata, & in XIX libros digesta, comprehendens: Vt non immeritò historiæ Promptuarium, vitæque humanæ Speculum nuncupari possit.

Primùm à CONRADO LYCOSTHENE *Rubeaquẽse inchoatum: deinde* THEODORI ZVINGGERI *Philosophi & Medici Basilienſis studio & labore eousque deductum, vt omnium ordinum hominibus ad vitam præclarè instituendam vtile et iucundum sit futurum:*

Hac verò editione permultis locis & exemplis auctum & locupletatum: à multis etiam hæresibus & erroribus, quæ pio lectori & vero catholico nauseam mouere potuissent, consultò vindicatum & repurgatum.

Adiecto præterea indice locupletissimo, cùm rerum, tum nominum propriorum, eo studio artéque concinnato, vt omnia hoc opere contenta, tanquam per compendium, ordine alphabetico digesta Lectori exhibeat.

PARISIIS.
Apud Michaëlem Sonnium, sub scuto Basilienſi, via Iacobęa.
M. D. LXXI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

l'Extraict du Priuilege eſt à la 19. page.

STVDIOSO ET CANDIDO LECTORI BIBLIOPOLA S.

CVM Theatri huius locupletiſſimi & eruditorum omnium iudicio vtiliſſimi noua editio pararetur, nihílque præter Indicem ad opus perficiundum maximè neceſſarium expectaretur, ſtudioſe lector, permulta nobis occurrebant, quæ ad id illuſtrandum perpoliendúmque commodiſſima videbantur, quæque adiicere curaſſemus, niſi negotiis aliis diſtracti laborem hunc prætermittere, aut in aliud tempus differre coacti tandem fuiſſemus. Qua de re vt multis etiam aliis liberè hac in Academia cum eruditis aliquot viris confabulando, & de iis præcipuè quæ ad politiores artes eáſque tractandas & illuſtrandas attinent conferendo, cùm data opera incidiſſemus in mentionem operis huius ampliſſimi, tum planè (vt alias ſæpè) vidimus quàm varium & multiplex ſit hominum penè ſingulorum iudicium. Hoc enim penè immenſum opus (vt eſt libera cuiuſque opinio) cùm vtile fore plęrique dicerẽt, alij non tam neceſſarium conſtanter aſſerere viderentur, alij denique nullius penè frugis eſſe quaſi contenderent, non opportunum modò, ſed & neceſſariũ imprimis eſſe duxi, iis vt ſatisfacerem omnibus, & quadam parte (ſi non omnino) minuerem tam varia hominum de hoc opere iudicia. Quod antequam planè ſuſciperẽ, memoriæ occurrebat Lucilij hominis vrbani & ſciẽtis illud ſatis tritum, quo ſcripta ſua, neque à doctis, neque ab ignaris legi velle ſe dictitabat: quòd alteri aut non opus haberẽt, aut melius intelligerent: alteri verò etiam ſi legerent, non tamen aſſequerentur. Quod cùm diutius apud me volutarem, miſeram quodammodo doctorum hominum cõditionem deprehendebam, quorum induſtria & labores indefeſſi, vel à ſui ordinis hominibus ferè non approbẽtur, aut vt decet pro merito non excipiantur. Vt tamen ad ſcopum celerius, ſi qui aſſeuerẽt librum tantis tot annorum ſudoribus & vigiliis à laborioſis clariſque viris concinnatũ & paratum minus neceſſarium videri, aut intelligãt de doctis eſt neceſſe, quibus nihil parùmue referre videatur liber hic in lucem prodeat necne: aut fateri certè debẽt eius vſum quadam parte ornamento futurum iis qui libraria ſupellectile delectantur, quíque πολυμαθίαν variámque & multiplicem philologiam ſtudioſè aucupãtur. Quibus autem argumẽtis reſpondẽdum nobis erit iis qui nullã omnino vtilitatem inde percipi poſſe fingant, cùm ne dimidiatã quidem paginam fortaſſe vnquã legerint, aut ſi legerint, non tamen addiſcere tam leui guſtu potuerint, quæ ſeries vel ordo, aut quis vſus libri eſſe poſſit. Permoleſtum eſt ſanè iudicium ferri aut expectari ab iis qui nihil antiquius habent quàm quæ operoſa ſunt & præclara importunè vellicare, & de aliorum induſtria tam iniquè pronunciare. Qua in re genio ſuo, ni fallor, indulgent impotentius, quòd propriæ imbecillitatis ipſi conſcij, vellent æquè omnes atque ipſimet, in eadem eſſe naui: cũque vel ob ingenii tarditatem, vel quòd eos laboris pigeat, nullius omninò frugis eſſe poſſint, libentiſſimè carpunt quod ſe aliquando imitari poſſe diffidunt. Quorſum verò attinet inuidere hanc commoditatem iis quibus non ſuppetunt facultates ad comparandam inſtructiſſimam bibliothecam, aut iis qui tantos progreſſus non fecerint in literis? Enimuero cum iis qui ſeriò docti ſint facilius paciſci poſſumus quorum nimirum in-

genio non diffidimus,& naturæ facilitati, quæ literatis penè omnibus familiaris eſſe ſolet)& eos in noſtram ſentẽtiam pertrahere citra negotium ſperamus: cùm vt literarũ omnem vel etiam mediocrẽ progreſſum non faſtidiãt aut alicubi damnent,ſic quæ ad eas conducunt,tametſi minima,probare nunquam detrectent. Inſulſos verò & ſtupidos neſcio quos,qui niſi quod ipſi faciũt nihil rectum putãt, valere ſinimus, quos neque rationibus, neque exemplis ab opinione ſua reuocare aliquando nos poſſe videamur. Eò quidem ij moleſtiores eſſe ſolẽt & iniquiores,quò magis inſcij ſunt,quãdoquidem morbo laborent eo qui ſui ſenſum penitus adimat,neque curationem aliquam aut lenimen patiatur,quo fit vt non ab re iſtud mali dicatur Sophocli νῆ δυσπάλαιστον νῆ ἀντιρόπαλον. Quid igitur cum illis agas, aut quid hinc tandem te conſequi poſſe ſperes,cùm non modò iudicio, id eſt ea parte quam maximè ſanam eſſe oportebat,ſed & cõmuni planè ſenſu careãt? Itaque eorum cauſa vt non oportuit,ſic nec neceſſe fuit huius operis editionẽ à ſtudioſis quibuſque expectatiſſimã tamdiu remorari aut cõprimere (quod homines quidam maleuoli ſummè cupiebãt) ſi vtilitatem ſummam & admirabilem totius libri commoditatem ex vſu metiamur. Hoc enim refertiſſimo promptuario non nuda aut adumbrata philoſophiæ præcepta, non canones aliquot vnius aut alterius cuiuſdam diſciplinæ, ſed quaſi viuus & expreſſus vſus exemplorũ (quæ magis quàm verba ipſa mouere ſolẽt) congerie, rerúmque pulcherrimè digeſtarum ſerie obſeruari & notari citra tædiũ aliquod poteſt. Quod & iis qui libris abundant, & iis quibus anguſtiores ſunt copiæ cõmodiſſimum futurum eſt, vt comparatu facilius: à quo ſuperioribus annis reuocari potuere,quòd huc aduecta nobis Baſilæa exemplaria carius venalia eſſe nemo eorum non ſciret. Quare publica vtilitate non leuiter inflammatus, & in rem literariam probè animatus, nefas eſſe duxi hanc diutius ſtudioſis commoditatem denegari. In quo quidem vt aliis permultis, tibi noſtram induſtriam animíque propenſionem iamdiu probaſſem & fidem abundè liberaſſem, neque vllis ſumptibus pepercíſſem, niſi tumultus publici (violentiores, quàm vt iis obſiſtere quiuis poſſet) ab inſtituto tam honeſto támque laudabili me retardaſſent. Iam quidẽ ne quidpiam omnino prætermitteretur, in quo nonnulli vel leuiter offendi poſſent, vt ſunt hodie tempora exulcerata, quibus omnia cuique non faciant ad palatum:aut tam peruicacia & lubrica, vt quoquo te vertas vomicam & vlcus citiſſimè deprehendas, in iis etiam quæ morbi ſuſpicione carere videantur, ita omnia ad incudem reuocata ſunt, vt nemo niſi vel iudex iniquior, vel cenſor alioqui ſeuerior iuſtè conqueri poſſit aut debeat. Diligenter enim curauimus vt loca omnia in quibus eſſet aliqua erroris aut hęreſeos ſuſpicio tolerentur,ne quem lectorem Chriſtianæ fidei offenderent:quia hoc imprimis curandum à nobis ipſis cenſuimus, ne quid veræ & catholicæ fidei vel latum quidem vnguem repugnare videretur. Si quæ tamen maculæ aut nęui adhuc ſuperſint qui videãtur opus habere aliqua cẽſura, hæc omnia doctorum calculis ſubiicienda & examinanda relinquimus, quippe qui nulli errori manifeſto vel etiam leuiori nomen dare conſultò velimus. Sed ſit in tam ſpiſſo vaſtóque corpore quædam labes, nihil quidem mirum, cùm in opere tam vario longóque fas aliquando fuerit ſomnum obrepere. Omnia tamen lector candidus ſanare facilè poteſt, aut commodius interpretari. Perſpicuum habemus grauioribus plęrunque obiurgationibus, & calumnioſis obſeruationibus,multorum ſcriptis emunctiſſimis nos eo nomine priuari,quòd eorum autores viri docti nolint elaborare,vt tam prauè noti ſint, quippe qui ſtere malint gratis,& cum ſilẽtio (quod habet Martialis) quàm tam iniquè ita traduci. Nihil eſt in quo non facilè captẽt anſam calumniæ,quibus hoc vnicum penſum videtur relictũ, vt ſeſe ingenioſos oſtentẽt in alienis operibus & ſcriptis cenſoria aliqua virgula notãdis,aut iniquius interdũ cõprimẽdis. Ad hæc plęroſque noui qui quòd ſcriptores aliqui recẽtiores citẽtur,vt ſunt Rhodiginus,Rauiſius, Textor,Crinitus,Leonicus,Thomæus,Fulgoſus,& alii eiuſdẽ claſſis,inſipidũ & agreſte putẽt, frontémq; corrugent, quaſi vnius & eiuſdem hominis eſſet priſcorum ſcripta omnia peruolutare,& antiquorũ nomina (quod certè optãdũ fuit, ſi vnus aut alter huic operi ſufficere poſſet)paſsim ſublatis aliis proferre. Alii nugoſas,vt aiũt,fabulas & anilia quædã deliria indigna ſcriptione planè refugiũt: alii autores quoſdã forſitan ſuo iudicio leuiores ablegãdos omninò putant,quaſi verò omnia tã anxiè & politè cõparare in noſtra manu eſſet,& nõ potius Pliniano monito aſſentiẽdum, Nullum librũ tam malũ eſſe,ex quo vtilitas aliqua percipi non poſsit. Quibus omnibus punctim cæſimque,quod aiũt,reſpõdere,vt laboris eſſet infiniti,ſic certè minus neceſſarii. de his itaque hactenus. Cæterũ te latere nolim quid quãtúmq; ſpeciatim hoc in opere augẽdo perficiendóque contẽderim: cùm enim rerũ ac verb. indicem tantæ moli reſpondẽtem & neceſſarium (in editione quidẽ Baſiliẽſi promiſſum,ſed minimè præſtitũ)requireret,ídque ſtudioſi omnes quorũ maximè refert,cõmuni vnâque voce certatim efflagitarẽt, diu multúmq; luſtraui & vndique perquiſiui cui eas partes commodè demandarem: non enim cuiuſuis eſſe perſpiciebã,ſed eius dũtaxat qui & ingenij dexteritate & iudicio aliquo valeret. Ad extremũ tamen mihi permultũ hac de re ſollicito tempeſtiuè ſeſe obtulit vir induſtrius & certè doctus Hieronymus Verrutius iuris ſtudioſus, ſuámque hac in parte operam ad vtilitatẽ publicam ingenuè pollicitus eſt, quam ſtudio laboréque ſingulari præſtitit in indice locupletiſsimo huic operi accuratè concinnãdo,ſicque perficiũdo,vt exempla omnia in Epitomen cõtracta,propria nomina & alia quæcũque ex hiſtoria deſiderari poſsint,ordine alphabetico exhibeat,& Summæ cuiuſdá vicem quodãmodo præſtet. Eo itaque indice tanta cura induſtriáque confecto, tibi factũ eſſe ſatis ad extremũ per te ipſe noueris, amice Lector,ſi editionẽ Baſiliẽſem cũ hac noſtra conferre nõ graueris. Vt enim nemo inficias ierit,hic liber tam locuples,id eſt Mineruæ penus,& cella omni exemplorum genere refertiſsima,opus habebat indice copioſiore,quàm eo qui ſingulorum capitum duntaxat epigraphas & titulos cõplectebatur,cùm permulta ſint quæ bis tẽrue aut ſæpius repetita variis locis aptari cõmodè poſsint: quæ cùm ſemel vno in loco reperiuntur,& oculorũ & animi aciem effugiunt. Quamobrem hic quidẽ adiectus index cõmodiſsimus eſt futurus, vt ſit tanquam filum Ariadnes ad Labyrinthũ tutò ingrediẽdum, aut cynoſura, quo expeditius vaſtum hoc & copioſum philologiæ pelagus,quoties opus erit,permeare & enatare cõmodè poſsis. De quibus, niſi te remorari diutius ab operis lectione putarem, pluribus admoneri fortaſſe vellem. Quo breuius itaque coronidem adiiciam, tantùm ex te volo,vt memineris de hominum ſtudioſorum induſtria & labore candidè ſentire, iíſque tandem grato animo perfrui, ſubindéque illud Horatianum ac tibi ſpeciatim dictum, & quaſi tui cauſa ſcriptum, putare,

Viue,vale: & ſi quid nouiſti rectius iſtis, Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

Lutetiæ Pariſiorum Nonis Auguſti M. D. LXXI.

IN

THEATRVM VITAE HVMANAE

AD

NOBILISS. VVEITMOSEROS FRATRES
CRISTOPHORI F.

IOANNEM, CRISTOPHORVM, ET ESAIAM, DOMINOS

IN VVINCKEL ET FALCKENSTAIN.

THEODORI ZVINGGERI BASIL. MEDICI ET PHILOSOPHI,

PRAEFATIO.

VI venerandæ Antiquitatis monumenta in Romanæ vrbis ruderibus inuestigant, non modò statuas, theatra, pyramides, aquæductus, thermas, templa, pontes, & si quæ sunt alia vrbis & orbis ruinarum miseranda vestigia, sollicitis perlustrant oculis: verumetiam inscriptiones & epigrammata, veluti testes antiqui splendoris & magnificentiæ, magna diligentia obseruate consueuerunt. Et si enim tantorum operum maiestas authoribus suis honori olim posteris admirationi fuit: nunc tamen ruinæ sola mole sua imperitorum oculos perstringunt: inscriptiones verò apud doctos & eruditos homines dignitatem veterem quodammodo tuentur, authorúmque suorum memoriam ab obliuione vindicant. Quòd si vetustatis prudentiam imitari & honestum est, & laudabile: nostro pariter Theatro, quod & mole & expectatione sua magnum fortasse censeri poterit, Præfationem Inscriptionis loco præfigere non dubitabimus: primùm vt instituti nostri ratione studiosis omnibus comprobata, fundamenta tanti Operis iaciantur: eiúsque porrò augendi & amplificandi methodus, quam vel nos, si Deus optimus maximus vitam concesserit, vel alij nostro exẽplo sequi poterunt, planissimè intelligatur. Deinde etiã, vt vos, Magnifici VVEITMOSERI, Theatri vitæ humanæ, quod vestro nomini consecrauimus, præstantia & vtilitate perspecta, animum nostrum vestræ virtuti deuotum, scincerè & apertè cognoscatis.

OMNIVM eorum quæ vel arte vel natura constant, certa cognitio ex causis habetur: quibus essentia rei comprehenditur, quæque essentiam comitantur accidentia. Proinde principiis rectè intellectis, Subiecto videlicet, Dispositione, Authoribus, & Vsu operis, facilis nobis ad sequentia patebit aditus.

MATERIA igitur Theatro nostro subiecta, omnia ea quæ in hominem cadere possunt, siue bona sint, siue mala, sui ambitu complectitur. De quibus cùm Ethica philosophia, quatenus ad felicitatem & beatitudinem humanam quomodolibet facere possunt, disputet: manifestum est, Theatrum quoque nostrum ad Morum philosophiam referri debere: hócque solo differre, quòd illic præcepta bene viuendi in vniuersum traduntur: hîc verò particularia exempla. Quod vt magis perspicuum fiat, paulo altius repetendum erit. Τῶν ἀνθρωπίνων igitur omnium duplex consideratio institui potest: philosophica alia, alia historica. Philosophicam voco subtilem inquisitionem, qualem Ethici philosophi, qui de hominis beatitudine disputant, instituere solent. Namque bonorum omnium causas inquirunt, tum internas, tum externas. Internas vocant Materiam & Formam: externas, Efficientem atque Finem. Materia bonorum & malorum, vel actiones sunt & ἐνέργειαι, animi in primis, deinde etiam corporis: vel certè passiones & παθήματα tum animi, tum corporis, tum fortunæ. Sic consulere, ratiocinari, animi actiones sunt: currere, pugnare, corporis. Lætari, irasci, odisse, animi sunt passiones, eámque ob causam πάθη Græcis dicuntur: algere, ægrotare, torqueri, corporis: diuitescere, honoribus affluere, libertate donari, ciuitate eiici, fortuitæ & externæ. Singula ad fontes suos reuocanda sunt, & δευτεροπάθεια (vt Medici loquuntur) à πρωτοπαθείᾳ distinguenda, vt puta, quãdo quis exul & verberibus affectus, præ animi mœrore vita excedit, triplex iam hîc passio adest, animi scilicet, corporis, & fortuitæ: quarum postrema, occasione prior extitit. Formã verò, quæ dat actionibus & passionibus nomen, & esse (hoc est, vt bona vel mala ἀνθρώπινα sint & appellentur, præstat) duplicẽ statuo, pro diuersitate materiæ. Bona enim Græcis ἀγαθὰ, ὅτι ἄγαται τῇ θείᾳ dicta, diuinæ perfectionis imitatorẽ faciunt hominem, per se quidem agendo, per accidens etiã patiendo. Agit propriè animus, & δύναμις ἐνεργητικὴ τῆς ψυχῆς dicitur à qua ἐνέργειαν per corpus tanquã per instrumentũ profluũt. Patitur animus in primis à varijs affectibus: deinde corpus, à frigore, calore, consimilibus: tandé totus homo ab ijs quæ fortunæ arbitrio subiecta videtur esse, & in nostra nõ sunt potestate sita. Hæc δύναμις παθητικὴ appelletur. Quæliber rursus harũ δυνάμεων in ἕξιν & διάθεσιν diuidi potest. ἕξιν voco in uniuersum confirmatã agendi patiendíue potentiã: διάθεσιν verò, nondum confirmatã, facilẽq; mobilem. Et παθητικὴ quidem δύναμις quoniã vel natura vel casu nobis adesse videtur, siue volentibus, siue nolentibus, etsi frequentissimè in vita hominum occurrit, ex se tamen bona minus propriè nuncupari facit. ἐνεργητικὴ verò cùm ab hominis arbitrio & voluntate pendeat, & bonorum propriè dictorum natura constituat, diligentiori inuestigatione perpendẽda erit. δύναμιν igitur ἐνεργητικὴν cum Arist. diuidimus in κυρίαν & μὴ κυρίαν. μὴ κυρία naturalis est inclinatio, ad qualibet tum laudabiliũ tum vituperabiliũ actionum speciem ratione carens, vsu nondum confirmata, qualis & in brutis & in pueris conspicitur: eãque in 6. Eth. ἀρετὴν φυσικὴν καὶ μὴ κυρίαν Philos. appellat. Κυρία verò δύναμις vsu & exercitatione rudimentũ illud naturæ cõfirmat, rectæque rationis ductu διάθεσιν primùm, deinde etiã ἕξιν generat, dispositiones videlicet, & habitus propriè dictos laudabiles: quorum uariæ sunt species, siue finem ipsum, siue efficientem animam spectes. Efficientis namq; animæ respectu δύναμιν ἐνεργητικὴν τὸν λόγον ἔχοντος μορίου propriam statuo. λόγον ἔχον, 2. modis dicitur. (Græcis autem vocabulis libenter utor, quia iam ipso vsu emollierũt, & propterea rei naturã felicius exprimere uidẽtur, quàm Latina.) Per se nãque λόγον ἔχει τὸ λογικὸν siue διανοητικὸν μόριον, in quo ἕξεις διανοητικὴ resident, quæ omnes in veritate contemplanda uersantur, vt 6. Eth. cap. 2. ostendit Arist. Etsi autẽ in ueritatis theoria omnes conueniunt, differunt tamen rursus, quoniã aliæ in veritate sola acquiescũt, & ἕξεις θεωρητικὴ dicuntur, tum simplices, νοῦς & ἐπιστήμη tum compositæ. σοφία. Aliæ præter veritatem etiam bonum quoddam in actione positum inquirunt: eaq; vel sola, cuiusmodi habitus est φρόνησις, Prudentia: vel non sola, sed simul etiam in opere, qualis est ποιητικὴ τέχνη omnes Mechanicarũ artium differentias sui ambitu cõprehendens

prehendens. Per accidẽs verò λόγον ἔχειν dicimus ὀρεκτικὸν ψυχῆς, quãdo appetitus rectæ paret rationi, & ἕξεις ἠθικὰς producit. Quòd si iam finem consideremus, ijdem habitus alia serie deduci poterunt. Nam cùm intellectus ille sit, qui agit, vel in seipso aquiescit, ὃ αὐτὸν ἐνεργεῖ, & veritatem pro fine propositum habet (idcirco θεωρητικὸς νοῦς, & ἕξις ipsa θεωρητικὴ siue simplex fuerit, siue composita, nuncupatur) vel ad aliud tendit, ἕνεκά του ἐνεργεῖ, boni scilicet gratia, quod in actione positum est. Quam quidem ob causam πρακτικαὶ ἕξεις in vniuersum appellari possent, quatenus vulgò etiam Theoriæ Praxis opponi videtur, cõmuniter sumpto vocabulo. Propriè enim πρᾶξις ad virtutes in sola actione acquiescẽtes refertur, siue ἠθικὴ sint, siue διανοητικὴ φρόνησις. Bonum rursus istud vel apprehẽdit διάνοια (tum propter actionem ipsam, & φρόνησιν propter opus, & τέχνη constituit) vel ὄρεξις siue appetitus, quem cum dirigat recta ratio, varias ethicorum habituum species generat: de quibus cùm philosophus Ethicus ex professo disputet, nos de iisdẽ in Schematismis, Tabulis, Scholiísque nostris in Aristot. libros de Moribus, fusius disputabimus: in hoc Opere breuius, quantum scilicet ad exemplorum enarrationem opus esse videbitur. Externas porrò τῶν ἀνθρωπίνων omnium causas, efficientem atque finem cõstituimus. Efficientis primarij appellatione Deum Opt. Max. intelligimus, à quo tanquã ab vberrimo fonte bonitatis, omnia bona prouenium: cuius occultam vim imperiti homines Fortunã appellarũt, & ex ignorãtia monstrũ quoddã, quod colerẽt, sibiipsis confinxerũt. Iã verò si secundas & proximas causas perpẽdamus, Homo sibiipsi bonorũ atque malorum causa erit, quatenus in ipso positũ esse videtur, vt vel honestas vel inhonestas actiones exerceat, ex quibus internus habitus modò confirmatur (iustè enim & prudenter agẽdo, iusti & prudentes reddimur teste Philosopho,) modò declaratur. Idipsum quoque multo clarius in externis bonis apparet. Exercitiis enim conuenientibus bona valetudo acquiritur, & vicissim à salubritate interna corporis præclaræ exercitationes promanant. Similiter qui consuetos labores negligit, per desidiam morbum incurrit: & morbo correptus, eosdem necessitate vrgente intermittere cogitur. Illud idem de fortuitis bonis, de diuitiis, honoribus, libertate, amicitiis dici potest, quorum omnium & acquisitio & conseruatio humanæ industriæ, si non primariò, at certè secundariò, accepta referri debet. De his enim in præsentia philosophicè, non theologicè disputamus: & cum Aristotele Beatitudinem humanam θεόν τι καὶ δαιμόνιον ἀγαθὸν esse non negamus, eatenus tamen sub philosophi cõtemplationẽ cadere non posse, constanter asserimus: cùm de iis tantùm disputare philosophis conueniat, quæ vel cognitione vel exercitatione & industria humana apprehendi possunt. Ex his ipsis finem bonorum omnium colligere licet, humanam scilicet Felicitatem: quam in εὐδαιμονίαν & εὐτυχίαν authoritate Aristotelis dinidere possumus. εὐδαιμονία cumulum quendam & congeriem omnium bonorum cõplectitur: quorum veluti basis est: ἐνέργειαι τῆς ψυχῆς κατ' ἀρετὴν reliqua bona externa corporis & fortunæ, eidem famulantur & ministrant. εὐτυχία verò solidam beatitudinem non continet, sed tantùm externorum bonorũ tam corporis quàm fortunæ copiam & abundantiam, quæ per se homini data non est vt in ea acquiescat, sed multo magis vt his tanquam præludiis ad virtutis actiones dextrè & nauiter obeũdas instruatur & animetur. Proinde εὐημερίαν & χορηγίαν hanc nuncupat Aristoteles. Nostri distinctioris doctrinæ gratia posteriorem hanc Felicitatem vocare possent. priorem illã beatitudinem. Quoquidem in loco quorundam animaduersiones satis admirari nequeo, qui Aristoteleam Beatitudinem tantopere impugnant, & cum pietate Christiana è diametro pugnare inflatis buccis prædicãt. Non vident, inepti homines, de humana tantùm beatitudine Philosophum loqui: quam etsi nullus in hac misera & calamitosa vita assequi potest, ideam tamen hominis beati proponere voluit, ad quam respicientes, de felicibus & infelicibus longè certius iudicium, quam vulgus, ferre possemus. Nisi quis pari ratione & Oratorem Ciceronis, & Rempublicam Platonis damnare velit, quòd neque orator, neque respublica talis in rerum vniuersitate reperiatur. De beatitudine igitur humana Peripateticè disputare homini etiam Christiano licebit: at eam sperare, neque philosopho, nedum Christiano. Ea interim spes nos, qui sacrosancto CHRISTI sanguine redempti sumus, consoletur, quòd quam in hac vita in ænigmate tantum videmus eam Christi gratia & intercessione in omne æuum duraturam consequuturi aliquando simus. Et hæc quidem de Theatri nostri subiecto ex philosophorum sententia dixisse sufficiat. Nos verò cùm historicè bona & mala ἀνθρώπινα in hoc Opere consideremus, effectuum potius, τῶν ἐνεργειῶν scilicet & παθημάτων, quàm habituum rationem habebimus. Historia namque particulares hominum actiones, quæ vel laude vel vituperio dignæ videntur esse, persequitur, à quibuscũque habitibus proueniãt, naturalibus an acquisitis, perfectis an imperfectis quas Dispositiones appellãt. Neque enim actionũ principia obseruare Historia consueuit (operosius enim id est, quàm vt in eo longã morã ponere facere) sed actiones tantùm perpendit, laudabiles sint nécne: similiter & passiones, iucundæ sint, an tristes & molestæ. Atque in his ipsis quanta religione Historicum versari necesse sit, vel inde quis colligat, quòd etiam in manifestis iudicium suum interponere prohibetur, ne plus affectibus suis, quàm rerum veritati tribuisse videatur. Cæterùm quia nos non Historiam simpliciter, sed vsum atque fructum historiæ persequimur, & exempla ipsa ad sua principia reducere studemus, humanæ imperfectionis ratione habita, liberè pronunciare possumus, actiones quaslibet maiori ex parte à dispositione potius quàm ab habitu prouenire. Cuius rei fidem faciunt mutabilitas opinionum, & actionum inconstantia, quæ in vnum eundémque hominem sæpe eodem, frequentius exiguo tempore interiecto, cadere deprehenduntur. Diuidatur itaque materia Theatri nostri, τὰ ἀνθρώπινα omnia, respectu hominis, cuius propria sunt, in interna animi, in habitus scilicet bonos atque malos, à quibus actiones similes, tam laudabiles quàm vituperabiles, proueniunt: & in externa, corporis scilicet & fortunæ. Et hæc hactenus de materia totius Operis, cuius typicam ὑποτύπωσιν paulo pòst subiiciemus. Nam specierum singularum accuratam enarrationem in librorum procemia differemus, ne de iisdem sæpius verba facere cogamur.

FORMA succedit: quæ cùm rei essentiam proximè constituat, diligentissimè à nobis perpendenda erit. Ea namque sublata, structuram vniuersam Theatri nostri corruere: ignorata, stupidos & ociosos spectatores reddi necesse est. Pro cuius intelligentia illud statuendum, doctrinam omnem, quatenus traditur, internam formam habere πάξιν externam ipsam λέξιν. Est enim doctrina fluxus quidam è docente in discentem. Docẽs ex intellectu suo cognitionem causarum & effectuum (in quibus cùm alia priora sint, alia posteriora, ordinem dari necesse est) verbis propriis conceptam, vocéque viua expressam proponit. Discens verba auribus percipiens, eorum significatione mentis penetralibus recondit. Cùm igitur & ordo & dictio in docente necessariò requiratur, ad nostri etiam Operis constructionem vtroque opus erit. De ordine primo loco agamus, quem rerum animam esse, diuinus Plato asseret non dubitauit: & Menander Comicorum princeps, cùm dispositionem fabularum haberet, eas sese iam perfeciisse gloriabatur. Forma materiam sequitur: & propterea ex materiæ varietate ordo distinguendus erit. Aut enim vniuersalia præcepta traduntur, aut particularia exempla. Præcepta philosophi didascalico ordine vno aliquo ex tribus persequũtur. Compositiuo, Definitiuo, vel Resolutiuo: quorum posteriore δαμόνιος Aristoteles Ethicorum libros ingeniosissimè absoluit. Id quod nos propediem, Deo dante, in Tabulis & cõmentariis nostris in eosdẽ libros luculẽter ostendemus, & artificium mirabile summi philosophi tanta facilitate proponemus, vt vel mediocriter eruditi ad intimos philosophiæ recessus penetrare queant. Ordinis deinde vniuersalis partes organis & instrumentis logicis declarari consueuerunt variis, vt puta Definitione, Diuisione, Syllogismo, Resolutione. Iam verò exempla particularia ordine chronico, hoc est, continuata serie temporum obseruata, Historici: eadem neglecta, & actionum tantùm passionúmque similitudine notata, Exemplorum Rhapsodi tradunt. Essentialem igitur & didascalicum ordinem philosophi Ethici necessariò amplectuntur, doctrina enim ἄτακτος esset & confusa, nisi ex prin-

cipiis atque cauſis ea quæ vulgò principata dicuntur, tanquam effectus quidam, deducerẽtur. De qua re fuſiùs in Præfatione noſtra in Artem medicinalem Galeni iampridem egimus: & porrò etiam in primi Ethicorum, capite primo, diligenter diſſeremus. Accidentalis ordo Hiſtoricorum eſt, qui cùm particulares res geſtas quorumlibet deſcribant, motum in primis conſiderant, hoc eſt, actiones & paſsiones varias hominum: deinde numerum motus, ipſum videlicet tempus, in quo hæc contigerunt. Nam cùm veritas hiſtorico propoſita ſit, vt rem ita vt geſta eſt bona fide recenſeat: ordinem ſeriémque temporis immutare non debet, ne vel parum fidus in hiſtoria, vel certè confuſus & obſcurus fuiſſe videatur. Poetæ, qui & prodeſſe volũt, & delectare, ornatus cauſa temporum ſeriem non ita curioſè obſeruant, ſed frequenter à mediis rebus ordiuntur: in progreſſu deinde poematis ea quæ antè geſta fuerunt, enarrant. Licet hoc in Homero animaduertere, qui bellum Troianum non à primo ouo, quod aiunt, ſed ab vltimo illo anno, quo Troia fuit capta, exorditur. Pari ratione Latinorum Homerus Maro, Æneida non ab Ilij excidio, ſed à naufragio Æneę in mari Tyrrheno auſpicatur. Cùm enim non omnia ornatum admittant, ea tantùm perſequitur poeta, in quibus vim ſuam egregiè oſtendere poſſit. Deinde etiam cùm delectare ſtudeat, id vnicè cauere debet, ne prolixitate auditores iam faturos offendat. Quòd ſi ergo rem geſtam ordine tractare vellet, mixtis ſubinde figmentis atque pigmentis Poeticis, omnibus certè faſtidium ſui excitaret. Sic Antimachus ille Colophonius, cui ſecundas alioqui poſt Homerum in Epicis tribuit Quintilianus, cùm auditoribus cõuocatis Thebaida ſuam recitaſſet, in qua libros quatuor & viginti conſumpſerat, antequam ſeptem duces Thebas perduxiſſet: repentè ab auditoribus deſertus fuit, Platone excepto, qui nimiam illam redundantiam frugalitate ſua ferre poterat, & moderari. Poetas & fictione & dictione imitatus Heliodorus Tricenſis epiſcopus, ſolo rhythmo neglecto, Æthiopicam ſuam hiſtoriam (quæ caſti amoris præclarum exemplar continet, & mira rerum ſimul atque verborum varietate referta eſt) non à primis amoribus, Charicleæ & Theagenis, ſed à cæde piratarum exorſus eſt. Hiſtoricus igitur temporum ſeriem religiosè obſeruabit: Poeta non item, quamuis & ipſe res geſtas deſcribat. At neque Exemplorum ſcriptores chronologiam in omnibus retinere poſſunt, cùm res geſtas non ex temporum ſerie: ſed ex internorum habituum, à quibus externæ actiones promanarit, differentiis metiantur, & locorum communium titulis deſcriptis, omnia exempla, quæ eiuſdem ſunt naturæ, tanquam in penu congeſta reponant, vetera recẽtia, ſacra profana, externa domeſtica, diuina humana. Modò enim de rebus conſtet, de tempore minus ſunt ſoliciti, cùm ſit tantùm numerus ipſius motus. Quemadmodum enim in artificioſa optimorum authorum dialyſi non numerus, non ſplendor orationis cõſideratur, ſed ſola diſpoſitio: ita etiam in hiſtoricorum lectione Exemplorum rhapſodus actiones tantùm perpendet, & ad habitus ſuos reducet, téporis continuatione non nimis curioſè obſeruata. Quòd ſi igitur neque didaſcalico ordini, neque chronologico in exemplorum farragine locus eſſe poteſt: & interim tamen ordine ſummopere indigemus, ne, quod multi ante nos fecerunt, hanc tantam molem, rudem & indigeſtam proponere videamur: quis nam vel qualis is erit? Ælianus varias lectiones abſque ordine, prout quæque legenti ſeſe obtulerunt, congeſſit. Sic etiã Polyænus in Stratagematis, & Plutarchus in Apophthegmatis, & Io. Tzezes, vt de recentioribus taceam. Valerius Maximus oculatior fuit, & certos titulos deſcripſit, tanquam locos communes, ad quos vulgatiſſima exempla reduci poſſent. Eum poſtea ex neotericis ſecuti ſunt Ioan. Baptiſta Campofulgoſius, M. Anton. Sabellicus, Ioan. Baptiſta Egnatius. Verùm cùm magna titulorum inopia laborent omnes iſti, & maiore ſtudio quàm arte titulos congerant: verius quàm connectant: alius certè ordo inſtituendus erit, qui non ex voluntate ſcriptoris, ſed ex arte pendeat, atque adeò æternus eſſe poſſit. Etſi autem neque didaſcalicus, neque chronologicus ordo conuenit, attamen ex vtroque mixtus fortaſſis conueniet. Quod vt clarius pateat, diſtinctione opus erit. Diſpoſitio igitur alia vniuerſalis erit totius Theatri: alia particularis, ſingulorum Librorum in primis, deinde etiam Titulorum. Et vniuerſalis quidem omnium librorum inter ſe connexio partim ex bonorum & malorum ἀνθρωπίνων (quæ Theatro noſtro ſubiecimus) tum materia tum forma deſumitur. Diuiſimus enim ea omnia in interna & externa. Interna animi, ἕξεις & διαθέσεις tam φυσικὰς quàm κυρίας conſtituimus, ſiue laudabiles ſint, ſiue vituperabiles, à quibus actiones ſimiles proueniunt. Sunt porrò ἕξεις aliæ διανοητικαὶ, aliæ ὀρεκτικαὶ διανοητικαὶ rurſus in veri contemplatione verſantur, vel cauſa veri, & θεωρητικαὶ dicuntur: vel cauſa boni, & πρακτικαὶ in genere nuncupari poſſunt, quatenus πρακτικὸν τῷ θεωρητικῷ opponi videtur. Porrò πρακτικαὶ bonum ſpectant, quod vel poſitum ſit in opere, & ἕξεις ποιητικαὶ appellantur, Artéſque mechanicas omnis generis comprehendunt: vel in actione ſola, & πρακτικαὶ διανοητικαὶ dicuntur, cuiuſmodi eſt vnica φρόνησις ſiue Prudẽtia. Iam verò ὀρεκτικαὶ ἕξεις quoniam vſu & exercitatione confirmantur, ἠθικαὶ ἀπὸ τοῦ ἔθους vocari cõſueuerunt: quæ & ipſæ ſub Practicis habitibus tanquam ſub genere cõtinentur. De internis igitur habitibus ſeptendecim libris noſtri Theatri agetur. De externis verò, quia vel corporis bona ſunt vel corpus circunſtant, & fortuita appellantur, poſtremis duobus libris diſputabitur. Hæc igitur generalis diſpoſitio eſt totius libri, & ordo neque didaſcalicus, neque chronologicus: didaſcalico tamen proprior, quandoquidem ex forma & materia ſubiecti deſumitur. Eſt alius ordo particularis, Titulorum in primis, ad vnum eundémque virtutis locum pertinentium: deinde exemplorum, ſub eodem titulo cõprehenſorũ. Et Titulorum quidem ſeries ab initiis ſingulorum librorum priore ſemper loco proponetur, vt quo ordine ſpecies inter ſe connectantur, cõſtet. Ariſtotelis autem imitatione, medium in primis, virtutem ſcilicet, eiuſque ſpecies: deinde extrema duo vitia, alterum in exceſſu, alterum in defectu, in habituum internorum enarratione perſequemur. At in externis paſſionibus vel actionibus, contraria ſemper bona atque mala inter ſe conferre ſtudebimus. Cæterùm quia Tituli modò reſpectu materiæ, modò reſpectu formæ deſcribi poſſunt, exemplis idipſum illuſtrare tentemus, vt ſtudioſus Lector conſilium noſtrum in Hiſtoricorum libris cum fructu legendis intelligat: atque etiam, niſi præſtantior alia ſuccurrat methodus, imitari queat. Sunt igitur exempla quædam, quæ ratione materiæ conueniunt, & ſub eundem titulum referri debent: at ſi formam conſideres, ad longè diuerſos titulos pertinebunt. Sic Hoſpitalitatis varij ſunt tituli, qui materialiter (vt ita loquar) omnes conueniunt, quoniam officio ſuo erga hoſpites rectè funguntur. At formaliter differunt, alia namque hoſpitalitas ad liberalitatem pertinet, vt puta alimenta & habitationem hoſpitibus largiri: alia humana, erga hoſpites benignum ſeſe tum ſalutando tum miniſtrando præſtare: alia iuſta, hoſpites non prodere, depoſitum reddere, & ſimilia. Inhoſpitalitas pariter materiæ reſpectu, vnica eſt: at formæ merito diuiditur in inhoſpitalitatem illiberalem & auaram (tum ἐν λήψει, vt qui hoſpites auri depoſiti cauſa occiduntur: tum ἐν δόσει, qui hoſpites ſordidè tractant) in inhumanam, & in perfidam ſiue iniuſtam. Pari ratione Beneficentia materialiter ea eſt, quæ beneficũ confert in alios: at formaliter cõſiderata, ſi ſpe talionis id faciat, ad auaritiam: ſi libidine quadam profundendi ſua, ad prodigalitatem ſi non merentibus tribuat, ad iniuſtam διαφυλὴν referenda erit. Vitæ morúmque mutatio modò ad leuitatem & inconſtantiã, modò ad pœnitentiam reuocabitur. Bene maléue morati, ſi mores ſpectes, generali titulo comprehendi poſſunt: ſin verò ſpecies virtutum varias, à quibus tanquam accidentia externa dependent, ſic non paucas admittent differentias. Omnes exemplorum ſcriptores, Valerium imitati titulos habent, de inſigni pueritia & adoleſcentia: non malè quidem, ſi materiam ſpectes: nos verò reſpectu formæ ad indolem vel theoricam, vel practicam pertinere iudicauimus. Inimicos amare, vlciſci, decipere, eiuſdem loci videntur eſſe: at ſi formam conſideres, internos ſcilicet habitus, à quibus actiones tales promanant, ſic diuerſorum locorum erunt. Amor Dei, proximi, amicorum, patriæ, vxoris, amaſiorum, in materiali beneuolentia conueniunt: at ſi fortes ipſos intuearis, ad temperantiam alius, alius ad iuſticiam pertinebit. Parthenius Erotica ſcripſit, Polyænus Stratagemata, De moribus gentium & populorum variis Stobæus: de Miraculis, poſt omnes alios copioſiſſimè Lyceoſthenes noſter: de Claris

Cilaris mulieribus, de Rerum inuentoribus diuerſi authores. At quis non videt, materiam in ſingulis eandem eſſe, cuius ratio ſimilitudinem habent, & conuenientiam, forma verò differre, & ad varios locos referri debere? Formæ igitur ratio habenda eſt in primis, vt ea quæ ſecundum eam conueniunt, rectè coniungantur. Interim tamen materia negligenda non eſt, quandoquidem ex illius diuerſitate formales ſpecies ſubdiuidi poſſe videntur. Sic Temperantiæ vnica eſt ratio formalis, neque à voluptatibus, neque à doloribus vltra, quàm recta dictat ratio, commoueri. At quia voluptates varię ſunt, & vel ad indiuidui, vel ad ſpeciei conſeruationem faciunt: propterea Temperantiam in victus Abſtinentiam, & in Continentia u venereorum, diuidere poſſumus. Et ne longior ſim, quælibet virtus innumeras admittit partitiones, à materia ferè deſumptas. Quinimò virtutis in genere vnica eſt ratio, & definitio, quòd ſit habitus in mediocritate conſiſtens, qui tamen diffuſus ex ſubiecta materia in varias dicitur ſpecies: cùm alia ſit ratio mediocritatis in periculis obeundis, alia in pecuniis contemnendis, alia in honorib. perſequendis. Et hæc hactenus de Titulorum ſerie dicta ſint. Cuius declarandæ cauſa geminum Indicem huic Operi præfiximus: in quorum priore, formalis (vt ita loquar) ſeries titulorum deſcribitur: in poſteriore verò, ordine alphabetico iidem digeruntur, & materialem diſpoſitionem habere videntur. Tertius index qui propriorum nominum catalogum continet, vt minus eſt neceſſarius, ita extremo operi adiungetur. Quod ſi iam exempla eiuſdem tituli conſideremus, quandoquidem numero varia ſunt, ordinem quendam efflagitare videntur: qui proculdubio à variis perſonarum accidentiis petendus erit. Perſonæ intelligemus, tum hiſtoricorum qui ſcribunt, tum eorum de quibus ſcribunt. Si Hiſtoricorum rationem habeas, exempla diuidi poterunt in Sacra & Profana. Sic Andreas Eborenſis in Ethnica, & noſtratia ſiue Chriſtiana exempla diſtinxit. Sacra autem ea nomino, quę vel à Bibliorũ libris (quorũ authoritas ſacroſancta apud omnes pios haberi debet) vel ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus tradita ſunt. Profana rurſus in Hiſtorica quæ fidem merentur, & in Poetica ſiue fabuloſa diſtinguo. Iam verò perſonas eorum, de quibus hiſtoriæ loquuntur, conſiderare poſſumus vel per ſe, vel reſpectu noſtri. Si poſteriore modo, exempla non ineptè diuidemus partim ratione loci, in domeſtica & externa, Valerij & Egnatij imitatione (ita quidẽ, vt domeſtica ea dicantur, quæ noſtræ genris hominibus contigerunt, & propterea etiam animos noſtros plurimùm mouere poſſunt: externa, quæ peregrinis & exteris partim reſpectu temporis, in vetera & recentiora, quam diuiſionem Campofulgoſus ſecutus eſt. Sin priore modo, ſic pro qualitate perſonarum exempla varias admittẽt diuiſiones. Habita namque ratione ſexus, alia virorum erunt, alia mulierum: cùm nulla ferè virtus ſit, quæ non in mulieres quoque cadere poſſit. At conuerſationis ratione habita (quandoquidem homo animal κοινωνητικόν eſt, & ad conuerſationem natum) ſic diuidentur commodè in politica & œconomica. Politica rurſus in publica & priuata. Publicatum principum & magiſtratuũ, tum ſubditorum. Priuata, vel Inimicorum, vel Amicorum, vel Hoſpitum & Peregrinorum. Quòd ſi tu iam locum habitationis obſerues, quem ferè morum, linguarum ſtudiorũ varietas ſequi videtur: ſic eiuſdem gentis exempla coniungẽda erunt, vt puta Hebræorum, Aſſyriorum, Græcorum, Romanorum, Gallorum, vel Germanorũ: eóque magis, quòd Hebræos Hebræorum, Italos Italorum exempla, tanquam domeſtica, longè plus mouere poſſunt, quàm exterorũ. Et hi quidem fontes ſunt διαφετικοὶ ſecundum quos exempla eiuſdem tituli in ordinem redigenda eſſent. Verùm quia & operoſum & curioſum eſſe videtur, eundem titulum in tam varias partes ſecare, ne nimia ἀκεφαλογίᾳ lectori moleſtiam exhibeamus, in perſonis locum in primis, hoc eſt patriam ipſam obſeruabimus: deinde etiam tempus. Afferemus igitur exempla Hebræorum, pro chronologiæ ſerie: neque Moſem ante Abrahamum, aut Dauidem poſt Ezechiam ſtatuemus. Mox ſubiungemus Aſſyrios, Perſas, Aegyptios, Græcos, Romanos, Hiſpanos, Germanos, Gallos & ſic deinceps. Cuiuſmodi ordinem ſub titulo Regum & magiſtratuum variorum, libro decimonono obſeruatum videbis. In cæteris titulis non item, partim propter exemplorum inopiam: partim verò quod facile cuiuis eſſe iudicaremus, ea in ordinem redigere. Cætera poſterior corriget arte dies. Ordo igitur iſte chronicus quodammodo erit, ſi tempus diligenter obſeruemus. Hancque ob cauſam ſuperiore loco ordinem Theatri noſtri mixtum ex didaſcalico & chronico eſſe diximus: Ex didaſcalico quidem, ſi diſpoſitionem vniuerſalem omnium librorum ſpectes: ex chronico verò, ſi particularem exemplorum diſpoſitionem perpendas: quæ in quolibet Titulo non quidem neceſſaria, vtilis tamen exiſtit. Namque ſi ad hunc modum exempla digeſſeris, ordo perpetuus & æternus inter exempla eiuſdem ordinis manebit, nec minus ad vſum accommodatus. Ex hoc enim veluti penu non difficile erit vetera, recentiora, domeſtica, externa, politica, œconomica, publica, priuata, virorum, mulierum, fabuloſa, hiſtorica, ſacra denique & profana, cum opus erit, ſuo quælibet loco & tempore depromere. Quòd ſi verò aut Valerium imitari velis, aut Campofulgoſium: id euenier incommodi, vt quæ ubi domeſtica videantur eſſe aliis externa ſint: quæque noſtro tempore recentia ſunt poſt aliquot ſecula iam pro vetuſtis habeantur. Conſulendum eſt in vniuerſum poſteritati, ne noſtri tantùm hominibus nati eſſe videamur. Et hæc θέσεως τάξεως noſtri Theatri, tum καθόλου tum κατὰ μέρος dicta ſint. Supereſt λέξις ſiue dictionis genus quod nobis hiſtrionum loco inſeruit, & interpretis munere fungitur. Character igitur hiſtoricus eſſe debet. Hiſtoriæ eſt, rerum circumſtantias & temporum ſeriem diligenter obſeruare, ornatus nimiam curam non habere: ſed ea niti moderatione: vt neque incultus ſit ſtylus & horridus, neque fucatus omnino, & rhetoricis phaleris plus ſatis exornatus, qui dubiam hiſtoriæ fidem faciat, quaſi maiorem eloquentiæ quàm veritatis rationem ſcriptor habuerit. Cauenda quinetiam obſcura breuitas, & faſtidioſa prolixitas: Valerius Maximus & Egnatius in ornatu nimiũ ſunt. Sabellicus elegans quidem, conciſus tamen vltra quàm oportet. Medium itaque ſequendum, & ea tantùm quæ ad præſentem locum pertinebunt recenſenda: ex quibus Lector hiſtoriam ipſam, quantum ſatis ſit, cognoſcere poſſit. Nam, verbi gratia, ſi de Sardanapali mollicie ſit agendum, & ſimpliciter Sardanapalum mollem fuiſſe dicamus, Lector imperitus nihil docebitur, neque exemplo illo vti poterit, cùm reliquas circumſtantias ignoret, vtputa quòd rex Aſſyriorum vltimus fuerit, & propter molliciem ab Arbace Medorum præfecto regno exutus, in regia ſemetipſum concremauerit. Vtilis quidem eſt breuitas iis qui Hiſtorias nouerunt, memoriæ reficandæ ergò, & ad ſynopſin confert: at indoctis, & hiſtoriarum imperitis, quorum maior ferè pars eſt, addo etiam doctis, qui propter ſeria ſtudia hiſtoriis vacare non poſſunt, inutilis & odioſa. Compendio igitur ſtudeamus, non breuitati: & medium ſecuti, parerga omnia reiiciamus, neceſſaria non omittamus. Quemadmodum enim emblemata proportione reſpondere debent loco cui inſeruntur, vt nec maius ſpacium occupent, nec vacuum relinquant: ſic etiam in exemplis res ſeſe habet. Quòd ſi nos interdum in exemplorum narratione multa, quæ ad præſentem titulum non faciunt, complecti videbimur, illud tamen conſulto à nobis factum eſſe benignus Lector ſciat, vt ſcilicet hiſtoria perfecta ſub vno aliquo titulo deſcriberetur, ſub aliis deinde titulis nomina tantùm notarentur, & ad priorem titulum Lector reiiceretur. Exemplo rem illuſtremus. Sub titulo Oraculorum de ſuſcipiendis liberis, Ergini Minyarum regis exemplum leges, ex Pauſania deſcriptum. In quo præter oraculum multa alia notari poſſunt: vtputa Trophonii & Agamedis induſtria in ædificando, quæ ad titulum Architectorum referenda eſt: eorundem aſtutia in compilando Hyriæi ærario, quæ ad calliditatem in acquirendis pecuniis pertinet: Hyriæi prudentia in furibus deprehendendis: Trophonii parricidium: eiuſdem mors, quando perpetrata cæde hiatu terræ abſorptus fuit. Compendij igitur ratione ducti, ne tot in locis eandem hiſtoriam decantare cogeremur, eam ſub titulo Oraculorũ prolixè ſecuti ſumus in cæteris titulis nomen tãtùm Trophonij, Agamedis, & Hyriæi notauimus, hiſtoriam in Oraculis ſuſcipiendorum liberorum accuratè deſcriptam teſtati. Et hæc de Compendio orationis. Iam verò ſtylus ipſe Theatri noſtri varius eſt: vt etiam Scriptores, quorum authoritatem ſecuti ſumus, diuerſo charactere ſunt vſi. Nam cùm Vallerii,

Sabellici, Campofulgofi, Hanapi, Maruli, Egnatij exempla, paucis quibuſdam immutatis, retinuerimus, ſtylum variare non potuimus: neque etiam voluimus, rerum potius quàm verborum rationem habendam eſſe arbitrati. Qui delicatioribus erunt auribus, ipſo vſu quemcunque volent colorem atque characterem inducere poterunt, Fortè etiam, ſi per ocium aliquando licebit, vt & ſeries & dictio vnius eiuſdémque authoris eſſe videantur, operam dabimus.

His explicatis, ad Efficientem nunc accedamus. Efficientis appellatione complector partim hiſtoricos, ex quorum ſcriptis exempla tum vera tum fabuloſa deſumi poſſunt: partim rhapſodos, qui exempla ex hiſtoricis variis collegerunt. Hiſtoricos voco, omnes eos qui res geſtas, vel quaſi geſtas aliorum deſcripſerunt. Quorum catalogum in præſentia recenſere, & ſuperuacaneum & ambitioſum eſſe iudico: cùm Lector diligens in ipſis exemplis perlegendis ſtudium & laborem noſtrum agnoſcere, & ex quàm variis authoribus Theatrum hoc conſtruxerimus, deprehendere queat. Id enim curauimus, vt cuilibet exemplo authorem ſuum ſubnecteremus: ne alienis plumis nos ornare videremur, aut in maleuolorum reprehenſionem incurreremus. Quælibet authori ſtentque candantque ſuo. Illud vnum excuſatione opus habere videtur, quòd ex authoribus dubiæ fidei exempla fabuloſa & poetica congeſſimus. Atqui ſi Comicis & Tragicis poetis in ſcenam non modò res geſtas, ſed fabuloſas quoque, quæ tamen fieri potuerunt, introducere licet, magno cum ſpectatorum fauore & applauſu: non video, cur poetica figmenta ex noſtro hoc Theatro explodi mereantur: præſertim cùm Horatianum illud notum ſit. Et prodeſſe volunt, & delectare poetæ. Nulla certè fabula eſt, quæ non vel veri aliquid, vel certè veri ſpeciem habeat: vt quamuis non ita geſta ſit, at geri tamen potuerit. Licet hoc ex Diodoro Siculo, hiſtorico grauiſſimo, intelligere, qui de reb. geſtis antiquorum narrationem contexuit, & fabulis remotis, veras hiſtorias ſubeſſe oſtendit. Neque enim diuina illa veterum poetarum ingenia eò ſtupiditatis & dementiæ perueniſſe exiſtimandum eſt, quaſi ea quæ fabuloſè propoſuerunt, ſimpliciter talia eſſe affirmare voluerint. Senſus latet myſticus, modò phyſicus, modo ethicus, modò Theologicus: qui non niſi initiatis, hoc eſt, vera ſolidáque philoſophia imbutis, patere poteſt. Atque vt demus, nihil in his, quod humanæ vitæ conferre queat, ſubeſſe: at certè tamen varietas ipſa exemplorum, non minus quàm ferculorum in opiparo conuiuio diuerſitas, delectare poterit. Vt enim in amphitheatris Rom. olim non tantùm viuæ hiſtrionum voces, verumetiam picta aulæa, tabulæ, ſigna adhibebantur, quib. oculos ſuos ſpectatores paſcere cum voluptate poſſent: ita in Theatro noſtro non vera tantùm exempla, ſed ficta quoque & fabuloſa locum habere poterunt. Quòd ſi verò paſſim, etiam in ſcholis Chriſtianis, ineptiſſimæ Ethnicorum poetarum fabulæ (ſi exteriorem corticem ſpectes) leguntur, quòd ex illis præter linguarum cognitionem, virtutum vitiorumque non obſcura exempla colligi poſſint: quis tam moroſus erit, qui non Chriſtianorum quoque figmenta, quæ hiſtoriis ſuis paſſim inſeruerunt, legere ſuſtineat, & audire? Etſi enim manifeſta in iis quandóque ſuperſtitio, fortaſsis etiam impietas ineſt: nemo tamen, qui diuinitùs illuſtratus eſt, ab iis decipi poterit, ſacrarum literarum elencho adhibito. Quid quæſo Elyſiis campis, Cerbero tricipiti, Centimanis fratribus, Mercurij furtis, Saturni ὑοφαγίᾳ, Iouis amoribus, ſuperſtitioſius? & tamen hæc ſecuri legimus. Chriſtianorum tantùm θαυμάσια ἀκόυσματα, ſiue ficta ſint, ſiue vera, noſtro tamen palato minus grata, abominamur: & authoritatem veteriſtiſſimorum authorum magna temeritate, ne dicam impudentia, eleuamus & reiicimus. Ego certè vt in antiquorum verba penitùs non iuraui: ita viciſſim eò non proceſſi audaciæ, vt Chriſtianorum omnes hiſtorias (quod multi faciunt) abſque delectu ſuſpectas habeam. Omnem authoritatem damnare, neminí fidem adhibere, ſuis interim dictis omnes aſſentiri velle, quid aliud eſt, quàm ψιθυρίζειν, hoc eſt, manifeſtam in hiſtoria tyrannidem affectare? Sed hæc prolixius fortaſsis, quàm par erat, dum me contra Criticorum acutos vngues munire conor, qui exempla religioſa, quorum magnam partem ex Marulo deſumpſimus, tanquam impia & ſuperſtitioſa abominabuntur. Iam verò vt ad Rhapſodos accedamus, ſciendum eſt, exemplorum congeriem vetuſtam analyticæ exercitationis ſpeciem apud doctos homines. Exercitatio enim Philoſophica in γένεσιν & ἀνάλυσιν diuidi poteſt, id quod paulo pòſt in primi Libri proœmio fuſius declarabitur. γένεσις noſtræ non eſt conſideracionis. At ἀνάλυσις eorum, quæ ab aliis dicta ſunt vel ſcripta, duplex rurſus eſt, vt etiam duplex eſt philoſophia: alia theorica, alia practica. Theorica quidem, præcepta & ſententias variarum diſciplinarum congerit, quæſtiones in vtranque partem exagitat, ſimilia colligit. Practica verò ex hiſtoriis & monumentis aliorum, vel etiam ex quotidiana vita innumeram exemplorum varietatem excerpit, & locos communes hiſtoricos conficit, in quibus variarum lectionum obſeruationes, memoriæ iuuandæ cauſa, tanquam in penu, reponantur. Eſt igitur rhapſodia theorica, eſt & practica, de qua nunc agimus. Vtraque locorum communium appellatione comprehenditur, quos ὑπομνημονευμάτων καὶ ἐκλεκτῶν Commentarios veteres nuncupare conſueuerunt. Tales videntur fuiſſe Ariſtotelis libri ἐγκύκλιοι dicti, qui in præceptis quidem varias quæſtiones, & problemata quarumlibet artium & ſcientiarum, in vtranque partem Academico, ſeu potius Peripatetico more exagitatas continerent: in exemplis verò, ex omni hiſtoricorum genere res geſtas laudabiles & vituperabiles complecterentur. De quibus nos in ſcholiis noſtris primi Ethicorum, cap. 4. ſententiam noſtram protulimus, vt nunc repetere non ſit opus. Illud tantùm conſtet in præſentia, exemplorum rhapſodiam ad practicæ exercitationis ſpeciem, quam ἀνάλυσιν vocant, pertinere. In qua cum diuerſi homines eruditi ſeſe exercuerint, operæprecium erit, rhapſodiæ ſpecies ex ſuis fontibus deducere. Exemplorum igitur ſcriptores diuidere poſſumus partim reſpectu materiæ, partim reſpectu formæ. Ex materia quidem, quoniam alij particularem quendam titulum enarrarunt, vt qui de Rerum inuentoribus, de Claris oratoribus, de Poetis, de Grammaticis, de Claris mulieribus, de Viris bellica virtute illuſtribus ſcripſerunt, quorum catologum ex Bibliotheca Conr. Geſneri Tigurini, medici & philoſophi clariſsimi, quem præceptoris loco veneror atque colo, ſtudioſi petere debent. Alij verò καθόλου omnis generis exempla collegerunt, vt puta Aelianus, Parthenius, Val. Maximus, Plinius, Polyænus, Sex. Iul. Frontinus, Corn. Nepos (teſte Gellio li. 7. cap. 18) L. Domitius Bruſonius iurecoſ. Lucanus, Alexander ab Alexan. iurecoſ. Neapolitanus, Nicolaus Hanapus patriarcha Hieroſolymitanus, Marulus Spalatenſis, Ioan. Bapt. Campofulgoſus Genuenſis, M. Anto. Sabellicus Veicetinus, Ioan. Bapt. Egnatius Venetus, Guido Bituricenſis, Ioan. Rauiſius Textor Niuernenſis, Bartholomæus Amantius iurecoſ. Boius, Andreas Eborenſis Luſitanus, Magdeburgenſes Theologi, Matthias Caſtritius Darmſtatinus, & Georg. Fabricius Chemnicenſis, qui ſuperiore anno ex Biblicis hiſtoriis virorum illuſtrium vitas eleganter & eruditè collegit, temporum ſeriem ſecutus. Hic addere potes Ioan. Boccacij Decameron, Petri Meſsiæ Hiſpani Syluam variarum lectionum, Noctes Fran. Straparolæ, Facetias Poggij Florentini & Bebelij: denique Iocoſeria Germanica Ioannis Pauli monachi Columbarienſis, quibus frequenter in concionando vſus fuit. Etſi enim lingua Latina quidam horum non extant, multa tamen cognitu lectúque digna, neq; ita paſsim obuia habent, quæ in quotidiana hominum vita vel contigerunt, vel certè contingere potuerunt. Nam ridendo dicere verum Nil prohibet. Iam verò ſi formam ſpectes, hoc opus hic labor erit. Alij namque exemplorum farraginem ἄζηκτον congeſſerunt, alij in certos eandem titulos digeſſerunt. Quorum poſteriores tanto plus laudis merentur: quanto ingenioſius eſt metalla à ſe inuicem ſeparare, quàm è terra eruere. Aelianus certè Variæ hiſtoriæ libros conſarciuit, abſque omni ordine: Parthenius ſimiliter Erotica ſua, formæ nulla ratione habita. Polyænus Macedo, qui ſub Antoninis vixit, Stratagematum libros ſcripſit, quibus non ea tantùm quæ ad bellicam prudentiam pertinent, & Stratagemata propriè dicuntur, exemplis illuſtrat, verumetiam virtutes reliquas, quæ in bellis locum habere poſſunt, exequitur: ordinem accidentalem à perſonis deſumptum retinet, quem & Plutarchus, & illius imitatione nunquam ſatis laudatus vir Deſ. Eraſmus Roterod. in Apophthegmatis, obſeruarunt. Qui tamen ordo quàm parum

parum ad noſtrum inſtitutum faciat, cuiuis manifeſtum eſſe poteſt. Polyhiſtor Plinius, in magno illo ſuo & erudito Hiſtoriæ naturalis volumine, vt laboris plurimum in colligendo habuit, ita artis & diligentiæ in diſponendo perparum: præſertim cùm theorica practicis, & ethica phyſicis commiſceat: vt niſi varietate hiſtoriæ & admirabili doctrina lectores allicerentur, confuſio ipſa maieſtati tanti operis non parum detractura videretur. Idem eſto iudiciũ de omnium aliorum ſcriptis, quibus anima ſua, ordo ſcilicet, deeſt. Valerius Maximus primus antiquorũ fuit (cuius quidem ſcripta extent) qui ordinem in exemplis obſeruarit. Certos enim titulos deſcripſit, tanquam loculos, ſub quibus exempla eiuſdem generis colligerẽtur. Illius induſtriam & ordinem ex recentioribus Campofulgoſus, Sabellicus & Egnatius imitati ſunt. Campofulgoſus Genuæ olim rerum potius, ſeditioſis ciuium factionibus è patria pulſus, hiſtoriarum lectioni ſe totum dedit: & in hoc ſcribendi genere egregiam nauauit operam, ita quidem, vt exemplorum copia & nouitate cæteros omnes vicerit. Quod igitur aliis calamitoſum eſſe ſolet, exilium, Campofulgoſo ad nominis gloriam plurimum contulit. Ex Campofulgoſi ſcriptis (quæ cùm lingua Italica tantùm præſtarent, multo poſt à Camillo Gilino Latinitate donata fuerunt) tanquam ex fontibus vberrimis, agros ſuos Sabellicus primùm, deinde etiam Egnatius, rigarunt. quorum ille eleganter quidem omnia profert, ſed breuitate nimia obſcurus interdum euadit: hic verò Aſiatica ſua redundantia non exempla colligere, ſed hiſtoriam ſcribere videtur: & quamuis in externis nihil ferè quòd non à Campofulgoſo aut Sabellico acceperit, habeat, domeſtica tamen Venetorum dicta & facta diligenter commemorat. Hanapus ex ſacris Bibliorum libris quædã collegit, quę breuitate ſua non omnibus vſui eſſe poſsint: ſed iis tantùm, qui ſacras hiſtorias iam ad vnguẽ callent. Titulos quinetiam deſcripſit, in quibus non pauca ſtomachoſus aliquis reprehendere poſſet. Marulus Spalatenſis diligentiorem præſtitit operam in ſacris exemplis, Eccleſiæ præſertim nouiſque fœderis cõiugendis: cuius eruditionii ſtudioſi omnes multa debent. Guido Bituricenſis, renaſcentibus apud Gallos literis ſub Franciſco I. ſummo ſtudiorum Mecœnate, maiore conatu quàm ſucceſſu exempla collegit, neque tamen ille præclaræ voluntatis laude erga communia ſtudia defraudandus eſt. Non omnia poſſumus omnes. Alexander ab Alexandro Genialium dierum libros, varia eruditione refertos, ſcripſit, & in iis nõ paucos exemplorũ titulos tractauit. Raphael Volaterranus Vrbanorum Commentariorum libros XXXVIII. reliquit: ex quibus ij quos Anthropologiam inſcripſit, quamuis alphabetico tantùm ordine fuerint digeſti, authoris tamen diligentiam & eruditionem non parum commendant. Bruſonius, & Rauiſius (qui ex Volaterrano pleraque ſumpſit) palingeneſiam ſuam Lycoſtheni noſtro acceptam referre debent: quorum vterque exemplis copioſus, breuitate obſcurus, proprium quiſque ordinem in titulis obſeruauit. Amãtius titulos alphabetico ordine digeſit. Caſtritius, de Virtutibus & vitiis Germanorum principum, ſiue res ipſas, ſiue diſpoſitionem ſpectes, non indoctè ſcripſit. Eborenſis delectu adhibito ex Valerio, Sabellico, Fulgoſo, Æliano, Guidone, Marulo, præcipua tantùm, peculiari ordine ſelegit. Cuius elegantiam & iudicium laudare licet, imitari non libet. Nam cùm pro rei tractandæ diuerſitate modò ſplendidis exemplis opus ſit, modò humilibus, & ex media plebe deſumptis: præterea etiam auditorum ratio ſit habenda, vt illorum auribus & ingenio nos accommodemus: certè omnis generis exempla corroganda erunt, quibus omni tempore & loco vti poſsimus. Id enim hic omnino ſtudemus, vt omnes exemplorum rhapſodos & copia & diſpoſitione ſuperemus, atque adeò Hiſtoriarum promptuarium conficiamus, ad quod omnia ea quæ leguntur & audiuntur, referri, ſuóque tempore rurſus cum fructu inde depromi queant. Proinde & omnium rhapſodorum qui in hanc vſque ætatem ſcripſerunt, exempla in ſuos locos artificioſè digeſta: & præterea etiam quæ ab aliis intacta fuerunt, ex optimorum Hiſtoricorum ſcriptis deprompta, in hoc Opere reperiuntur. Et de rhapſodiis quidem particularibus dicere nihil attinet, cùm iam veluti præmanſum cibum facilè fuerit concoquere Ar rhapſodiæ vniuerſales caſtrandæ fuerunt. Nam qui ex profeſſo de inuentoribus rerum, vt Polydorus Vergilius, vel de Oratoribus, vt CICERO: vel de claris Grammaticis, vti Suetonius, ſcripſerunt: illi minutiſsima quæque diligenter perſequi conſueuerunt, ſæpe etiam ornandi cauſa quædam intermiſcent. Nobis verò, qui nudas res conſideramus, & compedio, quantum eius fieri poteſt, conſulimus, parerga omnia reſpuimus: ea tãtùm quæ ad rerum cognitionem neceſſaria ſunt, amplectimur. Aliud enim eſt, hiſtoriam ſcribere: aliud, exempla ex hiſtoriis excerpere, Corinna Thebana, Myrtidis diſcipula, cum Pindari carmen vidiſſet, in quo mira congerie pleraſque fabulas vno veluti faſce cõprehenderat: luxuriẽ admirata, ſubridẽs dixit, τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Manu ſerere oportet, non toto caniſtro. Vt enim in viuaria Principũ, generoſa tantùm animalia admittuntur: & in horto Patauino (cui noſtro tempore Aloyſius Anguillara Romanus in plantarum cognitione exercitatiſsimus: nunc verò Melchior Guilandinus Boruſſus, & eruditione & peregrinationibus vir clariſsimus, magna cùm laude præeſt) rariſsimæ tantùm & nobiliſsimæ plantæ ſeruntur, vulgatæ loco zizaniæ habentur: ita quoque in noſtro hoc Theatro ea tantùm quæ ad Titulorum illuſtrationem facere poſſunt, adhiberi debent, parerga omnia reſecari, ne Operis moles plus iuſto excreſcat. Et hæc quidem de Theatri noſtri primis artificibus, qui materiam ſuppeditarunt, & ex quorum collectionibus pleraque deſunt, diciſſe ſufficiat. Accedamus nunc ad Architectos, & Redemptores huius Operis. Conradus igitur Lycoſthenes Rubeaquenſis, [redacted], cùm per quindecim & amplius annos in variis exemplis colligendis verſatus eſſet, iámque farrago ipſa ad eam excreuiſſet molem, vt in tanta varietate & ſimilitudine titulorum Delio natatore opus eſſe videretur: de forma Operi indenda (reuera enim rudis erat, indigeſtáque moles) hoc eſt, de diſpoſitione totius libri multum dubitabat. Namque limites à Valerio poſitos, anguſtiores eſſe videbat, quàm qui tantam molem capere poſſent. At terminos longius promouere, abſque Philoſophiæ Ethicæ præſidio non licebat. Eò tandem venit, vt eundem, quem in Apophthegmatis ordinem obſeruauerat, hîc etiam ſequi cogitaret. Verùm cùm Commentarij Similium quos iampridem edere ſtatuerat, certis quibuſdam de cauſis ſupprimerentur: neque in animo haberet, anté Similium editionem Exempla euulgare (quamuis enim in mortis Chriſtiana meditatione vltra quàm dici poſsit aſsiduus eſſet, cupiebat tamen fœtus hoſce geminos ante ſuum obitum luce donari) paralyſi primùm correptus, quæ & linguæ & dextri lateris vſum longo tempore interceperat, in opere præclaræ cœpto pergere non potuit. Septennio pòſt grauiore apoplexia tactus, naturæ conceſſit, neque vel fidem ſuam liberare, vel doctorum expectationi ſatisfacere potuit. Ego igitur, cùm præclara Lycoſthenis ega me extarent merita (vt qui conditione vitricus, voluntate plus quàm pater fuiſſet) ſimul etiam Reipub. literariæ non parum intereſſe arbitrarer, Opus iſtud in lucem edi: partim priuata pietate, partim vtilitate publica motus, prouinciam hanc ſuſcepi: & nẽ merus rhapſodus eſſe viderer, Philoſophiæ ductu in eum ordinem exemplorum confuſam prius & indigeſtam farraginem contraxi, qui perpetuus eſſet, neque (niſi me mea fallit imago) à quoquam temerè immutari poſſet. Proinde Exemplorum congeries Lycoſtheni accepta fetenda eſt, quamuis illa eadem noſtra induſtria non modicum creuerit. Diſpoſitio verò, de qua iam antè diſputauimus, noſtra eſt, ſeu potius ipſius Ariſtotelis. Quem niſi in hoc tam vaſto pelago veluti Cynoſuram ſequi licuiſſet: curſus interrumpendus, aut certé in mediis fluctibus pereũdum fuiſſet. Sed rem ipſam loqui malo, quàm ambitioſus aliquid de meis laboribus (quod tamen verè & citra oſtentationem facere poſſem) cum multorum inuidia prædicare. Interim tamen omnibus iis, quorum eruditis laboribus ad hoc Opus ſuſcipiendum & locupletandum inuitati ſumus, gratias habemus maximas: cumque eorum memoriam apud doctos omnes æternam eſſe cupiamus, gratitudinis ergò ſingulis ferè exemplis nomina eorum honorifice inſeruimus. Neque enim aliorum luminibus obſtruere, ſed abſque vllius iniuria de literis præclarè mereri cogitamus. Verumenimuerò, cùm Finis omnes cauſas nodo veluti Herculeo connectat, de eo nunc tandem diſſerendum erit: vt Theatri noſtri vſum, atque fructum ſtudioſi

Lectores cognoſcant. Ad Ethicam igitur Philoſophiam exempla referri debere : tanquam particulares ſpecies ad vniuerſalia præcepta,in ſuperioribus diximus. Quod ſi ita eſt, idem erit Exemplorum finis, qui & Ethicorum præceptorum. Ariſtoteles in libris de Moribus manifeſtè oſtendit, practicam Philoſophiam non ſola cognitione prȩceptorum,ſed potius vſu & exercitatione acquiri ſimul,& confirmari. Iuſti enim reddimur iuſtè agendo : & iuſti redditi,habitum internum iuſtis actionibus declaramus. Hanc ob cauſam practica Philoſophia nomen habuit, quòd in praxi omnis illius vis & facultas cerneretur. Quemadmodum enim ea Philoſophię naturalis pars, quę de plantis, ſtirpibus, metalis tractat, non ſolam hiſtoriam habet, verumetiam facultates & vires eorum conſiderat(quoniam Hiſtoria ipſa à quouis licet indocto rhizotomo apprehendi poteſt : facultatum verò enarratio non niſi à docto Philoſopho, aut experiente Medico) ſic etiam in Ethica Philoſophia ſe res habet. Et quod de prȩceptis dixi, multo magis de rebus geſtis,quas Hiſtorici recenſent,intelligi debet. Hiſtoricis enim rerum geſtarum fida narratio propoſita eſt, vt exemplis particularibus edocti homines, virtutes ſequi, vitia declinare diſcant. Toto igitur cœlo aberrant,qui hiſtorias ſolius cognitionis gratia legunt : cùm cognitio ipſa ad vſum, tanquam ad finem longè potiorem & præſtantiorem, reuocanda ſit. Id enim hiſtoriarum prȩſtat cognitio, ne ſemper pueri & ephemera, vt ita loquar, animalia ſimus, hoc eſt : actionum humanarum imperiti. Quódque ſenes longa experientia & labore aſſequuntur,vt prudentes habeantur : id ex hiſtoriarum aſsidua lectione ſtudioſi lõgè minore negotio, maiore etiam copia & fructu, haurire poſſunt. Poetæ Comici & Tragici varia exempla in ſcenam introducũt non modò vt delectent, ſed etiam vt proſint, & fabularum actione mentes hominum ad fugienda vitia, & amplectendas virtutes incitent. Quòd ſi igitur & Ethicę Philoſophię, & quę pars eius eſt Hiſtoriæ, denique etiam ſcenicę Poeſeos finis in actione & imitatione conſiſtit, vt ſcilicet auditores, lectores, ſpectatores, ad honeſta exercitia virtutum excitentur & animentur : quid de Locis communibus hiſtoricorum dicere oportet, qui ea quę pro temporum diſcrimine ſparſim hinc inde narrantur,in vnum colligunt, & ſimiles caſus tanquam in ſpeculo contemplandos exhibent? Quemadmodum : enim theorica optimorum ſcriptorum ἀνάλυσις, artem & fructum operis continet (quod nos in Arte medicinali & conſtitutione artis iampridem oſtendimus, longè verò luculentius in Ethicis Ariſtotelis oſtenſuri ſumus) ita etiam practica ἀνάλυσις hiſtoricorum, quam Rhapſodiam Ethicam paulo antè nuncupauimus, omnem hiſtoriæ fructum complectitur. Quòd ſi igitur vtilitatem Operis ſpectes, inſeruiet Theatrum noſtrum cum iis qui de Ethicis aliquid vel dicturi ſunt, vel commentaturi : tum iis quàm maximè, qui ad imitandam honeſtatem,& fugiendam turpitudinem ſeſe accingere volent. Cuius ſi vnquam aliàs, noſtro certè hoc tam diſſoluto ſeculo maximus erit vſus : vt qui pro vera & Chriſtiana libertate, carnis vitiorúmque abominandam licentiam introduxerũt, eóque deuoluti ſunt dementię, vt pietatem noſtram theorica quadam credulitate, neglecta interim charitate practica, cõſtare putent,ad ſaniorem viuendi rationem religioſis ſanctiſsimorum hominum exemplis reducantur : & morum integritate vítæque innocentia in Ethnicis etiam obſeruata, pudore ſuffuſi, pœnitentiam porrò ſuorum agant ſcelerum. Quòd ſi, quæ eſt hominum peruerſitas, neque his, licet clariſſimis luminibus, tenebricoſæ quorundam mentes illuſtrari poterunt : inſurget tandem fortaſsis, διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς, Chriſtianus aliquis Socrates, qui & ſacra authoritate,& ratione recta fretus,morum diſciplinam veræ pietati conſentaneam è cœlo in terras deducet, & priuatas domos ſubire coget. Porrò ſi iucunditatem perpendas, varietas ipſa, voluptate non mediocri Philologorum animos perfundet : eorum præſertim, qui propter ſerias occupationes hiſtoriarum aſsiduæ lectioni incumbere nequeunt. Sunt enim exempla tanquam picturę & emblemata quędam, quæ in ſenſus hominum primùm incurrunt, deinde etiam in animos illabuntur : quódque de Poeſi Simonides dixit, illud nos longè verius de Theatro noſtro aſſerere poſſumus, eſſe ſcilicet picturam loquentem.

HIS ſic conſtitutis,& principiis cognitis, ſubiecto ſcilicet, diſpoſitione,authoribus & vſu : cuiuis patêre poteſt,cur hanc exẽplorum rhapſodiam Theatrum vitę humanæ inſcripſerimus. Quemadmodum enim in Theatris olim, & literaria & athletica certamina, naumachiæ itidem, & venationes peregrinorum animalium exhibebantur,de quibus omnibus iudicare ſpectatorum erat: ita quoque in noſtro Theatro non vnica fabula,non vnius diei verſatio, non vnius gentis res geſtæ, ſed in vniuerſum omnia ea quæ à condito mundo ad noſtram vſque ætatem cõtigerunt,ſi nõ deſcribũtur, at certè poſitis iam titulis deſcribi poſſunt. Quodque maius eſt,ex ſpectaculis antiquorum illi tantùm qui præſentes erant,voluptatem capere poterant:at quę nos hîc exhibemus,ad ſeros fortaſſe nepotes magno cum fructu, nec minore cum acceſsione(ſi quid mea carmina poſſunt) perueniant. Præterea ſicuti fabulę Comicorum in Actus primùm,deinde in Scenas diuiduntur : ita nos(ſi diſpoſitionem & formam conſideres)totũ hoc Opus, quod humanæ vitę generalem fabulam cõtinet, in Actus ſuos,hoc eſt,in libros nouemdecim diſtinximus:ſingulos deinde libros in titulos tanquam in Scenas quaſdam. Magnificum fuit & ſumptuoſum olim Curionis verſatile theatrum,ſed tẽporaneum. At noſtrum iſtud quod ſubinde alias atque alias perſonas rerúmque facies proponit,vt non magnificentius,at certè tamen vtilius cenſeri debet:cùm & mira varietate ſpectatores delectare,& ad honeſtam imitationem non penitus malos incitare poſſit. Et hæc hactenus de conſtitutione noſtri Theatri. Nunc Medicos imitati,corporiſque natura probè perſpecta & cognita,ad ſanitatis conſeruationem reſtitutionémue accedamus:hoc eſt,rationem tradamus quomodo vel vitia,ſi quæ cõtigerunt in tam operoſo ædificio,tolli vel ea quæ bene ſunt poſita conſeruari poſsint, & augeri. Partiamur itaque totam hanc theoriam, non minùs vtilem quàm neceſſariam, ex ſuis cauſis. De forma,priore loco agamus:cui diſpoſitionem,methodum & ordinẽ ſubiecimus. Et ſi igitur in noſtro hoc Theatro id maximè ſtuduimus,vt confuſionem omnem tolleremus : in quibuſdam tamen titulis(vt ingenuè fatear) acribologiam perfectam ſequi non potuimus, vel quia opere in longo interdũ fas ſit obrepere ſomnum : vel quia exemplis deſtituti, titulos quoſdam pro dignitate illuſtrare non licuerit:quæ tamen omnia magno cum fœnore aliquando, ſi Deus Triunus vitam nobis conceſſerit, ſupplebuntur. Neque verò parum conatibus noſtris grauiſſima peſtilentia incommodauit, cùm ex typographicarum operarum turba melioribus quibuſque ſublatis inter media funera Theatrum noſtrum producere,& cum ſuperſtitum operarum ignorantia quotidie depugnare cogeremur. Quod impedimentum quanti ſit momenti,is demùm intelligit, qui typographicarum rerum non eſt ignarus. Facilè cuiuis eſt exempla ſcribere:at tantam molem digerere, difficillimum & operoſiſsimum. Teſtes mihi erunt, qui Theatri huius protocolla (vt verbo vtar proprio) viderunt : & in primis Ioan. Oporinus, qui Operis huius ſuſcipiendi & excudendi author fuit.

Iam verò ſi materiam conſideres, ſic multa fortaſsis redundabunt, longè plura deſiderabuntur. Quorum hæc quidem addenda erunt, illa verò tanquam ſuperflua reſecanda. Superflua igitur cuipiam videri poſſent exempla primùm hominum priuatorum, quòd vt in Tragœdiis regum tantùm & principum exempla introduci conſueuerunt, quæ ſuo ſplendore mentes ſpectatorum plurimum mouere poſſunt : ſic etiam exempla illuſtrium tantùm virorum in hoc Theatro locum habere debeant. Secundò, exempla turpia,tanquam ex ſchola virtutum releganda eſſe omnia,ſuperſtitioſus aliquis exiſtimabit. Tertio loco, cùm exemplis diuinis plerunque vtamur, interdum quoque brutorum : nobiſmetipſis fortaſſe parum conſtare iudicabimur,quòd humana tantùm afferre, vel ipſa Operis inſcriptio iubeat. Quartò, Apophthegmata non pauca inſeruimus, quæ tamen peculiari commentario ab ERASMO primùm, deinde etiam à Lycoſthene explicata fuerunt. Hæc igitur ferè ſunt,quæ quis ſuperflua,& vitandæ prolixitatis cauſa ex Theatro noſtro explodenda arbitrari poſſet. Proinde operæprecium erit cauſas ſingulorum explicare. Quod ergo Tragicos in exemplorum delectu imitandos nobis proponunt, non malè videntur facere. At cur non pari ratione Comicos imitari licebit? Tragœdia illuſtribus tantùm perſonis referta eſt. Comœdia humi-

libus, & ex media plebe deſumptis. Nam cùm vtriuſque fortunæ inconſtantiam & varietatem particularibus exemplis in ſcenam productis Poetæ declarare conentur, ea profectò ſumere debent, quæ oculis & auribus hominum gratiſſima ſint, mentéſque ſpectatorum nouitate ſua plurimum mouere poſſint. At talia ſunt in rebus quidem aduerſis regum atque principum exempla, quibus omnia ea præſidia affuerunt,quibus cladem & calamitatem à ſe ſuiſque amoliri potuiſſent,niſi diuinitùs in has miſerias incidiſſent. In rebus verò proſperis hominum extremæ conditionis exempla eo plus gratiæ videntur habere, quo paucioribus ad felicitatẽ cõſequendã præſidiis inſtructi fuerũt. Quòd ſi ergo in ſcena vtriuſque generis exempla locũ habent,cur nõ ſimili rationis modo etiã in Theatro noſtro? Accedit eò,quòd cùm pro varietate tẽporis, loci:perſonarũ modo illuſtribus modo humilibus exemplis opus ſit,ſylua omnium colligenda fuit,quibus pro occaſione vti poſſemus. De qua re etiam ſuperiore loco diſputauimus. Honorum contemptus in rege longè euidentior eſt, & illuſtrior,quàm in priuato aliquo philoſopho : quãdoquidem plures cauſas & occaſiones gloriæ expetendæ principes viri habere videntur, quàm philoſophi. Auaritia in homine diuite maiore digna eſt vituperio, quàm in paupere. Liberalitas viduæ,quæ duo æra in gazophylacium miſerat, à Chriſto ſeruatore magnificè commendatur opulentorum hominum non item. Nemo igitur exemplorum copiam reprehendere debet : cùm nullum tam humile ſit exemplum, cuius non aliquando vſus eſſe poſſit. Atque vt is nullus ſit, faſtidioſum certè conuiuam eſſe oportet, qui lautiſſima tantùm fercula admittat, cùm etiam in tenuioribus,ſuóque palato minus arridentibus,hoſpitis liberalitatẽ, & coqui diligentiam prædicare hominis ſit vrbani, atque modeſti. Iam verò quòd turpia & impura exempla tollere conantur, quàm conſideratè id faciant, videamus. Hiſtoricis ſacris ſimul & profanis non modò virtutes, ſed & ſcelera hominum recenſere licet. Comici in ſcenam impunè auaras meretrices, perfidos lenones, fallaces ſeruos, deliros ſenes introducunt. Tragici crudeliſsima quæque facinora oculis hominum proponunt, tanto omnium applauſu,vt tragica mala pro deteſtandis ſceleribus communi prouerbio recepta ſint. Et nobis interim de iis quæ ex aliorum ſcriptis collegimus, non licebit iudicium ferre, aut ea in ordinem redigere? Quòd ſi quis id omnino à nobis fieri debere contendet, refrenet ille idem hiſtoricorum libertatem, tollat ſcenicam Poeſim in vniuerſum : præſcribat quinetiam Medicis,vt ſalutaria tantùm medicamenta cognoſcere laborent, venena & lethalia pharmaca penitus negligant. At ſi nemo ſanæ mentis tale quid cogitare, nedum conari audebit : perſiſtemus nos pariter in noſtro inſtituto : quæque ab hiſtoricis ſimpliciter prolata ſunt, de iis iudicium noſtrum modeſtè interponemus, & virtutum ſimul ac vitiorum fontes indicabimus : vt & boni laudatiſſimorum virorum exemplis in honeſtis actionibus confirmentur : & improbi turpitudine & infelicitate facinoroſorum hominum territi, ad meliorem mentem redeant. Quòd ſi paulo ſecius tamen, quàm volumus, contigeriti : at certè illud nos ſolabitur, quòd ex ſuauiſsima quoque thymbra araneus venenum, apes mel eliciunt. Diuina exempla frequenter adhibemus,eo conſilio, quo etiam Poetæ deorum perſonas interdum in ſcenam introducere conſueuerunt. Etſi enim in hoc Theatro humanæ tantùm vitæ exempla enarrare conſtituimus : tamen cùm homo medius ſit inter diuinam atque belluinam naturam, & ratione quidem diis, appetitu verò brutis proximus exiſtat:abſurdum videri non debet,humanis exemplis diuina quoque & belluina admiſceri. Plato ad id eam ſummi boni omnes noſtras actiones & cogitationes referendas præcipit : & Pythagoras Philoſophiam τοῦ σοφοῦ μίμησιν eſſe definiuit. Quidni igitur diuinas actiones, tanquam exemplaria virtutum ſequamur? Quòd ſi tamen interdum vitioſi aliquid deorum factis inerit, Chriſtiana nos docet religio, ipſa quinetiam Philoſophia purior, fugienda illa, eorúmque authores pro diis non eſſe habendos. Præclarè enim Euripides in Bellerophonte, Εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶν θεοί Brutorum neque vitia neque virtutes homo imitari debet : illa ſanè, quia naturæ hominis planè contraria ſunt : has verò,quoniam turpiſsimum eſſet, in ſummo excellentiæ gradu cõſtitutum, imperfectis rationéque carentibus,in iis quæ hominem propriè decent,erudiri. Quin potius illud ſtudeat,vt tanto illuſtriores virtutis actiones edat,quanto liberaliorem erga ſe ſummum illum Opificẽ expertus eſt : & virtutis obſcuras ſcintillas,quæ in brutis emicant, tanquam calcaria quædam adhibeat. Apophthegmata porrò in noſtro hoc Opere adhibuimus, quatenus cum factis & exemplis coniuncta fuerunt. Sic Sophoclem, qui in prætura puerum prætereũtem laſciuius obſeruabat, Pericles collega reprehendens : Atqui prætorem, inquit, ô Sophocles, non manus tantùm, ſed & oculos continentes habere oportet. Obſeruanda hîc ſunt tria intemperantia nimirũ Sophoclis, continentia & libertas in reprehendendo Periclis:quæ nullus negabit,inter exẽpla referri debere. Cõiungitur his omnibus apophthegma, quo tanquam interprete habitus internus temperantiæ & φιλαληθείας in Pericle ſeſe prodidit. Cætera apophthegmata, in quibus factum nullum reperitur, cùm puræ ſint γνῶμαι conſultò prætermiſimus. Hæc igitur ſint contra eos, qui luxuriam noſtram in exemplis accuſare poſſent, diſputata. Quibus ſi moroſus aliquis adhuc reluctari voluerit, non repugnabo : modò ille idem tam naſutus criticus,ſuo marte aliquid perfectius & elaboratius in vulgus edat. In vno aliquo titulo exactè verſari,operoſum eſt:operoſiſsimũ, in tã multis : & in vno aliquo certamine athletico victorẽ eſſe, minus eſt mirũ,quàm in multis pancratiaſtem. Denique, vt ille ait ῥᾶον, μωμᾶσθαι μιμεῖσθαι .Conuertamur nunc ad rationẽ augendi & locupletandi Theatri noſtri. Ante omnia igitur illud fateri cogor, plurimos titulos exemplis carere:multa etiam illuſtria & præclara exempla veterum hiſtoricorum deſiderari. Verùm non omnia poſſumus omnes:neque exẽpla ita in prõptu fuerunt, quibus titulos à cæteris rhapſodis intactos ornaremus:præſertim cùm Lycoſthenis fuerit congeries iſta,non noſtra. Fruatur interim ſtudioſus & beneuolus Lector hoc Theſauro,& acceſsionem maiorẽ in dies ſperet. Quæ quidẽ duplici ratione inſtitui poterit:altera particulari,ſingulorum ſcilicet titulorum ſeparatim:altera vniuerſali, totius Operis. De particulari priore loco agamus. In exẽplis itaque locupletandis optimorum ſcriptorum authoritatem ſequi debemus:neque hiſtoricos tantùm, verumetiam poetarum celeberrimos quóſque, cum iudicio & diligentia perlegere. Vetera plurimum ſplendoris & maieſtatis afferunt, cùm ætatis prærogatiuam habere videantur. Recentiora ſenſus noſtros magis feriunt, & plurimum in mouendo poſſunt, præſertim ſi domeſtica fuerint. Quæ rara ſunt, ipſa nouitate & inſolentia commendantur. Vulgata verò, non ſecus atque prouerbia, vſu & conſuetudine, domeſtica quodammodo reddita ſunt : vt quamuis illorum cognitio parum ſplendoris afferre poſsit, ignoratio tamen vituperio digna habeatur. Dioſcorides Anazarbeus, rhizotomus doctiſsimus, in ſtirpium hiſtoria non raras tantùm plantas, verumetiam vulgares & in Græcia paſsim notas deſcripſit. ſciebat enim vir doctiſsimus, eas quæ ſuo tempore notiſsimæ viderentur,poſteris aliquando ignotas futuras : id quod magno cum rei herbariæ incommodo quotidie experimur. Sic etiam in exemplorum rhapſodiis noua, vetera, illuſtria, obſcura, rara, vulgata colligenda erunt, vt doctis ſimul & imperitis ſatisfiat. Porrò in quolibet exemplo, quod notatu dignum eſſe videbitur, diligenter perpendendum erit, ſimplex ſit, nécne. Simplex voco, in quo vnum quid obſeruandum eſt, quod vel ad animum, vel ad corpus, vel ad fortunas pertineat : compoſitum verò,in quo pro perſonarum conditione, & varietate circunſtantiarum plura ſimul ſunt annotanda. Si ſimplex fuerit, abſque mora ad ſuum referatur titulum : ſin verò compoſitum, ne tædio tranſcribendi abſterreamur. Biantis illud aſsiduè repetamus, σπεῦδε βραδέως,& cõpendium tale ſequamur. Quãdocunque vnũ idémque exẽplum ad plures titulos diuerſo reſpectu transferri poſſe videbitur, vt & breuitati & labori conſulatur, exẽplum integrũ ſub certo quopiam titulo deſcribetur:ſub cæteris deinde titulis,ad quos idem exemplum pertinebit,nomen tantùm illius qui, ad eum titulum referendus erit,annotetur,adiecta interim tituli principis,hoc eſt, ſub quo hiſtoria perfectè deſcripta fuit, nomenclatura. Id quod ſuprà exẽplo hiſtoriæ Trophonij & Agamedis demonſtrauimus. Cæterùm quid in quoque exemplo obſeruari debeat,docebit vſus,titulorum diligens repetitio:perfectiſsimè verò,

Ethices philoſophiæ non vulgaris cognitio. Atque hæc quidem eò moneo, vt ſi quis in colligendis exemplis operam ſuam locare aliquando cogitabit, quid potiſsimùm ſpectare, quóſque duces ſequi debeat, ſciat. Et ſi autem & arduum, & temerarium eſſe videtur, de aliorum dictis & factis iudicium ſuum interponere velle, tum quòd actiones quidē videmus: habitus verò à quibus profluunt, oculis aſſequi nequimus: tum verò, quòd homines ſumus, & affectuū turbinibus abrepti, de aliorū rebus ſincere iudicare vix poſſumus: in tanta tamē humanæ mētis caligine, ipſa probabilitate cōtentos eſſe oportet, vt hiſtoricè quidē res geſtæ enarrētur, Philoſophica verò trutina candidè & modeſtè perpendantur. Sic enim & hiſtoriæ finem, & Ethicæ Philoſophiæ illuſtrationem vna eadémque opera aſſequemur. Verumenímuero ſi de vniuerſali etiam acceſſione verba facere oportet, eam ex ſuis fontibus deducere conuenientiſsimū erit. Omnes igitur humanæ vitæ actiones & paſsiones vel per ſe, vel cōparatione alterius, ſiue ſimile ſit, ſiue diſsimile, conſiderare poſsumus. Per ſe igitur cōſideratas diuidimus in dicta & exēpla. Dicta rurſus in pronunciata ſimplicia, & in reſpōſa ingenioſa interrogantibus data. Pronunciata voco Sententias tum longiores & diexodicas, quales ex doctiſsimorum virorum ſcriptis erui innumeræ poſſunt: tum Breuiores & Laconicas, quas γνώμας propriè nuncupant, quòd hiſce tanquam regulis in quotidiana vita rectè inſtituenda vti poſſumus. Quæ quidem γνῶμαι ſi priuatorum hominum propriæ ſint, eorundem authoritate ſola commendantur: ſin verò in vulgi conſuetudinem abierint, & ipſo vſu publicæ reddantur, Adagiorum & Prouerbiorum appellationem merentur. Quales ſunt, Gratia gratiam parit, Malum bene conditum ne moueris, Aliquid mali propter vicinum malum, Noſce teipſum, Ne quid nimis, & ſimiles ſententiæ. Reſponſa porrò Apophtegmata voco, eáque ſimplicia intelligo: hoc eſt, in quibus præter reſponſum nihil aliud reperiatur. Nam ſi exemplum aliquod coniungatur, exempli certè naturam apophthegma ſequetur. EXEMPLA ea ſunt, de quibus in hoc Theatro in præſentia egimus, actiones ſimul & paſsiones humanas, animi, corporis, fortunarum, ambitu ſuo comprehendentia. Quod ſi iam non per ſe, ſed comparatione alterius, quod vel ſimile ſit, vel diſsimile, hæc ipſa conſideres, ſic conſideratio ipſa vel oratione vel rebus exprimi poteſt. Oratione quidem partim longiore, partim breuiore. Longior oratio rurſus vel ſimpliciter & apertè ſimilitudinem, aut diſsimilitudinem rerum humanarum, de quibus tractat, explicat. cuius generis ſunt ea quæ Similia dicuntur, ſiue ſimpliciter, ſiue apohthegmaticè proferantur, à Roterodamo primùm, Germaniæ noſtræ Phœnice, collecta: deinceps à Lycoſthene magna acceſsione aucta, & in ordinem redacta: deinde etiam comparationes, quibus poetæ frequenter vti conſueuerunt. Vel inuolutis verbis ſimilitudinem enarrat, quales ſunt αἶνοι hoc eſt Apologi, μῦθοι fabulæ, item obſcuriora Ænigmata. Breuior oratio ſimilitudinem quandam complectens, vt gratiæ plurimum habet, ita etiam ſæpe ex priuatorum inuentione in publicum loquendi vſum traducitur, & prouerbij vim obtinet: qualia ſunt Lupus pilum, non mentem mutat: Maximini caliga, Sacra anchora, Inter malleum & incudem, Res ad Triarios rediit, & permulta eius generis, in quibus vel aperta, vel ænigmatica reperitur ſimilitudo. De quib. Lilius Greg. Giraldus, vir doctiſsimus, in proprio libello de Ænigmatis & Symbolis, diſputauit. Res porrò ſimiles appello, Hieroglyphica, Symbola, Emblemata, quibus mentem noſtram declaramus, non verbis, aut ſcriptis, ſed picturis, ſignis & notis quibuſdam expreſſam. His ſic conſtitutis, manifeſtè apparet, Adagia vel γνώμας eſſe, vel breuiores ſimilitudines: & eo ſolo ab vtriſque differre, quod Adagia publicam authoritatem ipſo vſu acquiſiuerunt, vt non magnopere referat ſcire, à quonam primò fuerint prolata. Eapropter trita ſermone prouerbia nuncupātur, & certæ quædā loquendi formulæ, tanquā notæ & characteres publici illis præfiguntur, ὡς φασὶ, ὡς παροιμιαζόμενοι λέγομεν, Vt vulgo loquuntur, Quod prouerbio circumferri ſolet, Quod vulgo iactatur, & ſimiles. At quæ nondū vulgò receptæ ſunt ſententiæ, illis ſi quādo vtemur, tanquā priuatis nos vti ſciamus, interpoſita videlicet eorū, qui primò protulerunt, authoritate. Nam quod nominibus accidit, vt illorum quidem inuentio penes Philoſophos ſit, qui rerum natura probè cognita & perſpecta, nomina rebus conuenientia indere poſſunt: at eorundem authoritas, vt videlicet pro legitimis recipiantur, vſu & conſuetudine populi nitatur: Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquēdi: (notum eſt enim illud Capitonis, Hominibus ciuitatem dare potes Cæſar, verbis non potes:) idem quoque ſententiis vſuuenit, vt à priuatis prolatę, à vulgo poſtea receptæ, iam pro publicis habeātur: & quemadmodum pecunia principis imagine inſignita, ſic ſententiæ populi authoritate commendentur. De Ænigmatis ſic cenſeo, modò comparationem in ſe habere. Si ſimpliciter, vt quando ex accidentibus res quæpiam deſcribitur, ad γνώμας vel priuatas, vel publicas referri debent (niſi prolixiores fuerint) eáque propter ſub Adagiis ferè comprehenduntur. Sin verò comparatè enuncientur, ſic longiora Similibus affinia erunt, breuiora Similitudinib. prouerbialibus. Colligamus igitur diuiſionis membra, videlicet Sententias, Apophthegmata, Exempla, Similia, Apologos, Fabulas, Cōparationes breues, & ingenioſas (quę fortaſſis εἰκόνες παροιμιώδεις καὶ αἰνιγματικοὶ dici poſſent) Hieroglyphica, Symbola & Emblemata. Ex quo ipſo iam perſpici poteſt, quātumuis ſtrenuè ſit à nobis depugnatū in hoc Theatro, vixdùm tamen decimam partem abſolutā eſſe, ſi modò, nouis ſubinde exemplis ſeſe offerentibus, abſolui poteſt. Alexander Macedo cùm infinitos mundos aſſerentem Democritum audiuiſſet, illachrymaſſe fertur, quòd tot bellis confectis, tot victoriis adeptis, nondum vnius mundi imperium conſecutus eſſet. At quid de nobis futurum cenſes, qui perficiendi huius operis incredibili deſiderio ardemus, & interim tamen rei magnitudine & difficultate non parū deterremur? Μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι Ἔνδον ἔμιμνε. Gemina ſpes nos ſolatur: altera cōpendij, altera ſubſidij. Compendiū voco, methodū & ordinem: cum non difficile futurū videatur, Titulos Theatri noſtri etiā in Sententiis, Similibus, Adagiis, Apologis, & Symbolicis, quibuslibet obſeruare. Deinde cùm Sententiarū ingens ſit Oceanus, nos tamen non quaslibet, ſed breuiores tantùm, quas γνώμας propriè appellari diximus, ſeligemus. Longiores enim ſententiæ cùm ad diexodicum docendi genus pertineant, & veluti membra ſint totius artis, à ſuo corpore auelli non debent: niſi quis ex probatiſſimis authorib. locos colligere velit, quibus artes & diſciplinæ explicentur. Quod quàm operoſum ſit futurum, cuilibet manifeſtum eſſe poteſt. γνῶμαι econtrà cùm breuitate ſua & acumine commendentur, ornamenti ſimul & emolumenti plurimum afferent: neque tamen à quouis, ſed ab oculato tantùm, & in Philoſophia exercitato in ordinem redigi poterunt: cum longè ſit difficilius in præceptis vniuerſalibus verſari, quā in particularibus exemplis, quæ in oculos & animos hominum euidentius incurrunt. Hinc fit, vt exemplum oſtendere facile ſit, at exempli rationem explicare difficillimum: quoniam illud experientiæ & lectionis hiſtoriarum, hoc rationis & Philoſophiæ munus exiſtit. Reperiuntur autem γνῶμαι de omnibus iis quę in hominem cadere poſſunt, tam internis quàm externis. De internis, vel theoricis, vel practicis. De theoricis quidem partim in genere, de indole, arte & exercitatione: partim in ſpecie, de grammaticis, dialecticis & conſimilibus. Practicæ γνῶμαι in duplici ſunt differentia. Aliæ namque ab habitibus practicis proueniunt, vt puta prudenter dicta, fortiter dicta, libere dicta, vrbanè dicta: quæ non ſimpliciter γνῶμαι, ſed cum ſuis exemplis coniunctæ γνῶμαι cenſeri debent, & propterea inter exempla Prudentiæ, Fortitudinis, Vrbanitatis referendæ erunt. Aliæ verò γνῶμαι de ipſis habitibus, tanquam præcepta vniuerſalia efferuntur, quæ ab exemplis differunt, neque cum illis commiſceri debent, ſed ſeparatim tractari. In Apophthegmatis quoque ea erit adhibenda moderatio, quam ſuperiore loco præſcripſimus: nimirum vt cùm alia ſimplicia ſint, in quibus ſententia tantùm reſpondendo prolata obſeruatur: alia compoſita, hoc eſt, exemplo alicuius virtutis vitijúe coniuncta: ita quidem, vt ab apophthegmate exemplum quodammodo animam atque vitam recipere videatur: nos de ſimplicibus tantùm agamus, compoſita verò ad Exemplorum locos referenda eſſe ſciamus. Quales ferè ſunt Ioci, Sales, Dicteria, Laconiſmi, Mycteriſmi, Sarcaſmi, quibus in conuerſatione hominum tam ſeria quam ludicra frequenter vti ſolemus. Quod ſi igitur talem delectum atque methodum in Sententiis colligendis ſequemur, magno labore nos ipſos liberabimus, & de Repub. literaria præclarè merebimur. Alteram ſpem ſubſidij eſſe diximus, quæ cùm etiam ſegnes excitare queat, alacres certè in opere ſtrenuè

perfi-

perficiendo plurimùm confirmare poterit. In ſententiis enim colligendis & veterum & recentiorum nō pauci elaborarunt. Poetæ primùm veteres Gnomologi breuibus & acutis ſententiis Ethica præcepta tradiderunt: & in eam dignationem venerūt, vt Sapientum nomen his Laconiſmis meruerint (quemadmodum Plutarchus in Theſeo teſtatur) ex quorum numero Theognis eſt Megarenſis, Phocylides Mileſius, Athenienſis Solon, Tyrtæus Lacon, Naumachius, Callimachus, Cyrenęus, Mimnernus, Euenus Parius, Rhianus, Eratoſthenes Cyrenæus, Panyaſis Halicarnaſſeus, Linus Chalcidenſis, Menecrates, Poſidippus, qui Gnomas ex profeſſo ſcripſerunt. Quibus addere potes Symbola Pythagorica: & quæ ſparſim hincinde apud reliquos poetas, Epicos ſimul & Scenicos, ingenioſè & eleganter dicta, tanquā gemmæ & floſculi quidam reperiuntur. In quibus colligendis Ioan. Stobæus præclaram præſtitit operam: deinde ex recentioribus L. Domitius Bruſonius, Barth. Amantius, & Andreas Eborenſis, qui ſententias exemplis coniungere non dubitarunt. Eraſmus quinetiam Roterodamus in erudito illo Adagiorum volumine γνώμας ſelectiſsimas quaſq; adhibuit, non publico tātùm vſu receptas, quæ Adagia propriè dicuntur: verumetiam priuatas, à claris tamen ſcriptoribus magna cum ratione proditas, vt à doctis in ciuitatem recipi, & Prouerbiorum libertate donari mereantur. Audio quinetiam, Michaelem Neandrum Sorauienſem, virum literatiſsimum, magnam Sententiarum Syluam habere: in qua diſponenda, ſi, quod omnino ſpero, ſtudium ſuum locarit, & nos magno labore ſubleuabit, & de communibus ſtudiis præclarè merebitur. Sed omnium labores magno poſt ſe interuallo relinquet Simon Sulcerus, Baſilienſis Eccleſiæ Antiſtes, modò præclaris illius conatibus & ocium & vita (quod boni omnes ſummis votis expetere debent) ſuperſit. Quòd ſi iam Apophthegmata quæramus, Plutarchus nobis in primis ſubſidio erit, inde Roterodamus, maximè verò Lycoſthenes noſter. Illud idem de Similibus dico, quæ Lycoſthenes plurimùm auxit, & titulos in ordinem alphabeticum redegit. Apologos Æſopi fabulatoris Phrygij nomine Maximus Planudes monachus, argutos & elegantes collegit. Fabulæ poetarum myſticæ, ſub quibus Ethicus latet ſenſus, Euſtathij & Hygini opera non parum ſplendoris acquiſiuerunt. Alioqui ſi nudas fabulas conſideraueris, inter exempla connumerabuntur. Minerua armorum & literarum pręſes, ex Iouis cerebro, Vulcano obſtetricāte, proſilit. Inter monſtroſos partus exemplum hoc referendum erit. At ſi myſticum ſenſum perpendas, ſapientiam tam practicam quàm theoricam à Deo ortum ſuum ſumere, fabula inſinuat: interim tamen Vulcani etiam artificis mechanici opera indigere, hoc eſt, humana inſtitutione, & veluti obſtetricatione. Diligenter igitur hæc à ſeinuicem ſeparari debent. In Hieroglyphicis & Symbolicis Pierius Valerianus diligentem præſtitit operam: præterea Italorum non pauci vernacula lingua de Impreſis, vt vocant, ſcripſerunt, Paulus Iouius Nouocomenſis, Hieronymus Ruſcellius, & alij: quorum ſtudium & induſtria tanto maiorem laudem meretur, quo pauciores ſunt, in noſtra præſertim Germania, qui de ingenioſis iconibus, vt ita dicam, aliquid in medium proferre potuerint. Hiſce igitur præſidiis Theatrum noſtrum & augeri poterit, & perfici. Namque diſpoſitione eadem permanente, deſcriptio quouis titulo, primùm γνῶμαι deinde apophthegmata, tertiò exempla, quartò ſimilia, quintò apologi, ſextò fabulæ, ſeptimò prouerbiales comparationes, octauò hieroglyphica, ſymbolica & emblematica quælibet enumerabuntur: niſi fortaſsis propter exemplorū copiam, & minorem confuſionem, hæc quis in duos Tomos diuidenda cenſeat (id quod Eborenſis quoque ſecutus videtur) in quorum altero Exempla deſcribantur, altero verò Sententia, Similia, Symbola, & quæcunque alia ſunt eiuſdem generis, comprehendantur. Quæ quidem diuiſio non planè inepta erit, præſertim cùm præcepta, quia vniuerſalia ſunt, ex cauſis ſuis potiſsimùm expendenda ſint: exempla verò actiones particulares contineant, quæ numero variæ ſunt, neque vniuerſalibus titulis exactè ſemper accōmodari poſſunt. Quod ipſum in Theoricis quoque videre licet. Hominis enim principia in vniuerſum tradi poſſunt, materia, forma, efficiens, finis. Socratis interim & Platonis differentes erunt rationes, quamuis in principiis iiſdem conueniant. Vt igitur in theoricis vniuerſalia rationi, particularia ſenſui ſubiacent: ita quoque in practicis præcepta intellectui, exempla vſui & experientiæ conuenient: eámque ob cauſam diſtingui poterunt octo illa capita, quæ paulo antè enumerauimus, in Præcepta & Exempla. Præcepta ſiue παραγγέλματα communi appellatione ea nuncupentur, quibus mētem noſtram declaramus, quacunque tandem de cauſa, & quomodolibet, vt puta verbis, ſignísue quibuſdam, quæ vicem verborum ſuppleant. Conſiderabuntur rurſus vel per ſe, vel comparatione alterius. Per ſe, diuidentur in Pronunciata & Reſponſa, vti ſuprà. Comparatione alterius, ſic comprehendentur Similia, Apologi, Symbola, & quæcunque alia, de quibus paulo antè egimus. Exēpla verò, παραδείγματα, vt à præceptis ſeparata ſunt naturà, ſic etiam loco ſeparari poſſunt, atq; debent. Id quod nos in hoc Theatro fecimus, qui pura exempla, præceptis nullis admixtis, congeſsimus: hyſteron tamen proteron commiſimus occaſionem farraginis à Lycoſthene iam collectæ ſecuti. Cæterùm ne quis fidem noſtram in docendo deſiderare poſſit, periclitemur in vno aliquo titulo. Deſcribatur igitur titulus generalis Philoſophiæ, & Philoſophorum. Primo loco ponantur γνῶμαι quæ vel proſa, vel carmine ab authoribus prolatæ fuerint, modò characterem ſuū habeant, breuitatem ſcilicet: & vel de eſſentia Philoſophiæ, nimirū de cauſis, vel de adiunctis aliquid ſcitu dignū pronuncient. Qualis eſt Socratis apud Platonem, Philoſophiā mortis commentationem eſſe: item, Philoſophiam μίμησιν εἶναι τοῦ σοφοῦ quam Pythagoras protulit. Præterea etiā Iſocratis, ἡ σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον. Inſuper, μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Succedant poſtea Apophthegmata, ſiue de cauſis, ſiue de adiunctis pronuncient. Ariſtippus rogatus, quid eximiū præ cæteris haberent philoſophi? Reſpondit: Vt etiā nullis poſitis legibus, ſanctè & æquabiliter ſint victuri. Et Aniceris Cyrenæus, cùm Plato ab Æginetis captus, capitali ſupplicio afficiēdus eſſet (quoniā contra legem peccauerat, qua nulli Athenienſium Aeginam ingredi permittebatur) diuinum philoſophum hac ratione liberauit, quòd de hominibus eam legem latam diceret: non de Philoſophis, qui heroicæ cuiuſdam naturæ participes, inter Deos & homines medij eſſe viderentur. Tertio loco ponantur Similia, quæ vel naturam rei, vel accidentia declarare poſsint. Vulgatiſsimum illud eſt, de natura Philoſophi, authore Soſicrate, recitante Laertio. nam cùm Pythagoras à Leonte Phliaſiorum tyranno interrogaretur, quis nam eſſet? reſpondit: Vitam humanam panegyri cuidam celeberrimæ ſimilem eſſe, ad quam alij certaturi, alij negociaturi, tertij quidam (iique optimi omnium, & præſtantiſsimi) ſpectandi cauſa confluerent. Magnam enim hominum partem corporis proſperitati conſulere: maiorem lucro, diuitiis, honoribus & reliquis bonis fortuitis inhiare: paucos quoſdam animi perfectionem ſpectare, eoſque à ſtudio ſapientiæ Philoſophos dici: quod viuendi inſtitutum ipſe etiam ſequeretur. Eſt quoque præclara ſimilitudo apud Aelianum libro 14. Var. hiſt. de Socratis Philoſophia. Quemadmodum Pauſon pictor, cùm quidam equum volutantem ſeſe pingi curaſſet, ipſe currentem pinxit: & indignante illo, quòd contra pactum feciſſet, reſpondit: Verte tabulam, & volutantis ſpeciem habebit, qui nunc videtur currere: ita quoque Socrates non planè & apertè ſententiam ſuam explicat, ſed amicum ſe ſophiſtis eſſe ſimulans, ſtupiditatem & inſcitiam illorum ingenioſiſsimè detegit & eludit. Huius etiam generis erit comparatio illa, qua Philoſophiæ tres ſpecies Stoici adumbrare ſolent. Animanti enim ſimilem faciunt Philoſophiam, & oſsibus atque neruis Logicen, carnibus Ethicen, animo Phyſicen conferunt. Alij agro, cuius ſepes & murus Logica ſit, humus & arbores Phyſica, fructus ipſi Ethica. Etſi enim non penitùs conſentiunt veritati ſimilitudines iſtæ, non ſunt tamen omnino ineptæ. Si iam quarto loco Apologos conſideres, aliqui fortaſsis reperiri poterunt. Nam quod de aquila & regulo, quam tyrannū Græci vocant, in fabulis eſt, non obſcurè videtur oſtendere, Sophiſtam, quantum arte & eruditione à Philoſopho vincitur, tantundem calliditate & iactantia præſtare, vt qui non veram, ſed fucatam ſapiētiam profiteatur, Scarabeus cum aquila exitiale bellum gerens, philoſophorum Zoilos denotat: homines videlicet ſtupidos & indoctos, ſolóque ſtercore gaudentes, cornibus tamen firmiſsimis prædiros, quibus etſi contra aquilam parum proficiunt, at ouis tamen illius incommodant: hoc eſt, monumentis doctorum ſua ſomnia & figmenta immiſcent: vt Iupiter viríque principes dum fimum ſcarabei excutere nituntur, ſimul quoque oua generoſiſsima confringant. Platonis quinetiam Apologus valde elegans & ingenioſus eſt,

de quibuſdam hominibus in profundo ſpecu vitam agentibus,qui è tenebris prætereuntium vmbras,non corpora intueri poſſunt: at in lucem producti, cùm debilibus oculis ſplendorem ſolis ferre nequeant, cæci penitùs redduntur. Sic quoque Philoſophi in profunda caligine rationis humanæ demerſi, vmbras non ſubſtantias rerum aſſequuntur: in iis verò quæ authoritate & credulitate ſola conſtant,cognoſcendis,inexhauſto diuinitatis ſplendore offuſcantur & excæcantur, niſi radius ſupremi numinis menti ſeſe coniungens, tantorum myſteriorum capaces reddiderit. Iam verò quinto loco fabulas colligamus. Saturnus cœlum patrem caſtrat,à Ioue regno pellitur.Saturnus philoſophi theorici typum gerit,qui iam ſenex à Ioue filio,philoſopho ſcilicet practico,regno pellitur. Eſt enim in vita quotidiana Ethicæ locus,non item theoricis diſciplinis. Atlas propter Aſtronomiæ ſtudium in montem Mauritaniæ(in quo ortus & occaſus ſiderum obſeruabat)mutatus, cœlum humeris ſuſtinuiſſe dicitur: & Hercules eius diſcipulus, vniuerſi onus eâdem de cauſa ſubiiſſe. Quòd ſi iam Hieroglyphica,Emblematica,Symbolica vltimo loco conſideremus, Aſinum philoſophi ſymbolum eſſe,authoritate Ammonij Alexandrini diſcere licebit,qui præceptor Originis fuit,& in ſchola ſua auditoribus condiſcipulum aſinum ſemper adhibuit.Eſt enim aſinus animal melancholicum,laborum patiens,victus frugaliſsimi & parciſsimi,quibuſuis aliis potius quàm ſibi natum,neminem iniuria afficiens, vt idcirco aſinus Græca deriuatione, quaſi ἀσινὴς, hoc eſt,innocuus dici meruerit. Quæ conditiones omnes cùm in Philoſophum cadant,tum certè prima ita peculiaris eſt,vt Ariſtoteles in Problematis ſapientes olim melancholicos fuiſſe aſſerat. Aquila quoque Philoſophi ſymbolum gerit, non modò quia regina volucrum, & fulminis ales: verumetiam quia ſolem defixis oculis ſola intueri poteſt. Sed omnium perfectiſsimè & aptiſsime, meo quidem iudicio, philoſophi naturam exprimit Nautilus, ex conchiliorum genere, Sacer piſcis, ob id dictus, quòd Venerem concha ſua per Oceanum vehat. De eo ſic Plinius Hiſtor. nat. libro nono, capite vigeſimo nono. Inter præcipua miracula eſt, qui vocatur Nautilus, ab aliis Pompilus. Supinus in ſumma æquorum peruenit, ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina, facilè nauiget. Poſtea duo prima brachia retorquens membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua velificante in auras, cæteris ſubremigans brachiis, media cauda vt gubernaculo ſe regit. Ita vadit alto, Liburnicarum gaudens imagine: & ſi quid pauoris interueniat, hauſta ſe mergens aqua. Hæc ille. Turbulenti primùm æquoris incola eſt Philoſophus, mundanus videlicet ciuis,ſacer interim,& deus quidem terrenus,vt qui Venerem, amorem ſcilicet diuinum,circumferat,ex quo etiam nomen habuit, vt Philoſophus, amator ſcilicet ſapientiæ (quo nullum præclarius donum hominibus à Deo opt.max.datum eſt) appelletur. Ille idem Pompilus vocatur, quoniam in mari vaſtiſsimo ignorantiæ & turbulentiſsimorum affectuum nauigantes dirigere ſolet. Nautilus itidem, cùm ad eius imaginem Liburnicas naues fabricare mortales didicerint: & Philoſophicis præceptis ſapientiſsimi Legiſlatores inſtructi, Reſpublicas præclaris legibus inſtituerint. Placido tantùm & tranquillo æquore emergit (neque enim Muſis aliquid cum Marte commune eſt) aqua omni per fiſtulam emiſſa, vt expeditior nauiget: & brachiis primis remorũ vice vtitur. Quòd ſi ventus aliquis ſecundus incidat, membrana Protenſa vela facit: & partim remigio nititur, partim velificatione: atque vt Homerus inquit, πρῶτον εἰρεσίῃ, μετέπειτα δὲ κάλλιμος οὖρος. Si verò tempeſtas grauior oriatur,veſica aquam hauriens,in profundum ſe demergit.Horum ſingula cùm philoſopho conueniant, nos in Italia olim iuuenili quadam audacia ſymbolum hoc non ineptum fortaſſe, ſed plus ſatis magificum ſumpſimus,atque vt animam ſuam,& veluti formam haberet, ex Homeri verſu, duas voces mutuati ſumus, ΟΥΡΩ Κ'ΕΙΡΕΣΙΗ, REMIGIO VENTIS'QVE SECVNDIS. Sunt & alia philoſophiæ ſymbola, Pegaſus volans, Bombyx ſericum producens, & ſimilia, de quibus aliquando, Deo dante, ſuo loco & tempore diſputabimus. Et hæc primi Tomi propria erunt. Secundus Tomus (qui tamen tempore & occaſione nunc prior extitit)Exempla pura continebit,eorum ſcilicet qui philoſophiæ tum in genere,tum in ſpecie incubuerunt. Quodque de vno titulo diximus,illud de cæteris omnibus intelligi volumus.Etſi aũt longè facilius eſt,ſpecimen magnifici ædificij proponere, quàm illud imitari & extruere: tamen cùm vnicuique in ea quã nactus eſt, Sparta exornanda elaborandum ſit,& talentum à Domino commiſſum multo cum fœnore exercendum: quãtum à ſeriis ſtudiis,atque etiam à praxi Medica ocij nobis ſupererit, id omne ad tam præclarum opus locupletandum & abſoluendum conferemus,Sententiarũ non contemnendum theſaurum.Similiũ quoque commentarios à Lycoſthene conſcriptos Apophthegmata denique & Adagia ſelecta iam præ manibus,habemus: quibus ſi forma accedat, diſpoſitio ſcilicet & ordo,& votis noſtris, & multorum expectationi ſatisfecerimus.Rogatos interim volo omnes doctos & eruditos viros,qui Rempub.literariam ſtudiis ſuis promouere poſſunt atq; volunt, vt ſi quos vel exemplorum, vel ſententiarum reconditos habent theſauros, eos in commune depromere, & vniuerſo orbi in huius Theatri ſtructura perficienda operam ſuam locare velint.Nullius vnquam erga me liberalitas tanta erit, quam non ego gratiſsimo animo ſim ſuſcepturus & celebraturus. Neque deſpero futuros aliquos, ex iis præſertim qui humanioribus literis operam dant, ocióque maiore fruuntur,qui hiſce veluti metis titulorum poſitis, & diligenter obſeruatis, ex probatiſsimis authoribus & exempla & ſententias præclaras ſint collecturi: fortaſſis etiam operas ſuas inter amicos partituri, ita vt alter ſacras,alter profanas hiſtorias legat.Qua quidem æmulatione & honeſta contentione nihil iucundius,nihil fructuoſius eſſe poterit. Atque vt ſinguli vnicam tantùm horam quotidie huic inſtituto impertiantur, quantam putatis, exacto anno,collatíſque operis,copiam futuram? In Mauſoleo quod Artemiſia Cariæ regina Mauſolo marito extrui curauit, quatuor ſummi artifices eodem tempore diuerſo in loco ſeſe exercuerunt. Ab Oriente cælauit Scopas,à Septentrione Bryaxis, à Meridie Timotheus,ab Occaſu Leochares. Cumque iam opus tam ſplendidum, quod inter ſeptem humanæ induſtriæ miracula totius orbis connumeratur, erigendum foret, ita adamuſsim inter ſe labores omnium quadrarunt, vt vnius ſolius artificis manu cælatum dicere poſſes. Illud idem fortaſſis in noſtro etiam Theatro continget iis,qui methodo & Titulorum diſpoſitione diligenter percepta,in exemplis & ſententiis colligendis operam impendere volent.Quòd ſi mihi quid humanitùs contigerit, antequam tam præclarum & vtile Opus abſoluero: liberum eſto cuiuis in hac ſeſe arena exercere, & methodi ſubſidio confuſa digerere,ſuperflua reſecare,deficientia ſupplere.Quòd ſi quis tanto Operi ſeſe imparem eſſe verebitur, laborem cum ſociis & amicis communicare poterit, Sic, vt paruis magna conferam, Alexandro Magno Babylone vita functo,Seleucus Syriam, Antigonus Aſiam,Ptolomæus Aegyptum,Philippus Macedoniam inuaſit. C.Iul.Cæſare in Senatu interfecto,Triumuiri inter ſe orbis imperium diuiſerunt.Mortuo Conſtantino magno,filij tres,Conſtantinus,Conſtantius & Conſtans cum patruele Dalmatio hæredes inſtituti, prouincias ſortitò obtinuerunt. Sic denique Magdeburgenſes Theologi, qui hiſtoria Eccleſiaſticam magnis laboribus atque ſumptibus doctiſsimè ſcripſerunt, operas inter ſe partiti ſunt. Palma in medio propoſita eſt: arripiant,qui poſſunt.

Hæc ſunt, quæ in Theatrum vitæ humanæ præfari voluimus.Supereſt,vt vos Vueitmoſeri generoſiſsimi,noſtras haſce vigilias, quas nomini veſtro dedicare placuit,animo beneuolo ſuſcipiatis.Nam cùm in celeberrimo Patauino gymnaſio ante annos ſex ferè (vos potiſsimum,Ioannes & Chriſtophore,appello) iucundiſsima veſtra familiaritate mihi frui contigerit, eo ſolo nomine,quòd Ioan. Oporini typographi Baſilienſis ſororis filius eſſem: ab eo poſtea tempore ſemper occaſionem mihi dari ſummis votis concupiui,qua meum vobis animum comprobare poſſem.Id quod hoc ipſo munere literario præclarè me conſecutum ſpero. Nam cùm ab ineunte ætate à patre Veſtro, viro multis Chriſtianis virtutibus cõſpicuo & illuſtri,ſic fueritis inſtituti,vt Dei opt.max.cultu in primis deinde eruditione & optimarum diſciplinarum cognitione nihil homini præſtantius accidere poſſe iudicaretis: ſub optimis quoque præceptoribus non modò Baſileæ, verumetiam in altrice ingeniorum Italia, ea fundamenta ſtudiorum ieceritis, quæ veſtri ordinis hominibus plurimum ſplendoris & commendationis afferre conſueuerunt: nihil certè à me proficiſci potuit,

quod

quod vel ſtudiis veſtris accommodatius,vel magnificentia dignius eſſet. Eſt enim Theatrum hoc noſtrum Hiſtoriarum promptuarium, & humanæ vitæ ſpeculum quoddam, in quo virtutum clariſſima lumina perpetuis radiis coruſcant: nec tantùm vitam ſaluberrimis inſtruunt præceptis,verumetiam inſigni varietate, eorum animos qui honeſto fruuntur ocio, magna voluptate perfundere poſſunt. Cùm igitur vos vt ampliſſimarum opum,ita etiam omnigenæ virtutis poſſeſſionem à patre veſtro, hæreditari iure acceperitis: in ea ſtrenuè excolenda eundem imitari,atque etiam honeſtiſsima contentione ſuperare debetis. Quanto is liberales diſciplinas amore perſecutus ſit,ex eo quis non obſcure colliget, quòd vos, chariſsima ſibi pignora, in honeſtis artibus magna diligentia erudiri voluerit. Deinde etiam,quòd literatis hominibus, & iis quàm maximè, qui de republica literaria quoquo modo bene mereri cogitarent, liberalitatem ſuam nunquam clauſam eſſe paſſus ſit. Teſtis huius rei locupletiſsimus erit Oporinus, quem vel ſola fama notum ex grauiſsimis typographici Oceani difficultatibus ereptum, ſua magnificentia ſeruauit. De pietate illius, veræque religionis ſtudio, cùm tota eius vita perpetui teſtimonij loco eſſe poſsit,tum præſertim heroicum illud in extremo agone apophthegma,cuius nos ſub titulo Fortitudinis Chriſtianæ in morte perferenda,non obſcuram fecimus mentionem. Quòd ſi ergo corporeis vinculis ſolutus pater veſter, fama nominis inter mortales adhuc viuit, & iam in noſtro quoq; Theatro partes ſuas præclarè tuetur: vos certè filios, paternarum virtutum hæredes, & ſpectatores in id maximè incumbere decet, vt quam à parente veſtro ſumma omnium cum applauſu peractam videtis fabulam,eam vos iterum atque iterum, maiore etiam, ſi fieri poſsit, apparatu in ſcenam introducatis. Hector apud Homerum pro filio Aſtyanacte Deos precatur, inquiens:

Ζεῦ, ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
Παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,
Ὧδε βίην τ' ἀγαθὸν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν,
Καί ποτέ τις εἴπησι, πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων,
Ἐκ πολέμου ἀνιόντα. φέροι ἔναρα βροτόεντα,
Κτείνας δήϊον ἄνδρα, χαρείη δὲ φρένα μήτηρ.

Quid verò aliud (ſi vllus ſenſus eorum quæ hîc fiunt, mortuis ineſt) Chriſtophorum Vveitmoſerum, metallarium fortunatiſsimum, virum iuſtiſsimum & ſanctiſsimum, filiis ſuis chariſsimis optaturum ſperemus, quàm vt paternas virtutes, tanquam generoſi hæredes,qua cæperunt alacritate,& felicitate,porrò imitentur,exprimant,ſuperent? Quod cùm diuina benignitate primùm, deinde etiam præclara educatione veſtra conſecutus ſit,beatus meritò iudicandus eſt,& inter illuſtres noſtri Theatri perſonas connumerandus,in quo & interna & externa bona clarius,quàm in vllo alio eiuſdem ordidis,effulcerunt. Vos nunc,Vveitmoſeri nobiliſsimi, id quod veſtrum eſt agite, & Theatrum hoc noſtrum,ſeu potius veſtrum,qua ſoletis benignitate ſuſcipite: vt & ad ea, quæ addi poſſe videntur,perficienda nos accendatis: & Reipub. literariæ, cuius veri Mecœnates eſtis, ſtudium & patrocinium veſtrum nunquam intermorituris laudidibus cõprobetis. Valete, boni parentis optimi filij:

Baſileæ, Idib.
Martiis.

M. D. LXV.

V. M. D.

Theodorus Zuingger Baſilienſis.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Michel Sonnius marchand libraire iuré en l'vniuerſité de Paris, imprimer ou faire imprimer, & expoſer en vente ce preſent liure intitulé: THEATRVM VITÆ HVMANÆ LICOSTHENIS, &c. ſelon la correction & addition qui en a eſté faite à la diligẽce & deſpens dudict Sonnius, & viſitation de Docteurs en Theologie, de la faculté de Paris. Et ſont faites inhibitions & deffenſes à tous libraires, imprimeurs & autres du royaume de France d'imprimer ny expoſer en vente ledict THEATRVM, ainſi corrigé & amplifié, ſinon de ceux que ledict Sonnius aura imprimé ou fait imprimer, iuſques apres le temps & terme de ſix ans, à compter du iour & datte de la premiere impreſſion qui en ſera faite, A peine de confiſcation de ce qui ſen trouueroit d'imprimez ou vendus au contraire, & d'amende arbitraire: comme plus amplement il eſt contenu ez lettres de Priuilege ſur ce données & ottroyées par ledict Seigneur à Paris, le cinquieſme iour de Nouembre, M. D. LXX.

Par le Roy en ſon Conſeil,
Signé,

DOLV.

THEATRI VITÆ HVMANÆ, IN XIX. LIBROS DIGESTI, DISPOSITIO.

ETHICA *philosophia partim* λόγῳ *siue præceptis acquiritur, partim* ἔθει *siue exemplis. Præcepta philosophi docent, Aristoteles maximè, in libris Ethicorum, Politicorũ, & Oeconomicorũ. Exemplæ historici tradunt, ex quorum monumentis nos* THATRVM *vitæ humanæ construximus. In quo omnia quæ in hominem cadere possunt, bona atque mala, tum interna tum externa, tituli certis & didascalico ordine descriptis comprehenduntur eademque particularibus subinde exemplis declarantur & illustrantur. Dispositio autem totius operis ex materia subiecta pendet. Nam quæcunque in hominem cadunt, siue Actiones sint, siue Passiones, vel*

- Per *se sunt expetenda & Bona propriè & per se dicuntur: atque mala vicissim per se fugienda: quoniã animum vel perficiunt, vel corrumpunt,* ANIMI *Bona dicuntur Habitus tum*
  - Theorici ἀρετὴ διανοητική, θεωρίας ἕνεκα ἀληθεύουσα. *Omne genus artiũ & disciplinarum liberalium, tota denique philosophia,* LIBER I.
  - Practici *in genere.*
    - ποίησις. ARTES *Mechanicæ.* LIBER II.
    - Actio *alia est*
      - πρᾶξις, *in specie, quæ in quotidiana hominũ conuersatione locum habet, &* ἠθικὴ διὰ τὸ ἔθος, *distinctionis gratia appellari potest. In actionibus quotidianis obseruamus cum Aristotele tum*
        - Species *& differẽtias. Quoniam actio vel est*
          - Acquisita. *Vide in sequenti fol. signum A*
          - Innata, *ab affectu animi proueniens. In affectibus animi medium quoque & extrema reperiuntur: illud laudem, hæc vituperium merentur, sed magis* φυσικῶς *quàm* ἠθικῶς: *quãdo scilicet per se considerantur in primis motibus, qui rationem præueniunt, & à sola cordis temperatura (vt docent medici) pendent. Moderationem ergo* AFFECTVVM *non* ἠθικὴν *(quæ sub Ethicas virtutes refertur) sed* φυσικὴν LIBRO XVI. *exequemur, eò quidem diligentius, quod Aristoteles paucis de ea disputauit.*
        - Acciden*tia duo præcipua. Alterum quidẽ*
          - Per *se, siue respectu eius qui agit, & actione ipsa (qualiscunque ea sit)* VOLVPTATEM *percipit, vel animi, vel corporis. Honestæ actionis honesta, vitiosæ inhonesta est voluptas. In omni ergo vitiorum atque virtutum genere voluptatẽ inuenias, vt proinde exemplis nouis eam illustrare non sit opus. Arist. de ea, quatenus virtutis accidens est, in* 10. *Ethicorũ agit. Quatenus autẽ inter bona felicitati subiecta ipsa de quoque connumeratur, sic ea lib.* 7. *Ethicorum disputat.*
          - Respectu *aliorũ, quibuscum vel amicè vel hostiliter conuersamur,* AMICITIA *dicitur eiúsque contrariũ* INIMICITIA. *De quibus Arist. lib.* 8. *&* 9. *Ethic. Nos* LIB. *Theatri* XVII.
  - Per *accidens expetenda sunt, si* Bona *fuerint: &* Mala *similiter per accidens fugienda, quatenus scilicet ad animi bona vel promouenda, vel impedienda conferunt. In quibus non vera* εὐδαιμονία, *sed* εὐτυχία *tantùm consistit. Sunt rursus hæc vel*
    - In *ipso corpore, &* BONA CORPORIS *dicũtur tum prima, tum secunda. De quibus* LIB. XVIII. *tractabit.*
    - Extra *aut circa corpus, &* FORTVNAE BONA *appellantur. Quibus Theatri nostri Catastrophen* LIBRO XIX. *committemus.*

A. Acquisitam *actionẽ voco, quoniam vsu & exercitatione potissimũ, deinde etiam præceptis cõparatur, siue ab habitu interno animi perfecto proueniat, quem* ἕξιν *propriè vocant, siue ab imperfecto, quem* διάθεσιν *Aristot. in* 7. *Ethicorum appellat. Quoniam autẽ habitus discernere operosum est, propterea nos in exemplis digerendis Actionũ in primis curam habebimus laudabilium & vituperabilium, siue ab* ἕξει, *siue à* διαθέσει *profluant. At in actionibus distinguendis habituũ diuisionẽ sequemur, ex efficiente sumptam, quòd videlicet aliæ actiones proueniant ab eo habitu, qui proprius sit eius partis animæ, quæ vel*

- Ratione *præditæ est,* ἀρετὴ διανοητική, ἀγαθῶν πρακτικὴ ἕνεκα ἀληθεύουσα. Φρόνησις *siue* PRVDENTIA. *De qua ante reliquas agemus, propter sui præstantiam. Arist. in* 6. *Ethic. de ea tractauit, non excellentiæ habita ratione, sed* λυσιτελείας *& artificij dialectici ergò, vt nos suo loco in Ethicorum Tabulis ostendemus.* LIBER III.
  - Ratione *caret, nisi quatenus τῷ λογικῷ obtemperat. Virtus* ἠθικὴ *dicitur, & refertur vel ad*
    - Habentem, *hoc est, ad eum, qui virtute ista præditus, ab ea perficitur. Virtutes sunt variæ, pro obiecti varietate. Obiecta enim externa qualiacunque sint, considerantur dupliciter. Vel quatenus homo ea recipiens*
      - Agit, *& ex motu ab obiectis istis impresso vel confidens vel diffidens & meticulosus efficitur ad præclaras* ἐνεργείας. ἐνέργειαν *autem intelligo qui duis faciendi patientiue. Circa ea igitur, quæ confidentiam aut timorem excitare possunt,* FORTITVDO *versatur. De qua* LIBER IIII. *noster Arist. lib.* 3. *Ethic.*
      - Patitur, *et ex istis voluptatem dolorẽ ue percipit, vel*
        - Corporis. *Circa voluptates* σωματικὰς, *quas cum belluis communes habemus,* TEMPERANTIA *occupatur, de qua Arist. lib.* 3. *Ethic. Nos de ea* LIB. V. *Theatri nostri agemus.*
        - Animi. ἡδονὴ ψυχικὴ *ab Arist. in* 4. *Ethicorum appellatur simul & declaratur. Delectatur animus externis obiectis variis, sed potissimum*
          - Diuitiis, *circa quarum rectum vsum* LIBERALITAS *&* MAGNIFICENTIA *consistũt, sola quantitate differẽtes.* LIBER VI.
          - Honoribus, MAGNANIMITAS *mediocritatem in honoribus seruat.* LIBER VII.
          - Conuersatione *quotidiana. Genus horũ habituum* ἀρετὴ ὁμιλητικὴ *dicitur. At in specie variæ sunt. Quoniam in cõuersatione quotidiana vel ratio habetur*
            - τῆς ὀργῆς, *hoc est dissensionis & inimicitiæ, ex quacunque tandem causa proueneris.* ἀρετὴ περὶ ὀργὰς *dicitur.* πραότης, CLEMENTIA, *siue* BENIGNITAS. *De qua nos* LIB. VIII.
            - τῆς ὁμιλίας (*quã τῇ ὀργῇ Aristoteles opponit*) *vt scilicet tũ in seriis, tum in ludicris rebus ita vt decet conuersemur. Virtutes sunt tres. Requiritur enim in quotidianis cõgressibus, respectu*
              - Rerum, *de quibus conuersando agitur,* Veritas *& candor, omni simulatione reiecta* ἀλήθεια, CANDOR, VERITAS, INTEGRITAS *dicatur. De qua nos* LIB. IX. *agemus.*
              - Personarum, *quibuscũ versamur,* Humanitas *siue iucunditasque dicendi, eaque tum*
                - Seria, *quando seuere quidẽ, absque vlla tamen asperitate cũ amicis (prout honestas exigit) conuersamur.* POPVLARITAS, AFFABILITAS. *De qua nos* LIB. X
                - Ludicra, *in ocio in primis, deinde in negotio, erga amicos & inimicos.* VRBANITAS. *De qua nos* LIB. XI.
    - Alios, *quibus pro merito tribuit, bonis bona, malis mala, æqualitatis conseruandæ aut restituendæ ergò. Iustitia dicitur, quæ latissimè patet. Arist. eam in quinto Ethicorum declarat. Nos propter titulorum multitudinem in quatuor Libros diduximus. Exempla enim*
      - VSTITIÆ
        - Religiosæ, LIB. XII. *exponemus.*
        - Politicæ, LIB. XIII. *persequemur.*
      - INIVSTITIÆ *tum*
        - Religiosæ, LIB. XIIII. *continebit.*
        - Politicæ, LIB. XV *enarrabit.*

SERIES TITVLORVM PRIMI LIBRI.

DE THEORICIS BONIS ANIMI.

ET PRIMVM DE CONFERENTIBVS siue adiuuantibus.

Naturæ subsidia.

Indolis theoricæ signa. ingenij bonitas, quibus indiciis sese in primis annis produderit 11
Ingenij & indolis exploratio ibidem
Inuentio theorica. Inuentores theoricarum artium 13
Studium, Alacritas, Pertinacia, Diligentia in inueniendo 15
Docilitas theorica. Dociles ibid.
Memoria excellentes 17
Qui varia pericula, damna & incommoda corporis & fortunæ discèdi studio pertulerunt. Discendi studium 19
Qui discendi studio difficiles peregrinationes susceperunt. Peregrinationes eruditionis theoricæ causa susceptæ 21
Senes, qui discere non erubuerunt 23
Lectionis assiduitas 25
Qui in theoricis simul & mechanicis excelluerunt 27
Qui in theoricis simul & ethicis excelluerunt 27
Philosophi qui leges tulerunt, & Respublicas rexerunt 29
Philosophi qui bellica arte claruerunt 29
Tardi in inueniendo 29
Indociles, & ad disciplinas percipiendas inepti ibidem
Obliuiosi. Labili memoria præditi ibidem
Inertes & ignaui in discendo: vel etiam improbi & maligni 31
Peregrinationes inutiles ibid.

Artis præsidia & adiumenta.

Diuinitus edocti. θεοδίδακτοι 31
Educatio liberorum sub parentibus in theoricis virtutibus proba 31
Præceptorum viuorum officium. Boni præceptores in theoricis 33
Gymnasia, Schola, Academiæ 35
Præceptores publici 35
Præceptores priuati ibidem
Bibliothecæ, tam publicæ quàm priuatæ 37
Bibliothecis præfecti 40
Præceptores muti 39
Lectionis defectus. Qui authores sint legendi 39
Lectionis profectus. αὐτοδίδακτοι 41
Educatio sub parentibus in virtutibus theoricis vitiosa 41
Gymnasia & scholæ deletæ, neglectæ, abrogatæ 41
Docti homines, qui præceptorum loco colendi erant, in nullo habiti precio, neglecti, expulsi, trucidati, solius eruditionis causa 43
Libri & monumenta doctorum virorum neglecta, perdita. Bibliothecæ vastatæ 43
Educatio sub præceptoribus in theoricis mala. Præceptores mali, stupidi, indocti ibidem

Exercitationum subsidia & adiumenta.

Contemplationi theoricæ dediti 43
Qui summo studio in literis se exercuerunt 47
Exercitationis theoricæ species 51
Promptitudo, Facilitas, Celeritas in docendo. Qui extempore de re proposita disserere possunt 51
Studium & diligentia in docendo & dicendo 53
Scriptio extemporanea 53
Scriptio diligens. Studium in scribendo ibidem
Scriptio laboriosa & multa. Qui multa scripserunt 55
Qui in senectute, vsque ad vitæ finem, scribendo sese exercuerunt 55
Qui certo quodam consilio nil scripserunt ibidem
Imitatio theorica proba. Imitatores 57
Iudicium in theoricis rectum, vel de suis, vel de aliorũ rebus. Suæ quisque artis optimus magister 57
Iudicium ambiguum 59
Iudicij suspensio. Ἐποχὴ 59
Desides, ignaui, aut inepti in theorica exercitatione, in genere 61
Ignaui, inepti & negligentes in docendo aut dicendo ibidem
Ignaui, negligentes, inepti in scribendo 61
Stupidi in imitatione theorica. Curiosa & inepta imitatio ibid.
Iudicium in theoricis ineptum, temerarium & peruersum ibidem

DE HABITIBVS THEORICIS.

Sapientes 63
Qui in multis theoricis artibus & disciplinis excelluerunt 65
Sophistæ 67
Docti principes 67
Mulieres doctæ 71

Organici habitus.

Linguarum studium, tam peregrinæ, quàm vernaculæ 73
Linguarum peregrinarum odium, & contemptus 75
Grammatici boni 75
Grammatici indocti, quos Literatores olim vocabant 77
Logici & dialectici 79
Dialectici mali, & indocti 81
Dialectices odium 81
Naturali eloquentia præditi 85
Rhetores. Dicendi magistri 85
Rhetores indocti 87
Eloquentes 87
Qui in vna aliqua parte rhetorices excelluerũt, et ex ea eloquẽtes potissimũ sunt habiti, inuẽttone, dispositione, memoria, elocutione 89. et. seq.
Actio elegans & venusta 91
Actio inepta & inuenusta, tam Histrionum quàm Oratorum 91
Declamatores 93
Diserti Philosophi, Theologi, Artifices mechanici 93
Πολιτικοὶ. Viri in republica administrãda illustres, simul & diserti 93
Δημαγωγοὶ 95
Causidici, Patroni, Rabulæ forenses 95
Mulieres quæ vel pro seipsis, vel pro aliis causas egerunt 98
Eloquentiæ vires 97
Actionis & Pronunciationis vires, siue effectus. Quantum momenti in apta pronunciatione situm sit 99
Odium rhetorum & eloquentiæ 101
Qui poetices præcepta tradiderunt 107
Poetæ physiologi 107
Poetæ mathematici 107
Poetæ medici 107
Poetæ vates 107
Poetæ theologi 109
Poetæ ethici, & Gnomologi, qui vel præcepta moralia, vel leges versibus scripserunt 109
Poetæ impudici, qui vitiorum præcepta dederunt 111
Poetæ historici, qui res gestas, vel quasi gestas, quocunque genere carminis decantarunt 111
Poetæ mechanici, qui de mechanicis scripserunt, de agricultura, mercatura, piscatione, venatoria
Epici heroici 115
Elegiographi 115
Satyrici, qui vitia ætatis suæ, vel certorum quorundam hominum reprehenderunt ibidem
Epigrammatographi 117
Comici 117
Tragici 119
Mimographi 121
Histriones 125
Melopœi in genere. Quo nomine & Lyrici & Melici comprehenduntur 125
Poetæ hymnographi 127
Poetæ mali & indocti 129
Poetriæ 131
Poetices odium 131

Habitus Philosophici.

Physici 135
Physicæ contemptus 137

Physiognomi 137
Physicorum prædictiones, cõsilia, monita, quæ vel rebus pub. vel priuatis hominibus vtilia fuerũt. Physicæ vtilitas in quotidiana vita 137
Medici naturales. Qui solius naturæ ductu & benignitate Medici fuerunt 141
Medici ex arte 141
Medici mali & indocti 147
Medicinæ studiosi. Qui medicinam coluerunt, & admirati sunt, quãuis ex professo eam non exercuerint 149
Odium vel contemptus Medicinæ 149
Herbarij 151
Pharmacopœi 151
Chirurgi 151

Mathematicæ disciplinæ.

Mathematici qui circa figuras ex suis principiis consurgentes versantur 153
Mathematicæ studium 153
Mathematicæ vsus 153
Arithmetici 153
Arithmeticæ studium ibidem.
Musici ibidem
Cantores. Musicæ scriptores 155
Fidicines, Citharœdi, Lyristæ 155
Tibicines 157
Fistulicines 159
Tubicines 159
Musici mali & indocti 159
Musices studiosi 161
Musicæ odium & contemptus 161
Musicæ vsus in quotidiana vita 163
Geometræ, Geographi, Chorographi 165
Cosmographiæ aut Geometriæ imperiti 165
Geometriæ, Geographiæ studium 167
Geometriæ odium 167
Geometriæ & Geographiæ vsus 167
Astronomi 167
Astronomiæ studium 169 Astronomiæ odium 169
Astronomiæ vsus 169
Astrologi, Genethliaci, Iudiciarij, Prognostici, Critici, Chaldæi 169
Astrologiæ, aut astrologorum odium, contemptus 173
Astrologiæ vsus 173

Philosophia diuina.

Metaphysici 177
Theologi 177
Ecclesiastæ, Apostoli, Concionatores, Diuini verbi præcones 177
Hæretici. Falsi doctores 202
Magi 211 Magiæ studiosi 217
Reuelationes maiestatis diuinæ 217
Reuelationes fidei nostræ articulorum 219
Reuelationes beatitudinis propriæ 219
Reuelationes beatitudinis alienæ 219
Reuelationes purgatorij pœnarum 223
Reuelationes pœnarum inferni, tã alienarum quàm propriarum 223
Reuelationes quorumuis bonorum futurorum 227
Reuelatio mortis beatæ & præclaræ. Quib. hora mortis reuelata est 229
Bonorum præsentium reuelatio diuina 231
Pœnæ, vltionis, malorum futurorum reuelatio 231
Malorum euitandorum reuelatio 231
Diuini auxilij, omnia mala propulsantis, reuelatio 231
Pœnæ & vltionis diuinæ præsentis reuelatio 233
Prophetæ 233
Prophetæ falsi & mendaces 235
Vaticiniorum loca 235
Vates Ethnici 237
In oraculis obscuris interpretandis, & intelligẽdis periti. Oracula licet obscura, rectè intellecta 239
In oraculis intelligendis imperiti. Oracula non rectè intellecta 241
Oracula clara & aperta, variorũ bonorũ aut malorũ prænũcia 245
Brutorum voces præsagæ 249
Præsagia hominum viua voce tradita 249
Præsagia scripta 253
Sortes tam sacræ quàm profanæ 255
Virtutum variarum signa & indicia diuina 261
Religionis, sanctitatis & pietatis omina, prodigia, somnia 261
Doctrinæ, eruditionis, eloquentiæ omina, auguria, prodigia, somnia 261
Qui in somnis didicerunt, quod vigilantes discere nequiuerunt 262
Fortitudinis & magnanimitatis omina, prodigia, somnia 263
Castitatis omina, somnia 264
Mansuetudinis & clementiæ omina, somnia 264
Viciorum variorum signa 263
Impietatis 263
Tyrannicæ crudelitatis 264
Furti 266
Corporis bonorum indicia 265
Sanitatis recuperandæ 265
Roboris 266
Conceptionis & partus 267
Corporis periculi euitandi 267
Corporis malorum indicia 267
Morborum variorum ibidem
Mortis 269
Bonorum fortunæ indicia 277
Imperij, regni, dignitatis, bonorum 277
Sedis imperij 284
Victoriæ 284
Diuitiarum 888
Thesauri, vel quarumuis aliarum rerum quas charas habemus, inueniendarum 288
Fertilitatis & abundantiæ ibidem.
Reditus ab exilio 290
Libertatis ibidem.
Malorum fortunæ indicia 289
Defectionis, mutationis & amissionis imperij vel religionis 289
Bellorum, seditionum impendentium 291
Infelicis pugnæ, captiuitatis 294
Exilij, damnationis 296
Somniorum interpretes. ὀνειροπόλοι 295
Augures, & aruspices 297
Diuinationum studiosi. Diuinationibus dediti 299

LIBRI SECVNDI TITVLORVM SERIES.

DE MECHANICIS ARTIBVS.

DE IIS QVÆ AD ACQVIRENDOS, exercendos, confirmandos habitus mechanicos facere possunt.

Naturæ præsidia.

Inuentores artium aut organorum mechanicorum 313
Dociles in mechanicis percipiendis 315
Studium in artibus mechanicis addiscendis 315
Qui in mechanicis simul & in aliis artibus excelluerunt ibidem.
Stupidi & indociles in mechanicis addiscendis ibid.
Ignaui in mechanicis addiscendis, aut earum magistris fouendis. Artium mechanicarum osores ibid.

Artis præsidia

Parentes qui filios in mechanicis instituerunt 317
Magistri mechanici. Qui quos in mechanicis instituerint 317

Exercitationis subsidia.

Studium in mechanica exercitatione suo marte 317

Promptitudo in mechanica exercitatione 319
Imitatio naturæ imperfecta. Ars in mechanicis non omnia potest 319
Aliorum imitatio in mechanicis 321
Iudicium in mechanicis rectum. Iudices mechanicorum boni. Suæ artis quisque magister & iudex in mechanicis 321
Iudicij suspensio in mechanicis 321
Tardi & ignaui in mechanicis artibus exercendis ibid.
Iudices mechanicarum artium mali & imperiti 323

DE HABITIBVS MECHANICIS, siue artibus factiuis.

Spectaculorum variorum artifices 323
Musici practici 323
Agricolæ. Agriculturæ dediti 323
Pastores 324
Venatores 327
Piscatores 329
Aucupes 331
Herbarij, Materialistæ, ῥιζοτόμοι 331
Molitores 331 — Pistores 331
Coqui 331 — Lanij 331
Salsamentarij, Fartores 331
Pharmacopœi 331
Medici practici, & præsertim Chirurgi 331
Bonarum actionum conseruatrices artes Mechanicæ 333
Gymnastæ 333
Athletæ 333
Ars fucatoria, & exornatoria 333
Tonsores 333
Balneatores 333
Animalium domitores, Equisones, Agasones, Serpentum domitores, Animalium domitores ferocissimorum Canum. Auium domitores 333
Pictores 335
Mulieres quæ pictura claruerunt 341
Pictores rudes & indocti 341
Picturæ amatores 341
Sculptores 341
Statuarij & Marmorarij 341 — Cælatores 345
Figuli 345
Armorum fabri 345
Architecti 345
Vestium artifices 347
Textores 347
Fullones. Tinctores 349
Coriarij 349
Sartores 349
Pelliones 349
Sutores 349
Lignatores, qui ligna cædunt, pro ignis pabulo 349
Carbonarij 349
Metallarij 349
Monetarij 349
Scribæ, in genere 351
De modo scribendi 351
Librarij, Amanuenses. Qui vel celeritate, vel elegantia scripturæ claruerunt 351
Tabelliones, Notarij publici 353
Typographi 353
Fabri vtensilium variorum: siue homini, siue brutis conueniant, ex ligno, vitro, lino (Restiones) ferro (Fabri ferrarij) auro (Aurifabri ære 353. & seq.
Mercatores in genere. Mercaturæ studium 355
Mercaturæ odium 355
Mercatores in specie 355
Bibliopolæ 355
Caupones, qui hospitio excipiunt 355
Qui alimenta vendunt 355
Vestimentorum 356
Metallorum 357
Lignorum 357
Mangones 357
Lenones 358
Brutorum 358 — Operarum, vt mercenarij 358
Medici
Pædagogi.
Rabulæ
Milites
Nutrices 357
Obstetrices 357
Pocillatores, & pincernæ 357
Portitores 357
Satellites 359
Ianitores 359
Vestium purgatores 359
Vespillones 359
Carnifices 359
Nautæ 359
Aurigæ, onerum vectores 359
Baiuli 359

LIBRI TERTII SERIES

DE IIS QVÆ AD PRACTICOS HABITVS acquirendos, confirmandos, perficiendos, exercendos facere possunt.

Naturæ præsidia.

Indolis practicæ, siue Ethicæ signa. Mores naturales 367
Virtutum variarum ethicarum indicia 367
Vitiorum ethicorum indicia, & semina naturalia 373
Indolis practicæ in Ethicis virtutibus exploratio 373
Inuentores earum rerum quæ ad vitam practicam, & conuersationem tam politicam quàm œconomicam facere possunt 373

Artis subsidia & adiumenta.

Educatio & institutio ethica proba, eáque legitima, sub legislatoribus, principibus, ducibus & imperatoribus 375
Liberorum institutio sub parentibus, in Ethicis virtutibus 377
Educatio ethica præceptoribus, legitima atque proba 379
Magistri rei militaris 380
Institutio Ethica exemplo quorumuis aliorum, non legitima, in bello, vel extra bellum 379
Educatio siue Institutio ethica liberorum sub parentibus vitiosa 382
Educatio ethica sub præceptoribus vitiosa. Præceptores in Ethicis mali 381

Exercitationis subsidia.

Contemplationi practicæ dediti 381
Studium in exercitatione practicarum virtutum 383
Militaris disciplinæ exercendæ & conseruandæ studium 383
Militaris disciplinæ restituendæ studium 384
In exercitatione practica perfecti. Virtutis quisque suæ optimus magister 385
Imitatio proba vel parentum, vel præceptorum, vel quorumuis aliorum, in virtutibus Ethicis 385
Imitatio praua Ethicorum vitiorum 387
Ignaui in ethica imitatione 389

DE HABITIBVS PRACTICIS.

Ethici philosophi 390
Legislatores 391
Iureconsulti 393
Iureconsulti indocti 403
Historici 403
Qui sacras historias tam vniuersalis Ecclesiæ (quas Ecclesiasticas vocant) quàm virorum in Ecclesia illustrium (quæ Hagiographa appellantur) scripsere 405
Qui vel multorum seculorum, vel nationum diuersarum historiam, ordine & serie temporum contexuerunt. Quales sunt, qui à condito mundo cœperunt, vel certè sui temporis historias scripserunt 405
Qui populorum quorumlibet res gestas scripserunt 407
Qui res gestas pontificum, regum & imperatorum, vel quorumlibet aliorum in re bellica illustrium scripsere 409
Qui vitas diuersorum mixtim scripserunt, quibus suis aliis bonis illustrium 411
Qui exempla historica scripserunt, Rhapsodias, siue Variã historiã 411
Historici mali, inepti, mendaces 411

Prudentiæ tituli.

Consilia generalia, quæ ex toto populo, vel certè maiore eius parte, constant. 417
Comitia & conuentus variarum gentium 417
Suffragiorum ferendorũ, dicendarumque sententiarũ varij ritus 417
Consilia certorum hominum 419
Consiliarij publici 419
Consiliarij priuati 419
Prudentia extra bellum, in inueniendo siue consulendo de iis rebus, quæ vel publicè vel priuatim quibuscunque quorumcunque bonis promouendis, malisue remouendis conducere possunt. Et primùm de bonis animi, hoc est virtutibus variis confirmandis, aut vitiis impediendis & prohibendis 419. Nimirum,
Eruditionem promouere 419
Prudentiæ aliorum consulere 420
Occultæ expiscari 421
Fortitudinem suam suorumue conseruare & augere 422
Temperantiæ in venereis, & pudicitiæ consulere 422
Temperantiæ in victu consulere 423
Liberalitati vel suæ vel alterius consulere 424
Illiberalitatem declinare. Auaritiæ obstare 424
Ambitionem fugere 425
Iram suam suorumue prudenter impedire, coercere 425
Inimicos prudenter vlcisci, ad iram excitare 425
Sententiam suam prudenter sine periculo explicare 426
Alios prudenter reprehendere, dehortari 426
Taciturnitati consulere 426
Humilitati & mansuetudini consulere. Superbiã eximere 427
Constantiæ consulere 427
Iustitiæ religiosæ & pietati consulere 427
Iustitiæ humanæ consulere 429
In ponendis legibus 430
In confirmandis, persuadendis, defendendis legibus 430
In legibus malis abrogandis 431
Prudẽtia in corporis bonis promouẽdis, malisue amoliẽdis 431 Vtputa, 432
Vitæ pericula & insidias prohibere & auertere à seipso 432
Aliorum vitæ consulere 433
Condemnationem prudenter effugere 435
Corporis tormenta, dolores, mutilationes prohibere 436
Morbos prudenter cognoscere 436
Morbos prudenter præcauere 436
Carceres prudenter effugere. Captiuos liberare 437
Reditum ab exilio in patriam prudenter quærere 438
Famem, & annonæ caritatem prudenter tollere 438
Liberorum procreationi consulere 438
Prudentia in bonis fortunæ promouendis, conseruandis, acquirendis. 437 Nimirum
Authoritatem vel publicè vel priuatim prudenter parare, tueri 437
Calumnias & infamiam prudenter euitare 440
Honores, imperia, potentiam prudenter acquirere aut confirmare 440
Magistratum prudenter eligere, & honores conferre 442
Amicitiam prudenter iungere, explorare, reconciliare 443
Seditiones, bella, inimicitias prudenter componere 445
Pecunias prudenter acquirere tũ publicè 446 tũ priuatim 447
Thesauros, opes, custodire, conseruare, recipere prudenter 448
Libertatem prudenter conseruare 450
Prudentia extra bellum in iudicando de rebus tam alienis quã propriis, siue in iudicio, siue extra iudicium: Vtputa 449
Iudicare de rebus propriis extra iudicium 449
Iudicare de rebus aliorum extra iudicium, delectis arbitris. Arbitrariorum iudicum prudentia 449
Iudicare de rebus aliorũ extra iudiciũ, cũ non sint arbitri delecti 449
Iudicare de rebus aliorum in iudicio iudices prudentes 451
Consiliis aliorum bonis parêre 453
Malis consiliis non parêre 453
Prouidentia Ethica. Futura prospicere, de rebus suis vel alienis 453
Iudicium suspendere in practicis. De incertis iudicare nolle, siue in iudicio siue extra iudicium. Delatoribus non credere 455

Prudentia bellica. Stratagemata.

Prudentia bellica in genere, eorum qui in Stratagematis excelluerunt 463
Stratagemata in delectu militum faciendo, & lustrando 463
Ætas opportuna militiæ 466 Senes in militiam ascripti 466
Aciem ad quamuis hostilem incursionem instituere & cõseruare 466
Tempus pugnæ, irruptioni, oppugnationi opportunum eligere 469
Locus pugnæ opportunus 471
Locus irruptionis. Ex diuersa parte, quàm expectet hostis, irrumpere. 473
Musica bellica 473
Consilia sua occultare. Tessera bellica 473
Literas & nuncios occultè mittere vel recipere. Consilia sua sociis occultè indicare 747
Inopiam suam suorúmque dissimulare, in commeatu præsertimne hosti fiduciam addat 479
Statum belli custodire. Pugnæ genus eligere opportunum 479
Temeritatem fugere. Imperatoris non est pugnare 481
Auxilia suis mittere, & introducere 481
Auxilia aliena parare 481
Hortari & cogere milites ad laborem 483
Vigilantiam militum suorum excitare 483
Ad bellum suscipiendum incitare suos 483
Intempestiuam pugnæ postulationem prohibere. A bello inferendo dehortari 485
Ad pugnam & defensionem patriæ suos cohortari. Tardos animare, à fuga prohibere 485
Cogere milites ad pugnam 491
Metum eximere militibus, quem vel ante pugnam, vel in pugna, propter aduersa omina, aut hostium vim conceperunt. Item, Dissimulare, aut certè emendare aduersa 493
A fuga milites colligere, pugnam redintegrare 497
Milites obedientes reddere. Ad obedientiam suos cogere 497
Seditionem castrensem, ne oriatur, prohibere 497
Seditionem iam ortam compescere 497
Defectionem, proditionem & perfidiam suorum prohibere, antequam fiat 499
Defectionem & proditionem iam cœptam impedire, ne nobis nocere possint aut ad vtilitatem nostram conuertere: aut eos denuò nobis reconciliare 499
Proditores, transfugas, defectores astu circumuenire & punire 501
Fidem suam declarare, & falsam suspicionem remouere 505
Commeatum acquirere, introducere, conseruare. Prædam tutò agere 505
Exercere milites, ne ignauia & ocio corrumpantur 507
Habitus corporis militaris 507
Vestitum & arma opportuna deligere 507
Armorum ornatus 509
Armas sua astutè conseruare & retinere 509
Arma noua parare 509
Naues parare & tueri 509
Propugnacula extruere & tueri 511
Castrametatio 511
Castra tueri 511
Equos, elephantos, & quæuis alia animalia exercere aut animare ad bellum 511
Exercitum per loca infesta vel hoste, vel natura, ducere. Ex insidiis euadere. Flumina superare. Transducere exercitum, equos, elephantos, impedimenta 513
Fugam tutam adornare in bello, vt vel sibi soli, vel vniuerso exercitui prospiciatur 519
Stipendia astu parare 525
Stipendiorum copiam simulare, solutionem tamen in aliud tempus reijcere 527

Impedimenta commode & tutò conseruare, signa militaria tueri 527
Obsides veros liberare, vel falsos dare 527
Hostem clausum emittere, ne ex desperatione pugnam redintegret 527
Hostem, vt aliò proficiscatur, cogere 529
Hostem, ne fugiat, retinere. Hostem includere 531
Impetu repentino & celeritate summa omnem hostis apparatum atque conatum anteuertere 531
Hostium consilia, vires, insidias, exploratores deprehendere & explorare, siue per exploratores, siue coniecturis quibusdam 531
Hostes literis decipere 535
Insidias præcauere, eásque irritas facere 535
Auxilia ne mittantur hostib. præcauere. Auxilia missa intercipere 538
Hostibus securitatem iniicere varia simulatione 537. Vtputa simulatione
Amicitiæ & societatis 537
Colloquij 539
Religionis 540
Habitus, armorum, signorum, tesseræ 540
Quietis 542
Negocij 544
Timoris 544
Fugæ & abitus 544
Loci securitate, videlicet vt hostes se in loco securo esse opinentur 546
Mortis 547
Vires hostium minuere, distrahere & dividere 547
Hostium vim cohibere, sistinere & auertere. Mora hostiũ animos frangere. Desperationi hostium cedere 547
Audaces reddere hostes, & ad pugnam, eruptionem, oppugnationẽ quacunque ratione elicere, vt circumueniantur, locóue iniquiore pugnẽt. In insidias præcipitare hostem 549
Vires suas dissimulare, vt minor videatur exercitus, & hostis eo confidentius progrediatur 557
Terrere hostes religione, clamore, fiducia, minis, victoria simulata, & consimilibus, vt vel in fugam vertantur, vel sese dedant 557
        - Scribunt. Δύναμις γραφική, Exẽpla eorũ QVI vel
          - Scripserunt. Et vel
            - SVMMA diligẽtia inscribẽdo sunt vsi.
            - MVLTA scripserunt.
            - IN extremo senio scribentes mortui sunt.
          - NIHIL omnino scribere voluerunt.
      - Aliorum imitatione conatur. IMITATIO THEORICA.
    - Ἀναλύσεως, seu potius διαλύσεως: quæ quidẽ consistit in eo, vt de aliorum orationibus scriptisque vel
      - Iudicemus rectè. Ἀναλυτικὴ δύναμις. IVDICIVM in Theoricis rectum. Suæ quisque artis optimus est magister.
      - Non iudicemus, sed IVDICIVM suspendamus, & Academicam ἐποχὴν sequamur.
  - Externa, q̃ præter mẽtis agitationem etiam opus quoddã externum continet. Sic igitur alij sunt in Theorica exercitatione
    - Diligẽtes, atque sedu li. Exempla
    - NEGLIGENTES, DESIDIOSI, IGNAVI, nimirum vel in
      - Genere.
      - Specie, circa
        - Γένεσιν: tum
          - Docendo.
          - Scribendo.
        - Ἀνάλυσιν et ĩterpretationẽ authorũ. IVDICIVM in Theoricis ĩeptũ.

** Theoria quoque suã habet exercitationẽ, per quã Theorici habit°s nõ tã acquiruntur (vt ĩ practicis habitib°, in quib. iustè agendo iusti reddimur) q̃ iã acquisitã cõfirmatur, atque declaratur. Exercitatio autẽ duplex est: vel

- Genere. Doctrinæ & eruditione illustres alij sunt
  - Per se, propter excellentiam & perfectionem habitus vel
    - Veram, Qualis est in iis qui
      - Omnium artiũ periti esse videntur, & SAPIENTES in vniuersum dicuntur.
      - MVLTARVM artium theoricarum periti sunt.
    - Fictam, qualis est SOPHISTARVM. Quorum exempla aliquot sub Tit. Dialecticorum atque Rhetorum afferentur.
  - Per accidens, propter personæ dignitatem & splendorem Eruditionem namque commendare potest tum.
    - Vitæ conditio: DOCTI principes, Reges, Imperatores, Duces.
    - Sexus: DOCTÆ mulieres in genere. Nam in quibus quæque artibus excelluerint, sub Titulis particularibus ostendetur.

*** Habit° Theorici, omnes scientias & disciplinas cõplectuntur, quarum finis est theoria, & veritatis cognitio. Nihil verò prohibet, easdemquoque ad particulare praxim descendere, quod paulo ante monuimus: vt quamuis mixtæ videantur esse, à theoria tamẽ, tanquam à præstantiori, Theoricæ pot° quàm Practicæ aut Factiuæ dicantur. Exempla igitur horum habituum afferemus in

- Specie. Ἀρετὴ θεωρητικὴ de finiuimus esse ἕξιν θεωρίας ἐνεργὰ ἀληθεύουσαν. Cùm autem veritas in Rerum & cõceptuũ similitudine & cõueniẽtia spectetur: quamuis omnes Theorici habitus sint ἀληθευτικοὶ, quidã tamen versantur potissimum circa
  - Conceptus in vniuersum, Mentémque humanam dirigunt, vt rerum naturam promptè simul & expeditè apprehẽdere queat. Organa igitur quædam cognitionis hi habitus erunt, & ἕξεις θεωρητικὴ ὀργανικὴ dici poterunt. Alio nomine λογικὴ appellantur, ἀπὸ τοῦ λόγου: qua voce & rationẽ & orationẽ Græci exprimere cõsueuerũt. Oratio Mẽtis siue Rationis interpres est, vti Mercurius deorum nuncius à Poëtis fingitur. Διὰ μέσεις igitur λογικὴ (Artes enim aut scientiæ dici non debent) vel dirigunt
    - Rationem, vt expedite simul & fideliter ad rei naturam perspiciendam διάνοια penetrare possit, tam in inueniendo, quàm in docendo. Facultas LOGICA κατ' ἐξοχὴν dicitur, quòd τὸν λόγον, hoc est, Rationem humanam dirigat, & conceptus ipsis rebus similes effornet, subministrante interim oratione.
    - Orationẽ, sine cui° ministerio ne Logica quidem propriè dicta subsistere potest. Oratio rursus alia
      - Simplex, quæ quidem cõparatur partim
        - Vsu & consuetudine hominũ, qui cœtus & commercia colunt linguæ beneficio. Huc igitur petinet
          - LINGVARVM studium.
          - LINGVARVM odium, præsertim peregrinarum.
        - Præceptis Grammatices. GRAMMATICI
          - Boni.
          - Inepti.
      - Fucata, & vel
        - Absque metro, numerosa interim, & ornata. In qua RHETORES versantur.
        - Cum metro, & fictionibus variis. Hanc POETÆ amplectuntur, vt prosint simul, & delectent.
  - Res, & logicis habitib° tãquã instrumẽtis quibusdã vtuntur. Quos propter rerum cognitionẽ φιλοσοφικὰς ἕξεις appellare possumus. Rerũ autẽ intelligibilium varietas, varias quoque species Philosophiæ producit. Homo enim cũ mundi vinculũ sit, hoc est, inter corporea, & incorporea medi°, ĩtelligit res tum
    - Corporeas & materiales, actu nimirũ materiæ immersas. Quã quidem, respectu Metaphysices, δευτερονφιλοσοφίαν quis nuncupare posset: non tam ordinis in cognoscendo, quàm subiecti ratione habitæ. Iam verò res materiales intelligit vel
      - Concretè, hoc est, cũ materia coniunctas & reipsa & intelligentia. Et cognitionẽ suã refert vel ad
        - Theoriam solam, vt res naturales tales, quales sunt, cognoscat. ἕξις φυσικὴ & φυσιολογία dicitur. PHILOSOPHIA naturalis.
        - Opus quoddam hominum vitæ vtile & proficuum. Sic MEDICINA veluti particularis quædam Physiologia est, & circa corpus humanum versatur, vt sanitatem illius vel conseruet, vel restituat.
      - Abstractè, hoc est, à materia ratione separat duo Accidentia, quantum & quale. MATHEMATIKH dicitur in genere, & varias sub se species complectitur: de quibus suo loco.
    - Incorporeas, neque ratione tantùm, verumetiam actu à materia separatas. Propter subiecti igitur excellentiam & dignitatem PHILOSOPHIA Diuina, & φιλοσοφία dicitur, quinetiam σοφία & θεολογία: à recentioribus Græcis, habito respectu ordinis, quoniam Naturalem philosophiam sequi debet. μετὰ τὰ φυσικὰ, & à Latinis Metaphysica vulgò. Cuius species variæ sunt: quas suo loco exequemur.

DE IIS QVÆ AD THEORICOS HABITVS ACQVIRENDOS, CONFIRMANDOS, PERFICIENDOS, FACERE POSSVNT. ET primùm de NATVRAE præsidiis & adiumentis.

INDOLIS THEORICÆ SIGNA, INGENII BONITAS, quibus indiciis sese in primis annis prodiderit.

EYΦYIAN Græci, naturalem aptitudinem ad quiduis cognoscendum & percipiendum appellant. Latinis ingenium dicitur; quasi insitum & congenitum nobis. Plato igniculos naturales, & quædã velut seminaria omnigenæ virtutis: Aristoteles verò ἐπιτηδειότητας, quasi tu dicas procliuitates seu propensiones quasdam, vocauit. Hoc tamen inter principes hosce Philosophos interest, quòd diuinus Plato igniculos istos & veluti scintillas virtutum actu nobis adesse voluit: verùm in primo animæ descensu in corpus, tanquam in vastißimum barathrum, ita obliterari, vt non nisi ætatis progressu & doctrinæ adminiculo denuò emergere poßint: eamque ob causam omnem nostram cognitionem puram ἀνάμνησιν esse asseruit. Aristoteles verò δαιμόνιος philosophus, potentiam tantùm naturalem, ad hos habitus tam διανοητικοὺς quàm ἠθικοὺς per doctrinã & exercitationem, rationis atque sensus ope, acquirendos, animæ humanæ à natura insitã affirmauit: eamque tabulæ rasæ similem esse dixit, in qua nihil descriptum esset, omnia tamen describi possent. Qua quidem opinione persuasus, profiteri fuit ausus, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Vtut sit, illud certè constat, in puerili ætate intellectum hominis vel corporis inglunie obrutum, vel experientia & vsu tãquam oculo carentem, infirmum admodum esse & debilem: postea verò ætatis incremento tantũ mẽtis aciei accedere, quãtũ corporis vigori decedit. Præclarè enim Socrates, ἡ τῆς διανοίας ὄψις ἄρχεται ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ. Quamuis autem in prima ætate nullas theoricas actiones insignes conspicere liceat: apparent tamen futurarum actionum indicia quædam, & ex prima herba futuræ meßis vbertas colligitur. Hinc est, quòd vulgò bonæ spei & indolis pueros laudare solemus. Non minus enim in tenella ætate spes virtutis nos delectat, & erigit, quàm in adultis ipsa virtutis poßeßio. De indolis itaque Theoricæ signis, quibus ingeniorum bonitas cognosci potuit, hoc titulo agemus. Est autem tot indolis differentiæ esse possunt, quot sunt Theoricæ virtutes, quarum index est indoles: nos tamen sub vno eodemque titulo omnes comprehendemus. Huc præterea pertinent auguria, omnia, prodigia, vaticinia, quæ infantibus aut pueris contigerunt, & sapientiam illorum prænunciarunt: de quibus infrà suo loco agetur. Sabellicus & reliqui Exemplorum rhapsodi, Valerium imitati, titulos habent de insigni infantia, puericia, adolescentia. Nos verò id quod nostrum est agimus, & singula ad suos locos proprios reducere studemus. Nunc ad rem.

EXEMPLA SACRA.

EK Διὸς ἀρχόμεθα. IESVS Christus, θεάνθρωπος, vt in omni virtutum genere excelluit, & nobis vtriusque vitæ regulam modúmque præscripsit: ita etiam primis statim annis diuinitatis suæ non obscura dedit indicia. Et vt ea quæ de illius infantia ab Apocryphis authoribus sunt scripta prætereamus, illud vnũ commemorare satis erit, quòd studio sapientiæ flagrans, à matre & comitibus, cum quibus Hierosolymam solennis festi causa ascenderat, clàm se subduxit: & triduo integro multum diúque à parentibus quæsitus, vix tandem in templo inter sapientissimos viros de rebus sacris grauissimè disputans repertus est. Quódque magis mirum videri debet, legem quam nõ didicerat, interpretari, & lingua Hebręa, quæ tunc apud Iudæos acroamatica erat, loqui poterat. Fabri itaque filium mirabantur omnes: pauci diuinæ indolis signa animaduertebant.

IOANNES Baptista in vtero matris officij & professionis suæ non obscura dedit indicia, quando mundi Saluatorem in vtero matris adhuc latentem exultatione sua adesse significauit, atque ita antequam in lucem ederetur Propheta extitit. Luc.1.

ORIGENES etiamnum puer, parentem suum Leonidem (qui Episcopus fuit) sæpe de abditis Scripturæ sensibus interrogauit, ita vt pater ab eiusmodi præcoci sapientia retrahere illum cogeretur. Mox adolescentiam ingressus, tanto amore martyrij flagrabat, vt martyres ad tribunalia ductos sequeretur, seque vnà accipi gestiret. Cùm pater eius in vinculis esset, & postero die cum multis aliis examinandus foret, ad ea loca, vbi de Christianis inquiri mos erat, proficisci decreuerat. At mater noctu clàm in cubiculum dormientis ingressa, omnes vestes ei abscondit, ne in publicum prodiret. Spe igitur sua frustratus, scripto patrem in carcere ad constantiam exhortatus est. Euseb.lib.6.cap.3.& 36.

ATHANASIVS ille magnus, puer adhuc, in agmine puerorum ad mare Episcopum se esse finxit, ac Episcopi more baptizauit: alios diaconos, alios presbyteros ordinauit, in festiuitate annuæ memoriæ Petri Alexandrini episcopi martyris. Id cùm vidisset Alexander episcopus Alexandrinus, omine captato, Athanasium & socios parentibus sub obtestatione Dei commendauit, vt ad id quod per ludum imitati fuissent educarentur: quod & factum fuit. Athanasius enim Episcopus demum factus, Nicænam fidem contra Arianos solus defendit. Sozomenus lib. 2.cap.17.& Ruffinus lib.1.cap.14.

EXEMPLA PROFANA.

ZOROASTRES magus & poeta insignis ex Persia, cum primùm natus esset, risit, & cerebrum eius insolito more palpitauit, futuræ sapientiæ omine. Solinus cap.4. Polyhist.

THEMISTOCLES etiamnum puer, vbi à discendo vacabat, non ociabatur, sed orationes componebat, quibus aliquem puerorum accusabat vel defendebat. Disciplinas eas quæ voluptatis & elegantiæ causa discuntur, ægrè & nulla cum alacritate percipiebat: quæ verò ad prudentiam & actiones spectabant, etiam præter ætatem colebat. Vt dicere soleret præceptor, cum puerum magnum omnino vel bonum vel malum futurum. Plut. in eius vita.

ALCIBIADES Atheniensis ad magistrum ludi, vt Grammaticam disceret, missus, rogato magistro, an Homerici operis aliquid haberet? cùm is respondisset, Non habere: indignatione motus, quòd docere Grammaticam professus, Homero careret, magistrum pugno percussit. Profectusque ad alium ludimagistrum, cùm idem petiisset, & magister habere se bonum & à se castigatum volumẽ respondisset, subridens dixit: Et tu qui Homeri castigatorem te dicis, ad erudiendos puerulos ludum aperis? Argutè in altero ignorantiam, iactantiam in altero reprehendens. Fulg. lib.3. cap.1. Plut. tamen hæc iam adulto Alcibiadi tribuit.

DEMOSTHENES adhuc puer cùm audiret, præceptores & pædagogos inter se, de audienda Callistrati rhetoris causa Oropia, agere, à pædagogo suo precibus impetrauit, vt ad audiendum ipse quoque admitteretur. Admissus, cùm Callistratum causa præclarè perorata à multitudine deduci, & felicem prædicari audiuit, gloriæ hominis æmulari cœpit. Itaque cæteris relictis disciplinis, studiisque puerilibus, seipsum totum oratoriæ tradidit. Plut. in eius vita.

THVCYDIDES Atheniensis historicus, ad historias scribendas à pueritia prima animum habuit, propter laudis gloriæque cupidinem. Recitante enim quondam Herodoto sua scripta magno auditorum assensu, permotus & ipse laudis æmulatione, flere visus est. Quod Herodotus animaduertens, ad patrem versus ait: Deduc puerum ad disciplinas. vt est apud Marcellinum, Græcum authorem.

P. OVIDIVS Naso Sulmonensis, etiamnum puer forensi studio, patris voluntate, quamuis inuitus, sese addixit. Non tulere eam iniuriam diutius Musæ, sed vatem suum vindicauere: vt pro odiosa legum repetitione, iucundissima & elegantissima carmina dictaret. Sic ille in 4. Tristium.

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos:
Et quod tentabam dicere, versus erat.

P. VERGILIVS Maro primùm in lucem editus, vagitum nullum emisit. Poëticam puer etiamnũ exercere cœpit: & in Balistam ludimagistrum, ob infamiam latrociniorum lapidibus coopertum, distichon fecit.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte dieque tuum carpe viator iter.

Mox etiam Moretum, Epigrammata, Diras, Culicem, anno ætatis xv. scripsit: & his velut incunabulis diuinus ille spiritus ad Aeneida scribendam prouectus est, in qua Homerum in primis, maximè verò ingenij sui bonitatem secutus est. Donatus in eius vita.

INGENII ET INDOLIS EXPLORATIO.

EXEMPLA *plurima ex Tit. Presagiorum, Ominum, Somniorum, peti possunt, per que indolem aliorum interdum cognoscimus.*

Diogenes

DIOGENES Cynicus discipulo cuidam pernam dedit deferendam, ac sequi iussit. At ille disciplinæ impatiens, abiecta perna abiit. Post aliquot tempus occurrens illi Diogenes: Tuam & meam, inquit, amicitiam perna dissoluit. Brusonius lib.2.cap.23.

BION Borysthenites, cùm malè audiuisset, quòd adolescentem quendam mollem in disciplinam non recepisset: Tenellus, ait, caseus non attrahitur hamo. Significans, pueros delicatulos ad philosophiæ studia nequaquam esse idoneos. Laert.lib.4.cap.7.

BRACHMANES & Indi infantes editos post duos menses in medium productos, cuius indolis & formæ essent, publico concilio explorabant. Vbi si cuius indoles approbata fuisset, bonis disciplinis instituebatur: sin minus, morte afficiebatur. Alex. ab Alex lib.2.cap.25.

PROTAGORAS Abderites, cum domi pauper admodum esset, ac puer quæstus gratia ligna venditaret, visus fortè à Democrito eius ciue, quàm pulchrè fascem composuisset, iussus ab eo soluere, in pristinum modum rursus fascem restituit. Signum id Democritus optimæ indolis ratus, eum doctrinæ adhibuit, ex quo euasit Philosophus clarissimus. Gellius.

ARISTOTELEM Stagiritam ferunt, in disciplinarum proœmiis difficultati & obscuritati rerum simul ac verborum studuisse, vt hac ratione ingenuorum animos acrioribus stimulis excitaret, ignauos verò à pulcherrimarum rerum cognitione deterreret.

INVENTIO THEORICA. INVENTORES THEOricarum artium.

INGENII *vigor in disciplinis acquirendis cernitur. Acquiruntur autem (vt in primo Alcibiade Plato testatur) vel nostra met inuentione, vel aliorum opera & doctrina. Illa εὕρεσις, hęc μάθησις καὶ διδασκαλία dicitur: atque vt illa maxima ex parte νῷ & αἰσθήσει nititur, ita hęc διανοίᾳ: cuius veluti organa sunt tres ordines didascalici, & quatuor Methodi, de quibus logici disputant. Porrò εὕρεσις cũ ratione materię subiectę vel Theorica sit, vel Practica: nos hîc de priore loquimur. Quę quidem ab Arist. in 6. Ethic. cap. 10. diuiditur in ἀγχίνοιαν & εὐστοχίαν: quoniam illa medii, hęc verò conclusionis absque medio vera est apprehensio. De inuentione autem in vniuersum in primo Ethicorum, cap. 2. disputatum est à nobis, ad quem lectores remittimus: presertim cùm illic precepta vniuersalia, hîc exẽpla particularia tantùm persequi cogitemus. Homerus ἀλφιστὰς ἀνθρώπους ab hac ipsa inueniendi potestate elegantißimo epitheto appellauit, quoniam & natura & dignitate doctrinam inuentio pręcedit: atque vt Hesiodus inquit, οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ inueniendo nimirum: ἐσθλὸς δ᾽ αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται, discendo & pręceptis obsequendo. Facilè deinde est, ex veteri prouerbio, inuẽtis addere. De rerum inuentoribus varii libri à diuersis sunt scripti. Nos pauca quędam in Theoricis exempla afferemus, ne & mole & prolixitate Operis lectorem offendamus. Qui plura volet, ex singulis titulis Artium quędam depromere poterit.*

GRAMMATICAE ET LITERArum inuentores.

MERCVRIVM primùm literas & verborum ordinem inuenisse aiunt: & propter etymologiam siue interpretationem ἑρμῆν vocatum asserit Diodorus Sic.lib.1.cap.2. Rerum antiqu. Alij literarum inuentionem Calliopæ Musarum principi tribuunt.

Alij CADMVM è Phœnice sedecim in Græciam attulisse volunt, A B C D E G I L M N O P R S T V. Quibus Troiano bello PALAMEDES ex volatu gruum adiecerit quatuor, Θ Ξ Φ X. Totidem postea SIMONIDEM Melicum Ζ Η Ψ Ω. Aristoteles, 18. priscas fuisse, exceptis η ξ ψ & ω. Duas postea ab EPICHARMO additas ait Θ & X. Anticlides in Aegypto MENONA literas inuenisse author est, 15. annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ regem. Epigenes apud Babylonios, 720. annorum obseruationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet: Berosus & Critodemus, 480. annorum. Ex quo apparet æternus literarum vsus. In Latium eas attulerunt Pelasgi. Veteres enim Gręcas easdem penè fuisse cum Latinis quæ nunc sunt, indicio est Delphica tabula antiqui æris in palatio, Mineruæ in bibliotheca dicata, cum hac inscriptione, Ναυσικράτης ποιμὴν Ἀθηναῖος ἀνέθηκεν. Hæc Plin.lib.7.cap. 56.& 57.

Apud Latinos SP. CARBILIVS Grammaticus primus G literam reperit, cùm pro ea prius C vterentur. Quod etiamnum hodie in lingua Hetruscorum apparet, qui aspiratè proferunt ea, quæ à reliquis Italis absque spiritu enuntiantur: vt quando pro ceruo, Geruo dicunt. Apud eosdem Claudius Centinianus caninam literam R inuenisse dicitur, aut certè iam inuentam Romanis communicasse.

Crinitus in bibliotheca Septimana ait se legisse versus sequentes, admodum vetustos.

Moses primus Hebraïcas exarauit literas.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaïcas.
Isis arte non minore protulit Aegyptias.
Gulfila prompsit Getarum quas videmus vltimas.

Fuit autem Gulfila siue VLPHILAS Gotthorum episcopus, post Theophilum, qui Gotthicas literas inuenit, & in linguam Barbaram Sacras literas conuertit. Hic primùm orthodoxus fuit, postea ad Arianos sub Valente defecit. Socrates libro 4.cap.33.

PHERECYDES Syrus, qui Pythagoræ præceptor fuit, prosodiam primus inuenisse dicitur.

DIALECTICAE.

ZENO Eleates, Parmenidis auditor, inuentor Dialectices fuit. Laertius, & Volat.lib.20. Antrhop.

ARCHESILAVS Pitanæus ex AEolide, mediam attulit Academiam, ob disputationis contrarietatem. Primus namque in vtranque partem disserere adgressus est: idque orationis genus, quod Plato tradiderat, per interrogationem & responsionem, ex vmbra in certamen & puluerem deduxit. Floruit Olymp. CXX. vt scribit Apollodorus in Chronicis.

DIODORVS Amenij filius Iaseus, Cronus cognominatus, primus inuolutum & cornutum genus disserendi inuenit. Laert.lib.2.

RHETORICAE.

Rhetoricam POLYHYMNIA inuenisse dicitur. Alij Mercurio tribuunt. Inter mortales Empedoli, & apud Siculos Coraci & Ctesiæ. Illud constat, Cadmum solutæ orationis authorem fuisse, Zenonem verò Eleatem & Alexamenem Dialogorum. Rauis.

CLEON orator Athenis sua ætate vehemens, primus inter agendum vociferatione vsus est, percussitque femur manibus, in pulpito discurrẽs: quæ res adeò inoleuit, vt nostri quoque non olim modò idem factitarint, sed morem ex Græcia receptum ad posteros transmiserint. Sab.lib. 6.cap.2.

CEPHALVS Atheniensis orator, primus Proœmia & Epilogos introduxisse dicitur. Suidas.

POETICAE.

Consule titulum Poetarum.

THALIA Comœdias, MELPOMENE Tragœdias reperit, MESON Comicus Personam, DITHYRAMBVS Thebanus versus Dithyrambicós, DAPHNIS pastor carmen Bucolicum, PHEMENOE carmen hexametrum, ARCHILOCVS Iambum non inuenit (multo enim antę in Margite Homerus eo vsus dicitur) sed ad nouum maledicendi genus traduxit.

ALCMAN poeta Lyricus, Laconicus siue Messenius, circa Olymp. XXVII. inuentor amatorij carminis, scripsit lingua Dorica. Suidas apud Volat.lib.13.cap.3. Anthrop.

ARION Methymnęus poeta Lyricus, qui Olympiad. XXXVIII. vixit, Tragici carminis primus inuentor fuisse, & Chorum instituisse dicitur. Suidas.

AESCHYLVS Tragicus Atheniensis, primus Tragœdias protulit: nam & subtilis est, & grauis, & grandiloquus sæpe vsque ad vitium. Quintilianus libro 10.cap.1. & Volater.lib.13. Antrop.cap.3.

ARISTOPHANES poeta Comicus, Rhodius siue Lyndius, tetrametri & Octomętri carminis inuentor fuisse traditur, docuitque fabulas LIIII. Suidas.

PHILOSOPHIAE NATVRALIS.

ALCMENON Crotoniata Pythagoræ auditor, primus naturæ historiam inuenit, teste Suida apud Volater. libro 13.cap.3. Anthrop.

AEOLVS rex, Ventorum rationem tradidit. Eapropter Ventorum rex dictus est, quandoquidem certis indiciis naturalibus futuros vẽtos prædicere poterat: eóque factum, vt rudes homines eam ventos immittere posse crederent. Apud Homerum Vlysses apud Aeolum diuertit, sapientiæ nimirum Physicæ ergô. Descriptio antri Aeolij, naturæ mysteriis refertissima est.

PHERECYDES Syrus primus de natura & diis scripsit, Theopompo teste. Laertius.

THALES Milesius primus immortales animos asseruit. Ex Chærilo Poeta refert Laert.lib.1.

MEDICINAE

THON apud Aegyptios Medicinam inuenit, apud Græcos APOLLO. Auxerunt deinde artem hanc variis inuentis alij. Exempla innumera ex Nat.hist. Plinij elicies.

CHIRON artem herbariam primus reperit. Alij deinde aliis herbis nobilitati dicuntur. Reperit MERCVRIVS Moly herbam: Hercules Heracleon herbam, Mercurius Parthenion, Achilles Achillaon, Melampus Melampodion, Teucer Teucrion, Gentius rex Gentianam, Lysimachus Lysimachiam, Iuba rex Euphorbiam, Scythæ Sythicen, Thraces Ischemonem, Vetones Betonicam, Seruilius Democrates Iberidem, Hirundines Chelidoniam, Canes Canariam, Ceruæ Elaphoboscon, Sardonia Peucedanum herbas. Rauisius ex Plinio.

MITHRIDATES Ponti rex, primus sanguinem anatum Ponticarum miscuit antidotis, quoniam veneno viuerent. Summa quinetiam diligẽtia ab hominibus sibi subiectis herbarum vires perquisiuit, & in scriniis suis recondidit. Quibus potitus Gn. Pompeius Magnus, experimenta ea Pompeio Lenæo liberto suo, Grammatico doctissimo, in Latinam lin-

guam transferenda dedit.Plin.lib.25.cap.2.& Gell.lib.17.cap.16.

HIPPOCRATES Cous historias ægrorum morbis liberatorum, quæ in templis deorum descriptæ in tabellis legebantur, exscripsit: iisque inter se collatis, vt erat summo iudicio præditus, ad præcepta vniuersalia reuocauit,& Clinicen instituit,teste Plin.lib.29.cap.1.

MVSICAE.

Exempla plurima ex Tit. Poetarum petes.

TVBAL, musicæ repertor.Græci & Romani scriptores hoc inuentum in alios conferunt:vtputa in Musas,Apollinem, Amphionem, Orpheum,& similes, arcani huius(vnde hæc sunt)hauddubiè ignari. Sab. lib.6.cap.2.

MERCVRIVS Lyram, & Monaulum, PAN fistulam, TRITON buccinam, EVTERPE vel PALLAS,tibias ARCHITAS Tarentinus crepitaculum, teste Arist. in 8. Polit. ALEXANDER Citherius Psalterium cum chordis, AEGYPTII sistrum inuenerunt: obliquam tibiam MIDAS, geminas tibias MARSYAS Phryx, citharam AMPHION, vel ORPHEVS, vel LINVS.Cithara sine cantu vsus est primus THAMYRAS, cum cantu AMPHION, vel Linus. Cithara edita carmina composuit TERPANDER.Cum tibiis canere voce THROEZENVS Dardanus instituit.Plin.lib.7.cap.56.IBYCVS Rheginus historicus, primus sambucam reperit,genus citharæ triangularis.Suidas.

LASVS Herminæus genere,ciuitatis Achaiæ, Olymp.LVIII.regnante Dario, primus de Musica scripsit: primusque Dithyrambos in certamen protulit,contentiosum dicendi genus.Suidas.

CHOROEBVS Atys regis Lydorum filius,in cythara quintam chordam inuenit.Volat.lib.14.cap 2.Anthrop.Octauam SIMONIDES, nonam TIMOTHEVS.Plin.lib.7.cap.56.

PYTHAGORAS, vt ait Boetius in 1. lib.Musicæ artis inuentor fuit apud Græcos,per malleorũ ferientium inæqualia pondera,& per chordarum inæqualitatem,vel inæqualem extensionem, ac per calamorum inæqualem longitudinem.Laertius.

IDEM in adytis Anactonõ Ægypti fertur Orphei antiquam heptachordon lyram inuenisse, quam Terpander Lesbius in Ægyptum proficiscens secũ attulerat,ibiq; appẽderat,vt apud sacerdotes illos charior esset,apud quos philosophiã didicit Ægyptiacam.Huius ergo lyræ cõcentus ac proportiones primus fertur excogitasse Pythagoras.Laertius.

BOETIVS Anius Manilius Seuerinus, Patricius & consul Rom. inuentor fuit chiterimi,Musici instrumenti.Supplementum Chronicorũ.

ARITHMETICAE, GEOMETRIAE,

Astronomiæ, Astrologiæ.

TEVTH numeros,supputationem,Geometriam,talos & aleam inuenit. Rauis. BRATO Geometriam, ANAXIMENES vmbrarum rationem, ATREVS solis eclipsim.vnde figmentum illud de sole retrogrado. ENDYMION cursum lunæ,ob quam rem àLuna in Latino monte adamatus fingitur. Astrologiam VRANIA, ATLAS, CALDAEI, BELVS.

ASTRONOMICAM scientiam cum Geometria,ab autore maximo Hebraïcæ gentis Abraamo AEgyptiis importatam, quidam asserunt: cum quorum sacerdotibus(qui iidem & sapientes fuére)sæpius congressus dicitur.Horum opinioni si quis astipuletur(quòd tam pium sit,quàm vero proximum)is duarum nobilium artium ortum & incunabula ad Hebræos referet.Sab.6.cap.2.

EVDOXVS astrologus,& Archytas,primi Geometriã variis cælaturis exornantes, machinamentorũm artem, vt Plutarchus ait,inchoauêre. Diogenes Eudoxum curuas primum lineas inuenisse ait,& Olymp.CIII. floruisse.

THALES Milesius Vrsæ minoris inuentor fuit,eásque stellas notauit,quas in nauigando Phœnices obseruare consueuerunt, teste Callimacho:

καὶ τῆς ἁμάξης ἐλέγετο σαθμήσασθαι
τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι φοίνικες.

Primus quoque solis cursum reperit,à conuersione in conuersionem & solis magnitudini lunarem globum comparatum, 720 illius partem esse affirmauit.Mensis vltimam, τριακάδα vocauit. Primus circuli triangulum rectis lateribus descripsit,& bouem immolauit,teste Pamphila. Laertius libro 1.Idem quoque Olymp.48.anno quarto prædixit solis defectum,qui sub Astyage rege factus est,anno Romæ conditæ 170. Plin. lib.2.cap.12.

HIPPARCHVS solis & lunæ cursum in sexcentos annos præcinuit, menses gentium,diésque & horas,ac situs locorum,& vicos populorum complexus.Plin.lib.2. cap.12. Hic nouam stellam æuo suo genitam deprehendit,& primus stellas numerauit,organáque excogitauit, per quæ singularum loca & magnitudines deprehenderentur.Eodem lib.cap.26.

ANAXIMANDER Milesius primus Gnomonen inuenit,ipsúmque Lacedæmone in loco captandæ vmbræ idoneo statuit,quo conuersiones solis & æquinoctia notabat. Horoscopia quoque fabricatus est, & primus terræ marisque circuitus descripsit, & sphæram construxit. Olymp.58.Laertius.

SVLPITIVS Gallus primus Romani generis,rationem Eclipseon in vulgus extulit:& tribunus militum, pridie quàm Perses rex à Paulo Æmylio superatus est, ab Imperatore in concionem productus, inani metu militum animos liberauit,& ea etiam de re volumen edidit. Hic postea consul cum M.Marcello fuit.Plin.

L. PAPYRIVS Cursor solarij horologij vsum Romæ primus intulit,ad ædem Quirini,cùm eandem dedicaret,à patre suo votam. At M. Varro primùm statutum in publico secundum rostra in columna tradit, bello Punico primo à M. VAL.Messala consule, Catina capta in Sicilia. Deportatum inde post 30.annis,quàm dePapyriano horologio traditur, anno Vrbis 477.nec congruebant ad horas eius lineę Paruerunt tamen ei annis 99. donec Q.MARTIVS Philippus collega L.Pauli in censura, diligentius ordinatum iuxtà posuit:idque munus inter censoria opera gratissimum fuit. Etiam tum tamen nubilo die incertæ fuerunt horæ,vsque ad proximum lustrum.Tunc SCIPIO Nasica collega Lænati, primus aqua diuisit horas 24.& horologium sub tecto dicauit,anno Vrbis 595.Tamdiu pop.Rom.indiscreta lex fuit.Plin.lib.7.cap. 60.

METAPHYSICARVM FACVLTATVM

authores.

ZOROASTRES Bactrianorum rex(contra quem primus Assyriorum rex Ninus bella suscepit) primus omnium dicitur artes Magicas inuenisse,mundi principia, siderúmque motus diligenter spectasse. Iustin.lib.1.Plin.lib.30.cap.1.Antoninus tom.1.tit.2.cap.1.§.7. Oros.li.1.cap. 4.Phrisingensis libro 1.c.cap.6.Alij magiæ inuentionem Atracio cuidam in Thracia tribuunt.

Auguria ex auibus CAR, à quò Caria:ex animalibus ORPHEVS. Aruspicia DELPHVS. Ignispicia AMPHIARAVS. Auspicia auium TIRESIAS Thebanus. Interpretationem ostentorum & somniorum AMPHICTYON.Plin.lib.7.cap.56.

STVDIVM, ALACRITAS, PERTINACIA DILIGENTIA IN INVENIENDO.

Exempla quędam ex tit. Contemplationis mutuanda erunt, quatenus contemplationem inuentio sequitur.

HOMERVS Poetarum princeps cùm in Iiensi littore cæcus obambularet,& piscatores quosdam illic sedere animaduertisset,ignarus quid agerent,interrogauit eos,num quid haberent?Illi cùm ociosi pediculos necarent,obscurè responderunt:

ὅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθα, ὅσ' οὐχ' ἕλομεν φερόμεσθα.

HOC ænigmate vsque adeò seipsum exercuit Homerus, vt cùm eius solutionem inuenire non posset,præ mœrore contabuerit. Plut. in eius vita.

CHRYSIPPVS Cleanthis discipulus, sæpenumero dicere solebat, Egere se tantùm nouorum dogmatum suggestione. nam probationes se facilè reperturum. Tanta in eo fuit diligentia & studium in inueniendo.Laert.lib.7.

HIPPOCRATES Cous paulò ante Peloponnesiacum bellum, cùm Medicinam præceptis indigere intelligeret, varias peregrinationes suscepit:& historias morborum,quæ in templis deorum anathematum loco in tabellis descriptæ suspendebantur, exscripsit: omnésque obseruationes in vnum colligens,primus fuit qui artis medicæ præcepta generalia tradiderit.Atque vt diuino numine rem tantam suscepit: ita nullus adhuc inuentus est,qui eius gloriã adæquare,nedum superare potuerit. Plin.lib.29.cap.1.

PYTHAGORAS & DEMOCRITVS non tantùm sapientiæ studio varias peregrinationes susceperunt,verùmetiam herbarum cognoscendarum & inueniendarum causa auios & desertos montes lustrarunt, & recondita quædam de herbis scripserunt.Plin.li. 25.c.2.Eos postea DIOSCORIDES Anazarbæus, Cleopatræ reginæ medicus,imitatus,vt natales stirpium coràm intueretur,castra secutus est. Quod ipse de seipso in Procemio suorum Commentariorum testatur.

PYTHAGORAS cùm trianguli rectanguli subiectum latus, lateribus continentibus æquiualere reperisset,lymphatici more in publicum prosiliit,& εὕρηκα εὕρηκα alta voce præ gaudio exclamauit, Musisque hecatomben fecit.Laert.lib.8.

SOCRATIS miram in contemplando pertinaciam,Plato cùm aliàs sæpe,tum etiam in Symposio,sub persona Alcibiadis narrat. In militiam profectus ad Potidæam,manè nescio quid contemplans, vsque ad meridiem eodem in loco fixus & immobilis stetit.Animaduerterunt hoc Ionici quidam milites:eúmque in eodem loco vsque ad alterius diei auroram stantem obseruarunt.Exorto sole, eóque salutato,ad contubernales rediit.IDEM cùm ad Agatonis cõuiuium cum Aristodemo proficisceretur,in medio itinere cõtemplabũdus substitit: neque prius ingressus est, quàm id de quo secum tacitus dubitarat,inuenisset.

MITHRIDATES rex Ponti cùm Medicinæ studiosissimus esset, in herbarum viribus inueniendis fuit diligentissimus.Vide tit.Inuentorum Medicinæ.

DOCILITAS *Theorica.* DOCILES.

Qui preceptorum institutionem facilè amplectuntur, & ea quę traduntur fideliter retinent, Ingenij laudem non mediocrem merentur. εὐμαθεῖς Graci vocant. Ad quos etiam illi reuocaripossent, qui multas Linguas callent. Vide Tit. Linguarum studium. Nam egregia apprehensione, & firma retentione opus habent: quorum vtrumque ad ingenii laudem confert.

Aristoteles

ARISTOTELES inter omnes Platonis discipulos summè docilis fuit.Itaque Plato de Xenocrate & Aristotele dicere solebat: Cui equo quem asinum adiungo?& Aristotelem quidem freno, Xenocratem verò calcaribus egere asserebat.Laert.in vita Xenocratis.

THEOPHRASTVS inter Aristotelis discipulos ingeniosissimus fuit. Itaque Aristoteles de Theophrasto & Callisthene idem dicebat,quod de Xenocrate & Aristotele Plato.Laert.in vita Theophrasti.

XENOPHON Grylli filius,Socratis auditor, primus omnium quæ dicebantur notis excepta in publicum edidit, ἀπομνημονευμάτων nomine. Laert.lib.2.

EPICVRVS Atheniensis annos natus quatuordecim, in hortis philosophari cœpit,author Demetrius Magnesius.

HERMOGENES è Tarso quindecim annos natus, sophista adeò probatus fuit,vt fama nominis M.Antoninum principem ad se pertraxerit:à quo etiam multa dona accepit.Philostratus in Sophistis.

ARCHIPPVS & Lysiades, qui in Græcia Thebis scholas habuêre, memoria doctoris pręcepta tenentes,ingenio pro libris vtebantur.Hieronymus apud Volater.lib.16.Anthrop.

MENANDER comicus,supra ætatem in literis excellens, cùm apud suos inuidia laboraret,produxit in theatrum suem prægnãtem,ciúsque exectum vterum in Euripum proiecit.Ibi cùm porcelli ductu naturæ agerentur:Athenienses, inquit, viri, si in teneris annis scientiam meam miramini,istos natare quis docuit?Theod. Priscanus lib.4. ad Eusebium filium,de Physica scientia.

EPIPHANES,filius Carpocratis hæretici, Gnosticorum patris, tam præclaro fuit ingenio,vt 17.ætatis anno(quo etiam obiit)omnes disciplinas ad vnguem à patre suo hauserit, & in philosophia Platonica excellentissimus fuerit.Eam ob rem Sama Cephalenię vrbs diuinis honoribus illum post mortem affecit.Vide catalogum Hæreticorum.

GORDIANVS Iunior, puer adhuc poemata, & soluta oratione de laudibus Deorum scripsit.Præterea in Athenæo Romæ sepe magna cum laude cõtrouersias declamauit:mox patri legatus in Africam missus est. Volat.lib.vigesimotertio Anthrop.

IAMBLICHVS philosophus Pythagoricus,è Chalcide Syriæ, Porphyrij discipulus,Constantini Magni tempore, tam ingeniosus fuisse dicitur,vt breui tempore secundas post præceptorem Romæ obtineret, nec ab eo quicquam differre videretur, quoad doctrinam. Eunapius Grecus author.

EPIPHANIVS, qui postea Ticinensis fuit episcopus,tanta fuit indole præditus,vt cùm vix octauum attigisset annum, Lector in Ecclesia ab episcopo Crispino ordinaretur.Vide tit.Doctorum Ecclesiasticorum.

GREGORIVS in Sicilia,in vico qui Pretorius dicitur,prope Agrigentũ natus, octauo ætatis anno apud Damianum. grammaticum cœpit literas discere: & quadriẽnio tantum profecit,vt in clericũ reciperetur. Inde Hierosolymis à Macario episcopo diaconus factus, tandem Romæ Agrigentinus episcopus creatus est,singulari sanctimonia,pietate & miraculis clarus,post annum sexcentesimum.Metaphrastes in vita eius.

MEMORIA EXCELLENTES.

Ad disciplinæ perfectionem secundo loco memoriæ vis pertinet. Etsi enim ex iudicio & discursu ingeniosi homines potissimùm appellantur, qui facilè ea quæ traduntur discunt: tamẽ illi quoque, qui memoria pollent, aliqua ex parte hoc nomine dignandi sunt. Est nanque memoria thesaurus ingenij: atque ii qui ea quæ semel didicerunt, aut quocunque sensu perceperunt siue res, siue verba firmiter retinere possunt, ex multis tandem particularibus eodem sæpe modo obseruatis experientiam inferunt, quæ artis principium esse consueuit. Sic enim Arist. in secundo Priorum: μνήμη πολλαὶ ἐμπειρίαν, ἐμπειρία δὲ τέχνην ἐμποιεῖ. Memoria porrò duplex, naturalis & artificialis: ars enim naturæ defectus interdum resarcire potest. Vtriusque exempla nunc referamus. Poterunt etiam ex tit. Eorum qui multas linguas calluerunt, quædam huc transferri. Illud interim obseruandum, sub loco Bonorum corporis, de bonitate quoque memoriæ nos disputare, quatenus scilicet corporis seu cerebri temperaturam sequitur: at hic, quatenus disciplinis theoricis confert. ne quis nos eosdem titulos temerè repetere opinetur.

Eusebius tradit,in libro Temporum, ESDRAM Hebræũ, omnes Mosi libros memoriter recitasse, quos Chaldæorum reges exusserant,ita ne amplius extarent:& ex eius recitatione transcriptos, hunc vsum qui postea habitus est, præbuisse. Fulg.lib.8.cap.7. Maius quid humana memoria in illo fuit,& diuini numinis ductu non tam prophetia futurorum, quàm præteritorum ἀνάμνησις.Iosephus lib.11.cap.5.Antiquitatum.

CHARMIDAS quidem in Græcia,quoscunque libros in bibliotheca aliqua legisset,eos confestim memoriter recitare poterat. Plin.lib.7. cap.24.

THEMISTOCLES Atheniensium Imperator,cui libertatem suam tota debet Grecia,ciuium suorum nomina memoriter tenebat.Is in exilium pulsus,cùm regem Persarum Xerxem accedere vellet, ne peregrina lingua regis aures offenderet, Persicam linguam breuissimo spacio prius didicit.Plutarchus in eius vita.

SIMONIDES Ceus Melicus artem memoriæ primus inuenit: eámque consummauit postea METRODORVS Scepsius, teste Plin. libr. 7. c.34.Quum enim in Thessalia apud Scopam Simonides cœnaret, concinissétque id carmen quod in eum, scripserat,in quo multa ornandi causa poetarum more in Castorem & Pollucem scripta erant: Scopas dixit, se dimidium eius quod pactus esset,pro carmine illo daturum:reliquum peteret à Tyndaridis,quos æquè laudasset. Haud multo pòst nunciatur Simonidi,vt prodiret,duos iuuenes stare ad ianuam,qui eum magnoperè vocarent.Surrexit,forásque progressus, vidit neminem. Hoc interim spacio cõclaue illud,vbi epulabatur Scopas,concidit,&Scopam cum suis oppressit.Quos cum humare vellent amici, nec possent obtritos internoscere. Simonides dicitur ex eo quòd obseruasset quo loco quisque discubuisset,demonstrator vniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac re tunc admonitus,inuenisse fertur, ordinem esse maximè qui memoriæ lumen afferat.Cic.in lib.de Oratore.

PYTHAGORAS de se dicere solebat,quòd olim fuisset Æthalides, Mercurij filius creditus.Mercurio autem optionem ei dante, vt præter immortalitatem peteret à se quicquid vellet: petiisse, vt viuens & mortuus omnium quæ accidissent,memoriam haberet.Id muneris à Mercurio consecutus, post fata in Euphorbum Æthalidis anima transiit, qui à Menelao vulneratus est.Post in Hermotmium,tandem in Pyrrhum Delium piscatorem,vltimò in Pythagorã:Atque has omnes μετεμψυχώσεις se memoria tenere, quæque apud inferos & superos interim gesta essent,probè nosse affirmabat.Laert.lib.8.ex Heraclide Pontico.

ARCHIPPVS & LYSIADES, qui in Græcia Thebis scholas habuere,ingenio pro libris vtebantur,& memoriter artis præcepta tenebant.Volat.lib.16.Anthrop.

CYNEAS philosophus, Pyrrhi regis ad populum Rom. legatus,postridie quàm in vrbem Romam venit,curiam ingressus, Senatum atque equestrem ordinem suo quemque nomine salutauit,absque nomenclatore.Fulg.lib.8.cap.7.

CYRVS Persarum rex, militum triginta millia habebat, & singulos proprio nomine compellare poterat.

ANTIGONVS cum legationibus agens, simul ex monumentis docuit,qui nam apud se antea legationem obiissent, & cum quibus,item de quibus rebus ac negociis. In dandis verò præceptis mentionem singulorum faciens, apud legatos effecit, vt præstantissima memoria præditus videretur.Polyæ.lib.4.

MITHRIDATES Ponti rex & Bithyniæ, qui per Gn. Pompeium bello superatus est, viginti duabus gentibus quibus imperabat, sua cuique lingua ius dixit. Plin.lib.25.cap.2.

Q. FAB.Maximus omnia non solùm domestica, sed etiam externa bella memoria tenebat: vt non immeritò bello Punico secundo omnia eius consilia dictáque oraculi loco haberentur.Testis est Cicero.

L. LVCVLLVS Imperator amplissimus & philosophus summus, à Fabio secundus,res domi forisque gestas mirabili memoriæ thesauro, tanquam præsentes semper spectaret, expeditè referre poterat.Idem.

L. SCIPIO populi Romani nomina absque nomenclatore in salutationibus & prehensationibus memoriter tenebat.Plin.de Vir.illust.

HORTENSIVS, in foro Romano causarum rex ob eloquentiam dictus est.de eo Cicero sic in Bruto:Primùm in eo memoria tanta, quãtam in viro agnouisse me arbitror, vt quæ secum commentatus esset, ea scripto verbis eisdem recitaret quibus cogitauisset. De eodem fertur, quòd sedens olim totum diem in actione, res omnes venales,& præcia, & emptores, ordine suo recensuerit, argentariis recognoscentibus, ita vt nullo falleretur.

C. IVLIO Cæsari hoc etiam ab hostibus datum est,quòd memoria polleret eximia.De qua M.Tullius ait,quòd nihil soleret præter iniurias obliuisci.Legere simul,& scribere,& audire,& dictare solitus traditur. Epistolas de rebus maximis quaternas dictabat aliis,ipse manu propria quintam scribens:ac si calamum eximeres, septenas pariter dictabat. Quæ quidem velocitas an volubilitas promptissimi ingenij, an amplissimæ firmitas memoriæ dici mereatur,incertus sum.Siquidem celeritas, ingenij:tenacitas,memoriæ laus est.Quodcunque ei nomen imposueris,magna res in primis, & mirifica,tã facilè singulis adesse, tàm fideliter omnium meminisse.Petrarcha de Memoria.

CLAVDIVS Cæsar,licet ob hebetudinem simul & animi segnitiem à matre notatus sit, Græcæ tamen & Latinæ literaturæ studiosissimus & doctissimus fuit:vtpote qui non tantum 40 historiæ libros Titi Liuij impulsu scripserit, verùmetiam Homerum memoriter edidicerit, cuius versus vbique & omni tempore assiduè recitabat.Volat.lib.23.Anthrop.

L.ANNEVS Seneca Cordubensis,hanc diuinam sibi memoriæ vbertatem vsque ad miraculum contigisse testatur:nec credibile est tantum virum fallò quicquam gloriari.Ait enim, se duo milia nominum recitata,eodem ordine reddidisse:& ducentorum atque amplius discipulorũ totidem versiculos,cum singuli singulos dixissent ordine retrogrado recitasse.Addit,eam sibi memoriam fuisse, non ad complectendum tantùm ea quæ audierat,sed ad continendum quoque: quorum alterum ex agilitate consequendi,facilitatem amittendi, alterum ex retinendi difficultate,capiendi segnitiem annexam habere consueuit.Petrarcha.

PORTIO Latroni suo Seneca memoriam natura validam,& artificio munitam tribuit,& capacem simul & tenacem. Itaque nec quæ scripserat, lectitabat:satis erat scripsisse. & cùm idipsum celerrimè faceret, in transcursu discebat:nec quæ semel hæserant, auelli poterant. Memori-

ter quæcunque dixerat, seruabat. Qua memoriæ fœlicitate fretus, librorum auxilio non egebat. scribere se animo gloriabatur: & quæ illic scripserat, sic in expedito habebat, vt nec in verbi quidem vllius vnquam recordatione laberetur. Quasi librum sub oculis habens loquebatur. Proponebatur cuiuspiam ducis nomen (tanta inerat historiarum memoria) gesta illius celeriter & ex tempore narrabat, non ceu pridem cognita depromeret, sed velut modò scripta perlegeret.

ANTONIVS Ægyptius eremita, sine vlla scientia literarum Scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuit, & cogitando intellexit. Augustinus in lib. primi Prologo de Doctrina Christiana.

NEPOTIANVS Heliodori episcopi nepos ex sorore, militiam iuuenis exercuit. Tandem presbyter monachus esse voluit. Hic tanta fuit memoria, vt in disputationibus & familiaribus colloquiis si quid in medium productum esset, statim dignosceret: vtputa, Tertulliani esse illud, Cypriani istud, hoc Lactantij, &c. Lectione denique assidua pectus suum bibliothecam Christi effecit, teste Hieronymo in eius Epitaphio.

CLEMENS VI. Pont. Rom. tam inuictæ fuit memoriæ, vt quicquid vel semel legisset, obliuisci amplius non posset. Cuius rei periculum fecit adhuc priuatus Parisiis. Illud admirabilius, ex vehementi capitis vulnere (indicio erat cicatrix in summo vertice) tantum boni ei obtigisse. Petrarcha de Memoria.

FRANCISCVS Tigri Pisanus, professor iuris, insigni fuit memoria, adeò vt Bartolus sępe in cõmentando eius opera sit vsus, in legibus, quas in promptu non habebat, inueniendis. Testis est Baldus, & Richardus in vita Bartoli.

Narrat Petrarcha, de MILITE quodam, amico suo, multorúmque itinerum socio ac comite, memoria eum tanta fuisse, vt quamuis & publicis & domesticis calamitatibus afflictus esset (quæ incommoda aut plane abolere, aut saltem perturbare memoriam possunt) omnia tamen vel visu vel auditu semel percepta, fidelissimè retineret, obseruato etiam loco & tempore, quib. vel res gesta, vel narrata fuisset. Audiendi cupidissimus erat, atque ea quæ ante annos aliquot audiuerat, si denuò repeterentur, additúmne aliquid, an omissum esset, submonere poterat. Qua re effecit, vt Petrarcha illo præsente, cautior & circumspectior esset in loquendo.

HIERONYMVS Aleander tanta memoria valuit, vt Latinam, Græcam & Hebraicam, multásque alias exoticas linguas perfectissimè & loqueretur & scriberet. Primum Lutetiæ Græcas docuit literas. Mox in vrbem vocatus à Leone X. legatus in Germaniam mittitur. A Clemente VII. Brundusinus Antistes constituitur. A Paulo tertio purpuram consequitur. Iouius in Elogiis.

LVD. Pontanus Spoletinus, Romanus cognomine, Iurecos. doctissimus, incredibili fuit memoria, nemine antiquorum inferior. Memor erat omnium quæ vnquam aut legisset aut audiuisset. Memoriter non principia legum, sed leges integras recitabat. Anno ætatis 30. Basileæ in concilio peste obiit. Testis Æneas Syluius in hist. Basil. concilij.

CORSICVM quendam adolescentem, iuris ciuilis studiosum Patauij se nouisse M. Ant. Muretus lib. 3. Variarum lect. asserit, qui ad triginta sex millia nominum, eo quo recitata essent ordine absque cunctatione referre poterat. Arrem se à pædagogo quodam Gallo domi suæ accepisse aiebat: atque eam paucorum dierum spacio Francisco Molino Patricio Veneto communicauit, magna omnium admiratione, cum prius memoria maximè infirma fuisset.

QVI VARIA PERICVLA, DAMNA ET INCOMMODA CORPORIS ET FORtunæ discendi studio pertulerunt.

DISCENDI STVDIVM.

DISCIPLINÆ adeptio partim naturæ subsidia (de quibus iam egimus) partim voluntatis studium & industriam requirit, de qua nunc sumus acturi. τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι, *inquit Hesiodus. Labore ergo opus est in acquirenda virtute, simul & in ea exercẽda atque conseruãda. Nos titulum generalem laboris, studij, diligentiæ & industriæ pro varietate materiæ subiectæ diuidemus, & hoc in loco de discendi studio theorico tantùm agemus: ne quod in reliquis exemplorum scriptoribus reprehendi consueuit, in nos quoque admittamus. Ipsum profectò discere tadij & laboris plenum est, iuuentuti præsertim, quæ venturam inde vtilitatem nondum videre potest. Accedunt deinde multa alia incommoda, paupertas, præceptorum bonorum inopia, ętas senilis ad discendum prompta quidem, sed inepta. Has difficultates omnes qui vel fortuna vel animi constantia superauerit, mirifico discendi studio præditus esse iudicabitur. Exempla igitur eorũ primò referemus, qui varia incommoda discendi studio accensi perferre non dubitarunt. Secundò, qui peregrinationes longas & difficiles eruditionis causa susceperunt, Isocratis consilium ad Demonicum secuti:* μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. αἰσχρὸν γὰρ τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν, ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν. *Tertiò, qui etiam in extrema senectute discere non erubuerunt: quæ tamen ætas ad discendum valde inepta est, & præteritæ doctrinæ fructus percipere potius, quàm futuros serere debet. Itaque tanto prioribus illis antecellunt, quanto maiore ad studia ardore feruntur: neque futuram aliquam vtilitatem inde sperant, sed tanquam per se expetendas, quamuis nullo proposito præmio, artes & disciplinas liberales persequuntur. Nunc ad eorum exempla descendamus, qui vel corporis vel fortunæ obstacula, studio & industria sua superarunt. Inter quos illi etiam locum habere possunt, qui in supremo dignitatis gradu constituti, scientiæ causa abiectissimis pædagogis se submittere non erubuerunt.*

Fuit HIPPOCRATES discendæ medicinæ adeò studiosus, vt eum non puduerit vel recrementa gustare, vt morbi materiam cognosceret. Quod tamen aliqui Æsculapio ascribunt. Cæl. cap. 12. lib. 16.

CARNEADES philosophus quum cibi capiendi causa recubuisset, philosophicis cogitationibus interdum vsque adeò inhærebat, vt manũ ad mensem porrigere obliuisceretur. Val. Max.

EVCLIDES Megarensis, quum disciplinæ Socraticæ percupiens esset, neque tamen Athenas (vbi profitebatur Socrates) auderet ire, quòd capitale foret, si quis Megarensium Athenis, aut Atheniensium Megaris, propter mutuum vtriusque vrbis odium, deprehenderetur: sub noctem, tunica lõga muliebri indutus, ad ipsum philosophum commeabat, vt vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonúmque eius fieret particeps. Rursus sub lucem eadem indutus veste redibat. Gellius lib. 6. cap. 10.

Ferunt PLATONEM tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariũm mercatũ, quod precium à Dione Syracusano acceperat. Idem octogenario maior, moriens sub capite Sophronis numeros habuisse fertur. Sic nec extrema quidem eius hora agitatione studij vacua fuit, inquit Val. Max. de Studio. Gel. lib. 4. cap. 17.

ARISTOTELEM traditum est pauculos Speusippi libros post mortem eius emisse talentis tribus Atticis. Gellius lib. 4. cap. 17.

LYSIMACHVS Agathoclis filius, vnus è successoribus Alexandri Magni, Pergamo præfuit. Illustri autem genere natus, virtute illustrior fuit. Amore enim literarum ac philophiæ ardebat adeò, vt Callisthenem tunc ab Alexandro cum cane in cauea clausum, non veritus Alexandri authoritatem, de virtute differentem sæpius audierit. Ex Trogi lib. 15. Iustinus.

DEMOCRITVS Abderites cùm diuitiis abundaret (quę tantę fuerũt vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare potuerit) quo magis vacuo animo studiis literarum incumberet, parua admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donauit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam & exercendam doctrinam conferẽs, Diagoram Milesium seruum mille drachmis emit, vt ab eo erudiretur. Valer. lib. 8. cap. 7.

ANTISTHENES cùm disputantem Socratem audisset, ipsius disciplinę amore captus, ad discipulos, quos ipse habebat, conuersus, vt alium præceptorem quærerent, monuit: sibi enim se præceptorem inuenisse, aiebat. Hoc dicto, fortunisque omnibus relictis, vno tantum pallio tectus, Socratem secutus est, opib. liber, atque humanis curis, quæ eum à studiis auertere possent. Et quidem in Piræo habitans, quotidie quadraginta emensis stadiis Socratem accessit Athenis. Laert. lib. 5.

CRATES Thebanus aurum omne, quod ex patrimonio habebat, in mare demersit: satius esse inquiens, opes mergere, quàm ab illis demergi.

Cùm Antisthenes multos ad philosophiæ studium inuitaret, & nemo morem ei gereret: tandem indignatus, nemini potestatem audiendi se permisit. Quare DIOGENEM etiam à sua conuersatione repulit. Cùm verò frequentior & magis assiduus esset Diogenes, etiam illum increpuit: minatúsque est, se baculum ei inflicturum. aliquando etiam in caput impegit. At ille non recessit, sed maiori studio cum quadam audiendi siti institit, inquiens: Tu percute tantùm, ego tibi caput præbebo: neque verò tam durum fustem inueneris, quo me à tuis disputationibus abigas. Quod cùm audisset Antisthenes, intimus ei factus est amicus Æl. lib. 10. Var. hist.

CLEANTHES, quamuis hebeti ingenio esset, vtpote pugil: tanto tamen literarum amore exarsit, vt noctu quidem hortulano cuidam aquas hauriendo, quæstum faceret, quo paupertatem suam interdiu philosophando sustentare posset. Vnde φρεάντλης, id est Exhaustor puteorum dictus fuit. Panes etiam pinsere solebat. Propter tolerantiam denique laborum Hercules fuit cognominatus. Quæ à Zenone audierat, testis, boúmque ossibus inscribere solebat, cùm pecuniæ defectu chartas emere non posset. Laer. lib. 7.

MONIMVS Syracusanus cùm Diogenem Cynicum à Xeniade emptum audiret, eiúsque doctrina captus esset, neque tamen liberè ad eum commeare posset, cùm Corinthij cuiusdam trapezitæ seruus esset, insaniam simulauit: & pecunias spargere, mensásque subuertere cœpit. A domino igitur tanquam furiosus repudiatus, Diogenis disciplinæ sese commisit, & philosophus doctissimus euasit. Laert. lib. 6.

PHAEDON

PHAEDON Eleus adolescentulus, cùm Athenis in lupanari à domino prostitutus seruiret, quantum iniunctæ necessitatis turpitudinem vitare poterat, cum Socrate inclusus, philosophiæ operam dabat. In qua re ita egit, vt parto precio, ab ea turpitudine se redemerit, atque inter philosophos doctissimus euaserit. Fulgos. lib. 8. cap. 7.

SIMON Coriarius (ad cuius officinam Socrates persæpè de philosophia disputabat) tanta Socratem diligentia audiuit, atque eius dicta excepit, vt quædam de eis volumina ediderit. Laertius.

DEMOSTHENES, cùm inter initia iuuentæ, artis quam affectabat primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnauit, vt ea à nullo expressius proferretur. Deinde propter nimiam exilitatem, acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negauerat, à labore mutuatus est. Multos enim versus vno impetu spiritus complectebatur, eosque aduersa loca celeri gradu scandens pronunciabat. Ac vadosis littoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, vt ad fremitus concitatarum concionum, patientia duratis auribus in actionibus vteretur. Fertur quoque ore insertis calculis, multum ac diu loqui solitus, quò vacuum promptius esset, & solutius. Præliatus est cum rerum natura, & quidem victor abiit, malignitatem eius pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est. Val. Max. lib. 8. cap. 7.

EPICTETVS philosophus, seruus, atque omnium inops, adeò vt vnde fores obseraret pauperis tugurij non haberet: his superatis incommodis, permulta in philosophia peritissimè scripsit. Fulgos. lib. 8. cap. 7.

ZENO in Dialecticis plurimum exercere seipsum voluit. Verùm cũ pecunia, vt satisfaceret præceptori Dialectices, deesset, clàm per posticum Polemonis professoris eius artis irrepsit, vt legentem audiret. Quẽ dum Polemon fortè vidisset: Sat video, inquit, te furari ea dogmata, quę aliis postea mercede vendas. Laudandum est Zenonis ardens ad Dialecticen studium, in qua adeò profecit, vt multa etiam arti adiecerit. Quũ illi Dialecticus quidam in sermone, quem illi θερίζοντα, id est metentem appellant, ostendisset septem species dialectices: rogauit, quantum peteret mercedis à discipulis? poscenti cẽtum, dedit ducentos. Tanta erat in homine discendi dialecticen cupiditas. Laertius lib. 7. cap. 1.

SCIPIO in mediis difficillimi belli apparatibus bonarum artium studia non prætermisit, philosophorum scholas crepidatus frequentãs. Et ne post tot insignes victorias animum sibi insolescere prosperis successibus rerum permitteret, cum literis & literatis frequens versabatur. Pontanus de Fortitudine.

P. LENTVLVS quicquid habuit, quantumcunque illud fuit, totum habuit à disciplina. Instrumenta naturæ deerant: sed tantus animi splẽdor aderat, & tanta magnitudo, vt sibi omnia quæ clarorum virorum essent, non dubitaret asciscere. Cicero in Bruto.

Non dedignatus est CAESAR, Aristonis ianuam frequentare: neque Pompeius Cratippi. Non eos potentia ad contemptum rapiebat earum rerum, quæ maximè ipsis profuturæ erant: imò rogabant etiam illos quamuis summa essent dignitate. Non enim imperare tantùm, sed rectè imperare cupiebant. Aelian. lib. 7. de Var. hist.

NERO Imperator, vt inter cantores connumerari posset, & vocalis fieri, semetipsum per vomitum & secessum summo studio purgauit. Porrò præterea oleo cõdito vescebatur, & plumbeam laminam pectori impositam gerebat. Fulgos. lib. 8. cap. 7.

COSROES Persarum rex, licet barbarus, studio tamen & assiduo labore eò peruenit, vt philosophiam disciplinasque omnes Græcorum assecutus, & par summis Philosophis habitus sit. Agathias.

D. HIERONYMVS tanto studio Hebræam linguam didicit, vt Bethlehemi magno labore & precio compararit sibi nocturnũ præceptorem Barrabanum quendam Iudæum, qui interdiu docere Christianos propter metum Iudæorum non audebat. Multis quoque numis redemit Lydæum quendam præceptorem, summæ apud Hebræos authoritatis. Testis ipsemet in Epistola ad Pammachium & Oceanum. Item in Præfatione Iob.

IDEM vt Barbararum vocum stridores exprimere posset, lima sibi anteriores dentes atteri curauit. Fulg. lib. 8. cap. 7.

AETIVS Antiochenus, aurifaber, vt interdiu studiis operam dare posset, ab artis suæ hominibus autum quod noctu elaboraret mercede, petere solebat. Tãtum promouit hoc suo studio, vt insignis Dialecticus, Rhetor, Philosophus, Medicus euaserit: omni laude dignus, nisi quodã contentionum cupidus, ad Arianismum lapsus est, & peculari dogmate ex se Aetianos appellari fecit. Sozomenus & Suidas.

DYDIMVS Alexandrinus puer cùm Grammaticam disceret, & ex ophthalmia oculos amisisset, discendi studio oculorum cladem superauit. Literarum characteres & effigies tabulis insculptas, post crebram repetitionem, digitis immissis obseruauit, ita vt multa etiam scripserit, Alexandrinæ scholæ præfuerit, & hæreses impugnarit. D. Hieronymus certè eum magistrum appellare non veretur. Socrates lib. 4. cap. 25.

PAMPHILVS Cæsariensis tanto erga sacras literas studio flagrauit vt maximã partem voluminum Origenis sua manu descripserit, qui tempore D. Hieronymi in Bibliotheca Cæsariensi adhuc extiterunt, vt Hieronymus ipse in libro de Viris illustribus testatur. Idem ait in Cõmentariis suis in duodecim Prophetas scriptis, se vigintiquinque libros manu Pamphili Cæsariensis exaratos seruare, tanquam Crœsi opes. Antoninus tomo 1. tit. 8. cap. 3. Historiarum, & Volat. lib. 18. Anthrop.

CAROLVS quartus Romanorum imperator, in scholam Pragensem aliquando ingressus, cum disputantes liberalium artium magistros in horas quatuor audiuisset, idque purpurati molestè ferrent, ac cœnæ tempus adesse dicerẽt: Mihi, inquit, tempus est minimè, nam cœna mea hæc est. Prætulit autem Imperator potentissimus, philosophicas disputationes, conuiuiis etiam delicatissimis. Aeneas Syluius lib. 4. Comment. in res gest. Alphonsi.

ALPHONSVS Calabriæ dux senior, Antonio poetę incredibili quadam voluptate operam dabat, aliquid ex priscorum Annalibus referẽti: quinetiam veterum ab eo scriptorum lectiones singulis diebus audiebat: ac licet multis magnisque interim grauaretur rebus & curis, nunquam tamen passus est, horam libro dictam à negotiis auferri. Pontanus de Principe.

ALPHONSVS Aragonum rex, scholas & auditoria, in quibus maximè Theologia publicè legeretur, magnificè adornari curauit: nec adornari solum, sed interfuit ipse lectioni, non pallio & crepidulis inambulans in gymnasio, vt Scipio ille: sed attentissimo animo, & toto (vt aiunt) pectore incumbens: quódque & doctis imitandum, & ignauis rudibusque pudori sit, pedes (etsi satis longè distaret auditorium) ad lectionem venire, pietatis studiorum flagrantissimus, non dubitauit. Panormitanus lib. 1. de Alphonsi rebus gestis.

IDEM Publij Vergilij Maronis præclarum poema tanti fecit, vt sedẽs Messanæ inter pueros etiam humillimæ cõditionis, ab Antonio Panormita (qui eius carmina explanabat) lectiones multas audiuerit. Panorm. lib. 4. de Rebus eius gestis.

IOANNES Picus Concordiæ comes, quamuis illustri familia natus esset, omnibúsque bonis externis, quæ animum à labore ad libidinem traducere possunt, afflueret: statim tamen iam inde à prima pueritia incredibili literarum studio flagrauit. Itaque ad tantam peruenit eruditionem iuuenis adhuc, vt Naturæ miraculũ merito appellari potuerit. Voluit nimirum Deus opt. max. in hoc viro ostẽdere, non tam ingenium (vt plurimi opinantur) quàm discendi studium & ardorem nostræ ætatis hominibus deesse. Fulgos. lib. 8. cap. 7.

ALBERTVS Pius, Carpi princeps, si externa spectes, Pico par, ætate minor: intestinis bellis agitatus, eo nihilominus studio literas amplexus est, vt maiorem eruditionis quàm ditionis curam habere videretur, & nõ magis duces militum quàm philosophiæ magistros maximis aleret stipendiis. Idem.

Maximo studio sciẽtiæ arserunt, LASTHENIA Mantinea, & Axiothea Phliasia: quas Dicæarchus scripsit, virilem amictum induisse, vt expeditius Platonis doctrinam sequerentur: minimè à fragili lasciuóque sexu impeditæ, quo minus cum aliis Platonis discipulis, diligentia studióque contenderent. Fulg. lib. 8. cap. 7.

HIPPARCHIA Maronea, Metroclis philosophi soror, diues & formosa virgo, doctrinæ capta studio, viros quorum matrimonia honestissimis conditionibus offerebantur, vnà cum opibus spreuit, vt inopem Craterem philosophum sequeretur: quo cum, vt Cynicam sectam planè imitaretur, nudis pedibus orbem terrarum philosophando peragrauit. Laert. libro sexto.

QVI DISCENDI STVDIO DIFFICILES PEREGRINATIONES SVSCEPERVNT.

PEREGRINATIONES virtutis & eruditionis Theoricæ causa susceptæ.

PEREGRINANTVR alij quidem causa quæstus, alij virtutis ergô. Illam mercatoribus relinquamus: hanc verò in præsentia explicemus. Est autem duplex. Quædam historica tantùm, eorum qui varias vrbes & regiones perlustrant, vt aliquid se vidisse præ cæteris gloriari poßint. atque hi cœlum tantùm, non animum mutant: & proprio vocabulo ἀλάζονες *dici possunt, errones & plani quidam. Quædam verò philosophica, cuius finis eruditio est, & virtus, non theorica modò (de qua in præsentia agimus) verumetiam practica, quam paulo pòst persequemur. Homerus de Vlysse suo inquit,* πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα *(quæ historica cognitio est)* καὶ νόον ἔγνω *(quæ philosophica est) eiusque interpres Horatius: Multorum prouidus vrbes. Et mores hominum inspexit.* αἰσχρὸν γὰρ δηρόν μένειν, κενεόν δὲ νέεσθαι *Proinde à fructu peregrinationis* πολύτροπον *appellat, non versutum, sed qui sese omnium moribus accommodare posset. Exempla aliquot recenset Diod. Siculus libro tertio capite sexto Rerum antiquarum: & Franc. Patricius Senensis, in lib. de Reip. instit.*

VLYSSES ingeniosus ab Homero peregrinari inducitur, eruditionis & virtutis ergô. Itaque ab AEolo Physica, à Circe Magica, à Calypso Astronomica sub variis fabularum inuolucris didicisse perhibetur, vt Eustathius testatur. Ingenio abundare oportet peregrinantẽ, vt quid se-

quędum, quídue fugiendum sit sciat: deinde ad finem omnia referre, ad patriæ suorúmque vtilitatem. Sic enim Vlysses omnia Penelopæ dilectæ postponit. Aelianus tamen libr. 4. Democriti peregrinationem laudat, Vlyssis & Menelai ex Theophrasti opinione reprehendit: quòd non eruditionis nomine, sed lucri tantùm studio, imitati mercatores Phœniciæ, peregrinati fuerint: quàm rectè, iudicet Antiquitas, quæ sola rei veritatem nouit.

HOMERVM omnis Philosophiæ parentem ad Aegyptios profectum legimus, vt multa ab eorum sacerdotibus perciperet, variósque ritus & mores hominum inuestigaret. Diodorus Sic. lib. 1. cap. 2. de Rebus antiquis.

PYTHAGORAS iuuenis Aegyptum petiit, cum sacerdotibus familiaritatem contraxit. Iudaïcis sacris initiatus, Cabalistica mysteria didicit. Inde ad Persas profectus, Astrologiam percepit, & Magiam. Cretam deinde & Lacedæmona nauigauit: quarum legibus ac moribus inspectis ad Olympicum certamen descendit. Cúmque multiplicis scientiæ maximam toti Græciæ admirationem ac specimen exhibuisset, quis esset, à Leonte tyranno rogatus: non σοφὸν, sed φιλόσοφον se esse respondit. Val. Max. lib. 8. cap. 7.

EMPEDOCLIS Agrigentini similem peregrinationem Plin. lib. 30. cap. 1. vbi de Magiæ authoribus loquitur, tradit.

ANAXAGORAS cùm post diutinam peregrinationem patriam repetisset, possessionésque desertas vidisset: Non essem (inquit) ego saluus, nisi istæ periissent. Nam si prædiorum potius, quàm ingenij culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos rediisset. Val. ibidem.

DEMOCRITVS Abderites mortuo patre Damasippo, (qui Xerxis exercitui epulum dare potuit) reliquas opes duobus reliquit fratribus: ipse solummodo pecuniam, quæ ad viaticum sufficeret, accepit, & primùm ad Aegyptios sacerdotes disciplinæ causa profectus est, mox ad Chaldæos & Gymnosophistas. Postremò Athenas ad Socratem, ignotus omnibus, reuersus, vt ea quæ hauserat sapientiæ semina absque vllo impedimento facilius excolere posset, oculos sibi eruit: nimirum vt animo cerneret, parui iacturam oculorum fecit. Ael. lib. 4. Laert. in eius vita, & Fulgos. lib. 8. cap. 7. & Gellius lib. 10. cap. 17. & Cic. libr. 5. de Finibus.

ANACHARSIS philosophiæ studio (præter communem Scytharum morem) accensus, relicto fratri suo Scythiæ regno, venit in Græciam, & apud Solonem in magna fuit admiratione. Aelian. de Var. hist. libr. 5.

PLATO patriam Athenas præceptorem Socratem sortitus, & locum & hominem doctrinæ fertilissimum, ingenij quoque diuina instructus abundantia, cùm omnium iam mortalium sapientissimus haberetur, eò quidem vsque, vt si ipse Iupiter cœlo descendisset, nec elegantiore nec beatiore facundia vsurus videretur, Aegyptum peragrauit: vbi à sacerdotibus eius gentis, Geometriæ multiplices numeros, cœlestium obseruationum rationem percepit. Quoque tempore à studiosis iuuenibus certatim Athenæ, Platonem doctorem quærentibus, petebantur, ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas, vastissimósque campos, effusam barbariē, & flexuosos fossarum ambitus, Agyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus miror in Italiam transgressum, vt ab Archyta Tarenti, à Timæo & Arione & Ceto Locris, Pythagoræ præcepta & instituta acciperet. Tanta enim vis, tanta copia literarum vndique colligenda erat, vt inuicem per totum terrarum orbem dispergi & dilatari posset. Altero etiam & octogesimo anno decedens, sub capite Sophronis numeros habuisse fertur. Sic ne extrema quidem eius hora agitatione studij vacua fuit. Valer. lib. 8. cap. 7. Apud Gymnosophistas libros Mosis legisse creditur. Volater. lib. 18. Anthrop.

CLEARCHVS iunior magno discendi studio accensus, è Ponto Athenas profectus est, vt Platonem philosophantem audire posset. Suidas.

APOLLONIVS Tyaneus Asiaticus philosophus, sub Vespasiano & Tito Imp. satis non duxit, temporis sui philosophos, in ea regione, in qua ipse viueret, doctrina æquasse: sed discendi studio accensus, omnia petebat loca, in quibus aliquid discere se posse intelligeret: neque eum viarum longitudo incommodaúe, neque pericula aut impendia retinuerunt. Nam Persas, Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas prætergressus, in Indiam penetrauit: ac Physonte amne superato, ad Brachmanes peruenit, & ab Iarcha Brachmanum principe permulta didicit. Inde autem per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Parthos, Assyrios, Phœnicas, Arabes atque Palæstinos in Aegyptum, omnibus aliis in omni scientiarum genere doctior, regressus est. Sed ne tunc quidem extincta hauriendarum scientiarum siti, in Aethiopiā ad Gymnosophistas transiuit: vbi eorum principem Thespesionem audiuit. Tūc discendi sibi modum ponens, cum aliis viuere destitit. pane herbísque, ac simul aqua tantùm vescebatur, vt ingenio ad discendum promptior esset. Paternas autem opes, quæ satis magnæ fuerunt, non stultè, quemadmodum Crates Thebanus, in mare proiecit (vt expeditius vacare philosophiæ posset) sed parte fratri tradita, quod superfuit pauperibus, qui propinquitate aut amicitia iuncti essent, distribuit. Itaque minimè mirum videri debuit, si philosophus atque magus, alios doctrinæ magnitudine superarit, adeò vt illa quæ ab ipso fierent, præ admiratione mortalium mentes vix caperent, atque ob id eum numen habere crederent: esséntque permulti impiorum, qui ea quæ præstigiator Apollonius supra communis naturæ cursum gereret, Redemptoris nostri miraculis anteferre auderent. Fulgos. lib. 8. cap. 7.

GERMANICVM Cæsarem incredibili cupiditate veteres locos & fama celebres visendi, Græciam, Thraciam, oram Asiæ, & ipsas demùm Armenias peragrasse, Tacitus scribit. Nec satis erat vidisse Asiam, in Aegyptum profectus est: idque vt iusta causa facere videretur, curam prouinciæ prætendit, cùm reuera antiquitatis cognoscendæ gratia illuc transiisset.

HADRIANVS imperator Geographiæ studiosissimus, cùm apud terræ mensores descripta loca quandoque esset admiratus, nihil cunctatus est, quantiscunque impensis, quin ad ea videnda, aut terra aut mari pergeret. Spartianus.

DIOSCORIDES Anazarbæus, Antonii & Cleopatræ medicus, & eques, cùm herbarum & metallorum vires scriberet, non famæ credere, sed in omnibus graues autores legere, atque magna ex parte eorum omnium longinquis peregrinationibus periculum facere voluit. Fulg. lib. 8. cap. 7.

DIODORVS Siculus triginta annos, dum orbis terrarum historias scribendo complecteretur, consumpsit. Et ne in iis erraret, in quibus permultos errasse agnouerat, magno suo incommodo, maiorem Asiæ atque Europæ partem perlustrauit. Ibidem.

PTOLEMAEVS Geographus, vt fide & certitudine omnes alios superaret, periculosissimis itineribus cōtinentem, nauigationibus maritima loca inuestigauit: magno qudem labore, maxima tamen & nunquam intermoritura nominis sui gloria atque fama.

PROAERESIVS è Cæsarea Cappadociæ, adolescens, fama Vlpiani dicendi magistri permotus, relicta patria Antiochiam venit: & cum eo paruo pòst tempore Athenas profectus sub Iuliano sophista adeò profecit, vt primus inter auditores esset. Ex Eunapio, qui copiose eius vitam descripsit.

THEODORVS, qui postea Gregorius appellatus est, Neocæsareæ Ponti episcopus, admodum adolescens, ob studia Græcarum & Latinarum literarum ex Cappadocia Berytum & Cæsaream Palæstinæ migrauit iuncto sibi fratre Theodoro. Vt est apud Hieronymum.

Diuus HIERONYMVS Stridone oppido in Istria natus, quatuor Ecclesiasticorum doctorum vnus, ceu alter Plato aut Pithagoras, doctrinā per totum terrarum orbem secutus, Syriam, Iudæam atque Aegyptum peragrauit, vt ea oculis suis prius lustraret, de quibus postea scripturus erat: superatísque quas natura obiecerat, difficultatibus, vt expressius Hebreæ Babylonicæque linguæ stridores verius quàm voces, pronunciare posset, lima atteri sibi anteriores iussit dentes. Tandem cùm Græcè, Hebraïcè, Babylonicè, Sirè atque Latinè, calleret, omnem Scripturā sacram in Latinum vertit sermonē. Cuius traductionis elegantia atque veritas, omnes ante eum factas traductiones exclusit: nam statutum fuit, vt Hieronymi sola traductione Catholica vteretur ecclesia. Fulgos. libr. 8. cap. 7. & Egnat. lib. 8. cap. 7. Præceptores habuit in literis Hebræis Barrabanum & Nicodemum Iudæos, in humanioribus Donatum & Victorinum: in sacris Gregorium Nazianzenum, Apollinarem Antiochenum, & Didymum Alexandrinum. Crinitus lib. 6. cap. 6.

ANDALONVS, Genuensis, Negrona gente ortus, magnus rerum inquisitor fuit. Nam cum Astronomiam optimè calleret, penè totum terrarum obem peragrauit: ob eam rem solam, vt climatum locorúmque horizontes, veterum normæ ac regulis æquaret, omniúmque facto periculo, Astronomicæ artis peritior certiórque euaderet. Fulg. ibidem.

NICAVLA Aegypti atque Aethiopiæ regina (quam reginam Saba Christus opt max. appellat, & ob studium sapientiæ commendat) audita Salomonis sapientia, ab extremo orbe in Iudæam iuit, vt eum audiret: & pro eorum temporum more, cum subtilia quædam quæsiuisset, Salomon difficultates eas soluit. Hoc facit, vt minus Pythagoram, Platonem & Apollonium terrarum orbem peragrasse miremur: cum hæc & fœmina, & regina, neque sexus debilitate, neque regni interea amittendi metu deterrita sit, vt discendi studio tantum terrarum spacium obiret. Idem.

PAVLA Cornelia, Romæ principum genere orta, Hebraïcis, Græcis atque Latinis literis plurimum excelluit: relictáque patria, in Palestinā abiit, vt illic Christiana dogmata, quibus nulla maior est philosophia, à D. Hieronymo, qui illic agebat, audiret. Opes, quas ingentes habebat, ne à cœlestiū contemplatione abstraheretur, in pia opera distribuit. Idē.

SENES, QVI DISCERE NON *erubuerunt.*

SOLON quanta industria flagrauerit, & versibus testatus est (quibus significat, se quotidie aliquid addiscentem senescere) & supremo vitæ die (80 enim annos natus erat) confirmauit: quòd assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis iam pressum caput erexit. Interrogatúsque quapropter id fecisset? respondit: Vt cùm istud, quicquid est, de quo disputatis, percepero, moriar. Migrasset profectò ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingrederentur, quo eam Solon egressus est. Val. Max. lib. octauo cap. primo. Historiam aliter narrat Aelianus: nempe, quòd cum eius nepos ex fratre inter pocula carmen quoddam Sapphus cecinisset, delectatus sit illa cantilena: & rogarit adolescentem, vt eam se doceret. Quum autem quidam interrogasset, quā ob causam hoc desideraret? respondit: Vt postquam ipsam didicero, moriar.

LYSIMACHVS philosopus, qui apud Platonem disputans introducitur, iam senex discere nequaquam erubuit. Itaque in Lachete dialogo de fortitudine, inquit: Statuo, quo senior sum, eo studiosius vnà cum adolescentibus discere.

SOCRATES, qui Delphico oraculo sapientissimus Græcorum omnium iudicatus est, semper aliquid discere, quod ignoraret, voluit. Apud Platonem in Hippia minore inquit: Mirificum hoc habeo bonum, quod me seruat, quoniam sine rubore verecundiæ ad discendum me præparo.

Rogo

Rogo autem & sciscitor, gratiámque ingentem habeo respondenti. Nec vlli vnquam ingratus extiti. neque apud auditores vnquam vendicaui mihi aliorum inuenta: sed docentē laudibus semper extollo, illisque quæ sua sunt tribuo.

EVNDEM ætate prouectum fidibus tractandis operam dare cœpisse, constat: satius iudicantem, eius artis vsum serò quàm nunquam percipere. & quantula Socrati accessio illa futura scientiæ erat? Sed peruicax hominis industria, tantis doctrinæ suæ diuitiis, etiam Musicæ rationis vtilissimum elementum accedere voluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit se locupletissimum. Val. lib. 8. ca. 7. & Cic. de Senectute.

CLITOMACHVS Carthaginensis, patria lingua Asdrubal dictus, Athenas venit 40 annos natus, audiuitque Carneadem. Eius ille industriam admiratus, inter suos esse passus est. Promouit igitur tantum, vt Carneadi successerit. Laert. lib. 4.

P. TERENTIVS VARRO, ex Atace vico Narbonensis prouinciæ, post annum xxxv literas Græcas didicit. Eusebius, & Volat. libro 20. Anthrop.

M. PORTIVS Cato Græcas literas in extrema senectute ab Ennio didicit. Plutarch. in eius vita.

IVLIANI Iurecos. clarissimi nota est vox, κ, τὸν ἕτερον πόδα ἐν σορῷ ἔχων, μαθεῖν ἐπιθυμῶ: Quamuis alterum pedem in sepulchro habeam, discendi tamen percupidus sum.

Lucius, quum Romam venisset, obuiam factus Imperatori MARCO, percunctatus est illum, Quò iret, & cuius rei gratia? cui Imperator, Honestum est & seni discere: eo ad Sextum philosophum, vt discam quę nondum scio. Hic Lucius sublatis in cœlum manibus: O Iupiter, inquit, Imp. iam senex tabellam gestans puerorum more commeat in ludum, quum noster rex Alexander triginta duos annos natus vita defunctus sit. Philostratus.

LAVRENTIVS Valla, vir omnium doctissimus, iam senex Græcas didicit literas: quibus cùm plus satis operam dedisset, interrogatus à Nicolao quinto Pont. Max. cur tanto studio Græcis operam daret literis? Vt duplicem, inquit, abs te Pontifex, mercedem accipiam. Pontanus lib. de Principe.

ALPHONSVM Aragonium Siciliæ regem, non septem regnorum administratio, curæque, non bella ingentia, quæ gessit, retinere potuerunt, quò minus rex iam quinquagenarius, qui tot populis imperitabat, literario præceptori se subiiceret, ne Latinè loquendi vsu careret: & ne Hispani literarum expertes, Liuiana lectione fraudarentur, ipse Liuium è Latina in Castulonensem linguam transtulit. Fulgosius libro octauo, capite septimo.

ROBERTVS Hierosolymorum & Siciliæ rex optimus, fortissimus atque doctissimus, Solonis hoc in ore habebat, γηράσκω δ᾽ αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Tanto autem literarum amore tenebatur, vt si sibi alterutro carendum esset, regno quàm literis se priuari malle assereret. Petrarcha de Studio.

LECTIONIS ASSIDVITAS.

EXEMPLA SACRA.

EVNVCHVS Candacis reginæ Æthiopum, cùm iter faceret, in curru Esaiam prophetam legebat. Ei diuinitùs comes additus Philippus apostolus, ea quæ legebat interpretatus est, & credentem baptizauit. Act. 8.

HILARION abbas, Scripturas diuinas (vt inquit Hieronymus) post orationes & psalmos, quasi Deo præsente, recitabat. Quę enim per prophetas vel apostolos, dictante Spiritu sancto, prolata nouerat: ea non irreuerenter, nec inconsideratè legenda esse iudicabat. Marul. lib. 2. cap. 5. Sab. lib. 2. cap. 7.

BASILIVS Magnus, mundanæ philosophiæ studiis plurimum delectabatur. Verùm posteaquàm scientiæ spiritalis dulcedinem gustare cœpit, illi totum se dedit. Sunt qui eum dicant panis ac vini vsum sibi interdixisse, donec mysteriorum intelligentiam plenius perciperet. Parum erat secularem sapientiam diuinæ postposuisse: duo præcipua vitæ humanæ sustentamenta, panem & vinum, neglexit, dum cibos colligit vitæ æternæ. Quorum suauitatem propheta quoque admiratur, dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine super mel ori meo. Ibid.

D. CYPRIANVS in Tertulliani lectione tam fuit assiduus, vt nullum diem absque eius lectione prætermitteret: & notario Paulo sæpe diceret, Da magistrum, Tertullianum scilicet. Hieron. in Catalogo vir. illust.

GENNADIVS Constantinopolitanus episcopus, vt & LEO Rom. neminem ad sacros ordines admittebat, qui non egregiè Psalterium frequenti lectione sibi familiare fecisset. Nicephorus Gennadio, Theodorus Lector Leoni attestatur.

GERVASIVS & Protasius gemelli fratres, qui se vno partu editos, non magis forma quàm morum similitudine comprobabant, cùm persecutionem fugientes annos decem domi latuissent, toto eo tempore nihil aliud quàm orasse atque legisse narrantur. Quantæ autem hoc vitæ institutum perfectionis esset, diaboli inuidia patuit. Qui in idolo loquēs, dum consuleretur, non se prius responsa daturum dixit, quàm Geruasius Protasiúsque sibi thura adolerent. Sed qui legendo fidem, orando constantiam perceperant, occidi potuerunt: cogi autem vt Christum negarent, non potuerunt. Itaque inimici malignitas atque doli in contrarium cessêre: quos perdere cupiebat, martyrij corona honestatos vidit. Armis enim quæ de manibus illorum eripere cogitauerat, ipse victus succubuit: hoc est oratione & lectione. Marul. lib. 2. ca. 5.

SERVVLVS mendicus & æger, & literarum ignarus, ecclesiastica opuscula ex eleemosynis comparauerat: aliis quidem legenda, quoties lectorem nactus fuisset, sibi verò oscultanda atque ediscenda. Audiendi assiduitas reddidit eruditum, ita vt aliis memoriter prædicaret, quæ ipse legere nesciebat. Ibidem.

THOMÆ Aquinati vaticinia Prophetarum legenti, cùm in locum obscuriorem incidisset, hærerétque velut in salebra, atque à Deo intelligentiam efflagitaret: Petrus & Paulus apostoli apparuerunt, & quod quęrebatur exponentes, satis ei fecêre. Id quoties legentibus nobis vsuuenerit, doctiores consulamus: vel Thomæ exemplo à Deo erudiri instruique precemur: nec interim Scripturam ab ecclesiæ institutione dissentire putemus, sed nos non intelligere. Et sanè melius est aliquid non intelligere, quàm malè intelligendo errare. Ibidem.

IDEM tam solerti studio lectitasse Scripturas perhibetur, vt interdū neque propius astantes viderit, neque interpellantes audierit, sensibus omnibus cùm mente simul vni lectioni intentis. Idem.

BERNHARDVM Clareualensem abbatem nullo magistro vsum aiunt, sed sola legendi orandíque assiduitate mysticos de Scripturis sensus elicuisse. Vt legeret, intelligendi cupiditas fecit: vt intelligeret, oratio impetrauit: vt autem impetraret, quid nisi vitæ sanctitas promeruit? Sic cupiat, sic oret, sic viuat, qui sic intelligere, Spiritusancto docente, desiderat. Idem, & Sab. lib. 2. cap. 7.

BERNHARDINVS, cuius prædicationibus fratrū Minorum collegium creuit primùm quidem Pontificij iuris disciplinis operam dedit: postquàm autem ad Theologiam animum applicuit, ei studio se totum tradidit, adeóque ipsum delectauit de Deo sermo, vt mox relicto seculo religionem sit ingressus. Itaque iuris peritia virum quidem bonum cōstituit, sed theologiæ ratio etiam perfectum reddidit. Altera neminem offendere docet: altera semetipsum quoque abnegare, & crucem tollere, & Christum sequi omnibus suadet, multísque persuadet. Marul. libr. 2. cap. 5.

Sacrarum literarum studiosissimum STEPHANVM presbyterum Constantinopolitanum fuisse accepimus. Qui quoniam in omni vitæ perfectione præstantissimus fuit, videtur quicquid legerat, opere implesse. Idem.

ÆQVITIVS Valeriæ vrbis monasterij abbas, ne qua die deesset quod legeret, quocunque ibat, scorteas manticas libris refertas secum deferebat: neque illi oneris huius molesta erat grauitas, dum lectionis sacræ compensatur vtilitas. Sic nec militem strenuum ferrea lorica, cassis ensísque grauant, quæ sibi saluti fore sperat. Vtque iis munitus in certamen prodire, & confidenter cum hoste congredi solet: ita qui sese lectionibus diuinis libenter instruit, omnia diaboli machinamenta facilè contemnit. Idem.

ANTONIVS monasterij olim à beato Gregorio Romæ constructi monachus, non (vt multi) captiosam, argutámque scientiam in legendo perquisiuit: sed piè viuendi doctrinam, cordis compunctionem, pœnitentiæ lacrymas. Idem.

THEODOSIVS Imp. Arcadij filius, præter cæteras laudes sacrorum lectioni adeò fuit intentus, vt noctu eis legendis operam nauaret, lucerna se sponte sua accendente, & oleum affundente miro artificio, ne quem ministrorum eo labore grauaret. Nicephorus lib. 14. cap. 3.

Quàm grata acceptáque Deo sit sanctæ lectionis cura, miraculorum quoque testimoniis probari potest. EADMVNDVS Cantuariensis archiepiscopus, dum Biblia legit, soporatur: candela ardens super paginas delapsa, ipsa cōsumitur, sed librum inoffensum relinquit. Flamma ceras deuorauit, chartam non adussit: verita literas delere, quas Dominus extare, vt perlegerentur, voluit. Marul. lib. 2. cap. 5.

IDEM cùm aliquando inter legendum obdormisset, mox expergiscens, lucernam extinctam reperit, & legendi sibi occasionem sublatam dolens, Dei auxilium inuocauit: lucernáque repentè illuxit. Hinc ille legendo quod cœperat prosecutus est: cum prius Deo gratias egisset, quòd sic faueret iis qui sacris lucubrationibus libenter inuigilant. Ibidem.

Gloriatum assiduè ALPHONSVM regem Aragonū legimus, quòd Biblia quater & decies cum glossis & commentariis perlegisset. Proinde illa ita memoriæ etiam insculpsit, vt non tantum res, sed longum etiam verborum ordinem absque libro, audientibus recitare potuerit. Panor. lib. 2.

Sed ne fœminas quidem ab hoc studij genere alienas fuisse demonstrabimus. Traditum est, sanctam Dei genitricem virginémque MARIAM, ab hora diei nona vsque ad occasum solis lectionibus veteris Instrumēti sese exercuisse: vt scias huic rei tēpus certum decerni oportere, sicuti & orationi, cæterísque huiusmodi negotiis. Nam vt arborum fructus, qui statutis diebus proueniunt, paulatim aucti dulcescunt: qui autem præcoces vel serotini apparent, sæpe decidui sunt, & prius corrumpuntur quàm ad maturitatem peruenerint: ita religiosę actiones ordine seruato iuuant, confuso tędium sui faciunt, & plerunque mentis affectum languere cogunt. Marul. lib. 2. cap. 5. Sab. lib. 2. ca. 7.

Ei curæ nocturnum tempus Syluia Ruffini Alexandriæ præfecti soror

dedicauerat, quam quidem eloquentissimam fuisse aiunt:& cùm in eremo Thebaidis vitam duceret, fama sanctitatis plurimùm claruisse. In solitudine ergo inuenerat, quemadmodū sola non esset: eorum propè cōsuetudine ac familiaritate vtens, quorum in Deum pietatem lectitando considerabat, considerando æmulabatur, ęmulando æquabat. Ibidem.

CÆCILIA Romana patricij quidem generis virgo, sed fidei claritate superās genus, dicitur Euangelicū codicē nūquam à se dimisisse:& si quò illi eundum esset, in sinu repositum secum tulisse, colloquiis eius in Scripturis assiduè fruens, quem gestabat in præcordiis. Sic castitatem coseruauit, sic ad martyrij palmam peruenit, tormētorúmque acerbitatem forti animo pertulit, dum ad Christum festinat, cuius dulcedine quotidie aliquid de illo legens capta fuerat. Ibidem.

DEMARCELLA, vidua nobili ac sancta fœmina, Hieronymus sic ait: Diuinarum scripturarum ardor incredibilis ei semper cantabat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et illud de beato viro: In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Meditationem legis non in replicando quæ scripta sunt (vt Iudeorum existimant Pharisęi) sed in opere intelligens, iuxta illud Apostolicum: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid agitis, omnia in gloria Domini faciētes. Et Prophetæ verba, dicentis: A mandatis tuis intellexi, vt postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligētiam Scripturarum. Quod & alibi legimus, quia cœpit Iesus facere & docere. Erubescit enim, quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia: frustráque eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemosynas, qui Crœsi diuitiis tumet: vilique opertus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarū. Hæc ille. Ibidem.

EXEMPLA PROFANA.

Didicit ALEXANDER Macedo non pauca ab Aristotele, sed puer: adultus verò, medióque gerendarum rerum ardore, Homeri carminis lectione captus, tanto eius rei studio tenebatur, vt aureum scrinium gēmis præditum, in Dariana præda repertum, in eum vsum legerit, vt Homeri opera eo inclusa bellicis gestarentur expeditionibus. Eiusdē quoque carminibus noctu puluinari subiectis indormiebat. Dignus qui tantum vatem sortitus esset: aut certè talem, vt ne suum Æacidæ inuidere debuerit. Sab. lib. 2. cap. 7.

IDEM (quum dormitaret) brachio extra cubile protento, pilam tenuit argenteam, supposita pelui, vt quum neruorum rigorem sopor laxasset, pilæ elapsæ tinnitus somnum abrumperet. Imitatus ea in re grues. Ammianus Marcellinus lib. 16.

PLATO humanæ sapientiæ longè princeps, tantum Pythagoricæ disciplinæ tribuit, vt Philolai Crotoniatæ (fuit is Pythagoricus) magno precio emerit libros: emptos tanto studio lectitarit, vt ad eius defuncti caput sint reperti. Sab. lib. 2. ca. 7.

ARISTOTELES Speusippi pauculos libros tribus talentis Atticis emit. Gel. lib. 4. cap. 17.

DEMOSTHENES Thucydidem adeò familiarem sibi fecit, vt octies etiam descripserit. Amantius.

ZENO Citticus dicitur cōsuluisse Oraculum, quo pacto posset vitam optimè instituere? respondit Deus: Si concolor fies mortuis. Ille sentiēs, se vocari ad lectionem veterum, sese ad philosophiam contulit. Laertius lib. 7. cap. 1.

ARCESILAVS Pitaneus philosophus & poeta, Crantoris discipulus, Homeri adeò studiosus fuit, vt eum amasium suum appellaret:& cū iret cubitum, manéque surgeret, semper aliquid ex eo perlegeret. Laert. li. 4.

AFRICANVS Socraticum Xenophontem in manibus semper habebat: cuius in primis laudabat illud, quòd diceret, Eosdem labores non esse æquè grandes imperatori ac militi, quòd ipse honos laborem leuiorem faceret imperatorum. Cicero libro 2. Tusc. quæst.

ENNIVS nisi Homerum miratus frequenter quoque lectitasset, nūquam illius se animam sortitum testatus esset. Sed somnium illud verius fuit quàm vaticinium. Sab. lib. 2. cap. 7.

CATO Vticensis ita doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum senatus cogitur, temperaret sibi, quo minus Græcos libros lectitaret. Qua quidem industria ostendit, aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. Val. lib. 8. ca. 7. & Cic. lib. 3. de Finibus.

Quantum Plato vir summus est Philolaum miratus, tantum, nec minus Platonem M. CICERO: qui vsque adeò eius copiam effinxit, vt penè ille ipse sit factus. Pari affectu Isocratis iucunditatem est æmulatus, ac vim Demosthenis: quorum virtutes aut exæquauit homo ad eloquentiā natus, aut propria vi nixus superauit. Sab. lib. 2. cap. 7.

P. VERGILIVS Maro, qua indagine censendus est Ennium legisse, quoties repetitum dextra læuáque pertractasse, rerum pondera exegisse, verba pensitasse? qui fortè rogatus, quid ageret? se aurum colligere dixit ex Ennij stercore. Sab. lib. 2. ca. 7.

L. Ceioni COMMODI assiduitatem in legendo Ouidio & Martiale, pete ex tit. Doctorum Imp.

DION Prusiæus philosophus insignis, fugiens Domitiani tempora (sub cuius imperio philosophiæ studium exulabat) licet paupertate pressus, indigna multa philosopho victus gratia factitaret, agrum coleret, vineas & hortos plantaret, neutiquam tamē studia intermisit: quin semper, cum aliquid ocij suffurari poterat, lectitabat libellos, quos secum extulerat: Platonis Phædonem, & Demosthenis orationem de legatione. Philostratus in Sophistis.

ALPHONSVS Aragonum rex cum Capuæ ægrotaret, Quintum Curtium ab Antonio Panormita oblatum, ea hilaritate legit, vt stupentibus ob id medicis, omnem morbi grauissimi improbitatem lectitando superarit:& posthabitis cæteris omnibus animi laxamentis, frequenter in medicos iocatus, Auicennam velut parabolanum parui fecerit: Curtiúmque laudibus celebrarit, sanitatis datorem. Panormita. li. 1. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM C. Cęsaris cōmentarios in omni expeditione secum tulit, nullum omnino intermittens diē, quin illos accuratissimè lectitaret, laudarétque & dicendi elegantiam, & belli gerendi peritiam. Inertissimum se respectu Cæsaris prædicare nequaquam veritus: tametsi à nōnullis, tum studiis humanitatis, tum militiæ scientia non in vltimis reponeretur. Panormita. lib. 2. de rebus gest. Alphonsi.

IDEM cum plurimum amaret literas, Liuiana tamen lectione maximè delectabatur. Cum aliquando tubicines obstreperent, abigi eos (quamuis Musices peritissimos) iussit, multo suauiorem harmoniam Liuij auditurus. Panormita. lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM cùm Neapoli in arce noua, de pace Tusciæ, déque mittendo in Albaniam Nicolao Picinino ageret, T. Liuij historias sæpenumero suarum rerum testes citauit: dum cauendum esse diceret, ne primam belli fortunam aduersam experirentur. Nam presagium finis ex initio conspici solitum, ex Liuio dictitabat. Æneas Syluius libr. 1. de rebus gestis Alphonsi.

IVLIANVS Cardinalis sancti Angeli, qui Basiliensi concilio præfuit, libros veterum cùm in bibliotheca lectitaret, accessit quidam qui diceret: Quid tu hic inter mortuos latitas? ad nos tandem, qui viuimus, exi. Ei Iulianus: Imò, inquit, ij fama viuunt, tu neque nomine neque re viuis. Æneas Syluius lib. 3. commentariorum Alphonsi.

QVI IN THEORICIS SIMVL ET MECHANICIS EXCELLVERVNT.

Ad summū ingenij vigorem illi quoque sunt referēdi, qui cùm in artibus mechanicis, aut in virtutibus æthicis excelluerint, tū pręsertim in contemplatiua vita insignes fuerunt. Qui in vna aliqua arte clarus euadit, laudem aliquam meretur: maximam verò ille, qui in pluribus singulari beneficio naturæ & ingenij excellit. Neque tamen hîc sapientiam intelligimus, quæ omnium virtutum intellectualium perfectio est, & veluti συναθροισμός: sed ingenii tantum dexteritatem & facilitatem cuilibet vitæ generi sese accommodandi, citra tamen stupidæ leuitatis crimen.

SOCRATES seruiuit primùm, & statuarius fuit. Opus illius fuisse aiunt Gratias, quæ in arce spectantur vestitæ. Postea Archelaum audiuit, & Anaxagoram. Laert. lib. 2.

ARISTOTELES abliguritis omnibus pecuniis, quæ ex hæreditate parētis ad ipsum deuenerant, in militiam profectus est. Deinde cùm sinistrè malisque auibus hoc ei procederet, pharmacopolam egit. Frequentans autē Peripatū, & audiens sophistas, cùm natura multis esset præstātiore, habitū sibi cōparauit, quē deinde in opus produxit. Æliā. de var. hist. li. 5.

PYRRHO Eliensis, à quo Septici originem suam sumpserunt, pictor fuit, & in Elide in gymnasio λαμπαδιστὰς ab eo non infeliciter pictos asseruari tradunt. Laert. lib. 9.

HELIVS Hippias philosophus Elæus, discipulus Egesidemi, non liberalium modò artium pręse scientiam tulit, sed earum quas Græci mechanicas vocant, vt & vestem & annulum, crepidásque & omnia quæ ferebat manu sua faceret: qui ita se præparauit, ne cuiusuis ope egeret. Cicero. Volat. lib. 16. Anthrop. Quintil. lib. 12. Instit. orat. & Fulg. lib. 8. cap. 7.

EVRIPIDES tragicorum princeps, cum pater oraculo accepisset eum victorem in certaminibus futurum, primò athleticę studuit, ita quidem vt Eleusinio & Theseo certamine pugnarit, & coronatus sit. Pictor quoque egregius fuit, adeò vt Megarenses pictas tabellas illius ostendere soliti fuerint. Sed tandem Anaxagoram Clazomenium secutus est, & cum Platone in Ægyptum nauigauit: post reditum ad palmam tragœdiæ sese conuertit. Gyraldus Dial. 7. hist. poet.

Gloriantur Athenæ armamentario suo, nec sine causa: est enim illud opus & impensa & elegantia visendum. Cuius architectum PHILONEM, ita facundè rationem institutionis suæ in theatro reddidisse constat, vt disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ eius, quàm arti tribueret. Val. Max. lib. 8. cap. 13.

M. PACVVIVS tragicus præclarus, Romæ quandiu vixit, picturam exercuit. Ædem Herculis in foro Boario pinxit:& propter Pacuuiū, picturæ ars clarior facta est Romæ, gloria scenæ. Plinius lib. 35.

AETIVS Antiochenus, aurifaber primò, eáque arte se tamdiu sustentauit, donec in literarum studiis clarissimus euasit Dialecticus, Rhetor Medicus etiam Gallo Cæsari familiaris. Tandem in Arianismum lapsus, discipulos ex se Ætianos appellari fecit. Socrates & Sozomenus.

QVI IN THEORICIS SIMVL ET ETHICIS EXCELLVERVNT.

Huc tit. Doctorum principum referri potest.

PHILOSOPHI LEGES TVLERVNT, ET *Respublicas rexerunt.*

ZALEVCVS Locrensium: CHARONDAS Catanensium primò, deinde exul Rheginensium: ARCHYTAS Tarentinorum septies: SOLON Atheniensium, LYCVRGVS & CHILON Lacedæmoniorum, BIAS & THALES Ionum, PITTACVS Mitylenæorū, CLEOBVLVS Rhodiorum, ANAXIMANDER coloniam è Mileto Apoloniā deduxit.

DEMETRIVS Phalærius Remp. Atheniensem rexit, donec inuidia ciuium eiectus in Ægyptum confugit: vbi apud Ptolemæum regem in maxima fuit gratia & authoritate, in dicendis sententiis. CARNEADES & CRITOLAVS philosophi & rhetores summi ab Atheniensibus legati Romam sunt missi, & Senatum quamuis nolentem in sententiam suam pertraxerunt. Ælianus lib. 3. Var. hist.

PHILOSOPHI BELLICA QVOQVE *arte claruerunt.*

ARCHYTAS dux sexies electus est.

TYTAEVS poeta Lacedæmoniorum dux fuit, vt in Tit. Poetarum.

SOCRATES ter militauit pro patria: in Delo, ad Amphipolim & Potidæam.

PLATO Dionem in Siciliam reduxit, & in oppugnatione Tanagræ & Corinthi fuit.

XENOPHON Grylli filius & Socratis auditor, & THVCYDIDES, res suas gestas ipsimet descripserunt: Xenophon certè optimus dux iudicatus est inter eos qui vnà cum Cyro ascenderunt.

ZENON contra Antigonum Athenienses iuuit.

EPAMINONDAS Thebas, ARISTIDES, PHOCION & THEMISTOCLES Athenas sæpe opera sua erexerunt. Ælianus lib. 7. Var. hist.

THALES Milesius philosophus Reip. quoque commodis consuluit. Nam cùm Milesiorum societatem Crœsus expeteret, obstitit ille: quæ res postea Milesiis salutem peperit apud Cyrum, qui Crœso deuicto in socios regis passim grassabatur. Laert. in eius vita.

BIAS Prienæus, poeta & orator eximius, simul etiam Strategematis contra Alyatten regem clarus. vide tit. Inopiam dissimulare.

MELISSVS Samius, Parmenidis auditor, grauissimus philosophus, & Reip. suæ charus, præfectus classis magna fortitudinis suæ documenta dedit. Laert. lib. 9.

MENEDEMVS Eretriensis philosophus, Rempub. quoque Eretriensem summa cum laude administrauit, postquam ciues illius eruditionem (quem prius tamen vt canem irriserant) perspexissent. Laert. lib. 2.

DEMETRIVS Phalereus, discipulus Theophrasti, cùm omnes sui temporis Peripateticos superarit scribendo, tum etiam in Repub. talem se gessit, vt cum vrbi annos decem præfuerit, æreis statuis 360. sit ornatus, quarum plures equestres erant & curules, summóque studio intra 300. dies consummatæ fuerunt. Laert. lib. 5.

M. CATO talis erat, vt si arma sumpsisset, natum in armis crederes: si se ad studia conuertisset, inter literas educatum. Petrarcha.

TARDI IN INVENIENDO.

Arist. in 2. Rhetoricorum, ingenia laudata alia εὐφυῆ esse ait, alia στάσιμα. Atque illa quidem promptè & expeditè omnia vel per se inuenire, vel ab alio discere possunt: quali ingenio præditum fuisse Alcibiadem & Dionysium priorem ait: hæc verò longo tempore indigent, quale fuit Socratis ingenium, & Cimonis. Quòd si igitur στάσιμα ingenia cum illis quæ εὐφυῆ dicuntur, conferas, tarda erunt in inueniendo simul & in discendo eámque ob causam imperfecta esse videbuntur, huiúsque loci propria. Cæterùm quia non tam temporis quàm effectus ratio est habenda: στάσιμοι in inueniendo tardi quidem respectu temporis, at respectu effectus meliores erunt quàm sint εὐφυεῖς, quādoquidem matura cogitatio pręcipiti deliberatione longè certior atque securior esse cōsueuit. Est deinde alia quædam tarditas in inueniēdo, vitiosa, quę longo tēpore discurrit, absque vllo successu: & de hac in præsentia loquimur. Quòd si quis tamen etiā prioris illius exempla quædam congerere volet, per nos quidem poterit: modò illud etiam cogitet, titulum in duos diuidendum esse. quorum alter eos comprehendat, qui longo tempore in inueniendo, versati, tandem id quod volunt inueniunt (exempla quædam ex tit. Studium & alacritas in inueniendo peti poterunt) alter verò eos, qui multum diúque in inueniendo absque vllo fructu & successu sunt versati.

INDOCILES ET AD DISCIPLINAS PERCIPIENDAS INEPTI.

Animi mores corporis temperaturam sequuntur: hæc autem à victus ratione multis modis variari potest. Notum est illud, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. & Pallas sapientiæ asylum de suo nomine dictas Athenas conditura, locum saluberrimum & temperatissimum elegit. Eandem ob causam BOEOTI olim pro stupidis habiti fuerunt, quòd promiscua victus ratione vterentur, & aerem ambientem crassum atque impurum haberent. Vnde Horat. de stulto homine:

Bœotum crasso iurares in aëre natum.

Ex veteribus THRACIBVS neminem aiunt literas nouisse. Turpissimum etiam putarunt & summum dedecus inhabitantes Europam Barbari, literis vti. Asiatici verò, vt fama est, magis sunt eis vsi. Vnde affirmare etiam audent, ne Orpheum quidem sapientem fuisse, quòd ex Thracia sit oriundus: sed eius carmina vanis mendaciis esse referta. Hæc Androtion memoriæ prodidit: si cui dignus videtur, cui fidem adhibeatur. Ælianus lib. 8. de Var. hist.

HERODES Atticus sophista, quum ingenio & eloquentia nulli secundus haberetur, filium Atticum habuit adeò hebetem, vt ne prima quidem perciperet elementa. Philostratus in eius vita.

Cælius scribit HERACLIDEM Lycium hebeti fuisse ingenio, & ad literas politiorémque cultum ineptissimo. Rauis.

PHILONIDES fuit Melitensis quispiam prægrandi corpore, cæterùm insulsus & indoctus. Vnde adagium fluxit: Indoctior Philonide. Eras. in Adag.

SOCRATES conspiciens hominem prædiuitem & arrogantem, sed nulla virtute præditum: Hic, inquit, equus est argento circumtectus. Solent enim equi stragulis, phaleris, ac bullis argenteis exornari, quum interim tamen nihil aliud sint quàm equi. Eras. lib. 8. Apoph.

XENOCRATES & CALLISTHENES, stupidi & indociles. Vide tit. Dociliatis theoricæ.

Isocrates EPHORVM Cumanum, qui scholam ipsius reliquerat nullo profectu, atque ob id à patre Demophilo denuò missus fuerat, vt ab integro data mercede discipulū ageret. Δίφρον appellabat. Diphros enim Græcis dicitur currus, quòd duos ferat, pugnantem & aurigam. Isocrates autem ex vocis etymologia captauit iocum in stupidum discipulum, qui bis attulerit mercedem. Δίφρος enim dici videtur ἀπὸ τοῦ δὶς φέρειν, id est à bis ferendo. Ibidem.

CLEANTHES Assius ingenio hebeti fuit, & tardiss. Vnde eum Timō Arietem vocabat. Alij etiam Asinum. Quibus ille respondebat: Fateor, & solus certè Zenonis sarcinam ferre possum. Eam tamen tarditatem studio & diligentia superauit. Laert. lib. 6.

Stratonicus musicus quum doceret MACEDONEM quendam, nec ille quicquam proficeret, exasperatus in discipulum: In Macedoniam, inquit, pro eo quod alij dicunt, ἐς μακαρίαν, si cui precantur exitium. Obiter notauit & Macedonicæ gentis barbariem. Eras. in Apoph.

Scipio Æmilianus apud Numantiam iratus C. METELLO, dixit: Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. Tarditatem mentis ac deformitatem corporis illi, fratribúsque eius exprobrans. Eras. lib. 6. Apoph.

In CN. DOMITIVM, Sexti Neronis atauum, cui cognomen fuit Ænobardo, L. Crassus orator dicebat, non esse mirandum quòd æneam haberet barbam, cui os ferreum, cor plumbeum esset. Os ferreum obiiciēs, propter summam impudentiam: cor plumbeum, ob ingenij stuporem. Eras. lib. 6. Apoph.

CATO Vticensis tardus fuit ad discendum, firmiter tamen ea quæ didicisset retinebat. Δυσμαθείας causa etiam fuisse videtur incredulitas. Quamuis enim Sarpedoni pædagogo in omnibus obtemperaret, singulorum tamen causas ex eo quærebat. Plut. in Catone.

CLAVDIVS Cæsar tanta fuit hebetudine in discendo, vt mater Antonia eum monstrum hominis appellaret. Volat. lib. 23. Anthr. At idem tamen firmissima fuit memoria.

Caius Cæsar IVNIVM Syllanum, pronepotem Augusti, quia segnis ingenióque minimè acuto esset, pecudem auream appellauit. Cor. Tacitus lib. 13.

OBLIVIOSI, LABILI MEMORIA PRAEDITI.

Ingenij acumen in inueniendo, discendo, iudicando, cum memoriæ bonitate rarò iungitur. Cùm enim à diuersa & ferè contraria temperie cerebri proueniāt (vt medici asserunt) mirum esse non debet, effectus quoque contrarios esse. Exempla huius rei infrà quoque, vbi de malis corporis agetur, enumerabimus sub simili Titulo: illic quidem, quatenus obliuio à morbo vel senectute prouenit: hîc verò, quatenus naturalem ingenij defectum arguit, & ad Theoricas virtutes acquirendas ineptos reddit, aut saltem impedit

MELITIDES vltra quinque numerare non potuit. Brusonius libr.3. Alex.lib.2.cap.25.

THRACES tam obtuso sunt ingenio, & adeò infœcunda memoria, vt quaternarium numerando nequeant transcendere. Rauis.

CVRIO cum pro Ser.Nœuio diceret, Ciceronē pro Titinia Cotta perorante, subitò totam causam oblitus est: idque veneficiis & cantionibus Titiniæ factum esse dicebat. Adeò autem labili erat memoria, vt aliquoties tria cùm proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. Quinetiam in scriptis obliuiscebatur quid paulò antè posuisset. Orator tamen habitus est, propter verborum bonitatem, & expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Cic.in Bruto.

Seneca scribit, CALVISIVM Sabinum tam fragili extitisse memoria, vt illi modò Vlyssis, modò Achilis, modò Priami nomen excideret. Rauis.

ANTONINVS Caracalla Imp. adeò in literis & philosophia profecerat, vt inter doctos numeraretur, magnámque diei partem philosopharetur. Verùm ipsum postea tanta cæpit doctrinæ obliuio, ac si literarum nomen nunquam audiuisset. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Antonino.

BARTOLVS iurisconsultorum princeps. cùm quid commētaretur, neque leges in promptu reperiret, Franciscum Tigri Pisanum professorem consulebat. Richardus ex Diplouatio recitat.

INERTES ET IGNAVI IN LITERARIA EXERCITATIONE, aut etiam maligni & improbi.

Huius loci erunt omnes ij, qui cùm literis aliquandiu etiam cum fructu operam dederunt, paulo pòst ad alia studia, longo vale Musis dicto, diuertuntur, & bonas artes auersantur: ægrorum more, qui medicamenta salubria, quia odore & sapore minus grata sunt, respuunt & abominantur. Inertia igitur à Latinis dicitur tanquam priuatio omnis artis & disciplinæ. Vix enim maiores hostes literati habent. quàm eos qui primoribus labris disciplinas tantùm degustarunt. Videntur nanque ἀγνοίᾳ κατὰ διάθεσιν laborare: & propterea cùm sibipsis videātur sapere, tanquam periti artis, omnem eius vsum contemnunt, quem tamen reuera ignorant. Ad hunc quoque locum reducendi erunt, quibus non tam natura quàm voluntas praua & improba deesse videtur, quominus ad frugem perueniant. Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit. Et improbitas ingenii plurimum obstat.

Epicterus Stoicus philosophus, conspiciens QVENDAM impuris moribus, confidenti lingua, improbo tamen studio philosophantem: O homo, inquit, vide quò mittas, num purgatum sit vas. nam si ad arrogantiā ista immiseris, intereant & computrescant necesse est.

THEODORVS Athenienſis, cognomento ἄθεος, obiicientibus quòd doctrina ipsius multi redderentur deteriores: respondit, id aliorum vitio accidere, qui doctrinam ipsius sinistra exciperēt, quum ipse dextra porrigeret. Plutarchus in libello de Animi tranquillitate.

Philosophus quidam quum DVOS haberet discipulos: alterum quidem laborioſum, sed hebetis ingenij: alterū ingeniosum, sed ignauum: Ambo, dicebat, pereatis: quoniam tu cùm velis, non potes: tu verò cùm possis, non vis. Antonius in Melissa, particula prima, sermone quinto. & Maximus sermone 17.

PEREGRINATIO INVTILIS.

TELEMACHVS ab Homero in Odyssea introducitur peregrinans, absque fructu tamen: vt qui sub patris imperio educatus esset, & à patris Vlyssis virtute iam degenerasset. Iudicio opus est, & eo quidem summo. Vlyssis socij à Circe veneſica in varia animalia conuertuntur. nam peregrinationum vsum ignorabant. Vlysses solus humanam formam retinet, atque insuper cubile Circes ascendit.

CVIDAM quærenti, quòd peregrinationes sibi nihil profuissent: Non immeritò, inquit Socrates, tibi istud euenit. tecum enim peregrinaberis. Multi putant longinquis peregrinationibus colligi prudentiam, quum Horatius clamet:

Cælum non animum mutat, qui trans mare currit.

Congressus sapientum confert prudentiam, non montes aut maria. Erasmus ex Laertio.

ARTIS PRAESIDIA ET ADIVMENTA. DIVINITVS EDOCTI.

Qui ab aliis discunt, in duplici sunt differētia. Alij enim à Deo, alij ab hominibus eruditūtur. Etsi autem illi quoq; qui αὐτοδίδακτοι sunt, numinis alicuius afflatu eruditi videri possunt, præsertim cùm Socrates apud Platonē dæmonē suum passim pro ratione videatur intelligere, & Deum familiarem vniuscuiusque rationem esse asserat: tamen quia non manifesta in illis diuini spiritus operatio conspicitur, ad præsentem locum non videntur pertinere. Eos tantùm hìc nunc recenſebimus, qui quacunque ratione immortalium deorum auxilio & benignitate multiugam rerum cognitionem σοφοὶ sunt adepti. Quamuis enim nō tam ingenii natiuas vires quàm cœlitus donatas in his admirari oporteat, satis tamen est igenii summam vim hìc conspici: eo maximè, cùm non de causa efficiente huius solertiæ, sed de ipsa tantùm solertia & ingenii bonitate hoc in loco agamus. Exempla plurima veterum poetarum asserri possent, qui Musarum & Apollinis afflatu doctissimi euaserunt.

EXEMPLA SACRA.

SALOMON sapientiam à Deo petiit, & eandem assecutus, vt ad eum audiendum ab extremis Africæ finibus regina Saba fuerit profecta. Neque in diuinis tantùm, sed etiam in naturalibus ita excelluit, vt ab hyssopo vsque ad cedrum sapientissimè disseruisse & scripsisse perhibeatur.

APOSTOLIS diuinitus in sacra die Pentecostes linguarum donum fuit infusum, vt omnium linguis loquerentur. Sic enim Deus miraculosè Babylonicam confusionem in vnum idioma recolligere voluit, & simul instrumentum propagandi Euangelij suis discipulis largiri. Quapropter etiam Apostolus linguarum donum inter Spiritus S. χαρίσματα connumerare non dubitauit.

HOR, Ægyptius abbas, literas non didicerant: & oblato sibi libello, cùm orasset, legere cœpit. neque minus doctrinæ illi vtilius aut alterius horæ oratio contulit, quàm aliis multorum annorum studium. Marul. lib.2.cap.2. Idem seruo cuidam triduò oranti contigisse, Fulg.lib.1.ca. 6.tradit.

MARIA Ægyptiaca ad summum omnis sapientiæ, orandi assiduitate peruenit. Ibidem.

IOANNES Traiectensis episcopus, ab aratro ad Episcopatum vocatus sub Clothario rege, diuinitùs litterarum & virtutum Ecclesiasticarum cognitionem hausit. Vide tit. Doctorum Ecclesiast. septimi Seculi.

BERNHARDVS pater sanctissimus, literas suas in syluis & agris didicit meditando & orando: nec vllos vnquam alios (vt idem de se testatur) habuit præceptores, quàm quercus & fagos. Marul. li.2.c.5. & Sab. li.2.c.7.

Basilius episcopus, EPHREM Syriæ solitario Græci sermonis vsum à Deo precibus inpetrauit, cùm ille Syriacam linguam tantùm, in qua natus erat, calleret. Marul. lib.2.cap.2.

THOMAS Aquinas, cùm legere, scribere, aut disputare vellet, semper prius orare solitus fertur. Nihil rectè auspicari ratus, sine Maiestatis diuinæ inuocatione. Ibidem.

IDEM sacra prophetarum vaticinia legens, incidit in locum explicatu difficillimum. Oranti ergo, Petrus & Paulus apostoli in visu affuerunt: & sensum Scripturæ, quam percipere non poterat, aperuerunt. Hāc rem ab ipso adhuc viuente se audiuisse, Reginaldus frater post obitum eius testatus est. Ibidem.

STEPHANVS anachoreta cùm aliquando illiteratus ac rudis haberetur, tantum in Marcotidis eremo manens profecerat, vt neminem ad eum discendi aliquid gratia accessisse ferant, quin idem discedens se satis edoctum diceret. Marul. lib.3.cap.4.

EXEMPLA PROFANA.

PASTOR quidam Liburnus, omnium linguarum noticiam ex morbo adeptus est. Vide tit. Mortui qui reuixerunt.

THYNICVS à Musis afflatus, hymnum absolutissimum composuit. Vide tit. Poetarum lyricorum.

EVAGES pastor, diuino afflatus numine, poeta euasit comicus. Vide tit. Comicorum.

EDVCATIO LIBERORVM SVB PARENTIBVS IN *Theoricis virtutibus proba.*

Syncerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit. Itaque statim à teneris elementa virtutis sunt instillanda puerorum animis, à parentib. primum, ad quos ea cura maximè pertinet, deinde à præceptoribus. Omnis certè educatio vel ad animi, vel ad corporis, vel ad fortunæ bona refertur. Vnusquisque enim liberos suos ad id quod optimum esse iudicat, educare instituit. Ut quia id quod optimum est, controuersum existit: sit vt diuersa quoque sit educationis ratio. Reuera tamen vnus solus & syncerus scopus est, ipsa virtus. Porrò cum sapientis sit, antequam ad opus se accingat, videre an finem suum assequi possit: idcirco in hac liberorū educatione & institutione, prima cura indolis esse debet, ne quid inuita discant faciantue Minerua. Exploranda itaque illorum sunt ingenia, an naturalem propēsionem ad ea studia quibus illos assuefacere volumus, habeant, necne. In quo quidē veluti fundameto rectæ educationis norma posita est, à nobis superius, vbi de Indole & ingenii indiciis actū fuit, declarata. Altera cura sit, vt q̄ optimis studiis assuescāt & instituātur. Arist. in 7. & 8. Polit. παιδεύειν partim ἕθει, partim λόγῳ cōstare ait: propterea alia ἠθικὰ, alea λογικὰ statui potest. ἠθικὰ quidē, earū rerū que nō præceptis τῷ διότι, sed vsu tantūm et cōsuetudine τῷ ὅτι traduntur. Sic quatuor fere puerorū erāt παιδεύματα, Musica, Victoria, Gymnastica, Grāmatica: quorū terminū 17. ætatis annū in Politicis esse statuit.

Horum vsus ad præxim potius quàm ad theoriam pertinet, & propterea præsentis non est loci. λογικὴ verò παιδεία à 17. vsque ad 21. annum ea est, quæ artes liberales atque adeò ipsam philosophiam complectitur. Cuius exempla aliquot hoc in loco referemus. Aristoteles de ea nihil in Politicis, sed tractatio illius cum multis aliis desideratur: vel quia non scripta sit, vel quia perierit. De qua re consule Tabulas nostras in Politicos libros.

Apud LACEDAEMONIOS, si puerà præceptore vel alio castigatus ob commissum delictum, querelam ad patrem detulisset: turpe erat patri, si hoc audito, non iterum filium virgis eruditet. Siquidem ex institutione maiorum habebant hanc de se mutuò fiduciam, vt crederent, neminem esse, qui cuiusquam liberis, quos quisque pro suis habebat, quicquam imperaret inhonestum. Plut.in Apoph. Laconicis.

Antipater quū à Lacedæmoniis obsides quinquaginta peteret, ETEOCLES Ephorus, vir omnium constantissimus, respōdit: Se pueros quidem non daturum, ne paterna priuati educatione, malis moribus imbuerentur, qua carentes, ne ciues quidem essent: sed senes, mulieresque, duplo, si velit, plures daturum. Ille verò cum multo grauius, nisi obsides acciperet, minitaretur, respondit Eteocles: Non curamus minas. nam si grauiora morte nobis imperites, facilius moriemur. Brusō. lib.2.cap.1.

ARISTIPPVS, Cyrenaici nepos ex filia Arete, à matre edoctus, μητροδίδακτος dictus fuit. Laert. lib.2 in Aristippo.

ÆMYLIO Paulo maximæ curæ fuit liberorum institutio: qui omni Macedonum gaza victor potitus, ex tam opulenta præda nihil attigit præter libros regiæ bibliothecæ, quos filiis habendos dedit. Tanto magis studium illi fuit filios liberalib. disciplinis instituendi, quàm opibus & diuitiis locupletandi. Sab. lib.3.cap.2.

M. PORTIVS Cato censorius, præbuit seipsum liberis suis præceptorem. Qua institutione non solùm quia Cato erat, sed quia & pater, nulla sanctior vtiliorque pueris adhiberi potuisset. Sab. lib.3.cap.2. & Alex.ab Alex. lib.2.cap.25.

TIBERIVS & C. Gracchi eloquentiam suam, qua potentiam Senatus & patriciorum opprimere conabantur, à matris Corneliæ vberibus primùm suxerunt: deinde eiusdem domestica conuersatione didicerunt, adeò vt nullus pari eloquentia, sed armis tantùm vis tanta domari posset. Plut. in Gracchis.

IVLIVS Cæsar cum Octauium adhuc infantem educandū sumpsisset, de eo statim quamplurimum sperare cœpit, atque eum introducere ad nobilissimos viros, & ad omnia quæ conuenire ei videbantur, qui summum imperiū bene gesturus esset. Nam in omni genere dicēdi Græcè & Latinè exercebatur: militiæ labores perferebat, perdiscebat omnia quæ ad remp. quæ-ve ad regnū pertinerent. Vnde post interfectum Iulium, factus Imperator, Romanum administrare imperium summa iustitia, æquitate & humanitate potuit. Xiphilinus in Augusto.

AVGVSTVS Cæsar, cum Vrbis, vel orbis potius terrarum curam gereret, Lucium & Caium, quos per æs & libram ab Agrippa patre emerat, & in spem successionis adoptarat domesticæ, quædam docuit in re literaria: docuit & natare. Sab. lib.3.cap.2.

ZENOBIA Palmyrensium regina, filios suos Herennianum & Timolaū literis eruditi: nam Græcæ & Ægyptiæ sapientiæ peritissima fuit. teste Pollione.

BASILIVS Magnus passim gloriatur, se Christianis natum parentibus, & à Macrina nutrice educatum, quæ Grægorij Neocæsarien. discipula fuerit, eiusque conciones referre solita animum suum vera pietate imbuerit. Basil. in Epistola ad Neocæsarien.

EXEMPLA MVLIERVM.

DAMA à Pythagora patre institura, ad summam peruenit eruditionē.

ARETE Cyrenaici Aristippi filia, mortuo patre scholam illius rexit, & viua voce auditores magna frequentia docuit. Laert. libro 2. in Aristippo.

LAELIAE sermo ex eloquentia C. Lælij patris defluxit: Liciniarum lepos à patre L. Crasso emanauit. Mutiæ duæ filiæ ab vtroque parente eloquentiam didicere. Quint. lib.1.cap.1.& Cic.in Br.

PRÆCEPTORVM VIVORVM OFFICIVM. BONI *præceptores in Theoricis.*

A GRAECIS summo semper studio obseruatum est, vt dum pueriles ætas prona est ad vitia, magistros adhiberent probatissimos, magnæ & expertæ virtutis, quorum conuictu domesticis disciplinis exemplisque formarentur. Alex.ab Alex. lib.2.cap.25.

LYCVRGVS pro seruis pædagogis, quos priuatim pueris quisque præficiebat, virum illis præesse voluit ex eorum numero, è quibus maximi magistratus constant: qui quoniam pueros moderatur, Pædonomus dicitur. Huic verò potestatem dedit, vt & pueros congregaret, & quem versutè aut nequiter quicquam patrare obseruasset, acerrimè cæderet. Dedit etiam illi comites ex puberum numero, qui flagra ferrent, vt verberibus, cùm opus foret, pueros afficerent. Quo factum est, vt & multa pueri verecondia tenerentur, & iussis facilè parērent. Xenophon ex Laconum Republica, Stobæus sermone 42. Alex.ab Alex. lib.2.cap.25.

IDEM, ne quando absente pædonomo pueri sine magistro essent, constituit, vt is qui semper adesset ex ciuibus, ius haberet, quicquid factu optimum videretur, pueris imperare, ac si quid delinquerent plectere. Ibidem.

PHOCION Athenienſis, cùm Phocij filij intemperantiam domestica disciplina cohibere non posset, Lacedæmonem misit instituendum: eoque adolescentium ordine collocauit, quem ἀγωγὴν Græco verbo dixerunt. nec dubitauit homo temperantiæ cultor egregius, externam disciplinam Atticæ præferre, quæ tum omnium præstantissima habebatur: ratus (quòd certè est) vitam hominis magis exemplo proficere, quàm præceptis. Sab. lib.3.cap.2.

Extat hodie exemplum epistolæ PHILIPPI Macedonum regis, qua terror ille Græciæ testatur, non magis se lætari quòd Alexander filius natus esset: quàm quòd Aristotelem haberet, cui puerum tradere posset instituendum. Nec id rex solùm scripsit, sed hunc ipsum filio domesticum præceptorem adhibuit. Idem ex A. Gell. lib.9.

ALEXANDER Philippi filius, puer adhuc, cùm nondum ad puberē ætatem peruenisset, citharam pulsare didicit. Magistro autem iubente chordam quandam tangere modulo conuenientem, & quem postulabat artis ratio: Et quid interest, inquit, etiamsi hanc pulsauero? in aliam digitum intendens. Qui respondit: Nihil interesse regis, sed non eodem modo nihil interesse futuri citharedi. metuens, ne sibi idem quod Lino contingeret. Ælianus lib.3.de Varia historia.

TIMOTHEVS musicus duplicem exigebat mercedem ab iis discipulis, qui aliis præceptoribus fuissent prius vsi, quòd duplicem quoque habiturus esset laborem alterum dedocendi alterum docendi. Oportet enim discipuli animum veluti agrum, ab omni praua consuetudine & disciplina liberū esse. Alex.ab Alex. lib.2.cap.25.

LYCON Troadensis, vir eloquentissimus, adeò vt Glycon fuerit dictus educandis pueris maximè idoneus fuit: cum pueris pudorem, & gloriæ studium adhiberet, non secus atque equis frenum & calcaria. Laert. lib.5.

Xenophontem Grylli filium in angiportu quodam SOCRATES habuit obuium: quúmque videret adolescentem rara indole, porrecto baculo vetuit ne præteriret. Vbi constiterat, rogauit, vbi fierent vēderentúrque variæ merces, quibus vulgò vtuntur homines? ad id quum promptè respondisset Xenophon, percontatus est, vbi homines fierent boni? cum adolescens respondisset, se id nescire: me igitur sequere, inquit, vt hoc discas. Ex eo Xenophon cœpit esse Socratis auditor. Absurdum est, scire vbi parare queas honestam vestem, aut poculū: & ignorare, vnde tibi comparare possis animi cultum. Plut.in Xenophonte.

In conuiuio apud Xenophontem singulis dicere iussis, quo artificio, quóue bono sibi præcipuè placerent: quum ordo veniſset ad SOCRATEM, ioco dixit: Se maximè gloriari de lenocinio. Sentiens, se tradere veram virtutem, quæ potissimum commendat habentem, quæque tum priuatim, tum publicè conciliat homini benevolentiam & amorem. Eras. lib.3.Apoph.

IDEM interrogatus, qui fieri posset, vt quum ipse ad dicendum inceptus esset, alios redderet idoneos? Quoniam cores, inquit ipse quidem fecare non possunt, ferrum tamen reddunt acutum.

DIOGENES Cynicus, quum captus venderetur in Creta, præconi roganti quid sciret, & quo titulo eum commendaret emptori? Dic, inquit, te vendere hominem, qui sciat imperare liberis. Quidam Xeniades Corinthius admiratus præconij nouitatem, adiit Diogenem, percontās, nū sciret quod profiteretur? Vbi ex sermone hominis comperit, esse sapiētem ac doctum: eum mercatus duxit domum, eique suos liberos eruditēdos tradidit. Quos ille susceptos liberaliter instituit: primúmque tradidit artes liberales, mox docuit equitare, arcum tendere, fundam rotare, iaculari telum. In palæstra verò non permittebat, vt pædotribis illos grauioribus laboribus in morem athletarum exercerent: sed quantum ad robur bonámque corporis valetudinem conduceret. Curauit etiam, vt ex poetis aliisque scriptoribus optima quæque ediscerēt: quòd ea tātùm verè sciamus, quæ memoria tenemus. Breuiter, totius doctrinæ summam illis redegit in compendium, quò & cytius perciperent, & fidelius memoria complecterentur. Eosdem iustituit domi ministrare parentibus, cibo leui vilique & aquæ potu contentos esse: cúmque cæteri cæsariem alerent ad formæ commentationem, ille iussit eos radere comam: & si quando prodeundum esset in publicum, incomptos producebat absque tunicis, incalceatos ac tacitos. Quin & ad venatum illos instituebat, Lacedæmonios imitatus, His rebus factum est, vt à pueris obseruaretur, pérque illos parenti commendaretur. Alij narrant, præconem Diogenis iussū ita prædicasse: Est-ne quispiam qui velit emere dominū? Laert. li.6.

L. PAVLVS deuicto Perseo perii: ab Athenienſibus, vt ei probatissimum philosophum mitterēt, ad eruditendos liberos. Illi Metrodorum Athenienſem, Carneadis auditorem, philosophum & pictorem insignē ei miserunt. Volat. lib.17. Meminit Cicero quoque de Oratore.

ROMANI quotannis sex optimatum filios ad sex Hetruriæ populos mittebant, vt auguralem scientiam discerent. Alex.ab Alex. libro 5. cap.19.

SARPEDO prædagogus Catonis Vticensis, verbis quàm verberibus promptior fuit. Plut.in vita Catonis.

TABERIVS Hiera grammaticus nobilissimus, Brutum & Cassium docuit, vt testis est Suetonius de Illustribus grammaticis, cap. 12. tantaque honestate præditus fuit, vt temporibus Syllanis proscriptorum liberos gratis & sine mercede vlla, in disciplinam receperit.

VERRII Flacci industriam in docendo pete ex tit. Grammaticorum.

SERTORIVS apud Iberos, magistris qui artes docerēt liberales, ingenuósque educarent, stipendium de publico dandum statuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

TRAIANVS adolescentes ad quinque millia, bonæ indolis, ex omni imperio selectos, publicè ali, & ab optimis eruditissimisque præceptoribus formari curauit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

GYMNASIA, SCHOLÆ, ACADEMIÆ.

PHILIPPVS rex cùm filium suum Alexandrum Aristotelis disciplinæ commisisset, scholam eis destinauit Nymphæū apud Miezam, vbi hodie etiamnum sedilia Aristotelis saxea, & ambulationes opacæ demonstrantur. Plut. in Alex.

ATHENIS tria fuerunt Gymnasia: Lyceum, Academia, Cynosarges. Fuit Lyceum Aristotelis schola, Academia Platonis: apud Cynosarges pueri exercebantur, qui nec à patre nec à matre ciuitatis ius habebant. Rauis. Antisthenes tamen philosophus in eo gymnasio docuisse dicitur, & hinc Cynicam sectam principium suum noménque cœpisse. Laert. libro sexto.

Fuit & POECILA porticus varia, nobilitata præter picturam Marathoniæ pugnæ, Zenonis Stoici conuentu: à qua porticu Stoici nomen inuenere. Canopum quoque Philostratus inuita Herodis Attici agnoscit pro gymnasio. Ex Rauis. offic.

HIPPARCHVS Pisistrati tyranni filius, Academiam ingenti muro circundedit. Vnde prouerbium τὸ ἱππάρχου τεῖχιον, de magnifico ædificio. Gyraldus in 3. Dial. primi tomi Hist. poet.

TARSENSES in Cilicia, tantum literis & philosophiæ tribuebant, vt Athenas, Alexandriam, aliásque Academias superarint. Strabo.

CATANENSIS schola celebris in Sicilia, in qua Stesichorus ingenij cultum cæpit. Vide tit. sub Bonis fortunæ, Ciues habere claros.

M. ANTONIVS Romanorum imperator, postquam Athenas venit, initiatúsque fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus, quorum in vrbe doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos constituit, ad omnium gentium vtilitatem, Xiphilinus in Antonio.

CHRISTIANI quoque statim post tempora Apostolorum scholas suas habuerunt. Alexandriæ præfuit Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, viri non in sacris tantùm, sed & profanis scientiis doctissimi: quos Catechistas vocabant, à præcipua & maximè necessaria parte institutionis. Basilius eam officinam pulcherrimam vniuersæ doctrinæ appellat. Ex qua prodierunt Eusebius Emisenus, Basilius, eiúsque frater Cæsarius.

ANTIOCHENAE Scholæ meminit Eusebius lib 7. cap. 29. cui Malchionem (qui Paulum Samosatenum hæreticum confutauit) præfuisse, & in ea Græcas literas professum esse scribit.

In Scholis PALAESTINAE Gregorius Nazianzenus rhetoricam se didicisse scribit.

ATHENIENSIS produxit Iulianum apostatam, Basilium & Gregorium Nazianzenum condiscipulos. Audiuerunt Numerium & Prohæresium, sophistas clarissimos.

BYZANTINA siue Constantinopolitana, aluit Basilium. Iulianum etiam apostatam illic erudiit Mardanius eunuchus. In ea denique schola octauo seculo post Christum erat Oecumenius doctor, & duodecim habebat collegas, quibus publicus victus dabatur. Erudiebant illi discipulos in sacris simul & philosophicis studiis, & Imperatores ex iis viros ad Remp. seligebāt. Sub Iustiniano, Theodosio, Leonib. Zonaras tomo 3.

Scholæ PLOTINIANAE Sopater philosophus nobilissimus sub Cōstantino, præfuit.

LAODICEAE Epiphanius Sophista præfuit, quam frequentauit Apollinarius.

NICOMEDIENSIS Lactantio clara fuit, qui rhetoricam ibi docuit. Sub Constantio Libanius sophista, Cōstantinopoli eiectus, eò quoque venit.

CAESARIENSEM scholam Cappadocum, Iulianus & Gallus fratres martyres frequentarunt: item Basilius Magnus & Nazianzenus. Ex Hist. Eccles. Magdeburg.

ROMANA quoque schola fuit, quamuis plerunque Athenis doctores peterentur, qui nobilium pueros erudirent. In Capitolio habebat tres Oratores, decem Grammaticos, quinque Dialecticos, Philosophum vnum, duos Iuris professores, in separatis auditoriis legentes.

In BRITANNIA, tempore Constantini, prope vrbem Legionum, quæ nunc Cæstria dicitur, nobilissimum fuit BANNOCHORENSE collegium, quod plus quàm duo millia Christianæ religionis studiosorum alebat. Per 350. annos floruit in Anglia. Verùm illud postea Congellus Bannochorensis ciuis, vir doctrina clarus, in monasterium Apostolici ordinis mutauit: & circa annum Christi 530. primus eius Abbas factus est. Ex quo cœnobio deinde tota Europa monasteriis repleta est, Balæo teste.

EDESSENA schola, Persica aliàs, à Zenone imperatore funditùs euersa, propter Nestorij hæresim, quā docebant. Theodorus Lector li. 2.

BONONIENSIS Academia à Theodosio iuniore instituta traditur à quibusdam.

CAROLVS Magnus Imp. Parisiensem scholam instituisse dicitur, anno 791. hac occasione. Ex Scotia in Galliā delati sunt Claudius, Ioannes, Rabanus & Alcuinus, omnes olim Bedæ discipuli: qui se nihil aliud præter bonas artes & sapientiam è patria exportasse profitebantur, eāque venalem se habere. Res ad Carolum defertur. Iussu eius vocantur: eidémque profitentur liberè, gratis etiam se edocturos, si modò eis locus & alimenta præstentur. Accepit rex cōditionem, eosque apud se retinuit. Hinc Parisiense gymnasium initium sumpsit. Tum verò non multo pòst Ioannes Ticinum missus: Claudius (cui nomen Clemens) Britannus genere, Parisiis manere iussus, Alcuini (qui postea Caroli Magni amicus & magister fuit) collega fuit. Rabanus Maurus Fuldensis, sextus Moguntinorum pontifex creatus est. Gyraldus Dialogo 5. Hist. poet. Carolus itaque Parisiensem scholam primus instituit, & in ea Aristotelem doceri voluit. Postea etiā Ticini in Italia, & Osnaburgi ac Reginoburgi in Germania. Polydorus lib. 4. & Auentinus lib. 3. & Crauzius in Metropoli lib. 1. cap. 2.

In MONASTERIIS olim Scholæ erant, non sacrarum tantum literarum, verumetiam profanarum, Carolus Magnus diligenter in eam curam incubuit, vt monachi & sacerdotes literis erudirentur.

FERDINANDVS Aragonius Neapoli Academiam instituit, & amplissimis salariis omnium disciplinarum professores fouit. Pontanus de Liberal. cap. 29.

PRÆCEPTORES PVBLICI.

Consule titulos Logicorum, Rhetorum, Poëtarum, ipsorum denique Grammaticorum, quorum professio erga alios semper dirigitur: quoniam docent artem loquendi, locutio autem cum alio necessariò est. Illud tamen hic quoque obseruandum, propter Theoricarum disciplinarum excellentiam, Ethicam philosophiam vnà cum Theoria vt plurimum tradi, vt iidem ferè sint & eruditionis & morum magistri.

THEOPHRASTVS Eresius Aristotelis discipulus summa frequentia docuit, adeò vt duo millia auditorum habuerit. Laert. lib. 5.

CALLIMACHVS poeta clarissimus literas publicè docuit, in Eleusini Alexandriæ vico: dein est in aulam regis receptus, in qua aliquādiu versatus est. Olymp. 125. Gyrald. Dial. 3 Hist. poet.

POLEMONEM Atheniensem philosophum tanto studio discipuli audiebānt, vt cùm in horto philosopharetur, discipuli paruis tuguriolis constructis prope scholam habitarent. Laert. lib. 2.

LYCON Troadensis, Stratonis Lampsaceni successor, per 42. annos scholam tenuit. Olymp. 127. Laert.

ATROMETVS literarum magister Athenis, Aeschinis oratoris summi pater: Plutarcho teste.

DIONYSIVS iunior tyrannus Syracusanus, regno per Dionem pulsus, Corinthum abiit: ibique in extrema paupertate constitutus, ludum literariū aperuit: tanta solitudine, vt Diogenes iocatus sit, eum cum Musis & Apolline duodecim habere discipulos.

VAL. Cato grammaticus & poeta, nobiles Rom. erudiit. Vide tit. Grammat.

Q. RHEMMIVS Palæmon Vincentinus, Romæ publicè docuit. Vide tit. Grammat.

P. AELIVS Pertinax Ligur, patre libertino natus, literis & calculo puer dedit operā: in Græcis in primis eruditus, Sulpitium Apollinarem audiuit, post quem Grammaticam publicè professus est. Exinde per diuersa officia ad imperium Romanum ascendit. Quomodo Nicolaus V. & ipse Ligur, ad Pontificatum peruenit. Gyraldus Dialog. 5. poet. hist.

BEDA Anglosaxo monachus, scholastici doctoris officio in Vuermuthensi cœnobio functus est vsque ad extremum spiritum: obiit anno Christi 734. ætatis suæ 72. Discipulos habuit celebres, Albinum, Ioannē, Claudium Clementem & Rabanum. Præferunt quidam eius scripta Gregorij Magni scriptis Vincentius lib. 23.

FLACCVS Albinus in schola Cantabrigiensi post BEDAM, & Eboraci professus est. Deinde in Galliam vocatus à Carolo Magno, cum literas humaniores docuit, anno 790. Sigebertus.

IOANNES Mailrosius Scotus, Bedæ discipulus, in Vuermuthēsi cœnobio, cum CLAVDIO Clemente populari suo Parisios venit, opera mercatorum quorundam Britannorū. Alij eos à Scotorum rege Achaio ad Carolum Magnum missos esse asserunt. Parisiis in forum publicum progressi, cùm alij merces venales exponerent, ipsi alta voce proclamarunt, se sapientiam venalem habere. Erat tunc apud Carolum Albinus, qui cum illis Bedam audiuerat. Is igitur regi persuadet, vt Scholam instituat, & scholæ illos præficiat. Paret rex, & sic prima Lutetianæ Academiæ fundamenta iaciuntur. Ioannes postea à Carolo Ticinum mittitur, vt ibi quoque Gymnasium instituat, anno Domini 792.

PRÆCEPTORES PRIVATI.

REGVM, IMPERATORVM.

ALEXANDRI Magni præceptor fuit Leonidas, vir seueris morib. Olympiadis propinquus. Pædagogus fuit Lysimachus Acarnan, qui se Phœnici, Alexandrum Achilli, Philippum Peleo conferebat. Tandem Aristoteli Stagiritæ in disciplinam traditus est à Philippo, & schola eis destinata Nymphæum apud Miezam, vbi hodie etiam sedilia Aristotelis saxea, & ambulationes opacæ demonstrantur. Plut. in Alexandro.

SAMMONICVS Serenus, Gordiani iunioris præceptor, cui bibliothecam suam testamento reliquit. Capitolinus.

FAB. Quintilianus à Domitiano Imp. sororis filiorum institutioni præfectus fuit. Gyraldus Dialogo 5. Hist. poet.

ARSENIVS, præceptor Theodosij Imp. filiorum. Vide tit. Eremitarū.

ALCVINVS

ALCVINVS, Caroli Magni magister. Vide tit. Scholarum.

FLACCVS Albinus, post Bedam & Adelmum, Anglorum omnium eruditissimus fuit, & in schola Cantabrigiensi post Bedam artes professus est. Ab Offa Merciorum rege ad Carolum Magnum pacis causa missus, à Carolo persuasus, Britanniam reliquit, & præceptor eius in Dialecticis, Rhetoricis & Astronomicis fuit. Plurima scripsit. Carolus eum in monasterio D. Martini Turonensis abbatem fecit. Hen. Erfordiensis cap. 69. & Vincentius lib. 23. cap. 173.

VIRORVM DOCTORVM

Consule tit. Grammaticorum, Rhetorum, Poetarum. Qui volet, ex professionis varietate distinguere poterit.

PRONOPIS Homeri, Agonas Zoroastris, Pherecydes Pythagoræ, Pythagoras Alcmæonis Crotoniatæ præceptor fuit.

THALES Milesius Anaximandri & Anaximenis Milesiorum: Anaximenes Anaxagoræ Clazomenij: Anaxagoras Archelai Milesij, Carneadis, Socratis, Euripidis: Archelaus Xenophanis, Xenophanes Parmenidis Eleatis.

PARMENIDES Melissi Samij, & Zenonis Eleatis: Zeno Leucippi Eleatis, Leucippus Democriti Abderitis, Democritus Protagoræ Abderitis.

SOCRATES Platonis, Xenophontis, Antisthenis, Æschinis, Atheniensium: Aristippi Cyrenaici, & Euclidis Megarensis.

ARISTIPPVS Cyrenaicorum princeps, Aretes filiæ, Ptolemæi Æthiopis, Antiopis, Antipatri Cyrenęi. ARETAE Aristippus filius μητροδίδακτος dictus: huius Theodorus ἄθεος.

STILPO Megarensis, Euclidis auditor, Menedemi Eretriensis, Drysis, Drysonis filij, Timonis Nicęi: Dryson Pyrronis Heliensis, Scepticorum patris.

PLATO Speusippi Atheniensis, Xenocratis Chalcedonij, Aristotelis Stagiritę, Dionis Syracusani, Heraclidis Pontici, Lasthenię Mantineę, Axiothęę Phliasię.

ARISTOTELES Theophrasti Eresij, & Menedemi Eretriensis Theophrastus Demetrij Phalerei, & Stratonis Lampsaceni. Strato Lyconis Troadensis. Xenocrates Epicuri Atheniensis.

ANTISTHENES Diogenis Sinopensis: Diogenes Monimi Syracusani, Cratenis Thebani. Crates Zenonis Cittiæi, Metroclis Maronitæ, eiúsque sororis Hiparchiæ, quam in vxorem duxit. Laertius.

ZENO Stoicorum princeps, Cleanthis Assij: Cleantes Chrysippi Solensis.

EPICVRVS Metrodori Atheniensis, Polyæni Lampsaceni, Leontei Lampsaceni, eiúsque vxoris Themistæ, Leontię Atticæ meretricis. Laertius.

CHRYSIPPVS Erasistrati, Asclepiades Themisonis, Pelops Galeni.

LAELIVS M. Varronis, Silo & Parthenius Græcus Vergilij, Orbilius Horatij, Palæmon & Fl. Virginius Persij.

VIRORVM IN REPVB. ILLVSTRIVM.

PERICLIS præceptor Damon fuit: qui cùm summus esset rhetor, vt suam eloquentiam populum celaret, Musicæ professione eam texit: Pericli autem, qui se ad certamina ciuilia accingebat, aliptæ loco & magistri fuit. Aristoteles tamen Pythoclidem ei in Rhetoricis tribuit. Auditor etiam fuit Zenonis Eleatæ, maximè verò Anaxagoræ Clazomenij, à quo philosophicam grauitatem hausit. Plut. in vita Periclis.

PHOCION dux clarissimus Atheniensium, adolescentulus Platoni, deinde etiam in Academia Xenocrati operam dedit, & à tenera statim ætate optimis quibúsque studiis incubuit. Plut. in eius vita.

M. TVL. Cicero Romę Philonem Academicum audiuit. In Græciam deinde metu Syllæ fugiens, Athenis Antiochum Ascalonitam Stoicum: deinde Xenoclem Adramyttenum, Dionysium Magnetem, ac Menippū Cari, in Asia: Rhodi Apollonium oratorem, philosophum Posidonium audiuit. Plut. in eius vita.

M. BRVTVS Cæsaris interfector, Antiochum Ascalonitam Academicum admiratus est, fratrémque eius Aristonem sibi contubernalem fecit. In Rhetoricis vsus est Empylo. Plut. in Bruto.

ARISTODEMVS, Pompeii magni filiorum.

LIVIVS Andronicus primus fabularum actor apud Latinos, præceptor Liuii Salinatoris filiorum, & ab eo manumissus. Vide tit. Comicorum Latinorum.

BIBLIOTHECÆ TAM PVBLICÆ QVÀM PRIVATÆ.

Cùm non semper viuos habeamus præceptores, aut certè non semper doctos & præclaros, Bibliothecę à regibus olim & locupletibus hominibus institutæ fuerunt, in quibus optimorum authorum libri reconderentur: & è quibus suo iterum tempore, tanquam è penu, depromi possent. Institutum verè regium, & antequam typographica ars inuenta esset, summopere necessarium, vt veterum scripta ab interitu, & disciplina ab obliuione vindicarentur, Itaque inter liberalitatis quoque præclara exempla connumerari possent.

Apud Persas SVSIANA bibliotheca admodum memorabilis fuit: quam Methasthenes Persa consuluit, cùm de iudicio temporum & annalium Persarum, post Berosum, scriberet, in qua Annales Persarum fuerunt. Testis est Methasthenes ipse in suis historiis.

PISISTRATVS tyrannus Bibliothecam primus Athenis publicauit, quam Xerxes vrbe potitus ad Persas transtulit. Eam deinde multis pòst annis Seleucus Nicanor referendam curauit. Homerus eius iussu, in eum qui nunc est ordinem redactus fuit. Quidam tamen hoc filio Hipparcho tribuunt. Gell. lib. 6. c. 17.

In CNIDO insula, vna ex Cycladibus, Bibliotheca fuit, quam Andreas Medicus, in eo quem de Medicinę origine conscripsit, libro, Hippocratis igne concrematam ex inuidia (contrariam enim Medicinæ sectam Cnidij tuebantur) scribit. Soranus in vita Hipocratis.

EVMENES Attali filius, munito Pergamo, nobilem Bibliothecam instituit, conquisitis vndique libris, supra ducenta millia, in hœdinis pellibus (quæ à loco postea Pergamenæ fuerunt dictæ) descriptis. Volat. lib. 13. Anthrop. ca. 4. & Alex. ab Alex. 2. ca. 30. Hanc postea M. Antonius Cleopatræ dono dedit. Plutar. in vita Antonii.

PTOLEMAEVS Philadelphus, rex Ægypti, Stratonis discipulus, maximis sumptibus vndique conquisitos libros ex autographis describi curauit. Gal. in 3. Epid. & primo de Nat. hum. refert, eum Atheniensibus annonæ penuria pressis non prius alimenta concessisse, quàm sibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis & Æschyli autographorum potestatem fecissent. Pro quibus tamen, præter vectigalium immunitatē, XV. talenta iisdem oppigneraüit: & eadem postea cum exscriptis exemplaribus illis dono dedit. Ab Eleazaro summo Iudæorum pontifice, 72. Hebraicæ legis interpretes impetrauit, qui apud Pharum Nili insulam in singulis casis singuli Biblia interpretati sunt, tanta Spiritus sancti virtute, vt in omnibus planè couenirent, & ne in minimo quidem verbo discreparēt. Itaque in 72. volumina digesta Biblia, in Alexandrina bibliotheca fuêre reposita. quæ, præter Hippocratis opera, cedrinis forulis inclusa, septingenta, siue, aut alii, ducenta millia librorum continebat, ex qua Xerxes & Mnemon Hippocratis interpretes, tertium Epidemiorum librum mutuati sunt, & commentariis illustrarunt. Bibliothecæ præfectus erat Demetrius Phalereus, vir doctissimus, Bello tandem Alexandrino, cum vrbs à Cæsare incensa esset, bibliotheca quoque ista deflagrauit. Tertullianus, & Iustinus Martyr. Eusebius de Hist. eccles. 5. Iosephus lib. 11. cap. 2. Zonaras.

ASINIVS Pollio, primus Romæ bibliothecam de manubiis dicauit, eámque doctissimorum virorum imaginibus vel veris, vel etiam fictis ornauit: eáque re Alexandrię & Pergami reges superasse visus est, & (vt Plin. li. 35. c. 2. inquit) ingenia hominum Remp. fecit. M. Varronis imaginem, quamuis adhuc viuentis, pro cumulo magnæ gloriæ posuisse fertur. Plin. lib. 7. c. 30. & lib. 36. ca. 2.

TYRANNION, Estiei Amyseni nobilis grammatici discipulus, clarus & diues per doctrinam factus, tria librorum millia possedit. Plut. in Sylla.

L. LVCVLLVS, inter alias splendoris & magnificentiæ laudes hanc quoque obtinuit, comparata numerosa & ornata bibliotheca, quæ cunctis pateret etiam peregrinis, quorum disputationes libenter audiebat. Plut. in eius vita.

OCTAVIA Augusti soror, & Marcelli vxor, præcipui nominis bibliothecam Romæ instituit magnis sumptibus & impensis: de qua Alex. lib. 4. cap. 25.

TRAIANVS Imperator Bibliothecam nobilissimam publicauit, quę Vlpia dicta est: in qua libris linteis gesta principum, ac elephantinis Senatusconsulta conscribi iussit. Volat. lib. 23. Anthrop.

C. PLINIVS Secundus, vir doctissimus, & in Repub. sub Traiano clarissimus, non Romæ tantùm, verùm etiam Nouocomi in municipio suo bibliothecam dedicauit, & annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicitus erogauit: tertiámque salarii partem publico præceptori obtulit. Io. Catanæus in eius vita. Eūdem postea locum Paulus Iouius, episcopus Nucerinus, bibliotheca noua illustrauit, & clarissimorum virorum imaginibus exornauit.

SAMMONICI Sereni bibliotheca fuit libris optimis referta, quam Gordiano iuniori testamento reliquit discipulo: in qua 62. millia voluminum fuisse memoratur: quæ bibliotheca Gordianum ad cœlum vsque euexit. Quippe tanta bibliothecæ copia & splendore donatus, in famam hominum literatorum peruenit. Iulius Capitolinus in Gordianorū vita.

TACITVS Imperator, Cor. Taciti viri consularis historiam de Romanis imperatoribus, non modò in omnibus bibliothecis iussit collocari: sed etiam edicto cauit, vt decies quotannis ad vsum publicum transcriberetur, atque in bibliothecis poneretur. Flauius Vopiscus.

ECCLESIIS statim post tempora Apostolorum, passim ingruentibus hæreticis, summæ curæ fuit catholicorum doctorum scripta & interpretationes Sacrarum literarum in bibliothecis (quas in templis habebant) reponere, vt cùm ab illis semper viua voce erudiri non possent, saltem literarum monumentis ab iis erudirentur. Itaque ALEXANDER episcopus Hierosolymitanus celeberrimus, ordine 35. nobilē bibliothecam Hierosolymis instituit, in quam virorum Ecclesiasticorum scripta reposuit. Berylli, Hippolyti, Caii, & aliorum, quibus se adiutum in scribenda historia Ecclesiastica testatur Eusebius lib. 6. cap. 21. Is martyr sub Decio in carcere obiit.

PAMPHILVS Laodicenus, presbyter sub Eusebio, Cæsareæ in Palæstina, magno studio construxit bibliothecā Cęsariensem, ad triginta millia voluminum: & sua quoque manu maximam partem librorum Orige-

nis descripsit, quos se thesauri instar colere Eusebius asseruit. Multos codices subinde præparabat, vt cùm necessitas posceret, volentibus largiretur. Eusebius lib.3.& Hieronymus de Viris illust.

CONSTANTINVS Magnus imp. cum superiores Imp. sacros libros plurimos exussissent, maximis impensis bibliothecas restaurari curauit. Socrates lib.1.cap.9.

ALEXANDRINA bibliotheca optimis libris referta fuit. Ariani tamen libros Ecclesiæ ereptos combusserunt. Athanasius de Persecutione, ad Orthodoxos.

In templo ANTIOCHIAE, quod Traiano olim dicatum fuerat, nobilis fuit bibliotheca. Quam Iouinianus ex instigatione vxoris, faces subiicientibus concubinis, incendi iussit.

ESCICIVS Gregorij Nazianzeni discipulus, bibliothecam Origenis & Pamphili martyris Cæsareæ, longo tempore corruptam, multo labore restituit. Obiit sub Theodosio. Bergomensis lib.9.

HIPPONENSIS bibliothecæ meminit Augustinus, & in ea opusculum Hieronymi de Hæresibus non reperiri conqueritur, in libr. de Hæreticis, cap.88.

CONSTANTINOPOLI in basilica Hilarij duplex fuit bibliotheca, teste Platina, & Sabellico Enneadis 8.lib.2. In ea 120 millia librorum reposita fuisse, & intestinum draconis 120 pedum longitudine, in quo aureis literis Homeri Ilias & Odyssea inscripta fuerint, testatur Zonaras tomo tertio. Conflagrauit sub Zenone Imp.

HILARIVS episcopus Rom. duas in baptisterio Lateranensi bibliothecas fecit: in quibus Gelasij libros contra Nestorium & Euthychen custodiri, testatur liber Pontificalis.

THEODOSIVS iunior Imp. omni virtutum genere excellens, in instituenda bibliotheca sacrorum librorum non inferior fuit AEgyptiis regibus.

ACCA episcopus Hagustaldensis in Anglia, historias martyrum cum cæteris libris Ecclesiasticis congregans, amplissimam bibliothecam instruxit. obiit anno Christi 740. Beda lib.5.cap.12. Angliæ historiæ.

NICOLAVS, v. Pont. Max. natione Lunēsis, ex oppido Sarrazano Imperatore Friderico tertio regnāte, bibliothecā Vaticanā instituit, missis vndique doctis viris cōparādorum librorū gratia. Volat. lib.22. Anthrop. Eā Callistus eius successor paucis diebus dissipauit. Pōt. ca.12. de Magnif.

BESSARION Græcus, ecclesiæ Romanæ cardinalis, Nicenus, & patriarcha Constantinopolitanus, fundauit Venetiis insignem bibliothecam, ad diuum Marcum (vnde & Marciana vulgò dicitur) multis libris tam Græcis quàm Latinis ornatissimam, cui præfectus fuit non paruo stipendio M. Antonius Sabellicus. Tritemius in eius vita.

ALFONSVS Aragonum rex & Siciliæ, doctissimus, in bibliotheca extruenda maximè sollicitus fuit. A Cosmo Medice Florentinorum principe, quāuis hoste, Liuij Decades dono accepit. Quas cum euolueret, Medicis prohibentibus, ne fortè veneno infectæ essent: O stulti, respondit, an nescitis, Regum animas sub Dei opt. max. tutela esse? Cum arcem Neapolitanam instaurare decreuisset, Vitruuij de Architectura librum afferri ad se iussit. Verum cum sine ornatu, sinéque asseribus allatus esset: Non decere, inquit, hunc potissimum librum, qui nos quomodo contegamur, tam bellè doceat, detectum incedere: Librum igitur egregiè ad vsum parari mādauit, & omnibus semper ædificiis adhibuit. Panorm. li.1.

IDEM, cum aliquando de iactura rerum preciosarum sermo haberetur, persanctè affirmasse dicitur, Malle se gemmas, vniones, margaritas suas, quæ quidem essent in toto orbe celeberrimæ & preciosissimæ, quàm libros qualescunque perditum iri. Panormit. libro 4. de rebus gestis Alphonsi.

MATTHIAS Coruinus rex Vngariæ, Budæ bibliothecam magnificā & locupletem instruxit: dignus profectò, cuius virtutes Homeri carmine decentarentur. Capta Buda, à Turcis dissipata est.

IOANNES Picus Mirandula, eruditissimus vir, septem in comparandis libris aureorum nummum millia exposuit. Guido.

FRANCISCVS I. Galliæ rex, non minus literis quàm armis clarus, Parisiis apud S. Victorem, & in arce Fontanablio bibliothecas instituit, quas conquisitis vndique ex media Græcia & Arabia libris lustrauit: & Guil. Postellum suis sumptibus diu eam ob rem in Oriente aluit.

FVGGERI nostra ætate inter reliquas Magnificentiæ laudes hanc primam habuere, quòd non modò (vt multi) in optimorum authorum voluminibus maximo sumptu vndique conquirendis laborarunt, verum etiam summa liberalitate in Reip. Christianæ vtilitatem eosdem typis excudi curauerunt.

BIBLIOTHECIS PRAEFECTI.

DEMETRIVS Phalereus, vir doctissimus, à Philadelpho Alexandrinæ bibliothecæ præfectus est.

Apollonius Alexandrinus poeta, qui argonautica scripsit, Alexādrinæ bibliothecæ præfectus fuit, post Eratosthenē. Gyraldus Dial 3. hist. poet.

ZENODOTVS Ephesius, criticus, insignis poeta, Philadelphi bibliothecæ præfuit, eiúsque filios instituit. Primus Homeri libros in ordinem redegit. Gyral. Dial. 3. hist. poet.

EVPHORION Chalcidicus poeta Elegiographus, in Syria apud Antiochum regem bibliothecæ præfectus fuit, & Antiochiæ vel Apameę sepultus. Claruit 125. Olympiade. Gyraldus Dial. 3. hist. poet.

PALATINAE apud Romanos bibliothecæ C. Iulius Cæsar præfecit M. Varronem: eiúsque imaginem adhuc viuentis ibi collocari voluit: vt Græcos & Latinos codices in ordinem digereret. Quam postea prouinciam Cæsar Augustus, mortuo Lepido designatus Pontifex, suscepit: qui inter libros, præcipuè fatidicos vtriúsque linguæ, delectum acerrimum habuit: & eorum qui minus probarentur, duo millia combussit: solos Sibyllinos quosdam retinuit, quos in duobus deauratis forulis sub Palatini Apollinis basi recondidit. Suetonius & Liuius.

C. IVLIVS Hyginus, Augusti libertus, Palatinę bibliothecæ præfuit. Vide tit. Grammaticorum.

C. MELISSVS Spotelanus, præfectus ordinandarum bibliothecarū in Octauiæ porticu. Vide tit. Comicorum & Grammaticorum.

ALBINVS Flaccus Eboracensi bibliothecæ in Anglia primus præfuit. Postea Caroli Magni præceptor factus est. Balęus.

PLATINA, vir suo tēpore doctissimus, à Paulo II. Pōt. Maximo crudelissimo aliquādiu in vinculis habitus, de cōiuratione falsò accusatus: tandē à Sixto IIII. qui Paulo successit, fortunis suis restitutus, & Bibliothecæ pręfectus fuit Vaticanæ. Cui Bartholomęus Aristophilus successit.

M. ANTONIVS Sabellicus annuo stipendio Bibliothecæ D. Marci Venętiis præfectus fuit.

PRAECEPTORES MVTI.

HVC omne genus scriptorum referre licet. De quibus ex professo proprium commētarium, Bibliothecæ nomine inscriptum CONRADVS GESNERVS, *philosophus & medicus clarissimus, ante aliquot annos edidit: eundémque Lycosthenes magna cum accessione in Epitomē redegit. Inde ergo, qui volet, authorum nomina petere poterit. Nos in sequentibus locis interdum scriptores referemus, non eo nomine quod scripserint, sed quod hanc vel illam artem sint professi. Vt autem præceptores viui* ἀκρόασιν *ab auditore seu discipulo requirunt, ita muti* ἀνάγνωσιν *à lectore. Scribimus indocti doctique poemata passim, inquit ille. Itaque non tam de librorum copia, quàm de bonorum librorum delectu, & diligenti eorundem lectione, in tanta scripturientum frequentia, solliciti esse debemus. Sequamur Aristotelicum illud: Non Chœrilum sed Homerum amplectamur. & iuxta Hesiodi præceptum, bene monenti pareamus. Rectè enim Lyricus noster: Inter cuncta leges atque imitabere doctos. Qualis rerū lectio, talis legentiū profectus: neque tam multa legēda sunt, quàm vtilia. Proinde non de Scriptoribus in præsentia agemus, sed de eorundem lectione tantùm: in primis quidem de delectu, mox de profectu lectionis. Assiduitatem lectionis inter Naturæ adiumenta superiore loco retulimus.*

LECTIONIS DELECTVS. QVI AVthores sint legendi.

Si finem spectes, ad præsentem locum titulus iste referendus erit: sin verò efficientem, hoc est, eos qui delectu isto vtuntur, ad exercitationis locos pertinebit, vbi de iudicio recto in Theoricis agitur.

EXEMPLA SACRA.

Nullum librum tam malum esse, Plinius inquit, qui non aliquid boni doceat. At quid, si plura mala quàm bona? Iudicio summo opus est, vt bona à malis secernantur & distinguantur: & proinde etiam cautio summa est adhibenda. Præstat igitur, optimos quosque magno cum fructu legere & imitari, absque periculo: quàm in malis authoribus & operam & oleum perdere. Eo igitur consilio vsi PATRES sancti, multa Euangelia, quæ sub nomine Apostolorum, Matthiæ, Bartholomæi, Thomæ circumferebantur, Petri quoque cum Appione disputationē, Barnabæ epistolā, Acta quorundā Apostolorū, publico edicto cōbusserunt: quòd vel hæreticorum essent scripta, vel certè ab illis multis in locis corrupta. Eusebij pariter, Origenis & Lactantij, Clementis itidem scripta examinarunt, & multa in illis supposititia inuenerunt. Eos quoque libros qui Hippolyti martyris nomine circumferebantur, supposititios esse iudicarunt. Fulgosius lib.1.cap.1.

Diuus HIERONYMVS, Roma relicta Hierosolymam petiit: Gentilium nihilominus libros, præcipuè Ciceronis, auidius legens. Visus igitur est sibi per quietem ad superni iudicis tribunal in cœlum trahi, accusari, verberibus affici, quòd Ciceronianus esset, non Christianus. Verùm cum iuramento dimissus, ne vnquam posthac alios præterquàm diuinos codices præ manibus haberet, tanto deinceps studio legit diuina, quanto antè mortalia non legerat. Itaque latentium sub velamento mysteriorum dulcore iam tandem plenius hausto, exclamauit dicens: Quæ pars fideli cum infideli? quæ communicatio luci ad tenebras? quis consensus Christo cum Belial? Quid facit cum Psalterio Horatius? cum Euangeliis Maro? cum Apostolo Cicero? Demum ait: Non debemus bibere simul calicem Christi, & calicem dæmoniorum. Eadem sentire si quem non mouet admonentis auctoritas, moueant saltem patientis flagella, quę ille experrectus, cùm & vibices in corpore apparerent, & discedente somno dolor non discederet, intellexit non soporis fuisse, sed punitionis. Marul. lib.2.cap.5. Sab. lib.2.cap.7.

IDEM ad Furiam viduam scribens: Post Scripturas sanctas, inquit, doctorum hominum tractatus lege, eorum dūtaxat quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere: multis margaritis diuendītis vnam redime margaritam. Ibidem.

D. AVRELIVM Augustinum Virgiliana lectione adeò delectatum esse,

esse, memorię proditum est, vt librum Æneidos quartum absque lachrymis legere nōn potuerit: quum sciret, totum argumentum de amore & morte Didonis reginæ à poeta confictum. Iacobus Spiegelius in Commentariis Panormitæ, de rebus gestis Alphonsi lib.1.cap.32.

IDEM dum inter Dialecticorum sophismata Christum quæreret, hæresi se implicauerat Manichæorum. Tandem Pauli apostoli epistolas euoluens, reperit scriptum: Induimini Dominum Iesum Christum. Ac statim discussis erroris tenebris, aspicere cœpit lucem veritatis. Consuluitque Ambrosium episcopum, quid primùm in sacris legere deberet, quo confidentius catholicæ fidei posset adhærere. Et audiuit Esaiam sibi legendum esse, vtpote qui ea quæ Christo contigissent, explicatius prophetarit: & gentium vocationem annis multis pòst futuram, quasi præsentem viderit. Denique ab Ambrosio baptizatus, diuinos codices perlegendo, non solùm fidelis, sed etiam ecclesiæ doctor præstātissimus euasit: cuius paulo antè, dum seculari tantùm sciētiæ studeret, fuerat oppugnator. Contra ecclesiam cum Manichæo consurrexerat: pro ea mox decertans, & ipsum & reliquos omnes hæreticos facilè conuicit. Scripturas igitur catholicas legant, qui puræ syncerǽque veritatis luce cupiunt illustrari, dicente Propheta: Lucerna pedibus meis, Domine, verbum tuum, & lumen semitis meis. Marul. lib.2.cap.5. Sab. lib.2.cap.7.

EXEMPLA PROFANA.

ALCIBIADIS in Musica arte delectum pete ex tit. Iudicij recti in Theoricis.

ARCESILAVS Pitanæus ex Æolide, Homerum omnibus præferebat, eumque amasium suum vocabat, noctu semper & summo mane aliquid in eo legens. Pindarum dicebat imprimis idoneum esse ad verborum nominúmque copiam comparandam. Laert. lib.4.

ARISTIPPVS cuidam iactāti se, quòd esset πολυμαθής, hoc est, multiplicis eruditionis, quasi nihil non didicisset: Quemadmodum, inquit, non hi qui plurimum edunt, excernuntque, melius valent his qui sumūt quantum opus est: ita non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, studiosi & eruditi sunt habendi. Grauiter taxauit eos, qui tumultuaria immodicaq; lectione semet ingurgitant: nec ea quæ legunt, transferunt in animum, sed tantum reponūt in memoria. quare nec doctiores euadunt, nec meliores. Laert. lib.2.cap.8.

CLAVDIVS Cæsar, Latinè & Græcè peritissimus, ita Homerica lectione delectatus est, vt totum eius poema fermè edidicerit, semper pro loco & ratione eius dulcissima ac diuinitatis plena carmina in medium proferens. Volat. lib.23.

TIBERIVS princeps tanti Parthenium vatem, Arianum & Euphorionem fecit, vt trium poetarum carmina, & imagines inter vetusta & illustria vatum monumēta, omnibus bibliothecis religiosè propemodum dicarit. Quos nisi frequenter legisset, nunquam tam impensè laudasset. Sab. lib.2.cap.7.

ALEXANDER Mammææ F. Imp. doctissimus, Platonis præcipuè libros, & Ciceronis Officia legebat. Ex poetis Serenum Sammonicum, quem nouerat & dilexerat: Horatium & Athenæum. Vergilium maximè, quem poetarum Platonem appellare solebat. Gyraldus Dialogo 5. Hist. poet.

LECTIONIS PROFECTVS. ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΙ.

ΑΥΤΟΔΙΔΑΤΟΥΣ *Græci vocant eos, qui absque vlla disciplina erudiuntur. Atque id rursus vel per se, sola mentis agitatione & contemplatione essent: vel ope & subsidio librorum. In illis certè ingenij diuinitatem quādam inesse oportet, & propterea ad Inuentores quodammodo referendi: Inuentio enim duplex est. alij id quod nondum inuentum erat, inueniunt: alij verò, id quod inuentum erat ab aliis, ipsi quoque à nemine admoniti inueniunt (quorum exempla quædam sub tit. Contemplationis afferentur.) Nihil enim prohibet, res easdem à diuersis inueniri, sic artem Typographicam & tormentariam à Germanis non ita pridem inuentas, ante multos annos apud Themistanos floruisse, testantur historiæ Noui orbis. At qui ope mutorum magistrorum discunt, quamuis & ipsi bonitate ingenij nitantur, minori tamen admiratione digni sunt, & ad hunc locum propriè pertinent. Priores ergo illi propriè & simpliciter* αὐτοδίδακτοι *sunt appellandi: posteriores, respectu tantùm præceptorum viua voce docentium, quibus caruerunt. Et de his quidem in præsentia agemus.*

HERACLITVS philosophus insignis, licet (vt Suidas ait) nullum habuerit præceptorem: eò tamen assiduo studio & industria peruenit, vt inter primos philosophos numerari possit. Volat. lib.15. Anthrop. & Philelphus.

ARISTEAS Proconnesius nullo magistro vsus. Vide tit. Prudentia in comparanda authoritate.

ÆSCHINES Demosthenis æmulus, cùm in iudiciis scribæ munere fungeretur, nullo docente, in tantam eloquētiæ existimationem euasisse dicitur. Gyraldus Dialogo septimo, Hist. poet.

EPICVRVS seipsum habuit magistrum. Itaque mirum non est, cum in quo tam miraculosi eruditionis fomites fuerunt, tam plausibiles disputationes sustentasse. Author Petrarcha.

PHERECYDES Syrus, tempore Halyattis Lydorum regis, ardenti studio bonarum artium disciplinis operam dedit, & absque vllo præceptore tantum eruditionis adsecutus est, vt non inter postremos præceptorum Pythagoræ relatus sit. Suidas.

MANILIVS Senator Romanus, vir ingenio diuino, & moribus supra hominem, factus est nullo præceptore doctissimus: qui de Phœnicis auis vita & morte primus scripsit. Plin. lib.10.cap.1.

P. VERGILIVS Maro, si Petrarchæ credimus, nullum ex hominibus præceptorem habuisse legitur: verosimilius est, illum in bicipiti (vt Satyricus inquit) Parnasio somniantem, tam diuinum omnigenæ scientiæ, imprimis verò poeticæ spiritum hausisse. Viuos fortasse non habuit, quorum ope ad tantum eruditionis fastigium peruenerit: at mutos plurimos, quos imitatus est, vt Macrobius lib.5.& 6. Saturn. testatur.

APVLEIVS Madaurensis nullius disciplina vsus, tantus quantum scripta eius testantur, asinus factus est, ita vt aurei cognomen meritò tulerit.

D. AVGVSTINVS semetipsum in secūda pueritia (anno scilicet ætatis duodecimo) legisse & intellexisse Logicos & Rhetoricos Aristotelis libros, testatur, lib.4. Confessionum.

DIDYMVS Alexandrinus, præsul Cæsariensis, captus oculis à puero adeò omnibus admirationi fuit, vt Dialecticam & Geometriam, quę vel maximo visu indiget, perfectè didicerit. Volat. lib.15. Anthrop.

IOANNES Dominici, patria Florentinus, cardinalis Ragusinus, annorum xviij. ordinem ingressus, literarum penitùs ignarus, adeò profecit assiduo studio, vt more Augustini per se omnes ferè disciplinas comprehenderit: vt ipse in quodam libro ad Colutium testatur, & Volater. lib. vigesimo primo Anthrop.

EDVCATIO SVB PARENTIBVS IN VIRTVTIBVS *Theoricis vitiosa.*

Homerus in Odyssea TELEMACHVM introducit stolidum & imperitum, quòd sub matre Penelope educatus esset, patre Vlysse variis interim erroribus per vniuersum orbem iactato.

MAMMACVTHVS in prouerbium abijt, pro stupido & fatuo homine. Aristarchus id nomen ait fictum per onomatopœiam. Demetrius putauit familiare nomen esse, quo fabula sit integra conscripta, quam Aristophanis quidam, plures Platonis comici esse existimant. Didymus Mammacuthum, vt & Mammotreptum, dici vult, quasi à mammis nutritum. quod Hesiodus exprimit, vbi inquit:

ἀλλ' ἕκατον μὲν παῖς ἔτι παρὰ μητέρι κεδνῇ.
ἔτρεφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Matres enim filios molliter educant vt plurimùm, & voluptati potius quàm virtuti assuefaciunt. Erit ergo Mammacuthus, à matre educatus: quod Germani nostri dicunt, Einmuoter kind.

Diogenes Sinopensis multis verbis in inertiam & inscitiam MEGARENSIVM inuehebatur: dicebátque se Megarensis alicuius arietem esse malle, quàm filium. Quo significabat, Megarenses pecoris diligentiorem curam gerere, quàm liberorum. Aelian. lib.12. Var. hist.

GYMNASIA ET SCHOLÆ DELETÆ, NEGLEctæ, abrogatæ.

CVM maris imperium tenerent Mitylenenses, sociis qui desciuerāt, hanc pœnam imposuerunt, vt liberos suos non docerent literas, neque artes liberales. Omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes, si in inscitia & ignorantia artium liberalium vitam transigere cogerentur. Aelianus lib.7. de Var. hist.

IVLIANVS Imp. Apostata cùm Christianos in Ethnicis disciplinis eruditos, plurimùm superstitioni Gentilium officere cerneret, edicto cauit, ne pueri Christianorum vllo philosophiæ genere amplius erudirentur: hac ratione sperans fore, vt idiotæ permanerent, eoque facilius ad idololatriam deficerent.

HABDALLAS Mahumetanus Syriæ tyrannus, sub Absimaro, Christianos sub suo principatu degentes, literas discere prohibuit. Paulus Diaconus libro vigesimosecundo.

DOCTI HOMINES QVI PRÆCEPTORVM LOCO COLENDI *erant, in nullo habiti precio, neglecti, expulsi, trucidati, solius eruditionis causa.*

Consule titulum sub loco Iniustitiæ, Literarum & disciplinarum contemptores. Illic enim eius habetur ratio, quòd id quod tribuere debebant, non tribuunt: hîc verò odij literarum, quod ex sola prouenit ignorantia. Nanque vt trito circumfertur prouerbio, Scientia non habet inimicum præterquam ignorantem.

LACEDAEMONII literas quidem discebant ad vsum, cæteras verò disciplinas exoticas eiiciebant: nec minus homines harum professores, quàm ipsos libros. Hæc autem erat illorum eruditio: bene parere magistratibus, patientem esse laborum, & in prælio aut vincere, aut mori. Hoc animo fuerunt olim & Romanorum quidam, qui philosophos Græcos vrbe expulere, quòd curiosis disciplinis auerterent iuuentutem ad ocium & ignauiam: redderentque ad disserendum quidem instructos, ad agenda verò Reipub. munia inutiles. Plut. in Lacon.

DOMITIANVS Hermogenem Tharsensem ob quasdam figuras in historia occidit, librariis qui eam descripserant cruci affixis. Metium Pomposianum, quòd vniuersi orbis picturam haberet, & Liuianas historias euolueret: Maternum sophistam, quòd exercitij causa aliquid in tyrannos dixisset: Rusticum Arulenum, quòd philosopharetur: Philosophos omnes vrbe Italiáque summouit. Suetonius, & Dion.

LIBERTVS Regius repentinis opibus inflatus, philosophos aliquot ad cœnam inuitauerat. Qui cùm de rebus variis ex more dissererent, & quæstiones eorum non intelligenti perridiculæ viderentur, alludens libertus: Immò agite, inquit, ô conuiuæ, dicite mihi quid causæ est, quòd ex albis nigrisque fabis non nisi vnius coloris efficitur pulmētum? Tangit & modestos animos indignitas. igitur arridens vnus ex philosophis, non passus has ineptias: Quin tu nobis edissere, inquit, cur de albis & nigris flagris vniformes maculæ resultant? satis mordaciter, præteritæ seruitutis eum admonuit. Petrarcha.

LIBRI ET MONVMENTA DOCTORVM VIRORVM *neglecta, perdita. Bibliothecæ vastatæ.*

Consule tit. Æmulationis in Theoricis. Boni enim bonis non inuident, neque verè docti doctis.

C. CALIGVLA Imperator impurissimus, de abolendis Vergilij carminibus cogitabat: non alia ratione, quàm inuidia ductus tantæ gloriæ.

VATICANA Rom. Pontificum bibliotheca, optimis authoribus instructissima, sub Clemente VII. à militibus Germanis & Hispanis incensa deflagrauit.

EDVCATIO SVB PRÆCEPTORIBVS IN THEORICIS MALA. PRÆCEPTORES *mali, stupidi, indocti.*

LINVS Herculem fidibus canere docuit: verùm quia eundem rusticis canentem acerbius reprehendit, Hercules reprehensionis impatiēs, plectro percussum præceptorem interfecit. Pessimè quidem Hercules egit, imprudenter tamen & Linus, cùm quædam ingenia nimis, quædam blandis verbis instituenda sint. Ælianus lib. 3. Var. hist.

Alcibiades Homerum valde admiratus est, & in precio habuit. Proinde cùm aliquando in ludum literarium venisset, Iliadem petiit: cúmque LVDIMAGISTER se nihili Homeri habere affirmaret, inflixit ei pugnum satis durum: atque eum imperitum esse, & similes sui pueros efficere dixit. lib. 13. Var. hist. Ex quo loco colligat quis, etiam apud Græcos Grammaticæ vsum fuisse, & in literis prius (vt & in Polit. 8. docet Arist.) quàm in Mathematicis disciplinis pueros fuisse institutos.

ORBILIVS Beneuentanus, grammaticus plagosus admodum & asper fuit, in cædendo simul ac reprehendēdo. Vnde etiam Domitius Marsus: Si quos Orbilius ferula scuticáque cecīdit. Ingenia liberalia humanitate & gloriæ stimulis accenduntur, plagis & verberibus corrumpuntur & induresunt. Vide tit. Grammat..

RHEMMIVS Palæmon, grammaticus impurissimus. Vide tit. Grammaticorum.

EXERCITATIONIS SVBSIDIA & adiumenta.

Exercitatio naturæ lumen confirmat, artis adiumenta dirigit atque perficit: Studium tamen & laborem maximum requirit. Nos in præsentia de Exercitatione theorica tantùm agemus: quæ duplex est. Altera quidem, sola mentis occulta tacitaque agitatione, καὶ ἐνδιαθέτῳ λόγῳ perficitur, & contemplatio siue θεωρία (ἀπὸ τῆς θείας ὁράσεως) nuncupatur: altera verò in opus prodit, & vel viua voce, vel scriptis studium & industriam suam patefacit, quæ respectu prioris Actiua quodammodo dici posset. Habet enim Theoria quoque suam actionem, vt in 7. Polit. cap. 3. Arist. docet. De contemplatione, priore loco agemus: postea Theoricam actionem in genere simul & in specie declarabimus.

CONTEMPLATIONI DEDITI.

Contemplatio siue Meditatio (deducto etymo à Græco vocabulo μῆδος, quod abstrusa & diuina consilia plerunque significat) à Platone Mors philosophica appellatur, in philosophia humana excellens, in diuina verò excellentißima. Per hanc enim ad deorum immortalium naturam propius accedere videmur. Summum hæc vitæ humanæ bonum est, atque etiam (si dicere fas est) diuinæ. Nam si beatæ mētes in Deo opt. max. omnium rerum ideas perfectißimè facie ad faciem cognoscent, quas hic in ænigmate solùm intuentur: verisimile profectò est, summam quoque felicitatis nostræ perfectionem in summa & extrema omnium rerum cognitione futuram. Eam nanque ob rem æterna Dei sapientia humanam naturam induere voluit, vt nos miseros mortales, qui culpa primi parentis à summi boni cognitione deciderant, in integrum restitueret. Vt autem contemplatio Theoricæ vitæ exercitacio est, practicæ verò actio: ita etiam contemplationi solitudo, actioni verò conuersatio hominum conducit. Solitaria itaque vita & contemplatio non aliter inter se differunt, quàm quòd solitariæ vitæ veluti effectus est ipsa contemplatio, seu potius fructus. Cæterùm, quia solitariæ vitæ interdum contemplatio siue religiosa, siue profana proposita est, interdum actionis quies, vt hominum consortio euitato, pauciores quoque peccandi occasiones habeat: eapropter earum exempla, qui solitariam vitam religionis ergô amplexi sunt, siue Eremitæ & Anachoretæ, siue Monachi fuerint, infrà sub loco Religiosæ iusticiæ expediemus. Hic tantum de ijs, qui contemplationem tanquam perfectißimam τοῦ βίου θεωρητικοῦ exercitationem prosecuti sunt, agemus: siue perpetuò solitudinem amarint: siue tunc tantùm, quando contemplationi incubuerunt, sese abdiderint, Titulumque istum religiosis primùm, ex Marulo præsertim, deinde etiam Ethicis exemplis illustrabimus. Fides singulorum sit penes authores.

EXEMPLA SACRA.

MOSES Hebræorum legislator, oues in monte Sina pascebat, & iugi atque assidua meditatione diuinorum colloquiorum particeps factus est adeò vt cum Domino facie ad faciem loqueretur.

SAMVEL solus in templo Domini recubans, à Domino ad ministerium vocatus fuit. 1. Reg. 3.

DAVID rex in spiritu videt ea, quæ in carne Saluatori nostro contigerant, postquam à frequentia hominum se subtraxisset. Psal. 54.

DANIEL noctu contemplationi & orationi vacans, propheticum hausit spiritum, Dan. 2.

PROPHETÆ denique omnes in vniuersum vel in ipsa solitudine orantes, Deique legem meditantes, ad munus hoc amplissimum vocati sunt: vel certè ex media hominum turba in solitudinem à spiritu sunt rapti, vt contemplationibus absque impedimento vacare possent.

IESVS Christus Dei filius, interdiu in templo turbas docebat, noctu monte Olìueti conscenso contemplabatur. Discamus igitur Domini exemplo, locum, modum, tempúsque seruare, vt & proximi vtilitati inseruiamus, & à theoria interim non distrahamur. Quandoquidem Christus ipse Marthæ quidem curam & industriam laudat, at Mariæ feruorē præfert. Lucæ decimo.

SAVLVS in itinere fulmine tactus, visum amisit. Oculorum vsu priuatus, reuelationes mirandas habuit: & mentis oculis ea vidit, quæ oculis corporeis nunquam assequi potuisset Act. 9.

IDEM postea in Apostolatu confirmatus, raptus est vsque ad tertium cœlum, vtrum in corpore an extra corpus, nescit, Deus scit: audiuit arcana verba, quę non licet homini loqui. Hinc demùm in illam prorupit vocem: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula, amen. Marul. lib. 2. cap. 4.

De SIMONE Petro in Actis Apostolorum traditum legimus, quòd cum in cœnaculum circa horam sextam oratum ascendisset, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cœlum apertum, & inde vas quatuor initiis submitti, immundis animalibus plenum, sed quæ à Deo mundata dicerentur. Ex quo significatum est gentiles quoque, qui planè immundi errorum inquinatione erant, per fidem Euangelicæ veritatis mundandos, & ecclesiæ gremio excipiendos esse, sicuti & Iudæos. Quoniam non est, inquit, personarum acceptor Deus: sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Marul. lib. 2. cap. 4.

IOANNES apostolus: Fui, inquit, in spiritu, Dominica die, & audiui & vidi. ea vtique quæ in Apocalypsi commemorat. Quorum præstantiam diuus Hieronymus admiratus, ait: Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. Ibidem.

ANTONIVS Abbas dum seculi voluptatum malignas illectationes secum consideraret, totum terrarum orbem laqueis refertum vidisse dicitur. Quæ res nónne apertè nobis indicat, in quantis versemur vitæ periculis, qui quotidie inter mortiferarum cupiditatum, tam multiplices pedicas vestigia figimus. Quòd si iis nolumus implicari, meditanda sunt cœlestia, relinquenda terrena: contemplationis alis ad superna euolandum, inferiora dimittenda atque contemnenda. Qui sic agunt, securi sunt. Et de illis in Prouerbiis dicitur: Frustra iacitur rete ante oculos pēnatorum. Ibidem.

AVGVSTINVS Hipponensis episcopus, philosophiæ Christianæ assertor egregius, dum sanctę Trinitatis mysteriū solus in cubiculo sedens contemplatur, ita à seipso abscesserat, vt à muliere quæ illum quadam de re consulere vehementer cupiebat, sæpius interpellatus nihil responderet, imò ne respiceret quidem: mulier denique quia se contēptam putauit, abiit tristis. Postero autem die cùm eum in ecclesia audiret, in spiritu rapta vidit de Trinitate disputantem: atque audiuit, iccirco se illum die hesterno frustra quidem adisse, quòd eiusmodi meditatione occupatus, ipsam neque videre, neque omnino sentire potuisset, ac proinde ne redire dubitaret. Rediit, & quod petierat consilium sine cunctatione accepit. Quid igitur mirum, si tam copiosè, tamque argutè de Trinitate scripserit, qui mente sic abstracta, Trinitatis sacramentum fuerat contemplatus: sed nec contemplando tantū apprehēdisset, nisi vt apprehenderet piè prius ac iustè viuendo dignus euasisset. Vitæ sanctitate aditum sibi cōparet, qui vult contemplatione proficere. Scriptum est enim: Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam & scientiam & lætitiam. Marul. lib. 2. cap. 4. & Sab. libro 2. capite sexto.

HIERONYMVS spiritalis contemplationis ingentem & ineffabilem hausit dulcedinem in eremo. In eo quippe libro, quem de Virginitate seruāda edidit: Post multas, inquit, lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, & lętus gaudensque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Et ad virgines Deo dicatas scribens, ait: Experto itaque seni deuotè consulenti, credite filiæ, si semel gustatis quàm dulcis est Dominus, ad quem accedentes, lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, poteritis ab eo illud audire: Venite, & ostendam vobis omne bonum: & tunc ostendet vobis talia, qualia non nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor, charissimæ. Nam vt meam insipientiam loquar, ego homūculus sic abiectus, sic vilis in domo Domini, adhuc viuens in corpore, angelorum sæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas sustentationibus & nutrimentis nihil sentiens, diuinæ visionis intuitu. Post multorum fortè dierum spacia præscius futurorum, redditus corpori, flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inerrabiliter delectationis sentiebam, testis est ipsa Trinitas, quam cernebam, nescio quo intuitu. Testes sunt & ipsi beati spiritus, qui aderant: testis est etiam conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollicies corporis mei. Denique subiungit, dicens: Non potest ad tantæ contemplationis dulcedinem cor secularibus plenum negociis aspirare: sed oportet vt seculo moriatur, vt soli Deo per tantas meditationes & desideria supernis inhæreat. Vnde granum frumenti cadens in terram, nisi mortuum fuerit, semper sic solum manet vt cecidit: quod si moritur, fructum plurimum affert. Ibidem.

THOMAM Aquinatem, dum de Deo diu multúmque cogitat, à solo attolli, & altitudine ferè cubitali in aëre pendere visum ferunt. Neque deinde tantæ contemplationis fructum dissimulare potuisse, vultu prodente iucunditatem, quam intima concœperant præcordia. Ecstasi autem tam profunda rapi solitū, vt interdum candelam accensam tenēs, ea demum ad manum vsque consumpta, flammæ calorem non senserit. Quem prorsus non sensisse, iis etiam qui id factum non viderunt, fidem facere poterant, non pauca in manu ipsius ac digitis adustionis vestigia. Qualia ergo illa aut quantæ delectationis fuisse dixerimus, quibus occupatus animus non aduertebat corporis tormenta: vel ad quæ sese mens erigens, carnis quoque pondus secum trahere videbatur, dum supinum stare, & humum non contingere cogit? Marul. lib. 2. cap. 4. Sab. lib. 2. cap. 6.

IDEM, ob ea quæ in diuerso doctrinarum genere luculentissimè scripsit, ceu alter Aristoteles inter Christianos populos habitus, cùm Parisiis esset, à Philippo Gallorum rege, aut (vt Campanus scribit) à rege sancto Ludouico, ad cœnam inuitatus, interim dum rex epulis operam daret, ipse animo abalienatus, cùm ne oculis quidem conniueret, omnésque præ admiratione in se conuertisset, percussa manu mensa clarè dixit, Aduersus Manichæos conclusum esse. Cuius rei cùm ab eo causam rex quęreret, atque Thomam vehementioris illius gestus subpuduisset, tandem respondit: dum ita abstractus cogitando esset, argumentum se inuenisse, quo Manichæis respondere iussus, eorum dogma penitùs euerteret. Quid igitur putare debemus, eum, cùm studiis operam daret, fecisse: cùm regis mensæ adhibitus, à doctrinæ tanta contemplatione sibi non temperarit? Fulgosius lib. 8. cap. 7.

ROMVALDVS abbas, ordinis Camaldulensis auctor, cùm ad Sutrij montis monasterium venisset, & ibidem sacra celebraret, aliquandiu in ecstasi raptus stetit. Post hæc Psalmorum effici meruit expositor, quorum paulo antè ne lector quidem satis idoneus fuerat. Dum enim ipsum Dei verbum (quod tunc manibus contrectabat) intentius considerat, sanctorum verborum percipere meruit anagogē, latentémque sub litera sensum. Plurimorum annorum studium ad tantum diuinæ eruditionis profectum nunquam illum extulisset, ad quantum die vna Christi perduxit contemplatio. Marul. lib. secundo, capite 4.

BERNHARDVS Clareuallensis abbas, cùm aliquando equum ascendens fratres Carthusienses inuiseret, & præpositus eorum ephippio nimis decoro illum vsum arguisset, quærere à comitibus cœpit, quale equi sui ephippium esset? neq; enim aut insiliendo, aut desiliendo, aut etiam insidendo, animum aduerterat, quale foret. Iterum prope ripam Lausannensis lacus diei iter fecerat. Cúmque iam occidente sole ad hospitium diuertisset, & fratres qui eum comitabantur, inter se de lacu ipso verba iactarent: rogauit, vbi lacus ille fuisset. Postquam audiuit, miratus est, séque eum vidisse negauit. Marul. lib. 2. cap. 4.

BENEDICTVS abbas nocte intempesta cœlum per fenestram aspiciens, Deum adorabat. Lumen itaque vidit, quo nox ipsa ita resplenduit, vt cum die posset contendere. Mox totum mundum conspexit arctè atque angustè constipatum, pilæ instar. Cœlum quippe intuens, supra cœlis mente euectus est, & per creaturæ considerationem ad creatorem vsque peruenit. Illius ergo lucem, quam animo agitauerat, oculis vidit, & in illius luce tanquam in speculo mundum vniuersum. Idem.

FRANCISCVS in ecstasi vidit fulgentem Saluatoris nostri crucem: vidit sanctum Seraph: à quo Seraphicus dici meruit. Inde singulari quodam priuilegio Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter gessit. Ibidem: & Sab. lib. 2. c. 6.

MARIAM Magdalenam, cùm in solitudine ageret, statis diei horis supra cœlum ab angelis euectam tradunt. Assidua Dei meditatio prius carnem ipsius cœlo dignam fecerat, quàm terrena labe liberam. Quòd si tantus fuit Mariæ in deserto contemplantis fructus: quanta est nunc in paradiso cum Christo regnantis gloria? Iam ibi perpetuò habitat, vbi quondam vel vnius horæ momento mansisse fœlicitatis fuit. Ibidem.

MARIAM Ægyptiacam, quæ vrbanæ luxurię mollicìem eremi asperitate fregit, Zozimas abbas orantem, corpore supra terram suspenso, altitudine fermè cubitali, vidit. Itaque quantum olim per corporis turpitudinem in profundum perditionis corruerat, tantum postea per mentis contemplationem, necdum sarcina carnis deposita, extolli meruit, dū oraret. Quàm malè cum illa actum erat, cùm deliciis diffflueret: tam deinde bene, cùm resipiscere cœpit, & in sensu cogitare circumspectionem Dei. Ibidem.

ELIZABET Pannonum regis filia, dum se supra se tollens, cœlestia meditatur, in ecstasim abibat, & mente cernebat quod oculis videre non poterat. Quod ne tum quidem, cum ad se redisset, dissimulare poterat: tantam etiam tacita facies hilaritatem pręferebat. Eadem cum aliquando nimio labore fatigata lassáque resedisset, oculis in cœlum intentis, fronte modò iucunda, modò tristi apparuit. Et confessa est, se in nubibus vidisse Iesum, qui nunc se ostendens lætam redderet, nunc tegens mœstā. Denique ipsum sibi dixisse: Bono animo esto filia, ego tecum sum. Et se respondisse: Ita Domine, tu mecum, atque ego tecum. Magnum profectò diuinæ liberalitatis beneficium, vt homo Deum alloquatur: maius, vt alloquentem audiat: maximum, vt vnà cum illo sit. Et tamen quoties eum contemplamur, nihil in fide hæsitantes, quoties eius amore desiderióque inardescimus, toties cordi nostro insidet, & verè nobiscum, atque adeò intra nos est, dicente Apostolo: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Ibidem.

ELIZABET virgo, egregium Comagiensis monasterij decus, cum sese cœlestium contemplationi penitùs dedidisset, obstupefactis interdum corporis membris ac sensibus, diu veluti exanimis iacebat. Inde illi non pauca quę futura erāt, diuinitùs reuelata fuisse perhibent: librū etiā, qui Viarium Dei dicitur, angelo dictante, ab ea scriptum. Cùm hæc ita sint, nónne paradisum habuit in terris, quoniam mente semper in cœlis fuit? Ibidem.

CLARA virgo beati Francisci præceptis imbuta, dignáque tanto magistro discipula, pridie quàm natalis Domini veniret, ægrotauit: nec li-

cuit illi cum reliquis ſororibus ad agendas ſacrę noctis precationes pergere .Veruntamen aduerſa valetudo corpus impedire potuit , animum non potuit:affuit enim in ſpiritu, vbi in carne adeſſe nequibat.Reuerſis quippe ſororibus, quicquid inter abſentes actum dictúmque eſſet, ordine retulit & mirantibus adiunxit : Sibi tunc ibidem loci , vbi abſens cum ipſis fuit , Ieſum puerum , qua hora quondam naſci voluit , apparuiſſe.Ieſum ergo deuotè contemplata,cùm in lectulo iaceret , omnia quæ procul in oratorio agerentur,perſpiciebat.Marul lib.2. Sab. libro 2.cap.6.

EADEM quoque à die cœnæ Domini vſque ad ſabbatum ſanctum, corporeorum ſenſuum vſu ſubtractò,quaſi mortua permanſit.Sed interim toto animi vigore in Deum tranſlato , omnia Dominicæ paſſionis myſteria iiſdem horis,eodémque ordine geri cernebat , quo geſta nouerat.Vbi autem corpori fuit reddita , haud amplius quàm vnius horæ ſpacio ſe dormiſſe putauit.Ex quo facilè perſpici poteſt , quàm illi gratum erat huiuſce dormitionis ſpectaculum.Breue enim videri ſolet,omne quod delectat.Delectabat autem eam,non Chriſtum pati videre,ſed videndo compati Chriſto.Ibidem.

EXEMPLA PROFANA.

Conſule ſub titulo, Prudentiæ in legibus ferendis, exemplum Minois & Numæ.

GANYMEDES Troianus paſſim à poetis inhoneſto nomine catamiti notatur.Verùm Xenophon in Sympoſio non ob formam corporis, ſed ob animi præſtãtiam à Iouis aquila raptum fuiſſe dicit: & propterea conueniens fatis habuiſſe nomen , ὅτι γάννυται μήδεσι. Contemplationi enim deditus,mirificam inde voluptatem hauſit:& ad pulchritudinis ideam propius accedens , dignus Ioue pocillator conſtitutus eſſe fingitur.Volater.lib.16.Anthrop.cap.2.

PROMETHEVS cùm naturæ ſecreta rimatus , ignem ex fulguris incendio obortum iugi alimento lignorum fouere mortales docuiſſet, fabulæ occaſionem dedit,vt ſuperis ignem in caua ferula ſuffuratus eſſe dicatur.Eapropter à Ioue Caucaſo alligatum,& cor illius ab aquila dies noctéſque dilaniari fabulantur. Caucaſus ſolitudinem deſignat , aquila contemplationem denotat. Ad ſaxa igitur Caucaſea damnatum pœnæ loco vulgus arbitratur Prometheum: quum tamen ex hac ipſa contemplatione veriſſimam,maximéque ſolidam percipiat voluptatem.

ENDYMION inter Latmia ſaxa dormiuiſſe,& à Luna adamatus eſſe fingitur : cùm reuera Aſtronomiæ ſtudio noctes in ſolitudine peruigil tranſegerit.

ATLANTEM Libycum tanta cœleſtis curſus cognoſcendi voluptas cœpit,vt ſpreto hominum commercio , in altiſſimum Africæ occidentalis montem ſeceſſerit ſolus.Eoque factum eſt,vt & monti nomen indiderit, & propter ſingularem cœleſtium rerum cognitionem cœlum ſuis humeris ſuſtinere dicatur.

Cuius diſcipulus HERCVLES fuit,non tam corporis quàm ingenij viribus clarus,qui propter Aſtronomiæ peritiam feſſo Atlanti humeros ſuppoſuiſſe dicitur.

CALYPSO Atlantis filia,in extremis Oceani finibus ſolitudinis cauſa habitauit. Ad eam Vlyſſes ille Homericus doctrinæ cauſa profectus eſt, non tam procellis quàm diſcendi incredibili ardore compulſus. Et quia diſciplinæ iſtæ tum temporis Acroamaticæ erant,hoc eſt,oretenus tradebantur,rectè ἀπὸ τοῦ καλύπτειν Calypſo fuit dicta.

Indorum GYMNOSOPHISTAE ab exortu ſolis ad occaſum vſque eodem in loco perſtant.alternis ſæpe pedibus toto die feruentiſſimis arenis inſiſtunt , ſolémque immobilibus oculis contuentur, vt hac ratione & animum contemplatione , & corpus laborum tolerantia exerceant. Plin.lib.7.cap.2.

HERMOTII Clazomenij anima(vt & ARISTEAE Procõneſij)relicto corpore ſæpius euagari ſolita fuit:ac veluti peregrè reuerſa, nunciare,quæ non niſi à præſentibus cognoſci potuiſſent . Tanta nimirum erat contemplationis vis. Tandem cremato ab eius inimicis cadauere, remeanti animæ veluti domicilium fuit ademptum.Sab. libro ſecundo, capite ſexto.

PYTHAGORAS anno integro in ſubterraneo quodam ſpecu latuit. Vt Hominibus aliquando prodeſſet,ab hominum commercio tantiſper abſtinere, deorúmque colloquio frui voluit.Laert.lib.6.

Meditatúsne ſit,an perpetuo ſomno preſſus iacuerit EPIMENIDES Gnoſius,ſiue Phæſtius,in dubium venire poteſt,qui ſeptem & quinquaginta annos latuit. Tametſi enim ſcriptorũ vulgus ad ſomnum inclinat, nemo tamen dormiendo ſapientior eſt factus vnquam : niſi vulgari de Heſiodo opinioni quis temerè accedat. Epimenides (quod nemo inficiatur)diuinarum fuit humanarúmque rerum ſcientiſſimus. nam & Cylonium expiauit ſcelus,& Solonem iuuit leges ſuis ſcribentem ciuibus. Sab.lib.2.cap.6.

Habitauit Sinopæus DIOGENES in Cranio,extra Corinthum.Qui tametſi ſtudiis otium quæſiuiſſe videri poteſt , declinauit tamen ſedulò hominum congreſſum,pallio tantùm & pera contentus. Sic quoque feliciſſimus ab Alexandro rege iudicatus,qui eum in Cranio vidit:vt Diogenem ſe eſſe optarit, niſi Alexander eſſet. Ipſe Cynicus hauddubiè regem multò ſe inferiorem iudicauit, cui ad ſe venienti ne aſſurrexit quidem.Sab.lib.2.cap.2.

DEMOCRITVS Abderites, vel Mileſius , puer etiamnum, cùm in hortulo tugurium ſibi conſtruxiſſet, & in eo contemplandi cauſa verſaretur,accidit vt pater illius bouem tuguriolo alligaret , ſacrorum cauſa. At ille in contemplatione perſtans, non prius quid actum eſſet,aut ageretur, animaduertit , quàm bouem pater cum ſtrepitu excitauit , & ipſo mugitu bos ſeſe prodidit.Laer.lib.9.

IDEM poſtea ex longinquis peregrinationibus, quas ſapientiæ cauſa ſuſceperat,in Græciam reuerſus,vt ea quæ hauſerat præcepta diligenti ruminatione(vt ita dicam)excoleret,lucidiſſimo lebete oculis obiecto ſeipſum excæcauit.Nimirum vt mentis oculos acueret , externi viſus iacturam parui fecit.Sabel.libro ſecundo,cap.1.& 6.

PYRRHO Elienſis,Scepticorum princeps,ſolitudinem amabat.Inter deambulandum tam intentus erat contemplationi , vt cùm aliquando Anaxarchus comes in ſcrobem incidiſſet , ille nec animaduerterit, nec opem tulerit. Cùm ſecum ſolus loqui eſſet deprehenſus,& cur id faceret rogaretur:Meditor,inquit,vt bonus ſim . Laert.lib.9.

HERACLITVS Epheſius cùm eſſet iuuenis , nihil ſe dicebat ſcire: vir factus,nihil ſe ignorare profitebatur. Et ille idem tamen neminem audiuit,ſed ex ſemetipſo omnia iugi contemplatione didicit. Laert.li.9.

THALES Mileſius poſt Reip.negocia ſeſe ad contemplandum contulit,& abſque præceptore(niſi quantum ſacerdotes Ægyptiorum audiuit)tantus euaſit,vt inter ſeptem Sapientes primus haberetur. Laert.li.1.

MARACHVS , vel Malachus,Syracuſanus, non niſi mente alienatus verſus faciebat:vt non ſuo,ſed dei cuiuſdam ore loqui videretur . Gyraldus in hiſt.Poet.ex Ariſtotele.

SOCRATES iugi contemplatione (in qua laborioſiſſimus fuit) omnia aſſecutus fuit:neque peregrinationibus opus habuit , cui domi omnia naſcerentur.Laert.lib.2.

ANTISTHENES Athenienſis philoſophus . cùm , quid ex philoſophia præſidij cæpiſſet,interrogaretur : Vt alterius colloquio ſolus non egeam,reſpondit.Qua quidem voce ſignificabat,ſe nunquam minus ſolum eſſe quàm cùm ſolus eſſet.Laert.lib.6.

PHOCION Athenienſis cùm in concione ſederet ſeorſim,acceſſit quidam qui diceret:Vidêre cogitabundus,ô Phocion.Rectè quidem coniectas,reſpõdit,Cogito enim ſi quid queã detrahere his quæ dicturus ſum apud Athenienſes.Alij ſoliciti ſunt,vt quam plurima dicant.quo videantur eloquentes eſſe,atque diſerti.Illi diuerſa erat cura : nimirum vt quæ ad rem faciebant,verbis quàm pauciſſimis complecteretur . Plutarch.in Apophtheg.Græcorum.

TIMON Nicæus gaudebat hortorum ſeceſſibus ac ſolitudine. vnde Hieronymus Peripateticus de illo dixiſſe fertur: Quemadmodum apud Scythas,& qui fugiunt,& qui inſequuntur,torquent ſagittas:itidem inter philoſophos,alios perſequendo diſcipulos capere,alios fugiendo . Sequitur fama fugientem,& ob idipſum auidius expetitur qui ſcholam vitat.Laert.lib.9.cap.12.

P.SCIPIO Africanus non prius in Senatum aſcendebat , quàm in templo Iouis opt.max.antelucanis horis conſediſſet. Locum ſolitarium & contemplatione aptum vir ſapientiſſimus eligebat,vt ea quæ ad ſalutem Reip.ſpectarent,animo perſpicere poſſet.Itaque non immeritò Iouis filius creditus eſt:præſertim cùm dicere ſoleret , nunquam ſe minus ſolum eſſe,quàm cùm ſolus eſſet.Ab hominibus ſeiũctus, Deorum fruebatur colloquio.

Omnium induſtriam ac ſtudium,quos vnquam legerim, DIDYMVS Alexandrinus ſuperauit,qui amiſſo oculorum vſu,cùm ad quadrageſimũ ætatis annũ perueniſſet,in Grammaticum, Geometram atque Dialecticum conſummatiſſimũ euaſit.Nam cùm in ſupputandis numeris,dimenſionibúſque atque in ſcribendo aliena vteretur manu,multa ſubtiliſſimè ſcripſit,atque haud pauca in ſacra Scriptura commentatus eſt . Viſus eſt enim Deus hunc potiſſimùm ob id creaſſe,vt alios omnes experimento doceret, diligentiæ atque induſtriæ inuium nihil eſſe:cùm Didymus ea re,quæ ante alias doctrinæ perneceſſaria eſt priuatus , induſtria tamen tantùm doctrinæ aſſecutus fuerit.Fulgoſ.lib.7.cap 8.de Induſtria.

Quod per induſtriam, in Didymo, poſt amiſſum oculorum vſum contigiſſe certũ eſt,id ætas noſtra in IOANNE FERNANDO vidit:cuius pater Hiſpanus fuit,ſed ipſe in Belgica parte (cui Flandriæ eſt nomen) ortus in ea vixit.Cæcus à natiuitate fuit, & eam inſuper calamitatẽ pauperies aggrauauit.His duobus ſuperatis,quę permultum doctrinę repugnant.Poeta,Logicus,Philoſophus, Muſicúſque tam excellẽti arte euaſit,vt ſolus memoriter quatuor vocum carmen componeret: id quod vix alij ſcribendo conſequi poſſent. Præterquàm quòd aliis Muſicis inſtru. mentis tam peritè ſonos modularetur , vt audientium aures non ſolùm ſuauitate demulceret,ſed etiam artificij magnitudine veluti captas detineret.Idem.

Trimus viſum amiſit NICASIVS Vuerdanus, Belgicæ nationis(quę Brabantia dicitur)incola:& tamen ille idem, imperante Federico tertio, in Colonienſi Academia Canonica atque Ciuilia iura profeſſus eſt, & in Louanienſi gymnaſio Theologiæ peritiſſimum ſtudiorum præfecti cenſuerunt.Diu ſacrarum rerum concionator extitit:& aliena vſus manu, in Inſtitutiones & ſuper Sententiarum libro multa ſcripſit, quibus Theologales quæſtiones atque epiſtolas eruditas addidit.Idem.

QVI SVMMO STVDIO IN LITERIS SE *exercuerunt.*

POETARVM veterum cæcos plurimos fuiſſe legimus : Tireſiam, Homerum, Demodocum in Odyſſ.λ apud Phæaces.ſiue reuera ita ſe habuit res, ſiue fabula tantùm eſt, indicat certè, ex vehementi ſtudio , multis vigiliis,indefeſſis lucubrationibus,oculorum corporis cæcitatẽ eos con-

traxiſſe

traxiſſe, vt mentis oculis clariſſimè naturæ obſcuritatem intueri & explicare poſſent. Quando enim (inquit Plato in Sympoſio) corporeus oculus tabeſcit,mentis oculi acutiſſimè videre incipiunt.Hęc eadem cauſa fuit Democrito,vt ſemetipſum excæcaret.

DEMOSTHENES cùm ſibi non tam artem,quàm actionem & pronunciationem deeſſe animaduerteret,ſubterraneum locum domi ſuæ ędificauit, in quem ſingulis diebus deſcendit, actionis formandæ,vociſque componendæ cauſa:ſæpe etiam duos aut tres menſes continuos ibi egit,raſa altera capitis parte:vt ne ſi vellet quidem,egredi inde præ verecũdia poſſet.Denique omnes fabros antelucanis vigiliis ſuperauit.Eapropter Pytheas illius enthymemata lucernam olere dicebat.Ælian.lib. 7.Var.hiſt.& Plutar.in Demoſthene.

CARNEADES cùm maiorem animi quàm corporis curam haberet, capillos atque vngues eò vſque excreſcere ſinebat, vt feris quàm homini ſimilior videretur.Sæpe etiam cibi capiẽdi obliuiſcebatur,præ nimio ſtudio.Laert.& Val.Max.lib.8.

ARISTOTELES grues imitatus,ſphærulam manu tenebat, ſubiecto lebete æneo:quæ per ſomnum delapſa,ſtrepitu ſuo dormientem excitaret.Præceptorem poſtea Alexander quoque Magnus imitatus eſt. Laertius in eius vita.

PRAXAGORAS ſomni euitandi cauſa,capillos ſupernè laquearibus oblongo filo alligabat,vt nutante capite propter ſomnum , ipſo dolore excitaretur.Guido Bitur.

CHRESTVS Byzantius ſophiſta,& Herodis Aſiatici diſcipulus , licet vino deditus eſſet , in primis tamen ſtudioſus & vigilantiſſimus ſemper fuit.Nõ enim prius ſomno quã ſtudio indulgebat.Volat.l.14.c.2. Antro.

HERODES Atticus diligentia & labore tanta fuit , vt cùm doctiſſimus omnium eſſet, ſtudia nunquam intermitteret, vel inter ipſas epulas noctis interuallis excitatus,Philoſtratus in eius vita.

ARCHIMEDIS fructuoſam induſtriam fuiſſe dicerem : niſi eadem illi & dediſſet vitam,& abſtuliſſet.Captis enim Syracuſis, Marcellus machinationibus eius multùm ac diu victoriam ſuam inhibitam ſenſerat: eximia tamen hominis prudentia delectatus,vt capiti eius parceretur edixit:penè tantùm gloriæ in Archimede ſeruato , quantum in oppreſſis Syracuſis hoſtibus reponens.At is dum animo & oculis in terram defixis formas deſcribit , militi qui prædandi gratia domum irruperat , ſtrictóque ſuper caput gladio quiſnam eſſet, interrogabat,propter nimiam cupiditatem inueſtigandi quod requirebat,nomen ſuum indicare non potuit,ſed protecto manibus puluere: Noli (inquit) obſecro , iſtum circulum diſturbare , ac perinde quaſi negligens imperij victoris, obtruncatus,ſanguine ſuo artis ſuæ lineamenta confudit.Quo accidit , vt propter idem ſtudium modò donaretur vita,modò ſpoliaretur.Val. lib.8. cap.7. Stobæus ſerm. 27. illum ſemel à famulis vi ab abaco abſtractum atque vnctum,lineas in corpore vncto duxiſſe teſtatur.

THEODECTES philoſophus, Ariſtotelis diſcipulus, ea fuit ingenij felicitate,vt ſimul legere,ſcribere & dictare poſſet: ideoque de eo dictũ fuit,quòd ingenium & memoriam ad nutum haberet. Guido Bit.

CHAEREPHONTIS Tragici ſtudiũ in lucubrãdo,pete ex tit. Tragicorũ.

DEMOCRITVS Mileſius,quum arroderet cucumerem,ſenſit humorem eſſe mellei ſaporis:rogauitque famulam,vnde emiſſet?Illa nominauit hortum.Surrexit Democritus:Et duc me,inquit,eò,ac locum indica. Demirante muliercula,quid ſibi vellet:Vt,inquit, dulcedinis cauſam inueniam:inuenturus,ſi locum inſpexero.Hic muliercula ridẽs : Quieſce, inquit, ô bone. nam ego imprudens cucumerem immiſeram in ollam mellitam.At ille offenſus:Moleſta es,inquit:ego tamen incumbam, quęrãque cauſam:quaſi cucumeri peculiaris ſit ac genuina dulcedo. Sit hoc exemplum ſtudij indefatigabilis.Laert.lib.9.cap.7.

CLEANTHES Aſſius Antigono diſcipulo roganti , quur ſordidam operam præſtaret hauriendo aquam è puteo,vnde per iocum pro Cleãthe dictus eſt φρεάντλης,ita reſpondit:Num haurio tantùm?an non & fodio , & rigo hortum , denique nihil non facio philoſophiæ cauſa ? Alius negaſſet factum:philoſophus auxit quod obiiciebatur,glorię ſibi ducẽs, quod ille vertebat probro.Laert.lib.7.cap.2.

ZENONIS Cittiei,Stoicorũ principis , ſtudiũ & diligentiam nobis cõmendant verſus illi , quos Laertius lib.7.de eo vulgò iactatos aſſerit.

τὸν δ' οὐκ ἂρ χειμὼν κρυόεις, οὐκ ὄμβρος ἀπείρων,
οὐ φλὸξ ἠελίοιο δαμάζεται, οὐ νόσος αἰνή,
οὐχ ὥς τις δήμου ἐναρίθμιος, ἀλλ' ὅγ' ἀτειρής
ἀμφὶ διδασκαλίῃ τέταται νύκτας τε καὶ ἦμαρ.

PVB. SCIPIONEM, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcribit Cato (qui fuit ferè eius æqualis)nũquam ſe minus ocioſum eſſe,quàm cum ocioſus:nec minus ſolùm,quàm cùm ſolus eſſet.Magnifica verò vox,ac magno viro & ſapiente digna:quæ declarat, illum & in ocio de negociis cogitare,&in ſolitudine ſecum loqui ſolitum,vt neque ceſſaret vnquam,& interdum colloquio alterius non egeret.Cicero lib. 3.Officiorum.

M. CATO Cæſarius tria in tota vita deteſtari ſolebat:primùm,arcanum aliquod fœminæ credere:ſecundum, ſi tranſiuiſſet naui , quò pedibus accedere licuiſſet:tertiò , ſi qua dies ei per incuriam inanis effluxiſſet.Plut.in eius vita.

PLAVTVS comicus Saturionem , Aditum & Aſinariam comœdias in piſtrino ſcripſit: cùm pecunia omni , quàm in operis artificum ſcenicorum pepererat, in mercationibus perdita,inops Romam rediſſet , & ob quærendum victum ad circumagendas molas truſatiles operam piſtori locaſſet.Gell.lib.3.cap.3.

NÆVIVS poeta cùm licentioſius in principes ciuitatis Græco more inuectus eſſet,àTriumuiris Romæ in carcerem coniectus , duas fabulas in carcere ſcripſit, Ariolum & Leontem:in quib.delicta & petulantiam ſuam,qua in priorib.fabulis vſus erat,diluit. vnde à tribunis plebis exẽptus eſt.Idem.

Cùm de cæde in ſylua Scantia facta publicani accuſarentur, & C. Lælius pro publicanis bis dixiſſet,verũ à SER.GALBA melius cauſam illã defẽdi poſſe arbitraretur, quòd in dicẽdo fortior acriórque eſſet:auctoritate Lælij,publicani cauſam ad Galbam detulerunt.Ille autem , quòd ei viro ſuccedendum eſſet,verecundè & dubitanter recepit: vnum quaſi comperendinatus medium diem fuit , eúmque totum in conſideranda cauſa componendáque poſuit.Et cùm cognitionis dies adeſſet,P.Rutilius rogatu ſociorum domum ad Galbam manè venit,vt eum admoneret,& ad dicendi tempus adduceret.Galba verò, vſquequò ei nunciatũ eſſet conſules deſcendiſſe,omnibus excluſis,commentatus eſt in quadã teſtitudine cum ſeruis literatis,quorum aliud alij dictare eodem tempore,& ſi erraſſent malè eos multare ſolebat.Interim cùm eſſet ei nunciatum,tempus eſſe,in ædes exiuit eo colore, & iis oculis , vt legiſſe iam cauſam,non commentatus videretur.Ex quo colligi poterat, illum non in agendo ſolùm,ſed etiam in meditando vehementem atque incẽſum fuiſſe.Magna itaque expectatione,plurimis audientibus tanta vi grauitatéque dixit,vt nulla ferè pars orationis ſilentio præteriretur. Cicero in Bruto.

C. CARBO orator ſummus,præter cæteras virtutes etiam induſtrius & diligens,& in exercitationibus commentationibúſque multum operę ſolitus fuit ponere.Cic.in Bruto.

M.CRASSVS,æqualis Q.Hortenſij,mediocriter à doctrina inſtructus,anguſtius etiam à natura,labore & induſtria:& quòd adhibebat ad obtinendas cauſas curam etiam & gratiam,in principibus patronis aliquot annos fuit.Cic.in Bruto.

Q.HORTENTIVS orator ſummus, nullam patiebatur eſſe diem , quin aut in foro diceret,aut meditaretur extra forum : ſæpiſſimè autem eodem die vtrunque faciebat.Cic.in Bruto.

M.TVL.Cicero cũ primũ cauſas agere cœpiſſet,ſummè gracilis erat, & infirmo corpore,procero & tenui collo.Qui habitus ad phthiſin procliuis eſſe ſolet,ſi accedit labor, & laterum magna contentio. Medici & amici hortabantur,vt cauſas agere deſiſteret.Ille verò quoduis potius periculum ſibi adeundum,quàm à ſperata dicendi gloria diſcedendum exiſtimans,cùm cenſeret,remiſſione & moderatione vocis , & commutato genere dicendi ſe & periculum vitare poſſe,& temperatius dicere: vt conſuetudinem dicendi mutaret,in Aſiam profectus, Athenis Antiochum philoſophum,DemetriumSyrum rhetorem audiuit:deinde in Aſia Menippum Stratonicenſem,tandem Rhodi Molonem,qui redundantẽ & ſuperfluentem iuuenili quadam dicendi impunitate & licentia repreſſit , & quaſi extra ripas difluentem coercuit. Itaque biennio pòſt Romam rediit non modo exercitatior,ſed propè mutatus. Nam & contentio vocis nimia reciderat,& quaſi deferbuerat oratio , lateribúſque vires,& corpori mediocris habitus acceſſerat .Cic.in Bruto.

IDEM cùm cauſam oraturus eſſet apud Centumuiros,iámque dies inſtaret,Erotam ſeruum manumiſit:eo quòd nunciaſſet , cognitionem in poſterũ diẽ fuiſſe prorogatam:tantũ enim temporis ſibi ad examinãdum ea quæ cõcepiſſet,datum eſſe gaudebat.Eraſmus lib.4. Apophthegmatũ.

POMPONIVS Atticus eques Romanus,& familiaris Ciceronis, ſtudiis ſeſe totum tradiderat:procul à Repub.non neceſſitate , ſed iudicio. Antiquitatis maximus admirator & cuſtos,adeò vt Auguſtus , quo cum erat affinitate coniunctus,ſemper eum aliquid de veterum rebus & doctrina rogaret,aut quæſtionem aliquam ei proponeret.Nepos.

C.PISO Ciceronis gener,ſtudio & induſtria omnes vincebat. Nullum tempus illi vnquam vacabat aut à forenſi dictione,aut à commentatione domeſtica,aut à ſcribendo,aut à cogitando.Cic.in Bruto.

DIODORVM quendam Stoicum refert Cicero , domi ſuæ cæcum multos annos vixiſſe:ſed poſt cæcitatem multo diligentius quàm prius philoſophiæ operam dediſſe.fidibus quoque vſum more Pythagoreo:& lectioni librorum,quo vno modo poterat,alieni luminis auxilio , dies noctéſque tribuiſſe:& quod vix abſque oculis poſſibile videtur,Geometrica tractaſſe,imperantem diſcipulis,vnde & quò quamque lineam duci vellet.

Q.ROSCIVS comœdus nullum geſtum in ſcenam afferebat,niſi domi prius examinatum.Ea res fecit,vt Cicero eos miraretur,qui præſente Roſcio in ſcena agere auderent.Petrarcha de Studio.

Quantum C.IVLIVS CÆSAR literis impenderit ſtudij,ex eo facilè intelligi poteſt,quòd ne in bello quidem vnquam ſtudium intermiſit neque ludos aut alia publica munera ſine lectione ſpectabat. Omnium teſtimonia Commentarij illius ſuperant , inter armorum ſtrepitum , ac bellorum tum externorum tum ciuilium curas ſcripti , vt ſcriptoribus materia pararetur:qui quidem vſque adeò eruditi limatíque habiti ſunt, vt nullus eis apponere manum auſus fuerit.Fulgoſius lib.8.cap.7.

Iulij Cæſaris ex ſorore nepos,atque idem per adoptionem filius, AVGVSTVS,ei in literarum ſtudio perſimilis,quanquam prima ætate imperij adminiſtratione occupatus eſſet,multa facundè ornatéque carminibus Græcè Latinéque ſcripſit:Mutinenſique bello,cùm omnia armis obſtreperent,ſemper vel legit,vel ſcripſit,vel declamauit:cùm nec vitæ pericula,nec militares curæ ac moleſtiæ eum auerterent,quo minus aſſiduè ſtudiis longè enixius,quàm alij in magno ocio ſoleant , operam impenderet.Ibidem.

PORTIVS Latro , genere Hiſpanus,& condiſcipulus Senecæ , nobilis declamator,cùm ad ſcribendum ſe compoſuiſſet,iungebantur noctibus dies:& ſine interuallo grauius ſibi inſtabat,nec deſinebat niſi rem perfeciſſet.Rurſus cum ſe remiſſioni traderet , in omnes luxus & iocos

resoluebatur:omnes quinetiam agrestes in syluis & montibus natos laboris tolerantia, ac venādi solertia prouocabat & superabat. Cælius cap. 35. lib. 5. & Seneca.

LVCILLVS Senecæ familiaris, è Pompeiis oppido Campaniæ, fuit adeò Philosophiæ deditus, vt cùm quæstor esset Siciliæ, magnam temporis partem ab officiis publicis vacans, studiis incumberet. Volat. libro 16. Vrban. Com.

IVNIVS BRVTVS Catonis è filia nepos, in castris per integros dies (nisi cùm Pompeium ipsum conueniret) circa literarum studium versabatur. Plutarchus in eius vita.

HADRIANVS princeps Musis fuit deditissimus, vt ne vicina quidem morte lentesceret, & ad extremum vitæ spiritum de animæ discessu versiculos ederet. Vide tit. Poetarum.

M. ANTONINVS Philosophus Imperator, vltra publicas curas, quas nunquam deseruit (cuius rei argumentum est, quòd diu pacatum tenuit Rom. imperium) plurimum studij literis impendit, cùm de Philosophia semper vel scriberet, vel disputaret. Itaque eius dicta scriptaque, inter philosophos eo tempore magni habita fuerunt. Fulg. lib. 8. cap. 7.

FL. IVLIANVS Augustus, non modò doctus, verumetiam literarū ac philosophiæ auidissimus fuit, adeò vt per noctem, in castris aduersus Persas atque Germanos, quanquam pressus curarum laborúmque magnitudine (quorum nullam partem omittebat) tempora quæ alij dabant quieti, ipse vigilans, vel scribendo vel legendo transigere solitus sit: multaque per id tempus Græcè composuit. Fulg. lib. 8. cap. 7. Media nocte semper exurgebat, non è plumis perdicum subalaribus, vt Heliogabalus, aut stragulis sericis ambiguo nitore fulgentibus: sed ex asperis stratis, in quibus vix decumberent abiectissimi vernæ. Sic noctem in tria diuidebat tempora, quietis, Reipublicæ, & Musarum. Marcellin. lib. 16. Eidem nocte lucubranti dirum ostentum se obtulit, paulo antè quàm in Perside moreretur. Vide tit. Ostenta mortis.

Omnium studia diligentiamque C. PLINIVS studio suo superauit, qui quanquam in armis & magistratibus obeundis totam transegerit vitam, neque aliquid, quod agendum esset, omiserit: tam multa, tam doctè atque ornatè scripsit, vt etiam ocioso perdifficile sit, omnia quæ is scripta reliquit, perlegere. nam præter Naturalis historiæ libros, opus diffusum atque varium, infinita penè alia edidit. Neque verò cùm ocium esset, tantùm literis operam dabat: sed in mensa quoque legentem audiebat, aut notabat. lectica quoque vtebatur, vt in via vel legere, vel scribere posset. Si equo veheretur, sæpe inter tempestates ministrum manuleatum excipere dictata iubebat. Intelligendi autem tanto studio tenebatur, vt dum incautius progreditur, incendij, quo mons Vesuuius deflagrabat, causas inspecturus, fumi magnitudine præfocatus interierit. Ful. lib. 8. cap. 7.

IDEM quum recitatorem quiddam perperam pronunciantem amicorum quispiam reuocasset, & vt repeteret coegisset: Quid, inquit, an intellexeras? quum ille annuisset: Qur ergo, inquit, reuocabas? Decem amplius versus ista tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis. Eras. lib. 8. Apoph.

IDEM nepotem suum ambulantem videns, obiurgauit: Poteras, inquit, has horas non perdere. nam qui lectica vehebantur, aut recitantem audiebant, aut si libuisset, aliquid etiam enotabant, aut dictabāt aliquid: quorum nihil licet ambulanti. Ibidem.

ORIGENES Adamantius, Alexandrinus, quanquam magna premeretur inopia, quòd paternas opes catholicę fidei causa amiserat, sex millia voluminum (vt Hieronymus se vidisse testatur) ingentis doctrinæ scripsit: cùm assiduè septem notarios scribendo, ac totidem additos sibi pueros, fatigaret. Fulg. lib. 8. cap. 7. & Egnat. l. 8. c. 7. & Sab. l. 1. c. 7. Nunquā, aut perrarò, cibum absque lectione sumere solebat: vnde quibusdam dictus est etiam Adamantinus & Chalcenterus.

IOANNES Grammaticus, inter Aristotelis interpretes non postremus, Philoponi cognomen meruit, propter assiduum studium & exercitationem in literis.

Mirum ALPHONSI decimi Castulonensis regis studium atque industria fuit, in qua re priscis illis doctissimis penè æquiparandus videtur. Nam quanquam regnorum curis gerendisque bellis occupatus esset, assiduè tamen studiis operam dedit, Astronomiæ præsertim: in qua tantùm excelluit, vt tabulas composuerit (opus in ea arte difficillimum) quæ ab eius nomine dictæ, nunc quoque ab astronomis in magna existimatione habentur. Fulg. lib. 8. cap. 7.

ALBERTVS Pius Carpi princeps, Magno IOAN. PICO æqualis, eiúsque studiorum æmulus, cùm optimarum artium magistros domi aleret, tum ipse persæpe diurnis studiis nocturnas quoque lucubrationes adiunxit. Fulgos. lib. 8. cap. 7.

EXERCITATIONIS THEORICÆ SPECIES

Exercitationem diuidimus in γένεσιν & ἀνάλυσιν. Γένεσιν vocamus eam facultatem, quæ aliquid quod prius non erat, vel dictione, vel scriptione in medium profert, siue per se, quæ ἁπλὴ γένεσις est: siue alterius imitatione, quam μίμησιν appellamus. Ἀνάλυσις verò in aliorum dictis scriptisque examinandis versatur, & γενέσει collata, nocturno labori Penelopes similis videri potest, quæ telam interdiu contextam, nocte retexebat. Ἀνάλυσιν igitur ἀπὸ τοῦ ἀναλύειν, à resoluendo dixere, quoniā & rerū & artificij rationē habet. Eandē quoque ἀνάγνωσιν fortaßis non ineptè possemus appellare. Etsi enim ἀνάγνωσις pro lectione sumi consueuerit: tamen si vim vocabuli perpendimus, ἀπὸ τοῦ ἀναγινώσκειν deductum fatebimur: & proinde nihil aliud erit, quàm repetita quædam cognitio, non quasi ἀνάμνησις quædam (vt Macrobius in Somnio Scipionis interpretatur) sed veluti explicatio quædam eruditionis illius quæ fuit vel in dicente, vel in scribente. Mihi certè ἀναγνώσεως verbū magis arridet: vt quandoquidē ἀνάλυσις inter quatuor logicas methodos vna est, Authorū explicatio διάλυσις potius & ἀνάγνωσις, dicatur, quā ἀνάλυσις: ne res distinctas nominum homonymia confundamus. Iam verò vtraque facultas, tum γένεσις, tum ἀνάγνωσις, diuidi potest partim ex modo, partim ex tempore. Ex modo quidem, quoniam in opus prodeunt, vel viua voce, quam ἑρμηνευτικὴν δύναμιν appellamus: vel scripto, quæ γραφικὴ est. Ex tempore verò, quoniam alij promptè, celeriter & expeditè vel dicere, vel scribere possunt de re proposita, quam δύναμιν αὐτοσχεδιαστικὴν, extemporaneam & non præmeditatam vocant: alij verò longo tempore & diuturna præmeditatione egent, quam δύναμιν ἐπεξεργαστικὴν, quasi tu dicas excultam & laboriosam, vt & Quintil. libro 10. Institut. appellat, & Cicero in Oratione pro Archia eius aliter meminit. Hinc iam varios titulos elicere possumus. Veruntamen ne nimia curiositate Lectores offendamus, in γένεσιν & ἀνάγνωσιν diuidemus Exercitationis locum. Γένεσιν aliam ἁπλὴν faciemus, aliam μίμησιν. Et priorem rursus in ἑρμηνευτικὴν & γραφικὴν subdiuidemus: in quarum vtraque partim studium & diligentiam, partim celeritatem & promptitudinem considerabimus. In ἀναγνώσει verò, siue ἀναλυτικῇ δυνάμει, etsi eædem subdiuisiones statui possunt, nos tamen duobus titulis contenti erimus: altero, eorum qui de scriptis aut dictis Theoricis, aliorum suisue, rectè iudicare potuerunt: altero, eorum qui iudicium suspenderunt, ne de incertis temerè iudicare viderentur.

PROMPTITVDO, FACILITAS, CELERITAS IN DOCENDO. QVI

extemporè de re proposita disserere possunt.

Consule titulum Certaminum literariorum.

ÆSCHINES, Demosthenis æmulus, extemporanea dicendi facultate præditus fuit. Vide tit. Eloquentum.

CARNEADES Academicus, DIOGENES Stoicus, CRITOLAVS Peripateticus, ab Atheniensibus legati Romam missi sunt. Hi legationē in Senatu vetusto more per interpretem peregerunt, petentes mulctæ remissionem, quampropter Horopi vastationem S P.Q.R. populo Atheniensi indixerat. Quę quidem mulcta, vt est in Saturnalibus, fuerat talentum D. Celeberrimo postea vrbis loco, maximo populi concursu, ostentandæ eloquentiæ gratia separatim quisque extemporè disseruit: traditúmque est memoriæ, Carneadis impetuosam & torrentem, Diogenis prudentem & iucundam, Critolai circumspectam & suauem eloquentiam fuisse.

ANTIPATER Sidonius de quauis re extemporè versus faciebat. Quintilianus lib. 10. Instit. Vixit tempore Cottæ & Crassi, teste Cic. pro Archia.

A. LICINIVS Archias, Ciceronis præceptor, sæpe cùm literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his rebus quæ tum agerentur, dicebat extemporè: sæpe reuocatus eandem rem dicebat, commutatis verbis atque sententiis. Testis est ipsemet Cicero in oratione quam pro eo habuit.

P. OVIDIVS Naso Sulmonensis de seipso in 4. Tristium sic scribit,

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos:
Et quod tentabam dicere, versus erat.

BOETHVS Tarsensis, extemporè versus effundebat potius quàm cōponebat. Vide tit. Poetarum.

Q. CAECILIVS Epeirota, grammaticus, post mortem Cor. Galli scholam Romæ aperuit, primusque extemporè Latinè disputauit: primus etiam Vergilium & alios poetas nouos perlegere cœpit. Tranquillus de illustr. Grammat.

Q. RHEMNIVS Palæmon grammaticus, & dicebat, & versus faciebat extemporè. Vide tit. Grammaticorum.

LVCANVS poeta extemporè Orpheum tragœdiam recitauit, Neronis æmulatione. Vide tit. Poetarum.

ADRIANVS Imperator ad lacessendū pariter & respondendum serio aut ioco, promptissimus fuit prosa & carmine. Itaque cùm aliquādo poeta quidā dicacior, Florus nomine, illum inter Scythas & Britannos versantem

videret, in eum lusit.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Adrianus vrbanè sic statim respondit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Spartianus testis. Vide tit. Doctorum principum: quos versus iam moriēs pronunciarit.

GALIENVS Imper. scelestissimus & ignauissimus, extemporanea poetices facultate polluit. Vide tit. Doctorum principum.

ASCLEPIVS Afer in Baiensi territorio parui vici episcopus, in docendo extemporanea facultate præditus erat, circa annum Domini 440. sub Theodosio iuniore. Gennadius in Catalogo suo.

LEO X. Pont. Max. versib. extemporè cum Camillo Querno, qui se archipoetam iactabat, certare potuit. nam cùm Quernus ex podagra malè habens, ad mensam Leonis more solito astaret, & ex præscripto bina saltem carmina tributi nomine persoluere cogeretur, in hunc hexametrum erupit:

Archipoeta facit versus pro mille poetis.

Demum cùm hæsitaret, inexpectatò Leo hoc pentametro perargutè respondit:

Et pro mille aliis archipoeta bibit.

Tum verò cùm Quernus sese recolligens inferret,

Porrige quod faciat mihi carmina docta falernum:

Leo repentè à Virgilio mutuatus subdidit,

Hoc etiam eneruat debilitatq́; pedes.

Iouius in Elogiis virorum illustrium.

ANDREAS Maro Brixianus, alter Maro, cùm semel coniectam in numeros mentem alacriore spiritu inflasset, tanta vi in torrentis morem ferebatur, vt fortuita & subitariis tractibus ducta, multum antè prouisa & meditata carmina viderentur. Canenti defixi ardebant oculi, sudores manabant, frontis venæ contumescebant: & quod mirum erat, eruditæ aures, tanquam alienæ & intentæ, omnem impetum profluentium numerorum moderabantur. A Leone X. sacerdotio donatus est, quòd post celebre conuiuium, cui regum legati senatorésque aderant, de suscipiēdo sacro bello dicere iussus, iucunda figuratum varietate decantarit, orsus hoc nobili carmine:

Infelix Europa diu quassata tumultu
Bellorum. ---- Iouius in Elogiis.

STVDIVM ET DILIGENTIA IN DOCENDO ET DICENDO.

Exercitatio in docendo, omnes eos qui aliorum præceptores fuere, complectitur: quos cùm nos suprà proprio titulo explicauerimus, hîc non recensebimus: sed eos tantùm in medium adducemus, quorum in docendo dicendóque summus fuit ardor, studium & diligentia, vt nec labore, nec ætatis iniura ab hoc tam honesto & vtili genere exercitij deterreri potuerint.

EXEMPLA SACRA.

Exempla plurima ex tit. Doctorum Ecclesiasticorum desumi poterunt.

GREGORIVS ille Magnus, Pont. Rom. sacris Ecclesiæ canticis adeò fuit deditus, vt in lecto decumbens puerorum cantus baculo modularetur, & errantes castigare non erubesceret. Ioan. Diaconus in eius vita.

BEDA presbyter Anglosaxo, anno ætatis 72, Christi 734, cùm ob ieiunia crebra in asthma incidisset, assiduè tamen discipulos & docendo & disputando in Vuermuthensi cœnobio exercebat. Euangelium quinetiā Ioannis lingua Anglica interpretatus est: subinde discipulos admonens, Discite filioli dum vobiscum sum. Vuilhelmus Malmesburiensis.

EXEMPLA PROPHANA.

CLEANTHES Assius, Chrysippi discipulus, non minore studio philosophiam exercuit, quàm eam didicerit. nam centesimo ætatis anno auditores adhuc erudiebat. Laert.

SIMONIDES poeta 80 anno & docuisse se carmina, & in eorum certamen descendisse, ipse gloriatur. Nec fuit iniquum, illum voluptatem ex ingenio suo diu percipere, cum eam omni æuo fruendam traditurus esset. Val. Maximus lib. 8. cap. 7.

PERICLES Atheniēsis verba facturus apud populum, non nisi præmeditatus in cōcionem progrediebatur: optabat interim à diis immortalibus, ne verbum vllum sibi excideret, quod quemuis ciuium offendere posset. Plut. in eius vita.

MENEDEMVS Eretriensis, in Philosophia simul & in Republ. clarus, in disputationibus adeò vehemens erat, vt ex illius oculis ardentes scintillæ egredi viderentur. Laert. li. 2.

ANTIMACHVS Clarius poeta, cùm conuocatis auditoribus, legeret eis magnum volumen suum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquissent: Legam nihilominus, inquit, Plato enim mihi vnus instar est omnium. Cic. in Bruto.

PYRRHO Eliensis, Scepticorum princeps, solitudinem amabat, & rarò apparebat hominibus. Quòd si quispiam illum inter dicendum desereret, ipse nihilominus id quod cœperat peragebat. Laert. lib. 9.

DEMOSTHENES extemporè dicere nunquam ausus fuit: adeò vt sæpe in concione à populo nominatim vocatus, ad dicendum non nisi præmeditatus paratúsque surgeret. Hinc Pytheas argumenta illius lucernam redolere asserebat. Videtur autem hoc ipso Periclem imitatus esse, quòd hac præmeditata eloquentia eum magnum euasisse videret. Plut. in eius vita.

IDEM Epicli opprobranti, quòd semper dicturus meditaretur: Erubescerem, inquit, optimo iure, si tantæ multitudini consulens, dicerem extemporè. Quod alij præclarum esse ducunt, subitò ex imparato dicere, id vir cordatus iudicabat esse temeritatis. Eras. lib. 8. Apoph.

VERRII Flacci diligentiam in puerorum ingeniis excitandis, pete ex tit. Grammaticorum.

APPIVS Claudius & senex & cæcus à consulendo tum publicè tum priuatim nunquam destitisse perhibetur. Rutilius in eius vita.

LIVIVS Drusus & ætatis viribus & acie oculorum defectus, ius Ciuile populo benignissimè interpretatus est, vtilissimáque discere cupientibus monimenta composuit. Senem illum natura, & cæcum fortuna facere potuit: neutra tamen interpellare valuit, ne non animo & videret, & vigeret. Val. lib. 8. cap. 7.

P. SENATOR & L. PONTIVS eques Rom. suis temporibus celebres causarum actores, luminibus capti, forensia stipendia executi sunt. itaque frequentius iam audiebantur: concurrentibus aliis, quia ingenio eorum delectabātur: aliis, quia cōstantiam admirabātur. namque alij qui incommodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras, fortuitis voluntarias adiicientes. Idem.

C. SESTIVS Caluinus orator, etsi cùm remiserant dolores pedum, non deerat in causis: tamen id non sæpe faciebat. Itaque consilio eius cū volebant homines vtebantur: patrocinio, cùm licebat. Cic. in Bruto.

Cùm MATHEMATICVS proconsuli in Asia seniori Gordiano prædiceret, ad imperium ipsum peruenturum, & Gordianum verbis suis non habere fidem perspiceret: artis suæ libris atque instrumentis, per rationem omnia quæ dixerat probauit: adeò vt fidem apud eum, etiam experimento ipso, sibi faceret. omnia enim ita vt prædixerat, iuxta tempus designatum euenerunt. Idem.

BARTOLVS, quinquennium consumpsit integrum in prælectione legis, De ætate. ff. de minoribus. Richardus in eius vita.

SCRIPTIO EXTEMPORANEA.

Consule tit. eorum qui summo studio in literis sese exercuerunt: inuenies enim Exempla aliquot.

C. IVL. Cæsaris tanta fuit in scribendo eruditio, vt omnibus de suis rebus scribendi occasionem præripuisse videatur: tanta facilitas, vt in ipsis expeditionum itineribus plerosque Commētarios scripsisse dicatur. Suetonius.

Cæsaris AVGVSTI ingenium tam promptum fuit, vt versus extemporè factos, cùm inter amicos referret, interrogarétque cuius poetæ versus æstimarent: nihil aliud responderetur, quàm cuiuscūque essent, optimos esse. Suetonius.

Q. RHEMMIVS Palæmon grammaticus, versus extemporè faciebat. Vide tit. Grammaticorum.

SCRIPTIO DILIGENS. STVDIVM IN SCRIBENDO.

Demades orator clarissimus iocari solebat in DEMOSTHENEM, quod cęteri quidē oratores dicerent ad aquam, ipse verò & scriberet. Taxans eum, quòd nunquam nisi de scripto diceret, atque etiam esset ὑδροπότης. Contrà Demades, vt largius bibebat, ita valebat extemporali dictione. Rhetores olim dicebant ad clepsydram.

EVRIPIDES Alcestidi poetæ Tragico obiicienti, quòd triduò tria tantùm carmina composuisset, se verò centum: respondit, Sed hoc interest, tua triduò tātummodo, mea verò in omne tempus sufficient. Sic tarditatem suam laudauit, & Alcestidis rudem celeritatem damnauit. Gyraldus Dial. 7. Hist. poetarum.

CARNEADES Cyrenæus nouæ princeps Academiæ, scripturus aduersus Zenonis Stoici libros, caput helleboro prius purgauit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilium vsque animi redūdaret, & constantiam vigorémque animi labefactaret. Gellius lib. 17. cap. 15. & Plinius lib. 5. cap. 25.

Idem CHRYSIPPVM fecisse scribit Valer. Max. lib. 8. cap. 7.

P. VERG. Maro cùm Georgica scriberet, quotidie meditatos manè plurimos versus dictare solebat, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigebat: vrsam sese imitari professus, quæ lambēdo informes catulos effigiaret. Æneida prosaica prius oratione composuit: quædam etiam leuissimis versibus descripsit, quos per iocum pro tigillis vel tibicinibus interponi à se dicebat, ad sustinendum opus, donec solidæ columnæ aduenirent. Bucolica septennio Neapoli: Æneida vndecimo anno, partim in Sicilia, partim in Campania perfecit. Donatus in eius vita, & Gellius lib. 17. cap. 10.

CRISPVS Sallustius, nobilis veritatis historicus (sic enim de illo

apud auctores verissimos scriptum video) quo fidelius res Africæ complecteretur, libros Punicos perquisiuit: peregrinámque linguam, per interpretem, flagranti studio scrutatus est. quin & maria transgressus dicitur, vt oculis suis crederet de conditionibus locorum. Bellum Iugurthinum coniurationémque Catilinæ compendioso, & ad vnguem, vt dici solet, castigato complexus est stillo: sed nullo famosior quàm historiarũ libro, qui amissus est. Veterum quidem testimonio illustris, apud nos solo iam nomine superstes. Petrarcha de Studio.

DIODORVS Siculus, Græcè historias scripsit sub Augusto Cæsare, quas Bibliothecen inscripsit: in cóque opere absoluendo triginta annos orbem peragrans consumpsit. Eusebius eum sub Iulio vixisse ait, 180. Olymp. Comœdias multas scripsit.

SCRIPTIO LABORIOSA ET MVLTA.
Qui multa scripserunt.

EXEMPLA SACRA.

SALOMON rex Iudæorum sapientissimus, de omnibus rebus quę in natura sunt, scripsisse dicitur: ab hyssopo vsque ad cedrum Libani.

Aurelius AVGVSTINVS cùm iam nonagenarius esset, non minus operosè exercuit diuinarum literarum studia, quàm iuuenis media ætate fecerat. Scripsit itaque plura quàm quisquam legerit: si verus est Possidonius. Is decipi eum opinione credidit, qui omnia quæ Augustinus scripsit, arbitraretur se legisse. Accessit his (quod hominis vel felicitati, vel sapientiæ potius assignari possit) auctoritas tanta, vt nullius scriptis post Euangelicam historiam, Tarsensisque Pauli, maior hominum consensus accesserit. Sab. lib. 1. cap. 7.

Sed quàm Aurelij studia auctoritate eminent, tantum, nec minus, ORIGENIS, scriptorum varietate: huius sena millia librorum legisse se diuus Hieronymus scribit, vir vel maiore fide dignus. Nunquam rem tantam ponere essem ausus, vtpote vix dignam relatu, nisi tanti viri intercessisset auctoritas. Auxerunt aliorum studia Bibliothecas, ac per partes compleuêre: vnus Origenes ingenij felicitate bibliothecam vnam, quamuis ingentem, implere potuit. Idem.

DIDYMVS Alexandrinus grammaticus, qui Romæ profitebatur, cognomine Chalcentherus, ob patiẽtiam in libris supra tria millia & quinquaginta volumina dicitur scripsisse. Ruffinus in epistola contra Hieronymum, & Volater. lib. 15. Anthrop.

ISIDORVS Pelusiotes philosophus & orator, scripsit epistolas ad tria millia, sacros enarrantes libros, vt Suidas ait.

EXEMPLA PROFANA.

ARISTOTELES & multa scripsit: & ea arte atque diligentia vsus est, vt superiores omnes vicerit, posterioribus omnibus palmam præripuerit. Consule Laertium.

THEOPHRASTVS ad trecenta volumina reliquit. Quorum catalogum ex Laertio petas.

DEMETRIVS Phalereus, Theophrasti auditor, librorum multitudine & versuum numero omnes fermè sui temporis Peripateticos superauit. Laert. lib. 5.

EPICVRVS Atheniensis infinitos libros scripsit, omnésque alios copia superauit. Eum æmulatus est Chrysippus. Laert. li. 10.

APOLLODORVS, κηπωτύραννος dictus, Epicuri discipulus, vltra quadringenta volumina scripsit. Similiter etiam SIDONIVS, Apollodori auditor. Laert. in Epicuro.

CHRYSIPPVS Epicuri imitatione supra 700 volumina scripsit, inter quæ 311 Logica fuêre. Laert.

DEMOCRITVS Physicus, oculis orbatus, plura quàm tota Græcia, videre potuit. Nihil enim est in tota rerum natura, de quo scribere non tentarit. Sabel. lib. 2. cap. 1.

ANTISTHENEM, quoniam multa conscripserat volumina, Timõ appellare solebat παντοφυῆ φλέδονα, id est ingeniosum nugatorem. Non tamen dixit εὐφυῆ, sed παντοφυῆ, quod ingenio ad quiduis versatili varia tractaret argumenta, & in his quædam non digna philosopho, Laert. lib. 6. cap. 1.

ARISTARCHVS grammaticus Alexandrinus, discipulus Aristophanis grammatici, Olymp. 156. sub Ptolemæo Philometore, scripsit Commentarios supra mille. Suidas apud Volater. lib. 13. cap. 4.

SERVIVS Sulpitius libros 180 de Iure ciuili edidit.

M. VARRO libros scripsit infinitos, mira eruditione refertissimos. idcóque Augustinus hunc apud Latinos, ac Origenem & Didymum apud Græcos plus cæteris scripsisse asserit. Tam multa legit, vt aliquid ei scribere vacasse miremur: tam multa scripsit, quàm vix quenquam legere potuisse credamus. Hæc ille. Eius lucubrationes pulcherrimo encomio prosequitur Cic. in 1. Acad. quæst.

M. TVL. Ciceronis assiduũ studiũ, libri illius testãtur, tũ quos habemus tum etiam quos desideramus. Illud mirum est, inter tot Reip. procellas atque tempestates eum vel ad cogitandum locum, vel ad scribendum ocium habere potuisse. Vide Plutarchum.

GALENVS Pergamenus vt doctrina omnes medicos superauit, ita etiam suis scriptis vniuersam medicinam illustrauit. Ex cuius deinde fontibus posteriores omnes tam Græci quàm Arabes, riuulos suos deduxêre.

ORIBASIVS Sardianus Iuliani principis familiaris, ad eum 72 medicinæ libros scripsit. Suidas.

QVI IN SENECTVTE, VSQVE AD VITÆ FINEM
scribendo sese exercuerunt.

EXEMPLA SACRA.

D. AMBROSIVS Mediolanensis antistes, morbo senióque cõfectus, & modò non animam agens, Psalmum quadragesimumtertium interpretari cœperat: sed morte præuentus absoluere non potuit. Fulg. libro 8. cap. 7.

D. AVR. Augustinus Hipponensis episcopus, semper aliquid vel legebat, vel scribebat. Sab. libro primo capite 8. Fulg. libro 8. cap. 7. & Egnat. eodem.

BEDA Venerabilis, presbyter & monachus in Anglia, tricesimum ætatis annum agens, reliquum vitæ tempus legendo, tractando & exponendo sanctam Scripturam exegit. Sigebertus in Chron.

EXEMPLA PROPHANA.

PLATO annos vnum & octoginta natus, vitæ simul & scribẽdi finem fecit. Laert. lib. 3.

CHRYSIPPVS octogesimo anno, cœptum antè quadragesimum, λογικῶν exactissimæ subtilitatis volumen reliquit. cuius studium in tractandis ingenij sui monumentis tãtum operis laborisque sustinuit, vt ad ea quæ scripsit penitus cognoscenda, longa vita sit opus. Val. Max. lib. 8. capite 7.

CARNEADES laboriosus & diuturnus miles sapientiæ fuit: siquidem nonaginta expletis annis, idem illi viuendi ac philosophandi finis fuit: ita se mirificè doctrinæ operibus addixerat, vt cùm cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhęrens, manum ad mensam porrigere obliuisceretur. Sed Melissa, quam vxoris loco habebat, temperato inter studia animo, non interpellandi, sed inediæ succurrendi officio, dexteram suam necessariis vsibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur, corpore verò quasi alieno & superuacuo circundatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus, helleboro se antè purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidis appetendas effecit. Valer. Max. lib. 8. cap. 7.

SOPHOCLES cum rerum natura gloriosum certamen habuit: tam benignè illi mirifica opera sua exhibendo, quàm illa opera eius tempore liberaliter subministrando. Propè enim centesimum annum attigit sub ipsum transitum ad mortem, Oedipode Coloneo scripto: qua sola fabula omnium eiusdem studij poetarum præripere gloriam potuit: idque ignotum esse posteris filius Sophoclis noluit, sepulchro patris ea quæ retulit insculpendo. Val. Max. lib. 8. cap. 7.

ISOCRATES nobilissimũ librum, qui inscribitur παναθηναϊκός, quartum & octogesimum annum agens (ita vt ipse significat) composuit. opus ardentis spiritus plenum: & superfuit operi annos quinque. Ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio, florem iuuentæ retinere. Neque hoc stylo terminos vitæ suæ clausit. namque admirationis eius fructum quinquennio percepit. Val. Max. lib. 8. cap. 7. & Sab. lib. 1. cap. 7.

GORGIAS Leontinus Isocratis magister, centum & septem vixit annos: nec tamen tam longæuus ab opere & studio cessauit vnquam. Sabell. lib. 1. cap. 7.

CATO Censorius, sextum & octogesimum annum agens, dum in Republica tuenda iuuenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus, causam suam egit: neque aut memoriam eius quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris vlla ex parte quassatam, aut os hæsitatione impeditum animaduertit: quia scilicet omnia ista in statu suo æquali ac perpetua industria continebat. quinetiam in ipso diutissimè actæ vitæ fine, disertissimi oratoris Galbæ accusationi defensionẽ suam pro Hispania opposuit. Idem Græcis literis erudiri concupiuit: quàm serò, inde æstimemus, quòd etiam Latinas penè iam senex didicit: cumque eloquentia magnam iam gloriam partam haberet, id egit, vt Iuris ciuilis quoque esset peritissimus. Val. lib. 8. cap. 7. Vopiscus lib. 4.

TERENTIVS Varro, humanæ vitæ exemplo & spacio nominandus, non tam annis, quibus seculi tempus æquauit, quam stilo viuacior fuit. In eodem enim lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum cursus extinctus est. Val. lib. 8. cap. 7. & Blondus lib. 4.

ASCONIVS Pedianus grammaticus atque historicus, cùm septuagesimo ætatis suæ anno oculis captus esset, atque ita duodecim annos vixisset, eleganter quasdam historias, diligentia atque industria superato ætatis atque oculorum impedimento, perscripsit. Fulg. lib. 8. cap. 7.

QVI CERTO QVODAM CONSILIO NIL SCRIPSERVNT.

Apud Israelitas septuaginta duo seniores, quibus de spiritu Mosis datum erat, à Mose acroamaticam legis expositionem hauserunt: & quia oretenus tradebatur ea doctrina, CABALA fuit dicta, à Cabal Hebraica voce, quod recipere significat. Hebræos Græci tanquam simiæ imitati, fabularum

fabularum inuolucris Cybelen (parum immutato nomine) deorum matrem finxerunt: & mysticas sacrorum ceremonias, quia initiatis tantùm communicare fas erat, introduxerunt, vt arcano silentio authoritatem sacris parerent.

Laertius ex philosophis recenset quosdam, qui nihil scripserint, lib. 1. vt sunt, Socrates, Stilpon, Philippus, Menedemus, Pyrrho, Theodorus, Carneades, Bryso, Pythagoras etiam, secundum quosdam, & Aristo Chius

PYTHAGORÆI suam doctrinam memoria & institutione, iis quos dignos iudicarent, absque literarum officio tradiderunt. Eapropter EMPEDOCLES Agrigentinus & PLATO Atheniensis cum Pythagorica dogmata, quæ Acroamatica hactenus fuerant, scriptis euulgare cœpissẽt, exclusi sunt è schola: & lex lata, ne quis poeta amplius ad præcepta admitteretur. Laert. lib. 8. in Empedocle.

THALES Milesius nullum ingenij sui monumentum reliquit, secũdum quosdam. Alij duos solos libros eum scripsisse aiunt, de Conuersione & Æquinoctio: quòd cætera cognitu facilia esse diceret. Laert. in eius vita.

METROCLES Hipparchiæ frater, quæ Crateti nupsit, & Cratetis discipulus, libros suos, quos sub Theophrasto composuerat combussit, inquiens: τάδ' ἐς' ἐνέρων νερτέρων φαντάσματα. Laert. lib. 6.

THEOCRITVS quærenti, quare libros non scriberet, respondit: Quoniam vt libet, non possum: vt verò possum, non libet. Hoc alij Aristarcho grammatico tribuunt. Stobæus serm. 19. ex Aristone.

SOCRATES roganti, cur nihil scriptum ederet, respondit: Quia video chartam multo preciosiorem, quàm ea quæ scribenda forent. Ex Aristone recitat Stobæus serm. 19.

PLATO philosophorum deus, in Epist. suis nihil se suorum scripsisse asserit, sed Socratis tantùm placita: eáque propter in Dialogis suis alios semper disputantes introducit, vt non ex sua, sed ex aliorum sententia disserere videatur. Modestiæ hoc alij tribuunt, alij prudentiæ, ne facilè à quoquam reprehendi posset.

Idem iuuenis adhuc tragœdias scribere agressus, iam certamen Dionysiacum initurus erat: verùm audito Socrate, eiúsque philosophia captus, poëmata sua exussit, inquiens:

> Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει
> Huc ades Vulcane, tua enim opera Plato indiget.

Laertius libro 3.

ARCESILAVS Pitanæus, Crantoris discipulus, qui primus mediã Academiam secutus est, nullum librum scripsit, quòd æquè de omnibus dubitaret. Alij verò asserunt, deprehensum eum quædam emendantem indoluisse, & scripta sua (ne aliquando errasse videretur) flammis tradidisse. Laertius libro 4.

Pythagoræorum institutum secutus est NVMA Pompilius, secundus rex Romanorum: qui quamuis libros sacrorum edidisset, è quibus sacerdotes cæremonias docuisset: moriens tamen eos secum sepeliri iussit sub Ianiculo, in duab. lapideis arcis: in quarum altera cadauer, in altera verò libri recõderentur. Quæ postea arcæ, P. Cornelio & M. Bebio Coss. magna vi imbrium detectæ fuerunt, & apertæ. Plut. in Numa.

IMITATIO THEORICA PROBA. IMITATORES.

Cùm imitatio duplex sit, Theorica atque Practica: nos de priore nunc agemus, quæ etiam solis præceptis perfici potest, cùm posterior viua tantùm exempla requirat. In imitando autem cura singularis adhibenda est, vt virtutes, non vitia amplectamur: & ex Aristotelis præscripto, Homerum, non Chœrilum imitetur. Est igitur Imitatio ipsa γενέσεως species, vt suprà monuimus: cuius exempla aliquot hoc in loco afferemus. Quædam ex tit. Æmulationis & Certaminum literariorum petenda erunt. Discipuli certè præceptorum virtutes, filii parentum imitari debent.

ORIONEM poetæ fabulantur venatorem fuisse, & in Bœotia Pleiadas septem filias Atlantis (quæ postea in sidus fuerunt transmutatæ, & sinistro cornu Tauri insertæ) persecutum. Qua quidem persecutione imitationem nobis explicare voluerunt. Pleiades enim Atlantis filiæ sunt dictæ, quòd illas Atlas primus obseruasset. Easdem postea Orion quoque vel suopte ingenio, vel Atlãtis monitione cognouit, eámque ob causam eas persecutus esse fingitur.

CHRYSIPPVS Solensis, siue Tarsensis, discipulus Cleanthis, à Carneade parasitus librorum lepidè appellatur, eo quòd scripta Epicuri sit imitatus, eadémque & verbis & numeris iisdem expresserit. Diogenes Laert. & Volat. li. 14. ca. 2. Anth.

LOLLIANVS Ephesius & scholæ & populo præfuit Atheniensi. Epicheremata magnopere laborauit inuenire, & inuenta distinctè loqui idoneus. Dicebat extemporaliter, Isæi imitatione, quem audiuit: vt auctor est Philostratus.

PERICLES Pisistratum imitatus est, tum eloquentia, tum etiam tyrannide in populum. Hoc tantùm interfuit, quod armatus Pisistratus, Pericles verò inermis Remp. tenuit. Vide tit. Eloquentiæ vires.

DEMOSTHENES Periclem imitatus est, cùm in aliis, tum etiam hoc ipso, quòd nunquam nisi præmeditatus verba faceret. Authoritate m ea re Pericli imparem, eloquentiæ certè principatum obtinuit. Plut. in Demosthene.

PLATO philosophorum princeps, Socratem vsque adeò suis scriptis imitatus est, vt iunior Socrates passim, etiam ab Aristotele appellatus fuerit. Boni enim discipuli esse putabat, præceptoris sui eximias virtutes posteritati literarum monumentis commendare.

EMPEDOCLES Agrigentinus Parmenidem imitatus est: item Anaxagoram & Pythagoram: ab illo quidem constantiam & grauitatem vitæ atque habitus, ab hoc verò naturæ rationes mutuatus. Laert. li. 8.

PANCRATES Arcadius imitatus Hesiodum, ἔργα θαλάττια composuit. Gyral. Dial. 3. Hist. poet.

ANTISTHENES Atheniensis à Socrate præceptore tolerantiam edoctus, Cynicam sectam condidit. Laert. lib. 5.

CHARISIVS, orator insignis, multas orationes Attico genere scripsit, cùm Lysiam oratorem præstantissimum imitari cuperet. Cic. in Bruto.

Romæ CVRIONVM genti eloquentiæ studium familiare fuit, & veluti pêr manus à maioribus traditum, & à nepotib. per imitationem cõfirmatum. nam tres continua serie fuerunt in vna domo clari oratores, & in his Curio: qui Cæsarianarum partium factus, ciuili bello secundo ad Bagadram in Aphrica mortem occubuit. Sab. lib 3. cap. 9.

ENNIVS Euhemerum poetam Messenium imitatus esse dicitur à Cicerone, quoniam fortes & claros viros in deorum numerum relatos recenset. Gyrald. Dial. 3. Hist. poet.

PLAVTVS comicus Epicharmum in primis, deinde Diphilum & Philemonem imitatus dicitur. Gyral. Dial. 8. hist. poet.

MARO in Bucolicis Theocritum, in Æneide Homerum imitatus est, atque aliàs alios. De qua re Macrob. lib. 5. & 6. Satur.

M. TVL. Cicero Crantorem Solensem philosophum in libro de Consolatione imitatus est, pari fortassis eruditione, pari quoque fato. nam nec Crantoris nec Ciceronis libri extant. Item è Græcis Demosthenem imitatus est, è Latinis Q. Hortensium oratorem summum, vt in Bruto testatur.

PARTHENII imitatores, Vergilius, Ouidius, atque etiam Tiberius Cæsar. Vide tit. Poetarum.

M. FVRIVS Bibaculus & Pantomimus cognomento, quia omnia imitaretur, in Iambicis excelluit. Cremonensis fuit, circa tempora Ciceronis. Scripsit etiam Annales & Epigrammata. Virgilius quoque ab eo carmina aliquot accepisse dicitur, si Macrobio credimus. Gyrald. Dialog. 4. hist. poet.

OVIDIVS Naso imitatus est Callimachum poetam, qui contra Apollonium discipulum ingratum, carmen virulentissimum, Ibin inscriptum, ab aue Ægyptia, ediderat: nam simili genere scripti contra vxoris sollicitatorem vsus est, cùm in Ponto exularet. Gyrald. in 3. Dialogo poet.

CORN. Gallus in Elegiis secutus est colorem Euphorionis Chalcidici elegiographi: Probo grammatico teste.

SEX. AVR. Propertius, Callimachum Cyrenæum & Philetam Coum in Elegiis imitatus est. Ipse certè se Romanum Callimachum appellauit Gyrald. Dial. 4. hist. poet.

M. MANILIVS scripsit Apotelesmata astrologica, ad imitationem Dorothei Sidonij. Gyrald. Dialogo 4. hist. poet.

PHILO Iudæus Alexandriæ natus, disciplinísque omnibus eruditus, in nostra & Græcorum philosophia facilè cæteros antecellit. Eloquẽtiæ enim Platonis adeò æmulator fuit, vt communi iam prouerbio celebretur, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει: Aut Plato philonisat, aut Philo platonisat. Volater. lib. 18. Anthrop.

TITIANVS Græcus orator, præceptor Maximini principis, qui scripsit libros Prouinciarum pulcherrimos, omnia tam probè in vita imitatus est, vt non immeritò sui temporis simia appellatus sit. Capitolinus in Maximino.

VBALDORVM familia Perusij, multos clarissimos Iurecoss. protulit. Consule tit. Iurecoss. recentiorum, sub nomine Baldi.

IVDICIVM IN THEORICIS RECTVM, VEL DE SVIS, VEL DE
aliorum rebus. Suæ quisque artis optimus magister.

Consule tit. Veritatis, Bona sua liberè proferre. Huc quoque pertinet lectionis delectus (de quo suprà) si iudicium spectes. Item tit. Oracula intellecta.

MAGIS, qui Iudæorum regem ex oriente adoraturi venerant, tantum fidei ob disciplinam Astronomicam datum fuit, vt & Herodes, & tota Hierosolymorum vrbs commoueretur, regémque nouum ceruicibus suis imminere expauesceret. Vicissim Magi, quia principum religionis Iudaicæ sapientiæ plurimum tribuebant, illorum authoritatem secuti sunt, & Bethlehem profecti, vt puerum Iesum adorarent.

ARISTOTELES cùm iam natus annos 62. adeò laboraret, vt nulla planè spes vitæ superesset: conuenerunt ad eum discipuli, rogantes, vt ex ipsis successorem eligeret. Erant autem duo inter auditores pręcipui, Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Iussit igitur Aristoteles vi-

num exoticum sibi, Rhodium scilicet & Lesbium adferri, vt extremum biberet Vale. & gustato vino primùm Rhodio, dixit: Firmum herclè vinum, & iucundum. Mox gustato Lesbio: Vtrunque, inquit, egregiè bonum, sed Lesbium suauius est. Id vbi dixit, nulli dubium fuit, quin ciuiliter Theophrastum Lesbium successorem sibi fecerit. Laert. lib. 5. cap. 1.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, cùm videret Periandrum, qui arte medica excellentissimus fuerat, tam infelicia carmina scribentem: Quid (ait) tibi accidit, mi Periander, vt pro insigni medico malus poeta vocari concupiscas? Notauit hominis stultitiam, vt qui se in ea re exercere cuperet, in qua nihil omnino valebat nec natura, nec ingenio. Plut. in Lac.

Aratus à TIMONE Nicæo quæsiuit, quònam pacto Homeri poema sine menda consequi posset? respõdit Timon: Vetusta consuleret exemplaria, non noua. Laert. lib. 9.

ARISTOPHANES Comicus, cum à Ptolemæo Philadelpho, inter poetas certantes arbiter constitutus esset, præter omnium expectationem victorem eum declarauit, qui & regi & spectatoribus ineptissimus esse videbatur. Causam rogatus, cum rege in Bibliothecam profectus, reliquorum furta detexit: & eum, quem victorem declarauerat, ob idipsum, quòd sua pro suis in medium attulisset, præmium auferre voluit. Fulg. li. 8. c. 13.

ALCIBIADES vbi ad discendas artes se contulit, omnibus præceptoribus, vt decuit, se morigerum præbuit: tibia tantùm canere noluit, illiberalem eam & ingenio indignam artem iudicans: nam plectrum quidem & lyram nihil de figura & forma quæ liberalem hominẽ decet, diminuere: fistulam autem inflantis vix etiam à familiaribus faciem agnosci: præterea lyram vnà eo qui vtitur canente, sonum suum edere: tibiam eius qui vteretur os obstruere, vocémque intercludere. Proinde, inquit, canant Bœotorum pueri, qui loqui nesciunt: nos Athenienses exemplum Mineruæ & Apollinis (quos vrbis nostræ autores esse, à parẽtibus accepimus) imitabimur: quorum illa fistulam abiecit, hic fistulatorem excoriauit. Hæc seria inter iocandum referens Alcibiades, & se & reliquos ea arte abstinuit: celeriter eo rumore inter pueros sparso, bene agere Alcibiadem, qui artem istam respuat, & eam discentes rideat. Inde factum, vt hæc ats penitus è liberalibus disciplinis excluderetur. Plut. in Alcibiade.

THEOPHRASTVS philosophus, cum percontaretur Athenis ex ANICVLA quadam, quanti olera venderet? respondit illa, & addidit: Hospes non pote minoris: tulit ille molestè, se non effugere hospitis speciem, cùm ætatem ageret Athenis optiméque loqueretur. Ex ipso sono vocis hospitem esse cognouerat (erat enim Lesbius) non Atheniensem. Cicero in Bruto.

Cùm in sylua Scantia facta cædes esset, notíque homines interfecti, insimularetúrque familia publicanorum, C. LÆLIVS pro publicanis bis accuratè & eleganter dixit. Sed cùm eum publicani domum reduxissẽt, dixit, Se arbitrari causam illam à Ser. Galba, quòd is in dicendo fortior acriórque esset, grauius & vehementius posse defendi. Itaque auctoritate C. Lælij, publicani causam ad Galbam detulerunt, eóque dicente vicerunt. Erat enim in Lælio elegantia, in Galba dicendi vis maior. Cicero in Bruto.

IVDICIVM AMBIGVVM.

IDANTHVRAS Scytharum rex, ad Darium Persarum regem, qui Istrum traiecerat, literas quidem quibus ei minaretur, misit nullas, sed pro literis symbolum hoc: murem, ranam, auem, sagittam & aratrum. Cúmque hæc in Darij castris alius aliter interpretaretur: Orontopagas tribunus militum censuit significari, eos omnium rerum deditionem esse facturos, quæ symbolis hisce exprimerentur: mure domos, rana aquas, aue aerem, sagitta arma, aratro terram. At Xiphrodes longè alio modo interpretatus, multóque verius: Nos verò, inquit, quantum hæc symbola ostendunt, nisi aut terram subeamus, vt mures: aut aquam, vt ranæ: aut euolemus, vt aues: non effugiemus ipsorum tela: neque enim terræ, quam ipsi arant, domini sumus. Clemens Alexandrinus, ex Pherecyde Syro. Herodotus tamen in Melpomene hanc historiam paulo aliter recenset.

ÆSOPVS fabulator Phryx, Xantho philosopho Samio seruiebat In arcem autem profectus Xanthus, marmora quædam antiqua perlegebat. Inter quę cippus quidam erat septem tantùm literas incisas habens Α Β Δ Ο Ε Θ Χ. Æsopus thesaurum subesse indicat: & libertatem aurique dimidium cum hero pactus, quatuor passus à cippo distans fodere cœpit, & thesaurum reperit. Xantus ea re lætus, porrò etiam interpretationem literarum efflagitauit. Æsopus hunc in modum explicauit: Α ἀποβὰς, Β βήματα, Δ τέσσαρα, Ο ὀρύξας, Ε εὑρήσεις, Θ θησαυρὸν, Χ χρυσίου. Xanthus sapientiæ serui inuidens, se promissis staturum negauit. Tum Æsopus: Nisi fidem serues, thesauri domino Byzantinorum regi rem omnem enunciabo: idipsum enim literæ monent: Α ἀπόδος, Γ βασιλεῖ, Δ Διονυσίῳ, Ο ὃ, Ε εὗρες, Θ θησαυρὸν, Χ χρυσίου. Xanthus regis aurum esse audiens, dimidium lucri Æsopo concessit. Æsopus verò: Non tu mihi hoc, sed is qui thesaurum defodit, largitus est, respondit. quandoquidem hoc ipsum literæ indicant: Α ἀνελόμενοι, Β βαδίσαντες, Δ διέλεσθε, Ο ὃν, Ε εὕρετε, Θ θησαυρὸν, Χ χρυσίου. Planudes in eius vita.

P. RVTILIVS Rufus cum M. Æmylio Scauro consulatum petens, repulsam tulit. Accusauit ambitus competitorem Scaurum, consulem designatum: & vicissim à Scauro iam absoluto vocatus est in iudicium, Ostẽdebat Scaurus in Rutilij tabulis has literas, A. F. P. R. eásque sic interpretabatur: Actum Fide P. Rutili. Rutilius econtrà sic, Ante Factum Post Relatum. C. verò Cannius eques Romanus, qui Rutilio aderat, exclamauit, neutrum illis literis significari. Et cùm Scaurus interrogasset, Quid ergo? respondit: Æmylius fecit, plectitur Rutilius. Quo exemplo manifestũ est, quàm incerta sit notarum significatio. Rutilius, in vita Publij Rutilij Iureconsulti.

IVDICII SVSPENSIO. Ἐποχή.

EXEMPLA SACRA.

EVAGRIVS, quum longa orationis serie audiuisset de Deo atque Trinitate disputantes, Diuinitatem nequaquam definiendam esse respondit Omnes enim alias propositiones habere genus quod prædicetur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compositam orationem: sed nihil in sancta Trinitate, horum quæ dicta sunt, posse comprehendi. Ideóque quod ineffabile est, silentij tantùm oratione esse adorandum. Socrates lib. 6. Tripart. hist. cap. 21.

ORIGENES Adamantius, ætatis suæ doctorũ hominum facilè princeps, cùm Esaiam prophetam interpretaretur, minimè dedecori sibi esse duxit, ad Huillum rabi Hebræum confugere, vt ab eo disceret vbi olim vrbs Ariel fuisset: iudiciúmque illius secutus, ea reuocare quæ antè scripserat. Nam quanquam inter Christianos peritissimus esset, in Iudaïca tamẽ historia, peritiori in re sua Hebræo cedere voluit: quem aliis in rebus inferiorem magis, quàm parem habebat. Fulg. lib. 8. cap. 13.

THEOTIMVS Scytharum episcopus, vrgentibus Theophilo Alexãdrino & Epiphanio, vt Origenis scripta damnaret, respondit: Ego nec eũ qui iam olim bene obdormiuit, contumelia afficere volo: nec rem blasphemam aggredi ausim, vt reprobem quæ maiores nostri non reprobarunt. adiiciens, non malam esse doctrinam Origenis libris comprehensam. Socrates lib. 6. cap. 12. Sozomenus lib. 7. cap. 25.

D. AVGVSTINVS cùm gentilium calumnias refutare vellet, qui clades in imperio Romano acceptas nouæ religioni ascribebant: atque eis ostendere, longè plura atque grauiora perpessos Romanos, antequã Christus adoraretur: idque historiarum fide atque testimonio probare oporteret: ad eam rem Pauli Orosij, cui ea notior erat historia, opem requisiuit: eámque assecutus, largè ipsa vsus est. Fulg. lib. 8. cap. 13.

Cùm videret HILARIVS Pontifex, in Ecclesia ortam esse contentionem, quo tempore Paschatis solennia celebranda essent: etsi ipse omnium erat pastor, tamen quoniam in eiusmodi re arithmetica atque astronomia erat opus, huius rei iudicium Victorino, in ea Galliæ parte quæ Morinorum olim, nunc Britannorum esse dicitur, orto, qui in vtraque illa arte peritissimus habebatur, remisit: voluítque vt temporis rationem, quam ipse iniuerat ad diem inueniendum, catholica tota seruaret ecclesia. Fulg. lib. 8. cap. 13.

Propter eandem controuersiam SIXTVS quartus Pontifex, ex Germania Ioannem Monteregium, arithmeticum atque astronomum peritissimũ, Romam acciuit. Et quamuis ipse non ob aliam rem, quàm propter ingentis doctrinæ opinionem, ad Pontificatum conscendisset, aliorum doctrinæ, in eo, in quo ipse plurimùm excellebat, cedere voluit. Idem.

EXEMPLA PROFANA.

PLATO consultus à conductoribus, de sacræ aræ modo atque forma, eos ad Euclidem geometram ablegauit: scientiæ eius cedens, imò professioni. Val. lib. 8. cap. 13.

EVCLIDES à quodam interrogatus, quales essẽt dij? Cætera quidem ignoro, respondit: at curiosos illis odio esse, certò scio. Maximus serm. 21.

SIMONIDES poeta, vir doctus ac sapiens (vt ait Cicero) ab Hierone Siculo rogatus, Quidnam aut qualis esset Deus? ad deliberandũ vnius diei spaciũ poposcit. Id cùm effluxisset, reuocatus, & quod pridie quæsitum erat iussus absoluere: biduum postulauit. Eo rursus elapso, petiit quatriduum. Cùm sic sæpe spacium duplicasset, tyrannus quid sibi procrastinatio hęc vellet, percunctatus est: Quia quo diutius, inquit, cogito, eò mihi res videtur obscurior. Quidam solent haud aliter verbis Deum circumscribere, quàm si vel is humanis intellectibus caperetur: vel ipsi nunc de cœlo venientes, diuinis consiliis interfuissent.

Q. MVTIVS Scæuola augur, clarissimus legum vates, & certissimus, quotiescunque de iure prædiatorio consulebatur, ad Furium & Cascellium, qui huic scientiæ dediti erant consultores reiiciebat. Quo quidem facto moderationem suam magis commẽdabat, quàm auctoritatem minuebat: ab his negociũ aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano eius vsu callebant. Sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, à quibus & propria studia verecundè, & aliena tam callidè æstimantur. Val. Max. lib. 8. cap. 13.

GALLVS iurisperitus, si quis negocium ad ipsum detulisset, in quo de facto quærebatur, dicere solebat: Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem ito. Sensit Gallus, aliud officium iureconsulti, aliud oratoris. Nec esse necesse de his, quæ ad alienam professionem pertinent, respondere. M. Tul. in Top.

DESIDES, IGNAVI AVT INEPTI IN THEORICA *exercitatione in genere.*

DIODORVS Cronus dialecticus, sophisma à Stilpone propositum soluere nequit. Vide tit. Logicorum ineptorum.

ANTONIVS Caracalla Imp. quandiu præceptoribus vsus est, magnam de se & eruditionis & virtutis omnigenæ expectationem in animis hominum excitauit: sed pòstquam ad imperium accessit, crudelitate & immanitate sibiipsi dissimillimus euasit. Quãtum philosophicis exercitiis detrahebatur, tantundem tyrannidi indies accedebat.

IGNAVI, INEPTI ET NEGLIGENTES IN DOcendo aut dicendo.

M. POMPILIVS Andronicus Syrus, studio Epicureæ sectæ desidiosior in professione Grammatica habebatur Romæ, minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque Cumas secessit, ibique in magna paupertate vitam exegit. Suetonius de Illustr. Grammat.

M. GLABRIO, æqualis C. Pisonis, bene institutus aui Scæuolæ diligentia, socordi natura negligentíque seipsum tardauit, quo minus in dicendo clarus euaserit. Cic. in Bruto.

M. TORQVATVS, T. F. doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, plus facultatis habuit ad dicendum, quàm voluntatis. Itaque studio huic non satisfecit. Idem.

C. MEMMIVS, L. F. perfectus literis, sed Græcis, fastidiosus Latinarum, argutus orator, verbísque dulcis: sed fugiens non modò dicendi, verumetiam cogitandi laborem, tantùm sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriæ. Idem.

L. LENTVLVS satis fortis orator erat, sed cogitandi non ferebat laborem. Idem.

M. PISO orator & natura acutus, & arte limatus, laborem quasi cursum forensem diutius non tulit, quòd & corpore erat infirmo: & hominum ineptias ac stultitias, quæ deuorandæ sunt, non ferebat: iracundiusque respuebat, siue morosè, vt putabatur, siue ingenuò liberóque fastu. Cic. in Bruto.

C. CENSORINVS, non inuenustus actor, sed iners & inimicus fori. Idem.

IGNAVI, NEGLIGENTES, INEPTI IN SCRIBENDO.

Ad hunc locum omnes ineptos scriptores referre potes. Eos pariter quibus non eruditio, sed alacritas defuit in scribendo. Quosdam enim ignauia, quosdam rusticus pudor coërcet: sunt qui criticorum vngues metuunt, & dum famæ suæ consulunt, aliorum commoda negligunt.

LYCON Troadensis philosophus, Stratonis discipulus, cùm in docendo eloquentissimus esset, adeò vt Glycon diceretur: in scribendo tamen sui omnino dissimilis erat. Laertius lib. 5.

CHRYSIPPVS Solensis æmulatus est in scribendo Epicurum, vt si quid Epicurus scribere cœpisset, scriberet & Chrysippus. Atque ideo sæpius eadem scripsit, tumultuariè simul & mendosè propter festinationem: totque testimonia ingerit, vt ex his solis pleni libri videantur esse. Laert. in Epicuro.

SER. Galba eloquentissimus habitus est, propter vim dicendi, qua pollebat. Eius tamen orationes non legebantur ætate Ciceronis: quoniam omnis illa vis & quasi flamma orationis, quæ in agẽdo emicabat, in ipsa scriptione fuit extincta. Cic. in Bruto.

STVPIDI IN IMITATIONE THEORICA *Curiosa & inepta imitatio.*

TELESIAS, Thebanus poeta & musicus, cùm iuuenis adhuc in optima musica versatus esset, & modos probatissimos edidicisset, Pindari Dionisij Thebani, Lampri, Pratinæ, & reliquorum Lyricorum, qui poetæ crumatôn fuerunt, & optimè tibiis vsi fuissent: cumque in omni reliqua disciplina nõ mediocriter elaborasset, exacto ætatis vigore vsque adeò captus est scenica & varia illa musica, vt neglectis illis bonis, in quibus diu versatus fuerat, ad Philoxeni & Timothei modos, maximè varios, plurimámque habentes nouitatem, animum deflexerit: cúmque diu satis elaborasset inter Pindaricum & Philoxenium canendo modum, Philoxenium quamuis deteriorem nunquam assequi potuit, quòd optimis à puero assueuisset. Plutarchus in Musica, ex Aristoxeno recitat.

PIGRES Carius ex Halicarnasso, frater Artemisiæ reginæ, Homeri Iliados versibus heroicis pentametrum adiecit, adeò vt in Elegiacum carmen Iliada commutaret: vt μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος, μοῦσα γὰρ σὺ πάσης πείρατ' ἔχεις σοφίης. In eum quoque referunt Margiten & Batrachomyomachiam, Homero alioqui attributa poemata.

TIMOLAVS Larissæus Macedo, Anaximenis Lampsaceni discipulus rhetor & poeta, in Homerica poesi heroicum heroico addidit: vt, μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος, ἣ ἔθετο χρύσῃ κεχολωμένος εἵνεκα κούρης. Quod etiam Idæus Rhodius fecisse dicitur. Gyraldus Dialogo 3. Hist. poet.

NESTOR sub Seuero, Sarandæus ex Lycaonia, Iliada conscripsit ἀστοιχείωτον, quia deerant in ea literę. Quomodo & Tryphiodorus scripsit Odysseam absque α litera. Scripsit & auium & plantarum historiam: Alexicepon, id est hortum auxiliarem, elegiacis versibus. Huius filius PISANDER ἡρωικῶν θεογαμιῶν scripsit carmine. Gyraldus Dialogo 4. Hist. poet.

IDAEVS Rhodius, versum versui componens, poesim Homericam duplicauit. Idem.

IVDICIVM IN THEORICIS INEPTVM TEMErarium & peruersum.

Consule tit. Certaminum literariorum. Item, Bona sua maioribus quàm mereantur laudibus euehere: sub loco Superbiæ & Mendacij.

MIDAS Gorgij filius, quum agrestem Panos Dei cantilenam Apollinis carminibus prætulisset, indignatus Apollo, asininas auriculas eidem indidit: quibus postea abiit in risum. Vide Ouidium libr. 11. Metamorph.

PANIS rex Chalcidis, Hesiodum Homero prætulisse, à quibusdam falsò narratur.

Simonides quum cæteros laudando venaretur, vt aliquid darent, interrogatus, quur non THESSALOS captaret? Stupidiores sunt, inquit, quàm vt à me falli possint. Qui quærunt cui imponant, ad stupidos eunt. Atqui tam erant stupidi, vt non sentirent ingenium poematum illius, nec tangerentur amore nominis in posteros transmittendi, non poterãt ab illo falli. Eras. Rot. lib. 6. Apoph.

Psaltes quidam apud ANTIGONVM, artis suæ specimen edebat. Quum verò sæpius Antigonus diceret, constringe netem, & rursus mediam: indignatione commotus, respondit: Auertant, ô rex, à te dij malũ hoc, vt me melius atque exquisitius hanc artem teneas. Iniquè tulit musicus eius reprehensionem, qui à musices studio planè alienus erat: indignum esse putans, artificem reprehendi ab eo, qui manus fidibus nunquã admouisset. Ælianus libro nono de Varia historia. Plutar. in Regum & Impp. Apoph. de Philippo rege idem recenset.

Q. RHEMMIVS Palæmon grammaticus Veicetinus, M. Varronem porcum appellabat, secum & natas & morituras literas iactabat: se denique Palæmonem illum esse, cuius Vergilius in Bucolicis mentionem fecisset, diuinando quòd omnium aliquando poematum iudex esset futurus. Vide tit. Grammaticorum.

DE HABITIBVS THEORICIS.

DE iis quæ ad Theoricos habitus acquirendos, confirmandos, exercendos facere poterant, egimus. Nunc habitus ipsos aggredimur. In quorum enarratione illud est obseruandum, quòd vel coniunctim, vel separatim considerantur. Coniunctim quidem, propter artium & scientiarum affinitatem mutuam: separatim verò, quoniam certis quibusdam terminis ac limitibus à se inuicem distinguuntur, naturaque inter se differunt, quamuis vsu coniungantur, & mutuas præstent operas. Coniunctim igitur Theorici habitus in illis esse intelliguntur, quos sapientes olim vocauerunt. Sapientia enim perfectißimum habitum Theoricum significat. Habitus autem iste vel generalis est, & omnium rerum principia & effectus cognoscit: vel particularis, qui alicuius rei naturam tantum assequitur. Priore significatione sapientes ὅλως *vocarunt omnes eos, qui rerum cœlestium, naturalium, diuinarum cognitionem haberent, & in illarum inuestigatione potius quàm in Reip. administratione versarentur. Testis est Arist. in 6. Ethic. cap. 7. inquiens:* διὸ ἀναξαγόραν καὶ θαλῆν καὶ τοὺς τοιούτους, σοφοὺς μὲν, φρονίμους δ' οὔ φασιν εἶναι, ὅταν ἴδωσιν ἀγνοοῦντας τὰ συμφέρονθ' αὑτοῖς, καὶ περιττὰ μὲν, καὶ χαλεπὰ, καὶ θαυμαστὰ καὶ δαιμόνια εἰδέναι αὐτούς φασιν, ἄχρηστα δ', ὅτι οὐ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ ζητοῦσιν. *Quod quidē nomē Pythagoras postea in philosophiā cōmutauit, seque nō* σοφὸν *sed* φιλόσοφον *dici voluit: quòd neminē reuera* σοφὸν *esse appellariue debere arbitraretur, præterquā Deū. Peruenerat enim ille eò, quò etiam Socrates, vt humanæ mentis in rerum inuestigatione imbecillitatem agnosceret: & hoc vnum se scire profiteretur, quòd nihil sciret, omnia tamen scire desideraret. Quamuis igitur ex vulgi opinione sapientes illi olim fuerint habiti: reuera tamen sapientes non fuerunt. multa quidem eaque præclara sciebant, veruntamen non solida scientia, sed vmbratili quadam cognitione: quam si quis cum vulgi (quod sensu tantùm nititur) cognitione conferat, illustris quædam & fœcunda esse videbitur sapientia: si cum intelligentiarum cognitione, ita se habebit, vti fumida lucerna ad splendidißimum solis iubar. Demus tamen, sapientes hos quoque dici posse, eorumque exempla aliquot referamus. Iam verò posteriore significatione eos sapiētes vocamus* κατὰ μέρος *(vt Aristoteles inquit) qui in aliqua scientia theorica, vel arte mechanica excellentißimi sunt. sic Phidiam sapientem statuarium, Hippocratem sapientem medicum, Aristarchum sapientem grammaticum appellamus: quoniam ad summum eius artis, quam profitentur, peruenerunt. Tot igitur sapientiæ particularis species erunt, quot erunt habitus Theorici & factiui. Inter Theoricos rursus, cùm Theologia subiecti dignitate cæteros omnes vincat, certè sapientiæ vocabulum ei potißimùm conueniet. Ea propter* σοφίαν *absolutè appellare consueuerūt, &* πρώτην φιλοσοφίαν *excellētiæ habita ratione. Cùm ergo sapientia alia sit vniuersalis (quæ vno veluti fasce omnes Theoricos habitus, aut certè complures complectitur, cuius appellatione nos theoricos habitus coniunctim consideramus) alia verò particularis (cuius appellatione habitus theoricos separatim intelligimus) de vniuersali primo loco differemus, eamque pariter diuidemus. Quidam enim in omnibus simul excelluerunt, quidam in aliquibus tantùm. In omnibus quidem non reuera (excepto Christo Iesu seruatore nostro) sed opinione & persuasione sola hominum, qui ex musca elephantum facere consueuerunt. In aliquibus similiter, quantum videlicet homini de rebus sublimioribus cognoscere fas est. His omnibus rursum opponemus Sophistas, qui falsa persuasione & iactantia omnium rerum peritos se profiteri fuerunt ausi. Nunc ad exempla veniamus.*

SAPIENTES.

EXEMPLA SACRA.

Cùm vera solidáque sapientia in hominem non cadat, sed in solum Deum, in Iesu Christo Dei filio, veroque homine hanc ipsam nobis propositam fuisse, ideæ instar: nemo Christianus ambigere debet: vt qui pro nobis grauissimum supplicium pertulit, summæ quoque perfectionis exemplum nobis exhiberet. Quis igitur auspicatius huic titulo dabit exordium, quàm qui exemplar fuit virtutum omnium, qui omneis docuit gētes, rex fuit, quin potius rex regū, per quē via ad cœlū homini patefacta est, & omne virtutū specimen in aperto positū? Nā, quod ad hoc pertinet, quis Christo fuit vnquā sapientior, cuius nomē in sapientiæ appellationē abiit? Quis potentior, quā qui propria virtute operatus est vt cęci viderent, audirent surdi, claudi ambularent, mortui reuiuiscerēt? Quis fortior, quàm qui moriendo mortem vicit? Aut quis prouidentior, quàm qui tacitos intra præcordia cogitatus hominum pręuidit: qui rogare volentibus toties occurrit: quæ in se postremò euentura erant, tanto prius præuidit ac prædicauit? Quis frugalior aut continentior, quàm, qui cùm omnia posset, nihil tamē habuit, nihilque habere voluit? Quis humilior, quàm qui piscatores sibi comites legit, qui publicanum non auersatus est? Quis demum clementior, quàm qui latroni dedit veniam, meretricē flentem non à se repulit? Fuerunt equidem aliæ virtutes in aliis: in Christo Nazareno omnes fuisse, fatetur humana pietas. Sab. libro primo, capite quinto.

ADAM Protoplastus cùm à perfectissimo Deo perfectissimus homo fuerit creatus, sapientissimum quoque fuisse oportet. Cuius quidem indicia manifesta dedit, quando animantibus omnibus nomina apta, & illorum naturæ conuenientia, Deo opt. max. iudice, indidit. Nam cùm nomen rei naturam proximè exprimere debeat, non cuiusuis est (vt in Cratylo docet Plato) nomina imponere: sed eius tātùm, qui rerum essentiam optimè perspectam habet. Genes. 2.

MOSEM *Sacræ* literæ omni sapientia Ægyptiorum instructum fuisse asserunt. Verùm quia profana hæc erat sapientia, accessit insuper diuina vocatio & illustratio, cuius præsidio numerosissimum populum à crudelissimo tyranno liberare, & per 40. annos in vasta solitudine seruare potuit. Vehementer errat Plinius, qui Mosem multis annis post Zoroastrem Magiam professum scribit: Græcorum fabulis plus credens, quàm veritati.

In SOLOMONE omnes gentes sapientiam sunt admiratæ: cuius fama impulsa Æthiopum regina Nicaula, Hierosolymam venit, audiuitq; regem nobilis hospes: & quem absens mirata fuerat, præsens venerata est, donauitque amplis muneribus: sed ipsa multo amplioribus aucta, veritatem scilicet adepta, quam tum omnis cæterarum gentium miserabilis sapientia ignorabat. Sab lib. 1. cap. 5.

EIDEM quoque à Deo concessum fuit, vt artem contra dæmones ediscere ad hominum salutem: curationes item institueret, quibus ægritudines possent mitigari. Quam edoctus artem Eleazarus, spectante Vespasiano, eos curabat, qui à dæmonibus vexabantur. Iosephus lib. 8. Antiquitatum.

MAGI, hoc est sapientes, ab Oriēte venerunt, Christum natum adoraturi: ex Brachmanum & Gymnosophistarum gente, quorum mira fuit in eliciendis intelligentiis scientia. Non malos tamen Magos illos fuisse, indè patet, quòd Christus Deus, cui nulla est cum Belial societas, dona illorum acceptauit.

EXEMPLA PROFANA.

Antiquitas ÆGYPTIORVM sacerdotes tantopere fuit admirata sapientiæ nomine, vt pręstantissimi Græcorum philosophi ad eos peregrinati sint, eruditionis causa. In Magia excellebant, & eandem discere volentibus communicabant: cùm religione non impedirentur, vt IVDAEI, qui secretiores & acroamaticas disciplinas (quas Cabalisticas vocant) Gentilibus non circuncisis manifestare nefas esse ducebant. Eo factum, vt quamuis vera sapientia apud Iudæos esset, ex Ægypto tamen peteretur, quòd illic venalis prostaret. Pythagoram certè cum Iudæis sacerdotibus conuersatum, historiæ produnt, non prius tamen, quàm Iudaicis sacris initiatus esset. Potuit igitur tantisper religionem simulare, donec sapientiam ab illis extorsit: postea ad vomitum rediit.

BRACHMANES apud Indos, aliàs Gymnosophistæ, Abrahami patriarchæ filij ex concubinis, in Orientem à patre suo cum donis ablegati dicuntur, in libro Geneseos. Dona proculdubio maxima & amplissima fuere, artes & disciplinæ reconditæ, Astrologia vera: ipsa denique Magia naturalis, qua non olim tātùm per totum terrarum orbem celebres erant, verumetiam adhuc hodie (si verę sunt Lusitanorum nauigationes) tantùm pollent, vt cum separatis intelligentiis pro libito versentur. Nudi feruentissimum solem ferre dicuntur: vnde & nomen habuerunt, teste Plin. lib. 7. cap. 2.

DRVIDAE Gallorum olim sapientes & magi, à quercetis, in quibus habitabant, nomen sumpsere. De quibus Plin. libro 16. cap. vlt. A Tiberio Cæsare propter humanas victimas penitùs deleti fuere. Idem libro 30. cap. 1.

PALAMEDES πάνσοφος dictus, quòd in theorica simul & in praxi excellentissimus esset. Vide tit. Doctorum princ.

VLYSSEM sapientiæ nomine plurimi fecit Æolus, vt Parthenius in Eroticis cap. 7. testatur. Alij econtrà Vlyssem ad Æolum sapientiæ causa profectum esse arbitrantur: & idipsum Homero quoque sub fabularum inuolucris placuisse verisimile est.

SEPTEM olim sapientes Græcia habuit de quorum origine inconstans est fama. Quidam propter antiquitatem aiunt, Ionicos adolescentes quosdam à piscatoribus Milesiis iactum retis emisse. Capto deinde & educto tripode, orta contētio, non antè sedata est, quàm Delphos à Milesiis missum, responsúmque à Deo est,

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς.
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.
De tripode ex Phœbo quæris Milesia proles:
Huic tripodem addico, cui sit sapientia prima.

Datur ergo Thaleti, Thalesque illum alij dat, & rursus alius alij, donec ad Solonem

Solonem

Solonem ventum est. Qui Deum primum esse sapientia asserens, tripodem Delphos misit. Ista Callimachus in Iambis aliter tradit, accepta à Leandro Milesio. Bathyclem enim quempiam Arcadem phialam reliquisse, atque iussisse dari sapientissimo: datámque Thaleti, ac per orbem rursum Thaleti, quam ille Apollini Didymæo miserit. Qui autem circuntulerat phialam Bathyclis filius, Thyrion vocabatur, vt Eleusis ait in libro de Achille, & Alexo Mindus in nono fabulosorum. Eudoxus autem Cnidius, Euantésque Milesius aiunt, Crœsi amicum quendam aureum poculum à rege accepisse, vt illud sapientissimo Grecorum daret: ipsúmque Thaleti dedisse, peruenisséque ad Chilonem. Ei verò, cum à Pythio quæreret, quísnam esset se sapientior: responsum esse, Mysonem Chenæum. Qui autem rogauerat, Anacharsis fuit. Dædacus Platonicus & Clearchus phialam à Crœso ad Pittacum missam, atque ita in orbem circunlatam ferunt. Andro verò in Tripode, Argiuos ait virtutis præmium sapientissimo Græcorum tripoda constituisse, eúmque Aristodemum Spartanum fuisse iudicatum: qui item concesserit Chiloni. Plerique à Periandro ad Thrasybulum Melesiorum tyrannum onustam nauem missam referunt. ea verò cùm circa Coum mare naufragium fecisset, inuentum pòst à piscatoribus tripodem, qui ea vehebatur. Phanodicus circa mare Atticum repertum, atque in orbem delatum scribit: factáque contentione, ex decreto publico Bianti missum. Alij à Vulcano fabrefactum tradunt, ac pro munere Pelopi à Deo datum: cùm ille vxorem duceret: demum ad Menelaum peruenisse, raptúmque cum Helena ab Alexandro, in Coum mare fuisse demersum, suasu Helenæ, ne rixarum causam præberet. Postea cùm quidam Lebedij iuuenes retis iactum in eo loco mercati essent, tripoda quoque fuisse extractum. Verùm cùm exorto cum piscatoribus iurgio, Coum ascendissent, nihilque proficerent: Miletum, quæ erat metropolis, eam rem detulerunt, Missi à Milesiis legati, qui eam rem componerent, infecto negocio reuersi sunt. Milesij vt se contemptos viderunt, aduersus Coos armis decernere parant: plurimísque hinc inde cadentibus, oraculo responsum est, sapientissimo dandum tripoda. Mox in Thaletem vtræque partes consensere. Hunc ille postea Didymæo deuouit Apollini. Oraculum Cois datum tale fuit:

Μὴ πρότερον λήξειν νεῖκος μερόπων καὶ Ἰώνων,
Πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν Ἥφαιστος βάλε πόντῳ
Ἐκ πόλιος πέμψητε, καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
Ὅς τε δάη τάτ' ἔοντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρότ' ἔοντα.

Hæc Laert. libr. 1. Thalete. Eos postea singulos hoc ordine recenset:

THALES Milesius post Reipub. negocia sese ad contemplandam rerum naturam transtulit, in astrologia multa inuenit. Natus anno primo 35. Olympiadis. moritur anno ætatis 70. vel 90. cùm certamen gymnicum spectaret, æstu sitíque defatigatus.

SOLON Salaminius Atheniensium legislator fuit. Pisistrato deinde rerum potito, in Ægyptum nauigauit: atque inde Cyprum profectus, postremò ad Crœsum peruenit. A Crœso in Ciliciam abiit, & ibi Solos vrbem coloniam Atheniensium quorundam cōdidit. Floruit circa Olymp. 46. cuius tertio anno princeps Atheniensium fuit. Obiit in Cypro ætatis anno 80. & cineres suos Salaminem in patriam transferri, ibique disspergi mandauit.

CHILO Lacedæmonius, ephorus fuit Olymp. 55. Obiit Pisæ, amplexus & osculatus filium, quòd in Olympia fuisset coronatus.

PITTACVS Mitylenæus, Phrynonem Atheniensium ducem, reti inuolutum in singulari certamine, occidit: & per decem annos princeps Mitylenæorū, sponte sua se abdicauit magistratu. Floruit Olymp. 42. Moritur anno tertio 52 Olympiadis, cùm vixisset supra annos septuaginta, & in Lesbo sepultus est.

BIAS Prienæus à Satyro omnibus aliis sapientibus præfertur. Præter reliqua studia & Reipubl. curam, etiam causas iam senex egit: cumque pro amico causam dixisset, & caput in sinu nepotis ex filia reclinasset, vt se victorem à iudicibus declaratum audiuit, præ gaudio expirauit, Contra Alyattem regē, qui vrbem obsederat, stratagematis certauit feliciter.

CLEOBVLVS Lindius, ex Caria, in Ægyptum philosophię causa abiit. Filiam habuit Cleobulinam poetriam. Obiit anno ætatis 70.

PERIANDER Corinthiorum tyrannus, vxorem Lysiden (quam ipse vocabat Melyssam) prægnantem, missam sub gradus calcibus percussit, atque necauit, pellicum suasu: quas postea igne cremauit. puerúmque Lycophrona matrem fletu persequentem abdicauit, & in Corcyram ablegauit. Reuocatum postea, cùm ei tyrannidem per manus tradere vellet, Corcyrenses interfecerunt. Periander mœrore contabuit, annos natus fermè 80. ante 49. Olymp. Cum matre quoque Cratea congressus dicitur. Primus hic stipatores corpori adhibuit. Tyrannidem exercuit annos 40. Et hunc tamen non pudet inter sapientes recensere? Nisi fortè duo fuerint Periandri, Corinthius tyrannus, & Ambraciotes sapiens: patrueles, vt Neanthes Cyzicenus opinatur.

ANACHARSIS Scytha, Gnuri filius, Gaduidæ Scytharum regis frater, matre Græcus, & vtriusque linguæ peritus, Athenas philosophandi causa venit, 47. Olymp. sub Eucrate principe, & Soloni sese insinuauit. In patriam reuersus, cùm Scytharum leges in Græcas conuertere vellet, in venatione à fratre sagitta interficitur.

MYSON Chenæus, vico Laconiæ, patre tyranno ortus. Cùm ab Anacharside quæreretur Pythia, Quis se esset sapientior? respondit, Mysonē Chenæum. Anarcharsis eò profectus, eum reperit æstate stiuam aratro aptantē. Fuit autem hominum osor, & solitudinis amator. Pleraque illius Pisistrato tyranno ascribunt, propter ignobilitatem generis. Eum Plato in Protagora pro Periandro inter sapientes numerat. Moritur anno 97.

EPIMENIDES Gnosius, missus à patre vt ouem domum ferret, sub meridiem in speluncam lassus diuertit, atque ibi per 57. annos dormiuit. Olymp. 27. Athenas vocatus, vrbem expiauit, & pestilentiam sedauit, cùm ignoto Deo sacra eos facere iussisset. Obiit, in patriam reuersus, anno ætatis 157. vel 299. vel 154. Diuinationis peritissimus fuit, & in poesi versatissimus. A nymphis cibum accipere solebat, eúmque intra bouis vngulam recondebat. Itaque à nemine vnquam vel edere vel egerere visus est.

PHERECYDES Syrus, Pittaci auditor, diuinationis peritissimus, Pythagoræ æqualis, circa 69. Olymp. obiit phthiriasi: vel, vt alij volunt, Delphos profectus, è monte Corycio seipsum præcipitauit.

Atque hi sunt Sapientes appellati, teste Laertio: quàm rectè, viderit antiquitas. Meritò igitur cum sacris Literis exclamare possumus, Sapientia mundi stultitia apud Deum. In epigrammatis græcis, septem Sapientes breui & eleganti carmine comprehenduntur:

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν.
Μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χίλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
Ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε, Χόλου κρατέειν. Περίανδρος.
Πιττακὸς, Οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ, Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
Ἐγγύην φεύγειν δὲ Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.

PYTHAGORAS Samius ex peregrinationibus tantam eruditionem secum in Græciam reportauit, vt non modò sapiēs, verumetiam deus haberetur.

ERATOSTHENES Cyrenæus, in omni genere scientiarum versatus. Vide tit. Poetarum physiologorum.

SOCRATES, Apollinis oraculo sapientissimus fuit iudicatus, propter id vnum fortasse, quòd se nihil scire profiteretur. Chærephōti enim oraculum consulenti, Pythia respondit.

ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Quo tamen ipso testimonio in maximam inuidiam virum tautū dæmon astutissimus congessit: & simul constantiam illius ac integritatem labefactare conatus est, vt tanta laude tumidus, ex vero philosopho ambitiosus & arrogans sophista efficeretur. Laert. lib. 2.

DEMOCRITVS Abderites ab Anaxagora oratore Socratis discipulo πένταθλος dicebatur, quòd in omni genere philosophię exercitatus esset, in physicis, ethicis, mathematicis, metaphysicis atque logicis. Laert. lib. 9.

APOLLONIVS Tyanęus magus fuit insignis, adeò vt cum quidam malè feriati homines Christo optimo maximo, maiori impietate an stulticia nescio, conferre non dubitarint.

NICOLAVS Damascenus, vir in omni literarum genere doctissimus. Vide tit. Poetarum, Comicorum Latinorum.

QVI IN MVLTIS THEORICIS ARTIBVS
& disciplinis excelluerunt.

Huc ferè omnes philosophi veteres referri possunt. Nam cùm Philosophiæ partium inter se magna sit coniunctio & affinitas, facile est ei, qui vnam nouit, alteram quoque perdiscere: quinimò difficillimum, vnam absque altera perfectè consequi.

PLATO filius Aristonis, primùm omnium ad artem poeticam animum adiecit, & heroica carmina facere cœpit. Postea combussit, nihili faciens, cùm ad Homeri versus examinans, longè deteriora esse videret. Proinde ad tragœdias scribendas animum applicuit, & elaborata tetralogia: iam in histrionum manus poemata tradiderat, & de palma volebat contendere. Verùm ante Bacchanalia semel audito Socrate, captus omnino fuit illius syrene: & non solùm à certando tunc destitit, sed in totū etiam scribendarum tragœdiarum studium abiecit, atque philosophiam amplexus est. Ælianus lib. 2. de Varia historia.

ARISTOTELEM Stagiritam admirari facilius, quàm imitari possumus: qui primus omnium philosophię omnigenę pręcepta in vnum collegit, & semina à superioribus philosophis accepta tanta diligentia ex-

colluit,vt Platone excepto ad philosophię arcem solus penetrasse videri posit.Testantur hoc scripta illius:quibus si maiorem plerique operam impenderent,melius cum re literaria ageretur.

ADRIANVS Imperator tam doctus fuit,atque poetices studiosus, vt persępe ei criminis loco obiiceretur.Arithmeticę & geometrię peritissimus fuit,pinxit egregie,musicē excellēter calluit:& ante alia, astronomię scientia ętatis suę omnes anteire visus est.Neque verò (etsi imperij occupationibus distinebatur)vnquam earum disciplinarum studium intermisit, dum simul scriberet, dictaret, audiret, loqueretúrque. Itaque pro prodigio numerari potest,tam multarum rerum scientiam in imperatore fuisse:cuius vel dimidia pars in priuato , atque eodem ocioso homine, si inueniretur , id etiam amplissimum videri posset. Fulg. libr.8. cap.7.

AVRELIVS Alexander Seuerus,quanquam occupationum magnitudine in imperio penè opprimeretur:fuisse tamen legitur optimus aruspex , excellens augur,musicus insignis, & qui solutam orationem carménque eruditissimè scriberet. Quibus rebus tantum impendit operę, vt in conuiuiis consueuerit vel legentes audire,vel ipse aliis vescentibus legere. Idem.

SOPHISTÆ.

Vt Enti non ens,ita Sapienti sophista opponitur.Honorificum olim hoc fuit nomen : sed hominum auaricia & ambitione odiosum esse cœpit, vt improbi tantùm homines,qui literarum aucupio gloriam simul & quæstum captarent , Sophistæ dicerentur. Eorum exempla plurima ex tit. Logicorum atque Rhetorum peti possunt.nam cùm philosophiæ instrumenta sint, Logica, Rhetorica & Poetica , vtpote quibus sapientes homines ad rerum veritatem indagandam & explicandam vtantur : sophistæ rerum cognitione destituti , instrumentis hisce superbiunt : quæ quia locos generales de omnibus rebus dicendi scribendíque continent, de omnibus quoque rebus aliquid in medium afferre possunt, quo sapientiæ opinionem apud imperitam plebeculam sibiipsis concilient, & ex hac existimatione quæstum faciant. Similes igitur sunt procis Penelopes, qui cùm domina potiri non possent, cum ancillis rem habebant:nec aliter faciunt, quàm qui multos & præclaros libros sibi comparant, cùm illis interim vti nesciant. Qui plura exempla desiderat, legat tit . Magorum:item eorum, Qui diuinos honores affectarunt, sub loco Astutiæ.

Cùm Socrates totus fuerit in confutandis falsis opinionibus sophistarum sui temporis:Plato autem ea quæ à Socrate disputata fuere, memoriæ literarum mandarit: ex Dialogis Platonis sophistarum exempla plurima desumi poterunt.Ex Cratylo HERMOGENIS, qui nominum rectitudinem à natura,non autem ex pacto hominum pendêre arbitrabatur.Ex Euthydemo,EVTHYDEMI & DIONYSIODORI fratrum, qui artem disserendi profitebantur:hoc est,ipsam sophisticam dialecticam.Ex Protagora,PROTAGORAE & PRODICI.Ex Gorgia, GORGIAE & POLI. Ex Menone , MENONIS . Ex Hippia, HIPPIAE & EVDICI. Eo certè tempore sophistarum maxima erat copia : nam & quæstus maximus.Quibus omnibus Socrates,Herculis instar, oppositus fuit,vt illorum vesaniam redargueret.Nominum satis est hîc meminisse. Omnes enim illorum ineptias persequi,vt operosum esset , ita à nostro instituto alienum.

DAPHIDAS sophista,Delphicum Apollinem eludere cupiens,ab eodem elusus est.Vide infrà sub tit.Oracula non intellecta.

THEODORVS ἄθεος primò,deinde θεὸς dictus:sophista arrogantissimus fuit,simul & impudentissimus,Aristippi μητροδιδάκτου auditor. Nam cùm Deos esse negaret,& inter homines , eos qui literis essent exculti, cæteris præstantiores esse videret:Deum sese profiteri fuit ausus , & tyranni instar cœlos eiectis diis inuadere.Laert.lib.2.in Aristippo.

Theodori discipulus BION Borysthenites fuit,qui multos discipulorum impietate,quam à magistro hauserat, corrupit.Tandem longo morbo confectus,Deos esse fassus est,sanitatis recuperandę ergò. Stultus,qui Deos tunc tandem esse voluerit,quando iis opus haberet Bion.Laertius libro quarto.

PROTAGORAS Abderites Democriti auditor,Sapientia dicebatur. Sed stulticiam eius ex eo quis colligat,quòd Deos negauit : eámque ob causam Athenis fuit pulsus.Laert.lib.9.

SIMON Magus,MENANDER, nebulones & impostores maximi, non humanæ tantùm sapientiæ, verumetiam diuinitatis nomen sibiipsis arrogant.Vide tit.Magorum.

LVCIANVS sophista Samosatenus,ob mores Atheos nominatus,sub Traiano principe,cùm apud Antiochiam Syriæ causidicus esset,atque in ea arte planè decoxisset,se ad scribendum dialogos conuertit , lacerandámque Christi religionem:in quo sanè ridiculus apparuit.Obiisse dicitur à canibus(vt par fuit)laceratus.Suidas.

ECEBOLIVS sophista Constantinopolitanus, sub Constantino Magno Christianus ardentissimus visus,mox sub Iuliano principe apostata apparuit.Suidas.

DOCTI PRINCIPES

Doctrinæ & literarum exercitatio cùm per se fructuosissima sit, tum certè iis iucundissima, qui non coacti, sed sponte sua philosophantur:nec sapientiam victus gratia(vt vulgus opinatur)sed propter se expetunt. Itaque valde præclara sunt. Principum exempla, qui in summo dignitatis & honoris fastigio constituti, literas non modò coluerunt & admirati sunt:sed ipsi quoque eas sunt professi, primáque Platonicæ politiæ fundamenta iecerunt. Illam enim beatam fore Rempub. dicebat Plato, in qua vel philosophi regnarent, vel reges philosopharentur. Hoc ipsum veteres innuere voluerunt, quando Palladem sapientiæ simul & armorum præsidem esse finxerunt.

DAVID rex Iudęorum,doctissimus fuit:qui primus vario genere carminis laudes Deo optimo maximo ad citharam decantarit.

SALOMON eius filius tantæ fuit eruditionis, vt Sapientis nomen etiam Christi Iesu benedicti testimonio meruerit.

ARTVASDES Armeniorum rex , tragœdias , orationes & historias scripsit,quæ ad ipsius vsque Plutarchi tempora extabant.Gyrald. Dial.5. hist.poet.

PALAMEDES Nauplij & Climenes Agamemnonis sororis filius, Argiuus poeta & philosophus πάνσοφος dictus , poemata multa scripsit, quæ vel Agamemnonis posterorum , vel ipsius Homeri inuidia perierunt.literas inuenit Ξ(alij tum Ζ Θ Φ Χ) & Υ ex gruum volatu: item latrunculos,tesseras,pondera & mensuras,pecunias,numeros, horas, annum & menses.Sapientia omnibus superior.Summæ abstinentiæ. Mortuus pro Deo cultus est, sacellúmque ei cum simulacro apud Lapetymnum montem supra Lesbum positum.

PISISTRATVS Athenienses graui tyrannide pressit:at ille idem tamen ingenia eorum excoluit , Bibliotheca primò omnium publicata, quam postea Xerxes maximi thesauri loco ad Persas transtulit.Gell. lib. 6.cap.17.

PERIANDER Corinthius tyrãnus,doctus adeò fuit, vt inter septem Græciæ sapientes fuerit connumeratus.

PTOLEMAEVS Philadelphus Ægypti rex,Stratonis discipulus,omni literarum genere instructissimus, quamuis infirma valetudine vteretur:Bibliothecam Alexandrinam maximis sumptibus,sed maiore sui nominis gloria,& incredibili posteritatis vtilitate construi fecit.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus,in poesi ita versatus,vt etiam tragœdias scriberet,philosophorum Platonis & Aristippi conuersatione summopere delectatus, cùm exul Corinthi ludum aperiret,hoc sibi ex philosophia præsidij contigisse dicebat , quòd aduersam fortunam maiore animo quàm secundam ferre posset.

HIERO Syracusanus tyrannus, cùm per morbum à politica administratione feriari cogeretur, Simonidem accersiuit poetam : & ab eo instructus,doctissimus euasit.Ælian.lib.2.Var.hist.

NVMA Pompilius secundus Rom.rex, cùm esset ingenio ad omnem virtutem accommodatus,seipsum magis per disciplinarũ laborem philosophiamque excoluit: vt non modò animi detestãdas perturbationes, sed laudatam quoque inter barbaros vim & habendi cupiditatem à se amoueret.Plutar.in eius vita.

CORN. Sylla,comœdias Satyricas lingua Latina composuit , teste Athenæo.

C.IVLIVS Cæsar, quem armorum laus & victoriarum gloria cœlo æquarunt,à studio literarum,quamuis in medio bellorum furore , non abhorruit. Accedit operum fides. Præter enim adolescentiæ suæ libros (quos publicari, dum bibliothecas ordinat,Augustus vetuit) anni totius ordinem,& bissexti rationem , quicquid de mensura æui vetustioris ad eum diem vel ignotum vel confusum fuerat,summo studio digessit,literísque & memoriæ tradidit posterorũ:atque vt in Saturnalibus scriptum est,omnem constantiam temporis vagam adhuc & incertam , in ordine statæ diffinitionis coegit,& edicto palàm posito publicauit. Scripsit Anticatones duos.scripsit & de Analogia auspiciorum.Verùm præter hæc, rerum à se gestarum tam Gallici quàm ciuilis belli libros edidit, non à suis magis quàm ab hoste laudatos.M.enim Tullius,hostis alioqui : Cõmentarios, inquit, scripsit , valde quidem probandos:nudi sunt,recti & venusti,omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios paratam habere,vnde sumerent , qui scribere vellent, historiam, ineptis gradum fortasse fecit,qui illa vellent calamistris inurere : sanos quidem homines à scribendo deterruit.Eosdem libros, scriptor Cæsaris laudum(vt fama fert)Iulius Celsus , vt Suetonio videtur , Hircius ita commendat : Difficillimam rem suscepi , Cæsaris nostri Commentarios rerum gestarum Galliæ.Nec multo pòst:Quos vtinam qui legerint,scire possint quàm inuitus cœperim scribendos, quo facilius caream stulticiæ atque arrogantiæ crimine , qui me mediis interposuerim Cæsaris scriptis.Constat enim inter omnes, nihil tam operosè ab aliis esse profectum,quòd non horum elegantia superetur: qui sunt editi,ne scientia tantarum rerum scriptoribus desit:adeoque probãtur omnium iudicio, vt prærepta , non præbita facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen nostra maior quàm reliquorum est admiratio. Cæteri enim quàm benè quamque emẽdatè, nos etiã quàm facilè atque celeriter eos perfecerit, scimus.Et hæc quidem ille.Sanè de celeritate apud Suetonium habetur expressius,vbi ait:Et hos libros, & alios plurimos,in quibus etiam poema quod Iter inscribitur,tanta cũ velocitate peregisse dicitur, vt quosdam ex eis in Alpium transitu scripserit , ex citeriore in Transalpinam Galliam reuertens: belli Gallici temporibus quosdam , ipsorum bellorum Ciuilium sub Mutinense discrimen : quosdam ab vrbe Romana in vlteriorem Hispaniam proficiscẽs,quam viam simul cum studio diebus quatuor & viginti perfecit : incertum his similibus operibus linquens, vtrum animi foret,aut corporis,an robore vel celeritate mirabilior.Petrarcha de Studio.

IDEM scripsit poema,Iter dictum:item tragœdiam Oedipum, necnon Herculis laudes : item alia quædam carmina , quæ in bibliothecis reposita esse testatur Tacitus.Captus à piratis, cùm versus faceret, & illi parum laudarent,eos vocabat homines sine sensu,ac barbaros, dignosque cruce:quos & paulo pòst liberatus cruci suffixit. Gyrald. Dialogo 5. Hist.poet.

Cæsar AVGVSTVS, Iulij filius , tam studiosè paternis vestigiis inhæsisse traditur,vt grauissimis bellorum studiis , & imperij curis oppressus,& tot coniuratorum obsessus insidiis, horas & momenta colligeret, nec vllum tempus inutiliter labi sineret. Constat eum inter comedendum,radendúmque,vel lectioni operam dare solitum,vel scripturæ:inter crebra quoque somni,cuius parcissimus fuit,interualla confabulatorum solatium adhibere.Studia liberalia,vt Suetonius ait,ab ætate prima cupidè & laboriosissimè exercuit:Mutinensi bello in tanta mole rerum & legisse,& scripsisse,& declamasse quotidie fertur:itaque varij generis, vt ait idem,prosaica oratione composuit : item Orationes ad populum, & aliqua de Vita sua tredecim libris Cantabrico bello, nec vltrà, exposuit.Scripsit & Epigrammatum librum , & Epistolarum ad amicos , conditum facetissima grauitate , & luculentissima breuitate. Cæterùm epistolæ aliquæ sparsim à scriptoribus referuntur,quarũ indaginem studioso committimus Lectori.Nec Latinis modò,sed Græcis : nec rhetoricis tantùm,sed & philosophicis delectatus est.Petrarcha.

IDEM librum hexametro versu scripsit , Siciliam dictum : item Epigrammata,quæ ferè balnei tempore meditabatur. Tragœdiam Aiacem exorsus,non succedente stylo,aboleuit: quærentíque Lucio tragœdiarũ scriptore,respondit,Aiacem suum in spongiam incubuisse.Fescenninos quoque versus in Pollionem scripsit.de quibus interrogatus Pollio, cur non responderet:Non facilè est,inquit,in eum scribere , qui possit proscribere.Gyrald.Dial.5.Hist.poet.

TIBERIVS Cæsar priuignus Augusti,& adoptatus in filium, lyricũ carmen composuit,cui titulus est , Conquestio de Iulij Cæsaris morte. Fecit & Græca Epigrammata,imitatus Euphorionem, Arrianum & Parthenium:quos poetas in publicas bibliothecas cum suis imaginibus reponebat.Ibidem.

IDEM & eruditionem & linguæ puritatem summopore coluit . Homeri Rhapsodias memoriter edidicit.40.Historiarum libros,impulsore T.Liuio scripsit.Dion in eius vita.Volat.lib.23.Anthrop.

GERMANICVS Cæsar,Drusi filius , à Tiberio adoptatus , eiusdem iussu veneno in Syria à Pisone sublatus est, anno ætatis 34. Græcas Comœdias & Epigrammata composuit.Eum vbique Ouidius celebrat.

CLAVDIVS Nero in poetica ambitiosè versatus est.Scripsit Troica, Hymnos & Tragœdias.In theatro quoque carmina recitauit,tanta omnium lætitia,vt ob recitationem supplicatio decreta , atque pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata sit.Gyraldus.

IDEM cogitabat de reb. gestis Rom. versibus scribere : cum tamen euolueret magnum numerum librorum,antequam aliquid eorum componeret.Qua in re præter cæteros adhibebat Anneum Cornutum , virum illis temporibus doctrina clarissimum.Xiphilinus.

Duo Fl.Vespasiani filij,alter delicię humani generis TITVS,alter flagitium DOMITIANVS .Titus in poetica excellens , ita vt poemata & tragœdias Græcas scriberet,Iosephum Iudæum eruditionis ergò & vita donauit,& maximis affecit honoribus.Domitianus à Quintiliano maximus poeta dicitur,fortassis adulandi causa,quoniam à Domitiano sororis filiorum institutioni præfectus fuerat. Tacitus eum poeticam non amasse,sed simulasse scribit:vt fratris Titi stũdia æmulatus, populo gratior esset.Gyraldus.

Nerua Cæsar Cocceius Imp.puer adhuc, à carminis dulcedine Tibullus dictus est.

VLP. Traianus Imp.doctrina non minus quàm bonitate & rerum gestarum gloria admirabilis fuit.

AEL. Hadrianus Imp.liberalibus artib.imbutus fuit,literis,præsertim Græcis,eruditissimus,vt etiam Græculus appellaretur. Mathesim probè tenebat.Quod Marius Max. vsqueadeò demonstrat,vt eum dicat cuncta de se scisse,sic vt omnium dierum vsque ad horam mortis futuros actus antè præscripserit.Igitur cùm omnes profiteretur artes,omnes exagitabat doctores,sæpe aliqua proposita quæstione certando.Et Alexandriæ quõdam in Musæo multa & proposuit & soluit. Extant adhuc quædam eius Epigrammata Græca,valdè lepida.Volat.li.23.Anth.

IDEM in carminib.facilis,vt cum poetis extemporè quoque certaret. Multa amatoria carmina de dilectis suis , quos Catamitos honestiore vocabulo appellare solebat,scripsit.Composuit & alia , quæ amicis dabat publicanda suis nominib.Vnde Phlegontis libri eius esse creduntur. Antimachum Homero præponebat, ita vt Homerum abolere, & eius loco Antimachum introducere in scholas conaretur.Ennium Vergilio, Catonem Ciceroni, Cæcilium Sallustio præferendos censebat.Moriens hos versus fecit:

Animula, vagula,blandula,
Hospes comésque corporis:
Quæ nunc abibis in loca
Pallida,rigida,nudula?
Nec, vt soles,dabis iocos.

M.ANTONIVS Rom.Imp.sub Sex.Bœoto philosopho præceptore adeò in philosophiæ studiis profecit,vt Stoicorum pręcepta ad vnguem didicerit,atque ob philosophiæ excellentiam Philosophus sit cognominatus.Rhetoricis & philosophiæ præceptis exercitatus fuit, habuítque illorum Cor.Frontonem & Cl.Herodem præceptores. Ex quo factum est,vt magna hominum multitudo philosophiæ operam dare cœperit, principis exemplo,spe quæstus & honorum.Dion,& Xiphilinus.

L.CEIONIVS Commodus,Ælius Verus Cæsar dictus , ab Adriano adoptatus, omnifariam literis eruditus,immatura morte obiit. In lecto semper habuit Ouidij & Apicij libros Amorum. Martialem , Virgilium suum appellabat.Carmine facilis fuit.

L.VERVS Antoninus,carminum tragicorum maximè studiosus, discipulus Scauri grammatici & Valerij Harpocrationis Græci rhetoris. In pueritia versus fecit.Mox se orationibus tradidit, melióque orator factus est quàm poeta.Apud Altinum apoplexia periit,cùm annis 11 cum M.Antonino regnasset.Gyral.

PVB.ÆLIVS Pertinax Ligur,& SEPT.Seuerus Afer,Imp.doctissimi, & in poetica eruditi quoque fuisse dicuntur.

OPILIVS Macrinus Imp.in Africa exulans, versus & epigrammata multa composuit.Vt & CLODIVS Albinus,qui à Seuero occisus fuit Lugduni , cùm Imp.nomen assumpsisset.Georgica scripsit , & fabulas Milesias.

SEPT.Seuerus Rom.Imp.fuit acutiss.& excellentiss. ingenio , studiosus bonarum artium,præsertim Matheseos.Itaque consilio plus quàm verbis poterat.Ocium à grauioribus negociis nactus , in Græci Latiníque sermonis studio versabatur.Dion Nicæus , & Xiphilinus in eius vita. & Volat.lib.23.Anthrop.

AVR.ALEX.Seuerus Mammeæ filius,quamuis gente barbarus,virtute tamen ad imperij culmen in primo flore ætatis euectus , suo exemplo ostẽdit,non minus splendoris ex eruditione,quàm potentiæ ex militari disciplina in Imperatores redundare.Fuit præclarus poeta & orator:sed Græca magis quàm Latina lingua. Bonorum principum vitas versibus scripsit.modulatè etiam cantauit:sed nunquam alio conscio,nisi pueris suis. Vergilium assiduè legebat, cúmque poetarum Platonem appellabat.

GORDIANVS pater iuuenis poemata scripsit,& libros 30 Antoniniados,de Antonino Pio:quem filius imitatus est.Pater post 13 mensem imperij in Africa ab exercitu occisus , filius Carthagine laqueo vitam finiuit.

BALBINVS cum Puppieno & Gordiano iuniore à Senatu Imp.creatus,nobili genere ortus, ingenio nobilior:scripsit multa poemata.

GALIENVS Imp.prosa & carmine clarus , cùm fratrum suorum filios matrimonio iungeret,omnésque poetæ Græci epithalamia dixissent per dies plurimos,ille cùm nubentium manus teneret,ita cecinisse fertur :

Ite,ait,ô pueri,pariter sudate medullis
Omnibus inter vos:non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ,non vincant oscula conchæ.

Quod carmen inter centum poetas præcipuum habitum fuit.Gyral.

NVMERIANVS Cæsar,Chari Imp.filius, eloquentia mirabili, poetica facultate cum omnibus sui temporis certabat.Has tamen tam præclaras dotes,insigni crudelitate erga Christianos obliterauit.Idem.

CONSTANTINVS Magnus& in imperio propagando fortunatissimus fuit,& in eodem administrando prudentissimus.Quorum etsi vtrũque Christianæ religioni,quam *primus* est amplexus , acceptum referri debet:constat tamen illum *ex literis* non ornatum tantum,vt multi credunt, verumetiam fructum maximum cepisse.

IVLIANVS Imp.ingenio & literatura mirabili præditus fuit , cuius extant Orationes & Epistolæ Græcè conscriptæ.Eius quoque amicitiam atque domum frequentauẽre nobiles sophistæ,dicendique magistri:Libanius in primis, Ætius, Oribasius, Prothereæsius, Maximus philosophus, Amianus, Marcellinus,qui comes eius expeditionis fuit, ciúsque vitam diligentissimè conscripsit.Volat.lib.23.Anthrop.

IOVINIANVS Imp.sanctissimus, Iuliano crudeliss. Christianorum hosti succedens,& religione & eruditione clarus fuit. & magna iam de illo spes erat concepta:sed in ipsis imperij auspiciis tantum decus mors terris abstulit.

THEODOSIVS Maior,princeps optimus fuit,& doctissimus, quem (si pauca demas)omnes principes tanquam ideam quandam imitari deberent.

COSROES Persarum rex, quē Heraclius Imp. integro sexennio vix tandem superare potuit,in omni Græcorum literatura peritiss. fuit: qua quidem occæcatus, vt & Iulianus apostata, Christianorum religionem crudelissimè insectatus est.

NICEPHORVS Botoniates cognomento,Imp.Rom.qui originem à Nicephoro Phoca Imperatore ducebat, studiis tantùm vacabat (nam Constantino Psello operam dedit,summo tunc philosopho,cuius adhuc opera extant)vt inutilis planè.Reipub.videretur.Ibidem.

LEO, Basilij filius, Philosophus cognominatus, anno Christi 887. Orientis imperium per 25. annos tenuit. Cuius filius CONSTANTINVS Ducas fuit: cuius liber ille celebratus est, quem moriens Romano filio reliquit,in quo summam totius imperij,fœdera, hostium vires complexus est:quem Veneti hodie seruant in sua Bibliotheca.Huius fortasse sunt 20.illi libri de re Rustica,qui hodie leguntur. Huius filius, & M.Pselli philosophi & chymistæ insignis discipulus fuit MICHAEL Ducas Parapinaceus dictus (à fame, quæ in exordio eius principatus Constantinopolim inuaserat) cætera ignauus, nisi quòd bonis artibus,& in primis in factitandis versibus à Psello institutus fuit.Gyrald.Dialog.5. Hist.poet.

CAROLVS Magnus,non solum patria lingua, sed etiam peregrinis linguis eruditus:carmina,quibus veterum regum bella & acta canebantur,scripsit.Inchoauit etiam Grammaticam patrio sermone. Mensibus anni iuxta Teuthonicam linguam vocabula imposuit:ventos etiam duodecim propriis nominibus appellauit, cùm antea quatuor cardinales venti tantùm nominarentur.Sigebertus.

ALPHONSVS X.Hisp.rex profitebatur astronomiam: in qua tāta cum laude versatus est,vt quæ extant Tabulæ ab eo dictæ sint Alphonsinæ. Ririus Neapol.lib.3.Reg.Hispaniæ.

ALFONSVS senior Calabriæ dux,auus Alfonsi regis,nunquam sine libris in expeditionem proficiscebatur: ex quibus magno suo cum fructu longè meliùs præstantissimorum virorum virtutes se cognoscere posse affirmabat, quàm ex mutis imaginibus. Antonium Panormitam veteres authores interpretantem, quamuis maximis curis pressus, diligentissimè audiebat.Pontanus in lib.de Principe.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex potentissimus,dicere solebat, se malle priuatum viuere,quàm eruditione carere.Cæsaris Commentarios in omnibus expeditionibus secum habebat.Capuę dum egrotus decumberet,lectione Q. Curtij sese curatum fuisse asseruit.Febricitans,cū Aurispa viro doctissimo, multa de literarum studiis,& erroribus Hieronymi hæretici contulit.In vrbium direptionibus, libri ex præda omnes ad eum magni muneris instar deferebantur. Librum apertum pro suo insigni gerebat. Ioannes denique Esernitanus acerrimi iudicij vir de Alfonso dicere solebat:Nisi rex fuisset, philosophum eximium futurum fuisse.Panormita de rebus gestis Alfonsi.

MVLIERES DOCTÆ.

Cùm ingenij acumen ex frigidiore sanguine & pura cerebri substantia proueniat, vt Physici docent:certè mulieribus non minus, & fortasis etiam plus ingenij inesse existimandum est, quàm ipsis viris. Vidit hoc antiquitas, quæ nouem MVSAS, earúmque præsidem MINERVAM, virgines esse finxit. Itaque non natura, sed fortuna tantum & occasione mulieres à viris superantur. Quandoquidem ista persuasio hominum animos cæpit, nihil magis à muliere alienum esse, quàm pro lana, atque colo literas tractare. Accedat institutio & eruditio: non pauciores fœminas doctas & eruditas videbimus, quàm viros. Quòd quidem exemplis aliquot in præsentia ostendemus. Qui plura desiderat, consulat tit. Poëtriarum. Item Cæl. Rhod. lib. 14. cap. 1. & Lud. Viuem, lib. 1. de institut. fœm. Christ.

DELBORA, mulier de tribu Ephraim,vaticinio claruit.

MARIA Mosis soror,poetico,seu potius diuino spiritu afflata,versus modulata est.

ANNA prophetissa Christum in templo agnouit, cùm circumcideretur.

NICAVLA,regina Saba,ex intima Æthiopia ad Salomonem regem Hierosolymas profecta, arduas quæstiones regi proposuit. Quas cùm ille pro ea qua præditus erat sapientia, soluisset,in regnum suum & eruditione& fœtu, quem ex Salomone conceptum vtero gestabat, auctior rediit.

MANTO Tyresiæ vatis filia (quæ Mantuæ nomen indidit) doctrina & vaticiniis claruit: adeò vt ex pecudum fibris, extorumque intuitu, futura præsagiret. Rauis.

NICOSTRATA seu Carmentis,Græcas literas impense docta,pleraſque ex Latinis primùm reperit.

HERMODICAM vxorem Midæ regis Phrygiæ, non elegantia formæ tantum præstitisse perhibent:verùm etiam sapientia & industria præditam fuisse dicunt,& primam Cymensibus numisma percussisse.Heraclides.

ASPASIA, mulier Milesia, magna doctrinæ fama claruit: in studiis philosophicis abundè promouit.Rhetoricem exercuit.Fuit Periclis magistra,& tandem vxor.Plutarchus in Pericle. Eius in Politica facultate præcepta Socrates secutus est: sicut etiam DIOTIMAE, quam passim magistram suam appellare non veretur.

LASTHENIAM Mantineam,& Axiotheam Phliasiam, Platone vsas præceptore,scribit Plutarchus: ornatúque interim virili auditorium ingressas,Laertius.

THEMISTA, Leonti Lampsaceni vxor, vnà cum marito Epicurum audiuit: ad quam scripsit quædam Epicurus. Laert.libr.10.in Epicuro.

ARETE Aristippi Cyrenaici philosophi filia,post patris mortem scholam rexit,& filium suum Aristippum philosophiam docuit.Laert.lib.2.in Vola.Aristippo.

A. GALLIS Corcyræa,*illustris in arte Grammatica fuit:cui inuentū* pilæ nonnulli adscribunt.Cælius.

LEONTIVM, Græca adolescentula,(Gellio meretrix)philosophicas disciplinas adeò sectata est,vt etiam non dubitauerit cum magna sui nominis laude in Theophrastum,philosophum alioqui laudatissimum,scribere,Fulgos.lib.8.cap.3.Plin.in prologo Nat.Histor.Cic.de Nat. deor.& lib.16.Vrb.con.

DAMA Pythagoræ filia,ingenium & doctrinam in exponendis paternis sententiarum inuolucris exercuit. Similiter etiam vxor Pythagoræ THEANO. Laert.

THEMISTOCLEA soror fuit Pythagoræ, cuius placitis & opinionibus plerisque in locis vsus est Pythagoras. Fulgosus libr. 8. cap.3.

ISTRINA Scytharum regina,Aripithis vxor,Sylem filium Græcam linguam literásque edocuit.Herodotus in Melp.

THARGELIAM fœminam sola illustrauit philosophia. Plut.in Pericle.

Philosophicis disciplinis valde excelluit HIPPARCHIA Græca.Laer.

ADESIA mulier Alexandrina, Syriani philosophi propinqua, magna & castitatis & doctrinæ fama à Suida commemoratur. Volater. lib. 13. cap. 3.Anthrop.

CORNELIA vxor Africani,& Gracchorum mater,ornatissimè scriptas reliquit epistolas, vnde & filiorum fluxit eloquentia: teste Cic.in Bruto.Circa literas,circa fides,circa geometrica perita erat. Plut.in vita Gracchorum.

De FILIABVS Lælij,& Q. Hortensij,sic inquit Quintil.lib.1. cap. 1.Lælij filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur.Et Q. Hortensij filiæ oratio apud Triumuiros habita legitur,non tantùm in sexus honorem.

LICINIARVM in dicendo lepos,à patre L.Crasso emanauit.Cicero in Bruto.

MVTIAE duę filię ab vtroque parente eloquentiam didicêre. Idem.

FVLVIAM, M. Antonij vxor,Curioni antea nupta, non muliebres artes edocta: sed magistratus regere, & imperare. Volat. lib. 16. Anthrop.

LVCEIA mima,autore Plinio, centum annis in scena pronunciauit.

Statius Papinius vxorem habuit nomine CLAVDIAM, magno ingenio,doctrináque non vulgari prędita.m.

FABIOLA Romana mulier,quum magno studio sacras literas amplecteretur,Prophetias, Euangelia,& Psalmos frequentissimè reuoluebat: vt iterata plerunque lectio amorem diuinę religionis(quo flagrabat)augeret magis.Vnde &D.Hieronymus librum de Veste sacerdotali,eidem nuncupauit.

MARCELLA Romana propter Sacras literas(quas egregiè callebat) frequētibus epistolis à D.Hieronymo salutata est.Ad eā enim scripsit,de Mundi contemptu,De decem nominibus quibus apud Hebræos dicitur Deus,De fide nostra & hæreticorum doctrina,De blasphemia in Spiritū Sanctum,De studio Theophili episcopi Alexandrini,& alia id genus permulta.

EVSTOCHIVM Paulę Romanę filia, Latinarum, Hebraicarum & Græcarum literarum studiis plurimùm excelluit. vnde & suo tempore nouum orbis prodigium vocata est.Ingenium sacris literis deuouit maximè,adeò vt psalmos Hebraicè legeret cursim & mira celeritate. Testis D.Hieron.

HYPATHIA mulier Alexandrina,Theonis geometrę filia, & vxor Isidori philosophi,vixit imperante Arcadio. Scripsit in Astronomiam, professa Alexandrię varia disciplinarum genera magno & frequenti auditorio.conuolantibusque turmatim & vndecunque discipulis.Suidas apud Volaterranum.Hanc crudeli mortis genere quidam ex clero Alexandrino affecerunt,quòd in suspicionem venisset, quasi per eam staret quominus Orestes prefectus cum.Cyrillo episcopo Alexandrino reconciliaretur.Dissidebant autem propterea, quòd Cyrilius Iudęos per vim Alexandria expelli curauerat.Socrates lib.7.cap.15.

GATHARINA virgo,Costi Alexandrię regis filia,sacris literis partim

tim studio,partim diuini spiritus afflatu adeò fuit imbuta, vt accersitos à patre vndecunque doctissimos viros & philosophos ad persuadendam idololatriam,refellēdámque vnius Dei religionem,viuacissimis terruerit argumentis,& in suam opinionem pertraxerit.

ALPAIDES virgo, quum religionem magno cultu amplecteretur, cœlitùs meruit Scripturæ sacræ Bibliorúmque sensum percipere.Rauis.

ANASTASIA discipula Chrysogoni martyris, & vxor Publij Romani,cuius chorum simulato morbo euitauit. Scripsit epistolas ad Chrysogonum,quibus conquerebatur, facultates suas à sacrilego viro absumi, seque in carcere detineri.Hæc ad palum cremata est, quòd sanctis ministraret. Volat.

ZENOBIA regina Palmyrænorum, Græci Ægyptiique sermonis fuit peritissima,& Latini non ignara. Scripsit epitomen in Orientalem Alexandrinamque historiam: Herennianum & Timolaum filios literis erudiit. Elegantissimas orationes ad milites suos plerunque habuit, quas galeata recitabat. Pollio Trebellius,& Fulg.lib.8.cap.3.

AMALASVNTA Ostrogothorum regina, Theodorici Ostrogothorum regis in Italia filia,multarum linguarum scientiam habuit. Vide tit. de Linguarum studio.Fulgos.lib.8.cap.7.

GILIBERTA Anglica, Maguntinensis virgo, à scholastico iuuene adamata,posita verecundia virginali atque pauore fœmineo,clàm è domo patris effugit: amasiumque,adolescentis habitu,& mutato nomine, sequuta est,cum quo in Anglia & Veneri & literis operam dedit. Iuuene postea morte sublato,cùm se cognosceret valere plurimum,dulcedineque traheretur scientiæ, retento habitu, non se fœminam profiteri voluit: quin imò studiis vigilanter insistens,adeò in liberalibus & sacris literis profecit,vt præ cæteris excellens videretur. Itaque Romam profecta, per aliquot annos publicè legens, plurimos habuit auditores: & cùm præter scientiam singulari quoque honestate ac sanctitate polleret, Leone quinto pontifice mortuo,ipsa in Pontificem electa est. Volaterranus,Sigebertus, Platina, & alij qui Pontificum describere vitas. Boccatius de Claris mulieribus,cap.99. Sabell.tamen li.1.9.Enneadis, Ioannam vocat: & primùm Athenas profectam, deinde Romam reuersam, Leoni quarto successisse ait.vt refert Rauis.in Officina,tit.6.

ROSVIDA, in Germania apud Saxones orta est, Ioanne septimo, qui fœmina esse deprehensus est,Pontifice, Lothario primo regnante. Hæc sanctimonialis Ganderseńsis fuit,in diœcesi Heldesemensi, Græcè & Latinè,omniúmque bonarum artium peritissima. permulta non sine magna commendatione scripsit,præsertim ad monachas suas, dum eas ad diuinum cultum atque virtutem hortaretur. Sex quoque comœdias edidit:præterea carmen hexametrum insigne, de Othonum Cæsarum rebus gestis:item sanctarum fœminarum, atque in primis virginis matris vitam laudésque perscripsit elegiaco carmine, quod incipit, Vnica spes mundi.Cranzius libr.6. capit.20. Metropoleos:Fulgos.libr.8. cap.3. & Egnat.lib.8.cap.3.

Hanc tamen narrationem confictam'esse fabulam iam constat multis, iisque euidentibus argumentis,quæ cùm ab aliis, tum ab Hardingo in sua confutatione contra apologiam ecclesiæ Anglicanæ afferunt.

Rosuidæ disciplinam atque studia, ELIZABETA Schonaugiæ abbatissa,apud Treuiros secuta: Latinè permulta, quæ diuinitùs monita est, item suasorias orationes ad conuentus sui sorores,atque ad alios egregiè conscripsit:opus etiam de Viris quibus ad Deum inceditur, ac simul eruditissimarum epistolarum volumen, Fulgos.li.octauo, cap.3.& Egnatcodem.

GENEBRIA mulier natione Veronensis,tempore Pij secundi pontificis Romani,sua egregia eruditione meruit nomē immortale.Epistolas scripsit luculentas,& maxima refertas doctrina.Recitabat decoro gestu, voce virili,permixta suauitate. Rauis.

CONSTANTIA, Alexandri Sforciæ vxor, numeratur inter claras mulieres,& excellentes doctrina. Ab infantia bonis disciplinis operam dedit, adeò vt imparata quoque diserissimè loqueretur. Habebat assiduè præ manibus opera Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, Ciceronis & Lactantij. Valebat etiam scribendis extemporè carminibus, non sine magna multorum admiratione. quod sine præceptore ferebatur didicisse.Nec defuit tam illustri fœminæ germen simile. habuit enim filiam Baptistam nomine, tanta doctrina, vt doctissimos quosque sua terreret eloquentia. Idem.

BAPTISTA prima, Galeatij Malatestæ Pisaurensis principis filia,& Guidoni Montefeltrensi Vrbinatium comiti matrimonio connuncta,miræ eruditionis,qua prædita erat,per sæpè periculum fecit.Nam cum doctissimis viris sæpè non sine laude disputauit: & Latinè de humana fragilitate,atque de vera religione, luculentos quosdam libros edidit. Fulg. lib.8.cap.3.& Egnat.eodem.

ISOTA Nouarula, Veronensis, cùm philosophiæ studia non verbo tantum,varùm reipsa quoque profiteretur,literarum studiis ac perpetuę virginitati se dicauit.Orationes permultas ad Nicolaum quintum, Pium secundum, pontifices viros doctissimos scripsit: Theologiæ ac Philosophiæ studiosa dialogum cōfecit,in quo disputatū est,qui prius ac magis, Adámne an Eua,peccauerit. Fulgosus lib.octauo, capite tertio. Egnat. eodem.

CASSANDRA Fidelis Veneta,non solùm ad lyram commodissimè concinebat Latinos versus, quos ipsa magna eruditione composuerat: verumetiam Patauii in Academia disputandò,ingentem laudem meruit, cùm omnibus in omni doctrinarum genere appositè responderet: & vt clarius eruditionis suæ documentum præberet, de ordine scientiarum librū edidit.Fulg.&Egnat. lib.8.cap.3.Politian.eam magnis laudibus cōmendat,quòd pro lana librum,pro fuso calamum,stylum pro acu tractarit, Latinásque epistolas scripserit. Sic enim de ea principio euiusdam epistolæ meminit:O Deę Italiæ virgo,quas dicere grates,Quáue referre parē, quòd etiā honore me tuarū literarū non dedignaris, & cætera,

HIPPOLYTA Taurella Mantuana,Balthassaris Castilionii, viri doctiss.& apud Leonem x.Pontif.oratoris,vxor,in poesi excelluit: & primos iuuentæ annos vix ingressa,obiit anno Christi 1525. in dubio relinquens, pulchior, castior,an doctior fuerit.

Habuit quoque ætas nostra singulare decus, OLYMPIAM Ful. Moratam Ful.Morati Mantuani,Annæ principis Ferrariensis magistri in literis filiam,Andreæ Grunthleri medici Germani vxorem, quæ multa doctè & eleganter in vtraque lingua scripsit, & tandem anno Christi 1555.mense Octobri,ætatis suæ 29.Heidelbergæ obiit.

LINGVARVM STVDIVM TAM PEREGRINÆ, quàm vernaculæ.

Quandoquidem πολιτικὸν ἡ κοινωνητικὸν ζῷον homo est,oratione opus habuit,quæ Rationis conceptus exprimeret. Oratio ex composito siue pacto hominum pendet,quibus hoc vel illo sono rem quamlibet efferre placuit. Habet nihilominus quælibet lingua idiotismos suos, hoc est peculiares quasdam rationes & regulas,non tantùm in vsu vocabulorum, verumetiam in inuentione.de qua Plato in Cratylo abundè disputat. Porrò magistri orationis siue τὸν ἑλληνίζειν (vt est in primo Alcibiade) gemini sunt. Nam si vsum sequamur, magister erit populus, quem penes (vt ille inquit) arbitrium est & ius & norma loquendi.si verò præcepta, magistri erunt Grammatici, qui non τὸ ὅτι tantùm, verum etiam τὸ διότι tradunt,& consuetudinem loquendi arte dirigunt. Nos primum de iis, qui linguas vsu potius quam præceptis didicerunt, agemus. Quorum exempla aliquot ex tit. Memoriæ, Studij in discendo, & Senum qui discere non erubuerunt, peti poterunt.

GERYON tricorpor, sophista aliquis fuisse videtur: qui propter tres linguas quas callebat, tria corda(quod etiam Ennius de se iactauit)atque adeò tria corpora habuisse dicitur. Victus est tamen ab Hercule,non linguarum copia,sed sapientia & rerum cognitione.

THEMISTOCLES patria pulsus,& ad Xerxem,quem paulo antè deuicerat,confugere coactus,vt regiis auribus familiarem & assuetum sonum vocis adhiberet,Persico sermoni se assuefecit.Val. Max.li.8. cap.7. & Plut.in eius vita.

ROMANI linguæ suæ maiestatem diu retinuerunt in foro & senatu, nullam peregrinam admiserunt.Primus Molo rhetor,qui studia M. Ciceronis acuit,Græcis actionibus in curia locum fecit. Eum nanque ante omnes exterarum gentium in Senatu sine interprete auditum constat. Quem honorem non immeritò cæpit,quoniam summam vim Romanæ eloquentiæ adiuuerat. Valer.Max.lib.2.cap.2.

Q. ENNIVS poeta tria corda sese dicebat habere, teste Gellio: quòd loqui sciret Græcè, Oscè,& Latinè.

P.CRASSVS cùm in Asiam ad Aristonicum regem debellandum consul veniisset,tanta cura Græcæ linguæ noticiam animo comprehendit,vt eam in quinque diuisam genera, per omnes partes ac numeros penitùs cognosceret.Quæ res maximum ei sociorum amorem conciliauit,qua quis eorum lingua apud tribunal eius postulauerat, eādem decreta reddeni.Val.Max.lib.8.cap.7.

TIB.Cæsar quàm studiosus Latinæ puritatis fuerit, consule tit. Doct. principum.

CLAVDIVS Cæsar tam deditus Græcis literis fuit,vt tres literas nouas huic linguæ addiderit:quas postmodum omnes non sine admiratione coluerunt.

IDEM græcæ prouinciæ principem,quòd Latinè nesciret, albo iudicum erasit,& peregrinarium misit.Alex.lib.4.cap.11.

ADRIANVS imperator impense adeò Græcæ doctrinæ inuigilabat, vt à plerisque græculus vocaretur.Sextus Aurelius.

MITHRIDATES duarum & vinginti gentium,quę sub eius regno erant,linguas calluit.Val.Max.lib.8.cap.7.

EPIPHANIVS Salaminæ in Cypro episcopus, πενταγλωσσος dictus est:quoniam quinque linguis contra Origenem scripsit, eiúsque libros damnauit.Hieron.in Apologia aduersus Russinum.

AMALASVNTA Ostrogothorum regina, Theodorici Ostrogothorum regis in Italia filia, Græcè & Latinè eruditissima fuit, distinctéque omnibus linguis locuta est earum nationum barbararum, quæ in Occidente imperium vnquam vexarunt.Fulg.lib.8.cap.7.

TVRCAE barbarorum ferocissimi,& à literis maximè alieni, cùm reipsa linguarum vtilitatem maximam esse videant,quot linguas aliquis

callet,totidem viris illum æquiualere, vulgatò prouerbio dictitant.Guil. Postellus.

FRIDERICVS II.Ænobarbus,corporis & animi dotibus clarissimus fuit.In mechanicis artibus industrius,in disciplinis eruditus,Latinè, germanicè,gallicè,græcè & Turcicè doctus ad miraculum vsque. Leander Bononiensis in Italia sua.

LINGVARVM PEREGRINARVM ODIVM & contemptus.

Si fieri posset,vt confuso Babylonica funditus è medio tolleretur,πολυγλωττία nullum amplius locum haberet apud eos, qui rebus potius quàm verbis student.Sic Romani rerum domini,qui πολυγλωττίας difficultatem & damna videbant, confusionem hanc vnà cum imperio è medio tollere,& vni linguæ Latinæ domi forisque suos assuefacere voluerunt.Idipsum quoque Turcæ hodie conantur. Nam vnicuique suũ pulchrum.Itali certè omnes artes in linguam Etruscam magno conatu traducere tentant.Non inconsulte illi quidem, modò imperium tantis conatibus par sortirentur.Itaque seu naturæ duce,quæ varietatem hanc linguarum exosa est,seu gloriæ stimulo nemo tam abiectus aut barbarus est,qui non omnes gentes & populos linguæ sua vti:cæteras verò tanquam superstuas & inutiles explodi cuperet. Exempla sunt in promptu.

MAGISTRATVS prisci Romanorum quantopere suam, populúsque Romani maiestatem retinentes se gesserint,hinc cognosci potest, quòd inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis vnquam nisi Latinè responsa darent:quinetiam ipsa linguæ volubilitate,qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant,nõ in vrbe tantùm,sed etiam in Græcia & Asia,quo Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subiici debere arbitrabantur: indignum esse existimantes, illecebris & suauitate literarum,imperij pondus & autoritatem domari. Val. lib.2.cap.1.Alex.ab Alex.lib.4.cap.11.

C.MARIVS,gemina lauro coronatam senectutem,Mumidicis & Germanicis illustrem trophæis, victor deuictæ gentis facundia polliorem fieri noluit:ne alienigena ingenij exercitatione,patrij ritus seruus transfuga esse videretur.Val.ibid.

M.TVL. CICERO grauiter accusatus est,quòd Syracusis senatui Syracusano Græcè locutus esset.Testis est in Verrinis ipse Cicero.

TIBERIVS Imperator licet literarum nequaquam esset ignarus, Græco tanen idiomate causas in vrbe agere,aut testimonia dicere prohibuit.Centurioni enim volenti Græcè in senatu testimonium dicere, non permisit. Etsi enim antea in eo complures causas audierat Græco sermone,& multas examinauerat,id tamen non satis constanter,conuenientérque. Preterea cùm vsum sericarum vestium interdixisset, & postea à quibusdam dubitaretur, an ea quoque quæ haberent emblemata interdicta esset,de hoc etiam edixit : & quanquam Latinè id propriè significare non poterat,tamen id verbum,eo quòd græcum esset, edicto misceri noluit.Dion Nicæus in eius vita.

Damasci VLID rex Arabum, Christianorum templum diripuit, sub Iustiniano secundo:& retuit in posterum codices scribi græcis literis,sed tantùm Arabicis.Paulus Diaconus lib.20.rerum Romanarum.

SOLYMANNI Turcarum imperatores, si quid sanctè & religiosè promittunt,lingua Turcica vtuntur:sin fallere volunt, neque promissis stare,aliena lingua oratores alloquuntur. Hanc fraudem barbaræ gentis cùm Andreas Gritus Venetis suis(quorum postea dux factus est)detexisset,à crudelissimo tyranno diu Constantinopoli in vinculis detentus fuit.

GRAMMATICI BONI.

Suidas,Volaterranus,& Suetonius Tranquillus,de Grammaticis ex professo scripsere. Consulat eos,qui volet. Rauisius secundum ordinem alphabeticum eos digessit. Nos breuitati consulentes,selectiores tantum attingemus,ne multitudo fastidium pariat. Obseruandum autem ex Suetonio, Grammaticum dici,eum qui à Latinis literatus:& Grammatistam,eum qui literator appellatur. quoniam in illo solida literarum cognitio, in hoc verò rudis tantum & inchoata videtur messe.

Si nominum ratio ad Grammaticos pertinet, qui de Etymologia tractant,certè primus Grammaticus ADAMVS fuerit.Ad eum enim cùm Deus opt.max.omnia animantia adduxisset,nomina illis imposuit: quibus natura illorum,quantum eius fieri poterat,exprimeretur. Quòd si igitur nominum impositionem spectes, Grammaticum : sin verò rationem, cuius ductu singulis sua nomina indere potuit,Philosophum summum,verèque sapientem Adamum fuisse fatebimur.Neque id mirum. A quo enim vitam acceperat,ab eodem & sermonem, omnem denique sapientiam liberalissimè consecutus fuit,si modò eam seruare potuisset.

PLATO philosophus,primus Grammaticæ vim speculatus dicitur:mirum quia Etymologias studiosè inuestigauit in Cratylo.Laert.lib.3.

ARISTARCHVS Samothrax,aliis Alexandrinus,patre Aristarcho, claruit 150 Olymp.sub rege Ptolemæo Philometore:cuius & filium erudiit.Scripsit commentariorum libros supra 800.Discipulus illustris grãmatici Aristophanis. Cum Crateta Mallote Pergameno diu certauit. Discipulos plus quàm 40 reliquit.Obiit 72 anno ætatis, inedia seipsum propter hydropem conficiens.Reliquit filios Aristarchum & Aristagoram,ambos fatuos.Homericos versus in ordinem redegit & illustrauit. Interrogatus,cur ipse non scriberet:respondit,Neque se posse, quemadmodum vellet scribere:neque velle,quemadmodum posset. Quidam eum sub Pisistrato vixisse falsò arbitrantur. Gyraldus Dialogo 7. Hist. poet.

APPOLLODORVS Athenienſis grammaticus, discipulus Panætij Rhodij,& Aristarchi grammatici, scripsit historiam Athenien sem.Cui Amphyctiones, sanctissimum Græciæ concilium, honores habuerunt. Quod decus nulli(quod sciam)contigit in aliquo genere artis,nisi Hippocrati,qui in pestilentia auerruncanda fuit,Græciæ vtilissimus. Sab. libro 10.cap.8.

DEMETRIVS Ixion Adramicus, docuit Pergami. Discipulus fuit Aristarchi.Scripsit enarrationem in Homerum.

ZENODOTVS Ephesius,docuit filios Ptolemæi primi,ac præfuit Alexandrinæ Bibliothecæ:primus qui Homeri libros correxit, & in ordinem redegit.

PHILETAS Cous grammaticus fuit admodum criticus, tempore Philippi & Alexandri:præceptor Ptolemæi Philadelphi.Scripsit elegias, & epigrammata.

PAMPHILA in Grammatica commentarios scripsit,eiúsque authoritate vtitur Gellius libr. 15. capite 16. & Volater. libro decimooctauo Anthrop.

Apud Romanos olim Grammatica ne in vsu quidem,ne dum in honore fuit,cùm bello potius quàm disciplinis liberalibus operam daret. Antiquissimi poetæ & oratores,vt Liuius & Ennius,semigræci erant, & Græcè docebant:si quid Latinè composuissent, prælegebant.Primus itaque studium Grammaticæ in vrbem intulit GRATES Mallotes,Aristarchi æqualis:qui missus ad Senatum inter secundum & tertium bellum Punicum,sub ipsam Ennij mortem,ab Attalo rege,cùm in palatij regione in cloacæ foramen prolapsus crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις fecit:ac Romanis exemplo fuit ad imitandum,præsertim C.Octauio Lampadioni, qui Næuij Punicum bellum,quod vnico volumine & continenti scriptura expositum erat,diuisit in septem libros:item Q.Vargunteio,qui Annales Ennij certis diebus in magna frequentia pronunciabat.Auxerunt deinde Lælius Lanuuinus gener Q.Ælij,& Seruius Claudius,equites Rom.Hęc Tranquillus,& etiam seq.

LÆLIVS Præconinus,à patre præcone,& Istilo,quòd orationes nobilissimo cuique scribere soleret,Q.Metellum Numidicum in exilium comitatus est.Post hunc magis magisque gratia & cura artis increuit, vt ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quo minus & ipsi aliquid de ea scriberent:sitque temporibus quibusdam supra 20 celebres scholæ fuisse in vrbe tradantur.Clari professores hi fuerunt.

SÆVIVS Nicanor,Marci libertus,primus ad famam docendo peruenit. Ob infamiam quandam in Sardiniam secessit,& obiit.

AVR. Opilius,Epicurei cuiusdam libertus,primò philosophiam,mox rhetoricam,tandem grammaticam docuit.Dimissa autem schola, Rutilium Ruffum damnatum in Asiam secutus , Smyrnæ consenuit. Scripsit varia.

M.ANTONIVS Gnipho ingenuus,in Gallia natus, sed expositus, à nutritore suo manumissus,institutus Alexandriæ in contubernio Dionysij cognomento Scythobrachionis:magno ingenio fuit,& singulari memoria,comis & liberalis,nunquam de mercede pactus.docuit primùm in C. Iulij Cæsaris domo,pueri adhuc:deinde in sua priuata. Grammaticæ Rhetoricam coniunxit. eius scholam etiam M.Cicero prætor intrauit.Multa scripsit.

M.Pomp.

M.POMPILIVS Andronicus Syrus, Epicureæ sectæ studio in professione Grammatica desidiosior fuit, minúsque idoneus ad tuendam scholam.Itaque cùm se in vrbe nõ solùm Antonio Gniphoni , sed pessimis etiam quibusuis postponi videret,Cumas secessit,& ibi in otio pauperrimus vixit:multáque composuit.

ORBILIVS Pupillus Beneuẽtanus,primò apparitor,inde miles,mox ad studia rediit , & in patria docuit. Anno demum 50. Romam transiit, Ciceronę consule:docuitque maiore fama quàm emolumento.Acerbus fuit in reprehendendo,& plagosus. vixit propè ad centesimum annum, & memoriam amisit.Statua eius Beneuenti in Capitolio ostenditur marmorea,sedentis ac palliati,appositis duobus scriniis.Reliquit filium Orbilium grammaticum.

ATTEIVS Philologus Athenienſis libertinus , quem Capito Atteius Iureconſ. inter grammaticos rherorem , inter rhetores grammaticum fuisse ait.Discipulus fuit Antonij Gniphonis.Erudiit multos nobiles adolescentes:inter quos etiam duo Claudij, Appius & Pulcher fuere , quorum comes in prouincia fuit.Philologum se ob variam eruditionem appellauit.Colnit C.Sallustium, & eo defuncto Asinium Pollionem , quos in scribenda historia aliquantum iuuit.

VAL.Cato Bursenni libertus ex Gallia,Syllanis temporibus patrimonio exutus,docuit nobileis multos.Vnde distichon illud:

Cato Grammaticus Latina Siren,
Qui solus legit & facit poetas.

Senex obiit,in magna pauperie, cùm villa eius Tusculana creditoribus cessisset.Author eius carminis à Gyraldo existimatur,quod Vergilio tribuunt,& Diras vocant.

CORN. Epicadus,L.Corn.Sullæ dictatoris libertus , filio eius Fausto gratissimus fuit. Librum quem Sylla de suis rebus imperfectum reliquerat,ipse suppleuit.

L.TABERIVS Hiera,suo hero emptus de catasta, & propter literarum studium manumissus,docuit inter cæteros Brutum & Cassium.Temporibus Syllanis , proscriptorum liberos gratis & sine vlla mercede in disciplinam recepit.

CVRTIVS Nitia,Gn.Pompeij & C.Memmij amicus,item & Ciceronis.Sed cùm codicillos Memmij ad Pompeij vxorem de stupro permulsset,proditus ab ea,Pompeium offendit,domóque ei interdictum est.

LENÆVS Pompeij Magni libertus , & penè omnium expeditionum comes,eo cum filiis sublato,schola se sustentauit : docuitque in Carinis, ad Telluris ædem. Hic in Sallustium pro Pompeio Satyra acerbissimam scripsit.

Q.CAECILIVS Epirota, Tusculanus , libertus Attici Satyrij equitis Rom.ad quem sunt Ciceronis epistolæ.Cùm filiam patroni nuptam M. Agrippę doceret,suspectus in ea,& ob hoc remotus,ad Corn.Gallum se contulit:quod ipsi Gallo inter grauissima crimina ab Augusto obiicitur. Post damnationem mortémque Galli,scholam aperuit:sed ita,vt paucis, & adolescentibus tantùm , prætextato nemini , nisi si cuius parenti hoc officium negare non posset. Primus Latinè extemporè disputauit , primúsque Vergilium & alios poetas nouos prælegere cœpit.Vnde Domitij Marsi verliculus:

Epeirota tenellorum nutricula vatum.

VERRIVS Flaccus libertinus docendi genere maximè inclaruit, cùm pueros inter se committeret, non solùm materia quam scriberent, verumetiam præmio proposito.id erat liber aliquis antiquus,pulcher, aut ratior.Quare ab Augusto præceptor quoque nepotibus eius electus, transiit in palatium cum tota schola:Docuit in atrio domus Catilinæ , & sextertia centena in annum accepit.Sub Tiberio obiit.Prænestę statua ei posita est,propter fastos ordinatos.

L.CRASSITIVS, Tarentinus,libertinus,cognomine Pansa , initiò circa scenam versatus est:deinde in Pergula docuit , donec commentario Smyrnæ edito plurimum inclaruit.Nobiles multos eruditiit,& in his Iul.Antonium Triumuiri filiũ, vt Verrio quoque Flacco cõpareretur.Sed dimissa repentè schola, transiit ad Q.Septimij philosophi sectam.

SCRIBONIVS Aphrodisius,Orbilij seruus & discipulus,à Scribonia Libonis filia,priore vxore Augusti,redemptus & manumissus,coæqualis & æmulus Verrij fuit.

C.IVL.Hyginus,Hispanus,Augusti libertus,imitatus est Corn.Alexãdrum grammaticum Græcum,Polyhistora cognomine.Præfuit palatinæ bibliothecæ,plurimosque docuit.Familiarissimus fuit Ouidio poetæ , & C.Licinio consulari historico,qui inopiam eius sustentauit.Huius libertus fuit Iulius Modestus,patroni studia imitatus.

C.MELISSVS Spoleti natus ingenuus,sed ob discordiam parentum expositus,literas didicit: & Mecœnati pro Grammatico donò datus , ab eo manumissus, curam ordinandarum bibliothecarum in Octauiæ porticu suscepit.Anno ætatis 60.libellos Ineptiarum siue Iocorum scripsit.

M.POMPONIVS Marcellus , pugil olim , sermonis Latini exactor modestissimus,in aduocatione quadam(nam interdum & causas egebat) solœcismum ab aduersario tanta acerbitate reprehendit , vt Cassius Seuerus interpellaris iudicibus dilationem petierit,quoad litigator suus alium adhiberet grammaticum:quandoquidem non de iure,sed de solœcismo controuersia ageretur. Idem cùm ex oratione Tiberium Cæsarem reprehendisset,affirmãte Atteio Capitone,& esse illud Latinum , & si non esset,futurum certè: Iam inde mentitur Capito , inquit. Tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus,verbis non potes.

Q.RHEMMIVS Palæmon , Veicetinus, mulieris verna primò , vt ferunt,Textrinum,deinde herilem filium dum comitatur in scholas , literas didicit.Postea manumissus Romę docuit,& Grammaticorum princeps fuit:quanquam omnibus vitiis infamis,vt nemini minus institutionem puerorum vel ituenum committendam Tiberius & mox Claudius Impp.prædicarent.Capiebat tamen homines cùm memoria rerum,tum facilitate sermonis,& poemata ex tempore faciebat.Arrogantia fuit tanta,vt M.Varronem porcum appellaret:secum & natas & mortuas literas iactaret.De se,tanquam critico summo, Vergilium in Bucolicis præsagiusse asserebat,quando Palæmoni iudicium inter pastorum carmina committit.Luxuriæ deditissimus fuit,libidinosissimus vsque ad infamiam oris,simul & anarus.

M.VAL.Probus Berytius centuriatum diu frustrà petiit,donec tædio ad studia se contulit.Totus fuit in antiquorum scriptis emendandis, distinguendis & adnotandis : nulli præterea grammatices parti deditus. Hic non tam discipulos quàm sectatores habuit.Reliquit obseruationes sermonis antiqui.Hæc hactenus ex Tranquillo.

SPVRIVS Carbilius Romæ ludum grammaticæ aperuit , mercede docens.Idem G literam primus inuenit,quum pro ea C litera prius veterentur.Rauis.

TIMAGENES Alexandrinus sub Pompeio Magno captiuus, Romam ductus , à Gabinio est emptus. Docuit Romæ vsque ad Augusti tempora.

ASINIVS Pollio Trallinus, docuit Romæ tempore Pompeij Magni.Successit scholæ Timagenis.Scripsit bellum ciuile Cæsaris & Pompeij.

TYRANNION docuit Romæ ætate Magni Pompeij.Habuit tria librorum millia.Et Aristotelis libros à Sylla Athenis allatos correxit.

DIDYMVS Chalcenterus,grammaticus Alexandrinus,scripsit libros supra MMMD.

APPION Alexandrinus,Didymi magni alumnus , docuit Romæ Tiberij & Claudij temporibus.Scripsit annales,& alia complura.

IVL.POLLVS Naucratita grammaticus , sub Commodo principe docebat Athenis.scripsit ad Commodum Onomasticon libris 10. & alia quædam,quæ non extant.Eum Philostratus inter Sophistas ponit:cuius characterem in dicendo narrat,nec laudans,nec vituperans.Volat.li.18. Antrop.ex Suida.

DIONYSIVS Alexandrinus grammaticus , præfuit bibliothecæ & epistolis Traiani.habuit præceptorem Cheremonem philosophum.

ARCHIBIVS Alexandrinus,docuit Romæ sub Traiano principe. Scripsit commentaria in Epigrammata Callimachi.

AVL. GELLIVS tempore Traiani scripsit Noctes Atticas. Fauorinũ maximè coluit.

DOMITIVS Insanus,grammaticus in vrbe Roma , id̃ cognomẽtum adeptus est,quòd esset intractabilis,& valde morosus.Gellius li. 18 ca.7.

DONATVS grammaticus,D.Hieronymi præceptor,Romæ fuit cum Victorino rhetore, Ethnicus. Is, cùm de Iuliani Imp. Apostatæ morte nuncius Romam perlatus esset,iocabundus dixit: Quomodo Christiani dicunt Deum suum esse patientum & ἀνεξίκακον ? Nihil iracundius,nihil hoc furore præsentius,ne modico quidem spacio indignationem suam perferre potuisse.

PRISCIANVS Cæsariensis scripsit de arte Grammatica ad Iulianũ, consAd Cosroen verò Persarum regem , librum de Naturalibus quæstionibus,conuertit in Latinum sermonem.De situ orbis carmina edidit. Claruit Athenis tempore Iustiniani principis.Volat.lib.18.Anthrop.

HELLADIVS grammaticus Alexandrinus , sub Theodosio iuniore scripsit Lexicon,ex ordine literarum . Item de laudibus Theodosij , & quædam alia.

DIOSCORIVS Mireus,grammaticus,præfectus fuit prætorij Leonis imperatoris,& præceptor filiorum eius.

CHALCIDIVS Græcus grammaticus , dictionibus in primis inuigilabat . Lexicon scripsit , quod obitu ipsius superueniente Iouinianus eius discipulus sibi vendicauit.Volater.lib.21.Anthrop.

CONSTANTINVS Constantinopolitanus Messanæ docuit, & parum Grammaticæ Græcæ opusculum edidit.Volater. lib.2. Anthrop.

DOMITIVS Chalderinus,patria Veronensis, acri vir ingenio, primus qui suo seculo poetas duriusculos *diligentius* cœperit enarrare , & in eos Commentarios edere admodũ iuuenis.Volater.lib.21. Anthrop.

GRAMMATICI INDOCTI QVOS LITERATORES *olim vocabant.*

Theocritus ad GRAMMATICVM quendam ludimagistrum malè pronunciantem accedens,rogauit : Quæ fit, quòd Geometriam non doceas?Is quum respondisset:Quoniam ignoro.Quid tum?dixit.nam legere etiam nescis.Notauit autem pronunciationis vitium in Grammatico, qui nõ tantum ipse lingua promptus esse deberet:sed aptus etiam, vt aliorum verba & voces formet.Theocriti dictum extat apud Stob.serm.2.de Imprudentia.

PAVSANIAS Cappadox,quoniam more suę gentis crassa lingua sonabat, confundens consonantes , breues producens , productas corripiens:vulgò dictus est Coquus,qui preciosa obsonia malè cõditet.Philost,

in Sophist.& Volat.18.Vrb.com.

Cùm QVIDAM in causa agenda soloecismum commisisset, à M. Pōponio Marcello grammatico acerbissimè reprehensus fuit. Vide tit. Grammaticorum.

PAPIAS grammaticus, è regione Transpadana oriundus, tempore Innocentij III. pontificis. Scripsit Dictionarium latinum ex ordine literarum, quo aliquandiu sibi autoritatem apud quosdam, præsertim imperitos, comparauit. Volat.lib.18.Anthrop.

PRESBYTER quidam Bauarus, Latinæ linguæ ignarus, baptizarat puerum in nomine patria, filia, & spiritus sancta, Bonifacius episcopus Moguntinus puerum iusserat rebaptizari: Salæburgensis episcopus Virgilius, & Sidonius pontifex Laureacensis apud Boios, Baptismum ratum esse volebant. Turbæ excitatæ erant maximæ. Zacharias pontifex Rom. dissidium soluit, & Virgilij opinionem confirmauit, circa annum Christi 745. Auentinus libro tertio Annalium.

LOGICI ET DIALECTICI.

Logica facultas veritatis indagandæ, simul & dijudicandæ instrumēta continet: proinde χεῖρ χειρῶν, & ὄργανον ὀργάνων rectissimè appellatur. Materiam subiectam propriam ac definitam non habet: esset enim alioqui ars vel scientia. Materia ex qua, in conceptibus, qui de rebus habentur, medio sermone, posita conspicitur. Conceptus enim per voces tantùm à nobis intelligi possunt. Voces consideramus tum simplices, tum coniunctas. Simplices appellamus, dictiones ipsas: in quibus partim τοῦ εἶναι, partim τοῦ λέγεσθαι ratio habetur. τὸ εἶναι, decem Categorias ex se producit: τὸ λέγεσθαι verò, Quinque voces, vulgo Prædicabilia dictas. Coniunctas verò intelligimus ipsas propositiones, quarū non in syllogismo tantùm, verumetiam in cæteris instrumentis vsus est maximus, & in primis necessarius. Forma modos continet, quibus vel finē propositum, hoc est veritatem inueniamus, vel aliorum inuenta dijudicemus. Complectitur ordines didascalicos tres dictos, Compositiuum, Resolutiuū & Definitiuū: quatuor itidem methodos, Definitionem, Diuisionē, Resolutionē & Syllogismum, de quibus distinctè in secūdo cap. primi Ethicorum disputatū à nobis est: Illud tantū in præsentia moneo: cum Logices vsus latissimè pateat, post Platonē & Aristotelem paucissimos fuisse (vnico ferè Galeno è Græcis, & Auicēna ex Arabibus excepto) qui vel præcepta intellexerint, vel ad vsum ea reuocare potuerint. Omnes scholæ syllogismis refertæ erant, patrum nostrorū memoria: eumque præclarū Dialecticū esse arbitrabantur, qui in nectendis syllogismis argutissimus esset. At quàm hæc sterilia & inania sunt, si cum veræ Logicæ fertilissimis campis conferantur? Error certè iste vt grauissimus fuit, & altissimas in media barbarie radices egit: ita etiam in optimorum authorū scriptis intelligendis homines retardauit. Vtinam vel aliorū damno nostri tandē expergiscantur, & discussa caligine veritatis organa amplectātur. Veritatē omnes summo studio persequūtur, nemo tamē modū viamque eius percipiēdæ inuestigat. Et videtur sanè astutissimus ille dæmō plus laborasse in veritatis organo corrumpendo, & sophisticis nugis inquinando, quàm in vlla alia re. Videbat enim veritati (cuius hostis est ex professo) nō cōpendiosiore ratione se posse officere, quā luce illa humani intellectus extincta, vel saltē obscurata. Quid pulchri, iucundi, aut etiam boni vita haberet, si sole mundi oculo careremus? Quid in mundo philosophico (vt ita loquar) præclarum vnquā præstabimus, Phosphoro logicō destituti? Sed de his rebus aliàs. Nos nunc ad exempla Logicorum accedamus, quos à disputandi facultate in vtranque partem syllogistico instrumento, διαλεκτικοὺς olim vocarunt: nostri minus rectè, qui ad totam facultatem hoc nomen transferunt. Tota enim facultas λογικὴ ἀπὸ τοῦ λόγου: pars verò facultatis, quæ de syllogismo topico tractat, τοπικὴ & διαλεκτικὴ propriè appellari debet. Sin autem primo loco eorum exempla, qui Logicam amplexi sunt, & in ea sese exercuerunt, cum laude quidem Logici docti, cum vituperio verò logici indocti. Secundò illorum, qui Logicā odio habuerunt. Neque verò quem turbet, quòd philosophorum quorundam nomina sub titulo Logicorum comprehendimus. Nam cùm Logica propriam, vt dixi, materiam subiectam non habeat, vti nec Rhetorica & Poetica, euenit, vt Philosophi qui Logices opera vtuntur, Logici esse videantur: cùm reuera tamen Logici non sint dicendi, sed Philosophi potius Logicis præceptis instructi. Eos igitur philosophos tantùm in præsentia adducemus, qui Logicæ facultati aliquid addiderūt, aut certè in ea exercenda insignes habiti sunt. Sub titulo Rhetorū quoque exempla quædam Logicorum inueniri possunt, quandoquidem olim ijdem ferè & differendi & dicendi artes profitebantur, propter affinitatem & cognationem harum facultatum inter se. Nunc ad rem.

ZENO Eleates, Parmenidis auditor, philosophus summus, & Dialectices inuentor, secundum Arist. Laert.lib.9.

PROTAGORAS Abderites, sophisticen exercuit, & de nominibus primus litigare, & superficiale illud contentionis genus inducere cœpit. Vnde de eo Timon, πρωτίκης θ' ἐπιμικτος ἐριζέμεναι εὖ εἰδώς. Socraticum dicendi genus primus mouit, & Antisthenis rationem, qua demōstrare nititur contradici non posse, vt Plato in Euthydemo inquit. ἄθεος fuit. Laert.lib.9.

PYRRO Eliensis, Drysonis, Stilponis filij, & Anaxarchi discipulus, sensibus nil credebat, & ἐποχὴν amplectebatur: déque omnib.reb. dubitabat. Eius sectatores Pyrrhonij, Sceptici, Aporetici, Ephectici, Zetetici appellati fuêre. Laert.lib.9.

DIODORVS Iaseus, cognomine Cronus, inuolutum differendi genus inuenit, siue Ceratinas quæstiones. Laert.lib.2.

SOCRATES in disputationibus assiduus fuit: cúmque ingenij summo acumine præditus esset, eo differendi genere quod interrogationibus & responsionibus perficitur, veritatem inuenire studebat: professione quidem philosophus Ethicus, facultate verò disputator subtilis & egregius. Laertius.

EVCLIDES Megarensis interrogando & respondendo libros composuit. Vtebatur probationibus non per assumptiones, sed per conclusiones. Disputationem ex comparatis sustulit. quòd si ex similibus reuera esset, præstaret circa ipsam potius rem quam circa ea quæ illi similia essent versari: sin verò ex dissimilibus, superuacanea foret. Ab hoc secta Megarica denominata est, eorū scilicet qui postea ἐριστικοὶ, & tandē Dialectici fuerūt appellati. Auditores habuit Platonē, post mortem Socratis: item & EVBVLIDEM Milesium, qui plurimos in Dialectica modos rationésque interrogandi tradidit, Metentem, Fallentē, Electram, Conuelatā, Soriten, Ceratitem, & Caluam. Demosthenem literam ρ pronuntiare docuit iugi exercitio. Aristoteli infensus fuit. Vide titulum Tragicorum.

Eubulidis discipulis fuit ALEXINVS Eliensis, in disputando acerrimus, & Zenoni infestus.

STILPO Megarensis, Euclidis auditor, inuentione & eloquentia superauit omnes, vt Græcia in illum intenta diceretur μεγαρίσαι. Disputator erat acerrimus, & species tollebat. Argutia quædam malè illi cessit, quæ talis erat:

De statua Mineruæ quam Phidias finxerat, ita percuntatus est: Num Iouis Minerua dea est? Quum responsum esset, Est: At hæc, inquit, non est Iouis, sed Phidiæ. Id quum esset concessum, collegit: Non est igitur hæc dea. Ob hanc vocem apud Areopagitas impietatis reus peractus est. Ille verò sic conatus est elabi, vt diceret, non negasse illam esse deam sed deum, hoc est masculum. nam θεὸς apud Atticos communis est generis. Attamen iussus est ire exulatum. Theodorus autem cognomento ἄθεος, his auditis, dixit: Vnde hoc nouit Stilpo, nisi fortè sublatis vestibus inspexit Mineruam? Laert.lib.2.cap.12.

ARCESILAVS Pitanæos primus mediam inuexit Academiam, negationes continens propter sermonum contrarietates, primus in vtranque partem differere aggressus est: & interrogationes ac responsiones à PLATONE introductas, primus ex vmbra in certamen atque puluerē eduxit. Theophrasti auditor fuit, postea Crantoris Solensis: & mortuo Crate scholam rexit. Laert.lib.4.

LACYDES Cyrenæus Arcesilai successor in noua Academia, dialecticus insignis fuit. Laert.

ARISTOTELES Stagirita cùm in omni Philosophia, tum etiam in Logica excelluit, neque præcepta tantùm (quorum tamen maxima optimáque parte caremus) verùm etiam exempla illustria nobis reliquit. Laert. lib.5. Quem secutus est THEOPHRASTVS Eresius, discipulus.

ANTISTHENES Atheniensis, inter Socraticos omnes acutissimus fuit, & suauissimus, Cynicæque sectæ author. Laert.lib.6.

ZENO Cittiæus, Stoicorū princeps, Cratis auditor, in Dialecticis exercitatissimus, disputantem in morem histrionum voce viribúsque magnū esse oportere dicebat: os tamen aperire non debere immodicè, vt inepti homines faciunt.

CLEANTHES Assius Zenonis discipulus, eiúsque studiorū simul & scholæ successor.

CHRYSIPPVS Solensis, Cleāthis discipulus ingeniosissimus & acutissimus fuit, vt vulgò diceretur, Si apud Deos vsus esset Dialectice, Chrysippea vsuros. In Logicis supra trecenta volumina scripsit. Idē ad dialecticum quendam, Cleanthi multis ac prolixis sophismatibus obstrepētem: Desine, inquit, senem à magis ad rem pertinentibus auocare, sed nobis iunioribus ista proponito. Docuit vir sapientissimus, Dialecticæ studium magis spectare ad iuuenes exercitatione indigentes, quàm senes grauioribus rebus occupatos. Laertius lib.7.cap.3.

CARNEADES Cyrenæus Stoicorum & Chrysippi libris diligenter perlectis summus euasit Dialecticus & Philosophus. Hic & philosophi sententiam, & oratoris vehementiam in dicendo retinuit. A Philostrato inter sophistas numeratur.

Quum POLYXENVS dialecticus Dionysio diceret, Ego te conuinco: Nimirum verbis, inquit. at ego te reipsa conuinco, qui tuis relictis, me meáque colas. Significans, illum à schola ad aulam, à philosophis ad tyrannum transisse: id autem non facturum fuisse, nisi hanc vitam illa iudicasset beatiorem. Plut.in Reg.Apoph.

Quàm

Quàm sit oratoribus Dialéctica necessaria, satis ostendit Cicero in Bruto, quando SER. Sulpitium Q. Scæuolæ ob solam artem præfert: & seipsum quoque è Dialecticorum scholis inuentionem hausisse testatur. Denique Academiæ veteris & Peripateticorum præcepta futuro oratori necessaria esse cognitu, asserit.

DIONYSIVS Milesius historicus & sophista acutissimus, Hadrianoque principi ob ingenij fœlicitatem adeò acceptus, vt inter satrapas & equites sit numeratus: & mensæ, in qua omnes viri docti in toto terrarum orbe continebantur, particeps factus sit. Philostratus in Sophistis.

ORIGENES fortissimus Christi, & inuictus athleta, cum hæreticis sæpissimè congressus est, tanta felicitate & celeritate disputandi, vt manus vel inuiti dare cogerentur. Itaque Beryllum Arabem, & Ambrosiū, à Valentiniana Marcionísque hæresi liberauit. Hortabatur ille ad studia philosophię discipulos, quasi absque his resistere hæreticis non possent. Eusebius.

ARIVS presbyter Alexandrinus, insignis fuit dialecticus & hæreticus. Socrates lib.1.cap.5.& 6.

Dialectici & Sophistæ plurimi ad Nicenam Synodum confluxere, siue Arianis siue Orthodoxis patrocinari parati. Vnus præ cæteris ambitiosior & impudentior, cùm cauillis suis omnes superaret, tandem à bono quodam sene SPIRYDONE episcopo Trimethuntis Cypri, qui ex pastore propter pietatem & miracula Episcopus factus erat, prouocatus est. Ibi cum senex formulam fidei recitasset, Si credis, constanter respōde, nec logomachiis istis in Dei opt.max. contemptum vtere: acclamauit. Tunc quasi voce diuina perculsus Dialecticus, & se credere fassus est, & comites suos ad credēdum induxit, in hæc verba prorumpens: Quantum interest, de rebus nudis absque vllo fuco disputare, & inanibus logomachiis tempus terere? Socrates libro primo, cap.8. & Sozomenus libro 1.cap.18. qui nomina non exprimunt. Sed Nicephorus exprimit lib. 8.cap.14.

ÆTIVS Syrus primùm aurifaber, deinde studiis addictus, breui ita in illis excelluit, vt Antiochiæ in disputationibus publicis etiam senes exagitaret & superaret. ob eam immodestiam eiectus fuit à catholicis. Inde medicus factus, & philosophus, & ad Arianismum propter Categorias Aristotelis malè intellectas lapsus, Antiochiæ à Leontio diaconus ordinatus: cum contentiosis disputationibus de Deo suæ quoque sectæ homines intricaret, pro heterodoxo habitus, in exilium pulsus est. Sozom.lib.5.& Epiph.lib.3.tom.1.hæresi 76.

MALCHION rhetor & dialecticus insignis, presbyter Antiochenus, præ cæteris solus Pauli Samosateni lubricas fraudes deprehendere & redarguere potuit. Eusebius lib 7.cap.29.

ARCHELAVS episcopus Mesopotamiæ, Manetem in Caschara Mesopotamiæ vrbe publicè disputando conuicit, ita vt profugere cogeretur: deinde rursus in alio quodam Cascharorum pago Diodoride. Floruit sub Probo, teste Hieronymo.

EVODIVS episcopus Vzalensis in Africa, Augustino familiaris, disputator subtilis & acutus. Vide tit. Doctorum ecclesiasticorum.

EXEMPLA MVLIERVM.

In primitiua ecclesia Martyrum quarundam admiranda fuit in Christo confitendo constantia: nec minor in redarguendis & confutandis Gentilium superstitionibus diuinitùs infusa gratia & eruditio. Nam spiritus ille, cuius instinctu loquebantur, eam quoque facultatem illis largitus est, vt non differere tantùm de rebus sublimibus & diuinis possent: verùm etiam aduersariorum errores detegere, eósque veritatis splēdore vel omnino excæcare (quod peruicacibus & obstinatis sophistis vsuuenire consueuit, qui ignorantia κατὰ διάθεσιν laborant) vel ad saniorem mentem reuocare potuerint: eos videlicet, qui ignorantia κατ' ἀπόφασιν detinentur: & cùm se nihil scire sciant, discere tamen cupiunt, quam ignorantiam Philosophicam Plato nominat, vti priorem illam Sophisticam. Talis fuit CAECILIA Romana virgo, quæ cùm Valeriano & iuueni & cupido desponsata esset inuita, & iam thalamum cum sponso ingressa, de fide Christi & castitate differens: non modò Valerianum à vi inferenda cohibuit, dum solidis argumentis castitatem matrimonio sanctiorem esse ostendit: verumetiam Tiburtium sponsi fratrem ad Christianam religionem amplectendam compulit. Marul.lib.5.cap.6.

CATHARINA Alexandrina sub Maxentio, Sophistas omnes sancti Spiritus virtute confutauit: & magnam eorum partem, vt Christo nomina darent, persuasit. Cessit mundi sapientia, sapientiæ diuinæ: & qua sola differendi ac disputandi arte gloriabantur sophistæ, eam quoque virginis diuino acumine submittere fuere coacti. Idem.

DIODORVS Socraticus quinque filias habuit Dialecticas, insignis pudicitiæ. Guido Bit. in Catalogo philosophorum.

HIPPARCHIA Metroclis soror, Cratetis Cynici vxor, Theodorum impium, cui cognomen erat ἄθεος, huiusmodi sophismate constrinxit: Quod faciens Theodorus non diceretur iniustè agere: idem si faciat Hipparchia, non diceretur iniustè agere. Quum annuisset ille, subiecit: Sed Theodorus seipsum percutiens, non diceretur iniustè agere: nec igitur Hipparchia, si idem faceret. Ad id Theodorus nihil respondit, sed sustulit illius pallium, vt nudaret pudenda. Quum illa nihil hac re turbaretur, obiecit ei versu iambico, quòd à muliebribus officiis ad virile institutum defecisset.

γυνὴ τὰς παρ' ἱστοῖς ἐκλιποῦσα κερκίδας:

Radios apud telas reliquit fœmina. Cui illa: Num tibi videor malè mihi consuluisse, quæ quod temporis impensura fueram telis, impendi disciplinis? Eras. ex Laertij lib.6.

CASSANDRA Fidelis Veneta. Vide titulum Doctarum mulierum.

DIALECTICI MALI, ET INDOCTI.

DIODORVS Iaseus, cognomine Cronus, apud Ptolemæum Soterem commorans, cùm argumenta quædam à Stilpone proposita ex tempore nequiuisset soluere, à rege per contumeliam Cronus vocatus, conuiuio excessit, deque ea propositione librum conscripsit, & vitam mœrore finiuit. Laertius lib.2.

THEODORVS ἄθεος Hipparchiæ respondere non potest. Vide tit. Bonorum.

SOPHISTAE, qui Nicenæ synodo interfuerunt. Consule tit. Bonorum Logicorum.

DIALECTICES ODIVM.

MENEDEMVS Eretriensis, Platonis primùm, inde Stilponis discipulus, à quo Eretriaci philosophi nomen habuere: tollebat proloquia negatiua, affirmatiua probabat, & maximè simplicia. Dialecticorum argutias ridebat, cùm ipse tamen in disputando ita acris esset, vt oculis ardere videretur. Rempublicam quoque Eretriensium cum laude administrauit. Laert.lib.2.

POLEMO Atheniensis, qui in Xenocratis schola ad honestiorem viuēdi rationem fuit reuocatus, philosophus clarissimus, in rebus exerceri oportere dicebat, non in Dialecticis speculationibus: ne breuē quandam artem sorbentes atque meditantes, dum in interrogationibus mirifici sumus, moribus ineptissimi esse deprehēdamur. Laertius in eius vita.

DIOGENES Cynicus Dialecticas argutias valde oderat. Vnde Euclides Megarensis χολὴν, χολὴν vocabat, propter contentiones & rixas disputantium. & Platonis διατριβὴν, κατατριβὴν, hoc est consumptionem. Laert.lib.6.

DEMONAX philosophus Dialecticos irridere & calumniari solebat. Vnde in HERMINVM Peripateticum, qui semper in ore habebat decem Aristotelis Categorias, ita lusit: Equidem arbitror Hermine, te non indignum decem Categoriis. Iocus est ex ambiguo vocis. Categoriæ Græcis vel prædicamenta dicuntur, vel accusationes. Eras. libro octauo, Apoph.

Demonax ad AGATHOCLEM Peripateticum, arroganter iactātem, sese & solum & primum esse dialecticorum: Si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? Eras.lib.8.Apoph.

EPICVRVS Atheniensis Dialecticam damnabat, quando philosophia simplicibus ac propriis rerum vocabulis comprehendi posset. Laert.lib. 10. Eiusdem sententiæ fuerunt CYRENAICI philosophi, Aristippi sectatores, teste Clitomacho & Meleagro apud Laertium lib.2.

RHETORICA ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, *inquit Arist. in proœmio Rhetor. Circa eadē versantur, circa omnia scilicet: neque propriā habent materiam subiectam. Differunt tamen modo tractādi. Primò autem fines habent diuersos, Logica quidem* ἀλήθειαν, *Rhetorica verò* πιθανότητα, ἀλήθεια *in rerum & conceptuū cōuenientia posita est, siue ea sit exquisita & exacta, quæ* ἐπιστήμην *parit: siue incerta & ambigua, quæ* δόξαν *efficit.* πιθανότης *nō rerum veritatē, sed assensum auditorū requirit: nec tam quid veri subsit, quàm quantū nobis credāt auditores, cōsiderat. Eáque propter Logica philosophorū propriè instrumentum est, qui circa rerū cognitionem versantur. Rhetorica verò, eorū qui in Repub. sunt, vt populo ea quæ volunt persuadere poßint: boni quidem bona, improbi verò mala. Materiā itidem. Ex qua diuersam habent. Logici dictiones & propositiones considerant, quatenus ad res ipsas cognoscendas conferre possunt: Rhetores verò materiā persuasionis apto vocabulo* πίστιν *nuncupant, cui Inuentio destinata est, eámque diuidunt, quòd vel sumatur ex re ipsa, quam* λογικὴν πίστιν *vocant, Rhetori ferè cum Dialectico cōmunem, & in* ἔντεχνον *&* ἄτεχνον *partiuntur: vel certè à personis, tum Oratoris, &* ἠθικὴν *appellant: tum Auditoris, &* παθητικὴ πίστις *dicitur. Forma logica tribus ordinibus & quatuor methodis constat: Rhetorica verò, & respectu rerum* τάξιν *siue Dispositionem, quam sequi Memoria consueuit, & respectu verborum tum* λέξιν, *tum* ὑπόκρισιν, *Elocutionē scilicet & Actionē siue Pronunciationē cōplectitur. Et hæc quidem obiter dixisse sufficiat, pro natura Rhetoricæ cognoscenda. In Exemplis recensendis Tituli varij erunt: quos prius in ordinem redigere oportet. Cōsideramus igitur in facultate Rhetorica, partim*

- Habitum *ipsum, tum quatenus*
  - Acquiritur. *Acquisitio vel naturalis est, vel artificialis. Cōsiderātur igitur ista vel*
    - Separatim. *Sic dicēdi facultatē alij habent à*
      - Natura. *Tit.* NATVRALI *eloquentia præditi.*
      - Præceptis *artis, & alteri quoque eandem communicare possunt. Exempla*
        - BONORVM.
        - MALORVM.
      - RHETORVM
    - Cōiunctim, *in iis qui et naturæ ductu, et artis præsidio facultatē hāc sūt adepti: ita quidē, vt vel in*
      - Tota *arte* ELOQVENTES *habeātur, cùm omnia ea, quæ ad perfectum oratorem pertinent, videantur assecuti.*
      - Parte *aliqua artis insignes fuerint. Exēpla igitur eorū proferantur, qui vel ī hac, vel ī illa parte excelluerūt: siue cōsideremus*
        - Materiā. *Sic oratoris est* INVENIRE πίστεις, *tū quæ sumuntur à*
          - Re ipsa, *siue causa, &* λογικαὶ *dicuntur.*
          - Personis *vel*
            - Auditoris, *&* παθητικαὶ *appellantur.*
            - Oratoris, *&* ἠθικαὶ *vocantur.*
        - Formā. *Ratio habēda est tū*
          - Rerū, *vt apto ordine* DISPONANTVR. *Dispositionem ipsam sequetur Memoria, cuius exempla aliquot in superioribus attulimus.*
          - Verborū, *vt decorum seruet & ornatū, tum in*
            - Λέξει, *in* ELOCVTIONE.
            - Ὑποκρίσει, *in* ACTIONE.
              - ELEGANTES.
              - INEPTI.
  - Exercetur, *& ad vsum reuocatur. Exercitatio Rhetorica alia est*
    - Ludicra, *eorum qui in vmbra & scholis declamant, & fictas causas agūt. Sunt hæc veluti simulachra veræ pugnæ:* DECLAMATORES *Latinè propriè dicuntur. Quorum exempla sub Rhetorum titulis continentur, qui præcepta artis ad vsum reuocant, & vmbratili ista cōtentione ad vera certamina adolescentes animare solent.*
    - Seria, *& vel in*
      - Theoricis. *Sic in omni genere philosophiæ Rhetorica locū habet. Etsi enim Philosophia ornatum non magnopere requirit (etenim, vt ille inquit: Ornari res ipsa negat, contenta doceri) non rarò tamen propter morositatem auditoris, etiam orationis illecebris vtendum est, vt qui rebus capi nolunt, verbis capiantur. Sic etiam Medici pocula melle illinere solent, vt pueri pharmaca eo libentius sumant. Huc igitur pertinent* DISERTI *Philosophi, Mathematici, Theologi.*
      - Practicis: *& vel*
        - Actiuis. *In vita practica potißimū occupantur Rhetores, & imperito populo oratione ornata ea persuadent, quæ Philosophus nuda veritate proposita nunquā persuasisset. Versantur autē vel in negociis*
          - Reipublicæ, *quodcunque genus causarum fuerit. Qui causas illas agunt, vel ad vtilitatem*
            - Reipublicæ, *omnia sua consilia dirigunt, &* πολιτικοὶ *Græcis, Latinis* ORATORES *dicuntur.*
            - Priuatā *omnia referunt, vt magnam potentiā consequantur, & populo assentētur.* ΔΗΜΑΓΩΓΟΙ *Græcis, teste Aristot. in Polit.*
          - Priuatorū, *tam suis quàm alienis, coram quocunque iudice, qualescunque causæ fuerint.* CAVSIDICI, *Rabulæ forenses, & Rhetores etiam communi nomine.*
        - Factiuis. MECHANICI *artifices diserti.*
- Actiones, *seu potius effectus tum in*
  - Genere, ELOQVENTIÆ *vires.*
  - Specie, QVANTVM *possit actio. Actionis siue pronunciationis vires.*

NATVRALI ELOQVENTIA PRÆDITI.

CLARISSIMI quique viri in Repub. & Atheniensium & Romanorum, antequam eloquentiæ ars & præcepta inuenta essent, naturali eloquentia nitebantur. Sic ante Periclem & Thucydidem eloquentes multi habiti sunt, nemo tamen orator verè dici potuit. Apud Romanos L. BRVTVS, quo consule reges sunt exacti, natiua eloquentia proculdubiò præditus fuit. M. VAL. Dictator, paucis annis post reges exactos, cùm plebs prope ripam Anienis montem sacrum occupasset, dicendo sedauit discordias, eámque ob causam Maximus fuit appellatus. L. VALERIVS Potitus post Decemuiralem inuidiam, plebem in patres incitatam legibus & concionibus suis mitigauit. APPIVS Claudius senatum iamiam inclinatum à Pyrrhi pace reuocauit. C. FABRICIVS ad Pyrrhum de captiuis recuperandis orator missus est. T. CORVNCANIVS ex Pontificum commentariis longè plurimum ingenio valuisse videtur. M. AN. Cuius trib. pl. interrege Appio cæco, diserto homine, comitia contra leges habente, cùm de plebe consulem non acciperet, patres antè auctores fieri coegit. M. POPILIVS consul cùm sacrificium publicū cū Læna faceret, quòd erat flamen Carmētalis, plebis cōtra patres cōcitatione & seditione nūciata, vt erat lęna amictus, ita venit in cōcionem: seditionémque cùm auctoritate, tum oratione sedauit. C. FLAMINIVS, qui trib. pl. legem de agro Gallico & Piceno viritim diuidendo tulit, & consul apud Thrasymenum interfectus est, dicendo valuisse videtur. Sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum vllum eloquentiæ præmium fuisse, historiæ non tradunt: tantummodo coniectura ducti, suspicari possumus. Primus CORN. Cethegus, Ennij auditor, eloquens habitus est. Cic. in Bruto.

SCIPIONVM familia & eruditionem & eloquentiam hæreditariam propè habuit. Nam Cicero in Bruto, Scipionis collegæ sui eloquentiam extollit, & ex ipsius sapientiæ stirpe generatum asserit. Nam & duos auos habuit clarissimos, Scipionem & Crassum: & tres proauos, Q. Metellum, P. Scipionem, qui Tib. Gracchum occidit, & Q. Scæuolam augurem, iuris peritissimum: duos deinde abauos illustres, P. Scipionem Corculum bis consulem, & C. Lælium omnium sapientissimum. O generosam, inquit, stirpem & tanquam in vnam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam atque illuminatam sapientiam. Idem.

GRACCHI duo non tā in gremio quàm in sermone matris Corneliæ, quæ eloquentissima fuit, educati sunt.

LÆLIA Caij filia, patris elegantia tincta fuit. Filiæ eius MVTIÆ ambæ, & neptes LICINIÆ, L. Crassi filiæ: quarum altera Scipionis fuit vxor, & filium habuit Crassum eloquentissimum, qui Crassi testamento fuit adoptatus. Cicero in Bruto.

C. CARBO, filius eloquentissimi viri Carbonis, non satis acutus orator fuit. Facilè tamen dicebat, & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Idem.

CVRIO ætate Ciceronis literarū admodū nihil sciebat, memoria infirma erat, inuentione tardus, dispositione confusus: & tamen vsu quodam domestico Latinè non pessimè loquebatur, vt naturà potius quàm arte eloquentiā adeptus vulgò videretur, quamuis reuera eloquēs non esset.

C. LICINIVS Caluus à magistris parùm institutus, naturam habuit admirabilem in dicendo. Idem.

M. CALPHVRNIVS Piso orator, à natura genus quoddam acuminis, quod erat in reprehendendis verbis acutum atque solers, sed sæpe stomachosum, interdum etiam facetum Cicero in Bruto.

RHETORES DICENDI MAGISTRI.

De Sophistis Philostratus ex professo scripsit, Eunapius item, Quintilianus, & Volaterranus in Anthropologia. Rauisius ordine alphabetico eos secutus est. Nos pauca tantum exempla in medium adducemus.

ANTIPHONTEM Rhamnusium Rhetoricam primùm inuenisse dicunt: quidam verò, inuentam excoluisse atque auxisse. Homo fuit dulci admodum pronunciatione. Ex Philostrato recitat Volater. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

CEPHALVS Atheniensis orator, primus proœmia & epilogos induxit. Suidas.

CORAX & TISIAS Siculi, primi artem & præcepta Rhetoricæ inuenerunt.

PROTAGORAS Abderites, Menandri filius, Democrati discipulus, & postmodum (vt Suidas ait) Isocratis præceptor, vixit Olymp. LXXXIIII. Orator insignis. primum omnium orationem in quatuor partes diuisit, ἐκβολήν, ἐρώτημα, ἀπόκρισιν, ἐντολήν: hoc est, eiectionem, interrogationem, responsionem, & mandatum.

GORGIAM inter Leontinos natum Sicilia tulit: cui tanquam patri, quicquid habet artis, ars Sophistica refert acceptum. Philostratus in Sophistis.

POLVS Agrigentinus sophista, Gorgiæ auditor, primus in oratione inuenisse dicitur parisa, antitheta, & similiter desinentia. Quod minimè verum est: sed iā inuētis sæpe vsum fuisse, cōstat ex Platone, Cū se iactaret insolentius, Plato sic hominem taxauit, ὦ πῶλε, ἵνα προσείπω σε κατά σε. id est, ô Pole, vt te tuo alloquar modo. Polus Græcè sonat pullum equinum: ipso itaque statim nomine tetigit hominis arrogantiam. Imitatus est & ὁμοιόπτωτον πῶλε σε κατὰ σε. Laert. lib. 3.

SCOPELIANVS Clazomenius inter nobilissimos sophistas à Philostrato refertur, Herodis Attici præceptor. Docuit Smyrnæ magna celebritate. Quo iam senescente, cùm Polemon orator de rebus magnis Smyrnæorum mitteretur, cōuersus ad eum ait, Δός μοι ὤμοιιν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι. Hoc est arma humeris tua nunc concede in prælia nostris, Quæ tibi me similem faciant. Verba autem sunt Patrocli ad Achillem, apud Homerum.

IDEM Polemoni obiicienti, quòd inter dicendum pulsaret tympanum: Tympanizo, inquit, sed Aiacis clypeo. haud inficians, se in agendis causis interdum vti verbis ac figuris vehementioribus: at non inani strepitu, sed ad causæ patrocinium accommodis. Philost. in Sophistis.

LYSIAS Syracusanus genere, Cephali filius, Ctesiæ discipulus, vnus è decem oratoribus, cuius orationes feruntur supra X C. Styli puritate & elegantia cunctis, præter Isocratem, præstat. scripsit quoque conciones. Volat. lib. 16. Vrb. con. Cicero verò in Bruto de ipsius stylo sic ait: Lysias gracile dicendi genus sectatus est, quanquam in eo sunt lacerti sic, vt fieri nihil possit valentius: veruntamen est genere toto strictior. Habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa subtilitate delectentur. Eius etiam mentionem facit in lib. de Finibus, & Quintilianus lib. 10. cap. 1.

ISOCRATES rhetor Atheniensis, vnus è decem, dulcis & numerosus in dicendo fuit. ad rempub. non accessit, neque in concionem ascendit, deficiente pronunciatione. Volat. libro 16. Anthrop. Cicero verò in Oratore sic ait: Isocratis domus cunctę Græciæ quasi ludus quidam fuit, atque officina dicendi. Magnus orator ac perfectus magister fuit, quanquam forensi luce caruit. Intra parietes aluit eam gloriam, quam nemo, meo iudicio, postea est assecutus.

ISOCRATES alius Amyclas, ex Apollonia Ponti, discipulus & successor Isocratis Atheniensis, rhetor & ipse nobilis, reliquit orationes quinque. Qui & vnà cum claris oratoribus certauit, orando in Epitaphio Mausoli, Artemisiæ viri. Suidas.

THRASYMACHVS Carthaginensis sophista periodum & colon, id est, membrum prius monstrauit, & modum qui nunc est Rhetorices, induxit. Fuit discipulus Isocratis. Scripsit de arte Rhetorica. Suidas.

Constat ARISTOTELEM iam doctrinæ nomine clarissimum, animaduersa Isocratis oratoris gloria permotum, ad eloquentiæ studium vertisse animum. Quod cùm in multis locis, tum in Oratore Ciceronis habetur expressius, his verbis: Aristoteles cùm florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quòd ipse suas disputationes à causis forensibus & ciuilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, immutauit repentè totam formam propriæ disciplinæ. Itaque ornauit & illustrauit doctrinam illam, & omnem rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Nec verò hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hūc Alexādro filio doctorem addiderit, à quo & sciendi præcepta perciperet, & loquēdi. Cicero ipse in Rhetoricæ suæ libris, nō dissimulat illum arti Rhetoricæ plurima adiumenta atque ornamenta subministrasse. Veteres, inquit, scriptores artis à principe illo atque inuentore Lysia, vnum in locum conduxit Aristoteles, & nominatim cuiuscunque præcepta, magna conquisita cura perspicuè conscripsit, atque denudata diligenter exposuit. Hinc tantùm inuentoribus ipsis suauitate & breuitate dicendi præstitit, vt nemo illorum præcepta ex ipsorum libris cognoscat: sed omnes qui quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quasi ad multo commodiorem explicatorem reuertantur. Hæc Cic.

THEODECTES Cilix genere, rhetor insignis, discipulus Platonis, Isocratis & Aristotelis, scripsit versibus Rhetoricam: & Mausoli encomium. Suidas.

THEODECTES superioris filius, scripsit encomium Alexandri regis Epirotarum, commentarios historiæ, artem Rhetoricam libris septem, aliáque complura. Suidas.

HERODES Atticus orator in dicendo sublimis habitus, ornatu non dithyrambico, neque verba ex poetica mutuando, sed receptissima, breuitate alioqui accommoda rebus, in defensionibus vehemens & grauis, Atticæ linguæ sobrius imitator. Vox ei tragœdorum haud affectata, sed facilis & tempori accommodata. Habebat & figurarum varietatem, & cū perspicuitate recessum. Ob splendorem & magnitudinem orationis à quibusdam siccitatem amantibus, orator saginatus est appellatus. Philostratus in eius vita.

L. PLOTIVS Gallus, primus Latinè Rhetoricam docere cœpit, puero existente Cicerone, magna cum frequentia. Dolebat Ciceroni, quòd eum audire non posset: continebatur enim doctissimorum hominum authoritate, qui existimabant Græcis exercitationibus melius ingenia ali. Sueton. de Clar. orat.

L. OCTACILIVS Pilitus, seruus ostiarius primò, deinde ob studia manumissus, Rhetoricámque professus, Gn. Pompeium Magnum docuit, eiúsque patris res gestas scripsit: primus omnium libertinorum historiā scribere aggressus, non nisi ab ingenuis scribi solitam. Idem.

EPIDIVS rhetor, inter cæteros docuit M. Antonium & Augustum. Idem.

SEX. Clodius Siculus, Latinæ Græcæque eloquentię professor, malè oculatus & dicax. M. Antonio triumuiro amicissimus extitit, & ab eo dicacitatis causa ingenti congiario donatus. Quod quidem Antonio obiicit Cicero in Philippicis. Idem.

C. ALBVTIVS Silus Nouariensis, ędilitate in patria functus, Romam

venit:receptúsque in Planci oratoris contubernium, cùm ab eo prouocatus, splendidè elegantérque perorando Planco silentium imposuisset, ex eo clarus propria auditoria instituit. Egit etiam causas, sed paruo cum successu. Vide tit. Causidicorum. Iam senex Nouariam rediit, & conuocata concione, causas propter quas mori destinasset explicauit, & inedia seipsum necauit. Idem.

APOLLONIVS Molo Rhodius, præceptor Ciceronis, rhetor clarissimus in causis, scriptórque prestantissimus, & in adnotandis animaduertendísque vitiis, & in instituendo docendóque præstantissimus. Cicero in Bruto.

VARVS Geminus declamator, qui Cæsari dixisse fertur: Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem. Rauis.

APOLLODORVS Pergamenus, Cæsaris Augusti præceptor & familiaris, scripsit de arte Rhetorica. Strabo.

DOMITIVS Afer, rhetor Nouariensis Neronis temporibus, verborum arte & toto genere dicendi præferendus, & quem in numero veterum recenset Quintilianus lib.10.cap.1.

CLODIVS SABINVS, declamator tempore Senecæ, lepido vir ingenio. Is cum in Cretam cũ Appio procõsule profectus esset, in theatro Græci postulare cœperunt, vt Sabinus summum magistratum gereret. Mos autem erat, barbam & capillum magistratui Cretensium submittere. Surrexit, & silentio manu facto: Hunc magistratum, inquit, Romæ bis gessi. Bis enim reus causam dixerat. Græci autem non intellexerunt. Idem cùm reus rogaretur, vt in Latomias transferretur: Non, inquit, quẽquam nomen Latomiæ decipiat: illa enim animo meo lauta res est. vocabulo carceris ad genus palpamenti translato. Iocabatur in miseriis: in quibus iocari debuisse quis nescit, potuisse quis credit. Seneca in Declamat.

T. CASTRITIVS Rhetoricæ artis doctor Romę, summa vir authoritate apud Hadrianum principem, quo se magistro vsum Gellius dicit lib.13.cap.20.

ZENODOTVS docuit Romæ sub Adriano: scripsit Epitomen prouerbiorum Didymi, & Genethliacum in Adrianum. Præterea conuertit in Græcum sermonem historiam Salustij.

NICETES Smyrnæus, sophista Hadriani principis tempore, quum causas tentaret in foro, etiam amplissimus videbatur. Adeò ingenium ad vtramque dicendi rationem accommodarat, vt Iudiciale sophistica quadam facultate exornaret, sophisticum verò & vmbratile forensib. aculeis roboraret. Philost: in Sophist.

DION Prusiæus, sophista & philosophus, quem Chrysostomum appellabant, pelle amictus in publicum procedebat, & pro Homero cõtra Platonẽ li.4. scripsit. Item de virtutibus Alexandri Magni lib.x. & laudẽ Herculis. Traiano fuit familiaris. Rauis. Volat.lib.15. Anthrop. ex Suida.

ARISTIDES sophista è ciuitate Hadrianorum *Mysiæ*, cum *Smyrnæ* doceret, adueniente fortè M. Antonio principe, vnus ex omnibus non processit obuiam. Philostratus author.

OSCVS rhetor cum eloquentissimus esset, illius tamen orationem nil aliud vitiabat, quàm affectatio. nihil enim sine schemate dixit unquã. Ideoque cum Pacatus rhetor Massiliæ ei obuiam factus esset: Poteram, inquit, dicere, Aue Osce. Affectatorem affectata salutauit oratione. vsus enim est ironica occupatione, præter omnem necessitatem, vt irrideret hominem, semper affectatè loquentem. Recitatur è Brusonio lib.4. cap. 31. & Eras. Roterod. lib.8 Apophtheg.

HIPPODROMVS Thessalus genere, patria Larissæus, circa M. Antonij tempora Athenis scholæ successit. Sophista enim clarissimus fuit, vt est apud Philostratum, qui multa lectu dignissima de eo scribit.

DAMIANVS Ephesius, sophista nobilis, circa M. Antonij principis tempora, diuitiis ac potentia inter suos præditus, viros doctos liberalitate prosequutus est. Eloquentiæ quoque genus secũdum naturam imitatus. Philostratus in Sophistis.

HERMOGENES è Tharso, quindecim natus annos, sophista admodum probatus fuit, vt fama nominis ad auditorium suum M. Antonium principem exciuerit, ab eodémque munera egregia tulerit. Philostratus in Sophistis.

ANTIPATER Hieropolitanus (est autem Hieropolis Asiæ ciuitas) sophista nobilissimus fuisse dicitur, præceptor filiorum Seueri principis. Philostratus.

HERMOCRATES Phocensis, clarus sophistica facultate. vnde etiam Seueri principis filiam imperatore compellente in vxorem duxit. Philost. in Sophist.

HERACLITVS Lycius, domi vir clarus, sed multò clarior sophistica facultate: qui cùm olim apud Seuerum principem extemporali facultate præsentibus quoque aulicis diceret, exterritus sermone excidit. solus Sophistarum ad hanc artem industria & labore, natura minimè adiuuante, contendit. Volat. lib.15. Anthr.

SOPATER sophista, Iamblychi discipulus, in magno fuit apud Constantinum Magnum precio, cui assidebat consiliarius, Calumniam ab inimicis passus, quòd causa caritatis annonæ Constantinopoli fuisset, insons eiusdem iussu Imperatoris securi percussus est. Eunapius in libro Sophistarum.

IVLIANVS Cappadox genere sophista, Athenis floruit, Ædisij sophistæ & Constantii principis tempore, ad quem omnis vndique iuuentus discendæ Rhetoricæ gratia confluebat. Ex Eunapio: qui eius quoque discipulos enumerat.

LIBANIVS sophista, ex Antiochia curuæ Syriæ ciuitate, tempore Iuliani principis claruit. Post varios verò casus & infortunia, aduersis procellis agitatus, in patriam reuersus est, ibique Rhetoricam docuit, in qua multos viros excellentes reddidit, inter quos Chrysostomus & Basilius fuêre. Quamobrem in Iuliani principis dignationem veniens, ab eo pluribus honoribus ornatus, præfectíque prætorij honorem titulotenus oblatum respuit, dictitans, Plus esse Sophistam agere, quàm præfectum. in hoc gloriam citò perituram, in illo perpetuam esse. Ex Suida, & Eunapio.

ACHATIVS rhetor egregius, è Cæsarea Palestinæ oriundus, vehemens in dicendo, & modum referens antiquum, ætate admodum adolescens: qui ita tamen suspiciebatur, vt Libanij sophistæ (cuius sodalis erat) famam superaturus videretur. Eunapius, & Volater. libr.13. cap.3. Anthrop.

CYPRIANVS Afer, teste Hieronymo, primùm Rhetoricam docuit: deinde suadente presbytero Cæcilio, Christianus factus est. Volater. lib. 14. cap.2. Anthrop.

M. F. QVINTILIANVS Caliguritanus, vt Eusebio placet, Institutionum oratoriarum lib. 16. adeò quidem vtiles & posteritati probatos scripsit, vt D. Hieronymus eos se diligenter lectitasse, & inde in secularibus literis profecisse fateatur. Volater. 19. lib. Anthrop.

RHETORES INDOCTI.

Huc magna Sophistarum turba pertinet, qui nomine quidem se sapientes profitebantur, cùm reuera tamen ἀγνοίᾳ κτ̓ διάθεσιν *laborarent, vt Plato inquit.*

Catulus audiens ORATOREM malum perorantem, cùm in orationis fine mouere ad misericordiam auditores se putaret, finita oratione ab eodem interrogatus, num egregiè misericordiam mouisset: Magnam sanè, inquit. neminem enim tam imperitum, támque stupidum fuisse credo, cui oratio tua non miseranda visa sit. Cicero lib.2. de Oratore.

ELOQVENTES.

Cùm plurima requirantur ad perfectam eloquentiæ laudem, ita vt in tota Græcia vnus Demosthenes, Romæ solus Cicero verè eloquens habitus sit: tamen ex communi hominum voce Eloquentium exempla adducemus, qui quamuis summè eloquentes non fuerint, at certè tamen eloquentiæ laudem aliquam præ cæteris habuerint.

MERCVRIVM Iouis & Maiæ filium ἑρμῆν appellarunt Græci, quòd τῆς ἑρμηνείας, hoc est, interpretationis, quæ voce fit, auctor esset. Nuncius igitur deorum fingitur: quoniam sermo diuinæ illius particulæ, quæ in nobis est, Mentis scilicet index existit. Caput alato petaso, pedes talaribus munit. Dextra caduceum gerit. Lateri harpax accingitur. Eloquẽtiæ præsidio omnes homines indigent, tum in vita Theorica (cuius symbolum est caput petaso tectum) tum in vita practica. Hæc duplex. Occupatur enim vel ἐν ποιήσει, quam pedes talaribus insignes denotant: vel ἐν πράξει, quæ media est inter Theoricam & Mechanicam vitam. Πρᾶξις ipsa πολιτική, omne genus virtutum complectitur & vitiorum. Ad virtutis autem exercitationem alij honestate ipsa, alij metu & formidine incitantur. Honestatem caduceus significat, cui gemini angues implicati sunt: quandoquidem prudentia virtutes omnes moderatur. Metum & formidinem harpax denotat, lateri accinctus. Caduceo mortuos ducit atque reducit: hoc est, insontes liberat, sontes damnat. Somnos infert & adimit, populum modò ad pacem, modò ad bella hortatur.

Galli nõ Mercurio, sed lingua HERCVLI, quẽ sua OGMIVM vocant, eloquentiæ laudem tribuunt. Simulachrum illius tale est. Senex caluus in occipitio, cætera canus: cute rugosa & exusta, leonis exuuio indutus, clauam dextra, arcum læua tenens, pharetra de humero suspensa. Ex ore cathenulæ tenuissimæ linguæ extremo apici annexæ prodeunt, auro electróque puriores, quibus hominum magnam turbam auribus summis suspensam ad se alacrem, neque reluctantem omnino pertrahit. Scitè admodum eloquentiæ naturam hac pictura Galli expresserunt. Senex est, quoniam dicendi facultas non nisi matura ætate absoluitur. Armis variis instructus est, vt nolentes & reluctantes vi argumentorum, tanquã è pharetra depromptorum, cogere possit. Accedit deinde oratoria suauitas, qua homines ex auribus religatos detinet. Herculem itaque Galli non tam corporis viribus, quàm eloquentia & eruditione tot monstra confecisse, hoc est, arrogantissimos sophistas superasse arbitrantur. Lucianus in προλαλιᾷ.

Homerus NESTOREM senem eloquentiæ & prudentiæ laudibus celebrat: τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

ÆTHALIDES præco fuit insignis, qui propter eloquentiam Mercurij filius creditus est. Hunc etiã telis claruisse, testis est Valer. Flac. li.1.

Eloquentia non apud quosuis Græcorum cæpit, sed apud Athenienses, non nascentibus, sed iam adultis Athenis. Ante PERICLEM & THVCYDIDEM litera nulla est, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris esse videatur. Periclem Xanthippi filium Anaxagoras philosophus erudiit: eius suauitate maximè hilaratæ sunt Athenæ, eius vbertatem & copiam admiratæ, eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt. Hæc igitur ætas prima Athenis oratorem propè perfectum tulit. His ducibus eloquentia excoli cœpit, & magistri dicendi multi subitò extiterunt, Gorgias Leontinus, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Elæus: ISOCRATES tamen omnes vicit, & LYSIAS, quem iam propè audeas oratorem perfectum, dicere: nam plane quidẽ perfectum, & cui nihil admodum desit, DEMOSTHENEM facilè dixeris. Huic HYPERIDES proximus, & ÆSCHINES fuit, & LYCVRGVS, & DINARCHVS, & cuius nulla scripta extant DEMADES. Hæc enim ætas effudit hanc copiam: & succus ille & sanguis incorruptus usque adhanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. Cic. in Bruto.

ÆSCHINES Atheniensis orator insignis, dulcis, remissus, & facetè pronuncians, Corica Atticis moribus commiscuit extemporalemque orationem cum copia primus inueniendo magnam laudem adeptus est. Nam in procinctu dicere (rem antea intentatam) dono quodam diuino adflatus videbatur. Auditor & Platonis & Isocratis, lõgè plura ex suo ingenio adduxit. Nam & perspicuitatem in dicendo retinuit, molliciemque & ornatum, & simul cum grauitate iucunditatem, & in totum forma eius orationis melior quàm vt imitatione subigi possit. Huius rei testes sunt Philostrati Sophistæ, quorum verba recitat Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

ALCIBIADES Atheniensis, dux bellicosus & eloquentissimus fuit, teste Demostene & Theophrasto, apud Volat. lib.13. cap.3. Anthrop.

DEMETRIVS Phalereus successit his senib. adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quàm palæstra: itaque delectabat magis Athenienses, quàm inflammabat, vt qui non è militari tabernaculo, sed è Theophrasti philosophi vmbraculis in solem & puluerem processisset. Primus igitur inflexit orationem, & eam mollem teneramque reddidit. Cic. in Bruto.

Postea vt semel è Piræeo eloquentia euecta est, omnes peragrauit insulas: atque ita peregrinata tota Asia est, vt se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui penè dedisceret. Hinc ASIATICI oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia: sed parum pressi, & nimis redundantes. RHODII saniores, & Atticorum similiores. Ibidem.

Apud Romanos diu exultauit eloquentia. Primus M. CORN. CETHEGVS (qui bello secundo Punico consul fuit cum P. Tuditano, 140 annis ante Ciceronem consulem) eloquens fuisse scribitur, cuius eloquentiæ est auctor Q. Ennius. Hunc, Florem delibutum populi, Suadæque medullam homines vocabant. Ibidem.

M. CATO Censorius annis nouem post Cethegum consul fuit, cùm aliis, tum eloquentiæ laudibus insignis: quem Cicero Lysiæ cõferre non dubitat. Romanus Demosthenes à quibusdam dictus est: teste Cælio lib. 25. cap.3. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt, C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, Sex. Aelius. De minoribus autem, C. Sulpitius Gallus, Tib. Graccus, P. F. P. Scipio Nasica, T. Annius Luscus, L. Paulus qui Africanum adoptauit, eloquentes habiti sunt.

C. LAELIVS & P. Scipio Africanus in primis eloquentes fuerunt. Sed paululum his ætate antecedens SER. Galba eloquentia præstitit, & princeps ex Latinis illa oratorum propria tractauit, vt ornandi causa digrederetur à proposito, vt delectaret animos, vt permoueret, vt augeret rem, vt miserationibus, vt locis communibus vteretur. Dicendi laus est in Lælio illustrior quàm in Africano, verbis priscis libenter vtitur. Elegantia in Lælio, vis dicendi in Galba fuit. Hanc ob causam Lælij orationes laudantur, quoniam mens etiam in scriptis spirare videtur: Galbæ interciderunt, quoniam omnis illa vis & quasi flamma orationis, qua ille in agendo vtebatur, in scriptione ipsa fuit extincta. Ibidem.

M. ÆMILIVS Lepidus, Porcina dictus, paulò minor natu Galba, summus orator fuit habitus. In quo primùm lenitas illa Græcorum, & verborum comprehensio, etiam artifex stylus apparuit.

Eius auditores fuêre C. CARBO, & TIB. Gracchus: quibus si talis mens ad Remp. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profectò nemo his viris gloria præstitisset. Gracchus diligentia matris Corneliæ à puero edoctus, & Græcis literis eruditus fuit. nam semper habuit exquisitos è Græcia magistros, & in eis iam adolescens Diophanem Mitylenæum, Græciæ temporibus illis disertissimum. Carbo in multis iudiciis causisque fuit cognitus: canorus orator, volubilis, satis acris, vehemens, valde dulcis, perfacetus, industrius & diligens, & in exercitationibus commentationibusque multum operæ solitus ponere. Hic optimus illis temporibus est patronus habitus: eoque forum tenente, plura fieri iudicia cœperant. Nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescẽte cõstitutæ sunt, quæ antea nullę fuerũt: & iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant, tabella data. Ibidem.

C. CVRIO illustris orator fuit. Item C. GRACCHVS, cuius immaturo interitu res Romanæ Latinęque literæ damnum fecerunt. Qui si vixisset, eloquentia parem habuisset neminem.

C. GALBA, *Seruij filius*, P. Crassi eloquentis & iuris periti gener, in medio cursu cecidit, & oppressus est, publiquo iudicio condemnatus.

Q. CATVLVS, non antiquo illo more, sed hoc nostro (inquit Cicero) eruditus, incorrupta quædam Latini sermonis integritas. Causas egit. Cic. in Bruto.

M. ANTONIVS & L. CRASSVS summi perfectíque oratores fuerunt, vt vtrum alteri præferas ignores, 34. annis ante natum Ciceronem. Et videtur sanè Cicero hæc tempora conferre cum Periclis & Thucydidis ætate, quam maxima oratorum copia subsecuta est. Demosthenes tamen omnium princeps fuit apud Græcos, apud Latinos Cicero. Apertè quidem hoc non profitetur: sed Antonium & Crassum laudando, simul etiam quæ illis defuerint indicat, eáque sibi inesse quamuis obscurè affirmat. L. Crassus eloquentium iuris peritissimus, Q. Scæuola iurisperitorũ eloquentissimus putabatur. Et SER. quidem Sulpitium Scæuolæ, SEIPSVM verò Crasso confert. Rursus Sulpitium Crassi, COTTAM verò Antonij imitatorem fuisse ait. Ibidem.

In libris de Oratore Cicero mortem Crassi deplorans, omnes illum semper eloquentia, paucis verò ante obitum diebus sese etiam vicisse commemorat. Certatim quoque eloquentiæ studiosi, ad eum locum quẽ nouissimè pedib. ille calcauerat, post ipsius mortem redierunt: capti dulcedine ac recordatione sermonis, quem ex eo nuper audierant, & velut iterum audituri. Addit etiam id vni Crasso singulariter contigisse, vt quoties peroraret, toties solito altius, ac sine exemplo locutus videretur. De eo sic Cicero: Crasso dicente, nemo tam arrogans fuit, qui similiter se vnquam dicturum esse confideret. & iterum: Omnibus auditis orationibus, sine vlla dubitatione sic statuo, & iudico, neminem omnium tot & tanta, quanta sint in Crasso, habuisse ornamenta dicendi.

Duobus summis Crasso & Antonio L. PHILIPPVS proximus accedebat, longo tamen interuallo. Cic. in Bruto.

Q. VARIVS rebus inueniendis & verbis expeditus, fortis actor & vehemens, verbis nec inops nec abiectus.

CN. POMPEIVS, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriã habuisset, nisi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus: rem prudenter videbat: actio verò eius habebat & in voce magnum splendorem, & in motu summam dignitatem, Idem.

C. PISONE genero suo neminem se nec studio nec industria maiore cognouisse, Cicero testatur ibidem.

Q. HORTENSII vt summi oratoris laudes multis persequitur Cicero in Bruto, eúmque se magno studio imitatum esse affirmat: superasse, ex ipsius verbis subintelligi potest. Idem.

C. CAESARIS eloquentiam magnis laudibus Cicero extollit, & omnium ferè oratorum Latinè loqui elegantissimè, ídque non domestica modò consuetudine, sed etiam literis multis & magno studio consecutum asserit. Idem.

ASINIVS Pollio Augusto familiaris, cum Cicerone de eloquentiæ primatu contendere fuit ausus.

C. LICINIVS Caluus Ciceronis æmulus fuit. Is tanta vi Vatinium accusasse dicitur, vt Vatinius exurgens exclamarit: Rogo vos iudices, nũ quia hic disertus, ego condemnabor? Ex hac inimicitia Odium Vatinianũ in prouerbium abiit.

Omniũ eloquentissimus extra vrbẽ fuit T. BETVTIVS Barrus Asculanus cuius sunt aliquot orationes Asculi habitę, & illa Romę cõtra Cępionẽ: cui orationi Cæpionis ore respõdit Ælius. Apud maiores disertissimus habitus fuit ex Latio L. PAPYRIVS Fregellanus, Tib. Gracchi P. F. ferè ætate.

CASSIVS Seuerus orator eloquentissimus in agendo, in declamationibus parum valens. Oratio eius valde culta, ingentibus plena sententiis: nemo minus passus est aliquid in oratione sua ociosum esse: nulla pars erat quæ nõn sua virtute scateret. Seneca in Declam. Tacitus in lib. de Claris oratoribus. Hunc Quintilianus ponit inter oratorum principes.

NVMERIANVS Cæsar, Chari Imp. filius, cùm aliquando orationẽ ad Senatum misisset, tantum eloquentiæ in ea posuisse fertur, vt illi statua à Senatu, quasi rhetori, in Vlpia bibliotheca decerneretur, hac inscriptione: NVMERIANO CAESARI ORATORI TEMPORIB. SVIS POTENTISSIMO. Gyraldus Dialogo 5. hist. Poet.

ALEXANDER VI. Pont. Max. tanta eloquentia præditus fuit, vt vix similem eo tempore habuerit. Nemo erat ea tempestate, qui rem cautius proponeret, aut acrius defenderet: seu quóuis cuperet, impelleret. Sese vnum omnium animis accommadabat, cùm iucundis de remissione, cũ seueris de disciplina, cum paribus de Repub. doctissimè semper & mira quadam facundia loquutus est, Volater. lib.21. Anthrop.

QVI IN VNA ALIQVA PARTE RHETORICES

excelluerunt, & ex ea eloquentes potissimùm sunt habiti.

Exempla plurima ex Ciceronis Oratore & Bruto colligere poterit, cui ocium erit hac tractandi. Nobis satis est digitum ad fontem intendisse, & titulos descripsisse.

INVENTIONE.

C. MACER causarum patronus, in inueniendis componendísque rebus mirè accuratus fuit, vt non facilè vllum diligentiorem maiorémque Cicero cognouerit: ita tamen, vt citius veterator, quàm orator dici potuerit: vox, gestus, & omnis actio sine lepore. Cic. in Bruto.

SER. Sulpitius Iurecos. arte omnes vincebat, cum Iurisprudentia multos pares haberet. Cicero certè in Bruto eum Q. Scæuolæ præfert ob artem solam: quoniam Iurisprudentiæ Dialecticam coniunxisset, simul & loquendi elegantiam.

M. TVL. Cicero de se simul atque M. BRVTO gloriatur, quòd ex veteris Academiæ præceptis vim istam & copiam argumentorum hauserint. Cic. in Bruto.

DISPOSITIONE.

Hanc laudem Q. HORTENSIO præter cæteras dotes eximiam dat Cicero in Bruto, quòd attulerit in forum minimè vulgare dicendi genus: duas quidem res, quas nemo alius, Partitiones, quibus de rebus dicturus esset, & Collectiones, memor & quæ essent dicta contrà, quæque ipse dixisset. Maximè verò in M. ANTONIO hanc facultatem prædicat, quòd ei omnia venirent in mentem: eáque suo quæque loco, vbi plurimum proficere & valere possent, vt ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura, sic ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur.

MEMORIA.

Exempla huius petantur ex tit. Memoriæ. Nam quæ illic in genere dicta sunt, huic loco in specie inseruient.

ELOCVTIONE.

CVRIO, cùm in cogitando tardus, & in instruendo dissipatus esset, in actione & memoria cachinnos ridentium commoueret: tamen quia splendidioribus verbis vtebatur, & Latinè non pessimè, vsu aliquo domestico, loqueretur, inter eloquentes habitus est ætate Ciceronis. Cic. in Bruto.

ACTIONE. ACTIO ELEGANS ET VENVSTA.

Exempla pete ex tit. Actionis vires.

SATYRVS histrio, familiaris Demosthenis oratoris, cùm Demosthenes deploraret suum casum, quòd à populo semel atque iterum explosus fuisset: sese illi condolere finxit. & remedium tamen daturum pollicitus est, si Euripidis aut Sophoclis aliquot versus prius recitasset. Paruit Demosthenes, & suo more timida mollique lingua carmina quædam recitauit. Quæ eadem cùm Satyrus paulo pòst retulisset, eo gestu eóque vultu extulit, vt diuersa planè viderentur. Hac igitur ratione Demostheni ostendit, non artem, sed actionem ei deesse: & vt hanc quoque difficultatem studio euinceret, author illi fuit. Plut. in Demosthene.

Æschines, cùm propter iudicialem ignominiā, relictis Athenis Rhodum petiisset, atque ibi rogatu ciuitatis suam prius in Ctesiphontem, deinde DEMOSTHENIS pro eodem, orationem, clarissima & suauissima voce recitasset, admirantib. cunctis vtriusque columinis eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis: Quid si (inquit) ipsum audissetis? Tantus orator, & modò tam infestus aduersarius, sic inimici vim ardorémque dicendi suspexit, vt se scriptorum eius parum idoneum lectorē esse prædicaret: expertus acerrimum vigorem oculorum, terribile vultus pondus, accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus. Ergo etsi operi illius adiici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest: quòd legitur potius quàm auditur. Val. lib. 8. cap. 10.

ANTIPHONTES Atheniensis, qui ob orationis dulcedinem Nestor vocabatur, dulcissimæ pronūciationis homo fuisse dicitur. Testis est Stephanus Grammaticus.

C. GRACCHVS eloquentiæ, quàm propositi felicioris adolescens, quoniam flagrantissimo ingenio, cùm optimè Remp. tueri posset, perturbare impiè maluit, quoties apud populum concionatus est, seruum post se Musicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula pronūciationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitatos reuocando: quia ipsum calor atque impetus actionis attentum, huiusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur. Val. Max. lib. 8. cap. 10.

L. APVLEIVS Saturninus, seditiosorum omnium post Gracchos eloquentissimus visus est: magis specie tamen & motu atque ipso amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentię. Cic. in Brut.

CN. Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quàm quanta in eo facultas erat. Qui cùm esset nec peracutus (quanquā & ex facie, & ex vultu videbatur) nec abundans verbis (etsi fallebat in eo ipso) sic interuallis, exclamationib. voce suaui & canora, admirando irridebat, calebat in agendo, vt ea quæ deerant non desiderarentur. Cic. in Bruto.

P. LENTVLI excogitandi & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, coporis motus plenus & artis & venustatis, vocis & suauitas & magnitudo. Ibidem.

C. LENTVLVS cæterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultauit, in qua excellens fuit. Cic. de Claris oratorib.

Q. HORTENSIVS plurimū in corporis decoro motu repositū credens, penè plus studij in eodem laborando, quàm in ipsa eloquentia affectāda impendit. Itaque nescires vtrum cupidius ad audiēdum eum, an ad spectandum concurreretur: sic verbis oratoris aspectus, & rursus aspectui verba seruiebant. Constat Æsopum Rosciúmque ludicræ artis peritissimos, illo causas agente, in corona frequenter astitisse, vt foro petitus gestus in scenam referrent. Val. Max. libr. 8. cap. 10. & Vol. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

L. ROSCIVS GALLVS comœdus, præceptor Ciceronis in pronunciationis & gestus exercitatione, eò venit præstantiæ, vt cum de perfecto aliqua in re vel arte loquimur, Roscium dicamus in arte sua, aut Roscium in scena. Hic cùm obliquos haberet oculos, turpísque esset aspectu, primus persona in scena visus est: populus tamen eum sine persona intueri malebat, ob pronunciandi dulcedinem. Cic. in lib. de Orat.

Q. HATTERIVS orator insignis, vt quēadmodum olim Gracchus, pronunciationem rebus quas tractabat accommodaret, seruum post terga habebat: qui vel lentius vel vehementius agentem, vestis contactu moneret. Nam propter nimiam in dicendo attentionem sibiipsi diffidebat. Fulgos. lib. 8. cap. 10.

TRACHALVS orator Domitiani temporib. habuit summam vocis fœlicitatem. Pronuntiatio enim vel sceni sufFectura, & decora ei inerat. Volat. lib. 20. Anthrop.

ACTIO INEPTA ET INVENVSTA,

tam Histrionum quàm Oratorum.

ISOCRATES orator Atheniensis nunquam in concionem processit, deficiente pronunciatione. Vol. lib. 16. Anthrop.

DEMOSTHENES ille princeps Atticæ facundiæ, primùm ad populum verba faciens, tumultibus excipiebatur & deridebatur: quòd confusis circuitibus, & nimis asperè contortis argumentis vteretur, ad hæc etiam voce exigua minimèque firmis lateribus esset. Itaque bis explosus, obuoluto capite, grauiter suum casum ferens, domum rediit. Hanc ipsam tamen difficultatem arte simul & studio superauit. Plut. in Demosthene.

PAVSANIAS Cæsariensis Grammaticus in primis clarus, & Aristidis æqualis, Herodis Attici discipulus, enuntiabat pingui lingua, more Cappadocum, collidendo consonantes, longa contrahendo, & breuia producendo: ex quo vulgò Cocus vocabatur, quòd ex multis sumptuosis cibis non suaue obsonium præpararet. Philostratus apud Volater. lib. 18. Anthrop.

Polemon sophista, HISTRIONEM Tragœdiarum, qui in Olympiis, O Iupiter, pronunciarat, ostensa terra, O terra, manu in cœlum proiecta: submouit à præmiis (præsidebat enim ei certamini) dicens, Hic manu cōmisit solœcismum. Ex Philostrato.

Q. POMPEIVS, qui Bithynicus est dictus summo studio dicendi, multa doctrina, incredibili labore atque industria fuit. Huius actio non satis commendabat orationem: in hac enim satis erat copiæ, in illa leporis parum. Cic. in Oratore.

C. MACER patronus causarum, in inueniendo acutissimus fuit, & diligentissimus: sed vox, gestus & omnis actio sine lepóre. Cicero in Bruto.

SEX. Titius, homo loquax & acutus, tam solutus & mollis fuit in gestu, vt saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. Ita cauendum, ne quid in agendo dicendóue facias, cuius imitatio rideatur. Cic. in Bruto.

Domitius Afer MANLIVM Suram multùm in agendo discursantem, salientem, manus iactantem, togam deiicientem ac reponentem, non agere dixit, sed satagere. Actio enim oratoris est. Satagit autem, qui frustra miseréque conatur. Quintil. de Pronunc.

M. CALLIDIVS Q. Gallum accusauit, M. Tullio defendente. Quúmque accusator affirmaret, se testibus, chirographis, quæstionibus probaturū, sibi à reo fuisse præparatum venenum: sed interim rem tam atrocem, remisso vultu, languida voce, ac reliquo gestu parum concitato pronunciaret: M. Tullius, Tu (inquit) nisi fingeres M. Callidi, sic ageres? Ex actione colligens, illum non ex animo loqui. Cic. in Bruto.

CVRIO orator, præterquam quòd in cogitando esset tardus, in instruendo dissipatus, parúmque rerum propositarum meminisset, in vtrāque etiam partem toto corpore vacillabat in oratione. In hunc vrbanè C. Iulius iocatus est. quæsiuit enim. Quis loqueretur è lintre? Et Cn. Sicinius, Trib. pleb. impurus homo, cùm Curionem & Octauium consules produxisset, Curióque multa dixisset sedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat fasciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: Nunquā, inquit, Octaui collegæ tuo gratiam referes, qui nisi se suo more iactauisset, hodie te istic muscæ comedissent. Cic. in Bruto.

Vrbanè Flauius Virginius ANTISOPHISTAM quendam suum interrogauit, Quot millia passuum declamasset? Taxans eum, quòd in declamando discurreret, nimiúmque crebras, longas ac tumultuarias haberet ambulationes: cùm M. Tullius oratori non concedat procursiones, nisi raras, moderatas ac breues. Quintil. de Pronunciatione.

Salsum est illud Cassij Seueri, qui aduersus PATRONOS immodicè discurrentes, vt interdum se proriperent in aliena tribunalia, poposcit lineam: alludēs ad certamina cursus, in quibus vna linea designabat vnde cursus inciperet, altera vbi desineret. Idem accommodari potest in eos, qui digressionibus immodicis diuertunt ab instituto. Erasmus libro 8. Apoph.

TESTIVS Penarius in dicendo mentum intorquebat. In hunc Cæsar ita iocatus est: Dic, si quid velis, ait, quum nucem perfregeris. Notauit incompositos mores, ac gesticulationes parum decoras. Nam qui habet in ore nucem duram, in rumpendo mentum solet intorquere. Brusonius libro 4. cap. 31.

AVGVSTVS duobus pantomimis inter se commissis, vt alternis gestibus certarēt, alterum dixit saltatorem, alterum interpellatorem: quòd ille immodicè gesticularetur, alter non gesticulari, sed saltantem interpellare videretur. Erasmus lib. 4. Apoph. ex Suetonio.

PHILISCVS illaudatus rhetor, quū causam ageret pulchrè vestitus, sed tumultu irruens in tribunalia, voce semimuliebri, lingua supina, quóuis potius spectans quàm ad ea quæ agebantur: auersatus dicentem Imperator, studuit illi os occludere: totaque actione aquam intercipiebat, breues subinde percōtatiunculas obiiciens. Ad quas quum parum appositè respondisset Philiscus: Virum, inquit Imperator, arguit Cæsaries, Rhetorem vox. Græca plusculum habent leporis, τὸν μὲν ἄνδρα δείκνυσιν ἡ κόμη, τὸν δὲ ῥήτορα φωνή: notans illum, quòd attonsa cæsaries declararet virum, sed oratio nō declararet esse Rhetorem, sed fœminam potius. Philost.

DECLAMATORES.

Ad hunc titulum exempla Rhetorum pertinent, quatenus præcepta artis vmbratili exercitatione confirmare solent, & discipulis imitationis exempla proponunt. Quemadmodum enim in palæstricis certaminibus corpora exercentur, vt labores militiæ perferre possint: ita etiam qui vel in scholis sub præceptore, vel priuatim domi exercentur, eò consilia sua dirigunt, vt aliquando in forum quoque progrediantur, & veras causas agant.

DEMOSTHENES Atticæ eloquentiæ princeps, quanto studio & diligentia in declamando sese exercuerit, pete ex tit. Studij in exercitatione literaria.

M. TVL. Cicero Romanæ eloquentiæ pater, cùm iam causas aliquot in foro egisset, nimia tamen vocis contentione periculum sibi imminere videret, in Asiam abiit, & Asiaticis simul & Rhodiis rhetoribus, Apollonio præsertim Moloni sese recoquendum, vt ita dicam, dedit. Itaque factum, vt quotidianis declamationibus laterum imbecillitatē corrigeret, & plus artis consequeretur. Vide eundem tit.

ASINIVS POLLIO Augusti amicus, primus omnium Romanorum aduocatis hominibus scripta sua recitauit. Seneca in Declamat. & Quintil. libro 10. Declamationes suas nunquam populo commisit, vir alioqui nasutiore iudicio. Carpebat in Liuio Patauinitatem, in Cęsaris commentariis infidelitatem, in Sallustio verba obsoleta, in Cicerone stylum nimis exanguem & elixum. Hic primus Romæ Bibliothecam publicauit. Rauis.

DISERTI PHILOSOPHI.

Inter philosophos STOICI in disserendo prudentissimi sunt, in dicēdo inopes, quandoquidem omnis illorum cura in Dialecticis consumitur: vagum illud orationis, & fusum, & multiplex non adhibetur genus. Quòd si omnia à philosophis essent petenda, veteribus ACADEMIAE & PERIPATETICORVM institutis commodius fingeretur oratio: quorum in doctrina atque præceptis disserendi ratio coniungitur cum suauitate dicendi & copia. Quis enim vberior in dicendo Platone? Iouem sic, vt aiunt philosophi, si Græcè loquatur, loqui. Quis Aristotele neruosior? Theophrasto dulcior? Lectitauisse Platonem studiosè, audiuisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex genere & granditate verborum. Tamen philosophica ista dicendi consuetudo nec perficere oratorem potest per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Cic. in Bruto.

XENOPHON Grylli filius Atheniensis, Socratis discipulus, tantum eloquentiæ viribus potuit, vt Musa Attica appellatus sit. Volater. libro 20. Anthrop.

PLATONIS eloquentiam apes, quæ eius labris, dū infans esset, insederunt, testatæ sunt. Experta deinde fuit Academia. Nos etiam ex illius scriptis eandem colligimus. Adeò vt non propter res tantùm, sed etiam propter verba θεῖος nomen meruerit. De eo sic Timon cecinit, referente Laertio.

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορευτὴς.
ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ' ἑκαδήμου
δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

ARISTOTELES à præceptore non scientiam solum, verumetiam eloquentiam hausisse videtur: vt quamuis eo genere docendi non vtatur, quo Plato (ille enim Dialogico genere, quod omnis generis ornamenta admittit, hic verò εἰρημένῳ λόγῳ, continuata orationis serie philosophatur (tamen eloquentiæ suæ non obscura dat indicia: vt Cicero eloquentiæ princeps, aureum Aristotelis flumen appellare non vereatur.

TYRTAMVS ex Eræsso Lesbi ciuitate, Aristotelis discipulus, Theophrastus ob oris & eloquentiæ suauitatem dictus est. Laertius in eius vita.

LYCON ex Troade Stratonis discipulus, è Theophrasti schola, quàm eloquens ac disertus fuerit, vel ipsum nomen demonstrat, quòd addita litera G. Glycon sit nominatus. Laert.

DEMETRIVS Phalereus. Vide tit. Eloquentum.

BEROSVS Astrologiæ peritissimus, ob eloquentiam & insignem prudentiam ab Atheniensibus statuam meruit lingua deaurata. In hoc viro naturam extremum fecisse, testatur Plinius Naturali historia. Guido Bit.

CARNEADES Cyrenæus nouæ princeps Academiæ, tantum eloquentia sua valuit, vt facilè dicendi viribus de qualibet re quosuis in suā traheret sententiam. Ideoque etiam Romam legatus missus ab Atheniēsibus, vnà cum Diogene Stoico & Critolao Peripatetico, suspectam fecit Romanis legationem: dicente M. Catone in senatu, Ab hoc viro cauendum esse, qui ob eloquentiam & disserendi facultatem facilè quæcūque vellet, impetrare posset. Volater. lib. 14. cap. 2. Anthrop. Quintilianus verò lib. 12. cap. 1. Ait eum Romæ, audiente Censorio Catone non minoribus viribus contra iusticiam dixisse, quàm pridie pro iusticia disseruerat. De eiusdem eloquentia scribit Gellius lib. 7. cap. 14. & Crinitus libro 22. cap. 4. de Honest. discip.

CARNEADES, alter philosophus Atheniēsis, Anaxagoræ discipulus, sophista insignis, & philosophi sententiam & oratoris vehementiam in dicendo retinuit. teste Philostrato.

STILPO Megarēsis, ex Euclidis sectatorum familia, inuentione & eloquentia superabat omnes alios in tantum, vt omnis Græcia eum coleret, suspiceret, & admiraretur, atque adeò μεγαρίσαι diceretur. Laertius libro secundo.

DISERTI THEOLOGI.

Exempla plurima ex tit. Doctorum Ecclesiasticorum petantur.

APOSTOLI non armis, sed eloquentia, à Spiritu sancto cœlitùs infusa, totum orbem subegerunt, & in Christi verba iurare coegerunt. Itaque Petrus in die Pentecostes tria millia cōuertit: alia quoque vice quinque millia. Habet enim Spiritus sanctus quoque suam Rhetoricam, sed quæ non in persuasibilibus humanæ sapientiæ, sed in ostensione spiritus & virtutis consistit, vt author est Apost. Paulus.

DISERTI ARTIFICES MEchanici.

PHILO architectus armamentarium Athenis summa arte & elegantia extruxit: nec minore facundia rationem instituti sui populo reddidit, vt disertissimus populus non minus eloquentiam quàm opus illius fuerit admiratus. Val. Max. lib. 8. cap. 13.

ΠΟΛΙΤΙΚΟΙ. VIRI IN REPVBLICA ADMINISTRANda illustres, simul & diserti.

Cicero Oratorem definit esse virum bonum, dicendi peritum. Vir bonus idem est, qui & iustus. Iusticia virtus est ethica, & in conuersatione quotidiana locum habet. Proinde Orator ille erit, qui πολιτικὸς Græcis dicitur. Πολιτικὸς enim in Repub. administranda versatur, & vtroque tempore, belli simul & pacis, ea quæ ad vtilitatem publicam facere possunt, inuenire, & oratione explicare potest conuenienti. Conuenientem appello, respectu habito eorum quibus consilia sua proponit. Qui quidem si omnes philosophi essent, & veritatem simplicem vel assequi, vel approbare possent, Rhetorica opus non esset. Nunc verò quia maior pars ciuium imprudens & imperita est, Politici erit, & ea quæ

bona sunt suadere, & mala dissuadere. Πολιτικοὶ igitur à materia subiecta nomen suum traxerunt, quoniam in ciuitatis negociis occupantur. Oratores ab ipsa oratione, vt & Rhetores ἀπὸ τοῦ ἐρέσθαι. Et nomen quidem Oratoris latius patet, quàm nomen Politici: definitio verò eadem est. Eoque factum, vt quidam hanc definitionem tanquam impropriam reprehendere fuerint ausi. Nihil enim ad Oratoris naturam, quatenus Orator, conducit, vt vir bonus sit, vel malus, modò ea adhibeat quæ ad persuadendum facere possunt. Accidit eloquentiæ, vt interdum viri boni, interdum verò viri improbi, quos δημαγωγοὺς vocant, ea vtantur. Iisdem pharmacis & Medicus sanat, & veneficus interficit. Iisdem locis ad persuadendum, eadem facultate dicendi & πολιτικὸς Remp. erigit, & δημαγωγὸς subuertit. Nunc ad exempla πολιτικῶν accedamus, propriè dictorum. Impropriè enim δημαγωγοὶ quoque hoc sese nomine appellari voluerunt, vt non rebus tantùm, verùm etiam nominibus fictis populum deciperent. Possunt autem ex titulo Eloquentum, Eloquentiæ virium, & Virorum in Theoricis simul & Practicis illustrium, exempla peti.

SOLON Salaminius legislator Atheniensium, eloquentia sua ad optimum Reip. statum Athenienses deduxit: & verus politicus fuit cū Reip. commoda, non priuatam vtilitatem quæreret. Cum quo è diametro pugnabat Pisistratus. Solet enim ferè natura extrema extremis opponere, summis virtutibus summa vitia.

PERICLES, etsi in multis peccasse visus est, Reip. tamen Atheniensi profuit. In eo fortasse nimius, quòd dum gloriæ suæ inseruit, populo stulto & insipienti plus quàm tantum virum deceret, sese submiserit.

DEMOSTHENEM quoque principem oratorum eadem Respublica tulit. Multa ille pro libertate patriæ contra Philippū Macedoniæ regem, eloquenter magis quàm fortiter egit.

ANAXIMENES Lampsacenus orator insignis, & præceptor Alexandri Magni, missus quondam orator ad Alexandrum iratum Lampsacenis, cùm suspectus ob eloquentiam esset, iurauit Alexander, nihil se facturum quod diceret. Ibi tunc Anaximenes: Euerte ergo Lampsacum, quæ tibi, quò erudieris, præceptorem dedit. Pausanias apud Volaterranum.

Apud ROMANOS quamuis serò eloquentia excoli cœpit, & armorum strepitus omnē rhetoricæ cultum turbauit: tamen clarissimi quique in Republica viri, naturali quadam facundia præditi, de rebus grauissimis, & ad salutem ciuitatis pertinentibus in senatu, in curia, pro rostris dicere potuerunt. Deuicta tandem Græcia, eloquentiæ studium patricios plerosque inuasit. Plurimi ea in re excelluerunt: sed M. Tullius Cicero vt in libera Republica postremus fuit, ita etiam perfectæ eloquentiæ laudibus, quæ in democratia & politia locum præcipuè habere consueuit, excellentissimus fuit.

Cùm Cn. Manlius, homo summa temeritate, perniciosissimas leges ferre vellet, vt libertinis in omnibus tribubus ascribi & suffragari liceret, CN. DOMITIVS prætor eloquentissimus, hominem importunum luculentissima oratione adeò confregit, vt sublata rogatione turpissimè destiterit. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 17.

M. DRVSVS grauis orator, cùm de Rep. diceret, L. LVCVLLVS etiam acutus: M. OCTAVIVS Cn. F. legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogauit. Cic. in Bruto.

L. TORQVATVS, non tam rhetor quàm πολιτικὸς fuit. erant in eo plurimæ literæ, interiores quædam & reconditæ, diuina memoria, summa verborum & grauitas & elegantia. Idem.

ΔΗΜΑΓΩΓΟΙ.

Oratores & Rhetores dici possunt, si spectes artē eloquentiæ: si verò institutum, Κόλακες & Adulatores populi appellandi erunt. Est enim adulatoris, qui priuatæ vtilitatis causa ad gratiam omnia facit & loquitur. In Democratiis certè hoc genus hominum plurimùm semper potuit. Testis est Respub. Atheniensis & Romana. Exempla ex tit. Astutiæ in tyrannide occupanda desumi poterunt.

PISISTRATVS eloquentia sua Atheniēsi populo persuasit, vt præsidium militum sibi concederet contra inimicorum insidias. Eo accepto, tyrannidem inuasit. Potuit certè plus facundia sua in Repub. euertenda, quàm Solon in eadem conseruanda.

Apud Romanos TRIBVNI plebis, seditiosissimi homines, non populari tantùm gratia, verùm etiam eloquentia plerunque valuerunt: si non vera illa & laudabili, at certè ea quam populus cum plausu exciperet & approbaret. Itaque factum, vt optimatibus politicis plebeij δημαγωγοὶ opponerentur. Tales fuerunt TIBERIVS, & C. GRACCHI, & post Gracchos L. APVLEIVS Saturninus, quorum in Bruto Cicero mētionem facit, & nos quoque sub titulo Eloquentum meminimus.

CAVSIDICI, PATRONI. RABVLÆ FORENSES.

Horum duplex munus est, Accusare & defendere. Vtrunque, si in virum bonum cadat, laudabile est: si in improbum, vituperabile. Accusatio certè iusticiæ, Defensio verò plus humanitatis in se continere videtur. Clarissimi viri olim defendere potius quàm accusare maluerunt eóque sese patronos, pleno humanitatis vocabulo, appellari voluerunt. Cæterùm totum hoc genus merito actionis ad practicos habitus referendum esset: nisi, quod iam sæpe monuimus, non theoricos puros habitus tantùm, verùm etiam mixtos hîc cōsideraremus. nam cùm in causidicis, & politica prudentia, & simul eloquentia requiratur: huius quidem respectu Theorici videri possunt, illius verò Practici. Cæterùm ex tit. Eloquentum, plurima exempla peti possunt. In Repub. enim Romana clarissimi viri forensibus actionibus multorum amicitias sibi pepererunt, & officiis huiuscemodi aditum sibi ad amplissimas dignitates fecerunt. Consule quinetiam tit. Iureconsultorum, quorum plerique olim causas egerunt, antequam auri sacra fames omnes honestas artes corrupit. Item tit. Accusatorum, vel Absolutorum ab hominibus. Præterea tit. Defendere insontes in iudicio.

BIAS Prienęus in causis orandis clarissimus fuit, & iustissimus. Quinimò iam senex cùm causam pro cliente perorasset, & lassus in nepotis gremio caput reclinasset, vt iudicum calculis se victorem declaratum cognouit, præ gaudio animam efflauit. Laertius in eius vita.

ANTIPHON Rhamnusius, orator antiquus, Athenis præcepta dicēdi tradidit, teste Quintiliano: quo neminem vnquam melius orauisse capitis causam, cùm se ipse defenderet, se audiente testatur Thucydides. Cic. in Bruto.

MELITVS orator Atheniensis Socratem accusauit, æmulus Periclis in Repub. Vnde pulsus, dux Samiorum factus est. Volat. lib. 17. Anthrop.

ZENODOTVS Adramytenus, orator clarus, Asiatici styli, qui in senatu pro Asia dixit, quo tempore Mithridaticæ factionis est accusata. Strabo.

CATO MAIOR populi Romani iudicio Prudens appellatus, vt vocis quoque ratio sibi indicat: quadragiès sexies reus causā dixit, éstque sēper absolutus. Valuit enim plus eloquentia, quæ humanis rebus dominatur, & innocentia, quàm omnes inimicorum insidiæ. Sabel. lib. 1. cap. 6. Ethn. exemp. de Senectute.

Q. METELLIVS habitus est eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano. cuius & aliæ sunt orationes. Hunc Gellius ostendit inter principes sui temporis oratores fuisse. Vol. 17.

CATO Maior, Tusculi natus, vim dicendi sibi parauit, assiduò reos in pagis & oppidis Sabinorum (in quibus prædia paterna colebat) defendendo. Mox à Valerio Flacco, qui prædia Catonis villæ contigua habebat, Romam vt proficisceretur persuasus, statim vt in vrbem venit, defēdēdis reis multos sui admiratores amicósque inuenit: & sic tandem ope Valerij Tribunus militum, pòst Quæstor factus est. Plut. in eius vita.

C. CARBO in causis agendis disertissimus habitus est. Vide tit. Eloquentum.

M. SCAVRVS, P. RVTILIVS, causarum patroni, neuter tamen summi oratoris habuit laudem. Cic. in Bruto.

M. BRVTVS fuit accusator vehemens & molestus: vt facilè cerneres, naturale quoddam stirpis bonum degenerauisse vitio deprauatæ voluntatis. Idem.

L. CÆSIDENVS accusator de plebe fuit, homo penè infimus, quo nemo suspiciosius aut criminosius vnquam dixit, teste Cicerone.

C. & L. MEMMII oratores mediocres fuerunt, accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocauerunt, pro reis non sæpe dixêre. Idem.

Q. SERTORIVS, & C. GORGONIVS eques, solutissimi in dicendo & acutissimi fuerunt, teste Cic. in Bruto.

M. ANTONIVS, L. CRASSVS, L. Philippus, Cæsar, Cotta & Sulpitius, sex patroni illustrium causarum eodem tempore fuerunt, doctissimi simul & eloquentissimi.

CVRIO, causarum patronus, pro Ser. Næuio contra Ciceronem dicens, qui Titiniam Cottæ defendebat, subitò totam causam oblitus est. Erat enim memoria nulla, naturali tantùm elocutione instructus. Cic. in Bruto.

P. ANTISTIVS rabula probabilis, cùm multos annos tacuisset, non contemni solùm, sed irrideri etiam solitus, in Tribunatu contra C. Iulij extraordinariam consulatus petitionem veram causam agens est probatus, & in precio cœpit haberi. Vixit sub L. Sylla. Idem.

Q. HORTENSIVS anno ætatis 19, primùm in foro dixit, eiúsque ingenium simul aspectum & probatum est. Incidit in clarissimorum oratorum tempora, & in patronorum numero annos 4 & 40 fuit. Cicer. in Bruto.

C. STALENVS feruido quodam, & petulanti, & furioso genere dicendi, gratus fuit multis. Idem.

C. & L.

C. & L. CARPASII fratres, ignoti homines & repentini, oppidano quodam & incondito genere dicendi, Quæstores celeriter sunt facti. Idem.

Q. ARRIVS infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam consecutus fuit, sine doctrina, sine ingenio: quòd multorū obedire tempori, multorúmque vel periculo, vel honori inseruire sciebat. Idem.

Q. SERTORIVS priusquam ad castra accideret, in causis dicendis ita se exercitauit, vt facundia sua aliquid potentiæ sibi Romæ parauerit. Plut. in eius vita.

M. CAELIVS orator insignis, iuuenis adhuc multum in accusando potuit teste Quint. l. 10. c. 1. De eo Cicero de Oratore hunc in modum loquitur: Eius actionem splendida & grandis, & eadem in primis faceta & perurbana commendabat oratio. graues eius orationes aliquot fuêre: acres accusationes tres, eæque omnes è Reip. contentione susceptæ defensiones.

P. COMINIVS Spoletinus C. Cornelium accusauit, defendente Cicerone. & T. ACCIVS Pisaurensis A. Cluentium, pro quo extat Ciceronis oratio.

M. CALIDIVS non fuit orator vnus è multis, potius inter multos propè singularis fuit. Q. Gallium accusauit, veneni dati suspicione: quem Cicero defendit.

C. LICINIVS Caluus, qui diu cum Cicerone de primatu eloquentiæ contendit, vsque eò violentus accusator & incitatus fuit, vt in media eius actione surgeret Vatinius reus, & exclamaret: Rogo vos iudices, nū si iste disertus est, ideo me damnari oportet? Hac re inter Vatinium & Caluum contractum est odium, quod deinde in prouerbium abiit. Seneca in Controuersiis.

VINVTIVS ciuis Romanus, Augusti tempore, quo nemo in agendis causis præstantius habuit ingenium: quicquid longa cogitatio illi præstatura erat, prima intentio animi dabat, extēporè causas agebat: sed non desiderabat hanc conditionem, vt extemporè agere videretur. Volat. li. 20. & Seneca in Declam.

C. ALBVTIVS Silus Nouariensis rhetor, causas quoque egit, sed parum feliciter. nam cùm in lite quadam centumuirali aduersario, quem vt impium erga parentes incessabat, iusiurandum quasi per figuram sic obtulisset, Iura per patris matrísque cineres, qui inconditi iacent, & alia in hunc modum arripiente eo conditionem, nec iudicibus aspernantibus, non sine magna sui inuidia negocium afflixit. Et rursus in cognitione cædis Mediolani apud L. Pisonem proconsulem, defendens reum, cùm cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excanduit, vt deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam prouinciæ redigeretur: M. insuper Brutum, cuius statua in conspectu erat, inuocarit, legum ac libertatis authorem & vindicem. Quę verba cùm ad seditionem pertinere viderentur, penè pœnas capite luit. Suet. de Claris rhet.

POETAE omnes à M. Tullio vsque ad Traianum, vel causas aliquas egerunt, vel fictas declamarunt. Gyral. Dialogo 4. Hist. poet.

CASSIVS Seuerus poeta & orator, cum omnes ferè quos accusaret, absoluerentur, Augustus in eum iocatus dicitur, cùm architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret: Vellem vt Cassius meum forū accusasset. quasi diceret, iam absolutum esset. Macrobius testis.

VAL. LICINIANVS, prætorius Romæ, eloquentissimus causarum patronus, propter Corneliæ Vestalium maximè incestum relegatus in Siciliam, de senatore rhetor factus est. teste Plinio.

OPILIVS Macrinus, qui postea Imperator factus est, in Africa causidicus fuit. Dion in Macrino.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm audisset GALLVM medicum clarissimum, relicta medicina sophistam in causis forensibus agere, omniáque sophismatibus suis inuoluere, decreto in sophistas promulgato, Gallum foro prohibuit: & vt omnis lis quam Gallus Romanus suscepisset, iniqua & iniusta haberetur, edixit. Panormita lib. 4. de Rebus gestis Alphonsi.

VENETI patricij vel mercaturam exercent, & rei familiari consulunt: vel causas in foro agunt, multorúmque amicitias honestissimo genere lucri sibi comparant: vel ad Remp. capessendam & gerendos magistratus accedunt. Itaque Romanos illorum rerum dominos non obscurè imitantur. Hoc tantùm interest, quòd propter imperij magnitudinem & inexhaustam dominandi libidinem Romani non mercatura, sed publico latrocinio, nomine Reipub. suscepto, ex vniuerso orbe prædam egerunt. Veneti verò honestissima ratione, & multorum commodis, & priuatæ vtilitati, absque iniuria, mercimoniis suis consulunt. Proinde nemini mirum videatur, Venetam Rempub. quamuis inferiorem, si imperij amplitudinem & potentiam spectes, Romanam tamen imperij diuturnitate & stabilitate vicisse.

MVLIERES QVAE VEL PRO ALIIS, VEL *pro seipsis causas egerunt.*

AMESIA prætoris sententia rea causam suam Lucio Titio prætore iudicium cogente, populi maximo concursu egit: motúsque omnes ad neruos defensionis non solùm diligenter, sed etiam fortiter executa, & prima actione, & ferè cunctis sententiis liberata est. Quam, quia sub specie fœminæ virilem animum gerebat, Androgynem appellabant. Valer. li. 8. cap. 3.

HORTENSIA, Q. Hortensij filia, cùm ordo matronarū graui tributo à Triumuiris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet, causam fœminarum apud Triumuiros & cōstanter & fœliciter egit. Repræsentata enim patris facundia, impetrauit vt maior pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Reuixit cum muliebri stirpe Q. Hortensius, verbísque filiæ aspirauit. Cuius si virilis sexus posteri vim sequi voluissent, Hortensianæ eloquentiæ tanta hæreditas vna fœminæ actione abscissa non esset. Ibidem.

CAIA Afrania Licinij Bructionis vxor, prompta ad lites contrahendas, pro se semper apud prætorem verba fecit. non quòd aduocatis deficeret, sed quòd impudentia abundabat. Itaque insitatis foro latratibus assiduè tribunalia exercendo, ad muliebris calumniæ notissimum exemplum euasit: adeò vt pro crimine improbis fœminarum morib⁹, C. Afraniæ nomen obiiciatur. Prorogauit autem spiritum suum ad C. Cæsarem, itémque M. Seruilium consulem. Tale enim monstrum magis, quo tempore extinctum, quàm quo sit ortum, memoriæ tradendum est. Ibidem.

ELOQVENTIÆ VIRES.

Cùm Phaceas Israeliticus rex, Achaz Iudæ regem bello vicisset, ac fœminarum atque puerorum, alteriúsque turbæ Iudæorum circiter ducenta millia captiua duceret, ei OBED propheta occurrit: adeóque blandè agendo, orando, monēdóque profecit, vt eximmani superbóque (quales victoria homines facere solet) ad summam clementiam victorem traduceret. Impetrauit enim, vt non solùm captiui liberarentur: verùm etiam vt qui amissis omnibus nudi erant relicti, vestirentur. Fulg. lib. 8. cap. 9.

ORPHEVS Thrax & AMPHION Thebanus ore suo saxa, syluas, volucres atque feras mouisse dicuntur. Primi enim fuerunt qui agreste genus hominum eloquentia sua in vnum collegerunt: & communis societas vtilitate proposita, vt domos primùm, deinde vicos, mox vrbes colerēt, authores fuerunt. Præclarè igitur Horat. in Arte poëtica:

Syluestres homines sacer interpresque deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidósque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

SOLON Salaminius, cùm inter Athenienses & Megarenses ferè vsque ad internecionem pro Salamine depugnatum esset, & capitale apud Athenienses esse cœpisset, si quis legem de asserenda insula ferret: furore poetico se percitum simulans, in concionem lymphatici habitu prodiit, & carmina per præconem populo proposuit (cùm prius tamen ignatus poeticæ ab omnibus haberetur) ciuiúmque animos ad bellum suscipiendum, & Salaminem repetendam animauit. Rhetorices ope vsum quis neget? Poeticam tamen simulauit, vt plus authoritatis sibi conciliaret, & dei afflatu versus edere videretur. Versus autem quibus illos potissimùm persuasit, hi fuerunt, teste Laertio:

Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινήτης,
ἀντί γ' Ἀθηναίου πατρίδ' ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτο,
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν.
Ἴομεν ἐς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσάμενοι.

PISISTRATVS dicendo tantum valuit, vt ei Athenienses regium imperium, oratione capti permitterent, cùm tamen ex contraria parte amantissimus patrię Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores. Quo euēnit, vt alioqui prudentissima ciuitas, libertati seruitutem pręferret. Val. lib. 8. cap. 9. & Volat. lib. 18.

THEMISTOCLES eloquentia sua Atheniensibus persuasit, vt argentifodinarum annuos reditus, qui quotannis populo viritim diuidebantur, ad ædificandam classem transferrent. Neque parui fuit laboris, auarissimo populo persuadere, priuatis commodis suis publicam vtilitatem anteponere. Fulg. lib. 8. cap. 9.

PERICLES, felicissimis naturæ incrementis sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitus & instructus, liberis Athenarum ceruicibus iugum seruitutis imposuit. Egit enim illam vrbem, & versauit arbitrio suo, Cúmque aduersus voluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominus & popularis eius vox erat. Itaque veteris comœdię maledica lingua, quamuis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inque animis eorum qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat. Fertur, cùm quidam admodum senex primæ concioni Periclis adolescentuli interesset, idémque iuuenis Pisistratum decrepitum iam concionātem audiuisset, non tamen temperasse sibi quo minus exclamaret, Caueri illum ciuem oportere, quòd Pisistrati orationi simillima eius foret oratio. Nec hominem aut æstimatio eloquij, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum & Periclem interfuit: nisi quòd ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit. Val. Max. lib. 8. cap. 9.

THVCYDIDES populo Atheniensi præfuit. tandem patria pulsus, ad exilij solamen Tragœdiā scripsit, tanta arte, vt cùm eam Athenienses

audiuissent, publico consensu eum ab exilio reuocarint: cuius imperium neglexerunt, eius (vt ait Plinius) eloquentiam mirati. Perrarcha.

ISOCRATES rhetor in causa fuit, quamobrem Persæ in seruitutem cogerentur à Macedonibus. Etenim Panegyricæ orationis, quam Isocrates Græcis exhibuit, fama in Macedoniam peruenit: atque primùm quidem Philippum auersus Asiam extimulauit. Illo verò mortuo, Alexãdrum filium eius hæredem paternæ virtutis, ad bellum à Philippo suscepetum conficiendum adhortata est. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

DEMOSTHENES magnum ex eloquentiæ studio nomen reportauit, totius Græciæ consensu, quæ eo loquente pacem & bella suscepit, suscepta deposuit, fœdera cum regibus iunxit, iuncta quoque dissoluit. Sab. de Senectute lib. 1. cap. 6.

EPAMINONDAS Thebanus, cum in Græciæ concilio de Lacedæmoniorum tyrannide & libidine dominandi multa differuisset: vsque adeò Græcorum animos commouit, vt Lacedæmoniis deficerent, & Leuctricę calamitatis ociosos spectatores sese exhiberent. Itaque prius lingua suã, quàm armis, Lacedæmonios vicit Epaminondas.

TYRTÆVS poeta Lacedæmonios suis carminibus ita inflammauit, vt cum à Messeniis ter essent victi, illius eloquentia pristinam fortitudinẽ recuperarint. Itaque singuli sua parentúmque nomina libro inscripta lacertis alligarunt, vt si in prælio cecidissent, corpora internosci à necessariis, & rogo mandari possent. Vide tit. Poetarum.

PHILIPPVS rex Macedonum, non minores res oratione quàm prælio confecit. & magis sibi placebat, si quam verbis adeptus esset victoriam, quàm si quos armis in suam potestatem redegisset. Horum enim partem sibi vendicare milites existimabatæ illa ad suam vnius laudem pertinere. Polyæn. lib. 4.

HECTORIDES Thasius quomodo eloquentia sua contra legem, fœdus cum Athenien sibus faciendum esse, Thasiis persuaserit, vide tit. Prudentiæ publicæ.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus, occupata Megalopoli à Cleomene Spartano, cùm ciues sui qui Messanam profugerant, de vrbe recuperanda consilia agitarent: oratione tamen sua iis persuasit, vt patria aliquandiu carere vellent: & bene gerendæ rei occasionem expectare, quã temerario conatu & capita & fortunas suas certo exitio exponere mallent. Fulg. lib. 8. cap. 9.

PYTHAGORAS ad Crotonem Italiæ vrbem (cuius populus graui prælio attritus, armorum desperationem, atque omnis virtutis odium simul hauserat) vocatus, labentes & iam in luxuriam prolapsos ciuitatis mores sapientiæ ac eloquentiæ suæ præsidio firmauit, et exitque. Tantúmque apud eos valuit, vt populum non minus vitiis quàm ferro domitum, assiduis monitis ad antiquæ virtutis habitũ traduceret. Perrarcha lib. 3. tract. 2. cap. 4. & Volat. lib. 18. Anthrop.

HEGESIAS Cyrenaicus, tam potentis fuit eloquij, vt cùm vitæ huius deplorare miserias, plurimi audientium vitam sponte reliquerint. Mirum prorsus & inauditum, & naturæ ipsa valentius orationis genus, quod & vitæ odium & desiderium mortis ingereret. Itaque Ptolemæus rex vitæ suorum consulens, indicto silentio eius scholam clausit, calamum non excussit. Librum enim reliquit, in quo enumeratis hominum calamitatibus ita definit, nulli omnino mortalium vt viuat expedire. Inuentus est igitur, qui lecto Hegesiæ libro, nulla vel animi vel corporis interuenientre molestia, se in vndas maris ex muro præcipitem dederit. Cuius tumulo Callimachus titulum inscripsit, genus & causam mortis cõtinentem. Cic. in Tuscul. & Valer. Max. lib. 8. cap. 9.

CYNEAS, Pyrrhi Epirotarum regis legatus, plures vrbes eloquentia sua, quàm Pyrrhus armis subegit: idque vel ipsius Pyrrhi testimonio.

CARNEADES, philosophus eloquentissimus, legatus Romam ab Athenien sibus missus, tantã eloquentia valuit, vt M. Cato Censorius eum hominem citò expediendum & amandandum censeret, ne eloquentia sua animos ciuium corrumperet. Ful. lib. 8. cap. 9.

HIERO Syracusanus orta domi seditione, inermis in forum prodiit, blandáque oratione populum in officio (erat enim ex duce tyrannus factus) continuit. Volat. lib. 16. Anthrop.

Regibus exactis plebs discedẽs à patribus, iuxta ripam fluminis Anienis, in colle qui Sacer appellatur, armata consedit: erátque non solùm deformis, sed etiam miserrimus Reipub. status, à capite eius cætera parte corporis pestifera seditione diuisa. ac ni P. VALERII subueniisset eloquentia, spes tanti imperij in ipso penè ortu suo corruisset. Is namque populum noua & insolita libertate temerè gaudentem, oratione ad meliora & saniora consilia reuocatũ, Senatui subiecit. ad est, vrbẽ vrbi iunxit. Verbis ergo facundis, ira, consternatio, arma cessarunt. Val. li. 7. cap. 9.

MENENIVS Agrippa, tantùm eloquentia valuit, vt plebem à patribus dissidentem, solus sua oratione quò voluit, flexerit. Plin. cap. 18. de Viris illust. & Volat. lib. 13. cap. 3.

FVRIVS Camillus, populum Roma migrare Veios volentem, eleganti apud Liuium concione retinuit: in qua omnes vrbis dotes laudésque licer agnoscere. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthr.

M. POPILIVS Lænas cùm consul esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum læna faceret; quòd erat flamen Carmentalis, plebis contra patres seditione nunciata, vt erat læna amictus, ita venit in concionẽ: seditionémque cã authoritate, tum etiam sua oratione sedauit. Cic. in Bruto.

Missi à sæuissimis ducibus, Mario & Cinna, milites ad M. ANTONIVM obtruncandum, sermone eius obstupefacti, districtos iam & vibratos gladios, cruore vacuos, vaginis rediderunt. Quibus digressis, P. Antonius (is enim solus in ambitu expers Antonianæ facundiæ fuerat) crudele imperium truculento ministerio peregit. Quàm dissertum igitur cum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit? qui modo vocem eius ad aures suas voluit admittere. Val. lib. 8. cap. 9.

M. TVL. Cicero, vt princeps Romanæ fuit eloquentiæ, ita etiam incredibilia præstitit. De priuatis causis, quas egit, non loquor: publicas tantum attingo. Proscriptorum liberis persuasit, vt fortunis & honoribus carere, quàm nouum bellum intestinum excirare mallent. P. Rullo Trib. pl. Agrarian legem promulgaturo, de agris populo in capita diuidendis, populum, quamuis famelicum & esurientem, eloquẽtia sua eò compulit, vt legem repudiaret: hoc est, alimenta sua abdicaret. Idem quoque oratione sua L. Catilinam ciuem facinorosissimum vrbe eiecit. Denique cùm interfecto Cæsare maxima in vrbe orta esset seditio, eam ipse & authoritate & oratione sua sedauit.

AMBROSIVS præfectus Mediolanẽsis, cùm videret populum propter Arrianam perfidiam, in diuersa studia partium concitatum, in electione præsulis dissidere: tumultum eloquentia sua sedauit, & mox omnium consensu episcopus ipse declaratus est Volat. lib. 14. Anthrop. ex sexto Historiæ Ruffini.

LEO primus Pontifex, Valentiniani iunioris Imperatoris suasu ad Padum profectus, cum Attila, ad Gubernum oppidum in colloquium venit. Itaque Hunnorum regem ab vltima Tartaria profectum, nec Alpes, nec munita loca, neque arma auertere potuerant, quo minus in Italiam, Veronam vsque descenderet, magna Rom. imperio clade illata, cui toti internecionem minitabatur. Eum autem dicendo adeò commouit Leo, vt persuaderi sibi Attila passus sit, vt in Vngariam regredi veller, neque iam vlerà Romanum imperium infestaret. Fulg. lib. 8. cap. 9. & Volat. lib. 22. & Egnat. lib. 8. cap. 9.

Cùm Rachisius Lõgobardorum rex, magnis viribus Perusiam vrbem obsideret, ad eum in castra ZACHARIAS pontifex cum paucis profectus, verbis assecutus est illud, quod maximo exercitu efficere difficillimum erat. Nam non solùm eum impulit, vt vrbis obsidionem solueret: verùm etiam dicendo ita præsentis vitæ vanitatem, præmia pœnásque futuras eius animo impressit, vt tradito Astulpho fratri regno, ipse monachalem ordinem Romæ profiteretur. O eloquentiæ ingentem vim! de Barbari regis manu arma euellere, atque vt regno cederet persuadere: pro quo parando, multo non solùm mille discriminibus vitam obiiciunt, verumetiam Deum ipsum omnium rerum opificem offenderunt. Fulg. lib. 8. cap. 9.

SIGISMONDVS Caroli quarti filius, & Venceslai Augusti frater, Imperator creatus, cum vidua, cuius maritum interfecerat, captiuus datus esset, sua eloquentia tantùm effecit, vt ab ea dimitteretur. Volat. lib. 23.

FRANCISCVS Foscarus, Venetorum dux, cùm Florẽtini graui bello à Philippo Mediolanensium duce, regnum Italiæ affectante premerentur, auctor suis fuit, belli contra communis libertatis hostem suscipiendi. tanta enim in eo dicendi vis fuit, vt quod ille semel proponeret, omnes etiam in senatu approbarent. Feliciter illud bellum Venetis cessit. nam Brixiam, & magnam partem Galliæ Cisalpinæ, imperio suo adiecerunt. Egnat. lib. 8. cap. 9.

BERNARDVS Iustinianus Laurentii F. Diui Marci procurator creatus, tantam dicendi auctoritatem penes patres adeptus est, vt quod ille semel approbaret, patres in eius sententiam transirent. Quinetiam tantùm in dicendo valuit, vt si fortè graui valetudine domi esset, domum patres mitterentur, qui ex eius sententia de Repub. gerenda fœliciter consulerent. Ibidem.

Præerat LAVRENTIVS Medices Florentinæ Reipub. summa cum potestate: præerátque eo potissimùm tempore, quo bellum longe grauiss. gerebatur inter Florentinum populum, & ipsum Laurentium ex vna parte, intérque Ferdinandum Arragonium Neapolis regem. Itáque planè gerebatur, vt ad internecionem vtriusque partis certaretur, vt iam nec legatis locus esset, nec Pontificis Romani gratiæ: qui contenderat sua auctoritate, vt belli vis omnis tolleretur, paxque inter eos conciliaretur. Cum Laurentius ipse cernens, quanto in discrimine versaretur Florentinum nomen, tametsi sciret se vnum præcipuè à Ferdinando peti, quem de medio tolleret: constituit tamen ipsemet Neapolim nauigare, hócque ipsum patriæ salutis causa. Quod cùm effecisset, ad Ferdinãdum ipsum inexpectatus veniens, primo quidem aditu ab ipso Ferdinãdo inuitus exceptus: paulatim tamen dicendo effecit, vt æquissimo animo auditus (tanta fuit in illo eloquentiæ vis) sit etiam in calce eum complexus: vtróque dimissus benignè, in primis incolumis ad patrios penates redierit: impetratáque pace, Florentinum populum ab armis quiescere iusserit. Ibidem.

ACTIONIS ET PRONVNCIATIONIS VIRES, SIVE EFFECTVS.

QVANTVM *momenti in apta pronunciatione situm sit.*

PHRYNICHVS tragicus, omnib. spectatoribus lachrymas excussit. Vide tit. Tragicorum.

DEMOSTHENES cùm causa in foro doctissimè agens, à populo explosus fuisset, obuoluto capite domum rediens; casum suum ægerrimè ferebat. At Satyrus histrio familiaris illius, eum subsecutus, bono animo esse, & Euripidis aliquot versus pronunciare iussit. Paruit Demosthenes, Mox ergo Satyrus eadem quæ ille repetens, eo gestu vultúque eadem exculit, vt omnino diuersa Demosthenis viderentur. Et hac ratione

Demostheni

Demostheni ostendit, exercitationem nullius momenti esse, vbi pronũciationis ratio negligatur. Proinde Demosthenes locum subterraneum ędificauit, in quo actionem exerceret, vocémque componeret & formaret. Plut. in eius vita.

THEODORO tragœdo Æropem agente, Alexander Pherensium tyrannus misericordia motus, lachrymas tenere non potuit, sed exurgens abiit: Turpe dicens esse, histrionis voce ficta moueri, cùm à veris suorũ ciuium lacrymis non moueretur. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

POLVS histrio, lachrymas omnibus spectatoribus mouit. Vide tit. Histrionum.

M. MANLIVS, à Q. Capitolino affectatæ tyrannidis accusatus, cùm lacrymans Capitolium ostenderet, quòd à Gallorum armis defenderat: adeò actione, aspectúque populum mouit, vt quamuis reum damnare non potuerit, nisi posteaquam causæ actio aliò traducta fuit, vnde aspici Capitolium non posset. Adeò enim in omnium mentibus actio efficax ad commiserationem composita, recénsque publici beneficij memoria, cùm coràm locum ostenderet, in quo beneficij eius vestigia videbantur impressa esse, valuit, vt atrocis criminis præsens nota obfuscaretur, atque ex populi animis dilaberetur. Mutatione autem loci, cùm mens quoque vnà cum loco mutata in populo videretur, ab omnibus damnato M. Mãlio, palàm ostensum est, quantum haberet momenti actio cõmodæ pronunciationi coniuncta. Fulg. lib. 8. cap. 10.

CATO senior, vt Senatum populúmque Romanum ad suscipiendum tertium Punicum bellum moueret, plus oratione sua, ostensáque ficu profecit, quàm antè Hispaniarum Saguntíque, item Trebiæ, Thrasimeni, ac Cannarum commemoratæ clades fecerant. Anxius enim, ne iterũ vrbi Romæ Carthago exitium moliretur, in Senatu ficum recenter ab arbore decerptam ostendit. & cùm peteret à Senatu, Scirne posse putaret, qua die, ab arbore esset decerpta? cùm omnes Recenter decerptã, dicerent: affirmauit, Nondum tertium excessisse diem, cùm in arbore Carthagine penderet, & tridui via propinquos populum Romanum adeò infestos habere hostes. Quibus verbis, ficúque ostensa, super tanta re experrectus Senatus populúsque Romanus, cùm id iam agnoscere se ostenderet, quod antè tot cladibus affectus intelligere noluerat, suscepit tertiò aduersus Carthaginenses bellum: Carthagináque euersa, hunc sibi timorem à Catone declaratum exemit. Ibidem.

Occiso C. Iulio Cæsare, cùm percussores fauentem Senatum haberẽt, & iam in Senatu non modò nulla de puniendis fieret mentio, sed de remuneranda tyrannicidarum virtute sermo haberi cœptus esset: MANTONIVS consul, qui postea triumuir fuit, cùm L. Pisonis opera, delatum esse in forum Cæsaris corpus, atque ad id spectandum accurrere populũ viderer, concionabũdus, Cæsaris res gestas atque liberalitatem commemorare cœpit. Conuersus inde ad commiserationem, quòd tantus vir à suis indignè peremptus esset: Cæsaris prætexta, sanguine perfusa, vulnera ostendere, ac simul composita ad id actione lacrymis plena, audaciam interfectorum & impietatem inter suspiria connumerare cœpit. Quibus rebus adeò populi animos ad commiserationem mouit, vt partæ libertatis oblitus, impetu facto ad percussorum domos incendendas accurreret. Marci igitur Antonij lingua id egit, quod nullis armis tunc assequi potuisset: tantum enim aberat vt pellere eos posset, vt vix resistendi spes aliqua relinqueretur. Ibidem.

SCORIVS Dacæum dux, cùm dissidentib. inter se Romanis, Dacas à bello Romanis inferendo, quamuis inter se dissidentibus dehortari vellet, *in consilium* duos ingentes canes ferósque adduci iussit. Qui vt soluti fuerunt, ita cùm tanquam inter se commissi, mordicùs certare cœperunt: nec multo post, lupum quoque adduci curauit. Quem, vt canes inspexerunt, nihil moratí, omisso prælio, quo inter se concertabant, concordes lupum ambo petierunt. Ab ea contentione Scorius sermonem orsus, ostendit nihil esse quod facilius Romanorum dirimere contentiones posset, quàm si se Dacarum bello peti sensissent. Contrà autem fieri posse, si nullis externis armis impeterentur, vt inter se ciuilibus armis consumerentur: manu designans, canes quos Dacæ viderant colluctantes, Romanos esse: Dacas autem à lupo designari. Itaque ea ratione prudentique spectaculo Dacæ permoti, Scorij consilium sequi decreuerunt. Ibidem.

Seditionem Romæ inter plebem ac milites excitatam, in qua permultũ sanguinis effusum est, senior PVPIENVS imperator, non oratione, non imperij maiestate frenare potuit: quin saxis quoque ipsemet petitus est. Quamprimùm autem infantulum Gordianum seditiosis ostendit, virtutem, meritáque, ac mortem aui & patris, supplex populo ac militibus commemorans, omnes statim arma abiecerunt. Ibidem.

PVPIVS tragicus, quoties vellet, populum ad lacrymas prouocabat. Vide tit. Tragicorum Latinorum.

ODIVM RHETORVM ET ELOQVENTIÆ.

LACONES vt omnes olim disciplinas, ita quoque eloquẽtiam odio habuerunt, & Laconicum dicendi genus breue approbarunt. Hinc factum, vt quidam ex plebe cùm luscinium comprehendisset, neque corpulentiam voci respondere vidisset, eam abiecerit: Tu quoque nihil aliud quã vox es, inquiens. Plut. in Laconicis. Neque id mirum. nam cùm bellica Resp. esset, ea tantum studia quæ ad bellum conducerent, laudabat.

ROMÆ olim rhetores vrbe eiecti fuerunt. nam Fannio Strabone, M. Valerio Messala consulibus, M. Pomponius prætor senatum consuluit, quòd verba facta sunt de philosophis & rhetoribus: S. consul. de ea re ita censuerunt, vt M. Pomp. prætor animadverteret, curarétque, vt si ei è Republica fidéque sua videretur, vti Romæ ne essent. De iisdem interiecto tempore Cn. Domitius Ænobarbus, L. Licinius Crassus censores ita edixerunt: Renunciatum est nobis, esse homines qui nouum genus disciplinæ instituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat, eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras: ibi homines adolescẽtulos totos dies desidere. Maiores nostri quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerũt. Hæc noua, quæ præter cõsuetudinem ac mores maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habẽt, & iis qui eo venire consueuerunt, videtur faciendũ, vt ostendãt nostrã sententiam nobis non placere. Suetonius de Clar. orat.

GREGORIVS nonus, cùm populum Romanum inclinare ad Friderici Imperatorem postremis temporibus cerneret, neque alia resistendi ratio esset: apostolorũ Petri & Pauli capita cæpit, & lacrymabili voce sanctorum reliquias populo commendans, ita omnium animos immutauit, vt qui antè rebelles atque hostes erant, contra Fridericum arma caperẽt. Fulgos. lib. 8. cap. 10. & Egnat. lib. 8. cap. 10.

Non minus LAVRENTII Ridolphi Florentini pronunciatio atque gestus effecit, cùm pressus armis Philippi Mediolanensis ducis Florentinus populus, sæpius incassum à Venetis opem petiisset. Is enim vlrò nullo publico nomine, Venetias profectus, posteaquam in Senatu facũdè multa de populi Florentini periculo disseruit, in perorãda oratione, tanquam irarum & desperationis plenus, turbato vultu, turbatáque voce hæc subiunxit: Culpa vestra Veneti, superiore anno Genuensis populus, cùm diutius Philippi ducis arma sustinere non posset, dominum accepit, atque vrbis suæ libertatem illius iugo subiecit. eum nos quoque hoc anno regem facie mus: sequenti autem vos eum imperatorio diademate ornabitis. Atque ita è Senatu egressus est. Cuius verba, actióque, quorum desperatio causa esse videbatur, plus quàm superiorum oratorum facundia valuerunt. Veriti enim Veneti, ne desperatione acta Florentina ciuitas, in grauem aliquem casum se demitteret, inito cum ea fœdere, iunctísque armis, Philippi impetum compescuẽre. Ibidem.

FRANCISCVS Marchesius, iureconsultus, à Genuensibus ad Galeatium Mediolanensem ducem orator missus, (quem Genuẽses prius principem suum esse voluerant, salua interim libertate sua: mox cùm eum de tyrannide cogitare viderent, ab eo sese abalienauerant) cùm difficilem ad Galeatium haberet aditum, die qua sancti Ioannis sacra celebrabantur, Franciscus Galeatio munus basilicæ herbæ vas plenum misit. Dux ergo Franciscum, quia eum non imprudentem hominem norat esse, statim ad se acciuit, vt missæ eius herbæ causas intelligeret. Franciscus omissis iis, quæ à Genuensib. mandata erant, paucis explicuit. Ego, Princeps, Genuensium ad te orator veni: & cùm in ea vrbe natus atque educatus, eos cognoscam, tibique vera seruitute addictus sim, volui vt Genuensium ingenij noticiam haberes. Eorum enim natura basilicæ herbæ persimilis est, quæ leuiter tacta, suauem perfundit odorem: grauius autem attrita, scorpiones procreare dicitur. Herbæ illius parabola, cui Genuensium natura similis dicebatur esse, adeò Principis illius animum mouit, vt qui antea rationibus nullis flecterabatur, nam scipsum cohiberet: & tanquam quæ antea in re dicta fuerant, auribus tantum accepta, eum vlrà non mouissent, tunc etiam vidisse se ratus, quæ in Genuensium re dici cogitarique poterant, veluti duplici freno cohibitus subsistit, neque vlrà est progressus. Fulgos. lib 8. cap. 10.

ROBERTVS Licensis, qui Minorum ordinem profitebatur, inter concionatores ætate sua princeps, rogatus à cõcilio, vt filio sacerdoti quoddam sermones ex iis quos eo anno ornatiores habuerat, dare vellet: ei morem gessit, Verùm posteaquam pater filium eos recitantem audiuit, arbitratus neque efficaces ad rem, neque ornatos esse, cùm Roberto grauiter questus est, se ab eo elusum, quòd non eos sermones, quos ipse antea ingenti laude sita, singularique audientium attentione prosciauerat, sed alios deteriores dedisset. Cui Robertus aliter nunquam satisfacere potuit, nisi posteaquam ipse denuò eosdem pronunciauit. Egit enim, vt amicus experimento intelligeret, sermones ipsos eosdem & in filio & in se semper fuisse: sed veluti in musicis, idem carmen in diuerso instrumento magistróque, sic eundem sermonem ab alio pronunciatũ, varium etiam atque diuersum videri. Ibidem.

FRAN. DANDVLI legati Venetorum ad Iulium II. facinus præclarũ, pete ex tit. eorum Qui patriæ sua prudentia consuluerunt.

CARAVAGIENSI Venetias nunciata clade, quæ longè grauissima fuit (siquidem fuæ ingentes Venetorum copiæ ita profligatæ sunt, vt & duces ipsi sint capti, castra ipsa cum ampliss. præda direpta: legatus Dandulus nunquam relictis signis, adhortantibus eum ad fugam Attendulo Imperatore nostro, & reliquis ducibus, nunquam ea deserere sustinuit: edita voce insigni, malle se ibi mori, quàm signa relinquere, à Veneto Senatu sibi tradita) FRANCISCVS Foscarus dux, conuocato statim Senatu, sic eum consternatum excitauit, vt quamprimùm erecti patres eius dicendi vi & eloquentia, nouo celebrique ducis facto, qui priuatam pecuniam omnem suam in Senatum transferri iusserat, qua ad bellum verentur, ad hæc se legati nomine discinctum aliquantulum in castra profecturum pollicitus, adeò omnium monit animos tum dicendi vis illius, tum profusa coràm omnibus auri copia, ipséque ad hæc paratus ad omnia, vt senatusconsultũ de bello instaurando statim sit factũ, ingentésque copiæ paratæ, quibus & Sfortia Mediolanensium dux non multo pòst sit repulsus: pacéque demum secuta, Veneti imperij maiestas in suo vestigio constiterit. Egnat. libro octauo, capite decimo.

POETÆ.

EST prodesse volunt, & delectare poetæ teste Horatio. Eapropter iucundæ orationis studiosissimi sunt, quam partim fictionibus, partim numero assequuntur. Hinc est, quòd primi poetæ mortale genus in vnum coegisse, & ad ciuilem societatem ab agresti vita traduxisse dicantur. Iucunda enim & delectabili oratione apud agrestes illos vtendum erat, qui belluarum more voluptatu potius illecebris, quàm honestate aut vtilitate mouebantur. Cùm ergo poetæ primi fuerint, qui apud populum concionari, qui docere, qui scribere auderent: pertinax deinceps animis hominum opinio inhæsit, poetas omnia scire, & diuino afflatu magis quam humana industria versus fundere. Itaque κατ' ἐξοχὴν ἀοιδοὶ, quasi summè prudētes, ab α particula intensiua, & verbo εἰδέναι: similiter etiam Ποιηταὶ dicti sunt, q̃ vel soli, vel certè primi aliquid dicere, aut meditari cœperint. Potest tamen & alia nominis asserendi ratio, quā in Prolegomenis Artiū mechanicarū explicabimus. Nos Poeticam, vt & Rhetoricam, inter orationis instrumenta multis rationibus referre possumus, siue inter eas artes quæ à Barbaris sermocinales appellantur. Nam cùm Δεῖ τὸν ἀκροατὴν μανθάνειν non ornamentis tantum rhetoricis, verumetiam metro poetico vti interdum necesse sit, vt qui veritate ipsa non capiuntur, veritatis organis etiam nolentes ducantur: in eodem genere facultatum & rhetoricam & poeticam statuere oportebit. Viderunt hoc veteres, qui non Apollinem modò Musarum principem finxerunt, verumetiam Mercurium ipsum cum Musis assiduè versari, & lyræ inuentorem esse asseruerunt: vt innuerent, rhetoricam fundamenta quoque poetices continere, & rhetoricem poetis lyram, qua canerent, tradere. Quòd enim Aristoteles de Rhetorica dixit, ἀντίστροφον εἶναι τῇ Διαλεκτικῇ: illud idem nos de Poetica possumus dicere, ἀντίστροφον εἶναι τῇ ῥητορικῇ, Inuentionem Rhetor à Logico mutuatur, siue vt proprie loquamur, à Dialectico: λέξιν atque τάξιν de suo addit. Poeta à Rhetore ornatum sumit, & inuentionem: addit de suo Fictionem, Metrum, atque etiam τάξιν. τάξιν dico, quoniam poeta à mediis ferè rebus inchoare solet. Cuius rei causa ea est (vt hoc obiter dicam) quòd cùm delectandi causa plurima intermiscere consueuerint poetæ, neque tamen omnes partes fictiones & phaleras istas admittant, vel ex sui natura, vel certè euitandæ prolixitatis causa (quæ non minus fastidij legentibus parere potest, quàm perpetua planicies eodem florum genere ornata viatoribus: aut eadem semper, quamuis lautissima fercula, conuiuis) coguntur sæpè à mediis rebus ordiri, ut suo munere absque tædio auditorum ac lectorum probè fungi possint. In quo ipso summum poetæ iudicium elucet. Nam, vt Horatius inquit, Cui lecta potenter erit res, Non facundia deseret hanc, nec lucidus ordo. Quando quidem igitur poetica Δραματικῆς ψυχῆς ἕξεων organum est, per se quidem non necessaria, sed per accidens tantum, vti etiam rhetorica, propter eorum quibus scribimus morositatem, aut etiam ruditatem: manifestum cuinis esse potest, in certa aliqua materia subiecta poetam non versari, sed in omni genere scientiarum locum habere, in eo tamen quam maximè, quod summam poetæ vim admittit. Tale autem est Ethicū genus, non illud quidem quòd præcepta bene beateque viuendi continet (Ornari res ipsa negat, contenta doceri, apud homines philosophos, & virtutis studiosos) sed quòd exempla virtutum & vitiorum describit: cuiusmodi sunt res gestæ heroico carmine traditæ, item Comœdiæ & Tragœdiæ. Sic etiam Rhetorices vsus in foro potissimum conspicitur, quòd ibi se summa oratoris virtus perspici potest, in persuadendis iis qui probabilitate potius quàm veritate causas diiudicant. Admittit tamen philosophia quoque naturalis poetica ornamenta (quod quidem ex veterum Theologorum scriptis animaduertere licet, qui sub fabularum inuolucris physica pleraque tractarunt) minus proprie tamen. Neque enim vt auditores capiat, sed vt eosdem à mysteriis philosophicis, tanquam profanos, necdum initiatos, arceat, fabularum laruis res veras vestire consueuit. Cùm igitur res physicas intelligere non quorumuis interfit, sed philosophorum tantū, qui veritate potius quàm suauitate verborum ducendi sunt: tres autem Ethicas discere omnibus hominibus conueniat (inter quos pauci admodum honestate, maior pars iucunditate & voluptate ducitur) rhetorico primum, deinde etiā poetico charactere opus fuit, quo vel inuiti ad ea quę ipsis profutura essent pertraherentur: & theatralib. ludis capti ea discerent, quorū nuda præcepta philosophi tradere solent. Sed de his prolixius fortasse, q̃ par fuerit. Poetarū historiam Petrus Crinitus, multíque alij descripserunt. Sed absolutissimè (meo quidem iudicio) Lilius Gregorius Gyraldus, quem nos hic sequemur. Distribuit ille Poetas in certas classes, respecta formæ, in Epicos nimirum (sub quibus Iambos, & elegias cum hexametro comprehendit) in Scenicos, (sub quibus Tragœdos, Comœdos & Mimos complectitur) & in Lyricos. Quòd si materiam poeticæ sequaris, alia ratione poetę deuidendi erūt, vtputa in sacros & profanos. Sacri rursus in Christianos (in quibus colligendis præclaram & nunquam intermorituram operam posuit doctissimus vir, GEORGIVS Fabricius Chemnicensis) & Ethnicos. Profani in medicos, philosophos, historicos, & similes. Nos vtranque rationem sequemur, & historiam poetarum, quantum eius fieri potest, distinctam compendio quodam enarrabimus, prius tamen diuisionis nostræ typica demonstratione proposita. In exemplis posteà eam moderationem adhibebimus, vt cùm sæpe vnus & idem poeta de variis reb. scripserit, vario etiam carminis genere vsus fuerit: ab eo tamen, quod præ cæteris coluit, & in quo potissimùm excellunt, classem sortiatur. Sic Maronem inter poetas Historicos & Epicos referimus, propter Æneida, quamuis & Bucolica & Epigrammata scripserit: Horatium inter Lyricos, cùm in Satyris quoque excelluerit. Et sic de cæteris. Nisi enim quis hac distinctione vtatur, in confusum chaos incidet. Exempla, vt iam antè monui, ex nouem Dialogis Gyraldi desumpsimus: ordinem tantùm immutauimus, & quodammodo correximus.

SVB Poeticæ



QVI POETICES PRAECEPTA TRADIDERVNT.

Cùm nemo eam artem docere possit, quam ignorat: necesse est omnino, eos qui Poeticam docent, Poetas esse. ARISTOTELES itaque Stagirites cùm in aliis scientiis omnib. tum etiam in poesi excellēs fuit, siue artem spectes, siue carminum compositionem. De Poetica, de Tragœdiis, Elegias ad Eudemum, Homericarum ambiguitatum lib. 6. Pæana in Hermiam eunuchum, item Peplum scripsit, in quo ducum, qui in bello Troiano fuêre, genealogias complexus est.

ZENO Citticus, Cratis discipulus, Stoicorum princeps, de Poetica auditione scripsit. Laert. lib. 7.

Q. HORATIVS Flaccus lyricorum Latinorum princeps, de Arte poetica compendiosè, verùm artificiosissimè scripsit.

POETÆ PHYSIOLOGI.

PALAEPHATVS Athenien sis, vetustissimus poeta, κοσμογονίαν scripsit versibus quinquies mille, & multa alia.

PRONOPIDES, qui πρωτοκόσμου scripsit, & CREOPHILVS Samius, vel Chius, Homeri magistri. Alij tamen Creophilum genere, alij hospitem Homeri volunt fuisse, cui Homerus Œchalię captiuitatem dono dederit.

PYTHAGORAS philosophus quoque poemata quædam scripsisse dicitur, sed illis Orphei nomen præposuisse.

XENOPHANES Colophonius, Physicus cognomento, Olymp. 50. claruit, Eleaticæ sectæ author: secundum quosdam in philosophia opus duum millium versuum scripsit, item contra Homerum & Hesiodum Iambos.

PARMENIDES Eleates, Pyretis filius, & Xenophanis discipulus, siue Anaximandri. Huius successores Empedocles & Zeno. Meminit huius poematum Plato in Parmenide. Scripsit Cosmogoniam, & σοιχοσιείων, item de Natura.

EMPEDOCLES Agrigentinus, filius Metonis, vel Archinomi, vel Xenetæ, discipulus Parmenidis, aut Xenophanis, aut Telaugis filij Pythagoræ, vētos sistere poterat. Vnde inditum illi cognomen, ἀλεξανεμίας & κωλυσανεμίας. Auream coronam capite gestabat, in manibus stemmata Delphica, in pedibus amyclas, calciamenti genus. In Ætnæ crateres se iniecit, vt deus factus videretur. Scripsit de Natura libros tres, item hymnos & tragœdias. Eius nepos ex filia, Empedocles quoque dictus, tragœdias 24. docuit.

CRANTOR Solensis philosophus, permulta scripsit poemata, quæ anullo obsignata Solis in fano Mineruę condidit. Mirabatur potissimùm Homerum & Euripidem.

ERATOSTHENES Cyrenæus, nouus Plato dictus, atque etiam Pentathlos, propter omnigenam eruditionem. Primus Philologi nomen meruit: & post eum id adeptus est apud Latinos, Atteius. Athenis Alexādriam à tertio Ptolemæo vocatus est. Floruit Olymp. 141. vixit annos 82. inedia consumptus, cùm ophthalmiæ remedium quæreret. Ex eius libro qui Hermes inscribitur, Virgilius de cœli Zonis omnia sumpsisse dicitur à Val. Probo. Permulta scripsit in philosophia & astrologia, in poetica & historia.

MANETHYS Diospolites ex Ægypto, Physiologiam carmine perscripsit.

HERACLITVS Ephesius, 69. Olyp. floruit, & propter sermonis obscuritatem Scotinus est dictus. librum scripsit, in tres diuisum partes, De vniuerso, de Repub. & de Theologia, quem in templo Dianæ deposuit. Eum cùm Euripides Socrati aliquando legendum obtulisset, respondit, quæ intellexi præclara sunt, puto & quæ non intellexi: verumtamen eis opus est Delio natatore, ne in eo suffocetur.

T. LVCRETIVS Carus, Romanus, Epicureus, de Natura scripsit opus imperfectum, natus Olymp. 171. Philtro hausto à Lucillia amica, in furorē versus, manu propria se tandem interfecit, anno ætatis 43. eo die quo virilem togam sumpsit Virgilius.

PLOTIVS Crispinus Stoicus, placita Stoicorum versibus complexus, propter loquacitatē Aretalogus dictus: lippus fuit. Est quidam alius L. Plotius poeta à C. Mario dilectus, quòd illius ingenio res suas gestas celebrari posse putaret.

SERAPION, sub Traiano & Nerua, Athenien sis, philosophiam versibus scripsit: & genus hoc scribendi ab antiquis tantùm, Orpheo, Parmenide, Thalete, &c. vsitatum, reuocauit. Teste Plut.

POETÆ MATHEMATICI.

THALES Milesius, versibus philosophica quædam scripsit, & meteora. Ex 7. Sapientibus vnus.

ARATVS Solensis, filius Athenodori & Lenodoræ, temporibus Philadelphi: discipulus Menecratis Ephesij in Grammatica, in Matheſi Aristotheti, in Philosophia Timonis & Menedemi, præcipuè Persij, cū quo in Macedoniam profectus ad nuptias Antigoni regis & Philæ vxoris, apud eos postea reliquum vitæ exegit. Homeri aut Hesiodi potius imitator fuit. Scripsit Phænomena, primùm à Cicerone, deinde à Cæsare Germanico (alij à C. Iulio Cæsare) postea à Nasone Ouidio breui carmine, tandem à Sex. Ruffo Auieno conuersa in Latinam linguam.

ITEM Hymnos, Pægnia, Astrologiam & Astrotheſiam, Anthropogoniam, Epigrammata, Elegias. Cicero in Oratore, inter doctos constare ait, Aratum Mathematices ignarum, opinatis versibus de cœlo & stellis scripsisse, secutum Eudoxi & Hipparchi scripta. Arati sepulchrum Solis Mela refert exiguum esse, ad quod iacta saxa dissiliant causa incerta.

M. MANLIVS, vel Manilius, Antiochenus, in Manliam familiam adoptatus fuisse videtur, astrologus celebris: mortuus adhuc viuente Augusto. Apotelesinata scripsit, at opus imperfectum extat: nam de planetis meminit, sed imperfectè. Imitatus Dorotheum Sidonium.

POETÆ

THALETAS Cretensis ante Homerum Lyricos versus scripsit, tanta citharæ suauitate, vt morbos & pestilentias curaret. Fuit alter Thaletas rhapsodus, quem Lycurgus Spartam misit vt ad leges suscipiendas Spartanos accenderet.

DAMOCRATES Seruilius poeta & medicus, vt & Eudemus & Heliodorus: quorum compositiones carmine descriptas Galenus recenset.

ANDROMACHVS Cretensis, senior, medicus illustris, Neronis tēpore Theriacam carmine elegantissimo scripsit.

NICANDER, Xenophanis filius, Clarius ciuis, atque sacerdos Apollinis, aliis Colophonius, grammaticus, medicus & poeta, Attali ætate, Antimachum dicendi genere æmulatus est: scripsit Theriaca & Alexipharmaca, Georgica & Prognostica.

ÆMYLIVS Macer Veronensis, scripsit libros de auibus, serpentibus, herbis, Nicandrum imitatus. Suppleuit ea quæ ab Homero de bello Troiano relicta sunt. Vnde ab Ouidio Iliacus vocatur. item Theogoniā. Obiit in Asia, 190. Olymp. Liber qui eius nomine circumfertur, spurius est. nam Plinij mentionem facit: quo tamen Macer integro seculo antiquior est, vt qui Ouidio familiaris fuerit.

RVFVS Ephesius medicus, sub Troiano quinque libris versu hexametro egit de herbis, teste Galeno.

Q. SERENVS de Medicinæ facultate & morbo rum remediis carmen composuit.

PETRICVS de re Medica versus scripsit, teste Plinio.

RHEMMIVS Fannius grammaticus & poeta, Arnobij discipulus, tempore Constantini Magni, ad Lactantium elego carmine librum de Medicinalibus scripsit.

POETÆ VATES.

Cùm Vaticinium inter homines summa admiratione dignum sit, neque in hominem, quatenus homo est, cadere videatur, sed quatenus diuino quodam spiritu afflatus est, Poetæ etiam à Latinis κατ' ἐξοχὴν, ab excellentissimo poetici furoris genere Vates appellati fuerunt, siue vaticinia ederent, siue quidquid aliud canerent. Nos tamen hoc in loco Vates poetas ψευσολόγους intelligimus.

EXEMPLA SACRA.

DAVID rex Iudæorum, verè entheus poeta, vario genere carminis Psalmos suos immortali Deo decantauit.

HIERREMIAS propheta Threnos conscripsit quatuor integris literarum ordinibus: è quibus 1. & 2. quasi sapphico metro, tertius trimetro, quartus primo & secundo similis esse videtur.

ESAIAS prophetiam suam sacris versibus condidit, quibus nihil iucundius esse D. Hieronymus testis est. vt & cæteri prophetæ.

EXEMPLA ETHNICA.

Versutissimus dæmon, cùm poetas in magno olim precio videret esse, vt suis quoque oraculis maiorem pareret authoritatem, carminibus responsa semper dedit. Consule tit. Poetriarum.

MELAMPVS Argiuus, Amythaonis & Aglaiæ filius, vaticinio clarus, & medendi arte: vt qui Prœti filias à Iunone in furorem versas, ita vt vaccas sē esse crederent, lacte caprino aut elleboro (qui Melampodion idcirco dictus est) aut aquis Clitorij fontis in Arcadia (cuius potu abstemij reddūtur) curauit. Auium linguas calluit.

HYSTASPES antiquissimus Medorum rex & vates, cuius vaticiniis Medi vsi sunt. Ab eius nomine fluuius dictus. Gyraldus Dial. 3. Historiæ. poet.

BACIS, aliis Bacchis, Chresmologus cognominatus, cuius oracula Plutarchus Sibyllinis confert. Mulieres Spartanas à furore purgauit. Eubœi tamen eum contempserunt. Eius frater GLANIS vates.

OPHIONEVS Messenius, à natiuitate cæcus vehementi capitis dolore visum consecutus, denuò cæcus est factus. Futura omnibus prædicebat.

PRYLIS Lesbius, Mercurij & Isæ nymphæ filius, Græcis ad Troiā proficiscentib. à Palamede persuasus, equo ligneo vrbem capiendā prędixit.

LYCHAS

LICHAS in terra Attica oracula dedit. Herodotus cum inter Spartanos Euergetas reponit.

ABARIS Scytha, Seuthi filius, Apollinis iter ad Hyperboreos descripsit, & multa alia. Hic ab Apolline sagittam accepit, quam iaculans simul & ipse cum ea ferebatur. itaque populos velocissimè transiteans, per eā responsa dabat. Vnde ἀληξάκτης dictus. Iamblycus Pythagoræ discipulū fuisse asserit. Alij Olympiade 3, alij 56, alij 82. floruisse aiūt. Legatus Athenas veniens, ad suos Hyperboreos rediit nil comedens. Herodoto teste.

EVENIVS Apollonius genere ex Ionia, à ciuibus excæcatus à diis mentis acie donatus est, & opibus auctus. Filium habuit DEIPHOBVM, itidem vatem.

MARTII quidam fratres Romani fuerunt, quibus Sibylla prædixit futura. Horum deinde oracula cum Sibyllinis in templo Apollinis seruabantur, viā cum libris Begoes nymphæ, quæ artem apud Thuscos fulguritatum scripsit. Maurus Seruius, & Cic. in lib. de Diuinatione.

PVBLIVS vates Romanus oracula edidit, quæ à Rom. diu multa religione obseruata fuêre. Cic. de Diuin.

POETÆ THEOLOGI.

EXEMPLA SACRA.

SALOMON, Dauidis filius, in hortis Engaddæ Canticum canticorū in morem dramatis cecinit, quo nihil suauius esse in Hebræorum lingua asseruerunt: nihil sanctius, allegorica interpretatio docet.

THEANVS hexametro versu grande volumen, de iis quæ ad Christianam religionem pertinent, scripsit.

GEORGIVS diaconus Constantinopolitanus, & chartophylax, id est, archiui præpositus, Hexahemerō Iambico carmine tribus versuum millibus scripsit: item bellum Persarum, ad Heraclium Imp.

PETRVS de Riga Rhemensis, vtrunque Testamentū carmine cōplexus est, quod & Auroram inscripsit.

GVIDVS sacerdos, postea præsul, ad Clementem v. Bibliæ margaritā scripsit carmine, super vtrunque Testamentum, mira facilitate.

DANTES Aligerius Florentinus, Hetrusca lingua Lucretius alter: vir doctissimus, & in Theologia scholastica versatissimus.

EXEMPLA PROFANA.

LINVS Chalcidensis vel Thebanus, Apollinis & Terpsichores filius, qui primus ex Phœnicia literas in Græciam intulit: primus quoque Lyricos modos & Doricos cōcinuit. Licanon etiam mediam citharæ chordam appellauit, à Musis inuentam. Intentionem citharæ à patre Apollinē accepit, quam ille obseruarat in arcu Dianæ sororis intenso. Discipulos habuit præcipuos tres, Thamyram, Orpheum, & Herculem: à quo etiamnum puero interfectus est plectro, quia cum durius corripuisset.

PIERVS Lini filius, qui primus de Musis poemata scripsit. Alij Macedonem fuisse volunt, qui cùm Thespias profectus esset, nouē ibi Musas constituit, montémque Pierium vocauit, qui antè Helicon dicebatur. Alij Musas eius filias fuisse aiunt. Ouidius, filias eius cum Musis certare ausas, in picas mutatas fuisse fabulatur.

THAMYRAS, filius Philammonis & Arsinoes, ante Homerum quintus vel octauus, Theologiam tribus versuum millibus scripsit. Primus à nonnullis παιδαγωγὸς fuisse dicitur. Cùm Musas in certamen prouocasset ab iis excæcatus est. Vnde prouerb. θάμυρις μάνεται.

AMPHION Thebanus, Iouis & Antiopæ filius cum Zeto. A Mercurio lyram accepit dono, quòd primus ei aram posuisset. hac Amphion Thebas Bœotias condidit, & primus vocem lyræ iunxisse dicitur.

ORPHEVS ex Libethris Thraciæ oriundus, Apollinis & Calliopes filius, cui ab Apolline lyram datam quidam asserant, quam nouichordē primus instituerit, cùm Mercurius septichordem tantùm habuisset. Ante Troiana vixit tempora, per XI γενεὰς γενεὰν intelligunt spacium septem annorum. Ipse vixit nouem generationes, hoc est, ad 63 annum, qui climactericus est à Ciconum mulierib. discerptum aiunt, eo quòd relicta Eurydice vxore pueriles amores sequeretur. In Græciam astrologiam. & magiam adduxisse, dicitur à Luciano. Feras cantu suo, & Bacchas flexit. Tanti eum Græcia fecit, vt diuinitatem ei tribuerit. Caput eius in Lesbo oracula dedit, quod vnà cum lyra per Hebrum fluuium in mare deuolutum fuit. Orpheus Hebræos sacerdotes sub Iudicibus audiuisse dicitur. Itaque primus κολυβάτης impugnauit, quam antea docuerat. Fuerūt tamen quatuor alij Orphei, vt tempore, ita & dignitate posteriores.

MVSÆVS Orphei discipulus fuit. Alij eum Lini, alij Orphei, alij Eumolpi Atheniēsis filiū fuisse volunt, Theogoniā primus scripsit, & sphęrā inuenit. Orphei lyram post mortē obtinuisse dicitur: quam quòd ea indignus esset, Iupiter in cœlum transtulit, Arati interprete teste. Fuêre & alij Musæi: Eleusinius, Thebanus Thamyræ filius, Melicus poeta, qui ante Troiana tempora floruit, & Ephesius Epicus.

EVMOLPVS Musæi filius (aliis pater) quibusdam Neptuni & Chiones filius dicitur, Orphei discipulus. Claruit in Pythicis certaminib. victor. Cereris mysteria, & χθονιοκρατικὰ & Bacchica scripsit.

ZOROASTRES Persa vel Argyrius, Mesraimi Chami filius, qui Magicæ artis tradidit disciplinam. Hic astris multum tribuens, cum ex illis scintillas quasdam eliceret, tandem à dæmone succensus est: & Zoroastres à superstitiosis hominibus dictus, quasi ζῶον ἄστρον viuens astrū, cùm prius Zarades diceretur. Berosus filium Noachi Chamum, Zoroastrem dictum ait, propter veneficiorum peritiam, quib. Noachum patrē impotentem ad venerem reddiderit. Hermippus è cētum millia versuum à zoroastre condita scribit, præceptore vsum Agonace, quinque millibus annorūm ante bellum Troianum. Viginti annis in deserto, solo caseo vixit. Infans recens natus risit, & cerebrum eius insolito more palpitauit, futuræ præsagio scientiæ. Alter zoroastres fuit rex Bactrianorum, Nino prælio victus. Tertius Proconnesius Magus, circa Xerxis tempora.

EPIMENIDES Gnosius, vel Phæstius ex Creta, missus à patre vt olim rure deduceret, meridiano ęstu in antrum secessit, & ibi per annos 77, (alij 40. alij 47,) domum reuersus, cùm omnia mutata inuenisset, à fratre agnitus, Deorum postea amicus habitus est. Poeta fuit, & vates. Plurima scripsit. vixit annis 157, vel 299. vel 154. Athenas lustrationib. peste liberauit, Olympiade 27. vel 44. Anima eius, quoties volebat è corpore egredi & remigrare consueuerat. Mortui pestis longo post tempore, notis quibusdam inscripta, reperta fuit: vnde prouerbium ἐπιμενίδειον ἄγαλμα, de rebus miraculosis.

ARISTEAS Proconnesius, Demodocharidis filius, cuius anima etiam relicto corpore vagari, & denuò redire solebat, & interim vniuersum orbem perlustrare sapientiæ ergò. Scripsit Theogoniam mille versib. & Arimaspia. Floruit temporibus Cręsi & Cyri. Olympiade 50.

HESIODVS Homero coæuus fuit, quamuis alii eum longè posteriorem faciant, videlicet 130 annis. Certauit cum Homero in Oelyci Thessali exequiis, & Amphidamantis Chalcidensis, & victor extitit iudicio Panidis regis Chalcidis. Natus est Cumis Æolicis, patre Dio Ampelidis filio: qui propter æs alienum solum vertens, Ascram Bœotiæ vicum migrauit, vbi Hesiodus educatus, Ascræus dictus est. Hic cum armenta puer custodiret, à Musis amatus, gustata lauro, poeta euasit. Cum Milesio comite & Troilo puero Hesiodus apud quendam hospitatus est, vt refert Plutarchus. Milesius hospitis filiam corrupit. Puellę fratres Hesiodum stupri conscium arbitrati, eum inter pascua cum puero occiderunt, & cadauer in mare proiecerunt. Id exceptum, Delphini in littus portauerunt. Recognita, interfectores fuga sibi consulere volentes, coorta tempestate in mari perierunt: postea Hesiodi corpus in Nemea Locridis sepultum fuit. Senex admodum obiit. Vnde prouerbium, Hesiodia senectus. Obtrectatorem habuit Cercopem quendam. Ossa eius postea oraculi iussu exportata ab Orchomeniis, & in medio foro tumulata. Ex Cremene Physigei filia Stesicorum poetam genuisse dicitur.

CYNETHON Lacedæmonius Theogoniam carmine scripsit post Hesiodum, tertia Olympiade. Diuersus à Cenætho Chio, qui 69 Olym. floruit, & Rhapsodiis Homeri multos versus Syracusis infecit.

NVMA Pompilius de diis deorūque rebus versus composuit, iisque in sacris ludisque publicis ritè cantatis, ferocissimam gentem ad humaniores mores transtulit.

IVLIANVS, Iuliani philosophi Chaldæi filius, M. Antonino Pio Theurgica versibus edidit. Cùm Romam magna afficerentur siti, magica arte pluuias impetrauit.

PORPHYRIVS Tyrius philosophus, vir summus, nisi quòd Christianis infensissimus fuit sub Iuliano. Hic cùm de connubio sacro, diuino quodam numine afflatus poema composuisset, & illud Plotinus audiuisset, ad eum conuersus: Oitendisti, inquit, te Porphyri simul & poetam summum esse & philosophum, & sacerdotem.

POETAE ETHICI, QVI VEL PRAECEPTA moralia, vel leges versibus scripserunt.

Vetus philosophia ethica olim per Hypothecas, siue gnomas tradebatur: hoc est, Sententias quasdam morales, quibus & ad virtutem accenderentur iuuenes, & à vitiis auocarentur. Tales gnomas septem illi Sapientes Græcię ediderunt. vt autem numero quoque acceptiores essent, versibus plerunque sententias istas proposuerunt. Eodem consilio quoque legislatores vetustissimi leges scripserunt. Vt enim carmina ad memoriam plurimum faciunt, ita etiam nescio quem enthusiasmum in se continere videntur.

PITTHEVS Ætræ pater, atque adeò maternus Thesei proauus, angustam vrbem Trœzeniorum coluit, & versibus per ea tempora sententias quasdam condidit.

DRACO Athenien sis, tribus versuum millibus Hypothecas scripsit, & leges dedit Athenien sibus, omnib. delictis mortis pœnam statuens: unde non atramento, sed sanguine leges scripsisse, à Demade dictus est: & φονικὸς νόμος vulgò dicti. Vixit 39 Olymp. qua & septem Sapientes: præcessit Solonem 47 annis. In Ægina insula in theatro sedens, vestibus plurimis iniectis necatus, & in theatro sepultus est.

PITTACVS Mitylenæus, tyrannus patriæ, tyrannide tamen sese postea

abdicauit. Sexcentis elegis ciuibus suis leges dedit. vnus ex septem Sapientibus à plerisque existimatus : & PERIANDER Corinthius, qui floruit 38. Olymp. Hypothecas duobus versuum millibus scripsit. Ab Athenæo ἐλεγειοποιὸς cognominatur. Est alius Periander, de quo sub tit. Malorum poet.

HIPPARCHVS Pisistrati tyranni filius, qui Homeri Rhapsodiarum author fuit, & poetas poeta ipse plurimi fecit, Simonidem Anacreõtem, Tandem ab Aristogitone & Harmodio interfectus est, quòd Harmodio nobilem quendam adolescentem preripuisset. Columnas in compitis erexit, legibus & elegis versibus inscriptas.

TYRTAEVS Athenienſis, Spartanus tamen dictus, ab aliis etiam Mãtinæus, elegiographus & tibicen, deformis aspectu, claudus & luscus, ætate penè par septem Sapientib. Olymp. 35. Scripsit elego & heroico carmine permulta de Rep. Lacedæmoniorum, quibus ex oraculo dux datus est ab Athenienſibus, cùm Lacones ter iam à Messeniis victi fuissent. Athenienſes ergo Tyrtæum eis in contemptum dederunt, cùm ludimagister esset claudus, & ab omnibus irrideretur. At ille carmine militum animos ita inflammauit, vt tandem Messanam expugnarint. Ea propter ciuitate donatus est : & in tanta porrò fuit existimatione, vt cum hoste congressuri, eius poemata canerẽt, & domi Trichoriam saltationem ex eius præscripto exercerent.

HESIODVS in ἔργοις Gnomologias multas immiscet. de quo sub Poetis Theologis.

PYTHAGORAS Gnomas edidit, χρυσᾶν ἐπῶν nomine.

ANACHARSIS Scytha, patre Gnyro, matre Græca, fratrem habuit Caduia Scytharũ regem. Cræsi tempore floruit, & leges versibus descriptas suis Scythis ferre voluit. Composuit & Ethica alia permulta versibus octingentis. Græcorum sacris initiatus est. In patriam rediẽs, ad 100. annum vixit, & sagitta in venatione percussus interiit.

THEOGNIS Megarenſis ex Sicilia, natus 59. Olymp. relictis fabulis primus Elegias paræneticas scripsit, item de Syracusarum obsidione.

PHOCYLIDES Milesius floruit post tempora Troiana, annis plus minus 647. Scripsit gnomas, elegias, hexametros, & cephalæa quædam, quę ex Sibyllinis deprompta fuisse videntur.

POETÆ IMPVDICI, QVI NON VIRTVTIS, *sed vitiorum præcepta dederunt.*

BATALVS Ephesius, poeta lasciuus, & mollissimus. Hinc Batalos Græci vocant cinædos & pathicos. Demosthenes certè à mollicie sic cognominatus fuit. Alij tibicinen fuisse volũt hoc nomine, deformem, qui versus composuerit.

SOTADES Cretenſis Maronites, φλυαρῶν, id est, nugacium carminũ poeta. Primus Phlyacas siue cynædos carmine condidit, sermone Ionico : vnde & Cinædica oratio, Ionici logi dicta est. Vsus iambico versu. Ab hoc inuentum carmen Sotadeum : cuius variæ species, & vulgatissima τῶν παλινῳδουμένων, siue recurrentium. Vnde Martialis : Nec retro lego Sotadem cinædum. Periit plumbeo vasi inclusus, & in mare demersus, cùm de rege Lysimacho & Ptolemæo plura impudentius descripsisset : dignus hoc exitu.

ZONAEVS amatorias Epistolas scripsit, item de pilæ lusu, & agrestes epistolas.

SABELLVS varia concubitus genera carmine expressit, ita vt impuro quoque Martiali stomachum fecerit. Vixit sub Domitiano & Nerua. Quo tempore & MVSAEVS eadem scripsit, nõ scombris, sed igne digna.

HERMESIANAX Colophonius, de patria sua scripsit, & Leontij meretricis nequitias & amores trib. libris exposuit.

PETRONIVS Arbiter, Massilienſis, lasciuè & impudicè Satyras scripsit, & amatorum argumenta, & fabulas.

HEMITHEON Sybarita libellos lasciuissimos composuit, de quibus tamen sese Augusto purgauit.

P. OVID. Naso elegiographus, de Arte amandi scripsit, & diuinum suum ingenium eiusceinodi nugis profanauit.

Qui PRIAPEIA scripsit, siue is P. Vergilius Maro fuerit, siue quis alius, vt impudici carminis author extitit, ita non nisi à leonibus, meretricibus & cinædis legi debet.

POETÆ HISTORICI, QVI RES GESTAS VEL QVASI *gestas, quocunque genere carminis decantarunt.*

SACRI.

IOBVS exterra Hus, librum de fortuna sua conscripsit. In quo vbi ex persona sua sermonem exorsus est, ad vsque libri calcem carmine hexametro dactylico cuncta complexus esse dicitur.

CAECILIVS Cyprianus Afer, episcopus Carthaginenſis, carmina scripsit de S. crucis ligno.

IVVENCVS Hilpanus presbyter, sub Constantino Magno, quatuor Euangelia hexametris versibus scripsit.

L. CAELIVS LACTANTIVS Firmianus, vnus eloquentiæ Ciceronianæ inter Christianos præcipuus æmulator, versus composuit de Christi nece, & resurrectione. item Phœnicem, & ὁδοιπορικὸν ex frica in Bithyniam vsque.

MARIVS Victorinus Afer, rhetor, Romæ docuit sub Constantino Imp. & statuam in foro Traiani meruit. Præceptor fuit Hieronymi. Senex tandem ad fidem Christi conuersus, versu Heroico septem Machabæorum mortem cum matre cecinit, & hymnos quosdam de S. Trinitate. Libros contra Arrium prosa scripsit, valde obscuros.

APOLLINARIS Syrus, Heroico carmine Hebræorum antiquitatẽ scripsit, vsque ad tempora Sauli, 24 voluminib. Homerum imitatus. Item Comœdias, Tragœdias, & Lyricos versus, imitatus Menandrum, Euripidem & Pindarum. Cum antiquitate certasse potuit videri, teste Sozomeno. Laodiceæ, postea Syriæ pontifex, in Pauli Samosateni errorem incidit, vel ipse potius nouam confinxit hæresim : corpus scilicet, non animam, à Christo susceptum fuisse. Ea causa videntur omnes illius lucubrationes tanquam hæreticæ, fuisse damnatæ & suppressæ. In eo certè laudatur, quòd cum Iulianus Imp. Apostata, Christianorum liberis omni disciplinarum Ethnicarum genere interdixisset, primus hic res sacras carmine expositas pueris discendas proposuerit, impij tyranni dolum nefarium pio dolo eludens. Cuius exemplum alij deinceps imitati sunt.

NONNVS Panopolita ex Ægypto, Ioannis Euangelium Heroico carmine scripsit. Scripsit alius quidam, vel hic idem, Gigantomachiam, & Dionysiacon libros 48. vt sunt Homeri Rhapsodiæ, opus fabulis refertissimum.

CAELIVS Sedulius Scotus, anno Christi 430 scripsit hexametro versu Opus mirabilium, siue Paschale. Item hymnum ad Christum, cuius acrostichides totum continent alphabetum. Item carmen ad Theodosium iuniorem.

ALCIMVS Auitus episcopus Viennenſis, sub Zenone & Anastasio Imp. anno Christi 500. Galliam ab Ariana labe defendit, & poemata quędam scripsit quæ adhuc extant.

D. Prosper Aquitanus Gallus primum Romam profectus est Pontifice Cœlestino primo, propter disceptationes quasdam seu potius calumnias susceitatas in Gallia Narbonẽsi contra doctrinam B. Augustini. de Predestinatione. vt testatur epist. prima decretalis Celestini ad Episcopos Galliæ pro Hylario Arelatensi Prosp ero. Postea Romæ susceptus est à Leone primo, cuius factus est primum secretarius & postea Episcopus Regij Iepidi. Scripsit carmine Heroico de ingratis, vt apparet contra libellũ de Prouidentia Dei, qui tametsi habeatur inter opera ipsius Prosperi, eius tamen non esse vel ex eo satis constat, quod in multis locis, partim apertè partim oblique errorem Pelagij defendat, cuius fuit D. Posper acerrimus impugnator. Scripsit preterea Epigrammata de sententiis Diui Augustini : quantum patiebatur rerum grauitas, satis elegãter.

FVLGENTIVS Placides Teleptæ natus, ex nobili senatorum Carthaginẽsium genere, anno Christi 480. vel circa, primùm causarum procurator, deinde Rhuspensium episcopus, exulatum missus in Sardiniam cum 120. episcopis Africę, à Thrasymundo Vandalorum rege. Christiana poemata scripsit, duriusculè tamen.

C. SOLLIVS Sidonius Apollinaris, Auernus Gallus, floruit tempore Theodorici Gotthorum regis. statuam Romę in foro Traiani, duplicémque coronam meruit : poeta, vt ea tempora ferebant tolerabilis.

ARATOR Diaconus, hexametris versib. Acta Apostolorum scripsit, & Vigilio pont. Max. obtulit. Vixit anno Christi 560.

VENANTIVS Honorius Fortunatus. Rauennæ institutus fuit, & ab oculorum lippitudine D. Martini ope liberatus, eiusdem laudes 4. libris carmine persecutus est. Postea in Galliis Pictauorum episcopus designatus, scripsit excidium Thuringorum, Hymnos, Hodœporicum ad Iustinum iuniorem Imp. floruit anno Christi 570.

MARCVS, D. Benedicti discipulus, vitam magistri Heroico carmine condidit, sub Heraclio Imp.

IO. DAMASCENVS Magnus, theologus Græcus, cognomento Mansur (quem plerique Ioannem Mesue esse crediderunt, qui de Medicamentis scripsit) sub Leone Imp. & Gregorio III. Pont. vixit, vir sua ætate doctissimus. Præter cætera & Susannæ drama composuit : & Canonicorũ regulas cùm iambicis, tum prosa oratione.

PROFANI.

CORINNVS Ilienſis, feruente adhuc bello Troiano, Iliada dicitur scripsisse. Palamedis discipulus. Dardani bellum contra Paphlagonas quoque scripsit. Ab eo plerique volunt Homerum argumenta cœpisse, & libris suis inseruisse.

PRODICVS Phocæus, Epicus vetustus. Scripsit Minyada : opus variis historiis refertum, ex quo Polygnotus picturarum nonnullarum sumpsit argumentum.

POLYCRITVS Siculorum gesta versibus mandauit, teste Aristot. in lib. de Admirandis in natura.

PHANOCLES, qui Ganymedem non à Ioue, sed à Tantalo raptum asseruit, eámque causam belli inter Troem & Tantalum fuisse.

EVMELVS Corinthius, Bacchiadum vnus, claruit Olymp. 9. cùm Sibylla Erithræa. Corinthi historiam, & Titanomachiam scripsit.

DEMODOCVS Coryczæus poeta, item PHEMIVS Ithacenſis, vel Smyrnæus, ante Homerum, quorum ille in suis Rhapsodiis meminit, Phemium quidem apud Penelopem, Demodocum verò apud Phæacas canentem introducit.

ARCHIMVS, seu Arctinus, Æthiopicam & Iliacam cladem scripsit.

SYAGRIVS ante Homerum Iliada scripsit, & ei valde fuit infensus.

HOMERVS

HOMERVS (prius Melesigenes dictus) à cæcitate nomen habuit : cæcos enim Iones & Cumæi Homeros vocant. Alij cæcum fuisse aiunt, hoc est, in refrenandis animi affectibus (qui per oculos potissimùm irritantur) impotentem. Parentes eius incerti. Aristoteles in poetica Dæmonem ei patrem tribuit. Alij Calliopes Musæ & Apollinis filium. Incerta etiam patria. nec enim septem tantùm vrbes, sed tota ferè Græcia de eius natalib. gloriatur. Sunt qui Babylonium, Suidas etiam Lucanum, aut Romanum fuisse scribit. Plutarchus Smyrnæ natum, in Io tumulatum asserit, augurio eius diuinitatis : cùm Smyrna myrrham, Ios, violam significet. Tempus itidem, quo floruit, incertum. Quidam post Troica 120, alij 140. Archilochus 500. nimirum 22 Olympiade. Incertitudo ex eo nata videtur, quòd octo alij præter hunc fuerint Homeri, tempore tamen & eruditione longè inferiores. Obiit anno ætatis 108. cùm ex Samo in Ion nauigasset, vel ex animi mœrore, quòd propositum à piscatorib. ænigma explicare non potuisset : vel morbo. Maxima eius fuit authoritas apud omnes semper. Fuit alius Homerus, inter Pleiadas poetas connumeratus, qui vixit Olymp. 23. & 57 fabulas scripsit. Reliqui eiusdem nominis minus clari.

RHIANVS Cretenſis, primùm palæstræ custos atque seruus, mox Grammaticus & poeta : scripsit Thessalica, Messeniaca & Heracleada.

PHILOSTRATVS Athenienſis, Epaminundæ & Pelopidæ vitas, itẽ Theseida composuit.

LESCHES Lesbius, Olymp. 30. paruam Iliada conscripsit, ex qua Pindarus quædam desumpsit.

PISANDER Alexandrinus seu Rhodius, filius Pisonis & Aristœmiæ, quę Eumolphi ætate quidam floruisse, & ab eo amatum ferunt : alij Hesiodo seniorem, alij 33 Olymp. vixisse aiunt. A nuptiis Iouis incipiens, vniuersas historias vsque ad sua tempora contexit, Troiæ etiam cladem complectens : quam Verg. in Æneida sua transtulit, teste Macrobio. Herculis labores duobus libris absoluit, quib. caremus. Hic tanta laborabat melãcholica, vt sibi continuò timeret, ne suæ ipsius vmbræ occurreret : animam enim se viuens destitutum existimabat.

PANYASIS Halicarnassei, auspicis & poetæ tanta fuit authoritas, vt eum nonnulli statim post Homerum inter poetas recenseant : alij post Hesiodum & Antimachum, quem Panyasis familiarem & discipulum quidam faciunt. Herodoti historici patruelis, vel auunculus. Vixit Olym. 78. de Herculis laboribus multa scripsit, 14 voluminibus : Heracleia, item Ionica. Hic dicere solebat : Primum poculum Gratiis, Horis & Dionysio dicatum sit : secundum Veneri & Dionysio : tertium Iniuriæ & Damno.

ANTIMACHVS Colophonius, Hipparchi filius, Grammaticus & poeta, seruus Panyasis, secundum nonnullos, Stesimbroti auditor, & Platone aliquanto senior. Hic cùm conuocatis auditoribus, Thebaida suam (in qua antequam septem duces ad Thebas perduceret, 24 libros consumpserat) recitaret, & eum omnes præter Platonem reliquissent, dixit : Plato instar omnium. Huic secundas in heroico dedit Quintilianus. Oppiani interpres, sex per excellentiam quandam poetas hoc ordine recenset : Homerum, Eupolin, Hesiodum, Antimacæum, Nicandrum, & Panyasin. Lyden amicam habuit, & poemate funus illius celebrauit.

SIMONIDES Magnesius, Sipyli filius, Olymp. 150. res Anthiochi Magni scripsit, & bellum contra Galatas. Alius Carystius, qui Græcorum in Aulide conuentum duobus trimetrorum versuum voluminibus complexus est.

COLVTHVS Lycopolites ex Ægypti Thebaide, scripsit Calydoniaca, Helenæ raptum, & Pelei Thetidisque nuptias.

CHOERILVS Samius, siue Halicarnasseus, siue Iasius, Olympiade 75 & à Samio domino profugus, Herodoto historico astitit, & ab eo amatus est. In Macedonia Archelai tẽpore obiit. Tanti Archelaus versus eius fecit, vt quotidie illi minas 4 penderet : quas tamen ille obsonando absumebat. Scripsit Græcorum victoriam contra Xerxem (eo enim tempore vixit, secundum nonnullos) cuius poematis versus cum Homericis certare à quibusdam dicti sunt, ideóque ab Athenienſibus singuli singulis aureis repensi. fuit & alius Chœrilus tragicus. Tertius, & diuersus ab vtroque, ineptus ille poeta Chœrilus : de quo sub tit. Malorum Poetarum.

ANTAGORAS Rhodius cum Antigono rege Macedoniæ versatus est, & Thebaida scripsit. Hic cùm militiæ congrum coqueret, & vas concuteret, superueniẽs Antigonus dixit : Homerúmne putas, Antagora, cũ Agamemnonis res gestas describeret, congros coxisse? Tum ille : Tũne, inquit, rex putas, cùm tãtas res ageret Agamemnon, adeò curiosum fuisse, vt scire vellet, an in exercitu quisquam congrum coqueret?

APOLLONIVS Rhodius dictus, eo quòd propter poetarum insidias (editis Argonauticis) Alexandriã patriam relinquere coactus fuerit : filius Silleos & Rhodes. Successit Eratosthẽni in Alexandrinæ Bibliothecæ præfectura. Hic est, contra quem vt ingratũ discipulum, Callimachus virulentissimum carmen Ibidis scripsit. Argonautica eius tantùm extãt, ex quibus Medeæ amores in Didonem suam Vergilius transtulit.

Q. ENNIVS floruit 136 Olympiade : stipendia sub Africano superiore fecit. Romam deductus fuit ex Sardinia à M. Catone quæstore ex Africa decedente. Patria Rudiæ, Calabriæ oppidum : vnde Rudinus ab Ausonio, Rudius à Cicerone. Hieronymus eum Tarentinum facit. Ex stirpe Neptuni, à Messapo originem suam deduxit. Homeri animam se habere iactabat. Acer in sententiis, in verbis rudis. Hinc Vergilius aurum se ex Ennij stercore colligere dicebat. Tria corda se habere profitebatur, quòd Græcè Latinè & Oscè loqui posset. Scripsit Annales, item bella Pop. Rom. quorum libr. 12. anno 46 ętatis scripsit. Item Phagetica, Comœdias & Tragœdias plures, ita vt ei decimum inter Comicos locum det Volcatius. obiit Q. Martio & Cn. Seruilio Coss. postquã Thyestem fabulam docuisset, iam septuagenarius, ex arthritide, quam sibi nimio potu contraxerat : sepultus in Scipionis monumẽto, via Appia.

HOSTILIVS Annales Rom. post Ennium scripsit.

TRIMATIVS Iliada Latinè composuit, & primus Victoriæ deæ Prępetis epithetum addidit. Iliada quoque NVMIVS Crassius & Cn. Manlius scripserunt. Manlius in sua hoc habet : *Celerisſimus aduolat Hector.*

HOSTIVS bellum Histricũ carmine scripsit, plura ex Homero mutuatus. Ex quo multa, quæ Homeri videntur, Vergilium desumpsisse, author est Macrobius.

A. LICINIVS Archias, Antiochenus patria, ob eruditionem ab Heracliensibus, Tarentinis, Rhegynis, Neapolitanis & Romanis ciuitate donatus est. A Lucullis, Metellis, Catulis, Crassis, in primis à M. Tullio amatus, & ab eo etiam defensus. Extemporali facultate carminum condendorum pollebat. Scripsit Cymbrica Græcè, & de consulatu M. Tullij carmen exorsus est. item Epigrammata quædam.

THEOPHANES Mitylenæus Epicus, Magni Pompeij gesta descripsit : & propterea ab eo pro concione laudatus & ciuitate donatus est. Mortuo Græci diuinos honores tribuerunt.

P. TER. Varro in vico Atace prouinciæ Narbonensis natus Olymp. 174. qui postea 34. anno ætatis Græcas literas didicit. Scripsit Argonautica, & maiorem patrem ex Apollonio traduxit. Item de puella Leucadia, quam amauit.

P. VERG. MARO, poetarum deus siue Plato (vt Alex. Imp. dicebat) prope Mantuam in vico Andes (vnde Andinus ipse) qui hodie Pictole vulgò dicitur, natus est 177. Olymp. Pompeio & Crasso Coss. Brunduſij mortuus, Saturnino & Lucretio Coss. Ossa Neapolim translata, secundo ab vrbe lapide. Moribus adeò modestus, vt vulgò Parthenias diceretur : itaque Priapeia eius nõ sunt, sed versus sunt variorum poetarum in hortis Mecœnatis Priapi sacello affixi. Adrianus Imp. ipsum Ennio postponebat. Caligula eum damnabat, & penitùs abolere conabatur. Græci eius opera in suam linguam conuerterunt.

PEDO Albinouanus Thesei gesta & Epigrammata scripsit : vnde ab Ouidio sublimis, altiloquus, & alicubi sidereus appellatur.

C. RABIRIVS magni oris ab Ouidio dicitur, quòd Epicus esset poeta, & grandiloquus. Scripsit præter Heroica, etiam Elegias, & Epigrammata, & Satyras.

TVTICANVS, Ouidij à teneris amicus, mutuóque sibi operam dabant in emendandis carminibus. Phæacida ex Homero vertisse dicitur

PONTICVS bella Thebana carmine descripsit, Ouidij amicus.

CORN. Seuerus, poeta & declamator egregius. Scripsit bellum Siculum, sed non perfecit. Carmen de monte Ætna, quod Vergilio tribuitur eius fuisse putatur.

ANNAEVS Lucanus Cordubenſis, Persij condiscipulus, eques Rom. natus 3. Non. Nouemb. C. Cæsare Germanico iterum & L. Cæsonio primò Coss. Cunis eius apes insederũt. præceptore vsus est Palæmone, Verginio, Cornuto. Neronis charus, quæstor adhuc iuuenis factus est : postea sacerdos factus, cùm Pollam Argentariam doctissimam mulierem duxisset, quæ tres primos libros Pharsaliæ vnà cum marito emendauit, reliquos eo mortuo. Cùm quinquẽnali certamine acto, Nero per Cliniur Ruffum Nioben se pronunciaturum indixisset, Lucanus ostentandi ingenij causa Orphea extemporè recitauit, & coronã à iudicibus donatus est. Offensus ea re Imp. interdixit ei foro, theatro & poetica. Lucanus ergo vltionis spe Pisonianæ coniurationi adhæsit. Qua detecta, Lucanus crimen fassus, impunitatis spe Aciliam quoque matrem inter conscienominauit. Largiter epulatus, in balneum descendit, & venas medico scandas præbuit. Periit ergo pridie Calend. Maij, Attico Vestino & Nerua Syllano Coss. anno ætatis 27. Bona eius Nero patri Melæ concessit. Indomito simili exquo in carmine fertur, qui in medio prato acrite quidem & animosè, sed inconcinnè saltat. Fabius eum magis oratoribus quàm poetis adscribit. Statius & Martialis Vergilio & Homero conferendum audent. Iuuenis Saturnalia, Syluas, Incendium vrbis, Medeam tragœdiam item Epigrammata quædam ad Pollam scripsit : præter notos libros Pharsaliæ.

SOTERICHVS ex Oasi vrbe Libyæ, sub Diocletiano laudes eius scripsit, item Dionysiaca, Pythona, Alexãdriaca, Panthyam Babylonicam & Ariadnem.

ARRIANVS Græcus tralationem ex Vergilij Georgicis fecit, item de Alexandro Macedone 24. Rhapsodias.

CLEMENS Apuleij familiaris, totam Alexandri historiam pulcherrimo carmine illustrauit.

SYLLIVS ab Italica Hispaniæ vrbe Italicus dictus, aliis ab Itali Pelignorũ metropolim natus Romæ creditur, & nutritus. Orator primùm & causidicus, deinde poeta. Maiore cura carmina composuit, quàm ingenio. Vergilij natalem religiosè colebat Neapoli, ad eius monumentum : item & Ciceronis manes, cuius Academiam instauratam. Ter fuit consul. In primo eius consulatu Nero periit. Cùm clauo insanabili torqueretur, vitæ tædio inedia periit. Inter cætera Punicum bellum 17. libris scripsit.

P. PAPINIVS Statius pater, præceptor Domitiani, & ab eo in certamine Albano auro donatus & corona, propter eruditionem nomen suum tam fecit celebre, vt duæ vrbes, Sellæ Epirotarũ & Neapolis Campanorum de eius patria certent. Ex Agellina vxore filium P. Papinium Statium genuit, cúmque ipsemet in literis educauit. Anno 65. lethali obiit. Multa & prosa & carmine scripsit, quorum nihil ad nos peruenit

Filius Claudiam, Claudij Apollinaris filiam, quæ tibicini nupta fuerat, vxorem duxit, amoris impatiens: cum qua senex Neapolim in communem ambob. patriā rediit. Domitianus Cæsar Albano certamine eadem qua patrem corona donauit. Quidam præacuto stylo à Domitiano confossum aiunt. Danthes Statium Christianum quoque fuisse asserit, cōuersum his Vergilij verbis: Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna. Scripsit Thebaida, item Achilleida, Syluas, Tragœdiam.

C. VAL. Flaccus Setinus, patauinus fuit (quamuis alij Campanum à setia vrbe, alij Romanum fuisse velint) Vespasiano dicauit Argonautica: sed immatura morte abreptus, perficere non potuit.

Q. CALABER Græcus, libros XIIII. scripsit eorum quæ in bello Troiano ab Homero relicta sunt, quæ τὰ ὁμήρῳ παραλειπόμενα inscribũtur. Cœpit autem ab Hectore tracto.

CALLISTVS sub Iuliano meruit, & eius res gestas versibus scripsit.

CL. CLAVDIANVS sub Theodosio vixit, Alexandrinus ex Ægypto. Petrarcha Florentinum ait: sed patrem eius mercatorem ob bella in Ægyptum secessisse. Florentino viro clarissimo fuit gratissimus. Landinus Christianum fuisse autumat: cōtrà D. Augustinus & Orosius ethnicum, & quidem Christianorum summum hostem. Quòd si quædam Claudiani Christiana leguntur, vel in gratiam Theodosij composita sunt ab eo, vel certè sunt Claudij Mamerci Viennensis ex Gallia, quem Sidonius laudat. Statua in foro Romæ erecta est Claudiano, cum testimonio Imp. quo eum Vergilij mentem & Homeri Musam Arcadius & Honorius habuisse testantur.

RVFFVS Festus Auienus, Hispanus, Dionysium Punicum de situ orbis, itē Arati Phænomena vertit, & de Oris maritimis. Floruit sub Theodosio Imp. Seruius eum Liuium Iambicis versibus descripsisse ait.

ALANVS, vniuersalis doctor cognominatus, Cimber fuit. Præfuit aliquandiu Lutetiæ, per tempora Adulphi, & mox Alberti Impp. anno 1300. Scripsit contra Claudiani Ruffinum librum, quem Anticlaudianum inscripsit.

GVNTHERVS Germanus 12. libris Federici Cæsaris gesta descripsit carmine heroico, tanquam Scythicus quidam Lucanus.

POETÆ MECHANICI, QVI DE MECHANICIS *scripserunt.*

AGRICVLTVRAM.

HESIODVS ἔργα καὶ ἡμέρας scripsit, & omnem rusticandi modum simul & tempora diligenter executus est. Eo libro olim pro Ephemeridibus rustici vtebantur.

THEOCRITVS Cous, vel Chius, vel (vt plurimi) Syracusanus, Praxagoræ & Philinæ filius, discipulus Philetæ & Asclepiadis, Epigrammatum poetarum. Floruit tempore Ptolemæi Lagi & Philadelphi. Scripsit Eidyllia bucolica Ionico & nouo Dorico sermone: item Elegias, Hymnos, Iambos & Epigrammata. Periit laqueo, quòd Hieronis tyranni filium acerbius reprehendisset.

MOSCHVS Siculus, grammaticus & poeta, familiaris Aristarcho, Grammaticorum tum facilè principi. Bucolica eius perierunt, extat Amor fugitiuus, & Amor arans.

BION Smyrnæus (non ille inter septem Sapientes connumeratus) tertiam palmam in Bucolicis meruit.

P. VERG. Maro in Bucolicis Theocritum, in Georgicis Hesiodum imitatus est: fortè etiam superauit.

IVL. T. CALPHVRNIVS Siculus, Bucolica scripsit, Charo principe, & filiis Charino & Numeriano imperantib.

MERCATVRAM.

HESIODVS in ἔργοις suis tempora nauigationis commodæ docet.

PANCRATES Arcadicus, ἔργα θαλάσσια ad Hesiodi imitationem scripsit. Hic Pompilum sacrum piscem nuncupauit.

PISCATIONEM, VENATIONEM.

SELEVCVS Emisenus, grammaticus excellens, carmine artem piscatoriam scripsit, ἁσπαλιευτικὰ vocat, quatuor libris: item Parthica, & commentaria in Lyricos.

OPPIANVS Corycius Cilix (alij Anazarbæum faciunt) poeta & grãmaticus, sub M. Antonino & Seuero floruit. Libros Halieuticôn quinque, cynegeticôn IIII. Ixeuticôn, II. Huius pater Agesilaus, cùm plurimùm opibus & autoritate valeret, sese Philosophiæ tradidit, filiúmque cyclicis siue liberalibus artibus erudiit. Cùm autem iis studiis dediti essent, Seuerus Imp. apud Anazarbum diuertit. Cui obuiam omnes vrbis primores prodiere: id quod Agesilaus, vt philosophus, facere neglexit. Iratus Cæsar, patrem cum filio in Melitā insulam relegauit. Seuero mortuo, Oppianus filio eius Antonino opus de Piscibus dedicauit, & pro quolibet versu aureum numum accepit (vnde carmina aurea dicta) simul & reditum in patriam cum patre impetrauit. Periit in patria peste, annos natus 30.

GRATIVS Phaliscus, cynegetica composuit, teste Ouidio.

COQVINARIAM.

TIMACHIDAS Rhodius, Cœnarum inscriptiones libris II. confecit.

CHARMVS Syracusanus in conuiuas centum carmina scripsit, δειπνολογίαν vocauit, siue ὀψολογίαν, siue ἡδυπάθειαν, siue γαστρονομίαν. Item in singulas dapes lusit.

EVTHYDEMVS Atheniensis multa composuit: sed ea Hesiodi titulo inuulgauit, vt lectorum iudicium experiretur. Nonnulla de salsamentis circumferuntur, quæ Hesiodi non esse patet: quia loca quædam commemorat Hesiodi tempore nondum sic appellari solita.

ARCHESTRATVS Syracusanus, vel Gelous, Terpsionis discipulus, terras mariáque circuiuit, vt ea quæ ad gulam facerent describeret. Poema illius γαστρονομίαν inscriptum esse, Chrysippus prodit: alij γαστρολογίαν, vel ἡδυπάθειαν, δειπνολογίαν, vel ὀψοποιΐαν dixère. Chrysippus quandam metropolim Epicureæ philosophię appellabat, & quandam suam Theogoniam. Summa pressus fuit egestate: & propterea minus nobilis. Olim ei quidam dixisse fertur: Si cum Alexandro fuisses Archestrate, tui cuiusque carminis præmium Cyprum aut Phœnicen tulisses.

EPICI HEROICI.

Consule titulum, Poetarum Historicorum.

ELEGIOGRAPHI.

CALLINVS elegiographus, Elegiaci carminis inuentor à Mauro Terentiano dicitur: Theocli Naxio seu Eretriēsi Suidas, alij Midæ Phrygi, alij Terpandro hoc inuētum tribuunt. Scripsit Cimmeriorum aduersus Esionenses impetum, & Smynthij Apollinis historiam.

ANTHES Anthedonius, primus apud Græcos θρήνους condidisse dicitur: quorum apud Hebræos author fuit Hieremias propheta.

OLYMPVS Mysius, discipulus & amor Marsyæ, Hyagnidis filij, qui Hyagnis primus tibiis vsus dicitur. Composuit elegias & cantica, atque in Chromatica Musica princeps fuit. In Pythonis funere tibias inflauit, & funebre carmen modósque Lydios concinuit.

CLONAS Tegeates vel Thebanus, elegiographus & epicus, Nomos musicos inuenisse dicitur: quorum tamen inuentionem alij Ardalo Trœzenio tribuunt.

THYMITVS Laomedontis filius, vnà cum Orpheo claruit, diu peregrinatus, cùm ad Nysam, vbi Bacchus nutritus fuerat, venisset, ab incolis Dionysii sacra didicit, & poema Phrygium conscripsit.

SOLON philosophus & poeta præstantissimus, 46. Olymp. ex Cypria Salamine oriundus: cui non minus tribuit Plato & Aristoteles, quàm Homero & Hesiodo. Hic secundum quosdam, author Homeri rhapsodiarũ fuit: sic dictarum vel à consuendo, vel à ῥάβδῳ virgula censoria grammaticorum. Elegias scripsit, & Iambos.

DROPIDAS frater Solonis, à quo maternum genus duxit Plato: celebris quidem poeta, sed cuius famam fratris gloria obscurauerit.

CHILO Damageti filius, Lacedæmonius, septem Sapientum vnus: à quo breue dicēdi genus Chilonium dictum. Cuius sententiæ sunt, Γνῶθι σ' αὐτόν, ἐγγύη δ' ἐπαρ ἄτη. Laudatur Elegia eius ducentorum versuum.

PHILETAS Cous, filius Telephi, floruit primùm sub Philippo, deinde secundi Ptolemæi magister fuit. Criticus grammaticus insignis, adeò vt cum ψευδόμενον quendam λόγον soluere non posset animi mœrore contabuerit. Secundas in Elegis meruit. Exili adeò fuit corpore, vt plumbeis soleis vti cogeretur, ne vi venti in sublime raperetur. Battida puellam amauit.

EVENVS elegiographus, cuius versus citat Aristoteles de consuetudine, magister Philisti illius, qui secundum præcepta Rhetorica historias conscripsit: item & Socratis (vt quidam volunt) in Poeticis.

MNIMERMVS, vel Mimnermus, à memoria & interpretatione deducto nomine, tibicen Smyrnæus, Lyrgitiadæ Colophonii filius, natus 38. Olymp. coæuus Soloni. Propter carminis suauitatem Ligyastades dictus, summum bonum indolentiam & tranquilitatem animi statuit. In Elegis excelluit, & Nanno tibicinam adamauit.

POLYMNESTVS Colophonius & EVHEMERVS Messenius, elegiographi. Euhemerus ἄθεος à Plutarcho dicitur, quoniam res gestas deorum, vitas & mortes descripsit: quem secutus est Ennius, Cic. teste. Cassandro regi amicus fuit, cuius gratia compulsus fuit regias quasdam sententias conficere, magnásque ideo peregrinationes per Oceanum suscepit.

SACADAS Argiuus, ter Pythia vicit modulando. Primus tibiarum cantum Pythicum apud Delphos cecinisse dicitur, & strophen in singulis tonis fecisse: nōmonque trimerem, vt primus chorus Doricus, secundus Phrygius, tertius Lydius esset, instituisse.

EVPHORION Chalcidicus, Polymneti filius, claruit 126. Olymp. cùm Pyrrhus bellum Romanis inferret. Amatus à Nicæa (cuius filius Alexander Eubœæ dominabatur) & diues factus, in Syriam concessit: & apud Antiochum regem bibliothecæ præfectus, Antiochiæ vel Apameæ moritur. Scripsit Elegias, & Mopsopia siue ἄτακτα item ex oraculis mille annorum libros quinque. Eum in Elegiis Corn. Gallus imitatus esse videtur.

ZENODOTVS Ephesius grammaticus & poeta, Philetæ discipulus, paulo ante Philadelphi tempora, cuius tamen bibliothecæ præfuit, & in ea docuit. criticus magnus, Homeri versus in ordinem redegit, & simul Ptolemæi filios instituit.

PARTHENIVS Chius (qui & Chaos dictus) ex Homeri progenie, Elegiarum & diuersorum carminum poeta, captus à Cinna, Mithridatico bello, Romam ducitur, & propter eruditionem liberatur: quo præceptore Virgilius in Græcis vsus videtur. Hunc Tiberius in carminibus dicitur imitatus, & fortassis etiam Ouidius in Metamorphosi. Virgilius etiam in quibusdam. Extat eius Opus τῶν ἐρωτικῶν. Est & alius hoc nomine Nicæus.

CN. CORN. Gallus Foroliuiensis, primus Ægyptum in prouinciam redactam rexit. Transtulit ex Græco Euphorionem. Amores de Cytheride Volumnij liberta composuit 4. libris, quam Virg. Lycorida vocat. A Virg. tātum amatus, vt in eius gratiam medium quartum librum Georg. scripserit. Quem tamen postea in Aristæi fabulam commutauit, quando Gallus propter insolentiam & tyrannidem accusatus, ferro sponte incubuit, anno ætatis 43. Falsò eius nomine circumferuntur hodie Elegiæ aliquot, quæ Maximiani cuiusdam sunt.

C. CORNIFICIVS Virgilij æmulus, à militibus destitutus interiit, quos ille sæpe fugientes, galeatos lepores appellabat. Cornificia ei soror fuit, cuius Epigrammata suo tempore insignia fuisse, scribit Hieronymus.

ALBIVS Tibullus Eques Rom. natus eodem anno quo & Ouidius, A. Hircio & L. Pansa Coss. eodem etiam die, scilicet Quinquatriis Mineruæ, intra Calend. Apriles. Deliam amauit, quæ proprio nomine Plania dicebatur: item Nemesin, Neæram, Sulpitiam. In Elegis princeps habetur. Scripsit & hexametrum, sed dispare felicitate. Obiit adhuc iuuenis.

SEX. AVR. Propertius Vmber, ex Meuania vel Assisia oppido, quod ipsemet Axini vel Assim vocat. In diuisione agrorum veteranis militibus sub Augusto facta, suis agris spoliatus est. Hostiam puellam (quam ficto nomine Cynthiam appellauit) amauit. Callimachum Cyrenæum & Philetam Coum in Elegis imitatus est.

P. OVID. Naso Sulmonensis, ordinis equestris, causas in foro agere à patre coactus: eo mortuo, ad Musas reuersus est. In exilium Tomos relegatus, quòd cum Iulia Augusti filia stuprum fecisset (quam nomine ficto Corinnam vocauit) vel quòd Augustum cum filia iacentem vidisset. Obiit in exilio 199. Olymp. Scripsit plurima in omni genere carminum, summa facilitate, nimiúmque luxuriante copia: nec defuit ei iudicium ad compescendam carminum suorum licentiam, sed animus.

BOETHVS Tarsensis, M. Antonio de habita apud Philippos victoria gratulatus carmine, patriam tam diu rexit, donec Athenodorus Sandonis, qui à vico Cananita cognominatus fuit, Cæsaris præceptor senex in patriam rediit, & benignitate Cæsaris priorem Reip. Tarsensis statum correxit, actis in exilium malis ciuibus. Ex tempore versus fundebat, quamuis non vsque adeò bonos.

SABINVS Epistolis Ouidianis rescripsit. Scripsit & Trœzenia. Trisenen puellam amauit. Fastos imperfectos reliquit.

ARVNTIVS Stella Patauinus elegiographus, amicus Statij summus, qui eius cum Violantilla (quam Hyanthida vocat Martialis) nuptias celebrauit. Scripsit Epigrammata, & victoriam Domitiani contra Sarmatas.

VOCONIVS Victor, Romanus eques, mirè elegans & eruditus, vt Musæ eius ore versus pangere viderentur. Adriano Cæsari ita charus, vt etiam eius tumulum versibus exornarit: Lasciuus versu, mente pudicus eras.

SATYRICI, QVI VITIA ÆTATIS SVÆ, VEL CERtorum quorundam hominum reprehendunt.

Apud Græcos olim vetus COMOEDIA hoc habebat. vt liberè taxaret potentissimorum vitia, idque publicè in theatro. Quæ tamen licentia Athenis postea è medio fuit sublata, & antiquæ Comœdiæ noua successit, & modestior & iucundior.

CALLIMACHVS Cyrenēsis, Batti filius, Hermocratis Iasij discipulus, floruit sub Philadelpho, vsque ad Euergetem, Olymp. 125. literas publicè docuit in Eleusini Alexandriæ vico: deinde in aulam regis receptus est. Scripsit volumina plus quàm octoginta, Tragœdias, Comœdias, Epodō, Mela, tabulas diuersas, Hymnos: & cōtra Apollonium discipulum ingratum Ibin edidit, quem postea imitatus est Ouid.

ARCHILOCHVS Parius, & HIPPONAX Ephesius, Vide tit. Melopœorum.

C. LVCILLIVS, ex Arunca vrbe, vel Canasinus, qui primus nasi stylũ acuisse à Plin. dicitur. Natus, quo tēpore Carthago Romanis deditionem fecit. Pompeij Magni maior auunculus: nam Lucillij soror Pompeij auia fuit. In reprehendendo adeò acer, vt lex postea fuerit lata (quod & Athenienses rogante Alcibiade fecerant) ne cui liceret nominatim quēquam carpere. Amauit Collyram puellam. Composuit Satyras, Tragœdias. Horatius lutulentum vocat poetam. Quintilianus Satyricorum principem facit. Adrianus Imp. eum Virgilio quoque præferebat suis carminibus. Græca passim miscuit. Obiit Neapoli, ætatis anno 46. publico funere elatus.

CATO Vticensis Iambicum carmen in Metellum scripsit: & quamuis seuerus, lasciuis interdum versibus lusit.

M. TER. Varro, quo nemo doctior nec apud Græcos, nec apud Latinos, teste Lactantio: omnigeno carmine Satyras suas scripsit, imitatus Menippum: vnde & Menippeus dictus est. De rerum natura carmine scripsit.

L. LVCVLLVS iambographus, improbatur, quòd Gentium & Macedonem pueros veris nominibus suis carminibus prostituerit. Meminit eius Cicero ad Atticum.

ÆLIVS Saturninus, quòd in Tiberium versus composuerat, ab eo in Senatum ductus, è Capitolij rupe præcipitatus est: vt & SEX. Paonianus in carcere strangulatus.

A. PERSIVS Flaccus Volaterranus, natus 203. Olymp. anno Christi 37. Tiberij 22. discipulus Rhemnij Palæmonis, & Verginij Flauij, mox Cornuti Stoici philosophi & tragici poetæ. Obiit 29. ætatis anno, ex vitio stomachi. peruenit ad 12. Neronis annum, quem sub nomine Midæ in suis Satyris taxat. Virginalis cuiusdam modestiæ plenus fuit. In Satyris doctus, sed obscurus est.

ANTISTIVS Sosianus in Neronem carmina componens, ea celebri conuiuio, apud Historium Scapulam vulgauit: & post Pisonianam coniurationem in exilium missus est. malis tamē artibus rediit. Nam cùm Neronem facilè delatoribus aures præbere intelligeret, Parmenis Chaldei genethliaci amicitiam iniit, ad quem Romanorum literæ de futurarum rerum euentu crebrò deferebantur. Itaque Antæi literas intercepit, simul etiam Parmenis libelllos clàm furatus est, quibus dies genitalis eius & euentura occultabantur, atque Hostorij etiam Scapulæ. Neroni mox scripsit, habere se quæ saluti eius conducerent, si breuem exilij veniam impetrasset. Quam rem Nero facilè concessit, eúmque per liburnicas aduehi præcepit: eiúsque verbis fidem habens, Antæum & Hostorium perdidit. Gyraldus Dialogo 4. Hist. poet.

D. IVNIVS Iuuenalis, Aquinas, discipulus Frontonis & Quintiliani, ad mediam vsque ætatem declamauit, inde Satyras scribere aggressus est. In quibus cùm Paridem Pantomimũ, Domitiano charissimum perstrinxisset, iam octogenarius in Pentapolim Ægypti relegatus est, vbi angore & tædio periit.

EPIGRAMMATOGRAPHI.

CHERSIAS Orchomenius, qui cum Periandro diu simultates exercuit. Tandem Chilone sequestro reconciliati sunt. Eius versus Orchomenij in Hesiodi sepulchro commemorant.

ARCHIMELI Epigramma in nauem Hieronis Syracusani (de qua & opus Archimedes composuit) commendatur, propter quod Hieron Archimelo in Pyræeum vsque mille misit tritici medimnos. Inter Græcos quoque Epigrammatistas recensentur PALLADAS, THAETETVS diuersus à Platonico, STRATON, Theodorus, Lucillus Tarræus, Athenæus, diuersus à Naucratite Dipnosophistarum scriptore, & à Medico, Democritus diuersus à philosopho illo, Archytas diuersus à Tarentino, Doricas vel Dorias, Dorus, Erycius, & multi alij Græci, quorum nomina ex Græcis epigrammatis colligi possunt.

Apud Latinos, VAL. Æditus & PORTIVS Licinius.

Q. CATVLVS, Græbè Latinéque ita doctus, vt ei linguæ subtilitatem & elegantiam omnes concederent, teste Cicerone in Dialogo de Oratore, in Epigrammatis venustus & dulcis: grauis alioqui & seuerus, iocosa tamen carmina scripsit.

Q. HORTENSIVS Orator, à Cicerone secundus, cuius mortem deflet Cic. in Bruto. Epigrammata scripsit. Sicuti & M. BRVTVS, & METELLVS. vt & M. OTACILIVS Pytholaus, qui Iulium Cæsarem carminibus perstrinxit, & ostiarius primùm seruus fuit, donec ob ingenium manumissus, rhetoricam professus est, & Cn. Pompeium docuit: Videtúrque ex Otaciliorũ familia patronum habuisse.

Sueius doctissimus vir, Eidyllium composuit quod Moretum incripsit, quod Vergilius imitatus est. Quędam eius carmina suis libris inseruit Vergilius, Macrobio teste.

C. VAL. Catullus, in hoc genere princeps, natus in peninsula Sirmione lacus Benaci, in agro Veronensi, Olymp. 170. obiit nondum 30. natus annos. C. Iul. Cæsarem perpetuis stigmatibus carmine suo notauit. Amauit Clodiam, quam Lesbiam appellauit.

C. LICINIVS Caluus, cum Cicerone de eloquentiæ principatu certauit: Epigrammata quoque scripsit, & Quintiliæ amicæ mortem prǽmaturam carmine defleuit. Catullo amicus fuit. Post famosa carmina C. Iul. Cæsari reconciliatus est. Obiit iuuenis adhuc.

C. HELVIS Cinna, adeò doctus fuit, vt Verg. in Bucolicis fateatur, nondum se Cinnę digna dicere. Opus Smyrnam composuit integro nouennio: in quam cùm L. Crassitius Grammaticus commentarium edidisset, plurimùm gloriæ assecutus est. Obscurior tamen fuit in sententiis. Quidam hunc in funere C. Iul. Cæsaris à plebe Romana per errorem, affinitate nominis, pro Cornelio Cinna tribuno occisum, & caput hastæ

præfixum asserunt.

LAVREA Tullius, M. Tullij libertus, adeò doctus, vt studiorum patroni comes sit appellatus, quemadmodum & Tyro Tullius. Scripsit Epigrammata.

DOMITIVS Marsus, in Epigrammate clarus habitus. Scripsit & Amazonida. Amauit Melænem puellam. Orbilio Grammatico infensus fuit.

C. TICIDA clarus Epigrammatista, Metellam amauit, quam ficto nomine Perillam vocauit. Sicuti GETVLICVS Cesenniam versibus celebrauit.

VAL. Martialis, ex Bilbili Hispaniæ, sub Domitiano, Nerua & Traiano Romæ vixit, in patriam iam senex reuersus. Eius Epigrammata quædam laudantur.

SENTIVS Augurinus à Plinio lib.4.Epist. propter poematia mirum in modum laudatur.

CANIVS Gaditanus risu delectabatur. Puellā Theophilam doctam amauit, facundus & lenis in Epigrammatis, Martiale teste.

FABILIVS Græcus, Maximini Imp. magister, Græca permulta Epigrammata composuit.

D. AVSONIVS Gallus, Burdegalensis, Pæonius cognominatus, Gratiani Imp. magister, à quo Consul factus est, Bissulam amauit. Lasciuior est, quàm Christiano poetæ conueniat.

AGATHIAS Scholasticus Smyrnæus, plurima carmine scripsit, & primus Græcorum Epigrammatum volumen collegisse putatur: quamuis alij hoc Maximo Planudi monacho tribuant.

HVGVBALDVS de laude Caluorum ad Carolum Caluum scripsit, à cappacismo opus suum exorsus. Circa annum Christi 880.

FRANC. Petrarcha Florentinus, & IO. BOCCATIVS ex oppido Hetruriæ Certaldo, in Latina lingua ætatis suæ iniuria non magni, at in vernacula maximi: ille quidem rhythmis lyricas cantiones & Epigrammata, hic verò soluta oratione Δεκαήμερον scripsit.

COMICI.

SVSARION Megarensis, theatrum ingressus in Dionysiorum celebritate, cùm infestæ iunctus esset muliebri, hæc 4. carmina cecinit.

Audite populus: Susarion hæc dicit,
Filius Philini Megarensis Tripodiscius:
Malum sunt mulieres. Sed tamen ô populares,
Non est domum inuenire sine malo.

Primus Comicus fuisse, & Comœdiæ nomen dedisse dicitur.

EPICHARMVS Syracusanus, vel Megarensis ex Sicilia, Samius, vel Cous (fortè à Co insula, in qua exularit) duas inuenit literas, Θ & Φ teste Aristot. qui eum cum Phormo Comœdiam inuenisse ait. In Epithetis excelluit. Cùm liberius obscœnum quid ante Hieronis vxorē locutus esset, à tyranno in exilium missus est. Vixit 97. annos. Docuit fabulas 52. vel 35. Hūc Plautus imitatus dicitur ab Horatio. Filium habuit Dinolochum comicum, qui vt & pater, Dorica lingua fabulas 14. scripsit, & Olymp. 72. vixit.

MAGNES ex Icaro vrbe, vt & Thespis, Lydiis modulis valde delectatus est, omnium animantium voces imitatus, à quibus & fabulis nomina indidit. Comœdias nouem docuit, in quibus bis vicit.

PHORMVS Syracusius, familiaris Gelonis tyranni, eiúsque filiorum educator. Primus in scena talari veste siue prodere vsus est, scenamque puniceis pellib. obduxit. Fabulas 7. docuit.

CHOERILVS Atheniensis, Olymp. 64. in certaminib. clarus, 150. Comœdias composuit, & 13. vicit. Personis quoque & scenæ ornamētis initium dedisse dicitur.

ANTIPHANES Caristius, ex seruorum genere natus, 93. Olymp. Innumerabiles scripsit Comœdias: quidam 365. alij 290. Terdecies vicit. In Chio 74. annos natus obiit.

CRATES Atheniensis priscæ Comœdiæ poeta, ab Arist. videtur inter primos poni, qui apud Athenienses fabulas docuerint. Diuersus ab hoc est Thebanus Crates, tragicus, Cynicæ sectæ studiosus, cuius vxor fuit Hipparchia: qui scripsit Tragœdias altissimo philosophiæ sensu ac stylo, soluta autem oratione Platoni similis. vixit 113. Olymp.

ANAXANDRIDES Camiræus ex Rhodo insula, vel Colophonius, Olymp. ferè 101. natus, Philippi Macedonis temporibus. Scripsit fabulas 65. & decies vicit. Nonnulli ab hoc Amores in scena primùm inductos, & virginum raptus asserunt. Contra Athenienses scripsit, & eos sanctissimas quidem leges habere, prauissimis tamen vti dixit: quare ab eis fame necatus est. Platonem quoque ipsum maledictis lacerauit.

PLATO Atheniensis, priscæ Comœdiæ poeta, 81. Olymp. 28. fabulas composuit, stylo splendido & elegante, cuius versus in Cynesiam Galenus in Hipp. Aphorismis recenset.

CRATINVS Atheniensis, Platonis æqualis, fabulas 21. scripsit, ex quibus nouies victoriam consecutus est. Audax ab Horatio dicitur, quòd Athenienses mira dicendi acerbitate, dum Dionysia essent, prosciderit. Vixit annos 97. Aristophane senior: vino ita deditus, vt poetam fieri posse negaret, qui non vini esset appetentior. vinum enim vice magni equi poetis esse, nec aqua bonum condi carnem. Libidinosus admodum. Periit, cùm Pytinem fabulam vicisset, & ex ea victoriam retulisset, quo tempore primùm in Atticam Lacedæmonij irruerunt. Sunt qui periisse scribant, cùm pleno vase vinum effundi cerneret.

TIMOCREON Rhodius, priscæ comœdiæ, pentathlo vicit pugil. Cùm Simonide & Themistocle inimicitias exercuit: & quia in Themistoclem inuectiuum carmen scripsisset, in exilium missus est. Floruit Olymp. 77.

EVPOLIS Atheniensis, 88 Olymp. floruit, Appollodoro principe Athenis. Septemdecim natus annos, septēdecim fabulas exhibuit, septiésque vicit. Cùm Alcibiadem acerbius perstrinxisset, edicto Alcibiades cauit, ne quis nominatim quempiam suis carminib. perstringeret, ex quo factum, vt priscæ comœdię acerbitas in leniorem formam immutaretur. Aiunt quidam, Eupolim ab Alcibiade in mare deiectum, vix euasisse in Æginem, & ibi sepultum: ad cuius tumulum canis Molossus, Augeas nomine, mœrore & inedia sese confecit. Cratinum præcipuè imitatus est: verùm illo rudior, magísque ridiculus.

EVAGES pastor, idiota & illiteratus, celebris tamen poeta comicus habitus est, quodam afflatus numine: Hydreates patria, ex insula Hydrea, quæ ante Trœzena sita est.

ARISTOPHANES inter veteris Comœdiæ conuicia, & nouæ illecebras, medium quoddam dicendi genus Atticismum adinuenit Cydathenæus fuit, ex Pandionis tribu, patre Bione, homine miræ dicacitatis. Vitia ita insectatus est, vt ne Cleoni quidam tum temporis tribuno plebis parceret. cúmque nemo histrionum in fabula quæ ἱππεῖς inscribitur. Cleonis personam, propter eius potentiam, auderet agere: Aristophanes ipsemet minio oblitus egit. cuius causa ab Equitibus quinque talentis mulctatus est. Niceam quoque summum ducem, in fabula quam Georgiam inscripsit, acriter ut desidem & agricolam taxauit. Effecit ergo, vt Reip. principes mediam quandam viam sectarentur, ne in eos ille styli aciem dirigeret. Sacræ oliuæ ramo coronatus est, & Atheniensium eloquentissimus habitus. Cùm Dionysius tyrannus Platonem rogaret, vt aliquam quasi speciem & imaginem Reipub. Atheniensis sibi ostenderet, ille Aristophanis νεφέλας ei misisse dicitur. Mortuus Athenis, cùm 54 vel 44 fabulas docuisset. Cùm rex Persarum in Græciam descendisset, quæsisse traditur, vbinam esset Comœdiæ poeta? eo nomine, per excellentiam, Aristophanem intelligens.

AGATHON Samius, Platonis philosophi præcipuus amicus: cuius fabula ἄνθος inscripta, ab Aristotele celebratur. Gorgiam in iambicis imitatus est.

THEODORVS archææ comœdiæ scriptor, Atheniensis, Theodectis filius, post Aristophanem, 24 fabulas docuit. Hic in Autochari Platonem acerbè perstrinxit.

NICOSTRATVS, comicus multi nominis, Clytemnestra cognominatus, optimè etiam histrionicam exercuit. vnde prouerbium in eos qui rectè & peritè aliquid faciunt, ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον.

MYRTILVS & HERMIPPVS fratres, veteris Comœdiæ poetæ, Athenienses. Hermippus 40 Comœdias docuit, fuitque ἑτερόφθαλμος: & Aspasiam accusauit, quòd Pericli ingenuas mulieres conciliaret.

EVBVLVS Cettius, Atheniensis comicus, docuit fabulas 24. inter quas illa quam Clepsydram à Methices meretriculæ nomine vocauit: sic dictæ, quòd ad clepsydram, quousque ea exinanita esset, veneri operam dare soleret. Asclepiade teste, & Athenæo lib. 13. floruit Olym. 101. mediæ ferè comœdiæ poeta.

PHERECRATES Atheniensis, Cratetis æmulus, vicit histrio in theatro. Comœdias septem edidit, & inter Atticismos connumeratur. Sunt qui eum Alexandrum Magnum in exercitu secutum dicant.

CHÆREMON Socratis discipulus, comicus, multas fabulas scripsit. In Hippocentauro mixtam omni metrorum genere rhapsodiam fecit, si credimus Aristoteli.

PHILEMON nouæ comœdiæ poeta, vel mediæ, Syracusanus, Menandro paulò antiquior, floruit Olymp. 111. Scripsit fabulas 90. Vixit annos 97 vel 99. Menander cùm ab eo iudicum inuidia in certamine superaretur, ei dixit: Quæso Philemon, bona venia dic quæso, cùm me vincis, nū erubescis? Secundas tamen à Menandro, Fabio teste, meretur. Filiū habuit eiusdem nominis & artis, qui 54 fabulas docuit. Obiit risu nimio, cum asinum ficos mandentem vidisset, & puero iussisset vt asello post ficos potum afferret. Alij aliter eum periisse narrant.

RHINTHON Tarentinus, à quo ioculare & ridiculum fabularū genus Rhinthonicæ dicuntur, quas Græci Hilaro tragœdias, alij Latinas, alij Italicas vocarunt, mixtæ ex comœdia & tragœdia, vnde & Tragicocomœdia dicta. Floruit statim post Alexandrū, figuli filius. Fabu. 38. docuit.

MENANDER, nouæ Comœdiæ princeps, Atheniensis, comœdias 108 composuit: vicit ex omnibus octo, iudicum inuidia. Claruit 115 Olym. Theophrasti philosophi, & etiam Alexidis poetæ discipulus. Amicus vsque adeò Ægypti & Macedoniæ regibus, vt eum ad se honorificentissimè inuitarent. Demetrio quoque Phaleræo ita familiaris, vt cum Demetrius ab Atheniensibus in exilium actus esset, Menander propter eius amicitiam de capite periclitaturus fuerit, nisi à Telesphoro Phalerei genero defensus fuisset. Antiquorum poetarum furem eum faciunt Eusebius & Porphyrius. Fabularum inuentionem & dispositionem tanti fecit, vt cùm aliquando fabulam disposuisset, necdum eam versibus adornasset, se tamen eam iam perfecisse diceret, teste Acrone & Plutarcho. In mari submersus dicitur, in Pireco portu natans. Eius tamen sepulchrū in Attica venientibus à Piræeo ostendi, tradit Pausanias.

DIPHILVS κωμικώτατος καὶ γνωμικώτατος à Clemente appellatur, Synopensis, ferè coæuus Menandro, fabulas 100 scripsit. Eius versus de futuro iudicio, Clemens libro quinto Stromaton commemorat. Plautus eū imitatus est. Obiit Smyrnæ.

LYNCEVS Samius, Grammaticus cognominatus, Thuridis historici (qui Sami tyrānidem exercuit) frater, & Theophrasti familiaris, fabulas quasdam

dam edidit, & Menandrum vicit. Scripsit & coquinariam artem.

ALEXIS Thurius, Menandri patruus, comicus, multas scripsit fabulas: ὀψοφάγος fuit. In extrema senectute quid ageret interrogatus: Paulatim, inquit, morior.

LIVIVS Andronicus primus apud Latinos fabulam docuit, Q. Claudio Cethego Appij Cæci F. & M. Sempronio Tuditano Coss. anno antequam nasceretur Ennius, ab vrbe condita 500 post Sophoclis & Euripidis mortem annis plus minus 160. Menandri 52. Liuij Salinatoris seruus fuit, eiúsque liberos erudiit. Mox manumissus, & Liuij nomine donatus, cùm prius Andronius diceretur. Scripsit præter fabulas, etiam Hymnos & Odysseam.

CN. NÆVIVS Campanus, cui in comœdia tertias tribuit Volcatius, fabulas tum primùm docuit, cùm Sp. Carbilius Ruga cum vxore fecit diuortium. Bello Punico stipendia fecit. Mortuus Cethego & Tuditano Coss. 160 annis ante Ciceronem. Eusebius 144 Olymp. Vticæ exulem obiisse vult, vrbe pulsum à Metello & Africano, quos ille acerbius perstrinxerat. Fabulas docuit viginti. Item Epigrammata & bellum Punicum scripsit. Superbus alioqui, & verè Campanus homo: quod satis arrogans eius Epitaphium, quod sibi V.F. indicat. Facetissimus alioqui fuit, in eorum præsertim genere, quæ præter expectationem ambiguitate sua risum mouent.

M. ACTIVS Platus (siue Plotus, à pedum planicie dictus) Sarsinas Vmber fuit, & aliquo tempore cum Næuio vixit. Floruit anno decimoquinto Punici belli secūdi. Imitatus est Epicharmum in primis, dein Diphilum & Philemonem. Quæstum fecit in fabulis, adeò vt etiam mercaturam facere voluerit: quæ cùm ei malè cessisset, Romam inops reuersus, molas trusatiles egit pro victu comparando: & in eo pristrino Satyrionem, Addictum, & tertiam quādam fabulam composuit. Obiit Olympiade 145. non multò post Ennium, annis viginti post Cethegi & Tuditani cōsulatum, P. Claudio & L. Portio Coss. Scripsit fabulas 21. teste Varrone, à quo postea Varronianæ sunt dictæ. Gellius ætate sua 130 circumlatas asserit, sed alij maiorem harum partem M. Aquilio tribuunt: aliquā etiam Plautio comico, à quo Plautianæ primùm, dein propter nominis affinitatem Plautinæ perperàm sunt appellatæ. Volcatius secundas Plauto in comœdia tribuit. Iocorum venustate præcelluit. Varro scribit, Musas Epij Stolonis sententia Plautino sermone locuturas fuisse, si Latinè loqui voluissent.

STATIVS Cæcilius comicus, genere seruus, quod nomen Statij satis indicat. Floruit Olymp. 150. Catoni coæuus: Gallus, ex vrbe Mediolani. Contubernalis Ennij, eodémque quo ille anno mortuus, & iuxta Ianiculum sepultus. Huic inter comicos palmam tribuit Volcatius. Menādri plurimas fabulas Latinas fecit, sed Venerem illam transmarinam nō est assecutus. Terentij Andriam cùm audiuisset, ingenium & elegantiam Terentij miratus est.

P. TERENTIVS Afer, ex Carthagine, libertinus fuit Terentij Lucani senatoris: Scipioni Africano & C. Lælio familiaris, iis tamen maior natu. A quibus etiam in scribēdo adiutus fuisse dicitur. Q. enim Memmius in oratione pro se ait, P. Africanum à Terentio personam mutuatum sese, vt quæ domi luserat, ipse nomine Terentij in scenam deferret. Alij tamen à Sulpitio Gallo, Q. Fabio Labeone, & M. Pompilio adiutum asserunt. Trigesimoquinto ætatis anno in Græciam nauigauit, vitandæ opinionis causa, ne aliena pro suis edere videretur. Rediens ex Græcia, cùm 108 fabulis conuersis è Menandro, in mari periit: aut (quod alij) Romam reuertens, ob amissas fabulas, tædio & mœrore confectus obiit, in Arcadia Stymphali sinu Leucadiæ, Cn. Corn. Dolabella, & M. Fuluio nobilio Coss. Afranius eum omnibus præfert comicis. Volcatius etiam Licinio & Attilio postponit.

APHRANIVS, in Togatis & Atellanis scribendis excelluit, quas tamen fœdis amoribus coinquinauit. Ex cuius fabula Stella, hi versus afferuntur à Gellio.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria:
Sophiam me Graij vocant, vos Sapientiam.

SEX. Turpilius, inter comicos septimo loco à Volcatio connumeratur, Olym. 198. Sinuessæ mortuus, qua M. Cicero Arpini natus est. Terentium amauit.

LICINIVS Imbrex, à Volcatio in quatro ordine comicorum connumeratur: sicuti quinto M. ATTILIVS, vel Accilius, quem à Licinio ferreum poetam appellatum esse scribit Cicero. Q. TRABEA octauum locū obtinet apud Volcatium.

C. TITINIVS Togatas scripsit, magni nominis.

T. QVINTIVS Atta, Togatarum scriptor, Romæ diuersatus, vbi 170 Olymp. mortuus est. Atta dictus, quòd ob crurum aut pedum vitia plantis insisteret, & terram magis attingeret quàm ambularet. hi enim Attæ dicuntur, teste Festo.

PHILISTION Magnesianus, vel Nicæus, claruit Olym. 106, Augusto imperante: & risu mortuus dicitur. Eius fabulæ in precio fuerunt. Scripsit & librum Φιλόγελων.

NICOLAVS Damascenus comœdias & tragœdias scripsit, vir in omni disciplinarum genere versatissimus: Herodi & Augusto Imp. familiaris adeò, vt Augustus palmarum balanos pulcherrimos & maximos (propter eius proceritatem & formam) Nicolaos appellaret. Hic integram disciplinam longæ cuidam peregrinationi similem dicebat. alibi diuertimus, cœnamus, prandemus, quiescimus, transimus: donec ad id quod desideramus, tanquam ad propriam sedem perueniamus, ad verā scilicet sapientiam.

C. MELISSVS Vmber, ex Spoleto, natus ingenuus: sed ob parentū discordiam expositus, Mecœnati dono datus, & ab eo manumissus, Mecœnas Melissus dictus est: & tandem Augusto insinuatus, ordinandarum bibliotecarum in Octauiæ porticu curam suscepit. Anno ætatis 60 libellos Iocorum scripsit, & absoluit Iocos 150. Excogitauit & Togatarum fabularum nouum genus, quas Trachatas inscripsit.

VERGILIVS, Romanus comicus, cuius laudes Plinius Secundus 6. Epistolarum lib. recenset.

TRAGICI.

EPIGENES Sicyonius tragicus, cùm tragœdiam Bacchi scripsisset, quæ Deo indigna videbatur, quidam è spectatoribus acclamauit, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Ea vox postea in prouerbium abiit.

THESPIS ex Icaro vrbe, vel certè Atheniensis, 16. vel secundus ab Epigene, tragœdias scripsit, ad quas agendas plaustro circa Græciæ ciuitates vehebatur, quas canerent agerentque peruncti fæcib. ora. Horatius ipsos histriones in plaustris circumuehi solitos scripsit. Ab hac fæce quā τρυγὰ Græci vocant, quidam tragœdiam, quasi τρυγῳδίαν appellari voluere. Suidas Thespin primùm faciem cerussa oblitum tragœdias actitasse, dein portulaca obtexisse, tum demum & lineas personas induxisse scribit. Vixit 91. Olymp. qua & Solon: qui cùm eius fabulam spectasset, ad se accersiri iussit, illíque ait, Num ipsum puderet coram tot testibus mētiri? Thespide respondente, Per iocum licere: tum Solon terram baculo pulsans, dixit, Id scilicet propediem videbitur in nostris legibus, an iocus iste tuus laudem honorémque mereatur.

PHRYNICHVS Atheniensis, Thespidis discipulus, tragicus, Olymp. 67. primus muliebrem personam in scenam introduxit, fuitque tetrametri inuentor. Mille drachmis ab Atheniensibus mulctatus est, quòd fabulam fecisset Miletum à Dario captam, & in theatro omnibus spectatoribus lachrymas excussisset. Nouem tragœdias scripsit.

ÆSCHYLVS Atheniensis tragicus, Euphorionis filius, & Cynegiri (qui in Marathone contra Persas acerrimè pugnauit) frater. Personam & pallam inuenit, & artem tragicam nimis confusam & crudelem mitigauit, & in ordinem redegit: choros in vnum contraxit, abstulit crebras histrionum responsiones: neces insuper in scena fieri vetuit, ne coram populo homines trucidarentur: addidit habitus heroicos, item pulpita, quo è sublimi recitantes facilius viderentur, & audirentur. Eapropter Æschylum tragœdiæ parentem appellarunt Athenienses, & mortuum in Dionysiis inuocabant. A Baccho per somnium iussus est tragœdias scribere, cùm adhuc adolescens in agro vuas custodiret. Vini appetentior fuit. Vixit Olymp. 70. qua mortuus est Pythagoras, cuius sectator quoque fuit Æschylus. Duos habuit filios, Euphorionem & Bionem, tragicos itidem poetas. Iam grandis natu cum Sophocle puero certauit, & victus in Siciliam migrauit: vbi cùm in agro nudus capite sederet, aquila supernè volans testudinem marinam in caput eius caluum demisit, saxum esse arbitrata, eúmque interfecit, cùm annos 58. natus esset, sepultus apud Gelam fluuium. Scripsit fabulas 90. & de iis 28. vicit. Lycurgus Atheniensium orator statuam illi æneam posuit, & alteram Sophocli, amborúmque tragœdias publicè custodiri mandauit.

PHILOCLES Æschyli ex fratre vel sorore nepos, Euripidis tempore fuit, tragicus: moribus adeò asper, vt vulgò χολὴ appellaretur. Fabulas centum composuit. Eūdem & ἁλμίωνα vocabant. ἅλμη enim πικρίαν, id est amariciem vocant, teste Suida. Duos habuit filios, Morsimum & Philippidem.

MORSIMVS patri stylo & moribus æqualis, asper & insulsus, & ocularius insuper medicus. Taxat eum Aristophanes variis epithetis, vt helluonem & fœdum hominem.

PHILIPPIDES 45. fabulas docuit, nouæ Comœdiæ poeta: qui cùm in poetarum certamine iam grandis natu præter spem vicisset, inter illud gaudium repentè mortuus est. Hunc summopere Lysimachus rex amauit, propter integritatem vitæ: cumque occurrentem semper boni ominis loco haberet, eius denique causa multa Atheniensibus benefecit.

ASTYDAMAS filius Morsimi prædicti, tragicus & ipse: docuit fabulas 240. & quindecies vicit. Primùm tamen Isocratem in eloquentia secutus est. Filium habuit eiusdem nominis tragicum.

PRATINAS Phliasius, tragicus, primus Satyras docuit. Certauit cum Æschylo & Chœrilo, 70. Olymp. Fabulas innumerabiles scripsit, inter quas Satyricas 32. in quibus singulis vicit. Cùm fortè fabulas populo Athenis exhiberet, contigit vt tabulata caderent, in quibus spectatores sedebāt. Vnde postea factum, vt stabile theatrum Atheniēses construerēt.

ION Chius, tragicus & lyricus, Olymp. 82. scribere cœpit fabulas 12. vel 30. vel 40. Item & Dithyrambos, & Meteora. Hic est, de cuius nomine Plato Dialogum inscripsit.

LYCOPHRON Chalcidensis ex Eubœa, Soclei filius, tragicus poeta. Scripsit iambo Cassandram, poema obscurissimum, & fabulas multas alias. Item Satyras. Sagitta periit.

SOPHOCLES Sophili filius, ex Colonia, vel Coloneo, Socrate decem & septem annis senior, cum eo tamen floruit. Propter suauitatem sermonis μέλιττα dictus. Tres histriones primus instituit, & fabularum chorum ex 15. personis confecit, cùm antea ex 12. constaret. Versatus est etiam in Reipublicæ administratione. Cum Pericle contra Lacedæmonios missus, victor rediit. Filios Sophocles habuit plures, inter eos & IOPHONTEM, à quo senex delirij accusatus est: qui & ipse tragicus fuit, vt pater. Accusatus, Oedipum Coloneum tragœdiam quam in manibus habebat, iudicibus recitauit, & absolutus est. Fabulas 120. docuit, & quater vicies victor extitit. Obiit vel ex gaudio nunciatæ victoriæ, vel grano vuæ strangulatus, anno nonagesimoquinto ætatis. Obiit, cùm

Lacedæmones vrbem Athenienſium obſiderent.Lyſandro regi Bacchus in ſomnis apparuit:monuitq́ue vt pateretur humari delicias ſuas. Pacem ergo funeri dedit Lyſander.

CARCINVS Agrigentinus tragicus, cùm fabulam meditaretur, à ſerpente morſus occubuit.

PLATO iuuenis admodum dithyrambos, deinde mele, mox etiam lyricos verſus ſcripſit.maturior quoque tragœdias.Quas cùm in Dionyſij theatro recitaturus eſſet in Socratem incidit, & eius ſirene delinitus, philoſophiæ operam dare cœpit,poemata igni tradidit,inquiens: Hic, ô Vulcane,Plato tua ope indiget.

EVRIPIDES ab Ariſtotele τραγικώτατος dicitur. Eo die natus in Salamine Atticæ, 70. Olymp. quo in Euripo pugnatum eſt contra Xerxem, ſic dictus eſt:patre Mneſarchide caupone,matre Clito agreſtia olera vẽdente: pater eius Bœotius,in patria corbis ignominiam paſſus, cùm æs alienum non diſſolueret, Athenas venit. Cùm autem ex oraculo pater filium victorem in certaminibus fore cognouiſſet, interpretatus, athletam eſſe debere, gymnaſticam exercere coegit, ita vt pancratio etiam victor extiterit.Sed his exercitiis relictis, Anaxagoræ Clazomenio operam dare cœpit in phyſicis, in rhetoricis Prodico Ceo, Socrati in ethicis.Cum Platone poſtea in Ægyptum nauigans, cùm ægrotaret, marina aqua à ſacerdotibus priſtinæ valetudini reſtitutus eſt. Hinc ipſe in fabulis, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. In Macedoniam ad Archelaum regem profugit, propter vxoris impudicitiam: vbi à rege benignè ſuſceptus, à canibus tandem incerta cauſa laceratus eſt, 93.Olymp.annos natus 75. Athenienſes eius cineres à Macedonibus fruſtra petierunt: cenotaphium tamen ei in foro extruxerunt. Sophocles eius morte audita, atrata tunica induit ſe, & ſine corona tragœdias ſuas agi voluit. Fabulas ſcripſit 92. inter quas 8. Satyricas. in his quindecies tantùm vicit, iudicum inuidia.Primus fabularum principiis argumenta inſeruit.

CHÆREPHON tragicus,cùm Pythiam de Socrate amico conſuleret, reſponſum tulit:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Inter fabulas eius, Heraclides reponuntur. Hic propter nocturnas lucubrationes, Nycteris, id eſt noctua appellatus eſt : item propter pallorem, πύξινος, id eſt Buxeus. Vnde prouerbium in pallidos, οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος φύσει.& Ariſtophanes, οὐδὲν διοίσεις ἡρακλειδῶν.

ANTIPHON Athenienſis Sophili filius,Thucydidis magiſter αὐτοδίδακτος poeta,Dionyſium tyrannum in tragœdiis componendis quoque iuuit. Commentus eſt idem artem ad animi mœrorem leuandum, qua veluti medicus ægris animis ſubueniret. Atque ideo cùm Corinthi verſaretur,prope forum domicilium habuit:ſcripto profeſſus, ſe ægris animis curationem adhibere. Mœroris cauſam diligenter percontabatur, dein congrua oratione cõſolationem afferebat.Hoc neminem vnquam capitis cauſam melius orauiſſe,Thucydides aſſerit,qui ei cauſæ ſe aſtitiſſe ſcribit. Cùm ad ſupplicium raperetur, & ſocios morituros capita velaſſe videret per portam exeuntes:Quid ita,inquit:an, ne horum quiſpiam cras vos videat,timetis?

THEODECTES Phaſelites ex Lycia, tragicus,qui prius arti oratoriæ operam dedit, & in dedicatione Mauſeoli, quod Artemiſia Olympiade 103.conſtruxit,cum Naucrate Erythræo, & Iſocrate Apolloniate, & Theopompo Chio certauit,atque victoriam aſſecutus eſt: tametſi alij Theopompum victorem aſſerant.Scripſit & tragœdiam Mauſolum,quæ valde placuit.Hic cùm in quapiam tragœdia ſacra quædam prodere voluiſſet Hebræorum,luminibus captus eſt: & vix tandem multorum dierum ſupplicatione & precibus Deum optimum maximum placare potuit:vt Ariſteas,Ioſephus libro duodecimo Antiquitatum,& Euſebius teſtantur.Tragœdias ſcripſit quinquaginta:item artem rhetoricam carmine.Diſcipulus fuit Platonis,Iſocratis & Ariſtotelis, & Alexandri Magni condiſcipulus.qui cùm in Lyciam contra Perſas iturus veniſſet,Theodectis ſtatuam in foro poſitam coronauit, eique parentauit. Memoria ita excelluit,vt ſemel auditos multos verſus protinus repeteret,teſte Fabio. Obiit Athenis,annos natus 41.

ISOCRATES Theodectis magiſter, præter orationem numeroſam, cuius ipſe vel author,vel certè excultor fuit,37.tragœdias docuit: quamuis eas ingrati diſcipuli Theopompus Chius & Ephorus Cumæus, vt tibiarum artificis vel tibicinis (fuerat enim pater Iſocratis Theodorus tibicen)calumniari fuerint ſoliti.

EVBVLIDES Mileſius Megaricus, philoſophus & dialecticus inſignis,tragœdias multas ſcripſit,quibus in certaminibus excelluit.In dialectica etiam longè plura edidit quàm in poetica,& in primis quæ Sorites & Ceratinæ vocantur.

NEOPHRON Sicyonius tragicus, 120. fabulas docuit. Medea quæ Euripidi tribuitur,huius fuiſſe creditur. Primus pædagogos introduxit, & domeſticorum ac familiarium experimentum. Floruit Alexandri Magni tempore, & cum Caliſthene philoſopho & amico ſupplicio affectus eſt,propter conſpirationem.

ALEXANDER Ætolus tragicus,vnus ex Pleiadibus.Scripſit etiam elegias,& Ionica poemata.Ex eius libro, qui Muſa inſcribitur , quædam Vergilium deſumpſiſſe,teſtatur Macrobius.

ÆSCHINES Athenienſis,Atrometi literarum magiſtri, & Glaucotheæ filius,adoleſcens tragœdias actitauit,cùm vocis claritate polleret: & cum Ariſtodemo in Dionyſiis certauit. Demum ſe oratoriæ & Reipublicæ tradidit,Iſocratis & Platonis diſciplinæ ſe committens. Quamuis alij,cùm in iudiciis fortè ſcribæ officio fungeretur, nullo docente, eum in tantam eloquentiæ exiſtimationem veniſſe aſſerant.Cum Demoſthene poſtea ſimultates exercuit in Republica : & tandem cùm Cteſiphontem περὶ ςεφάνου accuſaſſet , victus,Athenis fugiens,Rhodum ſeceſſit,vbi dicendi genus Rhodium(quam nouam ſophiſticam vocat Philoſtratus) inſtituit.Mortuus in Samo.

CRATES Thebanus Cynicus, tragœdias quoque ſcripſit altiſſimo philoſophiæ ſtylo:quale illud eſt,teſte Laertio lib.6.

Οὐκ εἷς πάτρας μοι πύργος, οὐ μία μοι στέγη,
Πάσης δὲ χέρσου καὶ πόλισμα καὶ δόμος
Ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα.

ALCÆVS Athenienſis tragicus , ſcripſit fabulas Cœlum & Pollucem. Diuerſus à comico Mytilenæo,& Lyrico alio.

STRATTIS Athenienſis tragicus, quindecim fabulas docuit : inter quas Cineſiam,contra impium poetam Cineſiam.

DIOGENES tragicus Athenienſis,poſt triginta tyrannorum eiectionem.

PHILISCVS Corcyræus,Diogenis Cynici diſcipulus, tragicus poeta,& Bacchi ſacerdos,Ptolemæi Philadelphi temporibus inter Pleiades connumeratus. Docuit fabulas quadraginta duas , quas aliqui Diogeni tribuunt præceptori.Ab hoc carmen Philiſcion : quo tamen multo antè vſus fuit Simmias Rhodius.

SOSITHEVS Syracuſanus, aliis Athenienſis , & vnus ex Pleiadibus, tragicus , cùm aliquando in theatro Cleanthem Stoicum carmine perſtrinxiſſet,à ſpectatoribus è ſcena exploſus eſt,Floruit Olymp.164.

SOSICLES Syracuſius tragicus,vnus & ipſe ex numero pleiadum.

ISAGORAS tragicus , diſcipulus Chreſti Byzantij , ſummi ſophiſtæ,fabulas ſcripſit,& ſoluta oratione multa.Floruit Antonini Imp. tempore.

POSIDIPPVS Caſſandræus,tertio anno à Menandri obitu floruit. triginta fabulas edidit,& in precio ſummo habitus eſt.

ARISTON Chius tragicus, dum cogitabundus per ſyluam incedit, folia arboris manu percuſſit. Decidit ſerpens , qui eum lethali vulnere in dextra ſauciauit.

M. PACVVIVS Brunduſinus,Ennij ex ſorore nepos, qui Romæ,quandiu vixit,picturam exercuit.Senex & æger Tarentum migrans,nonagenarius obiit,Olymp.157.Amicus & hoſpes C.Lælij apud Ciceronem.

L. ACTIVS, Serrano & Mancino Coſſ.libertinis parentibus natus, ſene iam Pacuuio floruit. Pacuuij cùm in Aſiam proficiſceretur,Tarenti hoſpitio vſus,apud eum Atreum tragœdiam compoſuit,& Pacuuio recitauit.Grandia ille & ſonora , ſed duriora paulùm & acerbiora eſſe quæ ſcripſiſſet,aſſeruit.Actius reſpondit:Neque eius me pœnitet. nam quod in pomis eſt,vt quæ dura & acerba naſcuntur,pòſt fiant mitia: quæ verò mollia & vieta,ſtatim putreſcunt:idem & in ingeniis accidit. Decio Bruto ita charus , vt eius verſibus templorum & monumentorum frontes & aditus exornarit , teſte Cicerone. Quod ſi verum eſt, alium hunc Actium fuiſſe oportet:neque enim temporis ratio patitur. Diuerſus ergo eſt Actius à priore illo,qui etiam C.Iulio Cęſari in poetarum collegium venienti nunquam aſſurrexit , quòd in comparatione communium ſtudiorum maiorem ſe eo in loco eſſe conſideret. Scripſit autem L. Actius præter fabulas, etiam Annales,eique plus virium quàm Pacuuio tribuitur.

L. POMPONIVS Bononienſis,Atellanarum ſcriptor egregius , Olymp. 172.Fuit alius P. POMPONIVS Secundus Veronenſis,Plinij gentilis & conterraneus , tragicus poeta , Caio & Claudio imperantibus : cuius vitam Plinius Secundus duobus voluminibus executus eſt. Conſularis etiam fuit Romæ:& cum in Germania ſuperiore Cattos deuiciſſet, triumphũ meruit. Hic nunquam ructaſſe dicitur. Si à quopiam fortè in tragœdiis reprehenderetur:Ad populum prouoco,inquit : ita ex populi vel ſilentio,vel applauſu,aut amici,aut ſuam ſententiam ſequebatur.

PVPPIVS tragicus quoties volebat,populum ad lachrymas prouocabat.Extat illud eius de ſeipſo:

Flebunt amici & bene noti morte mea,
Nam populus omnis me viuo lachrymatus eſt.

Huius poemata Lachrymoſa appellat Horatius.

VARIVS Epicus, Vergilio antiquior,inter cætera de Morte ſcripſit. Eum etiam Vergilius imitatus eſt.Quidam hunc eundem exiſtimãt, qui ſcripſit Tragœdias,& Elegias,& Heroica.Celebratur eius fabula Thyeſtes,quam omnes ſummis laudibus extollunt , & cũ Grecis certare poſſe aſſerunt:& à Vergilio ſcriptam, vxori Varij admodum literatæ , dono datam:quam deinde vxor marito dederit,ille pro ſua recitarit. illúdque tacitè innuere Vergilium,quando inquit:

Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum.

ASINIVS Pollio,Olymp.195.orator & conſularis,qui de Dalmatis triumphauit,& 80.anno obiit,apud Auguſtum in ſumma authoritate, Ciceronis æmulus,lepórum & facetiarum pater,& omnium horarum homo dictus eſt.Primus Romæ Bibliothecam aperuit:primus quoque Grecam hiſtoriam Latinè compoſuit.Tragœdias & ipſe ſcripſit.Huius filius C.Aſinius Gallus,Ciceronis manes inſectatus eſt,& ei patrem prætulit. Ciceronem tamen poſtea Claudius Cæſar defendit . A Tiberio diris affectus eſt ſuppliciis,Olymp.199.anno ante T.Liuij mortem.

CASSIVS Seuerus Parmenſis,M.Antonij partes ſecutus,fracto Antonio apud Actium,Athenas ſe contulit.Vbi concubia nocte curis confectus,ad ſe hominem horrendi aſpectus venire exiſtimauit : qui interrogatus quis eſſet , Cacodæmona ſe eſſe reſpondit . Nec multo pòſt à Quintilio Vario ab Auguſto miſſo in ipſis ſtudiis interfectus eſt. Thyeſtes eius celebratur.Diuerſus eſt ab iſto Caſſius Seuerus orator & poeta, in reprehendendo & accuſando vehemens,ſed infœlix.

C.MECOENAS eques Romanus ab antiquo Hetruſcorum regum ſanguine

guine, Auguſti Cæſaris intimus amicus, ita vt Auguſtum ab ira ſæpe ad manſuetudinem flexerit. Terentiam Murenæ eius qui in Auguſtum cõiurauit ſororem feruidè amauit, quam alij Terentianam & Terentillam vocant: alij vxorem eam habuiſſe aiunt,& propter eius repudium triennio integro non dormiuiſſe.Amauit & Bathyllum hiſtrionem. Moribus effœminatus fuit & mollis, ita vt Malthinus, ſeu Malcinus cognominaretur. Seneca eius molliciem in epiſtola ad Lucilium exprimit.Primùm oratoriæ operam dedit,deinde poeticæ.Scripſit Tragœdias, & multa alia poemata. Prometheum fabulam Seneca, Priſcianus Octauium citat Circunfertur eius verſus,

Nec tumulum curo,ſepelit natura relictos.

Febre obijt, qua per totam ætatem laboraſſe dicitur. Hic exquiſitas dapes excogitauit, & aſinarum pullos primus condiuit. Molli ſtyllo fuit. Summus alioqui eruditorum patronus.

ANNÆVS SENECA Hiſpanus,prioris Senecæ philoſophi frater, vel filius , tragicus. Octo eius Tragœdiæ etiamnum circunferuntur,quę tamen à Criticis in ordinem rediguntur.Tanta olim authoritate,vt quo quiſque pluresverſus ex eis recitare poſſet,eo doctior eſſet.Fabius,propter odium fortaſſe gentis Senecarum , ſua cenſura dignas non eſſe putauit:vel fortè quia adhuc Seneca viuebat.

IVLIVS Maternus,tragicus celebris fuit.

M. ÆMILIVS Scaurus cùm Atreum tragœdiam docuiſſet , in qua adhortabatur quempiam,vt regis inſaniam,æquo ferret animo: id in ſe dictum Tiberius ratus,Me tu quidem Atreum,inquit, ego te Aiacem efficiam.Itaque metu ſibijpſi manus intulit.

GREGORIVS Nazianzenus Epiſcopus , Theologus cognomine dictus,ea authoritate inter ſuos,qua olim Pythagoras. Triginta milia verſuum ſcripſiſſe dicitur.Extat Tragœdia eius de Chriſti morte doctiſſima.

MIMOGRAPHI.

SOPHRON Syracuſius,Xerxis primùm, dein Euripidis temporibus Mimorum ſcriptor, tantopere probatus à Platone , vt eius libros antea neglectos primus Athenas invexerit,quæſtumq́; ex eis duxerit:eoſdem quinetiam dormiens atque moriens capiti ſuppoſitos habuerit , teſte Laertio.Scripſit lingua Dorica : difficili tamen & obſcuro ſtylo,prouerbijs refertiſſimus. Eſt alius quidam comicus hoc nomine , qui Danaen Leontij Epicuri amicæ filiam dilexit.

CERCIDAS Megalopolita,optimus legiſlator , & poeta mimographus.

DECIVS Laberius mimographus,eques Rom. quo ſummè delectatus eſt C.Iul.Cæſar,adeò vt eum in fine ſuorum ludorum, annulo aureo & quingentis ſeſtertiis donauerit, atque eueſtigiò in quartumdecimum ordinem ad ſpectandum tranſmiſerit. Cui aliquando ſedile quærenti, M.Cic.dixit:Recepiſſem te, niſi anguſtè admodum ſederem. Cui Laberius:Mirum ſi anguſtè ſedes,qui ſoles duabus ſedere ſellis.Senex autem à Cæſare coactus eſt ſcenam ingredi,de quo Laberius ipſe in Prologo conqueritur.Puteolis obiit decimo menſe poſt cædem Cæſaris.

P.SYRVS natione,mimographus,Laberio iunior,puer cùm ſeruiret, & conſeruum hydropicum in ſole herus conſpiceret , quidque ageret, rogaret:reſpondit,Aquam calefacit.Item in conuiuio exorta queſtione, Quódnam moleſtum eſſet ocium?Podagrici pedes,reſpondit.Ob hec & alia eiuſcemodi ſcitè dicta , à domino manumiſſus , ingenti aſſenſu per Italiæ oppida primùm,mox Romam adductus ad Cæſaris ludos, omnes vicit,etiam Laberium ipſum.Itaque Cæſar Publio palmam, Laberio annulum dedit.Variæ huius leguntur ſentẽtiæ,inter quas & hæc, quo nullum melius carmen inueniri dicebat Caſſius Seuerus:

Tam deeſt auaro quod habet,quàm quod non habet.

CN. MATTIVS vir doctiſſimus,mimographus excellens, in vocabulis nouandis celebris.

M. MARVLLVS mimographus audax, vt etiam M.Antoninum philoſophum Imp.inceſſere ſolitus ſit.Parum grammaticæ regulas curabat, vt riſum excitaret. Eius filium Galenus ex neglecto pectoris abſceſſu grauiſſimè laborantem,curauit.

HISTRIONES.

Poetæ veteres ſuas ipſi fabulas agebant.Mox cùm in precio comœdi & tragœdi eſſe cœpiſſent,inuenti ſunt qui operam ſuam poetis in agẽdo locarent, & quæſtus dulcedine allecti, perſonati in ſcena apparerent,Græcis ὑποκριταί, *Latinis Hiſtriones dicti : vel quòd ex Hiſtria primum ad Thuſcos venerint,vel quòd Hiſtor vocabulo Thuſco ſignificet ludionem. Quorum exempla hic ſubnectere libuit, quòd veluti ſerui quidam & famuli ſint poetarum. Alia namque ratione,quatenus ſcilicet riſum mouent, & ſcommata iaciunt,ad ſcurras referendi ſunt, & ad vitium quod vrbanitati opponitur.Vide ea quæ Rauiſ.ex Budæo hoc in loco affert,de Hiſtrionum & Mimorũ differentiis. Nos exemplis cõtẽti ſimus:quorum quædã ex tit. Actionis uires,peti poſſunt:illic enim in genere* ὑποκρίσιν *tã poeticã quã rhetoricã exemplis illuſtrauimus.*

ASTYDAMAS hiſtrio Morſimi filius,cui ſtatua in theatro ponenda decreta erat,quòd in agendo Parthenæum ſeſe gnauiter ac ſcitè geſſiſſet.Itaque titulum conſcripſit,quo ſuas ipſe laudes complectebatur.Vnde natum adagium:Laudas teipſum Aſtydamæ in modum.Rauiſ.

NICOSTRATVS fuit comœdiarum actor talis apud Græcos , qualis apud Romanos fuiſſe traditur Roſcius . Propter cuius artis peritiam reliquit locum prouerbio,Ego faciam omnia more Nicoſtrati.Idem.

DIONYSIVS tragicus hiſtrio,vxorem ſuam , licet formiſiſſimam, nunquam attigit. Ælian.lib.3.

Fuit THEOCRINES primùm tragœdiarum actor,deinde calumniator & ſycophanta , vnde & Demoſthenes in oratione pro Cteſiphone, Æſchinem tragicum Theocrinem vocat.Eraſ.in Chil.

CALLIPEDES geſticularius & tragœdiarum hiſtrio , ſibiipſi plurimùm placebat.Cùm Ageſilao regi occurriſſet, arrogantius eum ſalutauit,ſubinde illi ſe oſtentans:arbitratus fore vt comiter à rege exciperetur.Verùm quum ſeriis rex intenderet,nec animaduerteret ad Callipedem:Non admodum,inquit,noſſe me videris,ô rex. Tum ſubridens Ageſilaus:At non,inquit,Callipedes ille dicelictas: id eſt mimus , Spartanorum vocabulo.Quibus verbis,ludionis tumorem retulit . Fuit autem Callipedes adeò geſtuoſus , vt ſimia geſticuloſiorem Græci eum dicerent.Rauiſ.

ASTYDAMAS hiſtrio. Vide titulum , Nimium extollere ſua dictis.

SATYRVS hiſtrio,cùm lingua tardus eſſet,& populo ingratus, imitatione Demoſthenis ſic formauit vocem,vt nõ prior Demoſthenes, ſed alter videretur.Plutarch.

POLVS hiſtrio in Græcia,Athenis Electram Sophoclis poetæ,vrnam cum Oreſtis oſſib.geſtantem,egit, ſcitè adeò & doctè , vt imagines rerum verbis exprimens,ſpectatores ad fletum & lachrymas concitauerit. nam ſub Electræ perſona videbatur filium ſuum , quem non ita pridem amiſerat,deflere.

LVDIVS hiſtrio,à quo ludis nomen inditum.Vide ſub tit . Spectaculorum varia genera.

ROSCIVS Gallus comœdus, geſtus & pronunciationis exercitatione eò venit præſtantiæ , vt ſi quempiam in arte ſua perfectum velimus dicere,eum vocemus velut Roſcium in ſcena.Perſona primus vſus eſt in ſcena,quòd obliquis eſſet oculis,turpíque aſpectu. Scripſit librum , quo hiſtrioniam comparauit eloquentiæ.Cicero grauiſſima oratione populum obiurgauit,quòd agente Roſcio tumultum mouiſſet.Idem libro ſecundo de Oratore : Quàm ſoleo , inquit, ſæpe mirari eorum impudentiam qui agunt in ſcena geſtum, ſpectante Roſcio . Quis enim ſe commouere poteſt,cuius vitia ille non aduertat?L.Syllæ adeò charus fuit, vt annullo aureo ab eodem Dictatore donatus ſit.Tanta prętẽrea tum gratia , tum gloria , vt mercedem diurnam de publico mille denarios ſine gregalibus acceperit.Macrob.lib.3.cap.7.

ÆSOPVS tragœdus amicus Ciceronis,ex hiſtrionica tantas opes ſibi comparauit,vt patinam haberet ſexcentis ſeſtertiis taxatam , filiúmque reliquerit Apitium adeò diuitem & prodigum , vt vniones aceto liquefactos cœnis apponeret. Plinius ait,patrem poſuiſſe in patina aues cantu aliquo aut humano ſermone vocales,millibus ſex ſingulas coemptas:nulla alia inductum ſuauitate , niſi vt in his imitationem hominis manderet:dignus prorſus filio,à quo deuoratas diximus margaritas.Volat.lib.13.cap.3.Anthrop.

SPINTER, fuit hiſtrio,à cuius nomine vocatus eſt Lẽtulus Spinter, quòd eius ſimilitudinem referret maximè.

CASTOR & DOCILIS hiſtrionum ſunt nomina apud Horatium,in Epiſtolis ſcribentem:

Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat,an Docilis plus.

Quem tamen locum alij de vno tantùm hiſtrione Caſtore intelligũt, vt ſit ſenſus:Id dubium reuocari, an Caſtor plus ſciat , an magis ſit docilis.

CYTHERIS mima, cum qua M.Antonius poſt Pharſalicam pugnam vectus eſt curru,quem generoſi ſpiritus leones trahebant.Plin.li.8.ca.15.

M.OFILIVS Hilarus, hiſtrio & comœdus, quum populo admodum placuiſſet natali die ſuo,conuiuiúmque haberet,edita cœna calida , potionem in pultario popoſcit:ſimúlque perſonam eius diei acceptam intuens,coronam è capite ſuo in eam tranſtulit:talique habitu rigens,nullo ſentiente,expirauit.Plin.lib.7.cap.53.

SACVLIO nomen eſt hiſtrionis apud Plutarchum , quem Brutus in bello contra Antonium captiuum cæpit.

PYLADES hiſtrio,Neruæ Cocceio maximè gratus , qui primus vetuſtum & inconditum ſaltandi morem,decora nouitate permutaſſe traditur, diſcipulum habuit Hylam nomine:quem cùm vſque ad æmulationis ſtudium erudiiſſet,& iam ſedulò , vt ſæpe iuſtéque redarguens , ſpectante P.R.ſe adhuc ſuperiorem approbaret . Saltabat Hylas canticum, cuius Græca clauſula, τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα,Latinè ſublimẽ ſonabat,& ingentem.Hanc magnitudinẽ atque altitudinem,Hylas ſeſe attollẽs dilatánſq́;,veluti corpore metiendo repræſentabat.Non abſtinuit Pylades, ſed ex ipſo conſeſſu ſpectantiũ exclamãs Grecis verbis, σὺ μακρὸν οὐ μέγαν ποιεῖς,increpauit.Coactus ergo à populo,idem canticũ ſaltauit: cumque ad id quod in altero reprehenderat,perueniſſet,non ſeſe extulit, nõ ef-

fudit, ſed contraxit, finxítque meditantem. Doctè quidem & prudenter: quoniam nihil magis magno duci conuenire cenſuit, quàm pro ſubditis cogitare. nec aliter commodius magnitudinem eius exprimi. Petrarcha.

Idem quum ſaltans Herculem furentem, nonnullis inceſſum hiſtrioni conuenientem minus ſeruare videretur, depoſita perſona ridentes increpauit, dicens: μωροὶ, μαινόμενον ὀρχοῦμαι: id eſt, Stulti, furentem ſalto. Significans, hoc ipſum quod videbatur indecorum, maximè decorum eſſe. Eraſ. 6. Apoph.

NESTOREM Pantomimum Caligula etiam inter ſpectacula oſculabatur.

BATHYLLVS chironomus & ſaltator. Iuuen. Satyra. 6.

Chironomo Ledam molli ſaltante Bathyllo.

AGRIPPVS hiſtrio, quem vt voluptatis ingluuiem ἀπόλαυσον cognominabant, comes fuit L. Veri Antonini, cum ex bello reuerſus eſt. Volater. lib. 23. Anthrop.

THYMELE mulier. prima ſaltationem docuit. Hinc Thymelici dicũtur ſaltatores mimi. Martial.

Qua Thymelem ſpectas, deriſorémque Latinum.

Iuuenalis.

Attendit Thymele, Thymele tunc ruſtica dicit.

GENESIVS Arelatenſis patria, mimus fuit apud Domitianum, qui Chriſtianos turpiſſimis geſtibus irridebat. Tandèm & ipſe ſub Imperatore pàſſus eſt. Rauiſ.

QVINTILIA mima. Vide tit. Tolerantia tormentorum Ethica.

STEPHANIO hiſtrio à Suetonio Togatarius vocatur, quòd primus rogatus ſaltauerit fabulas, teſte Plinio. Hunc Auguſtus per duo theatra virgis cæſum relegauit, quòd circumtonſam in puerilem habitum matronam ei miniſtraſſe comperiſſet.

RVBRIVS apud Plinium hiſtrio dicitur, cui L. Plancus cognomen impoſuit.

PARIS pantomimus hiſtrio, libertus fuit Domitiæ, Neronis amicæ, qui ſolitus erat luxus Neronis intendere tempore cœnæ, eiúſque animum demulcere: autore Cor. Tacito. Tranquillus ait eum à Nerone occiſum, quaſi grauem aduerſarium. Idẽ ſcribit Domitianum repudiaſſe vxorem, Paridis hiſtrionis amore perditam. Eum cùm Iuuenalis perſtrinxiſſet in Satyra ab Imperatore in exilium fuit actus.

FAVO archimimus, in funere Veſpaſiani Imperatoris perſonã eius tulit, viríque (vt moris erat) facta & dicta imitatus eſt. Interrogatis itaque ab eo procuratoribus exequiarum, quanti conſtaret funus: vt audiuit, ſeſtertiũm centies: exclamauit, centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tyberim proiicerent. Quibus verbis taxabat Imperatoris auariciam, qui indignaretur tantam impenſam in funere ſuo factam fuiſſe. Rauiſ.

MELOPOEI IN GENERE, QVO NOMINE ET LYrici & Melici comprehenduntur.

MARSYAS Lydius, Satyrus, Lyricus poeta, Iudicum Hebrçorum tempore vixit, & Phrygios modos excogitauit ante Troianorum tempora. Cybelen Mæonis regis Phrygum filiam amauit, quæ ſyringa inuenit: cúmque ei amorem ſuum indicare vereretur, tibias inuenit, vt commodius ei amoris flammam indicaret. Hæc poſtea ab Apolline quoque amata fuit. In certamine muſico ab Apolline victus, excoriatus eſt, & vicinus fluuius ab eius nomine Marſyas dictus. Quidam tibias à Minerua propter oris deformitatem abiectas, & à Marſya collectas ſcribunt.

PHILAMMON (pater Thamyridis Thracij) ex Brincis Edonum ciuitate, ex Philonide Deionis filia & Apolline natus: primus virginum choros inſtituit, & cum Argonautis quoq; ad aureũ vellus profectus eſt.

ACHILLES Pelei & Thetidis filius, Lyricus poeta fuiſſe ab Homero dicitur, & lyra illuſtrium virorum geſta ceciniſſe.

LASVS Hermioneus, floruit 80. Olymp. tempore Darij Hyſtaſpæ filij. Primus ſcripſit de Muſica, & Dithyrambum in certamen primus inuexit. Primus Cyclios choros inſtituit. Oden quoque ἄσιγμον id eſt ſine litera σ ſcripſit: & hymnum ſimilem in Cererem.

SIMMIAS Rhodius 406 annis poſt Troiæ excidium floruit, origine Samius: quorum & dux conſtitutus eſt, vt poſt direptionem Sami ex reliquiis coloniam deduceret. Ab hoc quidam primùm iambos ſcriptos aiunt.

TERPANDER Lesbius, ex Heſiodi vel Homeri nepotibus, primus ſeptichorden lyram conſtituit: hoc eſt, ex tetrachordo heptacordum: primus etiam νόμους λυρικοὺς inuenit quamuis alij horum inuentionem Philammoni tribuant. Inuenit Cepionem νόμον, Bœotium, Æolium, Trochæũ, Oxyn. Volunt etiam, eum elegi carminis inuentorem fuiſſe, & quater in Pythiis viciſſe. Lacedæmoniis aliquis aliquando inter ſe diſſidentibus, vocatus è Leſbo, ex oraculo, ſeditionem illorum cãtus ſuauitate ſedauit. Vnde ab eo tempore Lacedæmonij, quoties cantorem aliquem audirẽt, protinus exclamabant, μετὰ λέσβιον ᾠδόν: quod poſtea in prouerbium abiit, de iis qui ſecundas partes aſſequuntur. Plutarchus eum ab Ephoris mulctatum aſſerit, eiúſque citharam affixam, quòd antiquam immutaſſet muſicam, vnúmque neruum ſuperfluò intendiſſet: nihil enim ex Lycurgi inſtituto de priſca muſica immutari fas erat. Ab eodem Leſbij & Iones à pleriſque morbis liberati fuerunt cantus dulcedine. Floruit Olymp. 35. antiquior Archilocho & Anacreonte: ita vt primus omnium Carnia viciſſe dicatur, quæ Olymp. 27. Lacedæmone inſtituta fuerũt. alij, ætate Lycurgi.

CLEPION, diſcipulus Terpandri, cuius tempore citharæ figura conſtituta fuit, trichordis tantummodo, Aſias & Aſiatis dicta: quoniam Leſbij citharœdi Aſiæ proximi ea primùm ſunt vſi.

ARISTOXENVS Selinuntius, Epicharmo longè antiquior, primus anapçſtico metro vſus eſt.

PERICLETVS Leſbius, cantu citharæ Lacedæmone Carnia vicit. Hunc quidam dithyrambicam dictionem ab hoc inuentam referunt. Eo mortuo, excellens modulandi ars per ſucceſſionem defecit, teſte Plut. Hipponacte fuit antiquior.

PHRYNIS Mitylenæus, Athenis primus citharœdicam docuit, & in Panathençis Callia principe vicit. Patre Canope ſeruus natus eſt, & Hieronis coquus, Ariſtoclidis diſcipulus, antiquam & maſculam muſicam in nouam traduxit.

ARCHILOCVS ex Paro inſula, Olymp. 23. vel 28. floruit. Pater eius Teleſicles de puero nato percõtatus, oraculum accepit, ἀθάνατος σοὶ παῖς καὶ ἀοίδιμος ὦ Τελεσίκλεις. Iambo primus vſus eſt ad maledicendum, quo ad alia antè vtebantur. Falſò enim quidam ei Iambi inuentionem tribuunt, cùm conſtet Homerum in Margite eo vſum. Vſus autem eſt contra Lycamben ſocerum, qui promiſſam ſibi filiam Neobulen denegarat. Epodon ex trimetris & dimetris commentus, eo ſocerum cum tribus filiabus ad laqueum compulit. Lacedæmonij cum vrbe expulerunt propter impudicos verſus: & quòd ſatius eſſe ſcripſiſſet clypeum abiicere, quàm animã amittere. Maledicus adeò, vt ne ſibiipſi quidem parceret. Interfectus eſt in bello à Calonda Naxio milite, qui Corax dicebatur: quem propterea Pythia tẽplo expulit, μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. neque prius admiſit quàm ad Tænarũ profectus τέττιγος id eſt cicadæ manibus parentaret. τέττιγα, autem ſeipſum Archilochus propter garrulitatẽ vocabat.

TELLEN melopœus, & vnà tibicen, mordacibus vſus iocis, in iis quç Pægnia dicũtur. Vnde prouerbium in ſalſè mordentes, ἀεὶ δ᾽ τὰ τέλληνος: vel ἆδε τὰ τέλληνος.

HIPPONAX Epheſius, Iambographus, floruit Olympia. 60. & Clazomenas migrauit, ibíque delituit. Athenagora & Coma tyrannis. Valde deformis fuit. Vnde cùm à Bupalo & Athene ſiue Anthermo fratribus, ſculptoribus celeberrimis, eius imago ridentium circulis proponeretur, indignatus Hipponax, amaritudine carminum eos ita diſtrinxit, vt ad laqueum compuliſſe dicatur. Ab hoc Hipponactium carmen vocatum: quia pro iambo inductis trochæis, contra legem trimetri iambici, metrum innouauit, atque ita Archilochium infregit. Iambum quidam à vetula Iambe dictum volunt, quæ cùm fortè lauaretur in ſolio, & inde Hipponax præteriens vas contigiſſet, illa Hipponacti ait: Homo hinc abi, conuertis hocce vaſculum. atque ex hoc iambum primùm confectum.

PYTHERMVS Teius, Ionicos modos ſiniſtros inuenit, τὰ μέλη σκαιά.

CINESIAS Athenienſis, vel Thebanus, qui Pyrrichen genus ſaltationis compoſuit, ἄγιος fuit: Dythyramborum poeta.

ARION Methymnæus Leſbus, Lyricus & citharœdus, Olymp. 38. Periandro Corinthiorum tyranno grati ſſimus: ſcripſit cantilenarum prooemia, ad duo ferè verſuum millia. Quidam eum Chorum & Dythyrambum primum conſtituiſſe volunt: & Satyros etiam induxiſſe, qui per metra canerent. Alcmanis diſcipulus ſecũdum quoſdam, Cyclei diſcipulus, à delphino per mare ex manibus piratarum vectus. Cuius rei ſignum in Tænaro poſitum, cum inſidente.

LYRICI nouem à Græcis recenſentur hoc ordine: Pindarus, Simonides, Steſichorus, Ibycus, Alcman, Bacchylides, Anacreon, Alcæus, & Sappho. Quibus Iſaacius decimam addit Corinnam.

ALCMAN, Pittaco coæuus, Olymp. 43. vel 28. Alij Laconem, alii Meſſenium, alii ex Sarde Lydiæ vrbe. πολυβρώματος fuit, id eſt guloſus, & amatorii carminis princeps. Lingua Dorica melicos verſus ſcripſit. Seruus fuit Ageſydis: ſed ab eo libertate donatus, phthiriaſi periit.

ALCAEVS Mitylenæus, Olymp. 60. floruit cum Sappho. Pitacco, quem ducem Mitylenæi contra exules, eos qui Patriæ cum Alcæo nobili poeta erant, creauerant, hoſtis ex profeſſo fuit. Eum tamen cum Pittacus cepiſſet in pugna, incolumem dimiſit: tantùm admonuit. quid in opprimẽdo poſſet. Cùm Mitylenæi contra Athenienſes pugnarent, & vincerẽtur, Alcæus abiectis armis aufugit, quæ hoſtes, in templo Palladis ſuſpenderunt. De Sappho, vide titulum Poetiarum.

TISIAS Himeræus ex Sicilia, vel Catanenſis (pugnant enim hæ ciuitates inter ſe) quòd cãtu citharç chorũ primus conſtituerit, STESICHORVS dictus eſt, Filius Heſiodi ex Clymene, vel Euphorbi vel Hyetis, vel Euclidis. Alcmane iunior. Infantis ori luſcinia inſediſſe dicitur. Claruit ab Olympiade trigeſimaſeptima, vſq; ad quinquageſimamſextã, qua obiit, vt ad nonagintaquinque perueneritannos, Filias habuit parẽte dignas. quas propter obitum patris Phalaris tyrannus conſolatur. Carmina Epodica ſcripſit, in quibus tria eſſent, Strophe, Antiſtrophe & Epodos. Vnde prouerbium in indoctos, Neque Steſichori tria noſti. Scripſit & Heroica. Imitatus eſt regulas Olympi, eáſque illuſtrauit. Cùm Helenã vituperaſſet, cçcus factus, non prius viſum recepit, quàm palinodiam ceciniſſet. Phalaride tyrannidẽ occupãte, cùm ciues ſuos Himerẽſes diu fruſtramonuiſſet, ne nimiũ illi fiderẽt, néue auxilio eius vterẽtur, à tyrãno captus, propter eruditionẽ dimiſſus eſt. Sepultus Cataue ante vrbis portã, quç

Steſichoria dicta eſt, octangulo ſepulchro: à cuius forma caſus quidam in ludo teſſerarum Steſichorius dictus eſt. Aiunt octo columnas, octo angulos habuiſſe. Vnde prouerbium, πάντα ὀκτώ, cùm rei nihil deeſſe ſignificamus. Hunc Quintilianus, ſi modum tenuiſſet, Homerum proximè æmulaturum fuiſſe aſſerit: ſed redundare eum, & effundi nimium. Dorica lingua vſus eſt.

SIMONIDES Iulites, ab vrbe Ceæ inſulæ, Melicertes à cantus ſuauitate dictus. Inuenit literas η, ω, ξ, ψ. Floruit Olympiade 56. aliis 62. & peruenit vſque ad 78. Vnde quidam eum coæuum, alij poſteriorem Steſichoro fuiſſe volunt. Dorica lingua ſcripſit Cambyſis & Darij regnum, & Xerxis nauale prælium: item bellum ad Artemiſium, verſu elego: quod ad Salaminem, lyrico. Scripſit & Threnos, & Epigrammata: Pæanas & Tragœdias. Nonageſimum annum exceſſit. Interrogatus quandiu vixiſſet: Parum, inquit, vt annos multos. Memoria excelluit, quam ſibi epotis quibuſdam medicamentis comparauit, teſte Marcellino. Primus μακρολογίαν, hoc eſt, breuem loquendi modum induxiſſe dicitur. Syracuſis cũ Hierone rege diu verſatus eſt, pecuniæ ſtudio. Tenuis alioqui in carmine fuit, præcipuáque eius in commouenda miſeratione virtus.

PINDARVS inter nouem Lyricos longè princeps: floruit Olymp. 76. natus 65. Thebanus: natus in vico Cynocephalorum. De eius parentibus lis eſt: Scopelino tamen tibicine ſatus dicitur, Diſcipulus fuit Laſi Hermionei lyrici. Puero in cunis apes in ore tanquam in aluecari mella depoſuerunt. Compoſuit vltra 17 libros. Maior pars periit, Simonide iunior, Bacchylide ſenior fuit. Cum Corinna certans victus eſt, iudicum imperitia. In gremio pueri Theoxeni dilecti in gymnaſio ſedens repentè obiit, annum agens 55. Alij aliter referunt.

ANACREON Teius, ex Teo vrbe Ioniæ, vini & turpiſſimæ Veneris appetentiſſimus, pueros deos ſuos appellabat. Vixit Olympiade 61. vel 62. quo tempore & Polycrates Sami tyrannidem exercuit: à quo Anacreon plurimùm amatus dicitur, & ab eo quinque talentis donatus, cùm duabus propter ea noctibus inſomnis ferè iacuiſſet, reddidit ea Polycrati, inquiens, οὐ τιμῶμαι αὐτὰ τῆς φροντίδος. Scripſit Hymnos, Elegias, Iambos, & Mela Anacreontia dicta. Barbyton eius inuentum eſſe, Neanthes Cyzicenus aſſerit, vt trigonon Ibyci. Vixit annis 85. acino vuæ ſuffocatus.

IBYCVS Rhegynus ex Italia, inde digrediens, in Samum inſulam migrauit, quo tempore pater Polycratis Rempublicam Samiorum adminiſtrabat, Olymp. 50. In puerorum amoribus obſcœniſſimus fuit. Excogitauit ſambycam, ſiue iambycam, quæ triangularis citharæ ſpecies eſt, qua iambea canerentur. A latronibus interfectus in ſolitudine: qui tũ poſtea ſuomet indicio proditi, Corinthi capitali ſupplicio affecti fuerũt. Ille enim cùm occideretur, & ſuperuolantes grues videret, dixit: Aues hæ necis meæ vltrices erunt. Pòſt cùm in theatro ſederent latrones, & præteruolantes grues viderent, inter ſe ridentes ſuſurrabant, ἰδοὺ αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι. En Ibyci vltores. quæ verba cùm quidam ex aſtantibus audiuiſſet, magiſtratui indicauit. Capti ergo, & crimen confeſſi, in crucem adacti ſunt. Vnde prouerbium, Ibyci grues, vel vltores. Ab Ibyco etiam Ibycinum inſtrumentũ muſicum, quo Galli & Romani in militia vſi fuerunt. Laudantur eius opera ſeptem, Doricè ſcripta.

BACCHYLIDES nepos Simonidis ex fratre, ex Iulide Ceæ inſulæ, Olymp. 81. floruit. Scripſit hymnos & Epigrammata. Iulianus Cæſar adeò eius carminibus delectatus eſt, vt ab eo viuendi quoque præcepta deſumpſerit. Hieron Siciliæ tyrannus ea Pindaricis prætulit.

DIAGORAS Melius, ex Melo vna Cycladum, poeta canticorum fuit: & cùm ſeruus eſſet, à Democrito decem millibus drachmarum redemptus, & ab eodem eruditus, vt philoſophus quoque haberetur. Vixit poſt Pindarum & Bacchylidem, ἄθεος fuit, & propterea Athenis pulſus, talento etiam interfectori propoſito. Obiit Corinthi. Alij Dithyramborum poetam faciunt.

MELANIPPIDES, Melius, lyricus, ſcripſit Dithyrambos, Epica, & Epigrãmata, & Elegias. Floruit 66. Olymp. & cum Perdicca rege vixit. Multa hîc in Dithyrambis innouauit.

PHILOXENVS ex Cytheris nobilis lyricus, à Lacedæmoniis captus euerſis Cytheris, & Melanippidi venditus: Dioniſij tyranni inepta poemata approbare noluit, maluit potius in latomias detrudi. Donatus fuit à Dionyſio Laide puella: quam cùm Corinthum duxiſſet, in nobiliſſimum euaſit ſcortum. Laconicam harmoniam reperit. Scripſit Dithyrambos, Æacidarum genealogiam, Tragœdias Obiit Epheſi, cùm aliquandiu cũ Antigono rege vixiſſet.

THELESTVS, Dithyramborum poeta, cui monumentum Sicyoniorum tyrannus Ariſtratus conſtrui fecit, & Alexander eius libros ſimul & Melanippidis ſibi per Harpalum afferri iuſſit Patria fuit Selinuntius.

TIMOTHEVS Mileſius citharœdus, Euripidi coæuus, ſub Philippo rege. Hic antiquam & duriorem muſicam in manſuetiorem molliorémque conuertit, decimam quoque & vndecimam chordam addidit. Damnatus proinde à Lacedæmoniis, quòd ſeptem antiquæ citharæ chordis quatuor addidiſſet, & cithara eius in Sciade porticu ſuſpenſa. Cùm Alexandro oſtentare vellet, peritè adeò Palladis carmen Orthium ſeu Phrygium modulatus eſt, vt ardore cantus ad arma ſtatim Alexander proſilierit: rurſus eodem quaſi receptui canente, depoſuerit. Pecuniæ fuit auidior. Annum agens nonageſimumſeptimum obiit, in Macedonia ſepultus. Scripſit Nomos citharœdicos multis verſuum millibus: item Artemin, Encomia, Perſas vel Nauplion, Phinidas, Laerten, Dithyrambos 18. Hymnos 21.

PHALECVS Ceronæus, vnus ex Pleiadibus poeticis: à quo carmen Phalecium, non inuentum quidem, ſed quòd primus ipſe hoc carmine integra poemata confecerit.

CTESIPHON Athenienſis lyricus Colabus. Colabi autem dicũtur, à colabis citharç clauiculis, quibus chordæ intenduntur. Epitonia citharæ vocat Suidas. Vide Athenæum vltimo de Dipnoſophiſtis libro, de Colabis poetis.

Q. HORATIVS Flaccus Venuſinus, patre præcone libertino natus, Torquato & Cota Conſulibus, biennio ante Ciceronem conſulem. Mox Romæ ſub Orbilio grammaticæ operam dedit. Inde Athenas profectus Epicuri ſectam ſecutus: poſtea tamen ſenior, Academiæ ſe tradidit. Bello ciuili Brutum & Caſſium ſecutus, poſt Philippenſem cladem ad poeticam rediit, & Vergilio Varióque intercedentibus Mecœnati & Auguſto inſinuatus eſt. Vixit annis 57, vel, vt alij, 70. Eum ex Lyricis ſolum legi dignum arbitratur Fabius. primus ſe iambos & lyricos ſcripſiſſe gloriatur: cùm tamen ante ipſum hoc carminum genere Liuius Andronicus ſcripſerit hymnos: item Val. Catullus, Tegula, C. Lænas & Lucullus: ſed hi aliqua tantùm, non vt Horatius plena volumina.

CÆSIVS Baſſus lyricus, ſub Claudio floruit, ad Veſpaſianorum vſque tempora. Veſuuio monte conflagrante, vnà cum villa ſua incẽdio periit.

VESTITIVS Spurina lyricus, vir clariſſimus, ſub Domitiano & Traiano exercitus dux, Bructerum Barbarorum regem debellauit. Suauiſſimè vtraque lingua ſcripſit. Vixit annos ſeptuagintaſeptem, ex ſenectute nil habens præter prudentiam. Filium ex Coccia vxore Coccium habuit, qui immatura morte periit, eíque Cæſar in parentis ſolatium ſtatuam triumphalem poſuit.

MESOMEDES Adriani Imp. libertus & amicus ſummus, Cretenſis, lyricus egregius, Antinoum Adriani delicias deorum numero aſcriptum miris extulit laudibus. Antonino cenotaphio honoratus eſt, quòd ab eo nomos citharœdicos edidiciſſet.

MAVRVS Terentianus Carthaginenſis, lyricorum cæterorúmque verſuum dimenſiones reguláſque iiſdem ipſis carminum generibus proſecutus eſt. Quo tempore vixerit, incertum. Meminère eius Auguſtinus, Ruffinus, Priſcianus & Seruius.

POETÆ HYMNOGRAPHI.

SACRI.

MOSES Hebræorum legiſlator, cum ſorore Maria primus hexametrum carmen Deo Opt. Max. modulatus eſt, ſiue heroicum, poſtquam Iſraeliticum populum per rubrum mare duxiſſet incolumem.

Hymnorum lyricorum (de Heroicis enim inter Epicos diſſeruimus) DAVID rex autor fuiſſe videtur: apud Græcos SIDON filia Ponti teſte Euſebio.

Poetas, qui ſeruatis Chriſtianorum regulis, ante Conſtantini Magni tempora verſus ſcripſerunt, paucos inuenire licet. Tametſi Philo Iudçus ait, THERAPEVTAS (ſic enim ille Chriſtianos anachoretas vocat) ſolitos canere hymnos, & ſacra carmina componere. Et Dionyſius Areopagita Hierotheum magiſtrum ſuum ait amatorios hymnos compoſuiſſe, ex quibus & ipſe quædam nonnunquam excerpit, in cuius laudem librum proprium compoſuit Dionyſius.

HILARIVS Pictauienſis epiſcopus hymnos plurimos compoſuit, quos quotidie canit Eccleſia. Vixit ſub Conſtantio

D. AMBROSIVS Mediolanenſis epiſcopus hymnos inſtituit, qui adhuc Ambroſiani vocantur, vt à plebe catholica in morem Orientalium decantarentur, ad leuandum mœrorem quem ex Arianorum inſidiis aſſiduè capiebat.

PONTIVS Paulinus Burdegalenſis, Auſonij Galli diſcipulus, Chriſtianus factus, Auguſtino & Ambroſio familiaris fuit, nec poſtea amplius gentiles Poetas legere vel nominare voluit.

Diuerſus eſt ab hoc fortaſſe PAVLINVS Nolanus epiſcopus, qui multa breui verſu ſcripſiſſe dicitur, & inter cætera Hymnorum librum.

AVR. Prudentius Clemens, Hiſpanus, plurima carmina ſacra vario poematum genere ſcripſit, ſub Theodoſio iuniore.

LICENTIVS Hipponenſis, Auguſtini amicus, hymnos & epiſtolas ſcripſit.

GENADIVS Afer, Pont. Rom. hymnos ſcripſit, qui adhuc in ſacris habẽtur ritibus.

RABANVS Maurus, Fuldenſis, Bedæ diſcipulus, ſextus Moguntinorum pontifex, Pariſienſis ſcholç fundator cùm Alcuino, mirabile opus ſcripſit, in quo per literas carminum varias rerum figuras exprimit: quo libro nil laborioſius, nil quoque ingenioſius eſt. Vixit Gregorio quarto pont. Rom. Eius diſcipulus fuit STRABVS qui ordinariam gloſſam Bibliorum, & Hortulorum carmine hexametro condidit.

THEODVLPHVS pontifex Aurelianenſis, cùm in ſuſpicionem Ludouici regis veniſſet, in vincula coniectus eſt: vbi cùm aliquãdiu fuiſſet, in die Palmarum, illac tranſeunte Ludouico, carmen quod compoſuerat concinuit:

Gloria, laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemptor, &c.

Quo carmine rex delectatus, iuſſit eum ſtatim liberari. Scripſit etiam Hymnorum librum.

HYDALBERTVS Conomanensium antistes primò, deinde à regibus suorum temporum variis afflictus modis, tandem ab Honorio secundo pont.Max.Turonensis episcopus factus:obiit anno salutis 100. Heroica scripsit,& Elegias,& Hymnos.mirè facilis, purior stylo,& antiquis proprior.

ETHNICI.

Consule tit. Melopæomorum.

PARIS Priami filius hymnnm in Venerem scripsit,quem Ceston veteres vocauêre,in quo Veneris laudes complectitur, eámque Palladi ac Iunoni præfert.Hinc causa pręstita fingendi de Paridis iudicio,& Veneris cesto.

OLEN Dymæus,aliis Hyperboreus vel Lycius,hymnos vetustos edidit,qui in Delo cantantur,dum cinis qui est supra sepulchrum Opis (quæ Hecaerges dicitur) super ægrotorum turbam inspergitur.Olena quidam primum carmen hexametrum reperisse aiunt.

CITIADAS Lacedęmonius,cum Laconas Palladis Chalciœcę ędem statuámque ponere decreuissent,solus dignus inuentus est, qui & statuã faceret,& hymnum componeret,quem in eiusdeæ celebritate caneret. Scripsit autem Dorica carmina.

THYNICVS Chalcidensis cum antea poema nullum aliqua memoria dignдm edidisset, hymnum in Apollinem omnium canticorum absolutissimum, Musarum afflatu ac inspiratione quadam inuenit. Testis Socrates apud Platonem.

POETAE MALI ET INDOCTI.

CHOERILVS ineptus poeta,circa Olymp.113.castra secutus est Alexandri Magni, eiúsque gesta perscripsit adeò ineptè, vt Alexander dixerit,malle se Homeri Thersitem esse,quàm Chœrili Achillem. Cum eo prǽterea pepigit,vt pro singulis bonis carminibus singulos aureos, pro malis colaphos acciperet. Verùm opere iam perfecto cùm recitaret, tot mala inuenta esse dicuntur, vt alaparum multitudine enectus sit. Gyraldus Dialogo 3. Hunc Aristoteles in Topicis Homero opponit, quando exemplis Homericis,non Chœrileis vtendum esse præcipit.

HELYMON malus & ineptus poeta,ab Alexandro Magno in cauea mori coactus est,quòd gesta regis magis coinquinasset quàm descripsisset.Idem.

BATTVS poeta ineptus,statuas & simulachra hymnis ac versibus longioribus celebrabat,eadem sæpius inculcans.Vnde prouerb. βαττολογεῖν pro inepta garrulitate.Gyraldus in 3.Dialogo Poet.hist.

CALLIPHANES Parabrycontis filius.ostentator,multa se cōponere iactabat,& tres vel 4.versus inter doctos recitabat, vt multiscius esse videretur.Suidas & Athenæus.

HIPPIAS Eliensis sophista,Olymp.85.Socrati coæuus, quem Plato sub persona Socratis irridet,quòd cùm omnium rerum scientiam se habere dictitaret,Poeticæ quoque & Musicæ, tamen reuera indoctus in his omnibus esset.Gyraldus.

SPEVSIPPVS Platonis ex sorore nepos,ad nuptias Cassandri regis Macedonum profectus,frigida sua poemata spe præmij recitauit. Vnde ἑρμοχρήματος à Philostrato in vita Apollonij appellatur. Gyraldus Dial. 3.hist.poet.

Demonax ADMETO poetæ insulso,iactãti epigramma monostichō, quod testamento mandasset suæ addendum statuæ(carmen erat,

Corpus humi tegitur, Admetus ad astra volauit:)

respondit,Adeò sibi placere carmen,vt magno emptum cuperet, si iam nunc esset ascriptum.Tectè optans illi mortem,qui vita erat indignus: Eras.lib.8.Apoph.

AGIS Arginus poeta pessimus post Chœrilum,Alexãdro varias regiones perlustrauit,eique assentatus est.Gyral.

HAGES ineptissimus poeta post Chœrilum, cum Alexandri Magni assentator.Cœlius Rhodigin.

PERIANDER quidam(non ille Corinthius)Medicus egregius, poetam tamen se videri malebat. Poemata ergo illepida quædam passim recitabat.Vnde Archidamus Agesilai filius ille dicere solebat:Quí fit, ô Periãder ὅτι ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς. Gyraldus in 3. Dial.hist.Poet.

ARISTYLVS ridiculis,turpis & infamis poeta, quem Aristophanes in Pluto perstringit.

ARISTARCHVS Tegeates tragicus,Olymp.82.vixit:docuit fabulas 70.atque in iis bis tantùm vicit. Vixit annos supra centum.

ACHAEVS Eretriensis,74.Olymp.fabulas 44.vel 30.scripsit,vna tantùm vicit:Sophocle paulò iunior. Cum Euripide vsque ad 84. Olymp. vixit.

CARCINVS Atheniensis tragicus,160.fabulas docuit, in vna sola vicit. Floruit 100 Olymp.sub Philippi Macedonis tempora. Ab Aristophane in fabula quæ εἰρήνη inscribitur,grauissimè reprehenditur,cum filiis.Ab hoc prouerbium manauit,Carcini poemata,pro obscuris &ęnigmaticis scriptis.Induxit enim ille Orestem obscuris verborum inuolucris paricidium fatentem.Cùm Stratonicum quendam parum scitè canentem audiret,& Cuius id carmen interrogans, Carcini esse, responsum fuisset:Multo quidem magis Cancri,quàm hominis respondit.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus (qui tyrannide eiectus ludum Corinthi aperuit) Comœdias & Tragœdias scripsit:quas cùm contemni, & vulgi fabulam esse cognosceret, nulli rei parcebat vt Æschyli pugillares, quibus ille sua poemata describere fuerat solitus,assequeretur:quibus adeptis,iam se Æschyli doctrinã omnē& scribendi rationem habere existimabat.Philoxenus cùm eius poematibus illuderet,in lapidicinas detrusus est.Ob lætitiam de Tragœdię victoria periit:Plinius testis,referente Gyraldo Dialogo 7.hist.Poet.

MELITVS Larij filius Atheniensis, tragicus ἀποψυχρος dictus, qui cum Lycone & Anyto Socratem accusauit. Superbus & improbus homo Eum irridet Aristophanes.Post mortem Socratis, Athenienses pœnitentia ducti Melitum lapidibus obruerunt.Pro Samiis quoque dux fuit contra Sophoclem poetam,Atheniensium imperatorem, Olymp.84.

LYCVS & AMEPSIAS inepti comici, in quos Aristophanes est inuectus. Amepsias ipse in Socratem scripsit, palliatúmque ipsum in fabula induxit.Laertius & Suidas.

PHILONIDES Atheniensis, filius Meletei, primùm fullo, deinde comicus priscus.Quem Aristophanes propter inscitiã carpit: item quòd parasitos aleret, & Laidis meretricis amore Corinthi versaretur. Hinc prouerbium,ἀπαιδευτότερος φιλωνίδου τοῦ μελιτέως. Gyraldus Dialogo 6.hist. Poet.Huius filius Nicochares comicus, qui tamen in aliquo fuit præcio Aristophanis tempore.

BATTVS Lyricus ineptus,hymnos longos nimis,qui vnam eandémque rem repeterent,composuit.Vnde prouerbium,βατταρίζω,ineptè garrio.Idem Dialogo 9.

CINESIAS Atheniensis, vel Thebanus,dithyrambopœus, pyrrhicham saltationem composuit planè ineptam, vt in prouerbium abiisse videatur, ἡ κάμηλος πυρρίχιαν ἐμάθε κινησίου, Vel camelus Ginesiæ pyrrhichiam edidicit.Gyral.Dial.9.hist.poet.

POETA quidam de plebe, L.Syllæ proscriptorum bona vendenti rude obtulit epigramma,alternis tantùm versibus longiusculis:Ei statim Sylla partem bonorum quæ vendebantur largitus est: ea tamen conditione, ne quid in posterum scriberet.Cic.pro Archia.

CORDVBENSES poetæ mali,crassum, pingue & peregrinum quid sonãtes,à Cic.pro Archia introducuntur: quorum scripta tamen L. Lucullus spe gloriæ immortalis legere & audire nòn recusauit.

SEXTILIVS Hena Cordubensis,ingeniosus magis quam eruditus, versus de morte Ciceronis edidit.Gyrald.

ANSER petulans & indoctus poeta, Vergilij æmulus, & M. Antonij triumuiri amicus,cuius laudes composuit,& ab eo agro Phalerno donatus est.Meminit huius Verg.in Bucolicis:

Interstrepere Anser olores.

AQVINVS & SVFFENVS apud Catullum inepti poetæ, qui tamen sibi plurimùm placebant.Ciceroni vterque notus.Sic & CALVVS apud eundem,& CÆSIVS,qui duos libros scripsit, in quorum priore hoc carmen erat.

Has res ad te scriptas Luci misimus Heli.

MEVIVS Vergilij & Horatij æmulus,quem quòd putidus esset,Horatius olentem appellat.Hic cùm Athenas petulanti carmine lacerasset, in carcerem coniectus, inedia perire coactus est. Gyraldus Dialogo 4. hist.poet.

M. BAVIVS poeta Vergilij æmulus,in Cappadocia moritur, Olymp. 186.Hunc cum Meuio,Catullus infaceto infacetiorem rure fuisse,ait.

PARO Vergilij æmulus, qui in Bucolicis duas Æglogas insulsissimè derisit his versibus:

Tityre si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?
Dic mihi Damœta, cuium pecus, an ne Latinum?
Non verùm Ægonis.nostri sic rure loquuntur.

FANNIVS quidam(non ille Lælij gener,historicus)ante Vergilium, poeta ineptus,sed garrulus & locuples.Qui cùm sine liberis esset, hæredipetæ carmina eius laudabant,& in bibliothecas transferebant: statuas quoque & imagines ponebant, vt scilicet ab eo hæredes scriberentur. Gyrald.Dialogo quarto hist.poet.

ACTIVS Labeo poeta indoctus, ætate Persij Satyrici vixit, & Iliada Homeri versibus fœdissimè in Latinum vertit,ita obscurè,vt nec sua ipse agnosceret.De hoc multa Persij expositores.Gyrald.Dialog.8.hist.poet.

POETRIÆ.

PHEMENOE,Apollinis filia,25.annis ante Linũ floruit,prima apud Gręcos carmen hexametrũ inuenit,& Acrisio oracula cecinit.Vnde cũ Plin. inquit, carmē heroicum nos Delphico oraculo debere, quidam de Phemenoe intelligi volunt,quæ Acrisio hoc carmine vaticinata sit Delphis.

SIBYLLAS decem fuisse vulgò asserunt. Sed longè plures fuerunt. Omnes enim mulieres, quæ diuino aflatæ numine futura prædicerent, Æolica lingua Sibyllas dictas volunt. ὡς σιὸς (id est Dei) βουλάς. Prima fuit SAMBETHE, siue Sabe, Persica, Hebræa & Chaldæa (perperam Chalcidica) dicta, Berosi filia, tēpore Noachi vixit, vni filiorũ eius nupta, arcam ingressa: de turri Babylonica, de Alexandro, de Christo clarissimè vaticinata est. Secũda, Libyca. Tertia, Delphica, ARTEMIS, ante Troiana tempora, Troiæ excidium prædixit: ex cuius versibus Homerus multa dicitur mutuatus. Quarta, Cimmeria ex Italia, quæ à Lactantio perperam Cumæa dicitur. Quinta, Erithræa: ex regione Erithris, quæ olim Batti

Batti dicebatur, filia Lamiæ, vel Theodori, vel Aristocratis & Hidoles, quam Phœbus amauit,& tot annos viuere dedit,quot arenę granula pugillo contineret.Huius esse Sibyllinos libros, Romanorum quidam arbitrantur: sed malè. Alij Siculam vocant: alij Sardam, alij Rhodiam, alij Libyssam, alij Samiam appellauêre. Apollodorus & Suidas tempore belli Troiani vixisse, & Troiæ excidium prædixisse aiunt: Homeri quoque nugas,& Æneæ errores,donec mensas ambederet, Cyrillus eam 9.Olymp.floruisse ait, Augustinus sub Romulo.In lucem primum edita,loqui cœpit de rebus grauissimis. Sexta Samia, PHYTO, aliis Phemenoe, Olymp.17.Septima, Cumæa seu Cumana. AMALTHEA seu Herophile, Iouis & Lamiæ Neptuni filia, quæ prima inter mulieres oracula cecinisse dicitur, In Troade decessit, in templo Smynthij Apollinis sepulta.Hanc Vergilius Deiphoben Glauci filiam facit: & scriptorum plerique Tarquinio Prisco libros Sibyllinos ab hac oblatos esse dictitant.Extãt adhuc eius crypta Cumis,in qua expugnanda Narses plurimùm laborauit,cùm Gotthi Cumas tenerent.Octaua, Hellespontia: & à pago Marpeso, Marsipea: floruit tempore Cyri & Solonis, cuius imaginē Gergitij ciues vnà cum Sphinge in suis exprimebant monetis.Decima, Tyburtyna, ALBVNEA, quæ Tyburi vt dea colebatur. Aliis Leucothea dicitur.Quam stupidi quidam Augusto Cæsari virginis filium è cœlo ostendisse aiunt,quo loco in Capitolio cœli ara adhuc est erecta, Multæ aliæ hoc nomine circumferuntur: vt Manto: Daphne Tiresiæ filia, quæ captis Thebis Delphos missa est: Cassandra Troiana, Xenoclea, Helissa, Lampusa.

SAPPHO Mitylenęa, Scamandronymi ex Cleide vxore filia, nupsit Cercolæ ex Andro insula viro ditissimo, ex quo Cleida filiam suscepit. Quo mortuo, variis & impudicis amoribus diffamata est, adeò vt vulgò Tribas vocaretur. Huius tres discipulas facit Suidas, Anagoram, Milesiã, Gōgylam Colophoniam,& Eunecam Salaminiam.Totidem ab ea puellas amatas, Attida, Telesillam & Megaram: addunt alij Pyrino, Mnaida, Anactorien, Cydno, Cyrenen, Amythonen: tandem & Phaonem Lesbiũ adolescentem. Quamuis Suidas alteri Sappho Lesbiæ quidem, sed non Mitylenæ, verùm Eresiæ, hoc tribuat, quæ se desiderio Phaonis absentis in Sicilia, ex Leucade in mare præcipitem dederit. Quidam ab ea plectrum excogitatum scribunt.Scripsit nouem libros Lyricorum, Epigrãmata, Iambos, Elegias, Monodias, Epitalamium,& alia quædam. Æolico charactere vsa est.Ab hac Sapphicum carmen deductum, item Æolicum & Anapesticum. Harmoniam præterea Mixolydij reperit. Gratiam in carmine maximam habuit ex anadiplosi. Alcæo coæua, sed Anacreonte senior, tempore Ælyatis patris Crœsi Olymp.60.Ei similem nullam fuisse Strabo asserit vnquam.

CORINNA Thebana, vel Tanagræa, Achelodori & Procratiæ filia, Pindarum quinquies vicit, tum quia Corinna Æolicè scripserat, Pindarus Doricè: tum quia pulchritudine sua iudicum animos facilè flexerat. Eam ob rem Tanagræ eius imaginem in gymnasio loco illustri posuerunt, capútque tænia reuinctum, Myrtidis discipula fuit: & est Myia, id est Musca ab aliquibus dicta. Fuit enim Myia Thespiasca mulier, quæ lyricos versus ad lyram aptissimè concinebat: item & altera Spartana quæ hymnos in Apollinem Dianam conscripsit, Scripsit Nomos lyricos & Epigrammata. Ab hac amicam suam falsò Corinnam nominasse Ouidium, quidã asserũt. Fuerunt duæ aliæ Corinnæ lyricæ, Thespia, seu Corinthia, quæ & ipsa lyricos nomos scripsit: altera Thæbana, & ipsa Musca cognominata. Gyrald. Dial.9.Hist.poet.

THEANO Locrensis poetria, hymnos, cantica lyrica & mela scripsit. Fuit alia vxor Pythagoræ, poetria itidem. Fuit tertia Thuria, vel Metapontina. Lycophronis filia, Pythagorica, Charisti vel Crotonis Brontini poetæ vxor, teste Suida.Idem.

CARIXENA, carminum quæ Crumata dicuntur, poetria. Suidas tamen fatuam ac stultam meretricem fuisse ait.

MOERO puella, hymnum elegantissimum in Neptunum cecinit. Ibidem. Tharaxandra, Thesprotis, Phainnis, Athenais, Nicostrata Euandri mater, à carminibus Carmenta dicta, prius Themis appellata, & similes aliæ.

BOCO mulier Delphorum indigena, quæ oracula & hymnum apud eos composuit. Hæc ex vigesimo Dialogo Hist.poet.Gyraldi.

CLEOBVLE Lyndia, ex Rhodo, filia Cleobuli vnius ex septem Sapientibus aliàs EVMITE & Cleobulina dicta, eodem scribendi genere patrem secuta. Griphos & Ænigmata scripsit. quale est illud quod circumfertur,

Est vnus genitor, cui vni sunt pignora bis sex:
His quoque triginta natæ sed dispare forma.
Hæ niueæ aspectu, nigræ sunt vultibus illæ:
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

PRAXILLA Sicyonia, 82 Olymp. floruit, quam Antipater Thessalus primam inter nouem Lyricas enumerat. Scripsit & Dithyambos, metrúmque Praxillum ab hac dictum. Hęc in metro inducit Adonidem apud inferos interrogatum quid formosissimum apud superos reliquisset? respondisse Solem, Lunam, ficus mala & cucumeres. Ex quo prouerbium in stupidos, ἠλιθιώτερος τῆς Πραξίλλης Ἀδώνιδος.

NOSSIS poetria, cuius epigrammata Græca leguntur: eam Antipater quoque inter Lyricas connumerat.

MYRO Byzantia Elegias & Mele scripsit. Mater Homeri, vnius ex Pleiadibus, dicitur fuisse. Vxor Andromachi philologi illustris. Eius statuam fecit Cephisiodotus, teste Taciano.

ERINNA Lesbia & Sapphus concubina (secundum Tacianum) vel Teia, vel Rhodia, vel Telia(ab insula Telo, quæ Cnido propinqua est) vel Tenia, à ciuitate Laconiæ Teno. Quidam eam adhuc virginem 19 ętatis anno obiisse scribũt. Notum est Epigrammata in eam σαπφὼ δ' ἠρίννης ὅσον μελέεσσιν ἀμείνων, ἠρίννα σαπφῶς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις. Scripsit Dorica & Æolica lingua Helecatem poema trecentis versibus,& alia Epigrammata. Versus eius ad Homericam maiestatem accessisse feruntur.

ANYTE Epigramma in Themistoclem,& versus quosdam in aues, qui adhuc hodie leguntur, composuit.

MYRTIS Anthedonia, Ochnæ puellæ necem (quæ Eunosti herois mortis causa fuerat) descripsit.

TELESILLA Argiua, siue Thesselis, Praxillæ coæua, cùm Lacedæmonij Argos expugnassent, ipsa assumptis mulieribus, Laconas armis repulit, patriámque, tutata est. Eius rei causa statua ei Argis posita est, ante templum Martis muliebris: ad cuius pedes libri erant sparsi, galeam verò manibus tenebat, tanquam eam capiti impositura esset. Scripsit Odas & Epigram.

ASPASIA Milesia à Pericle amata,& à Socrate, sophistria fuit, nec minus poetria. Athenæus quosdam eius versus recitat.

CLITAGORA Lacedæmonia, cuius Aristophanes meminit, ALEXANDRINA Hestiæa: de qua Strabo, multa de Homerica Iliade scripsit.

HEDYLE, Hedylogi Samij mater, qui poeta dicitur fuisse ab Athenæo lib.4. Filia fuit Moschinæ Atticæ Iamborum poetriæ. Scripsit poema Scyllam inscriptum, de amorib. Glauci.

MEGALOSTRATE poetria amata ab Alcmane poeta.

DAMOPHILA, Pamphili vxor, Sapphûs amica & imitatrix: cuius hymni in Dianæ Pergææ sacris concinebantur, Æolico Pamphylicóque ritu. Scripsit & amatorios libros.

ELEPHANTIS & Elephantine lasciuissima fœmina, quæ tanquam Sphinthria, varia concubituum genera descripsit. Ex cuius libellis Lalage Priapo dat donum in Priapeis poematiis: & Tiberius Cæsar cubiculũ expositis figuris instruxerat, ne cui libidinis exemplar deesset.

PHILÆNIS meretrix Leucadia, vita & carmine impurissima, Elephantim imitata est. Vtraque tamen, si Suidæ credimus, ASTYANASSAM Helenæ Manelai ancillam imitata est, quæ prima fertur κατακλίσεις in Venere inuenisse,& de concubituum figuris libros reliquisse. Hæc ex trigesimo Dialogo Hist.poet.Gyraldi.

SVLPITIA Domitiani tempore vixit. Virum habuit Galenum, cum quo 15 annos coniunctissimè vixit. Epigrammata scripsit, & sua tempora defleuit. Commendat eius scripta Martialis, Ex 4 Dialogo.

EVDOCIA Theodosij iunioris Imp. vxor, carminum studiosissima (vnde φιλοποιητὴς dicta) Leontij sophistæ Atheniensis filia, prius Athenais dicta: postea cùm Imperator nuptias illius expeteret, eam baptizari curauit ab Attico magno episcopo Constantinopolitano,& pro Athenai Eudociam nominari, quòd scilicet regi optimè placuisset. Quidam huic Centonem de Christo domino adscribunt. ὁμηροκέντρα dictum, quē alij Probæ tribuunt. Cyrum Panopolitam poetam ad præfecturam prætorij extulit. Ex 5. Dialogo.

PROBA VAL. Falconia Romana matrona, Adelphi Romani viri proconsularis vxor, sub Honorio ac Theodosio iuniore, Centonem Vergilianum de Christi vita composuit,& Eudociæ Theodosij coniugi trãsmisit. Idem quoque in Homeri versibus fecisse dicitur, ὁμηροκέντρα appellant: quamuis alij hoc Eudociæ tribuant.

ARGENTARIAM Pollam Lucani vxorem, tanto ingenio doctrináque fuisse, scriptum est, vt cœptos à viro permultos versus, in trib. primis libris Pharsaliæ ipsa eadem stili grauitate atque elegantia perficeret, atque epigrãmata etiã peritissimè cōscriberet. Idē de Calphurnia cōiuge Plinius Secundus scripsit. Fulg. lib.8.cap.3.& Statius lib.2.Syluarum.

CORNIFICIA adolescens Romana, adeò excelluisse doctrina, imperante Augusto, putata est, vt in omni poeticæ genere, Cornificio fratri, poetæ insigni, par haberetur. Ful.lib.8.cap.3.

HELPIS vxor Bœthij Seuerini, Rom.patricij, Sicula natione, literarum studio & in primis poeticæ celebris, Extant eius hymni in Apostolos, nō vulgari dicendi stylo.

Aurea luce. &, Felix per omnes.

Quos eius esse, omnes constanter asserunt. Gyral.Dial.5.hist.Poet.

ROSOITA monialis Germana apud Saxones, Otthone primo & secundo Impp. Latinè & Græcè scripsit. Panegyricum de Otthonũ gestis Comœdias sex: laudes Virginis matris elego verso, D.Dionysij vitã, & alia.

HILDEGARDIS Moguntina, pietate & doctrina insignis cœlesti afflatu ab ipsa pueritia fuisse videtur. Eugenius III. in Concilio Treuerensi (in quo & D.Bernhardus aderat) eius opuscula probauit. Floruit anno Christi 1188.

POETICES ODIVM.

ZENO Cittiæus Stoicorum princeps, dicebat, ad perceptionem disciplinarum nihil esse ineptius poetica. Modum fortassis docendi reprehēdit, non autem quòd poetico charactere tradi posset, negauit: quandoquidem ipse etiam de poetica auditione scripsit. Laert.lib.7.

PYTAGOREI poetas è scholis suis eiecerunt, quoniam Empedocles mysteria acroamatica profanasset. Vide tit. Eorum qui certo quodam consilio nihil scripserunt.

PAVLVS II. Pontifex, poetas omnes detestabili odio prosequebatur. Vide tit. Docti homines odio habiti.

PHILOSOPHICI HABITVS.

Hactenus de instrumentis philosophiæ:nunc de habitibus ipsis agamus. Primo loco sese offerunt Physici,qui res naturales materiæ immersas considerant,& in earum cognitione finem suæ contemplationis statuunt. Cognitio ex causis sine principiis sit vniuersalibus: alioqui cognitio scientifica non esset,sine ἐπιστήμης,sed κατὰ συμβεβηκός tantùm. Est tamen illud obiter obseruandum,εὕρεσιν quidem à sensu μάθησιν verò ab in ellectu pendere:quorum ille particularia tantùm,hic vniuersalia comprehendit. Quamuis autem Physiologiæ finis theoria sit, nihil tamen prohiberet eandem quoque ad praxin descendere:hoc est,circa ea versari,quæ hominum vitæ vtilia esse possunt,hacque ratione suæ contemplationis fructum cæteris communicare. Erunt igitur primo loco Philosophi Physici enumerandi, qui de natura theoricè scripserunt, disputarunt,docuerunt.Secundo autem,illi qui philosophiam naturalem ad actionem reuocarunt. In quo genere sunt Medici primùm, deinde Physiognomi:postremò,omnes ij qui physicæ doctrinæ subsidio vel futuræ prædicere, vel incommoda auertere, vel vtilitatem hominum tam priuatam quam publicam promouere potuerunt. Vltimo loco eorum exempla subiungemus,qui Physiologiam vel odio, vel contemptui habuerunt.

PHILOSOPHI NATVRALES PHYSICI.

In rerum naturæ tradendæ & explicandæ tota olim antiquitas occupata fuit. Primi certè Theologi olim,Linus,Orpheus,Hesiodus, exotericè quidem res Deorum exposuerunt:acroamaticè verò naturæ obscuritatem sub Deorum fabulis rimati sunt,ne profano vulgo tam præclaræ disciplinæ prostituerentur. Et in vniuersum quæ de Diis docti poetæ finxerunt,ad aliquam philosophiæ partem reuocari possunt. Postquam verò fabularum pertæsi,remotis velamentis liberius philosophari cæperunt,Thales,Anaximenes,Anaxagoras Pythagoras,Democritus,& cæteri,Physicæ ipsi quodammodo formari cæpit:hoc est,ad formam scientiæ reduci. In qua tamen ipsa tradenda cùm sæpe Metaphysica Physicis miscerent,suæque professionis terminos transilirent,& nouæ confusioni & reprehensioni occasionem dederunt. De quæ re fusius sub titulo Metaphysicorum agetur. Nam veterum philosophorum plerique & Physici erant, & Metaphysici: vti superiores Theologi. Proinde exempla quoque ferè eadem erunt, diuerso tamen respectu. Consule etiam titulum,Poetarum physicorum: illic enim characteris poetici,hic ipsius scientiæ naturalis ratio habetur.

VLYSSIS Homerici peregrinatio ad ÆOLVM, naturalis philosophiæ studio instituta esse videtur:Æoliæque antrum & filiæ multa in se recondita habent physica mysteria.Rex vetorum Æolus esse fingitur, quia causas ventorum,naturam & ortum sciebat.

PHILOSOPHIÆ naturalis duo fuere principia. vnum, quod ab Anaximandro:alterum, quod à Pythagora fluxit. Anaximandri Thales præceptor fuit, Pythagoræ verò Pherecydes. Appellatúmque est illud quidem philosophiæ genus Ionicum,quòd Thales ex Ionia fuerit (Miletus enim cùm esset, Anaximandrum instituit) Hoc autem Italicum, quòd illius autor Pythagoras in Italia vt plurimùm philosophatus sit. Desijt autem Ionica in Clitomachum, Chrysippum, & Theophrastum: Italica,in Epicurum.Quippe Thaleti successit Anaximander, Anaximãdro Anaximenes,Anaximeni Anaxagoras, Anaxagoræ Archelaus, huic Socrates,qui primus Ethicen inuexit,Socrati tum Socratici reliqui, tum in primis Plato,qui veterem Academiam instituit: Platoni Speusippus & Xenocrates,ei Polemõ,Polemoni Crantor & Crates:cui Arcesilaus,qui mediam tenuit Academiam.Ei Lacydes,qui nouam Academiam inuenit:Lacydi CARNEADES, Carneadi Clitomachus. Atque in hunc modum in Clitomachũ desiit.Sic autẽ in Chrysippũ:Socrati successit Antisthenes Antistheni Diogenes Cynicus:ei verò Crates Thebanus,Crati Zeno Citticus,Zenoni Cleanthes,cui Chrysippus. In Theophrastum verò hic desijt:Platoni successit Aristoteles,Aristoteli Theophrastus.Et hũc quidem in mõdũ Ionica philosophia degenerauit. Porrò Italicæ hæc series fuit: Pherecydi Pythagoras,Pythagoræ Telauges filius successit:ei Xenophanes,cui Parmenides huic Xeno eleates,Leucippus Zenoni, Democritus Leucippo,Democrito cõplures,sed inter reliquos Nausiphanes,Naucidesque celebrantur.Eis verò suo ordine successit Epicurus.Laert. libro primo de VITA philosophorum.

THALES Milesius, septem sapientum primus, immortales animos primus asseruit, & de natura primus disseruit. Inanimatis quoque animas ineste putauit,argumento succini & magnetis. Principium omnium rerum aquam esse arbitratus est.Laert.lib.1.

PHERECYDES Syrus, Badis filius, Pittaci Mitylenæi auditor, & à quibusdam inter septem,connumeratus,à Theopompo primus omnium de natura & de Dijs scripsisse dicitur,teste Laert.lib.1.

ANAXIMANDER Milesius,Thaletis discipulus,principium elementum immensum hoc & infinitum, non tamen aquam aut aerem esse definiebat.partem enim mutari, totum verò immutabile esse. Terram medio loco centri instar,rotundam esse.Lunam lumen suum à sole mutuari.Solem terræ æqualem esse magnitudine, & esse purissimum ignem. Laert. libro secundo.

ANAXIMENES Milesius, Anaximandri auditor principium aera dixit,& infinitum.Moueri sidera non supra,sed circa terram.Ibidem.

ANAXAGORAS Clazomenius, Anaximenis studiosus, primus materiæ mentem adiecit in rerum principiis assignandis.Dicebat solem candens ferrum esse,& Peloponneso maiorem : propter quam vocem impietatis damnatus,& Athenis proscriptus fuit, quamuis intercedente pericle discipulo.Cœlum lapideum esse:propter rapidissimum autem motum contineri,ne rueret. Hinc discipulus illius Euripides in phaethonte fabula, solem auream glebam videtur appellasse. lunam habitacula in se habere,& colles & valles. Initia rerum esse ὁμοιομερείας quasdam : mentem verò initium motus. Corpora simplicia ex grauitate & leuitate distinguebat.Lacteum orbem reflexum esse solaris luminis, non intermicantibus astris, affirmabat. Cometas errantium stellarum esse concursum,flammas emittentium:ventos fieri, cùm aer à sole attenuatur. Tonitru esse collisionem nubium,fulgetrum confricationem, terræmotum successionem aeris in terram. Animantes primò ex humore & calore serraque migrasse, postea ex se inuicem natas esse:mares à dextris, fœminas à sinistris.

ARCHELAVS Milesius,Anaxagoræ discipulus,primus ex Ionia physicem Athenis inuexit:& appellatus est Physicus, quòd in eum philosophia defecerit naturalis, Socrate Ethicen introducente. Duas generationis causas asserebat,calidum & frigidum.Animalia de limo nata. aquam calore liquatam,& ignis ardore inflammatam, in terram conuerti : circumfluentem verò aerem cælum.Primus vocem, aeris percussum definiuit.Mundum infinitum esse statuit.

PLATO Socratis discipulus,non Ethica modò tractauit, verumetiam physica, præceptoris sui exemplo. Neque enim SOCRATES physiologiam penitùs reliquit & respuit: sed primus vtramque philosophiam coniunxit,cùm superiores philosophi physici tantùm essent. Plato igitur in Timæo naturam rerum ex Timæi Locri sententia explicat. primus ideas inuexit,& ante podas statuit,teste Laert.lib.4.

SPEVSIPPVS athenensis, platonis ex sorore nepos de anima scripsit.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis auditor,de natura scripsit, de infinito,de fato,de vno,de anima,de ideis.

ARISTOTELES Stagirita,peripateticorum princeps, primus omnium physiologiam vniuersam ad artem redegit.

THEOPHRASTVS Eresius, Aristotelis discipulus, magistrum imitatus, in physicis multa scripsit : præsertim verò doctissimos illos commentarios de plantarum historia & causis.Consule Laert.lib.5.

STRATO Lampsacenus, vir eloquentissimus, physici appellationem meruit, quoniam præter cætera studia diligentissimè physiologiam amplexus est.Scripsit de cœlo,de inani, de spiritu, de natura humana, de generatione animalium, de leui & graui, de tempore, & multos alios physicos libros.Idem.

HERACLIDES ponticus,Speusippi discipulus, in naturalibus multa scripsit,quæ lib.5.Laertius enarrat.

ANTISTHENES athenensis,Cynicorum princeps,de natura duos libros scripsit,item interrogationum de natura totidem.

ZENO Cittieus,pater Stoicorum,qui non de Ethicis tantùm,verumetiam de physicis sunt philosophati.Quorum opiniones Laert.lib.7. recensetur.

PYTHAGORAS in rebus naturalibus singularia quædam placita habuit,de quibus Laert.lib.8.

EMPEDOCLES agrigentinus,pythagoræorum discipulus, à lite & concordia omnia fieri asseruit.Laert.ibidem.

EPICHARMVS Cous,pythagoræ discipulus, de natura rerum,& de medicina scripsit.pariter & ALCMAEON Crotoniates, qui primus de naturæ ratione scripsisse traditur à phauorino, & lunam sempiternam naturam habere dixit. animam immortalem,& solis instar perpetuò mobilem.

HIPPASVS Mesapontinus,pythagoræus,finitum vniuersum, semperque moueri asseruit.

PHILOLAVS Crotoniata,pythagoræus,omnia necessitate & harmonia fieri opinabatur.Demetrius hunc primum pythagorica dogmata de natura rerum edidisse testatur,referente Laert.lib.8.

HERACLITVS Ephesius ex igne omnia constare asseruit. Fatum introduxit.Animarum & dæmonum omnia plena esse. Solem ea esse magnitudine,qua à nobis conspicitur. Omnia in perpetuo esse motu, per contrarietatẽ omnia fieri,& fluminis more vniuersa decurrere. Vide Laert. lib.9.Scripsit librum obscurissimum,quem alij Musas, alij De natura inscribunt. Eo lecto, Socrates dixisse fertur: præclara quidem sibi videri, verùm Delio opus esse nacatore, ne quis in profundo pelago suffocetur.

XENOPHANES Colophonius,Archelai auditor, quatuor statuit elementa,infinitos mũdos,animum esse spiritum. Omnia incomprehensibilia

sibilia hunc primùm dixisse,Sotion author est,teste Laert.lib.9.

PARMENIDES Eleates, Xenophanis discipulus, primus terram globosam dixit,rotundam,& in medio sitam:duoque elementa esse, ignem & terram:illum opificis, hanc materiæ rationem habere. Generationem hominum ex sole primùm ortam.Solem calidum esse,& frigidum. Animam & mentem idem esse.Idem.

MELISSVS Samius,Parmenidis auditor,vniuersum infinitum,immutabile,immobile & vnum esse voluit, sibiipsi simile ac plenum : motúmque reuera non esse,sed videri tantùm.Idem.

ZENO Eleates,Parmenidis auditor,mundos plures esse voluit,vacuũ non dari, ex quatuor primis qualitatibus omnia oriri asserit. Generari homines è terra.Animam ex his omnibus commixtam.Idem.

LEVCIPPVS Eleates,Zenonis auditor,infinita omnia, & inuicem mutabilia asserebat.Vniuersum infinitum,atomis plenum esse,& inane:mũdosque fieri corporibus in inane incidentibus,& in se inuicem implicatis.Atomos igitur primus principia esse dixit. Generationem & corruptionem necessitate quadam fieri.Idem.

DEMOCRITVS Milesius, Pythagoreorum auditor, Diacosmum opus scripsit,propter quod à ciuibus suis quingentis talentis fuit honoratus. Atomos & inane principia faciebat. Mundos infinitos, & corruptioni obnoxios.Atomos & numero & figura& magnitudine esse infinitos,ferríque in toto, & ex fortuito concursu elementa gigni. Visum fieri ex influxu atomorum.Necessitate omnia fieri.

DIOGENES Apolloniates, Anaximenis discipulus, aërem principium esse opinabatur:mundos infinitos,inane infinitum, ex aeris rarefactia mundos gigni.Laert.lib.9.

EPICVRVS Athenienſis de natura 37.libros edidit, item de vacuo & atomis.Vide Laert.lib.9.vbi epistolam Epicuri, omnia illius dogmata cõplectentem,recitat.

MENESTOR libros naturalium quæstionum scripsit,& Empedoclis sententiam in animalibus & plantis secutus est.Theophilus libro primo de Caus.plant.cap.26.

PHYSICÆ CONTEMPTVS.

CYRENAICI philosophi,sectatores Aristippi,Dialecticam simul & physicam contemnebant, quòd viri boni (qui rationem bonorum malorúmque didicissent)& aptè dictari essent,rerum,non verborum copia instructi,& supra naturam omnem caput elaturi viderentur,fuisse sius potius quam aliorum ratione habita. Laert. lib. 2. refert ex Meleagro & Clitomacho.

PINDARVS, naturæ speculationibus vacantes imperfectum sapientiæ fructum capere dicebat.Strobæus serm.78.

CYNICI philosophi Logicam & physicam tollunt,soli Ethicæ operam dandam censent.Laert.in fine lib.6.

PHYSIOGNOMI.

Arist.in fine secundi priorum,vltimum locum habet περὶ τῶ φυσιογνωμονεῖν,non quòd naturalium rerum cognitio ex ipso aspectu ad Logicum pertineat:sed vt ostendat,quantus sit Logicæ vsus etiam in hac parte philosophiæ. Ad naturalem enim philosophiam Physiognomia referenda est:cuius veluti species à quibusdam statuuntur, chiromantia & Metoposcopia:illa quidem ex lineamentis manuum, hæc verò ex rugis faciei & frontis mores hominum colligens. Quarum artium etsi fides non est magna,sunt tamen elegantis & iucundi ingenij symbola: & quia nihil superstitiosum nec impium, vt cæteræ diuinationum species,continent,sed naturales tantùm obseruationes habent, non sunt penitus repudiandæ in iocoso & ludicro vitæ genere.

EXEMPLA SACRA.

D. GREGORIVS Nazianzenus cùm Athenis Iulianum conspexisset,antequam imperio potiretur, ex ipsa physiognomia de ingenio eius indicans,exclamauit:Deus bone,quantum malum Romanum fouet imperium? Namque(vt ipsemet testatur) non boni hominis indicia esse videbantur,cervix non consistens,humeri,quos subinde iactaret ac reduceret mobiles:oculi errabundi & vagi,furibundum quid minantes : pedes instabiles,& genubus nutantes: nasus contumeliam & contemptum spirans, vultus deridiculus & ridiculus:risus immoderatus, & corpus cachinno concutiens:nutus sine annuens sine renuens,ratione carens:sermo consistens,& respirationc concisus:interrogationes incompositæ & ineptæ,responsiones nihilo illis meliores: aliæ aliis imminentes, sibiq; minimè constantes,neq; ab institutione liberalioris doctrinę prouenientes.Ex his itaque notis sanctissimus vir Iuliani impietatem & tyrãnidem collegit:quæ postquam ad imperium peruenit, manifestè contra Deum & probos viros grassari cœpit.Niceph.lib.10.cap.37. & Nazianzenus in secunda inuectiua contra Iulianum.

ISIDORVS Hispalensis episcopus, qui multa scripsit, Mahometem in Hispania vidit,antequam incendium illud excitaret : & ex ipsa physiognomia prædixit,illum pestem fore Ecclesiæ & Reip.iussitque eum capi.Sed is admonitus à Diabolo,fuga sibi consuluit. Antoninus tit. 13. cap.2.paragraph.6.

EXEMPLA PROFANA.

DEMOCRITVS Milesius vel Abderites,cùm Hippocrates medicus eum accessisset,comite puella quadam,eam salutauit:Salue virgo.postridie verò,Salue mulier.fuerat enim puella ea nocte vitiata. Laert.libr.9.

IDEM Diagoram Milesium seruum emit,quòd ex physiognomia intelligebat, eum optimo ingenio præditum esse.Suidas.

ZOPYRVS physiognomon,profitebatur se hominum mores naturásque oculis,vultu,fronte pernoscere : stupidum,libidinosum & bardũ esse Socratem dixit,quòd iugula concava non haberet:obstructas enim eas partes,& obrutas esse.Discipulos iratos eam ob rem, Socrates compescuit:verum Zopyri iudicium futurum asserens, nisi naturæ indecẽtes motus philosophiæ studio compescuisset.Ælianus & Cic.de Fato. Item Volater.lib.19.Anthrop.

STRATONICVS musicus cùm esset Pellæ,& in puteum descendisset,rogauit:Num esset aqua potabilis?eum dixissent,qui aquam hauriebant,Nos istam bibimus?Non est igitur,inquit,potabilis. quòd illos videret pallidos,luridósque.nam id interpretabatur malæ valetudinis argumentum,quam ex aqua contraxerant.Athenæus in dipnosoph.

CLEANTHES Asius hominis mores ex conspectu deprehendi posse dicebat.secundum Zenonem.Verùm cùm philosophum ludere (qui hoc audierant)cuperent,hominem cinædum, sed multis laboribus ab incunte ætate exercitatum adducunt, vt artis suæ specimen ederet.Cleanthes igitur,cùm hominis faciem,item manus calosas,& sole adustas vidisset,& aliquandiu siluisset,iussit hominem abire foras. Ille cùm discederet,sternutamento concussus est.Quo audito,Cleanthes ait : Satis naturam hominis intelligo,mollis est.Non enim facilè sternutant, qui sub dio laborant.Laert.lib.7.cap.2.

CHALCIDENSIS quidam,qui cum Orobazo descenderat, *Syllæ* vultum sæpius contemplatus, & ingenium motúmque corporis inspiciens:Necesse est,ait,hunc fieri magnum virum,mirórque cur omnium adhuc primus non sit.Brusonius lib.7.cap.20.

METOPOSCOPVS,qui inspecta fronte præcidere inspecti hominis fortunam solebat,à Narcisso Claudij Cæsaris liberto deductus, vt Britannici filij formam inspiceret:vt vidit eum,negauit imperatorum esse:euentúsque ipsum dixisse ostendit,quia ante Claudium Britannicus decessit.Et cùm iuxta eum vidisset Titum adhuc puerulum,manu eum designans,dixit:Illum quidem imperaturum,neque id eum fefellit : siquidem post quinque principes,ei imperium contigit.Fulgos.lib.8.cap.11.

P.VIRG.Maro cùm in veterinaria arte excelleret,Romæ magistri stabuli equorum Augusti amiciriam nactus,equos curabat,& in mercedem singulis diebus panes tanquam vnus ex stabularijs accipiebat.Interea à Crotoniatis pullus miræ pulchritudinis Cæsari dono fuit missus,qui omnium iudicio spem porrẽdebat virtutis & celeritatis immensæ.Maro verò eum ex morbosa equa natum,nec robore nec celeritate valiturum respondit.Idque reipsa verum esse,compertum fuit. Quod cum magister stabuli Augusto recitasset,duplicari ipsi in mercedem panes iussit. Cùm item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, Vergilius parentes eorum dixit & animum celeritatémque habituros.Quo cognito,iterum duplicari panes Vergilio mandat.Dubitauit tandem Augustus, Octauij filius esset,nẽne:& remotis arbitris Maronem ea de re consuluit,posset ne idipsum ex physiognomia deprehendere. Maro veniam præfatus quòd difficile foret hominum æquè ac brutorum cæterorum natales agnoscere,tandem tamen eum se pistoris filium arbitrari asseruit.Admirante id Augusto,ex munerib.panariis id se colligere dixit : quòd cum prædixisset hactenus miranda quædam,tamẽ præter panes nulla culisset munera.Facetiam boni consuluit Augustus,eúmque Pollioni commendauit. Donatus,in eius vita.

ANTIOCHVS Tibetius Cæsenas,BARTHOLOMÆVS Cocles Bononiẽsis, Physiognomi,& metoposcopi,ac chiromantæ.Vide sub tit.Astrologorũ.

PHYSICORVM PRÆDICTIONES,CONSILIA,MONITA,QVÆ VEL REBVSPVB. *vel priuatis hominibus vtilia fuerunt.* PHYSICAE *vtilitas in quotidiana vita.*

Crœsus Lydorum rex contra Cyrum,Persarum regem, expeditionem parans,vbi ad Halym fluuium perueniit,incertus animi fuit, qua parte fluminis traiiceret exercitum(nulli erant enim ea tempestate pontes) fertur THALES Milesius,qui in castris aderat,fecisse,vt fluuius qui ad læuam exercitus fluebat fuereteiam ad dexteram.Fecisse autem hunc in modum:Fossam peraltam exorsus supra castra,ductam in speciem lunæ

depressit, quæ castra, vt erant metata, à tergo amplecteretur. In quam cùm traduxisset ex pristino alueo fluuiũ, iterum eum, vbi exercitus traiectus esset, in suum alueum refunderet. Itaque cùm celerrimè fluuius diductus esset, vtrinque vado meabilis effectus est. Herodotus lib.1.

Fuit in ANAXIMANDRO Milesio diuinitas quædam, à quo Lacedæmonij præmoniti sunt, vt vrbem & recta custodirent, quando motus ingens terræ instaret: estque non multo pòst pars Taygeti montis magno telluris tremore in subiectam vrbem prouoluta, attulitque Spartiatis tectorum & hominum cladem supra modum calamitosam: sed multo maiorem allatura, si res non antea prouisa fuisset. Sab. lib. 10. cap. 8.

PHERECYDES Syrus, Pythagoræ præceptor hausta è puteo aqua futurum ibidem pòst triduum terræmotum prædixit. Laert. lib. 1.

ANAXAGORAS; prædixit, lapidem è sole casurum. Qui etiam cecidit multis pòst eius obitum annis, ad Ægos flumen, sub principe Dymylo. Aiserebat enim, cœlum omne ex lapidibus esse compositum. Laert. lib. 2.

DEMOCRITVS Abderites siue Milesius, cùm ad eum curandum Hippocrates venisset (eum namque melancholia laborare ciues sui existimabant) iussit afferri lac: eóque inspecto, & capellæ primi partus, eiusdémque nigræ lac illud esse asseruit. Qua quidem re Hippocratem sui summum admiratorem fecit. Laert. lib. 9.

PERICLES fulminis, LEONIDAS tonitru causas militibus physicè enarrantes, omnem eis metum exemerunt. Vide tit. Metũ eximere militibus.

EMPEDOCLES Agrigentinus, Etesiis aliquando vehementer flantibus, adeò vt fruges corrumperent, excoriari asinos iussit: factisque vtribus, eos collib. & montium verticibus affixit, ad flatus cohibendos. Cessantibus ob id ventis, ab euentu rei πολυανέμου dictus fuit. Laert. lib. 8. ex Timæo.

In condendis vrbibus prima ea cura esse debet, vt locus saluberrimus eligatur: alter, vt fertilissimus: tertius, vt commodissimus & ad negociationes, & ad res bellicas. Id autem quod primum est, Physiologi certè studio perspici tantùm potest.

MEDICINÆ TITVLI.

Vbi desinit Philosophus naturalis, ibi incipit elegans Medicus, inquit Arist. Vt enim plantæ radices suas in terra fixas habent, per quas alimentum suscipiunt, conseruantur tamen ambientis aeris temperie, & vitali siderum influxu vegetantur: ita quoque ars curandi homines, ex media philosophia principia & fontes suos petit, qui deinde particularibus medicinæ præceptis illustrantur & confirmantur. Quare Medicina nihil aliud est, quàm particularis quædam, & sensibus obiecta philosophia naturalis. Physicus enim in vniuersum omnia naturalia corpora, atque etiam humanum considerat, scientiæ causa: at Medicus circa solum humanum corpus versatur, non tantùm vt sciat illius naturam, sed potius vt ex hac scientia modum operationis & actionis deducat. Quemadmodum ergo ad moralem philosophiam Iurisprudentia, ad metaphysicem Theologia reducitur: ita ad naturalem sacra Medicina. Cuius inuentionem antiquitas diis tribuit, perfectionem deorũ filiis, Æsculapio nimirum, Apollinis filio, à quo Æsclepiadarum familia longo tempore in Græcia floruit, eorum videlicet qui Medicinam per manus traditam à maioribus suis non scripto, sed traditione sola & ἀκροάσει acceperant. Galenus Medicinam gemino crure niti affirmauit, ratione & experientia. Experientia tempore prior est, dignitate posteriori: à ratione enim experientia dirigitur. Dogmaticum superat empiricus, non illum quidẽ verum, sed soli contemplationi indulgentem, nunquã ad opus accedentem: cùm empiricus multos interdum curet, si non arte, attamen casu quodam, & vt in prouerbio est, ἀγαθὴ τύχη. Verus autem Dogmaticus, qui rationi experientiam coniungit, contemplationi in primis, deinde etiam actioni incumbit. Contemplatio corporis humani structuram & accidentia rimatur, non communia illa, sed medicæ theoriæ propria. Materia enim Medica corpus humanum est, ex principiis suis tum materialibus, vt pote elementis, spiritibus, humoribus, & partibus solidis similaribus ac dissimilaribus constans, tum etiam formalibus, nimirum ex temperatura, quam sequuntur actiones similes. Forma verò est sanitas ipsa & morbus, quorum merito sub medici theoriam corpus humanum cadit. Efficiens princeps natura est primo, deinde medicus: coadiuuans instrumenta triplicia complectitur, Diætam, Pharmaciam, & Chirurgiam. Finis pro diuersitate formæ varius est: prout vel conseruanda est præsens sanitas, vel absens recuperanda. Actio in particularibus tota versatur. Et hæc quidem. ὡς ἐν τύπῳ *dicta sint. De iis enim aliquando ex professo in Tabulis Artis medicæ, quam compositio ordine tradere instituimus, Dei opt. max. auspiciis, agemus. In quo quidem Opere non modò quia professionis nostræ munus ita exigit, verumetiam quia hac in re citra arrogantiæ crimen* θεὸς μεγάλοις ἔκνιτι *plurimum me posse scio, eam diligentiam adhibebimus, vt post numerosa aliorum scripta studiosi tandem perfectam, veram, compendiosam, facilémque medendi methodum habeant. Nam cùm medicam artem definitiue & resolutiue ordine iampridem illustrauerimus, in Galeni Arte medicinali, & libro de constitutione artis, resoluendis superest vt compositiue ordine eandem diexodicè interpretemur, modò vita supersit. Cæterum vt id quod præsens tantum locus exigit aggrediamur, sciendum est medicinam ex Arabum diuisione duplicem esse, theoricam & practicam. Etsi enim medicina tota ars est factiua, seu potius effectiua, tamen duplici ratione considerari potest: Quatenus scilicet omnia illius theoremata vel ad habitum animi, & ad intelligentiam sanitatis conseruandæ aut recuperandæ diriguntur, vel ad actum ipsum curatiuum, qui in particularibus conspicitur. Priore modo medicina dicitur theorica, quoniam theoremata siue præcepta vniuersalia tradit, ex quorum aggregatione oritur in intellectu habitus, quem artem vocant: cuius merito medicina hic inter theoricos habitus, siue inter animi theorici bona referri debet. Posteriore verò modo medicina practica est, quoniam præcepta vniuersalia in particularibus confirmat & exercet, eaque propter inter Mechanicas artes locum habere posset, quandoquidem* μηχανικὴ *est, hoc est* μηχάνημα, *siue opus quoddam post se relinquit. Neque tamen idcirco illiberalis vel sordida censeri debet, modò ne turpem quæstum sequatur. Theorica igitur est medicina, si radices spectes: sin verò fructus, practica. qua quidem diuisione posita, medicinæ differentias breui typo describemus, postea ad exempla accedemus: & primum eos qui medicinam exercuerunt, vel à natura, vel ab arte edocti, explicabimus. adiungemus ijsdem medicos imperitos & infelices secundò eos qui medicam artem coluerunt & admirati sunt, quamuis eam non exercerent: sub quibus ægros quoque, qui medicis sese commiserunt. eaque ratione artem se plurimi facere ostenderunt, comprehendi possunt. Quibus è diametro opponuntur illi, qui medicos neglexerunt & contempserunt. Tertio loco ministros medicorũ pharmacopœos, herbarios, chirurgos (ex nostri seculi consuetudine) describemus. Typus talis est.*



MEDICI NATVRALES, QVI SOLIVS NATVRÆ ductu & benignitate Medici fuerunt.

OPHIOGENVM familia in Cypro, serpentium ictus solo contactu leuat, & manu imposita venena extrahit. Ex ea familia legatus HEXAGON nomine, à Coss. Romæ in dolium serpentum coniectus, experimenti causa, circum mulcentibus linguis miraculum præbuit. Signum eius familiæ fuit, vermis temporibus odoris virus. Sudor eorum medebatur, nõ modò saliua. Plin. lib. 18. cap. 3.

PSYLLI Africæ populi, & MARCI, terrori sunt serpentibus, & tactu ipso leuant percussos, suctúue modico. Idem.

INCOLÆ Tentiri insulæ Nili sola voce crocodilos abigunt. Idem.

PYRRHI Epirotarum regis pollex in dextro pede, lienosis solo attactu medebatur. Hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditúmque loculo in templo. Plin. libro 7. capite 2. & Plut. in eius vita.

In Elide PELOPIS costa eburnea ostendi solebat, quæ medicam vim in se habere putabatur. Plinius libro vigesimo octauo. capite 4.

VESPASIANVS cùm Alexandriæ esset, sub initia imperij bellíque Vitelliani, quendam manu sideratum pedis sui contactu sanauit: suáque saliua cæco cuidam visum restituit. Suetonius & Tacitus, referente Fulg. lib. 1. cap. 6.

HADRIANVS Imp. cùm grauiter laboraret, & mulier quædam ei salutem ex somnio portenderet, exacto spacio quod præfinierat seipsã excæcauit. Interim conualescit Imperator. Illa somnij monitu genua Hadriani complexa, & aqua lustrali aspersa, visum recepit. Quidam etiã cæcus ex Pannonia cùm Hadrianum tetigisset, visum à natiuitate, amissum recuperauit. Idem.

GALLORVM reges scrophulas solo attactu sanare dicuntur, Piè creditũ christiani Gallorum regibus hoc donum diuinitus concessum: vnde non satis exacto iudicio videntur illi in hoc album referri.

ANGLORVM reges occulta quadam vi morbum, quem vulgò Noli me tangere appellant (est autem carcinomatis species) curare perhibentur.

MEDICI EX ARTE.

Obseruatio & experientia Medicinam primùm constituit: secuta postmodum ratio, eandem confirmauit, & ad artem redegit. Opus est itaque diligentia in operando, & prudentia in deliberando. Horum vtrunque veteres symbolicè voluerunt ostendere, quando gallum, vigilantissimum animal, & serpentem, prudentiæ symbolum, Æsculapio sacrum esse finxerunt. Gemino crure nititur medicus, dextro rationis, & sinistro experientiæ. Nos in exemplis afferendis non sectas, sed successionem secundum tempus obseruabimus. Quòd si Deus vitam dederit, Medicorum vitas aliquando ex professo tractabimus, vt habeant tandem studiosi post Otthonem Brunfelsium, Remaclum F. Limburgensem, Symphorianum, & Rauisium de historia Medica perfectum quid & absolutum. Plin. lib. 29. cap. 1. de Medicinæ auctoribus & successione quædam tradidit. Qui volet, ea legere poterit.

Consule tit. Poetarum medicorum.

APOLLO, Æsculapij pater, medicinæ vsum primus dicitur attulisse, ac propterea in deorum numerum relatus. Ouid. lib. 1. Metamorph.

Inuentum medicina meum est, opisque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

ISIDEM asserunt Ægyptij plurium inuentricem ad morbos medicamentorum, & medicinæ arti admodum contulisse: eámque immortalitate quoque potitam, gaudere hominum cultu, inque eorum valetudine præcipuè versari. Quinetiam in somnis opitulabatur palàm eis quos censebat dignos, tum ostendens suum numen, tum erga gentes curandas beneficentiam. De huius prodigiosa medicina copiose Diod. Siculus libro 1. de rebus antiquis, cap. 2.

CHIRON, Saturni filius ex Phillyra, herbarum naturas primus inuenisse, Achillémque & Æsculapium docuisse fertur. Phœnici Amyntoris filio oculis capto visum restituit. Ab eo nomen sumpsit herba quæ Centaurea dicitur. Plinius cap. 6. lib. 25.

ÆSCVLAPIO Apollinis filio plerique inuentum medicinæ referũt

acceptum: in qua adeò excelluit, vt mortuum Hippolytum fingatur ad vitam reuocasse, & Androgeum Minois filium ab Atheniensibus interfectum. Propertius lib. 2.

ERIBOTES, Teleontis fuit filius, medicinæ peritissimus, qui Oilei vulnus à Stymphalidibus illatum sanauit. Orpheus in Argonauticis.

ARABS, Apollinis filius, & Babylonis, quem Plin. lib. 7. medicæ artis apud Ægyptios repertorem dicit.

PAEON medicæ artis peritissimus, à cuius nomine Pæonia herba nomen sumpsit. Post obitum, in deorum numerum relatus: & ne ociosus esset, deorum medicus constitutus.

PODALIRIVS, filius Æsculapij, & frater Machaonis, medicæ artis peritissimus, qui cum Græcis ad Troiam profectus dicitur.

MACHAON Æsculapij filius, medicus clarissimus, Philoctetē Pæantis filium Herculis sagitta hydræ veneno tincta vulneratum sanauit. Propertius lib. 2.

NICOMACHI tres fuêre. Stagirites primus, Machaonis filius, Æsculapij nepos, qui scripsit de medicina libros sex, & de philosophia vnum. Alter pater fuit Aristotelis, pharmacopola & medicus, pro veteri consuetudine. Tertius Aristotelis filius, itidem medicus, qui commētarios scripsit in libros Physicorum Aristotelis patris, & Ethicorum libros, teste Suida.

AMYTHAON, Melampodis pater, inter claros medicos olim habitus est, filij tamen gloria, quàm sua illustrior.

MELAMPVS Argiuus, Amythaonis & Aglaiæ filius, vates & poeta vetustissimus, medicus insignis, Prœti Argiuorum regis filias 4. Mœram, Euryalen, Lysippen & Iphianassam (alij Mœram Iphinoen vocant) à furore liberauit. Nam cùm fortè Iunonis templum ingressæ, temerè se cū Iunone contulissent, à dea ad insaniam redactę, vt vaccas se esse arbitrarentur, iisque rebus terrerentur, quibus solent ea animalia, dicuntur: Prœtus, qui illas sanaret, earum se vnam illi vxorem cum regni parte daturum promittit. Melampus conditionem accipit, & eas vel caprino lacte (vt Ælianus) vel ellebro (vt Galenus vult, qui idcirco Melampodion, elleborum vocari asserit) vel entheis clamoribus & choreis, accitis secū validissimis iuuenibus, eas Sicyonem vsque compulit: in quo cursu Iphinoe maior natu extincta sit, secundum Apollodorum: vel Clitorij fontis Archadiæ aqua, quæ bibentes abstemias itaque eas curasse dictus est. Sed quid si omnibus his res acta? Nam & eleborus niger caprino lacti incoctus melancholiam educit, & exercitium vehemens per sudorem euacuat, & aquæ potus feruorem atræ bilis restinguit. A Prœto duabus regni partibus donatus est, & duæ filiæ superstites Melampo, & fratri eius Bianti datę, Iphianassa scilicet Melampo, ex qua sustulit Antiphatē, & Manto. Hæc Gyraldus de Hist. poetarum, Dialogo secundo.

HIPPOCRATES, domo & genere Doriensis, vrbe Coas, Heraclidę & Phęnaretis filius, ab Hercule vigesimus, ab Æsculapio vndeuigesimus fuit. Natus est primo anno LXXX Olympiadis, anno scilicet mūdi 4760. vt Eusebius supputat. Vir ingenio summus, & vnus, qui posset medicinæ præcepta, sparsa vndique, & dissipata in ordinem redigere, diuinísque suis scriptis illustrare: in quibus nullum est verbum, quod non ex penetralibus naturæ depromptum, & ex profunda sapientia haustum esse videatur. Populares suos Græcos tanto est amore prosequutus, vt ad Artaxerxem Persarum regem, quamuis maximis donis ab Hystanide Hellespontiorum præfecto euocatus, proficisci noluerit. Mortuus est Larissæ, post Democritum, annos natus centum & quatuor: vel (vt alij referunt) centum & nouem. Honores eosdem qui Herculi decreti erant à cuncta Græcia obtinuit, quod imminētem ab Illyriis pestem prædixisset, eique malo per discipulos suos per Græcas vrbes passim dimissos occurrisset: vt Sabellicus libro decimo, capite octauo. Auctor est statua ei posita, capite tecto pileo. Filios reliquit Thessalum & Draconem.

THESSALVS Cous, Hipocratis filius. Cuius adhuc quædam opera sub Hippocratis nomine circumferuntur, secundus videlicet, quartus & sextus Epidemiorum, quorum fortassis argumenta pater in μνημονευτοῖς annotauerat. Gal. 8. Methodi. Filios habuit, Gorgiam & Hippocratem.

PRODICVS, Selymbriæ natus, Æsculapij vel Hippocratis quondam discipulus, iatralepticen instituit. Plinius libro 29. cap. 1.

STRATONICVS & SABINVS, discipuli Hippocratis, à Gal. in lib. de Atra bile celebrantur.

POLYBVS Hippocratis discipulus (vt in secundo de Natur. human.) & PSELLVS, de salubri victus ratione Enchiridia scripserunt. Fuit etiam alius Polybus Hippocratis filius, fortasse ille idem cum priore.

EMPEDOCLES Agrigentinus non modò philosophus insignis, verumetiam medicus fuit eximius. Nam & mulierem defunctam vitę restituit, & Selinuntiis ex fœtore vicini fluuij pestilentia laborātibus hoc remedium dedit: duos quosdam ex vicinis amnibus proprio sumptu in fluuium corruptū immisit: itáque factum, vt ex commixtione salubris aquæ fœtor cessarit, & pestis profligata fuerit. Laert. lib. 8.

ACRON Agrigentinus Athenis philosophatus est cum Empedocle. empiricen à dogmatica medicina separauit primus. Galen. 2. Method. & Plin. lib. 29. cap. 1. & Suidas. Hic pestilentia Athenas passim occupante, affectorum plerisque opem tulit salutarem, accensis in proximo ignibus. Cælius cap. 22. libro decimotertio.

DELPHINVS, Acronis discipulus, empiricus.

SERAPION Alexandrinus, primus empiricus, iuxta auctorem Introductorij vt vocant: quem Gal. in secundo Therapeut. aliquoties notat.

PRAXAGORAS ab Æsculapio genus duxit, homo non admodum ingeniosus: Philotimo tamen discipulo, medico excellentissimo, nobilitatus est. Meminit vtriusque Galenus.

DIOCLES Carysthius, secundas meruit post Hippocratem, teste Plinio li. 26. cap. 2. & fortasse etiam Galeno, qui illius auctoritate frequenter vtitur. Artem ille medicam, quæ iam ab Asclepiadum familia exciderat, illustrauit, in anatomicis præsertim, & re herbaria.

PETRO post Hippocratem fuit, successit Diocli Carysthio, ante Herophilum & Erasistratum, qui febricitantes aquæ frigidæ potu curabat. Celsus lib. 3. cap. 9.

HEROPHILVS Chalcedonius empiricos damnauit, & pulsus obseruationem per ætatum gradus docuit, & subtilioris sectæ author fuit: requirebat enim doctos auditores, & in philosophia versatissimos. Plinius libro vigesimonono, capite primo, quem tamē Plinius, vtpote rhapsodus, & qui medicinam experientia magis quàm methodo constare arbitratur, temerè reprehendit lib. 26. cap. 2. Putauit autem Herophilus plurimarum herbarum vires ignorari: plurimas enim vel calcatas prodesse. Plinius libro vigesimoquinto, capite secundo. Vitæ restituit hominem iam elatum. Fulgosus lib. 8. cap. 11.

CHRYSIPPVS Diocle & Praxagora posterior, pręceptor Erasistrati, Dialecticus insignis, logicarum ratiocinationum subsidio Hippocraticam disciplinam maiore conatu quàm successu conuellere & labefactare conatus est. Plinius.

ERASISTRATVS Chius, Chrysippi discipulus, Aristotelis ex filia nepos, Athenis medicinā exercuit, Antiocho & Ptolemæo regibus gratissimus.

PHILIPPVS Chrysippi discipulus, Epirotes, apud Antigonum regem. Celsus lib. 3. cap. 21. historiam refert. Plin. lib. 19. cap. 13. & Gal. 10. Meth.

PHILIPPVS Cous, Herophili discipulus, logicis rationibus Empiricos primus conuicit: auctor Gal. in Eisagoge. qui illum 10. Meth. perstringit, quòd balneum in marasmo formidauerit.

EPICHARMVS Cous auditor Pythagore, scripsit de rerum natura ac medicina commentarios: quos adhuc exstare in bibliotheca Vaticana, scribit Volater.

MENECRATES Syracusanus medicus, nullam ab his mercedem accipiebat, quibus medebatur. Curabat in primis morbum sacrum hac lege, vt liberati se esse ipsius seruos faterentur, eúmque Iouem appellarent. Ferúntque in id tumoris fuisse euectum, vt quandoque ad Agesilaum Spartæ regem hoc modo scriberet: Menecrates Iupiter Agesilao regi salutē. Cui ita Agesilaus respōderit: Agesilaus Menecrati sanitatem. Plutarchus in Apoph. Cælius cap. 38. lib. 6. & Suidas.

CTESIAS Gnidius, Xerxis medicus. Strabo lib. 13.

DEMOCIDES medicus Polycratem Samiorum tyrannum curauit talentis duobus: scripsítque librum de Medicina. Herodotus in Thalia auctor est, Democidem Thalipontis Crotoniensium principis medicum fuisse, atque duobus aurearum compedum paribus à Dario donatum.

POLYCLETES insignis medicus, cùm Phalaridem morbo grauissimo laborantem sanitati pristinæ restituisset, à tyranno ex puro auro phialas quatuor accepit, crateras argenteos duos: poculorum item thericliorū paria decem, puellas quoque intactas viginti, & cum his Atticorum argenteorum quinquaginta millia, & alia quamplurima: quæ legere licet in Phalaradis ad medicum epistola, quę extat apud Pontanum de Liberalitate, cap. 25.

PHILON medicus nobilis, quum medicamenta quædam ad medendi vsum exquisitissima concionaret, & regias quasdam Alexipharmacas potestates, eas deorum manus appellabat, velut diuinas & salutares. Cælius lib. 16. cap. 10.

ARISTOGENES Thasius medicus floruit temporib. Antigoni Macedoniæ regis, ad quam libros plurimos scripsit de re medica. Suidas apud Volat.

ARISTOGENES alter Gnidius, Chrisippi philosophi seruus fuit, itidem medicus, qui magnam adeptus est famam ex curatione Antigoni Gonatæ cognomento. Suidas.

CRISTOBVLVS medicus singularem peperit laudem sagitta ex oculo Philippi Macedonis, citra oris deformitatē, euulsa. De quo abundè Curtius meminit lib. 7. cap. 37.

PHILIPPVS Acarnaniensis, medicus Alexandri magni, de quo elegans est historia apud Curtium, libro 3. Nam quum Parmenio literas ad Alexandrum dedisset, quibus eum monebat, vt ab insidiis Philippi, velut ab hoste Dario corrupti, sibi in ægritudine caueret: Alexander exploratam habens medici fidem, poculum ab ipso Philippo datum hausit, demum literas Parmenionis eidem legendas concessit.

THEOMBROTVS, quia Antiochum regem seruarat, à Ptolemæo rege Megalensibus sacris centum talentis donatus dicitur. Plin. lib. 7. cap. 37.

TIMOCHARES Pyrrhi medicus, veneno regem tollere conatur. Vide tit. Fides bellica publica erga hostes. Q. Curtius tamen hunc medicum NICIAM appellat.

NICANDER Colophonius, poeta idem clarus, quippe qui magnum hinc nomen assecutus est, & medicus æque habitus, floruit sub Attalo iuniore, qui Gallogræcos vicit. Scripsit Alexipharmaca & Theriaca: item de Agricultura: præterea curationum collationes, & Hippocratis prognostica versibus edidit.

CHERIAS Atheniensis apud Plinium testis est, radicem cardui ex aqua decocta potatoribus sitim facere, stomachum corroborare: & vuluis aliquid conferre, vt mares gignantur.

CHRYSERMVS bulbi radice in vino decocta parotidas curabat.

LYCVS Neapolitanus atriplicem (nomen est herbæ) contra cantharidas bibendam censet: apud Plinium cap. 20. lib. 20.

ARTEMON calua interfecti, ignéque cremati, propinauit aquam è fonte, noctu, comitalibus morbis: autore Plinio capite 1. libro 28.

GLAVCIAS in cognoscenda cadauerum natura diligentissimus. Plinius, & Cælius capite 29. libro 16.

DEMOCRATES Seruilius citatur à Plinio libro 25. Primúsque medentium herbam dicitur inuenisse, quam appellauit Hyberidam.

Idem lib. 24. ait DEMOCRITVM fuisse medicum, qui in valetudine Considiæ, M. Seruilii consularis filiæ, omnem curationem austeram recusantis, diu efficaciter vsus sit lacte caprarum.

Cassius Hemina apud Plinium testis est, ARCHAGATHVM Lysaniæ filium Peloponnensem, primùm è medicis venisse Romam, L. Æmylio & M. Liuio consulibus: eique ius Quiritum datum, & tabernam in compito Acilio emptam. Ob id publicè vulnerarium fuisse vocatum tradunt miréque gratum aduentum eius ab initio: mox à sæuitia secandi vrendique, nomen carnificis meruisse. Plinius capite septimo, libro vigesimo quinto, & libro trigesimo, capite tertio.

CASSIVS quidam inuentor pharmaci, quod Celsus libro quarto capite decimoquarto, κολικὸν vocat.

CASTOR medicus docuit Piperitim herbam (quam alij Siliquastrū vocant) bibi contra morbos comitiales. autor Plin. libro 20. Idem scripsit, succum radicis ferularum, oculorum claritati multum conferre.

IVLIVS Græcinus, Iulius Atticus, medicinæ & agriculturæ studiosi, apud Columellam habentur.

ARCHIGENES, celebris medicus apud Galenum verus dogmaticus, plurima scripsit.

CHARMIS è Massilia medicus, priores medicos & balnea damnauit: frigidáque hybernis algoribus lauari persuasit. Mersit ægros in lacus: adeò vt Plinius dicat, se vidisse capulares senes vsque in ostentationem rigentes.

CLEOPHANTVS Asclepiade prior fuit, teste Plinio, & Celso libro tertio, capite decimoquarto. Hic vini rationem illustrauit, & semen pastinacæ erraticæ dysentericis prodesse docuit.

ASCLEPIADES Prusiensis, Cn. Pompeij familiaris, iniit primus certam rationem, qua vinum ægris mederetur, relato è funere homine, & conseruato. Dicebat salutem constare cibi potúsque abstinentia: præterea gestatione, ambulatione & fricatione. Scripsit ad Mithridatem volumina aliquot, auctore Plinio. Mortuus est scalarū lapsu, in extrema senectute. Fecerat enim cum fortuna sponsionem, medicus ne crederetur, si vnquam inualidus illo modo fuisset: vt Sab. libro decimo, capite octauo notat. Sub Attalo & Eumene floruit, Myrlæa vrbe Bythyniæ ortus, & ex grammatico medicus factus, varia blandimenta & lenocinia commentus est ad ægrotorum gratiam & iucunditatem. Siquidem & balneorum vsum primus commendauit, primúsque lectulos excogitauit suspēsiles, quorum molli iactatione irritaretur & obreperet somnus. autor Plinius libro septimo, capite 37. & capite 3. libro 26.

THEMISON auditor Asclepiadis, Thessalo Tralliano fundamenta suæ iecit insaniæ, vt inquit Gal. 1. Therap. Damnauit oxymellis & hydromellis vsum.

EVDEMVS, primus post Hippocratem neruorum anatomen descripsit. Aiunt eum adulterium commisisse cum Linia Drusi Cæsaris.

ANTONIVS Musa, medicus Augusti, Themisonis methodici imitator. Plinius libro vigesimoquinto, capite septimo. Vide quæ de liberalitate Augusti erga eum suo loco dicuntur.

EVPHORBVS Antonij Musæ (qui Augusti medicus fuit) frater, Iubæ Mauritaniæ regis medicus fuit: à quo rex ipse Euphorbiam herbam denominauit. Plinius libro vigesimoseptimo, capite septimo.

ARTORIVS medicus, qui Augustum somnio suo monuit, vt in aciem Pharsalicam, quamuis æger, descenderet. Vide tit. Somnia victoriæ prænuntia.

SCRIBONIVS Largus, sub Tiberio floruit.

LVCAS Atheniensis, ex medico & pictore Euangelista factus est.

VECTIVS Valens, adulterio Messalinæ Claudij Cæsaris nobilitatus, paritérque eloquentiæ assectator, nouam sectam condidit. Plinius libro vigesimonono, capite primo.

ALCON, seu Alcontius, medicus fuit vulnerum centum sestertiis à Claudio condemnatus, & exul missus in Galliam, demum restitutus. Nescio an is sit, de quo loquitur Martial. libro sexto. Ostendit digitum, sed impudicum Alconi, Dasióque, Symmachóque. Ausonius de alio Alcone itidem medico loquitur, qui Diodorum haruspicem vaniloquum fecit.

THESSALVS Trallianus (est autem Trallis vrbs Lydiæ non procul à Magnesia, Asiaticarum omnium opulentissima) superbus & audax homo, vixit tempore Neronis, natus ex patre (vt Gal. inquit) malè lanas carpente, & in gynecæo educatus. Hic princeps fuit sectæ Methodicorum, cum methodum quandam in cœlo habitantem fingeret, qua sex mensibus artem quis ediscere posset. Tyrannidem in medicina suo tempore inuasit: & omnia artis præcepta, furiosa sua temeritate obliterare conatus est. Itaque monumento suo, quod est in via Appia, ἰατρονίκην curauit incidi, teste Plinio. Verùm insaniam illius cum aliàs, tum præsertim in 3. & 4. Methodi, Gal. arguit & condemnat. Vide Plinium.

EVAX rex Arabum, scripsit ad Neronem de effectib. simplicium, teste Plinio, libro vigesimoquinto, capite primo.

CORNELIVS Celsus, Latinus Hippocrates, de Rhetorica, de re militari, de re rustica scripsit: in primis verò de re medica. libros 8. longe luculentissimos Vixit sub Nerone, anno salutis 24. Eius sæpe Plinius, Columella, Quintil. meminit.

CIRICIAS Massiliensis, in praxi siderum motus ex Ephemeridibus obseruabat. Damnauit non solùm priores medicos, sed & balnea, frigidáque etiam hybernis algoribus lauari persuasit, mersitque ægros in lacus. Plinius libro vigesimonono, capite primo.

HERACLIDES Erithriæus, inter dogmaticos recenseri potest, cùm artem medicam ordine definitiuo tradiderit: vt Gal. in procœmio Artis med. testatur.

HERACLIDES Tarentinus, empiricus Gal. libro sexto de Loc. affectis, capite quinto.

ANDROMACHVS, Neronis archiatrus, Theriaces inuentor. scripsit Therapeuticos libros, teste Gal.

ANDROMACHVS eius filius, Antonini Cæsaris primarius medicus.

HERMOGENES medicus, Adriano Imperatori, se interficere volenti, circumscripsit locum sub mamilla: quo lethaliter percusso, celerius expiraret. auctor Dion Cassius.

RVFFVS Ephesius vixit sub Traiano. Scripta eius Galenus, in libro de Atra bile citat, & valde laudat.

CRITO scripsit libros Cosmiticorum, ex Cleopatra & Heraclide.

LVPVS Macedo, veluti oracula ex adytis proferre videbatur, eáque grauitate omnibus se admirabilem faciebat. Gal. primo de Facult. nat.

ATHENAEVS Attalensis nullum morbum in intemperie simplici dari voluit, sed incomposita tantùm. Gal. lib. primo de Tempore.

PELOPS Galeni præceptor. Gal. libro 4. de Loc. aff. capite 7. & in lib. de Atra bile.

ÆSCHRONES, Galeni præceptor: cuius multis in locis meminit.

GALENVS Pergami natus, patre Nicone, insigni geometra & architecto diuite. Vixit Romæ temporibus Marci Commodi & Pertinacis Impp. Plurima scripsit in grammaticis, in Dialecticis, Rhetoricis, Philosophia, maximè verò in Medicina. Itaque Cos. medicorum Auerroes in 5. Collect. illum omnibus medicis anteferre non dubitauit. Vixit annos 70, secundum Suidam: alij 140 annos affirmant, vt testatur Cælius libro decimosexto Antiquarum lect. capite 40. In patria tandem fatis cessit.

ANTIPATER medicus Galeno coæqualis, sexagenarius obiit Romæ, vbi medicinam summa cum laude publicè exercebat. Galen. libro quarto, de Loc. affec. capite secundo.

IVLIANVS Methodicus, Apollonidæ Cyprij discipulus. Hunc cùm Gal. aliquando Alexandriæ conuenisset, nihil præter nugas ab eo didicit. Gal. primo Meth.

Q. SERENVS Sammonicus, poeta lyricus, & medicus, cuius nobile carmen extat, de morborum remediis: præceptor fuit Gordiani iunioris, eique bibliothecam suam legauit. A Caracalla in balneis trucidatus est, Ælio Spartiano teste, & Macrob. lib. 3. Saturn.

OCTAVIVS Horatianus Afer, discipulus Vindiciani, medici Imperatoris Valentiniani: scripsit de re medica eodem ordine quo Aurelianus. Filium habuit Eusebium.

SS. COSMAS & DAMIANVS medici, apud Egram ciuitatem comprehensi, capite plectuntur sub Diocletiano, anno Salutis 274.

PAVLVS Ægineta, mirabili ardore discendi percitus, difficillimas peregrinationes suscepit, vt medicam artem cognosceret. Libros reliquit, non ex sua inuentione, sed ex Galeni imitatione, cuius veluti simia dici potest.

ORIBASIVS Sadianus, Iuliani Imperatoris medicus, (alij Pergamenum faciunt) inuidia deinde principum in exilium relegatus, mox reuocatus, multa scripsit, quæ hodie etiamnum extant. De eo celebratum illud circumferebatur, ἄξιος ὀνειδάτιος Διὸς ὀριβάσιος. Suidas & Eunapius in Sophistarum vita.

ALEXANDER Trallianus, Trallis oppido Lydiæ ad Mæandrum ortus, ab ineunte ætate ita fuit studiosus sapientiæ, vt σοφιστὴς passim appellaretur. Medicinæ studio longas peregrinationes subiit, multáque pręclara scripsit.

ALEXANDRI medici problemata circumferuntur. Dubitant quidam, an idem sit Aphrodisæus philosophus & interpres Aristotelis, qui sub Seuero & Antonino Imp. floruit.

ÆTIVS ex Antiochia Syriæ, Eunomij præceptor, sub Constantino Magno floruit. Eunapius Oribasio coæuum facit, & vtrunque Iuliani apostatæ errorem sequutum asserit. Aurifaber primùm, deinde medicus & philosophus. Pauperes gratis curabat, eámque ob causam Gallo Cæsari acceptus fuit. Officio fuit diaconus: verùm hæreseos Arianæ, in qua ipsa tamen nouum quid excogitauit, vt in tit. de hæreticis, ex Sozomeno colliges. At Io. Baptista Montanus Ætium, cuius opera medica circunferuntur, Amydenum fuisse ait, ex Amyda Mesopotamiæ vrbe. Antiochenum verò alium sophistam sub Constantino floruisse, qui sacris ordinibus initiatus, tandem in Arianam hæresim delapsus sit.

CAELIVS Aurelianus Afer, cuius opera hodie exstant, in Methodicam sectam magis videtur inclinare.

GENNADIVS medicus Carthaginensis, de animorum immortalitate malè sentiens. Vide tit. Somnia præsaga virtutis.

IOANNES Medicus, tempore Plinii vixit, vt multi volunt: quòd & ex veteribus medicis flores collegit, Serapion, quasi roseus, dictus Plin. libro duodecimo, capite decimotertio.

AVICINNA, Arabum Cicero & Galenus, Cordubensis, è Balé oppido oriundus, stirpe (vt quidam volunt) regia Galenum non inuentione, sed ordine doctrinæ superat. Cordubæ suis sumptibus prochodo-

chium extruxit, & ęgris vltro acceptis gratis medebatur. Mortuus quadragenarius, anno Domini 428. Nonnulli Augustino coæuum faciunt.

AVERROES Cordubensis, dictus Commentator, non practicus, sed theoricus medicus, floruit anno Domini 1150.

RASIS Afer, cognomine Experimentator. Auicenna Fen. tertio Meamechum eum appellat. Scripsit multa & varia.

AVENZOAR, cognomento Sapiens, Auicennæ æqualis atque etiam eiusdem carceris particeps. Patre medico natus, multa scripsit. Quidam Cantuariensem fuisse aiunt.

IOANNES, Mesuæ filius, genus suum in Abdelam regem Damasci referentis, vixit anno salutis 160. Pharmacopœorum Euangelista, & modò non Deus appellatur. Quidam an Christianus fuerit, dubitant. Vide Volaterranum.

ACTVARIVS, Zachariæ F. medicus insignis, cuius opera hodie circunferuntur.

ELPIDIVS, medicus Theodorici regis Gotthorum. Vide tit. Animi mœrore mortui.

IOANNES Damascenus, monachus Benedictinus, sub Anastasio II. pontifice claruit, anno salutis 484. in theologiæ & medicinæ facultate quædam scripsit.

PETRVS, Vlyxiponensis, episcopus Tusculanus, Pontifex factus, Ioannes 22. dictus est. Hic inertis alioqui ingenij, in medicina fuit doctissimus, ita vt Canones quosdam scripserit, & Thesaurum pauperum. Ruina cubiculi Viterbij periit, Platina.

PETRVS Apponensis, Patauinus, Conciliator dictus, Bononiæ docuit. Vocatus ad ægrotos extra vrbem, non minoris quàm 50. florenis conduci se patiebatur. Ab Honorio IIII. pontifice in singulos dies, centum exegit. Sed cùm ille sanitatem recuperasset, mille donatus fertur. Octogenarius obiit.

ARNALDVS de Villa noua, Narbonensis, anno salutis 1300. natus, quo tempore Conciliator & Raymundus Lullius claruerũt: linguas Latinam, Gręcam, Hebraicam & Arabicã calluit. Philosophus summus, medicus excellens. Cùm Conciliatorem Bononiæ ab inquisitoribus fidei vexari audiuisset, in Siciliam ad regem Fridericum profugit: à quo ad pontificem sanandum missus, in mari mortuus, & Ianuæ sepultus est.

MARSILIVS Ficinus Florentinus, Ficini Medici filius, sacerdos, philosophus Platonicus clarissimus, & medicus insignis.

ZERBVS, medicus Italus, quum accitus grandi pecunia penetrasset ad Triballos, vt Schenderbassam, recenti & luctuosa in Euganeos irruptione clarissimum, intercutis morbo liberaret: nec demum, quod inflatè promiserat, morienti præstaret, à Barbari seruis interfectus est. Scilicet vt qui malè secando cadauera multos discipulorum seduxerat, ipse viuus secaretur, & ignorantiæ simul atque auaritiæ suæ pœnas lueret. Iouius, in Elogio Turriani.

MATTHAEVS Siluaticus Mantuanus, nobili genere ortus: scripsit ad Robertum Siciliæ regem Opus de simplicibus.

MATTHAEVS Gradius Mediolanensis, Ticini professus est. Scripsit multa, eáque doctè.

GERARDVS Suboletanus, Auicennam ex Arabico in Latinum conuertit. Volater. lib. 21.

BERTRVCCIVS Bononiensis, suæ ætatis Æsculapius habitus obiit Bononiæ, sepultus in æde D. Petronij.

IOANNES Arculanus Romanus, Bononiæ & Patauij diu docuit, ætate Hugonis Senensis: vt quidam volunt.

BARTHOLOMAEVS de Montagnana Patauinus, Bononiæ, & in patria diu docuit summa cum laude. Scripta eius adhuc extant. moritur septuagenarius.

MARSILIVS de S. Sophia Patauinus, vixit anno 1408. & quædam in Hippocratis libros annotauit. Patauij obiit.

IACOBVS Foroliuiensis Patauij professus est, & illic obiit, anno Domini 1424.

HVGO Senensis vixit sub Eugenio quarto. Ferrariæ in Concilio generali doctissimos quosque ad cænam inuitauit. Græcos simul & Latinos: & (quod Gorgias olim) professus est, se de quacumque re interroganti extemporè responsurum. Professus est Patauij. Obiit Romæ, anno 1438.

GENTILIS Fulginas Perusinus, Auicennæ doctissimus interpres, octogenarius ferè obiit, Bononiæ apud Dominicanos sepultus.

MICHAEL Sauanorola Patauinus, Iacobi Foroliuiensis filius, multa scripsit. Obiit Patauij.

TRVSIANVS Florentinus, Thaddæi discipulus, cùm videret infelicitatem suam in medica praxi, Carthusiensis monachus factus, in artem Medicam Galeni commentarios edidit.

NICOLVS Florentinus, inter barbaros medicos recentiores doctissimus & ingeniosissimus, Opus medicum ex veteribus concinnauit. Obiit in patria.

THADDAEVS Florentinus, Bononiæ magna cũ laude docuit. Obiit anno Salutis 1270. Sepelitur apud Dominicanos.

DYNVS de Garbo Florentinus, Brunonis chirurgi filius, Thaddæi discipulus, multa præclara scripsit. Volater. lib. vigesimoprimo.

THOMAS Florentinus, Dyni filius, patre nõ inferior Bononiæ obiit.

ALEXANDER Benedictus Veronensis, post longas peregrinationes, Venetiis diu praxim exercuit, & Patauij cum laude professus est. Scripsit multa præclara.

PETRVS Leo Spoletanus, ingeniosus & doctus, sed infelix medicus. Ad Laurentium Medicen vocatus, cùm parum prosperè medicamenta succederent, melancholia correptus, in puteum sese præcipitauit. Vide sub tit. Astrologorum.

ANTONIVS Beneuenius, experiens & fortunatus medicus, de abditis morborum causis scripsit.

ANTONIVS Gaynerius Ticinensis in patria iuuenis admodum docuit, ibidémque mortuus est.

LAVRENTIVS Laurentianus Florentinus, philosophiam & medicinam Pisis & Florentiæ professus, Hippocratem in linguam latinã vertit. Mox ex nimio studio in atram bilem incidens, cùm domo empta, ea pactione tertiam pretij partem numerasset, vt nisi intra sextum mẽsem totius summæ pecuniam repræsentaret, arrhabonis pecunia lucro venditoris amitteretur: aduentante die, cùm soluendo non esset, animũ despondit, in profundúmque puteum se coniecit: sub id tempus, quo Petrus Soderinus erecto populari dominatu, dictator perpetuus, Florentinæ Reipub. præsidebat. Iouius in Elogiis.

NICOLAVS Leonicenus Vincentinus, duci Ferrariensi Alfonso gratissimus fuit. Docuit Ferrariæ magno cum plausu, & primus ordinum doctrinam ad superos reuocauit. Obiit nonagenarius Ferrariæ.

IOANNES Manardus Ferrariensis, discipulus Francisci Bencij, filij Hugonis Senensis, diu peregrinatus est. Pannoniorum regis Vladislai medicus fuit: Alfonso quoque Estensi charissimus, medicinam puriorẽ docuit magna cum laude. Obiit Ferrariæ nonagenarius.

Quòd si nostra quoque tempora consideres, non erit cur superioribus inuideas. In Italia post MATTHÆVM Curtium Papiensem, Patauij publicè docuit IO. BAPT. Mõtanus Veronensis: cui similem in methodica ratione docendi, nostra non viderunt secula. Defuncti locum BASSIANVS Landus Placentinus, præceptor noster, obtinuit, non minore arte & methodo, fortassis etiam maiore eloquentia: qui tamẽ anno 1562, 24 Octobris, intra suos parietes à sicario septem vulneribus confossus vltimo octobris, secunda noctis hora, cum totius Academiæ Patauinæ incredibili dolore expirauit. Huc referendi sunt reliqui professores Patauini, quorum ipsi auditores fuerimus VICTOR Trincauella Venetus, ANTONIVS Fracanzanus Vincentinus: GABRIEL Fallopius Mutinensis, chirurgiæ & anatomiæ professor ad miraculum vsque doctissimus, qui magna studiorum iactura lethali febre consumptus, paulò ante Bassianum obiit.

Germani habent CONRADVM Gesnerum Tigurinum, Heluetiæ nostræ decus, & LEONHARTVM Fuchsium, viros de re medica præclarissime meritos His omnibus vnum, & eruditione & felicitate in agẽdo si non superiorem, at certè non inferiorem, adiungere volo, quem & debeo, IO. HVBERVM Basiliensem, præceptorem, & patronum nostrum vnicè colendum, in quo perfectam Germani medici ideam, si vlla aliqua esse potest, constituere nobis iure posse videmur.

Galli habent IO. Fernelium scriptorem omnium nostræ ætatis luculentissimum FRAN. Valeriolam, IVLIVM Scaligerum, IACOBVM Syluium, GVLIELMVM Rõdeletium, viros in optimis disciplinis, præsertim verò in re medica, celeberrimos. Plures alios qui volet enumerare, nihilo secius aget, ac si omnes in Oceanum irrumpentes fluuios perscrutari conetur. Itaque vela contrahamus, ne in immensum Commentarij nostri excrescant.

MEDICI MALI ET INDOCTI.

Medicos malos hic eos intelligimus, non qui ἠθικῶς mali sunt atque perfidi (quorum exempla aliquot sub tit. Veneficorum reperies) sed θεωρητικῶς: hoc est, qui propter artis imperitiam miseros ægros enecant. De quibus sic Plinius lib. 29. cap. 1. In hac sola artium euenit, vt cuicumque medicum se profitenti, statim credatur: cum sit periculum in nullo mendacio maius, non tamen illud intuemur: adeò blanda est sperandi pro se cuique dulcedo: Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem: nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicóque tantùm, hominem occidisse summa impunitas est. Hæc ille. Quæ quidem si de indoctis dicantur, vt verissima sunt, ita summam magistratus socordiam & negligentiam arguunt, qui cùm temeritatem improborum coercere posset, impunè eos in capita hominum grassari sinit, hoc solo titulo protectos, quòd Medici sint. quasi verò sola professio medicum faciat, & non operatio ipsa. Qua de re Plin. lib. 29. cap. 1. non immeritò queritur. Si verò de omnibus Medicis, etiam de doctis probísque intelligantur, vt falsissima sunt, (neque enim bonus Medicus vmquam hominem occidet, vti nec bonus princeps Rempub. damno vnquam afficit) ita medicorum probitatem magis commendant, quibus cùm vitæ necísque hominum libera potestas data sit, malunt tamen plurimos seruare, quàm vel precio vel odio inducti, ægros è medio tollere. Vt autem docti medici ab indoctis discernerentur, Gradus (quos vocant) olim in Academiis fuerunt instituti, & solennib. ceremoniis adhibitis de eruditione & profectu discipulorum præceptores publicum ferebant testimonium. Quòd si cuius doctrina esset approbata, ei potestatem

ei potestatem artem & docendi & exercendi concedebant: & à docendi munere κατ' ἐξοχὴν DOCTORES appellabant, quos à praxi & exercitatione MEDICOS antiqui dixere. κατ' ἐξοχὴν dico, quoniam Doctrina praxin dignitate superat: quandoquidem docentium vtilitas etiam in seros nepotes redundare potest, cùm exercentium felicitatem illi tantùm qui nunc viuunt experiantur. Eam ob causam viuunt hodie in recenti memoria Hippocrates & Galenus, quorum præclara Opera inter Græcos ante aliquot secula penitus obliuioni fuere tradita. Verùm enimuero sensim corruptis moribus, factum quoque est, vt Gradus isti, magno cum reipub. literariæ detrimento, prostituerentur & venales fierent. Itaque nemini mirum videatur, nostro hoc seculo plurimos stupidos & indoctos medicos reperiri: quorum culpa portentosis ingeniis occasio datur, vt contra veterem medicinam somnia sua magno cum plausu imperitæ multitudinis impudenter proferre audeant. Cum variis sophistis Galenus certauit, nobis verò etiam cum monstris pugnandum esset. Exorietur fortasse vltor aliquis.

Diogenes videns QVENDAM medendi artem iam profitentem, qui prius fuerat palæstrites, sed ignauus: dixit illi, An eos qui te hactenus deiecerunt, nunc vicissim deiicies? Deiicit luctator, quẽ superat: & deiicit medicus quos in lectum deiicit, aut etiã in sepulchrũ. Sensit autẽ Diogenes, illum tam malũ esse medicũ, quã fuerat ignauus palęstrites. Similis iocus est apud Martialem, de eo qui ex medico factus hoplomacus, nõ aliud faceret hoplomachus, quàm quod fecerat medicus. Laer. lib. 6.

ACESIAS fuit imperitus medicus, qui dum cuidam podagrico mederi vellet, morbum & dolorem auxit. Vnde natum adagium: Acesias medicatus est, vbi res in deterius vergit. Eras. in Chil.

Nicocles, quum malus QVIDAM medicus diceret, se magnam habere potestatem: Quid ni, inquit, ista dicere liceat, qui tam multos impunè sustuleris? Max. ser. 50.

Stratonicus ad MEDICVM quendam dixisse fertur: Laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, sed statim eos à vita liberas. Antonius in Melissa, par. 1. ser. 56. Sed hoc Nicocli ascribit Maximus, serm. 50.

Hadrianus Imperator moriens, dixit illud vulgatum: TVRBA medicorum Cęsarem perdidit. Arbitror illum huc detorsisse Gręcum prouerbium, πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν, πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλῆ' ἀπώλεσαν. Quanquam & hodie verum est, turbam medicorum multis causam esse mortis. Dion Cassius.

MANES filium regis Persarum pharmaco interficit. Vide tit. Hæreticorum.

HARMOCRATES medicus ignauus & indoctus, tantæ infelicitatis, vt vel per somnium conspectus interficere crederetur. Mart. lib. 6. Epigram.

Lotus nobiscum est, hilaris cœnauit & idem
Inuentus manè est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis causam Faustine requiris?
Insomnis medicum viderat Harmocratem.

Meminit quoque Martialis Diauli cuiusdam:

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo facit, fecerat & medicus.

In Græcis epigrammatis consimile quid de medico indocto:

Νικήτης ᾄδων τὰς ᾠδῶν ἐστὶν Ἀπόλλων,
ἂν δὲ ἰατρεύοι τοὺς θεραπευομένους.

Apollo enim ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν dicitur. Est ergo homonymia in nomine Apollinis: quoniam non excellentia in canendo & medendo, sed ignauia infelix taxatur.

OLYMPICVS, Apollonidæ Cyprij præceptor, homo nugax, indoctus, & planè Methodicus asinus. Gal. 1. Meth.

THEON Alexandrinus ex gymnaste per ὀψιμάθειαν medicus, rudis tamen & ineptus: scripsit librum de Exercitationibus, cuius meminit. Gal. lib. 2. & 3. de San. tuenda.

MEDICINAE STVDIOSI. QVI MEDICINAM COLVERVNT, *& admirati sunt, quamuis ex professo eam non exercuerint.*

ÆGYPTORVM sacerdotes omnes medici sunt, Platone & Homero teste. Ipse certè Plato cùm ad eos peregrinatus esset, morbo comprehẽsus, à sacerdotibus marina lotione fuit curatus. Eapropter dixit postea, teste Laertio.

θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

ÆGYPTII singulis ægritudinibus singulos adhibebant medicos: neque qui curandi capitis rationem profiterentur, aliam corporis partem curandam suscipiebant. Arbitrabantur enim fieri non posse, vt vnus omnium curarum disciplinam rectè teneret, quamuis in vna doctus haberetur. Herodotus lib. 2.

Vetus medicina rudis fuit, & planè empirica. Ea quæ casu inuenta erant alicui profuisse, epilogismo etiam reliquis, qui simili morbo laborare videbantur, accommodare solebant. Propterea ASSYRII ægrotos in viis ponebant, & à prætereuntibus exquirebant, scirent ne aliquod morbi remedium. In æde Æsculapij, Apollinis, atque etiam ipsorum morborum sacris locis, remedia contra morbos experta affigere consueuerant, & morbi genus, signa & symptomata describere. Cuius generis etiam Epidemias historias ab Hippocrate descriptas fuisse, testatur Plinius libro vigesimonono capite primo. Mos iste etiam apud Romanos fuit, teste Valerio Max. libro secundo capite primo cuius verba hic subscribere placuit: Romani Febrem, ad minus nocendum, templis colebant: quorum adhuc vnum in palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici longi extat. In eaque remedia, quæ corporibus ęgrorum adnexa fuerant, deferebantur. Hæc ad humanæ mentis æstus leniendos cum aliqua vsus ratione excogitata, cæterùm salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo monumento tuebantur: bonæque valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato Veneris vsu auersa. Val. libro secundo capite primo.

ZALEVCI Locrensis cùm multæ leges extant, aliæ rectè commodéque positæ, tum illa non in postremis est habenda: Si quis Locrensium Epizephyriorum ægrotans vinum intemperatum bibisset, nisi iubente medico, etiamsi ad pristinam valetudinem rediisset, mortis ei supplicium erat constitutum, quoniam non iussus biberat Ælianus libro 2. de Varia historia.

PYTHAGOREI summo studio medicam artem sunt amplexi, teste Æliano lib 9. de Varia hist.

ARISTOTELES Cùm morbo teneretur, & medicus ei præceptum quoddam iniungeret: Ne, inquit, me cures vel vt bubulcũ, vel vt fossorem, sed prius causam edissere. sic enim facili persuasione me morigerum reddideris. docens his, nihil sine causa temeréque proferendum esse. Ælianus de Varia historia libro nono.

DIONYSIVS Siculus medicinæ nauabat operam, & ipse curationes, sectiones, vstiones, & reliqua faciebat. Ælianus libro vndecimo de Varia historia.

MITHRIDATES rex Ponti & Armeniæ, inter cæteras dotes medicus quoque fuit insignis: cui rei attestatur nobilis illa confectio, quam ab illius nomine Mithridatum vocant. Cuius beneficio etiam tum, cùm à filio Pharnace obsessus, venenum assumpsisset, mori non potuit, sed à milite se occidi curauit. Gal. in libro de vsu Theriacæ, capite sexto. Orosius libro sexto Seraphion libro septimo Pract. capite octauo Plinius libro vigesimoquinto. Vide tit. Inuentorum medicinæ.

HADRIANVS Imperator, Traiani nepos, medicinæ studiosissimus fuit.

CONSTANTINVS IIII. cognomento Pogonatus, Imperator Constantinopolitanus, post deuictos Saracenos & Arabes, philosophiæ & rhetorices studia renouauit, agriculturæ compendium collegit, & medicinam summo studio amplexus est.

ODIVM, VEL CONTEMPTVS MEDICINÆ.

HERACLITVS Ephesius cùm ob prauam victus rationem (in montibus enim degens, oleribus ac herbis vescebatur) in hydropem incidisset, medicos ironicè interrogabat, An possent ex imbre siccitatem facere? Sibiipsi autem mederi volens, fimo bubulo sese obrui præcepit, & solo capite extãte, vel resolutis spiritibus defecit, vel à canibus monstri loco laceratus est. Laert. lib. 9.

ROMANI in accipiendis artibus minimè lenti, anno Vrbis 525. primùm è Peloponneso Archagatum Lysaniæ F. L. Æmylo & M. Liuio. Coss. medicum admisere: eique ius Quiritium datum, & taberna in compito Acilio empta. Mireque gratus eius aduentus initio. Mox à sæuitia secandi vrendique Carnifex dictus, in tædium & artem & medicos omnes vocauit. Itaque M. CATO Censorius de Græcis sic ad Marcum F. scribit: Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet: tunc etiam magis, si medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina: sed hoc ipsum mercede faciunt, vt fides iis sit, & facilè disperdant. Plin. lib. 29. cap. 1.

ÆSCVLAPII templum extra vrbem in insula fecerunt Romani, necessitate coacti, non voluntate. Medicinam enim nemo nisi coactus admittit. Quinimò tempore Plinij, solam hanc artium Græcarum nondum exercebant Romani, indignam grauitate sua eam iudicantes: & seruis potius, iísque Græcis, quàm ingenuis conuenientem. Idem.

HADRIANVS Cæsar moriturus dixit illud vulgatum: πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλέα ἀπώλεσαν. Erasmus lib. 6. Apophthegmatum.

HERBARII.

Famulantur medicis herbarij, & ῥιζοτόμοι, in herbis & radicibus colligendis, atque adeò in quibusuis simplicibus medicamentis conquirendis (quos vulgò Simplicistas, & Materialistas vocant) pharmacopœi verò in iisdem præparandis & miscendis. Vtraque industria ad medicum olim officio pertinebat. Posteaquam verò medicorum ignauiæ hodie tantùm concessum est, vt ad imperitos quosdam homines ars hæc præparandorum miscendorúmque medicamentorum tota sit translata, saltē medicum in vtraque versatißimum esse oportet, vt rudes & indoctos ministros docere atque instruere poßit, ne & ægrorum saluti, & medicorum gloriæ, imperitia herbariorum & pharmacopœorum officiat.

Nihil magis veneranda antiquitas mirata est, quàm herbarum vires. Hinc MEDEÆ Colchicæ, CIRCES Italæ, atque etiam CALYPSVS veneficia fabulis occasionem dederunt. Helenam quoque Homerus ab Ægyptij regis vxore herbas quasdam accepisse scribit, & nobile illud Nepenthes, Letheum verè poculum. Plin. lib. 25. cap. 2.

ORPHEVS primus de herbis curiosius scripsit: HESIODVS item & HOMERVS: PYTHAGORAS itidem, & DEMOCRITVS, post varias peregrinationes de herbis plurima memoriæ tradiderunt Ibidem.

Rei herbariæ studium multis famam immortalem attulit: GENTIO regi Illyrici Gentiana inuenta, ARTEMISIÆ reginæ Cariæ Artemisia. Vide tit. Inuentorum medicinæ.

EPIMENIDEM Cretensem quidam non obdormisse in specu (vt vulgata est fama) sed per mōtes vagasse, & ῥιζοτόμον fuisse aiunt, medicinæque studiosum, vt qui postea vrbem Atheniensium à peste liberarit. Laert. in eius vita.

CLIDEMVS herbarius. Meminit eius Theoph. lib. 1. cap. 10.

THRASIAS Mantinensis frigida venena, quæ mortem inferre ossent, reperit: rhizotomus insignis. Sæpe eleborum absque noxa comedebat: eáque ratione probabat, omnia pharmaca si sæpius ab homine sumerentur, & familiaria fierent, vires suas amittere: Theoph. libr. 9. cap. 17. & 18.

ALEXIAS Thraciæ discipulus, eruditione præceptorē vicit. Theoph. lib. 9. cap. 17.

M. CATONEM inter medicinæ herbariæ scriptores connumerat Plin. 25. cap. 2.

ANDREAS Chius, cuius Diosc. meminit: prętereà IOLAS Bithynus, cuius Plin. 20. cap. 7. meminit, & Diosc. lib. 1.

Apud Rom. primus M. CATO omnium bonarum artium magister, herbarum historiam paucis duntaxat attigit. Post eum C. VALGIVS, ad Augustum. Antè POMPEIVS Lenæus, Magni POMPEII libertus, ex Mithridatis regis Pontificis scriniis herbarum quædam mira experimēta (quæ rex ab hominibus sibi subiectis diligenter exquisita collegerat) Latino sermone transtulit. MITHRIDATES enim ea in re diligentissimus fuit. EVAX rex Arabum de simplicibus ad Neronem scripsit. Plin. 25. cap. 2.

DIOSCORIDES Anazarbæus, cognomento Phacas, id est lentinus, quia lentigine facies dehonestabatur: vixit sub Cleopatra & Antonio, teste Suida. Herbarius insignis, si historiā spectes: nam plantarū caussas Theophrastus, vires verò Galenus, luculentius enarrant.

PHANIAS medicus celeberrimus, librum de Stirpibus scripsit, vt refert Plinius.

CHERIAS Atheniensis, herbarum scriptor, spinarum quoque generis & carduorum celebrator, cuius lib. 21. cap. 23. meminit Plinius.

ANTONIVM Castorem suo tempore laudat Plin. lib. 25. cap. 2. in hortulo variis simplicibus refertissimo excolendo, qui iam 100 annum excesserat, absque vllo corporis malo.

ÆMYLIVS Macer, Veronensis, libros de virtutib. herbarum carmine conscripsit.

PETRIDII & MICHONIS medici meminit Plin. lib. 20. Nat. historiæ, cap. 22. Scripserunt autem ἡ ῥιζοτομούμενα.

MARTION Mitylenæus de Simplicium effectibus scripsit. Rumpi scolopendras marinas sputo, rubetas item, aliásque ranas asseruit, teste Plinio.

APVLEIVS Madaurensis Platonicus, herbarius.

PHARMACOPOEI.

ILVS Mermeti filius, Iasonis & Medeæ nepos, pharmacopola in Thesprotiis Ephyris, Vlyssi lethalia pharmaca, quamuis enixè petenti ad conficiendas feras, illinendásque sagittas, dare noluit. Causam subiungit poeta:

ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας verebatur enim ne ad perdendos homines iis vteretur. Tanta veteribus erat religio in pharmacorum tractatione. Vlyssi tamen amico dedit Anchialus Taphiorum rex, probitate illius fretus. Hoc exemplo docemur, quinam olim fuerint pharmacopœi: iidem nimirum, qui & medici, reges videlicet, & principes. Deinde etiam, qualem oporteat esse pharmacopolam: virum vtique probum, religiosum, & in miscendis pharmacis tum quibusuis, tum præsertim deleteriis, admodum cautum, prudentem & curiosum.

NICOMACHVS Stagirita, filius Nicomachi, à Machaone ortus, ab Æsculapio genus suum ducebat: medicus fuit, siue (vt alij volunt) pharmacopola: & ex Phæstiade suscepit Aristotelem, philosophorum δαίμονα.

ARISTOPHILVS pharmacopola Plataicus, insignis sua ætate. Theophrasti de Natura plantarum libro nono capite decimonono.

EVDEMVS pharmacopola, Theoph. libro nono capite decimooctauo.

CHIRVRGI.

Medicinæ theoria nihil iucundius: nihil ipsa praxi sordidius & molestius, potißimùm in manuali operatione. Eo factum est, vt chirurgica actio ad alios quosdam, qui Vulnerarij in genere dicuntur, deuolueretur: non malo instituto, siquidem vnus in pluribus simul excellere nequit: sed execrando abusu, cùm imperitis tonsoribus officiosißima hæc medicinæ pars, καὶ πάντων ἐναργέστατον μόριον, commissa hodie videatur. Veterem profectò medicinam chirurgicam & externam totam fuisse, Plato in 3. Politicorum asserit (& propterea Podalirium & Machaonem chirurgos introducit Homerus:) internam olim nullam, sed quæstus gratia excogitatam. Propterea etiam chirurgos tantùm medicos in suam Remp. admittit.

ARCHAGATHVS Peloponnensis, Lysaniæ filius, primus è medicis Romam venit, anno Vrbis 535. L. Æmylio & M. Liuio Coss. eíque ius Quiritum datum, & in compito Acilio tabernæ. Ob id primò vulnerarius est dictus: mox ob sæuitiam vrendi & secandi, carnifex. Plin. libro 29. capite 1.

ARCHONTIVS medicus vulnerarius, iactator, & impostor magnus: cuius meminit Gal. & Plin.

MAGARRON & ISIDES, insignes chirurgi. Quorum pharmaca Gal. 5. Met. & Ægineta lib. 7. cap. 17. & Gal. iterum libro 2. γενικῶν, cap. 12. recensent.

SOCRATES, chirurgus insignis. Aurelius libro quinto capite primo.

EVELPIDES, chirurgus, & ocularius medicus, ætate Celsi. Author collyrij quod τρυγῶδες, & alterius quod μεμιγμένον dicitur. Celsus libro sexto.

MATHEMA-

MATHEMATICÆ DISCIPLINÆ.

Naturalem philosophiam Mathematicæ disciplinæ excipiunt, quæ res à materia separatas ratione, actu verò materiæ immersas, ipsa nimirum accidentia considerant: quorum esse idipsum est, vt in alio subsistant. Mathematicen hoc genus in vniuersum vocant, primámque pueris olim proponebant (neque enim adhuc linguarū necessitas inuecta erat) vt μαθεῖν discerent: hoc est, in hac sese tantisper exercerent, donec sublimioris philosophiæ per ætatem capaces fierent, & per hos veluti gradus ad arcem sapientiæ ascenderent. Cùm autem accidētia rerum naturalium varia sint, variæ quoque erunt scientię Mathematicę dictæ. Nam quotquot sunt, versantur vel circa quale, vel circa quantū. Quale voco figuras ipsas, ex suis principiis consurgentes: quarum consideratio ad mathematicum in specie pertinet. Quantum verò, non est vnius generis. Discretum, hoc est numerum, per se quidem Arithmetica considerat, & singulas illius partes & effectus perspicit, par sit an impar: Per aliud verò, nimirū propter harmoniā & rhythmū, numeros diuina musica tractat: cuius aliam partē theoricā statuunt, aliā practicā, eamque variam, pro insigni diuersitate instrumentorum, per quæ humana industria concinnam modulationem exercere potest. At continuum quantū in subiecto immobili, vtpote in terra, & quicquid terræ ambitu comprehenditur, sub speculationem Geometræ dimetientis ipsas magnitudines & spacia, atque Geographi easdem describentis, & in pictura exhibentis theoriam cadunt, & referuntur. In subiecto autem mobili, vt in astris, motus quidem illorum Astronomia obseruat (quam veteres Astrologiam dixere) effectus verò, & influxus tam vniuersales quàm particulares diuinatrix astrologia. Nos ordine singularum exempla afferamus. Et primùm quidem contemplationis mathematicæ in quolibet genere: deinde actionis. Actionem voco, quatenus in quotidiana quoque vita hominum mathematicarum artium vsus aliquis esse conspicitur: vt iam non purè theoricæ, sed mixtæ quædam disciplinæ videantur esse. Secundo loco eorum exempla in qualibet parte mathematices afferentur, qui Mathematicas disciplinas in honore habuerunt, eásque admirati sunt, quamuis eas ex professo non exercuerint: eorum quintiam, qui easdem vel odio habuerunt, vel certè contempserunt, & nihili fecerunt.

MATHEMATICI IN SPECIE QVI CIRCA FIGVRAS *ex suis principiis consurgentes versantur.*

ÆGYPTIORVM sacerdotes in mathematicis excelluerunt, ad quos tanquam ad mercaturam omnis sapientię confertim ex tota Gręcia summi philosophi proficiscebantur.

THALES Milesius primus circuli triangulum æqualib. lateribus descripsisse fertur, eóque inuento bouem immolasse. quamuis Apollodorus hoc Pythagoræ tribuat. Scalenum quoque, & ea quę ad lineæ speculationem pertinent, ab EVPHORBO Phryge inuenta, auxit & propagauit. Laert. lib. 1.

ARCHITAS Tarentinus, Pythagoreus nobilissimus, Platoni æqualis, primus cubum reperit, vt Plato in lib. de Repub. testatur: primúsque motum organicum descriptioni mathematicæ admouit, ex dimidii cylindri sectione duas medias secundum proportionem sumere quærens, ad cubi duplicationem. Laert. lib. 8.

DEMOCRITVS Abderites scripsit de contactu circuli & sphæræ, de mutis ac solidis lineis libros duos. Laert. lib. 9.

PLATO diuinus, omnium doctrinarum, præsertim mathematices, studiosissimus fuit, in qua Euclidem, Architam Tarentinum, & Theodorum Cyrenæum audiuit. Ex qua scientia, secreta quædam inuestigauit, in libris suis à paucis comprehensa, quæ ad rerum naturam & diuinitatem pertinent. Volater. libr. 18. Anthrop. in eius vita. In Timæo, vel ex sua, vel ex Pythagoræorum sententia, animam ex numeris constare asserit, elementa vęrò ex figuris. Igni pyramidem, aeri octaedron, aquæ icosaedron, terræ cubum tribuit.

ARISTOTELES Stagirites, & quia Platonis discipulus, & quia naturę miraculum, cùm in omnibus aliis, tum etiam in mathematicis disciplinis excelluit. Testantur hoc eius libri, in quibus mathematicas demonstrationes frequēter adhibet. Scripsit quoque de Diuisibilibus, item Mathematicum. Laert. lib 5.

THEOPHRASTVS Eresius, Aristotelis discipulus, cum de omni ferè genere disciplinarum scripsit, tum etiam de Indiuisibilibus lineis librum vnum. Laert. lib. 5.

EPICVRVS Atheniensis de Angulo atomi scripsit. Laert. lib. 10.

ARCHIMEDES Syracusanus in mathematicis quanto studio versatus sit, pete ex tit. Studij in exercitatione litteraria. Sphæram vitream fecit, in qua motus circulorum conspici poterant. De qua Claudianus:

Iura poli, rerumque fidem, legémque deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.

Moriens amicos & necessarios orasse fertur, vt ambitam cylindro sphæram sepulchro suo imponerent, & inscriberent ex continenti fundamēto ad contentum, quæ nam excessus esset proportio. Plutarchus in vita Marcelli, & Volater. lib. 13. cap. 4. Anthrop. Multa de eo Liuius, Valer. Maxim. alij.

ASCLEPIODORVS Alexandrinus, vir singulari ingenio ad omnia mathematica, item ad inquisitionem cognitionémque lapidum & herbarū, fuisse dicitur. Suidas.

CAMPANVS primus inter neotericos, circa Salutis annum 1001, Glossemata in Euclidem fecit, nonnulláque in astrologia composuit. Volat. lib. 21. Antrop.

MATHEMATICÆ STVDIVM.

PLATONIS Academiæ inscriptum erat, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Neque id mirum. Olim namque mathemata pueris proponebantur, vt in iis sese exercendo, ad altiora studia sibi patefacerent aditum. eam ob causā mathemata ἀπὸ τοῦ μαθεῖν dicta fuêre. Quod igitur in sacris fieri solebat olim, vt initiatis tantùm τὰ ἐποπτικὰ καὶ μυστήρια communicarentur, illud idem in philosophia quoque fiebat.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis auditor, cuidam qui mathematicorum imperitus ludum suum frequentare cupiebat: Abi, inquit, ansis enim & adminiculis philosophiæ cares. Alij sic dixisse ferunt: Apud me vellera non tinguntur. Laert. lib. 4.

MATHEMATICÆ VSVS.

ARCHYTAS Tarentinus, Pythagoreus, primus mechanica, mechanicis principiis vsus, exposuit. Laert. lib. 8. Ingenij illius specimen fuit lignea columba, certa ratione compacta, quæ aerē semel sortita, perpetuò volatu per ipsum inane spiritu intus incluso agebatur, nisi solidum aliquod offendisset corpus. Sab. lib. 10. cap. 8.

STRABO Lampsacenus de Metallicis machinis scripsit. Laert. lib. 5.

ARCHIMEDES Syracusanus, onustam nauim solus remolitus est, traxítque quò voluit, cùm ingens vis mortalium ne mouere quidem suo quiuisset loco. Idem ingenio confisus, testari ausus est, si alterum terræ globum fuisset adeptus, vtrumque se alteri fuisse applicaturum. Accessit laudis cumulo, Marcelli ducis fortissimi iudicium, qui Syracusis captis, vetuit Archimedem violare. Sabellicus lib. 10. cap. 8.

ARITHMETICI.

PYTHAGORAS numerorum scientiam primus apud Græcos illustrauit, eorum ratione, & characteribus adinuentis, ac in tabula descriptis, quam posteri deinde Arabum (vt Boetius tradit) vocauêre. Volaterranus lib. trigesimoquinto Philologiæ.

THEOPHRASTVS Eresius, Aristotelis discipulus, de Numeris librum vnum scripsit: item Arithmeticarum historiarum argumentum vnum. Laert. lib. 5.

XENOCRATES Chalcedonius de Numeris librum vnum, de Numerorū speculatione vnum scripsit. Laert. lib. 4.

ARITHMETICÆ STVDIVM.

ÆGYPTII licet pueros suos literis & moribus probè semper instituerint: prima tamen semper cura fuit, vt præ cæteris Arithmetica, deinde Geometria, tertiò magicis artibus instituerentur. Alex. libr. 2. cap. 25. & Diodor. Sic. lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

ROMANORVM iuuentus calculum ediscere, & computationibus dare operam consueuit, tanquam inde redundaret ingenij ratio exactissima. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

MVSICI.

Musica circa numeros versatur, quatenus ex illis proportio harmonica consurgit. Diuiditur autem in Theoriam & Praxin. Praxis multiuaria est, pro organorum diuersitate, quibus harmonicus concentus exprimitur. Vox tamen humana omnibus aliis vocibus, siue sonis potius, præstat non modò quia naturalis est, cùm reliquæ omnes artificiales sint: verumetiam quia principatum inter omnes tenet, propterea quòd mentis humanæ conceptuum harmonicorum nuncius est & index. Hoc veteres sub fabularum inuolucris ostendere voluerunt, quando Musas Iouis & Mnemosynes filias esse finxerunt. Quamuis enim nec Iupiter nec Mnemosyne canant, sed in sola cōtemplatione tum aliarum artium, tum etiam Musices versantur: gignunt tamen Musas nouem, à quarum nomine Musica appellata fuit, quæ iam ex professo omne genus harmonicum ad actum reuocant. Et sic à Theoria Praxis pendet, quæ in opus prodit, & ad vsum reuocat singula. Aristot. in octauo Politicorum, Musicam inter ingenua exercitamēta connumerat: & vult omnino ciues suæ Reipub. in ea institui & exerceri, dum iuuenes sunt: seniores verò iuuenum concentibus interesse, tanquam censores & iudices, ne effœminato aliquo molique rhythmo animi iuuentutis corrumpantur. Quamuis autem practica sit Musica, non idcirco tamen mechanica erit dicenda, cùm ipsa operatione finem suum habeat, nec opus aliquod post se relinquat. Multo minus sordida erit, aut illiberalis per se: sed tantùm culpa hominum, qui Musas virgines prostituunt, & ex pulcherrima arte sordidum lucrum affectant. Quatenus autem ad praxim accedit Musica eatenus etiam & Mechanicæ & Ethicæ vitæ conferre potest: non secus ac cæteræ Mathematicæ disciplinæ, ex quarum limpidißimis fontibus theoricis saluberrimi viri in mediam hominum vitam deducuntur. Nos in exemplorum enarratione primo loco vocales musicos, siue cantores (quos ἀοιδοὺς Græca voce non ineptè possemus appellare, nisi poetæ iam hoc nomen sibi vendicassent, non tam per se, quàm per accidens: quoniam veteres carmina sua non solo rhythmo poetico, sed etiam musico modulabantur, vt eo suauiora essent) enarrabimus, quorum exempla aliquot ex tit. Citharœdorum sumi poterunt, propterea quòd olim citharæ & lyræ vocem quoque iungebant, qui mos hodie in Italia & frequentißimus est, & pulcherrimus. Hinc prouerbium, Aulœdi sunt qui citharœdi esse nequeunt: in eos, qui cùm vtroque excellere simul nequeant, cithara videlicet & cantu, cantu solo se exercent, & tibias inflantibus accinunt. Secundo loco eos musicos enarrabimus, qui organis & instrumentis artificialibus vtuntur, vel cum voce, vt citharœdi, & lyricines: vel absque voce, vt fistulicines, tubicines, tibicines.

CANTORES. MVSICÆ SCRIPTORES.

MVSÆ in nuptiis Cadmi (qui Thebas Bœoticas condidit, filius Agenoris regis Phœnicum, frater Europæ) & Harmoniæ, Veneris & Martis filiæ, cecinerunt carmen, cuius partem Theognis recenset in sua Gnomologia.

ὅτι καλὸν φίλον ἐστί, τὸ δ᾽ οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.

OSYRIS insignis musicus fuit, eúmque musicorum multitudo semper sequebatur: inter quos & nouem Musæ fuisse dicuntur. Diodor. Sic libr. primo, cap. 3. de rebus antiquis.

GRÆCI ad myrtum canebant, cantórque cantorem myrto tradito inuitabat. quod postea prouerbio increbuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

LASVS Herminæus (qui floruit sub Dario) primus de Musica scripsit, & dithyramborum certamen primus protulit. Rauisius.

NICOMACHVS musicus, multas gemmas habuit: nulla tamen peritia electas, sed sorte quadam. Plin.

CHRYSOGONVS modulator, tanta arte remigum manus dirigebat, vt quum remorum pulsum Chrysogoni cantibus accommodarent, delectabilem & iucundam redderent harmoniam. Rauis.

TERPANDER Lesbius accersitus à Lacedemoniis, qui seditionibus inter se tumultuabantur, suauitate cantus eorum animos adeò deliniuit, vt redirent in amicitiam, & à seditione desisterent. Vnde Lesbij cantores primas semper meruerent Spartanorum iudicio. Rauis.

XENOPHILVS musicus, patria Chalcidensis, annos 107 vixit, citra vllum corporis incommodum. Plin.

SCYLAX Cariandæus mathematicus, claruit arte musica.

SIMON Magnesius insignis musicus, neglecto superiorum musicorum more, Simodiam introduxit: sicut & Lysis Lysiodiam. Volat. libr. 19. ex Strabone.

Plutarchus ait MENEDEMVM fuisse musicum, & discipulum Aristotelis.

ARISTOXENVS genere Italus, patria Tarentinus, cognominatus est Musicus, propter peritiam eius artis. Plutarchus in Aristotele, & Suid.

TELLESILLA musica vrbem Argiuorum ab impetu Lacedæmoniorum tuetur. Vide tit. Muliebris fortitudo in propulsando.

EPICVRVS Atheniensis scripsit Aristobolum, siue de Musica. Laert. libro 10.

DEMOCRITVS Abderites scripsit de Concentu & harmonia. Laert. lib. 9.

ANTISTENES Atheniensis, Socratis auditor, de Musica quoque scripsit. Laert. lib. 6.

HERACLIDES Ponticus Speusippi auditor, libros duos musicos, de his qui apud Euripidem & Sophoclem reperiuntur scripsit, item de musica duos. Laert. lib. 5.

THEOPHRASTVS Eresius Harmonicō librum vnum, de Musicis librū vnum, de Musica libros tres scripsit. Laert. lib. 5.

ALCIDAMAS Eleates philosophus, musicus clarissimus, discipulus Gorgiæ Leontini, de musica elegantissimos libros scripsit, teste Suida.

TIMOTHEVS cùm in arte musica omnium præstantissimus esset, duplicem mercedem exigebat ab his quos ab aliis magistris malè institutos acciperet. quod hi prius dedocendi quàm erudiendi erant: à rudioribus verò & ignaris, simplicem. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

SOTERIDAS Epidaurius scripsit musicæ libros tres, vt ait Dionysius & Volat. lib. 19. Anthrop.

XENOPHANTES modulator insignis, maxima & inaudita modulatione cecinit in funere Demetrij regis. Sabellicus lib. 1. cap. 4. Exemp.

GREGORIVS Magnus, Pont. Max. in cantu ad extremum vsque spiritum sese suósque pueros exercuit. Vide tit. Studium in docendo. Ab illo Cantus in Ecclesia Gregorianus nomen accepit.

COSMAS Hierosolymitanus, ἁγιοπολίτης poeta, cuius festum decimo quarto Octobris die celebratur, episcopus Maiumæ vrbis, totus concinnam quandam musicam spirauit. Musici canones IOANNIS & COSMÆ apud Græcos adhuc in summo habentur precio, atque legitur, quòd nec comparationem ceperint, nec quoad hominum vita fuerit sint habituri. Cuiusmodi etiam sunt Marci Hydrūtini episcopi in magno die Domini, & Theophanis in Virginis matris salutatione. Gyraldus Dial. 9. hist. Poet.

GVIDO ARETINVS multi inter musicos nominis claruit in Italia sub Conrado Romanorum, Ruperto verò Francorum regibus. Hic ignotos cantus breuissima omnium via pueros docebat, omnia ad varia instrumenta musicorum applicans. Sigebertus in Chronicis, cum circiter annum Christi 1028 vixisse scribit, & Volat. lib. vigesimoprimo. De eo sic Cranzius libr. 4. capite 18. Metropoleos: GVIDO insignis musicus, Henrici tertij Rom. imperatoris temporibus, per omnes Italiæ regiones proficiscens, corruptam & adulteratam musicam emendauit, & per flexuras articulorum in manibus cantum discernere docuit.

HVBALDVS nepos Milonis monachi, septem liberalium artium peritia clarus: in musicis tamen præcipuè claruit, & de multis sanctis cātus dulci & regulari modulatione composuit. Sigebertus in Chron.

ROBERTVS Carnotanus episcopus doctrina & sanctitate vitæ insignis, multa scripsit, & canēdi modum in sacris meliusculum reddidit, sub Gregorio 5. Pontif. & Roberto Gallorū rege, Magni Hugonis filio. Platina.

IOANNES Fernandus, quamuis cæcus, musicus insignis fuit. Vide tit. Contemplationi dediti.

FIDICINES, CITHAROEDI, LYRISTÆ.

Fidibus canere varias habet species, pro instrumentorum diuersitate, non modò apud veteres, verumetiam apud nostros. Celebrarunt olim citharam & lyram, propterea quòd plectro chordas pulsare, & simul etiam viua voce accinere poßent. Parum autem inter se differebant instrumenta ista: eoque factum, vt sæpe alterum pro altero ponatur teste Rauisio.

APOLLINEM musicæ & citharæ inuentorem faciunt poetæ.

MERCVRIVS Ægyptius ille, quem ob interpretationes vocum Hermetem appellant, cùm insignis musicus esset, lyram inuenisse dicitur trium chordarum, instar trium anni temporum: trésque instituisse voces, acutam ab æstate, grauem ab hyeme, mediam à vere sumens. Diodor. Sic. li. 1. cap. 3. de rebus antiquis.

PHILAMMON Apollinis filius, clarus cithara. Ouidius libro vndecimo.

Nascitur è Phœbo (namque est enixa gemellos)
Carmine vocali clarus, citharaque Philammon.

LINVS Apollinis & Vraniæ filius, Lyricæ musæ peritissimus: in qua magni nominis discipulos habuit, Orphea, Thamiram & Herculem. Hunc ab Hercule plectro & cithara occisum ferunt, dum eum rusticus canentem acerbè nimis corripuisset. Cæl. cap. 64. lib. 10.

THAMYRAS citharœdus Thracius, Lini discipulus, quem poetæ à Musis fabulantur excæcatum, quòd eas ad certamen cantus irritasset. Rauis. Lyram

Lyram primus attulit in Græciam CADMVS Agenoris filius. Rauis.

PHEMIVS, ἀοιδὸς, eunuchus & musicus, custos relictus ab Vlysse vxori Penelope, vt eius pudicitiam seruaret, frater Demodoci. Eustathius in tertio Odysseæ. Inducitur ab Homero, inuitus apud procos canere: vir enim probus veréque philosophus. βίῃ παρὰ τοῖς μνηστῆρσιν ἀείδει, vt in primo Odysseæ fuisse describitur.

DEMODOCVS, ἀοιδὸς, frater Phemij, eunuchus & musicus, ab Agamemnone vxori Clytemnestræ custos datus. Cuius pudicitia non prius ab Ægistho potuit expugnari, quàm Demodocum in exilium relegasset, & interfecisset. Eustathius in tertio Odys.

Alius DEMODOCVS citharœdus, quem Homerus inducit canentem in conuiuio Alcinoi regis Phæacum, vbi Alcinous ipse Demodocum vocat diuinum cantorem. Odys. λ.

ORPHEVM Apollonis & Calliopes filium poetæ faciunt principem musæ Lyricæ, adeò vt fabulentur delinitas eius cantu arbores suis se locis mouisse, affectas humano sensu cautes egisse choros, fluuios cursum cohibuisse, exarmatas feras posuisse feritatem, & alia id genus non credenda. Quod ideo fictum est, quoniam agrestes, & belluino propè ritu degentes homines ad meliorem vitæ cultum redegisset. Horatius in Arte. Fingitur etiam ab inferis cantu suo exorasse Eurydicen vxorem, ea lege, vt sequentem à tergo non aspiceret, priusquam ad superas auras ambo rediissent. Cui legi, quum amor nimius stare non permisisset vatem, Eurydicen demum euanuisse ferunt. Ab Orpheo lyra vocatur Hæmonia, Threiicia, Orphæa, Bistonia, & Bistonis, quòd Thrax fuerit natione.

AMPHIONEM poetæ fabulantur lyræ adeò peritum fuisse, vt sequentibus cantum scopulis Thebarum muros condiderit. Horatius in Arte:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis
Saxa mouere sono testudinis, & præce blanda
Ducere quò vellet.--

DORCEVS, cantu citharæ apud Thraces secundam post Orpheum meruit palmam. Val. Flac. lib. 3. Argon.

ARION Methymnæus citharœdus, & poeta Lyricus, qui primus Corinthi apud Periandrum & fecit & nominauit & docuit Dithyrambum: opibus & honore auctus in patriam reuersurus, siue, vt Herod. vult. è Taranto Corinthum nauigaturus, piraticæ naui sese commisit. In ipso cursu à prædonibus ad necem poscitur. Ille hoc vnum petit, vt cygni instar cithara prius luderet, quàm moreretur. Data potestate, foris conscensis, Orthium carmen modulari cœpit. Eius cantu illectus Delphin, dorso exceptum portauit ad littus Tænarium, & exemit à periculo. Gel. libro decimosexto, cap. decimonono: & Herod. lib. 1.

HIPPARCHION, & RVFFINVS præcipui fuerunt apud Græcos citharœdi, qui quum solennibus ludis inter se certaturi essent, contigit vt theatri tumultu & strepitu commotus & attonitus Hipparchion obticuerit. Vnde natum prouerbium. Mutus Hipparchiō. De his qui repentè silēt, à quibus tamē grāde aliquid expectatur. Eras. in Chiliadibus.

EPICLES citharista, magno quondam in precio apud Athenienses: quem Themistocles orauit, vt apud se artem exerceret. Volebat enim domum suam à multis frequentari. Rauis.

CONVS fuit fidicen, quo præceptore hac in re vsus est Socrates, qui apud Platonem de eo sic meminit: Vnum tamen vereor, ne his dedecori sim, quemadmodum Cono Metrobij filio citharistæ, qui me etiam in fidibus docet. Pueri igitur condiscipuli me quotidie rident, & Conumipsum senum magistrum nuncupant. Rauis.

CONNAS citharœdus, seu lyrista, extremæ sortis, qui deuorato patrimonio factus est pauperrimus, & homo nihili. Hinc adagium natum, Connæ calculus: in hominem nullius momenti, cuiúsque opinio nihili æstimatur. Erasmus in Adagiis.

PHRYNIS Mitylenæus citharœdus, primus dicitur apud Athenienses citharam pulsasse, ac vicisse Panathenæo. Fuit discipulus Aristoclidis, qui à Terpandro genus traxit. Vixit tēpore Persarum in Græcia. Suidas.

AMOEBEAS citharœdus castissimus, vxorem nunquam attigit: res quidem digna admiratione, in musico præsertim, ni ita se vocis suauitati consulere existimauit.

ASPENDIVS citharistes, tam submissa voce & cecinit, & cithara lusit, vt sibi intus omnia cecinisse dicatur: & prouerbio locum fecerit, de iis qui in suum vsum omnia conuertunt.

CARNEVS citharistes, qui Terpandrum vicisse legitur.

STRATONICVS citharœdus, habuit in ludo nouem Musarum imagunculas, & Apollinis vnam, discipulos duos. Propterea interroganti cuidam, quot haberet discipulos? Cum diis, inquit, duodecim.

ZENOPHONTVS, certis modis Alexandrum ad arma solebat concitare. Eam Musices vim admirantibus cunctis, quidam ait: Si tantus artifex est, incinat modulos quibus illum à bellis reuocet: sentiens, non esse magnę artis hominem eò perpellere, quo suapte natura pronus est. Eras. libro quarto Apoph.

TIMOTHEVS Milesius musicus, decimam & vndecimam chordam lyrę addidit, & antiquam musicam in molliorem modum mutauit. vixit tempore Philippi Macedonis. Alexander illius modulis excitabatur, & ad res bellicas alacrius instruebatur quod alibi diximus nō semel, Scripsit versus de Musica lib. 19. Hæc Suidas, & Cic. 2. de Legib.

PYLADES citharœdus, quosdam Timothei versus audiente Philopœmene cantauit ad citharam. Plutarchus.

NICOSTRATVS & LAODOCVS citharœdi, quum inter se concertarent, dixit Nicostratus, Laodocum esse in magna arte paruum, se autem in parua magnum: satiúsque sibi esse nō domum diuitiis, sed artem studio & diligentia augere. Ælianus lib. 4. de Var. hist.

ANAXENOREM citharœdum Tyana ciuitas valde extulit: sed magis M. Antonius, qui quatuor ciuitatum ei tributa legenda tribuit. Strab. apud Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

EVNOMIVS Locrensis citharœdus. Huius statua Locris in Italia ostenditur, quæ insidentem citharæ cicadam habet. Nam cùm in certamine cum Aristone regio musico chorda vna fracta defecisset, cicada superuolans astitit, & supplementa vocis fecit. Strabo.

ARISTONVS citharœdus, cùm sexies Pythia vicisset, vt Lysandri Lacedæmonij gratiam iniret, pollicitus est, cùm denuò victoriam habere contingeret, Aristonum Lysandri seruum se præconio declaraturum. Volat. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

OLYMPIVS Mysius, poëta melicus, & elegiarum, Marsiæ Satyri discipulus pulsandæ citharæ legem dedit, modósque pulsandi reperit & docuit. Floruit ante bellum Troianum, à quo & mons in Mysia nomen accepit. Suidas.

IOPAS, nomen citharœdi Verg. lib. 1. Æn.

--Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Idem lib. 9. facit CRETEA quendam Philomusum & Lyricum.

Et Clycium, Æoliden, & amicum Cretea Musis,
Cretea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerósque intendere neruis,
Semper equos atque arma virûm, pugnásque canebat.

Apud eundem, IAPYS nomen est auguris & citharœdi. libro 12. vbi ait:

Iámque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapys
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium citharámque dabat, celerésque sagittas.

HERMOGENES citharœdus, Iulio Cæsari suauitate cantus admodū placuit. Apud Martialem nomen est furis mapparum. Apud Horatium lib. 1. Ser. nomen cantoris, vbi ait:

Vt quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque
Optimus est modulator.

TERPNVS fuit citharœdus, cuius cantu oblectatum Neronem scribit Tranquillus his verbis: Statim vt imperium adeptus est, Terpnum citharœdum, vigentem tunc, præter alios accersit, diebúsque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari exercitaríque cœpit, nec eorum quidquam omittere, quæ generis eius artifices vel conseruandæ vocis causa, vel augendæ factitarent.

NERO Romanorum imperator, Caio Telesino & Sutonio Paulino consulibus certauit inter citharœdos, eíque victori magno plausu corona imposita est. Xiphil. in Nerone.

PHILOMELVS nomen est citharœdi apud Martialem lib. 3.

TARPEIVS citharœdus Vespasiani tempore. Tranquillus.

DIODORVS citharistes tempore Vespasiani, cuius arte princeps delectatus, multis eum donis cumulauit. Martialis:

Tarpeias Diodorus ad coronas,
Romam quum peteret, Pharo relicta,

ECHION & GLAPHYRVS nomina sunt citharœdorum apud Iuuenalem Satyra 6. vbi ait:

Accipis vxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiúsque choraules.

Hic Choraules proprium est nomen viri fistulicinis. Rauis.

HEDYMELES nomen est citharœdi apud Iuuenal. Satyra 6. scribentem:

Quo tener Hedymeles operam dedit, hunc tenet, hoc se
Solatur, gratóque indulget basia plectro.

TIBICINES.

MARSYAS Phryx tibicen, tibiis à Minerua inuentis, cum Apolline certauit. A quo victus, tergore nudatus est: quem nymphæ fleuêre ita, vt earum lacrymis fluuius Phrygiæ creuerit, ab eius nomine Marsyas vocatus. Volat. lib. 17. Anthro.

APVD Græcos, tametsi canendi ad tibiam ars libero homine indigna prius visa foret, ad eámque sola mancipia admitterētur: æuo tamen mox succendente, tanti fuit honoris, vt ad illam nisi liber & ingenuus nemo admitteretur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

PHILISTVS Milesius orator, Isocratis discipulus, tibicen optimus fuisse dicitur. Quapropter eum αὐλοτρύπην Isocrates vocitabat. Suidas.

TELLEN tibicen & poeta Melicus, cuius meminit Diarrhus Messenius: ex quo prouerbium ἄειδε τὰ Τέλληνος, Cane ea quæ sunt Tellenis, quòd optima fuissent. Ex libro prouerbiorum Græcorum recitat Volat. lib. 20. Antrop.

TIBICEN quidam Sybaritas hostibus Crotoniatis mira quadam ratione prodit. Vide tit. Strat. Equos hostibus adimere.

MIMNERMVS Colophonius, poeta elegiographus, & tibicen clarissimus. Strabo lib. 14. & Volat. lib. 17.

EVCERVS tibicen, natione Alexandrinus, apud Cor. Tacitum.

BATALVS Ephesius tibicen, qui calceamentis femineis primus omnium in scena vsus est, fractisque cătibus tibiarum artem emolliuit. Hinc Batalos vocamus mulierosos, & parum viros homines. Rauis.

AGATHON tibicen, cantilenarum suauitate commẽdabilis, sed molliciei nota famosus. Ab eo Agathonia cantio, dicitur oratio blanda magis quàm fructuosa.

LAMIA ætate Demetrij formosa, tibiis optimè fertur cecinisse, & canendi suauitate magnam apud homines promeruisse gratiam. Qua arte sic Demetrium inescauit, vt ille nihil haberet carius, & quod maiore beneuolentia prosequeretur. Plutarch.

ISMENIAS tibicen peritissimus, Antigenis discipulus, qui teste Boctio, multis ægritudine laborantib. omnes animi molestias absterst. Solitus erat gemmis vti fulgentib. & pretiosis, vt ea ostentatione ars musica pluris æstimaretur. Rauis.

Ismeniæ æqualis fuit DIONYSIODORVS, & æmulus, Plinio teste.

HIPPOMACHVS tibicẽ, quum videret à plebe laudari discipulum, quem tamen in arte peccare cognoscebat, baculo tactum desistere iussit, dicẽs: Maximum erroris argumentum esse, quòd ab ignara turba laudaretur. Ælian. de Var. hist.

ANTIGENIDAS Thebanus tibicen, Philoxeni discipulus, calceamentis Milesiis & lasciuioribus primus vsus est. Huius meminit Plinius. Idem (vt est apud Ciceronem in Bruto) discipulo frigẽti apud populum, dixit: Mihi cane, & Musis. De eo vide nonnihil apud Gellium.

PRONOMVS tibicen barba vtebatur promissa, & vestitu nimis accurato: adeò vt molliciei suspectus haberetur.

ROMANI tibicinibus in omnibus ferè sacris sunt vsi. De quibus sic scribit Valerius Maximus: Tibicinum collegium apud Romanos solet in foro vulgi oculos in se conuertere, cum inter publicas priuatasque feriarum actiones, personis tecto capite, variaque veste velatis concentus edit. Inde tracta licentia, quòd quondam vetuti in æde Iouis, quod prisco more factitauerant, vesci, Tibur irati se contulerunt. Quorum ministerio Senatus deserta sacra non æquo animo ferens, per legatos à Tiburtibus petiit, vt eos gratia sua Romanis templis restituerent. Quos illi in proposito perseuerantes, interposita festæ epulationis simulatione, mero sommoque sopitos, plaustris in vrbem deuehendos curauerunt: quibus & honos pristinus restitutus, & huiusce lusus ius est datum. Personarum vsus, pudorem circumuentæ temulentiæ causam habet. Val. lib. 2. cap. 1.

CANVS choraules & tibicen, qui multas pecunias accepit à Galba, quum eum in cœna delectasset. Martialis lib. 10. De eo sic Tranquil. Cano autem choraulæ mirè placenti denarios quinque donasse, prolatos manu sua peculiaribus loculis suis.

FISTVLICINES.

PANA deum fistulæ repertorem faciunt. Virg.

Pan primus calamos cæra coniungere plures.
Instituit.

SATYRVS fistulicen persæpe Aristonis philosophi disputationibus intererat, & his quæ dicerentur mirè affectus aiebat:

Cur ego non igni trado hoc nihil vtile telum?

Subobscurè suam artem ad philosophiæ studium comparatã extenuans, & nihili æstimans. Ælianus de Var. hist.

TONIVS nomen fistulicinis pagani apud Mantuanum scribentem in Bucolicis:

Et cum multifori Tonius cui tibia buxo,
Tandem post epulas & pocula multi colorem,
Ventriculum sumpsit, buccasque inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit: cilysque lenatis,
Multotiesque altis flatu a pulmonibus hausto
Vtrem implet, cubito vocem dat tibia presso.
Nunc huc, nunc illuc digito saliente vocauit
Pinguibus à mensis iuuenes ad compita cantu
Saltidico, dulcique diem certamine clausit.

TVBICINES

TRITON, deus & tubicen marinus.

SIENTOR, tubicen in bello Troiano, cui Homerus ferream & iniectam tibibit vocẽ, vt qui quinquaginta alios voce sua vincere posset.

AGLAIS Megaclis filia, tubicinio vitam fouit. Vide tit. Voracium.

AGYRTES, nomen tubicinis apud Statium in Achil. lib. 4.

MISENVM Æolidem Virg. ait fuisse tubicinem Hectoris: mortuo demum Hectore, adhæsisse Æneæ comitem, & tandem à Tritone deo submersum, quòd ad certamen tubæ deos marinos irritasset.

--Atque illi Misenum in littore sicco,
Vt venere, vident indigna morte peremptum,
Misenum Æolidem, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, &c.

OLYMPIVS iunior è Phrygia tubicen, tempore Midæ regis. Suidas.

MVSICI MALI ET INDOCTI.

Orphei caput vnà cum lyra in Hebrum fluuium proiectũ, ad Lesbum peruenit. Lesbij susceptum sepeliuere in eo loco vbi Bacchion est, Bacchi scilicet oraculum: lyram in Apollinis templo suspenderunt. Quam post multum tempus NEARCHVS Pittaci tyranni Mitylenensium filius, sacerdote multis pecuniis corrupto, clàm abstulit, & aliam similem substituit, sperans se diuina quædam carmina, quibus iluæ atque feræ mulcerentur, cantaturum. Verùm cùm interdiu se in ciuitate parum tutum esse arbitraretur, noctu in suburbio citharam incondite pulsans, canes excitit, qui infelicem citharœdum discerpserunt. Itaque Orpheum non modulis, sed mortis genere imitatus est, nisi quòd is à mulieribus, hic verò à canibus laceratus est. Lucianus πρὸς τὸν ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.

IALEMVS Calliopes filius, musicus quidem, sed infelix, & in cantu multum frigidus. Hinc Ialemi cantilenam, pro rudi & abiecta potuerunt. Rauis.

BABYS frater Marsyæ, quem quum Apollo excoriato Marsya vellet quoque perdere, supplicium deprecata est Minerua dicens: Babym abiectiorem esse, & infelicius canere, quàm vt dignus esset supplicio. Quibus verbis pacatus Apollo Babym contempsit, suaque insciția grauiter satis punitum credidit. Hinc adagium, Peius Baby tibia canit. Erasmus.

MOSCHVS cytharœdus imperitus, qui citra respirationem diu & in lõgum producebat vocem: neque tamen sonabat aliquid, quod ad stomachum auditorum faceret. Hinc adagium natum: Moschus canens Bœoticum. In multiloquos, & intempestiuos, locutores. Bœoticum autem genus erat cantionis. Idem.

STRATONICVS quum vidisset citharœdum Rhodium, corpore quidem magnum, sed arte pusillum, percunctantibus qualis videretur? respondit prouerbiali dicto: Nullus, malus, magnus, piscis. Singulis verbis hypostigme separatis, alium efficiens sensum. Athenæus. Vide prouerbium etiam apud Erasmum, Nullus magnus, &c.

Stratonicus, quum in sacrificio malus quidam TIBICEN esset cantaturus: Bene ominandum est, inquit, libantes precemur deos. Significans, opus deorum auxilio, vt bene caneret. Athenæus.

Idem in citharœdum imperium, cui nomen erat CLEON, sed vulgò dicebatur, Bos sic iocatus est: Olim asinus ad lyrã prouerbio dicebatur: nunc verò Bos, ad lyram. Athenæus Dipnosophi.

CITHAROEDVS quidam malus Stratonicum excipiebat conuiuio, atque super cœnam ostentabat illi artem suam. Erat autem apparatus splendidus. Itaque Stratonicus quum illo canente non haberet qui cum loqueretur, confregit poculum, & poposcit maius. Id quum accepisset cum multis cyathis, soli calicem ostendit, moxque sese vino ingurgitauit, & obdormiit. Quum autem forte superuenissent aliquot comessabundi, cantori qui conuiuium exhibebat noti, Stratonicus expergiscens sibi mentem ex vino vacillare sensit. At illi quum intellexissent, eũ multum assiduéque bibendo inebriatus, Stratonicum compendio respondit, Hic insidiator & sceleratus cantor, me veluti bouem ad præsepe, dum cœnam accipit, occidit. Boues multo cibo saginantur, priusquam mactentur. Athenæus.

Diogenes CITHAROEDVM quendam, qui quoties fidibus luderet, ab auditoribus deserebatur, obuium ita salutauit: Salue galle. Quum ille offensus salutationis nouitate, diceret: Quid ita? Quoniam, inquit, cantu tuo excitas omnes. Salsissimè autem iocum captauit ex ambiguitate verbi. Græcis enim ἀλεκτρυὼν dicitur, & qui dormientem è somno excitat, quod galli gallinacei malè canentes facere solent: & qui sedentem mouet, vt surgens abeat. Laert. lib. 6. cap. 2.

Ismenias tibicen canebat in sacrificio: quumque non litaretur, I s qui conductus fuerat, arreptis tibiis canebat ridiculè: & hoc canente, litatum est. Incusantibus autem iis qui aderant: Diuinitùs, inquit, contingit venustè canere. Hic Ismenias ridens: At me, inquit, canente dij voluptate capti, memorabantur: te verò festinante illos abigere, arripuêre hostiam. Recitat Plutarch. lib. 2. Symposiacon.

Macrobius scribit, OCTAVIVM Herenum fuisse quempiam prima adolescentia tibicinem, qui arti suæ diffisus, mercaturam postea instituerit. Rauis.

MVSICES

MVSICES STVDIOSI.

Hoc titulo eos complectimur, qui Musicam tanti fecerunt, vt quamuis maioribus negociis districti essent, in remissione tamen animi Musica vsi fuerint. Arist. certè in octauo Politicorum, ingenuorum & liberalium exercitiorum, quæque olim apud Græcos optimis legibus vtentes in vsu fuere inter iuuenes, quatuor species enumerat: Literaturam, Pictoriam, Gymnasticam & Musicam. Huc etiam pertinent, qui quamuis ipsi artis huius fuerint imperiti, Musicis tamen aures libentissimè dederunt.

APVD Græcos iidem Musici, vates & sapientes erant, apud quos post cenam, lyram circumferebãt: quam qui recusaret, indoctior habebatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

ARCADES, Lacedæmonij & Thraces, quanquam ferum genus hominum, à teneris assuescunt modulis & cantibus, Musicásque artes & vocum concentus ediscũt vsque ad annum trigesimum. Qui non didicisset, rudis & ignauus putabatur. Ibidem.

CRETENSES iusserunt liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiscere, vt ex musica voluptatem caperent, & facilius eas memoria complecterentur: & ne, si quid contra leges admisissent, per ignorantiam se feciss posse defendere. Secundum, quod eis discendum proponebant, erant hymni in honorem deorum facti. Tertiũ, fortium virorum encomia. Ælian. de Var. hist. lib. 2.

PYTHAGORAS tanti musicam fecêre, vt summo mane excitarentur ad lyram: & quietem capturi, sono inuitarentur. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 25.

CHOROEBVS Atys regis Lydorum filius, tam præclatus musicis instrumentis fuisse dicitur, vt in cithara quintam chordam inuenerit. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

ALEXANDER Macedo quum transmisso Hellesponto Troiam inuiseret, quidam, si vellet, pollicitus est se Paridis lyram daturum. Hîc Alexãder: Minimè, inquit, illa mihi est opus, cùm Achillis lyram habeã. Hac vir strenuus fortium virorum laudes canere consueuit, quum Paris sua lyra molles ac lasciuos modulos caneret. Plutarchus in eius vita, & Diodorus Siculus.

IDEM puer adhuc citharam didicit pulsare. Et magistro iubẽte chordam quandam tangere modulis conuenientem: Et quid interest, inquit, etiamsi hanc pulsauero, in aliam digitum intendens? Respondit ille: Nihil interesse tum regis, sed non eodem modo nihil interesse futuri citharœdi. Timuit, ne si duriusculè eũ institueret, idem sibi eueniret quod Lino. nam Herculem puerum adhuc Linus fidibus canere docuit. Verùm cum imperitius instrumentum tangeret, increpauit eum Linus. At Hercules accensus ira, plectro Linum percussum interfecit. Ælian. libr. 3. de Var. hist.

CIMON Athenienſis & EPAMINONDAS Thebanus, qui fidibus egregiè canerent, omnibus aliis Imperatoribus Græcorum antelati fuerunt. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

SOCRATES in senectute didicit musicam. Cum autem ei diceretur: Nunquid non verecundaris in senectute his operam dare studiis? Maiorem, respondit, verecundiam esse, in senectute ignorantes esse, quàm in senectute studere.

D. SYLLA, vt animum laboribus & affectibus diuersis laborantem refocillaret, optimè cantasse dicitur. Ibidem.

GREGORII Magni, pontificis max. studium in Musico exercitio, pete ex tit. Studium in docendo.

MVSICÆ ODIVM, ET CONTEMPTVS.

ÆGYPTII musicæ omnino non vacabant, existimantes quotidianũ illius exercitium iunioribus noxium esse, & periculosum, quasi virorum animos effœminaret. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. de reb. antiq.

PHILIPPVS quum audisset filium suum quodam in loco scitè cecinisse, ciuiliter obiurgauit, dicens: Non te tui pudet, qui noris tam bellè nugari? Significans, alias artes regi conuenire. Plut. in Pericle.

LACEDAEMONIVS quidam, quum in conuiuium esset illata lyra: Non est, inquit, Laconicum nugari. longè dissentiens à cæteris Græcis, quibus nullum conuiuium suaue videbatur absque musica. Plutarch. in Lacon.

AGESILAVS rogatus, vt vellet audire quendam, qui mira similitudine luscinię vocem imitabatur, recusauit: Frequenter (inquiens) ipsam audiui luscíniam. Significans, ineptam esse voluptatem, magis delectari ipsa simulatione quàm natura. Plut. in Lacon. Apoph.

Quidam, vt Cleomeni cantorem quendam commendaret, cùm aliis multis nominibus prædicabat hominem: tum illud in primis affirmabat, eum esse canorum inter Græcos præstantissimum. At CLEOMENES, ostenso quodam e his qui aderant: At per deos hic, inquit, apud me iuris condiendi artifex. Contempsit artem ad solam delectationem vtilem. Plut. Hoc idem & Archidamo tribuitur.

EVDAMIDAS rogatus de cantore quodam, qui fœliciter cecinerat, qualis ipsi videretur: Magnus, inquit, in re parua delinitor. Contempsit operolam artem, cuius nullus erat fructus, præter inanem ac temporariam delectatiunculam aurium. Plut. in Lacon.

DEMARATVS Spartanus vbi psaltem bonum inuasisset, subiecit: ἐκακῶς φάνεταί μοι φλυαρῶν, Non malè mihi videtur nugari.

ANTISTHENES, cùm audisset Ismeniam Thebanum, optimum tibicinẽ: At, inquit, est homo nequam: non enim, si probus foret, tibicen esset. Quo dicto musicos arguebat, vt vnguentarios & ministros voluptatum. Plut. in vita Periclis.

Zeuxidami filius ARCHIDAMVS, cum nimio plus admiraretur quidam citharœdum, vimque eius laudaret: O præstantissime, inquit, quodnam bonis viris præmium statues, cui tantum arridet citharœdus?

DEMOSTHENES Mitylenæus pulsauit fores hominis musicæ ac citharæ dediti. Quique is audito pulsu, iussisset illum introire: Faciam, inquit, si prius alligaris citharam. Subnotans, illum subinde cithara canere. Plut. Symposiacõn lib. 2.

ALCIBIADES imbutus philosophiæ præceptis, lyram hoc argumẽto reiiciebat, quòd vocem hominis imitaretur (ex quo colligere licet, eos olim qui lyra canebant, simul & voce cecinisse) plectrum, quòd habitum formámque liberalem immutaret in illiberalem. Tibiam duplici nomine damnabat. & quòd si mutaret oris habitum, vt vix à familiarissimis agnosceretur, qui caneret: & quòd homini propriam adimeret vocem, loquendique facultatem eriperet. Nemo enim potest simul & inflare tibiam, & loqui. Cantent igitur, inquit, Thebanorum filij, qui dicere nesciunt: nobis autem Athenienſibus, vt à maioribus accepimus, gentis princeps est Pallas & Apollo: quorum illa fistulam confregit, hic tibicinẽ excoriauit. Proditum est priscorum fabulis, Palladem ad speculum tibia canentem, offensam oris deformitate, proiectam comminuisse tibiam: Apollo Marsiam canendo victum excoriauit. Erasm. libro 5. Apoph. ex Plutarcho.

DIOGENES Cynicus musicos in ius vocabat, quòd cùm lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Laertius lib. 6.

IDEM cuidam iactanti musices peritiam, respondit:

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκος οὐ ψαλμοῖσι θ' ἁρμόζεται. Laert. lib. 6.

BION Borysthenites philosophus, omnino musicam & geometriam pro ludo iocóque habuit. Laert. lib. 4.

In conuiuio quum lyra circumferretur, cæteríque ordine canerent (nã id apud Græcos honestum habebatur) GELON equum iussit induci in conuiuium, faciléque ac leuiter in illum insiliit. Significans, hoc esse regalius, quàm lyra canere. Plut. in regum Apoph.

PYRRHVS rex interrogatus, vter melior tibicen videretur, Pythón ne, an Charisius? Polysperches, inquit: is erat egregius dux exercitus. Contempsit artem, & verique prætulit strenuum ducem. Idem.

ANTEAS Scytharum rex, quum Ismeniam tibicinem optimum in bello cæpisset, iussit illum canere: ac cæteris admirantibus, ipse iurauit per ventum & acinacen, sibi iucundius esse, audire hinnitum equi. Plutarchus in Lacon. & Bruſonius lib. 4. cap. 17.

Apud IASSIOS, populum magna ex parte piscibus victitantem, citharœdus quidam in foro ostentabat artem. Verùm simulâque tintinnabulum crepitu signum dedit, adesse pisces venales, turba subitò deseruit cantorem, & ad piscium mercatum aduolauit: vno excepto, qui quòd surdaster esset, tintinnabuli sonitum non audierat, aut certè non attenderat. Huic citharœdus propius accedens, gratias egit, quòd & artem honorasset, & ipsum non passus sit esse prorsus desertum. Tum ille: An crepuit tintinnabulum? vt annuit: Valebis, inquit, egregie magister, sese que mox ad pisces proripuit, Citharœdo liberum erat, sibi canere, & Musis. Erasf. lib. 8. Apoph.

SOLYMANNVS Turcarum Imperator, cùm à rege Francisco I. Gallorum, peritissimos in omni genere musicæ artifices dono accepisset, illis primò summopere delectatus fuit. Mox cùm Constantinopoli summo studio populum ad audiendum concurrere, & earum artium disciplinam affectare cerneret: veritus ne animi ciuium effœminarentur, instrumentis omnibus confractis, & igni absumptis, musicos ipsos Gallo remisit. Carent omnino Turcæ musicis instrumentis, bellicis tantùm tympanis etiam in nuptiis vtentes. Cauit enim perfidus Mahometus omnia ea, quæ animos excitare & emollire possent: vinum, musicam, artes denique omnes liberales.

MVSICÆ VSVS, AD QVOTIDIANÆ VITÆ FVNCTIONES.

Musicæ vsus in omni vitæ locum habet, non modò in ludicris rebus, ad remißionem & relaxationem animi, verumetiam in seriis. Animus enim noster concentu & harmonia mirificè delectatur: eamque ob causam Plato animam harmonicè à primo opifice creatam, asserere non dubitauit, quandoquidem simile suo simili oblectari consueuit. Rationem horum in numeros transfert Plato: subest tamen occulti quid, hoc est diuini, quod aliquando corporea mole exuti perfectè cognoscemus. Varia rhythmorum genera apud veteres fuerunt, de quibus Arist. in 8. Polit. & nos in Tabulis nostris in eum locũ. Aelius modus simplex erat, Asiasius varius, Lydius querulus, Phrygius religiosus, Dorius bellicosus. Ab effectibus deinde Hormiũ & Orthiũ carmen appellabant, quòd eo animi ad prælia excitarentur: Paræmium, quo in conuiuiis vtebantur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2.

IN THEORICIS.

ELISEVS, à psalte coram se canente, ad prophetandum excitatur. 4. Reg. 3.

DAVID cithara sua coram arca ludit, & corporis insuper concinno motu saltans, animi feruidam deuotionem non tam ostendit quàm excitat. Eius rei causa Ecclesia quoque organis animos ad pietatem & zelum religionis excitare voluit.

PARRASIVS pictor insignis, in suo opificio versatus dicitur alacri facilique animo. cantilenis enim & modulis laborem mitigare solitus erat. Theophrastus apud Ælianum lib. 9. de Varia historia.

CRETENSES iusserunt liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiscere, vt ex musica voluptatem caperent & facilius eas memoria complecterentur. Proponebant præterea hymnos in deorum honorem factos, item fortiorum virorum encomia. Ælianus libro secundo de Varia historia.

IN PRACTICIS.

Fortitudinis bellicæ.

ATHENIENSES pæana canentes, & hymnos Ioui, congredi cum hostibus solent: quò frequens etiam apud Græcos reliquos fuit Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

Procles & Temenus Heraclidæ, aduersus Eurysthidas Spartam tenentes bellum gerebant. Heraclidæ rem diuinam fecerant Palladi, montiũ Hiperbacteria offerentes. Eurysthydæ repentè in eos irruere, & manum conserere. At Heraclidæ nihil turbari, sed tibicines vt omni studio præirent iubere. Quibus præcedentibus, ac tibias inflantibus, armati ad cãtum & numerum sequentes, irruptos ordines seruabant, & hostes vincebant. Experientia docuit LACEDÆMONIOS, tibiam habere vim & irritamentum in pugnis. Quare Lacedæmonios in pugnam eũtes tibia præcedit, & prælium facientibus accinit. Ego scio, Deum oraculo Lacedæmoniis victoriam prodidisse, simulac cum tibicinibus bella gererent. Neque pugna Leuctrica ad tibicines pertinens oraculum confutat. In Leuctris enim non præeũtibus tibicinibus, Lacones cum Thebanis pugnam inibant, quibus patrium erat fistulatoriam artem exercere. Itaque colligi manifestò ex oraculo Dei potuit, penes Thebanos victoriã futuram Lacedæmoniorum, qui sine tibia pugnam capesserent. Poliæn. libro 2.

Cuidam Agesilaum roganti, quam ob causam SPARTIATÆ ad tibiarum cantum inituri prælium exercerentur: Vt quum ad numerum, inquit, incedunt, appareat qui formidolosi sint, qui fortes. Nam anapæstorum ictus strenuis addebat animum, meticulosis pallorem ac tremorem incutiebat. Itaque quum pes nõ responderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignauorum imbecillitas. Magni siquidem refert, vt dux perspectos habeat militum suorum animos, quo norit qui sint à prælio submouendi, aut qui qua parte exercitus collocandi. Plut. in Lacon. Apoph.

Castorium, melos LACONICVM, ad excitandos militum animos multũ valuisse dicitur. Quinetiam in prosequendis hostibus effusè fugientibus aut si receptui canendum esset, diuersi traduntur moduli, ad militum excitãdos animos, aut sedãdos. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2.

TYRTÆVS Spartanos ad martem accendit. V. de tit. Poetarum lyricorum.

TERPANDER seditionem, quæ Lacedæmonios vexabat, musica sustulit Plutarchus de musica.

SOLON in concionem progressus, Elegia cecinit, & Athenienses ad recipiendam Salaminem incitauit, legémque (quæ iubebat, vt qui de Salamine recuperanda mentionem facerent, morte mulctarentur) abrogare coegit. Polyænus lib. 3. & Laertius libro primo. Vide tit. Prudentiæ in legibus abrogandis.

TIMOTHEVS cùm ad Alexandri mensam caneret Orthium modulum, regem repentè veluti insanum statuit in pedes, coegítque ad arma prosilire: rursus remittente cantu, continuò & regis remisit affectus. Sab. lib. 10. cap. 8. ex Plut.

Musica quanto in precio antiquitùs habita sit, inde maximè liquet, quòd partim ad excitãdos militum in bello animos, partim ad permulcendos militum in bello animos semper adhibita sit. Signa etiam educendi exercitus, & certaminis conferendi, in ROMANIS legionibus, concentus tubarum & cornuum fuit. Si quando silentio educendæ forent, Tesseram habebant.

Cum milites antiquitùs cornu bubulo conuocarentur, & ad prælium incitarentur, vt fortius mouerentur milites: Tyrrhenus Pisæus æneam tubam primus inuenit, ad excitandos militum animos. In prætoriis castris buccina semel, in consularibus verò bis signum dabatur, qua pedites, equites verò lituò ad pugnam aduocabantur. Quoties mouenda erant signa, aut castra, & ad reliqua belli munia, soli cornicines signum dabant: excubias verò, somníque & vigiliarum tempora, buccina designabãt. Si legiones ducendæ in hostes, & acie decernandum foret, aut receptui canendum, cornuum aut tubarum concentu fieri solebat. Idem.

CRETENSES cithara, fidibus & tibiis vtuntur in præliis, quibus instructas acies accendunt. Alex. lib. 3. cap. 2.

LYDI cum fistula & fidicine, Indi cum cymbalorum & tympanorũ pulsu in hostes irruunt, tubarum loco. non enim tibias habent Indi, nisi in regia, cum rex dormitum vadit. Alex. lib. 4. cap. 2.

CYRVS Persarum rex, ne hostium efferis clamoribus milites perculsi trepidarent, hymnum Polluci & Castori canere iussit: quo conuentu effecit, ne improuisa formidine caperentur. Alex. lib. 4. cap. 7.

SYRI in primo hostium congressu solem venerati, immodicis vocibus & cantu exultantes, cursu quàm citissimo in hostes irruunt. Ibidem.

ÆTHIOPES belligerantes, cantu & clamoribus dissonis tumultuantur, & sui moris tripudiis exultant. Ibidem.

PARTHIS cornua, sæpius ingens tympanum cum ferreis tintinnabulis, pugnæ acuebant animos. quod quidem lance concaua, corio vndique protento, & clauis æneis affixum erat. Hoc simulac verberabant, ignoto & horribili sonitu veluti tonitru intonabat. Alex. lib. 4. cap. 2.

GALLI & GERMANI olim cum hoste congressuri, dissono & truci cantu, quem Barritum vocant, cum vlulatu & tripudiis scuta quatientes, prælia inibant. Alex. lib. 4. cap. 7.

CIMBRI protentas vehiculorum pelles tantis pulsabant ictibus, vt ingentem fragorem redderent, ad incitandos militum animos. Alex. li. 4. cap. 2.

AMBRONES incessu tardo arma pulsantes, rhythmis cum congressu & pulsu armorum consonantibus, suum nomen exprimentes, in hostes irruũt Alex. lib. 4. cap. 7.

VBII & Treueri, virorum cantu, & feminarum vlulatu hostem aggrediuntur. Ibidem.

SYBARITARVM equos Crotoniatæ tibiis inutiles reddunt. Vide tit. Stratag. Equos hostibus adimere.

Temperantiæ.

CLYTÆMNESTRAM Agamemnonis vxorẽ non prius Ægisthus corrumpere potuit, quã Demodocum poetam & musicum (qui Clytemnestræ ab Agamemnone custos erat relictus) è medio sustulisset. testis Homerus Odys. 3. Tanta erat musicæ vis in castitate tuenda. Eandem quoque ob causam Phemius, Demodoci frater, ab Vlysse Penelopæ vxori custos datus esse fingitur, qui (vt primo Odysseæ) βίῃ παρὰ μνηστῆρσιν ἀείδει, coactus apud procos canebat, non turpes fabulas, sed miserabilem Græcorum reditum à Troia. Coactus autem canebat: quia non vt procos oblectaret, sed vt Penelopen custodiret, in Ithaca ab Vlysse relictus erat. Eustathius in 3. Odysseæ.

PYTHAGORAS (siue Damon ille fuit) cum iussisset tibicinem Spondeum canere, temulentam iuuenũ manum, quæ pudicitiæ domui imminebat, ab iniuria reuocauit. Sab. lib. 10. cap. 8.

Mansuetudini & clementiæ.

ORPHEVS Thracius theologus, & AMPHION Thebanus syluas, saxa, feras, cantu suo traxisse dicuntur. Fabulæ historia subest, vel quòd reuera feras musica delectarint (nam cerui & armenta pastorali fistula mulcentur, & aues quædam cantu capiuntur) vel quòd homines rudes, stupidos & agrestes ad mitiorem vitę cultum partim legibus, partim iucunda modulatione traduxerint.

ACHILLES in Iliade, cùm accinit citharæ, veterúmque res gestas cantando sibi ipsi in memoriam reuocat, furorem & indignationem sopire videtur. Etenim cum esset musicus, ex spoliis hosti ereptis primam arripuit citharam. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

ARIONEM exceptum medio mari à delphino ad concentum lyræ, per longa æquorum spacia in Tænarum Laconiæ incolumem delatum, testata est non tantùm vetustas, sed & statua ex ære, quæ ibi loci fuit, monumentum rei gestæ, Arion Delphino sedens. Sab. lib. 10. cap. 8.

PLATONIS institutum erat, vt iuuentus Musicæ disciplinis inter primas artes instrueretur, vt grauiora studia honesta voluptate lenirent. Id quod Pythagoras quoque censuit, qui repentinos motus animi & mentis perturbationes nulla re magis quàm vocum concentu mulceri putauit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

CLINIAS philosophus Pythagoræus, si quando ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, confestim chordis adaptatis, citharam pulsabat. Interrogantibus autem, ob quam causam id faceret? Quoniam, inquit, mitigor animo. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

LVDOVICVS Pius imperator, cùm Theodulphi episcopi consilio & instinctu, regno exutus, captus, in carcerem à Lothario impio filio coniectus esset, liberatus & restitutus in regnum, Theodulphum captum carceri inclusit: in quo cum hymnum, quem in carcere dictitabat in festo Palmarum plena voce cantaret, Gloria, laus & honor tibi sit rex Christe redemptor, &c. motus Imperator, iussit conscriptum carmen voce pontificis decantatum signari, cuius dulcedine permollitus veniam dedit Theodulpho vitę suæ insidiatori, & liberum abire permisit. Crãzius lib. 1. cap. 27. Metrop.

Iusticiæ religiosæ. Sacrificijs.

DAVID rex, omnibus gentibus pacatis, religionis studia complexus, hymnos trimetros edidit, & cum his pentametros versus plurimos, qui sabbathis festísque diebus sacris solennibus canerentur: adiecit his decachordem citharam, nabla 12. vocum, cymbala ærea, grandia & lata. Sabell. Ennead. 1. lib. 20.

In PRISCORVM sacrificiis, semper inter vescendum Diis canere solebant, quibus sacrum fiebat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

Apud INDOS nulla fuit numinis salutatio, vel sacrificium, nisi adhibita psaltatio foret. Ibidem.

In DELO absque musica sacrum nullum fiebat. Ibidem.

ANTONINVS Cæsar, cùm Heliogabalo sacrum faceret, mulieres Phœnissas, quæ in orbem cursitarent, cymbaláque & organa musica circum aras pulsarent, adhibuisse dicitur.

CYBELIS sacerdotes, cum tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum sacra facere solebant.

Apud CVRETAS nullum fit sacrum sine strepitu tympanorum & tubarum. Ibidem.

IN MECHANICIS.

THEON insignis pictor, cùm pinxisset virum armatum, qui excursionem ex vrbe repentè faceret, & furore quodam correptus in hostes irrueret: non tamen prius exhibuit picturam, quàm tibicinem iuxtà collocasset, quem iussit carmen orthium canere, penetrãs & clamosum quàm fieri posset maximè, & quod ad prælium animaret. Simulac igitur auditum est carmen asperum & horrendum, atque tuba quasi armatorum expeditionem sonante, picturam ostendit, & miles conspectus est, cùm efficaciorem cogitationem de excurrente in animis hominum cantus excitaret. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

NICIAS pictor insignis, cùm in opere diligentissimus esset, laboris tædium cantando solebat fallere.

CORPORIS BONIS.

In morbis mitigandis.

DAVID ad Saulum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, vt cantu demulceret æstuantem mentis furorem. Id quod præstitit. Nam quoties in morbum incidit Saul, stans Dauid ad caput, cùm sacros hymnos voce & fidibus cecinisset, ad sanam mentem reductus est. Ioseph. lib. 6. cap. 9. Antiquitatum Iudaicarum.

THALETEM Cretensem forte quadam à Pythio edita adiisse Lacedęmonios, eósque pestilentia, ope Musicæ, liberasse. author est Platinas apud Plutarch. de Musica.

Theophrastus Eresius memoriæ prodidit, quarũdam VIPERARVM morsibus, cantus tibiarum, aut fidicinum, atque alia organa artis Musicæ modulatè adhibita, aptissimè mederi. Alex. ab Alex. libro secundo capite decimoseptimo.

ASCLEPIADES phreneticos mente imminuta, & valetudine animi affectos, nulla re magis quàm symphonia & vocum concentu resipiscere & sanitati restitui, censuit. Ibidem.

ISMENIAS Thebanus, Antigonis discipulus plures Bœotiorum ischiadicos, & coxendicum dolore laborantes, tibiæ cantu bonæ valetudini restituisse dicitur. Tantus hominis naturæ cum harmonia consensus est. Ibidem. & Boetius lib. 1. de Musica.

PHALANGIO percussos (quod vulgò Tarantolam dicunt) nullo alio remedio sanari compertum est, quàm si protinus tibicen varios concinat modos. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 17. qui huius rei rationes & exempla demonstrat. Est autem tarantola aranei species, sic dicta, quòd in Tarentino agro copiosa in terræ cauernis reperiatur, & per æstatem messores ex improuiso impetat, vt ocreati tantùm metere cogantur.

GEOMETRAE, GEOGRAPHI, COSMOGRAPHI, *Chorographi.*

SASOCHIS secundus Ægyptiorum legislator, Geometriæ inuentor, incolis astrorum cursus ostendisse dicitur. Diodor. libro tertio de Rebus antiq.

ANAXIMANDER Milesius primus terræ marisque circuitus descripsit. Laert. lib. 2.

PYTHAGORAS Samius Geometriam perfecit, cùm antea MOERIS initia elementorum eius inuenisset, teste Anticlide. Laert. libro octauo.

XENOCRATES Chalcedonius de Geometria primùm duos, deinde quinque libros scripsit. Laert. lib. 4.

DEMOCRITVS Abderites Cosmographiam scripsit, item Geometriam, Geometricos numeros, terræ descriptionem. Laertius libro nono.

HERACLIDES Ponticus, Speusippi discipulus, de Geometria quoque scripsit. Laert. lib. 5.

EVDOXVS Cnidius & Archytas eius præceptor, primi Geometriam variis cælaturis exornantes, machinamentorum artem inchoauere, ipsiúsque Geometriæ rationes difficilésque demonstrationes per sensum & instrumentorum exempla edidere. In eos inuectus est Plato, quòd Geometriæ dignitatem sustulissent, quodque à cogitatione & rebus incorporeis ad ea quæ sensibus percipiuntur declinassent, quasi ad sui vsum corpore & mercenaria indigeret inertia. Volat. lib. 15. Anthrop. ex Plutarcho.

STESICHORVS poeta fratrem habuit Mamertinum Geometram.

TIMOSTHENES præfect⁹ classis Ptolemæi Philadelphi, geographus nobilis, scripsit de Portubus libros decem.

POLEMON Helladicus, scripsit de Origine ciuitatum, & Lacedæmoniæ geographiam, & de cursu Solis libros tres.

PAPPVS philosophus Alex. scripsit de situ orbis, de fluuiis Africæ, & commentarios in Ptolemæum.

PTOLEMÆVS Ægyptius, præter libros de Siderali scientia editos, scripsit etiam de Geographia.

MARINVS Tyrius Geographiam scripsit, ex qua Ptolemæus suam desumpsit. Volat. lib. 17. Anthrop.

ARCHELAVS chorographus, omnem ab Alexandro peragratatam terram descripsit. Laert. lib. 2.

DIONYSIODORVS fuit quispiã in geometrica scientia nobilis, in cuius mortui sepulchro affines reperisse dicuntur epistolam eius nomine ad superos scriptam: Perueniße eum à sepulchro ad infimam terram, esséque eò stadiorum XLII. millia. Plinius in fine secundi.

DICÆARCHVS Siculus, Aristoclis auditor, Geometra fuit ætate sua clarissimus: qui scripsit de Repub. Lacedæmoniorum. Hic regum cura montes permensus est, ex quibus altissimum prodidit Pelion MCCL. passuum ratione perpendiculi, nullam esse eam portionem vniuersæ rotunditatis colligens. Plin. cap. 67. lib. 2.

EVPOMPVS Macedo, Zeusis coætaneus, Arithmeticæ & Geometriæ fuit peritissimus, sine quibus negabat artem posse perfici.

DIONYSIVS Corinthius (vt Suidas ait, vt alij verò, Afer ex Byzante ciuitate) temporibus Augusti: scripsit Geographiam versibus hexametris, cõuersam à Prisciano. Volat. lib. 15 Anthrop.

PAVSANIAS Cæsariẽsis grammaticus, Aristidis æqualis, Hadriani principis tempore, Romę vixit: scripsitque vniuersæ Græciæ περιήγησιν id est Geographiam cum eius historiis, quod opus adhuc extat. Volat. libro 18. Anthrop.

SCYLAX Cariandæus (ex Carianda vrbe Cariæ) Mathematicus, scripsit circuitũ mensurámque maris extra columnas Herculis: telluris item, præterea Antigraphen ad historiam Polybij. Suidas.

DIDYMVS Alexandrinus, præsul Cæsariensis, licet oculis captus, Geometriam tamen, quæ vel maximè visu indiget, perdidicisse dicitur. Volat. lib. 15. Anthrop.

PAVLVS Florentinus sub Benedicto XI. instrumenta in Geometria & Astrologia fecit. Volater. lib. 21. Anthrop.

COSMOGRAPHIÆ AVT GEOMETRIÆ IMPERITI.

Ex piscis philosophis plerique terram rotundam, & Antichthonas esse voluerunt, sed non demonstrarunt. PLATO in Timæo ex sententia Ægyptiorum sacerdotum (referente Solone) Atlanticam insulam orbi nostro & situ & magnitudine oppositam, vehementi terræ motu & aquarum eluuie absorptam fabulatur. Atlantica illa Nouus orbis est, patrum nostrorum memoria ab Americo Vesputio inuentus, & Amaricæ nomine donatus. Plato igitur in eo errauit, quòd Antipodas fuisse olim, sed non amplius esse existimauit.

D. AVGVSTINVS, Hipponensis episcopus, terram quidem rotundam, Antipodes tamen esse negauit, quòd inferiora terræ aqua obtineret: eo potissimum innixus argumento, quòd qui Antipodas statuerent, immenso maris spatio nos ab illis disiungi asserer ent. Ex falsa suppositione rectè sentientium, erroris occasionem sumpsit. Vide lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 9.

LACTANTIVS Firmianus Antipodas esse negauit: terram planam, non rotundam esse affirmauit. Sic bonus ille vir nimio studio contradicendi Ethnicorum philosophis, in fœdissimum errorem lapsus est. Vide illius opus de Falsa sapientia, lib. 3. cap. 24

VIRGILIVS episcopus Salæburgensis in Germania, pro concione dixerat esse Antipodes. BONIFACIVS Geometriæ ignarus, episcopus Moguntinus, eum reprehendit, quasi alios homines, & per consequens alium Christum introducere velle. Virgilius causam suam tuetur, & Bonifacium ad regem Boiorum Vtilonem accusat. Bonifacius verò (qui Põtificis Romani legatus erat in Germania) à ZACHARIA Pontifice lite-

ras ad Vtilonem regem impetrat, quibus Virgilij vera opinio damnata fuit & explosa circa annũ Christi 745. Auentinus lib.3. Annalium Boiorũ.

GEOMETRIÆ, GEOGRAPHIÆ STVDIVM.

Ægyptii Geometriæ fuerunt studiosi. Vide tit. Arithmeticæ studium.

Persæ, licet in omni disciplinarum genere liberos suos erudirẽt, prima tamen & præcipua semper cura fuit, vt in primis Arithmeticæ & Geometriæ præceptis imbuerentur. Alexan. ab Alex. lib.2. cap 25.

Hadrianvs Imperator Geographiæ studiosissimus fuit, teste Spartiano, ita vt eius studio longinquas peregrinationes suscipere non dubitarit.

GEOMETRIÆ ODIVM

Bion Borysthenites Musicam & Geometriam pro ludo habuit. Laert. libro quarto.

Cicero libro quarto Quæst. Academicarum, ait Polyaenvm quendam magnum fuisse mathematicum, qui Epicuro postea adhæserit, totamque Geometriam falsam crediderit.

GEOMETRIÆ ET GEOGRAPHIÆ VSVS.

Ægyptiorvm sacerdotes cùm liberos suos liberalibus artibus erudiendos præceptoribus traderent, voluerũt tamen præcipuè vt Geometriæ præceptis probè erudirentur. Nilus enim singulis annis propter inundationem varias agrorum formas superinducens, magnas contentiones inter vicinos de agrorum finib. oriri fecit, quæ absque Geometriq adminiculo haud facilè componi pollũt. Diodor. Sic. lib.1.cap.2. de rebus antiquis.

Socrates Geometriam non damnabat, sed ad vsum Ethicæ vitæ accommodari volebat. Rogatus enim, quandiu Geometriæ opera esset dandæ Respondit, Quoad quisque posset terram mensura accipere & dare. Laert. lib.2.

Mirus nauticæ artis, ac Cosmographiæ effectus fuit, quem Christophorvs Columbus, natione Genuensis, Anno salutis quadringentesimo nonagesimotertio supra mille ostẽdit: vno ac triginta diebus, in Indiam à Gadibus per Oceanum profectus, quemadmodum se facturum esse prædixerat, & sæpius coram Ferdinando Castulonensi rege disputarat. Ei enim tandem rationibus persuasit, non modò posse, verumetiam esse perfacile à Gadibus recto cursu in Indiam nauigare. Quod tamen ante eum nullus breuiore via fecerat: quanquam perrari quoque illi fuerint, qui per Ethiopiæ littora, ac meridionalem Oceanum magno tempore, ingentibusque periclis, vix ad primos Indiæ fines peruenerint. Fulgosus libro 8. cap.11.

ASTRONOMI.

Astronomiam olim Astrologiam vocabant. Posterior ætas diuersas scientias diuersis quoque nominibus appellauit. Nos in præsentia de ijs qui siderum motus obseruant, agemus, vt quamuis Astrologi vocentur, id tamen more vetusto fieri existimetur. Astrologos hodie appellamus eos, qui ex astris iudicant, & Genethliaci atque Iudiciarij alio nomine dicuntur. De quibus paulo pòst.

Mercvrivs propter verborum interpretationem Hermes dictus, in primis obseruator astrorum & cursus solaris fuisse dicitur. Diodor. Sic. lib.1.cap.3. Antiq.

Atlantem cœlum humeris sustinuisse singunt poetæ, quòd sideralis scientia clarissimus extiterit. Sunt enim qui Sphæræ inuẽtum eidem referunt acceptum.

Endymion lunæ rationem & naturam primus deprehendit. Hinc poetæ fabulati sunt, eum à Luna fuisse adamatum.

Babylonii primi omnium astrologiam dicuntur inuenisse, omnémque curam in contemplatione siderum collocasse. Ab his Græci polum, gnomonem, & duodecim horas diei didicerunt.

Suidas ponit Zoroastrem in numero Astronomorum, atque floruisse Nini regis Assyriæ tempore.

Cœli signa primus dicitur aperuisse cleostratvs, autore Plinio.

Palamedes Nauplij & Clymenes filius, Astrologiæ peritissimus, annum mensésque ad cursum solis apud Græcos accommodauit: primúsque in castris vitam atque formidatam solis eclipsin dixit naturalem, minimóque timendam esse, sacrificaréque soli iussit. Philostratus in Heroicis.

Thales Milesius, vnus è septem sapientibus, primus omnium Astrologiæ secreta penetrauit. De vrsa maiore disseruit, vt ait Callimachus: vt Eudemus, solis Eclipsin Ionibus primus prædixit, quę sub Halyatte rege Lydorum contigit, cùm æquo Marte contra Cyaxarim Medorũ regem pugnaret, teste Herod. lib.1. & Laert. lib.1.

In sexcentum quinetiam annos Solis & Lunæ cursum præcinuit. Sab. libr. 10. cap.8.

Anaximander Milesius Thaletis discipulus, lunam alieno lucere lumine: solem terræ æquare magnitudinem, & esse purissimum ignẽ, asseruit. Primus Gnomonem inuenit, eúmque Lacedæmone in loco captandæ vmbræ idoneo statuit, vt conuersiones Solis & Æquinoctia notaret. Horoscopia quoque & sphæram fabricatus est. Laert. lib.2.

Anaxagoras Clazomenius solem candens ferrum & ignitum esse, & Peloponneso maiorem, asseruit: vel certè lapidem esse ignirũ. Prædixit enim lapidem è sole casurum: qui & cecidit ad Ægos flumen Thraciæ, anno secundo Olymp.78. Eáque ratione inductus Euripides illius discipulus, in Phaetõte fabula solem auream glebam appellauit. Lunam habitacula in se habere, & colles & valles, affirmabat. Sidera pincipio quidem turbato & confuso motu ferri solita, ita secundũ terræ verticem, eum qui semper apparet, polum versari, postea verò inclinationem accepisse. Lacteum orbem reflexum esse solaris luminis, non intermicantibus astris. Cometas errantium stellarum esse concursum, flammas ex se emittentium: eósque veluti scintillas ab aere vibrari. Rogatus, cuius rei causa natus esset? Inspiciẽdi, inquit, cœli, solis & lunæ. Laert. lib.2.& Plin. lib.2.cap.60.

Heraclitvs Ephesius cœlestia sidera scaphas esse voluit, per concauum ad nos conuersas, in quibus euaporationes lucidæ concurrerent, flammámque redderent. Esse autem lucidissimam calidissimámque solis flammam, astra cætera remotiora: lunam terræ viciniorem non per liquidum locum ferri, eóque minus calefacere. Deficere autem solem & lunam, cùm scaphæ ad superiora vertuntur: menstruásque figuras lunæ fieri, dum in illam sensim vertitur scapha. Diem item & noctem, menses & annos, anníque tempora, secundum euaporationes varias fieri. Nam liquidam euaporationem in solis circulo inflammatam, diem facere: desam verò, noctem: atque ex lumine calorem augeri, æstatémque perficere: ex tenebris humorem abundare, vnde hyems oriatur.

Parmenides Eleates, Xenophanis auditor, primus animaduertisse videtur eundem esse vesperum & luciferum, vt Phauorinus testatur. Alij tamen hoc Pythagoræ tribuunt. Laert. lib.9.

Levcippvs Eleates, ex atomis totius vertigine circumactis & incensis sidera effici voluit: & solis extimum esse circulum, lunæ verò terræ proximum, cætera sidera media. Sidera omnia ob celeritatem motus ignescere, solem verò inflammari à sideribus: lunam paululum ignis habere: solem lunámque deficere, quòd terra ad Meridiem vergat: quæ ad Septentrionem sunt, niuibus conspergantur, & pruinis algeant. Solem rarò deficere, lunam semper, propter circulos impares. Laert. lib.9.

Democritvs Abderites astronomiam à Chaldæis didicit. Scripsit de planetis, Magnum annum siue Astronomiam, Cœli descriptionem, Poli descriptionem, Radiorum descriptionem. Laert. lib.9.

Xenocrates Chalcedonius, de Astrologia sex libros scripsit. Laert. lib.4.

Sidus Veneris, quod nascentem solem præuenit, & in ortu Lucifer, in occasu refulgens nuncupatur Vesper, primus pythagoras enarrauit, eiúsque docuit naturam.

Evdoxvs Gnidius astrologus, medicus, & poeta, Platonis æqualis, Archytæ discipulus, scripsit de Astrologia versibus octoeterida. Suidas, & Laert. lib.8.

Theophrastvs Eresius Astrologicæ historiæ libros sex scripsit. Laer. libr.5.

Oenopides Chius, Astrologiæ in primis peritus, cum dedicaret in Olympiis legum tabulam, inscripsit in ea astrologiam quinquaginta nouem annorum, affirmans hunc esse magnum annum. Ælian. libro 10. Var. hist.

Meton Lacedæmonius, astrologię peritus, columnas statuit, & in eis solis cursum ãotauit, atque magnũ annũ (vt ipse dicebat) adinuenit, quę intra nouemdecim annorum curriculum concluſit. Ælian. libro 10. de Varia hist.

Protagoras astrologus, in quem Euphorion scripsit. Epicedium.

Aratvs poeta, floruit Antigono regnante: scripsítque Phænomena, Latio iure à Cic. & Cæsare Germanico donata. Item multa alia opera.

Cleomedes Græcus author, scripsit de circulis cœlestibus elegantem admodum tractatum, qui adhuc extat: autore Volat. libr. 14. cap.2. Anthrop.

Conon insignis mathematicus, libros de Astrologia septem reliquit. De eo Verg. in Bucol. In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter. Hic Ptolemæo Philadelpho gratificaturus, Berenices comam in cœlum transtulisse dicitur. Fuit autem hæc Berenice Ptolemæi Soteris & Philadelphi mater, quemadmodum & Theocritus in Syracusis meminit. Quã rem Callimachus cecinit, & ex illo Catullus in elegia quadam, cui titulus

tulus est De coma Berenices. Huius & Proclus in sphæra sua, & Theon apud Aratum meminerunt.

Hipparchvs Niceus astrologus, consulum tempore scripsit de Arati phænomenis, de stellis fixis, de lunæ motu contra Platonem: primúsque instrumenta Mathematica inuenit. Volat. lib.16. Anthrop. & Plin. lib.2.cap.12.& 25.

Idem menses gentium, diésque & horas, ac locorum situs, quo teste, scientissimè complexus esse dicitur. Insuper manifesto argumento cognationis hominum cum sideribus, stellam suo quo genitam in cœlo deprehendit: rem ad id ausus propemodum ipsis cœlestibus improbam, stellas & omnia cœli sidera posteris numerare. Sab. lib.10.cap.8.

Sosigenes astrologus: quem Cęsar Dictator, annos vitio Pontificum per intercalandi licentiam turbatos, ad solis cursum redigens, auditorem sibi adhibuit. Plin. lib.18.cap.25.

Manivs mathematicus, è tribus obelisciis, quos ex Ægypto asportari iusserat Augustus, illi qui in campo Martio locatus erat, auratam pilam addidit, cuius vertice vmbra colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa iaculantem apice. Rationem ferunt à capite hominis intellectam. Plin.

C. Manilivs Antiochenus, conditione seruus astrologus & poeta vnà cum Plotio poeta mimorum & Taberio grammatico cõseruis, ex Asia vna naui aduectus fuit, teste Plinio lib.37. Astrologiam versibus primus Latinorum aggressus est, opus Augusto dedicans: vbi se non aliorum viam ingressum, nec aliena proferre, sed sua & noua profiteri, tacitè Vergiliumi notans. Carmen graue, sedatum & elegans, vt planè videatur temporis illius maiestatem & eloquẽtiam redolere, Quod minimè perfecisse videtur, quoniam de septem erraticis stellis mentionem non fecit. Volat. 17. Vrb. com.

Iul. Hyginvs ad M. Fabium Quintilianum, cui familiarissimus fuit, de mundi & sphæræ narratione vtile opus Astronomicum scripsit: præterea de signis cœlestibus aliud, in quatuor libros distinctum. Volat. lib.16. Anthrop.

Hypatia, mulier Alexandrina, Theonis geometræ filia: vxor Isodori philosophi, scripsit in Astronomia: docuit Alexandriæ, concurrentibus vndique discipulis. Claruit sub Arcadio Imp. tandem ab Alexandrinis ob inuidiam interfecta. Suidas.

Victorivs, siue Victorinus Aquitanus, astronomus excellens, à pontifice Hilario inuitatus fuit, vt rationem celebrandi Paschatis iuxta lunæ cursum institueret. Itaque cyclum Paschalem exactissima calculatione ad lunæ motum compositit, extenditque vsque ad annum 532, ita vt à 533. anno redeundum fuerit ad initium eiusdem mensis, diei & lunæ, quib. primitiùs anno passionis & resurrectionis Dominicæ primo sõlenitas paschalis celebrata est. Sabel. li.1, Enneadis 8, hac in re eum superasse eos asserit, qui ante idipsum aggressi erãt, Eusebium & Theophilũ.

Alphonsvs X. Hispanorum rex, profitebatur Astronomiam, fideratámque scientiam: in qua tanta cum laude versatus est, vt quæ extant Tabulæ ab eo dictæ sint Alphonsinæ. Ritius Neapolitanus libro tertio Regum Hispanorum.

Iohannes Monteregius, homo Germanus, Matthiæ Pannoniæ regi, apud quem agebat, gratissimus, edidit Ephemeridas, inductis nouis à suo nomine calculis, confutatáque Gerardi Cremonensis theorica. Cõposuit præterea Epitomen in Ptolemæi magnum opus, quod Almagestum vocat. Volat. lib.16. Anthrop.

Petrvs De Haliaco Alemannus, cardinalis Cameracensis, abhinc annis centum, in Astrologia nonnullos tractatus edidit, inter quos de parallelis xij, ad quos omnes Ptolemæi parallelos reducit, multáque ipsius interpolat ac declarat. Volater. lib.21. Anthrop.

Iovianvs Pontanus poeta (parcant mihi, qui solam mirantur & suspiciunt antiquitatem) cum hominibus superioris seculi conferendus, de Stellis libros v, Meteororum vnum scripsit, eruditè non minus quam doctè: quamuis argumentum ipsum ægrè cultum sermonis & verborum phaleras admittat. Rauis.

ASTRONOMIÆ STVDIVM.

Dem ocritvs Astronomiæ studio accensus, ad Ægyptios sacerdotes primùm, inde etiam ad Chaldæos profectus est.

Alfonsvs X. Hispanorum rex, maiorem ferè Astronomiæ quàm regno operam dabat. Videbat enim plus ex ea gloriæ se consecuturum, quàm ex ipsa regni administratione.

ASTRONOMIÆ ODIVM.

Athenienses Anaxagoram philosophum impietatis accusatũ, quòd rationibus physicis solem ignitum lapidem esse dixisset, morti adiudicaturi erant: intercedente tamen Pericle, eius discipulo, in exilium egerunt. Diogenes Laertius in eius vita.

Diogenes Cynicus astronomos carpebat, quòd solem, lunam, reliquáque sydera inuentes, quæ ante pedes essent negligerent. Laer. li.6.

ASTRONOMIÆ VSVS.

Nautæ astronomiæ subsidio ignota æquora penetrant. Agricolæ pariter, ex siderum fixorum ortu & occasu tempestates anni distingunt, & opportuna tempora rusticorum operum obseruãt. Licet hoc ex Hesiodi ἔργοις videre, quæ Ephemeridum loco à veteribus habitæ fuerunt. Itaque duarum artium mechanicarum præstantissimarum, agriculturæ scilicet & mercaturæ, regula est ipsa Astronomia: vt etiam Verg. in Georgicis testatur.

Pericles cùm obscurato repentè sole, inusitatis persusæ tenebris Athenæ, solicitudine agerentur, interitum sibi cœlesti denunciatione portendi crederetes, processit in medium: & quæ à præceptore suo Anaxagora, pertinacia ad solis & lunę cursum, acceperat, disseruit, nec vlterius trepidare ciues suos vacuo metu passus est. Val. lib.8.cap.11.

Agathocles solis conspecta eclipsi, rationem eius milites edocuit, ne terrerentur. Vide tit. Metum militibus eximere.

Svlpitii Galli maximum in omni genere literarum recipiendo studium, plurimùm Reipub. profuit. Nam cùm L. Pauli, bellum aduersum regem Persen gerentis, legatus esset, ac serena nocte subitò luna defecisset, eóque veluti diro quodam monstro perterritus exercitus noster, manus cum hoste conserendi fiduciam amisisset, de cœli ratione & siderum natura peritissimè disputando, alacrem eum in aciem misit. Itaque illi inclytæ Paulianę victorię, liberales artes Galli aditum dederunt: quia nisi ille metum nostrorum militum vicisset, imperator Romanus vincere hostes non potuisset. Valer. libro octauo, capite vndecimo. Plin. libro secundo, capite duodecimo.

ASTROLOGI. GENETHLIACI. IVDICIARII.

Prognostici. Critici.

Ægyptii astrorum motus & obseruationes summo studio considerarunt, quas vires ad animantium generationem haberent, quęue aut bona aut mala importarent hominibus. Sepius quoque quo melius occurri futuris posset, sterilitatem frugum, fructum vbertatem, morbos cùm hominibus tum pecoribus imminentes, terræ motus, atque inundationum tempora, cometarúmque ortus prædixerunt. Diodor. Sic. libro 2.cap.2.de reb.antiq.

Chaldaeos Ægyptiorum colonos astrologiæ operam in primis dedisse legimus, qui eius artis præcepta ab Ægyptiorum sacerdotibus didicerunt. Hinc factum, vt Chaldæos vocemus astrologos. Idem.

Necepsvs rex fuit Ægyptiorum, in astrorum cognitione peritissimus, de quo Ausonius scribit: Quisque magos docuit mysteria vana Necepsi. Iulius Firmicus: Necepsus, inquit, imperator iustissimus Ægypti, & astrologus valde bonus, per ipsos decanos omnia vitia multitudinésque collegit.

Beroso Attica ciuitas magnũ astronomicæ scientiæ testimonium reddidit, statuámque in gymnasio posuit inaurata lingua, ob certissimum eúctum eorum quæ prædixerat, pulchrum virtutis præmium, quia nobilissima id dedit ciuitas: verùm quia eadem & sapientissima, multo adhuc pulchrius. Sab. lib.10.cap.8.ex Plin. lib.7.cap.37.

Apollonivs Tyanæus astrologus insignis, inter cætera de conicis figuris nobilem tractatum edidit, qui cernitur (teste Volat. lib.13.cap. 3. Anthrop.) in Bibliotheca Vaticana. Idem, vt Philostratus in eius vita testatur, de Astrologica diuinatione quatuor libros conscripsit.

Manetvs è Diospoli Aegypti, vel Sebenites, scripsit Physiologiam & Apotelesmata versibus in astrologica, id est effectus astrorum. Suidas, & Cælius lib.11.cap.67.

Parmenes Chaldęus genethliacus. Vide tit. Poetarum, sub nomine Antistij Sosiani.

Meton astronomus insignis, cum Athenienſium copiæ iam in Siciliam contra Syracusanos nauigationem instituerent, perspicuè planéque futura pericula cognoscens, studebat immunis ab expeditione fieri. Verùm cùm subtrahere se nequiret commodè simulauit insaniam: atque cùm alia multa perperraret, ad verisimilem morbi opinionem reddendam, tum etiam domum quę Pœcile vicina erat incendit. Vnde à principib. insanus iudicatus, & impunè dimissus est. Aelianus lib. 13. de Var. hist. Plut. in Alcibiade & Nicia & Pyrrho.

Tarvntivs temporibus M. Varronis philosophi fuit, cùm philosophię, tum Mathematicę in primis studiosus. Cõceptionem & diem Romuli & horam examinauit: inspectísque eius vitę institutis ac rebus gestis, ex illis consequentiam collegit, quemadmodum & Geometricarum proportionum resolutiones præcipiunt. Plutarchus in vita Romuli.

P. Nigidivs Figulus secta fuit Pythagoreus, astrologię & medicinæ peritissimus: De quo Lucan. libro primo. At Figulus, cui cura deos, secretáque mundi Nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Mẽphis Aequaret visu, numerisque mouentibus astra. Floruit Cęsaris tem-

h

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

poribus. Nouerat supra omnes homines suæ ætatis, totius cœli ordinem & cursum: tenebat stellarum vim atque differentiam, quid ipsæ per se aut cum aliis coniunctę possint & efficiant. Augusto Cęsari adhuc infanti, imperium prędixit. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Augusto, & Volat. lib. 17. Anthrop.

FIRMICVS Maternus Augusti tempore nobilis mathematicus, tractatum edidit in Prognostica genethliaca elegantem, qui & temporum illorum eloquentiam referat. Ad nostram ętatem semifractus peruenit, non multis antè annis repertus. Volat. lib. 16. Anthrop.

SCRIBONIVS mathematicus, Liuiæ Tiberii Cęsaris matri prędixit pręgnanti, quòd virum, & non feminam paritura esset, verùm sine diademate: ignota scilicet adhuc Cęsarum potestate. Sabell. lib. 1. cap. 1. exemp. De insigni hominis ortu.

Verax THRASYLLI mathematici experimentum erga Tiberium fuit, cùm is ab Augusto vitrico Rhodum relegatus, haud parùm saluti suæ timeret. Nam cum eo iuxta mare deambulans, enixè vt meliora speraret hortabatur: cùm Tiberius contrà sentiret, atque parum abfuisset quin, vt erat ira succensus, pręceptorem in mare pręcipitem daret, increpitans atrocibus verbis. Thrasylli artem falsam esse. Tunc Thrasyllus aliquantisper constitit: conuersisque ad mare oculis, vt Rhodum versus venientem vidit nauem, tanta eum artis suæ fiducia cæpit, vt affirmare auderet, ea naui felicia Tiberio afferri. Nō multo autem pòst naue in portum delata, literas ab Augusto Liuiáque Tiberius accepit, quibus Romam reuocabatur, vbi imperij ipsius fundamenta iacta fuerunt. Fulgos. lib. 8. cap. 11. & Dion in Augusto.

Cùm aliquando Tiberius statuisset Rhodi THRASYLVM è muro pręcipitare, eo quòd is solus ex astronomiæ secretis omnes eius cogitationes cognosceret: sensit hominem ex ea re mœstū esse. Cuius rei causam cùm exploraret, respondit: Se periculi cuiusdam suspicionem habere. Vnde Tiberius admiratus hominem, qui institutum non ignoraret, quod proposuerat, intermisit. Dion in Augusto.

TIBERIVS Cęsar astronomiæ atque astrologiæ, aliarúmque recōditarum artium peritissimus fuit: multósque interfici iussit explorata die & hora qua nati fuissent, inde animaduersa fortuna eorū & moribus. Quē enim excellere videbat, aut sperare principatum, eum perdebat: didiceràtque fatum cuiúsque ciuis primarij: ita vt Galbæ qui postea principatum obtinuit, factus obuiam, quo die ille sponsalia fecerat, dixerit: Et tu aliquando principatum degustabis. Dion in Tiberio.

SVLLA mathematicus, Caligulæ consulenti de genitura sua, certissimam necem appropinquare affirmauit.

CL. NERO cùm manè ante solis exortum nasceretur, astrologus quidam inspecto siderum cursu, statim respondit, hominem Romæ regnaturum, sed occisurum matrem. Quod cùm Agrippina mater intellexisset: Interficiat, inquit, modò imperet. Euentus astrologorum vera prędixisse declarauit Xiphilinus in Nerone.

Accusatus ASCLETARION mathematicus, quòd Domitiani Cæsaris mortem prædixisset: ab eo interrogatus, si id egisset? Ita se fecisse non negauit. Cùm autem de morte quoque sua, qui aliorum prædicebat fatum, à Domitiano rogaretur: respondit, Breui se à canibus laceratū iri. Itaque cùm eius dictum experimento confutare Domitianus vellet, interimi eum iussit: atque profunda fossa tumulari, superingesta prætere a magna telluris vi. Sed haud longè res abiit, cum magnis imbribus ab Ascletarionis tumulo dilapsa humo, nocte, vt is dixerat, à canibus erutus ac dilaniatus est: miserādo exitu id de se verum esse testificatus, quod non multo pòst Domitiano quoque, vt ipse prædixerat, contigit. Fulg. li. 8. cap. 11. Alij referunt cùm viuus cōbureretur, magna imbriū vi delapsa, extinctóque rogo, semiustum cadauer à canibus fuisse dilaniatum.

HADRIANVS Imp. non tantùm aliis artibus operam dedit, quæ in omni vita necessariæ videntur: verùm etiam mathesi. Quod Marius Max. vsqueadeò demonstrat, vt eum dicat cuncta de se sciisse, sic vt omnium dierum vsque ad horam mortis futuros actus antè præscripserit. Satis constat de Vero, quem adoptauerat, sæpe dixisse:

Ostendent terris hunc tantùm fata, nec vltrà. Esse sinet, &c.

Volat lib. 23. Anthr. Eo igitur anno, quo è vita excessit, vsque ad mensem tantùm scripsit, quo decessit, ea re se mensem illum non transgressurum esse ostendens. Fulg. lib. 8. cap. 11.

L. SEPT. Seuerus Pertinax, peritissimus matheseos fuisse dicitur. Defuncta siquidem vxore Martia, cùm de conditionibus ageretur apud eū, genituris omnium inspectis, Iuliam apud Syros haud bono genere natam, quòd imperatoriam haberet genesim, sibi coniunxit. Volat. libro vigesimotertio. Anthrop.

IDEM in Britanniam profectus, non inde se rediturum pronunciauit: idque in laquearibus ędium quæ erant in Palatio, in quibus ius reddebat, scriptum reliquit: ita vt ab omnibus (pręter eam partem quæ ad horam, qua natus esset, spectabat) videretur. Xiphilinus Dionis Nicęi abbreuiator in Seuero.

PTOLEMAEVS Ægyptius natione, astrologus, primus apud Grǽcos cœli rationem omnem diligentius explicuit, inuentáque ab Hipparcho instrumenta clarius monstrauit. Edidit magnam illam compositionem, quam Almagestum vocant. Opus item quatuor tractatuum scripsit, & & Centiloquium super his quæ ad practicam pertinent astrorum prognosticam, centum videlicet canones, quos Gręci καρποὺς vocant, quòd fructum & experimentum prognosticorum esse dicant. Vol. li. 18. Anthr.

THEON philosophus Alexandrinus, scripsit de astrologia, & commentarios in Ptolemæum. Item paruum astrolabium.

LAVRENTIVS Miniatensis, nōn tam perfectus fuit astrologus, quàm primus fermè qui astrologiæ bonas artes & eloquētię studia adiecerit, primúsque qui suo tempore anni prognostica condere cœperit: quem posteà plurimi sunt imitati. Volat. lib. 21. Anthrop.

ASTROLOGVS quidam in aula Friderici II. Imp. Rodolphum Comitem Habspurgensem quamuis pauperem, summa obseruantia colebat, cùm reliquos longè potentiores floccipenderet. Causam ab Imp. rogatus, respondit: Imperatorem futurum video Rodolphum, cùm proles tua deficiet: eiúsque nomen longè latéque decantabitur, qui iam humilis plerisque apparet. Nec caruit euētu præsagium: nam anno Christi 1273. Cal. Octob. Rodolfus à Germanis principibus Francofurti in regē Rom. eligitur, cùm Basileam obsideret. Cuspinianus in Cæsaribus.

GVIDO Maltrauersus Patauinus, comes Lucij vici Patauini, ex Constantia vxore, filia Obicij marchionis Estensis Nicolaum genuit. Quem IAMBONVS Andreades astrologus perniciosum patriæ ciuem fore prædixit: & Guidonem tantum mouit, vt eum exhæredare voluerit, nisi amici obstitissent. Moritur Guido: Nicolaus opib. & gratia potens, in patriæ perniciem cum Cane Scaligero conspirat. Bellum oritur cruentissimum, in quo vltra centum millia hominum occisa feruntur: & verum Iamboni vaticinium fuisse, exitus ipse declarauit. Bernard. Scard. lib. 3. classe 13. Hist. Pat.

Marullus ait BILIOTVM fuisse astrologum, extinctum boletis. Hæc eius verba.

Dum cauet astrologus perituris sidera amicis,
Dum sibi boletos non cauet, ipse perit.

Magnos astronomicæ artis effectus, GVIDO Bonatus Foroliuiensis, sub Martino IIII ostendit, cùm Guidoni Montis Ferrati comiti diem prædixit, qua, si Foroliuio egressus, astu inuaderet hostes, eos superaret, atque victoria potiretur: sed in coxa vulnus accepturus esset. Atque vt Guido comes rem certiorem habere posset, cum eo in eruptione ipse quoque proficisci voluit: ac stupas, oua, atque alia quibus nondum facto vulneri opem ferret, secum attulit: secutóque pugnæ atque victoriæ euētu, quem prædixerat, vulnus quoque comiti illatum est. Fulg. libro 8. cap. 11. & Volat. lib. 21. & Egnat. lib. 8. cap. 11.

ANTIOCHVS Tibertus Cæsenas, insignis chiromantes, pyromantes & physiognomon, prædixerat. Guidoni Balneo, cognomento Guerræ, quòd ab intimo amico, perfidiæ suspicione necaretur: Pandulfo item Malatestæ Ariminensium tyranno, quòd ex patria pelleretur, & exul in extrema egestate periturus esset. Nec multo pòst Pandulfus Guidonem ob suspectam virtutem obtruncat: Antiochum ipsum custodiæ mancipat euentum præsagij expectaturus. Antiochus custodis arcis filiam ita flexit, vt resti ab ea impetrata, in fossam demitteretur: sed compedum sonitu proditus, & à fuga retractus, cum puella securi percutitur. Pandulfus tandem exul & egens ab omnib. desertus, in hospitali diuersorio senex periit. Sic aliis futura prædicere, sibiipsi cauere non potuit Tibertus. Teste Iouio, in Elogiis.

PETRVS Leonius Spoletanus, medicus celebris, qui primus ferè prolato Galeno veræ medicinæ limen aperuit, astrologiæ & veteris magiæ peritiss. fuit. Itaque cùm sibi subitæ mortis periculum in aqua portendi cognosceret, è Patauio Venetiisque in Vmbriam & Spoletum emigrauit, vt frequentes nauigationes effugeret. Mox vbi ad Laurentium Medicē vocatus esset, & ex astrorum fallaci scientia morbum salubrē esse prædixisset, omnémque bene gerendæ rei occasionem pretermisisset, à Lazaro Placētino illustri medico (qui à Ludouico Sfortia Ticino missus sera afferebat remedia) reprehēsus, atque adeò omnib. inuisus, post morā Laurentij incertū an desperatione actus, an illata vi à Petro Laurentij filio, in proximæ Caregio villæ puteum præceps datus mergitur. Teste Iouio in Elog.

BARTHOLOMÆVS Cocles Bononiēsis, Antiochi discipulus, metoposcopus & chiromantes peritis. Lucæ Gaurico astrologo author fuit, vt violēti cruciatus causas effugeret. Is monitis, nō parens, cùm in Ephemeridibus Ioan. Bentiuolum patria & dominio excessurū præsagisset, à tyrāno ex alta trochlea suspenso fune quinquies quassatus, artis suæ pœnas dedit. Prędixerat ille idē Cocles Copono cuidam, quod breui scelestus homicidia futurus esset: similiter & Hermeti tyranni filio, futurum vt exul in acie cęderetur. Hermes igitur fatali metu perculsus, Copono clā imperat, vt Coclitē κακὸν μάντια interficiat. Pręuiderat necis discrimē Cocles: ideóque secreta galea caput munierat, ingēti gladio, quem peritissimè ambabus manib. regebat, semper armatus. Verum à Copono baiuli habitu personato, dum ferę ostij, calculo iniecto prępeditę, clauem insereret, adacta in occipitium securi interfectus est: nullam aliam patrati facinoris causam afferente Copono, quam quòd ipse Cocles breui homicidam futurum asseruisset. Iouius in Elogiis.

PAVLVS III. pontifex, Farnesius, cùm astrologiæ peritissimus esset, filio Petro Aloysio, qui per vim Placentiæ & Parmæ tyrannidem inuaserat, scribit, vt decimum diem Septembris anni M.D.XLVII, tanquam sibi infaustum caueret. Pater quidem monere potuit, at filius euitare periculū non potuit, quin à coniuratis Augustino Lando & Iacobo Scoto, Placētinis comitibus, in arce sua colloquij prætextu interficeretur: & per pudenda diu suspensus, populo crudeliter dilacerandus exhiberetur. Sleidanus lib. 19. Commentariorum.

ASTROLOGIÆ AVT ASTROLOGORVM O-
dium aut contemptus.

BION aiebat, maximè ridiculos esse astronomos, vt qui non videāt pisces iuxta se nantes in littore: illos qui in cœlo sunt, se videre dicant. Stobæus serm. 78. de Diis.

Astrologus quidam in foro stellas, in tabella quadam depictas cùm demostraret, atque diceret, En tibi hic stellas errātes: audiens hoc DIOGENES, Ne menciaris, inquit, bone vir. stellæ enim non errant, sed illi: ostensis qui assidebant. Stobæus serm. 78.

IDEM, cuidam ostendenti sibi Horoscopium: Vtile sanè inuentum, inquit, ne priuemur cœna. Laert. lib. 6. Mathematicas enim disciplinas penitùs tollebat.

Thaletem, dum cœlum contēplatur, in fossam illapsum, ANCILLA eius, iurè id eum pati dixit: qui cum iuxta pedes posita ignoraret, cœlestia intueretur. Stobæus serm. 78.

ARISTON dicebat, eorum quæ philosophi scrutantur, alia ad nós pertinere, alia nihil, quædam supra nos esse. Sensit autem disciplinam morū spectare ad nos: sophisticam nihil ad nos pertinere, eo quòd ad vitæ emendationem non tantùm non prosit, sed rixas etiam & contentiones progeneret: astronomiam autem astrologiam, & similes, supra nos esse omnino. Stobæus serm. 78.

AGRIPPA, cùm Augusti Cæsaris temporibus Romæ ædilis esset, astrologos omnes & magos vrbe eiecit. Xiphilinus, Dionis Nicæi abbreuiator in Augusto.

TIBERIVS Imperator cùm insignis esset astrologus, astrologos magósque peregrinos non tantùm pœnis affecit, sed morte etiam puniuit: ciues in exilium tantùm misit. Cùm Thrasylo tamen erat semper, eiúsque vaticinatione quotidie vtebatur. Dion in eius vita.

VITELLIVS, cùm post superatum iam Othonem Romam venisset, atque Imperator diceretur, cœpit statim omnia suo arbitrio agere, in primis edicto contra astrologos proposito, quos ex vrbe expulit: edixítque vt intra certam diem quam ipse constituerat, ex omni Italia excederent. Illi autem contrà de nocte diem in tabulis pręscribunt, intra quē excedat de vita Imperator, etiam ante eam diem mortuus est. Xiphilinus in vita Vitellij.

DOMITIANVS Imp. Ascletarionem mathematicum, aliò quàm prędixerat mortis genere è medio tollere frustrà nititur. Vide tit. Astrologorum.

Cùm inter nonnullos quæsitum esset, quum in omne hominum genus ALPHONSVS Aragonum rex liberalem ac munificum sese ostenderet, cur solos astrologos præteriret? (neque enim huius scientiæ doctores, sicut aliarum disciplinarum magistri, in eius curia obuersabantur) quidam respondit: Sidera stultos regunt, sapientes astris imperant. Æneas Syluius libro quarto Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

ASTROLOGIÆ VSVS.
Consule titulum ASTROLOGORVM.

Magnos astrologiæ effectus esse, THALES Milesius ostendit, cùm reprehensus quòd eius artis quæ inutilis haberetur, nimis studiosus esset: se minimè inutili rei operam dare declarauit, si eius apud se fructū lucrum, & non scientię ipsius voluptatem esse vellet. Nam cùm ex astrorum inspectione, sequentem annum oleis vberrimum fore perspexisset, venditores præoccupauit, diu antè olearum eius anni fructibus emptis, haud admodum grandi precio: quòd aliquot iam annis antè, vber olearum fuerat prouentus. Itaque cum vt ipse præuiderat, eo anno copiosæ oleę, posteróque infœcundę iterum fuissent, ingens lucrum ex coemptis consecutus, apertè ostendit, quantum ex ea arte consequi possēt, qui struendis opibus operam dare cupiunt. Fulgosus libro octauo, capite decimo: & alij.

PHILOSOPHIA DIVINA.

Amplißimus hic locus est, multósque titulos sub se comprehendit. neque enim de substantiis tantū abstractis à materia, tum re ipsa, tùm intelligentia agit: verùm etiam de omnibus ijs, quorum cognitio in hominem, non vt purum hominem, sed quatenus diuina luce illustratus est pertinere videtur. Cuius generis sunt omina, prodigia, ostēta, somnia, oracula: quorū vel reuelatio, vel interpretatio diuinitatem quādā in se continet, & Deum rerum humanarum curam habere liquidò ostendit. Et quidem totum hoc genus cum Cicerone Diuinationem appellare poßimus, quam Epicurus cum Xenophane ineptè sustulit: seniores verò philosophi, Plato & Aristoteles, non parum admirati sunt, teste Plut. libro 5. cap. 1. de Placitis philosophorum. Etsi enim Aristoteles in 4. Ethicorum, cap. 13. vates, ariolos, interpretes, aruspices, somniorum interpretes reprehendit, propter mentiendi impunitatem & fraudem (quod idem in 3. Rhetoricorum apertè facit) non tamen propterea diuinationē ipsam tollit, sed vitia tantùm & ignorantiam hominum insectatur. vti nec medicinam propterea conuellit, quoniam improbi quidam homines hoc veluti aucupio auaricia suæ consulunt, Philosophiam autem diuinam totum hunc locum appellare volui, quoniam vel cognitionem diuinarum & abstrusarum rerum, vel certè diuinæ voluntatis monita & indicia quædam continet. Et proinde non malè fortaßis in Theoriam & Praxin diuidi poßet: vt theoria quidem abstractarum intelligentiarum eßentiam & operationes complectatur, praxis verò particulares earundem actiones comprehendat. Est enim Deus ipse φιλάνθρωπος, & in deliciis ponit cum hominibus conuersari. Proinde non modò iugi contemplatione, mentis acie nos ad cœlestia ascendere cupit: verùm etiam ipsemet pro immensa sua misericordia ad nos sese inclinat atque demittit, & signis quibusdam quid nobis vel sequendum sit, vel fugiendum, præmonet. Quæ signa, & quia à Deo proueniunt, & quia non nisi à diuinis hominibus intelligi poßunt, ad præsentem locum sunt referenda: qui etsi theoricus sit ex sui natura, ad praxin tamen descendit, non minus quàm vel Philosophia naturalis, vel etiam ipsa Mathesis. Hæc igitur forma quodammodo diuinæ philosophiæ erit, vt cùm circa res diuinas, siue substantiæ illæ sint, siue accidentia, versetur: in omnibus illis cognitionem diuinam, quantum homini conceditur, affectet. Efficiens porrò causa est in primis Deus opt. max. qui bonus est suamque bonitatem inuidet nemini, monet, præcipit, hortatur: & in eo totus est, vt nos dignos æterna beatitudine efficiat. deinde etiam homo ipse, qui cum diuinę particulam auræ in se habeat, vt ille inquit, cuius beneficio à consortio brutorum eleuari, & super astra sese extollere potest, non rarò diuinam voluntatem aßequitur. Finis autem in eo est, vt his veluti adminiculis vsi, immortales adhuc immortalia spirare discamus: & ex vmbratili & imperfecta hac cognitione ad summi boni summíque pulchri contemplationem penetremus, in qua ipsa nostræ beatitudinis terminus, non secundum Christianam tantùm, verùm etiam Platonicam philosophiam positus est. Deus solus verus est metaphisicus, teste Simonide. In Deo autem omnia perfectè cognituri, veri quoque & perfecti metaphysici efficiemur. Nunc ad typicā descriptionem titulorum accedamus. Mox ad exempla: in quibus more nostro non veræ tantùm philosophiæ diuinæ, hoc est Christianæ & Iudaicæ olim Theologiæ: uerùm etiam falsæ atque fucatæ ethnicorum superstitionis rationem habebimus: quatenus dæmones Dei opt. max. cum aliàs, tum præsertim in hoc præstantißimo philosophiæ genere, simiæ esse consueuerunt.



M ETA-

METAPHYSICI.

Metaphysicos eos vocamus, qui ea quæ sub hominis solam rationem cadunt, nec intelligentia tantùm (vt Mathematica) sed etiam reipsa à materia separata sunt, cognoscere student. Quæ cognitio cùm omnium humanarum artium & disciplinarum suprema sit, ac veluti fons & scaturigo reliquarum vtpote ex qua inferiorum certitudo & demonstratio petatur τὴν ἐξοχήν *Sapientiæ nomen sibi vendicauit: & quoniam de purè abstractis agit, etiam Theologia. Quia verò ordine cognitionis omnium postrema est, eapropter passim Metaphysica dicitur, quoniam nõ nisi μετὰ τὰ τῆς Φυσικῶν ἅμα καὶ ἠθικῶν γνῶσιν discenda est: vt priores illæ scientiæ sint veluti initiationes quædam, hæc verò perfecta contineat mysteria. Veteres hoc philosophiæ genus inter verè acroamaticas disciplinas connumerabant, vt vel nihil de eo scriberent, sed auditoribus tantùm oretenus communicarent: vel si aliquid scriberent, ita tamen obscurè, vt ab iis solis qui ἀκροατὰ, καὶ μὴ ἐξώτεροι essent, intelligerentur. Scripsit libros Metaphysicorum plures Aristoteles, quos vtinam integros haberemus. Quid deest, ex compendiaria* Δολύσει, *quam ante biennium in gratiam* LAVRENTII Priuli Veneti patricij confeceram, videre mihi videor: sed facilius est quid desit cognoscere, quàm defectum supplere. Aristotelem imitatus Theophrastus discipulus, de Metaphysicis quoque disputauit. Multorum ex veteribus philosophis opiniones Arist. in libris suis recenset, examinat & perpendit, quæ nisi metaphysicæ essent, à philosopho tanquã alienæ relinquerentur. Meminit itaque Hippasi Metapontini, Heracliti Ephesij, Anaximenis, eiusque præceptoris Anaximandri, Thaletis Milesij, Parmenidis, Empedoclis Agrigentini, Xenophanis, Melissi, Anaxagoræ Clazomenij, Hipponis, Leucippi, Democriti Abderitis, Alcmæonis Crotoniatæ, Pythagoræ, Protagoræ, Aristippi sophistæ, Zenonis & Megaricorum, Cratyli, Antisthenis, Speusippi, qui nepos fuit Platonis ex sorore, Eudoxi, Calipi, Eueni, Sophoclis & Hesiodi poetarum, ipsius denique Platonis. Omnes isti de prima philosophia vel ex professo, vel in rerum naturalium tractatione, aliquid dixerunt. At qui separatim & ex professo, distinctè scilicet & separatim, Metaphysica tractarint, nullos reperies, præter Aristotelem & Theophrastum. Cæteri omnes, etiam Plato ipse, Metaphysica cum Physicis miscuerunt, & propterea ab Aristotele passim reprehenduntur, non tam propter opiniones de rebus, quàm propter* ἀτοπίαν *& confusionem. Nam si rerum naturalium naturalia quoque sunt principia, absurdum erit metaphysica & supranaturalia (vt ita loquar) principia statuere, qualia Parmenides, Melissus, Empedocles, Pythagoras & reliqui posuerunt. Hæc causa est, cur Arist. eosdem in Physicis pariter & Metaphysicis impugnet: illic quidem, quatenus loco naturalium principiorum non naturalia, sed quæ præter naturam sunt, fingunt: hic verò, quatenus nec ea quæ fingunt verè sunt metaphysica. Eadẽ quoque de causa ijdem à nobis sub metaphysicorum catalogo recensẽri poterunt, quorum suprà in Physicorum catalogo mentio facta fuit. Est autem inter Metaphysicos differentia eadem, quæ etiam inter Physicos fuit: nempe quòd alij res ipsas nudas, quamuis obscurè, docent, qui propriè Metaphysici appellari possunt, vt Aristoteles & Theophrastus: alij non nudas res: sed fabularum inuolucris velatas pronunciant, deorumque nomina illis prætexunt, vt eam ob rem Theologi propriè possint vocari: inter quos Orpheus primas obtinet, & Hesiodus, qui Theogoniæ scripserunt: Musæus quoque & reliqui omnes, qui philosophicas fabulas tractarunt: quorum exempla aliquot ex tit. Poetarum theologorum colligi possunt.*

SOLON, inter septem Græciæ sapientes vltimus tempore, sed primus dignitate, sapientiæ nomen & munus (tripodem videlicet aureum) non homini alicui, sed Delphico Apollini deberi asseruit. Laert. lib 1.

PHERECYDES Syrus, Badis filius, cuius Pythagoras studiosus erat, Theologus fuit. Ibidem.

PYTHAGORAS, cuius professionis esset, à Leonte tyranno rogatus, Philosophum se nouo nomine appellare maluit, quàm Sophista ambitiosè vocari: quòd solum Deum σοφὸν esse diceret, homines verò σοφίας tantùm φίλους. Laert. in eius vita.

SIMONIDEM Cæum poetam verum fuisse Metaphysicum, ex eo patet, quòd humani intellectus agnita debilitate atque tenebris, pronũciare fuit ausus, solum Deum esse sapientem, & per consequens etiam Metaphysicum. Arist. in primo Metaph. 2.

HERMES Trismegistus Ægyptius, maximus sacerdos, maximus rex & maximus philosophus fuit, [illegible]

IVLIANVS Imp. apostata, princeps doctissimus fuit in omni ethnicorum vanitate: in Metaphysicis quoque libros quosdam scripsit, quibus vt in hoc genere humanæ sapiẽtiæ nihil excogitari potest subtilius, ita liquidò colligitur verum illud esse, quòd omnis mundi sapientia stultitia sit apud Deum, & quòd absque diuini spiritus radiis mens humana penitus caliget, & ad interitum sui præceps ruat.

IAMBLICHVS, ciúsque discipulus PLOTINVS, summi & philosophi & Metaphysici fuerunt. Quorum doctrinam paulo ante nostra tempora sub Cosmo Medice Academia Florẽtina in lucem reuocauit, in qua sub Platonicæ philosophiæ titulo doctissimi viri claruerũt, in primis verò MARSILIVS Ficinus, & cuius opera non ita pridem fuere edita, FRANC. Catanæus Diacetius.

THEOLOGI.

Etsi veræ religionis ea est natura, vt omnibus hominibus communicanda sit (notum est enim illud, Ite in omnem terram) quædam tamen catechumenis, quædam iam in fide adultis proponẽda sunt, Varia sunt Spiritus sancti dona, neque in omnibus eadem. Suo ergo quisque fungatur munere salcem in alienam messem non immittat. Ambitiosi spiritus instinctu omnes omnia sibi in religionis difficillimis quæstionibus licere putant, & ea quæ viri etiam doctissimi & in Theologia versatissimi vix assequuntur, spiritus afflatu sese quoque intelligere & docere posse arbitrantur. Hic omnium hæreseon fons est, & scaturigo. Quem veteris Ecclesiæ exempla non mouent, moueant saltem monstrosæ nostris hisce temporibus ortæ hæreses, cum suis authoribus æterno dignæ exitio. Fides est ex auditu. At nec omnes audire, nec quæ audierint intelligere possunt. In eadem naui alij remiges sunt, alij speculatores, alij gubernatores. Sic etiam in Ecclesiastica naui sua quisque sorte sit contentus. Omnes vnum Dominum IESVM, *eundémque crucifixum pro nobis, scire debemus: at non omnes arduas quæstiones examinare vel possumus, vel debemus. Relinquamus istis Theologis, quorum interest obscura explicare. Theologos itaque in præsentia intelligimus eos, qui vel voce viua vel scriptis difficiliores religionis Christianæ articulos tractant: cùm Ecclesiastæ & concionatores ea tantùm quæ ad salutem necessaria sunt, populo (cuius maior pars lacte potius quàm solido cibo alenda est) proponant. In iisdem præceptis vtrique versantur: sed illi subtilius, enucleatius, & planè acroamaticòs: hi verò* ὡς ἐν τύπῳ *tantùm, & exotericè. Septuaginta duobus senioribus de spiritu Mosis datum erat, vt veram Cabalam, quæ oretenus tradebatur, à Mose singulis diebus certis horis discerent: populo verò ille idem quotidie legem proponebat, vtrorumque captui sese accommodans. Mosis exemplum imitari debent Dominici gregis pastores, vt scrutentur Scripturas, suásque cogitationes auditoribus communicent, intelligentiæ eorundem habita ratione. Nil prohibet, eundem & Theologum & Ecclesiasten esse, pro diuersitate auditorum. Exempla igitur Theologorum verorum petere potes ex tit. Ecclesiastarum & Doctorum. neque enim à se inuicem alia ratione differunt, quàm modo docendi, vel acroamatico, vel exoterico: licebit nobis vocibus istis vti. Nam cùm eas in philosophia illa* πανδήμῳ *doctissimi viri admiserint, non est cur in Christiana philosophia eas quisquam repudiare debeat.*

ECCLESIASTÆ, APOSTOLI, CONCIONATORES,

Diuini verbi præcones.

Prophetis successerunt in noua lege gratiæ Apostoli. Apostolis Ecclesiastæ, diuini verbi Præcones, Doctores Euangelici, seu quocunque tandem nomine appellari gaudent: quorum non tam est ea quæ futura sunt annunciare, quàm ea quæ præterierunt, quæq; breuissimo & suauissimo Euangelij nomine comprehenduntur, populo annunciare: nec docere tantùm, sed etiam facere. Vtrunque enim horum de Saluatore Euangelistæ tradunt: Cœpit Iesus facere (primùm: deinde) & docere: cuius omnis actio, nostra esse debet institutio. Cæterùm nouæ potissimum legis

Doctorum exempla hîc afferemus, legis scriptæ pauciora, quatenus prophetæ etiam docuerunt. Porrò sub loco Religiosæ iustitiæ. titulus quoque iste tractabitur: quoniam vt doctrina ipsa ad Metaphysicam pertinet, ita studium docẽdi & officium ad religionem spectare videtur. Nos præcipua exempla hic persequemur (vt & ocij & instituti nostri rationem habeamus) ex Historia Ecclesiastica Magdeburgensium, & Maruli lib. 3. cap. 4. de officio doctoris Euangelici, ex quo pauca quædam Proœmij loco hic afferemus. Inquit ergo: Non omnibus prædicandi officium conuenit. Diu disce, quod doceas, cùm à Salomone præceptum sit, Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam. Et Iacobus Apostolus non inconsultè moneat, dicens: Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Docti igitur in populo docebunt plurimos, vt in Daniele legimus. Et vt in Euangelio: Scriba doctus in regno cælorum, profert de thesauro suo noua & vetera. Quamobrem ad Apostolos quoque dicitur: Sedete in ciuitate, quo adusque induamini virtute ex alto: Ne quis diuinæ ac cælestis prædicationis onus assumere sibi ausit, donec vires roburque conceperit ad sustinendum illud Spiritus sancti ope atque dono, & sacrarum cognitione Scripturarum. Tum demum præparato domui conuiuio in publicum prodeat, & ad exitum viarum confidenter procedat, multos inuitet, laxet retia in capturam seminet semen suum, & veræ catholicæque scientiæ sale omnia condiat. Sed tamen calciamenta habeat in pedibus, ne terram attingat, vt tota eius conuersatio in cælis sit. Quod alijs præcipit, prius ipse præstet: quia qui fecerit, & docuerit sic, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Qui verò aliter prædicant, ac viuunt, & ab eo quod ore præcipiunt factis atque animo dissident, ijs dicitur: Væ vobis legisperitis, qui oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Tales quidem etiam indignè qui legem Dei prædicent, habentur, dicẽte Propheta: Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? quasi diceret: Nolo te quispiam audiat, quamuis bene prædicantem, ne fortè sequatur malè viuentem. Sin verò aliqui ex eo tantum quòd peritia ingenioque nonnihil polleant, prædicare aliquando arroganter præsumpserint, viam veritatis docentes: tunc ijs qui audiunt salubriter profectò consulitur, vt magis disciplinæ eorum quàm vitæ rationem habeant, dicente Domino, Quæ dicunt facite, secundum autem opera illorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Nemo autem efficacius ad bene beateque viuendum instruit, quàm cuius facta dictaque consentiunt, cuius non minus vita quàm os prædicat. Et hic quidem est qui magnus vocabitur in regno cælorum. Hic inquam est, qui mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. Quòd si beatus est qui iustè pieque vixerit, quãto beatior qui similes ei quod docuerit? vt non sibi soli, verùm etiam alijs saluti sit. Postremò ipsos doctores cautè incedere, ne dolis hæresum capiantur: simplicitatem custodire, ne ad hypocrisim maliciamque declinent, iubet Dominus dicens: Estote prudentes sicut serpentes. Serpente enim minus prudens Adam, à serpente deceptus est. Et simplices sicut columbæ: ne scilicet sanctiores videri quàm esse malint. nam & Spiritui sancto ideo fortasse in columbæ specie interdum apparere libuit, vt ad imitandam auiculæ illius puritatem nos inuitaret. Profectò qui tales extiterint, non immeritò iam audire poterunt: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquamini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Itaque nihil neque in præmeditãdo, neque in pronunciando laborabunt, quibus affatim omnia quoties vsus fuerit, diuina benignitas suppeditabit. Hoc autem docendi genus Apostoli sententia interdictum feminis est: Mulieres, inquit, in ecclesiis taceant. non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogẽt. Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia. Mariæ tamen Magdalenæ prædicatione Massilia Euãgelium recepit Christi: & Marthæ sororis eius, Rhodani accolæ. Decuit solas apostolatus fungi officio, vt quæ cum Christo & viuente & resurgente conuersatæ fuerant, quicquid de illo vel oculis conspexissent, vel ab illo auribus excepissent, fide certiore testarentur. Siquidem & iis iure suo dicere licebat: Non possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Hæc hactenus ex Marulo. Nunc ad exempla accedamus. Quorum non pauca etiam ex titulo Monachorum peti poterunt.

MOYSES & AARON Dei iussu diriguntur, vt populus de Pharaonis iugo ereptus, ab Ægypti finibus educatur, sacrificium offerat in deserto, & sic terram ingrediatur promissionis. Doctoris igitur partes erũt, peccatores ad pœnitentiam compellere, de diaboli seruitute in libertatem gratiæ vindicare, & de terrenis secularibúsque negociis ad cælestium meditationem iugiter excitare. Vt quam beatitudinem animo contemplati fuerint, pietatis institiæque operibus parare sibi nitantur. Marul. libro tertio, capite quarto.

ESAIAS propheta cùm se ab angelo carbonis de altari sumpti tactu purgatum animaduertisset, & Dominus diceret, Quem mittam, & quis ibit nobis? vltrò se obtulit, dicens: Ecce ego sum, mitte me. Quod vsurpare nequaquam ausus fuisset, nisi se prius à delictorum inquinatione prorsus expiatum excoctúmque agnouisset. Carere enim debet omni vitio, qui aliorum prauitatem paratus est corrigere: vt auditores non tam verbis ad emendationem vitæ prouocet, quàm exemplo. Labia enim iusti (vt in Prouerb. dicitur) erudiunt plurimos. Vnde alibi ad eũdem dicitur, Super montem excelsum ascende tu qui euãgelizas Sion: vt scilicet culmen sanctitatis piè videndo incendat, qui prędicationis munus assumit. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem: nempe vt & qui propè sunt, & qui longè, audiant. Exalta, & noli timere: ne timendo illis adulari incipias, quos debes increpare: & sublato cauterio, dum lædere cutem formidas, latens sub ea malum suppurare permittas. Ideo namque præceptum est, Ne coquas hædum in lacte matris suæ: id est, peccantibus ne blandiaris. Rursum dicitur illi: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Proinde qui in Ecclesia clamãt apertè, perseueranter, audacter, suo funguntur officio: ita tamen malefacta omnium detestando, vt semper veniæ spem proponant pœnitentibus. Quia Deus clemens & misericors est, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malicia. Ibidem.

HIEREMIAS immaturam ætatem excusans, clamat: A, à, à, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Noli, inquit Dominus, dicere, Quia puer sum: quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcunque mandauero tibi loquêris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te. Denique: Misit, inquit, Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Si quis igitur ad prædicationis opus diuinitus eligitur, nulli rei diffidat, nihil trepidet: omnia aderũt, cui aderit Deus. Disce tamen, omne doctoris studiũ eò spectare debere, vt euellat & destruat hominũ vitia, plantet autẽ & ædificet virtutes. Ibid.

EZECHIELI Dominus liberè vaticinandi præstitit audaciam, dicens: Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas. Et rursum: Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides. Adhæc datur illi pro cibo volumen, intus & foris scriptum. Etenim prędicator & exteriorem Scripturæ historiã in exemplum auditorum proferre debet: & interiorem mysticúmque sensum, qui sub ea latet, cùm res postulauerit, non tacere. Cuius quidem disciplinæ scientiam si assecutus fuerit, & ipse dicere cum Ezechiele poterit: Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. Vel cum Dauid: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Ibidem.

Ne verò vel intempestiua ætas prædicandi minuat autoritatem in eis qui diuinitus inspirantur, DANIELIS adhuc infantis spiritum suscitatum legimus, & puero iudicante damnatos senes. Spiritus enim vbi vult spirat, cordáque hominum, non annos metitur, quibus lumen sapientiæ suæ infundat. Et interdum quidem, vt virtutem suam ostendat, ex ore infantium & lactantium perficit laudem. Ibidem.

IOANNIS Baptistæ vox, clamantis in deserto, pulchrè nobis modum formámque prędicandi videtur exhibuisse. Vitia primùm omnium acriter increpanda, maximéque eorum quos in iis obstinatiores cernimus, docuit, pharisęis insultans ac dicens: Genimina viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Remedium deinde, ne desperent, continuò ingerendum ostendit, dum subiungẽs ait: Facite ergo fructum dignum pœnitentię. Postremò proponendum iustis premium, impiis pœnam, dicens: Congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. His etiam qui talia docent, neminem timendum declarauit, corripiendo Herodem regem, vincula, carcerẽ: necem perferre satius sibi existimans, quàm illicitum illius coniugium adulatione obtegere, & pręceptorum Dei immemorem se præbere. Ibidem.

Post Ioannem cœpit prędicare, ipse olim prędicatus, sempérque prędicandus, mundi SALVATOR, ac Dominus. Lex enim prophetę vsque ad Ioannem, exinde Euangelium Christi. Et hactenus quidem terrenorum pręmium bonorum, nunc iam cælestis regni ęterna promittitur pœnitentibus beatitudo. Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquabit enim regnũ Dei. Nec certè prius Iesus prędicare cœpisse dicitur, quàm tentatus famem vicisset in deserto, auaritiam in monte, vanam gloriam in templo. Qua in re ostendere voluit, qualem prius esse oporteat, qui diuini verbi passim disseminandi curam aggredi decernit. Ibidem.

Hinc iam aliquarum nationum saluti consulens, DISCIPVLOS adsciscit sibi, vt habeat quos discedens doctrinæ suæ per orbẽ propagãdæ relinquat magistros: vtque is qui docet, aliis etiam docendi disciplinam impendere discat. Circuit totam Galilæam, vt doctoribus post se futuris, vrbes, castella, vicos peragrandi solicitudinem insinuet. Docet in synagogis, vt & illi ibi magis verba facere studeant, vbi pluribus prodesse possint. Prædicat Euangelium regni Dei, ne quid aliud in Ecclesia prædicandum inani iactatione præsumant. Cùm discipulos docet, ascendit in montem: cùm turbas, descendit in planum: vt meminerint, perfectioribus excellentiora vitæ præcepta dari oportere, imbecillioribus leuiora, lac paruulis, solidum iam adultis cibum. Ibidem.

[illegible]

PRIMI SECVLI POST CHRISTI *Ascensionem.*

SIMON, qui & Cephas & Petrus, filius Ioannis, seu Ionæ, frater Andreę, Bethsaidæ natus, piscator Capernaitanus, auditor Ioannis Baptistæ circa Iordanem, & Andreæ fratris ductu ad Christum conuersus est. In Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia atque Asia Christum docuit: Irenæus & Tertulianus, sub Nerone Romæ crucifixum inuersis pedibus, testantur.

ANDREAS, frater Petri, ætate maior, natus patre Iona in vico Bethsaida, piscator: Ioannis Baptistæ primùm, deinde Christi discipulus. Patris Achaiæ vrbe ab Ægea præfecto Edessenorum, Sophronius crucifixum asserit. Alij verò in Scythia, quam Euangelij luce illustrarat.

IACOBVS Zebedæi filius, ex Maria Salome, siue Iacobi, frater Ioannis, consobrinus Christi, piscator: deinde Christi discipulus, in Iudæa euangelizauit, & Hierosolymis ab Herode interfectus est, anno tertio Claudij, & Christri 45. ante diem Azymorum.

IOANNES frater Iacobi, natu minor, piscator, Apostolus & Euangelista, Christo charissimus fuit. In Asia Euangelium prædicauit. Ephesi Euangelium suum conscripsit, contra Cerinthum & Ebionem hæreticos. Anno Domitiani 14. in Patmon relegatus. Exacto anno, succedẽte Nerua, Ephesum rediit. De eius morte nihil certi constat, nisi quòd Hieronymus mortuum Ephesi scribit, anno post passionem Domini 68. & iuxta eam vrbem sepultum.

PHILIPPVS, Bethsaida vico Galileæ natus, à Clemente is iuuenis fuisse creditur, ad quem Christus dixerit. Sine mortuos sepelire suos mortuos. Filias habuit duas, teste Polycrate. In Scythia 20 annis, alij nonem tantùm docuisse, & inde ad Septentrionalis Oceani gentes venisse. tandem ab Ebionitis in crucem esse adactum, Sabellicus asserit. Nauclerus reuersum ex Scythia, Hierosolymam rediisse, & sub Tito mortuum. Eusebius anno 12. Claudij, crucifixum & lapidibus obrutum: Christi verò 54. alibi Hierapoli obdormiuisse, & cum filiabus honorificé sepultum testatur, postquam in Phrygia Christi Euangelium prædicasset. Adstipulatur etiam Sophronius.

BARTHOLOMÆVS, regis Syrorum nepos, Indis prędicauit: primus etiam Lycaonibus, tandem & Armenis. Nicephorus eum Hierapoli in crucem actum: primùm miraculosè euasisse, deinde iterum suspensum periisse scribit. Sabellicus eum à fratre Palymnij Astyage in vrbe Armeniæ Albana pelle detracta, excoriatum asserit.

MATTHÆVS, aliàs Leui, filius Alphæi, publicanus Capernai, Euangelium Hebraicè scripsit, tertio anno Caligulæ. In Æthiopia prædicauit. Nicephorus apud Anthropophagos in ciuitate Myrmena, clauis in terram defixum fuisse, author est. Abdias ab Hirtaco rege Æthiopum capite truncatum asserit.

THOMAS Didimus in Parthia prædicauit, item Medis, Persis, Germanis, Hircanis Bactris & Magis. Alij lanceis transuerberatum, alij gladio percussum obiisse tradunt: Hieronymus in ciuitate Calatrina Indiæ obiisse, & Edessam Mesopotamiæ reliquias translatas, affirmat Ruffinus.

IACOBVS Alphæi, item Iustus, minor & frater Domini, & frater Iudæ dictus: item Oblias, hoc est, murus: & Nazaræus, id est sanctus. Quidam hũc Iosephi ex alia vxore, alij Mariæ Cleophæ sororis matris Domini & Alphæi filium fuisse asserunt. Quidam primum hunc Hierosolymorum episcopum faciunt, anno Christi 33. Tiberij 19. & episcopatui præfuisse annis 30. tanta sanctitate, vt perpetuam seruarit virginitatem, vtque certatim omnes fimbriam vestimentorum eius attingere cuperent. Interfectus est secundus à Stephano, à Iudæis, anno nati Christi 63. post ascẽsionem 24. Neronis 7. ætatis suæ 96. teste Epiphanio.

IVDAS Lebbæus & Thadæus, item Zelotes & Simeon dictus, frater fuit Iacobi, minor natu. Percurrit Iudæam, Galilæam, Samariam, Idumæam, Arabiam, Syriam & Mesopotamiam. Eusebius & Hieronymus eũ à Thoma ad Abgarum Edessenorum regem missum scribunt. Abdias & Sabellicus eum in persia põtificum impetu interemptum asserunt. Nicephorus verò, eum Edessæ post Euangelij propagationem & miracula, placida morte obdormisse scribit.

SIMONEM Epiphanius Iosephi filium facit, Sophronius Iacobi: alij verò Alphæi. At siue frater, siue sobrinus, siue patruelis Christi fuerit, Chananæus certe, hoc est, Zelotes dictus est. Quidam eum post Iacobũ Hierosolymis episcopum fuisse asserunt, annis 46. Eusebius ex Egesippo eum sub Traiano & Attico consulari, flagris ad mortem vsque Hierosolymis cæsum, tandem cruci affixum. anno Christi 110. Traiani 10. ætatis 120.

MATHIAS, in locum Iudæ proditoris per sortem electus fuit. Ex Bethlehem tribus Iuda nobili genere natus, & sub Rabi Simeone in lege institutus traditur ab Abdia. In Æthiopia cũ prædicasse, Sophronius scribit, ibíque mortuum esse.

PAVLVS, Saulus primò dictus fuit. Eius parentes in oppido Iudeæ Giscali habitarunt: quo à Romanis capto Tarsum Ciliciæ migrarunt: & ibi natus est Saulus, patre Iudæo, ciue Romano, ex tribu Beniamin. Literis humanioribus imbutus fuit. Mox Hierosolymam missus, à Gamaliele pharisæo legem didicit. Conuersus est anno Christi 34. Tiberij 19. autore Hieronymo. Euodius verò, teste Nicephoro, ab ascensione ad Stephani lapidationem septem intercessisse annos scribit, & Paulum sexto pòst mense conuersum esse. Sic conuersus, & in tertium etiam cœlum raptus, organum electum ad prædicandum Euangelium Dei, multas peregrinationes obiuit. Prima in Arabiam: Secunda quarto anno post suam conuersionem, Christi 37, Tiberij 22. Hierosolymam relinquens, Syriam & Ciliciam peragrauit. Tertia, Hierosolymis cum Barbana Cyprum abit, in Pamphiliam, Lycaoniam, Phœniciam & Samariam. Quarta ex synodo Hierosolymitana Paulus cum Sila peragrat Syriam, Ciliciam, Mysiam, Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, Samothraciam, Macedoniam, Thessalonicam, Athenas, Corinthum, Ephesum, Cæsaream: & tandem redit Hierosolymam, Quinta, ex Hierosolymis Antiochiam: inde peragrat Galatiam, Phrygiam, Macedoniam, Lyciam, & Hierosolymam reuertitur. Ab Asiaticis Iudæis in templo comprehenditur. Claudius Lysias tribunus eũ eripit, & ad Felicem præsidem Iudeæ transmittit, anno 22. post conuersionem, Claudij 13. Christi 55. Sexta deducitur ad Felicem Cæsaream, & ibi biennio vinctus custoditur, donec Festus Felici succederet. Cùm Cæsarem appellasset, Romam vinctus deducitur, anno 2 Neronis, Christi 58, conuersionis 25. Romæ biennio in clementi fuit custodia, quibusuis ad eum commeantibus. Septima, post biennium apud Neronem causam dixit & absolutus fuit anno Neroris 4. Annis igitur illis decem vsque ad vltimum Neronis inuisit ecclesias Syriæ, Asiæ, Græciæ: inde etiam euangelizauit in Italia, Gallia, atque etiam Hispania. Incertum tamen vtrum in Gallia, atque Hispania euangelizauerit. Mox Romam denuò pertractus, à Nerone capite multatus est, & in via Ostiensi sepultus: eodem anno & die, quo & Petrus crucifixus est: nimirum 14 Neronis, aut 12, vt Eusebius vult, Christi nati 70, passi 37, conuersionis 37.

MARCVS euangelista matrem habuit Mariam, in cuius domũ Hierosolymis Christiani conuenire solebant. Consobrinus fuit Barnabæ. Cooperarius Apostolorum in peregrinationibus. Paulum in Pamphilia deserit (incertum qua causa) & cum Barnaba nauigat in Cyprum. Romæ etiam fuit cum Paulo. Petro quoque fidus fuit socius, & ex eius ore Euãgelium scripsit. In Ægyptum missus, Alexandriæ suum Euangelium prædicasse dicitur. Ibi quoque octauo Neronis anno mortuus est, & sepultus, succedente sibi Aniano, teste Hieronymo.

LVCAS medicus Antiochenus, sectator & comes Pauli: scripsit Euangelium & acta Apostolorum. Vixit 84 annis cœlebs. Sepultus Constantinopoli: ad quam vrbem 20. Constantij anno ossa eius cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt ex Achaia. Nicephorus ait, eum in Græcia de olea fuisse suspensum.

PHILIPPVS diaconus & Euangelista fuit Hierosolymis, Act. 7. 8 & 21. Quatuor filias virgines prophetico spiritu præditas habuit, Act. 21. In ciuitate Samariæ concionatus est, & miracula magna edidit. Simonem etiam magum cum Petro vehementer impugnauit. Rediit cũ Petro Hierosolymam. mox ductu angeli Gazam abiit, & cum in Æthiopem eunuchum Candacis reginæ incidisset, eum conuertit & baptizat. Æthiope non animaduertente, à spiritu abripitur, & in Azoto vrbe collocatur. Inde finitimis omnibus euangelizans, Cæsaream venit. ibi tranquilla morte decessit.

BARNABAS, siue Barsabas, hoc est filius consolationis, Iustus cognominatus, IOSEPHVS Christi discipulus. Leuita, Cyprius. Hic cum Matthia sortitionem subiit apostolatus: sed Matthias electus fuit. Paulum conuersum primus Hierosolymis hospitio excepit, anno conuersionis 4. Christi 37. Tiberij 22. Antiochiam confirmandæ ecclesiæ causa mittitur. Tarsum inde profectus, Paulum perduxit Antiochiam, & ibi integro anno commune docendi munus habuêre. Cum Paulo deinde Cyprum nauigat. Lycaoniam, Pamphiliam, Phæniciam, Samariam peragrat. Circumfertur eius Euangelium, sed apocryphum. Alij in Cypro funibus extra ciuitatem protractum, crematum esse asserunt. Alij in Salamine passum esse scribunt.

AGABVS ex 72 discipulorum numero fuit, prophetico spiritu præditus: vt qui famem, quæ 4 Claudij anno, Christi verò 46 euenit: & Cæsareæ Paulo vincula in quæ Romæ est coniectus zonę iniectione prędixerit.

TIMOTHEVS deliciæ Pauli, patre Græco, matre verò Eunica fideli muliere natus est Lystris Lycaoniæ. Comes fuit Pauli in peregrinando, & legatus etiam; Ephesi substitit. Quidam eum Ephesi in porticu templi Dianæ, quòd idololatriam eorum redarguisset, palis & lapidibus obrutũ ferunt. Alij sub Nerua, alij sub Domitiano occisum ferunt.

TITVS Paulo dilectus filius in fide, socius & adiutor, Græcus fuit. Corinthi euangelizauit. mox à Paulo in Creta relictus est, primus Cretensium episcopus. In Creta obiit & sepultus est, prius in Dalmatiam profectus, cùm Paulus Romę secundò captiuus teneretur.

SILAS, Pauli & Barnabę comes, prophetico ſpiritu claruit. Orto inter Paulum & Barnabam diſſidio, cùm Paulo in Syriam & Ciliciam abiit, & eadem cũ Paulo pertulit. Vnum è LXXII diſcipulis fuiſſe, Petrus de Natalibus refert, & epiſcopum Corinthiorum in Macedonia martyrium ſubiiſſe. Videtur hic idem ſub Syluani nomine à Paulo nominari: quamuis alij diuerſos eſſe velint.

IVDAS quidam inter Hieroſolymitanæ eccleſiæ fratres primarius, & ſpiritu prophetico clarus, cum Paulo & Barnaba Antiochiam ex Synodo proficiſcitur: & ibi aliquandiu commoratus, multis concionibus fratres exhortatus confirmauit.

AQVILA, ponticus genere, auleorum textor, cum Priſcilla vxore Roma pulſus, primùm Corinthi à Paulo inſtitutus, deinde cum eo in Aſiam profectus, Epheſi ſubſtitit, & domeſticam eccleſiam inſtituit, ac multa in Paulum beneficia contulit.

ARCHIPPVS Pauli ſocius & commilito fuit. Hieronymus Coloſſenſis eccleſiæ epiſcopum fuiſſe putat.

ALEXANDER quoque Pauli ſocius, qui in tumultu Epheſino è turba ex trahitur, accuſantibus Iudæis.

ARISTARCHVS Macedo ex Theſſalonica, Pauli Comes, atque etiam concaptiuus. auctor Paulus epiſtola ad Coloſſ. 4.

MANAHES Herodis tetrarchæ collactaneus, propheta & doctor in Antiochena fuit eccleſia, ante Barnabæ & Sauli qui erat per gentes prędicaturus ſegregationem. Act. 13.

ANDRONICVM & IVNIAM vocat Paulus ſuos cognatos, concaptiuos ac nobiles apoſtolos.

APOLLO, genere Alexãdrinus, Iudæus, venit Epheſum: & ibi ab Aquila inſtitutus, in Achaiam abiit, & Corinthiis etiam prædicauit.

ZENAS iuriſperitus, cuius Paul. epiſt. ad Titum 3 meminit, Corinthi docuit cum Apollo.

ONESIPHORVS, à Paulo mirificè commendatur, 2. Tim. 1.

CRESCENS, à Paulo in Galliam miſſus eſt.

EPAPHRODITVS Roma à Paulo ad Philippenſes miſſus eſt, vt illis euangelizaret.

EPAPHRAS docuit Euangelium apud Coloſſenſes, cùm Paulus Romæ captiuus teneretur.

EVODIVS primus Antiochiæ epiſcopus, anno Chriſti 45. Claudij 3.

ANIANVS D. Marco in Alexandriæ epiſcopatu ſucceſſit, anno Neronis 8. Chriſti 64. Præfuit annis 22. Anno Domitiani 4 mortuus.

ABILIVS Aniano ſucceſſit. Præfuit annis 13. Chriſti 100. ſub Nerua moritur.

DEMAS Pauli coadiutor Romæ fuit: ſed ad vomitum reuerſus eſt. Paul. 2. Timoth. 4.

EVNVCHVS Candaces reginæ à Philippo diacono conuerſus, Æthiopibus deinde prædicauit. Sophronius eum in Arabia felici & Taprobana inſula maris rubri euangelizaſſe, & martyrium ſubiiſſe teſtatur.

SANCTINVS epiſcopus Meldenſis, ſub Domitiano, à Dionyſio Areopagita inſtitutus.

EVTROPIVS Perſa genere, anno 14 Domitiani, Petri apoſtoli conſilio in Galliam abiit, & martyr obiit.

APOLLINARIS Petri diſcipulus, Rauennæ martyrio obiit, anno 3 Veſpaſiani.

MATERNVS, Valerius & Eucharius Rauennam à Petro miſſi à Nauclero traduntur. Henricus Maternum Treuerim, Ægiſtum Bardouicum à Petro miſſos aſſerit, vtrumque ex 72 diſcipulorum numero.

HERMAGORAS à S. Marco conuerſus, à Petro Aquileiæ epiſcopus conſtituitur. Patitur ſub Nerone.

DIONYSIVS Areopagita Pauli diſcipulus, qui tempore paſſionis Chriſti eclipſim in Heliopoli Ægypti vidit: Athenis conuerſus, ad Clementem Romanum epiſcopum, & ab eo in Gallias dimiſſus, Lateriæ cũ Ruſtico & Eleutherio ſociis martyrium paſſus eſt.

REGVLVS epiſcopus, Ioannis apoſtoli diſcipulus, ita Gallia cæleſtis frumenti granum oppidatim diſſeminat, & plurimis baptizatis fructum vberrimum in horreis eccleſiæ recõdendum cogit. Cęterùm cùm apud quendam vicum in magna virorum, ac mulierum celebritate ſuggeſtum concionaturus aſcendiſſet, ranarum è proximo lacu coaxantium ſtrepitu præpediebatur, ne commodè audiri poſſet. Igitur vt ſileret, imperauit: atque ex illo vſque tempore etiamnum lacum illum ranis quidem refertum, ſed nullam earum vocalem eſſe aſſeuerant. Quid mirum, ſi homines eius doctrinam ſecuti ſint, cuius inſſis irrationale animal obediuit? Ranæ obmutuerunt, & homines confiteri Chriſtum cœperunt. Matul. li. 3. cap. 4.

LINVS Petri in Rom. eccleſia ſucceſſor, vel (vt alij volunt) coepiſcopus, Volaterranus patria, è Maurorum familia. Romam miſſus ſtudiorum cauſa, Petro adhæſit. Sedit annis 10, menſibus 3 diebus 12. Ab vltimo Neronis anno vſque ad Veſpaſianum peruenit. Martyr factus ſub Saturnino conſule: cuius filiam lymphaticam curarat. Sepultus in Vaticano.

ANACLETVS Græcus, patre Antiocho, primo vel ſecundo Titi anno, Chriſti 22. à Lino epiſcopatum ſuſcipit. Sedit annis 9, menſibus 3, diebus 10. Sepultus iuxta corpus Petri, 3 Idus Iulij.

CLEMENS à quibuſdam ſtatim poſt Petrum conſtituitur. Sed Irenæus Anacleto ſubnectit. Rauli fuit cooperarius, & 12. anno Domitiani Anacleto ſucceſſit. Romanus fuit, & poſt Petrum electus: cedere maluit primũ Lino, deinde Anacleto. Virginitatis ſtudioſiſſimus fuit. Sedit annis 9, ſub annum Chriſti 94.

SECVNDI SÆCVLI.

IGNATIVS, Polycarpi & Papiæ coætaneus, Theophorus quoque dictus. Sub Traiano Antiochenæ eccleſiæ præfuit. Diſcipulus fuis Ioannis apoſtoli. Chriſti cauſa decem militibus traditus, Romam ducitur, vt beſtiis obiiciatur, cùm Antiochiæ præfuiſſet annis 9. Aleonibus deuorandus ita præfatus dicitur, Frumentum Chriſti beſtiarum dentibus moliar, vt Dei panis inueniar. Anno Chriſti 111, Traiani 11, alijs 3.

THEOPHILVS, ſub Vero Imp. Antiochenæ præfuit eccleſiæ, vir doctiſſimus: multa ſcripſit contra Marcionem & Hermogenem. In quibuſdam tamẽ errauit. Anno Chriſti 171. Veri Imp. 8. Ab Apoſtolis ſextus Eccleſiæ præfuit Antiochiæ.

SERAPIO octauus Antiochiæ epiſcopus, multa catholicè ſcripſit: quorum authoritas apud catholicos magna fuit. Anno Domini 214. ſuſfectus ei eſt Aſclepiades. Præſuit annis vigintiduobus.

POLYCARPVS D. Ioannis apoſtoli diſcipulus. Smyrnenſis eccleſiæ paſtor à Ioanne conſtitutus, 2 vel 3. anno Traiani, Chriſti 102. Romam quoque ſub Aniceto pont. profectus eſt, fortaſſe diſſidij de Paſchate componendi gratia. Sub M. Antonino Vero Smyrnæ 86. annorũ combuſtus eſt, ſuis etiam auditoribus farmenta congerentibus, cùm circiter 70. annos in Euangelico miniſterio fuiſſet.

PHOCAS ſub Traiano paſſus eſt, cùm Neptuno ſacrificare nollet, Sinopenſis in Ponto epiſcopus.

APOLLINARIS epiſcopus Hierapoli Aſiæ, librum Apologiæ pro fide Chriſtiana Imperatori L. Antonino Vero exhibuit. Scripſit contra Montaniſtas. Fuit tamen ex hæreſi Chiliaſtarum.

MELITO Sardenſis epiſcopus, vir eloquens, diſcipulus Frontonis philoſophi, qui Marcum Imp. erudiit. Pro Chriſtianis apologiã ad Imp. ſcripſit, anno Imperij eiuſdem 17. In Orientem profectus, cum ipſim numerum librorum veteris Teſtamenti, qui & nobis hodie receptus eſt, retulit. Plurima cùm ſcripſiſſet, moritur Sardibus. Eunuchus fuit, teſte Euſebio lib. 5. cap. 24.

PANTAENVS Alexandrinus philoſophus, Stoicus doctiſſimus, Chriſtianus factus ſub Commodo ac dignus habitus, qui primus publicè Alexandriæ Chriſtianam ſcholam aperiret, & Catechiſtes conſtitueretur. Mox cùm Iudi Alexandriam miſiſſent ad Demetrium antiſtitem, vt ſibi doctorem ſalutarem & idoneum mitteret, qui ipſos in vera Euangelij doctrina erudiret: Pantænus eò miſſus eſt, vbi Euangelium Matthæi reperit, quod Bartholomæus apoſtolus olim ibi doctrinam Chriſti plantans Hebraicè deſcriptum reliquerat, atque illud ſecum Alexandriam deportauit, cùm Indiam relinqueret.

CLEMENS Alexandrinus catechiſtes, diſcipulus Pantæni fuit, & ſucceſſor. Plurima ſcripſit, & Chriſtiana ethnicis miſcuit dogmatibus in libro Stromatum. In multis tamen non rectè ſenſit. Origenem eius diſcipulum & ſucceſſorem quidam facũt. Sub Seuero & Caracalla floruit.

PVBLIVS Athenienſis paſtor, ſub Hadriano martyrium paſſus, cui ſucceſſit QVADRATVS vir doctiſſimus, qui pro communi Eccleſiæ Hadriano ſcriptum obtulit, felici euentu, anno Chriſti 128.

ARISTIDES Athenienſis philoſophus inſignis, Hadriano eodem tempore Apologiam pro Chriſtianis obtulit, & coram Imp. etiam peroranit tanta facundia, vt omnibus admirationi eſſet.

DIONYSIVS Corinthiorum epiſcopus, ſub Vero & Commodo anno Chriſti 174. omnib. donis Spiritus ſancti inſtructus. Scripſit epiſtolas plurimas, quas Euſebius Catholicas vocare audet.

ELEVTHERIVS Rom. matre Anthia ortus, quam D. Paulus cõuertiſſe dicitur, 20. anno ætatis Illyrici epiſcopus conſtituitur: paſſus tãdem vnà cum matre ſub Hadriano.

IVSTINVS martyr & philoſophus, ex Neapoli, vrbe Palæſtinæ, patre Priſco Bacchio, in omni genere philoſophiæ exercitatiſs. ad Chriſtum conuerſus, eo quòd Chriſtianorum in confirenda tuendáque fide ſua conſtantiam animaduertebat, inſuper quoque ſenis cuiuſdam colloquio (quem poſtea amplius non vidit) inſtructus: Romam venit, & ibi literas profeſſus eſt. Antonino Pio Apologiam acerrimam pro Chriſtianis obtulit, eáque impetrauit, vt Imp. Aſianeis ſcriberet, ne Chriſtianos, niſi malefici conuictos, punirent. Cum Crefcente philoſopho, homine impio, & Chriſtianis valde moleſto, diſputauit. Plurima ſcripſit. In Chilia ſtarum tamen errore fuit. Paſſus eſt Romæ anno 7. M. Antonini Veri.

PHOTINVS Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopus, ante Irenæum, quem ſub ſe habuit preſbyterum. Nonagenarius ad martyrium abreptus, pugnis cæſus, in carcere poſt biduum moritur, cùm ſumma cõſtantia Chriſtum confeſſus eſſet.

IRENAEVS ex Aſia fuit, diſcipulus Polycarpi. Inde in Galliam perueniens, Lugduni preſbyter, mox Photino in epiſcopatu ſucceſſit. Ad Aſiæ populos tollẽdarum hæreſum gratia Montani, Alcibiadis & Theodoti ab eccleſijs Gallicanis miſſus fuit. Scripſit multa, Græcè an Latinè incertum. In Chiliaſtarum errore fuit. Martyrium paſſus eſt ſub Seuero, cùm 13. anno M. Antonini ad epiſcopatum veniſſet, circa annum Domini 176.

TERTII SAECVLI.

ALEXANDER, Pantæni Alexandrini diſcipulus, Hieroſolymam nocturna viſione ire iubetur. Hieroſolymitani voce incerta moniti, ei obuiam prodeunt, & omnium votis (Narciſſo epiſcopo ita petente) coepiſcopum illi addunt, anno 1. Ant. Caracallæ, Chriſti 206. Mox poſt Narciſſum (qui 116. annos vixit) ſolus eam eccleſiam rexit, epiſcopus ordine 35. ſumma conſtantia in duabus grauiſſimis perſecutionibus ſub Seuero & Decio perfunctus. Tandem Cęſaream ductus, in carcere obiit, anno Chriſti 254.

BABYLAS 12. Antiochenorum epiſcopus, magnus & admirabilis vir,

vir, Decium Imp. qui hoſtes ſuos contra datum iuſiurandum crudeliter mactarat, obſide etiam regio puero interfecto, ad Antiochenum Chriſtianorum templum properantem repulit. Indignatus Imp. Babylam comprehendi & morte affici iuſſit. Corpus eius cum ferreis compedibus in capſa repoſitum. Quod Gallus Imp. in Daphneam ſuburbium Antiochenum, in tẽplum Apollonis tranſtulit. ex quo tempore dæmon nullum ibi oraculũ reddidit. Poſt 60, annos cùm Iulianus Imp. cõtra Perſas bellum geſturus, deum conſuleret: reſponſum accepit, propter Babylę corpus reſponſi nihil dari poſſe. Confeſtim ergo Galilæis hoc eſt Chriſtianis præcepit Iulianus, vt Babylæ corpus auferrẽt. Illi frequentes conuenère, & capſam ad ciuitatem perraxère, ſubinde illud in itinere accinẽtes: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris. Socrates lib. 5. cap. 20. & Theodoretus libro tertio, capite decimo & vndecimo.

METHODIVS primum Olympi in Lycia, deinde Tyri epiſcopus: multa ſcripſit etiam contra Origenem. Tandem tamen eum admirari cœpit. Martyrio functus eſt in Chalcide Eubææ vrbe ſub Diocletiano, ſiue (vt alij tradunt) ſub Decio & Valeriano.

THEODORVS Neocæſarienſis epiſcopus, Origenis diſcipulus, poſtea Gregorius dictus, & Magnus appellatus, ſiue θαυματουργὸς, propter frequentia miracula, quibus Gentiles conuertebat.

ANATOLIVS Alexandrinus epiſcopus Laodicenus, anno Domini 280. ſub Probo & Caro Impp. vir in omni diſciplinarum genere exercitatiſs. Plurima ſcripſit in ſacris & profanis.

HERACLAS ab Origene conuerſus, & ab eo hypodidaſcalus Alexandriæ conſtitutus: tandem Demetrio defuncto ſub Gordiano, epiſcopatum Alexandriæ ſuſcepit, ordine 12. Celeberrimus doctrina & authoritate fuit. Præſuit annis 16.

DIONYSIVS Alexandrinus, Heraclæ in epiſcopatu ſucceſſit, anno Chriſti 251. Philippi 3. Plurima ſcripſit. Plurima pertulit ſub Decij & Valeriani perſecutionibus. Tandem ab exilio reuerſus Alexandriam, obiit intra Synodos contra Samoſatenum, anno Galieni 12, Chriſti 268, cùm annos 17. eccleſiæ præfuiſſet.

Q. Septimius Florens TERTVLLIANVS Carthaginenſis, natus patre Centurione proconſulari, in omni genere philoſophiæ excelluit. Cyprianus eum Latinorum ſcriptorum principem appellare non veretur. Ad fidem Chriſti conuerſus Romam petiit, & ibi ad mediam vſque ætatem preſbyter manſit. Contra Montanum ſcripſit. Mox inuidia Romanicleri expulſus, apertè ad Montani profeſſionem defecit, & contra eccleſiam libros aliquot ſcripſit. Floruit ſub L. Seuero patre, & Caracalla filio. Vixit vſque ad decrepitam ætatem. Quidam martyrium paſſum aiunt. Fuit certè martyrij appetentiſſimus. Cyprianus eius ingenium laudat, hæreſim damnat: & ex illius libris bona excerpere iubet, contraria vitare præcipit.

CAECILIANVS Cyprianus (qui Statij etiam & Thaſcij nomen habuit) Carthaginenſis, rhetor & magnus fuit, antequam conuerteretur. Conuerſatione Cæcilij præbyteri (cuius poſtea nomen ſumpſit) conuerſus fuit, omnia bona pauperibus diſtribuit, poſtea preſbyter, tandem epiſcopus Carthaginenſis. In lectione Tertulliani aſſiduus fuit, ita vt cum Magiſtrum vocaret. Multa ſcripſit, contra hæreticos acriter pugnauit. Bis exul, ſemel voluntariè, populi tumultum fugiens: iterum proſcriptus ſub Galieno & Valeriano: tandem à Galieno Maximo Africæ Proconſ. gladio cæſus, Romæ ſedente Sixto, anno Domini 259, Gallo ac Voluſiano Impp.

ORIGENES Adamantius, Ægyptius, in Alexandria educatus, patre Leonide epiſcopo natus, circa annum Domini 189, Commodi 7. Præceptores habuit Clementem Alexandrinum & Ammonium philoſophum Chriſtianum. Cùm pater martyrium paſſus eſſet, bonis in fiſcum redactis, orphanus cum matre & quinque puerulis fratribus relinquitur: & Alexandrię à diuite fœmina, quę eius indolem admirabatur, ſuſtentatur. Eunuchum ſe caſtitatis ergò fecit. In philoſophicis diſciplinis plurimùm operæ poſuit contra hæreticos. Anno ætatis 18. grammaticam docuit, admixtis ſubinde pietatis elemẽtis. Mox à Demetrio epiſcopo catechiſtes conſtituitur. Ducem Arabum cum tota gente hoc efflagitantem conuertit. Orta deinde ſeditione Alexãdriæ, Cæſaream venit: reuocatur tandẽ à Demetrio Alexãdriam. Vario Antonino defuncto, cùm in imperio Aur. Alexander Seuerus ſucceſſiſſet, mater eius Mãmęa Origenis videndi cupida, eum ad ſe vocauit. Cum ea aliquandiu verſatus, Alexandriã ad ſcholam rediit, & ſcribere commẽtarios in S. Scripturam cœpit: vrgente id vehementer, & ſumptus libenter ſuppeditãte Ambroſio, quem ab hæreſi Valentini & Marcionis Origenes conuerterat. Mox in Achaiã ad ſedandas hæreſes miſſus, in itinere ab Alexandro Hieroſolymorum & Theoctiſto Cæſarienſi epiſcopis, Cæſareæ in preſbyterum ordinatus eſt. Quam rem cùm Demetrius epiſcopus Alexandrinus inuidia motus ægrè ferret, Origenes Cæſareæ ſubſtitit, & ibi multos clariſs. viros eruditi. Philippum Imp. qui Gordiano ſucceſſerat, & Seuerã coniugem Origenes anno 60. ætatis ſcriptis ſuis conuertit: ac tum demum ſcripta ſua à notariis publicè excipi paſſus eſt. Bis in Arabiam contra hæreticos profectus eſt. Habuit multos & ipſe nævos, ita vt Hieronymus in epiſtola ad Pammachium & Oceanum, eum Arij fontem appellarit, quia duos Chriſtos prædicauit. Quamuis Ruffinus eum excuſare tentet, quòd à calumniatoribus eius inſerti ſint, & ab Ambroſio prius editi, quàm ab eo in extrema ætate corrigi potuerint. Plurima paſſus eſt tormenta, carceres, vincula. Suidas & Nicephorus libr. 5. cap. 32. aſſerunt, in perſecutione ſub Decio ductum eſſe ad arã, ad quam impuriſſimus ſimul Æthiops conſtitutus eſſet: optionẽque ei datã, vt aut ſacrificaret, aut corpus ſuum Æthiopi contaminandum præberet: tunc Origenẽ ſacrificare potius, quàm caſtitatem amittere maluiſſe. Pro qua impietate ab Eccleſia poſtea excommunicatus, Alexandria relicta, in Iudæam venit, pœnitentiæ & lacrymarum plenus, ac penè deſperans. Obiit ſub Gallo Imp. anno Domini 255, aut circiter, ætatis ſuæ 69. in ſumma miſeria, annis ante Hieronymi ætatem 150. Sepultus Tyri.

VRBANVS epiſcopus Rom. 16. poſt Calliſtum, anno Chriſti 227, Alexandri Seueri Imper. 3. Romanus fuit, patre Pontiano. Sanctitate vitæ & doctrina multos ethnicos conuertit. Paſſus eſt ſub Alexandro, præſide Almacteo.

FABIANVS, Rom. epiſcopus, ſucceſſit Antero, anno Chriſti 242, Gordiani 1. Cum epiſcopi omnes ad ordinandum epiſcopum conuenirent, Spiritus S. ſpecie columbæ ſupra Fabianum conſpectus, ei epiſcopatum detulit. Baptizauit Philippum Imp. cum filio & matre Seuera, quem ante baptiſmum ad preces Chriſtianorum in vigiliis Paſchæ admittere noluit. Sedit annos 14. Paſſus ſub Decio. Ei enim infenſus erat Decius, quòd ei Philippus ſuos theſauros tradidiſſet.

CORNELIVS Fabiano ſucceſſit, anno Chriſti 254. Galli & Voluſiani 1. In magno fuit periculo propter Nouati factionem, quæ eum illegitimè ad epiſcopatum euectum calumniabatur. Eum tamen defendit Cyprianus, & veri paſtoris virtutes laudibus extollit. Paſſus eſt ſub Decio (cùm primùm Centum cellas relegatus fuiſſet) propter literas ad Cyprianum datas, ad tertiũ Nonas Maias, Apia via, haud procul à Calliſti cœmiterio.

SECVLI QVARTI.

CYRILLVS, epiſcopus Hieroſolymitanus, per calumniam ab Acacio (quòd eum eo in Ariana ſententia conſentire nollet) apud Conſtantium accuſatur, quòd veſtem ſacerdotalem preciоſam hiſtrioni cuidam vendidiſſet (in maxima enim fame Cyrillus eccleſiæ ornamenta vendiderat, vt pauperibus ſuccurreret, & inter cætera etiam veſtem ſacerdotalem, quam deinde à mercatore mulier ſcenica redemerat, eámque inter ſaltandum is qui eam eccleſiæ contulerat, agnouit) & in exiliũ pellitur, in quo vſque ad Theodoſium manſit, ſub quo reſtitutus fuit. Multa ſcripſit, quæ Cyrillia in eccleſia dicta fuiſſe, Nicephorus ait. Sozomenus eum Homouſianos ſecutum aſſerit, & cum Arianis ſæpe conſiſtaſſe. Ruffinus tamen ſæpe eum in confeſſione variaſſe, & Macedonianum fuiſſe, ſed ante Synodum Conſtantinopolitanam hæreſi ei renunciaſſe, & Homouſion amplexum ſcribit.

MACRIVS, Hieroſolymæ epiſcopus poſt Thermonem, anno Chriſti 318, Conſtantini 7. vir multis ornatus virtutibus, Nicænæ fidei & Athanaſij defenſor, qui crucem Domini miraculoſè inuenit, inueſtigante Helena matre Conſtantini. Scripſit contra idola, & de humanitate Chriſti. Hieronymus eum beatum vocat.

MAXIMVS confeſſor ſub Maximino, dextro orbatus oculo, & læuo poplite vulneratus, ad metalla damnatus fuit. Præfecerat eũ poſtea Diospolitanæ eccleſiæ Macarius. Sed cùm non multo ante obitum Macarij Hieroſolymam veniſſet, à populo retentus eſt, vt in epiſcopatu poſt Macarium ſuccederet, quia orthodoxus eſſet. Mortuus Hieroſolymis anno Chriſti 351. Conſtantij 11.

EVSTATHIVS, Sida Pamphiliæ vrbe oriundus: fuit primùm epiſcopus Berrhœæ Syriæ: à quo loco à Nicæna ſynodo Antiochiam in locum epiſcopi Philogonij nuper demortui, inuitus & repugnans fuit conſtitutus. Arianis maximè infeſtus. Itaque viuente adhuc Conſtantino, falſis calumniis exulatum in Illyricam quandam vrbem miſſus eſt. Iterum relegatus ſub Conſtantio. Iterum ſub Valente Byzam Traciæ vrbem miſſus eſt, alij Traianopolim, alij Philippos Macedoniæ, ibique diem ſuum obiiſſe. Scripſit multa, potiſſimum contra Arianos.

MELETIVS, primùm Sebaſtiæ Armeniorum ab Arianis conſtitutus eſt epiſcopus. deinde Berrhœæ Syriæ. Tandem ſub Conſtantio à ſynodo Antiochena Arianorum, Antiochiæ epiſcopus conſtituitur. Verùm cùm ſe orthodoxum eſſe, tribus erectis digitis, & duobus reductis ſignificaſſet, in exilium ab Imp. miſſus eſt. A Iuliano poſtea reuocatur, & eccleſiæ præeſt vſque ad Valentẽ, qui eũ in Armeniam (quæ ei patria fuit) relegat, quòd Arianis aſſentiri nollet. Reuocatus demum à Gratiano. Synodo deinde Conſtãtinopolitana à Theodoſio indicta, Imp. illic Meletium agnouit, nemine indicante, & complexus eſt: quòd multo antè per ſomnium vidiſſet ſibi à Meletio paludamentum imperatorium iniici, & coronam capiti imponi. Moritur Cõſtantinopoli, cùm annis 25. Antiochiæ præfuiſſet. Funus eius ab amicis Antiochiam relatum. Mortui effigiem paſſim in parietibus tabulis depingi, atque in annulis exculpi curauerunt: tantum eius apud bonos omnes relictum fuit deſiderium.

PAVLINVS preſbyter Euſtathij epiſcopi Antiocheni, quem in exilium Conſtantius expulit. Quo expulſo, Paulinus orthodoxam fidem, quantum in ſe fuit, ſuſtinuit. Mox cùm ſub Iuliano epiſcopi à Conſtantio expulſi reuocati eſſent, & Lucifer Sardiniæ, ac Euſebius Vercellarum epiſcopus de concordia Eccleſiæ reſtituenda inter ſe pacti fuiſſent: Paulinus à Lucifero epiſcopus Antiochiæ conſtitutus eſt, anno Domini 366. eorum qui ab Arianis diſſentiebant (quorum epiſcopus Meletius fuerat, ille qui propter orthodoxam confeſſionem in exilium pulſus fuit) præbuit hæc ordinatio occaſionem maximi diſſidij eccleſiæ Antiochenæ, quod per 85. annos duravit: induſtria tandem Alexandri epiſcopi ſublatum fuit. Meletio mox ab exilio ſub Gratiano redeunte, Paulinus gregis ſuæ paſtor manſit: quæ ideo Meledium auerſabatur, quia ab Arianis ordinatus fuerat. Nunquam Arianis conſenſit. Mortuo Meletio, affectauit præſulatum Antiochenum Meletius. Sed obtinere non potuit, quòd iniquum eſſe ducerent, eum dari Meletio ſucceſſorem, qui ei in vita nũquam paruiſſet. Ipſe moriturus ſucceſſorem legit Euagrium presbyterũ.

Verùm Flauianus Meletio ſucceſſit, quæ res occaſio fuit diſſidij atrociſſimi inter Orientales, & Occidentales per totos annos 17. quia Occidentales Flauiano infeſti erant. Itaque & vita & mors Paulini perturbationem eccleſiis attulit.

DIODORVS, primùm monachus, ſub perſecutione Valentis Antiochiam venit: & cum Flauiano coniunctus, orthodoxam doctrinam promouit & ſuſtinuit: non quidem concionando, ſed ipſos concionatores inſtruendo, & argumenta ſuppeditando. Valente mortuo, cùm ſub Gratiano Meletius Antiochiam rediſſet, Diodorum eccleſiæ Tarſenſi Ciliciæ præfecit. Plurima ſcripſit, quantum ſuo tempore nemo.

FLAVIANVS Antiochenus, orthodoxi dogmatis propugnator acerrimus, cum Diodoro, contra Leontium Arianum, qui epiſcopatum Antiochenum inuaſerat. Presbyter fuit primùm: deinde ſub Theodoſio, mortuo Meletio, ei in epiſcopatu ſucceſſit ſynodi Conſtantinopolitanæ decreto, præterito Paulino, qui vnius partis epiſcopus erat, & Meletij antagoniſta. Occidentales fauebant Paulino, Orientales & Imperator ipſe Flauiano. Itaque odiis plena fuit hæc concertatio, per 17. annos. Tãdem tamen compoſita cauſa, & Flauianus omnium conſenſu confirmatus, Arianis vehementer ſeſe oppoſuit. Moritur ſub Arcadio.

EVSEBIVS Cæſarienſis epiſcopus, in conſtruenda bibliotheca Cæſarienſi diligens fuit. Hieronymus eum infinita volumina ſcripſiſſe tradit. A ſynodo quadam Antiochiæ epiſcopus, depoſito Euſtathio, fuit cõſtitutus: ſed modeſtè recuſauit. Conſtantino Magno familiaris fuit. Ante concilium Nicenum (cui interfuit) Arianus fuit. & Arianè quædam ſcripſit in libro de præp. Euang. poſtea tamen veritatem conſtantiſſimè amplexus eſt. Mortuus eſt anno Chriſti 342. cùm à Conſtantino iuniore Athanaſius ab exilio Treuerenſi Alexandriam reuocaretur. Tanta ei cum Pamphilo presbytero interceſſit familiaritas, vt Pamphili cognomen ſibi ſumpſerit.

GREGORIVS Nazianzi natus (quod oppidum vicinum eſt Cæſareę Cappadociæ) patre Gregorio ignobili, qui ex Hypſiſtariorum religione fuit. Habebant autem Hypſiſtarij religionem ex Iudaiſmo & ethniciſmo mixtam. Creatorem ſolum venerabantur: idola, ſacrificia, & circunciſionem reiiciebant: ſabbatum colebant, ignem & lampades venerabantur, ciborum delectus ſcrupuloſè ſeruabant. Sed maturè eum errorem reliquit, & in Chriſtiana religione tantum progreſſus eſt, vt tandem Nazianzenſis eccleſiæ epiſcopus fit factus. Mater fuit Nonna. Cæſareæ eloquẽtiæ operam dedit. Alexandriam inde peregrinatus eſt: mox Athenas, vbi cùm Baſilio, qui Conſtantinopoli eò profectus erat, amicitiam iunxit. Reuerſus inde in patriam, baptizatus eſt. Mox presbyter vel inuitus factus, non diu pòſt in Pontum ad Baſilium abiit, & cum eo in communib. ſtudiis per 13. annos vixit. Domi interim Cæſarius frater moritur. Pater nonagenarius Gregorium domum reuocat: & quia metu Arianorum ſub Conſtantio pater fidei Arianorum ſubſcripſerat, Gregorij precibus ad Deum reſipuit, & Eccleſiæ reſtitutus eſt. Inde cùm Valentis perſecutio cœpiſſet, Euſebius epiſcopus Cæſarienſis Gregorium in Pontum ad Baſilium miſit presbyterum ſuum, cum quo ſimultates quædam intercedebant, vt in tanta eccleſiæ perturbatione priuata odia deponerent. Perſuaſit ergo Baſilio Gregorius, vt Cæſaream reuerteretur, vbi communi opera contra Arianos decertarunt. Poſtea cùm in Euſebij mortui locum Baſilius ſubſtitutus eſſet, Gregorium epiſcopum Saſimorum conſtituit. Mortuo patre centenario, & matre, priuatus atque volens Nazianzi vixit, eccleſiæ gubernationem reſpuens. Tandem diuinitùs Conſtantinopolim vocatus, in paruo quodam templo, cui Anaſtaſia nomen erat (reliqua loca Ariani occuparant) docuit, contra Arianos & Apollinarem Syrum. Ex quibus certaminibus nobilitatus, à Petro epiſcopo Alexandrino epiſcopatu Conſtantinopolitano dignus eſt iudicatus: à Maximo tamen Cynico impeditus, quem ipſe conuerterat: tandem in ſynodo Conſtantinopolitana 150. epiſcoporum electus, & à Meletio confirmatus eſt, anno altero Gratiani & Theodoſij, Chriſti 383. Verùm quia Ægyptij & Macedones tardius adueniſſent, neque electionem ratam habere vellent, Gregorius ſponte ſe epiſcopatu abdicauit, & in prædium Arianzum hęreditarium ſolitarius cõceſſit, patriam ab Apollinariſtis infectam purgauit. Plurima ſcripſit: contra Arianos, Apollinariſtas, Eunomianos acerrimè diſputauit. Vixit cœlebs per omnem vitam. Obiit nonagenario non inferior, anno Domini 384. poſt mortem Baſilij altero. D. Hieronymi magiſter fuit, epiſcopus in Ponto.

GREGORIVS Nyſſenus epiſcopus in Ponto, frater germanus Magni Baſilij, natu maior, & poſtea patriarcha eccleſiarum per oram Cæſarienſem à ſynodo Conſtantinopolitana conſtitutus eſt. Contra Arianos & Eunomianos cum Nazianzeno & Baſilio acerrimè pugnauit. Cœlebs vixit, vt & Petrus & Baſilius fratres. Obiit poſterior aliquantum Baſilio.

BASILIVS Magnus, Cæſarienſis epiſcopus, Gregorij Nyſſeni & Petri Sebaſtæ epiſcoporum frater, patre Baſilio ex Helenoponto, Ponti oppido, matre Eumele ex Cappadocia. Auus eius in perſecutione ſub Maximino cum ſuis in montis ſpecu per ſeptennium latuit, tãdem martyrium paſſus. Pater communis fuit virtutis præceptor in Põto, eruditionis ſimul & religionis. Nutrix fuit Macrina, Gregorij Neocæſarienſis epiſcopi diſcipula, à qua in pietate Chriſtiana à teneris eruditus fuit. Miſſus eſt deinde Cæſaream Cappadociæ, eloquentiæ & philoſophiæ cauſa. Pòſt Conſtantinopolim: tandem Athenas, vbi Nazianzeni amicitiam cõtraxit. Antiochiæ quoque Libanio ſophiſtæ operam dedit. Athenas reuerſus, Nazianzeno demum ſe coniunxit. Inde varias peregrinationes ſuſcepit ad eccleſias, vt in fide melius inſtrueretur. Cæſaream veniens, per omnes ordines vſque ad presbyterium aſcendit. Verùm vbi calumniis quorundam Euſebius epiſcopus Cæſarienſis inimicus illi factus eſt, ceſſit Baſilius in Pontum. Sed cùm Valens Arianus catholicos inſectaretur, Nazianzenus ad Baſilium orator miſſus ab Euſebio, exorator rediit. Itaque Baſilius paret, & Cæſaream reuerſus, cum Euſebio in gratiam rediit: & in dimicatione contra Arianos, adiuncto ſibi Nazianzeno: ſtrenuam nauauit operam. Euſebio deinde decedente, in eius locum epiſcopus conſtituitur, poſt Valentis mortem, anno Domini 380. vt quaſi ſcintilla fidei ſolus inter Arianos remanſerit: docendi aſſiduitate & ſtudio, humanitate, conſtãtia, miſericordia maximè inſignis. Varia à Valente & Arianis pericula ſuſtinuit: ſed inſtar ſcopuli fluctus maximos diſcuſſit. Sæpe in exilium eum eiicere Valens voluit, ſed omnibus grauibus ſemper fuit deterritus. Athanaſio valde familiaris fuit, qui eum gloriam Eccleſiæ appellat. Nazianzeni pater Gregorius ſuffragium ſuum de eo in epiſcopum Cæſareæ eligendo tulit. Nazianzenus eum orbis oculum vocauit. Expirauit ſuauiter, poſteaquam ſua voce ipſe quẽdam ex ſuis miniſtris fideliſſimum ſucceſſorem nominaſſet, & protuliſſet verba prophetæ: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. anno Chriſti 387, Valentiniani ſexto.

ASCLEPAS epiſcopus Gazenſis, propugnator eximius Nicenæ fidei, ab Arianis in ſinodo Tyri depoſitus, conficta cauſa, quaſi altare ſubuertiſſet, cauſam ſuam ad Iulium epiſcopum Rom. retulit, & vt in eccleſiam ſuam reciperetur, impetrauit. Eum cùm in Sardicenſi ſynodo Ariani vidiſſent, ad conſpectum eius exterriti fugerunt.

BASILIVS Ancyranus presbyter, fidei Nicenæ acer defenſor fuit. Cùm ſub Iuliano ad ethniciſmũ multi relaberentur, eccleſias circumiit, Chriſtianos in fide confirmans. Tandem ſacra faciens ab ethnicis captus, & poſt multos cruciatus martyrio affectus eſt. Diuerſus ab hoc Baſilius Ancyranus epiſcopus Semiarianus & Pneumatomachus.

ÆDESIVS & FRVMENTIVS Tyrij, cognati Meropij cuiuſdam Tyri, philoſophi, & ab eo in literis inſtructi, cùm eo naui in Indiam ſunt delati. Ibi propter fœdus inter Romanos & Indos ruptum occiſus eſt innocens Meropius. Pueri ad regem adducti. Ille alterum menſæ regiæ, alterum ſcriniis ſuis præfecit: & moriens, regio puero præceptores dedit. Interea Frumentius, cui primæ commiſſæ erant regiæ gubernationis partes, propagandi apud Indos interiores Euangelij prouinciam ſuſcipit (nam vicinos Indos Bartholomæus apoſtolus docuerat.) Quærit ergo inter Romanos mercatores Chriſtianum: cum eo cœtus eccleſiaſticos magno cum fructu cogere incipit. Inde cùm rex ad maturam perueniſſet ætatem, reſignata gubernatione, reditum in patriam à regina, quanquam inuita, impetrauit. Itaque Alexandriam Frumentius venit, Athanaſio ſucceſſus ſuos enarrauit: & ab eo Indorum genti tandem miſſus eſt epiſcopus. Ædeſius verò Tyrum ad ſuos rediit, & presbyterium ſortitus eſt.

IACOBVS Niſibenus epiſcopus ſub Conſtantino (Antiochia autem Mygdoniæ, à Syris Niſibis vocatur) pręſtans miraculis, & mortuos reſuſcitandi: cùm Sapor Perſarum rex Niſibin obſideret, & precibus à Deo impetrauit, vt multitudine crabronum & culicum, hoſtium elephãti impetiti, totum exercitum in fugam verterent. Interfuit ſynodo Nicenę. Gennadius eum ſapientem cognominatum aſſerit, & inter claros confeſſores ſub Maximino recenſet.

EVSEBIVS Samoſatenus, epiſcopus orthodoxus, ſub Conſtantio. In ſynodo quadam Antiochena, cùm Meletius epiſcopus Antiochenus ab Arianis electus, quia orthodoxus eſſe deprehenderetur, depoſitus eſſet: & Conſtãtius Arianus Imp. ab Euſebio, qui ſuſcriptiones Arianorum habebat, eas extorquere vellet. Euſebius commune depoſitum ſe dare non poſſe dixit. cumque dextræ amputationem per literas Imp. ei minaretur, iis reſignatis, ambas protulit. Quam fortitudinem Imp. admiratus, nihil poſtea contra illum amplius tentauit. A Valente poſtea ſenex in Thraciam exul miſſus eſt. Noctu abiit, ne Samoſateni ciues eum retraherent. Rediit ſub Gratiano. Exul autem militari habitu circumiit Syriam, Phœniciam & Palæſtinam, eccleſias confirmans, & epiſcopos conſtituens. Tandem cùm Dolicham Syrię oppidum Arianis refertiſſimũ profectus eſſet, vt ibi Marem epiſcopum ordinaret: ingredienti ei oppidum, mulier Ariana tegulã in caput deiecit, ex quo vulnere poſtea obiit, cùm 40. annos in epiſcopatu honeſtiſſimè conſumpſiſſet. Moriens iureiurando aſſiſtentes obſtrinxit, ne necem ſuam vlciſcerentur.

AMPHILOCHIVS epiſcopus Iconij, quod metropolis fuit Lycaonię, familiariſſimus Baſilio & Nazianzeno: propugnator fidei Nicenę maximus: cum Theodoſio Imp. congreſſus, petiit ab eo, vt Arianos ex vrbib. curaret eiici. Quod cùm Theodoſius renueret, egregio quodam commento id impetrauit. De quo vide tit. Prudentiæ in religione ſua confirmanda, aut aliena profliganda. Theodoretus lib. 4 ca. 11.

PELAGIVS, Laodicenus epiſcopus, vxore ducta adoleſcens, prima nuptiarum nocte ſponſæ profeſſionem caſtitatis in thalamo perſuaſit perpetuam. Interfuit ſynodo Antiocenæ, & illic fidei Nicenæ ſubſcripſit.

ANTIOCHVS nepos ex fratre Euſebij Samoſateni epiſcopi, eiúſque eccleſiæ miniſter, & comes etiam exilij in Armenia. Cùm rediiſſent, tandem Euſebio mortuo ſucceſſit: cumque manus ei omnes epiſcopi in ſynodo impoſuiſſent, manum Iouiani Pergenſis epiſcopi reſpuit, quoniam Iouianus aliquando Arianus fuiſſet.

EPHRAEM Niſibenſis patria, à puero in eremo fuit educatus, eruditus & eloquens, cui ab angelo volumen traditum eſſe aiunt. Ex eremo protractus, diaconus primùm Eccleſiæ Edeneſſæ factus eſt, poſtea presbyter à Baſilio Cæſarienſi lectus. Multa adeò ſcripſit, vt Commentatoris nomen meruerit. Oblatum epiſcopatum ſimulatione inſaniæ reſpuit. Obiit anno Chriſti 380.

THEOTIMVS Scytha primum philoſophus, deinde Scytharum epiſcopus,

ſcopus, eruditione, diligentia & miraculorum dono clarus. Æquus Origenis cenſor, vt eius libros damnare noluerit.

PETRVS Alexandrinus diaconus, Athanaſij indiuiduus comes. Athanaſius eum moriturus ſibi in epiſcopatu Alexandrino ſubſtitui curauit, anno Chriſti 377. Valentis 10. Valens Imperator Lucio dedit poteſtatem epiſcopatum inuadendi. Expulſus ergo Petrus, Romam ad Damaſum fugit, eiúſque literis inſtructus Alexandriam rediit. Populus Lucium expellit, & Petrum reſtituit. Poſt mortem Valentis, nimis facilis fuit in recipiendis hæreticis, adeò vt non caruerit ſuſcipione acceptæ pecuniæ. Socrates lib. 4. cap. 20.

ALEXANDER Alexandrinus epiſcopus, anno Chriſti 323. qui Arij hæreſim primus prodidit, & autor fuit Nicenæ ſynodi. Multa ſcripſit. Obiit 5. menſe poſt Nicenam ſynodum, & moriens ſucceſſorem delegit Athanaſium abſentem, deque eius fortuna vaticinatus eſt: Arbitraris ſcilicet quòd effugeris, verùm non effugies. Sozomenus libro ſecundo capite 17.

ATHANASIVS à moriente Alexandro ſubſtitutus, inuictus Chriſti contra Arianos athleta, pari eruditione & pietate: multa ſcripſit, ſed quæ hodie extant, magna ex parte ſuppoſititia ſunt. nam Neſtoriani & Eutychiani multos Apollinarij libros ſub Athanaſij nomine venditarunt, vt teſtatur Euagrius l. 3. c. 31. Diaconus cum Alexandro epiſcopo ſene ad Nicenum venit concilium. Cœlebs vixit. Cùm Arius reſipiſcẽtiæ libellum Conſtantino Magno exhibuiſſet, & Imp. eum Alexandriam ad presbyterium redire iuſſiſſet, Athanaſius eũ recipere noluit, quamuis irato Imp. Hinc data occaſio Euſebianis (qui Ario patrocinabantur) & Meletianis variis calumniis Athanaſio inſidiandi, in Nicomedienſi primùm, deinde in Tyria ſynodo. Tandem cùm eum accuſaſſent, quòd impedire vellet, ne frumentum ex Alexandria Conſtantinopolim deueheretur: Imp. in Gallias Treuerim eum inaudita cauſa relegauit, quòd Athanaſius durius ei reſpondiſſet, Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam etiam tu, cõſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ. In exilium ergo miſſus eſt anno Chriſti 339. vbi biennium & 4. menſes exulauit: reuocatus à Conſtantino iuniore, quia id pater moriens iuſſerat: cùm Alexandriam rediiſſet, Euſebiani eum apud Conſtantium tanquam ſeditioſum accuſant. Conſtantius integros exercitus contra eum armat Syrianus dux, quinque millibus Alexandria eum pellit. Ex quorum manibus diuino auxilio in medio pſallentium ereptus eſt. Nihil tutum erat ei in orbe, quamuis ad Iulium Rom. pontificem transfugiſſet, qui eius cauſam fouebat. Conſtantius enim præmia etiam propoſuerat, ſi quis vel viuum, vel ſaltem mortui caput attuliſſet. Latuit ergo apud Treuerim in monaſterio S. Ioannis (poſtea D. Maximi dictum) abbate Odiberto, per ſexennium in puteo tenebroſo & exiccato, ſiue in crypta. Proditus tandem ab ancilla, domini inſtinctu latebras mutauit, & in Occidentem ad Cõſtantem fratrem Cõſtantij ſucceſſit. Apud quem tantum potuit, vt bellum fratri Conſtans minaretur, niſi Athanaſium reciperet. Indicto ergo concilio Sardicenſi, Athanaſius innocentiam ſuam omnibus patefecit, & à 344. epiſcopis abſolutus eſt, & cum honore Alexandriam remiſſus, cum ſumma populi lætitia, anno Chriſti 348. Cõſtantij 8. Obtinuit tum eccleſiam ſuam per quinquennium, vſque ad mortem Conſtantis, à Magnentio tyranno interfecti, anno imperij ſui 13. Chriſti 353. Cuius morte Conſtantius audacior factus, omnia reuocauit: Alexandria Athanaſium per Heraclium comitem expulit, Georgium Cappadocenſem ſubſtituit in epiſcopatu. Exulauit ergo per decennium vſque ad Iuliani imperiũ. Sub quo rediit, anno Chriſti 365. Quamuis quidam referant, eum toto decennio illo Alexandriæ apud ſacram virginem delituiſſe: & nunciata Conſtantij morte, in templo Alexandriæ ſubitò noctu præter omnium expectationem comparuiſſe. Sed à Iuliano apoſtata idololatra iterum pulſus, Alexãdriæ iterum latuit, vſque ad mortem Iuliani. Sub Iouiniano opt. principe reſtitutus eſt. Sed eo morte ſublato poſt 8. imperij menſes in Cilicia, Valens Arianus, quamuis nihil ex profeſſo contra Athanaſium & Ægyptios machinaretur, Athanaſius tamen præfectorum inſidias metuens, menſibus 4. in paterno latuit monumento. Cùm autem eam ob rem populus tumultuaretur, edicto Valens iuſſit, vt Athanaſius liberè eccleſias ſuas repeteret. Nec multo pòſt Athanaſius obiit placidiſſ. morte, conſulatu Gratiani ſecũdo & Probi, anno Chriſti 377. cùm epiſcopatum Alexandriæ geſſiſſet annis 46. ~~[illegible]~~

THEOPHILVS Alexandrinus epiſcopus tertius, ab Alexandro, vir eruditus, & in idolis deſtruendis ſub Theodoſio Imp. valde ſtrenuus fuit. Cætera rixoſus admodum, & implacabilis. Origenis libros damnauit, qui 200. antè annos vixerat. Hieronymo familiaris fuit. Mortuus eſt lethargo, poſt obitum Arcadij Imp. à Chriſto nato 414. imperij Honorij & Theodoſij anno quarto.

DIDYMVS Alexandrinus, cæcus ex Ophthalmia, cùm puer grammaticam diſceret. Vicit tamẽ oculorum cladem diſcendi ſtudio, ita vt etiam geometriam & matheſin (quæ artes oculis maximè indigent) didicerit. Alexãdrinæ ſcholæ præfuit. Græcè plurima ſcripſit, ita vt Hieronymus eum præceptorem agnoſcere non erubeſcat: Origeni tamen nimium tribuiſſe videtur. Familiaris fuit Athanaſio & Antonio monacho. Vixit annos 90.

ARNOBIVS rhetor primùm Siccæ in Africa, & Chriſtianorum ſummus hoſtis: tandem ſomniis monitus eſt, vt baptiſmum ſuſciperet. Verùm ſuſpectus Chriſtianis, non prius receptus fuit, quàm libros contra gentes vehementi ſtylo in lucem edidiſſet. Floruit ſub annum Chriſti 330. Hieronymus in Chronico. Contra hæreſes etiam varias ſcripſit. Romæ aliquandiu docuit.

LACTANTIVS, Firmij in Piceno Italiæ natus, Romæ Arnobium audiuit, eúmque eloquentia longè vicit. Vixit ſub Diocletiano & Conſtantino. Quinimò à Diocletiano Nicomediam Bithyniæ vocatus eſt, vt rhetoricam profiteretur. Verùm quia Latinam eloquentiam Græci non curabant, relicto docendi munere ad ſcribendum ſe contulit. Senex in Gallia docuit, & magiſter fuit Criſpi filij Conſtantini, quem pater ipſe poſtea interfecit. Scripſit multa & varia lacteo eloquentiæ flumine: quæ tamen paſſim multis erroribus, præſertim de filio Dei, & Chiliaſtarum, ſcatent.

PAPHNVTIVS fœminæ cuiuſdam, quæ confeſſione celebris erat, filius fuit, & à pueris ἀσκητήρια monachorum coluit: vnde & Anachoreta dictus. Liberaliter educatus, caſtitate & miraculis clarus, ciuitatis cuiuſdam in Thebaide epiſcopus: ſub Maximino oculo priuatus dextro, & ſiniſtro poplite aduſto in metalla damnatus eſt, cum Maximo Hieroſolymitano epiſcopo. Inde Conſtantino Magno ita charus fuit, vt Imp. ipſe ſæpe oculum effoſſum deoſcularetur, cùm ad Nicenam ſynodum veniſſet, in qua legem pernicioſam de abrogandis epiſcoporum vxoribus ſolus ferri prohibuit. In ſynodo deinde Tyria contra Athanaſium ferre ſententiam noluit: ſed Maximum manu apprehenſum, è concilio malignantium Arianorum eduxit.

OPTATVS Afer epiſcopus Mileuitanus, ſub Valentiniano & Valente principibus multiplici eruditione & pietate inſtructus, ſcripſit contra Parmenianum Donatiſtam: libri editi ſunt, ſed valde corrupti.

EPIPHANIVS, in vico Beſanduce, vicino Eleutheropoli Palæſtinæ, natus eſt. Puer in Ægyptum ad monachos miſſus, ad annum vſque 20. ſtudiis operam dedit. Rediit inde in Palæſtinam: monaſterium conſtruxit, & presbyter illic fuit, in eoque ocio opus Panarium contra 80. hæreſes ſcripſit, ſub Valentiniano & Valente. Inde Salaminæ Cypri metropolis (quæ Conſtantia poſtea dicta eſt) epiſcopus factus eſt, multis præſtans virtutibus, & erga pauperes ſummè liberalis. Tanta apud omnes veneratione, vt ne Valens quidem Imp. Arianus ei nocere voluerit. Quinque linguis contra Originem diſputauit: vnde πεντάγλωσσος dictus. Cùm Cõſtantinopolim nauigaſſet, vt in gratiam Theophili Alexandrini epiſcopi à Ioanne epiſcopo Conſtantinopolitano (quem Theophilus impenſè oderat) Origenes condemnaretur, domum rediens in naui obijt.

SPYRIDON, ſeu Spyridion Cyprius, agricola fuit, multis miraculis & vitæ ſanctitate clarus, quamuis illiteratus, Trimethuntis Cypri epiſcopus factus eſt ex paſtore, ſub Conſtantino Magno. Synodo Nicenæ interfuit: & ibi philoſophum quendam garrulum non longis logomachiis, ſed rebus ipſis cõfutauit & conuertit, cùm fidem Chriſtianam breuiter recitaſſet, & an iſta crederet interrogaſſet.

ALEXANDER epiſcopus Conſtantinopolitanus, orthodoxus, & donis Apoſtolicis clarus, ſcripſit multa contra Arianos. Cúmque Euſebiani Arium Conſtantinopoli in eccleſiam inducere vellent, tota nocte precibus à Deo contendit, vt aut ſe, aut Arium tolleret, ne tantam impietatem ferre cogeretur. Craſtino ergo die Arius profuſis inteſtinis, miſerè perijt. Quinetiam cum philoſophis diſputaturus, iuſſu Conſtantini Magni, philoſophorum principi dixit: In nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi philoſophe, ne loquaris. At ille mutus illico factus eſt. Poſt 23. annum epiſcopatus obijt: natus annos 98. ſub Conſtantio iuniore. Succeſſorem legit Paulum.

PAVLVS Theſſalonicenſis, diaconus ab Alexandro epiſcopo Conſtantinopolitano in oriente ſubſtitutus: quia orthodoxus erat, à Conſtantio Ariano Imp. depoſitus, eique ſubſtitutus Euſebius Nicomedienſis. Quo mortuo, redijt Paulus. At Ariani in alia eccleſia Macedonium eligunt. Quæ res plurimarum cædium cauſa fuit. Expulſus denuò Paulus, Romam ad Iulium profugit. quo tempore & Athanaſius Iulij literis inſtructus. Conſtantinopolim redijt. Sed denuò expulſus à Philippo pręfecto Conſtantij, clàm in patriam Theſſalonicam relegatur. Interea Conſtans literis Conſtantium monet, niſi expulſos orthodoxos reſtituat, omnia à ſe hoſtilia expectet. Reſtituitur Athanaſius, item & Paulus, per ſynodum Sardicenſem: & Paulo Macedonius cedit. Quarto pòſt anno, mortuo Conſtante, Conſtantius eum ferro vinctum in Syngra Meſopotamiæ oppidum deferri curauit: inde in Emeſam, inde in Cucuſum Cappadociæ, circa deſerta Tauri: vbi immiſſis carnificibus Euſebianis, laqueo ſtrangulatus eſt, & Ancyræ ſepultus. Cuius reliquias Theodoſius Conſtantinopolim deferri curauit.

NECTARIVS Tarſenſis ex Cilicia, ſenatorij ordinis, Conſtantinopolim incerta de cauſa profectus, cùm illic Synodus eſſet ſub Theodoſio, de epiſcopo Conſtantinopolitano eligendo ageretur: & paulo pòſt domum reuerſurus, Diodorum Tarſenſem epiſcopum, qui in Synodo erat, adiret, haberet ne quod domum nunciare vellet? Diodorus venerandam caniciem, grauitatem vultus, morum placiditatem miratus, diuino motu ſtatim afficitur: Quid ſi Nectarius epiſcopus fiat? rem cùm Meletio Antiocheno epiſcopo communicat. Ille ridens, in vltima tandem charta candidatorum Nectarium ignorantem ſubnectit. Theodoſius Imp. perlecto catalogo, Nectarium epiſcopum ordinandum pronũciat. Mirantur omnes: & quòd cathechumenus tantum eſſet, reijciunt. Perſtat in propoſito Imp. & ſacris initiatum communi ſynodi ſententia epiſcopum Conſtantinopolitanum creat. Verùm quia in politica tantùm vita verſatus erat, eccleſiaſticæ gubernationis rationem à Cyriaco Adanorum epiſcopo didicit. Synodum prius ſolui paſſus non eſt, quàm Nicenæ fidei omnes ſubſcripſiſſent. Deceſſit tertio Arcadij anno Chriſti 401.

HILARIVS Gallus, ex Pictonum gente, eorúmque epiſcopus eloquentiſſimus, orthodoxus, in exilium pulſus à ſynodo Mediolanenſi Arianorum contra Athanaſium, in Thebaida Ægypti, anno Chriſti 360. Cõſtantij 20. ſub Iuliano redit. Sexto tamẽ pòſt anno moritur, poſtquam

plurima scripsisset,anno Christi 372,Valentiniani & Valentis quinto,sub Damaso pontifice Romano.

AMBROSIVS in Gallia sub Constantij imperio natus fuit,patre Symmacho,præfecto Galliæ.Infanti in prætoria domo dormienti apes circa os visæ sunt oberrare.Patrem impubes amisit.Inde cum matre & sorore Marcellina Romam profectus,ibi studiis sese addixit:& tandem causas agere cepit.Mox à Probo prætorij præfecto consiliorum & gubernationis socius fuit adscitus.Consulari postea dignitate insignitus,ad regẽdam Liguriã missus est à Probo,his verbis ominosis:Vade,age nõ vt iudex,sed vt episcopus.Mortuo Auxentio Mediolanẽse episcopo Ariano, Valentinianus episcopatum alium,sed orthodoxum,substituere cogitabat,connocata Synodo.Populus interim tumultuari cœpit, quòd alij Ariani,alij orthodoxi essent.Res ad seditionẽ spectabat. Cum Ambrosius præses continuò aduolat,& populum placidè mitigare studet. Eius eloquentiam &grauitatem plebs admirata,vno ore conclamat,Ambrosium episcopũ se statuere.Negat ille strenuè.Imperator populi electione delectatus,eam confirmat.Tunc ergo omnib.sacris ordinibus assumptis, Ambrosius in episcopũ eligitur,anno Christi 378,sub Damaso papa. Plurima scripsit.Contra omnes ferè hæreses acriter pugnauit:etiam contra Iustinam Valentiniani coniugem.Nam Valentiniano ex insidiis interfecto,Ariana coniunx filium suum iuniorem Valentinianum contra Ambrosium incitabat,ita vt armata etiam manu Ambrosium in templo obsideret,& tandem in exilium mitteret.Post cum Maximus tyrannus Valentinum iuniorem ex Galliis expulisset,Ambrosius Maximum ex communicauit.Ob quod Aquileiam Ambrosius fugere coactus est. Sub Eugenio deinde tyranno,interfecto Valẽtiniano,in Ethruriam abire coactus fuit,cum Arbogastes dux Mediolanum venisset, & se templa in equorum stabula muraturum asseruisset.Restitutus postea, Theodosium Imp.eo quod Thessalonicæ orta seditione in theatro, immissis militib. septem *millia trucidari* curasset,à communione & ingressũ tẽpli repulitnec nisi post octo menses pœnitentiæ, supplicem atrocib. verbis increpatum suscepit.Augustinum à Manichæa hæresi liberauit.Basilio Cęsariensi familiaris fuit.Inimicis etiam tãtæ authoritatis,vt eum reprehẽdere non auderent,ne ipse quidem Pelagius.Præsulit episcopatui annis 22.obiit anno Christi 400.Arcadij & Honorij tertio,senex admodũ.Diẽ mortis ita prænidit, vt & fratribus indicarit, dictarit etiam enarrationem Psalmi 44,Deus auribus nostris audiuimus:atque inter dictandum conspecta est clypei figura,quæ postea dilabens,fulgorem in facie inusitatũ sparserit,& ore hausta sit.Successorem sibi delegit senem bonum Simplicianum,& ab hora circiter xj diei,vsque ad illam qua emigrauit, expansis orauit manibus,labia solũm mouens.

MAXIMINVS Treuerensium episcopus,qui Athanasium exulem benignè susceperat,defunctus est sub Constantio.

OSIVS Cordubensis episcopus,inter præcipuos fuit confessores sub Maximino & Diocletiano: stigmatibus & notis insignis, propter quas Constantino Magno charissimus fuit.Orthodoxus semper, & Athanasij acerrimus defensor:denique verè ὁσιος. Tandem tamen in synodo Syrmiensi,centenario maior,ab Arianis verberibus adactus est, vt Athanasium condemnaret.Moriens tamen, hæresim Arianam apertè dãnauit.

EVSEBIVS Sardus,Vercellensis episcopus,in exilium à Constantio actus,quòd in synodo Mediolanensi condemnationi Athanasij subscribere noluerit.Relegatus in superiorem Thebaidem, vel Scythopolim, anno Christi 360,redit post sexennium sub Iuliano.Moritur anno Christi 364 Valentiniani & Valentis 7.

RVFFINVS presbyter Aquileiensis fuit,& socius studiorum D.Hieronymi.A quo tamen postmodum omnino alienatus est,vt inuectiuis se mutuò lacerarint.Causa dissidij videtur fuisse,quòd cum libros Origenis Ruffinus cõuertisset,in eius quoque hæresi esse videretur.Multa scripsit,plurima transtulit.

HIERONYMVS Dalmata,ex Stridone oppido à Gothis sub Constantino Magno,anno Christi 331 vastato)patre Eusebio,Christiano quidem,sed tenuis fortunæ,natus:fratrem habuit Paulinianum.Puer Romã missus,vbi baptismum suscepit,& Grammaticæ operam dedit sub Donato,quando Iuliani Imp.apostatæ interitus nunciatus fuit. Roma discedens Galliam perlustrauit.Inde in patriam,& Romam rediit.Mox in Orientem,vbi cum omnia plena essent Arianis , fatius ducens inter feras quam inter homines viuere,in horridam sese inter Syros & Agarenos solitudinem abdit,cum Heliodoro comite:qui eum tamen propter ingenij morositatem reliquit.Post quatuor annos Romam ob Ecclesiæ visitatem retractus est ab Epiphanio Gypri & Paulino Antiochiæ episcopis,& illic presbyteri dignitatem accepisse videtur.Cyrillus quidam eũ cardinalem tunc factum asserit, cùm tamen id nomen tũc temporis notum non fuerit.Venit tunc in familiaritatẽ Romanarum matronarũ, Paulæ,Marcellæ,Sophroniæ,Principiæ,Eustochij,cum quib.per triennium vixit:variis interim Arianorum insidiis impetitus,qui se falsò Origenistas nominabãt:sparso etiam rumore, quòd cum Paula rem haberet. His de causis Roma relicta,Syriam repetiit, cum Paula rem haberet. His de causis Roma relicta,Syriam repetiit,cum comitibus Paula,fratre Paulinano,& Vincentio presbytero:ac Bethlehẽ venit.In cuius confinio cũ Paula tria extruxisset virginum monasteria,virorum vnum:Hieronymus viris,Paula virginibus præfuit.Magnas ibi Arianorum passus est insidias: & cũ Ioanne Hierosolymitano inimicitias exercuit,propter Arianismi suspitionẽ:cũ Ioãnes id reprehẽderet,quòd Polinianũ fratrẽ annos vix triginta natũ presbyterũ ordinasset.Scripsit ibi plura,& Latinos omnes Theologos superauit.Origeni propter Arij odiũ inimicus fuit:adeò vt in eius condemnationẽ vniuersum orbẽ incitarit.Ruffinũ quoque Aquileiensem(cum quo à pueritia amicè vixerat)eandem ob causam grauissimè &præter modum insectatus est,quòd nimiũ Origeni tribueret.Pari quoque ratione Ioannem episcopum Hierosolymitanum reprehendit. Quinquaginta annorum spacio libros suos composuit : mortuus anno ætatis 91.Honorij & Theodosij Imp.12. Christi 422. pridie Calendas Octobris.

C. MARIVS Victorinus , nobilis rhetor sub Constantio , cui statua Romæ in foro Traiani posita est, anno Christi 360. ad fidem in extrema senectute conuersus,scripsit contra Arianos,& multa alia.

MARCELLINVS Rom.episcopus,anno Christi 297. Diocletiani 10. cùm in persecutione idolis granum thuris immolasset , à synodo Sinuessana damnatus est.Itaque culpam agnoscens,Diocletianum liberè reprehendit,& supplicio affectus est.

MARCELLVS Romanus episcopus,anno Diocletiani 20. cùm Maxentio iubente idolis sacrificare nollet,fustibus cæsus , & vrbe electus, clàm redijt:& in Lucinæ viduæ domo ecclesiam occultam tenuit.At Maxentius re comperta, domum Lucinæ in iumentorum stabulum conuertit:eique præficit Marcellum , qui tandem pædore & fœtore expirauit, anno Christi 308.

SYLVESTER episcopus Rom. anno Christi 316. Constantini quinto,vel(iuxta Bedam) 16. docendi munere fideliter functus est, miraculis simul & ore multos conuerrens. Sedit annis 24. vel (vt alij)19.Morte obiit placida.

IVLIVS,I. episcopus Romanus post Marcum,anno Christi 334. Cõstantini 25.iuxta Hieronymum , cùm tamen sub hoc Iulio synodum Nicænam habitam esse constet.Orthodoxus fuit,& Nicenæ fidei defensor, atque Athanasij patronus contra Arianos & Eusebianos orientales summus.Moritur in extrema senecta, quo tempore Constantius tyrannis Magnentio & Syluano repressis , in Italia ad Athanasij causam dijudicãdam Synodum haberi præcepit:cum sedisset annis 15.

LIBERIVS Iulio successit,orthodoxus, anno Christi 352.Constantij 22. Nicenæ fidei constanter adhæsit , & in synodo Mediolanensi contra Athanasium subscribere noluit. Quamobrem ab Imp. Constantio Berrhœam Thraciæ vrbem relegatus est.Post biennium reuocatus , cũ populus Felicem Arianum episcopum ferre non posset. Certum est, eum vel minis,vel tædio exilij damnationi Athanasij subscripsisse: & Arianũ, si non mente,ac certè lingua factum esse.

DAMASVS sub Valentiniano ad Rom. episcopatum euectus est, anno Christi 369.Electionem eius ægrè ferens Vrsinus presbyter , se Antipapam creari curauit.quæ res maximas cædes peperit.Vir fuit doctus,& Nicenæ fidei propugnator maximus , Athanasij & Petri Alexandrinorum episcoporum proscriptorum patronus. Scnex à diaconis suis Concordio & Callisto adulterij accusatus citissed in Synodo absolutus , accusatoribus proscriptis. Romæ in synodo condemnauit Auxentium Mediolanensem episcopum Arianum : item Apollinarij hæresim. Moritur. octogenarius sub Theodosio , cùm sedisset annis 18. anno Christi 385. vel 387.

KEBIVS Corinius Britannus , Salomonis Cornubiæ ducis filius,virtute & ingenio clarus,Galliam petiit , & apud Pictones cum Hilario familiariter vixit:& in religione ita institutus est , vt in patriam reuersus Venodotas & Monadas, gentes Cambriæ versus Boream , exemplis & doctrina instituerit,anno Salutis 380.

SECVLI QVINTI.

HESYCHIVS, Gregorij Nazianzeni discipulus,vitæ monasticæ propter priuata studia se dedit. Inde presbyter Hierosolymorum factus , in vetus & nouum Testamentum commentaria doctissima edidit. Claruit anno Christi 400. sub Arcadio & Honorio Imp. aliis post Theodosium iuniorem.

ALEXANDER episcopus Antiochenus,post Porphyriũ nebulonem, optimus,eruditione & multis præclaris donis instructus:pacis ita studiosus,vt cùm ob Chrysostomi condemnationem ecclesias scissas esse videret, primus Ioan. Chrysostomi episcopi Constantinopolitani nomen in Ecclesiasticum album retulerit , eiusque industria Romana ecclesia Antiochenæ communionem receperit.

MARTYRIVS, successor Maximi in episcopatu Antiocheno , cùm Constantinopoli abesset , venit Antiochiam Petrus Gnapheus presbyter Chalcedonensis , cum Zenone Imperatoris Leonis affine & legato: cumque ei placeret episcopatus,cœpit noua quædam dogmata spargere,& Deum passum esse affirmare. & hymno Trisagio , Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus,&c.adiecit clausulam,Qui crucifixus es pro nobis:quasi trinitas pro nobis passa esset.Reuersus Martyrius, cùm omnia turbarum plena reperisset,episcopatu sese abdicauit volens.Nicephorus lib.15.cap.28.

ACACIVS Berrhœensis episcopus(primùm monachus fuit circa Antiochiam)sub initium imperij Gratiani factus est,ab Eusebio Samosatense.Sapientissimè suam rexit ecclesiam,multis etiam interfuit synodis: integer alioqui , nisi quòd in Constantinopolitana synodo depositioni Chrysostomi quoque consensit.Vixit annis 110.

THEODORETVS Syrus,Cyri vrbis episcopus (quem mater post 16. sterilitatis annum à Deo precibus Macedoniani cuiusdam monachi impetrauit , Deóque sacrum fore vouit) ingenio excellentissimo præditus fuit,& Chrysostomi in vtraque philosophia discipulus. Episcopus factus est circa annum Christi 424. Contra hæreses acriter pugnauit , adeò vt plus quàm mille animas à Marcionis errore liberarit.Multa doctissimè & sanctissimè scripsit.Post.26,annum episcopatus,à Synodo Ephesina altera Eutychianorum ab episcopatu deiectus est,sed postea restitutus.Cyrillum Alexandrinum in gratiam Ioannis Antiocheni insectatus est:tandem tamen ei reconciliatus.Paupertatem voluntariam professus est. Ab

hæreticis multa passus. Ipse quinetiam cùm in odium Cyrilli Nestorio & Eutychi fauere videretur , in Chalcedonensem Synodum non prius fuit admissus,quàm palàm & clarè Nestorio & Eutychi anathema dixisset.Sub Leone seniore mortuus est,cùm in episcopatu annis amplius 30. vixisset.

THEODVLVS Italus,in Cœlesyriam abiens,illic primum presbyter, deinde episcopus factus , circa annum Christi 480. multis scriptis innotuit,carmine & prosa.

MARYTHAS Mesopotamiæ episcopus , legatus Rom. post Arcadij obitum ad regem Persarum Idigerdem missus , regem ipsum cephalæa incurabili laborantem, precibus ad Deum restituit , eiúsque filium dæmoniacum liberauit:& sic Christi fidem amplissimè dilatauit.

ACACIVS Amydenus episcopus,in eo bello quod Theodosius iunior ob patrocinium Christianorum contra Persas suscepit , insigni tua liberalitate erga hostes celebris fuit.Vide tit.Liberalitatis religiosæ in redimendis captiuis.

PETRVS Edessenus presbyter,temporibus Leonis Imp. in concionando omnes sui temporis vicit . Syriacè multa scripsit,sicuti & SAMVEL, eiusdem ecclesiæ presbyter.

THEODORVS Ioannis Chrysostomi condiscipulus sub Libanio sophista,ab eodem Ioanne ad Christum conuersus fuit,& monasticam vitã secutus. Inde Mopsuestenus episcopus creatus . Cum hæreticis acriter pugnauit.Passus etiam est calumnias graues , quasi Nestorij magister esset:quas tamen Chalcedonense concilium irritas fecit . Vir magnus fuit, &multa scripsit catholica,etiam contra Origenem:vnde multorum odia in se concitauit.

BASILIVS Seleuciæ Isaurorum episcopus , in Constantinopolitana Synodo Eutychen cum reliquis damnauit.Sed postea in Ephesina secunda eidem subscripsit, Dioscuri episcopi artibus . Tandem in Chalcedonensi concilio ad mentem sanam reuersus est.

CYRVS præfectus vrbanus,Constantinopolis muros terræmotu collapsos restituit.Ea re cùm mirificè delectarentur ciues, in hippodromo aliquando coram Imp.Theodosio hanc emiserunt vocem:Constantinus condidit,Cyrus restauravit. Ea voce territus Imp. ne Cyrus res nouas moliretur,eum sub prætextu quòd Græcæ superstitioni faueret,dignitate & bonis priuauit.Cyrus ergo animum despondens,ad Ecclesiam consugit:primùm sacerdos,deinde Smyrnæorum episcopus constitutus.

EVSEBIVS Dorylæus primùm rhetor Constantinopoli, deinde episcopus Dorylæi Phrygiæ salutariæ,Eutychis amicus ; sed postquam eum in hæresin incidisse , & pertinaciter permanere intellexit, primus cum Flauiano episcopo Constantinopolitano prodidit . Itaque in Synodo Constantinopolitana damnatur Eutyches . Dioscorus verò episcopus Alexandrinus,summus Eutychis patronus,rem eam molestè ferẽs, Chrysaphium Theodosij cubicularium ad Synodum Ephesinam prædatoriam conuocandam instigat:in qua Eutyches absolutus,Eusebius & Flauianus de gradu deiecti sunt.Sed tandem sub Marciano, Chalcedonensis concilij decreto restitutus est Eusebius.

BASILISCVS, filius Harmatij fuit.Harmatius consobrinus fuit Basilisci,qui Zenoni imperium eripuit. Quem cum Basiliscus cum exercitu contra Zenonem misisset,Zeno illum in partes suas pertraxit , quia Basiliscum eius filium sc Cæsarem creaturum pollicitus est.quod & fecit. Sed tandem mortuo Harmatio , de fide Basilisci dubitans , sacerdotem fieri coegit,eúmque ecclesiæ Cyzicenæ præfecit.

THALASSIVS præfectus Illyriæ, cùm, Philino Cæsariensium episcopo mortuo,Cæsarienses Constantinopolim venissent, vt nouus episcopus eligeretur,& senatores omnes ad Proclum episcopum Constantinopolitanum salutatum venissent,inter quos & Thalassius erat:Proclus inexpectatò in Thalassium manus iniicit,eúmque episcopum Cæsariensem creat,quamuis inuitum, etiam Theodosio Imp. qui eum in Orientem cum exercitu amandaturus fuerat,repugnante.Sed Procli iudicium vicit.Ita ecclesiam suam probè rexit,nisi quòd in Ephesina quoque prædatoria Synodo pro Eutyche sententiam tulit , & multos orthodoxos damnauit.In Chalcedonensi postea concilio resipuit.

EVNOMIVS, Theodosiopolis in Armenia episcopus fuit . Cùm autem duce Gororane Persæ eam ciuitatem obsiderent , quidam regulus ad mœnia accedens , ne templis quidem se parsurum dixit, & multa alia verba impia sparsit.Tunc episcopus tormentum in eum dirigi iussit , in Dei,quoniam blasphemarat,nomine:quo ita regulus comminutus fuit, vt Persæ præ terrore obsidionem soluerint.

CYRILLVS Alexandrinus , Theophili episcopi (qui summus Ioan. Chrysostomi Alexandrini hostis fuit) ex fratre nepos,eiúsque in episcopatu successor,vir eruditione & virtute clarissimus. anno Christi 413. electus: plurima scripsit, etiam à Chalcedonensi concilio approbata: deinde etiã à Cõstantinopolitano,sub Iustiniano . Ad certamina natus videri potest. Primùm Nouatianorum ecclesias occlusit, Iudæos Alexandria expulit, quæ res magnas turbas excitauit. Iniquior fuit D. Ioanni Chrisostomo, propterea quòd Theophilo patruo inimicus fuisset:tandem tamen eum quoque demortuum in diuorum catalogum retulit. Nestorium ad concilium Alexandrium vocauit, & damnauit . Verùm quia absente Ioanne Antiocheno episcopo id egerat, Ioannes eum postea insimulatum de Arij & Eunomij erroribus excommunicauit.Sed tandem cum eo in gratiam rediit. [redacted]

ISIDORVS iuuenis monachum egit . Inde presbyter ecclesiæ Alexandrinæ creatus ab Athanasio,pauperum ac peregrinorum curam gessit, virtutibus & eruditione excellens.Theophilo Alexandrino episcopo primum charus:deinde verò(quia nobilis matrona Alexandrina ei mille aureos in vsum pauperum erogarat , clam episcopo , ne Theophilus eam pecuniam in lapidibus emendis & templis construendis impenderet)inimicus fuit.Potuit tantum Theophilus , vt eum conficto crimine Sodomiæ in exilium expulerit,ad fratres Longos in Scethim . In tanta etiam apud Ethnicos fuit admiratione , vt eius vmbram reuerti fuerint. Vixit annis 85.

SYNESIVS Cyrenæus illustri familia natus,ethnicus,ab ineunte ætate venationi & philosophiæ operam dedit. A Theophilo Alexandrino baptizatus est. Floruit sub Theodosio iuniore . Ptolemæenses siue Dalmatæ eum ad episcopatum vocarunt.Quibus ille respondit,nec vxorem se relinquere posse:neque animæ immortalitatem , aut mundi interitũ, aut corporum resurrectionem credere. Nihilominus,populo instante, episcopus creatus est,& sensim opiniones istas prauas mutauit . Contra Eunomianos & Arianos acriter pugnauit.Scripsit etiam quędam.Hoc ei vitio datum , quòd poesi & Homero addictus esset, & magis ad ludum quàm ad sacerdotium natus videretur.

AVRELIVS Carthaginensis episcopus, contra Pelagium & Cœlestinum,item contra Romanorum primatum acerrimè pugnauit . Familiariter etiam notus D.Augustino.In episcopatu vltra 30 annos fuit.

QVODVLTDEVS Carthaginensi ecclesiæ præfuit eo tempore, quo Gensericus Vandalorum rex Carthaginem expugnauit : & Ecclesiasticos viros nudos , nauibus impositos , fortunæ fluctuum commisit. Qui tandem Dei beneficio ad vrbem Campaniæ Neapolim incolumes peruenerunt.Fuit autem variis tentationibus vexatus.

DEOGRATIAS presbyter,Augustino familiaris , & Quodultdei successor,longo post eius mortem tempore,interpellante Imp.Valentiniano, ecclesiæ vasa pro redemptione captiuorum,qui iam ad littus Africanum abducti erant,impendit,propter quam pietatem multa à Barbaris perferre fuit coactus . Tandem cum triennium Ecclesiæ præfuisset Deus eum eripuit.

EVGENIVS Carthaginensis episcopus , fuit creatus omnium consensu,sub Hunerico rege Vandalorum,ad preces Zenonis Imp.cùm ex Gensericho edicto ecclesia episcopis caruisset ad annos 24.Vir fuit summa pietate,orthodoxus,cõcionandi dono insignis,ita vt etiam Arianis Vãdalis admirationi esset.Sanationum quoque donum habuit. Celebrata sub eo synodus Carthaginensis,& ipse Cyrolam episcopum Arianum deuicit. Sed invidia regis in eremum Tripolitanæ prouinciæ exulatum missus,illic ab Antonio Ariano episcopo miserè tractatus fuit , tandem cùm in fide perseueraret,rex eum ad Albigensem Galliarum vrbem misit:neque occidere voluit,ne eum vt martyrem colerent orthodoxi.

AVR.AVGVSTINVS matre Monica,patre Patricio in ciuitate Thagastensi natus, Christianus quidem,sed mediocri fortuna . In puericia à matre de Christo institutus est,sed baptismus dilatus . A Pueris ludũ frequentauit,præceptore Manlio Theodoro:Latinas literas amauit,Græcas odit. 16.anno libidinum æstu flagrauit. Madaurum concessit eloquentiæ gratia,inde Carthaginem.Idem 20.anno ætatis Ciceronis Hortensium legens, ad philosophiæ studia excitatus est. Aristotelis categorias per se intellexit. Incidit in Manichæos , & vsque ad 32. annum in ea hæresi permansit , matre Monica Deum pro filij conuersione sedulò orante. Reuersus in patriam,docuit Grammaticam:inde Carthagine Rhetoricã. Mox in Italiam transiens,Romę quoque Rhetoricam professus est.Mediolanum inde accersitur,sub Valẽtiniano minore, Manichęorum opera promotus.Ab Ambrosio suscipitur benignè, eiúsque conciones diligenter audit,nõ doctrinæ,sed eloquẽtiæ studio. Sẽsim tũ à Manichæis desecit.Venit eò mater Monica,sperãs filium ab Ambrosio cõuersum iri,Anno 30.ætatis relicta cõcubina,de vxore ducenda cogitat.Despondetur ei biennio minor quam nubilis,cuius nuptias tandiu expectare cogitat: & aliam interim concubinam assumit,cum prior in Africam rediisset. Sensim inde veritatem spectare cœpit:& cum Simpliciano re communicata qui eum ad lectionem sacrarum literarum adhortabatur,in horum cum Alipio secedẽs, lachrymarũ plenus,animique dubius, audit ex proximo vocem incertam puerorum canentium: Tolle lege, tolle lege. Ac cũ neminem videret diuinã admonitionẽ exiſtimans,arrepto codice , incidit in locũ Pauli:Non in cõmessationib. & ebrietatibus,non in cubilibus & impudicitiis,non in contentione & æmulatione:sed induite Dũm Iesum Christum,& carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis.His lectis omnes dubitationis tenebræ ei sunt discussę:ac re cum Alipio communicata, statuerunt ad Christianam transire religionem . Post dies 20. professione Rhetorices resignata, cũ suis in villam Venerandi cuius Mediolanensis profectus,lectioni sacrarum literarum vacabat , & præparabat se ad baptismum,quem ad Pascha suscepit cum Alipio,& naturali filio Adeodato,natus annos 33. post Maximi tyrãni mortem.Domum inde in Africam rediit,& in agris suis vixit . Mox Hipponensis ecclesiæ presbyter à Valerio ordinatus,& tandem etiam eius coepiscopus . Eo mortuo,ad episcopatum euectus est,quem sanctissimè & factis & concionib. & scriptis administrauit.Cõtra hæreticos acerrimè disputauit:vt cõtra Fortunatũ Manichęũ Hippone , cũ presbyter esset. Firmũ mercatorẽ epistę. à Manichęa insania cõuertit Itẽ Felicẽ Manichęũ post tertiũ cõgressum ad meliorem mentẽ redegit.Donatistarum secta multũ ei negotij exhibuit.Collatus est cum Passentio Ariano Carthagine publicè:item cũ Maximo Gotthorũ episc.Cõtra Priscillanistas & Origenistas cõtra Pelagianos per decennium laborauit:itẽ cõtra Iudæos & Ethnicos,absq; nimia acerbitate.Cũ mulieribus ne cognatis qdẽ,ppter suspitionẽ nõ habitauit.

Vestitu mundo, mensa frugali vtebatur, & vino. Obtrectationē fugiebat. Vrbe Hipponēsi à Vandalis, Alanis & Gotthis ad tertiū mēsem obsessa. crebrò Deū precatus est, vt aut obsidionem aut vitā solueret. In febriculā ergo incidens, Psalmos de pœnitētia& legebat ipse, & ab aliis le i curabat, orationibusque vacabat. Tandē præsente Possidonio & aliis, piè in Domino obdormiuit, cū vixisset annos 76. in ecclesiastica functione 40.

EVODIVS Augustini popularis, patre Ethnico milite, prior Augustino conuersus est in Italia, & Augustino se coniunxit. Vzali quæ colonia Vticæ vicina est, episcopus fuit, in disputando & quæstiones subtiles inueniendo mirè acutus, vt ex multis Augustini locis colligi potest. Tandem ex quodam Carthaginensis synodi decreto legationem cum quodam Theodosio ad Imperatorem contra Donatistas obiens, cæsus est ab hæreticis & paganis, cum suo collega.

POSSIDIVS, seu Possidonius, episcopus in Chalama vrbe Africæ, Augustini discipulus, à Crispino presbytero Donatista grauiter pulsatus est, dum iter faceret. Verùm cum episcopus Donatista in Crispinum non animaduerteret, & ob id mulctæ nomine decem auri libras pendere cogeretur: intercessit Possidius pro episcopo, & re ipsa ostēdit, nolle se hostium vindictam, sed eorum conuersionem. Augustinus contra Cresconium lib. 3. cap. 46.

ALIPIVS popularis Augustini, & amicus intimus, ethnicus primùm, deinde ad Christum conuersus, cum Augustino Mediolani baptismum accepit. Inde cum eo in Africam rediens, Tagastensis Ecclesiæ episcopus factus est. Pelagio restitit, [redacted]

IOANNES Chrysostomus Antiochiæ in Cœlesyria ad Orontem, patre secundo, matre Anchusa, nobili familia natus, Libanio sophista & Andragathio philosopho præceproribus vsus. Paulo ante Libanij mortem Christianus factus est, conuersus & baptizatus cum suis parentibus à Meletio episcopo Antiocheno. Itaque moriens Libanius conquestus est, Ioannem à Christianis vt prædam abactum, alioqui vtiliter scholæ suæ præfici potuisse. Iuri inde operam dedit. Sed mox mutato studio, Sacris literis totum se dedit, præceptoribus Diodoro & Carterio, item & Basilio Cæsariensi episcopo. Zenon Gazæ episcopus Hierosolymis reuersus, Antiochenæ ecclesiæ eum lectorem constituit. Postea à Meletio diaconus factus, tandem ab Euagrio presbyter Mortuo Nectario, communibus suffragiis populi & cleri, iussu Arcadij, Constantinopolitanus episcopus factus, propter eloquentiam Chrysostomi nomen meruit: in concionando assiduus, adeò vt auditores propter loca certarent: in reprehendendo adeò liber, vt ne Eudoxiæ quidem Imperatrici parceret. Varia certamina contra hæreticos, sed maiora contra falsos fratres sustinuit. Theophilus Alexandrinus episcopus eum, quod Origenem dānare nollet, odio prosecutus, apud Imperatorem propter libertatem in reprehendendo accusauit: & adiuuante Eudoxia, in exilium eiecit. Sed populo tumultuante, paulo pòst rediit. Iterum Eudoxia eum propter reprehensionem liberam eiici, & in Pityuntem Ponti deportari curat. Cùm ergo Comana venisset ad Pontum Euxinum, dolore capitis & febri correptus, obiit, 14. Nouembris, anno Christi 408. ætatis 52. episcopatus sui quinto & dimidio. Mortem eius secutum est dissidium inter episcopos, quorum alij eum damnabant, alij tuebantur. Alexander Antiochenus primus nomen eius in sacros retulit commentarios. Cyrillus Alexandrinus diu restitit. Tandem & ipse consensit, ab Isidoro Pelusiota persuasus. Reliquiæ eius, Proclo episcopo Constantinopolitano interpellante, Constantinopolim à Theodosio Imp. cùm lachrymis sunt relatæ, rogante vt ignosceret patri suo Arcadio & matri Eudoxiæ. Successit ei in episcopatu stupidus Arsacius.

ATTICVS Sebastiæ Armeniorum ortus, episcopus Constantinopolitanus post Arsacium, ingenio eleganti, eloquens & promptus atque assiduus in docendo. Scripsit quædam: quodque mirum est, contra Nestoriū scripsit, qui tamen nondum venenum suum spargere ceperat, spiritu videlicet admonitus vt futuro errori resisteret. Certaminis contra Chrysostomum author fuisse perhibetur. Eundem tamen mortuum, cōcordiæ causa, in episcoporum catalogum retulit, eiusque in publicis precibus meminit. Erga pauperes munificus fuit. Vitæ suæ finem præuidit. Moritur XI. Octobris, anno Christi 428. consulatu Theodosij XI. & Valentiniani primo, cùm Ecclesiæ præfuisset annis 21.

PROCLVS, quintus à Chrysostomo episcopus, & eiusdem discipulus, Chrysostomi & Attici donis fuit instructus. Maximiano successit, Theodosij iussu. Omnibus ex æquo placidus & lenis. Chrysostomi reliquias Constantinopolim referri curauit. Fuit etiā author Ecclesiæ hymni Trisagij, ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ὁ ἰσχυρὸς, ἅγιος ὁ ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, ex suggestione pueri in aera miraculosè rapti, & absque noxa demissi: qui monuit etiam, ne trisagio hymno adderetur clausula (vt Petrus Gnaphæus Antiochenus episcopus confinxerat) Qui crucifixus est pro nobis. Eo ergo hymno recitato, statim terremotus terribilis cōquieuit. Præfuit ecclesiæ annis 12. Moritur eodem ferè tempore quo Cyrillus Alexandrinus.

FLAVIANVS Procli successor sanctissimus, qui Eutychis hæresim dānauit, à Chrysaphio palatij præside & Dioscoro Alexandrino episcopo (qui Eutycheti fauebant) Ephesi damnatus & interfectus est innocens, cū vix biennio suam rexisset Ecclesiam. Post mortem eius detecta innocētia, & reliquiæ eius Constantinopolim translatæ à Theodosio Imp. pœnitente. Chrysaphius pœnas impietatis Imperatori dedit.

GENNADIVS alter à Flauiano, vir doctus, miraculis etiam clarus. Scripsit commentarios in Danielem.

EVPHEMIVS Alexandrinus, episcopus Constantinopolitanus factus, Anastasium ad imperium admittere noluit: nisi iureiurando & scripto affirmaret, sese nihil noui in Ecclesiam introducturum, sed Chalcedonensis synodi decreta seruaturū. Imperio potitus Anastasius scriptum repetiit. Quod quia Euphemius reddere nolebat, in exilium ab impio Imperatore eiicitur. Anastasius autem Manichæa hæresi infectus, item magiæ deditus ferebatur.

LEO 43. Ecclesiæ Rom. episcopus, Theodorico regi Gotthorum à cōsiliis fuit. Absens in Gallia episcopus eligitur, anno Christi 443. Theodosij iunioris 17. Ecclesiam suam doctrina ipsemet erudiit, & plurima etiam scripsit, & contra hæreticos acriter pugnauit, Pelagianos, Manichæos, Eutychianos. [redacted]. Attilam Gotthorū regem ab vrbe Roma diripienda auertit: item Gensericum Vandalorū regem ad vrbem vocatum ab Eudoxia in vltionē mariti Valētiniani interēpti ita demulsit, vt præda contentus, à cædibus & incendiis abstineret. Sedit annos 21.

GELASIVS primus, Afer natione, episcopus Rom. ordine 53. Felici successit, anno Christi 495. Anastasij tertio. Magnum studium habuit restaurandæ doctrinæ ecclesiæ, quæ dissoluta fuerat per tot bellorum motus. Magno etiam feruore cōtra Eutychen, Nestorium & Arium scripsit. Vir bonus, [redacted]. Mortuus anno 497.

SEDVLIVS Scotus natione, magnas peregrinationes virtutis ergo suscepit, post mortem Hildeberti Scotorum archiepiscopi præceptoris. Valentiniano & Theodosio Imp. venit in Italiam, & Romæ docere cœpit philosophiam. Qua relicta, totum se sacris dedit literis: & presbyter, seu etiam (vt alij volunt) episcopus factus est. Scripsit carmine & prosa doctissimè.

PAVLINVS Senator olim, natione Gallus, nobilibus & locupletibus parentibus natus, studiis profanis deditus, baptizatur à Delphino Burdegalæ episcopo: præceptore vtitur D. Ambrosio Mediolanensi, suasu Hieronymi & Augustini. Ambrosius eum presbyterum facit, vt vbicunque esset Ambrosij presbyter diceretur. Ad Barcinonam à Lampio quodam, ita efflagitante plebe, episcopus factus est. Sed postea Nolæ in Campania episcopatum suscepit, imperante Marciano, cùm occiso Valentiniano Eudoxia in vltionem mariti Gensericum Vandalum in Italiam euocasset. Scripsit multa carmine & prosa. Multis captiuis abductis, omnes suas opes in liberationem eorum impendit: cumque nihil præterea haberet, pro viduæ vnico filio voluntariam seruitutem subiit, vt ille liberari posset. Itaque conditione à Barbaro rege accepta, olitorem egit. Vandalos multos Arianos conuertit: denique tantum potuit authoritate & prædictionibus suis, vt eum rex cum suis ciuibus omnibus frumento donatum in patriam incolumem remitteret. Obiit pleuritide, X. Calen. Iulij. Cùm moreretur, cubiculum ingenti motu concussum est, reliqua domo immota permanente.

EPIPHANIVS Ticinensis episcopus, Ticini natus ingenuis parentibus. Nato cunæ superno lumine fulgere sunt visæ. Indolis optimæ, adeò vt octauo ætatis anno à Crispino episcopo lector crearetur. Moriens Crispinus eum suis commendat: itaque etiam nolens anno ætatis 28. episcopus Ticinensis creatur, cùm in oriente Leo, in occidente Seuerus imperarent. Miraculis in expellendis dęmonibus & vitę sanctitate claruit. Bis sub eo Ticinum captum, semel ab Odoacro rege Herulorum, deinde à Theodorico Gotthorum rege. Tanta tamen fuit authoritate etiam apud Barbaros milites Theodorici, vt eius iussis obedirent: & Ticinio abeuntes, non sine lachrymis ei valedicerent. Legatus inde ad varios principes missus, re semper bene confecta rediit. Ticinum vrbem ab hostibus vastatam restituit. Postremò ex legatione ad Theodoricum altera domum rediens, in itinere lethali catarrho correptus obiit, 30. episcopatus sui anno, sub initium ferè Anastasij Imp. in Oriente.

ZENOBIVS parentibus ethnicis Florentiæ natus, à Theodoro episcopo conuertitur, & archidiaconus creatur. Inde mortuo Theodoro, episcopus constituitur. Claruit miraculis sanationum. Cognatos suos ad Christum conuertit. Familiaris fuit D. Ambrosio Mediolanensi. Obiit nonagenarius, anno Christi 424. 25. Maij, sub Innocentio pontifice.

PETRONIVS ex stirpe Constantini, monachus primo ordine Basilij: inde clericus factus, & in Theodosij palatio cunctis præfectus: tandem in Italiam venit ad Arianas hęreses extirpandas, & à Cœlestino pontifice in somnis monito Bononię episcopus, quamuis inuitus, constituitur. Claruit miraculis, & quædam etiam scripsit. Obiit Theodosio & Valentiniano imperantibus, anno Christi 385.

MAXIMVS Taurinensis episcopus, & scriptor non inelegans, claruit sub Leone Romano pontifice, cùm Eutyches hęresim suam spargere cœpisset.

VIGILIVS Tridentinus episcopus post Asterium anno ętatis 20. constitutus, Romanus patria, & Athenis educatus, Tridentinos omnes conuertit, & miraculis etiam claruit. Multa scripsit. Contra hęreticos scriptis pugnauit acerrimè. Vxorem habuit. Cum fratribus Claudiano & Maiorino, & quodam presbytero Claudino in locum quendam suę iurisdictionis, Radennam dictum, in Alpibus profectus, qui solus adhuc Ethnicismum defendebat: cùm Saturni idolum euertisset, à rusticis saxis obruitur, solis sociis incolumibus elapsis, ætatis anno 40. ad 6. Calend. Iulij. Corpus eius ad ecclesiam delatum: & cùm Geruasij & Protasij templum prius diceretur, porrò Vigilij dici cœpit. Claruit circa annū Christi 500. Quo tempore Anastasius imperabat, Gelasius Romanam ecclesiam regebat.

FRIDOLINVS, viator propter peregrinationes assiduas dictus, regis Scotorum & Hiberniæ filius, Christum prędicauit passim, & collegia instituit,

instituit, per quę fides propagaretur: in primis quidem in Gallia Pictauij sub Hilario, deinde apud Belgas prope Mosellam. Paulo pòst in Vosagi cacuminibus, Argentinæ, Curiæ Rhætorum, & alibi per Burgundiæ prouincias. Postremò appulit ad insulam Rheni supra Basileam, vbi nunc oppidum Saccingum est, & ibi ædiculam ædificauit. Verùm incolæ eum cæsum eiecerunt. Adit Clodoueum regem Gallorum, & ab eo donationem istius insulæ liberrimam accipit. Instituit ergo ibi collegium fœminarum. Post mortem Clodouei, cùm incolæ rursus tumultuarentur, precibus à Deo impetrauit, vt Rhenus relicto dextro alueo ad sinistrum laberetur, & sibi contra Ethnicos propugnaculum fieret. Quo miraculo incolas conuertit. Resuscitauit quoque Vrsum Claronensem, qui ei hæreditatem suam dono dederat. Nam cum mortuo Vrso frater eius Landulphus pactum negaret, & coram Baldeberto Lantgrauio iudicium expediri non posset, nisi Vrsus donator coram iudicibus sisteretur: Fridolinus Claronam abiit, & Dei virtute Vrsum resuscitauit, secúmque ex Clarona ad pagum Rhæticum Ranequill per sex milliaria duxit, vt coram Lantgrauio cum fratre Landulpho de iniuria expostularet. Quo miraculo Landulphus territus, suam & ipse partem hæreditatis Fridolino donauit. Obiit Fridolinus anno Christi 514, cùm Christum annis 130 peregrinando prædicasset. Saccingæ sepelitur ad sinistram chori partē, cùm in dextra cubaret Vrsus. Postea verò ex eo loco Fridolinus in summum aræ collocatus est.

SEVERINVS Afer, monachus, Rauennatensium inde episcopus, mox ad vlteriorem Danubij ripam in Noricorum finibus cœnobium habuit. Post mortem Attilæ, Vandalorum crudelitatem fugiens, ad ipsos Vindelicos & Noricos, Romanorum adhuc prouincias, concessit. Primū moratus Batauiæ, ad confluentes Danubij & Oeni, vbi fanum eius nomini dicatū hodie extat. Postea ad Fabianā (quæ nunc Viēna est) concessit, sub monte Cæcio (qui mons Caluus dicitur.) Tandem Laureacum abiit. Prophetico spiritu claruit, & circumiens omnibus pœnitentiam prædicauit, futuras Barbarorum incursiones prædicens, Qui paruerunt eius consilio, à Barbaris clementius tractati fuēre, vt Tiburina vrbs, Norici tum caput, Hostibus etiā ipsis admirationi fuit. Odoacro Rugorū regulo Italiæ regnū prædixit. Sanationum donis celebris fuit. Laureaco Fanium discesserat: vbi senio confectus, vocatis ad se Filitheo, eiúsque coniuge Gisa & Friderico Rugorū principibus, monuit vt cū Romanis fœdus seruarent, & pij essent: sin minus, pœnas daturos. quod & contigit. A Theodorico enim occisi sunt. Romanis futurum reditum in Italiam prædixit, atque vt vnà secum ossa sua auferrent petiit. Obiit 6 Idus Ianuarij, anno Christi 481. Relata postea eius ossa in Italiam, & Neapoli condita in castello Lucullano, vbi Seuerini nomine monasterium extructum, anno Christi 494. Discipulos habuit Lucillum Pataujensem pastorem, & deinde episcopū Fabianensem, qui post Seuerini mortem cum Romanis in Italiam rediit: Syluinum Quintianorum mystem: Constantium Laureacensen episcopum, anno 427, sub quo Seuerinus Laureacum precibus suis ab hostium vi seruauit, anno 477. Paulinū Tiburinæ Norici metropolis episcopum, qui ad monitionem Seuerini triduano indicto ieiunio vrbem ab excidio seruauit: Maximum Iuuauensium episcopum, quem Seuerinus monuerat duob. nunciis, vt vrbe excederet cum omnibus quotquot salui esse cuperent. imminere enim vrbi extremum fatum nocte insequente. At Maximus cum ei non obtemperasset, altera nocte ab Herculis & Ostrogotthis, duce Vidomaro, vrbs excisa est. Maximus in crucē actus est: symmistæ eius plures 51 è rupe montis, quò sese abdiderant, præcipitati, anno 576. In æde Amandi (quę hodie Margaretæ est) Salisburgi humatur.

SALVIANVS Massiliensis episcopus doctissimus sub Zenone, vixit vsque ad Anastasij tempora, ad annum Christi 490. Scripsit multa doctissimè.

IOANNES Cassianus, natione Scytha, ciuis Constantinopolitanus, monachus & eremita Studio monastices & doctrinæ totum ferè peragrauit orbem. A D. Io. Chrysostomo episcopo diaconus factus est Constantinopoli, anno secundo Theodosij. Inde Massiliam venit presbyter. Facundus fuit, & eruditus, ore simul & scriptis tum aliis, tum præsertim cōtra Nestorium. Massiliæ duo monasteria instituit, alterum virorum, alterum mulierum, quorum ipsemet fuit præceptor. Obiit Theodosio & Valentiniano imperantibus. Sanctus Germanus, eius peregrinationum & studiorum indiuiduus socius fuit.

EVCHERIVS Lugdunensis, senatorio genere ortus, ad flumen Druentium in spelunca habitauit, sub Valentiniano secundo. Defuncto episcopo Lugdunensi, diuinitùs indicio facto per puerum, à clero populóque Lugdunensi ad episcopatum inuitus protrahitur, effracta speluncæ ianua. Eruditus vir fuit, & facundus mirum in modum, vt scripta eius testantur. Petronio Bononiensi episcopo coętaneus fuit, & Saluiano.

CLAVDIANVS Mamertus episcopus Viennensis, vir in omni literarum genere versatissimus, & summus (salua religone) philosophus: de anime statu tres scripsit libros. Cùm terribilibus portentis Vienna totáque Gallia vexaretur, adhæc etiam ædes publica ex improuiso ardere cœpisset, aliis aliò ad sua diffugientibus, solus ante aras immobilis constitit, & precum feruore atque lacrymarum fonte incendium restinxit. Ex huius liberationis occasione instituit ceu gratiarum loco annuam celebrandarum litaniarum siue rogationum festiuitatem triduo, quod inter Dominicæ ascensionis & dominicum interiectum est. Claruit sub Theodosio iuniore. Quinto Idus Maij obdormiuit.

SEVERVS Indus natione, Christi causa peregrinatus Viennam venit: & miraculis clarus, templum centum idolorum ante vrbem destruxit, & in D. Stephani ædem transtulit. Factus inde Viennensis ecclesiæ episcopus.

HILARIVS Arelatensis episcopus, primùm monachus, vir doctus & pius erga pauperes. [redacted].

PROSPER Aquitanicus in vrbe Limonum natus, facundus vir, Carthagine Augustini discipulus fuisse videtur. Reginum fuisse episcopum asserunt. Scripsit multa, contra hæreticos pugnauit, item Augustinum acriter defendit. Sub Leone magno claruit, anno Christi 460. Moritur anno 465, Hilario Romæ episcopum agente. Rexit ecclesiam annos 22. Sepultus in basilica Apollinaris.

LVPVS septimo anno vxorem volentem deseruit, & Lirinense monasterium ingressus, ex eo aliquandiu post ad ecclesiæ Trecassinæ episcopatum vocatus est. Vir fuit magnus, etiam miraculis clarus. Cùm Attila Galliam vastaret, & vrbi quoque Trecensi immineret, Lupus ei obuiam it habitu Pontificali, & Attilam quisnam esset interrogat? Illo respondente, Dei se esse flagellum: iussit ei aperiri portas vrbis. hac salutatione, Fauste ingrediatur Dei flagellum. Attila ingressus cum suis copiis, cęcitate percussus, pertransit tantùm, ciuitate relicta incolumi. Obiit anno Christi 480, Zenonis quinto. Cum Germano Antisiodorensi episcopo in Britanniam contra Pelagianos profectus est.

SIDONIVS Lugdunensis patria, illustri familia natus, in omni literarum genere excellens, in Rom. principum aulis versatus est, Maximi Auiti Imp. filiam duxit in vxorem: quo à Maioriano interfecto, Auernorum episcopus constitutus est, quamuis inuitus, ætate satis grandi. Scripta eius extant, poetica præsertim. Contra Gotthos Arianos acriter pugnauit. In episcopatu etiam vxorem retinuit. Moriturus, Aprunculum sibi iussit substitui. quod & factum est paulo pòst. Duo presbyteri eum episcopatu deiicere conabantur, & potestatem iam ei Ecclesiæ eripuerant: cúmque alter sub vesperam optimo seni minatus esset, se eum ecclesia eiecturum: mane ecclesiam ingressurus, prius aluum exonerare volens, cum sordibus simul animam egessit. Alterius vltio post mortem Sidonij accidit. nam cùm mortuo Sidonio triumpharet ille, & diuino iudicio se digniorem episcopatu fuisse ex morte Sidonij colligeret, cùm pro inauguratione ciues magnifico epulo excepisset in ecclesiæ domo, ipséque inter primos lætus accumberet: accidit, vt dum pincerna poculum bibituro offerret, simul etiam veniam peteret, vt liceret sibi somnium quod ea nocte vidisset narrare. Annuente episcopo, visos sibi, inquit, ante venerandum iudicem inter multos sacerdotes Sidoniū & presbyterum, ei in viuis inimicum, in iudicio litigantes: sed Sidonium victorem, presbyterum in tranquillissimum carcerem coniectum. Quo facto, cœpit te quoque, O Episcope, Sidonius accusare, quòd particeps iniuriarum eius fueris. Iudex autem ille sollicitè inquirit, quem ad te mitteret. Hoc ego intelligens, cœpi me occultare, ne mihi id expediendum demandaretur. Verùm cæteris abeuntibus, cùm ego solus contremiscens relictus essem, vocauit me iudex, & seriò ac seuerè, vt te accerserem, præcepit: id ni facerem, extremum mihi supplicium interminatus. Quare te moneo & hortor, vt sine vlla mora ante iudicis tribunal te sistas. Hac narratione ita examinatus est episcopus, vt poculo è manibus lapso, ipse humi caderet & moreretur. Quo sic diuina vltione sublato, paulo pòst Lingonicæ ciuitatis episcopus Aprunculus superuenit exul: eúmque Auerni, secuti authoritatem Sidonij, episcopum fecerunt. Mortuus est Sidonius 9 Calend. Septemb. primi Iustini temporibus.

MARTINVS Sabariæ Pannoniorum oppido oriundus. Ticini tamē à parentibus gentilibus nutritus, patre Tribuno decimo ætatis anno spōte sua ad ecclesiam transiit, & catechumenus factus est. Anno ætatis 15, sub Constantino & Iuliano à patre inuitus ad militiam ductus est: & in ea per triennium vixit, antequam baptizaretur. Cùm apud Vangionum vrbem Iulianus prælio certaturus esset, Martinus armis pugnare detrectauit, solo crucis signo se munire volens. Eam rem indignè ferens Iulianus, carceri eum inclusit. & in crastinum inermem hostibus obiicere cogitabat. Sed precibus Martini pax facta est. Ex militia dimissus, ad Hilarium Pictauiensem episcopum proficiscitur. Rediit inde ad suos, & parentes conuertit. Tandem ad Hilarium reuersus, arte à Turonensibus inductus, eorum ecclesiæ episcopus, quamuis inuitus, constituitur. Miraculis sanandi & prophetiæ dono fuit clarus. Contra Arianos pugnauit in Illyrico, vbi à sacerdotibus cæsus, & vrbe eiectus est. Item Mediolani ab Auxentio episcopo plurimis eandem ob causam affectus iniuriis. Febre obiit, anno ætatis 81. episcopatus sui 36, Christi 406, aut 410, tertio Idus Nouembris.

D. REMIGIVS Gallorum apostolus, Remensis fuit, ex castro Landuno. Ortum eius præuidit Montanus quidam monachus, qui cùm pro pace ecclesiæ contra Gotthos Arianos Deum deprecaretur, nasciturum quēdam Remigium audiuit. qui Gallos ab istis calamitatib. liberaturus esset: in peccatis quidem conceptum, sed in vtero matris sanctificatum, vt Ioannem baptistam. Natus est anno 449. Theodosij iunioris 22. Mortuo Bannadio episcopo Remensium, ipse anno ætatis 22 ad episcopatum cogitur. Eruditus fuit, & eloquens valde Miraculis & prophetiæ dono clarus. Regem Clodoueum primus conuertit, & de eius exercitu tria millia baptizauit. Arianam impietatem strenuè confutauit. Scripsit etiam commentarios in vetus & nouum Testamentum. Obiit anno ætatis 96, Ibid. Ianuarij, cum episcopum gessisset annis 74, & amplius. anno Christi 500, vel 490. aliis 545.

GERMANVS ciuis & episcopus Antisiodorensis, Romam studiorum gratia profectus, legibus operam dedit, & causas in foro egit. Inde præfectus agri Antisiodorensis factus. Cùm templum aliquando ingre-

deretur, Amator episcopus ex improuiso cum sacerdotibus eum circunstans, manus ei imponit, & episcopum creat etiam repugnantem. Mortuo Amatore, ne diuinę reluctaretur electioni, episcopatum suscipit, in quo contra hęreticos acriter pugnauit: ita vt bis in Britanniam cũ Lupo Trecassino episcopo contra Pelagianos missus fuerit. Ex Britannia rediens, Rauennæ obiit, anno Domini 450. sui episcopatus 30.

SEVERVS Sulpitius Posthumianus Britannus fuit scriptor elegantissimus, & presbyter Aquitanicus. Monachus fuit, cùm prius vxorem in Britannia habuisset. Chiliastarum errorem habuit. A Pelagianis quoque senex fuit deceptus, & propterea loquacitatis suæ pœnam perpetuum silentium ad mortem vsque voluit esse.

OROSIVS Tarraconensis ortu, Augustini iam grandæui discipulus, scriptis clarissimus, contra gentes & Pelagianos acriter pugnauit. Cùi ecclesiæ præfuerit, incertum. Floruit anno Christi 416. Mortuo Augustino, Romam concessisse dicitur.

PATRICIVS Brito genere, secundus Hiberniæ episcopus, patre Calpurnio, presbytero, matre Conche, D. Martini sorore: primùm Suechat dictus, inde Magonius à Germano Alrisiodorensi episcopo: tãdem Romæ propter ingenuos mores Patricij cognomen tulit. Post Palladiũ ad Scotos archiepiscopus mittitur à Cælestino pontifice, anno Christi 432. Miraculis & doctrina totam insulam conuertit, & Pelagianum errorem extirpauit. Eius precibus datum aiunt, quòd nullum animal venenatum in insula reperiatur. Obiit anno Christi 492. ætatis suæ 122. cùm præfuisset annos 60.

SERVANVS Scotus à Palladio ad Orcades insulas missus, eorum primus Apostolus factus est, anno Christi 400.

SECVLI SEXTI.

NINIANVS Venedota Britannus, post Romana studia per Britannorum, Scotorum & Australium Pictorũ terras doctrina & miraculis Christi fidem propagauit, & Pictos primus conuertit. Obiit anno Christi 432. sub Theodosio iuniore.

HELIAS Hierosolymitanus episcopus orthodoxus, multa & grauia pertulit ab Anastasio Imp. quia cum Euphemio episcopo Constantinopolitano sentiret, & Seuerum Antiochenum episcopum Nestorianum damnaret, neque Chalcedonense concilium damnare vellet. Tandem ab Imp. per Olympium Palæstinæ ducem in exilium missus, Imp. mortem ostento monitus prædixit.

ANASTASIVS episcopus Antiochenus fuit. Cùm Iustinianus Imp. eorum hæresim amplecteretur, qui opinabantur Christum non mortalem carnem assumpsisse, sed eam posteaquam assumpta esset, immortalem extitisse, & omnes sacerdotes huic opinioni subscribere vellet: omnes vno ore sunt professi, se Anastasium Antiochenum sequi. Quem cùm Imp. in suas partes traducere vellet, acriter ille restitit, & suos subinde monuit: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Iustinus tãdem in exilium eiecit, propter ærarij ecclesiastici pecuniam ab eo in pauperum vsus consumptam. Post 23 annos, mortuo Gregorio, episcopatui suo restitutus est.

FVLGENTIVS Afer, patre Fulgentio senatore Carthaginensi ortus: primùm monachus, postea Ruspensis ecclesiæ episcopus factus est. Plurima scripsit. Acriter contra Arianos pugnauit. A Thrasimundo Vandalorũ rege Ariano cũ 220. episcopis in Sardiniam relegatus, rediit. Iterum deinde expulsus, eo quòd cõtra Pintam Arianum scripserat, & iterũ reuocatus, obiit anno ætatis 65. episcopatus 25. sub Anastasio Imp.

MACEDONIVS episcopus Constantinopolitanus, sub Anastasio Imp. in locum Euphemij substituitur: vir sanctus & orthodoxus, & Chalcedonensis synodi contra Imp. Manichæum assertor, pupulóque clarus. accusatus de stupro, subductis in iudicio vestibus, se virilibus carere ostendit. Tandem tamen iniustè ab Imp. Euchaitem exulatum mittitur: & quia propter Hunnorum irruptionem per Caspias portas Gangram se contulerat, Anastasius missis percussoribus, eum trucidari curauit, anno Christi 517. Anastasij 24. & post mortem cuidam insomnis apparens, Anastasium ad Dei tribunal vocauit.

GREGORIVS I. Magnus appellatus, Gordiani senatoris filius, Felicis quarti pronepos, monachus primùm fuit, & abbas. Parentibus defunctis, de patrimonio sex monasteria in Sicilia extruxit: ædes Romæ in cœnobium conuertit. Angelum ter in specie hominis naufragi excepit, pauit, & pecunia iuuit, à quo postea miraculis donatus est. Tandem post Pelagium II. Pont. Rom. creatur, sanctitate vitæ & eruditione posteriores omnes vincens. Ecclesias & scholas bene instituit: in episcopis examinandis acerrimus fuit. Plurima scripsit, quorũ maior pars ab emulis combusta est: aliqua tamen intercessione Petri Diaconi seruata. Primus se seruũ seruorũ Dei appellauit. Erga pauperes liberalis maximè fuit & castitatis amator. Contra Iudęos & hæreticos varia certamina suscepit. Eutychium episcopum Constantinopolitanum ipse adhuc diaconus corã Tiberio Imp. cõfutauit, qui scripserat corpus nostrum post resurrectionem impalpabile fore. Obiit anno Christi 606. Phoca imperante, 4. Idus Martij, qui & natalis eius dies fuit. In lecto recubans modulabatur, & pueris baculo minabatur.

FRIGIDIANVS Lucanæ ecclesiæ episcopus, fluuium Auserim agros inũdantem, ex proprio alueo aliò precibus deriuauit.

MARCELLINVS episcopus Ancõnitanus podagricus, oborto incendio quod nulla aquæ vi restingui poterat, ipse sese flammæ aduersum inferri curauit. Eius attactu flamma miraculosè resedit.

ANDREAS Fundanus episcopus castissimus, sanctimonialem apud se alebat iam senex, eiúsque amore moueri cœpit. Fortè accidit, vt Iudęus quidam ex Campania Romam profectus, ad eliuum Fundanum veniens, in Apollinis templo pernoctare cogeretur. Media nocte dæmones adsunt. Vnus ex illis industriam suam in Andrea episcopo ad luxuriam commouendo iactat, & à principe dæmonum ad rem perficiendam instigatur. Incidunt deinde in Iudæum (qui se superstitione potius quàm pietate motus, crucis signo munierat) & quia cruce signatus erat; exclamant: Væ væ, vas vacuum & signatum: hocque dicto disparent. Iudæus mane rem Andreæ indicat, & ad Christum conuertitur, Andreas à stupro præseruatur.

SABINVS Canusinus episcopus, senex & cæcus, prophetandi dono clarus, quod & Totilas Gotthorum rex in eo deprehendit. Archidiaconus episcopatus desiderio eum è medio tollere laborabat: & pincernæ persuadet, vt ei venenum propinet. Paret ille. senex poculum oblatum respuit, dicens: Bibe tu, quod mihi proponis bibendum. Quod cum puer metu pœnæ facere vellet, impediit eum Sabinus, inquiens: Vade, & dic autori harum insidiarum, me quidem poculum bibiturum, sed eum episcopatu nunquam potiturum. Sic accidit, vt venenum Sabino bibenti nõ noceret: & archidiacono non bibenti, ea ipsa hora causa mortis existeret. Greg. Turon. lib. 3. Dial. c. 5. & Vincent. lib. 21. c. 66.

HERCVLANVS monachus sanctissimus, Gregorij magni nutritor, episcopus Perusinus factus: cum Totilæ exercitus post septennem obsidionem Perusium expugnasset, ex regis mandato ciues omnes necantur: Herculanus capite truncatus, deinde excotiatus, tandem è muro præcipitatur.

BARBATVS Beneuentanus episcopus, Longobardos (qui licet baptizati essent, tamen idola adhuc adorabant, vt arbores, & aureum viperæ simulachrum) conuertit, arborem succidit, & viperæ simulachrum in calicem mutauit. sub Iustino secundo claruit.

SABINVS Placentinus episcopus Pado agros vastanti schedam iniecit, inquiens: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, vt de alueo tuo in locis istis vlterius non exeas, nec terras ecclesiæ lędere præsumas. Et mox inundatio cessauit.

NICETIVS Lemouicensis monasterij abbas, vir sanctissimus: miraculis & prophetiæ atque sanandi dono clarus, contra Nestorium & Eutychen scripsit: Iustinianum Imp. de errore, quòd Christum purum hominem assereret, reprehendit. in concionando factum dus fuit, & acer. Febre obiit sepultus in basilica S. Maximini.

VENANTIVS Honorius Clementianus Fortunatus, non procul Taruisio natus, & Rauennæ educatus, amore Martini (à quo in somnis oculorum dolore liberatus erat) Turonum profectus, inde Pictauium: primùm presbyter, deinde episcopus factus est Pictauiensis, & Gallos ad mitiorem vitæ cultum traduxit. Scripsit multa versu & prosa. Claruit anno Christi 576, sub Iustino iuniore.

ALCIMVS Auitus Viennensis, inter Christianos poetas non postremus: monachus primùm in cœnobio Sanctorum Petri & Pauli Viennæ Galliæ: patre mortuo, ad episcopatum Viennensem euectus est. Scripsit heroico carmine. Gundebaldum Burgundionum regem in Arianam hęresim lapsum, magno cum labore ecclesiæ catholicæ restituit. Deinde eius hortatu contra Arianos Dialogis aliquot certauit: claruit anno 490. sub Zenone & Anastasio. Sepultus in monasterio Viennensi sanctorum Petri & Pauli.

GREGORIVS Auernensis patria, anno ætatis 8. præceptore Auito vsus est: inde à Nicetio episcopo Lugdunensi in sacris literis institutus. Octauo Iustini iunioris anno factus est ex monacho 19. ecclesiæ Turonensis episcopus. Miraculis claruit. Scripsit etiam quędam. Chilpericum regem refutauit, qui non admittebat distinctionem personarum in Trinitate.

GERMANVS Augustodunensis, abbas primùm, deinde episcopus Parisiensis, incredibili zelo religionis Francos accendit: doctrina simul & exemplo oues suas pascens. Cùm ægrotaret, in pariete opposito sculpi iussit hæc verba: Quinto Calendis Maij (seu Iunij). quo die obiit octogenarius, sepultus Patisiis apud S. Germanum de prato. Huic Chilpericus rex, alioqui impius, honorificum erigi voluit Epitaphium.

DOMITIANVS Tungrorum episcopus x. cùm contra hæreticos in synodo Aurelianensi disputaret, terra in tumorem elata sedem ei excitauit: ipse quinetiam elcuata contra eos manu, omnes exæcauit.

AMANDVS in cela S. Martini per 15. annos moratus est. Inde Traiectensis episcopus creatus, in Vasconiam pro infidelibus conuertẽdis migrauit: tantæ authoritatis, vt Dagobertus rex à nemine alio quàm ab Amando filium suum baptizari vellet: quamuis eum propter liberam reprehensionem prius in exilium eiecisset.

RVPERTVS regio Francorum genere procreatus, Theodonem tertium Boiorum regem (cùm desponsata ei esset Theodoreti Francorũ regis pientissimi filia Reginodruda) cum filio Theodeberto ab idolis ad Christum conuertit, & baptizauit. Reginoburgi, deinde etiam apud alias Bauariæ vrbes docuit. Vtini, ducem Vtonem: Pisonij, Theoualdam Vtonis fratrem baptizauit. Rhenanas simul & Danubianas ecclesias docuit.

SECVLI SEPTIMI.

IOANNES Cyprius episcopus, à beneficentia in pauperes Eleemosynarius dictus est. Exules reuocauit, captiuos redemit, bona ecclesię auxit, cœlibatum acerrimè custodiuit.

CYRIACVS Mauricio Imp. charus, episcopus Constantinopolitanus, Phocam particidam vi compulsus inauguarit, cùm prius tamen ad orthodoxæ fidei professionem, & promissionem de non turbanda ecclesia eum

sia eum adegisset. Postea cùm Phocas Constantinam cum tribus filiabus ex ecclesia abripere conaretur, ei restitit, & iuramentum ab eo accepit de illarum incolumitate.

MARTINVS Thuscus, pontifex Rom. Constantio Imp. qui Monothelitarum hæresin fouebat, egregiè restitit, & conuocata Synodo eam damnauit. Imperator Olympiũ exarchum Romam mittit, vt Martinum interficiat. Is cùm in templo Martinum comprehendere vellet, glaucomate oculis obiecto, quamuis præsentem pontificem videre non potuit. Mittit alium Imperator, nomine Calliopam, qui variis artibus tandem Byzantium vinctum deduxit. Ibi lingua manibusque truncatus, in Chersonesum Thraciæ deportatus, ibi mortuus, postmortem miraculis claruit, anno Christi 659.

IOANNES episcopus Bergomensis tanta doctrina fuit & sanctitate, vt reges etiam illi assurgerent. Iunipertus rex in conuiuio illi offensus propter liberam admonitionem, ferocissimo equo (quo sessores excutere & dilaniare solebat) eũ insidere fecit: sperans hac ratione illum è medio auferri posse. Verùm equus ex ferocissimo mitissimus redditus, eius sanctitatem confirmauit. Iunipertus veniam petens, equum cum multis aliis donis ei concessit, quæ priores reges ecclesiæ eripuerant.

GREGORIVS in Sicilia, in vico qui Prætorius dicitur, prope Agrigentum natus, ex baptismate susceptus est à Potamione episcopo Agrigentino. Octauo ætatis anno apud Damianum grammaticum cœpit cognoscere literas: & intra quatuor annos tantum profecit, vt in clericum reciperetur. Inde ad terram sanctam profectus, Hierosolymis à Macario episcopo factus est diaconus. Postea Antiochiam petiit, mox Constantinopolim: tandem Romam, vbi à pontifice in episcopum Agrigentinum est electus. Claruit tanta sanctimonia, vt cæcos illuminaret, dæmones ejiceret, & omnis generis morbos solo manuum contactu curaret. Æmulos habuit Sabinum & Cresectium diaconos. Illi vt è medio eum tollerent, noctu inhonestam mulierculam in eius lecto occultarunt: quam postea producentes in publicum, curarunt vt Gregorius in vincula conjectus, transmitteretur Romam. Verùm diuinitùs patefacta est eius innocentia, correpta nimirum muliercula à dæmone, & prodente dolum: quòd pecunia ab accusatoribus fuisset corrupta, vt tantum crimen in virum sanctũ confingeret. ideoque absolutus est, & magno cum honore suo loco restitutus, accusatores verò in exilium acti sunt. Metaphrastes in vita eius.

IOANNES Traiectensis episcopus sub Clothario factus, Agnus vocabatur: & agricola erat, literarum penitus expers. Quidam diuinitùs moniti, eum ad episcopatum vocant. Ille recusare, quòd vxorem haberet, quòd indoctus esset: denique quòd non minus ad tantum munus ineptus esset, quàm baculus quem manu gestabat, ad germinandum. Dictu mirum: baculus illicò germinare cœpit. Quo quidem prodigio motus, diuinæ vocationi paruit: & à Clothario rege confirmatus, pro Agno Ioannes dictus est, & doctrinam simul cum reliquis virtutibus Ecclesiasticis diuinitùs hausit. Herigerius abbas capite 31.

REMACLVS Bituricensis per Sigebertum regem Traiectensium episcopus creatur. In templis & scholis docuit. Post aliquot annos ad heremum sese contulit. Miraculis & viuus & mortuus claruit.

DESIDERIVS Viennensis episcopus, cùm Brunechildem & Theodericum regem darius obiurgasset, in exilium actus, & anno quarto pòst reuocatus, lapidibus obrutus fuit.

LEODEGARIVS Pictauiensis, iuniori Clothario à consiliis fuit. Postea Augustodunensi ecclesiæ præficitur. Verùm cùm mores aulicorum grauiter increparet, cum fratre Garino in vincula coniicitur. Et Garinus quidem lapidibus obruitur. Leodegarius verò in flumine quodam super acutissimos silices ambulare coactus, Deum semper laudauit. Abscissa lingua vocem nihilominus retinuit. Tandem capite plexus est. Author cædis à dæmone correptus, seipsum in ignem coniecit.

AVDOMARVS Tauruinensis episcopus in Gallia, Taruarnenses & Morinos post Fusciani & Victoris martyria ad idololatriam relapsos, reuocauit in viam, & monasterium Sithiu extruxit. Cæcus episcoporum precibus visum recuperauerat sed cæcitatem plus quàm visum sibi profuturam sciens, petijt à Deo denuò orbari oculis: & impetrauit. Carnis stimulos sentiens, inter acutissimas vepres sese voluit.

ELIGIVS Lemouicensis, aurifaber primò, inde episcopus Noniomagensis, pietate & miraculis claruit. Obiit anno ætatis 70. Christi 665.

ARNVLPHVS proauus Caroli Magni, dux Lotharingiæ, relicta vxore & liberis, in heremum se cõtulit. Mox ad terram Sanctam peregrinatus est. Reuersus, in Mettensium episcopum eligitur. Miraculis claruit. Repetiit tandem solitudinem, & ibi obiit, anno 640.

ISIDORVS siue Germanus siue Hispanus natione, Gregorij Magni discipulus, Leandro in Hispalensi episcopatu successit, doctrina & virtute clarus, anno 627. Scripsit plurima, & refutauit plus quàm 70. sectas: Acephalorum verò hæresim exterminauit. Mortuus est tandem sub Heraclio. Mahometum in Hispania videns, ex ipsa physiognomia pestem ecclesiæ & Reipub. fore prædixit.

EVGENIVS ecclesiæ Toletanæ, & prouinciæ Carthaginensis metropolitanus, lumen fuit ecclesiarum Occidentis, eruditione & sanctimonia.

ILDEFONSVS monachus successor Eugenij, Pelagiacos & Heluidianos è tota Gallia & Hispania disputationibus suis eiecit.

PAVLINVS ex Italia cum Iusto, Mellito & Augustino missus à Gregorio pontifice, in Angliam, Northanymbros ad fidẽ Christi conuertit.

AIDANVS Scotus, sanctitate & eruditione clarus, Lindis faxnensis episcopus apud Northanymbros.

VVILFRIDVS Lindefarnẽnsis episcopus vigilantissimus, Frisones ad Christum conuertit, cùm eò tempestate esset delatus.

CVNIBERTVS Hagulstadensis episcopus in Scotia, in docendo laboriosissimus, tandem anachoreta factus, in vasta solitudine aquam è saxo euocauit.

ADELHELMVS Durotellus, Inę Anglorum occidentalium regis ex patre nepos, in Bladunensi, vel Malmesburiensi cœnobio educatus, omnes Theologos suæ ætatis superauit. Moritur anno Christi 709.

SECVLI OCTAVI.

ANASTASIVS Laodiceæ episcopus metropolitanus, cùm sacra faciens more solito exclamaret, Plebs tua & ecclesia tua supplicat tibi: Salimus Arabum dux ad seditionem eum populum cohortari existimans, eum in carcerem coniecit. Sed ab eo tamen denuò placatus fuit, Constantini Copronymi anno 20.

Germanus Iustiniani patricij F. à Constantino Pogonato castratus, eò quòd pater illius cum Mizizio, qui imperium inuaserat, fecisset: à puero Deo dicatus, vt Samuel: à concilio Niceno secundo Cyzicensium episcopus primùm factus est, & postea archiepiscopus Constantinopolitanus, piissimus & vigilantissimus, Constantinum Copronymum Imp. baptizauit.

SALVIVS Albinensis episcopus, Chilperico Francorum regi iij errorem Arij prolapso sese opposuit: & chattam in qua Rex scripserat, Trinitatem non in personarum distinctione, sed Deum nominandam; cùm sibi prælegeretur, discerpsit. Tandem in carcere cum discipulo suo Valentiniano interfectus est.

IOANNES Mailrosius, CLAVDIVS Clemens, Scoti, & Fl. ALBINVS Anglus, cum RABANO Parisios profecti, Caroli Magni auspiciis Academiam illic erexerunt: Ioannes Ticinum missus, illic quoque Gymnasium instituit, & tandem Augustini Benedictinorum cœnobio præficitur. Scripsit plurima, Clemens publicè Lutetiæ Sacras literas, & philosophiam docuit. Scripsit non pauca. Antifodorensis episcopus postea factus est. Albinus Caroli Magni præceptor factus, cùm prius in schola Cantabrigiensi post Bedam docuisset. Scripsit plurima, & orthodoxa.

VIVILO episcopus Laureacensis, anno Christi 719. vrbe ab Hunnis excisa, Patauiam cum collegis suis migrauit: Christi fidẽ latè propagauit.

BONIFACIVS Moguntinus episcopus, natione Anglus, & alio nomine Venofridus dictus, Rom. pontificis legatus primus per Germaniam, anno Christi 721. in docendo sedulus fuit, in Gentilium erroribus confutandis strenuus, in vitiis reprehendendis Echebaldi Anglorum regis seuerus. Scripsit etiam quædam. A Barbaris tandem cum 50. sociis interfectus est, anno 755.

VVILIBALDVS Richardi Anglorum regis F. Bonifacij aunculus, monachus, Hierosolymam adiit, postea Romam. Inde à Gregorio III. pontifice max. in Thuringiam ad Bonifacium missus, Erfordiæ, & in vicina Hassia Christum docuit. In Bauariam progressus anno 740. ad Almonem fluuium in vasta solitudine excisis quercubus, locum vrbi extruendæ legit, Aichstett dictum. A Bonifacio postea episcopus Aichstadiensis, consensu Vrilonis ducis Bauariæ, constituitur.

VVLFRANNVS episcopus Senonensis, in somnis monitus, deserto episcopatu in Frisiam ad prædicandum Euangelium abiit. Conuertit filium Ratobodi regis, & Ingomarum baptizauit. Ratobodus cùm iam in baptisterio esset, rogauit, Plures ne suorum maiorum in inferno, an in Paradiso essent? Vulfrannus respondit, Plures esse in inferno. Tum rex pedem è lauacro retraxit, cùm maioribus suis se in inferno esse malle professus. Anno Domini 718.

VVILLEHADVS Anglus in Frisia, post mortem Bonifacij, ecclesias dissipatas collegit. Discipulis eius à Bremensibus interfectis: postea in Gallia biennio integro Deum pro Saxonum conuersione orauit. Carolus Magnus cum constituit episcopum Bremensem. Obiit anno 791. & annos 35. in Frisia docuit.

VVILLEBRORDVS Anglosaxo, monachus, rogatu Pipini à Sergio pontifice maximo Frisonum archiepiscopus designatur, & Clemens appellatur, anno 694. maximam partem Frisonum Occidentalium conuertit, miræ sanctitatis & abstinentiæ virprædixitque, Pipinum filium Caroli Martelli (quem baptizarat) omnes reges fortitudine & maiestate superaturum.

LVDGERVS Frisius, monachus Beneuenti in Francia, sub Carolo Magno Monasteriensis episcopus, innumeras gentes ad Christum conuertit, adeò vt Apostolus Saxonum à Cranzio appelletur.

IOANNES Eboracensis episcopus Bedam, Accam, Bertinum, Herebaldum, Siggam, viros clarissimos, discipulos suos, à quæstionibus, quæ tum erant inter monachos de traditionibus humanis, ad Scripturæ interpretationem traduxit, & Beuerlaci collegium studiosorum instituit, ibique docuit, postquam se sponte abdicasset episcopatu.

EGBERTVS, frater Eadberti regis Northumbrorum, episcopus Eboracensis, in Frisiam 12. monachos ablegauit ad prædicandum. Insiguem bibliothecam Eboraci in gratiam studiosorum instituit, circa annum 760.

SECVLI NONI ET SEQVENTIVM

Doctores, ex reliquis, quas Dei auxilio in lucem propediem edituri sunt earundem Autores, Centurys, quinus studiosus poterit colligere.

SIMON Susotionis filius vno tantum anno Antiochiæ in cœnobio versatus, in eremum abiit, & tres annos in spelunca clausus manst.

Postea super columnis habitauit, quarum altissima cubitorum triginta erat. Eas pro pulpitis habuit, & multos gentilium nouitate rei excitos ad Christum suis prædicationibus conuertit. Marulus libro primo, capite nono.

ÆQVITIVS apud Valeriam vrbem abbas, postquam scalpello sibi quandam linguæ rubiginem ab angelo leuari vidit, ab eodem iussus est ad prædicandum egredi. Diuersa igitur peragrauit loca, passim Euangelium prędicans, ac se sacrisque codicibus iumento impositis iter faciens. Accusatus autem, quòd nulla Apostolicæ sedis authoritate prædicationis officium exerceret, Romam citatur. Et dum eò proficisci pararet, interim pontifex per somnium exterritus, rursum illum, ne venire fatigaretur, per nuncios iussit: simulque opus quod cœperat, facere pergeret: quandoquidem id faciendi facultatem non ab hominibus, sed à Deo accepisset. Spiritalis enim (vt Apostolus inquit) omnia iudicat, ipse à nemine iudicatur. Marul. lib. 3. cap. 4.

IVVENALIS natione Apher, arte medicus, ordine presbyter, cùm à pontifice Romano, vt Narniensi infideli populo Christum euangelizaret, ius potestatemque sibi concedi petiisset, episcopus eorum constitutus, illò se contulit. Multisque ibi catholica credulitate prædicando confirmatis, quendam de obstinatorum numero, cui præter cæteros error veritate charior erat, sibi infensissimum habuit. Qui comprehensum, postquam minacibus, vt carnem idolo immolatam gustaret, cogere verbis non potuisset, viribus aggreditur. Cultellum ori admouet, strictosque dentium dirimere ordines molitur, viam facturus cibo intra fauces respuentis immittendo. At multo secus quàm cogitarat euenit. Repentè enim quadam lymphatæ mentis insania correptus, cuspide in se versa, ipse sibi iugulum ferit: & ad pedes eius quem inuaserat, exanimis corruit. Sic tutatus est Dominus pij doctoris disertum guttur, vt hic qui illud per vim polluere attentauerat, suum confoderet, & sua sibimet manu mortem consciceret. Eo cadente, reliqui omnes qui pari infidelitate diu iacuerant, per fidem sese erexere Christi: & vnius increduli pœna multis credendi causam præbuit. Ibidem.

SERVATIVM Traiectensem episcopum, hac Spiritus sancti gratia dotatum fuisse ferunt, vt prædicantem audientes alienigenæ, diuersæque nationes, vnaquæque sua lingua locutum putarunt, nihil non intelligẽtes, quod ab illo esset prolatum. Ad hæc tot miraculis claruisse dicitur, ita purè sanctèque vixisse, vt prędicatione, virtute, moribus ad perfectionem apostolorum proximè accessisse videatur. Igitur vitæ sanctimonia præstet oportet, qui præstare cupit prædicandi doctrina, operationeque signorum. Marul. lib. 3. cap. 4.

HIVONI presbytero ad prædicandum eunti, fluuius non modico incremento ponti superessusus viam intercluserat: mox in sese collectus ac subsidens, veluti veritus tam salubrem operam remorari, transitum præbuit, rursumque pontem operuit aquis. Huic simili miraculo olim Leuitis arcam ferentibus Iordanis ad fontem reuersus, aridũ cessit iter: sed qui illos secuti sunt, in terram promissionis peruenerũt: qui verò Hiuonem, in cœlum ascenderunt: alterũ legi, alterũ euangelio datũ. Ibidẽ.

EDMVNDVS Cantuariensis archiepiscopus, cum in Gallia apud Vigorinam vrbem sub dio prædicaret, & populus imminentem supra se atræ nubis contractionem cernens, pluuiam timeret, dilabique sub tecta pararet, ne dubitarent præcepit, & imbri, ne verbum Domini impediret, iussit. Magna vis aquarum circa eos qui ad audiendum conuenerãt, in terram defluxit, nullum tamen ex tanto hominum numero attigit. Et pauor pariter ac pudor omnes cœpit, nolle illius præceptis obedire, cui insensibile elementum paruisset. Itaque non sine melioris vitæ proposito finita prædicatione abierunt multi, dum commissa deflerent: lachrymis madidi, pluuia nemo. Ibidem.

DOMINICVM ordinis Prædicatorum futurum institutorem, præsagiis quibusdam antè mõstratum fuit. Mater eo fœcunda, catellum se peperisse somniauit, qui faculam mordicùs arreptam præferens, mundum incendere videbatur. Eodem iam nato, cuidam non ignobili matronæ visum est, stellam fronti eius insedisse, cuius fulgore perinde ac solarib. radiis totus terrarum orbis lucescebat. Breui ergo effectum est, vt ab eo plurima euangelizantium turba per omnes ferè prouincias nationesque diffunderetur, passimque discurreret. Sic ille ardentis prædicationis facibus mundum succendit, sic doctrinæ spiritalis luce illustrauit. Ibidem.

De BERNARDO Clareuallensi abbate traditum est, quòd mater eum editura, antè in quiete vidit se catellum in vtero latrantem habere. Id interpretatum est, eam diuini verbi præconem egregium parituram. Quam sanè interpretationẽ minimè falsam fuisse, euentus docuit. Quãti enim hic sanctus in dicendo ingenij industriæque fuerit, quantæ in exhortando virtutis, ipsa scripta eius quæ in manibus habentur, indicio sunt: quæ quoties legimus, toties dicere occurrit, Argentum electum lingua iusti. Ibidem.

HIC cùm aliquando inter prædicandum sibiipsi placere cœpisset, ad inanem gloriam occulta suggestione illic se animaduertens, aduersus dęmonem protinus inclamauit: Neque per te maligne spiritus, prædicationem hanc inchoaui, neque per te finiã. Hoc repetens, & arrogantiam cauit, & conseruauit humilitatem. Ex quo satis patet, quantum illi reprehendendi sint, qui suis prædicationibus inanem tantùm laudationis humanæ fucum captant, seque doctos dici malunt quàm docere, quandoquidem disciplinis non ita necessariis occupantur, dum docent, dilatantes phylacteria sua, & magnificantes fimbrias, ita sanè, vt qui audiunt, mirentur magis quàm discant. Ibidem.

Minorum pater FRANCISCVS, etiam illud executus videtur: Ite in mundum vniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Sic enim hominibus prædicauit, vt mundum repleret monasteriis: sic auibus, vt ad audiendum dociles intentęque silentium tenerent, ac se manu ab eo contrectari non formidarent. Illos vt piè religioseque viuerent hortatus est: has tantùm vt creatorem suum laudarent, cuius beneficio pennas haberent ad volatum, vocem ad cantum, fructus terræ absque omni vel serendi vel metendi labore ad alimentum, vitęque sustentationem. Quo hunc amoris studio, eos quos ad fruendam beatitudinem genitos nouerat, docuisse dixerim: si etiam irrationabilia, quantum illis conueniret, monere non neglexit. Ibid.

IDEM apud castellum Gallinarium prædicans, hirundinibus multiplici garritu obstrepentibus silentium imperauit: nullàque deinde, quamdiu ipse verba fecit, ne minimum quidem sonum aut susurrum edidit. Ibid.

ANTONIVS Hispanus Prædicatorum ordinis, vir sanctitate percelebris, cùm apud forum Iulij moram traheret, prædicare verbum Dei iussus, imperitiam excusabat, nunquam antea eiusmodi declamationibus vsus. Veruntamen iussioni maiorum obtemperans, talem fecit sermonem, qualis exercitatissimo tribui potuisset. Exinde prędicationibus operam dare cœpit. Ad tam sublime euangelizandi munus non nisi per humilitatis gradum ascendit: hoc est, dum se eo indignum putat: & tamen quod iubebatur, obediendo experiri non recusat: sed & tunc confitens ac dicens, Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Ibidem.

HÆRETICI. FALSI DOCTORES.

SIMON Samaritanus ex vico Tritone, magus, Christo adhuc viuo, in Samaria mixtam doctrinam ex Ethnicismo & Iudaismo tradidit. Mox cùm Christi doctrinam radices agere vidisset, ex Christianismo quoque mutuatus est quædam. Sacro baptismate lustratus ab Apostolis Spiritum S. pecunia emere voluit. Huuc Irenæus omnium hæreticorum patrem appellat. Deum se esse asserebat, & quidem in Samaria vt patrem, in Iudęa vt filium, inter gentes tanquam Spiritum S. apparuisse. Ex se Ennæam, siue Selenem, siue Helenam prodijsse dicebat, matrem angelorum: seque de cœlo descendisse, vt ouem hanc perditam liberaret. In Iudęa sese imaginariè tantùm passum fuisse. Hominibus se salutem præstare per agnitionem suæ Helenæ, non per opera iusta. Corpora penitùs interire, animam solam immortalem esse. Equum Troianum dicebat esse ignorantiam omnium gentium. Romæ sub Claudio pro Deo habitus est, & statua ei in Tiberi inter duos põtes erecta, cum hac inscriptione: SIMONI DEO SANCTO.

ELYMAS magus, Barichu, qui in Cypro Paulo apostolo & Barnabę restitit, & cæcitate punitus est, Simonis discipulus fuisse videtur.

MENANDER Samaritanus, Simonis discipulus, ab eo in quibusdam variauit. Patrem incognitum esse dicebat, se autem vim quandam à patre emissam. Magia sua vinci angelos. Se missum ab inuisibilibus, Saluatorem pro salute hominum. Baptismo suo homines immortalitatem corporis acquirere. Magicis artibus Simonem magistrum vincebat. Sub Claudio Cęsare Antiochiæ vixit.

EBION quidam vnum Deum profitebatur, sed Christum & commixtione Ioseph & Mariæ genitum, essentialem Dei filium non fuisse. Eius sectatores Ebionitæ (quasi verè ἄβιοι, pauperes & mendici) quorum aliqui Christum quidem ex virgine natum hominem aiunt, sed tamen non extitisse prius. Prophetas recipiunt, & Euãgelium Matthęi Hebraicum. Paulum, vt apostatam à lege (cui ipsi sunt addictissimi) respuunt: Epiphanius post Hierosolymorum excidium in Cocabo vico Bisanitidis regionis, sectam hanc ortam & diffusam scribit.

CERINTHVS philosophiam in Ægypto didicit, Ebioni coętaneus. Mox in Asiam venit, & sectam nouam orsus est. Deum vnum, sed mundi non esse authorem. Christum hominem tantùm ex Maria & Ioseph natum fuisse, sed per baptismum descendisse in eum Christum spiritalem specie colũbæ, illùmque cùm pateretur auolasse, neque à mortuis adhuc resurrexisse. Legis Mosaicæ obseruationem necessariam esse. Regnum Christi post resurrectionem Hierosolymis voluptuarium per mille annos futurum. Euangelium Matthæi tantùm accepit. Paulum respuit. Iudam proditorem coluit. Contra hunc & Ebionem D. Ioannes Euangelium suum scripsit. Ephesi in balneo cùm esset Cerinthus: D. Ioannes discipulos suos egredi iubet. Mox balnea corruerunt, & Cerinthum cum suis oppresserunt.

NICOLAVS Antiochenus proselytus, vnus è septem diaconis, quorum Act. 6. fit mentio, cùm formosam haberet vxorem, exprobrata ei ab Apostolis zelotypia, in medium adducta muliere, permisit cui vellet eam nubere, vt ita se coram Apostolis de zelotypia excusaret. Neque tamen ille vnquam aliam attigit vxorem, sed filias quoque & filium castitatem seruare docuit. Verùm peruersi quidam homines, qui se sectatores illius esse dixerunt, connubium certum fugiunt, & promiscuos sequuntur concubitus, sancti illius viri authoritate errorem ornantes. Post Deum plures virtutes finxerunt, & prodigiosis nominib. luserunt, quos in hac

in hac patre Gnostici sunt secuti. Idolothytis vescebantur. Contra eos D. Ioannes in Apocalypsi. Neque verò diu hæc secta durauit.

SATVRNINVS, siue Saturnilius, in Syria, Antiochiæ ad Daphnen, eadem quæ Menander figmenta habuit. Eius condiscipulus fuit BASILIDES, sub Adriano, qui in Ægyptum errores suos sparsit. Basilidis filius & condiscipulus fuit Isidorus. Eodem quoque tempore CARPOCRATES Alexandrinus, magus & fornicarius, GNOSTICORVM pater, ex omnib. hæresin suam cõtexuit, anno Domini 137, Adriani XI. Saturninus dicebat patrem incognitum, Saluatorem ignotum & incorporalem, sine figura & phantasticum: Christum à patre missum, vt angelorum Deum euerteret: Basilides non Christum, sed Symonem Cyrenæum pro eo passum fuisse, permutato habitu. Carpocrates Christum hominem ex Ioseph & Maria natum esse, nec corpus, sed animam tantùm illius resurrexisse: Se suósque sectatores natura filios esse Dei primi. Coniugia execrabatur, coitum promiscuum admittebat in conuiuiis, amota lucerna: hácneque mysticam communionẽ esse dictabat: & idcirco animas in corpora missas, vt omne genus libidinis exercerent. Basilides & Carpocrates resurrectionem corporum negant, & μετεμψύχωσιν admittunt. Eò insolentiæ Carpocratiani processerunt, vt se Iesu, Petro, Paulo, & cæteris Apostolis præstantiores esse assererent. Basilides silentium quinquennale suis discipulis imperabat. [redacted] Magicas artes publicè docebant & profitebantur. Gnosticos ἀπὸ τῆς γνώσεως se appellari voluerunt, quasi soli sapere viderentur. Horum sectam alij ad Nicolaum Antiochenum, alij ad Prodicum referunt: sed certè fundamẽta iecit Carpocrates in Ægypto. In varias deinde sectas diducti sunt: in Barbarianos, Barbolitas, Coddianos, Stratioticos, Phibionitas, & Zachæos.

EPIPHANES filius Carpocratis, ex Alexandrina matre Cephalenia: vixit 17 annis. in philosophia eruditissimus, & post mortem diuinis honoribus à Samis (Sama autem est ciuitas Cephaleniæ) affectus.

PRODICVS non esse orandum censebat. Sectatores eius falsò se Gnosticos appellarunt.

VALENTINVS Phœbonites patria, ex Ægypto, Græcis literis Alexandriæ institutus fuit. Anno Christi 146, Antonini Pij 6. cùm Hyginus episcopatum Romæ administraret: sectam suam consutam protulit ex variis. Plures esse deos volebat, & mundi conditorem etiam mortis authorem fuisse. Christum è cœlo carnem sumpsisse, & per Mariam tanquam per canalem transiuisse: constare autem ex 4. ex spirituali, ex animali, ex dispositione, & de saluatore: & secũdum has posteriores partes esse passum, quatenus scilicet animalis fuerit. Finxit triginta secula, & mundum ex affectib. compositum esse voluit: ex ira, metu, tristitia, &c. Ex lachrymis creatoris rerum substantias, ex risu lucem ortam esse. Homines naturà saluos fieri voluit. Omnib. apostolis sese Valentiniani præferunt. Vxores habent communes, & Saluatori quoque ac angelis sponsas tribuũt. Ethnicorum quoque festa celebrant. Animas tantùm saluari aiunt. Magicis artib. dediti fuerunt. Valentinus Romæ vixit, in maxima existimatione, deinde in Cyprum & Ægyptum abiit. Sectatores habuit, Marcum, qui in Asia cuiusdam diaconi hospitis sui vxorem abduxit: Ptolemæum, Secundum, Heracleonem, Bassum, Colarbasum, Cerdonem Syrum, Marcionẽ Synopensem, multósque alios.

MARCION, ex Synope vrbe Põti Galatiæ, successit Romæ CERDONI, sub Aniceto. cùm Epheso pulsus esset à D. Ioanne euangelista. Patrem habuit episcopum in Ponto, à quo propter stuprum virgini illatum in exilium pulsus: Romæque à fratrib. non acceptus, Cerdoni se addixisse traditur, eiúsque doctrinam amplexus, ei quoque successisse. Duo principia asserebat Cerdon, bonum Deum & Deum malum: Marcion tria, visibile, inuisibile, & medium. Christum phantasticè in carne versatum asserebant. Cerdon in se solum S.S. descendisse, non in Apostolos. Marciõ (quem os diaboli vocat Irenæus) Cain & Sodomitas, cùm Christo ad inferos descendenti occurrissent, asserit salua, Ptosatriarchas: quia tentationem veriti, ei nõ occurrisset, non fuisse saluatos. Connubium auersatur, & virginib. tantùm baptisma confert. Generationem damnat, & in creaturis creatorem irridet. Animas tantùm saluandas profitetur. Solum Lucæ Euangelium Marcion recipit. Iudaicum statum per Messiam, qui nondum aduenisset, restituendum asserit. Plurimos habuit sectatores, etiam martyrio insignes: eáque propter religiosior hæc secta habita fuit. Polycarpus Marcioni factus obuiam, eum primogenitum diaboli appellauit. Discipulos habuit Apellem Rhodium, qui Philumenes vatidicæ contubernio vsus, vnum tantùm principium posuit: Photinum & Basilicum, qui duo: Synerum, qui tria.

ENCRATITARVM hæresis (id est, Abstinentium) à TATIANO Syro oratore ortum habuit. Is primùm D. Iustino martyri Romæ familiarissimus fuit, atque sub eo librum vtilissimum contra Gentes scripsit. Eo mortuo, sectam suam ex variis concinnauit, anno Christi 165, Antonini Veri 12. Sparsit deinde per Ciliciam, & Pisidiam. Plurima scripsit, præsertim Euangelium quod Diatessaron vocat. Duos deos asserit. Adamũ propter peccatum perpetuò damnatum esse ait. Nuptias damnat. Mulierem opus diaboli esse dicit. Carnium & vini vsum repudiauit. Huius sectatores fuerunt HYDROPARASTATE, qui aquam pro vino ad communionem exhibebant: item SEVERIANI, à SEVERO Dioscuro sic dicti, qui Philumenam quandam puellam magam in deliciis habuit. Eadẽ cum Encratitis sentiebant: insuper verò hominis inferiorem partem ab vmbilico infrà diaboli esse, superiorem Dei, asserebant.

CATAPHRYGÆ orti sunt anno Domini 174, M. Antonini Veri 11. à Mõtano quodam Phryge, qui à catholica fide desciuit, & mentis extasi omnes in sui admirationem conuertit, Priscillam & Maximillam prophetissas secum habens. Easdem scripturas cum catholicis recepit: Trinitatem asseruit, sed confudit personas. De mundi creatione & resurrectione & resurrectione eadem sensit. Christum merum hominem ex virgine natum, & virtute prophetis pręstãtiorem: Paracletum spiritum sanctum sese appellabat. Mortuos baptizabat: pœnitẽtiam & matrimonia tollebat. Prophetas ignorasse ea quæ dicerent, asseruit se solum scire. [redacted] Pecuniarum exactores constituit. Pepuzam & Tymiũ (paruos in Phrygia vicos, vnde & PEPVZIANI dicti) Hierosolyma nominauit. Infantem vnius anni minutis acuum puncturis confodiunt, & ex eo sanguine farinæ misto Eucharistiam suam conficiunt, eúmque ad socios mittunt. Infans si moriatur, martyr: si superuiuat, pro magico habetur sacerdote. Episcopos & presbyteros habent mulieres, eósque vocãt Artotyritas, quòd in mysteriis caseum & panem suis apponant. In Phrygia primùm cœptus error, mox per totam Cappadociam sese diffudit: eo maximè, quòd martyres plurimos numerarent. Suspendio Montanus periit cum suis prophetissis. Montani primus procurator fuit THEODOTVS, qui cùm se in cœlos sublatum iri crederet, præcipitio stultus periit.

THEODOTVS coriarius, diuersus à Montanico illo, cum in persecutione Christum Bizantij abnegasset, Romam profectus, non Christum Deũ, sed hominem, se abnegasse asseruit, & in eo dogmate perstitit. Itaque authoritate Victoris episcopi ab ecclesia reiectus est. Huius discipulus fuit Artemon, qui in Phrygia hanc impietatem sparsit, teste Eusebio. Itẽ Asclepiodotus, Theodorus mensarius, & Apollonides.

BERILLI hæresis sub Gordiano in Arabia inualuit. Artemonem sequebatur: & Christum antequam homo fieret, nihil fuisse asserebat. Tandem ab Origene ad saniorem mentem reductus est.

ARABIANI, hæretici in Arabia, circa annum Christi 251. qui animas cũ corporibus interire, in fine verò seculi vtraque resurgere asseruerũt. Eos Origenes ad meliorem mentem reduxit.

HELXESAITARVM hæresis eodem tempore in Arabia, vltra mare mortuum, in regione Moabitide. ab Elxeo quodã orta est; media inter Christianismum, Iudaismum, & Græcismum. Similia cum Ebionæis multa habent: multa etiam propria. Deum vnum omnium opificem asserunt: Christum non vnum, sed alium supernum, alium infernum. Spiritum S. sororem Christi ęsse aiunt, & perinde ac Christum in altitudine habere sex miliaria, in latitudine 24. μετεμψύχωσιν spiritus asserunt. Librum composuêre, quem de cœlo descendisse gloriabantur: & quotquot eum audiuissent remissionem peccatorum impetrare. Magiam & Astrologiam amplectebantur, cámque ob causam se Prognosticos appellabant. Origenes eos confutauit.

NOVATVS presbyter Carahagine fuit, sub Cypriano. Inde propter plurima vitia (inter quæ, vxoris prægnantis vterum calcibus petens, eam abortire fecerat) pulsus Romam venit. Mortuo Fabiano, Cornelio (qui in eius locum successerat) insidias struxit: cúmque propter Decij persecutionem multi ab ecclesia desciuissent, iis se ille ducem præstitit, ne ad ecclesiam per pœnitentiam redirent. Fidelibus post baptismum nullum pœnitentiæ locum esse reliquum asseruit. Ab orthodoxis baptizatos, rebaptizauit. Secundas nuptias damnat. Sub Valeriano supplicio affectus est, secta latissimè propagata.

NOETVS Ephesius, vel Smyrnæus, sub Gallo imperatore, anno Christi 258, apud Ptolemaida Pentapoleos sectam suam professus est. Eam postea SABELLIVS Afer Pentapolitanus promouit & auxit. Patrem, filium & S.S. vnam hypostasin esse dicebant, quæ tria haberet nomina, & tres istos incarnatos & passos fuisse, Cuius sententiæ etiam fuit PRAXEAS & HERMOGENES, à quibus discipuli sunt cognominati. Patrem passum esse asserunt, & inde PATRIPASSIANI sunt appellati. Hermogenes corpus Christi in sole repositum esse asserebat: materiam (vt & Stoici) æternam fuisse, & malam indéque peccatum ortum: coniugium certum damnabat.

NEPOTIANI anno Christi 264, authorem habuerunt Nepotem quendam Ægyptiorum episcopum, qui in Chiliastarum errorem incidens, millenaria quædam annorum corporalibus deliciis in hac terra futuris decernebat, & in Arsenoite Ægypti parte virus hoc suum dispersit. Tandem à fratribus princeps eorum CORACION conuictus, pœnitentiam egit.

PAVLVS Samosatenus, anno Christi 262, Galieni 6, surrogatus in episcopatum Antiochenum Demetrio, septimo pòst anno Artemonis hæresin resuscitauit: homo valde superbus, vt se tanquam angelum coli præciperet. Hic Zenobiam reginam Iudaismo imbuit. Vnam esse personam Patris filij & S.S. asseruit. Christum non esse filium Dei in substantia, sed in ipso Deo: esse hominem iustum, Mariæ filium, ex profectu quodam diuinitatem consecutum: & sic omnes quoque pios filios Dei vocari. Deitatem & substantiam S. S. tollit. Circuncisionem docebat. i Psalmos qui in Christi honorem canerentur, sustulit: & quosdam de seipso in ecclesiis à mulierculis cantari instituit. Tandem in Antiochena synodo à Malchione presbytero conuictus & damnatus est, anno Christi 273.

MANES Persa, sub Probo Imp. anno Christi 276, dæmoniacus natura, & insanus fuit. Ex virgine natũ se, & in montibus educatum, aiebat. Præceptorem habuit Buddam, siue Terebinthum. Discipulos 12 vocauit. ex his tres, Thomam, Hermam & Addam Hierosolymam multo instructos auro, pro libris Biblicis comparandis misit. Ipse interim vt dogma suum propagaret, filium regis Persarũ curare se posse professus est. Verùm magica arte malè succedente, eum interfecit. In carcerem abripitur & multo auro redimitur. Pòst cùm in castello Arabione inter Mesopotamiam & Persiam degeret, à Persarum rege comprehensus, arundine viuus fuit excoriatus. Vetus testamentum reiicit, & Deum illius conui-

ciis lacessit.Duos enim ingenitos & æternos statuit,Deum lucem,& Materiam tenebras. Christum in phantasmate tantùm apparuisse. Semetipsum S. S. profitebatur. Mundum à Deo malo factum esse dicit, & prodigiosa multa fingit.Fatum inducit. Hominem non à Deo,sed à principe materiæ,quem Saclam nuncupat,factum esse. Coæternas Deo hominum animas, diuersa corpora per μετεμψύχωσιν subire. Elementa esse animata,& reliqua corpora omnia. Baptismum tollit.Eucharistiam cum semine humano sumere iubet. Sectatores ipsius dæmones colunt, elementa adorant: deos ethnicos inuocant. ab animatis abstinent. nuptias tollunt: vt si quis ducat vxorem, μετεμψυχώσει in corpus migret muliebre.Fœminæ conceptum,carcerem Dei appellant. Magistratus ciuiles à deo malo constitutos dicebat. bella quoque damnabant: & agriculturam, vtpote multorum homicidiorum ream, vituperabant. nam si quis plantasset arborem, aut vitem, ipso mortuo animam illius ramis alligari,neque transcendere illos posse. Magos & astrologos sectantur. Peccare se non posse aiunt. Animas suorum in lunæ globum recipi, & hinc plenilunia existere,quando impletur animis:decrescere autem, quando à luna minore veluti à scapha in solem deportantur. Paradisum vocant mundum: arbores eius, esse concupiscentias. Animas solas absque corporibus resurrecturas aiunt. Iudicium extremum tollunt: diem quo occisus est βῆμα vocant,& religiosè colunt.Arundinibus incubant. Latissima hæc hæresis propagata fuit, ita vt Augustinus quoque per annos nouem ab illis deceptus fuerit.In Græcia discipuli non Manetem(ἀπὸ τῆς μανίας) sed μαννιχέον (ἀπὸ τοῦ χέειν μάννα) appellabant.

HIERACITAE,ad Hierace, qui post Manetem in Leonto Ægypti fuit,homo doctissimus in Græcis & Ægyptiacis literis. A catholicis defecit,summa & vera abstinentia etiam vini præditus. Vnigeniti natiuitatem negat.Melchizedec putat S. S. esse. Nuptias omnino tollit:nec nisi propter maius peccatum euitandum,cõcessas fuisse.Animam solam,non corpus resurgere:infantes non saluari asserit. Eius asseclæ vtroque testamento vtuntur.Neminem suscipiunt,nisi virgo,vidua aut continens fuerit.Multi etiam animatis non vescuntur.

ARIVS Alexandrinus siue Libys, patre Ammonio, Antiochiæ vnà cum Eusebio Nicomediensi Lucianum martyrem audiuit. Inde presbyter illic creatus, inter presbyteros propter argutias dialecticas primas tenuit,propter vitæ simulatam modestiam & eloquẽtiam. Postea Alexãdriæ presbyter factus,sectam suam cœpit anno Domini 324, Constantini 15.Patrem solum inuisibilem Deum, colendum & adorandum: filium & S. S.dissimiles esse,ante alias creaturas à patre factum: neque Dei filium naturâ,sed adoptiuè,præ cæteris habere prærogatiuam. S. S.creaturam esse,à filio creatam.Sufficere baptismum in nomine filij. Cum Ario senssere multi:ita quidem,vt sub Constante expulsis catholicis,ecclesię arianis apertę fuerint.Valẽtinianus quoque primò Arianus fuit,sed à Theodosio in viam reductus est. Valens Arianismi defensor fuit acerrimus. itaque per totum orbem hæresis hæc disseminata fuit. Arius Constantinopoli dum se in Alexandri locum suffectum iri in episcopatu sperat, & magnifica pompa progreditur, dysenteria correptus, intestina profudit. Repressa fuit aliquantulum hæc hæresis post Synodi Nicenæ iudicium, cum Constantinus capitali supplicio Arianos libros comburi edixisset.

MELETIVS (à quo Meletiani) episcopus in Aegypto,quem Petrus Alexandrinus episcopus tum propter alias causas, tum quia in persecutionibus idolothytis sacrificasset,ab episcopatu deposuit. Is postea cum Arianis se coniunxit, eiusque sectatorum opera in accusandis catholicis & in insidias præcipitandis vsi sunt. Habent etiam Meletiani hoc peculiare, quòd indifferenter cum omnibus agant, orare cum catholicis nolint,corpus interdiu aqua mundent, cum plausu manuum & quadam saltatione hymnos concinant. Magnus Athanasius perpetuum cum illis bellum gessit.

EVSEBIVS, primùm Beryti, deinde Nicomediæ episcopus, frater Eusebij Cęsariensis,Ario fuit familiaris à prima adolescẽtia: vt cum quo à Luciano presbytero Antiocheno sacras literas didicerit. Moribus suis similem habuit THEOGONIVM Nicenum episcopum: apud quem cùm acta & subscriptiones Nicenæ synodi custodirentur,curauit sibi suã & Theogonoti reddi.Mortuo Alexandro,episcopatum Constantinopolitanum inuasit.Inde à Constantino multatus exilio,mox simulata pœnitentia reuocatus,& ab eo in honore habitus, maiores turbas quàm antè contra Athanasium excitauit: mortuus est sub Iulio Romano episcopo, cùm Sardicense concilium per Impp.Constantium & Constantem indictum esset. Hinc Eusebiani acerrimi propugnatores Arij dogmatum extiterunt. Confitentur Christum filium esse, non tamen naturale verbum,sed ratione tantùm,viribúsque intelligendi filium appellari.

ARIANI quoque fuêre,Menephontes Ephesinus, Athanasius Anazarbęus,Vrsacius Syngiddonæ superioris Mœsiæ, Valens Mursorum superioris Pannoniæ,Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis Aegypti, Theodorus Heracleæ, Narcissus Neropolis Cilicię secundę, Ischyras,Eulalius Antiochenus,Euphronius Antiochenus, Placitus, Leontius Spado,Acacius,Arrianus,Euzoius, Gregorius expulso Athanasio Alexãdrinus,Georgius Cappadox Alexãdrinus,Patrophilus Scythopolitanus, Theodotus Laodicensis,Marcus Arethusius Syriæ,episcopi. Item Quintianus Gazensis episcopus, Cecropius Nicomediæ episcopus, Epictetus Corinthius,Asterius Cappadox sophista primùm,deinde Christianus.

ARIANA hęresis suis ipsa viribus confecta fuit, ex simplici triplex facta,Asianorum,Aëtianorum seu Eunomianorum,& Macedoniorum.

MACEDONIVS, mortuo Alexandro Constantinopolitano episcopo,eíque suffecto Paulo, & à Constantio Imp. eiecto, episcopus sufficitur.Acerrimus primò Homousianorum hostis:mox verò Arianorũ quoque,quia filium patri quidem coessentialem esse negabat,tamen nec factum nec creaturam (vt Arrius)affirmare volebat.Spiritũ S.primus creaturam esse dixit,vnde & Pneumatomachus dictus est.Ab Arianis episcopatu deiectus prope Constantinopolim, apud Pylas priuatus moritur. Sectatores habuit plures,eloquentia insignes,quos etiam SEMIARIANOS vocabant,quasi ex dimidio tantùm Arianos: vt fuêre hi, Marathonius. Nicomediensis Eleusinus Cyzicenus,episcopi à Macedonio ordinati: Sophronius Pompeiopoli Paphlagoniæ, Eustathius Sebastæ in Armenia,episcopi.

DVLIANI,cœtus Arianorum inde dictus, quia Dei filium vnigenitum δοῦλον hoc est,seruum patris,per contumeliam appellabant.

NOVATIANI à Nouato quodam,Homousianorum fidem amplectebãtur:sed ecclesias proprias,& episcopos per successionem habebãt.AGELIVS episcopus eorum fuit Constantinopoli, iam inde à Constantini Magni temporibus,homo superstitiosè religiosus:qui sine pecuniis viuebat,nudis pedibus & simplici tunica simplicitatem Apostolicam præ se ferens,in defendẽdo alioqui dogmate suo inexercitatus. Nouatianos æquè ac Homousianos Macedonius persequebatur. Successit Agelio Marcianus,deinde Agesius.

LVCIFERIANI,à Lucifero episcopo Caralorum,ciuitatis Sardinię qui in Consilio Mediolanensi sub Constantio contra Athanasium subscribere nolens relegatus est.Posteà sub Iuliano reuersus, quia Antiochiæ episcopus ordinatus,quædam quæ Eusebio minus probarentur instituerat:ab Eusebio discedẽs,in Sardiniam reuersus est,& schismati potius quã hæresi Luciferianæ dedit originẽ.Augustinus dubitatiuè tribuit eis hãc opinionem,quòd anima ex transfusione generetur,& de carnis sit substantia. Alij Luciferum authorem faciunt Homonymianorum.Nihil certi de hac hæresi constat.

MARCELLIANI,à Marcello episcopo Ancyræ minoris Galatiæ, sub Constantio & Constante.Hic primùm cum Catholicis sensit.Mox cum Asterio Ariano pugnare instituens,& scrupulosius contendens, in Samosateni,siue(vt alij)Sabellij hæresim incidit. Sectatores habuit præcipuos Photinum(à quo Photiniani,& Paulianistæ dicti sunt) episcopum Syrmij ciuitatis Illyriæ,Eustathium,Hyginum diaconum, Heraclidem. Deum singulum esse & solitarium,non tres personas,sed vnam tantùm tribus nominib.appellari asserebant.Christum nudum esse hominem, neque ante secula genitum. Rationes ferè easdem cum Arianis habuerunt.

AVDÆANI seu ANTHROPOMORPHITÆ,ab Audęo Syro ex Mesopotamia, viro insignis pietatis & zeli:tempore Arij,& Synodi Nicenæ.In Ægypto orta & agitata est inter monachos hæc hæresis:Deum habere humanam formam,& membris inclusum esse aiunt. Cum catholicis non faciunt preces.Cum Iudæis pascha faciunt, eodem scilicet tempore. In reliqua vita piè degunt.Ad Gothos quoque hæc hæresis penetrauit.

DONATISTARVM hæresis anno Domini 331.in Africa à Donato Numida,qui schismate primùm se à Ceciliano episcopo Carthaginiensi separarat,indignatus quòd præter suum consensum episcopus ordinatus esset,mox hæresim quoque cœpit.MONTENSES etiam dicti sunt,& Montanistæ,item Donatiani.Latissimè vagata est.Filium patri consubstantialem minorem patre & filio Spiritum S. esse asserunt.Ecclesiam nullibi quàm in Africa apud suos esse.Sacramenta sancta tantùm esse,quando per sanctos homines dantur.Rebaptizant eos,qui à catholicis baptizati sunt:sine peccato se esse aiunt,ita vt etiam reliquorũ iustificatores sese iactẽt. Violentam mortem,quam vel sibiipsis sua manu inferunt,vel ab aliis sibi inferri curant,martyrium vocant.Prius autem sese saginant, vt voluptatib.satiati,mortem subeant. Eadem de CIRCVMCELLIONIBVS tradit Augustinus,quos Philaster CIRCVITORES vocat,eósque sub specie martyrium rapientium latrocinari scribit.Contra hos etiam leges ab Imperatoribus fuerunt constitutæ.

IOVINIANI hæresis sub Iouiniano Imperatore oritur,à Iouiniano quodam diuite,sed indocto,qui ex monacho clericus est factus. Sub Augustino repullulauit.Omnia peccata more Stoicorum paria esse dicit. Baptismo plena fide accepto non posse amplius hominem peccare, aut à diabolo subuerti.Mariam corruptam fuisse pariendo,coniugium & virginitatem deo sacram æqualis esse meriti docuit, nec aliquid prodesse ieiunia nec abstinentiam à cibis.August.hæres.82 ad Quod vult Deum. Citò autem oppressa & extincta est hæc hæresis,& paucos infecit.

APOLLINARISTÆ,ab Apollinari filio presbyteri eiusdem nominis:qui cùm Laodiceæ nimis familiariter cum Epiphanio sophista viueret, nec monente Georgio episcopo desisteret,communione ab eo priuatus, in hæresim incidit,sub Iuliano Imp.cùm in literis Græcorum esset versatissimus.Solum corpus,non etiam animam,à Domino in dispensatione susceptum: carnem tamen modò increatam & supercœlestem, modò Deitati consubstantialem esse:& loco hominis nostri interioris, mentẽ supercœlestem in Christo affuisse,& loco instrumenti cum circumferẽtia corporis vsum.Deum diuinitate sua passum esse.Verbum dixerunt in carnem,ossa,pilos & totum corpus transmutatum, & à propria natura immutatum.Carnem Saluatoris ex Maria,essentiæ ipsius Trinitatis fuisse.Ex natura esse peccatum.A resurrectione per mille annos eos ad legem & circumcisionem reuersuros esse.Cùm poeta esset,hymnos quosdam elegantes composuit.In Synodo Romana,sub Damaso Romano & Petro Alexandrino episcopis confutata fuit hæc hæresis, & in Synodo Constantinopolitana penitus abdicata.

MESSALIANI seu EVCHITÆ,hoc est,precatores,fruticatio quædã Phrygiani & Montani dogmatis.Enthusiastas quoque vocant,& Syriaco nomine Psallianos.In Oriente sub Valentiniani tempora fuerunt.Principes sectæ,Dadoes,Sabas,Adolphius, Hermas, Symeones,& alij, Plures esse deos dixerunt,nullos tamen præter Omnipotentem adorarunt.Cœnam Domini nec prodesse nec obesse cuiquam. Baptismum auferre priora peccata instar nouaculæ:nec prodesse cuiquam,nisi oratione prorsus excindantur, vt deinceps non sit opus ieiunio aut doctrina carnem refrenare,sed possit etiam coràm diuinam Trinitatem contemplari.Repentè & ex improuiso saltant,& super dæmones se saltasse iactant.Sagittarium more digitos extendunt,& dæmonas se conficere aiunt. Maximam diei partem orationi vacantes,dormiunt,& in somnis reuelationes se à Trinitate habere asserunt.Syria à Lytoio Melitenæ ecclesiæ pastore,& Amphylochio Lycaonio & Flauiano Antiocheno episcopo pulsi,in Pamphiliam concessere.

EVPHEMITÆ, Martyriani & Sataniani,addicti fuerunt Messalianis, in quibusdam tamen euariarunt.Græci tantùm haberi volebant,non Iudæi,nec Christiani.Mundo renunciabant, & facultates deserebant. Permixtim viri cùm mulieribus habitabant.Quæcunque ex ipsis interrogaueris,id se esse dicunt,prophetam,Christum,bestiam.Ieiunium ignorãt, orationibus indulgent:cùm famescunt, comedunt. Multi eorum ab Imperatoribus occisi:eapropter Martyrianos sese vocarunt.Multi cùm Satanam magnum & potentem esse scirent,ne quid mali illis inferret,eum colere cœperunt:inde SATANIANI dicti sunt, cum aliis nihilominus conuersantes.

ÆTIANI, ab Ætio Antiocheno Cœlesyriæ, aurifabro primùm, deinde sophistã, mox medico, qui Categoriis Aristotelis (si credere fas est) deceptus, in Arianismum lapsus est. Antiochiæ à Leontio diaconus ordinatus, propter acutos & inextricatos syllogismos Arianis suspectus factus, eiicitur.Cœpit eius secta, cùm Arius ab exilio reuocatus esset. Ei successit EVNOMIVS Cappadox,Cyzicenus episcopus sub Valente:qui communicata re cum EVDOXIO (qui mortuo Leontio per vim sese Antiocheno episcopatui ingessit) hæresim istam propagauit, & à se Eunomianos appellauit.Eosdem vocant quoque Anomianos,Troglodytas, Exucontios & Exaconitas. Deum se exactè cognoscere tanquam sensibile quid asserunt, non autem per solam fidem. Trinitatis tres diuersas esse substantias aiunt,vt auri,argenti,æris: filium à patre creatum,Spiritum S.à filio,filium ex non existentibus.Rebaptizant catholicos & Arianos.Ætius quibuslibet peccatis infectos,modò sibi crederent,saluandos esse pronunciabat.Baptizant tantùm in mortem Christi, & caput ad pectus vsque semel in aquam intingunt. Eunomius deinde ab Eudoxio, à quo Cyzicenæ ecclesiæ præfectus fuerat, iussu Imperatoris reiectus, quòd Ætium expulsum ipse non recepisset, ab Eudoxio quoque secessit. Eunomio deinde adhærentes ipsi quoque diuisi sunt. Inter eos THEOPHRONIVS quidam Cappadox,propter logicas disputationes reiectus fuit: similiter & EVTYCHIVS, quia pronunciarat filium scire iudicij diem, tanquam creaturam perfectissimam, ab Eunomio pulsus fuit Constantinopoli.Hinc Theophroniani& Eutychiani,in cęteris cum Eunomianis consentientes.

PNEVMATOMACHI,Eustathio & Macedonio authorib. à catholicis appellati sunt,quia Spiritum S.nec Deum appellari Eustathius volebat,nec creaturam audebat.Omnes denique eos qui S.S. quocunque modo blasphemabant,non deum,sed creaturam appellantes, hoc nomine appellabant,Arianos,Macedonianos & Eunomianos.

TROPICI dicti,qui S.S.angelorũ omnium principem esse contendunt, & tropis quibusdam sacræ Scripturæ locos exponere volunt.

ACACIANI, ab Acacio Cæsariensi episcopo,cum Ætianis sentiunt in cæteris.Filium patri similem secundum voluntatem tantùm, non autem secundum essentiam,prædicarunt: sed postea ad Arianismum penitùs relapsi,omnino dissimilem statuerunt. Tandem Constantinopoli ad meliorem mentem redierunt.

ÆRIANI Ariani,ab Ærio presbytero, dolente quòd in episcopatu Eustathius sibi prælatus esset.Filium aiunt diuersæ naturæ à patre, vt instrumentum ab opifice diuersum est. Spiritum S.esse diuersum,sicuti locus & tempus diuersa sunt ab illis qui his vtuntur. Vtque dictiones hæ, Ex quo, per quem,& in quo,inter se differunt:ita etiam personas Trinitatis. Nuptias damnant, abstinentiam vrgent. vnde etiam Encratiæ dicuntur.Pascha celebrare prohibent,quia Pascha nostrum immolatus sit Christus.

PRISCILLIANVS Hispanus,siue Galata, sub Gratiano & Valentiniano Imp.monstrum hæreticum ex Manichæorum & Gnosticorum insania conflatum. Anno Christi 383.Hispaniam,& Gallias inuasit.In Synodo Aquitanica apud Cæsaraugustam, absens damnatur. Sed mox in Hispaniam rediens,omnia turbauit.Tandem gladio plexus est cum sociis, Felicissimo, Armenio, Latroniano & Euchrocia. Eundem esse patrem dicebat,qui & Filius & S. S. A diabolo mundum esse factum. Corpus secundum duodecim cœli signa compositum, fato regi. Animas eiusdem cum Deo esse substantiæ. Coniuges disiungit, si alterutra pars dogmati suo non astipuletur. Carnes vt immundas escas deuitat. Simulare licere & mentiri tempore persecutionis, asserit: in corde veritatem retinendam esse:confessionem oris coram proximo tantùm, non coram alieno faciendam.Priscillianus ipse coram Euclio præfecto fassus est,se nocturnos turpium fœminarum conuentus egisse, nudúmque orare solitum. Pro hæretico damnatur Romæ à Damaso:& ad Maximum Imp.prouocans,capite plexus est. Mortui corpus in Hispanias asseclæ tulerunt. & qui prius vt sanctum, pòst vt martyrem colere cœperunt, ita vt nomen illius iuramentis religiosis interponerent.

DOROTHEVS Antiochenus episcopus, Arianus,cùm Constantinopoli inter Arianos quæstio esset orta:an Deus, antequam filius extitisset, pater vocari potuerit,patrem vocari non potuisse pronũciauit.Marinus econtrà(cuius episcopatum Dorotheus inuaserat)semper patrem vocatum asseruit,etiam filio nondum subsistẽte.Marino astipulabatur Theoctistus quidam psatyropola,à quo Psatyriani dicti sunt:& Gotthi etiam, quia Selenam Gotthorum episcopum secum sentientem haberent.

HELVIDIANI, ab Heluidio Auxentij discipulo,homine rustico & imperito,Mariam post natum Saluatorem Iosepho nupsisse dicunt. Hinc Antidicomarianitæ dicti sunt,& ab Epiphanio confutati.

COLLYRIDIANI,à placentis tortilibus(quas κολλυρίδας vocarunt)dicti, quas stato quodam anni die sellæ quadratę, expanso super ipsam linteo, Mariæ offerebant.Huic hæresi præcipuè mulieres in Thracia, Arabia & Scythia addictæ fuerunt.

MILVIVS quidam,quo tempore incertum,virginitatem extulit,coniugiũ damnauit.Teste Athanasio.

PATRICIANI,à Patricio quodam Romano,substantiam carnis humanę non à Deo,sed à diabolo conditam asserunt:eámque ita oderunt,vt quidam sibiipsis mortem inferant.Eius discipuli fuerunt, SYMMACHIANI, origine Pharisæi,qui tota lege obseruata,Christianos se dicunt: baptisma & circumcisionem seruant.Christum purum hominem asserunt, iudicium non sperant,secularibus concupiscentiis seruiendum prædicant, resurrectionem negãt.Alio nomine quoque NAZARENI dicti sunt, & inter Iudæos vocantur Minei.

ABELOITAS,rusticanam hæresim,in exigua quadam villa Hipponensis agri,suo tempore Augustinus extitisse,& euanuisse scribit.Ab Abelo Adami filio se vocabant:non miscebantur vxoribus,cum tamen sine vxorib.viuere secta eorum non permitteret.Continenter vnà viuebant, & puerum & puellam adoptabant ex vicinis,qui curam eorum gererent, & post mortem ipsi quoque similiter alios adoptarent.

PELAGIANI,à Pelagio,cognomento Britone,anno Christi 414.Honorij & Theodosij anno quinto:monachus,à catholicis defecit. Roma in Angliam profectus,totam eam insulam errore imbuit.Christum infantem sine peccato fuisse,quia eius caro ab omni peccati contagio pura fuerit,non excellentia singulari,sed natura,quæ omnib.inest.Adam etsi non peccasset,moriturum fuisse corpore,non merito culpæ, sed conditione naturæ.Animæ Christi reliquas paruulorum animas coæquant. Naturæ tantam libertatem esse asserunt,vt per solum liberum arbitrium possit assequi regnum Dei.Peccatum non propagatione,sed imitatione in alios homines transiisse. [redacted].Dei gratiam ad liberum arbitrium, & ad legis præcepta referunt.Negant Dei constitutionem humanas præuenire voluntates: & asserunt,Deum tantũ illos prædestinasse,quos dignos futuros electione,& de hac vita bono fine excessuros cognouerit.Electorum numerũ augeri & minui posse.Lege olim homines esse saluatos,studio & obseruatione virtutum.Fidem ex natura esse,incrementum eius à Deo. Charitatem item ex hominibus esse.Electos suos carere dicunt peccato:nec si velint,peccare posse:vt & Manichæi.Infantes extra baptismum habere vitam ęternam,& quamprimùm natos illuminari: eúmque omnibus hominibus esse necessariũ,quia homines innouet.Quæ præcibus à Deo impetrare videmur,ea per nosipsos præstare posse: quia gratiam suam Deus secundum merita distribuat.Concupiscentiam carnis ex Deo esse aiunt.Diuites baptizatos,nisi omnibus renuncient, non saluari. Socios erroris Pelagius habuit Cœlestium & Iulianum,Cœlestius Arianum diaconum Celedensem.Augustinus cum Alypio socio,errores horum confutarunt.Augustinus à quinque Conciliis Africanis Pelagium damnatũ scribit:item & à sexta Synodo Carthaginensi,anno Christi 419.Honorij x.Assensit Pelagio quoque Iustinus Minor.

ANASTASIVS Nestorij discipulus,presbyter Anthiochiæ,Mariam Deiparam negauit,quòd homo Deum parere nequeat:cupiditate decertãdi contra Leonem episcopum Romanum instinctus.

NESTORIVS ex Germaniciæ oppidulo ortus,& per fraudem Constantinopolitanus episcopus effectus,Anastasij errorem impudentius propagauit,anno Christi 429.Theodosij 5:Deitatem verbi ab assumpti hominis substantia separauit.Duos finxit Christos, vnum Deum, alterum hominem:& hominem deificatum,non autem verbum carnem factum. Diuinitatem & gratiam ei ex merito post natiuitatem datam, nec semper Deum fuisse.Magna pars Orientalium episcoporum cum eo sensit. Damnatus à synodo Ephesina & Chalcedonẽsi,sub Theodosio ad Thebæorum solitudines deportatur,ad oppidum Panos.Vermes linguã eius corroserunt,ipse tandem allisus humo periit.Zeno Imperator scholam Edessenam,quàm Persicam vocabant, quia Nestorij dogma doceret, funditùs euertit.

EVTYCHES Constantinopolitanus monachus,senex,impudens, anno Christi 450,Theodosij 24.Christum non esse perfectum hominem asseruit,sed ex duab.eum naturis ante coniunctionem extitisse:post eam verò ex vna tantùm.nec eandem nobiscum carnem habuisse, sed tantùm per Mariã trãsiisse,carne cœlitùs secũ desumpta,in qua diuinitas ipsa cruci affixa sit,& resurrexit.Sic Valentini & Apollinaris sectam renouare visus est.Sectatores habuit plures,eósque magni nominis. Post synodũ Ephesinam fugit Romam,anno 451.Inde in exilium pellitur: damnatus in tertia synodo magna Chalcedonensi.Eius hæresim propagauit Dioscorus, Alexandriæ episcopus.

ACEPHALORVM hæresis anno 460,Leonis altero,oritur,postquam Eutyches in Chalcedonensi synodo damnatus fuit. Doctrinæ illius vindices ita dicuntur,quòd quis eius factionis author extiterit, incertum sit. Vnam tantùm in Christo naturam statuebant,ex coniunctione carnis & deitatis:vnde μονοφυσῖται dicti sunt.Huius sectæ etiam Ioannes Grammaticus Philoponus,Aristotelis commentator,fuisse creditur.Sublata est anno 526.

ARMENII, suasu Ethanij cuiusdã, post Chalcedonensem synodum, secuti sunt Eutychem & Dioscorum. Susceptam à Christo carnem, in diuinitatem fuisse permutatam asserebant. In cœna panem Christi corpus esse negant, sed diuinitatis corpus esse dicunt. Cultu Iudaico boues & agnos immolant. In Pascha ne agnum comedunt: crucem abluunt, sacrificij sanguine inungunt. in medio eius clauum figunt in Christi nomine, vt ostendant, in Christo vnam diuinitatis personam crucifixam esse.

PRAEDESTINATORVM hæresis anno Christi 415. Honorij Imperatoris quinto oritur, ex libris Augustini malè intellectis: nec piè viuentibus bona opera ad salutem, nec impijs mala opera ad interitum conferre, nisi prædestinati fuerint.

VINCENTIVS Victor animam non ex nihilo, sed ex seipso Deum fecisse asseruit. Animam, non spiritum esse. Animam non ex traduce, sed ex flatu Dei esse. Eucharistiam pro iis qui non baptizati obierint, offerendam. Augustinus eum confutauit.

PATERNIANI, seu Venusiani, à Paterno quodam, Manichæum secuti, corpus inferius à diabolo, superius supra vmbilicum à Deo factum esse aiunt: nec aliud ab homine requiri, quàm vt animam, quæ in stomacho & capite habitet, mundam seruet: pubem, etsi omni impudicitia coinquinet, ad suam curam non pertinere.

ANASTASIVS Imperator nõ Trinitatem, sed Quaternitatem deinceps adorandam proposuit. Ob quod facinus fulmine percussus est.

ORIGENISTAE, sub Iustino, peccatis suis ponere finem negligunt: quia aliquando finem iudicia super se futura sperant. Origenes Ethnicorum & Manichæorum vizania simplicitati Apostolorum immiscuisse dicitur ab Euagrio lib. 4. cap. 38. Ab Hieronymo autem dicitur negasse S. S. esse substantiam: sed sanctificationem à Patre & Filio procedentem, hoc nomine appellari.

MONOTHELITAE anno Domini 565. sub Iustino Imp. emergunt. Negãt duas in Christo voluntates, humanam & diuinam, quia contrariæ videãtur. Assensit his quoque Heraclius Imp. anno 633. Contra hos (quorum princeps fuit Sergius præsul Constantinopolitanus) celebrata est sexta Constantinopolitana synodus vniuersalis, anno 685. [illegible]

CHILPERICVS rex Francorum, ex Arianorum furoribus occasionem sumens, voluit vt sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantùm Deus nominaretur. At nemine assentiente, hæresis ea sopita est.

EVTYCHIVS Constantinopolitanus episcopus corpora in resurrectione impalpabilia, & aere subtiliora fore asseruit. Sed Pelagius Rom. Pont. ad eum misit Gregorium, postea Magnum appellatum, qui in præsentia Tiberij Imp. Eutychium refutauit. Itaque anno Domini 581 hæresis sopita est, cùm Eutychius mortuus esset. Ab eo Eutychiani, qui in Christo fictam carnem, & in specie Christum esse passum, & naturam diuinã cum humana in vnam coalisse asseruerunt.

SADVCAEORVM hæresis, qui resurrectionem negant, à quodam presbytero Gallo renouata fuit: sed à Gregorio Turonensi sedata, vt ipse lib. 10. cap. 13. Hist. recitat.

THEODORVS Mesethenus aliud Verbum, aliud Christum esse asseruit, & Mariam non esse Dei genitricem.

AGNOITAE diuinam sapientiam in Christo quædam ignorasse asserunt. Seueritatem etiam ista propagauit.

SEVERITAE, à Seuero Antiocheno episcopo, qui tres deos statuebat. Diuisi rursus in quinque sectas, in Contobabditas à loco, qui etiam episcopos repudiabant: in Theodosianos, à Theodosio episcopo Alexandrino: in Angelitas, ab Angeliis loco Alexandriæ: & Damianistas, à Damiano antesignano: in Petritas, à Petro episcopo: & in Cononitas.

APHTHARTODOCITAE creatum quidem Domini corpus, sed idem ab ipsa conceptione incorruptibile esse aiunt. Propago est Iuliani Halicarnassei, à quo tanquam ex equo Troiano Tritheitæ, Agnoetæ, Theopaschitæ, Iacobitæ & Seueritæ prodierunt.

MONOPHYSITAE, Eutychianorum propago, opposita Nestorianis. Eius patroni fuere IACOBVS & IO. PHILOPONVS Grammaticus: qui à Sergio episcopo Cõstantinopolitano instigatus, scripsit libros plures contra quartam Synodum, & Tritheitarum dux fuit. Aiunt, duas in Christo naturas vnitas, non duas remansisse, sed vnam esse effectam. Horum veluti propagines sunt THEOPASCHITAE, qui diuinitatem passam asserunt: & CHAZINZARII, siue STAVROLATRAE: nam Chazus apud ipsos crux est. Duas in Christo distinctas naturas, vt nos, asserunt esse: duas insuper personas, & in cruce alteram passam, alteram seorsim passionis spectatricem fuisse. Crucem venerantur & adorant.

FELICIANI, à Felice Vrgelitano episcopo in Hispania, anno 792. Iesum Christum adoptiuum & nuncupatiuum Dei filium esse aiunt, secundum naturam humanam: secundũ diuinam verò, verum. Et sic vnam personam in duas diuidebant. Præterea ex tribus substantiis filium Dei cõpositum aiebant, ex verbo, carne & anima.

ICONOLATRAE octauo post Christum seculo cœperunt. Contra quos pauci quidam, maximè verò Carolus Magnus Imp. pugnauit, re simul & scriptis.

In GALLIA quidam circa annum Christi 593. religionis habitu Christum se esse dicebat, & pro Christo se adorari iubebat: nolentes se adorare cum populo, qui ei multus adhærebat, trucidabat. Mox à quodam fideli occisus est, eiusque sectatores dispersi. Sigebertus in Chron.

ALOGII hæretici, verbum negabant esse Deum, spreta Ioannis Apocalypsi.

ADAMIANI, exemplo Adam nudi, ac sine vllis vestibus dẽgebant, eóque modo cum fœminis versabantur: asserentes illud in vita melius putandum esse, quod ad naturam magis accederet. Crinitus capite sexto, lib. 16.

AQVARII fuerunt hæretici quidam, qui solam aquam offerebant in calice sacramenti.

CONSTANTINVS Imperator à Paulo Cõstantinopolitano deceptus, exposuit typum contra fidem catholicã, nec vnã nec duas voluntates aut operationes in Christo definiens esse confitendas: quasi nihil velle, vel operari credendus sit Christus. & ob hoc Marcianus pontifex max. congregata Romæ synodo damnauit hæreticos, Anno Christi 652. Sigebertus in Chron.

FELICIANA hæresis condemnata est anno 793 in præsentia Hadriani pontificis, ipsóque Felice auctore abdicata. Asserebat autem, filiũ Dei in diuina natura verum Deum esse, in humana verò natura nuncupatiuum. Item in diuina natura verum esse filium Dei, in humana verò adoptiuum: vnum personam Dei & hominis diu dens in duas personas, scilicet veri filij & adoptiui. Sigebertus in Chron.

BERENGARIVS Turonensis Franciam turbauit anno Domini 1051. sua doctrina, erronea & plane impia. Asserebat enim, Eucharistiam quam sumimus non esse reuera corpus & sanguinem Christi, sed figurã corporis & sanguinis Christi. Vnde contra eum multum à multis, & verbis & scriptis disputatum est. Inter cæteros etiam abbas de cruce sancti Leufredi contra eum de corpore & sanguine Christi elegantem edidit librum.

HEMEROBAPTISTAE apud Iudæos vocati sunt hæretici, qui seipsos & sua vestimenta quotidie abluebant: author Crinitus.

[illegible]

TEMPLAVII hæretici emerserunt anno post Imperium Augusti 1030. Hierosolymis in tantam sanctitatis opinionem venerunt, vt breui tempore multas diuitias ac templa sibi comparauerint, à quibus Templarij dicti sunt, quòd frequentes & assidui versarentur in templis. Idem Christi sacris impudentissimè abdicatis, in quedam flagitia diuerterunt. Confluerũt enim simulachrum quoddam auro artificio, cui hominis cutem superinduxerunt, collocatis in fronte binis carbunculis, oculorum vice promicantibus. Hoc autem loco numinis reuerebantur. Morientium cadauera resoluta in cineres, cæteris dabant in potum, vt in ea secta firmiores essent. Natum ex Templarij virginisque coniugio torrebant igne, simul ex humore deliquato suum perungebant simulachrum. Nefanda masculorum libidine conflagrabant. Damnati sunt in Viennensi concilio, & deuoti flammis, sententia Clementis pont max. qui Benedicto successit.

ALMERICVS hæreticus dicebat, Ideas in mente diuina creare, & creari. Hunc Innocentius III. cremari iussit Lutetiæ. Volaterranus.

BARBARA Sigismundi Imperatoris coniunx, stultas vocabat virgines pro Christi nomine pallas, quòd voluptatis gaudia non gustarent. Dicebat animas cum corporibus interire, nec futuram aliam vitam post hanc quam viuimus. Ranisius.

REMIS à pontifice Eugenio II. Calendis Aprilis concilium celebratum est anno 1148 in quo hæreticus quidam Britannus damnatus est. Qui non prophetam vel magum quemlibet, sed (nomini suo alludens, Eon enim dicebatur) Eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem, se esse dicebat: & de suis quosdam qui dem angelos, alios autem apostolos faciebat, & propriis angelorum seu apostolorum nominibus appellabat. Qui in concilio damnatus, sub custodia Remensis episcopi non multo pòst defunctus, vita pariter & memoria caruit. Robertus abbas in Chronicis.

MAGI.

Magiæ vocabulum, vt & Sophistarum & Rhetorum, honorificum olim fuit, quoniam summam sapientiæ humanæ perfectionem denotabat: postea verò improborum hominum cupiditatibus plane odiosum esse cœpit, qui non contenti ea sapientia quam spiritus sanctus mentibus piorũ instillat, curiosa sectantes, pro bonis angelis cacodæmones ductores sortiti sunt, tam temeraria impietate, vt relicto summi boni fonte Deo opt. max. dæmonibus sacra facere non erubuerint. Magi certè Christum adorarunt, suisque muneribus prosecuti sunt, non dæmonum, sed veri Dei cultores. & Abraham ex concubinis apud Brachmanas posteri. Nam cùm Christus diaboli testimonium in dæmoniacis, quos sanauit, repudiauerit: neque istorum etiam dona, si improbi magi fuissent, suscipere dignatus fuisset. De bonis ergo magis nos hic nihil, sed sub titulo Sapientum: at verò de malis, præsens erit locus: qui diabolum venerantur atque colunt, vt vel ambitioni, vel auariciæ suæ consulant. Quorum variæ sunt species

species & differentiæ, non nostri nunc instituti. De quib. Plin. lib. 30. cap. 2. Quo quidem in loco verorum magorum veluti simias constituere videtur veneficos: sic dictos, quòd venena (φαρμακα Græcis dicta. Quo nomine, omnia medicamentorum simul & venenorum genera comprehendunt) tractent, neque tam intelligentiarum commercio quàm naturalium rerum occultis virib. miranda quædam præstent. Qui magnetis vel succini vires ignorant, magicum quid esse suspicabantur. Sic medici olim venefici habiti sunt, propter occultas adhuc accuratæ medicinæ Æsclepiadum traditiones. Mox cùm improbi quidam homines salutaribus remediis ad perniciem aliorum vterentur factum est vt veneficos appellarint eos, qui in venenis, perniciosis propriè dictis, exhibendis occuparentur: de quibus infrà sub loco Iniustitiæ Ethicæ agemus.

Magica ars olim in magno precio fuit habita, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa, in se vnam redegit: medicinam videlicet, religionem, & astrologiam. Eam autem videtur triplicem facere: Persicam, Iudaicam & Græcam. Persicæ authorem esse ZOROASTREM, qui sex millibus annorum ante Platonem floruerit, præceptore vsus AGONACE, qui 5000. annis ante bellum Troianum vixerit, & vicies centum millia versuum de Magia scripserit. Ex ista familia fuêre APVSCORVS & ZARATVS Medi, MARMARIDVS Babylonius, HIPPOCVS Arabs, ZARMOCENIDAS Assyrius: quorum nulla extant monumenta. Iudaica, à MOSE & IOCABELA Iudæis pendet: sed multis millibus annorum post Zoroastrem. Græca illa vetus fortassis per fabulas CIRCES, PROTEI & SIRENVM fuit ab Homero enarrata. Recentior autem (quam Cypriam vocant) inuecta est in Græciam ab HOSTANE Persa, qui Xerxem in Græciam comitatus est, & veluti semina artis portentosæ vndique sparsit, ita vt præstantissimi postea philosophi exilia verius quàm peregrinationes susceperint, Democritus, Plato, Pythagoras, Empedocles, magiæ perdiscendæ ergò. Inde HOSTANES secundus Alexandri Magni comes, artem eam illustrauit. In vniuersum deinde orbem magiæ scientiam inuectum est. Apud Romanos magicis sacris homo immolabatur. Galli similiter sacerdotes suos DRVIDAS habebant: BRITANNI denique in hac superstitione tam insignes fuêre, vt Persis dedisse videri possint. Plinius lib. 30. cap. 1.

CHAMVS, filius Noachi, artibus magicis claruit, vnde Zoroastres dictus fuit. Cum autem à patre parum amaretur, ebrium magico carmine Veneris impotentem fecit. Berosus.

IANNES atque MAMBRES Ægyptij magi, coram Pharaone (qui Cenchrees Ægyptius rex fuit) diuinum numen, quo Moyses vtebatur, prodigiorum magnitudine ausi lacessere, vt virgæ, quas habebant, serpentes viderentur, atque vt aqua cruentaretur, nascerentúrque ranæ, fecerunt. Fulgos. lib. 8. cap. 11. ex cap. 7. Exodi.

ZOROASTRES Bactrianorum rex primus, dicitur artes magicas inuenisse, & de iis centum millia versuum scripsisse, quæ Hermippus Commentariis explicauit, teste Iustino lib 1. Volater. lib. 20. cap. 4. Oros. lib. 1. cap. 4. Phrisingensi lib. 1. cap. 6. Is autem (vt in Clementis Itinerario legimus) volens videri deus, & astris multum intentus, velut scintillas quasdam ex stellis eliciebat, vt rudes in stuporem miraculi traherentur. Tandem ab ipso dæmone, quem importunius frequentabat, succensus est splendido discipulorum commento, tanquam amicus Dei, vehiculo fulminis ad cœlum leuatus abiisset. Quamobrem nomen post mortem fortitus est, Zoroastres, quasi viuês astrum. Vixit Nini regis temporibus, cum quo bella gessit. Prædixit moriens Assyriis, si cineres suos seruarẽt, regnum eorum non interiturum. Suidas. Præceptorem in ea vanitate habuit AGONACEM, qui aliquot annorum millibus floruit ante bellum Troianum. Nam si vera est Cosmographorum supputatio, Troia capta est annis 4020. post mundi creationem. Ranisius.

CIRCE Solis & Persæ nymphæ filia, quum veneficia esset peritissima poetarum fabulis dicta est commutasse socios Vlyssis in porcos. Habitauit autem non procul à Caieta, Campaniæ vrbe.

MEDEA filia Æetæ regis Colchorum & Ipseæ, soror Circes, multarum herbarum ac radicum vires inuenit, eámque artem didicit à sorore, & adeò exercuit, vt tauros flammam faucib. eructãtes, draconémque perui gilem aurei velleris custodem sopiuerit, ne rapturo vellus ipsum Iasoni incommodarent. Quo beneficio permotus Iason, eam sibi copulauit vxorem. Vbi autem ambo in Thessaliam peruenerunt, Medea Æsonem patrem Iasonis iam senio confectum, suis artibus reduxit ad iuuentutem. Nihilominus Iason obsequij oblitus, eam postea repudiauit, & Creusam filiam Creontis regis Corinthiorum superinduxit. Qua ingratitudine permota Medea, nouæ nuptæ, dissimulato odio, palam venenis infectam muneri misit. quam quum illa induisset, subitò flagrauit incendio, pariqueexitio perierunt Creon & eius regia. Quo facto Medea filios ex Iasone susceptos laniauit palàm: demum à draconibus in aerem subleuata Athenas deuolauit, ibique iterum nupsit Ægeo, cuius filium Theseum potauit Cerberi spuma: ac demum nubes carminibus excitauit, quibus cum Medo filio (quem ex Ægeo susceperat) inuoluta peruolauit in Asiam. Hæc sunt notissima omnium Medeæ veneficia. Ouid. lib. 7.

THRACIA nympha saga & fascinatrix, propter peritiam herbarum & veneficiorum habita est loco numinis apud Thraces, quorum etiam regioni dedit nomen.

Ægyptij crediderunt AMPHIONA Thebanum magicæ artis peritum fuisse: ac propterea factam esse fabulam, de arboribus auritisque scopulis eius cantui obtemperantibus.

COBARES natione Medus, magicæ artis professione celeber habitus est, quo tempore Alexander bellum mouebat in Bactrianos. Curtius lib. 6.

DARDANVS è Phœnicia magus insignis, sicuti etiam APOLLONICAS Captidenes. Dardani libros è sepulchro erutos Democritus commentariis illustrauit, circa bellum Peloponnesiacum, & nouos quosdam ex eorundem disciplina edidit. Plin. lib. 30, cap. 1. Ab eo Dardanæ artes dicuntur. Vnde Columella:

At si nulla valet medicina repellere morbum,
Dardaniæ veniunt artes.

PYTHAGORAS, aquilam quibusdam vocibus exeãtans, supernè volantem deducere, mansuefacere, & semel aureum subinde ostendere potuit, dum in Olympiis per celebritatem transitum faceret: taliáque monstrosa eius facta nunciantur, contra quæ scripsit Timon Phliasius. Plu. in vita Numæ.

GOBRIAS magus, à quo Socrates multa didicit de pœnis animarum, & beatitudine. Idem dicebat, mortalium animas in occultiorem locum sub terram demigrare, in quo Iunonis esset regia. Crinitus capite 11. libro 5.

ANTISTHENES Atheniensis Socratis discipulus, & præceptor Diogenis, scripsit de Arte magica libros, teste Volaterrano lib. 13, cap. 3. Anthrop.

ONOMACRITVS sortilegus fuit apud Athenienses, & Musæi socius, quẽ Hipparchus Athenis expulit. Herodot. in Polyhymnia.

PASETES suis incantamentis faciebat, vt repentè comuium omnibus epulis instructissimum appareret. Rursus quum volebat, omnia iubebat euanescere. Quum quid emebat, precium & nummus redibat à venditore ad emptorem. Vnde prouerbium, Pasetis semiobolus. Erasmus.

MARSI populi Italiæ, à Circes filio Marso oriundi, herbarum vires & veneficia apprimè calluerunt. Syllius. lib. 8.

-Ac Marsica pubes,
Et bellare manu, & chelydrus cantare soporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem, &c.

Gellius lib. 16. cap. 11.

PSYLLI populi in Africa, Nasamonib. contermini, quorum terra quum Austri flatu exaruisset, collecto exercitu sumptisque armis, in Austrum ipsum, perinde ac hostem, profecti sunt. Contrà verò ventus magno spiritu occurrens, eos omnes arenarum cumulis obruit. Quod priusquam accidisset, ferunt eos eadem vti & potentia in veneficiis præditos fuisse, qua & Marsos. Plin. lib. 7. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, & cuius odore sopirent eas.

CHOATRAE populi (quos Plinius circa Maeotim locat) fuerunt incantatores maximi. Vide Val. Flac. lib. 7. Argon.

Centoras, & diros magico terrore Choatras.

NEVRI populi Scythiæ, incantatores maximi, vt qui ex hominibus in lupos se verterent. Herodotus.

In AFRICA reperiuntur familiæ, quæ sola voce efficiant, si quid impensius laudauerint. Hinc etiam apud nos consuetudo inoleuit (quod Arist. 20. sect. Problem. 34 testatur) vt aliquid laudaturi, præfemur, ne verba nostra nobis obsint, vt Deus id conferret. Gellius lib. 9 cap. 4.

EPHESII habebant notulas quasdam, & voces magicas, quibus vtentes, in omni negocio victores euadebant. Hinc adagium, Ephesiis vti liberis. Ranisius.

Crates Pergamenus apud Plinium testis est, OPHIOGENES populos esse in Hellesponto, serpentum ictus contactu leuare solitos, & manu impositavenena extrahere corpori. Exagonvs legatus Ophiogenum (qui populi sunt in Cypro) quũ Romam veniisset, ibique de herbarum viribus multa dissereret, volens coniectus est à consulibus in dolium plenum serpentibus experimenti causa, vbi serpentes ipsi non solùm non eum mordebant, sed etiam demulcebant linguis. Plin. lib. 28.

NYMA Pompilius, vocatis conuiuis innumeris, magica arte effecit, vt omnifaria repentè fercula præstò essent, mensæque spectarentur omni apparatu conuiuali instructissimæ. Guido Bituricen.

ACCIVS NAVIVS Tarquinio Prisco rege, & multis aliis præsentibus cotem nouacula diuidere sua incantatione potuit, Cicero lib. 1. de Diuinatione, & Plin. capite 6. de Viris illustribus: & Volater. libro 13. capite 3. Anthrop.

VMBRO fuit sacerdos, è gente Marrubiorum prope Fucinum lacum habitantium, adeò peritus veneficij & herbarum potens, vt hydros sopiret, & innocuos serpentes tractaret manibus. Verg. lib. 7.

De MOERI venefico Vergilius in Bucolicis sic ait:

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,

Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto:
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe imis animas excire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Apud Valerium Flaccum, CHOASTES nomen est venefici, vbi ait:
Maximus hos inter Stygia venit arte Choastes.

HARCALO veneficus fuit, qui leones impunè attrectabat manibus. Syllius libr. I.
Harcalo non pauidus fœtas mulcere leænas.

Apud eundem ATYR nomen est incantatoris, qui serpentes solo tactu sopibat, de quo sic ait:

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactúque graues sopire chelydros,
Ac dubiam admoto sobolem explorare ceraste.

APPION Grammaticus cynocephalæa herba (quæ in Ægypto Osirites vocatur, & contra omnia veneficia pollet: ille tamen qui eam eruerit, moritur) vmbras Homeri euocauit, vt sciret, qua patria quibúsque parētibus genitus esset: non tamen ausus fuit profiteri, quid sibi respondisset. Plin. lib. 30, cap. 2.

THRASYLLVS insignis magus, qui ob eius artis peritiam, apud Tiberium Cæsarem in maxima fuit dignatione. Dion in Tiberio. Vide tit. Astrologorum.

TRIDATES rex Armeniæ, magus, Neronem etiam cœnis magicis initiauit, adeò vt maior citharæ, aut cantus libido non ei fuerit, quàm eius artis: neque tamen eam illi communicare potuit: Plin. lib. 30. cap. 7.

THESPHETION, Gymnosophistarum in Æthiopia dux, præcepit arbori vlmo, vt Apollonium salutaret. Illa salutauit, distincta quidem voce, sed fœminea. Philostratus in vita Apollonij, & Volater. libr. 13, cap. 8. Anthr.

IARCHAS Indorum sapientum princeps, diuinitus Apollonio nomen eius, parentes, mores, & quæcunque ipsi contigerant, dixit, perinde ac si omnibus interfuisset. Philostratus in vita Apollonij, & Volater. lib. 13, cap. 4. Anthrop.

Omnia alia Magorum præstigia, de quibus scriptum est, superata sunt ab iis quæ APOLLONIVS Tyanæus gessit. Nam præterquam quòd plurima prædixit futura, quæ ita vt prædixit euenerunt, cæcos, claudos, atque ab immundis spiritibus vexatos sanauit. Ephesum quoque vrbem, graui peste laborantem liberauit, ostenso eis mendico sene, quem à populo lapidari iussit: qui postea lapidum congerie detracta, canis effigiē habere inuētus est: quem ipse dæmonem esse affirmauit. Postremò autem cùm in palatio publicè custodiretur, apud Domitianum accusatus, ab eius conspectu euanuit: atque Puteolis eo die inuentus est, quo comitem suum præmiserat, atque vt illic se expectaret mandârat. Hic etiā, imperante Nerone, cùm in Tiglini manu libellus esset, in quo eius accusatio continebatur, prodigiosè effecit, vt apertus liber, nulla in parte scriptus inueniretur. Non minora etiam perfectæ illius artis signa fuerunt, quæ idem Apollonius, in India apud philosophos Brachmanes se vidisse asserebat, quos arbitratu suo pluuias inducere, & serenitates aiebat: conuiuia quoque vasis epulísque apparatissima struere, id quod in sua præsentia ab eis factum affirmabat, cùm tamen qui apparando conuiuio, ferendis mutandísque ferculis ministrarent, nulli conspicerentur: quin etiam terram ipsorum arbitrio ingēti motu tremere, aiebat. Idem quoque vidisse se Gymnosophistas in Æthiopia affirmabat, qui arbores vt ad humum se inclinarent, loquerentúrque, efficerent. Fulgos. libr. 8. cap. 11. Philostratus in eius vita. & Volat. lib. 13, cap. 4.

IDEM veniens ad tumulum Achillis, obtestatus est Achillis manes, vt sibi antiquam suam imaginem demonstrarent. Leuiter itaque tumulus intremuit. Mox iuuenis quidam apparuit, primò statura cubitorū quinque, paulo pòst duodecim, pulchrior quàm dici possit. Interrogauit autem quædam friuola. Videns ergo adolescentem nimium lasciuientem, cognouit eum à dæmone occupatum esse. Compulit itaque dæmonem corpus eius relinquere. Quo discedente, in rei huius signum statua quędam proxima cecidit. Philostratus in vita Apollonij Tyanæi.

MENIPPVS Demetrij Cynici discipulus, adolescens formosissimus, cùm Corintho Cenchræas proficisceretur, obuiam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ, speciosæ & diuitis quæ aiebat se esse amore illius accensam. Inuitauit ergo eum, vt domi suæ diuerteret. Ille amore captus, sæpe illic se illi commiscuit, ac de ineundo matrimonio cogitabat. Habebat domum regio ornatu apparatam. APOLLONIVS cùm in ea domo singula considerauisset, exclamauit illam esse ex numero Lamiarum, quas aliqui Laruas, alij Lemures appellant. Philostratus apud Volat. in vita Appollonij.

ARNVPHIS magus Ægyptius, in eo bello quod Romani cum Quadis gesserunt, cùm fieret acerrimus conflictus, atque victoria in vtramque ex æquo partem nutare videretur: Mercurium illum qui est in aere, aliósque dæmonas, quibusdam artibus magicis inuocauit: & impetrata ab his horrēda pluuia, Quados deterruit, atque Romanis victoriam peperit. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Antonini philosophi, & Suidas. Nonnulli hoc Iuliano Chaldæo tribuunt.

IVLIANVS Chaldæus, vocatus Theurgus, filius Iuliani Philosophi illius, qui scripsit de Dæmonibus lib. 4. floruit sub M. Antonino: scripsit Theurgica, Τελεστικὰ λόγια. Hunc memorant quidam laboranti siti Romanorum exercitu, sub M. Antonino contra Marcomannos prouocasse nubes, vnde imbres statim decidere. Alij verò hoc ad Arnuphum sacerdotem Ægyptium referunt. Suidas.

SEMPRONIVS Rufus, natione Iberus, veneficus erat & præstigiator insignis: quo nomine etiam à Seuero Imperatore in insulam deportatus, deinceps verò ab Antonino eius filio reuocatus est. Dion Nicæus & Xiphilinus in Antonino.

CETIEVS magus fuit, cuius augurio Bocrebista rex Getarū Romanos vicit. Rauis.

SIMON Samaritanus (quemadmodum Ambrosius in Hexamerone, atque Clemens pontifex in Itinerario testantur) præter eius artis mira permulta, quibus cum apostolo Petro contendit: dum vt aliud pro alio appareret, persæpè effecit, pennis per sublime haud paruum spacium in volantis speciem vectus est. Fulgos. lib. 8. cap. 11. Itaque magicis artibus & ope dæmonum suffultus, egregiè adeò Romanos lusit & fascinauit, vt plerisque fecerit se numen, meruerítque inter duos pontes statuam, hoc titulo: SIMONI DEO SANCTO. Vide plura de eo sub titulo Incredulitatis.

MENANDER magus, Simoni mago successit, ipse quoque genere Samarita: neque solùm eius expressit impietatem, sed longè superans, maioribus portentis efferebatur, sese seruatorem dictitans ex Olympo ad hominum salutem demissum. Docebatque nullo pacto angelos ab hominibus vinci aut cogi posse, quàm artis Magicæ disciplina, & baptismo, ab eo traditis: ex quibus immortalitatem humano generi prouenire asserebat. Quæ omnia ex libris Irenæi refert Eusebius libro 3. Vide Catalogum Hæreticorum.

CYNOPS magus fuit, qui Ioanni resistens, fingebat se suscitare mortuos, & dæmonibus colloqui, in Pathmo insula, quæ est vna ex Sporadibus. Rauisius.

BARRIEVS Elymas, in Cypro à Paulo cæcus redditus, quòd Paulum proconsulem à fide auertere conaretur.

HERMOGENES magus, & PHILETES eius discipulus. Historiam vide infrà sub titulo Incredulitatis.

CARPOCRATES, princeps hæreticorum qui Gnostici dicūtur, vocabulo à scientia conficto, præstigia Simonis magi non vt ille clàm, sed palàm tradebat, deque his doceri omnem hominem oportere dictitabat. Eusebius in sua historia. Vide Catalogum Hæreticorum.

ARPHAXAT & ZAROES magi, se pro diis venditarunt in Naddauer vrbe Æthiopiæ, fictis miraculis clari. Duos dracones in vrbe circūducebant. Eos Matthæum apostolum sopiisse, & vrbe excedere iussisse, tradit Abdias.

CAMBYSES & ZAMRES magi. Historiam vide sub titulo Incredulitatis.

Madaurensis APVLEIVS non aliam ob causam fingitur commutatus in asinum, quàm ob magicarum vanitatum peritiam. Rauisius.

CYPRIANVS magus D. Iustinam virginem Aglaio amatori frustrà conciliare nititur. Vide tit. Mulierum quæ diaboli tentationes fortiter tulerunt.

BAIANVS filius Simeonis, qui Bulgaribus dominabatur, in arte Magica adeò valebat, vt quoties vellet, lupus, vel quælibet fera fieri videretur. Sigebertus in Chron.

CRACA mulier, THOR, & OTHINVS, nomina sunt magorum apud Saxonem. Quorum illa (vt ait) appositas dapes in aliarum rerum formam commutabat: hi ludificatis idiotarū mentibus, diuinitatis fastigium sibi arrogabant. Rauis.

ITALÆ quædam mulieres, oblatis cibis quibusdam, humanas mentes ita perstringebant, vt illis ea quæ non erant, esse viderentur. Hoc à Præstantio se audiuisse, D. Augustinus scriptum reliquit. Narrasse enim Præstantium dicit, ipsius patrem, eiusmodi maleficis cibis, per has mulieres fortè correptum, statim graui somno indormiuisse: ac post multos dies, quorum spacio expergisci nullis remediis vnquam potuerat, narrasse se per id tempus equi habuisse speciem, ac semper frumēta tulisse: addebat etiam portandi tempus, locúmque, & quomodo tulisset. Quarum rerum cùm postea veritas inquireretur, aiebat inuentū esse, quòd equus, eius speciei, qua Præstantij pater dixerat, eo tempore, eo loco, frumenta eis tulerat, quibus ille dicebat. Res profectò mira, fœminas tantum magica arte, datis cibis potuisse, vt alteri in somniis, alteri in vigilia, id vt videretur, agerent, quod proculdubio nullo modo erat. Vnde meo quidem iudicio, in iis quæ de Strigibus mulieribus dicuntur, haud aliud esse dixerim, quàm fantasticum magarum somnium, quanquam ipsis aliter esse videatur. Fortasse etiam iis dissimiles non fuerunt, quæ à Circe fieri dicebantur, transformationes: etsi allegorici sensus eis aliam præbeant rationem. Idem in PVELLA Ægyptia ostensum fuit, cum parentes in equam mutatam, ad diuum Hilarionem duxissent, quam is breui in pristinam humanam speciem restituit. Cui etiam similis dici potest fuisse IVVENIS ille, qui per magas fœminas in Asinam conuersus videbatur: de quo cùm coram Leone pontifice Petrus Damianus accuratè disputasset, magicæ artis effectum, & non figmentum esse asseruit. Fulgos. libro octauo cap 11.

ÆGYPTIVS magus, Gallicæ seditionis author. Vide tit. Seditionum.

SARACENVS quidam magus thesaurum inuenit. Vide tit. Thesauri inuenti.

HENRICVS Cornelius Agrippa Nettesheymensis, cùm magicis superstitionibus deditus esset, & cacodæmona secum canis specie circūduceret, qui collare magicis quibusdam emblematis conspicuum gerebat: Lugduni in obscura taberna animam agens, collari canem liberauit, cum his verbis: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti. Ille precipiti cursu in vicinum Ararim se demersit, nec vspiam postea comparuit. Agrippa paulo pòst viuis excessit. Iouius in Elogiis.

MAGIAE STVDIOSI.

ÆGYPTII regios pueros pręcipuè magicis artib. instituebant, quos PERSAE etiam fuerant imitati. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

NERO Imp. ad insaniam vsque magiæ studio tenebatur. A Tyridate mago magicis cœnis initiatus fuit. Non tamen, cùm regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Plin. lib. 30. cap. 2.

DIDIVS Iulianus, Saluij Iuliani Iurecos. pronepos, cùm post mortē Pertinacis, ipse à senatu Romę, Seuerus ab exercitu in Syria, Pescēnius Niger in Illyrico, & Clodius Albinus in Gallia Imperatores appellati essent, nec Iulianus Seuero resistere posset, frustra ad magicas artes, adhibito puero qui in speculo futura intueretur, confugit. vt est apud Capitolinum, Spartianum & Volater. lib. 23. Anthrop.

ANTONINVS Heliogabalus arte magica ac suis incantationibus cùm aliorum multorum, tum potissimùm Seueri parētis sui atque Commodi animas ab inferis reuocauit, qui futura ei prędicerent. Dion & Xiphilinus in Antonino.

IDEM magicis artibus atque pręstigiatoribus ita delectabatur, vt Apolonium Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus, laude & honore affecerit, eíque monumentum faciendum curarit, eo quòd pręstigiator summus fuisset. Dion & Xiphilinus.

IVLIANVS Imp. apostata magicis superstitionib. plurimum fuit deditus. Eius rei indicium fuit, quòd post illius mortem Antiochię multa corpora iugulatorum hominum in cistis, in puteis & cloacis reperta fuerunt: quos ille, res futuras inquirēs, clàm mactauerat. In oppido Carris, clausis templi foribus nefanda peregit sacra: & mulier quędam ibi post eius mortem capilis suspensa, & in sublime elata, inuenta fuit, quam viuam resecuerat. Nicephorus lib. 10. cap. 35.

REVELATIONES.

Omnis cognitio quæ supra hominis captum est, cùm nec inuentione nec doctrina humana percipi queat, relinquitur vt substantiarum abstractarum beneficio hominibus innotescat: qui ob idipsum θεοδίδακτοι appellari possunt. Totum autem hoc genus Reuelationem nuncupare placet, vt Titulorum diuersitas eo melius comprehendatur. Reuelationem igitur diuidimus primùm ratione materiæ subiectæ: quoniam vel de rebus diuinis, vel de rebus pertinentibus ad homines tractant. Posteriores rursus vel de æternis, vel de temporalibus (vt ita loquar) bonis atque malis agunt. Cui ocium suppetet, Theologo præsertim, Titulos istos & augere, & exactius distinguere poterit: præsertim cùm fides nostra ferè ex reuelatione constet. In exemplorum enarratione munere fungemur.

REVELATIONES MAIESTATIS DIVINÆ.

ex Maruli lib. 6. cap. 16.

Immensam & inenarrabilem esse gloriam illam, Sanctorum nobis exempla certis manifestísque argumentis ostendunt. IACOB in quiete scalam vidit de terra ad cœlum vsque extensam, angelósque per eam ascendentes ac descendentes. Vidit Dominum scalę innixum, sibique benedicētem, & euigilans ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Simúlque obstupefactus, Quàm terribilis est, inquit, locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Quòd si somnians ergo imagines menti oblatas tanta admiratione vidit, quid si beatos spiritus. & inuisibilem Deum non in imagine, sed in veritate, in qua ab iis qui in cœlesti regno sunt, videntur, conspexisset?

IDEM cum viro luctatus, marcescente ab eo femoris neruo, claudicauit. At vbi in viro Deum agnouit, gloriatus est dicens: Vidi dominū facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Contempsit exteriorē corporis læsionem, dū ex præsentia Dei intus in mente exultat: dúmque animę salute lętatur, membri non sensit detrimentum. Sed quanto magis tunc exultasset, si claram, non adumbratam faciem Dei vidisset, & salutem tā animę quàm corporis perpetuā perennémque fuisset assecutus?

MOYSI Dominum in flamma rubi apparuisse legimus, atque ad se accedenti dixisse? Non appropinques huc: solue calciamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est: & ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Expauit ille tāti nominis horrore perculsus, nec iam aspicere flammam audebat, ad quam ausus fuerat accedere. Quàm magna igitur cœlicolarum felicitas, quibus nec accessus denegatur, nec visionis diuinę fruitio subtrahitur? Sub aliis quoque, creaturarū formis latens creator Moysi apparebat: & (vt testatur Scriptura) loquebatur ad eum facie ad faciem, sicuti solet loqui homo ad amicum suum. & tamen ad ipsum Moyses: Si inueni gratiam in conspectu tuo, inquit, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. & iterum: Ostende mihi gloriam tuam. Quibus verbis indicauit, tametsi figuram ignis aut nubis cerneret, & inde vocem emissam audiret, non tamen se faciem illam videre, quam in Paradiso beati vidēt. Vnde respondit Dominus: Non poteris videre faciem meam. non enim videbit me homo, & viuet. Post hęc Moyses de monte Synai descendens, cùm ad populum verba faceret, apparuit (sicut scriptum est) facie cornuta, ex consortio sermonis Domini. Ea cornua quosdam lucis radios fuisse exponunt. Et Apostolus gloriam vultus eius appellat, qua luce ita illorum, ad quos loquebatur, visum perstringebat, vt nisi velatus aspici non posset. Si tantus glorię splendor in hominis adhuc mortalis vultu effulsit, quanto fulgentiores futuros putamus vultus eorum, qui induent immortalitatem? qui non momentanea & breui, vt olim Moyses, sed perpetua & æterna mansione cum Deo erunt, & faciem, quam ipse videre non poterat, clarè apertéque spectabunt. Sunt tamen quidam, qui Moysi Deum clarè & secundum naturam suam quandoque apparuisse asseuerent: ex eo quòd dicitur, Palàm & nō per ęnigmata & figuras Deum videt. Dictum est autem, non quòd Dei essentiam viderit, sed quòd colloquiis eius vsus sit simplicibus & apertis: non per somnum, neque per ambages verborum, aut res aliud quàm ostendunt significantes, vt tanto cęteris prophetis prȩlatus videatur, quanto minus obscura oracula meruit accipere.

EZECHIEL propheta vidit super firmamento sedentem in throno, & cùm multa alia quę viderat enarrasset, postea intulit: Hęc visio similitudinis glorię Domini. Quantæ autem admirationis, quantive mysterij sint ea quę vidit, legere possumus, explicare non possumus. Quòd si tam stupenda glorię similitudo, qualis quęso ipsa gloria? Et si similitudinem vidēs territus (vt ipse fatetur) cecidit in faciem suam, quomodo sustinuisset eius, qui sub illa similitudine latebat, maiestatis conspectū? Nisi fortè eodem spiritu confirmatus, qui iacentem erexit, de quo ait: Et ingressus est in me spiritus, & statuit me supra pedes meos. Ex quo coniectari libet, quanto illi fortiores sint, qui gloriam ipsam videntes exultant, si hic similitudinem tantummodo eius videns, tam vehementer timuit.

Ipse Dominus noster Iesus Christus coram PETRO & IACOBO & IOANNE in monte transfiguratus refulsit, ita vt splendorem illius cernentes, futurę beatitudinis dulcedinem degustarent: &, Bonum est nos hic esse, dicerent. Nondum plenè gloriam eius videbant, sed tantum quoddam glorię simulachrum: & tamen vbi ipsum sic corruscantem viderunt, ibi cum ipso quamprimùm permanere exoptarunt Moysem & Heliam circa eum stare conspiciunt: & ecce quos nunquam anteà viderant, diuino fulgore mentem illumināte agnoscunt. Exclamat Petrus: Domine si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Helię vnū. Cur quartum sibi fieri non petiit? Quia sub eodem tabernaculo cum Domino habitare concupiuit, cuius aspectum tantæ suauitatis esse persensit. Sed cur ab eo Moysen & Heliam secludebat? Vt ostenderet, sufficere sibi solum Christum. Cæterùm vt imbecillitatem humanæ naturę agnoscamus, nubis lucidæ superuentu, & de nube diuinæ vocis sono conterriti Apostoli in faciem ceciderunt. Maiora itaque restabant quæ nondum sustinere poterant, & quibus nunc gloriosi fruuntur.

Christum cum gloriæ suæ sublimitate STEPHANVS, primus martyr ante vitæ finem vidisse creditur. Sic quippe de illo legimus: Cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei: & ait, Ecce video cœlos apertos, & filiū hominis stantem à dextris virtutis Dei. Plenus igitur Spiritu sancto sit oportet, qui vult videre Christi gloriam. Cuius visæ iocunditate captus Stephanus, cùm lapidaretur, non vt mortem euaderet, sed vt per mortem cum Christo viuere inciperet, orauit dicens: Domine Iesu suscipe spiritum meum.

PAVLVS apostolus gloriam Dei vidisse creditur: sed ad tertium vsque cœlum raptus, idque vtrum in corpore, an extra corpus sibi contigerit, nescit. Hoc cùm ita sit, manifestum est, ad ea videnda quæ vidit, & audiēda quæ audiuit, non sensibus corporis vsum, sed alio quodam sensu longè puriore, diuinioréque. Et audiui, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui. Profectò si aure audisset, etiam lingua eloqui valuisset. Sed supernæ gloriæ bonum maius est, quàm vt iis instrumentis aut percipi queat, aut exprimi possit.

IOANNES in Apocalypsi, se in cœlo fuisse testatur, non tamen cum corpore, sed in spiritu. Ibi vidit sedentem in throno, voces audiuit, sensit tonitrua, lampades conspexit, & quatuor animalia Deum laudantia, & vigintiquatuor seniores, honorem officiúmque deferentes sedenti in throno. Vidit sanctam ciuitatem Hierusalem, tanquam sponsam ornatā viro suo Christo In qua neque luctus, neque clamor, neque dolor, neque mors erat: sed gaudium, pax, quies, vitáque sempiterna. Cuius muri ex lapide precioso, ipsa aurum mundum, templum eius Deus omnipotēs & agnus. Claritas Dei illuminat illam, & lucerna eius est agnus. Non intrabit in eā, inquit, aliquid inquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Vidit fluuium aquę viuę, procedentem de sede Dei & agni. de quo in psalmo dicitur: Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei. Vidit lignum vitę reddens fructum & folia ad sanitatem eorum qui seruient Deo, & faciem eius intuebuntur, & nomen eius frontibus inscriptum gerent. Non egebunt, inquit, lumine lucernę, neq; lumi-

ne solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum. Quàm præclarè Apostolus reuelatam sibi supernæ gloriæ descripsit dignitatem? Audimusquidem verba, consideramúsque mysteria, & miramur. Sed vbi sunt quæso illa ineffabilia? Profectò si omniũ insuper hominum linguæ hac de re sola quotidie loquantur, semper bonum illud residuum erit, quod dici non potest, quódque omnem exuperat fandi pariter & scribendi facultatem.

REVELATIONES FIDEI NOSTRÆ ARTICVLORVM.

PASTORIBVS nouum Euangelium nati Seruatoris angeli communicant. Lucæ 2.

CHRISTO resurgente multi sancti apparuerunt multis. Matth. 27. Angelus Domini de cœlo descendit, discipulis apparuit: sed priùs mulieribus. Ioan. 20.

CHRISTVS optat. max. post suam resurrectionem indubitata fide, videndum se, atque palpandum suis discipulis præbuit,

REVELATIONES BEATITVDINIS PROPRIÆ. EX MA-
ruli libro sexto, capite decimo sexto pleraque.

ERASMO episcopo martyri, post ingentia pro Christo fortiter tolerata supplicia, visi sunt sancti Apostoli & Prophetæ coronam de cœlo afferre. Qua visione delectatus, orauit vitæ huius finem, eóque impetrato spiritum exhalauit. Nunc itaque martyrij gloria coronatus exultat, & in conspectu Dei optimi maximi clarus atque inclytus incedit: eorum vtens consortio, à quibus coronari, & ad cœlum vsque deduci meruit.

VRSINVS Nursiæ presbyter, castus ac sanctus, dum animam ageret, lætus exclamauit, gratias agens iis quos ad se venisse solus cernebat. Et quærentibus qui ei assidebant, qui essent illi quorum aduentu tantopere gauderet? Nunquid non videtis, inquit, Petrum & Paulum apostolos hic adesse, & euocare me? Mox ad eos quos tantum ipse videbat conuersus, dum repeteret, Venio venio, ecce venio: cum iisdem abiens corpus exanime reliquit. O felix animula, quę nec mortis dolorem sensit, dum cõspectu sanctorum lætatur: nec de futura salute dubitauit, dum à sanctis, vt secum veniret, inuitatur.

De PROBO Reatino episcopo memoriæ proditum est, quòd cùm ex languore mox se decessurum cognouisset, omnibus qui ei assidere solebant, tunc fortè summotis, præter vnum puerum, vidit ad se intrantes Iuuenalem & Eleutherium martyres: quorum aduentu conterritus, & repentino fulgore stupefactus, vbi qui essent didicit, fugiens prorupit è cubiculo, familiam clamore concitat: ad locum vbi episcopus iacebat concurrunt, neminem inueniunt, præter corpus eius iam exanime. Quo quidem relicto, ipse cum illis abierat, quorum domicilium in cœlo, non in terra erat.

SERVVLVS paralyticus moriens, homines circa se psallentes silere iussit, quoniam angelos audire cœpit. Et cùm ad cœlestem cãtum, quem sentire solus poterat, oculos, aures, animúmque intendisset, corporis vinculis solutus abiit. Tam autem suauis odor à corpore iam exhalauit, vt nemini dubium esset, quin eius animam cantus illi, quos ipse audierat, egredientem suscepissent, & in beatorum sedibus collocassent.

QVIDAM religiosæ vitæ vir moriens, Ionam & Ezechielem & Danielem prophetas vidit, visos cognouit, cognitos salutauit: & dum reuerentiæ illis, quos nemo alios cernebat, cùm multi adessent, officium exhibet, mortem oppetiit. Testis est D. Gregorius. Si hic corpore adhuc grauatus, eos quos nunquam viderat, statim cognouit: quanto clarior certiórque erit noticia illorum, qui vel modò sarcina carnis deposita ad cœlũ euolant, vel postea cum eadẽ carne beatificata illuc ascensuri sunt?

MEROLO monasterij Gregoriani Romæ monacho, egregia morum sanctitudine prædito, in quiete visum est, coronam candidissimis floribus contextam è cœlo labi, ac super caput suum sisti. Posthæc aduersa valetudine agitatus, cum magna animi alacritate diem obiit extremum. Anno deinde 14. Petri abbatis iussu aperto eius sepulchro, incredibilis odoris inde suauitas exhalauit. Qua ex re illud quod per somnium viderat, verũ fuisse cognitum est. Qui tam fęliciter mori cupit, debet, sicut ille vixit, & ipse viuere. Nõ potest eius mors mala esse, cuius vita bona fuit.

CATHARINAM virginem, cùm post tormenta capite truncanda esset, orantem vox de cœlo consolata est, quæ diceret preces eius exauditas esse, & iam aperto cœli aditu à Domino aduentum eius expectari. Itaque læta & hilaris ceruicem gladio subiecit persecutoris. Desecto autem collo, lac pro sanguine exiliit, corpus ab angelis ad montem Synai delatum est. Talis igitur honor corpori exhibitus testatur, quanto magis in cœlo spiritus eius honoretur. Colligamus cuncta simul, & summatim perpendamus, quali beatitudinis gloria in illius ineffabilis maiestatis conspectu, sanctorúmque omnium, virgo ista repleatur, cui in conspectu hominum tot mira contigerunt: vox de cœlo blãdiens, lac pro cruore manans, angeli corpus transferentes.

DOROTHEA virgo & martyr, ad paradisum sponsi sui Christi se per tormenta peruenisse probauit, brumæ tempore missis rosis Theophilo scribæ. Quam rem ille impensius considerans, cùm prius Christianorum religionem irrideret, sequi cœpit, ita vt gratanter & ipse iugulum gladio submitteret: nihil iam ambiguus de beatitudine adipiscenda, quam tali argumento in Christo tantum esse didicerat. Præferens igitur huius vitę voluptatibus cœlestes rosas, vltrò martyrium adiit, & illarum odore decoréque captus, mori optauit.

GALLÆ Romanæ, Christi ancillæ, ægrotanti, Gregorius auctor est, apostolum Petrum apparuisse, atque illam vt secum veniret inuitasse, eo quòd peccata eius dimissa essent. Hanc visionem cùm aliis ipsa retulisset, corpore exuto cum illo vtique abiit, cui claues datæ sunt regni cœlorum. Illum igitur beatitudinis locum ascendit, cuius ianitor est qui inuitauit: hic iacentem vocauit, hic venienti aperuit.

THRASILLÆ virginis beati pontificis Gregorij amitæ animam, ipse angelorum rex & Dominus IESVS CHRISTVS comitatus est. Huic primũ in visu apparuit Felix pontifex, & perpetuæ lucis illi sedem ostendens: Veni, inquit, & fruere consessu hoc beatorum. Mox ipsa febri affecta, & iam animam agens, vidit ad se venientem IESVM: & eis qui aderant, vt assurgerent imperauit, eo quòd aduenisset Dominus. Tum ad visionem, quam sola cernebat, mentem oculósque dirigens, expirauit: atque ilico odor suauissimus nares omnium occupans, nemini dubiũ reliquit, quin verè ibi Dominus ipse affuerit.

De MVSA puellula idem auctor Gregorius tradit, ei per visionem nocturnam Dei genitricem Mariam cum virginum choro apparuisse, atque iniunxisse, vti risu iocísque & omni vanitate abstineret. Futurum enim, vt post trigesimum diem suo suarúmque virginum consortio gauderet. Tota itaque immutata est, tantóque promisso illecta nihil egit, ob quod eo indigna videri posset. Inde morbo implicita, & tandem die qui prædictus fuerat imminente, eadem visione iterum consolata, quasi vocanti respondere cœpit: Venio domina, venio. Sub iis verbis efflauit spiritum, ipsam cœli reginam virginésque eius ad cœlum præeuntes, tam exultanter secuta, quàm feliciter.

CÆCILIA virgo angelorum visione fruens, rosarum liliorúmque media hyeme vernantium odoramentis, quæ sibi de paradiso allata fuerãt, Valerianum & Tiburtium conuertit: tam suauiter illa redolebat, vt isti repentè, contempto simulachrorum cultu, Christum sequerentur, qui sibi seruientes talibus iam impertiret donis: indéque coronari cupientes, libenter ad martyrium perrexêre. Ipsa quoque nullis auerti à Christo suppliciis potuit: quoniam certa erat, eius consortio in cœlo se victuram, cuius angelos videre meruerat in terra.

PRISCA virgo dum Christum confitens torqueretur, luce de cœlo lapsa circumfunditur: cum sanctis in carcere sibi apparentibus psallit, carceris pedor in odorem suauissimum vertitur, ipsa ab angelis in throno diuini fulgoris gloriosè collocatur. Si tanta illi inter tormenta affuit beatitudo, quantam exhaustis iam tormentis, consummatóque agone secutam credimus? Neque enim æqua esse debet merces pugnantis adhuc, & post pugnam iam victricis: illic auxilium petitur, hic triumphus debetur.

REVELATIONES BEATITVDINIS ALIENÆ. EX MA-
ruli libro sexto, capite decimosexto.

PAVLI apostoli caput à corpore dissectum, ter per humum prosiliit, ter Iesu Christi nomen inuocauit, tres fonticulos, quà saliendo terram contigit, scaturire fecit. De vulnere eius lac primò, deinde sanguis emanauit. Quorsum tot miracula in morte sancti huius? nisi vt hæc tam magnifica oculis nostris obiecta pensitantes, quanto illa in cœlo magnificentiora sint eius præmia, quæ oculus videre non potest, cogitemus.

Diui HIERONYMI corpus, cùm spiritum reddidisset, subita lux circumfulsit, visi sunt angeli, & Christi vox audita, quæ illum ad possidendũ cœleste regnũ inuitaret. Lux cum spiritu abiit, odor suauissimus cũ corpore remansit. Eadem hora Cyrillus episcopus Hierosolymitanus animam eius angelicis manibus gestatam, cœlum versus tendere conspexit. Eodem die sancta hæc anima miro radians fulgore, Augustino Hippone apparuit. Turoni etiam duo monachi lucentem globum aera transire, & inde dulciter canentium choros audiri, dum admirãtur, intellexerunt Hieronymi presbyteri animam tunc apud Bethleem defuncti, ab angelis ad paradisi quietem ferri, & hoc quidem pro laboribus, quos ipse in vita exhausit, Dei laudibus & hominum vtilitati semper intentus. Tot præterea signa de illo, tot miracula enumerantur, vt mihi certè vel præcedere reliquos beatos apud Deum dignatione videatur, vel paucos habere pares.

PAVLI primi eremitæ beatam animam angelico ministerio ad cœlum tolli vidit Antonius abbas, mox defunctum esse deprehendit: & questus est, quòd se itineris comitem non assumpsisset: nihil dubitans, quin è corpore statim ad beatitudinem translatus esset. Idem Antonius non modico locorum interuallo discretus, Ammonis abbatis obitũ cognouit, cùm animam eius multo candore illustrem, & in sublime tendentem conspexisset.

AD HAEC Paphnutij, Benedicti, Stephani, Egidij, Spei, abbatum: Tiburtij, Valeriani, Maximi, Marcellini, Petri, Iustini, Pastoris. Quintini, Seueri martyrum: Amatoris Antisiodorensis episcopi, Germani Capuani episcopi, Onophrij eremitæ in Ægypto, Speciosi in monte Cassino monachi, compluriúmque aliorum, quos enumerare longum esse, fęlices animæ, quo die corpora sua reliquerunt, eo ad cœlum tolli visæ sunt: & dum tollerẽtur, melos interdum lætantium angelorum auditum, Deo volente felicitatis, ad quam euocabantur, testimonium in terra residere, ne alios pigeret eorum vitam imitari, quos beatos esse tam certo indicio cognouissent.

AVGVSTINVM, quo die corpus eius mandatum sepulturæ fuit, monachus quidam procul inde manens, & in spiritu raptus, vidit infula & pontificalibus indumentis insignem, sedere intra nubem candoris eximij: de oculis eius promicantes radij totam illuminabant ecclesiam, & vbique incredibilis odoris fragantia nares oblectabat. Post hæc à Bernardo abbate visus est, dum per noctem sermones eius à fratribus in ecclesia legerentur, limpidissimas ore aquas vomens, quibus totum ecclesiæ pauimentum supra modum inundabat. Verè enim ille quasi quidam inundans fluuius ecclesiam Dei salutaribus documentis irrigauit, & lumine ingenij Scripturarum obscura clariora fecit. Sanctitatis etiam virtutúmque suatum odorem tam laté effudit, vt nomen eius & in terris celebre sit, & in cœlo.

Quodam die abbas quidam duos lectos ineffabili ornatu comptos, multóque nitore splendentes ab angelis ferrivideratatque audiuerat, in altero HVGONEM abbatem Cluniacensem collocãdum, in altero ANSELMVM archiepiscopum Cantuariensem. Cognouit, ambos tunc simul vita ista defunctos, & in lectis veræ felicitatis requieuisse: de quibus dictum est, Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

VICTOR martyr persecutoris gladio cæditur, & continuò vox de cœlo auditur, Vicisti Victor beate. Non propter illum hoc contigit, qui iam cum Deo erat: sed propter illos, qui fortasse tormentorum quæ perpessus est, memores, beatum esse dubitarent, nisi tam certo indicio verum didicissent. Quanta autem beatitudo ea sit, docet in martyribus vitæ huius contemptus, intrepida suppliciorum toleratio, & nulla vnquam sæuiendi arte superata Christum confitentium firmitudo. Nihil quippe tam durum est, vt durum esse possit, dum perenne bonum speratur: neque quicquam tam dulce est, vt dulce esse queat, cum diuina suauitudo degustatur.

FRANCISCI Assisiatis (à quo Minorum ordo cœpit) vt vita, ita vitæ finis nobilis ac magnificus fuit. Quo expirãte, quidam fratrum animam eius in stellæ specie de ore emicuisse, cœlúmque petiisse vidit. Eadem illa hora minister Terræ laboris grauiter ægrotans, cùm iam deficiente spiritu & languescente lingua obmutuisset, repentè in vocem prorupit, dicens: Expecta me pater, expecta me. Et interrogatus, patrem Franciscum se videre dixit, multa cum luce cœlum versus tendentem. Hoc dicto de corpore exiit, & verba re comprobauit, illum continuò sequens, quem cernere se aiebat.

In DOMINICI Prædicatorum patris obitu, ad quantam ipse migrasset beatitudinem, testatum est duorum visione, Guali præpositi conuentus Brixiensis, & Rhaonis fratris. Alteri somnianti apparuit cœlum apertum, & angeli Dominicum eò de terra transferentes, & Iesus Christus multa cùm iucunditate eundem suscipiens. Alter sensibus corporis consopitis tantùm, spiritu vigilans, illum cum reuerendo quodam virorum comitatu ab vrbe Bononia processisse vidit, aurea corona micantique fulgore conspicuum, quem nondum vita audierat defunctum.

MARTINI episcopi Turonensis vultus, cùm obiisset, splendidus apparuit: vt non mori eum, sed ad immortalitatem transire, fidem cuiuis faceret. Angelici præterea cantus circa ipsum auditi. Eadem hora Seuerus Coloniensis episcopus animum eius ab angelis ad cœlum ferri vidit. Seuerus etiam monachus ipsum in quiete conspexit, niueo tegumento, vultu rutilo, radiantibus oculis librum manu gerentem, summa cœli petere. Et euigilans, audiuit eundem tunc decessisse. Ambrosio quoq; Mediolani in spiritu rapto visum est, se exequiis eius interesse: & cùm ad se rediisset, nunciauit astantibus, Martinum Turonensem præsulem obiisse. Tot itaque testimoniis declarata est eius beatitudo: vt si pietatis iusticiæque opera quæ fecerat, laterent, beatus tamen crederetur. Rursum tanta omnis probitatis fama celebris fuit, vt si nulla in morte signa apparuissent, in sanctorum tamen numero ab omnibus habendus esset.

THOMAE Cantuariensi archiepiscopo adhuc viuo, sedem cõtiguam sedibus Apostolorum à Deo concessam se vidisse dixit quidam, qui mortuus mox reuixerat. Inde dum Thomas pro iuribus ecclesiæ sibi cõmissæ staret, ab impiis cæsus, martyrio coronatur: dũque illi exequiæ à clero agerentur, angelorum accinẽtium vox audita, testis beatitudinis eius fuit: fidémque fecit, haud vana fuisse de illo visa hominis rediuiui, quæ Apostolis annumerandum significarant.

RICARIO eremita sepulto, discipulus eius Sigobardus in spiritu raptus, vidit ipsum in aula quadam decoris & odoris incredibilis considentem, splendoreque coruscũ, ac per hęc visibilia beatitudinẽ inuisibilẽ ei obuenisse facilè intellexit: magisque mores magistri sui æmulari & effingere conatus est, quẽ tantã felicitatẽ consecutũ fuisse minimè dubitauit.

MERCVRII martyris apud Cæsaream passi corpus capite truncum splendore fulsit, odore fragrauit: quo miraculo plurimi ad Christianam credulitatem conuersi sunt, iam certi animam eius cœlesti perfrui beatitudine, in cuius cadauere contra aliorum cadauerum naturam & lux pro pallore erat, & odor pro fœtore.

DVO Valentij abbatis discipuli in Valeria prouincia à Longobardis ad arborem laqueo suspensi, necatique, vesperi diei illius psallere auditi sunt: ita vt carnifices ipsi, qui eos interemerãt, attoniti tenerentur. Quid hoc est, nisi vt credamus eos qui Deo seruiunt, tunc demum fęliciter ac beatè viuere incipere, cùm contigit mori?

MARIAM Magdalenam, cùm in solitudine vitam ageret, solitarius quidam presbyter ab angelis in cœlum tolli, & iterum loco suo restitui vidit. Deinde quid hoc esset, curiose sciscitans: didicit, triginta iam annos eam non alio cibo sustentatam, præterquam cœlestium gaudiorum contemplatione, beatis, quemadmodum ipse conspexerat, spiritibus eò se perducentibus ac reducentibus: & iam finem vitæ huius facturam, vt vitam illam inchoet, quæ nullo concluditur fine nulla carpitur molestia, nullo indiget bono. O quanta hæc diuinæ dilectionis gratia, id mortali corpori concedere, quod concedi solet immortali, vt tandiu sine alimẽto viuat, & terrenum adhuc tam sublime feratur. Sed cur tandem solutã animam Deo reddidit? Ne scilicet animæ perpetuæ beatitudini impedimento esset, cuius alternam aliquatenus non impedierat.

AGNES virgo, post martyrium parentibus ad sepulturam suam excubantibus, ac lugentibus, gloriosa apparuit cum splendido elegantíque virginum comitatu aureis armillis, candidulóque amictu multum effulgens, & agnum niue albiorem dextera baiulãs. Tum represso parumper gradu, parentes ipsos dulciter admonuit, ne se velut mortuã flerent, sed potius cum Christo beatè viuenti congratularẽtur. O sanctarum, inquit virginum, quas videtis, recepta collegio, ei in cœlo iuncta sum, quem in terra posita toto corde dilexi. Meritò igitur non solùm martyrij eius diẽ festum agit ecclesia, sed etiam cum quo se talem ostendit, celebrem habet. In martyrio quę passa sit, recoluntur: hîc autem ad quantam beatitudinem post passionem peruenerit, commemoratur.

MARGARITAE virginis capiti, dum ipsa grauibus afficeretur suppliciis, nec interim cessaret confiteri Christum, cunctis qui aderant cernentibus, columba de cœlo aduolans, auream coronam imposuit. Eo miraculo quatuor millia hominum relictis idolis Christum colere cœpêre: nec timuerunt capitis subire discrimen, dũ diuinitùs coronari concupiscunt. Haud quaquam sic præsentem vitam despicerent, nisi meliorem certissimè expectarent. Marul. lib. 6. cap. 16.

EVLALIAE virginis post multa tormenta capite cæsæ, anima sub columbæ volantis figura visa est cœlum petere, & nubibus condi. Vt palàm esset, martyrum animas carnis nexu expeditas, illò protinus tendere, quò ipse præcessit, pro cuius amore torqueri, vri, occidique gauderent.

THEODORA Alexandrina, quæ sexu dissimulato inter monachos persanctè vixit, cùm decessisset, abbati in quiete apparuit cum quadam nuptiali pompa, sanctarum exultantium agmine eam circumuallante, ipsa in medio gemmis auróque coruscans. Tunc se illam esse confessa est, quæ Theodorus monachus diceretur, mas credita. Mox deinde experrectus, & sibimet redditus abbas, continuò cellam eius adiit, defunctam esse reperit, & fœminam fuisse cognouit. Denique constantiam mulieris inter viros, tam diu, tam integrè versatæ miratus, beatitudinem quoque palàm prædicare cœpit, atque in quali eam gloria exaltatã conspexisset, vltrò prodere. Gloriosa quidem sunt quæ de illa vidit, sed multo gloriosiora sunt quæ videre non potuit.

Apud Alexandriam Paulus Antonij abbatis discipulus, in spiritu ad cœlum vsque peractus, vidit thalamum quendam miro ornatu excultum, latéque fulgentem: & Antonio paratum putabat, donec audiuit, THAIDI meretrici illum seruari. Ex quo cognitum est, ei mulieri peccata per pœnitentiam dimissa esse, & cœlestem beatitudinem condonatam: dicente Domino, Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum.

SCHOLASTICAE virginis animam frater eius Benedictus abbas in columbæ forma ad cœlos euolantem vidit. Cognitóque quòd obiisset, corpus illius ad monasterium suum deferendum curauit, & in sepulchro quod sibi parauerat, condidit: vt iunctis ossibus in terra cubarẽt, qui animis iungendi erant in paradiso, paríque vitæ merito pari beatitudine fruituri.

AGATHA virgo & martyr, per Apostolum à vulneribus curatur: & peracto agonis cursu, cùm mortua efferretur, angeli sub visibili specie celebrant: & literis in marmore incisis, beatitudinis eius testimonia relinquunt, Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Quis dubitat, quin ab iis sponsi vsque thalamum, perennésque nuptias euecta sit, quorum tãto obsequio in morte meruit honorari? Aut cur Apostolorum consortio non dignam dixerimus, ad quam sanandam Petrus de cœlo ad terras descendere iussus sit?

SEPTEM mulierum, quæ cum beato Blasio episcopo apud Sebasten martyrium passæ sunt, cùm capite cæderentur, animas virginali forma à corporibus egredi viderunt, cœlúmque versus ferri, candidas admodũ & coronis circa capita fulgentibus decoras. Hoc ipsi sicarij testabantur, à quibus interemptæ sunt. Nunquid non satis verum putabitur, quòd ne inimici quidem negare potuerunt: eas videlicet statim post necem, beatitudinis æternæ fructum percepisse?

THEBAIDIS monasterij abbatissa Euphraxiam viduam propediem vita decessuram intellexit, cùm Antigonum eius virum in cœlesti beatitudine constitutum per somnium vidisset supplicantem, vt ipsa iam de terris euocata, sibi in cœlo copularetur. Somnij fidem probauit euentus; & Euphraxia (sicut prædictum fuerat) breui defuncta, ad eandem beatitudinem ascendit, ad quem præcesserat maritus. Euphraxiæ quoque eius filiæ, Deo dicatæ virginis, eadem abbatissa obitum prædixit, deinde prępositę eius Iulię, postremò suum: neque secus quàm prędixerat,

euenit. In vno conditorio tres positæ, vna beatitudine gaudent in paradiso.

GERTRVDIS virgo Nigellani monasterij, qua die obiit, abbatissæ Treuerensis monasterij ante altare oranti apparuit, seque ad sponsum suum ire dixit, cœlesti gloria fruituram. Alio quoque miraculo beatam esse patuit. Cùm monasterium arderet, supra tectum visa est candenti velo flammas premens: restincto statim incendio, cùm totum ædificiũ consumptum iri timeretur, nihil damni illatum fuit, igne virginis imperio cedente: quia illi iuncta erat cuius voluntati subiecta sunt vniuersa.

EDELTRVDIS virginis corpus, cùm post sextumdecimum obitus sui annum ad aliud sepulchrum transponeretur, integrum inuentum est, ineffabilique odore fragrans: quinetiam (quod multo mirabilius est) in vocem prorupit, dicens: Sit gloria nomini Domini.

ROMVLÆ virginis beatitudo, ex eo planè percipi potest, quòd paralysi dissoluta, cùm ad finem vitæ peruenisset, luce repentè circumfusa est. Cuius lucis fulgore attoniti qui ei assidebant, & expauefacti, magis etiam timuerunt, cùm mox conuenientis illuc turbæ strepitum persensissent, & neminem viderent. Represso deinde ambulãtium fragore, successit suauitatis odoris: qui ibidem tamdiu permansit, donec Romula spiritum tradidit Tunc etiam ante ostium cellulæ eius psallentium cantus auditus, haud dubium quin ideo, vt palàm fieret, dignam fuisse animam illam, quam hinc abeuntem angeli exultantes comitarentur, & cum tripudio ad cœlum perferrent, atque in illo æterni sponsi thalamo feliciter collocarent.

REVELATIONES PVRGATORII POENARVM, EX MA*ruli libro quinto, capite vndecimo.*

In ea epistola, quam Cyrillus Hierosolymitanus episcopus de signis diui Hieronymi post obitum factis, ad Augustinum scribit, legimus, per id tempus hæresim quandam insurrexisse, quę diceret, defunctorum animas nec beatitudinem, nec pœnam sentire, donec communis resurrectionis die suis iungantur corporibus. Cúmque falsitatis huius pestifera malignitas inualescere cœpisset, iamque altius multorum animis hæreret, quàm vt verbis euelli posset: Hieronymus EVSEBIO apparens, iussit saccum suum, quo pro indumento vsus fuerat, trium virorum cadaueribus, qui ea nocte obierant, imponi: vt vitæ redditi doceant, quanto errore tenerentur, qui talia assererent. Resuscitati ergo coram omnibus, qui ad ecclesiam, vt hoc miraculum viderent, magno cœtu conuenerãt, confitebãtur, & beatorum præsentem gloriam, & damnatorum pœnam, & eorum qui minus plenè pœnitentiam peregissent, purgamẽtum. Quæ omnia, vt viuis testari possent, à beato Hieronymo se circumductos, & sic ad vitam redire iussos, affirmabant: rursum die vigesimo vnà cum Eusebio eius discipulo decessuros, & cum eodem, si modo æqualem interim delictis pœnitentiam egerint, vitæ æternæ præmia consecuturos. Itaque tanto tamque euidenti miraculo explosa & exibilata hæreticorum sententia est: atque illi qui paulo antè subuersi fuerant, statim resipiscentes, catholicam amplexi sunt fidem: cùm pręsertim eos qui à morte surrexerant, pœnarum recordatione indesinenter atque inconsolabiliter flere, lamentarique viderent: ac tandem qua prædixerant die Eusebio moriente, & ipsos iterum mori: vt etiam eiusce rei euentu magis cõstaret, quàm vera esset, ea quæ per illos dicta fuerant.

HELIAS quidam in deserto Ægypti solitarius, multæ sanctitudinis vir, & quondam beato Hieronymo familiariter vsus, in quiete vidit (sicut idem Cyrillus testatur) animam cuiusdam episcopi Anconitani, cùm ante diuinæ maiestatis tribunal sisteretur, ob vitæ luxum atque delicias ad æternam pœnam destinari, animam verò Theodosij senatoris, quòd beatum Hieronymum magno simper honore coluisset, ad purgatorij tormenta deducendam decerni. Cúmque diem signasset quo ista viderat, comperit eodem ipsos ambos fuisse vita defunctos: & credidit vera esse quæ sibi per somnium apparuerant.

PASCHASIVS Apostolicæ curiæ diaconus, pietate erga Deum & homines præstans (vt à Gregorio traditum est) nisi quòd contra Symmachum iam omnium suffragiis maximo pontificatu dignum, iudicatum pertinacius quàm fas erat, pro Laurentio, quem ipse digniorem censuerat, stetit: cum hanc culpam post mortem lueret, à Germano Capuano episcopo in Angulanis thermis opera serui fungẽs inuentus est. Qui Germanus vt causam didicit, abiit, & per dies aliquot pro illo supplicationes fecit, sicuti ipse rogauerat: atque eodem rediens, liberatum onere illo cognouit, quem iam ibi non comparere animaduertit. Hoc est illud, quod Ioannes apostolus præcipit dicens: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat: & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.

PRESBYTER quidam Centum cellis, cùm ad balnea lauatum venisset, & homini qui ibi sæpe iam illi operam lauandi gratuitam præstiterat, panes aliquot muneri obtulisset, accepit ipsum eis non indigere. Loci enim illius olim dominum fuisse, & post mortem ibidem angustiari, noxæ cuiusdam expiandæ causa piaculique soluendi: tamẽ multum profore ei, si ipse panem consecratum Deo offerendo, pro illo oret. Quamobrem presbyter sacram hostiam obtulit, Deum precatus est, ad balnea rediit: sed non inuento homine, à pœna liberatum intellexit.

Dum beatus GREGORIVS pontifex (vt ipse in Dialogo suo refert) abbatis adhuc munus obiret, quidam inter monachos nomine Iustus, grauiter ægrotans, & iam morti proximus, fratri suo seculari Copioso indicauit, sibi tres aureos nummos esse, quos nemo alius nosset. Cùm ea res percrebuisset, abbas indignans iussit, ne quis monachorum Iustum monasticæ legis violatorem adire, néue cum eo vllum miscere verbum præsumeret. Id ille per ipsum qui sibi assistebat, Copiosum fratrem resciens, considerauit secum, quantum ea re flagitij commisisset: & vt par erat, magis doluit, quòd Deo peccauerat, quàm quòd ab hominibus deprehensus esset. Vbi autem vita functus est, corpus eius in sterquilinium sepelierunt, cum aureis illis quos reliquerat, dicentes, Pecunia tua tecum sit in perditionem. Hoc clarè ad reliquorum terrorem actum illud occultè. vt scilicet preciosus monasterij præpositus per dies triginta quotidie pro iniustitia Iusti offerret Dominicum sacrificium. Postea tandem Iustus Copioso noctu apparens: Hactenus, inquit in tormentis fui: nunc demum sacra communione percepta, ab iis me expeditum certò scias. Nemo præter abbatem nouerat, pro quo Preciosus quotidie rem diuinam faceret. Sed vbi visio Copiosi vulgata est, & ipsi palàm fecère, eum iam trigesimum diem esse sacrificiorum pro Iusto actorum: proptereáque illum à purgatorio erutum, cœlóque illatum.

ODILONI abbati Cluniacensi Vgo, qui vitam eius cõscripsit, diuinitùs reuelatum tradit, supplicationes pro defunctis die proximo post festum omnium sanctorum ab Ecclesia fieri oportere. Idque ipse primus obseruauit, deinde obseruandum vniuersa recepit Ecclesia.

Decimus BENEDICTVS pontifex maximus, cum mortem obiisset, Ioanni Portuensi episcopo apparens: confessus est se Odilonis abbatis precibus ab æternæ mortis periculo seruatum. Se autem ideo tunc ei apparuisse, vt ipse eundem abbatem rogatum iret, ne sibi in flammis purgatoriis ardenti subtraheret auxilium, quod ferre adhuc in corpore viuenti consueuerat. Hoc nuncio sibi allato, abbas & ipse suppliciter pro illo orauit: & omnibus qui cum ipso erant monachis, vt itidem facerent, iniunxit. Haud ita multo pòst, Benedictus totus lucidus ac refulgẽs apparuit Edelberto monacho, séque à purgatorio ad beatitudinem trãslatum dixit, Odilone ac monachis pro se deprecantibus. Deinde & ipsi Odiloni sub eadem forma se ostendẽs, gratias egit, eo quòd tam grande beneficium per eum potissimè accepisset.

REVELATIONES POENARVM INFERNI, TAM ALIENARVM *quàm propriarum: Ex Maruli lib.6.cap.14.*

CHRISTVS optimus max. introducit in Euangelio diuitem epulonem lugubriter conquerentem, & sancto patriarchæ supplicantem, vt mitteret Lazarum, qui intincto in aquam digito guttulam vnam linguæ suæ instillaret, eo quòd totus in igne arderet, totúsque cruciaretur. Quanta ergo calamitas est, sic torreri, & vna aquæ gutta indigere, nulláque postulatione eam impetrare posse? Sed huic tam ingenti miseriæ additur præteritæ felicitatis amara recordatio. Responsum enim accipit: Memẽto quia bonis multis in vita fruebâre, Lazarus verò pressus erat malis: tu nunc cruciaris, ille cõsolatur. Additur & fratrum superstitum irrequieta solicitudo, cum tam vehementer expauescat, ne eandem & illi perniciem sortiantur: quos fortasse sciebat haud aliis moribus viuere quàm ipse vixerat. Non ergo satis est, flammis excoqui, & ne linguam quidem tanti ardoris habere expertem: multiplicium insuper curarum perpetua anxietudine exæstuandum est.

STACTEVM Ephesium, Ioannes apostolus, dum efferretur, ad vitam reuocatum percunctatus dicitur, Quid in alio orbe de illis duobus fratribus discipulis suis viderit, qui sibi aliquandiu religiosè adhærentes, rursum per inconstantiam lubricitatémque desciuerant? Cum ergo is, quãtam beatitudinem cum quali infœlicitate permutassent, coràm recẽsuisset, continuò illi ambo omnes diuitias pauloante repetitas acceptásque (hæ autem erant virgæ in aurum versæ, & lapilli in gemmas, vt his redimerent possessiones, quas pro amore Christi detraxisse dolebant) ad pedes apostoli effudère multis cum lachrymis, rogantes veniam, ac dicentes: omnia se perpeti paratos, tantum vt pristinam gratiam apud Deum sibi recuperare liceret.

MACARIVS Alexandrinus, dum aliquando per Scythioticam solitudinem deambularet, caluariam hominis humi iacentem conspicatus, cœpit per Christum Iesum obtestari, & interrogare, cuias fuisset dum viueret? quóue nunc in loco animus quondã inhabitator suus degeret? Grãde miraculum: aridum os, carnéque & neruis nudum, prorupit in vocem ac se gentilem fuisse, proximíque vici indigenam respondit: nũc verò in foueam barathri infernalis tam altè retrusum angustiari, quàm procul à terra distet cœlum. Sed etiam se inferius corruere Iudæos incredulos, & ipsis inferius hæreticos Christianos, qui reuelatam diuinitùs veritatẽ mendacibus peruertere sententiis moliuntur.

EADMVNDO Cantuariẽsi archiepiscopo die quadam in visu apparuisse ferunt latè patentẽ campũ, squalẽtibúsque aruis vastũ: & in eo rustici cuiusdam sola vitæ prauitate non ignobilis, exanime corpus ab ingenti coruorũ multitudine certatim impeti, distrahíque & dilacerari. Deinde compertũ, ea ipsa die rusticum illũ fuisse vita defunctũ. Quid mali, quid iniuriæ vsquam esse potest, quod nequissimi spiritus damnatorum animabus

mabus illic in inferno non irrogent, si hîc in cadauera eorum tam auidè debacchantur?

IOSAPHAT Auenir Indorum regis filius, Barlaam eremitæ industria & disciplinis ad Christianitatem conuersus, meretriculæ cuiusdam forma blanditiisque & procacitate captus fuisset: nisi diuina miseratione contigisset, vt parumper obdormiscens, & sanctorum gloriam, & damnatorum pœnas videret. Eo somno confirmatus, in castitatis proposito perseuerauit. Tyrunculus adhuc in fide erat: & puto turpis voluptatis tam violentæ sollicitationi succubuisset, nisi per huiuscemodi visum, & paradisi delicias omnibus mundi oblectamentis magis expetisset, & omnibus formidabilibus ipsa inferni tormenta magis expauisset. Si ergo ista per speculum & in ænigmate, & per quandam soporis vmbram visa tantam vim habuère, quid virium quantúmque efficaciæ haberent, ita vt sunt, conspecta?

TRES illi Hierosolymis bis morte defuncti (de quibus tunc quoque mentionem fecimus, cùm de purgatorio tractaremus) qui ad destruendam hæresim quandam precibus ipsius Cyrilli, & Eusebij, Hieronymíque iam cum Christo regnantis meritis, qua die mortui fuerant, resuscitati sunt: palam testari cœperũt, se Hieronymo duce loca paradisi, infernique purgatoriique perlustrasse: & cum damnandi essent, eiusdẽ apud Deũ gratia antequam iudicarentur, ad vitam redire iussos. Enarratis igitur omnibus quæ vidissent, sola infernalium pœnarum recordatione à lacrymis temperare nullo modo poterant, quòd dicerent, tales ac tantas esse pœnas illas, vt nullæ penitus excogitari possent, cum ipsis comparandæ. Itaque sine intermissione flebant, donec peracta 20 dierum pœnitentia, rursum (vt prædixerant) suis exuti corporibus decessère, non vt prius ad mortem, sed ad vitam. Perpendamus horum testimonio, horúmque luctu, quàm immensum malum sit illud, quod cum nullo malo conferri queat, & cuius timor lacrymas cohibere non sinebat. Horum quoque pœnitentiam imitemur, qui tam pauculorum dierum fletu tantam euaserunt perniciem, & simul beatitudinem consecuti sunt æternam.

Idem Cyrillus refert, dum mœstus oraret, indicari sibi petens, qualiter se haberet RVFFI nepotis sui nuper defuncti anima: se fœtorem primò sensisse supra modum grauem, neque naribus omnino nisi compressis tolerabilem: mox deinde ipsum Ruffum conspexisse cathenis candentis ferri præcinctum, flammas fumo mixtas ore vomentem, & toto prorsus corpore ex ardoribus, quos intra se habere videbatur, scintillantem. Cúmque hoc spectaculo conterritus miraretur, & vehementer expauidus quæreret: quam ob culpam iuuenis moribus integer, & ob id quondam omnibus charus, talibus pœnis dignus iudicatus esset: ab eodem didicisse, nihil ei aliud crimini fuisse datum, pro quo ita vexaretur, præter aleæ lusionem, quoniam ipsa identidem vsus esset, & leuissimum vel nullum peccatum existimans, illud sacerdoti confiteri neglexisset. O seuera diuinæ iustitiæ iudicia, & expauescendum examen, si vnũ in homine vitium, tot virtutibus quæ eidem inerant, non compẽsatum, vt ipse à damnatione liber esset: quomodo illis compensabitur, qui pleni flagitiis nulla cum probitate decedunt? Et si tam sæuos patiebatur cruciatus aleæ lusor: quales quæso passuri sint, fœnerator, fur, adulter, homicida, vel hæreticus, vel idololatra? Non dubitamus quin isti grauius peccent: proinde nec dubitemus, præter hæc Ruffi supplicia esse adhuc quædam multo grauiora.

QVIDAM in finibus Valeriæ prouinciæ ægrotans, priusquam Seuerus presbyter ad ipsum à peccatis absoluendum adueniret, diem suum obiit. Mox die eodẽ, Seueri lacrymis ac precibus, annuente Domino reuixit. Interrogatus, quid sibi cum è corpore migrasset contigerit: respõdit, se à quibusdam hominibus nigrioribus, quàm Æthiopes sunt, & qui ore naribúsque ignem efflabant, repentè correptum fuisse, & per opaca loca atque aspera raptim deductum. Sed dum adhuc duceretur, à candidissimis iuuenibus, multáque luce corusantibus obuiam factis dimitti, ac vitæ pristinæ restitui iussum, quòd dicerent, Seuero presbytero hoc poscenti, Deum concedere. Igitur cum peccata sua eidem confessus pœnitentiam peregisset, die septimo iterum, sed felicius, obdormiuit. Terribiles illi nondum confesso, cum per tenebras traheretur, dæmones fuère: hauddubiè terribiliores futuri, si ad gehennam vsque pertraxissent. At verò quàm fortis Seueri pietas, qui de ore tam rapacium luporum eripuit prædam, & animam ab Orci faucibus auulsam inseruit cœlo? Ex quo liquet, tunc maximè sanctorum precibus nobis opus esse, cum expiramus. Iam iudicatis nihil proficiunt preces. Nulla est in inferno redemptio. Marulus ex Gregorio, vt & sequentia.

THEODERICVM Italiæ regem Arianum, solitarius quidam in Lipara Siciliæ insula Deo seruiens, in foueam illam quæ flammas eructat, vinctum deiici vidit à Ioãne papa, Symmachóque patricio: quos ille catholicam tuentes fidem non multo antè occiderat. Meritò ab ipsis præcipitari visus est, quos ipse præcipitatos in mortis ignominiam putauit, dum martyrio coronarentur. Deprehensum quoque est eodem die ipsum interisse, quo talia de illo solitarius viderat. Opinor locum illum in quem est deiectus, sicuti & alia quæ in illis circa Siciliam insulis, atque in ipsa Sicilia perpetuò ardere constat, infernæ fornacis infumibulũ esse, & flãmas ac fumum ipsum inde à gehennæ igne sursum versus euaporari. Si enim is ignis eiusdem cum nostro naturæ esset, vnde illi materia sufficeret, per totiam secula assiduè flagranti? nonne iampridem insulas illas omnes in nihilum redegisset? Is ergo ignis est, qui ad cruciandum factus est, non ad consumendum, nisi fortè quòd consumpto aut terroris aut pœnę plus adiiciat. Si quis autem nosse cupit, quàm alta profunditas sit à summo ore bullientis foraminis ad vltimum vsque inferni fundum, Theodericum interroget: quem ideo totum præcipitium illud emensum credimus, quia nullum crimen grauius est quàm ab ecclesiastica dissentire veritate, & hæresum prauitatibus implicari. Quo autem minus dubitemus esse apud inferos tormentorum ignem, hucusque illum nostris oculis visendum diuina prouidentia iussit promicare.

EVMORPHVS Romanus, Gallæ viduæ filius, cum animam ageret, clamare cœpit dicens: Pergite citò accersitum mihi Stephanum Optionem. ecce enim nauis ambos nunc ad Siciliam vectura in portu nos pręstolatur, iàm oram soluit, iam vela suspendit. Insanire putabatur, donec rursus morantes famulos increpans: Non insanio, inquit, agite iam ite, si libet, & quod volo, perficere ne cunctemini. Dum eunt, audiunt Stephanum illum decessisse: dum redeunt, Eumorphũ extinctum offendũt. Vtriusque exitus eodem temporis puncto contigit: vt talis euentus doceret, haud temerè visum eos ad Siciliam euocari, vbi Ætna, sicut & infernus, igni flagrat inextinguibili.

Quo tempore Gotthi Italiam vastabant, REPARATVS Romanus, improbus magis quàm ignobilis vir, dum defunctus plãgeretur, reuixit: Et mittite, inquit, ad ecclesiam Laurentij martiris sciscitatum, quid Tiburtius presbyter agat. vidi enim eum rogo impositum acriter torreri: vidi & alium rogum, qui flammæ mucrone cœlum lambere videbatur: de flamma quoque vocem ærumpentem audiui, quæ indicaret, quis ille esset, cui pœna hæc parabatur. His enarratis, repentè obmutuit, non sidere, sed morte percussus: atque iterum illuc, vnde redierat, abiit. Tiburtius etiam infœlicem animam tunc exhalasse compertus est, de quo hominum præiudicium factum fuerat, nemine non vitam illius detestante. Cùm enim presbyter esset, nihil presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Reparato autem alios admonendi, non sui à perditione liberandi copia data erat. Deo per illum cæteris consulente, vt cauerent eorum vitia imitari, quos ad gehennam damnatos satis certo indicio cognouisset.

In Valeriæ prouinciæ regione fuisse CVRIALIS quidam perhibetur: qui cum in vigilia Paschæ filiam cuiusdam sibi amicissimi iam adultã ad baptismum tenuisset, contracta spiritali necessitudine eam illo die secum manere petiit. concessam lautè atque opiparè accepit, & quasi à se genitæ amoris signa ostendit, longè alium amorem celans in corde. nocte enim superueniente, misellam nihil tale timentem inuadens vitiauit. Cæterum cum illuxisset, tanti sceleris conscius ad ecclesiam procedere verebatur. Ne tamen de se suspicionem aliis generaret, si tam solenni festo sacris non interesset, perrexit non cum modico diuinæ vindictæ timore. Sed diei illius impunitas reliquorum securitatem suppeditauit: quasi verò malorum obliuiscatur Deus, si non ita citò castiget. Die igitur septimo post commissum flagitium, cùm sanus ambularet, repentè concidit mortuus. Cúmque sepelissent eum, flamma de tumulo erumpens ardere non desiit, donec cadauer simul cum conditorio cõsumpsit. Hinc coniectari libet, quanto vehementius anima eius viuens ac sentiens torqueatur in inferno, cuius exanime & insensibile corpus comburi dignũ fuit in sepulchro.

MONACHVS quidam natione Iberus, cui Petro nomen fuit, cùm non satis monasticè viueret, mortem obiit. Mox autem corpori restitutus, dixit se vidisse inferorum tormenta, perpetuúmque gehennę ardorem. Cúmque propè esset vt & ipse in ignem proiiceretur, ab angelo fuisse ereptum: & mortalem vitam, quam reliquerat, redire iussam, hoc addito, vt iam disceret qualiter sibi deinceps viuendum esset. In tantum itaque postea immutatus est, vt ipsa corporis maceratione se verè vidisse testaretur, quod tantopere timeret.

STEPHANVS Romanus, vir sua ætate illustris, Constantinopolim profectus, in valetudinem incidens, vita decessit. Et quoniam ij qui illum comitati fuerant, officij gratia corpus eius ad patriam referre volebãt, quęsitus est pollinctor, qui illud exenteratum sale condiret, ne in itinere putresceret. Pollinctore tũc non inuento, is qui mortuus iacebat, die postero exurrexit viuus: vixítque postea non parum diu, sed minus quàm debuit emendatè: adeò quosdam ne visa quidem horrenda terrent, vt se corrigant. Narrare solebat, tunc se ad inferos deductum, vidisse formidabilia illa quæ olim audita non crediderat: & dum veluti reus ante iudicis tribunal sisteretur, dimitti iussum, reprehenso errore eorum qui ipsum adduxerant, cùm non ipse, sed Stephanus ferrarius adduci iussus esset. Se itaque restituto, eadem hora ferrarium hunc vicinum suum defunctum fuisse: & tantæ visionis fidem fecisse, ne somnium putaretur.

MILES quidam in vrbe Roma pestilentiæ morbo extinctus, cùm reuixisset, dixit apparuisse sibi pontem angustum, fluuiúmque subter labentem, tetrum admodum & caliginosum, ac fœtore incredibili grauem. At verò ad vlteriorem ripam loca amœna, & quæ oculos florum varietate, nares odorum fragrantia multum oblectarent, tum habitacula passim disposita diuini cuiusdam nitoris ac formæ: sed inter ipsa vnum cæteris maius, elegantiúsque, quod totum aureis laterculis adhuc construebatur cui autem construeretur, scire se nequisse. Considerasse tamen, quòd iusti pontem securè pertransirent, reprobi verò laberentur, & in fluuium ruerent. Tunc vidit (vt aiebat) Peregrinum presbyterum tam inoffensè per angustias illas gradum tulisse, quàm hic piè vixerat. Sed inter eos quoq; qui ceciderant, quósq; rapidi gurgitis spumosi vortices agitabãt, vidit Petrũ ecclesiasticæ familiæ hierarchã, qui quadriẽnio antè obierat, ferreis vinculis cõplicatũ, & de horribili alueo enatare frustra conantẽ. atq; iccirco ei supplicio mancipatũ audiuit, quod reos olim, quos puniẽdos accipiebat, sæuiter magis quàm obsequenter punierit. Vidit & Steph. de quo modò diximus: qui cùm trãsire pontẽ vellet, ad mediũ perueniẽs, pedibus delapsus est, vẽtre adhęsit põti. Per pedes ergo immũdis spiritib. in fluuiũ trahebatur: per manus ab angelis, ne mergeretur, tenebatur. Interim qui talia vidit, vitę restitutus, pendẽtis in põte qui finis fuerit, scire nõ potuit.

ne beatus quidem Gregorius præiudicium facere auſus,lapſum adheſionémque tantum interpretatur dicens,Deorſum deprimit carnis lasciuia ſurſum attollit eleemoſyna.Ex iis autem duobus quid in Stephano magis excelleret,incertum erat.Ideo nec totus mergi viſus eſt, nec totus emergi.Nos inde diſcamus,nõ ſic incedere vt labamur,cum tam atra & ſæua ſit perditionis æternæ vorago,cúmque tã viroſam exhalet mephitim,vt non minus fœtore ipſo cruciet,quàm vortigine fremitúque ruentium aquarum.

Fuit Romæ in monaſterio beati pontificis Gregorij(vt idem tradit)adoleſcens quidam ſecularis,cum fratre monacho manens,ita mundanæ vanitati deditus,vt nulla piæ conuerſationis præcepta admitteret, proteruus,leuis,vecors erat,vt qui magis rei familiaris defectu quam amore fratrem ſecutus eſſet.Hic ipſe peſtilentia perculſus,cum iam moriens extremos ederet anhelitus,monachis aſſidentibus,& pro ſalute eius Deũ deprecantibus,magno omnes pauore turbauit,dicens:Faceſſite hinc,cur prohiberis ne à dracone iſto deuoret,ſi illi datuꝰ ſumiam ignitis faucibus hauſit caput meum,& ſtridentibus ſquamis quaſi ferris tractim tercs enecat me.Abite quæſo,nam præſentibus vobis totum abſorbere non poteſt,&iccirco magis cruciat.Cúmque admonerentur,vt ſe crucis ſigno defenderet:Qui poſſum,inquit,cũ & manus &pedes meos caudę ſuę ſpiris circumuolutes colligarit? Hoc audito fratres in terram cũ lactymis prouoluti,ardentius pro eo ſupplicare cœperũt.Inde ipſe meliuſculus factus,gratias Deo agere,quòd exauditis fratrum precibus à ſe tam immanem beſtiam effugaſſet:inſuper vitam ſe aliam,ſi conualeſceret,inchoaturum polliceri,terrenáque omnia contempturum.Conualuit, & quod promiſerat præſtitit,tam ſanctè poſthac viuens,quàm antea petulanter. Timeamus & nos crudeliſſimum hunc draconem,qui nõ tantum caput, ſed totos penitus cupit deglutire,totos perdere,& in ardentem flammis aluũ dimittere,vt veluti fornace cõcluſos torreat ſemper,& excruciet,

Iconiæ in monaſterio(quod Tongalaton dicebatur) MONACHVS erat qui ſimulata ſanctimonia magnam apud omnes æſtimationem ſibi compararat: at verò cùm ægrotans ad diem vitæ ſuæ ſupremum acceſſiſſet,expauefactus fratres cõuocat,hyprocriſim(quam diu celauerat) prodit,&c.En videte,inquit,quò me perduxit diu mentita ſanctitas. Iciuniis me identidem affligi ſingebam,ſed occultè comedens nunquam ieiunabam.nunc inimico traditus ſum.Ecce me terribilis ſerpens tortuoſi corporis voluminibus implicatum tenet:ecce in os meum,quod clãdeſtinis dapibus replebatur,caput indidit ſuum,& lechifero morſu ſanguinem ſuctans adimit ſpiritum.Sub hæc verba miſer defecit.Quibus profectò non illi,ſed nobis conſultum eſt,vt cognito hypocritæ fine,hypocriſim euitemus.Nimis animæ ſuæ infenſus eſt, qui tam diri ſerpentis venena non perhorreſcit,cùm etiam in Hieremia ſcriptum ſit,Ecce ego mittam vobis ſerpentes peſſimos,quibus non eſt incantatio , & mordebunt vos.ait Dominus.

CRYSAORIVM Romanum,opulentum quidem, ſed ſceleſtum hominẽ fuiſſe conſtatitta vt diuitiis an vitiis magis abundarit,incertum ſit. Cùm autem graui valetudine quateretur,& iam expirans auxiaret, apparuêre illi terrirmi dæmones,ipſum certatim prehenſantes,traheréque ad inferna nitentes. Qui conterritus ac tremens,maximi filij ſui ꝺ̃pem flebiliter implorare,ſeque ſuper lectum in quo iacebat, huc atque illuc vertere miſeris cœpit modis . Nemo ſpiritus videbat, & tamen nemo illos ibi conueniſſe dubitabat,cùm illius geſtus lamentáque conſideraſſet.Poſtremò ipſe cùm iam amicorum auxilium deſperaſſet , ad hoſtes conuerſus:Inducias oro , inquit , inducias vel tantũm vſque mane.Dum hoc poſcendo ingeminat,animam exhalauit.Quàm dura igitur & inexorabilis dæmoniorum improbitas,à quibus non ſolùm pax nulla impetrari poteſt,ſed neque breuiſſimi temporis induciæperiiſſe horam arbitrantur,qua ab inferenda homini moleſtia fortè ceſſarint.Aſſiduus itaque & perpetuus eorum qui damnantur,tortor & carnifex eſt diabolus : nec ſolùm animas perditas vexans,ſed interdum etiam oſſa peremptium in ſepulturis quieſcere non ſinens.

VALENTINVM Mediolanenſis eccleſiæ curatorem , cùm Gennæ defunctus in eccleſia beati Syri martyris ſepeliretur,noctu terribili clamore exciti cuſtodes,viderunt per pedes vinctum foras protrahi à dæmoniis,vlulantem vociferantémque.Eo viſu conterriti , abierunt quiſque ad cellam ſuam. Manè verò reliquis fratribus quæ viderant referunt,& vnà cùm illis adeunt Valentini ſepulchrum , aperiunt , vacuum inueniunt,admirantur. Deinde extra eccleſiam corpus eius quærentes, illic vbi tranſpoſitum fuerat,iacere conſpiciunt,ſic vinctis pedibus,ſicuti tractum cuſtodes dixerant.

ROMÆ TINCTOR quidam in beati Ianuarij martyris eccleſia ſepultus,nocte ſequenti eiulare auditus eſt:& quòd arderet,grauiter lamentari.Manè adaperta ſepultura, veſtimenta cum quibus poſitus fuerat,inuenerunt, corpus nuſquam comparuit.Hinc conſiderandum, qualiter ænimæ illorum torqueantur in inferno,quorum etiam corpora à dæmonum iniuriis ne in eccleſia quidem condita tuta eſſe poſſunt.

In Sabinorum prouincia MONIALEM quandam fuiſſe,traditum eſt, quæ corporis caltitatem ſeruans,linguam procacitatis vitio polluebat. Cúmque diem obiiſſet extremum , & in eccleſia ſepulta eſſet , ædituus nocte intempeſta eccleſiam ingreſſus,vidit illam ante altare diſtentam ſecari per medium, partémque ſuperiorem igne cremari, inferiorem verò relinqui intactam.Manè igitur viſa fratribus narrans, dum locum in quo eam vri conſpexerat,oſtendit, deprehenſa ſunt in marmoreo ſolo ardoris veſtigia.Qui ergo linguæ intemperantis eſt , timeat tam cruentam ſectionem,timeat ignem:non ignem qui tunc in eccleſia eſt , ſed qui per illum ſignificatus eſt,ignem gehennæ , quouis alio igne æriorem.Cuius ignis tã vehemẽs erit cruciatus,vt ad maledicendũ creatori ſuo multos compulſurus ſit.Sic enim in Apocalypſi relatum eſt,Cõmanducauerunt linguas ſuas præ dolore,& blaſphemauerũt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis.Quorum impatientiam furibũdáque lamenta Eſaias cernens,dicebat:Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorãte?quis habitabit de vobis cũ ardoribus ſempiternis? Quòd ſi illum blaſphemare non verebuntur,qui paulo antè in iudicio tam timendus apparebit:ſatis conſtabit ipſos,cenſere, nihil iam poſſe ſibi inferri grauius,quàm quod illatum erit.Ex immenſitate ergo pœnæ capiẽt blaſphemandi audaciam.Ita præterea tanta vis doloris atque acerbitas, conturbabit peruertérque in illis intellectus rationem , memoriæque vigorem.Nihil cognoſcent,niſi vnde doleant:nullius rei recordabũtur, niſi cuius recordatio augebit triſtitiam.Cognoſcent quantum boni amiſerunt,dum eos peccati non pœnitet:quãtum mali ſubierunt,dum à cõmittendis malis non ceſſant.Execrabuntur parentes liberos, quòd propter nimium eorum amorem indignos ſe fecerint amore diuino : nihil penſi habentes Deum offendere,dum ipſis blandiuntur , propter ipſos auariciæ cupiditatique dediti,& ſemper per illicitos quæſtus diuitias quas eis relinquãt comparantes.Maledicet frater fratri,amicus amico , quòd ſibi perperam actorum ſocius comẽque fuerit,& non æqui aut honeſti ſedulus monitor atque conſultor.Maledicet filia matri,quòd impudicitiæ ſibi exẽplum fuerit.Maledicet filiæ mater,quòd dum eam corripiẽdo lædere cauet, p a correptionem non cauerit vltionis diuinæ. Maledicet,inquam,alius alii , dum ſuam quiſque conſideratarumnam,ſuæque pœnæ ſtimulatur aculeis.Attamen etiam quiſque (vt diximus) propinquorum amicorũmque tormentis,quos iuxta ſe cernet,torquebitur, mutuaque inter illos commiſeratio communis afflictionis erit incrementum.Vellent pœnas eorum non videre,quibus cogantur maledicta ingerere.Sua ſingulis cruciatio excitabit iram,aliena multiplicabit mœrorem.Quid multa?nihil ibi fcietur, nihil videbitur, nihil audietur, nihil ſentietur,nihil cogitari poterit,niſi quod pœnis cumulũ addat , quoque afflictos magis premat ac vexet.Heu heu teterrima damnatorum ſors: quanto melius cum illis actum eſſet,ſi omnia mala quæ hic habent poſſunt,pertulíſſent:& quæ illic habentur, euaniſſent? Nullũ crudelitatis genus eſt,cuius toleratu inferorum tormenta redimi nõ debuerint.Introibunt enim in inferiora terræ peccatores,tradenturq; in manus gladij,partes vulpium erunt:dentibus frement &rabeſcent,& omne deſiderium illorum peribit.Et vt Amos propheta ait:Leuabunt eos in contis , & reliquias eorũ in ollis feruẽtibus.Atque etiam,vt in Apocalypſi ſcriptũ eſt: fumus tormentorum eorum aſcender in ſecula ſeculorũ,nec habebunt requiem die ac nocte.Quid ergo agimus animæ quid deſidia torpeſcimus?& fallacium voluptatum blanditiis deliniti,vitæ Chriſtianæ laboré fubire cunctamur?Sit graue,in paupertate ætatem agere:niſi multo grauius eſt,ficcis faucibus anhelantem, vna aquæ ſtilla perpetuò indigere. Sit ignominioſum humilitate ſubiici,& ſe nihili reputare : niſi multo ignominioſius eſt,omnia immundorum ſpirituum ſudibria ſine fine ſuſtinere.Sit durum ac difficile,contempta carnis lasciuia caſtitati ſtudere : niſi multo durius difficiliúſque eſt,gehennæ flammas , abyſſi tenebras,dæmonum miurias,totius inferni multiplices variáſque horrores atque ſupplicia ſemper perpeti,ſempérque perpetienda expectare , nũquam finienda.Marul.lib.6.cap.14.

REVELATIONES QVORVMVIS BONORVM FVTVRORVM.

EXEMPLA SACRA.

ABRAHAMO apparuit Dominus,eúmque ex Hur Chaldæorum eduxit,& magnificis promiſſis futuræ poſteritatis erexit,Geneſis 12 , & ſeq. Filium mactare iubet,ſe paulo pòſt vetat,Geneſis 22.

VXORI Manuę angelus conceptionem prænunciat,Iud.13.

ZACHARIÆ angelus conceptionem Elizaberæ , & Ioannis Baptiſtæ partum prænunciauit,Luc.1.

MARIÆ ſemper virgini ϑεοτόκῳ per Gabrielem angelum ſalutifera Chriſti opt.max.conceptio fuit prænunciata.Ibidem.

Cùm HELENA prægnãs cum Monabozo(qui Bozeus eſt dictus)fratre, eodémque marito,Adiabenorum rege iaceret,& is illius ventrem manu tractaret:vocem audiuit monentis,vt modeſtè tangeret,ne filium offenderet,qui æterni Dei iudicio principium ſinémque miræ felicitatis erat habiturus.Hoc re ipſa poſtea perſpectum fuit,nam Lazatem filium peperit,qui in regno patri ſuccedens,ab idolorum impietate populum ad Iudaicum cultum tranſtulit.Fulg.lib.1.cap.4.

EXEMPLA PROFANA.

IVLIVS Proculus apud Capream paludem vidit quaſi per ſpectrum, Romuli auguſtiore forma deum factum :ſuóſque admonẽtem,vt deos colerent,& vitutem ſequerentur.tum enim fore vt Roma caput mundi diceretur.Vide Liuium,Dionyſ.& Plin.cap.2.de Viris illuſtribus.

VALERIO Publicola Col.qui poſt exactos reges bellum cum Veientibus & Hetruſcis geſſit,illis Tarquinio priſtinum imperium reſtituere,Romanis partam libertatem retinere cupientibus,Hetruſcis & Tarquinio in cornu dextro,prælio ſuperioribus,tantus terror ſubitò inceſſit, vt non ſolùm victores ipſi profugerent , ſed etiam pauoris ſui conſortes ſecum Veiẽtes traherent. Cui reipro argumento miraculũ adiicitur

adiicitur ingens, repentè vox è proxima ſylua Arſia , quæ ore Syluani in hunc penè modum miſſa traditur : Vno plus Hetruſci cadent, Romanus exercitus victor abibit. Miram dicti fidem , digeſta numero cadauera exhibuêre.Val.lib.1.cap.8.

BARTHABACES Cybelis ſacerdos , quo tempore Caius Marius aduerſus Cimbros bellum gerebat,Senatui prædixit,à dea ſe monitum, fore vt Marius hoſtes ſuperaret.Et cùm id populo declaraturus eſſet,Aulus autem Pompeius Tribunus plebis id prohiberet , ſubita ardentique febre tribunus correptus eſt:nec multo pòſt victoriæ allati fuêre nuncij. Fulgoſus lib.1.cap.6.

Cùm Adrumeti(quæ ciuitas eſt Africæ) CVRSIVS Ruffus, penes quæſtorem,in eius familia,nulla inſignis dignitate ageret, per meridiem in porticu deambulans,fœmineam vmbram auguſtiore forma,longè ſupra humanum vidit,à qua hæc verba accepit:Tu Ruffus es, qui in hanc proconſul venies.Eo prodigio ad bonam ſpem erectus , haud multo pòſt à Tiberio Africæ proconſulatum obtinuit.Id quod viſionis euentum impleuit.Idem.

Spoliatus in Italia paterno regno PERTHARITES,aliàs Pertaris, Longobardorum rex, à Grimoaldo Beneuentano duce, quem in diſcordia frater eius ad ferendam opem vocarat,cùm ex Gallia in Britanniam omnium egens traiiceret,vocem ſine vllo certo auctore audiuit, monentis, Grimoaldum mortuum eſſe:& propterea hortantis , vt ad paternum regnum rediret. Is igitur in Italiam rediens , nullo labore regnum quod amiſerat,recepit.Ibidem.

REVELATIO MORTIS BEATÆ ET PRÆCLARÆ.

Quibus hora mortis reuelata eſt.

Conſule tit. Reuelationum beatitudinis propriæ.

EXEMPLA SACRA.

Aſcenderunt Moyſes & Aaron iuxta mandatum Domini in montem Hor,coram omni multitudine. Cúmque AARON expoliaſſet ſe veſtibus ſuis,induit eis Eleazarum,& mortuus eſt ibi Aaron.Num.20.

Beatus MARTINVS Turonenſis epiſcopus , obitum ſuum multo antè prædixit, quo iam proximo mala valetudine grauiter affici cœpit. Tunc diſcipulis ſtentibus:Nec mori,inquit,timeo,quia pij Dominũ ſumus:nec viuere recuſo,ſi vobis adhuc neceſſarius ſum.Languens autem,& morbo tantum non conſumptus,cubabat in cilicio & cinere, neque alio inſtratu Chriſtianum mori oportere aiebat . Sublatis in cœlum manibus ndeſinenter precabatur . Diabolum vidit:ſed cùm expiraſſet, eum angelis abiit,quorum cantus in ſublime volantium quidam ſentire meruerunt. Tam ergo glorioſè ad immortalitatem aſcendit, quàm humiliter mortalitatem finiuit.Marul.lib.5 cap.10.

ANTONIO monacho qui Romæ in Gregoriano monaſterio vitam piè ſanctéque degebat,die quodam dictum eſt:Paratus eſto : & quia Dominus iubet,migra. Qui cùm ſibi viatica ad migrandum deeſſe reſponditſſet:audiuit,ſi de peccatis ambigeret,iam dimiſſa eſſe ſciret. Multum tamen ille hac de re dubitare cœpit , & ſequenti nocte quum ſe ſopori dediſſet, eodem oraculo ſollicitatus dubitare deſiit. Exinde die quinto febris repentino æſtuans ardore animam reddidit exactori ciũs Deo tam feliciter quàm libẽter Et quis enim adeò mortis pauidus eſſet,vt inuitus hinc cederet,dum ſic euocaretur:Ibidem.

BENEDICTVS abbas die ſui ſuum poſtremum præcognouit : & quibus hoc indicauerat ne cui,antequam euenilſet,dicerent,iniunxit. Sexto autem die ante euentum aperiri tumulum iuſſit , & febricitare cœpit. Deinde ingraueſcente morbo , in oratorium delatus , ſublatis manibus Deo ſe commendans , inter diſcipulorum manus expirauit ea ipſa qua prædixerat die. Quidam in viſu viderunt viam in ſublime cendentem, panno ſtratam,multiſque lampadib.quaſi ſtellis fulgẽtem: & reſponſum accepère,patri Benedicto,per quam ad cœlum aſcẽderet paratam. Quibus quæſo gloria illa,qua quam fruendam pergebat , ſi talis via quam calcabat?Ibidem.

GERMANVS Pariſienſis epiſcopus ſupra lectulum ſuum inſcripſerat, Quinto Calendas Iunias.Nemo inſcriptionis cauſam noſſe potuit , donec eodem , qui notatus fuerat, die ipſum vita defungi contigit. Quid hoc eſt, niſi quia digni ſumus diem tranſitus ſui non ignorare, qui ſemper parati ſunt tranſire?Ibidem.

CVDBERTVS (vt Beda ſcribit)primò monachus,deinde epiſcopus, obitum ſuum in proximo futurum , ſibi duinitùs prænunciatum , Herberto preſbytero , quem chariſſimum habebat, indicauit. Et ille ne in morte quidem talem amicum deſerere cupiens, obſecrare cœpit, vti ſe quoque ea in re comitem aſumeret . Tunc epiſcopus Deum aliquandiu precatus:Heruerte,inquit,Dominus noſter te voti tui compotem facit proinde præpara te, mecum vnà deceſſurus. Itaque anno pòſt , quamuis locorum interuallo diuerſi manerent quum die qua prædictum erat,deceſſiſſent : iunctis tamen ſpiritibus,cœlum ſimul petiere. Grandis charitas,commori amico deſiderãtis:ſed maior fœlicitas,quod deſiderauerat impetrantis.Idem.

Venerabilis BEDA presbyter Domino reuelante præ nouit,die tandẽ quinquageſimo ſe à corporis vinculis exoluendum. Itaque feſto die Dominicæ aſcenſionis,dum in eccleſia cum cæteris veſperas celebraret, nulla ægritudine affectus,atque etiam ſtans in hemicyclo,cubitiſq; innixus,finitis veſperis expirauit:mirabiliſque odoris fragrantia ſubſecuta eſt, vt planè quo die in cœlum Chriſtus aſcenderat, eodem & ſeruum Chriſti,relicto in terra corpore aſcendiſſe,nemo dubitaret.Ibidem.

LIBERALEM, qui Altini genitus,Tatuiti ſepultus eſt, oraſſe perhibent huius vitæ finem:& ipſum exauditum , angelo nunciante didiciſſe. Poſt hæc vicinas inuiſiſſe eccleſias,& in ea quæ ſancti Laurentij eſt,Deo animam reddidiſſe. Quid miſera mortalitas longioris ætatis annos expetis?Tædet ſanctos diu viuere,dum ad vitam,quæ in Deo eſt,proficiſci feſtinant.Ibidem.

CASSIVS Narnienſis epiſcopus, euchariſtiam ſumpturus , crebrò in ſtetum prorumpebat.Et Dominus cuidã presbytero per viſum apparens: I,ait,nuncia Caſſio, vti operi ſolito conſtanter incumbat, natali die Petri & Pauli apoſtolorum accepturus laboris mercedẽ. Perſeuerauit Caſſius,& anno demum ſeptimo pòſt, ſed ea qua prædictum fuerat die vita defunctus,pro modicis lachrymis gaudia percepit æterna. Marul. libro 4. capite 10.

AMATOR Antiſiodorenſis epiſcopus, qui etiam in matrimonio virginitatẽ ſeruare potuit, vltimum ſibi diem imminere præſciuit. Et cùm ad eccleſiam perrexiſſet, ſermonémque ad populum habuiſſet , in ſolio ſuo ſedens,animam efflauit.Quam ſub columbæ effigie in ſublimevolãtem,quidam conſpexere,vt eo viſu & puritas virginitatis,& meritum patefceret ſanctitatis.Marul.lib.5.cap.10.

IVONEM presbyterum tradũt diem,qua mortem obiturus erat,prædixiſſe,ac ne cũ ægrotaret quidem, conſuetæ abſtinentiæ modum remiſiſſe.Poſtremò,corpori & languini Domini communicatum, die noctéque intentis in imaginem crucifixi oculis orando perſeueraſſe, & altero illuceſcente die ſpiritum reddidiſſe. Igitur dum paſſi Domini ſupplicia inſatiabiliter conſiderat, dum ipſum obſecrare non ceſſat , reſurgentis gloriam hora ipſa qua reſurrexiſſe dicitur,vidit,& à dextris patris ſedentem iam ſine fine beatus conſpexit.Ibidem.

SEVERVS præſul Rauennas , tempore Iuliani principis, prænoſcens vitæ ſuæ exitum , aperto ſepulchro inter filiam & vxorem ſe mediũ collocari iuſſit.Vplat.lib.19.Anth.

PETRVS D.Gregorij pont.max. diſcipulus, pluries capiti ipſius Spiritum ſanctum in figura columbæ inſediſſe vidit.Cúmque id prodidiſſet: Ne credite,inquit, niſi me nunc mori conſpexeritis. Hac tanta veri aſſertione vſus eſt, vt inuidiam nonhullorum reprimeret,qui ſcripta pontificis laceſſentes, delenda, igníque tradenda cenſebant. Sciebat autem moriturum ſe,vt primùm ſecretum illud vulgaſſet. Ipſo igitur Petro , ſicuti prædixerat,moriente, expauefacti aduerſarij,illum quem paulo antè petulanter mordere non dubitarant,venerari cœperunt,ſanctúmque ac beatum dicere. Itaque Gregorij beatitudinem,& qui ſciebat.moriendo probauit:& qui liuebant, admirari compulſi ſunt. Marul . libro ſexto cap.16.

AGILVS Resbacenſis abbas,cùm annos plurimos Deo ſeruiſſet, confidenter precatus eſt,vt è vita decederet.& reſponſo accepto,eiuſce voti peracto biennio compotem ſe futurum,gaudere cœpit : vtpote qui tum demum veram vitam inchoaturus eſſet, cùm hanc finiſſet. In obitu eius Ado monachus lætantium angelorum cantus audiuit.Duo præterea, alter febri laborans,alter dentium dolore vexatus, tactu corporis eius curati ſunt.Si quis igitur viſionum relationibus parum credit, experimento credat operis. Palàm eſt beatas eſſe animas eorum , quorum mortua corpora tanto adiumento viuis ſunt.Ibidem.

ANASTASIVS abbas,è ſaxo, quod monaſterio ſuo imminebat , vocem exaudiit,ſecum quinque alios vocantem,cuius vocis autorem nullum videbat: nec multo pòſt ſeptimus quoque fuit vocatus , qui omnes eo ordine quo vocati erant, haud multo pòſt mortui ſunt.Fulgoſ.libro 1. cap.4.

AMATAE in Thebaidis monaſterio abbatiſſæ Colonatus martyr apparuiſſe dicitur , & vt proximo Dominico die ad eccleſiam ſuam cœnatum veniret,eam inuitaſſe.Ipſa igitur quæ per annos quadraginta limen monaſterij nunquam tranſgreſſa fuerat,tunc primùm vt martyri morem gereret , exiit, & cœnulam quam ſecum tulerat in eccleſia eius peregit. Inde reuerſa, ſororibus propediem ex hac vita ſe migraturam prædixit. Ac poſt biduum nulla corporis infirmitate laceſſita , vbi ſe veluti ſepeliendam compoſuiſſet, expirauit Omni meſſe dulcior cœna, mannaque ſuauior, cui cœleſtis conuiuij nũquam defuturæ dapes tam feliciter ſucceſſere.Marul.lib.5.cap.10.

GALLA Chriſto dicata , in monaſterio quod apud ædem Petri apoſtoli Romæ ſitum erat , dum cancri morbum in mammilla patiens iaceret, duo cãdelabra ante lectulum eius ex monaſtico forſaſſe inſtituto accenſa per noctem lucebant: inter illa medius idem Apoſtolus ipſi apparuit,cuius repentino conſpectu læta magis quàm perterrita, interrogauit,eſſent ne delicta ſua ſibi dimiſſa:& cùm dimiſſa eſſe accepiſſet,ab eodem euocata,vt iam ex hac vita ad meliorem migraret:Rogo, inquit,vt ſoror Benedicta mecum veniat.& reſponſum accepit , alteram nunc ſecum venturam:Benedictam autem die poſtea trigeſimo ipſas ſecuturam. Abiit viſo,atque illa excitis ad ſe ſororibus,quod viderat,enarrauit. Inde die tertio cum illa quam Apoſtolus prædixerat , ſimul mortem opetiit.Die deinde trigeſimo,Benedicta quoque moriens oraculum impleuit Idem.

ROMVLA Redemptæ religioſæ fœminæ diſcipula , Chriſto fideliter

Romæ seruiebat. Sed dum debilitatis paralysi membris langueret, Redemptaque & altera discipula iacenti assideret, subita lux in cubiculo resulsit, & assidentium oculos pariter mentémque perstrinxit. Mox etiam intrantis turbæ strepitum audierunt, sed neminem viderunt. Excessit lumen, & secuta est odoris grata suauitas, quæ pauorem quoque ex luce illa tumultuque conceptum leniret. Sub hæc Romula ipsa: Nolite timere, inquit, non morior modò. Postea verò die quarto, cùm sacram communionem accepisset, pro foribus cellulæ eius psallentium chori auditi, & illa corporis vinculis expedita, cum iisdem cœlum petiit. Quis dicere queat, quâ illi iucunda mors erat, quæ moriendo supernæ felicitatis tantam prægustabat dulcedinem? Idem.

ETHNICA.

PHERECYDES Syrus mortem suam præcognouit. Vide tit. Animare suos ad bellum.

BONORVM PRÆSENTIVM REVELATIO DIVINA.

EXEMPLA SACRA.

CORNELIVS angeli iussu Simonem Petrum è Ioppe accersiri curat: Actorum 10. Quem idem angelus noua visione, ne à Gentilium conuersatione abstineret, monuit.

PAVLVS nocturna visione à Macedone, vt in Macedoniam Euangelij causa properaret, inuitatur. Act. 16.

PHILIPPO apostolo angelus imperat, vt proficiscatur versus meridiem, eunuchum conuersurus. Act. 8.

EXEMPLA PROFANA.

Bello Macedonico P. VATINIVS, Reatinæ præfecturæ vir, noctu vrbem petens, existimauit duos iuuenes excellentis formæ, albis equis insidentes, obuios sibi factos nunciare, die qui præterierat, Persen regem à Paulo captum. Quod cùm senatui indicasset, tanquam maiestatis eius & amplitudinis vano sermone contemptor, in carcerem coniectus est. Postquam Pauli literis illo die Persen captum apparuit, & custodia liberatus, & insuper agro ac vacatione donatus est. Val. Max. libro primo capite octauo.

Victoria de L. Antonio parta, qui à DOMITIANO defecerat in Germania, eo ipso die quo parta fuit, Romæ palàm fuit nunciata, populo theatrales ludos spectante: quæ victoria postea per certos nuncios, etsi magnis venêre itineribus, intra multos dies cognita non fuit Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Apud FLORENTINOS (quo die Aretinus populus in Campaldini campis superatus fuit) cùm vrbanus magistratus, penes quem imperium est, nocturnis vigiliis defessus, per meridiem quiesceret, clarè pulsantium ad ostia strepitum audiuit, qui prælio victos Aretinos nunciauerunt. Excitatus hoc nuncio magistratus, cùm propter rei magnitudinem à tota vrbe ad prætorium fieret concursus, nunquam victoriæ quæ nunciata erat, autor est inuentus: neque antè de prospera pugna literæ Florentiam, quàm nocte, quæ eam sequuta est diem, allatæ fuere: neque enim loci interuallum afferri celerius humana ope permittebat. Ibidem.

POENÆ, VLTIONIS, MALORVM FVTVRORVM *reuelatio.*

Monstrauit SAMVELIS vmbra Saulo vigilanti, quàm tristis pugnæ exitus regem Saulum, & omnem regis progeniem maneret. Sed ferox ille nimis, qui tam funesto prælio non abstinuit, vel quòd abstinere non potuit, aut certè quia non credidit. Sab. lib. 9. cap. 5.

HELISÆO propheta in Galgalis edito, bos aurea in Selom clamore maximo uociferata est. Excidium enim suum diabolus præuidebat. Epiph. in Vitis proph.

Paulò antè quàm IVDAEI propter scelus suum à Vespasiano Augusto delerentur, diu supra vrbem cometes in gladij formam apparuit: sæpiusque noctu, aperto sine humana ope templo, diræ voces clamantium, Hinc abeamus, exauditæ fuerunt. Nec sine Iudæorum terrore (licet aliud esse interpretarêtur) armorum strepitus, turbarúmque sonus ad humanas aures peruenit. In Paschate quoque ducta ad aram vitula vt sacrificaretur, ante aram peperit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

M. BRVTVS cùm ex Asia in Europam traiiceret, nocte intempesta in tentorio spectrum terribile conspexit, & quisnam esset interrogauit. Respondit: Cacodæmon tuus sum, meque in campis Philippicis iterum videbis. Videbo, respondit vir verè Romanus. Viso disparuit. Postquam in Macedoniam venit, ea nocte quæ postrema vitæ Bruti fuit, iterum idem spectrum vidit, & sequenti die à M. Antonio cæsus fuit. Idem.

Cùm domi suæ OPICINVS Cacia Nouariæ per meridiem solus deambularet cogitabundus, vocari se nominatim, neminem videns, audiuit, & postea dici: Velles ne vt filius tuus moreretur? Cui cùm nulla ad cogitandum mora interiecta, Velle se, dixisset: deinde ad se reuersus, ita tim quod annuerat, negasset: ob prodigij atrocitatem, mœroris plenus erat. Itaque intra triduum Ioannes Baptista eius filius, quem vnicum habebat, in aduersam incidit valetudinem, & biduo pòst decessit. Ibidem.

LVDOVICI Alodisij pater, qui Imolæ rerum potitus est, haud diu posteaquam decesserat, homini à secretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat in itinere equo insidens cum accipitre (vt in aucupio mos ei erat tenere) apparuit: huicque quanquâ magna capto formidine dixit, vt filium moneret, vt postero die in eum ipsum veniret locum, quoniam magni momenti res ei prædicturus erat. Ea re audita Ludouicus, tum quia non credebat, tum quòd insidias uerebatur, alium pro se misit. Ei illa ipsa vmbra, quæ antè apparuerat, obuiam facta, vehementer indoluit, quòd filius non venisset: longè enim plura ei dicturam se fuisse affirmabat. Sed tunc illud tantùm referri iussit, quòd transacto scilicet 22. anno, ac præterea vno mense, die quoque specificè addito, vrbis imperium quod obtinebat, esset amissurus. Vt tempus, quod vmbra prædixerat, aduenit, adhibita magna cura ea ipsa nocte, quam patris manes suspectam fecerant, ducis Philippi Mediolanensis (cui is fœdere iunctus, propterea ab eo non timebat) milites glacie magna constrictis fossis ad muros penetrarunt: adhibitisque scalis, vrbem cum ipso principe ceperunt. Sabellicus lib. 1. cap. 4.

MALORVM EVITANDORVM REVELATIO.

EXEMPLA SACRA.

NOACHO Dominus præcipit fabricam arcæ ingredi, & egredi iubet, tandem benedicit. Gen. 6. & seq.

IOSEPHO Christi altori angelus de vitanda Herodis tyrannide nũciũ affert: eumque mortuo Herode in patriam redire iubet. Matth. 1. & 2.

PROFANA.

CONSTANTINVS Magnus contra Maxentium pugnaturus, in cœlum suscipiens, crucisque signum videns, statim audiuit: In hoc signo, Constantine, vinces. Multata igitur tota militiæ ratione, insignibusque militaribus omnibus cruce insignitis, præclaram inceruentámque victoriam consecutus, Maxentium oppressit: & recepta vrbe Roma, primus author fuit, vt Christiana pietas publicè susciperetur. quam posteritas omnis, suo in primis iudicio, complexa, constantissimè in omne æuum vniuerso propagaret orbi. Egnatius lib. 1. cap. 4. & Sab. lib. 9. cap. 9.

SOCRATES de genio suo ad Theagenem Demodocum, aliósque multos dicebat, persæpe sanctam pompæ vocem sibi obtingere, quæ eius quod facturus esset, dehortationem & intermissionem significaret, adhortaretur nunquam. Atque etiam si quis amicorum de aliqua re verba faciat, & illa vox audiatur, rursus à proposito reuocat, suíque consilij participem facit. Testem huius rei citabat Charmidẽ, Glauconis filium. nam cùm se Charmides præparare vellet ad ludos Nemæa, incipiente eo loqui ad Socratẽ, hæc vox audita est, & Socrates Charmidem dehortatus est ab instituto: qui cùm nollet obsequi, dignas temeritatis suæ dedit pœnas. Ælian. lib. 8.

C. HOSTILIVS Mancinus consul, in Hispaniam profecturus, cùm ab Hercules portu, quò pedibus peruenerat, nauem conscenderet, talis vox sine vllo autore ad aures eius peruenit: Mancine mane. Qua territus, cùm itinere conuerso Genuam petisset, & ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abiit. A Numantinis victus, turpem deditionem fecit. Val. Max. lib. 1. cap. 6.

DIVINI AVXILII, OMNIA MALA PROPVLSANTIS, *Reuelatio.*

Consule tit. Cella diuino auxilio confecta. Item tit. Benignitatis diuinæ erga homines.

EXEMPLA SACRA.

ISRAELITIS ex Ægypto fugientibus, angelus Domini tulit suppetias, seseque medium inter castra Iudæorum & Ægyptiorum interposuit. Exodi 13.

GEDEONI angelus apparuit, & ad populi liberationem exhortatus est. Iudicum 6.

HELISAEO ab exercitu Syrorum circundato, multi apparuerunt angeli, defendentes eum 4. Reg. 6.

ANGELVS Domini vna nocte percussit centum octogintaquinque millia virorum in castris Assyriorum 4. Reg. 19.

AZARIAM cum sociis in fornace ignis angelus comitatur, & eripit. Daniel. 3.

DANIELEM

DANIELEM in leonum antro angelus Domini seruauit. Daniel. 10. Eique multa reuelata sunt mysteria, & per Habacuc prophetam ex Iudæa in Chaldæam angeli ministerio cibus delatus. Dan. 10. & seq.

Cùm IVDAS Machabæus cum Timotheo pugnaret, quinque equites aureis frenis in Iudæos concitabantur, & ex iis duo Iudam protegebant. 2. Machab. 10. Idem pugnaturus contra Lysiam, equitem in candida veste, armis aureis hastam vibrantem, hostes conspexerunt. 2. Machab. 11.

TOBIAE iunioris dux fuit Raphael angelus, Saram eius vxorem à dæmonio liberauit, patri cæco visum restituit. Tobiæ 5. & seq.

HELIODORO templum spoliaturo & direpturo, eques terribilis apparuit, & deterruit. 2. Machab. 3.

APOSTOLOS è carcere angelus eduxit. Act. 5.

PETRVM ex carcere angelus educit. Act. 12.

Gradonico duce Venetiis, cùm aquę omnes & stagna ita subitò excreuissent, vt omnes de salute desperarent: proditum pro certo memoriæ est, noctu intempesta occurrisse latenti PISCATORI tres humana specie, qui nauigium ingressi magnis precibus ab eo contenderent, vt sese incolumes ex ea turbine seruaret. Ille verò accepta conditione, in littus sic eos deduxit, vt tandem quiescente tempestate, aquísque decedentibus præmium ab ipsis acceperit: à diuo Marco annulum suum, quę principi offerret: asseréretque sua ope præcipuè à se diúque Nicolao & Georgio seruatam esse vrbem. Id quum piscator manè ad ducem profectus enarrasset, certæque rei indicium annulum protulisset: tunc dux piscatorem præ gaudio complexus, & annuo stipendio viuentem donauit, & rei monimentum perpetuum posteris esse voluit. Egnat. libro primo cap. 6.

EXEMPLA PROPHANA.

SIMONIDEM à ruina ædium, in quibus Phocas conuiuabatur, præseruarunt duo iuuenes (genij videlicet) qui paulo antè ruinam eum euocarant, & repentè disparuerant. Vide tit. Memoria excellentes.

Bello Latino CASTOR & POLLVX apud Lacum Iturnæ visi sunt equorum sudorem ablueresicùm ædes eorum, quæ fonti iuncta erat, sua sponte patuisset. Valerius Maximus lib. 1. cap. 6.

POENÆ ET VLTIONIS DIVINÆ PRÆSENTIS REVELATIO.

CAINVM Dominus ante cædem admonet, post cædem Abelis fratris reprehendit. Gen. 4.

DAVID angelum vidit populum peste perimentem, propter censum populi. 2. Reg. 24.

SAVLVS Damasco appropinquans, de cœlo tactus, Iesum, quem persequebatur, vix tandem agnouit: & ope Ananiæ, ductu angeli, resipuit. Act. 9.

C. CASSIVS cùm in acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, vidit humano habitu augustiorem IVLIVM Cæsarem, quem in senatu interfecerat, purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo, in se impetum facientem. Quo aspectu perterritus, tergum hosti dedit, voce illa prius emissa: Quid enim amplius agas, si occidisse parũ est? Val. Max. lib. 1. cap. 8.

NERONI paucis ante ipsius cædem diebus, de Mausoleo Augustorum vox exaudita fertur, nomine eum ciens. Suetonius.

Erat MAVRICIVS Imperator Gregorio pontifici infestus. Obseruatus est quidam omnibus ignotus monastico habitu, strictum tenens gladium: quem gladiatoris statuę circunferens, alta intonuit voce, Mauricium ferro periturum. Abstinuit ille vim, tali territus ostento: periit tamen nihilo secius. Sabellicus libro nono, capite octauo: & Fulgosius libro primo, capite quarto.

PROPHETÆ.

Qui veri Dei afflatu & instinctu futura prædicãt, Prophetæ in veteri Testamento dicti fuerunt. Et qui vel apud ethnicos, vel etiam apud nos priuati, & absque manifesto aliquo enthusiasmo præsagiunt, vates in genere appellantur. De prophetis nunc agamus breuiter. Qui plura cupit, consulat Eusebium, qui de vitis Prophetarum exprofesso scripsit. Quatenus autem prophetæ etiam docent, sic sub titulo Diuini verbi præconum continentur.

MOSES Hebræorum dux, vaticino spiritu omnium maximè claruit. Ei Dominus in monte Sinai gloriam suam patefecit. Seruanti oues, apparuit in rubo ardenti, qui tamen non comburebatur. Deum vidit, quod mortalium nemini contigit vnquam. Decalogi præcepta accepit in tabulis æneis, quæ dedit filiis Israel. De Mose Iuuenalis:

Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

DAVID, sapientissimi Salomonis pater, diuino (vt credi par est) afflatus spiritu, partem multò maximam eorum quæ in Christo longo pòst temporis interuallo euenerunt, fatidico carmine præcinuit, humanum genus futuræ salutis admonuit. Sabell. de Iuuenta, lib. 1. cap. 5.

NATHAN, è tribu Thoc, ex vrbe Gabath Galileæ, qui Dauidis adulterium præsciuit, & regem seuerè corripuit.

ACHAS Selonites, è tribu Iuda, de Solomone vaticinatus est, quòd aliquando à Deo defecturus esset: item Hieroboami idololatriam prædixit, quòd par buccularum illum à Domino auersurum esset.

IOAM Samaritanus, Hieroboam propter idololatriam aureorum vitulorum corripuit. Hieroboamo, sublato pugno vt eum percuteret, manus consestim exaruit. Huic cùm pseudopropheta nescienti imposuisset, vt panem & aquam ab eo sumeret, leo eum in via occidit, asinum reliquit intactam.

AZARIAS de Synphata oriundus, precibus suis auertit captiuitatem. quam Iuda machinabatur in Hierusalem. De aduentu Domini multa vaticinatus est.

HELIAS Leuita, ex Thesbis Arabiæ, ter ignem è cœlo deduxit, imbrem lingua sua gestauit, filium Sareptanæ viduæ Ionam (qui propheta postea euasit) resuscitauit, curru igneo in cœlum auolauit.

HELISAEVS ex Abelmuth editus in Galgalis: eodem die bos aurea in Selom clamore horrendo vociferata est, interitum sui metuens. Aquas in Hiericho amaras conuertit in dulces. Mortuos resuscitauit. Naamam Syrum à lepra sanauit: puerum eius Giezi contrà leprosum reddidit. Fato functus, attactu suo mortuum suscitauit. De Christi aduentu multa vaticinatus est.

ESAIAS ex tribu Iuda, Hierosolymis ortus, sub Manasse rege serra in duas dissectus fuit partes.

HIEREMIAS Anathotides, apud Taphnas in Ægypto, à plebe lapidibus obrutus periit. Eum mortuum Ægyptij coluerunt, eo quòd aspides eius beneficio ex illis finibus sint profligati. Prædixit quoque simulacrorum casum, quando virgo infantem enixa, in Ægyptum ascensura esset. Hic est ille propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, & eam in saxo absorberi fecit, quam in vltima resurrectione primam resurrecturam esse pronunciauit.

EZECHIEL è terra Sarepta, plurima de populi reditu ex Babylone prophetauit, & de aduentu Christi. Occidit illum dux populi Israelitici, quia eum propter idololatriam reprehenderat. Filiis Israel precibus suis maximam copiam piscium impetrauit. Mortuos vitę restituit. Hic quãuis in Chaldæa esset, pleraque tamen populo, quæcunque Hierosolymis in templo fiebant, aperuit: & in Babylone iudicauit tribum Dan & Gad, filiósque impiorum & iumenta à serpentibus deuorari fecit.

DANIEL è tribu Iuda, patricij generis, puer in Babylonem ductus: natus is Bethebero superiore, prope Hierosolymam. Ea semper fuit morum probitate, vt eunuchus à Iudęis esse crederetur. Defleuit vrbẽ Hierosolymam. A Nabuchodonosor in caminum coniectus, illæsus abiit. Leonibus obiectus, ab Abacuc cibatus est. Pro Nabuchodonosor rege in rege in belluam conuerso, strenuè orauit: qui post septem annos pristinæ formæ restituitur, Danielem nomine vnigeniti sui Balthasar vocauit, & cohæredem regni statuere voluit. Sed Daniel noluit. Multis miraculis claruit inter Persas, & Babylone mortuus.

OSEAS filius Beeri, in Belomoth ex tribu Isacchar genitus, de aduentu Christi & apostasia gentis suæ vaticinatus est.

AMOS è Thecue, de terra Zabulon oriundus, pater Esaiæ prophetæ. A filio Amasiæ sacerdotis in Bethel fuste percussus obiit, quòd eum propter bucularum aurearum venerationem reprehendisset.

MICHEAS Marathides, de tribu Ephraim. A Ioa filio Achab regis præcipitatus periit.

IOHEL ex agro Bethor, tribus Ruben, de excidio Hierosolymorum & consummatione gentium multa vaticinatus est.

ABDIAS ex Sichẽ, agro Leththachamar oriundus, ter semicenturionem egit. Huic cùm Helias propheta pepercisset, relicto rege suo, Heliæ adhæsit.

IONAS, ex terra Cariathamaum, non procul ab Azoto vrbe Græcorum, mari vicina. Filius hic fuit viduæ Sidoniæ in Sarephtha, ab Helia propter hospitalitatem à morte resuscitatus. Hic postea ad Niniuitas missus, & à ceto est absorptus. Nota est historia.

NAVM natus ab Eclkesi trans Iordanem, versus Begabar, de tribu Simeon. Hic Niniues excidium per diluuium, & exustionem prędixit post Ionam.

ABACVC ex agro Bezochar, ex tribu Simeon, vrbis excidium à Nabuchodosore prædixit. Fugit in Oxtracinã Ismachitarum. Post abitum Nabuchodonosor in patriam reuersus, agellum suum coluit: cũmque messoribus prandium afferret, ab angelo in Babylonem ad Danielem raptus est. Prædixit populi reditum. Sed biennio antequam reuerteretur, obiit.

SOPHONIAS Sarabathides, à monte Sarabatha, ex tribu Simeon.

AGGAEVS, iuuenis admodum ex Babylone Hierosolymam profectus, & de populi reditu vaticinatus, primúsque cecinit ibidem Alleluia, Amen.

ZACHARIAS, natus Barachia, in Chaldæorũ terra, inter proficiscendũ

permulta populo vaticinatus est,& miraculis claruit.Annunciauit Iosedek,quòd habiturus esset filium,qui Hierosolymis Domino sacrificaturus esset.Benedixit Salathiel in filio Zorobabel.De Cyro quoque vaticinatus est.Item de Crœso Lydorum,& Astyage Medorum rege.Obiit in Iudæa,decrepitus,& iuxta Aggæum sepultus.

MALACHIAS è tribu Zabulon,post reditum populi in Sopha natus est, & iuuenis admodum vita apud suos functus.

ZACHARIAS alius,Ioiadæ sacerdotis filius Ioannis Baptistæ,quem Herodes interfecit iuxta aram templi cùm sacerdos esset:Hierosolymitanus erat,de familia Dauid.Post cædem illius variis spectris templum repletum fuit:nec oracula amplius ex adyto dabantur, nec ex Ephod sacerdotes aliquid colligere poterant.

SIMEON sacerdos è tribu Aaron, qui à Spiritu sancto oraculum acceperat quòd Messiam esset visurus.Dominum ergo in vlnis gestauit , & decrepitus obiit.

IOANNES baptista,filius Zachariæ & Elizabetæ,ex tribu Leui , qui digito nobis ostendit agnum Dei.Ab Herode, propter Herodiadem capite mulctatus fuit.

Paulus Diaconus ait,BAVDOLINVM quendam vitæ sanctitate conspicuum,prophetico spiritu claruisse,regnante apud Longobardos Luitprando.

Fuit & eo tempore alter, THEOLAPIVS nomine , qui præsago spiritu multa prædixit futura.

PROPHETÆ FALSI ET MENDACES.

ANANIAS Azur Gabaonitæ filius,mendaciter prophetans,per Hieremiam arguitur,deuouetúrque:Quia prophetasti, inquit , & non misit te Dominus,hoc anno morieris.Et eo ipso anno mēdacium morte luit. Marul.lib.4.cap.4.

Achabo Israelitarum regi PSEVDOPROPHETÆ plurimi authores fuerunt,vt contra Allophylos expeditionem susciperet. Suscepit , & cæsus est.3. Reg.22.

VATICINIORVM LOCA.

DODONÆVM oraculum in Epiro,in ciuitate Dodona , vbi arbores responsa dare dicebātur.Memoriæ autem proditum est,quercui Dodoneę famulantes diuinandi facultatem accipere:solísque Bœotiis,si quando consulto opus foret,viros responsa dare,primámque fagum & colūbam Dodonæ vaticinatam.Alex.ab Alex.lib.6.cap.2.

AMMONIS Iouis augustissimum & antiquissimum oraculum fuit vltra Cyrenen,in extimo sinu apud Garamantes,vbi sacerdotes aurato nauigio vehi & patriū carmen canere,petētibúsque responsa dare solebāt: quæ non verbis,sed nutu tantùm,signísque subobscuris ab Ammone edebantur.

IDEM de vtroque Herodotus libro 2 scribit, è Thebis Ægyptiis ortum suum duxisse.Namque inde duæ mulieres nigræ(fabulantur Græci columbas fuisse nigras,propter barbaram linguam) à Phœnicibus auectæ,& mox venditæ,altera quidem Dodonæ sub fago consīdens , altera verò in Africam auecta,Iouis oracula illic erigi iusserunt.

De DELPHIS multa ac diuersa tradūtur:atque in primis de oraculo Apollinis.Aiunt enim fuisse ab initio Telluris eā oraculorum sedem : & ab ipsa Tellure Daphnen,quæ præsideret, delectam : de nymphis quæ montem incolerent , Daphnen vnam fuisse,Poesin Græci habent,quæ Eumolpia appellantur. eius auctorem Musæum perhibent , Antiophemi filium.In ea proditum est memoriæ, commune Telluri cum Neptuno oraculum illud fuisse:ipsam quidem Tellurem ore suo responsa dedisse , Neptunum interpretem habuisse Pyconem. Ea de re versus huiusmodi sunt.

Telluris cuncti sanctas cognoscite voces,
Et magno Pyrcon Neptuno sacra ferebat.

Neptunus deinde Telluri dicitur parte sua concessisse. Illam Themidi oraculum totum dono dedisse.Ab ea Apollinem illud accepisse : tradita Neptuno,quæ ante Trœzenem est,Calaurea.Audiui etiam qui dicerent pastores quosdam dum pecus illàc agerent,cùm propè ad eum locum vbi oraculum fuit accessissent,repentè terræ halitu diuinitùs afflatos , Apollinis ipsius impulsu vaticinari cœpisse.Magna verò fuit nominis celebritate Phemonoe,quæ cùm Dei interpres prima fuerit, prima etiam senatiis longioribus oracula decantauit. Bœo tamen indigena mulier Delphis hymno composito,aduenas ad hyperboreis profectos,oraculū Apollini dedicasse tradidit,cùm alios,tum Olena,qui primus vaticinatus eo in loco fuerit,primúsque senarios longiores repererit. Hi sunt quos Bœo fecit versus:

Hîc posuêre tibi iuuenes penetralia Phœbe
Olim ab Hyperboreis Pagasúsque & dius Agyieus.

Enumeratis aliis Hyperboreis,in ipso hymni fine Olena nominauit:

Atque Olen,primus,cecinit qui oracula Phœbi.

Communis tamen hominum opinio priscæ memoriæ auctoritatem secuta,solas agnoscit mulieres oraculorum interpretes. Antiquissimam dei ædem,è lauro fuisse erectam tradunt : & lauri quidem ramos ex ea arbore decerptos,quæ Tempe est.Fuit ædis eius forma quasi tugurium quoddam.Alteram ædiculam narrant ab apibus è cæra & pinnulis compactam,quod ad Hyperboreos Apollo miserit.Alius etiam est ea de re sermo:Ædem fabricasse hominem Delphum,cui nomen fuit Pteras, & ex eius nomine de primis apum fabulæ locum datum.Alij verò ex herba filice adhuc viridi,quam Græci Pterin vocant,opus illud contextum & nomen habuisse ferunt.Pausanias tamen tertium delubrum ex ære ædificatum scribit.Cætera fabulosa esse,quòd scilicet Vulcanus ædem illā extruxerit,vel quòd aureæ virgines in eo templo cantarint : quod Pindarus commentus est,cùm cecinit,

Aureæ cantabant è laquearibus Flexanimæ.

Hoc templum quidam terræ hiatu haustum, alij igne consumptum dicunt.quartum sanè Trophonius & Agamedes metati sunt è lapide:quod conflagrauit anno primo,quinquagesima octaua Olympiade, principatum obtinente Athenis Erixiclide.Quod hac ætate extat, erexerunt de sacra pecunia Amphictyones, architecto Spintharo Corinthio. Pausanias lib.10.Phœbas,siue Pythia sacerdos,super tripodem stans,halitum è specu prorumpentem excipiebat:eóque lymphata,responsa dabat. Alex. lib.6.cap.2.

In templo APOLLINIS Diradiotis(à iugo nomen habentis) virgo sacerdos noctu agna facit singulis mensibus:ac statim victimæ sanguine libato,furore diuinitus afflatur.Pausanias in Corinthiacis.

Apud CANOPVM in templo Serapis,& in fano Pasiphaes , Pergami in templo ÆSCVLAPII,atque in Narbaca apud Hyrcanos,oracula ex somniis edebantur.Alex.lib.6.cap.2.

Apud Memphim Ægypti EPAPHVS siue APIS responsa dat,manu oblatum pabulum deuorans.Bos est è vacca genitus,quæ nullum dum alium potest concipere fœtum:quam Ægyptij aiunt fulgure ictam , concipere ex eo Apim.Toto corpore est niger,in fronte habens candorem figurę quadratæ:in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato , duplices in cauda pilos.Herod.lib.3.

LATOÆ oraculum in vrbe Buti apud Ægyptios erat , omnibus circà populis sanctum,& ceremoniis sacrum,porticum habens decem passibus altam.Alexius lib.6.cap.2.

Apud LIGIRÆOS in Thracia,ex intimo adyto Libero consecrato, plurimo mero hausto velut numine afflati vates,futura prædicebant. Ibidem.

DIDYMÆI Apollinis oraculum apud Milesios antiquissimū,multíque nominis,quod BRANCHIDARVM nuncupant.Fuit autem Branchus Thessalus Apollinis amasius,vel certè filius habitus:quem interfectum dolēs, templo & diuinitate sacrauit.Cuius templum deinde Xerxes incendiis& ruinis deformauit,Milesij restaurarunt.Ibidem.

In DELO insula,quæ vna ex Cycladibus est. Delij Apollinis sortes & oracula erant,cuius ædes mari imminebat,tantæ religionis,vt ne Persæ quidem cùm omnia belli iure vastarent,violentas manus admouerint. Idem.

In PATARA Lyciæ oraculum Apollinis & delubrum fuit,in quo sex anni mensibus responsa dabantur,quæ Lyciæ sortes dictæ sunt.Hinc Patareus Apollo.Idem.

COLOPHONII vates,in Colophone Apollinis sacerdotes multa aqua epota ex subiecta lacuna , spiritu diuino tacti responsa dabant. Idem.

In Attica vrbs est Oropus,Longè ab ea circiter duodecim stadia, AMPHIARAI templum est,quo scilicet loco Thebis fugientem cum curru absorptum terræ hiatu fuerunt.Sunt qui id accidisse dicant in via, qua Thebis Chalcidem iter est :qui locus Harma nunc etiam , id est Currus dicitur.Est etiam apud Oropios fons templo proximus,quem Amphiarai nuncupant.Ad quem neque diuinam rem faciunt, neque aut ad lustrandum,aut ad manus lauandas,aqua ea vti fas putant:solùm qui morbo oraculi monitu leuati fuerint, signatum aurum argentúmue more maiorum in fontem abiiciunt.Consulendi quidem causa qui accedunt, lustrantur omnes.Pro piaculo res diuina est,quam cum Amphiarao ipsi faciunt,tum cæteris,quorum in eadem ara inscripta sunt nomina.Deinde arietem immolant,cuius substrata pelle dormientes, nocturna visa expectant.Pausanias in Atticis.

Patris in Achaia,maritima ora,proximum luco Apollinis est Cereris fanū:dea ipsa &Proserpina stant,Telluris effigies in solio sedet.Pro Cereris æde fons est,qui à templo lapideo pariete secluditur.Ad eum fontem per exteriorem tramitem descenditur,ibi oraculum maximè veridicum est.Cognoscuntur ex eo non rerum omnium,sed morborum dūtaxat euenta.Speculum tenui suspensum funiculo demittunt,vt in fonte omnino non mergatur,sed imo ambitu summam aquam contingat.Vbi odores adoleuerint,& ritè deam precati fuerint, inspiciunt in speculū : & ex eius imaginibus periturus ne an victurus is æger sit,de quo cōsuluerunt,diuinant.Pausanias in Achaicis.

In Cyanæis ad Lyciæ fines Apollinis Thyrxei oraculū est,Cyanæis petris proximum.vbi qui in fontem descenderit,planè omnia quæcunque

velit,præscire posse dicitur.Idem.

In Bœotia prope vrbem Lebedō,est TROPHONII lucus & antrum. Vbi statuerit quis in Trophonij antrum descēdere,primùm dierum certum numerum est ei in ædicula quadam commorandum. Est illa Bono genio & Bonæ Fortunæ sacra. Illic degens , & alia suscipit expiationum genera,& calidis interdictum cùm sit ad lauandum aquis. Ercyna fluuio se abluit.Carnes ei de victimis largè suppeditāt. Immolat enim qui huc descendit,Trophonio & filiis:Apollini præterea, Saturno, Ioui cui Regi cognomen,Iunoni Heniochæ, & Cereri quam Europem nominant, ac fuisse Trophonij nutricem perhibent. Adest haruspex , qui cæsarum hostiarum viscera inspectat.Ex ea inspectione vaticinatur , nūquid Trophonius placatus iam,& propitius consultorem sit accepturus. Alia tamen exta non tam perspicuè Trophonij mentem denuntiant.Verùm ea qua quis nocte descendit,arietem mactat ad ipsam foueam , Agameden illum vocitans:exta cetera pro nihilo ducuntur,etiamsi maximè fuerint læta,nisi eo ipso ariete litatum fuerit.Id vbi ita euenerit,vt extorum cōsentiat significatio,bona cum spe descendit consultor. Atque hoc maximè modo initiatus,hocque ritu descendit.Deducunt sacrificuli eum noctu ad Ercynam fluuium:ibi hominem oleo perungunt pueri duo ex oppidanorum liberis,annos fermè nati tredecim:Hermas,id est Mercurios illos nuncupant. Hi sunt qui illum abluunt , quique ministrant quæ sunt opus omnia, vt puerorum est captus. Hinc non statim ad oraculum,sed prius ad amnis fontes ducitur. Sunt verò duo inter se proximi. Bibenda illic est Lethes,quæ dicitur,aqua:quo cunctorum ei,quæ memoria complectebatur, obliuio contingat.Mnemosynes deinde , id est Memoriæ, aquas potat:vt ne mens effluat, quo minus quæ intra ea penetralia viderit,omnia memoria contineat. Iam simulacrum , quod fecisse Dædalum autumant,contemplatur.nemini prorsus id ostendunt sacerdotes , præterquam iis,qui ad Trophonium sunt accessuri. Eo signo conspecto , & cum multa religione votis nuncupatis , ad oraculum progreditur , tunicam indutus lineam,ac teniis incinctus, soleis popularibus in pedes inductis.Est verò oraculum supra lucum in monte, crepido in orbem candido saxo circumsepta.Crepidinis ambitus est instar areæ minimæ, altitudine minore quàm cubitùm duum.Erecti sunt super crepidine obelisci,tam ipsi quàm zonæ,quibus continentur,ænei. Inter eos media sunt hostia.Intra ambitum specus est,non natura,sed arte,& certo proportionis modulo quàm solertissimè excisus. Eius subterraneæ cellulæ forma fornaculæ persimilis: cuius latitudo dimensa per rectam lineam ab imo ambitu ad summum,cubita æquarit plus minus quattuor.In altum subsidit hiatus,haud amplius octo ferè cubitum. Nulli verò gradus constructi sunt,qui ingressus ad imum solum demittant:sed ad Trophonium descensuris scalas admouent,angustas æquè atque habiles. Vbi descensum fuerit , media inter solum & antri testudinem cauernula est , latitudine duorum dodrantum,altitudine dodrātali.Qui eò penetrarit, humi procumbens,melle subactas offas tenens , pedes prius in cauernulam illam immittit:mox genua properat ad pedes adiūgere.Statim reliquum corpus ad genua contractum, eodem propè modo, quo si maximi & concitatissimi amnis aquarum vortice correptum fuisset,intrò abripitur. Qui certè intra penetrale descenderint, futura non vno & eodem cognoscūt modo:ex visis alius , ex auditis alius id consequitur. Per easdem fauces patet omnibus reditus,in pedes verò retrogrediuntur.Neminem omnino ex iis qui eò peruaserint,non reducem euasisse affirmant, vno excepto qui de speculatoribus Demetrij fuit.Illum certè neque eorum quidquam sacrorum,quæ fieri ad fanum illud religione sancitum est, fecisse: & non sciscitandi causa,sed quod argētum & aurum se,quod illic esset,erepturum sperarat,introisse aiunt. Eius itaque cadauer in diuersam partem, & non per sacrum hiatus illius hostium eiectum. De quo quidem homine cùm multa fuerint memoriæ prodita, ea ipse quæ narratu duxi dignissima, exposui. Consultorem à Trophonio reuersum sacrificuli in solio collocant,quod Mnemosynes vocant.positum illud est non procul ab adyto.Ab eo percontantur,quæcumque vel visa , vel audita reportarit.Ea vbi accepêre , suis illum reddunt. Hi in cellam Fortunæ Bonæ , & Boni Genij,in qua veniens primùm commoratus fuerat, eum reducunt, multo illum quidem attonitum terrore , & suimet atque omnium adsistentium oblitum.Resipiscit tamen paulo pòst,& pristina ei mens & risus redit.Scribo autem non solùm audita , sed quæ & aliis accidisse vidi , & egomet sum expertus , cùm ad Trophonium cōsulendi causa ipse etiam venerim.Coguntur sanè omnes qui à Trophonio redeunt, quæcumque vel audierunt vel viderunt, à se conscripta in tabulam referre.Hæc Pausanias lib.9.in Bœoticis.

DIONYSII oraculum in editissimis Thraciæ montibus erat. Vates dicebantur BESSI. Antistes verò,qui reddit responsā , quemadmodum Delphis,& nihilo magis variè.Herodotus lib.1.

PRÆNESTAE in Fortunæ templo peruetusto , certissima olim data sunt oracula , vbi sortes primùm à Numerio Suffio sitas fuisse fama est. Sicut Lyciæ fons sortes antiquissimis characteribus , quibus futura prænoscuntur , emittere traditur. Alexand. ab Alexand. libro primo capite 13.

ARIDALI ara apud Trœzenios erat, in qua Somno & Musis immolabatur.Responsa accepturi,integrum diem à cibo, à vino autem triduò abstinent.Alexand.lib.6.cap.2.

ÆSCVLAPII oraculum pete ex tit. Sanitatis recuperandæ somnia.

VATES.

Ethnici.

Consule tit.Sacerdotum,item Poetarum vatum, & Poetriarum.

ABARIS filius cuiusdam Seuthæ inter Scythas, scripsit oracula, quæ nuncupata sunt Scythica.Cœlius cap.22.lib.9.

ALBIGERIVS Carthaginiensis, dæmonibus afflantibus respondebat,quicquid egisset quisque,aut omnino cogitasset. Quod testatur Augustinus,qui illis ipsis vaticiniis se plerúmque scribit interfuisse.

APOLLONIVS è Tyana ciuitate Græciæ , rerum futurarum præsagiis claruit. Præuidit enim Cilicem quendam lasciuum hominem intra diem tertiū occisum iri:& ita contigit. Aiebat,se cuncta facere Deo consultore, & duce dæmone:scireque omnium linguas , & hominum cogitationes introspicere,futura præuidere,&iam prętterea diuinitùs cognoscere.Somnia interpretabatur , declarabat portenta , damnabat animalium sacrificia. Eius vitam compendiosè satis describit Volaterranus ex Philostrato.

ARVNS vates Tuscus , cuius peritiam in diuinando describit Lucanus.

Hæc propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri vates:quorum qui maximus æuo
Aruns,incoluit desertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus,venasque calentes
Fibrarum,& motus errantis in aere pennæ.

ASTYLVS Centaurus,Ixionis filius,quum diuinandi peritia clareret, fratres suos monuit,ne bellum contra Lapithas molirentur. Idem prædixit Nesso vulnus,quod ab Herculis sagitta erat accepturus.Ouidius in Metam.

ASTYPHILVS Possidoniates,vir vaticinij peritus, Cimoni Atheniēsi(quò cum in summa familiaritate viuebat) mortem prædixit ex præcedentibus prodigiis.Plutarchus in Cimone.

BRANCHVM ferunt Apollinis fuisse filium , cui pater diuinandi artem concesserit.Strabo ait, eum sacerdotem fuisse delubri Apollinis Didymæi.Ab eo Branchidarum oraculum apud Milesios.

CALLIAS vates Elæus, Amyclis vaticinia reddidit.

CLEANDER nomen est vatis Arcadici , apud eundem Herodotum.

CARMENTA Euandri mater,prius vocabatur Nicostrata : verùm vbi carminibus dare cœpit responsa, Carmentis vocata est. Virgilius lib. octauo.

CASSANDRA Priami filia,quum Apollini copiam sui corporis promisisset,ab eodem vates facta est.Quum autem non staret promissis,iratus deus fecit, vt eius vaticiniis non adhiberetur fides. Hæc prædixit futura ex Helenæ raptu infortunia.Propertius lib.3.& Vergilius libro 2.Æneidos,Volat.lib.13.cap.3.Anth.

CHOREVS sacerdos fuit Cybeles, diuinandi peritus. Virg. libro 11. Æneidos.

CHRYSES vates Apollinis , cuius filiam Chryseidem quum Græci rapuissent , deo iniuriam vlciscente , pestilentia in suis castris laborarunt.

DEMOPHOON periculum Alexandro imminere prædixit. Curtius.

ENARIES diuinandi periti sunt apud Scythas.Sunt autem apud SCYTHAS permulti vates & arioli,qui cum pluribus virgis salignis diuinant, ad hunc modum:Grandes virgarum fasces cùm attulerunt,humi positos dissoluunt,ac separatim ponentes illarum singulas,vaticinantur.Ad hæc dicendo,viceuersa virgas prehendunt , ac rursus sigillatim componunt. Hæc est illis tradita à maioribus diuinatio. Sed Enaries, qui sunt androgyni,aiunt sibi à Venere traditam diuinationem, tiliæ fronde vaticinantes.Tiliam vbi quis trifariam sciderit,digitis suis eam implicando,ac resoluendo tractat,atque hūc in modum vaticinatur. Horum tres maximè probatos accersit rex,quoties ægrotat:cui isti semper ferè dicunt , hunc aut illum ciuem(nominant autem hominem de quo loquuntur) peierasse , iurantem per regium solium. Est autem Scythis mos plerúmque iurandi per regium solium , cùm maximum volunt interponere iusiurandum:protinúsque is,quem dixerint peierasse,adductus,coarguitur sciētia diuinandi,tamquam compertus falsò deierasse per regium solium, & ob id regem ęgrotare.Si ille inficians,se negat peierasse,atque rem grauiter fert,rex duplo numero vatidicos accersit. Qui inspecta diuinandi ratione,si & ipsi hominem periurij conuicerint,sine mora capite hominem plectunt, eiúsque facultates inter se partiuntur primi vates.Sin verò illi qui secundo loco vocati sunt vates,hominem absoluerint , alij atque alij præstò sunt.Quorum si plures absoluerint,decernitur primis illis vaticinis esse pereundum,eosque hunc in modum necant. Plaustrum concameratum vbi sarmentis referserunt , bobusque iunxerunt , vates

pedibus implicitatis, & manibus post tergū reuinctis, atque ore obstructo, extendunt in medium sarmentorum: incensisque sarmentis, territando agitant boues. Quorum boum multi cum vaticinis concremantur: multi ambusti, cremato plaustri temone, aufugiunt. Hoc, quem dixi, modo vaticinos comburunt, etiam ob alias caussas, appellātque ψευδομάντιας. Sed quos morte rex afficit, eorum ne liberos quidem relinquit, sed vniuersos mares interficit, feminis nihil læsis. Herodotus lib. 4.

EVENVS vates fuit apud Apolloniates, initio pastor. Quo dormiente, quum lupi 60 gregem inuasissent, ouésque ad vnam trucidassent, re cognita, vocatus est in ius, & iudicum sententia excæcatus: mox tamen insitam obtinuit diuinationem, habuítque filium Deiphonum, qui ductus à Corinthiis exercitui vaticinabatur. Herod. in Calliope.

EVRYCLES vates de se suísque incommodis aliquid semper diuinabat. Hic per assistentem dæmonem vera vaticinabatur. Propterea Euryclitæ dicuntur omnes diuinandi periti. Rauisius.

EVRYPYLVS vates Græcus, quem Sinon Virgilianus ait Apollinem cōsuluisse super simulato Græcorum reditu in patriam. Est & Euypylus vates medicinæ apud Plinium lib. 11. Natur. historiæ.

GALEOTÆ vates in Sicilia & Attica, à Galeote Apollinis filio. Hos solebat consulere Dionysius.

HELENVS Priami filius, vaticinio claruit. Cicer. de Diu. autore Virgilio lib. 3. Æneidos.

HELEVS vates Polycrati Samiorum tyranno familiaris, à Dario captus, & Democedis medici opera liberatus. Herod. lib. 3.

HYRTIA filia Sesostris regis Ægypti, diuinationis perita, quæ futuram patri monarchiam prædixit. Rauisius.

Cœlius scribit, fuisse in patria sua mulierculam nomine IACOBAM, ex cuius ventre immundi spiritus acclamati futura prædicerent: ac vnum ex his Cincinnalum fuisse nuncupatum: qui & præterita, & futura percūctantibus responsa dabat mirifica. Interrogatus tamen de futuris, mentiebatur sæpenumero.

IDMON Apollinis & Asteriæ filius, & ex Argonautis vnus, claruit vaticinio. Hunc à serpente occisum ferunt. Seneca in Medea: idmonem quamuis bene fata nosset, conscidit serpens Lybicis arenis. Ex Idmone autem & Testia Testor, è Testore Calchas vates, vt placet Pherecydi apud Volat. lib. 16, commentarior. Vrbanorum.

LABYSSA mulier fatidica in Bohemia, quæ filiam habuit Craco nomine, rerum futurarum peritam. Volater. in Geograph.

LAMPON sacrificus, & vates oraculorum, solitus iurare per anserem, velut auem auguralem. Rauisius.

LAMVS Apollinis filius, qui fatidico spiritu magnum apud veteres nomen adeptus est. Idem.

LAOCOON vates Troianus, prædixit Græcos in fatali Simonis machina delitescere: Troianósque obiurgauit, quòd eam in vrbē admisissent. Virgil. lib. 2. Æeidos.

MANTO filia Tyresiæ (à cuius nomine dicta est Mantua) fatidica, & rerum futurarum præsaga. Virgilius lib. 10. Æneid. Ouidius libr. 6. Metam. & Statius lib. 10.

MARTHA nomen mulieris fatidicæ, quam lectica stantem honorificè circumduxit Marius, & sacrificia ea iubente celebrauit. Hanc senatus, quòd futura obseruaret, & prædiceret, libertate donauit. Plutarchus in Mario.

MEGISTHEVS patria Acarnas, oriundus à Melampode, clarus vaticinio. Floruit ætate Leonidæ Spartani: & quum suis cladem apud Thermopylas præuideret, suos tamen deserere noluit. Herodotus lib. 7.

MILTHAS vates, quo in explicandis prodigiis Dion vsus est. Plutarch. in Cimone.

MELAMPODI apud Græcos, apud Romanos Martio. Plin. auctor est li. 7. maximam fuisse diuinitatem. Vide tit. Poetarum vatum.

MOPSVS omnium vatum peritissimus, vnus eorum qui Argonautis futura prædixerunt. Cum hoc in certamen descendit Calchas: victúsque, dolore animi in fata concessit. Adagium fluxit in vulgus, Mopso certior: de eo qui citra mendacium futura præuidet, & enuntiat. Fuit Mopsus Amplyci filius. Ouid. lib. 10. Metamorph. Seneca in Medea. Val. Flac. lib. primo Argon. Fuerunt & alij eiusdem nominis, vt Mopsus Tyresiæ filius alius etiam, à cuius nomine Attica regio Mopsopia vocata est.

NAVTES nomen est vatis Troiani, apud Virgilium lib. 5. Æneidos: qui dū incensæ ab Iride in Sicilia cōburerentur Æneæ naues, docuit hoc ipsum fieri Iunonis odio, vt Latio Troianos auerteret: monúitque Æneam ne succumberet calamitatibus, sed inuicto persisteret animo.

OLENVS Calenus, nomen est vatis apud Plinium libro 28. vbi ait: Quum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inuenissent, missis ob id in Etruriam à senatu legatis, celeberrimus vates Olenus Calenus, præclarum id fortunatúmque cernens, interrogatione in suam gentem transferre tentauit.

OPHIONEAS Messeniorum vates, cùm ortu cæcus esset, huiusmodi diuinationis genere vtebatur. Quærebat de consultoribus suis, quid quisque vel priuatim vel publicè egisset, & inde futura coniiciebat. Hic visum recepit, cum ingenti capitis dolore laborasset. Nec multo pòst iterum visum amisit, signo euidenti, calamitatis Messenæ imminētis. Pausanias lib. 4.

PERIPOLTAS, vates ex Thessalia, Ophelten regem suósque in Bœotiam populos deducens, familiam multis deinde temporibus nobilissimam ex se reliquit.

PHAEMENOE virgo, prima Delphici Apollinis vates fuisse dicitur, carmenque Heroicum inuenisse. Plin. lib. 10. Lucan. lib. 5.

Phæmeneon errore vagam, curisq́; vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi, &c.

& Statius libro secundo Sil.

PERIALLA antistes mulierum apud Delphos vaticinantium, ætate Cleomenis. Rauisius.

PHILOCHORVS Atheniensis, vates Eratosthenis tempore, qui extinctus est insidiis Antigoni Macedoniæ regis, quòd venisset in suspicionem contractæ cum Ptolemæo rege amicitiæ. Hic scripsit Atthidis lib. 17. qui continent res gestas Atheniensium, & reges & magistratus vsque ad Antiochum deum. Scripsit etiam libros quattuor de vaticinio. Idem.

PHILVMENA puella fatidica, cuius contubernio Apelles hæreticus, aut (vt alij volunt) Seuerus vsus est. Huic diabolus per phantasma pueri habitu respondebat, modò Christum, modò Paulum se esse dictitans. Miracula quoque fecit, inter quæ illud præcipuum est, quòd in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eúmque extremis digitulis leuaret illæsum, eoque solo quasi diuinitùs dato cibo se contentam esse diceret. testis est Augustinus.

POLYBIVS Corinthius, filio Troiam proficiscenti, & multis aliis mortem prædixit. Cicero.

POLYXO nomen est Phœbadis apud Val. Flac. libro primo Argonautic.

PROTEVM filium Oceani & Tethyos, poetæ vatem faciunt. Vergilius lib. 4. Georg.

PRYLIS Mercurij filius, diuinandi apprimè peritus. Hinc adagium, Lesbius Prylis: in hominem sagaci coniectura præditum. Rauisius.

SCIRVS, vates Eleusinius, à cuius nomine Minerua Sciras dicta est.

SIBYLLAE decem. vide tit. Poetriarum.

SOSIPATRA, femina ac vates doctissima, è Libya, vxor Ædesij sophistæ, quæ à quibusdam numinibus educata dicitur. Eunap. in lib Sophistarum.

SOSTRATVS sacerdos Cereris, & vates apud Tacitum.

SOSTRATVS per furorem multa Græcis prædixit. nā Bacchis Nauseus, & Sostratus Atheniensis, Xerxis aduentum prædixerunt, vt auctor est Herodotus.

SPVRINA vates Cæsarem monuit, vt idus Martias caueret, eoque die interfectus est imperator, quem cauendum esse prædixerat vates. Sueton. in Cæsare.

SYMMACHIAM Martianus Capella ait vnam fuisse ex Sibyllis. has duas numero solùm ponit, dicens: Quas non decem (vt asserunt) sed duas fuisse, non nescis: id est, Herophilam Troianam, Marmensis filiam: & Symmachiam Hipporensis filiam, quæ Erythræa progenita, etiam Cumis vaticinata est.

THEANO & EVEXIPPE, filiæ Scedasi Spartani, ciuibus suis dira fata præcinuerunt. Postea ab adolescentibus Messenīis constupratæ, & in puteum coniectæ sunt. Quod vbi resciuit pater, animi dolore seipsum ad earum tumulum interfecit. Ex eo bellum cruentissimum exortum, quod Messenios primùm, deinde etiam Lacedæmonios, Thebanorum viribus pessumdedit.

THRASYBVLVS Eleus, multis præsagiis nobilitatus, quo etiam titulo simulacrum meruit in Olymp. Idem.

TROPHONIVS vates, speluncam habitans, in quam qui descendebant, perpetuò erant agelasti. Hinc adagium natum, In Trophonij antro vaticinatus est: de homine maximè tristi & seuero. Idem. De Trophonij antro plura ex Pausania supra commemorauimus.

THYODOMAS filius Melampodis, diuinandi peritus. Statius lib. 8.

Insignem fama, sanctoque Melampode cretum
Thyodamenta volunt, quo cum ipse arcana deorum
Partiri, & visas vni sociare solebat
Amphiaraus aues: tantaque haud inuidus arti,
Gaudebat dici similem, iuxtáque secundum.

Saxo Grammaticus ait, VGERVM vatem fuisse ætatis incognitæ, & supra humanum terminum prolixæ.

IN ORACVLIS OBSCVRIS INTERPRETANDIS, ET *intelligendis periti.* ORACVLA *licet obscura, rectè intellecta.*

ÆGEVS rex Atheniensium, cùm liberos habere cuperet, Pythiam consuluit. Illa respondit.

τὸν προὔχοντ' ἀσκοῦ πόδα, ὦ φέρτατε λαῶν
μὴ λύσῃς, πρὶν γουνὸν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι. Id est.
Ne soluas ex vtre pedem qui prominet, ante
Cecropiæ pingues quàm sis delatus in agros.

Astipulatur ratio medica. Nam frequenti coitu semen liquidius & debilius redditur: quique in alienis locis sese exonerat, proprios minus implere potest. Parére voluit Ægeus. verùm postcaquam Trœzenē apud Pittheum diuertit, eíque oraculum aperuit. Pittheus ei noctè Æthram filiā supposuit, ex qua suscepit Theseum. Plutarchus in vita Thesei. Hoc tamen oraculum Xenophon Peleo datum asserit. Muretus libr. 3. Var. lect.

PSAMMETICVS Tementhen Ægypti regem sustulit. Deus Ammon Tementhi oraculum consulenti de regno, responderat: Caueret à gallis. Psammetichus Bigritato Care familiariter vtens, cùm ab eo cognouisset, primos Cares gallos imposuisse verticibus: oraculi mentem intellexit, & magnam Carum multitudinem conduxit, eósque duxit versus Memphin, & iuxta templum Isidis castra posuit in regia, quæ distabat ab vrbe quinque stadia. Commissáque pugna, victoriam adeptus est. Ab his Caribus pars quædam Memphis Caromemphitæ dicta est. Polyen. lib. 7.

IDEM expulsus à suis in paludes, oraculum Latonæ, quod est in Buti vrbe Ægyptiorum, consuluit. & responsum accepit: Affuturum ei subsidium è mari, viris æreis existentibus. Non longo tempore interiecto, cùm Iones & Cares quidam prædandi causa in Ægyptum descendissent, speculator, qui nunquam viros aliquos ære armatos viderat, Psammeticho nunciat, egressos è mari æreos viros agros populari. Rex oraculum agnoscens, fœdus cum prædonibus fecit, & regnum recuperauit. Ibidem.

Cùm DORIENSES Eleam repeterent, contra Augeæ posteros, quorum tunc rex erat Eleus, oraculum acceperunt, vt remigrationis ducem Trioculum facerent. Fortè obuius illis fit Oxylus, Æmone, Thoantis filio genitus, exul ex Ætolia, quòd ludens disco imprudenter hominem occiderat. Is cùm multum altero captum oculo ageret, Cresphontes acutè coniecit, oraculum ad Oxylum pertinere. Itaque dux electus, in Peloponnesum nauibus traiiciendum, non pedestri exercitu per Isthmū irruptionem tentandam censuit. Paruēre Dorienses, & Eleam obtinuerunt. Pausanias lib. 5.

EETION Echecratis è Petra tribu, cùm Labdam Amphionis filiam claudam, quam nemo aliàs Bacchiadarum ducere volebat, duxisset, neque ex hac muliere, neque alia liberos procrearet, missus est Delphos ad consulendum de prole. Eum introeuntem statim Pythia his versibus compellauit:

Eetion te nemo (licet sis tantus) honorat.
Conceptum pariet saxum graue Labda, monarchos
Qui cadet in ciues, emendabítque Corinthum.

Hoc oraculum quod Eetioni redditum est, eò tendebat, quò alterum antea Bacchiadis redditum, haud prius intellectum, quàm hoc renunciatum est, in hæc verba:

Concipit in petris aquila enixura leonem
Robustum, sæuum, genua & qui multa resoluet.
Hæc bene nunc animis versate Corinthia proles,
Qui colitis pulchram Pallenem, aliámque Corinthum.

Id oraculum cùm ad eum diem fuisset indeprehensum, simulátque ex hoc Eetionis patuit eodem vtrumque pertinere, silentio Corinthij suppressere, Eetionis filium quacunque ratione extincturi. Vt primum Labda enixa est, miserunt ad eam decem viros, qui puerum interficerent. Illi verò cum puerum suauiter ridētem viderent, misericordia moti abeunt. In itinere alter alterum neglecti imperij accusare cœperunt: & tandem vno impetu ad atrium Eetionis accessere, vt participes fierent omnes simul cædis. Id vt animaduertit Labda, puerum in mensura frumentaria occuluit. Illi cùm puerum non inuenissent, re infecta abierunt. Puer Cypselus dictus est, à cypsela, id est mensura frumentaria: qui postea Corinthum occupauit, & tyrannidem exercuit, pater Periandri tyranni. Herod. lib. 5.

ATHENIENSIBVS oraculo proditum erat:

ὦ θείη Σαλαμὶς ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν.

Themistocles Atheniensibus vaticinium metuentibus, contra hostes facere dicebat. Non enim diuinam Salaminem oraculum appellasset, si Græcorum liberos perditura esset. Hoc dictum confidentiam & animos Atheniensibus dedit. Item cùm Persico bello de explicatione quæreretur huius oraculi,

τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς

reliquis Atheniensibus arcem muniendam prædicantibus, Themistocles triremes conscendendas esse dixit, quoniam hæ sint lignei Atheniensium muri. Obtemperarunt: & ingressi, naualı pugna decertarunt, victoriámquè pepererunt. Polyæn. libro primo, & Herodotus libro septimo.

LACEDÆMONII cùm à Tegeatibus bello semper superarentur, oraculum consuluerunt, quemnam deorum placarent, vt Tegeates vincerent. Respondit Pythia, Orestis filij Agamemnonis ossa Spartam referenda esse. Illis ambigētibus, & incertis de loco, in quo recondita essent, sic cecinit:

ἔστι τις Ἀρκαδίης Τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ,
ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης,
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται.
ἔνθ' Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα,
τὸν σὺ κομισσάμενος Τεγέης ἐπιτάρροθος ἔσσῃ.

Oraculum nemo intelligere poterat. LICHES vnus Spartiatarum ἀγαθοεργῶν, hoc est Benemeritorum, Tegeam venit: & in officina fabri ærarij considens, admirabatur operas. Cui faber: Quid miraris, hospes, inquit? multo magis mirareris, si sepulchrum quod ego in fodiendo puteo sub terra reperi, vidisses, in quo ossa septem cubitorum longitudine conspexi, & terra iterum obrui. Liches statim oraculum tacitus secum repetit: duos fabri folles, duos esse ventos. Incudem verò antitypum, patiendo enim reagit: malleum typum, quia incudem percutit. Ipsum denique ferrum, quod cuderetur, malum esse super malum. Malum primò passiuè, quòd à malleo pateretur: deinde etiam actiuè, quia ad hominis perniciem esset inuentum. Hæc secum cogitās Liches, cum Lacedæmoniis re communicata, profugum se simulans, ad Tegeates reuertitur, cortémque fabri conducit precio & clàm Orestis ossa effossa Spartam refert. Inde factum, vt Spartani Tegeates postea bello superarint, eodem ferè tempore, quò Cyrus Crœsum regno exuit. Herod. lib. 1.

ACHAEI Phanam Ætoliæ vrbem obsidebant. Cùm autem obsidionis tempus duceretur, neque vlla vrbis capiendæ ratio iniri posset, qui missi fuerant Apollinem sciscitatum, huiusmodi responsum acceperunt:

Qui Pelopis terras, quiq́; arua tenetis Achiuum,
Pythò venistis scitatum, qua ratione
Vrbs obsessa iugum accipiat? Curæ vobis sit
Obseruare, bibant, quantum, qui mœnia seruant.
Sicque Phana imperium vestrum turrita subibit.

Hoc oraculum quidnam sibi vellet cùm non intelligerent, soluta obsidione, domum retrò nauigare decreuerant. Hostem planè contemnebant, qui obsidebantur. Quare mulier quædam ad proximum fontem aquatum è portis egressa fuerat: eam militum globus excursione facta captiuam in castra pertrahunt. Docentur ab ea Achæi, oppidanos noctu eo fonte aquam haustum suis diuidere, neque eos ad sitim leuandam aliud quidquam præsidij habere. Conturbato itaque fonte, oppidum Achæi capiunt. Pausanias lib. 10.

ALEXANDER Magnus volens expeditionis diuinum consulere oraculum, Delphos venit. Tum fortè nefasti dies agebantur, in quibus nefari quidem illi mos est oraculo. Quamobrem cùm ipsam primò vatem reluctantem, seque lege tuentem orasset, mox inuitam trahens, templum ascendit. Ea verò studio & hominis importunitate victa: Inuictus es, inquit, fili. Qua voce accepta Alexander, haud alio sibi opus esse vaticinio dixit, sed assequutum se quod ab ea cupiebat oraculum. Plutarch. in eius vita.

Cùm Alexander Macedonum rex sorte monitus, vt eum qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet, ASINARIVM fortè sibi obuiam factum ad mortem arripi imperauit, eoque quærente, quidnam se immerentem capitali supplicio, innocentémque addiceret, cùm ad excusandum factum suum oraculi præceptum retulisset: Asinarius, Si ita est (inquit) rex, alium sors huic morti destinauit: nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab eo errore ipse reuocatus erat, occasionem in aliquanto viliori animali expiandæ religionis rapuit. Val. Max. lib. 7. capite tertio.

IVNIVS Brutus oraculum Pythium de osculo matri terræ dando intellexit: non item Tarquinij. vide sub tit. Prudentiæ sibiipsi consulentis.

DE OBSCVRIS ORACVLIS INTELLIGENDIS AVT *interpretandis imperiti.* ORACVLA *non rectè intellecta.*

LACEDAEMONII optimis & sanctissimis legibus à Lycurgo acceptis, post eius mortem, non contenti amplius ocio frui, cùm se Arcadibus præstantiores esse arbitrarentur, de omni illorum terra occupanda Pythiam consuluerunt. quibus illa respondit:

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.
πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,
οἵ σ' ἀποκωλύσουσιν. ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγαίρω.
δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι,
καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι.

Hæc respōsa vbi accepere Lacedæmonij, à cęteris Arcadibus abstinētes, bellum intulere Tegeatibus, ferentes secum compedes: videlicet captio

so freti oraculo, tãquam essent ipsi redacturi Tegeatas in captiuitatem. Verùm congressi prælio, ac fugati, quicunque eorum viui sunt capti, eisdem quas ipsi attulerunt compedibus indutis, campum Tegeaten metiti fune coluerunt. Compedes quibus vincti fuerant, ad nostram vsque memoriam fuêre circa templum Mineruæ Aleę, apud Tegeam suspensæ. Herod. lib. 1.

Crœsus consulto oraculo Delphico, nunquid diuturnum habiturus esset imperium, à Pythia responsum accepit:

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς μήδοισι γένηται,
τὸν τότε λυδὲ ποδαβρὲ πολυψήφίδα παρ' ἔρμον
φεύγειν, μήδε μένειν, μηδ' αἰδέεσθαι κακὸς εἶναι.

Crœsus nunquam sperans fore, vt apud Medos mulus pro viro regnaret, imperium æternum sibi ipsi pollicebatur: non intelligens, per mulũ significari Cyrum, quippe qui ex duabus diuersis gentibus ortus erat, generosiore matre Mandane, quàm patre Cambyse. Nam illa quidem Meda erat, Astyagis Tedorum regis filia: hic autem Persa, & Medis subiectus. Herodotus lib. primo.

Croesvs Lydorum rex, cùm Aty filio amisso, alium haberet filium mutum, pro eius vitio emendando nihil non fecerat, tum verò Delphos scisciatum miserat. Cui Pythia respondit:

λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μεγα νήπιε κροῖσε,
μὴ βούλευ πολύευκτον ἰὸν ἀνὰ δώματ' ἀκούειν
παιδὸς φθεγξομένου. τόδε σοι πολὺ λώϊον ἀμφὶς
ἐμμεναι. αὐτίκα γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.

Oraculum verum, euentus ostendit. Nam captis Sardis à Cyrò, cùm miles quidã in Crœsum irrueret, filius mutus alta voce exclamauit (cùm prius nullam vnquam vocem edidisset) ἄνθρωπε μὴ κτάνῃς κροῖσον. Sic Crœsus culpa sua regnum amisit, voce filij vitam seruauit. Herod. lib. 1.

Cambyst Persarum regi oraculum Latonę ex vrbe Buti datum erat, eum in Ecbatanis vita excessurum. Intelligebat ille Ecbatana Medię. At cùm in Syria ageret, post interfectum Ægyptiorum deum Apin, equũ consecraturus, gladius vagina nudatus in femore regem vulneravit. Metu & dolore territus, quod nomen vicina vrbs haberet, rogauit. Vbi Ecbatana esse cognouit, errorem suum agnoscens, desperabundus obiit. Herod. lib. 3.

Siphnii insulares propter fodinas metallicas maximum thesaurũ congesserant, & decimas illius quotannis Delphos mittebant. Consuluerunt oraculum, diũne præsentibus bonis frui possent. Pythia respondit:

ἀλλ' ὅταν σίφνῳ πρυτανήϊα λευκὰ γένηται,
λευκοῤῥὼς τ' ἀγορὴ, τότε δὴ δεῖ φράσμονος ἀνδρὸς
φράσσασθαι ξύλινον τε λόχον, μιμηκέτ' ἐρύθρον.

Oraculum euentus confirmauit. Habebant eo tempore Siphnij forum, atque Prytaneum ex candido marmore Pario extructum. Præterea Samij cùm velocissimè ad Siphnum applicuissent, miserunt ad vrbem cum legatis nauem, quę (vt naues antiquę omnes rubrica delibuta erat. Nuncij decem talenta mutuò petebant. Negantibus Siphniis, eorum agros populati sunt Samij, eósq; ex vrbe egressos cecidêrũt, multósque ceperunt, quos centum talentis Siphnij redemerunt. Tunc tãdem, quamuis serò, oraculum intellexêre, ligneum agmen & rubrum legatum nauem esse hostilem. Herod. lib. 3.

Clisthenes oppugnabat Cirrham. Oraculum habebant Cirrhenses, inuictam vrbem fore tantisper, donec mare sanctam terram attingeret. Cirrhenses id nihili faciebant, longissimè diffiti à mari. At Cirrha sacrã terram attingebat, quę ad mare porrigebatur. Clisthenes oraculo perceptо, tum vrbẽ tum regionem Cirrhensem deo consecrauit, vt vniuersa sancta facta, secundum oraculum mare contingeret. Cùm id feciſſet, superauit, terrámque deo dicauit. Polyæn. lib. 3.

Cleomeni Spartanorum regi oraculum Delphicum responderat, eum Argos esse capturum. Sperabat ille, vrbem Argos sese euersurum. At cùm Argiuos in aciem progressos, in luco quodam conclusos, igni infecto cremasset, & cuius dei lucus ille esset, interrogasset: vbi Argi esse cognouit, ab Apolline se delusum conquestus, omnem Argos potiendi spem abiecit. Herod. lib. 6.

Hesiodo poëtę datum fuerat oraculum, vt Nemeęi Iouis templũ fugeret. Cùm ergo Nemeam Peloponnesi fugeret, fortè in Œneonem Locridis peruenit, vbi Nemeęi Iouis templum fuerat. Eo in loco incautus ab Amphiphane & Ganctore Physigei liberis interemptus est, quòd ab eo vitiatam sororem Ctemenem crederẽt, & ex eo stupro natum esse Stesichorum. Thucydides, apud Gyraldum dialogo 2. hist. Poët.

Phocenses graui bello Thessalorum propemodum attriti, misere Delphos, qui de periculo propulsando oraculum consulerent. Qui missi fuerant, tale retulerunt responsum:

Mortalem atque deum iubeo decernere ferro:
Victor vterque, aliud sedenim mortalis habeto,

Phocenses ignari quid sibi vellet oraculum, trecentos speculatores emittunt. Qui omnes ad internecionem cæsi sunt cum Gelone duce suo. Ingentem ea clades pauorem in castra pertulit. Atque eò vêrum est desperationis, vt coniuges, liberos, fortunas cæteras, quas agere quisque, aut ferre posset, vestem, aurum, argentum, deorum signa in vnum coegerint: ibi maximo extructo rogo, viros 30 duntaxat reliquerunt, quibus imperarunt, si ita accidisset, vt qui ad prælium exissent, hostibus succumberent, primò fœminas ac impuberes omnes iugularent: deinde quas congesserant opes in rogum coniicerent, atque in eas ignem immitterent: postremò & ipsi vel mutuis confoderent se vulneribus, vel vltrò in medium hostium equitatum ruerent. Ex eo sæua omnia & immania consilia, Græcorum verbo Phocica desperatio appellari cœpta. His ita constitutis, contra Thessalos copias educunt Duces fuêre Rhœcus Ambrossensis, & Hyampolitanus Daiphanes. Hic equitum, peditum ille agmen ducebat. Deuoti igitur in hostem irruunt, & extrema desperatione acti, victoriam adepti sunt omnium quæ quibuslibet antè populis euenissent maximè insignem. Ac tunc Appollinis ambiguum illud responsum omnibus innotuit. Cùm enim vtrinque de more à ducibus militi tesseræ darentur, fortuitu ad oraculi verba appositæ datæ sunt à Thessalis Ionia Minerua, à Phocensibus gentis auctor Phocus. Pausanias li. 10.

Philippvs Macedoniæ rex à Pausania adolescente & satellite coronatus, quum in alba veste pompam ageret, & sacrificaturus esset, occisus est: quòd cùm de illato sibi stupro ab Attalo Olympiadis nepote apud Philippum questus esset, rex nihili fecisset. Mortem hanc Philippo Pythia prædixit:

Taurus adest, & finis adest, feriêtque minister.

Et Græcis pariter:

O vtinam fierem Iouis ales in æthere, iuxta
Thermodoontis aquas, procul vt bella horrida ab alto
Despicerem. victus flet: at hic qui vicit, obsuit.

Est enim Thermodon fluuius iuxta Chæroneam. Cùm autem prælio illud Philippus vicisset, non multo post à Pausania fuit interfectus, cùm sacra diis faceret pro felici expeditione contra Persas. Gemistus Pletho lib. 2. de gestis Græcorum.

Idem cùm consuluisset Delphicum oraculum, quid cauendum sibi esset, quo ad iustam peruenire senectutem: Oraculum, vt quadrigas vitaret, respondit. Quo audito, toto regno suo cùm omnes quadrigas amoueri iussisset, locúmque in Bœotia, qui Quadriga vocatur, non adire vellet, demùm à Pausania, qui quadrigam in capulo gladij cælatam habebat occisus est. Val. Max. lib. 1. cap. 8. Cic. de Fato. Plut. in Alexandro. Alij dicunt, cùm circuiret Thebaicam paludem, cui currus nomen erat, trucidatum esse. Prior sermo vulgaris est, posterior verò non ita infrequenti fabula. Ælian. de Var. hist. lib. 3.

Æschylvs tragicus Atheniensis oracula acceperat, ex ictu desuper sibi pereundum esse. Id Sicilia igitur tecta vitabat, ne ruina illorum opprimeretur. Accidit vt ruri saxo insideret, capite detecto. Quod cùm sublimè volans aquila sixum esse putaret, calluicio decepta, testudinem marinam in illud cadere permisit. Eo ictu Æschylus periit. Val. Max. lib. 9. cap. 12. & Gell. lib. 17. cap. 21.

Daphidas sophista, cùm Delphicum oraculum ironicè consuluisset, an equum inuenire posset, quo veheretur: Oraculum, posse quidem equum inuenire, respondit, sed vt eo perturbatus periret. Mox igitur cũ ad Attalum regem venisset, quem grauiter olim offenderat, deprehensus, & de saxo, cui Equi nomen erat, præcipitatus est. Cic. de Fato, & Val. Max. lib. 1. cap. de Miraculis.

Alexander Epiri rex Delphici Appollinis oraculo monitus est assiduè, vt vrbem Pandosiam & amnem Acherusium, tanquam fatalia loca vitaret. Verùm rex, sortem de his quæ in Thesprotis essent, arbitratus infestissimas gentes in Brutiis armis petit, & belli iure vastat: apud eiusdẽ nominis loca, infanda strage victus, oraculi fidem veram impleuit. Ibid.

Pyrrhvs Epirotarũ rex cum videret imperio orbis Romanos potentissimos inhiare, Apollinem de bello consuluit. Ille ambiguè respondit hunc in modum:

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Hoc dictum in suam sententiã trahens, auxilio Tarentinis contra Rom. venit, Leuinum consulem apud Heracleam elephantorum nouitate turbauit: & alia quæ recensentur à Plinio de viris illust. cap. 35. & Volat. lib. 18. Est autem oraculi versus ex Ennio desumptus, vt testatur Cic. lib. 2. de Diuinat.

Annibali Pœno datum erat oraculum:

Libyssa gleba corpus Annibalis teget.

Annibal de Libya dictum opinabatur, séque vitam Carthagine finiturum. Est autem in Bithynia locus ad maris litus: iuxtáque pagus non magnus, Libyssa nomine. Hic cùm apud Prusiam Bithyniæ regem lateret Annibal, Romanos metuens ex suo domicilio septem exitus subterraneos habebat. At audito T. Quintij Flaminij aduentu, qui Annibalem petebat, veneno seipsum necauit. Plut. in vita Flaminij.

Appivs Claudius bello ciuili, quo se Cn. Pompeius à Cæsaris concordia pestifero sibi, nec Reipub. vtili consilio abruperat, euentum grauissimi

simi motus explorare cupiens (viribus nanque imperij Achaiæ præerat) antistitem Delphicæ Cortinæ in intimam sacri specus partem coegit descendere, vnde vt certæ consulentibus sortes pernntur, ita nimius diuini spiritus haustus reddentibus pestifer existit. Igitur impulsu capri numinis instincta virgo, horreindo sono vocis Appio inter obscuras verborum ambages fata cecinit: Nihil enim (inquit) ad te hoc Romane bellũ. Eubœæ cellam obtinebis. At is, ratus consiliis se Apollinis moneri, ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quæ inter Rhamnũta, nobilem Attici soli partem, Caristúmque Chalcidico freto vicinam, interiacens, cellæ Eubœæ nomen obtinet: vbi ante Phatalicum certamen morbo consumptus, prædictum à deo locum sepultura possedit. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

C. Caligvlæ fortunæ Antiatinæ responderunt, vt à Cassio caueret. Itaque Cassium Longinum Iurecos. tunc Asiæ proconsulem, interfici delegauerat. Sed antequam imperio eius satisfaceret, à Cassio Chærea interfectus, fatum viare non potuit. Rutilius in vita Cassij.

Nero Cæsar portendi sibi mutationem status à mathematicis acceperat: qui in hoc concordes, in eo discordabant, quænam fortuna imperio defectum exciperet. His æger Delphicum oraculum experiri statuit. Responsum est, annum 73 caueret. Quod cùm audisset, homini inconsiderato, & vix triceſimum ætatis supergresso, tanta securitas incesserat, vt iam nil metuens, & prosperitatem & ætatem sibi integram sponderet, quasi ante prænunciatum tempus ab Apolline mori non posset: eodémque vanitatis & insoleniæ raptus est, vt preciosissimis quibusdam rebus maritima tempestate deperditis, affirmaret eas ad se vel piscium obsequio reuersuras. Talibus intumuerat errotibus: cùm subitò ob omnibus destitutus, & ad turpissimam compulsus est mortem, vtique consiliario dignus Apolline: quamuis mendacij parens, ne quid mentitus videretur, confuetis ambagibus atque arte prouiderit, quòd ipse Nero suprema illa nocte, audito clamore militari, sinum execrante, & Galbæ nomen celebrante, serò licet quiuerit intelligere, & ad infelicitatis suæ cumulum autorem oraculi veridicum opinari: Galba enim successor, tertium & septuagesimum annum tunc agebat. Petrarcha.

Apud Heliopolim Ægyptiorum templum fuit, perplexis, vt aiunt, numinibus, quòd & Sol ibi coleretur, & Iupiter, & Apollo. De hoc quidem incertior fama est, sed hunc quoque templi eius accolam ex furore ministrorum, & ex diuinatione confirmãt. Hunc igitur Traianvs, hortantibus amicis, bello Parthico consulendum ratus, Romano more, fidẽ oraculi prætentare voluit, ne quid fortè fallaciæ fingeretur: sigillatísque literas trãsmisit, ad quas sibi petiit responderi. Erat enim mos, & de longinquo per epistolam consulendi. Spiritus ille vaferrimus, qui in consignatione imperialium literarum forsan interfuerat, tentatum se intelligens, vt humanam irritaret insaniam, nosse se commentum consulentis ostendit. Rogatus enim, ad id quod in literis clausum erat respondere, chartam popposcit. Quam cùm sacerdotes attulissẽt, sicut erat, claudi iussit, & remitti: illis quidem attonitis, & quid sibi vellent præstigia Dei sui, cum admiratione reputãtibus: nec minus admirans Imperator, ob latam vidit & aperuit, vt qui solus facti conscius foret, & chartã illi signatã quoque, sed vacuã mississet. Itaque iam satis expertũ credens, & de templi religione certissimus, secundis literis consuluit. Essẽtne post belli finem Romam reuersurus? Ille autem scripto nihil: sed vitem in partes sectam, ac sudario inuolutam, remisit principi Traiano. Mors proximis vindemiis consecuta, reliquiæque Romam reportatæ, responsi nubilum discussere. Petrarcha.

Heraclivs Imp. diuinationum superstitionib. addictus, oraculo monitus est, vt à circumcisis caueret. Omnes ergo Iudæos in suo imperio vel inuitos religioni Christianæ nomina dare coegit: impetrauit illud idem à Dagoberto Francorum, & Sisebuto Visigottorum regibus. Verùm cùm in exercitu haberet Saracenos, quorum opera fideli contra Persas vsus erat, & illi stipendio se fraudari conquererentur: quæstores eos tanquam canes maledictis incessebant. At illi ira accensi, Damascum occuppant, Ægyptum vastant, Arabiam subigunt, Persarum denique imperium sibi vendicant. Iudæos ergo vitauit: sed Saracenos, qui etiam circuncidebantur, vitare non potuit. Cuspinianus in Impp.

Gilbertvs Gallus monachus, artib. magicis ad pontificatum ascendit, & 147 ordine fuit, sub nomine Syluestri secundi. Responsum acceperat à diabolo, diu victurum, si Hierusalem non attingeret. Verùm dum pontificatus sui anno quarto, mense vno, die 10 in basilica S. Crucis in Hierusalem Romæ sacrificat, errorem sinum diabolique imposturas agnoscens, ad populum conuersus, mortem sibi imminere ait: omnésque ad pœnitentiam exhortans, cadauer suum bigæ imponi præcipit & illic sepeliri, quò ab equis sponte deductũ esset. Imperata facit populus. Equi ad basilicam Lateranensem subsistunt. Platina in eius vita.

Patri Leonii exemplum pene ex tit. Astrologorum.

Io. Manardo o Ferrariensi, medico nostræ ætatis celeberrimo, prædixit astrologus quidam, eum in fouea periturum. vitabat proinde Manardus omnes scrobes atque foueas. Verùm vxore iuuencula ducta, cũ Veneri nimium indulgeret, *in vxoris rima* periit. Vnde quidam in eum sic lusit, vt in Elogiis Iouij videre licet:

In foueã qui te periturum dixit aruspex:
Vates verus erat coniugis illa fuit.

ORACVLA CLARA ET APERTA, VARIORVM
bonorum & malorum prænuncia.

Animi.

Gyges regius pastor, qui anuli beneficio ad regiam maiestatem peruenit, oraculum consuluit, num quis eo beatior esset? Cui deus, Aglaus Sophidius, dixit. Is autem erat Arcadum pauperrimus. Valerius de Fœlicitate.

Lygvrci sapientiam Pythius Apollo admiratus est, vide tit. Præconiorum & laudum illustrium.

Socrates Delphico oraculo sapientissimus est iudicatus: vide tit. Sapientum.

Diogenes Sinopeus philosophus Cynicus, Pythicum oraculum cõsuluit, quónam modo posset excellere? Respondit, Si numos adulterare. Paruit ille, patriáque pulsus, philosophari cœpit. Suidas.

Zeno Cittiæus consuluit oraculum, quo pacto posset vitam optimè instituere. Responsum accepit, εὐσυγχρώτι τοῖτο τοῖς νεκροῖς: id est, Si concolor fieret mortuis. Ille sentiens, se vocari ad lectionem veterum, contulit sese ad philosophiam. Dicitur autem Zeno natura fuisse colore fusco. Studium, ac victus parsimonia, maciem & pallorem conciliant homini. Laertius lib. 7. cap. 1.

Corporis.
Sanitatis.

Vahron rex Ægypti, oraculum de cæcitate curanda accepit. vide tit. Coniugalis castitas atque fides.

Cùm pestilentia Lacedæmonem vexaret, ex Apolline relatum est oraculum, finem mali fore, si quotannis generosam quampiam virginem immolarent. Aristodemus libro 3. collectarum fabularum. Plut. cap. 66. Parall.

Apud Valerios peste grassante, ex oraculo commonefacti sunt, cessaturum id mali, si Iunoni virginem immolarent. Aristides Milesius lib. 19. rerum Italicarum, & Plut. cap. 67. Parall.

Hesiodi ossa Minyae hoc se modo recepisse narrant. Sæuiente in homines & pecudes pestilentia, missos ad oraculum consultores, responsum tulisse: ad sedandam luem vnicum illud fore auxilium, si ex Naupactio agro in Orchomenium Hesiodi ossa deportassent: aliam sanè nullam reperiri posse mali leuationem. Percontaros rursus eos, in qua tandem Naupactij agri parte essent illa reperturi: respondisse Pythiam, locum cornicem monstraturam. Cum redirent in patriam qui scisciatum missi fuerant, non longè à via cornicem conspexisse saxo insidentem. Ibique Hesiodi ossa inuenta, in eius saxi latebra cum hac elegiorum inscriptione:

Hesiodi patria est frumenti fertilis Astra,
Sed bello insignes ossa tenent Minyæ:
Huius in Argolicis excellit gloria terris,
Iudicium quibus est, ingeniúmque sagax.

Pausanias in Bœoticis.

Liberorum suscipiendorum.

Erginvs Minyarum rex, Herculis fortitudine, qui Thebanorum res defendebat, propè confectus, pacem cum eo fecit. Magna demùm congesta pecunia, cupiditas eum liberũm suscipiẽdi cepit, quamuis iam senem. Quare cùm Delphos ea de re consulturus veniſſet, huiusmodi responsum accepit:

Ergine ô Clymeni proles Presbonidæ, ad aram
Exquirens sobolem venisti serò. Sed & nunc
Temoni vetulo validum prætendito rostrum.

Cùm igitur oraculi monitu adolescentulam vxorem duxisset, Trophonius & Agamedes ex eo matrimonio nati sunt. Etsi traditum est, Apollinis, non Ergini filium fuisse Trophonium, propter diuinandi peritiam. Ii cùm ad virilem ætatem peruenissent, *solertia in* deorum templis & hominum regalibus tectis ædificandis præstiterunt. Erexerant itaque Delphis Apollini templum, & Hyrieo ærarium. In eius pariete lapidem vnum ita collocarunt vt extorsum eum, cùm vellent, adductum eximerent. Quoties itaque libitum esset, clàm introeuntes, aliquid repositæ pecuniæ auferebant. Enimuerò Hyrieum ea res vehementer solicitum habebat: præsertim cùm & claues & signa cætera incorrupta cerneret, pecuniæ tamen numerum quotidie imminui animaduerteret. Ad vasorũ igitur ora, in quibus erat reposita pecunia, laqueos disposuit, vel aliud quid eiusmodi, quo simulac pecuniam quis esset attingere conatus, captus teneretur. Ingressus itaque Agamedes, in vinculis hęsit. Trophonii fratris caput statim præcidit: veritus nempe, ne cùm illuxisset, per tormẽta quæstione habita, & ipse ab illo, quòd furti fuisset socius, indicaretur. Trophonius quidem eo ipso in loco terræ haustus est hiatu, quo extat in luco, qui est Lebadea, specus qui Agamedis dicitur, columna supereminente. Trophonio diuini honores propter diuinationem sunt habiti. Pausanias in Bœoticis.

Mortis.

MYCERINVS rex cum ex vrbe Buti oraculum accepisset, fore vt sex omnino annos viueret, septimo defuncturus, ægrè tulit: vicissimque misit ad oraculum contumeliosas querimonias, quòd cum pater suus & patruus, qui deorum immemores templa clauserant, hominésque perdiderant, tam diu vixissent, ipse piè faciens tam citò foret vita defuncturus. Rursus ei oraculum respondit, propterea ipsum properè vitam finiturũ, quòd non id faceret quod deberet. Oportere enim Ægyptum centum quinquaginta annis affligi: idque qui ante eum fuissent reges fecisse, ipsum verò nequaquam. Hæc vbi accepit Mycerinus, se iam numinibus damnatum: lucernas fecit permultas, atque iis per noctem accensis, venationibus & aliis exercitiis studiosè inuigilabat, totúsque in eo erat, vt ex noctibus dies faceret, vt oraculi terminum prorogaret, & ex sex annis duodecim efficeret. Nam si sex cõtinuis annis nulla nox esset, sex totidem aliis continuas noctes esse oportere existimabat, ad oraculi fidem confirmandam. Herod. lib. 2. in Euterpe.

CYRVS rex Persarum, ad Istrum contra Massagetas & Essedonas profectus, cõsuluit in Lesbo Orphei caput, oraculis clarum eo tempore, de belli euentu. Responsum accepit, τὰ ἐμὰ ὦ κῦρε σὺ id est, Similem exitũ, vt ego, habebis. Exitus oraculo fidem fecit. A Tomyri enim regina Cyrus interfectus, & capite truncatus est, sicuti à Thraciis mænadibus Orpheus. Philostratus testis.

GLAVCVS Epicydidis F. Spartanus, cùm à Milesio hospite magnam vim pecuniæ depositi nomine accepisset, & post eius mortem filij pecuniam repetissent, Glaucus post quatuor menses sese responsum daturum affirmauit. Interea Delphicum oraculum sciscitatus est, vtrum iureiurãdo interposito pecuniam depositam apud se negando, lucrum faceret? Pythia respondit:

γλαῦκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον οὕτω
ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα λήϊσσασθαι.
ὄμνυ', ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
ἀλλ' ὅρκου πάϊς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
οὐδὲ πόδες, κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων,

Eo responso territus Glaucus, veniam precabatur. At Pythia, idem esse tentare Deum & facere, affirmauit. Glaucus domum reuersus, Milesiis iuuenibus pecuniam quidem reddidit, verùm non multo pòst tota illius domus & progenies penitùs extincta est. Herod. lib. 6.

GERMANICVS cum oraculum Apis consuluisset, & Deus oblatum pabulum renuisset, funestum omen & indubiam necem, quæ paulo pòst secuta est, prænunciauit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2.

FORTVNAE.

Regni, Imperij.

ÆATO & sorori Polycleæ datum oraculum, pete ex tit. Prudentia in honoribus acquirendis.

TELEGONVS Vlyssis & Circes filius, ad inuestigandum patrem missus, deorum commonefactus est responso, vt in eo loco vrbem conderet, vbi saltãtes cum coronis colonos cerneret. Itaque profectus in Italiam quodam loco summa cum alacritate rusticos saltare conspexit, pini ramulis coronatos: vbi ædificatum oppidum, ex prædictæ sibi coronæ appellatione Pinistum nominauit, à quo Præneste Romani vocitant. Aristoteles lib. 3. rerum Italicarum, & Plutar. capite 79. Parallel.

EGESISTRATVS Vlyssis & Circes filius ob tribulis sui cædẽ exul Delphos perueniens, quemnam locum incoleret, Deum consuluit. Cui phœbus respondit, vbi saltantes videret rusticos oleaginis coronis ornatos. Profectus igitur in Asiam, agricolas Eleos, id est oleæ ramis coronatos saltantes vidit: vbi condita vrbe Eleuntem vocauit. Pythocles Samius lib. 3. Georgicorum, apud Plut. cap. 78. Paral.

MELEVS Pelasgus profugus à patria, cum Pythiam de sede consuleret, responsum tulit, πᾶσα γῆ πατρίς, Omnis terra patria: ex quo prouerbium venit. Meminère verò ipsius Mnaseas, Dionysius Chalcidensis, & Volat. lib. 17.

VESPASIANO, cùm sub Nerone rem Hierosolymis gereret, vicinum Carmeli montis oraculum experiendi desiderium incessit. Accepit responsum: Quicquid mente concepisset, quicquid tentasset, successurum fœliciter, quamuis arduum aut laboriosum videretur. Petrarcha.

BOHEMIS datum oraculum de futuro rege, qui super mensam ferream comederet, vide tit. De infelicib. felices redditi.

Regnorum excidij.

SIBYLLA Macedonum bellicam gloriam Philippo Amyntæ filio regnante partam, alterius Philippi temporibus pessum ituram prędixit:

Æmathiæ populi (Argeadæ quîs gloria reges)
Commoda nunc pariet regnans, nunc damna, Philippus.
Namque duces maior populis atque vrbibus vnus
Imponet. Sed enim Hesperiis domitus minor annis,
Mox etiam Eois illustres perdet honores.

Romani enim qui ad Occidentem sunt, Attali & Mysorum auxilio, qui ad solis ortum vergunt, Perseum Philippi F. & regno & vita priuarunt. Pausanias in Achaicis.

TIBERII imperatoris temporibus editum est Romæ oraculum his verbis:

Bis ter trecentis: circumuoluentibus annis
Seditio perdet Romanos.

Quod Neronis tempore factum putarunt. Eadem enim oraculi verba cum post vrbem à Nerone miserè incensam populus recitasset, Nero populi consulendi causa hos versus nusquam repertos esse dixit: quo facto, populus hunc versum verè Sibyllinum cecinit:

Vltimus Æneadum matrem necat induperator.

Id quod accidit, siue verè prædictum diuino oraculo, siue afflatu multitudinis ex statu rerum qui tum erant. Nam vltimus Nero ex Iulij familia, quæ ab Ænea profecta erat, regnauit. Xiphilinus in Nerone.

SIBYLLA de ANTICHRISTI interitu vaticinata est:

ἄλλινος ἂν τότε χειρὸς, ὅταν λίνος αὐτὸν ὀλέσσαι.

Locum alij de laqueo intelligunt, quo se Antichristus sit suffocaturus: Theod. Bibliander, vir doctissimus, de arte Typographica, cuius materia est linum maceratum & conglutinatum, charta videlicet. Hoc lino Antichristus conficietur, vtpote in quo sacrum Christum Euangelium, omnésque prophetæ descripti continentur: quorum authoritate, tanquã spiritu oris Christi, triceps bestia profligabitur. Idem quoque locũ eum, qui est de Enoch & Heliæ aduentu, ad Typographicam hanc palingenesiam traducere videtur.

Victoriæ.

ERECHTHEVS bellum cum Eumolpo faciens, oraculo consulto respõsum accepit, se victorem futurum, si filiam victimam aliis faceret. Quo facto victor euasit. Euripides in Erechtheo, & Plut. Parall. 40.

CODRVS rex Atheniẽsis è Thracia oriundus, cùm bello Peloponnesiaco Attica omnis vastaretur regio, oraculóque cõsulto respõsum esset, victuros eos quorum dux hostili manu periisset: deposito habitu regio, gregario militi assimilatus, se hostium globo obiecit: vnúmque ex his falce percessum, in necem suam cõpulit. Cuius interitu factum, ne Athenæ perirent: ex quo illi vt Deo sacrificarunt. Iustinus lib. 2. & Cicero in fine lib. 1. Tusc. quæst. & lib. 5. de Finib. Volater. lib. 24. cap. 2. & Val. Max. de Pietate in patriam. Plutarch. in Parallelis.

CYPSELVS Arcadiæ imperabat. Aeraclidæ faciunt expeditionem contra Arcadas. Oraculum prodiderat, cauerent ne donis hospitalibus acceptis ab Arcadibus, fœdus icerent. Cypselus æstatis tempore mandauit agricolis, vt fructibus demessis, & ad viam positis, discederent. Milites Heraclidarum libenter fructus accipiebant, iisque vtebantur. Cypselus obuiam prodiens, ad hospitium Heraclidas vocabat. Illis verò recordatione vaticinij, honorem recusantibus: Atqui, inquit, prior vester exercitus à nobis pro xeniis fructus habet. Ita sapientia Cypseli effectum est, vt Heraclidæ fœdus cum Arcadibus facerent, Polyæn. lib. 1.

GRAECIS datum oraculum de superando Xerxe, pete ex tit. Liberalitatis, Sua relinquere.

Cùm Xerxes Græcis bellum inferret, LACEDAEMONII de belli euentu sciscitati oraculum, à Pythia responsum tulére:

ὑμῖν δ' ὦ Σπάρτης οἰκήτορες εὐρυχόροιο,
ἢ μέγα ἄστυ ἐρικυδὲς ὑπ' ἀνδράσι Περσείδῃσι
πέρθεται, ἢ τὸ μὲν οὐχί. ἀφ' Ἡρακλέος δὲ γενέθλης
πενθήσει βασιλῆα φθίμενον Λακεδαίμονος οὖρος.
οὐ γὰρ τὸν ταύρων σχήσει μένος οὐδὲ λεόντων
ἀντιβίην, Ζηνὸς γὰρ ἔχει μένος· οὐδέ ἕ φημι
σχήσεσθαι, πρὶν τῶνδ' ἕτερον διὰ πάντα δάσηται.

Athenas igitur relictas Mardonius occupauit. Lacedæmonij trecenti cũ Leonida rege ad internecionem cæsi sunt. Herod. lib. 8.

MESSENII Delphos miserunt, de belli exitu, quod cum Lacedęmoniis gerebant, Tisim Alcidis filium. Qui in itinere vulneratus à Lacedæmoniis, paulo pòst obiit. Conuocatis in cõcionem Messeniis, oraculum Euphaes rex nomine Tisidis recitauit, quod fuit huiusmodi:

Nescia viri puella geniis inferis
Æpytidum ab alto sorte ducta sanguine.
Det colla nocturnis secanda cædibus.
Vos hæc ad vndas Nal'yi facite sacra,
Libenter ipsam virginem dantes neci.

Oraculi voce audita, virgines omnes ex Æpytidarum familia sorti commissæ: cúmque Lycisci filia ducta fuisset, eam Epebolus vates sacrari vetuit, quòd diceret non esse è Lycisco genitam; verùm vxorem Lycisci eam (ex sacerdote quadam Iunonis genitam) sibi, cùm sterilis esset, supposuisse. Interea dum vates hæc ad populum agit, Lyciscus clàm abducta puella, Spartam profugit. Quæ res vbi vulgata est, cùm hominum mẽtes vehementer commouisset. Aristodemus, & ipse ex eadem Æpytidarum gente, vir & cæteris vitæ ornamentis, & bellica virtute Lycisco clarior, vltrò filiam immolandam obtulit. Verùm patriam per filiæ deuotionem seruare cupienti Aristodemo, obiecit se huiusmodi offensio. Messenius ciuis, cuius nomẽ non proditur, fortè Aristodemi filiam amabat, ac propediem erat vxorem ducturus. Is itaque ex sponsu agere puellam vindicans, acriter negare, quæ sibi desponsa esset, in patris eam amplius esse potestate: suum esse, qui sponsus sit, in illam ius omne. Qua ratione cùm parum proficeret, impudenti mandatio vitiatam à se puellam, & grauidã iam esse affirmat. Qua pertinacia eò furoris Aristodemum impulit, vt filiam statim occiderit: & eius vtero exciso, planè omnibus ostenderit non

non fuisse prægnãtem. Ibi alium iussit Ephebolus vates filiam deuouere: quòd interpretaretur, virginis cæde, quam iratus pater commisisset, litatum ex oraculo non esse. Intercedit rex Euphaes, populoque persuadet, religione populum nulla amplius teneri, neque interesse à quo sit virgo cæsa. Ei vehementer Æpytidæ omnes assensi sunt, quòd nihil malebat eorum vnusquisque, quàm liberari se deuouendæ filiæ metu. Quare facilè tumultum omnem regis oratio sedauit. Messenij postea duce Aristodemo Lacedæmonios vno prælio superarunt. Qua clade accepta, Lacedæmonij miserunt Delphos, qui Deum de tota belli ratione consulerent. Iis responsum huiusmodi datum est:

Non Martis tantùm suadet tibi munera Phœbus,
Astu capta fuit quondam Messenia tellus:
Prisca fraude nouo rursus capietur ab hoste.

Quare ad astum regibus & Ephoris conuersis, cùm aliud nihil in mentem venisset, quod Vlysses ad Ilium fecit, placuit imitari. Homines enim C. qui se perfugas esse simularent, ad Ithomen montem speculatum hostium consilia misere: atque vt planè perfugisse viderentur, publico decreto damnati sunt. Eos ad se venientes Aristodemus his verbis dimisit: Nouas esse Lacedæmoniorum iniurias, vetera eorundem commenta. Id cùm minus vti volebant cecidisset, conati deinde sunt à Messeniis socios abducere. Verùm ab Arcadibus reiecti (ad eos enim primi legati venêre) quo minus ad Argiuos proficiscerentur, deterriti sunt. Aristodemus cognitis Lacedæmoniorum conatibus, & ipse ad oraculum misit. Responsum, qui missi fuerant, retulerunt huiusmodi:

Ecce manet fato longi te gloria belli,
At Spartana phalanx te vincat fraude caueto:
Nam bene compacta illorum si vasa habeat Mars,
Sæuum habitatorem feret alta corona chororum.
Tunc gemini è latebris erumpent fortè sub auras:
Nec prius euentum rerum lux alma videbit,
Iidem quàm fato gemini fungantur eodem.

Aristodemus quidem, & oraculorũ interpretes, quid sibi vellet responsum hoc, coniiciendo assequi nequierunt. Non multis verò pòst annis vocem suam exposuit, & ipso euentu ratam fecit Deus. Anno tãdem belli vicesimo, ad oraculum de belli euentu mitti placuit. Consultoribus ad hunc modum respondit Pythia:

Primus Ithomæi tripodas circum Iouis aram
Qui statuet decies denos, hic sorte secunda
Messenem capiet: mens hæc Iouis, instrue primus
Ipse dolos, queis sacra simul prædicta refelles.
Vtere sorte tua: fatum his nunc, nunc fauet illis.

Hoc oraculo promitti sibi victoriam Messenij interpretabantur, eo maximè, quòd cum ipsi intra muros Ithomatæ Iouis ædem haberent, nullo pacto viderentur posse Lacedæmonij priores tripodas dedicare. Ligneos certè tripodas faciendos curarunt, quòd ad æneos pecunia non suppeditabat. Exceptam hanc oraculi vocem, è Delphorum numero nescio quis Lacedæmonem pertulit. Ibi cùm nihil omnino publico consilio excogitari posset ad eam dedicationem occupandam, Spartanus quidam Oebalus nomine, homo genere haud quaquam claro, sed, vti res indicauit, planè callidus & solers, is tripodas C. è luto finxit, & in peram abditos, assumptis retibus, cum venatoris ornatu vrbem agresti turbæ permistus introiit: & ignotus quidem, quippe qui neque in patria sua vulgò esset omnibus notus, quàm primùm nox superuenit, tripodas illos fictiles dedicauit: atque inde ad suos reuersus, quod actum fuerat, exposuit. Re comperta, Messenij vehementer commoti sunt, & facilè quidem Lacedæmoniorum se astu delusos coniecerunt: multitudinis tamen solicitudinem Aristodemus cum ea quam res tempusque ferebat oratione, tum verò statuendis ad Iouis aram ligneis tripodibus (fabricati enim iam fuerant) leniuit. Accidit eo tempore, vt Ophioneus vates, qui à primo statim ortu cæcus fuerat, oculis vti cœperit, mirabili admodum casu. Nam cùm ingenti capitis dolore laborasset, ab ea valetudine luminis compos fuit: nec multo pòst, visum rursus amisit. Quo infelici omine Aristodemus Messeniis exitium imminere præuidit: quòd oraculum Ophionei oculos intellexisset, quando dixisset, è latebris duos erupturos, & eosdem in pristinũ statum reuersuros. Itaque primùm dolo victi, deinde armis Messenij, Lacedęmoniorum iugum subiere. Pausanias in Messenicis.

ROMANI aduersus Pyrrhum Epirotarum regem bellum gerebant. Paulus Æmylius responsum accepit ex oraculo, victoriam se reportaturum, si aram eo in loco ædificaret, vbi hominem cum curru demersum aspiceret. Post paucos dies Valerium Torquatum à terra absorptum vidit. Ibidem igitur structa ara, victor euasit: ex qua victoria centum sexaginta turres, gestantes elephantos Romam misit. teste Critolao libro tertio rerum Epiroticarum, & Plutarcho cap. 12. Parallelorum.

Famis, sitis, vel Vbertatis.

HALYARTIBVS datum oraculum de siccitate amolienda, vide tit. Sitis memorabilis.

THASIIS datum oraculum sterilitatis abigendæ, pete ex tit. Crudelitatis & vltionis erga mortuos.

Ædificiorum, vel quorumuis aliorum operum.

CNIDII Isthmum quinque stadiorum perfodere cogitarunt, vt suam ditionem in formam insulæ redigerent, ne ab Harpago Cyri Persarum regis duce subigerentur. Id iam multa manu conantibus, accidit vt cùm alias corporis partes, tum præcipuè oculos petra infestaret. Eius rei causa Delphos miserunt. Pythia ita respondit:

ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μήτ' ὀρύσσετε,
Ζεὺς γάρ κ' ἔθηκε νῆσον, εἴ κ' ἐβούλετο.

Eo responso accepto, ab incœpto destiterunt, & Harpago sese dediderunt. Herod. libro primo.

PRÆSAGIA.

Est Præsagium prudentia quædam & solertia animi futura præsentientis: distatque ab omine, quod prudens ab imprudente, vigilans ab eo qui dormit. Qui omen facit, nescit se facere: qui verò præsagit, attentione & solertia quadam, quod futurum est, præuidet, etsi causa non semper nota est, inquit Sab. lib. 9. cap. 10. Ego verò in genere præsagium illud voco, quod prædicitur, & voce pro certo alicui denunciatur, non fortè fortuna: atque ipso differt ab omine, quod fortuitò vel fit vel pronunciatur, latentem tamẽ habet coniunctam diuinationem. Differt item ab oraculo, quoniam præsagium per bruta, cùm vocem miraculosè fuerint adepta, interdum pronunciatur, vt quod de Xantho Achillis equo Homerus fabulatur: sæpissimè per homines diuino quidem numine afflatos, cùm supra humanam sortem sapere videantur, non penitùs tamen neque ex professo fatidicos, sed tunc tantùm, quando præsagiunt. At oracula vt deorum sunt responsa, ita non nisi à diuinis hominibus & enthusiastis proferuntur quos vates propriè appellant, & ipsa responsa vaticinia. Præsagiorum igitur exempla, quæ vel voce brutorum hominum ue, vel scripto tradita sunt, ordine referamus.

BRVTORVM VOCES PRÆSAGÆ.

Consule magnum opus Prodigiorum Conradi Lycosthenis.

EVSEBIVS Pamphili testatur, agnum in Ægypto mansuetum Bocchori ingenium, Ægyptiíque felicitatem sub tam bono rege apertis verbis prædixisse. Fulgos. lib. 1. cap. 4.

Anno quo TARQVINIVS Superbus regno pulsus fuit, testantur historiæ canem & serpentem locutum esse. Quarto etiam Q. Fabij Maximi consulatu, & M. Claudij Marcelli tertio, ex Sicilia nunciatum fuit, bouem idem egisse. Item quinto eiusdem Fabij & Q. Fuluij Flacci consulatu, durante Hannibalis bello, aliam Priuetni in Latio bouem in hominis verba prorupisse: & postea L. Veturio & Q. Cæcilio Marcello consulibus, prope vrbem Romam, idem quoque aliam bouem fecisse. Idem.

Ante Cæsaris DICTATORIS mortem in agro Romano bos arator ad rusticum conuersus, loqui cœpit: frustra stimulis sese agi, prius enim homines quàm frumenta defutura esse. Idem.

Paulò ante DOMITIANI mortem, in Capitolio cornix audita est Græcè loqui: Omnia bene erunt. Sicuti verè fuit, Domitiani superbiæ & crudelitati subsecutis Nerua & Traiano, mansuetudine clementiaque insignibus. Hoc facit, vt minus videatur mirum, consulibus M. Lepido, & Q. Luctatio Catulo in Arimensi agro gallum esse locutum. Idem.

PRÆSAGIA HOMINVM VIVA VOCE TRADITA.

Plurima exempla pete ex titulo Ominum, quæ quasi oris minæ, dicta sunt. Huic loco ea ratione conueniunt, quoniam expressa sunt & aperta ab hominum viua voce sumpta præsagia, quod ipsum euentus rei indicat: illic verò inter omina referuntur, quia non necessaria, sed fortuita tantùm vaticinia esse videntur. Nemo ergo miretur, ea quæ eiusdem naturæ sunt, ad diuersa loca nos retulisse. Consule etiam tit. Astrologorum: illic enim artis ex qua prædicunt, hic solius prædictionis ratio habetur. Huc quoque tit. Eorum qui mortem propriam prædixerunt, eadem ratione referri poterit.

THALES Milesius corpus suum iussit poni in abiecto quodam & contempto loco agri Milesij, cùm ibi aliquando forum Milesiorum fore præuideret. Plut. in Solone.

EPIMENIDES Phæstius, in numero Sapientum septimus ponitur,

ab iis qui Periandrum excludunt. Hic Athenas à Solone accersitus, cùm Munychiam arcem inspexisset, diúque contemplatus fuisset, dixisse fertur: Quàm cæci sunt homines in præuidendis rebus futuris? Si scirent Athenienses, quanta hic locus mala est vrbi olim daturus, dentibus profectò suis eum eroderent, & vnguibus demolirentur. Plutarchus in Solone, & Laertius lib. 1.

CHILO Lacedæmonius de Cytheris insula Laconiæ prædixit, Vtinam hæc nunquam fuisset: aut certè simulac nata est, submersa esset. Demaratus enim Lacedæmone fugiens, Xerxi consuluerat, vt in ea insula naues subduceret. Cui consilio si res paruisset, Græciæ Dominus fieri poterat. Nicias pariter Peloponesiaco bello occupata insula, Lacedęmonios grauissimis afflixit cladibus. Laert. in eius vita.

PHERECYDES Badis filius, Syrus, Pittaci auditor, deambulans in littore Psamio, cùm nauem quandam plenis velis currētem vidisset, paulo pòst mergendam prædixit: atque id spectante eo contigit. Cùm Messanam ascendit in Olympiam, Perilao hospiti consuluit, cum tota familia inde migraret. Illo autem negligente monita, Messana paulo pòst ab hostib⁹ capta est. Laertius in eius vita.

TIMON Atheniensis, cum Alcibiadem adhuc puerum obuiam habuisset, & deosculatus ei plurimum blandiretur, rogantibus quibusdam, quæ insuetarum blanditiarum causa esset? Respondit, amare se eum puerum, quòd præuideret ipsum quādoque Atheniensibus magnorum malorum causam fore, qua spe sola fruebatur. Ei enim propter immanem naturam id placebat, quod alij iurè omnes abominabātur. Fulg. li. 9. c. 11.

ANAXAGORAS Clazomenius philosophus Anaximenis discipulus, quòd in Olympia cùm aliàs, tum in siccitate maxima pluiturū prædixisset, pro Deo habitus est. Philostratus in vita Apollonij, & Volaterranus libro 13. capite tertio Anthrop. Prædixit etiam, lapidem è Sole casurum. vide titulum Astronomorum.

THERAMENES Athenis in carcere triginta tyrannorum imperio venenum quasi sitibundus hauriens, exiguum quod in imo pateræ substiterat, terræ allisit: Propino, inquiens, pulchro Critiæ. Is erat vnus è grege tyrannorum, qui ex cunctis sæuius inexorabiliúsque se in eum gesserat. Græcis autem conuiuiorum mos erat, nominatim designare, cui poculū dare vellent. Mortem igitur habens in visceribus, vir fortissimus, iocatur simul & vaticinatur: siquidem Critias & ipse non multò pòst, eodem veneno sublatus fuit.

MESON, vel Meton astrologus, quomodo Atheniensibus nauigaturis tempestatem prædixerit, pete ex titulo Astrologorum.

PERSICORVM magorum sapientia ac diuinandi noticia multorum monumentis celebratur, qui cùm alia multa, tum Occhi sæuitiam aduersus subditos & cædem ex signis quibusdam arcanis prædixerunt. Nam cùm Artaxerxe patre vita functo, regnum Persarum Occhus capesseret, magi cuidam ex eunuchis præceperunt, vt posita mensa animaduerteret, quibus rebus ex obiectis rex primùm manum iniiceret. Qui cùm oculos in hoc attentos haberet, Occhus vtraque manu protensa, dextera vnum ex adiacentibus cultris arripuit: altera maximum panem accepit, quem carnibus impositum scidit, & alacriter comedit. Quibus auditis, magi hæc duo vaticinati sunt, frugum tempestiuam fertilitatem, atque annonæ copiam illo regnante, & cædium frequentiam: neque falsi fuerunt. Ælianus lib. 2 de Varia historia.

In conuiuio quum ANAXARCHVS Alexandro propinaret, ostenso calice, prædixit fore, vt vulnus acciperet: abutens ad id versū, quem recitat Laert. lib. 9. cap. 1.

βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί Id est.
Ferietur aliquis mox deūm humana manu. Eras.

CALANVS, Gymnosophistarum vnus, diu comitatus est Alexandri castra. Postremò viuus statuit incensam pyram ex gentis instituto insilire. Cùm igitur spectante exercitu in subiectas pyræ flammas insulturus staret, interpellatus ab Alexandro, rogatúsque an mādaret aliquid? Mox paulò, inquit, te videbo. Impleuit id omen Alexandri interitus, qui non multo pòst secutus est. Sab. lib. 9. cap. 9. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

Cum Darius rex Babylonem obsideret, vox hostis audita est, ex murorum fastigio cauillantis, tum demum Darium Babylone potiturum, cùm mula pareret. Tenuit inde obsidio annum & amplius, & iam desperatio capiendæ vrbis cæteros subire cœperat, cùm Zopyri mula enixa est. Fuit autem Zopyrus Megabyzi filius, qui cum Dario magos interfecit. Editū est id ostentum, ac simul vrbs Zopyri consilio & arte capta est. Sab. lib. 9. cap. 8.

Mira certitudo atque experientia diuinandi, in Iuda Settensi, Hierosolymatū Esseo fuit. Nam cùm præuidisset diem, locúmque, in quo Aristobuli Iudæorum regis frater Antigonus occidi debebat, & eo die prætergredientem templum videret, scirétque discipulis è se significatum, eo die Antigonum interfectum iri in Stratonis turri, quę plusquam sexaginta stadia à Hierosolymis aberat: neque iam fieri posset vt eo die illic Antigonus esset, addubitare cœpit, quorsum ea res euasura esset. Interim nunciatur in regia Hierosolymis locum esse, quæ Stratonis turris nominabatur, & in ea Antigonum interfectum esse: cuius loci nomen cùm Iudam lateret, de Antigoni mortis loco addubitabat, quanquam diuinandi artem veram esse sciret, vt res ipsa docuit: cùm neque in tempore, neq; in loco, sed in sola interpretatione loci erratum esset. Fulgos. li. 8. cap. 11.

HYRCANVS Iudæorum pontifex, cum thura adoleret, ad populum ingenti lætitia conuersus, nunciauit, illa ipsa hora à filiis suis iudicibúsque prælio Antiochum Cyzicenū hostem victum esse. Allatæ postea ab exercitu literę, verum id esse ostenderunt. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

C. MARIVS Arpinas adolescens merebāt sub Scipione Æmiliano in Hispania. Incidit fortè sermo apud ipsum ducem exercitus, de claris imperatoribus. ac rogatus Scipio, quem post ipsum habiturus esset Romanus populus summum ducem: tum ille leniter C. Marij humerum tāgens: Hic erit, inquit, omnium præstantissimus. Sabell. libro nono, capite nono.

REMEX quidam Rhodius repentè alienatus, testari clara voce cœpit, ante diem tricesimum futuras in Græcia strages maximas, rapinasque apud Dyrrachium, & incendium & fugam: classem verò ipsam domum esse redituram. Id cùm Cn. Pompeius, qui prætor classi præerat, audisset, narrassetque tribus, Ciceroni, Varroni & Catoni: omnes moti, quidam verò etiam valde perterriti dicuntur. Paucorum autem dierum interiecto spacio, Labienus fugiens ex acie Thessalica, stragem legionum & ingenti prælio fusas Pompeij copias nunciauit. Confestim raptum ex horreis publicum frumentum, totaque ciuitate conspersum, qui illic erant fuga præcipiti digressi, & à Rhodiis destituti, nolentesque sequi naues incensæ sunt. Hoc tamen vaticinium Tullius extenuat. ait enim, illo tempore fuisse in Thessalia castra castris admota: omnes qui Dyrrachij erant timuisse grauiter imminentis prælij fortunam, quod Cæsarei exercitus dux animosior videretur. Veruntamen eum metum, qui constantes & Romanos viros vrgebat, Grẹculum hominem prostrasse facillimè, & à sensu proprio deiecisse. Minimè mirandum igitur, si quod omnes taciti verebantur, quódque idem ille valde pertimuerat, furēs deposito pudore prædicaret, Petrarcha.

CORNELIVS sanguine nobilis, & sacerdotio venerandus, & (vt aiunt) castitate vitæ sanctus, Patauij in Transpadana Italia degens, Pharsalicam pugnam eo ipso die dum in Thessalia gerebatur, expressit. Subito enim furore correptus, murmurare orsus est, videre se de longinquo prælium grauissimum, & modò hos fugere, modò illos insequi, modò prælium instaurari, & vulnera & mortes, & gemitus cadentium, & clangorem tubarum, & equorum strepitum, & fragorem arborum, & sagittas & spicula cœlum tegentia, & stragem immensam, ceu præsens omnibus quæ gerebantur interesse. Ad postremùm exclamans ait: Vicit Cæsar, & his dictis, conticuit. Ea res primùm risui atque contemptui, pòst autem miraculo est habita, quando venientibus nunciis ex Thessalia, non modò pugnæ tempus euentúmque nouissimum, sed singulas quoque variātis fortunæ vicissitudines, cum illius dictis & gestibus conuenisse compertum est. Idem.

CLAVDIVS princeps, paulo ante mortem, cum Coss. designaret, mensem illis quo moriturum se præsagiebat, metam statuit: consilióque nouissimo filios suos, vt vnanimiter fraternéque viuerent, multis monitis obtestatus, tandem piè admodum Senatui commendauit: deniq; pro tribunali sedens, licet abhorrētibus qui aderant, & lætiora precātibus, sese ad mortalitatis terminū peruenisse iterū iterúmque professus est. Idem.

TIBERIVS Cæsar Galbæ prædixit, cum imperium degustaturum. Dion Nicæus.

APOLLONIVS Ægyptius, C. Caligulæ Romanorum imperatori mortem prædixit. Qui eam ob causam Romam missus, ad Caium eo die perductus est, quo ille mortem erat obiturus. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula.

NERO Romanorum imperator cū nasceretur, prima luce, antequam sol ortus esse videretur, animaduerso stellarum cursu, atque earum coniunctione, quidam astrologus pronunciauit duo simul: natum imperaturum, & matrem suam necaturum. Quod cùm audiuisset Agrippina mater, subitò exclamare cœpit: Occidat, modò imperet. Quod deinde etiā factum est. Xiphilinus in Nerone.

Nulla ciuitas ominosius quicquam audiuit, aut vidit, quam Hierosolymitana, sub id tempus quo excisa est à Tito Vespasiani filio. IESVS Anani ignobilis alioqui rustici filius, cùm ad solēne sacrum venisset, quo attegiæ statuebātur in templo, phanatico spiritu repentè impulsus, vociferari exorsus est, Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, in Hierosolyma templū: vox in sponsos, & nouas nuptas, vox in omnem populū. Hæc irrequieta voce clamitans, sæpe correptus, ac magistratuū iussu flagris cæsus, mutare non potuit: ac ne fleuit quidem, aut ingemuit, cū atrociter cæderetur, nec medio supplicio est quippiam supplex locutus, septem annos nullū adiit: cæterùm ceu meditans, illud frequens sonare, Væ Hierosolymis. Vrbe à Romanis circunsessa cùm muros circuiret, Væ ciuitati, ingeminans: væ templo, væ vniuerso populo: factū est, vt illud insolens adiecerit, Vę mihi etiam. atque in ea voce hostili tormento ictus concidit. Sabel. lib. 9. cap. 9. & Fulgos. lib. 1. cap. 3.

IOSEPHVS à Vespasiano captus, tempore quo Neronis imperio bellum gerebat in Iudæa, cùm sibi vincula circūdari vidisset, quasi nihil motus breui captiuitate, & omnino futuri certus: Tu idē (inquit) Vespasiane, quem nunc alterius iussu vinciri facis, citò Imperator factus, iubebis solui. Id quibus coniecturis præuiderit, incertum: nisi quia nota Neronis impietas velocem casum, & spectata Vespasiani virtus ascensum polliceri poterat.

VESPASIANVS duos filios habens quanquam nec hæreditas iam Cæsares faceret, sed fortuna: nec ipse cuiquam suorum successisset: tam constanter tamen filium vtrunque sibi successurum præuidit, vt multas coniurationes & insidias perpessus, tandem in Senatu non dubitaret asserere, Frustrà se dolis appeti, & inani successu: se enim sublato, aut filios suos imperiū habituros, aut neminē. Nec fefellit oraculo si milior vox, quàm mortalis hominis coniecturę. Idem Domitianum filium super cœnam fungis abstinentem, cunctis audientibus irrisit, dicens: Nec enim fungos ei metuendos esse, sed gladios. multo antè illi genus suæ mortis denuncians. Petrarcha.

LARGINVS Proclus publicè prædixit in Germania, Domitianum Romanorum imperatorem, quo die excessit è vita, mortem obiturum. Cūque esset ob hanc causam, ab eo qui prouinciæ præerat, Romam missus, introductúsque ad Domitianum, id ita etiam tunc affirmauit fore. Itaque rei capitalis damnatus est. Sed Domitianus nihilominus vitę periculum non effugere potuit, quia eodem die necatus est. Xiphilinus in vita Domitiani.

Fuit ALIVS, qui cùm Domitiano tempus & genus mortis prædixisset, ab eóque vicissim interrogatus, quem exitum vitæ ipse esset habiturus, respondisset, fore vt à canibus dilaniaretur, viuus exuri iussus est. Sed admoto igni, tantus imber aquæ effluxit subitò, vt rogus extingueretur. In quo canes eum cùm vinctis à tergo manibus reperissent, dilacerauerunt. Idem.

APOLLONIVS Tyaneus, Iouis filius, Cilicem quendam, hominem supra modum lasciuum, tertia die interemptum iri prædixit. ídque contigit. Philostratus in eius vita.

IDEM futura noscebat, non incantationibus vtens: sed ex his coniectans, quæ sibi Dij immortales ostenderant. Itaque quondam nauigium satis idoneum nactus, cum Leucadem tenuisset, Achaiam iturus: Descendamus, inquit, ex hac naui. Illa verò quāquam tūc quieta, paulò pòst sub mersa est. In Ægypto existens, noscēbat quæ eo tempore fierent Romæ in exercitu contra Vitellium Imperatorem. Ibidem.

IDEM Athenis ignotis diis aras constitutas esse, diuinitùs nouit, & dixit, quicquid Tymasioni Ægyptio à nouerca contigisset. Ibidem.

IDEM in Epheso cùm disputaret, animo penè abalienatus, intentísque oculis, tanquam si in re pręsenti fuisset, sæpius dixit: Percute peccatorem Stephane, percute. Postremóque addidit, Mortuus est tyrānus. Qui cùm magna omnium qui aderant admiratione auditus esset, postea acceptū est, eadem die, atque ipso horæ momento, Romæ occisum fuisse Domitianum Augustum, ab homine cui nomen Stephano erat, sicuti tunc Apollonius declarauerat. Fulg. lib. 1, cap. 6. & Xiphilin. in Domitiano.

IAMBLICVS philosophus Pythagoricus, cum quondam è suburbano sacrificio rediret cum suis discipulis, ac de sacris loqueretur, extemplò abrupto sermone: Diuertamus, inquit, alia via, quādo hęc est, vti sentio, polluta funere nescio quo. Pars ergo eum sequuta, pars autem cœpto itinere pergere perseuerans, obuiam vespillones habuit, qui à defūcti cadauere reuertebantur. Eunapius.

PHOCAS Sinopensis episcopus, sub Traiano passus, spiritu prophetico dixit: Traiane perge ad vlteriora abyssi, & ad præparata tibi tormenta festina, vbi morte perpetua & sæua exurendus incendio. Triduo in hac luce versaberis. Quo emenso, caligo te mortis excipiet. Nec. n. diutius postea inultus innocentum sanguis esse potest. Euentus secutus est. Nam triduo exacto, Traianus ventris profluuio expirauit. Ado Viennensis episcopus.

HADRIANVS Romanorum imperator, ex matheseos peritia præsciuisse suam mortem dicitur. Vide tit. Astrologorum.

Saga quædam mulier DIOCLETIANO imperium prædicit. Vide tit. Ominum Imperij & honorum.

MACRINO Romanorum imperatori, ab Auito (qui & Pseudantoninus & Sardanapalus dictus est) adhuc puero interfecto, mors antea oraculo prædicta fuit his versibus:

O senior, bellis iuuenum quem dextra fatigat,
Iam tibi deficiunt vires, repitque senectus.

Dion & Xiphilinus in Macrino.

Prænunciatum cum læto euentu, priuato adhuc P. ANNIO Tacito, ab eo quem malè vexabant vmbræ, imperium fuit. Is enim Syluani fano diu indesinentérque clamauit: Tacitus tandem poterit. Fulgos. libro 1. cap. 3.

ISAAC monachus Valenti imp. cladem prædicit. Vide tit. Eremitarū.

LEONTIVS episcopus Antiochenus, cum videret ecclesiam in doctrina dissentire, tangens caput suum iam canum, fertur dixisse: Hac niue soluta, lutum cogetur immensum. Per hoc ostendens, quòd ipso defuncto, illa discordia populo generaret seditionem. Tripart. histor. lib. 4. cap. 35.

MARIA Ægyptia, permulta Zozimæ monacho Ægyptio nūciauit, partim futura, partim remotis in locis tunc gesta: eúmque quem antea non viderat, nominatim compellauit, ac similiter de eius abbate egit. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Erat CONSTANTIO Augusto, Constantini Magni filio, tribunus Amphilotius, conspirationis in se vitámque suam suspectus: iámque sæpius à multis delatum ad eum fuerat, tanquam sceleris huius reus foret quúmque sæpe ad ipsum Augustūm Amphilotij nomen hac de causa repeteretur: Desinite, inquit, hoc apud me inculcare: breui enim futurum spero, vt præsentibus vobis omnibus, meritas luat criminis pœnas: Et quum fortè in proximum diem spectaculum indictūm esset, in quo Constantius, & vniuersa fermè ciuitas, & Amphilotius aderat, accidit vt suggestus, in quo ipse Amphilotius è Constantij regione ludes spectabat, incerto casu rueret: reliqui omnes collapsi, salui incolumésque discessere, ipse vnus ex cunctis acerbo functus est fato: non sine summa eorum admiratione, qui eum toties detulerant, quòd Constantius præsentis numinis vltionem prædixerat. Egnat. lib. 1. cap. 6.

IOANNES monachus Ægyptius, vir morum sanctitate clarus, præter ea quæ de futuris victoriis & aliis rebus Theodosium præmonuerat, Hieronymo quoque, quemadmodum ipse testatur, affirmauit, eo die quo Hieronymus eum alloquebatur, Alexandriam perlatum esse nuncium, de Theodosij contra Eugenium victoria, quæ prorsus ignorabatur: de ea adhuc aliud homines suspicabantur. Quæ res ita contigisse inuēta est vt ipse tunc prædixerat. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

BENEDICTVS abbas Totilæ regi futura prædixit, cùm ad eum profectus esset experiendi gratia, an propheticum spiritum (vt ferebatur) haberet? Nam quanquam ad Benedictum mutata veste Totilas accessisset, & alium regio habitu ornatum pro se misisset, statim Benedictus eum agnouit: prædixitque eum redacturum vrbem Romam in potestatem: & item in Siciliam traiecturum, sed demum decimo anno pòst moriturū. Quæ omnia vt Benedictus dixerat contigerunt. Idem à Martino Turonensi episcopo factum fuit Maximo tyranno, quemadmodum Seuerus Sulpitius testatur. Ibidem.

SIXTI Pontificatum cùm alia, tum furiosorum voces prænunciauere, sicuti Romanis quibusdam principibus imperium. Nam antequam Sixtus crearetur, Paulus Riarius Sauonensis, quamuis tenui fortuna, nobili tamen ortus genere morbo impellente (vt interdum contingit) in furorem agebatur. Itaque è domesticorum custodia elapsus in publicū prodiit, futuros Pontificem & Cardinales clamitans. Tulit autem fortuna, vt creato pontifice Sixto, inter primos Cardinales ipsius furiosi filius frater Petrus Riarius promoueretur. Fulg. lib. 1. cap. 3.

PAVLINVS Nolanus episcopus, cùm in Africa apud Vandalos captiuus haberetur, Vandalorum regi obitus diem prædixit. Ibidem.

Cùm aduersus Carolum primum Conradinus Germanorum rex, ad recuperandum Neapolitanum regnum, cum valido exercitu proficisceretur, CLEMENS IIII. pontifex Viterbij consternata metu aula, in Prædicatorum fano inter missarum solennia concionatus, ad solandas hominum mentes apertè monuit, ne qui secum in aula erant formidarent, quoniā malorū hominū suasu Conradinus ad eam expeditionem, velut ouis ad occisionem ducebatur. Affirmauit autem à Deo habere se hoc pro comperto, vt post Catholicæ fidei articulos hac re nihil certius putaret. Nec multo pòst superatus prẹlio Conradinus à Carolo, Neapoli capite mulctatus fuit. Ibidem.

EDOARDVS primus Britannorum rex, dum in templo oraret, vultu in ridentis speciem ad eos conuersus qui aderāt, dixit: Frothonē Dacarum regem, qui contra ipsum magna classe veniebat, ea ipsa hora cum quadraginta nauibus submersum esse. Idque paucis diebus, ab iis qui inde venerunt confirmatum fuit, ita ea hora contigisse, vt ab Edouardo dictum fuerat. Ibidem.

Quidam scriptores asserunt, Ezzelinum Romanum & Albericum fratres, cruentos & immanes homines, matrem habuisse ADELHEIDAM, ex nobili Tuscorum sanguine fœminam, alti ingenij consiliique, & tam astrorum cœlique studio quàm magicis artibus supra fidem venturi præsciam. Hæc cùm sæpè multa tam viro quàm natis, tum præcipuè euidens vnum, circa diem suæ mortis, oraculi more tribus versiculis pronunciasse dicitur. In quibus & filiorum potentiam, & exitum, & mortis locum ita cecinit, vt ipsis euentibus nihil ex vaticinio demeretur. Quinetiam vt Albericum sileam, cùm Ezzelinus ipse monitus Cassanum cauere, ignobilis vici nescius, Cassanum castrum in Paduanorum ac Hetruscorum situm finibus fatale ratus, omni semper studio vitasset: tādem post septuagesimum ætatis annum, dum summa vi Mediolanum petit, ab omnibus fermè Longobardis, quib. trux & insolens spiritus odiosum illum fecerat circumuentus est. Iam pontem fluminis transuerat, illic in extremis sese casibus videns, loci nomen sciscitatus: vbi Cassanum audiuit, confusionem nominum recognoscens, adacto calcarib. equo in oppositum sese flumen iniecit: Heu fatum ineuitabile, heu materna præsagia, heu arcanum Cassanum, horrendo murmure vociferans: ac vix terræ redditus aduersæ, ab innumerabili hostium exercitu, qui iam pontem & vtrāque ripam occupauerat, opprimitur. Petrarcha.

PRÆSAGIA SCRIPTA.

Præsagia scripta diuidimus in pura, certaque, quæ manifestè de hac re vaticinantur: & in Sortes, quæ non apertè, neque certò, sed fortuitò tantùm euentum prædicere videntur, ita vt Omina verius quàm Præsagia dici poßint.

Seruiebant Iudæi seruitutem in Assyria, obtinebátque Mesopotamiæ regnum BALTHASAR, cum in regia domo manus repentè extitit, ex dealbato pariete, quæ hæc scripserit: Mane, Thecel, Phares: Numerum scilicet, pondus, & fragmentum. Id ostentum quid significaret, vnus omniū Daniel præuidit: docuítque eius regni excidium appropinquare. Sab. libro 9. cap. 6. Cyprij Themisto indigenam feminam Homeri fuisse matrem dicunt. EVCLVM de ipsius ortu hisce versibus fuisse vaticinatum:

Fluctisona in Cypro tunc vatem dia Themistò
Altiloquum pariet ditis Salaminos in agris.
Posthabita hic Cypro, longè profectus in altum,
Graiugenum terras lustrabit carmine, sæuos
Heroum casus & tristia funera dicens,
Nec senium metuet, nec inexorabile fatum.

Pausanias in Phocicis,lib.x.

Gallorum exercitum ex Europa in Asiam ad vrbium perniciem transmissurum, prædixit PHÆNNIS, ætate vna antequam res gereretur:

Hostilis Gallorum acies tunc milite multo
Littora complebit:transmissa flectibus Helles
Vastabit populas Asiam:sed dij graviora
Intentant illis,pelagi prope cærula sedes
Qui composuere sua,Sed enim his quoque Iuppiter ipse
Auxilio clari mittet tauri generosam
Progeniem,tristi quæ sternet funere Gallos.

Tauri filium dixit Attalum Pergami regem,quem ipsum Tauricornem etiam idem Apollo nominauit.Pausanius libro 10.

Xerxes Darij filius,effosso vetusto Beli monumento, vitream vrnam reperit,vbi iacebat in oleo mortuus:nō tamen plena fuit vrna,vacuúmque à summis labris ferè palmæ spacium habuit.Adiacebat vrnæ colūna exigua,in qua scriptum continebatur: VM qui sepulchrum aperuisset,neque repleuisset vrnam, pessimè habiturum.Quo lecto, Xerxes expauit,& oleum celerrimè iussit infundi: non tamen impletum est. Iterū infundi iussit:neque sic incrementum accepit.Donec frustratus omni labore infundendi,cessaret:clausóque monumento,summa cum mœstitia discederet.Neque verò falsa esse sensit,quorum prænuncia columna extiterat.Nam quinquaginta myriadum exercitu aduersus Græcos conscripto, magnam cladem accepit:reuersúsque turpissima morte vitam finiuit,noctu in stratis à proprio filio interemptus.Ælianus libr.13. Variæ hist.& Herod.lib.2.

EPICHARMVS Siculus in suis scriptis veluti præsagiens,ita loquitur:Vt autem ego puto,imò pro comperto habeo,mearum adhuc erit memoria rerum,meorúmque sermonum: eóque aliquis, soluto metro, quo nunc constant,colore purpureo miráque verborum venustate induet, inuictúsque ipse alios facilè superabit.Præsagium verum fecit Plato,qui Epicharmum in multis imitatus est:vt Laertius in eius vita docet.

Non multo antè quàm IVLIVS Cæsar periret,coloni Capuam Iulia lege deducti,in Capys tumulo æneam tabulam inuenēre.in qua incisæ erant literæ monentes,fore,cùm Capys ossa detegerentur, vt vnus à gente Iulia progenitùs,suorum manibus occideretur,cuíusque sanguis magno Italiæ damno vindicaretur.Fulg.lib.1.cap.4.

Imperante CONSTANTINO cum Irene matre,in veteri sepulchro Cōstantinopoli cadauer inuentum est,cuius pectori superposita erat aurea lamina,in qua hæc verba incisa erant:In Christum credo, qui ex Maria virgine nascetur.O sol,imperantibus Constantino & Irene, iterum me videbis.Quæ res posteaquam publicè recitata fuit,in locum restituta est, vbi antea condita manebat.Fulgosius libo primo,capite sexto.

Cū Iulianus apostata exercitū in Persidem duceret,Libanius sophista sanctum quendam VIRVM irridens:Ecquidnam fabri filius(Christum intelligens)ageret,rogauit.At ille:Parat Imperatori loculum, respondit. Vatem fuisse,euentus declarauit.In ea enim expeditione incerto authore saucius,sceleratam euomuit animam.Niceph.lib.10.cap.35.

RHODERICI Gothi Hispaniarum regis temporibus Tolleti veteres ædes,quæ diu clausæ manserant,contra omniū sententiam à Rhoderico apertæ sunt,qui thesauros se in eis absconditos putabat inuenturum.Effracto igitur cophino ferrato,Attalici operis pannus duntaxat in eo repertus est, hominū figuris barbaris effigiatus,cū hac inscriptione: Quo tempore hic pannus in lucem eruetur,gens ea forma,quæ in panno expressa est,totam penè Hispaniam delebit. Omnibus ea re territis,in locum vbi prius erat, pannus restitutus est,& palatij fores,vt antè erant, conclusæ.Paulo pòst Arabes simulachris in panno expressis persimiles, in Hispaniam traiecerunt:& Rhoderico occiso, oppressísque magna ex parte Gothis,maiorem meliorémque Hispaniæ partem ditioni suæ adiecerunt.Fulgos.lib.1.cap.6.

Tumba Antenoris Troiani Pataui diu latuit. Tandem sub Alberto Scaligero principe,apud xenodochium D Francisci,dum terra altius foderetur,inuenta fuit,& in ea gladius auratus,cum his versibus:

Cum super Æsumes primum tibi Dardane gramma,
Auxilium à superis subito tibi numine clama.
Heu Patauum qui te profugum construxit,ab igne
Multoties tali pestle subiecta malegne.
Mors cita,vita brevis, Patauos in pace volentes
Viuere non passa est,genus hoc fatale ferentes
Admonet,& punit nullo discrimine ciues.

Qui versus barbari,longo pòst tempore à vatidico aliquo in gladio cælati,& sepulchro Antenoris impositi,videntur.Antenor enim ante Christum 1118.vel 1141,obiit.Exitus ipse vaticinium verum fuisse ostendit.Semper enim Patauini ab iis principibus quorum nomina ab A incœperunt, malè sunt tractati:vt ab Attila Hunno,Agilulpho Gotho,Acciolino tyranno, Ansoditio Acciolini præfecto,Alberto Scaligero, Andrea denique Nerio præture Carrarienium.Bernard. Scardeonius in historia Patauina.

PERVS Remigius quæstor regius,& regni gubernator,obscuris natus parentibus, restaurauit celebrem illum suppliciorum locum Lutetiæ,quē Montem falconem vocant. In columna quadam incidit quidam hos versus:

En ce gibet icy emmy
Sera pendu Pierre Remy.

Euentus vaticinio fidem fecit. Neque enim multo pòst peculatus crimine accusatus,in eo quod constrūi curauerat,patibulo suspensus periit, sub Philippo Valesio rege.

SORTES TAM SACRÆ QVAM PROPHANÆ.

Sortes ab Ominibus sola electione differunt. Omina non præmeditata sunt,temerèque eueniunt: Sortes verò consultò suscipiuntur

HOMERICAE sortes in maximo olim precio fuēre. Nam cùm poetas diuino numine afflatos,versus canere crederet antiquitas,ex iisdem versibus sortiēbo multa vaticinia erui posse existimabat.

MVSAEI sortes in maximo olim fuēre precio. Ex iis enim futurarū rerum oracula petebantur ab iis, qui propterea sortilegi dicti fuerunt. Talis fuit Onomacritus Atheniensis, qui cùm sortes Musæi adulterasse deprehensus esset, ab Hiparcho Pisistrati F.in exilium eiectus, ad Xerxem transfugit,eúmque iisdem sortibus ad bellum Græciæ inferendum compulit.Herod.lib.7.

Diuus AVGVSTINVS adolescens adhuc,quum Mediolanum Ambrosij fama motus peruenisset,dubiúque animi adhuc penderet,in quam potissimùm religionis partem illi inclinaret animus,quando nec adhuc sacratiore aqua lustratus erat: vocem ex proximo loco audire sibi visus est,Accipe,& lege.Quod quum iteratò reperi audisset, volumen, quod proximum erat,admoneri à se legi arbitratus (erant autem Paulinæ epistolæ)aperto libro incidit in eum locum, vbi Paulus admonet, Non in ebrietatibus, neque impudicitiis & contentionibus esse versandum, sed Iesum Christum induendum animo.Quod quum legisset,Monicę etiam matris consilia secutus,statim ed Ambrosium contendit: ab eóque sacra lustratus aqua,nomen Christianæ pietati ita dedit, vt nullus ad hunc diē doctrina & moribus par Augustino, nec vera pietate clarior inueniri possit,vt ille vnus omnibus etiam anteponi iure optimo debeat. Eguat. lib.1.cap.4.& Fulg.lib.1 cap.3.

CLODOVEVS Francorum rex,contra Alaricum pugnaturus, omen pugnæ ex sacerdotum hymno in templo D. Martini Turonensis cepit. Vide tit.Omina victoriæ præsaga.

Chrannus Clotharij Francorum regis F.cùm innumeris malis Dei ecclesiam, eiúsque ministros afficeret, & parentem fratréque intestino bello persequeretur,die Dominico in Diuionense Galliæ castrum religionis ergò venit.EPISCOPO autem & aliis sacerdotibus sacra ibi peragentibus, precibus à Deo futuram Chrami fortunam sibi reuelari petierunt. Præmissis igitur ieuniis & orationibus, tribus deinde libris aræ impositis, Prophetarum nimirum, Apostolorum & Euangeliorum quod cuique libro aperto prima statim vice obuiam veniret,id vaticinij & præsagij loco recitare iusserunt.Aperto itaque primo omnium Prophetarum libro,reperierunt eam Propheræ sententiam:auferam maceriam eius,& erit in desolationem.Apostolorum libri aperti respondērunt,Domini diem ceu furem noctu irruentem aduenturum, cùm dixerint,Pax & securitas,&c.Euangeliorum verò oracula docuerunt , virum istum qui Christi verba non audit,similem esse viro stulto,ędificanti domum super arenam,quę mox pluuiis & tempestatibus exortis, cùm grauissima ruina collabatur.Post hæc cùm patrem insequentem fugeret cū vxore & filiabus, venit in Britanniam. Clotharius autem mox filium armata manu eò persequitur.Copijsigitur in agro Britannico vtrinq; congressis,prælium committitur.Clotharius fusis ad Deum precibus,sūmq; testatus hac in causa innocentiā, iustū Dei contra seditiosum suum filium implorat auxilium.Prælio commisso, Chranni & Britannorum copiæ fugam capessiunt.Chrannus verò cùm vxorem & filias liberare tentaret , à patris exercitu comprehensus, cum vxore & filiabus rustico tuguriolo includitur,& incensa casula igne exuritur.Gregorius Turonensis lib. 4. Historiæ,cap.16.& 20.

CVIDAM e summis nostris amicis,cùm ei puerulus natus esset,sortes Vergilianas non superstitionis,sed animi gratia consulenti,versus ille ex 2.Æneidos obtigit:

Hunc tantùm terris ostendent fata,nec vltra
Esse sinent.

Quinto pòst mense infans,vno eodémque tempore cum matre lethali spalino correptus obiit.

SIGNA

SIGNA DIVINA.

Diuinationem mediatam eam vocamus,quæ non simplici reuelatione, sed mediis quibusdam signis fit.Cùm autem omne signū signati sit signum,ratio habēda est tum signi ipsius,tum etiam signati siue effectus,quem signum præsecat.Signa in multiplici sunt differentia:Omina, Auguria, Auspicia, Prodigia, Portenta, Ostenta, Somnia:ab authoribus confuse admodum & tradita & explicata,quandoquidem vnum idémque signum alij omen,alij portentum,alij ostentum appellant.In tanta igitur incertitudine diuinationis,liceat nobis quoque diuinare,& verisimilitudinem sectari,quando demonstratiuè de rebus dubijs & ambiguis loqui non possumus.Quædā igitur signa vigilantibus accidūt, quædam dormientibus.Vigilantibus quidem Auguria & Auspicia,Prodigia,Portenta,Ostenta, & Omina. AVGVRIA & AVSPICIA *ex auibus sumi,ipsum etymon indicat.Quando enim auditu auiū oscinum garritus obseruatur,Augurium propriè dicitur,quasi Auigarrium:sin verò ipso visu vel volatus auium(quas Præpetes & οἰωνὸς vocant) vel earundem,quando comedunt, tripudium consideretur, ex ipsa inspectione Auspicij nomen habet:*PRODIGIA & PORTENTA *eadem fortassis signa erunt, diuerso tantùm respectu.* Nam *si terminum à quo spectes,hoc est deos ipsos, à quibus immittuntur, vt nobis voluntatem suam prodant, Prodigia erunt:sin verò terminum ad quem,homines videlicet,ad quos vel mala vel bona impendentia,quæ præsignificantur,pertinent,sic à portendendo Portenta nuncupari poterūt. Nisi quis ratione temporis hæc distinguenda putet, vt ianiam imminentium fatorum(vt ita loquar) signa Prodigia sint,id enim quod præsignificat:Portenta verò quæ longo pòst tempore euentura sunt,indicia portenta vocentur, quasi porrò tendentia. Grammatica hæc sunt, fateor:veruntamen in obscuritate rerum explicanda non postremum locum habet etymologia.* OSTENTA *ab ostendendo dicta esse,omnes fatentur,& eatenus cū Prodigiis & Portentis coincident.Ego ostentum illud esse arbitror,quod Græci Φάντασμα appellant,quod vel nihil reipsa est,at nostris sensibus obiectū aliquid esse videtur:vel si aliquid est,aliud tamen est quàm esse videtur: siue naturalis alicuius rei speciem præ se ferat,vt lactis,sanguinis armorum,animalium:siue non naturalis & diuinæ,vt dei alicuius,dæmonis,heroīs. Differt igitur Ostentum à prodigio & portento,quod Ostentum nihil est,vel certè non est id quod videtur esse:neque natura fit,sed à causa aliqua diuiniore.Prodigiū verò id est quod esse videtur,& à natura prouenit,quamuis præter morē suū agente.Exemplis illustremus.In cælo varia interdum spectra conspiciuntur,similiter in aquis,in terra:quæ vel nihil sunt,vel si quis dæmonē vel angelū subesse cōtendat,fateatur necesse est, aliud esse,aliud apparere.Huius quoque generis sunt meteora pleraque,quæ in superiore regione fiunt:quorum etsi rationes probabiles interdum Philosophi afferre videntur,tamen quia hominis ingenium in iis quæ nobiscum nata sunt cognoscendis frequenter cæcutit,in cœlestibus multo magis falli potest, & errare.Ostenta sunt igitur omnia ista,quæ quoniam à causa diuiniore fiunt,nouitate sua animos hominū plurimū commouere possunt.Iam si montes concurrant,terra tremat & mugiat,monstra varia & brutoria & hominū in lucem edantur,animalia cicuta efferantur, feræ mitescant & cicurentur:fiunt ista quidem omnia à natura,non tamen consueto more agente, & Prodigia dicuntur. Inter quæ rursus eadem est differentia,quæ etiam in ostentis:quod scilicet quorundam rationes naturales dari possint,si non necessariæ,at certè probabiles:quorundam omnino non possint. Et illa quidem minus admirationis habent:hæc verò iam verè Miracula appellantur. Miraculum enim ab admiratione nomen traxit,& tanquam genus comprehendit Prodigia, Portenta & Ostenta pleraque Porrò* OMINA *quasi oris minas dicta esse,plerique cēsent.de quibus Cic.in libro de diuinatione sic scribit:Non solùm deorum voces Pythagoræi obseruarunt,sed etiam hominum, quæ vocāt Omina: quæ maiores nostri quia valere censebant, idcirco omnib.rebus agendis,quod bonum,faustum,fœlix fortunatumque esset,præfabantur:quoniā non fortuito motu,sed diuina prouidentia huius notæ monitiones constare putabant.Ex quibus verbis satis constat, Omen voce hominis fieri:& propterea si mala sint,rectè* Omina *quasi oris minæ dicentur:sin fausta & felicia,nomen non quadrabit.Quòd si nobis quoque nouare aliquid licet(pace tamen Grammaticorum omnium qui sunt,erunt & fuerunt)* Omina *non secus ac Auguria dicta esse arbitror,hæc ab auibus, illa ab homine,sic* Ominum *appellatione non minæ tantùm,verumetiam rerum prosperarum præsagæ voces continebuntur:neque voces tantùm, verumetiam factæ quælibet hominum.Proinde* Omina *in vniuersum ea sint,quæ homini contingunt naturaliter & consueto more(sic differūt à Prodigiis,quæ homini præter consuetum morem eueniunt:vt si infans biceps nascatur)neque per se nouitatis aliquid habere videntur, sed per accidens tantùm,ratione temporis,loci,personarum:vt quamuis casu accidant,paulo pòst tamen vel eorum authoribus, vel iis qui ea notarunt præsagij loco fuisse,experientia demonstret,Distinguuntur autem in Actiones & Passiones.Passiones sunt,verbi gratia, Sternutamēta,Offensiones pedum,Palpitationes palpebrarum(παλμικὸν augurium olim vocabant) Aurium tinnitus, Maculæ flauescentes in corpore absque manifesta causæ enatæ,& similes nugæ.Actiones rursus in Dicta & facta diuidimus.Dicta sunt voces ominosæ: quarum exempla quædā Plin.lib.28.cap.2.recēset.Diuersa sunt autē ominosa dicta à præsagiis.Nā qui præsagiunt,certò id quod dicunt, enunciant:qui verò ominantur,fortuito tantùm & παιδικῶς magis quàm λογικῶς verbum,in quo omen ineſſe experientia declarat,proferunt.Pertinent quinetiam ad Ominum catalogum Nomina à primo ortu hominib.imposita,quæ eorum vitæ generi consentanea fuisse,res ipsa declarauit.Sic enim vt poeta inquit,Conueniunt fatis nomina sæpe suis.Eorum tamen tractationem nos certo consilio ad locos Fortunæ retulimus. Facta ominosa sunt tot generum,quod sunt actiones humanæ.Et hæc quidem de iis signis,quæ vigilantib.offeruntur,dicta sint.Est porrò,quando Dei voluntas dormientib.per* SOMNIA *interdum reuelatur,& mens diuinitatis suæ conscia,liberiore motu futura interdum præuidet. Quo quidem argumento in animæ immortalitate astruenda tanquam efficacissimo,grauissimi authores vsi fuerunt.Macrob.lib.1.Com.in Somnium Scipionis,cap.3.quinque somniorum facit genera,ὄνειρον,ὅραμα,χρηματισμὸν,ἐνύπνιον & Φάντασμα.Quorum posteriora duo nullam diuinationem apportant.Prouenit enim ἐνύπνιον à vigilantium curis:Φάντασμα verò ab humorum qualitate,cuius generis est & Ephialtes. Priora verò tria diuinationem in se continent:ὄνειρος quidē sub alijs formis veritatem proponit,quale fuit Pharaonis somnium:ὅραμα verò id quod contingere debet,vel contigit,simpliciter nudéque animo obiicit,tanquam iam agatur:quod Vespasiano de Neronis dente euenit. Χρηματισμὸς oraculo similis est,nisi quod oraculum vigilantib.datur, ille dormientib.à Deo,ab angelis,ab heroib.à rege,à parentib.proponitur. Quædam igitur somnia diuinitatem in se habent,quædam non habent.Priora nostri nunc sunt instituti:posteriora vel à corporis alimēto,eóque tam externo,à cibo scilicet,quam interno,ab humorib.nimirum proueniunt:vel ab animi affectib.vt quæ vigilantes optauimus vel formidauimus,ea dormientib.contingere videantur. Quorum enarrationem illis relinquimus,qui de Somniis ex professo scripserunt, Artemidoro scilicet philosopho, & ex recentioribus Hieronymo Cardano. Nobis hæc in genere de signorum diuinorum distinctione dicta sufficiant. Quæ vt fidelius memoriæ mandentur,typo ea comprehendemus: & mox exempla afferemus,eo ordine,vt quibuslibet bonis malisue animi,corporis & fortunæ titulorum loco positis,subnectamus primò Omina,deinde Auguria & Auspicia,tertiò Prodigia Portenta & Ostenta,quartò Somnia.*



VIRTVTVM

VIRTVTVM VARIARVM SIGNA ET INDICIA.

CVLTVS DIVINI, RELIGIONIS, *Sanctitatis & Pietatis.*

Omina, Prodigia.

Omnium prodigiorum illud primum, pòst petitam immortalis Deī veniam (neque de eo loqui aliter fas est) à nobis ponetur, quod natalicio die IESV Christi in vrbe Roma trans Tyberim contigit. Ex fonte enim in quadam priuata domo, oleum manauit: vt is liquor ortum eo die ostēderet, qui ad humani generis salutem misericordiæ fons ac lumen erat futurus. Fulg. lib. 1. cap. 4. & Sab. lib. 9. cap. 8.

Cayphan Iudæorum pontificem in Euāgelio legimus (quo anno perfida Iudæorum gens Christum redemptorem cruci affixit) cùm in consilio de eo loqueretur, dixisse: Pro populo necesse est vnum mori, ne tota gens periret. Quod à Caypha in aliam partem dictū, postea res ostendit verissimum fuisse omen, omnium saluris vnicum remediū esse Christi mortem. Sab. ibidem. Fulg. lib. 1. cap. 3.

IOANNES Zachariæ filius nondum in lucem editus, indubitato prophetici spiritus argumento, sub ipsum almæ virginis ad Helisabetā matrem ingressum, gestiēti similis, visus est sentire seruatorem humani generis adesse, qui virgineo gestaretur vtero. Sab. lib. 9. cap. 9.

Felicissimi prodigij loco is ignis est habendus, qui linguarum specie APOSTOLORVM capita circumfulsit: qui eorum cordibus charitatem sapientiámque eam infudit, qua totum terrarum orbem postea ad diuinum cultum incenderunt. Sab. lib. 1. cap. 4.

Eodem igne correptus in Gallia MARTINVS, qui ad Turonensem episcopatum assumptus fuit, magna spectantium admiratione, dum Christianam hostiam immolaret, ingentem flammam emisit: vt ex eo qui aderant intelligere possent, quàm celebre clarúmque sanctitatis nomē in Dei ecclesia esset habiturus. Sab. libro primo capite quarto & Egnat. lib. 1. cap. 5.

BAMBA Gothus Hispaniæ rex, cum in Toletana ecclesia ab archiepiscopo Quilico pro regni Hispaniensis dignitate vngeretur, ab iis qui aderant visus est ab oleo quo vngebatur, vapor clarus ad cœlum conscēdere, & eandem sequi viam, qua vertice ipsius egrediebatur flamma. Sab. lib. 1. cap. 4.

METELLVS pontifex max. cùm Tusculanum peteret, corui duo in os eius aduersum, veluti iter impedientes, aduolauerunt: vixque effecerunt, vt domum rediret. Sequenti nocte ædes Vestæ arsit. Quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladiū incolume seruauit. Dionys. Halicar. lib. 2. Plin. lib. 7. cap. 43. & lib. 6. Val. Max. lib. 1. cap 4. Sabell. lib. 5. cap. 1. Exemplorum.

Somnia.

MONICA Aurelij Augustini mater, cùm ipsa rectè de Christi fide sentiret, Augustinum filium, quia hæreticus Manichæus erat, lachrymis prosequi non desinebat. Cæterùm somno correpta, cùm flens in mensa quadam sedere sibi videretur, audire visa est, supra eandem sedere filium: conuersaque, illum iuxta se accumbentem vidit. Ab eo tempore certam putauit filij salutem: atque ita re etiam esse perspexit. Fulgos. lib. 1. cap. 5.

ROMANORVM exempla pete ex tit. Damnorum cuitandorum somnia.

Erexit Tonanti Ioui ædem in parte Capitolij Cæsar AVGVSTVS, quam Cantabrico bello vouerat: dedicatamque quotidie frequentabat. Visus itaque est ipsi per somnium Iuppiter Capitolinus queri: sibi cultores abduci: seque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum: ac mox tintinabulis fastigium ædis redimiuit, quòd ea ferè tunc ianuis dependebant. Sab. lib. 9. cap. 5.

DOCTRINÆ, ERVDITIONIS, *Eloquentiæ. Omina.*

ZOROASTRES Bactrianorum rex, modò natus risisse dicitur, cum alij infantes iam editi vitam lachrymis auspicentur. Quod manifestissimum magnæ & egregiæ indolis præsagium fuit: & ex euentu etiam apparuit. Nam non tantùm magicas artes inuenisse, sed & mundi principia, siderúmque motus diligenter spectasse dicitur. Plin. lib. 6. capite 16. Solin. cap. 4.

PROTAGORAS cùm fascem lignorum eleganter composuisset, dignus à Democrito iudicatus fuit, qui philosophię operam daret. vide Indolis theoricæ signa.

Auguria.

IN ORE STESICHORI poetæ infantis, cecinit luscinia, Plin. lib. 10. cap. 29.

PINDARVM, cùm esset adhuc adolescentulus, Thespias proficiscentem per æstatem, meridiano calore fessum, somnus arctior complexus est. Aduolarūt apes, quò pauculum de via diuerterat, & ad eius labia mel adleuerūt. Hoc fuit carmina pangendi Pindaro initium. Pausan. in Bœoticis. Ælianus tamen libro 12. Var. hist. infanti à patre exposito hoc accidisse ait.

PLATONEM in vlnis ferebat Perictione. Cùm verò Ariston sacra litaret in Hymetto Musis & Nymphis, obeundæque rei diuinæ darent operam, illa Platonem in proximis myrtetis densis & spissis reposuit. Cui repentè examen apum in os insidere cœpit, Platonis eloquentiæ augurium. Ælian. lib. 10. de Var. hist. & lib. 12. & Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & Val. Max. lib. 1. cap. 6.

AMBROSIO Præsuli Mediolanensi, quondam puero in cunis (vt refert Paulinus præsul Nolanus, qui eius vitam conscripsit) examen apum circa os apparuit: magni viri mellifluique sermonis præsagium. Volater. & Marul. lib. 3. cap. 4.

IO. ANTONII Campani (qui postea episcopus fuit Aretinus, eloquentiæ suæ ætate princeps) mater cùm diu sterilis fuisset, & de prole desperaret, à peregrina quadam muliere, nunquam antea nec pòst amplius visa, laureas baccas contra sterilitatem accipiens, hausit: & mox se grauidam esse sensit. Completo pariēdi tempore, rus profecta, partum in gramine absque vlla obstetrice sospitem edidit. Puer primò cœlum fixis oculis spectare cœpit. Inde fronte læta laurum spectans: mox ad obstetricem, quæ accersita aduenerat, conuersus, quātum eius diei fuit, maximis eiulatibus consumpsit: neque prius à lachrymis destitit, quàm obstetrix puerperæ thalamum de more exornatura, cum reliquis floribus hederam laureaque serta intulisset: quorum spectaculo delinitus, à lachrymis sibi temperauit. Exceptam porrò baiulis domesticis matrem vna cum fœtu, longa apum examina ad fores vsque cubiculi consecūta, à limine cubiculi ad triduum, & tunc quoque non nisi multo igni submoueri potuere. Quarto die laurum, sub qua susceptus puer fuerat, & quam fixis oculis recens natus fuerat intuitus, contemptis fauis inuentæ sunt insedisse. Quæ purissimo mox delibuta melle, opere iam deliquente, ita mox excessere, vt subita nece cognitę sint interisse. Testatę simul ingenij suauitatem, gloriæ immortalitatem, & fluxæ eloquentiæ insaustum alieno in solo, postremo vitæ spacio, fatum. Michael Fernus in eius vita.

Prodigia.

Priamus rex ex Hecuba HELENVM & CASSANDRAM suscepit. Infantes in templo Apollinis Thymbræi (vbi γνῶθι σεαυτὸν celebrabant) colludentes obdormierunt. Famulæ, quibus puerorum cura erat demandata, temulentiores, puerorum oblitæ domum abierunt. Postridie in templum reuersæ, viderunt serpētes linguis puerorum sensoria organa obstruere. Territæ, vociferationem ediderunt. Serpentes clamore excitæ, sub proximas lauros sese abdiderunt. Pueri exinde vaticinio clarere cœperunt. Scholiastes Homeri in septimo Iliad.

AMBROSIVS Mediolanēnsis episcopus diem mortis suæ præuidit, & fratribus quoque indicauit. Dictauit ergo enarrationem Psalmi 44. Deus auribus nostris audiuimus: atque inter dictandum conspecta est clypei figura, quæ cum euanuisset, mirifico fulgore faciem Ambrosij illustrauit, & per os eius intrare visa est. Quid hoc aliud, quàm Christianæ fidei clypeum Ambrosium, contra hæreticorum intulcus paulo pòst obiturum, & veluti dispariturum, cuius tamen scriptis assiduè deuoratis nouus splendor Ecclesiæ accessurus esset? Testis Paulinus.

HIERACASTORIVS Veronensis, adhuc infans, cùm à matre in vlnis gestaretur, fulmine cœlitùs misso mater corruit: puer seruatus est, non obscuro futuræ claritatis præsagio.

Somnia.

HELIAE prophetę pater Sobac, cùm mater puerum ederet, in somnis vidit viros niueis vestibus amictos puerum salutare: & à matris vberibus auulso, flammis cibi loco ministrare. Epiphanius in vitis proph.

BERNARDI Clareuallensis abbatis mater, ante diem partus, visa sibi est in somnis catellum in vtero latrantem habere. Id interpretatū est, eam diuini verbi prędonem pariturām. Marul. lib. 3. cap. 4.

DOMINICI Caligoritani mater prægnans, per quietem vidisse fertur, parere se catulum, incensum facem ore circumferentem, quo omnes incendio terræ conflagrarent. Nec defuit nocturno visui euentus. Orta namque est ex illo ingens familia, quæ diuina prædicatione, terrarum partem multò maximam inflammauit. Sabel. lib. 1. cap. 7. de insigni ortu. & Marul. lib. 3. cap. 4.

SOCRATES in somnis discipuli Platonis eloquentiam atq; philosophiam præuidit. Nam pridie quàm ad Socratem à patre Plato puer adduceretur, visus sibi est è sinu suo videre candidum cygnum egredi, qui aerem totum miris concentibus replebat. Quod somniū perspecto Platone puero statim enarrauit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

ÆSCHYLVS Athenienſis, puer adhuc, dum vuas custodiret in agro dormiens, Bacchum vidit hortantem, vt Tragœdias scriberet. Cùm primùm illuxisset, periclitans, quid in ea re posset, omnia minimo negocio consecutus est. Pausanias in Atticis.

DION Nicæus, insignis historicus, qui Imperatorum aliquot vitas elegantissimè descripsit, mortuo iam ex vulnere tribuni Antonino, sibi in somno visus est videre omnem exercitum populi Romani armatum in magna planicie, atq; ipsum Seuerum Antonini parentem iamdudum defunctum, sedentem in excelso tribunali concionari apud milites, seque stare ante conspectum eius, vt audiret quæ diceret. Quem cùm ille vidisset: Huc ades, inquit, Dion, vt omnia quæ dicūtur, fiūtve, diligenter intelligere & perscribere possis. Dion in Antonini vita, & Xiphilinus.

QVI IN SOMNIS DIDICERVNT, QVOD *vigilantes discere non potuerunt.*

NATALIS martyrio confessor, cùm in Theodori hæresim prolapsus esset, quę Iesum Christum simplicem hominem arbitrata est, in ea factus est episcopus: sępius in somnis à Deo frustra monitus, demùm grauiter ab angelo vapulare visus est. Quamobrem cùm experrectus plagarum dolorem sentiret, ad catholicam fidem regressus est. Fulg. lib. 1. cap. 5.

GENNADIVS Carthaginensis medicus, cùm de animorum immortalitate dubitaret, viuerentne post mortem, an extinguerentur? viso bis per quietem iuuene, qui primò vrbem pulcherrimam ei ostendit: deinde postera nocte reuersus ab eo petiit, an eum agnosceret? respõdit, & nosse se illum, & somnij meminisse. Iterum ab eo interrogatus, vbi eius corpus esset, & quid ageret? Cùm respondisset, in lecto esse, ac dormire: argumento, cui respondi non poterat, didicit, quemadmodum tunc dormiens cernebatper quietem, quamuis clausis oculis corpus in lecto iacere: ita vita functo homine, crederet eius spiritũ viuere ac videre posse, quamuis tumulo clausum corpus maneret. A somno igitur excitatus, hoc oraculo, vt rectè crederet, monitus est. Itaque relicta hæresi, catholicæ fidei in posterum credidit, quemadmodum Augustinus ad Eradium scribens affirmat. Idem.

IOANNES monachus Ægyptius, vitam eremiticam agens, cùm fœminarum cõspectu semper abstineret, rogatus à Romano tribuno, vt eius alloqui vxorem vellet, quæ de hoc instanter cum viro agebat: respondit, Se quod constituerat, de mulierum non videndarum proposito, mutare nolle, cæterùm proxima nocte in somnis ei appariturum. id quod re ipsa impleuit. Euigilata enim mane Tribuni vxor, viro quis esset vestitus, sermóque & effigies Ioannis atque ea quæ in somniis sibi ab eo dicta erant enarrauit. Quod inter miranda ponendum est. Siquidem nulla in parte mulier à vero abertrauit: & se eremita ad eam dormientem per vitium accessisse, ea specie quæ vitã erat, & ea dixisse quæ mulier narrauerat, affirmauit. Idem.

PRAESTANTIVS (sicuti Augustinus testatur) cùm à quodam philosopho rem dubiam solui petisset, itque se id facturum negasset, nocti postea, etsi vigilabat, visus est philosophum ad se venientem videre, qui postulata interpretaretur ac solueret. Itaque postridie Pręstantius à philosopho quęrens, quamobrem quod primò negasset, postea vltrò ei parefecisset? responsum hoc ab eo tulit, in somniis vidisse se dubitationem illam soluentem. Idem.

Terracinam Benedictus ABBAS in Cassinati saltu, duos monachos miserat, vt ordinis sui monasterium inchoarent: quibus cùm se proxima die affuturum ad monasterij formam designandam promisisset, ipse autem neque eo neque postero die profectus esset, & monachi Cassinũ reuersi essent molestiæ pleni, quod Benedictus promissa non seruasset: respondit Benedictus, se affuisse in somniis, & ædificationis formam declarasse. Renouata igitur somnij memoria, ambo Terracinam regressi, monasterium iuxta fo. mnium ædificarunt. Idem.

Fortitudinis, & Magnanimitatis.

MOSES adhuc infans, coronam capiti admotam conscidit, proiectámque pedibus conculcauit: omine non obscuro, eum tyrannidem Pharaonis labefactaturum. Sab. lib. 9. cap. 9.

PHILIPPVS Macedo in Somnis Olympiadis vxoris vtero sibi signum imprimere visus est, in quo expressa esset leonis forma. Per quę Aristander vates coniectura haud inepta ætimare est ausus, Olympiadem concepisse: quoniam quæ vacua essent, impressionem non reciperent. Natus est Alexander, qui tantũ pugnandi ferocia cęteros mortales antecelluit, quantum feras omnes Lybicus leo fortitudine præstat. Sab. libro 1. cap. 1.

Exemplorum.

Apud Libethrios Orphei simulacrum ex cupresso cõfectum, ALEXANDRI Macedonis tempore sudauit, teste Plut. Id interpretatum scribit Arrianus, ab Aristandro Telmesseo, bene ac fauste Alexandro portendere, fore vt poëtæ sudarent in præclaris Alexandri gestis scribendis.

ARGILLAE in fundamentis mures apparuisse pugnantes ferunt, vnde ciues bellicosos & feroces futuros putarunt. Alexand. ab Alex. libro 5. cap. 13.

Ex L. MARTII ducis duorum exercituum, quos interitus Publii & Cnei Scipionum in Hispania debilitanerat, capite concionantis flamma eluxit. Cuius aspectu pauidi adhuc milites, pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta hostium millibus cæsis, magnóque numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta cæpérũt. Val. lib. 1. cap. 6.

ELISABELLA Darca, genere Lotaringa, & inter rusticanas mulieres, in tenui fortuna nata, cùm vicinis narrasset, videri sibi magnum fulgur parere: ab eis haud longè pòst irrisa fuit. Puellam enim enixa, nihil minus quàm vllius magni effectus partũ edidisse videbatur. Cęterũ puella, quæ nomine Iana Pulicella, hoc est virgo, nuncupata est, virtute prudentiáq; sua victores Britannos (vniuersam enim pene Galliam occuparant) prælio ita afflixit, vt verè in eo bello fulgur fuisse visa sit: exemplo antea inaudito, vt pastoralis mulier, in prima ætate prudenter magnóque animo, Gallicum exercitum ductando, in quo magni principes multique belli scientia insignes erant, de hostibus victoriam reportaret. Fulgos. lib. 1. cap. 5.

Castitatis.

IOSEPH cùm videret grauidam concreditam sibi Mariam, nesciens summi Dei cõsilium, voluit clàm deserere Mariam. Verùm in somno ab angelo monitus, recepit Mariam, quum intellexisset eam concepisse à Spiritu sancto. Matth. cap. 1.

HELIAS eremita pater & rector 300 virginum, cùm metu incontinentiæ curam quandoque detrectaret, in somno sibi præcidi genitalia visa sunt. Dum euigilasset, ad curam pristinam rediit, ab omni liber lasciuiæ cogitatione. Volater. lib. 21. Anthrop.

CVNNEGVNDA, Henrici imperatoris vxor castissima, cùm in suspicionem adulterii apud maritũ incidisset, iussit, sex igniti vomeres, & in conspectum Imperatoris aliud agentis afferri. Miratus ille quid ageretur, vidit charissimam coniugem nudis pedibus confœndere ferrum ignitũ intrepidam, ablque vllo pedum detrimento. Quo prodigio castitatem suam vindicauit. Crazius lib. 4. cap. 5. Metropoleos.

MANSVETVDINIS ET CLEMENTIAE.

In M. ANTONINI Pii imperio quatuor leones sua sponte ciures redditi, eius mansuetudinem portenderunt. Fulgos. lib. 1. cap. 4.

Cùm in Oriente VALENS Arrianus imperaret, anno primo, quo Gratianus in occidẽte gessit imperium, in Gallia, diem vnam pluit lana iuxta vrbem Atrebatensem: prodigii interpretatione in ambiguo relicta, Vtrũ per eam pluuiam Gratiani bonitas, an Valentis perfidia declararetur: id quod postea detectum est in Valentini fratris morte. Fulg. lib. 1. cap. 4.

VENETAE Reipub. patronus D. Marcus, symbolo suo, PAX TIBI MARCE EVANGELISTA MEVS: manifestè ostendit, artibus pacis magis quàm belli Venetam Remp. conseruari & propagari. Egnat. lib. 1. cap. 4.

VITIORVM VARIORVM.

IMPIETATIS.

IVLIANI Apostatæ, præter alia in Christianos edita crudelitatis facinora, illud in primis insigne habetur: quòd quum Hierosolymam peruenisset, templique vestigia cerneret, quod olim Salomon extruxerat, Titus postea Romanorum Imperator supremo vrbis excidio solo equarat: Iulianus ipse, in contemptum religionis nostræ, accersito ad se Antiocheno Philippo mandauit, vt loco perpurgato fundamenta templi iaceret, quod cum priore illo magnificentia amplitudinéque certaret. nec interposita mora est. Iacta enim quàm primùm sunt fundamenta, architectique & reliqua operarum multitudo connocata innumera est. Cæterùm quum sibi Iulianus & reliqui mirum in modum, quasi perfecto elaboratóque opere placerent, repentè terræ mugitus exauditus, facésque ardentes intra ipsa fundamenta statim exortæ sunt, quæ omnia vno momento dissipárunt: quinetiam fabri, eorúmque ferramenta penitus igne hausta sunt, mox etiam miraculũ insigne visum, cruces videlicet in multorum vestibus enatæ, quæ deleri nulla ratione possent. Egnat. lib. 1. c. 6.

Redierat HERACLIVS Imperator, victor ex Perside, receperátque crucem à Cosroe Persarum rege à se subacto, perpetuę pacis pignus, in qua redemptor humani generis Christus pependerat. Quúmque iam Hierosolymæ propior accessisset, seu ipse per se, seu ab aliis admonitus, frequentissima pompa inferre illam in vrbem parabat. Regio fastu pompáque omnia plena erant: ipséque Heraclius veste imperatoria amictus, crucem in collum sumptam (quemadmodum de redemptore Christo memoriæ proditum est) ad vrbis portam peruenit, lætus omnibus acclamantibus: mox in Caluariæ iugum ascensurus, crucémque suo loco positurus. Euenit ergo, vt in vestigio cõsistens pedem nusquã mouere posset: quod quum sępe tentasset, nihilque omnino proficeret, admonitus à patriarcha fertur, vt mutata rerum omni facie, tenuique roga sumpta, nudisque etiam pedibus, gestari à se crucem meminisset eius seruatoris, qui nudus pro nostra omnium salute cruci affixus esset. Quod accipiẽs Imperator, rectéque sese ab patriarcha monitum fertẽs, statim nudis pedibus crucem ipsa in veteri sui statione reposuit. Est igitur in hunc vsque diem facinoris tam egregii lux memorabilis, quartadecima Septembris mensis. Idem.

CONSTANTINVS huius nominis V. Rom. Imp. dum è sacro puer fonte lauaretur, sacris lymphis ventris solutione commaculatis, impuritatis suæ omen dedit: cuius rei gratia cognomentum Copronymi meruit. Volat. lib. 23. Sigebertus in Chronicis, & ante eos Landulphus.

TYRANNICAE CRVDELITATIS.

OCCHI Persarum regis in imperio crudelitatem quibus ominibus deprehenderint Magi, vide sub tit. Præsagiorum quæ viua voce fiunt.

HIPPOCRATI Athenięsi, duci fortissimo, cùm priuatus spectaret Olympia, ingens contigit portentum. Nam cùm hostiam immolasset aheña (vt impolita erat) plena & carne & aqua, absque igne efferbuerunt, ita vt aqua redundaret. Quod portentum conspicatus Chilon Lacedæmonius, qui fortè aderat, suasit ei, primùm ne vxorem fœcundam duceret domum: secũdo loco, Si vxorem haberet, eiiceret: & si quem ex illa filium suscitasset, abdicaret. At Hippocrates Chiloni non obtemperans, Pisistratum filium sustulit, qui tyrannidem Athenis inuasit. Herod. lib. 1.

HANNO

HANNO Carthaginensis, quòd primus leonem domuisset, & mansuetum reddidisset, publico iudicio damnatus fuit: quòd malè tam artifici ingenio Remp. credi posse existimarent. Sab. lib. 6. Exemplorum, & Volat. lib. 13. cap. 3.

Annęus SENECA iam tunc senator Rom. à Claudio principe, ad magisterium Neronis adhuc pueri, & qui bonæ indolis spem dabat, assumptus: nocte statim proxima somniasse dicitur, C. Caligulam, cuius pridẽ famosissima crudelitas dignum exitum inuenerat, se discipulum habere. Potuit experrectus admirari. At non multo pòst, mutati, seu verius detecti Neronis mores, & omnis humanitatis expers animus, admirationẽ sustulerunt: quia tam Caligulæ similis euasit Nero, vt non alter, sed ille idem quodammodo reuersus ab inferis videretur. Petrarcha.

NERONIS principatu, dum Isthmum Peloponnesi perfoderet, sanguis è terra erupit, fluuij sanguine fluxerunt, Oceanus inter Britanniam & Galliam sanguine totus inundauit. Eodémque anno in Britannia duæ vrbes expugnatæ, & 80 millia Romanorum ciuium & sociorum perempta. Dion.

Anno supra mille trecentesimo, 4 decimo Calẽd. Martiis, in ITALIA crux in luna apparuit: posteráque die tres soles conspecti fuêre in medio trium orbium, qui iridis speciem præbebant. Horum tertius imperfectus, altero cornu occidentem, aquilonem altero spectabat. Quo prodigio forsitan Vgutio, cognomento Fagiolanus, ostensus est: qui Pisanarũ copiarum ductor, Maio proximo Pisarum Lucaéque imperium inuasit. Sab. lib. 1. cap. 4. & Egnat. lib. 1. cap. 5.

ANDREAS Dandulus, dux omnium clarissimus, principatu suo primò annonæ charitate, quæ antea cœperat Gradonico principe, laborauit ingenti. Hanc lues secuta est, quæ in Scythicis oris ortum primùm acceperat, tam grauis, vt vix tertia patriciorum & reliquorumciuiũ pars superfuerit. Sed enim & terræmotu eo grauiore, quo diuturnior fuit, ita laborarum est, vt pleræque sacræ turres vastatæ sint: ea verò quæ ad Basilij fanum est, à media sui parte penitùs conuulsa, vt quum superior pars in suam sedem redierit, inflexa tunc, in hodiernam vsque diem duret. Quæ omnia haud dubiè Marini Faletri principatum portendisse creditur, qui patriæ libertatem opprimẽdam susceperat, vt ipse vnus tyrannide eam sibi vindicaret. Egnat. lib. 1. cap. 5.

Post illatam à Saracenis cladem (cùm GENVENSES in libertatem imperante Philippo Mediolanensium duce se vendicarunt) eo ipso tempore quo Genuensis classis præfectus Blasius Axaretus classem conscendi, qua Alphonsum Siciliæ & Aragoniæ regem, atque Ioannem ipsius fratrem, ipsum quoque Nauarræ regem, cæpit, fulgur in vrbe Genua ex apice campanariæ turris fani S. Ambrosij Mediolanensium patroni, nulla in alia parte læsa turri, Pietatis marmoreum signum decussit. Itaque deuictis nauali prælio, captísque regibus ipsis, cùm Blasius contra officium (vt Genuensibus videbatur) Philippo duci captos reges dedisset, ísque nulla Genuensium habita ratione, quorum sanguine atque impensa parta victoria erat, eos liberasset, dolore perculsi Genuenses, ad recuperandam libertatem conspirarunt. Vrbíque successit, vt quod non nisi difficillimè fieri posse videbatur, sine vllo publico malo potentissimi Principis iugum excuteret. Ful. lib. 1. cap. 4.

FVRTI.

Poeta SOPHOCLES sæpius per quietem conspexit Herculem, furem eum nominatim accusantẽ, qui ex fano suo aureũ vas furto subripuisset. Vt rem Ephoris detexit, comprehensus, quem Hercules accusabat, verũ esse furtum confessus est. Quamobrem ab eo tempore templum illud indicis Herculis nominatum est. Fulg. lib. 1. cap. 5.

CORPORIS BONORVM INDICIA.

SANITATIS RECVPERANDAE OMINA, *Auspicia, Prodigia, Somnia.*

ISIDEM non Ægyptij tantùm, sed omnis ferè orbis, antiquitùs propter miracula colebat. Hæc enim in somnis non rectè valentium morbos sanabat: & qui monitis eius obtemperabant, præter opinionem curabantur. Visu quoque aut alia corporis parte debiles, eius deæ numen implorantes, in pristinam valetudinem restituebantur. Hæc etiam Orum filium à Titanis insidiis interfectum, & in aquis repertum, non solùm in lucem restituit, sed immortalem quoque fecit. Diodorus. Sicul. lib. 1. cap. 1. de Reb. antiq.

In Æsculapii templo apud Epidaurios, qui deum precatum venêre, obdormiunt, & in somnis sanitatis recuperandæ rationem discunt. Pilas inde ponunt in templo, nomina eorum qui curati sunt continentes, & curationis modum. Pausan. in Corinth.

Socratis familiaris EVDEMVS Cyprius, in Macedoniam proficiscens Pheras Thessaliæ vrbem opulentam & egregiam, sed Alexandri cuiusdam inhumana tyrannide pressam, venit: illic morbo correptus est tam graui, vt de vita eius desperarent medici. Sic afflicto, iuuenis eleganti specie per noctẽ adesse visus, tria denunciauit euentura: vt æger mox sanitati restitueretur: vt eius vrbis tyrannus intra paucos dies mortem obiret: vt ipse post quinquennium remearet in patriam. Et prima quidem duo clarè, vt annunciata erant, euenere: nam ipse præter spem conualuit, & tyrannus ab vxoris suæ fratribus trucidatus est, tertium verò parumper obscurius. Quinti enim sub anni finem, dum Eudemus è Sicilia, vbi rũc degebat, in Cyprum reditum expectaret, ad Syracusas bello interemptus est. Coniectores verò sic somnium excusasse legimus, vt dicerent hominem tum demum, cùm è corporeis vinculis euaderet, in patriam reuerti. Petrarcha.

Ptolemæus venenata aspide saucius, vehementissimo cruciatu moriẽs afflictabatur. Miseratus ALEXANDER Magnus, fortè dum per noctem assidet, in grabbari spondam somno repentè procubuit. Confestim draco, quem genitrix Olympias in deliciis habebat, obseruari visus est, radicem ore gerens: & humano more formatis verbis, locum castris proximum signare, quo illa nasceretur, & afferere futurum, vt eius ope languens amicus curaretur. Rex inter hæc euigilans, visione palàm recitata, misit qui ostensam quæreret radicem. Qua inuenta, & Ptolemæum & alios multos eadem peste liberatos ferunt. Ridet tamẽ hoc somnium Cicero, eo præsertim, quod ore radicem tenens, loqui draco dicatur. Petrarcha.

GALENVS Pergamenus medicus, cùm æger somniasset, quendam dixisse, si inter pollicem atque indicem ex manu sanguinem hausisset, vim morbi quo laborabat euasurum: hausto sanguine, liberatum se offendit. Ibidem.

IDEM scribit, putasse quendam in somno crus alterum sibi lapideum factum: moxque ea corporis parte in paralysin incidisse, præsentiente medicorum nullo. Cœlius lib. 27. cap. 15.

ASPASIA Hermotimi filia, in somnis curandi tuberis rationem à Venere discit. vide tit. Miro modo sanati.

Plinij ætate, cuiusdam militaris in prætorio MATER vidit in quiete, vt radicem syluestris rosæ, quàm cynorhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie in fructo mitteret filio bibẽdam in lacte. In Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casúque accidit, vt milite à morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola matris orantis, vt pateret religioni: seruatúsque est ex inspe rato, & postea quisquis auxilium simile tentauit. Plin. lib. 25. cap. 2.

De se AVENZOAR Albumaron medicus scribit, quòd oculo laborans, cui remedium non inueniebat, per quietem visus est sibi medicum non multò ante mortuum, tanquam viuentem se alloqui, & ab eo remedia audiuisse, quibus liberaretur: quæ sequutus, liberatus est. Fulgos. libro 1. cap. 5.

Erat iuxta Brundulum templum D. Michaeli sacrum, quod vnum Clodia, Mathematicum, Venetiæque ipsæ summa pietate colerent. Accidit verò, vt apud Senogalliam, SERGIVS quidam opibus & authoritate princeps graui morbo laboraret: cui nocti vox audita fertur, vt si quamprimùm votum nuncuparet imuisendæ ædis Diuo Michaeli sacræ, statim incolumis fieret. Qua ex re pactum statim factum, vereus voti, relicto patrio solo, phanum inuiseret, amplisque muneribus donaret, tum verò saluus penates suos reuiseret. Egnat. lib. 1. cap. 6.

INNOCENTIA Carthaginensis mulier, cum cancro obsessam haberet mamillam, somnio monita, vt proximo Paschate ad baptisteriũ profecta, à fœmina quæ primò ei obuia foret, baptizari se, & sanctæ crucis signo pectus signari curaret, quoniam ita eo morbo liberanda erat: peractis rité quæ in somniis habuerat (mira profectò res) eo morbo liberata est. Fulg. lib. 1. cap. 5.

HVLDRICVS Leodiensis episcopus, cùm circa anum cancro laboraret, nullamque medici salutem sponderet, iussit se in Turones ad beati Martini fanum deferri. Illic cùm septimum diem inter lachrymas gemituque iuxta aram ageret, & fessus in somnum incidisset, visus est videre Martinũ, Britúmque simul de ipsius morbo loquentes: atque Martinum crucis signo frontem eius notare, ac pedo, quod manu gerebat, morbosam contingere partem. Itaque à somno experrectus, præ lætitia magna voce exclamauit. Ad quem eius familia, cùm clamorẽ mirata accurrisset, amotis fasciis, quibus læsa pars deligata erat, liber est inuentus: solaque cicatricis parua nota in eo esse loco, vbi cancer erat. Idem.

IOANNES monachus Romæ grauiter laborans, atque medicorum ope destitutus, cùm somniasset senem se videre, qui virga quã manu gerebat, eum tangeret, vt è strato surgeret, quoniam sanus esset: cæterùm diu superuicturum non esse: magna eorum qui ipsum viderunt admiratione, mane valens à lecto surrexit, & post tertium annum decessit: sicuti Gregorius, inter sanctos relatus, testatur. Idem.

FRANCISCVS Petrarcha de amici vita propter grauem valetudinem desperans, cùm dolore ac lachrymis fessus aliquantulum indormiuisset, per quietem visus est ægrum videre, dicentem: Non posse se diutius cum eo manere, quoniam ad cubiculi ostium quidam appropinquaret, qui mutuum collo quium impeditus erat: ei se commendaret, orarat: affirmans, si adiutus esset, vim morbi se euasurum. Tunc igitur vno medicorum ad Petrarcham ingrediente, qui ægrum pro mortuo reliquerat, & veniendi ea sola videbatur causa, vt Petrarcham consolaretur, excitatus Petrarcha, lachrymarum plenus somnium narrauit: magnisque precibus impetrauit, vt ad ægri curam reuerteretur. Quod cùm medicus fecisset, æger, vt in somniis Petrarcha viderat, liberatus est. Idem.

ROBORIS.

NICOSTRATVS Cilix, seu potius Phryx, ex vrbe Prymnesso, cùm iam adoleuisset, in somnis vidit ante fulcra lecti sui ftratum leonem. Post id visum multas de pancratio & lucta palmas ex Olympia abstulit. Pausanias lib. 5.

CONCEPTIONIS ET PARTVS OMINA:

Consule sub tit. Imperij & honorum omina, exemplum Liuiæ.

AVGVRIA, PRODIGIA,

Somnia.

ISRAEL, siue IACOBVS patriarcha, altiore somno pressus in solitudine, imaginatus est cernere se scalas à terræ facie in cœlum surrectas, multóque miranda specie iuuenes, formaque augustiore humana, ascensum per eas descensúmque molirí. tum verò doceri sibi visus est cœlesti voce, vt pergeret in Mesopotamiam ire: fore, vt nuptiæ quas animo agitaret, non solùm prosperè cederent, sed miranda inde sobolis incrementa ad posteros ventura, futurámque eam stirpem omnibus terris celebrem. Nec defuit oraculo euentus. Sab. lib. 9. cap. 5. Genes. 28. Fulg. lib. 1. capite quinto.

Rheæ SYLVIAE à Marte compressæ somnium graphicè describit Ouidius lib. Fastorum 3.

OLYMPIAE Alexandri matris. Vide sub tit. Somnia imperij & honoris.

MATRONA pariendi auida, sed an grauida esset incerta, visa est in somniis sigillata genitalia habere. Alter ex coniectoribus, minimè prægnantem aut parituram asseruit: fore enim præclusum partus iter. alter contrà: ea enim duntaxat claudi & consignari solere, quæ plena sint. Petrarcha.

CORPORIS PERICVLI EVITANDI.

Omina.

VALENS Imperator Arianus cùm Basilium Cæsariensem episcopum, propterea quòd orthodoxus esset, in exilium vellet proscribere, grauibus omnibus prohibitus est. Primùm enim sella, qua vehebatur Imp. subitò dissoluta est. Deinde cum visitaram exilij notam in charram sua manu scripturus esset, literam nullam, calamo non reddente, exprimere valuit. Postremò filius Imp. Galata in morbum periculosum subitò incidit. Tunc Imp. Basilium accersit, & filius melius continuò habuit. sed cùm Arianos quoque Imp. vocallet, & ab Ariano sacerdote filium baptizari curasset, contra Basilij monita: paulo post mortuus est Galata. Theodoretus lib. 4. cap. 19.

Auguria.

DEIOTARO regi omnia ferè auspicatò gerenti, salutatis aquilæ cõspectus sunt. Qua visa, abstinuit se ab eius tecti vsu, quod nocte insequenti, ruina solo æquatum est. Valer. Max. lib. 1. cap. 4.

Portenta.

C. MARIVS hostis à Senatu iudicatus, cùm in Fanniæ domum Cinnarum causa custodiæ ductus esset, animaduertit asellum, pabulo, quod ei obiceretur, neglecto, ad aquam procurrere. Quo spectaculo Marius, interpretandarum religionum peritissimus, omen intellexit. Multitudinem igitur, quæ ad opem illi ferendam confluxerat, orauit vt se ad mare tuto perduceret. Quod vbi factum esset, protinus nauiculam conscendit: eaque in Africam profectus, arma Syllæ victricia effugit. Plut. in Mario, Apianus libro primo bellorum ciuil. Plin. cap. 61. de Viris illust. Val. Max. lib. 1. cap. 5. Lucan. lib. 2. Sab. lib. 3. En. 6. Rhap.

Somnia.

PINCERNARVM præpositus, qui erat eunuchus regis Ægypti, coniectus à Pharaone cum socio in carcerem, in somnio vidit vitem coram se, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas: & post flores, vuas maturescere, calicémque Pharaonis in manu sua. Visus est præterea exprimere vuas in calicem, quem habebat, & tradere plenum multo poculum Pharaoni. Cui Ioseph interpretatus est somnium, hunc in modum. Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui: & restituet te in gradum pristinum, dabísque ei calicem iuxta officium tuum, sicut antè facere consueueras. Geneseos capite 40.

Tres illi qui ab Oriente venerunt MAGI, vt Christum nuper natum adorarent, intempesta nocte moniti, ne ad Herodem reuerterentur, quem Hierosolymis conuenerant: rati (quod erat) cœli numen interesse iis quæ fierent, ab hospitali vrbe diuersi, domum abierunt. Sab. lib. 9. capite quinto.

IOSEPH βιοτρόφος cum Herodes tyrannus occideret omnes infantes, admonitus est in somno per Domini angelum, vt filium & matrem eius in Ægyptum duceret, locum tutum ab Herodis tyrannide: qui dies noctésque cogitabat, quo pacto Iesum infantem & Iudæorum regem (iuxta Prophetarum vaticinia & Dei promissiones factas) futurum interficeret. Matth. 2.

IDEM post mortem Herodis crudelissimi tyranni, in somno vidit angelum Domini admonentem & iubentem, vt cum vxore & filio proficisceretur ex Ægypto in Iudæam. mortuos enim iam esse, qui de Christi interitu cogitassent. Ibidem.

IDEM, cùm iussu angeli cum Maria & filio eius in Iudæam rediisset, & Archelaum Herodis tyranni filium regem esse in Iudæa audiuisset, timebat. Verùm somnio postea quam mandatum Domini accepisset, profectus est in Galilæam, & habitauit in ciuitate Nazareth: vt impleretur Prophetæ vaticinium, Et Nazaræus vocabitur, &c. Ibidem.

D. PAVLVS Romam deductus, angeli nuncio in somnis, naufragos omnes sibi dono datos à Deo in Melita insula, affirmauit. Act. 27.

Cum ALEXANDER Magnus Hierosolymis cum exercitu appropinquaret, infesto multis de causis animo, in magnum metum illius vrbis populum coniecerat. Quamobrem Iaddus pontifex post lõgas ad Deum orationes, cùm in somnum incidisset, Deum vidit dormienti sibi dicentem: Ne formidaret, sed Alexandro pontificia amictus veste se offerret. Credidit Iaddus somnio, in eúmque morem qui præditus erat, ornatus ipse cum aliis sacerdotibus stolatis, postero die Alexandro occurrit, vt venientem exciperet. Quem Alexander intuitus, ex equo descendit: & humi genu innixus, cuui adorauit, petiaque omnia cõcessit. Quod cùm Alexandri duces aliíque mirarentur, & illud Alexander animaduertisset, dixit: pridie eius diei, Deum in somnis se vidisse eo habitu, quo Iaddum videret amictum, grauiter vitæ eius comminantem, si quid Iudæos offendisset. Cui somnio cùm fidem non haberet, tunc Iaddi conspectum in ea veste qua amictam Dei effigiem viderat, Deum sẽ, & non pontificem coluisse. Mirum profectò, duorum diuersorum hominum somnia ita conuenisse. Fulg. lib. 1. cap. 5.

SIMONIDES cùm ad littus nauem appulisset, inhumatúmque corpus iacens sepulturæ mandasset, admonitus ab eo in somnis, ne proximo die nauigaret, in terra remansit: qui inde soluerant, fluctibus & procellis in cõspectu eius obruti sunt: Ipse lætatus est, quòd virã suam somnio quàm naui credere maluisset. Memor autem beneficij, elegantissimo carmine æternitati consecrauit: melius illi & diuturnius in animis hominum sepulchrum constituens, quàm in desertis & ignotis arenis struxerat. Val. Max. lib. 1. cap. 7. Cic. lib. 1. de Diuin.

THEMISTOCLES cùm exul patria procul degeret in vrbe, cui Leonis caput nomẽ erat, dum quiesceret, visus sibi est Cybelem videre, monentem vt leonis caput euitaret, ne leonem obuium haberet. Excitatus igitur, cùm sine mora inde abisset: haud multo pòst supernenere Pisidæ quidam, qui Epixiæ Persæ impulsu occidere eum quærebant: quorum vim, somno illo monitus, deuitauit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

HANNIBAL dux Carthaginensium, in templo Iunonis Lucinæ repertam columnam auream asportare decreuerat. Incertus autem an solida ex auro, an superficie tenus inaurata esset, terebrando tentauit: & certior factus esse auream totam, in proposito rapiendi firmatus erat. Cui inter somnium Iunonis species adesse visa, vt auaris & sacrilegis cœptis abstineret monuit: minata, si pergeret, se quoque illum vno quo solùm videret lumine priuaturum. Quo somno dux alioquin ferox, & cui nullus Dei metus, nulla religio (vt dictum scriptum est) motus tamen traditur: nihil loco mouere ausus ex eo ipso auro, quod ex foramine, dum tẽtaretur, exciderat, bucculam fieri, & supremæ columnæ imponi curauit. Petrarcha.

BONVS Mathemaucensis, & Rusticus Torcellanus, Veneti sanguinis viri, qui corpus D. Marci diuino quodam monitu ex Alexandrina vrbe Venetias attulerunt, dum fortè Ægæum mare præterueherentur, & secundissimis noctu ventorum flatibus navigarent, obseruata dicitur Diui Marci species Dominico monacho Comaclensi, vitæ sanctimonia insigni, qui custos sacri corporis aderat: admonuitque nauclerum adiret, qui caueret tam secundum ventorum flatum: fore enim, vt scopulis Strophadum illisa nauis, naufragium planè faceret. Subductis igitur velis, cursúque mutato, aduentante luce, nauclerus & reliqui omnes re ipsa planè perspecta & cognita, supplices ad Diui Marci corpus accessere, ingentesque ei gratias egere, quòd salui incolumésque imminentis naufragij euasissent periculum. Sic igitur Bonus & Rusticus, quo cœlesti diuinoque auspicio apud Alexãdriam rem susceperant, eodem Venetias appellentes, corpus Diui Marci, cum ingenti totius ciuitatis plausu, apud diuum Theodorum composuere. Egnat. lib. 1. cap. 6.

MALORVM CORPORIS INDICIA.

MORBORVM VARIORVM.

Omina, Portenta, Somnia.

Phocensium dux PHAYLLVS, frater Onomarchi, sub initia sui imperij visus est sibi in somnis, se effigiei cuidam æreæ (quæ Delphis interdonaria spectabatur, ab Hippocrate medico dedicata, hominis cui carne consumpta sola essent reliqua ossa) similem factum. Nec multis pòst diebus tabe periit. Pausanias lib. 10.

P. CORNELIVS Ruffus, qui olim consul cum Mannio Curio fuit: cùm somniasset se visum amisisse: experrectus, cæcum se factum inuenit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

Somniabat QVIDAM, in crure sese à cato nigro morderi: postridie ea in parte cancer enatus est.

Anno Sal. 1012. sub Benedicto octauo, terræmotus ingens pestem prænunciauit. Fulg. lib. 1. cap. 4. *In Lotharingia fons per multos dies sanguine manauit.*

Imperante

Imperante LOTHARIO, imperij eius anno octauo, ad significãdam pestem, quæ eo anno crudeliter sæuit in Saxonibus, natus est agger sue collis sex passuum millia longus, & grandine mixtis lapidibus pluit. Sab. lib. 1. cap. 4.

ARNOLDVS Villanouanus, philosophus & medicus doctissimus, per quietem à nigro cato in pede se vulnerari sensit. Postridie ea in parte cancer enatus est. Fulg. lib. 1. cap. 5.

MORTIS.

Omina.

Vicit SAVLVS non vho prælio Philistæos: verùm suprema illa pugna, quæ fuit ipsi regi cum ea gente, fuit & humanorum operum eidem vltimum, præter solitum ab eo formidata est, tanquam sibi etiam & suis funesta. Nec mens futurorum solicita, passa est illum prius in aciem descedere, quàm à Samuelis vmbra exploratum habuisset, imminere regi, & ipsi regiæ stirpi excidium. Præsensit itaque sagax mẽs, instare fatale tempus: sed fatum declinare noluit, aut certè non potuit. Sab. lib. 9. cap. 10.

DAVID rex militibus suis contra Absalonem pugnaturis imperasse dicitur, vt enixè darent operam, vt filius, etsi hostis, sibi incolumis esset, & extra omne vitæ periculum. Præsensit mens illa fatidica filij exitium: sed fatali necessitati obuiam ire non valuit. Idem.

Habuit Magdalenes vnctio ominis speciem, quæ sub ipsum Dominicæ mortis tempus nardino vnxit vnguento CHRISTVM regem & magistrum: quo delibutus ille, est non multo post sepulchro conditus. Latuit enim vetustas, & vnxit defuncta corpora: vngi & in coniuiiis moris fuit. Sed diuinam sapientiam non latuit, quid sibi vellet præsaga vnctio. Idem.

C. GRACCHVS Tib. F. eo ipso die quo est in Capitolio interfectus, offensionem pedis, vt dirum & mali ominis, ita abhorruit, vt domum redire voluerit. Sed tamen amicorum hortatu confirmatus, in fatum incidit Idem.

PETILIVS consul in Liguria bellum gerens, cùm montem cui Læco cognomen erat, oppugnaret: intérque adhortationem militum dixisset, Hodie ego lætum vtique capiam: inconsideratius præliando, fortuitum iactum vocis letho suo confirmauit. lib. 1. cap. 5.

CÆCILIA Metelli vxor dum sororis filiæ, adultæ ætatis virginis, more prisco, nocte concubia, nuptialia petit, omen ipsa fecit. Nam cùm in sacello quodam eius rei gratia aliquandiu persedisset, nec aliqua vox proposito congruens esset audita: fessa longa standi mora puella, rogauit matertteram, vt sibi paulisper locum reliendi accommodaret. cui illa: Ego verò (inquit) libẽter tibi mea sede cedo. Quod dictum ab indulgentia profectum, ad certi hominis processit euentum: quoniam Metellus non multo pòst mortua Cæcilia, virginem, de qua loquor, in matrimonium duxit. Cic. lib. 1. de Diuin. & Val. ibidem.

C. CASSIVS cùm á Rhodiis obsecraretur, ne eos omnibus deorum simulachris spoliaret, solem à se relinqui respondit: Colossum intelligẽs, quem Cares Lydius septuaginta cubitorum altitudinis fecisse dicitur. Sed quod ille per ludibrium dixit, suo euentu verum fecit, cùm vitam amittens, solis colossum & splendorem relinqueret, Plutonem salutaturus. Valer. Max. lib. 1. cap. 5.

AVGVSTI Cæsaris supremo digressu ab vrbe vox temerè emissa augurium fecit, non amplius Romæ eum futurum. Alex. ab Alexand. libr. 5. cap. 13.

CLAVDIVS princeps postremis vitæ suæ temporibus pro tribunali, posCente ita sermonis materia, cùm dixisset ad vitæ finem se peruenisse (dictum qui astabant abominantibus) casus tulit vt sæpius idem repeteret, breuíque euentu rem comprobaret. Fulg. lib. 1. cap. 3.

NERO imperator non minus apertè, quàm Claudius, futura mala sua, mortémque ominatus est. Nam paulo antè quàm Galba rebellaret in Senatu, de Vindice qui descuerat verba faciens, diceret: Haud diu post, huiusmodi scelestos homines, pro criminum magnitudine pœnas daturos. Ab vniuerso senatu respõsum fuit: Tu is eris Auguste. Quod verbum & Nero & Senatus in eam partem accipiebant, vt ipse puniendorú eiusmodi hominum autor esset. Sed exitus contrarium ostendit: quia ambiguum verbum ad id traxit, vt intelligeretur futurum Neronem illum, in quem Senatus animaduerteret. Illud quoque in Nerone à multis notatum fuit, quòd in vltima fabula, quã Græcè de Oedipo exule in scena cantauit, Græcum versum pronunciauit:

θανεῖν μ' ἀναγκάζουσι, μήτηρ, πατήρ.
Mortem me coniunx, pater & mater damnarunt.

Quod in eam partem acceptum fuit, vt ipse sibimet prædiceret, matris ac coniugis quas necauerat, item Claudij quem veneno imperij causa sustulerat, vmbras iustè eum ad mortem citare. Ibidem.

EIDEM Alexandriam profecturo, lacinia adhæsit: quod inter dira quoque relatum est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

GALBÆ Calend. Ian. sacrificanti è capite lapsa est laurea: & cum è more milites alloqueretur, obseruatum fuit ei sellam paratam non fuisse, & in Senatu eurulem præposterè positam. Fulg. lib. 1. cap. 4.

SEPT. Seuero imp. mortem miles Æthiops præsignificauit, qui dicteriis gratiam principis captabat. Liberata enim à barbaris Britannia insula, cùm Romam rediret Seuerus. Æthiops obuiam ei progressus est, serto ex cupresso facto coronatus. Itaque tristi eius aspectu cùm turbatus esset Seuerus, pelli hominem confestim à comitatu iusserat. Cæterùm cùm hilari aliquo verbo emendare miles tristem funesti serti aspectum vellet, magis rem aggrauauit, principi dicens: Omnia habuisti, omnia vicisti, nunc tandem Deus efficiare. Quod verbum haud longè pòst in Britannia mortuus Seuerus impleuit: quia inde Romam perlato corpore, in deorum numerum relatus est. Fulg lib. 1. cap. 3.

Cum simul sermones fererent Antoninus Bassianus Caracalla, & GETA ipsius frater, detectis coniurationibus aduersus Seuerum patrem, dicente Bassiano, debere coniuratos omnes occidi: respondit Geta, mortem suam ominatus: Tu qui nemini parcis, possísne etiam fratrem interimere? Nec multo pòst mortuo Seuero patre, Bassiani opera Geta fuit interemptus. Spartianus.

ALEXANDER Seuerus Augustus cùm in Gallia exercitum alloqueretur, cupiens à fausto verbo sermonem ordiri, fortuna contrarium obtulit, quod vt malum omen fuit acceptum. Incœpit enim, Occiso Imperatore Heliogabalo: ab Imperatoris morte sermonem exorsus. Inde autem cùm ad Persicum bellum proficisceretur, vesana mulier, Gallica lingua hæc dixit: Vade, neque tibi victoriam polliceare, neque te tuorum militum fidei crede. Id quòd rectè monitum euentus docuit, ipso haud diu pòst à militibus occiso. Fulg. lib. 1. cap. 3.

MAXIMINIS duobus mulier quædam in foro Iulio (cùm aduersus Senatum cùm exercitu venirent) obuiam facta, passis crinibus, atratáque veste, Maximinos magna inuocans voce, ante eorum pedes mortua cõcidit. Post paucos dies exercitus Maximinos interemit. Idem.

Postrema die quæ vltimum natalem diem HELII ADRIANI imperatoris anteceslit, cùm is esset in Senatu, ad eum venit quidam vlulans, geménsque obscura voce, parúmque intellectis verbis. Qua re (tanquam quæ mortis esset prænuncia) turbatus Adrianus, cùm senatum alloqueretur, & post mortem filij, mei dicere vellet, Post mortem meam, dixit. Id quod res, tristè sequuta omen (breui enim mortuus est) verum eum ominasse declarauit. Ibidem.

DOMITIANVS pridie quàm occideretur, cùm portos quosdam dono missos in posterum diem asseruari iussisset, verbum hoc subiunxit: Si modò eis frui concederetur. Inde conuersus ad eos qui astabant, dixit: Fore vt sequenti die luna in Aquario cruentaretur: facinúsque inde sequuturum, de quo per totum terrarum orbem homines loquerentur. Scalpénsque interim tuber quod in fronte gerebat, ita vt sanguis ex eo manaret, dixit: Vtinam hactenus & non vltrà fluat sanguis. Mortem suam proximã iis verbis ominatus, quæ casus & nulla data opera tulit. Ibidem.

FL. CL. IVLIANVS Secundus Imp. cùm Antiochia discedens contra Persas iturus esset (odio in Antiochenos propter motus ab eis seditiones accensus, ad populum se conuertit, malúmque suum ominatus dixit: Se in eam vrbem nunquam rediturum. Mari quoque cùm iuxta Cresiphontem vrbem sacrificaret, neque in victima fausta m rem vllam inspicerer, se Marti amplius nõ sacrificaturum affirmauit. Opinione sua in vtroque falsus. Nam cùm voluntate sua se in posterum neque Antiochiã rediturum, neque Marti sacrificaturum intelligeret, subsecuta breui mors docuit, ipsum sibi fatum quod imminebat prædixisse: quòd rem vtranque, quam se nunquam facturum dixerat, facere prohibitus fuit. Ibidem.

MARINVS Phalecrus, Venetorum dux, in locum clarissimi principis Andreæ Danduli dictus, quum Romæ legatum Venetum apud Pontifices egisset, domum reuertens, magno cum totius vrbis gaudio excẽptus: Bucentauróque (sic enim appellant nauim, qua Dux patrésque cum põpa vehuntur) ad Diui Marci aream subuectus esset, non solito religiorum more descendens, medius inter columnas duas, vbi sontes homines supremo afficiuntur supplicio, in aream Marcianam ædem peruenit: móxque in ducarium profectus, coniurationem de patriæ libertate opprimenda iniit. quare meritò illi ceruices abscissæ sunt, Ioannésque Gradonicus illi suffectus est: vt omnis ciuitas postea affirmarit, factum illi esse omen futuræ calamitatis, quum inter duas *marmoreas columnas* iter habuerit, qui locus (vt diximus) improbis scelestíque hominibus puniendis in vrbe Veneta præcipuè attributus est. Egnat. lib. 1. cap. 4.

Auspicia & Auguria.

Ante CÆSARIS Dictatoris mortem, auis regulus lauri ramulum rostro ferens, in curia Pompeiana ab auibus discerptus est. Fulgos. libro 1. cap. 4.

M. TVL. CICERONI mors imminens, auspicio prædicta est. Cùm enim in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius, horologij ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo vsque morsu tenuit, donec seruus ad occidendum eum milites venisse nunciaret. Valer. Max. lib. 1. ca. 4. Sed paulò aliter de eius morte scribunt Plutarchus & Appianus.

Vt in NERONE finis fuit Cæsarum stirpis natutalis adoptiuæque, ita eius etiam ingentia apparuerunt signa. Liuia cùm recens Augusto nupsisset, per Veientanam villam suam eunti, aquila in gremium eius gallinam candidam, in ore lauri habentem ramũ, demisit. In bonã partẽ augurio accepto, cũ curari diligenter gallinam iussisset, magnus ex ea candidorũ pullorum numerus prouenit. Platarus quoque lauri ramusculus, ingens lauretum protulit. Ex qua sylua obseruatũ postea fuit, vt triumphaturi laureũ ramum sumerẽt, quem manu in triumpho gestabãt: peractóque triumpho restitutus ramus plantaretur, radicésque mitteret. Illud quoque notatum fuit deficcatum eiusmodi ramusculum, præsa-

gium fuisse mortis illius, qui eum in triumpho gestasset. Cæterùm postremo Neronis anno, vt propinqua eius morte Cæsarum quoque defectura soboles ostenderetur., gallinarum candidarum stirps tota periit, lauretúmque ex toto aruit, defecitque. Præterea statuis Cæsarum fulgure decussa fuerunt capita, sceptrúmque de manu Augusti ereptum Fulg. lib.1.cap.4.

Io. Ant. Campanus, episcopus Aretinus, quo die vita excessit (Idibus videlicet Quintil. anno 1477.) ferũt magnum auium numerum Terami fenestras bibliothecæ irrupisse, alarúmq; strepitu flebilibus vocibus mœrorem luctúmque grauissimũ ostendisse: libros & scripturas rostro, vnguibus & eluuie defœdasse. In agris quoque paternis & consito ad domesticas delicias laureto, similem calamitatem intulisse arboribus, cunctáque perinde ac dimissa grandine deuastata postero anno exaruisse. Gemini canes venatici, iussi pridem ad illum perduci, domo vi vlla, tanquam ad præmortuum herum frustra se pertrahi intelligerent, educi nunquam potuerunt: iidémque in posterum nec latrare nec blandiri alicui visi, inedia & squallore defecti occubuere. Michael Ferus in eius vita.

Leonicvs Tomæus, philosophus insignis, & Patauinus professor, domi gruem per quadraginta annos aluerat, de manu ipsius senili oblectamento cibaria capientem. Is senio tabefactus cùm periisset, ex eius desiderio triste omen concepit: prædixitq; nullo lacessitus morbo, se non multo pòst adamati gruis fatum vitæ exitu secuturum. Euentus respõdit. Paulus Iouius in elogiis.

Prodigia, Portenta, Ostenta.

Nullum maius vnquam in cœlo apparuit ostentum, quàm quòd citra naturæ legem, die quo Christvs Theanthropos in Iudæa cruci est affixus, sol à sexta diei hora ad nonam obtenebratus est. Stupuerunt miraculum sapientes, naturalium rerum gnari: & in his Dionysius Areopagita, qui ad tale ostentum exiliisse dicitur, atque exterritus exclamasse: Aut mundus soluitur, aut Deus naturæ patitur. Sab.lib.9.cap.8.

Cimoni formicarum cateruæ sanguinem victimę corripuerũt. Quo viso, summum periculum sibi imminere sensit, quod paulo pòst subsecutum est. Alex.ab Alex. lib.5.cap.25.

Callicrati duci Lacedæmoniorum caput victimæ præcisum, & fluctu maris absorptum, interitum vitæ indicauit. Idem.

Pyrrho sacrificanti, præcisa hostiarum capita, suum sanguinem lambentia, obitum luctuosum & fœdos euentus designarunt. Ibidem.

Dion Syracusanus, cùm post solis occasum iam lucem certam dies amisisset, atque in fine porticus, in qua solus erat, strepitum sensisset, vmbram fœmineam ingentem macilentémque conspexit, in infernarum furiarum effigiem formatam, quæ verrere domum videbatur. Quo prodigio territus (etsi natura minimè timidus erat) ingentẽ edidit clamorẽ. Nec multo pòst huius simulachri conspectum, à fenestris filius in terram se præcipitem misit, & ipse crudelem in modum cæsus fuit. Fulg.li.1.ca.4.

T. Gracchvs consul, cùm in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi repentè hostiæ, quam immolauerat, adeso iocinore, in easdem latebras se retulerunt. Ob id deinde factum instaurato sacrificio idem prodigij euenit. Tertia quoque cæsa victima, diligentiusque asseruatis extis, neque allapsus serpẽtũ arceri, neque fuga impediri potuit. Quod quamuis aruspices ad salutem Imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen non cauit, ne perfidi hospitis sui Flauij insidiis in eum locum deductus, in quo Pœnorũ dux Mago cũ armata manu delituerat, inermis occideretur. Valer.lib.1.cap.6.& Alex.ab Alex.lib.5.cap 25.

In lecto Sempronii Gracchi duo angues reperti, triste omen dederant. Ab aruspice enim indicatum, si murem emisisset, vxori breui tẽpore esse moriendum: sin fœminam ipsi. Quod cum audiuisset Sempronius, Corneliam vxorem plurimũ amans, fœminam ex serpentibus emisit: vxorem seruauit, & ipse paulo pòst è vita excessit. Polydor.Vergil.lib. 3.Prodig.

M. Marcellvs captarum Syracusarum, & Hannibalis ante Nolana mœnia à se primùm fugere coacti gloria inflammatus, cum summo studio niteretur, vt Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, solennique sacrificio volũtates deorum exploraret, quæ prima hostia ante foculum decidit, eius iecur sine capite inuentum est proxima iocinoris duplex caput habuit. Quibus inspectis, aruspex tristi vultu, non placere sibi exta, quia prima trunca, secũda nimis læta apparuissent respondit. Ita monitus M. Marcellus, ne quid temerè conaretur: insequenti nocte speculandi gratia cum paucis egredi ausus, à multitudine hostium in Brutiis circumuentus, æquè magnum dolorem ac detrimentum patriæ, interitu suo attulit. Val.lib.1.cap.6.

C. & Clavdivs Petilivs Cõsules, quũ, vt moris erat, immolassent victimas, iecur subitò tabuit. Nec ita multo pòst Claudius morbo, Petilius Ligurum armis interiit. Polydor.Vergil.lib.3.Prod.

Octavivs consul dirum omen, quemadmodum timuit, ita vitare non potuit. E simulachro enim Apollinis per se abrupto capite, & ita infixo humi vt auelli nequiret, armis à collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo ea re significari exitum suum: in quem metu augurij, tristi fine incidit, ac tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit. Val.lib.1.cap.6.

Cn. Pompeivs in acie Pharsalica victus à Cæsare, fuga quærens salutem, cursu in insulam Cyprum, vt aliquid in ea virium contraheret, classem direxit: appellensque ad oppidũ Paphũ, conspexit in littore speciosum ædificiũ: gubernatorémq; interrogauit, quod ei nomẽ esset: qui respõdit, κακοβασιλέα vocari. Quæ vox spẽ eius, quãtulacũq; restabat, cõminuit. Neque id dissimulanter tulit. auertit enim oculos ab illis tectis: ac dolorẽ, quẽ ex diro omine conceperat, gemitu patefecit. Val.l.1. c.5.

M. Brvtvs post interfectum Cæsarem, natalem suum celebrans, cùm Græcum versum exprimere vellet, ad illud potissimùm Homericum in Iliad.π. referendum animo tetẽdit, ἀλλά με μοῖρ᾽ ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός. Is enim deus Philippensi acie à Cæsare & Antonio signo datus, in eum tela conuertit. Ibidem.

M. Brvtvs cùm in Europam traiiceret, noctu solus in tentorio terribili aspectu vmbram vidit, & quænam esset intrepido animo rogauit. Respondit illa: Cacodæmon tuus sum, in Philippicis campis iterum me videbis. Videbo, intulit Brutus. Vmbra mox disparuit. Eandem postea in Macedonia, ea nocte quæ postrema vitæ fuit, iterum vidit: ab Octauio enim victus, vitáque priuatus est. Fulg.lib.1.cap.4.

Equi quos C. Cæsar initio belli in Rubiconis traiectu consecrauit, vagíque & sine custode vt emeriti pascebantur, sub tempus quo ipse iam Dictator interfectus est, pabulo abstinere comperti sunt, atque vbertim flere. Sab.lib.9.cap.7.

C. Ivlivs Cæsar, eo die quo purpurea veste velatus, aurea in sella consedit, prius quàm ciuium oculis conspectum suum offerret, cultui religionis vacauit: mactatóque opimo boue, cor in extis non reperit. Responsum ei à Spurina aruspice, pertinere id signum ad vitam, & consiliũ quòd vtraque hæc corde continerentur. Nec multo pòst vita ei à coniuratis erepta fuit. Val.Max.lib.1.cap.6.

Mors Avgvsto principi prænunciata. Sub axtremum tempus, tabula, in quo nomen eius inscriptum fuerat, de cœlo tacta, & prima nominis litera deiecta est. Hinc responsum, centum eum dies non amplius victurum, qui per conuulsam significarentur literam: se verò inter deos referendum, quòd reliquum percussi nominis indicaret: quoniam æsar diceretur deus, Tuscorum lingua. Petrarcha.

Agrippæ regi Iudæorum bubo mortem portendit. Vide Auguria Imperij & honoris.

Mira res, sed quæ infelicitatem portenderet, Agrippinæ contigit, Claudij vxori, anno antequam moreretur. Nam cùm esset in Germania in Vbiorum vrbe, quæ ab eius nomine Agrippina Colonia postea fuit dicta, in ea vrbe agróque magnis hiatibus aperta tellus ignẽ emittebat, omnia quæ contingerentur consumẽtem: qui neque aquis, neque alio humore extingui poterat, saxísque aut pannis duntaxat opprimebatur. Fulg.lib.1.cap.4.

Ante Neronis mortem in curia barbaricum murmur cum multo risu, & tumultus in theatro cum magno fletu auditus est, cùm ibi nemo hominum esset. Onustę naues armis sponte in Hispaniam sine nautis appulerunt. Xiphilinus.

Ante Neronis mortem, in Albano sanguine pluit. Dion.

Neronis mortem prænunciarunt ambæ fores & Mausoli (in quo Cæsarum erant sepulchra, ex quorum progenie vltimus erat Nero) & cubiculi sponte sua patuerunt. Xiphilin.

Galba ex Hispania Romam redeunte, terra tremere & mugire visa, mortem ei prænunciauit. Fulg.lib.1.cap.4.

Ante Titi Vespasiani mortem (qui Domitiani frater fuit) in Campania prope Vesuuium montem, terra non sine ingenti hominum pauore tremuit: clarèque & cœlo & in terra Gigantium species ac simulachra conspecta etiam interdiu vsque ad ipsam vrbem fuère. Vesuuius quoque post eas res mirum in modum ignes euomuit, fauillis in vrbem vsque penetrantibus. Aer per multos dies in noctis speciem caliginosus, & in fumo Gigantum simulachra apparebant, tubarúmque sonus magno omnium terrore (vt Dion Græcus scriptum reliquit) exaudiebatur. Fulg.lib 1.ca.4.

Pertinax paucis diebus antè quàm periret, fertur dixisse, se cum in viuarium inspiceret, in aqua vmbram conspexisse, quæ stricto gladio mortem minabatur. Sabel.lib.1.cap.4.

Pertinaci, qua die occisus fuit, id euenit, quod IulioCæsari contigisse, minimè in obscuro est. Sacrificante enim eo, in victima cor inuentũ non est. Quòd cùm ei malum ominari videretur, & propterea iterum quærendo laboraret, hepar quoque defuisse compererunt. Idem.

Septimio Seuero imperatori & mors & fortuna gentis suæ manifesto prodigio ostensa fuit. Nam Circensibus ludis, à suggestu, vnde is ludos spectabat, ex tribus victoriæ simulachris, quæ de morte appendebantur, ea quæ Seueri nomine inscripta erat, in terram concidit: altera, quam in Getæ honorem expresserant, cadens tota confracta est: tertia autem, cui Bassiani erat inscriptum nomen, è manu palma dilapsa est. Post hunc casum haud diu Seuerus vixit, Getam Bassianus occidit: Bassiano autem ad imperium translato, imperium breue & inglorium fuit. Idem.

Sub mortem Antonini Pij serpens crinita ingentis magnitudinis apparuit, quæ apprehensa mordicus cauda, semetipsam supra dimidiam partem deuorauit. Infans quoque biceps natus est. Ex iis ostendebatur, annis, id est ab æuo Antoninum consumptum iri, ac Philosophum & Verum ceu duo capita ei successuros. Fulg.lib.1.cap.4.

Crudelis Commodi imperatoris exitum sæua prodigia antecessere. Nam præterquam quòd in eius morte cometes apparuit, à multis templis quæ erant in vrbe cum simulachris deorum effigies quoque abire visæ sunt. Ibidem.

Constantio Imperatori infelicis prodigij phantasma in Asia apparuit, paucis diebus antè quàm moreretur: perspecta sæpius vmbra, quæ ei offerebatur, mœsto valde aspectu.

Fl. Cl. Ivliano Imperatori ea nocte quæ diem mortis ipsius in Perside antecessit, cum in tẽtorio lectioni operam daret, horroris plenã vmbram

bram offerri sibi intuitus, & præ formidine consurgens, vt è tentorio eã egredi conspexit, putauit genium suum esse, qui se morti iam vicinum desereret. Idem.

P. Annio Tacito Imp. mortis præsagia fuère, sponte patefactum parentis sepulchrum: item, quòd iam mortuę matris vmbra ei apparuit: neque sine horrore, diuersa in specie locóque, fratris manes. Fulgos.lib.

Isacivs Comnenus Imp. Constantinopolitanus, cùm circa Nouam vrbem venaretur, aper terribili specie ad mare properãs apparuit. Eum cùm insectaretur, ille in mare incidẽs disparuit. Imp. turbatus, equo decidit, spuma circa os apparente. Pòst aliquandiu ægrotans, ad desperationem redactus, caput radi curauit, & monasticum habitum assumens, priuatus postea vixit, Constantino Ducæ tradito imperio. Hæc Zonaras & Thracesco.

Somnia.

Evnvchvs & pistorum magister Pharaonis in carcerem coniectus, somnio vidit se habere tria canistra farinæ super caput suũ, in quorum vno excelso portaret omnes cibos qui fierent manu pistorum, auésque comedere ex eo. Interpretatus est Ioseph: Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet rex caput tuum, & suspendet te, & lacerabunt volucres carnes tuas. Quod tertio demum die factum est. Genesis 40.

Pindarvs poeta exacta iam ætate in somnis videre visus est adsistere Persephonen, & queri, vnam se ex omnibus diis non fuisse ipsius carminibus ornatam. verùm vbi ad eam venisset, suum etiam ipsi hymnũ esse facturum. Paulò quidem pòst, atque adeò ante decimum ab eo somnio diem, vitę muneribus est perfunctus. Erat Thebis anus quædam Pindarǫ genere coniuncta, & in multis eius canticis decantandis valde exercitata, Ei Pindarus se per quietem ostendens, hymnum in Persephonem cecinit. Illa mox experrecta, conscripsit omnia, quæ cantantem Pindarum per visum in quiete audierat. In eo sanè cantico, inter alia Ditis cognomina, est Chrysenius, ab aureis nẽpe habenis, quod ad Proserpinæ raptum pertinere satis constat. Pausanias in Bœoticis.

Sub excidium Messenæ, vigesimoprimo anno belli, Aristodemvs rex Messeniorum per quietem visus est videre, cùm esset armis iã sumptis ad pugnam exiturus, victimarum extis in mensa appositis, filiam (quam ante sexennium pro patriæ salute deuotam suis manibus interfecerat) in pulla veste assistentem, & nudato pectore vulnera ostentantem deinde disturbatis è mensa extis, detractis armis, ab ea aurea se corona & albis vestimentis donari. Mortem itaque sibi somnium hoc portẽdere arbitratus est, quòd Nessenij optimates coronatos & candida veste velatos efferunt. Nec mora: cum filiæ deuotione patriæ se nihil profuisse videret, ad filiæ tumulum sibiipsi mortem consciuit. Pausanias in Messenicis.

Duo familiares Arcades iter vnà facientes. Megaram venerunt: quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit. Is qui in hospitio erat, vidit in somniis comitem suum orantem vt sibi cauponis insidiis circumuento subueniret. posse enim celeri eius accursu se imminenti periculo subtrahi. quo viso, excitatus prosiluit, tabernámque in qua is diuersatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato eius humanissimum propositum tanquam superuacuum damnauit, & lectum ac somnum repetiit. Tum idem ei saucius oblatus obsecrauit, vt qui vitæ suæ auxilium ferre neglexisset, necis saltem vltionem non negaret: corpus enim suum à caupone trucidatum, tum maximè plaustro ferri ad portam stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum quod in quiete demonstratum erat, comprehẽdit, cauponémque ad capitale supplicium perduxit. Val.Max.lib.1.cap.7.ex Cic.lib.1.de Diuin.

Macedoniæ rex Alexander, Cassandri pestiferam sibi dexteram somnio prius cognouit, quàm exitu sensit. Existimauit enim se ab illo interfici, cũ eũ nunquã vidisset. Interposito deinde tẽpore, postquã in cõspectũ venisset, nocturni metus patefacta imagine, vt Antipatri filiũ esse cognouit, adiecto versu Græco, qui fidem somniorum eleuat, præparati iam aduersus caput suum veneficij, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit. Val.Max.lib.1.cap.7.Sab.libro 6. Ennead.4.

Glaphyra, Archelai tetrarchæ coniux, cùm ei per quietem Alexander, cui primò nupserat, secundas cum Archelao nuptias cum primi amoris obliuione exprobraret, dicens: Se breui vt eam secum duceret venturum, haud diu pòst mortua, somnij impleuit effectum. Fulg.libr. 1. cap.5.

Alcibiades somnum capiens, pallio amicæ suæ se coopertum in somno putauit. Cuius somnij veritas mox secuta est. Critias enim, cùm videret Alcibiadem plurimùm gratia & auctoritate valere, operam dedit vt de medio tolleretur. Misit igitur Tusimenum (vel vt alij nominant, Susametrem) & Bagoum, vt eum interficerent. Ille cùm apud amicam esset, in eius gremio interfectus, & insepultus abiectus, amicæ suæ vestimento contectus est. Iustin.lib.5. Val.Max.libr.1.cap. 7. Plutarch.& Prob.in eius vita.

Efficax & illa quietis imago, quæ Croesi regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filiis, & ingenti agilitate & corporis dotibus præstantiorem, imperiíque successioni destinatum Atym, existimauit ferro sibi ereptum. Itaque quicquid ad euitanda denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti, domi detentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum, id quoque amoueri iussit. gladio cinctis comitibus vtebatur: vetiti sunt propius accedere. necessitas tamen aditum luctui dedit. Cùm enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis culta, crebra cũ agrestium strage vastaret, inusitatóque malo regium imploratum esset auxilium, filius à patre extorsit, vt ad eum opprimendum mitteretur: eo quidem facilius, ꝙ non dentis, sed ferri sæuitia in metu reponebatur. Verùm dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis violentiæ lanceam, petendæ feræ gratia ab Adrasto missam, in eum detorsit: & quidem eam potissimùm dexteram nefariæ cædis crimine voluit aspergi, cui tutela filij à patre mandata erat: quámque Crœsus imprudentis homicidij sanguine violatam, hospitales veritus deos supplicem sacrificio expiauerat. Val.libro 1.ca.7.& Herod. lib.1.

Polycratis Samiorum tyranni filia videbatur sibi cernere per quietem, se in aere sublimem esse, qui à Ioue quidem lauaretur à sole autem inungeretur. Hac visione territa, patrem monebat, ne ad Orœtem Cambysis præfectum Sardis proficisceretur. At ille dicto non parens, ab Orœte cruci affixus est. Herod.lib.1.

Hipparho Pisistrati filio, in somnis obiecta est viri proceri imago, hos versus pronunciantis:

τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ,
οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Manè ad somniorum coniectores hæc referre volebat. Sed mox spreta visione, neglexit, & in pompam prodiit, vbi ab Aristogitone & Harmodio Gephyræis fuit interfectus. Her.li.5.

Cimon Atheniensis, cùm contra Persas expeditionem moueret, classe iam parata, somnium tale habuit, Canis irata ipsum allatrare visa est, & vocem inde ex humana & canino latratu confusam edere, in hæc verba:

Vade, mihique, meis catulísque futurus amicus.

Astyphilvs ergo Posidoniates diuinus homo, & Cimonis familiaris, mortem ei prædici asseruit, hoc vsus argumento: Canis homini quem allatrat inimicus est: inimico autem nemo charus est, aut amicus, nisi quãdo moritur. porrò mixta vox, Medum hostem designat, cuius copiæ ex Græcis & Barbaris mixtæ sunt. Somnium verum fuisse, exitus comprobauit. Nõ multo pòst enim Cimon morbo in obsidione Citij periit. Plut. in eius vita.

Quum in somnis quidam Socrati visus esset dicere,

ἤματί μὲν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο,
Ad Phthiam venies simulac lux tertia surget:

Æschini dixit, Tertio die moriar. versum Homericum pro oraculo interpretãs, id euenit. Phthia erat patria Achillis: & amici conabantur persuadere Socrati, vt in Thessaliam fugeret, quòd illic haberet bonos amicos. At ille φθίην, ἀπὸ τοῦ φθίνεσθαι deduxit. Laert.in eius vita.

C. Gracchvs Tiberij fratris, in seditione legis Agrariæ interfecti, effigiem in somno vidit, dicentis: quantũ vellet cunctaretur, tamen eodẽ sibi letho, quo ipse interiisset, esse pereũdum. Quod etiam accidit. Cùm enim post leges perniciosissimas promulgatas Auentinum montem cũ multitudine armata occupasset, à L. Opimio occisus est. Cic.li.1.de Diuin. Val. Max.lib.1.cap.7.Plut.in vita Gracchorum.

Cùm Romani quondam iniquis locis à Samnitibus circumclusi grauiter vrgerentur, P. Decivs, tunc tribunus militum, visus sibi est in somnis inter densissimos cuneos occumbere, multa moriẽs gloria. Quo somnio vir fortissimus, gloriæ sitientissimus, non tam territus, quàm ad promissi exitus cupiditatem animatus, nullum periculi genus declinare cœperat: & ab amicis vt cautius pugnaret admonitus, somnium ac propositum suum illis exposuit. Tunc tamen præter opinionem illæsus, saluum exercitum è faucibus hostium educit. Verùm pòst triennio interiecto, sera fides somnio quæsita est. Bello siquidem Latino Cõs. ipse se pro Rep. deuouit: & in medias inimicorum acies inuectus, tanta gloria oppetiit, vt natum ad simile mortis hæreditatiæ desiderium excitaret. Hæc ad hunc propè modum & in Annalibus Romæ scripta, & apud Tullium relata sunt.

Apud Actium M. Antonij fractis opibus, Cassivs Parmensis, qui partes eius sequutus fuerat, Athenas confugit. Vbi concubia nocte, cùm sollicitudinibus & curis mente sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalida barba, & capillo demisso. Interrogatúmque, quisnam esset. respondisse, κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro visu & nomine horrendo, seruos inclamauit. Sciscitatúsque est, si quem talis habitus aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent? Quibus affirmãtibus, neminem illuc accessisse, iterum quieti & somno se dedit: atque eadem animo eius obuersata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri iussit, puerósque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem, & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paruulum admodum tempus accessit. Val. Max. lib.1. cap.7.& Suet.in Augusto: & Plut.in vita Antonij.

Atterivs Ruffus, eques Romanus, cùm gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem, Retiarii se manu confodi vidit. Idque

postero die in spectaculo consessoribus narrauit.Incidit deinde,vt proximo ab equite loco Retiarius cum Mirmillone introduceretur: cuius cùm faciem vidisset,idem dixit,ab illo se Retiario trucidari putasse,protinusque inde discedere voluit.Illi sermone suo,metu eius discusso, caussam exitij misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso Mirmillone,& abiecto, dum iacentem ferire conatur, transiectum gladio Atterium interemit.Valer.Max.lib.1.cap.7.

C. IVLIVS Cæsar,pridie quàm periret, se iuxta solium Iouis consistere,& è cœlo in terras præcipitatum vidit:siue, vt alij referunt, supra nubes se volitare, & cœlum vertice tangere. Sequenti die à coniuratis interficitur.Alex.lib.3.cap.26.

TIBERIVS, paulo antequam è vita discederet,Apollinem Temenitem se videre somniauit, cuius statuam Syracusis aduexerat: dicentem Fieri non posse,vt ab ipso dedicaretur.Fulg.lib.1.cap.5.

C.CALIGVLA, per quietem pridie quàm moreretur vidit se cùm in cœlo ante Iouem esset,ab eo pedis pollice depulsum, ad terram concidisse.Idem.

C.IVLII Cæsaris vxor Calphurnia,nocte,quam is vltimam in terris egit,in quiete vidit,multis eum confectum vulneribus in suo sinu iacẽtem.somnijque atrocitate vehementer exterrita,rogare destitit, vt proxima die à curia se abstineret.At ille,ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur,senatũ,in quo ei in parricidarum manus allatę sunt,adire contendit,vbi à Bruto & Cassio interfectus fuit.Val.lib.1.cap.7.

POLYCARPVS D.Ioannis euangelistæ discipulus, puluinar cui indormiebat comburi insomnis vidit. Igne itaque pro Christo sibi moriendum esse affirmauit.Fulg.lib.1.cap.5.

SERGIVS Galba,cùm ex gemmis,quas habebat,magnum numerum delegisset,vt torque Fortunam suam Tusculanã exornaret: deinde mutata sententia Veneri Capitolinæ torquem dedisset:sequenti nocte Fortuna in somnis ei apparuit,ea ipsa effigie, qua in Tusculano posita erat, dixitque:Quia promisso munere fraudata esset,breui se quoque erepturam quæ dederat.Itaque haud multo pòst Romæ occisus Galba,quod in quiete viderat,confirmauit.Idem.

NERO, in somniis nauiganti sibi eripi clauum, atque ab Octauiæ cõiugis vmbra in obscuras tenebras trahi se,atque à formicarum alatarum multitudine opprimi vidit. Quæ somnia populi motus, atq; ipsius mors vera effecerunt.Idem.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator, paulo antè quàm à Martiale tribuno militũ gladio confoderetur, & profectionem ex Antiochia pararet, pater Seuerus ei cum gladio astitit in somnis, aitque: Quemadmodũ tu fratrem Getam interfecisti,ita ego te interficiam. Experrectus igitur è somno Antoninus, suæ crudelitatis atque vitæ finem instare nequaquam dubitauit,cùm antea quoque vates similia prædixissent.Dion Nicæus,& Xiphilinus in Antonino.

DOMITIANVS, paulo antè quã interficeretur, visus est videre Mineruam à se abeuntem,dicentémque ei: Non posse amplius opem præstare.Præterea multa alia adeò horrenda vt adhuc somnolẽtus à lecto in terram præ formidine se deiiceret. Ceterùm sicuti in somnis de morte sua certior factus fuerat:ita etiam qui succederent in imperio, præuidit, cùm in renibus gibbum se aureum habere sibi videretur.Laus Neruę ac Traiani,qui successerunt,non mediocris.Fulg.lib.1.cap.5.

IDEM somniauit,rusticum cùm gladio accedere:& Mineruam,quæ in eius cubiculo collocata erat,arma abiicere:eandémque ex curru,qui nigris equis trahebatur, in magnum hiatũ descendere. Mox ab insidiatoribus suis interfectus est.Xiphilinus in eius vita.

CONSTANS Imperator,Monothelitarum patronus,& Orthodoxorum persecutor,cùm in Siciliam nauigaret,somnium habuit, se Thessalonicæ esse.Augur amissionem imperij id portẽdere asseruit: quasi diuinitùs esset significatum,θὲς ἄλλῳ νίκην.Neque verò multo pòst in Saracenorum insidias incidit, classéque amissa vix effugit. Tandem in Siciliam reuersus,à satellite quodam, dum sapone gallico in balneo illiniretur,situla interfectus est.Paulus Diaconus lib 19.

SERGIVS & Bacchus martyres, carceris angustia constricti, beatæ vitæ spe gaudebant. Et cùm prior Bacchus per tormenta consumptus animam exhalasset,Sergius relictum se querẽs, valde animo affligebatur, vbertimque flebat.Flenti noctu Bacchus apparuit,visu iucũdus, luce decorus,gemmea corona insignis. Tum ne lugeret iussit. mox enim fore, vt ipse quoque pœnis conficiatur,sibique iungatur.Non immeritò igitur Sergio supplicij dilatio supplicium erat, si post supplicia ad tantam gloriam Bacchus peruenerat.Marul.lib.6.cap.16.

MARCIANO Imperatori apparens Dominus in somnis,arcum Attilæ fractum esse ostendit.Nec id vanum fuit. Eadem quippe nocte Attila in nuptiis suis crapulæ indulgens,erumpente per apoplexiam sanguine de naribus,in lecto suffocatus est.Sigebertus in Chronicis.Sab.lib.9.cap.6.& Fulg.lib.1.cap.5.

MAVRICII Imperatoris clarum & veri effectus somnium adeò aliá vincit,vt inter diuina oracula connumerari possit. Nam cùm somniasset occisum se cum tota stirpe, à quodam qui Phocas appellabatur, idque non sine horrore genero Philippico commemorasset,diligenter quæsitis si qui hoc nomine appellarentur, vnus tantùm in toto exercitu, qui notarius erat,eo nomine fuit inuẽtus. A cuius humili fortuna satis se tutum ratus,priusquam maiorem rei curam adhibere posset,rebellantibus exercitibus,quibus retinebantur stipendia,creatus imperator à militibus Phocas,dum Constantinopolim exercitus regrederetur, Mauritium,qui Chalcedonẽ se receperat,cũ vniuersa stirpe interimi iussit.Fulg.lib.1.c.5.

DIDYMVS Alexandrinus cæcus, vir doctissimus, ieiuniis assiduis & orationibus in templo Deum rogabat, vt Iuliani apostatæ persecutionem inhiberet, Ieiunans ergo in somnum incidit,ac velut in ectasim raptus,visus est sibi videre equos albos in aere cursitantes, & eos qui illis insidebant, quasi præconis voce acclamantes: Nunciante Didymo, hoc die,hac hora,occisum esse Iulianum: & is Athanasio episcopo hoc significet.Expergefactus,cum gaudio cibum sumpsit. Euentus deinde verum fuisse somnium ostendit.Sozomenus lib.6.cap.20.

POCILLATORIS cuiusdam somnium, mortem æternam denuncians episcopo Auernensi,pete ex tit.Doctorum Ecclesiasticorum, sub nomine Sidonij.

Monachus GERONTIVS æger vidit in somnis, lecto suo duos senes candida veste amictos appropinquare,dicerẽque:Hinc missos faciamus aliquot ex iis qui Gregorij sunt fratres. Nec multo pòst posita in albo eorum nomina recitauerunt,ac postremò subiunxerunt:Addamus hunc quoque qui in lecto iacet.Postera die cùm res fratribus declarata esset, qui nominati fuerant,eo ordine quo facta nominatio erat, mori cœperunt:postremúsque decessit qui iacebat in lecto, non sine magna eorũ qui illic erant admiratione,ac præsertim Gregorij, qui postea pontifex fuit, qui eo tempore monasterij illius præfecturam gerebat,& rem hanc vt veram mirandámque scriptam reliquit.Fulg.lib.1.cap.5.

Idem de tribus amissis suis monachissis scribit,inter quas THRASYLLA Æmiliana fuit.Huic olim auus Fœlix nomine sacerdos in somnis apparuit, eámque qua die moritura esset commonuit: ipsa quoque iam fato functa,quod in prædicenda morte secum auus egerat,Æmylianæ sorori præstitit.addiditque,tertiam sororem Gordianam relicta religione matrimonium secuturam,sicuti breui magna omnium admiratione contigit.Ibidem.

GENSERICVS Vandalorum rex,qui &Romam cæpit & diripuit,compelli sibi visus est per quietem à tribus iudicibus deponere flagellum, quod in manibus habebat.Pauci dies intercesśere, quibus Barbarus rex desiit in humanis esse, quod futurum Paulinus Nolanus antistes prædixerat. Sab.lib.9.c.6.

ECELINVS, Ecelini monachi F.Patauij & Veronæ dominus,Brixiæ per quietem mortem suam vidit.Dormiẽs enim videbatur venatum ire, ac locum statuisse,vbi quieturus esset. Itaque cum defessus aliquantisper reuerteretur,ministri tunc dixerunt:Socini præparata esse,quæ ad quietem pertinerent,neque alibi posse eum quiescere. Sicuti verè contigit, cùm tentata incassum Mediolanensi expeditione ab hostibus circumsessus,ac captus,Soncinum fuit perductus,vbi moriens sepultus fuit.Ful. lib.1.cap.5.

MALPAGA sagittarius,Geleatio Sfortiæ Mediolanensi duci, inter domesticos non ingratus erat minister:hic pridie quàm Geleatius occideretur,noctu per quietem tanquam rei ipse interesset, vidit vulneribus confossum eum eodem loculo cum patre componi. Id quod postea ipse vigilans agi mortuo Galeatio perspexit,dum proprius ei loculus fieret: quem visum idem Malpaga,antequam dux occideretur, comitibus suis terrore attonitus,narrauerat.Idem.

AMBROSIVS Grimaldus Genuensis, cùm insula Chios esset à Venetis obsessa atque oppugnata, quo tempore rerum Genuę dux Mediolanensis Philippus potiebatur, somniauit se ab horrido angue, qui flammas euomebat,occidi.Itaque decreuit eo die prælio atque armis abstinere.Sed cùm hostes muris nimium appropinquarent, atque Genuenses ducerent eruptione magis offendi hostes posse, Ambrosius intra armatorum multitudinem inuitus,præter animi sui sententiam erumpentium,impetu ab vrbe ablatus est:retrò tamen cedens, ita vt muris tegeretur,videndi nimia cura captus, cum pugnantium clamorem ac strepitum exaudiret, prolato aliquantisper capite, statim bombarda in caput accepta periit,somno infelicem effectum accipiente.Idem.

MARCVS Antonius Taurellus Guastallæ comes,cum in Neapolitano regno militaret, eo bello quod Ferdinandus senior Aragonius rex cum Renato rege Andegauẽsi gerebat,in statiuis, quę in Brutiorum regione habebat,manè strato surgens,iis qui eum circumsteterant militibus suis narrauit,se in somnis visum in aqua submergi:& propterea decreuisse à natatione,cui assueuerat,abstinere.Cæterùm cùm in meridie post somnum militari chlamyde desuper nudo amictus deambulatum ad vicinum lacum esset profectus, ac quosdam è suis natantes videret, nocturni somnii immemor,aut forasse ita trahentibus eum fatis, natandi gratia in lacum se cum aliis quibusdam demittens,iuxta somniũ quod viderat submersus est,cùm suorum nullus opem ferre posset.Idem.

RES memoria & admiratione digna est,quam Alexander ab Alexandro lib.1.cap.11.de CLIENTE suo memorię prodidit. Quem cum secum haberet in lecto dormiens, per quietem matrem defunctam efferri & funus apparari vidit,grauissimos gemitus & lugubres querelas in somno edẽs.Excitatus autem cùm interrogaretur cur tantos gemitus edidisset? Matrem vita defunctam sibi per quietem visam efferri, & funerari, ait. Notata igitur hæc dies,qua obseruata hæc species somnianti erat.Haud multo pòst nuncius de functæ matris aduenit, eundem diem qua mater in Domino obdormiuisset,indicans.Alex.ab Alex.lib.3.cap.26.

MAGNVS Sfortia pridie quàm ab Orthona contra Braccium discederet, sub auroram somniasse se narrauit,profunda aquarum mole oppressum in extremo vitæ periculo versari: prospexisséque virum gigantea specie D.Christophoro persimilem,à quo vel magna ac iterata voce opem frustra implorasset. Verùm somnio nihil motus, ab Orthona discedens in traiectu Aterni amnis(qui hodie à Piscaria oppido nomen habet) dum puero armigero periclitanti opem ferret,protensa dextra, cœnoso subsidente vado, eius equus, quanquam insignis, posterioribus cruribus defecit, atque ita grauantibus armis est submersus. Iouius in eius vita.

Audiui

Audiui somniasse QVENDAM,morderi se lethaliter à leone marmoreo, ex his qui templorum vestibulis cerni solent.Die autem postero, cùm templi fores casu præteriret, leone conspecto, non sine risu somnium suum inter comites narrauit,& manu in apertum os illius protinus iniecta,dixit:En nocturnus hostis meus.scorpio itaque qui in imis faucibus leonis delitescebat,eum lethaliter vulnerauit.Petrarcha.

BONORVM FORTVNÆ INDICIA.

IMPERII, REGNI, DIGNITATIS, *Honorum,*

Omina.

CHRISTVS opt.max.à Magis thure, myrrha & auro donatus fuit. Thus,diuinæ naturæ conueniebat:aurum humanæ,dum viueret, necessitati:myrrha verò,iam vita defuncti sepulturæ.Sab.li.9.cap.9.

Quæ tam euidens significatio fuit in voce vnquam,quã in puerili illa acclamatione,Osanna fili Dauid?Notum est carmen,per quod CHRISTVS rex pullo sedens asinæ,à venerabunda ciuitate Hierosolyma veniens exceptus est.Ibidem.

Non est omittendum illud quoque,quod à Pontio Pilato manauit:et si cum id diceret,parum rem visus est intelligere.Nãm cùm dato militibus CHRISTO vt crucifigeretur,& causãm inscripsisset, Iesum Nazarenum regem Iudæorum: peteréntque Iudæi vt titulum mutaret,dicerẽtque,quia se Iudæorum regem faciebat:vt sententiam mutaret,nunquam adduci potuit,Quod scripsi,scripsi,asserens.Deo ita agente,vt etiam ex ore hostili,gloriæ Christianæ magnitudo testata inueniretur. Fulg.lib.1.cap.3.

ALEXANDER Magnus iam adolescens, cùm equum indomitum,prę ter omnium opinionem,frenasset,&perdomuisset,citrò vltróque effusis aperto campo habenis,præsagium dedit certissimum fortissimi bellatoris.Philippus filij osculatus caput,dixisse fertur:Aliud tibi regnum quære, ô fili:Macedonia enim te non capiet.Sabellicus lib.1.cap.4 & 6.Exẽplorum,De insigni adolescentia.

IDEM cùm equo desiliens,casu quodam Lysimachũ vulnerasset, medendi vulneris causa diadema sibi detraxit(erat autem candida fascia)illóque Lysimachi vulnus ligauit.Quod omen,Lysimachum futurum regem designauit.Alex.ab Alex.lib.1.cap.28.

DIONYSIVM Hermocratis filium aiunt, flumen equa traiecisse: cúmque in luto equus concideret,eum desiliisse,& ripæ compotem esse factum:atque sic relicto postmodum equo,quasi non amplius suo, discessisse.Cùm autem sequeretur equus,& hinniret,apprehendit eius iubam ad ascendendum:móxque apum examen manum circumdedit. De his interroganti Galeotæ,monarchiam ea re præsignificari, responderunt.Ælianus lib.12.de Varia historia.

DIONYSIVS,cùm magistratus per literas sorte crearentur, & ipsi contigisset litera μ,dicenti cuidam per iocum, μωρολογεῖς, id est, Morio es,Dionysi:Imò,inquit,μοναρχήσω,monarcha ero.Adeptus magistratum, protinus Imperator electus est à Syracusanis.Magni erat animi,quòd illo ioco non offenderetur,cõtentus omen literæ secus interpretari. Plu. in Regum apoph.

HABIS Tartesiorum rex cum magnis difficultatibus infans agitatur,à feris & cerua potissimùm alitus & seruatus est. Quod futuræ eius iustitiæ certissimum præsagium.Regnum enim post grauissimam captiuitatem assequutus,maxima documenta egregij principis dedit,summęque iusticiæ suis præfuit.Alex.ab Alex.lib.2.cap.51.

Eodem die quo NVMA Pompilius in Sabinis natus est,Roma est condita à Romulo:in qua ipse postea secundus à conditore legitimè regnauit.Sab.9.cap.9.

Vt primùm ex pueris excessit OCTAVIVS, & togam virilem sumpsit:ea ab humeris vtrinque fracta,vsque ad pedes demissa est. Quæ res cùm per se nihil boni portenderet,eos qui aderant præsentes conturbauit:quia eo tempore,quo primùm togam virilem sumebant, euenerat. Atque tum forte Octauius:Tenebo(inquit)omnem senatoriam dignitatem in mea ditione & potestate.Id quod postea factum est.Xiphilinus in August.& Sab.lib.9.cap.8.

LIVIA Tiberij Cæsaris mater,cum prægnans ignoraret an fœminã vel marem editura esset,præsagio rem explorare voluit. Ouum itaque gallinæ incubanti subductum,nunc sua,nunc ancillæ manu tam diu fouit,donec pullus inde insigniter cristatus exclusus fit.Quo viso, marem se progeneraturam intellexit.Sabell.lib.1.cap.1.Exemp.

GALBÆ in Tarraconensi Hispania sacrificanti puer qui thus offerebat, illic ante oculos cunctorum visibiliter toto vertice incanuit. Quod interpretatum est,mutationem imminere,successurúmque senem iuueni, póstque ita contigit:in Neronis enim locum Galba successit. Dion Nicæus.

VESPASIANO Caligula infensus, ædilitatem tunc agenti, occasionem nactus,quòd vias purgari neglexisset,cœno sinum illius pręcepit impleri.Cui cùm milites obsequẽtes,in sinũ lutum terrámque congererent, in omen tractum à quibusdam,interpretantibus,futurum vt terra patrię, omnísque Respub.moribus ciuilibus fœdata,tãdem se in Vespasiani custodiam reconderet.Quod quanquam dilatum fuerit,accidit tamen.Petrarcha.

M.ANTONINO Pio imperij tranquillitatem portendit laurea,è deorũ statuis in sinum eius sponte delapsa,dum in Cilicia ageret.Fulgosus lib. 1.cap.4.

M.ANTONINVS Pius Adriani Augusti decreto ab Italiæ administrationem ordinatus,ea hora qua primo tribunal conscendit, Augusti nomine(quod solis Imperatoribus dabatur)salutatus, imperij sui omen accepit.Fulgos.lib.1.cap.3.

Cùm DIDIVS Iulianus adhuc priuatam agens vitam, fratris filium P.Helio Pertinaci præsentaret,Pertinax adolescentem hortatus, vt patrui dicto obediens esset,cum reuerteretur,hæc verba protulit: Reuereare collegam,& successorem nostrum.Iulianus enim Pertinaci in consulatu collega,in proconsulatu successerat.At euentus rerum Pertinacis verba aliud significare ostendit:nam paulo pòst occiso Pertinace, Iulianus in imperio ei successit.Idem.

Cùm in villa sua SEPTIMIVS Seuerus cum amicis satis parcè cœnaret, infantémque filium partiri aliis largius poma de secunda mensa videret, monito eo quòd supra fortunam largior in partiendo esset,respondit filius:Si tunc parcior esset fortuna,vt pater dicebat,habiturum aliquando ampliorem.Id quod pòst felix illud omen breui secutum est,creato Seuero principe:quo imperante filio fortuna,quam ominatus erat, oblata fuit.Idem.

In Gallia apud Tungros in Leodiensi agro,cùm illic statiua haberet, C.AVRELIVS Valerianus Diocletianus, adhuc Rom.tantum eques,tenuíque fortuna,& hospiti parcè mercedem persolueret,saga autem mulier obiiceret quòd auarè nimis cum hospite ageret:& is contrà (vt fieri solet)responderet,largius se acturum Imperatorem:ad ea affirmatũ fuit, imperaturum ipsum,cùm Aprum occidisset.Nec res verbo absfuit: mortuo enim Numeriano Cæsare Apri soceri fraude, Diocletianus electus fuit,qui in consilio manu sua Aprum occidit.Idem.

PROCVLVS quum latrunculis lusitaret,& decies in eo ludo imperator extitisset,accessit protinus scurra,qui eum purpura ornatum salutauit vt Imperatorem.Qua ille occasione vel oblata,vel arrepta, verè assecutus est quod per iocum dicebatur.Rauisius.

ATHANASII Magni futuræ dignitatis omen pete ex tit. Indolis Theoricæ.

AMBROSIVS cùm à Probo,vrbis Romæ præfecto,ad Liguriam regendam mitteretur, Probus eum amicè monuit:Vade,age non vt iudex, sed vt episcopus.Nec multo pòst,mortuo Auxentio episcopo Mediolanensi Ariano,populus in duas partes diuisus,cùm Ambrosius seditionis cõponendæ causa prodiisset,eum episcopum esse voluit:electionem Imp. Valentinianus ratam habuit.Theodoretus lib.4.cap.7.

LAMISSVS infans à matre expositus, & ab Agelmundo rege Longobardorum hasta reuolutus,eam firmissimè tenuit. Eo omine à rege susceptus & educatus, postmodum ei in regno successit.Vide tit.Impietatis parentum erga liberos.

Cùm sub primo Valentiniano Augusto AMBROSIVS ciuis Romanus Mediolanum(vbi postea episcopus fuit)iudex ad vrbem gubernandam mitteretur, atque ei Probus vrbis Romæ præfectus administrationis normam,atque mandata(vt mos est)daret,iniunxit vt ad munus demãdatum non tanquam iudex, sed ceu episcopus proficisceretur. Quo verbo cùm Probus satis se declarauisse putaret,quæ eum agere in exercenda castis moribus iurisdictione oporteret,eius dignitatis quæ postea Ambrosium secuta est,ominator fuit.Fulg.lib.1.cap.3.

Cum YDÆ Bononiæ in Celtica Gallia comitissæ alludentes tres filij,sub matris veste se occultassent,vírque eius Eustachius superueniens, quidnam sub eius veste latêret interrogasset:subridens vxor, Tres, inquit,magni principes:quorum vnus dux,secundus rex,& tertius comes est. Euentus mulieris verbum secutus est.Siquidem primus puerorum Gotifredus Bolionus patruo Gotifredo in Lotharingiæ ducatu successit, Balduinus Hierosolymorum rex fuit, postremus Eustachius Bononiæ comes.Ibidem.

BALDVINVS tertius Hierosolymorum rex,fratris filio Almerico Sareptæ(quæ nunc Ioppe)comiti omen tulit,cùm in Baptismate eum coram sacerdote teneret,noménque suum ei imponeret.à quibusdam enim rogatus: Quid baptismatis filio dato nomine suo bonæ fortunæ afferret? Respondit,Omne Hierosolymorum regnum se daturum.Résque verbũ comprobauit.nam Balduinus sine liberis moriens,Almericum nepotem successorem reliquit,qui postea Balduinus quartus fuit nuncupatus. Ibidem.

MAVRICIVS,qui postea Parisiorum factus est episcopus, tanta premebatur inopia,vt mendicare cogeretur.Cæterùm à nullo vnquam adduci potuit, vt accipere eleemosynam vellet:etsi per iocum(vt nonnũquam solet) ab eo exigeretur, vt se nunquam futurum episcopum iuraret. Ibidem.

IOANNES,qui tertius & vigesimus fuit huius nominis Romanus pontifex,Bononia profectus(vbi studiorum causa diu fuerat)Romam decreto petebat.Rogatus ab amicis,quò iret?Ad parandum,inquit,mihi pontificatum.Adeptus est ille id decus,sed magno fortunæ ludibrio adeptum amisit.Sab.lib.9.cap.10.

CALLISTVS III.pontifex,cùm adhuc in ordine monachus esset, tanquam pontifex,Deo optimo maximo bellum in Turcos vouit: Ego, inquit,Callistus pontifex voueo,ac voti carmen absoluit scripto.Cæterùm damnatus voti,parauit in Turcum triremes aliquot,éstque eius auspiciis nonnihil in eam gentem bellatum.Idem.

PAVLVS Secundus Rom.pontifex,eo die quo Franciscum Ruuerum

Sauonensem ad Cardinalatum promouit, cùm fortè de ea re verba faceret, dixit, Se ea die successorem suum elegisse: euentúsque verbo fidem attulit. Siquidem Paulo mortuo, Franciscus Ruuerus in Pontificatu sub Sixti quarti nomine successit. Fulg. lib. 1. cap. 3.

THOMAS Sarzanus, legatus ab Eugenio quarto Rom. pontifice in Germaniam proficiscebatur: & dum Alpes traiiceret, incidit in Æneam Picolhomineum Senensem, Friderici tertij Imperatoris oratorem. Cùm autem ambo in eodem diuersorio mansissent, atque Æneas parcè ageret, viaticique impensas extenuaret, ad eum subridens Thomas: Quid tãtopere victui parcimus, cùm nostrum vterque ad Pontificatum sit ascensurus? Quod ipsorum fortuna virtusque postea verum fecit, vt Thomas sub Nicolai quinti, & Æneas sub Pij Secundi nomine pontificiam obtinerent dignitatem. Idem.

ÆNEÆ Picolhomineo, quum Romam Cardinalis dictus contenderet, longè maxima pars Romani populi summo studio occurrens, exclamare cœpit: Pontificem illum, non Cardinalem ad se venire. Egnat. lib. 1. cap. 4. & Sabell. lib. 9. cap. 9.

LEONARDVS Ruuerus, Sixti pontificis ex fratre nepos, re domi angusta, nec maiore virtute, omnibus ludibrio in patria erat. Etenim cùm appellari eũ contingeret, aiebat Comitem se appellari debere: & si quãdo de iungenda ei vxore per iocum sermo haberetur, se non aliam quàm regis propinquam ducturum respondebat. Tulit igitur patrui fortuna, vt quæ de se aiebat, implerentur: quia vrbis Soræ ducatu comitatuque, & in primis Romana præfectura honestatus, Ferdinandi Neapolitani regis neptem duxit vxorem. Fulg. lib. 1. cap. 3.

SFORTIA Magnus, agricola erat, antequam castra sequeretur. Accidit, vt labore defatigatus rure domum rediret: & cùm Boldrinus dux ea ætate clarissimus milites conscribere diceretur, anceps animi, an nomen quoque suũ daret, augurij captandi causa ligonem in vicinam quercum magna vi euibrauit. Hæsit ille ramis, nec quamuis saxis sæpe petitus loco amplius moueri potuit. Accepit omen Sfortia, & sacramento militari adstrictus, prima militiæ rudiméta eo tyrocinio fecit, & amplissimi principatus fundamenta iecit. Iouius in eius vita.

Auguria & Auspicia.

SEMIRAMIS circa Syriæ stagnum, cùm exposita esset infans, ab auibus diu alita & educata est, magno præsagio futuræ fœlicitatis: vt quæ mox sublata à pastoribus, post varios casus regia coniunx fieri, & latè imperitare meruerit. Diodor. Sic. lib. 3.

GORDIVS, dum conductis bobus agrum coleret, aues omnis generis circumuolantes, illum ex infima fortuna ad summum honoris culmen processurum ostenderunt. Alex. ab Alex. libro 2. cap. 31. & libro 5. capite 13.

L. TARQVINIO Prisco Capitolium petenti, aquila in vrbe Roma pileum sustulit: & cùm in altum volasset, mox capiti reposuit. Tanaquil augurorum perita, futuri imperij signum esse pronunciauit. Mox in Anci Marcij Romanorum regis demortui locum surrogatus est Tarquinius. Plin. cap. 6. de Viris illust. Polydorus Vergilius libro tertio de Prodigiis.

C. MARIVS puer cùm ruri aleretur, septem aquilarũ pulli reperti sunt à matre in eius gremio. Responderunt interpretes talium ostentorum, super ea re consulti, fore vt septies rempublicam imperio receptam mereretur. Idem omen effecit, vt ne in extremis quidem rebus Marius desecerit, veteri oraculo confisus. Sab. lib. 9. cap. 9.

OCTAVIVS (qui deinde factus imperator, Augustus nominatus est) cùm puer adhuc ruri paruulus educaretur, aquila de manibus eius panẽ rapuit, moxque euolauit: atque vbi paulò pòst reuolasset, ei reddidit. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Augusto.

IDEM cùm magno exercitu Romam properaret, vt denegatum sibi consulatum vi reciperet, prima comitiorum die in campum Martium ingressus, sex vultures vidit, & paulò pòst duodecim, cùm apud milites concionaretur. Quod ille ad Romulum atque eius auguria referens, sperauit se regnum consecuturum. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Augusto.

Cùm imperante Tiberio, iuxta palatium AGRIPPA in vinculis ad arborem teneretur, insigni amictus veste, vt eius fortuna ferebat, Germanus augur, qui in vinculis etiã tenebatur, cùm supra Agrippæ caput, in arbore cui alligatus erat, bubonem vidisset, à custodibus, quis is esset? postulauit. Cùm autem ei custodes illius fortunam narrassent, ita egit, vt in propinquo ei alligaretur, vt commodè alloquendi copia esset. Itaque ei vicinior factus, blandis verbis ipsum solari cœpit, atque affirmare, pręsentem vinculorũ iniuriam euasurum, ac Iudæorum regno feliciter potiturum: item liberos quibus regnum relinqueret, procreaturum. sed si in posterum capiti suo iterum eiusmodi auem impendere vidisset, sciret morti se propinquum fore. Non multo pòst, Tiberium mori contigit: Caligula autem Tiberij successor, in cuius contumeliam Agrippa cathenis vinctus fuerat, eum liberauit, atq; Iudæorum regem constituit. Idem postea in Cæsarea vrbe, cùm eiusmodi auem conspexisset, in ægritudinẽ incidit, regnúmque liberis, quemadmodum augur prædixerat, reliquit. Fulg. lib. 8. cap. 11.

Cùm adhuc priuatus esset CLAVDIVS, prima die qua consulatum iniuit, Romæ per forum transeunti, aquila dextro eius humero insedit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Sergij Galbæ AVO, cùm è manibus exta victimæ aquila rapuisset, atque in propinqua quercu reposuisset, augures monuerunt, ipsius domui imperium serum quidem, sed certum portendi. Quibus cùm ipse, rem nullo modo fieri posse ostenderet: respondit id demum fore, cùm mula peperisset. Nec verò Galbam ipsum, cùm à Nerone defecit ad imperij spem, res vlla magis confirmauit, quàm cum ei nunciatum fuit, mulam peperisse, verbi auiti memoria reuocata. Ibidem.

AVRELIANVM adhuc infantem, & humili genere in villa ortum, aquila ex cunis leniter raptum in propinqua ara, quę fortè sine ignibus erat, reposuit. Sab. lib. 1. cap. 4.

FL. VAL. Martianus eques dum in æstate humi dormiret, aquila supra ipsum leniter se mouens, & radios solis expansis alis auertens, imperium ei portendit. Fulg. lib. 5. cap. 2.

Prodigia, Portenta & ostenta.

CYRO Persarum regi, cùm ab Astyage auo expositus infans foret, canem vbera præbentem, illúmque à feris defendentem, pastor gregis inuenisse traditur. Quæ res futuram ipsius magnitudinem hauddubiè portendere visa est. Iustinus, & Herodotus.

Coi dicunt, in pascuis NICIPPI tyranni ouem peperisse leonem. Atque id Nicippo, qui tum priuatam adhuc vitam agebat, futuram tyrannidem portendisse. Ælian. lib. 1. Var. hist.

HIERONEM Syracusanum in syluis expositũ, apes congesto in os melle aliquandiu aluêre. Qui mox omnes asperitates superans, tantum ingenio & virtute valuit, vt post multa rei militaris facinora, regnum Syracusis & omnia ornaméta virtutum assequutus sit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 31. ex Iustini lib. 23.

SANDROCOTTVS, qui haud multo pòst Indorum rex fuit, cum Alexandri sæuitiam fugiens, per vastas solitudines curis & insomniis fatigatus, languente corpore iaceret afflictus, solúsq; obdormisceret, leo horribilis sudorem dormienti lingua sua detersit. Quod præsagiũ, ex omni sæuitia fortunæ illum emersurum, & mox imperij præpotentem futurum designauit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 31.

SERVIO Tullo etiam tum puerulo dormienti, circa caput flammam emicuisse, domestici oculi annotauerunt. Quod prodigium Prisci Tarquinij regis vxor Tanaquil admirata, Seruium serua natum, in modum filij educauit, & ad regium fastigium euexit. Val. lib. 1. cap. 6.

TARQVINIO Superbo Romanorum regi omen perpetuitatis Romani imperij subito extitisse fertur, quòd dum in Tarpeio monte templi Iouis fundamenta faceret, Terminus deus, cui cũ aliis diis sacellum eo loci erat, noluerit augurio cedere. Sed & magnitudinis imperij inde omen alterum sequitur. Quippe in ipsis fundamentis, hominis caput integra facie repertum, monti nomen Capitolium indidit. Polydorus Vergil. lib. 3. Prodig.

Proficiscebatur ad sociale bellum cum florentibus copiis. SYLLA, cùm circa Lauernam ingens terræ hiatus extitit, inde lucidus & purus ignis protinus emicuit, extenditq; ad cœlum flammam. Fertur ita esse à vatibus responsum, futurum vt cũ vir bonus, & singulari aspectu principatum gereret, tumultuosus rerum status in melius mutaretur. Sab. libro 9. cap. 7.

IVLIVS CÆSAR cùm in Hispania contra Pompeij in Ægypto iam interfecti filios pugnasset, atque præclaram reportasset victoriam, in eo ipso loco, quo eo tempore pugnatum est, statim ramus palmæ natus est. Quæ res tamen nihil de Cæsare, sed de Octauio eius sororis filio portendere aliquid visa est. Is enim tũ erat in exercitu, & multis laboribus susceptis, periculisq; aditis, clarus erat futurus. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Pompeio.

GALBAE auo aliquem ex suo genere, quamuis serò, imperaturũ aruspices prædixere, cum mula peperisset. Id quod sub Nerone accidit. Idque prodigium Galbam potissimùm ad imperium affectandũ animauit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

VESPASIANI principatus ab ipso vitæ limine prænunciatus est. In agro gentis Flauiæ, vnde origo illi fuit, quercus fuisse traditur ingens ac vetusta, & Marti dedicata: ea per tres Vespasiæ genitricis partus totidem nouos ramos edidit, puerorum fortunæ (vt aiunt) certissimus vates. Primus gracilis, mox aruit: neque puella diu superuixit. secundus fortis ac procerus fuit, filiúsque tunc in lucem editus ad senium peruenit: tertius verò, nato Vespasiano, non tam rami quàm ingentis arboris speciem habuit. Quo ostento Sabinus genitor aruspicibus consultis, responsum habuit, illum puerum futurum Cæsarem ac terrarum dominum. Quod cum lætior solito matri suæ adhuc superstiti narraret, nepotem illi Cęsarem natum dicens: nihil illa respõdisse, sed sustulisse risum dicitur, quod se nondum delirante filius multo iunior inciperet. Petrarcha, & Fulg. li. 1. cap. 4.

VESPASIANO bos in agro, in quo ipse magnam vitæ partem degebat, cœnanti astitit flexis genibus, & ceruice pedibus subiecta, rursúmque cũ cibum caperet, canis sub mensam eius manum hominis posuit. Itémque eximia cupressus magna vi ventorum euersa radicitus, postero die per se stetit, ac floruit. Xiphilinus.

M. ANTONINVS philosophus natus octo annos, inter Salios ab Adriano connumeratus, cũ secundum morem in sacro puluinari Saliorum iacerent serta, ipsius, tanquam manu hominis positum esset, in Martis capite fuit inuentum. Fulg. lib. 1. cap. 4.

M. ANTONINI Pij felicitatem in imperio ostendit mulier vno partu quinque liberos enixa. Idem.

M. ANTONINI Pij felicissimum imperium prænunciatum fuit, quod in Mysia in arborum cacuminibus hordeum natum est. Idem.

In ea

In ea villa, in qua AVRELIANVS Imp. natꝰ est patre paupere, natus vitulus candore eximio, in latere purpureis maculis depictam coronam habens, imperium ei portendit. Sab. lib. 1. cap. 4.

AVRELIANO imperium portendit serpens in pelui, in qua lauabatur sæpius, inuehta, in gyrum conuoluta, quæ nunquam occidi potuit. Idem.

P. ANNIO Tacito imperium portendit vitis, quæ cum vuas albas ferre soleret, eo anno rubros racemos emisit. Item vinum album in rubrum conuersum est. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Anno salutis 1207. imperãte Philippo in Germania, cùm publicè epulum præberet, sol in tres scissus partes apparuit, quæ haud multo pòst in orbem conuersæ sunt. Fortasse præsignificauit imperij inter Fridericum secundum, Philippum Ottonémque scissionem: quod postea penes Fridericum solum permansit. Sab. lib. 1. cap.

PRIMISLAVS ad regnum Boemiæ assumitur, exequi repentino accursu. Vide tit. Ex infelicibus felices redditi.

Somnia.

AMARAMIS Iudæorum vnus pietate insigne, cùm crudelissimo Pharaonis edicto omnis Iudęorũ progenies pro deplorata haberetur, media quiete iussus est dare operam procreationi fore vt filius ex eo nasceretur, qui fractis Ægyptiorum opibus populum seruitio eximeret. Moses inde oritur, quo nec sanctior nasci potuit ad religionem sanciendã, nec ad vindicandam libertatem magis idoneus. Sab. lib. 9. cap. 5. & lib. 1. cap. 5.

IOSEPH post sedecimum ætatis suæ annum in somno visus est cum fratribus ligare manipulum in agro: & suum quidem manipulum stantem, fratrum autem manipulos circumstantes & adorantes manipulum suum. Mox à fratribus venditus, & à domino Deo liberatus, dominus Ægypti factus est: ad quem in summa frumenti penuria fratres venerũt, & ignotum adorarunt, petentes frumenta, ne consumerentur cum patre sene inedia & fame. Genesеos cap. 37. vsque ad 45.

Aliud quoque vidit somnium, & quasi solem, lunam & stellas vndecim adorare se. Non longè pòst, cùm ab omnibus vitæ periculis liberatus, & ditissimus omnium factus esset, pater & mater cum vndecim fratribus, ignotum hominem adorarunt, & frumenta pecierunt. Ibidem.

HYRCANVS princeps ac pontifex Iudæorum, dormiens à Deo ostendi sibi vidit filium Ianneum, qui Alexãder appellatus fuit: & dici, regnaturum post ipsum, sicuti fecit. Mortuis enim Hyrcano patre, deinde Aristobulo Antigonóque filiis, qui maiores natu erant, Alexander in regno successit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

HIPPIAE Pisistrati filio, dum exul regium affectat fastigiũ, apud Marathonem nocturna species matris, cum qua coire videbatur, per quietem oblata est. Qua de re imperium latè sibi portendi coniectores responderunt: ipséque somnio monitus, & spei plenus, Athenarum dominio haud multo pòst potitus fuit. Herod. lib. 6.

Phalaridis MATER Mercurium (cuius simulachrum pateram manu tenens, inter deorum effigies domi suæ colebat) in somniis vidit ex ea patera sanguinem humi spargere pauimentóque illisum rebullire, donec sensim domum omnem fastigio tenus inundaret. Quod in vna visum in multis domibus verum fecit cruenta nati sæuitia. Huius visionis auctor est Ponticus Heraclides, doctus vir, vt ait Tullius, & discipulus Platonis. Petrarcha.

Intra priuatum habitum Dionysio Syracusano adhuc se continente, HIMERA quędam, non obscuri generis fœmina, inter quietem opinione sua cœlum conscendit: atque ibidem deorum omnium lustratis sedibus, animaduertit præualentem virum flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis cathenis vinctum, Iouis solio pedibúsque subiectum. Interrogatóque iuuene, quo gratia considerandi cœli duce fuerat vsa, quisnam esset: audiuit illum Siciliæ atque Italiæ dirum esse fatum: solutúmque vinculis, multis vrbibus exitio futurum. Quod somnium postero die sermone vulgauit. Postquam deinde Dionysium inimica Syracusarum libertati, capitibúsque insontium infesta fortuna, cœlesti custodia liberatum velut fulmen aliquod otio ac tranquillitati iniecit, Himera eum mœnia, inter effusam ad officium & ad spectaculum eius turbam, intrantem vt aspexit: hunc esse, quem in quiete viderat, vociferata est. Id cognitum tyranno, curam tollendæ mulieris dedit. Val. lib. 1. cap. 7.

Tutioris somnii Mater eiusdem Dionysii, quæ cùm eum conceptum vtero haberet, párere visa est Satyriscum: consultóque prodigiorum interprete, clarissimum ac potentissimum Graii sanguinis futurum, certo cum euentu cognouit. Ibidem.

Cyri superioris ortum ad imperium totius Asiæ spectantem, maternus auus ASTYAGES, duobus prænunciis somniis frustrà discutere tentauit. Mãdanem filiam suam, quòd in quiete viderat vrinam eius omnes Asiaticas gentes inundasse, non Medorum excellentissimo, ne in eius familiam regni decus transferretur, sed Persarũ modicæ fortunæ viro Cambysi collocando, natúmque Cyrum exponi iubẽdo: quia similiter quietis temporibus existimauerat, genitali parte Mandanes enatam vitem, eò vsque creuisse, donec cunctas dominationis suæ parteis iumbraret: frustratus est enim se ipse, nepotis fœlicitatem, cœlestium iudicio destinatam, humanis consiliis impedire conando. Val. lib. 1. ca. 7. Herod. li. 1. Iustin. lib. 1. & Alex ab Alex. lib. 3. cap. 26.

CYRVM Assyriorum regem somniasse ferunt, maximum filiorum Hystaspis reguli, geminis alis, altera Asiam, altera Europam obumbrare. Itaque post eum maior natu filius Darius regno potitus, Europam & Asiam domuit. Herod. lib. 1. & Iust.

ASPASIA Hermotimi filia, Phocensis, postquam mater eius cum partu animam simul egisset, in orbitate est educata, atque in penuria, modestè tamen & liberaliter. Insomnium autem frequenter apparebat, euenturæ fortunæ vaticinium præ se ferens, quod viro pulchro bonóque nuptura esset. Adhuc autem puellæ enatus est tumor in ipso mento, aspectu teterrimus, atque tum patri tum ipsi puellæ summum dolorem afferens. Proinde pater eam ad medicum adduxit, qui se curaturum recepit, sed ea lege, si tres sibi stateres persoluerentur. Cùm autem pater tantum se non habere diceret, medicus puellam incuratam dimisit, quę ob id in acerbissimo luctu versata est. Verùm posteaquam præ dolore non cœnasset, planè opportunus eam somnus inuasit. In somno autem visio oblata, hęc verba protulit: Bonum animum geras, valeântque medici cum suis pharmacis. Tu verò rosea serta Veneris, quæ iam attriuerint, capes: eáque contrita tuberi impone. Hæc vbi audisset, & executa esset, tuber euanuit: & Aspasia inter omnes puellas adeò forma, vitæ honestate, incorruptis moribus emicuit, vt primùm Cyro Persarum regi, & eo interfecto, Artaxerxi etiam nupta sit. Historiam eleganter descriptam leges apud Ælianum de Varia historia lib. 12. à principio.

PHILIPPVS Alexandri pater post primos Olympiadis toros per somniũ imaginatus est, se signum aluo coniugis imprimere, cuius figura leonis esset. Quod ad Alexandri potentiam haud dubiè pertinuit. Sab. libro 9. cap. 6.

OLYMPIAS (quod magnitudinem futuri partus proculdubio portendit) nocte qua Philippi toros passa est, existimauit facto tonitruo fulmen suis se visceribus insinuasse, ex cuius resultu magnum emicuisset incendium, idque in flammas latè diffusas abiisse. Ibidem.

Est & CAESARI Dictatori futura potentia per somnum demonstrata. Dormiens, existimauit se cùm matre coire. Quæ nocturna species (vt somniorum coniectores interpretati sunt) terrarum imperium illi pręsignauit: quia terra sit omniũ mater, quam subactam sibi viderat per quietem. Idem.

ACTIA Augusti Cæsaris mater, sine vlla dubitatione confirmabat, se filium Octauium deinde dictum, ex Apolline concepisse: in cuius templo obdormiens, rata est cum dracone commisceri, peperítque expletis ad pariendum mensibus. Adhæc antequam páreret, somniauit viscera sua sublime in cœlum ferri, & totum terrarum orbem diffundi. Item eadem nocte Octauius solem ex vulua vxoris oriri in somnis vidit. Cúmque infans iam natus esset, Nigidius Figulus senator statim patri filii summum imperium prædixit. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Augusto: & Sab. lib. 1. cap. 1. & Fulgos. lib. 1. cap. 5. & Alex. ab Alex. libro tertio, cap. 26.

Cùm in Capitolium CICERO Iulium Cæsarem prosequeretur, eique narraret nocte proxima à se visum Iouem, qui cathena aurea puerulum mira indole à cœlo ad Capitolii portam demiserat, cui postea flagrum in manu dederat: prospecto tunc Octauio, quem Cæsar voti soluendi gratia in Capitolium duxerat, cognouit eum esse quem in somniis viderat: Triumuiratúsque eius, verè flagrum insolentis nimium Romanę nobilitatis, certum Ciceronis somnium fecit. Fulgos. lib. 1. cap. 5. & Xiphilinus in Augusto.

Q. CATVLVS dedicato Capitolio, per quietem vidit Iouem è multis prętextatis pueris vnum delegisse, cui signa Romana manu gestanda dederat: atque sequenti nocte cum dormiens illum ipsum puerum à Iouis gremio pellere vellet, Iouem dixisse, ne puerũ amoueret, ꝙ ad reip. Romanæ tutelam eum seruabat. Mane sequenti in Octauium fortè incidẽs adhuc puerulum, ab effigie vestéque cognouit ipsum illum esse, quem per quietem viderat. Fulgos. libro primo, capite 5. & Xiphilinus in Augusto.

CLAVDIVS Cæsar antequam in citeriorem Galliam & infesta in vrbem arma ferret, in somno matri suę stuprum inferre se putauit. Quo somnio ad spem amplissimam coniectores illum excitarunt, dominum orbis ei dari interpretati. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 26.

GALBA, qui post Domitium Neronem princeps fuit, sumpta virili toga, somniauit Fortunam sibi dicentẽ, se ante fores defessam stare: futurum, vt nisi ocyus reciperetur, cuicunque obuio prædæ esset. Mirum quod inde secutum est, aperto atrio simulachrum deæ æneum cubitali maius iuxta limen inuentũ. Id Galba omni tempore menstruis supplicationib. peruigilique anniuersario coluit, quo ad ludibrii illius præsentia destitutus, cum vita principatum amisit. Sabel. libro nono capite quinto.

Somnius VESPASIANO patri imperium suũ filiorúmque ostendit. Nam cùm adhuc priuatus esset in Achaia cum Nerone, ab incognito dici sibi per quietem vidit, cœpturam suam fœlicitatem, cùm Neroni dens exemptus esset. Experrectꝰ igitur is in quẽ primò incidit, medicꝰ fuit, qui dentẽ ostẽdit, quem tunc Neroni euulserat. Itaq; haud multo pòst secuta Neronis mors, item Galbæ, ac post eos Ottonis ac Vitelii discordiæ, Vespasiano ad imperium primordia ac vires, dedêre. Fulgos. libro primo, capite quinto. Quinetiam Nero ipse vidit per quietem currum Iouis in ædes Vespasiani intromitti, quę cum egerent interpretatione, Iosephus Iudæus imperium Romanum Vespasiano portendi dixit. Xiphilinus in vita Vespasiani.

VESPASIANVM somniasse ferunt, stateram in medio vestibulo palatii pari libramine appensam, & in lance altera Claudium & Neronem, in altera sese ac Titum & Domitianum filios suos stantes animaduertisse. Quod non prius intelligi potuit, quàm omnibus diem functis, annotatũ est, eodem numero annorum illos duos, & hos tres imperitasse. Petrarcha.

HADRIANVS pridie antequã imperator deſignatus eſſet, vidit in ſomnis ignem de cœlo in ſiniſtram partem iuguli ſui cadere, mox ſerpere in dextram, quo igne neque perterritus neque læſus eſſe ſibi videretur. Dion Nicæus. & Xiphilinus in Adriano.

TRAIANVS Rom. imp. priuſquam imperium adipiſceretur, in ſomnis vidit virum iam grandem natu, veſte purpurea & corona ornatum, qualis pingitur ſenatus, primum in ſiniſtram partem iuguli, & poſtea dextrã anulo ſigillum ſibi impreſſiſſe. Xiphilinus in eius vita.

M. ANTONINVS Philoſophus, antequam in imperatorem Romanum eligeretur, humeros ſe eburneos, manúſque habere in ſomnis viſus eſt, iiſque ad omnes humanos vſus vti. Vnde coniectores imperium ſomno portendi dixerunt. Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

SEPT. Seuerus haud aliam ob cauſam filium Antonium Baſſianum vocauit, niſi quòd per quietem ſuccedere ſibi hominem videret, cui Antonio nomen eſſet. Fortaſſe impulſus ſomnio, fidem habere cœpit, ex viſionis euentu, quam per quietem habuerat, audiro Pertinacis imperium. Dormiens enim videre ſe putauit, Pertinacem in foro Romano ab inſigni equo in terram prouolui, equúmque ad ſe venire, in quem ipſe ſaltu conſcenderit. Nam paulo pòſt Pertinace mortuo, ab omnibuſque deſtituto Iuliano, ipſe per virtutem ſibi imperium peperit. Fulg. lib. 1. cap. 5. & Spartianus, & Xiphilinus.

IDEM viſus eſt in ſomnis videre, ſe tanquam Romulum lactantem inhiantémque vberibus lupinis. Cúmque eſſet Iuliam vxorem ducturus, Fauſtina Marci vxor apparuit vtrique thalamum iuxta palatium in templo Veneris, eique dormienti aqua aliquãdiu è manu tanquam ex aliquo fonte emanauit. Itémque Lugduni cum prætor eſſet, omnis exercitus populi Romani eum venit ſalutatum in ſomnis. Præterea alio tempore quidam eum in ſpeluncam adduxit ex qua ipſe perſpexit vniuerſam terram, maréque: quæ cum non ſecus quàm inſtrumentum muſicum pulſauiſſet, maximè delectatus eſt. Xiphilinus.

Sæpis ſuæ fœlicitatem IVSTVS patricius Romanus, cum vitæ ſuæ clade ſimiliter ſomniauit: Imperante Conſtantio, cum is in Piceno iudicis perſonam gereret, è genitalibus membris ſuis videre ſe per quietem putauit purpuram egredi, qui color imperantibus dicamis erat. Quod à Conſtantio intellectum, ob ſuſpicionem cauſam præbuit ve eum perderet. Sed nequaquam hominum prouidentia fatalem ordinem interrumpere potuit. Nam ex Iuſto ſuperſtite, vnica filia cui nomen Iuſtinæ erat, cùm & forma & pudicitia inſigni eſſet, conſpecta in balneis à Seuera Auguſta, eique familiaris facta, atque marito Valentiniano ſeniori laudata, ita Valentiniani incendit animum, vt eam ardẽter diligeret. Itaque lata prius lege, vt duas ducere vxores liceret, adoleſcentulam Iuſtinam in matrimonium duxit: eámque Seueræ reluctãti comitem dedit, fidémque paterno ſomnio dedit, purpureo Auguſtorum amictu exornata. Fulgoſ. lib. 1. cap. 5.

THEODOSIVS, dux exercitus aduerſus Barbaros à Gratiano Imp. conſtitutus, oblatam ſibi in ſomnis Meletij Antiocheni epiſcopi imaginem vidit, paludamentum ſibi imperatorium iniicere, & coronam capiti imponere. nec caruit euentu vitio. Nam bello feliciter contra Barbaros confecto, à Gratiano paulo pòſt Imperator deſignatus eſt. annóque ſui imperij tertio, Chriſti 383. ſynodum Conſtantinopolitanam pro fide Nicæna confirmanda indixit. Cùm epiſcopi conuenirent, Imp. Meletiũ ſibi indicari vetuit: facturus periculum, vtrum imagini per ſomnium cõſpectæ, vera eſſet Meletij facies reſpõſura. Ingreſſus ad patres, ad Meletium confeſtim agnitum accurrit, eúmque complectens oſculatus eſt, & ſomnium coram omnibus expoſuit. Theodoretus lib. 5. cap. 6. & 7.

In Britannia (quam nunc Angliam dicunt) RVSTICA puella comitibus ſuis cum communicaſſet, ſomniaſſe ſe ex vẽtre ſuo egreſſum lunam, quæ totam Britanniam illuſtraret: ere ab vxore regij paſtoris audita, quę regis Britannici filium lactabat, domi puellam hanc excepit. Eius amore cap' regius inſans, firmior poſtea factꝰ, puellæ vterum impleuit: ex qua natus eſt Ethelſtanus, ſiue Athelſtanus, qui poſtea Britannorum regnum obtinuit, virtute victoriiſque ita clarus, vt inſtar lunę illuſtraſſe Britanniam dici poſſit. Fulgoſ. lib. 1. cap. 5.

ALTREDA Gulielmi (qui cognomine Nothus, Normandorum dux fuit) mater, viſcera ſua per omnem Normandiam atque Britanniam diſſeminari, per quietem nocte antequam eum pareret, vidit. Id quod re ipſa Gulielmi virtus ratum fecit. Nam ad Normandię ducatum euectus, ducatui regnum quoque Britannicum adiunxit. Ibidem.

THOMAS Sarazanus, magno dolore affectus propter obitũ Nicolai Albergati Cardinalis tituli ſanctæ Crucis, quem is dominum habuerat, illius vmbram in ſomnis vidit: quæ cùm fœliciter habere ſe dixiſſet, ſubiunxit poſtea, ipſum breui pontificem futurum. Quod ſomnium idem Thomas, cùm iam ad Bononienſem epiſcopatum prouectus, in Germaniam à pontifice legaretur, in itinere Mediolani Franciſco Philadelpho amico narrauit: nec multo pòſt ſub Nicolai quinti nomine ad pontificatum aſcendit. Ibidem.

GABRIEL Condelmarius Venetus cùm grauiter laboraret, per quietẽ Petrum ac Paulum apoſtolos videre viſus eſt, incolumitatem ac pontificatum, qui non longè aberat, ei promittentes. Vi eius morbi ſuperata, ad pontificatum ſub Eugenij quarti nomine euectus, ſomnij fœlicitatem impleuit. Ibidem.

VICTORIA, Pij II. pontificis Maximi mater, quum proxima eſſet partui, in ſomnis ſibi viſa eſt, puerum ſe párere, mitram capite geſtantem. Fuítque id præſagium verius quàm ſomnium. Infantem enim enixa eſt, quem pontificem maximum Pij Secundi appellatione noſtra vidit ætas Sabellicus Exemplorum lib. 1. cap. 1. de Inſigni ortu.

MONGALI ſeptem Tartarorum duces ſomnio viſo, Changium fa-

brum ferrarium Imperatorem faciunt. Vide tit. Magiſtratuum electio.

SEDIS IMPERII, *Omina.*

ROMA cùm iam à Gallis capta, & ferè deleta eſſet, deliberantibus patribus, vtrum Veios migrarent, an patriæ mœnia reſtituerent, fortè eo tempore è præſidio cohortibus redeuntibus, centurio in comitio exclamauit: Signifer ſtatue ſignum, híc optimè manebimus. Qua voce, vt boni ominis, audita, Veios transeundi conſilium ſtatim Senatus R. omiſit. Liuius lib. 5. Dec. 1. Val. Max. lib. 1. cap. 5. Sabell. lib. 9. En. 3. Rhapſod. Idem li. 9. cap. 9. Exemplorum.

VENETAE vrbis fatalis maieſtas ſimili omine oſtenſa fuit. Euerſa Mathemauco, quum vniuerſa multitudo de transferendis ſedibus conſilium iniret, aliique Heracleam, alij verò alia loca petenda eſſe contenderent: quidam in concionem profectus, ſi ſalui eſſe vellent, Riuum altum concedendum eſſe inſtanter aſſeruit: non ſolùm, quòd primus ille locus ſub Attilæ tumultum à maioribus inſeſſus eſſet, ſacræque ædis D. Iacob dicatæ fundamenta iacta eſſent: ſed quòd de Riui alti omine non poſſet non fœliciſſima quæque polliceri, qui ſibi ſtatim hoc nomen vendicaſſe videretur, non tam de altioris ſitu loci, quàm ve magnitudinem vrbis futuræ declararet. Egnat. lib. 1. cap. 4.

Conſtantinopoli vrbe à Venetis olim recepta, Galliſque fœdere iunctis, Alexius puer in Imperium reſtitutus fuit. Quo fœdè trucidato, Mutziphili cuiuſdam obſcuriſſimi hominis opera, eodémque mox in fugam conuerſo, Venetis Galliſque Imperium illud commune ceſſit. Quod quũ VENETIAS nunciatum eſſet, non pauci erant qui vrbis Conſtantinopolitanæ admiratione capti, hanc tantam occaſionẽ augendi Veneti nominis non omittendam contenderent: quod facilè fieri poſſet, ſi eò Imperij Veneti ius maieſtáſq; transferretur. Id quod quum inter ſe diutius agitarent, non defuere qui contra differentes, ſtandum eſſe aſſererent, neque vrbem hanc auſpicato conditam, duoque Marco dicatam per tot annos, deſerendam eſſe contenderent. Vnde etiam ſic elamatum à quibuſdam eſſe dicunt, nequaquam conſilium probandum eſſe transferendæ Conſtantinopolim ſedis, quòd cum ſuo nom ne Venetiæ maximè facere viderentur, quaſi huc omnibus mortalibus veniendum foret. Id quod ab incondita turba concla natum eſt. Patribus ergo vniuerſis placuit, vt conſilium id omne transferendæ vrbis reiceretur. Ibidem.

Somnia.

VRbem in Ægypto conditurus ALEXANDER, anceps conſilij, vbi loci eam potiſſimùm ædificaret: intempeſta nocte dormienti ſenex aſtitit venerabili ſpecie, qui Homericum illud incinuit:

Præterea vndiſono quædam iacet inſula ponto,
Quam Pharon appellant, Ægyptia littora contra.

Quod oraculum Macedo ſecutus, Alexandriam, vbi hodie viſitur, auſpicatiſſimè condidit. Sab. lib. 9. cap. 5.

VICTORIÆ, *Omina.*

IONATHAE Sauli regis Iudæorum filio omen grandis victoriæ oſtẽſum eſt. Nam cum Philiſtæi Iudæam magno exercitu petiiſſent, ita vt Saulus deſcendere in prælium vereretur, Ionathas vno ſolo comitatus, cùm prope hoſtium caſtra ceu explorator acceſſiſſet, incertus quid ageret, captare aliquod augurium decreuit: quòd ſi ab hoſtibus ve caſtra iniret inuitaretur, victoriam polliceri poſſet: ſecus autem, ſi ab eis pelleretur. Caſtris igitur per hunc modum appropinquans, cùm à Philiſtæis eſſet conſpectus, & per contemptũ ab eis, vt iniret caſtra, inuitatus: captato augurio, ſtationeque mutata ab alia parte caſtra iniit, ſomnioque captos vigiles occidit. Ea re experrecti hoſtes ſomnolenti, & fortaſſis etiam ebrij, cùm maiorem ingreſſum eſſe numerum putarent, ſublato clamore, in fugam ſe coniecerunt, Saulóque ſtatim ſequente magna cæde deuicti fuerunt. Fulg. lib. 1. cap. 3.

SAMII Prienenſibus auxilium aduerſus Carras implorantibus, arrogantia inſtincti, pro claſſe & exercitu Sibyllam eis deriſui gratia miſerũt. Quam illi velut diuinitùs datum præſidium interpretati, libenter receptam, vera fatorum prædictione, victoriæ ducem habuerunt. Val. libro 1. cap. 5.

LACEDAEMONII oraculo Delphico moniti, auxilia ab Athenienſibus contra Meſſenios implorarunt. Athenienſes irridendi gratia Tyrtæum ludimagiſtrum iſchiadicum & poetam eis obtulerũt. Spartani ve oraculo parerent, Tyrtæum exercitui præfecerunt. Ille igitur cantu & lyra Lacedæmonios ita excitauit, vt omnes lacertis ſuis inſcriberent nomina ſua & parentum, tanquam ad certum exitium profecturi: vt ſi in bello cecidiſſent, internoſci poſſent. Sic animati Meſſanam cœperunt. Fulg. lib. 8. cap. 9.

APOLLONIATAE cum bello Illyrico preſſi, Epidamnios, vt ſibi opem ferrent, oraſſent, atque illi flumen vicinum mœnibus ſuis nomine Æantem in adiutorium ſe mittere dixiſſent: Accipimus quod datur, reſponderunt. eique primum in acie locum, perinde ac duci, aſſignauerũt. Ex inſperatò enim ſuperatis hoſtibus, ſucceſſum ſuum omini acceptum referentes. Æanti vt deo immolauerunt, & deinceps omnibus prælijs eo tanquam duce vti inſtituerunt. Val. li. 1. cap. 5.

Cùm

Cùm DARIVS rex obſideret Babylonẽ, quidam è muris Perſas irridens, tunc eos expugnaturos vrbem dixit, cùm mula peperiſſet. Vigeſimo tãdem menſe Zophyri mula peperit. Eo prodigio animatus Zophyrus, ſtratagemate Babylonios Dario ſubiecit. Herod. lib. 3.

TIMOLEON Corinthius, à Corinthiis dux belli aduerſus Siculos declaratus, cùm in Delphico templo Apollinem conſuleret, à donariis, quæ in templa affixa erant, ex alto in caput eius corona tam aptè concidit, ac ſi manu ei impoſita foret. Quod in eam acceptum eſt partem, vt quod res fuit intelligeretur, ex demãdato bello victoriam reportaturũ. Fulg. lib. 1. cap. 4.

PHILOMELES Pythiam, vt aliquid ſibi de patriæ rebus prædiceret, monuit. Et quum vates eam ipſius patriam ſibi videri, reſponderet: minari & cogere eum, vti Tripoda inſcenderet, cœpit Philomeles. Ad cuius vim inferentis aſperitatem offenſa mulier cum dixiſſet, Tibi quidem quod libet permittitur: Læus plurimum, verbum id, vepote oraculum rebus ſuis aptiſſimum, accepit Philomeles, ſtatímque exſcripſit illud in propatulo poſuit, & paſſim vulgauit, ſibi à Deo licentiam datam faciendi quod vellet. Poſtmodum concione vocata, quid ſibi reſponſum eſſet expoſuit, adhortatúſque vti firmos animos haberent, ad belli negotia ſe totũ conuertit. Diod. Sic. de geſtis Philippi.

L. PAVLVS, qui poſtea Macedonicus appellatus eſt, cùm ex ſenatus ſententia electus eſſet, vt bellum contra regem Perſam extra ordinem gereret: ea ipſa die domum rediens, Tertiam filiolam ſuam, quæ admodũ paruula erat, oſculatus, cùm triſtè animaduerteret, interrogat quid mali accidiſſet: Reſpondit filiola, Perſam (erat autem catulus, quem puella in deliciis habebat, eius nominis) periiſſe. Arripuit Paulus omen, & Perſam Macedoniæ regem, aduerſus quem ſibi decreta erat prouincia, debellauit, vicit, & captum triumphans Romam ducit. Cicero de Diuinatione; Plutarchus in Apoph. Valer. lib. 1. cap. 5. Sab. lib. 8. En. 5, rhapſod.

Cùm afflictis regis Mithridatis rebus, L. Lucullus à bello penè cõfecto reuocatus eſſet, atque in Galatia cum Cn. Pompeio ſucceſſore conueniſſet, & vtrique lictores faceſſque laureati eſſent: contigit vt Pompeiani lictores nimiis caloribus ac præ viæ longitudine exiccata lauro ſua, Luculliana lauro, quæ recentior, & propterea viridior erat, ſe faceſque ſuos exornarent augurati, ex Luculli victoriis POMPEIVM non mediocre adiumentum ad Mithridaticum triumphum eſſe reportaturum. Fulg. lib. 1. cap. 3.

C. IVL. Cæſar cùm in Africam aduerſus Pompeianorum reliquias exercitum deportaſſet, ac primo littore naui egreſſus, concidiſſet, vertit confeſtim omen in melius, exclamans: Teneo te Africa. Sab. libr. 9. cap. 9.

GALBA dum in Hiſpania eſſet, & caſtellum validum cuniculis capere vellet, à foſſoribus inuentus eſt annulus peruetuſti artificij, inſculptam cum trophæo habens victoriam. Eo omine ad bellum contra Neronem ſuſcipiendum omnes eum hortabantur.

GALLI ſi quando cum hoſte congredi parant, diſſono & truci cantu, quẽ barritum vocant, cum vlulatu & tripudiis ſcuta quatientes, prælia inibãt ex quo futurę pugnę fortunam augurabantur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

GERMANI priſci, ſi cum hoſtibus conſligendum eſſet, prius cum ſuo militre captiuum committebant: vnde pugnæ auſpicium & omen augurati, in hoſtes manus conuertebant. Ibidem.

CLODOVEVS Francorum rex poſtquam Chriſtianam pietatem conſtãtiſſimè recepit, bellum aduerſus Alaricum Gorthorum regem moturus, legatos ſuos Turonos ad D. Martini ædem miſit, qui diligentius obſeruarent, quidnam templi ſacerdotes canentes primùm enunciarent. Ingredientibus igitur illis primum auditum eſt ex Pſalmo carmen illud, Tu Domine ad prælium accinxiſti me virtute. Quod lætis animis acceptum, ſtatim ad regem detulerunt. Ille verò rei euentũ fœlicem ex omine ſibi pollicitus, maturata expeditione, Alaricũ acie fudit, & ipſos Gothos omni Gallia expulit. Egnat. lib. 1. cap. 4. Fulg. lib. 1. cap. 3.

GVLIELMVS Normaniæ dux, quum infeſtis armis Angliam attigiſſet, vbi in terram deſcendit, victoriæ omen accepit, ex eo quòd altius in arena veſtigia poſuerat. Nam ſtatim poſt ſuperato Haraldo rege, in inſulæ poſſeſſionem venit. Polydorus Vergil. lib. 3. Prod.

Auſpicia & Auguria.

THEMISTOCLI pridie quàm in Xerxem duceret exercitũ, auditus gallorum cantus, victoriæ mox futuræ prænuncium fecit. Victus enim gallus nequaquam canit, ſed victor tantùm. Ibidem.

SEPTEM Perſis, inter quos etiam Darius erat, ad Magos interficiendos profecturis, cùm Darius confeſtim negocium aggrediẽdum, Otanes verò deliberandum diutius eſſe cenſeret, apparuerunt ſeptem accipitrum paria, inſectantium duo paria vulturum, eóſque vellicantium & infeſtantium. Eo augurio confirmati, in regiam irrumpunt, & Smerdem cũ Magis interficiunt. Herod. lib. 3.

CÆLIVS Pontius cùm ei ius dicenti picus ſupra caput inſediſſet, & aruſpices reſpondiſſent, dimiſſa aue hoſtium victoriam fore: ſed necata, Reipublicæ mortium tamen eum qui oppreſſiſſet, ipſam ſtatim auem exanimauit. Ex quo accidit, vt ipſe cum xl aliis Cæliis interficeretur. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

Triumuirali tempeſtate, cum AVGVSTVS atque ambo collegæ, cum omnibus copiis Bononiæ conuenirent, Aquila tentorio eius inſederat. Eam gemini corui dextra lævaque perſtringere cœperũt. Illa reſiſtens, vtrunque proſtrauit. Mira res dictu. Tot hominũ millia in id ſpectaculũ conuerſa, vnũ, & idem ſenſiſſe perhibentur: inter tres ſcilicet Duces, qui tunc vnanimes viderentur, diſſenſionem emẽſuram, & collegarum ſinem, qui pòſt fuit. Victum enim Lepidum relegauit Auguſtus, mori coegit Antonium.

Antequam ad Bebriacum, haud longè à Brixella, OTTO atque Vitellius manum conſererent, conſpectæ ſunt in cœlo inter ſe diuæ aquilæ dimicare: earúmque victricem à tertia, quæ ab Oriente veniebat, depelli. Sic Imperij ſors oſtenſa fuit. Siquidem victorem in eo prælio Vitellium, reuertens ab Oriente Veſpaſianus ſuperauit. Fulgoſus libro 1. cap. 4.

Aperrum prodigium videri illud debet, quod prope vrbem LEODIVM in Gallia contigit, paulo antè quam orta de vrbis epiſcopatu contentione, ab eo cuius partes Burgũdionum dux Ioannes fouebat, aduerſa pars ſuperata eſt: in quo prælio vtrinque peremptorum 30. milia deſiderata ſunt. Eo enim in loco vbi prælium commiſſum eſt, corui impetu facto, aquilę genus illud (quod nunc falconem dicimus) nido effractis ouis expulerunt. Poſtero die reuerſus falco, qui pullus fuerat, magno aliorum falconum numero comitante, coruis quoque ex aduerſo magnum in numerum coactis, graue prælium commiſit. In quo ſuperati corui ad vnum omnes periere. Quæ res circa Conſtantienſis concilij tempora contigit. Ibidem.

Prodigia, Portenta, Oſtenta.

DARIO Babylonem obſidente, mula Zophyri peperit. Vide tit. Omnia bellorum & victoriæ.

Cùm bello acri & diuturno Veientes à ROMANIS intra mœnia compulſi, capi non poſſent, cáque mora non minus obſidentibus quàm obſeſſis intolerabilis videretur, exoratæ victoriæ iter miro prodigio dii immortales patefecerunt. Subitò enim Albanus lacus neque cœleſtibus auctus imbribus, neque inſidacione vllius amnis adiutus, ſolitum ſtagni modum exceſſit. Cuius rei explorandæ gratia legati ad Delphicum oraculum miſſi, retulerunt, principi ſortibus, vt aquam eius lacus emiſſam per agros diffunderunt. Sic enim Veios in poteſtatẽ populi Romani venturos. Quod priuſquam legati renunciarent, aruſpex Veientium à milite noſtro (quia domeſtici interpretes deerant) captus, & in caſtra perlatus, futurum dixerat. Ergo Senatus duplici prædictione monitus, eodem penè tempore & religioni paruit, & hoſtium vrbe potitus eſt. Val. lib. 1. cap. 6.

PAVLO Æmilio apud Amphipolim ſacrificanti, fulmẽ è cœlo emiſſum, cùm ſacra combuſſiſſet, regni Macedonici mutationem portendit. Quod mox victo Perſa rege conſequutum eſt. Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

L. SYLLA conſul ſociali bello, cùm in agro Nolano ante prætorium immolaret, ſubitò ab vna parte aræ prolapſam anguem proſpexit. Qua viſa, Poſthumij aruſpicis hortatu continuò exercitum in expeditionem eduxit, ac fortiſſima Samnitum caſtra cœpit. Quę victoria futurę eius ampliſſimę potentię gradus & fundamentum extitit. Val. Max. libro 1. cap. 6.

BELLO ciuili, Trallibus in ede Victoriæ ſub ſtatua C. Iul. Cęſaris inter coagmenta lapidum iuſtæ magnitudinis enata, belli exitum oſtendit. Val lib. 1. cap. 6.

P. C. IVLIVS CAESAR cùm in eo bello quod contra Pompeium magnis viribus geſſit, Fortunę ſacrificaret, taurus priuſquam feriretur, extra vbẽ profectus, ad lacum quendam peruenit, eúmque enatauit. Quo facto, aruſpices Cęſari, ſi Romę remaneret, exitium: ſi mare trãſiret, ſalutem, ac victoriam fore prędixerunt. Quibus rebus confiſus Cęſar, contra Pompeium exercitum duxit. Xiphilinus Dionis abreuiator in Pompeio.

Octauius Auguſtus cùm prope Siciliam contra Pompeianos (quos ideo contempſerat, quòd breui ab Agrippa ſuperati eſſent) infœliciter pugnaſſet, iniquo animo eam ferebat ignominiam: nec antea recepit animum, quàm piſcis vltro è mari ſalieus, ad pedes eius accidit, atque à vatibus ob eam cauſam reſponſum eſt, Siciliam in eius poteſtate fore. Xiphilinus in Auguſto.

DRVSVS cùm aduerſus Arbalonem exercitum paraſſet, & vnam apum dependere vidiſſet, bonum omen putans, cùm hoſte manum fœliciter conſeruit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

GALBA dum in Hiſpaniis eſſet, & contra Neronem arma mouere differret Alexãdrina nauis plena armis, viris vacua, ad id litus vbi Galba erat, appulit, ſuſcipiendi belli non obſcurum omen.

Somnia.

GEDEON audiuit ſomnium recitari in caſtris, eius qui viderat dormięs ſubcinericium panem in hordeo volui, & in caſtra Madian & Amalech deſcendere. cúmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſiſſe illud atq; ſubuertiſſe. Quo ſomnio audito Gedeon filius Ioas, cum ſuis contra Madiam fortiter pugnauit, & eius caſtra, iuxta ſomnium, profligato exercitu ſolo æquauit. Iudicum 7. & 8. & Sab. lib 9. cap. 6.

IVDAS Macchabęus clarè in ſomnis ingentem vidit victoriam, qua aduerſus exercitum Syriæ regis Demetrii, cuius Nicanor dux erat, potitus eſt. Longè enim pauciore numero regios adortus, ex eis triginta millia occidit: cùm ante per quietem Oniam pontificem iam mortuum uidiſſet, ad Deum pro Hebręo populo orantem, & poſt illum Hieremiã prophetam gladium aureum porrigentem, à Deo ad ſuperandos hoſtes

missum.Fulg.lib.1.cap.5.

PELOPIDAS præfectus sacræ cohortis Thebanorum, in castris per quietem vidit Scedasi filias(quarum sepulchra in Leuctrico campo erant,vbi ille tunc castra habebat)circum sepulchra lamentantes, & Lacedæmoniis diras imprecantes:ipsum autem Scedasum patrem(qui cùm tam atrocis facinoris vindictam non impetrasset, execrationibus in Lacedæmonios peractis,sese ad filiarum tumulum iugulasset) sibi præcipere,vt si victoriam de Lacedæmoniis expeteret,suluam virginem filiabus suis immolaret.A somno excitus,cùm barbarum ei sacrum esse videretur, humana victima deos placare : & animi dubius esset,equa nullum adhuc coitum experta, vt à grege aufugerat, eo loci vbi consultabatur constitit. Quam dum Theocritus vates fuluo colore rutilantem, eerumcéque erecta lasciuientem & hinnientem vidisset, Pelopidam alta voce compellauit , adesse ei victimam , neque aliam virginem expectandam . Proinde equam ad sepulchra virginum redimitam coronis adducunt,& immolant.Mox inito prælio , memorabilem illam cladem Leuctricam Lacedæmonijs duce Epaminonda, & Pelopida præfecto intulerunt.Plutar.in Pelopida.

Obsidebat ALEXANDER Macedo,Tyrum insulam iam septimum mensem multa ope,crátque anceps adhuc victoria,cùm per quietem Satyri species ludibunda illi obseruata est,refugiens quoties in amplexum trahere conaretur.Cæterùm post longam iudificationem visus est Satyrus congredi,patique complexum.Non defuit qui ex vocis interpretatione indubitatam sit regi victoriam pollicitus,quia id nomen σὰ τύρος, id est, Tua Tyrus, sonet.Sab.lib.9.cap.6.& Calcaginus in Equitatione.

IDEM sub id tempus, quo Tyro potitus est, quiete præsus cernere est sibi visus Herculem,qui à Tyrijs religiosè colebatur,è muro sibi dexteram porrigere.Sab.lib.9.cap.6.

Timoleonte Corinthio ad Dionysij tyrannidem euertendam in Siciliam profecturo,Proserpinæ SACERDOTES somniasse dicuntur,deas peregrè proficiscentes,& cum Timoleonte in Siciliam nauigare.Quapropter Corinthii sacram triremem publicè instruxerunt,instructéque duarum cognomen dearum indiderunt. Fuit expeditio illa tam prospera Timoleonti, vt numen aliquod gerendæ rei non solùm interfuisse videri possit,sed etiam præsuisse.Idem.

Illud etiam somnium magnæ admirationis,& clari exitus,quòd eadē nocte duo Cos.P.DECIVS & T.MANLIVS Torquatus, Latino bello, & graui & periculoso,non procul à Vesuuii montis radicib. positis castris viderunt.Vtrique enim quidam per quietis speciem prædixit, ex altera acie imperatorem,ex altera exercitum , diis manibus , matrique Terræ deberi.Vtrius autem dux copias hostium aggrederetur , superque eas sese ipsum deuouisset,victoriam habiturum. Id luce proxima Cos.sacrificio vel expiaturis , si posset auerti:vel si certum deorum etiam monitu visum foret, executuris,hostiarum exta somnio congruerunt.Conuenitque inter eos, cuius cornu prius laborare cœpisset,vt is capite suo fata patriæ fureret: quæ neutro formidante,Decium depoposcerunt.Val. lib.1.cap.7.

Primo bello quod L.SYLLA aduersus Marium patrem gessit , pridie quàm confligeret cum eo,somniauit à Pallade fulgur sibi dari, monerique vt eo telo hostes peruoteret.Cuius somnii veram effigiem belli exitus tulit.siquidem Marium hostem ferro ignéque patria expulit.

EIDEM pari modo in somnis ostensa est victoria aduersus C. Marii filium.Nam per quietem nocte, quæ lucem antecessit illam,quo Marium filium deuicit,visus est sibi Marium patrē videre iam mortuū,qui filium monebat,ne postera die cum Sylla prælium committeret , quoniam ea sibi dies infausta fuerat.Fulg.lib.1.cap.5.

C.MARIVS Cimbrico bello somniauerat,se victoriam consecuturum, si prius diis filiam Calphurniam mactaret.Quo facto,victor iuxta somnium euasit.Dorotheus lib.4.rerum Italicarum,& Plut.cap.41.Parall.

ARTORIVS Augusti Cæsaris medicus (cùm in campis Philippicis duo Romanorum exercitus steterissent,hinc Octauii & Antonii, inde Bruti atque Cassii,& proximo die essent manus conserturi)somnium à Minerua accepit,vt admoneret Octauiam graui morbo laborantem , ne propter aduersam valetudinem proximo prælio non interesset. Quod cùm Cæsar audiuisset,lectica se in aciem ferri iussit.In qua dum supra vires pro adipiscenda victoria exeubasset , morbo liberatus est , & ab inimicis de cæde eius cogitantibus ciúsque castra diripientibus liberatus.Cic.lib.1. de Diuinat.Val.Max.lib.1.cap.7.Sueton.in Augusto,Appian.lib 4.

SEVERVS Romanorum imperator,cùm in Pannonia esset,sacerdos Iouis vidit in somnis nigrum quendam hominem, qui irrueret in exercitum Cæsaris,ac postea manibus hominum interficeretur . Mox igitur fama ad Seuerum perlata est.Nigrum Italorum ducem contra Seuerianos ancipiti Marte diu pugnasse,& propter tempestatem hostibus infestam Seuerianos demum victoriam reportasse,interfectis Nigrianorum viginti millibus.Xiphilinus in vita Seueri.

CONSTANTINVS, cùm Romam versus cum exercitu aduersus Maxentii tyranni vim tenderet, nocte visus est sibi in cœlo fulgentem videre crucem,& monere quòd in eo signo hostes esset superaturus.Posita cruce in militarib.signis,quę vsque ad eam diem abominabilis fuerat,parta de Maxentio victoria cum eius morte , nocturnæ visioni fidem asseruit. Fulgos.lib.1.cap.5.Alij tamen reuera à vigilante crucem visam aiunt.

Missus ab Honorio Imp.MASELCERRVS,aduersus Gildonem, ad recuperandam Africam,somniauit,episcopum Mediolanensem Ambrosium videre , qui iam diu mortuus erat pedo pastoreo ter humum percutere, réreq; dicere:Hic, atque in hoc loco. Itaque postera die in eo ipso loco. paruo labore Gildonme superauit.Ibidem.

Cùm Britāni graui bello ab Aubone & Aguero Cimbrorū Dacarūmque regibus premerentur, & eo tempore dormiret ALFREDVS Britannorum rex,per quietem vidit Cuthbertum Britannum episcopū iam mortuum,mira sanctitate insignem,dicérem,ne animo terreretur,quoniam hostes superaturus esset.Victoriæ autem illud signum esset habiturus,quòd quam astrictæ glacie essent aquæ, piscatores tamen ad paruum missi amnem, magnā piscium vim allaturi essent.Vix experrectus, pisces allatos vidit.Auditáque marre, somnium eiusdem generis , quod ipsi quoque contigerat,narrante,impetu in hostes facto partem eorum occidi, partem secum retinuit:& baptismo dignatus , Christianos fecit, reliquos insula pepulit:Anno decimo septimo Ludouici secundi imperatoris,qui Lotharij pater fuit.Idem.

Somnium admirationis plenum,ter THOMAE Pagano Perusino exuli contigit.Nam cùm Bracchius,qui cum patria exegerat,Aquilam vrbem obsideret, visus est Thomas Brachium videre prælio vno multos hostiū in fugam vertere,atque occidere:& cùm ei appropinquarer, vt eadem vi in eum vteretur , ipsum impetu in Brachium facto , vulnus in guttur intulisse,atque occidisse.Eo igitur die quo Iacobum Caudolam prohibere Brachius voluit,ne obsessis opem ferret,commisso prælio,cùm iam milites terga verterent , à Thoma ea ipsa in parte quæ in somniis visa erat,præterea etiam in capite vulnus accepit,primáque ea Brachij mortis causa fuit.Idem.

Andreas apostolus,sacerdoti Petro Pontio,simplici viro apparuit:lancéámque qua saluatoris Christi traiectum fuit latus,quæ Antiochiæ terra obruta erat,in templo D.Petro dedicato reuelauit: cuius inuentione ciuitas,quæ à Turcis obsessa fame premebatur,bona spe repleta, in prælium egressa,Corbanam superauit, qui belfech Turcæ Persarum regis auspicio vrbem obsidebat,à Niceno episcopo in prælium inter armatorum turmas eam gestante.Idem.

CVRSOR iturus ad Olympia , per noctem æstimauit curru quadriiugo se vehi.Summo mane adit interpretem.& ille:Vinces,ait.id enim agilitas equorum & robur indicat.Idem somnium ad Antiphonem retulit, quem ex Graiis somniorum coniectoribus in primis celebratum video. at ille:Vincēris,inquit,haud dubiè.Non animaduertisti te à quatuor pręuentum esse,dum curreres?Petrarcha.

DIVITIARVM.

MIDAE Phrygiæ regi,cùm obdormisceret, formicæ tritici grana in os congessere , opésque immodicas illi futuras euidentissimo prælagio ostendēre.Ælian.lib.12.de Varia hist.& Val.Max.lib.1.cap.6.

THESAVRI, VEL QVARVMVIS ALIARVM *rerum,quas charas habemus,inueniendarum.*

Dormiens in Asia LVCVLLVS arbitratus est dormienti sibi dictum:Vade Luculle,Autolycus enim venit vt recūsit.Experrectus somno, cùm rem diligenter inuestigaret,intellexit à nautibus Ciliciam , quas Romanæ infectatæ erant,ad mare in littore relictam marmoream statuam, quæ postea Autolyci fuisse cognita est,qui olim in Ponto vrbem Sinopem muro cinxerat.Fulgos.lib.1.cap.5.

Nocturna visio,AMBROSIO Mediolanensi episcopo, corpora martyrū Gerualij Protasijque quæ ad eam diem vbi essent ignorabantur,detexit: cùm seipsos ei in somniis,quales inuenti sunt,ostendissent.Sic Hierosolymis Honorij imperij septimo anno, in somniis Gamalitl Luciano sacerdoti locutus est,& apparuit,atq; vbi esset corpus suū detexit:filiíque Abibæ,ac simul protomartyris Stephani.Neque verò somnio fides antè adhibita est,quàm ter hoc idem per quietem vidisset . Corpora enim eo numero & forma,quam in somniis viderat,inuenit.In huius rei testimonium his quoque temporibus,Ecclesia diem festum sub Stephani inuentione celebrat Idem.

Somniauerat QVIDAM ouum ex lectulo pendēre, narrauit interpreti,respondit thesaurum esse sub lectulo:fodit ille , & aurum argento circumuolutum reperit,argentíque particulam indici suo misit . At ille facetissimus negator:Nihilne,inquit,de vitello ? ex priori euentu secundum eiiciens,vt non tantùm ouo thesaurus , sed ouo simillimus thesaurus videretur ostensus.Petrarcha.

GVNTRANNVS Francorum rex in venando sessus , dum in gremio armigeri sui dormiret,iuxta riuum aquę , vidit armiger de ore regis paruum exire animal. Cui volenti riuum transire , nec valenti , armiger gladio trans riuum posito , viam ei eundi & redeundi parauit.Quo iterum in os eius intrante,rex experrectus est, & stupefactus dicit , se per somnium per pontem ferreum transisse, & sub quodam monte multos thesauros vidisse.Quò cùm perrexisset,secundum fidem somnij thesauros maximos inuenit.Sigebertus in Chronicis.

FERTILITATIS ABVNDANTIAE.

PHARAO rex Ægypti in somnio putauit se stare super fluuium,& ascēdere septem boues pulchras & pingues, pascentésque in locis palustribus:alias quoque septem boues fœdas & macilentissimas,& pascentes in locis virentibus ripæ,deuorantésque eas,quarum mira species & corporum habitudo erat. Vidit præterea Pharao dormiens , & multo sopore pressus , septem spicas pullulantes in vno culmo, plenas & pulcherrimas:item alias septem tenues & stipula natas,quæ priorum pulchritudinem

nem deuorarent.Sequebantur septem anni fertilitatis magnę in vniuersa Ægypto , & post hos debito ordine septem alij anni tantæ sterilitatis,vt obliuioni traderetur cuncta retrò abundantia.Genes.41.

In somnis visus est STILPONI philosopho Neptunus iratus, quòd non immolasset Hecatomben , quemadmodum mos erat . At philosophus hoc viso nihil perturbatus,respondit:Quid ais Neptune?itáne veluti puer huc venisti cum tua querimonia , quòd pecunia mutuò sumpta non expleuerim nidore ciuitatem?Atqui pro rei familiaris modulo sacrificaui tibi apuas aliquot.Ad hæc arridens Neptunus , visus est illi arrepta dextra dixisse:In tuam gratiam ingentem apuarum prouentum largiar ciuitati Megarensium.Quod & euenisse tradunt.Eras.libro septimo Apoph.

ALEXANDRO rege in Ægypto vrbem condituro, architectus Democrates cùm cretam non haberet , polentáque futuræ vrbis lineamenta deduxisset,ingens auium multitudo primo lacu emersa,polentam depasta est.Quod sacerdotes Ægyptiorum interpretati sunt,aduenarum frequentiæ alimentis suffectaram vrbem.Plin.lib.35.cap.17. Val.Max. lib.1. cap.4.Sab.lib.4.Rhapsod.& Alex.ab Alex.lib.5.cap.13.

DAMNORVM FORTVNAE EVI- *tandorum, Omina, & Auguria. Portenta.*

Q. FABIO Maximo dictaturam & C.Flaminio magisterium equitum accentus foritis deponendi causam dedit.Alex.ab Alex.lib.5.cap.13.

In LIBYA cùm colonia duceretur,lupos metas , quibus agger designabatur,mordicùs dissipasse ferunt.Hoc tanquam diro euentu deterriti,coloniam non deduxerunt.Alex.ab Alex.lib.5.cap.13.

Somnia.

Cùm plebeiis ludis quidam PATERFAMILIAS per circum Flaminium, priusquam pompa induceretur,seruum suum verberibus mulctatum,sub furca ad supplicium egisset,T.Latino homini ex plebe Iupiter in quiete præcepit,vt Cos.diceret,sibi præsultorem ludis Circensibus proximis non placuisse:quæ res nisi attenta ludorum instauratione expiata esset, secuturum non mediocre vrbis periculum . Ille veritus , ne cum aliquo incommodo suo,religioni summum implicaret imperium, silentium egit.Euestigióque filius eius subita vi morbi correptus interiit . Ipse etiā per quietem ab eodem Deo interrogatus,an satis magnam pœnam neglecti imperij sui pependisset:in proposito perseuerans, debilitate corporis solutus est.Ac tum demum ex consilio amicorum lectica ad tribunal Cos.& inde ad senatum perlatus , ordine totius casus sui exposito, magna cum omnium admiratione , recuperata membrorum firmitate, pedibus domum rediit.Val.lib.1.cap.7.Cic.1.de Diuin.& Liu.lib.2.Dec.1.

TIBERIO Atinio Accio per quietem obuersatus fuisse dicitur Iupiter qui iussit ludos Circenses instaurari oportere:idque apud senatū & consulib. nunciaret.Quod cùm ille neglexisset,eodem die filius eius mortuus est. Ipse autem graui morbo correptus,rursus eandem imaginem sub quietem vidit,quærentem,satisne pœnarum pro neglecto imperio pependisset?Ille igitur lectica ad consulem delatus , & re omni in Senatu exposita,corporis pristinam sanitatem recepit,pedibúsque domum rediit. Lactant.lib.2.de Orig.errotis,cap.8.

MEDIOLANENSIS quidam in somnis scripturam inuenit,qua satisfactū esse ab eius patre ostendebatur,pro pecunia , quæ mortuo iam patre ab ipso reposcebatur.Per quietem enim visus est videre paternā vmbram, vt gesta res erat , & vbi scripturam inuenturus esset, monentem , qua creditor sibi esse satisfactum fatebatur.Itaque somno experrectus , quæ viderat somno captus vera esse omnia re ipsa inuenit. Hoc Augustinus doctor se vidisse scriptum reliquit.Fulgos.lib.1.cap.5.

In agro Venusino VISPIAM fuit,homo alioqui exiguæ sortis , obscurus & egens , sed tamen spectatæ fidei , qui ouium greges custodire solitus,cùm esset grauior annis,eam curam vnico, quem habebat , filio delegerat. Accidit dum procul à stabulo ipse , & filius sub paruulo lare noctu cubarent, ouem quandam à lupo circumuentam , sibi in somniis obseruari,illiúsque dentibus lacerari visam . Quo somnio expergefactus senior,filium qui vnà decubabat, excitauit, vtque ad gregem properè accederet acclamauit: namque ouem , cuius etiam nomen referebat,à lupo dilaniari. Qui cùm illuc excitatus pergeret , eandem quam pater prædixerat ouem,à lupo lacerari inuenit.Alex.ab Alex. li.2. ca.11.

REDITVS AB EXILIO.

M.TVL. CICERO in campi Arpinatis villa,vrbe pulsus cùm diuerteretur,animo in somnum profuso , per loca deserta , inuiáque regiones sibi vaganti , Caium Marium cùm fascibus laureatis obuium factum putauit,interrogantem,cur ita tristis esset?Cui cùm mœroris causam dixisset:lictoribus vt in monumentum suum deducerent tradidisse , vt in pristinam fortunam restitueretur.Nec aliter etiam paulo pòst euenit, cū in æde Iouis Mariana senatusconsultum de reditu Ciceronis in patriam factum est.Cic.de Diuinat.lib.1.Val.Max.lib.1.cap. 7.Plut.in vita Cicer.

LIBERTATIS.

Non somnium,sed potius miraculum dicetur,quod MARCO Plinij secundi liberto contigit.Nam cùm somniasset,sedentem quendam in lecto,vbi ipse erat,caput sibi tondere:experrectus,tonsum sibi caput esse inuenit.Fulgos.lib.1.cap.1.

MALORVM FORTVNÆ INDICIA.

DEFECTIONIS, MVTATIONIS ET *amissionis Imperij,vel Religionis. Omina.*

ATHANASIVS episcopus ab Arianis & Græcis Præstigiator dictus,atque ob diuinationis peritiam diu multúnque derisus , cùm vrbem Alexandriam ingrederetur,cornix in aere volitans crocitabat. Græcorum igitur turba hæc audiens, scommate eum veluti impostorem persequens, quidnam cornix diceret interrogauit . Ille autem perquàm vrbanè & suauiter ridens:Cras inquit . Portendit nanque , crastinum diem vobis non bene cessurum. Mandatum enim ab Imperatore veniens , festum diem vestrum inhibebit , & magnificentia vestra iniucunda vobis erit. Porrò id Athanasij dictum,exitum suum habuit.Ab Imperatore enim literæ venēre, quibus magistratus iubebatur,de cæterò Græcos prohibere,ne ad templa accederent , & more superstitionis suæ dies festos peragerent.Et celebritas ea quæ iam aderat,& ab illis plurimi fiebat , venerationéque maxima colebatur,tum penitus abrogata est.Nicep.li.9.c.35.

Auguria,& Auspicia.

TARQVINIO Superbo,vultures aquilarum fœtus implumes dilaniantes, nidósque euertentes,exilium & regni amissionem , quæ mox sequuta fuit,portenderunt.Ibidem.

HILPRANDO Longobardorum regi bubo,qui hastæ, quam manu gerebat,insedit,vt regnum amitteret,causa fuit. Territi enim ignauæ auis omine Longobardi,statim regno eum priuarunt.Ibidem.

Portenta & Ostenta.

DANIEL, cùm Susis in Mesopotamia esset,subito & horrendo motu terræ in publico deprehensus,in faciem concidit . Mox cœlesti voce iussus surgere,& cœlum intueri:conspexit arietem magnitudine immani, plura habentem cornua,& in his eminentissimum vnum , quòd extremo agnatum esset loco.Inde hircus ab occasu per aerem delatus ab eo visus,qui arietem altero capitis impulsu strauit,stratum conculcauit. Ingens præterea cornu ex hirci fronte eminens productum , quaternáque illi cornua ignata in quatuor diuersas mundi plagas obuersa:& in his exiguum vnum, quod dū oriretur,reddira vox est ex proximo,id olim Dei templum crematurum,triennióque sacra inhibiturum: per quæ diuino ille afflatus spiritu Persici regni euersionem interpretatus , inclytam Alexandri victoriam, & impietatem regum , qui ab eo fuerunt, præsagiit.Sab.lib.9.cap.8.

MESSENIIS 20.anno belli cum Lacedæmoniis gesti,futuri excidij portentum accidit,quòd Dianæ signo æneo scutū sponte excidit.Item cùm Aristodemus rex Ioui Ithomatæ immolaturus hostias adduxisset , arietes sponte incussis ad aram cornibus moribundi cecidēre. Ad hæc nocturni canes globo facto vlulatum dedēre , Mox ijdem Lacedæmoniorum castra incurrerunt.Pausanias in Messenicis.

CÙM CROESVS Lydorum rex,contra Cyrum Persarum regem equo Marte pugnasset,& Sardis se contineret,repente omnia suburbana colubris impleta sunt,quos equi dum ad pastua irent deuorarunt. Telmissēs super ea re consulti, externum exercitum affuturum responderunt, qui indigenas subigeret.Colubet enim terræ filiꝰ est,& indigenæ:equus verò hostis,& aduena. Captus interea Crœsus à Cyro , & regno exutus fuit.Herodotus li.1.

MARE sub id tempus,quo Dionysius tyrannus regno excidit , dulce est factum,& potabile.Sab.li.9.cap.8.

Anno ante NERONIS mortem,in agro Marrucino,in possessionibus Vectij Marcelli,qui procurator erat Neronis, pratum oliuetúmque occa motum,viam quæ vicina erat transiliit,atque ab alia viæ parte constitit: vt à Nerone ad alios ostenderetur transiturum esse imperium. Ipso quoque anno,quo Nero periit,Mausoli,in quo Augustus situs erat,fores sponte patuēre:ex eóque audita vox,Neronem ad se vocantis. Fulgli.1.cap.4.& Sab.li.9.cap.8.

MAXIMINO patri scutum ad solem accensum est : & hasta fulgure percussa,à summo ad imum vnà cum ferro in duas discissa est partes.vnde aruspices dixerūt,ex eadem gente futuros Imperatores eodem nomine,qui paruo tempore durarent.Ita enim contigit:nam pater & filius ambo Maximini,simul paruóque tempore imperarunt. Sab. libro 1. capite 4.

CAROLI Magni stirps,decedente Arnulpho,quum nihil regiæ eius

stirpis virilis superesset, extincta est. Quum igitur Vgonem Capitium, regij alioqui spiritus, Gallia regem admisisset, immortalis Dei prouidentia significandum hoc omnibus mortalibus, testandúmque esse curauit nouo prodigij genere, quum primùm frumento, mox ingenti aquarum vi, postremò verò aliquot dies piscículis etiam pluerit. Egnat. lib. 5. cap. 6. & Sab lib. 1. cap. 4.

Haud multo antè quàm HENRICVS septimus Imperator moreretur, non sine Vicecomicum gentis clade (vt Mussatus Patauinus scribit, cui Franciscus Petrarcha astipulatur) Mediolani in area ædium Matthæi Vicecomitis, qui magni cognomentum meruit, post solis occasum visus est eques armatus longè humana specie maior: vbi à multis conspectus per horæ spacium, postea euanuit, magno eorum qui rem viderant horrore. Triduo quoque pòst, tertia noctis hora eodem in loco, duo equites pari specie diu inter se dimicantes conspecti, euanuerunt: interdiu quoque circularis species solis orbem ambire visa est. Sab. lib. 1. cap. 4.

IO. BAPT. Campofulgosius, qui Genuæ rerum potitus est, de seipso scribit lib. 1. cap. 4. Exemplorum: Primis temporibus, quibus rerum potitus sum, fulgur in turri Farea, vbi è more gentis nostræ insignia picta erant, illæsa manente turri, tria in eis foramina effecit: per ea imperij mei numerum annorum ostendens. Nocte quoque diem eam insecuta, qua in excidium meum conspiratum est, procella malum defregit, quo in palatio tolli signa nostra consueuerant: isque supra cubiculi mei rectum cõcidit, & familiæ nostræ ruinam haud obscurè ostendit.

Somnia.

HECVBA prægnans facem ardentem, quæ Asiam & Europam combureret, sibi parere visa est. Peperit non multo pòst Paridẽ, cuius incestis amoribus Troia patria diruta, Asiæ vires attritæ: Græcia longo bello cõfecta fuit & perdita. Sab. lib. 1. cap. 1. & Volat. lib. 18. Anthrop.

CAMBYSES Persarum rex in somnis vidit Smerdem fratrem in regio sedentem solio, cœlum contingere vertice. Ob id Cambyses metuẽs, ne frater regnum occuparet, Prexaspem misit ad eum interficiendum. Neque tamen vel hoc parricidio auertere potuit, quo minus Smerdes magus, qui se verum Smerdem Cyri F. esse simulabat, regnum inuaderet. Cambyses equum conscensurus, gladio in femore vulneratus, obiit. Herodotus lib. 3.

DARIVS rex, nisi ariolis ad gratiam magis quàm ad fidem imaginem trahentibus credere voluisset, præuidisset non obscurè excidium quod suo regno imminebat. Vidit enim per quietem Macedonicam phalangem igni latè depasci, Alexandrúmque sibi ministrare, ea amictum stola, quam ipse olim regi seruiens gestare erat solitus: cúmque posteaquã belli tempsum intrasset, protinus euanuisset. Sab. lib. 9. cap. 6.

Demetrio Antigoni filio Mithridates Ariobarzanis F. socius erat, & æqualis, & obseruabat Antigonum, homo neque re, neque aliorum opinione malus. De eo similis suspicio incidit Antigono, propter insomnia. Nam secundum quietem visus erat sibi spaciotum campum auri ramentis cõserere, inde auream primũ fuccrescere segetem: paulo pòst se cùm reuertisset eò, nihil præter stipulas offendere. & cùm grauissimè doleret, cuiusdam vocem audire, qui Mithridatem aurea demessa segete in Pontum Euxinum abiisse diceret. Perturbatus, id visum filio ad silentij prius iuramentum adacto aperuit: idque etiam, se statuisse quoquo modo Mithridatem interficere. Graniter doluit hac re cognita Demetrius: cúmque adolescens ille pro more suo ociosus ad ipsum accessisset, ob iuramenti religionẽ verbis eũ monere non ausus, sensim ab amicis seduxit: cumq; soli essent, in terram inuersa hasta cernente eo scripsit, Fuge Mithridates: isque re intellecta, noctu in Cappadociam aufugit. Insomnium autem Antigoni mox fatũ comprobauit: amplam enim & bonam regionem occupauit Mithridates, regnique Pontici, quod sub octauo circiter rege Romani euerterunt, autor fuit. Plut. in Demetrio.

Scribit Actius in Bruto, TARQVINIVM Superbum huiusce modi somnium vidisse. Pastorem ad se venire, arietes geminos agentem: séque cùm ex his alterum immolaret, aspexisse superstitem irruentem obnoxis cornibus: se autem repentino impetu grauiter prostratum, atque humi resupinum, dum cœlum suspicit, animaduertisse, solis orbem nouum & insuetum iter agere. Quod cùm ad interpretes retulisset, monitum regem aiunt, cauendum, ne quem ipse rudem vt pecus & monstrum putaret, ille eum latenti prudentia armatus regno pelleret. Solis autem ostẽtum, commutationem status populo significare. Atqui non aliter euenit. Brutus enim, cuius germanum rex oppresserat, & cuius ingenium ludibrio erat, ille regem nomẽque regiũ expulit: Romana res mutata, vnius in locum perpetui regis, duos annuos magistratus habere cœpit. Petrarcha de Somniis.

ECELINVS cognomento Monachus, per quietem filiorum vidit Fortunam, ea nocte qua primùm cum vxore congressus est, quæ Adela nomine, Tusca ex comitum antiquorum Montaionis gẽte fuit. Visus est enim sibi videre collem, in quo Romanum oppidum in agro Patauino situ erat (cui ille imperabat, & Romanus inde dicebatur) ita efferri exaltatíque, vt culmine cœlum contingeret: eundémque paulo pòst veluti niuem liquefieri, adeoque demitti, vt amplius non extaret. Liberorum casus hunc effectum tulere. Nam primus natu filius, & ipse Ecelinus nomine, Veronæ, Patauij, Vincentiæ, Feltrij, Ciuidalisque ac Marchiæ imperium occupauit. Alter iunior Albericus, Taruisij aliorúmque locorum tyrannidem inuasit. Cæterùm postea variante fortuna, salutis anno ducentesimo quinquagesimo sexto supra mille, cùm Apostolicus legatus Guelphique simul in Ecelinum filium arma mouissent, Patauium cũ toto agro amisit. Cùm autem consideret se astu Mediolanum vrbem occupaturũ, & ob id Abduam amnem traiecisset, circumsessus ab hostibus, prælio victus, vulnere accepto, iuxta Soncinum captus, eo ipso loco periit, ac conditus est. Hoc casu frater Albericus, perculsus, cùm dissideret Tarusium retinere posse, in sancti Zenonis arcem se recepit: vbi salutis anno ducẽtesimo supra mille à suis proditus, in hostium potestatem venit. Illic intuitus coram se sex filios occidi, vxoremque Margaritam cum duabus puellis comburi, ipse minutatim per singulos artus cæsus, Romanam gentem suam, sicuti in somniis pater habuerat, finiri secum vidit. Fulg. lib. 1. cap. 5.

BELLORVM, SEDITIONIS, *impendentium Omina.*

AVGVSTVS Imperator læuum sibi calceum præposterè indutum animaduertit: qua die seditione militari propè afflictus est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

CORNELIA Scipionum mater concreto genitali nata fuit, infausto omine: quòd magnum aliquando malum Reip. productura esset. Plin. libro septimo capite 16.

Auspicia, & Auguria.

Primo bello ciuili ROMANORVM, tres corui pullos suos in viam productos fœdè laniarunt: quod ex laniatu superfuit, in nidum retulere. Sab. lib. 9. cap. 7.

Eo anno qui schisma Gregorij & Gilberti Rauẽnatis episcopi (qui auspiciis Henrici III. Imp. se Clementem vocauit) præcessit, plusquam quindecim dies, aues cicures efferatæ sunt. Hæ quoque pontifice Victore tertio vitantes hominum consuetudinem, ad lyluas nemoraque fugere: fortassis vt hac fuga pestem, quæ postea fuit salutis anno octagesimo nono supra mille, demonstrarent. Sab. lib. 1. cap. 4.

Prodigia, Portenta.

Sicuti HANNIBALIS in Italia, Romanorúmque in Macedonia per eadem tempora bellum crudelissimum fuit, & varietatis mirandæ, propter regnorũ mutationes quæ secutæ sunt: ita etiam magna & extra cõmunem naturæ vsum prodigia apparuere. Nam M. Marcelli & M. Valerij Tarquiniis, item Sessiæ T. Qu. Flaminij & Sex. Helij Peti consulatibus, sues humanis capitibus nati sunt. Frusinone quoque agnus. Idem C. Aurelio & P. Sulpitio consulibus contigit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

C. Volumnio & Ser. Sulpitio Coss. in vrbe ROMA inter initia motúsque bellorum ciuilium, carnis in modum nimbi dissipatæ partes ceciderũt: quarum maiorem numerum præpetes diripuere aues, reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum, iacuit. Val. Max. lib. 1. cap. 6.

Anno qui bellum sociale antecessit periculi & laboris plenum, L. Mario & Sex. Iulio consulibus, in agro Mutinensi à multis grauibus viris, ciuibus Romanis, qui per Æmiliam viam iter habebant, duo montes fragore magnáque emissa flamma simul concurrere conspecti sunt: non sine ingenti locorum atque hominum strage, vbi cõcursus factus est. Quo prodigio putauerunt homines mala præmunciari, quæ postea ex eo bello secuta sunt. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Primo bello ciuili apud ROMAM ignis ex hastis lignorum subitò emicuit, estque ægerrimè restinctus. Sab. lib. 9. cap. 7.

Primo bello ciuili ROM. puro serenoque cœlo tubarum clangor in aere concrepuit: & lugubres intendens voces, mortales metu & pauore consternauit. Sab. lib. 9. cap. 7.

Cùm SYLLA & MARIVS bellum ciuile excitassent, mures in templo aurum arrosere: captáque ex his fœmina, ac quinos masculos in mucipula enixa, tres ex illis deuorauit. Sab. lib. 9. cap. 7.

L. Sylla ab vrbe cum exercitu aduersus Mithridatem regem profecto (quo tempore C. Marius motis ciuilibus armis Syllam ipsum redire Romam coegit) conspectæ fuerunt signorũ hastæ ignem emittere, qui non sine labore extinctus fuit magnóque fragore ac sonitu sereno cœlo per aerem territis hominum mentibus, tubarum clangor exauditus fuit, tubis, ferro atque ignibus natura futuros motus præsagiente. Ibidem.

BELLO ciuili inter Cæsarem & Pompeium, militaris clamor, strepitúsque armorum adeò magnus Antiochiæ & Ptolemaide auditus fuit, vt in muros concurrerentur. Sonus item tympanorum Pergami abditis delubris editus. Val. lib. 1. cap. 6.

TIBERIVS cùm draconem, quem mansuefactum, & altore suo mitiorem propria manu pascere consueuerat, formicę deuorassent: responsum habuit, Impetũ multitudinis prouideret. Sed vtinam nihil vnquam verius aruspices prædixissent. Tiberius enim non concursu populi, verũ tacita & pene ambigua mórte periit. Petrarcha.

Anno quo HIEROSOLYMA excisa fuerũt à Romanis, Titi Vespasiani ductu, sidus gladij figura in cœlo apparuit, ipsi vrbi imminens: currus diuersis cœli regionibus vagantes obseruati, & armatæ acies visæ transnare nubila. Hæ voces, hæc tuba, hoc verum cœli edictum, quo populus ille ad pœnitentiam reuocabatur: sed aut non credidit, aut cæcus & pertinax cœli minas contempsit. Sab. lib. 9. cap. 7.

Agebatur

Agebatur annus Christianæ salutis quingentesimus sexagesimus octauus, quum in cœlo ITALI homines spectauere frequentius simulachra armatorum hominum, quæ inter se concurrerent, ignémque emitterẽt, vnde sanguis de eodem cœlo passim flueret. Quod quum sepius accidisset, dubitantibus nostris graue aliquod periculum terræ Italiæ imminere: ecce nunciatur Longobardorum aduentus, qui ab extremis Germaniæ finibus ingenti agmine profecti, iam nostræ grauissimi imminerent Ausoniæ. Siquidem per ducentos & quatuor annos, sic terram Italiam afflixêre, tantísque calamitatibus inuoluêre, vt necessarius in primis fuerit Caroli magni Francorum regis aduentus, qui tantam pestem vnus sustulerit, vt tamen in hunc vsque diem Longobardi nomen extingui minimè potuerit. Egnat. lib. 1. cap. 5. & Fulgos. libr. primo, capite 4.

Priusquam Fridericus primus imperator cum Alexandro pontifice ad bellum descendit, clarè effigiata in ipsa luna crux in eius medio apparuit. Item, Salutis anno 69 supra mille centúmque, regnantibus iisdem pontifice Imperatoréque, nonis Septemb. tres apparuêre soles occidentem versus, qui vltra duas horas conspecti sunt: pòst quod tempus sol is, qui inter tres medius erat, permansit. Sab. lib. 1. cap. 4.

Antequam HENRICVS quintus cum Paschali pontifice discors esset, (ex eorum enim discordia bella ingentia secuta sunt, hoc prodigio significata) Iunij tertio decimo die, in regione quæ quondam Æmilia, nunc sub Romandiolæ nomine censetur, palàm sanguine pluit, Salutis anno quartodecimo supra mille centúmque. Idem.

Salutis nonagesimotertio supra mille trecentosque, Maio mense, iuxta Nouiomum in Gallia, paulo antè quàm PHILIPPVS Deodatus Britãnos Normandiæ finibus pelleret, in cœlo conspectæ sunt armatorum turmæ in prælij speciem concurrentes. Idem apparuit Calend. Febr. paulò antè quam inter Carolum Simplicem Gallorum regem, eiúsque proceres discordiæ erumperent. Quod repetitum est Ludouico eius filio regnante, ad stragem significandam, quam Pannonij in Burgundiam intulêre. Gens enim rubenti colore in cœlo cõspecta est. Idem.

Anno qui ante schisma GREGORII atque Gilberti Rauennatis episcopi fuit, qui Henrici tertij imperatoris fauore Clementem se vocari iussit, in Britannia sanguine fons manauit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Anno antè quàm schisma erumperet inter Eugenium III. pontificem, atque Amadeum Subaudiensem à consilio Basiliensi ad Romanum pontificatum electum, cui Fœlicis nomen indiderant: cum in Germania ecclesiæ in diuersa studia scissæ essent, atque in Italia bella cædesque peragerentur: eodem die in vrbe Roma fulgor quatuor templorum Pontificiæ curiæ dicatorum, campanarias turres chorósque tantùm percussit. Similiter eo anno, qui aduentum Caroli octaui in Italiam antecessit, in vrbe Florentia sanctæ Reparatæ fanum, in sublimiori parte de cœlo tactum fuit: lapidémque immensæ magnitudinis, quo fornix claudebatur, ad terram fulgur deiecit. Quæ res immensorum malorum illi vrbi præsagium fuit: nam postera die mortem obiit Laurentius Medices, potentia prudentiáque Florentinæ vi bis primarius, cuius opera plurimũ fines suos resp. ub. Florentina propagauerat. Deinde in Florentinorum fines profecto Carolo octauo Gallorum rege, Sergianæ, Petrasanctæ, ac Pisarum imperium Florentini amisêre. Laurentiique liberi, Petri culpa, qui inter eos maior natu erat, bonis omnibus spoliati in exilium abiêre. Sab. lib. 1. cap. 4.

MATTHÆI Vicecomitis temporibus, dum Mediolani rerum potiretur, circiter eius mortem, forsitan ad bella quę postea secuta sunt, item ad filij Galeatij [illegible]ium, deinde carcerem, ostendendum, quæ Ludouici Bauari imperatoris manu gesta sunt: supra Mediolanum conspecta gens in cœlo multiplex diuersórque inter se concurrere, armorum fragore, & strepitu equorum pulsum exaudito. Fulgos. lib. 1. cap. 4.

Antè quàm schismatici tumultus inter CALISTVM secundum, Burdinũque orirentur, in Gallia, in Leodiensi agro, porcus capite effigiéque humana natus est. Idem.

Quo anno CAROLVS VIII. Gallorum rex in Italiam venit (fuit is Salutis annus nonagesimus quartus, supra mille quadringentósque) in Cisalpina Gallia manna pluit: quæ ex arborum frondibus lecta, ad medicinam salutaris fuit inuenta: cuius rei Plinius mentione facta (contigit enim aliis temporibus ea pluere) non Manna, quòd nomen Hebræum est, sed cœleste mel ac medicinæ non parum idoneum appellat. Biennio quoque antè quàm in Italiam Carolus veniret, noua ægritudo inter mortales detecta, cui nec nomen nec remedia medici ex veterum authorum disciplina inuenire dixerunt morbum, atin Italia Gallicum appellabant: alij autem aliter. Nonnulli Iob sancti ægritudinem esse dicebant, cuius vis grauiter artuum iuncturas torquebat: quibusdam totum corpus vlcere corripiebat, quosdam autem in gangrænæ morem corrodebat. Id autem quod in ea maximè mirum fuit, erat, quòd contagionis vires in coitu solo exercebat, à genitalibúsque membris primordia sumebat. Id quoque in ea non leue visum fuit, quòd qui ei curandæ operam dabant, nisi diligenter sibi vitæ modestia cauissent, posteaquam morbum euasisse videbantur, tanquam is ab initio pullularet, in illum recidebant. In senib. quidem ea ægritudo incurabilis apparuit. Quæ pestis (sita enim visa est) primò ex Hispania in Italiam allata, ad Hispanos ex Æthiopia, breui totum terrarum orbem comprehendit. Sab. lib. 1. cap. 4.

Somnia.

HANNIBALIS quoque, Carthaginensium ducis, vt detestandum Romano sanguini, ita certæ prædictionis somnium: cuius non vigiliæ tantum, sed etiam ipsa quies, hostilis imperio Romano fuit. Hausit enim propo-

sito & votis suis conuenientem imaginem, existimauitque missum sibi à Ioue mortali specie excelsiorem iuuenem, inuadendæ Italiæ ducẽ. Cuius monitu primò vestigia nullam in partem secutis oculis, mox humani ingenij prona voluntate vetita scrutandi, ponè respiciens, animaduertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu, omne quicquid obuium fuerat, proterentem: pòstque eam magno cum cœli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis inuolutam tenebris. Attonitus deinde quidnam esset monstri, ecquid portenderet interrogauit. Hic dux: Italiæ vides (inquit) vastitatem: proinde sile, & cætera tacitis permitte fatis. Val. Max. lib. 1. cap. 7.

INFELICIS PVGNAE, CAPTIVITATIS, *Omina.*

CÙM ATHENIENSES in apparatu essent belli Siciliensis, omnib. iã ad nauigandum paratis, Adonidis sacra à mulierib. celebrari sunt cœpta quæ in eos dies incidebant. Itaque simulacra quasi mortuorum cadauera frequentes efferebant pro more festiuitatis eius, funeráque & sepulturas imitabãtur, & ferialia carmina concinebant. Ad hæc Mercurij statuæ, quas Hermas vocant, in omnibus ferè compitis vna nocte facies & ora mutilatæ repertæ sunt, incerto authore. Omina hæc fuerunt infelicis belli. Alcibiades enim dux propter hoc crimen domum reuocatus, vt causam diceret, ad Spartanos defecit, inde ad Tisaphernem: multisque malis patriam affecit. Plutarchus in Alcibiade.

CFlaminius inauspicatò consul creatus, cùm apud lacum Thrasimenum cum Hannibale conflicturus, conuelli signa iussisset, lapso equo super caput eius, humi prostratus est: nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis signa moueri sua sede posse negantibus, malum, ni continuò ea effodissent, minatus est. Verùm huius temeritatis utinam sua tantùm non etiam P.R. maxima clade pœnas pepẽdisset. In ea nanque acie 15 milia Romanorum cæsa, 6 milia capta, 20 milia fugata sunt. Consulis obtruncati corpus ad funerandum ab Hannibale quæsitum est: qui quantũ in ipso fuerat, Romanum sepelierat imperium. Val. Max. lib. 1. cap. 6.

M. CRASSVS, inter grauissimas Romanimperij iacturas numerandus, plurimis & euidentissimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatus est ictibus. Nam cùm ducturus esset à Carris aduersus Parthos exercitum, pullum ei traditum est paludamentum, cùm in prælium exeuntibus album aut purpureum dari soleret. Mœsti & taciti milites ad principia conuenerunt, qui vetere instituto cum clamore alacri accurrere debebant, ibi aquilarum altera vix conuelli à principio potuit: altera ægerrimè extracta in contrariam, ac ferebatur, partem seipsam conuertit. Magna prodigia, sed & illæ clades aliquanto maiores, tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus Barbarorum obtritum equitatu, optimæ indolis filij eruore paterni respersi oculi, corpus Imperatoris inter promiscuas cadauerum strues, auium ferarúmque laniatibus obiectum. Ibidem.

Infelicis euentus crudelisque mortis atque ignominiæ omen fecisse notatum est quendam poma vendentem, dum Brundusij M. Crassius traiicere ad Parthicum bellum vellet exercitum. Nam cùm (vt moris eiusmodi hominum est) clarè Cauneas exclamaret (id sicus à loco cognomẽ trahentis nomen erat) visus putabatur eo verbo Latinè significare velle, Caue ne eas. Fulg. lib. 1. cap. 13.

IDEM haud feliciora sibiipsi ominatus videtur, cum in eadem expeditione Euphratem amnem traiecisset. Nam cùm è more exercitum alloqueretur, atque vt alacri animo hostem inuaderent hortaretur: dixit, vt maiorem audendi necessitatem ostenderet, pontis facultatem ex amne à se sublatam. Quod cùm ipse in eam accipi partem vellet, vt sublata fugæ spe milites in virtute sola spem ponerent, in tristem ominationem tunc acceptum esse, exitus infelicis prælij confirmauit: quòd neque ipsi, neque filio, imò ne exercitui quidem, paucissimis militum excepcis, regrediundi via patuit, omnibus à Parthis miserabilem in modum occisis. Ibidem.

CN. POMPEIO Magno pullum amiculum, qua die ad Pharsaliam profligatus fuit, diras præmonstrauit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

Cùm contra Cæsarem CN. Pompeius pugnaturus esset, subita tristitia militum animi implicati fuêre, nocturnique terrores totius exercitus. Val. lib. 1. cap. 6.

Auspicia & Augurria.

CYRO regi, dum contra Scythas bellum pararet, hirundinum visa infaustam expeditionem fecit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12.

PYRRHVS cum contra Argos magno collecto exercitu proficisceretur, noctuam in hasta sua sedentem vidit, quæ fatum illi & discrimen extremum nunciasse fertur. Alex. lib. 5. cap. 12.

C. HOSTILIVS Mancipus consul in Hispaniam iturus, cùm Lanuij sacrificium facere vellet, pulli cauea emissi in proximam syluam sugerunt: summáque diligentia quæsiti, reperiri nequiuerunt. Valer. libr. 1, capite 6.

M. BRVTVS cùm exercitus sui reliquias aduersus Cæsarem & M. Antonium eduxisset, duæ aquilæ ex diuersis castris aduolauerunt: & edita inter se pugna, ea quæ ex parte Bruti fuerat, malè multata fugit. Val. Max. lib. 1. cap. 4. Appian. lib. 4. Bellorum ciuil.

Est insula Sapientia appellata ad Peloponnesum e regione Methones vrbis posita, portu celebris, in quẽ NICOLAVS Pisanus rei maritimæ Venetorum Imperator sese cum vniuersa triremium & triginta longarum nauiũ classe receperat, Genuẽsem hostem paulo antè à se in fugã versum,

memorabilisque clade affectum, excepturus: nunquam tantum ausurum ratus, vt ad se propius accederet. Sed (vt sunt Ligurum ingenia in vltionem propensiora) magno sanè animo, noctu vigiliis oppressis, quæ portus hostium obseruabant, in reliquam classem adeò præceps improuisusque ruit, vt & Nicolaum ipsum cum quinque millibus captiuis, nullo penè periculo inde Aurius Genuensis Imperator abduxerit. Quam cladem, vt nostri annales constanter referunt, coruorum vis ingès in cœlo pugnantium prænunciasse creditur, qui suo sanguine Venetã classem resperserint. Ad quod prodigium accessit, remigem vnum in mare lapsum, dum in alteram triremem transire parat, à marina bellua statim deuoratum. Egnat. lib. 1. cap. 5. & Fulgos. lib. 1. cap. 4. & Sab. lib. 9. cap. 7.

Prodigia, Ostenta, Portenta.

PHILISTAEIS ad Masphaton in acie stãtibus, lacessentibúsque Iudæos, ac conuicio insectantibus, quo à metu & ignauia in edito se tenerẽt, ex improuiso horrendè mota est terra, subsidítque in patentem hiatum. procella ingens secuta cum ventorum turbine, quæ tanta vi aciem afflixit, vt Philistæi violenter rotati, attoniti, aque armis exuti, passim vt inertia pecora sint à Iudæis occidione occisi. Sab. lib. 9. cap. 7.

Cùm de victoria legatos ad Dodoneum Iouem LACEDAEMONII misissent, & hi oraculum operientes, vasculum cum sortibus certò posuissent: Molossorum regis simia sortes ipsas hue illuc sparsit, cõfuditque responsum est Lacedæmoniis non de victoria, sed de salute cogitandũ. Hunc tantum terrorem, has deorum immortalium minas, sequens mox fortuna declarauit, famosa illa pugna Leuctrica Lacedæmoniis ad interemptionem deletis, oppressíque. Petrarcha.

In exercitu XERXIS, quem aduersus Græciam contraxerat, eque parti leporem editum constat. Quo genere monstri, tãti apparatus significatus est euentus. nam qui mare classibus, terram pedestri operuit exercitu, vt fugax animal, pauido regressu regnum suum repetere est coactus. Val. Max. lib. 6 cap. 6.

XERXI montem Athon iuxta Idam transgresso, prius quàm Athenas deleret, Lacedæmonis inuadendæ consilium agitanti, admirabile inter eorum prodigium incidit. Infusum namque pateræ eius vinum in sanguinem, nec semel, sed iterum & certiò conuersum est. Qua de re consuluti magi, monuerunt, vt se ab incœpto proposito abstineret: & si quod vestigiũ in vecordi pectore sensus fuisset, cauere potuisset, antè de Leonidã & Spartanis abundè monitus. Val. lib. 1. cap. 6.

XERXES Persarum rex, cùm in Græciam exercitum traiecisset, Sardibus mula mulum peperit, vtriusque sexus genitalia habentem, sed maris superiora. Cum Græcis congressus, turpi fuga vix elapsus est. Herod. li. 7.

Paulò antè quàm Antiochus Epiphanes Syriæ rex captis Hierosolymis, atque spoliato templo, Iudæorum gentem in extremam adduceret calamitatem, in cœlo conspecti sunt quadraginta diebus homines stolis aureis amicti, tanquam diuersæ acies in cuneos concurrere, magno armorum fragore, strepitúque equorum. Fulgos. lib. 1. cap. 4.

C. FLAMINIO Cos. antequam ad Thrasimenum ab Hannibale cæsus esset sacrificanti, vitulus qui multos cruore aspersit, omen magni terroris fecit Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

C. HOSTILIVS Mancinus Consul ad Numantinum bellum profectus, cùm Genuæ scapham conscenderet, anguis insuetæ magnitudinis conspectus, ei infelicem pugnam præsignificauit. Val. Max. lib. 1. cap. 6.

M. CRASSO castra quæ trans Euphratem metatus fuerat, bis fulmine ictta. triste prodigium & infandas cædes attulere. Alexand. ab Alex. lib. 5. cap 13.

IDEM ad Parthicum bellum profectus, cum amnem quendam iunxisset ponte, quã in hostium transmissurus erat exercitum, tempestas subitò coorta est cùm tonitruis & fulminibus, ita aduersa militum ora perstringens, vt transitu prohiberentur. Secuta vis ventorum ingens, quæ validè pontem disiecit. transmissum est nihilo secius: locúsque vbi primùm Romanus fecit castra, fulmine ictus est. Nulla potuisset voce clarius demonstrari clades, quæ duci & militibus imminebat. Cæterùm quia ita euenire oportuit, res satis prouisa, vt inopinata & improuisa fuit perituris. Sab. lib. 9. cap. 7.

CN. Pompeio Dyrrachij contra Cæsarem profecturo, aduersa eius agmini fulmina inciderunt. Val. lib. 1. cap. 6.

CN. Pompeio apes suo examine ante pugnam Pharsalicam in ara insidentes, & ad naues volantes, cladem pernicio sam prænotarunt. Idem.

In BRVTI castris cùm apum examen conspiceretur, mutari castra aruspices iusserunt, ne quid diri afferrent. Alex. lib. 5. cap. 13.

Paulo antè quàm vrbem Romam M. OTTO egrederetur cũ exercitu, aduersus Vitellium profecturus (à quo victus prælio sibi ipsi mortem postea consciuit) Romæ nunciatum fuit, in Ethruria bouem clarè locutã Fulg. lib. 1. cap. 4.

GALBAE venienti Romam ex Hispania, cum per viam vtrinque in eius honorem sacra peragerentur, taurus è manibus sacrificantium accepto ictu vulnere elapsus, in pedes anteriores ad Galbæ lecticam se erexit, eámque sanguine suo totam respersit. Idem.

Obsidebat BELISARIVS, cum Italiam à Gothis vindicaret, Vrbinum in Vmbria: repentéque fons, vnde tota ciuitas aquabatur, sua sponte exaruit. Qua subita defectione non aliter quàm prodigio quodam perculsi Vrbinates, deditionem fecere. Sab. lib. 9. cap. 7.

Cùm in Italia Berengarius secundus, in Germania autem Henricus Ottonis primi pater, rerum potirentur, sub Ioanne XI. Rom. pont. salutis anno 36. supra noningentos, Genuæ in vico cui Fonticulo nomen erat (nunc autem Bordigotus dicitur) iuxta portus molem, fons integrũ diem sanguine manauit. Nec verò minus horroris desiderare videbatur in prodigio calamitatis atrocitas quæ secuta est. Genuam enim Saracæni petiêre, qui captam vrbem non contenti diripuisse, totam incenderunt: atque per vrbis vicos cæsorum ciuium sanguis haud parcius exundauit, quàm fons in sanguinem versus præmonstrare videbatur. Sed tamen ingentem ciuium cædem ac funera illud etiam superauit, quòd fœdum in morem matribus familiãs atque ingenuis virginibus ad stuprum raptis eas in Africam, in misera seruitute victuras, Genuenses qui superarant, auferri viderunt. Fulg. lib. 1. cap. 4.

Cùm Carolus Burgundiorum dux Geldrensem cæpit vrbem, incensa humo nulla conspecta flamma, herbarum arborũmque radices comburebantur: atque ab ea regione penè in Burgundiam vsque malum illud penetrauit. neque remedia populi ad id satis inueniebant, etsi ingentibus fossis incendio præcidere viam vtrésque conarentur. Idem.

Bello Gallico, quod cum Ludouico Gallorum rege Veneti infœliciter gessere, satis constat, nauigium Venetum supra Clodiam nulla maiori vi maris aut cœli ſtatim esse submersum, in quo magna pecuniæ vis inerat, quę ad conducendum ex Piceno militem publico nomine mittebatur, vt infœliciter suscipi à Venetis bellum significaret. Egnat. libro 1. cap. 5.

Somnia.

XERXES Darij F. Persarum rex, bellum Græcis illaturus erat. Artabanus Hystaspis F. Xerxis patruus, vehementer obstitit. Xerxes quamuis stomachabundus, tamen Artabano parère proposuerat. Verùm vrgentibus fatis, bis idem habuit somnium. Heroica specie virum vidit, oburgantem se, quòd Græciæ bellum inferre differret. Re cum Artabano communicata, Artabanũ regiis vestibus indutum, in regio solio somnum capere coegit. Artabano quoque eadem species ob oculos versata est. Itaque non minore studio, quàm antè obtiterat, Xerxem ad Græcię bellum inflammauit, nimirum sic vrgente malo Xerxis fato, vt insolentissimus rex suæ temeritatis & superbiæ pœnas daret. Herod. lib. 7.

IDEM Xerxes visus est sibi in somnis surculo oleagineo coronatus esse, cuius oleæ ramis vniuersa tellus obumbraretur: & mox corona capiti circumdata euanuit, clarius & certius hoc somnium priore. Totum orbem bellico apparatu terruerat Xerxes, & de Græcis iam triumphum egisse videbatur, captis Athenis: cùm Themistoclis solertia fractus, turpi fuga vitę suę consulere fuit coactus. Ibidem.

DVX Carthaginensium AMILCAR, Syracusas obsidens, in somnis audire visus erat, se postridie intra obsessæ vrbis mœnia cœnaturum: ea re ad victoriæ spem reflexa, mane alacris ad oppugnandam vrbem instruebat aciem: talia volenti ac molienti, quod sæpè fit, grauis tumultus in castris exortus est, Carthaginensibus ac Siculis inter se dissidentibus: oppidani occasione freti, repentè portas egrediuntur, & fusis hostibus victores, ducem turbatis suorum ordinibus succurrere cupientem, atque ideo negligentem sui, intercipiunt. & sic in vrbem ductus, & in compedibus cœnans intellexit, quàm falsus interpres veri somnij fuisset. Val. Max. lib. 1. cap. 7. & Cicero lib. 1. de Diuin.

PETITVS nauis gubernator, dum in Ægeo nauigaret, & naualibus sociis narraret, se per quietem in portu ad Larissam Pompeium solum obsoleta veste amictum vidisse, consexit à paruo celoce innui sibi, vt expectaret. Cui cum appropinquasset, vidit in ea Pompeium cum veste comitatúque vt somniauerat: quem in naui sua recepit, à Pharsalico prælio fugientem. Fulgos. lib. 1. cap. 5. & Alex. lib. 3. cap. 26.

EXILII, DAMNATIONIS.

ERAT ISRAEL iam senio confectus, plurium filiorum pater: in tanto tamen natorum grege de Iosephi vita & incolumitate erat supra modũ sollicitus, vt vnum illum intueri, vnum penes se habere, nec temerè procul ablegare vellet: indubitato mentis præsagio (vt credere est) fore vt is omnium vnus aliquando maximo foret patri desiderio, qui præsens patrium explere non posset affectum. Sab. lib. 9. cap. 10.

FVRIVS Camillus, captis Veiis, oppressísque Gallis, cùm esset precatus, vt si cui deorũ nimia felicitas populi Romani videretur, eius inuidia suo aliquo incommodo satiaretur, subito lapsu decidit. Quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est, pertinuisse visum est. Meritò autem de laude inter se, victoria & pia precatio amplissimi viri certauerũt: què enim virtutis est, & bona patrię auxilię, & mala in se transferre voluisse. Val. Max. lib. 1. cap. 5.

SOMNIORVM INTERPRETES, ONEIPOΠOΛOI.

Quemadmodum somnia diuina videre non cuiuslibet est (quod ex Homero satis patet, qui non quoslibet ex plebe, sed Reges tantùm & Heroes somniantes inducit: vel quia dignitatis ratione oracula & præsagia ad Reges potissimùm spectant: vel quia Heroes corporibus optimè constitutis sunt præditi, vt nulla èx humorum perturbatione somnia habeant, sed ea tantùm quæ à diis mittuntur: cibo præterea & potu nõ ita se obruunt

se obruunt, vt vapores ascendentes somnia in.ania ciere queant. Vana enim somnia, vel ab humorum prædominio, vel à cibi & potus repletione vt plurimùm oriuntur. Ita etiam somnia interpretari posse, diuinitùs tantùm illuminati hominis esse potest. Etsi enim naturalia multa sunt somnia, quorum naturales rationes, & naturales effectus assignari possunt: fatidica tamen diuinitatem in se habent, & in hominem non vt mortalem. sed quatenus immortalitatis particeps est, hoc est in mentem ipsam cadunt, secundum quàm diis similimus euadit. Multas somniorum interpretationes ex Artemidoro Daldiano philosopho excellentissimo petere potes. Nos paucis contenti erimus,

ABRAHAM primus omnium inuoluera somniorum soluisse, ac reliquis patefecisse, à Philone dicitur. Cœlius Rhodiginus lib. 27. cap. 14.

IOSEPHVS Iacobi filius iam inde à pueris somnia futuræ suæ felicitatis vidit (quam ob causam somniatorem eum fratres appellabant) & à germanis in Ægyptum venditus, hac ipsa diuinandi arte & seipsum è teterrimo carcere liberauit: & Ægyptiorum regi Pharaoni author fuit, vt imminentem annonæ charitatem prouidentia sua mitigaret. Genes. 37. & 40. Trogus eum magia Ægyptiaca imbutum hæc præuidisse testatur. At si ab Ægyptiis didicit, cur cæteri Ægyptiorum magi somnium regis interpretari nequiuere? Miror ego Cœlium Rhodiginum, hominem Christianum, plus fidei dare Trogo & Iustino, quàm ipsis sacris literis. libro 27. cap. 14.

Cùm Nabuchodonosor Chaldæorum rex terroris plenam rem in somnis habuisset, experrectusque ita totius memor non esset, vt coniectoribus narrare eam posset: volebat vt coniectores non interpretarentur modò somnium, sed illius quoque quod oblitus esset in memoriam reuocarent: vt sæpe regibus & magnis est mos principibus, quibus possibilia omnia quæ velint esse videntur. Cùm in magno coniectorum numero nullus esset qui tantam efficere rem posset, solus DANIEL adhuc adolescens, noctu per quietem vidit, illud ipsum quod Nabuchodonosor somniauerat: & præter illud, somnij quoque expositionem intuitus est. Itaque cùm regi quod dormiens viderat ex ordine narrasset, confirmauit rex illud ipsum esse, quod somniauerat. Quod profectò mirum videri debuit, vt quod alter somniansvidisset, in somnis alius quoque videret. Fulg. lib. 1. cap. 5.

AMPHIARAVS diuinitatis nomen sibi arrogauit, quòd in explicãdis somniis prudentissimus esset. Itaque post mortem ad eius tumulum oraculum instituerunt. Vide tit. Loca vaticiniorum.

THEOCRITVS vates somnium Pelopidæ de humana victima rectè interpretatur. Vide tit. Somnia victoriæ.

ASTYPHILVS Posidoniates somnium Cimoni interpretatur. Vide tit. Somnia mortis.

Vespasianus in somnis se Imperatorem fore didicerat, cùm Nero dẽtem perdidisset. Nero quoque per quietem, viderat, currum Iouis in ædes Vespasiani duci. Quæ quidem omnia cùm egerent interpretatione, IOSEPHVS natione Iudæus, antè ab eo captus constrictúsque vinculis, ridens ait: Nunc quidem me vincies, post annum autem solues, cùm fueris imperator factus. Xiphilinus in vita Vespasiani.

IVNIANVS MAIVS vir bene literatus, in exquirendis adnotandisque verborum & sententiarum viribus multi studij, & in eruidendis iuuenculorum animis, imbuendísque doctrina pueris castigatissimæ disciplinæ, somniorum quoque omnis generis ita verus coniector fuit, vt ipsius responsa, diuina ferè monita haberentur. Vnde quotidie somniantium turbam, hominesque celebri fama & multi nominis, de somniis cõsultum ad eum veniſſe, legimus apud Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 11.

MATRONA quædam Neapolitana multi & celebrati nominis, sæpe referre solita est viris bonis ac piis, quamcunque in somnis imaginem vidisset, eandem sibi postera luce representari. Quæ tantæ admirationis apud reliquas matronas fuit, quòd sæpius, quæ sibi eo die euentura erãt, somnio monita, futura prædiceret. Idem.

AVGVRES, ET ARVSPICES.

Qui quæuis alia signa diuina, quæ vigilantibus offerri consueuerunt, explicant, Augures & Aruspices dicuntur. Augures quidem illi proprie, qui auium voces, volatum, tripudium obseruant & interpretantur: Aruspices verò exta consulũt, fulgura examinant, omina, prodigia, portenta & ostenta quælibet enarrant. Qua de re Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & 19. fusius tractat.

AMPHIARAVS Oiclei filius, augur fuit & vates Græcus: quem quũ Adrastus rex in bellum contra Thebas vellet ducere, recusauit: ac ne cogeretur, sese occuluit, quòd præuideret ibidem se periturum. Fraude tamen vxoris Eryphiles (quam monili corruperat Adrastus) proditus est, & inuitus in bellum tractus, vbi terræ hiatu ablũptus est. Statius lib. 1. & 3. & 7. Theb.

AMPHILOCHVS rex fuit & augur inter Argiuos.

TYBVRNVM Plinius lib. 16. ait fuisse Amphiarai filium, peritum augurij: à quo Tyburtes populi originem traxerint, multò ante Romam conditam.

TYRESIAS rex Thebarum, & augur, consultus à Ioue vtri maior esset in Venere voluptas, viro ne an fœminæ: quum fœminæ dixisset, ira Iunonis excæcatus est. Quam eius cęcitatem Iuppiter vaticinio pensauit. Alij excæcatum ferunt, quòd Mineruam in fonte nudam conspexisset. Ouid. lib. 3. Metam.

CALCHAS, Testoris filius, tempore belli Troiani Græcis oracula reddidit. Idem præsciuerat, Græcos omnes Troia diruta in patriam sospites redituros. Quod secus accidit: nam multi apud Capharcum Euboiæ naufragium fecerunt. Ferunt hunc Calchantem cum Amphilocho Amphiarai filio ab expeditione Troiana redeuntem, ad Apollinis Clarij lucum diuertisse, repertoque ibidem Mopso, quædam proposuisse. Quæ quum ille soluisset, aiunt Calchãtem animi ęgritudine periisse. Pherecydes apud Cælium scribit, Chalchantem sue oblata interrogasse, quot porculos gestaret, Mopsum verò respondisse, Tres, atque ex his vnam fœminam. Quem vbi vera locutum patuit, illum ægritudine intabuisse. Rauisius.

MELAMPVS filius Amythaonis, medicus fuit, & augur peritissimus.

IAPYS Iasij filius, nomen auguris apud Virg. lib. 12. Æneid.

ARISTANDER & CLEOMANTES Spartanus, nomina sunt diuinaculorum apud Plutarchum in Alex.

THEOCRITVS, nomen auguris apud Plutarchum in Pelopida.

Apud Græcos aruſper fuit TISAMENVS Antiochi filius, qui apud Delphos reddebat oracula. Rauisius.

TARCHON dux & aruspex in Ethruria, cuius meminit Virg.

ASILAS nomen auguris, qui suppetias tulit Æneæ contra Turnum. Virg. lib. 10.

Tertius ille hominum diuumq; interpres Asilas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.

RHAMNETES augur fuit, charissimus Turno. Virgilius libro nono:

Rex idem, & regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.

TOLVMNIVS augur, pro. Turno bellauit in Æneam. Virgilius libro 12.

MAEON, nomen vatis & auguris apud Statium libro secundo Theb. dicentem:

--Ille hac præuiderat omnia doctus
Aeris, & nulla deceptus ab alite Maeon,

Hetruſco quodam arante in agro Tarquinensi, cùm profundius adactus foret vomer, erupisse quendam TAGEM narrant, puerili effigie, sapientia senili, & aratorem alloqui cœpisse: illum verò perterritum exclamasse. Ad cuius vocem finitimorum primo concursum factum esse, inde gradatim progressa rei fama, intra dies paucos in eum agrum vniuersam Hetruriam confluxisse. Puerum illum, audientibus cunctis, multa dixisse, dicta eius obseruata & scriptis edita: ex quibus accedente longa rerum experientia, omnis aruspicina processerit: ita tamen vt si ad alias serperet nationes, apud Tuscos præcipuum eius magisterium vigeret. Petrarcha.

Romani cùm in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inuenissent, missis ob id à Senatu legatis, Hetruriæ celeberrimus vates OLENVS Calenus præclarum id fortunatúque cernens, interrogatione in suam gentem transferre tentauit, Scipione prius determinata templi imagine in solo ante se: Hoc ergo dicitis Romani, Hic templum Iouis opt. max. futurum est? Hic caput inuenimus? constantissima annalium affirmatione, transiturum fuisse fatum in Hetruriam, ni pręmoniti à filio vatis legati Romani respondissent: Non plane hic, sed Romę inuẽtum caput dicimus. Iterum id accidisse tradunt, cùm in fastigium eiusdem delubri præparatę quadrigę fictiles in fornace creuissent: & iterum simili modo retentum augurium. Plin. 28. cap. 2.

ACTIVS Nauius puer, & quod magis rideas, pastor, Prisco Tarquinio regnante, situi vsum sibi vsurpans, repentè quidem è subulco augur, vulgataque rei fama ad regem euocatus est. Quem rex intuens, & ætatem & habitum fortassis irridens, tentauit hoc modo: Vtrum, inquit, quod nunc in animo mihi est, fieri possit, an non possit, interrogo? Nauius cum augurium peregisset, fieri posse respondit. Hic verò rex elusisse putãs: Atqui, inquit, quòd cotem hanc nouacula scinderem, meditabar. Ille mirabili constantia: Potes ergo, ait: arreptaque nouacula, in conspectu stupẽtis regis ac populi, cotem secuit. Inde sacrum Romanis augurium. Quæ res quanquam & Annalibus & historiis omnibus peruulgata sit. Tullius tamen & hanc commenticiam fabulam vocat. Petrarcha.

Q. FABIVS Maximus proditur duobus & sexaginta annis summa cum laude Auguratum gessisse, ad vltimam senectutem. Fuit ènim hoc sacerdotium perpetuum, & quod viuenti non adimeretur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 19.

MASSVRIVS & Mutius, nomina sunt augurum Romanorum apud

Plinium lib.10.cap.7.

Terentius Varro in libris Antiquitatum scribit, VECTIVM in augurandi disciplina nobilem fuisse: eúmque affirmasse, futurum Romani imperij terminum post MCC annos.

Cicero libro primo de Diuinatione scribit, DEIOTARVM regem fuisse peritum auspicij, ac nihil vnquam gessisse nisi auspicatò. Rauis.

Cùm apud Nolam L. Sylla esset, vt cum seniore Mario decerraret, perturbato admodum animo, quòd rem perdifficilem animaduertebat esse: augur POSTHVMIVS, qui eo præsente rem diuinam faciebat, tésis ad Syllam ambabus manibus, dixit, Vt vinciri eum iuberet, ac postmodum occideret, nisi eius præsij penes ipsum victoria maneret, felicémque euentum nanciscereturex eo, quòd tunc augurali scientia præuidere iussus erat. Postero enim die vrbem Romam ingressus Sylla, inde Marium expulit, animúmque vt optauerat, expleuit. Fulg. lib. 8. capite 11.

SPVRINÆ in consectandis deorum monitis efficacior scientia apparuit, quàm vrbs Romana voluit. Prædixerat C. Cæsari, vt proximos XXX dies quasi fatales caueret, quorum vltimus erat Idus Martiæ. Et cùm forte manè vterque in domum Caluini Domitij ad officium conuenisset, Cæsar Spurinæ: Ecquid scis Idus Martias iam venisse? Et is: Ecquid scis illas nondum præteriisse? Abiicerat alter timorem, tanquam exacto tempore suspecto: alter, ne extremam quidem eius partem periculo vacuam esse arbitratus est. Vtinam aruspicem potius augurium, quàm patriæ parentem securitas fefellisset. Val. lib. 8. cap. 11.

Sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, aruspex VMBRITIVS tristia exta pronunciauit: indéque instantes insidias ac domesticum hostem prædixit. Suet. & Corn. Tacitus.

DIVINATIONVM STVDIOSI. DIVINATIONIBVS DEDITI.

Superstitiosa ANTIQVITAS tantum Melicis & Chalcidicis pullis tribuit, vt nō nisi his monentibus comitia haberēt, nullos ad honores protulerint, nulli prouincias demandarent, non senatum consulerent, non bella vel pacem inirent: nil denique domi foríue agerent, quod non ab his prædictum velut deorum monitu magna cura pensitarent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 29.

PHRYGES, PISIDÆ & CILICES Arabię auium significationibus obtemperabant: quod & fecerunt Vmbri. Rauisius.

XENOCRATES, non Carthaginensis ille, qui fuit Platonis discipulus, sed alius, scripsit Oecoscopium, id est domesticum auspicium: quando videlicet aut mustela, aut serpens, aut his similia in domo apparerent, quid portendere soleant. Suid.

ARABES, assumpto in cibo draconum corde vel hepate, ab auibus non secus atque ab oraculis auguria captant. Volat. lib. 13. cap. 4. Anthr.

In EPIRO, in templo Apollinis, draco colebatur, cui auspicia consulentes cibum proiiciebant: quem si esset, fœlicia, si negligeret, dira portendere putabat. Alex. lib. 1. cap. 29.

In LYCIA, in Apollinis fonte & in Medorum lacu ad Neptuni aquas, auspicia ex piscibus colligunt, vbi pisces à consulentibus euocati prodeunt. Qui si obiectas carnes diriperent & pascerentur, fœlicia portendere, & præsens auspicium facere, interpretabantur. Alexan. ab Alexan. lib. 1. cap. 29.

In TELMESSO, Cariæ vrbe, claruit aruspicum disciplina.

In MEMPHI erat vacca, in Heliopoli bos Apis, atque in Arsinoe crocodilus. Iis porrectam escam accipientibus, aut auersantibus, fœlicia augurabantur, nonnunquam tristes exitus prædici existimabant Alex. lib. 1. cap. 29.

ROMVLVS instituit, vt ex singulis tribubus singuli augures eligerentur, qui sacris ceremoniis prædictionibúsque deorum præessent, & publica priuatáque auspicia curarent. Quotannis postea sex optimatum filij in Hetruriam mittebantur, vt augurandi artem discerent. Alex. lib. 5. cap. 19.

GERMANIS in vsu erat, non antè acies committere, quàm per matres familias, quas plurimas educebant, an decernendū esset, sortibus & vaticinio prædictum foret. Alexan. ab Alexan. libro quarto, capite 7.

THEATRI

LIBRI PRIMI FINIS.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER SECVNDVS.
DE ANIMI BONIS PRACTICIS, IN GENERE.

INTELLECTIVOS animi habitus, quos διανοητικὰς ἀρετὰς vocant, superiore libro in θεωρητικὰς & πρακτικὰς virtutes diuisimus. De Theoricis iam egimus. πρακτικαὶ, sic dictæ, quoniam nō in solius veritatis contemplatione acquiescunt: sed ad actionem quandam, hominum vitæ vtilem, referuntur. Definire autem possumus ἀρετὴν πρακτικὴν, εἶναι ἕξιν διανοητικὴν, πράξεως ἕνεκα ἀληθεύουσαν. Vt διανοητικὴ ἕξις est, sic à virtutibus Ethicis distinguitur: cum Theoricis conuenit tanquam in communi genere. Quatenus verò ἀληθεύειν dicitur, sic denotat conceptuum cum ipsis rebus, circa quas versatur, conuenientiam. Quòd denique additur πράξεως ἕνεκα, differentiæ causa positum est, per quam à Theoricis etiam habitibus distinguitur. πρᾶξιν intelligo generali significatione vocabuli, cuius finis non sit veritatis solius cognitio, sed potius extra intellectum operatio quædã, quæ vel in seipsa acquiescens, nomen generis sibi arrogat, atque πρᾶξις dicitur: vel certè opus quoddam post se relinquit, quam ποίησιν propriè appellant. Cùm igitur πρᾶξις veluti genus in ποίησιν & πρᾶξιν κατ' ἐξοχήν dictam, diuidatur: necesse erit ἀρετὴν quoque πρακτικὴν διανοητικὴν (quæ diuersa est à πρακτικῇ ὀρεκτικῇ, quam Ethicam propriè vocant) subdiuidi, in ποιητικὴν videlicet, & πρακτικὴν in speciem dictam. ποιητικὴ τέχνη sub se comprehendit, πρακτικὴ verò φρόνησιν: qui duo habitus, ex quinque illis quos suprà in procœmio libri primi ex 6. libro Ethicorum Arist. proposuimus, declarandi supersunt. Et de Factiuis quidē habitibus priore loco disseremus, non dignitatis ratione habita, sed ipsius ordinis: vt prudentiæ (quæ tertia species est intellectiuorum habituum, & simul etiam practica virtus existit) virtutes Ethicas practicas itidem subinde connectamus.

DE HABITIBVS FACTIVIS, siue de Artibus mechanicis.

ΑΡετὴ ποιητικὴ est ἕξις διανοητικὴ, ποιήσεως ἕνεκα ἀληθεύουσα. Arist. τέχνην definit esse ἕξιν μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικήν. Definitiones sunt eædem, vt cuiuis vel mediocriter in Logicis versato manifestum esse potest. Illud tamùm in præsentia diligenter animaduertendum, ποίησιν eam à nobis intelligi, quæ τὸ ποίημα, hoc est, μηχάνημα quoddam producit: μηχάνημα autē opus, & veluti effectus quidam extra hominem est, quod etiam cessante ποιήσει permanet, & sub sensum cadit, cuius vsus vel necessarius est & vtilis, vel iucundus. Hac igitur ratione differet ποίημα πρακτικὸν à θεωρητικῷ, vti etiam ποίησις πρακτικὴ à θεωρητικῇ. Sunt enim hæc distinguenda à se inuicem, propter rerum ipsarum diuersitatem, quæ sub homonymia vocabuli latet. ποίησις θεωρητικὴ nihil aliud est, quàm ipsa exercitatione cùm primi illi sapientes oratione numerosa vsi fuerint, vt rudes & agrestes homines eo facilius ad virtutes amplectendas deducerent, factum est, vt hac ipsa numerosa oratione homines deliniti, sapientes illos ποιητὰς vocarint: eruditionem illorum, & reconditam scientiam rerum perspicere nequibant, solam orationem poeticam, qua veluti instrumento vtebantur, admirabantur & prædicabant. Hæc causa est, cur inter omnes Theoricæ exercitationis species ea sola quæ ἐμμέτρῳ καὶ ἐρρύθμῳ λόγῳ vtitur, ποιήσεως nomen meruerit. Iam verò διανοητικὴ ὀρεκτικὴ habituúm Practicorũ exercitationē cōtinet. Habitus autē isti vel in ipsa operatione acquiescunt, vel certè præter operationē opus aliquod tertiũ requirũt. Et illi quidē operatione sua contenti sunt, quoniā per eam animi facultas tũ διανοητικὴ, tũ ὀρεκτικὴ perficitur (iustè enim & prudenter agēdo, Iusti reddimur, & prudētes) simul & confirmatur (iusti enim & prudentes redditi, maximè prudenter & iustè agere possumus.) Hi verò non sola operatione contenti sunt: quoniā non sola animi perfectio in his consideratur: sed multo magis vtilitas ipsa, quam in media hominū vitæ præbent. Habitus igitur practici siue actiui, propriè & in specie dicti, primò & per se ad animum hominis referuntur, quē perficiunt: secundariò autem ad externa commoda hominum. Habitus verò factiui primò & per se ad externa commoda referūtur, & propter vtilitatem vel iucunditatem, quam vitæ humanæ præstant, in precio habentur: secundariò etiam ad animi perfectionem conducere videntur. Proinde finis exercitationis Practicæ in specie dictæ, est animi affectio quædam, longo vsu & assuetudine comparata, quam in ὀρεκτικῇ ψυχῇ ἦθος proprié vocant: vnde virtutes Ethicæ nomē suum habuêre, at factiuæ finis est ipsum ποίημα, hoc est, opus quoddam externum, quod alio nomine μηχάνημα appellatur, à quo artes Mechanicæ nomen suum habuêre: ὅτι μᾶλλον τῆς τοῦ σώματος μηχανῆς, ἢ τοῦ τῆς διανοίας λόγου δέονται. Eapropter. Arist. τέχνην πᾶσαν περὶ τὸ τεχνάζειν καὶ θεωρεῖν versari, in sexto Ethicorum ait: vt insinuet nobis, in his artibus theoriam esse, esse etiam operationem quandam: à posteriore tamen denominationem ipsam fieri. Pari ratione in Ethicis quoque theoria est: praxis tamen primas obtinet. Constat igitur, vt opinor, quàm ποίησιν nos intelligamus: & quod ποίημα in habitibus factiuis requiramus, eiuscemodi nimirum, quod per se & propriè nec felices nec infelices, nec bonos nec malos reddit: sed cum additione, artifices bonos & malos, peritos & imperitos denominari facit, atque adeò per accidens humanæ felicitati inseruit, quatenus ποίημα & μηχάνημα istud suum vel internis vel externis bonis promouendis conducere potest. Artes igitur istæ factiuæ, siue mechanicæ, interdum etiam Manuariæ appellantur: & ab intellectu quidem veridico promanant, qui vel τὸ ὅτι tantum, vel etiam τὸ διότι cognitionem habeat: in ipsum autem opus desinunt. Cognitio τὸ ὅτι est, quando (verbi gratia) sutor hoc vel illo modo corium subigendum esse per experientiam didicit, pictor hos vel illos colores miscendos, vt fluctus maris exprimantur, nouit. Quorum omnium ratio subest, nam si casu hæc ita fierent, Ars non esset, neque etiam doceri posset. τὸ διότι autem, siue ratio ipsa à Theoricis habitibus pender. Et proinde quemadmodum theorici habitus ad opus interdum ascendunt, & ex ea veluti canones suarum operationū petunt. Ex his iam ipsis ratio quoque afferri potest, cur theorici habitus liberales, factiui verò illiberales appellari consueuerint. Nam cùm liberi hominis sit, liberalia officia exercere, & animi potius quàm corporis bonis excellere: theoricæ artes, seu potius scientiæ, quia in contemplatione positæ sunt ferè totæ, liberales verè erunt: minus liberales, & etiam illiberales eæ, in quibus magis corporis labore quàm animi sagacitate opus est. Hoc igitur rationis modo etiam inter illiberales differentia datur: quandoquidem aliæ magis, aliæ minus corporis ministerio egent. Quæ minus, ad liberales proximè accedūt: ita quidem, vt ab illis principia sua petant, & rectè agendi consilia omnia mutuentur. Sic pictura, statuaria, architectura à Mathematicis: sic nautica ab Astronomis & Geometris: sic histriones à Poetis: aulœdi, citharœdi, tibicines à Musicis, mercatores ab Arithmetico,

chirurgi à Medico theorico, rectè agendi viam modúmque desumunt : denique omnis particularis actio & externa Theoricorum habituum inter Mechanicas recensenda est, quatenus opus externum producit, siue illud permaneat, quod ad hominum vitam vtile esse possit. Proinde mirum nemini videatur, Illiberales vocari à nobis particulares istas Theoricarum virtutum exercitationes. Neque enim penitús liberales esse statuimus: sed cum ipsis habitibus collatas, minus esse, quàm illi sunt, liberales esse statuimus : sed cum ipsis habitibus collatas, minus esse, quàm illi sunt, liberales arbitramur: sic etiam vniuersale particularia dignitate vincit, non secus ac forma materiam. Iam verò Mechanicæ, quæ liberalium commercio carent, vel certè minus egent quàm superiores illæ, & corporis industria potius quàm mentis acumine constant, vt venatoria, sutoria, pistoria, & similes, planè illiberales iudicandæ sunt, liberóque homine indignæ: quas serui, aut certè seruili ingenio præditi homines, & magis ad liberales artes inepti, qui lucri causa etiam sordidissima quæque munia subire non detrectant, exercere consueuerunt. Hac de causa à Latinis cerdones ἀπὸ τῆς κέρδους fuêre dicti, artifices lordidi. Artes enim liberales nullo etiam lucro proposito multi sectantur, quoniam per se delectant: illiberales quoque illæ, quæ ad liberales proximè accedunt, multis per se placent, honestæ relaxationis gratia: at quarum sordida est exercitatio, neminem nisi lucri causa ad se allicere possunt. Inter Mechanicas ergo, illæ quæ animi potius vigore quàm corporis ministerio vtuntur, & ad naturam liberalium proximè accedunt (quandoquidem magis theoricæ sunt, quàm ποιητικὴ) inter bona animi verè connumerari possunt, siue inter habitus factiuos: minus illæ, quæ magis ποιητικὴ sunt quàm theoricæ: minimum eæ, in quibus nihil est ingenij, abiectissimi laboris plurimum. Nos tamen, ne ea quę sunt eiusdem generis, in diuersa loca partiamur, & nimium religiosa distinctione obscuri fiamus, omnes artes Mechanicas hic in genere tractabimus. Hæ ergo sint differentiæ harum artium, ex efficiente causa deductæ, obseruato interim respectu quem habent ad artes liberales. Arist. similiter in primo & octauo Politicorum diuisisse videtur, quando Mechanicarum alias corporis, alias animæ etiam ministerio opus habere inquit: & rursus alias corpori, alias menti ad virtutis actiones officere scribit. Quo etiam in loco easdem ex fine diuidit, quòd aliæ vtilitatem Reip. aliæ lucrum tantum propositum habeant, quarum diuisionum rationem nos in Tabulis nostris in Politicos propediem edisseremus, ἕως μεγάλης δόξης ἔστλας. Plato ratione operis siue effectus, aut etiam materiæ subiectæ, artes in Sophista diuisit: quòd aliæ sint κτητικὴ, quæ id quod nō adetat, quamuis in rerum natura esset, acquirunt: aliæ ποιητικὴ, quæ illud quod prius erat, hoc est, talem formam non habebat, efficiunt. Hoc idē Hesiodus quoque in ἔργοις videtur voluisse, quando duo summa genera mechanicarum artium statuit, Agriculturam ὡς ποιητικὴν τινα: & Mercaturam ὡς κτητικὴν, quam veluti ministram luxus & voluptatis eo in loco non immerito reprehendit. Diuiduntur etiam ab eodē Platone in primo Alcibiade, ratione finis: quòd aliæ ad voluptatem tantùm conferant, alię ad necessitatem vitæ, quòd sine iis vita vel omnino non esse, vel certè non bene esse queat. Aristoteles in 2. Physic. ex accidenti, hoc est, ex respectu mutuo artium mechanicarū easdem diuidit (vt enim artes liberales inter se cohærent: ita quoque mechanicę se inuicem respiciunt, & mutuas operas prębēt) quòd nimirum aliæ sint ποιήμδναι, quæ efficiunt aliquid: aliæ χρώμδναι, quæ vtantur eo quod ab aliis effectum est: sic nauta vtitur remo, quem faber lignarius expoliuit: sic sartor panno, quem textor contexuit, & sic de cæteris. Vt autem χρώμδναι sunt posteriores, ita etiam perfectiores, & magis formales esse videntur, in quas veluti in finem priores illæ referuntur. Rerum enim quę efficiuntur, ποιήμδναι quidem τὸ ὅτι, hoc est, qua figura effingi & confici debeant, norūt: χρώμδναι verò τὸ διότι, hoc est, quam ob causam & propter quem vsum hac & non alia forma præditæ esse debeant. Quapropter à Platone posteriores illę κελευσταὶ dicuntur, quoniam præcipiunt cęteris artificibus quid agere debeant: & pariter inter has ipsas quædam omnium princeps ab Aristotele assignatur, quam ἀρχιτεκτονικὴν vocat, quia omnibus aliis imperat, & omnium effectus atque opera in seipsam colligit. Artes igitur mechanicę per se diuidi possunt, ex efficiente, quòd vel magis animi quàm corporis præsidio nitantur, vel magis corporis quàm animi, vel corporis tantùm: ex materia, quòd vel notum quid efficiant, vel id quod erat acquirant. Ex fine etiam duplici diuiduntur, efficientis scilicet, & effectus. Ex efficientis quidem, quia aut lucrum spectat, aut vt aliis prosit, aut vt seipsum oblectet. Qui lucrum sectantur, Cerdones propriè, ita quidem, vt Mercatores hodie ferè sordidissimi cerdones dici mereātur: quamuis vulgus corrupto suo iudicio eas artes pulcherrimas esse statuat, quæ omnium sunt quęstuosissimæ. Ex fine autem operis seu effectus, quoniam vel ad voluptatem hominum pertinet, vel ad vtilitatem necessariam: & in vtrolibet istorum, vel ad animum, vel ad corpus, vel ad fortunas. Per accidens quoque Artes istæ diuisionem admittunt ex respectu quem tum habent erga liberales: sic quædam magis, quædam minus illiberales censendæ sunt: tum erga seipsas inuicem, quia aliæ efficiūt aliquid, aliæ eo quod effectum est vtuntur. Et profectò omnes aliæ diuisiones veræ quidem sunt, sed minus tamen nostro huic instituto accommodatę, præter eam quæ ex respectu erga liberales desumitur, quoniā hoc ipso inter animi bona connumerantur. Cæterùm quia non omnes artes mechanicæ inter vera animi bona possunt referri, ideircò non de omnibus hic esset agendum, nisi iamdudum professi essemus, ea quę sunt generis eiusdem, in diuersas partes distrahere, nostri non esse instituti. Itaque de omnibus Mechanicis hic agemus, vel tanquam de bonis animi, vel certè tanquam de bonis quibusdā externis, quæ per se quidem nihil ad felicitatem conferant: per accidens verò bonis reliquis inseruiāt, in quibus felicitas tum vera, tum fucata consistit. Perfecta igitur diuisio artium Mechanicarum instituenda est, ex omnibus causis & accidentiis. Alię namque μιγάδμα illud, à quo nomen habent, & in quo tanquam fine acquiescunt, efficiunt, præparant aut reficiunt: aliæ verò idipsum cæteris communicant, vt Plato sophista testatur. Porrò cum liberalium artium quarundam duæ sunt partes, theoria videlicet & praxis, hoc est, præceptorum vniuersalium speculatio, & eorundem in particularibus exercitatio: theorica quidem ad theoricos habitus propriè refertur, praxis verò ad practicos siue ποιητικὰς. Sic Medicina theorica inter liberales, practica inter mechanicas & illiberales, quia factiua est, connumerari debet. Verùm quia ea quæ sunt eiusdem generis distrahere nolumus, in theoricarum siue liberalium tractatione, de vtraque egimus, nempe de practica simul & theorica. At hoc in loco ne diuisio mechanicarum manca & imperfecta cuipiam esse videatur, titulos tantum referemus, rem, qui volet, exemplis suis confirmatam ex theoricis petat: & illud obiter etiam consideret, quamuis Mechanicis esse statuamus theoricarum praxēs, non tamen id circa illiberales aut sordidas, si à turpi quæstu procul sint remotæ, & nec corpus nec mentem à virtutis exercitio auertant. Hic enim terminus est, liberales ab illiberalibus segregans ab Aristotele in 8. Polit. à principio positus.



- Animi, *ad docendum & oblectandum. Siue referatur ad sensum*
  - Visus, *vt spectacula varia.* HISTRIONES, *Funambuli, χειρόσοφοι, & similes.*
  - Auditus, *vt variæ species* MVSICES *practicæ. De quibus sub titulo Musicæ theoricæ egimus.*
- Immediatè: *quoniã cõfert vel ad bona*
  - Non *aderãt, acquirũt, quæ cõmoda sine sanitas vel*
    - Cõseruandæ. *Alimenta petuntur ex*
      - Inanimatis, *è frugibus terræ.* AGRICOLÆ, *Horterum cultores.*
      - Animatis. *Animalia*
        - Terra, VENATORES.
        - Aqua, PISCATORES.
        - Aere, AVCVPES.
        - Feræ, *in*
    - Reficiendæ. *Medicamenta simplicia,* HERBARII, ῥιζοτόμοι *& Materialistæ, vt vocant, acquirunt.*
  - Sanitatè, *quæ reliquorũ basis est, & fundamentũ: vel quia ea quę*
    - Corporis: *quæ tria sunt numero. Aut ergo conducunt ad*
      - Præparãt, *quoniã crudis & rudibus homines vti nequeũt. Præparant*
        - Alimenta, *nempe*
          - Fruges, *ipsi*
            - MOLITORES.
            - PISTORES.
          - Quæuis, *alia, tum*
            - In genere, COQVI.
            - In specie
              - LANII.
              - SALSAMENTARIJ.
              - FARTORES.
        - Medicamenta, PHARMACOPOEI. *De quibus sub loco Medicorum.*
      - Adiunctæ
        - Administrant, *& ad vsum reuocare possiunt: & propterea respectu priorũ* οἷον ἀρχιτεκτονικὴ *quædã dici possunt. Administrant igitur*
          - Alimenta, GYMNASTÆ. *Nec alimenta tantum, sed etiam reliquas res non naturales, quæ sub nomine Dietæ cõprehenduntur. Harum enim tractatio ad Gymnasten pertinet, vt 3. Polit. Plato testatur: abusu deinde ad Medicinam quoque trãslata fuit. Cæterùm de Gymnastica infrà, vbi de Ratione conseruandæ actionis bonæ agemus.*
          - Medicamẽta, MEDICI *practici, maximè verò Chirurgi. De quibus consule Medicinæ theoricæ titulos.*
    - Bonas *actiones, quæ à sanitate profluunt.* EXERCITATIONES *varia, Gymnastica & Athletica.*
    - Pulchritudinem. *Itaque in*
      - Genere κοσμητικὴ & κοσμητικὴ, ARS *fucatoria, muliebribus potius quàm viris conueniens.*
      - Specie, *excrementa tertiæ concoctionis, quę abeunt in*
        - Pilos, TONSORES *auferunt.*
        - Sordes, BALNEATORES *abluunt.*
- Mediatè. *Vide signum* B.
- Faciunt, *efficiunt, vestiunt, præparãt, quod vel necessitati vel voluptati humanæ cõferat, & hoc rursus, aut*
  - A. Habitus *nõ sunt vnius generis. Alij enim* μιγάματα *quædam*
  - Factum *iam communicant aliis, per commutationem. Vide in seq. signum* C.

- B. Mediatè, *vt ea quæ externa sunt omnia, et vulgò inter fortunę bona recensentur. Materia istorum operũ varia est: finis duplex, vt & superiorum, nẽpe vel vtilitas, vel iucũditas. Per se quidem talia nõ sũt, sed per aliud: quia extra hominẽ sunt, & tamẽ eidẽ per accidẽs conferũt, siue versentur circa*
  - Animata. *Talis est Ars eorum* QVI *equos aut quæcunque alia animalia domant, siue ad vsum hominis, siue ad voluptatem: eorum quoque, qui equos aut asinos curant, Equissones & Agasones.*
  - Inanimata, *vt circa metalla, lapides, ligna, & similia. opera ex hac materia cõstructa, pertinent vel ad*
    - Ornatum & *voluptatem tãtum, vt totaὶ χαϱαγμαὶ (sic enim Plato in Sophista appellat) quæ imitatur aliena corpora, eáque exprimit vel in*
      - Superficie *tantum, per colores. Exempla eorum, qui Picturam*
        - Exercuerunt, PICTORES.
          - BONI.
          - MALI.
        - Coluerunt. PICTVRÆ *amatores.*
      - Profundo *etiam, vt*
        - STATVARII *& Marmorarij.*
        - CÆLATORES.
        - SCVLPTORES.
        - FVSORES.
        - FIGVLI, *qui fingunt imagines.*
    - Defendendum *excogitata sũt, ab iniuriis tum*
      - Malorum *hominum & belluarum, ipsa scilicet arma.* ARMORVM *fabri.*
      - Cœli, *frigoris & æstus, vtpote*
        - Vestes. *Alij ergo*
          - Aedificia, *Varij artifices. Alij*
            - Materiam *acquirunt, ligna cædunt, calcem fodiunt, &c.*
            - Materiam *præparant.*
            - Materia *præparata vtuntur, & ædificant. Itaque meritò ab Arist.* ἀρχιτεκτονικὴ *dicitur.* ARCHITECTI.
          - Materiam *præparant, vt*
            - TEXTORES.
            - CORIARII.
            - FVLLONES.
          - Formam *indũt, vt*
            - SARCTORES.
            - PELLIONES.
            - SVTORES.
        - Ignis *ipse. Cuius materia sunt*
          - Ligna.
          - Carbones *siue naturales & fossiles, siue factitij.*
    - Vsum *aliquẽ magis vel minus necessarium. Qualia sũt ea quæ ad*
      - Contractus *mutuos faciunt, pecunia scilicet. Alij ergo*
        - Materiam *acquirunt,* METALLARII.
        - Formam *induunt,* MONETARII.
      - Vsus *varios conferũt: qui numero ferè infiniti sunt, i genere tamẽ cõducunt vel*
        - Hominibus *tum*
          - Animo, *libri scilicet, per quos & discere subinde noua, & veterũ recordari possumus. Huius ergo generis sunt*
            - Scribæ, *qui inseruiunt vel*
              - Theorię, LIBRARII *scilicet, & amanuenses: aut etiam quiuis alij, qui vel celeritate vel elegãtia inscribendo excelluerunt.*
              - Praxi *quotidianę in foro, ipsi* TABELLIONES *& Notarij.*
            - TYPOGRAPHI.
          - Corpori. *vtpote*
            - Sedilia. Currus.
            - Naues. Lecti.
            - Vasa omnia vtensilia.
        - Brutis. *vt*
          - Ephippia.
          - Soleæ *equorum, &c.*



Hic est igitur Mechanicarum artium catalogus, quàm breuissimè potuit à nobis expositus. Obseruandum tamen, quòd Mechanicæ non minus inter se cohærent, & subinuicem inseruiunt, quàm liberales, ita vt sæpe in vno eodémque opere multæ concurrant, in quibus tamen semper vna aliqua princeps est præterea in vna eadémque materia diuersæ artes occupari possunt: vtputa in creta figulina tum illi quo domos construunt & fornaces, tum qui vasa vtensilia fingunt, tum qui imagines exprimũt, quos omnes figuli nomine complectimur, cum in materia conueniant, differant in forma siue effectu. Tertiò, in pluribus vsuuenire conspicimus, vt propter quæstum ars vnica in multas diuidatur veluti particulas: non aliter quàm à Medicina auulsa est actio chirurgica & pharmacopœia. Hæc omnia nisi quis diligenter animaduertat, & vulgarem mechanicarum diuisionem sequatur, nunquã methodicè aliquid de Mechanicis in medium afferrè poterit. Nobis satis est, hæc in præsentia admonuisse, ne quis diuisiones nostras temerè reprehendere posset. Nunc ad exempla conuertamur. Si qua deerunt, aut à nobis aliquando, aut certè à posteris, facili negocio supplebuntur.

DE IIS QVAE AD MECHANICOS HABITVS ACQVIRENDOS, EXERCENDOS, CONFIRMANDOS FACERE possunt. Et primùm de NATVRAE præsidiis.

INVENTORES ARTIVM AVT ORGANORVM *Mechanicorum.*

EORVM QVAE AD AGRICVLTVRAM.

NOE, qui cataclysmo superfuit, primus vitem coluit, vinúmq; ex ea bibit, nec citra temulentiam. Eapropter à Latinis Ianus fuit dictus. Iein enim lingua Hebræa vinum significat. Sed id Græcia inuentum ad Liberum patrem retulit, suorum (vt videre est) hominum fautrix, ingeniorúmque suæ gentis ad inuidiam vsque ostentatrix Sab. lib. 6. cap. 2.

OSYRIS vineæ primus inuentor dicitur, qui in Nysa Aegypti ciuitate, plantandi, cõficiendi, seruandi, & ex alio loco transferendi vsum docuit. Diod. Sic. lib. 1. c. 2. De reb. antiq.

CERES, cultum terræ & fruges. Virg. 1. Georgic.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum iam glandes atque arbuta sacra
Deficerent syluæ, & victum Dodona negaret.

ISIS triticum & hordeum inuenisse dicitur. Dionys. libr. 1. cap. 2. de rebus antiquis.

Culturam vitium & arborum EVMOLPHVS Athenienſis. Vinum aqua misceri STAPHYLVS Sitheni F. Oleum & trapetas ARISTEVS Athenienſis: idem & mella & lactis coagulum. Plin. lib. 7. cap. 56.

Bouem & aratrum BRIGES Athenienſis, vel TRIPTOLEMVS, teste Plin. Quem Athenienses Celei F. Musæus Terræ & Oceani F. Orpheus verò Disaulis F. & Eubulei fratrem fuisse ait, & à Cerere frumenta serendi rationem accepisse, quòd ex illis primùm Ceres filiæ raptum cognouerit. Pausanias in Atticis.

In Aegypto OSYRIS, secundum Seruium, aratrum excogitauit. Tibullus:

Primus aratra manu solerti fecit Osyris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.

SATVRNVM mellis inuentorem esse, credidit vetustas: ideoque in eius sacrificiis sacerdotes ficulneis frondibus ornati, placentas mittebant. Alex. ab Alex. libr. 2. cap. 22. Ouid. inuentum Baccho tribuit libro 3. Fast.

Liba deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

ARISTAEVM regem Arcadiæ à Nymphis aiunt ouium boumq; curam & scientiam didicisse: item mellificandi rationem, cùm propter Ereſios pestifera lues & contagio, tam in plantas, quàm in animantia grassaretur. Heraclides in Polit. & Verg. lib. 4. Georg.

GORGORIS, mellis vsum apud Hispanos.

MINERVA oliuam. Virg. 1. Georg.

Ædsis ô Tegeæe fauens, oleæque Minerua
Inuentrix.—

AELIAN. lib. 3. autor est, Athenis primùm inuentã esse oliuam & ficũ. At Sillius li. 3. in Libya.

ARGEVS, agrorum stercorationem.

ANCVS Martius salinas.

PILVMNVS, Iouis filius, & Dauni pater, pinsendi frumenti vsum.

ANGVS Aegyptius vsum clibanorum, in quibus panes coquerentur.

ARTAXERXES Longimanus legem venationis.

Venabula, PISEVS. Plin. lib. 7. cap. 56.

Italiam primi Ausones inhabitarunt, indigenæ. Antiquissimum in ea virum asserunt fuisse, nomine MAREM, cuius anterior facies hominis, posterior equo similis fuerit, id quod Græcis sonat Hippomiges. Fabulæ ansam dedit, quòd primus Mares equos domare docuerit, quod idem de CENTAVRIS quidam putant. Ael. lib. 9. de Var. hist. alij tamen Thessalum fuisse Marem aiunt.

EORVM QVAE AD BELLICAM PERTINENT EXERCITATIONEM.

Si μηχάνημα spectes, huius quidem loci hæc erunt: sin vsum ipsum ad practicam inuentionem referenda erunt.

Clypeos inuecterunt PROETVS & ACRISIVS inter se bellantes, siue CHALCVS Athamantis F. Loricam MIDIAS Messenius. Galeam, gladium, hastam LACEDAEMONII. Ocreas & cristas CARES. Arcũ & sagittam SCYTHES Iouis F. vel PERSES Persei F. Lanceas AETOLI. Iaculum cum amento, AETOLVS Martis F. Hastas velitares & pilum TYRRHENVS. Securim PENTHESILEA Amazonum regina. Scorpionem tormentum CRETES. SYRI catapultam. PHOENICES ballistam & fundã. Testudines ARTEMON Clazomenius. Equum (qui nunc Aries dicitur) EPIVS ad Troiam.

Equo vehi BELLEROPHON. Frenos & strata equorum PELETHRONIVS. Plin. li. 7. ca. 56. Virg. in Georg. Frena Pelethronij Lapithæ, gyrosque dedêre. Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis Insultare solo. Rauis.

BALINICVS architectus, qui ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignem marinum adinuenit: quo vsi Romani, naues Saracenorũ exusserunt. Sigebertus in Chron.

DEMETRIVS in machinis bellicis in tantum ingenio artéque præcelluit, vt meritò de illo iactarum sit, Demetrij machinas magnitudine sua etiam amicis stuporem, pulchritudine verò eriã hostib. adferre voluptatem. Fœdere cum Rhodiis icto, helepolin, id est machinã quandam à capiendis vrbibus ita dictam, apud illos reliquit, quæ simul & regis magnificentiã, & illorum fortitudinem testaretur. Plut. in Demetrio.

NAVTICARVM RERVM.

Nauem primus in Græciam ex Aegypto DANAVS aduexit. Antè ratib. nauigabatur, inuentis in mari rubro inter insulas à rege ERYTHRA. Alij MYSOS & Troianos, priores excogitasse in Hellespõto putant, cùm transirent aduersus Thracas. In Britannico oceano vitiles corio circumsutæ fiunt: in Nilo ex papyro, scirpo & arundine. Longa naue primus IASON nauigauit, authore Philostephano, cũ Argonautis. Egesias verò PARHALVM, Ctesias SAMYRAM, Saphanus-SEMIRAMIM, Archimachus AEGEONEM inuentorem asserit. Herod. lib. 1. PHOCENSES primum lembis quinquagenum remorum vsos scribit, non rostratis nauibus. Damastes biremim ERYTHRAEOS fecisse author est: triremen AMINOCLES Corinthius, teste Thucydide: quadriremen ARISTOTELES Carthaginensis. Quinqueremem NESICHTHON Salaminius: sed ordinũ XENAGORAS Syracusius: deciremem MNESIGETON. ALEXANDER Magnus ad 12 ordines nauium instituit. PTOLEMAEVS Soter 15. DEMETRIVS Antigoni, 30. PTOLEMAEVS Philadelphus, 40. PTOLEMAEVS Philopator, Tryphon cognominatus, 50. Onerariam HIPPVS Tyrius inuenit. Lembũ CYRENENSES. Cymbam PHOENICES. Celocem RHODII. Cercuron CYPRII. Remum COPAE: latitudine eius PLATEAE. Vela ICARVS. Malum & antennam DAEDALVS-Hippagum SALAMINII, aut PERICLES Athenienſis. Tectas longas THASII: antea ex prora tantum & puppi pugnabatur. Rostra addidit PISEVS. Anchoram TYRRHENI, ANACHARSIS harpagonas: manus PERICLES Athenienſis, adminicula gubernandi TYPHIS. Plin. lib. 7. cap. 56.

QVARVMLIBET ALIARVM RERVM.

Mercaturas POENI. Plin. lib. 7. cap. 56.

Mensuras & pondera PHIDON Argiuus, aut PALAMEDES, vt vult Gellius idem.

Vehiculum cum quatuor rotis, PHRYGES. Idem.

BELGAE esseda vehicula. Virg. libr. 3. Aeneid.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Quadrigas ERICHTHONIVS, aut certè Tregillus. Ael. lib. 3 Var. hist.

GYGES Lydius picturam in Aegypto. In Græcia PYRRHVS Dædali cognatus, vt Aristoteli placet: vt Theophrasto, POLYGNOTVS Athenienſis. Plin. lib. 7. cap. 56. At lib. 36. cap. 5. marmorariam artem antiquiorem fuisse ait & pictura & statuaria, quarũ vtraque cum PHIDIA cœperit Olymp. 83. Porrò lib. 35. cap. 3. picturæ incerta esse initia asserit. Vide locum.

CIMON Cleoneus pictor cataglypha, id est obliquas imagines, & vario vultu respicientes, suspicientéve ac despicientes, inuenit. Articulis etiã membra distinxit, venas protulit, & in veste rugas sinus inuenit. Plin.

ARISTIDES Thebanus pictor, encausticã primus inuenisse traditur, & postea à Praxitele consummatã. Plinius apud Volater. lib. 13. cap. 4. Antroph.

Figlinas CHOROEBVS Athenienſis. In iis orbe ANACHARSIS

Scythes, vel HYPERBIOS Corinthius. Plin, lib. 7. cap. 56.

DIBVTADES Sicyonius primus figulus Corinthi, opera filiæ Palæstricæ, imagines ex creta fingere cœpit. Filia enim capta amore iuuenis, illo abeũte peregrè, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater eius impressa argilla typum fecit. Primus quoque personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia protypæ vocabantur. Alij Cyniræ tribuunt figulinam & tegulas. Alij in Samo primos omnium plasticen inuenisse tradunt RHOECVM & THEODORVM. Vide Plin. lib. 35. cap. 12.

BYZES Naxius, tegulas primus ex lapide fabricauit, quibus tectum templi Dianæ fecit, tempore Halyattis Crœsi patris, Lydorum regis. Pausanias.

CYNIRA Agriopæ F. tegulas & metalla æris reperit in Cypro. Item forcipem, marculum, vestem, incudem. Plin.

CADMVS lapicidinas Thebis, vel in Phœnice, vt Theophrastus ait. Plin. lib. 7. cap. 56.

Fabricam materiariam DAEDALVS: & in ea serram, asciam, perpẽdiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam, normam. THEODORVS Samius fornicem, libellam, tornum, & clauem. Idem.

TALVS puer serram. Ouid. libro octauo.

-Ferróque incîdit acuto
Perpetuos dentes, & serræ repperit vsum
Primus.-

LYDVS Scythes æs conflare & temperare docuit, secundum Aristotelem. at secundum Theophrastum DELAS Phryx. Plin. lib. 7. cap. 56.

Ærariam & ferream fabricam CHALYBES vel CYCLOPES. Idem.

Ferrum IDAEI Dactyli in Creta, teste Hesiodo. Argentum ERICHTHONIVS Atheniensis: vel CEACVS. Auri metalla & conflaturam CADMVS Phœnix ad Pangeum montem: vel THOAS & EACLIS in Panchaia: vel SOL Oceani filius. Plumbum ex Cassiteri de insula primus apportauit MIDACRITVS. Idem.

SABIANVS summus Pontifex, Phoca Imperatore, horas diei sono tintinnabulorum distinxit. Volat. lib. vigesimosecundo Anthrop.

BOETIVS sutrinam.

THRASON muros, CYCLOPES turres, vt Aristoteles: vel Phœnices, vt Theophrastus: vel Gigantes, vt sacræ literæ docent de turri Babel. Plin. lib. 7. cap. 26.

ÆGYPTII textilia, LYDI Sardibus primi infecere lanam. Fusos in lanificio CLOSTER filius Arachnes. ARACHNE linum & retia. NICIAS Megarensis fulloniam artem. Idem.

SPEVSIPPVS Platonis ex sorore nepos, & in Academia successor, primus quo pacto ex gracilioribus lignis capacia & in ventrem tumentia vascula fierent inuenit. Teste Cæneo apud Laertium.

ARTIS GRAPHICAE.

ARTIS Typographicæ inuentum, simul & Machinarum bellicarum, quas Bombardas vocant, Germani sibi vendicant. Prius fuit machinarum inuentum, anno Christi 1388. à Berchtholdo quodam Nigro, monacho, qui Alchymiæ simul & Magiæ operam dabat. Posterior tempore, sed dignitate prior ars typographica, à Ioanne Guttembergio vel Mentlinio Argentinensi inuenta esse dicitur: quàm cùm quidam ab illo suffuratus esset, Moguntiæ primùm exercere cœpit, anno salutis 1440. Palladem olim sapientiæ & armorum præsidem finxit Antiquitas. Nostra verò Germania, Palladis æmula, & bellicis tormentis & literaria typographia celebris euasit. Hoc vnum Germaniæ deest, quod & Annibali. Vincere ille sciebat, sed non vtebatur victoria. Sic Germania inuenire nouit, inuenta excolere & exornare negligit: bonorum suorum minimè ambitiosa ostẽtatrix. Qua ratione idem illi euenit, quòd Hebræis olim: vt cùm præclarissimarum artium inuentio penes illos sit, alij tamen populi ex iisdem & famam & quæstum facere non cessent. Iam verò (quod mirum sit dictu) sub idem ferè tempus, quo propter summas Antichristi blasphemias orbis terrarum promeritis pœnis bellorum castigandus erat, & vicissim Christi vera lux omnibus gentibus reuelanda, vtrunque inuentum prodiit. Bellicæ profectò machinæ, quæ Iouis fulmen æmulantur, peccatorum nostrorum non obscura præ se ferunt supplicia: Typographia verò quantum damni Antichristo attulerit, res ipsa indicat. Sub nostro certè hemisphærio Germani vtroque inuento liberè gloriari possunt. Antipodas Themistitanos multis antè seculis vtrũque habuisse, nouæ testantur historiæ. Eiusdem namque rei diuersos diuersis temporibus veros inuentores esse, nil prohibet.

ASPASIVS Biblus primus papyrum inuenit, quæ ex biblo arundinis specie fiebat, à qua & ipse nomen habuit. Suidas, & Volater. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

MECOENAS Augusti Cæsaris temporibus, primus quasdam notas literarum inuenit, ad celeriter scribendum, easque complures per Aquilam libertum docuit. Dion Niceus in Augusto.

DOCILES IN MECHANICIS *percipiendis.*

STVDIVM IN ARTIBVS MECHANICIS *addiscendis.*

ATHENIENSES, Solone auctore, omnes artes mechanicas complexi, rem sanè vtilem & ciuitati necessariam opificem credidere: vt lege sanxerint, qui nullam à parentibus artem accepissent, nulla his senio cõfectis deberi alimenta: cæterùm tam his nihil deberi, quàm qui meretricatu natus esset. Sab. lib. 6. cap. 1.

Pingendi ars primùm Sicyone, mox per omnem Græciam tanti fuit studij, vt pueros ingenuos picturam, tanquam præcipuam liberalium artium, in primis edocerent magistri: perpetuo interdicto, ne ad illam mancipia admitterentur: indoctusque & omnium postremus habebatur, quisquis huius artis nescius aut expers foret. Alex. ab Alex. Genialium dierum lib. 2. cap. 25.

In ea VNGARIAE parte quam vulgò Septem castra vocant, omnes incolæ aliquod opificium mechanicum discere coguntur. Itaque inter peregrinos si quem virum vel pace vel bello illustrem videant, quódnã opificium calleat inquirunt. Qui mos etiam apud Turcas esse dicitur. Proinde Solymanus qui nunc regnat, acus faciendi artem probè dicitur noscere. Aristoteles ex Republica sua opifices excludit, propter quæstus studium, & nimiam occupationem, quorum vtrunque Reip. actionibus officit: at si moderatè quis horum vtrũque sequatur, nihil obstare video, quin opifices quoque beatæ Reipub. ciues esse haberique possint.

QVI IN MECHANICIS SIMVL ET IN ALIIS *artibus excelluerunt.*

Consule tit. Eorum qui in theoricis simul & in mechanicis excellentes fuerunt. Præterea etiam locum Ocij, infrà vbi de Bonis corporis agetur. Habet enim eorum exempla, qui à serijs negotijs liberi, in mechanicis recreandi causa sese exercuerunt.

METRODORVS philosophus simul & pictor. PACVVIVS poeta simul & pictor. Vide Catalogum pictorum.

STVPIDI ET INDOCILES IN MECHANICIS *addiscendis.*

IGNAVI IN MECHANICIS ADDISCENDIS, AVT EARVM MAGISTRIS *fouendis.* ARTIVM *mechanicarum osores.*

LACEDAEMONIORVM ciuitas omnes sedentarias artes vrbe expulit, rei bellicæ duntaxat studio ciuibus relicto: per quæ Lacedæmonij non solùm Græciæ, sed omnium gentium, parsimonia, & animi robore præstantissimi fuere. Sab. lib. 6. cap. 1. Itaque Laconum exercitia bellica tantùm fuere. Id quod Agesilaus pulchrè ostendit. Vide tit. Stratagemata in delectu militum faciendo.

ROMVLVS in cæteris veterem coluit Atheniensium morem: at in mechanicarum artium celebritate, Lacedæmonios potius imitatus est. Nullam enim reliquit Romanæ ciuitati artem exercẽdam, præter agriculturam & disciplinam militarem. vnde suprema illa laudatio in ciuitate Quiritium: Bonus miles, bonúsque colonus. Sab. lib. 6. cap. 1.

ÆGYPTII, Scythæ, Persæ & Lydi, eos qui artem mechanicam exercerent, ignobiles: qui verò militiæ studerent, nobiles esse iudicabant. Sic quoque THESPIENSES artis alicuius mechanicę studio, ipsius etiam agriculturæ, omnem pollui nobilitatem opinabantur: itaque illorũ paupertas maximè fuit insignis. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

MESSALIANI hæretici (alio nomine Enthusiastæ dicti) reiiciunt opus manuum, somno ocioque indulgẽt, cuiusdam dæmonis, quem spiritum sanctum esse credunt, aduentum expectantes. Theodoritus in historia Tripart.

SIBARITAE omnes artes, quæ strepitum in ciuitate excitarent, repudiabant & eiiciebãt, ne qua ratione quies eorum interpellaretur. Rauis.

DE ARTIS

DE ARTIS PRÆSIDIIS.

PARENTES, QVI FILIOS IN MECHANICIS INSTITVERVNT.

Exempla parentum qui filios in pictura instituerunt, vide sub tit. Pictorum & Mulierum quæ in Pictura excelluerunt.

Apud ATHENIENSES lege cautum erat, vt filius qui artem aut alicuius industriæ genus à patre non didicisset, minimè in necessitate parentem iuuare cogeretur. Fulgosus libro secundo, cap. 1.

CHRISTOPHORVS Mantuanus, statuarius insignis, & omnes ferè nepotes illius atque neptes. Vide tit. Sculptorum.

MAGISTRI MECHANICI. QVI QVOS IN MEchanicis instituerint.

PICTORVM: Pamphilus Amphipolita, Apellis & Melanthij: Polycletus Argij, Asopodori, Alexis & Aristidis. Rauis. Aristides Nicerotis & Aristippi, Aristippus Antoridis & Euphranoris. Consule catalogum Pictorum.

STATVARIORVM: Sostratus Lysippi, Phidias Alcamanis & Colotis, Lysippus Phœnicis, Myron Lycij. Rauis.

APELLES de arte pingendi libros scripsit.

PICTOR quidam interrogatus, quem habuisset artis magistrum? digito populum ostendit. sentiens, se ad multitudinis iudicium pingere: & obseruantem, quid quisque probaret aut improbaret, artem fuisse consequutum. Idem ab Apelle factitatum legimus: qui post tabulã latitans, subauscultabat spectatorum censuras. Erasmus libro octauo Apophthegmatum.

Cleomenes domestico more Laconicè dixit, Homerum Lacedæmoniorum esse poetam, HESIODVM Helotarum: quoniam ille belligerandi, hic agros colendi rationem & viam præscriberet. Ælian. de Var. hist. lib. 13.

DE EXERCITATIONIS SVBSIDIIS.

STVDIVM IN MECHANICA EXERCITATIONE *suo Marte.*

Consule tit. Relaxationum animi à grauioribus curis & laboribus. Item tit. Agriculturæ deditorum.

EXEMPLA SACRA.

Posuit Deus HOMINEM in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Et post peccatum emisit eum dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua natus est. & ait illi: In sudore vultus tui vescẽris pane tuo. Et sic nota, quòd Deus hominem voluit operari in statu innocentiæ, & post peccatum. Gene. 22.

Non fuit satis Apostolis tantum spiritualia curare negocia, prædicare, orare, legere: sed si quid supererat temporis, manuum labori impendebant. Lucas Euangelista in Actis apostolorum testatur, PAVLVM apostolum cùm Corinthi apud Aquilam & Priscillam hospitaretur, sabbatis quidem in synagoga disputare solitum, reliquis verò diebus artem scenofactoriam exercuisse. Et ipsemet in epistola ad Corinthios, ab Epheso scribens, ait: Laboramus operantes manibus nostris. In epistola quoque ab Athenis ad Thessalonicenses missa: Non inquieti, inquit, fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus: non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandũ nos. Nam cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Rursúmque in Actis, ad maiores natu ecclesiæ quæ Ephesi erat, loquẽs, ait: Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & iis qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere. His verbis monstrauit, etiam episcopos huiusmodi labori vacare quandoque debere, vt habeant vnde aliis largiantur, nedum vnde ipsi viuant. Pauperculis olim episcopis hoc iure præceptum fuisset, dicet aliquis: nunc autem opulentis, vt quid necesse est laborare? At iis etiam, sed alia tamen laborandi causa erit, ne scilicet in multa (vt fit) rerum copia lasciuire illos, & voluptatibus diffluere ocium cogat. In desideriis enim est (vt Salomon ait) omnis ociosus. Ab Aimone Cantuariensi archidiacono de Paulo traditum est, quòd è gallicinio vsque ad horam quintam operi manuum, & inde vsque ad horam vespertinam faciendis ad populum sermonibus vacare solitus sit: residuum verò temporis impertierit cibo, somno, precationi. Ita nullam horam illi præterisse immunem, expertémque laboris, nisi quam edendi dormiendíque necessitas interpellarit. Sed in his omnibus ita eum se gessisse credimus, vt mentem nunquam non Deo intentam habuerit. Illudque quod aliis præceperat, prior ipse impleuerit: Sine intermissione orate. Sic ergo nobis opus aliquod faciendum erit, vt dum manus artificio occupatur, animus ipse interim oret, & in cœlestium meditatione iugiter versetur. Marul. lib. 3. cap. 9.

PETRVM & THOMAM & IACOBVM & IOANNEM, post susceptum apostolatus officium piscatione se exercuisse, quinimò iubente Domino laxasse rete, in Euangelio legimus. Quis tale opus reprehendere audeat, si Dominus iubendo approbauit? Iam de eleemosynis eorum, quos docebant, viuere licebat: iam dignus erat operarius mercede sua: & tamen crebrius ad tendenda retia, quàm ad accipienda munera manum porrigebant, vt non auariciæ, sed honesti laboris exemplo essent. Ibidem.

Nunquam magis patet vanis cogitationibus mens nostra, quàm cum ocio corpus ipsum indulget. Et hoc quidem ANTONII eremitæ exemplo probare possumus, qui quondam solitudinis tædio affectus, cùm dubius animæ æstuaret, clamare cœpit: Saluari cupio Domine, & ecce cogitationes meæ mihi aduersantur. Mox vbi de cella prodiit, conspexit hominem monachali habitu succinctum, nunc calathos texentem, nũc ad orandum procumbentem. Et dum rem tacitus miratur, ab eodem tãdem audiuit: Sic & tu age, Antoni. sic enim agendo saluaberis. Cúmque id loquentem statim non comparuisse animaduerteret, angelum Dei fuisse intellexit, Ac deinde operum orationúmque vices monitu eius diligenter seruans, ad tantam perfectionem conscendit, vt nemo illis temporibus vel abbatum vel monachorum, anachoritarúmque, maiori admirationi fuerit. Ibidem.

ANTONIVS abbas hominum ad se confluentium frequentia inquietatus, relicto monasterio vlteriorem eremum petiit: ac ne fratres victum ipsi deferendo vexarentur (tridui enim itinere ab eis distabat) terram coluit, sementémque fecit, & oluscula plantauit, vt etiam iis qui inuisendi gratia eò accessissent, ad conuescendum satis esset. Si quid insuper ocij suppeteret, sportulas de palmarum foliis texebat, vt suo potius labore quàm alieno impendio sibi necessaria in solitudine compararet. Marul. lib. 3. cap. 9. Sabel. lib. 2. cap. 9.

VENERIVS abbas, dum solitarius in Palmaria insula, quæ à continenti Lunensis oppidi octo millia passuum abest, vitam durè admodum asperéque ageret, diu herbis pomisque syluestribus sustentatus: tandem ad agri se culturam accinxit, tanto Domini fauore, vt vnum sarculum, hordeique modicum habens, die vno humum proscinderit, semen sparserit, messem secuerit. Quo miraculo & hominis necessitati consultum est: & palàm factum, quàm istud exercitij genus Deo esset gratum. Nisi enim illi perplacuisset, nunquam tam præcoqua fruge, tam repentino prouentu, laborantis curam compensasset. Hinc illud est in Ecclesiastico dictum: Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab Altissimo creatam. Ibidem.

Cum PACOMIO abbate in quodam Thebaidis monasterio mille quingenti monachi erant, omnes manibus sibi victum comparantes, ita vt etiam extra monasterium pauperibus alimoniæ subsidia mitterent. Plurima inter eos artificum opera, & præcipuè quidem exercendi corporis gratia cudebantur, vt edomita assiduis fatigationibus caro disceret seruire spiritui. Manus enim fortium (vt Salomon inquit) dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Ibidem.

PHYLORONIVS presbyter, dum in quodam Galiciæ monte multa se abstinentia fatigaret, non minus manuum operatione exercebatur. Inde illi suppetere potuerunt longinquæ peregrinationis impensæ, Romam Hierosolymámque ititanti. Et quoniam nunquam neque ieiunij angustiis, neque manuum, neque pedum inquietudine defatigatus est, sempiternæ quietis indicibili bono perfrui meruit, martyrum coronam adeptus: non quòd martyrium passus esset, sed quòd pares martyrio pro Christo susceperit labores. Ibidem.

De ARCHEBIO Cassianus refert, quòd dum adhuc in cœnobio cum fratribus versaretur, laborem quo ibi omnes suis horis exercebantur, sibi duplicando pro matre creditori satisfecerit, cùm ipsa ob inopiam soluendo non esset. At neque patrem neque matrem agnouerat, dum religionem profiteretur: tunc verò matrem se habere intellexit, cùm illam egestate litéque coattari vidit, vt ei scilicet qui parentes honorare iussit obediret, cuius amore & ipsam reliquerat, & patrẽ. Archebius igitur præceptũ Domini seruauit, matri oppressæ subueniendo: ocio locum

non dedit, laborem ſuper laborem cumulando : religionis cultum non intermiſit in monaſterio permanendo, & charitatis opus auxit miſerendo calamitati alienæ. Deinde ſolitariorum inſtitutum ſecutus, cùm in inſula Nili vitam duceret, Caſſiano eo aduenẽti, atque ibidem inter anachoretas reſidere cupienti, cellam cum ſupellectili dono obtulit, ſe inde tranſmigrare velle dicẽs. Poſt paucos autem dies reuerſus, alteram multo labore ſibi conſtruxit. Sed mox & illam ſimul cum inſtrumẽto pari ſimulatione aliis eò appulſis cõceſſit, & iam tertiam (vt ipſe Caſſianus tradit) ſibi ponere moliebatur: hanc etiam daturus, ſi habitatorem inueniſſet. Tali itaque liberalitate ad ſeruitium Dei aduenas inuitabat, tali commento ne recuſarent circumueniebat, tali denique labore pernicioſam ocij molliciem excutere atque abigere, lætus alacérque ſolebat. Non ſenſit laboris tædium, dum opus exercet pietatis.

SERAPIONIS abbatis monachos ita inſtitutos fuiſſe accepimus, vt manuum mercede ſibi in diem alimenta conquirerẽt. Eoſdem cùm in agris tempeſtiua meſſis eſſet, operam locare, & quicquid ſtipis inde exegiſſent, totũ indigentibus (hiſque maximè qui vinclis publicis arctati erãt) erogare atque diſtribuere conſueuiſſe. Sic illi ne minimam quidem partem deſidiæ dabant: præcipuéque largiendo, cum quicquam ſibi ſupereſſet, pietatem excolebant: ſed nec minus humilitatem, cùm ſeruiles operas non dedignarentur. Vno igitur labore trium virtutum fructum colligebant, ſolertiæ, pietatis, humilitatis. Marul. libro tertio, capite 9. Sabell. lib 2. capite 9.

IOANNES abbas, qui in Thebaidis eremo vitam duxit, ſingulis Dominicis diebus pane ab angelo delato ſe ſuſtentaſſe perhibetur: cæteris verò diebus fiſcellas texendo victum ſibi parauiſſe. Quòd ſi & aliis diebus quemadmodum Dominico feriandum eſſet, quotidie angelus cibum illi attuliſſet. Quo tempore non attulit, id minimè ocio conterendum eſſe indicauit. Ibidem.

VANDO abbas, in finibus Galliæ monaſterij Fontanellæ, quod ipſe ędificauerat, cum Guidone nepote Deo ſeruiens, poſtquam egére cœpiſſet, à Batilde regina diuinitùs monita, plauſtrum cibariis onuſtum accepit. Sed deinceps de operibus manuum victui ſuo neceſſaria ſuppeditauit. Quòd ſi eis, qui dum penuria premeretur, Dei erga ſe benignitatem expertus fuerat, manualem laborem non detrectauit, ne tentare videretur benefactorem ſuum in eo exigendo, quod ipſe ſibi præſtare poſſet: vis tu neceſſitati tuæ non ſuccurrere laborando, cum poſſis? quaſi dignus qui ab angelis, non ab hominibus paſcaris? At ob hoc ipſum te indignũ ſtatuis, quòd præſumptione vtaris, téque marceſcere ocio ſinas.

DOROTHEVS in deſertis Ægypti abbas, minimum ſomno indulgens, noctis quoque partem operi manuum dabat, tũc nempe ſportulas contexere ſolitus: interdiu autẽ lapides conuehere, & cellas ædificare, quas ibi habitare volentibus (vt prius de Archebio diximus) vltrò offerebat. Sportulis autem diuenditis, precium omne indigentibus donabat. Itaque ſemper laborando, ſempérque laborata aliis largiendo, & ocium declinauit, & pietatem coluit.

Manuum labore victitaſſe fertur HILARIVS abbas in monte Æmiliæ commoratus, atque ibidem ſuis impenſis eccleſiam cõſtruxiſſe. Cum ergo corpus exercendo animæ integritatem conſeruarit, & tandem cœleſtem beatitudinem conſecutus ſit, apparet veriſſimum eſſe illud in eccleſiaſtico ſcriptum: Vita ſibi ſufficientis operarij condulcabitur, & in ea inuenies theſaurum.

Diuus HIERONYMVS ad Demetriadem virginẽ ſic ſcribit: Statue quot horis ſanctam Scripturam ediſcere debeas, quãto tempore legere, non ad laborem, ſed ad delectationem & inſtructionem animę. Cùm hæc finieris ſpacia, & frequenter te ad figenda genua ſollicitudo animæ ſuſcitauerit, habeto lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila deducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alueolis fuſi vertantur, aliarúmque neta aut in globum collige, aut texenda compone, quæ texta ſunt reſpice, quæ errata reprehende, quæ facienda conſtitue. Si tantis operũ varietatibus fueris occupata, nunquam dies tibi longi erunt: ſed quamuis æſtiuis tendantur ſolibus, breues videbuntur, in quibus aliquid operis prætermiſſum non eſt. Hæc obſeruans & teipſam ſaluabis, & alias, eriſque magiſtra ſanctæ conuerſationis, multarúmque caſtitatem lucrum tuum facies, Scriptura dicente: In deſideriis eſt anima omnis ocioſi. Nec iccirco tibi ab opere ceſſandum eſt, quia Deo propitio nulla re indiges, ſed ideo cum omnibus laborandum eſt, vt per occaſionem operis nihil aliud cogites, niſi quod ad Domini pertinet ſeruitutem. Marul. libro 3. capite 9.

Lantgrauij Thuringiæ principis vxor ELIZABET, & eadem Pannonum regis filia, cùm multis ante viduitatem opibus polleret, ne quando per ocium luxu diffflueret, ancillarũ officia vſurpabat, lanam linúmque carpendo, nendo, texendo, ſuendo, cæteráque id genus opera conficiendo, ſe plurimùm fatigabat. Sic pudicitiam ſeruauit, ſic humilitatẽ cuſtodiuit, ſic ipſa Euangelicæ perfectionis inſignia, quibus poſt obitũ mariti abundè eluxit, comparauit. Etenim ad illam verę beatitatis quietem perueniri non poteſt, niſi per vitæ præſentis frequentes aſſiduóſque labores. Marul. lib. 3. cap. 9. Sab. lib. 2. cap. 4.

EXEMPLA PROFANA.

ACHILLES cum eſſet tertius à Ioue (vt poetæ fabulantur) ipſe propria manu carnes ſecans, legatis qui ab Achiuis venerant, cœnam ſummo ſtudio parare non erubuit. Ælianus. lib. 7. de Varia hiſtoria.

LAERTES, cum vigente adhuc ætate plurimùm per omnem ætatem diuerſis laboribus corpus exercuiſſet, iam grauatus annis etiam, laborans inuentus eſt à filio. Ibidem.

VLYSSES ille Homericus, cuius virtutes ac labores à vate diuino decantantur, fatetur etiam ipſe, multa ſe ſcire, & quæ ſciat manibus etiam exequi rates nihil opus habere fabris, quas ipſe ſua manu celerrimè confecit. Ibid.

Audio legem fuiſſe THEBIS, præcipientem artificibus, tum pictoribus, tum figulis, vt imaginum formas, quoad poſſent, optimè exprimerent. Iis autem omnibus qui deterius aut fixiſſent, aut pinxiſſent, pro pœna mulctam pecuniariam irrogabant. Ælian. de Var hiſt. lib. 4.

ZEVXIS Heracleotes pictor, anno quarto 95. Olympiad. tanta fuit diligentia, vt Arigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Laciniæ publicæ dicarent, inſpexérit virgines eorum nudas, & quinque elegerit: vt quod in quaque laudatiſſimum eſſet, pictura redderet. Plin. lib. 35 cap. 9.

Cùm Demetrius rex Rhodum oppugnaret, erat PROTOGENES pictor in ſuburbano hortulo ſuo, hoc eſt, Demetrij caſtris. Neque interpellatus pręliis inchoata opera intermiſit omnino: ſed accitus à rege, interrogatúſque qua fiducia extra muros ageret, reſpondit, Scire ſe illi cum Rhodiis bellum eſſe, non cum artibus. Diſpoſuit ergo rex in tutellam eius ſtationes: gaudens, quòd poſſet manus ſeruare, quibus iam pepercerat (nam cùm Rhodum capere poſſet, ea parte qua Ialyſus tabula, quã Protogenes pinxerat, erat: noluit, ne tabula ea cremaretur) & ne ſæpius auocaret, vltrò ad eum venit hoſtis: relictiſque victoriæ ſuæ votis, inter arma & murorum ictus ſpectauit artificem. Sequitúrque tabulam eius temporis hæc fama, quòd eam Protogenes pinxerit. Satyrus hic eſt, quẽ Anapauomenon vocant, ne quid deſit temporis eius ſecuritati, tibias tenens Plin. lib 35. cap 10.

IDEM cùm Ialyſum pingeret, ſolo ſupino aqua macerato alebatur, vt ita ſiti faméque depulſa, minus curando corpori occuparetur: cibóque perſicco cum vteretur, vaporibus quibus delicatiores cibi caput petunt, eius in conſiderando ſtudium ac ratio minus læderetur. Toto autem ſeptennio in pingendo Ialyſo conſumpto, eandem ſummam manum impoſuit. Eum cum cerneret Apelles, primùm ſubſtitit mutus & ſtupefactus, inopinata atque admirabili contemplatione. Deinde reſpiciens: Labor quidem inquit magnus eſt, & item artifex excellens, verùm operi gratia non eſt: quam ſi homo conſecutus eſſet, labor eius cœlum attingeret. Laudauit quidem inſignem picturam Apelles: ſed nimiam diligẽtiam & induſtriam vituperabat, quę operi gratiam omnem adimebat. Ælianus li. 12. de Varia hiſt. Bruſon li. 2. ca. 25. & Plin. loco citato.

APELLES nullum diem ocioſum abire patiebatur. Hinc illud.

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.

NICIAS Athenienſis pictor, tantę fuit attentionis & induſtrię, vt ſępe cibi obliuiſceretur. Ælian. libr. 3. de Varia hiſtoria, & Vol. libro 17. Anthrop.

TVRANIVS fuit quiſpiam exactę diligentiæ ſenex: cui quum Cęſar poſt 90. annum procurationis vacationem vltrò indulſiſſet, id ægrè ferens, componi ſe in lecto, & velut exanimem à circumſtante familia plangi iuſſit. Nec antè triſticiæ finem fecit, quàm priſtino labori reſtitutus fuit. Cælius lib. 6.

IBERORVM mulieres quotannis telas ſuas publicè proponunt: viri autem, quæ plurimùm laboraſſe viſa fuerit, Illi maximum honorem deferunt. Nicolaus de moribus Gentium, & Stobæus ſermone 3. de Temperantia.

PROMPTITVDO IN MECHANICA *exercitatione.*

NICOMACHVS pictor ab Ariſtrato Sicyoniorum tyranno ad pingẽdum monumentum Thelesti poetæ Dithyramborum conductus, præfinito die intra quem peragereturs, non multo antè venit, accenſóque in pœnã tyranno, paucis diebus abſoluit mira arte & celeritate. Plinius li. 35.

Apelles PICTORI parum perito de celeritate glorianti, & oſtenſa tabula dicenti, Hanc modò pinxi: Etiamſi tacuiſſes, inquit Apelles, res ipſa loquitur, quòd eam extemporè ſubitò pinxeris. Eraſmus Roterod. li. 6. Apoph.

AGATHARCHVS pictor ſeſe iactabat de pingẽdi celeritate, quum Zeuxis diutius immoraretur operi. At Zeuxis reſpondit: Ea quæ citò fiunt, citò perire: contrà, quæ paulatim exacta cura abſoluerentur, ætatem ferre. Iuxta Valerium ita reſpondit: Diu pingo, quia pugno æternitati. Citò nata, citò pereunt: diu elaborata, ferunt ætatem. Beta naſcitur, buxus paulatim. Eraſ. lib. 6. Apoph.

IMITATIO NATVRÆ IMPERFECTA ARS IN MEchanicis non omnia poteſt.

Quemadmodum natura ſæpenumero æmulam virium ſuarum artem eſſe patitur, ita aliquando irritam feſſo labore dimittit. Quod ſummi artificis EVPHRANORIS manus ſenſerunt. Nam cùm Athenis duodecim deos pingeret, Neptuni imaginem, quàm poterat, excellentiſſimis maieſtatis coloribus complexus eſt, perinde ac Iouis aliquanto auguſtiorem repræſentaturus. Sed omni impetu cogitationis in ſuperiore opere aſſumpto, poſteriores eius conatus aſſurgere, quò tendebant, nequiuerunt. Valerius Max. lib. 8. cap. 12.

TIMANTES æquè nobilis pictor, luctuoſum immolatæ Iphigeniæ ſacrificium referens, cùm Calchantem triſtem, mœſtum Vlyſſem, clamantem Aiacem, lamentantem Menelaum circa aram ſtatuiſſet, caput Agamemnonis inuoluendo, nónne ſummi mœroris acerbitatem arte exprimi non poſſe confeſſus eſt: Itaque pictura eius, aruſpicis, & amici, & fratris lachrymis madet: patris fletum, ſpectantis affectui exiſtimandum reliquit. Ibidem.

ALIVS quidam præcipuæ artis pictor, equum ab exercitatione venientem, modò non viuum, labore induſtriæ ſuæ comprehenderat. Cuius naribus ſpumam adiicere cupiens, tantus artifex in tam paruula materia multum ac diu fruſtrà tenebatur. Indignatione deinde accenſus, ſpongiam omnibus imbutam coloribus, fortè iuxta ſe poſitam apprehendit: & eam, veluti corrupturus opus ſuum, tabulæ illiſit, quam fortuna ad ipſas equi nares directam, deſiderium pictoris coegit explere. Itaque quod ars adumbrare non valuit, caſus imitatus eſt. Ibidem.

PROTOGENES, cùm diligenter canem pingeret, & ſibiipſi omni in alia eius parte ſatisfeciſſet, laſſum effingere cum volebat, & cui vndique ſpumoſum os eſſet. Re ſæpius tentata, cùm ars ipſum in eo deficeret, vt tanquam veram ſpumam formaret, quæ ad naturalem prorſus accederet, animo perturbatus ſpongiam variis infectam coloribus, in canem iratus impegit. Fortè autem eo ictu, canis os attigit: atque in eo dũ formandi deſperatione totam imaginem ſe euerſurum putat, ceu veram expreſſit ſpumam, quam arte nulla antè exprimere potuerat. Fulg. libro 8. cap. 12.

Eandem fortunam tulit, æneum Alexandri ſignum LYSIPPI opus, quo mirificè Nero captus erat. Nam cùm vt ſpecioſus redderetur, inaurari illud Nero iuſſiſſet, & tunc de priſtino decore videretur aliquid amiſiſſe, detracto auro, longè pulchrius quàm antè remanſit: quòd aurum in concauis ſtatuæ locis, rugoſiſque partibus veſtis relictum, quod niſi offenſa ſtatua penitùs abolere nequibat, in ea plus luminis & decoris afferebat. Quod igitur in tota ſtatua ſuper impoſitum decorem minuerat, illud ademptum præſtitit, quod effici arte poſſe nemo exiſtimabat. Ibidem.

Cùm nauale prælium NEALCES pingeret, quo Perſæ cum Ægyptiis in Nilo decertauerunt, neque penicillo tam bene aſſequeretur, vt inter Nili aquas ac mare diſcrimen appareret, id ingenio aſſecutus eſt, quod ars præſtare non poterat. nam in Nili ripa aſellum pinxit bibentem: & iuxtà crocodilum addidit, aſinum inuadentem, vt deuoraret: cùm ſciret nullum animal maris aquas bibere, atque in ea regione crocodilos ſolum Nilum ferre. Ibidem.

THEON hominem armatum equo inſidentem non prius oſtendit, quàm, tuba ruẽtis impetum in populi auribus quodammodo effinxiſſet. vide ſub tit. de Muſicæ effectibus in excitandis animi affectibus.

ALIORVM IMITATIO IN MEchanicis.

ISRAELI & filiis domeſticum & peculiare fuit, oues paſcere. Paſtor fuit Iacob cùm iuuenis eſſet: & filij paternum ſtudiũ ſecuti, tametſi multi numero, præter vnum & alterum, cæteri tamen paſturam exercuere: adeò vni rei dediti, vt in Ægyptum profecti, eam potiſſimùm regionem per Ioſephum à rege impetrarint, quæ rei eſſet pecuariæ præcipuè idonea. Sabel. lib. 3. cap. 9.

RECCABITÆ apud Eſaiam paternæ educationis acerrimi ſectatores, paſtores ſeſe ouium eſſe, imitatione patrum ſuorum, iactant: neque vinum in æternum bibere velle pollicentur.

ARABES patria inſtituta mordicùs amplectuntur: ita vt ne aliam quidem artem liberi exerceant, quàm cui parentes ſuos deditos fuiſſe ſciãt. Sabel. lib. 6. cap. 1.

VENDICAVIT ſibi duplici nomine famam Germania, duarum artium inuentione, quæ ad eam diem nullæ vnquam in toto terrarũ orbe fuere. Quarum vna ſit aliquanto prior, militarium tormentorum, quæ nunc apud omnes vulgatiſſima eſt. Altera imprimendorum librorum ars, quæ vniuerſa pacis & ocij ſit altrix & parens. Vtriuſque verò VENETIAE in terra Italia vſum ſibi vendicarunt primum. Siquidem Genuenſi bello, primùm à Germanis Venetias tormenta importata fuerunt, quæ defendendæ libertatis Venetæ præcipua fuere cauſa. Quinetiam centeſimo abhinc anno, Paſchali Maripetro duce Venetiæ, Nicolai Senſonis induſtria typographiam feliciſſimo auſpicio ſic cœpere, vt deinde per vniuerſam Italiam, nunc verò etiam & omnem Galliam & Germaniam hæc ipſa ars auſpicatiſſimè ſit ſparſa. Egnat. libro octauo, capite vndecimo.

IVDICIVM IN MECHANICIS RECTVM. IVDICES MECHANICORVM BONI. *Suæ artis quiſque magiſter, & iudex.*

Zeuxis pictor inſignis, cum Helenam pinxiſſet, NICOSTRATVS pictor ſtupefactus, imaginem intuebatur, ſic vt manifeſtum eſſet, eum picturam admirari. Accedens itaque quidam, rogabat: Quid nam vſqueadeò artem eam admiraretur? cui ille reſpondens: Non, inquit, me rogares, ſi meos haberes oculos. Ælianus lib. 14. de Var. hiſt.

LYSIPPVS pictor atque ſculptor inſignis, dicere ſolebat: Ab omnibus aliis pingi homines vt erant, à ſeſolo eos fingi. Subtili doctoque verbo oſtendens, picturam ſculpturámque ad ea extendendam eſſe, quę vt oculis conſpectæ res apparent, eas oſtendunt: & non ad rerum veritatem, quę non emineat, & diſcernatur. Nam pingendi ars non ea eſt, quæ ipſa res efficiat, verùm repræſentat eas tantùm, vt res ipſæ nobis eſſe videntur. Fulg. lib. 8. cap. 13.

APELLES, omnes ſuæ ætatis pictores collaudabat: ſed tamen deeſſe iis vnam illam venerem dicebat, quam Græci Charita vocant: hac ſola neminem ſibi parem aſſerebat. Sic etiam cùm Protogenis Ialyſum admirabundus diu fuiſſet intuitus, Opus immortale exclamauit, niſi gratia deſtitueretur. nimia enim diligentia, ſeptem integros annos in ea tabula impenderat Protogenes. Itaque cætera ſibi cum illo paria dicebat, ſed vno ſe præſtare: quod ille manum de tabula neſciret tollere. Cedebat Amphioni de diſpoſitione, Aſclepiodoro de menſuris. Ad Protogenem aliquando Rhodum nauigauit, auidus cognoſcendi opera eius, fama tantùm ſibi cogniti. Continuò officinam petiit. Aberat ipſe, ſed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anus vna cuſtodiebat. Hæc Protogenem foris eſſe reſpondit: interrogauitque, à quo quæſitum diceret? Ab hoc, inquit Apelles: arreptoque penicul o, lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam. Reuerſo Protogeni, quæ geſta erant anus indicauit. Ferunt artificem protinus contemplatum ſubtilitatem, dixiſſe, Apellem veniſſe: non enim cadere in alium tam abſolutum opus: Ipſum tunc alio colore tenuiorem lineam in ipſa illa duxiſſe: præcepiſſeque abeuntem, ſi rediſſet ille, oſtenderet: adiiceretque, hunc eſſe quem quæreret. atque ita euenit. Reuertitur enim Apelles. Sed vinci erubeſcens, tertio colore lineas ſecuit, nullum relinquens amplius ſubtilitati locum. At Protogenes victum ſe confeſſus, in portum deuolauit, hoſpitem quærens. Placuitque ſic eam tabulam poſteris tradi, omnium quidem, ſed artificum præcipuo miraculo. Conſumptam eam conſtat priore incendio domus Cæſaris in palatio, auidè antè à nobis ſpectatam, ſpacioſiore amplitudine nihil aliud continentem quàm lineas viſum effugientes, inter egregia multorum opera inani ſimilem, & eo ipſo allicientem, omnique opere nobiliorem. Plin. lib. 35. cap. 10.

IDEM perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus: atque poſt ipſam tabulam latens, vitia quæ notarentur auſcultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quàm ſe præferens. Ferúntque à ſutore reprehenſum, quòd in crepidis vna intus pauciores feciſſet anſas. At cum ille idem poſtero die ſuperbus emendatione priſtinæ admonitionis, circa crus etiam cauillari aliquid vellet: indignatus Apelles, ne ſupra crepidam ſutor iudicaret, admonuit, Quod & ipſum in prouerbium venit. Ibidem.

IDEM Protogeni dignationem primus Rhodi conſtituit. Sordebat enim Protogenes ſuis, vt plerunque ſolent domeſtica. Percontanti igitur Apelli, quãti licitaretur opera effecta? paruum neſcio quid dixerat. At ille quinquagenis talentis popoſcit: famamque diſperſit, ſe emere, vt pro ſuis venderet. Ea res concitauit Rhodios ad intelligendum artificem, nec niſi augentibus precium ceſſit. Idem.

IVDICII SVSPENSIO IN MEchanicis.

L. MVMMIVS Achaicus cùm in præda vendenda rex Attalus VI. M. ſeſtertium emiſſet Ariſtidis pictoris tabulam, Liberum patrem continentem, precium miratus: ſuſpicatuſque aliquid in ea virtutis, quod ipſe neſciret: reuocauit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro Romæ poſuit. Atque eam quidem primam picturam externã Romæ publicatam eſſe, arbitratur. Plin. lib. 35. cap. 4.

TARDI ET IGNAVI IN MECHANICIS ARTIBVS *exercendis.*

DIPHILVS architectus in perducendis ad finem operibus tardiſſimus, prouerbio fecit locum, Diphilo tardior.

Apud Syluanum abbatem in Scythiotico cœnobio QVIDAM hospitatus, cum fratres eius multum manibus laborantes vidisset, eam sollicitudinem quasi rem superfluam cauillatus: Maria inquit, optimam partem elegit, sedens secus pedes Domini, & audiens verbum illius. Post hæc cùm hora cœnæ ex industria ipsum non vocassent, vbi cœnatum est, miranti ac quærenti cur ita se prætermisissent? Abbas respondit, ratos fuisse, ipsi, qui se totum spiritalem profiteretur, cibo potuque minimè opus esse. Tum demum illo errorem confitente, subiunxit: Scias igitur, Mariã etiam Marthæ ministerio indigere, auxilióque iuuari. Marul. lib. 3. cap. 9. & Sab. lib. 2. cap. 9.

IOANNI abbati in Scythiotica eremo ætatem agenti, incidit in animum, vt diuinæ contemplationi absque aliqua corporis operatione, cibíue cura iam quasi angelus Dei vacaret. Itaque cellam deserens, per vastam solitudinem euagari cœpit. Sed die tandem septimo fame vrgente, cùm iam vesper esset, rediit: & cùm cellæ fores occlusas offendisset, contubernalem suum, quem ibi reliquerat, vt sibi aperiret, inuocauit, se Ioannem esse contestans. At ille: Nequaquam, inquit. nam Ioannes in angelum mutatus est, nec cibo illi opus est, nec cum hominibus commorari necessarium. Tali exprobratione taxatum dimisit, passus eum nocte sub dio ante ianuam iacere. Manè verò concesso aditu, cùm longa inedia lassum refecisset, fraterna charitate monuit, se hominem esse meminisset, materialibus adhuc escis nutriendum, vt sufficere posset actioni spiritali, proinde laborem monachis communẽ ne detrectaret. Eo enim non solùm corpori opportuna facilè parari, sed etiam animum ipsum recreari solere, vt semper quasi nouus ad agendas Deo gratias, laudesq; persoluendas redire cum alacritate festinet. Correctus igitur Ioannes, diuina deinceps negocia fabrilis operis vicissitudine impensius est executus: & quantum sua præsumptione lapsus fuerat, tantum consilio alieno vsus profecit. Idem.

ACESSÆVS fuit ignauus quispiam nauta, qui vt nauigationem prorogaret, dicebat se Lunam magis opportunam expectare. Vnde natum adagium, Acessæi luna, in comperendinatores, qui semper causas comminiscuntur, quò negotium differunt. Eras. in Adagiis.

IVDICES MECHANICARVM ARTIVM
mali & imperiti.

ALEXANDER Ephesi suam ipsius imaginem, quam Apelles finxerat, contemplatus, non laudauit pro dignitate picturæ. Quum autem introductus equus hinniret equo picto, perinde atque vero: Atqui ô rex, inquit Apelles, hic equus in discernẽdis picturis longè te meliore iudicio præditus esse videtur. Ælian. lib. 2. de Varia historia.

Apelles tabulas in pergula proponere solebat, postque eas latitans, quid prætereuntes reprehenderent auscultabat. SVTOR quidam reprehendit, quòd in crepidis pauciores vna intus fecisset ansas. tulit hoc tacitus Apelles. postridie quum idem circa crus aliquid notaret, Apelles indignatus prospexit, denuncians illi, ne sutor vltra crepidam iudicaret. Quod & ipsum in prouerbium abiit. Brusonius lib. 1. cap. 10.

MEGABYZVS quum aliquando picturas tenuiter & ruditer confectas laudibus extolleret, alias verò cum summa industria elaboratas reprehenderet, pueri Zeuxidis Maladem tenentes, eum deridebant. Zeuxis itaque: Cum taces, inquit, Megabyze, nescio quid magni de te sibi pueri hi pollicentur. respiciunt enim ad vestem & cultum tuum. Simulac verò quid de arte vis dicere, te contemnunt. Parcior igitur & consideratior sis in laudandis, compescens linguam: neque cuiusquam, quæ nihil ad te attinent, opera vel artem collaudes. Ælianus libro secundo de Varia hist. Sed hoc ipsum Brusonius lib. 3. cap. 16. & Eras. libro sexto Apophtheg. Appelli ascribunt: Plinius autem pro Megabyze, ponit Alexandrum Magnum.

Apollodorus insignis architectus, cum Romæ præclara aliquot ædificia erigeret, reprehẽsus ab HADRIANO imperatore, quasi nescio qua in re peccasset, respõdit: Abi potius, & cucurbitas pinge. nam tu quidem ædificandi artem planè ignoras. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Adriani.

Polycletus, insignis statuarius, eodem tempore duo simulachra fecit: alterum ad arbitrium PLEBIS, alterum iuxta peritiæ artisque normam. Gratificatus verò plebi hoc modo est. Ad singulorum accessum transposuit & commutauit aliquid, morem gerens vniuscuiusque voluntati & enarrationi. Itaque proposuit vtrumque. Et alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui habuerunt. Respondens autem Polycletus: At hoc, inquit, quod vituperatis & reprehenditis, à vestra arte profectum est: quod verò suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus. Ælianus lib. 14. de Var. hist.

Hippomachus pugillandi magister, quum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans MVLTITVDO vniuersa acclamaret, percussit eum virga Hippomachus, inquiens: Sed tu perperàm, neque sicut oportebat fecisti, quòd melius fieri debebat. Nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te collaudarent. Innuens, eos qui vnumquodque ritè gerunt ac administrant, non multitudini, sed iis tantùm qui rei noticiam aliquam haberent, placere oportere. Videtur & Socrates populi iudicium repudiare in colloquio ad Critonem, cũ Crito veniens ad eum in carcerem, suaderet vt effugeret, & Atheniensium contra se iudicium corrumperet. Ælianus lib. 2. de Varia historia. At lib. 14. hoc tribuit Hippomacho aulœdo.

Romæ in foro pendebat tabula quædam, habens imaginem pastoris veluti cum pedo. de hac Teutonum ORATOR rogatus, quanti eam æstimaret: satis barbarè respondit: Se nolle sibi dono dari talem viuum, aut verum. Plin. lib. 35. cap. 4.

STRATONICVS, musicus insignis, Ptolemæo rege de musica cum ipso differente: Aliud est, inquit, ô rex sceptrum, aliud plectrum. Significans, non esse regium, de musica cum musico disputare. Eras. lib. 6. Apoph.

IDEM Minnaco fabro, vt opinor, secum de musica disceptanti: Non animaduertis, inquit, te supra malleum loqui? Castigant hominem, de rebus sibi ignotis & incognitis loquentem. Idem.

IDEM in eum, qui quum prius fuisset olitor, postea factus musicus, de arte secum contenderet, pronunciauit senarium Græcum, vulgò celebrem:

ἄδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. id est.

Quam quisque nouit artem, eam canat licet. Mutato verbo detorsit ad iocum, quod est in prouerbio, ἔρδοι τις, &c. Idem.

DE HABITIBVS MECHANICIS, SIVE
artibus factiuis.

SPECTACVLORVM VARIORVM ARTIFICES.

Histriones, qui fabulas agunt, nos superiore loco Poetis, quorum sunt famuli, annectere voluimus. Hoc in loco de iis tantùm agere instituimus, qui variis modis oculos hominum oblectare possunt. Quales sunt funambuli, χειρόσοφοι & similes. De quibus infrà quoque, vbi de Agilitate corporis disputabitur.

MVSICI PRACTICI.

Musica theorica verè theorica est, & inter Mathematicas artes non postrema. Praxis pueris liberalibus conuenit, ex sententia Arist. in 8. Polit. uiris non item, nisi vt auditu sese oblectẽt. Est enim hic finis practicæ musicæ, vt à laboribus hominem recreet. Quòd si vel turpem quæstum, vel lasciuam voluptatem sectetur, iam penitùs illiberalis, inhonesta atque sordida reddetur. Nos superiùs Theoriæ praxin quoque exemplis suis illustratam adiunximus. ne ea quæ eiusdem generis essent, distrahere cogeremur. Hic titulos commemorasse sat est.

AGRICOLÆ AGRICVLTVRÆ DEDITI.

INTER eas artes quæ ad corporis commoda & sanitatis conseruationem referuntur, Agricultura primas obtinet. Nam præter id quòd alimenta humano generi gratißima, & ad sanitatem maximè proficua suppeditat, atque adeò cum terra matre commercium honestißimum habet, exercitio quoque suo vires corporis firmat, roborat & excitat. Quapropter Hesiodus solam agriculturam Persæ fratri commendat, tum vtilitatis nomine, tum etiam honestatis. Nos hic in genere non tam agricolas ipsos, & rusticos, quam viros præclaros, qui in agris versari & opus facere non erubuerunt, referre instituimus. Primus autem hic locus est inter eas artes, quæ alimenta suppeditant. ex terra enim fructus elicit agricola: quemadmodum vicißim pastores & venatores, agricolis alioqui cognati, animalia quæ supra terram viuunt pascere & insectari solent, pro hominis vsu & alimento, de quibus in sequentibus agemus. Vide tit. Agriculturæ inuentorum.

ESAV gnarus venandi, & agriculturæ studiosissimus fuit. Genes. cap. 25.

OSIRIS in Nysa Ægyptij ciuitate plantãdi, ac vini conficiẽdi seruandiq; & ex alio loco trãsferendi vsum edocuit. Diod. Sic. li. 1. cap. 2. de reb. ant. Eodem studio accensa Isis, triticum & hordeum prima coluit. Idem.

HESIODVS poeta Cumeus, primus agriculturæ præcepta tradidit. Itaque Cleomenes Homerum Lacedæmoniorum, Hesiodum verò Helotarum seruorum poetam esse dixit: quoniam ille arma, hic verò agriculturam docet. Ælian. lib. 13. Var. hist. Plin. lib. 14.

ANCÆVS Astypaleæ Phœnicis filius, rex Partheniæ, teste Aristotele vites, magnopere senex, serere non erubuit. Volater. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

PHRYGES tanto studio agriculturæ incumbunt, vt si quis inter ipsos bouem aratorem occiderit, aut instrumentum quodpiam ad agriculturam aptum furto sustulerit, morte puniatur. Stobæus serm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

Lex est ATHENIENSIVM, Bouem aratorem, qui iugum trahit, vel in aratro, vel plaustro, ne mactes: quoniam ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius. Ælianus lib. 5. de Var. hist.

Lysander Lacedæmonius cùm ad CYRVM minorem Persarum regẽ venisset, in hortum ductus, admiratus & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam, Cyrum interrogauit, à quo essent arbores plantatæ, & cuius solertia tam aptè dimensæ? Cui respondens Cyrus, ait: Atqui ego ipse sum ista dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio, mea enim manu sunt satæ. Tum Lysander purpurã ornatúmque Persicum multo auro intuens, dixisse fertur, Rectè Cyre, te beatum ferunt homines, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta est. Cicero in Catone.

GELO Syracusanus, frequenter suos ad agriculturæ studium adhortabatur: partim, vt agri ad vsum hominum meliores redderetur: partim, ne ocio torpescerent. Plut. in regum & imperatorum apoph.

ROMANI quantum agriculturæ studium amplexi sint, non tantum id ostendit, quòd consules, dictatores, senatores ex agris sæpe per viatores vocarint, item quòd rustica plerique cognomenta habuerint: sed illud quoque, quòd præter vrbanas tribus quatuor, reliquas omnes rusticas cõstituerint, à quibus transire ad vrbanas Romano ciui probro datum est. Apud eos etiam agrum malè colere, aut minus arare quàm vertere, censoria nota dignum putabatur. Octo itaque dies culturæ agrorum veteres impendebant, nonum vrbanis rebus & nundinis. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

NVMA Pompilius Romuli successor, vt populum ad agriculturæ studium verteret. Terminum deum coli voluit, qui agrorum limites discerneret, tãquam pacis & iustitiæ in iisdem custodem: agrósque diuisit suis. Plut. in Numa.

Tulli Hostilij III. regis Rom. PATER agricola fuit. Val. lib. 3. cap. 4.

QVINTIVS CINCINNATVS, cum nudus trans Tyberim terram araret, à viatore S. P. Q. R. iussu dictator dictus, vocatus est. Sumptis itaque insignibus, Quintum Minutium consulem in Algido monte obsessum, obsidione liberauit, vnde à Minutio & eius exercitu, corona aurea obsidionali donatus est. Vicit hostes, duces corũ in deditionẽ accepit, & in triumpho ante currũ egit. 16. die quam acceperat dictaturã deposuit, & ad agrum reuersus est. Iterum post annos 20 dictator dictus est. Liuius.

MAGO Carthaginensis de re rustica vigintiocto volumina scripsit, quæ ex s. c. in Latinum sermonem versa sunt: ideóque vt rusticationis parens veneratione dignus habitus est. Columella lib. 1. Testatur M. Varro, Cassium Dionysium Vticensem ex eis 20 volumina in Græcum vertisse sermonem, ac Sextilio prætori dedisse. Volat. lib. 17. Anthr.

SERVILIVS VACIA vir prætorius, tempore Senecæ, nulla re alia notus fuit, quàm villæ ocio, quam prope Cumas possidebat, in qua consenuerat. Seneca in epist. 55.

ATTILIVS Seranus, à serendo cognomen adeptus, agriculturæ studiosissimus, dari sibi in Africa successorem postulauit, ne villæ suæ pauca iugera quædam pessum irent, mortuo villico, cuius industria vxorem & libetos alere consueuerat. Senatus, ne inchoatum bellum omitteret, operam dedit, vt ager eius tolleretur, & vxori & liberis publicè alimenta præstarentur. Platina in dial. ad Vrsinum, de vera hominis nobilitate.

C. LICINIVS Stolo, gener Fabij Ambusti, agriculturæ tã studiosus fuit, vt inde Stolonis nomen adeptus sit. Plantas enim & arbores ablaqueare, & resectis fruticibus, quos stolones vocant, curare solebat. Columella.

CENSORIVS Cato duobus tantùm vtebatur prouentibus, parsimonia & agricultura, cuius studiosissimus fuit, in agróque solitus ad cœnas parcissimas vicinos æquales familiarésque suos vocare. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

DIOCLETIANVS Romano se imperio abdicauit. Ad quod gerendum cùm reuocaretur, vocatis in hortos suos oratoribus: ita quidem respondit, vt rogaret eos, lactuculas aspicerent, quas manu sua & seuisset & coluisset. Quo dicto declarauit, pluris se vitam illam quietam & tranquillam facere, quàm redire ad imperium administrandum. Pont. Fort. domest.

M. IVL. Licinius, Imp. Rom. ex Dacia oriundus, PATRE agricola. Ful. lib. 3. cap. 4.

SPYRIDION agricola & pastor Cyprius, Trimethuntis Cypri episcopus factus est, propter miracula & vitæ sanctitatem. Hic est, qui in concilio Niceno philosophum quendãm inuictũ breuissima fidei Christianæ narratione conuertit. Sozomenus lib. 1. cap. 11. & Niceph. lib. 8. ca. 14, & 42.

PRINISLAVS agricola ab aratro ad regnum Bohemiæ vocatur. Vide tit. Ex infelicibus felices facti.

BAMBA agricola, à Leone pontifice ad Hispaniæ regnum euectus, Mauros deuicit. Ritius lib. 2. Reg. Hispaniæ.

OTHOMANVS primus Turcarum princeps, agricola PATRE natus. Egn. lib. 3. cap. 4.

IACOBI Mutij Attendulæ, à quo clarissima Sfortiarum gens ortum duxit, PATER agricola fuit. Vide tit. Ex infimo loco ad magistratus euecti.

FRANCISCI Carmaniolę ducis clarissimi pater fuit agricola Allobrox. Vide tit. Ex infimo loco ad magistratus euecti.

HORTORVM CVLTORES.

ABARTOMIVS Alexandri Magni hortos irrigare consueuerat, & ab eo Sidoniæ rex constitutus est. Fulgosus lib. 6. cap. 10.

MAVRILIVS Andegauensis episcopus, olitor factus. Vide tit. Pœnitẽtiæ religiosæ.

PASTORES.

Agricolis affines sunt pastores, ita quidem vt ab aliquibus agricultura in duas partes diuidatur: in cultum agrorum, & curam pecudum. Agricolæ enim è terra alimentum producunt: pastores verò animalia cibis hominum opportuna educant, atque curant, ἐξ ἔργων δ' ἄνδρες πολύμηλοί τε ἀφνειοί τε, inquit Hesiodus, diuitias agriculturæ, copiam pecudum pastoriciæ tribuens. Et propterea Homerus Plutum Cereris & Iasionis filium facit. Pastoricia certè vita omnium innocentißima semper fuit, etiam apud primos parentes Abel pastor, Cain reprobus fuit agricola. Præterea filij Iacob, apud fratrem Iosephum in Aegypto interrogati de arte sua, respondent: Pastores ouium sumus, sicut omnes patres nostri. Reccabitæ etiam siue Madianitæ apud Hieremiam à parentibus suis hoc se recepisse asserunt, ne biberent vinum, vt tentoria inhabitarent, & vt oues pascerent. Quos etiam Scythæ imitantur Hamaxobij. Hanc enim veram libertatem veteres esse opinabantur, & innocentißimam vitam greges aut armenta pascere. Hanc ob causam apud Græcos & Latinos Bucolicum carmen omnium simplißimum, & minimè fucatum pastoribus attribuitur: non autem piscatoribus, qui lucri cupidiores, eóque astutiores plerunque videntur esse. Cęterùm vt varia sunt animalia, ita quoque pastores varij: eáque propter muliones, agasones, & equisones, pastoris vocabulo sæpe comprehenduntur: qui tamen ad hunc locum propriè non pertinent, quia non alimentis, sed reliquis hominum vsibus hæc animalia inseruiunt, nisi quando vrgente fame ad hæc deuoranda miseri mortales compelluntur. Omnes certè isti ποιμένες, ὡς μένειν ποιοῦντες τὰ θρέμματα dicti sunt, & propterea sub pastoris genere comprehenduntur. Nos tamen ne nominum potius quàm rei videamur habere rationem, hîc de veris tantùm pastoribus agemus, quos Sacræ literæ pastores ouium & armentorum vocant: reliquos infrà suo loco sub eorum catalogo, qui ea quæ ad vsum hominis conferre possunt, in animalium curatione tractant, enarraturi. Exempla etiam quædam ex tit. eorum Qui ab infima fortuna ad maximas euecti sunt dignitates, huic in loco opportuna, peti poterunt.

ABEL, Adami & Euæ secundo genitus, pastor ouium, à fratre suo Cain in agro occisus est. Genes. 4.

IACOB auunculo suo Laban gregem die noctéque, in summo æstu ac gelu pauit. Genes. 13.

MOYSES pascebat oues soceri sui: cúmque duxisset gregem ad interiora deserti, veniens ad montem Dei Oreb, vidit Dominum in flamma ignis. Exod. 3.

RECCABITÆ in sacris apud Esaiam pastore ouium se esse gloriantur, more à maioribus accepto, & acerrimos priscæ religionis propugnatores.

APOLLO priuatus deorum ambrosia, ob interfectos Cyclopes, pauit armenta Admeti regis Thessaliæ, Tibul. lib. 2.

CRATHIS seu Crathides, pastor fuit apud Sybarin, qui infando amore capræ exarsit.

SYBOTES suarius, Vlyssem profugum, & iam suis ignotum, in patriã deduxit.

PHILETIVS bubulcus Vlyssis, & EVMEVS porcarius.

TILIPPVS pastor, qui Lycastum & Parthusium à Philonomia matre expositos educauit. Plutarchus.

METRIDATES apud Herodotum nomen est pastoris regij, cuius vxor, Spaco nomine Cyrum infantem (qui postea rex fuit Medorum) ab Astyage deuotum feris, aluit.

TITORMVS bubulcus mirandæ fortitudinis, qui cum Milone certauit.

GYGES pastor Lydorum regis, annuli beneficio Lydiæ regno potitus est. Plato. Aliter tamen Herodotus lib.1.

DAPHNIS pastor in Sicilia formosissimus, boum armēta multa possedit: quem bucolicum carmen inuenisse dicunt. Volat.lib.15.cap.1. Anthrop. Vide tit. Perfidiæ amatorum pœna.

SCYTHÆ NOMADES & Numidæ in tuguriis degunt, quæ pro pabuli copia vel inopia aliò transferunt. Idem institutum HAMAXOBII persequuntur, & TROGLODYTÆ Æthiopes. Diod. Sic. libro quarto capite 3.

EVAGES pastor, deinde poeta. Vide tit. Comicorum.

FAVSTVLVS pastor, cui Amulius dedit Romulum & Remum exponendos. Aliis placet Faustulum eum fuisse, qui expositos nutriuerit. Plut. in Romulo.

ACTIVS Nauius, augur clarissimus, ob paupertatem sues puer pauit. Cicero lib.1. de Diuin.

TVLLVS Hostilius rex Rom. III. in adolescentia oues pauit, rustico patre natus. Valer.lib.3.cap.4.

MIRMILLO armentarius, cuius similitudo obiecta est Cassio Seuero celebri oratori. Testis Plin.lib.7.

ALSVS, Tityrus, Corydon, Melibœus, Menalcas, Alexis, pastorum nomina sunt apud Maronem.

VIRIATVS Lusitanus primùm in Hispania è pastore venator, è venatore latro, mox iusti exercitus dux factus: cuius facta habes apud Plin. Cæcilium.

BVBVLCVS seruus Vespasiani. Libertatem eius nimiam in reprehēdenda Domini auaricia, pete ex proprio titulo.

FL. VAL. Iustinus, primus Imp. Rom. Thrax genere, primò subulcus, deinde bubulcus, tandem faber lignarius factus est. Fulgosus libro sexto cap.10.

MAXIMINVS senior, Imp. Rom. Thrax, fuit opilio in puericia Capitolinus.

MARIANVS Bituricensis cœnobij monachus, bubulci officio functus, aprum ad se fugientem ab insequētibus canibus tutatus est. Marul. lib.4.cap.5.

SOPHI (qui postea rex fuit Turcarum) in agendis armentis victum puer quæritauit.

TAMBVRLANVS pastor Scytha, postea rex Asiæ. Vide tit. Ex humili loco reges facti.

MAHVMETES Auelanaginar, è bubulco à Mauris ad Granatæ regnum in Hispania euectus est. Fulgos.lib.6.cap.10.

PRIMISLAVS Bohemorum rex, bubulcus fuit.

CAROLOMANVS, Caroli Martelli filius, & Caroli Magni patruus (qui cùm monachus esset, abbatis iussu rursus in Galliam regni constituendi gratia profectus est:) cuius obedientia erga abbatem tanta fuit, vt greges eius loci iussus pasceret. Volat.lib.21. Anthr.

IOAN. ANTONIVS Campanus, agro pascendisque ouibus ab initio à patre relegatus est. Deinde verò episcopatum Aretinum eruditione sua meruit. Volat.lib.21. Anthr.

VENATORES.

Pastores cicura animalia curant: venatores verò syluestria persequuntur & capiunt. Vtrorumque tamen scopus est, corporis alimentum. Venationis varias species Plato in Sophista affert: nos hoc in loco χερσαίαν intelligimus, terrestrium scilicet animalium. De aucupio & piscatione in sequentibus. Est autem venatio duplex: quædam Campestris, & libera, quæ in agro fit: quædam theatralis, vt ita loquar, conclusis feris in theatro intra caueam, quam Vrbanam possumus appellare. cuius exempla aliquot ex loco Prodigalitatis peti possunt. Prior illa nostri nūc est instituti. Sub qua non eos tantùm qui professione venatores sunt comprehendimus, verumetiam illos qui voluptatis vel sanitatis causa venationibus operam dare solent. Quorum exempla aliquot ex tit. eorum, Qui à feris variis interfecti sunt: item, Qui in venationibus periculum, peti poterunt.

ESAV gnarus venandi fuit. Genes.25.

LAMECH ob longum senium videndi vsum amiserat: & cum ingens venator fuisset, & sagittādi peritissimus, in venationem duce puero profectus, cùm inter arbusta motum quendam sensisset, arbitratus illic ferā latére, deduci se eum locum versus, & in eam partem dirigi sagittam curauit. Quam cùm tanquam in feram emisisset, Cain affinem suum miserè occidit. Præ dolore igitur in insaniam penè delapsus, vitato hominum conspectu, syluas habitatum se contulit. Fulg.lib.9.cap.9.

DIANAM poetæ fingunt perpetuo venandi studio duci. Quod ideo fabulantur, vt doceat magnopere his cauendam esse desidiam, quibus curæ est virginitas.

ARETHVSA virgo venatrix, Dianæ comes. Virgil.4.Georg.

HIPPOLYTVM ferunt Thesei filium, sese in consectandis feris exercuisse, studio virginitatis, & ocij vitandi causa.

CRANEM Ouidius libro 5 Fastorum ait, fuisse nympham lustrandis syluis deditam. Hæc eius verba:

Inde sata est nymphe, Cranem dixēre priores,
Nequicquam multis sæpe petita procis.
Rura sequi, iaculísque feras agitare solebat,
Nodosásque caua tendere valle plagas.

ADONIS Cynaræ ex Myrrha filius, à Venere amatus, dum venaretur, ab apro interfectus est.

ORION venator (vt fabulantur poetæ) quum viribus fidens gloriaretur, nullam esse feram quam non conficeret: diis insolens verbum vlciscentibus contigit, vt terra scorpionem pareret, à quo vulneratus occubuit.

HORION venator, feras sponsæ offerens, insulam cicurem reddit. Vide tit. Cæci, & Excæcati.

CEPHALVS Atheniensis, Procridis maritus, venator fuit, quem poetæ fabulantur ab Aurora adamatum. Ouid. in Epistolis, & Metamorphosi.

LYCAON Arcadiæ rex in lupum conuersus in venatione, à suis canibus exagitatus est. Fabulam pete ex primo Metamorph.

CALYSTO Lycaonis regis Arcadię filia, venatrix. Ouidius libro secundo, Fast.

ACTÆON cùm meridiano ęstu & labore defatigatus, frigoris captandi causa in lucum densissimum ingressus esset, Dianam cum comitibus nudam sese lauantem vidit. Illa lymphis aspersum, in ceruum commutauit A propriis igitur canibus laceratus est. Accidit hoc multis etiānum hodie. Dum Dominis placere volunt, patrimonium omne in venationes & consimiles nugas impendunt, atque adeò ad extremum à suismet canibus lacerantur, & decoquunt.

ATALANTA Schœnei Arcadis F. virginitati ac venationi se totam deuouit, & immanem aprum toti formidolosum Arcadię prima percussit cum Meleagro. Ouid. lib.8. Metam.

ABAS Centaurus, venator. Ouid. lib.12. Metam.

HELYMVS & PANOPES, Acestę regis Sicilię comites, venatores fuerunt, teste Virg. lib.5. Æneidos.

LAVSVS Mezentij filius, ferarum debellator maximus. Verg. lib.7. Æneidos.

Lausus equum domitor, debellatórque ferarum.

Idem vocat AMYCVM ferarum vastatorem, lib.9. vbi ait:

---Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrúmque armare veneno.

Idem lib.11. ORNITVM quendam inter venatores reponit.

AMYMONE Danai filia, venatrix: quæ dum in syluis iaculo se exerceret Satyrum læsit, & postmodum à Neptuno ibidem compressa est.

BRITONA nympha, Martis filia, inter venatrices puellas & Dianæ comites numeratur.

CROCVM poetæ dicunt venatorem fuisse, Musarum precibus in astra relatum.

HIPPE mulier, Chironis Centauri filia, in Pelio Thessaliæ monte sese exercuit venando: vbi deorum commiseratione in equam mutata est, dum patris indignationem expauesceret. Alio nomine Thea dicitur. Rauis.

NICIAS venator, dum venandi studio feras immissis canibus præceps insectatur, in fornacem carbonariam decidit: vbi canibus circumgannientibus, & rapta veste conantibus Dominum educere, crematus est. Cælius.

PERDIX venator infanda correptus libidine matri congressus, fecit vt Perdicis libido in Prouerbium abiret. Cælius cap.15.lib.16.

MELANIONEM quendam ferunt odio mulierum, & seruandæ castitatis desiderio consectandis feris se totum deuouisse, nec vnquam à solitaria illa & vmbratili vita reuocari potuisse. Rauisius.

ENDYMIONA pastorem poetæ dicunt quandoque in monte Latmo vacasse consectandis feris. Val. Flac. li.8. Argon.

Latmius æstiua residet venator in vmbra,
Dignus amore deæ. Lunæ scilicet, siue Dianæ.

PERSÆ, adolescentes in primis exerceri in venationibus voluerūt, eo quòd venationem ad belli studium plurimum conferre putarent. Habebant autem ad venationem exeuntes, arcum & pharetram, in vagina mucronem, aut securim. prętereca cratem, & pila duo, vt alterum emitterent: altero, si opus fuerit, comminus vtantur. Rex etiam quemadmodum in bello se ducem iis pręstat, ita quoque tunc, vt rectè venentur, diligentiam adhibet, quòd hęc verissima videatur meditatio rerum bellicarum. Xenophon in Cyri pędia, Stobęus sermone 42.

GYMNETÆ Æthiopię populi, syluestrem incolentes patriam & penitùs asperam, rarisque aquarum fontibus, super arbores ferarū timore dormiunt: sub auroram ad aquarum decursus armati prodeūtes, se abscondunt inter arborum frondes. Sub ęstum verò solis, agrestes boues pardalésque acvariarum genera cùm caloris, tum sitis causa ad aquas confluunt:

fluunt: quas aqua iam granatas, ex arboribus descendentes occidunt, perque cœtus diuisas edunt. Si quando desunt animalia, antea captorum pelles madefactas remotis pilis, ad ignem leuem ponunt, dispartitasque singuli auidè ad satietatem sumunt. Impuberes pueros exercent ad certum signum iacere, solis cibos præbentes iis qui signum tetigere. Ideo iaculatores optimi euadunt, vrgente fame. De his multò plura scribit Diodorus Sic.lib.4.cap.3. de Rebus antiquis.

TROGLODYTAE assidui sunt in venationibus, & mira clarent velocitate: nam super Æthiopiam velociores sunt equis.

MOLOSSI populi Epiri optimos habent canes venaticos. Martialis libro duodecimo:

Retia dum cessant, latratorésq; Molossi.

LYRCAE populi Scythiæ, venatione victitant hoc modo: Conscensis arboribus, quas habent frequentes, insidiantur feris. Singulis adest canis, & equus inventrem cubare edoctus, humilius subsidendi gratia. Vbi quis feram ab arbore vidit, sagitta percutit: percussam, si fugiat, conscenso equo persequitur, comitante cane. Rauis.

LVCANI venationis studio præcipuè delectati, nullum alium cibum filiis suis apponebant, nisi quem ex venatione domum reportassent. Alex. ab Alex.lib.2.cap.25.

HERCVLES robur ac vires Erymanthij suis metuens, dolo belluam cœpit. Cùm enim aper in valle somnum caperet (erat autem vallis plena niuium) ille multos lapides desuper iniiciebat. Itaque sus excitatus exiliit, & furore atque indignatione præceps actus, in niuem incidit: ac submersus, captus est. Polyan.lib.1.

LYCVRGVS, eos qui iam puberem ætatem superassent, in venatione præcipuè exerceri voluit, vt labori & studio venationis intenti ad bellum aptiores redderentur. Xenophon in Repub. Lacon. Stobæus sermone 42.

CYRVS apud Astyagem auum, puer equum agere, & conclusas horto feras iaculo ferire doctus: postquam adoleuit, aut aprum, aut leonem in syluis petebat. Pontanus lib. de Principe.

ALEXANDER Macedo, si quando vacabat, venatione sese exercere solitus erat. Volat.lib.13.cap.3. Anthrop.

ANTIOCHVS ille qui bis exercitum duxit aduersus Persas, cùm in venatu quodam feram insequeretur, aberrans ab amicis ac famulis, in casam pauperum quorundam, quibus ignotus erat, introiit: atque inter cœnam iniecta mentione regis, audiuit, quòd cætera quidem probus esset, sed plerásque functiones mandaret amicis improbis, ipse ad eorum facta conniuens: tū quòd modò immodico venandi studio, frequenter necessaria negligeret. Ad hæc tum tēporis nihil respondit, nec quis esset prodidit: verùm vbi diluculò satellites venissent ad casam, iamque agnosceretur, allata purpura simul cum diademate: Age, inquit, ex quo vos indui, heri primùm vera de meipso audiui. Nam ferè hoc studio est his qui viuunt in aulis principum, ne quid audiant nisi blādum auribus. Plutar. in Regum apoph.

MITHRIDATES exercitationi, & venandi studio adeò intentus fuisse dicitur, vt septem annis neque vrbis neque ruris tecto vteretur. Volat. lib.17. Anthrop.

PHRAOTES rex Indorum, venationis studiosissimus semper fuit: ad quem Apollonius Tyaneus cùm peruenisset, & de victu interrogaret: Sibi exercitationem sufficere, & feras in venatione captas aliorum esse, quibus dabat, respondit. Philostratus in vita Apollonij.

XENOPHON Grylli filius Atheniensis, Socratis discipulus, qui ob eloquentiam Musa Attica dictus est: equorum, rei familiaris, & venationis in primis studiosissimus fuit. Volat.lib.20. Anthrop.

Apud Romanos primi Fabianæ gentis viri, eo quòd in venatione fossis vterentur, Fodij antiquitùs nominati fuere: tempore postea duabus literis immutatis, FABIORVM nomen extitit. Plut. in Fabij Max. vita.

Horatius lib.1. Epist. ait: GARGILIVM venatorem fuisse, qui spectante populo ceruos cum plagis & venabulis per medium forum iubebat transire, ac demùm emptum aprum palàm referre, vt cepisse aliquid videretur. Hæc eius verba:

--Venemur, vt olim
Gargilius, qui manè plagas, venabula, seruos
Differtum transire forum, populúmque iubebat;
Vnus vt è multis, populo spectante referret
Emptum Mulus aprum.--

ADRIANVM Romanorum imperatorem studiosum venationis fuisse tradunt: in eaque humerum fregisse, & ob eandem crus penè mutilatum habuisse. Vrbem, quam ædificauit in Mysia, Adriani venationes appellauit. Borysthenі equo, quo in venationibus vtebatur, mortuo, monumentum ædificauit: erexitque columnam, inscripto epigrammate. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Adriani.

ALEXANDER Romanorum Imp. & Basilij Macedonis Imperatoris filius, viginti annos natus adolescens, rebus cæteris grauioribúsque negociis omissis, venationi, canibus equisque operam dedit. Volat. libro 23. Anthrop.

Mart.lib.12. ad PRISCVM venatorem hoc modo scribit:

Parcius vtaris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit præda venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus, equo.

ACONTEVM venatorem fuisse, docet Statius lib.7. Theb. Syllius lib.16.

Virtutem HASBITES feminæ bellis exercitæ sic describit Syllius libro primo:

Hæc ignara viri, vacuóque assueta cubili,
Venatu & syluis primos defenderat annos:
Non calathis mollita manus, operatáue fuso,
Dictynnam & saltus, & anhelum impellere planta
Cornipedem, ac strauisse feras immitis amabat.

ISACIVS Comnenus ex venatione in morbum incidit. Vide tit. Ostentorum mortis.

ATTILA venator, cùm vrsam persequeretur, & illa ad Basoli Remensis abbatis cellam confugisset, viri pietatem admiratus, prædium abbati dono dedit. Marul.lib.4.cap.5.

EVSTOCHIVS magister equitum Traiani, in venatione ad Christum cōuertitur. Vide tit. Liberalitatis religiosæ.

D. GERMANVS episcopus. Antisiodorensis, prius præfectus fuit eius vrbis, & venationi ita deditus, vt Amatorem episcopum (qui eum postea vel inuitum creauit sibi successorem) trucidare voluerit, propterea quòd arborem clàm succidisset, ex qua captarum in venatione ferarum capita suspendere solebat. Vincentius in Speculo, lib.20.cap.4.

CAROLVS Francorum rex Caroli Sapientis regis filius, venationis studiosissimus fuit. Is cùm olim venaretur in saltu, cui nomen Syluanecto, ceruum cepit æneo torque insignem, cùm hac inscriptione: HOC ME CÆSAR DONAVIT. Itaque ex illo instituit, vt & ipse suíque posteri effictam in campo liliorum cerui imaginem cùm aureo torque pro insigni haberent. Ritius Neapolitanus lib.3. Reg. Francorum.

ALPHONSVS rex cùm aliquando relaxare animum à negociis vellet, non se quidem abdidit, neque saltationes, neque conuiuia, neque ludos aliquos exercuit, sed venatione plurimum vsus est: quia, vt Lycurgus tradidit, non solùm adolescentes, sed grandiores etiā natu, militiæ labores tolerare pulcherrimè discunt. Panormitanus libro 4. de Rebus gestis Alphonsi.

PISCATORES.

DYCTIS piscator educauit Perseum: de quo Statius libro secundo Syluarum:

Fluctiuagus volucrem comabat Persea Dictis.

De HERMINIO Syllius libro quinto:

Nec minus Herminium primis obtruncat in armis,
Assuetum Thrasymene tuos prædantibus hamis
Exhaurire lacus, patriaque alimenta senectæ
Ducere, suspenso per stagna latentia lino.

CAVCI septentrionales populi altos habitant tumulos, & casas natigiis similes: à quibus quum recedit mare, fugientes cum aquis pisces circa tuguria venantur. Nullas habent pecudes, neque aluntur lacte vt finitimi, Vlua & palustri iunco funes nectunt, ad prætexenda piscibus retia. Captum manib. lutum ventis magis quàm sole siccant. Potus non nisi imbre seruato scrobibus in vestibulo domus. Rauisius.

AMYCLAS piscator, à C. Iulio Cæsare persuasus, quamuis fremente & æstuante mari, fragilem cymbam cum Cæsare conscendere non dubiauit.

MAMERCVS Capretanus piscator thesaurum inuenit. Vide tit. Thesauri fortuitò reperti.

COI piscatores iactum reti Milesiis hospitibus vendiderunt. Extrahunt aureum tripodem, quem eò Helena, cùm à Troia nauigaret, vetusto quodam oraculo admonita deiecit. Orta inter eos altercatio, quòd pisces se, non tripodem vendidisse, piscatores assererent, etiam ad bellū deuenit. Consulta Pythia, sapientissimo dare præcepit. Coi ergo Miletū Thaleti miserunt: is Bianti, Bias alteri: tandem ad Solonem venit, qui Apollini Delphico munus obtulit. Plut. in vita Solonis.

ICHTHYOPHAGI, qui litus inhabitant Carmanium Gedrosiúmque vsque ad sinum Arabicum, nudi per omnem vitam degentes, vxores filiósque omnes communes habent, bestiis similes: vt qui neque voluptatis neque doloris vllum nisi naturalem sensum participent, neque turpis neque honesti discrimen norunt. Habitacula habent non longè à mari, iuxta promontoria, vbi ex profundis cauernis pisces capiunt. marinas belluas, vt sunt scorpij, murænæ, canes, &c. non armis expugnant, sed caprarū cornibus præacutis. Captos pisces diuersi generis supra petras ad meridiem sitas, nimióque solis æstu incensas, ponunt: paulóque pòst reuoluunt, carnes piscium à spinis separant: carnes in concauo saxo pinsunt, admixtóque paliuri semine cibum conficiunt sibi suauissimū spinas ad alium conseruant vsum, Verū cùm ob maris tempestatem non datur piscandi facultas, conchas legunt, quarum, testa saxis attrita, interiori carne cruda vescuntur. Plura de his lege apud Diodorum Siculum lib.4.cap.3. de Rebus antiquis, & alibi.

AVCVPES.

PHILOCTETES quum cruciaretur non ferendis doloribus ex vulnere à telo Herculis accepto, propagabat tamen vitam aucupio, & affigebat tardus celeres, stans volantes, pennarúmque contextu corporis tegumenta faciebat. Cic. lib. 5. de Finibus.

DINIAS Pherecis, ex aucupe tyrannus. Vide tit. Astu tyrannidé inuadere.

EQVES Rom. auceps noctuam, quæ Augusti somnum in villa turbabat cepit. Vide tit. Liberi in reprehendendo.

FRIDERICVS II. Ænobarbus venatione & auibus plurimum delectabatur, & primus in Italiam cum falconibus & accipitribus aucupandi morem inuexisse traditur. Testis Leander Bononiensis, in Italia.

HERBARII, MATERIALISTÆ.

ῥιζοτόμοι.

Officium ipsum siue exercitatio Mechanica est, At si scientiam ipsam spectes, seu potius historicam cognitionem, ipsum denique finem, ad quē referuntur, inter Theoricas disciplinas locum habebit. Eius rei causa nos Medicinæ artem, ῥιζοτομικὴν, tanquam famulam & ministram adiunximus. Inde qui volet, exempla petat. Hic titulum tantum adnotauimus, ne quis in recensendis artibus Mechanicis aliquid desiderare posset.

MOLITORES.

Hactenus de iis artibus, quæ ea quæ corpori offeruntur acquirunt, siue alimenta ea sint, siue medicamenta: nunc de ijs, quæ acquisita præparant. Quorum variæ sunt differentiæ, pront etiam præparatio varia est, vel ad voluptatem, vel ad necessitatem conferens. Nos quarundam exempla hic referamus. Et primùm de Molitoribus agamus, quorum ars necessaria admodum est, quemadmodum quoque Pistorum. deinde de Coquis, qui vel ad voluptatem solam facere videntur: vel si necessitati inseruiunt, quidam veluti ministri medicorum censendi sunt: quandoquidem cibos præparant non tam vt nutriant, quàm ne cruditate sua morbos pariant. Et propterea ad προφυλακτικὴν partem medicinæ referri possent. Quæ causa fuit, cur sæpe diuinus Plato medicinam vocarit ὑγιαστικήν τινα.

PITTACVS magnis laudibus molam euehebat: idque eius encomium decantabat, quòd in exiguo loco multi sese exercitare possent. Extat cantilena, quæ ob eam causam Epimylion dicitur. Iocabatur ille quidem, quòd pistrinæ veterum ad corrigendos fontes plurimum valere viderentur. Reuerà tamen mola ipsa vitæ hominum vtilissima existit. Ael. lib. 14. de Var. hist.

PISTORES.

GVLIELMVS Aquitaniæ quondam & Prouinciæ Dominus, monachus factus, in omnibus Abbati obediens, pistoriam exercuit tanta alacritate & pietate, vt cùm scopam, qua prunas euerreret, nõhabe ret, fornaci insilierit, & veste eas extraxerit, nulla interim vel corporis vel vestimenti parte læsa. Marul. lib. 4. cap. 5.

CATTÆ Melatæ ducis clarissimi pater, pistor fuit Narniensis. Vide tit. Ex infimo loco ad magistratus euecti.

COQVI.

PHRYNIS Lesbius, coquus fuit Hieronis Syracusani, datus postea Aristoclidi. Vide tit. Lyricorum poetarum.

MYSTILLVS, & TARATALLA, nomina sunt coquorum apud Martialem, scribentem:

Si tibi Mystillus coquus Aemiliane vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

PERDIX fuit caupo & coquus claudus: qui sequenti prouerbio locum fecit, Perdicis crura, in homines distortis cruribus. Rauisius.

PANNONII omnes cuiusque ætatis culinariam norunt artem, Rauisio teste Quàm rectè, ipse viderit.

LACEDÆMONII coquos nullos alios, quàm carnium, admittebant: reliquos, tanquam luxuriæ ministros, è ciuitate pellebant. Æl. lib. 14. Var. hist.

SICYONE olim plurimos coquos fuisse, inde patet, quod Smindyrides Sybarita nuptiarũ causa cum Agaristia Clisthenis filia Sicyonem profectus sit, & mille coquos, totidem aucupes & piscatores adduxerit. Ælianus lib. 12. Var. hist.

RAYMVNDVS Campanus, & alius eodem nomine Maurus, culinæ præfecti Roberti ducis Calabriæ. Vide tit. Qui ex humili fortuna euecti, denuò deiecti sunt.

LANII.

THEAGENES lanius, Vide tit. Proditionis pœna.

TER. Varro Consul, qui ad Cannas ab Hannibale cæsus est, patrem lanium habuit. Val. lib. 3. cap. 4.

LANII Parisiensem libertatem inuadunt, sub Carolo sexto. Vide tit. Seditionum.

PETRVS Cossulinus, & Iacobus Mangiolinus, lanij Bononiensem libertatem occupant. Vide tit. Seditionum.

GIANNIDA lanius, à Brugensi populo contra Gallos dux constituitur. Vide tit. Seditionum.

LANIVS Budensis aleatorem quendam diuina voce monitus interfecit, quamuis podagra laboraret. Vide tit. in deorum imagines sæuire.

NICOLAI Picinini clarissimi ducis pater fuit Perusinus lanius, Vide tit. Ex infimo loco ad magistratus euecti.

SALSAMENTARII, FARTORES.

ÆSCHINIS oratoris Athenien sis præstantissimi, (qui Demosthenis quoque acerrimus antagonista fuit) pater lucanicas vendebat, cùm fartor esset. Fulgosus libro tertio, capite quarto.

PHARMACOPOEI.

Dextra manus medici pharmacopola est. Exercitatio ipsa mechanica. At ars ipsa Theoricæ medicinæ famula. Eapropter inter medicorum ministros à nobis superiori loco fuit connumerata. Hic titulum tantum annotamus, ne quis in enumeratione Mechanicarum artium diligentiam nostram desiderare queat.

MEDICI PRACTICI, ET PRÆSERTIM *Chirurgi.*

Nihil medica theoria iucundius & elegantius: nihil ipsa praxi tristius atque molestius, chirurgica præsertim, vtpote quæ carnificis potius quàm hominis philosophi videatur esse propria. Vsus tamen & finis artes distinguit. Ad sanitatem hominis referuntur actiones istæ: & propterea quamuis per se sordidæ videantur & illiberales, tamen ex fine primum, qui φιλανθρωπώτατος est, deinde etiam ex modo cognoscendi & operandi, non per sensum tantùm, verumetiam per rationem, omnium maximè liberales euadunt: vt quæ corpus, sine quo mens sana subsistere nequit, sanum efficiunt. Itaque à nobis superiori Libro inter Theoricos medicinæ authores, etiam Practici fuêre connumerati. Exempla inde petantur. Titulus hîc tantùm ad perfectam Mechanicarum enumerationem à nobis describitur.

BONARVM ACTIONVM CONSERVATRICES, *artes Mechanicæ.*

Cùm variæ sint corporis exercitia, omnium illorum is est vsus, vt corporis sanitatem conseruent, morbos prohibeant. Eapropter gymnastica, cursus, luctæ, saltus, quinis denique corporis motus ad hunc finem referri debet. De Gymnastica quidem suprà quoque egimus, quando eam in opportuno vsu sex rerum non naturalium consistere diximus, pro sanitate interna conseruanda. At quatenus illa etiam ad bonas actiones, quæ à sanitate, tanquam effectus à forma, proueniunt, refertur, sic ad præsentem locum pertinet. Nunc igitur de iis agamus exercitiis, quæ vires corporis custodire & augere possint, verèque gymnastica dicuntur: sin modum excedant, athletica sunt, & vitiosa. Habitus enim & exercitia athletarum non tantùm à medicis, sed etiam à philosophis reprehenduntur ac vituperantur.

GYMNASTÆ.

Aristot. in 8. Polit. gymnasticam à pædotribica facit diuersam, quòd illa in ludicris tantùm exercitiis, luctando, saltando, currendo versetur, & pueris etiam conueniat: hæc verò magis seria exercitia contineat, quorum vsus in vita ciuili sit maximè necessarius: vtpote equitare, iaculari, arma tractare, & similia, quibus pædotribæ siue magistri campi præficiuntur, vt iuuenes matura ætate ad inferendos declinandósque ictus erudiant, & ad bella aptos reddant. Exempla peti possunt ex loco Bonorum corporis, de Robore actiuo.

ATHLETÆ.

Athletæ quamuis in iisdem versentur, in quibus & gymnastæ: peccant tamen in fine simul, & modo. Neque enim salubritatem propositam habent, sed corporis vastitatem: non verum corporis robur, quod in optima temperie consistit, sed momentaneam quandam virium efficaciam. Modum nullum seruant, neque in corporis habitu, neque in exercitiis. Itaque fit, vt corpora vastissima habeant, verum absque neruis ac robore: & exercitiis violentissimis defatigentur & conficiantur, quorum tamen ad patriæ salutem vsus nullus esse possit. Consule tit. Roboris actiui, sub loco Bonorum corporis. Hîc enim solius officij rationem habemus.

ACROCHEIRISTÆ, summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu hærentes.

PENTATHLI quinque certabant generibus: lucta, pugilatu, saltu, cursu, & pancratio.

XYSTICI, per hyemem exercebantur in porticu. Nam xystos latam porticum significat.

SCIAMACHI dicebantur, qui sub tectis vmbratilem pugnam fingebant, non veram, quæ fiebat in sole & puluere.

LANISTÆ & gladiatores dicuntur, qui veram, non vmbratilem gigladiandi artem profitentur: quique numeros omnes impetendi, cædendi, inferendique & vitandi vulnera, atq; etiam vbi punctim cæsimq; feriendum sit, discipulos docent: vt si quando in pugnam prodeundum sit, tutentur se melius, & inimicos inuadant cautius. Hæc Rauisius.

ARS FVCATORIA, ET EXORNATORIA.

Κοσμητικὴ etiam probis mulieribus, & viris conuenit: κομμωτικὴ tota sophistica est, quia mentitur id quod non est, cùm prior illa id tantùm quod est excolat. Propterea κοσμητικὴ siue Exornatio, Medicinæ quoque pars quædam existit: κομμωτικὴ verò, siue Fucatoria, ars meretricibus & lenonibus, quorum ministri sunt mãgones, relinquatur. Consueuerant olim mangones bulbo narcisi vino dulci dissoluto, pueworum venalium barbam remorari, multisque aliis pharmacis cutim eorum extergere, & nitidissimam reddere, vt maioris possent venundari. Ab hoc illorum sophisticate tota deinde κομμωτικὴ nomen obtinuit, vt à Latinis Mangonia diceretur. Mangones ipsi infrà sub mercatores referuntur: hîc propter fucos suos locum habere possunt. Exempla autem eorum qui fucis istis sunt vsi, inferius, vbi de cultu corporis agetur, afferemus.

TONSORES.

Consule locum Bonorum corporis, de vario tondendi ritu.

ALPHENVS Varro Cremonensis, tonsor fuit. Profectus inde Romã, sub Sulpitio iuri operam ita dedit, vt breui consulatum adipisceretur: & mortuus publico sumptu funeratus est. Fulgos. lib. 3. cap. 4.

LYCINVS tonsor Romanus locupletissimꝰ. Meminit eius Horatius in Arte poet. Marmoreũ hic post fata tumulũ obtinuit. Hinc distichõ illud.

Marmoreo tumulo Lycinus iacet. At Cato paruo;
Pompeius nullo. Credimus esse deos?

DONATVS Tib. Germanici tonsor. Ex marmore Romano, in regione Pinciæ, quod hodie adhuc visitur.

OLIVERIVS Dama tonsor, ad maximam dignitatem sub Lodouico XI Gallorum rege peruenit. Vide tit. Ex humili fortuna euecti, & denuò deiecti.

BALNEATORES.

Βαλανευτικὴν Plato in Sophista, inter τέχνας καθαιρετικὰς connumerat. Balneorum vsus olim frequentissimus fuit, propter gymnastica exercitia, in quibus nudi exercebantur, & oleo inuncti, arena baphe sese inuicem conspergebant, vt aduersarium apprehendere possent. Præterea cùm oleo & smegmatis ad corporis cultum frequenter vterentur, in balneis rursus sordes abluebant. In Græcia primùm loca balneis destinata habuerunt, quorum tres patres fuisse tum historici tum etiam medici scribunt. Romani luxum ea quoque in re quærentes, vt prodigalitate sua vulgi animos sibi conciliarent, dictu mirum est quantum studij & pecuniæ in Thermis ædificandis & conseruandis consumpserint. Nos hodie balneatores habemus, quorum opera partim in sudatoriis, partim in calidæ aquæ natatione vtimur.

ANIMALIVM DOMITORES.

Vt varia sunt animalia, sic varia quoque cicurandi ratio: siue vi humana aut diuina, siue arte domentur. Qui humanis viribus belluas superent, infrà vbi de Corporis robore sermo nobis erit, recensebuntur. Hîc eos tantùm, qui vel arte vel miraculo bruta mansuefecerunt, persequimur, siue vilitatem siue voluptatem tantùm ex illis percipiant. Poterunt autem plurima exempla ex tit. Ab animalibus nutriti & educati item, Bruta quæ opem hominis implorarunt: item, Mansuetudo brutorum erga homines, ad hunc locum traduci.

EQVISONES.

ŒBARES equiso, cuius astu Darius regnum Persarum adeptus est. Nam quum interfectis Magis, qui imperium inuaserant, Persarum proceres inter se eo pacto conuenissent, vt is cuius equus primus hinniret, regno potiretur. Oebares manum vuluæ equinæ prius admotam, naribus equi præbuit olfaciendam. Quo odore irritatus equus, primus dedit hinnitum. Herodotus lib.2.

RISACES equiso, vt Saccas suos à Darij tyrannide liberaret, Darij exercitum penè siti & fame confecit. Vide tit. Hostes fame conficere: ex Polyæni lib.7.

SYBARITAE equos in conuiuiis ad tibiæ sonũ saltare docuerunt. Sed ipsi sui luxus pœnas dederunt, à Crotoniatis victi. Vide tit. Equos hostium inutiles reddere.

MARCELLVS episcopus Rom. iumentorum stabulo à Maximino præficitur. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

AGASONES.

Eutychus apud Suetonium, nomen est asinarij, vbi ait: Apud Actium descendenti Augusto in aciem, asellus cum asinario occurrit, homini Eutychus, bestiæ Nicon erat nomen.

SERPENTVM DOMITORES.

HERACLIDES Ponticus, philosophus, draconem habuit mansuefactum: euntíque & quiescenti solitum adesse & assistere velut comitem. testatur Laert. in eius vita.

THOAS Achaicus draconem domi diu fouit. Considerãs demùm quàm periculosum esset serpentem alere, ipsum in solitudines procul tulit, atque ibidem reliquit. Quo facto rediens, quum incidisset in latrones, & instantis periculi metu acclamasset, audita hominis voce, aduolauit draco, & aduersus vim latronum suppetias attulit. Ælian. libr. 13. hoc Patris Achaiæ accidisse testatur.

PAVLVS Leonensis draconem mansuefecit.

PHILIPPVS apostolus draconi imperauit, vt innocuus abiret in latebras. Quod & fecit draco, nemini prorsus iniurius. Rauisius.

DIDYMVS abbas & anachorita, colubros & serpentes innocuos pedibus conculcabat. Rauisius.

QVADRVPEDVM DOMITORES *ferocißimorum.*

Tygrim Romæ ostendit in cauea mansuefactam AVGVSTVS. Rauisius.

ZOZIMO abbati paruit agrestis leo.

HANNO Carthaginensis potens, & sagacis ingenij homo, leonem primus mansuefecit, vt Plinius author est: & aues etiam de nido, vt Ælianus ait, capere solitus est. Volater. lib.13. cap.3. Anthropologiæ. Publico deinde iudicio damnatus, quòd Reipublicæ aliquando insidiaturus videretur.

ANTONINVS Caracalla, Romanorum imperator, habebat leonem, quẽ Acinacem nominabat. Alebat autem eum inter complures alios: & non tantùm publicè deosculabatur, sed ad mensam etiam, lectùmque admittebat. Constat etiam eundem Antoninum à leone admonitum esse, ne domum egrederetur, cum exeuntem dentibus teneret. Cui cum non obtemperasset, interfectum esse. Dion & Xiphilinus.

PORVS (quem Alexander debellauit) habuit elephantum, qui rectore iubente procumbebat in genua, & se submittebat. Curtius.

Eutychius vrsum habuit sibi obsequiosum, & obedientem. Rauisius.

CORBINIANI episcopi Romam euntis, quum vrsus asinum deuorasset, deuorati loco ipse sarcinam vectauit, imperante præsule. Idem.

PYTHAGORAS vrsam omnibus formidolosam & conspicuam feritate, apud se demulctam & exarmatam aluit. Quam dimissurus, verbis nescio quibus, & quodam velut iureiurando adegit, vt nulli cunctarum animalium faceret iniuriam. Abiens illa se coniecit in latebras syluarum, summáque fide præstitit, in quod adiurata recesserat. Idem boui segetes abrodenti, quum verba quædam magica in aurem sufflasset, cúmque monuisset vt inferendo agricolis damno parceret: aiunt obedientissimũ bouem à lacerandis frugibus destitisse. Credat qui volet. Hoc tamen prodit Cælius ex veterum monumentis.

SINDRIGAL Lituaniæ princeps post Vitoldum, vrsam habuit, quæ omnibus matutinis relicto nemore domum eius accedens, fores pedibus percutiebat, apertóque hostio porrectum capiebat cibum. Rauisius.

Cælius prodit, CYNOCEPHALOS in Ægypto literarum ductus perdidicisse, & saltationum gesticulosos motus.

Mandato EVSTORGII Mediolanensis episcopi, lupus iugo se submisit, & currum traxit, quo tria Magorum corpora aduehebantur in Italiam. Prius enim comederat duo iumenta, quibus currus ipse voluebatur. Rauisius.

HELENVS abbas fatigatus sarcina, quam ferebat, onagrum iussit accedere, & dorsum oneri submittere. Paruit fera: & quàm longè sancto placuit, onus ipsum peruexit. Idem à reperto crocodilo flumen prætereuectus est, quum neque pons adesset, nec appareret portitor. Rauisius.

EADMVNDI Anglorum regis, & martyris, abscissum caput, lupus alioqui sæuissimus intactum seruauit, & illæsum. Idem.

PYRRHEO pecoris magistro ceruus fuit mansuefactus, & quem Syluia puella pectebat, ornabátque violis. Virg. lib.7. Æneid.

– Soror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua setis
Pectebatque ferum, puroque in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat syluis, rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.

Idem Ouid. lib.10. de ceruo CYPARISSI scribit. Vide locum.

SERTORIVS ceruam aluit, quam in expeditionibus suis habebat semper comitem, fingens Dianæ esse numen, à quo res gerendas auspicaretur. Rauisius.

CANVM DOMITORES ET *magistri.*

A FABRICIVS prætor sub Nerone, cũ ad certamina in publicis spectaculis equos commodè sibi parare nequiret, canes doctos currus agere pro equis primus introduxit. Xiphil. in vita Neronis.

AVIVM DOMITORES AVES *mansuefactæ*

SEVERVS abbas passerem habuit manibus suis intrepidè aduolantem, & porrectum capientem cibum. Rauisius.

Syluestres aues relicto nemore, intrepidæ aduolabant ad MAXENTIVM abbatem Pictauiensem, eius manu tritici grana & frustula panis rostro decerpentes. Idem.

MERTHES rex Ægypti, cornicem habuit adeò cicurem & mansuefactam, vt quoquò iussisset ille, epistolas deferret: non ignorans, quò transuolandum esset, aut vbi considendum. Idem.

AGRIPPINA coniunx Claudij Cæsaris, turdum habuit, imitantem sermones hominum: ætate Plinij.

Habebant & CÆSARES iuuenes sturnum & luscinias, Græco Latinóque sermone dociles. Idem.

Fuit coruus ROMAE, qui sermoni assuefactus, omnib. matutinis in rostra & forum deuolans, Tyberium, Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat. Idem.

CECINA Volaterranus, equestris ordinis, comprehensas hirundines victoriæ nuncias amicis mittebat, cum literis, quas earum pedibus ferẽdas alligabat. Idem.

Columbæ epistolas pedibus annexas, obsidione Mutinensi in castra consulum pertulêre, DECIO Bruto mittente. Idem.

PICTORES.

Plato in Sophista, omnes eas artes quæ in imitatione positæ sunt, μιμητικὰς καὶ εἰδωλοποιητικὰς vocat. Imitatur autẽ vel ea quæ sunt, & εἰκαστικὴ dicuntur. vel ea quæ non sunt, sed phantasia effingũtur & φανταστικὴ appellãtur. Sic in picturã, & in statuariã, vtrunque genus cadere potest: interdũ enim viua & (vt ita loquar) realia habent παραδείγματα, interdũ phantastica tantum. Hinc vulgatũ illud, Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Omnes profectò in eo conueniunt, quòd non essentiam, sed vmbras tantũ siue accidentia rerum communia sectantur & exprimunt: vtpote colorem, figuram, magnitudinem, numerum, & quæcunque alia qualineamentis demonstrari possunt: vt ridere, mœstum esse, adde etiam anhelare, sudare, & (si dijs placet) currere & moueri. gestus enim soli, non autem motus exprimuntur. Iam verò inter se differunt, quòd aliæ accidentia quæ secundum planam superficiem exemplari inhærent, in simulachro exprimunt: quales sunt pictores, & propterea lineamentis & coloribus vtuntur (etsi enim interdum ea quoque quæ in alto reconduntur, artificiosè imitentur, non tamen ὄντως, ἀλλὰ φαινομένως.) Aliæ sunt, quæ etiã profundã superficiẽ assequuntur, qualis est Sculptoria. Sed nunc de Pictoribus agamus, ex Plinij Hist. nat. sparsim, maximè verò ex lib.35. cap.8. & seq. item ex Pausaniæ historia, deprom- ptis plerisque exemplis. Ipsa certè Pictoria inter liberalia olim παιδεύματα connumerabatur: vt Aristot. in 8. Polit. tradit: & nos sub tit. Studium discendi Mechanicas artes.

AGLAOPHON Olympiade xc. floruit.

ALCIMACHVS pinxit Dioxippum, qui pancratio vicerat in Olympia.

AMVLIVS Mineruam, quæ spectantem spectabat, quacunque aspiceretur.

ANDREAS Mantega, Mantuanus, ædes, quas Beluedere cognominant, in Vaticano, ab Innocentio VIII adhibitus, pictura ornauit, miro tenuitatis opere. Volat. lib.21. Anthrop.

ANDROCIDES, æqualis & æmulus Zeusidis.

ANTIDOTVS pictor, Euphranoris discipulus, cuius opera extabant Athenis maximè laudata, diligentior quàm numerosior fuit, & in colorib. seuerus. Fecit clypeo dimicantem, & luctatorem & tibicinem. Plinius & Volat.

ANTIPHILVS Ægyptius, pictor clarissimus. Ctesidemi discipulus, Alexandrum & Philippum pinxit: præterea Hippolytum tauro emisso expauescentem. Plin. apud Volat. lib.13. cap.3. Anthrop.

ANTIPHILVS Hesionem, Alexandrum & Philippum, cum Minerua, Liberum patrem, Cadmum, Europen, Gryllum. Item puerum, ignem conflantem: & lanificium, in quo properabant omnium mulierum pensa: Satyrum cum pelle pantherina, & alia multa.

APELLES Cous, pictor Olymp. CXII. facilè omnes superauit, voluminibus editis, quæ doctrinam eam continerent. Cedebat tamen Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris. Nauigauit Rhodum ad videnda opera Protogenis, pictoris excellentissimi. Appelli autem fuit perpetua consuetudo, nullum diem, quibuscunque negociis occupatum præterire, quin lineam aliquam duceret, ducendóque exerceret artem. Alexander etiam edicto vetuit, ne ab alio pingeretur. Venerem Cois inceptam, moriens reliquit imperfectam: nec repertus est, qui tam egregio operi vellet succedere. Pinxit Alexandrum Magnum fulminigerum in templo Dianæ Ephesiæ, talentis 20. adeò expressè, vt diceretur: duorum Alexandrorum, alterum Philippi nullis viribus vincibilem, alterũ Apellis nullo artificio imitabilem. Apud Ephesum, cùm Alexander conspectã effigiem sui corporis ad viuum magna arte expressam admiraretur: atque interim fortè equus inductus, picto in eadem tabula equo adhinniret, deceptus imitatione Apelles: Equus, inquit, ô rex, multo melius expressus est quàm tu. Eras. lib.8. Apoph. Cùm tempestatis vi Alexandriam delatus esset, quidam eius æmuli subornarunt planum, hoc est scurram regium, qui eum vocaret ad cœnam. Is non suspicans dolũ, venit. At quum rex, qui illi erat infensus, indignaretur, & ostensis vocatoribus, iuberet indicari à quo vocatus esset: Apelles arrepto carbone extincto è foculo, imaginem delineauit in pariete, vt rex protinus ex inchoato opere agnosceret planum suum. Eadem opera & artis suæ, & ciuilitatis suæ specimen dedit. Sit hoc, si libet, apophthegma mutum. Brusonius lib.5. cap.23.

APOLLODORVS Atheniensis primus species exprimere instituit, primúsque gloriam penicillo contulit. Fecit sacerdotem adorantem, & Aiacem fulminatum.

ARISTIDES Thebanus, pictor nobilissimus, Apellis tempore vixit. Is omnium primus animum pinxit, & sensus expressit omnes, quos Græci vocant ἤθη, durior aliquantulum in coloribus. Huius pictura illa præcipuè laudatur: Infans adrepens ad mammam matris, ex vulnere morientis, ac manu prohibentis: sentire mater & timere videtur, ne à mortuo lacte sanguinem infans lambat. Quam tabulam Alexander trãstulit Pellam. Sed & Iris eius imperfecta commendatur, quam nullus posteriorũ ausus est attingere. Vnam eius tabulam Attalus rex centum talentis emisse fertur. Plin. lib. lib.7. cap.37.

ARISTIPPVS Aristidis discipulus, pinxit Satyrum cum scypho coronatum.

ARISTOLAVS pictor Pausiæ discipulus, vnus è seuerissimis pictoribus fuit, cuius opera nonnulla commemorat Plinius. Pinxit ædem Apollinis Delphici.

ASCLEPIODORVS pictor ætate Apellis, Olympiad. CXII. quem in symmetria mirabatur Apelles. Huic Mnason tyrannus pro XII diis dedit, pro singulis minas tricenas. Plinius apud Volater. libr.13. cap. 4. Anthropologiæ.

AVRELIVS pictor celebris, Romæ paulò ante Augustum, nisi flagitio insigni corrupisset artem, semper alicuius fœminæ amore flagrans: ob idque deas pingens, sed dilectarum imagine. In pictura itaque eius scorta numerabantur. Plinius.

BVLARCHVS Magnetum excidium pinxit: quam tabulam rex Lydorũ Candaules pari rependit auro. Plinius lib.7. cap.37.

CALLICLES parua quædam pinxit.

CEPHISODORVS Olymp. xc. floruit.

CIMON Cleonæus pictor, Cataglypha inuenit, id est obliquas imagines, & vario vultu respicientes, suspicientésue ac despicientes. Articulis etiam membra distinxit, venas protulit. Plin.

CLESIDES reginæ Stratonices iniuriam, à qua nullo honore fuerat exceptus, pinxit & voluptatem cum piscatore, quem regina dicebatur amare.

CONON Cleonensis artem pingendi pullulantem iam, & rudiiter sinéque arte ante sua tempora exercitatam, ac quodammodo in fasciis lactéque iacentem perfecit. Quarum pleniorem etiam mercedem, quàm superioris ætatis pictores, retulit. Ælianus libro 8. de Varia historia.

CONSTANTINVS Imperator opere manuum suarum picturam exercẽdo sibi victum quæsiuit. Sigebertus in Chron.

CRATINVS comœdus Athenis Pompeium pinxit.

CTESILOCHI opus fuit, Iupiter Bacchum parturiens, & ingemiscens muliebriter inter obstetrices, & dearum clamorem.

CYDIAS pictor, Euphranoris coætaneus, Argonautas pinxit: quam tabulam CXLIIII talentis Hortensius orator mercatus est, eique in Tusculano ædem fecit. Emicuit Olympiade CXIIII. Volater. libro 14. cap.2. Anthrop.

DIONYSIVS nihil præter homines pinxit, vnde & Anthropographus dictus est.

DIONYSIVS Colophonius. Vide sub Polygnoto.

DIOGNETVS pictor ætate Iulij Cæsaris, cuius meminit. Capitolinus.

EVCHIDES bigam regis cum victoria.

EVMARVS Atheniensis figuras omnes imitari ausus fuit.

EVENOR, pater Parrhasij pictoris, floruit Olymp. 90.

EVPHRANOR Isthmius pictor, emicuit Olymp. CIII. inter fictores etiam commemoratur. Fecit colossos & marmora, & scyphos sculpsit. Hic primus expressit signa heroum, symmetriámque vsurpauit: sed fuit in vniuersitate corporum exilior, capitibus articulísque grandior. Volumina quoque composuit de symmetria & coloribus. Eius opera multa commemorat Plinius.

EVPOMPVS Macedo, pictor æqualis & æmulus Zeuxidis, Olymp. XCV. Arithmeticę & Geometrię peritus, sine quibus negabat artem posse perfici. Huius authoritate effectum est, vt in tota Græcia pueri ingenui ante omnia Antigraphicen, hoc est picturam linearem, in ludo docerẽtur: reciperetúrque ea ars inter liberales. Plin. lib.35. cap.10.

Q. FABIVS sua manu parietes pinxit in æde Salutis, quam C. Iunius Bubulcus dictator dedicauerat: eísque nomen suum inscripsit, anno vrbis 450. Inde Pictoris nomen traxit, & posteri eius hoc nomen retinuerunt. Hęc pictura vsque ad Claudij imperium durauit, postea ædes fuit exusta. Rutilius in vita Q. Fabij Pictoris Iurecos. qui huius nepos fuit: & Volat. lib.16. Anthrop.

GALATON insignis fuit pictor, qui Homerum finxit euomentem: reliquos verò poetas, ea quæ ipse euomisset, haurientes. Ælianus libr.13. de Varia historia. Volat. lib.17. Anthrop. ex Ptolemæo meientem Homerũ ab eo pictum asserit, non vomentem.

HABRON Amicitiam & Concordiam, & deorum simulachra pinxit.

HYGEMON primus in pictura marem fœminámque discreuit.

HERACLIDES Macedo, nobilis pictor, initio naues pinxit, eodem tempore quo & Metrodorus philosophus & pictor vixit. Plinius.

HERCVLES Ferrariensis, nostra ætate pictor fuit excellẽtissimus, cuius Bononiæ nobilis in sacello pictura: in Pãnonia item nonnulla, quò fuit accersitus. Volat. lib.21. Anthr.

IACOBVS Bononiensis, Traiani columnas Romæ picturis ordine delineauit, magna omnium admiratione, magnóque periculo, cum machinis scandendo. Volat. lib.21. Anthrop.

IOAN. BELLINVS Venetus, pictor insignis, aulam curiæ Venetiarum ornauit: à Turcis etiam accersitus, deinde remissus. Volat. libr. 21. Anthrop.

IOANNES Herbst Argentinensis, cùm à patre viro locuplete, & in sua Repub. illustri, mercaturam etiamnum puer exercere cogeretur, suum ipsius genium secutus, inscio patre pictori cuidam operam dare cœpit. Quòd vbi pater resciuit, stomachari. Ille patris iram veritus, relicta patria, celeberrimas quasque pictorum in Germania officinas secutus, tantum in arte promouit, vt inter sui temporis pictores non postremus haberetur. Basileæ tandem vxore ducta Barbara Lupsartina, suscepit ex eo coniugio tres filias: Christianam Theodori Zvvingeri matrem, Vrsulam & Barbaram: filios duos, Gasparum in ipsa infantia morte præreptum: & Ioannem, qui sese OPORINVM postea, Græca interpretatione, appellari voluit, Typographorum nostræ ætatis, si non primus, at neutiquam tamen postremus.

IPHIS Neptunum & Victoriam pinxit. Plinius.

LEONARDVS Vincius, duodecim Apostolos Mediolani in æde diuæ Genetricis de gratiis, opus excellentissimum depinxit. Volater. lib.21 Anthrop.

L. MANLIVS pictor egregius, apud quem cùm Seruilius fortè cœnaret, filiósque suos deformes animaduerteret: Non similiter, inquit, Manli fingis & pingis. Ad quem Manlius: In tenebris, inquit, fingo, in luce pingo. Macrobius in Satur. Commendatur illius musca, in pariete ad viuum expressa, vt etiam araneas deciperet.

MARONITES Glaucionis Corinthij discipulus, pinxit Achillem habitu virgineo occultatum, Vlysse deprehendente: & alia quædam.

METRODORVS Atheniensis, Carneadis auditor (vt Cicero de Oratore testatur) pictor & philosophus. Itaque quum L. Paulus deuicto Berseo petiisset ab Atheniensibus vt ei quàm probatissimum philosophum mitterent ad erudiendos liberos, simúlque pictorem ad excolendum triumphum, in vtroque illi Metrodorum elegerunt. Plinius libro 35. cap.11.

MECOPANES pictor, Pausiæ discipulus, placet nonnullis ob diligentiã, quam intelligunt soli artifices. aliter coloribus nimius. Plinius lib.35. capite 11.

MELOTIVS Foroliuiensis, iconicas imagines præter cæteros pingebat. Eius opus est in bibliotheca Vaticana, Xistus in sella sedens, familiaribus nõnullis domesticis astantibus. Volat. lib.21. Anthrop.

MYCON pictor Timarœten filiam habuit, eandem & discipulam, quia optimè pingebat. Plin. lib.35. cap.9.

Neacles Venerem, Naumachiam Ægyptiorum & Persarum: item asellum in litore bibentem, & crocodilum ei insidiantem. Hic pro tabula quadam insignis artificij apud Aratum intercessit. Vide tit. Picturæ amatores.

Nicearchvs Venerem inter Gratias & Cupidinem: Herculem tristē insaniæ pœnitentia.

Nicias pictor Atheniensis, Antidoti discipulus, diligentissimè canes & mulieres expressit: lumen & vmbras custodiit, atque vt eminerent è tabulis picturæ maximè curauit. Opera eius multa Romam translata à diuersis fuêre. Hic est Nicias, de quo Praxiteles interrogatus, quæ maximè opera ipsius probaret in marmoribus, respondit: Quibus Nicias manum admouisset: tantum circumlitioni eius attribuit. Fuit autem Olymp. cxii. ex Plinio Ælianus lib.3. de Varia historia, dicit hunc tantæ fuisse erga artem attentionis, vt sæpe cibi obliuisceretur.

Nicophanes pictor elegans & concinnus, ita vt venusta opera fingeret, cui pauci comparantur. Cothurnus ei, & grauitas artis. Plinius.

Nicomachvs pictor, Aristodemi filius & discipulus, pinxit raptū Proserpinę: quę tabula fuit in Capitolio, in delubro Mineruæ, supra ędiculam iuuentutis: Scyllámque, quæ erat in templo Pacis. Præterea Vlyssem pileatum Apollinem, Dianam, Deûm matrem leoni insidentem, & nobiles vaccas arreptantibus Satyris. Nec fuit alter in ea arte velocior. Habuit discipulos Aristidem fratrem, & Aristoclem filium, ac Philoxenum Erethriæum. Volat. lib.17. Anthrop. Vide tit. Promptitudo in mechanicis.

M. Pacvvivs poeta, & tragœdiarum scriptor, ædem Herculis in foro Boario Romæ pinxisse dicitur: vt refert ex Plinio Volat lib.18. Anthr.

Pamphilvs Macedo, minoris talento neminem docuit per 10 annos. Quam mercedem ei dederant Apelles & Melanthius. Plinius libro 35. cap.10.

Panævs frater Phidiæ, prælium Atheniensium aduersus Persas apud Marathonem pinxit, adeò colorum vsus increbuerat, adeóque ars perfecta erat, vt in prælio iconicōs primùm duces tam Atheniensium quàm Barbarorum pinxisse tradatur. Plinius lib.35 cap.8.

Parrhasivs Ephesius pictor, filius Euenoris, venit in certamen cum Zeuxide. Et cùm ille detulisset vuas pictas, tanto successu, vt in scenam aues aduolarent: ipse linteum pictum detulisse traditur, ita veritate repræsentata, vt Zeuxis, alitum iudicio tumens, flagitauerit tandem remoto linteo ostendi picturam. Atque intellecto errore, concederet palmam ingenuo pudore: quoniam ipse aues fefellisset, Parrhasius autem artificem. Symmetriam primus picturæ dedit, primus argutias, primus elegantiam capillorum, acceßione artificum in lineis exterius palmam adeptus: secundum Antigonum & Xenocratem, qui de picturis scripserunt. Ita enim desinebat, vt promitteret alia posse, ostendebátque etiam quæ occultabat. Plinius & Volater. lib 16 Anthrop.

Idem certauit quodam tempore Sami, incidítque in aduersarium non multo se inferiorem, atque superatus est. Propositum autem quod in manus sumpserat, erat Aiax dimicans cum Vlysse pro Achillis armis. Victus autem Parrhasius, vrbanè respondit cuidam condolenti ex familiaribus: Se parui quidem facere victoriam, sed condolere potius filio Telamonis, qui in eadem re bis iam aduersario fuisset inferior. Ælianus libro 9. de Varia historia. Demum duos homines depinxit: alterum ita currentem in certamine, vt sudare videretur: alterum arma deponētem, vt anhelare sentiretur. Guido Bitur.

Pavsias sicyonivs pictor, Buretis filius & discipulus, lacunaria & cameras pingere instituit. Amauit Glycerium municipem suam, inuentricem coronarum, quæ paupertatem illius sustentauit. Hanc pinxit sedentem cum corona. Quæ tabula nobilissima appellata est στεφανοπλόκος, id est coronam texens. Huius tabulæ exemplar, quod ἀπόγραφον vocant, L. Lucullus duobus talentis emit Athenis. Plinius.

Pason pictor, cuius Aristot. in 8. Polit. meminit, & eum figuras tantùm & lineamenta, non autem mores & affectus, quemadmodum Polygnotus, expressisse scribit. Ælianus de eo in Var. histor. testatur, quòd in parua tabella equum currentem, frenatúmque expresserit. Cùm verò ille cuius gratia opus fecerat, indignaretur, quòd frenum addidisset, respondit: angustiam tabellæ esse causam, quòd in paruo spacio frenare opus fuerit necesse.

Persevs, Apellis discipulus, à magistro, ac etiam Zeuxide condiscipulo longè differens, de pictura scripsit, teste Plin. lib.35. cap 11.

Petrvs è Burgo, S. Sepulchri pictor, de perspectiua picturæ librum composuit. Volater. lib.21. Anthrop.

Petrvs Perusinus complura & egregia, inter quæ Romæ sacellum in palatio Vaticani à Xisto conditum, & ab eo depictum: vno tantùm vitio, quòd vultus aliquantulum indiscreti in plerisque aspiciuntur. Volat. lib.21. Anthrop.

Phidias initiò pictor fuit, pinxítque clypeum Athenis. Mox statuarius insignis.

Philoxenvs Erethrius pictor, Nicomachi discipulus: cuius tabubula nullis postferenda, Cassandro regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario. Idem pinxit & laciniam, in qua tres Sileni comessantur. Hic præceptoris celeritatem secutus, breuiores etiam quasdam picturæ vias & compendiarias inuenit.

Pisanellvs pictor paulò supra nostram memoriam, & fictor simul: eius opus, pictus paries in æde Lateranensi. Fuit in vmbris & coloribus diligens. Volat. lib.21. Anthrop.

Protogenes, æqualis Apellis. Eius operum palmam Ialysus tenet, dicatus postea Romæ in templo Pacis. Quem cùm pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, vt mente ob abstinentiam acutiore esset. Cui tabulæ quater colorem induxit, contra vetustatem. Est in ea canis mirè factus, vt quem pariter casus & ars pinxerit. Iratus operi, quòd penicillo sæpius mutato spuma pingi, non nasci videretur: spongiam impegit inuiso loco tabulæ, ex illóque apposuit ablatos colores, qualiter cura optauerat. Hanc tabulam, cùm Rhodum obsideret Demetrius Poliorcetes, ex ea parte capere cùm posset, noluit, ex quo occasionem amisit. Pli. lib.7. cap.37. Ælianus de Var. hist. lib.12. dicit, hunc Protogenem Ialysum septem annis absoluisse. Quem cùm Apelles intueretur, ingentem quidem in eo laborem, magnámque artem inesse dixit: verùm deesse gratiam, quam si assecutus fuisset, labor immortalis esset. Vixit Olympia. de cxii.

Cl. Pvlcher tegulas adfabrè pinxit: quarum similitudine decepti corui, ad eas conuolabant. Guido Bitur.

Pyreicvs minoris penicilli pictor, humilia secutus, in eo summā adeptus est gloriam. Sutrinas, tonstrinas, asinos & obsonia pinxit, & his similia: quare ῥυπαρογράφος cognominatus est, quasi humilium & sordidorum pictor. Volat. lib.18. Anthrop.

Pythis certauit in Timagoram Chalcidensem de præstantia picturæ.

Polygnotvs, Thasius, & Dionysivs Colophonius, duo pictores erant. Polygnotus magna pingebat, atque in perfectis certamina subibat. Dionysij picturæ præter magnitudinem, continebant exquisitissimam Polygnoti artis imitationem, affectus, motus, formę habitudinem, vestium subtilitates, & reliqua. Ælianus lib. 4. de Var. hist. Hic primus mulieres lucida veste pinxit: instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Pinxit Delphis ædem, & Athenis porticum, cuius partem etiam mercede pinxit Mycon. Pinxit etiā Ocni asellum. Ælianus & Pausan. in Phocicis. Alis Polygnostus dicitur. Aristot. in 8. Polit. Polygnotum in pictura mores quoque & sensus expressisse scribit: Pasonem verò figuram tantùm, & lineamenta.

Socrates pictor, inter cuius opera, Piger, qui appellatur ὄκνος, spartum torquens, quòd asellus arrodit: vt autor Plinius. Pausanias autem dicit hunc à Polygnosto pictum.

Testidemvs fecit Œchaliæ expugnationem, & Laodamiam.

Theomnestvs pictor, cui Mnason tyrannus in singulos heroas dedit centum minas. Rauis.

Theonis pictoris artificij cùm multa sint testimonia, tum in primis hæc pictura: Vir armatus excursionem ex vrbe repentè facit, hostibus eam aggredientibus, & vastantibus. Manifestò autem, & prorsus animosè videtur adolescens ad pugnam festinare. Toruùm vident oculi: armis sumptis videtur, quantum pedibus conniti potest, in hostes impetum facere. Inde scutum portendit, & strictum vibrat gladium, cędem facienti similis, oculis ad occidendum spectantibus: & minabundus toto habitu, se nemini parsurum. Neque quicquam aliud adiecit Theon, non manipularem, non centurionem, non manipulum, non equitem, non sagittarium: sed hic vnus armatus ei, ad ostendendam imaginis perfectionem satis fuit. Verùm non prius exhibuit picturam, neque cōgregatis ad spectandum proposuit, quàm tibicinem iuxtà collocasset: quem iussit carmē Orthium canere, penetrans & clamosum quàm fieri posset maximè, & quod ad prælium animaret. Simul ac igitur auditum est carmen asperum & horrendum, tuba quasi armatorum expeditionem sonante: tunc picturam ostendit, & miles conspectus est, cùm efficaciorem cogitationem de excurente in animis hominum cantus excitaret. Ælianus libro 2. de Varia historia.

Ticinvs Byzantius, pictor nobilis, Cæsaris Dictatoris ætate, fecit Medeam & Aiacem, quos ipse Cæsar lxxx. talentis emit, & in templo Veneris genetricis dicauit. Plinius.

Timantes pictor Olymp. xcv. Zeuxis tempore. Huius est Iphigenia oratorum laudibus celebrata: qua stante ad aras peritura, cùm mœstos pinxisset omnes, & tristiciæ omnem imaginem consumpsisset, patris vultum velauit, quem dignè non poterat ostendere. Pinxit & Cyclopem parua in tabella: cuius magnitudinem exprimere cupiens, pinxit iuxtà Satyros thyrso pollicem eius metientes. In Aiace Zeuxim superauit. Plin. lib.35. cap.10.

Timomachvs Byzantinus pinxit Aiacem & Medeam tabulas, quas Cæsar Dictator 80. talentis redemit, teste Plin. lib.7. cap.37. Fecit insuper Orestem, Iphigeniam, & quædam alia.

Tvrpilivs eques Romanus, è Venetia, cuius pulchra extant opera Veronæ, læua manu pinxit. Plinius.

Zevxis arte picturę tantas opes sibi comparauit, vt in earum ostentatione Olympiæ nomen suum aureis intextum literis ostentaret. Postea opera sua donare instituit: vt Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao, quòd nullum precium putaret esset illis dignum. Fecit & Penelopem & Athletam, adeóque sibi in illo placuit, vt versum subscriberet celebrem ex eo, inuisurum aliquem facilius quàm imitaturum. Fecit & magnificum Iouem in throno astantibus diis, & Herculem infantem dracones strangulantem, Alcmena matre coràm pauente, & Amphytrione. Tanta fuit diligētia, vt Agrigentinis facturus tabulam (quam in templo Iunonis Laciniæ dicarent) virgines eorum nudas inspexerit: & quinque elegerit, vt quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet. Plin. li.35. c.9. Certamē eius cum Parrhasio, vide sub Parrhasio. Pinxit quoque puerum vuas ferentem

ferentem: ad quas quum deuolassent aues, iratus est operi suo, quòd vuas pinxisset melius, quàm puerum. Nam si puerum consummasset, aues timere debuerāt. Pinxit etiam Helenam & Marsiam religatum. Cùm pinxisset Helenam, magnum ex eo opere quæstum fecit. Non enim gratis, neque quemuis obuium impudenter ad id contemplandum admittebat: sed primùm oportebat certam pecuniæ summam numerare, deinde potestas videndi permittebatur. Cùm igitur lucrum ex eà pictura faceret, Græci Helenam illam scortum vocabant. Ælian. lib.4. de Varia historia.

Zotvs Florentinus, anno m.cccxl. in pictura satis præclarus fuit. Cuius opera per Italiam extant plurima, præsertim Florentiæ: Romæ verò nauicula Petri fluctuantis, in atrio ipsius basilicæ. Volater. libr.21. Anthrop.

Mvlieres qvæ pictvra *claruerunt.*

Timarete Myconis pictoris F. Dianam in tabula pinxit, quæ Ephesi est in antiquissimis picturis. Floruit sub Archelao Macedone. Pli. lib.35. cap.11.

Irene Cratini pictoris filia & discipula, puellam quæ est in Eleusine, pinxit. Idem.

Calypso senem & præstigiatorem Theodorum: Alcisthene, saltatorem: Aristarete Nearchi F. & discipula, Æsculapium pinxit.

Lala Cyzicena perpetua virgo, M. Varronis iuuenta, Romæ & penicillo pinxit, & cestro in ebore, mulierum imagines maximè, & Neapolitanum in grandi tabula: suam quoque imaginem ad speculum. Nec vllius in pictura velocior manus fuit: artis verò tantum, vt multum immanitate precij antecederet celeberrimos eadem ætate imaginum pictores Sopylon & Dionysium. Idem.

Olympias quædam pinxit, & discipulum habuit Antobulum. Pli. ibidem.

PICTORES RVDES ET INDOCTI.

Lasus, cum indoctus quidam Pictor ei diceret, Opere tectorio illine domum tuam, vt ipsam depinguam: respondit, Minimè: sed tu prius eam depinge, vt illineam postea. Antonius part.1. Melis. serm.50.

Cvm ars pingendi iam ortum duceret, & quodāmodo in lacte fasciísque versaretur, adeò rudi & impolito stylo depinxerunt animantia, vt adscribere ad ea pictores necesse esset: Hoc est bos, illud equus, hoc arbor. Ælian. de Var. hist. lib.10.

PICTVRÆ AMATORES.

Vide tit. Honos artibus mechanicis exhibitus. Plura Plin. lib.35. cap.1. 2. & 4.

Arato Sicyonio post recuperatam patriæ libertatem destinante tyrannorum communi odio abolere tabulam insignis artificij, quę Aristratum in curru victorem habebat: Nealces pictor supplex intercessit, vt opus incolume seruaretur, dicens: cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse. Plut. in Arato.

Candavles rex Lydorum, Bularchi Magnetum prælium pari rependit auro. Plin. lib.35. cap.8.

Mnason tyrannus Asclepiodoro (quem Apelles in symmetria mirabatur) pro duodecim diis dedit in singulos mnas trecenas. Plin. libr.35. cap.10.

Demetrivs Antigoni filius, quum Rhodum obsideret, & in suburbio cœpisset tabulam quandam, Protogenis clarissimi pictoris opus, in qua pinxerat Ialyssum, id est Bacchum: Rhodiis per caduceatores obsecrantibus vt tabulæ parceret, respondit: Se citius patris imagines quàm eam picturam aboliturum. Tantum honoris habuit arti rex. Plut. in Demetrio & Plin. lib.35. cap.14.

Socrates dicebat, Archelavm quadraginta minas in domum suam impendisse, conducto mercede Zeuxide Heracleota, qui picturis eam exornaret, in seipsum verò nihil. & ob hanc causam multos è longinquis terræ partibus, magno studio contemplandæ domus causa venire: ipsius verò Archelai gratia neminem in Macedoniam proficisci, nisi si quem fortè persuaderet pecuniis, & muneribus inescaret, quibus tamen honesti bonique viri capi non possent. Ælianus de Varia hist. lib. 14.

Attalvs rex, tabulam Aristidis Thebani sex millibus sestertium licitatus est. Plin. lib.35. cap.4. Vel centum talentis: vt ille idem testatur lib.7. cap.38.

Scipio Minor, vbi ciuitatem comperit statuis deorum Græcanicis, ac monumentis è Sicilia deportatis refertam, per præconem pronunciari publicè iussit, vt qui illarum essent vrbium, agnoscerent illa, ac referrēt domum. Plut. in Rom. Apoph.

Hortensivs orator Cycliæ, tabulam Argonautas 144 talentis mercatus est. Plin. lib.35. cap.11.

SCVLPTORES.

Sculptoriam superius in genere vocaui eam, quæ non solam superficiem planam, sed ipsum quoque profundū elaboraret. Cuius rursus varij sunt ordines, non modò ratione materiæ subiectæ, quòd alij marmora, alij æs, alij ligna, alii metalla exculpant: sed etiā ratione ipsius sculpturæ. Alii enim profundius quidem exculpunt, quàm pictores pingant, non tamen statuas effingunt: hoc est, eiusmodi signa, quæ liberè stent, & vndiquaque sculpta videantur: sed quæ aliqua sui parte, qua visus non admittitur, imperfecta, rudi materiæ adhærent. & propterea Cælatores dicuntur, quòd operis aliquam partem non elaboratam cælare & abscondere soleant, siue in marmore, siue in ligno, siue in argento, qui Argentarii dicuntur. Alii verò libera signa, & omni sui parte visibiles & perfectas statuas effingunt, qui in genere Statuarii dicuntur: & ratione subiectæ materiæ, Marmorarii, quando lapideas: Figuli, quando luteas: Fusores, quando ex metallo imagines conficiunt. Quo quidem in loco etiam illud notandum est, artes istas μιμητικὰς esse, illarum tamen vsum etiam ad reliquæ vitæ commoda interdum transferri. Sic figuli & marmorarii architectis interdum seruiunt, sic fusores vtensilia quædam efformant. Quandocunque igitur μίμησιν (quæ artibus istis formam dat, & esse) relinquunt, non iam amplius sub hoc genus sunt referendæ, sed sub illud cui inseruiunt. Neque enim hîc artium ordines ex materia aßignamus, sed ex ipsa formali ratione. Miris tamen modis inter se artes confundi solent, & illis qui ordinem inter istas quærunt, imponere. Sed iam ad Sculptorum exempla accedamus. Ex quibus species quoque singulæ colligi & deduci poterunt.

Statvarii, marmorarii.

Consule Plinium lib.36. cap.4. & 5. de Marmorariis: & lib.34. cap.7. de Statuariis.

Ægyptii in statuis singulare quoddam artificium, Græcis ignotum, habebant olim. Nam soli hominum, non oculis tantùm totius statuæ compositionem metiebantur, sed dimensione, vt ex variis multísque lapidibus in vnum corpus in certam mensuram coniunctis statua perficeretur. Diodorus libro 2. de Fabulosis gestis.

Agesander, Polydorus, & Athenodorus, Rhodij, ex vno lapide fecerunt Laocoontem, & liberos, draconúmque mirabiles nexus. Opus admirabile, perfectæque imitationis exemplar, quod adhuc Romę extat.

Agoracritvs statuarius Parius, Phidiæ discipulus, eíque ætate ita gratus, vt è suis operibus pleraque nomini eius donasse dicatur: inter quæ Nemesis Rhamnusia fuit, apud Rhamnuntem decem cubitorū à Phidia facta. Volater. lib.13. cap.3. Anthrop. ex Plinij Naturali historia. Certauit Agoracritus in Alcmanem de Venere facienda: vicítque Alcmanes, non opere, sed ciuitatis suffragiis, contra peregrinum suo fauentis. Quare indignatus Agoracritus, signum suum vendidit, ea lege ne Athenis esset, appellauítque Nemesim. Quod simulachrum positum est in Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus signis prætulit. Rauis.

Alcamenem, siue Alcmanē Atheniensem docuit Phidias, sculptorem nobilem, cuius permulta opera Athenienses in sacris ædibus posuere, præclarámque Veneris imaginem extra muros, quæ appellatur Aphrodite Exapolis: huic supremam manum imposuit Phidias. Tenet quoque visentes Athenas Vulcanus, eiusdem manibus fabricatus: præter cætera enim perfectissimæ artis in eo præcurrentia indicia, etiam illud mirantur, quòd stat, dissimulatæ claudicationis sub veste leuiter vestigium repræsentans, vt non tanquam exprobratum vitium, ita tanquam certam propriámque Dei notam decore significans. Val. lib.8. cap.11.

Amphistratvs simulachrum Callisthenis historiarum scriptoris fecit.

Andreas Cremonensis Pium Secundum Iconicum numismate expressit, in quo est Campani epigramma. Volater. lib. 21. Anthrop.

Antonivs Pallaiolus sepulchrum Xisti iiii ex ære spectabili fecit, decennio elaboratum. Volater. lib.21. Anthrop.

Archangelvs Florentinus, inter neotericos qui circa marmora celebrantur, nequaquam postremus. Cuius opus nuper in sacello Petronillę, beata genitrix Iesum extinctum in sinu tenens. Item quanquam prophanum, attamen operosum, Bacchi signum in atrio domus Iacobi Galli ciuis Romani. Florentiæ verò ante curiam, Dauidis statua colossea. Volat. lib.21. Anthrop.

Arcesilas sculptor nobilis fama, pręsertim Dianæ simulachro, in quo est Simonidis epigramma. Volat. lib.13. cap.4. Anthrop.

Arcesilavs fecit leænam marmoream, quam Varro dixit se ha-

buisse. Item aligeros ludentes cum ea Cupidines, quorum alij religatam tenerent, alij è cornu cogerent bibere, alij calcearent soccos, omnes ex vno lapide.

ARISTIDES Polycleti discipulus fecit quadrigas & bigas.

CALLICRATES formicas ex ebore ita sculpsit, vt portio earum à cæteris secerni nequiuerit. Solinus cap. 6.

CANACVS statuarius simulacra fecit marmorea.

CARTHERVS cum Pythodoro, Polydectes cum Hermolao, Pythodorus cum Artemone palatinas Cæsarum domos repleuêre probatissimis signis.

CALLIMACHVS sculptor, vt ait Pausanias, nobilissimus, qui sibi nomen adoptauit κακιζότεχνον, quasi artis interpolatorem, quia eam in tenuiorem exquisitioremque disciplinā reduxit. τήκειν enim liquefacere est: ipse prius lapidem perforauit, minutatimque tractauit. Volater. lib. 14. cap. 2. Anthrop. Dictus est etiam καλλιτέχνος, teste Vitruuio lib. 4.

COPONIVS fecit XII nationes, quæ sunt circa pontum.

DÆDALVS primus in formis animalium (quas veteres plastæ cæcas fingebant & immobiles) oculos induxit, & abditis quibusdam neruis effecit, vt huc & illuc mouerentur, adeò scitè, vt spectantibus viuere & ingredi viderentur. Idem ligneam Venerem fabricasse dicitur, quæ argento viuo infuso moueretur. Fecit insuper Cretæ labyrinthum, quo inclusus, alis sibi & nato confictis, per viam mortalibus negatam periculum effugit. Hinc opera Dædalea vocantur ingeniosa. De eius labyrintho Ouid. lib. 8. Rauis.

Diogenes Atheniensis, & Carsatides, decorarunt Pantheum Agrippæ.

DIPOENVS & Scybis Cretenses, priusquam Cyrus apud Persas regnaret, Olympiade LII, Sicyonem se contulêre, quæ diu fuit officinarū omnis generis metallorū patria: sculpēdo marmori primi claruerūt. Pli.

DONATELLVS Florentinus, inter sculptores neotericos, antiquis conferendus, circa annum M.CCCCL. Cosmo medici valde familiaris. Eius opera in ære conspiciuntur diuersis in locis. Huius equestris statua Gattæ Melatæ ducis exercitus Venetorum, Paduæ in area D. Antonij cernitur. Volater. lib. 21. Anthrop.

EPITHERSES sculptor, Lysippi discipulus. Plin.

De EVPHRANORE Fabius lib. 12. sic ait: Euphranorem admirandū facit, quòd & cæteris optimis studiis inter præcipuos, & pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. Iuuenalis Satyra 3. Hic aliquid præclarum Euphranoris & Polycleti.

EVTHYCRATIS discipulus, Thysicrates Sicyonius.

EVTYCHIDES Liberum patrem, Timarchides fecit Apollinem canentem cithara.

HELIODORVS Pana & Olympum luctantes sculpsit.

HERMOLAVS sculptor insignis, qui cum aliis Cæsarum domos signis nobilibus repleuit: teste Plinio.

IPHICRATES leænam meretricem, quę Aristogitonem & Harmodium tyrannicidas nullis vnquam tormentis adacta voluit prodere.

LYSIAS quadrigam, currum, Apollinem & Dianam ex vno lapide.

LYSIPPVS Sicyonius adeò claruit sculptura, vt ab eo solo fingi voluerit Alexander, quemadmodum pingi à solo Apelle. Horatius: Edicto cauit, ne quis se præter Apellem pingeret, aut alius Lysippo duceret æra. Hunc Plinius ait fecisse ad 610 opera. Diu in Capitolio seruatus ęneus canis, Lysippi opus, vsque ad Vitellij tempora perdurauit, cum ciuilibus discordiis incensum fuit capitolium. Is in lingentis vulnus speciem formatus, adeò proprius & viuenti similis erat, vt cùm ij quorum curæ ac fidei res in Capitolio positæ credebantur, pro cæteris rebus, pecunia populo cauerent: pro canis statua, vitam desponderent: adeò magni populus Romanus, per id tempus ęnearum statuarum copiosus, eam rem faciebat. vt ex cautionis forma, operis mira pulchritudo diiudicari posset. Neque enim obscurum erat, illud vnum signum pluris quàm alia aurea signa, preciosáque permulta, quæ in Capitolio condita erant, populum fecisse. Idémque effinxit statuam, cui ordinariæ nomen imposuit, Res ipsa: ei enim dimensiones atque lineamenta dedit, quæ natura legibus suis corpori attribuere potuit. Ab ea postea cæteri pictores statuariique, veluti à normæ simulachro mensuras ceperunt. cum Lysippus vsque ad id tempus primus fuisset, qui arte arti normam atque regulam adhibuisset. Fulgos. lib. 8. cap. 11. Discipulos habuit Lahippum, Bedam, Euthycratem.

LYSISTRATVS Sicyonius, Lysippi frater, primus similitudines è gypso reddere instituit, & ad effigiem exprimere: ante eum, pulcherrimas facere tantùm studebant Creuitque res tātùm, vt nulla signa statuęve sine argilla fierent. Quo apparet, antiquiorem hanc fuisse scientiam, quàm fundendi ęris. Plinius apud Volater. lib. 16.

Vertumnus apud Propert. lib. 4. simulachrum suum à MAMVRIO ex ęre formatum dicit: ideóque precatur, vt eius cineri terra sit leuissima,

Fecit MENESTRATVS Herculem, & Ephesi in templo Dianę Hecaten, tanta marmoris radiatione, vt in eius contemplatione ęditui admonerent parcere oculis.

MYRO statuarius fuit Syracusanus, numerosior in arte quàm Polycletus. Vtebatur ęre Deliaco. Ageladis fuit discipulus. Hunc maximè nobilitauit bucula celebratis versibus. Fecit & Canem, & Discobolon, & Persea, & Pristes, & Satyrūm admirantem tibias, & Mineruam, & Delphicos pentathlos pancratiastas. Ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensus non expressit. Iuuenalis Saty. 8. Et cum Parrhasij tabulis, signísque Myronis. Volat. lib. 17. ex Pausania.

MYRMECIDÆ, MILESII & CALLICRATIS Lacedęmonij, opera propter nimiam exilitatem in admiratione habentur. Quadrigas fecerunt, quę sub musca possent abscondi, & sesamo distichon elegium literis aureis inscripserunt. Ælian. de Var. hist. lib. 1.

PAPIPPVS Praxitelis discipulus, fecit Zethum & Amphionem, Dircem & Taurum.

PERILLVS faber taurum ęneum excogitauit, in quo sontes subiectis ignibus torquerentur. Similiter ARVNTIVS Paterculus similem fecit. Vterque tamen crudelitatis suę pœnas dedit: ille à Phalaride, hic à Censorino Ægistę tyranno operis sui specimen exhibere coactus. Fulg. lib. 9 cap. 2.

PHIDIAS ab initio pictor, deinde statuarius, Olymp. LXXXIII, cui artis inclitę Iupiter Olympius testimoniū perhibet. Est & Romę in octauię porticibus, eius Venus. autor est Plinius. Statuam quoque Nemesis deę, denûm cubitorum, apud Rhamnuntem Asię oppidum fecit, quę in manu mali ramum tenebat, ex qua parua surgebat complicatio: vbi (teste Antigono Carystio) inscriptum erat: Agoracritus Parius fecit. Hunc enim discipulum suum Phidias adeò dilexit, vt nomē eius suo inscripserit operi. Hinc prouerbium natum est, Rhamnusia Nemesis. Claruit ille idem minoribus simulachris sculpendis. Fecit statuam Mineruę ex auro, & ebore, amplitudine XXV cubitorum: in cuius scuto cęlauit prœlium Amazonum, & Gigantomachiam. In soleis pugnam Lapytharum & Cētaurorū. Plinius eum vocat artificem nunquam satis laudatum. Fabius: Phidias (inquit) diis quàm hominibus efficiendis melior. In ebore verò longè citra ęmulum, vel si nihil nisi Mineruam Athenis (quod omnium Phidię operum excellentissimum esse, & quia Lemnij dedicassent, Lemniam appellari, scribit Pausanias in Atticis) aut Olympium in Elide Iouē fecisset. De eodem quoque perhibetur, quòd cùm Mineruę simulachrū incomparabile fecisset, nec ei licuisset, vt moris erat, nomen suum inscribere, inclusit in clypeo suam ipsius effigiem tanta solertia, vt si conuelleretur, tota operis colligatio & structura solueretur. Guido Bitur. Porrò Phidię æmuli fuêre Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegeas, deinde Ageladés, Callon, Polycletus, Phragmon, Gorgias, Lacon, Myron, Pythagoras, Scopas, Perelius. Plin. lib. 34. cap. 8.

POLYCHARMVS Venerem leuantem sese, & Dędalum astantem.

POLYCLES & Dionysius, filius Timarchidis, Iouem finxerunt.

PHILISCVS Venerem in Octauiæ porticu. Item Latonam, Dianam, Musas nouem, & nudum Apollinem.

POLYCLETVS statuarius duas eodē argumēto statuas fecit, alterā arte sua, alteram verò vulgi opinione, quā de sententia cuiuslibet prætereuntis cęlauerat. Quibus perfectis, turbam admittit: ac primùm sua ostensa magnopere laudata est, altera deinde non æquè. Atqui, inquit, scitote quòd hanc quam tantopere laudatis, ego feci: quam verò vituperatis, vos fecistis. Ælian. de Var. hist. Fuit autem Ageladis discipulus, & quantum reliquos superauit in forma hominum ad veritatem effigienda, tantum abfuit ab autoritate reddenda formę Numinum, quod Phidię & Alcamenidarum est. Signa fecit ex ęre, nobilitata scriptorum præconio: vt Astragalizontes, id est talis ludentes. De eo, & aliis, Martialis lib. 8.

Quis labor in phiala, docti Myos, ánne Myronis?
Mentoris an manus est, an Polyclete tua?

Discipulos habuit Argium, Asopodorum, Alexim, Aristidem, Phrynonē, Dinonem, Athenodorum, Dameam Clitorium, Myronem Lycium. Plin. lib. 34. cap. 8.

PRAXITELES marmore nobilitatus. Eius Romæ opera Triptolemus, Flora, Ceres, Boni euētus & Bonę fortunę simulachra, Mericidas & Carsatidas, Silenus, Iupiter eburneus in æde Metelli, Apollo impubis. Plinius. Claruit duplici Venere: alteram in Coo fecit, alteram in marmore quasi spirantem in templo Gnidiorum collocauit, propter pulchritudinem operis à libidinoso cuiusdam iuuenis complexu parum tutam. Quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equæ, hinnitum edere coactus est: & canum latratus aspectu picti canis incitatus: taurúsque ad morem & concubitum æneæ vaccæ Syracusis, nimiæ similitudinis irritamēto compulsus. Quid enim rationis vacua animantia arte decepta miremur, cum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam videamus? Valer. lib. 8. cap. 11. Scripsit quinque volumina nobilium operum in toto orbe. Speculum argenteum primus fecit.

PYTHAGORAS Rheginus pancratiasten Delphis posuit. Hunc vicit Leontius, qui fecit Stadiodromon Astylon, qui Olympiæ ostenditur. Et Libyn puerum nudum tabellas tenentem, & ferentem mala. Syracusis autem claudicantem, cuius vlceris dolorem spectatores videbātur sentire. Item Apollinem citharœdum. primus neruos, & venas, & capillum diligentius expressit.

PYTHAGORAS Samius, Pythagoræ Rhegini discipulus, fecit signa Fortunæ seminuda.

PYTHIS in fastigio Mausolæi quadrigam fecit marmoream, altitudine pedum CXL. quæ totum opus inclusit.

SAVROS & Bathraces Lacones, fecerunt templa Octauię porticibus inclusa.

SOCRATES Sophronisci F. fecit Charites in Propylæis Atheniensium.

SOPHRONISCVS marmorarius, pater Socratis, Valer. libro tertio capite quatto.

THEON sculptor, vnus ex quinque qui Mausolæum cælauêre: vt est apud Plinium, & Volater. lib. 20. Anthrop.

THEODORVS & TELADEVS fratres, Samij, Rhœci filij, sculptores celeberrimi fuerunt: quorum Teladeus Pithij Apollinis signum in Samo incœpit, Theodorus Ephesi alio saxo absoluit: quibus simul compositis, ita cohæsit & conuenit, vt ab vnico artifice & eodem lapide factum videretur. Fuit etiam Theodorus author labyrinthi Samij.

TELEPHANES Phoceus, Polycleto nō inferior, habitauit in Thessalia, vbi opera eius latuerunt. Fecit Larissam, Spirarchum, Pentathlon & Apollinem.

TIMOTHEVS sculptor nobilissimus, cuius in templo Apollinis Romæ plura sunt simulachra & monumēta: vnus qui cū Leochare, Briaxe & Scopa Mausolæum Artemisiæ cælauit, quadrato ab latere quisque suo. Plinius.

Ætate Plinij ZENODORVS fecit colossum Mercurij in ciuitate Galliæ Aruernis, sestertiis CCCC. Idem quum venisset Romam, simulachrum fecit mandato Neronis CX pedum longitudine, quod postea Soli dicatum est.

CAELATORES CVIVSCVNQVE materiæ.

Consule Plinij hist. Nat. lib. 34. cap. 8.

ALCIMEDON, nomen est cælatoris & vascularij apud Virgilium, dicentem:

--Pocula ponam.
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

ALCON nomen est argentarij, qui Æneæ pateram cælauit. Plinius scribit proximos à Mentore fuisse Bœtum & Agraganta. De Alcone & Bœto Virgilius in Culice:

--Nec pocula gratum.
Alconis referunt, Bœtique toreuma.

ANTIPATER Satyrum in phiala grauatum somno, collocasse verius quàm cælasse dictus est.

CALAMIS cælator fuit, cuius manu cælata duo pocula Germanicus Cæsar donauit Cassio Syllano. Fecit & Apollinem positum in hortis Seruilianis.

EVRYCION nomen est fabri argentarij apud Virg. lib. 10.

Quæ bonus Euricion multo cælauerat auro.

MENTOR primus claruit argento cælando, qua in re magnam promeruit laudem. Testimonium laudis ei perhibuit Capitolinus Iupiter, & Ephesia Diana, quibus consecrata fuerunt artis eius vasa. Iuuenalis Saty. 8.

Multus vbique labor, raræ sine Mentore mensæ.

MYS cælator fuit argentarius, teste Martiali:

Quis labor in phiala? docti Myos, an ne Myronis?

PYRRHEAS cælator, cuius duæ vnciæ viginti venierunt: Vlysses & Diomedes erant in phialæ emblemate Palladium surripientes. Fecit & iocos in paruulis potoriis.

SCOPAS cælauit Mausolæum cum Bryaxi, Timotheo, & Leochare. Ab oriente cælauit Scopas, à Septentrione Bryax, à meridie Timotheus, ab occasu Leochares.

ZOPYRVS Areopagitas, & iudicium Orestis cælauit in duobus scyphis, XII pondo æstimatis.

NEXARCHVS Pythagoræ pater, anulorum sculptor fuit. Fulgos. lib. 3, cap. 4.

FIGVLI.

Consule Plinium Nat. historiæ lib. 35. cap. 12.

DIBVTADES Sicyonius primus fuit figulus Corinthi, qui ex creta docuit fingere: primúsque personas tegularum extremis imbricibus imposuit. Vide Plinium lib. 35. cap. 12.

Sunt qui in Samo primos omnium plasticem inuenisse IDEOCHVM, Rhetum, & Theodorum tradant. Plin.

ENCIRAPVS, & EVGRAMMVS Italiæ plasticem tradiderunt.

Hominis imaginem gypso ex ipsa facie primus omnium expressit, ceráque in eam formam gypsi infusa emendare instituit LYSISTRATVS Sicyonius, frater Lysippi. Hic & similitudinem reddere instituit, & de signis effigiē exprimere inuenit.

Plastæ laudatissimi fuerunt DEMOPHILVS & GORGASVS.

CACOSTHENES cruda opera fecit Athenis.

THERICLES figulus fuit Corinthius, à cuius nomine fictilia quædam vasa Thericlea dicta sunt.

PRAXITELES plasticen matrem statuariæ, sculpturæque & cælaturæ esse dixit. Neque vnquam aliquid fecit antè, quàm finxit.

M. Varro tradit sibi cognitum Romæ POSSVNIVM. qui tubas & pisces fecerit, quos aspectu discernere à veris non potuisses.

Idem extollit ARCESILAVM, Luculli familiarem, cuius proplastice pluris venibat ab artificibus ipsis, quàm aliorum opera. Idem fecit Venerem genitricem in foro Cæsaris.

TVRIANVS Iouis effigiem fictilem in Capitolio dicauit. Fecit & Herculem eadem materia. Tales enim effigies deum tunc erant laudatissimę.

Habuit & TEVCER crustarius famam.

PAVSANIAS figulus turpi amore Agathonem prosecutus est. Ælian. li. 2. Var. hist.

P. VERGILII Maronis pater figulinam exercuit. Fulg. lib. 3. cap. 4.

ABDELMOMII Africæ regis pater figulus fuit, sub Maurorum imperio. Fulg. lib. 3. cap. 4.

RHINTHONIS Tarentini poetæ præclari pater figulus fuit. Vide tit. Comicorum poetarum.

ARMORVM FABRI.

Aliud genus mechanicum aggredimur. quod corpus humanum ab iniuriis externis tueri & defendere conatur, siue iniuriæ illę ab animatis proueniant, quas armis depellimus, quorū fabros nūc recēsebimus: siue ab inanimatis, à cæli videlicet & aeris inclemētia, quas partim ædificiis & tectis, partim vestibus declinamus. ædificia architecti, Vestes varij artifices faciunt. De quibus in sequentibus.

VVLCANVM poetæ faciunt fabrum deorum, & Iouialium fulminum artificem. Idem, Solis currum fecisse fertur. Ouid. libro secundo Metam.

GLAVCVS Samius, primus æris ferruminationem inuenit.

DIDYMAON autor fuit cuiusdam clypei, quem Æneas dedisse fertur Niso cursori peractis ludis, qui fiebant in Sicilia ad Anchisæ tumulum. Virgilius.

LYCAON Gnosius faber fuit & artifex ensis, quem Ascanius dedit Euryalo. Virg. lib. 9.

--Humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburnea.

MAMVRIVS fabricauit Saliorum ancilia, qui propterea nomen eius solebant canere in fine suorum carminum.

SARMATÆ Nomades vngulas vbi legerint equinas, perpurgatas, ac dissectas, ad similitudinem squammarum draconis expoliunt. Squammulas perforant, & equinis vel bubulis neruulis consuunt, inde sibi loricas concinnant: quæ neque elegantia, neque firmitate loricis Græcorum inferiores sunt. Eæ namque tum comminus tum eminus percussæ, ictus sustinent. Nam linteæ loricæ haud quaquam pugnantibus vtiles, quòd ferro vehementius immisso peruiæ sunt, sed venatoribus certo præsidio sunt: in illis namque leonum & pardorum dentes retunduntur. Talem loricam Pausanias in Atticis, in æde Æsculapij Athenis spectari asserit.

ARCHITECTI.

Etsi vocabulum hoc, quemadmodum & Fabri, generalem significationem habet: in specie tamen pro ijs qui domos & ædificia extruunt, tam publica quàm priuata, sumi consueuit. Græcum est origine, vsu etiam Latinum. Nam cùm illi qui ædificant, omnes ferè fabros sollicitos habeant, eorúmque opera vtantur, οἷον ἀρχιτέκτονες censendi & appellandi sunt, quasi tu dicas principes & imperatores reliquorum fabrorum.

D. THOMAS apostolus, tanquam architectus ad regem Indiæ missus, regem conuertit. Vide tit. Liberalitatis religiosæ.

EPEVS Troiani equi architectus fuit. Iustinus lib. 20. à principio.

SPINTHARVS Corinthius nobilis architectus, Delphi cum templum ædificauit. Pausanias in Corinthiacis.

CHERSIPHRON Gnosius architectus, Ephesiæ Dianæ templi constructionem excogitauit, quod ducentis annis & viginti factum est à tota Asia: fundamenta sita sunt in solo palustri, ne terræmotus sentirent, aut hiatus timerent, quæ calcatis antea substrauêre carbonibus dein velleribus lanæ. Longitudo fuit quadringentorum vigintiquinque pedum, latitudo ducentorum viginti: columnę cętum viginti septem à singulis regibus factæ, sexaginta pedum amplitudine. ex quibus triginta sex erant cælatæ. Author est Plin.

ZENODOTVS architectus, qui primus Pergami strauit, quòd vocât Asaraton, tesselato opere paruis è testulis, tinctisque in varios colores. Volat. lib. 20. Anthrop.

MNESICLES architectus arcem Athenis ædificauit. Plutarchus in Pericle.

NICON pater fuit Galeni, geometriæ & architecturæ periti ssimus

EVPALINVS Megarensis filius Nautrophi, RHOECVS Philei filius, & MANDROCLES Samius, nomina sunt Architectorum apud Herodotũ.

HERMODORVS nomen est architecti, qui obeliscum fecit.

ZMILVS, RHOLVS & THEODORVS, architecti, fecerunt labyrinthum Lemnium.

VALERIVS Ostiensis architectus fuit, qui theatrum Romæ texit.

APOLLODORVS Traiani forum, Methodeum & Gymnasium Romæ fabrefecit. Hunc interfecit Adrianus.

DAEDALVS labyrinthi Cretensis famosissimi author fuit.

HERMOGENES ędem Doricam Iunonis Magnesiæ.

SYGILAS Mausolæum Artemisiæ.

MELEAGENES fanum Minervæ Prienensis.

DIPHILVS architectus fuit tardissimus in perducendis ad finem susceptis operibus. Vnde factus adagio locus, DIPHILO tardior. Erasm. in Adag.

THEODORVS Phocensis fecit tholum Delphicum.

THEODORVS non tantùm sculptor, sed architectus quoque insignis fuisse perhibetur: vnusque consuluit subiiciendos esse carbones fundamentis Ephesij templi. Nam cùm humidus esset locus, amissa ligni natura, soliditatem accepit humor immobilem. vt est apud Diogenẽ & Pausaniam, qui eum omniũ primò ferrum fundere docuisse, statuamque ferream fecisse scribit.

PHILO architectus nobilis Athenis, cuius Plinius & Valerius meminêre. Cicero autem de Oratore, eum eloquentissimum architectum vocat, qui armentario mille Athenis nauium fabricato, rationem operis sui perdiserte populo tradidit. Volat. lib. 18. Anthrop.

SOSTRATVS architectus, turrim excitauit in insula Pharo, iussu Ptolemæi Philadelphi, ad ostendendos nocturnos ignes nautarum cursibus: eique nomen suum inscripsit. quod regem fuisse passum admiratur Plin. Idem quoque pensile Gnidi ambulacrum fecisse traditur. Volat. lib. 19. Anthrop.

DINOCRATES architectus maximè nobilis, genere Macedo (alij Stasicrati hoc tribuunt) in conspectũ Alexandri vi properãs, afferre se multas & egregias cogitationes, Alexandri magnanimitate dignas dixit: in isque, de monte Atho in virilis statuæ formam redigendo, eo quidem artificio ac positu, vti læua manu vrbis maximè capacis amplitudinem contineret, ac mœnia: dextra verò pateram, quam fluuiorum omnium qui eo in monte defluerent, decursus exciperet. Quibus auditis Alexander, ingenio hominis ac sermone delectatus, secum esse illum voluit cúmque Alexãdriam ædificaturus esset, eius opera in ea ciuitate metanda vsus est. Iouianus Pontanus lib. 5. cap. 1. de Pruden.

BALINICVS architectus, ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignémque marinum adinuenit, quo vsi Romani naues Sarracenorum exusserunt. Sigebertus in Chron.

HERMODORVM architectum insignem, Cicero de Oratore commemorat.

HERACLIDES Tarentinus architectus, Rhodiorum classem incendit. Vide tit. Stratag. Simulatæ amicitiæ.

Tiberij Imperatoris tempore, cùm Romæ porticus maxima in alterã partem inclinaret, eam QVIDAM architectus contra omnium opinionem erexit. cuius nomen ideo ignoratur, quòd Tiberius permotus inuidia rei admirabilis, id scribi in Annalium monumentis noluit. Is autem quisquis fuit, fultis vndique fundamentis portieus, ne moueretur, ac superiore parte eius velleribus ouium & crassis vestimentis cincta, & circumligata funibus, eam adhibitis multis hominibus & machinis in pristinum locum restituit. Dion in Tiberio.

VENETIS cùm aurea Marci ędes insigni opere absoluta iam esset, deesset tamen Marcianæ aręnæ forum ipsum, præcipua vrbis pars, PHILIPPVS Calendarius Marini Faletri principatu statuarius, & architectus insignis, nõ dubitauit id opus aggredi. Itaque & forum ipsum interc. columniis ornauit, & ab omnibus spectandum cinxit: addito etiã comitio maiore, in quo partes cõuenire possent ereandis magistratibus statis diebus. Eam ob rem maximis affectus est honoribus, atque etiã ab ipso duce in affinitatem suam admissus. Vtinam verò Marini Faletri coniurationem nunquam secutus foret: neque enim illi ciuitas gratissima aliquod vnquam vnquam præsium negasset. Egnat. lib. 8 cap. 11. & 13.

Non minori cẽtendus est laude ARCHITECTVS is qui duas colũnas, alterã diuo Marco, alteram diuo Theodoro dicatã, pręclara sui nominis memoria in area Diui Marci tandem erexit. Illæ enim ex Oriente huc adnectæ, quum non inuenirent autorem qui illas rectas attolleret, constantéque sibi redderet: tandem post aliquot annos autorem inuenerũt qui pollicereturs ua opera erecturum se eas, quæ perpetuò starent si digno præmio sese donarent, publicóque decreto statuerent, vt liceret quicunque vellent in earum basibus ludere. Quare partes ingenti cum hilario perpetuò donarunt, & ædibus quas possideret: steritque diu etiã ludendi decretum, quod tamen sit hodie abolitum. Egnat. libro octauo, capite decimotertio.

ARCHITECTVS quidam Constantinopolitanus auream D. Marci ædẽ Venetiis extruxit. quibus conditionibus, pete ex tit. Magnificentiæ seu Liberalitatis in templis ædificandis.

VESTIVM ARTIFICES.

Vestium appellatione comprehendimus omne id, quo corpus humanum vel necessitatis vel luxus & voluptatis gratia vestiri consueuit, tegi & amiciri. Artifices itaque vestium in duplici sunt differentia. Alij enim materiam præparant: vt textores qui pannos texunt, & FVLLONES seu tinctores, & similes, qui eosdem colore imbuunt, alii materiam iam paratam decenti forma, quæ humano corpori apta sit & conueniens, exornant: vt Sarctores, Sutores, & similes alii. Nos hic quorundam exempla afferamus. Omnium enim vix licet.

TEXTORES.

Apud MATRONAS quondam lanificium magnæ laudi fuit: lanámque fecisse mulierem, pudicitię & probitatis signum erat. Quod à Phrygibus ad Romanos fluxisse putarim, apud quos Attalus rex, primus auri vestib⁹ intexere instituit. Itaq; vxores viris, matres filiis tunicas togásq; faciebant. Sponsam præterea nuptiarum die colum comptam, & fusum cum stamine, ad virum deferre iusserunt Romani. Quem morem apud IBEROS quoque obseruari aiunt: apud quos quicquid texunt mulieres, in commune conferunt: & virorum iudicio quę plurimum texuit, honoribus cumulatur, & precio. Alexand. ab Alexand. libro quarto, capite octauo. Exempla quędam ex Commentariis nostris Epitaphiorum petantur, sub titulo Matronarum illustrium. In Claudię epitaphio hic versus legitur: Domum seruauit, lanam fecit. dixi. abei.

Apud PHARACENSES rei naualis viri, mulieres pensa trahendi & acu vestes texendi curam gerunt. Ibidem.

Apud ÆGYPTIOS viri pensa curant, fœmineę foro vacant. Alię gentes desuper tramam vrgent, Ægyptij verò subter. Herod. lib. 2.

Apud Persas matronas lanę admouere manus, aut calatum & pensa trahere, probro & turpitudini dabatur. Alex. Ibidem.

HANNA, vxor Tobię, quotidie in lanificio sese exercebat. Tobię. 2. & 4.

ARACHNE (vt fabulantur poetę) quum esset lanificij peritissima, ausa est Mineruam eius artis inuentricem ad certamen prouocare: A qua victa, in araneam mutata est: quę nunc quoque nere non desinit, fusisque filis hęret adhuc pensilis.

Fusos in lanificio reperit CLOSTER, filius Arachnes, Linum & retia, ARACHNE ipsa, autore Plinio.

Fuit oprima textrix PENELOPE, poetarum testimonio: vnde & Tela Penelopea. & Icariotis dicitur, quòd Icari filia fuerit Penelope.

PHOLOE Cretensis, fœmina lanificij & texturę admodum perita. Vergilius lib. 5. Æneid.

Prima telas texere, easq; retorqueri inuenit in Coo insula PAMPHILE, Platis filia, Plinius lib. 11. cap. 22.

AQVILA, Ponticus genere, aulęorum textor, Roma à Claudio pulsus propter tumultuantes Iudęos, à Paulo in fide Christi institutus, Ephesi demum vixit, & pręclarè de Ecclesia meritus est. Quod ex Actis Apostolorum, Eusebio, & Pauli epistolis colligi potest.

D. PAVLVS apostolus artem texendi tabernacula seu aulea calluit, & in faciendis tentoriis pelles consuere doctus fuit: eámque artem etiam post conuersionem exercuit. Chrysost. in 8. cap. prioris ad Corinthios.

AGESAEVS natione Patarensis, & HELICON Caristius, duo fuerũt celebratę artis artifices, qui peplum Palladis Poliadis (quę in arce Athenien sium colebatur) contexuerunt. Hinc adagium natum, Aceseį & Heliconis opera: de his quę singulari fiunt artificio. Rauisius.

ALEXANDER Macedo, & Augustus Octauius domesticis tunicis ab vxore & matre confectis vsi sunt: quas veteri more in atrio domus cum clientibus Romani intexebant. Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 8.

TANAQVILIS lanam cum colo & fuso, item sandalia in templo Anci Martij ad sua vsque tempora duransse incolumem fatámque ab ea togam

togam regiam virgulatam, quia Seruius Tullius vsus fuit, testatur Varro apud eundem.

PAGANA lege sanctum fuit, ne mulieres in via torquerent fusos, aut illos detectos ferrent: quoniam frugum prouentibus aduersari putabatur. Ibidem.

ELIGIVS Lemouicensis, aurifaber fuit optimus. Sed postea episcopatui Nouiomagensi in Gallia præfectus, multis claruit miraculis: obiitque anno ætatis septuagesimo, Christi sexcentesimo sexagesimoquinto. Vincentius lib. 23. cap. 83.

ZENO Aiacis frater, Maiumæ siue Constantiæ prope Gazam episcopus, semper in solitaria lanificij officina lineas texuit vestes: & ex laboris fructu vitam tolerauit, & indigentibus sumptus subministrauit. Nicephorus lib. 12. cap. 47.

PETRVS Rex, textor lanarius, à Brugensi populo contra Gallos dux constituitur. Vide tit. Seditionum.

FVLLONES. TINCTORES.

ANASTASIVS Aquileiensis, qui sub Diocletiano passus est, artem fullonicam prius exercebat. Rauis.

CTESIPPVS fuit fullo, cuius meminit Plinius libro trigesimoquarto, cap. 3.

TYRTAMI, qui Theophrastus postea propter dicendi suauitatem appellatus fuit, pater fullo fuit. Fulg. libro tertio, capite quarto.

PHILONIDES Athenienśis primùm fullo, deinde priscæ Comœdiæ poeta. Vide tit. Mali poetæ.

Apud CASPIOS populi sunt, qui ex arborum frondibus contusis, & aqua dilutis, varia animalia sibi per vestes inscribunt: eáque animalia nunquam eluuntur, sed perinde atque si ab initio essent intexta, sic cum reliqua lana veterascunt. Herod. lib. 1.

CORIARII.

THEODOTVS coriarius, siue (vt alij) sutor. Vide tit. de Hæreticis.

SIMON coriarius, hospes D. Petri in actis Apostolorum.

SIMON coriarius, ad cuius officinam Athenis sæpe Socrates accedere, & de rebus philosophicis disputare solitus erat, de Socratis disputationibus volumina aliquot edidit. Fulgosius libro octauo, capite septimo.

NICAVDÁ coriarius. Vide tit. Mortui qui reuixerunt, sub Enarchi historia.

SARCTORES.

ANTISTHENES Sybarita nobilem vestem elaborauit, in qua varijdij & terræ erant depictæ, quæ quotannis in templo Lucinæ Iunonis miraculi loco ostendebatur. Autor est Aristot. de Admirando auditu, & Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

IO. BAPTISTA Gellius, factor & Academicus Florentinus. Naturalem eius eruditionem testantur Dialogi ab eo conscripti patria lingua. il Bottaio, & Circe, quam ex Plutarchi Gryllo mutuatus esse videtur.

PETRVS Landoes sartoris filius, ad summam euectus dignitatem. Vide tit. Ex humili fortuna euecti, & denuò deiecti.

IOANNIS Baluæ cardinalis Pictauiensis pater, sartor fuit, qui sub Ludouico XI. Gallorum rege suo arbitrio regnum administrauit. Fulg. lib. 6. cap. 10.

PELLIONES.

LEONARDVS Zuuinggerus Bischoffzellẽsis pellio, Basileæ, ex Christiana Oporina 4, sustulit liberos, Christianum, Christophorum, Annam & Theodorum. Tres primi immatura morte prærepti, patris fata (qui peste obiit) secuti. Quartus adhuc superstes, Theatri huius perficiendi & in ordinem redigendi author fuit.

SVTORES.

DIONYSIVS Mitylenæus, ex sutore poeta. Vide tit. Poetarum.

Plancus Mæuiam Gallam vxorem habuit, non satis probati nominis fœminam. Cùm autem amici causam agenti, testis ex aduerso SVTOR processisset quidam. Plancus vilitate officij testem suspectum reddere cupiens, quasi incognitum, scisc itatus erat, qua arte se regeret: Gallam, inquit, calco. Galla autem sutoris instrumentum erat. Qua æquiuocatione nominis, Planco vxoris impudicitiam exprobrauit.

Gallus quidam SVTOR cum vidisset Caligulam imperatorem nunc deorum, nunc mulierum vestitu turpiter incedentem, atque in solio eminentissimo, tanquam deum sedentem, Iouis chlamyde amictum, tantam insolentiam ferre: Qua re animaduersa. Caius ad se vocauit hominem: rogauitque quid sibi videretur? respondit Gallus, Hanc magnam dementiam videri. Sed Imperator, eo quòd sutoris dictum satis liberum esset, æquo animo tulit. Adeò principes huiusmodi, æquiore animo ferre solent plebeios homines liberè loquentes, quàm præditos aliqua dignitate. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Caligula.

P. ALPHENVS Varus, Cremonensis, sutor fuit. Mox Iureconsultus tam celebris, vt etiam cum P. Vinitio consulatum sit adeptus. Reliquit libros Digestorum & Collectaneorum. De eo Horat. lib. 1. Sermonum.

-Vt Alphenus vafer, omni
Abiecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat sapiens operis.

CRISPINVS & Crispianus ex vrbe Roma Suessionem in Galliam profecti peregrinationis gratia, arte sua sutoria calceis pauperes iuuabant, multosque ad fidem deducebant: sub Maximiniano deinde interfecti, templum etiam apud posteros, in vrbe meruerunt. Volat. libro 14. Anthrop.

IOANNIS XXII Pontificis pater Gallus fuit cerdo. Fulgosus libro 3. cap. 4.

THEOBALDVS Vuolfhardus Rubeaci oppido Alsatiæ sutrinã exercuit, ea inter ciues suos authoritate & gratia, vt omnibus honoribus legitimè summa cum laude functus sit, & moriẽs magnum sui desiderium optimis quibusque reliquerit. Suscepit ille ex Elizabetha, Conradi PELICANI Theologi clarissimi sorore, filios duos, Theobaldum, & Conradum natu maiorem, qui sese Græca allusione Lycosthenem appellauit, & huius Theatri prima fundamenta iecit.

LIGNATORES, QVI LIGNA CÆDVNT, PRO *ignis pabulo.*

CARBONARII.

M. ÆMILII Scauri viri clarissimi pater, carbonariam exercuit. Vide tit. Ex humili loco Consules & Prætores facti.

PETRVS Ramus Veromanduus, primus ex recentioribus contra Aristotelem scribere, & publicè etiam Parisiis, vbi eloquentiæ & philosophiæ professorem regium egit, disputare ausus fuit: maiore conatu tamen, quàm successu. Huius pater carbonarius fuit. Quod quamuis illi inimici probri loco obiecerint, summæ tamen ego laudi tribuendum censeo.

METALLARII.

PYTHES rex & metallarius, in Pythopoli. Historiam pete ex tit. Prudentiæ in seruanda iusticia.

PYTHIVS Bithynicus, metallarius ditissimus, Dario platanum aureã, nobilémque vitem donauit, & Xerxis exercitui epulum præbuit, ac stipendium quinque mensium pollicitus fuit. Polyænus.

CHRISTOPHORVS Vueitmoserus, Saltzburgensis, ætatis nostræ metallarius ditissimus, inter cæteras animi dotes liberalitate & munificentia erga doctos immortalem nominis famam, veræ pietatis ac sinceræ religionis studio vitam etiam æternam sibi comparauit. Filios reliquit & opum & virtutum paternarum hæredes, Ioannem, Christophorum, & Esaiam: Quos faciant meritis crescere fata suis.

MONETARII.

LVDOVICVS III Lucensis, Frederico imperante, obtinuit suis Lucensibus, vt Hetrusci non alia quàm Lucensi moneta vti possent: sicut in Tran-

ſ padana regione Papienſi, Anno M.C LXXX II. Volat.li.22.Anthrop.

PYTHIVS argentarius Syracuſanus. Vide hiſtoriam infrà ſub titu. Calliditatis in contractibus.

HYPERBOLI Athenienſium principis pater, ſtigmatias, in Argyrocopeo (id eſt, officina vbi cuditur pecunia) publicè ſeruiuit. Lilius Gyraldus Dialogo ſexto Hiſtoriæ Poetarum.

SCRIBÆ, IN GENERE.

In Scriba ſiue arte γραφικῇ duo obſeruantur officium ipſum (hinc Librarij, Tabelliones, & Notarij dicuntur, quorum poſteriores inter magiſtratus ſpecies ab Ariſtot. in 6. Polit. circa finem connumerantur) deinde etiam ipſa ſcriptio, ſiue actio ſcribendi, cuius artē nemo niſi Grammaticus rectè profiteri poteſt. Ipſa enim ſcriptio tria requirit, vt rectè, vt eleganter, vt celeriter & expeditè ſcribatur. Rectè ſcribere, quod & ſummæ artis eſt, docet Orthographia: quæ inter quatuor Grammaticæ partes prima eſt, & veluti baſis reliquarū. ea quibus quodque nomē literis exprimi, qui accentus, quæ cōmata, cola & periodi adhiberi debeāt, docet. Cuius tāta eſt neceſſitas, vt ſi in Orthographia peccetur, nulla nec elegantia nec celeritas laudem amplius mereantur. Eleganter ſcribere imitationis eſt probæ, & quæda veluti pictūræ ſpecies. Celeriter ſcribere, partim naturæ eſt, veloci ad nutū manu literas poſſe exarare: partim artis, notis quibuſdam integra verba ſignificare (quarum Cicero author fuiſſe perhibetur) de quibus Martialis: Currant verba licet, manus eſt velocior illis, Vixdum lingua ſuum, dextra peregit opus. Quæ tamē nota eiſmultarum litium in contractibus cauſa eſſent, aliis alio modo eaſdem notas interpretantibus: edicto cautū fuit, nec quis amplius in foro & iudiciis notis iſtis uteretur. Apud nos ignotum eſt hoc ſcribendi compendium, niſi quātum ex antiquis marmoribus & ſcriptis colligere licet. In notarum locum ſucceſſere apud neotericos abbreuiaturæ (ſic enim vulgo appellantur) quibus longè certius ea quæ volumus ſcripto exprimere poſſumus, quàm notis, nec minore celeritate, quando quidem minutis literis uti conſueuimus. Cùm itaque ars γραφικὴ potiſſimum in recta literarum compoſitione & expreſſione poſita ſit, ſecundariò & per accidens in eleganti & celeri picturā manifeſtum profectò eſſe arbitror, artem ſcribendi ad Grammaticam in primis ſpectare: & per accidens tantum politicis rebus inſeruire, ita vt inter magiſtratus quoque connumeretur. Pari namque ratione philoſophiæ inſeruit, & mercaturæ, œconomiæ, omnibus denique humanæ vitæ actionibus, quas memoriæ mandare, aut abſenti ſignificare volumus. Vt enim Grammatica organum eſt commune omnibus artibus & diſciplinis: ſic etiam γραφικὴ, quæ eſt Grammaticæ pars. Definitur enim Grammatica, ars eſſe rectè loquendi & ſcribendi. Et hæc quidem in genere de ipſa ſcribendi arte dicere voluimus: iam verò ipſum officium inter Mechanicas artes referri debet. Inſeruit enim, ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν, vel Theoricæ vitæ: vtputa quando libri & monumenta doctorum hominum deſcribuntur, quos Librarios olim vocabat: in quorum locum ſucceſſerunt hodie Typographi. vel vitæ practicæ, in foro potiſſimùm & iudiciis, quando acta iudiciorum, ſenatuſconſulta, leges & edicta, memoriæ poſterorum ſcriptis commendantur: quod quidem officium, quia arcana multa tractat, non niſi ſpectatæ fidei hominibus committi debet, eáque propter Ariſt. inter τοὺς ἀρχὰς connumerare non dubitauit. Nunc ad exempla, primùm quidem de modo ſcribendi, vtputa per notas & literas: deinde de Scribis ipſis.

DE MODO SCRIBENDI.

SCRIBENDI varij ſunt modi. Hebræi & Aegyptij ſiniſtroſum ſcribunt: Græci & Latini dextroſum, id eſt à ſiniſtra in dextram. Hebræum morem illum Sex. Pompeius Tpocon à Græcis appellari ſcribit. Pauſanias aliud ſcribendi genus affert, quod Græcis βουσρηδὸν vocant: à fine ſcilicet prioris verſus ſecundum verſum conuertere, vt in diaulo curſu ſit: ab arandi ratione ductum, cùm in extremo ſulci in alterum ſulcum boues conuertuntur. Vnde verſus dicti, ſecundum Iſidorum lib.6. quia ſic ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra: à ſiniſtra enim ad dextram primùm deducebant ſtylum, deinde conuertebatur ab inferiore rurſus ad dextram verſus, quos & hodie ruſtici verſus vocant. Poggius libr. 4. de Fortunæ varietate, alium morem Indorum deſcribit, quòd ſcilicet in arborum foliis ſcribant, non in latus, ſed in longum, à ſummo ad imum ducentes calamum. Gyraldus Dialogo primo Hiſt. poet.

Apud AEGYPTIOS duplex ſcribendi mos: alius ſacer per effigies ſaxis impreſſas, Hieroglyphicas vocant literas: alius vulgaris, in chartis ex byblo, id eſt papyro perſcriptis figuris, non ſacris literis, à dextra in ſiniſtram ductis, more Hebræorum. Herodotus & Iſidorus.

ROMANI olim ferro graphio ſcribebant. Poſtea verò oſſeo ſtylo vti cœpere. Sic T. Quintius Atta in ſua comœdia inquit: Vertamus vomerem in ceram, mucronēque arenus oſſeo. Gyraldus Dialogo 8. hiſt. Poet.

MECOENAS notas quaſdam inueniſſe dicitur, quibus celerrimè verba excipi poſſent.

LIBERARII. AMANVENSES. QVI VEL CELERITATE, *vel elegantia ſcripturæ claruerunt.*

Ad vſum vitæ humanæ multa & varia adiumenta, humana excogitauit induſtria. Primas tamen obtinent librarij & bibliopolæ apud antiquos: noſtro ſeculo etiam Typographi, qui animi bonis, eruditioni & ſapientiæ plurimùm conferunt. Nos hîc exempla librariorum aſſeramus, qui in libris tranſcribendis operam ſuam olim contulerunt, vel etiamnum hodie conferunt (Quatenus verò iidem libros vendunt, hîc inter Mercatores connumerandi veniunt.) Quorumuis etiam aliorum, qui vel celeritate, vel elegantia, vel ſubtilitate in ſcribendo claruerunt.

ESDRAS Scriba velox, & ſacerdos, vniuerſas Hebræorum doctrinas habuit in memoria: id quod præter Sacras literas, Ioſephus etiam libro vndecimo, capite quinto Antiquitatum Iudaicarum ſcriptum reliquit.

HOMERI rhapſodiæ tam minutis characteribus deſcriptæ feruntur, vt in nuce abſcondi potuerint. Guido Bitur. Neque illud mirū: cùm Myrmecidis Mileſij quadrigæ, quarum temoni diſtichon inſcriptum erat, tantæ exilitatis fuiſſe ab Aeliano tradantur, vt ſub alis muſcæ abſcondi potuerint.

HIERAX, à quo Hieracitæ hæretici, vir doctiſſimus, & Calligraphus, quia optimè pingebat literas quaſuis. Vide tit. Hæreticorum.

TRYPHON librarius & bibliopola apud Martialem in Epigrammatis: Non habeo, ſed habet bibliopola Tryphon.

NARSES, eunuchus (qui poſtea à Iuſtiniano imperatore in Italiam miſſus fuit contra Gothos, & Totilam primò, mox Theiam, eorum reges deuicit & occidit) bibliopola fuit. Mox ab Imperatore in cubiculū ſuum adſcitus, & ordine patricio cohonestatus, occaſionem virtutes ſuas declarandi habuit. Platina in vita Pelagij primi.

SIMEON monachus epiſtolas Pauli tranſcribit. Vide tit. Prudentiæ in paupertate aliorum ſubleuanda.

ISTER ſcriba & ſeruus fuit Callimachi, poetæ clariſſimi, Cyrenęus, qui permulta ſcripſit carmine & proſa. Gyraldus in 3. Dial. hiſt. poet.

ATHANASIVS ille Magnus, Alexandri Alexandriæ epiſcopi amanuenſis fuit. Sozomenus lib.2.cap.17.

PAVLVS D. Cypriani notarius, quem ſe Romæ vidiſſe D. Hieronymus affirmat.

AMBROSIVS cùm Origenem ad commentandas ſacras literas impuliſſet, ſuis ſumptibus ſeptem ei notarios, & totidem puellas ſcribēdi peritas adiunxit, qui inuicem ſibi per horas ſuccederent. Euſeb. lib.6. & Suidas.

THEODOSIVS Imp. Arcadij filius, præter cæteras animi dotes fuit quoque Calligraphus. ita vt multa quoque eius ſcriptorum ad ſua vſque tempora conſeruata eſſe teſtetur Nicephorus lib.14.cap.3. Euangelia videlicet, & alia quædam, aureis literis diſtincta, quorum paginæ crucis formam referrent. Quo labore eū vitę ſumptus tolerare potuiſſe (ſi priuatus viciſſet) fama eſt.

In inteſtino draconis 120 pedum longitudine, Homeri Ilias & Odyſſea aureis literis deſcripta in bibliotheca Conſtantinopolitana olim legebatur. Vide tit. Bibliothecarum.

PROCVLVS D. Io. Chryſoſtomi, epiſcopi Conſtantinopolitani lector & amanuenſis: mox etiam Attici epiſcopi, qui ſecundus à Ioanne fuit, ſcriba, tandem quintus à Chryſoſtomo epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit creatus, paſtor bonus, eloquens & eruditus. Zonaras & Nicephorus lib.14 cap.37.

SELENAS, Vlphilæ Gotthorum epiſcopi (qui literas Gotthicas primus inuenit, & biblia Gotthicè vertit) amanuenſis, ſucceſſit Vlphilæ ſub Valente

ſub Valente Imp. I. in epiſcopatu. Socrates lib.5.cap.33.

CLEMENS pontifex Romanus eregionè Cœlij montis, regiones vrbis 8. notariis diuiſit, qui res martyrum diligenter perſcriberent. Anno 94. Volat. lib.22. Anthrop.

IVLIVS Romanus Conſtantino impetrāte inſtituit notarios, per quos res Chriſtianorum deſcriberentur. Anno 336. Ibidem.

TABELLIONES, NOTARII PVBLICI.

ALEXANDER filius Perſei, Macedoniæ regis, à Paulo Æmylio victi, & in carcere Romæ mortui, notariatus officio ſeſe altere fuit coactus. Fulg. lib.6.cap.11.

CICEREIVS ſcriba, competitor Cn. Scipionis. Vide tit. Pudoris.

DIOCLETIANI Imp. pater notarius Dalmata fuit. Fulgoſius libro 3. cap.4.

MAVRITIVS & THEODOSIVS tertius, Imp. primò notarij ſiue ſcribæ fuerunt. Fulg. lib.6.cap.10.

BLASIVS Axiaretus, Genuenſis tabellio, dux præſtantiſſimus euaſit. Vide tit. Ex infelicibus felices facti.

ÆSCHINES orator, ſcriba fuiſſe dicitur in iudiciis. Vide tit. Poetarum tragicorum.

CN. FLAVIVS Appij Claudij ſcriba, Actiones iuris ciuilis primus vulgauit. Vide tit. Legiſlatorum.

TYPOGRAPHI.

Omnem mechanicæ artis effectum, non recentis modò, verùm etiam antiquæ illud ſuperauit: quod ſcribendo IOANNES Guttembergius Argentinenſis oſtendit, primùm à ſe inuenta imprimendarum literarum ſcientia. Nam non ſolùm vno die imprimendo plura ſcribere, quàm vno anno calamis docuit: verùm cauſa etiam extitit, vt aucta librorum commoditate, bonarum artium ſcientia, quæ intermortua erat, velut ab orco excitata videatur. Viſus eſt enim immortalis Deus huiuſmodi induſtriam huic homini diuinitùs infudiſſe, veluti commiſeratione motus, quòd tantarum doctrinarum volumina ſcribendi difficultate perirent. Per hanc igitur artem, præclariſſimi autores, etſi diu antè fuerunt, tamen Anno ſalutis quadringenteſimo ac quadrageſimo ſupra mille, haud iniuria iterum nati eſſe dici poſſunt. Fulg. lib.8.cap.11.

TYPOGRAPHIA à Germanis inuenta eſt. Mox ab Aldo Manutio Venetiis ſumma cum laude & incremento exerceri cœpit, & optimi quique tum Græci tum Latini ſcriptores à blattarum iniuria liberati reuixerunt. Sed quia veræ pietatis noſtræ authores adhuc incogniti latebant, ad inuentores ſuos veluti poſtliminiò Typographica ars rediit. Itaque in vrbe noſtra Baſilea diuino numinis afflatu primùm Ioannes Amerbachius quatuor Eccleſiæ doctores excudit. Eius conatus IO. FROBENIVS tanquam hæreditariam prouinciam excipiens, ſibi ſuiſque nepotibus ampliſſimum de ſincera religione bene merendi campum aperuit, & reliquit. Ex his veluti fontibus ingētia artis huius flumina in totum terrarum orbem deducta ſunt. Galli elegantiam & ſplendorem arti addiderunt: diligentia tamen à Germanis vincuntur, atque copia. Nam vt domeſticum exemplum afferam, illud verè & ingenuè aſſerere poſſum, IO. OPORINVM (fatali quodam vbertatis & literariæ copiæ præſagio, ab Autumno nomen ſuum trahētem) tantum in nouis authoribus excudendis elaborāſſe, quantum nullus alius vel veterum vel recētium typographorum: vt ſi diligentiam ſpectes, tantum laboris: ſi laborem, tātum diligentiæ ei adeſſe potuiſſe, omnes ſummopere mirentur.

FABRI VTENSILIVM VARIORVM: SIVE HOMINI, SIue brutis conueniant.

Artifices eos, qui vel animi, vel corporis, vel fortunæ bona miniſterijs ſuis promouent atque tuentur, in præcedentibus expoſuimus. Sequuntur nunc ij qui non res ipſas huiuſcemodi bonis opportunas & conuenientes, ſed organa & inſtrumenta, quibus res iſtæ vel acquiruntur, vel præparantur, vel conſeruantur (vtenſilia Latini ab vſu quotidiano vocauerunt) efficiunt, ex quacunque materia, lignea, lapidea aut metallica. Quos in genere, Fabros vtenſilium vocare voluimus.

EX LIGNO, DOMOS, NAVES, VASA.

PHERECLVS, Paridis ad Helenæ raptum nauigaturi naues feciſſe dicitur. Hinc nauis Phereclea dici ſolet. Ouid. in Epiſt. Paridis:

Hæc duce Sigæo dubias à littore feci,
Longa Phereclæa per freta puppe vias.

HARMONIDEM quæque Troianum fabrum fuiſſe vnum ex eorum numero, qui Paridis Spartam ituri naues fabricauerunt, aiunt.

Nauigia BABYLONIORVM, quæ per flumen Euphratem comeant Babylonem, omnia ſunt orbiculata atque coriacea, propter fluminis rapiditatem: quæ peculiarij Armenij, qui ſupra Aſſyrios incolunt, ex cæſis ſalicibus faciunt, inſtruuntque pellibus, nudo illarum extrinſecus poſito in modum ſolij: neque puppe diſcreta, neque prora acuminata, ſed in ſpeciem clypei magis orbiculata. Tale nauigium ſtramentis ſtipatum, fluuio deferendum permittunt, cùm aliis, tum verò doliis è palmularum vino onuſtum, dirigentibus illud duobus, cum totidem palis: quorum alter introrſum palam trahit, alter exterius pellit. Herod. lib.1.

TERICLES calices torno faciebat ex terebintho: Plin.

PHOCIONIS Athenienſis, viri clariſſimi, pater cochlearia conficiebat.

ARCHYTAS Tarentinus Pythagoricus philoſophus, fertur ſimulachrum quoddam columbæ è ligno factitaſſe, idque ratione quadam mechanica volitaſſe, libramentis quibuſdam ſuſpenſam, & auram ſpiritus occulta concitam. Fauorinus apud Gell. lib.10.cap.12.

TELEPHANES faber fuit lignarius, & victum ſibi quæritans in factitandis curribus: quem tamen poſtea fortuna ad Lydorum regnum euexit. Vide tit. Qui ex infima fortuna ad maximas ſunt euecti dignitates.

SOTERICHVS faber lignarius, cuius opera priſcam illam & rudem ſimplicitatem præ ſe ferebant. Hinc natum prouerbium, Soterichi lecti: de re vili, & minimè ambitioſa. Gell. lib.2. ex Seneca.

DÆDALI opus, lecticaria ſella compactilis, Athenis in Poliadis Mineruæ delubro oſtendebatur. Pauſanias lib.1.

EX VITRO.

VATINIVS Beneuentanus, fuit artifex calicum vitreorum. Hinc Vatinia vocantur vaſa vitrea. Mart. lib.10.& in Diſtichis:

Vilia ſutoris calices monumenta Vatini,
Accipe.

Is fuit diſtorti corporis, ſutrinæ alumnus, ediditque munus gladiatorium Beneuenti autore Cornelio Tacito.

EX LINO RESTIONES.

CALLIAS Athenienſis comicus, Lyſimachi filius, χοινοπλόκος, id eſt reſtio, pater Calliæ Athenienſis comici, qui propterea χοινίων dictus eſt. Gyraldus Dialogo 7. hiſt. poet.

EX FERRO. FABRI FERRARII.

ELICO faber fuit: qui, autore Plinio, ob artem fabrilem Romæ commoratus eſt.

ARTEMON faber fuit loripes, autore Plutarcho in Perie.

APELLES Ægyptius fabri ferrarius, in iciuniis vt Chriſto ſeruirer perſeuerātiſſimus. Vide tit. Carnis caſtigatio per iciunium. Item ſub tit. Libidinem veritam refrenare, ſub Exemplis religioſis.

MARIVS Septimus, faber ferrarius, poſtea Imperator, currus ex aduerſo nitentes vno tantùm digito repellebat. Alex. lib.4.cap.26.

MARCIANVS (qui in Germania aduerſus Galienum Imperatorſuit creatus) faber fuit ferrarius. Triduo poſt creationem à milite interficitur, obiiciēte, Marcianum ipſum enſem cudiſſe, quo interficeretur. Fulg. lib.6.cap.10.

CVRINA faber ferrarius. Vide tit. Mortui qui reuixerunt.

MAXIMI Pupieni imp. Rom. pater faber fuit ferrarius, vel (vt alij volunt) plauſtrorum. Fulg. lib.3.cap.4.

CHANGIVS faber ferrarius in Imperatorem Tartarorum eligitur. Vide tit. Magiſtratuum electio.

Apud GERMANOS fabri ferrarij ex artis ſuæ operibus & inſtrumentis cognomina aſſumere coguntur, *gentilitio* familiæ nomine & inſignibus abiectis.

EX AVRO ET ARGENTO. AVRIFABRI.

Conſule titulum, Cælatorum.

DE VVLCANO Græci fabulantur, recens natum, à Iunone abiectum eſſe: mihil verò illum iniuriæ oblitum, dono marti auream ſellam miſiſſe, cum occultis quibuſdam vinculis. Dea cum aſſediſſet, ſtatim vinculis implicita fuit. Cum verò præterquam Libero patri fidem deorum nemini haberet Vulcanus, vino delinitum Liber in cœlum cum reduxit. Pauſanias in Atticis.

ATHENIS Mineruæ ſignum in arce ſanctiſſimum poſitum eſt. Lucernam ex auro deæ Callimachus fecit: in quam oleum infuſum non conſumitur, niſi exacto demum anno, cùm tamen lucerna dies noctesque ardeat. Id adeò euenit, quòd lucernæ ineſt è lino carpaſio funiculus: quod

linum,vnum ex omnibus igni non conficitur. Eminet supra lucernam palma ænea:quæ cùm ad lucunar consurgat, exceptum vaporem facilè dissipat.Callimachus verò ipse, qui lucernam fecit, etsi multo est infra summos artifices,solertia tamen cæteris longè præstitit.Primus enim lapides terebrauit:nomen verò Cacizotechnon,quasi artis dicas suæ calumniatorem,aut sibi ipse imposuit,aut ab aliis impositum vsurpauit. Pausanias.lib.1.

EX AERE.

HYPERBOLVS lucernas æreas factitabat,& plumbum æri miscebat,vt pondere ementes fallerent. Hic post Cleonis potentiam Athenis principatum astu inuasit:sed tandem electus,culeo insutus,in mare apud Samios proiectus est.Gyrald.Dialogo 6.hist.poet.

MERCATORES IN GENERE MERCATVRÆ STVDIVM.

Vltimus ordo Mechanicarum artium sequitur,quæ non tam in efficiendo(vt priores illæ)quàm in iis quæ iam effecta sunt aliis communicando occupari consueuerunt. Non omnis fert omnia tellus. Proinde mercatura vituperanda non est,si necessitatis,non autem voluptatis & luxus causa exerceatur:quo solo nomine ab Hesiodo damnatur. Porrò elegans admodum,& minimè sordida ars est mercatura, valdéque quæstuosa. Eapropter tantum apud imperitam plebeculam authoritatis & existimationis obtinuit,vt liberalibus artibus non modò comparari, sed etiam præferri posse videatur. Verùm vt in cæteris omnibus,sic quoque in hac re peruersum & planè corruptum est vulgi iudicium. Cæterùm mercaturę non vnum est genus. Plato enim in Sophista,τεχνῆν ἀλλακτικὴν ἀργυρικὴν, hoc est,quæ in commutatione per emptionem & venditionem versetur(cuius metrum est ipsa pecunia,quę res inæquales æquales facit proportione arithmetica,vt in Ethicis vult Aristot.)duplicem facit. Aliam statuit αὐτοπωλικὴν,quæ opera propria vendit alteri pecunia,vel cum aliorum operibus aut rebus commutat:sic sutor calceos venditsic apud Homerum Græci æs,argentum,ferrum vino commutant:de hac nunc non agemus. Aliam verò μεταβλητικὴν,quoniam sit commutatione rerum quas ipse non fecit,sed ab alio accepit,lucri captandi gratia:quam hic exequi proposuimus. Est autem vel inter ciues eiusdem ciuitatis,& καπηλικὴτις dicitur,Cauponaria,in genere.in specie verò,aut circa alimenta versatur,& nomine generis Cauponaria appellatur:aut circa corporis voluptatem in prostituendo,qualis est ars lenonum:aut circa mancipiorum vænundationem,vt ars mangonum:aut circa pecuniæ commutationem,vt trapezitæ & numularij:aut circa libros,vt bibliopolæ. Vel est inter peregrinos,& ἐμπορικὴ appellatur:quales sunt ij qui vinum,frumenta,oleum important,& superflua exportant. Hæc quidem si necessitatis satisfaciat,laudabilis admodum & fructuosa existit:sin voluptatem foueat,vituperanda,& ex bene constituta Repub. eiicienda est. Sed iam ad exempla accedamus,primùm in genere,eorum qui mercaturam amplexi sint, aut odio habuerint:mox species ipsas referemus.

GRAECI mercaturæ studiosi fuerunt. Propterea Cyrus Persarum rex,cùm legati Spartanorum,eum de bello Ionibus inferendo minabũdi dehortarentur,dixisse fertur:Equidem non extimui vnquam homines tales,quibus est locus in media vrbe apertus,ad quẽ collecti, mutuis ipsi sibi iuramentis imponunt.His(si modò superi me seruauerint incolumẽ) non Ionum,sed sua propria incommoda erunt defienda.Hęc in vniuersos Græcos verba detorsit Cyrus, quia fora ampla haberent,in quibus emptione ac venditione vterentur:cùm Persæ agrestes adhuc & militares,nullis mercimoniis vterentur.Herodotus libro primo.

DEMARATVS mercator Corinthius,exul, Romam venit, cuius postea filius Tarquinius Priscus regnum adeptus est.Val.lib.3.cap.4.

Apud AEGYPTIOS mulieres cauponantur, & institoria obeunt munia:viri verò domi lanam tractant.Herod.libro secundo.

PROTARCHVS mercator,pater Tebennæ Syriæ regis.Vide tit. Qui ex humili fortuna euecti,denuò sunt deiecti.

PERTINAX Augustus, non aliter quàm priuatus ac sordidus ciuis,mercaturas exercuit.Pontanus libro quadragesimo quinto,de Liberalitate.

NEAPOLITANORVM reges quidam,erepta suis mercaturę facultate,prouinciales ad inopiam redegerunt.Pontan.cap.45,de Liberalitate.

PETRVS Bernardinus mercator, qui ad Francos ob merces sæpe penetrauit,Francisci Assisiatis pater fuit.Volat.lib.21.Anthrop.

FRANCISCVS ipse,Franciscanę familiæ pater, mercator primò fuit.Vigesimo demum ætatis anno morbo correptus,& sanitati restitutus,religionem professus est.Marulus libro quinto,capite quarto.

VENETIIS patrij moris est,vt pars multo maxima ciuium, tertia ferè diei hora vnum in locum coeat,velut ad emporium, negotiorum causa.Riuo alto est nomen loco,vbi sine fremitu,sine altercatione vlla (tanquã nutu,non verbo inter se pacisc antur) cuncta orbis verius quàm vrbis negotia incredibili silentio transigantur. Tanta est & vni ciuitati in rebus agendis grauitas & modestia:vmbras dicas & statuas esse, non homines,frequentem illum hominum conuentum, tametsi proximus spectes:vt verè,scitéque sit illud in ore multorum, negotiationem nulla re minus egere quàm verbis.Sab.lib.6.cap.1.Vide etiam titulum Caussidicorum.

MERCATVRAE ODIVM.

VETERES olim mercaturam negligebant, cùm frugales adhuc viuerent,& suis quique opibus contenti essent.Itaque Hesiodus in ἔργοις agriculturam summis laudibus extollit:mercaturam non item, veluti luxus,voluptatum & auaricię famulam.In Græciam certè,post Colchicam Argonautarum nauigationem(siue ea heroum fuit, siue, quod verisimilius est,mercatorum)omne genus calamitatum fuit inuectum.

PERSAE mercaturæ expertes sub Cyro.Vide tit.Mercatorum :sub voce,Græci.

THEBANI iuxta legem patriam neminem ad principatum publicaque munera admittebant, nisi per integrum decennium ab omni mercaturæ studio destitisset.Alexand.ab Alexand.libro quarto,capite sexto.

MERCATORES IN SPECIE.

BIBLIOPOLAE.
Vide titulum, Librariorum.

CAVPONES, QVI HOSPITIO excipiunt.

PERDIX caupo quidam claudus, distortis cruribus. A quo prouerbium,Perdicis crura.Rauis.

IVLIANVS caupo,gratis peregrinos excipiebat.Vide titu.Pœnitentiæ religiosæ.

MNESARCHIDES Bœotius capelus,id est caupo fuit, Euripidis pater, corbis ignominiam apud suos passus:cùm soluendo non esset, Athenas profugit.Gyrald.Dialogo septimo Hist.poet.

QVI CVIVSVIS GENERIS ALIMENTA vendunt.

CHARINVS vel LYSANIAS Aeschinis philosophi pater, lucanicas vendebat.Laert.lib 2.

PLATO in Ægyptum properans,vt sacerdotes audiret,oleum secum mercaturæ gratia vexit,vt pro viatico suppeditaret. Plutarchus in eius vita, & Volat.lib.18.Anthrop.

QVIDAM poma vendens M.Crasso,ad bellum Parthicum profecturo,infelix omen Brundusij fecit.Vide tit.Infelicis pugnæ omina.

THOMAS Sarrauensis,qui postea pontificatum sub Nicolai 5.nomine gessit,mater oua pullosque vendebat.Fulgos.lib.3.cap.4.

VESTIMENTORVM.

ZENO Cittiæus negociator purpuram vehens,naufragium fecit iuxta Piræum,atque hac occasione sese contulit ad philosophiam. Itaque solitus est dicere:Tum bene nauigaui,quum naufragium feci. Alij narrant,cum cum Athenis esset,audisseque merces periisse naufragio,dixisse:Bene facis fortuna,quæ me ad philosophiam(alij, ad pallium) appellis.Laert.lib.7.cap.1.

CRASSVS mercator pannorum,à Rotomagensibus in regẽ creatur.Vide tit.Seditionum.

TRAPEZITAE.
Numularij, Publicani.

ÆSIAS

ÆSIAS numularius.Historiam pete ex tit.Stratag.Vrbes astu capere.

PYTHIVS argentarius Syracusanus. Vide historiam sub tit. Astutia in contractibus.

PHALARIS Agrigentinus ex publicano tyrannus. Vide tit.Astu tyrannidem inuadere.

M. AGRIVS argentarius, cuius seruus vi tormentorum falsus est, se Alexandrum Titi Fannij seruum occidisse.Valer.lib.8.cap.4.

T. AVFIDIVS publicanus, Asiam postea pro consulari imperio rexit.Val.lib.3.cap.4.

P. RVTILIVS publicanis operam dedit in Sicilia, quam postea Cõsul rexit.Idem.

METALLORVM.

MENTES Taphiorum rex mercaturam exercens introducitur ab Homero in primo Odysseæ,ferrum ære in Temesa commutaturus.Fuit autem hic Mentes reuera mercator,cuius subsidio Homerus peregrinationes suas absoluere potuit.Huius abitum Minerua assumit, ne à Telemacho posset agnosci.Eum itaque gratitudinis ergò Homerus in Odyssea sua,immortalitate nominis donare voluit.

LIGNORVM.

ÆLIVS Successus mercator,cum lignariæ negociationi pertinacitet inhæreret, Pertinax dictus est : eiusque filius P. Ælius Pertinax postea Imperator,extincto Commodo,creatus fuit.Capitolinus.

MANCIPIORVM. MANGONES.

CARPOPHORVS mango fuit temporibus Domitiani : alius ab illo venatore,de quo sub tit.Venationum.

THORANIVS fuit mango, qui vendidit Marco Antonio duos eximia forma pueros:alterum Asiaticum,alterum Gallicum, vt geminos & vterinos.tanta erat formæ vnitas & similitudo.De eodem sic ait Macrobius : Delectatus erat Augustus inter cœnam symphoniacis Thoranij mangonis,atque eos frumento donauerat.Meminit & Suet.

MERETRICVM. LENONES.

Ratione commutationis,& quæstus,ad hos ordines referuntur:at propter intemperantiam,loco magis opportuno inter Intemperantes connumerabuntur.

BRVTORVM.

LYSICLES ouium mercator, obscuro genere natus, principem inter Athenienses locum consecutus est, quia cum Aspasia post mortem Periclis rem habuerat.Plut.in Pericle.

QVI EX MEDICINA QVÆSTVM facunt.
Consule titulum, Auaricia in locanda opera.

PÆDAGOGI, QVI QVAESTVS CAVSA pueros docent.

BONOSI Imperatoris pater pædagogus fuit in Britannia.Fulg.lib. 3. cap.4.

RABVLAE, QVI LINGVAM HABENT vænalem.
Vide tit. Auaricia in locanda opera.

MILITES MERCENARII.
Exempla quædam tit. Auaricia in locandà opera, habet.

PTOLEMÆVS primus Ægypti rex factus,Lagi gregarij militis filius fuit.A quo deinde,propter iusticiam & fortitudinem, omnes Ægyptiorum reges Ptolemæi sunt appellati.Alex.lib.1.cap.2.

NVTRICES.

CAPHYRNA, seu Calphurnia,Oceani filia, Neptunum educauit vnà cum Rhodiis.Testes Annius in Berosum,& Calderinus in Statium.

AMALTHEA & MELISSA Iouem infantulum caprino lacte foouerunt.Hinc orta fabula,qua poetæ nutritum à capra fabulati sunt. Alij tamen dicunt Iouem ab Adrastea & Ida, Melissei filiabus, nutritum: vt docet Erasmus in illo adagio,Copiæ cornu.

INO fuit nutrix Bacchi.Ouidius in Ibin:

Vt teneri nutrix eadem matertera Bacchi.

Statius lib.2.Syluarum.

Ammonius grammaticus ponit FESVLAM, vnam è Bacchi nutricibus.

NYSA Bacchi fuit nutrix, quem Plin. ait sepultam fuisse prope Scythopolim.

EVPHEME nutrix fuit Musarum, quæ filium nomine Erotum suscepit,Parnasi incolam,& venationi deditum.

POLICHANDE fuit Oedipi, quem pater Laius deuouerat, quòd eius manu periturus esset ab oraculo didicisset.

CHARME, Scyllæ puellæ.Verg.in Cyri.

Archemorus filius Lycurgi regis Thracum, nutricem habuit HYPSIPHILEM: quæ quum infantem in herba reliquisset, demorsus est à serpente,Statio autore.

BEROE Semeles, quæ fuit mater Bacchi. Ouidius libro tertio Metamorphoseon:

Ipsaque erat Beroe Semeles Epidauria nutrix.

ACESTE nutrix fuit filiarum Adrasti.Stat lib.1.Thebaidos.

HELLANICE, nutrix Alexandri,autore Q.Curtio.

ERYCLEA, seu Euryclia nutrix fuit Vlyssis, de qua Ouidius in Epistola Penelopes.

BARCE nutrix Sichei Phœnicum ditissimi,mariti Didonis. Verg. lib. 4.Æneid.

Tum breuiter Barcem,nutricem affata Sichæi:
Annam chara mihi nutrix huc siste sororem.

SPACO nutrix fuit Cyri. Quæ dictio quoniam Medorum lingua canem significat,factum est vt Cyrus creditus sit nutritus à cane. Herodotus in Clio.

Habuit Alcibiades nutricem nomine AMYCLAM,vel(vt alij legũt) Amydam,pædagogum verò Zopyrum.Plut.in Lycurgo & Alcibiade.

CAIETA, Æneæ.Verg.libro 7.Æneid.

Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Caieta dedisti.

LVPA Faustuli pastoris vxor,propter quæstum corporis ita dicta,Romulum & Remum geminos fratres expositos ab Amulio, & in ripa Tyberis inuentos,educauit. Liuius, & omnes historiæ Romanorum. Plin. lib.18.cap.2.Accam Laurantiam vocat.

PHILIX nutrix Domitiani, quæ domini cadauer populari sandapila per vespillones exportatũ,in suburbano suo Latina via funerauit.Sueto.

MACRINA, fœmina pia,discipula Gregorij Neocæsariensis, nutrix & magistra etiam in Christianæ religionis fundamentis fuit magni illius Basilij.Testis Basilius in epistola ad Neocæsarienses.

OBSTETRICES.

PHANARETE obstetrix,Socratis Athenienssis mater, qui primus omnium de moribus disserere cœpit, ac Philosophiam è cœlo ad res humanas deduxit.Is matrem imitatus, animorum virtutibus obstetricabatur,vti illa corporum fœtibus Volat.lib.19.& Laert.in eius vita, & Valer. Max.libro tertio,capite quarto.

Plinius lib.28.cap.7.SOTYRAM & SALPEM obstetrices facit : quarum etiam placita in quibusdam morborum remediis citat. Idem verò Plinius etiam lib.32.cap.6.eiusdem Salpes mentionem facit.

PHILIPPA obstetrix Iolantæ, variis casibus iactatæ.Vide tit. Qui ex humili fortuna euecti,denuò sunt deiecti.

POCILLATORES, ET PINCERNÆ.

GANYMEDEM poetæ faciunt Iouis præguſtatorem.

Fuit DIADVMENVS pincerna Augusti.

SECVNDVS, pincerna Nicomedis regis Bithyniæ.

PATROCLVS, pocillator Neronis fuit. Hunc ex præcipitio mortuum,D.Paulus Romæ vitæ restituit. Ille in Christum regem se credere coram Nerone professus, quem Paulus prædicaret,occasionem dedit Neroni in Christianos omnes animaduertendi, quòd alium regem colerent quàm Neronem.Itaque Paulus quoque interfectus est & Petrus, Ecclesiæ lumina.Petrus de Natalibus author est,& alij Martyrologi.

PORTITORES.

Cælius scribit PHAGNEM fuisse portitorem, eoque se fouisse artificio.Hic quum Venerem transuexisset, vnguentum ab ea fertur accepisse:quo delibutus, factus est hominum pulcherrimus.Vide tit. Gratitudo pro locata opera.

PHORCVS, Græcè Porthmeus, Latinè Portitor dictus est, quòd per mare deferret colonias,teste Berosо.

CHARON dicitur portitor inferorũ. Vergilius lib. sexto Æneidos:

Portitor has horrendus aquas & flumina seruat.
Terribili squalore Charon.

PARIAS Ithacensis portitor, latrones cum captiuo sene transmisit, cum pice. Is rogãtem senem de latronibus emit, & aurum in pice reperit. Seni ergo bouem immolauit. Heraclides in Polit.

SATELLITES.

TODESCHINVS, Nicolai Picinini corporis custos. Elegantem historiam pete ex tit. Fugam tuto adornare, sub Stratagematibus.

SELEVCVS Alexandro Magno à pedibus erat, obequitanti. Hic postea Asiam Syriamque obtinuit. Fulgosus libro sexto, capite decimo.

IANITORES.

M. OTACILIVS Pytholaus seruus ostiarius in cathenis vixit, donec ob ingenium à patrono ex Otaciliorum familia clarissima manumissus est. Rhetoricam inde professus, Cn. Pompeium docuit. Gyraldus Dialogo 10. hist. Poet.

VESTIVM PVRGATORES.

PHILIPPA lauando victum quæritans, ad summas euehitur opes, in aula Iolantæ vxoris Roberti ducis Calabriæ, & Raimundo Campano nubit. Vide titu. Qui ex humili fortuna euecti, denuò sunt deiecti.

VESPILLONES.

Plutarchus in Phocione ait, CYMPIONEM fuisse quendam inter Athenienses homunculum, qui in tumulandis efferendisque cadaueribus quæstum faceret. Is interfectum Phocionem, accepta mercede in Eleusiam deportauit.

DIAVLVS nomen est vespillonis apud Martialem, libro primo scribentem:

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.

CARNIFICES.

CADMVS fuit quispiam notæ impietatis carnifex. Horatius in Sermonibus.

Tune Syridamæ, aut Dionysi filius, audes
Deiicere è saxo ciues, aut tradere Cadmo?

NAVTAE.

Mercatoribus famulantur ij, qui onera vltro citróque vel humeris suis, vel naui vel curru ducunt, atque vt mercatores res rebus cõmutant: ita vectores onerum, de loco in locũ eas transportant. Minimũ in his est ingenij, sollicitudinis & laboris plurimũ. De baiulis igitur, nautis & aurigis in præsentia: quandoquidem mercatoribus affines sunt, ita quidem, vt Hesiodus mercaturã ipsam ναυτιλίην vocat. Aurigas autem intelligimus, non eos qui in bellis currus regunt, quorum nomina & exempla alio loco referemus: sed qui oneribus vltro citróque vehendis occupantur. In primis autem de Nautis agamus: qui vtplurimùm mercibus onustas naues agunt: aut quamuis merces nullas vehant, attamẽ res vel animatas vel inanimatas aliò ducunt, & locum mutare faciunt. Porro nautarũ opera & industria per se nulla est, nisi astronomica disciplina & gnomonis nautici indicio (qui inter tria præclara nostri seculi inuenta non postremum est) dirigatur. Eamque ob causam veluti particularis & sensata quædam astronomia ab antiquis ars nautica dicta fuit, & habita.

ARGONAVTÆ sunt Typhis, Iason, Castor, Pollux, Hylas, Hercules, Theseus, Pirithous, Epitropus, Telamon, Zetus, Calais, Eryx.

CANOPVS, autore Plinio, fuit gubernator nauis Menelai: à quo ostium Nili Canopicum nomen sumpsit, vbi ictu aspidis mortuus est.

Fuit SARO nauta, qui moribus suis inelegantibus & inurbanis, sequenti adagio locum fecit, Sarone magis nauticus.

Simonides apud Plutarchum testis est, AMARSYADEM Pherecium fuisse gubernatorem nauis Thesei, in Cretam ad Minotaurum nauigãtis. Philochorus ibi ait, MAVSITHEVM & PHÆACEM rectores fuisse eius nauis. Rauis.

Plutarchus in Themistocle, ait ARIOMENEM Xerxis fuisse nauarchum.

PETITIVS fuit gubernator nauis, in quam Pompeius post fugam conscendit.

MANDRO nauicularius, aspirante fortuna, tandem factus est imperator: vnde etiam factus adagio locus, Fuit & Mandroni siculna nauis. In eos qui præter meritum ad opes euecti, pristinæ conditionis non meminerunt. Rauis.

AMYCLAS nauta, ad quem tempore belli ciuilis accessit Cæsar, vt ab eo transueheretur in Italiam. Lucanus lib. 5.

Herodotus in Melpomene ait, COLAEVM fuisse gubernatorem cuiusdam nauis Samiorum.

MNESTEVS, Sergestus, Cloanthus, nautæ fuerũt Æneæ. Verg. lib. 4. Aen.

Fuit & PALINVRVS gubernator Aeneæ. Verg. libro tertio.

ACESSAEVS, ignauus nauta. Vide tit. Tardi in mechanica exercitatione.

TELONEM Massiliensem Lucanus à nauigandi astrorumque peritia laudat lib. 3. vbi ait:

Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius pelago turbante carinæ
Audiuere manum, nec lux est notior vlli
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua Lunæ,
Semper venturis componere carbasa ventis.

PELORVS gubernator nauium Annibalis fugientis, ab eo in Siculum mare præcipitatus, promontorio nomen dedit.

OPHELTES fuit nauta & circumuentor scelestissimus. Sidonius: Qui vigor in pedibus frustra tibi natus Ophelte.

CHRISTOPHORVS Columbus maximè laudandus, qui Ferdinando Hispaniarũ rege, patrum nostrorum ætate, primus persuadere fuit ausus, à Gadibus in Indiam fœlicissimo cursu nauigari posse. Quod rex ipse non parum primùm miratus tandem illi concessit, vt paratis nauibus, omnique alio commeatu, nunquam antea tẽtatam prouinciam aggrederetur. Ille verò fœlicissimè Gades relinquens, id assecutus tandẽ est, vt & Indiæ littora presserit intra non multos dies, & donum fœlicissimo auspicio ad regem redierit. Illius exemplum multi alij secuti, nomen suum Americę aliarumque nouarum insularum inuentione illustrarunt. Egnat. lib. 8. cap. 11.

FRANCISCI Ruueri Minoritæ Sauonensis, qui postea Põtificatum sub Sixti IIII nomine adeptus est, pater nauta fuit. Fulg. libr. 3. cap. 4.

AVRIGAE, ONERVM VECTORES.

EVMENIS Cardiani (qui postea inter Alexandri Magni successores numeratus fuit) pater in Peloponneso curru onera vehẽdo, se familiamque sustentabat. Fulg. lib. 3. cap. 4.

MAHVMEDES Arabs ducendis locandisque camelis operam impendens, paulo pòst sectæ propriæ author fuit. Egnat. libro tertio, cap. 4.

BAIVLI.

SYRI apud Romanos notissimi fuerunt baiuli. Hinc Satyricus: Onera gestantur longa ceruice Syrorum. Tales apud Lugdunenses habẽtur Sabaudi, apud Venetos Istri & Bergomates, apud Parisienses Britones & Lemouices. BARTHOLOMAEO certè Colcono Bergomati, bellica fortitudine sua ętate duci clarissimo, cùm Veneti equestrem statuã in area DD. Ioannis & Pauli deauratam posuissent, noctu inimicorum quispiam scopam dextrę indidit, collo saccum alligauit, vt his veluti armis baiulorũ, patriã ei exprobraret. Verùm claret ille propria gloria: & quoad Venetorum res stabunt, semper florebit. Bern. Corius in hist. Mediol.

ÆGYPTII olim baiulorum munere apud Grecos fungebantur. Hinc Aristophanes: Currus imposuit duos, ac mortuos totidem, quos nec Ægyptij quidem tollerent centum. Hinc adagium, Aegyptius laterifer.

MENIPPVS Ascalonites, Cynicus philosophus, seruus Battonis Poatici (teste Diocle) ab vsura diurna nautica, quam exercebat, ἡμεροδανειστὴς dictus est, referente Hermippo. Sed cùm pecuniam ita coegisset, per insidias ea priuatus, laqueo se suffocauit. Laertius testis.

LIBRI SECVNDI FINIS.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER TERTIVS.

DE PRACTICIS HABITIBVS PROPRIE DICTIS, SIVE AD INTELLIGENTIAM PERTINEANT, QVALIS est PRVDENTIA: siue ad Appetitum, quales sunt ETHICAE virtutes.

AB initio Secundi libri ἀρετὰς διανοητικὰς πρακτικὰς in genere diuisimus in Mechanicas, siue ποιητικὰς, & in πρακτικὰς propriè vel κατ᾽ ἐξοχὴν dictas. De Mechanicis Libro secundo egimus. Ordo igitur requirit vt, διανοητικὴν πρακτικὴν propriè dictam, ipsam videlicet Prudentiã, in præsentia exéquamur: qua quidem explicata, finem habitibus intelligentiæ imponemus, & ad habitus Ethicos conuertemur. Prudentia igitur, si ex efficiente virtutum diuisionem instituas, inter habitus intelligentiæ tertia erit, & διανοητικὴ πρακτικὴ dicetur. Quatenus διανοητικὴ, sic ab Ethicis differt: quatenus πρακτικὴ, sic differt primùm à Theoricis, deinde etiã à Mechanicis, quæ propriè dicuntur ποιητικαί. Si verò ex fine diuisio virtutum instituatur, ita quidem vt in Theoricas & Practicas diuidãtur: practicæ rursus vel in eas quæ in ipsa actione acquiescunt, & πρακτικαὶ κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur: vel in eas quæ præter actionem opus ipsum intuentur, quas ποιητικὰς propriè vocant, & Mechanicas: sic iam Prudentia sub practicis propriè dictis prima, & veluti princeps erit. Practicæ enim virtutes, quarũ finis est in ipsa actione & operatione positus, animi virtutes sunt. Animi vis duplex: ratione prædita, cuius perfectus habitus prudentia est: & rationis expers, in qua Ethici habitus reponuntur. Cùm autem ratio recta inter omnes animæ potentias principatum obtineat, iure etiam prudentia omnium virtutum practicarum princeps vocabitur. Verùm de his in Prolegomenis fusius à nobis disputatum est. Hic obiter tantùm repetenda fuerunt, ne quis ordinis rationem suggillare posset. Sit igitur Prudentia vltima intellectiuarum virtutum, & propterea à nobis tertio hoc Libro explicetur: sit eadem prima virtutum practicarum propriè dictarum, eáque propter inter practicas virtutes prima collocetur. Sequentibus Libris virtutes practicæ Ethicæ declarabuntur: quæ efficientis respectu intellectiuis virtutibus opponuntur tribus, Theoricis nimirum, Mechanicis, & Prudẽtiæ: sunt enim Ethicæ ὀρεκτικαί, & irrationalis animæ proprij habitus. Respectu verò finis, Ethicæ Theoricis opponuntur, quoniam practicæ sunt, non communiter tantùm accepto vocabulo (sic enim cũ Mechanicis quoque conueniunt) sed propriè, sub cuius ambitu & virtus διανοητικὴ prudentia vnica continetur, & ὀρεκτικαὶ virtutes variæ, quas Ethicas nominant. Est autem τὸ πρακτικὸν propriè sumptũ, idẽ quod τὸ πολιτικόν: & philosophia practica eadem quæ πολιτικὴ, omnis humanæ conuersationis modum viámque præscribens, tum ciuilis & politicæ, tum priuatæ & œconomicæ. πολιτικὴ igitur nomine speciei appellatur κατ᾽ ἐξοχὴν, quoniam πόλις οἰκίαν comprehendit, & per consequens etiam politica virtus virtutem œconomicam. Qua de re in libris Ethicorum & Politicorum fusius à nobis disputabitur. Illud tãtùm in præsentia monere volo, quòd cùm vita practica duplex sit, vel religiosa, vel profana (quarũ illarationẽ conuersandi cũ diis, quatenus homini fas est, cõtinet: hæc verò quotidianæ cõuersationis inter homines præcepta tradit) duplicẽ quoque virtute practicam fore, alteram quidem Theologicã, alterã verò Ethicã dictã, Theologicã voco, per quã finis religiosæ siue Theologicæ vitæ acquiritur: Ethicã verò, per quã vitæ Ethicæ finis, humana scilicet, seu potius philosophica quędã & imaginaria felicitas habetur. Conueniũt inter se, quòd virtutes sunt, hoc est perfectiones quædã animi in omni vita: differũt, quòd alia est ratio perfectionis, alia quoq; perfectio in Theologica vita, quàm in Ethica. Virtutes Theologicę tres numero recẽsentur, totidẽ animę potẽtiis correspõdẽtes. In rationali animæ parte Fides est cognitio nimirũ certa, authoritati solùm innitens, absque vlla demõstratione. In irascibili Spes reconditur, quæ omnia aduersa forti animo perfert, vt pro caducis æterna aliquando adipiscatur. Concupiscibilis anima veluti basis & materiale principium est reliquarum, nam sanguinem generat: ex quo spiritus vitalis primùm deinde animalis procreatur. In hac ergo subsistit Charitas, quã Theologi cæteris duabus pręponunt, non dignitate, sed necessitate. Nisi enim charitas det spei vt rectè possit sperare, & fidei vt rectè possit credere, spes vana erit absque charitate quandoquidẽ secundum opera sua vnicuique retribuet Dominus: mortua quoque erit fides, & historica tantùm, non vera. De virtutibus autem istis Theologicis nos nunc non agimus, quoniam vitæ quotidianæ virtutes inquirimus, secundum quas boni vel mali dicimur: non autem per quas saluamur vel condemnamur. Charitatis tamen exempla quædã sub loco Amicitiæ Ethica ratione collocari possunt: Spei verò, sub Meditatione mortis, Constantia martyrum, Tolerantia mortis, & similibus titulis: Fidei denique, sub Religiosa iusticia. Iam verò virtus Ethica, secundũ quam boni vel mali esse dicimur, in animę tribus potentiis posita conspicitur, & ἀπὸ τοῦ ἤθους nomen habuit: quoniam non tam pręceptis, quàm longo vsu & exercitatione acquiritur & confirmatur. Iustè enim agendo iusti, prudenter prudentes reddimur. Cùm autem τὸ ἐθίζειν de ratione prędițis tantùm dicatur, vt Grammatici notant: τὸ ἦθος etiam & virtus Ethica in solos homines secũdum rectam rationem agentes cadet: vt proinde non malè ἀρετὴ ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι fuerit dicta. Porrò cùm virtus ista practica humana (quam Ethicam appellamus in genere, imitatione Aristotelis, qui libros Practicæ philosophiæ principia continentes, Ethicorũ nomine inscripsit, cùm in iis tamẽ non solas ἠθικὰς propriè dictas exequatur, verumetiam διανοητικὴν φρόνησιν) ratione obiecti varia sit, ordinem inter illas ex Prolegomenis huius Theatri diligens Lector petet, ne eadem sæpius repetere cogamur. Nos nunc ad institutum nostrum reuertamur: & quia virtutum practicarum principium hîc facimus, in genere primùm de efficientibus, adiuuantibus & conseruantibus practicorum habituum agamus: deinde verò ad habituum singulorum explicationem accedamus. Subiicienda tamen erunt hæc ipsa prius oculis Typica demonstratione.

- Adiuuantium, *conferentium, promouentium, perficientium: quæ non per se, sed per accidens tantum inter bona animi practica commerãtur: quoniã ad vera bona, ad ipsos scilicet habitus conferunt vel*
  - Acquirandos. *Talia sunt præsidia & adiumenta*
    - Naturæ. *Quidã igitur ad practicos habitus bonos et laudabiles percipiẽdos natura sũt*
      - Apti. *Ingenij practici, siue Ethicæ indolis*
        - Signa, *siue* Per *se* elucescant. INDOLIS *Practicæ siue Ethicæ signa. Mores naturales.*
        - Explorentur. INDOLIS *Ethicæ exploratio.*
      - Vigor *tum*
        - Per *se sit*
          - Inueniendo. INVENTORES *earum rerum, quæ ad politicæ vitæ conuersationem facere possunt.*
          - Discendo. *Requiritur hîc tũ*
            - Naturalis *inclinatio.*
            - Voluntarium *studium & industria.*
        - Respectu *aliarũ virtutũ. Qui in Ethicis excelluerunt simul, & in*
          - Mechanicis.
          - Theoricis.
      - Inepti *tum in* Inueniendo, *tum in* Discendo, *vel per* Præcepta, *vel per* Exempla.
    - Artis. *Institutio in Ethicis virtutibus alia*
      - Proba, *siue præceptis, siue exemplis fiat. Instituimur autẽ vel abijs qui nobis*
        - Præsunt, *quam Legitimam institutionem quis appellare posset siue fiat à personis*
          - Publicis. INSTITVTIO *sub Legislatoribus aut principibus bona. Nam Regis ad exemplũ tutus cõponitur orbis idque tũ in* Pace, *tum in* Bello, *vt* IMPERATOR *militibus exẽplo præsit.*
          - Priuatis: *vel*
            - Parentibus.. LIBERORVM *institutio sub parentibus.*
            - Præceptoribus. EDVCATIO *sub præceptoribus, extra bellum, & in bello: siue nos instituant* Præceptis: *siue Exemplis.*
        - Non *præsunt, sed communi iure nobiscum vtũtur: quam quis illegitimam institutionem vocare posset. Sic à quibuslibet institui possumus, amicis, inimicis, ciuibus, &c.* INSTITVTIO *Ethica, exemplo quorumuis aliorum, extra bellum, & in bello.*
      - Vitiosa, *tum sub*
        - Parentibus. EDVCATIO *Ethica vitiosa sub parentibus.*
        - Præceptoribus. MALI *præceptores in Ethicis.*
    - Exercendos & cõfirmãdos. *Exercitatio alia.*
      - Interna, *eorum qui tacita mentis agitatione de ijs quæ ad vitæ quotidianæ praxin conducunt possunt, contemplantur. Contemplatio igitur Theorica appellari poterit: qualis in consulantibus esse conspicitur.* CONTEMPLATIONI *practicæ dediti.*
      - Externa, *quæ in actionẽ prodit sensibus conspicuam. Sic igitur alij sũt in Practica exercitatione*
        - Diligẽtes, *& industrij, tũ*
          - Perse. *Qui in exercitatione*
            - Studiũ *adhibent.* STVDIVM *in exercitijs practicis tum*
              - Extra *bellum.*
              - In *bello.* DISCIPLINÆ *militaris conseruandæ vel restituendæ studium.*
            - Perfectissimi *sunt* Tit. SVAE *quilibet virtutis optimus magister.*
          - Aliorum *imitatione.* IMITATIO *bona vel parentum, vel præceptorum, vel principum, vel quorumuis aliorum in practicis virtutibus.*
        - Negligentes *tum*
          - Perse. IN *virtutum actionibus ignaui & inertes.*
          - Aliorum *imitatione. In imitandis*
            - Vitiis *prompti.* IMITATIO *Ethicorum vitiorum.*
            - Virtutibus *ignaui & inertes.* IGNAVI *in Ethica imitatione.*

IN *Practicis siue Politicis siue Ethicis virtutib. (quocunque tãdem quis illas nomine dignabitur) recensendis, ratio erit habenda tum*

Habituum, *à quibus & præcepta, honesta, & actiones laudabiles proueniunt. Cæterũ quod de Theoricis habitibus superius ostendimus, eos interdum ad praxin quoque descendere, eamque Theoriam practicam posse appellari: illud idem de Practicis dici potest. Quamuis enim in ipsa actione finem suum positum habent, tamen ad Theoriam quoque ascendũt (quæ distinctionis doctrinæ gratia Praxis theorica dici posset) & ex multis particularibus actionibus vniuersales quasdam γνώμας colligũt, quæ principia philosophiæ Ethicæ cuadunt. Vide in seq. signum.* A. A. Habitu,

- Theorici, *quia virtutum practicarum disciplinã profitentur. Docentur autem virtutes vel*
  - Præceptis *vniuersalibus. Quæ quidem cõsiderantur dupliciter (simili modo Arist. in 5. Ethic. τὸ δίκαιον considerat vel per se, vt ἴσον: vel respectu aliorũ, vt νόμιμον.) Aut enim*
    - Absolutè, *& per se, solius honestatis habita ratione. Sic* ETHICI *philosophi de virtutibus disputare consueuerunt.*
    - Respectu *eorum quibus dantur, hominibus scilicet qui in eadẽ ciuitate viuũt. Præcepta ista publica Leges appellãtur. Quas quidem*
      - Ponere, LEGISLATORVM *est.*
      - Interpretari IVRECONSVLTI *consueuerũt.*
  - Exemplis, *quæ quidem exempla vel*
    - Leguntur *tantum. Sic virtutum & vitiorum exempla tradunt* HISTORICI.
    - Conspiciuntur *etiam, & audiuntur, quando in theatro fabulæ spectandæ populo exhibentur à comicis & tragicis. Comici igitur & tragici, si materiam spectes, huius erunt loci: sin formam, ad locum Poetarum pertinent, sub quo à nobis etiam fuere explicati.*

Practici *merè, in quibus nõ vniuersalium præceptorum, sed actionum particularium ratio habetur, ex quibus tanquam sensilibus notis interni animi habitus, qui sensum effugiunt, cognoscuntur. Quo tamen in loco illud est obseruandum, virtutum & vitiorum in animis hominum dispositiones longè frequentiores esse, quàm eorumdẽ habitus: eóque fieri, vt ex actionibus laudabilibus promptius quis dispositionem ethicam quàm habitum ethicum colligere possit. Quantum tamen ad actiones pertinet, eædem vtrobiuis sunt, & præterea tituloru nulla est varietas. Præterea actiones vitæ quotidianæ intelligimus tum politicas, tum œconomicas: & illas rursus non modò extra bellum, verumetiam in bello. Quæ quidem bellicæ actiones omnes sub Disciplina militari, tanquam sub genere communi comprehẽduntur: quarum in specie rursus insignis est varietas, per omnes virtutum locos distributa: vti etiam viri boni appellatione omnes laudabiles habitus ethici continentur. Constet igitur, in his exemplis recensendis non habituum tantum, verumetiam dispositionum rationem haberi: neque exemplaratum vrbana, sed bellica quoque in medium afferri. Cæterum quia variæ sunt virtutes Practicæ, vt illarũ discrimen studiosi melius perspiciant, connexionem & ordinem earum inter se, quem hic sequemur, breuiter describemus. Habituum igitur Practicorum exequemur tum*

- A. Habitum practicum alij sunt ἕξεις τῶν πράξεων, alij sunt ἕξεις τῶν ἐνεργειῶν. Species & differentiæ. Habitus
  - Species & differentiæ. Habitus
    - Acquisita *lõgo vsu et exercitatione, rationis rectè ductu, siue ἔθος sit permanens & immobile, vt in perfecto habitu: siue mobile, vt in imperfecto habitu, seu potius in ipsa* Διαθέσει. *Reseruatur autẽ mediocritas ista vel ad*
      - Habẽtem, *in iis obiectis, quæ in homine recipiẽtur vel*
        - Volu ptatẽ *aut dolorem pariunt: et vel*
          - Animi *gui delectari consueuerunt*
            - Corporis. *In quorum moderatione* TEMPERANTIA *conspicitur. De qua Libro quinto.*
            - Diuitiis. *Virtus est* LIBERALITAS *& Magnificentia. Liber sextus.*
            - Honoribus. MAGNANIMITAS. *Liber septimus.*
            - Con- uersatione quotidiana. *In qua ratio habetur vel* TIS
              - ὀργῆς. *Virtus est* πραότης, CLEMENTIA. *Liber octauus.*
              - Rerum. *Veritatis studium,* CANDOR, *Integritas. Liber nonus.*
              - Perso- narũ, *vt iucunda sit cõuersatio eáque tum*
                - Seria, POPVLARITAS, *& Affabilitas. Liber decimus.*
                - Ludicra, VRBANITAS. *Liber vndecimus*
      - Alios, *quibus suum cuique pro merito tribuit,* IVSTICIA. *De qua lib.* XII. XIII. XIIII. *&* XV.
    - Innata *& naturalis, ex ipsa temperatura prouenientes. Cuiusmodi sunt* AFFECTVVM *& perturbationũ omnium naturales moderationes, quæ in primis potissimum motibus antequam rationis imperium accedat, cõspiciuntur. De quibus Lib.* XVI, *agetur.*
  - Habitum practicum alij sunt ἕξεις τῶν πράξεων, alij sunt ἕξεις τῶν ἐνεργειῶν. Species & differentiæ. Habitus
    - Accidentia *numero duo, secundum Arist. Voluptatem & Amicitiam. Quorum illa quidem per se comitatur virtutis actiones, & in omni genere habituum ethicorum ipsis habitibus coniuncta reperitur: hæc verò personarum respectũ sequitur, quibus vel amici sumus, vel inimici. Quæ cũ non in omni virtutum genere locum habeat, idcirco nos exẽplæ* AMICITIAE *Lib.* XVII. *describemus.*

DE IIS QVÆ AD PRACTICOS HABITVS ACQVIRENDOS, CONFIRMANDOS, PERFICIENDOS, EXERCENDOS FACERE POSSVNT. Et primùm de NATVRAE subsidiis & adiumentis.

INDOLIS PRACTICÆ, SIVE ETHICÆ SIGNA.

Mores naturales.

In sexto Ethicorū Aristoteles virtutes Ethicas diuidit in φυσικὰς & κυρίας. similiter etiā virtutē διανοητικὴν πρακτικὴν in φυσικὴν, quā δεινότητα appellat: & in κυρίαν, quæ φρόνησις est. φυσικαὶ quidē à natura proueniunt, & dispositiones tantū, non autē perfecti habitus censeri debent: neq; necessitatē aliquā in se habent, sed inclinationē tantùm & propensionem naturalem denotant: quā vt in brutis cōsuetudo vincere potest, ita multo magis in hominibus ipsa ratio. Etenim cū sapiēs (vt in prouerbio est) astris dominetur, longè facilius ὁρμὰς istas φυσικὰς refrenabit. Nos Indolis Practicæ siue Ethicæ signa hoc in loco afferemus (de Theorica enim superiore libro egimus) virtutum in primis, deinde etiā vitiorum, per quæ in tenera adhuc ætate, aut certè in ea quæ huiuscemodi actionibus cōmuni naturæ lege nondum videbatur obnoxia, quid in posterum de ijsdem ingenijs expectari poßit, probabili coniectura ariolamur. Huc pertinent tituli Insignis pueriticæ & adolescentiæ, à reliquis exemplorum scriptoribus tractari soliti. Poßunt quinetiam ex tit. Signorum diuinorum, sub loco Diuinæ Theologiæ, quædam huc transferri: similiter etiam ex eorum catalogo, Qui miro modo in puericia seruati sunt. Nunc ad exempla.

VIRTVTVM VARIARVM ETHICArum indicia.

Prudentiæ.

IOSEPHI magna fuit in iuuenili ætate prouidentia. Etenim in ipso limine adolescentiæ, duplex Pharaonis insomnium interpretatus, fatali inopiæ iussus ire obuiam, Ægyptum vniuersam septem annos à teterrima defendit fame: patrem cum tota domo, iniquitate illa temporum, gratuita frumentatione sustentauit. Sab. lib. 1. cap. 4.

DANIEL adolescens fatidicus, Susannæ pudicitiam ab infanda calumniæ labe vindicauit: accusatoribus in id supplicium, quod puellæ intenderant, compulsis. Ibidem.

SOLOMON acceperat regnum à patre adolescens, ne puer dicam, quum in anceps iudicij genus incidit. Ignobilis puerpera filium nuper natum necauit incauto accubitu. Hæc (infamiæ metu, an alendi studio, non traditur) occultè, quod satis constat, alteri puerperæ filium subtrahit suo similem, enectum subtracti loco quiescentis lateri leuiter applicat. Oritur inter eas contentio: postque longam altercationem, ad regem itur. Stabat populus in concionis modum circumfusus, ancipitis iudicij exitum expectans, ex eo qualem habiturus esset regem iudicaturus. Erat muliebris assertio rixæ (vt fit) & iurgio similior quàm liti. Tum rex: Ite, inquit, & quando lis aliter expediri non potest, puerum in duas partes dissectum vtrique dimidium date. Tum vera mater: Quin viuat potius, inquit, atque illa integrum puerum habeat. Arripuit vocem sapientissimus rex, veritatis testem: puerúmque huic addixit, in quo seruando maternus extiterat affectus. Ibidem.

ALCIBIADES astutum ingenium cum audacia simul iūctum, in pueritia declarauit. Nam cùm puer in via cum æqualibus suis luderet, superueniente plaustro, obuiam bubulco factus, cùm frustra precibus impetrare tentasset vt plaustrum sisteret, quoad eius ludi ratio, quæ cœpta erat, perficeretur: posteaquam illius trāsitu fore vidit, vt ludus perturbaretur, in terram se ante boues strauit: monito bubulco, vt si vellet, per eius corpus transiret. Hoc astu atque audacia non sine magna astantium admiratione, bubulcum continuit, donec ludi incœpta ratio esset perfecta. Præludia hæc fuere eorum, quæ cùm ad Remp. accessisset, designauit. Fulg. lib 3. cap. 1.

PAPYRIVS Prætextatus, de more in curiam à patre ductus, quum res de qua die illo consultus fuerat Senatus, credita silentio esset: isque domum reuersus, à matreque appellatus, quum non impensis precibus, non minis subigi potuisset, exarsit confestim muliebris animus, vt disceret quid illud esset, quod tam fido premeretur silentio? Incredibili denique cognoscendæ rei cupiditate, &, vt prona est in vetitum hominis natura, præsertim impotentioris sexus, variè versando, eò pueri mentem perpulit, maternis precibus imparem, vt mendacium confinxerit Prætextatus, ad muliebrem intemperiem mitigādam peroportunū. Fide enim à matre prius accepta, fore vt rem in occulto haberet: Decretū, inquit, est, vt ad propagandam sobolem, liceat viris plures vxores ducere. Hic bona mulier non tantùm fidem non præstitit, sed præcipiti fama per viciniā primò, dein per vniuersam vrbem dissipata, autor fuit, vt postridie illius diei ingens matronarum numerus in vestibulum curiæ conuenerit. Mirati primores patrum insuetos matronarum cœtus, vbi quid querelarum attulissent cognitum est, & quid puer commentus esset, ad tegendum curiæ secretum: irrisit vniuersus ordo muliebrem leuitatem, stultamque credulitatem. Puer publicè laudatus, datúmque vt vni puerorum omnium curiam ingredi posthac liceret. Sab lib. 1. cap. 3. ex Macrobio lib. 1. cap. 6. & Volat. lib. 18.

PVB. Corn. Scipio, cui pòst ex virtute Africano fuit cognomen, à populo Romano ad ædilitatis munus admissus, adolescens adhuc eum se gessit, vt Quirites omnes, quid de illo in posterum sibi promittere possent, facilè perspicerent. Pontanus de Principe.

SCIPIONIS Æmyliani adolescentiam plurimùm commendabat Romanis Cato Romanorū facilè sapientissimus. Siquidem interrogatus, Qualis inter primores adolescentum videretur Scipio? Hunc solum sapere, cæteros verò velut vmbras ferri, respondit. Magnum profectò futuræ magnitudinis testimonium. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 18.

Fortitudinis & constantiæ tam politicæ quàm bellicæ rudimenta.

Quis vnquam adolescens fuit DAVIDE puero ferocior? Est enim vis hæc peculiarior adolescentiæ comes. Is vix pueritiam egressus, cum Golia hoste immanissimo, ex prouocatione congressus, non ætate, non statura corporis, non armis, nulla denique re alia præterquam animi magnitudine illi par, sed felicitate maior. Fuit enim insignis illa pugna magis inopinato euentu, quàm quòd pares coissent. Vnus Dauidicæ fundæ ictus Philistæum, quantuscunque fuit, moribundum explicuit: claro documento, posse magna à paruis vinci, fortia ab inualidis, si vel prudētia adsit, aut si fauor numinis (qui omni est humana prouidentia validior) aspiret. Sab lib. 1. cap. 4. ex 1. Reg. 17.

Trœzenij memorant, Herculem Trœzenem ad Pittheum venisse: cúmque accumbere vellet, leonis pellem deposuisse. accessisse & alios Trœzeniorum pueros, & THESEVM (qui apud auum Pittheum educabatur) annum agentem fermè septimum. cæteros, vt leonis pellem viderunt, perterritos aufugisse: Theseum nihil magnopere metuentem, propius fuisse: arreptaque de seruorum manibus bipenni, quòd viuentē leonem esse putaret, inuadere illum voluisse. Pausanias lib. 1.

HERODES, primus ab Antipatro Galilææ præfectus, cùm nondum annum quintumdecimum excederet, latronum ducem Ezechiam occidit, qui magna manu Syriam infestabat. Atque adeò, si crudelitas nō obiiceretur, penè omnibus Iudæorum regibus posset anteponi. Fulg. lib. 3. cap. 1.

ALEXANDER Macedo Philippi filius, Bucephalū equum insignem à patre nuperrimè emptum, quum à nullo subigi posset vt equitem pateretur, primus indomitę peruicaciæ domandæ rationem ostendit. Mox enim pręter omnium opinionem quadrupedem ascendit, ac citro vltroque effusis aperto campo habenis ad lassitudinem agitauit. Quam in filio indolem vigorémque exosculatus Philippus, dixisse fertur: Aliud tibi regnum quæras fili, nam te Macedonia non capit. Sab. lib 1. cap. 4.

IDEM tener adhuc annis, memorabili illa pugna ad Cheroneam edita, qua Græcię opes funditùs concidere, primus omnium impetum fecit in sacram Thebanorum cohortem. Quę quo insignius dimicauit, eo maius huic reliquit nomen, per quem primùm impulsa est. Sab. lib 1. cap. quarto.

Lacedæmonij ISADAM, puerum adhuc, quem lex nondū ad pugnam vocabat, quoniam exiliens gymnasio strenuū se præstiterat, corona donauerunt. At quia nondum ętate postulante, & cum insolitis armis in hostes irruerat, pœna affecerunt. Ælian. lib. 6. de. Var. hist.

PVER quidam Spartanus, cùm domino, cui seruiebat, in cæteris diligentem promptamque operam patienter nauaret, iussus matulam ferre: in eo vno seruili genere, propter rei obscœnitatem, amissæ libertatis reuocata memoria, parere recusauit. Qua re cùm dominum indignatum aspiceret, in hæc erumpēs verba, Disce alios emere: ab altioribus ędium fenestris se præcipitauit. Fulg. lib. 3. cap. 2.

C. MARTIVS adhuc adolescens, eo bello quod postremò Tarquinius regno pulsus cum Latinis, qui restituere eum conabantur, aduersus Romanos gessit: cùm vidisset ciuem Romanum ab hoste superatum de salute laborare, accurrens cum audacia seruauit, hostémque à quo premebatur interemit. Quamobrem à Dictatore ciuica corona donatus, eum honorem in tenera ætate tulit, quem rarò senes virtute præstantes assequuntur: eoque accensus, adultiori ætate Coriolani cognomen adeptus est. Fulg. lib. 3. cap. 1.

P. SCIPIO, qui primus ex Africa bello victa cognomen reportauit, puer adhuc primo suo tyrocinio Scipionem patrem equestri prælio, quod cum Pœnis est ad Ticinum amnem commissum, grauiter vulneratum: & ad terram afflictum, in aduersum hostium globum ferociter inuectus, periculo seruauit: adolescens non solùm ciuica corona dignus sed immortalitate etiam nominis, ad quam præmatura virtus cum argumento pietatis manifestum illi patefecit iter. Sabell. lib. 1. cap. 4.

IDEM Romanis legionibus ad Aufidium in Apulia cæsis, cùm nobiles quidam adolescentes ex ea acie elapsi, de Italia relinquenda consilia agitarent,

agitarent, ad eos stricto ferro repentè ingressus, adeò terruit minaciter instans: vt non solùm proposito auerterit, sed passi sint etiam à se iusiurādum exigi, de patria non nisi cum vita relinquenda. Ibid.

AEMYLIVS LEPIDVS, puer etiam tum progressus, in aciem, hostem interemit, ciuem seruauit: cuius tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prętexta S. consulto posita. Iniquum enim putauit Senatus, eum honori nondum tempestiuum videri, qui iam virtutis maturus fuisset. Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate, duplicémque laudem è prælio retulit, cuius eum vix spectatorem anni esse patiebantur. Arma enim infesta, & districti gladij, & discursus telorum, & aduentātis equitatus fragor, & concurrentium exercituum impetus iuuenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter quæ Æmyliæ gentis pueritia coronam mereri, spoliáque rapere valuit. Val. Max. lib. 3. cap. 1.

M. CATO Censorius, cùm in domo M. Drusi, auunculi sui educaretur, & ad eum tribunum tunc populi Latini de ciuitate impetranda conuenissent: à Q. Popedio Latinorum principe, Drusi autem hospite, rogatus, vt socios apud auunculum adiuuaret, constanti vultu, non facturum se, respondit. Iterum deinde ac sæpius interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Popedius in excelsa ædium parte eleuatum, abiecturum se eum inde, nisi precibus obtemperaret, minatus est. Nec hac re ab incœpto mouere potuit. Expressa est itaque illa vox hominum, Gratulemur nobis Latini & socij, hunc esse tam paruum: quo senatore, ne sperare quidem nobis ciuitatem licuisset. Tenero ergo animo Catonis totius curiæ grauitatem percepit, perseuerantiaque sua Latinos iura ciuitatis Rom. apprehendere cupientes, repulit. Valer. Max. libro 3. cap. 1.

IDEM, cùm salutandi gratia prætextatus ad Syllam venisset, & capita proscriptorum in atrium allata vidisset, attrocitate rei commotus, pædagogum suum Sarpedonem nomine interrogauit: Quapropter nemo inueniretur, qui tam crudelem tyrannum occideret? Cumq; is, Non voluntatem hominibus, sed facultatem deesse, quòd salus eius magno militum præsidio custodiretur, respondisset: Vt ferrum sibi daret, obsecrauit: affirmando, perfacilè se eum interfecturum, quòd in lecto illius considere soleret. Pædagogus & animum Catonis agnouit, & exhorruit propositum, eum postea ad Syllam excussum semper adduxit. nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis deprehensus, victorem non extimuit, tum maximè Cos. municipia, legiones, equestris ordinis maiorem partem trucidantem, ipsum Marium si quis eo loci statuisset, celerius aliquid de fuga sua, quàm de Syllæ nece cogitasset. Ibid.

C. CASSIVS puer, in Fausto Syllæ filio tam acer extitit libertatis vindex, quàm postea adultus in C. Cæsare dictatore. Hunc enim, quia tyrannidem affectaret, interfecit: illum, quia à patre exercitā laudaret, contumeliosè pulsauit. Cæterùm tantum absfuit vt facti pœniteret, vt Pompeio rem cognoscente, Eia Fauste, dixerit Cassius, profer hîc coràm sermonem, quo sum abs te lacessitus, vt iterū à me in publico vapules. Sab. lib. 1. cap. 3.

M. AVRELIVS CLAVDIVS FLAVIVS, qui postea virtute ad imperium euectus est, cùm adhuc puer & priuatus cum quodam luctaretur, qui statura maior erat, & is apprehendens eum in baltheo testes apprehendisset: pudore doloreque simul permotus Flauius, silentio dolorem premens, pugno faciē illius strenuè percussa, sanguine dentibusque, quos loco suo dimouerat, guttur totum ei oppleuit: nulla periculi habita ratione, quod subibat, cùm coram Imperatore Decio res gereretur. Etenim ea re ostendit, qualis aduersus Gothos aliosq; Barbaros futurus esset, à quibus imperium erat liberaturus. Fulg. lib. 3. cap. 1.

THEODORICVS, Theodomeri filius, cùm adhuc puerulus esset, manifestam indolem ostendit eius virtutis, qua Herulos Odoacrumque Italia pulsurus erat, eamque suo atque Ostrogothorū imperio subacturus. A Græcia inscio patre profectus, paruo comitatu Sarmatas (qui nunc Russeorum ac Polonorum pars esse dicuntur) inuasit, ab eisque in patriam cum ingenti præda se cum comitibus incolumem recepit. Ibid.

BALDVINVS III. Hierosolymorum rex, anno ætatis. 15, futuræ fortitudinis signa dedit. Nam, cùm ad eum Stantax Turca profectus esset, propter discordias quas cum fratre suo Meieredin Damasci Sultano habebat (tribuere enim nimium cuidam militari duci suo putabatur) isque vrbem Bostrum Balduino in Arabia (quam nunc Buzeret appellant) obtulisset: item arcem Selchor, quæ in eadem regione magni momenti habebatur, si haud disparem rem ei Balduinus in Iudæa daret: cōtra omnium opinionem Balduinus negocium suscepit. quatriduumque cum exercitu profectus, cùm in via penè semper cum hoste pugnaret, vt Bostro vrbi appropinquatum est, inuenit ciuitatem. Sulthano deditionem fecisse. Itaque infectis, quorum causa tantum viæ erat emēsus, cùm amissa reditus spe quidam eum hortarentur, vt cruce accepta, in qua mundi salus pependerat (in castris enim eam habebat) cum duobus comitibus itineris peritis, velocibus equis, fuga se inde abriperet: dixit, Malle se cum suis mortem oppetere, quàm deserere exercitum. Itineri igitur se credens, non sine magnis incommodis, cùm Turcæ siccas herbas ac pruna succendissent, iussis episcopis descendere, ac Dei veniam poscere, vento incontrarium flante incendio liberatus, in Syriam incolumis regressus est. Apertè ostendens, qui vir futurus esset, cùm adhuc puer tale facinus edidisset. Ibid.

GRIMOALDVS Longobardorum rex, cùm adhuc puer à Cacano Auarorum rege, cum aliis Longobardis, qui Forumiulij incolebant, præter datam fidem ad mortem deduceretur: vt Barbaricam perfidiam cognouit, in ipso cædis tumultu inde se fuga cum duobus fratribus abripuit. Verum postea sequente hoste, cum puero ad fugam vires, vt aliis, non sufficerent, ab equite comprehensus, iterum ad mortem ducebatur. Cæterùm ipse ferro, quo cinctus erat (quod haud magnum in ea ętate esse poterat) illum ipsum à quo ducebatur, nihil minus quàm à puero id timentem, occidit: ac fratres consecutus, in tuta se loca recepit. incredibili hac audacia ostendens, quo animo, quóue ingenio ad parandū regendumque Longobardorum regnum esset futurus. Ibidem.

CAROLVS Zenus, quum puer adhuc esset, Petrum Zenum patrem apud Smyrnam à Turcis interfectum amisit. Cæterùm diligentissimè à suis educatus, quum decimum ætatis annum ageret, in Galliam ductus, coram Pont. Max. orationem eam habuit, quæ admirationis plena audientium omnium animos repleuit. Ille verò ab hac indole animi & virtutis adolescens factus, quum Auenionem iterum periisset, à pontifice Patrensi sacerdotio amplissimo donatus est. Ad quarum vrbem nauigans, Turcas iuuenis acie à se victos fœlicissimè repulit. Verùm nō multo pòst variis iactatus cum laude casibus, in patriam, quę postea reuersus, rei maritimæ sic operam dare cœpit, vt non multo pòst à senatu Veneto classi præfectus, maximas res gesserit: vt si quis rem totam æstimare æquis animis voluerit, hunc ipsum libertatis, qua hodie Veneti fruuntur, autorem præcipuum profiteri non dubitet. Egnat. libro tertio, capite primo.

ROBERTVS Malatesta, Sigismundi filius, Ariminensis princeps, iuuenis adhuc, ac penè adolescens, post patris obitum, Apollionem Vrsinum maximis copiis instructum, quem Pont. Max. miserat, ipse multo paucioribus insigni prælio vicit. Mox verò adultus & vir factus, à Venetis Imperator Romam missus, Ferdinandum Neapolitanum regem pugna maximè memorabili superauit, captis principibus non paucis, regéque ipso effugato, qui etiam Turcarum manum validissimam Hydrūte aduocatam secum haberet. Illius fatum quis non doleat, quòd triduo post tam celebrem pugnam vita functus sit? Ibidem.

ORSATVS Iustinianus, puer adhuc, facilé omnib. occurrentib. ostendebat, quanta eius probitatis & virtutis spes Reipub. futura esset, si diutius illi superesse licuisset. Nec verò fefellit ille, receptum in hominū animis de se præsagium: quippe qui iuuenis triremis vnius pręfectus, clarissimum virum Petrum Lauretanum Imperatorem secutus, eius victoriæ maximè memorabilis, quam ad Drapalum Imperator ipse Lauretanus sibi patriæque peperit, Orsatus autor princepsque sit habitus. Tanta enim animi magnitudine in hostilem triremem inuectus est, tāto robore decertauit, vt ea facilè oppressa, viam reliquis fecerit hostes facillimé opprimēdi. Nec minus pacis artibus domum reuersus postea floruit: multis enim legationibus insignitus, illa verò præcipuè claruit, quam in Mantuano concilio, quod œcumenicum Pius Pont. indixerat, peregit. Quare mox in patriam reuersus, imperatoria primùm totius maritimæ rei dignitate, procuratoria quoque ornatus est, in qua supremum clausit vitæ diem. Ibidem.

Fuêre Sfortiæ, rei militaris duci ætatis suæ præstantissimo, mares aliquot liberi: sed ex iis FRANCISCVS filius, iā tum puer, tam fœlici diuinaq; indole, vt nemini etiam ex improuiso occurreret, cui nō ille admirationis plenus esset. Delectabat enim omnes vel eius aspectus, vel incessus, vel ipsa oratio pudoris plena atq; modestiæ. Quare illum pater Sfortia cæteris fratribus anteponens adolescentem adhuc, cum aliquot ex familiaribus ac domesticis fidelissimis, in Apuliam misit, qui Ioannæ regnum aduersus Arragonios tueretur. Accidit verò memorabilis res ea tempestate, vt quotquot eum secuti essent, qui rem militarem præcipuè callerent, Franciscum desererent. Aduersus quos mouens Franciscus magnam militum manum, omnes non multo pòst viuos cœpit, veniamque summa benignitate concessit, interque suos, vt antea, esse principes voluit. Qua re patri Sfortiæ significata, iratus vehementer scripsit ad filium, vt de omnibus supplicium sumeret. Quibus lectis ille literis, parumper subsistens animo, mox nuntium interrogare cepit, Quo vultu pater id sibi præcepisset? Quumque irato maximè, ille respondisset: Ego verò, inquit, pacatum illius animum libentius expectauerim: neque dubito factum à me approbaturum esse patrem, postquam illi ira resederit: id quod planè ita euenit. Hanc præclaram indolem illustria facta sunt secuta. Mox enim ad militarem rem conuersus, iussu patris, aduersus Braccium, qui Aquilam vrbem iampridem obsidebat, comparato exercitu est profectus: nec multo pòst vrbis obsidio soluta est, victusque Braccius ipse Francisci auspiciis, & cæsus. Hinc in Cisalpinam Galliam Martini Pont. consilio contendens, ad Philippum Mediolani ducem venit: cuius primo aspectu, grauitateque orationis captus Philippus, sic eum amare fouereque cœpit, vt non multo pòst Blancam filiam illi desponderit, Cremona vrbe illi tradita. Vsus opera illius Philippus aliquandiu, incredibile dictu, quanto Philippi res melior ducta auspiciisq; Francisci etiam aduersus Venetos sit facta. Mox irato aduersus eum Philippo, vti etiam de generi morte cogitarit, ad Venetos trāsiit: Venetaque signa secutus, rem in Gallia penè collapsam restituit. Interim Philippo mortuo, victisque apud Carauagium memorabili prælio Venetis, victor Mediolani principatum sibi peperit: Alexandroque fratri Pisaurum vrbem, cum aliquot castellis oppidisque dono dedit. Illud præter cætera in hoc vno memorabile, quòd multis prælijs semper victor abiit: quum illi subinde non cum quolibet hoste res fuerit, sed in terra Italia rem gesserit, Braccianis præcipuè aduersæ factionis infestis: vt tu denique Franciscum hunc ipsum dictatori Cæsari similem certè dixeris, siue animi vigorem, siue constantiam, siue celeritatem in agendis rebus, siue benignitatem in omnes expendas. Ibidem.

CONSALVVS, Magni cognomine meritò pro rerum gestarum gloria dictus, Cordubæ in Hispania genitus, pręclara familia, puer tanta

indole ſtatim excelluit, vt quamuis Alphonſus frater eius natu maior floreret, illi tamen omnia omnes adhuc puero tribuerent: ſperarétque pro certo futurum, vt clariſſimus planè euaderet, haberentque vnæ Hiſpaniæ quem & militari gloria, & pacis artibus cæterarum omnium gétium regibus & imperatoribus obiicerent. Neque eos vel indoles illius, vel ſpes ſua fefellit. Mox enim à Ferdinando rege in Italiam miſſus, Neapolitanum regnum Arragoniæ familiæ Ferdinandoque ipſi facilè reſtituit, iuniori Alphonſi regis filio. Idem regnum à Gallis occupatum, poſt præclara edita facinora, victoriaſque inſignes ex hoſte partas, Ferdinádo aſſeruit, quod in hūc uſque diem Hiſpaniæ reges obtineant. Et quāuis militari laude ſua tempeſtate præſtiterit omnibus, tanta etiam religione ac pietate in Deum, tanta munificentia in potentiſſimos duces ac milites, tanta amicitia & charitate amicos omnes ſuos coluit, vt vel hoſtes ipſi ab eo ſint benigniſſimè excepti. Ea demum probitate fuit, vt regnum ſibi vendicare potuerit, niſi ſidem ſemel Ferdinando regi datam nunquam violandam ſtatuiſſet. Vixit in Hiſpania aliquot annos in ſumma nominis celebritate. Sexageſimum verò & alterum vitæ annum agens, in quartanæ morbum incidit, ſenili ætati maximè grauem: quumque apud Loxam Granatēſis regni oppidum in ocio ageret, ibidem mortuus eſt, atque in Granatenſem vrbem præcipua regiaque funeris pompa delatus. Cuius ſepulchrum in æde Diui Franciſci erectum à multis in hodiernum uſque diem viſitur, non tam religionis ergò, quàm monumenti ſpectandi gratia. Ibidem.

Temperantiæ.

Præclarum in IOSEPHO, Iſraelis filio, adhuc puero reſulſit virtutis exemplum. Cuius vt mens ſomniorum ſagax ſileatur, quum in Putiphāris domo Memphi ſeruiret, non heribus illecebris, non ſuppliciorum metu ſubigi potuit, vt muliebrem libidinem ſecutus, cum hera, à qua procaciter appetebatur, ſolus ſtuprum faceret. Maluit caſtiſſimus puer, in tenebris, inter reos & ſontes vinctus iacere: quàm eam domum, in qua clementer ac benignè alebatur, flagitio fœdare: dignus, qui plus in iis tenebris, in quas coniectus eſt, quàm omnis Ægyptiorum ſapientia videretur. Sab. lib. 1. cap. 3.

P. SCIPIO Africanus maior, capta Carthagine in Hiſpania, perductáque ad eum, etſi admodum adoleſcentem, puella nobili atque eleganti forma: puellam caſtè ſanctéque in ſuorum aduentum cuſtoditam, adoleſcenti nobiliſſimo, cui deſponſata erat, intactam & ſine precio reſtituit. Illud duntaxat cum eo pactus, vt amicus inde eſſet Rom. populi: & vt in animum induceret, in Romana ciuitate multos eſſe viros ſui ſimiles. Sabellicus lib. 1. cap. 4.

Liberalitatis.

ALEXANDER Philippi filius, qui orientem domuit, ætate puer, præclarum depoſuit apud Leonidem pædagogum futuræ munificentiæ rudimentum. Siquidem aris admotus, ſacrorum cauſa, quum largius thura focis congereret. Sic ſacrificabis, inquit ille, quum Arabiam ſubegeris. Cuius ille vocis memor, robuſtus rex & iam victor, thuriferis genibus bello ſubactis, nauim ad eum thure onuſtam miſit: præcipiens vt cum iis parcus eſſe deſineret, qui ſecum tam benignè agerent. Sabellicus libro 1. cap. 3.

Magnanimitatis, in honoribus appetendis, conſequendis, aut ſpernendis.

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, quum puer adhuc eſſet, & ageretur ludus ſolennis, quo pueri tum exercebantur, atque is qui negocio præfectus erat, ſtatuiſſet illum in locum parum honorificum, paruit quidem: Bene ſanè habet, inquiens, oſtendam enim non locum viris, ſed viros loco conciliare dignitatem. Quæ vox declarabat in puero miram animi celſitudinem, cum pari moderatione coniunctam. Plut. in Apoph. Lacon. Sed hoc alij Ariſtippo tribuunt.

Puer adhuc THEMISTOCLES, quodam tempore è ludo literario redibat: quem cùm pædagogus obuio Piſiſtrato tyranno de via decedere iuſſiſſet, planè regiè libereque reſpondit: Nunquid hæc via non ei ſufficit? Adeò quidem ingenuum, & magnificum in Themiſtocle refulſit Ælian. de Varia hiſt. lib. 3.

P. CORN. Scipio, cui pòſt ex virtute Africano fuit cognomen, cùm ſibi ædilitatem petenti Tribunos plebis videret obſtrepere, quòd nondum ad petendum legitima ætas eſſet: Satis, inquit, annorum habeo, ſi me Quirites habilem facere volunt. Fretus enim virtutibus ſuis, quanquam adoleſcens & ante tēpus, magiſtratum tamen petere à populo non dubitauit. Pontanus libro de Principe, à principio: & Plutar. in eius vita.

Q. METELLVS Pivs tam bonæ ſpei adoleſcens fuit, vt in petitione prætūræ, & pontificatus, conſularibus viris prælatus ſit. Plinius de Viris illuſt.

AVRELIVS ALEXANDER ex Arcena Syriæ ciuitate, puer adhuc à ſenatu Cæſar factus eſt. Lampridius, & Volat. lib. 23. Anthrop.

CAROLVS Octauus, vel, ſecundum alios, Nonus, Francorum rex, cùm ingenij ſui dotes ampliſſimas oſtenderet, annum iam tertiumdecimum agens, regnum iniit. Ritius lib. 3. Francorum regum.

RAYMIRIS Sanctij Craſti, primi huius nominis Hiſpaniæ regis filius, eo nomine tertius, annum ætatis agens quintum, patri in principatu ſucceſſit. Ritius lib. 2. Reg. Hiſpaniæ, prope finem.

ALPHONSVS Calabriæ rex, cùm annos pubertatis nondum egreſſus eſſet, nec id peteret, à patre regni vicarius creatus eſt, decretaque illi Calabriæ prouincia: non annos, non ætatem reſpiciens, ſed virtutes, quarum tanta in eo apud omnes erat expectatio, vt cunctorum & populorum & procerum regni oculos in ſe vnum conuerteret. Pontanus de Principe, à principio.

ANDREAS Dandulus, ſepultis in Italia literis, primus bonis artibus & literis inſtructiſſimus fuit. Idemque admiratione virtutis tam illuſtris, tres & triginta annos natus, Dux in ea ciuitate dictus eſt: quæ cùm ſenili ætati ſemper plurimum detulerit, tunc verò iuuenem hunc omnibus ſenibus antepoſuit. In hoc principe multa fuēre alia, quæ poſteritati ignota minimè fore dubitem: ſingularis prudentia, & bonitas, optimo cuique præcipuè fauens: literatos omnes, qui tum in terra Italia nō multi erant, maximo amore, & omnibus officiis proſecutus eſt: vt tamen vnum Franciſcum Petrarcham reliquis omnibus præculerit, cui Venetiis venienti publicæ datę ſunt ab eo ædes, quę nunc in cœnobium Sancti Sepulchri abiēre. Ad hęc, ſi quando in publicum Dux ipſe prodiret, honeſtiſſimo loco cum ſemper ſecum habere voluit. Egnat. lib. 3. cap. 1.

Clementiæ.

SEVERVS Imp. cùm omnes hoſtes è medio tollere decreuiſſet, vrſiliis ſuis Baſſiano & Getæ pacatum relinqueret imperium: Baſſiano in omnibus aſſentiente, vt liberos etiam illorum ſuaderet necari: GETA puer interrogauit, quantus eſſet occidendorum numerus? Eum cùm pater edidiſſet, rogauit, num iſti haberent parentes ac propinquos? Quum reſponſum eſſet, habere, & quidem multos: Plures ergo, inquit, in ciuitate triſtes futuri ſunt, quàm læti. Valuiſſet cordati pueri dictum, niſi quorundam crudelitas obſtitiſſet. Eraſmus libro ſexto. Apophtheg. Spartianus in vita Getæ.

IVSTICIÆ *erga Deum, ſeu pietatis & religionis quædam rudimenta.*

Conſulete tit, Martyrum qui in puericia pro Chriſto mori non dubitarunt.

SAMVEL adoleſcentulus nondum duodecimum excedens annum, cum apud Heli ſacerdotem educaretur, virtute annos ſuperante, dignus habitus eſt, vt ſæpius cum eo Deus loqueretur: munuſque futura præuidendi monendique, quod alij vix longo ſenio aſſequebantur, in tam tenera ætate conſequeretur: illa ætate oſtendens, quàm matura in eo virtus eſſet futura: nec indignum fore, vt diutiſſimè Iſraeliticum populum gubernaret, ac penè pro arbitrio Iudæorū regno regibuſque vteretur. Fulg. lib. 3. cap. 1 ex 1. Reg 2. & 3.

Cùm propheta Samuel ad vnum Ieſſeæ domus regem inungendum in Bethleem veniſſet, omnibus filiis prælatus eſt DAVID. Quod ſi paternum iudicium ad indolem referatur, credi par eſt, ſenem lineamenta duntaxat aut ætatem intuitum, vehementer hallucinatum: cæterùm Propheta decipi non potuit, qui tota illa fratrum cohorte repudiata, hunc potiſſimùm legit, qui omniū erat præſtantiſſimus futurus. Nec iudicium caruit euentu. Sab. lib. 8. cap. 8.

SOLOMON, ob altam indolem à ſapientiſſimo patre eſt fratribus prælatus: in quo prudentiſſimum ſenem nihil æquè ac pietatem ſpectaſſe, credere æquum eſt. Fuit ille ſapiens, fuit diues, munificus, elegans: à pietate tamen deflexit, Ethnicæ vxori gratificans: & quo maior ſpes in iuuene eluxit tuendæ pietatis, eo moleſtius in ſene deſiderium fuit neglectæ. Ibidem.

IOAS filius Ochozię regis Iuda, puer ſeptem annorum, cùm regnare cœpiſſet, fecit quod bonum erat coram Domino, cunctis diebus Ioiadæ ſacerdotis. Poſt mortem tamen Ioiadæ effectus eſt impius, & interfecit Zachariam filium eius. 4. Reg. 22. 2. Par. 24.

Octo annorum erat IOSIAS, cùm regnare cœpiſſet, fecitque quod placitum erat coram Domino: & tamen peſſimum patrem & auum habuerat. 4. Reg. 22. 2. Par. 34.

TOBIAS cùm eſſet minor omnibus in tribu Nephthalim, nil tamen puerile geſſit in opere. Idem cùm poſtea filiū genuiſſet, ipſum ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato. Tob. 1. & 4.

IDEM cœleſtis nunciį ductum ſecutus, tametſi puer adhuc & rerum omnium ignarus, peregrè proficiſci auſus eſt: longiuſque veſtigare, per quę paternę cęcitati opitularetur. Sab. lib. 1. cap. 3.

DANIEL cum tribus ſociis ſuis propheta, ſine ſacerdote, ſine magiſtro, legem Dei obſeruauit ſobriè, iuſtè & piè: vixitque ſine labe inter pueros gentiles. Daniel. 1.

FRATRES ſeptem quamuis adoleſcentes, miram tamen ſapientiam in reſponſionibus, & patientiam in tribulationibus habuerunt. 2. Machab. 7.

TRES pueri Hebræi in Babylone, ne cultu abducerentur alienigenarum, ignem oculis admotum contempſere: meruit ergo conſtans pietas, vt flammam in quam coniecti ſunt, innoxiam fuerint experti. Cecinerunt hymnum Deo ſalutis autori, omnium qui admouebantur terrorum ſecuri: aut quia humana crudelitas obeſſe his quos numen tuetur non potuit, aut quia non debuit. Sab. lib. 1. cap. 3.

Nemo inter natos mulierum (vt ſacris vtar verbis) ſurrexit maior IOANNE Baptiſta Zachariæ filio: nihilque in eo ſanctius extitit, quàm quòd puer res humanas aſpernatus, è medio exceſſit, ſolitudinis cupidus: prętulit eremum æqualium cœtibus, iciunium commeſſationibus, continętiam libidini, paupertatem diuitijs. Per quę meritus eſt, vt maior quàm propheta haberetur: nec Iordanes, cuius fuit accola, magnis licet regibus magniſque exercitibus vadatus, maius vidit vnquā, aut ſanctius

præter Deiparæ filium. Sab. lib. 1. cap. 3.

ORIGENES Adamantius, cum pater eius propter Chriſtianam fidē in carcere cuſtoditetur, nec ipſe ob teneram ætatē ei martyrio eſſe comes poſſet (neque enim ſeptimum decimum annum ſuperabat, & diligenter à matre obſeruabatur) patri ſcripſit, ne propter filiorum charitatem à recta fide erga deum auerteretur. Iam ea ætate oſtendens, qualem eum & quàm intrepidum præconem Chriſtiana religio eſſet habitura. Fulgoſ. lib. 3. cap. 1.

BERNARDINVS Senenſis pupillari ætate Dianæ materteræ commendatus, prandioli partem pauperibus impartire ſolitus: quum fortè vnicus eſſet panis domi, prohiberetúrque infringere, portionem petiit ſuam: quam precariò adeptus, mendico obtulit. Sab. lib. 1. cap. 3.

DOMINICVS Hiſpanus dum Valentiæ literis operam dabat, libros vendidit, vt pauperes alleret: iam tum in illo futuræ ſanctitatis non obſcura veſtigia apparebant. Marul. lib. 1. cap. 2.

STEPHANVS Conſtantinopolitanus preſbyter, in vtero matris ieiunia obſeruauit, & infans ſtrenuè coluit. Vide tit. Carnis caſtigatio per ieiunium.

D. NICOLAVS Myreæ, & SISINIVS Thaunenſis epiſcopi, idem fecerunt. Pete ex eodem loco.

D. LAVRENTIVS Iuſtinianus, patre Bernardo, Quirina matre natus eſt, eo die quo princeps Contarenus Genuenſi bello victor, Clodiáque recepta in patriam triumphans rediit: in tenera ætate multa futuræ ſanctitatis indicia dedit: tum illud in primis, quòd vndeuigeſimum ætatis annum natus, Mariníque conſobrini ſui veſtigia ſecutus, Diui Gregorij cœnobium, quod in Alga dicitur, ſit ingreſſus. Ab hac tam inſigni animi indole excitata vniuerſa ciuitas, Caſtellanæ diœceſi præfecit. mox verò primum patriarcham ſacris omnibus rebus præeſſe voluit: qui ita planè vixit, vt omnibus exemplum ſummę pietatis ſemper fuerit: doctrina verò tam inſigni floruerit, vt quotieſcunque vacaret, tam legendo quàm ſcribēdo celeberrimus in hunc vſque diem habeatur: ſi quis modò ſcripta illius, quæ hodie impreſſa extant, diligentius euoluerit. Qui denique morieus, inter diuos relatus eſt: cuius obitus dies Ianuarij menſis octaua fuerit. Si quis latius mores huiuſce ſanctiſſimi viri noſſe cupiat librum Bernardi Iuſtiniani de eius vita ſcriptum legat: ſed & monumēta ab eodem Laurentio literis tradita non negligat, quæ plura ſunt. Egn. lib. 3. cap. 1.

Iuſticiæ erga homines.

CYRVS iuſſu Aſtyagis aui, Medorum regis, expoſitus, & à Mitridate regio bubulco educatus, cùm inter paſtores per ludum rex creatus eſſet Attembaris viri inter Medos primarij filium, eo quòd dictis parēre recuſaſſet, verberibus grauiter affecit. Artembares Cyrum apud Aſtyagem accuſauit. Ex eo cognitus eſt ab Aſtyage Cyrus, & in Perſam amandatus. Inde non multo pòſt egreſſus, Aſtyagem regno expulit. Herod. lib. 1.

VITIORVM NATVRALIA SEMINA, *ſive rudimenta.*

Aſtutiæ & calliditatis.

ALCIBIADES etiamnum puer ad Periclem auunculum deductus, cùm ſubtriſtem illum cōſpicatus eſſet, Ecquid eſt, inquit, auuncule quod doleas? Illo verò reſpondente, Cruciari ſe animo, quòd curati à ſe Propylæi rationem minus aptè expoſcenti populo reddere poſſet: Quinimò, inquit, cogitandum tibi potius, quo pacto non reddas. Arripuit ſtatim prudentiſſimus vir puerile mon itum, & patriam adeò graui finitimorum populorum bello implicuit, vt ſolicitæ de ſalute imperij ciuitas, aliò mentem conuerterit. Sicque Alcibiades patriam, quàm factus vir poſtmodum euertit, iam tum puer viam, vt facilius rueret, oſtendit: magno rerum publicarum documento, nunquam his committēdam remp. adultis, qui à pueritia præcociorem improbitatem præ ſe ferant. Sab. lib. 1. cap. 3. & Val. lib. 3. cap. 1.

Audritiæ.

PVER cùm auream laminam, quæ ex Dianæ corona decide rat, ſuſtuliſſet, in iudicium adductus eſt. Iudices igitur Areopagitę crepundia, talos & laminam auream propoſuerunt puero. Qui cùm iterum ad aurum inclinaret, plexus eſt tanquam ſacrilegus: neque ætati veniam dederūt, ſed flagitium & ſcelus vindicarunt. Ælian. lib. 5. de Var. hiſt.

Prodigalitatis.

C. IVL. Cæſar adoleſcens adhuc à piratis captus, vt opulentiam ſuam oſtenderet, cùm viginti tantùm talenta pro redemptionis precio exigerent, quinquaginta perſoluit. Erat hoc forteſſe futuræ magnitudinis indicium, prodigalitatis tamen vitio coniunctum. Pontanus lib. 1. cap. 8. de Magnanim.

M. Antonium triumuir FILIVM habebat ex Fuluia: is puer Philotæ dederat ingentem vaſorū vim: quę quum ille recuſaret accipere, metuēs ne pater tantam filij liberalitatē non probaret: Quid times, inquit, puer, accipere? An neſcis, eum qui dat, Antonij eſſe filium? Plut. in Antonio.

Ambitionis.

ALEXANDER Macedo puer adhuc, cùm percunctarentur, Libentérne certaturus eſſet in ſtadio (pedū enim præſtabat pernicitate) Atqui perlibenter, reſpondit, ſi certaturi ſecum reges eſſent. Pares dignitate in certamine penè infantulus requirebat. Pontanus lib. 1. cap. 8. de Magnanimitate.

IDEM perlatis nunciis victoriarum Philippi patris, conuerſus ad æquales, qui aſtabant, non ſemel dixiſſe traditur: Malè nobiſcum, ō pueri, agitur: nam dum pater cuncta ſibi occupat, nihil mihi relinquit. Fulg. lib. 3. cap. 1.

C. IVL. Cæſar nondum pubeſcens, quamuis dominante Sylla, tamen ad populum Romanum prodiens fiduciæ plenus, Diale auſus eſt ſacerdotium petere. Pontanus lib. 1. cap. 8. de Magnanimitate. Iam in ipſa pubertate inſignis illa dominandi libido, in maximum incendium vrbis & orbis aliquando eruptura, radices ſuas agere cœperat.

IDEM puer adhuc, ſemper Tragicum illud in ore habuit: Si ius humanum violandum eſt, regnandi cauſa violari debet. Cuperes naturam illam meliora voluiſſe: voluit enim vetita, & liberæ ciuitati in qua natus erat contraria. Sed quod puer optauit, adultus tenuit: parturiſtque tener animus, quod maturus peperit. Sab. lib. 1. cap. 3.

IDEM cùm apud Gades etiamnum adoleſcens, Alexandri Magni ſtatuam adiiſſet, illachrymaſſe fertur: quòd cùm Alexandro (qui 24. annos natus, totum ferè orbem deuicerat) ætate par eſſet, nihil adhuc egregij deſignaſſet. Monarchiam lachrymæ iſtæ exoptare, atque etiam poſſidere videbantur. Pont lib. 1. cap. 8. de Magnanim.

INDOLIS PRACTICÆ IN ETHNICIS VIRTUTIBUS *exploratio.*

Plurima huic loco conuenientia pete ex variis tit. Præſagiorum & vaticiniorum.

SPARTANI liberos ſuos, iuxta Lycurgi legem, iam editos iudicabāt. Si ſpecioſus eſſet, & forma liberali, educabatur publicè: ſi verò mancus aut deformis, in loca deſerta exponebatur. Alexand. ab Alexandr. lib. 2. capite 25.

IDEM ſolebant liberorum ſuorum indolem experiri publicè verberibus admotis: illóſque hortari, vt flagellorum ictus fortiter perferrēt: item laceros ac ſemianimes rogare, vt vulnera præberent vulneribus. Rauiſius.

ROMVLI legibus à primo ortu vrbis conſtitutum ferunt, vt ſi mancum quid editum aut monſtroſum fuiſſet, ſtatim à partu in flumen aut mare exponeretur. Alexand. lib. 2. cap. 25.

APVD INDOS & BRACMANES editum infantem, poſt duos menſes in publico concilio ſpectandum exhibebant. Si cuius indoles probaretur, bonis ille formabatur diſciplinis: ſi improbaretur, vel exponebatur in ſyluas, vel ſtatim in conſpectu hominum occidebatur. Ibidem.

ÆTHIOPES pueros ſuos ſuper aues, quos diuerſi generis educant, ſublimes imponebant: & cuius ſpei futuri eſſent, periculum faciebant. Nam ſi volantes intrepidi manerent, velut generoſos, & ſe dignos, magna cura educabant: ſi verò animo conſternerentur, & trepidi pauerent, tanquam degeneres in loca deſerta abiciebant. Ibidem.

PSYLLI filios ſuos iam editos ſerpentibus obiiciebant. Qui ſi illæſi manerent, an ſuæ originis eſſent, experimento internoſcebant. Ibidem.

MAGI ingenium regis Occhi quomodo explorarint, collige ex tit. Ominum crudelitatis tyrannicæ.

INVENTORES EARVM RERVM, QVÆ AD VITAM PRACTICAM, *& conuerſationem tam politicam quàm œconomicam facere poſſunt.*

Huius loci ſunt omnes ij, qui eà quæ ad quamlibet virtutem Ethicam confirmandam, exercendam, ingenerandam quomodolibet facere poſſunt, inuenerunt. Qui organa virtutis inuenit, in eius animo ſcopum honeſtum fuiſſe probabile eſt. Proinde in huiuſcemodi inuentis relucet ſpecies quædam interni habitus: in tauro Perilli crudelitas, in matrimonio temperantia, in ſyßitiis frugalitas & amicitia. Ex fine igitur inuenta Ethica indicanda ſunt, quæ alioqui ad vitam mechanicam, aut ad externa bona referenda eſſent.

LEGISLATORVM proprium titulum paulo pòſt explicabimus. Quatenus leges inueniunt, quæ hominum vitæ vtiles ſunt, præſentis ſunt loci: quatenus verò leges præcepta cōtinent omnium virtutum, ſic ad Theoriam practicam à nobis referuntur.

Regiam ciuitatem ÆGYPTII, popularem Remp. ATTICI, vt Plin. libr. 7. cap. 56. Pauſanias certè in Atticis THESEVM Remp. Athenienſium in Democratiam conuertiſſe ſcribit. Poſt Theſeum, teſte Plinio, tyrannus primus fuit PHALARIS Agrigenti.

Seruitium inuenêre LACEDÆMONII. Plin. lib. 7. cap. 56.

Iudicium capitis in AREOPAGO primum actum eſt. Plin. lib. ſeptimo cap. 56.

Apud ATHENIENSES CECROPS primus coniugium inuenit.

Sp. CARBILIVS primus apud Romanos vxorem repudiauit. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

PAN inter Bacchi duces non poſtremus, primus cornua in acie conſtituēda reperit (hinc cornutus à poetis fingitur) Primus etiam ſtratagemate hoſtes circumuenire, & nocturnum metum illis incutere docuit, quem à Pane inuentore etiamnum hodie Panicum vocāt. Vide tit. Terrere hoſtes.

ORDINEM exercitus, ſigni dationem, teſſeras, vigilias, inuenit PALAMEDES Nauplij F. Troiano bello. Specularem ſignificationem SINON, eodem bello. Inducias LYCAON. Fœdera, THESEVS. Claſſe primus depugnauit MINOS. Plin. lib. 7. cap. 56.

GORGIAS primus Thebis ſacrum manipulum inſtituit. Manipulus conſtabat ex amatoribus & amaſiis triginta. Amātes enim ſe mutuò nunquā facilè deſerent: ſed aut pro ſe mutuo mortem oppetent, aut hoſtes ſuperabunt ac vincent. Polyænus lib. ſecundo.

Pugnare ex equo, THESSALI ſecundum Pelium montem, qui poſtea Centauri ſunt dicti. Plin. lib. 7. cap. 56.

Prælium AFRI contra Ægyptios primi fecêre fuſtibus, quos vocant phalangas. Plin. lib. 7. ca. 56.

Bigas primùm iunxit PHRYGVM natio: quadrigas ERICHTHONIVS, Plin. lib. 7. cap. 56.

ARTIS SVBSIDIA ET ADIVMENTA.

EDVCATIO ET INSTITVTIO ETHICA PROBA,
eáque legitima, à legislatoribus & principibus.

IN PACE.

Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus IOSVE & ſeniorum, qui nouerat omnia opera Domini, quæ fecerat in Iſrael. Ioſue 24.

Poſt obitum IVDÆ Machabæi, emerſerunt iniqui, & facta eſt fames valida: & impios conſtituit Bacchides dominos regionis. Et facta eſt tribulatio magna in Iſrael: quæ omnia mala forſitan non fuiſſent, ſi adhuc Iudam ſocium ac dominum habuiſſent. 1. Machab. 9.

ROMANORVM fuit illa ſimplicitas in cibo capiendo, humanitatis ſimul & frugalitatis certiſſima index. Maximis enim viris prandere & cœnare in propatulo, verecundiæ non erat: nec ſanè vllas epulas habebant, quas populi oculis ſubiicere erubeſcerent. erant namque adeò continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vſus quàm panis eſſet. Val. Max. lib. 2. de Inſtit. antiq. Gell. lib. 12. cap. 15. Macrob. lib. 3.

ALEXANDER Seuerus Imp. coniugem ſuam precioſioribus gemmis aut veſtibus, quàm cæteræ Romanæ, vti noluit, ne alias ſuo exemplo ad luxum incitaret. Fulg. libr. 4. cap. 1.

IN BELLO IMPERATOR MILITES
exemplo ſuo inſtruat.

Conſule titulos, Milites ad pugnam animare: Militibus metum eximere: Fortitudo ducum bellica: Tolerantia famis, frigoris, laborum, &c.

ALEXANDER per aridam viam iter faciens, maxima ſiti laborabat. Macedones ſpeculatores regionis cùm in cauo ſaxo pauxillum aquæ repeririſſent, eam galea exceptam Alexandro attulerunt. Ille oſtendēs exercitui, vt apparente aqua bonum animum gererent: nequaquam ipſe bibit, ſed in omnium oculis & conſpectu aquam effudit. Macedones clamore ſublato, iuſſerunt vt ipſe viam præcederet, fortiter ſiti reſiſtentes, ob regis continentiam atque tolerantiam. Polyæn. lib. 4. & Front. libr. 1. cap. 7. & Fulgoſ. lib. 4. cap. 3.

IPHICRATES ſub hyemem & congelatam aciem videns opportunum tempus hoſtes aggrediendi, producere milites volebat. Quibus ob veſtium tenuitatem & frigoris ſæuitiam difficulter obedientibus, ipſe quoque malam veſtem indutus, accedens ad tabernacula, ſingulos hortabatur, vt hoſtes inuaderent. Conſpicati igitur ducem abiectiſſima veſte amictum, & calceis carentem, pro communi ſalute ſe voluntario periculo offerre, eum libenter ſecuti ſunt. Polyæn. lib. 3.

XENOPHON cùm equo veheretur, & pedites iugum quoddam occupare iuſſiſſet, vnum ex eis obmurmurantem, quòd diceret, facilè tam laborioſa cum ſedentem imperare: deſiliit, & gregalem equo impoſuit, curſúque ipſe pedeſtri ad deſtinatum iugum contendit. Cuius facti ruborem cùm perpeti miles non poſſet, irridentibus cōmilitonibus, ſponte deſcendit. Xenophontem vix vniuerſi pepulerunt, vt conſcenderet equum, & laborem ſuum in neceſſaria duci munera reſeruaret. Frontin. lib. 4. cap. 6.

CHABRIAS Athenienſis dicere ſolebat, formidabiliorem eſſe ceruorū exercitum, duce leone: quàm leonum, duce ceruo: ſentiens, totam belli fortunam pendere à virtute prudentiáque ducis. Eraſmus lib. 5. Apoph. Stobæus Philippo adſcribit.

DVCIBVS, Centurionibus & Tribunis apud Romanos præcipuè curandum erat, in locis vbi ſtatiua habebant, cogere tyrones milites, cùm primùm, merere cœpiſſent ſtipendia, ne ſine conſilio, ſine imperio in hoſtes tenderent: per turmas hinc inde crebrò concurrere, decurrere, clamare, locum tenere, imperium ſeruare, iuſſa exequi, ſéque in orbem colligere, cuneum facere & phalangem, vt ſequi ſigna, & pati tædium æſtus & vigilias aſſueſcerent, &c. Alexander ab Alexandro, lib. 1. cap. 20. & lib. 5. cap. 2.

CATO Iunior cùm per Libyæ feruidas harenas iter faceret, & propter ſolis ardores laborémque totus exercitus ſiti grauiter laboraret, porrecta ei galea aquæ plena à milite, vt ad continentiam & tolerantiam ſuos imitaret, in exercitus conſpectu aquam è galea effudit, ne ſolus ſitim ſedaſſe diceretur, cùm aqua deeſſet, qua alij ſitim extinguerēt. Fulg. lib. 4. cap. 3.

CÆSAR acie confligens cum Pompeio iuniore, videns ſuos milites fugere, ſtatim ab equo deſcendens vociferabatur: Me, inquit, ô commilitones, relinquentes, manus hoſtium non reueremini. Hunc ſermonem reueriti, in pugnam re ſierunt. Polyæn. lib. 8. Front. lib. 2. cap. 8.

C. Tacitus prodit, VESPASIANVM conſueſſe anteire agmen, locum capere, cibo fortuito veſte habitúque vix à gregario milite diſcrepante legiones habuiſſe exercitas bello, noctu ſtetiſſe in excubiis, milites ſtratagematibus doliſque bellicis inſtruxiſſe. Rauiſius.

M. AVRELIVS Antoninus Baſſianus Caracalla cùm patri in imperio ſucceſſiſſet, præter quàm quòd ſæpe ſe cum militib. exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac magnum ſpacium militaria ſigna ipſe ferebat: ne tum quidem cùm laſſus in tentoria ſe receperat, delicatiore cibo reficiebatur: ſed cum aliis militibus eo pane veſcebatur, quod ipſe ſibi pinſerat, & in ardēti cinere decoxerat. Scypho quoque ligneo bibebat. Per hunc modum aucta bona valetudine, magis etiam à militibus diligebatur, cùm fraternè ſe erga omnes gereret. Fulg. lib. 2. cap. 2.

PESCENNIVS Niger, qui ſua virtute ad imperium conſcendit, nunquā alio quā militari cibo vſus, exercitui vinum afferri non patiebatur: ſed militibus, cùm vinum poſcerent, reſpondit, debere eis fluuialem aquam ſufficere. Ibidem.

IDEM, niſi reliquus exercitus ſub tecto manſiſſet, tentorium, aut frondea tabernacula non ſubibat: ſed ſub dio manens, ſuo exemplo docebat alios vitæ militaris auſteritatem. Ibidem.

VLPIVS Marcellus, Commodi Romanorum imperatoris contra Britānos dux, vt milites in diſciplina optima contineret, viuebat aliorum militum more: cúmque vellet cæteros, qui ſecum erant, vigilātes eſſe, duodecim tabulas, quales ex tilia fieri ſolent, quotidie perſcribebat veſperi: mandabátque vni ex ſuis, vt alias aliis atque aliis horis perferrent ad diuerſos milites, quo imperatorem ſuum vigilare ſemper rati, ipſi minus dormirent. Et quanquam ſomno alioqui reſiſteret natura: tamen quo magis id facere poſſet, inedia perfecerat. Nam vt ne pane repleretur, eū Roma ad ſe iubebat exportari, ne paulo plus quàm eſſet neceſſe, poſſet propter vetuſtatem comedere. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Commodi.

ÆLIVS HADRIANVS imperator, vt ex ipſius patientia ferendi laboris exemplum alij haberent, interdum pedib. viginti paſſuum milia peragebat: in propatulo veſcebatur, lardo & caſeo tantùm: nec potaturus alio vino quàm poſca ſiue lora vtebatur, vt ſuis frugalitatis & temperantiæ manifeſtiſſimum exemplum eſſet. Fulgoſus lib. 2. cap. de Militari diſciplina.

MASINISSA Numidarum imperator, centeſimum ſuæ ætatis annum agens, ſtans vel ambulans in meridie ante tabernaculum ſuum (vt milites ſuo exemplo doceret) cibum ſumere ſolebat. Ad hanc eum caniciem ſanitatis comes temperantia perduxerat.

AVRELIVS ALEXANDER Seuerus Auguſtus, vix annos viginti natus, in ſumma rerum affluentia, magnóque imperio, egregium militaris diſciplinæ exemplum ſeipſum præſtitit: & à militibus, vt idem ageret, exegit. Nō alio quàm militari cibo vtebatur: apertóque tentorio, vt omnes conſpicerent, veſcebatur. Si quis, dum agmen incederet, in priuatorum poſſeſſiones ſe immiſiſſet, plagis multabat: vociferando, An ita calcari agrum ſuum vellet? Stipendia militi largè perſoluebat: neque ferebat vt vel legati, vel aliorum ordinum ductores (ſicuti interdum fieri ſolet) ſtipendia decimarent. Militem enim bene veſtitum, caligatúmque ac ſaturum eſſe oportere, aiebat: ſiquid præterea numorum in baltheo ſecum geſtaret, ſemper dicto audientem fore, quia inopiæ plerunque deſperatio coniuncta eſſet. Hæc cùm ipſe præſtaret, à militibus contrà ſeuerè exigebat, vt diligenter militarem diſciplinam ſeruarent. Antiochiæ equites nonnullis balneis conuiuiíſque deditos, comprehendi, atque in cuſtodia haberi iuſſit. Quare motus exercitus cùm tumultuaretur, ipſe in tribunal conſcendit, ac perpetrati erroris grauiter milites increpuit. Cæterùm cùm ipſi penè minabundi fremerent, ſolus inermíſque toruo vultu grauitérque ſonante voce omnem exercitum exauctorauit: iuſſitque vt ſtatim arma dederent. Mira res profectò, ſed tamen vera fuit, vnā principis vocem tam multos iratóſque exarmaſſe milites. Nam ad primū eius verbum eodem omnes momento arma in terram abiecerunt, quæ vnà cum ſignis per populum Antiochenum ad palatium Alexander ferri iuſſit. Nec verò multo pòſt, cum eos in priſtinum militiæ honorem recepiſſet, ab eis vllum fortis militis aut diſciplinæ officium in Parthico bello deſiderauit. Fulgoſ. lib. 2 cap. 2.

VENETORVM duces ſuo exemplo ciues ad defenſionem patriæ hortati. Vide tit. Fortitudinis, Prælia aduerſa magno animo tolerare.

THEODOSIVS imperator modico & caſtrenſi cibo contentus, ab omni alienus luxu vixit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

BELLISARIVS Conſtantinopolitanus patricius, cùm ad recuperādam è Gotthorum manibus Italiam mitteretur, adeò ab omni intemperantia milites continuit, vt cùm iter facerent per amœniſſimos hortos quanquam defeſſi, ad decerpendos fructus, qui ab arboribus pendebāt, nunquam manus extenderint. Fulg. lib. 2. cap. 2.

ALPHONSVS Siciliæ rex, cùm contra Caudolam exercitum paraſſet, eius inſidiis ieiuno & famelico exercitu occurrere coactus eſt. In quo periculo cùm miles panem cùm raphano & caſeo, ingens in tali caſu munus obtuliſſet, laudato militis animo, accipere noluit: parum conuenire dicens, vt ieiuno exercitu rex vlla re veſceretur. Fulgoſ. libro 4. cap. 3.

LIBERORVM INSTITVTIO SVB PARENtibus, in Ethicis virtutibus.

EXTRA BELLVM.

Exempla quædam pete ex tit. Seueritatis parentum erga liberos.

Docuit exemplo memorabili PROTOPLASTVS, quæ omnium prima ſit liberis diſciplina inculcanda. Nam cùm duorum pater eſſet, vterque ab eo edoctus eſt cœli numen venerari: eſt enim hæc primaria ſapientia. Obtulit itaque hic, qui terræ cultor fuit, frugum primitias alter, qui paſtor erat, agnos, & quicquid eximium ex toto grege potuit, in holocauſtum dedit. Sab. lib. 3. cap. 2.

NOE magnum documentum præbuit omni poſteritati nullum eſſe tempus, quo liberi nō verecundè ſolùm, ſed religioſe quoque adire debeant parentes, ac venerari. Enimuerò cùm poſt vini hauſtum ſenex parum cautè humi prouolutus iacuiſſet, riſit impius Cham verenda patris: quæ auerſi adeuntes contexêre cæteri fratres pallij iniectu, id ſpectaculum vt dirum & deteſtabile auerſati. Vltus eſt eam contumeliam Noe, Cham impietatis damnatum perpetuo multauit exilio. Idem.

Quàm piè ſanctéque liberos, & totam domum inſtituerit Sodomæus LOTH, quàm procul ab omni labe abſtinuerit, memorabile excidium patriæ quo familia vna miraculo ſeruata eſt, nihil obſcurè declarat. Inuaſerat & Gomorram, aliáſque Palæſtinæ terræ vrbes: atque ita id malum latè ſerpere cœperat, vt ne ab hoſpitibus quidem violādis abſtineretur, inferebatur palàm vis naturæ, & vetita libido pro legitima habebatur. Cremauit itaque cœlitis flamma infandam gentem: omnis ætas, omnis ſexus cum ſuis vrbibus totáque regione abiit in cinerem, vt ipſa vrbium cadauera interierint. Vnus Loth, vnáque cum eo domus tantæ fuit cladis expers: nec vis ignea eos attigit, quos voluptas non attigerat. Ibidem.

Docti ſunt ISRAELIS filij à patre, oportere domum bene inſtitutā ab omni labe procul abeſſe: nihílque celerius quàm domeſticum ſcelus abolendum. Eos enim ſororis Dinæ raptum magna Sichimitarum clade vltos, pollutóſque nocturna cæde confeſtim expiauit: iuſſitque tabernacula aliò transferri, locum ipſum locíque Genium, vt pollutum & inceſtum, auerſatus. Idem.

ISRAELITIS in deſerto Dominus præcepit, vt legem traditam pater filiis proponeret: quòd nulla hac inſtitutione fidelior, aut ſincerior eſſe poſſet. Deut. 4.

DAVID iam moriturus diligenter inſtruxit Salomonem filium ſuum, qui regnare debebat poſt eum. 3. Reg. 2.

PARENTES Saræ vxoris Tobiæ iunioris, monuerunt & docuerūt filiam, vt honoraret ſocerum & ſocrum, diligeret maritum, regeret familiam, gubernaret domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhiberet. Tob. 10.

MATATHIAS moriturus, filios ſuos efficaciter adhortatus eſt ad agendum viriliter pro lege Dei. 1. Mach. 3.

TOBIAS ſenior ab infantia filium ſuum timere Dominum docuit. Tob. 1.

Parentes SVSANNÆ cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi. Danielis 13.

IOB omnium patientiſſimus, doctrina & exemplo liberos ſuos ad tolerantiam, & quandam animi tranquillitatem inſtruxit. Nam qui patrē tot cladibus affectum ærumnoſúmque in pietate & officio permanentem videre, tolerantérque omnia ferentem, hi (vt credere æquum eſt) ſi ruinam, qua demum obruti ſunt, præuidere potuiſſent, tam fortiter tuliſſent, quàm ſenex vno caſu omnes tulit amiſſos. Sab. lib. 3. cap. 2.

Æneas apud Virgilium, Aſcanium filium his verbis planè aureis inſtruit:

Diſce puer virtutem ex me, verúmque laborem,
Fortunam ex aliis. —

Breuis præceptio, ſed fertilis admodum, & fructuoſa.

LVCANI liberos ſuos à prima ſtatim infantia veſte & miniſterio ſeruili, in duritie & ſumma frugalitate educabāt in ſyluis: quibus præda venatica erat cibus, potus verò fontium liquor. Alexād. ab Alexand. libro 2. capite 25.

SCYLES filius regis Scytharum Aripithis, cùm ex matre Iſtrina lingua moribúſque Græcis inſtitutus fuiſſet: poſteaquam ad regnum peruenit Scythicos mores exoſus, Græcam viuendi conſuetudinem ſequebatur. Tandem cùm Græca quoque Dionyſij feſta apud Boryſthenites clam ſuis celebraſſet, à Scythis regno & vita fuit priuatus. Herod. libro quarto.

LACONVM inſtitutum fuiſſe legimus, vt filij, & præſertim principū & magnatum, in parētum conſpectu, propria & parciore menſa vterentur: vt ſi quid luxuriam redoleret, ſtatim à parentibus & amicis remoueretur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

PERSÆ, genus hominum cùm ſua origine, tum ipſa regni (quod olim habuit) opulentia, omnibus terris illuſtre: quando verum Dei cultū, cuius erant prorſus ignari, non potuerunt aſſequi, quod proximum illi fuit, iuſticiam publicè & priuatim filios docuêre. Id verò fuit, veritatem loqui: quod fidei fundamentum eſt, & iuſticiæ perpetua comes. Sabellicus lib. 3. cap. 2.

EOSDEM docebant, vt cibi potúſque continentiam ſeruarent. Ad quos illos maximè iuuabat, quòd ante oculos haberent, ſeniores non prius abire ventris implendi gratia, quàm principes permiſiſſent: quódque non apud matres veſcerentur pueri, ſed apud morum magiſtrum: ferréntque domo pro cibo panem, pro obſonio naſturtium, ad potum verò capedinem, vt ex flumine aquam haurirent. Xenophon in Cyri pædia, Stobæus ſermone. 42.

CYRVS maior (ſi Xenophon ad fidem hiſtoricam ſcripſit) à Cambyſe patre belli & pacis & artibus inſtructus, exiit in ſpem tanti regni, quantum eſt poſtea ab eo conſtitutum. Eſt itaque foris ille virtute & ſucceſſu auctus, domi verò à patre affabrè deliniatus. Sab. lib. 3. cap. 2.

Apud SVNITAS quotannis adoleſcentes & virgines publicè (quod ad liberam & ingenuam educationem attinet) iudicantur: & qui optimus iudicatus fuerit, virginem quam voluerit ducit, deinde poſt ſecundus, & ſic deinceps. Stobeus ſermone 42. de Legibus, ex Nicolai hiſtoria de Gentium moribus.

AGASICLES, Lacedæmoniorum rex, interrogatus, cur tam auidus diſcendi, non adiungeret ſibi Philophanem ſophiſtam? regia prorſus indole reſpondit: Se eorum diſcipulum eſſe malle, quorum eſſet & filius. ſignificans non minus intereſſe, quos nactus ſis parentes, quàm quos adſciſcas præceptores. Etenim vt liberi fermè referunt maiorum ingenium ita quoque præceptorum vitia demigrant in eos quos inſtituunt. Et honeſtæ vitæ inſtitutio potiſſimùm ab illis petenda eſt, qui virtutem ipſis factis præſtiterunt: non ab iis, qui compoſitis arte verbis de virtute nugātur. Plutarch. in Apoph. Laconicis.

RHACONES, natione Perſa, genere autem Mardus, cùm ſeptem haberet filios, & ex his Cartomes omnium minimus natu, magos & ſapientes multis damnis affligeret, primùm eum pater inſtituere, & amicis verbis in viam reuocare tentabat. Verùm cùm ille nullam diſciplinam admitteret, & quodam tempore vicini iudices eò venirent, vbi Rhacones habitabat: ille comprehenſum filium, manibus in tergum reuinctis, ad iudices duxit. Ibi quæcunque vnquam per audaciam deliquiſſet, cum accuſatione commemorauit: & à iudicibus poſtulauit, vt adoleſcentem ad mortem raperēt. At illi animis cōſternati, ſuis ſententiis eū com-

demnare noluerunt,sed vtrumque ad regem Persarum Artaxerxem adduxerunt.Mardo verò semper instante,& eadem contendente,excipiēs rex ait:Potēsne etiam ferre,vt filius in tuo conspectu vita priuetur?Qui cùm respondisset,se posse:addit,Quum in horto nascentium lactucarū furcalos amarosdefringo & amputo, tantùm abest vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur,vt etiam magis efflorescat,item magnitudine & dulcedine plus augeatur:ad eundem modum ego, ô rex,cùm videro eum qui meam familiam lædit,& vitę fratrum officit,obstátque, vitam amittere,& à suis in ipsos iniuriis prohiberi:etiam ipse amplificabor,& reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere conspiciam.Quibus auditis Artaxerxes,Rhaconem collaudauit,& in collegium iudicum cooptauit,his verbis præsentes allocutus: Qui tā seueriter & iustè de propriis liberis audet pronunciare,omnino etiam in alienis criminibus incorruptum & sincerum iudicem se præstabit. Adolescentem autem præsenti culpa liberauit,grauissimam mortem interminatus,si in posterum in crimine deprehenderetur.ælianus lib.1.de Varia historia.

ROMANI suos liberos fratrib.educandos dabant,quòd apud eos & charitas esset generis,& in dulgentia paterna erga filios abesset. Volat. lib.30.Philologiæ,cap.29.

IDEM pueros patricios cum parentibus in Senatum duci permittebant,vt consiliis sapientum iam inde à teneris assuescerent.Durauit ille mos vsque ad Papyrium Prætextatum.Vide tit.Prudentia in seruanda taciturnitate.

M.CATO senior,cùm recens natus esset M.Cato filius, lotioni eius semper interesse voluit,neque alio quàm se magistro eruditi: quòd se ferre nō posse diceret,vt seruus quamuis eruditus filio aures vellicaret. Fulg.lib.5.cap.7.

FRANCISCVS Sfortia,dux Mediolanensis,à patre Sfortia viro clarissimo acceperat,vt à triplici facinore abstineret.Primum, ne alterius nuptam vnquam attingeret.Tum,ne seruum domi diu habitum,virúmque iam factum,verberaret:quod si fortè incidisset, statim à se dimitteret,persoluto illi omni quod deberet precio laboris,operæque suæ.Postremò,ne calcitronem equum vlium pateretur,quo ipse vti vellet.Quę omnia à patre Sfortia accepta,diligentissimè dū vixit obseruasse ferur. Egnat.lib.4.cap.3.

BRIXIENSIS vir & morum & sanguinis nobilitate conspicuus, inter multa quæ sapienter & cum amicis & cum vicinis agit, hunc cum filiis morem seruat.Vsque ad quartumdecimum ætatis annum ferulis & verberibus lasciuientes domat,tenerum ac tractabile ingenium omnibus modis ad arbitrium suum fingens.Postquam verò pubertatem attingunt,flagris abiectis,precibus ac monitis ad virtutem cohortatur,rectá viuendi viam se dulò illis inculcans:& pericula dinumerans, quæ obliquis tramitibus gradientes manent:hoc patris officium dictitans, filios enim esse,non seruos,cum quibus neruis & carenis agendum.Adiicit & illam facti rationem:Quid,inquit,se simul & filium torquere iuuat? sapientem nemo nisi Deus facit.Itaque dum nihil intelligūt, officium tuū imple:pòst,admonuisse satis est:de reliquis,si quid carcere vel supplicio dignum interuenerit,& tibi parce,& filio,curámque hanc omnem supremo artifici committe.Petrarcha de Sapienter factis.

IN BELLO.

ÆGYPTIIS in more fuit,vt Calasiries(qui præcipui habentur milites)à nullo doctore,sed à patre solùm militiæ præceptis eruditentur. Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

GERMANI prisci iuuentutem omnem,præcipuè tamen pueros,nō molliter educabant:sed laboriosis semper exercitationibus, pugnæ etiā simulachris assuefaciebant:vt cùm ad viridem ætatem peruenissent, nihil tam difficile,tam arduum,tam durum esset,quod non remoto omni corporis dolore,subire auderent.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

Fecit THEMISTOCLES filium suum Cleophantum in equestri facultate adeò strenuum,vt equis rectus insisteret, & rectus iacularetur, ahàque permulta efficeret stupenda.Cælius cap.12.lib.8.

EDVCATIO ETHICA SVB PRÆCEPTORIBVS
legitima atque proba.

Huc pertinent omnes illi,qui virtutes practicas docent:quatenus ex illorum institutione aliqui ad virtutem fuerunt excitati, & vel præceptis,vt philosophi Ethici: vel exemplis,vt Historici,& Poetæ comici atque tragici. De quibus partim in primo Libro à nobis actum est, partim infrà agetur,quando de Praxi theorica disputabimus. Porrò ex titulo eorum qui Regum,Imperatorum,& quorumuis aliorum in Republ. Illustrium virorum priuati fuēre præceptores,exempla quædam mutuari possunt. Etsi enim in theoricis tantùm disciplinis à præceptoribus fuerunt instituti,tamen quia artes liberales ingenium emollunt,nec sinunt esse feros,vt Poeta inquit:per accidens quodammodo in moribus quoque ab ijsdem eruditi fuisse videntur. Est enim mirus omnium animi laudabilium habituum consensus & harmonia.

IN PACE, EXTRA BELLVM.

IOTADA pontifex,bene instituebat Ioas regem Iuda.Itaque quā diu vixit,tam diu etiam fuit ille bonus:eo mortuo,factus est rex pessimus.4. Reg.12.

INDI & BRACHMANES edito infanti curatorem, & vitæ magistrum custodémque adhibebant,vt sub legibus & magistratibus, bonis disciplinis formatus, salutaribus exercitatus eruditetur.Alex.ab Alex. lib. 2.cap.25.

PERSÆ pueros præceptoribus(selectis quibusdam senioribus)quam primum formare voces didicissent,tradebant,vt præcipuè virtutem, temperantiam,frugalitatem,obedientiam perdiscerent.Xenophon in Cyri pædia lib.1.Stobæus sermone 42.A quinto vsque ad 20 annum tria duntaxat illos docebant:equitare,arcu vti,& vera loqui.Neque pueros ante septēnium inspiciebant,partim ne indulgentia parentū corrūperentur, partim ne mortē illorū grauius ferrēt.Val.li.2.cap.1.& vlt & Herod.li.1.

EORVNDEM reges,filios suos, vbi iam septimum ætatis annum compleuerunt,ad equestris disciplinæ magistros,atque ipsas venationes mittunt.Anno autem 14 curam eiusdem suscipiunt,qui magistri regij appellantur.Atque hi quidem ex vniuersa Persia delecti quatuor erant,qui cæteris omnibus virtute præstarent:videlicet sapientia,iustitia, temperantia ac fortitudine.Ex his verò primus Magicam docet, idémque regia instituta tradit.Secundus commonet,vt in tota vita veritatem præcipuè colat.Tertius,ne quo affectu aut libidine superetur, sed liberè vitā agere assuescat,sibique ipsi primùm imperare,nec alteri seruire. Quartus demum,intrepidum illum & impauidum reddit.Plato in Alcibiade, cuius verba recitat Crinitus lib.1.cap.2.de Hon.discip.

LACEDÆMONII iuuenum suorum corpora ne lasciuirent, statutis diebus apud Ephoros inspiciebant,vt quid insolitæ pinguedinis cōtraxissent,parsimonia & victus abstinentia emendarent.Alex.ab Alex.li. 2.cap.25.

Apud VETERES consuetudo fuit,vt pueri & iuuenes non nisi præsentibus morum magistris cernerent domi,à quibus frugalitatis & parsimoniæ exempla accipiebant.Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

ALEXANDER Macedo multos nobilibus puerorum ex Perside magistros dedit,qui eos Græca instituta,mores, militaréque disciplinam docerent.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

IN BELLO. MAGISTRI
rei militaris.

Apud PERSAS rei militaris magistri grandioris ætatis erant, nec infra annum L.Sub his instructa acie,parcè primum & modicè,mox exactissima cura militiam ediscebant.Iuuentus à vigesimo ad quinquagesimum annum militare cogebatur,vlterius arma tractare vetabatur.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

Armorum tractandorum meditatio à P.RVTILIO Cos.C.Mallij collega,militibus est tradita.Is enim nullius ante se Imperatoris exemplum sequutus,ex ludo C.Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum,accersitis,vtendi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingenerauit: virtutémque arti,& artem rursus virtuti miscuit:vt illa impetu huius fortior,hæc illius scientia cautior fieret Val.lib.2.cap.1.

C.IVLIVS Cæsar equites Romanos aut senatores armorum peritos, iunioribus magistros dedit:quorum præceptis imbuti,peritando & vigilando militare rudimentum deponerent,legésque pugnandi & prælij normam discerent.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

INSTITVTIO ETHICA EXEMPLO QVORVMVIS *aliorum non legitima.*

EXTRA BELLVM.

Consule tit.Conuersatio bona bonos efficit.

LACEDÆMONII seruos quos agrestes,quos Ilotas vocant, vino ingurgitabant,illósque vino madidos & distentos in cœtum iuuentum introducebant,vt iuxta Anacharsis & Platonis consilium,temulētiæ turpitudinem intuentes,quasi pertæsi ignauiam,à vino & ebrietatis vitio promptius abstinerent.Alex.ab Alex lib.2.cap.25 ex Plutarcho.

Agesilaus,quum haberet apud se Xenophontem illum sapientem, eúmque plurimi faceret,iussit vt filios suos accerseret LACEDÆMONEM,docendos artē omnium pulcherrimā,videlicet imperare & parere imperio.Athenis florebant liberales disciplinæ: sed hanc artem cæteris omnibus præstantiorem,existimabāt nusquam melius discī,quàm apud Lacedæmonios:vbi non verbis disputabatur de bene administranda repub.sed ciuium moribus iuuenes instituebantur. Plutarchus in Laconicis.

ANACHARSIS rogatus aliquando, qua ratione quis ebrietatem effugere posset?Si semper,inquit,præ oculis habeat ebriorum turpissimos & indecoros mores.Roterod.lib.7,Apoph.

HILARION visendi Antonij cupiditate ardens, eremum adiit, ac statim vt illum vidit, habitum mutauit, religionis propositum suscepit: duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplans ordinem vitæ eius,morúmque grauitatem,quàm creber in oratione,quàm humilis in suscipiendis fratribus,seuerus in corripiendis,alacer in exhortandis: & vt cōtinentiam,cibisque eius asperitatem nulla vnquam infirmitas frangeret.His imbutus exemplis in solitudinem secessit, tantáque præditus sanctitate,vt vbiq; latebras quæritās,nusquam latēre potuerit, miraculis vim semper prodentibus:vsque adeò quidem adisse aliquando Antonium,& cum Antonio fuisse,iuuit. Hoc ita nonnunquam vsuenire, & propheta disertissimè testatur,dicens: Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris,& cum peruerso peruertēris.Marul.lib.3.cap.7.

Bernardi abbatis Clareuallensis SOROR,dum fratrem visitat,mundum cōtempsit.Ornata multo cum fastu ad monasteriū venerat, aditu prohibita est.Causa cur repelleretur cognita,lugens pro forib.stetit.Et,Peccauit(inquit)sed pro peccatorib⁹.Christ⁹ mortuus est.Si delinquentē despicis,ne despicias corrigi volentē.Admissa audiuit,quātæ vanitatis esset ille ornatus, quo caro mox in terram cessura,& in putredinē resoluēda, comitur,decoratúrque.Tunc domum rediens,impetrata à viro cui tradita erat coniugij solutione,religioni sese addixit.Ac tanto deinde Deo seruire cœpit humilius,quanto ambitiosius antè seruierat mundo. Magnum profectò fuit, virentis adhuc ætatis & liberalis formæ fœminam tam citò contempsisse vestem sericam,inaures,monilia,armillas,mitras, reticula, crepitulum, discerniculum, speculum, strophea, anulos,gemmas,margaritas,vniones,aureáque segmenta,& cum vnguentis labaciariscos,multáque alia muliebris insaniæ fomenta. Sed longè maius fuit, iuuenem reliquisse maritum, nuptialisque thori illecebras, & omnem carnis lasciuiam sepositisse.Cuncta hæc fecit illa,postquam locuta est cū fratre.Vis etenim quædam inesse solet confabulationi sanctorum, quæ interdum(quamuis dura)peccatorum corda frangit,macerat,emollit, ac prorsus à vanitatibus resipiscere cogit.Ibidem.

IN BELLO, TAM AB HOSTIBVS QVAM *ab amicis & sociis bellicam disciplinam discere.*

DOMINVS in terra sancta multas gentes infideles Chananæorum ab Israelitis relinqui voluit,& non excindi:ne ab hoste externo securi, in se mutuo arma veterent:sed haberent,quorum perfidiā metuentes,in officio veráque religione & bellica fortitudine persisterent.Iudic.3.

LYCVRGVS legem tulit: Aduersus eosdem, ô Lacones, ne crebrò bellum geratis,ne belligerandi rationem vsumque hostes doceatis, Polyæn lib.1.

Agesilaus,cùm assiduè belligeraretur aduersus THEBANOS, ac in prælio quodā vulnus accepisset,Antalcidas,vt fertur,ait:Præclara doctrinæ tuæ præmia recipis à Thebanis,Agesilae:quos quū nec vellēt bellare nec scirēt bellare docueris. Nā aiunt,reuera Thebanos crebris Lacedæmoniorū aduersus ipsos expeditionib⁹ multo bellicosiores esse factos,q̄ antea fuerāt. Eóq; Lycurgus ille priscus legum conditor,in legibus quę vocantur Rhetræ,veluti dicas oracula à diis profecta,vetuit,sæpius eosdem bello lacessi,ne hostes vsu bellare discerent. Plutarch. in Apoph.& Brusonlib.2.cap.23.qui pro Antalcida,Androclidam legit.

SEMIRAMIS, quæ à Nino rege postea in matrimonium recepta est, priuata adhuc, habitúque ignobili ad Bactrianum bellum profecta, vt cum viro esset, vna omnium monstrauit regi, quomodo cum hostibus breui debellari posset.Quo virtutis rudimento reginæ nomen adepta, post viri interitum(nam & hoc quoque traditur,quia filio admodū adolescenti perquàm similis esset statura,& oris lineamento) hunc virili habitu & effigie mētita,regnum à Nino relictum non solùm tutata est, sed maiorem in modum auxit,latéque propagauit.Sab. lib.4. cap.8. & Iustinus lib.1.& Diodorus lib.3.

P.SCIPIO Nasica Carthaginem excindi dissuasit,Catoni sese opponens,ne securi Romani virtutis studium relinquerent.Vide tit. Prudentiæ in conseruanda fortitudine suorum.

Q.METELLVS consul,quamuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet:maluit tamen eum in ordine merere,ne filium plus æquo amare diceretur.Frontinus lib.4. ca.1. Strata gematum.

P. RVTILIVS consul Cn. Manlij collega, cum secundum legesin contubernio filium suum posset habere,ni legione tamē militem fecit.Ibidem.

C.IVLIVS Cæsar,cum in Hispania quæstor, Gadibus Alexandri imaginem conspexisset,grauiter suspirauit : cogitans ea ætate,qua Alexander Asiam penè totam subegerat.se nondum præclaram rem vllam gessisse.Fulgos. lib.8.cap.15.

EDVCATIO SIVE INSTITVTIO LIBERORVM
sub parentibus,in Ethicis virtutibus vitiosa.

Consule titul. Nimiæ indulgentiæ parentum erga liberos.

BLASPHEMVS in eremo lapidatus fuit,filius mulieris Israelitidis, de viro Ægyptio generatus. Malorum enim filij malè frequenter instruuntur.Leuit.24.

CONTVMAX filius & proteruus,& parentum imperio obedire cōtemnens,præcipitur à Deo esse per populum lapidari.Deut.21.

HELI sacerdos, quia filios suos lenius quàm debebat reprehenderat,vnà cum filiis grauiter à Domino punitus est.Quid ergo de illis,qui filios suos omnino non corripiunt,sed incitant potius ad omne malum verbis & exemplis?primo Regum septimo.

PROCLVS Naucratita vsque adeò indulgens in filium fuit,vt in alendis canibus auibúsque adesset:dictitans,has nugas eum citius cum senibus dimissurum,quàm cum æqualibus.Philostratus.

Crates Thebanus,Cynicus,cùm in editissimum vrbis locum ascendisset:Quorsum ruitis HOMINES, inquit,qui omne studium in pecuniis collocatis:filiorum verò,quibus eas relinquatis,nullam curam habetis? Plut.in lib.De educ.lib.

LOCVPLES quædam mulier cùm vnicum filium nimis indulgenter educasset,fur factus filius,& ad crucem ductus, vidit matrem: cum qua cùm secretum petiisset colloquium,os prębēs matri,nares matris dentibus auulsit,atque in humū expuens,alta voce dixit:Sit hoc,ciues, preciū maternæ educationis. Discant igitur matres aliæ honestè suos educare filios.Exemplum hoc à materna auia sua sæpe recitatum fuisse testatur Pontanus cap.9.de Liberalitate.

EDVCATIO SVB PRÆCEPTORIBVS VITIOSA.
Præceptores in Ethicis mali.

APud Lacedæmonios est eiusmodi lex: Si quis adolescens in deliciis habitus peccasset,concedebant aut morum simplicitati, aut ætati iuuenili:amatorem verò eius pœnas luere cogebant,volentes arbitros eos & inspectores esse omnium quæ isti facerent.Ælianus lib.3.Var.hist.

LEONIDAS præceptor Alexandri fuit cum Lysimacho:quorum negligentiæ multi temulentiam Alexandri adscribunt, quòd adulari magis,quàm regem instituere viderentur.Plutarchus.

ARCHILOCHVS iambographus scripsit, satius esse clypeum abiicere,quàm interire. Vnde & Lacedæmonij suis eum finibus iusserunt excedere.Rauisius.

CATINVS, SOTADES, PHILÆNIS, de variis modis concubitus scripserunt.Vide tit. Modus Veneris libidinosus. Item tit: Poetæ impudici.

SYBARITA quidam puerorum moderator (quod genus hominum non secus quàm reliqui Sybaritæ,luxu diffluebat)cum puer quem ducebat,per viam in ficum incidisset,& fustulisset, vehementissimè eum obiurgauit:atque ipse rapto quod inuentum erat,deuorauit. Cum id legerem in Sybariticis historiis,facere non potui quin riderem.Idcirco verò memoriæ prodidi,quòd non inuideo cæteris etiam materiam occasionémque ridendi.Ælianus lib.14.Var.hist.

ROMANI Alcæum & Philiscum Epicureos ex vrbe eiecerunt, quòd multarum flagitiosarúmque libidinum autores essent, & voluptatibus contra rationis præscriptum indulgerent.Id etiam fecerunt. MESSENII, qui Epicureos vrbe expulerunt, ne aliorum vitam turpissimis moribus inficerent.Ælian.lib.9.Var.hist.

SENECA præceptor Neronis,eius ferè vitiorum magister fuisse dicitur:non tam quòd illum ad ea incitaret,quàm quòd sponte currētem non refrenaret.Vide tit.Inconstantiæ Ethicæ.item,Adulatorum.

EXERCITATIONIS SVBSIDIA.

CONTEMPLATIONI PRACTICÆ DEDITI.

Contemplationem practicam à theorica distinguimus,quòd alterius finis est cognitio,alterius verò actio. Atqui vt theoria suam habet praxin,sta vicissim praxis suam habet theoriam:à fine autem fit denominatio. Practica igitur contemplatio ad conuersationem & societatem hominum tota refertur:conuenit cum theorica contemplatione,quòd sola mentis)illius scilicet,quam practicum intellectum nominant) agita-

tione perficitur, & à conuersatione hominũ tantisper se subducit, donec ea quæ vel Reip. vel œconomiæ conducibilia sunt, inuenerit. Et inuctione quidem ipsa quatenus ingenij natiua quadam bonitate nititur, inter naturæ adiumenta referri debet: quatenus verò studio, labore & industria animi laudabilem habitum, prudentiam nimirum, exercet, sic præsentis loci propria est. Exempla igitur eorum qui solitudinem amarunt, vt cum laude aliquando in cœtus hominum tam publicos quàm priuatos descendere possent, nunc afferemus. Plurima ex tit. Legislatorum & Prudentiæ in legibus confirmandis ac persuadendis mutuanda erunt.

Homerus AGAMEMNONEM suum passim à virtute commendat: tum etiam à vigilantia, & nocturnis cogitationibus, toti exercitui profuturis. Sic Iliados κ de eo scribit:

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ.
ἀλλ' οὐκ ἀτρείδην ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Eandem quoque ob causam idem Homerus somnia diuinitùs Agamemnoni immitti scribit, vt innuat, ne in somnis quidem boni principis animum quietum esse posse, quin de iis quæ ad salutem Reip. pertinent, consultet.

PERICLES Atheniensis conuictum & conuersationem hominum fugit, non aliam opinor ob causam, quàm vt salubriores Reip. cogitationes aleret, quas alioqui importuna populi conuersatione plurimum corrumpi sentiebat. Idem consilium secutus Demosthenes, studiis totus deditus erat, raro, & non nisi coactus prodibat. Rectè quidem ille, & salubriter Reip. consuluit: sed auaricia tandem victus, séque suósque perdidit.

NVMA Pompilius priuatus adhuc, in agris plurimum fuisse traditur, deorum lucis & nemoribus inambulans, omnis humani cultus negligens, procul ab omni consilio conuentúque mortalium agens: vnde opinio illa orta, familiariter eum Egeria esse vsum Nympha. Non itaque odium hominum, sed religio quædam, discendíque cura secretum illud Pompilio peperit, virtutis opinio regnum astruxit. Sab. libr. 2. cap. 2. ex Plutarch.

P. SCIPIO Africanus, antelucanis horis in Capitolium ascendens, in templo Iouis opt. max. prius contemplabundus sedebat, quàm in senatũ descenderet, vt ea quæ Reip. salutaria essent, deorum prius pace implorata, inuenire, & patribus proponere posset. Itaque non immeritò Iouis filius creditus est: dicerèque solebat, nunquam se minus solum esse, quã cum solus esset. Ab hominibus seiunctus, deorum fruebatur colloquio.

CAROLVS V. Imperator, rerum gestarum gloria celeberrimus, non tam alieno quàm proprio fidens consilio, antequam quicquam aggrederetur, diu multúmque prius deliberabat: in publicum non prodibat, neminem ad se intromittebat. Quo ipso effecit, vt non prius eius consilia deprehenderentur, quã in opus deducta essent. Huius prudentiæ ignarum vulgus, sæpius aut mortuum, aut animam iam agere Imperatorem somniauit.

STVDIVM IN EXERCITATIONE PRActicarum virtutum.

EXTRA BELLVM.

VESPASIANVS senior, Romanorum Imperator, grauiter febricitans, cum increparetur à medicis, quòd morbo correptus, nihil de quotidiana victus ratione immutaret, faceréque omnia quæ ad principatũ spectarent, respondit: Imperatorem stantem mori oportere. Xiphilinus in eius vita. Idem etiam Turbo præfectus prætorio dixisse fertur, apud Xiphilinum in vita Adriani.

IN BELLO, MILITARIS DISCIPLINÆ *exercendæ & conseruandæ studium.*

Consule tit. Illustrium victoriarum. Nam vt in cæteris omnib. ars plurimum potest, & veluti regula est rerum agendarum, ita etiam in bello.

PERSARVM reges cursus & pugnæ diuersa dona militib. proponebant, ne in castris desides & ociosi, animi robur amitterent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

AGESILAVS ne exercitus vndique collectus aduersus hostium vim, & potentiam ocio torpesceret, exercitationis & virtutis cuiusque præmia proposuit, leuibúsque præliis experiundo assuefecit. Idem.

ALEXANDER Macedonum rex, ne ocio milites lasciuirent, & inertia emollirentur, certantibus virtutis præmia chiliarchas dare solitus erat. Idem.

PHILOPOEMEN Megalopolitanus non existimabat decere fortem ducem phalangem præcedere: sed nunc apud primos, nunc apud postremos, aliquando etiam per medios obequitare, & omnes inspicere, vt si quod peccatum, aut nõ ritè administratum esset, corrigeretur. Polyæn. li. 6. Hoc etiam reipsa præstitit. Tantum enim abfuit vt ociosus aliquando fuerit, vt cùm solus iter faceret, aut deambularet speculabundus, occurrentium locorum situm contemplaretur, semetipsum explorans: Quid si tibi ductanti exercitum, fiat hic tibi hostis obuius? aut à lateribus repentè velut ex insidiis consurgat? qua figura aciem instruas? continendus miles, an illico signa inferenda? & si tenendus, quomodo præsidiarios loces? aut subsidia disponas? Fecit eiusmodi meditatio, vt in præstantissimis Græciæ ducibus sit demum Philopœmenes celebratus: quo vita fũcto, nullum amplius Græcia præcellentem ducem emisit. Sab. lib. 2. ca. 9.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm quidam inter pocula quærerent, Vtrum Antigenidas, an Satyrus melior esset tibicen? Mihi sanè, dixit, præstare videtur dux Polysperchion: innuens, quæri oportere non inutilia, sed necessaria. Vsque adeò ne in conuiuiis quidem aliud quàm arma meditari patiebatur.

Disciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ ROMANO imperio peperit: & multarum vrbium, magnorum regum, validissimarum gentium regimen largita est. Fauces Pontici sinus patefecit. Alpiũ, Taurique montis conuulsa claustra tradidit, ortúmque è parua Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

M. FVRIVS Camillus iam senex, grauia & periculosa obiuit bella, nõ minori consilio & constantia, quàm cum integra fuit ætate. Sabel. lib. 1. cap. 7.

P. SCIPIO Nasica, licet in hybernis classis vsus non esset: ne tamen desidia miles corrũperetur, aut per ocij licentiam socus iniuriam inferret, naues ædificare instituit. Frontinus lib. 4. cap. 1.

IDEM Catone Censorio delendam esse Carthaginem suadente, solus restitit. Futurum enim asserebat, vt potentis hostis metu liberati Romani, vel ocio & ignauia torpescerent, vel in se mutuò arma conuerterent. Quod non multo pòst euersa Carthagine euenit. Tribunitiis enim Gracchorum furoribus coortus, bellorum ciuilium seminaria iacta fuere.

BRVTI & Cassij exercitus, memoriæ proditum est, bello ciuili, cum vnà per Macedoniam iter facerent, priórque Brutus ad fluuium, in quo pontem iungi oportebat, peruenisset: Cassij tamen exercitum, & in efficiendo ponte, & in transitu maturando præcessisse. Qui vigor disciplinæ effecit, ne solùm in operibus, verùm etiam in summa belli præstaret Cassiani Brutianis. Frontinus lib. 4. cap. 2.

SERGIVS Galba in grauissimis bellis seuerissima disciplina erga milites suos vsus est: adeò vt simulatque venisset in castra, protinus vulgaretur ille Trochaicus: Disce miles militare: Galba est, non Getulicus. Eras. lib. 8. Apoph.

SEVERVS Imp. symbolum tribuno dari iussit, Laboremus. PERTINAX ad imperium ascitus dederat, Militemus. Huic placuit belli omen, illi pacis. Sublato namque bello, reditur ad agricolationem & opificia. Ocium in pace delicias alit, & omne flagitiorum genus. Ælius Spartianus. Ex epistola Aureliani Augusti ad Tribunum suum scripta, vetus militaris disciplinæ ratio comprehendi potest, quæ talis est: Si Tribunus esse vis, aut potius si tibi vt viuas curæ est, fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum accipiat, alienam ouem tangat, ab aliena vinea vuam decerpat, aliena sata calcet, oleum, salem ac ligna petat, taxato ei commeatu contentus maneat: prædáque hostium, non lacrymis subditorum alatur: nitida habeat arma, ferramentáque omnia parata teneat, calciamenta sint firma, veterem vestem noua excludat, stipẽdiúmque eius in baltheo, & non in culina maneat: torquem, armillam atque anulum ferat: equum suum maiorem ipse perfricet, animal ex hoste captum non vendat. Mulum qui eius ac comitum impedimẽta gerit, diligenter curet. Mutuò sibi milites vt serui auxilio sint, à medicis sine præmio curentur. Aruspici & sagis nihil dent, honestè in statiuis suis viuant, & qui rixabitur, vapulet. O miram disciplinam, nõ modò antiquis militibus, sed religiosis quoque viris dignam. Fulg. lib. 2. cap. 2.

MAXIMINVS senior priusquam ad imperium conscenderet, sub Alexãdro militans, quinto semper die in armis exercitum educebat, militaríque more quotidie currendo atque luctando exercebat. Ipse quoque quanquam iam grandis natu, campestrium exercitationum labores cum aliis militibus subibat. Fulg. lib. 2. cap. 2.

Tantum erat apud GERMANOS veteres armorum studium & amor, vt nunquam vel ad consilium, vel ad diem festum nisi armati conuenirent. In consiliis autem assensum suum armorum crepitu declarabant. Itaque mirum videri non debuit, si diu suam libertatem seruauère, qui tum demùm à Romanis bello victi sunt, cùm per discordiam, qui virtute non cedebant, impares facti fuerunt. Fulg. lib. 2. cap. 1.

EIVSDEM RESTITVENDAE STVDIVM.

METELLVS cùm exercitum in Africa, Iugurtino bello nimio Spurij Albini indulgẽtia corruptum accepisset, vt omnia ad pristinam disciplinam reuocaret, lixas è castris statim submouit, cibúmque coctum venalem proponi vetuit, in agmine neminem militum ministerio seruorum iumentorúmque vti passus est: sed arma sua, & alimenta quisque ferre cogebatur. Castrorum locum subinde mutauit, &c. Qua continentia restituta, crebras victorias & multa trophæa ex Iugurtha sibi peperit. Plin. cap. 62. de viris illust. Frõt. lib. 4. cap. 1. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

ÆLIVS Hadrianus imperator, militari disciplina valde corrupta, in Germaniam proficiscens: etsi in pacato erat, tamen haud secus quàm si propinquus esset hostis, milites exercuit, Tabernacula frondibus facta, aut in subterraneis locis ad minuendam caloris vim inuenta subuertit: atque vt ex ipsius patientia ferendi laboris exemplum alij haberent, interdum pedibus viginti passuum milia peragebat. In propatulo vescebatur, lardo caseóque tantum instructa mensa: nec potaturus alio vino quàm posca siue lora, vtebatur, quemadmodum antea Scipiones Marcellique factitárant: vt aliorum seuerus esse reprehensor posset, exemplóque suo ferendi laboris excusationem adimeret. Magno enim ingenio perspexit, nõ minus delicatioribus cibis corporis atque animi vires, quibus militaris consistit virtus, quàm intẽsiore febri humana corpora frãgi: quia experimento Hannibalis didicit, Carthaginensis exercitui plus Campanas delicias quàm ingentes in Alpibus niues, aut Apuliæ feruidos nimium offecisse soles. Fulgos. lib. 2. cap. 2.

IDEM in cæteris quoque expeditionib. non modò ea quæ ad vniuersum exercitum pertinent (vt sunt, arma, machinæ fossæ, aggeres, &c.) sed etiam qualis sit cuiusque, & militum & ducum ipsorum vita, statio & mores, diligenter animaduertit: mores indulgentia deprauatos correxit, ad omne genus pugnæ milites exercuit, atque omnem militarem disciplinam eos docuit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

ÆRIVS patricius ex Mœsia prouincia, vir inter suos genere satis celebris, inter Romanas legiones ascitus, illustris & clarus statim in primis euasit: patriciúsque Romanus ab Honorio factus, disciplinam militarem penè collapsam, omnem restituit. Vandalos, Alanósque in Romani Imperij fines irrumpentes, sæpe à sese victos, domi quiescere docuit. In Hispania contra eosdem præclaras res gessit: sed quod maximè omnium memorabile sit, sua hac disciplina Attilam ipsum cum quingentis armatorum milibus in Gallias irrumpentem Catalanicos ad campos, ingenti sua cum laude memorabili prælio vicit, Imperij Romani maiestate hac tam insigni pugna conseruata. Non possum tamen hoc in loco non in illius laudem (tametsi extra rem ipsam) hoc attexere, à Valentiniano principe ingratissimo cæsum esse: quasi verò Imperium affectare sibi videretur. vt celebre responsum militis cuiusdam, qui interrogatus à Valentiniano, vtrum iure cæsus sibi videretur? respondit: Hoc quidem nescio, cæterùm id tibi affirmarim, tua te sinistra manu dexteram tibi amputasse. Egnatius lib. 2. cap. 2.

ALBERICVS Cunij princeps, Italici verè sanguinis, veterem disciplinæ militaris gloriam Italiæ ante ducentos annos (cum antè per 500 ferè annos externo tantùm milite res ageretur) ita reddidit, vt pulsis fugatísque ex Italiæ finibus externis omnibus, vetus illa Romani populi indoles sit per eum restituta: vnde Sfortianus Braccianúsque miles, vnde tot clarissimi Imperatores, Franciscus Sfortia, Nicolaus Picininus, & inueniri alij per ea tempora, postremò verò Bartholomæus Coleo, Fridericus Vrbinas dux, Robertus Santo Seuerinas, ætate verò nostra Nicolaus Petilianus floruerunt. Egnatius lib. 2. cap. 2.

ALBERICVS Barbianus primus fuit inter recentiores, post Albericum, qui Italicos homines, iampridem militaris omnis rei expertes (cũ externo milite in terra Italia omnia bella gererentur per multos iam annos) ad veterum laudem reuocarit. Ibidem.

IN EXERCITATIONE PRACTICA PERFECTI. *Virtutis quisque suæ optimus magister.*

In Theoricis & Mechanicis, artis quisque suæ optimus est artifex: in Ethicis verò, illius virtutis, in qua sese diu quis exercuit, optimus erit magister. Est enim virtus ipsa, habitus animi Ethicus: vti ars habitus est Theoricus.

Iupiter apud Homerum in Iliade, VENERI à Diomede percussæ: Nõ est, inquit, ô mea filia, muneris tui, tractare res bellicas. Fortis Mars, atque strenua Minerua, bella meditabuntur, tu verò tracta interim res vxorias, amatoriásque. cole amores, amplexus, oscula, &c. Homerus lib. 5. Iliad.

PYRRHVS rex audiens quendam promittentem, se traditurum ei aciei instruendæ artificium, qui tamen in acie nunquam fuerat: dixit, Nõ opus esse sibi imperatore, vel belli duce, cuius aures tubę sonus nunquã circumierit. Stob. ser. 52.

EVDAMIDAS, cum philosophus quidam solum sapientem bonum esse imperatorem asseruisset, dixit: Mirabilis quidem oratio est: is verò qui loquitur, nũquam classicum tubæ sonum expertus. Stobæus serm. 52.

COR. RVFFINVS vir bellicosus, verùm rapax, consulatum opera C. Fabricij contra multos alios viros quidem probos, sed belli imperitos, obtinuit: qua se rapinis imminui, quàm venundari malle asserebat. Fulgos. lib. 6. cap. 2.

Cùm HANNIBAL in Chalcide apud Anthiochum Asiæ regem esset, atque coram eo Phormio philosophus, vt doctrinæ magnitudinem ostentaret, variis de rebus copiosè disseruisset: postremò eò descendit, vt de militari arte loqueretur. De qua cùm permulta dixisset, Antiochus ingenij & facundiæ magnitudinem admiratus, posteaquam hominem laudauit, ad Hannibalem conuersus, qui silebat, quæsiuit, Quid ei de Phormione videretur? Subridens Hannibal, liberè respondit: Multos se senes deliros vidisse, sed neminem qui Phormione magis deliraret. nã, cùm ne tubarum quidem clangorem vnquam exaudisset, aut stringi gladium vidisset, se præsente de militari scientia loqui ausus esset, qui quindecim annos graui bello Romanos vexasset, tótque eorum exercitus ac Consules occidisset. Prudenti responso illo ostendit, non omnes omnia scire, solísque rerũ magistris, de illis quæ ipsi sciant, credendum esse, præsertim in arte bellica, quæ solo experimento comparatur. Fulg. lib. 8. cap. 13.

MICHAEL Attendulus, Venetarum copiarũ dux, Francisco Sfortia Mediolanẽsis populi militari duce, Carauagiũ obsidẽte: cùm Veneti legati, siue, vt vulgò vocant, Prouisores, cũ ad serendã obsessis opẽ hortarentur, eis respõdit: Longè satius esse Carauagiũ amittere, quàm temerè cũ hoste manum conserere. Itaque cùm legati omnino vrgerent, vt opẽ ferret, prius ex scripto obtestatus est, se id facturũ, quia iubebatur, & non quòd ita agi debere sentiret: rationésque attulit propter quas, si præliũ iniretur, necessariò Venetæ copiæ superarẽtur: contrà autem, si cunctãdo abstineretur à prælio, vtilius Venetis consultum iri. Itaque cùm coactus esset dimicare cum hoste, Venetus exercitus, vt prædixerat, superatus fuit: ipse autem Venetias profectus, ex ijs quę antè ex scripto prędixerat, eam cladem excusauit. Ex quo, eius sententia viri prudentis fuisse, & qui longo experimento rectè militarem artem calleret, iudicata est: cùm apertè ostendisset, homines armis insuetos, quanquam fieri posset vt in cęteris saperent, præsepe bellicis in reb. errare. Fulg. lib. 8. cap. 13.

IMITATIO PROBA VEL PARENTVM, VEL PRÆCEPTOrum, vel quorumuis aliorum, in virtutibus Ethicis.

Cùm in omni imitatione Conuersatio requiratur, & eo potissimùm imitemur quibuscum conuersamur (nam cum bono bonus, cum malo malus eris, iuxta vetus prouerbium) hi autem sint tum præceptores, tum parentes: non ab re esset, illorum exempla recensere, qui parentes & præceptores feliciter sunt imitati, aut etiam superarunt. Quo in loco nobis exempla occurrent eorum qui humili loco nati, clari euaserunt. Verùm quia non solius ingenij humani solertia aut ignauia, sed fortunæ quoque varietas plurimum in huiusmodi casibus potest (fortunã autẽ intelligo causam occultam atque diuinam, quæ à Theologis prouidentia appellatur) idcirco ne ea quæ eiusdem ferè naturæ videntur esse disiungamus, ad Fortunæ titulos hæc omnia relegabimus. Nunc tantùm de Practica imitatione agamus. Ad quem locum tituli Institutionis & Educationis Practicæ referri possunt. Quatenus enim Principes, parentes, præceptores, suis exemplum quod imitentur præferre debent, sic ad superiorem titulum referendi sunt: quatenus verò subditi, filij, discipuli, eos imitantur, ita præsentis erunt loci. Consule tit. Consilijs bonis aliorum parere.

NOACHI posteri, patrem suum imitati, summo studio in propaganda gente per totum terrarum orbem flagrarunt. Ex nulla vnquam regione domóue tot coloniæ, aut plures in colonias missi leguntur, quàm ex ea terra quam Noe & illius successores post diluuium tenuère. Nulla propemodum regio est in terris, quæ aut non primùm sit ab his culta, aut recenti cultu non instaurata. Sab. lib. 3. cap. 9.

MACHABÆORVM domus nil habuit antiquius, quam Hebraicæ gentis cultum, & pietatem à maioribus acceptam tueri. Hinc certamen illud perpetuum cum Syriæ regibus & finitimis gentibus, per tot vnius familiæ duces multis & variis cladibus distractum, vt penè plures duces domus vna tulerit paucorum annorum spacio, quàm omnibus ætatibus vniuersa Iudæa habuerit. Ibidem.

VLYSSES ab Homero πολύτροπος dictus fuit, quòd versatili ingenio esset, omniúmque moribus sese accommodare posset. Quam quidẽ ποικιλότητα. Theognis commendat, inquiens:

πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
τῇ προσομιλήσει, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, ποτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνου,
κραιπνόν τοι σοφίη γίγνεται εὐτροπίης.

Imitandi sunt mores eorum quibuscum versamur, quantum recta ratio permittit. Oderunt enim hilarem tristes, tristém que iocosi. Itaque vir bonus quo ad honestatis studium, idem semper sit: at pro varietate personarum, quibuscum versatur, alius atque alius esse debet.

THESEVM Ægei F. Hercules virtutis gloria occultè vrebat, ciúsque gesta dormienti obuersabantur. Itaque vix decimumsextum annum ingressus, latrones Peripheretem & Sinnim vicit, huiúsque filiam Perigunè fide data in vxorem accepit. Vide Plut. in eius vita.

ÆGYPTIO regi, peracto sacrificio, sacerdotes quotidie hominum, qui virtute excelluissent, exempla legebant: ac deinde præsentis regis laudatis virtutibus, ante omnia clementiam eius extollebant. Fulgosus lib. 2. cap. 1.

Lacedæmonij vitæ inculpatæ exemplo pueros suos docebant. Nam cùm admonerent adolescentes, vt temperantiam discerent: plurimum conducebat, vt viderent senes ipsos quotidie temperanter vitam agere. Cùm traderent præcepta parendi magistratibus, multum conducebat, vt seniores intuerentur magno studiò parére magistratibus. Eosdé cùm docerent, vt cibi potúsque continentiam seruarent, admodum iuuabat, quòd oculis cernerent senes non prius abire ventris implendi gratia, quàm principes permisissent, &c. Xenophon in Laconum repub. Stob. ser. 42.

IDEM pueros suos, iuxta Anacharsis & Platonis consilium, in conuiuia vinolentorum hominum ducebant, vt temulentiæ turpitudinem intuentes, quasi pertæsi ignauiam, à vino & luxu promptius abstinerent: ac tum tetri aspectus, tantique dedecoris non solum pigeret, sed etiam puderet. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 23. Aut, vt Campofulg. lib. 2. cap. 1. refert, in conuiuia sua temulentum aliquem seruum inducebant, eodem consilio.

IDEM in conuiuiis, virorum virtute excellentium laudes, & ignauorum sordes ac dedecora contemptúsque decantabant. Fulgos. lib. 2. cap. 1.

ALCIBIADES Athenienſis in illud sibi & patriæ intempestiuum exilium compulsus, Lacedæmonem se contulit, vbi suprà quàm dici possit, celeriter ad Laconum morem transiliit, vt Spartiatarum vnus, non Atticorum crederetur. Sed in hoc minus mirum. fuit enim (vt fertur) vario ingenio, nec ad rem vnam tantùm idoneo, in quo chamæleontis natura imitatrix omnium propè colorum exprimeretur. Plut. in eius vita.

ROMANI paulo post Numam adeò parci fuére, vt non minus crimini darent, indomitas cupiditates non refrenasse, aut paternam non seruasse frugalitatem, quàm maiorum facultates largitionibus abligurille. Multi igitur oleribus leguminibúsque contenti, absque esu carnium sæpe victitarunt, documenta frugalitatis & abstinentiæ insignem memoriam posteritati exhibentes Alex. Ab Alex. lib. 3. cap. 11.

Apud EOSDEM, maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius, quid etiam vilius certamine? Pubertas canis suum honorem reddebat: defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam fauoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricij, per quos res Romana ita fuit aucta, vt vniuerso orbi imperaret. Val. Max. lib. 2. cap. 1, Cic. lib. 1. & 4. Tusc. quæst.

Apud MASSILIENSES à condita vrbe gladius est, quo noxij iugulantur: rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio: sed index, in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis monumenta seruanda. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Fuit diu FRANCORVM regum domus Rom. Pontificibus profugii. Nulli Christiani nominis reges impensius fauerunt Apostolicæ sedi, quã Pipinius, & Pipini Carolus filius, qui Magni cognomen tulit. Eius posteri res Pontificum pronas in lapsum, ne ruerent, sæpius texerunt, aut maiore studio erexerunt afflictas. Sab. lib. 3. cap. 9.

ALPHONSVS, Aragonum & Siciliæ rex, numismata illustrium Imperatorum, & Cæsaris ante alios, per vniuersam Italiam summo studio conquisita, in eburnea arcula religiosissimè asseruari voluit: quibus, quum alia eorum simulachra iam vetustate collapsa non extarent, miriũ in modum se delectari, & tantorum virorum exemplo ad virtutem & gloriam excitari dicebat. Antonius Panormita lib. 2. de Rebus gestis Alphonsi: & Æneas Syluius de dictis eius.

LAVRENTIVS Iustinianus, Bernardi ex Quirina filius, mortuo patre, adolescens adhuc, videns matrem ieiuniis orationibúsque & eleemosynis vacantem, ferreáque catena audiens lumbos cinctam, nec interim disciplinam domesticam negligentem: maternæ pietatis æmulus, semper cum ea impubes adhuc agere, clámque sibi lectum sternere, virentiáque ligna pro molliore pluma sibi subiicere, donec vale dicto matri, secutus præterea vocem nocturnam, monasticam vitam cõplexus est, In qua sic claruit, sic excelluit, vt Patriarchali postea dignitate primò à senatu Veneto donatus, hodie inter diuos habeatur, Scriptis etiam testatus, quæ hodie extant, secutum sese veram pietatem, & matris exemplo, & Virginis pollicitatione, quæ per somnium illi occurrit, quæ sese pientiam Dei esse diceret. Egnat. lib. 5. cap. 4.

HIERONYMVS Olgiatus Mediolanensis, aduersus ducem Galeacíũ Sfortiam cum Carolo Viceconite & Andrea Lamponiano coniurauit, spe gloriæ accensus, quam tyrannicidas Bruti & Cassij exemplo, sequi sæpè à Cola Montano præceptore (quondam Galeacij pædagogo) audierat. Iouius in elogio Galeacij Sfortiæ.

IMITATIO PRAVA ETHICORVM VITIORVM.

Consule tit. Improborum conuersationem fugere. Item, Conuersatio malorum malos efficit.

PRIMI hominum, quoniam callidissimi serpentis colloquio vsi sunt, virulentis mortiferisque eius suasionibus sollicitati, à mandato Dei defeciuerunt: & amissa paradisi amœnitate, ad huius vitæ miserias redacti sunt. Hinc discitur, nequaquam miscendos esse sermones cum iis qui sibi videntur sapientes, & dedignati cum multis quæ vera sunt sentire, captiosis argumẽtorum sophismatibus peruertere fidelium simplicitatem moliuntur. Marul. lib. 3. cap. 7.

OCHOZIAS rex Iuda ambulauit in viis Achab, & fecit malum coram Domino. Sequitur causa: Genet enim domus Achab fuit. 4. Reg. 8. 2. Paral. 22.

MAGOS ab Oriente ad Christum in Bethlehem natum stella perduxit: sed tamen cum interim ad Herodem Hierosolymam diuertissent, latuit illicò, subtraxitque sese obturibus eorum. Cùm verò inde discessissent, rursum comparuit, & vsque ad locum quò ibant fideliter præcessit. Quid est hoc, nisi quia caligat in nobis rectæ rationis lumen, quamdiu illis iungimur, quos nebulę premunt vitiorum? Tũc niteſcit & exoritur, cùm his relictis, ad quærendum Deum cõuertimur. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Marul. lib. 3. cap. 7.

PETRVS apostolus, Christi amore inter omnes ardentissimus, tunc quidem refrixit, cùm atrium Cayphæ ingressus, impiorum hominum se implicuit colloquiis: compulsúsque est negare se illum posse, quem paulo antè Dei viuentes filium confessus fuerat. Corrumpunt itaque (vt Paulus ait) bonos mores, confabulationes pessimę. Et qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Ibidem ex Matth. 26. & Ioan. 18.

CADMI nepotibus naturali quodam modo & ingenitum fuisse videtur domesticum dissidium, ditúsque in suos sæuiendi furor: nulla vnquam regia tot sæuitiæ monstris conuulsa est: nulla sua ipsius iniuria atrocius afflicta, exilia, fugæ, præcipitationes, nocturni terrores, mutuæ cædes, tragici laniatus. Sensit demum frater nus rogus infaustæ stirpis genium, flammarum dissidio diritatem gentis testatus. Sab. lib. 3. cap. 9.

ÆGRI leuitas, in hospitali iure colẽdo, & fide hospitibus præstanda, ad nepotes quoque peruenit. Reliquit Æthram prægnantem Ægæus, Medeam expulit. Theseus huius filius Ariadnam domo abductam prodidit, Helenam raputt, Amazonem peremit: Demophoon, quem Theseus procreauit Phyllidem Thraciæ reginam relictam ad mortem compulit. Dubium, fato an consilio sit toties fides & amor ab vna familia læsus. Nulla (vt verè dicitur) domus aliquo contenta fuit exemplo. Ibidem.

IN ARSACIDARVM gente parum legitimè regnare credebatur, qui non ex incesto matris filiíque concubitu conceptus esset. Tantùm ritus móſve aliquis, quoquomodo receptus valet, vt quod apud alios nefas sit cogitare, non fecisse apud quosdam probro sit & ignominiæ. Ibidem.

Magnum & inexpiabile fuit BARCHINÆ domus in Rom. nomen odium, & quod nisi cum exitio & interitu finiri non potuit. Obiit Amilcar olim hostis Rom. populi, & mox futurus, si vita superfuisset: perierit Amilcaris filij hostes, atque omnium infestissimus Annibal, qui venenũ hausit, ne Romanum ferret. Sic aliquanto prius Sophonisba eiusdé gentis, fic Hasdrubalis vxor capta Carthagine: satius rata mortem cum filiis occumbere, quàm Scipioni cedere. Ibidem.

SPARTANA ciuitas seueriſſimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu ciuium suorum oculos à contemplanda Asia retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vitæ genus prolaberẽtur. Audierant enim lauticiam inde, & immodicos sumptus, & omnia non necessaria voluptatis genera fluxisse: primósque Ionas vnguenti, coronarũmque in conuiuio dandarum, & secundę mensę ponendę consuetudinem, haud parua luxurię irritamenta reperisse. Ac minimè mirum est, quòd homines labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patrię neruos, externarum deliciarum contagione solui & hebetari voluerunt: cum aliquanto faciliorem virtutis ad luxuriam, quàm luxurię ad virtutem transitum viderent. Quod eos non frustra timuisse, dux ipsorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, vt primùm se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suam effœminato eius cultu mollire non erubuit. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

ALEXANDRI Macedonis luxum familiares secuti sunt. Consule tit. Luxus in comitatu seruorum, &c.

ANTIOCHVS Syriæ regem luxuriosissimum milites imitati sunt, aureis clauis crepidas subnectentes, argenteáque vasa ad vsum culinæ comparantes, & tabernacula textilibus sigillis adornãtes. Valerius Maximus lib. 9. cap. 1.

SCYTHÆ paternorum institutorum studiosissimi, peregrinos mores tanto prosequuntur odio, vt Anacharsim philosophum (quamuis regio natum sanguine) Græco more in solitudine quadam Rheæ sacrificantẽ occultò, Saulius rex sagitta interfecerit. Præterea Scylem regem (qui à matre Istrina Græcos mores didicerat) eo quòd Dionysij festum apud Borysthenitas, clam suis, Græco ritu peregisset, regno pulsum & tandem à Thracibus proditum, vita priuarunt. Herodotus lib. 4.

PTOLEMÆVS Philippi, Amyntæ filij, filius reuera fuit, verbo autem Lagi (eius enim mater vterũ ferens, Lago à Philippo pro vxore data est) ostendit idipsum intemperans illius in mulieres amor, à patre quasi hereditarius. Cum enim Eurydicen Antipatri filiam vxorem duxisset, ex eáque liberos etiam suscepisset, Berenices nihilominus (quam Eurydicæ comitem in Ægyptum Antipater miserat) amore captus, filios ex ea quoque genuit. Ex iis Ptolemæum iam propè moriens, sibi regni successorẽ declarauit, à quo Athenienſibus tribus vna est. At hic etiam Ptolemæus Arsinoes germanæ sororis amore victus, eam sibi matrimonio adiúxit. Atque id non sanè ex Macedonum, sed Ægyptiorum, quibus imperabat, lege fecit. Pausanias in Atticis.

DIOGENES adolescenti formoso ad conuiuium eunti: Deterior, inquit, redibis. Reuersus à conuiuio adolescens, quum Diogeni dixisset, Iui, nec redij deterior: respondit χάιειν μᾶλλον, deterior igitur. Indicans fieri non posse, quin adolescens è luxurioso temulentóque conuiuio redeat deterior. Laert. in eius vita.

MASSILIENSES nullum aditum iuuentuti in scenam vel theatrum dederunt, ne obscœnos motus illic obseruantes, impudicitia lasciuirent. Alexander ab Alexandro, libro quinto, capite decimosexto.

ASPASIA, Pericles pellex, Thargeliam imitatur in corpore præstantissimis Græcorum vulgando. Vide tit. Pellicum.

Plato, Athenienſis philosophus, ADOLESCENTEM, quòd lusisset alea, grauiter increpuit. Qui quum dixisset, Sic obiurgas ob rem parnam? At parum nõ est, inquit, assuescere. Tale quiddam subindicat Demea Terentianus in Adelphis: Mitto rem, consuetudinem ipsorum. Laert. lib. 3.

APPIÆ familiæ gentile & hæreditarium fuit, Romanam plebem odisse: quo affectu imbuti principes eius gentis, tam contumaciter cum plebeiis magistratibus certarunt, vt ne rei quidem ad populum, subigi potuerint ex his quidam hortatu aut precibus suorum, vt ad inuidiam leuandam vestem mutarent. Sabel. lib. 3. cap. 9.

METELLOS suum non defecit studium & mos quidam, affectandi cognomine vel ex ignobili victoria. Hinc Numidici, Balearici, Cretici, Macedonici, in eadem familia appellationes: quæ si cum vna, quam ex Aphrica victa tulit Scipio, quam frater ex Asia, conferantur, etsi multa numero, facere non poterunt æquilibrium. Ibidem.

Proferentibus in medium, quòd Sylla dictaturam deposuisset, quum Cæsar perpetuam gereret, quod minimum aberat à tyrannide: respondit IVLIVS CÆSAR, Syllam nescisse literas, eóque dictaturam deposuisse. Dictant grammatici discipulis, quum præeunt aut recitant scribenda. Huc alludens, dixit illum nescisse literas. Erasm. 4. Apoph.

BARTOLVS in iudicandis reis seuerius admodum fuit. Andreas Barbatias causam eius affert, quòd Bartolus postquam 21 ætatis anno doctoratus gradum suscepit, iudex maleficiorum fuerit, & illic seueritatem diebus propter sententiarum pulchritudinem claruit. LACONES in hoc ipso philosophandi genere insignes fuerunt: illique Laconico dicendi charactere magnam authoritatem conciliabant, adeò vt Socrates apud Platonẽ Spartas recõditæ philosophiæ domicilium ausit asserere. Postea verò, ita vt fit, philosophiam hanc fastidire cœperũt, & physio-

IGNAVI IN ETHICA IMITATIONE.

Exempla pete ex tit. Eorum qui à parentibus claris degenerarunt.

DE HABITIBVS PRACTICIS:

Et primùm de iis qui vitæ actiuæ contemplationem continent, & Praxi Theoricæ student.

PRaxin theoricam appello, præcepta bene beatéque viuendi generalia, quorum finis est ipsa beatitudo. Quòd si præcepta spectes, Theorici vocabuntur habitus: sin verò ipsum finem, practici erunt. At quia ex fine habitus ipsi sunt dijudicandi, eam ob causam inter habitus practicos potius quàm inter theoricos à nobis referent. Praxis itaque Theorica sui ambitu comprehendit eos, qui quomodolibet ad virtutum Actiuarum doctrinam conducere possunt, siue per præcepta, siue per exempla. Præcepta intelligo, tum philosophica, quæ à philosophis in Scholis traduntur: tum politica, quæ quidem à legislatoribus proponuntur, à Iureconsultis verò explicantur. Exempla Historici in rebus gestis describendis persequuntur. Aristoteles in sexto Ethicorum νομοθετικὴν prudentiæ speciem facit, ipsam quinetiam legum interpretationem ad σῴζειν (quæ κριτικὴ φρονήσεως Theories existit) refert. Prudentis enim est, in ciuitate leges ponere, secundum quas ciues bene beatéque viuere possint. Eiusdem est, leges posse interpretari non ex iusto tantum νομίμῳ, verùm etiam ex æquo & bono. Si quis igitur particulares actiones inspiciat, prudentis proculdubio partes erunt, atque eædem Iustí: si verò vniuersalem rationem, præceptis certis comprehensam, sic cum omnium virtutum practicarum, addo etiam theoricarum, officia in se contineant, eáque dirigant (nam & Theologo, & Medico, & artium liberalium professoribus, quid agere debeant, vt munere suo in quotidiana vita rectè fungantur, Ethici philosophi & legislatores præscribere solent) non inepte, vt opinor, actiuis omnibus præponi poterunt, vti etiam præcepta vniuersalia particularibus exemplis dignitate priora sunt. Priore igitur loco Ethicos philosophos, legislatores, Iureconsultos, historicos edisseramus: ad actiones postea particularium virtutũ accessuri.

ETHICI PHILOSOPHI.

Ethicos vocamus, qui præcepta tũ œconomicè, tum politicè viuendi tradũt: & virtutis amore, non autem (vt legislatores) formidine pœnæ homines à vitiis abstinere cogunt. Rectè enim ille, qui interrogatus, quid nam eximium præ cæteris haberent philosophi, respondit: Vt etiam omnibus abrogatis legibus, iustè nihilominus sancteque sint victuri. Præclarè Horatius: Oderunt peccare boni virtutis amore (quos philosophorum præcepta instituunt:) oderunt peccare mali formidine pœnæ (quorum improbitatem & effrenes animos leges coercent.) Ethici autem dicti sunt ἀπὸ τοῦ ἤθους, quoniam virtutes & vitia, de quibus tractant, non ex sola theoria, sed ex praxi potius, quæ ἕξει, id est, consuetudine confirmatur, prouenient. Nam iustè & prudenter agendo, iusti & prudentes euadimus: & iusti redditi, iustè maximè agere possumus. Possunt etiam philosophi practici appellari, generaliori nomine, quoniam de omnibus virtutibus practicis, quæ in ἤθικὰς διανοητικὰς diuiduntur ab Aristotele, disputant, in vita tam œconomica quàm politica.

VETERES olim in iis quæ ad honestatem morum pertinent, occupatissimi fuerunt: & qui de virtutibus disputare poterat, sapientissimus habebatur. Cùm autem præcepta virtutum nondum perfectè inuenta essent: neque etiam logica adhuc reperta, cuius beneficio ad artem & ordinẽ præcepta ista redigerentur: breues tantùm viuendi formulæ & sententię circumferebantur olim, quas γνώμας & ἀποθέγματα appellabant, earũque authores vel deos ipsos (sic γνῶθι σεαυτὸν è cœlo decidisse fabulati sunt, & deorum templis hæc ipsa inscribebant) vel diuinos quosdam homines quos σοφοὺς esse dicique debere arbitrabãtur, constituebant. Tales fuêre septem illi Græciæ Sapientes, quorum plerœque sententiæ, propter quas hoc nomen sunt adepti, ad vitam practicam pertinent: de quibus sub titulo Sapientum egimus. Secuti sunt illos innumeri alij, poetæ præsertim Gnomologi dictiquorum, sub loco Poetarum, mentionẽ fecimus. Atque adeò vetus philosophia Ethica, mera Gnomologia fuit, vt Plutarchus in Thesei vita testatur: vbi etiam PITTHEVM Thesei diebus propter sententiarum pulchritudinem claruit. LACONES in hoc ipso philosophandi genere insignes fuerunt: illique Laconico dicendi charactere magnam authoritatem conciliabant, adeò vt Socrates apud Platonẽ Spartas recõditæ philosophiæ domicilium ausit asserere. Postea verò, ita vt fit, philosophiam hanc fastidire cœperũt, & physio-

logiæ totos ſeſe dediderunt,ad Socratem vſque.

ASPASIA rerum ciuilium peritiſſima,à Pericle adamata, à Socrate frequenter conſulta.Vide tit.Pellicum.

Magna pars SOPHISTARVM olim quæſtus cauſa, non eloquentiã tantùm,verumetiam Ethicam philoſophiam,ſiue(vt illi vocabant) Politicam profitebantur,&ſeſe virtutem docere poſſe affirmabant.Licet hoc ex Platonis dialogis,& Iſocratis orationibus colligere.

SOCRATES primus Ethicam philoſophiam è cœlo deduxiſſe,& priuatas domos ſubire coegiſſe dicitur.Nam cùm in contemplatione naturæ omnes philoſophos occupatos eſſe videret,vt ſcirent, non autem vt bene viuerent, aut benè viuendi pręcepta reliquis hominibus proponerent:incultam hanc philoſophiæ partem,fructuoſiſſimam tamen & humano generi vtiliſſimã,excolere cœpit:maiore conatu an fructu neſcio. Omnes enim qui poſt illum Ethica præcepta ſcripſerunt, ex illius fonte riuulos ſuos deduxiſſe,penitius inſpicienti videbũtur.Quales fuêre,SIMMIAS Thebanus,qui inter alia de fortitudine, de decoro, de eo quod eligendam eſt aut fugiendum,de amico, de honeſto dialogos ſcripſit. CEBES Thebanus,cuius Tabula,vitæ humanæ theatrum continens,adhuc extat.Laert lib.3.

Plato præclara multa de hoc genere philoſophiæ ſcripſit: & ea quæ à Socrate acceperat,mira felicitate ingenij elegantiſſimè excoluit.

SPEVSIPPVS Platonis ex ſorore nepos, de voluptate, de iuſticia de amicitia libros ſcripſit.Laert.lib.4.

XENOCRATES Chalcedonius,Platonis auditor,de continentia,de vtili,de libero, de voluntario, de modeſtia, de fœlicitate librum vnum ſcripſit.De amicitia duos,de prudentia totidem. Œconomicum vnum, de frugalitate vnum.Quòd virtus doceri poſſit,vnum.De iuſticia vnum, de virtute duos,de voluptate totidem,Politicum vnum, de fortitudine vnum.Laert.lib.4.

POLEMO Athenienſis philoſophus,Ethicę ſe totum dedit:vt qui turpiſſimam vitam in adoleſcentia exegerat,in ſenectute reſipiſcẽdo, alios quoque ad honeſtatem diſputationibus ſuis traduceret.Laert.

CARNEADES Cyrenæus,Chryſippi diſcipulus, Phyſiologia neglecta,Ethicæ præcepta ſequebatur Laert.lib.4.

ARISTOTELES inuentione præceptori ſuo Platoni ſi non par, nõ multo tamen inferior, methodo etiã ſuperior, Ethicæ philoſophiæ pręcepta reſolutiuo ordine tradidit:generalia primũ de principiis præcepta in libris Ethicorum Nicomachiorum,expoſuit:in libris autẽ Politicorum & Œconomicorũ principiata ſiue effectus declarauit.In quem nos Tabulas propediem in lucem edendas confecimus,quę non parum lucis huic noſtro Theatro afferent: & veluti rationem eorum, quos hîc hypotheticè alluminus, Titulorum explicabunt, Scripſit præterea in Ethicis particularia quædam,quorum catalogum pete ex Laert.lib.5.

THEOPHRASTVS Ereſius,Ariſtotelis auditor, inter cætera de fœlicitate librum vnum,de voluntario vnum ſcripſit:abbreuiationẽ Reip. Platonis duobus libris edidit:de voluptate vnum,legum ſecundum elementa XXIIII.Legum epitome 10.legiferorum tres,politicorum tres, politicôn ad tempora quatuor,ciuilium conſuetudinũ quatuor,de optima Rep.vnum,de amicitia tres, de liberalitate duos, de legibus vnum, de iniquis legibus vnum,moralia problemata vnum,Laert.lib.5.

STRATO Lampſacenus,Arceſilai F.Theophraſti diſcipulus,quamuis ob phyſicæ ſtudium Phyſici nomen meruerit, tamen in Ethicis quoque ſcripſit non pauca.De regno libros tres, de iuſticia tres, de magiſtratibus duos,de fortitudine,de felicitate,de iniuſto.Idem.

DEMETRIVS Phalereus,Theophraſti auditor,de legibus Athenienſium libros quinque ſcripſit,de ratione ducẽdi populum duos, de Rep. duos de legibus vnum,de magnificentia vnum.Laert.lib.5.

HERACLIDES Ponticus,Speuſippi & Ariſtotelis auditor, de iuſticia tres dialogos ſcripſit,de temperantia vnum,de pietate, de fortitudine,de virtute,de felicitate,de legibus vnum,de bono vnum.Ibidem.

ANTISTHENIS Athenienſis Moralia ſcripta pete ex lib. 6. Laert.

CYNICI philoſophi, quorum princeps Antiſthenes fuiſſe videtur, Logicam & Phyſicam tollunt, ſolique Ethicæ incumbendum eſſe arbitrantur.Diogenes itaque,teſte Diocle (quamuis alij hoc ipſum Socrati tribuunt)inquirendum eſſe dictitabat,

ὅττι τοι μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,

Laert.circa finem ſexti.

ZENO Cittieus Stoicorum princeps, de appetitu, de perturbationibus vel de vitiis,de officio,de lege ſcripſit, item commentaria moralia. Laert.lib.7.

CLEANTHES Aſſius,Zenonis ſucceſſor,libros ſcripſit de appetitione duos,de officio tres,de virtutibus,de conſilio, de legibus, de amicitia,quòd eadem ſit virtus viri & fœminæ,de voluptate.Ibidem.

CHRYSIPPVS Solenſis,Cleanthis diſcipulus,in Ethicis non pauca commentatus eſt.Vide eundem.

PYTHAGORAS Samius,quemcunque in ſuam recepiſſet amicitiam, ei ſymbola ſua communicabat,quæ χρυσᾶ ἔπη alioqui dicuntur,& hodie adhuc habentur.Latent ſub illis moralia præcepta,quæ in contrahenda & conſeruanda amicitia plurimum momẽti habent.Quòd ſi quem ſymbolis ſuis communicaſſe audiret,eum continuò ſocium & amicum aſciſcebat.Laert.lib.8.

PROTAGORAS Abderites,Democriti auditor,ſophiſta inſignis,de Repub.& de virtutibus ſcripſit.

EPICVRVS Athenienſis,inter multa quæ ſcripſit, etiam de perturbationibus,de iuſticia & virtutibus aliis commentarios reliquit. Laert. lib.10.epiſtolam illius recitat,in qua omnia illius Ethica dogmata breuiter explicantur.

LEGISLATORES.

Ariſt.in ſecundo Politicorum,multos legiſlatores recenſet,eorúmque inſtituta enarrat. Ex quibus alij reuera ciuibus leges preſcripſerunt: alij imaginatione tantùm eius Reip.quam optimam fore arbitrabantur,conſtitutionem ſcriptis tradiderunt: quemadmodum fecit Hippodamus Mileſius, & Plato in libris de Repub.

MOSES legiſconditor Pentateuchi, primus & tempore & ſapientia fuit:quem legiſſe,indéque plura hauſiſſe Platonem, Auguſtinus exiſtimat.Volat.lib.17.Anthrop.

Leges ISIDEM ſtatuiſſe ferunt,quibus iuſticia æquè omnibus ſeruaretur,vi atque iniuria pœna ſublatis.Qua de cauſa priſci Græci, Iſidem legiferam appellarunt,tanquam primam legum inuentricem. Diodor. Sic.lib.1.cap.2.de Reb.antiq.

CERES θεσμοφόρος,& legifera à poetis appellatur: eiúſque feſta Teſmophoria apud Athenienſes celebrabantur. Prima Ceres frumenti ſerendi rationem edocuit:quod quia ad vitam ſuſtentandam optimum & ſaluberrimum videbatur,vtilitate priuata moti homines, in vnum coire cœperunt,cauſa alimentorum:atque vt à beſtiis tuti eſſent,vrbes condiderunt.hinc eſt quòd Ceres turrita depingitur. At quia in multitudine hominum ordo neceſſariò requirebatur, leges ſunt inuentæ: quas etſi Ceres non dictauit,at certè tamẽ vt conſtituerent,occaſionem præbuit. Atteſtatur huic rei vox Græca.Νομοὺς enim vocant paſcua,νόμους verò leges.Paſcuorum certè & agrorum cauſa homines primùm conuenerũt.

Ægyptij ſua iura à MERCVRIO profecta eſſe iactitant. Ita plerique de domeſticis & propriis ornamentis gloriari conſueuerunt.Ælian.lib. 14.Var.hiſt.

MENAM poſt antiquam Ægyptiorum vitam, quam Deum heroúmque tempore fuiſſe fabulantur,tradunt perſuaſiſſe primùm Ægyptiorũ multitudini ſcriptis vti legibus.Diodorus Siculus lib.3.

SASOCHIS ſecundus apud Ægyptios legumlator fuiſſe dicitur, vir prudentia excellens:qui ad Deũm cultum religionémque multa prioribus legibus addidit.Geometriæque inuentor,eius artis præcepta incolis dedit.Ibidem.

SESOSTRES, Ægyptiorum rex tertius fuit,qui Ægyptiis leges traderet, qui ad rem militarem & belli munia plurima contulit inſtitutis ſuis.Ibidem.

VECCHORIS, rex quartus apud Ægyptios fuit legumlator, qui commercia hominum iudiciáque conſtituit: cuius memoria in multis ob ingenij acumen manſit.Ibidem.

AMASIS, Ægyptiorum rex,poſt hos leges ſcripſit:quem tradunt de iis quæ ad monarchas pertinent, déque omni Ægyptiorum œconomia præcepiſſe Ibidem.

Cretenſium rempublicam primus MINOS conſtituiſſe fertur. Iſſaciendis iudiciis & ferendis legibus aſſiduus atque integer, per nouennium legibus emendandis operam nauauit. Cretenſium rempublicam omnium antiquiſſimam eſſe teſtatur Homerus,cùm appellat vrbes illorum ἐυναιεταώσας, id eſt bene habitatas. Et Archilochus ludens cum ſcommate dicit,Lex Cretenſis docetur:Heraclides.Alij eum quouis nouennio in ſpecum quandam confirmandarum legum gratia deſcendiſſe aſſerunt Plut.in Minoe,Diod.lib.2.& Halicarnaſſeus libro ſecundo Antiquitatum.

CECROPS, Athenienſium rex,& primus legiſlator fuit: vti Argiuorum PHORONEVS, Inachi filius.

ZOROASTRES, Bactrianorum rex,leges populis dedit,eaſdémque magicis præſtigiis confirmauit.

ZOTVASTES ſimulata diuinitate primùm leges dedit Arianis. Diod.Siculus lib.2.Antiq.

ZAMOLXIS, Getis eodem modo leges protulit.Ibid.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legiſlator non antè multitudini leges exhibuit,quàm cùm præſtantiſſimis viris Delphos petens,Deum rogaſſet,an eſſet futurum conducibilius & melius Spartæ, vbi legibus quas ipſe tulerit obediret.Cùm autem reſpondiſſet Deus (pecuniis corrupta ſacerdote. inquit Polyænus) id prorſus melius fore: tum demùm leges ſuas eis propoſuit: non modò iniquum, verùm & impium ſtatuens, ſi quis legibus Pythio roboratis oraculo, minus paruiſſet. Xenophon in Laconum Repub. Stobæus ſerm. 42. & Polyænus libro 1. Hic inter præclara ſtatuta illud quoque Lacedæmoniis feciſſe memoratur,vt agri æquè diuiderentur, vitandæ inuidiæ gratia, ſeruandæque in ciuitate ęqualitatis.Suſtulit præterea conuiuiorum apparatum, & menſas lautiores, vnde ocium omne cupiditáſque diuitiarum naſcitur. Ob hęc diuitum odium adeò incurrit,vt in concione inuaderetur: fugiénſque in templum, ab Alcandro oculo effoſſo vulneraretur, &c. Ex Plutarcho,& Trogo. Exceſſit autem in Creta exul voluntarius,ſumpto iureiurando à populo,ne quid de ſuis legibus mutaret, donec rediiſſet.

Poſt mortem iuſſit cineres in mare diſijci,ne ſolutus quandoque ſacramento populus leges ſolueret,ſi mortuum in ciuitatem retuliſſent. Volater.lib.16.Vrb.con.

DRACO ſuis legibus(quas Athenienſibus dedit) vnicuique vel minimo furto extremum ſupplicium irrogauit.Vnde dicebat Demades, eum ſanguine,non atramento leges conſcripſiſſe.

SOLONEM Athenienſes Olymp.47.ad gerendum imperium elegerunt,qui aliis rebus multis ornauit ciuitatem, tum etiam leges ſcripſit Reipub.vtiliſſimas.Tunc abrogarunt Athenienſes leges Draconis, quæ θεσμοὶ dicebantur:iis duntaxat,quæ de homicidio latæ erant, retentis. Ælianus lib.8.de Varia hiſtoria.Primus σεισάχθειαν inuexit, hoc eſt corporum poſſeſſionúmque redemptionem. Nam cùm ſeptem ſibi talenta ex patrimonij ſui iure deberentur, eã debitoribus remiſit:ac reliquos vt idem facerent,ſuo exemplo hortatus eſt. Heraclides in Politiis,& Laert.lib.1.Leges illius ἄξονες ſunt dictæ, quoniam in ligneis tabulis erant deſcriptæ.

HIPPIAS apud Athenienſes legis de exilio decennali autor extitit. Quæ tametſi propter tyrannidem affectantes poſita fuit: tamen in eius ſupplicium etiam alij incurrerunt,vt Xantippus & Ariſtides.Heraclides de Polit.

PERICLES,Athenienſium dux,legem ſcripſit, vt nemo ad gubernandam rempub.accedere permitteretur,niſi qui vtroque parente ciue natus eſſet.quem tamen ipſum legis vltio tetigit. Nam duo filij Patroclus & Xantippus cum peſte abſumerentur,legitimo thoro nati, nothi ſuperfluere tantum,quibus rempublicam adminiſtrandi poteſtas,patris lege erepta erat. Ælianus libr.6. de Varia hiſtoria: & Fulgoſ. libr. 8. cap.6.

CLISTHENES Athenienſis primus tulit legem de exilio, primúſque exulauit.

PITTACVS Mitylenæus,ciuibus ſuis leges ſexcentis elegis ſcripſit.Paulo pòſt tyrannidem,quam occupauerat,depoſuit.Vnus ex ſeptem ſapiẽtibus exiſtimatus eſt.Gyral.in 3.Dial.hiſt.poet.

PERIANDER Corinthius,vnus ex ſeptem,duobus verſuum millib. hypothecas ſuis ciuibus ſcripſit.Ibidem.

ANACHARSIS Scytha,cum Athenis apud Solonem philoſophiæ operã dediſſet,& reuerſus in patriam,Scytharum leges iuxta Græcorum ſtatuta nouare tentaret,eandem ob cauſam à fratre in venatione ſagitta cõfoſſus eſt.Verùm moriens dixit:Se ob eruditionem incolumen à Græcia dimiſſum,per inuidiam autẽ iam in propria perire patria.Laer.li.1.ca.9.

NICODORVS,pugil excellentiſ.& celeberrimus,apud Mantinenſes extremo ætatis ſuæ tempore,& exacta pugillatione, legiſlator eis extitit:longè vtiliorem ſe patriæ in ea re præſtans, quàm cùm publicè victor in ſtadiis proclamaretur.Aiunt tamen Diagoram Melium, à quo amabatur,ei compoſuiſſe leges.Ælian.lib.2.Var.hiſt.

HIPPODAMVS Mileſius natura ſtudioſus,primus eorum qui in repub. verſati non eſſent,cœpit aliquid dicere de optimo ciuitatis ſtatu. Conſtituit enim ciuitatem ex numero 10.milium diuiſam in partes tres,artifices,agricolas,mulieres:regiones in totidem partes,ſacram,publicam, & priuatam.Ariſtoteles 2.lib.Politicorum.

PLATO ſuis legibus docuit,quales deberent eſſe in Rep.ciues. Inſtituit & Remp.imaginariam,inuentu difficilimam:vt eſt perfectus orator Fabij.Vini vſum vſque ad annum XVIII non probabat.Iubebat vt iuuenes coram ſenibus vino vterentur:vt carperentur,ſi indulgentius potaſſent.Volebat pueros operam dare muſicæ,vt ſeria negotia honeſto recrearent ocio.Laudabat veritatem,vt omnium bonorum ducem. Rauiſ.

EIVSDEM gloria,& virtutis fama,vſque ad Arcadas & Thebanos permanarat.Qui miſſis legatis, ſummo ſtudio hominem,non ſolùm ad inſtituendos iuuenes,& docendam philoſophiam,verùm etiam,quod maius erat,ad præſcribendas reipub. leges vocarunt. Impetraturi igitur fuerant à viro rogata(magnam enim Ariſtonides ex hac vocatione læticiam capiebat)verùm cùm legatos interrogaſſet, quemadmodum ad æquabilem bonorum honorúmque partitionem eſſent affecti:& comperiſſet eos hanc prorſus abominari, neque vt ſuſciperent perſuaderi poſſe,noluit ad eos profectionem inſtituere.Ælian.de Var.hiſt. libro 2.

PHEIDO,cum jam inſtituiſſet vt Cymenſium reip.adminiſtratio penes multos eſſet:legem etiam promulgauit,vt quilibet equum alere cogeretur,Heraclides in Polit.

PHILOLAVS Corinthius leges dedit Thebanis.Rauiſ.

PROTAGORAS Thuriis leges poſuit:quibus poſtea abrogatis, Metellus deuicta Creta illas cum Romanis commutauit.Rauiſ.

MELISSVS Samius philoſophus,Parmenidis auditor,ciuibus ſuis charus,quibus præcepta multa dedit, Rempub. adminiſtrauit, claſſique & bello præfuit Olymp. LXXXIIII.vt refert Apollodorus.

PRITANIDES,Megalopolitanorum legiſlator, Peripateticorum celeberrimus,qui Megalopolitanis ad conſeruationem reipublicæ ab Antigono rege datus eſt.Polybius lib.5.Hiſt.

CHARONDAS Tyrius legem tulit,ne quis armatus in concionem veniret.Cúmque ipſe poſtea è rure veniens,ex improuiſo, vt erat gladio accinctus in concionem veniſſet,admonitus legis ab eo qui proximè ſedebat:eidem gladio incubuit,cum liceret culpam diſſimulare & defendere.Valer.Max.

ANDRODAMVS Rheginus legiſlator Chalcidenſium fuit in Thracia. Ariſtoteles lib.2.Polit.& Volater.libro decimotertio, capite tertio Anthropologiæ.

ROMÆ pòſt exactos reges SEX.Papyrius leges curiatas (quas Regũ tempore populus in triginta curias à Romulo diuiſus,à Regibus latas, ſuo calculo confirmarat)ſine ordine latas in vnum compoſuit: & ab eo Ius ciuile Papyrianum fuit appellatum. Deinde omnes hæ leges lege tribunitia exoleuerunt, & incerto iure populus vſus eſt ferre per 20 annos. DECEMVIRI inde creati, qui ab Athenienſibus leges decem Tabularum peterent:quas in tabulas eburneas perſcriptas, pro Roſtris compoſuerunt. Sequenti anno alias duas tabulas adiecerunt, & leges XII Tabularum ſunt appellatæ. quarum ferendarum auctorem fuiſſe Decemuiris HERMODORVM quendam Epheſium exulem,aiunt.Ex his legibus actiones natæ ſunt,quarum formulæ, vti & legum interpretatio, apud ſolos fuit Pontifices ferè per 100 annos.Poſtea cum APPIVS Claudius ad formam redegiſſet has actiones, Cn. Flauius ſcriba ſubreptum librum populo tradidit.Hic igitur liber, qui actiones continet, Ius Flauianum appellatur. Augeſcente deinde ciuitate, quia deerant quædam agendi genera,SEX. Ælius alias actiones compoſuit:& librũ populo dedit,qui appellatur Ius Ælianum. Deinde cùm plebs à patribus ſeceſſiſſet,ſibi iura conſtituit, quæ Plebiſcita dicuntur. Mox cùm reuocata eſt plebs,pro legibus placuit ea obſeruari,lege Hortenſia.Cœpit poſtea ſenatus ſeſe interponere:& quicquid conſtituiſſet, id obſeruabat,& Senatuſconſultum dicebatur.Eodem tempore & magiſtratus iura reddebãt:& vt ſcirẽt ciues,quod ius de quaque re quiſque dicturus eſſet,ſéque præmuniret,edicta proponebant,quæ ius Honorarium conſtituerunt,quia ab honore prætoris venerat.Conſtituto poſtea Principe,datum eſt ei ius,vt quod conſtituiſſet,ratum eſſet:quod ius Principale dicitur,ſiue Principalis conſtitutio.Hæc ex Pomponio,lib.1. Digeſtorũ, Tit.ij.de Origine iuris.

PRIMISLAVS ruſticus,legiſlator Bohemorum. vide tit. Ex infelicibus redditi felices.

ÆGIDIVS Fontana Patauinus, cùm poſt irruptionem Attilæ cum patriciis familiis in æſtuaria Veneta conceſſiſſet, & eò quoque ex vicinis vrbibus nobiliſſimi quique confluerent,primus fuit qui leges nouæ ciuitati Venetorũ dedit,quæ ab authore ipſo etiamnũ hodie ſanctiones Ægidianæ appellantur.Bernardus Scardeonus libro tertio, claſſe decimatertia,Hiſt.Patauinæ.

IVRECONSVLTI.

Iureconſultorum alij in ſcholis docent, alij de iure clientibus & iudicibus reſpondent: illi quidem præcepta tradunt, hi verò in particularibus exercentur. Exercitatio ipſa aſſeclam habet eloquentiam. Eáque propter nos ſub titulis Rhetorum Oratores & Cauſidicos enumerauimus, qui tamen ratione rei ſubiectæ ad hunc locum referri deberent. Nos de Iureconſultis nunc agamus, ſiue doceant iura, ſiue de iure reſpondeant.

De Iuris Romani origine Pomponius præclarè lib.1.Digeſtorum,Titulo ſecundo diſſerit.Primùm fuit Ius Papyrianum.Deinde è Græcia leges XII tabularum à Decemuiris petitæ, & tabulis eboreis pro Roſtris poſitæ.E quibus ius ciuile fluere cepit,ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt. Omnium tamen harum & interpretandi ſcientia,& actiones, apud collegium Pontificum erant,Ex quibus conſtituebatur, quis quoque anno præeſſet priuatis. Et ferè populus annis propè centum hac conſuetudine vſus eſt.Poſtea,cum Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones:Gn.Flauius ſcriba eius, libertini filius, ſubreptum librum populo tradidit:&,vt Cicero inquit,cornicum oculos confixit.Fuit autem gratum adeò id munus populo,vt Tribunus plebis fieret,& Senator,& Ædilis curulis.Hic liber,qui actiones continet, appellatur Ius ciuile Flauianum:ſicut ille,Ius ciuile Papyrianum.Nam nec Gn. Flauius de ſuo quicquam adiecit libro. Augeſcente ciuitate, quia deerant quædam agendi genera,Sex.Ælius alias actiones compoſuit:& librum populo dedit,qui appellatur Ius Ælianum. Interuenerunt poſtea plebiſcita populi, cum plebs à patrib.ſeceſſiſſet. Item & Senatuſconſulta,& prætorum edicta: quod Ius Honorarium dicebatur,ab honore prætorum.In prima igitur illa legum paucitate Iureconſulti neceſſariò requirebãtur,qui ea quæ à lege vniuerſim dicebantur,explicarent:poſtea verò legum numero aucto,non minor eorundem fuit vſus, vt confuſa diſtingui poſſent,& diſcerni.Quamuis ergo penes pontifices olim interpretatio ipſa ſita eſſet:poſtquàm tamen Flauius ſcriba actionum librum populo communicauit, quamuis eo populus ſummopere gauderet,tamen eo vti non poterat propter imperitiam, & propterea Iureconſultorum auxilio opus habuit.Qui quidem vel tranſuerſo foro deambulantes,vel domi in ſolio ſedentes,conſultoribus de iure reſpondebant,quicunque fiduciam ſuorum ſtudiorum haberent.Neque reſpõſa ſignata dabant,ſed plerunque iudicib.ipſis ſcribebant:aut teſtabantur illos ij,à quibus conſulti fuerant.Primus Octauius Auguſtus,vt maior iuris authoritas haberetur,conſtituit,vt ex authoritate eius reſponderẽt: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Vnde paulo pòſt effectum eſt,vt Caligula inter cætera liuoris in omnes viros claros ſcelera, de Iuris quoque cõſultis,quaſi ſcientię eorum omnem vſum aboliturus, ſæpe iactauerit,ſe effecturum,ne quid reſpondere poſſent pręter ęquũ. Adrianus deinde,quaſi priſtinũ morẽ & libertatẽ relaturus,cũ ab eo viri periti peterẽt,vt ſibi liceret reſpondere:reſcripſit eis,hoc non peti, ſed præſtari atque effici ſolere. Et ideo ſi quis fiduciam ſui haberet, placiturum ſe populo: ad reſpondendum ſe pararet. Poſtremò res eò deuenit, vt retento Auguſti more, nemo Iuriſconſultus appellaretur, aut publicè ius interpretaretur, déque eo reſponderet, niſi

eam authoritatem à Principe impetrasset. Quorum omnium sententię & opiniones in tantum honoris venêre, vt ex principum constitutionibus recedere ab eorum responso iudicibus non liceret: & ex horum tantummodo scripteis Iustinianus confici Pandectas suas, cæteris reiectis, voluit. Hæc ex Pomponio, & Bernardino Rutilio.

VETERVM *Iureconſ. Rom. catalogus, ex Rutilio Colonienſe.*

PAPYRIVS maior (prænomine incerto, alij Sex. alij Pub. alij Caium alij Manium vel Mamium appellant) rex primus sacrificulus fuit post exactos reges. Hic leges regias apud pontifices sparsim delitescentes, omnes in vnum contulicquas Ancus Martius in desuetudinem abeuntes, in foro quernis sculptas tabulis antè proposuerat. Hoc ius ciuile Papyrianum appellarunt. Quod mox allatis xij, Tabulis tributa lege fuit abrogatum. Vrbe à Gallis direpta, cum cæteris rursus illæ leges ex incendio conquisitæ, & in vulgus editæ, nisi si quæ ad sacra pertinerent, quas, vt authoritas earum maior esset, pontifices ipsi supprimebant. Vixit Tarquinio Prisco regnante, sub initia libertatis Romanæ.

APPIVS Claudius decemuir, primus Romani iuris 12. Tabularum assertor, cùm tyrannidem affectaret, in carcere vel tribunorum iussu, vel voluntaria vi extinctus est. Ponponius librum de vsurpationibus ab eo scriptum ad sua peruenisse tempora asserit. Leges ex Gracia allatæ, 302. Vrbis anno.

APPIVS Claudius Cæcus, 150. circiter annis post decemvirum floruit, eius abnepos aut pronepos, qui centor ex publicis vectigalibus vel inuito senatu Appiam aquã in vrbem inuexit, cùm prius Tiberinis aquis aut fontibus contentus esset populus. Patriciis infestus, Potitiæ gentis sacrificia seruis publicis obeunda dedit, & ob eam impietatem luminibus fuit captus. Hic C. Flamium, Cn. F. scribam suum, ædilem curulem dixit: cuius opera cùm fastos dies excepisset, & promulgasset, Ius Flavianũ fuit appellatum, quamuis Appius author esset. Scripsit nonnullas mortuorum laudationes, quæ vsque ad ætatem Ciceronis peruenerunt, vt quidam Appium quàm Catonem imitari mallent. Author fuit, ne par cũ Pyrrho susciperetur.

P. SEMPRONIVS Longus, cognomento Sophus, qui Tribunus pl. Appium Cl. Cæcum censura se abdicare post decimumoctauum mensem, recitata lege Ælmylia, voluit.

T. CORVNCANVS publicè primus Ius ciuile profeſſus dicitur, cùm superiores consultoribus tantùm responderent, non autem discere cupientes docerẽt. Primus de plebe Pont Max. creatus, 500. circiter à condita vrbe annis. Nulla huius scripta, sed responsa tantùm fuisse. Pomponius scribit, transuerso foro deambulantis, aut domi in solio sedentis, quorum authoritatem Seneca quasi seculo suo extantium citat

M. FABIVS Pamphilus, qui ante secundum Punicum bellum bis fuit consul, iuris ciuilis peritus, & legatus Carthaginem cum aliis ad Annibalem ab oppugnatione Saguntĩ reuocandum missus.

P. ÆLIVS Paetus, Q. Ælij filius, qui Pont. pugna Cannensi cecidit, Prætor fuit cum Scipio Numidiam subegit. Sub hoc Cos. fecundum bellum Punicum confectum est. Missus contra Boios in Galliam, rem non satis prosperè gessit. Legationes deinde obiuit, & colonias deduxit. Augur factus, pestilentia obiit.

SEX. Ælius Paetus, Pub. frater, ædilis curulis cum M. Claudio Marcello, anno ab vrbe condita 541. Mox triumuir, inde consul, mox cen'or. Hic more veterum iureconſ. transuerso foro ambulans, ciuibus omnibus sui consilij copiam faciebat, aut domi in solio sedens, de rebus omnibus responsa dabat. Hunc Ennius ita laudauit:

Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus.

Extabat tempore Pomponij liber eius qui Tripartita inscribebatur, & ius Ælianum appellabatur, veluti incunabula Iuris continens. Cicero eius aliquoties meminit.

ÆLIVS Paetus filius Sexti vel Pub. sine prænomine à Pomponio inter Iureconſultos ponitur.

LATTILIVS sapiens primus à pop. Rom. appellatus, propter scientiam Iuris ciuilis, cum M. Ælio prętor postremo creatus, Sardiniam prouinciam sorte obtinuit.

P. CORNELIVS Scipio Nasica, Cn. Cornelij Scipionis in Hispania occisi filius, frater patruelis fuit Africano maiori, turisque consultissimus. Hic adolescens etiam, vir optimus à Senatu iudicatus, Pessinuntinam deam hospitio excepit. Per omnes deinde honorum gradus euectus, de Boiis triumphauit, vir frugalissimus & pauperrimus.

Q. FABIVS Labeo, à Cicerone inter iuris peritos connumeratur, quamuis à Pomponio omittatur: qui quæstor vrbanus anno vrbis 544. magnum certamen cum omnibus sacerdotibus habuit, pro conferendo stipendio militibus omnibus honoribus functus.

Q. Fabius Pictor, anno vrbis 551. Prætor Sardiniam prouinciam sortitus est. Primus res Romanas scripsisse dicitur Græcè.

M. PORCIVS Cato Censorius, Tusculanus, iuris peritissimus fuit teste Cic.

M. MANILIVS Torquatus, cæso matris vtero in lucem editus, cum L. Martio Censorino consul fuit, anno vrbis 606. quibus Cos. tertium bellum Punicum exortum, & Carthago deleta, quam primus Manilius cum exercitu per vim aggressus est. Tres libros de Iure ciuili scripsit. Sacrorum pontificalium peritissimus fuit, & ex illis qui transuerso foro ambulare & responsa dare solebant. P. Scæuola æquali suo oratione copiosior, nec multo minus prudẽs: Decium Syllanum filium, quòd præter Macedoniam compilasset, causa probè cognita, abdicauit & relegauit.

M. BRVTVS præturam non excessit, vt vult Pomponius. Reliquit de Iure ciuili septem libros: quorum tamen tres tantùm fuisse Bruti, Cæsar apud Cic. ex ipso Scęuola se audisse fatetur. M. etiam Brutum, M. Bruti qui Cæsarem interfecit, patrem, Cicero non modò bonum oratorem, sed & iuris publici & priuati peritum fuisse affirmat.

P. MVTIVS Scæuola, anno vrbis 621 consul cum L. Calphurnio Pisone fuit: item pontifex max. póstque eum Cic. air defitum esse à Pontificibus Max. cõsici annales maximos, quos ab initio rerum Rom. ad eum modum conscripserant, vt res singulorum annorum mandarent literis, memoriæ publicæ causa: tabulámque domi proponerẽt, vt esset populo cognoscendi potestas. Iudex iniuriarum condemnauit eum, qui L. Accium poetam lædendi gratia in scena nominauerat: cùm C. Cælius absoluisset eum, qui Lucilium poetam in scena nominatim læserat. Reliquit de Iure ciuili lib. 10. Fratrem adoptiuum P. Crassum Mutianum oratorem in iure instituit. Pila & duodecim scrupis & alea optimè lusisse dicitur.

P. LICINIVS Crassus Mutianus, cognomine Dives, naturalem ortum è Crassorum gente habuit: sed adoptione in Mutianam familiam transiit. Is 600. anno ab vrbe condita quæstor est factus. Hic à P. Scæuola fratre domestica iuris disciplina hausit, & valdè probarus orator fuit. Ser. Galbæ summi oratoris filio Caio filiam suam collocauit, alterum Tiberio Graccho. Quo interfecto, senatus ad iram plebis leniendã, diuisorem agrorum P. Crassum legit. Hic etiam cùm ædilitatẽ peteret, de iure à rustico fuit consultus. Consul cùm L. Valerio Flacco factus, anno vrbis 623. simul & pontifex, nouo exemplo contra Aristonicum in Asiam missus, à Thracibus qui Aristonico familiares erant, interceptus & captus fuit. Vt turpem seruitutem euitaret, in itinere dum ducereturr, virgam, qua ad dirigendum equum vtebatur, in oculum Barbari dixerit, cùmque excæcauit. Qui vi doloris accensus, latus Crassi fica confodit. Caput mortui Aristonico oblatum, corpus Smyrnæ sepultum. Quinque summis bonis Crassus ornatus fuisse dicitur: quòd ditissimus, quod eloquentissimus, quòd nobilissimus, quòd iurisconsultissimus, quòd Pontifex maximus fuerit.

C. LIVIVS Drusus à Val. Max inter præclaros Iureconſ. ponitur: à Pomponio omittitur. Senec. & Cæcus, ius nihilominus populo interpretatus est. C. Drusi filius fuisse videtur, quem Cicero inter oratores tres ex Drusorum familia connumerat, M. Drusi frater.

C. MARTIVS Figulus, Consul cum Nasica Corculo, anno vrbis 592. & septennio post iterum cum Cornelio Lentulo, filium habuit Caium Iureconsultum celebrem (à Pomponio tamen prætermissum) qui cùm in petitione consulatus repulsam tulisset, ira accensus, postero die consulentes omnes à se repulit: inquiens, Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis.

P. RVTILIVS Rufus, M. filius, adolescens P. Mutium Scæuolam sectatus est. Consul fuit cum C. Mallio, anno vrbis 651. & primus ex ludo C. Aurelij Scauri doctores gladiatorios accersiuit, qui iuuentutem in armis erudirent. A M. Scauro publicanorum iniuria repetundarum reus factus est: quam accusationem magna constantia pertulit. Ab equitibus damnatus in Asiam exulatum abiit, omnibus Asiæ ciuitatibus legatos sibi obuiam mittentibus & vt ad se veniret inuitantibus. In exilio mortuus est. Orator fuit, sed iciunus. Fucos & ipse virabat rhetoricos, & in alios reprehendebat. Orationes quasdam reliquit, Stoica philosophia plenas (præceptore enim vsus est Panætio) multa item in Iure scripta: historiã quoque suæ vitæ.

Q. ÆLIVS Tubero, filius C. Ælij Tuberonis Catelij, & Æmyliæ L. Pauli, qui Persam deuicit, filiæ, ex ea familia quæ paupertate & patrimonia laudatissima erat: ita vt sex & decem Tuberones simul vnis ędibus modicis vnicóque agro in Veiente habitarent & sustentarentur. Iurisperitus fuit, Stoicus, maioribus par, oratione iciunus. Scripsit orationes contra Gracchum, item historias, ex quibus Liuius, Dionysius & Gellius multa citant. Veteris frugalitatis studiosissimus, cum à Fabio Maximo nomine P. Africani patrui sui defuncti daretur, triclinium sternere rogatus, lectulos ligneos puaicanos pellibus hœdinis strauit, & pro argenteis vasis Samia exposuit. Cuius rei deformitate fic populum commouit, vt in petitione prętoratus repulsam tulerit. Scripsit ad eum præceptor Panętius opuscula quędam.

PAVLVS Virginius connumeratur à Pomponio inter Iureconſultos.

SEX. Pompeius, Sex. F. Cn. Pompeij Magni patruus, Stoicus, ad Ciceronis vsque tempora peruenit.

L. GÆLIVS Antipater, historia scripsit: horrido stylo, quem tamen Adrianus Imp. vetustatis admirator, Sallustio prætulit. L. Crassi summi oratoris magister. In Iure celebris, vt tempora illa ferebant.

Q. MVTIVS Scęuola Augur, quem Cicero in oratore differentem, & in Amicitia introducit. Eũ adolescẽs Cicero coluit, & Ius ciuile ab eo didicit. Fuit insignis Stoicꝰ, Panętij auditor. Eius dom'veluti oraculi ciuitatis habita. Habuit Lęlij filiã maiorẽ in matrimonio: ab eóque in collegium augurum cooptatus est, C. Fannio alrero genero grandiore prætorito. Ipse Mucius filiam suam L. Crassi locauit: qui cum ita reuertius est, vt præsente illo supplex ambire populũ erubesceret. Consul fuit anno Vrbis 637. & de Dalmatis victis cũ collega triumphauit. Sylla vrgente vt

senatus C. Marium hostem Reip. iudicaret, solus hic Scæuola obstitit. Simultates cum Lucilio satyrico exercuit. In Saturnini tumultu quamuis senex arma cæpit, & patriæ ne in extremo quidem spiritu defuit.

Q. MVTIVS Scæuola Pont. Max. filius P. Mutij (de quo suprà) Pont. Max. Proconsul Asiam obtinuit: eamque prouinciam tanta integritate administrauit, vt in posterum in eam prouinciam iuris magistratibus, exemplum atque forma officij Scæuola proponeretur. Inimicissimos habuit publicanos. Collega eius Crassus eum iurisperitorum eloquentissimum, & eloquẽtium iurisperitissimum appellauit apud Cic. Causas multas egit. Dixit pro P. Rucillio repetundarum reo. Cùm fundum emisset, eumque pluris quam venditor addixisset, æstimaret, addidit cẽtum millia. Primus Ius ciuile constituit generatim in libros 18. plurimosque auditores habuit, sed præcipuæ authoritatis Gallum Aquilium, Lucilĩ Balbum, Sex. Papyrium, C. Iubentium. Ab eo post mortem Scæuolæ Augustus Cicero adolescens multa didicit, quorũ meminit præcipuè de Legibus. Ex professo neminem docebat: sed consulens, & de Iure respondẽs, studiosos audiendi docebat. Hic cùm pro Sylla senssisse crederetur, Mariaque vrbem inuasisset (instigante Mario filio, tum Consule, Damasippi prætoris iussu, obsessa curia, è Senatu educti trucidarentur) fugiens, Vestalesque amplexus aras, ad Marij funus in curia Hostilia à C. Fimbria trucidatus est, iam grandis natu, ita vt sanguine suo sacrarium Vestæ respergeret. Quem cùm ex vulnere aliquantisper recreatũ, ac posse vivere conspexisset, apud populum se accusaturum Fimbria ironicè dixit, quòd parcius totum corpore telum recepisset. Obiit mox Scæuola, & corpus in Tiberim proiectum. Hunc antiquissimum ferunt eorum, ex quorum libris confecerit Iustinianus Pandectas Iuris ciuilis, vnúmque tantùm ibi librum eius acciri definitionum.

C. AQVILIVS Gallus, eques Romanus, à Q. Mutio Pontif. Max. ius ciuile didicit. Acutus & exercitatus & promptus in respondendo & agẽdo, regnum quoddam iudiciale videbatur habere, cuius gratia à petendo consulatu abstinuit. Ipse Seruium Sulpitium Ius ciuile docuit, & ab eo illustratus est. Habitauit in colle Viminali, ædibus ea ætate sumptuosissimis, ducentis circiter millibus nostratium aureorum. Filium viuens amisit. Collegam in prætura Ciceronem habuit. Si quid ad illum tale referretur, vt de facto quærereretur, quia id ad Ius nil pertinebat, Ad Ciceronem, inquiebat Gallus: Oratoris id munus esse alterens. Dolus malus quid esset petente Cic. cùm aliud esse simulatum, aliud actum, respõdit. Responsa eius citantur plurima in libris Digestorum, celeberrimum illud, de posthumis nepotibus hæredibus instituendis.

L. LVCILIVS Balbus, Seruium Sulpitium docuit. In agendo & respondendo considerata tarditate vtebatur. A discipulo Seruio illustratus est. Stoicus fuit insignis, ita vt ei Antiochus philosophus opus suum quod dam miserit. Itaque eum Cicero in suis libris Stoicorum Placita defendentem introducit.

CN. Aufidius à Cic. inter Iureconsultos numeratur, omittitur à Pomponio. Cæcus etiam in Senatu sententiam dicebat, & Prætorius amicis non deerat: Græcam insuper scribebat historiam. Huic equales annumerat Cicero, C. Aculeonem, materteræ Ciceronis virum, qui cum L. Crasso oratore familiariter vixit: filiúmque eius C. Vifellium Varronem, consobrinum Ciceronis.

A. OFFILIVS eques Romanus, Ser. Sulpitij auditor, vixit sub Octauio, æqualis Trebatij Ciceronem re pecuniaria iuuit. Libros de Iure ciuili scripsit plurimos. De legibus Vicesimę primus scripsit, & de iurisdict. Q. Tuberonem iam scripsit.

A. CASSELIVS eques Rom. Q. Mutij Volusij auditor, æqualis Trebatio & Offilio. Scripsit librum Benedictorum. Moriens Q. Mutium nepotem præceptoris sui Mutij, in eius honorem testamento hæredem reliquit.

Q. ÆLIVS Tubero, L. Tuberonis filius, primùm orator fuit, & Q. Ligarium accusauit, tanta vi, vt vix Ciceronis defensio & Ligariorum fratrum bene de Cæsare meritorum, eum eripere potuerint. Tubero inde à causis ad ius ciuile transijt, & A. Offilio operam dedit. Multos in Iure reliquit libros. Consulatum cum P. Fabio Max. gessit, anno Vrbis 743. qui fuit nonus ante Christum natum. Seruij Sulpitij filiam duxit, & ex ea filiam suscepit.

P. ALPHENVS Varus, auditor Ser. Sulpitij, Cremonensis (Horat. varum appellat) sutor primùm, mox Iureconſ. ita vt etiam consulatum sit adeptus cum P. Vinitio, triennio post Christum natum. Reliquit Digestorum libros, & Collectaneorum. Publico elatus est funere.

CAIVS à Pomponio inter Ser. Sulpitij auditores numeratur: multa scripsit. Hodie extant duo libri Institutionum, ex quibus multa Iustinianus mutuatus est.

TITIVS Cæsius, Seruij auditor, à Pomponio connumeratur.

AVFIDIVS Tuca Seruij auditor (alij Suram nominant) item Aufidius Namusa, in Legum libris non raro laudantur.

C. ATTEIVS Pacuuius: Seruij discipulus.

FLAVIVS Priscus, Seruij item auditor, item Cinna. Pariter P. Cæcilius, cuius frequens citatur in Digestorum libris authoritas. Huic cùm C. Cæsar quinquaginta tantùm sestertia, reliquis colluforibus centum dari iussisset: Quid ego, inquit, vna manu ludo, vt nequeam tantundem capere?

SVLPITIVS Galba horum temporum æqualis, breuis fuit, & gibbosus, omniúmque cauillis expositus. Causas agitauit. Orbilius cùm frequenti iudicio testimonium diceret, interrogatus à Galba diuersæ partis aduocato, cui incognitus erat, quo artificio vteretur: respondit, à se gibbos in sole fricari, atque inde in vmbram transferri solere. Vxores habuit Mumiam Achaicam, proneptem L. Mumij Corinthiaci, neptem Catuli, ex qua C. & Sergium procreauit. Maior C. dilapidatis bonis exul obiit. Sergius postea ad imperium peruenit, sed non diuturnius septimestri. Secũdam habuit Liuiam Ocellinam, diuitem & pulchram, nobilitatis causã ab ea experitus: & etiam veretri, quod secretò posita veste ei detexit, ne ignaram fallere videretur. Adulteriorum infamia laborauit, teste Horatio:

Quin etiam illud
Accidit, vt quidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferro. Iure omnes. Galba negabat.

Quasi & ipse adulter. Villam habuit suppositam colli prope Tarracinã, sinistrorsum fundos petentibus, in qua natus est filius Sergius Galba imperator.

Q. ANTISTIVS Labeo (vel M.) patre Antistio Labeone, qui inter occisores Cæsaris fuit, & legatus M. Bruti in acie Pharsalica victus, seruo suo se iugulandum præbuit, vt victorem effugeret. Filius ergo philosophus fuit, & Iurecons. Trebatij auditor. Romæ sex erat mensibus cum studiosis: ex aliis secedebat, & conscribebat libros, quos reliquit numero quadringentos. Is primus veluti sectam quandam Iuris cum Arteio Capitone exercuit, cum Capito vetera seruare, Labeo doctrina fretus multa innouare vellet. Sub Octauio Cæsare liberè sententias dixit, & Octauium sæpe reprehendit. Eapropter ab Horatio in gratiam Augusti insanus vocatur. Eum Petronius Arbiter Seru. o Sulpitio comparat. Atque esto quicquid Seruius & Labeo. Non in iure tantùm, sed & in Dialecticis & Grammaticis, antiquitatisque cognitione excelluit, ita vt ex Latinarum vocum origine & proprietate multos in Iure nodos solueret. Cuiusmodi multa in 40. libris Posteriorum reliquit. Scripsit & alia.

C. ATTEIVS Capito, cum Germanico Cæsare Consul fuit, Octauij imperio, anno post Christum natum 13. Alterum veluti oraculum ciuitatis habebatur. Auditor Offilij, & antagonista Labeonis in moribus & disciplina. Itaque Octauio charus fuit, & Tiberio adulatus est, cùm verbũ in edicto parum Latinum, Capito si non esset, at certè in gratiam Cæsaris à ciuitate receptum, Latinum esse futurum, asseruit. Pomponius grãmaticus ad Tiberium conuersus respondit, Mẽtitur Capito: tu enim Cæsar ciuitatem Romæ dare potes hominibus verba & linguę Latinæ vsum non potes. Reliquit libros non paucos, quorum Gellius, Macrobius & Frontinus mentionem faciunt.

M. COCCEIVS Nerua, Cocceij Neruæ (qui cum L. Gellio triumurali dominatu consul fuit) filius, Labeonis sectator, à Capitonis successoribus dissensit. Omnis diuini & humani iuris peritus assiduus Tiberio Cęsari fuit, ita vt cum solus Capreas secedentem secutus sit, & cum eo octo fermè annos permanserit. Mox cum Tiberij crudelitatem perspiceret, futuraque Reip. mala animo præuideret, inedia seipsum confecit: nec Tiberio tamen, quamuis acriter instanti, mortis causam indicare voluit, Filium reliquit Neruam, qui 17. anno ætatis de Iure respondit. Huius nepos fuit Nerua, qui Romano postea præfuit imperio: vir optimus, & successore Traiano dignus.

C. Fimbriam, Q. Lucretium Vispillonem, C. Bilienum, P. Quintilium, M. Marcellum, L. Valerium facetissimum Ciceronis amicum, & P. Consam, quem Cicero irrisit, cùm in iudicio de re quadam testis interrogatus, negasset se quicquam scire: Fortasse de iure interrogari te putas, inquit Cicero.

C. IVVENTIVS (vel T. vt Cicero) Q. Mutij Pontif. max. auditor. In dicendo frigidus, sed acutus causarum actor. Discipulum habuit P. Orbilium, Ciceronis ferè æqualem. Hunc etiam Ser. Sulpitius audiuit, & in libris suis crebrum eius facit mentionem.

SEX. Papyrius, auditor Q. Mutij. Hunc Ser. Sulpitius audiuit, & scripsis suis illustrauit.

P. SERVIVS Sulpitius Rufus Lemonia, generis memoriam propè intermortuam virtute renouauit. Rhodum cùm Cicerone eloquentiæ causa profectus est. Reuersus, cùm de re amici sui Q. Mutium Pont. max. cõsuluisset, neque responsum eius intelligens iterũ Mutium interrogasset, neq; secundũ quoq; responsum percepisset: obiurgatus à Mutio, quòd turpe esse diceret patricio viro, & causas oranti, ius, in quo versaretur, ignorare: ea veluti contumelia tactus Seruius, Iuri operam dedit sub Gallo Aquilio, Lucillio Balbo, Sex. Papyrio, C. Iuuentio, Iuris itaque scientia omnes vicit, qui eloquentia aut prior Cicerone, aut non inferior etat. Primus Dialecticam iuri adhibuit, & ordine quodam tractare cœpit. Ciceroni familiarissimus fuit. Quæstor fuit, item & cõsul cum M. Marcello, Catoni Vticensi prælatus. In bella ciuilia Cæsaris & Pompeij incidit. Ad M. Antonium, qui Mutinæ D. Brutum obsidebat, inuitus legatus est missus, pacis causa. Sed nondum confecto legationis munere, ingrauescente morbo extinctus est, vxore ac filio superstitibus Hircio & Pansa Coss. Statua ærea pedestris in rostris à Cicerone collocata: & funus sumptu publico, tanquam in legatione defuncto, fieri grauissima oratione Cicero contendit, quæ adhuc extat. Vxorem habuit Posthumiam, à C. Cæsare adulterio corruptam. Filium reliquit Seruium: & filiam, quam duxit Q. Tubero Iureconſ. Pomponius centum octuaginta propè libros in Iure ciuili ab eo scriptos asserit pleraque ad Cercinnam insulam scripta.

C. TREBATIVS Testa, eques Rom. familiaris Ciceronis, quod ex Epistolis illorum intelligi potest: Cæsari à Cicerone commendatus, Cęsarianas partes fouit. In iure fuit singulari memoria, & summa scientia. Præceptorẽ habuit P. Cornelĩ maximũ, obscurum Iurecons. Ab Octauio quoq; in honore habitus. Libros multos de iure ciuili composuit, & de Religionibus nouem: iuris peritior fuit, quàm eloquentior. Audita-

rem habuit Antistium Labeonem.

MASVRIVS Sabinus, plebeius, Cocceij Neruæ æmulus, Capitonis successor. Iam grandis natu equestrem dignitatem obtinuit, annorum fermè 50. Pauper alioqui, à suis auditoribus vt plurimum sustentatus est. Obtinuit à Tiberio Cæsare, vt sibi de iure respõdere liceret. Atq; ita publicè primus rescripsit. Scripsit multa in Iure.

C siue L. CASSIVS Longinus, ex filia Tuberonis, nepte Seruij Sulpitij natus, propè hæreditariam iuris ciuilis scientiam exercuit, cùm proauum Sulpitium, Tuberonem auum, maternos habuisset. Is Masurio Sabino successit, & Cassianorum nomen suis reliquit, principesq́ue & parẽs eius scholę est habitus. Cõsul fuit cum Quartino, anno Tiberij 17. Extremo Caligulæ principatu, cùm Asiæ proconsul esset, & fortunæ Antiatinæ principi respondissent, vt à Cassio caueret, Cassium Longinum interficiendum delegauerat: sed ipse prius à Cassio Chærea fuit interfectus. Post Caligulam sub Claudio Syriæ præfecturâ accepit. Sub Nerone falsis criminibus confictis in Sardiniam deportatus, sub Vespasiano rediit, & in patria senex atque cæcus vitam finiit.

AMINIVS Rebius iureconsultus, pecuniæ ditissimus, famæ non admodum bonæ, ob libidines muliebriter infamis, senex nisso è venis sanguine mortem constanter tulit, Neronis anno tertio.

PROCVLVS, Neruæ filius, patris scholam & disciplinam excepit. Tantus in Iure fuit, vt qui prius à Labeone ac Nerua nomen accipiebãt, ab eo Proculiani cœpti sint dici. Videtur hic ille fuisse, qui Otthoni summa necessitudine fuit coniunctus, & causa quodammodo illius cædis. Vitellio se tandem Romæ submisit, proditorem se Otthonis fassus, eoq; veniam impetrauit. Vlpianus eum quasi non leuem Iuris authorem nominatiex rescripto Diuorum fratrum. Celsus verò etiam Proculum authorem Iuris habuisse videtur.

CÆLIVS Sabinus successit Longino in Iuris disciplina. Ab Otthone bimestrem consulatum cum Fl. Sabino suscepit. Vitellius ratum habuit, quamuis victor. Vespasiani postea temporib. plurimum potuit. Scripsit librum de edicto ædilium curulium.

SEX. Pedius, quo tempore vixerit incertum, libros reliquit de Stipulationibus, item ad edictum 25. Citatur à plerisque authoribus Digestorum.

PEGASVS Successor Proculi, sub Vespasiano consul fuit cum Pusione. Author tum fuit Senatusconsulti Pegasiani, de hæreditate. Fuit sub eodem, & etiam sub Domitiano, præfectus vrbis. Meminit illius Iuuenalis, & optimum atque sanctissimum Legum interpretem appellat.

PRISCVS Iabolenus successit Cælio Sabino. de Iure publicè respondit, & adhibitus est consiliis. Ad Antonij Pij imperium vsque peruenit: eoq́ue vsus est princeps Iurisperito, cùm multa iura sanciret. Scripsit in Iure xv. libros è Cassio, epistolarum 14 quinque ad Plautium, qui etiã fuit Iureconsultus, sed nihil de eo certi habetur. Sæpe eius in libris legũ honorifica fit mentio.

CELSVS patri Pegaso successit. Apud Traianum in honore, & Adriano præcipuè inter iudicandum in cõsilio fuit. Filium habuit Iulium iureconsultum, qui duos sub Adriano consulatus gessit. Filius reliquit Digestorum libros 39. Institutionum 20. Epistolarum 13. Adriano in consilio fuit.

NERATIVS Priscus scholam Celsi patris excepit. Eum Traianus tantopere probauit (qui & ipse iuris ciuilis & diuini consultissimus fuit) vt in animo habuisse dicatur, non Adrianum, sed Neratium imperij successorem relinquere: vsque adeò vt Prisco aliquando dixerit, Si quid fatale mihi contigerit, commendo tibi prouincias. Adriano tamen adoptato, Neratius eidem inter præcipuos iudiciario consilio affuit. Cõsulatum etiam administrauit. Plurima scripsit.

DOMITIVS Labeo, Adriani temporibus floruit, scripsit libros, Epitomatum vnum, Epistolarum complures: vnde ea omnia esse dicuntur, quæ Tribonianus suis Digestis inseruit Labeonis nomine. Quis tamen fuerit, incertum est.

TARISTO, à Pomponio omittitur. Plinius tamen & Gellius doctissimum Iurecons. fuisse testantur. Scripsit volumina de decretis Frantinianis.

ALBVRNIVS, Valens & Tuscianus, Iaboleni auditores. Valens dicitur Antonino Pio operam suam in Iure condendo præstitisse, & reliquisse Fideicommissorum libros septem.

VINDIVS Verus, & VLPIVS Marcellus, Antonino Pio in consilio fuerunt, cùm Iura conderet. Vlpius etiam Seueri imperio floruit, & reliquit libros Digestorum 38. Responsorum vnum, & multos alios.

ARRIANVS, sub Antonio & Adriano, libros scripsit complures, præsertim de re militari. Non ille qui Alexandri gesta Græcè persecutus est, sed ille ad quem multæ sunt Cæcilij epistolæ: quibus eum non tam quasi Iureconsultum, quam vt aduocatum & oratorem, atque adeò Demosthenì & Caluo vi orationis parem alloquitur.

TERTVLIANVS iisdem temporibus vixit, qui libros quæstionũ 4. vnum de castrensi peculio edidit, quidam eum consulem fuisse aiunt. Alij eundem esse cõiiciunt, qui postea Christianus factus, egregios pro religione nostra libros reliquerit.

SALVIVS Iulianus Seuerus, Mediolanensis patricius, auditor Iaboleni, Iuris peritissimus fuit, & perpetuum edictum diligẽtissimè compositum, suppleuitq́ue, Adriani imperio, post Christum natum 134. cui etiã in consilio, cùm iudicaret, assedit. Antonino deinde Pio & DD. fratrib. charus fuit, ita vt eum rescripto quodam & amicum suum & V.C. appellent. Extat eius vox memorabilis apud Pomponium, Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc tamen discere vellem. Consul bis, & præfectus vrbis. Multa in Iure reliquit. Digestorum libros 90. Hunc nõnulli

nerium Bononiæ Iura professum scribit, sed obscurum & nullius nominis virum, ita vt Irnerius primus meritò censeri debeat.

POST Irnerium cœpit iam increbrescere Legum studium. Professi ergo sunt leges, Hugolinus, Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes Bosianus, Cremonensis patria, non multi sanè nominis, nisi quia tempore priores fuerunt. Bosianus summulam conscripsit, quam Odofredus Ventosam nominat: fuitq́ue præceptor Azonis & Accursij.

AZO Bononiensis præceptorem habuit Ioannem Bosianum, Bononię primùm professus, mox inuidiæ cedens, ad montem Pessulanum profectus, inde Bononiam reuocatus: tantus fuit in docendo simul & scribendo, vt Baldus eum non semel tanquam fontem legum & vas electionis prædicet. De morte eius nihil certi. Sepulchrum Bononiæ adhuc cõspicitur. Obiit anno Salutis 1200.

ROFFREDVS Beneuentanus, doctus & facetus, discipulus Kiliani cuiusdam, & Azonis etiam. Bononia relicta Aretij professus est, vbi egregium Opus libellorum, & quæstiones suas Sabbatinas edidit, Anno 1415.

ACCVRSIVS Florentinus, auditor Ioannis Bosiani & Azonis, primus in vniuersas Leges Glossas conscripsit, cùm antea sparsim tantùm glossas scriberent. Hinc Glossatorum vltimus fuit, & optimus. Anno 37. demum ætatis Iuris studium aggressus fuit. professus est Bononiæ, & ibi relicto filio Francisco Iureconsulto obiit, anno ætatis 78. Salutis verò 1279. Floruit anno 1226.

IOANNES de Blanasco Burgundus, æqualis Iacobi Balduini (qui nil scripsit, sed in scriptis Odofredi discipuli fui viuit) professus est Bononię, anno 1256. Edidit quædam in lucem.

SINIBALDVS Ianuensis, ex nobili Flisco rum familia, Pontifex factus Innocentius IIII. dictus est. Audiuit Bononiæ Azonem iam senem, Accursium & Iacobum Balduinum. Post Synodum Lugduni habitam (in qua Fredericum II. imperio abdicauit) cùm ibi longius moraretur, dicitur commentarios suos in Decretales conscripsisse. Quorum tanta fuit authoritas, vt plerique patrem veritatis Innocentium appellarint. Reprehenditur tamen propter breuitatem obscuram. Nunquam autem ille commentarios suos pro iure haberi voluit, sed vt à sententia quoque sua liberè quiuis dissentire posset. Duodecimo anno sui põtificatus Neapolim à proceribus regni Siciliæ euocatus, ibidem moritur, sepultusq́ue est ad S. Laurentium, anno Salutis 1254.

RAYMVNDVS Barchinonensis, Gregorio IX. compilandorum Decretalium author fuit & adiutor. Platina in vita Gregorij noni.

ODOFREDVS Beneuẽtanus, Iacobi Balduini discipulus, Bononiæ professus est magna cum admiratione: quod satis eius Lecturæ indicant, in quibus adhuc spirare legenti videbitur. Obijt anno 1265.

HENRICVS de Segusia, postea cardinalis Hostiensis factus, his successit. Gratus fuit Innocentio 4. & Alexandro 4. successori. Summam edidit. Floruit anno 1255. & seq.

GVILIELMVS Durandus, Hostiensis auditor, Speculum fecit: vnde Speculator dictus. Multa ex veteribus transcripsit, & sibi sumpsit. Furta eius Ioan. Andreas detexit. Obiit non multo post quàm Speculum ediderat, vix dum annum 30. egressus.

IACOBVS de Bellouiso sub hæc tempora floruit. Septies Feudorum libros publicè prælegit, & in illos demum commẽtarios scripsit, & quædam alia.

BARTHOLOMÆVS Brixiensis, additiones quasdam ad Glossas Decreti conscripsit.

IPHO Britannus [illegible] Philippo Pulchro Gallorum rege, anno Salutis 1285. Lutetiam primùm, deinde Aureliam Iuris ciuilis causa mittitur. In patriam reuersus, propter eruditionem & vitæ sanctimoniam ab episcopo Trecorensi accersitus, causis audiendis præfectus est, quem Officialem vulgò vocant. In hac præfectura tam sanctè se gessit, vt cùm 50. ætatis anno vita functus esset, à Pontifice inter Diuos sit relatus, & eius festus dies VI. Calend. Septemb. celebrari iussus, in quo adolescentes laudes D. Iphonis publicè solent oratione prosequi.

DYNVS Mugellanus, vixit anno 1300. Bononiæ ad S. Dominici templum sepultus, iuxta discipulum Cynum. Scripsit varia. Iuris Canonici ignarus fuit, si Io. Andreæ credimus. Bonifacio VIII. author fuit in componendo 6. libro Decretalium, teste Volat. lib. 21. Anthrop. Eodem tempore floruerunt, Petrus de Bellapertica Burgundus, qui multos commẽtarios edidit: Iacobus de Arena Parmensis, cuius opiniones Bartolus laudat: Martinus de Sulmannis, Bononiæ professor, præceptor Ioan. Andreæ. nihil scripsit.

RICHARDVS de Malumbris Cremonensis, Patauij professus sub rege Roberto. Hunc Baldus omnium ætatis suæ Iurecons. principem facit. Accusatus est hæreseos (cuiusnam, incertum) & damnatus, incassum pro eo intercedente Bononiensium Iurecons. collegio. Multa scripsit. Floruit anno 1300.

IOANNES Andreæ Bononiensis, grammatici filius, auditor Martini de Sulmannis, in Iure ciuili: Canonici tamen studiosior fuit. multa in eo scripsit. Lud. Romanus omnium hominum præstantissimum appellat. Baldus tamen eum forti multis in locis accusat, ex consiliis Oradi Laudensis. Peste perijt anno 1348. septima Iulij, sepultus Bononiæ in templo S. Dominici.

CYNVS, ex nobili Sigisbuldorum familia Pistorij natus, auditor Dyni Mugellani: scripsit prouectis tantùm. Canonici Iuris sectatores odio habuit. Decessit Bononiæ, & iuxta præceptorem suum sepultus est. Vixit ánno Sal. MCCCXII. Fuit alius Cynus Pistoriensis Decretorum doctor, nullo scripto clarus.

OLRADVS de Ponte, Laudensis, Dyni discipulus, Aduocatus consistorialis Romæ: demum quoque auditor causarum factus. Huius Consilia Ioan. Andreas, suppresso authoris nomine, compilauit. Floruit anno 1320.

IOANNES Calderinus Bononiensis, doctus & sanctus fuit: eamq́ue ob causam à Io. Andrea adoptatus. Scripsit commentaria in Decretales, & consilia.

IACOBVS de Buttrigariis, Bartoli præceptor, multa scripsit. Floruit anno salutis 1320.

RAYMERIVS de Foroliuio, Bartoli præceptor. Obijt Patauij, ad S. Antonium sepultus.

BARTOLVS de Saxoferrato natus est anno 1309. Anno ætatis 14. Iuri operam dare cœpit Perusij, sub præceptoribus Cyno Pistoriensi, Butrigario, & Raynerio 20. deinde ætatis anno Bononiæ de Iure publicè respõdit, & anno sequenti Doctoratus insignia suscepit. Mox ad praxin se contulit, & assessor criminalium causarum factus est. Eius officij deinde pertæsus, ad studia redijt, apud S. Victorẽ (qui locus ad alterũ lapidem à Bononia distat) postea ad profitendum accersitus, ætatis anno 25. Pisas venit. Relictis inde Pisis, Perusium contendit: ibiq́ue reliquam ætatem profitendo transegit. Ad pondus comedisse dicitur Bartolus, vt intellectu magis vigeret. Quinquennium integrum in reper. I. De ætate. ff. de minoribus, consumpsisse dicitur. Diplouatatius eum labili fuisse memoria asserit, adeò vt si leges in commentando in prompru non haberet, Franciscum Tigri Pisanum (qui eodem tempore Perusij legebat, & ei amicitia iunctus erat) consuluerit, qui ei leges suppeditarer. Id in Bartolo reprehendunt, quòd veterum dicta, suppressis eorum nominibus, pro suis venditarit, præcipuè Nicolai de Maturellis Mutinensis. Hebraicarum quoque literarum & Mathematum peritus fuit Bartolus. In vniuersum Ius ciuile scripsit, sano iudicio & animo. Eius eruditionem omnes suspexere, ipse quoque Rom. Imp. Carolus IIII. qui familiam eius splendidis insignibus, & aliis priuilegiis donauit. Filiam vnicam locauit Nicolao Alexandro iurecons. Obiit Perusij, anno ætatis 46. Domini verò 1355.

ALBERICVS Rosates Bergomensis, Bartoli æqualis, cuius com. aliquoties meminit. Fuit magnus practicus, teste Iasone, cui plus quam alteri Doctori tribuunt aduocati Mediolanenses. Reliquit com. in Digesta & Codicem. item volumen vnum Statutorum. & Dictionarium Iuris. Floruit anno 1350.

BALDVS Perusinus, filius Petri de Vbaldis medici nobilis Perusini, & frater Angeli & Petri Iurecons. maximorum. Ex Baldo mox Zenobius & Franciscus Angelo Alexander & Angelus minor: ex Petro verò Matthæus, Petrus & Baldus nepotes prouenêre. Ex Baldo nepote rursus Nicolaus, Matthæus & Sigismundus pronepotes Iurecons. clarissimi prouenêre. Baldus autem (de quo nunc) audiuit adolescentulus Ioannem Poglarien sem, & Franciscum Tigrinum Pisanum, & Bartolum. Anno ætatis 17. publicè repetijt l. Centum Capuæ. ff. de eo quod certo loco. Post absoluto studiorũ cursu, & doctoratus insignibus ornatus, Bononiam profitendi causa profectus, anno 1344. publicè etiam disputauit ibi cùm Bartolo per quinque horas integras, & victor abijt. Quidam aiunt, Baldum multos codices corrupisse, & ob id fustigatum, patriamq́ue relinquere coactum, Ingrata patria ne ossa quidem mea habebis, protulisse. Eruditionem in eo nemo, constantiam multi desiderant, quòd sibiipsi multis in locis pugnantia scribat. Iuris tam ciuilis quàm canonici peritissimus fuit. Accersitus est tãdem à Io. Galeazio Mediolani duce Papiam: vbi diu professus vsque ad extremam senectutem, multa scripsit, mortuus anno 1400. 28. Aprilis, & Papiæ in templo S. Francisci habitu Franciscano sepultus. Filios duos habuit, Zenobium, qui & doctor & eques fuit, & Franciscum. I. V. D.

ANGELV de Vbaldis Perusinus, ijsdem præceptoribus quibus & Baldus frater, Ius ciuile didicit. Anno ætatis 23. doctoratus insignia sumpsit, & publicè profiteri cœpit. Ioannes Pyrrhus hunc inter Triumuiros Iurisprudentiæ cùm Bartolo & Paulo Castrẽse nominauit. Moritur Florentiæ, post doctissima scripta, eodem anno quo Baldus frater, relicto filio Alexandro legum professore: ex quo Angelus secundus satus est, qui Patauij diu professus est, & tandem à Sixto pontifice Romam vocatus, in Aduocatorum consistorij Pontificalis numerum ascitus fuit.

PETRVS de Vbaldis, tertius frater, vtriusque Iuris doctor, studiosior tamen canonici, pater fuit Matthæi Vbaldi equitis, & in omni scientiarum genere instructissimi. Ex quo duo filij, Petrus V. I. D. ac professor, & Baldus inter patriæ proceres non postremus. Baldus hic, fratris sui Petri felicitatem consecutus tres filios summos viros vidit, Nicolaum Rotæ auditorem. Matthæum publicum Perusij legum professorem, & Sigismundum.

BARTHOLOMÆVS de Saliceto, Bononiensis, coæraneus prædictis. Professus est 4. annis Patauij. Orto deinde schismate inter duos pontifices, in patriam redijt, anno 1482. vbi commentarios in Codicem edidit. Author fuisse dicitur Alberto Estensi Ferrariæ marchioni, vt à Bonifacio pont. priuilegium Academiæ Ferrariæ constituendæ impetraret. Moritur Bononiæ senex, ad S. Dominicum sepultus.

PETRVS de Ancharano Bononiensis, auditor Baldi, floruit ætate Saliceti. Moritur Bononiæ, apud S. Dominicum sepultus. Multa in V. I. scripsit.

ANTONIVS de Butrio, Bononiensis, æqualis Ancharani, vir doctus, atque sanctæ vitę. In Iure vtroque scripsit. Moritur anno 1408. Nonis Octob. Bononię apud D. Michaelem in monte sepultus.

CHRISTOPHORVS de Castiliano Mediolanensis, eodem tempore claruit, subtiliratum princeps, vt Iason inquit. Itaque frẽtus ingenio, vt apud veteres Antistius Labeo, multa innouare voluit. Quem morem

RECENTIORVM *Iureconsultorum, qui post recuperatam Romani iuris prudentiam, eandem docendo & scribendo professi sunt, Periochę, à Io. Fichardo Francofurtense collecta.*

IRNERIVS Bononię primus Iura professus est, cùi prius literis humanioribus tantũ incumberet, diuulgato iã Iure ciuili, quod à Pisanis victoribus ex Malfitanę vrbis direptione anno 1128. in Italiã relatum fuit. Primus ergo Iurisprudentiæ illustrator, & lucerna Iuris passim vocari cœpit. Glosulas enim interlineares locis difficilioribus apposuit, & Autenticas ex Autenticis Iustiniani decerptas, quàm breuissimè iuxta sententiam tantum, Codici Iustiniani inseruit. Autenticarum, n. authorem alij alium, Accursius Irnerium esse asserit. Obiit anno salutis 1190. testis Odofredus, qui alium quẽdam, Peponem nomine, ante Irnerium

discipuli eius, Raphael Fulgosius Placentinus,& alter Raphael Comensis auxerunt: claruerunt́que Patauij anno 1420. In templo D. Antonij sepultus est. Fulgosius.

IOANNES de Imola, æqualis horum, præceptor Alexandri Imolensis, multa scripsit. Obiit anno 1435. 18 Februarij.

PAVLVS de Castro, Imolensis æqualis, professus est Florentiæ, Bononiæ & Patauij, vbi mortuus est anno 1437, paulo post Imolensem: sepultus in templo Seruorum Patauij. Multa scripsit.

NICOLAVS Siculus, abbas primum Monacensis, inde archiepiscopus PANORMITANVS fuit, doctus & eloquens, concilio Basiliensi interfuit. Professus est anno 1425 ius Canonicum Senis. Multa in eodē scripsit. Mortuus non multo pòst, quàm ex concilio rediit.

LVDOVICVS Pontanus, Spoletinus: & quia Romæ commorabatur, Romanus dictus, Ioannis Petrucij Iureconsulti & Io. de Imola professorum Perusij auditor, Senis professus est: mox Romam commigrauit. Cū Panormitano ad concilium Basiliense profectus, vix 30 ætatis annum egressus, pestifero morbo obiit, cùm 36 horis tantùm ægrotasset. Summa memoria præditus fuit. Sepultus est Basileæ apud Carthusianos, anno 1433. Reliquit doctissima ingenij monumenta.

IOANNES de Anania, Bononiensis, ibidem archidiaconus, & Canonici iuris professor, vir optimus, & Andreæ Siculi præceptor. Obiit anno 1455.

IACOBVS Aluarotus Patauinus, æqualis eius, Bartholomæi Salicecti in iure Ciuili, in Canonico Francisci Tabarellæ (qui Cardinalis postea fuit) discipulus, sedecim annis professus est, triginta annis in collegio Iurecons. Patauinorum fuit. Mortuus anno 1453, ætatis suæ sexagesimo octauo. Sepultus est in templo D. Antonij.

PHILIPPVS Corneus Perusinus, 12. ætatis anno ad Ius accessit, sub Ioanne petrucio professore perusino: cuius postea filiam duxit, & ex ea tres mares, totidémque fœmellas suscepit. Primò perusij, deinde Ferrariæ professus est. Reuocatus tamen perusium literis Sixti pontif. turbata rep. Perusinorum ad pisanos vocatus est: sed mox à pontif. reuocatus. In consulendo & patrocinando eximius fuit, professus est annis 50. Reliquit comment. in Cod. & Consilia. Moritur ætatis anno 77, Christi verò 1462. superstitibus vxore & liberis.

ALEXANDER de Tartagnis, Imolensis, discipulus Ioan. de Imola & Io. de Anania, 21 ætatis anno doctor creatur. Patauij professus, collegam habuit Bartholom. æum Cepollam Veronensem, & præcedendi caula acrem cum eo habuit contentionem: cùm, quamuis seniori, doctrina sua fretus, ei cedere noller. Summa docendi gratia perusij quoque, & tandem Bononiæ professus est. Docuit annis 30. Obiit anno 1477, ætatis 53. relictis tribus filiis, quorum natu maior Antonius V. I. Doctor fuit. Sepultus est Bononiæ ad D. Dominicum.

FELINVS ex nobili Sandeorum familia Ferrariæ natus, in patria & pisis diu professus est. Eius fama motus Innocentius octauus, Rotæ auditorem constituit. Multa doctissima scripta reliquit.

IOANNES Maria Riminaldus, Ferrariensis, Alex. Imolæ discipulus, in patria professus est. Moritur anno 1496, ætatis 63. Apud D. Franciscum sepelitur.

IASON de Mayno Mediolanensis, Catonis Sacci Papiensis discipulus, Patauij diu professus est. Papiam inde à Ludouico Sfortia reuocatus, & ab eo inter ducales Senatores relatus, ad finem vsque suæ vitæ 20 amplius annis prælegit. In Italia cum Carolo Ruino & Decio sua ætate Iureconsultorum princeps fuit. Moritur anno 1519, mense Aprili. Sepelitur apud S. Paulum, extra vrbem Papiæ.

PHILIPPVS Decius Mediolanensis, annis circiter 65. publicè in celeberrimis Italiæ gymnasiis docuit. Exul postmodum Lugduni, à Senensibus reuocatus, Senis obiit anno 1535. 12 Octobris. Corpus pisas relatū, & in Campo sancto sepultum. Plurima scripsit.

MARIVS Salamonius Albertistus, eques Roma. auditor Baptistæ Caccialupi, præses Campaniæ primò fuit: deinde Romam reuersus, iura professus est, & aduocatus Pontificalis consistorii factus. Sub Clemente 7. obiit.

VDALRICVS Zasius, Constantiensis, primò notarius Constantiensis consistorij, mox archigrammateus Friburgensis reip. Post 30 annum, primùm Iuri operam dare cœpit, sub Io. Cnapo & Paulo de Cittadinis Patauino, professoribus. Friburgensibus. Euasit is in Germania tantus suo tempore, quantus vix vllus in Italia: quod scripta eius testantur, etiam ab Italis, parcis alioqui vltramontanorum (vt illi vocāt) laudatoribus, in summo precio haberi solita. Vini erat auidior: cætera vir optimus. Friburgi professus est vsque ad extremum vitæ. Obiit anno ætatis 74, Christi 535. 8. Calend. Decemb. in cathedrali templo sepultus. Hæc hactenus ex Fichardo.

BONIFACIVS Amerbachius, Basiliensis, Iurecons. doctissimus, vir sanctissimus nō modò nostræ ætatis Iure cons. eloquētia & eruditione vicit, sed cum veteribus quoque certasse videri potest. Hic oblata nō semel emergēdi & ad altiora adspirandi occasione, patriæ cùm docendo, tū de Iure respondendo se dare maluit, sua ipsius sorte contentus. Quā vt honestè sustentaretur, non proscriptio nundinatióque bonorum ecclesiasticorū (ab eo nec adfectata vnquam, nec ex ea quicquam licitatū, cōparatúmue) sed partim maiorū suorū, partim sua industria, nullius malæ fidei conscia, item Marthæ Fuchsiæ vxoris optimę dos & paripherna luculenta per diuinā bonitatē effecerunt. Basileæ obdormiuit, anno Salutis M.D.LXII.VIII. Calend. Maij: ætatis suę LXVII, tertio dierum septenario: post gemina funera Bonifacij nepotis quadrimestris, & Asteriæ Rudinæ nurus dilectissimæ: relictis BASILIO Iurecons. virtutum paternarum hærede, Faustina & Iuliana, liberis.

IVRECONSVLTI INDOCTI.

C. POPILIVS, Iurisperitus videri volebat, cùm indoctus esset, & stupidus. Citatus igitur in controuersia quadam testis, respondit, Se nihil scire. Tum Cicero: Putas fortassis te de iure interrogari. Plutar. in Rom. Apoph.

SATVRNINVM quempiam Vlpianus l. j. de Senat. notar, tanquā nusquam relatæ nec receptæ sententiæ authorem. Vnde Bal. l. j. C. de sacrof. Eccles. eos qui opiniones absurdas consectantur, Saturninos appellat.

Paulus l. j. ex quibus caus. pig. tac. cont. NERVAM I.C. derisum ait, quòd imperitè de Iure responderit.

HISTORICI.

Historiæ vocabulum, ἀπὸ τῆς ἐφίστασθαι τὰ ὁρώμενα deductum esse videtur: quasi tu dicas, ocularem & sensatam cognitionem atque demonstrationem. Vt ergo variæ sunt res, quę sub sensus nostros, inter quos visus principatum obtinet, cadere possunt: ita quoque historia, ratione subiectæ materiæ variat. (nā ea quæ sensus effugiunt, ad theoriā & διανοητικὴν γνῶσιν pertinent, non autē ad Historiā καὶ αἰσθητικὴν γνῶσιν.) Omnium itaque naturalium rerum proprietates & actiones Historicus obseruat. Harum autem aliæ natura solum agunt, tam animata rationis expertia, stirpes & brutæ, quàm inanimata corpora: quorū cognitio non simpliciter Historia, sed vel in genere naturalis historia, vel certè stirpium, animalium, aut metallorum historia appellari consueuit. Aliæ verò non natura tantùm, sed potius secundum voluntatē & electionem agere dicuntur: homines videlicet, in quibus eam ob causam solis virtus & vitium reperitur, quod ratione præditi sunt, quoniam desiniente Aristot. nihil aliud est virtus, quàm ἕξις προαιρετικὴ, μεταὶ λόγου ὀρθοῦ τοῦ κατὰ φρόνησιν. Vt ergo hominis actiones & operationes ἠθικαὶ omnium sunt perfectissimæ, ita per se & absolutè illarum commentatio & obseruatio historia dicitur: & illi verè Historici, qui res hominum gestas, vt gestæ sunt, vel scripto vel viua voce enunciant. Nam cùm in his gestis virtutum & vitiorum semina apertè sese prodant: vt philosophia ethica præcepta virtutum & vitiorum generalia continet, ita Historia eorundem exempla particularia profert, tanto efficaciora & ad mouendū aptiora, quanto sensus rationem euidentia & oculari certitudine superare videtur. Est ergo moralis quædam philosophia particularis ipsa Historia, quæ nos vitas hominum inspicere, & ex aliis exemplum, quod nobis vsui esse queat, sumere docet. Quapropter non immeritò Speculum vitæ à Cicerone dicitur: eundémque nos imitari, operosum hoc Opus, quod virtutum & vitiorum exempla vtriusque vitæ, tam contemplatiuæ quàm actiuæ, continet, Humanæ vitæ Speculum, nec ineptè nec affectatè appellare possimus. Nam verum & genuinum historiarum fructum magno compendio & facilitate ex hoc Opere Lector hauriet, totámque philosophiā moralem pulcherrimis exemplis comprehensam memoriæ firmius commendabit. Neque enim historia à veteribus ob id solum excogitata fuit, vt res gestæ literarum monumentis consecratæ, ab obliuionis iniuria vindicarentur: sed multo magis, vt exemplis hisce mortales instructi, virtutes imitari, vitia declinare discerent. Hoc ipsum diuinus Homerus Odyss. θ. insinuat, vbi sub persona Alcinoi, de expugnatione Ilij, quam Demodocus musicus decantarat, loquitur: τὸν δὲ θεοὶ μὸν τεῦξαν, ἐπεκλώσαντο δ' ἀοιδὴν ὀλεθρον ἀνθρώποις, ἵνα ἦσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή. Tanta est Deorum immortalium erga mortale genus benignitas, vt cùm multa alia vitæ nostræ rectè & liberaliter instituendæ adiumenta nobis concesserint, quotidianis etiam humanorum casuum & actionum exemplis nos erudire & monere voluerint. Sed de his satis. Nunc ad eos qui in hoc genere commentationum moralium (quas historias appellari diximus) versati sint, accedamus. Quorum cùm sit ingens numerus, nos ex subiecta materia eos in ordinem redigere conabimur. Possunt etiam ex titulo Poetarum historicorum exempla quędam huc transferri. Illic enim formę siue characteris ratio habetur; hìc verò subiecti.

HISTORICOS



QVI SACRAS HISTORIAS TAM VNIVERSALIS ECCLESIÆ (QVAS *Ecclesiasticas vocant) quàm virorum in Ecclesia illustrium (quæ Hagiographa appellantur) scripsere.*

MATTHÆVS, qui & Leui, ex publicano Apostolus, primus in Iudæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Euangelium Christi Hebraicis literis verbisque composuit. Sophronius.

MARCVS, discipulus & interpres Petri, ea quæ à Petro audierat, rogantibus Romæ fratribus breui Euangelio complexus est, idque approbante Petro. Mox Alexandriam nauigans, ecclesiam ibi instituit summa pietate & religione. Mortuus est octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Arriano. Sophronius.

LVCAS, medicus Antiochenus, Græci sermonis non ignarus, sectator Pauli apostoli, & omnis peregrinationis eius comes: scripsit Euangelium, prout ab Apostolis acceperat: & Romæ acta Apostolorum, quæ ipse præsens ferè omnia viderat. Vixit 84. annis, cœlebs. Sepultus est Constātinopoli, ad quam vrbem 20. Constantij anno ossa eius cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt ex Achaia. Sophronius.

IOANNES apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi apostoli, ab Herode post Domini passionem decollati, notissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab episcopis Asiæ aduersus Cerinthum & Ebionem hæreticos. Quartodecimo anno post persecutionem Neronis, Domitianus eum in insulam Patmon relegauit, in qua scripsit Apocalysim. Interfecto Domitiano, sub Pertinace Ephesum rediit: ibique vsque ad Traianum viuens, totius Asiæ rexit ecclesias. Cōfectus senio, 68. anno post passionem Domini, sepulchrum viuus subiit, nec postea amplius in terris visus.

IVDAS quidam sub Seuero principe, de LXX. apud Danielem hebdomadis pulcherrimè disserit, & Historiographiam superiorum temporū, vsque ad decimum eiusdem principis annum, descripsit, teste Hieronymo apud Volat. lib. 16. Anthrop.

EGESIPPVS historiam scripsit Ecclesiasticam 5. libris, quos habemus, à Christi supplicio vsq; ad sua tempora, rudi stilo. vbi testatur se veniisse Romam sub Aniceto pontifice, vt ait Suidas. Quem Hieronymus patria Iudæum, ac inter sanctos relatum dicit.

IRENAEVS præsul Lugdunensis, historiam scripsit ecclesiasticam.

THEODORVS Constantinopolitanus, scripsit historiam Ecclesiasticam, à tempore Constantini vsque ad Iustinianum.

SOCRATES Constantinopolitanus, historiam Ecclesiasticam à tempore Apostolorum vsque ad Chrysostomum composuit.

ANASTASIVS Lateranensis, scripsit historiam Ecclesiasticam vsque ad sua tempora.

FORTVNATVS præsul Pictauiensis, sanctorum gesta partim prosa partim carmine conscripsit. Martini vitam quatuor libris heroico versu prosequutus est, Hymnos quoque omnium celebritatum diuerso metro satis eleganter explicuit. Hæc ex Paulo Foroliuiensi.

De vitis sanctorum vtriusque sexus scripsere, AEDIAS, ALOYSIVS Lipomanus, Geor. Vicelius, Ioach. Perionius. Epiphanius, de vitis prophetarum. Sophronius, de vitis Euangelistarum. Geor. Cassander.

De Hæresibus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Io. Damascenus, Philastrius Brixiensis, Bern. Luceburgius.

QVI VEL MVLTORVM SECVLORVM, VEL NATIONVM DIVERSARUM *historiam, ordine & serie temporum contexuerunt. Quales sunt, qui à condito mundo cœperunt, vel certè sui temporis historias scripserunt.*

HERODOTVS Halicarnasseus scripsit historiam libris IX. quorum quilibet Musæ nomine inscribitur. Cœpit à Cyro Persarum rege. Volat. lib. 15. Anthrop. Hic Ionicè scripsit, laxior Thucydide. Quapropter hunc Liuio, illum Salustio, ex nostris Quintilianus comparat.

EPHIPPVS Cumæus, auditor Isocratis oratoris, scripsit historiam ab excidio Troiæ vsque ad sua tempora libris 30. nonnullaque alia. Suidas.

NICOLAVS DAMASCENVS, philosophus Platonicus, familiaris

Augusti Cæsaris ac Herodis regis Iudæorum, scripsit historiam vniuersalem lib.60.& vitam Augusti separatim: apud quem tanti fuit, vt placentas, aut si quid suauius ab aliis ei missitaretur, Nicolaos vocaret. Volater. libro decimo septimo, ex Suida.

POSSIDONIVS Olbiopolita, scripsit post Polybium historiam libris 52. vsque ad bellum Cyrenaicum, & ptolemæi. Floruit etate Strabonis.

PAVLVS Orosius reliquit historiam, ab initio mundi vsque ad Honorij principis tempora perscribens.

DEXTER, Paciani præsulis filius, fertur omnimodam historiam edidisse, patria Barcinonensis, præfectus prætorij Theodosij principis. Cui Hieronymus, qui hæc testatur, librum de Viris illustribus dicauit. Volat. lib. 15. Anthrop.

TRAIANVS patricius, sub Iustiniano principe scripsit temporum epitomen.

ZONARAS scripsit historiam vniuersalem, ab exordio mundi vsque ad tempora Michaelis imperatoris Constantinopolitani.

HESYCHIVS Milesius Anastasij principis tempore composuit historiam libris 6. in quibus complectitur tam Romanorum imperatorum, quàm aliarum gentium & tyrannorum res gestas, vsque ad sua tempora.

EVSTATHIVS Epiphanius, scripsit temporum Epitomen ab Æneæ vsque ad Anastasium principem. Suidas.

EVTROPIVS item, & PAVLVS Diaconus.

PROSPER præsul Rheginus, de temporibus ab Adam vsque ad suum seculum.

VINCENTIVS ordinis prædicatorum, scripsit historiam vniuersalē, ab exordio mundi vsque ad Hierosolymitanam expeditionem Ludouici regis Gallorum.

SOZOMENVS presbyter Pistoriensis, historiæ vniuersalis amplissimum volumen reliquit.

ISIDORVS Hispalensis historiam ab Adamo vsque ad sua tempora, & breuem quandam Cosmographiam.

Ex Neotericis, ANDREAS de S. Magno, Io. Nauclerus, Io. Trithemius, PETRVS Commestor, PETRVS Præmonstratensis, CASPAR Hedio, VINCENTIVS Beluacensis, BLONDVS Foroliuiensis, IOANNES Auentinus, Orto Phrisingensis, scripsere historiam vniuersalem: M. ANT. Coccius Sebellicus, Ennead os scripsit.

QVI POPVLORVM QVORVMLIBET RES *gestas scripserunt.*

GRÆCORVM.

THVCYCIDES Athenienſis patrem habuit Olorum, matrē Egesipylam. Scripsit bellum Peloponnesiacum. Fuit adeò studiosus inquirendæ veritatis historiæ, vt his mercedem præberet, qui nunciarent quæ acta essent in bello.

MARSYAS Pellæus historicus, ludimagister & frater Antigoni, scripsit res Macedonicas libris 10, à primo rege vsque ad Alexandrum. De rebus Atticis lib. 12. Suidas & Volater. lib. 17. Anthrop.

CRITO Pierio a Macedo, scripsit res Macedonum.

CHOERILVS Samius, scripsit Athenienſium victoriam contra Xerxem, & pro singulis verſibus singulos stateres aureos recepit.

PHLEGON Trallianus, libertus Augusti, scripsit historiam Olympiadum libris 16, vsque ad Olympiadem 229.

TIMÆVS Siculus, ales Græcas, & bellum Thebanum.

ZENO Rhodius, scripsit historiam Rhodiorum.

POLEMON Helladicus, scripsit de origine ciuitatum phocidis, ponti, Lacedæmonis.

PALAEPHATVS Abydenus temporibus Alexandri Magni scripsit Cyprica & Attica.

PHILOCHORVS Athenienſis, scripsit libros Attidis 17, qui continēt res Athenienſium, & reges, magistratus, vsque ad Antiochum, Deum cognomento.

MELISSANDRVS Milesius, Lapitharum & Centaurorum bellum scripsit. Author est Ælianus de Varia historia.

DAMASCIVS Sigiçus historicus, Herodoti tempore ante bellum peloponnesiacum, scripsit de rebus in Græcia gestis: præterea de parentibus & progenitoribus eorum qui ad Troiam profecti sunt, & de poetis & sophistis, aliaq; plura. vt author est Suidas, & Volat. libr. 15. cap. 1. Anthrop.

DEMOCHARES, Demosthenis nepos, historiam earum rerum quę erant gestę sua ętate Athenis, non tam historico quàm oratorio genere perscripsit. Cicero in Bruto.

Ex recentioribus claret NICOLAVS Gerbelius.

SICVLORVM.

PHILISTVS Syracusanus, propinquus Dionysij tyranni, scripsit res Siculas libris 12.

CRITO Pieriota, scripsit res Siculas.

Ex recentioribus L. Marineus & THOMAS Facellus.

ROMANORVM.

Apud ROMAnolim historia non nisi ab honestissimis & ingenuis scribebatur. Primus L. OCTACILIVS Pilitus, libertinus pompeij, Stabonis res gestas scribere aggressus est, in gratiam Gn. Pompeij Magni discipuli. Suet. de claris. Rhet. ex Corn. Nepote.

Q. FABIVS PICTOR, Iuris & literarū & antiquitatis quoque peritissimus, Annales scripsit. Cicero in Oratore.

CIVLIVS senator Græcè res Romanas scripsit, vt autor est apud Volaterranum lib. 16. Anthrop. Liuius.

POLYBIVS, Scipionis Africani præceptor, scripsit Romanā historiā libris 40. quorum pauci ad nos peruenerunt.

Crispus SALVSTIVS scripsit bellum Catilinarium & Iugurthinum, & Romanas historias instar Liuij: in quo opere citatur sępenumero ab antiquis. De hoc Martialis.

Crispus Romana primus in historia.

DIONYSIVS Halicarnasseus, Augusti tempore Romanam scripsit historiam.

DIODORVS Siculus scripsit historiam, quam Bibliothecam inscripsit, Continet autem res Romanas & varias libris XL. Floruit Augusti seculo.

FESTVS Rufus scripsit Epitomen rerum Romanarum.

LIVIVS historicus Patauinus natus est anno ab Vrbe condita D. CXCIIII. quo & M. Messala orator. Excessit Paduę, anno tertio imperij Tiberij: ętatis autem, LXX. Hunc Caius princeps tanquam verbosum insectatur: Pollio verò tanquam patauinitatem redolentem. Quintiliano magnopere laudatur, cumque Herodoto comparat, in concionibus præsertim: suadetque pueris ediscendum, vt Ciceronis imitatorem. Volat. lib. 16. Anthrop.

APPIANVS Alexandrinus XXII libros historię Romanę composuit, & gesta Imperatorum.

L. FLORVS historicus se ad Traiani tempora peruenisse testatur libr. Scripsit historiam Romanam breuitate admodum & elegantia posteritati acceptissimam. Præterea epitomen omnium librorum Liuij ab eo factam constans est opinio: fuit familiaris admodum Quintiliano, vt ipse Quintilianus testatur lib. 10. capite 3. vbi multa de eius eloquentia auctores.

DION Cassius scripsit Romanam historiam libris LXXX. Præterea gesta Traiani principis, & vitā Atriani philosophi. Historiam eius integram non habemus.

EVTROPIVS presbyter, Afer genere, discipulus Augustini, vt tradit Ptolemæus Lucensis, qui viros illustres commemorat: scripsit epitomen Romanæ historiæ, ab vrbe condita vsque ad Valentem principem, & Iouianum. Testatur Gennadius Massilienſis.

BLONDVS Foroliuiensis de Roma triumphante, & alia.

ITALORVM QVORVMLIBET.

LEON Aretinus, de reb. Florentinis. PANDVLFVS Collenutius, de Neapolitanis. AMBR. Nelanus, de Nola. BERN. Coritus, & ARLVNVS, de Mediolano. GAVDENTIVS Merula, de Insubris. BERN. Scardeonius, de Patauinis. M. ANT. Michael, de Bergamo. IO. Baptista Bona cosi. de Estensibus. PLATINA, de reb. Mantuanis.

VENETORVM.

PETRVS Bembus cardinalis Venetam historiam scripsit, summa fide & elegantia. Romani Liuium Patauinum, Veneti verò Bembum Venetum laudum suarum præcones habent.

Similiter BLONDVS, BERN. Iustinianus, Paneratius Iustinianus, M. ANT. Sabellicus, Caspar Contarenus card. Andreas Mocenicus.

HISPANORVM.

ASELLIVS Sempronius, scripsit bellum Numantinum.

HELVETIORVM.

FELIX Hemmerlin, ÆGIDIVS Tschudus Claronensis, Io. Stumpsius, HEN. Glareanus.

GERMANORVM.

CORN. Tacitus, Althamerus, IACOBVS Zieglerus, IOACH. Vadianus, IO. Marius, IO. Trithemius, BEATVS Rhenanus, IACOBVS Vuimphelingus, SEBASTIANVS Munsterus.

GEORG. Nouiomagus de Batauis. IO. Auentinus de Boijs, LAMBERTVS Hortensius de Vltraiectinis, ALBERTVS Cranzius de Saxonia, vt & Vuidechindus. NICOLAVS Marescalcus de Herulis & Vuandalis. ÆNEAS Syluius de Bohemia. IO. Cuspinianus & VVOLFG. Lazius de Austria.

SEPTEN

SEPTENTRIONALIVM QVORVMLIBET.

TIMAGENES Milesius scripsit de Heraclea Ponti, & viris in ea claris libros tres.

Longobardorum res scripserunt ISIDORVS Hispalensis.

SECVNDVS Tridentinus, PAVLVS Foroliuiensis, PAVLVS Diaconus.

ABLABIVS Gothus, scripsit de bello Gothorum. Item PROCOPIVS, de bello Gothico & Vandalico.

ALBERTVS Cranzius de Dania, Noruegia & Suetia, IOANNES Magnus de Suetia. OLAVS de Noruegia & Suetia. SAXO Grammaticus de Dania.

HVNGARIÆ res Antonius Bonfinius, Michael R tius.

POLONIÆ & Sarmatiæ, Mathias à Michavv, Martinus Cromerus.

MOSCOVIÆ, Paulus Iouius, Ioannes Faber, Sigismundus ab Herberstein.

Iornandes, de Getis.

ASIATICORVM.

DARES Phrygius historicus scripsit bellum Troianum Græcè, in quo ipse militauit, vt ait Isidorus, primus ferè historicorum. Qui tandem capto Ilio, cum Antenoris factione remansit: vt scribit Cornelius Nepos, qui opus eius in sex libros è Græco conuertit, & Crispo Sallustio dicauit.

MAXIMVS LOLLIVS scripsit de rebus gestis Troianorum, vt colligitur ex Flacco, qui ait: Troiani belli scriptorem maximè Lolli, &c. qui apud Augustum maxima in authoritate fuit. Vol. lib. 16. Vrb com.

CADMVS Milesius, scripsit historiam de Mileto, ac totius Ioniæ regione, libris 4.

LEO ALABANDENSIS, scripsit historiam de Caribus, libris quatuor: de Lyciis duos, sacrum bellum Phocensium & Bœotiorum. Suidas.

APOLLONIVS Aphrodisæus, scripsit res Caricas, de Trallibus, de Orpheo, eiusque mysteriis.

XANTHVS scripsit historiam Lydorum libris quatuor.

IVSTVS Tyberiensis, ex prouincia Galilæa, conatus est Iudaicarū rerum historiam texere, & quosdam commentariolos in sactos libros componere. Qui tamen à Iosepho vt plurimùm mendacij arguitur. Cōstat autem, illum eodem tempore scripsisse. Hieronymus apud Volater. libro 16. Vrbanorum comment.

IOSEPHVS Iudæus conscripsit Græcè antiquitatis Iudæorum historiā libris viginti, ab exordio mundi vsque ad XIII annum Domitiani: bellum verò Iudaicum cum Romanis gestum, libris VII.

CRITO Pieriota (ciuitas autem est Macedoniæ Pieria) historicus, scripsit res Persicas.

DIONYSIVS Milesius historicus, scripsit res Persicas, & quæ post Darium secuta sunt, aliaque à Suida commemorata. Hunc numerat Philostratus inter Sophistas: quem Hadriano principi ob ingenij dotes tam acceptissimum fuisse ait, vt Satrapa ab eo factus, inter equitesque ascriptus, in eius mensa Ægyptia, quæ viros in toto orbe terrarum doctissimos continebat, locum obtinuerit.

PROCOPIVS, de bello Persico. DAMIANVS à GOES, & EMANVEL rex Portugalliæ, de India HAYTHON, de Tartaris. M. PAVLVS Venetus de variis Indię regnis. MAXIMILIANVS Transyluanus, de Moluccis. ANSELMVS, de terra sancta. BEDA, de locis sanctis. PAVLVS Eberus, de historia Iudaica.

De TVRCIS, Theod. Gaza, Bapt. Egnatius, Paulus Iouius, Ioan. Cuspinianus, Ioan. Ramus, Laonicus Chalcocondyles, BARTHOLOMÆVS Georgeuitz.

AFRORVM.

CHARON Lampsacenus, ætate Darij primi, scripsit Æthiopica libris duobus: Cretensia item, & Græcanica.

IOAN. Baptista Leo.

NOVI ORBIS.

ALOYSIVS Cadamustis, de Insulis noui orbis. Item PETRVS Martyr FERDINANDVS Cortesius, CHRISTOPHORVS Columna, ALBERICVS Vesputius.

QVI RES GESTAS PONTIFICVM, REGVM ET IMPERATORUM, *vel quorumlibet aliorum in re bellica illustrium scripsere.*

GRÆCORVM.

XENOPHON Grylli filius, Socratis auditor, primus ex philosophis historiam scripsit de rebus Græcorum, item rerum à Cyro gestorum Laertius libro secundo.

THEMISTOGENES Syracusanus, historiam Cyri regis Persarum.

ONESICRITVS, philosophus & historicus, Æginęta (vt Demetrio Magnesio placet, Astypalęus fuit) è Diogenis schola, similitudinem quādam cum Xenophonte habere videtur. Vt enim ille cum Cyro, ita hic cum Alexandro Macedone militauit: ille Cyri pædiam, hic Alexandri incunabula & originem scripsit: vterque sui principis laudes prosequitur. Stylus quoque vtriusque simillimus. Autor Diogenes.

CLITARCHVS, comes Alexandri, eius gesta conscripsit. Cuius in historia ingenium probatur, fides infamatur: teste Quintil. lib. 10. cap. 1.

Res itidem ab Alexandro gestas scripsere DION Prusieus libris 10. MENECHMVS Sicyonius, ANDRONICVS, CALINIVS Syrus, CALLISTHENES Olynthius, BAITON, CRATERVS Alexandri expeditionum comes, teste Plut. in Aristide. Et ex Latinis Q. CVRTIVS.

LEO BYZANTIVS, auditor Platonis, & sophista insignis, scripsit res Byzantij à Philippo gestas, apud Volater. lib. 16. Anthrop.

NYMPHIS Heracleotes, ex Heraclia Ponti, Xenagoræ discipulus: scripsit historiam Alexandri, & eius successorum lib. 24. De Heraclea 13. vsq; ad euersionem tyrannorum. Suidas.

ARRIANVS scripsit historiam Alexandri magni 8 libris. Emicuit Romæ sub M. Antonino & Adriano principibus: à quibus ob literas cōsularem meruit dignitatem.

ANTIPATER, Iolai filius, & Philippi Macedonis miles, scripsit historiā Perdiccæ, & res Illyricas.

HIERONYMVS Rhodius historicus, familiaris Demetrij Poliorcetis, relictus ab eo præfectus in regione Bœotiæ, scripsit res ab illo Demetrio gestas. Autor Plutarchus in Demetrij vita.

STESIMBROTVS Thasius, scripsit res gestas Cimonis, ducis Athenienſium.

LATINORVM DVCVM ET *Imperatorum.*

CORN. EPITADIVS, Lucij Cornelij Sullæ dictatoris libertus, edidit librum, quem Sulla notissimum de rebus suis imperfectum reliquit, ipse suppleuit. Teste Suetonio, & Volater. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

THEOPHANES Lesbius scripsit res à Pompeio gestas.

C. IVLIVS Cæsar Commentarios rerum à se in Gallia gestarum scripsit. Rebus gestis alios, scriptis etiam seipsum vicit.

C. OPPIVS, amicissimus Iulij Cæsaris, eius commentarios continuauit, bellum Hispaniense describendo. Volater. libro decimoseptimo.

NICOLAVS Damascenus vitā Augusti scripsit, cui amicissimus fuit, adeò vt dactylos maiores & suauissimos Nicolaos appellaret. Suidas.

SVETONIVS Tranquillus, vitas duodecim Cæsarum.

VVLCARIVS Gallicanus, scripsit vitas Imperatorū ad Diocletianū.

HERODIANVS Alexandrinus, scripsit Imperatorum historiam, quæ ad nos integra non peruenit.

IVLIVS CORDVS vitas imperatorum scripsit. Cui vitio datum est, quòd eorum qui obscuriores essent, minima etiam prosequeretur. Capitolinus.

EPHREN Græcus vitas principum Constantinopolitanorum Iambico carmine descripsit: quod opus in bibliotheca Vaticana cernitur. Volat. lib. 13. Anthrop.

GARGILIS Martialis vitas imperatorum scripsit, tempore Alexandri principis: cuius ipse vitam diligētius persecutus est, teste Lampridio. Scripsit etiam de Hortensibus, teste Seruio. & Volat. lib. 17. & Suida.

EPHORVS Cumæus historicus, scripsit Galieni principis historiam libris 27. Præterea Corinthiaca, & alia. Suidas.

MARIVS Maximus historicus, scripsit principum Romanorum vitas, citatur sæpe testis. Ad hanc autem ætatem minimè peruenit. Accusatur in hoc à Lampridio, quòd nonnullorum principum fama haud dignorum gesta, nimis curiosè prosequatur. Volat. lib. 17.

IVLIVS CAPITOLINVS, Diocletiani tempore, cui librum dedicat, de Cæsarum vita scripsit: quem tamen non integrum habemus. Volater. lib. 16 Anthrop.

VOLCATIVS Terentianus, scripsit historiam Gordianorum.

ONESIMVS Cyprius, seu Spartiata, tempore Constantini Magni: scripsit Probi principis vitam. Vopiscus.

DEMARCHVS Cæsarienſis, scripsit res gestas Cōstantini principis, libris decem.

ÆLIVS Lampridius, scripsit de Gestis Imperatorum ad Constantinū Magnum. Volat. lib 16. Vrb. Com.

MALCHVS BYZANTIVS sophista, scripsit historiam à Constantino vsque ad Anastasium. Suidas.

AMMIANVS Marcellinus, Græcus natione, Latinè scripsit, sed impurè, Iuliani apostatæ gesta, cuius expeditionum ipse comes fuit. Volat. lib. 17. Anthrop.

CALLISTVS scripsit heroico versu historiam Iuliani principis.

IOANNES Scylax, patria Constantinopolitanus, scripsit de Imperatoribus Constantinopolitanis. Volater. libro decimosexto Anthrop.

De Carolo Magno ANSEGISVS, HERMOLDVS, Rodulfus Fuldēſis, Milo Augienſis, Georgius Turonensis, Turpinus.

De Henrico sexto VVIPO presbyter.

HENRICVS Smedenstett de Ottone I. IO. Olhafen de Sigismundo. Imp. Friderico Barbarossa, & Henrico III. RICARDVS Bartholinus de Maximiliano.

PONTIFICVM ROMANORVM.

PONTIFICVM Romanorum historiam scripserunt Anastasius Bibliothecarius, Damasus Papa, Paulus Diaconus, Guido Ravennas, Sigisbertus monachus, Hugo Florianus, Sicardus præsul Cremonensis, Gotfredus Viterbiensis, Vincentius præsul, Martinus Carsulanus, Landulphus canonicus Carnotensis, Sozomenus, Geruasius Ricobaldus, Ptolemæus Lucensis, vsque ad Cœlestinum V. Antonius præsul Florentinus, Platina, Volaterranus, Ottho Frisingensis.

IOAN. Ant. Campanus de Pio II.

VENETORVM DVCVM.

PETRVS Marcellus, & Sylvester Gyrellus: Coriolanus Cepio, de Petro Mocœnico.

NEAPOLITANORVM.

De Alfonso rege scripsit BARTH. Facius, ANT. Panormitanus, Æneas Sylvius, Bapt. Mantuanus.

LAVR. Valla, de Ferdinando Aragonio.

GALLORVM.

ROBERTVS Gaguinus, historiam Gallorum regum.

PAVLVS Æmylius, Frossardus, Phil. Cominæus.

IO. Franciscus Arcuantes, de Carolo rege Galliæ.

VALERANDVS Valeranus, de puella Iohanna Gallica.

HISPANORVM.

ÆL. Antonius Nebrissensis. de gestis Ferdinandi & Elisabellæ Regū. Carolus Ferardus, de iisdem.

SEPTENTRIONALIVM.

Priscus Panites, magister epistolarum Theodosij iunioris, scripsit historiam Constantinopolitanam, & Athilæ, libris 8. Prærerea declamationes & epistolas.

SAXO Grammaticus ab hinc paucos annos scripsit historiam regum Danorum, magna verborum elegantia.

ASIATICORVM.

MICHAEL Ricius, de regibus Hierosolymitanis.

PETRVS Perondinus, de Tamberlane rege Tartarorum.

QVI VITAS DIVERSORVM MIXTIM SCRIpserunt, quibus suis aljs bonis illustrium.

EVEMERVS Messanus, antiquissimus historicus, Iouis cæterorúmque, qui Dij vocabantur, gesta collegit: ac historiam fingit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in templis antiquissimis habebantur: quam historiam Ennius poeta interpretatus est. Lactantius libro primo diuinarum Instit.

PHLEGON Trallianus, scripsit Epitomen Olympionicarum, libris duobus.

DAMNOPHILVS sophista & historicus, quem aluit Iulianus consul sub M. Antonino principe, scripsit ad Lolium Maximum de vita priscorum, & quædam alia, vt refert Suidas.

CHARON Carthaginensis, scripsit tyrannos quotquot in Asia atque in Europa fuere ab Alexandro Magno. Item vitas clarorum virorum libris 4. Illustrium fœminarum, libris totidem.

CHARON Naucratita, sacerdotes Ægypti, & reges qui fuere ab initio in qualibet gente, descripsit.

CORNEL. NEPOS, Ciceronis tempore vir disertus, vitas illustrium virorum scripsit, ex quibus tantùm Pomponius Atticus extat. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

DIOGENES Laertius scripsit de vita & moribus philosophorum, libros decem.

PHILO Herennius, Biblius genere, grammaticus, scripsit de ciuitatibus, & viris claris, libros 30.

PLVTARCHVS Cheronæus, scripsit vitas multorum illustrium virorum. item Apophthegmata, Parallelas, & alia plurima.

GENNADIVS Massiliensis, scripsit de viris illustribus Theodosij tempore.

ISIDORVS præsul Hispalensis, scripsit de viris illustribus.

IOAN. Boccatius de claris mulieribus scripsit, & illustribus viris.

Vitas Iurecons. Bern. Rutilius, & Io. Fichardus.

QVI EXEMPLA HISTORICA SCRIPSERVNT, *Rhapsodias, siue Variam historiam.*

PISANDRVS Larandæus, sub Alexandro Mammeæ scripsit variam historiam versibus, & libris 60.

CLEARCHVS Solensis scripsit de varia historia.

VAL. Maximus scripsit dicta & facta memorabilia, ad Tyberium Cæsarem.

POLYÆNVS, & IVLIVS Frontinus, de Stratagematis.

Ex recentioribus L. Domitius Brusonius, Bapt. Campofulgosus, M. Ant. Sabellicus, Io. Bapt. Egnatius, M. Marulus Spalatensis, Franc. Petrarcha.

HISTORICI, MALI, INEPTI, MENDACES.

In historia rerum in primis, deinde etiam verborum habenda est cura. Rerum quidem, vt res gestæ ita describantur, vt gestæ sunt: earum circumstantiarum diligenti & exquisita ratione habita. Veritas igitur in Historico potissimùm requiritur: alioqui non historiam, sed fabulosam narrationem scribet. Verborum verò cura secundo loco esse debet, siue prosa, siue carmine scriptio instituatur. Malos proinde historicos eos appellamus, qui in rebus gestis describendis vel negligentes & mendaces (siue id fiat ignorantia, siue maleuolentia) vel inepti & obscuri fuerunt: quorum illud materiæ vitium est, hoc verò formæ.

PHILISTVS cùm Syracusas se restitutum iri speraret, multa Dionysij flagitia in historia sua dissimulauit. Pausanias in Atticis.

HIERONYMVS Cardianus, res gestas regum Macedoniæ Epirotarum scripsit: & à Pausania in Atticis reprehenditur, quòd Antigonum præter meritum maioribus laudibus prosequatur. Lysimachum verò præter rei veritatem in Epiro regum sepulchra violasse scripserit. Idem.

CHOERILVS Alexandri Macedonis facta descripsit, & pro quolibet versu bono aureum Philippeum, pro malo colaphum ab Alexandro accepit. Vide tit. Poetarum indoctorum.

ARISTOBVLVS poeta res gestas Alexandri scripsit, & Hermodotus Antigoni, parum fidi in historia. Vide tit. Adulationem respuere.

DE PRV-

DE PRVDENTIA.

Habitus practicos in specie nunc agredimur, Virtutes scilicet, & Vitia: quorum cùm alij partem animæ irrationalem, alij rationalē perficiāt, de posteriore hoc genere tum excellentiæ tum communitatis gratia (ὀρθὸς enim λόγος in omni virtutum definitione adhibetur) in primis agemus, & prudentiam ipsam per exempla declarare & illustrare conabimur. Quamuis enim Aristot. in Ethicis, quē nos hic imitari cupimus, Prudentiam sexto demum libro post alias virtutes tractauerit: id tamen ex definitiuæ methodi præscripto facere fuit coactus, cùm vltima particula in definitione virtutis, circa finem primi libri proposita (τὸ διανοητικὸν scilicet) declaranda superesset, quæ prudentiam comprehendere videbatur. De qua re in Tabulis nostris Ethicis. Nos autem qui secundum animæ partes superiore loco virtutes diuisimus, à prudentia ordimur: eámque cum Aristot. in 6 Ethicorum definimus esse ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ ἢ κακά. Hesiodus in primo libro ἔργων, prudentis naturam, & vicissim imprudentis, breuissimè ac luculentissimè propositis: ἕτος μὲν παναριστος, ὃς αὐτῶ πάντα νοήσῃ, φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος εἶσιν ἀμείνω. ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται· ὃς δὲ μήθ' αὐτῶ νοέει, μήθ' ἄλλου ἀκούων ἐν φρεσὶ βάλληται, ὃ δ' αὖ ἀχρήϊος ἀνήρ. Prudentis enim geminum est officium, vel inuenire, vel iudicare. Inuentionem voco eius, quod faciendum sit vel fugiendum, siue publicè, siue priuatim. Sic enim Aristot. quoque loco iam commemorate βουλὴν ἔπαφάσιν, ἀλλὰ ζήτησιν esse ait: εὐβουλίαν autem ὀρθότητα τῆς βουλῆς statuit. Inuenire ergo consilium, primum prudentis est munus: non simplex tamen. Nam vel sibi ipsi prouidet, & φρόνησις περὶ αὐτὸν dicitur τὸ αὑτῶ εἰδέναι: quam vulgus veram solidámque prudentiam esse falsò putat. Vel aliis consulit, aut priuatim: quæ ab Aristotele propriè φρόνησις dicitur: imperitæ autem plebeculæ non prudentia, sed πολυπραγμοσύνη quædam videtur esse. Bonum certè quo communius, eo diuinius: & propterea etiā consilium quod pluribus prodest, ei quod vnius tantùm saluti ac vtilitati confert, anteponendum est meritò, quandoquidem homo ζῶον κοινωνικὸν est, nec magis sibi quàm aliis natus esse debet. Alterum prudentiæ munus est Iudicium: quod partim in aliorum dictis & factis diiudicādis ac interpretandis, partim in obsequendo siue obtemperando aliorum consiliis atque monitis consistit. Prius illud ad iudicium apertè spectat: posterius etsi non apertè, reuerā tamen vim iudicandi requirit. Neque enim aliorum consiliis quispiam obsequetur, nisi præconceptam opinionē iam habeat, aut certè nunc tandem multis concurrentibus argumētis ac versimilibus indiciis iudicet consilia illa sibi suisve vtilia, & profutura fore. Iudicium Aristot. duplex facit: aliud ἀκριβὲς, cuius perfectus habitus συνεσις dicitur, quæ iuxta leges & statuta vel publica vel priuata sententiam fert: aliud ἐπιεικὲς, quod iuxta æquum & bonum iudicat, nec nisi in viros graues & sapientes cadit: eáque propter γνώμη appellari consuerit, οἷον γνώμων siue regula rectè viuendi. Nos propter exēplorum defectum duos tātùm titulos posuimus: alterum quidē eorum qui iudicant bene, siue publicè siue priuatim (& is rursum in Συνέσεσι & γνώμαις sub diuidi potest) alterum verò earum qui non iudicant, sed in rebus dubiis, ne quid temerè pronuncient, ἐποχὴν Academicam sequuntur, & iudicium suspendunt. Sunt igitur duæ prudentię species: illa quidem παναρέτη, hæc verò simpliciter ἀγαθὴ, siue (vt Hesiodus vocat) ἐσθλή. Germani in vocabulorum etymis nō tam religiosi quàm felices, vna eademque voce vtranque speciem prudentiæ expresserunt: vveisheit enim prudentem vocant. Quam vocē si quis à vvysen deducat quod scire est, primam prudentię speciem, quæ in inueniendo & consulendo sita est, habebit: sin verò à vveisen, quod est manu ducere, & digito viam monstrare, alteram speciem prodibit: eorum scilicet, qui sese ab aliis manu duci patiuntur. Iam verò tertium genus ab Hesiodo propositum, imprudentiam comprehendit, quæ nunc inuenire nec iudicare potest: hoc est, neque consulere, neque bene monenti & consulēti parēre. Illam nos duplicem facimus, & in defectum prudentiæ siue stultitiam, atque in excessum, siue calliditatem diuidimus. Vtraque tamen defectum prudentię arguit: stultitia quidem apertè, calliditas verò occultè. Fraus enim cum iniusticia & iniuria iungitur: at qui iniuriam alteri infert, seipsum maiore afficit damno, quamuis specie apparentis boni decipiatur. Sicuti ergo ἄγνοιαν Aristoteles in Analyticis suis duplicem facit, κατ' ἀπόφασιν & κατ' ἕξιν: ita quoque nos imprudentiam aliam ἀποφατικὴν stultorum, aliam ἕξεως callidorum statuimus. Verumenimverò vt hæc clarius innotescant, prudentiæ varias differentias generali typo exprimere conabimur: mox titulorum seriem & connexionem subnectemus.





B. In bello. *Prudentia bellica appellatur. Continet enim Diſciplina bellica, veluti genus, tum virtutes reliquas, tũ verò quàm maximè fortitudinem & prudentiam bellicam. De Fortitudine inferius agetur: de Prudentia, in præſentia, quam ſub nomine Stratagematum comprehendimus. Hæc enim αὐτοχεδιαστικὴ quandam, vt ita loquar, prudentiam continent, nec tam à præceptis quàm à naturali prudentia Imperatoris pendent. Titulorum ſeriem ſuo loco enarrabimus.*

C. Vitia *duo. Alterum quidem in* { Defectu, *quod* STVLTICIAM *appellamus.* Exceſſu, *quod* FRAVS, *Calliditas, Aſtutia dicitur. De quo itidem inferius agemus.*

CONSILIA GENERALIA, QVÆ EX TOTO *populo, vel certè maiore eius parte, conſtant.*

COMITIA ET CONVENTVS VARIARVM GENTIVM

Huc pertinent Concilia & Synodi Eccleſiaſticæ, ratione prudentiæ: quorum tamen infrà ſub loco Iuſticiæ religioſæ, in componendis controuerſijs, tollendíſque erroribus in religione obortis, mentio fiet.

GRÆCI initio veris & autumni conueniebant ex duodecim florentiſſimis vrbibus, & Cereri ſacrum facientes, de grauiſſimis rebus decernere ſolebant. Fuére autem populi, qui illuc confluebant, Iones, Dorij, Perrhœbij, Bœotij, Magnetes, Achæi, Phthij, Melienſes, Dolopes, Æniancs, Delphi, & Phocenſes. Alex. lib. 5. cap. 7.

LACONES & Meſſenij ad Diànæ templum, quod eſt in Laconiæ finibus, certo die quotannis ſe recipiunt, & peracto ſacrificio de ſumma rerum conſultant. Ibidem.

Conuentum apud DELPHOS conſtitutum ab Amphictyone primùm Deucalionis filio, ſatis conſtanti hominum ſententia traditur: & ab eo conſeſſum illum Amphictyonas appellatos. Androtiũ verò in Attica hiſtoria conueniſſe in vnum conſeſſum iam tum ab initio Delphos finitimos omnes, ſcriptum reliquit: & ex eo Amphyctionum nomen extitiſſe. Inualuiſſe deinde temporis longiore interuallo, vt Amphictyones dicerentur. Ab ipſo quidem Amphictyone in commune Concilium vocatos tradũt hos Græci nominis populos, Ionas, Dolopas, Theſſalos, Æeanas, Magnetas, Maltenſes, Phthiotas, Phocenſes, & Locros Phocidi finitimos, Cnemedis montis accolas. Poſtea verò quàm Phocenſes templũ Delphicum diripuerunt, decennali iam bello confecto, mutationem etiam ſenſit Amphictyonum curia. Siquidem Macedones locũ in ea ſunt adepti: Phocenſium verò natio, & ex Dorico nomine Lacedæmonij, ſunt ordine motiſilli, ob admiſſum ſacrilegium: hi quòd opem Phocenſib. tuliſſent, mulcta affecti. Verùm cùm Galli duce Brenno Delphos adorti fuiſſent, præ cunctis Græcis Phocenſes ſtrenuè rem geſſere. Quare & Amphictionatum, & priſtinam omnem veterem dignitatem receperunt. Auguſtus deinde Imperator Nicopolitanis etiam, qui ad Actium ſunt locum, eſſe inter Amphictyonas, voluit: cùm Magnetas, Maleenſes, Æeanas, & Phthiotas contribuere ſe Theſſalis iuſſiſſet. Suffragia verò, quæ illorum & Dolopum fuerunt (interierat enim iam Dolopum gens) ad Nicopolitanos tranſtulit. Amphictyones numero 30 fuerunt ætate Pauſaniæ, vt ipſemet reſtatur lib. 10.

DORII in Epitropio Apolline cum vxoribus & liberis ſacrificãt: atque ex omnibus oppidis & vicis, ſi qua conſultatio inſtitueretur, ciues & incolas ad concilium vocabant. Alex. lib. 5. cap. 7.

ÆTOLORVM Concilium, quod Panætolium, & Pyrrhiacum vocant, magni nominis fuit, in quo ſolo de bello vel pace decerni poterat. Idem.

BOEOTIA tota in Palladis Ioniæ templo Pambœotia conueniebat, & concilia populorum magno concurſu ad omnes hoſtium motus fiebant. Idem.

Apud CARES, Chryſaorei Iouis templum omnibus Caribus communis concilij locus erat: quemadmodum Sybaritis Omarij Iouis delubrũ: in quo Sybaritæ, Canlonitæ & Crotoniatæ conueniebant, grauioribus de rebus conſultaturi. Idem.

Apud ROMANOS inſtitutum erat, vt ſi quod nomini Latino impenderet bellum, vitandæ iniuriæ cauſa, in monte Albano, aut ad Lucum Ferẽtinæ, quid facto opus foret, communi conſilio decernerent. Idem.

Q. FABIVS cenſor cum P. Decio ſeditionis ſiniendæ gratia, quia comitia in humillimi cuiuſque poteſtatem redacta acceſſerant, omnẽ forenſem turbam in quatuor tantummodo tribus deſcripſit, eáſque vrbanas appellauit. Quo tam ſalubri R. P. facto, vir alioqui bellicis operibus excellens, Maximus cognominatus eſt. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

ANAGNINI concilium Hernicis populis, in circo quem Maritimum vocant, indicebat. Alex. lib. 5 cap. 7.

LVGDVNI, vbi Arar Rhodano commiſcetur, communis ara finitimos conciuit populos numero 60. ad quod ſacrum ſinguli euocati ingenti coacta manu aduentabant, déque rebus magnis indicto Concilio decernebant. Ibidem.

SVFFRAGIORVM FERENDORVM, DICENDA- *rumque ſententiarum varij ritus.*

LACEDÆMONIORVM regibus binos calculos ponendi, cùm ſententiã dicunt in ſenatu, facultas erat. Tertium verò, ſi quid pro ſe de-

cerni vellent.Alex.ab Alex.libro 4.cap.11.

GRAECIS & plerisque gentibus fabis suffragia dabantur.

Apud SYRACVSANOS nemo sententiam dicebat rogatus : sed vt quisque ætate & honore anteit, ita sua spõte, quid sui consilij sit, in medium profert. Iidem tamen per literas quoque suffragia dabant. Vnde Dionysius Syracusanus priuatus adhuc, cùm M sortitus fuisset, futuram sibi monarchiam ominatus est.

Apud HEDVOS constitutum fuit, vt qui in senatu sententiam dicerent, ex eadem familia neminem interrogarent, cuiusnam esset sententiæ.

Apud ROMANOS in Centuriatis comitiis describebantur nomina tribuum, vel centuriarum, quæ intra cancellos, quibus Ouilia nomen erat, ex vrna vt sors ferebat ducta, suffragabantur : demùm tribuum sortitione facta, in cistellam posita, (quam situlam dixêre) renunciabant præconis voce, quem quæque tribus candidatum elegisset. L.Cassius Longinus tribunus plebis, vt populus per tabellas punctis distinctas suffragia ferret, legem tulit tabellariam, quæ diu sancta & incorrupta mansit. Ea enim lege, ne qua inuidia oriretur, quoque magis liberè vota darent, cautum fuit.Puncto enim in tabula apposito, per singulas tribus, pro quo candidato suffragia ferrentur, dignosci poterat Nonnunquam etiam discoloribus ceris signa suffragiorum & sententiarum notata fuerunt, præsertim in iudiciis.Ibidem.

CONSILIA CERTORVM HOMINVM.

CONSILIARII PVBLICI.

Ordo senatorius præsentis est loci, ratione officij sui, quod est, Reipublicæ consulere: at respectu dignitatis, ad magistratus referri debet. Ex tit. quoque Iurecoß. exempla plurima petere licebit, quoniam illi quoque de iure respondẽdo consilia dant clientibus & consultoribus. Vide sub sequentibus titulis, Varia publicorum consiliorum exempla.

VIRORVM EXEMPLA.

PERSARVM consuetudo erat, vt si quis de rebus obscuris ambiguisque consilium regi dare vellet, super aureo latere staret : atque si bona salubriaque consuluisse videretur, latere aureo in consilij præmium accepto discederet: si contrarium regi dixisset, flagris cęderetur. Ælian.lib. 12.de Var.hist.

IIDEM ebrij de maximis rebus consultare consueuerunt : quicquid autem ipsis consultantibus placuerit, postera die sobriis proponit is, qui conuiuij rex est. Et siquidem sobriis ipsis placuerit, vtũtur eo: sin minus, reprobant. Herod.lib.1.

CROESVS, rex Lydorum, victus à Cyro Persarum rege, illi postea in rebus gerendis semper optimè consuluit. Itaque Cyrus contra Massagetas expeditionem suscipiens (in qua etiam perijt) filio suo Cambysi Crœsum commendauit, vtque illius consilio vteretur monuit. Herod. libro primo.

DOMITIVS Vlpianus iurecoss. clarissimus, prætorio præfectus sub Alexandro Mammeæ, omniúmque eius consiliorum particeps, sua prudentia principem, atque adeò totum rexit imperium. Propterea quęrenti Constantino Magno, quo pacto Alexander & adolescens & Syrus in talem euasisset principem, cùm Tiberij, Caligulæ, Nerones, Domitiani, Commodi, Iuliani, ante illum principes Romani sanguinis, imperatorium nomen dignitatemque fœdarint? responsum fuit, id potissimùm moribus ac probitati eorum accepto esse ferendum, quos ille princeps in consilio habuerat, Vlpiano, Iulio Paulo, Pomponio, Fabio Sabino. Iureconsultis præstantissimis & V.C. Rutilius in vita Vlpiani.

LEO 43. Rom.Pont. Theodorico Gotthorum regi à secretioribus fuit consiliis, antequam sacrarum literarum studio sese addiceret. Sidonius ad Leonem lib.4.

EXEMPLA MVLIERVM, QVÆ IN CONsilium aut senatum admissæ fuerunt.

LACEDAEMONII publicis consiliis adhibuerunt mulieres, illasque frequenti curia in exequendis negotiis socias assumebant, fœminarúmque arbitrio decernebantur multa. Alex.ab Alex.lib.4.cap.11.

TROGLODYTIS tantę authoritatis fuêre mulieres, vt in conflictu bellorum, matronæ intercursu suo infestas acies dirimerent, adeò quidem vt ipsis intercedentibus præliari ducerent nefas..

Apud GERMANOS priscos frequenter fœminæ, quas plurimas in castris habebant, labentem aciem restituerunt, aut infestissimos animos conciliarunt.

GALLI & Celtæ non solùm mulieres in concilia admittunt, sed quicquid est contentionis fœminarum iudicio decernunt. Ita vt intestina sæpe odia illarum interuentu sedata ferantur.

XERXES, Persarum rex, cùm in arcano consilio delectos Persarum proceres consuleret, Artemisiam sæpe ad consultandum accersiuit, cuius sententiam multoties sequutus est. Ibidem.

CYRVS, Persarum rex potentissimus, Aspasiæ Hermotimi Phocensis filiæ formosissimæ, & optimè educatę captus amore, cùm eam in vxorem duxisset, sępenumero eam de rebus incumbentibus in consilium adhibuit: & quotiescunque sententiam eius secutus est, nunquam pœnituit. Ælian.lib.12.de Var.hist.

HELIOGABALVS mulieribus tantùm virtutis, prudentię & sapientiæ tribuit, vt Romæ in colle Quirinali, proprium mulierum senatum constituerit. Alex.ab Alex.lib.4.cap.11.

MESA Varia, Heliogabali auia, in senatum Romanum admissa, sententiam dixit, & omnia senatorum munia obiuit. Ibidem.

HELIOGABALI mater tantæ prudentiæ mulier fuisse dicitur, vt in senatum Romanum admissa, optimè de rebus grauioribus consultasse dicatur. Ibidem.

IVLIA Mammęa, Alexandri principis mater, laudatissima fœmina, Syra genere, cuius auspiciis filius puer orbem terrarum sapientissimè rexit. Volat.lib.16.Anthrop.

CONSILIARII PRIVATI.

Consule tit. sequentes, ex quibus consilia priuata plurima elicies.

IETHRO bonum dedit consilium Moysi, dicens : Prouide tibi viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auariciã, &c. Exod.18.

Octauius Aug. Cæsar, rerum potitus, pacéque per totum terrarum orbem parta, consilium de armis ponendis, & Rep. S.P.Q.R. reddẽda cum AGRIPPA & MECOENATE duobus intimis amicis cæpit. Prior Agrippa principatum ei dissuasit, & vt Remp. Romanis redderet suasit. Mecœnas contrà, consilium de retinendo principatu dedit : sed ita tamen, vt eum optimum principem, non tyrannum esse vellet. Cæsar vtriusque audito consilio, vtrunque laudauit, Mecœnatis tamẽ sententiam secutus, imperium retinuit : Agrippam nihilominus summa complexus est beneuolentia. Vt tamẽ vtrique satisfaceret, & principatum suum hominum voluntate potius & decretis, quàm vi & armis tenere videretur, septimo Consulatu suo dispositis in senatu senatoribus, iis qui ad eam rem apti viderentur, se Reipub. imperium velle reddere simulauit: atque id quod voluit obtinuit. Nam partim metu, partim amore principatum postularunt: atque ad imperatoriam maiestatem accipiendam eum coegerunt. Orationes Agrippæ & Mecœnatis contrarias pete ex Dione libro quinquagesimosecundo.

PRVDENTIA EXTRA BELLVM, IN INVENIENDO SIVE *consulendo de ijs rebus, quæ vel publicè vel priuatim quibuscunque quorumcunque, bonis promouendis, malísue remouendis, conducere possunt. Et primùm.*

DE BONIS ANIMI, HOC EST VIRTVTIBVS CONFIR*mandis, aut vitijs impediendis & prohibendis.*

ERVDITIONEM PROMOVERE.

APPOLLINARIS, lector Laodiceæ (qui postea à fide defecit, & heresim Apollinaristarum exorsus est) cùm Iulianus Imperator Christianos literis Græcorum instituere prohibuisset, sperans se hac ratione omnem ingenij cultum illis ablaturum, ne tam acres in defendenda religione essent: Apollinaris, veteris Instrumenti historias, Homerum imitatus, versibus elegantissimis exposuit, ad Saulis vsque tempora: Euãgelica verò & Apostolica dogmata, Platonem imitatus, dialogicè conscripsit, & pueris Christianorum discenda proposuit: vafri imperatoris astutias sancta prudentia irritas faciens, atque vincens. Eius psalmi adhuc extant. Socrates lib.3.cap.16.

Sic quoque GREGORIVS Nazianzenus sacras historias & pia argumenta Iambicis ac heroicis versibus complexus est, atque pueris discenda proposuit, vt impiam Iuliani calliditatem pio astu eluderet.

PRVDENTIÆ CONSVLERE.

TOBIAS senior iam moriturus, inter alia magnæ prudentiæ documenta quæ filio dabat, voluit vt semper à sapiente consilium peteret. Tob.4.

EA QVÆ

EA QVÆ OCCVLTA ALIOQVI SVNT, *astutè expiscari & cognoscere.*

Vlysses quum esset Græcorum prudentissimus, insaniam tamen simulauit, ne ad bellum Troianum proficisceretur. Vt autem persuaderet se esse verè insanum, salem seminabat, variísque animalibus aratra iungebat. Astum hominis explorauit PALAMEDES, qui aranti Telemachũ filium obiecit. Quem ne læderet ipse Vlysses pater, aratrum suspendit. Vide Cicer.lib.3.Officio.

PHRYNE meretrix, cùm à Praxitele optionem habuisset eligendæ statuæ omnium quas haberet pulcherrimæ, nec tamen quænám illa esset expiscari posset : Praxiteli bene poto nunciari iussit, officinam eius conflagrasse. Hìc permotus Praxiteles, Saluus ne esset Cupido, percontatus est, Dictum imprudenti exciderat. Phryne verò operis præstantia cognita, Cupidinem petiit, & abstulit. Pausanias lib.1.

Ægyptij, priusquam apud eos regnaret PSAMMETICHVS, omniũ hominum se primos extitisse arbitrabantur: verùm Psammeticho regnũ adepto, cùm incessisset cupido noscendi, quínam primi hominum extitissent, ex eo tempore putauerunt Phrygas quàm se priores extitisse, se verò quàm cæteros. Enimuerò Psammetichus, vbi sciscitando quínam primi hominum extitissent, nullum exitum inuenire posset, huiusmodi rem machinatur. Pueros duos ex humilibus parentibus recens natos, tradidit pastori inter pecora educandos, iubens neminem coram eis vocem vllam edere, solitaria in casa ambos sibiipsi relinqui, eisdem in tempore capras admoueri: vbi lacte expleti forent, alia administrari. Hæc ideo faciebat, iubebátque Psammetichus, quòd cuperet ex pueris, vbi inarticulatè vagire desisterẽt, audire, si qua vox prima erumperet, prout etiam contigit. Nam vbi bimatus exactum est tempus, pastori qui hæc administrabat aperienti ianuam, atque intranti, ambo infantes porrectis manibus procidentes, BECCVS clamabant. Quod primò audiens pastor, obticuit. Cùm verò crebrius adeunti, & obseruãti, idem verbum frequentaretur: ita demùm re domino indicata, iussus ab eo pueros attulit, exhibuítque. quos cùm & ipse Psammetichus audisset, percontabatur quínam homines Beccus quippiam appellarent. Hæc percontans, comperit Phrygas sic panem appellantes. Tali negocio argumentati, Phrygas se priores extitisse Ægyptij concesserunt. Herod. in Euterpe, libr. secundo.

HYRIEI in peculatu deprehendendo prudentia. Vide tit. Oraculorum clarorum, de liberis.

Hospes quidam aiebat se velle cum Dionysio priuatim colloqui : demonstraturum enim, quomodo posset præscire, quínam ipsi molirentur insidias. Rex admisit hominem, iussítque dicere semotis arbitris. At ille: Da mihi, inquit, talentum, vt existimeris à me audisse insidiatorum indicia. Dedit, ac simulauit sese audisse, admiratus hominis commẽtum. Nam fucus ille vehementer vtilis erat ad deterrendas insidias. Sunt qui narrẽt MAXIMILIANVM Cęsarẽ simili arte simulasse magicas artes, indusia, gladiósque fortunatos, genios annullis inclusos, quo facinorosis & hostibus esset formidabilior. Plutarchus in regum & Imper. apophtheg.

CROESVS Lydorum rex cùm contra Cyrum Persarum regem bellum meditaretur, oracula prius consulere voluit. Misit igitur Delphos, Dodonam, ad Amphiaraum & Trophonium, ad Branchidas oræ Milesiæ: denique etiam ad Ammonem, sciscitatum, Quídnam rex Lydorum Crœsus Halyattis F. ageret: veritatem oraculorum hac ludicra quęstione exploraturus. Ipse interea dimissis legatis, certo quodã die testudinem pariter, & agnum concisos, simul in aheno coxit, & operculo aheneo texit. Et reliqua quidem oracula nihil veri responderunt. at Pythia, simulac legati templum ingressi sunt, hosce versus ex adyto pronunciauit:

οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,
καὶ κωφοῦ συνίημι, καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.
ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης,
ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσιν.
ᾗ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπίεσται.

Crœsus oraculo fidem adhibere cœpit, & amplissima munera Delphos misit. Herod.lib.1.

Aristodemus, qui Lacedæmonios in Laconicam duxit, ex Ægina filia Autesionis geminos sustulit, & mox obiit. Mortuo rege Lacedæmones primigenium ex lege regem creaturi erant. Verùm cùm pueri similes essent, neque quis illorum prior ex vtero prodiisset, discerni posset: percontati sunt matrem. Eáque negante se dignoscere (dissimulabat autem, quoniam magnoperè cupiebat ambos effici reges) miserunt Lacedæmonij Delphos sciscitatum, quid in ea agerent. Pythia respondit: Vtrumque puerorum haberent pro rege, sed primigenium magis honorarent. Hoc responso à Pythia edito, Lacedæmonij nihilominus incerti quo pacto primigenium reperirẽt, admoniti fuêre à quodam Messenio, nomine Panite, vt obseruarent, vtrum puerorum mater priorem lauaret, cibarétque : quam si deprehenderent eodem semper modo factitare, habituri essent id omne quod quærerent: sin illa alternando erraret, palàm fore ne ipsam quidem quippiam magis nosse. Spartani igitur ex admonitu Panitis obseruantes matrem puerorum, ignaram cur obseruaretur: animaduertentésque illam præferentem alteri primigenium, tum cibando, tum lauando: acceperunt eum puerũ, qui magis honorabatur à matre, tanquam primigenium, publicéq; alẽdum curarunt, imposito ei nomine Eurysthenis, iuniori autem Proclis. Herodot. libro sexto.

FORTITVDINEM SVAM, SVORVM'VE *conseruare, & augere.*

Consule tit. Exercitationis.

LYCVRGVS, vt ciues suos ad virtutis exercitia hortaretur, duos in concionem produxit catulos, ex eadem matre susceptos: alterum tamen venationi, alterum popinæ assuetum. Mox obiecto illis ferculo, & vnà etiam emisso lepore, venaticus quidem prædam sequitur, alter ferculum deuorat. Tum licurgus: Res ipsa, ô Spartani, loquitur, nec Herculis quidem genus, quo vos ortos gloriamini, vobis profuturum, nisi ad maiorum laudes propriæ quoque virtutis exercitia adiungatis. Plutarchus author.

Lacedæmonij non præficiebant pædotribas, qui pueros ad luctam exercerent: vt virtutis esset certamen, non artis. Vnde & Lysander interrogatus, quo pacto à Charonte victus esset ? respondit, Vario artificio. Non existimabat ea gens in quauis re speciosam esse victoriam, quę callidis consiliis contigisset, potius quàm animi corporísque robore. Ars autem omnis vt à naturali simplicitate recedit, ita dolo affinis est. Plutarch.

LACEDÆMONII posteaquam moderatè biberunt in conuiuiis publicis, discedunt absque teda: non enim fas est illis ad lumen incedere, nec hac via, nec illa, quo consuescant in tenebris, noctúque cõfidenter & intrepidè ire. Id enim interdum in bellis vsuuenit, vt necesse sit. Plutarch. in Laconicis.

Quum Lacedæmoniorum rex polliceretur se funditùs euersurum alteram quandam ciuitatem, quæ sæpenumero Lacedæmoniis exhibuerat negocium: non permiserunt EPHORI, dicentes : Nequaquam abolebis, neque subuertes iuuenum cotem. Vrbem infestam appellabant cotem iuuentutis, quòd per eam iuuentus acueretur ad bellandi peritiam. Plut. in Lacon. Brus. lib.5.cap.15.

CHARILAVS percontanti cuidam, quamobrem omnium deorum statuæ apud Lacedæmonios ponerentur armatæ ? Ne, inquit, probra, quæ ob ignominiam iaciuntur in homines, ad deos referamus, néve iuuenes nisi armati deos comprecentur. Eo commento ciuium animis hanc opinionem infigere studebant: diis gratam esse fortitudinẽ, armis ferendis debere assuescere: quo simul & minus indulgerent deliciis, & vtiliores bello euaderent : neque religionis causa fas esset arma ponere, cuius obtentu ferè solet ocium & luxus in ciuitates irrepere. Eras. lib.5.Apoph.

AGESILAVS animaduertens ciuium nonnullos in equis alendis totos esse, sorori Cyniscę persuasit, vt cõscenso curru certaret in Olympiis, hoc pacto Græcis ostendere cupiens, id genus exercitamenta nullius esse veræ virtutis, sed nihil aliud habere quàm opum & impendiorum ostentationem, eóque fœminis esse digniora quàm viris. Plut. in Laconicis Apoph.

Quum Persæ, quoniam regionem habebant montuosam asperámque cuperent eam campestri ac molliore commutare, non passus est CYRVS, dicens: Quemadmodum plantas ac semina, sic hominum mores ad regionis habitum immutari. Sentiens, se velle duros homines laboribus accommodos. Nam mollis ac fertilis regio, molles & ignauos gignit homines. Plut. in Reg. Apoph.

Agebatur Romæ occultè inter patres de Carthagine funditùs delenda, exiítque ea consultatio in longam & difficilem disceptationem : maiore Portio Catone, cui antea Prisci nomen fuit, censente Carthaginem esse delendam, vt Roma incolumis esset. Et cùm multi pedibus irent in eam sententiam, tum SCIPIO Nasica identidem testatus dicitur, viderent illi, qui cupidè vellent Carthaginem excisam, ne populus Romanus æmulæ & inimicæ vrbis metu liberatus, in domesticam laberetur discordiam. Quod malum multo prius prospexit Nasica, ac prædicauit: sed fatali necessitati ire obuiam non potuit. Sabellicus cap.8.libro 4. Florus libro 49. Epitomes, & libro tertio, capite 15. de bello Punico tertio. Appianus in Libyco. Plutarchus in vita Catonis Censorij. Orosius libro. 4. capite 22.

TEMPERANTIÆ IN VENEREIS, *& pudicitiæ consulere.*

Exempla quædam ex tit. Earum quæ virginitatis studio insidias amatorum effugerunt, petes. Item ex tit. Stuprum fugere.

Monasterij Thebaidis ANTISTITA, Euphraxiæ Deo sacratæ virgini, & adhuc puellæ, præter communes cum aliis labores hoc iniunxit, vt quotidie magnum lapidum aceruum de loco ad locum transferret, & translatos rursum restitueret, quamuis enim ieiuniis vigiliísque haud parum illam fatigari cerneret, timebat tamẽ ne si quicquam paulò remissius egisset, aliqua residẽs iuuenili in corpore turpis cogitationis scintillula incẽdiũ excitaret peccati: eã autẽ sopori, vel etiã extingui posse hoc exercitationis additamẽto sperabat. Neq; ipsam spes fefellit: quãdo-

quidem satis constet Euphraxiam virginem inter sorores virtute atque integritate præstitisse. Marul.lib.3.cap.9.

ABBATIS cuiusdam prudẽtiam in mala libidine Græci monachi extinguenda, pete ex tit. Scortationem fugere.

PHEMIVS musicus & poeta sine vates, custos ab Vlysse vxori Penelope relictus, in primo Odyss. introducitur reditum Græcorum à Troia canere procis. Interrumpit PENELOPE, argutè admodum. veretur enim ne Vlyssis quoque mentio fiat. Si viui, ne procis detur occasio ei insidiandi: si mortui, ne alteri nubere cogatur. Sciebat enim prudens mulier, authoritate Phemium plurimum posse in vtranque partem.

MAGOS tradunt nulla lege, sed nouo commento adulteria vindicare, vt surculus per ranę viscera ad os transfixus, in menstruis vxoris desigatur à marito. Tunc vxorem fastidire adulteria, & illorum tædio affici pro certo opinati sunt. Alex.ab Alex.lib.4.cap.1.

SOLON vt ab adulteriis coliberetur iuuentus, coemptas meretriculas, Athenis prostituit primus, obuiásque in Venerem esse voluit, ne matronæ polluerentur, Ibidem.

THEOGNIS Megarensis Siculus, vel Atticus poeta, cùm turpi fabularum inuolucro poesim contaminatam esse videret, primus repudiatis fabulis admonitiones atque parænenses excogitauit, & nudas res ethicáque præcepta tractauit. Aphthonius in Progymnas.

M. CATO Censor Romanos vxoribus & filiabus domum reuertentes osculum dare instituit, vt scirent an temetum olerent: ita enim eo tẽpore vinum appellabant, vnde & temulentia pro violentia sumitur. Pli. lib.14.cap.13.& Plut.in Problem. Vini autem vsus mulieribus à Romulo interdictus fuerat, castitatis seruandę causa. Sab lib.6. cap.1.

CRATES Thebanus cum filium Pasiclem in meretricis domum perduxisset, dixit: Hoc tibi est patrium coniugium. Nam mœchi tragici, præmia referunt exilia ac cædes: Comici autem scortatores ex luxu & temulentia lucrifaciunt insaniam. Sensit homo ethnicus, quasi tragicam esse rem adulterium: propterea quòd plerunque crudelis sit eius exitus. *Scortari autem esse comicum.* scortatio enim non mortis damnatur supplicio: nihilominus tamen, qui depereunt in meretricem, in comœdiis inducuntur insanis similes. Factum hoc extat apud Laertium libro sexto capite quinto.

TIMOCLEA Thebana, soror Theagenis, eius qui in Chæronea cũ Philippo prælium commisit, quique exclamanti, Vsquequò persequeris? respondit: Vsque in Macedoniam. Thebas Alexandro diruente, alij alias ciuitatis partes vastabant: Timocleæ verò domum inuasit Thrax quidã Hipparchus, qui post cœnam Timocleam in thalamum accersiuit: neque hoc solùm, sed aurum etiam & argentum, sicubi reconditum haberet, confiteri eam cogebat. Illa se multum quidem ornatum auri argẽtique dicebat habuisse, in portibus, & tibialibus, poculis & nummis. Capta autem ciuitate, se hæc in puteum aqua carentem proiecisse. Thrax credidit. Illa ducit eum in hortum ædium, in quo puteus erat, eúmque descendere iubet: Qui cùm descendens argentum & aurum quæreret, illa desuper cum famulis multos lapides & saxa in eum deuoluit, Barbarúmque obruit. Macedones eam coprehensam ad Alexandrum regem traduxerũt. Confitentem autem ipsam, se Barbarum, qui per vim & iniuriam secum egerit, vltam esse: admiratus Alexander, tum ipsam liberam dimisit, tum omnes qui eam eam generis coniunctione attingerent. Polyæn. libro octauo.

ORISGONTIS Gallorum reguli vxor, cum omnium suæ gentis esset pulcherrima, captiua asseruabatur in Ancyra vrbe à Romano Centurione cum multis millibus sui sexus. Cæterùm insignis forma fecit, vt Centurionis libidini preter alias fuerit obnoxia: passaque ab eo stuprum magna arte vim sibi allatã vlta est. Occultè enim pacta ingẽs auri pondus pro se redimenda, Centurionem noctu extra vrbem in secretum pertraxit, spe auri potiundi, quod serui à coniuge ex composito missi eò attulissent: hic illa suos Gallica alfatur lingua, hostémque iubet obtruncari. Opprimitur vnus à plurib. iacenti caput mulier adimit ademptum, ad Orisgontem defert: fatetur se passam fuisse vim ab hoste, sed voluntate à flagitio absuisse: id argumento esse, quòd prius quàm ad maritum venerit, id probrum fortiter vindicasset. Sab.libro decimo, capite sexto.

Viderunt Syracusæ in Lucia indigena puella præclarum prudentiæ exemplum. Sensit hæc à pulchritudine oculorum suæ virginitati periculum intendi, qui præter cætera expeterentur ab insana tyranni libidine. Satius igitur rata parte corporis vna, etsi nobilissima, quàm anima quæ multo sit nobilior, periclitari: hos sibi sponte auulsos, deferendos dedit insano regi, vt sciret nihil in se esse amplius, propter quod ab eo timenda esset iniuria. Sab.lib.4.cap.8.

EVBATAS Cyrenensis, cùm eum Lais meretrix vehementer amaret, & insidias eius vereretur, simulauit se eam ducturum post ludos Olympicos. In quibus cùm victor extitisset, pictam Laidis imaginem secum auexit, vt & pactis stetisse videretur, & nihilominus à meretrice liber esset. Ælian.lib.10.de Var.hist.

VENETÆ ciuitatis more introductum olim fuit, vt singulis annis certi quidam nuncij in Germaniæ fines mitterentur, qui iuniores fœminas ex locis illis stipendio certo conducerent, quæ iuxta carnificinam publicam, vbi nunc diui Matthæi phanum est, prostarent, vulgíque libidini inseruirent, certa mercede persoluenda. Egnat.libro sexto capite 1.

TEMPERANTIÆ IN VICTV.

PLATO discipulos suos admonebat, vt se ebrios in speculo contemplarentur. Sic enim fore, vt dum faciem suam furibundam & phrenetico similem intuerentur, in posterum ab ebrietatis vitio adhorrerent. Fulg. lib.8.cap.2.

AGESILAVS Lacedemoniorum rex, cùm in liberiore quodam cõuiuio princeps factus esset, cuius partes erant præscribere bibendi modũ, rogatus à pincerna, quantum cuique vini deberet apponere? Si multum, inquit, vini paratum est, dato cuique quantum poscit: sin parũ, cunctis ex æquo diuidito (Qua dexteritate mirè prospexit, ne parata vini copia deesset, quibus placeret largior potatio: vel ad bibendum cogerentur, quib. placeret sobrietas.) Plut.in Apoph.Laconicis.

LYCVRGVS, percontantibus quam ob rem statuisset, vt ad ædium culmen imponendum fabri securi vterentur, ad fores verò addendas sola serra, nec vllo alio instrumento? Vt, inquit, ciues mediocritatem seruent in omnibus quę in ædes inferunt, neque quicquam habeant earum rerum quæ apud alios sunt admirationi. Videbatur enim indecorum, si per ostium rude ac ciuile supellex inferretur exotica, precio cara, arte operosa. Id ne fieret, ipsæ quodammodo fores admonebant. Hinc aiunt accidisse, quòd Leontychidas primus apud Lacones rex, quum cœnaret apud quendam, cernerétque tectum domus sumptuoso apparatu factũ, ac lacunarib. ornatum, rogaret hospitem, num ligna apud eos quadrata nascerentur? adeò luxum esse putabat, naturam artificio corrumpere. Ibidem.

LIBERALITATI VEL SVAE *vel alienæ consulere.*

Profectò fingi aliquid etiam sine vlla culpa posse, quis dubitat? quandoquidem VERITAS illa, in qua nullum prorsus vitium cadere potest in Euãgelio fingere dicitur. Et ipse, inquit, se finxit lõgius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Sed talis fuit hæc Domini erga discipulos fictio, qualis & illa quondam erga Abraham tentatio. Ille tentatus est an obediret Deo, isti an hospitalitatem seruarent: non quia Deus futura nesciat sed vt nos habeamus virtutum exempla. Huiusce rei causa fingere ac simulare patribus præpositisque proprium atque vsitatum est, dum iuniorũ animos probare student, dúmque probatos cæteris ad imitandum exhibent. Non sunt igitur hæ fictiones mendacij, sed veritatis. Neque enim aliter iis mores hominum ingeniáque experimur, quàm artifex experiri solet indice lapide aurum argentúmue, vt quale sit cognoscatur, & experimento veritas ipsa pateat. Marul.lib.4.cap.4.

HIERO, afflictis Romanorum rebus Thrasymena clade, 300 millia modiorum tritici. 200 ordei, auri 240 pondo muneri misit. Et ne pro sua modestia ea recusarent, in habitum victoriæ eis formauit, vt religione moti, ominis causa ea recipere cogerentur. Val.lib.4.cap.8.

GRÆCI poetæ in extorquendis ab Augusto pecuniis prudentiam, pete ex tit. Libertas in reprehendendo ethica.

P. VIRG. Maronis prudentiam in liberalitate Augusti excitanda, pete ex tit. Physiognomorum.

APOLLINARIS patriarcha Alexandrinus, Macarij paupertati & pudori ingeniosè cõsulit. Vide tit. Liberalitatis religiosæ.

ILLIBERALITATEM DECLINARE, *Auaritiæ obstare.*

LYCVRGVS, percontanti, quam ob rem hostium cæsorum cadauera spoliare vetuisset? Ne, inquit, dum spoliis incumbunt, pugnam negligant, sed paupertatem vnà cum ordine seruent. Vt vir ille sapiẽs vbique ciuibus suis metuit à diuitiis, tanquam à fonte plurimorum malorum, quum apud hominum vulgus nihil expetatur auidius, quasi in his sint præcipua felicitatis humanæ præsidia. Plutarchus in Lacon. apoph.

LYCVRGVS cum inductis nouis tabulis debitores æris alieni liberasset, iam & ea quæ quisque priuatim in ædibus habebat, ex æquo partiri tentauit, quo funditùs è ciuitate tolleret discrimen opum, & inæqualitatem. sed quum cerneret eos ægrè laturos manifestam rerum ablationem, idem occultiore via facere aggressus est: monetam auream simul & argenteam abrogauit, instituitque vt ciues *ferreo* duntaxat nummo vterentur: & quatenus postulabat vsus ad huius permutationem, totius substantiæ modum præscripsit. Hoc facto omnis iniusticia exulabat ab Lacedæmone. Neque enim iam furari, neque largitionibus corrumpere corrumpiúe, neque fraudare dolo, neque rapere per vim quisquã poterat, quod nec celari valeret: nec parare magnificum esset, nec vti periculo vacaret, nec importare aut exportare tutum foret. Hac arte vir solertis ingenij, quibus diuitiarum contemptum persuadere non potuit, diuitiarum vsum subtraxit, ac reponendi studium negociandíque materiam ademit. Ibidem.

DIONYSIVS senior, quum audisset quendam è ciuib. aurum habere domi defossum, id ad se deferri iussit. Verùm posteaquam is suffuratus auri paululum, in aliam vrbem commigrasset, ibíque mercatus esset agrũ reuocato Dionysius totum aurum reddidit: vt qui iam diuitiis vti cœpisset, desisseétque rem vtilem inutilem reddere. Satis declarauit, sese nõ aurum alienum appetisse, sed hominis morbum sanare voluisse: simul vsum auri legitimum demonstrauit, si in agricolationem impendas potius quàm in vsuram, Plutarch.in Regum & Imp.apoph.

TIBERIVS Cæsar, qui statim post Augustum Romanis imperauit cùm ab amicis interrogaretur, cur non tam facilè magistratus & præfecturas

fecturas

fecturas suas mutaret? Respondit, se data hoc opera semper fecisse. Natura enim omnes, qui rerum administrationi præsint, pecuniæ esse cupidos, plurimúmque studij ad rem magis magísque augendam eos collocare. Cæterùm si diutius in magistratu versentur, segniores ad quęstũ faciendum fieri. muscas enim, si longius corporum vlceribus insideant, minus graues & molestas fieri: quippe sanie vlcerum ad satietatem vsque refertas: & eum qui vlceribus scateat, durius acceptum afflictúmque iri, si saturis iam repulsis, famelicas alias ad vulnera admittere velit. Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ suæ hist.lib.1.cap.17.

AMBITIONEM PRVDENTER FVGERE, *vel alteri fugiendam persuadere.*

Quidam tegendæ sanctitatis causa simulationis latebram subière, ne fortè honorati placerent sibi, & pro inani gloria veram amitterent. NICOLAVS cognomento Peregrinus, natione Græcus, in oppido Apuliæ Teano seminudus incedens, & crucem ligneam manu præferens, Kyrie eleyson clamitabat. Eo clamore puerorum turbam excitabat, & hoc ipsum, vt iteratis vocibus secum decantarent, innuebat. Excogitauerat vtique, quemadmodum & stultus hominibus appareret, & à laudibus Dei non cessaret. Qua insaniæ simulatione tantum placuit, vt Deo donante defuncti cadauer multorum languores tactu sanaret. Marul. libro quarto, cap.4.

Fuisse Alexandriæ quendam MARCVM, Solonem nomine, tradunt, qui se stultum fingens nudus incedebat, operibus tamen intentus charitatis. Cùm enim manuum labore victum quæreret, quicquid in diem sibi superesset, indigentibus erogabat. Cúmque iam 16. annos in hac simulatione perdurasset, postremò adiuratus manifestauit se aliquando monachum fuisse, libidini deditum annos 15. in concubinatu perseuerasse: tandémque ad pœnitentiam conuersum, decreuisse tantundem temporis seruire Christo, quantum diabolo seruierat. Atque mox vita functus est, & in sanctorũ numero habitus. Tali ergo simulatæ insaniæ humiliatione, mundi sapientibus præferri, ac supra cœlum inter angelos meruit collocari. Ibid.

In Thebaidis monasterio, quod sancti Hieremiæ nuncupabatur, fuisse VIRGINEM quandam, memoriæ proditum est, quam omnes reliquæ mentis impotem existimabant. Danieli autem abbati reuelatum, quòd fatuum Dei sapientius esset hominibus: proinde ad eam visendam illum perrexisse. Ad ipsam, cùm se deprehensam vidisset, clam abiisse, schedula postibus monasterij affixa, in qua scriptum erat: Quicquid in vos peccaui remittite, atque in Domino valete. Quæso, si dementiæ simulatio illi crimini dari debet, quomodo cæteris quæ ibi erant, sanctior Dei reuelatione iudicaretur? Profectò simulatio ista conseruatio summæ humilitatis erat, non culpa. Ibid.

SENIS cuiusdam eremitæ prudentiam in dehortando quodam iuuene ab episcopatus honore, pete ex tit. Magistratus religiosos oblatos respuere.

FVRIVS Camillus quartò Dictator ad sedandam populi seditionem factus, valetudinem simulauit, & alter ei surrogatus est. Volat.lib.14.ca.2. Anthrop.

EPHREM Misibensis, eremita doctissimus, quiq; multa scripsit, oblatum episcopatus honorem simulatione insaniæ respuit. Inde fuga elapsus, tantisper latuit, donec alius episcopus legeretur. Sozomenus lib.7. cap.34.

IRAM SVAM SVORVM'VE PRVDENTER *anteuertere, refrænare.*

MOYSES permisit dari libellum repudij odiosis vxoribus Iudæorũ: quia timebat id eis vxoricidium. Deut.24. Mat.5.& 19.

COTYS rex Thracum natura fuit ad iram & vltionem præceps, & impetuosus in seruorum delictis. Propterea accepta à quodã fictilia vasa, preciosa quidem, & tornatili opere conspicua, sed tamen fragilia, & obnoxia iniuriæ, pensauit collato precio: postea tamen fregit, ne si à ministris fracta essent, temperare sibiipsi non posset ab inferendo supplicio. Rhodig.lib.23.cap.20.

SATYRI Samij aures amici eius cera obstruxerant in causa agenda, ne omnia per iracundiam confunderet, auditis aduersariorum conuiciis. Aristoteles, & Stobæus Sermone 18. ex Plutarcho recitat.

ATHENODORVS philosophus in postremo congressu cum Augusto, loco xenij eum monuit, vt iratus nil prius faceret, quàm vigintiquatuor Græcorum literas recitasset. Prudenter admodum primum iræ impetum, qui rationis imperium anteuertit, refrænari hac ratione posse existimans. Cæl.Rhodiginus.lib.23.cap.21.

INIMICOS PRVDENTER ET IVSTE *vlcisci, ad iram excitare.*

Exempla aliquot pete ex tit. Actiones, vires & effectus, sub loco Rhetorices.

ANTISTHENES adolescentes Socratẽ videre cupientes, philosophorum omniũ sapientissimũ, duxit ad Anyti domum: dicens, illum Socrate multo esse sapientiorem, vt qui Socratem accusasset. Et hoc dicto renouatum est ciuibus, extincti Socratis desiderium, & Anytum expulerunt. Laertius lib.6.cap.1.

PRVDENTIA IN SENTENTIA SVA *sine periculo explicanda & proferenda.*

Exempla plurima ex tit. Libertatis in reprehendendo peti possunt.

MAXIMVS Planudes, monachus Constantinopolitanus, vir doctissimus, vehementisque ingenij, abhinc annos ferè 150. Romanæ ab initio fidei fauit. Ob quam rem ab imperatore Constãtinopolitano multa passus in custodiam tandem coniectus, contrà sentire coactus est, tribus editis contra Romanam ecclesiam argumentationibus: quas ætate nostra Bessario cardinalis Nicenus prælegens, mirari solebat, virum cæteris in scriptis excellentem, summúmque philosophum, tam ineruditos infirmósque edidisse syllogismos. Haud ob aliam putabat causam, quàm quòd ea quæ metu perscripserat, animo improbarit, refellendáque vel cuiuis facilè præbuerit, Volater.lib.17.Antrop.

PRVDENTER ALIOS REPREhendere, *dehortari.*

D. FRANCISCVS temerarium iudicium monachi de paupere quodam quomodo castigauerit, pete ex tit. Liberalitatis religiosæ.

Cùm Crœsus Lydorum rex Chios & Insulanos Græcos inuadere tentaret. BIANTEM Prienæum, siue (vt alij volunt) PITTACVM Mitylenæum, qui Sardis regem cõuenerat, interrogauit: Ecquídnam in Gręcia noui esset? Pittacus, vt à stolido incepto regem dehortaretur, & Græcis insuper consuleret, ficta oratione respondit: Insulanos decem millibus equorum comparatis in animo habere Crœsum inuadere. Tum ille: Vtinam verò, exclamauit, dij hanc mentem Insulanis dent, contra Lydos, in continente ex equis pugnandi. Mox Pittacus: Et tu, ô Rex, quid aliud Insulanos optare censes, quàm vt Lydos classe instructos in mari capiant? Hac oratione delectatus Crœsus, ab expeditione destitit. Herod.lib.1.

Cùm Branchidarum oraculum Pactyam Lydum, qui à Cyro Persarum rege defecerat, & magnam vim auri secum habebat, Tabalo præfecto regio Sardis tradendum asseruisset: ARISTODICVS Cumæus, Heraclidæ F. cùm graue putaret esse, supplices Barbaro regi ad certum exitium tradere, oraculi vanitatem refellere volens, templum vndique circumiens, passeres aliásque auiculas, quæ fortè in templo isthic nidulabantur, è nidis exemit. Quæ cum ille faceret, memorant vocem ex adyto auditam, quę ad Aristodicum ferretur, atque huiusmodi quædam sonaret: Hominum scelestissime, quęnam libido te incessit, vt audeas meos supplices è templo diripere? Aristodicum nihil dubitasse adhunc modũ respondere: Et tu, inquit, rex, huiusmodi auxilium fers supplicibus, quũ Cumæos iubeas supplicem suum tradere Persis? Cui Deus respondens: Equidem, inquit, iubeo, vt impiè agentes malè pereatis, neque deinceps oraculum hoc de reddendis vestris supplicibus lacessatis. Porrò vbi responsum hoc postremum retulerunt Cumæi, neque volentes Pactyam Persis tradere interimendum, neque eundem penes se detinendo Cyrum ad ciuitatis suę expugnationẽ irritare, hominem ablegant in Mitylenam, inde in Chium: Chij eum hostibus tradiderunt. Herodot. libro primo.

TACITVRNITATI CONSVLERE.

Mos erat in vrbe Roma, priscis Senatoribus, vt parentes secum filios in Senatum deducerẽt, vt adhuc pueri, rebus agendis assuescerent: quos omnes, cùm abire vellent, iureiurando adigebant, ne quid quod illic esset actum reuelarent. Papyrius cùm adhuc tener esset, mater ipsum rogauit: quid eo die in Senatu actum esset? Cui cùm filius, non posse id dicere, respondisset, matri desiderium intelligendi auxit. Itaque cùm blanditiis nihil proficeret, minas quoque addidit. Filius astutus, vt se hac matris importunæ molestia explicaret, mira atque insueta arte vsus est matri, posteaquam adeò instaret, dixit: actum in Senatu, quid reipublicæ magis conducere posset, aut fœminis permitti, vt duos acciperent viros: aut, vt viri binas ducerent vxores? Mater filij verbis verum inesse arbitrata, rem aliis matronis communicat: quæ facto ad curiam concursu, cũ Senatu grauiter questæ, huius rei factam esse mentionem doluerunt. Miratus Senatus, posteaquam vnde res profecta esset intellexit, cum risu mulieres hortatus vt bono essent animo, à se dimisit: laudatâque adolescentis Papyrij astutia, virtutis munus, quanquam ante legitimum tempus, Prętextę honorem concessit. Vnde Prętextati cognomentum sibi peperit. Fulgos.lib.7.cap.3.

Multa sunt pręclara FRANCISCI, Foscari Venetorum ducis dicta, factáque sapienter: sed illud in primis, quòd quum Franciscus Carmaniola summo mane ad eum venisset, causámque quęreret, cur totam noctem Senatus habitus esset, qui paulo ante dimissus erat. Ecquis alius, respondit, quàm tu author fuisti? Sed quum statim cognouisset, potuisse illum suspicari de suo interitu actum (qui secutus mox est) Egimus, addidit, de tuis laudibus, déque tuo augendo stipendio, donandóque tibi op-

pido,vbi malles.Ita igitur nihil amplius suspicatus mali Carmaniola, à satellitibus qui iam conuenerant,retentus est,carcerísque inclusus, nec multò post supremo supplicio propter tentatam proditionem affectus. Egnat.lib.7.cap.2.

Hvmilitati et mansvetvdini.

Superbiam eximere & redarguere.

Menecrates medicus cùm seipsum Iouem salutarem appellare non erubesceret, Philippus rex tacitè illius væsaniæ consulere cupiens lautissimum conuiuium instruxit.Ad quod cùm Menecratem quoque inuitasset,seorsim mensam ei iussit apparari , & apponi acerram , suffitúmque fieri:reliqui verò epulabantur admodum opipara cœna.Menecrates primùm quidem ferebat,gaudebátque honore : postquam verò paulatim fames obrepere cœpit,manifesto insaniæ suæ elencho indignabundus abiit,seséque iniuria affectum querebatur,festiuissimè Philippo inertiam eius redarguente,& in lucem proferente.Ælian. de Varia hist.lib.12.

Socrates cum videret Alcibiadem ob diuitias elatum animum gerere,& ob agrorum multitudinem superbire , adduxit ad locum in quo tabula quædam ambitum terræ complectens suspensa erat,& eum rogauit,vt Atticam ibi requireret.Quam cùm inuenisset , suos fundos eum iussit ostendere:& cùm responderet,nusquam ibi pictos esse· Horum,inquit,possessione te effers,quæ nulla pars sunt terræ ? Idem libro quinto.

Quidam adolescens curarat sese ex ære sculpendum, & ad eam imaginem sese conformabat.Huic Antistenes:Si æs posset vocem edere,qua de re potissimùm gloriaretur?De pulchritudine,inquit adolescens.Non,inquit,igitur erubescis,qui cum inanimo gloriaris ? Voluit autem significare,de forma non gloriandum esse,quæ facilè casibus diuersis ac morbis omnem gratiam amittit.Laert.lib.6.cap.1.

D. Francisci prudentiam in reprehendenda Leonardi occulta superbia,pete ex tit.Ambitionis religiosæ.

Constantiæ aliorvm consvlere.

Archebivs,sanctissimus vir,in quadam Nili insula inter solitarios,& ipse solitariam vitam ducens,si quis eò accessisset eiusdem propositi cupiditate accensus,ei suum ipse domicilium cum vtensilibus cedebat,ne qua cellulæ construendæ quęrendæúe suppellectilis difficultate victus abiret:ac ne fortè illum quod offerebatur accipere pudor impedisset,certum sibi ac deliberatum esse ad alia transmigrare loca mentiebatur.Et tantisper inde secedens,donec impensas compararet reuersus alterã sibi cellã non paruo cum labore ponebat.Hac illa simulatione vsus,officio fungebatur veræ charitatis,eos in Dei seruitio pia circumuentione retinens,quos fortasse necessitas dilabi compulisset:multóque plus lucri largiendo faciebat, quàm detrimenti mentiendo. Et sapientis erat,modico damno magnam vtilitatem quærere.Marul.lib.4.cap.4.

Ivstitiæ religiosæ, sive pietatis *& religionis rationem habere.*

Ioseph apud Pharaonem in Ægypto primo loco habitus, fratres , à quibus venditus fuerat,eò venientes vt frumenta emerent, se non agnoscere fingit:obiectóque quòd exploratores essent,in carcerem compulit:deinde de carcere eductis,iurat per salutem Pharaonis,non abituros inde,nisi minimum fratrum Beniamin, quẽ domi cum patre relictũ dixerant,adducerẽt:quasi hoc experimento deprehensurus , vtrum terram exploratum venissent,an parandæ annonæ gratia à patre missi : & tamẽ omnesmox abire permisit præter vnũ,quẽ pro obside tenuit secũ. Postremò reuersos vnà cum Beniamin , scypho argenteo in sacco eius clàm indito,furti insimulat.Nunc ergo queritur,an illi tunc licuerit,his ex industria confictis circumuentionibus vti?Et videtur licuisse,cùm eò spectarint,vt pœnitentiam elicerent, per quam ipsi saluarentur , qui in fratrem peccauerant.Vnde toties vexati dicunt : Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum:haud ita doluissent,si se ille repẽtè prodidisset.Qui postquam eos animo angi vidit,palàm facit se, iniuriam omnem remittit,singulos exosculatur,&vt cum patre totáque familia ad se in Ægyptum transmigrare maturent persuadet.Eos,cùm aduenissent,aluit,possessione terræ optimæ donauit,bonis multis affecit. Euacuata est igitur mendacij culpa,finis merito,dum per illam Ioseph eis plurimum prodesse nititur,à quibus grauissimè offensus fuerat. Marul. lib.4.cap.4.

De Pavlo apostolo in actis relatum legimus, quòd Timotheum discipulum, cùm ex matre Iudæus esset , propter Iudæos circumciderit. Tum quòd sibimet in Cenchris Nazaræorum more caput totonderit. Demum quòd Hierosolymis Iacobi apostoli,& seniorum consilio atque persuasu,ne videretur discessionem docere à lege, Iudæísque fidelibus prohibere circumcisionem,quibusdam Nazaræis secum assumptis vnà purificatus,templúmque ingressus sit:ac tam diu cum illis fuerit,donec tonsis de more crinibus,vota perficerent,sacrificiúmque offerrent. Hoc quidem multi piæ simulationi ascribũt.sed magis Augustino assentior,qui ait:Diebus illis intermediis , qui inter Christi ascensionem & euangelij vulgationem fluxère,veniam hanc Iudæis ad fidem venientibus datam,vt simul etiam legalia tenerent,si vellent:non autẽ ita & cõuersis ex gentilitate,ne sibi circuncisionem quoque necessariam esse suspicarentur.Ne verò lex ipsa cum idololatria pariter execrabilis videretur,noluerunt vtramque eodem tempore relinquendam iubere. Lex igitur paulatim ostendente se gratiæ plenitudine est euacuata. Idololatriam verò statim repellendam iudicarunt, vt constaret alteram Dei opus fuisse,alteram diaboli.Sic ista omnia quæ dicta sunt,Paulũ nõ simulatè,sed licẽter,vt Iudęũ inter,Iudæos egisse credimus, omnibúsque omnia factũ,vt omnes lucrifaceret.In tantũ autem gẽtiles à legis obseruatione prohibuisse,vt ad Galatas scriberet:Ecce ego Paulus dico vobis, Quoniam si circumcidamini,Christus vobis nihil proderit. Et de Tito discipulo:Sed neque Titus,inquit,qui mecum erat,cum esset gentilis, compulsus est circumcidi.Quinetiam principem apostolorum Petrum aliquãdo ausus est reprehẽdere,quòd ex gentibus fideles Iudaizare fecisset.Cùm,inquit,venisset Petrus Anthiochiam,in faciem ei restiti,quia reprehensibilis erat:prius enim quàm venissent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat:cùm autem venissent,subtrahebat,& segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.& simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi ita vt Barnabas duceretur ab eis in illã simulationẽ.Sed cũ vidissem quòd non rectè ambularẽt ad veritatem euangelij,dixi Cephæ corã omnibus:Si tu,cùm Iudæus sis,gentiliter viuis,& non Iudaicè,quo modo gentes cogis Iudaizare?Quod certè Paulus nequaquam dixisset, si etiam ipse ea quæ suprà dicta sunt,per simulationem,& non per licẽtiam potius peregisset,Iudæorum saluti consulens,sed gentiles ne eadẽ facerent coercens.Postquam autem satis omnib.notificatum est veteres cæremonias legúmque sanctiones,signa figurásque fuisse futurorum, quæ in Christo impleta sunt:cœptum est infidelitati ascribi,si quis ea adhuc seruaret:veluti qui venturum,& nondum venisse Christum asserat, quod Iudaicæ proprium perfidiæ est.Sed quid de ista Petri simulatione dicemus?Reprehensibilem eam fuisse nõ nego(quis enim sum,vt Paulo contradicã?cùm præsertim ne Petrum illi contradixisse constet) sed tamen facilè venia dignam tunc extitisse non dubito , cùm adhuc Moysi lex apud Iudæos in Christum credentes non illicitè vigeret.Postea verò neque propter Iudæos,neque propter gẽtiles in fide quicquã simulandũ fuit:neque simulatio,sed error dici debuit,quicquid iam peruulgatæ officeret veritati.Ibidem.

Abraham celebratissimus inter Ægyptios anachoretas,posito monachali habitu,secularia sumpsit indumenta,ne posset agnosci.Et peregrè profectus,neptim quam iuxta se nutriens, diu sanctorum operũ sociam habuit,diaboli tandem latrocinio sublatam anxiè perquisiuit. Illa enim iuuenis cuiusdam libidini semel consentiens,criminísque conscia patrui conspectũ ferre non valens,clàm ad vrbem effugerat : & iam desperatione quadam corpus vulgando,pecuniam merebat. At senex vbi tandem illam conuenit notam incognitus aliquandiu considerauit:ac deinde in colloquium euocatam,cùm se prodidisset,flens exhortatus est vt secum rediret.Rediit,& multa vitæ districtione commissa diluens,cũ ipso pariter sanctorum collegio meruit annumerari.At nisi Abrahama alieno se amictu occuluisset,fama aduẽtus sui prenũcia,vt qui vbique celebris erat,illã exterruisset,& vel fugã vel latebrã petere coegisset. Aliũ ergo se finxit,vt amissam inueniret:& non alium se dixit,vt inuẽtam secum reduceret,reductam sanctificaret.Quanti itaque fructus tunc simulasse fuit,liquido sciemus,si perpenderimus, quãti ecõtrà damni non simulasse fuisset.Ibidem.

Simeoni monacho ex Italiæ partibus in Nili insulam sese conferenti,cùm nullam artem calleret præter Latinarum literarum (quarum illic vsus nullus erat)scriptionem,à quodam seniorum prouisum est ne ociosus esset.Finxit enim piissimus simulator,habere se fratrem in Italica cohorte militantem,Latinis literis instructum:& Simeonem petiit,vti sibi apostoli Pauli codicem Latinè conscriberet fratri mittendum,quo ille legendo animi virtutibus proficere posset.Sub tali prętextu& ipsum ad scribendi exercitium excitauit,& quasi mercedis loco cuncta eius victui necessaria obtulit, veritus ne vel propter rei inopiam , vel ocij copiam nouus homo illis in locis diutius perdurare nequiret.Quantæ ergo vtilitatis est,post spiritales actiones aliqua manuum operatio, si per eam in proposito bene beatéque viuendi perseueretur?quantæ necessitatis,si sine illa coli habitaríque solitudo non possit?Marul.lib.3.cap.9.

Evsebivs,Vercellensis episcopus,cùm in catholica ecclesia, & doctrina & moribus in magna existimatione haberetur,àConstantino Imperatore Arriano Mediolanum ad consilium vocatus fuit. Cùm autem accepisset,arte multos catholicos Episcopos,in primis verò Dionysium episcopum Mediolanensem eò compulsos esse,vt damnationi Athanasij,& Niceni consiliis derogationi subscriberent:perspiceret etiam, quã grauiter per eam scripturam vera Christi fides læderetur : quæ etsi ab iis qui subscripserant reuocari poterat.tamen ostensa , dubiam factura erat catholicam fidem:nouo astu euertere eam cogitauit. Itaque nomen suum inscribere non recusauit.Postquàm ergo codicillum & inspexit,& in principio Dionysij nomen scriptum vidit,se vehementer commotum esse finxit,quòd primariũ locum iuniori tradidissent,dicẽs: Vos Arriani affirmatis filio patrem maiorem esse,& Dionysium qui ætate atque doctrina me minor est,mihi præposuistis.Idcircò peto,vt noua scriptura conficiatur,& in ea seruato gradu,omnes suum inscribant nomẽ: quod si à vobis fiet,ego vobis morem gerere non recusabo , vt tandem quæ inter vos esse videntur contentiones,finiantur.Arriani vera hominem locutum arbitrati,superbiáque impulsum requirere,vt in scriptura Antistitum ætatis atque dignitatis gradus seruarentur,exusta prima scriptura,cui iam plerique subscripserant,nouam confecerunt:quæ cùm ad Eu sebium perlata esset,vt nomen suum apponeret,rem magni esse momenti asseruit:exigeréque eius magnitudinem,vt antè diligenter super ea disputaretur.Fulgosus,libro septimo,cap.3.

Evgenia, Philippi consulis filia , Eugenius credita , etiam abbatis officio defungi Alexandriæ meruit.In eadem vrbe Evphrosyna virgo sub Smaragdi nomine latens,monachi vitam duxit.Sic Marina Marinus, Theodora Theodorus,Pelagia Pelagius creditæ,inter viros præstiterunt sanctitate , sexu occultato . Finxerunt ergo se esse quod non erant,vt essent quod esse debuerunt, nihil omittentes quod ad perfectæ consummatæque religionis cultum pertineret.Marul.libro 4.cap.4.

Maximvs Planudes,monach⁹ Cõstantinop.doctissim⁹ cùm ab Imperatore cogeretur contra Latinam ecclesiam scribere, tres libros scripsit tam eneruos & ineruditos,vt tacitè Latinam fidem magis confirmare voluisse videatur : teste Bessarione card. dum libros eos perlegeret. Volat.lib.17.Anthrop.

Multi sancti Viri impudicitiæ crimen & suspicionem falsam incurrunt,dum meretrices conuertere student.Vide sub tit.Charitatis fraternæ,exemplum Abrahami eremitæ.Panufij abbatis, Vitalis monachi.

Edelberti regis Cantuariẽsis in mutanda religione prudentiam petere licebit ex tit.Ad veram religionem conuersi.

Ioannes cùm in locum Heliæ episcopi Hiersolymitani orthodoxi substitutus ab Olympio Palæstinæ duce , tanquam Seuero Antiocheno episcopo Nestoriano & impietati Anastasij Imp.faueret: postquã orthodoxus esse deprehensus est,in carcerem coniicitur, & palinodiam canere iubetur.Ibi tum Ioannes re communicata cum Zacharia Cæsareæ Palæstinæ episcopo,simulat se id facturum:ea tamen conditione , si elapsis duobus diebus libertati restituatur,ne vi,sed voluntate id egisse videatur.E carcere ergo liberatus , monachorum gregem in templum D.Stephani conuocat,& contra Anastasij præfecti (qui Olympio successerat)impetum plebem armat,& aperte Eutychem , Nestorium & Seuerum anathemate damnat.Anastasius fuga sibi consulit. Nicephorus lib. 16.cap.34.

Amphilochivs Iconij in Lycaonia episcopus orthodoxus, cùm à Theodosio Imp.petiisset, vt Arianos ex vrbibus eiiceret,& Imp.id fieri absque periculo non posse diceret : quodam tempore cum aliis episcopis in regiam venit , vt Arcadio Imperat. filio recens Imperatori designato gratularetur. Reliqui episcopi Imperatori primò , deinde & filio Arcadio gratulantur . Solus Amphilochius Theodosium salutat, neglecto filio. Id quod cùm Theodosius obliuione eum facere arbitraretur,monuit eum, vt filium quoque salutaret.Respõdet Amphilochius,satis esse quòd honorẽ habuisset ei,tanquã patri.Theodosius indignatus,eum expelli iubet.Tunc ergo Amphilochius:Siccine Imperator grauiter fers contemptum filij tui ? Reuoca tibi in mentem quæso, odisse & Deum eos,qui per blasphemiam,honoris aliquid adimunt vnigenito suo filio.Hanc senis episcopi prudẽtem libertatem miratus Imp. edictum illicò conscribit , vt ex vrbibus Ariani (qui Christum verum Deum esse negabant(eiicerentur.Theodoretus lib.5.cap.16.

Ioannes Vngenad,Baro in Sonnegg.ante aliquot annos fidelem contra Turcos operam Ferdinando Rom.regi,atque adeò vniuerso orbi Christiano in Vngaria præstitit.Mox castris relictis,& quietiorem vitam secutus,ne cum hæreditario Christianorum hoste pacem fecisse videretur,Dei opt.max.gloriæ cupidissimus , cum non magis armis quàm scriptis Christianã religionem propagari,&Turcorum tyrannidem aboleri posse videret, maximis sumptibus vtrunque Testamentum , multos quinetiam veræ religionis commentarios lingua Dalmatica & Croatica (quæ per vniuersam Turci ditionem latissimè extenditur) excudi curauit.Et sapienter ille quidem,atque piè.Nam per diuinam benignitatem in Oriente cõtinget , vt ad quos Apostolorum viua mox penetrare non potest,ad illos mutus Euangelij sonus per typographicam palingenesiã perueniat. Generosissimi igitur Herois piis conatib⁹ omnes boni linguis animísque faueant,& Christianis votis sæpe illud ingeminent:

ἀλλὰ θεοί σοι δῶσιν,ὅσον φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς.

Prvdentia in servanda ivsticia *humana,tam Correctiua quàm Distributiua.*

Prudentiam in Testamentis iniustis rescindendis , pete ex tit. Testamenta rescissa.

Pythes aureis metallis inuentis,omnes ciues iubebat inquirere, fodere,aurum purgare,nullum aliud opus facere neque in terra,neque in mari.Omnes eam rem molestè ferebant, quòd neque fructus haberent,neque quicquam aliud ad vitæ cultum facere possent.Mulieres eorum suppliciter vxorem Pythis orant,vt de eo negocio apud virum suũ intercedat . Quæ illas iussit abire, & bonum animum gerere . Ipsa verò conuocatis aurifabris,præcepit,vt aureos pisces facerent,bellaria,opsonia,cibos,omnia ex auro.Pythes reuersus è peregrinatione, cœnam petebat.Vxor auream ei mẽsam apponit,in qua nihil eduliorum erat , sed omnia facta ex auro eduliis simillima.Pythes collaudata artis effictione postulabat quod ederet.Illa aliud quoddam aureum edulium ei affert,& aliud iterum.Indignanti marito,ac famere se dicenti, respondit : At tu omnem agriculatum sustulisti,& aurum inutile fodere iussisti , quod nemini hominum vsui est, nisi fructus etiam seminatos plantatósque habeant.Hac vxoris prudẽtia Pythes edoctus,metallorum opera reliquit, & ciues ad agriculturam,aliásque artes exercendas dimisit.Polyæn. li.8.

Agesilavs Lacedæmonius,deprehensa coniuratione scelestorum ciuium,aduersus salutem publicam,cum eos nec raptim , aut circa iuris ordinem condemnare posset,nec de indemnatis,secundum Lycurgi leges,sumi supplicium liceret , & periculosam animaduersionis moram esse constaret,inter has difficultates dubius, hoc tandem consilij cœpit: Legibus abrogatis coniuratos morte mulctauit indemnatos , confestim restituit leges.Ita nec contra eas,nec contra Rempub.fecit.Petrarcha.

Rex Artaxerxes Oronti mandauit,vt Teribazum Ægypti satrapam vinctum sibi mitteret.Orontes(metuebat enim Teribazum) per insidias hominem cœpit,hoc ferè pacto. Domus erat quæ specum profundam habebat.Super specu lectum collocauit,non intensum , sed variis tapetibus ornatum.vocat Teribazum,quasi colloquium cum eo habiturus. Teribazus clàm ingressus consedit,& per lectum in fossam defertur, atque comprehensus ad regem vinctus mittitur.Polyæn.lib.7.

Augustus iam rerum potitus,cùm accepisset à Cassio Seuero,veneficij reum factum esse Nonium Asprenatẽ,amicissimum suum , veritus,si pro Nonio in iudicio comparuisset,ne ipsius præsentia iusticiæ officeret : & si comparere abstinuisset, ne præiudicium amico faceret , tanquam de eo malè sentiret,Senatum cõsuluit,quídnam sequi eum oporteret?Multorum igitur suasu ad iudicium profectus est: vbi neque pro Asprenate, neque in Cassium aliquid locutus , eam rationem tenuit,vt neque amicitiæ deesset,neque iusticiam violasse putaretur.Exemplum itaque reliquit summæ moderationis plenum,vt & amicorum periculo subueniatur,nec aliorum interim iusticia opprimatur:& si in alterutro peccandũ sit,debere homines,præsertim qui publicam personam sustineant, amicitiæ iusticiam anteferre.Fulgos.lib.6.cap.5.& Sab.lib.4.cap.4.

Petri Aleres comitis Hispani prudentiam in seruanda fide Alfonso Aragonio & Viracæ repudiatæ,quamuis hostibus , pete ex tit . Fidei politicæ erga suos principes.

Prvdentia in ponendis legibvs.

Plato leges quàm paucissimas promulgandas esse putauit . Magistratus enim si suo munere fungatur,multitudo legum superuacanea erit si non fungatur,molesta & perniciosa.Alexand.ab Alexand.libro sexto, capite 14.

Cleonis fuit opinio,satius esse malis legibus assuetam ciuitatem non facilè mutari,quàm bonis inconstanter vti.Thucydides ibidem.

Apud Æginetas cautum erat, vt qui nouæ condendæ legis caussam daret,inuisus omnibus & execrabilis foret.Ibidem.

In legibvs confirmandis persva- *dendis,non violandis,earúmque authoritate tuenda.*

Solon Salaminius cùm saluberrimas leges Atheniensibus scripsisset,peregrinationem doctrinæ causa simulauit : ciuibus prius iureiurando obstrictis , vt leges per decem annos incolumes seruarent. Quibus peractis,nisi interea rediisset,ea quæ displicerent liberè mutarẽt. Sperabat proculdubiò vir optimus , iureiurando adactos ciues decem annis legibus assuescere posse , vt postea sponte sua illis parẽrent. Herodotus libro primo.

Menam post antiquam Ægyptiorum vitam,quàm Deûm heroúmque tempore fuisse fabulantur,leges Ægyptiis primùm scripsisse tradunt quas sibi à Mercurio datas in salutem hominum simulabat. Diodor. Sic. libro tertio.

Selevcvs, siue Zaleucus , sub nomine Mineruę apud Locrenses prudentissimus habitus est.Valerius libro 1.capite tertio.Diodo. Sic. libro tertio.

Zatrastes Arianis,simulato numine legeș dedit . Diodorus Siculus lib.3.cap.5.Antiq.

Zamolxis Getis leges dedit,quas à Vesta dictatas sibi,sanctè affirmabat,vt sic populum mansuefaceret.Ibidem.

Minos Cretensium rex nono semper anno in præaltum , & vetusta religione consecratum specus secedere solebat:& in eo moratus,tanquã à Ioue,quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat, quo plus authoritatis apud subditos haberent. Historiam ex Strabone recitat Valer.Max.lib.1.cap.3.& Volat.lib.34.Anthropologię.

Lycvrgvs Lacedęmoniorum legislator,cùm suam Rempublicam optimis & sanctissimis legibus ornasset, & Apollinis etiã Delphici oracula confirmasset,abiit in Cretam:sumpto iureiurãdo à populo,ne quid de suis legibus immutaret, donec rediisset. Perpetuo autem in exilio consenescere sponte voluit,ne rediens fluctuantem redderet rempublicam tam sanctis legibus munitam.Post obitum iussit suos cineres disiici,ne solutus quandoque sacramento populus leges solueret, si mortuũ in ciuitate reuidissent.Plut.in eius vita,& Val.li.1.cap.3.

Idem vt bellicam exercitationem ciuibus suis persuaderet,quid egerit,pete ex tit,Prudentię in fortitudine promouenda.

Lacedæmonii post Leuctricam calamitatẽ,in qua plurimi, qui scutũ abiecerunt,mortè erant plectendi, legum authoritati & ciuium saluti scitè prospexerunt.Consule tit.Clementia Imperatoris.

Nvma Pompilius,secundus Romanorum rex religiosissimus, vt populum Romanum sacris obligaret,& legib.suis authoritatem conciliaret,cum dea Ægeria nocturnos congressus se habere fingebat : eiúsque instinctu & monitis eas leges,quę mortalibus acceptissimæ essent,se instituere affirmabat.Historiam legimus apud Liuium.lib.1. Dec.1. Plutar. in Numę vita,Lactant.lib.1.cap.22.August.lib.7.cap.1.& 35.Ciuitatis.Cic.

lib.1.de Legibus,Val.lib.1.cap.3.Sabel.libro 3. Ennead.2. & libro secundo,capite secundo.Exempl.Marlianum libro septimo, capite 17. & Polyæn.lib.8.

IN LEGIBVS MALIS ABROGANDIS.

Athenienses & Megarenses longo tempore bellum de Salamine gesserunt.Victi Athenienses,legem iusserunt:Qui suaserit nauigandum esse ad pugnam Salaminensem,mortis reus esto. SOLON nihil perterritus morte, legem abrogat,hoc pacto:simulat insaniam, &progressus in concionem.Elegia cecinit.Elegia verò erant Martia carmina: his Athenienses ad pugnam excitauit.Illi ergo Musis & Marte perciti,confestim portu soluunt, cantus & vociferationes iuxtà edentes, atque Megarenses vi ac robore superant.Itaque Salamis iterum Atheniensium ditionis facta est:Solon verò in summa admiratione habitus, tum quòd legem antiquasset furore, tum quòd musica hostes vicisset. Polyæn. libr.1.

Thasum oppugnabant Athenienses.Legem iusserant Thasij: Qui scripserit fœdus cum Atheniensibus faciendum esse,mortis reus esto. HEGETORIDES Thasius videns multos ciues perire diuturno bello ac fame,laqueum inijciens colo,venit in concionem,&:Viri,inquit,ciues, me quidem,vt vobis libet,& quemadmodum vobis prodest,vtimini. At reliquos & superstites ciues mea morte conseruate,legémque antiquate.His auditis,Thasij & legem abrogarunt,& Hegetoridem incolumem seruarunt.Idem lib.2.

PRVDENTIA IN CORPORIS BONIS.

VITAE PERICVLA ET INSIDIAS PROhibere, & auertere à seipso.

Consule titulum,Insidias effugere,sub loco Stratagematum.

ABRAHAMVS cùm fame pulsus, ex Chananæa in Ægyptum migrasset,Saraim vxorem suam sororem esse dixit:ne si maritum eius se esse profiteretur,à Pharaone rege interficeretur. Pharao igitur Saraim, pulchritudine illius allectus,in concubinam assumit,Abrahamũ fratrem multis ornat muneribus. Tandem cùm Pharao magnis à Deo cladibus afficeretur, propterea quòd Saraim sibi vsurpasset, Abrahamo petita venia,vxorem cum magnis donis restituit: Genesis duodecimo.Licuit hoc Abrahamo, quoniam per spiritum nouerat,Saræ vxoris suæ pudicitiam à Domino protegente, quocunque perrexisset tutam fore,vitæ tamen suæ ob eius formam improbos homines insidiaturos dubitabat. Itidem & ISAAC illius filium de Rebecca coniuge sua,pari imminente periculo simulasse legimus:neque propterea hunc vel illum ob hoc aliquando reprehensum. Ea namque simulatione occasio vitabatur homicidij:& grauius deliquissent, si verum confitentes, caussam malis sæuiendi dedissent.A mendatio sanè excusantur,quoniam cõsuetudo erat,vt quibus aliqua sanguinis intercedebat cognatio, fratres & sorores inter se quandoque vocarentur.Sara autem Abrahæ ex patre neptis erat,Rebecca Batuelis filia,qui Isaaci frater patruelis fuit.Nõ tamen eos à simulatione defenderim,cùm eo animo locutos constet, vt propriæ sorores crederentur:sed tam leuem noxam puto, vt primo statim conscientiæ stimulo expurgetur.Itaque etiam in necessariis delictis aliquo remorsu opus erit,vt animus ipse & purior euadat, & semper humilitatem seruet,dum non insurgit ad excusandas(vt dicitur) excusationes in peccatis.Marul.lib.4.cap.4.

IACOB,qui ab astu & animi calliditate nomen sortitus est, Mesopotamiam petiturus,vt etiam fratrem sibi vltionúque imminentem declinaret,quia non nisi per Chananæorum terram patebat iter,cum quibus paternæ sibi intercedebant inimicitiæ,vitabundus per deserta & deuia loca interdiu iter facere,noctu corpus diurno labore fessum quieti dabat,atque ita magnis itineribus & alioqui infestis ad Labanem incolumis peruenit auunculum.Sab.lib.4.cap.8.

Cautus ille IDEM & prudens in exitu,sed in reditu cautior: qui post aliquot annos domum repetens,veteris in fratrem offensæ non immemor,præmisit qui Esaum fratrem precibus& donis delinirent,si qua adhuc in eo veteris iniuriæ ira insideret.Per quæ facilè consecutus est, vt quàm inuisus patrium solum verterat,tam iucundus sit postliminiò reuersus.Idem ex Genesis 32.

DAVID,cùm iratum Iudæorum regem Saulum fugeret, profectúsque in Palæstinam,vt illic tutò esset,animaduerteret cognitum se à Palęstinis esse,qui olim tot Palęstinorum millia occidisset:ne ob eam rem interficeretur,aut Saülo hosti dederetur,ab ore euomere spumam cœpit:atque toruè versis in contrarium oculis,non insanum modò,verùm furiis etiam agitatum se simulauit.Cùm autem nihilominus à Palęstinis captus,ad Achim ipsorum regem esset deductus, Achis furentem intuitus,adduci vt Dauidem esse crederet,non potuit:quin potius ministros suos acerbè increpauit,quòd tanta infamia captum hominem,ad se deduxissent,statímque vt inde pelleretur iussit.Fulg.lib.7.cap.3.

PAVLVS cum audisset,quòd quidam Iudæi vouerant se nihil gustaturos,donec occidissent Paulum:curauit hoc nunciari Tribuno.Is ergo misit eum cum multis militibus ad Felicem Syriæ præsidem.Actor.20.

IDEM cùm vellet è Græcia nauigare in Syriam,& intelligeret sibi à Iudæis esse paratas insidias,cautè declinauit.Reuersus est igitur per Macedoniam,nec recusauit comitatum,quem fecerant ei fratres diuersarũ ciuitatum.Act.20.

VLYSSES ne ad Troiam ire cogeretur,furorem simulauit, agrum proscissum sale serens.Sed Palamedes odoratus illius astutiam,filium eius,quà sulcus ducendus erat,obiecit.Vlysses aratrum suspendit. Itaque detecta fraus est.Cicero lib.3.Off.de Fortitudine.

PENELOPE præcauet,ne proci Vlyssi insidias tendant.Vide tit.Prudentiæ in pudicitia protegenda.

THEMISTOCLES cùm ad regem Persarum fugeret, & in Ætoliæ oppidum Ægas venisset,à Nicogene hospitio clàm susceptus(omnes enim inhiabant,vt Themistoclem in regis gratiam caperent)tãdem theda operta ad regem perduci se curauit,comitibus se Græcam mulierculam ex Ionia regis cubiculario cuidam adducere affirmantibus. Plutar. in Themistocle.

IVNIVS Brutus cùm à rege Tarquinio auunculo suo omnem nobilitatem,atque etiam fratrem suum,quòd vegetioris ingenij esset, interfectum animaduerteret,mente se captum esse simulauit, eáque fallacia maximas virtutes suas texit.Profectus deinde Delpos cum Tarquinij filiis,quos is ad Apollinem Pythium muneribus sacrificiisque honorandum miserat,aurum deo,loco doni clàm cauato baculo inclusum tulit: quia timebat ne sibi cœleste numen aperta liberalitate venerari tutum non esset.Peractis deinde mandatis patris, Apollinem iuuenes consuluerunt,quisnam ex ipsis Romæ regnaturus videretur? atque is, penes eum summam vrbis Romanæ potestatem futuram, respondit, qui ante omnes matri osculum dedisset.Tunc Brutus,perinde atque casu prolapsus,de industria se abiecit, terrámque communem omnium matrem existimans,osculatus est:quod tam vafrè telluri impressum osculum, vrbi libertatem,Bruto primum in Fastis locum tribuit.Val. Max. libro septimo,cap.3.

ARISTIPPVS quodam tempore nauigans,vt intellexit nauim esse piraticam,deprompsit aurum,ac numerare cœpit:móxque abiecit in mare,& grauiter ingemuit,fingens sibi imprudenti & inuito excidisse.Hoc ingenio vitæ suæ consuluit,adempta piratis occidendi vinciendíue materia.Sunt qui narrent,illum & hæc dixisse:Satius est vt hæc per Aristippum,quàm propter hæc pereat Aristippus.Laert.libro secundo, capite octauo.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus,cùm mercenarij ad eum interficiẽdum impetum fecissent,confertímque domum eius,quemadmodum inter eos conuenerat,circumsisterent, miserabili veste amictus prodiit, comámque puluere respersit,& potestati militum suam vitam permisit. Mercenarij humilem & abiectam eius commutationem miserati, saluũ & incolumem dimiserunt. Dionysius eos non ita multo pòst in vrbe Leontinorum circumuentos suis copiis, ad vnum omnes trucidauit. Polyæn.lib.5.

TAXILES,vnus è numero regum Indiæ,occurrens Alexandro, sic illum affatus est Prouoco te,inquit,non ad pugnam,neque ad bellum, sed ad aliud certaminis genus.Si inferior es,à nobis accipe beneficium: sin superior,nobis benefacito.Cui Alexander:Atqui,inquit, ob hoc ipsum inter nos certandum est,vter benefaciendo superet alterum.Et humanissimè complexus illum,non solùm non spoliauit ditione,sed auxit etiam.Plut.in regum & imp.Apoph.

METON astronomus posteaquam cum Græcis in Siciliam nauigasset cùm intelligeret,quænam mala mox futura essent,mente se captum esse finxit,& domum incendit.Itaque insanus iudicatus, liberè dimissus est.Ælianus lib.13.de Var.hist.

CÆSAR Nicomediam nauigans,iuxta Maleam à latronibus Cilicibus captus est.Qui cùm magnam mercedem pro eius liberatione peterent,ille duplicem summam promisit.Appulerunt Miletum. Homines extra mœnia accurrebant.Cæsar Epicratem Milesium seruum mittit ad Milesios, rogans vt sibi pecunias mutuò darent.Qui eas confestim miserunt.Epicrates mandatum habebat à Cæsare,vt cum pecuniis magnum conuiuij apparatum apportarent,& hydriam plenam ensibus.vinúmque mandragora mixtum.Cæsar duplicatam latronibus pecuniæ summam numerauit,eísque conuiuium apposuit.Illi exultantes pecuniarum multitudine,largiter genio indulgebant:& vinum medicatum bibentes, in soporem incidebant.Cæsar dormientes interficere iussit, statímque pecunias Milesiis reddidit.Polyæn.lib.8.

Pulchrum APVLEII atque ARVNTII proscriptorum,vt imminentem mortem declinarent,commentum fuit.Nam cum ipsi tribunorum militarium habitum sumpsissent,seruos suos ceu milites armarunt: vrbémque egressi,tanquam ipsi proscriptos insequerentur,quacũque iter faciebãt,liberatis captiuis,in quos inciderant,satis magna manu coacta, in Siciliam vnà traiecerunt.Fulg.lib.7.cap.3.

Post Iulium Romæ in senatu crudeliter interfectum, cùm in populi seditione,ab iis qui mortem Cęsaris vindicare conabantur,Helius Cinna tribunus,errore nominis pro alio Cinna coniurationis participe,interfectus esset:CASCA tribunus plebis timuit, ne ipse quoque simili errore pro Seruilio Casca occideretur.Itaque literis immutatis, vitæ suę prospexit.Xiphilinus Dionis abbreuiator,in Iulio.

Cum Augusti Cæsaris temporib.proscripti, qui in Iulij mortem aut conspi-

rauerant,aut eius tantum aliqua ex parte conscij fuerant,crudeliter in vrbe trucidarentur,ferrúmque Lepidi atque Antonij in multos etiam innocentissimos ciues stringeretur:TERENTIVS Varro, quòd vni ex proscriptis idem nomen esset,metuens ne quod Cinnæ euenerat, sibi quoque contingeret(erat enim tribunus plebis) literam de suo nomine detraxit,& eam ob causam à multis derisus est.Xiphilinus in Augusto.

M.VOLVSIVS ædilis plebis proscriptus,assumpto Isiaci habitu,per itinera,viásque publicas stipem petens,quísnam reuera esset, occurrentes dignoscere passus non est,eóque fallaciæ genere tectus in M. Bruti castra peruenit.Val.lib.7.cap.3.

SATVRNINVS Vetulio(alij Sentium appellant) cùm à Triumuiris inter proscriptos nomen suum propositum audisset, continuò præturæ insignia inuasit:præcedentibúsque in modum lictorum & apparitorum publicorum seruis subornatis,vehicula comprehendit,hospitia occupauit,obuios submouit:ac tam audaci vsurpatione imperij,in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit.Ibidem.

IDEM vt Puteolos venit,perinde ac publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis nauibus,in Siciliam,certissimum tũc proscriptorum profugium,penetrauit.Ibidem.

NICIAS Engionensis ciuis(est autem Engion vrbs in Sicilia, quam postea Maceram nuncupauerunt)cùm de Siciliæ imperio Romani atque Carthaginenses bello inter se decertarent, multùm Engionenses ciues hortatus erat,vt Romanorum partes sequerentur.Cùm autem sciret, aduersarios ob eam rem decreuisse,in primo consilio ipsum interimere,atque frustra profugere ab vrbe tentasset,nouo astu fugæ suæ cõsuluit.Maceranarum dearum numina,quæ illic sanctè colebantur,quibus potuit verbis impiè cœpit contemnere:& cum non multò pòst in consilio esset,vbi verba facere cœperat,in terram,veluti mente captus, corruit:exclamánsque,in se iratas Maceranas deas flagellis sæuire,dilacerare à tergo vestẽ cœpit. Cúmque ob eã rẽ nemo attingere hominẽ auderet,vlulans ceu furiis agitatus erexit sese,& ad portã vrbis currẽs, nemine obstare auso egressus est:vxor liberísque quemadmodum ab eo edocti fuerant,desperatione agi se fingentes,omnia planctu replebant, atque extra vrbem Niciam in perquirentium morem secuti sunt. Per hunc modum Nicias,cum alia ratio vim aduersariorum effugiendi non esset,se seruauit,atque ad Marcellum cõsulem Romanum profectus est. Fulg.lib.7.cap.3.

MARCIVS Prætorius vir,secutus Bruti partes,cum esset in conflictu Macedonico,ab Antonianis victoribus captus,seruum se simulauit: emptúsque sub hasta àBarbula quodam minimè impigro homine, eam in ipsa seruitute ingenuitatem præ se tulit,vt præpositus primo ab herò seruitiis aliis fuerit,atque haud multò pòst rei etiam pecuniariæ. Pontanus lib.5.cap.1.de Prudentia.

ATHANASIVS ille magnus Alexandriæ episcopus, à Iuliano apostata proscriptus,cõscensa naui per Nilum Thebaidem petere volebat. Missus ab Imp.comes,vt eum tolleret,citato cursu insequitur.Cùm spes nulla esset euadendi,in occursum intrepidè percussori suo procedit. At comes cùm redeuntem videret nauiculam,nihil minus arbitratus quàm Athanasium illic esse,& neci apertæ sese offerre,eos qui in Athanasij naui erant,tanquam fortè prætereuntes interrogari iubet, ân-ne audissent vbi Athanasius esset:Respondent illi,modò se vidisse eum non longè euntem.Insequitur comes aduerso flumine. Athanasius Alexandriam saluus Dei præsidio redit,ibique vsque ad mortem Iuliani delitescit. Ruffinus lib.1.cap.33.& 34.

ALIORVM VITÆ CONSVLERE.

Exempla quædam ex tit.Stratag.Ex hostibus amicos facere,peti possunt.Item, Amoris seruorum erga dominos.

NOE multò Abrahamo antiquior,quanta fuerit prudentia, non solùm arca,quam tanto ante cataclysmum cœpit intexere:sed vetustas ipsa,quæ illum sub Iani nomine bifrontem figurauit, planè demonstrat: indubitato præteritorum scientiæ ac futurorum argumento. Sab.lib. 4. cap.8.

ÆGYPTIÆ obstetrices iussæ præuocare mulierum Hebræarum mares pueros,obtemperaturas se Pharaoni dicebant,nec tamen obtemperauerunt.At cùm non morerentur fœtus,accusatæ respondent, ipsas Hebræas obstetricandi artem callentes, antequam illas adiissent, parere solere. Maluerunt mendaciunculo isto vti,quàm crudele regi præstare obsequium.Quamobrem dicit Scriptura:Quia timuerunt obstetrices Deum,ædificauit eis domos,per quas alij temporalia, alij æterna bona illis repensa intelligunt. [redacted].Marul.lib.4.cap.4.ex Exod.1.

RAAB meretrix certa Israelitas Iosue duce vrbem Hiericho, in qua erat,funditùs euersuros,exploratores eorum domi exceptos non prodidit:quinimò operuit lini stipula,& quærentibus,Abisse dixit. Cúmque Hiericho solo æquata omnes passim trucidarentur,ipsam cum suis omnibus intactam reliquerunt.Insuper in tribu Iuda recipi meruit,Salmoni vni ex principibus iuncta. [redacted]

MVLIER quædam extento super os putei velamine,finxit se tipsanas siccare,& nuncios Dauid ibi latentes Absalonis seruis insequentibus non indicauit:sed gustata aqua,illos festinanter abiisse respõdit. [redacted]. Ibidem.

LACEDÆMONII eos ciues, qui in pugna Leuctrica scutum abiecerant,integris legibus quomodo seruarint, vide sub tit. Clementiæ Imperatoris.

LACEDÆMONIORVM vrbs terręmotu cõcutiebatur,ita vt quinque solùm ædes manerent superstites.Archidamus videns homines ad seruanda ea quæ in ædibus habebant accurrere,veritus ne omnes intercepti perirent,tuba hostium aduentum significauit, & sic ciues suos à ruina seruauit.Polyæn.lib.1.

MILETI furiosus luctus virgines cœpit.Plurimæ enim earum, nulla manifesta causa,subitò laqueis vitam finiebant.Milesia quædam fœmina suadebat,vt strangulatæ per forum efferrentur. Id consilium omnium suffragiis comprobatum,cohibuit virgines,quò minus ipsæ sibi mortem consciscerent.Post mortem enim ignominiam verentes,& funus per forum duci non ferentes,à laqueis in posterũ abstinuerunt.Idem lib.8.

PYTTACVS Mitylenæus Crœsum contra Græcos insulanos expeditionem suscepturum, à proposito auertit. Vide tit. Prudenter alios dehortari.

CROESVS rex Lydorum à Cyro captus, cùm vrbem Sardis milites diriperent,ad Cyrum conuersus:Quid illi agunt, ô rex victor, inquit? Cui Cyrus.Vrbem tuam diripiunt.At ille:Meam olim,nunc verò tuam. Qui voce Cyrus motus,milites à direptione cohibuit.

IDEM,cùm Cyrum Sardis infensum esse cerneret,propter rebellionem,veritus ne vrbem penitùs excinderet,consilium dedit Cyro,ne vrbem deleret:sed Pactyam seditionis authorem capite plecteret, ipsos verò ciues ad bellandum redderet inutiles,hac ratione:imperaret illis, ne arma bellica possideant,vt supra tunicam pallium gestent, induant cothurnos,cithara cantúque ludant,denique cauponentur.Paruit Cyrus & ex bellicosissimis ignauissimos reddidit Lydos.Sic Crœsus & Cyri imperio,& suorum(quibus olim imperauerat)saluti consuluit.Ibidem.

Amantissimus QVIDAM filij,cùm eum inconcessis ac periculosis facibus accensum ab insana cupiditate pater inhibere vellet, salubri consilio patriam indulgentiam temperauit,petiit enim, vt prius quàm ad eam,quã diligebat,iret,vulgari ac permissa venere vteretur. Cuius precibus obsecutus adolescens,infelicis animi impetum, satietate licentis concubitus resolutum,ad id quod non licebat,tardiorem pigriorémque afferens,paulatim deposuit.Val.lib.7.cap.3.

ARCHELAVS Cappadocię rex,cùm intellexisset ab Herode Iudęorum rege captum,ob parricidij suspicionem,Alexandrum filium, suum generum,accurrit properè è regno suo,adiénsque Herodem: Proh dij immortales,ait,vbi gener ille meus,sceleratus,infamis,parricida?ecquis eius mihi iugulum offerat,his aperiendum manibus,hoc discindendum gladio?Sed quænam,inquam,quænam patientia est ista tua, ô Herodes rex?noluisti rebus tuis consulere,noluisti impiissimis filij consiliis, sceleratissimis ausis maximè immanibus incœptis,vt par erat,debito supplicio prospicere.Ego verò filiæ meæ,nurui tuæ Glaphyræ, maritalis impietatis quamuis nullo pacto consciæ,prouidero tamen.Nam quod impiissimi vxor est viri,satis supérque fœdatam esse iudico illam. Ergo festinans ipse è Cappadocia, Alexandrum iamdudum tibi dedisse pœnas falsò credidi:& me tua è sententia,quia perditissimi viri ea coniunx esset,mea de filia capturum esse consilium speraui.Cùm autem te,teipsum O Herodes patrem intuear,plus nimio indulgentem liberis,quæso inuicem commutemus animos:túque dextram da mihi tuam, contrà meã hanc ipse dextram accipe,per quam & ego tuas in gnato suscipiam partes,tu verò in filia vicissim subeas meas.Quibus in hanc sententiam dictis,atrocem Herodis animum ita leniit,vt & filio Herodes pepercerit: & Archelai filiam,quem abducturum se pater nefario à marito simulauerat,rursus collocari in matrimonium scriptis nouis conditionibus voluerit.Pontanus lib.5.cap.de Prudentia.

PACVVIVS Calanus accepta à Romanis clade ad Thrasymenum, senatus Campani periculum,quod ei à plebe imminebat,ita discussit, vt & Senatum incolumem seruaret,& plebis gratiam retineret. Namque plebi de perdendo Senatu morem se gerere velle ostendit,vt tamen antè de alio sufficiendo Senatu pacisceretur.Cùm ergo senatorum damnatione incœpta,ipsius plebis iudicio non inueniretur,qui honestè in Senatu legi posset,deteriorúmque electionis puderet,atque res eò vergeret,vt nihilominus omnes in damnatorum locum suffici se cuperent: quia alia ratio tollendæ contentionis,meliorúmque habendorum non erat,de Senatus mutatione integra res relicta est.Quæ res in posterum plebem Senatúmque,vt melius conuenirent,magna Pacuuij apud vtrũque ordinem gratia effecit.Fulg.lib.7.cap.3.

ANICERIS Cyrenaicus,cum Plato ab Æginetis captus,morti adiudicaretur,quòd vi tempestatis compulsus,quamuis inuitus in Æginam descendisset(capitale enim erat vel Atheniensem Æginam, vel Æginetam Athenas accedere)ingeniosè Platonem liberauit, legem hanc de hominibus tantum latam esse dictitãs:non autem de philosophis, qui mediæ cuiusdam naturæ,veluti heroes quidam,inter deos & homines essent.Hac voce persuasi,accepto precio viginti minarum,Platonem liberum abire permiserunt.Laert.lib.3.

CRATES Thebanus philosophus,filium Pasiclem,simul vt excesserat ex ephebis,perduxit ad ancillæ domicilium,dicens:Hoc tibi est patriũ coniugiũ.Nã mœchi tragici præmia referũt exilia ac cędes: comici

t

scortatores, ex luxu ac temulētia lucrifaciunt insaniam. Sensit, quasi tragicam esse rem adulterium, quòd huius ferè atrox sit exitus: vti scortis, rem esse comicam. id enim non punitur supplicio capitis. Laert. libro 6. capite quinto.

CONDEMNATIONEM PRVDENTER *effugere.*

Cùm Festus præses Syriæ, Iudæis intercedentibus PAVLVM Hierosolymam reducere vellet: Paulus prudenter aduertēs eorum maliciam, Cæsarem appellauit. Act. 25.

PERICLES accusatus, quòd nimis magnam pecuniam profudisset in Propylea, vrgēte Thucydide, conuersus ad populū, in sententiā suam traxit vniuersum. Quando, inquiens, sumptus hos ferre grauamini, sit mihi ipsi expensum, non Atheniensi populo: meúmque operib. nomen inscribam. Quo dicto, populus noluit ciuem ad vnum transferri eam magnificentiæ laudem, quæ totius esset ciuitatis: & vno consensu succlamauit, Pergeret iam, neque vllis parceret sumptibus. Prudenti hoc dicto Pericles vicit non aduersariorum modò improbitatem, verùm etiam Atheniensem populum in suam sententiam penitùs traxit. Pontanus lib. 5. de Prudentia.

ALCIBIADES Pericli consilium dat de ratione non reddenda. Vide tit. Consiliis aliorum parēre.

QVIDAM Athenis vniuerso populo inuisus, causam apud eum capitali crimine dicturus, maximum honorem subitò petere cœpit: non quòd speraret se illum consequi posse, sed vt haberēt homines, vbi procursum iræ, qui acerrimus esse solet, effunderent. Neque enim tam callidi consilij ratio fefellit. Comitij enim clamore infesto & crebris totius concionis sibilis vexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, eiusdem plebis paulo pòst in discrimine vitæ clementissima suffragia expertus est. Quòd si adhuc ei vltionem sitienti, capitis sui periculum obiecisset, nullam partem defensionis odio obseratæ aures reciperent. Val. Max. lib. 7. cap. 3.

P. VALERIVS Publicola, vt crimen affectati regni euitaret, quid egerit, vide sub tit. Popularitatis.

HANNIBAL à Duillio consule nauali prælio victus, timénsque classis amissæ pœnas dare, offensam astutia mirè auertit. Nam ex illa infelici pugna priusquam cladis nuncius domum perueniret, quendam ex amicis compositum & ornatum Carthaginem misit, qui postquam ciuitatis eius curiam intrauit: Consulit (inquit) vos Hannibal, cùm dux Romanorū magnas secum maritimas trahens copias aduenerit, an cum eo cōfligere debeat. Acclamauit vniuersus Senatus, Non esse dubium quin oporteret. Tum ille: Conflixit (inquit) & superatus est. Ita liberum his non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse iudicauerant. Val. lib. 7. cap. 3.

PHRYNE meretrix Thespiensis, dum condemnationem iudicum vereretur, sublatis tunicis corpus denudauit. Cuius pulchritudine permoti iudices, liberam abire permiserunt. Quintil. & Pausanias lib. 1.

Magnus ATHANASIVS episcopus Alexandrinus ab Arianis & Eusebianis in synodo Tyria accusatus fuerat, quòd virginem vitiasset. Producitur in medium impudens meretricula, quæ ab Athanasio hospite noctu se vim passam fuisse profitetur. Sed Timothæus presbyter, comes Athanasij, cùm Athanasius accusationi mulierculæ respondere iussus fuisset, & taceret, consilium eius animaduertens, ipse ad mulierē conuersus: Mihine, inquit, res tecū fuit vnquā, aut hospitio tuo vsus sum mulier? Tum illa, quæ Athanasium non cognoscebat, impudentiore quàm antea vociferatione, Timotheum digito demonstrans: Tu, inquit, mihi vim & vitium obtulisti. Hac ratione per se detectum est mendacium, quod cùm Athanasium non cognosceret, se ab eo stupratam esse assereret. Ergo muliercula dimissa est, quamuis repugnante Athanasio, & eos à quibus subornata fuisset, indicari sibi petente. Postea cum eidem obiecisset, Arsenium quendam Meletianorum episcopum ab Athanasio interfectum esse, & dexterā eius veneficiorum gratia resectam (quam & in arcula ostendebant) curauit Athanasius Arsenium in Ægypto vndique quæri. Nō tamen inuentus fuit, sed diuina prouidētia compulsus, Tyrum incognitus venit, cupiditate videndi quæ contra Athanasium agerentur. Ibi ab Archelai viri cōsularis famulis agnitus, & in synodum productus, Athanasij innocentiam attestatus est. Theodoretus lib. 1. cap. 29. & Socrates lib. 2. cap. 27.

Philippus Macedo, MACHETÆ cuiusdam pro tribunali sedens causam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem: itaque sententiam tulit aduersus Machætam. Verùm quum is exclamasset, se ab ea sententia appellare: rex iratus. Ad quem? inquit. (nam appellandi verbum monarchis est inuisum.) Hic Machætas: At teipsum ô rex, inquit, si expergiscaris, & attentius audias causam. Ac tū quidem surrexit rex. Cæterum posteaquam causam apud se melius perpēdisset, intellexerítque Machætæ factam iniuriam, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam qua damnatus fuerat Machætes, ipse persoluit. In vno facto, quot regiæ virtutis argumenta? Non perseuerauit irasci & prouocanti, & somnolentiam publicè obiicienti: sed per ocium rem suo cum animo accuratius cōsiderauit, iam ab ira liber. Sit hoc ciuilitatis, regiæque moderationis: illud verò prudentiæ, quòd ingenioso commento sic damnatum exemit damno, vt regiam tamen in iudicando authoritatē non proderet, multam priuatim perinde quasi ipse damnatus esset dissoluit. Plu. in Apoph. Regum & Imperatorum.

SCIPIO maior quum à Petilio & Quinto tribuno pleb. multis nominibus accusaretur apud populum Romanum, nihil ad crimina respōdit, tantum hoc dixit: Hac die Quirites Hannibalem & Carthaginem deuici. proinde ascendo in Capitolium Ioui opt. max. sacrificaturus. Si quis de me suffragium ferre velit, ferat. Hæc loquutus, ascendebat ad Capitolium relictis accusatoribus, nondum perorata causa. Tantum valet egregiorum in rempublicam meritorum fiducia, vt repentè iudicij rigor versus sit in orationem, & reus pro supplice egerit triumphantem. Plut. in Apoph Ro. & Plin. iunior de Viris illustribus.

Bonifacius VIII. Rom. Pont. duobus ferè lustris, domum de Columna vagam egit, ac toto orbe dispersam. Fulminabat ille de terris, & ad exemplum Tonantis ætherei, cuius gerebat vices, edictis minacibus intonabat. Capitale erat, aliquem de generosis exulibus hospitio suscepisse. Nunciatum est interea, Agapeti VXOREM, quæ sanguine illum contingebat, esse prægnantem. Sensit hostem suum Romæ fuisse: & accensus ira atque odio, perduci ad se mulierem iussit. Venit illa verecundè, & ventrem studio texit. At ille, vt erat in sermone mordacissimus: Demitte, inquit, pallium meretrix, quis te grauidam fecit? Loqui coacta: Pater, ait, sanctissime, tu mihi virum meum abstuleras, quid facerem? quod & ætas & forma suaserunt, consilium cepi. Inter innumerabiles peregrinos quos hic annus in vrbe hac congregauit, circunspiciens vnum viro meo simillimum notaui: placuit oculis meis ille, & in exulantis viri memoriam susceptus est per noctem: mane abiens, qualem cernis me dimisit. Hæc autem alludens ad viri abitum dicebat, qui sub veste peregrini ad vxorem penetrauerat. Risit Bonifacius, & muliebri facundia mitigatus est. Petrarcha.

CORPORIS TORMENTA, DOLORES, MVtilationes, &c. prohibere.

THEOBALDVS, Camerinorum princeps, cùm Beneuentanis suppetias mitteret, & cum Græcis manus confereret, fugauit eos: & quotquot cepit, euiratos remisit, addens ignominiæ risum. Quandoquidem, inquit, imperator vester eunuchis gaudet, quotquot emiserit armatos, gallinaceos factos remittam. Erat autem in castris mulier, quæ virum captū sequebatur magnis eiulatibus. Nouitate rei motus princeps, iussit adesse fœminam propius, & quid peteret quæsiuit. Tum illa fidentius: Quid est, inquit, quòd viri fortissimi bellum fœminis indixistis? quid in vos deliquit sexus infirmior? Ad quam Camerinus: Et quis malùm fœminis, nisi Amazonibus, bellum inferat? Tum mulier: Quando, inquit, ideo pugnatis, vt victos emasculetis, non cum aliis quàm cum fœminis bellum geritis. Omnis substantia, & quicquid etiam vndecunque possident, auferatur dummodo viros relinquatis: habent vnde consolationem accipiant fœminæ. Hac verò parte trūcatos si remittitis, non viros, sed fœminas spoliatis. Promeruit liberras dicacis fœminæ, vt virum cum omni præda reciperet. Tum Camerinus, vbi virum & omnia reddidit mulieri, versus in eam: Quid, inquit, vis vt faciam viro tuo, si posthac contra me pugnans capiatur? At illa: Oculos & aures cum naso amittat, modò vir ad me redeat. Hac dicti sui festiuitate, sibi & viro profuit. Albertus Crantzius lib. 3. cap. 9. Metropoleos.

MORBOS PRVDENTER COGNOSCERE.

ERASISTRATVS medicus, ingeniosè Antiochi amorem erga Stratonicam nouercam deprehendit. Vide tit. Amor parentum erga filios.

MORBOS PRVDENTER PRÆCAVERE *aut curare.*

METHODICA *curandi ratio ad Medicos pertinet. At prudentia, quæ sub artis præcepta non cadit, non Theoricus est habitus, sed practica virtus. Eapropter exempla earum curationum hoc in loco afferamus, in quibus prudentia magis quàm Methodus obseruetur.*

BABYLONII consuetudinem, simul & legem habebant efferendi ægrotos in forum (neque enim medicis vtuntur) vt de eodem languore consulant, qui eos adeunt, si quis & ipse eundem passus est morbum, aut alium vidit patientem. Hæc viri qui illos adeunt, consulunt, hortantúrque ad ea quæ ipsi faciendo effugerint similem morbum, aut alium nouerint effugisse. Nec fas est cuiquam languentes præterire silentio. Herodotus lib. 1.

MEDICVS quidam cùm ægroto daret operam, qui à phrenitide correptus, cibum nollet capere, quòd mortuum se esse diceret: summisit qui sub eiusdem insaniæ specie, prope illum in lecto collocatus, diceret se quoque mortuum, exposceret tamen & cibum & potum dari sibi. Qui cùm afferretur, & ipse sumeret: tunc alter ille qui vera laborabat insania, Quid hoc, inquit, an mortui comedunt & edunt? subdit alter ille sub ficta persona: Et potant mortui omnes. Atque hoc dicto cœpit magis cupidè mandere. Quo exemplo ductus, qui ægrotabat: Et ego quoque more mortuorum pransurus sum, inquit: confestim itaque cibum sumere cœpit, ex medici sentētia: nec multos post dies morbo liberatus est, magis prudenti hac solertia, quàm curandi ratione & arte. Pontanus de Prudentia lib. 4. cap. 11.

MEDICVS quidam febricitantem immorigerum, nec nisi meracum bibere volentem, ita delusit: Ollam nouam candentem vino generosissimo īmergi præcepit, vt odore illi⁹ imbueretur. Eandē mox aqua medicata repletam, ægro propinari iussit. Qui cùm vini odore allectus esset, auidè medicamen bibit, & liberatus est. Chrysost. in fine primi libri de Sacerdotio.

CARCERES PRVDENTER EFFVGERE. *Liberare captiuos.*

Cùm Tribunus iussisset PAVLVM cædi flagellis, dixit Paulus astanti Cēturioni: an hominem Romanum licet indemnatum vobis flagellare? Hoc dicto exterriti tortores, discesserunt. Act. 22.

IDEM in infesta concione verba faciens, & sciens quòd vna pars esset Pharisæorum, exclamauit: Viri fratres, Pharisæus sum, &c. Surgentes ergo quidam Pharisæorum, pugnabant pro eo. Act. 23.

ARISTOMENES Messenius captus à Lacedæmoniis, & in vincula coniectus, ad ignem se acclinauit: atque combustis vinculis solutus, custodes occidit. Clam inde Spartam ingressus, eorum scuta Chalciœci tēplo affigens, inscripsit: Aristomenes illæsus à Lacedæmoniis euasit. Hoc patrato, Messanam reuersus est, Polyæn. lib. 2.

AMPHIRETVS Acanthius, captus à piratis, in Lemnum deductus, in vinculis conseruatur, prædonibus magnam pecuniæ vim redemptiam sperantibus. Ille à cibo abstinens, minium aqua salsa mixtum bibit. Cùm igitur aluum vacuaret, prædones existimantes eum in sanguinis fluxum incidisse, vinculis soluerunt, ne ob morbum è vita discederet, atque ita ipsis pecuniæ speratæ perirēt. Ille solutus noctu aufugit, conscensaque naui piscatoria Acanthum peruenit. Idem lib. 6.

ANAXAGORAS, Codrus & Diodorus, compedibus vinctum Hegesiam, Ephesiorum tyrannum, interfecerunt. Philoxenus ab Alexandro rege præfectus Ioniæ, viros ab Ephesiis postulauit: cúmque non impetrasset, præsidium in vrbem duxit, & hos tres viros per vim rapuit, ferreísque cathenis ligatos in arcem Sardianorum misit. Qui diu multúmque cruciati, seipsos liberauerunt, accersita Philurina: cuius auxilio vsi vincula dissiparunt, & seruilibus vestimētis induti, per noctem quasi serui è carcere egressi, fune & vestimentis secundum longitudinem dissectis, ea connexuerunt, seséque de mœnibus demiserunt. Diodorus subitò decidens ex alto, claudúsque factus, in eo loco remansit: captúsque à Lydis, ad Alexandrum missus est, vt supplicium penderet. Cùm autem Alexander Babylone summum diem obijsset, Ephesum ad Perdiccā missus est, vt legum iudicium subiret. Anaxagoras verò & Codrus discedentes, Athenas peruenerunt: & audita morte Alexandri, reuertentes Ephesum, etiam fratrem suum Diodorum liberauerunt. Ibidem.

HEGESISTRATVS Elæus, captus à Lacedæmoniis, & in vincula coniectus, rem fecit vniuersæ posteritati commendabilem. Nam quum ferratis soleis vinctus esset, dimidium pedem præcidit, vt se compedibus illis eximeret: demum subruto muro periculum effugit, deceptis excubitoribus. Herod. in Calliope.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis discipulus, cùm ab Atheniensibus legatus esset missus ad Antipatrum regem, vt Athenienses in bello Lamiaco captos redderet, à rege ad cœnam inuitatus, hosce versus ex Odysseæ κ protulit:

ὦ Κίρκη, τίς γὰρ κεν ἀνὴρ, ὃς ἐναίσιμος εἴη,
πρὶν τλαίη πάσσασθαι ἐδητύος, ἠδὲ ποτῆτος,
πρὶν λύσασθ' ἑτάρους, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.

Quibus verbis innuebat, se non prius cibum gustaturum, quàm id quod petebat impetrasset. Rex illius prudentiam admiratus, omnes captiuos statim liberari curauit. Laert. lib. 4.

REDITVM IN PATRIAM AB EXILIO *prudenter quærere.*

TROIANI, Æneæ comites, profugi in Italiam appulerunt, & in ostiis fluuij Thybridis latitarunt. Troiani per regionem vagabantur. Vxores eorum consilium ineunt clandestinum. Rhome Troas inquit: Quò vsque erramus? quousque pelago circumagimur? Agite naues comburamus, virósque ad necessitatem huius incolēdæ terræ redigamus. His dictis, prima ignem in naues iniecit, póstque eam reliquæ Troades, Troiani nauibus destituti, Italiam incoluerunt. Polyæn. lib. 1. de clar. mul. Vide tit. De osculatione.

ALCIBIADES à Sicilia soluens, ad iudicium de Mercurialibus statuis, & mysteriis, rotundam nauem ingressus, Lacedæmonem defertur: ac suadet, vt repentè Syracusiis opem mittant, & Deceliam muniant, alioquin non amplius cessuros ipsis neque terræ neque pecuniæ reditus. Sed Insulanos quoque, si viderint eos oppugnari, defecturos. His ita gestis, Athenienses Alcibiadi reditum ab exilio decreuerunt: quòd eius opera bello, in quo oriebatur, conficiendo carere non possent. Ibidem. Aliter tamen Plutarchus in eius vita.

COSMAS Medices, vir longè sua tempestate clarissimus, à Strozianis in exilium pulsus, quum ad Benacum lacum ageret, à Pallantis nuncio quandoque requisitus, quídnam ibi solus ageret? prudentissimè respondit, sese gallinæ incubanti frequentem adesse, vt eius postea fructu potiretur. Cuius responso nuncius ille in risum conuersus, non animaduertit viri prudentissimi responsum eò tendere, vt de reditu in patriam assiduè cogitaret. Quod nō multo pòst senatus Veneti ope cōsecutus est. Egnat. lib. 7. cap. 2.

FAMEM ET ANNONÆ CARITATEM *prudenter remouere.*

Cùm effusurus se in Romanorum prouincias Parthorum rex Phraates videretur, vicinæque imperio eius regiones subita inducti tumultus denunciatione quaterentur: tanta in Bosphorano tractu cōmeatus penuria incessit, vti sex millibus denariūm singula vasa olei, frumentíque modiis totidem mancipia permutarentur. Sed amarissimam tempestatem AVGVSTI cura, tutelæ tunc terrarum vacaus, dispulit. Val. lib. 7. cap. 6.

LIBERORVM PROCVRATIONI *consulere.*

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, quodam admirante, quāobrem vetuisset sponsum cum spōsa simul dormire: sed statuisset, vt vterque cum suis æqualibus maximam diei partem versaretur, cúmque his totas noctes quiesceret, cum sponsa verò furtim ac verecundè congrederetur: Primùm, inquit, quòd vt corporibus essent validi, si nō vterētur congressu ad satietatem: dein, vt illis amor mutuus semper maneret recens ac vigens: denique, vt fœtus ederent robustiores. Plut. in Lacon.

DE BONIS FORTVNÆ.

PRVDENTIA IN AVTHORITATE VEL *priuata vel publica acquirenda, conseruanda, asserenda.*

Huc exempla quædam conseruandi honoris & authoritatis ex tit. Constantiæ, referenda erunt.

MOSIS prudentia non vulgaris apparuit in Aharonis dignitate vindicanda. Cui cùm sacerdotiū tumultuosè à populo abrogaretur, vt motus ille sæuientis multitudinis, qui in horas gliscebat, cohiberetur, nec frater temerè spoliaretur sacerdotio: disquisitionem rei non ad multitudinis studium, cuius proprium est nihil sapere, sed ad numinis voluntatem relegauit. Cuius astipulatu dignitas est fratri stabilita, & competitorum impietas grauiter est vindicata. Sabellicus libro quarto, capite octauo.

DEIOCES primus Medorum rex, à popularibus suis iustitiæ nomini, electus, cùm Ecbatana regiam sedem ædificasset (de qua sub tit. Magnificorum ædificiorum) neminem ad se ingredi permittebat, sed per inter nuncios cuncta transigebat, neque regem à quoquam conspici fas erat ridere aut expuere coram rege non licebat. Hac ratione authoritatem sibi comparauit: & ne æquales sui, qui cum eo educati erant, res nouas molirentur, eum præ oculis quotidie cernentes, ipsa absentia maiestatē fingere voluit. Herod. lib. 1.

ISMENIAS Thebanus legationem ad regem Persarum patriæ causa suscepit. Tribunus itaque militum Tithraustes, cuius officium erat, res nunciatas ad regem deferre, & supplices introducere: O Thebane hospes, dicebat (hæc autem ioco loquebatur, per interpretem) lex est vernacula Persis, vt is qui in conspectum regis venit, non antè sermonem cum eo conferat, quàm genua inclinauerit. Quòd si igitur vis ipse eum adire, necesse est vt quod lex iubet, peragas. Sin minus nos te cogemus, si non adoraueris. Ismenias: Agesis igitur, inquit, deduc me. Cùm in faciem regis ventum esset, annulum quem gestabat, è digito detractum, clàm abiecit ad regis pedes: confestimque procumbens, tanquam adoraret, sustulit eum iterum. & honorem quidem adorationis Persarum regi præstitit: nil tamen commisit, quod ignominiosum aut indecorum foret Græcis. Quicquid igitur petiit, impetrauit, nec quicquā à Persa ei denegatum est. Ælian. lib. 1. de Var. hist.

AMASIS, Ægypti rex, ignobili ortus loco, vt populum ad se colendum induceret, ingeniosa vsus est astutia. Vide inferius tit. De honorem magistratibus exhibendo.

SOSTRATI architecti Gnidij prudentiam in gloria sua vindicanda, pete ex tit. HONOREM ablatum vindicare & asserere.

ALEXANDER, si in Macedonibus, aut etiam Græcis iudiciū exerceret, mediocre vulgaréque forum probabat: sin inter Barbaros, splendidum & militare, vt etiam fori figura metum Barbaris incuteret. Cùm igitur in Bactris & Hyrcaniis atque Indis iudicia daret, tabernaculum hoc ferè modo constructum habuit. Tabernaculum amplitudine tantū erat, vt centum mensas posset capere. Id fulciebatur aureis columnis quinquaginta. Cœli auro obducti variis ornamentis elaborati, supremū locum tegebant. Persæ primò quinquaginta Melophori, circum tabernaculum intus stabant, purpureis meliníque vestibus induti. Post hos Melophoros pari numero iaculatores, qui vestibus variabant. nam alij flāmeis, alij cærulæis, alij coccineis amiciebantur. Ante hos stabant Macedones argentea scuta tenentes, quinquaginta immani magnitudine viri. In medio tabernaculo aureus thronus positus erat, in quo residens ius dictabat. Vtrunque latus regis iudicantis satellites cingebant. In circuitu tabernaculi dispersum hinc inde elephātorū agmen astabat & Macedones mille, stolis Macedonicis induti. Post hos quingenti Su-

sij purpurati: post quos circumcirca ambibant, vndique Persæ, decem Persarum millia, pulcherrimi, maximique, ornati omni habitu Persico, omnes acinacibus prediti. Eiusmodi fuit Alexandri curia inter Barbaros. olyęn.lib.4.

NVMIDARVM reges plurimùm ob singularem prudentiam laudantur, qui more gentis suæ nulli mortalium osculum ferebant, quamuis apud cæteros in vsu hoc semper fuisset. Nullam nimirum aliam ob causam, quàm vt docerent, in summo dignitatis gradu constitutos non nimiam cum infimæ sortis hominibus habere consuetudinem oportere. Val.Max.li.2.cap.1.de instit.antiq.

Cùm Alexandro Magno dictum esset, INDVM quendam, sagitta arcu emissa, singulis ictibus medium annulum petere: ad se accersitum iussit, vt se præsente id ageret. is autem adeò obstinatum, ne id ageret, se præbuit, vt iratus Alexander, morte eum damnaret. Cùm autem ad supplicium duceretur, à multis interrogatus, Quamobrem non sagittasset? Dixit: Eã fuisse causam, q cùm iam diu eius rei, in qua excellere plurimũ putabatur, periculum non fecisset, errare vereretur. Adeò magna eum vrgebat cura, vt excellẽs sagittarius haberetur. Quam rem cùm Alexander accepisset, eum periculo liberauit, atque insuper ingentia munera addidit. Fulg.lib.8.cap.15.

CHALDÆI deum suum, quem sub specie Ignis colebant, contra omnes alios deos euehere conantur. Ingeniosè tamen ab Ægyptiis redarguuntur. Vide tit. Religionem suam propagare, & contrariam profligare.

ARISTEAS Proconnesius, philosophus & poeta, cùm nullam sapientiæ opinionem apud suos haberet, eo quòd in ea comparanda nullis magistris vsus videretur: ad submouendam huiusmodi incredulitatem, finxit animum suum relicto corpore in aera subleuari, & per vniuersum orbem vagari vsque ad Hyperboreos & Indos, omniúmque gentium mores & respub. ex sublimi loco cõtemplari solitum. Quo commento, accedentibus etiam magicis præstigiis, authoritatem apud suos sibi peperit. Maximus Tyrius 22. sermone.

TIBERIVS Cæsar, viuente Augusto Rhodum secessit. De facto quidẽ cõstat: de causis ambigitur. Alij impudicæ & procacis vxoris tædio, cuius mores nec ferre posset, nec corrigere: alij, vt imperatoris filiis iam adultis cederet, & omni se inuidia ac suspicione liberaret: alij autem, vt raritate venerationem suiipsius aleret, & Reipublicæ desiderium per absentiam augeret, sempérque familiaritatis nimiæ comitem contemptum remoueret. Quæcunque sanè fuerit causa, effectus consilij haud spernendus videretur, nisi quia discedendi pertinacia offendit Augustum vsque adeò, vt ad reuisendas charorum necessitudines redeundi licentiã post multum temporis suppliciter flagitanti, responsum tale dederit: Dimitteret omnem suorum curam, quos tamen reliquisset: & vix tandem post octauum annum, optatum votis reditum interuentu magnorum impetrauerit Petrarcha.

ARTIFEX quidam operibus suis vsque ad miraculum excultis, nunquam se supremam manum imposuisse dicebat: vt scilicet & sibi addendi semper, mutandíque libertatem reseruaret: & suspenso iudicio spectantium animis quiddam tam de artifice, quàm de opere, magnificentius ac perfectius semper occurreret. Petrarcha.

Q. SERTORIVS per asperos Lusitaniæ colles ceruam albam trahebat: ab ea se, quænam aut agenda, aut vitanda essent, admoneri dictitans. Val lib.1.cap.3.de Simulata relig.

VENETI crucem auream pileo ducali (quem cornu vocant) in fronte affigi curarunt, quando Laurentio Celso duci pater eius aperto capite occurrere voluit: quòd turpe putaret, se patrem filio submittere: vt in posterum non personæ, sed cruci aureæ honorem exhibere nemo dubitaret. Egnat.lib.9.cap.5.

Bello Clodiano, pace inita inter Genuenses & Venetos, quum Ligures oratores Venetias venissent, frequentésque ad CAROLI Zeni ædes venirent, quasi ad ciuitatis principem, deduxit illos vir prudentissimus ad Riualtinum pontem, vt æqualitatem & maiestatem Venetæ reip. euidenti argumento illis ostenderet. Conuenerat autem cum Riualtino magistratu, dedita opera, vt obuium ad se suum satellitem mitteret: cui pugionem ipse vel inuitus traderet, quem gestare solitus erat: simúlque ipsum euocaret ad pœnam, quasi supra ciuem sese gereret, qui ferrum per vrbem secum deferret, quod lege iam pridem prohibebatur. Tradito igitur pugione satelliti, à quo etiam ad magistratum euocabatur, conuersus in legatos, ipsos rogare cœpit, vt secum proficiscerentur: quibus perbenignè pollicentibus, rectà tendit ad præsides. Qui viso Carolo, grauius & penè acerbius in illum inuecti, propter pugionem ipsum penes se retentum, multam etiam illi grauem indixere. Qui mox à Carolo legatísque exorati ęgrè concesserunt, vt Carolus tutus domum dimitteretur: quibus ille reuertens, multa in eam sententiam connumerauit, nihil in vrbe superesse, in quod non omnes vno ordine conspirarent. Egnat.lib.7.cap.3.

Fuit RODOLPHVS Habspurgensis comes, in Ottochari Bohemi regis aula, magisterij domus honore insignis. Ottocharus autem alio nomine Primislaus fuit dictus. Hic Rodolphus virtute ad imperium sibi viam fecit. Itaque cùm ab Ottocharo, qui iam ei propter imperij nomẽ subiiciebatur, peteret vt secum fidei atque obedientiæ sacramento iungeretur, indignatus Ottocharus, ei parére, cui iampridem ipse imperare consueuisset, imperium neglexit. Rodolphus, qui cum nomine animum quoque imperatorium induerat, ne ius suum amitteret, armis id repetiturus venerat. Sed amicorum opera tandem Ottocharus persuaderi sibi passus est, vt iuraret, modò inter paucos ea res ageretur. Rodolphus vir grauis, & animi ingentis, nec minore ingenio, superbo regi annuit, vt intra tentorium suum iuraret. Ad eum igitur postero die Ottocharus, rem occultam esse arbitratus, se contulit. In tentorium profectus, inspicit Rodolphum chlamyde atque diademate imperatorio ornatum, in aureo throno principibus septum sedere. Itaque stupore captus, cùm quid consilij iniret non videret, quia iam ad pœnitentiam regressus non erat, deflexis genibus, ad Rodolphi pedes iacuit. Vbi dum scriba longis verbis iuramenti formulam recitat, tentorij latera, quæ ad eam rem per Rodolphum composita erant, ad terram corruunt: & Rodolphum diademate insignem, in throno sedentem, Ottocharúmque ad eius pedes iacentem, Germanis Bohemísque ostenderunt. Eo facto Bohemus rex vehementer indignatus, postea contra Rodolphum arma cepit, vitámque amisit. Fulgos.lib.6.cap.4.

MATTHÆVS cardinalis Sedunensis, qui Maximilianum Imperatorem in ducatu Mediolanensi occupando per Heluetios, apud quos gentilitate, & popularitate valebat, adiuuit: cùm dubitaret se ab Heluetiis suis contemni, & propter solam largitionem suspici: si quando ab illis conueniretur, tanquam aliis rebus, vt literis legendis, vel precibus absoluendis intentus esset, sese auertere consueuerat: & clàm in nitidissimo speculo linguas caninas & aures asininas, quæ ei à simulatis clientibus intentabantur, aspicere. Singillatim deinde vnicuique eorum conuicia & scommata ista exprobrabat: ita vt magicis artibus tantùm hæc ab illo resciri potuisse existimarent, & magis formidine, quàm veneratione ducti, illum porrò obseruarent atque colerent.

CALVMNIAS ET INFAMIAM PRV*denter vitare.*

SYMEONES monachus quomodo stupri suspicionem euitarit, pete ex tit. Monachorum.

Quidam petulantioris linguæ, maledicta coniicere solebat in PHILIPPVM: hunc amici hortabantur, vt eiiceret in exilium. At ille negauit hoc se facturum; demirantibus, Quid ita? Ne, inquit, oberrans inter plures, malè de me loquatur. Quòd maledicum non egit in crucem, vel clementiæ erat quòd ignouit, vel magnanimitatis quòd contẽpsit: quòd noluit expellere, prudentiæ: plus enim nocuisset. Plutarchus in Apoph. regum & Impp.

PERICLES Ariphroni volenti publico præconio quæri Alcibiadem qui adolescens clàm domo egressus, ad amicum Democratem se contulerat, obstitit dicens: Si forte nobis insciis periit, præconio nil aliud agetur, quàm vt vno tantùm die citius manifestum fiat, illum interisse: sin saluus est, ne per omnem quidem vitam saluus esse poterit. Ciuiliter exclusit Pericles adolescẽtis infamiam, quam nunquam potuisset eluere. Plut.in Græc.Apoph.

PHIDIAS Mineruæ simulachrum ex auro faciendum conduxerat, idémque propter amicitiam Periclis multos habebat infensos. PERICLES Phidiam monuit, vt aurum ita fabricaret, ac imagini circumponeret, vt omne detrahi, & trutina examinari posset, ne furti aliquando posset accusari. Ea res Phidiæ saluti fuit. nam à Menone quondam operarum socio inuidiæ operum causa accusatus, & in carcerem coniectus, publicè cõdemnari non potuit (quod tamen inimici optabant) sed clàm tamen veneno sublatus est. Plutar.in Pericle.

ALCIBIADES, ne populi calumnias in rebus grauioribus experiri cogeretur, cani pretioso caudam abscidit, vt hoc facto populus liberè in illum inueheretur, & interim à grauioribus calumniis abstineret. Fulg. lib.7.cap.2. Sciebat enim vulgi in reprehendendo & obloquendo petulantiam.

Ædificauerat Romæ ædes magnificas, editóque in loco PVB.VALERIVS, cui pòst à publici ac popularis boni studio inditum cognomen est Publicola. Iis ex ædibus cùm descenderet in forum atque in curiam Valerius (qui consulum ac primorum vrbis virorum mos erat) magno patrum ac populi comitatu honoris gratia deducebatur. Hæc res regiæ pompæ similitudinem præ se ferebat. Itaque cùm ob hoc ipsum, quódq; collegam minimè suffecisset, in suspicionẽ venisset affectati regni, clámque à quibusdam etiam maledictis discerperetur, ab amicis admonitus, consilium euestigiò cepit diruendæ domus, quæ magna ex parte caussam suspicioni videbatur afferre. Nocte igitur intempesta non exigua manu fabrorum operariorúmque conducta, domum omnem à fundamentis dirui tanta festinatione iussit, vt illucescente iam die ædificium vniuersum æquatum solo iaceret. Hac demolitione suspicionem criminis aboleuit omnem, maxima cum gratia, beneuolentia atque gloria. Florus lib.1.cap.9.Epitomes, Valerius lib.4.ca.1.de Animi moderatione, Plutarchus in vita eius.

IN HONORIBVS, IMPERIO ET POTEN*tia, confirmanda aut acquirenda, sua suorúmve, prudentes.*

DAVID à Iacobo patriarcha oriundus, iam senio confectus, cùm in animo haberet regnum Salomoni per manus tradere, quia apparebat in tanto filiorum grege non defuturos, qui iniquo animo laturi essent, minorem natu fratrem sibi prælatũ iri: ad omnem domesticæ discordiæ materiam è medio tollendam, non multo prius quàm vita sit defunctus, regis appellatione in eum translata, populo regem salutandum obtu-

lit. Sic viuentis adhuc patris auctoritas tam validè stabiliuit illi regnum, quàm vix vllum necessitudinis vinculum eo extincto potuisset. Sabel.li. 4.cap.8.& Philo lib.2.

THEOPOMPVS Spartanorum rex passus est Ephororum eligi magistratum aduersus oligarchiam à Lycurgo cõstitutam. Quare cum nõ nihil regia potestas videretur imminuta, eámque ipse ob causam ab vxore accusaretur, quòd regnum liberis esset multo imbecillius traditurus, quàm ipse à maioribus accepisset: Quin, inquit, & stabilius & magis diuturnum. Quo dicto, diuturnitatem se eius ostendit longè etiam præferre magnitudini: inesse enim in licentiosa magnitudine periculum, atque ex periculo breuitatem. Contra verò in ea potestate, quæ ratione legibúsque niteretur, diuturnitatem. Iouianus Pont. lib. 5. de Prudentia.

OCHVS, Artaxerxe patre suo vita defuncto, cum sciret patrem superstitem adhuc formidabilem subditis extitisse, se verò post eius obitum pro nihilo habitum iri, cum eunuchis, catacomistis, & Chiliarcho pactũ iniit, ac mortem ad decem menses celauit. Interea temporis regium sigillum circummittens, nomine parentis edixit, vt Ochum regem promulgarent: cúmque omnes eum regem salutarent, & obedientiam præstarent, tum denique confessus est patris mortem, regiúmque luctum consuetudine Persarum imperauit. Polyæn.lib.7.

ÆATVS sororem habens Polycleam, ambo ab Herculis stirpe genus ducebant. Oraculum extabat: Qui primus ex hoc genere transmisso Acheloo terram attigerit, vrbem cum imperio tenebit. Cum exercitus flumen transiturus esset, Polyclea pedem obligauit: inquiens, plantam sibi vulneratam esse. Rogat fratrem Æatum, vt se trans fluuium portet. Ille nihil mali suspicatus, sed tanquam sorori inseruire volens, scutum armigeris tradidit: sublatáque in humeros Polyclea, alacriter per fluuium vestigia ferebat. Qui cùm ad ripam appropinquasset, illa præuertens exiliit, & conuersa ad fratrem inquit: Mihi regnum debetur ex oraculi sententia, nam prima omnium terram ingressa sum. Æatus intellecto dolo, nequaquam ægro animo tulit: sed puellæ solertiam amplexus, eam in vxorem duxit, simúlque imperij gubernacula tenentes, filium Thessalum genuerunt, à quo ciuitatem etiam Thessaliam nuncuparunt. Polyæn.lib.8.

DEIOCES Medus, cùm Medi ab Assyriis defecissent, & per vicos passim habitarent, & in magna anarchia essent, tyrannidis inuadendæ tale consilium cæpit. Nam vt natura erat æquitatis amans, inter suos contribules ortas lites atque rixas summa iustitia componere cœpit: atque etiam tribunal, quamuis priuatus, conscendens, æquabiliter ius dicebat. Et tota iam Media iustitiam Deiocis prædicabat. Posteaquam autem satis sibi visus est Medorum animos cæpisse, propter rei familiaris damna publicis rebus se vacare amplius non posse simulauit. Interea cùm & rapinæ & latrocinia multo impunitius quàm prius exercerentur, consilio habito (idque authoritate Deiocis amicorum) de rege eligendo Medi agitarunt: & quia Deiocis perspectam habebant prudentiam & iustitiam, eum regem suum esse voluerũt. Regnauit annos 53 in summa pace. Successit ei filius Phraortes, Cyaxaris pater. Herodot.lib.1.

CROESVS à Cyro captus, victori consilium dedit optimum, vt quandoquidem Persæ natura proterui essent, & inopes, ne aliquando opibus elati contra Cyrum res nouas molirentur, decimas Ioui omnium eorũ quæ in vrbe Sardiorum locupletissima essent, voueret, & nihil ex vrbe exportari fineret. Paruit Cyrus: sicque factum, vt neque odium suorum incurreret, opes illis vi exigendo, neque occasionem rebellandi præberet. Herodot.lib.1

Quum Philippus locum quendam Ithomatam, non minus munitum, si præsidium imponeretur, quàm erat Achrocorinthus, occupasset, & sacrificio peracto per vatem ad ipsum exta essent delata, accepta ARATO ac DEMETRIO Phario demonstrauit: & ipse animi dubius rogabat eos, quid exta portẽderent: vtrum Messeniis locum redderet, an retineret? Hic Demetrius arridens: Si animum, inquit, vatis geris, locum dimittes: sin regis, vtroque cornu bouem retinebis. Peloponnesum bouis ænigmate signans, quàm facilè tueretur, si duas arces præsidio tueretur. Aratus autem rogatus à Philippo suam sententiam dicere, post diutinum silentium hunc in modum respondit: Permulti sunt, ô Philippe, Cretensium montes, permulti Bœotiorum & Phocensium tumuli terra prominentes: item plurimi Acarnaniorum, partim in mediterraneis, partim in oris maritimis siti, qui natura munitissimi sunt: & tamen quum horum nullum cæperis, omnes tamen sponte imperata faciunt. Latrones rupes & saxa incolunt, ac præcipitiis se tuentur: regi autẽ nihil beneuolentia firmius, aut munitius esse potest. Eras.lib.6.Apoph.

ALEXANDER Macedonum rex, cùm Babylone animam egisset, & propter regni contentionem triginta diebus inhumatus carénsque sepulchro relictus esset, Aristander, Telmisensis, vt vel inuitos ad sepulturæ honorem cogeret, in medios Macedones irruit, & omnes omnium seculorum reges Alexandrum fœlicitate superasse tam viuum quã mortuum asseruit. Etenim Deos immortales sibi notũ fecisse, in quacunque terra requiem ipsius cadauer esset habiturum, eam fœlicitate abundantem, & ab omni hostili vastatione in perpetuum liberam fore. Hæc cùm audiuissent principes, pro se quisque summo studio annitebatur, vt in suũ regnũ transferret, quasi obsidẽ stabilitatis imperij. Ptolemæus tamẽ maxima festinatione raptum, in vrbem Alexandri sitam in Ægypto deportauit. Perdiccas verò cùm Alexandri corpus Ptolemæo vi rapere conaretur, Ptolemæus clàm facto simulachro Alexandri effigiem referente, veste regia eam exornauit, & entaphis honorificentissimis. Deinde in Persicum currum imposuit, ac feretrum magnificè auro, argẽto & ebore instruxit. Sed verum Alexandri corpus apparatu tenui præmisit per vias occultas & inuias. Perdiccas igitur cùm currum tam instructum vidisset, veri Alexandri corpus inesse ratus, rapuit, nec diu post se fallaciis circumuentum esse cognouit. Ælian.lib.12.de Var.hist.in fine.

ALEXANDER Hierosolymorum rex pressus ægritudine, scelerúmque suorum conscius, cùm se auarè crudelitérque in populos grassatum esse sciret, liberísque timeret, ne post suum obitum regno à popularibus pellerentur, vocatam ad se Alexandram vxorem monuit, vti animam cũ ipse egisset, confestim cadauer in publicum efferendum curaret: conuocatísque ilicò ciuibus, in eum prius inuecta, quòd iniustus, rapax, impius, nefarius, perditissimus omnium fuisset: inde quasi illorum faueret vindictæ, palàm diceret, se tradere Alexandrũ iam defunctum dilaniandum ciuibus, vt quam in viuum nequissent, in mortuum saltem iram exercerent. Prudentissimum sanè tyranni consilium. Alexandra enim cum hoc egisset, & populo liberos commendasset vt innocentes impuberes, & nihil mali meritos: ita vniuersæ multitudinis animum mouit, vt non solùm liberis, regnóque salubriter consuluerit, verum mariti etiam funeribus, siquidem populares hac tanquam liberalitate iustóque iudicio deliniti, regio more iusta Alexandro persoluêre. Iouianus Pontanus libro 5.cap.1.De prudentia.

SERVIO Tullo regnante, cuidam patrifamiliâs in agro Sabino præcipuæ magnitudinis & eximiæ formæ vacca nata est, quam oraculorum certissimi autores in hoc à diis immortalibus editam responderunt, vt quisquis eam Auentinensi Dianæ immolasset, eius patria totius terrarum orbis imperium obtineret. Lætus eo oraculo dominus, bouem cum summa festinatione Romam actã, mactandã in Auentino ante aram Dianæ constituit, sacrificio Sabinis regimen humani generis daturus. De qua re antistes templi certior factus, religionem hospiti intulit, ne prius victimam cæderet, quàm proxima se aqua abluisset: eóque alueum Tiberis petente, vaccam ipse immolauit, & vrbem nostram tot ciuitatum, tot gentium dominam pio sacrificij furto reddidit. Val.Max.lib.7.ca.3.

AFRICANI posterioris prudentiam in roganda à diis pop.Rom. incolumitate, pete ex tit. Vota nuncupata.

Q. FABIVS filium suum ducem eligi cupiens, ipse iam ætate confectus, contendebat à Romanis, ne imperium ei traderent, ne in extrema senectute cum ipso simul ad bellum proficisci cogeretur. Illi rem ciuitatis melius habituram arbitrati, si hic præsens omnibus rebus interesset, adolescentem imperatorem declarauerunt. At Fabius non vnà profectus est, ne imperatoriæ dignitatis splendorem filio detraheret. Poliæn.lib.8.

ALEXANDER Augustus, matre Mammæa parum probante, vxore etiam grauius ferente, quòd popularitate vel nimia vteretur, præcipuè verò quòd ab amicis se atque familiaribus corrigi facilè pateretur: ac si quid parum pro dignitate ab eo factum argueretur, illud confestim ad arguentis sententiam emendaret: qua ex re imperatoriam maiestatem non imminueret modò, verùm contemptibilem eam concessione illa sua redderet: Quin mehercule, inquit, securiorẽ, magísque ac magis stabilem, ac longè amplius gentibus acceptam. Eras.in Apoph.

CONSTANTINVS Ducas Imperator Romanorum, cum ex Eudoxia vxore tres mares suscepisset, Michaelem, Andronicum & Constantiũ moriens à populo iuramentum exegit, vt nullum imperatorem quàm filios faceret. Volat lib.23.Anthrop.

THOMAS Mocenicus Venetorum dux semper aduersatus fuit Frãcisco Foscaro, suadenti vt bellum pro Florentinis, próque augendis imperij Veneti finibus contra Philippum Mediolanensium principem in continenti susciperetur, publicúmque hoc studium rei maritimæ deponeretur. Rem namque Venetam in Adriæ lacunis ortam & auctam, maritimo potius quàm terrestri imperio conseruandam esse contendebat. Extant adhuc conciones eius aliquot grauissimæ, habitæ in senatu, hac ipsa de re tanta copia, tantáque grauitate, in hanc sententiam: quas si quis quandoque leget, hunc ducem longè clarissimum verissimúmque vatem fuisse intelliget. Is igitur moribundus iam, conuocatis intra cubiculum suum aliquot ciuitatis principibus, quos certò nouerat creando principi intra quadraginta viros præfuturos, ad eos conuersus, ita breuiter locutus est: Ego, inquit, patres, non multo pòst moriar, Francisco Foscaro in primis æquus, sed patriæ tamen ipsi multo beneuolentior. Quare vos singulos seorsum rogatos velim vt ad me iuxta thorum aduenientes, non grauemini clam sentẽtiam promere vestram, quem mihi successorem daturi sitis: id quod certè in primis scire aueo, pro mea in patriam pietate. Quare singuli ad eum venientes, quum maior corũ pars in Frãciscum Foscarum pronior appareret: Intellexi, inquit, patres optimi sententias omnium vestrum: ex qua re video facilè plurium sententias in Foscarum propensiores. Itaque in promptu est vobis omnibus perspicere, quo semper in Foscarum animo fuerim, nunquámque in illum odio laborauerim, sed pro patriæ charitate eius sententiæ de bello suscipiendo semper aduersatus sim. Quare Deum immortalem precor iã moriens, vt opinionibus vestris faueat, patriæque dignitas & incolumitas perpetuò vobis hæredibúsque nostris æterna extet. Egnat. libro 7. capite 2.

FERDINANDI prudentiam in astruendo regno Hispaniæ, pupillo infanti, quamuis populus ei deferret, vide sub tit. Magistratus oblatos respuere, in Ethicis exemplis.

IN MAGISTRATV ELIGENDO, ET HO*noribus conferendis prudentes.*

Cũ ingrauescente fama, de Persarum ad petendam Græciam apparatu, Athenis magistratuum petendorum tempus appeteret, & Epicides electus fuisset, vir lingua solùm promptus (propter quam rem viri,

quibus aliquid existimationis inerat, magistratum abnuebant, ne ille eis collega daretur) THEMISTOCLES patriæ studiosus, atque in hoc, quemadmodum in reliquis prudẽs, Epicidem suadendo impulit, vt magistratui renunciaret: eo ipso tempore tantum ei largitus, quantum eo anno, si magistratum obiuisset, consequi posse videbatur. Eo modo, in quo & prudentiæ & quietis plurima ratio habita est, hominem tantę rei tractandæ, quanta impendebat, ineptum, non turbatis publicis ordinib. ab administratione dimouit: viámque aliis ad magistratum, expeditioni magis idoneis, patefecit. Sabellicus libro octauo, capite primo: & Fulgos. libro quinto, cap. 6.

Longè omnes Romanorum ritus, iusticia atque prudentia id antecellit, quod facere AVR. Alexander Seuerus consueuerat, qui in albo palàm nomina eorum edebat, quibus gerendos magistratus erat demandatur⁹: vt omnibus liceret eorum vitia palàm facere, affectis ea pœna delatoribus, si obiectum crimen non probassent, quæ accusatis debebatur, si obiectum crimen verum esse inuenirentur. His autem qui probarentur, vestes, argentea vasa, seruos ac concubinas commodabat, vt per hæc aduiti in magistratu pro maiestate Romani nominis lautè viuerent: neque inopia aut libidine, quæ sæpe à recto calle hominum mentes auferunt, ad rapinas aut adulteria conuerterentur. Quàm longè hoc melius agebatur? quàm his temporibus, cùm subtracto magistratibus salario promiscuè omne rapinarum & iniusticiæ genus permittitur. Quod si quis pro scelere mulctatur, mulcta principes locupletantur, & non spoliatis quod ademptum est, restituitur. Fulgosus lib. 2. cap. 1.

IN AMICITIA ET BENEVOLENTIA *vel contrahenda, vel explorãda, vel reconciliãda, prudentes.*

Exempla quædam pete ex tit. Iratos placare Item ex tit.
Pacis studium in componendis aliorum inimicitiis.

Benevolentiæ politicæ publicæ prudenter consulere.

Amasis Ægyptius rex, cùm Elienses circa Olympiatũ certamen occupati, legatis ad eum missis conticuissent, quo maximè id certamen iustè fieret: Si nullus Elientis certaret, respondit. Diodorus Sic. lib. 3. de Rebus antiq.

AGESILAVS, quum à rege Persarum essent allatæ literę, quas Perses vnà cum Callia Lacedæmonem perferebat, de hospitio, deque amicitia tractantes, non recepit, sed iussit illos regi renunciare: Nihil esse necesse priuatim ad ipsum literas mittere: ceterùm si perspicuum foret, illum bene velle Lacedæmoniis & Græcis, ipsum quoque illi pro viribus futurum amicum. Quod si deprehenderetur insidias tendere, ne putet, inquit, quòd me sic habiturus amicum, etiamsi vehementer multas ab eo recepero epistolas. Quid hoc animo sublimius, cui in omnibus rebus gerendis hic vnicus erat scopus, consulere Reipublicæ commodis? Plut. in Lacon. Apoph.

DARIVS rex, quum tributum induxisset subditis, accersitos prouinciarum præfectos percontatus est cùm aliis de rebus, tum de tributis, essentne graua? Quum illi respondissent, esse mediocria: iussit vt singuli dimidium exigerent. Quod præfectis moderatum videbatur, regis equitati visum est dimidio plus satis. Maluit enim suos beneficio sibi conciliare, quàm exarmatos subigere. Strategematis autem gratia in hoc fuit est, quòd duplum imperauit eius quod destinarat accipere. Si dimidium imperasset, nec quicquam remisisset, latuisset benignitas: nunc exacta dimidians, effecit vt omnes sentirent beneficium. Plutarchus in regum Apoph.

Quum Alexander ab Athenien sibus posceret sibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adesse PHOCIONEM, vt quid consuleret proferret, surgens inquit: Consulo igitur, vt aut armis superetis eos, aut superantium amici fitis. Compendio fuaſit, nihil Alexandro negandum nisi considerent se iratum posse armis opprimere. Quibus si ille videretur superior, non esse prouocandum animosum iuuenem, & repulsæ impatientissimum. Plutar. in Græc. Apoph.

ALPHONSVS Aragonum rex cum in agro Matricien si dubitaret, vtrum Franciscu n Sforciam, an Nicolaum Picininum in amicitiam & societatem admissurus esset (erat autem alterum duntaxat, propter illorum inter se simultates, admissurus) Matricien sibus legatis regem adeuntibus, & interrogantibus, vtrum Sforciæ an Picinino gratulari deberent: Vtrosque tanquam amicos habendos esse, item ab vtrisque tanquam inimicis cauendum esse respondit. Antonius Panormita de rebus gestis Alphonsi, & Æneas Syluius de eius dictis.

VENETI id maximè prouiderunt, vt princeps ipse ab vniuersa ciuitate in primis amaretur. Ad hunc igitur conciliandum amorem, id est adhibitum institutum, vt quater *in* singulos annos patricios ipsos conuiuio publico excip*er*et, quòd insigni apparatu, minimè tamen inuidioso, intra palatium suum exhiberetur. Primum igitur quarta mensis Aprilis luce diuo Isidoro sacra, celebratum: tum verò alterum Ascensionis Dominicæ die, quo tempore mundinæ frequentes habentur, quum princeps Bucentauro naui reuectus, eos qui illum deduxerãt patricios conuiuio excipit, & (ne quid præremittam moris tam solennis) vt princeps Ascensionis die mare inuilat, nauí inuectus ipsa, de qua suprà diximus, annulóque aureo in mare proiecto, solennibus verbis imperium maris sibi despondeat. Tunc perfecta re, diui Nicolai inuisit ædem, vbi peractis

sacris domum cum reliqua pompa redeat. Iunio mense tertium celebratur conuiuium, quo die Viti & Modesti festus colitur dies. Siquidẽ princeps ipse honestissimo comitatu eò præfectus, sacra obit: donóque persoluto cereorum aliquot domum reuertitur. Quarum est, quod dixi Stephani luce sacra magnificè ab eo celebratur, choreis præterea & saltationibus exhibitis, & reliquis modestioribus ludis in præsentis temporis gratiam. Egnat. lib. 2. cap. 1.

LEONHARDVS Lauretanus Venetorum dux, cum Hispanus orator ad eum venisset, victoriæ lauream contra Gallos annunciaturus, & iuxtà assideret legatus Gallus, ille quidem lætus, hic verò tristis, conuersus ad vtrumque: Ego, inquit, penes vos Pauli apostoli verbis vtar, vt quando diuinæ voluntati nemo obsistere potest, cum flentibus nunc fleam, cum gaudentibus gaudeam. Quo dicto omnem inundiam leuauit, vt vecroque illi gratias ageret. Egnat. lib. 6. cap. 2.

Erat CLEMENS pont. max. Veneto nomini in primis infensus, quòd Ferrariam vrbem vni sibi obnoxiam, Veneti ad se traxissent. Quare Põt. diris Venetos omnes prosecutus est, vt multi inde Veneti occubuerint maximáque bonorum omnium pars vbique inuenta distraherentur. Cui rei tam infestæ, & discrimnis plenæ, paria remedia sunt adhibita, vt infestissimus Põt. animus aliquo modo leniretur. Verùm inter alios oratores ad eum placandum missos, profectus est Fracischus Dandulus, summæ vir prudentiæ, summæque in patriam charitatis. Qui cùm multa & varia tentasset, grauésque contumelias à Pontifice diu pertulisset, nouí omnino, neque antea vnquam auditum facinus est aggressus. Cœnanti enim in atrio suo Pont. sese quadrupedem prostrauit, grauique catena ferrea ceruices inuoluit. Quæ res Pont. animam tùi nouitate sic perculit, vt cùm proiectum illum tam deformi habitu prospexisset, non potuerit non illum, abiecta prius catena, stantem ad se reuocare, Venetóque omni nomini veniam tribuere, Venetiásque ipsius patriæ loco semper posthac colere. Traxit inde Franciscus Canis cognomentum, quod perpetuum viuenti illi, etiam dum dux esset, fuerit. Egnat. lib. 3. cap. 1. & lib. 6. cap. 2 & 4. Hoc tamen exemplum ad Stratagemata quoque inferius referetur.

NEAPOLITANI reges singulis annis, statis quibusdam diebus nobilibus epulum ad ædem D. Mariæ coronatæ parabant, inuitatis etiam nobilissimis matronis, vt animi ciuium inter se reconciliarentur. Pont. cap. 1. de Continentia.

Politicæ primatæ.

ALCIBIADIS prudentiam in exploranda fide amicorum, pete ex tit. Amicitiæ priuatorum.

DINOCRATES architectus maximè nobilis, cùm aditum ad Alexandrum impetrare per purpuratos ac familiares eius minimè posset, iudicaréque ab illis se arrisum iri, consilium & auxilium à se ipso mira astutia petit. Cúmque esset ipse procera admodum statura, nec quadratis tantum membris, verùm forma ac dignitate corporis totius insignis, atque aspectu ipso præcipuè Græcus, nactus opportunitatem, quo die Alexander præsidebat iuri dicundo, nudatis membris, oleóque perunctо corpore, ac populea fronde coronato capite, læuo humero leonis pelle amicto, dextro clauo gestans, ad tribunal prodiit. Qua nouitate commotus Alexander nullo adhuc illi ad se dari percunctantique quidnam esset, aut quid eo habitu sibi vellet? respondit, quæ fuisse eo se habitu ad illum adeundum: sine astutia enim illa ad regem peruenire non potuisse. Et sic ab eodem Alexandro exceptus, illiúsque peregrinationum comes factus est. Pomp. lib. 5 cap. 1. de Prudentia.

SEX. Aurelij prudentiam in Cn. Pompeio & M. Crassio reconciliandis, pete ex tit. Pacificorum.

Amasis penè vltimus eorum, qui priscis temporibus Ægypti regnum tenuére, cùm omnia Polycrati Samiorum tyranno prosperè fluerent, experti etátque in cunctis fortunam indulgentissimam: per literas (vt fertur) eemisit illi omne ius veteris amicitiæ. Tentatus, videre se fortunã insidiari huic, cui eam indulgẽter obsequeretur. Prædit rex prudentissimus Polycratis exitium, suúmque dolorẽ, quem ex amici aduersa fortuna perceperus erat, abdicatione anteuerit: vt illud quod suo regno immineb at, aut non vidit, aut certè vitare non potuit. Sab. lib. 4. cap. 8.

AGESILAVS rex, iis qui clanculum aduersarentur, palám quidem non exhibebat negocium, sed efficiebat vt ipsum in militiam sequerentur: atque ex his nonnullos duces exercitus ac magistratus factos euehebat: qui cùm se in magistratu improbè & anarè gessissent, eóque in ius vocati perelitarentur: rursus Agesilaus illis patrocinabatur, & ab ipsis stabat. atque hac arte reddebat eos ex clancularijs hostibus amicos, & ad se reuocabat. Quibus rebus factum est, vt iam neminem haberet aduersarium. Quid hac prudẽtia ciuilius, qua mederi malenolis maluit, quàm vlcisci? Plut. in Laconicis.

PLATO Atheniensis, quum à Dionysio fastidiretur, popposcit congrediendi copiam: ea data, hunc in modum disseruit: Si quem sentires in Sicilíam appulisse hoc animo, vt tibi malè faceret, qui tamen non data opportunitate nihil mali faceret, an hunc impunè dimitteres? Quum Dionysius respondisset, Nequaquam, ô Plato: oportet enim hostium non facta solum, verùm & animi propositum vlcisci. Plato subiecit: Tum si quis tibi bene volens venisset in Siciliam, vt tibi boni quippiam adferret, non faciat autem, destitutus occasione, num par esset hunc nulla relata gratia cõtemptũ abiicere? Dionysio percõtante, Quis esset ille? Æschines, inquit, vir morum sanctimonia cum quouis amicorum Socratis conferendus: & qui possit dicendo meliores reddere, cum quibus habeat

beat consuetudinem. Is cùm huc, multum maris emensus, adnauigarit, vt suam philosophiam tibi impertiret, hactenus neglectus est. Hæc tam commoda oratio effecit, vt rex & Platonem, cui prius erat infensior, amplecteretur, & Æschinem splendidè magnificéque tractaret. Laertius libro tertio.

ANACHARSIM Hermippus scribit, mox vt Athenas venerat, adisse Solonis ædes. Percontãti famulo, quis, & vndè iuisset, renunciaret, adesse Anacharsim: qui & Solonem videre, & si fieri posset, etiam hospes fieri cuperet. Solon per puerum respondit, in patria solere fieri hospites: significans, inter Græcos & Scythas non esse ius hospitij. Ad hæc verba quibus abigebatur Anacharsis, perinde quasi iussus esset introire, ingressus est ad Solonem: dicens se iam esse in patria, & æquum esse vt hospitio iungeretur. Huius responsi dexteritate delectatus Solon, lubẽs recepit hominem. Plut. in Græcorum Apoph. & Laert.

FLAVIVS Vespasianus cum admoneretur ab amicis, vt caueret à Metio Pomposiano, quòd de hoc rumor increbuerat, fore vt aliquando regnaret: non solùm sibi non metuit ab illo, sed & consulem fecit. Id admirantibus amicis: Erit, inquit, olim memor tanti beneficij. Erasmus libro octauo Apoph.

PERSEVS, quum cuidam noto daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud mensarium. Hanc diligentiam quum amicus admirans diceret: Adeóne legaliter Perse? Scilicet, inquit, vt amanter recipiam, nec legaliter repoſcam. Fit enim sæpenumero, vt qui cum amico bona fide sine testibus ac syngraphis agunt, pòst cogantur cum eo legibus agere. Dicti nonnulla gratia est in Græcis, νομικῶς φιλικῶς. Erasmus libro sexto Apoph.

Oeconomicæ patriæ.

SCILVRVS octoginta filiorum pater, iam vicinus morti, fasciculum ex iaculis porrigens vnicuique, confringere iussit. Cùm autem omnes defessi nihil effecissent, ipse singillatim extrahens, iacula omnia facilè fregit. Docens ipsos hoc argumento, quòd vniti & concordes, robusti permansuri essent: dissoluti autem, imbelles futuri. Stobæus sermone 82. Plut. in regum & Imp. Apoph.

GAVFREDVS patrem Fulconem ex irato placatissimum reddit ingenioſe. Vide tit. Clementiæ erga liberos.

Coniugali.

Diu tacuit ESTHER, non indicans populum suum & patriam, sicut ei præceperat Mardochæus, ne scilicet à rege Assuero haberetur exosa. Esth. 2. 3.

ROMVLVS Romanæ conditor vrbis, cum coniugia Romanis deesſent, propter Asylum patefactum, cuius gratia multi aduolabant, per legatos à finitimis connubia petiit. Quibus negatis, ludos Consualia simulauit. Ad quos cum vtriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptæ sunt: vt est apud Cecilium.

LIVIA Augusti Cæsaris vxor, nulla alia re sibi Augustum subiecisse ferebat, quã modestia & dissimulatione: modestia quidem, quòd ea quæ placerent Augusto, fecerit libenter: dissimulatione verò, quòd scire nollet, quibus ille rebus Venereis domi fueretur, quæ tamen essent apertissimę. Dion in Tiberio.

Herili.

ANTONIVS Leo. ius, Genuensis mercator, cùm æger grauiter laboraret, seruos ac seruæ qui ægro ministrabant, testamento, si ad pristinam salutem restitueretur, omnes libertate donauit. Quòd si decedere eum contingeret, omnes in seruitute retineri iussit. Et sic prudenter, ministris desiderium salutis suæ iniecit: proposita eis libertatis spe, vtque in eius curanda valetudine diligentiores essent, causas auxit. Fulgosus libro septimo, capite octauo.

IN SEDITIONIBVS ET INIMICITIIS *vrbanis iam ortis, dissoluendis & compescendis: aut ne oriantur prohibendis, prudentes.*

PISISTRATVS Athenien sium tyrannus, simultate inter se & filios orta, cùm sciret ea re inimicos lætari, & noua agitare consilia, in magno ciuium cœtu dixit, Se à filiis quædam exegisse, quæ bona esse arbitrabatur: & cùm duros, vt patri obsequerentur, inuenisset, se tandem, ne cum eis sine amore viueret, suam in filiorum voluntatem mutasse. Sapienter prouidit, ne ex domestica discordia tyranni, publica aliqua conspiratio contra se oriri posset. Fulg. lib. 7. cap. 2.

Sapientissima lex habita est, quam Solon Athenien sibus dedit: Vt diuisis per seditionem ciuibus, capitali pœna multaretur, qui alteram partium non sequeretur, tãquam communis omnium hostis. Id iustissimum esse docuit, quod plerúque iniustum homines putant: videlicet alicuius in seditione fouere partes. Nam si boni simul sentirent, fore eam partem aiebat victricem, ad quam ipsi se contulissent. Sed si vel timore vel ignauia ad neutram partem accedentes, concertationis spectatores se præberent, perfaciłè putabat fore, vt durante seditione, tota ciuitas interiret. Ibidem.

HERMOCRATES Syracusijs factionem mouentibus, & magnam seruorum manum colligentibus, ad ducem ipsorum Sosistratum misit legatum, vnum ex præfectis equitum Daimachum, cum quo interceddebat ei vsus & amicitia: nunciãtem, duces admirantes fortitudinem ipsius, in animo habere omnes liberos dimittere, omnibusque arma & æqualem commeatum tribuere: ipsum verò Sosistratum in ducum cõsortium assumere. atque iam veniret, cõsilium cum ducibus de communibus rebus capturus. Sosistratus amicitia Daimachi fretus, assumptis viginti seruis præstantissimis, venit ad ipsos. Quibus comprehensis, & in vincula coniectis, Hermocrates cum sexcentis armatis egressus, cùm seruos cæpisset, eis iurauit per suam fidem, nihil ipsis periculi futurum, si quilibet ad suum dominum rediisset. Persuasi redierunt. nam ferè trecenti ad Athenienses transfugerant. Polyæn. lib. 1.

AGESILAVS, orta seditione Spartæ cum multi armati occuparent collem sacrum Dianæ Esoriæ prope Pitanam, instarent autem Bœoti & Arcades impressione facta, atque metus esset expers omnis consilij in bello atque tumultu, solus ipse non metuit: sed cùm armis vim adhiberę iis qui collem obsidebant, periculosum, rogare & supplicare humile esset, omisit. Ipse vero solus inermis, constanti & imperturbato vultu accedens ad collem. Non hîc, inquit, iuuenes vos posui, sed vos, in illum collem: altum ostendens. Vos autem in istum locum discedite, & custodite. Lacones verò quasi ignarum illorum scelerís & defectionis, reueriti sunt: & quemadmodum præcepit, obedienter parentes discesserunt. Nostu verò principes & autores factionis numero duodecim, alium aliò educens, pœnis affecit. Polyæn. lib 2.

Factum est aliquando, vt CHII grauissimo seditionis morbo laborãtes, tumultum inter se excitarent. Quidam igitur inter illos homo natura ciuilis & pacis amans, ad eos qui omnes amicorum suorum aduersarios ex vrbe volebant eiicere: Nequaquam, inquit: sed cùm victoriam obtinuerimus, relinquamus aliquos, ne procedente tempore non habẽtes aduersarios, nobis ipsis mutuò bellum inferamus. Atque hoc dicto eos persuasit. Hęc enim adferens, benè ac rectè dicere videbatur. Ælian. de Var. Hist. lib. 14.

THRASYBVLVS ad reconciliandos ciuium Athenien sium animos ἀμνησίαν interposuit. Vide tit. Clementiæ ciuium erga se mutuò.

HERACLITVS philosophus in seditione rogatus, vt apud populum sententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi posset in concordiam: conscenso suggestu, popposcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ insperſit, mox de glechone admiscuit id est vel pulegij sylvestris, vel leguminis genus. Dein epoto calice, discessit, nec verbum addidit. hoc pacto innuens, ita demum ciuitatem carituram seditionibus, si repudiatis deliciis, assuefecerent paruo contenti esse. Et hic Heraclitus suo respondit nomini. nam σκοτεινος dictus est, id est tenebricosus. Erasmus libro octauo Apoph.

ROMÆ regibus exactis plebs discedens à patribus, iuxta ripam Anienis in colle qui Sacer appellatur, armata cõsedit: cratque non solùm deformis, sed etiam miserrimus Reip. status, à capite eius cætera parte corporis pestifera seditione diuisa. Ac ni Menenij Agrippæ subuenisset eloquentia, spes tãti imperij ipso penè ortu suo corruisset. Is namque populum noua & insolita tolerare temerè gaudentem, oratione ad meliora & saniora consilia reuocauit, senatuique subiecit: id est, vrbem vrbi iunxit. Val. Max. lib. 8. cap. 9.

T. Gracchus Tribunus plebis, homo seditiosissimus, legem Agrariam multorum malorum causam, promulgarat, tanto populi assensu, vt tolli lex sine vrbis & imperij cõcussione non posset. Prouidit in extremis casibus SENATVS, & ipsum quidem tribunum sic meritum, capitali supplicio affecit, agrum tamen secundum legem pro virilibus portionibus inter ciues distribui passus est. Sic auctore extincto, lege seruata, causam tumultus extinxit, diuersisque modis ciuili discordiæ & in præsens & inposterum occurrit. Petrarcha.

ROMANI Senatus prudentiam in seditione ciuium sedanda, pete ex tit. Seditionum.

AVGVSTVS, quum iuuenes nobiles ac dignitate claros inter se tumultuantes vellet compescere, nec auscultarent illis, fed tumultuari pergerent: Audite, inquit, iuuenes senem, quem iuuenem senes audierunt. Augustus enim adolescens ad Remp. peruenit, summaque fuit auctoritate. Hac sola voce illos cohercuit, nec aliud supplicium ob concitatum tumultum exegit. Plut. in Rom. Apoph.

PRVDENTIA IN ACQVIRENDIS ET COLLIGENDIS *pecunijs ratione politica in pace, per tributum, exactiones & vectigalia, vel sibi, vel alijs.*

CYPSELVS Corinthius vouit Ioui, si dominus ciuitatis fieret, quæ Corinthiorum essent, omnia se ei oblaturum. Potitus autem dominio, præcepit eos describi. Cùm descripti fuissent, decimam partem à singulis accepit: ex reliquis partibus præcepit vt operarentur. Exacto subinde anno, idem fecit. Quare euenit, vt in decem annis ille cuncta habuerit, quæcunque sacrificaturum se vouerat, Corinthij autem reliqua posse derint. Aristot. in Oecon.

LEVCON pecuniis indigens promulgauit se aliam monetam percussurum. itaque adferret quilibet suos numos, vt alia forma excusi valerent. Quibus omne quicquid habebant afferentibus, aliud signum impressit, duplicíque precio esse vnum quemque numum iussit. Itaque dimidiam partem eorum quæ collegerat lucratus, neminem ciuium damno affecit. Polyæn. lib. 6.

OPHELAS Olynthius, constituens curatorem super pascuis Arthritidem, cum accessissent ad eum monarchæ loci illius, dixerunt se velle illi multo plura dare: precabantur autem vt mutaret curatorem, quem

constituerat. Interrogauit eos, si contribuere possent quæ pollicebãtur? Affirmantibus ipsis, curatorem in officio dimisit: quæ autem ipsi promiserant tributa, exigi præcepit. Ergo nec curatorem, quem instituerat, spernere visus est: nec illos ad maiora tributa, quàm ipsi statuerant, soluẽda coegisse. Aristot. in Oecon.

MNEDEI, iis quæ à portubus & aliis vectigalibus proueniebant, vtebantur ad gubernationem ciuitatis. Ex tributis autem quæ ex terra & familiis prouenie bant, nihil operabantur, sed obseruabant eos qui illa haberent: & cùm necessitas pecuniarum ingrueret, reddebant ij qui debebant. lucrabantur igitur ex præterito tempore, pecuniis absque fœnore vtentes. Aristot. in Oecon.

MAVSOLVS Cariæ tyrannus, mittente rege ad eum pro tributo, cõgregans ditissimos regionis, dicebat regem poscere tributum, se autem non esse soluendo. Præparati autem ex industria viri, pollicebantur ei quandam summam, quam quisque allaturus esset. His autem hoc agentibus, ditiores partim verecundia moti, partim verò timentes, multo plura quàm illi, promiserunt atque obtulerunt. Idem.

LAMPSACENI cùm expectarent triremes multas ad se venturas, & modium farinæ quatuor drachmis væniret, præceperunt vt emptoribus venderent modium sex drachmis, & olei choe mensuram drachmis quatuor ac tribus obolis, & vini & aliarum rerum precia similiter posuerũt. Antiquum ergo precium priuati recipiebant: at quod plus erat, vltraque precium, ciuitas: quare pecuniis abundarunt. Idem.

BYZANTII indigentes pecuniis, lucos publicos vendiderunt, & fructiferos aliquo tempore, infructiferos verò perpetuo, & ea quæ ad societates & ad patriam pertinebant, & quæcunque in locis priuatis iacebãt. Emebant enim carè quoque diuites eas possessiones, quæcunque societatib. publicis inseruiebant, aut circa gymnasium, aut forum aut portum: piscinas item & salinas, tabernas artificum, & vatum, & pharmaca vendẽtium, & consimilium. Tertiam quoque partem mercedis operarios contribuere ordinarunt. Numorum denique commutationem vni campsoriæ mensæ commiserunt: & penes nullum alterum potestas erat aut dare, aut accipere. Idem.

IIDEM cum lex esset, nequis admitteretur ciuis, qui non esset parente vtroque ciue natus, sanxerunt: eum qui ex vno ipsorum esset, soluendo libras triginta, fore ciuem. Idem.

IIDEM in rei frumentariæ inopia, facti inopes pecuniarum, reduxerunt naues ex Ponto. tempore autem facto mercatoribus molestè ferentibus, tributum dederunt illis fœnus sesquidecimum: vendentibus etiam statuerunt vltra precium dare totius partem decimam. At verò cùm nonnulli incolarum fœnerati fuissent super possessionib. suis, decreto statuerunt, vt quicunq; tertiam debiti partem afferre vellet, liberè possessionẽ suam haberet. Idem.

SELIBRIANI pecuniæ laborantes indigentia (lege apud eos posita, cùm in fame constituti fuissent, non educendum esse triticum: apud eos autem vetus triticum abundaret) statuerũt priuatos ciuitati dare triticũ, determinato precio, vnoquoque retinente ad annui victus sufficiẽtiam. Deinde statuentes precium quod illis rectè se habere videbatur, vnicuique educere volenti vendiderunt. Idem.

ABYDENI propter seditionem regione facta vacua, & accolis nihil eis porrigentibus, quia adhuc deberent, statuerunt: vt quicunque vellent, fœnerarent agricolis, quo terram colerent: sic ipsis primis allatio ex frugibus fieret, aliis autem ex reliquis.

EPHESII, cùm pecuniis egerent, legem posuêre, vt mulieres aurum non gestarent: quantum verò inpræsentiarum haberent, mutuarent ciuitati. Idem.

IDEM pro columnis quæ erant in templo, statuerunt argentum esse soluendum: eius autem qui soluisset nomen esse scribendum, perinde ac si obtulisset. Idem.

ANTISSEVS, cùm ciuitas indigeret pecuniis, & ciues consueuissent splendidè celebrare Dionysia, in quibus varia & multa cõsumebant quotannis, atque præparabant: appropinquante hac festiuitate, persuasit illis, vt Baccho vouerent, duplum sequenti anno se daturos: illa autem congregantes, vicinis vrbibus venderẽt. Quæ cùm ita fecissent, collectæ sunt pecuniæ ad eorum vsum non modicæ. Idem.

PYTHOCLES Atheniensis, consuluit Atheniensibus, plumbum ex Tyriis accipere, qui in ciuitate priuati essent, eo quo vendebant precio duarum drachmarum: deinde statuit illis precium sex drachmarum. Ibidem.

IPHICRATES in summa pecuniarum egestate suasit Atheniensibus, vt ædificia quæ eminerent in publicas vias, rescinderent, aut venderent. Itaq; Domini ædium multas pecunias contulerunt, ne mutilarentur, aut labefactarentur ædificia. Polyæn. li. 3.

CHABRIAS Thamo Ægyptiorum regi pecuniis indigenti consilium dedit, vt ditiores regionis incolas iuberet confestim, quantum vnusquisque posset, auri vel argenti contribuere: pro iis verò quæ darent, annua tributa eis remitteret. Hoc pacto multas pecunias collegit, neque tamẽ iniuriam cuiquam fecit: sed omnes postea, quemadmodum dederant, receperunt. Ibidem.

DARIVS primus tributa gentib. imposuit. Verùm ne molestè ferrent, non ipse exegit, sed satrapas constituere iussit. Quibus ingentia tributa describentibus, ipse subscripsit, dimidiam partem remittẽs subditis, Qui libentibus animis dimidium pependerunt, quasi magno iam beneficio ab rege affecti. Polyæn. lib. 7.

IN ACQVIRENDIS PECVNIIS, DIVITIIS

& opibus, priuata ratione & arte, emendo, vendendo, operam locando, & similibus, tum sibiipsi, tum aliis.

Prudentia Oeconomica.

Huc omnes mercatorum methodi, vt ita loquar, hoc est rationes acquirendi opes per commutationem, referri debent. Ipsa quidem exercitatio mechanica est: at ingenij acumen, quo potissimùm mercatores vtuntur, ad Prudentiam practicam, ne dicam callid itatem pertinet, quandoquidem Aristot. in primo Polit. χρηματιστικὴν *Occonomiæ partem facit.*

IACOB cùm benedictionem primogenituræ, iure quod emerat à fratre, sibi debitam, aliter vendicare non posset, primogeniti formam assimulat, patrem decipit, benedicitur. Denique supplantatum se queritur Esau eiulatu magno: sed Iacobo dolus minimè imputatur, quandoquidem nemini iniuriam facit qui suo vtitur iure. Decepit patrem, inquies: sed nisi decepisset, bonorum sibi debitorum possessionem amisisset. Ita ergo decepit, vt neminem offenderet, & quod suum erat acciperet. Non audeo dicere hoc commento eum quicquam deliquisse, qui mox discedens cùm obdormisset, meruit videre scalam ad cœlum vsque erectam, angelos ascendentes & descendentes, Dominum summitati innixum: à quo nõ fraudis alicuius exprobrationem accepit, sed econtrariò terræ in qua dormierat possidendæ, regniq; per orbem propagandi promissionem. nunquid peccauerat, qui ita remunerabatur? Neque tamen ipsum non simulasse dicere possumus, cùm hœdinis pelliculis Esau fratris pilositatem effingeret: neque non mentitũ, cùm se esse ipsum Esau responderet. Sed ista ita dispensantur, vt non vitium iudicentur, sed mysterium: & si mysterium non essent, proculdubio delicti aliquid haberent: sed (vt reor) in tali casu non cauendi, propter commodorum, quæ iure quærebantur, magnitudinem atque fructum. Marul. lib. 4. cap. 4.

IDEM Labanis soceri pecus versicoloribus virgis interuertit, astu & versutia ingenita: quæ adeò insigniter ei obtigit, vt nomen etiam ex re sit adeptus. Sab. lib. 10. cap. 6. ex 27. Genes.

ALCIBIADES amico cuidam, à quo centum stateres dono acceperat, quomodo integrum talẽtum à publicanis exigeret, vide infrà sub tit. Liberalitatis præmia.

M. TVL. Cicero cùm emere vellet in palatio domum, & pecuniam in præsens non haberet, à P. Sylla, qui tum reus erat, mutuò H S. vicies clàm accepit. Ea res tamen, priusquam emeret, prodita est, & in vulgus exiuit: obiectumque ei est, quòd pecuniam domus emendæ causa à reo accepisset. Tum Cicero inopinata opprobratione permotus, accepisse se negauit, ac domum quoque se empturum negauit. Atque adeò, inquit, verũ sit accepisse me pecuniam, si domum emero. Sed cùm postea emisset, & hoc mãdacium in Senatu ei ab inimicis obiiceretur, risit satis: atque inter ridendum, ἀκοινώνητοι, inquit, homines estis, cùm ignoretis, prudentis & cauti patrisfamiliâs esse, quod emere velit, empturum sese negare, propter competitores emptionis. Gell. lib. 12. cap. 12.

IN CVSTODIENDIS, CONSERVANDIS,

recipiendis opibus, thesauris, rebus quibuslibet preciosis, prudentes.

SISYPHVS, Autolyco boues eius sæpius clàm abducente, plumbũ eorum vestigiis adaptauit: in eoque quasi characterem, has literas impressit, Autolycus furatus est. Autolycus sub noctem boues abducebat, Sisyphus interdiu vicinis agricolis boum ostendit vestigia, que Autolyci furtum redarguerent. Polyæn. lib. 6.

CROESVS rex, quum videret Cyri milites per vrbem Sardis captam discurrentes, percontatus est Cyrum, quid agerent? Quumque is respondisset: Diripiunt vrbem tuam, opesque tuas populantur: Nequaquam, inquit, ô rex, nihil iam hic meum est: tuum est quod diripiũt. Ea vox commouit Cyrum, vt suos à direptione reuocaret. Herod. lib. 1.

DEMADES orator cùm esset quæstor, populo Atheniensi persuaso, vt iis qui ab Alexandro desciuerant, triremes auxiliares mitterent, iubẽtiq; vt ilicò pecunias depromeret: Paratæ sunt, inquit, pecuniæ, ô viri Athenienses, quas in congios deposueram, vt singuli minæ dimidium acciperetis. Verùm si has mauultis in hunc vsum erogari, per me quidem, vt vestris sicubi lubet vtamini, licet. Hoc sermone fregit impetum populi, nolentis illa distributione spoliari. Sic interdum, vt indomitæ belluæ, arte ad meliora consilia auocandus est populus. Eras. lib. 6. Apoph.

PTOLEMÆVS corpus Alexandri raptum quomodo clàm auexerit, pete ex tit. Prudentia in honorib. acquirendis.

HYRIEI in peculatu deprehendendo prudentiam, pete ex tit. Oraculorum clarorum de liberorum propagatione.

ANNIBAL cùm vereretur, ne Syriæ rex Antiochus eum Romanis traderet, in Bithyniam ad Prusiam regem proficisci constituit, & in insulam Cretam traiecit. Illic cùm magnam vim auri secum haberet, sciretque Cretenses auaricia laborare, eos decreuit artib. suis capere. Permultas igitur vrnas plumbo repleuit, aurum inesse fingens: atque Cretensibus asseruandas in Dianæ templo tradidit, multasque æneas statuas, quas in ædibus ceu neglectas inordinatim habebat, clàm auro repleuit. Sic ablato in statuis auro, plumbum auaris Cretensibus reliquit. Fulgos. lib. 7. cap. 3.

DEMOPHON

DEMOPHON ab Atheniensibus acceptum depositi loco Palladium custodiebat, Agamemnone repetente: ac verum quidem tradidit ciui cuidam Atheniensi, nomine Rhuzygæ, Athenas deportandum. At æquale & simile aliud factum, in tabernaculo habuit. Agamemnone verò cum magna manu aduentante, repugnabat, vt omnino opinionem hostibus faceret, se pro vero pugnare. Multis autem vulneratis, Demophontis milites cesserunt. Agamemnon fictum Palladium rapuit, & deceptus discessit. Polyæn. lib. 1.

DIONYSIVS in Tyrrheniam nauigans centum triremibus, cum nauis quę equites vehebat transisset ad Leucotheæ fanum, acceptis septuaginta talentis numismatis, confestim nauigauit. Cumque intellexisset, in occulto mille argenti talenta, aut amplius, milites ac nautas diripuisse, antequam eos in terram exponeret, his qui pecunias haberent, imperauit, vt dimidium summæ ad se deferrent, dimidium verò se ipsis relinquere: qui morem non gererent, eos se morte mulctaturum. Cùm ergo dimidiam partem singuli attulissent, reliqua etiam exegit, dono vicissim eis dedit ad mensem frumentarias præfecturas. Polyæn. libro quinto.

CERSOBLEPTES, cùm eius cognati desciscentes, magnam pecuniarum vim clàm exportassent: facta pace, ciuitatum eis præfecturas dedit, eosque ab se inuicem disiunxit. Cùm aliquantum temporis intercessisset, pecuniasque exigeret, comprehensos eos ex vrbibus eiecit, & pecunias ipse possedit. Polyæn. lib. 7.

C. IVLIVS Cæsar pecunias, quas piratis pro redemptione numerarat, quomodo receperit, consule tit. Prudentia in vitæ periculis euitandis.

Alphonsi Aragonij temporibus, Agrigẽti (quæ Siciliæ ciuitas est) VIR cæcus fuit astutissimus, qui per insulam proficiscens, fine vllo ductore, etiam videntes interdum anteibat. Hic cùm haberet quingentos aureos numos, veritus ne sibi furto adimerentur, in agro eos defodit. Quod cùm fortè quidam vidisset, qui ei per baptismi sacra cõiunctus erat, & haud longè ab eo loco habitabat, sequenti die effossam inde pecuniam abstulit. Cęcus post aliquot dies ad locum rediit, vt pecuniã quęreret. Quam cùm non inuenisset, coniectura assecutus est, propter vicinitatem nullum alium quàm vicinum, de quo dictum est, auertisse. Itaque rem dissimulat, atque post aliquot dies vicinum conueniens, sub iurisiurandi fide, vt melius tegeretur astus, ceu amico communicat, se aliàs pecuniam defodisse: & cùm tantundem nunc etiam haberet, petere se ab amico consilium, deberétne simul cum alia defodere, aut seorsim eam apud se retinere. Amicus qui hanc quoque cæci pecuniam, vt aliam, auferre cuperet, suasit vt cum alia defoderet: & ne cæcus, si primam abesse pecuniam inuenisset, hanc, quam se habere nunc dicebat, illic deponere abstineret, primam illic, vt antè erat, reposuit. Cæcus illuc profectus, cùm pecuniam inuenisset, arbitraretur que id quod erat, scilicet amicum haud longè ab eo loco abesse, exclamauit: Hac in re, amice oculatior vidente cæcus fuit, Fulg. lib. 7. cap. 3.

IN LIBERTATE CONSERVANDA

prudentes.

Exempla pete ex tit. Vitæ suæ consulere, eorum qui carceres effugerunt.

METON quidam, quum in concione Tarentini tractarent de bello suscipiendo, deque Pyrrho asciscendo, sumpta corona & lucerna, præcedente tibicine, velut ebrius, comessabundus venit in forum: atque vt fit, aliis applaudentibus, aliis ridentibus, nonnullis etiam ad canendum hominem inuitantibus, processit in concionem, ac tanquam cantaturus astitit. Silente verò turba, dixit: Rectè facitis viri Tarentini, qui iocari ludereque dum licet, volentibus permittitis. Atqui si sapitis, omnes hac ludendi libertate fruemini, priusquam Pyrrhus adueniat. Nam tum nõ nostro, sed illius arbitrio viuendum erit. Brus. lib. 3. cap. 32.

PYRRHVS rex, quum Athenas venisset, & ingressus arcem Palladis, rem diuinam fecisset, eodem die descendens ex arce, collaudauit, quidem Atheniensium erga se fiduciam: cæterùm admonuit, si saperent, ne posthac cuiquam regum portas aperirent. Significans, omnibus regibus natura inuisam populi libertatem. Erasmus libro quarto Apoph. ex Plutarch.

Atheniensibus quosdam diuinos honores negantibus Alexandro. Videte, ait DAMOCLES, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Non minus sapienter dictum, quàm festiuè. Qui enim potenti minora negat, maiora permittit: & immodicus libertatis vsus, seruitutis occasio est.

PRVDENTIA EXTRA BELLVM IN IVDICANDO DE

rebus tam alienis quàm proprijs, siue in indicio, siue extra iudicium.

IVDICARE DE REBVS PROPRIIS EXTRA IVDICIVM

Exempla quædam ex tit. Oracula manifesta & intellecta, peti poterunt,

DAVID rex, propter adulterium & homicidium pœnam meruerat, quæ in totum populum redundatura erat. Proposito itaque triplici generе supplicij, Fame, Bello & Peste, postremum elegit: satius esse iudicans, in manus misericordis Domini incidere, quàm inimicorum.

IN IVDICIO.

CHARONDAS seipsum lege sua damnauit. Vide tit. Obedientia, siue obseruantia legum.

IVDICARE DE REBVS ALIORVM, EXTRA IVDICIVM,

delectis arbitris. Arbitrariorum iudicum prudentia.

Ex tit. Iustitiæ, siue integritatis in componendis litibus, quædam huic loco accommodari possunt.

DEMOSTHENIS Atheniensis astutia mirificè cuidam ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, ea conditione, vt illam simul vtrisque redderet: quorum alter interiecto tempore, tanquam mortuo socio squalore obsitus, deceptæ omnes numos abstulit. superuenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria: iamque de laqueo & suspendio cogitabat. Sed opportunè Demosthenes ei patronus affuit, qui vt in aduocationem venit: Mulier (inquit) parata est depositi fidem soluere: sed nisi socium adduxeris, id facere non potest: quoniam vt ipse vociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur. Valer. Max. lib. 7. cap. 3.

Erat GREGORIVS Neocæsariensis episcopus sua tempestate maximè celebris vitę sanctitate, rerum vsu atque prudentia. Hunc fratres duo diu inter se contendentes de lacu, vnde piscium copia sanè multa caperetur, iudicem delegêre, qui suis discordiis finem imponeret, vnde grauia inter se odia ad eam diem exercuissent, multique etiam interfecti essent. Ille verò non pauca frustra expertus, vt fraterna beneuolẽtia restitueretur, quum omnia incassum tentari à se vidisset, nec fraternæ gratiæ restituendæ locum esse, vtrumque ad ipsum lacum deduxit. Duobus igitur fratribus, & multis præterea rei euentum cupidè expectantibus, Gregorius ipse erectis in cœlum manibus Deum precatus est, vt huiusmodi liti finem imponeret: quod statim subsecutum est, vt & aqua in lacu nulla superesset, nec piscis nataret amplius vllus. Egnat. lib. 8. cap. 2. & Fulg. lib. 8. cap. 2.

Contendebant inter se fratres duo, Emanuel & Andronicus, vter eorum patri succederet, qui Caloianes dictus, Byzantij tunc rerum potiebatur. Andronicus quidem ad certam imperij spem alendam Genuensibus pręcipuè fauebat, quibus Tenedum insulam dono dari à patre omni ope studebat: contrà Emanuel in Venetorum gratiam maximè adnitebatur, vt arcem à se constructam obtineret. Quum inter se in primis fratres dissiderent, AIMVM Sabaudiæ ducem supremum arbitrum delegêre. Qui prudenter omnia agens, fratribus quum persuadere nihil omnino posset, finem tandem suo arbitrio imposuit: ita vt Veneti arce diruta domum recederent, nec Genuenses insulam vllo modo retinerẽt. Ibidem.

IVDICARE DE REBVS ALIORVM EXTRA IVDIcium, cùm non sint arbitri delecti.

Consule tit. Libertatis in sententia dicenda.

HANNO Carthaginensis senator nobilis, Barchinæque factionis æmulus, secundi belli Punici euentum suæ ciuitati calamitosum præuidit, qui Magone Annibalis Pœnorum ducis fratre in curia referente, cæsa intra biennium c c. millia hostium, ab Annibale quatuor consulares exercitus deletos, magnam Italiæ partem à Rom. ad Pœnos defecisse, & vt maior fides iis quæ dicerentur accederet, cùm treis annulorum modios in curiæ vestibulo effudisset, interrogatus Hanno ab homine Barchinæ factionis, an belli quod in Italia gererent, adhuc pœniteret: percunctatus Magonem Hanno dicitur, Ecquis ex vrbe Roma post tot clades acceptas ad Annibalem venisset pacem petiturus? an Romæ vlla pacis mentio facta diceretur? Cum ille vtrumque negasset: Bellum, inquit Hãno, tam integrum & periculosum hodie, quàm à principio fuit, cum

Romanis habemus.Variatum diu eſt circa Siciliam priore bello: verùm qualis fuerit exitus,nemo eſt veſtrûm qui non aut viderit, aut fando audiuerit,& nunc maximè vereor.Nam ſi(quod nolim)fortuna variare cœperit,fruſtra pacem imploremus,quam nobis vincentibus nemo detulit. Sab.li.4.cap.8.

ANNIBAL Barchinas eo nomine ALEXANDRVM Macedonem,qui totū Orientem domuit,omnibus prætulit imperatoribus,quòd paruis fretus copiis,immenſos fudiſſet exercitus.Sab.lib.6.ca.7.

MEGARENSES olim,cùm eam curiam,in qua Timalti tumulus fuit,inter mira & memoranda ducerent, tāquam quid viſendum & mirificum, propter maximas ſubſtructiones,MARCO quoque Antonio oſtendiſſe dicuntur.Moxque ſciſcitantes,quid de illa ſentiret:arbitrati miris illam laudibus eius teſtimonio celebrari,Futilem & nullius penſi iudicauit. Alex.ab Alex.lib.1.cap.16.

CHII cùm ex Chio marmore verſicoloribus maculis,vrbis muros, tanquam quid mirum,Ciceroni oſtentarent:Magis mirum fuiſſe dixit,ſi ex Tiburtino marmore illos conſtruxiſſent.Ibidem.

Quum Eumenes rex Romam veniſſet , & à Senatu honorificè exceptus,clariſſimorum ciuium frequentia ſtiparetur , CATO non diſſimulabat,tantum Romanorum erga illum ſtudium ſibi ſuſpectum eſſe,ipſe vitans regis conſuetudinem.Hoc quibuſdam admirantibus, ac dicētibus, Eumenem virum eſſe probum,ac amico in populum Romanum animo: Sint iſta vera,inquit:attamen illa bellua,natura ferox canis eſt.Sentiens, omnes reges,vtcunque pro tempore ſimulent,naturâ tyrannos eſſe, ac Democratiæ infenſos.Romæ autem regis nomen erat inuiſiſſimum. Eraſmus libro quinto Apoph.

BERNHARDVS de Quintaualle,beati Franciſci in terris olim laborum ſocius fuit.Ab illius oculis veluti duabus lucidiſſimis ſtellis , miri ſplendoris radios promicare in viſu conſpexit Leo frater:& accepit ipſum ideo habere fulgentes oculos,quòd neminem quondam intuitus fuerat, quem ſe meliorem non iudicaret.Fertur enim,ſi quem vili veſte tectum aſpiceret,ſibimet dicere ſolitus.Hic patientius paupertatē tolerat quàm tu Bernharde.& ſi quem precioſis indutum: Hic fortè ſub veſte delicata melior eſt,quàm tu Bernharde ſub tunica rudi.Meritò igitur oculi illi radiarunt,quorum aciem nulla vnquam temerarij iudicij hebetauerat lippitudo , & ſemper integrum purumque conſeruarat veræ ſanctæque collyrium humilitatis.Marul.lib.5.ca.1.

ALPHONSVM Aragonum regem quum quidam acceſſiſſet,& in laudem commendationemque inimici ſui capitalis verba ita feciſſet,vt iis maximè qui ſimultatem eorum probè cognorant , admirationi eſſet rex ad ſuos conuerſus:Hæc benedicentia,inquit,mihi credite,erumpet tādem in calamitatem inimici.Nec eum fefellit opinio . Sex enim continuos menſes benedicendo ille protraxit, vt è benedictis fidem adeptus , opportunius inimicum opprimeret.At eius malitia,quæ ſub ſpecie probitatis in caput alterius ſerpendo graſſabatur,regis prudentia detecta eſt, & inſons ille à calumnia ſeruatus. Docemur hoc exemplo,laudem ab inimico profectam ſemper nobis ſuſpectam eſſe debere.Panormitan.li. 2.de reb.geſtis Alphonſi.

Georgius Fiſcellus iureconſ. à Sigiſmundo Cæſare equeſtris militiæ inſignia ſuſcepit.Exin cùm Baſilienſem ſynodum adiiſſet,conſultante de rebus arduis SIGISMVNDO,dubius erat,legūmne doctoribus in vnū locum coniunctis,an equitibus item in alium ſeparatis , ſeſe coniungeret. Cumque tandem ad equites inclinaret:Stultè agis,inquit Sigiſmundus,qui literis militiam præfers.Nam ego milites mille vna die fecerim, doctorem vnum mille annis non fecerim. Doctrinam militiæ prætulit Imperator:quòd vt ipſe linguarum ac literarum peritiam amauit,ita viros eruditione præſtantes ſemper ornare & prouehere ſtuduit. Æneas Syluius lib.4.Comment.in res geſtas Alphonſi.

IVDICARE DE REBVS ALIORVM *in iudicio.* IVDICES *prudentes.*

Conſule tit. Humano abſoluti iudicio.

SALOMON rex duodecim annorum,cùm audiret duarum meretricum contentionem,quarum vna nocturno tempore viuum infantem alteri aſtutè abſtulerat,ſuumque mortuum eius loco repoſuerat,cùm vtraque viuum infantem ſuum eſſe diceret:rex vt ſolueret contentionem,viuumque infantem matri ſuæ adiudicaret,in conſpectu meretricum gladium ſibi dari iuſſit,vt infantem in duas partes diuideret,& dimidiā partem vni,dimidiam alteri daret.Quod cùm vera mater audiſſet,orauit,vt viuum infantem alteri daret,cuius reuera non erat,vt remaneret ſuperſtes.Intellexit rex prudentiſſimus,ex amoris affectu erga ſobolem,cuius filius eſſet:matrique legitimæ reſtituit.3.Regum tertio,& Fulgoſus libro ſeptimo,capite tertio.

Apud ATHENIENSES cùm puer laminam,quæ ex Dianæ corona deciderat,ſuſtuliſſet,in iudicium adductus eſt.Iudices igitur,crepundia,talos & laminam auream propoſuerunt puero.Qui cùm iterum ad aurum inclinaret,plexus eſt,tanquam ſacrilegus : neque ætati veniam dederunt, ſed flagitium & ſcelus vindicarunt. Aelianus libro quinto,de Varia hiſtoria.

Adoleſcens in Ægypto deperibat Thonidem meretricem. quumque illa peteret ingentem mercedem,tandem adoleſcens ſomniauit , ſe rem habere cum ea:atque ita liberatus eſt amore.Petit illa mercedem.Negāte iuuene,itū eſt ad iudicem.BOCCHORIS pronūciat,vt iuuenis in vaſculo adferret tantum pecuniæ,quātum illa poſtularat.Iubet adeſſe meretriculam,& vmbra frui pecuniæ circumlatæ.Hoc iudicium Lamia velut inquum reprehendit:Iuuenis ſomnio liberatus eſt,inquit,amore:at vmbra pecuniæ non exemit Theonidi pecuniæ amorem.Eraſ.6.Apoph.

DIONYSIVS Syracuſanus cùm intellexiſſet duos adoleſcentes multa de ſe ſuaque tyrannide petulanter loquutos,ad cœnam vtrumque vocauit:quorum cùm alterum ad ebrietatem bibentem,alterum in potu ſeſe moderatè continentem contemplaretur , illum quidem dimiſit, quòd natura contumelioſus eſſet,& ob ebrietatem maledixiſſet : hunc autem è medio ſuſtulit,qui dedita opera vt maleuolus& hoſtis idem perpetraſſet.Plutarchus.

SENATVS Romanus Tiberium Gracchum tribunum plebis Agrariam legem promulgare auſum,morte multauit. Idem tamen, vt ſecundum legem eius per Triumuiros ager populo viritim diuideretur,egregiè cenſuit.Siquidem grauiſſimæ ſeditionis eodem tempore & authorē & cauſam ſuſtulit.Volater.lib.7.cap.2.

IDEM Senatus,cùm ob nimis aſperè actam cenſuram à Cn. Bebio Trib.plebis Cl.Nero,& L.Salinator Coſſ.pro roſtris agerentur rei, cauſæ dictione decreto ſuo liberauit,vacuum omnis iudicij metu eum honorem reddendo,qui exigere deberet rationem,non reddere.Ibidem.

ATTILII Calatini in lite de iure triumphandi dirimendo prudentiam inter Luctatium conſulem & Q.Valerium prætorem, pete ex titu. Qui triumphare poſſint,aut debeant.

Cùm præſente CLAVDIO imperatore,controuerſia eſſet de muliere, quæ filium abnegabat ſuum eſſe , quòd is longo tempore abfuerat, & propterea incognitum eum ſibi eſſe mater dicebat:probationibus vtrinque factis,cùm res non liqueret,Claudius noua induſtria verum adinuenit.Decreuit enim,vt mulier,quandoquidem filium negabat, virū eum acciperet:itaque quæ immobilis in cæteris probationibus māſerat,cùm abhorreret filio commiſceri,tandem cōtentione depoſita,verum detexit.Fulgoſ.lib.7.cap,3.

GALBA princeps,cùm de iumenti domino non ſatis idoneis veſtibus vel indiciis ageretur, ſtatuit , vt iumentum tecto capite produceretur,vbi adaquari conſueuerat:eoq; confeſtim adaperto, illi ex litigatoribus cederet,ad quem ſpontè ſua ſeſe potu digrediens contuliſſet. Petrarcha.

TRES quondam fratres Scythæ de regno contendebant quòd ſibi & virtute & patris defuncti beneuolentia deberi pro ſe quiſque aſſerebat. REGIS vicini conſilio vſi, patris cadauer ex ſepulchro eruunt,arbori alligant,arcu contendunt,vt qui parentis cor ſagitta tranſfixiſſet, verus regni hæres iudicaretur.Maior mediuſque natu,directis arcubus,ille quidem guttur,hic verò pectus medium,illæſo adhuc corde,transfigit.Natu minimus,etſi ſpes adhuc ſcopum attingendi ſupereſſet, crudelitatem & impietatem tantam deteſtans, regno ſe fratribus cedere malle dixit, quàm in patris cadauer impiè ſæuire. Hoc audito,rex ille Barbarus dignum eſſe iudicauit,qui ſolus patri in regno ſuccederet, cùm & virtute & paterna beneuolentia cæteris duobus ſe ſuperiorem eſſe,hoc ipſo manifeſtè oſtendiſſet.

ALPHONSO adhuc adoleſcente,poſt ſanctiſſimi & optimi patris obitū, regnorum Siciliæ & Hiſpaniæ gubernacula in Aragonia ſuſcipiente,accidit vt cuiuſdā ſeruula ex domino prægnans facta, mox pariēs,ad libertatem proclamaret,ex lege Hiſpanienſi,(quæ eſt, Serua quæ ex Domino liberos ſuſceperit,libera eſto) Dominus autē veritus ſeruam amittere,negabat ex ſe filiū procreatum:ratus hoc pacto ſe ſeruam non amiſſurū,& filium ſimul habiturum.At illa acrius inſtante,& natum ex Domino cōceptum aſſeuerāte,cùm eius rei difficilis probatio & veritatis periculoſa coniectura eſſet,in ancipiti,Alphonſi prudentia,iam inde ab adoleſcentia ſtatim reſplenduit. Decreuit ergo,vt infans ſub licitatore venūdaretur.Cumq; vni qui maius precium attuliſſet,infans traderetur: pater pietate victus,à lachrymis temperare nequiuit,& ſuum eſſe filium faſſus eſt. Quare rex & patri filiū & ſeruæ libertatem non cunctanter adiudicauit. Panormitanus lib.2.de rebus geſtis Alphonſi,& Fulgoſ.lib.7.cap.3.

Sedit Carolus Gallorum rex in Barionæ baſilica, Leonis tertij cauſam cogniturus,quem Campiſus & Paſchalis Primicerius pulſatū in vincula coniecerant.Congeſſere duo illi multa in pontificem crimina,ad leuandam ſui ſceleris inuidiam,placuit POPVLVM,qui circumfuſus ſtabat, rogare,quid de pontifice ſtatuendum cenſeret?Reclamatum eſt , non eſſe priuati cuiuſquam,de eo qui ſacram teneret ſedem,iudicare : traditumq; morem à maioribus , vt pontifex à nullo præterquam à ſeipſo iudicaretur Qua voce rex ſui officij admonitus,cauſam ampliauit,ac mox damnauit capite accuſatores . Sed pontificis rogatu capitalis illis remiſſa eſt pœna,amboque in Galliam relegati.Sabel.lib.10.cap.4.

Ad FRIDERICVM III.imperatorē cùm ruſticus veniſſet,& indicaſſet,equorū alterū in caupona ex biga ſubtractum eſſe furto:Imperator rem indicari ſibi iuſſit.Ruſticus autem cùm hoc nequiret:Miror, inquit Fridericus,cur etiam alterum equum non amiſeris:multi enim ſunt hodie in hac vrbe equites,qui equis indigent. Tum agricola: Equa eſt altera:ô Cæſar,quæ belligerantibus nulli eſt vſui . Tu ergo,ait Fridericus,equæ inſidito,atque in omnes vrbis vicos diſcurrito : ſubtractus equus in aliquo

ſtabulo latitat,qui cùm iugalem equam ſenſerit,mox hinnitum dabit.Paruit homo,eoque pacto furtum compertū eſt: ruſticus quod ſuum erat recuperauit,& fur pœnas dedit.Æneas Syluius lib.2.Commentariorum de rebus geſtis Alphonſi.

CONSILIIS ALIORVM BONIS PARERE.

IACOB, licet inuitus , permiſit tamen abduci Beniamin filium dilectum,propter neceſſitatem commeatus , ita ſuadentibus reliquis filiis. Gen. 43.

Commota ciuitate Epheſina , PAVLVS prudenter acquieuit conſilio amicorum,qui rogauerunt eum, ne prodiret in theatrum. Actorum decimonono.

Cum vita defunctus eſſet Lyſander, AGESILAVS numeroſam ſodalitatem aggregatam comperit:quam ille ex Aſia domum reuerſus,ſtatim aduerſus Ageſilaum inſtituerat. Id indignè ferens Ageſilaus , deſtinabat omnibus palàm facere, cuiuſmodi ciuis fuiſſet Lyſander dum viueret:ac perlecta quadam oratione,quam Lyſander in libro deſcriptam reliquerat, compoſitam quidem à Creōte Halicarnaſſeo, ſed in hoc vt hanc Lyſander ediſceret,atque apud popularem multitudinem recitaret (tractabat autem oratio de nouandis rebus,deque mutando reipub.ſtatu)hanc, quoniam arguebat Lyſandrum fuiſſe ciuem pernicioſum , ac ſeditionis auidum,Ageſilaus voluit euulgare.Cæterùm vbi ſenex quidam Ephorus orationem perlegiſſet, metuens dictionis grauitatem ac vehementiam, ne lecta alios quoque multos ad rerum nouarum ſtudium excitaret:cōſuluit Ageſilao,ne Lyſandrum ſepultum refoderet, ſed orationem premeret. Senis conſilio paruit , & à cœptis conquieuit Ageſilaus : doctus non ſolùm obtemperare publicis legibus ac magiſtratui , verumetiam priuato ſenioris cōſilio. Vir excelſi animi, plus apud ſe valere voluit publicam vtilitatem , quàm priuatum odium: ſimulque perſpexit , indecorum eſſe,ſimultatem exercere cum ſepulto.Hac moderatione vſus eſt aduerſus manifeſtum inimicum.Plut.in vita Lyſandri.

Alcibiades(cuius neſcio vtrum bona,an vitia patriæ pernicioſiora fuerint:illis enim ciues ſuos decepit, his afflixit) cùm adhuc puer ad PERICLEM auunculum ſuum veniſſet, eumque ſecretò triſtem ſedentem vidiſſet,interrogauit,Quid ita tantam in vultu confuſionem gereret? At illo dicente , Mandato ſe ciuitatis Propylæa Mineruæ , quæ ſunt ianuæ arcis,ædificaſſe:conſumptaque in id opus ingenti pecunia , non inueniret quo pacto miniſterij rationem redderet,atque ideo conflictari: Ergo (inquit)quære potius quemadmodum rationem non reddas. Itaque vir ampliſſimus,& prudentiſſimus,ſuo conſilio defectus,puerili vſus eſt: atque id egit,vt Athenienſes,finitimo implicati bello , rationibus exigendis non vacarent.Sed viderint Athenæ vtrum Alcibiadem lamententur, an glorientur:quoniam adhuc inter execrationem hominis & admirationem, dubio mentis iudicio fluctuatur.Valer.lib.3.cap.1. & Sabel. lib. 1.cap.3.

M.AGRIPPAM, qui ſapientia & virtute animi dignus eſt habitus, quem Auguſtus , licet plebeium hominem , nullis maiorum ſtatuis aut titulis clarum, tot generoſis principum patriciorum familiis præferret, & ex cunctis mortalibus vnicæ chariſſimæque filiæ virum diligeret , dicere ſolitum accepimus:plurimum ſe debere illi Salluſtianæ ſententiæ, quæ in oratione Maſiniſſæ morientis habetur:Concordia paruæ res creſcunt,diſcordia maximæ dilabuntur:per hāc enim ſe didiciſſe,& fratrem & amicum bonum ac fidelem agere.Petrarcha.

TIBERIVS Cæſar, licet fuerit ſingulari prudentia præditus , pauca tamen fecit ex ſeſe,vel nihil potius,ſed de minimis quibuſque rebus referebat ad Senatum : cum eoque communicabat omnia , & conſiliarios admittebat,vt Auguſtus quoque conſueuerat. Cùmque ipſe ſuam ſententiam dixiſſet, non modò dabat poteſtatem omnibus, vt contra ſe dicerent:ſed etiam factis ſæpenumero decretis in contrarium , æquo animo ferebat.Interdum contrà diſſerebat,ſæpe ita dicebat, ne libertatem eis eripuiſſe videretur.Dion Nicæus in Tiberio.

ANTONINVS Pius nihil vel in bellicis,vel in ciuilibus negotiis agebat,de quo non prius conferret cum grauibus viris , dicens : Æquius eſt,vt ego tot taliúmque amicorum conſilium ſequar,quàm vt tot taleſque amici meam vnius ſequantur voluntatem Multum abhorrēs à quorundam ingenio,qui conſulto pileo ſuo, dicunt: Vos ſedulò conſulitis, ſed aliud mihi ſuadet pileum meum.Iulius Capitol.

MALIS CONSILIIS NON PARERE.

Landiſlaum,Hungariæ ac Bohemiæ regem adhuc puerum, cùm FRIDERICVS Romanorum imperator conſtantiſſimus educaret , ſanguine ſibi coniunctum : non defuerunt ex conſiliariis , qui puerum clàm perdendum Cæſari perſuaderent, cuius mors opes maximas , plurimaque regna allatura eſſet:At Imperator:Quî fit (inquit) quòd me diuitem potius quàm pium erga meos eſſe cupitis ? Ego ſanè diuitias non ita amo, vt impiis conſiliis perſuaſus , propter eas indignum facinus perpetrare velim.Quo dicto docere voluit , conſilium peſſimum, cumque crudelitate coniunctum,à principibus reiiciēdum eſſe:nihilque conſiliariorum perſuaſione faciendum,quod principis maieſtatem lædere, eiuſque nomen bonamque famam obſcurare apud ſubditos poſſit.Æneas Syl. lib.3. Comment.de rebus geſtis Alphonſi.

PROVIDENTIA ETHICA. FVTVRA PRO- *ſpicere,de rebus ſuis vel alienis.*

Altera ſeu tertia ſpecies hæc eſt Iudicij prudentis,reſpectu rerum de quibus iudicat:quoniam vel præſentes ſunt,vel præteritæ (de quibus iam egimus) vel futuræ,quarum cognitio vt ardua maximè eſt , ita non niſi in præclara cadit ingenia , & Prouidentia propriè appellatur. Differt autem à Præſagiis & Ominibus,de quibus primo Libro diſputauimus: quoniam illa diuinationem ſemper habent iunctam , Præſagia quidem certam & expreſſam, Omina verò fortuitam:at Prouidentia abſque diuinatione eſt , niſi quis Diuinationis vocabulo abutatur pro quauis præcognitione. Eſt enim Præcognitio duplex:alia quidem Theorica,tum naturalis(quales ſunt Phyſicæ & Medicæ προγνώσεις*) tum diuina,de quibus nos in Metaphyſicis egimus:alia verò Practica, quæ huius loci propria eſt, & experientia potiſſimùm nititur. Sic prudentis hominis eſſe dicimus,ex præſenti temporum conditione tam priuatim quàm publicè quæ mutationes euenire queant,conijcere & præuidere. Cuius* δυνάμεως *exempla quædam in medium afferemus.*

SOLON Salaminius , legiſlator Athenienſium , Piſiſtratum propinquum ſuum tyrannidem affectantem multo antè præuidit.& populum monuit,qui tanquam ſtultum deridebat. Elegi autem Solonis de tyrannide Piſiſtrati hi ſunt,quos Laert.libro primo recitat,

ἐκ νεφέλης φέρεται χιόνος βία, ἠδὲ χαλάζης,
βροντή τ' ἐκ λαμπρῆς γίνεται ἀστεροπῆς.
ἀνδρῶν τ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται, εἰς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀϊδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσεν.

Odit humanum genus TIMON Athenienſis , nulli hominum mitis, nulli blandus in occurſu, præterquam Alcibiadi puero. Hunc vnum in publico comiter excipere,caput demulcere,oſculari,amplecti.Rogatuſque aliquando,Vnde illa comitas in ſolum duntaxat Alcibiadem? Quia video,inquit,fore,vt hic adultus,ſit patriæ exitio futurus.Nec ille ſua eſt coniectura deceptus.Sab.lib.9.cap,10.

Themiſtoclis MAGISTER multo prius vidit,qualis eſſet is futurus, qui à ſe inſtituebatur. Quippe pueri illius indolem rimatus dixiſſe fertur:Nihil te paruum,ô,puer,ſed certè magnum aliquid ſiue bonum,ſiue malum auguror futurum.Sab.lib.9.cap.10.

ACHITVS ſenex,cùm primò concionātem adoleſcentem Periclem audiret , repentè Piſiſtrati,quem ſenio grauem iuuenis audierat,recordatus:Cauete,ait,hunc iuuenem ciues: eſt enim in loquendo perſimilis Piſiſtrato.Vulgò quidem plauſibiliter,nihil niſi præſentia cernenti : ſeni autem & præterita memoranti,& futura prouidenti , formidabiliter loqui viſus eſt.Petrarcha.

L.SYLLA C.Iulio Cæſari infeſtiſſimus fuit. Tandem cùm intercedentibus patribus ei reconciliari cogeretur, exclamauit : Et vobis hunc Cæſarem haberote,dum noueritis,hunc ipſum, cuius ſalutem tanto ſtudio procuratis,futurum aliquādo & optimatum & Reip.euerſorem.Cæſari enim multi Marij inſunt.Pompeium inſuper monuit , caueret illum puerum malè præcinctum.Petrarcha de Prudentia.

AVGVSTVS Cæſar,dum animam ageret,digrediente Tiberio , cum quo longum & arcanum ſermonem habuerat , exclamauit: Miſerum P. R.qui ſub tam lentis maxillis erit. Id verbum à cubiculariis auditum , & per manus(vt aiunt)in vulgus effuſum eſt. At qui nequaquam vſque ad id tempus Tiberius ignaui principis ſpem dabat:ſed ſiue ſemper prudētiſſimus Imperator,ſiue tunc mortis etiam vicinitate prouidentior, non ſuperficie tenus vt cæteri,ſed introrſus inſpiciens,miſeriam P.R.vrbanè quidem , vt reliqua , vaticinatus eſt. verius dixiſſet : Miſerrimum terrarum orbem,qui tam feræ & immani belluæ ſeruiturus eſt.Petrarcha.

THEODORVS Gadareus,Tiberij in rhetoricis præceptor , animaduertens in puero ſanguinarium ingenium ſub ſpecie lenitatis latitans, ſubinde inter obiurgādum appellauit illum, πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον, id eſt lutum ſanguine maceratum. Hic initio principatus miram lenitatem præ ſe tulit,ſed progreſſu temporis ad immanem crudelitatem deuenit.Eraſ.6.Apoph.

DOMITIVS Neronis, mundo peſtilens & damnoſus pater, natum ſibi filium audiens, congratulantibus amicis nullo tactus gaudio: Scitote, inquit, ex me & Agrippina nihil niſi horrendum & infauſtum, ac publicè nociturum potuiſſe procreari, ô infelix, ſed verax vates. Vnde hęc tibi tanta præſcientia futurorum: notus eras tibi tu, nota coniunx exſecrabilis, quis te impetus implicuit tam mœſtis amplexibus? Sed debebatur hic partus morib. humanis, & princeps imperio Romano, qui Caligulæ nomen ac titulos obſcuraret.

IVDICIVM SVSPENDERE IN PRACTICIS. DE INCERTIS *iudicare nolle, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium. Delatoribus non credere.*

Ἐποχὴν Academici in diſputationibus philoſophicis inhibendam eſſe cenſebant, quandoquidem in vtranque partem probabiliter de quauis re ferè diſſeri poſſet. Sunt etiam talia quædam in vita practica vſque adeò ambigua & incerta, vt in quamcunque partem te verteris, aliquid quod aſſenſionem iudiciúmque tuum impediat, reperire liceat. In quibus ἐποχὴν retinere, iudiciúmque ſuſpendere prudentis: liberè aſſentiri, ſtulti hominis eſt, & temerarij.

Ne facilè delatoribus credamus, aut rumoribus incertis ad iudicandū compellamur, diuina ſancitum eſt lege: Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit, ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum. Contra Dei ergo legem agit, qui contra aliquem vnius tantùm verbis fidem adhibet. Marul. libr. 5. cap. 1. Docuit etiam veritas, & prima ſapientia (quod Euangelica monſtrat hiſtoria) iudicandos eſſe, qui temerè iudicant. quod quum ita ſit (nam veritas falli non poteſt) nullum tamen eſt vitium in hac vita frequētius. Lippiunt ſæpe oculi, obſurdeſcunt aures, fit hebetior viſus, fit & guſtus: opinatur nihilo ſecius mens, & iudicat ad ſenſum, imaginatur etiam, oriturque hinc quoque iudicandi materia. Quo fit, vt in nulla vitæ parte denſior exiſtat humanæ mentis caligo, nullibi maior ignorantia. Sab. libro 10. cap. 2.

Quandiu adulterij crimen latet, ſuſpicari fortaſſe licet, credere non licet. Et VETERI quidem lege, mulieris ſuſpectæ cauſam per ſacrificium zelotypiæ viro diſcutere permiſſum erat, nunc nefas eſt accuſare niſi deprehenſam. Sed ſi deprehenſam etiam lapidari vetuit Dominus, niſi ab eo qui ſine peccato eſſet, cùm nemo ſine peccato ſit: vix dici poteſt, quàm grauiter delinquant, qui ſuſpectam veluti deprehenſam lapidant ictibus detrectationis, & infamiæ dentibus lacerant fortaſſe innocētem. Et profectò de iis quæ latent, qui iudicat, etiamſi eueniet vt verū iudicet, mētitur, dum ſe ſcire affirmat quod neſcit. Marul. lib. 5. cap. 1.

Diuiſa promiſſionis terra, victiſque hoſtibus Ioſue duce, & iam militiæ miſſione accepta: tribus Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe de Sylo, vbi tabernaculum fixerant, ad Galaad poſſeſſionem ſuam, quæ vltra Iordanem erat, reuertentes, in ripa fluminis citeriore altare conſtruxerunt: ob hoc duntaxat, vt poſteris fidem facerent ſe commeādi ius habere ad offerendum in Sylo, ne quando ſeparati à reliquis tribubus, ſicuti poſſeſſione, ita & religione viderentur. At verò cæteri FILII Iſrael rati illud ad ſacrificandum diis alienis ædificatum, Dei ſui iniuriam armis vlciſci parant. Mox vbi miſſa legatione ponendi altaris cauſam didiciſſent, probare factum cœperunt, quod incuſauerant: & quos morte dignos iudicabant, laudibus extulerunt. Quod ſi rem paulo accuratius non inquiſiſſent, falſa decepti opinione, pios pro impiis trucidaſſent. & nō leuius crimen foret inconſultum iudicium, quàm ipſa, cui infenſi erant, diuinæ legis præuaricatio. Itaque ſemper magnopere cauendum eſt, ne quid in aliis continuò deteſtandum putemus, quod ſpecie aliqua mali, & bonum eſſe queat, ne Propheticum illud in nos retorqueri poſſit: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Semper quidem tutius eſt, honeſta potius quàm turpia de ambiguis coniectari. Ibidem.

Quàm iniquum ſit aliorum vitia cernere, ſuorum obliuiſci, docet ipſe Saluator, dum huiuſmodi hominem reprehendens ait: Quid tu vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. Tunc ergo alios decētius corripere poterimus, cùm prius noſmetipſos correxerimus: corripere inquam, non condemnare, vt charitas conſeruetur, & ſemper declinetur impietas. Ibidem.

ILLI qui nimis arroganter adulteram accuſauerant, mox Domino in terram ſcribente cùm ſuum legiſſent ſcelus, alienum vlciſci erubuerunt: Qui ſine peccato eſt veſtrûm, inquit, primus in eam lapidem mittat. Nō ſolùm autem lapidem in accuſatam torquere nequiuerunt, ſed nec iuſti iudicis ferre præſentiam. Ad lapidandum conuenerant, ſed parua mora ipſi quaſi lapidibus acti fugam fecerunt. Tamque indigni erant qui alios arguerent, vt adulterij crimen ab eis delatum facilè veniam inuenerit. Nos itaque ſi noſtra peccata ante oculos poſuerimus, aliena poſt tergum relinquemus: nec alterum accuſare audebimus, magis ipſi accuſandi. Ibidem.

Paulo à Iudæis accuſato, GALLVS proconſul dixit: Si qua eſſet iniuria aut facinus malum, ô Iudæi, meritò vos ſuſtinerem. Si verò quæſtio eſt de ſermone, & nominibus & lege veſtrate, vos ipſi videritis. iudex enim horum nolo eſſe. Actorum Apoſtolorum decimooctauo.

MOYSES abbas in deſerto Scythi nominatiſſimus, cùm acceſſiretur vt ſententiam diceret in fratrem qui peccauerat, venit ſaccum arena plenum in tergo baiulans: & rogatus quid illud eſſet? Peccata ſua eſſe dixit, quæ vix ferre præualeret, nedum aliena iudicare poſſet. Quod præpoſiti monaſterij audientes, fratri pœnitenti veniam indulgere, quàm pœnam infligere maluerunt, dum conſiderant, ne ſe quidem ſine peccato eſſe. Nec tamen ideo delinquentibus ignoſcendum eſt, ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ. Sed ipſi qui præſunt, ita ſeueritatem in puniendo exerceant, vt ſemper ſe quoque infirmos eſſe meminerint. Marul. libro 5. capite primo.

Eiuſdem loci preſbyter PASTOR monacho, qui ſe de cœnobio diſceſſurum dixerat, quòd ſe cum fratre manere, de quo malè audiſſet, pigeret: Ne facilè malum credideris, inquit, quòd audiſti. Cumque ille id ſibi à viro fideli relatum aſſeueraret, reſpondit: Si fidelis eſſet, non tibi dixiſſet. Poſtremò propoſuit ei trabem & feſtucam de Euangelio, vt ſemper aliena peccata feſtucam putaret, ſua trabem, ſe prius condemnans quàm alios iudicans. Quo tandem conſilio ipſe vſus, ibidem habitauit, vnde recedere decreuerat: malè de altero obloquentibus credere deſiit, malè agentes ſibi præferre cœpit: & ſi quis etiam manifeſtò deliquerat, non iam ei iudicandi occaſionem, ſed magis humiliandi præbebat. Et nos ergo Paſtoris vocē audiamus, vt mites & quieti potius cum agnis in partem dextram concedamus, quam laſciuientes & curioſi ad ſiniſtrā cum hœdis declinemus. Laſciuiunt autem, qui præſumptionis ſpeculam inſcendentes, aliorum actus auidè explorant, ſuos non ſatis conſiderāt: & dum alios nimis licenter iudicant, ipſi grauius Dei iudicium incurrunt. Ibidem.

SANCTVS IOANNES epiſcopus, illos etiam qui publicè peccauerant, abſentes carpi taxarique prohibuit. Fieri enim poſſe vt peccatum pœnitendo diluiſſent, & iniquum eſſe id ab homine petulanter exprobrari, quod à Deo clementer eſſet condonatum. Itaque domeſticos ſuos grauiter increpuit, cùm quendam virginis raptorem morte dignum dixiſſent. Et qui ſcitis, inquit, ſi ille iam peccare deſiit, cùm fortaſſe non ceſſetis? Iure quidem iſta Ioannes. Cùm enim Scriptura diuina dicat, Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, qua ratione homo in altero ſciet, quod in ſe neſcit, vtrum ſcilicet aliquis odio vel amore dignus ſit?

Beatus FRANCISCVS etiam obliquæ ſuſpicionis culpam in fratre caſtigauit. Cùm enim pauperculo quodam ſibi obuiam facto nuditatem eius dolens identidem ingemiſceret, & frater quo cum vnà iter agebat, dixiſſet, Pater etſi ille reb. pauper eſt, fortaſſe rerum concupiſcentia diues eſt: continuò ipſum tunicam ſuam exuere, & pauperē operire iuſſit: vt quem lingua læſerat, ei beneficio ſatisfaceret. Prauæ igitur ſuſpiciones, cùm præſertim de crimine nihil conſtat, ſedulò vitandæ ſunt. Et licet ſemper vitari nequeāt, quoniam homines ſumus: ibi ſaltem commoriantur, vbi ortæ fuerint. Linguam contineamus, ſi cogitationes non poſſumus. Ibidem.

EPAMINONDAS Thebanorum dux interrogatus, quem arbitraretur ducem præſtantiſſimum: ſeipſumne, an Chabriam, an Iphicratem? Id, inquit, iudicatu perdifficile eſt, donec viuimus. Plutar. in Græcorum Apoph.

Ptolemæus cùm ad talos ſederet, & alea luderet, aſſiſtens quidam, cōdemnatorum ipſi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat, vt ille quinam mortis ſupplicium commeruiſſent, decerneret. BERENICE verò vxor eius accepto libello è pueri manibus, non permiſit vt ad finem vſque legerentur: dicens, non ſic obiter aduertendum eſſe, cùm de hominis ſalute diſceptatur: ſed diligenter cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim ſimilem eſſe caſum talorum, & corporum. His auditis, delectatum Ptolemæum ferunt, neque poſtea vnquam inter ludendum capitales cauſas audiuiſſe. Ælian. de Varia hiſtoria libro 4.

DEMARATVS Spartanus cum ab improbo quodam importunius interrogaretur, quémnam è Spartiatis optimum iudicaret ciuem, idque ſæpius ſe iudicaturum recuſaſſet, expugnatus tandem illius importuna improbitate: Illum, inquit, optimum noſtris è ciuibus iudicauerim, qui tui ſit quàm diſſimilimus. Quo reſponſo & importunitatem illius repreſſit, & dignitati non minus ciuium conſuluit omnium quàm ſuæ. Pōtanus libro quinto, de Prudentia.

Licinius Fimbria conſularis. A M. LVCTATIO Pinthia ſplendido equite Rom. iudex aditus de ſpōſione, quam is cum aduerſario, quòd vir bonus eſſet, fecerat, nunquam id iudicium pronunciatione ſua finire voluit: ne aut probatum virum, ſi contra eum iudicaſſet, fama ſpoliaret: aut iuraret eum virum bonum eſſe, cùm ea res innumerabilibus laudibus contineatur. Val. Max. libro ſeptimo, capite ſecundo: & Platina libr. 5. de Prudentia.

Apud M. POPILIVM Lenatem prætorem, quidam, quòd matrē percuſſam fuſte interemerat, cauſam dixit, de qua neutram in partem latæ ſententiæ ſunt: quia abundè conſtabat, eandem veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos auia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidium vltam parricidio eſſe: quorum alterum vltione, alterum abſolutione non dignum iudicatum eſt. Val. Max. lib. 8. cap. 1.

P. DOLABELLA proconſulari imperio Aſiam obtinente, materfamiliâs Smyrnæa virum & filium veneno interemit, cùm ab iis optimæ indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occiſum comperiſſet. Quam rem Dolabella ad ſe delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit: quia ipſe neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam iuſto dolore impulſam ſuſtinebat. Cōſideranter & manſuetè populi Rom. magiſtratus: ſed Areopagitæ quoq; non minus ſapienter, qui inſpecta cauſa, & accuſatorem & ream poſt centum annos ad ſe reuerti iuſſerunt, eodem affectu moti quo Dolabella: ſed ille transferendo quęſtionem, hi differendo, damnandi atque abſoluendi inexplicabilem cunctationem mutuabant. Ibidem.

ALEXANDER Seuerus imperator Romanorum, iudicatas à ſe religionis cauſas, à Pontificibus & auguribus retractari patiebatur: minimè ſibi dedecori arbitratus, in iis quæ ad religionem pertinerent, imperatoriam maieſtatem ſacerdotum autoritati cedere. Fulg. lib. 1. cap. 1.

VAL. CONSTANTINVS Magnus Romanorum imperator, cùm in Chalcedonenſi concilio eſſet, vltimuſque inter ſacerdotes ſederet, libellos oblatos de mutuis epiſcoporum accuſationibus legere noluit: ſed intactum ſe Deo eorum iudicium reſeruare velle, reſpondit. Quo dicto oſtēdere voluit, principis non eſſe, ſuo iudicio & propriis affectibus deformare potius quàm reformare religionem. Idem.

CONSTANTIVS Auguſtus Amphilotium tribunum de inſidiis Imperatori factis accuſatum, cùm res non conſtaret, diuino damnandum iudicio reliquit. Vide tit. Diuino iudicio damnati.

POP. Romani prudentiam in Leonis tertij cauſa iudicanda, pete ex tit. Prudentia iudicandi in iudicio de rebus aliorum. Sedit Carolus rex, &c.

PRVDENTIA BELLICA, STRATAGEMATA.

Duo ſunt Rerump. tempora, alterum pacis, alterum belli. Qui in pace conſulunt atque iudicant prudenter, à nobis in præcedentibus expoſiti fuerunt. Nunc eos aggredimur, qui turbulento Reip. ſtatu patriam conſilio ſuo iuuare poſſunt. Quos quidem ſub Diſciplina bellica, tanquā ſub genere communi, quòd omnes virtutes, quatenus in bellicis rebus occupantur, complectitur, comprehendere ritè poſſumus. Virtus enim Practica, quæ in conuerſatione quotidiana conſpicitur, in Vrbanam & Bellicam, non eſſentiali, ſed accidentali diuiſione, ratione videlicet perſonarum, loci & temporis habita, diuidi poteſt. Bellica igitur virtus eaſdem ſpecies ſui ambitu comprehendit, quas & Vrbana: proinde vt hæc vrbana Diſciplina, ſic illa Diſciplina bellica vocari poteſt: Græcis στρατηγηματικὴ τέχνη, Frontino teſte, omnium reliquarum virtutum miniſterio indigens, maximè verò duabus veluti manibus omnia ſua opera perficiens: Ratione ſcilicet, & Robore. Ratio vim occultam, Robur apertam continet: quarum hæc quidem tanto inferior eſt illa, quanto corpori antecellit animus. Nihil arma foris, niſi ſit conſilium domi, inquit ille. Vis certè occulta apertæ præferenda eſt, modò iuſticiæ limites non excedat. Præſtabilius ſiquidem eſt, abſque cæde lites dirimi: quàm multorum interitu vix tandem pacem facere. Lucius Paulus apud Frontinum lib. 4. cap. 7. inquit, Imperatorē ſenem moribus eſſe oportere: tota enim conſilij vis in Imperatore veluti in capite conſiſtit. μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός, ait ille. Sic imperatoris eſt primùm ſuis conſulere, deinde hoſti nocere. Non ineptè Maro, — Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? Expreſſit enim vulgatum illud Homeri, ἢ δόλῳ, ἠὲ βίηφι, & vtranque exercitationis bellicæ ſpeciem comprehendit, quarum poſterior ad fortitudinem pertinet, prior Stratagemata continet, quæ ſub Prudentiæ locum referre voluimus, quoniam ſi abſque iniuſticia & fraude fiant, laudem non exiguam merentur, etiam apud probos & cordatos viros. Itaque in ſacris Abraham, Ioſue, Gedeon hoſtibus inſidias poſuiſſe leguntur. Sit ergo Diſciplina bellica veluti genus, quo & aperta vis & occulta comprehendatur. De aperta, quæ homini cum belluis communis eſt, ſub Fortitudine, vt dixi, agetur: de Occulta verò prudentia, ſiue ſolis conſiliis, ſiue etiā armis vtatur, nunc diſſeremus, ſi prius τὸ τί ἐστιν ὀνόματος explicauerimus. Frontinus στρατηγηματικὰ vocat omnia ducum & imperatorum geſta, ad quodcunque genus virtutis referenda ſint, tā occulta quàm manifeſta, ita vt Diſciplinam totam militarem comprehendat: στρατηγήματα verò ea, quæ ſimulata arte, prudentia atque ſolertia ſingulari vel in cauendo, vel in opprimendo hoſte, excogitata & perfecta fuerint. Nam cùm homo per rationem homo eſſe dicatur, κατ' ἐξοχὴν quoque ea quæ adminiculo rationis potius quàm robore confecta ſunt, στρατηγήματα appellari memorāt. Id ergo inter duo iſta vocabula intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Quam quidem nominum rationem nos quoque hic ſequemur, neque enim omnia στρατηγηματικὰ, ſed στρατηγήματα tantum & αὐτοσχέδια conſilia explicare & in ordinem digerere hoc loco conabimur. Porro ampliſſimus eſt hic campus, & multos titulos ambitu ſuo complectitur. Frontinus ex belli temporibus & ex ipſa materia locos iſtos deducit: ante pugnam, in pugna, poſt pugnam, & tandem in obſidionibus vrbium. Addit quarto & vltimo libro exempla quædam, quorum pleraque ad Diſciplinam militarem in genere ſumptam referenda ſunt. Polyænus ſecundum perſonas libros ſuos στρατηγηματικῶν verius quàm στρατηγημάτων (vt Frontini diſtinctionem retineamus) concinnauit. Ego nec Frontini ordinem, nec Polyæni ſtudium & laborem reprehendo, vtrique plurimū tribuo: alia tamen ſerie titulos hos digerere conabor, quam ſcilicet & rei natura, & methodus didaſcalica dictare videbitur, vt eoſdem locos ſubinde repetere non ſit opus, ſiue in campeſtri bello, ſiue in nauali prælio, ſiue in obſidionibus res geratur. Forma dat eſſe & nomen rei: hæc autem cum fine ipſo coincidit. Non ineptè ergo à fine Stratagematum diuiſio ſumi poterit. Iudicium penes lectorem eſto. Nos nūc titulorum catalogū proponamus, hoc ſumpto initio, quòd Stratagemata ſunt vafra quędam conſilia, atque facta: quorum is eſt finis, vt hoſtis commodius & facilius debelletur, minimumque detrimenti exercitus noſter accipiat. Quare omnia Stratagemata in hoc fine conuenient, quòd ad ſuperandum hoſtem pertinent. Iam verò quia in omni victoria duo ſunt, alter qui vincit & alter qui vincitur: neceſſe eſt: vt ratione perſonarū conſilia iſta diuidantur, cùm alia quidem ad noſtros milites confirmandos, excitandos, tuendos & conſeruandos ab omni hoſtili impetu pertineant: alia verò ad hoſtes ipſos profligandos, terrendos, lædendos ac perdendos. Imperatorem enim tanquam caput totius exercitus conſtituimus, cuius munus eſt prouidere & conſulere: vti militis eſt, parêre. Cæterùm cùm miles non ſemper obedire vel poſſit vel velit, Imperatoris erit, vt conſiliis ſuis etiam inuitum trahat, non tam imperioſa poteſtate, quàm ſolerti prudentia munitus. Quemadmodum enim Oratores interdum apertè id quod volunt populo proponunt, eius beneuolentia & cauſæ bonitate freti: interdum verò circuitu vtuntur, & tanquam aliud agentes inuidioſam cauſam defendunt: ſic quoque Imperatores non ſemper apertè militibus, quamobrem hoc vel illud faciant aut imperent, communicare debent, ſed ſtratagematica κρύψει (vt ita loquar) vtuntur, vt id quod volunt etiam inſciis militibus conſequantur. In vniuerſum itaque duo ſumma erunt Prudentiæ bellicæ, ſiue Stratagematum membra. Alia enim ad noſtros, alia verò ad hoſtes pertinebunt.

His ſic conſtitutis, diuiſionem ipſam aggrediamur.

STRATAGEMATVM *exempla asseremus tũ in*

Genere, QVI *in Stratagematis, excelluerunt.* PRVDENTIA *bellica in genere.*

Imperatoris *potissimum munus. Callidè igitur & prudenter*
- Militem *deligat, ratione habita reliquarum circumstãtiarũ, maximè verò ætatis.* ÆTAS *opportuna militiæ.* SENES *in militiam adscripti.*
- Aciem *ad quamus hostilem incursionem instruat.*
- Tempus *pugnæ eligat.*
- Locum { *Pugnæ opportunum sortiatur.* / *Irrupẽdi in vrbes aut castra quærat.* } *Eli loci valde inter se sunt affines.*
- Musicam *bellicam instituat.*
- Consilia *sua occultet.*
- Literas *& nuncios occultè mittat & recipiat.*
- Inopiam *suorum, præsertim in commeatu, dissimulet & occultet, ne hosti fiduciam addat.*
- Statum *belli custodiat: siue* GENVS *pugnæ sibi commodum & conueniens arripiat.*
- Temeritatem *vitet in pugnando.*

Militum *Nimirum vel*

Non *adsunt. Tit. esto,* AVXILIA *suis prudenter mittere & introducere. Item,* AVXILIA *aliena parare & suscipere.*

Animi, *in milite requiruntur potissimum*
- Fortitudo *tum in*
  - Pugna. *Interdũ enim*
    - Opere *& labore faciendo. tit.* HORTARI *& cogere ad laborem.*
    - Vigilantia. *tit.* VIGILANTIAM *suorum excitare.*
    - A pugna *sunt cohibendi, & impetus illorum refrenandus. tit.* INTEMPESTIVAM *pugnæ postulationem prohibere.*
    - Ad *pugnam & defensionẽ sunt instruẽdi. Et vel*
      - Ante *susceptum bellum.* AD *suscipiendum bellum inflammare.*
      - Post *susceptum bellum exercitu*
        - Adhuc *integro si*
          - Tardi *sint ad pugnam,* ANIMENTVRE *hortentur.*
          - Inuiti *pugnẽt,* COGANTVR.
          - Timorem *aliquem conceperint,* EO *liberentur.*
        - Dispersо *& cæso, post pugnam,* FVGA *Milites colligantur.*
  - Iustitia, *vt patriam, vel eos quorum partes tuetur, strenuè defendat, et cõtra hostes pugnet. In hac fide requiritur partim.*
    - Res *ipsa. Nempe vt milites*
      - Fidẽ *seruent. Imperatorium est, militũ perfidiam vel*
        - Prohibere, *ne scilicet*
          - Seditiones *excitent,*
          - Transfugiant, *vel*
          - *proditionem moliantur.*
        - Impedire, *post quã orta fuerit. Nempè*
          - Seditiosos *reconciliare*
          - trãsfugarũet, *proditiõ conat⁹ eludere, aut in*
          - *stra cõuertere vtilitati*
        - Punire. QVO *astu proditores sint circumueniendi & puniendi.*
      - Imperatori *obediant.* AD *obedientiam cæteros suos.*
    - Signum *rei. tit.* FIDEM *suam declarare, & falsam suspicionem remouere. Item,* OBEDIRE *Imperatori.*

Adsunt *nobis. Boni igitur Imperatoris est, vt militum pater sit, atque princeps. Boni vicissim militis est, vt intra suos limites cõsistens quantũ in se est, Imperatoris virtutes imitetur. Curam ergo habeat omniũ eorum, quæ pertinent ad cõseruationem bonorum tum*
- Corporis *Ne scilicet milites nostri vel*
  - Destituantur *ne cessariis reb⁹, quæ conueniunt illis tum quatenus sunt*
    - Homines: *vtpote*
      - Cõmeatus. *tit.* COMMEATVM *acquirere, introducere.* PRÆDAM *tutò agere.*
      - Robur. EXERCERE *suos assiduè.*
      - Habitus *corporis conueniens.*
    - Milites. *sic ergo oportet*
      - Arma
        - Deligere, *& vestitum*
        - Ornare. Retinere.
        - Noua *parare.*
      - Naues *parare & conseruare.*
      - Propugnacula *& mœnia extruere ac tueri.*
      - Castris *locum deligere.* CASTRA *tueri.*
      - Equos *animare. & elephantos.*
  - Ne lædãtur armis, *sine in*
    - Transitu *per loca infesta & insidijs plena. tit.* TRANSDVCERE *exercitum, equos, elephantos, impedimenta, &c.*
    - Fuga. *tit.* FVGAM *tutam adornare.*
- Fortunæ. *Verbi gratia*
  - Stipendia *vel*
    - Parare, *si desint.*
    - Simulare *si non adsint, aut differre.*
  - Impedimenta *tutò conseruare.*
  - Obsides *vel falsos dare, vel veros liberare.*

Species. *Alia enim pertinent ad*

Hostes. *Vide seq. fol. signum* A.

A. Hostes *Totidem fere titulis Stratagemata erga hostes cõtinẽtur. Imperatoris est, vt consiliis suis hosti noceat, in omnibus iis quæ superiore loco diximus pertinere vel ad*

Imperatorem *hostium. Imperator non tam armorum robore, quàm consilio nititur. Oportet ergo opponere prudentiam prudentiæ, tum ratione.*
- Loci
  - Hostem *in eodem loco, ne fugere possit, retinere.*
  - Hostem, *vt*
    - Aliò *proficiscatur, cogere.*
    - Fugiat *liberè, inuitare, & fugæ locum dare.*
- Temporis. IMPETV *repentino & summa celeritate omnem conatum hostis anteuertere, & eludere.*
- Consiliorum
  - Consilia *& vires hostium explorare.*
  - Literis *decipere.*
  - Insidias *præcauere, eásque irritas facere.*

Milites. *eósque tum*

Absentes: *sed aduentantes, tit.* AVXILIA *ne mittantur præcauere, aut iam missa impedire & intercipere.*

Animi, *nimirum militum*

Fortitudini, *tum in*
- Vigilando. *tit.* SECVRITATEM *hosti iniicere, & eundem securũ mox opprimere. Cuius varios modos suo loco afferemus.*
- Pugnando. *Efficiẽdũ est, vel*
  - Vt pugnẽt, *deteriore tamen conditione. Hoc consequemur variis modis: vt puta*
    - Vires *hostium minuendo, & exercitum illorum diuidendo.*
    - Impetum *& impressionem hostilem sustinendo & frangendo.*
    - Eliciendo *hostem, simulato metu, fuga, abitu, vt auide & incautè ex vrbe, castris, propugnaculis, aut æquiore quouis alio loco egrediatur.*
    - Vires *nostras dissimulando, vt minor videatur exercitus, quàm reuera sit.*
  - Ne pugnent. *sed fugiant, aut sese dedant. Oportet ergo*
    - Terrere *hostẽ, quacunque ratione*
    - Copias *nostras maiores simulare.*
    - Auxilia *noua aduentãtia fingere.*

Præsentes *offscere bonis*

Iusticiæ. *Vt fiant.*
- Nobis *amici. tit. Ex hostibus socios & amicos facere.*
- Suis *inimici. Varij modi. Velut*
  - Videantur *esse perfidi. tit.* SVSPECTOS *sibiinuicẽ hostes reddere.*
  - Sint *reuera*
    - Inter *seipsos discordes. tit.* SEDITIONEM *inter hostes excitare.*
    - Erga *principes & imperatores suos perfidi tit.* AD *proditionem atque defectionem sollicitare et eliceré hostes.*

Corporis. *Vt scilicet destituãtur, quatenus sunt*
- Homines, *præsidiis ad vitam necessariis. Priuare*
  - Commeatu. *Tit.* COMMEATVM *intercipere, aut corrumpere.*
  - Robore. ENERVARE *hostes vigiliis, labore, voluptatibus.*
- Milites. *Vt puta*
  - Armis *exuere, eáque inutilia reddere.*
  - Machinas *destruere.*
  - Equos, *elephantos, currus adimere, aut impedire.*
  - Classem *& naues disiicere.*
  - Castris *exuere.*
  - Vrbes, *propugnacula, & quæuis alia munita loca expugnare, atque capere.*

Fortunę. PRAEDAM *tutò agere.*

PRVDENTIA BELLICA IN GENERE EORVM, QVI IN Stratagematis excelluerunt.

Exempla ex Stratagematum titulis particularibus mutuari poterunt, quando quidem vnus & idem in varijs Stratagematum speciebus excelluisse narratur.

VLYSSES, quem sapientiæ nomine celebrat Homerus, dolo & calliditate gloriatur, non malo ac iniusto, sed quo iustè contra hostes vti possumus. Inquit ergo:

εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισι
ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

Heroes etiam victoriam ei acceptam retulerunt:

σῇ δ' ἥλω βουλῇ Πριάμου πόλις εὐρυάγυια.

Et alibi rursus alij testantur, Vlyssis consilio & industria atque arte fallaci captum esse Ilium. Stratagemata verò quæ vsurpauit aduersus hostes, persæpe celebrat Homerus:

αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας.

Transfugisse ad hostes finxit. Equus etiam ligneus, quem Epeus fabricatus est cum Pallade, fuit Vlyssis stratagema. Rectè etiam Nemo & vinum, torrisque & aries, stratagemata possunt appellari, contra Cyclopem adhibita. Atque etiam cera sociorum auribus illita, & ipse rectus ad malum alligatus. Nam & hæc excogitabat contra perniciosam Musicam. Quid verò de pera mendici dicas, & quæcunque erga Eumæum aut Penelopem finxit?

ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Quid etiam referam pugillationes, & arma iuuenum ebriorum è fumo eximere, atque à ianuis intendere iaculum? An non hæc omnia fuerunt aduersus hostes stratagemata? Sed hæc, & quæ sunt huius generis, docens Homerus sufficiat. Polyæn. lib. 1.

ARISTOMENES Messenius, suæ tempestatis homines eximia quadam astutia & calliditate longè superasse dicitur: cuius defuncti cor cùm exectum esset, pilis refertum fuisse ferunt, teste Plinio libro vndecimo. Valer. Max. libro primo, cap. 8.

STRATAGEMATA IN DELECTV MILITVM, *faciendo, & lustrando.*

Antequam manum cum hoste IVDÆI consererent, publico edicto facessere ab exercitu cogebant sponsos, qui nondum vxorem domum duxissent. Item qui vineam plantassent, sed nondum ex ea vinum bibissent. Item qui cœptam domum non expleuissent. His ignauos quoque & timidos omnes addebãt, ne illos inchoatarum rerum desideria, hos autem ignauia ita caperet, vt malè rem in prælio gererent, atque ea re fortes audacesque terrerentur. Fulg. lib. 2. cap. 1.

GEDEON contra maximum exercitum Madianitarum & Amalechitarum pugnaturus, cùm in suo exercitu multos ignauos esse videret, ne illorum timiditas cæterorum fortitudini impedimento esset, ad fluuium deductos (oraculi iussu) quotquot canino more aquas lãbebant, domum redire iussit: at qui volis aquã hauriebant, ab eo cõtra hostes ducti quamuis trecenti tantum numero essent, victoriam assecuti sunt. Iudicum. 7.

IDEM, cùm 32. millia haberet, facta abeundi copia volentibus, quòd illorum opera sibi opus non esse simularet, timidos à fortibus separauit, ita vt 10. tantum millia remanerent. Ibidem.

CHABRIAS, si recens collectum exercitum haberet, & pugnã initurus esset, per præconẽ iubebat, vt qui malè haberent, seorsim arma deponerẽt. Quotquot igitur erant timidi, morbum simulãtes, arma deponebãt. His ad pugnam quidem non vtebatur, sed ad præoccupanda loca munita, vt saltem ipsorum multitudo apparens, metum hostibus faceret: occasione verò data, statim eos stipendiis priuabat. Polyæn. lib. 3.

IPHICRATES, quanquam plures milites haberet quàm hostes, & vates omnia fausta & egregia promitterent, tamen non statuit prælium committere. Quæ cunctatio, cùm præter opinionem hostibus accidisset: Sacra, inquit, in mea mente non permiserunt pugnam committere. Nam cùm multi essent milites, neque impetum facere simul poterant, neque clamorem tollere: sed cùm hastam inclinare iuberẽ, maior dentiũ quàm armorum fremitus exaudiebatur. Ibidem.

IDEM aduersus Lacedæmonios aciem ordinare incipiebat. Complures ab eo petebant, hic vt se tribunum cõstitueret, ille vt se quingentis ducem præficeret, atque alius centurio fieri, alius manipulũ ducere conabatur. Ille petẽtes omnes in tẽpus opportunũ reiecit. Quod cùm venisset, aciei collocatæ seorsim imperat, vt panicum cieat, quasi hostibus impetum faciẽtibus. Cùm magna esset omnium perturbatio, timidi metu perculsi fugam arripiebant. Fortes verò progrediebantur, vt se hostibus opponerent. Iphicrates ridens confessus est, se panicũ ciere iussisse, vt periculum faceret qui nam possent duces agere. His igitur qui manserant, millenorum ac centenorum præfecturas dedit: iis verò qui fugerant, mandauit vt hos sequerentur. Ibidem.

IDEM, cùm in hostes militum agmen produceret, quosdam trepidos ac timidos, pallidosque sequi conspicatus, progressus aliquãtulum, cùm mox esset ineundum prælium, clamare præconem iussit: Si quis aliquid reliquit, reuertatur, & rectè instructus redeat. Hoc audito, timidiores lętabantur, & continuò reuerti cœperunt. At Iphicrates nulla mora facta: Nunc, inquit, viri sine mancipiis nos cum hostibus pedem conferemus, vt soli etiam fructum fortitudinis & virtutis capiamus. Hac re multo cõfidentiores effecti sunt milites, & sine timidis pugnam facientes victoriam obtinuerunt. Ibidem.

MYRONIDES creatus dux exercitus aduersus Bœotos, edixit, vt Athenienses exirent. Quum autem adesset congrediendi tempus, ducesque monerent, nondum omnes adesse: Adsunt, inquit, qui pugnaturi sunt. Hos itaque quum videret promptos, hostem aggressus, vicit. sic interpretans, eos qui ob ignauiam non studuissent tempestiuè adesse, ne in pugna quidem bonam operam nauaturos. Plut. in Græcorum imp. Apoph.

TOLMIDAS Atheniensibus ei mille virorum delectum decernentibus, singulos iuuenes accedens, dixit, se illos delecturum. Vtile autem esse, singulos inspicere. Ter mille vltrò nomina dederunt: reliqui non dederunt. Tolmidas ex his qui obsidebant, delegit illos mille, & quinquaginta triremes impleuit pro mille quingentis viris. Polyæn. lib. 3.

Rhetores Athenis IPHICRATI, & TIMOTHEO adductum Charetem hominem robustum ostendebant, eúmque imperatorem constituere volebant. Timotheus autem, Non per deos, dixit, sed talis ille sit, qui imperatori gestaturus est stragula: imperator verò tum quæ ante ipsum, tum quæ à tergo sunt, prospiciat. Plut. in libro, An seni sit admin. Resp.

AGESILAVS, cùm parum instructus esset equitatu, Ephesum se recepit: ibi opulentis denunciauit, vt quisquis pro se virum & equum præberet, à militia esset immunis. Hac arte factum est, vt pro ignauis ac timidis diuitibus, breui colligeret & equos & viros strenuos, ac bellicosos. Qua quidem in re dicebat sese Agamemnonis exemplum secutum esse, quòd is accepta equa generosa, virum diuitem, sed ignauum, militia liberasset. Locus autem est apud Homerum Iliados

τὴν Ἀγαμέμνονι δῶκ' Ἀγχισιάδης Ἐχέπωλος
δῶρ', ἵνα μή οἱ ἕποιθ' ὑπὸ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν
ἀλλ' αὐτοῦ τέρποιτο μένων, μέγα γάρ οἱ ἔδωκε
Ζεὺς ἄφενος, ναῖεν δ' ὅγ' ἐν εὐρυχόρῳ Σικυῶνι.

Sociis Lacedæmonios accusantibus, Nos magno numero pugnamus, Lacones exiguo: AGESILAVS mandauit, vt in planitie seorsim considerent Lacones, & seorsim in alio loco socij. Illis sic ad iudicium ferendum sedentibus, præco clamauit, Surgant figuli: surrexerunt à sociorum parte non pauci. Secundò, fabri ferrarij: surrexerunt multi. Tertiò, fabri lignarij, & lapicidæ: surrexerunt plures. & alios quæstuarios & artifices ordine promulgauit, ita vt propemodum omnes socij consurgerent, Lacedæmoniorum nemo. Vetitum enim erat eis, quæstuariam artem exercere. Sic didicerunt socij, plures esse Laconum milites quàm suorum. Polyæn. lib. 2.

EPAMINONDAS, cùm in Leuctris iam agmen instructum adduceret, Thespienses tergiuersãntes sequebantur, nec id latebat Epaminondam: sed ne confunderentur ordines, inter pugnandum proclamare iussit: Quicunque Bœotorum discedere voluerit, ei licitum esto. Thespienses cùm ipsis armis abierunt. Epaminondas iis qui manserant armatis, instructis & alacribus vsus, gloriosam victoriam adeptus est. Ibidem.

AGATHOCLES Carthaginem versus nauigationem instituens, delectum habuit, qui nam vnà nauigare possent: & promulgauit concedẽs, vt qui vitæ suæ consultum vellent, è nauibus cum suppellectile sua egrederentur. Exierunt multi, quos vniuersos, quasi timidos & infidos, morte affecit: eos verò qui manserant, ob fortitudinem ac fidem laudibus euehebat, & in Libyam cum saxaginta nauibus traiecit. Cúmque in terram eos exposuisset, exemplò naues igne subiecto incendit, vt milites se fortius in pugnando gererent, fuga per naues desperata. His vsus stratagematis Agathocles, ipsos Carthaginenses, multasque in Libya ciuitates superauit. Polyæn. lib 5.

TIMOTHEVS præceptum suis dedit, vt quàm celerrimè ad pugnam exirent. Paucis militibus procedentibus, manipularis aiebat, reliquos etiam expectandos esse. Timotheus non expectauit, arbitratus se omnes habere, qui alacriter pugnam subire vellent: eos verò qui tardè exirent, inutiles fore, etiamsi præsto essent. Polyæn. lib. 3.

THEAGENES Atheniensis cum exercitum Megaram duceret, petentibus ordines, respondit ibi se daturum: deinde clàm equites præmisit, eosque hostium specie impetum in socios retorquere iussit. Quo facto, quos tum habebat, tanquam ad hostiũ occursum præpararẽtur, permisit ita ordinari aciem, vt quo quis voluisset loco cõsisteret. Et cùm incertissimus quisque retro se dedisset, strenui autem in fronte prosiluissent, vt quemque inuenerat stantem, ita ad ordines militiæ prouexit. Front. lib. 4. cap. 1.

NELEVS filius Codri, cum regno pulsus, Athenas relinqueret, propterea

pterea quòd oraculum Apollinis Medonti, qui in coloniam ex vrbe migrauerat, imperium destinaret, ad Naxum non voluntate, sed tempestate delatus appulit: soluere verò inde volentem, contrarij venti exorti prohibuerunt. Qui cùm quid factu opus esset ambigeret, vates responderũt oportere expiari & purgari exercitum, eo quòd multi simul nauigarẽt, qui pollutis & contaminatis essent manibus. Itaque simulauit etiam ipse se puerum trucidasse, & purgationis indigere. Sic alios qui sibi conscij essent, etiam persuasit. Quod cùm factum esset, patefactis iam qui se contaminassent, eos reliquit. Illi Naxum inhabitarunt. Neleus autem peruenit in Ioniam: & primùm consedit Mileti eiectis Caribus, Myrmidonibus, Lelegibus, aliisque barbaris, à quibus duodecim Ioniæ ciuitates appellatæ sunt, quarum hæc sunt nomina: Miletus, Ephesus, Erythre, Clazomene, Priena, Lesbus, Teus, Colophõ, Myrus, Phocæa, Samus, & Chius, Alias etiam multas in continente ciuitates incoluit. Ælian. de Varia historia lib. 8.

PYRRHVS, Epirotarum rex, cùm videret delectorem suum grandes & robustos milites præcipuè eligere, dixisse fertur: Tu grandes, ego fortes reddam. Indicare voluit, disciplinam plus valere in bello, quàm militum procera corpora. Front. li. 4. ca. 1.

Apud PERSAS inualuit mos, vt in bellum profecturi in cistam ante regis tribunal singuli singulas sagittas immittant, moxque reuersi quisque repetat suam: vt ex remanentibus, illorum qui prælio cecidissent, numerum internoscerent. Alexan. ab Alexan. lib. 1. ca. 20.

ROMANI in bellum profecturi, singuli in tabulis describebantur, vt illorum qui in prælio cecidissent nomina innotescerent. Primus semper miles fausti ominis ergo, felici nomine legebatur. Idem.

Aliquot aduersis præliis secundo Punico bello exhausta militari iuuentute ROMANA, Senatus authore Tib. Graccho consule censuit, vti publicè serui aduersus propulsandorum hostium impetum emerentur. Eáque de re per Tribunos plebis apud populum lata rogatione, tres creati sunt viri, qui quatuor & viginti millia seruorum comparauerũt: adactosque iureiurando strenuam se fortémque operam daturos, quoad Pœni essent in Italia, datis armis in castra miserunt. Ex Apulia etiam, & à Fidiculis septuaginta atque ducenti ad supplementum equitatus sunt empti. Quanta violentia est casus acerbi? Quæ ciuitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capitecensos habere milites fastidierat, eadem è cellis seruilibus extracta corpora, & à pastoralibus casis collecta mancipia, velut præcipuum firmamentũ exercitui suo adiecit. Cedit ergo interdum generosus spiritus vtilitati, & fortunæ viribus succumbit: vbi nisi tutiora consilia legeris, speciosa sequenti concidendum est. Valer. Max. libro septimo, ca. 6.

POP. Romanus olim impigrè se laborib. & periculis militiæ offerendo, dabat operam, ne Imperatoribus capite censos sacramento rogare esset necesse, quorum nimia inopia suspecta erat, ideoq; his publica arma non committebantur. Sed hanc diutina vsurpatione firmatam consuetudinem C. Marius capite censum legendo militem abrupit: ciuis alioqui magnificus, sed nouitatis suæ conscientia, vetustati non sanè propitius: memorque si militaris ignauia humilitatem spernere perseueraret, se à maligno virtutum interprete velut capite censum Imperatorem cõpellari posse. Itaque fastidiosum delectus genus, in exercitibus Romanis obliterandum dixit, ne talis notæ contagio, ad ipsius quoque gloriæ sugillationem penetraret. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

C. MARIVS, cùm facultatem eligendi exercitus haberet ex duobus, qui sub Rutilio & qui sub Metello, & postea sub seipso meruerant: Rutilianum quamuis minorem cæteris nullam aliam ob causam prætulit, quàm quòd certioris disciplinæ esset. Frontinus lib. 4 cap. 2.

Augustus VESPASIANVS, cùm quendam adolescentem honestè natum, militiæ inhabilem, angustiarum rei familiaris causa deductum ad lõgiorem ordinem rescisset, censu constituto, honesta missione exauctorauit. Frontin. lib. 4. cap. 6.

Veterum ITALORVM mos erat non aspernandus, vt quanquam in bello Barbarorum equites adhiberentur, tamen totius exercitus robur Romano ciue, Italoque homine constaret. In quo duplex erat vtilitas: & quòd sui generis homines armorum dediscere vsum non permittebat, nec summa rerum Barbarorum arbitrio fideique credebatur: & cùm è suis maior pars exercitus constaret, soluendis stipendiis ad alienos pecuniam suam non transferebant. Pariter cùm classem ad bellum ornarent, sorte ciues suos deligebant. Quæ consuetudo cùm ætate nostra exoleuerit, desides atque ignaui deposito armorum vsu omnium Italicarum vrbium ciues facti sunt: nec vlla potens ciuitas est, quæ vel mediocris exercitus vim sustinere diutius possit. Fulgos. lib 2. cap. 1,

ALBERICVS Barbianus, Cunij comes (cùm eius ætate non nisi barbaro milite bella apud Italos gererentur, id quod in fœdam seruitutem Italiam redegerat) primus Itali generis armare homines cœpit, in eum morem qui nunc habetur: Barbarosque omnes Italia expulit. Cùm autẽ amissa militari disciplina, artes quoque quæ ei coniunctæ sunt, in desuetudinem venissent, decoctoque iuxta primorum seculorum morem corio arma conficerentur, vsum restituit ferro ea conficiendi. Itaque equestrem militiam, quæ nunc habetur, non restituisse tantùm, verùm etiam inuenisse, ac verus ipsius parens dici potest. Fulgos. lib. 2. cap. 1.

ÆTAS OPPORTVNA MILITIÆ.

ARISTOTELES in 8. Polit. vult, vt iuuenes in optima Rep. decimoseptimo ætatis anno primùm bellicis exercitiis apud pædotribam assuescere incipiant, mox vera prælia subituri. Quis autem bellandi terminus sit, nõ expressit (neque enim libros illos habemus integros.) In 7 tamen libro 37 anno liberis dare operam præcipit. Qui fortè annus militaris vitæ finis, & politicæ principium censeri potest, nisi quando maiore ingruente vi, etiam ciues ipsi vxores relinquere, & pro patria pugnare coguntur. 37 igitur anno cùm corporis robur consistat, bellicis laboribus non est imminuendum, sed liberorum procreationi impendendum: & qui hactenus patriam foris corporib. suis protexerunt, porrò eandem maturis cõsiliis domi regere debent. Sed coniectura hæc potius est, quàm assertio.

Apud PERSAS iuuentus à vigesimo ad quinquagesimum annum militare cogitur, vltra verò arma tractare vetitum est. Siquidem lex militaris etiam Romanis à quinquagesimo anno militem non tangebat. Apud alios autem inoleuit mos, vt post annum quadragesimum militiæ tyrocinio neminem ascriberent, post quinquagesimum verò militare desinerent. hisque velut perfunctis militia, missio daretur. Alex. ab Alexan. lib. 1. cap. 20.

Apud ROMANOS sedulò cauebatur, ne ætate molles ad militiæ munera destinarentur: quorum primùm militiæ vinculum erat, sacramenti religio: secũdum, singulorum amor, velut inexplicabilis nexus, cum his qui vnà mererent: tertium, deserendi nefas. Quibus ad militiam admissis, primo anno custos, sub quo disciplinam ediscerent, & magister, sub cuius imperio tyrunculi acuerentur, publicè dabatur, ne expertes operum militarium arma tractarent. Itaque post pubertatem & primo flore ætatis, dum per ætatem laborem militarem ferre possent florentes viribus, ex vrbana, sæpius etiam agresti iuuentute, rusticis operibus duratos, militari sacramento ac muneri adigere consueuerant, singulosque militiæ per numerum in iuniorum tabulis adscribere. illosque ex corporis habitudine, an apti forent militiæ iudicare, si lato pectore, si ceruice erecta, si fortes & strenui essent. Haud ferè quẽquam minorem decem & septem annis, maiorem verò quadraginta sex militiæ & tyrocinio ascriptum esse, testantur omnes qui de militari disciplina libros posteris reliquerũt: idque à Seruio Tullio vetere censione cautum fuisse primùm cõstat, quod æuo subsequente à C. Graccho lege sacrata sancitum est. Ibidem.

SENES IN MILITIAM ASCRIPTI.

ALEXANDER Macedoniæ rex inuictissimus, ducturus contra Darium exercitum, veteranos præcipuè, vtpote belli peritissimos, militiæ ascripsit. Alexand. libro primo, capite vigesimo.

PHOCION, vt Athenienses nimis bellicosos à belli furore cohiberet, delectu acerbo lecta iuuentute, etiam octogenarios emeritis stipendiis dare nomina coegit. Idem.

FVRIVS CAMILLVS contra Latinos & Volscos magna mole dimicaturus, seniores, quibus aliquid virium superesset, in sua verba iuratos centuriauit. Idem.

ROMANI bello Hetrusco, & sæpe aliàs seniorum cohortes post emerita stipendia, quinetiam libertinorum ad militiam exciuêre. Idem.

MARIVS quoque, magnæ partis milites seniores, qui multa stipendia meruissent, & capite censos, sacramento asciuit. Ibidem.

OLYMPIODORVS Atheniensis, cùm ciues suos tyrannidis odiũ cepisset, delectu habito, in quo nec senib. nec pueris vacatio fuit, & militum alacritate potius quàm robore fisus, Demetrij regis præsidium ex Piræeo eiecit, & Athenas liberauit. Pausanias lib. 1.

ACIEM AD QVAMVIS HOSTILEM INCVRSIONEM *instruere & conseruare.*

IPHICRATES duces sæpenumero adhortare solitus erat, vt bellaturi milites ita instituerent, vt non tantùm in acie consisterent, sed peritissimè quoque disponerentur ad quosuis hostium insultus. Aciem enim siue ordinationem exercituum humano corpori assimilabat. Pectus phalangem appellabat, manus læuis armaturæ milites, pedes equitatum, caput ducem: reliquorum aliquod si desit, claudum & mancum exercitum esse: sin deficiat dux, totum inutilem discedere. Polyæn. lib. 5.

IDEM in Phœnicia adnauigans cum centum triacontoris, cœnoso littore conspicatus Phœnices ad littus concurrere, præcepit vt cùm signum ostenderetur, gubernatores in puppi anchoras dimitterẽt, & ordine appellerent: milites verò armati singuli remum suum in mare demissum tuerentur. Cùm igitur iam mediocrem profunditatem maris esse suspicaretur, signum egrediendi extendit. Triacontori quidem ordine appellebant, per anchoras: milites ordinatè se protegentes, procedebant. Hostes ordinem ipsorum & audaciam admirati, fugam dabant. Iphicratij persequentes, aliquos interemerunt: aliquos viuos ceperunt: multáque præda circumacta, eáque in naues imposita, castra in terra posuerũt. Ibi.

IDEM circa Phliuntem iter faciebat, Phalange ob locorum difficultatem in longũ protensa. Hostibus ad caudam instantibus, & multos vulnerantibus, multáque rapientibus, ille cum his viris qui in latere ibant conuersus, phalangi mãdauit, vt ocyus procederet. Ex iis verò qui à dextro læuóque latere erant, aggregatis ducibus & præstantissimis, eos ad extremum collocauit. Cùm iam prope caudam esset, impetum faciens in hostes, persequendo fatigatos, & dissipatos in sarcinarum rapinis, multos ex ipsis occidit: multo plures etiam captiuos abduxit. Ibidem.

PHORMIO cum nauibus triginta soluens aduersus hostiũ naues

quinquaginta, suas in quinarios ordines disposuit, & in aciem aduersariarum ipsas rectis ordinibus duxit. Aduersariis verò ob nimiam alacritatem dispersis, ac velocissimis triremibus à longo cæteras relinquentibus, Phormio intellecta distractione ipsarum, conuertens suam Pentanaiam, in appropinquantes sibi triremes impetum facit: atque his submersis, aduersus alias nauigauit. Et cæteris triremium præfectis hæc eadem facientibus, hostes fugam dederunt. Quos Phormio cum suis persecutus, maxima parte nauium submersa, victoriam adeptus est. Ibidem.

TIMOTHEVS cùm Lacedæmoniis belligerans, metuens decem naues Laconicas, quas præmiserat nauarchus ad deducenda nauigia, quæ commeatum vehebant, ne ab Atheniensibus interciperentur, præcepit trierarchis, ne pristinum ordinem quærerent: sed quem in præsenti quilibet locum occupasset, eum teneret, ne dum in suos ordines scaphæ traducerentur, adnauigantes hostes impetum repentè facerent in dissolutas. Deducens autem naues in falcatam figuram, rostra nauium & circumferentiam in hostes direxit. Nauigiis verò & captiuis nauium in cõcauitatem inclusis, secundum puppim nauigauit. Ibidem.

LACEDÆMONII contra Thebanos & Athenienses simul pugnabant. Leuis igitur armaturæ milites & scutati, Lacedæmoniis non erant vsui. Sed totum agmen adducere visum est Agesilao. Chabrias Atheniẽsibus, Gorgidas Thebanis mandant, ne procurrant: sed maneant quieti, & lãceas rectas protendant, scuta verò ad genua affigant. Agesilaus pertimescens stabilem pugnæ figuram, recessit: militare existimans, hostium vires ac robur cauere. Polyæn. lib. 2.

CLEARCHVS Cyro suppetias ferens, agmen Græcorum ab initio quidem tardè duxit, rectis ordinibus perterrẽs Barbaros. Cùm verò intra teli iactum venisset, cursu citato in Barbaros ferri iussit, ne à telis læderentur. Et hac re Græci Persas vicerunt. Ibidem.

ARISTON vna naui tres actuarias commeatum ferentes comitabatur. Ostendebat se triremis hostilis. Cùm prorsus omnia deficerent, conductis in vnum locum actuariis, propter eas nauigabat, vt si hostium triremis in eos qui frumentum vehebant, impetum fecisset, ab his qui nauem obtinebant, innumeris telis premerentur. Sin in ipsas actuarias conarentur impressionem facere, ac vim adhibere, ipse circũcirca nauigãs, ab lateribus hostilem triremem incommodo afficeret, eamque inter suam & onerarias concluderet. Polyæn. lib. 5.

XANTHIPPVS Lacedæmonius in Africa aduersus M. Attilium Regulũ leuem armaturam in prima acie collocauit, in subsidio autẽ robur exercitus: præcepitque auxiliaribus, vt emissis telis cederent hosti: & cùm se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discurrerent, & à cornibus rursus erumperent, exceptúmque iam hostem à robustioribus, & ipsi circumirent. Front. lib. 2. cap. 3.

SERTORIVS idem in Hispania aduersus Pompeium fecit. Frontin. lib. 2. cap. 3.

CLEANDRIDAS Lacedæmonius aduersus Lycaones densam instruxit aciem, vt longè minoris exercitus speciem præberet: securis deinde hostibus, in ipso certamine deduxit ordines, & à lateribus circumuentos eos fugauit. Ibidem.

CASTRONIVS Lacedæmonius, cùm in auxilium Ægyptiis aduersus Persas venisset, & sciret firmiorẽ esse Græcum militem, magisque à Persis timeri, commutatis armis Græcos in prima posuit acie: & cùm illi æquo marte pugnarent, submisit Ægyptiorum manum. Persæ cùm Græcis, quos Ægyptios opinabantur, restitissent, superueniẽte multitudine, quam vt Græcorum expauerant, cesserunt. Ibidem.

PAMMENES Thebanus, conspecta Persarum acie, quæ robustissimas copias in dextro cornu collocatas habebat, simili ratione & ipse suos ordinauit, omnémque equitatum, & fortissimum quemque peditum, in dextro cornu, infirmissimos autem contra fortissimos hostium posuit: præcepitque vt ad primum impetum eorum sibi fuga consulerent, & in syluestria confragosaque loca se reciperent. Ita frustrato robore exercitus, ipse optima parte virium suarum, dextro cornu totam circuiuit aciem hostium, & euertit. Ibidem.

EPAMINONDAS aduersus Lacedæmonios pugnaturus, cùm vtraque acies solùm expectaret confligendi signum, ipse ante aciem magnũ equorum numerum excurrere iussit, ita vt concitato ingenti puluere, hostium conspectus adimeretur. Per id tempus in acie sua ordines immutauit, ita vt cùm postea confligeretur, ipse à tergo in hostes, qui id minimè aduerterant, impetum faceret: quæ res ei victoriam facillimè peperit. Fulg. lib. 7. cap. 3.

PHILIPPVS Macedonum rex aduersus Illyrios gerens bellum, vt animaduertit frontem hostium stipatam electis à toto exercitu viris, latera autem infirmiora, fortissimis suorum in dextro cornu collocatis, sinistrũ latus hostiũ inuasit: turbataque acie tota, victoriam obtinuit. Ibidẽ.

PHILIPPVS in Chæronea cùm sciret Athenienses esse celeres & inexercitatos, Macedones autem frequẽti vsu exercitatos, in longum acie producta, continuò perturbauit Athenienses, & faciles ad capiendum reddidit. Polyæn. lib. 4.

ALEXANDER ad Arbela postremam pugnam cum Dario committebat. Non exiguus Persarum numerus circumibat, & Macedonum iumenta diripiebat. Parmenion hortabatur Alexandrum, vt iumentis opẽ ferret. Qui nequaquam, inquit, phalanx est dissoluẽda, sed cum hostibus ipsis prælium faciendum. Nam si victi fuerimus, non indigebimus amplius iumentis: sin euaserimus victores, non solùm nostra, verumetiam hostium obtinebimus. Ibidem: & Front. lib. 2. cap. 3.

IDEM æstiuo tẽpore exercitum præter fluuiũ, incumbentibus hostibus, duxit. Conspicatus autẽ milites sitire, & in flumẽ oculos intẽdere, ne bibentes ordinem dissoluerent, neque profectionis celeritatẽ impedirent, præconem iussit proclamare: Contineamus nos ab hoc flumine: nã aquam habet mortiferam. Illi metu commoti, abstinebant, & iter accelerabant Alexander perfecto itinere, & castris positis, ipse cũ ducib. apertè de fluuio bibit: ridentes milites, & causam doli animaduertentes, sine metu omnes è fluuio aquam hauserunt. Polyæn. lib. 4.

IDEM (Pittaco, qui nepos erat Pori, insidias iuxta viam tendente, qua angustam conuallem habebat, longitudine satis protensam, latitudine verò ad quatuor stadia contractam, transitúmque difficilem omnino & arctum) duplicem equitatus phalãgem instruxit, & aduersus hostes eduxit: dato præcepto, vt ad frenum, motúmque quilibet antecedentem sequeretur: & si hostes ad dextrũ latus venissent, converterent se secundũ hastam, ac deinceps à freno impressionem facerent: cùm verò dextram profectionẽ obtinuissent, ad extremũ agmen contenderent. His mandatis, ipse directè iter faciebat, ita vt Gnomoni figura non esset dissimilis. Cùm igitur qui sinistrũ latus obtinebant, extremũ à dextera parte agmẽ conspicati, clamore sublato impetũ facerent, similiterque à dextero cornu laxatis frenis viam ad Indos affectarent, illi metuentes ne concluderentur, omnes simul ad angustum exitum contenderunt. Itaque nõnulli Macedonum manibus interfecti, plures verò à sese mutuò conculcati, mortem occubuere. Ibidem.

IDEM in pugna aduersus Porum, partẽ equitatus in dextro cornu separatim constituit, reliquũ in campo reflexo. Phalangem autem & elephantos in cornu sinistro collocauit. Porus multis elephantis oppositis, ipse à parte sinistra in principe fuit elephanto. Reliquos autẽ elephantos ex interuallo quinquagenum pedũ vsque ad cornu dexterũ ordinauit. Spacium verò relictum inter belluas, pedestribus militibus repleuit, ita vt ingentis cuiusdam muri imaginem referrent, elephãti turribus similes, pedites verò parietibus inter turres interiectis. Hic Alexãder mãdans, vt pedestres copiæ eos inuaderent, ipse in equitatum vehementiorem impetum dedit, volens superare hostiũ capita. His animaduersis Porus contrà suis præceptũ dedit. At bestiæ non euadentes multis in locis ordinem interrumpebant. Macedonibus laceras partes aggredientibus, cogebatur se conuertere, & comminus pugnam facere. Interim equites Alexandri circumuenientes à tergo in vnũ Indos cogunt, perfectissimãque victoriam consequuntur. Ibidem.

ARCHELAVS aduersus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hostem falcatas quadrigas locauit, in secunda acie phalangem Macedonicam: in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitiuis Italicæ gentis quorum pernicitati plurimùm fidebat: leuem armaturam in vltimo statuit: in vtroque deinde latere equitatum, cuius amplum numerum habebat, circumeundi hostis causa posuit. Contra hæc Sylla fossas amplæ latitudinis in vtroque latere duxit, & capitibus earum castella communiuit: qua ratione, ne circumiretur ab hoste, & peditũ numero, & maximè equitatu superante, consecutus est. Triplicem deinde peditum aciem ordinauit relictis interuallis, per leuem armaturam, & equitem quem in nouissimo collocauerat, vt cùm res exegisset emitteret: tum prosignanis, qui secunda acie erant, imperauit, vt densos numerosósque palos firmè in terram defigerent: intraque eos, appropinquantibus quadrigis ante signa, nostram aciem recepit, tum demùm sublato vniuersorum clamore velites, & leuem armaturam ingerere tela iussit. Quibus factis, quadrigæ hostiũ aut implicitæ palis aut exterritæ clamore telisque, in suos conuersæ sunt, turbaueruntque Macedonum structuram. Qua cedente, cùm Sylla staret, & Archelaus equitem opposuisset, Romani equites subitò emissi auerterunt eos, consummaueruntque victoriam. Frontinus.

PYRRHVS pro Tarentinis apud Asculum, secundum Homericum versum, quo pessimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotasque, sinistro Brutios atque Lucanos cũ Salẽtinis, in media acie Tarentinos collocauit, equitatũ & elephantos in subsidiis esse iussit. Contrà Coss. aptissimè diuisis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in subsidiis collocarunt: & his immiscuerunt auxilia. Vtrinque 40. milia cõstat fuisse. Pyrrhi dimidia pars exercitus amissa, apud Rom. 5. milia desiderata sunt. Frontinus.

ROMANI cùm Cãpanis equitibus nullo modo pares essent, Q. Næuius centurio in exercitu Fuluij Flacci Procoss. excogitauit, vt delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, & mediocris staturæ erant, parmulis non amplis, & glarieculis gladiisque, ac septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum armare, eosque adiunctos equitibus iuberet vsque ad mœnia prouehi: deinde ibi positis nostris equitibus, incipere inter hostium equitatum præliari. Quò facto, vehemẽter & ipsi Campani afflicti sunt, & maximè equi eorum, quibus turbatis expedita Romanis victoria fuit. Front. lib. 4. cap. 7.

CN. Scipio in Hispania aduersus Hannonem ad oppidum Indibile, cùm animaduertisset Punicam aciem ita directam, vt in dextro cornu Hispani constituerẽtur, robustus quidem miles, sed qui alienum negotiũ ageret, in sinistro autem Afri minus viribus firmi, sed animi constantioris, reducto sinistro latere suorum, dextro cornu, quod validissimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoste conflixit. Deinde fusis fugatisque Afris, Hispanos (qui in recessu spectantium more steterant) facilè in deditionem compulit. Front. lib. 2. cap. 3.

SCIPIO Æmylianus ad Numantiam, omnibus non cohortibus tantum, sed centuriis, sagittarios & funditores interposuit. Frontinus lib. 4. cap. 7.

P. COR. Scipio, cui postea Africano cognomen fuit, aduersus Hasdrubalem ducem Pœnorum in Hispania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatũ produxit exercitũ, vt media acies fortissimis fundaretur. Sed

Sed cùm hostes quoque eadem ratione assiduè ordinati procederent, Scipio eo die quo statuerat decernere, commutauit instructionis ordinem: & firmissimos, id est legionarios in cornibus collocauit, ac leuem armaturam in media acie, sed retractam: ita cornibus, quibus ipse præualebat, infirmissimas hostium partes lunata acie aggressus, facilè fudit. Frontin. lib. 2. cap. 3.

METELLVS in Hispania, eo prælio quo Herculeum deuicit, cùm comperisset cohortes eius, quæ validissimæ vocabantur, in media acie locatas: ipse mediam suorum aciem reduxit, ne ea parte antè cùm hoste confligeret, quàm cornib. confligatis medios vndique circumuenisset. Ibidem.

LIVIVS Salinator & C. L. Nero, cùm Hasdrubal bello Punico secundo decertandi necessitatem euitans, in colle confragoso post vineas aciẽ direxisset, ipsi deductis in latera viribus, vacua fronte ex vtraque parte circumuenerunt eum: atque ita aggressi superauerunt. Ibidem.

C. DVILLIVS, cùm videret graues suas naues mobilitate Punicæ classis eludi, irritámque virtutem militum fieri, excogitauit manus ferreas: quæ vbi hostilem apprehenderant nauem, superiecto ponte, transgrediebatur Romanus, & in ipsorum ratibus cominus eos trucidabat. Ibidem.

PAVLVS aduersus Persem Macedonum regem, cùm is phalangem suorum duplicem, mediam in partem direxisset, eámque leui armatura cinxisset, & equitem in vtroque cornu collocasset, triplicem aciem cuneis instruxit: inter quos subinde velites emisit. Quo genere cùm profligari nihil videret, cedere instituit: vt hac simulatione perduceret hostes in confragosa loca, quæ ex industria captauerat. Cùm sic quoque suspecta calliditate recedentium, sequeretur ordinata phalanx, equites à sinistro cornu præter ora phalangis iussit transcurrere, citatis equis tectos, vt obiectis armis ipso impetu perfringerent hostium spicula. Quo genere telorum exarmati Macedones, soluerunt aciem, & terga verterunt. Ibidem.

C. CÆSAR Gallorum falcatas quadrigas palis defixis excepit. inhibuitque. Idem.

CN. POMPEIVS aduersus C. Cęsarem palustri pręlio Pharsaliæ triplicem instruxit aciem: quarum singulæ denos ordines habuerunt in latitudinem. Legiones secundum virtutem cuiusque firmissimas in cornibus, & in medio collocauit: spacia his interposita tyronibus suppleuit. Dextro latere D C. equites, propter flumen Empeum, quod & alueo suo & alluuie regionem impedierat: reliquum equitatum in sinistro cornu cum auxiliis omnibus collocauit, vt inde Iulianum exercitum circuiret. Aduersus hanc ordinationem Iulius Cæsar, & ipse triplici acie, dispositis in fronte legionibus, sinistrum latus, ne circuiri posset, admouit paludibus. In dextro cornu posuit equitem, cui velocissimos miscuit peditum & ad morem equestris pugnæ exercitatos: sed deinde cohortes in subsidio retinuit, ad res subitas: sed dextro latere conuersas in obliquum, vnde equitatum hostium expectabat, collocauit: nec vlla res ad victoriam plus eo die Cæsari contulit. effusum nanque Pompeij equitatum inopinato subinde lati excursu auerterunt, cædendúmque tradiderunt. Idem.

CN. POMPEIVS in Albania, quia hostes & numero & equitatu præualebant, iuxta collem in angustiis protegere galeas (ne fulgore earum conspicui fierent) iussit: equites deinde in equum procedere, ac velut pretendere peditibus: præcepitque eis vt ad primum impetum hostium refugerent, & simulac ad pedites ventum esset, in latera discederent. Quod vbi displicitum est, patefacto loco subita peditum consurrexit acies, inuectósque temerè hostes inopinato interfusa prælio cecidit. Idem.

M. ANTONIVS aduersus Parthos, qui infinita multitudine sagittarum exercitum eius obruebant, subsidere suos, & testudinem facere iussit: suprà quam transmissis sagittis, sine militum noxa exhaustus est hostis. Idem.

Imp. CÆSAR GERMANICVS, cùm subinde Catti equestre præliũ, in syluas refugiendio ducerent, iussit suos equites, simulatque ad impedimẽta ventum esset, equis desilire, pedestríque pugna confligere. Quo genere consequutus est, ne quis non locus eius victoriam miraretur. Idem.

ARTAXERXES aduersus Græcos, qui Persidem intrauerant, cùm multitudine superaret, latius quam hostes acie instructa, in fronte equitem, leuémque armaturam in cornibus collocauit: atque ita ex industria lentius procedente media acie, copias hostium cinxit, cęciditque. Idem.

Contra HANNIBAL ad Cannas reductis cornibus, productâque media acie, Romanos primo impetu pertrusit. Idem conserto prælio, paulatim inuicem sinuantibus, procedentibus ad præceptum cornibus, auidè insequentem hostem in mediam aciem suam recipit: & ex vtraque parte compressum cęcidit, veterano & diu edocto vsus exercitu. Hoc enim genus ordinationis exequi, nisi peritus & ad omne momentum respondens miles, vix potest. Idem.

HANNIBAL aduersus Scipionem, in Africa, cùm haberet exercitum ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non solùm ex diuersis partibus, sed etiam ex Italicis constabat: post elephantos LXXX. qui in prima frõte positi hostium turbarent aciem, auxiliares Gallos & Ligures & Baleares Maurósque posuit, vt non fugere possent, Pœnis à tergo stantibus: & hostem oppositi si non infestarent, at certè fatigarent. Tum suis & Macedonibus (qui iam fessos Romanos integri exciperent) in summa acie collocatis, nouissimos Italicos eos constituit, quorum & timebat fidem, & segnitiem verebatur: quoniam plerosque eorum ab Italia inuitos extraxerat. Scipio aduersus hanc formam robur legionis triplici acie in frõte ordinatum, per hastatos & principes & triarios opposuit: nec continuas construxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spacium dedit, per quod elephanti ab hostib. acti, facilè transmitti sine perturbatione ordinum possent: ea ipsa interualla expeditis velitib⁹ impleuit, ne interluceret acies: dato eis præcepto, vt ad impetum elephantorum, vel in latera cõcederent. Equitatum deinde in cornua diuisit: & dextro Romanis equitibus Lælium, sinistro Numidis Masinissam præposuit. Quæ tam prudens ordinatio, non dubiæ causa victoriæ fuit. Idem.

HANNIBAL, quum frequentibus præliis à C. L. Marcello superaretur, nouissimè sic castrametabatur, vt aut montibus, aut paludibus, aut simili locorũ aliqua opportunitate adiutus, aciem eo modo collocaret: vt in vincentibus quidem Romanis, penè indemnem recipere posset intra munimenta exercitum, cedentibus autem instandi liberum haberet arbitrium. Ibidem.

CARTHAGINENSES cum rotundis nauibus atque triremibus in Siciliam nauigabant, Dionysius re cognita, infinitas naues eis obuiam duxit. Carthaginenses classem conspicati, turbinatas quidem naues in ambitu quodam & circuitu alteram ab altera satis magno interuallo constituerunt, & in harum medium triremes collegerunt: magnóque virorum numero in onerarias imposito, se ab impetu hostium defenderunt, pérque relicta interualla cum triremibus enauigarunt: & in Dionysij naues incursione facta, partim eas submerserunt, partim armamenta earum planè contriuerunt, & ad nihilum redegerunt. Polyæn. lib. 6.

TEMPVS PVGNÆ, IRRVPTIONI, OPPVGNAtioni opportunum eligere.

Huc referri possunt tit. Securos reddere hostes. Vim hostilem sustinere & frangere mora. Desperationi hostium cedere. Eadem namque exempla diuerso respectu ad diuersos locos possunt referri.

AGESILAVS cum Acarnanis bellum gerebat, & eo tempore exercitum admouebat, cùm semina terræ essent mandanda. Lacones statuerunt hostes à semente arcere. Contrarium suasit Agesilaus, quoniam tũ magis pacem essent expetituri, cùm fruges haberent, quibus metuerẽt. Quòd si pacem non cupient, nobis, inquit, seminauerint. Polyæn. lib. 2.

IPHICRATES, si contra tyrones & inexercitatos aciem instrueret habens exercitatos milites: non continuò pugnam faciebat, sed stando tempus consumens, hostes lassabat, minus ad laborem assuetos, atque tũ demum impetum faciebat. Sin cum præexercitatis conflicturus esset, habens tyrones, statim pugnam inibat, & primum suorum impetum tempestiuè adhibebat. Polyæn. lib. 3.

Quum ANTIGONVS in arduis ac præruptis locis planiciei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus positis circa Naupliam castris postridiè per caduceatorem, vt in campum descendens Martem experiretur, prouocauit. Antigonus verò respondit, suam militiam non magis armorum quam temporum esse: Pyrro, si illum suæ vitæ tædium cepisset, satis multas ad interitum vias patére. Plutarchus in Pyrrhi vita. Eras. Roterod. lib. 4. Apoph.

CN. POMPEIVS fugientem Mithridatem cupiens ad prælium compellere, elegit tẽpus dimicationi nocturnum, vt adeũti se opponeret: atque ita præparatus, subitam hostib. necessitatem decertandi iniecit. Præterea sic constituit aciem, vt Ponticorum quidem oculos aduersa luna perstringeret, suis autem illustrem & conspicuum præberet hostẽ. Fron. lib. 2. cap. 1.

IVGVRTHAM constat memorem virtutis Romanorum, semper inclinato die committere prælia solitum, vt si fugarentur, sui opportunam noctem haberent ad delitescendum. Ibidem.

C. CÆSAR in Gallia, quia compererat Ariouisto Germanorum regi institutum, & quasi legem esse non pugnandi decrescente luna: tum potissimùm acie commissa, impeditos religione hostes vicit. Polyæn. lib. 8. & Front. lib. 2. cap. 1.

CÆSAR Gallicum quoddam castellum oppugnabat: cúmque Barbari longo tempore restitissent, imber procellosus ingruit, ita vt qui custodiendis tuendisque mœnibus præerãt, custodias & propugnacula relinquerent. Cæsar suis mandat, vt se armis accingant, eósque confestim ad muros adduxit: ac defendẽtibus vacuos occupans, facilè superauit, & castellum excidit. Polyæn. lib. 8.

Vespasianus, Iudæos Saturni die (quo eis nefas est quicquam seriæ rei agere) adortus superauit. Front. lib. 2. cap. 1.

LOCVS PVGNÆ OPPORTVNVS.

BACCHVS in India,cùm exercitus æstum aeris tolerare non posset occupauit Tricoryphum Indiæ montem, sic appellatum à tribus cacuminibus,quorum vnum vocatur Corasibis,alterum Condasbe,tertio ipse nomen imposuit Merum.In eo loco monumenta sunt natiuitatis eius,multi & suauissimi & crebri fontes,ferarum abundans copia,fructuũ vbertas,niues frigidissimæ.In his vitã agens exercitus, Barbaros in planicie versantes repentè adoriebatur:& à sublimibus ac præcipitibus locis tela iaciens,nullo negotio in fugam hostes vertebat. Polyæn. libro primo.

GORGIAS equitatum ducẽs,pugnam cum Phœbiade scutatos habẽte parabat.Locus erat angustus admodum.Gorgias simulans fugere scutatos,recessit.Hostibus autem incumbentibus,pertraxit eos in latam & explicatam planiciem.Ibi Gorgias galeam in hasta protendens, signum dedit suis reuertendi.Cùm verò in latiore loco equitatus se conuertisset,impressionem equitum non ferentes scutati,cõuersim ad Thespias fugam dederunt:vnde factum est,vt illi inter fugiendum caderent. Phœbiadas verò confestim arrepta fuga,euasit.Polyæn.lib.2.

Cùm Tomyris Massagetarum regina Cyro Persarum regi optionem dedisset,vt vel ipse tridui itinere in Massagetarum regionem progrederetur:vel se tam longè in Persarum ditionem excurrere sineret, vt de summa rerum vnico prælio decertare possent:cæteris satrapis hortãtib. vt Tomyrin cum exercitu in Perside progressam exciperet:solus CRŒSVS rex Lydorum contrarium suasit, vt scilicet Cyrus in Massagetarum ditionem progrederetur, ne si in Perside victus esset, totum regnum amitteret: si victor esset,facilius regnum Tomyridis subigeret. Quòd nisi Cyrus paruisset Crœsi consilio,non modò vitam amisisset, vt amisit prælio victus, verumetiam regnum omne Massagetis occupandũ dedisset.Herod.lib.1.

MYRODINES Atheniensis,aduersus Thebanos equitatu præualẽtes pugnaturus,in campis suos edocuit, manentibus esse spem aliquam salutis:cedentibus autem perniciosissimum.Qua ratione cõfirmatis militibus,victoriam consecutus est.Front.lib.4.cap 7.

THEMISTOCLES dux Atheniensium, cùm videret vtilissimum Græciæ,aduersus multitudinem Xerxis nauium in angustiis Salaminis decertare, idque persuadere ciuibus non posset,solertia effecit,vt à Barbaris ad vtilitates suas Græci compellerentur.Simulata namque proditione,misit ad Xerxem,qui indicaret,populares suos de fuga cogitare: difficiliorémque rem ei futuram,si singulas ciuitates obsidione aggrederetur.Qua ratione effecit,vt exercitus Barbarorum primùm inquietaretur,dum tota nocte in statione custodiæ est:deinde, vt sui mane integris viribus cum dictis Barbaris vigilia marcentibus confligerent, loco vt voluerat arcto,in quo Xerxes multitudine,qua præstabat,vti non posset.Front.lib.2.cap.2.

PLATÆENSES,vt feliciter à Græcis contra Xerxem in campis Eleusinæ Cereris(vt oraculum præceperat)pugnaretur,neque tamen locus ille ad pugnandum aptus esset,quantum erat agri inter Atticam & vrbem suam,id Eleusinæ Cereri dono dederunt.Sic factum,vt & loci opportunitas,quæ ad bellum maximè facere videbatur,retineretur,& oraculo obediretur.Fulg.lib.4.cap.8.

Cùm hostes AGESILAI exercitum fossa cingerent, id quod facilè poterant ob multitudinem:ac Nectabius,cui suppetias ferebat,censeret erumpendum,& cum hoste conferendas manus, ne quod instituerant perficerent:ille negabat impediẽdos hostes,qui pares hostibus esse studerent,non superiores.Siquidem fossa vtrisque adimebat confligendi copiam.Porrò quum parum abesset quin fossa coiret,per hoc angustum interuallum instruxit quod erat reliquum militum:ac inter partes commissa pugna,vertit illos in fugam,hostiúmque ingentem stragem edidit paucis militib.quos secum habebat,atque ex præda magnam pecuniarum vim misit Spartam.Plut.in Lacon.

TIMOLEON,pro societatis iure Syracusiis auxilium ferens, in collem quendam altissimum & excelsum ascendit.Cùm vidisset quinquaginta millia Carthaginensium explicata,locum verò procellis infestum & ventum hostibus aduersum ferri, congregata concione:Hoc tempore inquit,hostes capi necesse est.Etenim oraculum extare, eos qui in illo loco aciem collocassent,interituros:comprobari autem oraculum tempestate repentina.Græci magnis animis sumptis,pauci complures fuderunt.Polyæn.lib.5.

LACEDÆMONII CCC (duce Leonida) contra innumerabilem multitudinem Persarum Thermopylas occupauerunt,quarum angustiæ nõ amplius quàm parem cominus pugnaturum,poterant admittere: eaque ratione(quantum ad congressus facultatem)æquati numero barbarorum,virtute autem præstantes magnam eorum partem occiderunt: nec superati forent, nisi per proditorem Ephialtem Trachinium circũductus hostis,à tergo eos oppressisset.Front.lib.2. ca.2.& Polyęn.li.1.

XANTHIPPVS Lacedæmonius sola loci commutatione,fortunam Punici belli conuertit.Nam cum desperãtib.iam Carthaginensibus,animaduertisset Afros quidem,qui equitatu & elephantis præstabant, colles sectari:à Romanis autem,quorum robur in peditibus erat, cãpestria teneri,Pœnos in plana deduxit,vbi per elephantos dissipatis ordinibus Romanorum sparsos milites per Numidas persecutus,eorum exercitum fudit,in illam diem terra marique victorem.Idem Front.

CLEOMENES Lacedæmonius aduersus Hippiam Atheniensem,qui equitatu præualebat,planiciem,in qua dimicaturus erat, arborib. prostratis impediuit,& inuiam equiti fecit.Idem.

EPAMINONDAS dux Thebanorum, aduersus Lacedæmonios directurus aciem,pro fronte eius decurrere equitibus iussis, cùm ingentem puluerem oculis hostium obiecisset, expectationémque equestrium certaminis prætendisset,circunducto pedite ab ea parte, ex qua decursus in aduersam hostium aciem ferebat,inopinantium terga adortus, cecidit.Ibidem.

PHILIPPVS, in Chæronea commisso cum Atheniensibus prælio cedens, quasi ad fugam inclinabat. Dux Atheniensium Stratocles exclamans: Non prius ab vrgendis hostibus desistendum est, donec eos in Macedoniam concludamus:nihil à persequendo remisit. Philippus inquiens,Nesciunt Athenienses vincere:contractam habens phalangem, pedetẽtim recessit.& armis custoditus atque munitus,cũ paucis quibusdam,cùm excelsiora loca occupasset,militibus confirmatis reuertitur,& summa vi in Athenienses impetum facit, atque collatis signis egregiè superat.Polyæn.lib.4.

DEMETRIVS, aduersus Lacedæmonios castrametabatur. Vtrosque in medio interpositus mons Arcadius Lycęus à se mutuò separabat. Macedones non vacabant metu,quòd eius montis peritiam non haberent. Cùm Boreas secundo flatu in hostes ferretur, Demetrius subiectis ignibus,portam incendebat.Flamma cum impetu & fumo in Lacedæmonios irruens,omnes auertebat.At Demetrij milites instantes,furore ac ferro Lacedæmonios superabant.Ibidem.

ANTIGONVS, in pugna latus accliue montis obsidens, cùm videret Eumenis aciem per campum explicatam, nequaquam satis firmam, summittens postremò agmini turmas aliquot equitum, magnam partẽ impedimentorum eius diripuit.Poly.lib.4.

CLEANDRIDAS Thuriorum dux,superatis prælio Leucanis, post victoriam Thurios ad pugnæ locum duxit: ostendens eos, quoniam in eodem loco perstiterint,idcirco victoria potitos esse.Hostibus verò se mutuo prostratis,ob eam causam hoc accidisse, quòd non in suis locis permansissent,sed distracti fuissent.Hæc illo commemorante, apparuerunt Leucani,longè maiorem exercitum habentes.Qui à planicie in arctum & angustum suas copias deduxit, vt multitudinem hostium inutilem reddẽs,pares & æquales milites in angustia loci ad periculum subeundum efficeret.Atque iterum à Leucanis victoriam Thurij pepererunt.Polyæn.lib.2.

M.CVRIVS,qui phalangi regis Pyrrhi explicitæ resisti non posse animaduertebat, dedit operam vt in angustiis confligeret: vbi conferta sibiipsi esset impedimento.Front. lib.2. cap.2.

CN.POMPEIVS in Cappadocia elegit locum castris editum: vnde adiuuante procliui impetu militum,facilè ipso discursu Mithridatem superauit.Idem.

C.CÆSAR,aduersus Pharnacem Mithridatis filium dimicaturus,in colle instruxit aciem:quæ res expeditam ei fecit victoriã.Nam pila ex edito in subeuntes barbaros emissa,protinus eos auerterunt.Idem.

LVCVLLVS aduersus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore,apud Tigranocertam dimicaturus,collis proximi planum verticem raptim cum copiarum parte adeptus, in subiectos hostes decurrit,& equitatum eorum à latere inuasit, auersúmque, & eorundem partem perturbantem insequutus,clarissimam victoriam retulit.Idem.

VENTIDIVS aduersus Parthos non antè militem eduxit,quàm illi quingentis non amplius passibus abessent:atque ita procursione subita adeò se admouit,vt sagittas,quibus ex longinquo vsus est, comminus applicitus eluderet.Quo consilio(quia quandam fiduciæ etiam speciem ostentauerat)celeriter barbaros debellauit. Ibidem.

FL.FIMBRIA,in Asia apud Hildiacum aduersus filium Mithridatis pugnaturus,brachiis à latere ductis,deinde fossa in frõte percussa,quietum in vallo militem tenuit,donec hostilis equitatus intraret angustias munimentorum,tunc eruptione facta,sex millia eorum cecidit. Front. lib.3.cap.17.

MARIVS,aduersus Cimbros ac Teutones constituta die pugnaturus,firmatum cibo militem ante castra collocauit:vt per aliquantũ spacij,quo aduersarij dirimebantur,exercitus hostium potius labore itineris profligaretur:Fatigationi eorum deinde incommodum aliud obiecit,ita ordinata suorum acie,vt aduerso sole,& vento & puluere barbarorum occuparetur exercitus.Sciebat enim eos glaciem ac niues perferre posse,æstum & solem non item.Agebatur mensis Augustus. Ceciderunt itaque Barbarorum centum & viginti millia, viuique capti ad sexaginta millia.Polyæn.lib.8.& Front.lib.2.cap.2.

CÆSAR cum Heluetiis bellum gerebat.Hi in Gallorum & Romanorum fines egrediebantur, circiter octoginta millia,quorum viginti millia arma ferre poterant.Cæsar vnum diem semper cedebat. Barbari maiori fiducia ob eam rem sumpta persequebantur.Cùm autem Rhodanum fluuium transmittere vellent,Cæsar non multo antè castrametatus est.

Cùm Barbari asperum fluuium magno cum labore transissent nondũ omnes,sed triginta millibus postridie traiicere vellent: qui transierant, in ripis defessi quietem captabant.Cæsar noctu eos adortus,omnes interfecit,reuertendi per flumen potestate intercisa.Poliæn.lib.8.

HANNIBAL,apud Numistronem contra Marcellũ pugnaturus,cauas & pręruptas vias obiecit à latere,ipsáque loci natura pro munimentis vsus,clarissimum ducem vicit.Front.lib.2.cap.2.

IDEM apud Cannas,cùm comperisset Vulturnum amnem vltra reliquorum naturam fluminum ingentes auras mane perflare, quæ arenarum & pulueris vertices agerẽt, sic direxit aciem,vt tota vis à tergo suis, Romanis in ora & oculos incideret.Quibus incommodis mirè hosti aduersantibus,illam memorabilem adeptus est victoriam.Idem.

IBERI in Africa,ingenti hostium multitudine excepti, timentésque ne circumuenirentur,applicuerunt se flumini,quod altis in ea regione ripis profluebat. Qui ita à tergo amne defensi, & subinde cùm perstarent, incursando in proximos omnem hostium exercitum strauerunt. Ibidem.

PIPINVS Caroli Magni filius,quum Italicis rebus omnibus præesset,imperante etiam patre,cui ita persuasum erat, Venetis bellum indixit.Comparato igitur ingenti exercitu,quum Heracliam,Equiliúmque, & Mathemaucum in littore posita oppida armis oppressisset,mox in Veneta stagna, insulásque conuersus animo, classe ratibúsque ingenti arte comparatis,de Veneto nomine penitùs abolendo cogitabat. VENETI, tametsi non poterant non statim ab initio Francicis terreri armis: ad disciplinam tamen veterem maritimarum rerum cõuersi, se suósque liberos, libertatem, patriámque præcipua charitate defendendam esse arbitrantes:obuiam illi aduentanti,in stagnáque properanti,sua classe, suísq; nauigiis occurrẽre. Cõmisso igitur acri primùm certamine cum Gallis, mox conuerso maris æstu in pontem,quem Pipinus parauerat,adiuuante Venetos aquarum fluxu secũdo,irruptione facta, pons solutus est,cæsique ad vnum ferè omnes,aut aquis mersi sunt. Qua ex re Venetus victor in memoriam tantæ rei Canali orphano nomen fecẽre, Gallis omni ex parte oppressis,libertatéque feliciter in hunc vsque diem,inoffenséque seruata.Egnat.lib.2.cap.2.

LOCVS IRRVPTIONIS. SIVE, EX DIVERSA PARTE *quàm expectet hostis,irrumpere.*

CALLICRATIDES, cùm Magnesiæ oppugnarentur,hostibus arietes admouentibus,ipse in eo loco,vbi mœnia oppugnari non poterant, distrahens partem ex turri,obseruans tempus oppugnantium successionis,circumiuit mœnia:& à tergo irruens,multos ex ipsis interfecit.Non paucos etiam viuos cepit.Post victoriam autem, mœnia rursus exædificauit.Polyæn.lib.2.

DEMETRIVS, noctu Corinthum proditam ingrediebatur, proditoribus portas ad Coryphen patefacientibus.Metuens autẽ, ne,qui erant in vrbe,ex insidiis irruptionem facerẽt,abstraxit eos, multásque copias portis ad Lechmium adduxit. Quę cum ingẽtem clamorẽ tollerẽt,Corinthij ad vociferationẽ vniuersi concurrebant.Interim proditores apertis portis ad Coryphen, hostes receperunt. Ita Demetrius Corinthum cepit,Corinthiis portas Lochæam spectantes custodientibus.Polyæn.lib.4.

PHILIPPVS, in obsidione cuiusdam maritimæ vrbis, binas naues procul à conspectu contabulauit,superstruxitque eis turres. Aliis deinde turrib. adortus à terra,domib.propugnatores distrinxit,turritas naues à mari applicuit, & quà non resistebatur subiit muros. Front.lib.3. cap.9.

ALEXANDER Thebas cępit,maxima copiarum occultata parte,quibus Antipatrum ducem præfecit. Manifestam autem ipsis duxit ad loca munitiora.Thebani contra eam exibant, & aduersus eum exercitum, qui in conspectu erat,non instrenuè pugnabant.Antipater in medio pręlio partem abstrusam educens, & circumueniens mœnia, qua maximè erant infirma,& custodum expertia,ciuitatem occupauit,signúmque sustulit.Alexander conspicatus exclamauit,iam se Thebas obtinere. Thebani fortiter pugnam facientes,cùm aspicerent conuersi vrbem captam, in fugam sese coniecerunt.Polyæn.lib.4.

PERICLES Pelopõnesiorum castellum oppugnaturus, in quod duo omnino erant accessus:alterum fossa interclusit, alterum munire instituit.Castellani securiores ab altera parte facti, eam solam quam muniri videbant,custodire cœperunt.Pericles præparatis pontibus, iniectísque super fossam,qua non cauebatur,subiit castellum.Front.libro tertio, capite nono.

IDEM Atheniensium dux,cùm oppugnaret quandam ciuitatem,magno consensu defendentium tutam, nocte ab ea parte murorum quæ mari adiacebat,classicum cani,clamorémque attolli iussit.Hostes penetrari illac in oppidum rati,reliquerunt portas,per quas Pericles destitutas præsidio irrupit.Idem.

ALCIBIADES dux Atheniensium,Cyzicum oppugnandi causa nocte improuisus accessit, & ex diuersa parte mœnium cornicines canere iussit.Sufficere propugnationi murorum poterant ad id latus, à quo solo se tentari putabant.Verum cùm fluerent qua non obsidebantur, muros transcendit.Idem.

THRASYBVLVS dux Milesiorum, vt portum Sicyoniorum occuparet, à terra subinde oppidanos tentauit:& illò quò lacessebantur conuersis hostibus,classe inexpectata portum cæpit.Idem.

ANTHIOCHVS aduersus Ephesios,Rhodiis,quos in auxilio habebat,præcepit,vt nocte portum cum magno strepitu inuaderent: ad quã partem omni multitudine cum tumultu decurrente, nudatis defensore reliquis partibus,ipse aggressus ex aduerso,ciuitatem cœpit.

FABIVS Maximus, Cunctatoris filius,apud Arpos præsidio Hannibalis occupatos,considerato situ vrbis,sexcentos milites obscura nocte misit,qui per munitam eóque minus frequentem oppidi partem scalis euecti in murum,portas reuellerent. Hi adiuti decidentium aquarum sono qui operis strepitum obscurabat,iussa peragunt.Ipse dato signo ab alia parte aggressus,cepit Arpos.Idem.

SCIPIO, apud Carthaginem sub discessum æstus maritimi secutus Deum(vt dicebat)ducem,ad muros vrbis accessit:& cedente stagno, quà non expectabatur,irrupit.Idem.

L.CORNELIVS Cos.complura Sardiniæ cepit oppida, dum fortissimas partes copiarum noctu exponit,quibus pręcipiebat vt delitescerẽt, operirentúrque tempus,quo ipse appelleret.Occurrentibus deinde aduentanti hostibus,& ab ipso per simulationem fugæ longiùs ad persequendum auocatis,illi in relictas ab eis vrbes impetum facerent. Idem.

MARIVS bello Iugurthino apud flumen Mulucham,cùm oppugnaret castellum,in monte saxeo situm, quod vna & angusta semita adibatur, cætera parte velut cum saltu præcipiti : nunciato sibi per Ligurẽ quendam ex auxiliis gregalem militem,qui fortè aquatum progressus,per saxa montis cochleas legens,ad summum peruenerat,eripi posse castellũ: paucos centuriones, quibus perfectissimos cum velocissimis militibus æneatores immiscuerat, misit, capite pedibúsque nudis, vt prospectus visúsque per saxa facilior foret,scutis armísque à tergo aptatis. Hi Ligure duce & telis & clauis,quibus in ascensu nitebãtur,adiuti, cùm ad posteriora,& ob id vacua defensoribus castelli peruenissent, concinere & tumultuari,vt præceptum erat,cœperunt.Ad quod constitutum, Marius constantius adhortatus suos,acrius instare castellanis cœpit. Quos ab imbelli multitudine suorum reuocatos,tanquam capti à tergo essent,insecutus,castellum cepit.Ibidem.

MARCELLVS Syracusas oppugnans,cùm ab Archimedis machinis vinceretur,aggredi mœnia non amplius audebat. Ad tempus autem oppugnationem omisit,& longè pòst Damippum Spartiatam, Syracusis enauigantem cæpit:ab eoque cognouit,turrim quandam in muris esse, in qua negligenter custodiæ administrarentur:eam multos homines capere posse,murumque in ea parte non difficilem ascensum habere.Qua re cognita,scalas ad altitudinem eius congruentes fabricauit.Polyæn.lib.8.

AMILCAR in Libya vrbem capere nitebatur,ad quem duæ viæ difficiles & arduæ ferebant.Eas Libyes impositis præsidiis custodiebant.Amilcar transfugam ad eos misit,qui diceret hostes alteram viam esse munituros aggere,vt esset ad ingrediendum idonea:alteram obsepturos, ne ab hostibus per eam venientibus includerentur. Hæc fieri hostes cõspicati,& fidelem transfugam existimantes,ad eam viam quæ muniebatur, concursum fecerunt,vt hostium conatum & opus impedirent.At ille noctu,præparatis ad eam rem lignis, auersam viam ponte constrauit : per eumque copiis adductis,dum hostes alteram summa cura tuerentur, vrbem cæpit.Polyænus lib.5.

CÆSAR Gergobiam oppugnabat,vrbem & mœnibus admodum firmam,& natura munitissimam.Sita enim vrbs erat in colle munitissimo, verticem æqualem habente.Ad sinistrum latus syluæ humiles atq; densæ collem attingebant:ad dextram præceps erat,angustumque aditum habebat,quem Gergobienses cum magna manu obsidebant. Cæsar promptissimos & tolerantissimos ex suis militibus armauit, eosque in syluis occuluit:mandans,vt breuia iacula,conuenientesq; gladios assumerent, ne per humiles syluas adhærescerent:ipsique non erecto corpore graderentur,& demissis poplitibus sine tumultu peruaderent.Qui prima luce per nemus repentes,in collem à læua parte ascẽderunt. Cæsar reliquas copias à dextro latere adducebat,& exercitum in ipsos barbaros immittebat.Illi propulsare palàm aggredientes conabantur. Interim occulti è syluis ascendentes,colle potiti sunt.Polyæn.lib.8.

MVSICA BELLICA.

Consule titulum, Musices vsus in bellis. Item infra tit. de Terrendo hoste.

CONSILIA SVA OCCVLTARE,

Huc pertinet quoque TESSERA *bellica.*

THEMISTOCLES Athenarum dux, exhortans suos ad suscitandos festinanter muros, quos iussu Lacedæmoniorum deiecerant: legatis Lacedæmone missis, qui interpellerent, respondit, venturum se ad diluendam hanc existimationem: & peruenit Lacedæmonã, Ibi simulato morbo, aliquantum temporis extraxit. At postquam intellexit suspectam esse tergiuersationem suam, contendit fallùm ad eos allatum esse rumorem: & rogauit vt mitterent aliquos ex principibus, quibus crederent de munitione Athenarum. Suis deinde clàm scripsit, vt eos qui venissent retinerẽt, donec perfectis operibus, cõfiteretur Lacedæmoniis, munitas esse Athenas: nec aliter principes eorum redire posse, quàm ipse remissus foret. Quod facilè præstiterunt Lacedæmonij, ne vnius interitum multorum morte pensarent. *Front. libr. 1. cap. 1.* & Polyæn. libr. 1. & Fulg. lib. 7. cap. 3.

AGESILAVS Sardes aduentans, misit qui rumorem spargerent, eum ad decipiendum Tiſaphernem aperte quidem, & manifestò ad Lydiam contendere, clàm verò & occultè ad Cariam verti. Nunciata sunt hæc Tiſapherni. Persa operam dedit, vt Cariæ præsidium imponeret. Lacon verò Lydiam incursionibus infestauit, & copiosam prædam diripuit Polyæn. lib. 2.

TEMENVS, cùm cæteris Heraclidis Rheium capere volens, misit Locros transfugas, qui Peloponnesiis nunciarent, illos in Naupacto clã naues habere, & præ se ferre quidem nauigationem ad Rheium, verùm expeditionem eos in Isthmum suscepisse. Credentes id Peloponnesij, ad Isthmum copias traduxerunt. Temenus nullo negotio cum suis Rheiũ occupauit. Polyæn. lib. 1.

PAMMENES, contrario modo tubarum lege vsus, hostes decepit, mandans suis militibus, vt cùm receptui caneretur, impressionem facerent, cum verò ad pugnam vocarentur, discederent. His vtrisque magnã cladem hostibus intulit. Polyæn. lib. 5.

IASON, cùm in animo haberet, vrbem quandam Thessalicam aggredi, iussit prorsus ignaros oppugnationis ad habendum delectum accipiendúmque salarium armatos conuenire. Qui cùm omnes essent armati corporibus, armisque valentes, sedentibus nunciũ citato cursu superuenirent, & hostes in agros impressionem fecisse nunciant: tantóque spacio abesse, quanto distaret ciuitas, quam oppugnare instituerat. Milites ad pugnam parati, rogare, ne moram rebus iniiciat, sed quàm primũ se aduersus hostes ducat. Iason ad vrbem copiis adductis, & irruptione facta, præter omnium expectationem ea potitus est, nemine præsidente, neque ex victoribus neque ex victis. Polyæn. lib. 6.

TELESINICVS, cùm iisdem signis hostes prandium sumerent, & reliqua similiter facerent, mandauit iis qui optimè nauigantes triremes habebant, vt ipsi ante lucem sumpto cibo egressi quiescerent. Cùm tempus instaret prandij, consueto more signum dedit. Qui igitur in reliquis erant nauigiis, prandium faciebant. Reliqui Syracusij progressi, consessis nauibus in hostes impetum dant, multáque triremes eorum perdiderunt, dum ipsi in capiendo cibo occuparentur. Polyæn. lib. 5.

DARIVS Magos nocturno tempore adorturus, cùm septem Persis, vt in tenebris se inuicem posset agnoscere, consilium dedit, vt vinculum tiaræ, quod à posteriore capitis parte tiaram connectit, in frontem reducerent, vt pro signo esset tiarę nodus, frontem attrectantibus. Polyæn. libro 7.

POMPISCVS, hostibus ex propinquo signa & promulgationes ipsius obseruãtibus, in occulto præcepit militibus, vt manifestò data præcepta & promulgationes, *semper in contrarium* verterent. Ibidem.

IDEM exploratum misit viros sibi inuicem ignotos, ne conspirationem facerent, & res falsas referrent: iisque interdixit, ne cum aliquo in castris sermones miscerent, ne qui eis inuidentes, hostibus futurum illorum aduentum significarent. Ibidem.

DEMETRIVS, cùm in Europam nauigationem institueret, vt scirent quo in loco egressurus esset, gubernatorum singulis librum tradidit obsignatum, mandans eis: Si simul nauigauerimus, integra relinquite sigilla: sin fuerimus distracti, libellis apertis, quem locum notatum inueneritis, in eum nauigationem dirigite. Polyæn. lib. 4.

DIONYSIVS per mare ciuitatem aggressurus, vt fidem trierarchorum perspiceret, neque quisquam sciret quò nauigaturus esset, libellum nullis literis scriptum, obsignatum tamen, cuilibet trierarcho dedit. mãdans, vt postquam deductis nauibus signum tolleretur, libellos soluerent: iisque lectis, eò cursum tenerent, quò scripta iuberent. Qui cùm soluissent, ille priusquam signum datum esset, expeditam nauem consẽdit: & circumnauigans, à singulis trierarchis libellum repetiit. Quos quidem deprehenderet resignasse sigillum, quasi proditores ad mortis supplicium trahi iussit. Reliquis alios libellos dedit, in quibus reuera scriptum erat, quam ad ciuitatem nauigaturus esset. Eáque res ad hunc modum arcana habita, effecit, vt Amphipolim nihil tale sperantem, & præsidiis destitutam caperet. Polyæn. lib. 5.

AGYRS Lacedæmonijs Tegeam per proditionem noctu occupantibus, suis militibus signum dedit, vt interficerent eos qui tesseram requirerent. Arcades igitur non rogabant: Spartiatæ verò tanquã noctu suos non agnoscentes, & idcirco quærentes signum, ab Arcadibus interfecti sunt. Polyæn. lib. 1.

ARABES, cùm esset consuetudo eorum, vt aduentum hostium interdiu fumo, nocte igne significarent, vt sine intermissione ea fierent, præceperunt: aduentantibus autem aduersariis intermitterent. Sic hostes, cùm cessantibus luminibus existimarent ignorari aduentum suum, auidius ingressi oppressique sunt. Front. lib. 2. cap. 5.

TARQVINIVS Superbus pater, principes Gabiorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commissum, nihil nuncio respondit, qui ad eum à filio erat missus: tantum virga eminentia papauerum capita (cùm fortè in horto ambularet) decussit. Nuncius sine responsione reuersus, renunciauit adolescenti Tarquinio, quid agentem patrem vidisset. Ille intellexit, idem esse eminentibus faciendum. Front. lib. 1. cap. 1.

Q. METELLVS Pius, cùm proconsul bellum in Hispania aduersus Celtiberos gereret, vrbémque Contrebiam caput eius gentis viribus expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consiliis agitatis, viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias regiones petebat: modò hos obsidebat montes, paulo pòst ad illos transgrediebatur, cùm interim tam suis omnibus quàm ipsis hostibus ignota erat causa inopinatæ eius ac subitæ fluctuationis. Interrogatus quoque à quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum & incertum militię genus sequeretur? Absitę (inquit) istud quærere. nam si huius consilij mei interiorem tunicam conscium esse sensero continuò eam cremari iubebo. Quorsum igitur ea dissimulatio erupit? aut quem finem habuit? Postquam verò & exercitum suum ignorantia, & totam Celtiberiam errore implicauit, cùm alió cursum direxisset, subitò ad Cõtrebiam reflexit, eámque inopinatam & attonitam oppressit. Ergo nisi mentem suam dolos scrutari coegisset ad vltimam ei senectutem apud mœnia Contrebiæ armato sedẽdum fuisset. Val. Max. lib. 7. cap. 4. & Front. lib. 1. cap. 1.

CL. NERO, cùm cuperet Hasdrubalem, copiásque antequam Hannibali fratri iungerentur, excidii: dicrécque festinaret, se Liuio Salinatori collegæ suo, cui bellum mandatum fuerat (parum fidens viribus quæ sub ipso erant) adiungere: neque tamen discessum suum ab Hannibale, cui oppositus erat, sentiri vellet: decem millia sortissimorum militum delegit, præcepitque legatis quos relinquebat, vt eædem stationes & vigiliæ æquè agerentur, totidem ignes arderent, eadémque facies castrorum seruaretur, ne quid Hannibal suspicatus, auderet aduersus paucitatem relictorum. Cùm deinde in Vmbria, occultacis itineribus, collegæ se iunxisset, vetuit castra ampliari, ne quod signum aduentus sui daret Pœno detrectaturo pugnam, si consulum iunctas vires intellexisset. Igitur insciũm duplicatis aggressus copiis superauit: & velocius omni nuncio, rediit ad Hannibalem. Ita ex duobus callidissimis ducibus Pœnorũ, eodem consilio alterum celauit, alterum oppressit. Front. lib. 1. cap. 1.

L. FVRIVS, exercitu producto in locum iniquum, cùm constituisset occultare sollicitudinem suam, ne reliqui trepidarent, paulatim se inflectens, tanquam circuitu maiore hostem aggressurus, conuerso agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum, incolumem reduxit. Idem.

M. Licinius Crassus, percontanti quo tempore castra moturus esset, respondit: Vereris ne tubã non exaudias? Idem.

M. PORTIVS Cato, deuictas à se Hispaniæ ciuitates, existimabat in tempore rebellaturas fiducia murorum. Scripsit itaque singulis, vt diruerent munimenta: minatus bellum, nisi confestim obtemperassent: epistolásque vniuersis ciuitatibus eodem die reddi iussit. vnaquæque vbium, sibi soli credidit imperatum. Contumaces conspiratio potuit facere, si omnibus idem denunciari notum fuisset. Front. libr. 1. cap. 1. & Polyæn. lib. 8. & Plin. de Viris illustribus.

C. LÆLIVS, ad Syphacem profectus legatus, quosdam ex tribunis & centurionibus, per speciem seruitutis ac ministerij, exploratores secum duxit: ex quibus L. Statorium, quia sæpius in eisdem castris fuerat, quidi ex hostibus videbantur agnoscere. Occultandæ ergo conditionis eius causa, baculo vt seruum castigauit. Front. lib. 1. cap. 1.

VENTIDIVS Parthico bello aduersus Pacorum regem, *non ignarus* Pharneum quendam natione Cyrrestem, ex his qui socij videbantur, omnia quæ apud ipsos agebantur, nunciare Parthis: perfidiam barbari ad vtilitates suas conuertit. Nam quæ maximè fieri cupiebat, ea vereri se ne acciderent: quæ timebat, ea vt euenirent, optare se simulabat. Sollicitus itaque, ne Parthi antè transirent Euphratem, quam sibi superuenirent legiones, quas in Cappadocia trans Taurum habebat: studiosè eã proditor egit, vti solenni perfidia Parthis suaderet, per Zeuma traiicerent exercitum: quã & breuissimum iter est, & omisso alueo Euphrates decurrit. Namque si illac venirent, asseuerabat se opportunitate colliũ vsurum, ad eludendos sagittarios. Omnia autem vereri, si se in patentes campos proiecissent. Inducti hac affirmatione Barbari, inferiore itinere per circuitum adduxerunt exercitum: dúmque fusiores ripas, & ob hoc operosiores pontes iungunt, instrumentáque moliuntur, quadraginta amplius dies impenderunt: quo spacio Ventidius ad contrahendas vsus est copias, eíque triduo antè quàm Parthus aduenirer receptis, acie cõmissa, vicit Parthos, & interfecit. Idem.

C. CÆSAR, qui suspectam habebat Ægyptiorum fidem per speciem securitatis, inspectione vrbis, atque operum, ac simul licentioribus conuiuiis deditus, videri voluit captum sese gratia locorum, & ad mores Alexandrinos vitámque deficere: atque inter eam dissimulationem præparatis subsidiis, occupauit Ægyptum. Idem.

Imperator Cæs. DOMITIANVS Aug. Germanicus, cùm Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret maiore bellum molitione inituros, si aduentum tanti ducis præsensissent, profectionem suã sensit obtexit Galliarum. Idem.

MITHRIDATES, circumuallante Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius consilij obscurandi causa, latius, & vsque ad applicitas hosti valles, pabulatus est. Colloquia quoque cum pluribus, auertendæ suspicionis causa, in posterum constituit. Ignes etiam frequentiores per tota castra fieri iussit. Secunda deinde vigilia præter ipsa castra hostium,

hostium agmen eduxit. Idem.

HAMILCAR dux Pœnorũ, vt in Sicilia inopinatus appelleret classem, non pronunciauit quò proficisceretur: sed tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, vniuersis gubernatoribus dedit signatas: præcepitque, ne quis legeret, nisi vi tempestatis à cursu prætoriæ nauis abductus esset. Idem.

LITERAS ET NVNCIOS OCCVLTE MITTERE VEL *recipere. Consilia sua sociis occultè indicare.*

CONON in vrbe Mitylenensium concluſus, & obsessus à Lacedæmoniis, cùm Athenienſibus oppugnationem indicare summè cuperet, neque posset clàm mittere, qui appellerent: contractis duabus celocibus, præstantissimos ex supplementis remiges imposuit, omnibus rebus necessariis comparatis, cõsque iussit in nauigiis ocium agere. Procedente vespera, *conspicatus* per terram dispersos custodes, cùm alij corpora curarent, alij ignem incenderent, alij pyram extruerent: tum verò dimisit nauigia, mandans, vt cursum sibi mutuò contrarium tenerent, vt etiamsi alterum caperetur, alterum saltem euadere posset: vtrunque verò seruaretur, hostibus per ocium & ignauiam persequi cunctãtibus. Polyæn. libro primo.

Demaratus literas mittens Spartiatis de exercitu Xerxis, in tabulam expertem ceræ scriptam epistolam cera obduxit, vt per custodes quasi sine literis ferretur. Polyæn. lib 2.

HIPPODAMAS ab Arcadibus Praſiis oppugnabatur. Cùm fame premeretur, Spartiatæ præconem miserunt, qui in vrbem introiret. Arcadibus non permittentibus, Hippodamas à mœnibus præconi respondit: Ephoris nuncia, fœminam prohibere, in æde Chalcioeci ligatam. Arcades non intellexerunt, At Lacones animaduerterunt, quòd famem prohibere diceret. Erat enim in æde Chalcioeci suspẽſa Famis imago, fœmina picta ac pallens, tenuibus manibus in tergum reuinctis. Itaque hostibus obscurum, ciuibus verò manifestum fuit Hippodamantis dictum. Ibidem.

MILESII cùm Naxiis bellum gerebant. Erythræi Milesiis auxilium ferebant. Diognetus Erythræorum dux magnam prædam Naxiorum ceperat, mulieres etiam & virgines plurimas, in quibus erat Polycrete. Eam cùm vehementer amaret, non vt cum captiua, sed velut cum vxore consuetudinem habebat. Agebatur in castris Milesiorum patrium & solenne festũ: omnésque vino & lætitia prostrati iacebant. POLYCRETE rogabat Diognetum, vt sibi liceret bellariorum aliquot portiones ad fratres transmittere. Quo permittente, plumbeum libellum in placentã coniecit: mandans ei qui ferebat, diceret fratribus, vt ipsi soli comederẽt ex ore sororis profectas. Illi repertum plumbum aperientes, legunt, vt per noctem adoriantur hostes, ob festum inebriatos, ac sine cura dormientes. Quo cognito, duces noctu eruptionem in castra fecerunt, hostésque superarunt. Diognetum autem Polycrete à ciuibus petiuit. Poly. libro octauo.

HISTÆVS Milesius, in Persia agens apud Darium regem, Ioniam ad defectionem sollicitare volens, neque audens literas mittere, propter custodes viarum, seruo fideli, capillis abrasis, stigmata capiti inscripsit: Histiæus Aristagorę, Ioniam ad deficiẽdum sollicita. Atque supra stigmata crines nutriuit. Hoc modo fallens custodes Stigmatophorus, descendit in mare: & abrasis capillis, Aristagoræ stigmata monstrauit: qui cùm legisset, effecit vt Ionia desciſceret. Polyæn. libro primo, & Herodot. libro quinto.

THRASIBVLVS Milesiorum tyrannus occultè Periandrum certiorem fecit, quid ei faciendum esset. Posteaquam enim nuncium sibi missum à Periandro in messem maturam dixisset, summas aristas baculo decussit: & tacens nuncium dimisit, vt Periandro visa referret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 32.

Vno eodémque die victoria Taurosthenis ex Olympia Æginam nunciata est ipsius parenti, vt alij affirmant, per spectrum. Alij verò dicunt, TAVROSTHENEM columbam à suis pullis madidis adhuc & inuoluciubus abstractam secum deportasse: cúmque vicisset, purpura amictam eam remisisse: eámque summa cum festinatione ad pullos properantem, eodem die ex Pisa in Æginam aduolasse. Ælian. lib. 9. de Varia historia.

HARPAGVS, cui Astyages Medorum rex filium epulandum apposuit, occultè Cyrum per literas monuit, vt Medos bello inuaderet, literas quibus iuuenem accersebat, lepori exenteratо inseruit, quem nuncius ad Cyrum detulit. Sic literæ tutò in Persidem perlatæ sunt: & Cyrus bello illato Medorum imperio potitus est. Sab. lib. 10. cap. 6. Polyæn. lib. 7. & Iustinus & Herod. lib. 1.

LACEDÆMONII veteres, cùm dissimulare & occultare literas publicè ad imperatores suos missas vellent, ne si ab hostibus exceptæ forent, consilia sua noscerentur, epistolas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento, eiusdémque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. Vnus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur, alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. Quãdo vsus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundo & simpliciter vt oræ adiunctæ vndique, & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loro per transuersas iunctarum oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis reuolutum ex surculo, Imperatori commenti illius conscio mittebant. Resolutio autẽ lori literas tuncas atque mutilas reddebat, membráque earum & apices in parteis diuersissimas spargebat: propterea si id lorum in manus hostiũ incideraꝛ, nihil quicquam coniectari ex eo loro quibant. Sed vbi ille ad quem erat missum acceperat, surculo compari quem habebat capto, ad finem perinde vt debere fieri sciebat, circumplicabat, atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes, rursum coibant, integrámque & incorruptam epistolam, & facilem legi præstabant. Hoc genus epistolæ Lacedæmonij *σκυτάλην* appellant. Gel. lib. 17. cap. 9.

In historia rerum Punicarum traditur, *virum quempiam illustrem* (siue ille HASDRVBAL, siue quis alius est, non retineo) epistolam scriptã super rebus arcanis, hoc modo abscondisse: Pugillaria noua, nondum etiam cæra illita accepisse, literas in lignum incidisse: postea tabulas (vti solitum est cæra colliuisse, eásque tabulas, tanquam non scriptas, cuifuturũ id prædixerat, misisse. Eam deinde ceram derasisse, literásque incolumes ligno incisas legisse. Gell. lib. 17. cap. 9.

TARQVINIVS Superbus Ro. rex vltimus, cùm Gabios longo tempore oppugnatos capere non posset, minimum natu filium Sextum plagis affectum transfugæ specie misit. Qui corpus acerbis verberib. castigatum videntes, eum receperunt. Ille contra patrem multa magnáque pollicitus, cùm pleraque factis exequeretur, fidelis habebatur. Prędas ex Romanorum agris agebat, in fugam eos conuertebat, multas pugnas vincebat. Quam ob causam Gabij admirati virtutem, eum imperatorem ac summum belli ducem creauerunt. Ille autem clàm nuncio ad patrem misso, eum interrogauit, quid fieri vellet? Tarquinius (nam in horto colloquebantur) summa papauerum capita decutiens, inquit ad nuncium: Refer filio, me hoc facere quod vides. Sextus Gabiorum potentissimos de medio sustulit: atque ita ad *solitudinem & imbecillitatem Gabios* redigens, ciuitatem eorum prodidit. Polyæn. lib. 8. Plin. lib. 19. cap. 8. & Plin. iunior de Viris illustribus Val. Max. & Alex. lib. 2. cap. 32.

Romani obsessi in Capitolio, ad Camillum ab exilio implorandum, miserunt Pontium Cominum: qui vt stationes Gallorum falleret, per saxa Tarpeia dimissus, transmisso Tiberi, Veios peruenit, & perperam legatione similiter ad suos redit. Frontin. lib. 3. cap. 13.

CAMPANI diligenter Romanis, à quibus obsessi erant, custodias agentibus, quendam pro transfuga lubornatum miserunt, qui occultam baltheo epistolam, inuenta effugiendi occasione ad Pœnos pertulit. Idem.

NONNVLLI interiora vaginarum inscripserunt.

L. LVCVLLVS Cyzicenos obsessos à Mithridate, vt certiores aduentus sui faceret, cùm præsidiis hostium teneretur introitus vrbis, qui vnus & angustus ponte modico insulam continenti iungit: militẽ è suis peritum nandi & nauticę artis, iussit insidentem duobus inflatis vtribus, literas insitas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum traiectum. Quod ita peritè gregalis fecit, vt cruribus velut gubernaculis dimissis, cursum dirigeret, & procul visentes, qui in statione erãt, marinę specie bellue deciperet. Idem.

HIRCIVS Cos. ad Decium Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obsidebatur, literas subinde misit plumbo scriptas, quib. ad brachium religatis, milites Scultel lam amnem transnabant. Idem.

Idem columbis (quas inclusas ante tenebris & fame affecerat) epistolas sera ad collum religabat, eásque à propinquo in quantum poterat *mœnibus loco* emittebat. Illæ lucis cibique auidæ, altissima ædificiorum petentes excipiebantur à Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: vtique postquam dispositio quibusdam locis cibo columbas illuc deuolare instituerat. Ibidem ex Plin. lib. 10. cap. 37.

CÆSAR audiens Ciceronem à Gallis obsessum, oppugnationem ferre non posse, misit militem cum præcepto, vt *per noctem epistolam* iaculo alligatam supra murum emitteret. Quam cùm coniecisset, mœnium custodes repertam ad Ciceronem attulerunt: qui eam legit, Cæsar Ciceroni fiduciam optat. Expecta auxilium. Paulo pòst fumus ac puluis cernebatur, Cæsare terram vastante. Itaque repentè intercisa oppugnatione, non solùm Ciceronem liberauit, sed etiam oppugnantes repulit. Polyæn. lib. 8.

AMILCAR cum Carthaginensibus noctu soluens è Libya in Siciliã, *scriptos* obsignatósque libellos *gubernatoribus* tradidit constitutúsque, si distraherentur in pelago, quò cursum dirigere & conuenire deberẽt, ne per transfugas hostibus enunciaretur, luminibus ab anteriore obductis & occultatis, ne hostes ex splendore de aduentu coniecturam facerẽ possent. Polyæn. lib. 5.

CARTHAGINENSES *Siciliam* vastantes, vt celeriter à Lybia sibi commeatus, réſque necessarias adferrentur, duas clepsydras æquales magnitudine fecerunt, & in vtraque circulos æquales descripserunt, eandẽ *habentes inscriptionem*. Inscriptum autem erat, non opus esse nauibus neque turbinatis nauigiis, sed alibi auro, alibi machinis, & rursus frumẽto: iterúmque bestiis, & iterum armis ac pedestribus equestribúsque copiis. Ad eum modum omnibus circulis conscriptis, alteram clepsydram in Sicilia retinentes, alteram Carthaginem miserunt, mandantes, vt cum *ignem* apud ipsos sublatum vidissent, animaduerterent, quando secundo ignis ostenderetur, quo in circulo hoc contingeret: ciúsque inscriptionem legentes, statim id quod literis esset significatum, mitterent. Hac ratione Carthaginenses celerrimam deuectionem habuerunt rerum ad

bellum necessariarum.Polyæn.lib.6.

Circumsedebant Galli Venetique Ptolemaidem in ora Syriæ, & iam non procul aberant quin vrbe potirentur, cùm tabellariam sunt columbam adepti militati clamore ad terram cum literis depressam. Significabant literæ, quas volucris habuit, fore vt intra triduum Sultanus cum validissimo exercitu adesset, suis diuturna obsidione fessis auxilio. Hic Christiani duces adulterinas pro interceptis alias affingunt literas, per quas regis nomine monebantur ciues, vt suis rebus consulerent, quando maioribus curis impeditus eò accurrere non posset. Pertulit columba ficticiam ad suos epistolam, éstque confestim vrbs dedita. Obseruauit diem Barbarus rex, sed cognita vrbis alienatione, re infecta retrò abiit. Sabel.lib.6.cap.6. & Egnat.lib.7.cap.4.

INOPIAM SVAM SVORVMQVE DISSIMVLARE, IN *commeatu præsertim, ne hosti fiduciam addat.*

MYGDONIVS hostibus obsidētibus fame laborās, aceruos maximos terræ lapidūque in foro extruxit: eósque cōpingēs luto, in alios triticū, in alios hordeū iniecit, & mulos ingenti magnitudine, pinguissimósque alens extra mœnia dimisit. Eos, hostes comprehenderunt. Ille præcone misso iussit, vt mitterent qui de redēpticio precio transigerent. Venerūt legati, quos Mygdonius in foro conuenit. Illi maximos aceruos tritici hordeique videntes, & ministros alios alibi iubere metiri, reuersi hæc hostibus nunciarunt. Qui pinguedinem mulorum conspicati, fidémque de ciborum apparatu legatis habentes, longo tempore se ciuitatem capere non posse existimarunt, & ob eam causam discesserunt. Polyæn.lib.7.

THRASYBVLVS, Milesiorum tyrannus, cùm Halyartas Miletum oppugnaret, eámque confectam fame capere in animo haberet, missésque legatum de induciis, donec templum Arsiæ Mineruæ condidisset, mandauit ciuibus, vt pro se quisque frumentum omne quod haberet in forum efferrent, ibique discumbentes conuiuium agitarent. Hæc conspicatus preco, nunciauit Halyartæ: qui innumerabilem copiam ciborū Milesios habere existimans, oppugnationem dimisit. Polyæn. libr.6. & Frontin.lib.3.cap.15. qui Thrasybium vocat.

HARMOSTES Lacedæmonius ab Athenien sibus obsidebatur, duorum adhuc dierum commeatu instructus. Præco venit Spartiata. Non permiserunt Athenienses, vt intra mœnia veniret, sed ante mœnia diceret, quæ vellet. Omnibus audientibus, præco inquit: Lacedæmonij bonũ te animum habere iubent, & mox venturum auxilium expectare. Harmostes: Ne, inquit, omnino festinetis opem ferendo. Commeatum enim adhuc quinque mensium habemus: Athenienses (nam hyems ingruebat) diuturnam ergo & hyemalem oppugnationem dimittentes, & exercitū dissoluentes, discesserunt. Polyæn.lib.2.

ROMANI, cũ à Gallis Capitoliũ obsideretur, in extrema iã fame panem in hostem iactauerunt: consecutique vt abundare commeatibus viderentur, obsidionem donec Camillus subueniret, toleraverunt. Frõt. lib.3. cap.13. & Val. Max. lib 7. cap.4.

ATHENIENSES aduersus Lacedæmonios idem fecisse dicuntur. Front. lib.3.cap.15.

HI qui ab Hannibale CASILINI obsidebantur, cùm ad extremã famem peruenissent, ita vt etiã herbas pro alimentis vorarẽt: rarato loco, qui erat inter castra ipsius atque mœnia, semina in præparatum locum iecerunt: & sic sunt consecuti, vt habere viderentur quo victum sustentarent, vsque ad satorum prouentum.

RELIQVI ex Variana clade, cùm obsiderentur, quia destitui frumẽto videbantur, horrea tota nocte circumduxerunt: captiuos deinde præcisis manibus dimiserunt: hi circunsidentibus suis persuaserunt, ne spem maturæ expugnationis reponerent in fame Romanorum, quibus alimẽtorum ingens copia superesset. Ibidem.

LVCIVS Antonius consul, Antonij triumuiri frater, ab Augusto Perusiæ obsessus, in eas commeatuum angustias deductus est, vt cùm in seruos, quod alimenti habebat, non consumere decreuisset, & quorum numero propterea quotidie nonnulli fame consiciebantur, ne ad hostes transirent, & Lucij necessitatem detegerent, aut desperatione acti hostes in vrbem inducerent: seruis carceres impleuit, atque illic fame eos confecit. Fulgos.lib.7.cap.6.

THRACES in arduo monte obsessi, in quem hostibus accessus nõ erat, collato viritim exiguo tritico aut caseo pauerunt pecora, & in hostium præsidia dimiserunt. Quibus exceptis, occisísque, cùm frumenti vestigia in visceribus eorum apparuissent, opinatus hostis magnam vim tritici superesse eis, qui inde etiam pecora pascerent, recessit ab obsidione. Front.lib.3.cap.15.

CÙM BRIXIA vrbs nobilis, Vicecomitum armis graui obsidione teneretur, ventúmque esset ad inopiam rerum omnium, premereturque fame internecina & extitali: Franciscus Barbarus præfectus vrbis multos harena onustos sæpe in vrbem induxit, porta hostibus aperta, vtpotè multitudini exhiberet leuandæ famis nouo rei frumẽtariæ inuẽcto. Quę Iudificatio fecit, vt perseueratum sit in toleranda obsidione, quoad breui post verum affuit à Venetis subsidium cum commeatu. Sab. libro 10. capite 6.

STATVM BELLI CVSTODIRE. PVGNÆ *genus eligere opportunum.*

ATHENIENSES, cùm Deceleam castellum ipsorum Lacedæmonij communissent, & frequentius vexarentur, classem quæ Peloponnesum infestaret miserunt: consecutique sunt, vt exercitus Lacedæmoniorum, qui Decelęæ erat, reuocaretur. Front.lib.1.cap.3.

THEMISTOCLES aduentante Xerxe (quia neque prælio pedestri, neque sinium tutelæ, neque obsidioni credebat sufficere Athenienses) author fuit eis liberos & coniuges Trœzena & in alias vrbes amandandi: relictóque oppido, statum belli ad nauale prælium transferendi. Idem fecit in eadem ciuitate Pericles aduersum Lacedæmonios. Ibidem.

LYCVRGVS roganti, qua de causa vetuisset oppugnari turres? Ne, inquit, à fœmina, puerúe, aut ab alio quopiam homine puero ac fœminæ non dissimili, viri præstantiores occidantur. Non probauit prælij genus, in quo virtuti locus nõ esset. E turribus verò puer aut mulier deiectu saxorum potest virum quantumuis fortem interimere. Quis igitur locus virtuti in bellis nostris, in quibus præcipuas partes agunt bõbardæ? Plutarchus.

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, cum pugnaretur apud Mantineam, admonuit Lacedæmonios, vt cæteris omissis omnibus, in vnum Epaminondam intenderent vim prælij: dicens, solos cordatos milites autores esse victoriæ. Quod cum fecissent, victoriam nacti sunt. Hac voce consuluit Agesilaus incolumitati suorum, qui fuerant sine dubio manu hostium perituri. Simul illud docuit, in bello plus habere momenti vnum verè prudentem, quàm turbam imprudentum. Plutarchus in Lacon. Apoph.

AGESILAVS cum Thebanis prælium faciebat. Qui, vt Laconicam phalangem dissicerent & perrumperent, fortiter pugnabant, & vtrinque magna strages edebatur. Agesilaus promulgauit suis: Desinentes à furiosa pugna, in diuersas tantummodo partes disiungamur. Quibus discedentibus, Thebani perrumpentes fugam capessebant. Agesilaus in fine ipsis instabat, neque amplius metus ad vtrolque, sed duntaxat ad fugientes pertinebat. Polyæn.lib.2.

BYZANTII aduersus Philippum omne præliandi discrimen vitãtes, omissa etiam sinium tutela, intra munitiones oppidi se receperũt: asseculique sunt, vt Philippus obsidionalis moræ impatiens recederet. Frontin. lib.1.cap.5.

ALEXANDER Macedo cùm haberet vehementem exercitum, semper eum statum belli elegit, vt acie constringeret. Frontinus.

CYRI Persarum regis in bello semper consilium fuit, vt si hostes tumultuosius irruerent, taciti milites impetum exciperent: si autem tacituri essent, clamore & strepitu acies inuaderent. Alex.ab Alex. libro 4. cap.7.

ANTIGONVS primus, si fortiorem ac validiorem manum haberet, trãquillius & moderatius bellũ administrabat: sin imbecilliorẽ quàm vt violentum periculum sustinere posset, impressiones faciebat: viriliter obitam mortem, quàm turpem & ignauam vitam, magis expetendam arbitratus. Polyæn.lib.4.

FAB. MAXIMVS aduersus Hannibalem successibus præliorum insolentem, recedere ab ancipiti discrimine, & tueri tantummodo Italiam constituit: Cunctatorisque nomẽ, & per hoc summi ducis meruit. Front. lib.1.cap.3.

SCIPIO manente in Italia Hannibale, transmisso in Africam exercitu, necessitatem Carthaginensibus imposuit reuocandi Hannibalem: sicque à domesticis sinibus hostile transtulit bellum. Idem.

HASDRVBAL, Gisgonis filius, secundo Punico bello in Hispaniam ductum exercitum (cum P. Scipio, instaret) per vrbes diuisit. Itaque factũ est, vt Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum distringeretur, in hyberna suos reduceret. Idem.

C. CÆSAR bello ciuili cum exercitum veteranum haberet, hostium autem tyronem esse sciret, acie semper decertare studium. Ibidem.

CÆSAR cùm Pompeio in campis Pharsalicis prælium committebat. Cùm videret multos hostium iuuenes & formosos se ob pulchritudinem efferre: præcepit suis militibus, ne corporibus hostium hastas & venabula inferrent, sed in ipsas facies intenderent. Illi veriti, ne forma mutilaretur, in fugam se coniiciunt. Polyæn. libro octauo, & Pont. libro quinto, cap.1.

Quum Antonius classe cum Cæsare confligere vellet, QVIDAM tribunus militum, vir fortis, & armis exercitatus, Antonio præteeunti, corpus suum multis cicatricibus insignitum ostendit, dicens: O Imperator, quur his vulneribus, aut huic gladio parum fidis, inque lignis fragilibus spem reponis? Sine, Phœnices & Ægyptij classe pugnent: nobis Romanis terram da, in qua consueuimus vel hostem vincere, vel mortem opperere. Plut. in vita Antonij.

SERTORII illud memoratu dignum tum factum tum dictum literis celebratur. Namque vt efferatam multitudinem, ad militarem disciplinam traduceret, aduocata concione, equos duos in conspectum omniũ produxit: strigosum quidem alterum, macie annísque obsitum: at validissimo robore alterum, cutéque nitidissima. Macilentum robustissimo dedit iqueni, vt caudæ pilos simul omnes unáque euelleret: nitidũ autẽ seni imbelli obtulit, qui singulos pilos, aliam scilicet post aliam, euelleret. Hic igitur dum seorsim singulos euellit, compos voti euasit. At ille alter, quamuis brachiis niteretur robustissimis, vanum tamen conatum eius esse, res ipsa docuit. Tandem Sertorius: Videtis, inquit, milites, quæ viribus corporis minimè cedunt, illa ingenij viribus cedere: quæque vno impetu superari nequeũt, eadem paulatim superari, opera assidua ac pertinaci adhibita: quódque corporis vires ingenij superẽtur acumine. Vos quidem concordes & vnanimes in prælium progredientes, Romani nunquam superarunt: palantes verò & diuersos facili negocio vincent. Pont. lib.5. de Prudentia: & Front. lib.4.cap.7.

Imp. Cæs. DOMITIANVS Aug. cùm Germani more suo è saltibus & obscuris latebris, subinde impugnarent Romanos, tutúmque regressum in profunda syluarum haberent: militibus per centum viginti millia passuum actis, non mutauit tantùm belli, sed & subiecit ditioni suæ hostes, quorum refugia nudauerat. Front. lib.1.cap.3.

TEMERITATEM FVGERE. IMPERATORIS *non est pugnare.*

CLEARCHVS Cyro dedit consilium, ne ipse se in periculum offerret, sed inspectorem se pugnæ gereret. Pugnantem enim corpore nihil magnum efficere. Si verò quid damni acciperet, omnia relicturum iis quos secum haberet. Polyæn. lib.2.

PYRRHVS ante bellum hostes in suam sententiam adducere conabatur, metu, cupiditate, voluptate, misericordia, conditionibus iustis, legitimis, vtilibus, & quas præstare facilè possent. Polyæn.lib.6.

Q. FABIVS Maximus, qui cunctando fregit Punicos in Italia successus, Varronis consulis ferocia animaduersa, multum diúque precatus dicitur collegam eius Paulum Æmilium, ne temerè quippiam fieri ab eo pateretur: præuidere se, nisi illius conatibus iretur obuiam, breui fore vt aliquis in Italia locus supra Trebiam & Thrasimenum Romana insigniretur clade. Sab.lib.4.cap.8.

SCIPIO Africanus fertur dixisse, cum eum parum quidam pugnacem dicerent: Imperatorem me mater, non bellatorem peperit. Front. lib.4.cap.7.

C. MARIVS Teutono, prouocanti eum, & postulanti vt prodiret, respondit: Si cupidus mortis esset, laqueo eum vitam posse finire. cumque demonstraret ei gladiatorem contemptæ staturæ, & propè exactæ ætatis, obiecit ei, dixítque: Si eum superasset, tunc se eum victore congressurum. Ibidem.

Consilxit C. IVLIVS Cæsar dictator cum hoste quinquagies collatis signis, quoties Rom. ducum nemo. Verùm exacta ætate, & iam senescere incipiens, cunctatior factus est ad ineunda prælia: veritus, vt credere est, ne fortunam, quam toties secundam fuerat expertus, aduersam semel experiretur. Sab.lib.1.cap.6.

AVGVSTVS, eos qui nullo vsu postulante se in pericula abijcerent, dicebat nihil ab iis differre, qui aureis hamis piscarentur. Polyænus libro 8.

IDEM suis ducibus imperabat, vt maximè securitatis curam agerent: & continenter hoc adiiciebat, Festina lentè. Nam cautus dux, confidenti longè est præferendus. Ibidem.

TRAIANVS, Romanorum Imperator, licet esset auidus bellirita tamen sibi in eo temperabat, vt hostes mora sua frangeret, amicos augeret. Non enim ei vnquam accidit, quod euenire in eiusmodi rebus solet, vt milites feroces se & insolentes præbuerint, vsque adeò bene & cum ratione imperabat. Dion Nicæus atque Xiphilinus in eius vita.

AVXILIA SVIS MITTERE, ET INTRODVCERE.

Cùm alterum Italiæ latus Hannibal laceraret, alterum inuasisset Hasdrubal, ne duorum fratrum iunctæ copiæ in olerabili onere fessas simul res Romanas vrgerent, hinc Cl. Neronis vegetum consilium, illinc Liuij Salinatoris inclyta prouidentia effecit. NERO enim compresso à se in Lucanis Hannibale, præsentiam suam (quoniam ita ratio belli desiderabat) mentibus hosti, ad opem ferendam collegę per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Vmbria apud Metaurum flumen proximo die dimicaturus, summa cum dissimulatione Neronem castris noctu recepit. Tribunos enim à tribunis, centuriones à centurionibus, equites ab equitibus, pedites à peditibus excipi iussit: ac sine vlla tumultuatione, solo vix vnum exercitum capiente, alterum inseruit. Quo euenit, ne Hasdrubal cum duobus se consulibus prælaturum prius sciret, quàm vtriusque virtute profligaretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas Romana clusa prudentia, Hannibalem Neroni, Hasdrubalem Salinatori decipiendum tradidit. Valer. Max. libro septimo, cap.4.

CATONEM vastantem Hispaniam, legati Ilergetum, qui sociorum populus erat, adierunt, orauerúntque auxilia. Ille ne aut abnegato adiutorio socios alienaret, aut diducto exercitu vires minueret, tertiam partem militum cibaria parare, & naues ascendere iussit: dato præcepto, vt simulata tantùm profectione, mox in castra redirent. Præcedens interim aduentantis auxilij rumor, vt Ilergetum excitauit animos, ita hostium cõsilia discussit. Front. lib.4.cap.7.

ASISTIDES Eleates, Dionysio Cauloniam oppugnante, cum duodecim triremibus adnauigabat. Qui cùm re intellecta cum quindecim nauium implementis conerà soluere t, Aristides reuertens discedebat, & ingruente nocte iussit faces tolleri, quas Dionysij naues sequebãtur. Paulatim his abstractis facibus, alias in mare submiserunt magnis suberibus adaptatas, & à lumine in obliquum se conuertentes, ad Cauloniam adnauigauerunt, Dionysio cum suis ad suberum splendorem cursum dirigentibus. Polyæn.lib.6.

CORINTHII Syracusanis auxilium mittentes, cùm intellexissent viginti naues Atticas apud Naupactum appellere, quæ custodias agerẽt ac specularentur, impleris viginti quinque triremibus, eas in Panormo Achaię eregionẽ Atticarum nauium subduxerunt. Dum hę se mutuó obseruant, naues onerariæ plenæ Corinthiorum armatorum è Peloponneso soluerunt, ad opem Syracusanis ferendam. Athenienses verò iis nauibus quæ eregionẽ stationem habebant, animos intenderunt. Ibidem.

Bello ciuili, cùm Aregna, vrbs in Hispania, Pompeianarum partium, obsideretur, Maurus interrex, tanquam Cæsarianus tribuni corniculario, vigiles quosdam excitauit, è quibus aliquos euitans, constantia sallaciæ suæ per medias Cæsaris copias præsidium Pompeij transduxit. Front. lib.3 cap.4.

AMILCAR iuxta Cronium aduersus Dionysij duces castra constituebat. Cùm ij qui Cronium inhabitabant, Carthaginenses vrbe recipere vellent, neque duces potestatem facerent: Amilcar hac re cognita, syluam omnem, quæ pro castris hostium erat sanè magna, captato aduerso hostib. vento, subiectis ignib. incendit. Fumus magna copia & turbine in vultus hostium vi venti deferebatur. Interea temporis Amilcar clàm ad mœnia transiuit, eáque portas aperuerunt ij qui recipere cum cupiebãt, in vrbémque ducibus ignorantibus ingressus est. Polyæn. lib.5.

T. DIDIVS paucitati suorum diffidens, cùm in aduentum earum legionum, quas expectabat, traheret bellum, & occurrere eis hostem cõperisset, concione aduocata aptari iussit milites ad pugnam, ac deinde industria negligentius custodiri captiuos: ex quibus pauci, qui profugere, nunciauerunt suis pugnam imminere. At ille, ne suspicione prælij diducerent vires, omiserunt occurrere eis, quibus insidiabantur: legiones turissimè, nullo excipiente, ad Didium peruenerunt. Frontinus libro 3, cap.8.

AVXILIA ALIENA PARARE.

ÆGESTENSES auxilium ab Athenien sibus petentes, infinitas ingentésque pecunias eis promittebant. Qui cùm legatos mitterent ad pecuniarum apparatum perspiciendum, Ægestenses mutuantes à vicinis vrbibus argentum & aurum, fana deorum, itémque priuatorum ædificia splendidissimè ornabant. Legati diuitias conspicati, nunciauerunt Athenien sibus. Illi statim auxilium miserunt. Polyæn. lib.6.

COLOPHONII & CASTABALENSES propter bella cohortes canum habuêre, quæ primæ dimicabant in acie, nunquam detrectantes. Rauisius.

HALIATES, Lydorum rex, Cimmeriis, inusitata ac beluina corporum magnitudine præditis, ei bellum inferentibus, cum reliquis copiis robustissimos etiam canes ad pugnam eduxit: qui Barbaros quasi bestuas adorti, magnum eorum numerum confecerunt, & reliquos turpiter fugæ mandare coegerunt. Polyæn. libro septimo.

MAGNETES accolæ Mæandri, cùm bellum Ephesiis inferrent, singuli equites commilitonem secum adduxerunt canem venatorium, & ferum iaculatorem. Quum verò iam in manus, & in conspectum ventum esset, proruentes canes, aciem terrore & sæuitia, & implacabili impetu perturbabant: serui verò iaculando, dominos propugnabant. Atque post canum ferociam, pugnæ seruorum videbantur. Tertiò demum ipsi hostem aggrediebantur. Ælian. lib.14.

M. CATO, pollicentibus barbaris duces itinerum, & insuper præsidiũ, si magna summa eis promitteretur, non dubitauit policeri: quia aut victoribus, ex spoliis hostilibus poterat dare: aut interfectis exoluebatur promissio. Front. lib.4.cap.7.

HORTARI ET COGERE MILITES AD LABOREM.

AGESILAVS in Bœotiam impressione facta regionem depopulari, & arbores deiicere socios iussit. Quibus per ignauiam eam rem negligenter administrantibus, mandauit vt abstinerent à populatione. Verùm castra ter aut quater quotidie traduxit. Necessariò igitur ad extruenda tabernacula in suum vsum ligna secabant, non vt damnum hostibus inferrent. Attamen id pari detrimento hostes afficiebat. Polyænus libro secundo.

ARCHIDAMVS noctu milites duxit ad Carras per viam aquosam, asperam ac longam. Militibus verò labore defatigatis & indignantibus, consolabatur eos Archidamus, quantum poterat, & ne deficerent hortabatur. Postquam verò repentè irruentes plurimis hostibus interfectis, oppidum excidissent, cœnam parantes, atque exultãtes victoria, rogauit Archidamus, quando sibi vrbem cæpisse viderentur? Respondentibus aliis, cùm impressionem faceremus: aliis, cùm iacula mitteremus: Nequaquam, ait ille, sed cùm viam longam & palustrem contendere mus. Nam voluntas ad laborem propensa, cuncta vincere ac superare consueuit. Polyæn. lib. 1.

CHARES in Thracia cum vehementissima tempestas ingruisset, conspicatus milites vestimẽtis parcere, & segniter imperata facere, mandauit vt vestes inuicem commutarent. Hoc facto, cùm singuli, alienarum vestium nullam rationem haberent, promptius id quod imperatum fuerat, exequebantur. Polyæn. lib. 3.

ALEXANDER Tyrum oppugnans, cùm amplam fossam mœnibus Tyriorum adiectam superare cuperet, primus ipse corbem arena refertum apportauit. Macedones cùm regem suis manibus opus facere viderent, confestim abiectis clamydibus, celeriter loca equarunt. Polyæn. li. 4.

VIGILANTIAM MILITVM SVORVM EXCITARE.

DIOCLES Athenienſium dux in hoſtili ſolo militibus nullo ordine diſperſis, arma ferre nolentibus, teſſeram datam ſæpe commutauit: Milites arbitrati non longè hoſtes abeſſe, receptis armis, inſtructa acie profectionem faciebant. Polyæn. lib. 5.

ALCIBIADES Athenienſis ciuitate ſua à Lacedæmoniis obſeſſa, veritus negligentiam vigilum, denunciauit his qui in ſtationibus erant, vt obſeruarent lumen quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad conſpectũ eius ipſi quoque lumina attollerent. In quo munere, qui ceſſaſſet, pœnã daturum. Dum ſollicitè expectatur ſignum ducis, peruigilatum ab omnibus, & ſuſpectæ nobis periculum euitatum eſt. Front. lib. 3. cap. 12. & Polyæn. lib. 1.

IPHICRATES, dux Athenienſium, cùm præſidio Corinthum teneret, & ſub aduentum hoſtium ipſe vigilias circumiret, vigilem, quem dormitãtem viderat, transfixit cuſpide. Quod factum quibuſdã tanquam ſæuum increpantibus: Qualem inueni, inquit, talem reliqui. Epaminondas Thebanus idem feciſſe dicitur. Frontin. lib. 3. cap. 12.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legiſlator, cùm interrogaretur, cur hoſtium interfectorũ cadauera ſpoliare prohibuiſſet: Ne milites, inquit, diteſcant: & dum prædæ incumbunt, pugnam negligant. Metuit vir prudentiſſimus, ne diuitiis amplis corrumperentur milites, quæ plerumque inſolentiores & minus fortes reddunt homines. Plut. in Laconicis.

CLEARCHVS, cùm ex Thracia prædam egiſſet, neque redire Byzantium poſſet, caſtrametatus eſt prope montem Thracium. Coeuntibus autem Thracibus, ſciens eos latentes ex mõtibus noctu impetum facturos, mandauit ſuis vt in armis perſeuerarent, & crebrò excitationes facerẽt. Ipſe verò cum nox eſſet tenebricoſa, aſſumpta parte exercitus, apparatur ſuis, verberans arma more Thracio. Qui tanquam hoſtibus apparentibus, ad pugnam erant inſtructi. Interea Thraces etiam apparebant, vt dormientes caperent. At illi vigilantes & armati, excepérunt incurrentes, & plurimos ex ipſis interfecerunt. Polyæn. lib. 2.

EPAMINONDAS, cùm cuſtodias ſtationéſque ſuorum militum circumiret, ſopitum, & non vigilantem ex edicto militem, gladio confodit, aſſerens talem ſe reliquiſſe, qualem inuenerat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

MILITARI apud ROMANOS præcepto obſeruatum erat, vt vigiliarum vices tubæ in caſtris per interualla ſignificarent. Et ſi quando hoſtes in conſpectu eſſent, pro portis caſtrorum, ſingulæ ſtationes, & expeditæ cohortes, diſpoſitis excubiis, inſtratis equis frenatiſque pro vallo excubarent, vt omnia militari cuſtodia vigiliſque tuta firmaque eſſent, ne paratis inſidiis, & omni aditu ſepto, nudata cuſtodiis ſtationibúſque caſtra hoſtes adoriantur, & nec opinantes inuadant. Alex. ab Alex. libro primo, cap. 12.

SCIPIO Æmilianus cùm quondam vrbem obſideret, noluit ciuis mœnia eius ferreos muricis ſpargi, nec tabulas plumbatas acutis clauis prædiras ſterni (ne hoſtes in præſidia repentè impetum facere poſſent) quòd exiſtimaret, non eſſe ciuſdem & capere aliquos velle, & timere. Animi fortitudinem ſic declarauit, hoſtibus timorem iniecit, ſuorúmque vigilantiam excitauit. Val. lib. 3. cap. 7.

SCIPIO Naſica Carthaginem deleri diſſuadet, ne externo hoſte liberati Romani negligentiores fierent. Vide tit. Prudentia in fortitudine conſeruanda.

HERMOCRATES Syracuſanus, ſuperatis acie Carthaginenſibus, veritus ne captiui (quorum ingentem manum in poteſtatem redegerat) parum diligenter cuſtodirentur, quòd euentus dimicationis in epulas & ſecuritatem compellere victores poterat, ſinxit proxima nocte equitatum hoſtilem venturum. Qua expectatione aſſequutus eſt, vt ſolito attentius vigiliæ agerentur. Front. lib. 2. cap. 9.

IDEM rebus proſperè geſtis, & ob id reſolutis ſuis in nimiam ſecuritatem, ſomnóque & mero preſſis, in caſtra transfugam mittit, qui prænoneret ſe fuga elapſum: diſpoſitas etiã vbique à Syracuſanis inſidias, quarum metu ceciderit aciem. Illi cùm aduentarent, in foſſas decidérunt, & eo modo victi ſunt. Ibidem.

PAVLVS Æmilius vt attentius contra ſomnũ pugnarent milites, nocturnas vigilias ſine armis fieri, & inermes milites vigilare iuſſit. Quod multi poſtea duces magno ſtudio imitati ſunt. Alexander ab Alex. libro primo, cap. 12.

IDEM nocturno tempore exploratores inermes dimittere ſolebat, vt ſe armis tuendi ablata ſpe, vigilantiores in excubiarum munere eſſent. Fulg. lib. 2. cap. 2.

C. IVLIVS Cæſar longinquo hoſte liberiora militibus diſciplinæ frænum remittebat, vt poſtea propinquior factus, cùm ita militũ animos recreaſſet, promptioribus diligentioribúſque aduerſus hoſtem vteretur. Nunquam prælij aut expeditionis tempus militi prædixit, vt omnibus horis in prælium deſcendendum eſſe putarent. Ibidem.

IDEM vt ad ſubitos conatus diſpoſita præſidia haberet, duas ſæpe legiones pro caſtris excubare iuſſit. Vtque id diſponendis caſtris, tendentium ordines, & deſcripta ſuis quæque partibus loca, ac iuſta itinerum interualla diſtincta eſſent, vtque tribuni militum in principiis iura darẽt, indéque ſigna milites peterent, ac in ſtationes & vigilias irent præcepit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

IDEM milites ſemper inſtructos eſſe iubebat, quaſi & in feſto, & in imbri, nocte diéque ſubitò exercitum educturus. Ob eámque cauſam, neque tempus neque diem antea definiebat. Polyæn. lib. 8.

AD BELLVM SVSCIPIENDVM INCITARE SVOS.

Vide ſupra ſub tit. Prudentiæ in legibus abrogandis, duo præclara exempla, Solonis & Eegetoridis: quorum vterque legibus fœderis abrogatis, ad bellum ſuſcipiendum ciues ſuos compulit. Conſule etiam titulum huic affinem, Milites ad pugnam animare.

CYRVS Perſi ab Harpago Medo inuitatus, vt exercitum cõtra Aſtyagem auum duceret, vt Perſas ad rebellandum induceret, ſimulat ſibi literas à rege miſſas. Quas in concilio cum reſignaſſet, & legiſſet, ducem ſe Perſarũ ab Aſtyage eſſe creatum aſſeruit, omnéſq; cum falcibus adeſſe iuſſit. Cùm autem iam cõueniſſent in vnum locũ, eúmque ſpinoſum, circiter vigeſimum ſtadiorum, intra diei ſpacium repurgare iuſſit. Quo labore perfunctis Perſis, iterum præcipit, in poſterum diem vt ad epulum adſint. Caprarum, ouium, boum greges patris ſui interea mactat: eóſque cùm iam conueniſſent, iubet diſcumbere in prata, atque epulari. Deinde cœnatos interrogat, vtrum pridianam, an præſentem conditionem præoptarent. Illis reſpondentibus, multum eſſe inter hæc duo diſcriminis. Pridianam enim omnia ipſis mala habuiſſe, præſentem verò omnia bona habere. Ex eorum reſponſo Cyrus occaſionem inſtituti ſui deregendi cæpit, inquiens: Viri Perſæ, ita & res veſtræ habent. volentib⁹ enim vobis mihi optemperare, & hæc & alia infinita commoda aderũt, ſine vllo ſeruitutis labore: nolentibus verò, innumerabiles erunt, quales heſternæ ærumnæ. Nunc itaque obtemperando mihi, efficiamini liberi: quę bona ipſe diuina quadam ſorte genitus, videor in manus veſtras eſſe allaturus: quos non arbitror inferiores eſſe Medis, cùm in aliis, tum verò in bellicis rebus. Quæ cùm ita ſint, rebellate quamprimùm ab Aſtyage. Perſæ, vt qui iampridem dedignarentur parêre Medis, nacti ducem, libenter ſe in libertatem vindicarunt. Herodot. lib. 1.

In Athenienſium adminiſtranda Republica, inter Thucydidem atque ALCIBIADEM graues erant contentiones. Ob eam cauſam, cùm per id tẽpus Thucydides Athenienſium nomine cum Lacedæmoniis pacem iunxiſſet, atque egiſſet vt ab eis Athenas legati mitterentur, ad ea confirmanda quæ ipſi cum eis conuenta erant: Lacedæmonios oratores antè in Senatum deduxit, vbi ſine controuerſia facilè de omnibus conueniebat. Cùm igitur Alcibiades vereretur, ne Thucydidis opera ea res tranſigeretur, noctu ad Lacedæmonios legatos clàm ſe contulit, & cùm ſe Lacedæmoniis amicum fingeret, antè, quæ legati egerant, laudauit. Deinde Athenienſem populum ſuperbo eſſe ingenio monuit, dicens: Si tam humanè, vt in Senatu fecerant, apud eum in concione loquerentur, quòd ita putarent ſe rei ſuæ melius conſulturos, in eo vehementer ipſos opinione deceptum iri: quòd Athenienſis populus, ſermonis ſubmiſſionem, ceu iudicium nimium optatæ pacis accepturus eſſet, & ob eam rem nouas cõditiones paci illaturus. Se autem, quia omnes Lacedæmoniorum amicum putarent, euitandæ ſuſpicionis gratia, palàm ipſis oratoribus aduerſaturum. Cæterùm vbi tutò poſſet, eorum rebus conſulturum. Lacedæmonij oratores dicentis verbo fidem ineſſe arbitrati,

ſe arbitrati, ſe conſilium ſecuturos reſponderunt. Alcibiades relictis oratoribus, permultos ex plebe ſubornauit, quibus perſuaſit, id à ſenatu agi, vt Athenienſis populus falleretur: quia minimè verum erat, ea Lacedæmonios, quæ ſenatus dicebat, eſſe facturos: id quod clarè populo legati erant oſtenſuri, quia Athenienſes nimium cupidos pacis eſſe animaduerterent. Manè igitur legati Lacedæmonij, coram populo Athenienſi, longè diuerſa ab iis quæ in Senatu dixerant, non ſine magna Thucydidis admiratione locuti ſunt. Quibus Alcibiades, cùm in eum modum, quem dixerat, reſpondiſſet, atque oratorib. res ex ſententia ſuccedere videretur, adeò mordacibus verinque verbis progreſſum eſt, vt in eo conſilio Athenienſes bello perſequendos Lacedæmonios eſſe decernerent, atque Alcibiadem bello præficerent. Qui non minore ingenij dexteritate, quàm Themiſtocles, apud Xerxem egit, vt hoſtiũ legati contraria rei ſuæ loquerentur: ad vincendos hoſtes, hoſtibus ipſis vſus. Fulg. lib. 7. cap. 3.

Volſcorum ducis TVLLI execrabile conſilium fuit, qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accenſus, cùm aliquot aduerſis prælijs contuſos animos ſuorum, & ob id paci proniores animaduerteret, inſidioſa ratione quò volebat compulit. Nam cùm ſpectandorum ludorum gratia magna Volſcorum multitudo Romam conueniſſet Cõſulib. dixit, Vehementer ſe timere ne quid hoſtile ſubitò molirentur: monuítque, vt eſſent cautiores: & protinus ipſe vrbe egreſſus eſt. Quam rem Conſules ad Senatum retulerunt. Qui tametſi nulla ſuſpicio ſuberat, auctoritate tamen Tulli commotus, vt ante noctem Volſci abirent, decreuit. Qua contumelia irritati, facilè impelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium verſuti ducis, ſimulatione beneuolentiæ inuolutũ, duos ſimul populos fefellit: Romanum, vt inſontes notaret: Volſcum vt deceptis iraſceretur. Val. lib. 7. cap. 3.

M. CATO aſtutè Rom. Senatum de tertio bello Punico ſuſcipiendo perſuaſit. Nam Carthagine ficus ex arbore decerptas Romam tridui ſpacio integras attulit. Eas mox cùm in Senatu oſtendiſſet, & quot dierum eſſe viderentur interrogaſſet, Triduanas reſpondentibus: Et vos, inquit, Carthaginem hoſtilia nieditantem, & triduano tantùm ſpacio vrbis noſtræ ceruicibus imminentem, patientia veſtra diutius fouebitis, & in Reipub. Rom. perniciem oſcitantia veſtra armabitis? Hoc commento in Senatu peruicit, vt contra Scipionis Naſicæ ſententiam ue Carthaginę funditùs delenda conſilium iniretur.

INTEMPESTIVAM PVGNÆ POSTVLATIONEM *prohibere. A bello inferendo dehortari.*

AGESILAVS Lacedæmonius cùm aduerſus Thebanos caſtra ſuper ripam poſuiſſet, multóque maiorem hoſtium manum intelligeret, & ideo ſuos arcere à cupiditate decertandi vellet, dixit, Reſponſo deũm ſe *ex collibus* pugnare iuſſum. Itaque exiguo præſidio ad ripam poſito, acceſſit ad colles. Quod Thebani pro metu interpretati, tranſierunt flumen: & cum facilè depulſiſſent præſidium, cæteros inſecuti auidius, iniquitate locorum à paucioribus victi ſunt. Frontinus libro primo, capite decimo.

IDEM cùm Lacedæmonij incluſi in vrbem à Thebanis, non ferrent ſe intra mœnia cum vxoribus teneri, ſed exeuntes, aut vincere aut mori ſtatuerent, dehortatus eſt, dicens: Nos etiam Athenienſes aliquando intra mœnia concluſimus. At illi nolebant ad pugnam exeundo ſe omnes periculo exponere, ſed conſtitutis vrbis & mœniorum cuſtodibus, ſalutem ſibi pepererunt, defatigatis oppugnatoribus diuturnitate temporis, & ipſis vltrò deſiſtentibus. Polyæn. lib. 2.

IDEM prope Lampſacum caſtrametabatur. Venicbant quidam ex metallorum fodinis exilientes Græci, qui nunciabant, Lampſacenos omnes quærendis metallis deſtinare quoſcunque caperent. Exercitus indignatus, ad mœnia incurſionem fecit, ciuitatem direpturus. Ageſilaus cũ reſiſtere non poſſet, & tamen vrbem ſeruatam vellet, quaſi ſumma ira incitatus, iuſſit, vt currentes primas vites exciderent: etenim eſſe optimatium Lampſacenorum. Quibus ad excindendas vites ſeſe conuertentibus, ipſe nactus occaſionem mittendi ad Lampſacenos, indicauit, vt bene vrbem cuſtodirent atque defenderent. Ibidem.

EVDAMIDAS Agidis frater, Archidami filius, cum quidam commemorando laudem actrophæa, quæ Lacedæmonij ex rebus cum Perſis præclarè geſtis retuliſſent, hortaretur ad bellum cùm Macedonibus ſuſcipiẽdum: Ignorare mihi videris, inquit, iſtuc idem eſſe, ac ſi quis deuictis mille ouibus pugnaret cum quinquaginta lupis. Significans, Perſas, vt deliciis effœminatos, & ob id imbelles, nõ fuiſſe difficile vincere: ſed aliud eſſe cum Macedonibus, viris fortiſſimis, pugnare. Plut. in Apoph. Lacon.

CLEANDRIDAS Thurijs numero paucioribus mandans, ne cum hoſtium multitudine congrederentur, inquit: Vbi non ſufficit pellis leonina, ibi vulpina adſuenda eſt. Polyæn. lib. 2.

IPHICRATES ad Corinthum Athenienſium dux erat, bellum Thebanis inferentium. Athenienſes admodum feſtinabant egredi ad pugnã. Iphicrates videns hoſtes numero plures, recens parta in Leuctris victoria confidere, ſuos non produxit. Sed ad eos inquit: Ego vos ad tantam fortitudinem perduxi, vt etiam contemnere Bœotos poſſitis. Verùm ex iis ducib. qui me ſunt præſtãtiores, aliquis vos aſſumat, & producat. Hac ratione Athenienſes ab impetu reuocauit ducis virtus, vt non egredi cogeretur ad pugnam vnà cum his qui antè ſurrexiſſent, ſed furorem ipſorum ratione compeſcuit. Polyæn. lib. 3.

PHOCION, Athenienſibus expeditionem aduerſus Bœotos ſuſcipere volentibus, teſtitit. Qui magnis propenſiſque ſtudiis bellum decreuerunt, & Phocionem ducem crearunt. At ille præconem iuſſit proclamare: Omnes Athenienſes ab ætate pubere vſque ad annum ſexageſimum, aſſumpto quinque dierum commeatu, mox à concione me ſequimini. Ibi cum magnus oriri tumultus, & præ cæteris potiſſimùm ſeues vociferari, proſilire atque indigne ferre. Tum Phocion: Nihil, inquit, vobis graue aut indignum accidet. Nam ego quoque dux octuageſimum annum habens, vobiſcum vna exibo. Hoc audito, Athenienſes belli ſtudiũ ac voluntatem remiſerunt, atque mutarunt. Ibidem: & Pontanus libr. 5. cap 5.

Philopœmenes Megalopolitanus concines ſuos, qui Meſſenam profugerãt, occupata Megalopoli à Cleomene Spartarum rege, per inſidias ſcalis vrbem ingreſſo, hortatus eſt, ne patriam tunc redirent. Oſtendit enim Cleomenem ſine populo vrbem diutius non retenturum: Itaque ſi patria aliquod tempus carerent, neceſſariò eam cum laude recuperaturos eſſe: ſin reditum accelerare vellent, & irrito conatu id moliri contigiſſet, ſeruitutem eos minimè incertam manſuram. Vnus igitur Philopœmenes totum POPVLVM, in quo plerunque plus ſuorum poſſidendorum cupiditas, quàm conſilium ac ratio valere conſueuit, eloquentia retinuit, ne tum periculosè reditum tentarent: quia ſub patriæ priuatarúmque fortunarum deſiderio, quod proponebatur, fœdiſſimæ ſeruitutis venenum latére declarauit. Fulg. lib. 8. cap. 9.

EVMENES milites hoſtium impedimenta diripere paratos deterrebat, & nõ prodeſſe affirmabat. Cùm verò perſuadere non poſſet, ipſe miſit ad hoſtes, præmonuítque vt impedimenta ſumma cura tuerentur. Milites conſpicati præſidia maiora, firmioráque, à propoſito deſtiterũt. Polyæn. lib. 4.

CROESVS aduerſus plurimos Inſulanos bellum parabat. Eum Bias Prienenſis, ſiu: Pittacus Mitylenæus deterruit, inquiens: Inſulani magnum equorum numerum aduerſus te coemunt. Qui cùm rideus, Hoc faxit Iupiter, diceret, vt inſulano ſin continenti capiam: Bias, Quid (inquit) credis etiam illos aliud optare, quàm vt Cræſum in mari capiant? Hæc Biantis oratio perſuaſit Cræſo, vt nauigationem in Inſulas omitteret. Polyæn. lib. 1. & Herod. lib. 1.

FABIVS in bello contra Annibalem, quòd manum cum hoſtibus nõ conſereret, malè audiebat in ſenatu. Filio hortante, vt depelleret infamiam, oſtendit ei ſingulas agminis partes. Quibuſdam verò non ſatis robuſta corpora habentibus: Vides, inquit, non eſſe commodum inito prælio armis fortunam tentare? Perſæpe enim vniuerſum agmen certaminis periculum non fecit. Sigillatim verò peritum rei militaris non latet, ſuperari ac vinci poſſe. Itaque hoc in medium conſulo, non in manus venire, ſed per montana ſequi, & vrbes ad deſectionem perducere. Hæc dicens ac faciens, primò quidem timidus exiſtimabatur: poſtmodũ autem cùm reliqui maximos exercitus amiſiſſent, iterũ Romani ad Fabium confugerunt. Polyæn. lib. 8.

Q. SERTORIVS, quod experimento didicerat, imparem ſe vniuerſo Romanorũ exercitui, vt barbaros inconſultè pugnã expoſcẽtes doceret, adductis in cõſpectum duobus equis, altero præualido altero admodum exili, duos admouit iuuenes ſimiliter affectos, robuſtum & gracilem: ac robuſtiori imperauit, equo exili vniuerſam caudam abrumpere: gracili autem, valentiorem per ſingulos vellere. Cúmque gracilis feciſſet quod imperatum erat, validiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur: Iam (inquit Sertorius) Romanarum cohortium (per hoc vobis exemplum oſtendi) milites, inſuperabiles ſunt vniuerſas aggredientibus eaſdem lacerabit & carpet, qui per partes attentauerit. Front. lib. 1. cap. 10. & Val. Max. lib. 7. cap. 3.

IDEM cùm videret ſuos pugnæ ſignum inconſultè flagitantes, crederétque rupturos imperium, niſi congrederentur, permiſit turmæ equitũ ad laceſſendos hoſtes ire, laborantique ſubmiſit alias, & ſic recepit omnes: tutí que & ſine noxa oſtendit, quis exitus flagitatam pugnam manſiſſet. Obſequentiſſimis inde eis vſus eſt. Frontinus libro primo, capite decimo.

SCORYLO dux Dacorum, cùm ſciret diſſociatum armis ciuilibus populum Rom. neque tamen tentãdum arbitraretur, quia externo bello poſſet concordia inter ciues coaleſcere: duos canes in conſpectu populariũ commiſit: hiſque acerrimè inter ſe pugnantibus, lupum oſtẽdit, quem protinus canes omiſſa inter ſe ira aggreſſi ſunt. Quo exemplo prohibuit Barbaros, ab impetu Romanis profuturo. Idem: & Pont. lib. 5. cap. 1. Cotionem vocat.

AD PVGNAM ET DEFENSIONEM PATRIÆ SVOS COHORTARI. *Tardos animare, & à fuga prohibere.*

Frontinus lib. 2. cap. 8. tit. habet, de Conſtituenda per conſtantiam acie: qui ad hunc locum referri debet.

MYRONIDES, Athenienses duxit aduersus Thebas: & progressus in campum, iussit eos arma ponere, atque vndique circumspicere. Quibus circumspicientibus: Videtis, inquit, quantus sit campus? in tãto campo hostibus equos habentibus, si fugiamus, necesse est nos ab equitibus persequentibus capi. Sin maneamus, multiplex vincendi spes est. Itaque vt manerent, persuasi sunt: & Myronides victor vsque ad Phocidem & *Locros* processit. Polyæn. lib. 1.

IPHICRATES cùm paucos haberet milites, eósque tristibus & abiectis animis præditos, volens audaciam & confidentiam ipsis iniicere, inter cœnandum conuocat manipulorum duces ac centuriones: iubétque, vt quantum quisque haberet, adferret, siue argentum siue aurum, siue ornatum, quasi proditionem hostium facturus, & ad eam rem muneribus indigens. Postquam dedissent, hostes aggredi statuit. Qui attulerunt. Ille cum accepisset, tesseram dedit Mercurium Philium, quasi de hoc sibi cũ proditoribus cõuenisset: & parua interposita mora, milites adduxit. Qui credentes fore vt sibi aliqui aduersarios proderent, audentiores ad faciendum prælium extiterunt. Polyæn. lib. 3.

IDEM promittebat se militibus victoriam daturum, si postquam ipse signum extulisset, animantes se mutuò, vnum gradum procederent. Cũ pugna esset in inclinatione grauissima, dux signum tollebat. Milites acclamantes sibi mutuò procedebant, & hostes pulsos in fugam vertebant. Ibidem.

IDEM rogabat milites, vt quoniam multa & gloriosa certamina se duce vicissent, sibi hoc solùm largirentur, ac priores starent, dum in hostes iretur: sciens, nisi id facere summo studio contendissent, euenturũ vt hostes idem priores facerent. Ibidem.

IDEM in Thraciam impressionem faciens, cùm sui milites hostium metu, quasi panico iniecto, in fugam verterentur, promulgauit, vt quisquis indicaret eum qui arma reliquisset, is ea possideret. Sic ad manendũ alacriores reddidit. Ibidem.

IDEM cum Barbaris prælium collaturus, volens suos milites audaciores reddere: Vereor, inquit, ne nõ intellexerint Barbari, quemadmodum hostes terrere soleam, Iphicratis nomine. Sed ego curam adhibebo, vt nunc id intelligant, & aliis renuncient. Tantum vos etiam studiũ diligentiámque mecum intendite. Cùm autem congrederentur exercitus, dicente quodam, hostes esse formidabiles: Et quanto nos, inquit, sumus formidabiliores: Ibidem.

LEOTYCHIDES Atheniensibus circa Mycalen nauale prælium facientibus, & Barborum multitudinem pertimescentibus, atque Ionibus Medorum partes sequentibus, timore magis quàm certo consilio mentes omnium mutauit: commentus nuncium adferri, quòd Persæ à Græcis ad Platæas deuicti essent. Iones hoc audito respirarunt, & Græcis se coniunxerunt. Fortuna Leotychidæ stratagema verum reddidit, prælij ad Platæas commissi victoriam Græcis præbens. Polyænus libro primo.

Athenienses & Lacedæmonij ad Leucadem nauale prælium committebant. Timotheo Atheniensium ducem agente, Nicomacho Lacedæmoniorum. Erat festum Scira. TIMOTHEVS hoc die myrto coronans triremes, soluénsque signum extulit, & nauibus vicit. Milites enim cum bona spe pugnam faciebant, numen se rati socium habere. Polyænus lib. 3.

Athenienses post deuictos Persas legem posuerunt, vt galli gallinacei quotannis vno die certamen in theatro inirent. Quod inde ortum est. THEMISTOCLES ciuium exercitum aduersus barbaros cùm educeret, gallos gallinaceos vidit pugnãtes: neque ille spectatorem sese oscitantem eius pugnæ præbuit: sed totum exercitum cohibens, inquit ad ipsos: Sed si neque pro patria, neque pro diis familiaribus pugnant, neque pro auitis heroibus periculum subeũt, neque pro gloria, neque pro libertate, neque pro liberis, sed ne alter ab altero superetur, aut alter alteri cedat. Quibus verbis Athenientium animos confirmauit. Quod ergo tunc eis incitamẽtum ad virtutem fuit, voluit ciuitas ad similium rerum & factorum, memoriam sempiternam consecrari. Ælian. li. 3. de Varia historia.

Spartanæ ciuitatis exercitus non antè ad dimicandum descendere solebat, quàm tibiæ concentu, & anapæsti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, vegeto & crebro ictus sono strenuè hostem inuadere admoniti. Val. Max lib. 2. cap. 1.

AGESILAVS Lacedæmonius, cum quosdam Persarum cæpisset, quorum habitus multum terroris præfert, quoties veste tegitur, nudatos militibus suis (vt alba corpora & vmbratica contemnerent) ostendit. *Front. lib. 1. cap. 11.*

Quum puer quidam AGESILAO rege vidente murem captum è cauo protraheret, músque conuersus momordisset tenentis manum, atque effugisset: Agesilaus indicauit his qui aderant, dixitque: Posteaquam minimum animalculum sic vlciscitur eos à quibus læditur, quid viros oporteat facere, cogitate. Ita dux fortissimus vndecunque captata occasione, animum addere studebat suis, vt audentiores fierent aduersus hostem. Sed idem exemplum magis eò valet, ne quis quamlibet potens, iniuria prouocet infirmiorẽ. Fit enim sæpenumero, vt qui, sicut ait Flaccus, fragili quærit illidere dentẽ, Infringat solido. Plut. in Lacon. Apoph.

AGESILAVS in Bœotia castrametabatur. Sociis pugnam conserere metuentibus, & clàm Orchomenum in sociam atque amicam ciuitatem diffluentibus, occultè missis ad Orchomenios legatis iussit, vt neminem sociorum sine ipso reciperent. Cùm igitur non haberent quò se verterent, non amplius de fuga, sed de victoria consilium cæperunt. Polyæn. libro secundo.

AGESILAVS in Asia militibus persuasit, vt contemnerent Barbaros, quos hactenus timuissent. Captiuos Persas exuit. & Græcis ob oculos ostendens, illorum corpora imbecilla, & luxu albentia, ornatum verò & vestes præciosas, illud Laconicè dixit: Cum quibus nobis bellum est, hi sunt: pro quibus verò, hi. Ibidem.

EVTIDAS dux Lacedęmoniorum, pugnaturus eodem die quo classe vicerant socij, quamuis ignarus actę rei, vulgauit, nunciatam sibi victoriam suorum, vt constantiores ad pugnam milites haberet. Front. libr. 1. cap. 11.

ARCHIDAMVS cùm in Arcadia pugnam committere vellet, in posterum diem Spartiatas confirmauit, noctu statuens aram, cámque armis splendidissimis ornans, & equos duos circumagens. Cùm illuxisset, manipulares duces & centuriones, noua conspicientes arma, & duorum equorum vestigia, atque spontaneam aram, interpretati sunt Dioscuros auxilium laturos. Spartiatæ sumptis animis, & religione cõmoti, strenuè pugnarunt, atque Arcades vicerunt. Polyænus libro primo, & Frontin. lib. 1. cap. 11.

Quum Antiochus rex cum numeroso exercitu venisset in Græciam, omnésque reddidisset attonitos & militũm numerus, & armaturæ varietas, T. QVINTIVS hoc sermone metum ademit Achęis: Quum, inquit, essem in Chalcide, cœnans apud hospitem meum, mirabar carnium copiam, quum essent omnia tecta niue. at hospes respondit, ea omnia nihil aliud esse quàm suis domesticæ carnes, tantum apparatu & conditura diuersa. Ne vos igitur, inquit, admiremini regis copias, quum auditis hastatos, cataphractos, pedites, equites & sagittarios. Nam hi omnes Syri sunt armatura inter se differentes. Plut in Rom. Apoph.

Cum Lacedæmonij copias in Thebanos educerent, variáque Thebanis ferrentur oracula, quorum alia victoriam illis pollicebantur, alia diuersa prædicebant: EPAMINONDAS iussit, bene promittentia ad dextram tribunalis poni, contraria ad læuam. Atque omnibus hunc in modum dispositis, surrexit, dixítque: Si volueritis parêre ducibus, & conglomerati in hostem tendere, hæc vobis sunt oracula, ostensis melioribus: quòd si ad conflictum segnes timidíque fueritis, hæc oracula vobis reddita sunt, ostensis deteriora pollicentibus. Sic nec oraculorum contempsit authoritatem, nec animos militum his deiici passus est: sed interpretatus est, Deum prospera polliceri strenuis, infausta timidis. Plutarch. in Græc. Apopht.

EPAMINONDAS, dux Thebanorum, aduersus Lacedæmonios dimicaturus, vt non solùm viribus milites sui, verumetiam affectibus adiuuarentur, pronunciauit in concione, destinatum Lacedæmoniis, si victoria potirẽtur, omnes virilis sexus interficere: vxoribus autem eorum & liberis in seruitutem adductis Thebas diruere. Qua denunciatione concitati primo impetu Thebani, Lacedæmonios expugnauerunt. Frontin. libro 1. cap. 11.

IDEM aduersus Lacedæmonios fiduciam suorum religione adiuuandam ratus, arma quę ornamentis affixa in templis erant, nocte subtraxit: persuasítque militibus, deos iter suum sequi, vt pręliantibus ipsis adessent. Ibidem.

IDEM adhortatus Thebanos, vt confidenter in Lacedęmonios impetum darent, maximum serpentem cępit, & eius in conspectu omnium attrito capite: Videtis, inquit, quod reliquũ corpus inutile sit, si caput adimatur? Ita si hostium capita, nempe Laconicum hoc contriuerimus, reliquum corpus sociorum nullius erit vsus. Hoc exemplo persuasi Thebani, in Laconicum agmen incurrentes, id superarunt. Sociorum verò multitudo fugam vltrò capessit. Polyęn. lib. 2.

IDEM Thebanos eduxit aduersus quadraginta millia Spartiatarum, atque sociorum. Ciuibus autem (vt fieri solet) pertimescentibus hostium multitudinem, animos eorum sic excitauit. Erat Thebis statua Palladis, hastam in medio tenens dextra manu, scutum verò pro genibus positum habens. Ille noctu artificem adducens, aliam formam affinxit simulachro, & deam fecit manubrio scutum tenentem. Cùm verò tempus expeditionis præsto esset, omnia templa aperuit, quasi rem diuinam pro exercitu facturus. Milites formam deæ mutatam vidẽtes, obstupuerunt, quasi ipsa Pallas aduersus hostes arma sumpsisset. Eos multis verbis Epaminondas hortabatur, vt bonum animum gererent, quippe dea contra hostes scutum protendente. Ita Thebani animos receperunt, & consertis manibus egregiè pugnauerunt, multóque plures hostes deuicerunt. Ibidem.

IDEM Thebanis suasit, vt cum Lacedæmoniis, qui apud ipsos diuertebantur, lucta contenderent. Qui nullo negocio prosternentes eos, didicerunt eos contemnere: atque ita fortius bellum aduersus ipsos cũ fiducia gesserunt. Idem.

IDEM Thebanos ducebat, Lacedæmonios Cleombrotus: pugna fiebat in Leuctris. Res in dubio vertebatur. Epaminondas à Thebanis petiit, Vnum gressum mihi donate, & victoriam habebimus. Morem gesserunt, & victoria n adepti sunt. Lacones cessere loco, & Cleombrotus rex in prælio cecidit. Idem.

IDEM Thebanos ducebat, Cleombrotus Lacedæmoniorum & sociorum quatuor myriades. Thebanis hostium multitudo metum fecit. Epaminondas persuasit, vt forti essent animo, duabus rationibus. Subornauit virum ignotum progredientibus ex vrbe coronatum, & vita redimitum, qui primùm deciperet eos nunciando: Trophonius iussit, vt Thebanis renunciarem, se victoriam dare iis qui principes pugnam inirent. Thebanis confirmatis, & Dei vatem adorantibus, Epaminondas iussit in Heracleum venientes vota facere. Erat iam ante cum Herculis sacerdote constitutum, vt noctu templum aperiret, & arma reposita summoueret, atque tersa Deo rursus apponeret, ipséque cũ ministris suis de medio

de medio recederet, nemini quicquam nuncientes. Postquàm ergo milites cum ducibus templum ingressi viderunt apertas ianuas, nullo ministrorum præsente, atque etiam arma vetusta repurgata recens & fulgentia conspexerunt: coram Deo clamorem sustulerunt, diuina confidẽtia pleni, tanquam Herculem pugnæ ducem habẽtes. Sic accidit, vt sumptis animis quadraginta millia contemnerent. Idem.

PVGNA Mantinensis in æquali momento Thebanis & Mantinensibus habebatur. Voluerunt Mantinenses legationem ad Thebanos mittere. CINEAS Atheniensis, cuius frater Memetrius occubuerat in prælio, ad *Mantinenses* inquit: Se potius fratrem suum expertem sepulchri relicturum quàm hostibus victoriam profiteri vellet. Etenim fratrem ob eam causam prompto animo mortem oppetiuisse, ne trophæum contra se atque patriam statueretur. His auditis, Mantinenses à mittenda legatione destiterunt. Ibidem.

ALEXANDER cùm ab aruspicibus cognouisset, deos omnia fausta portendere, circumferre hostias iussit, & militibus ob oculos demõstrare: vt non solùm ex auditione, verumetiam ex aspectu spem bonam de periculo haberent. Polyæn. lib. 4.

ALEXANDER Macedo sacrificaturus, inscripsit medicamento aruspicis manum, quam ille extis erat suppositurus: literæ significabant, victoriam Alexandro dari. Quas cùm iecur calidum rapuisset, & à rege militi esset ostensum, auxit animum, tanquam Deo spondente victoriã. Idem fecit INNIDES aruspex, prælium Eumene cum Gallis commissuro. Front. lib. 1. cap. 11.

IDEM in primo conflictu aduersus Persas, videns iam cedere Macedones obequitans clamabat. Adhuc semel accedamus, viri Macedones adhuc semel strenuè. Cũque valida fieret impressio, Barbari terga vertere cogebantur. Adeò leui momento tunc victoria constitit. Polyæn. li. 4.

Illyriis cum Macedonibus bellum gerentibus, cùm multi Macedones caperentur viui, reliqui etiam redemptionis spe ad pugnam minus alacres erant, Legationẽ de redemptoriis muneribus missuri Macedones videbantur. PERDICCAS ergo præcepit legato, vt reuersus renunciaret, se redemptoria munera *Illyriorum non accepturum*, sed condemnatos captiuos morte affecturum. Macedones desperata salute redẽptiua, audaciores ad pugnandum reddebantur, quippe quibus in sola victoria salus posita esset. Ibidem.

XERXES expeditione contra Græciam suscepta, multas gentes conduxit, dimissis passim qui euulgarent, principes Græcorum proditionẽ Græciæ moliri. Arbitrantes igitur se non ad pugnam, sed ad manifestam vtilitatem euocari, promptius congregabantur. Multi etiam Barbari *sua sponte se socios* adiunxerunt. Polyæn.

POLYPERCON Peloponnesiis aditum obsidentibus, milites suos ad periculum adeundum confirmauit. Pileum imposuit, & tunicam duplicem indutus, acceptóque baculo, dixit ad eos: Qui nos in periculum vocant, ô commilitones, eiusmodi sunt homines. Pòst his depositis, & armatura recepta: Qui verò *cum iis manum conferent* (inquit) eiusmodi, vsque in hoc tempus multorum magnorúmque bellorum victores. Quo audito, milites obsecrabant, ne amplius morã aliquam interponeret, sed rectà ad ineundam pugnam duceret. Polyænus libro quarto.

PYRRHVS Epirotes bellum in Lacedæmonem inferebat. Acri prælio pro vrbe commisso, discedentes Lacedæmonij, consilium iniuerunt, vt liberos atque coniuges in Cretam exponerent: ipsi verò periculum tantisper subirent, donec aut victoriam assequerentur, aut vitam amitterent. ARCHIDAMIS Cleadæ regis filia hoc consilium improbauit, inquiens, Pulchrum esse Lacænis, vt cum viris vnà mortem oppeterent, aut simul cum eis viuerent. Itaque opera bellica inter se partiebantur, fossas ducebant, fodiebant, arma adferebant, hastas acuebant, vulneratos curabant. Qua re factum est, vt Lacones ad certamen audaciores euaderent, mulierum virtutem conspicati, Pyrrhúmque repellerent. Polyæn. libr. 8.

GELO Syracusarum tyrannus bello aduersus Pœnos suscepto, cùm multos cepisset, infirmissimum quenque, præcipuè ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum *in conspectu suorum* produxit, vt persuaderet contemnendos. Front. lib. 1. cap. 11.

SERVIVS Tullius adolescens, prælio quo Tarquinius rex aduersus Sabinos conflixit, signiferis segnius dimicantibus, raptum signum in hostem misit: cuius recipiendi gratia Romani ita ardenter pugnauerũt, vt & signum & victoriam retulerint. Front. lib. 2. cap. 8.

FVRIVS Agrippa Cos. cedente cornu, signum militare ereptum signifero, in hostes Hernicos & Equos misit: quo facto eius prælium restitutum est. Summa enim alacritate Romani ad recipiẽdum signum incubuerunt. Idem.

T. QVINTIVS Capitolinus Cos. signum in hostes Phaliscos eiecit, militésque id repetere iussit. Idem.

M. FVRIVS Camillus TR. M. consulari potestate, cunctante exercitu arreptum manu signiferum in hostes Volscos & Latinos traxit. Cæteros puduit non sequi. Idem.

SALVIVS Pelignus bello Persico idem fecit. Ibidem.

Q. FABIVS, qui egregiè sciebat & Romanos eius esse libertatis, quę contumelia exasperaretur, & à Pœnis nihil iustum aut moderatum expectabat, misit legatos Carthaginem de conditionibus pacis. Quas cùm iniquitatis & insolentiæ plenas attulissent, exercitus Romanorum ad pugnandum concitatus est. Front. lib. 1. cap. 11.

M. FABIVS & Cn. Manlius Coss. aduersus Hetruscos, propter seditiones detrectante prælium exercitu, vltrò simularunt cũctationem, donec milites probris hostium coacti pugnãm deposcerent, iurarẽntque se ex ea victores redituros. Ibidem.

FVLVIVS Nobilior cùm aduersus Samnitium numerosum exercitũ & successibus *tumidum, paruis copiis* necesse haberet decertare, simulauit vnam legionem hostium à se corruptam ad proditionem: imperauítque (ad eius rei fidem) tribunis, & primis ordinibus, & centurionibus, quantum quisque numeratæ pecuniæ, aut auri argentique haberet, conferret: vt repræsentari merces proditoribus posset: Se autem his qui cõtulissent, pollicitus est, consummata *victoria*, ampla insuper præmia daturum. Quæ persuasio Romanis alacritatem attulit, & fiduciam: vnde etiam præclara victoria commisso statim bello parata est. Idem.

A. POSTHVMIVS prælio, quo cum Latinis conflixit, oblata specie duorum in equis iuuenum, animos suorum erexit, Pollucem & Castorem adesse dicens, ac sic prælium restituit. Ibidem.

T. SEMPRONIVS Gracchus, nauaturus egregiam aduersus Hannonem ac Brutios & Lucanos operam, cùm legiones magna ex parte Volonum haberet, qui alterum iam annum libertatem tacitè meruerant: pronunciat, tempus venisse libertatis, quam diu sperassent, potiundæ: posterò die se collatis cum hoste signis dimicaturum, puro ac patenti campo, vbi sine vllo metu insidiarum, vera virtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplò liberum iussurum esse. Itaque acri coorta pugna, quartam post horam, renunciatur Graccho à tribunis militum, nullam rem aliam magis impedire, quàm capita hostium precia libertati facta. Nam vt quisque hostem impigrè occidisset, primùm caput ægrè inter turbam tumultúmque abscindendo tereret tempus: deinde occupato dextra, tenendo caput fortissimus quisque pugnator esse desiisset, segnib. ac timidis tradita pugna esset. Quo cognito Sempronius signum dari properè iussit, proiicerent capita, inuaderéntque hostem, nec dubiam libertatem futuram strenuis viris. Itaque redintegrata acriter vtrinque pugna, ducibus hinc inde acerrimè annitentibus, postremò pronunciat, de libertate non sperarent, nisi eo die fusi fugatíque hostes essent. Ea demùm vox ita animos accendit renouato clamore, vt hostes terga verterint, cæsi, fugati, ac castris exuti, ducis prudentia. Pont. lib. 5. cap. 1. de Prudentia.

L. LVCVLLVS cum rege Tigrane conserturus manum, cum parte equitatus ac duabus tantùm cohortibus tumulum quendam pedes ascẽdit: ibíque contemplatus loci situm, hostiúmque ordines, exclamauit altissima voce: *Vicimus milites, vicimus.* Conspicatúsque cataphractos equites sub tumulum collocatos, præcipit equitib. suis, vt in eos maximis incurrerent armis, nihil aliud curaturi quàm vt gladiis illorum hastas conciderent: quibus concis, fore vt illi pugnæ inutiles omnino redderentur. Conuersus ad milites alios: Non pilis hodie, aut lanceis opus est, inquit: gladiis tantùm res agenda. Itaque strictis simul ensibus, suris, femoribúsque figendis tantùm incumbendum est, qua parte cataphracti equites exarmati sunt. Quod cum ab equitibus, peditibúsque, vt pręceptum erat, strenuè fieret, in fugam hostes coniecti, paucis euadentibus trucidati sunt. Pont. lib. 5. cap. 1. de Prudentia.

L. SYLLA, cedentibus iam legionibus exercitui Mithridatico, ductu Archelai, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellánsque milites dixit: Si quis quæsisset vbi imperatorem reliquissent, responderent, pugnantem in Bœotia: cuius rei pudore vniuersi eum secuti sunt. Front. lib. 2. cap. 8.

IDEM, quia aduersus Archelaum præfectum Mithridatis, apud Pyrea pigrioribus ad prælium militibus vtebatur, opere eos defatigando compulit ad poscendum vltrò pugnæ signum. Frontinus libro primo, capite vndecimo.

IDEM, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet, prædici sibi diis futura simulauit. Postremò in conspectu exercitus, priusquam in aciem descenderet, signum modicæ amplitudinis, quod Delphis sustulerat, orabat, petebátque vt promissam victoriam maturaret. Ibidem.

C. MARIVS sagam quandam ex Syria habuit, à qua se dimicationem euentus prædiscere simulabat. Ibidem.

C. MARIO, cùm iam summa rei in aperto sita esset discrimine, castris procul à flumine positis, & spes vnica *aquandi militi prætenderetur*, si non ab hoste aquatio inhibita esset, qui circa ripas latè vagabatur, multitudine fretus (erant hi Teutones & Ambrones) ad sitientes milites cõuersus: Cruore, inquit, à vobis potus hodie emendus est, vestro aut hostili: digitum ad flumen intendens. Ac cum his suos ad pugnam verius, quàm ad vndam dimisit. Felici quidem euentu: nam & *hostilis sanguinis*, & fluuialis aquæ Romanis victor ad satietatem hausit. Sab. lib. 6. cap. 6.

IDEM Cimbris & Teutonibus in Italiam impressionem facientibus, qui homines erat agrestes, immani magnitudine, facie monstrosa, & belluina voce prædití, diu moratus, manus non conseruit: sed milites iussit ad vallum accedentes, intrò tela coniicere: procúlque consistentes in hostes intuendo, assuefecit, vt eorum formam sustinere, & vocem tolerare possent, faciémque vsitatam redderent. Sic milites stuporem barbarorum abiicientes, eos despexerunt: atque ipsi Marium hortabantur, vt se ad ineundam pugnam educeret: commissóque prælio cum cẽtum millibus hostium, partim eos occiderunt, partim viuos cæperunt. Polyæn. lib. 8.

Q. SERTORIVS, cùm barbaro & rationis indocili milite vteretur, ceruam candidam insignis formæ per Lusitaniam ducebat, & ab ea, quæ agenda aut vitanda essent, prænoscere se asseuerabat: vt barbari ad omnia tanquam diuinitùs imperata obedirent. Frontinus libro primo, *cap. 11.*

C. CÆSAR aduersus Germanos & Ariouistũ pugnaturus, cõfusis suorũ

animis,pro concione dixit,nullius se eo die opera nisi decimæ legionis vsurum.Quo consecutus est,vt decimani,tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogerentur:& cæteri pudore,ne penes alios gloria virtutis esset.Idem.

CYRVS rex Persarum,vt concitaret animos popularium, tota die in excidenda quadam sylua eos fatigauit : deinde postridie præstitit eis liberalissimas epulas,& interrogauit vtro magis gauderent? Cúmque pręsentia probassent: Atqui per hæc(inquit)ad illa perueniendum est. Nam liberi beatique esse,nisi Medos viceritis,non potestis.Sic eos ad cupiditatem prælij concitauit.Ibidem.

IDEM cùm Medis signa contulit,& ter victus discessit.Cùm autẽ Persarũ vxores,&liberi Pasargadis essent,quartum pręlium in eo loco commisit.Rursus in fugam Persæ vertebantur : cúmque liberos & coniuges aspicerent,eos miserati,Medos sine ordine persequentes fugarũt: victoria tanta, vt nullo in posterùm de summa rerum prælio indigerent. Polyænus,lib.7.

ATTALVS cum Gallis magnum numerum habentibus prælium commissurus , milites suos timore perculsos confirmare atque alacres reddere volens , ante conflictus periculum victimam apparauit, Sudino Chaldæo vate sacrificium obeunte:ipse deos precatus libauit, & victimam dissecuit.Rex contrito gummi , inscripsit in dextram manum, Regis victoria:inscriptionem efficiens,non à sinistris ad dextra, sed cõtrà à dextris ad sinistra:& cùm viscera extraherentur, supposuit manum in calidiorem ac fungosum locũ,abstersitque inscriptionem. Vates percurrens frustra reliqua,ac bilem,portásque & mensam, atque omnia signa perspiciens , conuertit particulam quæ inscriptionem continebat, qua regis victoria significatur.Itaque tum ipse gaudium concepit , tum vniuersis militibus signum ostendit.Qui accedentes,ac legentes,fiducia replebantur:omnésque vociferabantur,iubentes ducere aduersus Barbaros:& alacribus animis in pugnam ruentes,Gallorum multitudinem superarunt.Polyæn.lib.4.

AMASVS in eo bello quod aduersus Arabes habebat , à tergo Ægyptiorum constituit statuas eorum deorum,qui apud ipsos summo honore & religione colebantur, vt hoc modo alacrius pericula subirent:arbitrantes se deos habere spectatores,quos nequaquam hostibus prodere aut relinquere deberent. Polyæn.lib.7.

BRENNVS rex Gallorum,volens eos persuadere, vt expeditionem in Græciam susciperent , conuocatis in concionem viris & mulieribus, produxit captiuos Græcos,vilissimis corporibus, & infirmissimis præditos capitibus,rasos,& sordidis pallis amictos : iuxtáque eos , maximos Gallorum collocauit,& speciosissimos,Gallicam armaturam indutos. Hoc facto:Nos,inquit,tanti ac tales , contra homines ita imbelles , & paruos bellum geremus . Hoc modo Galli contemptis Græcis adducti sunt,vt proficisci cum exercitu in Græciam non dubitarent. Polyænus ibidem.

IDEM Gallos ducens in Græciam , cùm Delphis aureas statuas conspexisset,accersiuit Delphos captiuos : eósque per interpretem interrogauit,an solidum esset aurum anathematum? Quibus affirmantibus intus ferrum esse,foris autem aurum leuiter aspersum : mortem omnibus minabatur,si hoc aliis enunciarent.imò contrarium dicere iussit , nihil esse præter aurum fabricatum. Tum duces intrò vocauit , & ad eundem modum captiuos interrogauit.Quibus vt imperatum erat,respondentibus aurum esse purum : iussit eos multitudini renunciare , vt spectantes se maximas auri portiones accepturos,alacrius pugnã facerent.Ibid.

ANDREAS Contarenus , dux Clodiensi bello aduersus Genuenses , plura remedia excogitauit:sed illud in primis , vt triginta familiæ plebeij sanguinis in patricium ordinem cooptarentur , eorum videlicet qui præclariorem operam ad patriæ salutem comparandam attulissent. Quare incensis omnium animis, vniuersa penè ciuitas ita inflammata est,vt plerique priuato suo stipendio,nouas naues ipsi extruxerint , quibus ipsimet præessent,alij ingentem pecuniæ vim in publicum dono dederint.Nec defuère,qui seipsos cum liberis & reliqua familia grauissimis quibuscunq; periculis obiecerint.Bello igitur tam graui fœlicissimè perfunctus ipse dux,& patres ad Clodiam , & ea vrbe recepta , captiuorúmque Genuensium & aliorum non parua manu Venetias abducta:tunc dux ipse senatúsque omnis memor promissæ fidei,& iusticiæ, semper ab hac ciuitate constantissimè retentæ,triginta familias in amplissimum ordinem cum suis hæredibus asciuère.Et quoniam non deerant , qui bene de patria adhuc essent meriti , reliquos publico ære annuo ex suo arbitrio donarunt:vt non desint tot iam anni , quibus idipsum publicè persoluatur.Egnat.lib.6.cap.5.& lib.7.cap.6.

VENETORVM stratagema in animandis suis,pete ex tit . Fortitudinis,Prælia aduersa magno tolerare animo.

TVRCÆ opio frequentissimè vtuntur , item alio quodam puluere (quem nonnulli semen cannabis contritum,vel solani maniaci esse contendunt)vt ad pugnam magis excitentur & incendantur , cùm vini potu eis sit interdictum.Opij enim ex papauere albo vsus,præsertim in assuetis,non tam torporem & somnium,quàm leuem insaniam & furorem inducit.Testis est Bellonius.

COGERE MILITES AD PVGNAM.

AGESILAVS, Lacedęmoniorum dux,cum prope Orchomenum sociam ciuitatem castra haberet,comperissétque plerosque ex militibus preciosissima rerum deponere intra munimenta,pręcepit oppidanis,ne quid ad exercitum suum pertinens reciperetur:quo ardentius dimicaret miles,qui sciret sibi pro omnibus suis pugnandum , Frontinus libro I. cap.II.

IDEM instructa acie cùm videret socios dedita opera tergiuersari, discessit.Discessio autem fuit per mõtes angustos,in quibus expectabat, donec Bœoti incursionem facerent.Constituit igitur, vt Lacedæmonij præcederent,socij finem tenerent,vt hostibus ab tergo aggredientibus, necessitas eos cogeret viriliter ac strenuè pugnare. Polyænus libro primo.

IPHICRATES in latissimo campo aciem instruebat. Hostes longè numero superiores,incursionem faciebant.At ille à tergo suorum militum fossam effodit , vt spe fugæ præcisa manentes fortius & generosius pugnarent.Polyæn.lib.3.

THEMISTOCLES circa Salaminem clàm naues habebat.Gręcis videbatur,fugam arripiendam esse.Themistocles nauibus ineundum prælium in angusto mari censebat.Cùm persuadere non posset vt manerent(Sicinus erat ei eunuchus , pædagogus duorum filiorum) eum noctu ad regem mittit , vt indicaret beneuolentiæ causa , Græcorum copias fugam moliri : Sed tu nauibus,inquit,pugna.Obtemperat rex, & naualem pugnam instruit , atque nauium multitudinem angustia maris in arctum contraxit.Græci verò inuiti propter ducis sapientiam & calliditatem vicerunt.Polyæn.lib.I.

TIMARCHVS Ætolus expositis militibus in Asiæ locum multitudine hominum abundantem , ne milites multitudinem hostium metuentes, fugam capesserent,naues incendit.Illi omni spe fugæ intercisa , strenuè prælium facientes,victoria potiti sunt.Polyæn.lib.5.

LEVCON, Heracleotis sibi bellum inferentibus , cum magna nauium multitudine,& egredientibus in terram, vbicunque libitum ipsis fuisset: cùm videret suos milites pugnam detrectare, neque eos egressu prohibere,in prima acie constituit armatos ad hostium egressionem arcendã. Post hos à tergo Scythas : & manifestò Scythis pręcepit , si armati rem segniter administrarent,hostésque egredi paterentur , tum in ipsos tela mitterent,atque occiderent Quo cognito, armati fortiter , ne hostes egredi possent,restiterunt.Polyæn.li.6.

CLITARCHVS aduentãtibus hostibus , ne intra muros inclusus oppugnaretur,ex oppido copias eduxit,imperans,vt obfirmatis portis claues supra mœnia conijcerent.Quas etiam militibus ostendit.Qui cùm intelligerent nullam sibi spem in vrbem fugiendi superesse,fortiter pugnantes,cum victoria discesserunt.Polyæn.lib.5.

PHILIPPVS veritus ne impetum Scytharum sui non sustinerent,fidelissimos equitum à tergo posuit:præcepítque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur,perseuerantius abeuntes trucidarent. Qua denũciatione cùm effecisset, vt etiam timidissimi mallent ab hostibus quàm à suis interfici,victoriam acquisiuit.Front.lib.2.cap.8.

IDEM Methonensium mœnibus scalas admouebat,& per eas magnum numerum Macedonum ad oppugnandum adducebat . Postquam verò ascendissent in muros,scalas amouit,vt omni spe descensionis intercisa, fortius atque animosius muro : obtinerent.Polyæn.li.4.

ALEXANDER Indiam in suam potestatem redegit.Militibus autem contrahentibus spolia Persica,& immẽsas diuitias in turribus, pugnámque cum Indis non necessariam ducentibus,& tot opes adeptis,primùm regios currus,pòst alios etiam incendit & combussit. Macedones alacritate quadam affecti,cùm alia comparandi necessitate ducerentur,maiori promptitudine ac studio ad bellum ferebantur.Ibidem.

IDEM, ne fugerent milites , semithoraces eis pro thoracibus dedit: vt cùm terga nuda essent,illa in fuga hostibus obiicere vererentur.Ibid.

MENECRATES Salaminem in Cypro capere volens,bis muros aggressus est,totiésque militibus in naues fugientibus re infecta discessit. Cùm tertiò oppugnationem institueret,gubernatoribus signum dedit, vt solutas naues abducerent , & sub suprapositó promontorio occultarent.Milites adorti mœnia,rursus se fugæ mandabant : cùmque nullibi videre naues possent,nulla spe fugiendi relicta,reuersi ex desperatione pugnam fecerunt:& hostibus deuictis,Salamine potiti sunt . Polyæn.libro quinto.

Romani milites omnem prædam & stipendium tempore pugnę apud signa in sarcinulis deponere cogebantur,vt eo acrius pugnarent. Alex lib4.cap.2.

TARQVINIVS aduersus Sabinos,cunctantes equites,detractis frenis,concitatisque equis procurrere & perrumpere aciem iussit. Front. lib.2.cap.8.

FABIVS Maximus veritus ne qua fiducia nauium,ad quas refugium erat,minus constanter pugnaret exercitus,incendi eas , priusquam iniret prælium,iussit.Front.lib.I.cap.II.

M.ATTILIVS Cos.bello Samnitico,ex acie refugientibus in castra militibus,aciẽ suorũ opposuit:affirmans secũ,& cum bonis ciuibus dimicaturos eos,nisi cum hostibus maluissent. Ea ratione vniuersos in aciem reduxit.Front.lib.2.cap.8.& lib.4.cap.I.

PERSÆ non pecuniam & gazas , sed pellices , velut charissima pignora , apud signa deponebant,vt pro his,quæ erant exoptatissimæ,& quas maximè diligerent, velut coniugum & patriæ memores, forti & præsenti animo mortẽ oppetere non dubitarent.Alex.ab Alex. li.4.ca.2.

ITALI olim carits militaria signa infigebant : vt cùm in fuga difficilius seruari & elabi possent,acrius pro signis pugnare cogerẽtur.Fulg.li.2.c.I.

ASIATICI

ASIATICI militantes,quæ preciosa haberent,& magni census , secum in expeditionem ferebant,vt tuendi necessitate,quæ illis erant charissima,promptius dimicarent.Alex.ab Alex.lib.4 cap.2.

LEONIDES dux Byzantiorum in acerrima vrbis oppugnatione,cùm hostes mœnia adorirentur , & illi relictis excubiis totos dies in consuetis diuersoriis tererent , mandauit vt cauponæ ipsis in mœnia transferrentur.Quo sophismate serò tandem eis persuasit,ne aciem desererent, cùm prætextus & causa,quamobrem abirent,non esset. Hæc affirmat de ipsis Damon.His assipulari videtur Menander,cùm dicit:Vinolentos negotiatores facit Byzantium,totam noctem perpotant.Ælian.de Var.hist. lib.3.

TAVRI,gens Scythica,prælium commissuri,vias omnes à tergo subruunt,inuiasque reddunt:& sic pugnam ineunt,vt cùm fugere non possint,aut vincant,aut moriantur.Polyæn.lib.7.

Occuparant Sarraceni sub variis ducibus vniuersam Asiam , & in Europam transeuntes Constantinopolim triennio obsederant : inde classe comparata ingẽti,Africam petiere. Qua vniuersa in seruitutem redacta, non dubitarunt in Hispaniam superato Gaditano freto irrumpere , ductu Iuliani principis Hispani,qui violatam à Rhoderico rege Hispanorum filiam , quam inter reliquas adolescentulas nobiles vxor eius penes se habebat,ferre patique æquo animo non poterat. Potiti igitur Sarraceni tota Hispania præter Astures & Cantabros, ex hac parte credentes sibi faciliorem aditum ad Gallias , Italiam cæterasque Europæ prouincias inuadendas:nihil aliud secum agitabant , quàm arrepta occasione superato Pyrenæo saltu in Gallias irrumpere. Nec corũ consiliis fortuna defuit.Eudonius enim Aquitanici sanguinis princeps, assiduè illos euocabat: qui minimè ferre poterat à Carolo Martello se victum, superatúmque esse. Quare Abdiramũ regem secuti Sarraceni , quadringenta & amplius armatorum milia ex saltu Pyrenæo in Aquitaniam descendentes, Galliæ maximam partem iam ad se armis traxerant. Quum Carolus Martellus non tam copiarum numero suarum , quàm disciplinæ militaris vi,roboreque fretus suæ,illis ante vrbem Turonẽsem occurrit: vbi re omni cognita,perspectaque, Carolus non dubitauit cum his acie cõfligere,suæ veteris disciplinæ memor,Gallorumque virtutis.Primùm igitur castra sua ante pugnæ diem comburi ex omni parte iussit : tum mandatum Turonensibus, vt portas clauderent : postremò superato Ligeri amne,sic ad dexteram ripam consedit , vt hostis numero longè superior ex transuerso impetum facere non posset. Pugnatum est igitur vtrinque diu acerrimo marte,donec tãdem Abdiramus fuga sibi ad proximum mare , suisque qui reliqui fuerant , consuluit. Sed & non multò pòst ad Iliberim obstinatissimus hostis à Carolo prælio altero ita victus est,vt sua Hispania contentus,de Gallia inuadenda nunquàm postea cogitarit. Sic enim Amoreus alter Sarracenorum rex fugatus cæsusq; est: qui trecentis & amplius armatorum millibus succinctus, opem Abdiramo laturus aduenerat , vt Franci meritò postea Imperium sint Caroli Magni auspiciis adepti.Egnat.lib.2.cap.2.

METVM EXIMERE MILITIBVS, QVEM VEL ANTE PVGNAM, VEL *in pugna,propter aduersa omina,aut hostium vim conceperunt. Item, Dissimulare, aut certè emendare aduersa.*

CHABRIAS Atheniensis classe dimicaturus , excusso ante nauem ipsius fulmine,exterritis per tale prodigium militibus:Nunc(inquit)potissimùm ineunda pugna est, cùm deorum maximus Iupiter adesse numen suum classi nostræ ostendit.Front.lib.I.cap.II.

TIMOTHEVS Atheniensis,classe dimicaturus aduersus Corcyræos, gubernatori suo (qui proficiscenti iam classi signum receptui cœperat dare,quia ex remigibus quendam sternutantẽ audierat Miraris(inquit) ex tot milibus vnum perfrixisse?Ibidem,& Polyæn.lib.3.

PERICLES, cùm in castra eius fulmen decidisset, terruissetque milites,aduocata concione , lapidibus in conspectu omnium collisis ignem excussit:sedauitque turbationem,cùm docuisset, similiter nubium attritu excuti fulmen.Ibidem.

ALCIBIADES Atheniensis , cùm ab Abydenis prælio vrgeretur, subitoque magno cursu tristem aduertisset aduentare tabellarium , prohibuit palàm dicere quid afferret. Deinde secretò sciscitatus à Pharnabazo regio præfecto classem suam oppugnari,cælatis & hostibus & militibus prælium finijt:ac protinus ad eripiendam classem ducto exercitu, opem tulit suis.Front.lib.2.cap.7.

Cùm AGESILAVS in Asiam transiret,& regis ditionẽ vastaret , Tisaphernes inducias fecit. Induciæ verò ad tres menses erant constitutæ, vt interim rex ad suas partes alliceret, atque adiũgeret quotquot essent Græciæ ciuitates in Asia , & liberas dimitteret. Græci præfinitum diem expectabant. At Persa magna manu collecta,Græcos aggrediebatur. Oritur stupor & metus. Agesilaus verò lætitiam vultu præ se ferens, gaudio elatus, inquit : Gratiam habeo Tisaphernæ pro periurio. Sibi enim Deos hostes reddidit,nobis verò socios. Eamus igitur confidentibus animis, quoniam cum tam potentibus sociis pugnam sumus facturi. Receperunt animos Græci oratione ducis,& collatis signis Barbaros fuderunt.Polyæn.lib.2.

IDEM ad Coroniam , quantum nunquam antea , ad pugnam instruebatur. Venit quidam nuncians : Pisander Lacedæmoniorum nauarchus occubuit , superatus à Pharnabazo. Ne igitur dolor & metus incesseret exercitum,Agesilaus præcepit nunciis,vt contraria militibus nunciarẽt: Lacedæmonij victoriam per mare in manibus habent. Sed & ipse processit coronatus,& euangelia sacrificauit : misitque amicis portiones de victimis.Milites his auditis & visis,plus audaciæ colligentes, maiori alacritate ac lætitia ad Coroniam prælium faciebant. Agesilaus hostibus in fugam conuersis,liberam fugam dare iussit.Ibidem.

IDEM multis transfugientibus , & exercitu in maximo metu hærente , vt manentes latẽret transeuntium fuga , mittens singulis noctibus per stragula & contubernia , proiecta scuta iussit colligere , & ad se deferre:ne si scutum iaceret,eius dominus requireretur. Non igitur amplius constabat qui transfugissent,cùm arma non apparerent.Ibidem.

CLEARCHVS erat in Thracia. Nocturni terrores exercitum inuaserant.At ille præcepit,si noctu tumultus oriretur, nemo rectus consurgeret:qui verò noctu consurgeret , tanquam hostis interficeretur. Hoc præceptum milites docuit contemnere nocturnum terrorem: atque ita desierunt exilire ac perturbari.Polyæn.lib.2.

LEONIDAS cùm pugnam conserere vellet,videns procellosas nubes coire,ad duces conuersus,ait:Non debet vobis mirum videri, quòd fulgura ac tonitrua concitantur. Necesse est enim ea fieri ex motu sideris.Multis igitur contingẽtibus cœlitùs signis, Leonidæ milites quid futurum esset prospicientes,alacribus animis ad pugnam festinarunt.Hostes contrà perterriti,animis ad subeundum periculum defecerunt:& ob eam causam victi sunt.Polyæn.lib.I.

EPAMINONDAS Thebanus,cõtristatis militibus, quòd ex hasta eius ornamentum, infulæ more dependens,ventus ablatum in sepulchrum Lacedæmonij cuiusdam depulisset:Nolite(inquit) milites trepidare. Lacedæmonis significatur interitus.Sepulchra enim funeribus ornãtur. Frõt. lib.I cap.12.

IDEM cùm fax de cœlo nocte delapsa,eos qui aduerterant terruisset: Lumen(inquit)hoc numina ostendunt.Idem.

IDEM, instante aduersus Lacedæmonios pugna , cum sedile in quo resederat succubuisset, & id vulgò pro tristi exciperetur significatione, confusique milites trepidarent : Immò (inquit) vetamur sedere. Ibidem.

IDEM in Peloponnesum copias duxit.Hostes circa Onium ingressi, castra posuerunt. Tonitru fit,& metus inuadit milites. Vates quidem quiescendum dixit:Epaminondas verò,nequaquam,inquit:Hostes enim qui in eiusmodi loco castra metati sint,per tonitru exturbari.Oratio ducis animum addidit militibus,& promptissimè omnes sequebantur. Polyæn.lib.2.

IDEM cùm Lacedæmoniis signa conferebat.Cùm pugna fieret acris, multis vtrinque cadentibus,ingruente nocte ante victoriæ finem , vtrique ad castra reuersi sunt.Lacedæmonij manipulatim,& secundum turmas atque contubernia castrametantes , mortuorum multitudinem cognouerunt : atque ita præ mœrore in somnum versi sunt. Thebanis autem mandauit Epaminondas,vt quò casus quenque ferret,ibi castrametarentur : neque manipulos aut ordines quærerent,sed quàm celerrimè sumpta cœna quieti se dederẽt, atque alter alteri ex præsenti commeatum impertiret. Proinde sumpta cœna repentè somno indulserunt : & hoc eis maximo bono fuit,quòd ignorabant qui occubuissent,cùm non in suis contuberniis , sed sparsim cœnam fecissent. & non immeritò postero die Thebani in aciem educti, fortius pugnantes victoriam reportarunt.Lacedæmonij verò propter suorum interitum, his qui antè victi erant,similes fuerunt.Ibidem.

ALEXANDER ad fluuium Tigrim præuertere Darium festinabat. Panicum ab extrema acie peruasit vniuersum exercitum.Rex mandauit tubicini,vt securitatis signum promulgaret:& antesignanis militibus, vt ante pedes arma proijcerent,atque idem sequentibus dicerent.Sic omnes ex ordine hoc facientes , causam terroris cognouerunt. Cùm panicum cessasset,milites sublatis armis processerunt.Polyæn.lib.4.

TIMOLEON in Sicilia copias eduxit ad pugnam ineundam.Carthaginensibus in insulam expositis , obuiam factus est mulus portans apiũ. Milites omen perhorruerunt,quòd apud ipsos defunctorum monumẽta coronabantur apio.Timoleon:Atqui,inquit,manifestiorem dij nobis victoriam significant.Nam eos qui Isthmica certamina vicerunt, Corinthij sertis ex apio factis coronant.Hic dictis,tum ipse se apio redimiuit, tum etiam duces suos coronauit. Ex quo accidit , vt reliqui milites à se mutuò apium sumentes,audaciores ad pugnam redderentur. Polyæn.libro quinto.

DAPHNÆVS, Syracusiis & Italis aduersus Carthaginenses prælium committentibus,dextrum cornu tenentibus Syracusiis, sinistrum Italis, cùm audisset magnum clamorem ferri à læuo,accurrit : conspicatusque laborantes,& penè victos Italos,reuersus ad dextrum cornu,lætum nũcium Syracusiis attulit , Italosque in sinistro cornu victoriam adeptos prædicabat:egregiumque esse, si ab ipsis etiam præclarum aliquod facinus ederetur.Syracusij ducem vera dicere arbitrati,exclamarũt: Omnibus viribus in hostes irruamus : alacriterque impetu facto , Barbaros in fugam verterunt.Ibidem.

ANTIGONVS cùm nauale prælium in Hellesponto vicisset, naues Phœniciam versus nauigare iussit , nautas quidem coronis redimitos, puppes verò spoliis & captiuarum triremium Acrostoliis ornatas. Gubernatoribus autem præcepit,vt omnibus portubus per mare , cunctisque ciuitatibus appropinquarent,vt victoria per vniuersam Asiam celebris euaderet , atque innotesceret. Phœnicum naues in Rosium Ciliciæ

portum appellentes,& grandem Eumenis pecuniam vehentes , Sosigenem nauarchum elegerunt. Sosigenes in Orthiomago tempus terebat,& æstum pelagi speculabatur. Phœniciæ verò naues cùm vidissent victrices splendidissimis ornamentis præditas , direptis pecuniis in Antigoni triremes insiliebant : quæ ob eam causam repentè magnam & pecuniarum & sociorum copiam abducebant,Sosigene maris motum obseruante. Antigonus & Eumenes pugnam conserere. Ancipiti victoria, de sepultura cæsorum legatum Eumenes mittere . Antigonus cùm ex suis maiorem numerum cecidisse videret, vt id clàm haberet , legatum eò vsque detinuit,donec eorum omnium corpora igni tradidisset.Cumque iam sepultura finem accepisset, præconem dimisit,concessa sepeliẽdi potestate.Polyen.libro quarto.

AGATHOCLES Syracusanus aduersus Pœnos pugnaturus,apparẽte solis ecclipsi,qua sub diem pugnæ vt prodigio milites sui cõsternati erant:ratione qua id accideret exposita docuit,quicquid illud foret , ad rerum naturam,non ad ipsorum propositum pertinere.Front.lib.1.ca.11.

TVLLVS Hostilius rex Romanorum,commisso aduersus Veientes prælio,cùm Albani deserto exercitu Romanorum , proximos peterent tumulos,eaque res turbasset Romanorum animos: clarè pronunciauit, iussu suo Albanos id fecisse, vt hostem circumueniret. Quæ res & terrorem Veientibus,& Romanis fiduciam attulit,remque inclinatam cõsilio restituit.Front.lib.2.cap.7.& Polyæn.lib.8.& Val.lib.7.ca.4.

CN.MANLIVS aduersus Hetruscos,vulnerato collega Fabio , qui sinistrum cornu ducebat:& ob id parte cedente,quòd etiam occisum crederent consulem,cum turmis equitum occurrit,clamitans & collegã viuere,& se dextro cornu vicisse.Qua constantia redintegratis animis suorum vicit.Frontin.lib.2.cap.7.

SIMILIVS(aliis Fuluius)Priscus dictator,cùm signa legionum ferri in hostes Phaliscos iussisset,signiferum cunctantem occidi imperauit.Quo exemplo perterriti,hostem inuaserunt.Frontin.lib.2.cap.8.

COSSVS Cornelius, magister equitum aduersus Fidenates idem fecit. Idem.

T.SEMPRONIVS Gracchus Cos.acie aduersus Picentes directa, cũ subitus terræmotus vtrasque partes confudisset,exhortatione confirmauit suos & impulit,vt consternatum superstitione hostem inuaderẽt: adhortatusque deuicit.Front.lib.1.cap.12.

T.QVINTIVS Capitolinus Cos.cedentibus Romanis ementitus est, in altero cornu hostes fugatos:& ita confirmatis suis victoriam retulit. Frontin.lib.2.cap.7.

PAPYRIVS Cursor Consul,cùm Aquiloniam oppugnans præliũ vellet committere,pullariusque non prosperantibus auibus optimum ei auspicium renunciasset,de fallacia illius factus certior,sibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit,ac pugnam iniit. Cæterùm mẽdacem ante ipsam aciem constituit,vt haberent dij,cuius capite,si quid iræ conceperant,expiarent.Directum est autem siue casu,siue cœlestis numinis prouidentia,quod primùm è contraria parte missum erat telum in ipsum pullarij pectus,eumque exanimem prostrauit.Id vt cognouit Consul, fidenti animo inuasit Aquiloniam,& cepit.Tam citò animaduertit , quo pacto iniuria imperatoris vindicari deberet,quemadmodum violata religio expianda foret,qua ratione victoria apprehendi posset:egit virum seuerum,consulem religiosum,imperatorem strenuum,timoris modum, pœnæ genus,spei viam vno mentis impetu rapiendo.Valeri. Max.lib.7. cap.2.

SCIPIO ex Italia in Africam transportando exercitum,cùm egrediens nauẽ prolapsus esset,& ob hoc attonitos milites cerneret, id quod trepidationem afferebat,constantia & magnitudine animi, in hortationem conuertit.Et:Audite(inquit)milites,Aphricam oppressi.Front.lib.1. cap.12.

IDEM,cum Syphacem Massiliensium regem socium fecisset , in Siciliam traiecit.Asdrubal admirabili pulchritudine filiam habens , hanc se collocaturum Syphaci promisit,si à Romanis deficeret.Ille ducens virginem in vxorem,Carthaginensium partes sequebatur:& confestim missis ad Scipionem literis,vetuit eum in Libyam venire . Scipio intelligens Romanos in Syphacis societate magnam fiduciam habere,quòd si audiuissent ad hostes eum desciuisse,non ausuros in Libyam transire: conuocatis in concionem,in contrariam sententiam Syphacis literas conuertit, quòd Romanos in Libyam accerseret,& admiraretur eos tam diu morã trahere.Itaque eius societatis vigorem dissolui non oportere.His dictis, cupiditatem & confidentiam Romanis iniecit:qui statim diem postularunt,quo transmittere opporteret.Poly.lib.8.& Front.li.2.c.7.

L. SVLPITIVS Gallus defectum lunæ imminentem,ne pro ostento exciperent milites,prædixit futurum,additis rationibus causisque defectionis.Font.lib.1.cap.12.

T.DIDIVS in Hispania,cùm acerrimo prælio conflixisset , quod nox diremerat,magno numero vtrinque cæso,complura suorum corpora atra nocte sepelienda curauit.Hispani postero die ad simile officium progressi,quia plures ex ipsorum numero quàm ex Romanis cæsos repererant,victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati,ad cõditiones imperatoris descenderunt.Front.lib.2.ca.10.

L.LVCVLLVS,cùm animaduertisset Macedonas equites,quos in auxilio habebat,subito consensu ad hostem transfugere,signa canere iussit: & turmas,quæ eos sequerẽtur,immisit.Hostis committi prælium ratus, transfugientes telis excepit.Macedones:qui cùm viderent neque recipi se ab aduersariis,& premi ab his quos deserebant , necessariò ad iustum prælium conuersi,hostem inuaserunt.Front.lib.2.cap.7.

L.SYLLA,cùm præfectus eius,comitante non exigua equitum manu, commisso iam prælio ad hostes transfugisset , pronunciauit iussu suo id factum:eaq; ratione militum animos non tantùm à confusione retraxit,sed quadam etiam spe vtilitatis,quæ id consilium secutura esset,confirmauit.Idem.

IDEM, cùm auxiliares eius missi ab ipso circumuenti ab hostibus & interfecti essent,verereturque ne propter hoc damnum vniuersus trepidaret exercitus,pronunciauit auxiliares,qui ad defectionem conspirassent , consilio à se in loca iniqua deductos. Ita manifestissimam cladem vltionis simulatione velauit,& militum animos hac persuasione cõfirmauit. Idem.

C. MARIVS aduersus Cymbros & Teuthones,cùm metatores eius per imprudentiam ita castris locum cæpissent,vt sub potestate Barbarorum esset,aquam flagitantibus suis,digito hostem ostendens : Illinc(inquit)petenda est.Quo instinctu assecutus est , vt protinus Barbari tollerentur.

Q. SERTORIVS cum acie decertaret, Barbarum qui ei nunciauerat Hirculeium periisse , pugione traiecit,ne id in aliorum noticiam perferret,& ob hoc animi suorum infirmarentur.Ibidem.

IDEM cùm equitum scuta extrinsecus,equorumque pectora cruenta subito prodigio apparuissent,victoriam portendi interpretatus est: quoniam illæ partes solerent hostili cruore respergi.Front.lib.1.ca.. 12.

C.IVLIVS Cæsar cùm iam in Africam magna celeritate qua multa prosperè gerebat,traiecisset,atque iam è naui egrederetur,fortè euenit,vt in terram caderet.Quem vt milites conspexerunt pronum cecidisse,malum omen indicantes,ipsi quoque armis conciderunt,atque grauiter ferentes,tumultuati sunt.At Cæsar ne dubitauit quidem,sed porrecta manu,quasi de industria cecidisset,terram apprehendit:deinde eam osculatus est: Teneo te(inquiens)Africa.Xiphilinus Dionis abbreuiator in Cæsare.& Front.lib. 1.cap.11.

IDEM,cùm vates diceret,inauspicata esse sacra:Atqui,inquit, meliora futura esse,si ipse uelit:& ita hostibus milites immisit.Polyæn.lib.8.

IDEM,victima sine corde reperta:Et quid,inquit,mirum,si brutum animal cor non habet?Hoc audito,milites fiduciam sumpserunt.Ibidem.

T.LABIENVS post Pharsalicam pugnam,cùm victis partibus Dyrrhachium refugisset,miscuit vera falsis:& non celato exitu pugnæ , æquatã partium fortunam graui vulnere Cæsaris finxit:& hac assimulatione reliquis Pompeianarum partium fiduciam fecit.Front.lib.2.ca.7.

XERXES in Thermopylis,cùm magnus Barbarorum numerus in acie cecidisset,occultans mortuorum multitudinem,præcepit eorum familiaribus,vt per noctem eos terra obruerent.Polyæn.lib.7.

CYRVS Persarum rex bellicosissimus,ne efferis hostium clamoribus milites perculsi,animum abiicerent, hymnum Polluci & Castori altissima voce canere iussit.Quo concentu effecit,vt abiecta omni formidine, animosè cum hostibus manus consererent.Alex.ab Alex.lib.4.cap.7.

HANNIBAL ante pugnam Cannensem,cùm tumulum ascendisset paulò editiorem,è quo multitudinem intueretur Romanorum,& ordines,Giscon quasi obstupefactus,cùm dixisset,mirari se tantam multitudinem:tum ipse,qui obstupefactum illum intelligeret,ne qui adessent simili terrore caperentur,conuersus ad illum:Quanto maius,inquit, mirũ tibi videatur,Giscon,in tanta hominum multitudine,qui Giscon appelletur,omnino esse neminem. Quod dictũ cùm statim inter acies emanasset,ad risumque conuerterentur omnes,eam vim habuit , vt singuli existimarent iis dictis propterea iocari Hannibalem,quòd de Romano exercitu putaret iam actum.Effecit igitur hoc dicto milites ad capessendã pugnam promptiores, detracto metu,& de victoria penè certos, qui viderent tanto in discrimine iocari imperatorem.Pontanus lib.5.cap.1.de Prudentia.

EVNDEM venientem in Italiam tria milia Carpentariorum reliquerunt.Quo exemplo ne & cæteri mouerentur,edixit à se esse dimissos:& insuper in fidẽ eius rei,paucos leuissimæ operæ domos remisit. Front. lib.2.cap.7.

EVNDEM ferunt,cognita Hasdrubalis fratris cæde,ac totius clade exercitus,composuisse vultum , risisseque conditionem humanam magis, quàm vt dolorem præ se ferret,aut animi consternationem. Ea versutia & sagacitate animos militum & ducum suorum confirmauit. Iouianus Pontanus lib.4.de Prudentia,cap.11.

DATAMES cum hostibus congrediebatur in pugnæ discrimine.Tribunus equitum,assumptis à sinistro cornu equitibus,ad hostes transitionẽ fecit.Ille per obstupefactos ac perterritos proditione pedites discurrens,hortabatur,vt totam aciem cõseruarent,tanquam equitibus etiam simul opportuno tempore impressionẽ facturis, quod ipse præscripsisset.Crediderunt pedites,& equitibus victoriam præripere conabantur: ipsiq; conserto agmine in hostes irruentes,victores discesserunt,postque victoriam tandem equitum proditionem cognouerunt.Polyæn.libr.7.

IDEM dux Persarum aduersus Anthophradatem in Cappadocia, cùm partem equitum suorum transfugere comperisset,cæteros omnes venire secum iussit:assecutusque transfugas collaudauit, quod eum alacriter præcessissent:hortatusque est eos etiam, vt fortiter hostem adorirentur. Pudor transfugis attulit pœnitentiam,& consilium suum(quia non putabant deprehensum)mutauerunt.Front.lib.2.cap.7.

ADATHAMES Car,cùm ab Artaxerxe Persarum rege rebellasset,atque aduersus eum tenderet,monitus est , Mitrobarzanem socerum suũ, ad hostes profugere.Veritus igitur ne eo exemplo à reliquis copiis desereretur,edixit in exercitu,socerum iussu suo ad Persas tendere, vt cùm ipse cum Persis à fronte manum conseruisset , socer Persarum terga cæderet,vt ita facilius vincerentur.Huius rei facta militibus opinione,in hostem pergere continuauit.Cùm autem citato cursu Persæ cum venire vidissent

vidissent , atque Mitrobarzanem cum magna manu anteire : arbitrati eum , vt primus Persas adoriretur , præcedere,aut sub transfugæ specie prodere Persas velle,ipsum vt hostem armis exceperunt : & cùm Adathames retro terga eius cęderet , cum omnibus suis paruo tempore Mitrobarzanes cæsus fuit. Dum autem per hoc prælium turbatæ apud Persas res essent,Adathamesque vltrà cum exercitu in Persas inueheretur,non antè prælio destitit,quàm Persas fudit. Eo igitur astu , cum minimè consilium ac deliberationem in Mitrobarzani fuga distulisset,Adathames duo consecutus est : & vt socerum fugientem vlcisceretur , & de hoste victoriam reportaret.Fulg.lib.7.cap.4.

FRANCISCVS Foscarus dux Veneti imperij fines in continẽti protulit,summaque animi magnitudine bellum, cum Philippo Mediolanẽsium duce,per aliquot annos fœliciter gessit.Cæterùm eo mortuo,præualente Francisco Sfortia Mediolanensium duce,apud Carauagium memorabili prælio victus ab eo , vt penè nullus euaserit , eam animi constantiam fortitudinémque præ se tulit, quam belli initio semper approbarat.Nam conuocato senatu,magna vi auri & argenti profusa, conuersus ad patres ipsos:Nihil est,inquit,P.C.quòd ad vnam pugnam,licet calamitosam,territi desperetis, vt vel Philippi ipsius hostis exemplo bene sperare de summa rerum debeatis,qui à nobis ad Maclodium fusus,captis ferè ducibus omnibus,exercitum ipsum facilè restituit. Agite igitur meipsum secuti , pecuniam huc conferte , quo numerosiorem vestrum quisque possit:infra enim triduum copias omnes nostras reparãdas polliceor.Quod certè mox ita subsecutum est, vt victor ipse Sfortia pacem vltrò petierit : admirans tantum Veneti Senatus animi robur & fortitudinem.Egnat.lib.3.cap.2.

A FVGA MILITES COLLIGERE, PVGNAM REDINTEGRARE

Exempla quædam ex tit.Milites ad pugnam incitare, peti possunt.

ANTIGONVS naues habebat cẽtum & triginta, quibus præerat Nicanor. His aduersus Polychosti classem nauale prælium committebat, quam ducebat Clitus.In Hellesponto pugna conserebatur.Nicanor suis ob imperitiam in aduersos fluctus coactis , septuaginta naues perdidit. Cùm victoriam palàm hostes in manibus haberent , sub vesperam Antigonus aduenit,neque acceptam cladem metuit:sed eos qui in reliquis essent sexaginta nauibus , paratos & instructos ad pugnam naualem iterum sub noctem esse iubet : & ex satellitibus fortissimum quemque ad nauigia constituit,iisque dat præceptum,vt minentur,se mortem omnibus allaturos,qui non in pugnam prodissent.Et cùm Byzantium in propinquo sitam ciuitatem societate & amicitia coniunctam haberet , inde confestim ad moderandos remos mitti imperat scutatos, & læuis armaturæ milites,milleque sagittarios, qui in hostium naues soluentes iacula sagittasque conijcerent.Hæc per vnam noctem administrata sunt. Incipiente verò diluculo,cum infesta pila spiculaque illi mitterent, hostes autem tum somno nõdum soluti,tum recens excitati,sine cautione vulnera acciperent,alij funes abrumpere,alij conscensorios asseres retrahere,alij anchoras leuare: breuiter omnes vociferationem ac tumultũ ciere.Antigonus sexaginta quoque nauibus signum dat,vt appellerent, cũque furore & impetu impressionem facerent.Sic statim accidit, vt aliis è littore iaculantibus,aliis naues infestas adducẽtibus , victores à victis superarentur.Polyæn.lib.4.

Q. FVRIVS auerso exercitui cùm occurrisset, affirmauit, non recepturum se in castra quẽquam,nisi victorem:reductisque in aciem,victoria potitus est.Front.lib.2.cap.8.

SCIPIO apud Numantiam , cùm auersum suum videret exercitum, pronunciauit sibi pro hoste futurum,quisquis in castra redisset. Ibidem.

T. MARTIVS eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit , cùm in propinquo bina castra Pœnorum paucis milibus passuum distarent , cohortatus milites proxima castra intempesta nocte adortus est : & cùm hostem victoriæ fiducia incompositũ aggressus , ne nuncios quidem cladis reliquisset , breuissimo tempore militi ad requiem dato,eadem nocte,raptim famam rei gestæ prægressus,altera eorundem castra inuasit.Ita bis simili vsus est euentu , deletis vtrobique Pœnis,amissas pop.Rom.Hispanias restituit.Frontinus libro secũdo cap.10.

L. SYLLA aduersus Archelaum Mithridatis ducem ad Orchomenum præliabatur.Videns autem Romanos victos fugam capessere , ipse ab equo desiliens,arrepto vexillo,ad hostes tendebat,clamans:Mihi hîc gloriosum est, ô Romani , mortem obire : vos autem interrogantibus, vbi Syllam prodideritis,facite vt respondeatis,In Orchomeno.Hoc sermone exciti Romani,reuersi sunt,& alacriter in aduersarios impetu facto,eos in fugam compulerunt Polyæn.lib.8.

Cùm in vrbe Castulone statiua haberet Q. SERTORIVS, sub Didio prætore tribunus militum, atque per noctem Castulonenses in vrbẽ Gyrisænos hostes accepissent,vna in Sertorianos inuehi,atque eos occidere cœperunt.Sertorius exaudito clamore,clàm cum paucis ab vrbe egressus,haud longè à porta constitit, & fugientes suos colligere , atque in aciem ordinare cœpit. Cùm autem iam satis magnam manum coactam videret,eadem porta,qua hostes iuerant , in vrbem regressus , hostes inuenit in diuersa loca sparsos,vni prædæ intentos:itaque paruo tẽporis spacio eos fudit , atque ipsorum arma induit. Instructa per hunc modum acie,sub Gyrisænorum specie, Gyrissam contendit , vbi à nihil tale suspicantibus,cùm suos esse qui redirent, arbitrarentur , portarum fores apertæ sunt.Sic vrbem cæpit,totamque diripuit , vt hostibus quod Castulone malum dederant,cumulatè referret.Fulg.lib.7.cap.4.

CÆSARIS milites ad Dyrrachium victi, seipsos victoribus tradiderunt. Cæsar non de supplicio eorum cogitabat , sed eos confirmans, ad recuperandam victoriam adhortabatur.Illi pudore ducti,in cæteris pugnis ferè semper victoriam reportarunt.Polyæn.lib.8.

OBEDIENTES REDDERE, AD OBEDIENTIAM SVOS COGERE,

Exempla quoque plurima ex tit.Hortari & cogere ad laborem peti possunt.

THRACIA gentes habet Cerronias & Scæboas.Hi consuetudinem habent,vt Iunonis sacerdotibus in bello ducibus vtantur.Erat eis sacerdos & dux Cosingas.Thraces ei parère recusarunt. Cosingas scalas plurimas,ingentesque ligneas ædificauit, aliásque aliis imposuit. Fama erat,eum in cœlum ad Iunonem ascendere in animo habere , ac Thraces accusare , quòd obedientiam præstare nollent. Thraces stupidi & inertes, metuentes ducis in cœlum ascensum,suppliciter obsecrabant, & iuramento se ostringebant,imperata eius omnia se promptè facturos. Polyæn.lib.7.

SERTORIVS, vt est apud Gellium,in temporibus difficillimis mentiebatur ad milites,si mendaciũ prodesset:& literas compositas pro veris legebat,& somnium simulabat,& falsas religiones conferebat,vt his rebus militum animos quoquò vellet, induceret.Rauis.

PORCIVS Cato in Iberorum terram impressionem fecit. Ex omnibus ciuitatibus legati venerunt, sese eius Romanorúmque potestati permittentes.Ille,vt obsides ad definitum tempus adducerent, imperauit.Eos cùm adducerent,vniuscuiusque ciuitatis duobus viris vnam epistolam tradidit:præcipiens,vt omnes eodem die reuersi , ciuibus eas recitarent.Qui cùm rediissent,scripta recitarunt:Diruite muros hodierno die. Cùm igitur singulæ ciuitates tempus non haberent ad finitimas vrbes mittendi,metuerentque singulæ ne cæteris morem gerentibus, si ipsæ solę dicto audientes non fuissent,in seruitutem redigerentur,imperata fecerunt,omnesque Iberi vno die mœnia destruxerunt.Polyæn.lib. 8.& Plin.de Viris illustribus.

SEDITIONEM CASTRENSEM NE ORIA-tur,prohibere.

CN. POMPEIVS, trucidato ab exercitu Mediolani senatu , ne tumultum moueret,si solos euocasset nocentes, mixtos eis qui extra delictum erant,venire iussit.Ita & noxij minore cum metu, quia non segregati,ideoque non ex causa culpæ videbantur accersiri,comparuerunt:& illi quibus integra erat conscientia, custodiendis quoque nocentibus attenderunt, ne illorum fuga exercitus inquinarentur. Frontinus. lib. 1.cap.9.

SERTORII elegans stratagema, ad militum suorum concordiam conseruandam,pete ex tit.Statum belli custodire.

SEDITIONEM IAM ORTAM COMpescere.

THEOGNIS, Atheniensium dux videns milites de ducibus & ordinibus disceptare, noctu quosdam equites ac duces misit, præcipiens vt quasi hostes in alio quodam loco se ostenderent, in quo maximè conspici ab exercitu possent.Quibus apparentibus, Theognis cum tumultu ac perturbatione milites ipsos,quasi iam hostes in cõspectum venissent, iusta loca capere iussit.Illi metu hostium adducti,contentione deposita, pristinos ordines constituerunt.Qui cùm ordines struxissent,Theognis hostes amicos & socios esse fatebatur:Vos autem,inquit,in posterum ordinibus absque seditione factis,eam stationem tenete , quam vobis ipsi dedistis.Polyæn.lib.5.

EVDOCIMVS, videns milites inter se tumultum mouere , cùm sedare discordiam nullo modo posset,iámque etiam armis se mutuò peterent, currentibus nunciis mandauit,vt proclamarent hostes aduẽtare, ac vallum discerpere velle.Qui metu hostium abstracti, seditionem relique-

runt:inque suum locum quisque recurrens, vallum tuebantur. Ibidem.

A. MANLIVS Cos. cum comperisset coniurasse milites in hybernis Campaniæ, vt iugulatis hospitibus, ipsi res inuaderent eorum, rumorem sparsit eodem loco hybernaturos: atque ita coniuratorum consilio turbato, Campaniam periculo liberauit, & ex occasione nocentes puniuit. Front. lib. 1. cap. 9.

L. SYLLA cùm legiones ciuium Romanorum perniciosa seditione furerent, consilio restituit sanitatem efferatis. Properè enim annunciari iussit, hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, signa canere. Sic discussa seditio est, vniuersis aduersus hostem consentientibus. Ibidem.

C. CÆSAR, cum quædam legiones eius seditionem mouissent, adeò vt perniciem quoque ducis viderentur consurrecturæ, dissimulato metu, processit ad milites: postulantibusque missionem, vltrò minaci vultu dedit, exauctoratos pœnitentia coegit satisfacere Imperatori, obsequentioresque in reliquum operas edere. Ibidem.

IDEM, si tumultuari videret milites, expectari ab hostibus maiores copias non solùm non inficias ibat, sed vehementioribus verbis etiã augens & amplificans, eos confirmabat, vt aduersus plures fortius dimicãdum putarent. Polyæn. lib. 8.

IDEM, militibus factionem mouentibus, & vt militia se liberaret, clamantibus, progressus in multitudinem confidenti & læta facie: Quid, ò commilitones, inquit, vultis? Illi vociferabantur, vt militia discedere liceret. Qui respondens, ait: Bono auspicio hortor ciues, ne seditionem agitent. Illi se ciues pro militibus appellari molestè ferebant, & confestim animos mutabant, rursusque clamabant: Sed nos commilitones potius ciues appellari volumus. Tum Cæsar: Ergo commilitemus. Ibidem.

DEFECTIONEM, PRODITIONEM ET PERFIDIAM *suorum prohibere, antequam fiat.*

ALEXANDER deuicta perdomitáque Thracia petens Asiam, veritus ne post ipsius discessum sumerent arma, reges eorum, præfectosque & omnes quibus videbatur inesse cura detractæ libertatis, secum velut honoris causa traxit: ignobiles autem relictis, plebeiosq; præfecit. Itaq; principes beneficiis eius obstricti, nihil nouare conabantur: plebs verò ne poterat quidem, spoliata principibus. Front. lib. 2. cap. 11.

PARMENION post factum ad Isso prælium, ab Alexandro missus Damascum, ad impedimenta peditum, conflixit cum lixonibus. Postquam verò Barbari metuentes fugam capesserent, cogitans Parmenion se non posse conseruare tantam impedimentorum multitudinem, si calones Barbari se fugæ traderent, missis ad eos tribus equitum turmis, promulgauit: Quicunque non propriis manibus sua iumenta apprehẽderit, trucidabitur. Hanc promulgationem veriti Barbari, ipsi ad iumenta accesserunt, & impedimenta transportarunt. Polyæn. lib. 4.

ISCOLAVS obsidentibus Græcis, audiens aliquos ex custodibus moliri proditionem, noctu vigilias adiens, vnicuique custodi mercenarium vnum adiunxit. Hoc facto, sine tumultu proditionis periculum effugit. Polyæn. lib. 2.

IPHICRATES maximis copiis imperabat, tum terrestribus, tum naualibus. In stipendiorum distributione singulis mensibus quartam partẽ subtrahens, quasi arrhabonem vniuscuiusq; retinebat, ne exercitum deferrent. Ita & multos semper habuit milites, & diuites: quippe qui mercedis quartam partem in subsidio habebant. Polyæn. lib. 3.

MAGAS à Cyrena expeditionem faciens, reliquit socios qui vrbem tuerentur: instrumenta verò, tela ac machinas in arcem inclusit, & mœniorum propugnacula sustulit, vt si quid nouarum rerum molirentur, apertum haberet per mœnia introitum. Polyæn. lib. 2.

DIONYSIVS cùm vrbem cæpisset, cuius ciues partim mortui, partim in exilium erant acti, & vrbs amplior esset, quàm vt modicum præsidiũ ad eam tuendam sufficeret, paucos quidem ibi in præsidio reliquit. Captis verò seruis dominorum filias in matrimonium dedit: vt summas inimicitias aduersus eos gerentes, fideliter ciuitatem custodirent ac defenderent. Polyæn. lib. 5.

IDEM milites ætate prouectiores priuare stipendiis volebat. Ea re iuniorum etiam erga se indignationem commouebat, qui indignum censebant, senio confectos iam reiici. Ille cognito tumultu, concionem conuocat, & in hanc sententiam verba facit: Iuniores in periculum pugnæ colloco, seniores ad præsidia munitionum, æquale salarium merentes. Experimentum autem fidei exhibebunt, munitionesque summa cura tuebuntur, atque minus operis facient. Ea res summam omnibus lætitiã attulit, atque omnes à se mutuò distrahebantur. Postquam verò multitudo in varias partes decessit, & in singula præsidia pauci diuisi, tum singulis veteranis ademit stipendia, cùm non amplius auxilium aliquod in multitudine paratum haberent. Polyæn. lib. 5. & Front. lib. 1. cap. 8.

AGESIPOLIS Mantineam oppugnabat cum sociis: qui bene erga Mantinenses affecti, tamen Lacedæmonios Græciæ imperium tenentes sequebantur ad bellum: clàm verò Mantinensibus ea mittebant, quibus opus haberent. Agesipolis cùm didicisset quę fierent, multos canes circũ castra dimisit, plures autẽ ea parte, quę spectabat ad vrbem, ne quis transiret, cauens, ne à canibus interciperetur. Polyæn. libr. 2.

ROMANI vt in milite fides augeretur, & iis quos alea vel aliud malũ profusiores faciebat, frenum poneretur (Quidam enim in his pensi nihil habentes sæpè euertuntur) omnium congiariorum dimidiam partẽ ponere apud signa militem cogebant: vbi decem saccis pro numero cohortium, quibus legio constabat, sanctè in maiores militum ipsorum vsus custodiebatur. Qui mos si his temporibus seruaretur, transfugarum minor esset numerus, multique alij, qui sæpe in ganeis aut alea, omnibus quæ militando acquisiuerunt consumptis, cauponas exercent, aut rebus desperatis ad latrocinia confugiunt: ad senium perducti, honestè iis alerentur, quæ iuuenes militando adepti essent. Fulgos. lib. 2. cap. 1.

P. VALERIVS Epidauri, timens oppidanorum perfidiam, quia parum præsidij habebat, gymnicos ludos procul ab vrbe apparuit. Quò cùm omnis ferè multitudo spectandi causa exisset, clausit portas, nec in eas antè admisit Epidaurios, quàm obsides à principibus acciperet. Frontin. lib. 2. cap. 11.

CN. POMPEIVS cùm suspectos haberet Catinenses, & vereretur ne præsidium non reciperent, petiit ab eis vt ægros interim apud se refici paterentur: fortissimis deinde habitu languentium missis, ciuitatem occupauit continuitque. Ibidem.

CL. MARCELLVS cognito consilio Battei Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares studebat, & Hannibali gratificabatur, quòd illius beneficio curatus inter Cannenses saucius, & ex captiuitate remissus ad suos erat, quia interficere eum (ne supplicio eius reliquos concitaret Nolanos) non audebat: accersitum ad se allocutus est, dicens, fortissimum eum militem esse, quod antea ignotasset: hortatusque est, vt secum moraretur: & super verborum honorem, equo quoque donauit. Qua benignitate non illius tantùm fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pẽdebant, sibi obligauit. Fron. li. 3. cap. 16.

Post Cannensem cladem, perculsis ita Romanorum animis, vt pars magna reliquiarum nobilissimis autoribus deserẽdæ Italiæ iniret cõsilium, P. Scipio adolescens admodum impetu facto in eo, in quo talia agitabãtur cœtu, pronunciauit, manu se sua interfecturum quoscunque, nisi iurassent, non esse sibi mentem destituendæ reipub. Cumq; ipse se primus religione tali obligasset, stricto gladio mortem vni ex primis minatus, nisi acciperet sacramentum: illum metu, cæteros etiam exemplo coegit ad iurandum. Front. lib. 4. cap. 7.

P. SCIPIO cùm Masinissæ regis promptissima & fidelissima opera aduersus Charthaginenses vsus esset, cumque in dilatando regno auidiorem cerneret, legem ferri iussit, qua Masinissæ ab imperio pop. Rom. solutam libertatem tribueret. Quo facto, tum optimè meriti beneuolentiã retinuit, tum Mauritaniæ & Numidiæ, cæterarumq; illius tractus gentiũ nunquam fida pace quiescentem feritatem à valuis suis repulit. Valer. Max. lib 7. cap. 2.

FRIDERICVS secundus Imperator, cùm necessariis de rebus ex Ethuria in Apuliam discessurus esset, & multa cum mouerent, vt Samminiatensem populum ad rebellionem spectare arbitraretur: misit ad eos, qui nunciarent se captiuos quos habebat, atque thesaurum Samminiatũ mittere velle, & propterea hortari, vt fideliter ea vsque ad eius reditum custodire vellent. Populus eo insperato commodo lætus, misit qui renũciarent ex fide Samminiatenses ea obseruaturos. Fridericus igitur armis pro pecunia onustis aliquot iumentis, tectisque (vt ei mos erat) cùm pecuniam mitteret, item cathenis iniectis quibusdam ex militum suorum numero fortibus viris, atque ante eos missis nonnullis captiuis, inter quos fuit Petrus Vinea (cui illic postea oculos effodi iussit) Samminiatensis populus arbitratus veros esse captiuos, quia vincula inspexerat, cum sarcinis omnes in oppidum accepit. Illi autem postea arreptis armis, statim occupato oppido, Friderico defectionis suspicionem, quam metuebat, ademerunt. Fulgos. lib. 7. cap. 4.

CONCALVVS Agidarius Barulana obsidione à Gallis pressus, non modò eos repulit, sed demum & vicit. Incluserant Concaluum Galli intra Barulum, & ingentibus copiis assidebant. Tenuit septem mẽses obsidio, cum Hispanus miles insessis omnibus locis, vnde commeatus inuehi in oppidum posset, ne à muribus quidem, & herbarũ omni genere abstineret. In hac temporum difficultate nihil non excogitatum ab illo est, quo militũ animos placaret, nunc monendo, nunc hortando: sæpe sese gregariis inserendo, sæpe spe venturi cõmeatus, & subsidij solando adeò affecit, vt qui de eo necando cogitarent, mutata sententia in fide manserint. Quo tẽpore constat illum diui Benedicti oraculo victoriã sperare monitum, ex quo mox ille victoria potitus, eius familiæ Cassinatem saltum cum vetustissimo cœnobio restituendum curauit. Sab. lib. 10. cap 6.

DEFECTIONEM ET PRODITIONEM IAM COEPTAM IMPEdire, *ne nobis nocere possit, aut ad vtilitatem nostram conuertere, aut eos denuò nobis reconciliare.*

IPHICRATES, cum duo mercenarij ad Lacedæmonios transfugissent, clandestinas literas ad duces eorum qui defecerant, misit: admonens, vt constituti temporis meminissent, quo etiam ex Athenis auxilium expectaret: sciens epistolam ad custodes viarum peruenturam. Postquam autem viarum custodes literas attulerunt Lacedæmoniis, illi comprehendendos transfugas existimauerunt. Quibus nihil optatius fuit, quàm vt effugere possent, cùm Atheniensibus perfidi extitissent, Lacedæmoniis tantummodo viderentur. Polyæn. lib. 3.

CONON relictus à sociis, transfugam misit, qui diceret hostibus, eos fugam parare. Item ex quo loco, & quo tempore. Qui insidiantes, obseruabant. At Conon sociis promulgauit, vt securè discederent: quippe qui antea de insidiis certum cognouerat. Qui discedẽtes, cùm præsensissent insidias, redierunt, & permanentes vsque ad victoriam cum eo bellum gesserunt. Polyæn. lib. 1.

PHILIPPVS, cùm audisset Pythiam quendam bonum pugnatorem, alienatum sibi quòd tres filias inops vix aleret, nec à rege adiuuaretur, monentibus quibusdam vti eum caueret: Quid si, inquit, partem ægram corporis haberem, abscinderem potius quàm curarem? Familiariter ergo ad se vocatum Pythiam, cognitáque difficultate necessitatum domesticarum, pecunia instruxit, ac meliorẽ fideliorémque habuit, quàm habuerat antequam offenderet. Front. lib. 4. cap. 7.

PISISTRATVS Atheniensium tyrannus, quum aliquot amici, qui ab ipso defecerant, Phylen occupassent, venit ad illos stragulas in sarcinam colligatas ipse portans. Cæterùm illis quid sibi vellet percontantibus: Vt, inquit, si persuasero, reducam vos: si non persuasero, maneam vobiscum. ob hoc enim veni cum sarcinis. Egregius animus, qui nollet sine amicis nec regnare, nec viuere. Plut. in Græcor. imperatorum apoph.

DARIVS, Ægyptiis non ferentibus Oryandri satrapæ crudelitatem, ob eámque caussam deficientibus, ipse per desertum Arabiæ profectus, Memphin peruenit. Per id tempus Ægyptij Apim vita defunctum, communi luctu prosequebãtur. Darius promulgauit, se ei qui Apim adduxisset, centum auri talenta daturum. Illi pietatem eius admirati, non amplius cum defectoribus stabant, sed Dario sese tradebant. Polyænus libro septimo.

ARSAMES, defectione à rege facta, potitus maiore Phrygia, cum iis qui contra eum ab rege missi fuerant, prælium conferere instituit. Præfectus equitum cum hostibus paciscebatur, se, cùm in aciem ventum esset, ad eos transiturum. Arsames proditione cognita, per noctem ad præfecti equitum tabernaculum adiens, eum in quæstionibus examinauit. Qui cùm facinus confiteretur, equitum arma, vestésque aliis induendas dedit, quibus summam fidem habebat: & equitũ præfecti armatura quẽdam alium Hipparchum instruxit, eísque præcepit, vt cùm signum ab hostibus sublatum cernerent, ad eos transirent, & obequitantes prætereuntésque eorum agmen, à tergo conuersi impetum in eos darent. His ita constitutis, à tergo impressionem faciebant. Arsames autem à facie exercitum adduxit. Hostes ordinibus dissolutis terga verterunt, & complures ex eis inter fugiendum perierunt. Ibidem.

DIODORVS, cùm præsidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum suspecta haberet, quæ videbantur vrbem direptura, mentitus est paucas hostium naues proximo littori applicuisse, eásque diripi posse. Qua spe stimulatos Thracas emisit, ac deinde clausis portis non recepit. Front. lib. 3. cap. 16.

ANTIPATER, conspecto priore Neciorum exercitu (qui audita morte Alexandri ad infestandum imperium eius confluxerant) dissimulans se scire qua mente venissent, gratias his egit, quod ad auxilium ferendum Alexandro aduersus Lacedæmonios conuenissent: adiecitque, id se regi scripturum. Cæterùm ipsos (quia sibi opera eorum in præsentia non essent necessaria) abirent domos, hortatus est: & hac asseueratione periculum, quod ex nouitate rerum imminebat, discussit. Frontinus libro tertio capite vndecimo.

EVMENES, cùm intelligeret Argyraspides iam nouas res moliri, duces autem eorum Antigenes & Teumates superbè se erga illum gererent, & venire ad tabernaculum eius intermitterent, conuocatis ducibus, hoc insomnium se aiebat secundò iam vidisse: interminans, nisi mos gereretur, communiter omnes in periculum venturos. Habebat autem in hunc modum: Alexander rex in mediis castris sedens in tabernaculo, sceptrũque tenens omnibus iura dabat, & ducibus imperabat, ne quod commune vel regium negotium extra regium tabernaculum transigeren & hoc solum appellarent Alexandri tabernaculum. Adorabant Macedones Alexandrum, & regiis pecuniis impensisque regium tabernaculum ædificandum deliberato consilio curabant, sedem auream regiis ornamentis instructam, atque in ea coronam auream regio diademate præditam, ac iuxta sedem arma, mediúmque inter ea sceptrum, & ante sedẽ mensam auream, atque thura, suffitúsque odoratos. Item sellas argẽteas etiam in tabernaculo, in quibus duces de rebus communibus consilia caperent. Hæc ad dictum modum apparabant. Eumenes verò suum iuxta Alexandri tabernaculum erigebat, aliique duces ex ordine deinceps. Sic accidit, vt Eumenes ingressus, omnes duces exciperet: cum quibus Antigenes etiam & Teutamates commeabant: si rem spectes, ad Eumenem: si honorem, ad Alexandrum. Polyæn. lib. 4.

IDEM cùm in Perside milites videret à Peuceste sollicitari vino & largitionibus, metuens ne vniuersum imperium ad se transferret, literas protulit quasi ab Oronte Armeniæ satrapa Syriacis characteribus scriptas, in eam sententiam: Olympiadem ex Epiro descendere, & Alexandrum adducere, atque vi Macedoniæ vrbem Cassandrum tenere. Macedones his auditis, Peucestem è memoria deposuerunt: Alexandri verò matrem, eiusque filium summa cum voluptate & gaudio promulgarũt. Ibidem.

Fractis Romanorum ad Cannas rebus, cùm plebs Nolana ad Hannibalem inclinaret, instigante maximè Lucio Bancio, iuuene impigro & acri, cuius multa in re militari præclara extabant facinora: cúmque M. MARCELLO, qui vrbi cum præsidio præerat, defectionis indicatio facta esset, & Bancius ipse aut dedendam euestigiò hosti vrbem intelligeret, aut re malè tentata fugiendum ad Pœnum esse: hoc in discrimine tam ancipiti Marcellus consilium inijt, & duce & senatore maximè prudenti dignum: quo rem Nolanam sic stabiliuit, vt labentes iam Romanas opes humeris suis & sustinuisse visus sit, & belli molem in Hannibalem ac Pœnos posse aliquando verti docuerit. Pontanus lib. 5. cap. 1. de Prudentia.

Q. MAXIMVS transfugere ad hostes volentem Statilium, nobilem claræ operæ equitem, vocari ad se iussit: eique excusauit, quòd inuidia commilitonum virtutes illius ad id tempus ignorasset. Tum donato ei equo, pecuniam insuper largitus obtinuit, vt quem ex conscientia trepidum accersierat, lætum dimitteret: & ex dubio non minus fidentem quã fortem haberet equitem. Front lib. 4. cap. 7.

HAMILCAR dux Pœnorum, cùm frequẽter auxiliares Galli ad Romanos transirent, etiam ex consuetudine vt socij exciperentur, sibi fidelissimos subornauit ad simulandam transitionem, qui Romanos excipiẽdorum causa eorum progressos ceciderunt. Quæ solertia Amilcari non tãtùm ad præsentem profuit successum, sed in posterum præstitit, vt Romanis veri quoque transfugæ forent suspecti. Frontinus. libro tertio, capite decimosexto.

HANNO Carthaginensium Imperator in Sicilia, cùm comperisset Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia conspirasse ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquot mensium mercedes non receperant, animaduertere autem in eos non auderet metu seditionis, promisit prolationis iniuriam liberalitate pensaturum. Quo nomine gratias agẽtibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fidelissimum dispensatorem ad Otacilium Coss. misit, qui tanquam rationibus interuersis transfugisset, nunciauit nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum forent missa, posse excipi. Otacilius nec statim credidit transfugæ, nec tamen rem spernendam ratus, disposuit in insidiis lectissimam manum suorum. Ab ea Galli excepti, dupliciter Hannonis consilio satisfecerunt: & Romanos ceciderunt, & ipsi interfecti sunt. Ibidem.

HANNIBAL simili consilio transfugas vltus est. Nam cùm aliquos ex militibus sciret transfugisse proxima nocte, nec ignoraret exploratores hostium in castris suis, esse palàm pronunciauit, non debere transfugas vocari solertissimos milites, qui ipsius iussu exiissent ad excipienda hostium consilia: auditis quæ prænunciauerat, retulerunt exploratores ad suos. Tum comprehensi à Romanis transfugæ, amputatis manibus remissi sunt. Ibidem.

PRODITORES, TRANSFVGAS, DEFECTORES *astu circumuenire & punire.*

Pœna proditorum, transfugarum, & defectorum, per se ad διορθωτικὴν iustitiam pertinet. Quatenus verò astu circumueniuntur, sic ad hunc locum referri debet.

IPHICRATES dux Atheniensium, classem suam hostili habitu instruxit: & ad eos, quos suspectos habebat, inuectus, cùm effuso studio exciperetur, deprehensa eorum perfidia, oppidum diripuit. Frontinus libro 4 cap. 7.

IDEM cùm esset Corinthi, audiens eos qui contrariam factionem tuebantur, mercenarios ex Lacedæmone in vrbem accepturos esse, suis militibus excitatis, alios reliquit intus præsidij causa, alios extra portas eductos in ordines redegit: & ad illam portam festinauit, quam patefecerunt, qui hostes acceptos introducebant. Postremis introeuntibus, repentè incumbens secutus est, & in ciuitatem simul irruit. Cùm autem res in obscuro nocturno tempore gereretur, multos ex ipsis trucidauit. Illucescente die multos ad aras perfugientes confecit. Polyæn. lib. 3.

IDEM Acæ, cùm audisset duos duces proditionem moliri, vocatis præstantissimis qui erant in exercitu, mandauit, vt cùm aduersarios proditionis causa accersens rem peruestigaret, ipsi confestim arma illis & illorum manipulis eriperent. Iphicrates ergo probata ac demõstrata proditione, duces quidem mortis supplicio affecit, milites verò nudos è castris expulit. Ibidem.

ATHENIENSES cùm expeditionem aduersus Corcyrenses exules Istones montem tenentes suscepissent, illi arma tradiderunt, deferentes Atheniensium populo de se statuendi potestatem. Quòd si qui ipsorum fugam parare deprehenderentur, irritum esse fœdus debere. Corcyrenses veriti ne nimis humaniter Atheniensium populus de eis statueret, clàm ad Argiuos miserunt, suadentes vt se in fugam conijcerẽt: nauémque suppeditauerunt, vt si morem gessissent ac fugissent, fœdus dissolueretur. Atheniẽses eos quasi fœderũ ruptores Corcyrensibus tradiderũt.

Qui eos receptos,ad vnum omnes morte mulctarunt.Polyæn.lib.6.

LYSIMACHVS cùm Amphipolim cæpisset Andragathi proditione, magnis eum muneribus ornauit,maioraque promisit, si in Asiam secum vnà proficisceretur.Postquam verò ad Thracias augustias deuentum esset,non solùm omnib.bonis quæ possidebat,eum spoliauit: verumetiam tormentis confectum,vita priuauit.Polyæn.lib.4.

LYSIMACHVS cùm Antariatæ suis impedimentis spoliati essent in pugna aduersus Demetrium facta , metuens ne quid nouarum rerum inciperent Barbari omnibus possessionibus exuti , productos eos extra vallum,tanquam ad frumenti distributionem,dato signo omnes ad vnũ interfecit.Erant autem vniuersi numero sexcenti.Ibidem.

EPHORI,cùm proditum esset Cinadonem ipsis insidias struere , cõprehendere ipsum in vrbe non conducere rati,quibusdã equitibus clàm in faucem Laconicæ regionis præmissis, non multo antè Cinadonẽ vocatum cum duobus militibus in fauces miserũt, ad negocium quoddam arcanum . Qui cùm venissent in constitutum locum,præmissi equites eum comprehensum sub quæstionibus examinarunt: cumque coniurationis socios cognouissent, scripserunt Ephoris. Qui re cognita , indicatos sine tumultu occiderunt,cùm is qui indicarat præstò non esset. Polyæn.lib.2.

CASSANDER Nicanorem præsidentem Munychiæ , & iniquo animo erga se affectum,dolo cæpit.Etenim se discessurum exAttica cum nauibus simulabat.Cui iam conscensuro nauim,tabellarius literas reddidit ab amicis,qui essent in Macedonia,quarum hæc erat sententia:Macedones eum ad regnum capessendum accersere,propter ciuium in Polypercontem odium.His lectis,Cassander lætabundus atque hilaris factus est: & Nicanorem comitantem complexus,gratulabatur.&:Nunc,aiebat, aliter nobis de rebus consultandum est , ac de communi sententia imperium ordinandum.Hæc dicens,tacitè perduxit eum in vicinam quandam domum,hoc prætextu,vt cum eo solo de rebus arcanis dissereret. Erat autem in domo manipulus satellitum abstrusus,qui comprehensum Nicanorem custodierunt.Cassander extemplò cõcionem conuocauit,iisq; qui Nicanorem vellent accusare,potestatem concessit . Interea dum in eum crimina conferuntur, Munychiam recipit.Nicanorẽ verò, qui multa scelera contra ius & fas licenter patrarat,morti in concione adiudicarunt.Polyænus lib.4.

PHOCENSES Phoxum ducem secuti, Mandroni Bebrycum regi,qui à finitimis Barbaris oppugnabatur,auxilium ferebant.Mandro Phocensibus persuasit,vt partem aliquam regionis atque vrbis delectam incolerent.Qui cùm sæpenumerò victores è pugnis reuerterentur, magnámque spoliorum copiam acquirerent,inuidiam Bebrycum erga se concitarunt:adeò vt Mandronis insidiis ac dolo vtentes,de inquilinorum cæde consilium inirent.Mandronis filia Lampsace virgo,cognitis insidiis, cùm eos deterrere à proposito non posset, clàm Græcis consilium contra eos initum enunciat. Qui sacrificium splendidum extra mœnia parantes,Barbaros in suburbium ad epulas inuitant.Illi conclusi epulabantur.Phocenses in duas sese partes diuiserunt: quorum alteri muros occuparunt, alteri conuiuantes & vino indulgentes peremerunt: vrbemq; ipsi obtinuerunt .Lampsacen autem honorificentissimis præmiis affecerunt , & ciuitatem ab ea Lampsacum nominarunt . Polyænus libro octauo.

ERIPPIDAS cùm venisset Heracleam Trachiniam, vocata concione,positis in circuitu armatis,promulgauit, vt Trachinij seorsum sederent . Quibus sedentibus,ille iussit de suis iniuriis causam apud Lacedæmonios dicere,quemadmodum vinctos in Spartiatide leges iubent: pòst ab armatis vincti,extra portas educti omnes interfecti sunt.Polyæn. libro 2.

ANTIGONVS Argyraspides, qui Eumenem vinctum ei tradiderant, muneribus ornauit.Verùm vt eorum perfidiã caueret,mille ex eis socios tradidit Sigyritio Arabiæ præfecto.Alios verò in alia loca munitissima & inuia præsidij causa dimisit,vt ipsi regionem custodiæ gratia tenerent. Itaque subitò omnes euanuerunt.Polyæn.lib.4.

IDEM in Cappadocia hybernabat.Defecerunt ab eo Macedonum armatorum tria millia.Hi collibus munitioribus occupatis, Lycaoniã populabantur,atque iam etiam Phrygiam. Antigonus tot homines morte mulctare,crudele & inhumanum putabat.Metuebat autem,ne se cũ hostibus,quorum Lacetas principatum tenebat,coniungerent. Itaque talẽ dolum machinatus est.Dimisit ad eos Leonidam,vnum de suis ducibus, qui se participem defectionis præberet. Illi hominem libenter receperunt,eumque ducem crearunt.Leonidas primùm eos persuasit, ne cum aliquo se coniungerent.Hoc igitur primùm Antigono pro animi sententia successit.Postea deduxit eos à collibus in locum equitibus idoneum, cùm ipsi carerent equis.Hic adequitans Antigonus Holciam, atq; duos authores defectionis comprehẽdit. Illi pro salute impetranda supplices illi se abiecerunt:qui promisit se eis discedendi facultatem permissurum, si quietè ac sine turba reuerti in Macedoniam vellent. His conditionibus vtebantur, ac domum regressi sunt. Antigonus Leonidam eos ducere iussit vsque in Macedoniam, vt eos securè domum deduceret. Ibidem.

IDEM cùm audiuisset Pithonem Mediæ præfectum peregrinum exercitum conscribere,& pecunias colligere , eo consilio vt defectionem faceret,simulabat se fidem non adhibere nunciantibus,inquiẽs: Ego verò nequaquam crediderim hoc agere Pithonem, cui ego quinque millia Macedonum armatorum atque Thracum,& mille præfecturæ custodes paraui,quos ei mitterem.His auditis,Pithon credit humanitati : & confestim venit ad recipiendum auxilium.Antigonus verò Pithonem in medium Macedonum introductum cæpit,& punitum morte mulctauit. Polyæn.lib.4.

LEVCON in bello contra Heracleotas , animaduertens aliquos ex trierarchis proditionem moliri,& transitionem ad hostes parare, comprehendi eos iussit,& ad se,inquit,parum honestos sermones de ipsis deferri:verùm se fidem iis non habere.Ne igitur, si fortuna & casus victoriam hostibus dedisset,ipsi in suspicionem criminis venirent,eos quiescere iussit:aliosque trierarchos in eorum locum suffecit. Familiaribus autem suspectorum magistratus, vicorumque principatus commisit, quasi amico erga eos animo affectus.Cùm verò bello finem imposuisset,Iustũ inquit esse vt in suspectos inquisitio fieret,ne sine ratione fidem illis nõ habuisse putaretur. Qui cùm in curiam venissent vnà cum familiaribus inclusos armata militum manu omnes ad vnum morte affici iussit.Polyænus libro sexto.

AGATHOCLES cùm rescisset,à Tisarco,Anthropino & Diocle sibi insidias parari, accersiuit eos,magnumque exercitum ipsis commisit, vt egressi sociæ cuidam ciuitati,quæ ab hostibus oppugnabatur,auxilio venirent. Et cras,inquit, in Timoleontium conueniemus cum armis & equis,omnemque expeditionem ordinabimus.Illi libentibus animis hæc receperunt,quod etiam se militares copias ad aggrediendum regem habituros putabant.Postridie cùm in Timoleontium cõuenissent,Agathocles signum ad eos comprehendendos dedit.Reliqui audito signo, Dioclem, Tisarchum & Anthropinum cum vniuerso satellitio ad ducentos confoderunt : omnesque quotquot his opem vellent adferre,simul neci dederunt,non minus sexcentis.Polyæn.lib.5.

IDEM cum audisset principes Syracusiorum nouis reb. studere, Carthaginensibus deuictis,gratulatoria diis sacrificia peragens,quingentos viros,quos suspectos habebat,ad conuiuium conuocauit. Erat sanè magnificentissimum vocatorum,& supra modum opiparum cõuiuium.Ipse verò,cùm omnes iam largius vinum hausissent,in medium eorũ ingressus,crocotumque indutus & amictus, Tarentina fistula cecinit, citharaq; lusit atque saltauit,ita vt è nimia voluptate tumultus strepitusque consequeretur.Interim dum omnes indulgent genio , ipse è conuiuio se subduxit,quasi defatigatus,& se vestem mutaturum simulauit.Circumdederant eum locum vbi conuiuium agitabatur , magnus armatorum numerus,& ex iis mille districtis gladiis bini singulos aggressi , discumbentes ad vnum omnes peremerunt.Ibidem.

DEMETRIVS Diodoro phrurarcho Ephesum custodiendam tradidit,& Cariam versus nauigauit. At ille cùm Lysimacho pactus est, se quinquaginta acceptis talentis vrbem ei proditurum Quo cognito,Demetrius assumptis hemiolis,reliquas in religione clàm iubit appellere. Ipse in vna,adiuncto Nicanore,in portum Ephesiorum adnauigauit.Demetrius in cauitate nauis occulebatur. Nicanor autem apertè Diodorũ vocarat,quasi de militibus cum eo disserturus,vt eis tutò discedendi facultatem concederet.Ille Nicanorem solum venire arbitratus,conscensa celoce remigabili,fœdus icere paratus erat. Cùm autẽ appropinquasset,exiliens è caua naue Demetrius , celocem vnà cum ipsis hominibus submersit,enatantesq; comprehendit:Ephesumq; auteuertens, proditorem obtinuit.Polyæn.lib.4.

ARTAXERXES ad comprehendẽdum Tissaphernem misit Tithraustam,duas epistolas ferentem:vnam ad ipsum,de bello contra Græcos, summam omnium rerum ei permittẽs:alteram ad Ariæum, vt eum cum Tithrausta comprehenderet . Ariæus lectis literis,in vrbe Phrygiæ Colassis, Tissaphernem vocauit ad communicanda consilia cùm de rebus aliis,tum in primis de Græcis.Ille nihil suspicatus mali,copias Sardis reliquit.Ipse verò cum trecentis delectis Arcadib.& Milesiis profectus,apud Ariæum diuertit:iamque balneis operam dans,acinacem deposuerat.Arigus cum famulis eum comprehendit, conclusumque in currum obductum Tithraustæ agendum dedit Qui Celænas vsque in sutum duxit. Ibi abscissum eius caput regi tulit. Rex matri Parisatidi misit,quæ maximè pœnas ob Cyri mortem ab Tissapherne repetere cupiebat.Græcorumq; omnium ferè matres aut vxores supplicium Tissaphernis probarunt, eo quòd Græcos fraude circumuenerat Polyæn.lib.7.

SEILES vt tria millia Persarum,qui nouis rebus studebant, morti traderet,finxit Seleucum per literas sibi grauiter minari. Se verò ipsorum auxilio ad præuertendam eius iram vti statuisse.Ad consilium igitur agitandum constituit,vt omnes in vicum quendam nomine Rhaudam cõuenirent.Illi credentes eius sermonibus,venerunt.At ipse (erat enim palus sub vico profunda) in eo loco Macedonum & Thracũ equitibus trecentis,armatisque ter mille collocatis,præcepit,vt cùm peltam ferream tolli vidissent,excursione facta,omnes ibi collectos perimerent.Qui ostensa pelta excurrentes,tria millia Persarum ad vnum omnes conciderunt.Ibidem.

ARTABAZO oppugnanti ciuitatem quandam, Timoxenus Sicyonæus vrbem prodidit.Conuenerat inter vtrosque , exiguum libellum in telo suspensum,in locum constitutum eiaculari.Inde recipiens epistolas Artabazus,cum suspicaretur Pammenem hostibus eam rem enunciare, vocauit eum quasi munera largiturus,& militibus frumentum mensurus, Venientem in castra comprehendit , cumque fratribus Oxythræ atque Dibicto tradidit.Ibidem.

L.PINARIVS in Sicilia præsidio Hennę prępositus,claues portarũ, quas penes se habebat,reposcentibus magistratibus Hennẽsium,quòd suspectos eos tanquã transitionẽ,ad Pœnũ pararẽt habebat,petiit vnius noctis ad deliberationẽ spaciũ:indicataq; militibus fraude Græcorũ,cũ præcepisset, vt parati postera die signũ expectarent, prima luce assistẽtibus militibus redditurũ se claues dixit,si idẽ omnes Hennenses censuissent.Ob
eam

eam causam vniuersa multitudine conuocata in theatrum,& idem flagitante manifesta deficiendi voluntate,signo militantibus dato , vniuersos Hennenses cecidit.Front.lib.4.cap.7.& Polyæn.lib.8.

MITHRIDATI rex præcepit, vt Datamen,qui defectionem fecerat, occideret,aut viuum adduceret. Mithridates etiam ipse simulabat se defecturum à rege.Datames eius verbis credere noluit, nisi prius magnũ damnum regis ditioni intulisset.Qui magnam intulit vastitatem,castella regis solo ęquauit,vicos incẽdit,tributa per vim rapuit,prædam abegit. Cùm multis rebus ostendisset se regi infestum esse, ambo simul inermes conuenerunt ad colloquendum,consultandumque quid fieri oporteret. Mithridates in eo loco multos gladios noctu comparauerat,aliumq; alibi abdiderat, & his signum imposuerat. Colloquendo igitur eum abduxit,pedetentim ambulans.Cùm satis esset dissertum, Datames dicta salute abitum parabat. Mithridates vnum ex ensibus celeriter arripiens, eoque sub manu sinistra occultato,reuocauit Datamen,quasi oblitus aliquid quod dicere necesse esset.Aduenientem autem iussit montem illũ munire. Sic Datamen studiose in montem intuẽtem, Mithridates ense percussum interfecit.Polyæn.lib.7.

CAROLVS Zenus (quem non immeritò alterum Camillum, Venetæ vrbis seruatorem,appellare posis: cùm illius opera recepta Clodia,libertas Reipub.constiterit) Robertum Recatẽsem,qui in Venetis castris merebat ductoris nomine,quique etiam plurimos milites sibi fauentes habebat,ex toto Piceno lectos,sic vltus est. Primùm, vt nequaquã de eius fide dubitare videretur, passus est eum Clodiam ingredi, adhibito tamẽ comite,cui Carolus ipse crederet. Perfidia eius deinde planè percepta, Robertum ipsum sustulit,dolo in Venetos omnia peragentem , & Genuenses coegit statim deditionem facere.Qua re effectum est, vt Veneti rerum potiti,gloriaque pleni domum redierint : contraque Genuenses ipsi in summam rerum desperationem adacti,pacem à Venetis oblatam, magna cum sua ignominia acceperint. Egnatius lib.7.cap.4.

FIDEM SVAM DECLARARE, ET FALSAM *suspicionem remouere.*

Exempla quędam ex tit. Suspectos facere hostes, peti possunt.

PERICLES cùm esset locuples,multum terræ possidebat. Archidamus,cum quo vetus ei amicitia & hospitium intercedebat, populabũdus in Atticam impressionem fecit.Pericles prospiciens ac pręsentiens, Archidamum hospitij religione ac honore suis agris parsurum , ne in suspicionem Atheniensibus veniret,ante vastationem in concionem progressus,omnem terrã quam possidebat,Reipublicæ donauit.Polyænus lib.1.

PHRYNICHVS in Samo dux, cùm vrbem proderet,inter cunctandum accusatus, metuens ne perspicuum euaderet , prior omnia Samiis prædixit,quæ hostes erant facturi:In eam partem Sami quæ muro caret impressionem facient cum omnibus nauibus:sed agite muniamus antequam adsint.Qui munitionem ędificare cœperunt.At hostes,quorum Alcibiades dux erat,Samiis literas mittebant,Phrynichi proditionem indicantes.Samij rebus ipsis magis crediderunt,quas tanquã bonus ac strenuus dux gereret, quàm hostium literis.Polyæn.lib.3.

DOMINICVS Michael Venetorum dux,militaris disciplinæ præcipuum documentum,cùm audiret Hierosolymitanum regnum grauiter laborare,Gotifredo primo Bolionio mortuo,Balduinoque secũdo rẽge à Turcis capto,Callisti Pont.rogatu validissimã classem Venetiis instrui iussit,præsertim cùm memor esset à Vitali Michaele primò Christianos principes classe ingenti,cui ipse præfuerat,adiutos fuisse. In Syriã igitur quũ celerrimè enauigasset,primùm Sarracenicam classem Ioppem obsidione prementem,non sine graui certamine totam ferè cępit: Ioppeque liberata,& nauibus decẽ ex Sarracenico hoste captis , cum ingenti prędą ad Tyrum insulam mari obsidendam profectus est.Cingebãt eam ex altera parte terrestri exercitu Varimundus Hierosolymitanus antistes, reliquique Franci principes.Inter Francos seditio exorta est. Non sine manifesto periculo Tyrum ab se obsideri asserebãt, Sarracenorum ducẽ magnis aduentare copiis.Venetos interim omnis periculi & aleę immunes fore.Ea res ad Dominicum ducem delata,perculit facilè primũ animum illius,indignati:quasi verò de Venetorum fide dubitarent,quæ cõstantissima semper fuisset.Ea igitur super re Michaeli duci cogitanti,quũ diuersa ei occurrerent,tandem id consilium maximè placuit, ad confirmandos sociorum animos,vt ex singulis nauium carinis integræ tabulæ abscinderẽtur, earumq; claui & reliqua gubernacula ad Varimundũ antistitẽ in castra deferrentur.Ea res omniũ animos,qui aderant,ita flexit,ita in admirationẽ vertit,vt exclamarent omnes vnam esse Venetorum fidẽ, vnam constantiam, ducemque ipsum Michaelem vnum omnibus rebus anteponendũ.Maiori igitur studio in obsidenda Tyro versis omniũ animis facilè id contigit, vt Tyros tãdem caperetur:tertiaq; vrbis parte Venetis tradita,priuam illis aream,priuum forum,priua denique omnia tẽpla concederentur,id quod fœdere inter Varimundum & reliquos principes conuenerat.Quod Balduinus rex postea comprobauit.Baptista Egnatius libro secundo,cap.2.

COMMEATVM ACQVIRERE, INTRODVCERE. CONseruare. *Item, De præda tutò agenda.*

IPHICRATES viam aridam & expertem aquæ biduo profecturus, præcepit,vt sumpta cœna, vasa replerent aquis , & occidente sole duxit exercitum per noctem.Facto die castrametatus est,& iussit cibum capere,atque aquis vti:inde postquam quieuerunt interdiu , cœnam parare, atque collectis omnibus iterum noctu iter facere.Sic pro biduo duabus noctibus frigus captantes euaserunt, & vna dies atque aqua ipsis rectè suffecit.Polyęn.libr.3.

TIMOTHEVS cùm quadraginta naues haberet, volens ex his quinque præmittere,complurium dierum commeatu instructas,cùm stipendia dare non posset, præceptum dedit,vt omnes naues soluerẽt, quæ triplum commeatum haberent.Quæ ad insulam quandam appulerũt.Triremium præfectos iussit ex singulis nauibus duplum commeatum ad se adferre.Quem in quinque naues distribuit, easque cum plurium dierũ commeatu emisit : ipse verò cum triginta tribus nauibus ad pristinam stationem rediit.Ibidem.

IDEM oppugnans Samum,cùm multi peregrini appellentes, ea quæ oppugnabantur consumerent,& idcirco caritas esset annonæ , præcepit ne venderent farinam,neque heminam olei,aut vini, sed frumenti non minus modio,liquidorum verò,ad metretam : nemoque frumenti teras molas haberet,nisi in collibus.Sic accidit,vt cùm peregrinis forum non patẽret,rerum ad quotidianum vsum spectantium,secum ipsi ea apportarent, frumenti autem & ciborũ apparatum soli milites consumerent. Polyæn.lib.3.& Arist.in Oeconom.disputatione.

IDEM vrbem exercitu circumdans,militibus locum definiuit , vnde prædam agerent:reliquam regionis partem,& quantum erat necesse, ipsis reddidit.Non autem permisit neq; domum neq; tugurium destruere, neq; insiticiã arborem excindere,sed ipsos duntaxat fructus capere Et hæc excogitans efficiebat,vt si vicissent, plura tributa colligere possent: sin belliũ diutius traheretur,victũ copiosũ & diuersoria haberẽt. Quod verò his maius est,maximã beneuolẽtiã ab hostibus venabatur.Poly.li.3.

CHABRIAS cùm electi sufficerent ad implendas naues centum & viginti,esset autem ei opus solum sexaginta nauibus,iussit eos qui remanebant iis qui ex sexaginta nauibus nauigaturi erant,ad bimestre annonam ministrare,aut ipsos nauigare:ipsi verò propriis rebus incumbere cupientes dederunt ea quæ præcepit.Aristot.in Oeconom.

IDEM ex suis decem velocissimos in singulas naues imposuit,&noctu in hostile solum emisit,atque prædam ex regione agere iussit. Ciues ex vrbe suis rebus opem ferentes,capturi prædatores erant . Quo ille viso, confestim ad vrbem nauigabat.Egressi cùm adnauigantem vidissent, diligentiam adhibuerunt,ne vrbẽ caperet.Ille naues ad terram appellens, acceptis scutatis,& præda quam cæperant,discesit.Polyæn.lib.3.

ANAXARCHVS cùm irruente tempestate cognouisset antè, Alexãdrum lignis vacuum locum castris capturum esse , omnibus vasis & supellectili in statiuis defossis, calones lignis onerauit.Cùm igitur ad eum locum ventum esset,& ligna deficerent,omnes Alexandri mensæ comburebantur,vt sese calefacere posset.Quodam nunciante,apud Anaxarchum ignes extare,contulit se ad ipsum,& in Anaxarchi scena sese calefecit:audiensque prouidentiam,collaudauit:& quæ abiecerat,duplo restituit,tũ vasa,tũ vestes,quoniã ipsius igni fuerat vsus.Aeli.de Var.hi.li.9.

HIRCIVS Mutinensibus obsessis ab Antonio , salem quo maximè indigebant cuppis conditum per amnem Saturninum intromisit.Idẽ pecora secunda aqua dimisit , quæ excepta sustentauerunt necessariorum inopiam.Front.lib.3.ca.14.

Cùm Tarentini à Romanis obsiderentur,periculumq; esset, ne fame ad deditionem compellerentur, RHEGINI decimo quoque die ieiunium decernentes,victum concesserunt Tarentinis.Proinde cum decedentibus Romanis liberarentur,memores calamitatis Tarentini,festum constituerunt,quod Ieiunium appellabant.Aelian.de Var.hist.lib.5.

ARIOBARZANES Andramitium tenens, ab Authophradate terra marique oppugnabatur.Cùm autem res necessarias ac milites in vrbem cuperet introducere,& ab oppugnantibus impediretur, mandatum dat Ptelcunti,qui obiectam insulam cum præsidio tenebat,vt simularet se eã Authophradatę proditurũ. Qui cùm pręsidiis præfecto crederet,& classem ad accipiendam insulam mitteret:Ariobarzanes interea dum naues ad insulam contendunt,eas præuertens,magnam commeatuum ac militum copiam in vrbem importauit.Poly.lib.7.

PTOLEMÆVS rapto Alexandri cadauere, Perdiccæ vim astutè effugit. Vide sub tit.Prudentię in honoribus comparandis.

Hannibale obsidente Casilinum , ROMANI farinam doliis secunda aqua Vulturni fluminis dimittebant,vt ab obsessis exciperetur . Quibus cùm obiecta per medium amnem catena Hannibal obstitisset , nuces sparsere,quæ cum aqua ferente ad oppidum defluerent. Eo commeatu sociorum necessitatem sustentauerunt.Frontin.lib.3.cap.14.

ZISCHA Bohemus,qui Thaboritarum ductauit exercitum , villam

quandam in Austria cùm diripuisset,neque inuenisset armenta (nam illa in insulam Danubio cinctam transfrecta fuerant) conquisitis à proximis villis duobus vitulis,totidéque suibus, eos eregionè insulæ ramdiu verberari iussit, donec mugitum grunnitúmque vaccæ suésque exaudiêtes ad ripam suam tranarent.Qua prudentia cùm multa armenta intercepisset,& adduxisset,non modicam prædam ad suos portauit.Æneas Syluius lib.2.Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

TAMBVRLANES, quamuis ingentes duceret copias,commeatum tamen semper abundauit.Vide tit.Temperantia militum.

EXERCERE MILITES, NE IGNAVIA ET *ocio corrumpantur.*

AGESILAVS in gymnasio,ne ocio senescerent milites, exercitationis & virtutis cuiusque præmia proposuit,leuibusque præliis experiundo assuefecit.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

CHABRIAS in Ægypto regis Ægyptiorum exercitum ducebat. Cũ rex Persarum pedestribus ac nauallibus copiis expeditionem faceret,Ægyptius nauibus abundans implementis egebat. Chabrias delectis iumentis ex Ægyptiis eo numero,vt ducentis nauibus implendis sufficerent,remos è triremibus sustulit:longisque cõtis versus littus porrectis, effecit vt singuli ordine sederent: dansque eis remos, & iubens additis bilinguibus paucos dies ipsos agere,protectus est,& conscriptis remigibus naues impleuit.Polyæn.lib.2.

IPHICRATES variis modis milites exercebat, fictis excursionibus saltis insidiis,fictis proditionibus,simulatis transfugionibus, fictis aggressionibus, & panicis,vt si quando tale quid eueniret, non terrerentur. Ibidem.

PHILIPPVS exercebat Macedones, perinde ac si periculum imminueret, ita vt assumptis armis trecenta sæpe stadia conficerent: ferentes vnà galeas, scuta, tibialia, sarissas, & cum his armis etiam commeatum,atque omnia vasa quæ ad quotidianum victum requirebantur. Polyæn.lib.4.

IDEM, cùm primum exercitum constitueret, vehiculorum vsum omnibus interdixit, equitibus non amplius quàm singulos calones habere permisit: pedibus autem denis singulos, qui molas & funes ferrent. In æstiua excursibus, triginta dierum farinam collo portare imperauit. Front.lib.4.cap.1.

ALEXANDER Macedoniæ rex inuictissimus, ne ocio milites lasciuirent,& variis voluptatibus frangerentur, certantibus in castris virtutis præmia chlamydas dedit.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

PERSARVM reges ne exercitus ocio torpesceret, cùm omnis res in tuto erat, nec hostes adeò timendi, interim curtus & pugnæ præmia militibus proponebant.Ibidem.

CYRVM legimus belligerantem sæpissimè castra sua mutasse,ne loci assuetudine ficti milites, segnius bellica negotia expedirent. Quamuis nonnulli,castrorum crebram mutationem præ se ferre turpem fugam & exercitus alienationem putarint.Xenophon.

Apud ROMANOS inter alia opera militaria, quibus velut simulachris pugnæ, animos corporáque tanquam ad verum bellum exercebatur iuuenis, ad palum quoque exerceri, aut iaculis aut sagittis ferire, nonnunquam fundis & lapidibus, disciplinæ militaris erat. Fuit autem palus cubitorum trium,quem tyrones scuto & claua velut hostem petere, in eúmque ictus & plagas inferre solebant. In quo id cauebatur in primis,ne dum ad palum ictus intendunt, ipsi hostium telis pateant. Alex.ab Alex.lib 1.cap.20.

Q. FAB. Maximus, & plerique Romanorum imperatores & duces, exercitum itineribus & locorum mutatione crebrò fatigari potius qui vno in loco in castris sedere existimabant esse cùm tutius, tum ad disciplinam militarem nobilius. Alex.ab Alex.lib.1.cap.12.

Agebatur Romæ occultè inter patres de Carthagine funditùs delenda, exijtque ea consultatio in longam & difficilem disceptationem: maiore Portio Catone,cui aurea Prici fuit nomen,censente Carthaginem delendam,vt Roma incolumis esset: multíque pedibus ière in eam sententiam. Tum P. SCIPIO Nasica identidem testatus, videretillis qui tam cupidè vellent Carthaginem excisam, ne populus Rom. æmulæ & inimicæ vrbis metu liberatus,in domesticam laberetur discordiã.Quod malum multo prius prospexit Nasica,ac prædicauit,sed fatali necessitati ire obuiam nõ potuit.Sabellicus lib.4.cap.8.Florus lib.49.& lib.3.cap.11. Appianus in Libyco. Plutarchus in vita Catonis Censorij. Orosius lib.4. cap.22 Plin.cap.18.

P.SCIPIO Nasica quamuis in hybernis classis vsus non esset necessarius,ne tamen desidia miles corrumperetur,aut per ocij licentiam sociis iniuriam referret, naues ædificare instituit. Frontinus libro quarto, capite primo.

P. SCIPIO ad Numantiam,corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit,dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus (quotidiana exercitatione) militibus. Quibus cum frequens iniungeret iter,portare complurium dierum cibaria imperauit, ita vt frigora & imbres pati, vada fluminum pedibus traijcere assueceret miles, exprobrãte subinde Imperatore tiunditatem & iguauiam, frangente delicationis vsus ac parum necessaria expeditioni vasa. Quod maximè nobiliter accidit C.Mæuio tribuno,cui dixisse traditur Scipio:Mihi paulisper,tibi & Reipub.semper nequam eris.Ibidem.

Domitius Corbulo dolabra, id est operibus, hostem vincendum esse docebat.Front.lib.4 cap.7.

Q.METELLVS Cõsul,quamuis nulla lege impediretur,quin filium contubernalem perpetuum haberet,maluit tamen eum in ordine merere.Front.lib.4.cap.1.

MAXIMINVS senior prius quàm ad imperium conscenderet, sub Alexandro militauit. Is quinto quoque die in armis exercitum educebat,militaríque more quotidie currẽdo atque luctando exercebat. Ipse quoque, quanquam iam grandis natu campestrium exercitationum labores cum eis subibat.Fulgosius libro secundo,capite secundo:& Alexander libro primo,capite vigesimo.

AVRELIANVS Cæsar præ cæteris nullum reliquit vacuum diem, quin se pilo, sagittis & militaribus armis exerceret.Ibidem.

HABITVS CORPORIS MILITARIS.

LACEDÆMONII huiusmodi legem habebant, vt nemo Lacedæmoniorum molliciem aliquam colore præ se ferret,aut corpotis impinguatione crassiore,quàm quæ exercitijs conueniret, præditus esset.Nam hoc pigritiam,illud mollicium ostẽdere videbatur:itaque decimo quoque die ephebos ad vnum omnes publicè nudos Ephori aspiciebant, ac si aliquod membrum inueniretur delicatius ac mollius, ob succrescentem exercitantia pinguedinem, verberabant, atque in ius trahebant, vt immodicę voluptatis,dedidiæque pœnas darent.Æliamus lib.14.de Varia historia.

ROMANI obesos vastíque corporis equites,equis ademptis, ignominia notabant:vt qui per crapulam patriæ se inutiles fecissent,publico quoque honore carerent.Fulg.lib.2.cap.1.

THESEI instituto,milites anteriores capillos abradunt,ne ab hostibus apprehendi possint.Polyæn.lib.1.

ALEXANDER bellum gerens imperabat ducibus, vt barbas Macedonum raderent, ne facilem antam hostibus ad capiendum præberent. Polyæn.lib 4.

Apud CATTOS Germaniæ populos,nefas erat, barbam ponere, aut capillum secare,aut alio modo exornari, nisi ex præda occisi à se hostis caput retulissent.Fulg.lib.2.cap.1.

VESTITVM ET ARMA OPPORTVNA *deligere.*

LACEDÆMONII ad dissimulandum & occultandum vulnerum suorum cruorem,puniceis tunicis in prælio vtebantur, non vt ipsis aspectus earum terrorem,sed ne hostibus fiduciæ aliquid adferret.Val. Max. lib.2. cap.1.& Gell.lib.1.cap.11.& Alex.lib.4.cap.7.

PHILOPOEMEN instruxit Achiuos,vt pro scuto & hasta, clypeum latissimúque caperent, galeisque & loricis atque tibialibus sese munirent, stabilémque & pedestrem pugnam exercerent,pro cursu & scutatorũ iaculatione, omnésque delicias & operositates vestium, cœnarúmque de medio remouerent,& solis iis quæ necessitas postularet ad vsum militarem,contenti viuerent. His præceptis Philopœmen in plerisque conflictibus strenuos atque præstantes milites habuit.Polyæn.lib.6.

ALEXANDER semithoraces suis militibus pro thoracibus dedit, vt si manssissent,securitatem ac munitionem haberẽt, anterioribus partibus occultatis;sin fugissent, auersa hostibus nuda paterent. Itaque nemo fugam capessere voluit,metuens ne tergum hostibus nudaret,sed manentes omni tempore victoriam parabant.Polyæn.lib.4.

Galli cùm duce Brẽno rege per vim Romam occupassent, septem mẽsibus eam tenuerunt. CAMILLVS Romanis, qui extra vrbem erant, collectis,expulit Gallos, vrbéque restituit. Rursus Galli post annos tredecim Romanorum regionem inuadere ausi, ad Anienem fluuium,non procul ab vrbe,castra metabantur.Camillus quintùm Dictator creatus, accepis copiis,contra Gallorum gladios,quibus impetentes capita abscindebant,iussit comparare galeas omnino ferreas ac leues,vt enses retunderentur,aut confringerentur.Clypeis autem vndique æneum tegumentum induxit,ligno ictus non ferente. Milites verò longis hastilibus cominus vti docuit,& hostium gladiis scipsos opponere, ictusque excipere.Gallorum enim ferrum cùm esset molle,maléque fabricatum, repentè laborabat, corúmque enses recuruabantur, & ad pugnam erant inutiles.Sic nullo negotio victi,multi eorum cadebant. Reliqui verò se fugæ mandabant.Polyæn.lib.8.

VELITVM vsus eo bello primùm repertus est, quo Capuam Fuluius Flaccus imperator obsedit.Nam cùm equitatui Campanorum crebris excursationibus equites Rom.quia numero pauciores erãt, resistere non possent,Q.Nauius cẽturio è peditibus lectos expediti corporis, breuibus& incuruis septenis armatos hastis,paruo tegmine munitos,veloci saltu iungere se equitantibus, & rursus celeri motu dilabi instituit, quo

quo facilius equestri prælio subiecti pedites, viros pariter atque equos hostiũ telis incesserẽt.Eaq; nouitas pugnæ vniciũ Cãpanę perfidiæ debilitauit auxiliũ.Ideoq; autori ei⁹ Nęuio adhuc honos est habit⁹.Val.li.2.c.1.

GN. DVILLVS imperator contra Carthaginenses missus, in suis nauib. ferreas manus cum irrisu hostium habuit.Illis inter pugnandum hostium naues adprehendit,cæpit & vicit apud Sicilią.Volat.li.15 Anthr.

ARMORVM ORNATVS.

XENOPHONTIum alia honesta bonaque curæ fuerunt, tum vt haberet arma pulchra & expolita.Aiebat enim,si vicisset,elegantiss.quoque se stola ab hostib.indutum iri:etsi vitam amitteret in prælio,decorũ esse iacere in armatura splendida.Dicitur igitur habuisse scutũ Argolicũ, thoracem Atticum,galeam Bœotico artificio factam,equum Epidaurium. Ælian.de Var.hist.libro tertio.

ROMANI milites,qui rudibus & parum niti dis armis, vel strigosiore equo,& macie affecto vtebantur,quique prædicto ad pugnam die occasionibus quæsitis contumacius parebant,ignominia notabant. Alex. ab Alex.lib.2.cap.decimotertio.

P. SCIPIO Africanus,cùm ornatum scutum cuiusdam elegantius vidisset,non se mirari dixit,quòd tanta cura ornasset,in quo plus præsidij quàm in gladio haberet.Frontin.lib.4.cap.1.Polyænus autem libro 8.hoc apophthegmate vsum scribit:Turpe est,læuæ manui fidere magis, quàm dextræ.

CÆSAR militibus præcepit,vt arma haberent auro argentoq; ornata,maximè quidem ornamenti causa: deinde etiam, vt res preciosas acrius defendendas ac propugnandas existimarent.Polyæn.libr.8.

ARMA SVA ASTVTE CONSERVARE ET RETINERE.

CHIIS aduersus Erythræos bellum erat de Leuconia.Chij cùm viderent se nullo modo hostium impetum ferre posse,decreuerunt facto fœdere exire,& singuli chlænam & tunicam assumere.Chiæ mulieres indignè ferebant,si proiectis armis nudi fugam peterent. Illis se iuramẽtum ea de re interposuisse dicentibus, mulieres consilium dederunt, nequaquam arma deponerent:verùm dicerent sibi moris esse chlænam appellare hastam,& tunicam scutum.Chij mulierib.morem gesserunt,armisque retentis,formidabiliores Erythræis extiterunt. Polyæn.li.8.

ANNIBAL in Iberia magnam ciuitatem Salmatidem oppugnabat. Pactum cum eis fecit,in trecentis argenti talentis,& trecentis obsidibus acceptis,oppugnationem dimitteret.Cùm Salmatenses non traderẽt,de quibus inter eos conuenerat,Annibal reuersus immisit milites,quasi direpturos vrbem.Rogabant Barbari,vt sibi liceret amictis vna veste cum vxoribus exire:arma,pecunias & mancipia se relicturos.Vxores in sinibus gladios occultantes,cum viris exierunt.Annibalis milites vrbem diripuerunt.Mulieres egressæ,maritis enses tradiderunt. Quædam etiam ipsæ strictis gladiis cum viris simul in eos qui ciuitatem vastabant,impetum fecerunt.Itaque alios cæperunt,alios in fugam coniecerunt,& confertim ex vrbe excurrerunt.Annibal mulierum fortitudinem admiratus, non solùm illas suis maritis reddidit , verumetiam patriam & pecunias eis restituit.Polyænus lib.7.

CAROLO septimo in Gallia regnante, cum is oppidũ Cariburgi nomine,ad mare positum oppugnaret,quod in Britannorum,qui nunc Angli dicuntur,possessione erat:Galli cum perspexissent vrbis partem maritimam,dum mare refluxeret,in sicco mansisse,in ea bombardas statuerunt,indeq; vrbis muros oppugnarunt. Vt autem Oceanũ ad vrbẽ redire cõspexerunt,hæc tormenta præparatis grandibus burbis, quas vncto vehementer corio confecerant,statim inclusere:retrò autem fluente oceano,bombardas in sicco locis suis stabiles cum inuenirent,in vrbem agere pergebant. Quod Britanni conspicientes,quia ab ea parte plurimùm vrgebantur, quam natura munitissimam rebatur esse,& propterea manu,vt defendi posset,industriæ minus erat adhibitum,haud diu morari deditionẽ fecerunt.Idem Carolo octauo regnãte in Morinis, qui nũc Britones dicuntur, cum vrbs Maclouium oppugnaretur,accidit. Quanquã autem perdifficilè videatur,in eo loco bõbardis vti, quem aquæ superemineãt:longè tamen magis mirũ fuit,quòd visi sunt Genuẽses agere,cum per bõbardas, centũ quadraginta librarũ lapides,in turrim marmoreã Labronensis portus contra Pisanos emiserũt,bõbardis in rate statutis,penè mille ac quingẽtis passibus lõgè à littore,anchoris inter duas onerarias Genuensiũ naues firmata. Huius autẽ inuenti laus,penes Andreã Metellum fuit:aliis fieri posse negantibus,vt in mari tanti ponderis bombardæ,vel nauigij genus vllum vel ratis sufficeret. Fulgos.lib.2.ca.1.

ARMA NOVA PARARE.

THASII,cùm oppugnarentur, machinas intra muros hostibus opponere volentes,funibus defecerunt,quibus colligare machinas necesse erat,Thasiæ capita rasserunt,& ad colligandas machinas capilli mulierũ adhibiti sunt,& vsurpati.Polyæn.lib.8.

CANNENSIS clades adeò vrbem Romanam contudit, vt opera M. Iunij Dictaturam Reipub.administrantis,spolia hostium affixa templis, deorum numini conseerara,instrumenta militiæ futura conuellerentur, ac prætextati pueri arma induerent:adiudicatorum etiam & capitali crimine damnatorum sex millia conserberentur:quæ si per se aspiciantur, aliquid ruboris habeãt:sin autem admotis necessitatis viribus ponderẽtur, fœuitiæ temporis conueniens præsidia videãtur.Val.Max.li.7.ca.6.

P.SCIPIO superior,ex Sicilia petens Africam,cum ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum implere vellet , neque tam subitò posset eos instruere,quod temporis angustiæ negabant, sagacitate consilij assecutus est.Namque ex iis iuuenibus,quos secum ex tota Sicilia nobilissimos& dirissimos,sed inermes habebat,ad se vocatos trecentos speciosa arma,& electos equos,quàm celerrimè expedire iussit,velut eos continò secum ad oppugnandum Carthaginem aduecturus.Qui cùm imperio,vt celeriter,ita longinqui& periculosi belli respectu solliciris animis paruissent,remittere sese Scipio illam expeditionẽ,si arma & equos militibus suis tradere voluissent,edixit. Rapuit conditionem imbellis ac timida iuuentus,instrumentoq; suo cupidè nostris cessit.Ergo calliditas ducis prouidit,vt si quod protinus imperaretur,graue prius:deinde remisso militiæ metu,maximum beneficium fieret. Valer. Max.libro septimo,capite tertio.Huic simile est Agesilai exemplum sub Tit.Delectus militum.

M.ANTONIVS à Mutina profugus, cortices pro scutis militibus suis dedit.

SPARTACO copiisque eius,scuta ex vimine fuerunt , quæ coriis tegebantur.Frontin.lib.1.cap.7.

CIVLII Cæsaris exercitus,id est inuicti ducis inuicta dextera , cùm armis Mundam clausisset,aggeríque extruendo materia deficeret , congerie hostilium cadauerum,quam desiderauerat altitudinem instruxit, eamque tragulis & pilis,quia roboreę sudes deerant,magistra nouę molitionis necessitate vsus vallauit.Valer.lib.7.ca.6.

Cùm Maximinus Augustus crudelitatis magnitudine,diu ferendo defessum iam Senatum populumq; Romanum ad defectionem compulisset,atq; is ad vrbẽ armatus tenderet,AQVILEIAM vrbem in itinere,quòd Senatui parẽret,obsessam in eã necessitatẽ redegit,vt cùm in arcus chordas non haberent,fœminarum suarum comis ad illud opus vterentur. Quemadmodum ROMANOS quoque fecisse legimus,cùm à Gallis in Capitolio obsiderentur,qui ob eam rem Venerem caluam postea consecrarunt.Hoc idem MASSILIENSES quoque aduersus C. Cæsarem egerunt.Fulgos.libro septimo,capite sexto.

NAVES PARARE ET TVERI.

IPHICRATES Regis nomine bellũ gerẽs,vnà cũ Pharnabazo nauigãs in Ægyptũ,cũ regio esset importuosa,mãdauit,triremiũ præfectis, vt quilibet quadraginta saccos haberet.Cũ verò appellerẽt,saccos arena cõplẽs, capita ex singulis nauib⁹ suspẽdit,atq; sic eas remigaras adduxit.Poly.li.3.

THEMISTOCLES in bello aduersus Æginetas, cùm Athenienses vellent reditus ex argentifodinis centũ talenta distribuere , interponens se persuasit centum ditissimis viris,vt quilibet talentum cõferret. Etsi placeret ea res,ciuitati sumptus æstimaretur:sin minus,qui accepissent,reddereẽt. Hæc approbata sunt.Centum autem viri quilibet triremem effecit, studium adhibentes pulchritudinis & celeritatis. Athenienses nouam classem factam lætabantur,eaque non tantum aduersus Æginetas , verumetiam contra Persas vsi sunt.Polyæn.lib.1.

CHABRIAS aduersus pelagias nauigationes,& marinas procellas singulis nauibus duo gubernacula comparauit, atq; pristinis in tranquillitate vtebatur. Sin mare canum fieret,altera per Parexeresiã iuxta sessiles remos apponebat gubernacula supra catastroma,vt sublata puppi nauem dirigeret.Polyæn.libro tertio.

IDEM aduersus impetus fluctuũ sub Parexeresiã ex vtroq; latere pelles affixit , & seorsum æquales,catastromati in altitudine munitionem hanc cum Parexeresiis coniunxit.Id impedimento fuit,quo minus patẽs fluctibus nauis ferretur,& nautæ minus madescerent. Sic etiam cùm impetentes fluctus cernere non possent,propter obstructionem non perterriti sunt metu,neque nauim reliquerunt. Ibidem.

ISCHOLAVS in Æno videns Athenienses adnauigare multis nauibus, veritus ne sub noctem appellentes, multa ex suis nauigiis abstraherent, ad turrim,quæ in vallo erat,omnia perducta ligauerunt ex malis.Remotiora per funes ex nauigiis suspenderunt,vt mutua esset connexio. Athenienses noctu accedentes,abstrahere conati nauigia,nihil abstraxerunt. Atilli ab Æno nunciãtibus custodibus clãm egressi,insecuti sunt Athenienses partim terra partim nauibus.Polyæn.lib.2.

DIOTIMVS Athenensis nauarchus,maritimam nauigationem suscepturus, clãm conuocatis trierarchis, dixit eis,se iis nauibus quæ optimè nauigarent assumptis soluturum. Hoc autem prædixit , ne reliqui trierarchi destituerentur,abundantéque naues haberent. Polyæn. libro 5.

DATAMES bellum gerens cum Sinopensibus classem habentibus, cùm ipse naues fabricare vellet , & fabri deessent , amicitiam cum eis fecit, promittens se Sesum expugnatam eis traditurum, quam omniũ infestissi-

mam existimabant. Crediderunt Sinopenses, & hortabantur, vt quibuscunque rebus opus ad bellum haberet, ab ipsis acciperet. Ille se nulla re alia dixit indigere, cùm haberet summam facultatem pecuniarum, atque hominum: verùm qui machinas, arietes & testudines fabricarent, se nullos habere, quæ res maximum vsum præstarent oppugnantibus. Sinopenses omnes ex vrbe fabros & architectos ei miserunt. Qui eorum artibus vsus, cùm magnam copiam nauium & tormentorum ædificasset, oppugnationem à *Seito* ad *Sinopam conuertit*. Polyæn. lib. 7.

L. Cæcilius Metellus, quia vsus nauium, quibus elephãtes transportaret, deficiebat, iunxit dolia, constraruitque tabulamentis: ac super eos *positos*, per Siculum fretum transiuit. Front. lib. 1. cap. 7.

Quàm ingens necessitas fuit, ad quam Carthaginenses redacti fuerunt, cùm postremò Romanorum armis à Mancino consule deuicti, euersam Carthaginem viderunt. Nam ad instrãdam classem, cùm obsessis materia deesset, trabibus tabulisque priuatarum ædium vsi sunt. Et cùm Romanis antè arma tradidissent, vt alia conficerent, omni quod in priuato vsu erat ferramento, ad noua conflanda arma consumpto, alia insuper ex auro argentoque vbi ferrum deerat, confecêre: atque vnius arcus funes compararent, cùm alia deesset ratio, fœminæ comas suas in eum vsum tradiderunt. Fulg. lib. 7. cap. 6.

Carthaginensium duces instructuri classem, quia sparto destituebãtur, crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos vsi sunt. Idẽ Rhodij fecerunt. Frontin. lib. 1. cap. 7.

PROPVGNACVLA EXTRVERE ET TVERI.

Cilivs Arcas Lacedæmone degens, cognito quòd Spartiatæ de muniendo Isthmo consilium agitarẽt, Athenienses autẽ extra Peloponnesum egrederentur, prædixit: Nisi Athenienses cæteríque Græci rem fœliciter aduersus Persas gesserint, multos aditus in Peloponnesum habebunt Barbari. Hoc sermone persuasi Lacones Isthmo longum vale dixerunt, séque omnibus Græcis belli socios adiunxerunt. Polyæn. lib. 5.

Iphicrates castra positurus, misit aliquos qui locum munitum ab exercitu longissimè remotum occuparent. Mirantibus iis qui aderant, & interrogantibus: Cur nam id faciss? respondens Iphicrates, inquit: Equis hoc futurum sperasse? docẽs, in bello etiam illa quæ nemo sperasset custodiis esse munienda. Polyæn. lib. 3.

Athenienses vrbis muros educentibus, Lacones indignabãtur. Eos decepit hoc pacto Themistocles. Legatus ad Lacedæmonios profectus, rem negabat, per suam fidem mœnia non educi. Quòd si fidem sibi non haberent, mitterent præstantissimos viros, qui perspicerẽt & explorarent. Illi miserunt. Themistocles verò misso clàm nuncio, mãdauit Atheniẽsibus, exploratores retinere apud se, donec mœnia extruxissent. Postquam deinde forent extructa mœnia, non prius eos remittere, quã ipsum recepissent. Hæc ita facta sunt. Exædificata sunt mœnia, & reuersus est Themistocles: redditi sunt exploratores, Athenæque Lacedæmonis inuitis munitæ sunt. Polyæn. lib. 1.

CASTRAMETATIO.

Clearchvs post Cyri mortem, Græcis regionem magnã & bonam obtinentibus, fluuius regionem circumdabat, minimo Isthmo prohibitus, ne insula esset) vetans ne intus castrametarentur, cùm persuadere non posset, fictum transfugam misit nunciantem, Rex muro circumdaturum se Isthmum minatur. Hoc audito Græci, morem Clearcho gerentes extra Isthmum castra ponunt. Polyæn. lib. 2.

Pompeivs Arcas in more habebat, vt quotiescunque castra poneret, semper vias eis quæ ad castra ducerent, partim suffoderet, partim vallo munitas obtueret. Ipse verò nouas alias parabat, vt exploratores qui nocte aggredi exercitum vellent, per vias pristinas profecti, in fossas inciderent, nouarúmque peritiam non haberent. Polyæn lib. 5.

Iphicrates in sociorum agro castrametatus, cum vallum extrueret, & fossam pararet, obiicienti, Quid est, quod metuamus? dixit: Nulla deterior vox imperatoris esse potest, quàm, Non putaram. Eras. libro 5. Apoph.

Pyrrhvs Epirotarum rex, primas totum exercitum sub eodẽ vallo continere iubebat. *Romam deinde eo deuicto*, in campis Arusinis, circa vrbem Statuentum, castris eius potiti, & ordinatione notata, paulatim ad hanc vsque metationem, quæ nunc effecta est, peruenerunt. Frõt. lib. 4. cap. 1.

Romani cæteræque gentes antiquitùs per corpora cohortium velut mapalia constituere soliti erant, cùm solos vrbium muros noslet antiquitas. Ibidem.

CASTRA TVERI.

Phares, siue Chares dux Athenienſium, cùm expectaret auxilia, & vereretur ne interea contẽptu præsentis paucitatis hostes castra eius oppugnarent, complures ex eis, quos habebat, per aduersam partem nocte misit, iussit, qua præcipuè conspicui forent hostibus, redire in castra: & accedentium nouarum virium speciem præbere, atque ita simulatis auxiliis, hostilem irruptionem impediuit. Front. lib. 2. cap. 12.

Iphicrates Athenienſis, cùm cãpestribus locis castra haberet, explorasséque Thraces ex collibus, per quos vnus erat descẽsus, nocte ad diripienda castra venturos, clàm eduxit exercitum, & in vtroque viæ latere (per quã transituri erant Thraces) distributũ collocauit: hostẽq; decurrẽte in castra (in quibus multi ignes per paucorũ curam instituti, speciem manentis ibi multitudinis seruabant) à lateribus adortus oppressit. Idẽ.

T. Qvintivs Cos. clm Volsci castra eius aggressuri forent, cohortem tantùmmodo in statione detinuit: reliquum exercitum ad quiescendum dimisit: æneatoribus præcepit, vt vallum insidentes equis circumirent concinerentque. Qua facie & simulatione cùm & propulsasset & detinuisset per totam noctem hostes, ad lucis exortum fessos vigilia, repentè facta eruptione, facilè superauit. Idem.

Qvintvs Sertorivs in Hispania hostium equitatui *maximè* impar, qui vsque ad ipsas munitiones nimia fiducia succedebat, nocte scrobes aperuit, & ante eas aciem direxit. Cum demum turmales secundum *consuetudinem redire* vellẽt, *pronunciauit*, *comperisse* insidias esse ab hostibus dispositas: idcirco ne discederent à signis, neúe laxarent agmen. Quod cùm solum ex disciplina fecisset, exceptus fortè veris insidiis, quia prædixerat, interritos milites habuit. Ibidem.

Cælivs primipilaris, qui in Germania post Variauam cladẽ obsessis nostris pro duce fuit, veritus ne Barbari ligna, quæ congesta erant, vallo admouerent, & castra eius incenderent: simulata lignorum inopia, missis vndique qui ea furarentur, effecit, vt Germani vniuersos truncos amolirentur. Front. lib. 4. cap. 7.

Auiti spiritus egregius successor Scipio Æmilianvs, cùm vrbem prælualidam obsideret, suadentibus quibusdam vt circa mœnia eius serreos murices spargeret, omniaque vada tabulis plumbatis conserneret, habẽtibus clauorum cacumina, ne subita eruptione hostes in præsidia Romana impetum facere possent: respondit, Non esse eiusdem, & capere aliquos velle, & timere. Val. lib. 3. cap. 7.

EQVOS, ELEPHANTOS, ET QVÆVIS ALIA ANIMALIA EXERCERE, AVT ANIMARE AD BELLVM.

Eymenes Sardianus ex successoribus Alexandri, in castello quodã clausus, quo exercere equos *non* poterat, certis quotidie horis ita suspendebat, vt posterioribus pedibus innixi, prioribus alleuatis, cùm naturalem assistendi appeterent consuetudinem, ad sudorem vsque crura iactarent. Front. lib. 4. cap 7.

Hannibal, vt per altissimum fluuium traduceret elephantes, iussit ferocissimum elephantem sub aure vulnerari, & vulneris authorem flumen tranare. Elephas dolore ad vlciscẽdum adductus, amnem tranauit, & reliquis idem audendi dedit exemplum. Frontin. lib. 1. cap. 7.

Persevs, Romanis elephantos ducentibus partim ex Libya, partim Indos ab Antiocho Syriæ rege, ne noua ac formidabilis equis bellua primo aspectu existerer, præcepit opificibus, vt lignea simulacra fabricarentur, elephantorum figura atque colore predita. Quoniam verò fremitus bestiæ terribilis supra modum esset, iussit ligneum simulacrum virum cũ tuba conscendere, qui per os tubam dirigens, acutum & horribilem sonum emitteret. Ad hunc modum equi Macedonum assuefacti sunt ad elephantorum fremitum & aspectum contemnendum. Polyæn. lib. 4.

Zischa Bohemus quomodo prædam armentorum per altissimum fluuium duxerit, pete ex tit. Commeatum acquirere.

Magno astu Andreas Perusinus (qui postea à cognomine familiæ Brachius fuit nuncupatus) est vsus, cum à Camerte vrbe depulsis Caroli Malatestæ copiis, quæ se Fabrianum postea receperunt, ipse cum parte tantùm copiarum sequeretur, reliquo pecorum præda captiuisque atque aliis rebus impedito exercitu. Nam cùm in eo hostes bene gerendæ rei occasionem viderent, si ipsi Apennini iuga priores occupassent, & Brachius quoq;, ne id pateretur, è re sua esse optimè intelligeret, cùm lassos iam equos vltra vel calcarib. vel alia vi vrgere non posset, ex captiuo pecore aliquot equas delegit, atq; eas agmẽ præcedere iussit, quarũ cupido, equis adeò acres adegit stimulos, vt qui antè calcarib. nullis satis impelli poterãt, tunc freno, vix cohiberi ac retineri possent. Per eum modũ cùm prior Brachius mõtem occupasset, victi hostes Brachij astu, eum eius lædendi spẽ amisissent, retrò vnde venerant, cesserunt. Fulgos. libr. 7. ca. 4.

EXERCITVM PER LOCA INFESTA, VEL HOSTE VEL NATVRA DVCERE.

Ex insidiis euadere, Flumina superare, Transducere exercitum, equos, elephantos, impedimenta.

Excogitauit Moses rem non ineptam, sed quæ nõ vulgarem hominis prudentiam arguat. Ducturus Pharaonis regis exercitum per loca serpentibus infesta, pro magno habuit negocio vim ibidum ingentem comparare. Est auis hæc serpentibus inimica. Quo præsidij genere incolumis exercitus est Meroen vsq; perductus. Sab. li. 4. ca. 8 & lib. 10. cap. 6.

Agesilavs Lacedæmonius, cùm præda onustus ex Phrygia rediret, insequerenturque hostes, & ad locorum opportunitatem lacesserent agmen eius, ordinem captiuorum ab vtroque latere exercitus sui applicuit. Quibus dum parcitur ab hoste, spacium transeundi habuerunt Lacedæmonij. Frontin. lib. 1. cap. 4.

Idem, tenentibus angustias Thebanis, per quas transire habebat, flexit iter, quasi Thebas contenderet: extertritis Thebanis, digressisque ad tutanda mœnia, repetitum, iter quò destinauerat, emensus est, nullo obsidente. Ibidem.

Idem in Ægypto Nectenabo socius, in castellum quoddam inclusus circumuallabatur, Ægyptio munitionem non ferenti, & periculum adire volenti, non obtemperauit: sed *mãsit*, donec torum exercitu & muro circumdatum esset, excepto admodum exiguo spacio, per quod ostium & transitus muri fuit. Agesilaus exclamauit: Hoc tempus robur ac vires postulat: & per ostium erupit, non paucos hostes in angustia cædens, & circumdatum murum, quasi munimentum habens, vt circumdari ab hostibus non posset. Polyæn. lib. 2.

Idem Thebaidem vastabat. Hostes collem supra viam inaccessum occupauerunt, qui dicitur Rheæ sedes: sic, vt & pugnare sine summo dãno nequiret, & tamen procedere alioquin non posset. Quare deflectens agmen, simulabat se ad Thebanorum vrbem duc*turum*. Etenim erat inanis, quia omnes excurrerant. Thebani ciuitati metuentes, collemque deserentes, ad vrbem citato cursu ferebantur. Sic Agesilaus, nullo impediẽte, collem transiit.

Idem ab Asia reuersus, per Bœotiam iter faciebat. Thebani præoccupabant angustias, per quas proficiscendum esset. At ille in longitudinem porrectum agmen duxit, præcipiens vt manifestò ad vrbem iter affectarent. Thebani metuentes, ne Thebas exercitu foris existente, caperent, relictis angustiis, summa celeritate in vrbem redierunt. Agesilaus verò sine periculo agmen traduxit.

Idem in Thebanum agrum irruptionem fecit. Thebani campum fossa circumducebant, & vallum meniebant. Vtrinque duo transitus angusti. Volens Agesilaus transire quadrato agmine, cauoq;, processit ad trãsitum ab læua situm. Thebanis hic omnibus resistentibus, ille à cauda duxit ad alterum transitum, vbi nemo erat qui arceret. Ingressus, regionẽq; depopulatus, nemine resistente, iterum discessit.

Idem, cùm audisset Thebanos ad Scholum transitum obsidere, omnes legationes à Græcis missas, Thespiis remanere iussit: quinetiam cõmeatum exercitus eòdem comportare. Thebani his auditis, traduxerũt copias ad transitum contra Thespias, atque ibi viam obsederunt. Agesilaus duorum dierum itinere per biduum confecto, trãsitum ad Scholum inanem ac vacuum inueniens, sine pugna transgressus est. Ibidem.

Clearchvs magnum exercitum ducens, peruenit ad fluuium, alibi transitu facilem vsque ad tibias, alibi profundum vsque ad mamillas. Primò conabatur ibi, vbi facilis transitus erat traducere. At hostib. procul à fluuio fundas iacientib. & sagittantibus, atque trãsgredi prohibentibus, Clearchus per eam partem quæ profundior erat, armatos duxit, vt maxima corporis pars sub fluuio absconderetur, quæ verò emineret, scuto protegeretur. Armati sine periculo transgressi, hostes repulerunt. Reliquus deinde exercitus, nemine impediente, faciliori parte fluuij transiit. Ibidem.

Idem prædam copiosam agens, in colle interceptus, cùm ab hostibus circumuallaretur, rogantibus ducibus vt periculum adirent, antequam totus collis circumdaretur: bonum animum eos gerere iussit, quoniam per vallum cum paucis esset futura pugna. Vespera autem accedente, relicta præda, in deficiente valli parte, exigit obuios, & in angustia trucidauit. Ibidem.

Pelopidas, cùm in Thessalia flumen transire non posset, instantibus hostibus, castris ad fluuium positis, à fronte vallum circundedit. Multis lignis exectis, quietem militibus concedẽs, media nocte vallum combussit. Igni verò vndiq; in altum sublato, hostes ab insequendo prohibebantur. Pelopidas cum suis absq; periculo traiecit. Ibidem.

Alcetas Lacedæmonius ab Iltia soluens, cùm vellet clàm multas naues implere: attrahens vnam triremen, in hanc viciſim milites impossuit, vt potius vnum magnũ, quàm omnia supplementa hostibus potiunda daret. Ibidem.

Cleandridas ad Terim ducens exercitum per viam cauã, ex improuiso Terenenses obruere conabatur. Quod cum illi ex transfugis antea percepissent, festinantes ad viam, supra caput Cleandridæ euaserunt. Ille militibus tristicia confectis, iussit bonum animum habere, & præconem per exercitum duxit: mandans, vt proclamaret. Qui Terenẽsium proposítam, tesseram proderet, cum se pro amico habiturum. Audientes hæc Terenenses, in suspicionem venerunt, vt ex seipsis aliquos existimarent esse proditores: visumque est eis statim discedere, & vrbem custodire. Hi decepti, recesserunt. At Cleandridas sine periculo ad excelsã duxit, atque insuper de copiis & regione eorum securè præda acta discessit. Ibidem.

Lysander Lacedæmonius cùm in portu Athenienſium cum tota classe obsideret, obrutus hostium nauibus, ab ea parte, qua faucibus angustissimis influit mare, milites suos clàm in littus egredi iussit, & subiectis rotis naues ad proximum portum Munychiæ, traiecit. Frontin. lib. 1. cap. 5.

Brasidas dux Lacedæmoniorum, circa Amphipolim ab Atheniẽsium multitudine numero impar deprehensus, claudendum se præstitit, vt per longum coronæ ambitum extenuaret hostilem frequentiam, quaque rariſsimi obstabant, erupit. Ibidem.

Idem noctu Scionam versus nauigans, triremen amicam præmauigare iussit. Ipse verò in expedita sequebatur, vt si quod maius fortasis expedito nauigium hostile appartuisset, triremis auxilio veniret. Sin æqualis, at triremis, dum cũ ea consligeret ipse, inexpedita, salua & incolumis euaderet. Polyæn. li. 1.

Lacedæmoniorvm duces cùm Syracusas nauigare destinassent, & Pœnorum dispositam penitùs classem timerent, decem Punicas naues, quas capiuas habebant, veluti victrices primas iusserunt agi, à latere iunctis ac puppe religatis aliis. Qua specie, deceptis Pœnis, trãsierunt. Front. li. 1. ca. 4.

Iphicrates e regione castrametantib. hostibus, clàm progressus est trium dierum itinere. Nam, vt latere posset, arida ligna inflammarat, atque aridis viridia imposuerat: sic aer densus & nubilus factus, hostium oculis tenebras offudit. Poly. lib. 3.

Idem in Thracia cùm depresso loco castra posuisset, explorasset autẽ ab hoste proximum teneri collẽ, ex quo vnus ad opprimendũ ipsos descensus erat: nocte, paucis intra castra relictis, imperauit, vt multos ignes facerent: reducto que exercitu & dispositio circa latera prædicta viæ, passus est transire Barbaros: locorumque iniquitate, in qua ipse fuerat, in illos conuersa, parte exercitus terga eorum cecidit, parte castra fecit. Frõtinus lib. 1. cap. 5.

Idem dux Atheniensium, aduersus Anaxibium Lacedæmoniũ in Hellesponto circa Abydon, cùm transducendum exercitum haberet per loca quæ stationibus hostium tenebantur, alterum autem latus eius transitus abscisi montes (montem sanctum Polyænus vocat) premerent, alterũ mare ablueret, aliquandiu morarus, cùm incidisset frigidior solito dies, & ob hoc nemini suspectus, delegit firmissimos quosque: quibus oleo ac mero calefactis, præcepit, vt ipsam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atque ita custodes angustiarum inopinatus oppressit à tergo. Front. lib. 1. cap. 4. Polyæn. lib. 3.

Idem circa Phliuntem per angusta loca copias ducens, hostibus postremum agmen carpentibus, præcepit suis, vt ex angustiis protinus summa celeritate se subtraherent: atque ipse per medium ad caudam accurrens, cũ præstantissimis militibus, tempestiuè adortus hostes perturbatos & confusos, magnum illorum numerum interfecit. Polyæn. lib. 3.

Idem, vt per medios hostes euaderet, noctu tibicines misit ad extremitates locorum occupatorum, mandans vt clasicum canerent. Quibus canentibus, hostes ad tubicinum sonitum accurrerunt. Iphicrates cũ hostes medium locum inanem reliquisset, sine periculo transiit.

Idem in Thraciam impressionem faciens, castra in campo posuit, quà

circumdabatur à monte,&anguſtum exitum per pontem habebat:quem Thraces noctu transgreſſi impetum dare volebant. At ille cùm multos ignes in caſtris incendiſſet, ad medium latus aſcendens, cum militibus iuxta pontem & in ſylua conſidens,quietẽ agebat.Thraces pontem trãsgreſſi,impetũ fecerũt,rati ſe hoſtes ibi cũ ignibus inuẽturos. Interim Iphicrates militibus aſſumptis,pontem tranſijt,ac turò receſſit.

IDEM ad vrbem accedens(fluuium enim ab regione per mediam vrbem labentem tranſire neceſſum erat)veſperi cum exercitu tranſijt, vt quod ex tranſitione multitudinis turbidum factum eſſet, noctu, inſciis ciuibus,diſueretur.Atque ſic ignoratus, poſtero die nihil tale expectantes adortus eſt.Ibidem.

TIMOTHEVS volens Olympiam tranſire , & Corinthiorum equitatum metuens,ab altera parte exercitus in longum quadratum agmen inſtruxit, ſarcinis & equitatu in medium coniecto , currusque frequentes agens & connexos,armatos circum hos foris circumdedit: ita vt Olynthij equites equitatione non poſſent vti.Polyæn.lib.3.

CHABRIAS per anguſta loca cum paucis diſcedens , inſtantibus multis hoſtibus,ipſe precedens dux profectionis,robuſtiſſimos in extremo collocauit, vt in ſtantes propulſarent Nemo igitur ex poſtremis fugam capeſſit,non audẽs ducem præterire,quippe prohibitus, vel etiam punitus. Hac profectionis conſtitutione tutò exercitum traduxit. Ibidem.

ANTIPATER Sperchium tranſire volebat: equitibus autem Theſſalis prohibentibus traijcere, copias abduxit in caſtra,& Macedonibus imperauit,vt in armis permanerent,neque iumenta ſoluerent.Theſſali Lamiam equitantes,prandium fecerunt in ſingulis ædibus : Antipater præuertẽs eos, per fluuium copias traduxit,priuſquam excurrerẽt ad repellendum Theſſali,& Lamiam irruptione facta cæpit.Polyæn.lib.4.

XENOPHON, cùm Barbari locum anguſtum intercepiſſent, quà tranſire Græcos neceſſarium erat , conſpicatus à quodam monte acceſſum collem,in quo Barbari præſidium impoſitum habebant , aſſumptis Græcis,quot ad eam rem ſufficere exiſtimauit,iter ad illum direxit, vt in ſummum eacumen ſupra ipſos euaderet.Barbari ſupra ſe hoſtes conſpicati,fugam dederunt: Xenophon autem Græcos ſine periculo traduxit. Polyæn.lib.1.

IDEM, inſtantibus in itinere Barbaris, ancipiti acie inſtructa, omniq; neceſſario commeatu inter eam concluſo proficiſcebatur , collocatis in ſine equitibus iaculatoribus, & ſcutatis, qui Barbarorum impetum propulſarent.Ibidem.

IDEM Græcos domum reducens , equitibus Triſſapherni in iumenta inuadentibus conſilium dedit,vt currus & ſuperfluum apparatum impedimentorum relinquerent , ne Græci pro his pugnantes mortem opperterent,& progredi vlterius prohiberentur.Ibidem.

IDEM, vlteriorem ripam Armeniis tenentibus,duos iuſſit quæri aditus:& cùm à citeriore repulſus eſſet , tranſijt ad ſuperiorem. Inde quoque prohibitus hoſtium occurſu,repetijt vadum inferius: iuſſaque ibidẽ militum parte ſubſiſtere,qua,cùm Armenij ad inferioris vadis tutelã rediiſſent , per ſuperius trangrederetur. Armenij credentes decurſuros omnes decepti ſunt à remanentibus. Hi cùm , reſiſtente nullo, vadum ſuperaſſent,tranſeuntium ſuorum fuêre propugnatores.Front.lib.1. cap. 4.& Polyæn.lib.1.

PERICLES Atheniẽſis,a Peloponneſibus in eum locum compulſus, qui vndique abruptis cinctus , duos tantum exitus habebat , ab altera parte foſſam ingentis latitudinis duxit, velut hoſtis excludendi cauſa:ab altera militem agere cœpit,tanquam per eum erupturus.Sj qui obſidebãt,cùm per foſſam,quã ipſe fecerat,exercitũ Pericles non crederẽt euaſiſſe, vniuerſi à limite obſiterunt:Pericles põtibus,quos præparauerat, foſſæ iniectis,ſuos quà non reſiſtebatur emiſit.Front.lib.1.cap.5.

CHARES exercitum è Thracia deducebat.Inſtãtibus Thracibus,& poſtremum agmen carpentibus,cùm veller abſtractus hoſtibus tutò locum ſuſpectum tranſire,impoſitis in equos tubicinibus , & miſſis vnà paucis equitibus,iuſſit vt obequitantes ſtatim ad hoſtium terga penetrarent, & claſſicum canerent.Quibus canentibus,Thraces qui inſequebantur,inſidias eſſe ſuſpicati, perturbatis ordinibus,fugam capeſſerunt.Chares verò ſecurè ac ſine detrimento diſceſſit.Polyæn.lib.3.

EPAMINONDAS ad pontem Sperchij,Theſſalis ex aduerſo oppoſitis videns circa auroram à ſtuuio magnam profundámque nubem exurgere, præcepit ſingulis manipulis,vt duo portarent onera lignorum, alterum viride,alterum ſiccum & aridum:&media nocte arida infernè,virida deſuper.Cùm ſimul nox & nubes atque fumus coirent, aer ab hoſtibus videri non poterat. Epaminondas verò in pontem adductis milites. Qui cùm in media planicie eſſent,poſtquam fumus cum nube euanuit,Theſſali tranſitum hoſtium ſenſerunt.Polyæn lib.2.

IDEM volens in Lacedæmonem irruptionem facere,cùm Onium Laconico præſidio obſeſſum teneretur, præ ſe ferens noctu adfuturum eſſe,ſub Onio exercitum quieſcere iuſſum refecit.Qui tranſitum cuſtodiẽtes in armis,tota nocte vigilijs confecti ſunt.Poſtquam autem affulſit aurora,copijs excitatis, Epaminondas cuſtodes in ſomnum verſos aggreſſus eſt:quibus ſubactis,nullo prohibente,tranſijt.Ibidem.

ISCHOLAVS in itinere ab altero latere præcipitia & periculoſa loca, ab altero montem habente,quem tenebant hoſtes, orto ingenti vento, ſyluam incendit.Itaque hoſtibus qui montem obſidebant , fumo & igni deiectis,hac parte exercitum abſque periculo duxit.Ibidem.

PELOPIDAS Thebanus, bello Theſſalico caſtris ampliorem locum ſupra ripam complexus, vallum ceruolis & alio materiæ genere conſtructum incendit. Dúmque ignibus ſummouerentur hoſtes , ipſe fluuium ſuperauit.Front.lib.1.cap.5.

PHILIPPVS Macedonum rex Græciam petens, cùm Thermopylas occupatas audiret,& ad eum legati Ætolorum veniſſent acturi de pace,retentis eis,ipſe magnis itineribus ad anguſtias pertendit : ſecuriſque cuſtodibus,& legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas traiecit.Front.lib.1.cap.4.

IDEM, quia Cherroneſum, quæ iuris Athenienſium erat , occupare prohiberetur,tenentibus tranſitum non Byzantiorum tantùm,ſed Rhodiorum quoque & Chiorum nauibus , conciliauit animos eorum , reddendo naues quas cæperat, quaſi ſequeſtres futuros ordinandæ pacis inter ſe atque Byzantios, qui cauſa belli erant, tractaque per magnum tẽpus poſtulatione,cùm de induſtria ſubinde aliquid in conditionibus retexeret , claſſem per id tempus præparauit, eáque in anguſtias freti imparato hoſte ſubitò euaſit.Ibidem.

IDEM, Aberitatum & Maronitarum occupata regione,reuertebatur cum nauium magno apparatu, & pedeſtribus copijs. Chares circa Neapolim inſidias nauales habebat,cum viginti triremibus. Philippus delectis iuuenibus in quatuor optimè nauigantes remiges impoſuit , annis, arte atque robore præſtãtiſſimos:& mandatum iis dedit, vt priores claſſem vniuerſam educerent,atque Neapolim præterlegerent , neque longè à terra recederent,qui præternauigabant.Chares ad diripiendas quatuor naues,ſuas viginti deduxit. Quatuor verò leues, & remigibus optimis præditæ,celeriter in altum pelagus prouehuntur. Dum autem Chares cum ſuis certo ordine inſequeretur , Philippus clàm & turò Neapolim præternauigauit.Chares verò,ne quatuor illas quidem naues cæpit. Polyæn.lib.4.

IDEM in Amphiſſenſium terram expeditionem parabat.Athenienſes & Thebani anguſtias maris (quæ Cyaneæ dicuntur) præoccupauerant, neque,quemadmodum tranſiri poſſet,vlla ratio poterat inueniri.Decipit hoſtes Philippus, fictis literis ad Antipatrum miſſis in Macedoniam, ſe expeditionem contra Amphiſſenſes ſuſceptam in aliud tempus reijcere,atque iam in Thraciã feſtinare, quòd eius regionis incolas nouis rebus ſtudere audiuiſſet. Tabellarius per anguſtias iter facit, quem duces Chares & Proxenus capiunt.Cúmque epiſtolam legiſſent,fidem habentes ſcriptis ,anguſtiarum cuſtodiam relinquunt. Philippus tranquillitatem nactus, ſine periculo tranſijt,& redeuntes duces ſuperauit, Amphiſſaque potitus eſt.Polyæn.lib.4.& Front.lib.1.cap.4.

IDEM Demetrij filius,bellum gerens cum Attalo rege,& Rhodijs, & quemadmodum per mare effugere poſſet,deliberans,transfugam Ægyptium miſit,qui hoſtibus nunciaret, cum ad nauale prælium ſequẽtibus committẽdum præparari:noctuque multos ignes fecit, vt manere exercitus videretur.At cùm Attali milites ad naualem pugnam ſe inſtruerẽt, & ex eo loco,per quem exitus nauibus erat,præſidia deducerẽt, Philippus clàm omnibus abnauigauit.Polyæn.lib.4.

IDEM, cùm tranſitus Bœotiæ præſidiis tenerentur (erant autem anguſtæ montis fauces) non ad hunc iter direxit, ſed in oculis omnium gros vrbẽſque incendio & vaſtitate populabatur. Bœoti, cùm ciuitates ſuas vaſtari ob oculos videre non ſuſtinerent,à monte deſcenderunt.Ita Philippus reuerſus per montem euaſit.Ibidem.

ALEXANDER rex Macedoniæ & Indiæ , cum Theſſali Tempe præſidiis impoſitis obtinerent,ſuſtoſtis præcipitibus Oſſæ petris,& effectis exiguis gradibus,per eos ipſe & Macedones aſcendentes,in iuga euaſerunt: atque Oſſam tranſgreſſi, Theſſaliam occupauerunt,Theſſalis Tempum anguſtias tenentibus.Etiamnum videre eſt,iis qui Tempe perambulãt, petras Oſſæ in ſcalarum modum ædificatas,quam ſcalam Alexandri appellant.Ibidem.

IDEM, prohibente rege Indorum Poro traiici exercitum per flumẽ Hydaſpem,aduerſus aquam aſſiduè procurrere iuſſit ſuos. Et vbi eo more exercitationis aſſuetus eſt,quia pro aduerſa ripa caueretur,per ſuperiorem partem ſubitò tranſmiſit exercitum.

IDEM Indi fluminis traiectu prohibitus ab hoſte,diuerſis locis in flumine equites inſtituit immittere,& tranſitum minari.Cúmque expectatione Barbaros teneret intentos, inſulam paulò remotiorem, primùm exiguo,deinde maiore præſidio occupauit: atque inde in vlteriorem ripam tranſmiſit. Ad quam manum opprimendam cùm vniuerſi ſe hoſtes effudiſſent,ipſe libero vado tranſgreſſus, omnes copias coniunxit.Front. lib.1.cap.4.& Polyæn.lib.4.

LYSIMACHVS ex his vnus , in quos opes Alexandri tranſierunt, cùm editum collem caſtris deſtinaſſet,imprudentia autem ſuorum in inferiorem deductus, vereretur ex ſuperiore hoſtium incurſum , triplicem foſſas intra vallum obiecit : deinde ſublimibus foſſis circa omnia tentoria ductis, tota caſtra cõfodit,& intercepto hoſtium aditu,ſimul humo quoque & frondibus,quas foſſis ſuperiecerat,facto impetu,in ſuperiora euaſit.Front.lib.1.cap.5.

NICOSTRATVS, dux Ætolorum, aduerſus Epirotas cùm aditus in fines eorum anguſti fierent,per alterum locum irrupturum ſe oſtendens,omni illa ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos,qui ſpeciem remanentis exercitus præberent : & ipſe cum cætera manu,quà non expectabatur aditus,intrauit.Frontinus libro primo,capite quarto.

PAMMENES per Phocidem Thebas verſus exercitum ducebat.Hoſtes Philoboeotum caſtellum occuparant , ad quod duæ viæ ducebant: quarum cùm altera iam hoſtium præſidiis teneretur , Pammenes rectis ordinibus in profundum diduxit, exercitúmque ad proficiſcẽdum amplificatum ita inſtruxit in dextro latere , quaſi in eam partem ducturus. Illi relicta parte ſiniſtra,ad dextram deflectebant, vt profectionem impedirent.Ille ad ſiniſtram incitato curſu cum ſuis properabat,copiáſque ſine omni periculo traducebat.Polyæn.lib.5.

HIERON,

HIERON, cùm fluuiũ tranſire prohiberetur ab hoſtib.armatos in tranſitu conſtituens,iuſſit equites iuxta fluuium aſcendere,tanquam ibi tranſituros & leuis armaturæ milites. Hoſtes verò ſupra equites ſuas copias eduxerunt, vt eos ac leuis armaturæ milites tranſitu arcerent.Tum Hieron armatos traduxit,vim adhibens aduerſariis,qui pauci reliqui erant, & ſignum repentè inermibus militibus & equitibus ſuſtulit. Qui reuerſi traiecerunt,armatis,qui antè tranſgreſſi fuerant,redeuntes hoſtes ſuſtinentibus.Polyæn.lib.1.

CHARIMENES Mileſius,cùm in Phaſelidem confugiſſet,ſuperueniẽtibus ei longis nauibus Periclis Lycij,habitu alio ſumpto, pedes per regionem Periclis euaſit.Polyæn.lib.5.

NICIAS, cùm Gylippum perſequentem fugeret,interceptus , miſit præconem ad eum, dicens, Omnia facturum ſe quæ imperaret , modò aliquem mitteret ad dandum accipiendúmque iuſiurãdum. Gylippus fidem habens præconi, caſtrametabatur : & à perſequendo deſiſtens,cũ præcone Niciæ miſit qui fœdus componeret. Interea Nicias ,occupato firmiore ac tutiore loco,rurſus bellum gerebat , cùm fallaciam præconis euaſiſſet.Polyæn.lib.1.

DEMETRIVS Lycum fluuium rapidiſſimum tranſmittebat , peditibus nequaquam peruium,equitibus autem illis duntaxat qui maximos & robuſtiſſimos equos haberent,triplici acie inſtructa ex aduerſo fluctibus collocauit.His fracta rapiditas fluminis,tranſitum peditibus faciliorem præbuit.Polyæn.lib.4.

ANTIGONVS Gadamartis in ciuitatem Medorum hyberna agebat. Eumenes viam vſque ad mille ſtadia diſpoſitis vndique præſidiis præoccupauerat.Ea via ducebat per inferiores montes.Subiectus erat campus æqualis,carens aqua,inhabitatus, nullo gramine præditus , non arbore, non planta. Sed cùm ſulphure , multáque ſalſuginoſa materia ſcateret, neque animalia neque homines per eum iter habere poterant:Antigonus præſidia ſecus viam collocata declinans, per medios duces elapſus, planiciem conficere ſtatuebat. Quam ob cauſam decem millia cãdorum iuſſit conſui,eóſque repleri aqua,commeatúmque decem dierum comportatum in promptu habere,& hordea pro equis & pabulum,quantum neceſſitas poſtularet.His rebus comparatis,Antigonus per mediam inhabitabilem planiciem duxit exercitum noctu, ignes incendere vetans, ne,qui radices montium tenebant,ex eo profectionem cognoſcerent:& quidem ad finem vſque res animaduerſa nõ fuiſſet, ſi Antigoni præcepto morẽ geſſiſſent.Verùm pauci eorum,nocte facta,ignes incenderunt:cuius flammam hoſtes conſpicati, rem intellexerunt. Cúmque iam planiciem egrederentur, adorti eos à tergo,nonnullos ex poſtremis interfecerunt Quantum verò ad Antigoni ſtratagema,ſine damno omnes euaſerunt.Ibidem.

CROESVS, cùm Halym vado tranſire non poſſet,neque nauium aut pontis faciendi copiam haberet , foſſa ſuperiori parte poſt caſtra deducta , alueum fluminis à tergo exercitus ſui reddidit.Front. libro primo, capite quinto.

DARIVS, vt falleret Scythas diſceſſu,canes atque aſinos in caſtris reliquit: quos cùm latrantes rudentéſque hoſtis audiret , remanere Darium credidit.Ibidem.

Romanis LIGVRES, per diuiſa loca bubalos laqueis ad arbores alligauerunt,qui deducti frequentiore mugitu ſpeciem remanẽtium præbebant hoſtium.Idem.

P.DECIVS Tr.bello Samnitico , Cornelio Coſſo Coſ. iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus,ſuaſit,vt ad occupãdum collem,qui erat in propinquo,modicam manum mitteret,ſéque ducem iis qui mittebãtur obtulit:auocatus in diuerſum hoſtis,dimiſit conſulem , Decium autem cinxit , obſeditque. Illas quoque anguſtias noctu eruptione facta , cùm eluctatus eſſet Decius , incolumis cum militibus conſuli acceſſit. Idem.

IDEM fecit ſub Attilio Calatino Coſ.is cuius variè traditur nomen: alij Laberium,nonnulli Q. Cæditium,plurimi Calphurnium fama vocitatum,ſcripſerũt. Hi cùm dimiſſum exercitum in eam vallem videret, cuius latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat,depoſcit & accepit trecentos milites : quos adhortatus vt virtute ſua exercitum ſeruarent , in mediam vallem decurrit,& ad opprimendos eos vndique deſcendit hoſtis,longóque & aſpero prælio retentus,occaſionem conſuli ad educendum exercitum dedit.Idem.

L.MINVTIVS Coſ.in Liguria dimiſſo in anguſtias exercitu, cũ iam omnibus obſeruaretur Caudinæ cladis exemplum,Numidas auxiliares, tam propter ipſorum quàm propter equorum deformitatem deſpiciendos,iuſſit adequitare faucibus quæ tenebantur. Primò intenti hoſtes ne lacеſſerentur,ſtationem obiecerunt. De induſtria Numidæ ad augendũ ſui contemptum,labi equis,& per ludibrium ſpectaculo eſſe affectauerunt : ad nouitatem rei laxatis ordinibus Barbari ad ſpectaculum reſoluti ſunt.Quod vbi animaduerterunt Numidæ,paulatim ſuccedentes, additis calcaribus,per intermiſſas hoſtium ſtationes cruperunt:quorum deinde cùm proximos irruiſſent agros , neceſſe Liguribus fuit auocari ad defendenda ſua,incluſóſque Romanos emittere.Ibidem.

L.CÆCILIVS Metellus iunctis doliis elephantos per Siculum fretum tranſmiſit,cùm naues deeſſent.Front.lib.1.cap.7.

CN.FONTEIVS Craſſus in Hiſpania cum trib.millib.hominum prædatum profectus ad Haſdrubalem,& ad primos tantum ordines relato conſilio incipiente nocte,quo tempore minimè expectabatur , per ſtationes hoſtium prorupit.Idem.

L.FVRIVS, exercitu perducto in locum iniquum, cùm conſtituiſſet occultare ſolicitudinem ſuam,ne reliqui trepidarent , paulatim inflexit iter,tanquam circuitu maiore hoſtem aggreſſurus : conuerſò que agmine ignarum rei quæ agebatur exercitum in columen reduxit. Front. lib. 1.cap.5.

P.CLAVDIVS Coſ.primo bello Punico , cùm à Rhegio Meſſanam traiicere militem nequiret,cuſtodientibus fretum Pœnis,ſparſit rumorem,quaſi bellum iniuſſu populi inceptum gerere non poſſet,claſſémq; Italiam verſus ſe agere ſimulauit:digreſſis deinde Pœnis,qui profectioni eius habuerant fidem,circumactas naues appulit Siciliæ.Front . libro 1.cap.4.

ÆMILIVS Paulus Coſ.cùm in Lucanos iuxta littus anguſto itinere exercitum duceret,& Tarentini ei claſſe inſidiati, agmen eius ſcorpionibus aggreſſi eſſent,captiuis latera euntium prætexuit : quorum reſpectu hoſtes inhibuêre tela.Ibidem.

CN.DVELLIVS Coſ.in portu Syracuſano,quem temerè intrauerat, obiecta ad ingreſſum catena clauſos,vniuerſos in puppim retulit milites atque ita reſupina nauigia magna remigantium vi concitauit . Leuatæ proræ ſuper catenam proceſſerunt:qua parte ſuperata , tranſgreſſi rurſus milites proras preſſerunt,in quas verſum pondus decurſum ſuper catenam dedit nauibus.Front.lib.1.cap.5.

Q. LVCTATIVS Catulus,cùm à Cimbris pulſus vnam ſpem ſalutis haberet,ſi flumen liberaſſet , cuius ripam hoſtes tenebant , in proximo monte copias oſtendit,tanquam ibi caſtra poſiturus:ac præcepit ſuis ne ſarcinas ſoluerent,aut onera deponerent,ne quis ab ordinibus aut ſignis diſcederet:& quo magis perſuaſionem hoſtium confirmaret, pauca tabernacula in conſpectu erigi iuſſit,ignéſque fieri, & quoſdam vallum ſtruere,quoſdam in lignationem, vt conſpicerentur, exire Quod Cimbri verè agi exiſtimãtes,& ipſi caſtris delegerunt locum:diſperſiſque in proximos,ad comparanda ea quæ neceſſaria ſunt manſuris, occaſionem dederunt Catulo non ſolùm flumen traiiciendi,ſed etiam caſtra eorum infeſtandi.Idem.

L.SVLLA bello ſociali apud Eſerniam inter anguſtias deprehenſus, ad exercitum hoſtium,cui Duillius præerat,colloquiũ petito,de conditionibus pacis agitabat ſine effectu.Hoſtem tamen propter inducias negligentia reſolutum animaduertens,nocte profectus,relicto buccinatore,qui vigilias ad fidem remanentium diuideret,& quarta vigilia commiſſa,eum ſequeretur,incolumes ſuos cum omnibus impedimentis tormentiſque in tuta perduxit.Idem.

IDEM aduerſus Archelaum præfectum Mithridatis in Cappadocia, iniquitate locorum,& multitudine hoſtium preſſus, fecit pacis mentionem,interpoſitóque tempore etiam induciarum:& per hoc auocata intentione,aduerſarium euaſit.Idem.

Q. SERTORIVS in Hiſpania,cùm à tergo inſtante hoſte flumen traiicere haberet,vallum in ripa eius in modum cauę lanę duxit:& oneratum materiis incẽdit:atque ita excluſis hoſtibus fluuium liberè tranſgreſſus eſt.Idem.

HERCVLEIVS legatus Sertorij,cùm in Hiſpania inter duos montes abruptos longum & anguſtum iter ingreſſus , paucas duceret cohortes,comperiſſétque ingentem manum hoſtium aduenire , foſſam tranſuerſam inter montes preſſit,vallúmque materia extructum incendit,atque ita intercluſo hoſte euaſit.Idem.

SPARTACVS foſſam,qua erat à M.Craſſo circumdatus,cæſis captiuorum pecorúmque corporibus noctu repleuit , & ſupergreſſus eſt . Idem cùm in Lesbio ſiue Beibio obſeſſus ea parte,qua mons aſperrimus erat, ideóque incuſtoditus ex vimine ſylueſtri catenas conſeruit : quibus demiſſus non ſolùm euaſit,verumetiam ex alio latere gladio ita terruit, vt aliquot cohortes gladiatoribus quatuor & ſeptuaginta cesſerint.Idem.

IDEM cum à L. Varinio Procoſ . præcluſus eſſet , palis per modica interualla fixis ante portam, erecta cadauera(adornata veſte armis) alligauit,vt procul intuentibus ſtationis ſpecies eſſet , ignibus per tota caſtra factis. Imagine vana deluſo hoſte, copias ſilentio noctis eduxit. Ibidem.

CN.POMPEIVS cùm flumen tranſire propter oppoſitum exercitum hoſtiũ non poſſet,aſſiduè procedere & reducere in caſtra inſtituit,deinde in eandem perſuaſionem hoſte perducto,ne vllam viam ad progreſſum Romanorum teneret,repentè impetu facto tranſitum rapuit.Front. lib.1.cap.4.

IDEM Brunduſij,cùm excedere Italia , & transferre bellum propoſuiſſet,inſtante à tergo Cæſare,conſcenſuros claſſem, quaſdam obſtruxit vias,alias parietib⁹ interſepſit,alias intercidit foſſis,eáſque ſubibus erectis præcluſas operuit cratibus humo aggeſta: quoſdam aditus , qui ad portum ferebant,trabibus tranſmiſſis,& in denſum ordinem ſtructis ingenti mole tutatus.Quibus perpetratis,ad ſpeciem retinendæ vrbis raros pro mœnibus ſagittarios reliquit:cæteras copias ſine tumultu ad naues reduxit.Nauigantem eum mox ſagittarij quoque per itinera nota digreſſi paruis nauigiis conſecuti ſunt.Frontin.lib.1.cap.5.

C.CÆSAR bello ciuili cùm aduerſus Afranium copias educeret, & recipiendi ſe ſine periculo facultatem non haberet, ſicut conſtituerat, prima & ſecunda acie furtim à tergo ad opus applicata,quindecim pedum foſſam fecit:intra quam ſub occaſum ſolis armati ſe milites eius receperunt.Ibidem.

IDEM obeundis expeditionibus exercitum nunquam duxit per inſidioſa itinera,quin prius locorum ſitus experiretur : nec antè in Britanniam tranſuexit,quàm portus & nauigationem , & acceſſum ad inſulam exploraſſet.Ranif.

IDEM cùm in Gallia ad Alpes perueniſſet, Barbarorum montanorũ copiæ aditus obſidere nunciabantur.Ille naturam Alpium ſpeculabatur. Infra montem flumina multa labuntur,eximiam profunditatem habentia. Ab his magna oritur nubes prima luce ſub ortum auroræ. Circa id

tempus Cæsar dimidias copias ducens, mantem circumiit. Barbari nube tenebras offundente, nihil videntes, quietos se tenebant. Ille cùm supra caput hostium euasisse, clamorem sustulit. Tum dimidia pars exercitus ab inferiore loco vociferationem excepit, montésque ab omnibus partibus resonantes, inexplicabilem Barbaris terrorem iniecerunt: qui repentè fuga petentes, discesserunt. Ita sine pugna Cæsar Alpes superauit. Polyæn. lib. 8.

IDEM in Britannia ingentem fluuium traiicere conabatur. Rex Britannorum Cassonellaunus cum multis equitib. & essedis eum transitu arcebat. Cæsarem maximus elephas sequebatur, animal Britannis inuisum: eum ferreis squamis munit, & altissimam in eo turrim extruxit, in qua sagittarios & funditores constitutos iussit flumen ingredi. Britanni perterrebātur, inusum & grande supra modum animal conspicati. Nam de equis quid attinet referre, cùm etiam apud Græcos equi, viso nudo elephante, fugiant. Turrigerum aurem & armatum, tela fundásque coniicientem aspicere non potuerunt. Itaque Britanni cum equis & curribus in fugam se coniecerunt. Romani verò sine periculo flumen transmiserunt, per vnam beluam metu hostibus facto. Ibidem.

IDEM aduersus Gergobiam, vrbem totius Galliæ maximam, expeditionem suscepit. Ei eregionè castra posuit rex Gallorum Vercingetorix. Magnus eos in medio separabat fluuius nauigabilis, transitúque difficilimus. Cæsar ad ripam multis diebus suos eduxit. Barbari eum contemptui habere cœperūt, quòd trāsmittere non auderet. Ille noctu duas legiones in profundis syluis occuluit: qui dum Galli Cæsarem obseruarēt, ipsi ad superiorem fluminis partem, ponte olim interrupto, strata compacta etiamnum habente, supremis duntaxat trabib. ademptis ex nemore comparatis lignis, celeriter pontem refecerunt, & transierunt. Galli insperato transitu perterriti, fugam capessebant. Cæsar verò eum reliquis per extemporalem pontem trantiens, maiorem Gallis metum iniecit. Ibidem.

IDEM reuertebatur cum exercitu per angustam viam, ad læuam paludem habens, ad dextram mare. Hostes extremum agmen carpentes, instabant. Hos propellebat incursionibus & reflexionib. E mari verò Pōpeiana classis adnauigans, iaculis ac telis missis, vulnera afferebat. Cæsar iussit milites scuta à sinistra manu in dextram transferre. Ad hunc modū nihil proficere tela iaculantium è mari potuerunt. Ibidem.

AVGVSTVS in bello contra Brutum & Cassium, traiicere Adriam volebat. Mutius nauarchus hostibus in rebellionem appellentibus iuxta Brūdusium, prohibiturus eos manifestò videbatur. Augustus decipit Mutiū, ita se gerēs, quasi nauali prælio aduersus ipsū decertaturus esset, & triremes ad dextrum Adriæ versus Italiam nauigare iubet, tanquam ad insulam adnauigaturas. Ipse onerarias turrib. implebat, & machinis. Mutius deceptus nauali pugnæ apparatu, in pelagus recessit, vt in latiori potius quàm angusto mari pugnam faceret. Augustus verò prælium non commisit, sed in insula naues subduxerat. Mutius nullum aliud portum habens, in Thesprotidem coactus est transmittere. Augustus Adriam sine periculo trantiens, in Macedoniam peruenit. Ibidem.

XERXES in Thermopylis, propter angustias montium multis Persis amissis, Ephialte Trachinio in montib. angustam viam aliam monstrante, misit centum milia hominum. Qui circumeuntes, ad tergum Græcorum euaserunt: omnésque occiderunt, quos Leonidas Spartanus ducebat. Polyæn. lib. 7.

AVTOPHRADATES Perses, cùm in Pisidiam exercitum duceret, & angustias quasdam Pisidæ occuparent, simulata vexatione traiiciendi, instituit reducere. Quod cùm Pisidę credidissent, ille nocte validissimam manum ad eundem locum occupandum præmisit: ac postero die totū traiecit exercitum. Front. lib. 1. cap. 4.

ANNIBAL saltum Casilinatem petere se putans, vt illic commeatus ac pabulationem copiosius haberet, per ducum errorem Calilinum se deductum inuenit: vbi propter loci iniquitatem, ac simul sterilitatem, insessus à Fabio montibus, breui cum exercitu periturus videbatur: quia vallis depressa, atque altis montibus obsessa, in quibus Fabius cum exercitu confederat, vno tantùm adieu, per Vulturni cursum ad mare patebat. Supra humanum ingenium euadendi inde, quam iniuit Hannibal, ratio fuit. Quis enim putaret, allegatis stramētis ad bis mille boum cornua, incensisque, Romanos milites, qui fauces eius vallis insidebant, ita terreri posse, vt locum desererent? atque ipsum Fabium Hannibalis arrēdolis inuictum, tunc hoc ludibrio capi, ita vt inde egrediendi libera Hannibali facultas relinqueretur. Hac igitur calliditate, qui spem amiserat armis inde se emittendi, nullo effuso sanguine, ne tentata quidem pugna, liberè euasit. Sabin. libr. 4. cap. 6, & Front. libr. 1. cap. 5. & Plut. in Fabio.

HASDRVBAL frater Annibalis, cùm saltum euadere non posset, faucibus eius obsessis, egit cum C. Nerone, recepitque, dimissum se, Hispania excessurum. Caullatus deinde de conditionibus, dies aliquot extraxit. Quibus omnibus non omisit per angustos tramites, & ob id neglectos dimittere per partes exercitum, ipse deinde cum, reliquis expeditis, facilè effugit. Front. lib. 1. cap. 5.

HANNO ab hostibus clausus, locum eruptioni maximè aptum, aggestis leuib. materiis, incendit, tum hoste ad cetros exitus custodiendos ano cato, milites per ipsum flammam eduxit: admonens, vt ora scutis, cura vestę contegerent. Ibidem.

MAGAS, occupato Parætonio, composuit cum speculatoribus, vrbem amicam tollerent sub vesperam, atque iterum summo mane eandem. Facium dolo processit in regione vlque ad eum locum qui Chius dicitur. Polyæn. lib. 2.

PHARACIDAS Carthaginensibus Syracusas contendentibus, incidens inter nauigandum in Carthaginenses, triremes cum ex his nouem cepisset, in duxit suos remiges & milites. Carthaginenses sua nauigia agnoscentes, adnauigantes eos in Syracusanorū portum non impedierunt. Ibidem.

CARTHAGINENSES in locum aqua vacantem conclusi à Dionysio, de constituenda pace legationem ad eum miserunt. Ille conditionē hanc tulit, vt ab omni Sicilia abstinerent, sumptúque præstarent, quos in postremum bellum impendisset. Constituit Carthaginensium se imperata facturos receperunt: verūm se plenam potestatem sine nauarcho non habere, constans aliquod responsum reddendi. Itaque rogabant, vt sibi ad eum castra transferre liceret. Concessit Dionysius, quamuis repugnante Leptine. Carthaginenses mutatis castris, Dionysio legatos re infecta remiserunt. Polyæn.

TARTARI (qui Scythę sunt) regnante Bela quarto, Vngariæ rege, in Pannoniam profecti, vt Danubium traiicere possent, cum glacies Danubium amnem astrinxisset, cuius ripas Vngariæ accolæ armati obsidebant, Tartaróque latérer, an tuto exercitus super glaciem permeare posset? hanc ad tentandam glaciei firmitatem iniuerunt rationem: motis à Danubio castris, tabernacula, vt erant magna, cùm aliarum rerum, tum in primis boum atque equorum copia referta reliquerunt: ad quam prædam inuitati Vngari cum venissent, & Tartarorum veriti insidias morari minimè ausi, omnes simul greges & armenta per concretum gelu amnem abduxissent. Tartari perploratores facti certiores, Vngarorum experimento exercitui sustinendo glaciem sufficere, nocte proxima Danubium traiecerunt: atque non ablata modò recuperarunt, verūm præda quoque à tota regione abacta, regionis ipsius loca omnia, atque in eis Strigonium vrbem ferro igneque fœdarunt. Fulg. lib. 7. cap. 4.

CATTA Melita Narniensis, Foscaro Venetorum principi charissimus, quique ob receptum Pazauium in ea vrbe ad D. Antonij ædem equestrem statuam meruit, Brixia profectus cum copiis, vt Veronam contenderet, montano quidem itinere vsus, memorabili astu euasit. Nam quum in eum locum peruenisset, qui nulla militum virtute, nullo robore superari posset, hoste sibi obiecto, nouo stratagemate fugæ simulatæ fultum penetrauit. Ex quo tutò inde cum toto exercitu Veronam re incolumi peruenit. Egnat. lib. 2. cap. 4.

FVGAM TVTAM ADORNARE, IN BELLO VT VEL SIBI SOLI, *vel vniuerso exercitui prospiciatur.*

MOSES dux summus, dum Israelitas seruitio vindicat, ex Ægypto profecturus, viarum ut spendio hostem ludificari conatus, cùm per Arabiam compendiosum iter patēret, ad effugium in Æthiopiam flexit iter, quæ maximè Chananeæ erat terræ, quæ decreto perebatur, auersa. Sed hostis falli non potuit: potuit tamē medio conatu extingui: & quem terræ cohibere non potuerunt, cohibuit mare Iudęis alioqui peruium. Sab. lib. 6. cap. 6.

Pullus Iudææ finib. DAVID Sauli regis sæua insectatione, ad Philistęos fuga delatus est, genus hominum cùm Iudęis sua sponte infensum, tum Dauidi ob Goliæ cædem infensissimum. Agnitus itaque, & ad regē perductus, consessum noua odia in eum exarsere, conspecta Goliæ lancea, quam ex Nobea Dauid fugiens sustulerat. Perierat hauddubiè vir omnium maximus, nisi insania mentis, & furor tempestiuè simulatus adiumento illi fuissent: impunè dimissus est, tanquam mors, non vita sit habenda insani & furiosi vita. Ibidem.

PHILOPOEMEN à Lacedæmoniis fugatus, & propemodū deprehensus, cùm Eurotam fluuium traiecisset, equitibus mandauit, vt equis frena detraherent, & ex aqua potum haurire sinerent. Cùm vicinus locus asper esset, multáque sylua abundaret, Lacedæmonij magnam fiduciam conspicati, equos effrenantium ac potum ducētium, suspicabantur in nemore magnas aliquas copias sociorum Philopœmenis latēre, neque transmittere fluuium audentes reuerebantur. Polyæn. lib. 6.

CHABRIAS cùm Laconum terram occupasset, multāmque prædā abegisset, exeuntibus ad ferendum suis' auxilium Spartiatis, duce Agesilao, milites in collem excelsum conduxit: iumentisque & captiuis in munitissimum locum impositis, castra circum ea locauit. Lacones quinque stadiorum spacio eregionè castrametabantur. Imperauit Chabrias, vt ignes plurimi per noctem incenderentur: & secunda vigilia promulgauit, vt relictis iumentis & pecudib. ipsi per posteriorem collis partem discederent. Qui mandato parentes, clàm discesserunt. Lacones & ignē conspicientes, & iumentorum vocem exaudientes, cùm Athenienses remanere putarent, sub diluculum vasis conclamatis, accepta ad incendandā pugnam tessera, ad collem processerunt. Postquam verò appropinquassent, & inania castra inuenissent, exclamauit Agesilaus: Optimus equidem dux est Chabrias. Polyæn. lib. 3.

IPHICRATES, clàm hostibus propè imminentibus, vt sine periculo castra moueret, quotquot erant arbores in eo loco resecuit, & appēdit illis scura, galeas, hastas. Hostes igitur exhis eos manere coniiciebāt. Iphicrates verò cum omnibus copiis turò castra mouit. Ibidem.

IDEM victus cum paucis, in locum asperum & plenum arboribus confugit.

confugit. In eo cùm obsideretur, præcepit noctu, vt ab altera parte tumultum ederent. Hostibus ad tumultuantem partem conuersis, ipse nemine prohibente per alteram exiuit. Ibidem.

PHORMIONEM circa Naupactum per maritima nauigantem, duæ triremes persequebantur. Stante autem in statione naue oneraria, iam intereeptus circa hanc se flexit, & in tardiorem triremis puppim impetu facto, eam submersit: atque confestim ad alteram conuersus, sine negocio etiam illam perdidit. Ibidem.

TIMOTHEVS apud Amphipolim castra ponebat. Nunciauit quidā vesperi, hostes aduersus ipsum coire, & cū magna multitudine postridiè aggressuros esse. Qui militibus hostiū multitudinē non prædixit, ne terrorem faceret: sed quasi aggressurus illos paucos, & confusim agēres, inutilem multitudinem per inuia præmisit, vbi minimè custodiam hostes essent habituri. Ipse phalangem mouit, in postremo leui armatura præditos constituens. Triremes verò in Strymone fluuio cùm implere non posset, incendio consumpsit: & his omnibus vna nocte perfectis, absque periculo discessit. Ibidem.

ALCIBIADES Tiribazum fugiebat. Via erat vna. Tiribazus cum manente manum non conserebat, fugienti instabat. Alcibiades noctu manens, & multa ligna secans, ea reliquit iniecto igni, atque discessit. Barbari cernentes ignis fulgorem, Græcos manere putabant. Postquam verò rem cognouerunt, impetu facto, cum viam igni interseptam penetrare non possent, à persequendo destiterunt. Polyæn. lib. 1.

MEGACLIDAS, cùm in montem asperum confugisset, obsessus exercitū diuisit, & eam partem quæ mutilis erat, atque grauior, per syluam fugam dare iussit: sciens id hostibus perspicuum fore. Quibus in fugientes impetum facientibus, ille cum strenua parte copiarum, ad contrariam syluę viam conuersus, aufugit sine periculo. Polyæn. lib. 2.

THEMISTOCLES fugiens Athenienses, conscensa naui, imprudens in Ioniam delatus est. Quum verò nauis à tempestate ad Naxum appelleretur, quæ oppugnabatur ab Athenien sibus, metuens nauclero planum fecit, quisnam esset: & nisi se seruaret, Athenien sibus dicturum minabatur, quòd pecuniis adductus ipsum veheret. Vt igitur ambo salui & incolumes manerent, nemo egrederetur è naui. Nauclerus metuens, neque egredi quenquam passus est, & repentè portu soluere festinauit. Polyæn. lib. 1.

DIOTIMVS nauigia commeatum vehentia cum decem triremibus deducens, deprehensus apud Chium à Lacedæmoniis, qui viginti naues habebant, instantibus hostibus, quietè circum onerarias fugiens, & celeriores habens naues, nihil damni à persequentibus passus est, sempérque puppibus in extremas impetu facto cum suis decem, submersit: erátque admirabilis pugna, qua à fugientibus persequentes vincebantur. Polyæn. lib. 5.

ETEONICVM Laconem in vrbe Mitylenensium Conon Atheniensis oppugnabat. Celes expeditus venit, nuncians, Callicratidem Lacedæmoniorum nauarchum ad Arginusas victoriam hostibus dedisse. Eteonicus sub noctem clàm egredi nuncios iussit, & interdiu Mitylenam coronatos & gratulabundos venire, ac victoriam nunciare. Eteonicus quidē gratulatoria sacrificia fecit: Conon, & Atticus exercitus consternatus, quietum se tenuit. At non Eteonicus quieuit, sed mox classem in Chium misit. Pedestres verò copias Methymnam, in ciuitatem sociam & amicam deduxit. Polyæn. lib. 1.

LEPTINES à Lacedæmone profectus, nauem ad Tarentum subduxit. Expositis nautis, Tarentini nullam his quidem iniuriam aut vim attulerunt, ob eam causam quod essent Lacedæmonij. Leptinem verò inquirebant, vt eum comprehenderent. Ille, abiectis suis vestimentis, acceptis vasis, & lignorum onere sublato, conscendit nauim, funéque resecto, nauigium deduxit, & nautis adnatantibus receptis, ad Dionysium nauigauit. Polyæn. lib. 5.

BRASIDAS iuxta Amphipolim oppugnabatur, in difficili & aspero colle circumcirca hostibus impetentibus. Qui veriti ne per noctem aufugeret, collem lapidibus circumuallabant, & sublimem murum extruebant. Lacones malè habebat, quòd eos non in pugnam educeret, sed circumuallati turpissimè fame caperentur. Brasidas aiebat, tempus non desiderare pugnam. Posteaquam maximam collis partem munierant, & reliquum foret spacium immunitum instar magni iugeri, suis vt ad pugnā se instruerent præcepit: hoc inquiens esse tempus exeundi. Qui facto impetu, multis hostibus interfectis salui euaserunt. Nam locus angustus paucioribus non erat impedimento. Circumductus autem murus faciebat, ne quod ipsis esset à tergo periculum. Itaque hostium munitio ipsis multitudinem inutilem reddidit: exitum verò Laconibus tutiorem. Polyæn. lib. 1.

LACHARES, captis Thebis in cloacam se abscondens, post triduum seu quatriduum sub vesperam egressus, ad Delphos abiit. Et inde ad Lysimachum. Polyæn. lib. 3.

IDEM, cùm Sestum hostes cepissent, paucos dies in fouea delituit, victum exiguum, & tantum habens, vt à morte se vindicare posset. Fortè autem fortuna muliere suum mortuum efferente, in mulierbri stola mulieribus luctum agentibus permixtus, nigram habens calyptram, euasit extra mœnia. Deinde per noctem Lysimachiam transiit. Ibidem.

IDEM, captis Athenis à Demetrio, vestem seruilem & rusticam induitus, atramento faciem vngens, calathum sterquilinio tectum portans, furtim egressus per exiguam portulam, conscenso equo, Daricos aureos in manib. tenens, fugit. Equites, Tarentini summo studio persequentes, nihil remittebant. Qui sigillatim Daricos in viam sparsit. Illi descendentes ex equis, aurum colligebant. Hoc facto, sæpenumero insecutio intercisa est. Lachares equitans in Bœotiam peruenit. Ibidem.

CLEONYMVS, cùm Titum cæpisset, pro eo dimittendo duas ciuitates postulabat, Epidamnum & Apolloniam. Titi pater eas non dedit, sed eū retinere iussit. Titus comparato sui dormientis simulachro, in ædibus deposuit, atque ipse consenso nauigio, clàm aufugit, custodibus simulachrum custodientibus. Polyæn. lib. 8.

NICON Samius gubernator, cùm hostium naues in propinquo nauigarent, quo commodius illis ignorantibus præteriret, eodem modo suam vnxit, quemadmodum hostiles triremes vnctas esse intelligebat: fortissimisque & corporis robore validissimis viris remos committens, proras ipsas hostilium nauium præterlegebat: & tanquam amicus nautis appropinquans, per vltimas naues euasit, obstupescentibus ac mirantibus id factum hostibus. Et tum demum eum hostem esse, cognitum est, cùm eum capere iam non amplius possent. Polyæn. lib. 5.

CLEARCHVS, mortuo in pugna Cyro, reuertens cum Græcis, in vico quodam abundè commeatum habente castra ponebat. Tissaphernes missis legatis, iussit Græcos traditis armis ibi manere. Clearchus fingebat se orationem admittere, vt Tissaphernes fretus spe fœderis, multitudinē Persarum vndique in vicos dimitteret. Qui ratus Clearchum se submittere, dimisit exercitum. At ille sub noctem eductis Græcis, profectione totum diem & noctem continuata, euasit: Tissapherne verò eos quos dimiserat, iterum colligente. Polyæn. lib. 2.

DEMETRIVS Phalereus, cùm se à Thraciæ rege interceptum, captum iri cerneret, semetipsum in currum stramine onustum abdens, in finitimam regionem salvus & incolumis peruenit. Polyæn. lib. 3.

IDEM per angustam viam reuertebatur, cùm Spartiatæ extremum agmen adorti, plurimos vulnerarent: ille curruum multitudine coacernata, in angustissimo difficillimóque loco ignem subdidit. Hostes incensum ignem transire non poterant. Donec verò currus omnes comburentur, Demetrius adhibita festinatione, perfequentium vim effugit. Polyæn. lib. 4.

ARTEMISIA longam nauem agens, non modò Barbarorum, verumetiam Græcorum signum habuit. Si ipsa Græcam nauem insequeretur, Barbaricum signum sustulit: sin Græcam nauem persequentem fugeret, Græcum, vt persequentes quasi à Græca naui abstinerent. Polyænus lib. 8.

EADEM ad Salaminem nauale prælium committebat. Persas victos & fugientes Græci persequebantur. Illa cōprehensa mandauit Epibatis, vt Persica signa è naui reuellerent: gubernatori autē, vt in Persicā nauim prænauigantem hostiliter impressionem faceret. Græci hæc conspicati, putantes vnam ex sociis esse nauibus, his relictis ad reliquas impetum conuertebant. Artemisia imminente periculo declinato, in Cariam abnauigauit. Ibidem.

ÆGYPTVS à Mausolo ablegatus Miletum, vt eos qui ciuitatem prodere instituerant, sua ope iuuaret, cùm appulisset, & insidias sibi structas præsensisset, festinans prior ad nauem venit. Insidiatores propè maletitabant. Ille quendam è nauimisit gubernatorem: inquiens, Ægyptū quære, & eum huc adducito: iam enim soluendum est, Quo setmone audito, qui Milesiam libertatem custodiebant, discedentes è nauí, Ægyptum per vrbem quærebant. Ille cum gubernator discessisset, resecto fune, sine periculo abnauigauit. Polyæn. lib. 6.

PELOPIDAS Thebanus, cùm à Thessalis in fugam versus, flumen in quo tumultuarium fecerat pontem liberasset, ne sequentibus hostibus idem transiturus maneret, nouissimo agmini præcepit, incenderent pontem. Frontin. lib. 4. cap. 7.

PHILIPPVS oppugnans longo tempore Caras munitissimum oppidū, cùm nulla ratione capere posset, atque discedere sine periculo, & instrumēta oppugnationis salua deportare cuperet, noctem caliginosam obseruauit: iussitque fabros dissoluere machinas, ipso tamē sonitu fabricantium morem referre. Carrenses audito sonitu, portas intrinsecus firmius claudebant, & machinis contraria tormenta parabant. Cum illi in his occupati tenerentur, Philippus clàm vnà cum ipsis tormentis per noctem discessit. Polyæn. lib. 4.

IDEM, cùm eū Thraces insequerentur, præcipit vt cùm tubicen fugam cecinisset, ij qui postremum agmen tenebant, obiectis armis manerent, vt hostes à persequendo remorarentur, atque suis viam præoccupandi facultatem daret. Ibidem.

IDEM in Epiro victus, ne fugientem eum Romani premerent, inducias ad sepeliendum eos qui cæsi erant, impetrauit: & ob id remissioribus custodibus, euasit. Frot. lib. 2. cap. 13.

PLATÆENSES à Lacedæmoniis & Thebanis oppugnabantur. Viri ducenti Platęensium obseruata nocte tenebricosa & procellosa, reliquis ciuib. præceperunt, vt in contrariam partem murorum ascenderent, ibique pugnam facerent, quòd per eum locum extrinsecus Lacedæmonij irruptionem facerent. At ipsi in altera parte scalis appositis muros superarunt: neque verò Athenas ducentem viam ingrediebantur, sed Thebas versus, quòd per eam hostes minimè insecuturos putarent. Sic enim etiam accidit. Lacedæmonij per Citheronem persequebantur. Platæenses à via Thebaica paulum declinantes, Thebas venerunt, atque inde Athenas vsque euaserunt. Polyæn. lib. 6.

PYRRHVS Seleuci, clàm Callinicus ad Ancyram à Gallis victus esset, capta ab hostibus, abiecto regio vestitu, famulæ pauperrimæ pannis laceris indutus, inter captiuos venit. Ducta in Rhodum cum cæteris mancipiis, confessa est quæ esset. Rhodij reddita emptori pecunia, splendidè eam ornatam, Antiochiam miserunt. Polyæn. lib. 8.

EVMENES Gallos persequentes fugiebat, imbecilla corporis valetudine præditus, & in lectica decumbens. Cùm non satis celeriter fugā maturaret, & iam interciperetur, conspicatus secus viam collem, man-

dauit iis qui lecticam portabāt,vt in hoc eam deponerent.Barbari proximè sequentes,arbitrati nunquam hoc Eumenem facturum fuisse, nisi magnam aliquam manum in propinquo auxilij causa latitantem haberet, à persequendo destiterunt.Polyæn.lib.4.

ANTIGONVS Antipatrum,cùm in periculum venisset vt lapidaretur à Macedonibus,eripuit.Inter medium exercitum flumen erat rapidissimum,ponte coniunctum.Hinc sua tabernacula Macedones habebant,inde Antigonus cum quibusdam sibi adhærentibus & consentientibus equitibus.Illi magno cum tumultu & vociferatione stipendia petebant,mortem minitantes,nisi accepissent.Antipater non habēs quod numeraret,in summis difficultatibus versabatur.Cui Antigonus:At, inquit,ego tibi discedendi facultatem præstabo.His dictis,cum ipsa armatura per pontem cucurrit,& medias phalanges diuidens, singulos adibat concionaturo similis.Macedones viro illustri cedebant, & deflectebant,omnésque sequebantur audituri quid dicere vellet. Postquam verò circumstitit multitudo,longam orationem habuit, defendens Antipatrum,promittendo,hortando,conciliando.Inter hanc prolixam concionem,Antipater transiens cum equitibus pontem,militum lapides effugit.Ibidem.

PYRRHVS Epirotarū rex,cum Tarentinis contra Romanos suppetias tulisset,& interea à Carthaginensibus nauali prælio victus esset, de fuga tale cæpit consilium.E Sicilia post cladem acceptam reuersus,legatos cum literis ad Asiæ reges,& ad Antigonum Macedoniæ regem dimisit:ab aliis pecuniam,ab aliis auxilia,ab Antigono verò vtrumque exposcens.Cùm legati diuersi literas ei reddidissent,Epirotarum & Tarētinorum princeps in concionem vocat.Ibi quas acceperat literas non sanè recitauit,sed propediem affutura auxilia affirmauit. Cum percrebuisset igitur fama in Romanorum etiam exercitu, & è Macedonia, & ex Asia magna Pyrrho auxilia aduentare,nihil illi noui moliri ausi sunt. Pyrrhus verò ea quæ consecuta est nocte ad Epiri montes (quæ Ceraunia vocant)classe transuectus est.Pausanias in Atticis.

SELEVCVS cùm è Cilicia fugisset è prælio,quod aduersus Barbaros cōmiserat,vt ne amici quidem intelligerent eum cum paucis se fugæ mandare,Amactyonis ducis regiæ iam armigerū se esse simulabat, sumpta veste ad habitum armigeri accommodata. Postea cùm magna multitudo equitum,peditúmque confluxisset,tum recepta stola regia seipsum militibus conspiciendum agnoscendúmque præbuit. Polyænus libro quarto.

Romani cum Tyrrhenis bellum gerentes,constituto fœdere, obsides eis dederunt,nobilissimorum virorum filias virgines.Quæ obsidum loco datæ erant,accesserunt ad fluuium Thybrim loturę.Ex his vna CLOELIA reliquas omnes hortabatur,vt tunicas circum capita religarent, & fluuij cursum ob profundos gurgites difficilem transitu, tranarent. Cum tranassent,Romani virtutem quidem earum & fortitudinem admirabantur,sed tamen eas Tyrrhenis remiserunt,vt religionem fœderum inuiolatam conseruarent.Porsenna rex sciscitabatur,quænam esset quæ huius facinoris eis autor extitisset.Clœlia reliquas præuertens, confitebatur.Porsenna virilem admodum virginis animum admiratus, equum ei splendidè ornatum dono dedit,omnésque virgines collaudatas Romanis remisit.Polyæn.lib.8.

HORATIVS Cocles,vrgente Porsennæ exercitu,iussit suos per pōtem redire in vrbem:eumque (ne casu sequeretur hostis) intercidere. Quod dum efficitur in capite eius,propugnator ipse insequentes detinuit.Audito denique fragore pontis abrupti,deiecit se in alueum,eúmque armis & vulneribus oneratus tranauit.Frontinus libro secundo, capite 13.

PVB.CLAVDIVS nauali prælio superatus à Pœnis,cùm per hostiū præsidia necesse haberet erumpere,reliquas viginti naues tanquam victrices iussit ornari:atque ita Pœnis existimantib. superiores fuisse acie nostros terribilis excessit.Idem.

ANTONIVS cùm ex Parthis sibi instantibus reciperet exercitum,& quoties prima luce moueret,toties vrgentibus Barbarorum sagittis infestaretur,abeuntium agmen in quintam horam continuit, suísque fidē constantiorem fecit.Qua persuasione digressis inde Parthis, iustum iter reliquo die sine interpellatione confecit.Idem.

QVINTVS Sertorius pulsus acie à Quinto Metello Pio, ne fugam quidem sibi tutam arbitratus, milites dispersos abire iussit, admonitos in quem locum vellet conuenire.Idem.

VIRIATVS dux Lusitanorum copias Romanas, locorúmque iniquitatem euasit,eadem qua Sertorius ratione,sparso exercitu deinde recollecto.Ibidem.

LYCII à M.Bruto trans Xanthum amnem vrbe exclusi,cùm subter aquam natando vrbem repeterēt,occultis retiis cum tintinnabulis hinc inde dispositis per flumen proditi sunt & capti.Sab.lib.6.cap.6.

AFRANIVS in Hispania ad Ilerdam,cùm Cæsarem fugeret, instante eo castra posuit:cum idem Cæsar fecisset, & pabulatum suos dimisisset, ille signum repentè itineri dedit.Front.lib.2.cap.13.

COMMINIVS Atrebas cùm victus à Iulio Cæsare ex Gallia in Britanniam fugeret,& fortè ad Oceanum secundo vento quidem,sed æstu recedente,venisset,quamuis naues in siccis littoribus hærerent, pandi nihilominus vela iussit.Quæ cùm persequens eum Cæsar ex longinquo tumentia & flatu plena vidisset,ratus prospero sibi eripi cursu, recessit. Ibidem,& Fulg.lib.7.cap.4.

TRYPHON Syriæ rex victus,per totum iter fugiens pecuniam sparsit:eúmque sectantes Antiochi equites moratus effugit.Frontinus libr. 2.cap.13.

POENI classe superati,quia instantem auertere Romanum studebāt,

simulauerunt in vada naues suas incidisse, hærentésque imitati, effecerunt,vt victor eorum timens similem casum,spacium ad euadēdum daret.Ibidem.

ANNON cum Carthaginensibus Siciliam præterlegebat. Dionysius tyrannus naues aduersus eum non paucas numero misit,quæ propemodum iam accedebant.Annon suis nauibus vela detrahit:idem faciūt hostes.Annon suis mandat,vt celeriter explicent vela, & hoc pacto cunctantes & perturbatos effugit.Polyæn.lib.5.

DARIVS,aduersus Scythas expeditione suscepta, cùm neque capere Scythas posset,neque frumenti satis haberet, de fuga deliberationem instituebat.Quo igitur facilius Scythas falleret,castra, quemadmodum erant,siuit in pristino loco remanere.Erant in eis multi vulnerati,asini, muli,canes,aliáque,item ignium magna copia.Eos per noctem iussit incendere. Quo viso Scytæ,audientes animalium perturbationem,& tabernacula integra conspicientes, Persas adesse putabant. At illi longè antè fugam fecerant.Scythæ serò tandem fuga cognita, persequi conabantur, quos comprehendere amplius nequaquam poterant. Polyæn. lib.7.

CROESVS in Cappadocia victus à Cyro, vt commodè fugam facere posset,militib.imperauit,vt magnam lignorum multitudinem comportarent.His viam angustam & arctam strauit:cúmque nox ingrueret, per ea copias abduxit summa celeritate. Equites verò leuissimos & celerrimos reliquit:qui cum primum illuxisset, syluā incenderent.Hoc pacto Crœsus per fugam euasit:Cyrum autem à persequendo flamma prohibebat.Ibidem.

MITHRIDATES rex Ponti, à Romanis victus in Paphlagonia fugiens in quandam ciuitatem,vt longo itinere persequentes hostes anteuerteret,quotquot in ædibus reperiebat vtensilia, vasáque, in publico foris collocauit,& sub noctem ipse fugam capessit.Persequentes cùm in vrbem irruissent,vasa in medio proposita conspicari, ad rapinam conuertebantur.Ducibus autem persequi iubentibus morem gerere noluerunt,non commodum esse rati,manifestam vtilitatem ex manibus dimittere.Mithridates interea tēporis magna via confecta,euasit. Polyæn. lib.7.& Sab.lib.6.cap.6.

DATAMES Euphratem transgressus,Magno regi bellum facessebat. Ille cum innumerabilibus copiis obuiam ei progrediebatur, non ad modum commeatu & rebus necessariis abundans,tardius iter faciens. Datames supra fluuium magnam viam contendit, & curribus binis coniunctis, binos alios imposuit,eósque clauis inter se compegit, & iuxta canthos ab inferiori parte tabulas affixit, vt ne rotæ in limum fluminis deprimerentur.Viros autem valentissimos, qui optima iumēta fune attraherent,tranare iussit.Postea currus compactos in fluuium immisit.Hoc pacto cum posteriores impellerent,ij verò qui traiecerunt, ab anteriore parte traherent magnis funibus suspētos, iniectis superius sarmentis,atque lignis,fluuium cum suis copiis transmisit,& decem dierū itinere prius quàm rex ad flumen perueniret,domum rediit.Ibidem.

IDEM Antophradatem persequentem fugiens,cùm ad flumen propè venisset,transitum metuens,castra se positurum simulauit. Maximis autē & altissimis tabernaculis ab anteriore parte ædificatis, iumenta posterius soluere non permisit,neque militibus arma deponendi potestatem concessit.Hostes tabernacula conspicati etiam ipsi contrà scenas erigere,iumentáque dissoluere,& equos pabulatum mittere,ac cœnam omni studio parare.Datames cum instructo & accincto rebus omnibus exercitu,fluuium traiecit.Hostes donec suos milites dispersos reuocarent, congregarent,in ordines componerent,equos denique instruerent,& arma caperēt,Datames transmisso flumine,cū suis discessit.Polyęn.lib.7.

ARTABAZVS Pharnacis filius,fugiens à Platæis,in Thessaliam venit.Thessalis interrogantibus de pugna,non audens confiteri calamitatem,respondebat se in Thraciam properare,& arcanum regis mandatū perficere velle:Mardonius autem victor sequitur,& ipse victoriæ nuncium apportat.Artabazus victoriam prętendēs,Thessaliam trāsiit.Thessali verò statim Persarum cladem perceperunt.Ibidem.

AMMIANVS Marcellinus cùm noctu insequentes Persas fugeret, atque latebrarum spes nulla maneret,in equo se lumen deligasse ait,eúque ad dextrā,qua in parte planicies erat,dimisit:ipse autem cum aliis, qui cum eo erant,in læuam conuersus,ad montes vim hostium, qui lumen ad dexteram sequebantur,effugit.Fulg.lib.7.cap.4.

GALLI pugnaturi cum Attalo,aurum omne & argentum certis custodibus tradiderunt:quibus,si acie fusi essent, parceretur, quo facilius colligenda præda hostem impeditum effugerent.Front.lib.2.cap.13.

BOEMVNDVS Roberti regis Siciliæ frater, ab expeditione Hierosolymitana rediens,quum per fines Alexij imperatoris inimici transire cogeretur,se clausum in loculo vt mortuum ferri iussit, eóque modo manus hostiles euasit.Rauis.

Cùm vrbe Genua ciuilibus bellis lacerata,Guelphos,qui in vrbe rerū potiebantur,Gibellini exules infestarent, AITONVS Auria,quatuordecim triremibus,Federicum Marabottum Guelfum,qui septem tantū habebat,vehementer insectabatur.Cùm autem nox superuenisset, neque iam longè àTyro abessent,Marabottus,qui iam penè omnem salutis spē amiserat,nouo astu salutem sibi peperit.Nam cùm maritimus in classe mos esset,vt per noctem solus triremium primarius dux in puppi sua lumen deferret apertum,ob eam rem,vt aliæ naues eum assequi scirēt: ipse cùm antè suos commonuisset,ea nocte se ad Maraliā nauigaturum esse,lumen in laterna clausum,clypeo tanquā cimbæ alligauit,atque in mare constituit,triremísque suæ consuetum lumen extinxit.Cùm autē, vt maris natura est,vndę clypeū,cum laterna ad terram eiecissent,hostes arbitrati Federicum desperata salute in terrā triremes impegisse,muta-

tione,ab eo cursu,quem antè tenebant naues,ad lumen quod in laterna clypeus habebat,direxerunt:atque ita elusi Federicum amiserunt. Fulg. lib.7.cap.4.

Cùm NICOLAVS PICININVS,qui in Brixiano agro,Philippi Mediolanensis ducis exercitui præerat, apud Gardam circa Benacum lacum,à Francisco Sfortia Venetarum copiarum duce,in eum statum compulsus esset,vt neque copiis suis iungi posset,neque in eo oppido diutius sine periculo manere.(Si enim apud hostem palàm factum esset,illic eum esse,nec fugę nec defensionis spes vlla superfuisset.)Illinc nouo astu abire cogitauit.Sacco(etenim vt nomine, ita & corpore pusillus erat) se inclusit,atque à Todeschino,ita nomen erat, magnæ staturæ, maioris etiam fidei viro,qui ei obequitanti pedibus officium pręstabat,& caligas Sfortiano discrimine notatas induerat deferri se per medios hostes ad suos in tuta loca curauit,respōdente Todeschino,cùm quæreretur,quid in sacco ferret? Panem in suum ac comitum suorum vsum esse. Necessitas enim coniunctáque ei industria,militarem ducem, cuius virtute Italia tota persæpe tremuerat,eò compulerat,vt includeretur, atque peditis gregarij se crederet fidei.In quo haud facilè diiudicauerim, maiórne fuerit necessitas,quæ ad hoc Picininum coegerat, an fides,quam ei Todeschinus magna laude præstitit.Fulgos.lib.7.cap.3.& Sab. lib.10. cap.6. & Egnat.lib.7.cap.3.

ALEXANDER sextus ludificatus est Carolum octauum. Eius enim congressum cùm ex confesso horreret, & rex iam proximus vehementius postularet,vt secum de summa rei in colloquium veniret, apparerétque vix tutò id negari posse, cùm iam propemodum cogi posset, benignè iterum respondit pontifex,ceu nihil id grauatè facturus. Caduceatore inde regio à se dimisso, diuersum iter ingressus,irrequieto cursu ex vrbe vetere Perusiam contendit,eo consilio,vt si rex euestigiò secutus esset,inde Anconam peteret,mox Venetias transmissurus. Sabin. lib.10. cap.6.

STIPENDIA ASTV PARARE.

CHABRIAS Atheniensis Thao,Ægyptiorum regi gerenti bellum, & pecuniis indigenti,consuluit,vt aliquis diceret sacerdotibus,oportere & virorum & mulierum multitudinem sacris initiatorum submouere, propter impensam.Audientes autem sacerdotes,& sacerdotium penes se manere volentes,singuli propriam dedêre pecuniam. Postquam autem à cunctis accepit,iussit illis præcipi,decimam partem expensarum quas prius in templo faciebant,& reliquorum,regi mutuare,quousque finem bello imposuisset.Aristot.in Œcon.

IDEM ab vnaquaque colonia præcepit omnes quippiam determinatum afferre,& ab vnoquoque corpore similiter. Ex frumento etiam quod vendebatur,à vendente & emente, præter precium, pro modio præcipiebat obolū.Ab vnaquaque naue,& officina, & vnoquoque opus aliquod exercentium,decimam partem operis.Ibidem.

IDEM illis qui ex regione debebant sub eo militare, præcepit afferre,si quis aut auri aut argenti quippiam non signati haberet.Cùm verò plurimi attulissent,illo ipse vtebatur. Mutuantes autem præfectis classium commisit, vt de iis quæ abundarent apud eos, illis redderent. Ibidem.

IPHICRATES Atheniensis,Coty parante exercitum,effecit hoc pacto,vt compararet pecuniam.Præcepit hominibus quibus præerat, seminare sibi tres modios tritici.Quo facto,collegit tritici ingentem multitudinem,quam ad emporia mittens vendidit, obtinuítque pecuniam. Ibidem.

PEVTHES præfectus equitum Cersobleptæ, in summa pecuniarum inopia constitutus, mādauit vt quilibet agricola quinque modiorū agrū sibi sereret. Qui seruerunt,magna scilicet colonorum multitudo. Cùm igitur ingēs frumenti copia prouenisset,deuectū illud in mare vendidit, remittens aliquantū de precio.Ea ratione multas subitò pecunias Cersobleptæ confecit.Polyæn.lib.7.

TIMOTHEVS oppugnabat Samum,conscriptis septem milibus mercenariorum.Quibus cùm persoluere stipendia non posset,videns plenā fructibus insulam esse,loco ad prædandum capto, reliquos fructus vendidit,securitate iis qui legerent præstita:collectísque hinc affatim pecuniis,partem stipendiorum militibus dispertiuit, atque si vsus obsequentioribus & alacrioribus,Samiorum vrbem per vim cæpit. Polyæn.lib.3. Arist.in Œcon.

IDEM bellum gerens aduersus Chalcidenses,vnà cùm Perdicca, Cyprium æs Macedonico numismate permiscens,insigne percussit, quod pristinas quinque drachmas valore exæquaret:eius quarta pars constabat argento,reliquum ęre vitioso.Ad hunc modum abundans stipendiis, persuasit mercatoribus,& eius regionis incolis, vt ære venditiones emptionésque contraherent.Sic mutuò res commutantes,nihil ex illo numismate retinuerunt,sed illud quasi circuitu quodam in militare stipendium rediit.Ibidem.& Arist.in Œcon.disp.

IDEM cùm in Atticis castris maxima esset numi raritas,suasit mercatoribus,vt ipsius sigillo pro numismate vterētur:discedentes verò, sigillum & argentum acciperent.Crediderunt mercatores, & forum militibus præbuerunt ob ducis sigillum. Discedentibus ipsis, ad extremum abundans pęcuniis Timothæus,constitutum precium persoluit.Ibidem.

ATHENIENSES in Poridæa habitantes,cùm pecuniis ad parandū bellum indigerent, instituerunt vt omnium facultates describerentur, quæ apud vnumquenque in populo confusæ inordinatæque erant: sed & quo in loco vnaquæque possessio erat,vt pauperes possent erogare. Cui autem possessio deerat,corpore condēnabatur. Itaque ab illis quod descriptum fuerat, vnusquisque ciuitati saluum afferebat. Aristoteles in Œconom.

HERACLEOTÆ mittentes naues quadraginta tyrānis,qui erant in Bosphoro,non habentes pecuniarum copiam,comparauerunt à mercatoribus vniuersum triticum, oleum, vinum, & alias merces, & tempus definierunt,in quo ipsi precium essent persoluturi.Mercatoribus autem probè visum est,vt non ad mensuram distribuerent, sed simul onera expedirent: illis autem quòd vbi semel dedissent,nihil amplius de mercede esset prestandum.Verùm considerauerunt empta,& virum vnum dispensatorem in vnaquaque nauium constituerunt. Cùm autem peruenerunt ad locum hostium,milites ab eis comparabant omnia.Cùm verò prius aggregatum fuisset argētum,dederunt ducibus nauium, duces autem rursus mercedem soluerunt. Quo factum est vt argentum eis non defecerit,quousque ad propria remeassent.Idem.

CLAZOMENII in frumenti penuria pecunia indigentes, statuerunt, vt si qui priuatorum haberent oleum, mutuarent, ciuitati ad fœnus (nascitur enim hic fructus multus in regione.) Quibus mutuantibus,conducentes nauigia, miserunt ad emporia vnde ipsis venire triticum,habito pacto,de precio olei.Insuper debentes militibus stipendium viginti talenta,& dare non valentes,pendebant fœnus ducibus annuè quatuor talenta.Cùm autem antiquo debito nihil deduceretur, sed semper frustra consumerent,percusserunt numum ferreum,qui argenti haberet rationem viginti talentorum:deinde dantes ditissimis ciuitatis, cuilibet suo ordine,argentum ab illis receperunt æquale.Quare priuati habuerunt ad quotidianos vsus impensas,& ciuitas à debito fuit liberata. Secundum verò ex prouentibus illis fœnus restituerunt, semper diuidentes vnicuique in parte dabant, illi autem ferreos numos reportabant.Idem.

CYZICENIS ad inuicem dissidentibus, superior euasit populus. Itaque diuitibus captis, ij qui debebant pecuniam militibus, statuerunt non interimere captos: sed vbi pecuniam dedissent, expellere. Idem.

MNEDEI bellum suscipientes aduersus Olynthios, cùm illis pecuniæ deessent,adessent mancipia,statuerunt, vt relictis cuilibet ciuium mare & fœmina,cætera ad vsum ciuitatis venderent, tanquam in priuatorum exhibitione pecunias commodarent.Idem.

PERDICCA cum Chalcidensibus bellum gerēs,destitutus argenteo numismate,stannum ære mixtum signauit,atque ita stipendium militib. suppetebat.Mercatores regium numisma accipiebant. Cùm verò extra fines nulli esset vsui,pro his regionis suæ frumenta ac fructus reddidit. Polyæn.lib.4.

DEMETRIVS pecunias non habens,duplicauit militum numerum quos deligebat:& quodam admirante,vnde stipendium tot militibus suppeteret,cùm ne paucioribus quidem sufficeret:Quoniam,inquit, si potētiores fuerimus,imbecilliores habebimus aduersarios, & eorum terra potiemur:atque alij tributum pendent,coronásque mittent, iam metuentes militum multitudinem.Ibidem.

ANTIMENIDES thesauros qui per vias regias continebantur,iussit pręfectos implere secundum legem regionis.Cùm verò exercitus aut turba alia absque rege indiguisset,vendebat ea quæ erant ex thesauris, aliquē ad eos mittens.Arist.in Œcon.

LACEDÆMONII, Samiis rogitantibus pecuniam eis ad regressum dari consilio decreuerunt vnam diem & se & seruos & animalia ieiunare: & quantum expendisset quisque,tantum dare Samiis.Idem.

MEMNON Rhodius,qui Lampsaci dominabatur,pecuniis egens, scripsit ditissimis Lampsacenorum,vt magnam argenti summam ei conficerent,quam recepturi essent ab aliis ciuibus,quibus commissum erat illā afferre.Atqui cùm illis alij ciues afferrent,iussit eandem sibi mutuò dari vsque ad certum tempus,in quo eam illis redderet.Idem.

ANTIGONVS mercenarios milites Gallos certo stipendio conduxit, quibus Bedorius præerat,promittens vnicuique Macedonicum aureum se numeraturum,datis de stipendio vadibus viris ac pueris nobilissimis. Pugna aduersus Antigonum facta est. Qua facta, Galli salarium repetebant.Antigonus singulis thyreaphoris mercedem persoluit. Galli etiam inermibus & mulieribus ac liberis stipendia flagittare. Hoc enim esse vnicuique Gallo.Summa verò pecuniæ, si bellatores tantum acciperent, triginta talentorum erat:sin cum imbellibus, centum. Discedit Gallicus exercitus,& se vadibus mortem allaturum minatur. Antigonus metuens vadibus,legatum ad eos mittere,& quantascunque pecunias peterent, se daturum polliceri:saltem mitterent aliquos, qui aurum numeratum capiant.Qui summo gaudio affecti propter multitudinem pecuniæ, primates Gallorum,quibus ad ferendi auri negocium committerent miserunt.Antigonus, comprehensis iis qui venerant, Non aliter, inquit,se eos viros Gallis reddere velle,nisi suos prius recepisset.Galli summo studio suos redimere cupientes,redditis vadibus,tum denique legatos recipiunt,atque cum eis triginta talenta.Polyæn.lib.4.

C.MARIO & Cn.Carbone Consulibus bello ciuili cum L. Sylla dissidentibus,quo tempore non Reip.victoria quærebatur,sed præmium victoriæ res erat publica,senatusconsulto aurea atque argentea templorum ornamenta,ne militibus stipendia deessent,conflata sunt. Valerius lib.7.cap.6.

CARTHAGINENSES frequentibus in ciuitate apud ipsos peregrinis mi-

litibus mercedem debentes,quam diſſoluere non poterant,proclamari fecerunt:Si quis ciuium vel inquilinorum prædam habet ex ciuitate aut ex priuato,aut habere vult,deſcribatur.Deſcriptis autem compluribus, miſerunt naues in Pontum,ſplendido prætextu ad prædandum: ſtatueruntque tempus in quo rationem pro ipſis dicebant ſe reddituros. Collectis ergo pecuniis,milites dimiſerunt,& pro prædarum exigentia diuiſerunt:& ſi qua erant ex iniuſta preda,ciuitas ex prouentibus reſtituit. Ariſtot.in Oecon.

Obſidebat Venetus Tyrum vrbem circa Syriam cum numeroſa claſſe, fuitque obſidio illa longa,& laborioſa:& quia procul à patria, ſtipendij indigna. Ne igitur ſocij nauales remigeſque ſtipendij cauſa militiam detrectarent, ex aluta ad tempus pecuniam publica forma ſignauit MICHAEL dux, adnumerauitque claſſiariis ea conditione,vt domum reuerſis aurea & argentea pro temporaria repræſentaretur. Crediderunt nauales turmæ,& quicunque hominum in nauibus erant publicámque fidem; & ducis autoritatem ſecuti quamdiu foris eſt bellatum,ſine diſcrimine imaginaria inter ſe ſunt pecunia vſi.Sab.lib.6.ca.8.

FRANCISCVS Foſcarus dux,clade ad Carauagium accepta,quomodo ad recuperandum militem magnam auri vim collegerit, pete ex tit. Fortitudinis,qui prælia aduerſa magno animo tolerarunt.

MAXIMILIANVS Cæſar, huius nominis primus, cùm ſtipendia militibus quos dimittebat,perſoluere non poſſet,primus eis poteſtatem conceſſit,paſſim in Germania vagandi,& à ruſticis alimenta abſque vllo mendicitatis probro exigendi,ſiue à volentibus ſiue ab inuitis. Genus hoc ſycophantiæ(quo miſeri ruſtici militum ignauiam fouere & ſuſtentare coguntur)Gartten vulgò dicunt.

STIPENDIORVM COPIAM SIMVLARE, SOLVTIONEM *tamen in aliud tempus reijcere.*

IPHICRATES,quando non poterat dare ſtipendia,ducebat milites ad inhabitata loca & littora,vt quàm minimum abſumerent. Sin abundaret pecuniis,ducebat ipſos in ciuitates & loca florentia, vbi celerrimè conſumpto ſtipendio, facere præclarum aliquid ob inopiam pecuniæ conarentur.Non autem permiſit eos ocium agere.Sed cùm bellum non eſſet ſemper aliquid negocij dedit:& iuſſit aut cuniculos in terram agere,aut foſſas ducere,aut arbores ſecare,aut caſtra transferre,aut vaſa tranſmutare, quòd in ocio nouas res moliri exiſtimaret. Polyænus libro 3.

IDEM in inopia pecuniarum conſtitutus,tumultuantibus militibus,& communem concionem poſtulantibus,viros peritos Perſicę linguæ,ſtolis Perſicis indutos,iuſſit frequentiſſima concione ſuperuenire, & accedentes barbaricè nunciare:In propinquo ſunt qui pecunias adferunt: nos verò præmiſſi ſumus,vt hoc ſignificaremus. Quæ cùm indicaſſent, milites concionem dimiſerunt.Ibidem.

TIMOTHEVS circa Corcyram bellum gerens,exiliter ſatisfaciens militibus,petentibus quidem ſtipendium inobedientibus, & ad inimicos deficere ſe velle aſſerentibus,cœtum congregauit:ac dixit,non poſſe propter hyemem ad ſe peruenire argentum,cùm tanta eſſet illi copia. Quapropter ſolutionem trium menſium, quam prius ſoluerat, ſe illis dono dare.At verò illi ſuſpicantes nunquam Timotheum tanta munera eis dare,niſi reuerà ab eo expectarentur pecuniæ,quieuerunt à petendo ſtipendio,donec voto potitus eſt.Ariſt.in Oecon.

PHILIPPVS & Menegetes pancratiaſtes in palæſtra verſabantur. Milites interea circumſtantes, ingenti vociferatione ſtipendia flagitabant.Philippus cum non haberet,acceſſit,ſudore diffluens,puluere reſperſus,atque arridens eis:Rectè,inquit,dicitis,ô commilitones, verùm ego quoque nunc ob eam cauſſam aduerſus Barbarum vngor, vt cumulatè vobis gratias rependam. His dictis,manibus plaudens,per medios eos cucurrit,atque ſeipſum in piſcinam abiecit. quam rem Macedones ridebant.Philippus vſque eò ſe immergere contra pancratiaſten & faciem conſpergere non antè deſtitit, quàm milites defeſſi diſcederent. Huius ſtratagematis Philippus inter pocula perſæpe mentionē faciebat,quòd iucundiſſimo ludibrio inſtantes repuliſſet.Polyæn.lib.4.

Cùm ALEXANDER Aſiam deuiciſſet,Macedones ei moleſti erant, & graues,atque omnia per vim ab eo volebant extorquere.Qui mādauit,vt armati Macedones ſeorſim à cęteris ſtarēt, e regionè verò Perſæ. Qui cū diſceſſiſſent:Deligite,inquit, Macedones ducē quē volueritis:ego verò Perſis vtar militibus.Si viceritis,faciam omnia quæ volueritis:ſin victi fueritis,experti vos nihil per voſmetipſos poſſe quidem, quietem agite.Hoc ſtratagema Macedones perterruit,atque in poſterum modeſtiores reddidit.Ibidem.

DATAMES,cum à militibus ſtipendia plurium menſium flagitarentur,conuocauit eos in concionem,& ſe multas habere pecunias affirmauit in loco trium dierum itinere diſtanti:quare ſumma contentione ad eum feſtinemus,inquit.Crediderunt milites,atque ſecuti ſunt. Cùmque vnius diei itinere abeſſent,iuſſit eos in iſto loco manere,& quietem capere.Aſſumptis autem ſecum camelis & mulis,cùm perueniſſet ad templum vernaculis opibus ornatum,accepit talenta argenti triginta. Hæc camelis & mulis impoſita deuexit ad exercitum,pauciſque impletis vaſis,alia multa ad ſimilitudinem impletorum comparauit: cúmque aliquot impleta militibus oſtenderet,in bonam ſpem adducebantur,& affatim ſuppetere pecunias exiſtimabant. At ille,Amelium profectos numiſma cudere dicebat oportere.Amelius autem aberat multorum dierū itinere,regionémque difficilem ad hybernandum habebat. Totam igitur hyemem milites ſalaria flagitare ceſſarunt.Polyæn.lib. 7. & Ariſt.in Oecon.diſp.qui Didalem Perſam appellat.

IMPEDIMENTA COMMODE ET TVTO CONſeruare. *Item ſigna militaria.*

Apud ROMANOS milites ſtipendij pecuniam, aut aliunde partam, tempore pugnæ,apud ſigna in ſarcinulis deponebant,vt non modò patriæ & larium, ſed fortunarum ſuarum, milites defenſores paratiores promptioréſque forent.Alex.ab Alex.lib.4.cap.2.

C. MARIVS recidendorum impedimentorum gratia,quibus maximè exercitus agmen oneratur,vaſa & cibaria militum in faſciculos aptata furcis impoſuit,ſub quibus & habile onus & facilis requies eſſet:vnde & in prouerbium tractum eſt,Muli Mariani.Plut.in vita Marij. Frōt. lib.4.cap.1.Roterodamus in Chiliadibus.

Conſuêuere ITALI,imperantibus Ottonibus ac Fridericis germanis,magna ex parte in prælium militaria ſigna carris infixa deferre:fortaſſe ob eam cauſam,quòd in fuga difficilius ſeruari poſſent. In quibus cùm grauior militaris infamia,ſi amitterētur,conſiſteret,effugiendi dedecoris neceſſitas conſiſtere in prælio milites cogeret. Fulgoſus libro ſecundo,capite primo.

OBSIDES VEROS LIBERARE, VEL *falſos dare.*

Aduerſus Romanos militabant Latini, ducem habentes POSTHVMEN, eorúmque filias ad contrahenda cum iis matrimonia poſtulabant,quemadmodum ipſi Sabinorum virgines rapuerant,ſi fœdus ac pacem conſtitui vellent.Romani bellum quidem metuebant, filias autem ſuas tradere non ſuſtinebant.Tum Philotis ſerua,facie liberali predita, conſilium dedit,vt ſe aliáſque ſeruas, quæ decora forma eſſent, ornarent,ac hoſtibus quaſi filias mitterent:inito ſimul pacto, ſe, cum hoſtes ipſis acceptis quieti ſe dediſſent, noctu igni ſignificationem daturam. Latini cum puellis cubabāt.Illa ignem ſuſtulit.Romani reuerſi, Latinos dormientes interfecerunt.Polyæn.lib.8.

CLOELIA obſes Porſenæ à Romanis data,ad ſuos tranſmiſſo tyberi rediit.Vide tit.Fugam tutò adornare.

AGATHOCLES Ophelam Cyrenenſem cum ingentibus copiis militantem,audiens amantem eſſe puerorum,ob fidem ei proprium filiū miſit Heraclidem,egregia forma præditum:præceptúmque dedit puero, vt paucos dies rem perferret. Venit puer. Cyrenenſis elegantia ac ſpecioſitate victus,eum amplectebatur,omníque ſtudio eum colebat. Agathocles repentè Syracuſiis adductis,Ophelam occidit, omnémque exercitum eius ſuperauit,& filium nulla iniuria affectum aut corruptū recepit.Polyæn.lib.5.

Bello Punico QVÆDAM ciuitates,quæ à Romanis deficere ad Pœnos deſtinauerant,cùm obſides dediſſent quos recipere antequam deſciſcerent ſtudebant,ſimulauerunt ſeditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum legati dirimere deberent: miſſóſque eos velut contraria pignora retinuerunt:nec antè reddiderunt, quàm ipſi recuperarent ſuos.Front.lib.1.cap.8

HOSTEM CLAVSVM EMITTERE, NE EX DESPE*ratione pugnam redintegret.*

IPHICRATES hoſtibus in fugam verſis,pedetentim agmen ducens ſequebatur,& præcipiens aiebat:Inſidias omni ſtudio cauete: reliquos autem ex fugientibus cædite,vſque ad fluuiorum tranſitus, & locorum anguſtias atque foſſas. Hic maximè includi fugientes non oportet, ne cogantur ex deſperatione pugnare. Prope munitiones aut mœnia perſequi, non vtile eſt.Multi enim iam ſæpè parta victoria, poſtquam intra teli iactum venerunt,maximis cladibus affecti diſceſſerūt.Polyæn. lib.3.

IDEM hoſtes fuſos ac fugatos in anguſtum locum coegit. Conſpicatus autem nullam eis ad egrediendum viam patêre,niſi quam ſolam neceſſitas per victoriam aperuiſſet,inquiens:Ne cogamus hoſtes ſtrenuos fieri:conceſſit eis ad fugam tempus & locum,vt ipſe ſine periculo victoriam obtineret.

IDEM noctu capiebat hoſtium vrbem:Quibus in forum concurrentibus,& in magnam multitudinem conglobatis,Iphicrates portas aperire iuſſit,fugiendi poteſtatem concedens, vt ipſe minori cum periculo ciuitatem obtineret.Ibidem.

GRÆCI parta ad Salaminem victoria,ſtatuunt in Helleſpontum nauigare,& pontem demoliri,ne fugere rex poſſet. Themiſtocles contrà ſententiam pronunciat:dicens,regem interceptum pugnam redintegraturum.Sæpe verò deſperationem præſtare,quod effici virtute ac fortitudine non poſſit.Mittit igitur iterum ad regem alium eunuchum Arſacem,ita ſignificantem,niſi fugiat celerrimè,pontem Helleſponti deſtructum iri.Rex metuens feſtinauit,& præueniens Græcorum exercitum, tranſiit pontem,atque fugiens euaſit.Themiſtocles verò Græcis victoriam exortem periculi conſeruauit. Poliænus libro 1.& Front.libro 2. cap.6.

ONOMARCHVS Phocenſis,cùm Elatia à Bœotis oppugnaretur, educto exercitu & portis clauſis,liberos & vxores,& matres atque patres ordine conſtituit.Ante hos autem,armatos collocauit. Pelopidas cum apparatum deſperationis cognouiſſet,eos aut mortem obire, aut victoriam auferre velle,non commiſſo prælio,diſceſſit.Polyęn.lib.2.

LYCVRGVS legem ſcripſit Laconibus:Hoſtes fugientes nolite trucidare,ne potius ducant manere,quàm fugere.Polyæn.lib.1.

BRASIDAS,cùm ad Amphipolim clàm exercitum admouiſſet, cognita ciuium perturbatione,parum tutam ratus ex deſperatione ſuſceptam pugnam,Athenienſibus ſecuritatem promulgauit,vt fœdere facto diſcederent,& ſua poſſiderent:Amphipolitanis verò libertatem patriæ ſi cum Lacedæmoniis belli ſocietatem coirent.Obedientes promulgationi Athenienſes quidem diſcedunt: Amphipolitani verò ſocietatem cum Lacedæmoniis fecerunt,Braſidas Amphipolitanis ſe adiunxit. Polyæn.lib.1.

EPAMINONDAS in Laconicam impreſſionem fecit: & quidem Lacedęmoniam vrbem diripere potuit,verùm animo mutato,intacta ciuitate diſceſſit.Collegis iudicium ei minantibus, commonſtrans Arcades,Meſſanios,Argiuos,alióſque Peloponneſios:Si,inquit, Lacedæmonios exciderimus,cum his omnibus pugnandum erit,qui nobis iam auxilium non ideo ferunt,vt Thebanam rem augeant, ſed vt Lacedæmonios deleant.Ibidem.

SCYTHÆ ſeruos armatos non armis,ſed flagellis aggreſſi,ſe dedere coegerunt,ne ex deſperatione prælium committerent.Vide tit.Perfidia ſeruorum erga dominos.

AGESILAVS Athenienſibus ad Coroneā ſuperatis,nunciante quodam,Hoſtes in templum confugiunt:iuſſit eos abire quocunque vellēt, quòd eſſet periculoſum cum illis manum conſerere, qui ex deſperatione pugnam redintegrarent.Polyæn.lib.2.

AGESILAVS Lacedæmonius aduerſus Thebanos cùm acie confligeret,intellexiſſétque hoſtes locorum conditione clauſos, ob deſperationem fortius dimicare:laxatis ſuorum ordinibus,apertáque Thebanis ad euadendum via,rurſus in abeūtes contraxit aciem,& ſine iactura ſuorum cecidit auerſos.Front.lib.2.cap.6.

ANTIGONVS rex Macedonum,Ætolis, qui in obſidionem ab eo compulſi,fame vrgebantur,ſtatuerántque eruptione facta commori,viā fugæ dedit:atque ita infracto impetu eorum,inſecutus auerſos cecidit. Idem.

PYRRHVS Epirotarum rex cùm quandam ciuitatem cæpiſſet,clauſiſque portis ex vltima neceſſitate fortiter dimicantes eos,qui incluſi erant,animaduertiſſet,locum illis ad fugam dedit.Idem inter cętera pręcepta imperatoria memoriæ tradidit, non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti,ne non ſolum à ſe fortius ex neceſſitate reſiſteret, ſed vt poſtea quoque facilius acie cederet.Idem.

CN. MANLIVS Coſ.cùm ex acie reuerſus capta ab Hetruſcis Romana caſtra inueniſſet,omnib.portis ſtatione circundatis, incluſos hoſtes in eam rabiem efferauit,vt ipſe in prelio caderet.Quod vt animaduerterunt legati eius,ab vna parte remota ſtatione, exitum Hetruſci dederunt,& effuſos perſecuti,occurrente altero conſule Fabio, ceciderunt.Ibidem.

FABIVS Ambuſtus Anxur oppugnabat ab infima parte, qua in paludes vergit.Seruium Ahalam quatuor cum cohortibus circum miſit, qui parte ſuperiore mœnia ex improuiſo inuaderet.Muris ſuperatis diu anceps in vrbe prælium fuit.Hoc cognito, Fabius pronunciari iuſſit, Ne quis ex hoſtibus præter armatos violaretur. Quo edicto,proiectis ſtatim armis & cædes deſiit,&vrbs in poteſtatem Fabij redacta.Quid vltrà? iuſſit ab vrbis direptione ceſſari, donec collegæ Valerius & Cornelius, qui interim Volſcos depopulabantur,cum exercitibus ſuis aduenìſſent. Itaque ea primùm,vt Liuius ait,benignitas imperatorum patribus plebem conciliauit.Prudens hoc Fabij conſilium,omníque è parte conſideratum,tum foris animos popularium mirum inmodum deuinxit, tum domi turbationes,plebiſque tumultuantis animos compoſuit, mirificéque patribus conciliauit.Iouianus Pont.li.5.de Prud.c.1.

MARCVS Leuius Salinator,fuſo Haſdrubale,hortantib.eum quibuſdam vt hoſtem ad internecionem perſequeretur,reſpondit:Aliqui viuāt & ſuperſint,qui de victoria noſtra hoſtibus nuncient.Front.lib.4.cap.7. & Val.lib.3.cap.7.

SCIPIO Aphricanus dicere ſolitus eſt,hoſti non ſolùm dandam eſſe viam fugiendi,ſed etiam muniendam.Ibidem.

L. MARTIVS eques Rom.cui duobus Scipionibus occiſis exercitus imperium detulit,cùm circumuenti ab eo Pœni,ne inulti morerentur, acrius pugnarent,laxatis manipulis,& conceſſo fugæ ſpacio, diſſipatos ſine periculo ſuorum trucidauit.Front.lib.2.cap.6.

C.CÆSAR Germanos incluſos,ex deſperatione fortius pugnantes, emitti iuſſit,fugientéſque aggreſſus eſt.

HANNIBAL,cùm ad Thraſymenum incluſi Romani acerrimè pugnarent,deductis ordinibus fecit eis abeundi poteſtatem: euntéſque ſine ſuorum ſanguine ſtrauit.Idem.

GALLOS,eo prælio quod Camilli ductu geſtum eſt, deſiderantes nauigia,quibus Tiberim tranſirent, Senatus cenſuit tranſuehendos, & commeatibus quoque perſequendos.

IISDEM poſtea per Pomptinum agrum fugientibus via data eſt,quæ Gallica appellatur. Ibidem.

SVRENAS,Parthorum dux,cùm Craſſus turpiter prælio fugatus diſcederet,& per montana iter facere conaretur,metuens ne pugnam ex deſperatione redintegrarent,legatum ad eum miſit,qui in hunc modū referret: Componit tecum amicitiam rex magnus:& cùm fortitudinem ſuam Romanis oſtenderit, nunc humanitatem etiam oſtendere conſtituit. Craſſus dolum ſuſpiciens morem gerere nolebat.Milites,quorum animi eſſent fracti & defeſſi,coegerunt eum comploſis armis Barbaro credere.Craſſus inuitus peditus iter faciebat.Surenas ſumma vſus humanitate equum aureo freno præditum ei tradidit,in quo eum ſedere iuſſit.Barbarus autem equorum curator,admotis calcaribus, equi curſum accelerabat,vt Craſſum in mediam Parthorum multitudinem coniiceret.Octauius vnus ex Craſſi legatis intellecta fallacia,frenum apprehēdit,& poſt eum vnus tribunorū Petronius.Sic Octauius extracto gladio equi curatorē interfecit.Octauiū alius quidam Parthorum: Craſſum verò exiliens Parthus occidit,eiúſque caput & dextram abſciſſam ad regē magnum Parthorum Herodem deportauit.Erat eo tempore rex in conuiuio,& inter potandū Iaſonem Trallianum tragœdum Bacchas Euripidis agentē auſcultabat.Tragœdus canebat hos verſus,φερόν μὲν ἐξ ὄρεος νεότομον,ἐπὶ μέλαθρον μακάριον θήραν.Qui verò Craſſi caput habebāt,ad regē illud attulerunt.Ob eam rem ingens vociferatio,ingénſque plauſus oriebatur. Itaque Exathres exiliēs,inquit:Mihi potius hæc μέλη canere cōuenit,quā tragœdo.Rex ea re gauiſus,hūc quidē iis donis honorauit, quibus mos erat eiuſmodi homines afficere:tragœdo verò talentum donauit.Polyæn.lib.7.

IOANNES Gallorum rex,cùm incluſum Eduardum Valenſem principem nullis pacis conditionibus emittere vellet, facto in eum impetu, ſuperatus eſt,& captus.Hiſtoriam pete ex tit.Multorum pauci victores.

HOSTEM, VT ALIO PROFICISCATVR, COGERE.

AGESILAVS Lacedæmonius,cùm inferret bellum Tiſapherni, Cariam ſe petere ſimulauit:quaſi aptius locis montoſis aduerſus hoſtem equitatu præualentem pugnaturus.Per hanc conſilij oſtentationem auocato in Cariam Tiſapherne, ipſe Lydiam, vbi caput hoſtium regni erat,irrupit:oppreſſiſque qui illic agebāt,pecunia regia potitus eſt.Frōt. lib.1.cap.8.

M. CVRIVS aduerſus Sabinos,qui ingenti exercitu conſcripto, relictis finibus ſuis,Romanos agros occupauerant,occultis itineribus manum miſit,quæ deſolatos agros eorum vicóſque per diuerſa incendit. Sabini ad arcendam domeſticam vaſtitatem receſſerunt: Curio contigit & vacuos infeſtare hoſtium fines:& exercitū ſine prælio auertere, ſparſúmque cædere.Idem.

FAB. MAXIMVS quintò Coſ.cùm Gallorum,Vmbrorum, Ethruſcorum Samnitúmque aduerſus P.R. exercitus coiſſent, contra quos & ipſe trans Apēninum montem caſtra communiebat: ſcripſit Fuluio & Poſthumio,qui in præſidio vrbi erant,copias ad Sitium mouerēt: quibus aſſecutis,ad ſua defendenda Ethruſci Vmbríque deſcenderunt: relictos Samnites Gallóſque Fabius & collega Decius aggreſſi,vicerūt. Ibidem.

AGATHOCLES, Syracuſarum rex, audacter callidus cùm vrbem eius maiore ex parte Carthaginenſes occupaſſent, exercitum ſuum in Africam traiecit,vt metum metu,vim vi diſcuteret.Neque ſine effectu: nam repentino eius aduentu perculſi Pœni, libenter incolumitatem ſuam ſalute hoſtium redemerunt: pactíque ſunt,vt eodem tempore & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Valer. libro 7. capite quarto.

CONON auxilium Pharnabazo ferens,Ageſilao depopulante Aſiam, ſuaſit Perſæ,vt pecunias mitteret oratoribus ciuitatum Gręciæ,qua corrupti perſuaderent ſuis ciuitatibus,vt bellum Lacedæmoniis inferrent. Qui inducti perſuaſerunt,& bellum exortum eſt Corinthiacū.Sic factū eſt,vt Lacedæmonij Ageſilaum ex Aſia reuocarent. Polyæn.lib.1.

Lacedæmoniis Atticam vaſtantibus,Pericles miſit cum triremibus Athenienſes,qui maritimam oram Laconicæ popularentur, vt ipſi maius damnum acciperent,quam inferrent.Ibidem.

HOSTEM, NE FVGIAT, RETINERE: HOSTEM INCLVDERE.

HERCVLES naui vectus ad Troiam, ipse quidem excessit, vt in terra pugnam faceret, gubernatoribus verò mandauit, vt naues in fluctus retraherent. Peditibus igitur Troianis victoriam amittentibus, equites ad naues cursum incitarunt, non tamen capere nauigia supra mare fluctuantia potuerunt. Eos Hercules insecutus, ad vnum omnes trucidauit in littore, cùm fugiendi per mare non esset potestas. Polyæn. lib. 1.

Cùm GYLIPPVS Lacedæmoniorum rex, in Sicilia Atheniensium exercitum, cui Nicias prerat, acie vicisset, atque fusum in fugam compulisset, cum copiarum parte Nicias per insulam abibat. Quem cùm ea nocte Gylippus insequi non posset, veritus, ne ipsius noctis spacio tam longè abiret, vt postea consequendi eum facultatem non haberet: militem in transfugæ forma, ad Niciam misit, qui moneret, Cauendū ei esse, ne ea nocte se commoueret, quoniā Gylippus aditus omnes obsederat. Cui Nicias cùm temerè fidē habuisset, substitit, tempúsque frustra contriuit, quo saluti fugiens cōsulere potuisset. Itaque postridie mane, insessis montibus à Gylippo Nicias quia temerè crediderat, deditionem Lacedæmoniis facere coactus est. Fulgos. lib. 7. cap. 4. Polyæn. lib. 1. hoc stratagema Hermocrati Syracusano tribuit.

ALEXANDER Macedo, cum hostis in saltu editiore castra communisset, inducta parte copiarum, præcepit his quos relinquebat, vt ex more ignes excitarent, speciémque præberent totius exercitus: ipse per auias regiones, circumducta manu, hostem superiore aggressus loco, depulit. Front. lib 2. c. 5.

EPAMINONDAS obsidens Mantineam, cùm Lacedæmonios in subsidiū hosti venisse animaduerteret, ratus posse Lacedæmonem occupari, si clàm illò profectus esset, nocte crebros ignes fieri iussit, vt specie remanendi occultaret profectionem. Sed à transfuga proditus, assecuto exercitu Lacedæmoniorū, itinere quidē quo Spartā petebat destitit: idē tamē consilium conuertit ad Mantinenses: æquè enim ignibus factis Lacedæmonios, quasi maneret, frustratus, per 40 milia passuum Mantineam reuertitur, eámque auxilio destitutam occupauit. Front. lib. 3. cap. 11.

SELEVCVS, Demetrio sub collibus Tauri castrametante, metuens, ne clàm Syriam versus discederet, Lysiam cum magna Macedonum manu in montes Amanidis angustiis impendentes misit, quà profectionem erat facturus: mandans vt plurimos ignes incenderent. Demetrius cum hæc loca præoccupata esse videret profectione destitit. Polyæn. lib. 4.

C. CÆSAR per exceptum quendam aquatorem cùm comperisset, Afranium Petreiúmque castra noctu moturos, vt citra vexationem suorum, hostilia impediret consilia, in initio statim noctis vasa conclamare milites, & præter aduersariorum castra agi mulos cum fremitu & sonitu iussit. Hostes arbitrati castra Cæsarem mouere, in eo quo consederant loco, remanserunt. Front. lib. 1. cap. 8.

M. BRVTVS, cùm Lycios trans Xanthum amnem compulsos vrbe exclusisset, indicio comperit, subter aquam nando vrbem repetere. Tetendit itaque occultè retia cum tintinnabulis supernè appositis, quo indicio incidisse hostes in retia significaretur. multi per hunc modum capti sunt cæteri à simili conatu deterriti, extorres esse maluerunt. Sab. lib. 6. capite sexto.

IMPETV REPENTINO ET CELERITATE SVMMA OMNEM *hostis apparatum atque conatum anteuertere.*

ABRAHAMVS, cùm Lothum fratris F. à quinque regulis (qui regem Sodomorum prælio vicerant, & optimam prædam ceperant) abduci audiuisset, vernas 318. domi suæ natos expedit, & noctu hostes aggressus, superauit ad Danem, & ad Damascum vsque persecutus est. Geneseos decimoquarto.

ATHENIENSES, cùm subinde à Lacedæmoniis infestarentur, diebus festis, quos sacros Mineruæ extra vrbem celebrabant, omnem quidem colentium imitationem expresserunt, armis tantùm & veste celatis. Peracto ritu suo, non statim Athenas reuersi, sed protinus inde raptim acto Lacedæmonem versus agmine, eo tempore quo minimè timebantur, agrum hostium, quibus subinde predæ fuerant, vltrò depopulati sunt. Front lib. 4. cap. 7.

ALEXANDER Philippi filius, ter decem stadiis continuò itinere confectis, antequam quietem caperet exercitus, cum hostibus conflixit, & eos vicit Ælian. de Var. histor. lib. 12.

IDEM, post commissam in Peparetho naualem pugnam, in spem adductus, se Athenas capere posse, sine custodia, vacuósque cura post victoriam agentes: mandauit iis qui in nauibus erant, vt celeriter in Piræū ad Digma naues adpellerent, éque mensis pecunias diriperent. Quibus adnauigātibus, Athenienses amicas naues esse rati, nullam earum rationem ducebant. Illi egressi, classicum cecinerunt, districtisque gladiis, in mensas impressionem fecerunt. Athenienses summo studio in vrbē currebant, nunciaturi ducibus Piræi occupationem. Interim illi, pecuniis ablatis, discesserunt. Polyæn. lib. 6.

ANTIGONVS Attalum & Alcetam duces Macedonum non paruæ existimationis viros, in Pisidicis angustiis castrametantes, clàm persequebatur. Elephantis clangorem edentibus, atque horrētibus, Antigonum aduentare senserunt. Solus enim hic eiusmodi belluarum apparatum circum se habebat. Alcetas, assumptis secum scutatis, operam dabat, vt asperam difficilémque per montana viam occuparet. Antigonus omittens Alcetam, obliquatam aciem sub latera montium summa cum celeritate aduersus hostes ducebat, eósque de improuiso obruit, partim arma circundantes, partim inermes omnésque perturbatos atque perterritos. Quamobrem abstinēs à cęde, promissa salute ac vita, sine prælio victoriā adeptus est. Polyęn. lib. 4.

DEMETRIVS misso ad Bœotos fœciali, bellum eis denunciabat. Fœcialis quidem Orchomeni Bœotarchis epistolam belli nunciam reddidit. Postridie verò Demetrius in Chæronea castra locauit. Perterruit Bœotos bellum simul annunciatum & præsens. Ibidem.

ARISTONYMVM in Methymna Chares oppugnabat. Misit ad eū Memnon legationem, petens ne quid per vim Aristonymo faciat. Etenim esse sibi patriam amicum & hospitem, & sequēti nocte se cum omnibus militibus ibi affuturum. Chares legatis hæc referentibus contempsit: quòd fieri nō posse existimaret, vt exercitus tāto numero atque onere sequēti nocte in eum locum peruenire posset. Memnon quinque cōfectis itinere stadiis milites ad mille & ducentos in naues imposuit: iisque præceptum dedit, vt cùm egressi ad arcem venissent, sublato igne significationem facerent, & hostes aggrederentur. His factis, adortio in tenebris præter spem & expectationē accidit. Ignis verò sublatus, in fugā Charetem vertit, quasi Memnon cum vniuersis copiis arcem occupasset. Polyæn. lib. 5.

T. QVINTIVS Cos. victis acie Equis & Volscis, cùm Antium oppidum expugnare statuisset, ad concionem vocato exercitu, exposuit quam id necessarium & facile esset, si nō differretur: eóque impetu, quem exhortatio concitauerat, aggressus est vrbem. Front. lib. 3. cap. 1.

MARCVS Cato animaduertit in Hispania potiri se quodam oppido posse, si inopinātes inuaderet. Quatridui itaque iter biduo, per confragosa & deserta emensus, nihil tale metuentes oppressit hostes: victoribus deinde suis causam tam facilis euentus requirentibus, dixit, tum illos victoriam adeptos, cùm quatridui iter biduo arripuissent. Front. lib. 3. cap 2.

HANNIBAL Pœnos vt Flaminium consulem, qui in Hetruria erat improuiso accessu opprimeret, per stagnantia Arni loca tres dies ac totidem noctes peruigil egit exercitum: atque repentè in hostilem terram tanta hostium consternatione, vt non magis Cortonensis saltus & Thrasymeni obices iuuerint Punicam victoriam, quamuis ea parte illata, quà minimè expectabatur. Sab. lib. 10. cap. 6.

LVCVLLVS aduersus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore apud Tigranocertam, cùm ipse non amplius quindecim millia armatorum haberet, hostis autem innumerabilem multitudinem, sed inhabilē: nondum ordinatam hostium aciem inuasit, atque ita protinus dissipauit, vt ipsi quoque reges, abiectis insignibus, fugerent. Front. lib. 2. cap. 1.

Amage, vxor Medosacci regis Sarmatarum, qui Ponticam maritimam attingunt, vidēs maritum luxui deditum crapulæ, ipsa plerunque iura dictabat, & præsidia regionis disponebat, atque hostium incursiones reprimebat, finitimisque qui iniuria premerentur auxilium ferebat: sic vt eius fama ac gloria per vniuersos Scythas celeberrima haberetur. Quo fiebat, vt etiam qui Tauricam incolebant Cherronesitæ, multis damnis ab rege vicinorum Scytharum acceptis, societatem cum ea coniungere vellent. Illa primùm scripsit, mandans vt à Cherroneso abstineret. Cùm hęc Scytha contemneret, illa viris centum & viginti assumptis, & animi & corporis viribus præstantissimis, vnicuique tres equos attribuit, incitatóque cursu vna nocte & die mille & ducenta stadia confecit, & ex improuiso regiam adorta, omnes in ianuis constitutos occidit. Scythis, vt in clandestino periculo perturbatis, & non totidem, quot conspiciebant, venire existimantibus, sed multo plures accedere: Amage, quo cœperat impetu, in regiam Scytharum irruens, cognatisque & amicis, quos rex secum habebat, interfectis, Cherronesitis regionem tradidit: filio autem occisi regnum commisit, mandans vt iustè imperaret, & parentis exitum intuens, à finitimis Græcis ac Barbaris abstineret. Polyæn. lib. 8.

HOSTIVM CONSILIA, VIRES, INSIDIAS, EXPLO- *ratores deprehendere & explorare: siue per exploratores siue coniecturis quibusdam.*

IEPHTHE cautè deprehendit qui essent Ephratæi, & qui Galaaditæ, dicendo Schebboleth, dum illi responderent Seboleth, &c. Iudith. 12. & 10.

IPHICRATES in Chio redarguere volens eos qui Laconum partibus fauerent, mandauit quibusdam trierarchis, vt soluentes per noctem interdiu cum Laconico cultu habitúque appellerent. Eos aduenientes conspicati, qui Lacedæmoniorum partes tuebantur, magna cum lætitia in portum accurrebant. Quos ille circumdatos iis quos ex vrbe eduxerat comprehendit, & puniendos Atheniensibus misit. Poliænus libro tertio.

LYSANDER Thasios cæpit, apud quos erant multi qui Atheniensiū partes secuti fuerant. Ij se ab Lacone occultabant: qui conuocatis Thasiis in templum Herculis, humanissimam orationem habuit: oportere veniam dare his qui latêrent in commutatione rerum, & eos bonum animum gerere iussit. Nihil enim accepturos damni, quippe cum eam orationem in templo haberet, idque in ciuitate Herculis aui. Occulti igitur fidem habentes orationis benignitati, prodierunt. Lysander intermissis paucis diebus, quò tutius res administraretur, correptos interfici iussit. Polyæn. lib. 1.

EPHORI audientes cum Partheniis signum esse compositum, vt cū vellent incipere tumultum, è medio foro lutum proiicerent, præconem iusserunt proclamare: *Qui lutum tollere vultis, ex foro discedite.* Hoc promulgato, cōtinuerunt se qui consilij participes erant, quòd rem præcognitam esse viderent. Polyæn. lib. 2.

ALEXANDER in Hyrcania cùm audisset malos de se iactari sermones à Macedonibus & Græcis, conuocatis amicis, dixit rem postulare, vt domum mitteret qui nunciarent eum reuersurum intra triennium. Idē etiam amicos suis familiaribus per literas scribere iussit, qui omnes ad vnum scripserunt. Cùm verò tabellarij tres stathmos abessent, reuocatis iis, literas resignauit: & quam sententiam & opinionem haberent singuli, cognouit. Polyæn. lib. 4.

CASSANDER Olympiadem conclusam in Pydnam Macedoniæ ciuitatem, bello oppugnabat. Polypercon noctu misit pentecontorum proximè appellentem, Olympiadémque vt eum conscenderet, per literas hortabatur. Tabellarius captus, & ad Cassandrum adductus, confitebatur qua de causa missus esset. Ille literas obsignatas Polypercontis sigillo, eum introferre iussit, neque dicere quòd Cassander eas legisset. Qui cùm introferret, Cassander pentecontorum interceptum de medio remouit. Olympias habita fide Polypercontis sigillo & literis, sub noctē ex vrbe progressa, cùm pentecontorum non reperiret, insigniter doluit, & se à Polyperconte quoque deceptam existimauit, atque seipsam, vrbémque Pydnensium Cassandro tradidit. Ibidem.

PAMMENES cum exigua manu à pluribus interceptus, transfugam in hostium castra misit: qui cognita pugnæ tessera, reuersus Pammeni nunciauit. Ille per noctem hostes aggressus, magnum eorum numerum interfecit, atque per medios dicta tessera equitauit. Qui ad difficultatem maximam redigebantur, cum in tenebris suos per tesseram cognoscere non possent. Polyæn. lib. 5.

CHARES in exercitu suspicatus exploratores versari, præsidium foris collocauit, mandauítque vt vnusquisque proximum apprehenderet, neque antè dimitteret, quàm dixisset quisnam esset, & cuius ordinis. Ita factum est, vt caperētur exploratores, cùm neque ordinem, neque manipulum, neque cōtubernium, neque signum indicare posset. Polyęn. l. 3.

THEOGNIS exploratores in castris esse suspicatus, extra vallum præsidio constituto, mandauit vt quilibet in suis armis permanerent: cūque diuisi ac distributi essent, facilè exploratores deprehendit. Polyæn. lib. 1.

MEMNON insidias Leuconi Bosphori tyranno ponens, cum explorare vellet quanta hostium esset magnitudo, & incolentium in ea terra multitudo, Archibiadem Byzantium in triremi legatum ad Leuconem misit, vt de amicitia & hospitio cum eo loqueretur. Misit autem vnà cum illo citharœdum Olynthium, nomine Aristonicum, propter artem celebertimum, & imprimis eo tempore apud Græcos: vt in transitu, si appellerent, specimen edente citharœdo, incolísque in theatra summo studio confluentibus multitudo hominum nota legato fieret. Polyænus lib. 5.

POMPISCVS, quo citius exploratores hostium caperentur, paucas vias habebat, ad quas in excelso loco castra ponebat: iísque qui prædatum exirent, præcipiebat, vt secus viam ingrederētur. Exploratores has vias quasi perspicuas cauentes, pérque obliquas subire conantes, celeriter capiebantur. Ibidem.

GLOS in Cypro bellum gerebat: cúmque Græci quos apud se habebat, iis qui in Ionia versabantur, literas contra ipsum mitterent, vt nocentes deprehenderet, triremem adduxit, remigibúsque viaticum præbuit, atque in Ioniam nauigare iussit: Cùm gubernator nauigationem data opera protraheret, multi multas epistolas remigibus dederunt. Qui soluentes, non procul supra vrbem appulerunt. Ille pedes in eum locum profectus, vbi triremis stabat, præcepit remigibus, vt omnes sibi epistolas adferrent: in quibus cùm inuenisset eos qui contra se scripserant, non subitò sed in quæstionibus examinatos interfecit. Polyæn. libro 7.

DIONYSIVS, vt cognosceret, quam de se sententiam haberent, & quid dicerent subditi, musicas fœminas & meretrices cōscribi iussit. Quę cùm magnis præmiis se donatum iri putarent, ille nihil eis donauit: sed meretrices singulas explorauit, adhibitis tormentis, quídnam ab amatoribus audirent de tyrannide. Ita cognitis obtrectatoribus, partim morte affecit, partim in exilium misit. Polyæn. lib. 5.

DIONYSIVS expeditionem suscipiens, Androni arcis ac pecuniarū custodiam commendauit. Eum Hermocrates hortabatur, vt sibi operam suam accommodaret, ad obtinendam arcem atque pecunias. Postquam verò saluus Dionysius post paucos dies reuenit, cùm nihil audiret ab Androne, dixit se ab aliis audiuisse omnia: verùm ab ipso quoque se velle cognoscere, quísnam potissimum occasionem arripere voluerit. Qui deceptus, prodebat Hermocratem. Dionysius Andronem quidem interficiendum curauit, quòd non confestim sibi post reditum hoc indicasset: Hermocratem verò in custodiam dedit, quia sororē eius in matrimonio habebat, in cuius gratiam eum postmodùm liberauit, & in Peloponnesum dimisit. Ibidem.

IDEM, cum scire cuperet, quinam iniquo animo tyrannidem ferrent, nauigauit ab Italia in occultum nauale: famámque sparsit, Dionysium à propriis militibus interfectum esse. Qui ægrè imperium eius tulerant, concurrunt cum summo gaudio, sibique mutuò casum narrant. Ille cōprehensis iis quibus ea res lætitiæ erat, omnes trucidauit. Ibidem.

IDEM morbum simulans, rumorem diuulgauit, regem in extremo periculo versari. Cùm multis ea fama gaudium faceret, ipse cum satellitibus progessus, omnibus conspiciendum sese præbuit, gaudentésque ad mortem rapi imperauit. Ibidem.

PYRRHVS in salutatione literarū adulterinas, Lysimachi literas deprehendit. Nam cum Ptolemæus Pyrrhum epistolis filium salutaret, in adulterinis, quas Ptolemæi nomine Lysimachus destinarat, regem nuncupauit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

NELEVS quomodo eum qui puerum interfecerat, cognouerit, pete ex tit. Stratagematum in delectu militum faciendo. Etsi enim miles ille socius erat, reuera tamen occultus hostis, qui eius conatus impediebat.

Q. FABIVS Maximus bello Hetrusco, cùm adhuc incognitæ forent Romanis ducibus sagaciores explorandi viæ, fratrem Fabium Cæsonem peritum linguæ Hetruscæ, iussit Hetrusco habitu penetrare Ciminiam syluam, antè militi nostro intentatam. Quod is adeò prudenter atque industriè fecit, vt transgressus syluam, Vmbros Camertes cùm animaduertisset non alienos nomini Romano, ad societatem compulerit. Frōt. lib. 1 cap. 2.

Rependit maior AFRICANVS Thrasymenam cladem Carthaginēsibus in Aphrica, cùm res hostium per legatos, qui citro vltróque induciarum prætextu mittebantur, speculatus, nocte vna bina hostium castra incēdit, incēsa expugnauit, duósque validissimos deleuit exercitus. Sab. lib. 10. cap. 6.

SCIPIO Aphricanus, capta occasione mittendæ ad Syphacem legationis, cum Lælio seruorum habitu tribunos & centuriones electissimos ire iussit, quibus curæ esset, prospicere regias vires. Hi, vt liberius castrorum positionem scrutarentur, equum de industria dimissum, tanquam fugientem persecuti, maximam partem munimentorum circuierunt. Quæ cùm nūciassent, incendio confectum est bellum. Frontin. libro 1. cap. 2.

M. CATO in Hispania, quia ad hostium consilia alia via peruenire non poterat, iussit trecentos milites simul impetum facere in stationē hostium: raptū que vnum ex his in castra perferre incolumem. Tortus ille, omnia suorum arcana confessus est. Idem.

C. MARIVS Cos. bello Cimbrico & Teuthonico, ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem, literas eis misit. Quarum pars prior præcipiebat, ne interiores, quæ præsignatæ erant, ante tempus certum aperirentur: easdem postea ante præstitutum diem repetiit: & quia resignatas repererat, intellexit hostilia agitari. Idem.

CARTHAGINENSES, cùm animaduertissent Alexandri ita magnas opes, vt Aphricæ quoque immineret, vnum ex ciuibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iusserunt simulato exilio ire ad regem, omníque studio in amicitiam eius peruenire. Qui is potitus, consilia eius nota ciuibus suis faciebat. Idem.

IIDEM Carthaginenses, miserunt qui per speciem legatorum longo tempore Romæ morarentur, exciperéntque consilia Romanorum. Ibidem.

VENTIDIVS qua ratione Phranei proditionem eluserit, & in suam vtilitatem conuerterit, pete ex Tit. Consilia sua occultare.

ÆMYLIVS Paulus Cos. bello Hetrusco apud oppidum Coloniam dimissurus exercitum in planiciem, contemplatus procul auium multitudinem, citatiore volatu è sylua consurrexisse: intellexit illic aliquid insidiarum latêre, quòd & turbatæ aues, & simul plures euolauerant. Præmissis igitur exploratoribus, comperit decem millia Boiorum excipiendo ibi Romanorum agmini imminere: eásque aliò quàm expectabatur latêre missis legionibus, circumfudit. Front. lib. 1. cap. 2.

THYAMENVS Horestis filius, cùm audisset iugum ab hostibus naturà munitum teneri, præmisit sciscitaturos quid rei foret? ac referentibus ei, non esse verum quod opinaretur, ingressus iter vt vidit ex suspecto iugo magnam vim auium simul euolasse, neque omnino residere, arbitratus est latêre illic agmen hostium. Itaque circumducto exercitu, inclusit insidiatores.

HASDRVBAL frater Hannibalis, Liuij & Neronis exercitum (quanquam hoc illi non duplicatis castris dissimularent) cōiunctum intellexit, quòd ab itinere strigosiores notabat equos, & coloratiora hominum ex via corpora. Ibidem.

FRIDERICVS Aragonius, Siciliæ rex, cùm in singula momenta expectaret, vt Robertus Neapolitanus rex hostis in Siciliam descenderet, neque plus exploratum haberet, quo in loco descensionem esset facturus, quàm si viribus ei par esse posset: Drepanitanos quosdam ciues coegit, clàm nuncios obsidésque ad Robertum mittere, hortantes eum, vt Drepanū primò descēdere vellet, affirmātes si ea potitus esset vrbe, nullo cum labore insula tota potiturum. Quibus cùm Robertus crederet, & diu eum verbis Drepanitani traxissent, quia vrbs matura manúq; munita erat: & præterea præsidium in ea validū Fridericus imposuerat: quanquā

inuitus, imminente hyeme Robertus pacem inire cum Friderico coactus est, atque obsides reddere, quia amissa æstate, nihil erat quod per hyemẽ illic sperare posset. Fulgos. lib.7. cap.4.

SALADINVS Ægypti Sultanus, audito Christianorum principum apparatu ingenti, quo Hierosolyma ipsa recipienda esset, non dubitauit priuati habitu, posthabito regio solio, Gallias ipsas, & Germaniam, adde etiã & Hispanias obire. Quæ quum omnia accuratius lustrasset, ad suos incolumis rediit. Quod certè facinus nemo dicere possit non plenum temeritatis fuisse, si quis tamen Saladinum ipsum rectè satis æstimet. Egnat. lib.9. cap.8.

SEDEBAT ad Carauagium Franciscus Sfortia Mediolanensium Imperator contra Venetos, cùm Albertus Brandolinus omni contentione Michaelem Attendulum Imperatorem, & reliqui Veneti exercitus principes persuadere nitebantur, vt Carauagio à Sfortia obsesso omnino opem ferre vellent. A qua sententia quidem ferè omnes abhorrebant: sed ille hoc vnum præcipuè sibi placere pertinaciter perseuerans, coloni tandem habitu vuámque secum venalem ferens, non dubitauit in Sfortiæ castra transire, omniáque secum diligenter expẽdere, & ad suos incolumis reuerti. Probato igitur eius consilio, dum Carauagium ab obsidione liberare contendunt, prælio Sfortiæ congressi memorabili eius ætatis pugna superantur Veneti: quæ adhuc prouerbij loco constat, vt meritò inter temeraria facinora, Brandolinum hunc vnum numerare possis. Ibidem.

LITERIS HOSTES DECIPERE.

MENTOR, cùm Hermium superasset, ad eas ciuitates quæ eius imperio parebant, literas scripsit illius sigillo obsignatas, & præcepit, vt iis qui literas attulissent, summam rerum traderẽt. Illi, cognito sigillo Hermij, ciuitates inscij Mentori dediderunt. Polyæn.

M. MARCELLO interfecto ex insidiis, Annibal eius anulo potitus, plurimas vrbes fictis literis in suam redegisset potestatem, nisi à Romanis monitæ fuissent.

CHRISTIANI, obsessa Ptolemaide, tabellariam columbam à Sultano obsessis missam, spe auxiliorum interceperunt, & alias literas, quæ vrbem dedere iuberent, essinxerunt, columbamque dimiserunt. Mox ciuitas Christianis tradita est. Sab. l.6. c.6. Suprà de Nũciis occultè mittẽdis.

Astutia singulari vsus est FRIDERICVS Montis ferrati comes, Vrbini dux, cùm Verruculæ arcem, contra Sigismundum Malatestam Ariminensem principem obsideret. Fictas enim literas, ita vt omni ex parte Sigismundi viderentur esse, noctu per ignotum optimè eruditum hominem, ad præsidij præfectum in arcem misit: monens se auxiliares copias mittere paratum si ipsi opus esse videretur. Cùm autem ipse verum Sigismundi nuncium ac literas arbitratus, respondisset accepturum, Fridericus militibus suis Sigismundi vestitu ornatis, omnique alia re necessaria cõpositis, ea nocte missis, arcẽ in potestatẽ suã redegit. Fulg. li.7. ca.4.

INSIDIAS PRÆCAVERE, EASQVE *irritas facere.*

IPHICRATES in Thracia cùm propter conditionem locorum longum agmen deduceret, & nunciatum ei esset, hostes summum id aggressuros, cohortes in vtraque latera secedere, & consistere iussit, cæteros fugere & iter maturare: transeunte autem toto agmine, lectissimos quosque retinuit, & ita passim circa prædam occupatos hostes, iam etiam fatigatos, ipse requietis & ordinatis suis aggressus, fudit, exuitque præda. Front.

IDEM *Sicyonem* oppugnabat. Lacedæmonius præfectus ex Lacedæmone auxilium accersens, iussit missos in insidiis collocare. Qui insidias struxerunt. Iphicrates viam ad vrbem dirigẽs, transiit insidias. Aliqui feroces ex vrbe minabantur audacius, Nunc verò pœnas dabis. Iphicrates suspicatus aliquos esse, in quibus illi spem haberẽt, statim reuertitur per aliam viam difficilem, & compendiosam: atque ipse delectis robustissimis, continuò eos qui in insidiis latebãt, obruit, & omnes morte affecit: confessus se errasse, quòd non antè loca perscrutatus fuisset: suspicione verò repentina optimè vsum esse, quòd extemplò insidiantes adortus esset. Polyæn. lib.3.

IDEM in Thraciam ascendens, cum octo millibus militum castra locauit: vbi cùm audisset Thraces noctu ex insidiis adoriri velle, assumptis militibus sub vesperam, ad tria stadia in vallem deflexit, quæ tegere & occulere posset. Thraces, irruptione facta, castra vacua diripuerunt, confusis ordinibus: & Græcos, vt fugientes deriserunt. Iphicrates ex occulto adortus, multos ex eis occidit, multos etiam viuos cæpit.

IDEM, quoties vates dehortarentur, non statim morem gerebat: sed aut multitudinem transponebat, aut terram seu locum mutabat, atque iterum sacrificia redintegrabat. Hoc sæpe faciebat, non vni considerationi periculum vniuersæ rei permittens. Ibidem.

ARCHELAIDAS Lacon cum exercitu per viam suspectam iter facere volẽs, quod non præsciuit futurum, sed cogitauit fieri posse, id quasi præcognitum indicauit multitudini: & præcepit, vt instructi ad pugnam proficiscerentur, quoniã hostes insidias tenderent. Fortè fortuitò in maximas insidias incidentes, ne præuiderent hostium apparatum, ipse prior impetum fecit, & facilè omnes occidit, qui positi in insidiis fuerant, quoniam suos antè instrui ac parari iusserat. Polyæn. lib.2.

PHILIPPVS in Arbeliorum regionem irruptionẽ faciebat. Ea multas habet fauces, atque aspera est. Occultantibus sese Barbaris in nemora & aspreta, canes venatorias permultas eduxit, quæ vestigia hostiũ persequentes, plurimos ex ipsis capiebant. Polyæn. lib.4.

IDEM oppugnabat Phalcedonem vrbem Thessalicam. Phalcedonij ciuitatem tradebant. Cùm autem introirent Philippi mercenarij, in insidias incidunt. Multi enim è tectis & turribus lapides & iacula mittebãt. Philippus aduersus insidias mox consilium reperit. Posterior vrbis pars erat tranquilla, quippe ciues omnes ad insidias concurrerant. In eo loco Macedones impressionẽ facere iussit, & scalas apponere. Qui cùm ascendissent mœnia, Phalcedonij desistentes à iaculandis mercenariis, incitato cursu ad eos repellẽdos ferebantur, qui muros tenebant. At illi, priusquam in manus veniretur, vrbe potiti sunt. Ibidem.

ALEXANDER ad Arbellam aciem instruebat. Darius medium præliji faciendi spacium, tribulis resperlit. Id conspicatus Macedo, dextrum cornu ducens, rectà iussit sequi, vt circumiret locum tribulis constratum. Persa contrà suos educere ad læuam conatus, equitatum quem certis ordinibus continebat distraxit, atque cum distractis impressionẽ faciebat. Alexander similiter & Parmenion à læuo cornu tribulos declinarunt, & hostes fugam dare coegerunt. Ibidem.

IDEM cum Granicum transiret, Persis ex præcelsis & altissimis locis apparentibus, ipse Macedonibus iuxta fluuium reductis, supra caput eorum euasit, Phalanx autem hostes aggressa, in fugam conuertit. Ibid.

IDEM in Arbelis Darium superauit. Phrasaortes Darij cognatus cum magnis copiis Persicis Susidas portas custodiebat. Hæ sunt montes angusti & excelsi. In hos impressionem facientibus Macedonibus, nullo negocio Barbari restiterunt, eósque repulerunt, fundarum, telorum, saxorúmque iactibus. Itaque reuocatis iis à triginta stadiis, Alexander vallũ muniebat. Extabat oraculum Apollinis, peregrinum Lycum itineris ei contra Persas ducem futurum. Accedit ad Alexandrum bubulcus, melloriam vestem amictus, inquiens, sibi Lyco nomen esse, in circuitu montiũ occultam esse viam, quòd sylua continuis arboribus tegeretur: sibi verò soli propter boum pascua notam esse. Recordatus Alexander vaticinij, bubulco fidem habet. Itaque omnem exercitum se castris iubet continere, & frequentes ignes incendere, qui ad Persarum conspectum pertingerent. Philotæ autem & Ephæstioni mandatum dedit occultum, vt cum in iugis montium conspexissent apparere Macedones, ipsi inferius impetum in hostes ederent. Ipse cum satellitibus & vno armatorum agmine, Scythisque sagittariis omnibus, per occultam viam progressus octoginta stadia, castra metatus, & in medio asperrimæ syluæ. Circa mediam verò noctem confecto itinere non procul ab hostibus somno quietique deditis, constitit. Illucescente die, tubæ concinuerunt. A vertice montiũ Ephæstion & Philotas, à vallo Macedones eduxerunt. Persę in medio superiorum atque infimorum hostium comprehensi, partim trucidati, partim à præcipitiis deuoluti, partim viui ab hostibus capti. Ibidem.

CONON nauale prælũ initurus, nunciante transfuga, triremes optimas hostium ad Cononis nauem capiendam intendere, apparauit suæ similem, & ducem suis ornamentis induit, atque ad dextrum cornu disposuit: ab eáque vniuersæ classi signum dari iussit. Hostes cùm id vidissent, qui optimas naues habebant, repentè ad imperatoriam contendũt. Ac Conon in reliquam classem inuadens, alias submersit, alias in fugam conuertit. Polyæn. lib.1.

TESAMENVS exercitum ducens, cùm vidisset multas aues supra eũ locum volitare, non autem in terra considere, intellexit eas hominum alibi latentium metu non considere: & locum perscrutatus, aggressúsque Iones positos in insidiis interfecit. Polyæn. lib.2.

MELII Cariam, duce Symphæo, inhabitare cœperunt. Cares, qui Chryasum incolebant, insidias eis struebant. Vocant eos ad publicũ conuiuium. Carena virgo flagrans amore Symphæi, insidias ei patefecit. Ille ad Cares inquit, legem esse Græcis, vt cum vxoribus ad cœnam veniãt. Cares igitur iusserunt, vt etiam vxores adducerent. Melij ipsi quidem sine armis, solis tunicis induti, veniunt. At mulieres singulæ ensem in sinu ferunt, & quælibet iuxta suum maritum assidet. Cùm verò inter cœnandum Carium signum animaduertissent, mulieres simul omnes sinus aperuerunt. Viri sumptis ensibus, Barbaros aggrediebantur, & omnibus interfectis, vrbem regionemque ipsorum incoluerunt. Polyæn. lib.8.

LEVCON cùm intellexisset sibi amicos multósque ciues coniuratos, insidias parare, conuocatis mercatoribus omnibus, tantum pecuniarum à singulis mutuò accepit, quantum habebant: inquiens, hostes sibi per proditionem dedi. Mercatores promptis animis mutuò pecunias dederunt. Ille, conductis ipsis in aulam, confessus est hostium insidias: hortatúsque est, vt sui corporis essent custodes. Etenim tum demum eos pecunias recuperaturos, si se incolumem & saluum conseruassent. Quo factũ est, vt pecuniarum caussa mercatores armis sumptis, alij corpus Leuconis stiparent, alij regiam tuerentur. Leucon horum, atque amicissimorũ quos circa se habebat auxilio, participes coniurationis comprehensos, trucidauit: imperióque in securitatẽ redacto, pecunias reddidit. Polyęn. libro 6.

DIONYSIVS summam curam ac diligentiam adhibere solebat, vt insidiatores deprehenderet. Peregrinus quidam obambulabat in vrbe: dicens, se posse solùm viam ac rationem demonstrare, qua insidiatores prænoscerentur. Vocatus in arcem, inquit ad Dionysium, se ei soli planũ hoc facturũ, ne ars vulgaris omnibúsque perspicua fieret. Cùm omnes quotquot ei aderant, secessissent, seorsim ad eum ait: Confitere te prænoscendi artem didicisse, neque quisquam amplius insidias tibi struere audebit. Ille delectatus commento, munerib. amplissimis hominem ornauit. Satellitibus autem ac militibus dixit, se mirabilem rationẽ cognoscendi insidiatores edoctum esse. Qui credentes, non amplius audebant insidias ei ponere. Polyæn. lib.5.

DEMI-

DEMETRIVS Heraclidæ Athenis præsidij caussa relicto, ipse in Lydia versabatur. Duces Atheniensium, occulto habito consilio, Herculem natione Carem, mercenariorum ducem persuaserunt, vt portas noctu patefaceret, milites Atticos reciperet, qui Heraclidem interficerẽt. Hęc ad Ilissum transigebant, vbi lustratio fieri consueuit minorib. mysteriis, Hipparcho & Mnesidamo ducib. iusiurandum dantibus & accipientib. Hierocles fidelis Heraclidi, totam rem significauit. Qui consensit vt eos reciperent, aperta quadam parte duntaxat portarum. Ac noctu receperunt quadringentos & viginti viros, quibus præerant Mnesidamus, Polycles, Callisthenes, Theopompus, Satyrus, Vetorides, Stenocrates & Pythion: iis Heraclides duo milia militum armatos immisit, qui omnes ingredientes trucidarunt. Ibidem.

DATAMES, cùm intellexisset sibi insidias à suis militib. parari, in campo pugnam cum hostibus conserturus, alium quendam accinxit armatura sua: atque ipse aliam indutus, periculum subiit. Sic insidiatores specie falsi, cogniti sunt. Polyæn. lib.7.

ABORZVS cùm à tribus millibus hominum Persidem incolentium, sibi insidias parari sensisset, eos ablegauit, additis viarum ducibus, qui deduxerunt eos in locum quendam Persidis nomine Comastum. Ibi vicorum insignis multitudo, hominúmque magna frequentia, multáque diuersoria. Cùm autem alius apud alium hospitem diuerteret, fortissimo præsidio vicos cingente, quilibet hospes suum diuersorem inebriatum occidit. Corpora verò trium millium terræ mandata per noctem, déque medio sublata sunt. Ibidem.

Nouo sagacique consilio EVMENES CARDIANVS hostis sui consilium discussit. Nam Antigoni opera, qui aduersus Eumenem arma mouerat, in Eumenis ipsius exercitu sparsæ essent literæ, quibus ingens pecunia his proponebatur, qui Eumenẽ occidissent: Eumenes exercitũ ad concionem vocauit, egítque gratias, quòd nemo inuentus esset, qui fidei pecuniam anteferre vellet: subiunxítque, latêre eos nolle, quòd ipse eas finxerat literas, vt fidem militum suorum experiretur. Hoc sagaci consilio prouidit, ne in posterum milites aut nunciis, aut literis hostiũ crederent: veriti semper, ne rex Eumenes, experiundæ fidei gratia ea fieri iussisset. Fulg. lib.7. cap.3.

FVLVIVS Nobilior, cùm ex Samnio in Lucanos exercitum duceret, & cognouisset, à perfugis, hostes nouissimum agmen eius aggressuros, fortissimam legionem primò ire, vltimò sequi iussit impedimenta: ita factum pro occasione amplexi hostes, diripere sarcinas cœperunt. Fuluius legionis, quinque cohortes in dexteram partem viæ direxit, quinque ad sinistram: atque ita prædationi intentos hostes, explicato per vtraque latera milite, clausit cecidítque. Idem hostibus tergum eius in itinere prementibus, dum flumine interueniente, non ita magno, vt trãsitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto citra flumen collocauit, vt hostes paucitate contempta, audacius sequerentur. Quod vbi factum est, legio quę ad hoc disposita erat, ex insidiis hostem aggressa, vastauit. Front. lib.1. cap.6.

TVLLIVS Crispinus, post infaustam aduersus Pœnos dimicationẽ, qua collegam Marcellum amiserat, cùm comperisset potitum anulo interfecti Hannibalem, literas circa municipia totius Italiæ dimisit, ne crederent epistolis, si quæ Marcelli annulo obsignatæ perferrentur: monitione consecutus est, vt Salapia & aliæ vrbes frustra Hannibalis dolis tẽtarentur. Front. lib.4. cap.7.

AVXILIA, NE MITTANTVR, PRÆCAVERE, *aut iam missa intercipere & impedire.*

PLATÆENSES, cùm à Lacedæmoniis oppugnarentur, noctu vallũ aggrediebantur. Lacedæmonij, sublatis ignibus hostilibus ad Thebas, auxilium vocabant. Platæenses ex vrbe contrà ignes amicos excitarunt, vt ignium ambiguitate decepti Thebani, ab ope ferenda desisterent. Sic ignibus cõtrariis in dubitationem coniecti Thebani, auxilium ferre intermiserunt. Polyæn. lib.6.

ANTIGONVS Rhodum oppugnabat, filiúmque suum Demetrium oppugnationi præfecit, promulgans ipsos Rhodios ab omni periculo liberos, Quotquot verò circa Syriam, Phœniciam, Ciliciam, Pamphyliã erant mercatores, & Rhodij qui mare exercerent, etiam his securitatem per mare reliquum concessit, ne in Rhodum appellerent, vt omnibus auxiliis destitutam Rhodum facilius excinderet, cum missi eis à Ptolemæo socij non satis virium haberent ad resistendum Demetrio oppugnanti. Polyæn. lib.4.

MAGO dux Carthaginensium, victo Cn. Pisone, & in quadã turri circumsepto, suspicatus ventura ei subsidia, perfugam misit qui persuaderet appropinquantibus, captum iam Pisonem. Qua ratione deterritis eis, reliqua victoriæ consummauit. Front. lib.3. cap.6.

Cùm FRANCISCVS Sfortia Philippi Mediolanẽsis copiarum dux, sciret, in Pado Venetos plura habere eius generis nauigia, quæ in bellicum vsum instructa erant, ipse noctu cum magno equitum numero, in Philippi naues conscendit, & ne idem ab Carmaniola Venetorum imperatore ageretur, pro trãsfugis quosdam è peditatu suo misit, qui Carmaniolæ nunciarent, *Sfortianos* in armis esse, vt eum illo ipso tempore adorirentur. Itaque ne suos Carmaniola diuideret, opem nullam classi, Venetæ misit, & ob eam rem prælio victa classis, ex magna parte incensa atque capta fuit. Fulg. lib.7. cap.4. & Egnat. lib.7. cap.4.

SECVROS HOSTES REDDERE, ET OPPRIMERE, *varia simulatione.*

AMICITIÆ ET SOCIETATIS.

Simulatio ista prudentis non est, sed potius astuti & callidi hominis, nisi caussæ bonitas vitium excuset.

Obsessa Bethulia, in qua ipsa nata erat, ab Holoferne Assyrij regis Cambysis duce, cùm sublata resistendi spe, omnia desperationis plena essent, IVDITH vidua re cum ciuitatis principibus communicata, ausa est, formosa vna tantum comitata aucilla, hostium castra petere, atque ipsum exercitus ducem adire, tanquam ad eum facilius & Bethulianos & reliquos Iudæos vincendi rationem afferret. In eum enim sui amorem hostium ducem inflammauit, vt vnà ducem ipsum in potestate haberet, & ei desecto capite, illæso matronali pudore, patriam Bethuliam, totámque Iudæã audaci vafróque cõsilio suo liberaret. Fulgosus lib.7. cap.4.

THRASYLLVS cum reliquis ducibus instabat Byzantiis. Duces Byzantiorum veriti, ne per vim vrbs caperetur, tempus constituerunt, intra quod Byzantium traderent: & in eam rem obsides dederunt. Thrasyllus posthæc soluit versus Ioniam. Ipsa verò nocte reuersus, cępit vrbem Byzantiorum improuisam & incustoditam. Polyæn. lib.1.

CRATESIPOLIS Acrocorinthum Ptolomæo tradere volens, quæ stipendiariorum præsidiis tenebatur, cùm persæpe ei suaderent, eum locũ esse custodiendum, collaudatis iis tanquam fortibus & fidelibus viris, à Sicyone quoque se inquit socios euocaturum, qui cum ipsis tutius eam tuerentur. Misit palàm ad Sicyonios, clàm ad Ptolemæum: eiúsque milites per noctem venientes, quasi à Sicyone socios recepit, atque Acrocorinthum Ptolemæus, inuitis custodiis, occupauit. Polyęn. lib.8.

STENIPPVS Lacon mulctatus pecuniis, ab Ephoris fictè ad Tegeatas transfugit. Quibus eum recipientibus, quasi iustam iræ caussam habentem, corruptis, qui principi ipsorum infensi erant Aristocli, iis sociis vsus, inter pompã sacrificare eũ volentẽ adortus, interfecit. Polyæn. li.2.

PHILIPPVS mortuos ab hostibus Illyriis ad sepulturam postulauit. Quibus concedentibus, cùm extremi apportarentur, dato signo ex improuiso eos obruit. Polyæn. lib.4.

IDEM cùm venisset Larissam, vt Aleuadarum ædificia demoliretur, morbum simulabat, vt eos ad visendum accedentes comprehenderet. Bœscus Aleuadis insidias enunciauit, atque ita res ad finem perduci nõ potuit. Ibidem.

Cùm DARIVS Babylonem obsideret, quód ea ciuitas ab ipso defecerat, atque eius potiundæ ratione difficillima esset, Zopyrus Megabyzi vnus è septem, qui Magum occiderunt, F. cuius aula eo tempore peperetat, sibiipsi nasum, aures atque labra desecuit, atque noctu ad Dariũ se cõtulit. Cùm Darius eo aspectu commotus esset, Zopyrus se rei esse autorem, narrat, ac consilium aperit, quo impulsus id egerit: statímque inde ad Babylonios proficiscitur, eis sermone ad id composito, narrat, ita se vt videbant, à Dario affectum, quòd eum de relinquenda obsidione admonuisset. Crediderunt Babylonij ea narranti, quia etiam signa ostendebantur, quibus victi nihil videbatur obtegi posse. Itaque quia Zopyrũ ingentis virtutis virum norant esse, quarundam copiarum curam ei demandarunt. His copiis Zopyrus sæpè cũ Persis manu conserta, victor è prælio excedebat, nec parua incõmoda Persis inferebat. Itaque cùm se in magnam apud Babylonios opinionem per hunc modum insinuasset, Dux omnium copiarum ab eis creatus, haud multo pòst assecutus est, vt eo astu per noctem Darium in vrbem reciperet. Hoc exemplo ostendẽs nunquam tam grande pignus de hoste haberi posse, vt penitùs ei credẽdum sit. Est autem in hac re illud quoque adhuc incertũ, fuerítne in Darium maior Zopyri fides atque amor, an ipsius ad fallendos Babylonios astus & calliditas. Fulg. li.7. ca.4. ex Herod. l.3. Polyæn. li.3. Iust. l.1. Frõt. li.3. cap.3.

SIMILI exemplo iuuenis quidam ex optimatibus, quos Aristodemus tyrannus extorres fecerat, patriam ab impotenti seruitute liberauit. Nã cùm corpore plagis afflicto ad Aristodemum venisset, corporis miserabili aspectu fidissimos asciuit, illósque in saltus inuios, vbi positæ erant insidiæ, adduxit. Quibus debellatis, *tyranno occiso*, Cumas seruili iugo liberauit. Alex. ab Alex. lib.2. cap.32.

SEXTVS Tarquinius Tarquinij filius, indignè ferens, quód patris viribus expugnari Gabij nequirẽt, valentiorẽ armis excogitauit rationem qua interceptum id oppidum Romano imperio adiiceret. Subitò nãque se ad Gabios contulit, tanquam parentis sæuitiã & verbera, quę volũtate sua perpessus erat, fugiens: ac paulatim vniuscuiusque fictis & compositis blanditiis alliciendo beneuolentiam, vt apud omnes plurimum posset, consecutus, familiarem suum ad patrem misit, indicaturum quemadmodum cuncta in sua manu haberet, & quæsiturum quídnam fieri vellet. Iuuenili calliditati senilis astutia respondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuncij parum credens, nihil respondit, sed ducto eo in hortum, maxima & altissima papauerum capita baculo decussit. Cognito adolescens silẽtio patris, simul ac facto, causam altius argumenti peruidit: nec ignorauit præcipi sibi, vt excellentissimum quenque Gabiorum aut exilio submoueret, aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus ciuitatem tantùm non vinctis manibus ei tradidit. Val. Max. lib.7. cap.4. & Front. lib.3. cap.3.

MITHRIDATES à Lucullo virtute frequenter superatus, insidiis eum appetiit, Adathante quodam eminente viribus subornato, vt transfugeret, & fide pacta hosti, facinus perpetraret: quod is strenuè quidem, sed sine euentu conatus est. Receptus enim à Lucullo in gregem equitũ non sine tacita custodia habitus est: quia nec credi subitò transfugæ, nec inhiberi reliquos oportebat. Cùm deinde frequentibus excursionibus, promptam & enixam operam exhiberet, fide acquisita, tempus elegit, quo missa principia quietem omnibus castrensibus dabant, prætoriúmq; secretius præstabant. Casus adiuuit Luculum. Nam qui ad vigilantem vsque admitti solebat, fatigatum nocturnis cogitationibus illo tempore quiescentem inuenit. Cùm deinde, tanquam nunciaturus aliquid subitũ ac necessarium, intrare vellet, & pertinaciter à seruis valetudini domini consulentibus excluderetur, veritus ne suspectus esset, equis, quos ante portam paratos habebat, ad Mithridatem refugit irritus. Frontinus lib. 2. cap. 5.

IDEM, directa acie ad Cannas D C equites Numidas iussit transfugere: qui ad fidem faciendam, gladios & scuta nostris tradidêre: & in vltimũ agmen recepti, vbi primum concurri cœpit, strictis minoribus (quos occultauerat) gladiis, scutis iacentium assumptis, Romanorum aciem ceciderunt. Front. lib. 2. cap. 5.

IAPYGES P. Licinio proconsuli pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt. Qui recepti, & in postrema acie collocati terga Romanorum ceciderunt. Ibidem.

DOMINGVELLVS Hispanus, mimus astutissimus, cùm sciret Lupum Arenem equitem, Zorithæ arcem, furtim Alphonso octauo Castulonensi regi occupasse, atque eius loci præsidio regionem propinquam infestam facere, & ob eam rem Lupum regi vehementer esse inuisum, veluti alius apud Darium Zopyrus Alphonso clàm ostendit, se rationem inuenisse recipiendæ Zorithæ arcis, modò equitem inueniret, qui ficta contentione, vulnus sibi in os inferri pateretur. A rege requisitus Petrus Didacus, coram Alphonso cum Dominguello verbis contendere cœpit, ac Lupũ proditionis infamia criminari. Dominguellus primò humanè tueri Lupum, atque hominem excusare: sed cùm acerbius eum Petrus vrgeret, Dominguellus stricto gladio os Petri percussit, statimque ad Lupũ Zoritham profugit. Homini narrat, quo modo Petrum coram Alphonso famam eius lacerante vulnerârit. Cùm etiam per alios de eo Petrus esset certior factus, adeò mimo blandiri, eum, in deliciis habere cœpit, vt vnus ante alios arci præficeretur. Per hunc modum cùm se insinuasset Dominguellus, per occasionem Lupũ occidit, atque à muris se demisit, vt cum eius rei nuncio ad Alphonsum aduolaret. Haud multo post Lupi nepos secutus, Zorithæ arcem Alphonso restituit. Fulgot. lib. 7. cap. 4.

AB EVGENIO quarto pontifice, Basiliensis concilij, nonnullorúmque aliorum principum impulsu, ciues Rom. desciuerât, atque is se clàm Florentiam contulerat, à Romanis Eugenij nepote magno Camerario capto, obsessaque sancti Angeli arce, quæ in Adriani mole cõstructa est. Per id tempus Hispanus quidam, nomine RICIVS, belli fama permotus, vt militum mos est, Romam cum aliquot comitibus est profectus: vbi cùm conditionem è sententia sua non inuenisset, magno atque nouo astu vti cogitauit. Persuasit quibusdam è Romanorum primoribus, si tanquam transfuga in arcem recipere se posset, breui, quia in ea multorum amicitia vteretur, se curaturum, vt in potestate sua Romani arcem haberent: atque sub hoc prætextu in arcem cum quatuor comitibus profugit. Illic quo consilio venisset, præfecto arcis statim patefacit, atque ad constitutum tempus, clamore sublato, tanquam qui in præsidio erant, inter se pugnarent: haud multo post, ceu victor Hispanus diploidem ac caligas præfecti arcis materia repleuit, ita vt veri præfecti simulachrum appareret, idẽ de quibusdam alijs effecit. Atque vt ex composito erat, ad murorum pinnas, eos, veluti arcis imperium adeptus, suspendit. Romani impetu facto, ad arcem cùm enecato arcis præfecto fraudem abesse putarent, aditum in arcem quærebant: quos Ricius se non permissurum ingredi, dixit, priusquam promissa ei præstarentur, aliquot quidem ex primoribus interim accepturum in arcem. Qui cùm ingressi essent, eos in carcere condi iussit, aliam multitudinem ab arce tormentis repulit: his quos in arce cæperat, pro camerarij liberatione restitutis. Astuti consilij sui Ricius præmia ingentia ab Eugenio pontifice retulit. Fulgotus lib. 7. capite tertio.

COLLOQVII SIMVLATIONE.

PHILIPPVS petebat, vt sibi in Sarnusiorum concione verba facere liceret. Quibus congressis, imperauerat militibus, vt lora sub axillis ferrent. Cùm autem Philippus dextram extenderet quasi concionaturus, id videlicet signum militibus dederat, vt omnes præsentes vinculis constringerent. Hoc modo Sarnusij vincti, ducebantur in Macedoniam, plus decem millibus. Polyæn. lib. 4.

IDEM in hostium Thracum vrbem legatos misit. Illi conuocata concione, missos verba facere iusserunt, omniúmque animi erant intenti ad audiendum quid afferrent. Interea Philippus nec opinantes adortus, vrbem cæpit. Ibidem.

ALCIBIADES dux Athenien. cùm ciuitatem Agrigentinorum egregiè munitam obsideret: petito ab eis consilio, diu, tanquam de rebus in commune pertinentibus, disseruit in theatro, vbi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur: dúmque consilij specie tenet multitudinem, Athenienses quos ad id præparauerat, incustoditam vrbem cæperunt. Front. lib. 3. cap. 2.

IDEM nauigans in Siciliam, cùm venisset ad Corcyram, exercitum multum & infinitum in tres partes diuisit, vt commeatus facilius suppeteret, si vicissim ad vrbes aduẽtarent. Postquam verò ad Catanen appropinquauit, non accipientibus eum Catanensibus, legationem misit: petens, vt sibi soli accedere, & in commune consulere liceret. Quibus permittentibus, & in concionem concurrentibus, præcipit suis, vt quotquot essent mœniorum portæ minus firmiter ædificatæ, per eas effractas irrumperent. Et simul accidit, vt Alcibiades concionari inciperet, & Athenienses Catanem tenerent. Polyæn. lib. 1.

AVTOPHRADATES Ephesiis eregionè castra figentibus, videns multitudinem nugantem obambulare, principes eorum ad colloquiũ de communibus rebus habendum euocauit. Qui progressi colloquebantur. Duces equitum & armatorum multo antè præceptum acceperant, vt colloquentibus principibus impetum facerent in Ephesios, sine ordine dispersos, & curis vacuos. Itaque magnus Ephesiorum numerus partim occisi, partim viui capti sunt. Polyæn. lib. 7.

HANNIBAL primo Punico bello Corn. Asinam Cos. spe pacis ad colloquium vocatum, interemit. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

RELIGIONE SIMVLATA.

ARTEMISIA Cariæ regina, cùm Latmum occuparet, armatas copias occultauit: ipsa verò cum eunuchis, mulieribus, tibicinibus ac tympanistis in lucum matris deorum, qui septem stadiis ab vrbe distabat, sacra peragens, accessit. Latmiis autem aduenientibus, & pietatẽ eius contemplantibus admirantibúsque, ij qui latebant consurgentes, vrbem inuaserunt, obtinentes eam fistulis ac tympanis, quam armis non poterant obtinere. Polyæn. lib. 7.

ARISTOMENES Messanius, cùm Lacedæmonij viritim sacrificia Dioscuris persoluerent, cum quodam amico ambo cãdidos equos conscenderunt, & capitibus aureas stellas addiderunt, atque nocte iam ingruente medioeri interuallo Lacedæmoniis extra vrbem cum vxoribus & liberis festum agentibus apparuerunt. Qui Dioscurorum apparitionem esse rati, liberius vino & voluptati indulserunt. At illi descendentes et equis strictis gladiis plurimos interfecerunt, atque sic incitatis equis discesserunt. Polyæn. lib. 2.

Adolescentuli duo coniunctissimi PANORMVS & GONIPPVS Andanienses, in Laconiæ fines populandi causa simul excurrere soliti fuerant. Fortè Lacedæmonij per festos Castoris & Pollucis dies, post solenne epulũ in ipsis castris compotationibus se ac lusibus oblectabant. Ibi Gonippus & Panormus in albis tunicis & purpureis lacernis, equis pulcherrimis inuehentes, hastas, manibus tenentes, de improuiso se Lacedæmoniis ostendêre. Illi Castores esse rati, qui sacris interesse suis voluissent, adorabundi occurrerunt, eorum sibi numen precibus implorantes. At iuuenes vbi primum in medio recepti sunt, tumultum & stragem, modò hos modo illos hastis ferientes, ediderunt: atque inde, violatis per contemptum & contumeliam sacris, Andaniam impune reuerterunt. Hinc orta Castorum in Messenios ira. Pausanias lib. 4.

HABITV, ARMIS, SIGNIS, TESSERA simulata.

BACCHVS, cùm aduersus Indos expeditionem faceret, vt eum ciuitates reciperent, perspicuis ac manifestis armis exercitum non armauit, sed vestimentis exilibus, & pellibus ceruinis: hastas autem hedera cinxit, summam cuspidem occupabat thyrsus. Cymbalis & tympanis, pro tuba signum dabat. Et hostes vino inebrians, ad saltationem impulit. Et quæcunque alia sunt orgia Bacchi, omnia fuerunt ipsius stratagemata, quibus Indos, aliámque terram in suam potestatem redegit. Polyæn. lib. 1.

CVM Atheniensibus & Megarensibus de Salamine bellum esset, Solon nauigauit versus Coliadem, vbi mulieres Cereris festum obibant. In ipso mari emittit Solon transfugam ad Megarenses, qui nunciaret: Si in Coliadem nauigaueritis, Atheniensium vxores capietis, choreas ducentes: modò non cunctemini. Megarenses dolo credunt, & eò naues dirigunt. Solon verò mulieres decedere iubet: atque adolescentes impuberes, muliebribus vestimentis amictos, coronis ornatos, clandestinis ensibus armatos, ad littus ludere ac saltare iussit. Megarenses imberbiũ vultu, & vestitu mulierum decepti, egredientes è nauibus, capere tanquam mulieres conabantur: qui strictis repentè gladiis, pro mulieribus viri apparuerunt, hostes occiderunt, naues conscenderunt, & Salamine potiti sunt. Polyæn. lib. 1. & Ælian lib. 8.

DARIVS cum Saccis tripartitò diuisis bellum gerebat. Cùm vnam partem debellasset, Saccarum deuictorum vestibus & armis Persas amiciuit, eósque ad alterum Saccarum exercitum duxit, amicorum specie sensim ambulantes. Saccæ vestium & armorum habitu decepti, amicè accedentes, quasi suos salutabant. At Persæ (habebant enim hoc præceptum) omnes occiderunt: & ad tertiam partem transeuntes Saccarum, eos absque pugna vicerunt. Neque enim restiterunt, binis copiis antè superatis. Polyæn. lib. 7.

PISISTRATVS Atheniensis, cùm excepisset Megarensium classem, quæ illi ad Eleusinem noctu applicauerant, vt operatas Cereris sacro fœminas Atheniensium raperent, magnáque edita cæde eorum, vlturus esset suos, eadem quæ cæperat nauigia, Atheniensi milite compleuit, quibusdam matronis habitu captiuarum in cõspectu locatis. Qua facie decepti Megarenses, tanquam suis & tanquam successu renauigantibus effuse obuij inermésque rursus oppressi sunt. Front. lib. 4. cap. 7.

CONON dux Atheniensium, victa classe Persarum apud insulam Cyprum,

prum, milites suos captiuis armis induit, & iisdem Barbarorum nauibus ad hostem nauigauit in Pamphiliam apud flumen Eurymedonta. Persæ, quia & nauigia & habitum superstantium agnoscerent, nil cauerunt. Subitò itaque oppressi, eodem die, & nauali & pedestri prælio victi sunt. Ibidem.

CIMON ad Eurymedontem fluuium satrapas regis vincit ac superat, multisque Barbarorum nauigiis captis, Græcos ingredi in ea iussit, & stolas Medicas induere, atque naues in Cyprum deducere. Cyprij conspecto Barbarico habitu decepti, classem, quasi sociam & amicam exceperunt. At illi egressi, planè pro Barbaris Græci apparuerunt, ac Cypriis maiorem terrorem quàm pro copiis iniicientes, eos deuicerunt. Polyæn. lib. 1.

CHABRIAS in Naxo aduersus vrbem nauale prælium gesturus, præcepit trierarchis, vt si in equali & ancipiti periculo essent, suarum nauium signis absconditis insignitas hostiles esse scirent. Hoc facto, Pollidis gubernatores Atheniensium nauibus obuiam facti, cùm non haberent Atticum signum, dubij & ancipites præternauigarunt. Athenienses verò, quemadmodum præceptum erat, vtrinque in insignitas naues impressionem fecerunt. Hæc machinatio, victoriam Atheniensibus attulit. Polyænus.

ARISTOMACHVS triremibus Cardianorum captis imposuit remiges, suarúmque nauium insignibus eas ornauit, cum concentu suas naues sub multam vesperam appellens. Cardiani ad naues effundebantur ex vrbe, quasi suas & victrices. Aristomachij è nauibus egressi, multos Cardianorum occiderunt. Polyæn. lib. 5.

IPHICRATES eregionè Lacedæmoniorum sociis castra ponens, noctu vestitum exercitus transtulit, milites seruilibus vestibus induens, seruos verò militaribus. Qui igitur militari habitu amicti erant, procul ab armis ibant, liberorum ocium imitantes. Ac seruiliter instructi apud arma versabantur, quemadmodum moris erat seruientibus. Hæc videntes hostes, æmulatione aduersariorum, milites oscitanter extra castra spaciantes ociũ agebant. Serui necessariis vsibus erant occupati. Ibi tum signum tollitur. Iphicratij statim sumptis armis, ad hostium castra progressi, mancipiis à ministerio fugientibus, militibus armis destitutis, alios occiderunt, alios captiuos duxerunt. Polyæn. lib. 3.

ARTEMISIA Cariæ regina in vrbe Halycarnasso, à Rhodiis obsessa, nouo astu, & se obsidione liberauit, & Rhodios deuicit. Nam cùm Halycarnassus duos haberet portus, altero hostes ingredi, & partem vrbis capere permisit: altero autem portu, per occultam fossam in eum egressa, quem hostes ceperant, vbi classem nihil tale verẽtes inanem reliquerant, vt omnes maiore compendio prædæ operam dare in vrbe possent, ipsa totam cæpit, atque in palantes Rhodios, prædaque impeditos, impetu facto, cùm noua res perterruisset, eos omnes occîdit. Tum Rhodia classe, militibus suis instructa, Rhodum nauigauit, nullóque obstante, cùm exercitum ac classem, quam Halicarnassum miserant, redire arbitrarentur, in terram egressa, facilè Rhodum cepit atque diripuit. In cuius facti memoriam duo signa ænea in foro posuit, vnum vrbis Rhodiæ, & alterum quo ipsius effigies formata erat, manũ extendens, qua in frõte Rhodum stigmate notabat. Fulg. lib. 7. cap. 4.

GELON Siculorum tyrannus, Himilconi Chalcedonensium regi expeditionem in Siciliam facienti, eregionè castris positis, prælio decertare non audebat. Sed Pediarchum sagittariorum præfectum, sibi forma & aspectu similem, tyrannica veste indutum è castris progredi, sacrificiúmque in aris facere iussit, & eum sequi sagittarios candidis vestibus amictos, myrtum ferentes, atque sub myrto arcus occultantes. Cùm autem viderent Himilconem etiam ipsum ad eundem modum progredientẽ, & sacrificantem, tela in eum coniecêre. His ita factis, Himilcon nihil tale suspicatus, progreditur, & diuinam rem facit. Ita libans, sacrificásque, multis in ipsum impetentibus iaculis, vitam finiuit. Polyænus libro primo.

ARISTIPPVS Lacedæmonius, festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo ad celebrandum Mineruæ sacrum vrbe egressa erat, iumenta saccis frumentariis palea refertis onusta, Tegeam misit: agentibus ea militibus, qui negotiatorum specie inobseruati portas aperuerunt suis. Front. lib. 3. cap. 2.

EPAMINONDAS Thebanus in Arcadia, die festo effuse extra mœnia vagantibus hostium fœminis, plerosque ex militibus suis muliebri ornatu immiscuit. Qua simulatione illi intra portas sub noctem recepti, cæperunt oppidum, & suis aperuerunt. Ibidem.

THEBANI cùm portum Sicyoniorum nulla vi redigere in potestatem suam possent, nauem ingentem armatis compleuerunt, exposita super merce, vt negotiatorum specie fallerent: ab ea deinde parte murorum quæ longissimè remota erat, apparere paucos disposuerunt: cum quibus è naue quidam egressi, inermes simulata rixa, occurrerunt. Sicyoniis ad dirimendum id iurgium aduocatis, Thebanæ naues & portum vacantem & vrbem occupauerunt.

TIMARCHVS Ætolus, occiso Charmide, Ptolemæi regis præfecto, chlamyde interempti & galero ad Macedonicum ornatus est habitum. Per hunc errorem pro Charmide in Samniorum portum receptus, occupauit. Ibidem.

CHARIDEMVS Iliensibus vrbem eius deprædantibus, seruum Iliẽsem progressum ad prædam comprehendit, eúmque, magnis propositis, muneribus, ad prodẽdam vrbem adduxit. Verùm quo maiorem ei fidem haberent portarum custodes, multas oues mancipiáque bis terúe dedit, vt adduceret. Custodes verò partientes hæc, sæpius illi per noctẽm exeunti potestatem fecerunt: cúmque eo homines complures, qui prædam agerent. Charidemus socios eius comprehẽsos in vincula coniecit. Horum autem vestibus quosdam ex suorum numero, armatos induit, deditque eis tum aliam prædam, tum equitatum quasi captiuum. Custodes ad recipiendum equitatum, totam portam aperuerunt. Milites cum equitibus irruentes, custodes trucidauerunt: reliquámque manum recipientes, vrbe potiti sunt. Itaque si quid ludendum est, secundò equi expugnatione captum est Ilium. Polyæn. lib. 3.

QVI aduersus Erythræos bellum gerebant, speculatorem eorum in loco ædito deprehensum occiderunt, & vestem eius suo militi dederũt, qui ex eodem iugo Erythræos signo dato in insidias euocauit. Front. lib. 2. cap. 5.

HANNIBAL in Italia multas vrbes cæpit, cum Romanorum habitu quosdam suorum ex longo belli vsu Latinè quoque loquentes præmitteret. Front. lib. 3 cap. 2.

ARCADES Messeniorum castellum obsidentes, factis quibusdam armis ad similitudinem hostilium, eo tempore quo successura alia præsidia his explorauerant, instructi eorum qui expectabantur ornatu, admissique per hunc errorem vt socij, possessionem loci strage hostium adepti sunt. Ibidem.

MEMNON Cyzicenos aggrediens, causiam Macedonicam capiti imposuit, tum ipse, tum qui eum sequebantur. Duces Cyziceni eos accedẽtes cõspicati è mœnibus, arbitrati Chalcum Macedonem amicum & socium auxilio venire, portis apertis eos expectabant. Quem cùm propius accedentem cognouissent, portas clauserunt. At Memnon agris vastatis reuertebatur. Polyæn. lib. 5.

ANTIOCHVS in Cappadocia ex castello Suenda quod obsidebat, iumenta frumentatum egressa intercepit: occisisque calonibus, eorundẽ vestitu milites suos, tanquam frumentum reportantes, submisit. Quo errore illi, custodibus deceptis, castellum intrauerunt: admiserúntque milites Antiochi. Front. lib. 3. cap. 2.

MARCVS PORCIVS, impetu in classem hostium cùm transiluisset, deturbatis ex ea Pœnis, eorúmque armis & insignibus inter suos distributis, multas naues hostium, quos sociali habitu fefellerat, mersit. Front. lib. 4. cap. 7.

LOCRI, cùm à Sempronio Graccho collatis signis vrgerentur, vniuersas copias cinxêre plaustris, quæ impleuerant fortissimis viris, muliebri veste tectis. Sempronium quoque tanquam aduersus fœminas, audẽtius ad obsidendos hostes consurgẽtem, hi qui in plaustris erant aggressi fugauerunt. Ibidem.

Possidebat CAROLVS primus Neapolitanum regnum, atque Siciliã à Rom. pontifice datam, cùm vtramque Manfredo Federici filio Pontifex ademisset. Eorum regnorum ius cùm ad se pertinere putaret, Conradinus secundus Federici nepos, atque in Italiam ingenti exercitu traiecisset, Cæparano in regni primis limitibus appropinquauit, vt cum Carolo manum consereret. Alardi iam grandis natu, equitis prouinciæ Narbonensis accolæ consilio, qui bellicæ artis peritissimus erat, Carolus cum exercitu collem insedit, magnámque equitum alam, in valle in insidiis posuit, in qua cum regiis signis rex ipse erat: prælium inire alium iussit, regi ipsi persimilem, regio ornatu insignẽ, penes quem aliud erat regium vexillum. Hæc manus, paruo tempore fusa est, & captũ vexillum regium: atque is occisus, qui se regem ostendebat. Fidem faciebant toto eo bello, penes Germanos victoriam existere. Itaque iam palantes prædæque, & non prælio intenti, ordines deseruerant, cùm Carolus ex insidiis repentè consurgens, cum alia recentium militum manu, cum nouo fulgentique signo: cum præterea simul ingens tubarum ederetur clangor, & terribilis tolleretur victorum clamor, attonitos nouo casu, defessosque iam hostes inuasit, fudit & deleuit. Fulg. lib. 7. cap. 4.

QVIETIS SIMVLATIONE.

ANTIOCHVS Seleuci filius volens Damascum in suam potestatem redigere, quam Dinon Ptolemæi dux cum præsidio tenebat, præcepit exercitui atque vniuersæ regioni, vt conuiuium Persicum summa celebritate obirent: mandauitque omnibus principibus, vt copiosum afferrent conuiuij apparatum. In quo celebrando cùm prorsus occuparetur Antiochus, cum omnibus suis: etiam Dinon audito celebritatis luxu, aliquantum de excubiatum diligentia remisit. Antiochus autem imperans, vt incoctum frumentum ad quatuor dies secum portarent, duxit exercitum per solitudinem, & vias obscuras ac præcipites, atque ex improuiso irruptione facta, cæpit Damascum. Polyæn. lib. 4.

DEMETRIVS ex improuiso Sicyonem adoriri volens, secessit in Cẽchreas, atque ibi plurimos dies in luxu atque luxuria consumpsit. Cùm verò iam omnem suspicionem deposuissent Sicyonij, mandauit vt mercenarij milites cum Diodoro sub noctem impressionem facerent apud eas portas, quæ Pallenem versus spectabant: naualis autem exercitus in portu se ostenderet. Armatos ipse in ciuitatem adduxit. sic omnibus locis irruptione facta, ciuitate potitus est. Ibidem.

SELEVCVS aduersus Antigonum prælium committebat. Erat æquale pugnæ iudicium. Ingruente verò nocte, visum est vtrisque conflictum in posterum diem reijcere ac differre. Interea milites Antigoni armis exuti, castrametabantur At Seleucus præcepit suis militibus, vt in armis cœnam sumerent, & somnum carperent, atque aciei figuram conseruarent. Summo mane Seleucij accedebant armati, acie instructa. Antigonei verò circumuenti, inermes & dissipati, statim victoriam hostibus dederunt. Ibidem.

DIONYSIVS contra Dionem arcem obtinens legationem ad Syracusios misit, quæ de pace concilianda transigeret. Illis respondentibus, Si dimittit imperiũ, accipimus petitionem: sin minus, inexpiabile bellum

esto. Dionysius rursus, misso præcone, iussit mittere legatos, quib' remitteret imperiū & quibus cū fœdus faceret. Illi miserunt, & præ nimio gaudio presidia effuderunt, q tyrannū iā imperiū deponere arbitrarētur. At ille legatos retinuit, & militibus eductis, cum insigni impetu & vociferatione ad munitiones accessit: vehementique irruptione facta, Syracusas inuasit, sic neque arcē reddidit, & vrbem simul recuperauit. Polyæn.lis.

TELESINIVS Corinthius in portu Syracusiorum aduersus Athenienses nauali prælio confligebat. Cùm ad multum diem obita pugna defatigarentur, celocem in vrbem Syracusiorum misit, ac cibaria in portum deportari iussit. Quæ cùm instructa videret, sublato signo, dum anceps adhuc prælium esset, in portum se recepit. Athenienses etiam ipsi in terram discedentes prandium faciebant, alius aliò dispersi. Ille militibus præparato victu refectis, soluens continuò cum sagittariis & iaculatorib. in catastromatis repentinè superueniens, Atheniensibus sine ordine discurrentibus, & cum tumultu egressis, in obuersas triremiū proras impetu facto, victor discessit. Ibidem.

CLEOMENES Lacedæmoniorum rex, Argiuis bellum inferebat, & exaduersum castra locabat. Argiui attentè obseruabant, ac speculabātur, quid rerum hostes gererent. Nam omnia quæ vellet, per præconem exercitui Cleomenes significabat, atque illi similia facere semper studebāt. His se armantibus, contrà se armabant: exeuntibus, contrà exibant: requiescentibus, se quieti dederunt. Cleomenes tacitè & clàm præceptum dederat, vt cùm prandium ediceret præco, arma sumerent. Illo igitur proclamante, Argiui ad prandendum se conferebant. At Cleomenes educens armatos, sine negocio nudos & inermes Achiuos trucidabat. Polyæn.lib.1. & Herod.l.6.

EPAMINONDAS exercitum semper oriente sole promouit, suspicionem hostibus præbens, se ex aperto prelium facturum. At in Peloponeso noctu consurgens, inopinantes Lacedæmonios, & adhuc dormientes obruit. Polyæn.libro 2.

IPHICRATES, cùm aduersus Lacedæmonios pluribus diebus castra cominus haberet, & vtraque pars certis temporibus assiduè pabulatum lignatumque procederet, quodam die militum habitu, seruos lixasque dimisit ad munera, milites retinuit: & cùm hostes dispersi obissent similia munera, expugnauit castra eorum, inermesq; cum fasciculis passim ad tumultū recurrentes, facilè aut occidit, aut cæpit. Front.lib.2.ca.1.

LYSANDER Lacedæmonius aduersus Athenienses apud Aegopotamos instituit certo tempore infestare naues Atheniensium, deinde reuocare classem. Ea re in consuetudinem perducta, cùm Athenienses post digressum eius ad contrahendas copias dispergerentur, extendit ex cōsuetudine classem, & recepit. Tum hostiū maxima parte ex more dilapsa, reliquos adortus occidit, & vniuersas naues cæpit. Front.li.2.ca.1.

POSTHVMIVS Cos. in Sicilia, cùm castra eius à Puniceis trium millium passuum spacio distarent, & dictatores Carthaginensium quotidie ante ipsa munimenta Romanorum dirigerent aciem, exigua manu leuibus assiduè prælis pro vallo resistebat. Quam consuetudinem contemnente iam Pœno, reliquis omnibus per quietem intra vallum præparatis, ex more pristino, cum paucis sustinuit incursum aduersariorū, ac solito diutius detinuit. Quibus fatigatis, post sextam horam etiā se recipientibus, & cum inedia quoque laborarent, per recentes suos hostem, quem prædicta profligauerant incommoda, fugauit. Front.li.2.ca.1.

PHILIPPVS Macedo fortè vulnerat' grauiter, ferè mortuus iacuit. Vbi iam conualuit, cùm nihil minus suspicarētur, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert, Thebanis minimè auxiliantibus metu Philippi. Victi tandem succubuère, veterem libertatis gloriam amittentes. Philippus verò lætitiā dissimulans, solito luxu iocisq; abstinuit, captiuosque reddidit, corpora ad sepeliendum tradidit: vt est apud Iustinum.

DOMITIVS Caluinus cùm obsideret Liucam oppidum Ligurum, situ non tantum & operibus, verùm etiā propugnatorum prestantia tutū, circuire muros frequenter omnib. copiis instituit, easdemq; reducere in castra. Qua consuetudine inductis ita oppidanis, vt crederent exercitationis id gratia facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu cauētibus, morem illum obambulandi in subitū direxit impetum: occupatisq; mœnibus ita oppressit, vt seipsos dederent & oppidum. Front libr.3.cap.2.

C. DVILLIVS Cos. subinde exercendo milites, remigesq; consecutus est, vt securis Carthginensibus vsque in id tempus innoxiæ consuetudinis, subitò admota classe murum occuparet. Ibidem.

MARCELLVS Syracusiis festum in honorem Dianæ obeuntibus, & vino indulgentibus, ludicraque exercentibus, turrim occupauit, & circū circa murum armis impleuit, ac sub auroram hexapylis effractis, vrbe potitus est. Milites fortiter pugnantes, vt sibi ciuitatem diripere liceret, postulabant. At Marcellus nihil præter mancipiorum & pecuniarū vsum concessit. A sacerdotibus autem & liberis hominibus abstinere iussit. Polyæn.lib.8.

Cùm FRANCISCVS Carmaniola Venetorū militaris dux, aduersus Mediolanensis ducis Philippi copias, apud vicum Machlodium in Brixiano agro castra posuisset, nec longè ab eo loco essent Philippi copiarū duces, Carolus Malatesta, Nicolaus Picininus, Franciscus Sfortia, atque Angelus Pergelanus: accidit vt Carmaniolæ eques quidā, cum vno hostium equitū contentionē haberet. Eam rem Carmaniola arbitratus est, posse occasionē rei bene gerendæ præbere. Itaq; eo verbis eam reduxit, vt locū inter vtraq; castra deligerēt, in quo singulari certamine depugnaretur. Euenit autē, id quod Carmaniola fore præuiderat, vt è ducis Philippi castris, maior militū pars inermis, cū insidias abesse putaret, decertātes perduelles spectatū prodiret. Itaq; ipse potiorē exercitus partē armatā in tabernaculis manere iussit, & cū hostes spectaculo intētos conspexit, in equos conscendere armatos milites suos iussit, atque pleno cursu in hostes tēdere. Qui inermes inordinatique, priusquām arma induere, aut in aciem ad ordines suos ire possent, fusi fugatique sunt. Fugientes autem ipse insecutus, quatuor insignes Philippi duces superauit. Fulgos.li.7.ca.4. & Egnat.lib.7.cap.4.

NEGOCIO SIMVLATO.

AGESILAVS in Arcarnanorum regionem impressionem fecit. Illis verò in montes refugientibus, non repentinam incursionem fecit, sed ad obliquas regionis oras transmittens, iussit radicitùs arbores euellere. Acarnani contempta eius tarditate, & circa arbores occupatione, descēderunt ex montibus in vrbes, quæ sitæ erant in planicie. At ille noctu centum sexaginta stadiis raptim percursis, summo mane, deprehendens in planicie Acarnanos, magnam hominum & pecorum, aliarumque rerū multitudinem prædatus discessit. Polyæn.lib.2.

TIMORE SIMVLATO.

MAIOR CYRVS, cùm trans Araxen fluuium fecisset castra, timenti similis, Massagetis in se irruentibus reliquit diripienda: quos cibo potuque graues, ac somno deditos alta nocte adortus, cum suo rege trucidauit. Sabel.lib.6.cap.6.

In ÆGIS fluentis persæpè Athenienses soluerunt ad nauale certamen ineundū. Cùm Lysander ex aduerso non solueret, illi gaudio pleni, pæanasque canentes abnauigant. Lysander à tergo duas mittit triremes. Triremium præfecti cùm egressos esse Athenienses cernerent, sublime tollunt signum æneum scutum. Lysandro statim signum dante, vt adnauigarent, Lacones contenta remigatione aduolant, atque Athenienses recens egressos deprehendunt: quorum alij quieti se dederāt, alius aliam rem agebat. Nudos omnes armati ex improuiso obruentes Lacones, & inordinatos instructi, in captiuitatem redigūt naues vniuersas, vt ne vna quidem Athenas aufugerit, quæ cladem nunciare posset. Polyæn.lib.1.

FVGA AVT ABITV SIMVLATO.

IPHICRATES in Samo prædatus, in Delum nauigauit. Samij legati venerunt, ea quæ capta fuissent, precio redempturi. Qui promittens se eis redditurum, clàm expeditam nauem emisit, & quasi ab Athenis nauigare iussit, ac fictam epistolam ferre, tanquam Atheniēsibus ipsum redire iubentibus: ipse cum Samiis amicè pace constituta, triremium præfectis soluere mandans, & abnauigans in desertam insulam noctes, diesq; cōtendit. Samij cùm audiuissent Iphicratem abnauigasse, summamque legatis humanitatem præstitisse, sine metu in ciuitate versabantur, & absq; metu in regione passim oberrabant. Quibus dissolutè vagantibus, ille rursus ad Samum appellens, prædam longè maiorem quàm anteà diripuit. Polyæ.li.3. Simili stratagemate PHORMIO Atheniensis dux Chalcidenses expugnauit, vt Polyænus lib 3. & Front.libr.3.cap.11. testantur. POMPISCVS similiter vrbem quandam misso transfuga, qui ciuibus eū discedere diceret, reuocatum ab Arcadibus. Polyæn.lib.5. Simili astu ALCIBIADES Byzantium obsidens, ab Atheniensibus se reuocatū simulans, vela dedit. Noctu partem militum in terram exposuit, qui occultis itineribus ad vrbem penetrarunt. Ipse manè reuersus, cum classe vrbem adortus est. Cui cùm Byzantini occurrerent, milites alij vrbem ingressi sunt à tergo. Frontin lib.3.ca.11.

IDEM in Thracia cùm hostes propè castra haberent, inter vtrosque noctu syluam incendit, & relictis sarcinis, multisque quadrupedibus, fumo tenebrosiorem noctem efficiente, discessit in locum arboribus densum, & vmbrosum. Illucescente die, Thraces ad castra progressi, cùm neminem Græcorum inuenissent, ad sarcinarum & quadrupedum rapinam sese verterunt. Iphicrates distractis superueniens ex eo loco cum instructa acie, tum hostes profligauit, tum sarcinas vindicauit. Ibidem.

ARISTON Corinthius gubernator, Atheniensibus & Syracusanis nauale prælium committentibus, & vtrisque manentibus, misit ad principes, iussitque cibaria in mare transferre. Quæ cùm essent allata, versis nauibus in terram recesserunt: egressique celeriter prandiū sumpserunt. Athenienses existimantes eos victos discedere, è nauibus egrediuntur, obambulantesque ad prandium sese instruxerunt. Adnauigarunt repentè Syracusij, & pransi, minori negocio hostes famelicos profligarūt. Polyæn.lib.5.

ALEXANDER ad Tyrum obsidione relicta, in Arabiam proficiscebatur. Tyrij contempta eius absentia, progressi extra mœnia, cumq; Macedonibus manus conserentes, persæpe vincebant. Parmenion dux Alexandri reuocatur. Qui subitò reuersus, cùm fugientes Macedones conspiceret, non victis auxilio venit: sed in vrbem inanem viris impetū tendens, per vim Tyrum capit, Tyrij captam vrbem conspicati, mox semetipsos & arma Macedonibus tradiderunt. Polyæn.lib.4

ARCHEBIVS Heracleotes, hostibus continenter abeuntibus, piscatoria nauigia contraxit, eaque per carinas uinculis insertis immobilia fecit, atque ipse cum aliquibus hostium aduentum in insidiis expectabat. Tubicem qui in arbore speculandi caussa stabat, conspicatus hostes adnauigare cum naui longa, & duabus triconteris, & egressos partim prædam agere, partim nauigiorum vincula soluere, signum tuba dedit. Archebius iis quos in insidiis posuerat excitatis, hostes perdidit, triconteros autem & nauem longam in portum ciuitatis abduxit. Polyæn. libro 5.

CASSANDER ab Illyride reuertens, cùm abesset vnius diei itinere ab Epidamno, copias equestres pedestresq; descripsit, iisq; missis incen-
dit

dit vicos excelsos, positos in finibus Illyridis & Atintanidis. Illi discessisse Cassandrum arbitrati, progrediebantur ex vrbe, colendòque ruri operam dabant. At ille occultis copiis excitatis extra vrbem, non minus bis mille viris, cæpit: cúmque portas vrbis patefactas reperisset, ingressus Epidamno potitus est. Polyæn.lib.4.

DEMETRIVS Salaminem oppugnabat in Cypro, centum & septuaginta triremibus. Ptolemæi dux Menelaus sexaginta nauibus vrbem tenebat ac tuebatur, atque ipsum Ptolemæum cum centum & quadraginta nauibus venturum expectabat. Demetrius nequaquam æqualis ad pugnandum cum nauibus ducentis, terram supra Salaminem legens, sub præcipitio stationem figens, in insidiis occultabatur. Cùm verò Ptolemæus ignarus eorum qui post præcipitum latitabant, in portum subductionibus commodum & apertum adpelleret, atque milites iam exponeret, reuersus exercitus Demetrij superuenit, & sine mora in naues Ægyptias modò subductas impetum facit. Itaque mira celeritate victoria parta est. Ptolemæus enim repentè se fugæ mandabat. Menelaus verò cū soluisset è Salamine, ad socios periculo liberandos etiam ipse se fugiēti Ptolemæo comitem præbuit. Ibidem.

MEMNON quinque millia millitum ducens, cùm quadraginta stadiis abesset à Magnesia, castra muro erecto cinxit. Parmenion & Attalus erāt in Magnesia cum decem millibus. Munitis castris Memnon eduxit eos instructos ad pugnam ad decem stadia. Hostibus excursionem facientibus, Memnon receptui signo dato, intra muros concessit. Similiter etiam hostes discesserunt. Rursus Memnon progressus, cùm hostes aciem instruere cerneret, discessit, atque etiam hostes, idque sæpius eodem die. Postremò cum exutis armis in faciendo prandio distinerentur, iterum apparuit. Qui cùm nondum absoluissent prandium, aliis inermibus, aliis iam arma sumentibus, omnibúsque perturbatis, cùm dissipatam phalangem conspicaretur, instructis ordinibus multos ex eis interfecit, multósque viuos cæpit, ita vt reliqui in vrbem confugere cogerentur. Polyæn. libro quinto.

RHODII bellum gerentes cum rege Ptolemæo, apud Ephesum erant. Chremonides Ptolemæi nauarchus soluit, vt naualem pugnam faceret. Agathostratus Rhodios eduxit ad Meliam nauem, visusque ab adnauigantibus hostibus, retrò naues reduxit. Breui tempore interiecto, ad eundem portum reuersus est. Hostes arbitrati eos non audere prælium committere, clamore sublato, in portum redierunt. Agathocles reuersus, & classe condensata, ab vtroque latere hostibus adnauigauit, apud Veneris templum egredientibus: & ex insperato irruptione facta, victoriam est consecutus. Ibidem.

AVTOPHRADATES volens in Pisidias impressionem facere, aditum angustum & præsidiis munitum cernens, adduxit exercitum. Rursúsque eum retrò ad sex stadia reduxit. Imperante nocte Pisidæ, qui custodiam administrabant, discesserunt, existimantes hostium exercitum abijsse. Ille leuis armaturæ militibus & armatis expeditissimis assumptis, citato cursu angustias penetrauit, & Pisidarum regionem vastauit. Polyæn.lib.7.

TISAPHERNES in Miletum irruptionem facere, & exules reducere cogitabat. Verùm imparatus cùm esset, rem in omnes homines diuulgauit, quasi mox iam id facturus, ita vt Milesij omnia ex agris in vrbem deportarent. Paratus autem, se ab exercitu decessurum simulauit, eúmque non longè dimisit. Milesij animis mutatis, cùm exercitum dimissum viderent, in agros redierunt. Ille certo signo collectis copiis, celeriter omnes Milesios extra ciuitatem dispersos interfecit. Ibidem.

CYRVS Babylonem oppugnans, cum suffossiones Euphratæ per vrbem labentis effecisset, exercitum abduxit longissimè. Babylonij existimantes eum de expugnatione desperasse, multum de custodum diligentia remiserunt. Ille verò auerso flumine, copias instructas per alueum pristinum adducens, clàm in vrbem cum militibus peruenit, & Babylone potitus est. Ibidem. & Herod.lib.1.

IDEM, induciis factis cum Crœso, exercitum per id tempus abduxit. Ingruente verò nocte, compendio reuersus ad Sardes duxit: & adortus mœnia de improuiso, scalis applicatis Sardes occupauit. Ibidem: & Herodotus lib.1.

TOMYRIS Cyro aduersus ipsam expeditionem faciente, simulabat se hostes metuere. Cùm in fugam se Amazonum exercitus coniecisset, & sequeretur Persicum agmen, deprehendit in Amazonum castris magnam copiam vini, commeatus, victimarum: quibus affatim & largiter fruebantur, per totam noctem, quasi victoriam consecuti. Cùm multo vino luxuque obruti iacerent, ac somnum caperent, superueniens Tomyris, Persas, qui se loco mouere vix poterant, vnà cum ipso Cyro trucidauit. Polyæn.lib.8. & Iustinus.

TIBERIVS Gracchus in Hispania certior factus, hostem inopem cōmercio laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit, quæ adeptum hostem, & repertis intemperanter repletum grauémque, reducto exercitu subitò oppressit. Front.lib.2.cap.5.

VELVS præfectus Romanorum arcem Tarentinorum tenens, misit ad Hasdrubalem legatos, vti abire sibi incolumi liceret. Ea simulatione ad securitatem perductum hostem, eruptione facta, cecīdit. Front. lib.3. cap.17.

VIRIATVS cùm tridui iter discedens confecisset, idem illud vno die remensus, securos Segobienses, & sacrificio tum maximè occupatos oppressit. Front.lib.3.cap.11.

HARRIDAS rex Molossorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, maiorem aliquanto exercitum habente, imbecillem multitudinem in Ætoliæ vrbes abire iussit, tanquam vrbes ac res suas Ætolis concederet. Ipse cū his qui arma ferre poterant, insidias in montibus & locis confragosis distribuit. Illyrij timentes ne quæ Molossorum erant ab Ætolis occuparentur, velut ad prædam festinantes, neglectis ordinibus, accelerare cœperunt. Quos dissipatos, & nihil tale expectantes Harridas ex insidiis fudit fugauitque. Front lib.2.cap.5.

GRIMOALDVS dux Beneuentanus Longobardicæ vir gentis, Arriperti filiis Ticino & Mediolano eiectis, validissimum Gallorum exercitum aduersus se in Italiam à rege missum, magna elusit arte, exemplo tamē vetusto. Venientibus Gallis, simulato metu, reliquit castra omni opulentia referta, dein noctu hostem vino & somno sepultum repentè adortus, ad satietatem cecīdit. Sabell. lib.6.cap.6. & Fulg.lib.7.cap. 4. & Egnatius lib.7.cap 4.

LOCI SECVRITATEM SIMVLARE, VT *hostes se in loco securo esse opinentur.*

IPHICRATES in Corcyra Crinippo è Sicilia cum supplementis vndecim adnauigantes, speculatoribus eum appellere iam significantibus, cuidam mandans, vt in desertis ignem amicum accēderet, noctu adnauigans, omnia supplementa cæpit, vno solùm effugiente. Polyænus libro tertio.

POMPISCVS vrbem cingens castris, in maximam regionis partem hostes exire prohibuit. In vnum verò locum continenter venire permisit, iisque qui ad agendam prædam mitterentur præcepit, vt ab eo solo loco abstinerent. Qui in vrbe erant, sine metu eò commeabant. Ille cum multos venire ex speculatoribus cognouisset, facto in eos impetu, magnum numerum subegit. Polyæn.lib.5.

M. ANTONIVS apud forum Gallorum cùm Pansam Cos. aduentare comperisset, insidiis per syluestria Æmyliæ viæ dispositis, agmen eius excepit, fuditque: & ipsum eo vulnere affecit, quo intra paucos dies exanimaretur. Front.lib.2.cap.5.

SERTORIVS in Hispania cùm apud Lauronem oppidum vicina castra Pompeij castris haberet, & duæ tātummodo regiones essent, ex quibus pabulum peti posset, vna in propinquo, altera longius sita, eam quæ in propinquo erat, subinde à leui armatura infestari, vlteriorem autem vetuit vllo armato adiri, donec persuasit aduersariis, tutiorem esse quæ erat remotior. Quam cùm petijssent Pompeiani, Octauium Græcinum cum decem cohortibus in morem Romanorum armatis, & decem Hispanorum leuis armaturæ, & Tarquinium Priscum cum duobus milibus equitum ire iubet ad insidias tendendas pabulatoribus. Illi strenuè faciunt. Explorata enim locorum natura, in vicina sylua nocte prædictas copias abscondunt, ita vt in prima parte leues Hispanos, aptissimos ad furta bellorum ponerent: paulo interius scutatos, in remotissimo equites, ne fremitu equorum cogitata proderentur. Quiescere omnes, silentio seruato, in horam tertiam diei iubet, cùm deinde Pompeiani securi seruatóque pabulo de reditu cogitarent, & hi quoque qui in statione fuerant quiete inuitati ad pabulum colligendum dilaberentur, emissi primùm Hispani, velocitate gentili in palantes effunduntur: & cùm vulnerant confodiúntque nihil tale expectantes, prius deinde quàm resisti his inciperet, scutati erumpunt è saltu, & redeuntes in ordinem consternunt verterúntque: fugientibus equites immissi, vsque in castra persecuti sunt. curatum quoq; ne quis effugeret. Nam reliqui M. D. equites præmissi, facilè per compendia itinerum effusis habenis, antequam ad castra Pompeij perueniretur, conuersi, occurrerunt eis qui primi fugerant. Ad cuius rei sensum, Pompeio emittente legionem cum Lælio in præsidium suorum, subducti in dextrum latus veluti cesserunt equites: mox cùm à fronte, qui pabulatores persecuti erant, incursarēt, legio quoque inter duas acies hostium cum legato suo elisa est. Ad cuius præsidium Pompeio totum educente exercitum, Sertorius quoque è collibus suos instructos ostendit: effecítque ne Pompeio expediret. Ita præter duplex damnum, eadem solertia illatum spectatorem quoque eum cladis suorum cōtinuit. Hoc primum prælium inter Sertorium & Pompeium fuit: 10. millia hominum de Pompeij exercitu amissa, & omnia impedimenta. Liuius author est. Ibidem.

GALLI Boij, in sylua Litana, astu Lucium Posthumium consulem designatum cum omni exercitu interemerunt. Serra enim arborum magna parte in inferiori parte desecta, ita tamen vt stare possent, posteaquam viderunt exercitum Romanum totum in syluam esse ingressum, deturbatis extremis arboribus, in eas quæ interius in sylua erant arborum ipsarum casu, nullo ab hoste stricto gladio, exercitus totus detritus est. Fulg.lib.7.cap.4. & Front.lib.1.cap.6.

Gallorum regina FREDEGVNDA, virum Chilpericum per adulterum Landericum occidi curarat, atque simul cum adultero Galliarum regnūm administrabat. Ei bellum intulerat Childebertus Austrasiæ rex, ingenti Longobardorum exercitu adiutus. Cui audax regina, cum impubere filio Lothario, atque adultero, cum magno exercitu obuiam prodijt: cùm nō longè à Bruniaco (id oppidum est in ea Galliæ parte, quam nunc vulgo Campaniam dicunt) hostilibus castris propinqua esset, vt improuisa hostem adoriretur, calliditate mira vsa est. Nam arborum ramos haud paucos frondosos præparari iussit, quos quadruplici ordine ante agmen præmisit, atque inter eos tintinnabula quædam immiscuit: quæ cùm sensim procederent, speciem armenti in sylua depascentis prębuēre. Syluam in qua armenta agerent hostes rati esse (neque enim, quia nondum certa lux erat, discerni fraus poterat) castris eorum Fredegunda, priusquam hostes armarentur, atque prodire in aciem possent, appropinquauit. Inermes igitur, atque nihil tale verentes adorta fudit, atque in fugam compulit. In quo sagax mulier clarè ostēdit, fœmineum

ingenium nō minus ad omnia mala promptum ac callidum esse, quàm ad bona virile soleat esse. Fulg. lib. 7. ca. 4.

MORTIS SIMVLATIONE.

ANTIGONVS Hierax à Seleuco fratre defectione facta, profugit in Mesopotamiam. Itaque eum Armeniorum montes transgressum, Arsabes, cum quo ei amicitia intercedebat, excepit. Duces Seleuci Achæus & Andromachus cum infinitis copiis persequebantur, & magno quidem impetu manus conserebant. Tandem Antiochus, accepto vulnere, profugit in montis colles superiores, exercitu sine ordine sub lateribus mōtis castrametante: & famam diuulgauit, Antiochum in prælio cecidisse. Exercitus verò non exiguam partem noctu colles montis occupare iussit. Sequenti die legatos miserunt Antiochi milites, Phileterum Cretensem, & Dionysium Lysimacheum, certisq; conditionibus Antiochi corpus ad sepeliendum postularunt, seipsos atque arma tradentes. Andromachus: Nondum, inquit, Antiochi corpus inuentum esse: quærerent interius in vinculis, se missurum qui arma & milites acciperent. Venerunt quatuor millia virorum non ad pugnam faciendam parati, sed ad accipiendos captiuos instructi. Qui postquam ad latera montis venissent, hi qui colles occuparant, desuper effusi, magnam eorum stragem ediderunt. Antiochus verò regio habitu recepto apparuit, & viuentem & vincentem se ostendens. Polyæn. lib. 4.

VIRES HOSTIVM MINVERE, DISTRAHERE *& diuidere.*

IPHICRATES noctu locum quendam affectans, tubicines in diuersas partes dimissos, classicum iussit canere. Hostibus ad sonitum tubarū aliis aliò discurrentibus, ille paucis qui relicti fuerant, interfectis, facilè loco potitus est. Polyæn. lib. 3.

PHILIPPVS Byzantios oppugnabat, non exiguam sociorū manum possidentes. Eos ad defectionem sollicitare machinabatur, missis transfugis qui nunciarent, ipsorum vrbes oppugnari à Philippo, qui alias eò copias misisset: neque procul abesse, quin vrbes capiantur. Qui cùm hęc adferrent nuncia, Philippus palàm exercitus partes alias in alia loca ad opinionem, non ad rem gerendam dimittebat. Socij cum id viderent & audirent, desertis Byzantiis, ad suam patriam singuli proficiscebantur. Polyæn. lib. 4.

PAMMENES magnum equitum numerum in exercitu ducens, hostibus scutatorum multitudinem infinitam habentibus, paucos quos in suo exercitu habebat scutatos & leuis armaturæ milites, ea parte, vbi validissimus erat hostium exercitus, opposuit: iisq; præcepit, vt data opera se in fugam conijcerent, quo aduersariorum scutatos à reliqua acie distraheret. Quod postquam contigit, assumptis equitibus, ab altero latere obequitans, in eos impetum fecit, & vndiquaq; circumdatos superauit, instantibus equitibus, iisq; qui fugere existimabantur, se conuertentibus. Polyæn. lib. 5.

ALEXANDER Pherensis, Panormum oppugnante Leosthene, aduersus omnes naues Atticas manifesto prælio non audens contendere, sub noctem ad milites qui erant Acanthij misit, vt si quæ naues stationē vigiliamque relinquerent, præter ignem prius sublatum, tollerent alium iis qui Magnesiæ commorabantur: atque illi rursus iis qui Pagasis. Leosthenes tres triremes dimisit: vnam versus Samum, alteram ad Thasum, tertiam ad Hellespontum. Qui oppugnabantur, igne signum dabant. Alexander appellens de improuiso, impetu facto nauali pugna, Athenienses superauit. Polyęn. libr. 6.

DIONYSIVS Carthaginensibus cum trecentorum millium exercitu aduentantibus, complures in regione munitiones & castella ædificāda curauit. Cum Carthaginensibus egit vt pacem facerent, atque præsidia eorum recepit. Carthaginenses admodum libentibus animis munitiones absque prælio recipiebant, multosque ex militibus præsidij & custodiæ caussa in singulis relinquebant. Cùm bona pars copiarum esset dispersa, diuisaque præsidiis & custodiis, tum demum reliquos aggressus Dionysius, profligauit. Polyæn. lib. 5.

DOROTHEVS Leucadius inter nauale prælium in portum quēdam confugit, hostibus non longe insequentibus: & præterlegens finem portus extremum, nauem conuertit. Prior hostium triremis persequens Dorotheum, impetu delata, in portum tendebat. In quam Dorotheus, irruptione facta, eam submersit. Altera nauis videns priorem submergi, statim fugam capessebat. Ibidem.

CONON Callicratidem duplo plures habentem triremes, in mari fugiens, cùm iam prope Mitylenē esset, Laconicis nauibus inter insequendum distractis, sustulit phœnidem, quod erat pugnæ signum gubernatoribus. Qui conuersis proris, in Laconicas naues impressionem faciunt. At illæ inordinatæ atque perturbatæ, inopinata conuersione perculsæ, magna ex parte fractæ sunt, multæ etiam submersæ. Conon verò summę rerum victoriam deportauit. Polyæn. lib. 1.

CARTHAGINENSES, cùm in Sicilia cognouissent Romanos maiorem nauium copiam habere, vt eas distraherent ac dissiparent, quibusdam suis ciuibus persuadent, vt transitionem faciant. Qui cum ad Romanum ducem Cn. Cornelium peruenissent, promiserunt se Liparam insulam Siciliæ obiectam ei prodituros. Qui fidem eorum verbis habens, in dimidiam classem impositis militibus, Liparam versus nauigauit. Carthaginenses contrà soluerunt, Romanis nauibus prætereuntibus, legatosq; ad Cornelium miserunt, qui suppliciter consulem deprecati de pace: eumque conspicati, rogauerunt vt in nauigium transcenderet, quòd Carthaginensium dux graui morbo conflictaretur, vt iustis cōditionibus de pace liquidius transigerent. Romanus persuasus, transcendit ad Carthaginensem. Libyci cùm ducem in sua potestate haberēt cum vniuersis nauibus impetu facto, facilè victoriam consecuti sunt. Polyæn. li. 6.

AGESILAVS dux Lacedæmoniorum, cùm Phocenses obsideret, & intellexisset eos qui tunc præsidio illis erant, iam grauari belli incōmodo, paululum regressurus tanquam ad alios actus, liberam occasionem recedendis his dedit. Non multo pòst, milite reducto, destitutos Phocéses superauit. Frontin lib. 3. cap. 11. & Polyæn. lib. 2.

GVIDO Montis ferrati Comes, in vrbe Foroliuio obsessus à Guidone Appia Romandiolæ comite, Martini quarti pontificis auspicio operam dedit, vt è suorum numero quidam cum hoste de tradēda vrbe paciscerentur. Cùm autem hostium partē ingressam esse in vrbem videret, fretus, id quod erat, non omnes, quia non omnino fidem haberent, ingressuros esse, ipse per auersam ab hoste portam silētio egressus, eos qui foris manserant adortus, quia nihil tale verebantur, & suorum qui in vrbem iuerant exaudito clamore, captam vrbem, & victoriam minimè dubiam esse rebantur, pugna minimè opus esse putabant, paruo momento omnes fudit atque deiecit. Inde in vrbem regressus, impetum in eos fecit, qui in vrbem erant ingressi. Qui cùm palantes per vrbem sparsi, vni tantùm prædæ essent intenti, haud difficulter vel occidit, vel cæpit omnes. Hoc astu vsus, vt hostes diuideret, victoria potitus est quibus si coniuncti mansissent, par nullo modo esse potuisset. Fulgos. li. 7. ca. 4.

HOSTIVM VIM COHIBERE, SVSTINERE ET AVERTERE.

Mora hostium animos frangere. Desperationi hostium cedere.
Vide tit. Hostem clausum emittere.

IPHICRATES in Thracia multos Odrysiorum cæperat. Hostes vehementer iaculando & sagittando instabant. Ipse verò iuxta singulos qui primam aciem tenebāt, nudum aliquem captiuum manibus loro in tergū reuinctis, collocauit. Odrysienses, ne suis vulnera infligerent, à iaciendo & iaculando destiterunt. Polyæn. lib. 3.

AGESILAVS in Asia magnam prædam egit. Barbaris vrgentibus, & sagittas atque tela mittentibus, ille quotquot habebat captiuos Barbaros, in vinculis solos ante exercitum collocauit, instantes, agnitis suis, tela mittere desierunt. Polyæn. lib. 2.

AGESILAVS in Messaniam exercitum ducens, misit exploratorem. Quo nunciante, non solùm ipsos Messanios ex vrbe prodire, sed etiam vxores ipsorum & liberos; atque seruos in libertatem vocatos, discessit, quòd eos de vita desperasse videret, atque idcirco fortius pugnaturos. Polyæn. lib. 2. & Front. li. 2. cap. 1.

ALCIBIADES contra Syracusios aciem instruebat. Erat inter exercitus filix arida copiosaque. Vento ingruente procelloso, qui Atheniensibus à tergo spirabat, hostibus à facie, incensa filice, fumoque & igni in Syracusiorum oculos delato, magnam eorum fugam effecit. Ibidem.

CALLIADES gubernator interceptus à naue celeriore, gubernaculum frequenter inhibuit, à quacunque parte esset incursura, vt persequēs allisis ad gubernaculum remis impressionem facere non posset, quæ ferè primis remis fessilibus fieri conuenit. Polyæn. lib. 5.

ALEXANDER Tigrim traiiciens, Persis terram igni populantibus misit, qui omni vi & contentione eos persequerentur, vt suæ saluti consulentes, regionem intactam relinquerent. Polyæn. lib. 4.

NICIAS in mœniorum circuitu cum paucis militib. remanebat, cùm reliqua manus esset ad Thapsum. Syracusiis autem exteriorē in circuitu turrim occupantibus, in qua magna copia lignorum erat, cùm defensare non posset, ligna incendit. At flamma in copiosum ignem excrescens hostes repulit. Interea exercitus à Thapso reuersus, auxilium tulit. Polyæn. lib. 1.

BRASIDAS cùm in angusto loco ad caudam hostes instarent, iussit à colle ligna secare, & vicissim apportare. Materiam deinde iniiciens, ignem incendit, ita vt copiosa multaque flamma sublata, hostes ad caudam impressionem facere prohiberentur, ipse verò sine periculo discederet. Polyæn. lib. 1.

SELEVCVS contra Demetrium castra figebat. Seleucus quidem magnam

magnum animum habebat. Demetrius cōtrà rebus desperatis omnibus, sub noctem statuit præliari, sperans se repentino motu aliquid memorabile facturum. Milites promptissimè morem gerebant, & insperato incursu spem alebant. Illi moti armabantur, Ætoli verò scutati Demetrij duo iuuenes cùm in primas Seleuci excubias incidissent, rogarunt, vt se quamprimùm ad regem ducerent. Qui postquam venissent, nocturnique prælij apparatum nunciassent, metuens Seleucus, ne antè hostes præstò essent, quàm suis armandi facultas daretur, tubicines classicum canere iussit. Milites verò inter armandum maxima vociferatione exclamare, & vnusquisque in singulis tabernaculis ignem præsentibus sarmentis inijcere. Demetrius cùm igni circumfulgere exercitum cerneret, tubicinibúsque circumsonare, ac vociferationem edere, existimans apparatos ad pugnam esse, non audebat eos aggredi. Polyænus libro quarto.

AMBRACIOTAS Romani oppugnabant. Cùm multi eorum vulnerarentur, non pauci etiam interficerentur, angustum sub terra meatum foderunt, vt ex inferiore loco ciuitatem expugnare possent. Quæ res hostes diu latuit. Postquam verò magna pulueris copia excitabatur, intelligentes Ambraciotæ quid ageretur, etiam ipsi meatum intrinsecus è regione foderunt, atque in extremitate meatus obliquam fossam ducentes, æra tenuissima ordine coniecerunt, vt cum in hæc inciderent Romani, strepitus excitaretur: factóque sonitu procedentes eis obuiam, pugnabant sarissis. Qui cùm in angusta fossa & tenebris obruta, nihil admodum proficerent, cadum apparauerunt, æqualem fossæ: eiusque fundum perforantes, ferream fistulam alligantes, leuibúsque plumis implentes, ignem iniecerunt, operculúmque plenum scobibus adaptarūt, & cadum in aduersarios conuersum, hostium meatui applicarunt. Post cadum verò retrò vas æneum admouentes, in constitutam fistulam igne coniecto, combusserunt. Ita factum est, vt meatus fumo multo acerboq; compleretur, hostésque subterraneam oppugnationem relinquere cogerentur. Polyæn. lib. 6.

CROESVS Lydorum rex, cùm videret Cyri milites per vrbem Sardis captam discurrentes, percontatus est Cyrum, Quid agerent? Quúmque is respondisset: Diripiunt vrbem tuam, opésque tuas populantur. Nequaquam, inquit, ô Rex: nihil iam hic rerum meum est: tuum est quod diripiunt: ea vox commouit Cyrum, vt suos à direptione vocaret. Herodot. lib. 1.

CLEARCHVS armatos ducens in campo, incumbentibus hostium equitibus, & equestri prælio vincentibus, instruxit exercitum octenis in profunditatem dispositis, & rariores quàm pro figura plinthij collocauit: atque præcepit, vt gladio demisso sub scutum maximam foderent foueam. Qui cùm fodissent, ille armatos adduxit supra foueas in anteriorem campi partem. Hostium autem equitibus incidentibus, redire iterum iussit vsque ad foueas. Hostes nihil perspicientes & admouentes equitatum, duritérque impingentes in foueas, supra se mutuò ruebant. Clearchij verò equos humi stratos occiderunt. Polyæn. lib. 2.

PTOLEMÆVS cū in arce Draconis ab Hircano obsideretur, astutè cum ab obsidione desistere coegit. Historiam pete ex tit. Tolerantia ethica tormentorum.

FAB. RVTILIVS Maximus, quarto consulatu in Samnio, omni modo frustra conatus aciem hostium perrumpere, nouissimè hastatos subduxit ordinibus, & cum Scipione legato suo circummisit, iussitque collem capere, ex quo decurri poterat in hostium terga. Quod vbi factum est, Romanis creuit animus, & Samnites perterriti, fugam molientes cæsi sunt. Front.

ACILIVS Glabrio Cos. aduersus Antiochi regis aciem, quam is in Achaiam per angustias Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non irritus tantùm, sed cum iactura quoque repulsus fuisset, nisi circummissus ab eo Portius Cato (qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat) deiectis è iugo Callidromi montis Ætolis, qui præsidio tenebāt, supra eminentem castris regiis collem, à tergo subitus apparuisset. Eo enim facto, perturbatis Antiochi copiis, vtrinque irrupêre Romani: & fusis fugatisque, castra cæperunt. Front. lib. 2. cap. 6.

METELLVS iunctis cum Pompeio castris aduersus Sertorium in Hispania, cùm sæpe instruxisset aciem, hoste (qui imparem se duobus credebat) pugnam detrectante, quodam deinde tempore Sertorianos milites animaduertisset magno impetu instinctos deposcentes pugnam, humerósque exercentes, & lanceas vibrantes: existimauit ardori cedendum in tempore, recepitque exercitum, & Pompeio idem faciendi author fuit. Front. lib. 2. cap. 1.

C. IVL. Cæsar bello ciuili, cùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum siti angeret, isque ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis, ad pugnam descendisset, continuit suos: arbitratus alienum dimicationi tempus, quòd aduersarios & ira & desperatio incenderat. Front. lib. 2. cap. 1.

GAMALIS pirata Turca, cùm vna tantum biremi piraticam exerceret, vi ventorum per noctem ita acriter est actus, vt illucescente die Siciliam in conspectu haberet: illic fortè offendit Francinum Paruum Catelanum, duarum triremium præfectum. Earum altera statim insequi Gamalim cœpit. Quæ cùm magna vi remorum ageretur, ita vt ab altera amplius conspici non posset, iam Gamalis biremē rostro penè attingebat. Cùm igitur nautæ vela colligerēt, Gamalis in triremem ingenti animo prosilijt, remigésque ad libertatem vocauit. Dum ergo nauales socij in remiges, quos ad rebellandum libertatis spes inuitabat, arma mouēt, vt eos vinctos ad remigationem continerent, Gamalis momento triremi potitus est. A biremi autem sua, in triremem milites, quos habebat, cùm transtulisset, à puppi biremem tanquam captiuam trahebat: iussitque tubicinibus ingenti clangore canere, ad aliam triremem dirigere cursum cœpit. Quæ cùm Turcensem biremem cum Gamali captum arbitraretur, lætitiæ plena ceu victoriam gratulatura, venienti obuiam se præbebat. In quam Gamalis, vt in alteram, cum suis insiluit, atque ipsam quoque cùm nihil hostile verentem atque incautam oppressisset, in vinculis omnes ad remigariam seruitutem posuit. Fulg. lib. 7. cap. 4.

AVDACES REDDERE HOSTES, ET AD PVGNAM, ERVptionem, oppugnationem quacunque ratione elicere, vt circumueniantur, locoue iniquiore pugnent.

In insidias præcipitare hostem.

Insidias Latini ab insidēdo dixerunt, quoniam occultè loca ab hoste insidentur, ex quibus impetum faciat. Ad quod genus Stratagematis cū syluæ sint aptissimæ, Italis non ineptè Emboschadæ dicuntur. Etsi autem insidiarum nomen generale est, huic tamen loco potissimum conuenit, in quo de Eliciendis hostibus agitur, vt in insidias incidant: quemadmodum & alteri, vbi de Securitate hostibus inijcienda tractauimus.

IOSVE magna sagacitate vsus est, insidias ponendo iuxta ciuitatem Hai, & fugam postea simulando. Iosue 8.

FILII ISRAHEL pugnātes contra Beniamin, fugam arte simulauerunt, & sic eos à ciuitate extraxerunt, & penitùs debellauerunt. Iud. vigesimo.

BACCHVS, subactis Indis, ipsos Indos & Amazones in agmine auxilij caussa ducens, impressionem in Bactriorum terram fecit. Terminat autem Bactriam fluuius Saranges. Bactrij montes supra flumen positos occupabant, vt in Bacchum flumen traijciētem, desuper impetum facerent. At ille, positis ad fluuium castris, Amazonas & Bacchas transire iussit, vt Bactrij, contemptis mulieribus, à montibus descenderent: atque his traijcientibus illi descendebant, & appropinquantes flumini prohibere eas conabantur. Quibus pedem referentibus, Bactrij vsque ad ripā persequebantur. Tum Bacchus eductis contra eos viris, impeditos flumine Bactrios occidit, & sine periculo traiecit. Polyæn. lib. 1.

HERCVLES cùm è Pelio Centaurorum gentem excindere statuisset, sicut tamen ipse non prior inciperet pugnam, sed illos prouocaret, diuersatus est apud Pholum: apertóque cado vini odorati, eum ipse cum suis custodiuit. Id sentientes Centauri, concursum ad Pholi antrum fecerunt, vinúmque rapuerunt. Ibi tum Hercules, quasi iniuriam inferentibus, qui accurrerant, impetum in eos faciens, morte Centauros affecit. Ibidem.

CHABRIAS ad hostilem vrbem appellens, noctu scutatos egredi fecit. Ipse verò prima luce ad portum nauigabat, longè ab vrbe dissitum. Ciues excurrebant, vt è nauibus egredi prohiberent. Scutati verò ex insidiis impetentes à tergo, quosdam ex iis occiderunt, & quibusdam captis viuis, iterum in naues ingressi soluerunt. Polyæn. lib. 3.

CHABRIAS, cum naues Laconicæ speculatrices duodecim appulissent, neque amplius auderent soluere, sic eas vt soluerent elicuit. Naues duodecim binas & binas coniunxit, duarum vela in vnam contrahens. Hostes iis contemptis, quasi aduersus sex, ipsi cum duodecim soluerunt. Quibus latius in mare progressis, Chabrias, velis sublatis, scaphas disiūctas immisit, & dimidias hostium naues vnà cùm ipsis hominibus cepit. Ibidem.

IDEM noctu in Æginam nauigans, triginta viris in locum idoneum expositis, ipse præternauigabat. Ciues ex vrbe progressi, pugnam cum egressis incipiebant, & multos ex eis perimebant. Ille confestim ad vrbem nauibus contendit. Ciues metuentes ne excluderentur, deserta pugna, quam cum triginta viris incœperant, in vrbem reuersi sunt. Ibidem.

IPHICRATES Abydenis bellum inferens, cùm esset in Cherroneso, locum quendam occupatum muro cinxit, simulans se metuere Anaxibiū Lacedæmonium. Abydeni videntes eum ædificare murum, vt timidum contempserunt: & è ciuitate progressi, regioni se committere audebāt. Iphicrates conspicatus dissolutos, noctu partem exercitus in Abydenorum terram inducens, & agros ipsorum incursionibus infestans, magno numero hominum & pecuniarum potitus est. Ibidem.

IDEM ad Cherronesum, cùm sciret Lacedæmoniorum ducem Anaxibium exercitum pedestri itinere ducere, firmissimam manum militum eduxit è nauibus, & in insidiis collocauit: naues autem omnium, tanquam onustas milite palàm transnauigare iussit. Ita securos & nihil expectantes Lacedæmonios, à tergo ingressus in itinere oppressit, fuditque. Front. lib. 2. cap. 5.

IDEM ad Epidaurum copiosam prædam agebat. Præfectus regionis Lacon eum persequebatur, appropinquantem nauibus. Cùm persequētes essent in colle, Iphicrates ante prædam armatos collocans, leues ac inermes, paucos etiam hinc inde admiscuit, & Laconem aggressus est. Quocirca impetentes multis ex locis districto, Iphicrates præcessis ac

superioribus locis occuparis,ad tergum hostium euasit, atque omnes ad internecionem trucidauit.Polyæn.lib.3.

CHARES dux Athenienſium,ciuitatem aggreſſurus, littori appoſitam poſt quædam promontoria occultè habita claſſe,è nauibus velociſſimam præter hoſtilia præſidia ire iuſſit. Qua viſa,cùm omnia nauigia, quæ pro cuſtodia portus agebantur ad perſequēdam euolaſſent,Chares indefenſum portum cum reliqua claſſe inuectus,etiam ciuitatem occupauit.Front.li.3.ca.10.

CIMON dux Athenienſium in Caria inſidiatus cuidam ciuitati,religioſum incolis templum Dianæ,lucumq́ue qui extra muros erat, noctu improuiſus incendit:effuſiſq́ue oppidani ad opem aduerſus ignes ferēdam,vacuam defenſoribus cæpit vrbem.Front.li.3.ca.2.

THEMISTOCLES prudentiſſimus vir,cùm videret Græcorum claſſem,quæ aduerſus Xerxem parata erat,quòd ex diuerſis vrbibus confecta eſſet, perſepè multis in rebus diſcordem eſſe,paruoque tempore ob eam rem ſimul manſuram, & Græcorum rem omnem ſtatim , vt ſoluta claſſis eſſet,euertiſum iri,huic rei nouo aſtu occurrere decreuit.Sicinium igitur ſeruum ſuum Perſam,ad Xerxem miſit,qui ſignificaret ei, Themiſtoclem amicum eſſe,& propterea monere, Græcorum claſſem præformidine tumultuare:facileque ipſum totam eſſe capturum,ſi priuſquā fuga diſſiparetur,eam adoriri velleret.Id cùm Xerxes,vt à Themiſtocle monebatur,egiſſet eo prælio Themiſtoclis aſtu,qui Græcis abeundi conſilium ac tempus ademit,ſuperatus eſt. Hoſtem enim verbis Themiſtocles pellexit,vt alieno tempore dimicationi ſe offerret. Fulgoſ.libro 7. capite quarto.

ALCIBIADES dux Athenien.in Helleſponto aduerſus Numidarū & Lacedæmoniorum ducem , cum amplum exercitum & plures naues haberet,nocte expoſitis in terram quibuſdam militum ſuorum , parte quoque nauium poſt quædam promontoria occultata, ipſe cum paucis profectus,ita vt contemptu ſui hoſtem inuitaret, eundem inſequentem fugit,donec in præparatas inſidias perduceret:auerſum deinde,& egredientem in terram,per eos quos ad hoc ipſum expoſuerat cæcidit. Front.lib.2.cap.5.

IDEM adnauigans hoſtili ſolo,noctu milites egredi iuſſit:& diem expectans,hoſtibus non exeuntibus,poſitis inſidiis,rabernacula incendit, & abnauigauit.Qui in vrbe erant,cum eum ſoluiſſe cernerent, collectis animis procedebant,& per terram vndique ſpargebantur . Inſidiatores conſurgentes cæperunt non paucos homines, prædamq́; copioſam. Alcibiades cum nauibus reuerſus,aſſumptis tum captis , tum iis qui cæperant,abnauigauit.Polyæn.lib.1.

IDEM habens quendam Catanenſem ſibi fidelem,Syracuſiis notum, miſit eum Syracuſas,tanquam à Catanenſibus miſſum,cum quibus amicitia ac ſocietas eis intercedebat,quorum nomina tenerent: & ſic nunciauit,Athenienſes relictis caſtris inermes Catanæ verſari. Quòd ſi ipſi ſummo mane caſtra Athenienſium caperent,poſſe illos in vrbe clauſos & inermes nullo negocio opprimi.Crediderunt Syracuſiorum duces, & præceperunt,vt viritim Catanam verſus exirent: atque appropinquātes ad Symmethium fluuium caſtra poſuerunt.Alcibiades cùm ſenſiſſet eos aduentare,triremibus inſtructis , ſummo ſtudio ad vrbem Syracuſiorum contendit liberè,& nemine prohibente,eorumque propugnaculum ab latere conuulſum diripuit.Ibidem.

IDEM ad Cyzicum Theramenem,& Thraſybulum miſit cum plurimis nauibus,vt hoſtes in vrbem confugere prohiberent : ipſe verò cum paucis triremibus ad nauale prælium committendum ſoluit . Mindarus, deſpecta paucitate,cum pluribus ſoluebat.Cùm appropinquaſſet , Alcibiades fugam ſimulabat.Mindarus exultans,quaſi victos inſequebatur. Poſtquam verò propè ad Theramenem & Thraſybulum venerunt , Alcibiades ſublato ſigno conuertit naues in aduerſarios.Mindarum declinantem ad vrbem, Theramenes obuiam factus exclusit. Ille vocatus ad ſortem Cyzicenorum terræ,diſcedere conabatur. Sed ibi quoque Pharnabazi exercitus egredi vetuit . Alcibiades autem perſequens,ſublimes naues eiiciendo frangebat. Appellentes terræ,manibus ferreis iniectis retrahebat.Egredientes verò Pharnabazus arcuit.Tandem cadens Mindarus,clariſſimam Alcibiadi victoriam dedit.Ibidem.

NICIAS ſub noctem adnauigans Corinthiæ, vbi Solyges collis eſt, ibi egredi iuſſis Athenienſiū armatis,& mille aliis alibi in inſidiis collocatis,abnauigauit.Rurſus altero die ſub primam lucem adnauigauit.Corinthij ſummo ſtudio excurrentes,prohibere voluerunt ne egrederentur.Atqui in inſidiis latebant conſurgētes, maximam partem ex illis occiderunt.Ibidem.

AGESILAVS,ex aduerſo ſedentibus Lacedæmoniis & Thebanis medium intercipiente fluuio,cùm videret Lacedæmonios Eurotam cupere tranſire,metuens plures Thebanos cum ſociis,nuncios emiſit,qui rumorem diuulgarent, oraculum prodidiſſe,eos qui primi fluuium tranſiſſent occubituros.Ira prope fluuium retentis Lacedæmoniis , paucos relinquens ſocios,atque ducem ipſis Thaſium Symmadium,mandauit, vt Thebanis fluuium traicientibus,ipſi celerrimè fugam arriperēt, & alios quoſdam in locis concauis ad agendas inſidias abſcōdit.Ipſos verò milites in munitum & aſperum locum ductos,collocauit. Thebani paucitatem eorum qui cum Symmacho erant animaduertentes animos ſumpſerunt,ac traiecerunt:& dum fugientes inſequuntur,in inſidias incidūt, & interficiuntur ſexcenti.Polyæn.li.2.

ONOMARCHVS,cùm aciem aduerſus Macedones inſtrueret,montem obliquum poſt tergum occupans,& in cacuminibus vtrinq; abſcondens ſaxa,ſaxorumq́; iactores,produxit exercitum in ſubiectam planiciē.Cùm Macedones impetentes iacularentur,Phocenſes ſimulata fuga ad medium montem ſe recipiunt. Macedones incitati furore ac robore,

inſequebantur.At illi de iugis ſaxa deiicientes,phalangem Macedonici conterrebant.Tum Onomarchus Phocenſibus ſignum dat vt reuertantur,& in hoſtes incurſionem faciant.At Macedones,poſteriorib⁹ in ſe impetum dantibus,ſuperioribus lapides proiicientibus,magno negocio vix fugientes diſceſſerunt.In ipſa fuga regem Macedonum Philippum dixiſſe ferunt:Non fugerunt,ſed receſſerunt,quemadmodum arietes, vt ſecundò vehementiorem impreſſionem facerent.Polyæn.lib.2.

GASTRON Lacedæmonius,in Aegypto prælium initurus cum Perſis,mutauit armaturas.Et Græcorum armis Ægyptios, Ægyptiorum verò Græcos induit.Occultans autem Ægyptios poſt Græcos, inſtructa acie produxit Græcos. Quibus nihil remittentibus,ſed vi patefacientib⁹, præ ſe viam,atque alacriter periculum ſubeuntibus,excitauit Ægyptios in armis Græcis.Perſæ id videntes,& Græcos accedere ſuſpicati, perturbatis ordinibus,in fugam ſe coniecerunt.Polyæn.lib.1.

DEMOSTHENES Pylo Laconica ciuitate præſidium habente,nauigauit ad Aceram.Lacones Pylo relicto,ad Aciam contenderunt, ſperantes ſe iam egredientes deprehenſuros , cum via longa eſſet.Iam appropinquabant hoſtes Acræ,cum Demoſthenes reuerſus,Pylum inanem virorum obtinuit.Polyæn.lib.3.

CLEANDRIDAS cum Leucanis bellum gerens,cùm ſuperaret eos dimidia multitudine,ratus ſi hoſtibus innoteſceret tanta multitudo, eos receſſuros ex periculo,phalangem in profunditatem deduxit.Cùm autē Leucani tanquam paucos contemnentes in longum extenderent ordines,atque includere eos conarentur,ſi ubiq; reditum interciuſiſſent, ad dextrum latus extenta phalange,mandauit vt epiſtatæ ad aſtitem tranſirent,& acie multo longius inſtructa circumdedit & incluſit Leucanos. Qui intercepti in medio,& vndique proſtrati,omnes perierunt:exceptis paucis, qui fugam capeſſentes,eurpiter euaſerunt.Polyæn.li.2.

DERCYLLIDAS iuſiurandum dedit vrbis tyranno , ſi procederet ad colloquium,eum ſtatim iterum in vrbem reuerſurum. Itaque proceſſit tyrannus.Dercyllidas portas aperire iuſſit:ſin minus , ſe mortem ei allaturum.Poſtquam verò metu impulſus aperuiſſet: Nunc, inquit,in vrbem te dimitto.Hoc enim iuraui,atque etiam ego cum exercitu meo ingredior.Ibidem.

ANTALCIDAS in Abydo cum maiore claſſe deſidens,cùm Atticas triremes in Tenedo appellere cognouiſſet,metuentes Byzantium traiicere ad Iphicratem,nunciante quodam, Iphicratem oppugnare Chalcedonios,ſocios & amicos:præcepit ſuis , vt ad Chalcedonem naues dirigerent,ſoluenſq́ue ad Cyzicenam terram in inſidiis delituit. Qui verò in Tenedo erant,audita ſolutione Antalcidæ,confeſtim ad Iphicratem nauigare inſtituerunt . Poſtquam autem ad hoſtium triremes venerunt, quæ non cernebantur,ſed occulrè ſtabant , Antalcidas repentino impetu Atticas inuadens,aliquas ſubmerſit, plurimis verò potitus eſt.Ibidem.

THEBAS præſidium Laconicum impoſitum tenebat , atque præfectus in Cadmia collocatus erat.Incidit feſtum Veneris, mulieres feſtiuitatem deæ ludendo celebrant.Viri ſpectatores ſe præbebant. Viſum eſt præfecto,deam venerari.Itaque familiares aduocabat. Pelopidas occultum enſem gerens,occiſo præfecto,Thebas liberauit.Ibidem.

ALEXANDER Scoſſæorum terram videbat aſperam eſſe, monteſq́; præcelſos & inacceſſos habere,atque collocatam in montibus egregiorum hominum multitudinem.Nulla igitur capiendi ſpes offerri poterat. Vnde quidam nuncians,Ephæſtionem Babylone diem ſuum obiiſſe:ille communem luctum imperans , ad Ephæſtionis exequias ac ſepulturam properabat.Speculatores Scoſſæorum,cum eum vidiſſent, loco mouentes,digredi cœperunt. Alexander miſſis per noctem equitibus in montem,tranſitum occupauit:& ab itinere deflectens,cum ſe coniunxiſſere equitibus,vnà cum eis Scoſſæorum regionem ſubegit. Hanc rem geſtam aiunt Alexandro pro conſolatione fuiſſe mortis Ephæſtionis. Poly.li.4.

DIOTIMVS ſub noctem in hoſtilem terram nauigans,ab vnaquaque naui plurimis viris expoſitis,eos in inſidiis occultauit.Sūmo mane iuxta eos qui in inſidiis latebant naues mouebat,mandans iis qui erant in caſtromatis,vt ſe ad pugnā accingerent:remigibus verò,vt viciſſim nunc infimos,nunc medios,nunc ſummos remos agitarēt: & quaſdam ſcaphas ad terram abducere conabatur.Hoſtes accurrentes, egredi prohibebāt. Illo ſignum,de quo conuenerat,tollente,milites ex inſidiis conſurgentes,multos hoſtium occiderunt,reliquos in fugam pepulerunt. Hoc pacto Diotimus ſine periculo milites expoſuit Polyæn.lib.5.

DEMOSTHENES Acarnanos & Amphilochos ducens , ex aduerſo Peloponneſiis caſtra locabat,magno torrente interpoſito.Videns autem longè plures hoſtes eſſe,& exercitum includi poſſe,in cauum & inſidiis aptum locū abſcondit armatos,& ſocios trecentos, vt,ſi includerent hoſtes exercitum numero, conſurgentes ipſi à tergo adorirentur. Hoſtes incluſerunt phalangem.At illi retrò conſurgentes, & repentino tumultu in hoſtes inuadentes,paruo negocio atque labore pugnam vicerunt. Polyæn.lib.3.

MEMNON Rhodius rex,cùm equitatu prælaret , & hoſtem in collibus ſe continentem,in campos vellet deducere,quoſdam ex militibus ſuis ſub ſpecie perfugæ miſit in hoſtium caſtra,qui affirmarent, exercitū Memnonis iam pernicioſa ſeditione furere,& vt ſubinde aliqua pars eius dilaberetur.Huic affirmationi vt fidem faceret, paſſim in conſpectu hoſtium iuſſit parua caſtella muniri,velut in ea ſe recepturi eſſent qui diffidebant.Hac perſuaſione ſollicitati qui in montibus ſe continuerant,in plana deſcenderunt:dum caſtella tentant,ab equitatu circumuenti ſunt. Front.li.2.c.5.& Poly.li.5.

ALEXANDER ex Epirotis aduerſus Illyrios collocata in inſidiis manu,quoſdam ex ſuis habitu Illyricorum inſtruxit, & iuſſit vaſtare ſuam, id eſt Epiroticam regionem.Quod cùm Illyrij viderent fieri, ipſi paſſim prædari

prædari cœperunt,eò ſecurius,quòd præcedentes veluti pro exploratoribus habebant, à quibus ex induſtria in loca iniqua deducti , cæſi fugatiſque ſunt.Ibidem.

LEPTINES Syracuſanus aduerſus Carthaginem vaſtari ſuos agros, & incendi villas caſtellaſque quædam imperauit . Carthaginenſes à ſuis id fieri irati,& ipſi tanquam in adiutorium exierunt: exceptiq; ab inſidiatoribus fuſi ſunt.Ibidem.

IDEM Carthaginenſibus ad vlteriorem Pachyni ripam nauigātibus, & in terram egredientibus,& prædam terra mariq; facientibus, ſub noctem inſidiis collocatis,eiām equites aliquot præmiſſos iuſſit eorum ſtationes incendere.Carthaginenſes,igne conſpecto,accurrentes, vt quæ in ſtatione habebant , exportata conſeruarent , in equites inſidiantes incidunt:à quibus fuſi,fugatiq́ue,ad triremes vſq;,magnum ſuorum numerū amiſerunt.Polyæn.lib.5.

SEVTHES Athenienſibus maritimas regiones per Cherroneſum populantibus,duo millia Getarum leuis armaturę conduxit , eoſque more hoſtium irruptionem facere,igniq; regionem vaſtare iuſſit,& in eos qui in muris conſiſterent,tela conicere. Hęc Athenienſes conſpicati,& hoſtes eſſe Thracum ex his quę patrabantur coniicientes , audacter è nauibus egreſſi,ad mœnia contendebant.Seuthes extra muros obuiā Atheniēſibus prodiit,& Getæ quaſi cum illis ſe coniuncturi : poſtquam ad tergum euaſerunt,interclusis retrò hoſtibus, hinc Thraces , illinc Getæ magnum eorum numerum occiderunt Polyæn.lib.7.

ROMVLVS ab vrbe Fidenatum circiter decem ſtadiis caſtra fixit.Per noctem è vallo copias eduxit,dimidiiſq; manipulis ad ſrōtem explicatis, reliquos rectis ordinibus collocauit,& ducib.ſeorſum præcepit,quid fieri velleret.Ipſe paucos expeditos bipennibus armatos ducens , ad mœnia acceſſit,reliquis copiis in propinquo inſidias agere iuſſis . Aurora iam ſubluceute,portas bipennibus effringere iuſsit. Fidenatibus improuiſa audacia perturbatis,portasq; aperientibus,& in hoſtes irruentibus nullo ordine,Romani paulatim retrocesſerunt.Fidenates eos qui in fronte cōſiſtebant videntes,poſteriores non conſpicati , contemptis iis qui videbantur,vehementer vrgebant,eos ſe facilè vincere poſſe exiſtimantes. Cùm longius proceſſiſſent,duces rectos manipulos poſt eos qui in fronte ſtabant,collocarunt:eosq; vnà ſedere iuſſerunt,ne ab hoſtibus cōſpicerentur.His factis,qui in fronte erant tergiuerſantes, circumibant manipulos in profundum explicatos,& perſequentibus ex aduerſo obuiam veniebant.Qui autē latebant conſurgentes,cū vociferatione & tumultu in hoſtes inuadunt,perſequendo defatigatos,cumq; his mānus conſerūt: & qui fugere videbantur,Fidenates in fugam conuerſos occidunt , eorumq́ue vrbe potiuntur.Polyæn.lib.8.Front.lib.2.ca.5.

ROMANI,qui in præſidio Panormitanorū erant,veniēte ad obſidionē Haſdrubale,raros ex induſtria in muris poſuerūt defenſores.Quorū paucitate contempta , cùm incautus muris ſuccederet Haſdrubal,eruptione facta ceciderunt eum.Front.lib.3.cap.17.

ASCVLANI oppugnaturi oppidū Pompeij,cùm paucos ſenes ægros in muris oſtendiſſent , ob id ſecuros Romanos eruptione facta fugauerunt.

TITVRIVS Sabinus aduerſus Gallorum amplum exercitum,continendo militem iuxta munimenta,præſtitit eis ſuſpicionem metuentis. Cuius augendæ cauſa perfugam miſit, qui affirmaret exercitum Romanum in deſperatione eſſe,ac fugam cogitare.Barbari oblata victorię ſpe concitati,ligneis ſacramentiſq; cuſtu caſtra noſtra in colle poſita petierunt.Vnde in eos Titurius vniuerſas immiſit copias, multisq; Gallorum cæſis plurimos in deditionem accepit.Ibidem.

GN.FVLVIVS cùm in ſinibus Romanis exercitus Faliſcorum longè maiōr caſtra poſuiſſet,per ſuos milites quædam procul à caſtris ædificia ſuccendit,vt Faliſci ſuos id feciſſe credentes,ſpe prædæ diffunderentur. Front.lib.2.cap.5.

Q.FABIVS Maximus Coſ. auxilio Sutrinis miſſus aduerſus Hetruſcos,omnes hoſtium copias in ſe conuertit:deinde ſimulato timore , in ſuperiora loca velut fugiens receſſit , effuſiq; ſubeuntes aggreſſus,non aciem tantūm ſuperauit,ſed etiam caſtris exuit.

SEMPRONIVS Gracchus aduerſus Celtiberos,metu ſimulato, continuit exercitum:emiſſa deinde armatura leui,quæ hoſtem lacesſeret , ac ſtatim pedem referret,euocauit hoſtem:deinde inordinatos aggreſſus, vſque eo cecidit,vt etiam caſtra caperet.

Q.METELIVS Coſ.in Sicilia bellum gerens,aduerſus Aſdrubalem, ob eius ingentem exercitum & 130 elephantos intentior , diſſidentia ſimulata,intra Panormum copias tenuit: foſſamque ingentis magnitudinis ante ſe duxit:cōſpecto deinde exercitu Aſdrubalis,qui in prima acie elephantos habebat,præcepit haſtatis:tela in beluas iacere:protinusque ſe intra munimenta reciperent.Ea ludificatione rectores elephantorum concitati,in ipſam foſſam elephantos egerūt, Quo vt primùm illaqueati ſunt, partim magnitudine telorum confecti , partim retrò in ſuos acti, totam aciem turbauerunt . Tunc Metellus,hanc arripiens occaſionem, cum toto exercitu erupit,& aggreſſus à latere Pœnos cecidit:ipſi ſque & elephantis potitus eſt.Front.lib.2.cap.5.

SCIPIO Africanus artibus ſuis Carthaginenſes in Africa cæpit. Nam cùm aduerſus eum Aſdrubal & Syphax,ingentes exercitus duxiſſent,ſub prætextu tractandæ pacis,ſæpius ad Syphacis caſtra oratores mittendo, pro ſeruis tribunos cum eis delegabat,vt Syphacis caſtra , atque eorum formam diligentius ſpecularentur.Quæ poſteaquam vt erant ſatis intelexit,Vticam ſe proficiſci ſimulans,nocte clām in inſidiis aliquot cohortibus inter duo caſtra poſitis,curauit , vt ignis in Syphacis caſtris clām iniceretur.In quibus,quoniam tabernacula ſtramentis,frondibus atque cannis confecta erant,quæ nimiis caloribus in ea regione facilè aruerāt, paruo temporis ſpacio,incendium caſtra penè tota peruaſit.Barbari autem cùm arbitrarentur non dolo,ſed fortè excitatum eſſe incendium,inordinatim inermesque ad extinguendum ignem concurrebant.Quo tēpore adortus eos Scipio,in tanta perturbatione facilè deleuit . Ex aliis quoque caſtris,Afri,qui conſpecto igne auditoque clamore ad opem ferendam armati inermesque aduolabant,cùm in eos incīderent,quos inter vtraque caſtra Scipio in inſidiis poſuerat,aut occidebantur aut capiebantur.Ignis igitur aſtu inuento,duos Scipio præpotentes exercitus,qui armis atque interdiu multis rationibus vinci non potuiſſent,paruo temporis ſpacio nocturno incendio deleuit.Fulg.lib.7.ca.4.

CAIVS Carthaginenſibus apud Tyndaridem appellentibus cum nauibus octoginta,ipſe ducentas habens triremes,cum hoſtes multitudinē nauium veriti,non ad pugnam ſoluerent,centum triremium velis collectis,reliqua ritè adaptauit,ac ſoluit.Carthaginēſes pares naues eſſe multitudini apparentium velorum arbitrati,ſumpta fiducia periculum adierūt.Cains cum multis aduerſus paucas conflictione facta, nullo negocio ſuperauit.Polyæn.lib.8.

CATO in conſpectu Lacetanorum,quos obſidebat , reliquis ſuorum ſubmotis,Sueſſanos quoſdam ex auxiliaribus,maximè imbelles aggredi mœnia iuſſit.Hos cùm facta eruptione Lacetani facilè auertiſſent , & fugientes auidè inſequuti eſſent,illis quos occultauerat cohortibus oppidum cæpit.Front.lib.3.ca.10.

LVCIVS SCIPIO in Sardina cuiuſdam ciuitatis per tumultum relicta oppugnatione,quam inſtruxerat,ſpeciem fugientis fin xit:inſecutiſque temerè oppidanis ,per eos quos in proximo occultauerat,oppidūm inuaſit.Ibidem.

NVMANTINI obſeſſi,ne pro vallo quidem inſtruxerunt aciē:adeoque ſe continuerunt, vt Popilio Lænati fiducia fieret ſcalis oppidum aggrediendi.Quo deinde ſuſpicante inſidias(quna ne tunc quidem obſiſtebatur)ac ſuos reuocante , eruptione facta auerſos & decedentes adorti ſunt.Front.lib.3.ca.17.

MARIVS cum Teuthonibus & Cimbris pugnā conſeruirus in montium lateribus inæqualibus,Marcellum per noctem iuſſit cū tribus millibus armatorum per inuta montiū circumire, & ad terga hoſtium euadere.Quod poſtquam accidit,militibus præceptum dedit,vt ex mōtanis paulatim ſe in campum reciperent,vt hoſtes fugere eos arbitrati, perſequi conarentur,& ſic in planiciem deſcenderent.Qui cùm deſcēdiſſent, à facie Marius,à tergo Marcellus irruptione facta, hoſtes conciderunt, victoriamq; ſplendidiſſimā reportarunt.Polyæn.lib.8.

C.CÆSARIS & Aphricanis caſtris contractis tenentibus planicies, cùm vtriuſque partis plurimum intereſſet colles proximos occupare,idq; propter ſaxorum aſperitatem eſſet difficile,tanquam Iberiam repetituri, retrò agmen ordinauit,faciente inopia fidem deſtinationi : intra breuiſſimum deinde ſpacium exiguo circuitu flexit repentè ad montes occupandos.Quo viſu perturbati Africani , velut capris caſtris, & ipſi effuſo curſu eoſdem montes petiēre.Quo futurum cum prędiuinaſſet Cæſar,partim peditatu,quem præmiſerat , partim à tergo ſubmiſſis equitibus inordinatos eſt adortus.Frontinus.

IDEM in Gallia deſertis ab Ambiorige Titurij Sabini & Cottę legatorum copiis,& Q.Ciceronę obſeſſo,cum duabus legionibus aduenit, conuerſiſq; hoſtibus,metum ſimulauit:mihesq; in caſtris,quæ amplora ſolito induſtria fecerat,remit.Galli præſumpta iam victoria,velut ad prædam caſtrorum tendentes,foſſas impiere,& vallum detrahere cœperunt.Qua re prælio aptatos,Cæſar emiſſo repentè vndique milite trucidauit.Front.lib.3.ca.17.

T.LABIENVS,C. Cæſaris legatus aduerſus Gallos, ante aduentum Germanorum,quos auxilio his venturos ſciebat,confugere cupiens. diffidentiam ſimulauit:poſitiſq; in diuerſa ripa caſtris, profectionem edixit in poſterum diem.Galli credentes eum fugere ſtatuen quod medīū erat, inſtituerunt tranſmittere. Labienus circumacto exercitu inter ipſis ſuperandi amnis difficultates,eos cecidit.Front.lib.2.cap.5.

CÆSAR & Pompeius in Theſſalia, hic quidem fugiendo pugnabat, ſummam copiam habens rerum neceſſariarū:ille cogitans loco mouere ad comparandum frumentum,manipulos ſeparabat.Pōpeiani quaſi metu fugientes deſpexerunt:neque ſe continuerunt,ſed confeſtim profiliebant,cogentes Pompeium ſe contra hoſtes educere.Quos ſequentes Cęſar in campum deduxit:atque ibi conuerſus,egregiè pugnans victoriam obtinuit.Polyæn.libr.8.

CN.POMPEIVS circumſeſſos ad Dyrrachium non tam obſidione liberauit ſuos, verumetiam poſt eruptionē,quam opportuno loco & tēpore fecerat,Cæſarem ad caſtellum,quod duplici munitione inſtructum erat,auidè erumpentē,exterior circumfuſus corona obligauit:vt ille inter eos quos obſidebat,& eos qui extra circumuenerant medius,nō leue periculum & detrimentum ſenſerit.Front.lib.3.ca.17.

IDEM in Hiſpania,diſpoſitis ante qui ex occulto aggrederentur,ſimulato metu,deduxit inſtantem hoſtem in loca infeſta : deinde vbi res poſtulauit,conuerſis & in fronte & vtriſque lateribus ad internecionem cecidit,capto etiam duce eorum Perpenna.

IDEM aduerſus Mithridatem in Armenia,numero & genere equitū præualentem,tria milia leuis armaturæ , & D. equites nocte in valle ſub virgultis , quæ inter bina caſtra erant,diſpoſuit. Prima deinde luce in ſtationem hoſtium emiſit equites ita ſimulatos , vt cùm vniuerſus cum exercitu hoſtium , equitatus prælium iniſſet , ſeruatis ordinibus paulatim cederent , donec ſpacium darent conſurgendi à tergo , ob hoc diſpoſitis.Quod poſtquam ex ſententia contigit, conuerſis qui terga dediſſe videbantur,medium hoſtem trepidantem cecidit:

ipsos etiam equos pedite cominus accedente,confodit : eóque prælio fiduciam regi,quam in equestribus copiis habebat,detraxit.

CRASSVS bello fugitiuorum apud Catinam bina castra cominus cum hostium castris vallauit:nocte deinde communitis copiis, manente prætorio in maioribus castris,vt fallerentur hostes, ipse omnes copias eduxit,& in radicibus prædicti montis constituit:diuisóque equitatu, præcepit L.Quintio partem Spartaco obiiceret,pugnáque eum frustraretur: parte alia Gallos Germanósque ex factione Casti & Gannici eliceret ad pugnam,& pugna simulata deduceret,vbi ipse aciem instruxisset. Quos cum Barbari insequuti essent, equite recedente in cornua, subitò acies Romana ad aperta cum clamore cucurrit. 35. millia armatorum eo prælio interfecta cum ipsis ducibus Liuius tradit, receptas quinque Romanas acquilas,signa sex & 22.multa spolia, inter quæ quinque fasces cum securibus.Front.lib.2.cap.4.& 5.

C. CASSIVS in Syria aduersus Parthos ducens aciem, equitem ostēdit à fronte, cùm à tergo peditem in confragoso loco occultasset :dein cedente equitatu,& per nota se recipiente,in præparatas insidias perduxit exercitum Parthorum,& cecîdit.Ibidem.

VIRIATVS ex latrone dux Celtiberorum cedere se Romanis equitibus simulans, vsque ad locum voraginosum & præaltum eos perduxit. Et cùm ipse per solidos ac notos sibi transitus euaderet,Romanos ignaros locorum,immersósque limo cecîdit.Ibidem.

IDEM, disposito per occulta milite, paucos misit qui abigerent pecora Socobrigensium. Ad quæ illi vindicanda cùm frequentes procurrissent,simulantésque fugam prædatores persequerentur, deducti in insidias,cæsíque sunt.

SCORDISCI equites(cùm Heracleę duarum partium pręsidio propositus esset Lucullus)pecora abigere simulantes, prouocarunt eruptionem:fugam deinde mentiti,sequentem Lucullum in insidias deduxerūt, & octingentos cum eo milites occiderunt.Front.lib.3.cap.10.

VENTIDIVS Parthos in Labienum alactes successibus victoriarū, dum suos ipse per simulationem metus cōtinet,euocauit: & in loca iniqua deductos aggressus per obreptionem,adeò debellauit, vt destituti à Labieno prouincia excederent Parthi.Front.lib.2.cap.5.

IDEM aduersus Pharnastanis Parthos, cùm ipse exiguum numerum militum haberet,illis autem fiduciam ex multitudine peditum videret increscere,ad latus castrorum 18.cohortes in obscura valle posuit,equitatu post terga militum collocato.Tum paucos admodum milites in hostem misit Qui vbi simulata fuga hostem effusè sequentem, vltra locum insidiarum perduxêre, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his Pharnastanem interfecit.

TOMYRIS Scytharum regina,Cyrum Persarum ducem, æquo marte certantem,simulato metu elicuit ad notas militi suo angustias : atque ibi repentè conuerso agmine,natura loci,adiuta,deuicit.

ÆGYPTII conflicturi acie in iis campis quibus iunctæ paludes erant,alga eas contexerunt,commissóque prælio fugam simulātes, in insidias hostes vocauerunt.Qui rapidius vecti per ignota loca, limo inhæserunt,circumuentíque sunt.

LIBVRNI,cùm vadosa loca obsedissent,capitibus tantùm eminentibus, fidem fecerunt hosti alti maris,ac triremem,quæ eos persequebatur,implicatam vado cæperunt.

IVBA rex,in Africæ bello ciuili Curionis animum simulato regressu, impulit in vanam alacritatem: cuius spei vanitate deceptus Curio, dum tanquam fugientem Saboram regium præfectum persequitur, deuenit in patentes campos, vbi Numidarum circumuentus equitatu, perdito exercitu cecidit.Ibidem.

CARTHAGINENSES bellum cum Hierone gerentes, noctu adnauigauerunt Messanæ. Prope vrbem Agrigentini in portu naues suas habebant. Magna triremium & turbinatarum nauium copia in ostio subducta stabat,reliquæ custodiam agebant.Dux Carthaginensium, præstātissimæ nauis trierarchum aduocat:ei præcipit,vt portum nauibus obeat, & ad ostiū appropinquet.Quòd si hostiles ad eas persequendas soluerent, in altum fugam peteret.Trierarchus appropinquat ostio.Gubernatores stantium nauium exploratorem esse rati,nauim summa cōtentione persequebantur.Quibus longius persequendo in altum prouectis,Carthaginenses cum reliquis nauibus summa celeritate in portum adnauigarunt, & triremes vacuas incenderunt, onerariarum verò magnam vim extraxerunt.Polyæn.lib.6.

HANNIBAL cùm explorasset negligenter castra Fuluij Rom.ducis munita, ipsum præterea multa temerè audere, prima luce, cùm densiores nebulæ præstarent obscuritatem, paucos milites munitionū nostrarum vigilibus ostendit.Quo Fuluius repentè mouit exercitum. Hannibal per diuersam partem castra eius occupauit : & ita in tergum Romanorum effusus,octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidauit.Front.lib.2.cap.5.

IDEM cùm inter Fabium dictatorem & Minutium magistrum equitum diuisus esset exercitus,& Fabius occasionibus immineret,Minutius pugnandi cupiditate flagraret: castra in campo qui medius inter hostes erat posuit.Et cùm partem peditum in confragosis rupibus cælasset,ipse ad euocandum hostem misit, qui proximum tumulum occuparent. Ad quos opprimendos cùm eduxisset copias Minutius,insidiatores ab Hānibale dispositi,subitò consurrexerūt:& deleuissent Minutij exercitum, nisi Fabius periclitantibus subuenisset.

IDEM Hannibal cùm ad Trebiam in conspectu haberet Sempronij longi Cos.castra medio amne interfluente,sæuissima hyeme Magonem & electos in insidiis posuit.Deinde Numidas equites, ad eliciendam Sēpronij credulitatem,adequitare vallo eius iussit: quibus præceperat, vt ad primum nostrorum incursum per nota refugerent vada. Hos consul & adortus temerè,& secutus,ieiunū exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigere fecit.Mox torpore & inedia affectis Hannibal suum militem opposuit,quem ignibus, oleóque & cibo fouerat. Nec defuit partibus Mago,qui terga hostium in hoc ordinatus cæderet.

IDEM ad Thrasimenum,cùm arcta quædam via in radices montis & campos patentes duceret, simulata fuga per angustias ad patentia euasit:ibique castra posuit,ac nocte dispositis militibus, & per collem, qui imminebat,& in lateribus angustiarum prima luce, nebula quoq; adiutus,aciē direxit.Flaminius velut fugientem insequēs,cum angustias esset ingressus,non antè prouidit insidias,quàm simul à fronte,lateribus, tergo circumfusus ad internecionem cum exercitu cæderetur.Ibidem.

IDEM Cannensem P.Romani aciem speculatus, priusquam ad dimicandum descenderet, compluribus astutiæ complicatam laqueis ad tam miserabilem perduxit exitum.Ante omnia enim prouidit,vt & solem & puluerem,qui ibi vento multus excitari solet,aduersum Romanus haberet:deinde partem copiarum suarum, inter ipsum prælij tempus de industria fugere iussit Quam cùm à reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur,trucidandam eam ab iis,quos in insidiis collocauerat, curauit.Postremò quadringentos equites subornauit,qui simulata transitione petierunt consulem.A quo iussi more trāsfugarum, depositis armis,in vltimam pugnæ partem secedere,districtis gladiis,quos inter tunicas & loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum ceciderunt.Val.lib.7.cap.4.

IDEM, cùm obsideret ciuitatem Himeram, castra sua capi de industria passus est,iussis recedere Pœnis,tanquam præualeret hostis. Quo euentu Himera eis ita deceptus,vt gaudio impulsi relicta vrbe procurrerēt ad Punicum vallum.Hannibal vacuam vrbem per eos quos in insidiis ad hanc ipsam occasionem posuerat,cæpit.

IDEM vt Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedens, ad primam eruptionem oppidanorū simulata fuga cessit:interpositóque exercitu,ab oppido interclusos hostes à suis in medio trucidauit.Front.lib.3.cap.10.

AMILCAR Agrigentum oppugnans, non procul à ciuitate castra metabatur.Egredientibus ex vrbe copiis innumerabilibus,per exercitum obambulans,cum singulis loquebatur occultè: præcepto dato, vt vltò se in fugam verterent.Quibus fugientibus, Agrigentini inter persequendū longius ab vrbe distrahebantur. Amilcar ante ciuitatem incensa sylua, reliquos in latentes insidias coniecit.Qui persequebantur, fumum surgere à mœnibus conspicati, à ciuitate ignes surgere putabant : seséque conuertentes ad vrbem,reuertebantur, instantibus, vrgentibúsque iis qui prius fugerant.Cùm verò in eum locum ventum esset, vbi positæ erant insidiæ, consurgens Amilcar cum suis, partim eos in captiuitatem redegit,partim morte affecit.Polyæn.lib.5.

HIMILCO Carthaginensis,apud Agrigentum iuxta oppidum, partem copiarum in insidiis posuit:præcepitque his, vt cùm processissent oppidani,ligna humida incenderēt: deinde cum reliqua parte exercitus luce ad eliciendos hostes progressus, simulata fuga persequentes oppidanos longius cedendo protraxit:insidiatores prope mœnia imperatum ignem acerbum subiecerunt. Vnde obortum contemplati fumum Agrigentini,incensam ciuitatem suam existimauerunt:defendendæque eius gratia, dum trepidè recurrunt,obuiis eis,qui insidiati iuxta muros erāt, & à tergo instantibus, quos persecuti fuerant, in medio trucidati sunt. Front.lib.3.cap.10.

BARA (aliis Larta) dux Pœnorum, in Sicilia Lilybæum nostris terra marique obsidentibus,partem classis suæ procul armatam iussit ostendi: ad eius cōspectum cùm euolassent Romani,ipse reliquis, quas in occulto tenuerat, nauibus, Lilybæi portum occupauit.Ibidem.

Insigne stratagema PETRI Lauretani Veneti fuit,quo primus ipse vniuersæ rei maritimæ præfectus Imperatoris nomine Turcicam classem ad Callipolim oppressit. Othomanus namque,capta Constantinopoli, classem ingentē ad Callipolim cōparabat, in qua vna spem vnā inuadēdæ Italiæ reposuerat.Quare Petrus admonitus, statim eò cum vniuersa classe sua profectus, sæpius Callipolim inuisens,non multis cū nauibus, vt Turcā ipsum in certamen traheret:tandem id assecutus est, vt instructissimus Turcarum præfectus ad eum venire proposuerit. Id quod intelligens Petrus instructā reliquam classem præcepit se sequi:ita tamē, vt Turcæ rem intelligere non possent.Congressus verò quum paulatim reliquæ naues adessent,veritus id Turcarum præfectus,ne plures multo conuolarent,in fugam ita vertitur,ut vniuersa classis Turcica tū primùm aut caperetur,aut disiiceretur,abrupta Othomani principis spe Italię reliquæque Christianæ pietatis classe inuadendæ.Quæ tanta res effecit,vt Calendæ Iuliæ celebres nobis & sacræ in hunc vsque diem habeantur: tametsi & Carariensis principis clade insignis, & Andreæ Cōtareni ducis in vrbem aduentu, post receptam Clodiam grata memoria celebretur.Egnat.lib.7.cap.4.

IDEM aliquot post annos aduersus Genuenses Imperator à senatu declaratus:quibus cum bellum erat gerendū,classe instructa in Ligusticam oram eo consilio profectus nauigauit,vt Ligusticā oram populabūdus, Genuēses ipsos ad nauale prælium exciret. Quod cum illi facilè præstitissent,delecto classis principe Francisco Spinula,qui aduersus Venetos, clarus alioqui vir,rem gereret:ita planè accidit,vt ad Rapalitanum sinū vtraque classis conueniret.Quare quum prælij gerendi tempus iam imminere cerneret,simulata fuga retrocedere cœpit,donec insequentibus Genuensibus,secutus ventorum afflatum fœliciorem, conuersis nauium proris sit pugnari cœptum:ibique partim virtute suorum, partim consilio secūdáque aura adiutus,ostendit suo quodā stratagemate, pellectum hostem

hostem superari commodè posse. Quum igitur graue immineret certamen,iussit aliquot nauibus prætoriam Genuensium primùm aggredi. Sic planè effecit,vt & triremis ipsa prætoria opprimeretur,& ipse Spinula dux cum aliquot egregiis uiris caperetur.Id quod reliqui Genuenses quum animaduertissent,in fugam statim conuersi abeunt,relicto Spinula duce.Quem captum,ad seque deductum Lauretanus cum aliquot cōsiliariis perbenignè recepit,nec multo pòst Venetias deducendum terrestri itinere tutò curauit.Egnat. lib.7.cap.4.

Cùm Etruscæ vrbes,magno suo damno,per Guelfam atque Gibellinā factiones se diuisissent,Florentiæ rerum Guelfi potiebātur: Gibellini autem Senas habebant. Qui post multas preces tandem à Manfredo Neapolitano rege,mille quingentorum equitum vsum, in tres menses tantùm subsidio acceperant.His auxiliis incerti,per id tempus, quid potissimum agerent,excurrerent ne perditionis Florentiæ loca,prædamque inde agerent(id quod eis neque satis laudis,neque commodi posse afferre videbatur)an munita loca atque vrbes oppugnarent, quandoquidem temporis angustia,vt aliquid magni lætiq; successus sperarent,nō patiebatur.PROVINCIANVS Syluanus, vir magnæ inter Senenses existimationis,cogitauit optimum fore,si dum apud Senenses Mãfredi regis equitatus esset,cum hostibus prælio decertarent,quòd minimè dubia fore victoria videbatur.Cui rei vt viam aperiret,duos Senenses ciues clàm misit Florentiam,qui magistratui Florentino nunciarent, atque simul fictas quorundam ciuium Senensium literas in eandem sententiā perferrent:scilicet,Vrbi totę Senensi graue bellum illud esse,quod cum populo Florentino gereretur,cupereq; ei finem imponi.Cuius culpam,nemini dubium erat,penes Prouincianum esse.Itaq; si eo tempore,quo Germani equites Senas prædatum egressuri videbantur, Florentini ciues Senis cum copiis suis appropinquare vellent,per multos Senenses,Florentinarum copiarum præsidio tectos,arma in vrbe sumpturos esse,atq; eis Prouincianum vinctum tradituros. Arbitrati vera Florentini esse, quæ nunciabantur de Senensium ciuium aduersus Prouincianum animo, item de Germanorum equitum profectione, qui egredi simularant, cum exercitu Senis appropinquarunt, Illic cùm expectarent, vt populus arreptis armis tumultuaretur, ac Prouinciano manus iniiceret,repentè Germani equites erumpunt, eosque populus armatus est secutus. Hi in Florentinas copias,nihil tale verentes, tanto impetu inuecti sunt, vt paruo momēto,turbatis Florentinorū ordinibus,omnes fuderint fugarintq;. Quibus eo prelio superatis,Gibellina factio in vrbem Florentiam reuersa,locum suum obtinuit.Fulgos.lib.7.cap.4.

VIRES SVAS DISSIMVLARE, VT MINOR VIDEATVR *exercitus,& hostis eo confidentius progrediatur.*

ALCETAS Lacedæmonius,vt Thebanorum commeatum facilius ex inopinato aggrederetur,in occulto paratis nauibus, tāquam vnam omnino haberet trimerem,vicibus in eam remigem exercebat. Quodam deinde tempore omnes naues in Thebanos transnauigantes immisit,& commeatibus eorum potitus est.Front.li.4.ca.7.

THRASYLLVS,vt paucos triremes habere hostibus videretur,iussit,vt nautæ duas naues in vnam redigerent,& alterius vela tollerent. Hinc ad iugum efficiendum funiculis astringerent currenti,eā quæ iuxtà curreret,ne alterius uela in sublimi eminerent. Hoc pacto dimidiam partem nauium occultauit.Polyæn.lib.1.

MEMNON Rhodius nauali prælio,cùm haberet C C nauiū classem, & hostium naues elicere ad prælium vellet,ita ordinauit suos,vt paucarum nauium malos erigerent,easq; primas agi iuberent.Hostes procul conspicati numerum arborum,& ex eo nauium quoque coniectātes,obtulerunt se certamini,& à pluribus occupati superatiq; sunt.Front.libro 2.cap.5.

DIOTIMVS cum decem nauibus obuiam ibat Lacedæmoniis,totidem naues habentibus.Hi non audebant confligere,peritiam Atticarum metuentes.Illè remigio dempto,binas inter se coniunxit: vniusq; solum velis sublatis,in pelagus soluebat.Lacedæmonij quinque velis apparentibus,quinque duntaxat naues esse suspicati,contempta paucitate,adnauigabant.Diotimus solutis vinculis se cōuertit,& in aduersarios impetū cum decem nauibus fecit:& vsus Attica scientia, sex Lacedæmoniarum nauium submersit,reliquas quatuor vnà cū hominibus cæpit. Poly.li.5.

CÆSAR septem millia ducens in exercitu, bellum Gallis inferebat. Is volens opinionem hostibus facere,pauciores etiam se his habere, vallum angustissimè iussit muniri.Ipse verò cùm pluribus militibus, locum sublimen asperumque interim occupauit,ibiq; latuit. Procedebāt equites pauci extra vallum,& Barbaros lacessebant. Illi,despecta paucitate equitum,ad vallum accedebant.Alij fossas obruere,alij aggeres reuellere.Interça cum signum tuba cecinisset, simul eruptionem fecerunt è vallo integri pedites,eq; superiori loco cum Cæsare equites à tergo, vt Barbari in medio intercepti,plurimos ex suis amitterent.Polyæn.lib.8.

NICOLAVS Pisanus Venetus in Caralitano Sardiniæ insulæ sinu Antonio Grimaldo,Genuensium imperatori congressus, nauium suarū numerum dissimulauit.Die namque pugnæ dicto,Ioanni Sanuto mandauit, vt decem cum nauibus de industria abscedere videretur longius (quod à Genuensibus ipsis conspici facilè potuit)ceterùm vt in occulto agens in ipso pugnæ ardore instructus præstò adesset.Sic igitur re cōposita,hostes aggressus ipsos,qui nō segnes præliū & ipsi ciebāt:sic vtrinq; pugnatū est,vt tandē superueniēte ex improuiso Sanuto,Genuenses memorabili acie sint victi,ipseq; dux Grimaldus vix euaserit, vniuersa ferè classe aut capta,aut submersa:vt facilè appareret,Bosphorana pugna Ligurē ipsum nō tā virtute,quàm locorū opportunitate Venetis obstitisse. Fuit ea pugna Genuensibus ipsis adeò infausta,vt tunc primùm libertatē suam Vicecomiti præsuli Mediolanensi tradiderint.Egnat.lib.7.cap.4.

TERRERE HOSTES RELIGIONE, CLAMORE, FIDVCIA, *minis, victoria simulata, & consimilibus, vt vel in fugam vertantur, vel sese dedant.*

Cùm Amalechitæ & Madianitæ(sunt hęc barbararum gentium nomina,Iudæę finitimarum)non procul à Iordane fluuio tumultuosè consedissent,Iudæam hostiliter inuasuri, essetque his cum Arabum appendicibus inuictus alioqui exercitus,GEDEON:qui cum decem millibus hominum his obuiam exierat,quia interdiu non potuit(erat enim viribus longè impar)noctu hostem inuasit, iuuitque temporis opportunitatem astu,vt incensas faces dextra quaterent Iudæi, læua cornua & lituos inflarēt.Quæ terrifica species adeò hostem perculit,vt cæco tumultu disiectis Amalechitis,& sociis,mutuaq; in se cæde discurrentibus, ad centum viginti millia hominum vna sint nocte desiderata.Sab.lib.6.cap.6.

Bacchi dux fuit PAN.Is primùm inuenit aciem,Phalangem nominauit:cornu instituit dextrum & sinistrum.Hac de caussa ferentem cornua, Pana fingunt.Sed primus etiam hic cædem hostibus per solertiam & artem immisit. Cum Baccho in concauo saltu nunciassent speculatores, infinitas hostium copias in vlteriori parte castrametari, metus Bacchum incessit,non item verò Pana:sed noctu Bacchico exercitui signum dedit, vt maximum & inconditum clamorem tolleret. His verò clamantibus, petræ sonum exceptum referebant,& cauitas saltus longè maiorum copiarum fremitum hostibus reddebāt.Quare metu perterriti, se in fugam coniecerunt.Cùm igitur Pan hoc stratagema vsurparit, Echo Pani gratā & amicam esse fingimus,atque vanos nocturnosq; terrores exercituum Panicos appellamus.Polyæn.lib.1.

HELNES Arcadum rex,vastantibus Tegeam Lacedæmoniis, quotquot vigentem ac floridam ætatem haberent, supra caput hostium misit,præcipiens vt media nocte in eos impetum facerent.Quotquot verò ætate prouecti,aut nondum adulti essent, eos iussit eodem tempore ante ciuitatem ignem quàm maximum incendere. Hostes ad vsum ignem obstupefacti,in eum oculos coniiciebant. Qui verò in cacumine erant, obruentes inopinatos,plurimos ex iis morte affecerunt,multos etiā captos in vincula coniecerunt.Et oraculum finem habuit:

δώσω τοὶ τεγέαν ποσσὶ κρότον ὀρχήσασθαι.Ibidem.

IPHICRATES in Epidauro,non multum supra mare aciem instruebat.Postquam verò ad nemus profundum& vmbrosum ventum esset,exclamauit vt impositi consurgerent. Hostes magnas insidias metuentes, reuersi sunt,& celeri fuga se in naues receperunt.Polyæn.lib.3.

IDEM cùm esset Corinthi,Lacedæmonij ciuitatem aggressi sunt.Ille nō protinus correptis copiis,in periculum se obtulit. Sed cognito quòd essent circa vrbem loca munitissima,clàm ea prius occupauit, & his qui in ciuitate erant antè promulgauit,vt ad se venirent. Exeuntibus autem omnibus,& in vnum collectis,Lacedæmonij multitudinē timētes,& in munita loca factā fugā metuentes,sine prælio fugiētes,discesserūt.Ibidē.

IDEM Mitylenæ famam emisit,breui multa scuta comparari oportere,quæ Chiorum seruis mitterentur.Hoc audito, Chij mancipiorum conatum metuentes,euestigiò miserunt ei pecunias,& societatem fecerūt. Ibidem.

Athenienses & Thebani ad pugnam instruebātur.MYRONIDES Atheniensibus præcepit,vt cùm ipse signum dedisset,excurrerēt in hostes, initio facto à sinistra.Quo signum dante,illi currebāt.Cùm verò aliquousque essent progressi,Myronides ad dextrū cornu festinans,magna voce clamauit:Vicimus in læuo. Athenienses uictoriæ fama confirmati, promptius & alacrius hostes aggrediuntur. Thebani nuncio suorū cladis perculsi,ad fugam inclinauerunt.Polyæn.lib.1.& Front.lib.2.ca.4.

TIMOTHEVS circa Leucadem nauali prælio Lacedæmonios deuicit.Multis contritis scaphis,decem naues hostium superant,aptæ nauali prælio,quas metuebat.Timotheus reuersus ad nauale,nauticum exercitum falcata figura instruxit,& contra hostes circumferentiā vertens, nauigiis intus comprehensis,abnauigationem ad terram instituit, iubens secundum puppim impellere, vt proris ex aduersum collocatis,facilè se ab hostilibus decem nauibus defenderent.Hanc ordinis figuram hi qui decem naues tenebant, metuentes, aggredi non audebant.Polyæn. libro tertio.

MILTIADES cùm ingentem Persarum multitudinem apud Marathonem fudisset,Athenienses circa gratulationem morantes cōpulit, vt festinarent ad opem vrbi ferendam,quam classis Persarū petebat. Cumque præcurrisset implessetq; mœnia armatis, Persæ rati ingentē esse numerum Atheniensium,& alio milite apud Marathonem pugnatū, alium

pro suis opponi, circumactis extemplò nauibus, Asiam repetierũt. Frõt. lib.4. cap.7.

PERICLES dux Atheniensium, initurus prælium, cùm animaduertisset lucum, ex quo vtraque acies conspici poterat, densissimæ opacitatis vastum, alioqui & Diti patri sacrum: ingentis illic staturæ hominem, altissimis cothurnis, & veste purpurea coma, venerabilem in curru candidorum equorum sublimem constituit: qui dato signo pugnæ proueheretur, & voce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, diceretque, deos Atheniensibus adesse. Quo penè ante coniectum primi teli hostes terga verterunt Front. lib.1. cap.11.

THEMISTOCLES veritus, ne Xerxes, quia malè maritimam cedere expeditionem videbat, omni conatu terrestri bello incumberet, & tandem omnem Græciam opprimeret (norat enim parui animi Xerxem esse) Arsacem eunuchum, quem in Persica classe ceperat, noctu ad eum misit, & per ipsum Xerxi significauit, Græcos deliberasse, Pontem in Hellesponto factum rescindere, vt retrocedendi adempta facultate, ipsum cum omnibus Persis in Græcia intercluderent. Quod cum Xerxes ita esse arbitraretur, vehementer territus, Mardonio in Græcia cum exercitus parte relicto, statim ipse cum aliis copiis, per pontem in Asiam, atque inde in Persidem regressus est. Exitus autem postea docuit, quantum Græciæ Themistoclis astutia profuerit: nam ex periculi magnitudine, in quod se coniectos Græci senserunt, cùm profecto rege solus Mardonius, cum parte exercitus in Græcia remansisset, facilè cogitando assecuti sunt, si Xerxes cum aliis copiis remãsisset, quanto grauiora laturi fuissent. Itaque haud iniuria dici potest, Græciæ rebus atque saluti, plus Themistoclem consilio atque calliditate, quàm reliquos omnes Græcos, sanguine atque armis contulisse. Fulg. lib.7. cap.4.

PISISTRATVS, cùm ope Megaclis Atheniẽsis (qui ei filiam suam vxorem dare promiserat) Athenas esset reductus, vt citra sanguinem tyrannidem reciperet: mulierem quandam Phyam nomine, è tribu Pœaniæa, tribus digitis minus statura quatuor cubitorum, formosissimam, Mineruæ habitu instructam, curruique impositam, ante exercitum in vrbem duxerunt, præmissis præconibus qui Palladem Pisistrato fauere assererent. Ea re audita Athenienses, Pisistrato sese dediderunt. Herod. libro primo.

Iones atque Æoles, vbi audierant Lydos citra negotium à Persis victos, legatos Sardis mittunt ad CYRVM, vltrò postulantes, vt iisdem conditionibus eos admitteret, quibus & Crœso subiecti fuerant. Verùm Cyrus ad eorum postulata per huiusmodi similitudinem atque apologum respondit: Tibicen, inquiens, quidam vbi pisces in mari conspexisset, canere tibia incipiebat, ratus nimirum eos ad cantus suauitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus, misso in mare verriculo, ingẽtem piscium vim complexus est, atque extraxit. Et cùm palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces: Temperate nunc mihi quæso à saltationibus, quando non libuit me canente saliendo progredi. Quæ verba Cyrus Ionibus Æolibúsque ideo dixit, quòd Iones, prius ipso Cyro per legatos ad amicitiam eos inuitante, flagitantéque vt à Crœso rebellarent, constanter recusauerant: ac iam demum rebus non ex sententia succedentibus, parati essent Cyri imperata facere. Hoc responso eos terrere voluit. Iones his auditis territi, ad suas quique ciuitates reuertũtur, mœniáque communiunt. Herod. lib.1.

TYRTÆVS Lacedæmoniis volentibus cum Messeniis signa conferre, cùm statuissent aut victoriam reportare, aut mortem in prælio obire: vt autem quilibet à suis in mortuorum sepultura agnosceretur, scytalis nomen inscribentibus, easque circa læuam ferentibus: volẽs, hac re patefacta, terrorem incutere Messeniis, mandauit, vt Helotarum transfugientium nulla ratio duceretur. Nemine igitur obseruante, sensim trãsfugientes, Messeniis desperationem Laconicam nunciarunt. At illi perterriti, infirmiori robore pugnantes victoriam non exiguam Lacedæmoniis dederunt. Polyæn. lib.1.

ARISTOMENES Lacedæmonius, Dionysio ferens auxilium, exigua inclinatione facta, videns triremes permixtas, præcepit suis militibus, vt clamarent, Sine fugere. Hostes audita hac voce, in fugam conuersi sunt, rati se omninò superari. Polyæn. lib.2.

ISCHOLAVS cùm in Drye oppugnaretur à Chabria, volente arietes admouere, prior ipse muri partem deiecit: vtrumque secum reputans, vt sui milites fortius pugnarẽt, cùm munitionem mœniorum non haberent: & hostes existimarent, suas machinas oppugnatorias esse cõtemptas. Certè hostes spontaneam mœniorum destructionem metuentes, ingredi in vrbem non audebant. Ibidem.

AGESILAVS aduersus Bœotos præliabatur. Erat anceps victoria. Nox enim prælium diremit. Ille media nocte fidelissimos misit, dato præcepto, vt quos Spartiatas mortuos agnoscerent, puluere respersos occultarent. Qui hoc facto, ante diem redierũt. Hostes autem orto die, cum suos mortuos omnes prostratos iacere cernerẽt, Spartiatarum verò paucos, tristius & timidius animis affecti sunt, quasi Lacedæmoniis victoriam habentibus. Ibidem.

CLEARCHVS Lacedæmonius exploratum habens, Thracas omnia victui necessaria in montes comportasse, vna quoque ope sustentari, quòd crederent eum commeatus inopia recessurum: per id tempus quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captiuis in conspectu iussit occidi, & membratim tanquam alimenti causa in contubernia distribui: Thraces nihil non facturum perseuerantiæ causa eum credẽtes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, in deditionem venerunt. Front. lib.3. cap.5. & Polyæn. lib.2.

PELOPIDAS Thebanus Magnetum duo oppida simul oppugnaturus, non ita longo spacio distantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admouebat, præcepit, vt ex composito ab aliis castris quatuor equites coronati, notabili alacritate velut victoriam nunciantes venirent: ad cuius simulationem curauit, vt sylua quæ in medio erat incenderetur, præbitura speciem vrbis ardentis: præterea quosdam captiuorum habitu eodem iussit perduci. Qua asseruatione perterriti, qui obsidebantur, dum in parte iam se superatos existimarent, defecerunt. Frõt. lib.3. cap.8. & Polyæn. lib.2.

EPAMINONDAS, cùm fortiter Lacedæmonios bello vicisset, ac multo sanguine fuso iam fugasset, cùm audiret, Lacedæmonios eius belli calamitatem extenuare, vt palàm fieret omnibus quanta strages edita esset, non quibuslibet permisit cadauera interfectorum tollere, sed vt quæque ciuitas sua auferret: & ita factum est, vt appareret, plusquã mille nos Lacedæmonios interiisse. Et sic Epaminondas ob oculos posuit, quanto honore & præmio dignus esset. Vide Plut. in Græcorum regum apoph.

THEBANI noctu obruere cogitabant Athenas. Iphicrates, re cognita præcepit Atheniensibus, vt noctu signo dato in forum conuenirent: sibi enim proditum iri Thebanorum ciuitatem. Itaque sine tumultu egredi in animo habere, ac sine pugna Thebas ex improuiso obruere. Id cùm Thebanis nunciatum esset, ab opprimendis Athenis destiterunt. Polyæn. lib.3.

THESSALVS Bœotos, qui Arnam incolunt, cum Thessalis bellum gerentes, arte superauit, absque pugna. Obseruans enim noctem expertem lunæ, & tenebrosam, mandauit militibus, vt dispersi per campum, alius alibi in montium fastigiis faces & tædas incenderent, atque sublimes ferrent, rursúsque deprimerent. Bœoti conspecto igne, quasi fulmine circumdati, in metum ac terrorem inciderunt, & ad supplicandum Thessalis, & de pace rogandum se conuertebant. Polyæn. lib.1.

PLATÆENSES Thebanos aliquot in prælio ceperant. Cùm autem in Plateida impressionem Thebani facerent, legatum Platæenses miserunt, & se captiuos eorum, morte affecturos interminabantur, nisi è terra decederent. Platæenses verò captiuos interficiebant. Polyænus libro sexto.

ANTIPATER in Tetrachoritarum regione militans, iussit ne equorum stramẽ, quòd circum tabernaculum erat, ignem iniiceret. Quo inflammato, tubicen signum dedit, ac Macedones circa tabernaculum coibant, hastas in altum tendentes. Quo viso, Tetrachoritæ perterriti, locum reliquerunt: atque ita sine prælio Antipater victoriam adeptus est. Polyæn. lib.4.

ARGÆVS rex Macedonum, Taulantiorum Galaurus. Taulantij cõtra Macedones exercitum ducunt. Argæus (erat enim ei manus perexigua) iubet virgines Macedonum, si hostes agmen suum adducerẽt, ipsas è monte Erbææ sese ostendere. Appropinquantibus igitur hostibus, apparuerunt, & è montibus descendebant magno numero virgines, thyrsósque pro hastis vibrabant, & sertis faciem obumbrabant. Galaurus perterrebatur, viros esse virgines à longo existimans, & receptui signum dabat. Taulantij abiectis armis impedimentisque relictis, terga verterunt. Argæus sine prælio victoriam adeptus, templum ædificat Baccho Fallaci, atque virgines quas antea κλωδῶνας Macedones appellabant, ipse propter virorum imitationem, vt μιμαλλόνες dicerentur, decreto iussit. Ibidem.

ÆTOLI Pellenam oppugnabãt. Pro Pellena collis est excelsus, è regione arcis positus, in quem, concursu facto, Pellenẽses arma expediebant. Palladis sacerdos consuetam illius diei armaturam habens & galeam tricollem, pulcherrima maximáque omnium virginum, ab arce intuebatur in ciuium sese armantium multitudinem. Ætoli virginem armatam è templo Mineruæ procedere conspicati, ipsam Mineruam auxilio Pellenensibus venire existimantes, reuerterunt. Pellenenses verò persecuti, non paruum Ætolorum numerum occiderunt. Polyænus lib.8.

PHILIPPVS, cum Trinassum castellum nulla vi capere posset, terrã ante ipsos muros egessit, simulauitque agi cuniculum: Castellani quia subrutos se existimarant, dediderunt. Front. lib.3. cap.8.

MEMPSIS Aribæo bellum inferente, ne intra mœnia concluderetur, omnia protulit extra murum, & pro ciuitate collocauit vxores, liberos, pecunias. portas autem ciuitatis destruxit. Aribæus apparatum eorum desperationi similem veritus, metuénsque ne ad mortẽ vsque prælium facerent, exercitum abduxit. Polyæn lib.7.

PHOCENSES in Parnassum cum armis inclusi, sub multam noctem descendentes, in hostes impetum fecerunt. Illi partim quasi spectrum nouum & inusitatum perhorrescentes, partim etiam alios esse qui aggrederentur, existimantes, victoriam hostibus dederũt, & strages Thessalica contigit ad quater millium virorum. Polyæn. lib.6.

SCYTHÆ, ne serui ex desperatione bellum committerent, eos flagellis aggrediuntur, atque profligant. Vide tit. Seruorum impietas erga dominos.

PHOCENSES contra Thessalos bellum gerebant. Constiterant aliquando in primo Phocidis aditu aduersa castra: ibi lecti homines è Phocẽsibus quingenti, obseruato eo tempore, quo suum luna orbem explerat, Thessalos noctu adoriũtur, oblitis gypso corporibus: gypso item dealbatis armis. Ingentem memorant Thessalorum factam cædem, quòd ea specie territi, immissa diuinitùs per noctem sibi spectra, non hostium illud astu euenisse putarent. Pausanias lib.10.

PHILIPPVS Demetrij filius, Rhodiorum vrbem in Piræa Parnassum oppugnabat. Muros insigni firmitudine præditos, statuit suffodere. Cùm autem inter suffodiendum solidissima petra se offerret, & fossoriis instrumentis nequaquam cederet, Philippus interdiu ad fossionem iussit descendere. Eos verò qui opus faciebant, etiam tegumentis extensis occultabat, vt putaretur velle eos occultare. Hæc autem omnia manifestò hostes intuebantur, vt nullo modo eos clàm esse possent. Noctu verò imperauit, vt milites à stadiis octo seu decem ex profundo quodam specu puluerem adferrent, & pro fauce fossionum conticerent. Multo autem puluere aceruatim excitato interdiu, qui muros defensabant, ipsum conspicati, ciuitatem infernè suffossam esse crediderunt. Is metus eos impulit, vt vrbem Philippo dederent. Postea verò cognito dolo, multis lachrymis suam amentiam deplorauerunt. Polyæn. libro quarto.

DIONYSIVS Imilcone adnauigante, atque ostium portus Homotylensium muniente, copiis à Motia deductis, ipse castra eregionè constituebat, nautasq; & milites, vt bonum animum gererent, hortabatur, nauibusque stationem pararent sub promontorio quod portum continebat. Locus erat planus, & luto cœnoq; plenus latitudine viginti stadiorũ. Hoc milites lignis munito, subduxerunt octoginta triremes vno die. Imilcon veritus, ne Dionysius assumpta classe supra promontorium adnauigaret, & Carthaginenses in ostio portus conclusos intus conficeret, spirante Borea, secundis ventis discessit. Dionysius verò & portũ & Homotylem & classem recuperauit. Polyæn. lib.5.

TYRRHENI cum Romanis bellum gerebant. Tyrrhenorum rex erat Porsenna. Romanorum imperator Publicola, tertiùm consul. Mutius ciuis Romanus in re militari præstantissimus, interficiendi Porsennæ causa in Tyrrhenorum castra venit, habitu Tyrrheno, vocem etiam Tyrrhenorum imitatus. Qui accedens ad tribunal, cùm regem Porsennam non nosset, quínam esset, ex assidentibus, quem maximè regi similem esse putabat, eum stricto gladio interfecit. Comprehensus fatebatur qui nam esset. Porsenna ob datam salutem diis sacrificabat. Mutius autẽ in focum igne plenum rectam manum iniecit: & dum manus combureretur, stans cum Porsenna loquebatur, hilari & interpido vultu. Cùm Porsenna supra modum hominis virtutem admiraretur, Mutius: Nequaquam, inquit, mireris. Trecenti Romani eadem tolerãtia & virtute præditi, qua ego, in castris oberrant, tempus captantes te interficiendi. Porsenna credens his verbis, metuq; perterritus, bellum cum Romanis composuit. Polyæn. lib.8.

PHALISCI & Tarquinienses, compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis, faces & angues furiali habitu præferentibus, aciẽ Romanorum turbauerunt. Idem Veientes & Fidenates facibus arreptis fecerunt. Front. lib.2. cap.4.

VALERIVS Leuinus Cos. cùm intra castra sua exploratorem hostium deprehendisset, magnamque copiarum suarum fiduciam haberet, circumduci eum iussit, terrendíque hostis causa, exercitus suos visendos speculatoribus eorum, quoties voluissent, patère. Front. li.4. cap.7.

IDEM aduersus Pyrrhum, occiso quodam gregali, tenens gladiũ cruẽtum, exercitui vtrique persuasit Pyrrhum interemptum. Quamobrem hostes destitutos se ducis morte credentes, consternati à mendacio se pauidi in castra receperunt. Front. lib.2. c.4.

TIBERIVS Gracchus, Lusitanis dicentibus in decem annos cibaria se habere, & ideo obsidionem non expauescere: Vndecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Lusitani, quanquam instructi commeatibus, statim se tradiderunt. Front. lib.3. cap.5.

A. TORQVATO Græcam vrbem oppugnanti, cùm diceretur iuuentutem ibi studiosè iaculis & sagittis exerceri: Pluris eam, inquit, propediem, vendam. Ibidem.

ROMANI assidente mœnibus Hannibale, ostentandæ fiduciæ gratia supplementum exercitibus, quos in Hispania habebant, diuersa porta miserunt. Frontinus.

IDEM agrum in quo castra Hannibal habebat, defuncto fortè domino venalem ad id precium licendi perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat. Hi, dum ab Hannibale obsiderentur, & ipsi obsiderent Capuam, decreuerũt ne nisi capta ea reuocaretur inde exercitus. Front. lib.3. cap.18.

HISPANI contra Hamilcarem boues vehiculis adiunctos, in prima fronte constituerunt: vehiculaque, tædæ & sepi & sulphuris plena, signo pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hostem bobus consternatam aciem perruperunt. Fron. lib.2. ca.4.

CLAVDIVS Nero, victis Pœnis, quos Asdrubale duce in Italiam, ex Hispania traiicientes exceperat, caput Asdrubalis in castra Hannibalis eiecit. Quo factum est, vt & Annibal luctu (nam frater occisus erat) & exercitus desperatione aduentantis præsidij affligeretur.

LVCIVS Sylla his qui Præneste obsidebant occisorum in prælio ducum capita hastis præfixa ostendit: atque ita obstinatorum peruicaciam fregit. Front. lib.2. cap.9.

ARMINIVS dux Germanorum, capita eorum quos occiderat similiter præfixa, ad vallum hostium admoueri iussit.

COMITIVS Corbulo cùm Tigranocertam obsideret, & Armenij pertinaciter viderentur toleraturi obsidionem, in quendam ex Megistanis, quos ceperat, animaduertit: caputque eius balista excussum in munimenta hostium misit: id fortè decidit in medium concilium, quod tum maximè habebant barbari. Ad cuius conspectum velut ostento consternati, ad deditionem festinauerunt. Ibidem.

SCIPIO speculatoribus Carthaginensium ter comprehensis, lege Romanorum iubente hostium exploratores interficere, id quidem non fecit, sed eos iussit circumire vniuersum exercitum. Qui cùm viderent Romanos alios tela mittere, alios iaculari, alios gladios acuere, rursus ad Scipionem adducti sunt. Qui dato eis prandio: Renunciate, inquit, quæ vidistis, ei qui vos misit. Qui reuersi, Annibali aliisque Carthaginẽsibus hęc renunciantes, terrorem eis iniecerunt, & Romanorum apparatu, & Scipionis magnanimitate. Polyæn. libr.8.

POMPEIVS contra Mithridatem in Asia pugnaturus, eum (quandoquidem pugnam detrectare consueuerat) in valle collibus circumdata, nocte obscura inuadit, exercitu in locis superioribus collocato. Hic tubicines simul omnes signum canere cœperunt: mox milites cæteráq; multitudo ingentem clamorem edere, pars scuta hastis, pars arma ex ære lapidibus percutere. Huiusmodi sonitum concaui montes recipere, receptúmque reddere multò horribiliorem, vt eo Barbari vehementer perterriti sint. Romani primùm sagittis telisque præliabantur, consumptis telis omnibus in eos irruerunt. Qui erant ad alas, cędebãtur, iisque, quòd magna ex parte essent leuis armaturæ, vnum ad necem vulnus satis erat. Qui in ipsa acie consistebant, premebãtur, propterea quòd ij qui in aliis erant, eò prę timore perfugiebant. Et sic Barbari neque sibi auxilio esse, neque in hostes quicquam moliri poterant. Dion Nicęus, vel eius abbreuiator Xiphilinus in Pompeio Magno.

IVGVRTHA in Numidia aduersus C. Marium, cum Latinæ quoque linguæ vsum ei conuersatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procurrit: & occisum se C. Marium tum Latinè clarè prædicauit, atque ita multos Rom. auertit. Front. lib.2. cap.4.

SEMIRAMIS regina cùm expeditionem in Italiam faceret, & horum viribus vix par esse posset, astu eosdem fallere tentauit. Occisis igitur trecentis boũ millibus, carnes operariis concessit, coria insui fecit elephantorum instar, quæ post modum fœnore, veri elephanti speciem præ se ferebant. Intus hominem camelumque, super quo sedens formam belluæ duceret, inclusit. Quibus visis, Indi improuisa re perculsi sunt. Diodorus Sic. lib.3. de Rebus antiq.

CYRVS rex Persarum incluso Crœso Sardibus, qua præruptus mons nullum aditum præstabat, ad mœnia malos exæquantes altitudinem iugi subrexit. Quibus simulachra hominum armata Persici habitus imposuerat, noctúque eos monti admouit. Tum prima luce ex altera parte muros aggressus est, vbi orto sole simulachra illa, armatorum referentia habitum, refulserunt. Oppidani captam vrbẽ à tergo credentes, & ob hoc in fugã dilapsi, victoriã hostib. concesserunt. Front. li.3. cap.8. & Polyęn. lib.7.

CROESVS Græcis auxiliis cunctantibus, robustissimos ac maximos Lydorum Græcanicis armis subornauit. Cyri milites insuetatam armaturæ Græcanicę speciem extimuerũt, atque etiam hastarum cum scutis collisarum fremitus terrorem Persis iniecit, & æneorum scutorum splendor Persicorum equorum aciem perstrinxit atque auertit. Itaque Cyrus superatus, trium dierum inducias cum Crœso fecit. Polyæn. lib.7.

DARIVS aduersus Scythas prælium committebat. Fortè accidit, vt lepus iuxta Scythicam phalangem decurreret. Scythæ leporem insequebantur. Darius verò: Operęprecium, inquit, est à Scythis fugere, quibus adeò cõtemptui ducimur, vt relictis Persis leporem persequantur. Et receptui signo dato, de discessu consilium cępit. Ibidem, & Iustinus.

XERXES circa Abydum cum nauibus in insidiis latebat Frumentarię naues Græcorum prænauigantes, capiuntur à Barbaris, quibus visum est submergere naues onerarias vnà cum ipsis hominibus. Xerxes contrà quęrebat, quò cursum tenerent. Quibus respondẽtibus, in Gręciã: Etiam nos, inquit, eò nauigabimus. Itaque frumentum quod Gręcis aduehitur, nostrum est. Abite igitur. Qui euaserant, Gręcis hanc rem nunciantes, non exiguum eis stuporem iniecerunt. Ibidem.

IDEM exploratoribus Gręcis in exercitu deprehensis, nequaquam homines supplicio affecit, verùm circumductos vniuersas copias lustrare iussit. Cùm inspexissent: Abite igitur, inquit, & Gręcis renunciante, quę me monstrante, conspexistis. Ibidem.

ORONTES cum decem millibus Gręcorum armatorum aduersus Autophradatem itidem decem millia armatorum habentem prelium commisit. Primùm Gręcis pręcepit, vt respicerent, & campi magnitudinẽ intuerentur: demõstrans, neminem ordine dissipato, equorum impetum posse effugere. Qui cùm in acie condensato agmine starent, equitibus phalangem perstringere non valentibus, ob eámque causam auersis, Orontes Gręcos iussit, si rursus impressionem facere conarentur equites, tribus passibus pro se progrederentur. Quibus progredientibus, equites arbitrati ipsos irruptionem facere, declinantes fugam capesserunt. Ibidẽ.

Cambyses Pelusium oppugnabat. Ægyptij fortiter resistentes, aditum Ægypti clauserunt, multásque machinas immiserunt, catapultis acuta tela mittentes, saxa atque ignem. Cambyses, quotquot animalia Ægyptij deorum honore colunt, canes, oues, feles, ibides ante suum exercitũ collocauit. Ægyptij iaculari destiterunt, metuentes, ne sacrum aliquod animal læderent. Ad hunc modum Cambyses Pelusio capto, in Ægyptum peruenit. Ibidem.

Barchinus ANNIBAL, fractis Carthaginensium opibus, patria pulsus, ad Antiochum Syrię regem profectus est: cui naualem aduersus Romanos victoriam noua arte comparauit. Romanam classem vi serpentũ ingenti adortus, quos figulinis inclusos doliis medio certamine in aduersum hostem ex improuiso effudit. Quo metu subita trepidatio extitit: ex trepidatione pugnę obliuio, ex obliuione turpis fuga orta est. Sab. lib. 6. cap.6. Front. lib.4. cap.7. & Fulg. lib.7. cap.4.

MAGO, cùm Locri obsiderentur à Crispino, classis Romanę præfecto, diffudit ad Romana castra rumorem, Hannibalem cęso Marcello liberandos obsidione Locros venire: clàm deinde equites emissos iussit à montibus, qui in conspectu erant, se ostendere. Quo facto effecit, vt Crispinus Hannibalem adesse ratus, conscenderet naues, ac fugeret. Frontin. lib.4. cap.7.

SYRI, in primo congressu immodicis vocibus exultantes, cursu quàm citatissimo acies subeunt, & in hostes irruunt, & ita vano metu perturbari

hostem putant.Alex.ab Alex.libro quarto, capite septimo.

ÆTHIOPES, cùm cecinit classicum, clamoribus dissonis tumultuãtur,& sui moris tripudiis exultant.Ibidem.

VBII & Treuiri virorum cantu & fœminarum vlulatu, terrorem faciunt,& voce obtundunt.

AMERONES non cursu furioso, sed incessu tardo arma pulsantes, rhythmis cum gressu & pulsu armorum consonãtibus, suum nomen exprimentes,in hostes irruunt.

GALLI & Germani,si quando cum hoste congredi parant,dissono & truci cantu,quem Barritum vocant, cũ vlulatu & tripudiis scuta quatiãtes, prælia ineunt: ex quo futuræ pugnæ fortunam augurabantur, aut partio morem nudis corporibus,horrendóque vocis sono.Ibidem.

BRITANNORVM consuetudo vsque ad Seueri imperatoris tempora, & fortasse vltrà etiam(quanquam id non legatur)perduravit. Vt in prælio nudi proficiscerentur, arcu tantùm aut scuto lanceáque armati: herba glasto ora corpúsque infecti, vt hostibus trucior eorum esset aspectus. Fulg.lib.2.cap.1.

RICIVS impiger dux,cum in agro Sorano,vicóque Albo arcẽ natura & manu munitam obsedisset,magnamvim lapidũ sub ipsius arcis rupem noctu à militibus comportandam curauit.Interdiu interstrepi festinariq; iussit, æquè ac magna manus effodiendo cuniculo occupata esset, idem insequente etiam nocte faciendũ curauit.Vbi verò dies alter illuxit,magnis sublatis clamoribus, omnem lapidum vim præcipitari per rupẽ imperauit:& sic incussa formidine aduersariis arcem occupauit. Pontanus lib.1.cap 10.de bellica Fortitudine.

PHILIPPVS Gallorum rex cognomento Pulcher,cùm grauem cladem illatam à Belgarum parte illa,quæ nunc sub Flamingorum nomine censetur,quo tempore ab eo rebellauerant,vlcisci decreuisset:ingentẽ exercitũ coegerat,iámque rebellibus populis appropinquauerat, Vitriacum oppidum obsidentibus, minimèque incerta de eo hoste victoria fore videbatur,cùm Eduardus Britannicus rex,cui ea res permolesta erat, veluti Themistocles,Xerxem,verbis inde Philippum pellere cogitauit:idque,vt cogitarat,ei successit.Nam cum vxore colloquutus, quæ Philippi soror erat,graui se molestia affectũ ostendit,ob ea mala, quæ scire se Philippo imminere dicebat. Quare diu à coniuge rogatus, vt detegere vellet rem,dixit,Gallos principes multos coniurasse,cùm Philippus prælium aduersus rebelles inire cœpisset, cum deserere. Philippus à sorore monitus,cùm veram esse eam rem arbitraretur, in cassum, facta ingenti impensa,desudatisque magnis laboribus,vt Eduardus cupiebat, certò in fines suos redijt. Fulg.lib.7.cap.4.

CAROLVS primus Neapolitanorum rex,asturẽ Matronium arcẽ munitissimam Pilanis ademit,ac Florẽtino populo tradidit.Nam cum impeditissimis paludibus circũsepta,adiri non posset,finxit se, per cuniculos, quos effodere cœperat,ad arcis muros penetrare velle. Et vt rei fidẽ faceret,à locis quæ effodiebat rudera, tanquam diruti muri, aliundeillue aducta, vt deductæ ex cuniculis materiæ speciem præberẽt: in tumulo, vt spectari à longè possent,collocabat. Ea re, qui in arcis præsidio erant rudes homines,nihil arbitrati,quòd paludibus ad arcem appropinquare Carolus prohiberetur,ceu iam eò penetrasset,attoniti,quibusvoluit Carolus conditionibus,deditionem fecerunt.Fulg.lib.7.cap.4.

TAMBERLANES, Scytharum Imperator sæuissimus, cum vrbes obsideret,prima die tentorio albo vrebatur,secunda rubeo, tertia nigrore:hac ratione ad deditionem hostes cõpelleret.quòd si prima die se dederent, clementem habituri essent hostem: si ad secundam vsque pertinaces resisterent,sanguine suo pœnas daturi essent: si ad tertiam quoque perdurarent,vltimo excidio omnia fumo ac igni vastaturus esset.

VT EXERCITVS NOSTER MAIOR ESSE VIDEATVR, *& potentior, quàm reuera sit. Maiores copias simulare.*

IPHICRATES, si plures hostibus milites haberet, & hoc ab hostibus ignorari vellet, vt eos paucitatem contemnentes ac nihili prudentes caperet,vnum lectum duos milites iussit facere, & in eo vicibus requiescere,atque arma altera alteris imponere. Sin paucos haberet, ne contemnerentur,vnũ militem duo strata iussit facere,atque statim in alium locũ traduxit.Hostibus verò strata videntibus, & multitudinem admirantibus,tum demum prælium committebat.Polyæn.lib.3.

ALCIBIADES nauali prælio decertaturus, constituit malos quosdam in promontorio,præceptúque his quos ibi reliquebat,vt cùm prælium cõmissum sensissent,panderent vela. Quo facto consequutus est, vt hostes aliam classem in auxilium superuenire ei arbitrati,verterentur.Front.libro 2.cap.5.

AGESILAVS per Macedoniã iter faciens, misit ad Æropũ Macedonum regem legatos de transitu ac fœdere faciendo. Æropus fœdus non accepit,inquiés,se obuiã iturũ.Cùm audisset paucos equites esse Laconi, suũ equitatũ instruxit: & vt plures quàm reuera essent, equites habere videretur, copias pedestres in prima acie collocauit, in posteriori equites, quotquot habebat in duplicem phalangem distribuens: addidítque asinos multos,& ex equis quotquot propter senectutem onera ferentes seruarentur.His insidentes viri equestribus armis præditi, cõspectum præbuerunt magni equitatus. Æropus igitur perterritus de transitu, fœdus admittebat.Polyæn.lib.2.

TYNNICHVS,cùm Theudosia Ponti ciuitas à vicinis tyrãnis oppugnaretur,& ne caperetur, periculũ esset, oppugnationes discit, veniens ab Heraclea cũ naui turbinata,& vna triremi.Nam assumptis tot militibus, quot quidem poterat, & tribus tubicinibus scaphisque ex vno ligno cõstantibus quarũ singulæ virũ vnũ capere possent,per noctẽ adnauigãs,eũ ad ciuitatẽ appropinquasset, eximens scaphas,attribuit singulis buccinatorẽ vnũ, dato præcepto, vt mediocri interuallo à se mutuò distãtes, postquã è triremi,nauigq; turbinata signũ dedisset, excipiẽtes ipsi, vicissim signũ canerẽt interuallis tẽporum,ne vnius tubæ duntaxat sonus audiretur,sed plurium. Illi cecinerunt, tubarúmque fremitu vniuersum vrbi circumdatum aerem impleuerunt.Qui oppugnabãt, maiorem aliquam classem adnauigare arbitrati nullo ordine relictis excubiis, se fugæ tradiderunt.Tynnichus autem adductis nauibus, vrbem oppugnatione liberauit.Polyæn.lib.5.

MNASIPPIDAS exiguam multitudinem ducebat. Cùm autem hostes noctu impetum facerent,iussit leuis armaturæ milites,& tibicines in tenebris circumire,& à tergo impertentium classicũ canere, ac iacula mittere.Illi igitur,tanquam inclusi à magna multitudine, confestim discesserunt.Polyæn.lib.2.

DIONYSIVS pactus cum iis qui Naxum prodere instituerant,ipse quidem serò ad muros cum septem militibus accessit.Naxij intellecta proditione,in turres ascenderunt. Proditores è turribus Dionysium vocabant cum vniuersis copiis.Ille verò minabatur iis qui muros tuebantur, nisi traderent sibi ciuitatem,se omnes eos morte affecturum. Sub idem tempus iussũ Dionysij in portum Naxiorum appellebat Dionysiaca pentecontorus,quæ fistulantes tubicines & hortãtes hortatores duxit,quorum singuli triremem vnam appellabant.Naxij totidem triremes adnauigare putantes,quot hortatores videbant,metu perterriti,sponte Dionysio ciuitatem dedidẽre.Polyæn.lib.5.

ANTIPATER in Thessalia volens hostibus plurimorum equitum opinionem præbere, cõtractos multos asinos atque mulos turmatim instruxit,in eosq; viros imposuit equestri armatura præditos.Vnicuiq; vetrò turmæ primũ ordinem verorum equitum addidit.Eos hostes conspicati,& sequentes etiam equites esse suspicati, metu perculsi,se fugæ mãdauerunt. Hoc stratagemate Agesilaus etiam vsus est aduersus Æreptum in Macedonia,& Eumenes aduersus Antigonum in Asia. Polyæn. libro quarto.

EVMENES in Persidis copias dimisit vicatim hybernantes. Antigonus hoc audito, viam ed eos cum infesto exercitu adsectabatur. Eumenes missis nunciis certiores ipsos fecit, præcepitque vt duces nocturno tẽpore cum suis pueris ignem in testis ferentes, sublimiora regionis loca, & à conspectu remota equis peragrarent ad septuaginta stadia:relictisque inter se viginti cubitorum spacio, plurimam materiam incenderẽt, ignésque facerent prima quidem vigilia largiores, secunda tenuiores, tertia prorsus exiles, sic vt imitatio veram castrametationem referret. Hæc cernentes Antigoni milites, omnes copias ab Eumene contractas in vnum locum arbitrabantur:neque ausi in eos impetum facere, aliam viam capesserunt,quæ ab hostibus tenebatur,Polyæn.lib.4.& Fulg.libro 4.cap.4.

PTOLEMÆVS aduersus Perdiccam exercitu prualẽtem ipse inualidus, omne pecudum genus,religatis ad tergum quæ traherent carpentis,agdum per paucos curauit equites: ipse prægressus cum copiis quas habebat,effecit,vt puluis quem pecora excitauerunt,speciem magni sequentis exercitus moueret, cuius expectatione territum vicit hostem. Front. lib.4.cap.7.& Polyæn.lib.4.

MINVTIVS Rufus imp.cũ à Sordiscis Dacisque premeretur,quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites vnà cum æneatoribus:præcepitque,vt,cum vidisset contractam prælium,subitus ex diuerso se ostenderet,iuberétque æneatores concinere.Sonantibus montium iugis,species ingentis multitudinis offusa est hostibus:qua perterriti,dedere terga.Front.lib.2.cap.4.

MARCELLVS, cum vereretur ne paucitatem eius militum clamor detegeret,simul lixas calonésque,& omnis generis sequelas, conclamare iussit:atque ita hostem magni exercitus specie exterruit.Ibidem.

MARIVS circa aquas Sextias,cùm in animo haberet postera die depugnare aduersus Teutonos, Marcellũ cum parua manu equitum peditúmque noctu post terga hostium misit, & ad implendam multitudinis speciem,agasones lixásque armatos simul ire iussit: iumẽtorum magnam partem instructorum cum cõtunculis, vt per hoc facies equitatus obiiceretur:præcepitque,vt, cùm animaduertissent committi prælium, ipsi in terga hostium descenderent.Qui apparatus tantum terroris intulit,vt asperrimi hostes in fugam versi sint.Ibidem.

CÆSAR Alæsiam vrbem Galliæ oppugnabat. Gallorum ad eos congregabantur ducenta quinque millia. Ille per noctem armatos ter mille,omnésque equites separans,ab obliqua parte vtrinque iussit reuertẽtes postero die circiter horam secundam à tergo hostium se ostendere, & fortunam tentare.Ipse sub primam lucem exercitum ad pugnam eduxit:quos Barbari,multitudine freti,cum risu excipiebant.Verum carteris à tergo apparentibus,& clamorem tollentibus,atque includentibus, desperata fuga in maximum terrorem ac perturbationem inciderunt,& eo tempore maximam stragem Gallorum editam esse dicunt. Polyænus lib.8.

IDEM Pyrrhachium occupatũ à Pompeio capere volens,paucos ipse quidẽ equites habebat. At illi magna equitum multitudine abundabãt. Veruntamen multitudinem illam, vsus arte,in fugam vertit. Paucis enim equitibus cum incitatis equis impetum facere iussit, ante illos tres manipulos peditum constituit:præcipiens vt nihil aliud facerent, quàm pedibus excitarent puluerem, quantum maximum possent. Magna nebula sublata, ingentis equitum multitudinis opinionem hostibus fecit: itáque subitò perterriti,fugam petebant.Ibidem.

AVTOPRADATES mercenarios ad pugnam volens educere, submisit qui rumorem sererent,eum habendi numeri causa expeditionem facere,ne præsentes aut armatos vllos iusto stipendio priuaret. Milites summa alacritate omnes apratis armis progrediebantur. Tum ipsa res declarauit,non esse numerum, sed apparatum belli multitudine hostes terrentem.Polyæn.lib.7.

CANIS Scaliger,qui Veronæ atque Tarui si principatum obtinebat, cùm discubiturus esset,arroci nuncio perculsus,Patauinos magno exercitu in prima Taruisinorum tecta ingressos esse,magnóque in discrimine vrbem illam versari:ea re minimè territus,statim occurrendi periculo salutare consilium cæpit,abiecta prandij cura,vestem mutauit, atque in rusticanum iumentum conscendit,vnóque solo ac fideli comite, magna celeritate Taruisium peruenit.Illic arma induit, atque in bellatore equo antè se hostibus ostendit,quàm venturum eum suspicarentur: fretus id fore, quod accidit, vt hostes ipso conspecto veniße maiorem numerum aut proditionem duplici fraude molitam arbitrarentur. Itaque territi, erepta victoriæ spe,cuius se iam compotes putabãt, præterea nouo homine,terrore perturbatis ordinibus, cùm in eos Canis inuehereturfusi sunt,eorúmque duces à Cane capti.Fulg.lib.7.cap.4.

FRANCISCVS SFORTIA in Piceno mira calliditate effecit, vt numero longè inferior ab hoste victoriam referret. Nam cum manum cum Fracisco Nicolai Picinini filio cõsereret,atque omnibus suis equitum turmis in prælium missis,Picinino adhuc aliquot superessent: veritus,ne si Franciscus nosset,ei amplius nihil esse militum in subsidiis relictum,his turris quas seruauerat,auctis suorum,qui decertabant,viribus, Sfortianos ita premeret,vt terga dare cogerentur:nouo astu occurrendũ duxit.Coegit enim omnes militares pueros, calonésque ac lixas, & in perrara sylua ita condidit,vt inspici quidem, sed non ex toto discerni possent:atque in eorum fronte illos,quibus Galaæ essent,statuit,vt speciem magni equitatus præberent. Quare cum ob eam rem Picininus, quantum poterat,non contereretur,& ipsas turmas,quæ prælium nondum iniuerant, veluti in subsidiis retineret, illa sola re,qui alioquin victor erat,in eo prælio superatus ac captus fuit.Ibid. & Egnatius lib.7. cap.4.

LADISLAVS rex Poloniæ,Cracouiam oppidum obsessum ad deditionem compulit opinione castrensis copiæ,stratagema deceptũ, quum montes farina integi mandauisset.Rauis.

AVXILIA NOVA ADVENTANTIA *simulare.*

AGIS Peloponnesiis aduersus Lacedæmonios bellum gerentibus, in Lemno,consilium dedit,vt vnam diem iumenta sine pascuis essent.Metum autem hostibus inferre volens,transfugas misit,qui nunciarent,magnum auxilium Laconibus proxima nocte venturum, iumentorum ora per integrum diem ligauit.Impetente verò nocte,vincula soluit.Itaque iumenta fame confecta,& vinculis soluta, cùm nacta fuissent herbas & pascua,exilierunt & infremuerunt, magnúmque strepitum mouerunt, atque simul clamorem exceptum valles referebant. Milites autem iussit, alium alibi dispersos, duplices aut triplices ignes facere. Peloponnesij multitudine clamoris, & strepitus magnitudine decepti, quasi magnis copiis ad opem contra se ferendam aduenientibus, repente fugam capesserunt.Polyæn.lib.1.

ANTIGONVS cum pauciorib militibus castrametabatur aduersus hostes,qui Eumenem sequebantur. Cùm autem continuis legationibus inter se vterentur,imperauit,si legatus veniret, militem quendam procurrere anhelantem,puluere respersum, atque nunciare : Socij præsidũ sunt.Antigonus hac audita voce lætabundus exiliit, dimisitque legatis, postero die longitudinem aciei duplicatam extendit, & è vallo deduxit. Hostes de aduentu sociorum à legatis certiores facti, cum phalangis extensam longitudinem conspicerent, quoniam ipsi profunditatem non ita magnam habebant,manus conserere timuerunt,fugámque capessentes discesserunt Polyæn.lib.4.

PYRRHVS à Romanis prælio superatus,amissis elephantis,ad Antigonum petendi auxilij causa legationem misit. Cúmque non impetrasset,præcepit legatis,vt omnibus contraria nunciarent,Antigonum se cũ magnis copiis auxilio venturum promisisse. Itaque Tarentini, omnésque Siculi & Itali,qui deserere Pyrrhum volebant,remanserunt spe Antigonisocietatis.Pyrrhus in Peloponnesum expeditione suscepta, Spartiatis omnibus per Arcadiam legatos de pace mittentibus perhumaniter eos recepit,suósque filios ad Spartiatas missiurum pollicebatur, vt Licurgeis disciplinis imbuerentur.Hæc legatis Spartam renunciantibus, Pyrrhus cum exercitu infesto accessit.Incusantibus Spartanis eum alia quàm pridixerat,facere,ridens ait:Neque enim vos consueuistis prædicere, si cui bellum vultis inferre.Itaque ne malè vos habeat,si contra Lacones vsus fuerit Laconico stratagemate.Polyæn.lib.6.

CYRVS superatus à Medis,confugit ad Pasargadas. Multis Persis ad hostes transeuntibus,inquit ad eos: Crastino die nobis auxilio venient centum millia,ab hostibus Medorum.Vos igitur ad socios excipiendos singuli fascem lignorum ferte.Quibus ferentibus,transfugæ Medis hæc enunciauerunt.Cum nox appetisset,Cyrus imperat, vt quilibet suum fascem incendat.Medi flammam lucentem conspicati, putantes hostium copias aduentare,se in fugam coniecerunt.Polyæn.lib.7.

PAPYRIVS cursor,filius consulis,cùm æquo marte aduersus obstinatos Samnites concurreret, ignorantibus suis præcepit Spurtio Naucio,vt pauci calones & agasones mulis insidentes,ramósque per terram trahentes à colle transuerso magno tumultu decurrerent. Quibus prospectis,proclamauit victorem adesse collegam, vt occuparent ipsi præsentis prælij gloriam.Quo facto,& Romani fiducia concitati,propulêre: propulli terga verterunt.Frontinus.

C.SVLPITIVS Perreius Cos.contra Gallos dimicaturus, iussit muliones clàm in montes proximos cum mulis abire:& inde conserto iam prælio,velut equis insidentibus ostentare se pugnantibus. Quare Galli existimantes aduentare auxilia Romanis, cessêre, iam penè victores. Front.lib.2.cap.4.

ORONTES magno sociorum numero amisso, quos Autophradates insidiis peremerat,subornauit aliquos qui rumorem spargerẽt,ac nunciarent,mercenarios in propinquo esse: sic vt etiam is fermo ad Autophradatem perferretur.Nocte verò valentissimos Barbarorum armauit Græcanicis armis,eósque prima luce cum reliquis Græcis in acie collocauit,adhibitis interpretibus, qui vtranque linguam callerent, vt hi ea quæ præcepta Græcis essent,Barbaris enunciarent.Autophradates arma Græcanica conspicatus, existimans mercenarios venire, de quibus audierat,congredi non ausus,allumptis copiis se fugæ mandauit. Polyænus lib.7.

SCYTHÆ cum Tribolis pugnam inituri, præceperunt agricolis & equorum pastoribus,vt cùm sensissent ipsos cum hostibus manus conserre,procul sese ostendentes,equorum greges agerent.Quibus apparentibus,Triboli magnam multitu linem hominum & equorum à longinquo conspicati, cùm puluis excitaretur,& clamor tolleretur,arbitrati Scythas superiores auxilio eis venire,metu perterriti,se in fugam coniecerunt.Ibidem.

ATHEAS rex Scytharum, cùm aduersus ampliorem Triballorum exercitum confligeret,iussit à fœminis & pueris, omnique imbelli turba,greges asinorum ac boum ad postremam hostium aciem admoueri, & erectas hastas præferre:famam deinde diffudit,tanquam auxilia sibi ab vlterioribus Scythis aduentarent. Qua asseuerationeauertit hostem. Front.lib.2.cap.4.

M. CATO, cùm Ambraciam eo tempore,quo sociæ naues ab Ætolis oppugnabantur, imprudens vno lembo appulisset, quanquam nihil secum præsidij haberet, cœpit signum voce gestúque dare,quo videretur subsequẽtes suorum naues vocare:eáque asseuerationehostem terruit, tanquam planè appropinquarent,qui quasi è proximo citabantur.Ætolinec aduentu Romanæ classis opprimerentur,reliquerunt oppugnationem.Front.lib.2.cap.7.

EX HOSTIBVS SOCIOS ET AMICOS FACERE.

GABAONITARVM legati ad Mosen missi, vt postulata commodius impetrarent,quo omnium Chananæorum soli ex hostibus socij fierent,ceu magnis itineribus cõfecti eò venissent,calceorum attritu aliisque laboriosæ peregrinationis argumentis facilè Iudæis persuasere, nihil sibi rei esse cum Chananæis,quibus Moses hostiliter imminebat:étque pax & societas his data.Sed ea res postea ipsi genti fraudi fuit, sanctque pro sociis lixæ & calones facti.Sab.lib.6.cap.6.

IPHICRATES Lacedæmonios & Thebanos bellum inter se mutuò gerentes,in gratiam reducere conabatur. Argiuis & Arcadibus sociis Thebanorum resistentibus,mandauit quibusdam militibus, vt Argolidem deprædarentur.Argiuis accusantibus, profugos ipsorum aiebat autores esse.Procedens etiam quasi transfugis occisis,prædam Argiuis reddidit.Quam cùm recepissent, ad Iphricratem , tanquam benefactorem & amicum confugerunt,& Thebanis vt pacem cuperent,persuaserunt. Polyænus libro tertio.

CASSANDER eodem tempore Salaminem oppugnabat, & cum Atheniensibus nauali prælio confligebat.Parta victoria,omnes,quotquot cũ Atheniensibus vicerat, ad Salaminios sine redemptoriis præciis misit. Qua re audita,qui Salaminem habitabant,freti humanitate Cassandri,se ei dediderunt.Polyæn.lib.4.

ALEXANDER Calthæos Indiæ populum ex desperatione pugnantem ad puberem vsque ætatem occidit,vrbémque eorum Salgalatã munitissimam solo æquauit. Fama peruenit ad Indos mala, Alexandrum latronum ac Barbarorum more belligerare. Qui mutare opinionem de se conceptam volens,aliam vrbem Indiæ cepit,obsidésque accepit.Vnde cùm ad Pœram venisset,vrbẽ maximam ac populosam, obsides ante aciẽ collocauit senes,pueros,mulieres.Illi cùm suos cõterraneos & gentiles agnouissent,& Alexandri humanitatem ex effectis conspexissent,portas aperuerunt,& cum gentilibus eum receperunt.Ea fama statim discurrẽs, Indos persuasit,vt sua sponte Alexandrum acciperent.Ibidem.

ALEXANDRVM Macedonem traditum est eximiæ pulchritudinis virgini captiuæ, cum finitimæ gentis principi fuisset desponsata, summa abstinentia ita pepercisse, vt illam ne aspexerit quidem. Qua mox ad sponsum remissa, vniuersæ gentis per hoc beneficium animos conciliauit. Front.lib.2.cap.11.

Lampsacenæ vrbis salus vnius vaframenti beneficio constitit. Nam cũ ad excidium eius summo studio Alexander ferretur, progressúmque extra mœnia ANAXIMENEM Lampsacenum præceptorem suum vidisset, quia manifestum erat futurum, vt preces suas iræ eius opponeret, nõ facturum se quod petisset, iurauit. Tunc Anaximenes: Peto (inquit) vt Lampsacum diruas. Hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum, exitio, cui destinatum erat, subtraxit. Val.Max.lib.7.cap.3.

MEGACLES Messenius, eius Messenæ quæ in Sicilia est, Agathocli Syracusiorum tyranno rebus omnibus aduersabatur, multósque Sicilienses contra eum concitabat, iisque qui eum de medio sustulissent, amplissima munera promisit Agathocles irritatus, Messanam oppugnare parabat, missóque præcone, Megaclem à ciuibus exposcebat. Quem nisi accepisset, omnino se eos vrbe per vim capta in seruitutem redacturũ, interminabatur. Megacles mortem non perhorruit, sed vltrò se ad tradendum tyranno obtulit, si legatus mitteretur. Decernẽtibus hæc Messeniis, accedens in castra Agathoclis: Ego verò, inquit, & legatus ciuitatis nomine venio, & moriturus. Sed antè de legatione cũ amicis audias. Cùm Agathocles amicos conuocasset, in horum consessu Megacles patriæ iura percensens, ad extremum inquit: Si ad excindendas Syracusas expeditionem Messenij suscepissent, verum pro Syracusiis, an pro Messeniis omnia faceres? Cùm ad hãc interrogationem subrideret Agathocles, amici qui prædò erant eum hortabantur, legato verba facienti parceret. Ille deposito bello, Megaclem saluum & incolumem domum remisit, amicitiámque cum Messeniis fecit. Polyæn.lib.5.

ANTIGONVS circa Gabienam prælium cum Eumene committebat. Erat campus tenui terra atque arenosa. In eo congredientibus maximis copiis excitatur nubilus puluis, qui tenebras offundebat & amicis & hostibus. Prælium erat in manibus. Antigonus verò cum intelligeret Eumeniorum militum impedimenta remansisse in quibus vxores erant & liberi, ac pellices & serui, & aurum & argentum, alia denique omnia quæ ab Alexandri exercitu comparassent, delectas turmas iussit impedimenta circumuenta in sua castra compellere. Qui hostibus circa pugnam occupatis, circumequitarunt, & puluere caligine in obducente adduxerunt. Postquam verò desiit pugna, quinque millia ceciderant ab Antigoni partibus: ab Eumenis solùm trecenti. Quamobrem hi magnos spiritus gerentes ob victoriam discesserunt. Postquam verò abrepta viderunt impedimenta, suósque amissos, in mœrore luctúque esse cœperunt hi penes quos victoriæ palma steterat: adeò vt plerique suorum amore compulsi, legationem ad Antigonum mitterẽt, petentes ab eo, vt se in suorum militum numeram reciperet. Antigonus abreptis impedimentis Eumeniorum militum, cùm molestissimè eos ferre suorũ amissionem cerneret promulgauit se gratis redditurum ea quæ rapuisset. Qui ad hanc promulgationem cõtinuò transierunt, non solum Macedones, verumetiam Persarum decem millia, quibus præerat Peucestes. Nam is cùm videret Macedones ad Antigoni partes desciscere, ad hos deflexit. Postremò tanta mutatio sententiarum & fortunę facta est, vt Argyraspides comprehensum Eumenem, ac vinctum traderent. Antigonus verò totius Asiæ rex proclamatus est. Polyæn.lib.4.

CAMILLVS cum Faleriis, siue Phaliscis bellum gerebat. Qui Faleriorum pueros instituebat, eductos eos extra vrbem, quasi exercitandi causa Romanis tradidit. Camillus ludimagistri proditionem sceleratam iudicans, manus eius in tergum religari iussit, puerósque hortabatur, vt proditorem ad suos parentes deducerent. Falerij ludimagistrum quidẽ verberibus confectum necarunt. Camilli verò pietatem & iustitiam admirati seipsos ei absque prælio tradiderunt. Ita Camillus eos qui diuturna oppugnatione capi non poterant, pio quodam stratagemate subegit. Polyæn.lib.8.

SCIPIO Africanus, cum subegisset in Iberia vrbem Phœniciam, & captiuorum ductores virginem insigni formæ elegantia præditam adducerent, patrem requisiuit, eique filiam donauit. Qui cùm adferret munera, etiam hæc simul largitus est: Dotem, inquiens, se hæc puellæ dare. Quotquot autem etiam aliæ vel vxores hominum summo loco natorũ, vel filiæ, vel pueri ætate florentes caperentur, his duos Romanorũ moderatissimos attribuit ex senibus, qui curam eorum gererent, & sumptũ captiuis pro dignitate suppeditarent. Scipionis continentia multas vrbes Ibericas ad amicitiam & societatem Romanorum volentes perduxit. Ibidem. & Front.lib.2.cap.11.

AMILCAR, Carthaginensium excellentissimus, Libycarum copiarũ ductor multis bellis fœliciter confectis, in inuidiam vocatus, & ab aduersarum partium factione in crimen affectatæ tyrannidis adductus, cũ ipse morte mulctabatur, tum eius frater Giscon in exilium actus solum vertit. Eorum verò bona publicata inter se ciues partiebãtur. His ita gestis, Carthaginenses aliis ducibus vsi, cùm plerunque turpiter superarentur, & in extremum seruitutis periculum venissent, pœnitudine ducebãtur ob Gisconis exilium & necem Amilcaris. Sed Amilcarem morte affectum, non erat ab inferis excitare. Gisconem autem ab exilio reuocarunt, eique summam belli commiserunt, eorúmque inimicos ad supplicium tradiderunt, quocunque modo eos punire illi collibitum esset. Giscon vinculis affectos iussit in conspectu populi in ventrem humi procumbere, atque ter incitato pede singulorum colla conculcauit, inquiens, se satis magnas pœnas fraternæ cædis ab iis repetiuisse. His factis, inimicos dimisit, inquiens: Non malo malum vltus sum, sed bonũ pro malo rependi. Quo factum est, vt cùm ipsi inimici, tum horum etiam familiares, atque omnes Carthaginẽses perpetuò obedientiam Gisconi præstiterint, tanquam viro militari ac duci. Itaúmque commutatio victoriarum in bellis consecuta est, superante in prælis Giscone, propter subditorum erga se beneuolentiam ac promptitudinem. Polyęn lib.5.

MVTIVS, cui postea Scæuolæ inditum fuit cognomen, quasi relaturus Porsennę regi gratiam, quòd humanius ab illo tractaretur, quódque inuentus etiam apud hostes virtuti esset honos: Quod, inquit, ó rex nullo expugnatus supplicio tibi nũquam indicassem, id nunc sponte indicaturus sum, ne non aliqua saltem parte referendæ gratiæ memor tibi, ac gratus videar. Neque enim fortunæ ipsi succensurus sum, quippe quæ id præstiterit, vti meo ex errore vir maximè probus seruaretur, dignúsque qui amicus populi Romani habeatur, potius quàm hostis. Trecenti vnà iuuenes coniurauimus, quibus idem est consilium te interficiendi. Sors mihi patrandi negocij prima contigit, cæteri suo quisque tempore rem aggressuri sunt. His dictis Hetruscus rex territus pacem cum Romanis fecit. Pont.lib.5.cap.1.de Prudentia.

L. ANTONIVS, Marci Antonij triumuiri frater, circumsessus Perusij ab Octauio, frustráque non semel tentata eruptione, cùm fame iam cõficeretur exercitus, communicato prius consilio cum primoribus, nulla impetrata fide publica ad Octauium decreuit cum paucis admodum proficisci. Quem proficiscentem cùm intueretur Octauius, & ipse obuiam profectus est venienti. Ibi Antonius omnem in se conuertens culpam, nihil pro se omnino deprecatus est. verùm tantum pro exercitu, vt & pœnam à militibus auerterit, impetrata venia, & ipse amicè acceptus ab Octauio fuerit. Sic non tantum exercitum, cui in primis consultum volebat, verumetiam seipsum à cæde & supplicio liberauit, inuẽta apud victorem arte hac, conciliandi animi, veniæque impetrandæ Ibidem.

CÆSAR in Iberia ad Ilerdam agebat. Factis induciis, hostes ex improuiso multos milites adorti prostrauerunt. Ipse verò quos illorum in suis castris inuenerat, saluos dimisit, magnúmque fauorem hoc facto apud milites consecutus est. Polyæn.lib.8.

IDEM Pompeio bellũ denuncianre, contrà denunciauit, eos qui neutros sequerentur, se amicorum numero habiturum: & his qui sibi auxilium ferrent, periculum propulsaturum. Ibidem.

TVSCVLANI, cùm crebris rebellationibus meruissent, vt eorum vrbem funditùs Romani euertere vellent: atque ad id exequendum Furius Camillus, maximus dux, validissimo instructus exercitu venisset, vniuersi ei togati obuiam processerunt, commeatúsque, & cætera pacis munia benignissimè præstiterunt: armatum eum intrare mœnia passi sua, nec vultu, nec habitu mutato. Qua constantia tranquillitatis non solùm ad amicitiæ nostræ ius, sed etiam ad communionẽ ciuitatis vsque penetrauerunt. Sagaci Hercule vsi simplicitate, quoniam apertius esse intellexerant metum officiis dissimulare, quàm armis protegere. Val.li.7.cap.3.

HERODES profligato Antonio, rebúsque eis accisis, Rhodum ad Octauium profectus, dum apertissimè se Antonij debitorem fatetur, ob beneficiorum illius multitudinem in se ac magnitudinem dum præsidia aduersus eum Antonio misisse, dum consilia sua, dum Cleopatræ crudeles animos, nefariásque cogitationes refert, nec etiam sibi defuturum, suis si consiliis paruisset coram obtestatur, dum venire se tandem ad victorem prædicat, seséque illi dedit, operámque & fidem suam neque fluxam, neque ignauam futuram pollicetur. Non inuenit modò apud Augustum veniam, verumetiam virtuti suæ locum maximè illustrem. Quum de cætero ni fœdasset tot cædibus suorum, cognatorúmque, facilè Iudæorum inter principes & iure habitus, & meritò iudicatus primus esset. Iouianus Pont.lib.5.de Prudentia, cap.1.

GERMANICVS eo bello quo victis hostibus cognomen Germanici meruit, cùm in finibus Vbiorum castella poneret, pro fructibus eorũ locorum quæ vallo comprehendebat precium solui iussit: atque ea iustitiæ fama omnium fidem astrinxit. Front.lib 2.cap.11.

Auspiciis DOMITIANI Germanico bello, quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum opulentissima ciuitas, quæ ad Ciuilem desciuerat, cùm adueniente exercitu Cæsaris populationem timeret, quòd contra expectationem inuiolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta, septuaginta millia armatorum tradidit ei. Frontinus libro quarto capite tertio.

VAL. Diocletianus imperator, cùm bello vxorẽ filiásque Narsei Persarum regis cæpisset, magna earum pudicitiam diligentia incolumem seruauit. Ea autem continentia non minus magnum sibi apud hostes, quàm armis nomen peperit. Quæ res Persas mouit, vt quod antè de Rom.imperio occuparent, restituerent, atque in Romanis pluris virtutem, quàm arma facientes, ab eis pacem peterent. Ibidem.

FRANCISCVS Dandalus, legatus à Veneto senatu missus in Galliã, vt iratum infestúmque animum pontificis Clementis in Venetos propter ereptam Ferrariam molliret, quod à multis frustra tentatum antea fuerat: quum omnes artes aggressus esset, nihilque omnino profecisset, nouo consilio, & longè prudentissimo vsus, prandenti Pontifici quadrupedem sese obtulit, catena ferrea collo innexa. Quæ res Pontificis animum adeò commouit, vt statim illum re impetrata dimiserit, consiliúmque viri tam prudentis maximè laudarit. Quod factum Canis illi cognomentum, quum in patriam rediisset, re cognita indidit, vt meritò postea princeps sit creatus. Egnat.lib.7.cap.2.& lib.3.cap.3.& lib.6. cap. 2.& 4.

LAVRENTIVS Florentinorum Reipublicæ moderator, cùm à Xisto Romano pontifice, coniunctis cum Ferdinando Neapolitanorum rege copiis, graui bello premeretur, laboraretque ipse domi ciuium inuidia,

vereretúrque populi leuitatem, adhęc videret res suas in arctũ adductas: multa diu secum cumq; amicis agitans, cæpit tandem consilium, confugiendi ad Ferdinandũ. Itaq; ignorãte populo Pisas profectus, inde mari Neapolim ad regẽ nauigationis eius inscium profectus, ab eo amicè accipitur. Qui admiratus illius fiduciam, reputánsque quid se tali in facinore, quid regia item dignum fide esset, & pacem, quæ pòst sequuta est, procurauit, & incolumen Laurentium in patriam, ac voti compotem comiter remisit. Fidentissimum sanè facinus, quod ob fiduciam simul atque prudentiam bene vtilitérque, ac publicè priuatímque illi omni quidem è parte verterit. Pont.lib.5.de Prudentia cap.1.

Laurentius, Hungariæ Palatinus, cùm diceret imprudenter agere SIGISMVNDVM imperatorem, qui victis hostibus non solùm vitam & opes relinqueret, sed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque: Tibi, inquit Sigismundus, videtur vtile, inimicum occidere. neque enim mortuus bellum excitat: at ego inimicũ occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo. Ostendit autem, pulchrius esse, benefaciendo quàm potentia inimicos vincere. Æneas Syluius li.3. Commentariorum de reb. gest. Alphonsi.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm expugnatis vrbibus humaniter hostes omnes dimittendos mandasset, reprehensus à suis ducibus, qui omnes interficiendos putabant, respõdit: nihil magis aduersariorum animos flectere atque conciliare, quàm placabilitatis & mãsuetudinis nomen. Panor.lib.3.de rebus gestis Alphonsi.

GIAMALIS pirata Turca, hostium remiges spe libertatis proposita, ad suas partes pertrahit. Vide tit. Hostium vim sustinere.

SVSPECTOS SIBI INVICEM REDDERE HOSTES, VEL *omnes, vel saltem illos, qui nobis plurimùm obesse possunt.*

THEMISTOCLES, cùm Iones se Xerxi socios adiunxissent, iussit Gręcos in muris scribere: Viri Iones, iniquè facitis, qui contra parentes ac maiores vestros expeditionem suscipiatis. Hisce lectis, rex Ionas suspectos habere cœpit. Polyæn.lib.1.

AGESILAVS spectatos, & multorum amicitiis præditos captiuos, sine precio suis reddere solebat, vt ipsis fidem apud suos ciues derogaret. Polyęn.lib.2.

IDEM in legationibus petebat ab hostibus, vt maximè potentes ad se mitterent, cum quibus de communi vtilitate sermones conferret. Cum his plurimum habens consuetudinis, & communicans focum ac cineres, seditiones in vrbibus excitabat, propter vulgi suspiciones. Idem.

IDEM cùm Mendam, quę Atticorum partibus adhærebat, clàm noctu venisset, munitissima vrbis parte occupata, cùm Mendenses indignarentur, & in concionem summo studio conuenirent, astans: Quid, inquit tumultuamini? Dimidia enim pars vestrûm proditionis est particeps, qui mihi ciuitatem occupandam tradiderunt. Mendenses cùm se mutuò suspectos haberent, à tumultu destiterunt. Ibidem.

CLEANDRIDAS optimates Tegeatarum Laconicis partibus fauere suspectos, reddidit suspectiores. Nam illorum agris duntaxat non vastatis, reliquorum omnem terram perdidit. Tegeatæ igitur magna cum ira homines proditionis reos in iudicium pertraxerunt: qui cùm damnationẽ metuerent calculũ præuertentes, vrbem prodiderũt, falsam suspicionem veram efficere metu coacti. Polyæn.lib.2.

ALEXANDER, cùm Asiam transisset, Memnonem hostium ducem Persis suspectum fecit. Imperabat enim egredientibus ad prædandum Macedonibus, vt à Memnonis agris abstinerent. Polyæn.lib.4.

Archidamus Corinthum oppugnabat. Erat in vrbe seditio inter diuites & pauperes: quòd illi oligarchiam, hi proditionem moliri viderentur. His cognitis, Archidamus remisit aliquantum de vi ac vehementia oppugnationis: non machinas amplius admouit, nõ amplius fossas egit, non amplius terram vastabat. Diuites metuentes, ne pauperibus ciuitatẽ prodentibus gratificaretur, pręuertentes legationem miserunt, & vrbem Archidamo dediderunt, in posterum securitatis gratia fœdus cum eo facientes. Polyæn. lib.1.

DIONYSIVS legatos Syracusiorum, quos apud se tenebat, postridiè ciuibus remisit. Sequebantur autem eos mulieres, quæ ad Dionem & Megaclem literas habebãt, à sorore & vxore, atque etiam ad reliquos Syracusios, quorum vxores in oppugnatione tenebantur. His literis acceptis, in concione palàm recitari iusserunt. Reliquorum fœminæ maritos & cognatos orare, & obsecrare, ne se perire, aut in Dionysij potestatem venire paterentur. Vnà verò quædam epistola, exterius inscriptum habuit: Hipparion patri. Hoc autem nominis erat filio Dionis. Cùmque scriba legisset inscriptionem, ac literas aperiret, filius quidem nihil scripserat: sed Dionysius peramanter ac familiariter ad Dionem, magnísque pollicitationibus eum sollicitabat. His lectis, Dion in infamiam apud Syracusios & suspicionem venit, neque eius fides amplius momentum aliquod habuit: id quod efficere maximè in votis erat Dionysio. Poly.lib.5.

DION bellum gerens cum Messeniis, apud quos aliqui in proditionis suspicionem venerant, vt eis terrorem ac perturbationem iniiceret, cùm reliquorum omnium fundos depopularetur, ab eorum prædiis abstineri iussit, in quos calumnia & crimen conferebatur. Hoc etiam ab aliis ducibus memini factitatum. Dionysius verò præter hæc militem etiam in vrbem misit, qui auri talentum iis ad quos suspicio pertinebat, adferret. Hunc Messenij cum auro deprehenderunt: cúmque cognouissent quibus illud ferret, indicatos proditores supplicio afficiendos censuerunt: ij verò cum potestate erant, atque Dionysio vehementer resistebant. Itaque seditione concitata, factum est vt Dionysius Messana potiretur. Ibid.

IDEM Carthaginensium captiuos magna mercede redemptos reddidit, Græcos verò sine precio. Carthaginenses tyrannum adductum humanitate ac beneuolentia hoc facere arbitrati, mercenarios Græcos, quos habebant dimiserunt. Dionysio verò commodè hoc euenit, vt ab hostibus Græcis liberaretur. Ibidem.

HIERON bellum cum Italis gerens, si quos cæpisset, qui cognatione aut opibus florerent, non statim soluentibus reddidit: sed postquam multos dies apud se retinuisset, & larem honorésque primarios eis communicasset, tum acceptis redemptoriis muneribus, homines dimittebat. At illi in suspicionem apud suos ciues venerunt, quòd Hieronis amicitia vsi fuissent. Polyæn.lib.1.

Q. METELLVS, aduersus Iugurtham bellum gerens, missos ad se legatos eius corrupit, vt sibi proderent regem. Cùm etiam alij venissent, idem fecit. Eodem consilio vsus est & aduersus tertios. Sed de captiuitate Iugurthæ res parum processit (viuum enim tradi sibi volebat) plurimũ tamen consecutus est. Nam cùm interceptæ fuissent epistolæ eius ad regionis amicos scriptę, in omnes eos rex animaduertit: spoliatúsque consiliis, amicos postea parare non potuit. Front.lib.1.cap.8.

HANNIBAL Fabium, cui neque virtute neque artibus bellandi par erat, vt infamia distringeret, agris eius abstinuit, cæteros populatus. Contra ille, ne suspecta ciuibus fides esset, magnitudine animi effecit, publicatis possessionibus suis. Ibidem, & Valer.lib.7.cap.3.

Ad Antiochum Syriæ regem bello victus Hannibal confugerat, erátq; apud eum honorificentissimè particeps consiliorum omnium, quoniam Romana bella meditanti, nullus magis idoneus consultor occurrebat. Eò igitur, pendente belli apparatu, Romana legatio profecta est, in qua P. Villium fuisse traditur. Is periculosissimum ratus, si potentia regis consilio Hannibalis diutius fulta foret, pensata credulitate ac vanitate regia: & existimans, id quod erat, Hannibalem vt externum hominem, inter aulicos inuidiosum ac suspectum fore, ex eo gradu, quem apud regem obtinebat, improuisum deiicere adortus est, fecítque ex astu facili. Siquidem assiduè apud Hannibalem versatus, omne quamuis leuissimum verbum auribus eius insusurrans, frequenti nimiúmq; domestico colloquio, & æmulis criminãdi, & regi suspicandi præbuit materiã. Ita factum est, vt Hannibal è concilio eiiceretur. etsi postea in gratiam redierit, quia tamen id nimis serò accidit, & regi grauiorem casum, & Romanis faciliorem peperit victoriam, Petrarch. & Front. Ibidem.

SEDITIONEM INTER HOSTES EXCITARE.

ERYTION rex Lacedæmoniorum, videns bellum aduersus Arcadas susceptum protrahi ac duci, vt factionem in ipsis moueret, præconẽ misit qui nunciaret: Lacedæmonij à bello desistunt, si reos ac nocentes expuleritis. Eos autem esse, qui Æginam cæpissent. Qui rei de cæde, verẽtes, ne à populo ob pacis cupiditatem ad supplicium raperentur, cũ gladiis venientes, quotquot potuerunt, morte affecerunt. Multos etiam socios asciuerunt, promissa libertate. Qui verò pacem concupierant, ad pugnam instruebantur. At qui à populi partibus stabãt, victi ad partem quandam mœniorum confugiebant, & apertis portis Lacedæmonios accipiebant: qui per factionem Mantineam obtinuerunt, quam bello non potuerunt capere. Polyæn.lib.2.

CLEONYMVS Lacedæmoniorum rex, Trœzenem vrbem oppugnans, ad multas vrbis partes circumcirca expeditos iaculatores collocauit, & emittere iussit, iaculis inscribens: Venio, vt ciuitatem in libertatem asserã. Trœzenios etiam, quos captiuos habebat, sine redemptionis precio dimisit. Captiui in vrbem reuersi, faustum nuncium adferebant. Eudamidas verò dux summa diligentia custodiens ciuitatem, cum his qui nouas res agitarent, pugnabat. Cùm intus illi inter se dimicarent, Cleonymus appositis scalis, euertit ciuitatem, atque diripuit, & Spartiatam præfectum cum præsidio imposuit. Ibidem, & Front.lib.3.ca.6.

PHILIPPVS, cùm Thessaliam suæ ditionis facere cuperet, ipse quidem nullum apertè bellum Thessalis inferebat. Sed cùm Pellinenses cũ Pharsaliis bellum gererent, & Pherenses cum Larissæis, aliique alterutrorũ partibus adhærerent, semper auxilio veniebat iis qui eius opem implorarent. Victoriam verò nactus, excisionem aut vastitatem nullam victis inferebat, arma non eripiebat, muros non demoliri, factiones magis alere quàm dissoluere, imbecilliorum curam gerere, potentiores affligere, atque de medio tollere, populis amicus esse, tribunos plebis & oratores colere. His stratagematis Philippus Thessaliam subigebat, non armis. Polyæn.lib.4.

ARTAXERXES bellum inter Gręcos serens, victorum partes semper fouebat. Semper enim eam partem quæ deficeret, æqualem hostibus reddens, victoris robur ac vires atterebat. Polyęn.lib.7.

CORIOLANVS, cùm ignominiam damnationis suę bello vlciscere-

tur, populationem patriciorum agrorum inhibuit, deuictis vastatísque plebeiorum: vt discordiam moueret, qua cõsensus Romanorum distringeretur. Front.lib.1.cap.8.

Cùm PETRVM Fulgosum, Genuensium ducem, eodem tempore prẹmerent externæ vires Alphonsi regis (cui Aragoniæ, Siciliæ atque Neapolis regna parebant) & ciuium Genuensium pars aduersa, ac Flisca gẽs cum ea coniuncta: quæ quanquam animo discors, ea tamen in re aduersus Petrum conuenerat: apertè perspexit Petrus, fieri non posse, vt solus tantam hostium molem sustineret. Itaque quod aduersus eos armis assequi posse desperabat, militari astu atque calliditate agendum duxit. Arbitratus igitur hostes, dum extra vrbem manerent, concordes fore, eosdémque, vt deuictum esse Petrum inspexissent, quòd vnusquisque vrbi principatum uendicare sibi niteretur, arma in seipsos conuersuros esse (id quod postea experiendo verum esse cognouit) in Genuensi arce vxorem cum liberis recepit, fratrémque cum trecentis peditib. ac viginti equitibus præsidio reliquit. Ipse autem Genua apertis vrbis ipsius portis profectus est. Hostes, qui præ timore fuisse Petrum arbitrabantur, sibiipsis & pugnandi metum iam ademptum esse, sublato hoste, & confirmatam victoriam ducebãt. Itaque cùm omnes ad priuati commodi spẽ studia conuertissent, statim orta inter ipsos discordia, decertare armis inter se cœperunt. Dum igitur ex vno exercitu, iam in multas partes diuisi relicto primo hoste, hostes sibiipsis facti, inter se dimicarent, à suis certior factus Petrus, tertio die, posteaquam Genua abierat, ad vrbem regressus, ac suis qui in arce erant, coniunctis, hostes, qui circiter decem miliũ numerum excedere dicebantur, inuasit, atque haud magno tẽporis spacio omnes fudit deuicitque. Astu igitur cùm fugã simulauit, eos superauit, quibus stãdo lõgè impar viribus erat: atq; apertè docuit, gerẽdis bellis, non minus calliditate homines quàm armis iuuari. Fulg.li.7.ca.4.

AD PRODITIONEM ET DEFECTIONEM SOL-
licitare, atque elicere hostes.

PHILIPPVS oppido Samiorum exclusus, Apollonidi præfecto eorum, ad proditionem corrupto persuasit, vt plaustrum lapide quadrato oneratum, in ipso aditu portæ poneret: confestim deinde signo dato insequutus oppidanos, circa impedita portę claustra oppressit trepidãtes. Front.lib.3.cap.3.

LYSIMACHVS rex Macedonum, cùm Ephesios oppugnaret, & in auxilio haberent Mandronem archipiratam, qui plerunque oneratas præda naues Ephesum appellebat: corrupto ei ad proditionem, iunxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captiuis Ephesum introduceret. illi postea raptis ex arce armis vrbem Lysimacho tradiderunt. Ibidem.

CYRVS Sardibus potitus, cùm arcem Crœsus teneret, præstolans auxilium è Græcia, necessarios ac familiares eorum qui arcem cum Crœso obtinebant, vinculis affecit: & iis qui in oppugnatione erant, ostendit, pręcone iusso proclamare, si traderent arcem, se quoque familiares & cõsanguineos ipsis redditurum: si dedere nollent, se omnes suspendio necaturum. Illi vt domesticos incolumes seruarent, arcem tradiderunt, nequaquam secuti vanas Crœsi spes de Græcorum auxilio. Polyænus libro septimo.

IDEM hoc modo Persas adduxit, vt defectionem à Medis facerent. Ostendens eis locum incultum atque spinosum, eum iussit excolere & ædificare: qui summo labore eum excoluerunt. Postridie iussit lotos aduenire. Qui cum venissent, epulum eis lautissimum præbuit: & finito conuiuio rogauit eos, vtram diem meliorem existimarent? Illis affirmantibus, hodiernam tanto meliorem hesterno fuisse, quanto fœlicitas miseriis præstet. Habebitis igitur, inquit Cyrus, fœlicitatis commoda, si à Medorum seruitute discesseritis. Persæ re considerata deficiunt, Cyrúmque regem creant, quo duce tum ipsos Medos ad nihilum redegerunt, tum etiam reliquæ Asiæ imperium sibi comparauerunt. Ibidem.

ANTIOCHVS Antiochi filius oppugnabat Cypsela, Thraciam vrbem, multósque secum habebat Thraces nobili genere natos, quibus præerant Tiris & Dromichætis. Hos ornauit torquibus aureis, & armis argenteis, atque sic ad pugnam faciendam prodiit. Illi prospicientes è Cypselis propinquos & vernaculos suos multo auro argentóque exornatos, beatos eos ac fœlices prædicabant, qui sub Antiocho stipendia mererent: & abiectis armis, Antiocho se dediderunt, & pro hostibus socij facti sunt. Polyæn.lib.4.

SELEVCVS Sardensium arcem oppugnabat. In ea Theodotus præerat custos thesauris, quod officium ei à Lysimacho demãdatum fuerat. Cùm arcem ob firmitudinem ac munitionem capere non posset, proclamari iussit se centum talenta daturum ei qui Theodotum occidisset. Vnde factum est, vt ei milites multos centum talentorum cupiditas inuaderet, & Theodotus in magna suspicione erga milites ac metu versaretur. Hic igitur ne prodiit quidem in publicum, ob eam causam. Vulgus verò molestè ferebat, sibi fidem non haberi. In hac omnium perturbatione, Theodotus præuertens noctu portam aperuit, & introducto Seleuco, thesauros ei tradidit. Ibidem.

IDEM, cùm Demetrij milites admodum timidi essent ac trepidi, fortissimos ex satellitibus delegit, & elephantos octo in fronte præposuit, per angustum secessum ad latus hostium incedens, abiecta galea, magna voce exclamabat: Quousque tandem insanitis, prædonúmque dominum fame confectum sequimini? cùm apud regem diuitiis effluentẽ stipendia merere possitis, & regno non in spe posito, sed præsenti perfrui. His auditis, plerique hastas atque enses abiecerunt, complosísque manibus Seleuco accesserunt. Ibidem.

GELON Megaricum imperium tollere volens, colonos vocabat, qui vellent, ex Doriensibus. Diogneto verò Megarensium principi pecunias supra vires imperauit: ille ciuib. Qui tributum recusantes, in Syracusanã coloniam concesserunt, & se Gelonis imperio ac ditioni subiecerunt. Polyæn.lib 3.

PAPYRIVS Cursor Cos. apud Tarentum, Miloni, qui tum præsidio Epirotarum vrbem obtinebat, salutem ipsi & popularibus, si per illum oppido potiretur, pollicitus est. Quibus præmiis ille corruptus, persuasit Tarentinis vt se legatum ad consulem mitterent: à quo plena promissa ex pacto referens, in securitatem oppidanos resoluit: atque ita incustoditam vrbem Cursori tradidit. Front.lib.3.cap.3.

M. MARCELLVS, cùm Syracusanum quendam Sosistratum ad proditionem sollicitasset, ex eo cognouit remissiores custodias fore die festo, quo Ephicides præbiturus esset vini epularumque copiam. Insidiatus igitur hilaritati, & quæ eam sequebatur socordiæ, munimenta conscendit: vigilibúsque cæsis, aperuit exercitui Romano vrbem nobilibus victoriis claram. Ibidem.

HANNIBAL post prælium, quo ingentem cladem ad Thrasymenũ Romani acceperunt, cùm sex millia hostium, interposita pactione, in potestatem suam redegisset, socios Latini nominis benignè in ciuitates suas dimisit: dictitans, se Italiæ liberandæ causa bellum gerere. Eorúmque opera aliquot populos in deditionem accepit. Front.lib.4.cap.7.

Idem apud Tarentum, quæ à præsidio Romano duce Liuio tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem sollicitauerat, eiusmodi fallacia instruxit, vt ille per causam venandi noctu præcederet, quasi id per hostem interdiu non liceret. Egresso ipso apros subministrabant, quos ille tanquam ex captura Liuio offerret. Idque cum sæpius factum esset, & ideo minus obseruaretur, quadam nocte Hannibal venatorum habitu Pœnos comitibus eius immiscuit. Qui cùm onusti venatione quam ferebant recepti essent à custodibus, protinus eos adorti occiderunt. Tunc fracta porta admissus cum exercitu Hannibal, omnes Romanos interfecit, exceptis his qui in arcem perfugerant. Frõ. lib.3.cap.3.

COMMEATVM HOSTIBVS INTERCIPERE, COR-
rumpere. Ad inopiam redigere. Agros vastare. Fame & siti conficere.

Affecturus SAMSON Philistæos, quos infensè oderat, clade aliqua subita & inopinata, & quæ vniuersam gentem attingeret, essétque interim omnis alieni auxilij expers: rem commentus est specie ridiculam, sed euentu hosti calamitosam. Multas enim numero venatus vulpes, in Philistæorum agros maturescentibus iam segetibus immisit, igni ad caudam appenso. Quarum ancipiti fuga adeò flamma diffusa est, vt vniuersa hostium regio vno tempore cum segetibus deflagrarit. Sab. lib. 10. cap.6.

AMPHICTYONES in oppugnatione Cirræ abstrusum aquæ ductũ inuenerunt copioso latice fluentem, & de consilio Eurylochi magnam ellebori multitudinẽ ab Anticyro collectam aquę permiscuerunt. Cirrenses aquã bibẽntes, ventribus pernicie cõtracta, omnes dissoluti iacebãt. Amphictyones sine labore, prostratis hostibus, vrbem cæperunt. Poly.lib.4.

CLISTHENES Sicyonius ductum aquarum in oppidum Criseorum ferẽtem rupit. Mox affectis siti restituit aquam elleboro corruptam, qua vsos profluuio ventris decipiens cæpit. Front.lib.3.cap.7.

ALEXANDER oppugnaturus Leucadiã commeatibus abundantẽ, prius castella quæ in confinio erant, cæpit: omnésque ex his Leucadiam passus est confugere, vt alimẽta inter multos celerius absumerẽtur. Frõt. lib.3.cap.4.

DIONYSIVS multis vrbibus captis, cùm Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, simulauit pacem: petiítque ab eis, vt commeatus exercitui ipsius subministrarent. Quod cùm impetrasset, exhausto oppidanorum frumento, aggressus vrbem alimentis destitutam superauit. Ibidem.

IDEM & aduersus Himereos fecisse dicitur. Ibidem.

PHALARIS in eo bello, quo Sicanos Agrigentini oppugnabant, cùm eos excindere nulla ratione posset, multo frumento comportato, finem belli fecit: ad hęc frumentum quod in castris habebat, eis reliquit ea conditione, vt eius loco reciperet, quod pòst meteretur. Gratis animis receperunt Sicani. Phalaris effecit, vt qui frumento prẹerãt, pecuniis corrupti, tecta ædificiorum dissiparẽt, quo facilius frumentum computresceret. Quod verò metebatur, ipse ex pacto accepit. Itaque quum omnem à regione fructum dedissent Phalaridi, eum verò qui in vrbe tenebatur, corruptum inuenirẽt, necessitate compulsi, ob frumenti inopiam ei se dediderunt. Polyæn.lib.5. & Front.lib.3.cap.4.

ANTIGO-

ANTIGONVS vt Athenas caperet, sub finem autumni pacem cum eis pepigit. Athenienses frumentum hinc inde seminantes, nihil curauerunt abiturum, donec fruges vigere cœpissent. Cùm enim ad maturitatem iam fruges peruenissent, Antigonus cum exercitu impressionem in Atticam fecit. At illi cùm frumentum partim consumpsissent, partim auertere prohiberentur, Antigonum intra mœnia receperunt, omnibúsque eius mandatis morigeros sese præbuerunt. Polyæn.lib.4.

CNOPVS ex Codridarum genere oriundus, cum iis qui Erythram incolebant, cùm Ionica colonia in Asiam deduceretur, bellũ gerebat. Deus oraculo prodiderat, vt ducem itineris à Thessalis sumeret sacerdotem Hecates. Qui missa ad Thessalos legatione sententiam oraculi eis indicabant. Illi sacerdotem ei deæ miserunt Chrysamen. Ea cùm pharmacorum magnã peritiam haberet, taurum de grege sumptum, maximum & pulcherrimum, eius cornua inaurauit, & corpus ornauit sertis, auróque intertextis purpuris, atque cum pabulo furiosum pharmacum miscens, comedendum ei proposuit. Pharmacum hoc cùm ipsum taurum in furorem adegit, tum omnes qui eius carne vescerentur, in rabiem poterat conuertere. Hostes eregionè castra locabant. Illa in conspectu & oculis hostium extructa ara, omnibúsque rebus quæ ad sacrificium pertinerẽt, paratis, taurum iussit adducere. Ille propter pharmacum furens, & œstro percitus, exiliit, magnísque mugitibus editis, fugit. Hostes videntes inauratis cornibus, & coronatũ, ab hostium sacrificiis in sua castra ferri, quasi bonum signum ac faustum omen suscipiebant: comprehensúmque diis immolabant, ac de mortuo quilibet partem arripit, vt numinis & diuini sacrificij participes fierent. Continuóque vniuersus eorum exercitus furore & amentia corripiebatur. Omnes exiliebant, discurrebant, saltabãt, custodias relinquebant. Chrysame hæc conspicata, Cnopum summa celeritate iubet exercitum expedire, & cõtra hostes ducere, qui defendendi facultatem non haberẽt. Ita Cnopus omnibus interfectis, Erethriensium vrbe magna florentissimáque potitus est. Polyæn.lib.8.

CYRVS Babylonem oppugnabat. Babylonij cum frumentũ in multos annos haberent, oppugnationem deridebant. Cyrus Euphratem, qui per mediam vrbem fluebat, interceptum in vicinam paludem deduxit. Babylonij cum aquæ bibendæ copiam non haberent, contestim se Cyro dediderunt Polyænus lib 7.

Celtæ expeditionem aduersus Autariatas susceperunt. Cùm diu bellũ duceretur, CELTÆ cibaria & vinum herbis venenosis inficiunt: & ipsi noctu, relictis castris, fugam capessunt. Autariatæ credentes eos metu profugisse, castra inuadunt, & vino cibariísque largiter fruuntur, statímque immoderato ventris profluuio prolabuntur. Celtæ superuenerunt, ac prostratos occiderunt. Ibidem

Darius aduersus Saccas expeditionem suscepit. Reges Saccarum Sacephares, Homarges, Thamyris, in loco deserto de pręsentibus rebus consilium capiebant. Equiso quidam, nomine RISACES, eos accessit, promittens, se Persarum copias ad nihilum redacturum, si iuramento confirmarent, se liberis & posteris eius equos ac pecunias daturos. Quibus iurãtibus, ille stricto cultro nares & aures suas abscidit: ac reliquum corpus vehementer mutilauit, transfugiénsque ad Darium: Hanc, inquit, calamitatem se à Saccarum regibus accepisse. Darius magnitudini calamitatis fidem adhibuit. Risaces verò ignem sempiternum obtestans, & sacram aquam: Suppliciũ, inquit, per Persas volui ab ipsis sumere. Hoc autem pacto id fieri poterit: Saccæ nocte sequenti castra mouere constituerunt. Quòd si nos per aliam compendiosiorem viam pręoccupauerimus eum locum, quò illis iter est, tanquam in reti omnes capiemus. Ego cùm pastor sim equorum, & omnium locorum noticiam habeam, viam facilè monstrabo. Sed res postulabit, vt esculenta poculentáque septem dierum nobiscum vehamus Qui cùm viam præmonstrans, milites septẽ dies duxisset, eósque in aridam Mediam coniecisset, deficiente aqua & cibariis, Chiliarchus Rhanosbates: Quamobrem, inquit, decipere regem tantum ac Persarum tantam multitudinẽ statuisti, & in locum omni aqua carentem deducere, in quo neque auem videmus, neque bestiam: & neque progrediendi, neque reuertendi potestas conceditur? At ille, complosis manibus, in cachinnũ effusus: Ego, inquit, victoriam adeptus sum. Nam vt à Saccis ciuibus meis periculum depellerem, siti ac fame Persas enecaui. Chiliarchus confestim Risaci caput abscidit. Darius autẽ ascendens in excelsum quendam collem, sceptrum candy ac tiara inuolutum, colligato adhæc diademate regio, in terram defixit: sic enim præceperat Deus, precatúsque est Appollinem, si quo modo incolumes Persæ seruari possent, aquam cœlitùs pręberet. Audiuit preces Deus, imbérque copiosus depulit. Hunc excipientes pellibus ac vasis Persæ, ad Bactrum fluuium euaserunt, Deo pro salute gratiam habentes. Quemadmodum autem Equisonis dolo penè vniuersus exercitus interiit: sic in posterum Zopyrus imitatus Equisonem, mutilata facie deceptos Babylonios subegit. Ibidem. Iustinus ex Trogo.

FABIVS Maximus, vastatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obsidionis superesset, recessit sementis tempore, vt frumentum quod reliquum habebat in sationes conferrent. Reuersus deinde, renata protriuit, & ad famem redactis potitus est. Front.lib.3 cap.8.

ANTIGONVS aduersus Athenienses idem fecit. Ibidem.

P. SERVILIVS Isauram oppidum flumine (ex quo hostes aquabantur) auerso ad deditionem siti compulit. Front.lib.3.cap.7.

C. CÆSAR in Gallia Caducorum ciuitatem amne cinctam, & fontib. abundantem ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis auertisset, & fluminis vsum per sagittarios arcuisset. Ibidem.

IDEM dicebat, idem esse sibi consilium aduersus hostem, quod plerisque medicis contra vitia corporum, fame potius quàm ferro superandi. Front.lib.4.cap.7.

AMILCAR Carthaginensis, non ignorans Libycorum in vino luxuriem, multa vini vasa mandragora corrupit: iisque depositis in suburbiis, cùm illi accederent, in vrbem rediit, quasi vim adhibentibus resistere cũ suis copiis non posset. Illi gaudio elati, quòd Carthaginenses intra mœnia conclusissent, inuentis vasis, largissimè se vino ingurgitarunt, statímque in somnum grauissimum incidunt. Polyæn.lib.5.

MAHARBAL missus à Carthaginensibus aduersus Afros rebellantes, cùm sciret gentem auidam esse vini, magnum eius modium mandragora permiscuit: cuius inter venenum ac soporem media vis est. Tunc prælio leui commisso, ex industria cessit. Nocte deinde intempesta, reliquis intra castra quibusdam sarcinis, & omni vino infecto, fugam simulauit. Cúmque Barbari, occupatis castris, in gaudium effusi medicatum auidè vinum hausissent, & in modum defunctorum strati iacerent, reuersus cæpit eos ac trucidauit.

HANNIBAL, cùm sciret sua & Romanorum castra in eis locis esse, quæ lignis deficiebantur, ex industria regione deserta plurimos armentorũ greges inter vallum reliquit. Qua velut præda Romani potiti, in summis lignationis angustiis, insalubribus se cibis onerarunt Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos & in semicrudã graues carne, maiorẽ in modum vexauit. Front.lib.2.cap.5.

DROMICHÆTES rex erat Thracum, Lysimachus Macedonum. Macedo Thraciæ bellum inferebat. Thrax Macedonem dolo circumuenit. Dux eius Æthis transfugæ specie ad Lisimachum transire se velle dicebat. Qui cùm fidelis esse crederetur, Macedones in locorum difficultates coniecit. Ibi cõflictantes fame sitique Dromichætes adortus, cùm ipsum Lysimachum, tum omnes qui eum sequebantur interfecit. Erat Lysimachorum qui ceciderant numerus ad centum millia. Polyæn.lib.7.

Petrus Roseus Venetarum copiarum dux, Venetorum auspiciis, Boguolentæ in Patauino agro arma intulerat, vnáque erat Marsilius Carrarienses. Cùm in eum Mastinus Scaliger exercitum ingentem duxisset, Petróque necessitas iniecta esset, inde egrediundi, quòd eo in loco commeatuum difficultate premebatur: veritus ne in via cum hoste confligere cogeretur (quam rem, viribus inferior, nequaquam probabat) calliditate aduersus validiorem vti cogitauit. Nam cùm hostes ad eundem amnem, apud quem ipsius quoque Petri posita erant castra, sed inferiore amnis parte tenderent, neque aliunde aquationis facultatem, quàm ex eo amne haberent, glasto herba amnem infecit, ita vt homines iumẽtaque propter amaritudinem eius aquas gustare nollẽt. Ea re coactis mutare castra hostibus, qui congredi & dimicare cum eis non audebat, astu inde, nullis armis vsus, ex rei suæ commoditate depulit. Fulg.lib.7.cap.4.

Honorio tertio pontifice, IOANNES Hierosolymorum, item Andreas Vngariæ reges, cum permultis aliis Germanis atque Galis principibus in Ægyptum profecti, Carras vrbem obsederant, neque tamen vlla ratione vnquam Melche Chelchemel Sultanum, vt in certamen cum eis descenderet, pellicere potuerunt: quin is pacis mẽtione iniecta, magno se in timore versari ostendebat. Adeò autem rem traxit, vt Christianos duces in id tempus deduceret, quo adauctus amnis Nilus, totam regionem inundare solet: quam vt aquis magis infestam faceret, ipse aggeres, quibus accolę amnem coercere solent, intercidit. Itaque tecta aquis vniuersa regione, Christianus exercitus grauiter laborare corruptis commeatibus atque omni pabulationis materia cœpit: cùm omnes ademptę essent viæ eius regionis ignaris, nisi quæ per aggeres ducerent, quæ etiã duplici incommodo impediebantur, & quòd erãt angustissimæ, & quòd Sultanus in ipso tumultu opportunis locis eãs castellis munierat. Quamobrem eo astu Christiani principes ac milites, veluti piscis in nassa circumuenti, cùm saluti spem omnem amisissent, pacem, quam dare Sultanus voluit, acceperunt. Front.lib.7.cap.4.

CORPORIS ROBVR IN HOSTIBVS VEL VIGILIIS, VEL
labore nimio, vel voluptatibus atterere & eneruare, vt eò facilius postea vincantur.

Huc pertinet Stratagema, Epulis & vino hostem sopire. Consule tit. Securitatem hosti iniicere. item, Commeatum hostium corrumpere.

IPHICRATES Atheniensis, quia explorauerat, eodem assiduè tempore hostes cibum capere, maturius vesci suos iussit, & eduxit in aciem: aggressúsque hostem ita detinuit, vt ei nec confligendi nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die, reduxit suos, & nihilominus in armis retinuit. Fatigati hostes non statione magis quàm inedia, statim ad corporis curam & cibum capiendum festinarunt. Iphicra-

tes rursus incompositi hostis aggressus est castra.Front.lib.2.cap.1.& Polyæn.lib.3.

TIMOTHEVS dux Atheniensium, cum Cyrensibus aliisque sociis contra Lacedæmonios exercitum ducens, naues 20 optimè nauigantes primo loco collocauit, iubens, vt instructo ordine reliquę quietem agerent. Cùm priores nauale prelium facerent, planè defessis iam hostibus, signum quiescētibus extulit. Qui recentes adhuc & integri, facto impetu defessos in fugam verterunt. Ibidem, & Front.lib.2. cap.5.

IDEM naualem pugnam ad Leucadem initurus, cum Nicolocho Spartiata, præcepit vt pleraque nauium implementa supra terram iuxta mare requiescerent:& cum viginti optimè nauigantibus soluens, mandauit trierarchis, ne intra teli iactum cum hostium triremibus congrederentur, sed declinarent & tergiuersarentur de industria, vt hostium remiges defessos redderent. Cùm igitur hæ tergiuersarentur, atque illæ præ æstu ac labore soluerentur, Timotheus receptui cecinit, & eos qui supra terram quietem egerant, remigibus egredi iussis, in naues imposuit: atque celeriter hostes defatigatos persecutus, multas ipsorum triremes partim submersit, partim inutiles ad nauigandum reddidit. Ibidem.

CHABRIAS, in Laconicam faciens impressionem, noctu fluuium transgressus, multa præda capta, eam trans fluuium in amicam & sociam terram misit. Ipse verò cum reliquis militibus cibum sumere iussis, remansit vsque ad meridiem, hoc ipsum expectans, quod etiam contigit. Nam Lacedæmonij re cognita, ad prædam in fluuio recuperandam egressi sunt:& cùm summo studio ducenta stadia percurrissent, defessi, inordinati, distractique ad pugnam inutiles erant. At ille suos milites cœnatos, quiete refectos, atque ordinatos adducens, sine negocio multos ex hostibus interfecit. Ibidem.

CRATERVS, Tyriis Macedones in muniendo vallo occupatos adorientibus, mandauit, vt prius cederent. Postquam vero Tyrij longa persecutione vehementer essent defatigati, signum dedit suis, vt conuersi in Tyrios impetum darent: statimque factum est, vt persequentes fugerēt, & fugientes persequerentur. Polyæn.lib.4.

EPAMINONDAS Thebanus cum Lacedæmonij Athmon valle ducto Peloponneson tuerentur, paucorum opera leuis armaturæ, tota nocte inquietauit hostem: ac deinde prima luce vocatis suis cùm Lacedæmonij se recepissent, subitò vniuersum exercitum, quē quietum habuerat, admouit:& per ipsa munimenta destituta propugnatoribus irrupit. Front.lib.2.cap.5.

CYRVS Lydis, & præcipuè Sardiis, post Crœsi captiuitatem iterum deficientibus, ipse Babylonem versus profectus, Mazarem Medum cum præcepto misit (ex Crœsi consilio) vt cùm regionem subegisset, arma pariter & equos adimeret, vestitūmque muliebrem gestare eos cogeret, ac neque ad iaculandum, neque ad equitandum amplius exerceri permitteret, sed omnes texere ac psallere compelleret, vt his nimirum studiis eorum animi mollescerent, & effœminarentur. Sic deinceps omnium Barbarorum inutilissimi ad bellum euaserūt Lydi, cum antea bellicosissimi extitissent. Polyæn.lib.7. Vide tit. Prudentię, suorum saluti cōsulere, ex primo Herod.

XERXES iratus Babyloniis, quòd à se defecissent, posteaquam illos in potestatem suam redegerat, interdixit, ne ferrent arma, sed psalteriis tibiisque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, ac sinuosis tunicis vterentur: quo voluptatibus euirati, non molirentur denuò defectionē. Plutarch.in Reg. apoph.

ALEXANDER cum Dario signa collaturus, præceptū dedit Macedonibus: Si in conspectum veneritis Persarum, procidētes in genua, terram manibus conterite: vbi verò tuba signum dederit, tum consurgentes, strenuè & fortiter impetum in hostes edite. Macedones ita fecerunt. Persæ formam adorationis conspicati, incitatum ad bellum impetum remiserunt, animisque facti sunt molliores. Darius gloriabatur ac gaudebat, se absque prælio victoriam obtinere. Macedones ad signum tubæ exilientes, vehementi impetu in hostes feruntur, & rupta phalange, in fugam conuertunt. Polyæn.lib.4.

Leontinos Siciliæ populos, quum expugnasset PHALARIS, ademptis armis ad compotationes & voluptates eos reiecit, ne rebellionem pararent. Hinc adagium, Semper Leontini iuxta pocula. Rauis.

PHILIPPVS ad Chæroneam, memor sibi esse militem longo vsu duratum, Atheniensibus acrem quidem, sed inexercitatum, & impetu tantùm violentum, ex industria prælium traxit: móxque languentibus iam Atheniensib. concitatius intulit signa, & ipsos cæcidit. Frontin.lib.2. cap.1.

VIRGINIVS Cos. cùm procurrere Volscos hostes effusos ex longinquo vidisset, quiescere suos, ac defixa tenere pila iussit. Tunc anhelantes integris viribus exercitu suo aggressus, auertit. Ibidem.

FAB. MAXIMVS non ignarus, Gallos & Samnites primo impetu præualere, suorum autem infatigabiles spiritus, inter moras decertandi etiam incalescere: imperauit militibus, vt contenti essent primo congressu sustinere, vt hostem mora fatigarent. Quod vbi successit, admoto etiā subsidio suis, in prima acie vniuersis viribus oppressum fudit hostem. Ibidem.

P. SCIPIO in Hispania, cùm comperisset Hasdrubalem Pœnorū ducem ieiuno exercitu manè processisse in aciem, continuit in horam septimam suos: quibus præceperat, vt quiescerent, & cibum caperēt. Cùmque hostes inedia, siti, mora, sub armis fatigati, repetere castra cœpissēt, subitò copias eduxit, & commisso prælio, vicit. Polyæn.lib.8.& Front.lib. 2.cap.1.

IDEM in Lydia, cùm die ac nocte imbre continuò vexatum exercitū Antiochi videret, nec homines tantum aut equos deficere, verùm arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos: exhortatus est fratrem, vt postero, quamuis religioso die, committeretur prælium. Quam sententiam secuta victoria est. Front.lib.4.cap.7.

ÆMILIVS Paulus, vniuersis Liguribus improuiso adortis castra, eius simulato timore militem die continuit: deinde fatigato iam hoste, à quatuor portis eruptione facta, strauit cepitque Ligures. Front. libro 3. cap.7.

METELLVS in Hispania aduersus Hirculeium, cùm ille oriēte protinus die instructam aciem vallo eius admouisset, feruidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit in horam diei sextam: atque ita fatigatos æstu, facilè integris & recentibus vicit suorum viribus. Front.li. 2.cap.1.

C. TIBERIVS Nero aduersus Pannonios, cùm Barbari feroces in aciem oriente statim die processissent, continuit suos, passúsque est hostē nebula & imbribus, qui fortè illo die crebri erant, verberari: ac deinde, vbi fessum stando & pluuia, non solùm animo, sed & lassitudine deficere animaduertit, signo dato adortus, superauit. Front.lib.2.cap.1.

HANNIBAL aduersus Iunium dictatorem, nocte intempesta sexcētis equitibus imperauit, vt in plures turmas segregati, per vices sine intermissione circa castra hostium se ostentarent. Ita tota nocte Romanis in vallo, statione ac pluuia, quæ fortè continua fuerat, inquietatis confectisque, cum receptui signum iam Iunius dedisset, Hannibal suos quietos reduxit, & castra eius inuasit. Front.lib 2.cap.5.

C. MARIVS, victis prælio Teuthonis, reliquias eorum (quia nox circumuenerat) circumsedēs, sublatis subinde clamoribus, perpaucos suorum territauit, insomnémque hostem detinuit. Ex eo consecutus est, vt postero die irrequietum facilius debellaret. Frontinus libro secundo, capite nono.

ARMIS HOSTES EXVERE, AVT CERTE NE *illis vti possint, prouidere*

Cauerant PHILISTINI, ne faber ferrarius inueniretur in omni terra Israel, ne fortè Hebręi facerent gladium, aut lanceam. 1. Reg. 13.

PISISTRATVS Atheniensibus arma volēs adimere, mandato promulgauit, vt omnes cum armis in Anaceum venirent. Qui cum venissent, ipse prodiit verba facturus, & exigua humilique voce sermonem ordiebatur. Illi verò cum exaudire non possent, iusserunt in vestibulum progredi, vt omnes dicentem exaudire possent. Qui cùm remissè loqui pergeret, & illi attentis auribus auscultarent, socij prodeuntes, & arma tollentes, in templum Agrauli detulerunt. Athenienses verò nudi ac destituti, tum demum in Pisistrato vocis tenuitatem intellexerunt, quòd fuisset Pisistrati dolus ad armorum ereptionem adhibitus. Polyæn.lib. 7.

CLEONYMVS Ædesam oppugnans, cùm mœnia cecidissent, & hostes exirent sarissigeri (quælibet sarissa cubitorum sedecim erat) suam phalangem in profundum condensauit. Antesignanos autem, & horum astites, sine hastis collocauit, dato præcepto, vt si sarissigeri aggrederentur, ipsi vtraque manu sarissam apprehenderāt, atque tenerent: At sequētes ad vniuscuiusque latus procederēt, & pugnā facerēt. Qui cùm manibus arriperent sarissas, hostes retrahebant. Posteriores verò accedentes, cæperunt sarissigeros, & Cleonymus ostendit sua solertia, magnitudinē sarissæ nullo vsui esse. Polyæn.lib.2.

NAVSISTRATVS Rhodiorum nauarchus, numerum & armaturam militibus imperauit. Qui cùm splendidissimis armis induti progrederētur, in naues eos deduxit: omnibúsque impositis, iussit arma singulos suo loco deponere: certósque homines præfecit, qui ne qua arma efferrentur, cauerent. Polyæn.lib.5.

DEMETRIVS, cùm Æginam ac Salaminem in Attica cæpisset, misit ad Piræēses, armáque mille viris postulauit, vt societate facta his aduersus Lacharem tyrannum vterentur. Qui cùm eius promissis fiderent, arma miserūt. At ille acceptis suos armauit, eósque qui miserant oppugnauit. Polyæn.lib.4.

THEOCLES Megarenses, cùm sex menses Chalcidensibus cohabitassent, eiecit ex vrbe. Dicebat enim, se belli tempore votum nuncupasse, si vrbe potiti sine periculo fuissent, duodecim diis sacrificia peracturum, pompámque armis ornatam celebraturum. Megarensibus nihil suspicantibus mali, sed bonis auibus sacra iubentibus litare: Chalcidenses ad obeundam pompam ab iis arma mutuati, dum sacrificium peragetur, ipsi in morem pompæ gradientes, postquam in foro armati constitissent, Theocles præconem iussit proclamare: Megarenses ante solis occasum ex vrbe discedant. Illi ad aras supplices confugerunt, & ne se in exilium pelleret, rogauerunt, aut cum armis ex vrbe emitteret. Theocles consilio cum Chalcidensibus habito, non tutum esse cēsuit tot hostes armis munitos eiicere. Itaque inermes Megarenses è Leontino pulsi, Troilum inhabitauerunt, vnam duntaxat hyemem. Tamdiu enim permiserant Chalcidenses. Polyæn.lib.5.

PHALARIS vt Agrigentinis arma eriperet, ludos gymnicos splendidissimos extra ciuitatem se facturum affirmauit. Cúmque vniuersa multitudo ciuium ad spectaculum egrederetur, clausis portis, mandauit satellitibus, vt arma ex ædibus auferrent. Ibidem.

FAVNVS

FAVNVS, cùm Diomedes in Italia è vita decessisset, funebres ludos instituens, primo die Græcorum armatorum pompam duxit, secundo Barbarorum:& præcepit, vt Barbari à Græcis arma mutuarentur. Qui cū eis accōmodauissent, à Barbaris propriis armis sunt interfecti. Poly.li.8.

CAMPANI fœdus cum hostibus pepigerunt ea lege, vt eis dimidiam armatorum partem traderent, & dissectis armis dimidium eos recipere iusserunt. Polyæn.lib.6.

ARCHINVS qua ratione Argiuos armis exuerit, & tyrannidem occuparit, vide sub tit. Astu tyrannidem inuadere.

ANTONIVS contra Phraatem Parthorum regem pugnaturus, metuens sibi, quia se insolentius iactauerat, exercitum suum, fallacias hosti struens, in maximum periculum adduxit: ex quo tamen cōtra opinionē euasit. Nam milites eius labores militiæ vehementer pertulerunt, cúmque in insidias incurrissent, cœperunt coniunctis scutis testitudinem repentè facere, flexísque genibus conniti. Barbari autem rati eos defessos esse ex vulneribus, abiectis arcubus, ex equis descendunt, districtísque gladiis proximè accedunt, scilicet omnes interfecturi. Romani insurgūt subito, & signo dato cunctas phalanges explicant. Inde irruentes, videlicet inermes armati imparatos parati, sagittarios leuis armaturæ milites, Barbaros Romani confertos trucidarunt, Dion Nicæus in Augusto.

MACHINAS HOSTIVM VEL DESTRVERE, *vel inutiles reddere.*

TIMOTHEVS oppugnabat Toronam. Toronenses altissimas moles contrà erigebāt sportas arena plenas. Ille longioribus machinis cōparatis, ex malis nauium, cuspides imponens, & falces in summitate mali cuspidibus affigens, hostium opera disrupit. Falcibus enim sportas dissecabat, ita vt arena difflueret. Quod cum vidissent Toronenses, ad fœdus faciendum impellebantur. Polyæn.lib.2.

ATHENOCLES oppugnatus, aduersus arietes ac terebra, trabes plumbeas comparauit, easque transuersas in propugnaculis opposuit. Quibus irruentes hostium machinæ confringebantur. At illi tormentū aliud adducere machinabantur, quod extremitate trabis concussa, eam per vim de propugnaculis rectam deiiceret, ita vt neminem in terra consistentem læderet. Rursus hostes testudinibus admotis, quassabant mœnia. Illi è mœnibus liquefactum plumbum æreis vasis desuper effundebant, quo testudo dissoluta est. Hostes cùm testudine de turribus adductis acetum infundebant, plumbúmque & quæcunque alia candentia de muris demitterentur, restinguebant (etenim ad extinguendum ignē aptissimum esse acetum videtur. Optimum verò impedimentum ignis, inunctum acetum. Minimè enim ignis in eo potest hærere) & spongia aqua plena appensa. Quidam verò aduersus defusum plumbum, inque machinas iniectum, puluerē ac lutum pærmixtē adduxerūt. Polyæn. li.6.

EQVOS, ELEPHANTES, CVRRVS, HOSTIBVS ADIMERE, *aut impedire, ne illis vti possint.*

HERCVLES bellum aduersus Minyas gerens (erant autem Minyę ad equestres pugnas in planicie obeundas exercitatissimi) conserere manus non audens, fluuium immisit. Is fluuius erat Cephisus, qui duos mōtes Parnassum & Hedylium terminat: Bœotiam verò mediam discludens, antequam se in mare exoneret, in vastum hiatum excurrens euanescit. Eum hiatum Hercules magnis lapidib. obstruens, flumen in campum auertit, vbi Minyæ equitabant. Verùm stagnante campo, Minyis inutilis erat equitatus. Hercules parta victoria rursus aperit hiatum, & Cephisus ad pristinam viam reuertitur. Polyæn.lib.1.

IPHICRATES ex Odrysiade multam vndiquaque prædam egit. Persequebantur Odrysenses magna multitudine. Ille cum paucos equites haberet, dedit eis ardentes faces, & in hostes inuadere iussit. Odrysorum equi, insolitum aspectum ignis non ferentes, in fugam agebantur. Polyæn.lib.3.

NICIAS castra metantibus Atheniensibus circa Olympium, in planiciem quæ pro castris erat, tribulos iussit spargere. Cùm postridie dux equestris Syracusiorum Ecphantus equites produceret, in turpem fugā conuersi sunt, tribulis in equorum pedibus infixis: ita vt multi ex ipsis ne progredi quidem possent, & à scutatis solidos calceos indutis interficerentur. Polyæn.lib.1.

ALEXANDER, cum Thraces ita paratos esse didicisset, vt magnam vim curruū in Macedones immitterēt, præcepit eis, vt quos possent, deuitarent: sin interciperentur, demissi ipsi in terram scuta proiicerent, vt ea currus incitati supersilirent. Hoc in experientiam ductum, Thracibus inutilem currnum apparatum effecit. Polyæn.lib.4.

HALYATES, vt Colophonios magnum exercitum habentes equitatu spoliaret, societatem cum eis cōstituit, sempérque ex militibus equites maioribus amplioribúsque muneribus affecit. Postremò Sardis splēdidum eis commeatum instruebat, & duplex stipendiū apparabat. Equites extra ciuitatem castra habentes, equisonibus equos tradiderunt, & confestim in vrbem venerunt, summo studio ad duplicatum stipendium festinantes. Halyates clausis portis, suis armatis eos circumdedit, & equites ad vnum omnes interfecit, atque eorum equos suis armatis concessit. Polyæn.lib.7.

ANTIGONVS in oppugnatione Megarorum elephantos adduxit. Megarenses sues liquida pice vngebant, eáque incensa dimittebant. Quæ cùm vrerentur igni, grunnientes incitato cursu in elephantos incidebant. Illi metu perciti & conturbati, alius aliò fugam faciebant. Antigonus in posterum Indis mandauit, vt sues cum elephantis alerent, vt ad earum aspectum, clamorémque ferēdum assuefierent belluæ. Polyęn. lib.4.

CYRVS aduersus Crœsum pugnam faciebat. Lydis equitum erat ingens copia, quamobrem magnos sibi spiritus sumebant. Cyrus equitatū Crœsi inutilem reddidit, collocatis aduersus equites armatos multis camelis. Equi autem ea natura est, vt & aspectū & odorem cameli fugiat. Statim igitur equites in fugam conuersi, Lydos obruebant, sic vt ante prælium victoria Cyro veniret. Polyæn.lib.7.

CROESVS præualido hostium equitatui camelorum gregem opposuit: quorum nouitate & horrore consternati equi, non solùm insidētes præcipitauerunt, sed peditum quoque suorum ordines perterruerunt, vincendósque præbuerunt.

PYRRHVS Epirotarum rex pro Tarentinis aduersus Ro. eodē modo elephantis ad perturbandam aciem vsus est.

POENI quoque aduersus Romanos idem fecerunt frequenter. Frōt. lib.1.cap.4.

SYBARITÆ, vt author est Africanus in libro de Re militari, eò deliciarum venerunt, vt equos in conuiuia introducerent ita institutos, vt audito tibiæ cantu, sese statim attollerēt arrectos, & pedibus ipsis prioribus vice manuum gestus quosdam chironomiæ, motúsque ederent ad numerum saltatorios. At tibicen ibi quispiam contumelia affectus, transfugit ad Crotoniatas hostes, paulo antè prælio superatos à Sybaritis, quibus pollicetur cunctorum Sybaritarum equites in ipsorum potestatē opera sua venturos. Credita res, & belli dux creatus à Crotoniatibus, tibicines conuocat omnes, quotquot eiusdem artificij forent in vrbe: solitúmque modulamentum his indicat, atque vt visum tempus, in hostem procedere iubet. Eunt contrà Sybaritæ, præliúmque conserunt. Ecce igitur tibiarum modulamine cognito, cantúque illo vernaculo, tollunt erigúntque semet in pedes equi Sybaritarū: excussísque sessoribus, quod tripudium domi didicerant, in acie exhibent: ita capti sunt omnes equites, victoriam autem adepti Crotoniatæ. Guido Bitur.

PHOCENSES, ante Persarum in Græciam irruptionem cum Thessalis bellum gerebant. Ad Hyampolim igitur, quà intra ipsorum fines inuasurum Thessalorum equitatum exploratum habebant, vrnas fictiles defodere, quas terra super aggesta operuerūt. Hostes, vt qui eas insidias non prouiderant, citatis equis excursione facta, incauti in eas vrnas inciderunt. Ibi cū eo casu fracti & debilitati fuissent equorū pedes, viri ex equis prolapsi passim cæsi sunt. Paus.lib.10.& Polyæn. lib.6.

CLASSEM DISIICERE. NAVES INVTILES REDDERE.

HERACLIDES Tarentinus architecton Philippo Persei patri promisit, se solum Rhodiorum classem incensurum. Atque tum ficta arte progressus ex aula Philippi, signa iniuriæ ferebat, & ad arā supplex cōfugit, & à populo misericordiam flagitabat. Erant nonnulli Macedones quibus hac indigna viderentur. Ita conscensa cymba, Rhodum deuenit, inquiens: Supplex venio ad vos, iniuriis affectus, quoniam Philippum impediui ne vobis bellum inferret. Vt autem fidem his quæ dico adhibeatis, epistolam Philippi ostendo, scriptam ad Cretas, qua bellum aduersus Rhodios suscipere instituant. Rhodij credentes literis, Heraclidem recipiunt eúmque sibi vsui fore contra Philippum arbitrantur. Ille noctu animaduertens ventum procellosum nauibus incumbere, naualia Rhodiorum incēdit. Tredecim naualia perierunt, & quotquot triremes in iis fuerunt. Ille coniecto igne, mox scapham conscendit, ac soluit traiiciénsque in Macedoniam, primum locum inter amicos Philippi Heraclides tenuit. Polyæn.lib.5.

ALEXANDER Thessalus nauale prælium initurus, multis conscensoribus magnum missilium lapidum numerum in catastromatis dispertiuit: eisque pręcepit, vt cùm hostiū nauis appropinquasset, his in nautas iaculis vterentur, vt plurimi eorum nullum vsum præstare nauibus possent. Polyæn.lib.6.

CN. SCIPIO bello nauali amphoras pice & teda plenas, in hostium classem iaculatus est: quarum iactus & pōdere foret noxius, & diffundendo quę cōtinuerant, alimentum præstarent incendio. Front.lib.4.cap.7.

CASSIVS onerarias naues, non magni ad alia vsus, accensas, opportuno vento in classem hostium misit, & incendio eam consumpsit. Ibidem.

Q. FABIVM ferunt, cùm à rege Antiocho, quē bello superauerat, ex fœdere icto, dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes secuisse, vt eum tota classe priuaret. Val.Max.lib.7.cap.3.

Inter multa callidè à Genuensibus mari gesta hoc vnum connumera-

bimus: ALPHONSVS Aragonius Siciliæ rex, in Corsica insula Bonifaciam vrbem obsidebat, cùm Genuæ Thomas Fulgosius ducatus titulum obtineret. Ab eo Ioannes frater, adhuc penè adolescens, cum quatuor tantùm nauibus, ad opem ferendam missus est. Cùm is ad vrbem penetrare non posset, quod Alphonsi classis simul anchoris connexa, pontibúsque inter ipsas naues iactis immobilis, ceu lumi, magnis firmamentis stabilita manebat: Ioannes, vt huic rei occurreret, misso vrinatore, qui supra humanam fidem sub aqua morari consueuerat, in hostilibus nauibus anchorarum vincula desecuit, ita vt naues resolutæ, dum vndis impellerentur, pontes inter se factos confusis rebus omnibus confringerent, non sine omnium, qui cum Alphonso erant, admiratione, cùm eos ipsius facti causa lateret, & nullis spirantibus ventis, nullâque vi tentata, agitari naues conspicerent: fieri non posse arbitrari, vt viuens quispiam, sub aquis tale moliri opus posset. Itaque in Alphonsi classe, ob eam rem omnibus confusis territisque, Ioanni ad ferendam Bonifaciæ vrbi opem via patuit, Alphonsiúsque inde irrito conatu discessit. Fulg. lib. 7. cap. 4.

ANTONIVS Siculus cognomento (ex ea enim insula oriundus erat) Venetiis ortus educatúsque maritimis artibus à primis annis imbutus: quum apud Chalcidem ageret, captus à Turcis, diu cum illis seruitutem passus erat, omniáque eorum publica priuatáque munia diligentius explorarat. Liberatus igitur à tam graui iugo, lætus ad Mocenicum tunc classis Imperatorem adit, pollicetúrque illi, sese paratum ad naualia incendenda, quæ Calipoli amplissima instructissimáque erant. Versatum sese in iis locis ad aliquot annos ea mente & animo, vt Christianæ pietati, & Venero nomini imprimis prodesset: petere igitur se ab illo, vt paratis, quæ tantæ rei necessaria essent, sese dimitteret. Qua re cognita imperator structo statim nauigio vænalibúsque pomis referto (sic enim illi placuerat) superato facilè Hellesponto Calipolim appulit: mercatorísque personam simulans, qui ea poma venderet, aliquot dies cuncta perlustrans, tandem noctu perfracta nauali ipsius porta ignem secum & picem deferens, magnam partem armamentariis eius incenderat, quum vigiles Turcæ tectorum fragore flammæque sonitu excitì, eo conuolant. Quod quum ille cognouisset, statim correpta fuga ad nauigium rediit, in aduersam Hellesponti ripam nauigaturus. Cæterùm imprudès correpti nauigio picis incendio, nonnullis flammis pereuntibus, enatando euasit, in proximáque sylua se abscondit. Interim quum Turcæ incendij authorem perquirerent, facilè è natantibus pomis nauigisque reliquiis coniiciunt hunc vnum fuisse, qui tantum facinus patrasset. Quem statim insecuti, per proximam syluam vestigiis extantibus, captum ad Subbassam adducũt Calipolim: quem ille ad Othomanum principem deducendum quamprimùm curat, ratus non muneris esse sui, vt in hunc ipsum animaduerteret. Ad hunc igitur adductus, interrogatúsque cur tantum facinus ausus esset: magna animi constantia respondit, mirari sese, qui ex Christiano homine hoc quærat: An nescis, inquit, te vnum esse, quem Christiani homines merito summo odio persequantur omnes? an verò dissimulare potes acerrimum tuum in nos odium? qui pietatem nostram tot annos crudelissimè insectere? qui tot regna, tot vrbes nobis ademeris? qui tot populos, tot gentes interemeris? qui denique nostræ pietatis finem vnum tantum cogitas? in tuos quoque ipsos summa immanitate. Princeps eius orationis vim iam non ferens, tantámque indolem in vno iuuene admiratus, disseclum medium interfici, in publicúmque proiici iussit. Hac re cognita senatus Venetus & superstiti fratri annuum stipendium statuit, & sorori, quę Venetiis agebat, dotem in primis honestam annumerari voluit. Egnat. lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 8.

CASTRIS HOSTEM EXVERE.

THERON cum Chalcedonensibus pugnabat. Hostibus autem terga vertentibus, Siculi irruentes in castra, quasi direpturi tabernacula, superuenientibus Iberis interfecti sunt. Theron cùm magnam stragem videret, misit qui circumirent, præcipiens vt à tergo ignem in tabernacula conijcerent. Magna verò oriente flamma, hostes non habentes tabernacula, ad naues confugerunt. Quos Siculi persecuti, plurimos ad ipsas naues morti dederunt. Polyænus lib. 1.

DIEPHONTES constituit cum Dorien sibus, vt Argiuos prouocaret ad pugnam. Ipse verò consensis nauibus, ad collem quendam appulit, in quo speculator constitutus nunciabat: Dorienses prædam agunt. Argiui relictis castris, aduersus eos egrediuntur. Diephontes cum sociis è nauibus excurrentes, castra vacua & inania capiunt. Argiui parentibus, liberis & coniugibus captis, vt illos & regionem seruarent, vrbes Dorien sibus tradiderunt. Polyæn. lib. 2.

VOLSCORVM castra cùm prope virgulta syluásque posita essent, Camillus ea omnia, quæ conceptum ignem vsque in vallum proferre poterant incendit, & sic aduersarios exuit castris.

M. CRASSVS bello sociali eodem modo propè cum copijs omnibus interceptus est. Front. lib. 2. cap. 4.

L. METELLVS in Hispania citeriore, in castra hostium in humili loco posita, fluuium ex superiore parte immisit: & subita inundatione turbatos, per dispositos in hoc ipsum insidiatores cecidit. Front. lib. 4. cap. 7.

Fulvius Imp. Cimbrico bello collatis cum hoste castris, equites suos iussit succedere ad munitiones eorum: lacessitísque Barbaris, simulata fuga regredi. Hoc cùm per aliquot dies fecisset, auidè insequentibus Cimbris, animaduertit castra eorum solita nudari. Itaque per partem exercitus custodita consuetudine, ipse cum expeditis post castra hostium consedit occultus, effusíque eis ex more repentè adortus, & desertum proruit, & vallum ac castra cæpit. Front. lib. 2. cap. 5.

P. SCIPIO Aphricanus, cum aduersa haberet bina hostium castra Syphacis & Carthaginensium, statuit Syphacis, vbi multa incendiis alimenta erant, aggredi nocte, ignémque iicere: vt ex ea re Numidas quidem ex suis castris trepidantes cæderet, Pœnos autem, quos certum erat ad succurrendum sociis procursuros, insidiis dispositis exciperet. Vtrunque ex sententia cessit. Ibidem. & Sabel. lib. 6. cap. 6. Fulgos. lib. 7. cap. 4.

VRBES, PROPVGNACVLA, ET QVÆVIS ALIA LOCA, SIVE

arte siue natura munita, expugnare, capere, occupare.

CHABRIAS Athenien sis, cùm adire portum Samiorum obstante nauali hostium præsidio non posset, paucas è suis nauibus præter portum missas, iussit transire: arbitratus eos qui in statione erant, perfecturos. Hisque per hoc consilium euocatis, nullo obstante portum cum reliqua adeptus est classe. Front. lib. 1. cap. 4.

DIOGNETVS Athenien sis ciuitatem quandam capere volens, clàm sub noctem expositis militibus, insidiísque collocatis, interdiu palàm ipse naues adpulit. Ciues vndique prorumpentes, ex vrbe ad naues decurrebant. Qui in insidiis latebant, in vrbem impetum faciunt, eámque sine labore occupant. Diognetus adnauigans & appellens, expositis his qui in nauibus erant, eos qui ad defendendũ excurrerant, domuit. Poly. li. 5.

ARISTOCRATES Athenien sis Laconica naui sumpta, cum ea in vrbem quandam societate Lacedæmoniis deuinctam nauigauit, habens in naui plurimos viros clandestinis ensibus armatos. Qui portũ prærant, nauem quasi sociam & amicam receperunt. Illi autem egressi, ex improuiso deambulantes adorti, decem ex eis trucidarunt, & viginti quinque captiuos abduxerunt, quos Aristocles multis pecuniis redemit. Ibidem.

ALCIBIADES in Sicilia cùm Syracusanos capere vellet, ex Catinensibus, apud quos tum exercitum continebat, quendam exploratæ solertiæ subnotisit ad Syracusanos. Is in publicum consilium introductus persuasit infestissimos esse Catinenses Athenien sibus: & si adiuuarentur à Syracusanis, furorum vt opprimerent eos & Alcibiadem. Qua re adducti Syracusani vniuersis viribus Catinam petituri processerunt, relicta ipsorum vrbe: quam à tergo adortus Alcibiades desolatam, vt sperauerat, affixit. Front. lib. 3. cap. 6.

ISIDAS Lacon post Leuctricam calamitatem, cùm Thebani in Gythio portu Lacedæmonis præsidium haberent, assumptis centum æqualibus, oleo iussit eos vngi, & oliuæ sertis redimiri, atque ensem sub ala gestantes sequitipse nudus egrediebatur magno cursu. Æquales verò nudi vnà currebant. Thebanis autem habitu deceptis, & nudos ludentésque recipientibus, Lacones strictis gladiis, alios ex ipsis occidebant, alios eiiciebant. Et ipsi Gythium obtinuerunt. Polyæn. lib. 2.

CLEARCHVS, cùm defecissent Byzantij, mulctatus ab Ephoris, Lampsacum cum quatuor nauibus peruenit, atque ibi vitam egit, temulentiá & efferatam petulantiam præ se ferens. Oppugnabatur à Thracibus Byzantij, qui miserunt duces ad Clearchum petendi auxilij causa. Ipse verò quasi crapula impeditus, tertiò demùm die eos admisit, & se precantium misereri, inquiens, opem addixit. Impletis igitur duabus nauibus præter illas quatuor, nauigauit Byzantium: & conuocata concione, suasit, vt omnes equites & armati naues conscenderẽt, atque à tergo impetum in Thraces facerent: gubernatores verò omnes solentes in Anchoris fluctuarent, si pugnæ signum ab ipso tolleretur. Cùm ita soluissent omnes, Clearchus fatire se dicens ad duces, & propè videns cauponem, ingressus cum ipsis, impositò præsidio intus interfecit vtrosque: & claudes cauponam, præcepit cauponi, vt de interfectis ducibus sileret. Ciuibus soluentibus, ipse suis ducibus repentè introductis, Byzantium obtinuit.

THEOCLES Chalcidensibus ab Eubœa adductis, Leontinorum ciuitatẽ inuasit, obtinuitque cum Siculis, qui antea sedes in ea habuerant. Cùm verò Platæenses ex Megaris coloniam deducere in Leontinorum ciuitatem vellent, ad eámque venissent, se quidem iuramenti religione impediri dicebat, quo minus inhabitantes Siculos expellere posset: ipsis verò portas noctu patefacturum. Itaque ingressi, Siculos pro hostium consuetudine tractarent. Qui cùm portas aperuissent, Megarenses occupato foro & arce, Siculos armati adoriebantur. Qui cùm inermes obruros se viderent, relicta ciuitate, fugam capessierunt. Megarẽses verò pro Siculis societatem cum Chalcidensibus inierunt. Polyæn. lib. 5.

Epaminondas ad Tegeam periclitari cœpit. Lacedæmonios volens, vt clàm hostibus superiorem locum & præcipitem occuparet: mandauit equitum præfecto, vt cum equitibus mille sexcentis ante agmen præcederet, & cerebro huc illuc obequitaret. Cùm puluerẽ copiosũ excitasset obscuratis hostium oculis clàm superiorem locum cæpit. Spartiatæ verò cùm desiisset pulvis, rem conspicati, causſam intellexerunt, quamobrem ante copias equitasset. Polyæn. lib. 5.

EIVSDEM vxorem amabat Pœbiadas, custodiens Cadmiam. Illa

marito rem aperuit. Epaminondas ei mandauit, vt erga Phœbiadem simularet, & noctem constitueret, quasi etiam amicis eius alias fœminas adducturus. Quibus constitutis, illæ venerunt, & vsque ad ebrietatem cũ Phœbiade & eius amicis biberunt: atque petierunt copiam exeundi paulisper ad sacrificium quoddam nocturnum, statimque le reuersuras pollicitæ sunt. Qui permiserunt, mandantes portitoribus, vt iterum eas intromitterent. Illæ exierunt. Apud portas verò iuuenes imberbes, mulierum vestibus permutatis, & vnam ex eis assumentes interioris viæ ducẽ, & quæ pauca cum portitoribus loquerentur: ita ingressi, tum Phœbiadem ipsum, cum omnes qui circum eum erant interfecerunt. Ibidem.

POLYDORVS Lacedæmoniis aduersus Messenios viginti annos bellum gerentibus, simultatem erga Theopompum ab altera familia regem simulauit: & transfugam missit, qui Messeniis nunciaret, eos inimicitias exercere, atque à sese mutuò defecturos. Messeniis eam rem obseruantibus, Theopompus castra mouebat, & non procul inde copias occultauit, vt reuertereturi. Hæc vidẽtes Messenij, Polydorum spernunt: atque confertim egredientes ex vrbe, prælium ineirunt. Theopompus signum edentibus speculatoribus, ex insidiis circumducens, vrbem inanem ac vacuam cæpit, & à tergo Messenios aggreditur, Polydorus verò à fronte anci pites. Sic Messenij vi capti sunt. Polyæn. libro primo.

CLEON Abydenis Sestum tradidit, non aperto prælio, sed obscuro dolo. Theodorus custodiẽs Sestum, amicus Cleonis, rem cum quadam muliere habens in suburbio, aquæ ductu per muros augusto penetrante, lapidem vnum euellens, sub noctem exibat: & intrans, lapidem reponebat, idque clàm. Quàm rem Cleoni fallus est, quasi ludicrum. At ille proferens & enuncians Abydenis arcanum, noctẽque expertem lunæ obseruans, per aquæ ductum, cùm lapidem Theodorus reuellisset, & adulterio districtus esset, milites clàm introduxit: qui custodibus interfectis, & portis intus reseratis, omnes copias acceperunt, atque Sestum facilè obtinuerunt. Ibidem.

PHILIPPVS cùm Amphipolim ab eo repeterent Athenienses, eodem tempore bellum gerens cum Illyriis, non reddidit, sed liberam dimisit. Athenienses hoc ipso contenti fuerunt, quòd libertate esset confirmata. Philippus superatis Illyriis, maiores vires adeptus, rursus Amphipolim, contemptis Athenien sibus, occupauit. Polyæn. lib. 4.

ALEXANDER apud Babylonem, quæ media flumine Euphrate dirimebatur, fossam pariter & aggerem instituit, vt in vtum eius æstimarẽt hostes egeri terram, atque ita subito flumine auerso, per alueum veterem (qui siccatus ingressum præbebat) vrbem intrauit. Frontinus libro 3. cap. 7.

SEMIRAMIS aduersus eosdem Babylonios eodem Euphrate auerso idem fecisse dicitur. Front. lib. 3. cap. 7.

LYCVS dux Lysimachi, cùm Æneetus Demetrij dux Ephesum custodiret, multísque piratis finitimorum terram infestaret, archipiratam Andronam pecuniis corrupit, & Ephesum occupauit. Archipirata Lyci milites inermes, tunicis ac palliis amictos, vinctósq; quasi captiuos in vrbẽ induxit: eúmque arci appropinquasset, iussit vt ensibus vterentur, quos sub axilla ferebant abscõditos. Trucidatis ianitoribus & custodibus qui arcem tenebant, signum iis qui cum Lyco erant ostenditur. Qui per vim ingressi, Æneetum ceperunt, & Ephesum obtinuerunt, piratáque, persoluta eis mercede, ex vrbe confestim emiserunt, perfidiam eorũ in prioribus amicis non tutam esse rati. Polyæn. lib. 5.

PAMMENES vt Thebanis portum Sicyoniorum caperet, ipse quidẽ in terra statuit irruptionem facere, nauem verò turbinatam plenam militibus armatis per mare misit. Qui nauigantes, ante portum appulerũt. Sub vesperam pauci inermes in terram egrediebantur, quasi mercatores aliqui à naui ad coemendas merces, & forum venientes. Pammenes positquam nauis in portum venit, vespere magno cum tumultu ciuitatẽ aggrediebatur. Qui circa portum habitabant, concurrentes ad tumultũ, auxilium ferre suis nitebantur. Armati è naui turbinata egredientes, nullo impediente, portum obtinuerunt. Ibidem.

ALEXANDER Lysimachi & Mecridæ filius, volens clàm iis qui sequebantur in Coilium Phrygiæ castellum peruenire, noctu exercitum in caum locum iuxta ciuitatem abdidit. Ipse verò prima luce diploidẽ Phrygiam asperã, fordidámque indutus, pileo capiti impositò, duobúsque pueris adiunctis, vtrique lignorum onus imposuit, ensémque sub axillam dedit. Introiuit per portã, agresti & rustica specie, deceptis hostibus. Ingressus pileum deposuit, cognoscendúmque se præbens, omnium dexteras prehensabat, quasi ad salutem ciuitatis vindicandam aduenisset. Occulati verò, quemadmodum constitutum erat, apertis portis irruentes, Cotilum occupant. Polyæn. lib. 6.

ALEXANDER Macedo in Sogdianorum regionem exercitum inferebat. Ea est vniuersa aspera & inuia. In medio petra surgit, & in altum tendit, solis volucrum alis peruia. In ambitu sylua densa, crebráque, inaccessos fructus, magis impenetrabiles reddebat. Petram Ariomazes cum magna validáque Sogdianorum manu occupauit, intúsque scaturientes aquæ fontes habuit, & commeatus non mediocrem copiam. Alexander obequitans, & naturam petræ, opportunitatémque perspicieus, iussit trecentis delectis adolescentibus, quorum opera atque ars in scandendis præcipitiis erat posita, vt inermes post petram per syluam densam ascenderent, tenuibúsque se funibus attraherent. Postquam verò iuga superassent, albis cingulis quæ habebãt solutis, contos bene lõgos implicarent, eósque supra syluam extenderent, vt confertim splẽdida cingula frequenter quassatæ à superio ribus Barbaris, & ab inferioribus Macedonibus conspicerẽtur. Præcipitiorum scansores magno labore in iugis, oriente sole cingula vibrabãt. Macedones magnum clarúmque ex inferiore loco clamorem tollere. Ariomazes perterritus, quòd omnem exercitum ascendere, & iam se in summitate captum existimaret, se & petram Alexandro tradidit, diuinam ratus eius esse potentiam atque fortunam. Polyæn. lib. 4.

GYLIPPVS vt præoccupatum ab Athenien sibus collem reciperet, ex multis triremibus, implẽs viginti, crebras exercitationes obibat. Cõscripti supplementis, noctu eas in pelagus dimisit, imperans, vt oriente die adnauigarent. Cùm hostes adnauigantes cernerent, contrà soluerunt. Illis verò in fugam conuersis summo studio Athenienses insequebantur. At Gylippus, reliquis nauibus impletis, soluebat. Interea temporis Achenien sibus in nauali certamine occupatis, pedites Gylippi instructa acie, deiectis Athenien sium custodibus, nullo negocio collem obtinuerunt. Polyæn. lib. 1.

DIÆTAS Achiuorum dux, cùm Heræen sium vrbem aperta vi capere non posset, occultè cæpit, quibusdam Heræen sium grãdi pecunia corruptis: qui sæpe venientes ad portas, cum his quibus portarum claues erant commissæ, sermones conferebant, atque conuiuia agitantes, clàm expresserunt claues, & effigiem Diætæ miserunt. Qui similes & æquales claues publicis comparans, misit ad eos, vt noctem constituerent, qua portas aperire vellent. Diætas cum paucis militibus intrauit, clauium stratagemate patefaciens ipsis introitum. Ingressus verò, vsus est alio. Postquam enim Heræenses re intellecta profitierunt magno numero, locorum vrbis periti, metuens eos Diætas, tubicines in multis vrbis partibus iussit distantes clasicum tenere. Heræenses ex omnibus locis multas tubas audientes, cum circumsonarentur, omnia plena hostibus existimantes, vrbem deseruerunt. Et interdiu legationem ad Diætam misserunt, suppicantes vt sibi patriam recipere liceret, se in posterum Achiuorum imperata facturos. Polyæn. lib. 2.

CALLICRATIDAS Cyrenensis, ab eo qui arcem Magnesiæ custodiebat, petiit, vt quatuor ex suis ægrotantes reciperet. Quo permittente, singulos thoracibus indutos reclinauit, enséfque desuper chlamyde tectos apposuit. Cùm qui lectos quatuor portabãt, intra portas venissent, viginti simul iuuenes armati custodibus trucidatis, arcem obtinuerunt. Ibidem.

ANTIGONVS Cassandriam oppugnabat, vt Cassandrensium tyrannum Apollodorum euerteret. Cùm ad decimum mensem oppugnatio produceretur, ipse quidem discessit. Aminiam verò archipiratam subornauit, qui societatem cum Apollodoro iniret. Qui missa legatione, sibi curæ fore promittebat, vt Antigonus placaretur, multúmque commeatum atque vinum se missurum aiebat. Itaque satis fidus Aminias videbatur. Tyrannus Aminiæ societati bene fidens, & absentiam Antigoni cõtemnens, non exacta cura mœnia custodiebat. Aminias autem scalas æquantes muri altitudinem ædificauerat, quas sub ea quæ Bolus dicitur, neque ita procul à mœniis distat, occultabant duo millia militũ, cùmque his Ætolorum piratarum decẽ, quos Meloras ducebat, ij prima luce raros in muris dispositos milites conspicati, ad Mesopyrgia accedunt, & appositis scalis, signum tollunt. Aminias cum duobus illis millibus ascendens scalas, muris potitus est. Qui cùm intra ciuitatem essent, Antigonus rursus consestim adest, & occupata Cassandria, tyrannidem Apollodori sustulit. Polyæn. lib. 4.

NICON pirata à Pheris Peloponnesi frequenter eruptione facta, multis iniuris Messanios affixit. Eum Agemachus Messaniorum dux per insidias captum, produxit in concionem Messaniorum, vt supplicii de ipso sumeretur. At ille promisit, se tradaturum eis Pheras, si se incolumem ac salium relinquerent. Morem gerentibus Messaniis, noctem expertem lunæ obseruans, iussit multitudinem paruo interuallo sequi. Paucos verò secum ire, & ingentia stipularum onera portare. Accedens autem ad murum secunda vigilia, vocauit custodes, prodito signo. Quibus tum vocem eius, tum signum agnoscentibus, & portas aperientibus, qui portabant onera, his abiectis, & euaginatis ensibus, portarum vigiles trucidabant. Polyæn. lib. 2.

DEMETRIVS Piræum obtinuit, non omnibus copijs naualibus adductis, sed pluribus triremibus ad Sunium latitare iussis, viginti optimè ad nauigandum instructas delegit, eásque incitatis remis non ad vrbem sed quasi Salaminem versus contendere iussit. Athenien sium dux Cassandri partibus fauebat. Is conspicatus ab arce, viginti naues hostiles esse suspicabatur, atque Corinthum versus cursum habere. At ij qui viginti naues agebant, rectà ad Piræum connitentes, eum obtinuerunt. Confestim autem intellecta re, cæteri classem etiam vniuersam appulerũt, ita vt multitudo exposita turres occuparet, & portum. Præcones proclamabant: Demetrius Athenas liberat. Athenien ses libertatis præconium adamantes Demetrium acceperunt. Polyæn. lib. 4.

HIPPARINVS cùm in Leontinorum vrbe degens, Syracusas audiret vacuas esse defensoribus, quòd ciues in locum quẽdam cùm Callippo profecti ex vrbe dicerentur, statuit ab Leontinis Syracusas versus exercitum ducere: noctuque misit aliquos ad vrbem, qui vigiles & excubitores de medio tollerent. Qui cùm hoc præstitissent, & portas aliquas ciuitatis aperuissent, Hipparinus per eas mercenarios introduxit, ciuitatémque Syracusanorum occupauit. Polyæn. lib. 5.

ARATVS Acrocorinthum cæpit præsidiis munitam, quæ Antigonus imposuerat, eúmque Perseum philosophum & Archelaum ducem præfecerat. Eiusmodi autem vsus est stratagemate. Erant Corinthi quatuor fratres natione Syri, quorum vnus erat Diocles, ex eorum numero qui Acrocorinthum tuebãtur. Tres reliqui regium aurum furati, Sicyonem ad Æsiam numulariũ peruenerunt, quo etiam Aratus in faciendis numis plurimum vtebatur. Apud hunc aurum commutabant. Vnus eorum sæpe

numero frequentans numularij domum, eiúsque conuiuiorum particeps, cum fortè sermo incidisset de præsidio Acrocorinthi, fatebatur se in præcipitiis scissuram animaduertisse transuersam & concauam, quà ad mœnia sit ascensus. Numularius hæc Arato nunciat, qui summo studio Erginum in amicitiam pertrahens, pactus est se talēta septem ei daturum, si Acrocorinthū obtinuisset. Erginus recipit, se cum fratribus hoc effecturum. Omnibus rebus ad oppugnationē paratis, Aratus reliquum exercitum in armis excubias agere iubet: ipse quadringentis electissimis assumptis, sub noctē venit ad mœnia: scalísque ad fossas appositis, eas superauit. Cùm ij qui intus erant, rem intellexissent, nocturnum prælium est coortum durissimum, luna nunc lumen pugnantibus suppeditante, nunc in nubibus demersa. Atque in tenebris formidolosissimam pugnam committentes, ad extremum Arati copiæ victoriam assecutæ sunt, & sub ortum sibi portis apertis, reliquas copias receperunt. Aratus Archelaum quidem captum dimisit. Theophrastum autem discedere nolentem interfecit. Persæus philosophus arce capta, in Cenchręas fuga delatus, ad Antigonum abiit. Polyæn. lib. 6.

Philocles Ptolemæi dux ad Caunum posuit castra, & pecuniis annonæ præfectos corrupit, insidiásque parauit. Qui promulgarunt in vrbe, se frumentum militibus daturos. Illi relictis murorum custodiis, frumentum metiebantur. Interea Philocles nudatam præsidiis vrbem adortus, cæpit. Polyæn. lib. 3.

Darivs Carthaginem oppugnabat. Carthaginenses murorum firmitudine, & ciborum apparatu freti, parum de oppugnatione solliciti erant. Darius exercitum quidem mœnibus non admouit, sed reliquam omnem regionem populabatur: simulánsque se maiores copias auxiliares expectare, quietem agebat. Carthaginensibus mœnia custodientibus, à colle nomine Aphasio, qui abest ab vrbe decem stadiis, subterraneum meatum Persæ fodere cœperūt: cúmque ad forum vrbis opus produxissent, coniectura sumpta de radicibus oliuarum, quæ in foro nascebātur, noctem expectantes, aperto meatu ascenderunt in forum, & vrbem sine prælio per vim cæperunt, Carthaginēsibus in muris excubias agentibus. Polyæn. lib. 7.

Pyrrhvs Epirotarum rex, aduersus Illiricos cùm ciuitatem, quæ caput gētis erat, redigere in potestatem suam vellet, eius simulata desperatione cęteras vrbes petere cœpit: cōsecutúsque est, vt hostes fiducia velut satis munitæ vrbis eius ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto, ipse rursus reuocatis omnibus suis, vacuam eam defensoribus cæpit. Front. lib. 3. cap. 6.

Scipio, Hannibale in Africam reuerso, cùm plura oppida, quę ratio illi in potestatem redigenda dictabat, firmis pręsidiis diuersè partitis obtinerētur, subinde aliquam manum summittebat ad infestanda ea, nouissimè etiam tanquam direpturus ciuitates aderat: deinde simulato metu refugiebat. Hannibal ratus veram esse eius trepidationem, deductis vndique præsidiis, tanquam de summa rerum dimicaturus, insequi cœpit. Ita consequutus Scipio quod petierat, nudatas propugnatoribus vrbes, per Masinissam & Numidas cæpit.

P. Cornelivs Scipio, intellecta difficultate expugnandi Delminū, quia omnium concursu defendebatur, aggredi alia oppida cœpit.

Cornelivs Ruffinus Cos. cùm aliquanto tempore Crotonam oppidum frustra obsedisset, quod inexpugnabile faciebat, assumpta in præsidia Lucanorum manus, simulauit se cœpto desistere: captiuum deinde magno præmio solicitatum, misit Crotonam, qui (tanquam ex custodia effugisset) persuasit discessisse Romanos. Id verum Crotonenses arbitrati, dimisēre auxilia, destitutíque propugnatoribus inopinati, & inualidi capti sunt. Ibidem.

Fabivs Tarentinorum vrbem, Annibale ipsis auxilium ferente, arte ac dolo cępit. Erat apud Fabium miles Tarentinus. Eius sororem insigni forma præditam Tarenti Abrentius deperibat, cui eidem murorum custodia ab Annibale demandata fuerat. Hac re cognita, Fabius Tarentinum militem in vrbem ad sororem mittit. Qui sororis opera amicitiam cum Abrentio fecit, eúmque ad Romanorum partibus fauendum adduxit. Itaque Abrentius facta cum eo pactione demonstrauit, qua parte aggredi mœnia deberent. Fabius erectis scalis ascendens, per vim vrbem capit. Hoc facto, maximam omnium admirationem meruit, quòd Annibalem stratagemate superasset, qui plerunque fallaciis & dolis vinceret. Polyæn. lib. 8. Plinius de Viris illust.

Andreas Brachius Perusinus Turres inter Auersam vrbem ac Capuam positas astu occupauit, quo tempore aduersus Martinum quartum pontificem, ac Sforriam eius militarem ducem, ipse Ioannæ secundæ Neapolitanæ reginæ auspiciis, bellum gerebat. Audacem enim iuuenē, fœmineo habitu ornauit, quem ad Turres ipsas, veluti deuium & errantē iter facere iussit. Ab iis, qui in turriū præsidio erant, captus, dum tāquam fœmina esset, non obseruatur, in turrem conscendit, ad séque sublatis scalis, iis annuit, qui cum eo à Brachio missi, haud longè in insidiis rei exitum morabantur. Per eum igitur Brachius Turribus potitus, excursione totam regionem infestam reddidit, magnámque inde prędam abegit. Fulgos. lib. 7. cap. 4.

HOSTIVM FORTVNIS OFFICERE,

Vide suprà tit. Commeatum acquirere & introducere. Prædam tutò agere.

Tamberlanes Scytharum siue Tartarorum imperator potentissimus, vrbem opulentissimam oppugnaturus, varij generis merces per certos quosdam homines eò vehi, & vili precio diuendi curauit. Vilitate allecti ciues, aurum numerant & argentum: merces accipiunt. Mox Tamberlanes admoto exercitu vrbem expugnat: & cùm prius pecunia (quæ facilè abscondi poterat) hostes emunxisset simulatis mercimoniis, merces ipsas integras & saluas recepit.

VITIVM IN DEFECTV PRVDENTIÆ. STVLTITIA.

Explicatis Prudentiæ speciebus, succedunt nunc Vitia virtuti contraria, vt medio extrema duo, alterum in excessu, alterum in defectu. Defectum priore loco exequamur, qui priuatio est prudentiæ, & minore reprehensione dignus, quàm excessus: tum quia absque iniusticia est vtplurimùm, tum quia (vt simili vtamur) minus peccat, qui propter egestatem furtum committit, quàm qui diuitiis abundans, auariciæ tamen stimulis excitus, aliena bona compilat. Aristoteles, & ante illum Plato, ἄγνοιαν καθ' ἕξιν καὶ σοφιστικὴν *vehementer damnant, cui similis est Calliditas:* ἄγνοιαν κατ' ἀπόφασιν, *cui Stulticia respondet, tolerabiliorē esse iudicant. Stulticia igitur,* μόρωσις *Grecis, prudentiæ defectus est, tā in inueniendo, q̄ in iudicando: modo simplex, modò cōposita. Eustathius* μῶρον, ὡς μὴ ὁρῶντα, *dictū esse putat. Prudens omnia videt atque nouit: quod sub Nestoris persona Homerus innuere voluit, quādo inquit:* ὡς ἴδεν τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα· *& Latini sub bifrontis Iani imagine illud idem expresserunt. At stultus nec præterita obseruat, vt ex illis consequentia deducere posit, nec futura prospicit, sed belluino appetitu in præsentia tantùm fertur: quorum corticem solum (vt ita dicam) intuetur, quid subsit non intelligit. Eáque propter verè* μὴ ὁρῶν *appellari debet. Cæterùm quia stulticia prudentiæ opponitur, quot prudentiæ erunt species, totidem quoque stulticia habebit differentias: quas nos hîc typicè demonstrabimus.*

Exempla

Exempla STVLTICIAE in
- Genere. *stulti in genere.*
- Specie, *vel*
  - Extra *bellum, stulticia vrbana appelletur, tum in*
    - Inueniendo *& consulendo: vel*
      - Sibiipsi. μωμόσις πρὸς αὐτόν. *In quocunque genere bonorum tam publicè quàm priuatim.*
      - Aliis, *siue publicè, siue priuatim.*
    - Iudicando. *Iudiciū stultum, temerarium, præceps, tum de*
      - Suis *rebus.*
      - Aliorū: *vel*
        - Rebus, *dictis & factis quæ tamen nostrę prudentię nihil conferant. Iudicium ferre*
          - Publicè, *vel*
            - Extra *forum. Detractio publica.*
            - In foro.
          - Priuatim, *vel*
            - Extra *forum. Detractio, suspicio & calumnia priuata.*
            - In foro.
        - Consiliis, *quæ prudentiæ nostrę conferant, quatenus consiliis bonis parēre debemus. Bonis ergo cōsiliis non parēre, stulti est. Nō paret aūt, vel propter*
          - Obstinationem, *peruicaciam & superbiam: quia turpe putat, alios plus sapere. Tit.* ALIORVM *bonis consiliis obstinatè nolle acquiescere.*
          - Ignorantiam: *quia cùm rectè se intelligere existimet, reuera tamen non intelligit. Tit.* ALIORVM *monitis & præceptis propter ignorantiam non parēre.*
  - In bello, STVLTICIA *bellica, tum in*
    - Inueniendo *& consulendo malè sibi suisse.*
    - Iudicando. *Iudicium præceps in rebus bellicis.*

STVLTI IN GENERE.

Elpenor Vlyssis socius, in Circes ædibus vino somnóque grauatus, per scalas decidit, & ceruices fregit. De eo sic Vlysses in κ Odyss.

ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε νεώτατος, οὔτε τι λίην
ἄλκιμος ἐν πολέμῳ, οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς.

Sannas à Cratino comœdo introducitur, vnde & Latini subsannationem, & Græci stultos Sannas vocant. Eustathius in κ Odyss.

Polyorvs fluctus numerare & metiri conabatur.

Achævs, Callicôn cognomine, fictile vas puluinaris loco capiti supponebat. Verùm quia duricie illius offendebatur, paleis impleuit, vt mollius haberet cubile. Cognomen Calliconis obtinuit, ὡς κακὸς εἰς τὸ νοεῖν, hoc est, νοεῖν, per antiphrasin. Eustathius in κ Odyss.

Margites, euersa Troia, Priamo suppetias laturus venit. Nobili & locuplete patre natus fuit. Vxorem duxit virginem, neque tamen illi cōmisceri voluit. Astuta virgo se vulneratam in pectine asserit, neque alia ratione, quàm virilis membri immissione, Licinij loco, se curari posse conqueritur. Vxoris itaque salute pellectus Margites, dum chirurgum se præstare cupit, mariti officio functus est. Idem.

Melitides vltra quinque numerare non potuit. A quò nam parēte, patre an matre editus in lucē esset, ignorauit. Vxorem ducere noluit, ne cum matre imprudens coiret. Eustathius in Odys. κ. Brusonius lib. 3. Facetiarum, & Alex. lib. 2. cap. 25. Ælian. li. 13. euersa Troia auxilium Priamo tulisse scribit.

Amphetides tantæ fuit stulticiæ, vt ignoraret, vtro ex parente prognatus esset. Rauis.

Accon vetula solita fuit ad speculum cum imagine sua perinde ac cum alia muliere confabulari. autores Cælius & Erasmus, ex Græcorum testimoniis.

Xenophantvs stultus, quò magis risum cohibere nitebatur, hoc ridebat profusius. Rauisius. Cuius Arist. in 7. Ethic. cap. 8. mentionē facit.

Bagas quispiam stupidæ mentis, & attonitæ. Plutarchus in Collectaneis. Vnde ortum adagium: Vt Bagas constitisti.

Coroebi filij Mygdonis Phrygij, stulticia vulgi fabulis celebrata est, qui maris vndas numerare conabatur, quum non posset vltra quinque numerare. autores Eustathius & Lucianus apud Erasmū. Ælian. lib. 13. Var. hist. Ab eo Corœbi dicuntur omnes fatui.

Mammacvthvs quispiam sola insignis fatuitate. Vnde Mammacuthi dicuntur hiantes & stupidi. Aristophanes apud Cælium libr. nono cap. 28.

Aridevs Philippi filius, illegitimo thoro natus, & semi stultus. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

Cæcvlio quidam fluctus præ nimia stoliditate numerare conatur. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

Sannyrionem adeò stupidum fuisse ferunt, vt in lecytho scalarū gradus quærere & numerare voluerit. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

Adonis quàm stultus fuerit, quòd soli ficus compararit, recitatur ex Prouerbiis Græcorum, sub titulo Doctarum mulierum. In Praxilla Sicyonia.

Polydorvm quendam stupidissima mente fuisse, Comici poetæ referūt, cutémque illæsam ab incendio aliísque periculis habuisse. Æliā. lib. 13. de Var. hist.

Apharantes Lybies nominibus carent. Soli orienti conuiciantur, vt qui multa mala conspectui offerat, Nicol. de Morib. gēt. Stobęus sermon. 42.

Nulla gens tam populariter desipuit vnquam, nec magis temerè induit arma, quàm Psylli, qui in Aphrica circa maiores Syrtes sedes habuerunt. Hi, si vera sunt quæ à Græcis scriptoribus produntur, quia Austrum ventum plus nimio haberent inuisum, vt sibi & suæ terræ noxium, sumptis armis hostiliter in eum profecti sunt, ceu vnum aliquem hominem, & nō rem incorpoream, peterent: & illi tam stultè bellū ventorum vni intulerunt, magno humanæ mentis ludibrio, sed fortunæ adhuc maiori, victi sunt: turbatis enim Austrino flatu arenis, ad vnum omnes perierunt. Sabel. lib. 4. cap. 9. Herod. lib. 4. & Gell. lib. 6. cap. 11.

Thraces, cùm viderent ducem suum plurimas scalas fabricare,

quibus minabatur se ad Iunonem ascensurum, illósque accusaturũ, metu perculsi, ea quæ imperauerat fecerunt. Vide tit. Stratag. Milites ne deficiant, retinere, aut postquam defecerint, vt redeant.

BOEOTII rudes fuerunt & agrestes, maléque audierunt stoliditatis nomine. Horat.

Bœotum in crasso iurares aere natum.

Plutarchus scribit, Bœotos ab Atticis fuisse notatos tanquam brutos, stupidos & pingues, propter edacitatem. Rauis.

IVNIVM Ballum hominem cùm primis dicacem, vulgus asinum album appellabat, quòd feliciter esset stupidus ac ridiculus. Alba enim, veteres felicia vocabant. Erasm. lib. 6. Apoph.

Nero in CLAVDII stultitiam subinde iocabatur productione syllabæ, quum diceret, Posteaquam desiit inter viuos morari: prima syllaba producta. Moros enim Græcè fatuum sonat: inde finxit morari, pro stultum agere. quemadmodum nos à poeta poetari, à iuuene iuuenari. Sueton.

STVLTI IN SPECIE, EXTRA BELLVM.

Qui sibiipsis consulere nequeunt, in quocunque genere bonorum, tam publicè quàm priuatim.

ROBOAM, Solomonis filius, florentissimum regnum à patre relictum perdidit, intempestiuo ad populum responso. Omneis enim præter vnã, qua ipse celebatur, à se alienauit, Israelitarum tribus. Postulatum autem est, vt laxamenti aliquid à diuturno labore daretur populo: multũ enim operæ Solomone rege exhaustum erat in templo, & regia domo ædificanda. Sed stultus rex stultorum iuuenum consilio vsus, tam acerbè & immaniter respondit, vt regnum tanta indole à maioribus conditum & auctum, fit continuò in partes scissum: apparuítque nullum maius regnorum præsidium esse, quàm populorum studium & beneuolentia, qua sublata, nullum diu stare potest regnum. Sab. lib. 4. cap. 9.

Est sibiipsa exitialiter oblucinata ATTICA ciuitas, à Pisistrato decepta. Diuerberauit se ille domi, vt crederetur iniuria ab inimicis affectus. Quo astu tenuit, vt præsidio septus in publicum prodiret. Sed dum priuatæ saluti studiosè cauet credula multitudo, publicæ oblita est. Vsus concessis armis est Pisistratus, non vt ciuis, sed vt hostis: non vt se tegeret, sed vt patriam affligeret: dubium maiórne fallendi artifex, an carnifex crudelior. Ibidem.

CORINTHII non stulti solùm, sed dementes etiam habendi, qui non suam, non Romani populi virtutem metientes: sed præsentem animi affectum, Romanorum legatos stercoris iniectu pro concione violarũt. Peperit itaque iniuria illa Corinthiis excidium: iis verò in quos immissa est, laudis incrementum & imperij propagationem. Ibidem.

Romanorum gens CAPPADOCIBVS amicitiæ causa libertatem beneuolè concessit: eam tamen recusarunt Cappadoces, dicentes: Illam se ferre nõ posse, rogarúntq; vt sibi rex daretur. Admirati Romani, quòd inuenirentur qui libertatem recusarent, permiserunt, vt quem vellent regem eligerent. Illi statim Ariobarzanem elegerunt. Guido Bitur.

QVI ALIIS CONSVLERE NEQVEVNT, SIVE PVBLICE SIVE *priuatim, in quocunque genere bonorum. Consiliarij mali, hoc est, imperiti.*

Stultum consilium à malo differt, quòd stultum ex imprudentia oritur: malum verò ex calliditate, quando scientes id quod malum est, pro bono obtrudunt, vt vel sibi suísue prosint, vel alteri noceant. De stulto igitur consilio hîc agimus: de consilio malo inferius acturi.

EVA de ligno vetito dedit viro suo, qui comedit. Gen. 3.

Fuit CLAVDIO principi velut ingenita stulticia. Sed nihil vnquam stolidius fecit, nec tota vita inconsideratius aliquid, quàm quòd Domitium Neronem adoptauit, cùm Britannicum legitimo thoro natũ haberet, quem imperij hæredem potuit instituere. Verùm pellectus osculis Agrippinæ coniugis, facem illam adoptione accendit, qua non solùm propria ipsius domus, sed Roma & totus orbis conflagrauit. Sabel. lib. 4. cap. 9.

Nero Romanorum imperatorum licet natura crudelis in administrãdo imperio fuerit, CONSILIARIORVM tamen suorum instinctu multa contra suam dignitatem fecit. Posteaquam enim nemo increpauit eius libidinem, putauit non solùm rempublicam bene se gerere, sed etiam magna commoda rempublicam ex sua gubernatione accipere. Multa igitur crudelia egit, cùm crebrò à suis consiliariis audiret: Tu hæc pateris? tu hos times? ignoras te Cæsarem esse? téque illorum potestatem habere, non illos tui, &c. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Nerone.

DIOCLETIANVS adhuc priuatus dicere solebat, nihil esse difficilius quàm imperare. Id Flauius Vopiscus in Aureliano tradit se audiuisse à patre suo. Addit causam: Colligunt, inquit, se quatuor aut quinque, simul cõsilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit indices, quos fieri non oportet: amouet à Repub. quos debet retinere. Itaque bonus, cautus, optimus venditur imperator. At vulgus ad imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci vtcunque, eligi emptis suffragiis, ac solennibus cæremoniis confirmari. Erasm. lib. 6. Apoph.

IVDICIVM STVLTVM, TEMERARIVM, PRÆCEPS, *de rebus propriis.*

Habent exemplorum scriptores titulos, Quantum valeat error: de suspicione, & similes qui tamen ad locum Imprudentiæ referri debent, quatenus in iudicio error aliquis contingit, de rebus tam suis quàm alienis.

MIDAS optione sibi à Baccho data, vt quicquid vellet à diis sibi fieri, illud peteret & assequeretur: auariciæ stimulis accensus, vt omnia quæ tangeret, in aurum verterentur, optauit. Parum abfuit, quin fame moreretur. Ouid. lib. 11. Metam.

IVDICIVM STVLTVM DE ALIORVM REBVS *publicum. Suspicio, detractio publica.*

EXTRA FORVM.

Inconsulti iudicij iustissimas pœnas dedit Ammonitarum rex Amnon, qui Dauid regis legatis ad se de obitu patris sui consolandum missis, obiecto quòd terram suam exploratum venissent, partem barbæ abradi feci, vestésque ad nates vsque succidi, & hac ignominia affectos abire iussit: quos honore prosequi debuerat, si Dauid erga se animum, ita vt erat, expendisset. Peruersa igitur de amico suspicione in suam abreptus perniciem, pro barbis rasis capitis diadema amisit: pro succisis vestibus, regnum. Hinc quoque patet, quantæ stulticiæ sit, eius amorem despicere, cuius odio pares esse non possumus. Marul. lib. 5. cap. 1. & Sabel libr. 10. cap 2.

Pub. Valerius Publicola ædificauerat Romæ ædes longè amplissimas, nõ sine admiratione hominum ob structuram preciosissimam. Ex eo autem cùm in affectati regni suspicionem incidisset, clámque à quibusdam etiam maledictis laceraretur, consilium euestigiò cœpit diruẽdę domus. Nocte igitur, non exigua fabrorum manu, operariorúmq; conducta, domum omnem à fundamentis dirui tanta festinatione iussit, vt albescente iam die, ædificium vniuersum æquatum solo iaceret. Hac demolitione, non modò suspicionem aboleuit omnem, verùm in populo patribúsq; summam vitæ integritatísque suæ admirationem peperit. Pont. libro 5. cap. 1. de Prudentia, & Plinius de Viris illust. cap. 15.

Quantum ROMANA ciuitas in Q. FabioMaximo oblucinata est, tantum nec minus in Minutio: in hoc temeritatem pro fortitudine complexa, in illo prudentiã pro timiditate grauiter auersata. Vna tamẽ hora docuit multitudinis esse proprium, nihil sapere, temeréque iudicare: vt ybi

vbi consilio opus est, euentum requirat. Sab. lib. 10. cap. 2.

C. Heluius Cinna tribunus pleb. ex funere C. Cæsaris domum suam petens, POPVLI manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem sæuire se existimabat: iratus ei, quòd cùm affinis esset Cæsaris, aduersus eum nefariè raptum, impiam pro rostris orationem habuisset: eóque errore propulsus est, vt caput Heluij perinde atque Cornelij, circa rogum Cæsaris fixum iaculo ferret, officij sui & alieni erroris piaculum miserabile. Val. lib. 9. cap. 9. Xiphilinus in Iulio Helium Cinnam vocat.

Hermeas, è Caria dux inclytus ANTIOCHI Magni, qui cum eo Taurum pertransijt, & res magnas gessit: ad extremum ab eo ob suspicionem vnà cum coniuge & liberis, qui erant Apameæ, interfectus est. Polybius.

Philochorus Atheniensis, vir omnium disciplinarum peritissimus, vt eius scripta satis declarant, tempore Eratosthenis extinctus est, ANTIGONI insidiis Macedoniæ regis, ob amicitiæ suspicionem cum Ptolemæo rege. Suidas.

Cleomenes apud PTOLEMÆVM, ad quem victus ab Antigono cõfugerat, Nicagoræ cuiusdam calumnia apud regem suspectus, & custodiæ cum quibusdam aliis traditus fuit. Omnes mutuis vulneribus in carcere concidere. Plut.

ARISTONYMVS poeta comicus, veniens in suspicionem, quòd ad Eumenem transfugere cuperet, in custodia per aliquot annos fuit: tandem liberatus, mortem haud multò pòst obiit. Athenæus in Dipnosoph.

PRÆTORIANI milites, ludos in theatro spectantes, cùm arbitrarentur quẽdam ex commilitonibus, quem Augustus ab apparitore amoueri iusserat (equitum enim ordinibus, vbi ille consederat, is debebatur locus) Augusti iussu interfectum esse, coorto tumultu, parũ abfuit, quin Augustum interimerent. Sed remedio fuit, quòd is, quem interemptum putabant, incolumis repentè comparuit. Fulg. lib. 9. cap. 9.

Aulus Albinus nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione, ciuis & dux eximius, propter falsas & inanes suspiciones in castris ab EXERCITV lapidibus obrutus fuit, eíque oranti atque obsecranti, à militibus causæ dicendæ potestas negata est. Val. lib. 9. cap. 8.

TIBERIVS III. Apsimarus, imperator Constantinopolitanus, cùm Philippicum, cuius auxilio ad Imperatoriam maiestatem peruenerat, suspectum haberet, eum in exilium misit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Ioannes Damascenus Hebræus, captus in litore maris à piratis Saracenis, & à THEODOSIO redẽptus: cùm in suspicionẽ proditionis venisset, dextra ei ablata est (receptus enim erat in epistolarũ magistrum à Theodosio.) Verùm postquam deprehensus fuit, qui literas proditorias stylo Damasceni probè assimulauerat, in honore apud Imperatorem fuit. Volat. lib. 16. Anthrop.

Non longè à Turonibus vrbe Gallica, sacellum erat, cuiusdam corporis numini dicatum. Cuius quanquam ignoraretur nomen, tamen vulgò homines Martyrem appellabant. Illic vota HOMINES suscipiebant, atque persoluebant. Cùm autem Martino Turonensium episcopo permolestum esset, vt incerta res tanto in honore haberetur, ad sacellum cum paucis profectus, orare Deum enixè cœpit, vt verum in ea re detegere vellet. Mira res, clarè ab omnibus audita vox fuit, affirmãtis ipsum, qui eo in loco coleretur, latronem fuisse, qui propter grauia scelera suspensus fuerat. Quamobrem ex eo sacello corpus erutum fuit, proposito posteris eius rei exemplo, quæ in sacris literis habetur, scilicet, Multorum in terris corpora venerationem habere, quorum animæ cruciantur in inferno: atque idcirco, sicut vera sanctorum corpora, quos catholica Ecclesia inter cœlestium numerum recepit, Dei gratia, cui seruierunt, summos ab hominibus merentur honores: ita in colendis reliquiis, quæ incertæ sunt aut fictæ, cùm interdum ostenduntur, homines temperare sibi debere, neque eos imitandos, qui veluti diuinum numen, omnia colunt auro ornata ossa, cum ostenduntur. Fulg. libro 9. cap. 9. & Egnat. lib. 9. cap. 9.

IN FORO.

Exempla plurima ex tit. Iniustè accusati, & Iniustè condemnati, petantur.

Quid minus prudenter fieri potuit, aut magis insipienter, quàm quod IVDÆI, cùm Christus rex sub Pilato est Hierosolymis affixus cruci, fecisse dicuntur: qui cum Rom. præses cunctanter & religiosè de Christo statueret, publicè testatus nihil infandum illud iudicium ad se pertinere, vt propositum tenerent, ab vniuersa multitudine acclamatum est: Super nos sanguis eius, & filios nostros. Nec impunè id cessit, pœna iusti per omnem posteritatem in hunc vsque diem viritim sparsa. Sab. libro 4. cap. 9.

Palamedes, ad Troiam temerario Græcorum iudicio damnatus periit, Ithacensis VLYSSIS fraude. Sab. lib. 10. cap. 2.

ATTICIS in more est, vt cùm occiso boue reliqua omnia à cæde libera pronuncient, singulis ordine iudicatis, solum ensem condemnent, & dicant illum cædis autorem extitisse. Eius diei in quo hæc patrant, festum vocant Diipolia & Buphonia. Ælian. lib. 8. de Varia histor. & Pausanias lib. 1.

ATHENIENSES aiebant se purgare ciuitatem, cùm ex illustribus viris vnum aliquem ostracismo ex vrbe eiiciebant. Cæterùm rogati ab Aristide, quo suo merito se tali afficerent ignominia? respõsum est. Quia ferre non possumus te vbique bonum prædicari. Stultum iudicium, sed iudicij defensio adhuc stultior. Vbi enim virtutis laus grauis est & molesta, virtus illic grata esse non potest. Fuit illud non vitium eiicere, sed alere, omni præmio laudis repudiato, quo in primis gaudet honestior vita. Sab. lib. 4. cap. 9.

Alcibiades missus in Siciliam cum exercitu, & paulò pòst ad iudicium reuocatus, cùm in iudicio apparere nollet, & nonnulli eum monerent, debere ipsum PATRIÆ fidere: respondit, In his, quibus hominis vita contineatur, se ne matri quidem crediturum: ne fortasse cùm suffragium suum datura esset, errore ducta, nigrum pro candido calculum porrigeret. Fulg. lib. 7. cap. 2.

Pindarus poeta Thebis in contentione, imperitis AVDITORIBVS vsus, ipsorum iudicio insano superatus est à Corinna lyrica multo indoctiore quinquies. Redarguens verò rudem illam inscitiam ipsorum Pindarus, vocauit eos Carinnam. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

TARQVINIVS, vltimus Romanorum regum, Herdonium Aricinum temerario & inconsulto Latinorum iudicio perimendum obiecit. Sabel. lib. 10. cap. 2.

Claudia & TVTIA Vestales parum sanctè suam tueri virginitatem vulgò creditæ. Verùm vbi & hæc nauim vado remolita est, cingulóque aduerso Tyberi pertraxit, illa aquam hausit cribro, concidit fama mendax, & quàm stultè multi ex Pop. Rom. iudicarunt, tam dolenter & afflictim suæ temeritatis pœnitentiam egêre. Sabel. lib. 10. cap. 2.

Carolus Zenus, cùm Franciscum Carrarium in Gallia Cisalpina aggtem, pulsum à Vicecomitibus quadringentis aureis adiuuisset, vnde facilè reditum non multo pòst sit adeptus, illéque Carolo postea in patriam reuertenti eos reddidisset: ministri culpa factum est, vt nihil ille in commentarios Carrarij retulerit de numis superius à Carolo mutuatis. Qui liber mox Venetias perlatus, post pulsum Patauio Carrarium, dedit MALEVOLIS ansam opinãdi corruptum esse hac pecunia Carolum à Carrario. Quum verò grauiter animaduerti placuisset in eos, qui ab illo pecuniam accepissent, nec causam acceptæ pecuniæ publicæ apud magistratum profiterentur, aut graui pœna afficerentur, Carolus ipse nequaquam sibi cõscius alicuius sui erroris nihil omnino retulit penes magistratum. Qua ex re non multo pòst accusatus, magnóque errore denique actum, vt & procuratoria illi dignitas abrogaretur, & in carcere biennium esset, numerata pecunia, quam apparebat illum ab ipso Carrario accepisse veluti dono. Egnat. lib. 9. cap. 9.

IVDICIVM STVLTVM ET TEMERARIVM DE REBVS *aliorum, extra forum priuatum. Suspicio, Detractio & calumnia priuata.*

Huc quoque exempla tit. Artis suæ quisque optimus est magister, aliqua ratione possunt referri, in Theoricis simul & in Mechanicis: quatenus scilicet imprudentis est de iis rebus iudicare velle, quorum certam non habeat cognitionem. Suspicionis zelotypæ exempla pete ex tit. Timoris zelotypi.

EXEMPLA SACRA.

AARON & MARIA Moysen probro iactauerant, ob vxorem eius (vt inquit Scriptura) Æthiopissam, & quæ tam audacis petulantiæ caput & causa fuerat, in lepram incidit, vt corporis morbo mentis vitium puniretur: quoniam ab homine reprehendi non debuit, quem Deus suis colloquiis suáque familiaritate dignum iudicabat. Hinc discere licet, quanti periculi sit seculo seruientibus, vt quicquam sinistrum indecensue sentiant de seruis Dei. Fit enim plerunque, vt quod illi reprehendẽdum iudicant, apud Deum laudabile sit. Iccirco & apostolus clamat, dicens: Tu quis es qui iudicas alienum seruum, domino suo stat aut cadit. & ne de cadente etiam desperemus, ait, Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum. Marul. lib. 5. cap. 1.

Annam Helcanæ coniugem Domino in Sylo ardentius deuotiúsque supplicantem, cum considerasset HELI sacerdos, temulentam putauit. Vsque quò ebria eris, inquit, digere paulisper vinum quo mades. At ipsa à Domino exaudita, sterilitatis opprobrium fœcunditate deleuit. Exteriorem corporis gestum notauit Heli, & ebrietatis obiecit vitium: sed Deus intima respexit cordis, & compotem voti fecit. Sic cum sæpe falli necesse est, qui ex facie hominis animi occulta iudicat. Et quia solius Dei est nosse mortalium cogitationes, quisquis eas in altero coniecturis explicat, Dei iudicium sibi vsurpat. Dúmque in dubiis malè de proximo sentit, charitatem offendit. Quod vt sollicitius declinemus, meminerimus à Domino præceptum esse: Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate. Ibidem & Sab. lib. 10. cap. 2.

MICHOL vxor Dauid, cùm regem Ephod lineo accinctũ, & præ gaudio subsilientem coram arca Domini vidisset, despexit atque contempsit, leuitati ascribens, quod humilitatis erat, & magnæ in Deum pietatis. Ille ergo quantum se humiliauerat, tantum gloriæ adeptus est. Ipsa verò perpetuæ sterilitatis contumeliam tulit, vt se eius coniugio indignam cognosceret, quem scurris comparandum existimauit. Ibidem.

TERRÆ HVS habitatores simplicem illum & rectum, Deóque

probatum virum Iob, eo quòd calamitatibus opertus fuerat, iudicarunt, iniustum. Ipsi Dominus inter aduersa patientiæ meritum exaggerat, sed falsi rerum existimatores, non habentes in quo eum manifestò arguant, occulti criminis reum putant, quia in miseriis vident, digni illi talia ob culpam perpeti, qui talia passum vanissimo argumento delictis obnoxium censuerunt. Ex vitæ moribus, non ex casuum angustiis, qualis quisque sit iudicari debet, iuxta Euangelicum illud: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ibidem.

Raguelis ANCILLA, Saram eius filiam septies viduam & adhuc virginem, virorum suorum interfectricem, ausa est compellare. Quos tamē Deo volente a dæmonio præfocatos tradit Scriptura, vt illa tandem Tobiæ Deum timenti integra inuiolatáque seruaretur. Hanc ergo Deus ita diligebat, vt à prophanis contingi non sit passus, & eandem ancillę temeritas parricidio pollutam dicere non dubitauit. Pudeat nos vilis ancillulæ procacitatem sequi velle, vt hominum mores ex casibus ponderemus. Non semper quicquid aduersi euenerit, ad culpæ meritum est referendum. Viros amittebat Sara, non quia peccauerat vt viduitate puniretur: sed quia non peccauerat, vt intacta digniori marito copularetur. Ibidem.

Dominus noster Iesus Christus IVDÆORVM in iudicādo maliciam arguens: Venit, inquit, Ioannes Baptista, neque manducans panem, neq; bibens vinum, & dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Tales sunt qui de omnibus malè sentiūt, & quicquid egeris, vitio vertunt. Humilem appellant hypocritam, simplicem fatuum, ieiunantem phreneticum, non ieiunantem gulosum, delinquentes corripientem, durum & asperum: quieti studentem, desidem & ignauum. Nullum denique bonum agitur, quod hi malignis peruersisq; suggillationibus denigrare non contendant. Propterea meritò sanè de illis dicitur, Erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia & abusione. Ibidem.

SCRIBÆ & Pharisæi se legis diuinæ zelatores ostendūt, & sabbatum obseruant, Christi quidem miraculis eo potissimùm die fieri solitis inuidentes, non Deo gratum facientes, cùm nullum omnino tempus sit, quo benefacere non liceat. Eundem in Beelzebub eiicere dæmonia dicunt, ne in eo Dei virtutem confiteri cogantur. Et cùm se ille à dextris virtutis Dei sedentem in nubibus iterum venturum respondisset: Blasphemat, inquiunt, atque ipsum qui mortuos viuificauerat, reum esse mortis iudicant. Adeóque nihil verè videre potest liuor, vt innocentem & iustum crucifigi, homicidam & seditiosum dimitti exposcant. Barrabas liberatur, Iesus occiditur. Quàm autem execranda talia iudicia sint, Salomon aperit dicens: Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustū, abominabilis est vterque apud Deum. Ibidem, & Sab. lib. 10. cap. 2.

SIMONEM Pharisæum Saluator, apud quem discubuerat, falsę existimationis conuicit. Putauerat ille non esse prophetam, qui se à peccatrice muliere tangi permitteret. At misericors Dominus hospitem suum ab errore volens reuocare, & secretas eius cogitationes arguendo in medium protulit, & mulieri peccata palam dimisit, vt se nō solùm prophetam, sed etiam Deum probaret. Peccatricem denique illi prætulit, humilitatis officiis, dilectionis signis, fidei argumentis. Caueat igitur peccator peccatorem contemnere, ne dum alium accusat, ipse accusabilior appareat: sed potius peccatricis huius more humiliter, vt dum ipse ab aliis reprehenditur, à Domino defendi mereatur. Ibidem.

IVDAS Iscariothes vnguentum quò perfunditur Dominus, perditionem vocat. Vt quid perditio hæc facta est, inquit. Poterat vnguentum istud venundari plus quàm trecētis denariis, & dari pauperibus. Officiosæ erga Iesum venerationi callidè obtrectat, prætendens in egenos pietatem: non quòd egenis ipse misereri soleret (quomodo enim in pauperes pius esse poterat, qui in dominum suum tam impius fuit?) sed auaricię stimulis excitus. Proh indignum facinus, eleemosynam commendat, qui sacrilegium facit: misericordiam effert, qui proditionem meditatur. Nō ergo ideo commendat eleemosynam, vt commendandam putet: sed vt animi sui auariciam tegat, qua vnguenti effusionem non in suum versam lucrum tristatur. Itaque mulier, quam ille accusat, à veritate defenditur. Bonum, inquit, opus operata est in me, quid ei molestus es? At eleemosyna etiam bona est, bona vtique. Sed qui bonum alterius boni comparatione malum appellat, tam falsus atq; peruersus est, vt ne illud quidem quod approbat, satis amet. Ibidem.

HERODES rex, stultus, demens & delirus, pro stolido Christum à se dimisit, cuius vita absolutissima fuit virtutis idea, quique æterni patris sapientia dictus est. Sed omnium temeritas & stulticia mala, regū verò pessima: vel quia impunè peccent, vel quòd ad exemplum multo efficacior sit, quàm priuata. Sab. lib. 4. cap. 9.

Carthusiēsis cœnobij PRÆPOSITVS Bernhardo abbati, cùm ille ad ipsum visendum equo vectus aduenisset, ephippio nimis eleganti vsum exprobrauit. Attamen qui Deum magis quàm equi phaleras animo voluebat, quale ephippium illud esset, cui insidens à Claraualle iter egerat, penitus ignorabat, & ab iis qui secum venerant, quale esset quærere cœpit. Tunc haud dubiè apparuit, magis illi curæ fuisse qualem animum eò afferret, quàm qualem supellectilem. Itaque non semper ex vtensilium aliquo decore mens hominis erit metienda, sed ex operibus potius, vitæque conuersatione. Neq; enim qualis quæque arbor sit, folia ostendunt, sed fructus. Ibidem.

MACHETES abbas in Ægypto (sicut à Ioanne Cassiano traditū est) fratres incusare solitus, quòd vuam in faucibus tumentem tolerare non possent: sed præciderent, quòd in cellulis sagum haberent, quòd secularibus hominibus oleum pro medicamento consecrarent. Duo prima ad impatientiam referebat doloris & paupertatis: tertiū quandā arrogantiā, virtutísque ostentationem præ se ferre aiebat. At verò quicquid dudum in aliis reprehenderat, mox ipse egit inuitus. Nam in morbum vuæ incidens, præ dolore eam præcidi non solùm passus est, sed rogauit. Deinde corpori ex valetudine frigescenti sagum admisit. Postremò secularium hominum molestiis victus, oleum benedixit. Et confessus est suopte iam exemplo se didicisse, Monachum in quo alios labi iudicauerit, ipsum in eo lapsurum uel nolentem. Veram enim esse Domini sententiam, dicentis: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nam si nosmetipsos (vt Apostolus inquit) iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Marul. li. 5. ca. 1.

Fortunatum Tudertinæ ciuitatis episcopum infamiæ probro lacessiuit diabolus, per ipsum nanque ab homine expulsus, peregrini formā assumpsit, & cum clamore incedens passim queri cœpit, quòd Fortunatus episcopus (qui ab omnibus hospitalis ac pius existimatur) se ab hospitio suo cum iniuria exturbasset. Hunc QVIDAM, malignis rumoribus nimis credulus, ac simul vt se munificentiorem episcopo ostenderet, domi suę accepit. Sed dum vnà cum illo ad ignem sedens (frigus enim erat) Fortunato licentius detraxisset, animaduertit confessorem suum nusquam cōparere, & filium paruulum iam ab eo possessum vertiginoso volutatu inter prunas deiici, vitáque destitui. Vnici tandem orbitate didicit infœlix pater, quantum scelus sit, & quale crimen, sanctorum hominum vitā vel cauillari, vel cauillantibus facilè credere. Ibidem.

EPHREM eremita columnam ignis ad cœlum vsque porrectam viderat, audierátque talem esse magnum Basilium episcopum: & hac visione illectus, Cæsaream venerat, vt tantæ existimationis hominē oculis quoque consideraret. Sed cùm solemni Epiphaniæ die pontificali pompa in magno clericorum cœtu fulgentem conspexisset, ipsum elatæ superbiæ columnam esse censuit, non ignitæ charitatis. Vocem postea è cœlo delapsam audiuit, multo plus ipsum voluptatis capere, felem, quam in cella sua habebat, manu demulcendo, quàm Basilium episcopum sacris vestibus sese ornando. Mox à Basilio accitus, cùm eiusmodi cogitationis errorem sibi obiici audiuit, cognouit Deum in eo esse qui aliorum arcana ei reuelaret. Prostrauit ergo se, & peccatum confitens veniam petiit: atque ita iam deinde, vt erat, de ipso definire cœpit, quanto scilicet exteriori apparatu elatior videretur, tanto interius humiliorem esse. Ibidem.

Quis de LVPO Senonum episcopo non malè opinaretur, si eum precessoris sui filiam virginem iam adultam (quam iuxta se educabat) tenerrimè diligere conspexisset, & quanta ille sanctitate polleret ignorasset? Sed profectò neque nota sanctitas obstitit, quin aliquādo domestici eius ipsum nimij in puellam amoris inter se taxarent. Quod ipse resciēs, coram omnibus euocatam osculo excepit, dicens: Non offendunt obloquentium verba, quem propria non inquinat conscientia. Quoniam autem virginis animum in Dei amore propensum cognouerat, eam ardenter quidem, sed corde syncero diligebat. Nihil prauum de ipso cōiicere debuerunt, quem irreprehensibilem totius reliquæ vitæ institutio testabatur. Ibidem.

QVIDAM Alexandriæ Vitali monacho de prostibulo egrediēti obuiam factus, alapam incussit, quòd ab eo libidinis causa infamem locum frequentari diceret. Et statim ipse à dæmonio arreptus malè torqueri cœpit. Assiduus quippe ibi erat Vitalis, non tamen libidinis causa, vt ille putauit: sed vt quæ se libidini prostituerant, à tam turpi vitę proposito reuocaret. Ad singulas enim penetrans, oblata pecunia noctem paciscebatur: neque quicquam tota ea nocte aliud quàm dolenter ingemiscere, & Deum pro salute perditæ mulieris deprecari, ita alias ad Deum conuertere, alias saltem eo tempore vt à scelere cessarent, compellere. Quæ res tunc clarius patuit, cùm post vindictæ diuinæ in percussorem miraculū, illæ ipsæ mulieres, apud quas aliquando pernoctauerat, palàm confiterētur, atque idem, percussorem suum miseratus, oratione sanitati restituisset. Nos tam anceps iudicium facilè vitabimus, si Ioannis Alexandrini episcopi prudentiam imitari voluerimus, qui ipsius Vitalis delatoribus ita fidem adhibuit, vt sanctum virum ne in lupanaribus quidē impudicè versari crederet. Tutius nanq; cōsilium, æquior deliberatio, certius iudicium, semper bene præsumere de iis, quos nunquam in crimine nouimus deprehensos. Ibidem. & Sabel. lib. 10. ca. 2.

GERMANA Monasterij Thebaidis soror, sorori Euphraxię per hebdomadam inter sum perducta ieiunia, quæ admirari debuerat, vitio dedit: ausa dicere iis ab illa nihil aliud quam viam affectari vt cæteris præesset, eo quòd hoc ieiunij genus nulla antea præter abbatissam attentasset. Tantam in iudicādo temeritatem abbatissa nequaquam impunitam dimisisset, nisi Euphraxia de se obloquēti protinus veniam suis precibus exorasset. Qua sanè erga æmulam benignitate ostendit, quàm quoque syncero in Deum animo ieiunaret. Tanto tamen Germana mala iudicās discessit confusior, quanto Euphraxia malè audiens patientior. Et profectò inexpiabilis pœnæ inuidiæ crimen est, ob hoc virtutem aliquam in altero mordere, quòd eam ipse assequi posse desperes. Nam etiam Spiritui sancto iniuriam facit, qui donum eius in illo cui datum est, petulanter sugillare contendit. Ibidem.

EXEMPLA PROFANA.

THEBE Alexādrum Phereum maritum propter pellicatus suspicionem interfecit. Cice. lib. 2. Officiorum.

CYRVS rex Persarum contra Babylonem tendens, vbi venit ad Gyndem amnem (qui in Mantienis ortus montibus, per Dardanios in Tygrin alterum amnem fluit, qui Opin vrbem præterlabens, rubro infunditur mari) conabatur hunc fluuium Gyndem traiicere, cùm non posset

nisi nauibus traiici. Interim quidam è sacris equis candidis, petulanter ingressus fluuium, transire conabatur. Hunc fluuius vorticibus contorquens, abripuit. Cyrus per quàm ægrè ferens hanc fluminis iniuriam, illi comminatus est, se sic redditurum eum tenuem, vt posthac facilè vel à mulieribus transiri posset, ne genua quidem tingentibus. Hæc minatus, expeditione in Babylonem intermissa, copias suas bifariam diuisit. De hinc alueos ad funiculum designauit cētenos & octogenos vtrinque ad Gyndis labra omnino conuersos, quos distributis copiis effodi iussit. Et opus quidem, vt quod à tanta multitudine fieret, perficiebatur: tamen in eo faciendo eam æstatem triuerunt Herod. lib. 1. Rex alioqui prudentissimus, stultissimum sese in hoc ipso exhibuit. Quasi verò iniuria aliqua à re inanimata inferri possit, aut si inferatur, vindicari debeat.

Cùm Cleonice Byzantia virgo, noctu ad Pausaniæ Lacedæmoniorum ducis cubiculum, cæterùm aliquantò serius quàm constitutum erat, venisset, & ob id Pausanias, quòd eam amplius non expectabat, dormiret: Cleonice cubiculum ingressa, manu lumen gestans, quod à custodibus, qui foris dormiebant, acceperat, cùm incommodè incedens offendisset, atque ob id non sine strepitu ad terram extincto lumine concidisset, PAVSANIAS, cui suspicio multa inerat, somnolentus è strato prosilijt, proditionem veritus, atque arrepto gladio, cubiculi hostium, vt in tenebris poterat, petens, in Cleonicem non agnitam incidit, atque hostem arbitratus, extenso gladio statim interemit. Somnus enim ac suspicio, deinde tenebrarum error, egerunt, vt tanquam hostem eam interimeret, quam haud secus quàm se ipsum deperibat. Fulgosus libro 9. cap. 9.

HANNIBAL à Petilia classe Africam repetens, freto appulsus, dum tam paruo spacio Italiam Siciliámque inter se diuisas non credidit, veluti insidiosum cursus rectorem interemit. Postea diligentius inspecta veritate, tunc absoluit, cùm eius innocentiæ nihil vltra sepulchri honorem dari potuit. Igitur angusti atque æstuosi maris ex alto tumulo spectatrix statua, tam memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis, vltra citráque nauigantium oculis collocata indicium est. Val. libro nono, capite octauo.

CN. Pompeius cùm vlceris causa crus fascia circumcinxisset, in affectati regni suspicionem incidit. Erant enim QVI affirmarent, nullam aliam ob causam crura ligasse diademate, quàm vt diadema sibi ascriberet, nihílque referre qua in parte corporis gestaretur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 28.

Torsit L. SYLLAM, tametsi dictatorem, falsus de Cn. Pompeio rumor, torsit & multitudinis opinio, quæ temerè rumori accessit, Pompeiū in Aphrica à Sylla cum exercitu defecisse. Pacatus tamen ducis ad vrbem reditus, vanum populi iudicium arguit, & dictatoris animum metu liberauit. Sabel. lib. 10. cap. 2.

Eadem suspicionis vanitas diu sollicitum & anxium habuit VESPASIANVM principem: sed huiusmodi iudicium eo leuius, quo minus Vespasiano timendum fuit à filio, quàm Syllæ ab alieno adolescente. Creditus est T. Vespasiani filius, quia Hierosolymis euersis, non illico Romam venisset, de regno meditari. Credidit id pater, crediderunt & multi. Cæterùm Titus omnium opinione celerius, ad eiusmodi falsos de se rumores coarguendos sese patri ex improuiso obtulit. Veni, inquit, pater, veni. Per quæ suspicio discussa est, principique & ciuitati vana opinio meritò exprobrata. Ibidem.

Sæuum errorem admisit TIBERIVS Cæsar, dum per tormenta disquisitionem quorundam haberet, vt causam mortis Drusi filij intelligeret. Nam cùm ei significatum esset, aduenisse Rhodium quendam eius amicum, quem ipse per literas vocarat, vel quia malè audisset, vel quia in alias curas esset abstractus: statim iussit vt torqueretur, tanquam is esset, cuius persona ad totam rem aperiendam necessaria foret. Cùm autem non multo pòst admissum errorem deprehendisset, ne tam iniustè cum eo egisse homines intelligerent, primo errori crudeli addito facinore, suffocari Rhodium hominem iussit. Fulg. lib. 9. cap. 9.

Pythagoras, cū plurimos haberet auditores, CROTONIATÆ cum tyrannidem inuadere posse veriti, scholam eius succēderunt. Pythagoras cum discipulis quadringentis elapsus, ab insequentibus ciuibus in campo fabarum circumuentus est & trucidatus. Ex discipulis pauci euaserunt, vt Archytas Tarentinus & Lysis, aliíque nonnulli. Laertius libro octauo.

PRVSIAS, Bithyniæ rex, Nicomedem filium suspectum falsò ad occupandum regnum compulit. Vide tit. Crudelitas filiorum erga parētes.

DEVTERA Gallorum regina suspicione falsa inducta, propriam filiam interemit, quòd eam à Theodeberto marito amari suspicaretur. Fulg. lib. 5. cap. 8.

VSVNCASSANVS Persiæ rex, filium Masubeum secum semper in vinculis duxit, quòd eum cum matre ipsius Gurlumonech, qui ab eo desciuerat, sensisse falsò suspicaretur. Ibidem.

ERASMVS Roterod. Bononiam studiorum causa profectus, cùm more Gallorum presbyterorum togulam lineam supra vestem gestaret, in capitis periculum bis incidit. Nam cùm eo tempore pestis Bononiæ grassaretur, & chirurgus qui ea lue infectos curat, candido linteo ad læuum suspenso humerum insigni incedat, vt à fronte simul & à tergo ab omnibus conspici possit & euitari: qui nisi per deserta & auia loca incedat, saxis à plebecula impeti consueuit: lenones quidam, Gallici habitus ignari, Erasmum ex candida fascia chirurgum esse arbitrati, strictis gladiis eundem aggressi sunt, quòd per leophorum audacter incederet ægrè ferentes. Quòd nisi intra proximam ianuam, quæ bono illius fato aperta erat, sese coniecisset, actum erat de illius vita. Erasmus libro 24. Epistolarum, ad Lambertum Grunnium, scribam Apostolicum, de seipso hæc recitat, sub nomine Florentij.

ALIORVM BONIS CONSILIIS OBSTINATE
nolle acquiescere.

Vide exempla aliquot infrà sub titulo Superbiæ, eorum qui reprehensiones & monita aliorum ægrè ferunt. Nam quatenus non intelligunt id quod optimum est, imprudentes habendi sunt: quatenus verò maiores sibipsis esse videntur, quàm vt à quopiam admoneri debeant, superbi. Itaque non omnis superbus est imprudens: sæpe enim etiam sciens id quod deterius est agit, ne alteri obediendo, eo inferior & imprudentior fuisse videatur,

EXEMPLA SACRA.

PRIMI parentes post decerptos ex arbore vitæ fructus, à Sathana se delusos intellexerunt. Nihilominus tamen, quòd contra Domini mandatum factum erat, infectum fieri amplius non poterat: vnde non tantum sibi ipsis, sed omnibus etiam mortalibus æternæ pœnam damnationis pararunt. Genes. 3.

Angeli qui apparuerunt Loth, dederunt ei bonum consilium, vt exiret de Sodomis, & generos suos secum ducens, nequaquam post tergum respiceret, sed montem peteret. Indicauit hoc GENERIS suis, quibus filias desponsarat. Sed visus est eis quasi ludens loqui. Perierunt igitur cum ipsis Sodomitis. Vxor autem eius retrò respiciens, versa est in statuam salis. Ipse etiam Loth, qui iuxta consilium angeli noluit statim in montem ascendere, cùm propriis filiabus peccauit. Genes. 19.

FILIIS Israel volentibus ascendere ante tempus, ad locum, de quo locutus fuerat Dominus, ait Moyses: Non est Deus vobiscum, Amalechites & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quòd nolueritis acquiescere Domino. Num. 14.

Post scelus perpetratum in vxorem Leuitæ, conuenerunt filij Israel, & miserunt nuncios ad FILIOS Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nephas in vobis repertum est? Tradite homines, qui hoc flagitium perpetrauerunt. At cùm Beniaminitæ nollent obedire, omnes postea, exceptis paucis, fuerunt occisi. Iudic. 20.

ROBOAM filius Salomonis, noluit audire consilium senum, sed consilio iuuenum acquieuit: ideo magnam populi sui partem amisit. 3. Regum 12.

IOHANNAM Chareæ filius, & qui cum illo erant, cùm post Babylonicam captiuitatem in terra Chanaam iuxta Bethleem resedissent, & Chaldæos timentes, quò fugam vertere sibi expediret, Hieremiam prophetam consuluissent, illéque Deo reuelante ibi tutò mansuros dixisset, & si ad Ægyptum (vt parabant) transfugerent, perituros, malè de propheta suspicati sunt, &: Mendacium loqueris, inquiūt, non misit te Dominus, sed Baruch Neriæ filius, vt tradat nos in manus Chaldæorum. Transeuntes ergo in Ægyptū, vbi se putabant tutiores, ibi citius à Chaldæis oppressi sunt, & qui mendacem prophetam iudicauerant, sibi magis quàm illi credentes, in interitus sui foueam corruerunt. Quod nos defugientes, fidelium ac prouidorum consultorum monitis discamus acquiescere, non ea temerè diiudicare. Salomonis quoque sententia est: Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis. Marul. lib. 5. cap. 1.

GODOLIÆ, quem Rex Babylonis præfecerat terræ Iudæorum, nūciauit Iohana filius Careah, quòd Ismael filius Nathaniæ volebat eum occidere. Qui respondit ei: Falsum loqueris de Ismaele. Mense autem septimo uenit Ismael, & occidit Godoliam, postquam comederat cum illo. Ierem. 40 & 41. 4. Reg. 25.

Consilium meum placeat tibi, ô rex, & peccata tua eleemosynis redime, ait Daniel NABVCHODONOSOR regi. Ille non acquieuit, & mutatus est in bestiam. Dan. 4.

Profectus in Galaad Iudas Machabæus, reliquit IOSEPHVM & Azariam duces populi, & præcepit eis, dicens: Nolite bellum committere aduersus gentes, donec reuertamur. Illi verò voluerunt sibi parare nomen, & perdiderunt vitam cum nomine. 1. Machab. 5.

Habebat IVDAS Machabæus octingentos viros secum, aduersariorum verò vigintiduo millia, & monebant eum socij, ne pugnaret tunc, sed prius exercitu congregato. Noluit acquiescere eorum consilio: & in illo bello ipse cecidit, cæteri verò fugerunt. 1. Mach. 9.

Bonum consilium dedit vxor PILATI viro suo, sed ille acquiescere recusauit: magis timens Cæsarem offendere, quàm iustum sanguinem condemnare. Matth. 27.

EXEMPLA PROFANA.

TROIANI totiam acceptis cladibus, vix decimo demum anno de restituenda Helena consultare cœperunt. Quam si statim initio reposcenti Menelao reddidissent, innumerabilibus se calamitatibus subduxissent. Vide prouerb. Serò sapiunt Phryges: in eos quos stultè factorum serò pœnitet.

Demades dicere solebat, ATHENIENSES nunquam decernere pacem, nisi pullis vestibus indutos. Innuens eos esse bellandi cupidiores, quàm sat esset, nec nisi clade suorum admonitos de pace cogitare. Plutarchus.

Cum in quodã conuiuio Simonides adesset, aiunt PAVSANIAM Lacedæmonium, qui vnà epulabatur, iussisse, vt aliquid è sapientiæ præceptis depromptum narraret: & Ceum illum arrisisse, atque, Memento te hominem esse, dixisse. Id Pausanias tunc temporis non magnopere curauit, & nihili fecit, captus iam superbia, eo quòd ad Medorum partes se applicuisset, & elatus ob hospitij ius, quod ei cum rege intercedebat, forsitan etiam vino depulsus à sede rectæ rationis. Cùm verò esset in Chalceœco, & cum fame luctaretur, iamque calamitosissimam omnium mortem ob oculos cerneret, tunc inmentem ei venit Simonidis, & ter magna voce exclamauit: O Cee hospes, magnum quiddam in tuo sermone inerat: ego verò inani persuasione sum adductus, vt eum nullius momẽti putarem. Ælian. de Var. histor. lib. 9.

XERXES Persarum rex, in cuius nomine superbia & impotentia habitat, suo iure tam insolenter vsus est, quòd Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus: Ne viderer, inquit, meo tantummodo vsus consilio, vos conuocaui. Cæterùm mementote, parendum magis vobis esse quàm suadendum. Arroganter etiam, si victori ei petere regiã contigisset: tam deformiter victi, nescias vtrum insolentius dictum, an imprudentius. Val. Max. lib. 9. cap. 5.

CROESVS Lydorum rex, cùm à Solone audiuisset, neminem mortalium ante mortem beatum dici debere, Solonem tanquam stultum hominem, qui præsentem felicitatem parui faceret, à se demisit. Mox expeditione contra Cyrum Persarum regem suscepta, cùm se hominem non esse recordatur, captus regnoque exutus, & iam pyræ vt cremaretur impositus, saluberrimum Solonis consilium fuisse serò tãdem agnouit. Rectius Cyrus, qui cùm Solonis hanc vocem ex Crœso audiuisset, Crœsum ab incendio liberauit, & apud se toto vitæ tempore honorificentissimè habuit, humanæ inconstantiæ memor. Herod. lib. 1.

CROESO Lydorum in expeditione contra Cyrum Persarum regem occupato, Lydus quidam, nomine Sandanis (etiam antehac pro sapiente habitus, & ob hanc quam dixit sententiam plus nominis apud Lydos consecutus) hunc in modum consuluit: Aduersus tales viros expeditionem paras rex, qui coriacea subligacula, quique è corio reliquam vestẽ ferunt qui non quibus volunt cibis vescuntur, sed quos habent, vtpote regionem asperam incolentes. Ad hæc potu non vini vtuntur, sed aquæ: non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habentes. Quibus cùm nihil sit quod eripias, si viceris: sin victus fueris, animaduerte quot bona amittes. Vbi enim gustauerint illi nostra bona, circunsistent nos, nec abigi poterunt. Equidem diis habeo gratiam, qui non induxerunt in animum Persis, vt Lydos inuaderent. Hæc locutus, non tamen Crœsum persuasit. Crœsus itaque, sic agentibus cum fatis, à Cyro captus, regnóque exutus est. Herod. lib. 1.

Crœsus consultus à CYRO de bello suscipiendo contra Tomyrin reginam massagetarum: Si tibi, ait, esse videris immortalis, nihil est opus vt meam tibi sententiam dicam. Si verò te quoque agnoscis hominem, illud in primis discito, talem humanarum rerum circum esse, qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinit. Cyrus imperandi libidine accensus Crœso non paruit. Itaque in eo bello periit. Brus. lib. 2. cap. 37. ex Herod. lib. 1.

HARMONIDES à Timotheo aliquando petiit, quónam modo citò posset ex arte musica innotescere? Ei Timotheus Milesius citharœdus & poeta respondit, si peritioribus & optimatibus placeret. Cùm verò id consilium spreuisset, & intentissimè tibias inflasset, vt ita omnibus innotesceret, cum spiritu & vitam amisit. Lucianus in Harmonide.

Cyneas philosophus, Pyrrhum Epirotarum regem cum Italico bello imminere cerneret, fretus ingenii dexteritate, posse Pyrrhum de sententia deduci: Nosti, ait, Pyrrhe Romanos imperio potentes, animo corporéque pollere, multasque feras gentes domuisse. Si autem dij fauerent nobis adeò, vt victoria potiremur, quid quæso tibi vltrà agendũ putares? respondente Pyrrho, se Romanis militibus in Siciliam tum traiecturum. Cyneas: His etiã deuictis, ait, quid vltrà agetur? Aphricã traiiciemus, inquit Pyrrhus. Cui Cyneas: Sed his demũ partis, quib⁹ rebus tẽpora nostra transigemus? Tum Pyrrhus: Læti vnà inter festos dies ludosque agemus. Cyneas autem: Quis prohibet, sine tantis laboribus ac periculis, quin vel hac ipsa hora, cum tu magnus atque opulentus rex sis, lætè simul viuamus? Argutè simul, sapienterque hominum inexplebilem cupiditatem ostendens, quæ incognita, eos ad infinita pericula deducit. Huic si Pyrrhus obtemperasset, neque in Italia vulnus accepisset, neque Argis postea oppressus vitam amisisset. Si alij quoque, quos orbis terrarum habet principes, ista quæ Cyneas sapienter Pyrrhum monebat, meminisse vellent, ambitiosas curas magis frenarent, atque sibi terrarumq; orbi ad quietioris vitæ cursum rectius consulerent. Nunc prauos maiora habendi impulsus sequentes, non modò id assequuntur, vt anxij semper viuant: verùm etiam vt in grauissimas calamitates, atque in ipsam mortem sine vllius remedij spe cum populorum perturbatione incurrant. Ex Plutarcho, in vita Pyrrhi, & Fulgos. libro 7. cap. 2. & Bruson. libro 2. cap. 22.

Pontius SAMNITVM Imperator, apud Caudium ambos Coss. atque omnem exercitum Romanum præruptis & angustis locis incluserat. Miserabile spectaculum, tot fortissimos viros ademptæ pugnæ copia & armatos simul & captiuos cernere. Cùm interuentus noctis animos ab operibus in curas traduxisset, nec minus lætitia victoribus, quàm inclusus dolor consiliũ ademisset: visum est Herennium Pontij patrem, virũ & ætate & sapientia prouectum consulere, neque enim procul aberat. Senex audito rerum statu, consilium dedit, vt abire permitterentur, honorificis verbis & omni obsequiorum genere ornati. Quod vbi in castris apud feroces animos iuuenum agitari cœpit, nimis molle ac prorsus senile consilium, de tam infestis hostibus, & indigna res omnibus videri: proinde iussus nuncius reuerti, & virilius responsum poscere. At ille omnes ad vnũ occidendos censuit Rom. Enimuerò tũ cuncti, præcipuè imperator, delirantẽ iam senio patrem affirmare, qui de eadem re tam repugnantia suaderet. Quia tamen fama hominis ingens erat, placuit rursum exquirere, si quod fortè medium consilium haberet. Tum verò senior stratu sese iussit attolli, & vehiculo impositum ad castra filij præferri. Cuius ad aduentum circumfusis omnibus: Nihil, inquit, noui consilij daturus venio, sed eorum quæ dedi dicturus rationem. Primum quidẽ est, Romanos bello clarissimos & optimos mortalium viros, grandi & insperato beneficio astrictos, ex inimicitiis ad amicitias attrahere, & vobis ac posteris vestris tam validæ gentis præsidium promereri. Quónam enim modo vnquam odisse poterunt, aut eos aut sobolem, per quos se meminerint vitæ ac libertati redditos? Hoc si vobis displicet, secundum reor, vti præsenti fortuna, & gentem inimicam extirpare radicitùs: sic enim in longum non tantũ vobis consuletis, sed his qui ex vobis etiã nascentur. Tertium sanè quod ex me petitis, consilium nullum est. Nam quos, inquit, in manibus habetis, admittere contumeliis affectos, ea demum sententia est, quæ nec hostem tollit, nec amicos parat. O sapientem senem, & singula prouidentem. Veruntamen cæcus & insolens victoris animus, vtroque consilio despecto, tertium quod ille damnauerat amplexus, Exercitum ac consules exarmatos, & sub iugum actos dimisit. quod cùm annunciatum esset Herennio, vt audiuit eos mœstissimos deiectis frontibus abire nec amicum nec hostem posse à quoquam Romano verbum extorquere: Heu, inquit, miseri, quã graues minæ sub hoc silentio premuntur? Id quoque quàm verè præuiderit, subsecuta Samnitum strages, duce Papyrio Cursore, & impositum iugum declarauit. Petrarcha.

HANNO Carthaginensis, vir apud suos spectatæ prouidentiæ, præferuidum Hannibalis ingenium ab infantia contemplatus, semper suasit continendum domi sub legibus, docendúmque ex æquo cum ciuibus suis viuere, abstrahendum ab exercitibus, ne intẽpestiuo assuefactus imperio, postquam ciuem dedidicisset, tyrannũ ageret. Id quàm salubriter præmonuerit, declarauit exitus. Idem.

Spurina aruspex admonuit C. Cæsarem, caueret discrimen ingens, quod vltra Calendas Martias non proferretur. Eo die quum iret in senatum, Spurinæ fortè obuio: Quid ais, inquit, nónne venère Calẽdæ Martiæ? Venère, inquit, sed nondum præteriêre. nam eodem die cæsus est Cæsar. Bruson. lib. 7. cap. 20.

MAXIMVS Iuuanensium episcopus, cùm S. Seuerini monitis non paruisset, vrbe à Barbaris excisa in crucem actus ipse, symmystæ eius numero 55. è saxo præcipitati. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum, sub nomine Seuerini.

Consaluus Agridarius Magnus voluisset expugnata Cephalenia, Chalcidem decreto petere, & Turcis trepidantibus circa Peloponnesum arma Veneta ostentare, præmissis iam qui ea loca diligẽtius explorarent, Iacobo Agidario itineris duce, viro solertissimo. Sed Pisaurius Venetus imperator certo quodam consilio obstitit, maius id facinus ratus, quàm vt ex sententia rem cessuram speraret. Idem expulsis regno Neapolitano Gallis, eos Mediolanensi imperio eodem victoriæ impetu deturbare parabat, Andreæ Agidarij, viri in primis impigri opera ad hoc vsus: verùm secutæ mox inter Gallos Hispanósque induciæ prohibuêre. Sab. lib. 10. cap. 13.

ALIORVM MONITIS ET PRAECEPTIS NON PARERE, NON *quia nolit, sed quia non rectè quid velint intelligat: hoc est, propter ignorantiam, non autem propter obstinationem.*

Exempla plurima ex titulo, Oracula non intellecta peti poterunt.

ATHENIENSES, quamuis monente Solone, Pisistrato stipatores concesserunt. Quibus ille fretus, Tyrannidem occupauit. Solon sponte in exilium abiit: ciuibus tamen suis ita rescripsit, stulticiam illis exprobrando, teste Laert. libr. 1.

Εἰ δὲ πεπόνθατε δεινὰ δι' ὑμετέραν κακότητα,
Μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπεμφέρετε.
Αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύσια δόντες,
Καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔχετε δουλοσύνην.
Ὑμέων δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει,
Σύμπασι δ' ὑμῖν κοῦφος ἔνεστι νόος.
Εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε, καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρός,
Εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε.

Heliogabalus imperator, cùm iussisset Senatum vrbe Roma excedere, indicta morte, si quis remansisset, & sciret Sabinum consularem virum, spreto decreto, Romæ remansisse, centurionum VNI imperauit vt eum occideret. Sed cùm is surdaster esset, accepit occidendi verbum, tanquam ab vrbe eum pellere iuberetur. Itaque quem occidere iubebatur, ab vrbe expulit: & quod centurioni oberat, ne id quod iubebatur rectè intelligeret, id Sabino salutis causa extitit. Fulg. lib. 9. cap. 9.

Lartes Tolumnius Veientium rex, cùm in tesserarum prospero iactu per iocum collusori dixisset, Occide: & fortè legati Romanorum interuenissent, SATELLITES eius errore vocis impulsi, interficiendo legatos, lusum ad imperium transtulerunt. Val. Max. lib. 9. cap. 9.

D. MARTINVS aurigæ petenti, an ea vespera Lutetiam peruenire posset, prudenter & propheticè respondit: Si festines, excluderis: sin lẽto passu incedas, vrbem hoc vesperi ingredieris. Auriga indignabundus, tanquam à sancto viro irrideretur, currum concitato impetu agere cœpit. Rota igitur fracta impeditus, Lutetia excluditur, ac verum Martini præsagium fuisse reipsa cognouit.

VIATOR à sene rustico compendium itineris sibi monstrari petebat. Rusticus duas semitas ostendebat, alteram longiorem, sed breuiorem: alteram breuiorem quidem, sed longiorem esse dictitans. Viator stultitiam senis irridebat, donec homonymiam dicto subesse cognouit: & breuitatem partim ad itineris difficultatem, partim ad temporis quãtitatem referri audiuit.

QVI SIBI VEL SVIS MALE CONSVLVNT IN BELLO.

Imprudenter admodum, & stolidè sibi exitium pepererunt IVDÆI, non magis periculosa defectione à Romanis, quàm non necessaria. Ea res opes gentis, & vrbem Orientis clarissimam funditùs euertit. Furiæ scelerum execrabilem ciuitatem in eam dementiam adduxerunt, vt vrbs quæ casura erat, aliquanto citius caderet: essétque eo atrocior lapsus, quo maior fuit delinquentium culpa in Christi proditione. Sab. libro 4. cap. 9.

Omnium populorum alioqui præstantissimus is qui ROM. Quiritium fuit, cùm sæpe alias, tum Senonico tumultu parum sapere visus est, qui tribunitiis actionibus temerè assensus, Fabios à Gallis ad supplicium petitos, quòd contra ius gẽtium cùm legati essent, in se arma induissent: non solùm non dedendos censuit, sed exercitibus præfecit aduersus eam gentem, quam illi læserant. Per quæ supplicium paucorum ciuium in seipsum vertit, & fœda illa tempestas, quæ Clusinis imminebat, in totius ciuitatis dedecus & cladem redundauit. Ibidem.

GABINI in Italia se & sua perdidère, dũ stultè nimis tyranni & hostis filio credunt. Nudauit Sextus Tarquinius, vt transfuga, & patri iratus fœda verberibus terga Gabinis, pro concione: sed callidum consilium pressit, quod latebat sub pectore. Ex hoste igitur imperator est factus, & qui præsidio & saluti futurus credebatur, excidio fuit Gabinis & exitio. Ibidem. & lib. 10. cap. 2.

MACRINVS Romanorum imperator ab Artabano rege debellatus, conatus est missis ad eum legatis atque captiuis etiam, quos habebat, mollique oratione placare eius animum, & à proposito abducere. Sed cùm ille nihilominus incumberet in bellum, vellétque vt Macrinus vrbes euersas ab Antonino restitueret, decederétque ex Mesopotamia, & damnum quod illatum erat monumentis regum, resarciret: nullum tẽpus ad deliberandum sumpsit, sed ei, quod iam ad Nisibim venerat occurrit, ibíque victus est. Cúmque iterum congressus esset, non successit ei ex sententia, sed iterum legatus ad illam de pace mittere, eámque magna pecunia redimere coactus est, quam in Artabanum atque potentissimos viros, qui cum illo erãt, erogauit. Fuit autem is sumptus ad aureorum vicies centena millia. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Macrino.

VRSINA factio in plures Italiæ principes & populos diffusa, cũ Cæsaris Borgiæ ductu & auspiciis (fuit is Alexandri sexti filius) militaret, eius successum & potentiam cernens (dubium, sua sponte an alieno impulsu, nam vtrunque traditur) secessionem cum suis copiis fecit. Abduxit ea defectio res Cæsaris in discrimen, omnésque eius conatus, si in proposito mansissent, qui ab eo defecerant, facilè peruerti potuissent. Cæterùm siue ambitio fuit, seu fatum potius familiæ, quod vitare non potuit: paucis diebus, quibus defectionem ostenderant, vltrò in fidem rediêre. Sed quàm audacter res mota est, inconsideratéque Cæsaris imperium receptum, tam grauiter eius motus autores, viri alioqui fortissimi, spem pacis secuti, à Cæsare afflicti sunt sub eius potestatem redacti. Sab. lib. 4. cap. 9.

IVDICIVM PRÆCEPS, STVLTVM, TEMERARIVM, IN *bellicis rebus, tam publicis, quàm priuatis.* SVSPICIO *bellica stulta.*

Qui Stratagematum locos euoluet, sexcenta huius generis exempla reperiat. Stratagemate vti, prudentis est Imperatoris: eodem vinci, stulti & aliter quàm deberet de hostium conatu iudicantis. Iphicrates certè, interrogatus, cur absente hoste castra vallo cingeret? Turpissimam in Imperatore vocem esse, respondit, Non putarem: eoque magis, quoniam in bello bis peccare non licet. Qui volet, locos illos percurrere poterit, ne eadem toties repetere cogamur. Pauca tantum hic in medium afferemus.

GRÆCI suspicantes Alexandrum cum Helena Troiam nauigasse, vrbem obsidione decennali expugnauerunt, neque tamen Helenam inuenerunt: relicta enim fuerat ab Alexandro in Ægypto. Vide tit. Raptorum. Homerus Carminis exornãdi causa Helenam Troiam venisse scribit. Contrarium tamen tuetur Herod. lib. 2.

XERXES à 300. Lacedæmoniorum ad Thermopylas vexatus, cũ vix eos confecisset, hoc se deceptum aiebat, quòd multos quidem homines haberet, viros autem disciplinæ tenaces nullos. Front. lib. 4. cap. 2.

Chiorum classis, cùm insequentes hostes fugeret, fortè per noctem, apud Ephesum, tanquam in littus amicum ad terram descensionem fecit. In ea regione contigit, vt Ephesiæ mulieres per agros sparsæ, quę ea nocte Cereris sacris operabantur, cùm armatos sentirent aduentare, quãquam illi palàm facerent, se Chios atque amicos esse, tamen piratas suspicatæ, magnis clamoribus tumultũ in vrbe cõcitarunt. Vnde egressus EPHESIVS populus, Chios esse eos, propter quos ortus erat tumultus, ignorans, amicos, atque eosdem vicinos, pro hostibus interemit. Fulgos. lib. 9. cap. 9.

Eo prælio, quo Romani infœliciter apud Cannas cum Hannibale dimicarunt, vulnerato Pauli Æmylij consulis equo, qui ob id pedes remãserat: quidam equites, qui ei astiterant, ab equis descenderunt, vt consulem in alium equum transferrent. Cæteræ autem EQVITVM turmæ, quas quòd longè ab eo loco aberãt, causa, propter quam equites descẽderant, latebat, arbitrati consulis iussu atque consilio primos illos equites descendisse, atque idem omnibus agendum esse, eodem momento omnes ab equis descenderunt. Qui error, magna ex parte, vt eo prælio Romani vincerentur, causa fuit. Itaque Hannibal descendere Romanos equites conspicatus, ad suos conuersus dixit: Malle se vt Romani equites illud facerent, quod agere conspiciebantur, quàm vt vincti ad se deducerentur. Errore enim compulsi, sibiipsis equorum opem, quam necessariam habebant, ademerunt. Ibidem.

Graue damnum, per errorem penè accepisset populus ROMANVS, cùm vrbi vicino Hannibale mille ac trecentos equites Numidas, qui ab Hannibale ad Romanos transierant, ab Auentino in Exquilias consules traducerent: & vrbis longitudinem discurrentes, propter habitus similitudinem speciem hostium, qui vrbem inuisisse dicebantur, præberent. Nam cùm plebis fuga prę formidine omnia compleret, atque à tectis vndique discurrentes, in Numidas saxa demitterentur, vix tolli error potuit, & persuaderi populo, non hostes illos esse, sed transfugas, quorum opera plurimùm Romana res iuuabatur: & nisi in eo magistratus impẽsam operam nauassent, parum absuit, quin per errorem equites penitùs tollerentur, ac plebs ipsa vrbem desereret. Ibidem.

Cinnæ consulis EXERCITVS apud Cumas, arbitratus Pompeium, adhuc adolescẽtem, qui in castra venerat, atque inde clàm abierat, Cinnæ opera interfectum esse: arreptis armis, statim Cinnam nulla re antè vt certior fieret actã, interemit. Ibidem.

C. CASSIVM error à semetipso pœnas exigere coegit. Inter illum enim pugnæ quatuor exercituum apud Philippos varium, ipsisque ducibus ignotum euentum, missus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, vt specularetur, quónam in statu res M. Bruti essent: dum crebros excessus vię petit, quia tenebrarum obscuritas hostésne, an commilitones occurrerent, dignoscere non sinebat, tardius ad Cassium rediit. Quem is exceptum ab hostibus, omniáque in eorum potestatem recidisse existimãs, finire vitam properauit, cùm & castra hostium inuictẽ capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent. Titinij verò non obliteranda silentio virtus, qui oculis paulisper hæsit, inopinato iacentis ducis spectaculo attonitus, deinde profusus in lachrymas: Etsi imprudẽs (inquit) imperator causa tibi mortis fui, tamen ne idipsum impunitum sit, accipe me fati tui comitem, supérque exanime corpus eius iugulo suo gladium capulo tenus demisit: ac permixto vtriusque sanguine, duplex victima iacuit. pietatis hæc, erroris illa. Val. Max. lib. 9. cap. 9.

Vltimo Othonis prælio, aduersus Vitellium apud Bebriacum, quem locum recentiores Binam appellant, cùm Iulius Mãsuetus, miles Hispanus, pro Othone aduersus Vitellianos dimicaret: in medio prælij ardore, cũ non cognosceretur, à Filio interemptus fuit, qui in Vitellianorum

parte erat. Cùm postea veluti hostem eum spoliaret, non sine immenso dolore deprehendit illum patrem suum esse, & tam sæui facinoris errorem causam fuisse Fulg. lib. 9. cap. 9.

Eo prælio quo Mastelzeres in Africa aduersus Gildonem fratrem, qui ab Honorio Cæsare rebellauerat, dimicauit: Gildonis EXERCITVS, qui magno numero Mastelzeres copias anteibat, errore tantùm, neque alia re impulsus in fugam se vertit. Nam cùm Mastelzeres ad primam fratris aciem appropinquasset, atque priusquam manum consereret, blandè milites alloqueretur, Gildonis vexillifero, qui atrocius quàm cæteri respondebat, gladio brachium ademit. Et cùm ob eam rem, vexillum, vexillifero amplius illud non regente, cadens, inclinaretur, vltima acies, quæ Mastelzerem alloquentem viderat, & paulo pòst signum inclinatum, arbitrata primam aciem, quæ tota Romanis legionibus constabat, Mastelzeri tanquam Honorij duci deditionem fecisse: atq; id inclinato vexillo, quemadmodum eo tempore agendi mos erat, illud declarasset, à potiori exercitus parte desertam se credidit: itaque concursu facto, idem fecit, quod primam aciem fecisse arbitrabatur: Gildo ergo, cùm vniuersum exercitum suum ad deditionem moueri conspiceret, vitæ suæ metuens, in fugam se coniecit, ac fratri victoriam, nullo effuso sanguine, tradidit. Ibidem.

Cùm Totila Gothorum rex vrbem Romam obsideret, & BELISARIVS per amnem ferre obsessis opem vellet, interim dum fœliciter munimenta oppugnat, quæ Gothi in medio Tyberi constituerant, perlate ad eum nuncio, Isacium à Gothis captum esse, quem ipse in porta vrbe ad mare præsidio vxori reliquerat, credidit Isacium capi non potuisse, nisi vrbs quoque Portus esset amissa. Itaque nuncij atrocitate attoniti, nulla re vltrà petita, vt quomodo gestum illud esset, quod nunciabatur, certior fieret, omissa victoria, quam penè manu tenebat, retrò ad Portum se cõuertit, eo animo, vt vel illic occumberet, vel amissa recuperaret. Quò posteaquam peruenit, in columi reperta vrbe, intellexit Isacium ideireo captum fuisse, quòd contra ipsius imperium, vt cùm hoste congrederetur, eruperat. Agnouit igitur ingẽtem errorem, in quem delapsus erat, dum malè intelligendo fœliciter cœptum certamen omisit: tantumque ex eo dolorem concepit, vt penè ob id vitam amitteret. Ibidem.

Cùm Alphonsi Aragonij copiæ, vrbem Neapolim obsidentes, per cuniculum vrbem ingressæ essent, dum eas Galli (qui Renatum regẽ Neapolitanum defendebant) reiicerent, neque ab vrbe se eas pulsuros diffiderent: fortè contigit, vt Aragonius miles, deiecto ab equo milite Gallo, ipse in eum insiliret. Quem cùm GALLI in equo conspexissent, arbitrati Aragonium exercitum effracta porta, vrbem ingressum, quod neque cuniculo, neque scalis deduci in vrbem equi ab Aragoniis poterant: abiecta resistendi spe, in munita loca vt seruarentur, confugerunt, errore magis quàm hostium virtute superati. Ibidem & Eguat. libro 9. capite nono.

MVLLVS Cropellus, cùm à Matthæo Vicecomite, qui eo tempore Mediolani rerum potiebatur, missus esset vt Cremonam occuparet: per noctem vrbi appropinquans, muros silentio perfodit, ingressusque vrbem Pontionus Cremonensis exul (solum cum cẽtum viris, quòd subsequi nullum arbitrabatur, palatium statim occupauit. Cùm autem clamore sublato, Gregorius, summa gente ortus, ciuis Cremonensis armis arreptis, ad muros se contulisset, illic quà patebant, eos statim obtruxit. Itaque cùm Mullus arbitraretur Pontionũ in vrbe oppressum, præformidine retrò se conuertit. Gregorius autem Summus, cùm accepisset amissum esse palatium, arbitratus longè maiorem hostium numerum vrbem ingressum, quamquam septus esset magna fortium virorum manu, qua & Pontionum, & omnes qui eum eo sentiebant, facilè posset opprimere: hoc impulsus errore, quòd plures in vrbem quàm fuerant ingressos putabat, Cremona profugit, cùm noctis tenebræ in eum errorem eo in loco homines induxissent, vt qui numero plures erant, pauciores timorem ac fugerent. Ibidem.

PRVDENTIÆ EXCESSVS. CALLIDITAS.

ALterum extremum, vitiosum sequitur, quod non in defectu Prudentiæ, sed in excessu positum est. Ea verò potest quis nimium prudens esse? Potest certè, si iusticiæ limites egrediatur. Iusticia enim ea est, quæ veram prudentiam à simulata prudentia, seu potius a calliditate separat. Quare ratio eadem est genere in prudente & in callido: specie differt, quòd ille iusticiæ terminos obseruat, rectáque ratione, quæ honestatem solam spectat, nititur: hic verò peruersa ratione inductus, lucrum, voluptatem, honores honestati præponit. Peruersio autẽ ista rationis non defectiũ arguit, sed excessum: quoniã in illis ingenij siu acumen exercet, quæ extra veræ prudentiæ limites posita sunt, videlicet extra iusticiam & honestatẽ. Vt enim virtutes duæ sunt omniũ communissimæ, Prudentia & Iusticia, ita quoque mutuos operas sibimmice tradunt, vt vnam absque alia reperire non liceat: id quod Arist. in vltimo cap. 6. Ethicorũ manifestè declarat. Porrò vitium hoc callidtatẽ Latini nominant, Græcorũ imitatione, qui θερμὸν τρᾶγμα, callidè factũ dicunt. Caloris est, omnes actiones corporis humani (si Medicis credimus) promouere: atque etiam si vehementior fuerit, præcipitare. Hoc in calida cerebri temperatura videre est, quæ ingenia εὐφυῆ (vt in 2. Rhetor. testatur Arist.) parit, hoc est, acuta & subtilia: quòd si magis intendatur, in φρενετῆ καὶ μανικὰ degenerare facit. Prudentes ferè ἀγάπμα habent ingenia, aut εὐφυῆ: at callidi, μανικὰ, quoniã consilia sua propter nimiũ calorẽ præcipitant, & limites iusticiæ egrediuntur. Calor ergo causa est callidtatis, quæ à falso fallacia quoque dicitur, & suo ambitu mendaciũ cõprehendit, quatenus mentiendo alios decipit: quatenus verò à veritate mendaciũ deficit, sic sub locũ veritatis referendũ est. Astutiã quoque & astũ ἀπὸ τῆς ἄστεως deducunt, quòd hoc vitij genus potius apud vrbanos veteratores, quã apud simplices agricolas reperiatur. Dolũ Græci simul & Latini appellant, illi tamen magis generali significatione. Δόλον enim ἀπὸ τῆς δέλεαρ seu δελεάζειν, hoc est, ab inescando, dici opinantur. eúmque duplicẽ faciũt, alterũ cũ iusticia (qui ἀγαθὸς δόλος dicitur, non modo nõ vituperio, sed laude potius dignus, si prouerbio credimus, ὡς ἀπάτη; ἀγαθῆς θυ ἀποχρᾶ θεὸς. Hoc doli genere Vlyssem suum extollit Homerus, & in omni bellica actione nõ referre inquit, ὃ δόλῳ ἠὲ βίηφι, hoc est, an armis an stratagematis vincantur hostes. quem locum Vergilius conuertit, Dolus an virtus quis in hoste requirat. Stratagemata autẽ inter veræ prudentiæ locos iam antè connumerauimus) alterũ absque iusticia, quem Latini propriè fraudem appellasse videntur, & fortasse etiam dolum, Homerus κακὸς δόλος frequenter appellat. Dolus ergo ille bonis præsentis non est instituti, sed malis, quo alios iniustè quocunque genere fraudis circumuenire student. Hunc in contractibus C. Æquilius, rogante Cicerone, esse definiuit, cùm aliud esset actum, aliud simulatum. Sed hæc pluribus forsasse quàm par sit, à nobis declarata sunt, cùm ad Grammaticos potius quàm ad philosophos spectare videantur. Verùm quid prohibet, Socratis exemplo, præsupposita rerum cognitione, ex nominum etymologia eam ipsam confirmare. Apud nos constet, callidtatem, astum, fraudem, dolum malum, fallaciam, fraudulentiam, seu quocunque tandem nomine appelletur, prudentiæ excessum esse: eò deteriorem, quò longius à iusticia recedit. Superest vt Callidtatis titulos typicè describamus.

CALLI-



ASTVTI IN GENERE.

Astutia & Mendacium inter se coniuncta sunt, & planè eadem: differunt solo habitu. Astutia enim prudentiæ excessus est, Mendacium verò veritatis excessus aut defectus. De qua re vide infrà sub titulo Superbiæ & Dissimulationis. Proinde eadem exempla vtrobique locum habere possunt, diuerso respectu.

Architas dicebat: Quemadmodum si etiam summam diligentiam adhibeas, tamen piscem sine spinis non inuenias: sic neque HOMINEM qui non dolosum spinosúmque quiddam habeat admixtum. Ælianus de Var.hist.lib.10.

Primus SISYPHVS inter Græcos fallaciis ac dolo vsus esse dicitur, Æoli filius. Testis est Homerus,

ἔνθαδε σίσυφος ἔκεν, ὁ κέρδιστος γένεται ἀνδρῶν.

Polyæn.lib.1.

AVTOLYCVS Mercurij filius, in furtis secundas ab eo habuit. Et id quoque testatum facit Homerus,

παρνησσὸν δ' ἐλθόντα μετ' αὐτολύκων τε καὶ παῖς
μητρὸς ἑῆς, πατὴρ ἐσθλὸν ὃς ἀνθρώπους ἐκέκαστο
κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε, θεὸς δέ οἱ αὐτὸς ἔδωκεν
ἑρμείας.---

Polyæn.lib.1.

PROTEI dei marini transmutationes variæ ad varias eius fallacias referendæ sunt, quòd dolis quoscunque vellet superare posset. Eum tamen Menelaus diuino auxilio, vir vtique prudens atque sapiens, superat, & vera dicere cogit.

ALEXANDRINI fallaces fuerunt, alia semper cogitãtes, alia simulantes. Rauis.

MEGARENSES olim malè audierunt, tanquam fraudulenti ac ficti, quòd aliud sentirent, aliud loquerentur. Idem.

SICVLI pollent acumine & vafricia. Propterea Maternus eos acutos vocat, & Apuleius lib.11. trilingues. Vnde Sicilisitare verbum Plautinum, est astutè loqui. Idem.

CERCOPES populi fuerunt in Epheso notæ fraudulentiæ, qui conati sunt ipsi etiam Ioui imponere. Hinc adagium, Cercopum cœtus: de improborum conuentu.

PHRYNONDAS versutus & maleficus, summúsque malarum rerum artifex. Vnde quotiescunque hominem insigniter malũ volebant innuere, Phrynondam appellabant. Aristophanes apud Erasmum: Scelerate tu, ac Phrynonda, & impurissime.

ASTVS IN ANIMI BONIS IMPEDIENDIS, CORRVMPENdis, euertendis, virtutibus scilicet, siue theoricis siue practicis, & vitijs promouendis.

AD IDOLOLATRIAM AVT HÆREsim inducere.

SATHAN, si non forma, at certè opere serpens, primos parentes astu suo non corporis tantùm, verumetiam æternæ morti obnoxios reddidit. Omnis denique Ethnicorum deorum, qui dæmones sunt, benignitas erga homines mera fuit astutia: vt paruis allecti, animæ salutem, quod omnium maximum est, impietate & idololatria amitterent.

BALAAM docuit Balach quomodo per mulieres posset filios Israel ad idololatriæ peccatum trahere, & Dominum prouocare. Num.23.& 24.

IVLIANVS Imperator, Apostata non tormentis & mortibus, sed blãda quadam ratione Christianos à vera religione abducere studuit. Itaque præmiis, dignitatibus, blandimentis & persuasionibus longè plures apostatas fecit, quàm superiores Imperatores crudelitate sua. Crinitus libro quinto de Hon. disc. capite decimo ex Eusebio, Augustino & aliis refert.

IDEM cùm Christianos philosophicis quoque disciplinis imbutos Gentilium conatibus vehemẽtius resistere videret, edicto cauit, ne Græcorum sapientia iuuentus Christianorum amplius imbueretur. Verùm illius eadem Apollinaris pia ratione euertit. Vide tit. Prudentia in bonis animi siue eruditione promouenda.

HÆRETICI quo facilius vtriusque sexus simplices homines in errorem ducerent, socias mulieres sibi adiunxerunt, quarum consiliis & oraculis sese vti profitebantur. Simon magus Helenam (quam Ennæam & Selenen aliàs vocabat) Carpocrates Gnosticorum princeps Marcellinam, Apelles & Seuerus Philumenam, atque alij alias. Vide Catal. hæret.

ARIMINENSIS synodus sub Constantio Imp. Ariano ex 400. episcopis coacta, anno imperij Constantij 22. In qua Ariani Orientales ab Occidentalibus orthodoxis petierunt, concordię causa, vt ὁμοουσίου & ὁμοιουσίου vocabulo abolito, filium patri per omnia similem esse dicerent: & οὐσίας nomen, vtpote quod in Scripturis nusquam reperiretur, omnino abiiceretur. Consensere orthodoxi, pacis studio, præsertim cùm Christi diuinitati nihil hoc detrahere videretur. Omnes ergo tanquam Ecclesiæ concordia restituta læti in prouincias abeũt, sed tandem Ariani malitiam detexerunt. Valens enim Mursorum episcopus & Visacius Ariani, cœperunt palmas suas iactitare, dicentes, se filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Esse itaque filium creaturã (abolito οὐσίας vocabulo, quod soli Deo per se competat) sed similem penitùs patri, & propterea Deum creatum, non autem per essentiam. Ingemuit totus orbis, & οὐσίας vocabulo abolito, Nicænam fidem damnatam doluit, séque Arianum esse miratus est. Nec multo tamen pòst sub Damaso Romana synodus indicta, in qua Nicæna fides confirmata fuit. Socrates lib.2. cap.37. & Theodoretus lib.2. cap.20. & 21.

IGNAVVM ET NEGLIGENTEM REDDERE.

EVTRAPELVS quidam inimicis suis blanda quadam ratione nocebat. De eo sic Horat. in 1. Epist.18.

--Eutrapelus cuicunque nocere volebat.
Vestimenta dabat pretiosa. Beatus enim iam
Cum pulchris tunicis sumet noua consilia & spes,
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium, numos alienos pascet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

SVPERBOS REDDERE.

APOLLO Delphicus, dæmon versutissimus, vt Socratem virum optimum & sanctissimum vel inani sapientiæ fuco inficeret, vel saltem cum hoc præclaro testimonio sibi conciliaret, Socratem omnium mortalium sapientissimum esse respondit. Petrarcha de Oraculis.

IDEM Lycurgum legislatorem Lacedæmoniorum, diis ne an hominibus adiungeret, ignorare se ait. Sciebat proculdubio, sed ancipiti responso viri clarissimi mentem captare voluit. Idem.

CONSILIA ALIORVM EXPLORARE.

In AVGVSTO Cæsare adulteriorum consuetudinem legimus: hoc & inimici eius exprobrant: nec amici factum negant, sed excusant, multis periculis iactatum principẽ, insidiísque tam domesticis quàm externis, ad id non voluptate turpi, sed solerti consilio ductum: asserentes, quo facilius scilicet familiaritate fœminarum, quid eorum viri aduersarij sui vel sibi suspecti agerent molirentúrque, deprehenderet. Constat siue hinc siue aliunde, coniurationes contra eum omnes ferè surgentes oppressas esse. Petrarcha.

ASTVS IN CORPORIS BONIS PROPRIIS PROMOVENDIS, malísque remouendis, siue in iudicio, siue extra iudicium.

LICINIVS Iulij Cæsaris libertus quem Augustus Gallis præfecerat, homo nequissimus, cùm ex illicitis tributis atque exactionibus nouis, magnam pecuniam sibi collegisset, à Gallis eo nomine accusatus apud Augustum, cùm vitæ periculum sibi ob tãtam iniusticiam imminere non dubitasset, cogitauit quibus artibus euadere, atque à mortis se periculo liberare posset. Augustum igitur Cæsarem in domum suam introduxit, eísque thesauros omnes ostendit, móxque ait: Domine hæc omnia quæ coram vides coaceruaui tua atque pop. Rom. causa, & ne Galli rebus abundantes deficerent. Sic se, eo titulo, quasi in Augusti & reipub. gratiam Barbarorum vires eneruasset, liberauit ab omni vitę periculo. Historiam copiosius leges apud Dionem Nicæum in Augusto.

Erat Aurelianus imperator, quemadmodũ cæteris in rebus virtute admodum præstãs, ita humani sanguinis plus quàm bono principi æquum esset, auidior. Is cùm ad Persicam expeditionem cum exercitu iter iam facere cœpisset, & propter quędam haud magna admodum errata Mnesteo liberto, quem à manu habebat, non sine interminatione succẽsuisse videretur. Libertus qui optimè principis ingenium calleret, sciréṫque, leuiter eum nec comminari, nec parcere solere, malo esse loco salutẽ suã putauit. Itaque eo se timore liberare decreuit. Literas igitur, tãquã Aureliani manu scriptas confinxit, atq; in eis quorundam nomina notauit, quos aut parũ gratos principi, aut eis non multò ante ipsum esse interminatũ norat, inter ea nomina suũ quoque scripsit. Cùm autẽ non sine timoris significatione, adactis antè iuramento, rem in occulto seruaturos, has literas eorum quibusdam, qui inscripti erant, ostẽdisset, à se casu inuentas dixit, cũ principi excidissent, qui eas Tribunis daturus erat, vt nominati in eis interimerentur. Illi præ timore in desperationem

coniecti, cùm vera quæ à Mnesteo dicebantur, esse putarent, tanquam nulla salutis spes superesset, intentatum nihil omittere decreuerunt, vt Aureliani mortem suæ anteuerterent. Itaque cum postero die occiderunt. Quo facto, sagax Mnesteus, comites adinuenit, per quos magno illorum periculo, à morte reciperetur: neque enim illi, nisi de salute sua actum putassent, in Aurelianum manus extendissent. Fulgos. lib. septimo cap.3.

ASTVS IN BONIS CORPORIS ALIORVM CORRVMpendis. Astutè vitæ, pudicitiæ, sanitati aliorum insidiari.

EXTRA IVDICIVM.

Consule exempla Assassinorum, sub titul. Amor erga patriam. Item Veneficorum.

IONADAB filius Semnæ, Ammonem filium Dauid docuit, vt Thamar sororem Absolonis simulato morbo ad se euocatam comprimeret. 2. Reg.13.

Superbissimus AMAN, videns quòd Mardochæus ipsum adorare nolebat, persuasit regi per mendacia, vt totus Iudæorum populus deleretur. Esth.3.

ABSALON, vt Thamar sororis stuprum vlcisceretur, Ammonem cum reliquis ad conuiuium vocatum, in ipso conuiuio interfecit. 2. Reg. decimotertio.

SATRAPÆ Persarum vt Danielem regi inuisum facerent, authores fuerunt decreti de adoranda statua. Dan. 6.

HERODES clàm vocatis magis, diligenter ab eis didicit tempus stellæ, quæ apparuit eis, & mittens eos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero. Hoc verò qua intentione dixerit, apparuit in occisione puerorum. Matth.2.

PHARISÆI volentes capere Dominum in sermone, miserunt ad eũ discipulos suos cum Herodianis, dicẽtes: Magister, scimus quia verax es, licet censum dare Cæsari, an non? Matth.22.

SOSSIS Syracusanus, homo versuti ingenij, nouandi res occasionem nactus, sanguine fœdatus, & veste lacera lamentabili voce contra Dionem multitudinem excitauit. Verùm patefacto consilio, Athenis iudiciũ subiit, & pœnas fraudis luit. Alex.ab Alex.lib.2.cap.32.

PHARNABAZVS aduersus Lysandrũ scripsit Lacedæmoniis, qui eum hanc ob causam missa scytala ab Asia reuocarunt. Lysander suppliciter orat Pharnabazum, vt alias literas pro se mittat leniores. Pharnabazus pollicitus apertè quidem eiusmodi scripsit, quales Lysander petebat: alias verò scriptas clàm habebat. Itaque dum sigillum imprimit, commutatis libellis qui specie nihil differebãt, eam ei tradit quam occultè scripserat. Lysander reuersus Lacedæmonem, Ephoris, quemadmodũ moris erat, literas reddit. Qui cùm legissent, epistolam ei monstrauerunt: præfati nihil ei opus esse defensione, cùm aduersus seipsum literas attulerit. Polyæn.lib.7.

DECIVS Mundus Paulertam, simulata Anubidis forma, vitiat. Vide historiam sub tit. Superstitionis.

NERVA Traianus imperator Ælianum & Prætorianos, qui in Neruam coniurauerãt in primis ad se alia dissimulata causa vocatos, de medio sustulit. Volat.lib.23. Anthrop.

PERSA quidam simulans se velle adorare Haumar Amiram Saracenorũ, infixo in ventrem eius gladio peremit eũ. Sigebertus in Chronicis.

IN IVDICIO CONDEMNARE VEL accusare alios astutè.

VLYSSES Palamedem in iudicio Græcorum vicit, subiecto in eius tabernaculum auro barbarico: & sapientissimus ille Græcorum proditionis damnatus est per dolum ac stratagema. Polyæn.lib.1.

ANYTVS & MELITVS Socratis neci inhiantes, cùm periculum facere vellent, quomodo accusationem illius populus Atheniensis excepturus esset, Aristophanem poëtam petulantissimum precibus & precio ad νεφέλας in theatro exhibẽdas induxerunt, in quibus Socratis persona, habitus, mores nominatim accusabatur. Drama istud cùm Athenienses summo cum applausu excepissent, animos accusatoribus addiderunt, vt virum sanctissimum falsis criminibus conuictis cicutam bibere cogerẽt. Ælianus lib.2. Var. hist.

Cum multa Auxitani populi quererentur in se auarè & crudeliter gesta esse, sub administratione BITVRIGIS ducis, qui Caroli sexti Gallorum regis patruus erat, à regio Senatu capi iussus erat Bethisachus, per quem dux ille omnia gessisse videbatur: quia ducem ipsum compellare non audebat, Bethisachus autem omnem culpam in dominum reiiciebat, cuius imperio quæ fecerat gessisse se ostendebat. Itaq; iam vt innocens habebatur, cùm per fraudem ei significatum fuit, iudicio ipsum, vt vel strangularetur, vel combureretur damnatum iri. Itaq; cùm ea re Bethisachus attonitus, cum iis qui illud nunciarant, consilium ad inueniendam opem iniret, monitus est, si se hæreticum dixisset (nam ita aliud tribunal causa requirebat) fore vt Auinionem ad Pontificem mitteretur, è cuius manu dux Bituricensis facilè eum postea recepturus esset. Huius consilio motus Bethisachus, hæreticum se, & qui iam multos annos in Christum non crederet, fassus, adeò ira atque indignatione omnem Senatum mouit, vt statim, tanquam pessimus vir, nulla defensione audita, Senatus decreto cremaretur. Fulgos. lib.8. ca.1.

CHILPERICVS Gallorum rex, instigante regina Fredegunda, in synodo Parisiensi de maximis criminibus Prætextatum episcopum Rothomagensem accusauit. Verùm cùm probationes sibi deesse intelligeret, subornauit rex adulatores quosdam, qui Prætextato suaderẽt, regem humanum esse: interim tamen in tuenda sententia quacunque pertinacem, ergo eius misericordia fretus, fateretur delictum quamuis innocẽs: fore enim vt rex eius obsequio victus, misericordẽ sese exhiberet. Credidit miser, & crimen fassus, post graues plagas in exilium relegatus fuit. Gregor. Turon. lib.5. cap.18.

PERICLES in Repub. Atheniensium potẽtissimus erat. Inimici cùm eum apud populum accusare vellent, prius periculum fecerũt, quale populus de ipso iudicium laturus esset, & Phidiam statuarium, Periclis intimũ, falso crimine furti accusarunt. Phidias in carcerem coniicitur, & veneno innocens necatur. Pericles Phidiam defenderat, & iam infestiorem populum habebat. Sed bello contra Lacedæmonios gliscente, cùm Periclis opera egeret Reip. accusatio fuit dilata. Plut. in Pericle.

ASTVS IN DEFENDENDIS ALIIS in iudicio.

M. ANTONIVS idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, vt si quid superiore iudicio actum, ei, quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum à se affirmare posset. Qui facti vix prudentis, tolerabilẽ causam habuit. Pro periclitantium enim capite, non solùm eloquentia sua vti, sed etiã verecundia abuti erat paratus. Val. Max. lib.7. ca.3.

ASTVS IN FORTVNAE BONIS VEL PROmouendis vel impediendis.

LIBERI SVPPOSITITII.

HENRICVS rex, Friderici filius, cùm regni hęredes ex proprio sanguine relinquere sibi cuperet, dominam Constantiam, monialem, Rogerij Siciliæ regis filiam, iam sexagenariam in vxorem duxit, medicorum persuasus consilio, qui prolem ex vetula nascituram pollicebantur. Intumuit igitur paulo pòst Constantiæ vterus, incertum quibus de causis. Creditum est à multis, prægnantem esse reginam credidit etiam, cuius maximè intererat Imperator. Ordinatum igitur est, vt in publico poneretur ad pariendum, aulæis tamen ad pudorem circumpendentibus. Prouisum ferunt, vt in horam partus alienus supponeretur, quem enixa regina videretur. Tres vno tempore mulierculæ non longè à reginę domo prægnantes, non longo interuallo omnes peperẽre, Physici, molendinarij, aucupis vxores. Vnius ex tribus, incertum cuius, infantulus affertur & supponitur (vt aiunt) reginæ, vt ab illa progenitus à cęteris putaretur. Auito nomine pater illum vocare Fridericum, mater suo de nomine dici cupiebat Constantinum, Sed demum vocatus est Fridericus, qui ad virilem ætatem perueniens, orbis se Malleum esse prædicabat. Albertus Crantzius lib.7. cap.38. Metropoleos.

Cùm GVIDO Montis Ferrati, Vrbinatium comes, grauiter ferret, se legitimos non habere liberos, vt in principatu ex se successorem inueniret, stabiliretq; concubinæ, quam habebat, tanquam ex se ortum: supposuit Bernardini Vbaldini Cardæ filium, quem postea Federicum nominauit. Sed ei haud multo pòst, ex vxore verus natus est filius, cui Odoni Antonio nomen indidit. Eum ob scelestam vitam cùm Vrbinates interemissent, Federicus populis ita annitentibus, ad principatum conscendit, vt comitis Guidonis naturalis filius, longè fœlicius ei, quàm his, de quibus est dictum, fauente fortuna. Nam vt Vrbinates Odonis scelus in se irritauerat, ita propter virtutis magnitudinem, Federicum, veluti numẽ Vrbinates coluerunt: sub eo quieta atque æqua omnia, non minus quàm Romani sub Numa assequuti. Fulgos. lib.9. cap.15.

QVI OBSCVRO LOCO NATI, PER DOLVM SESE claris familiis inserere conati sunt.

Magus quidam nomine Smerdes, propter similitudinem Smerdẽ Cãbysis Assyriorum regis fratrem, quem Cambyses interfici iusserat, se finxit esse atque aduersus Cambysem regnum occupauit: & nisi fraus detecta fuisset, quia desectas habebat aures (id quod Othanis filia palàm fecit, dum cum eo cubans, caput pertractasset) acquisitum fraude regnum quietè possedisset. Sed eum postea Darius, fraude detecta, cum regno, vita etiam priuauit. Fulg. lib.9. cap.16. ex Herod. lib.1.

Cùm Antiocheni à Demetrio Sotere, Seleuci filio rebellassent, à Ptolemæo Philometore, Ægypti rege adiuti, PROMPALVM Antiochi Epiphanis filium finxerunt esse, inditóque Alexandri Balaitis nomine, ad regnum aduersus Demetrium Soterem erexerunt, iustius quàm Demetrio regnum ei deberi asserētes. Adeò autem propitiam Prompalus habuit fortunam, vt propter populorum in Demetrium odij magnitudinem, rebellante reliqua Syriæ parte, quemadmodum antè Antiocheni fecerant, Demetrium prælio superatum interemerit. Cæterùm Prompalus postea nimiis fortunæ bonis corruptus, cùm insolenter nimis atque libidinosè, malè partum, malè administraret regnum: post aliquot annos à Demetrio Nicatore, Soteris Demetrij filio, quem ipse occiderat, Syria pulsus, in Arabiam effugit, vbi interemptus fuit. Fulg. Ibidem.

Haud multò pòst simili fraude, ÆGYPTIVS iuuenis, mercatoris Protarchi filius, cùm se Alexandrum Zebannam appellaret, Antiochi Soteris Syriæ regis adoptiuum filium, quem Parthi in prælio occiderāt, à Ptolemæo Phiscone Ægypti rege, aduersus Demetrium Nicatorem Syriæ regem adiutus, tam multis, quas appositè fingebat, lachrymis, Antiochi corpus sepeliuit: adeóque hac pietatis specie populorum gratiam sibi conciliauit, vt postea ad Demetrium Nicatorem superandum, & ad parandum totius Syriæ regnum multum ei laborandum non fuerit. Verùm postea variante fortuna, regno depulsus est ab Antiocho Crispo, siue (vt nonnulli aiunt) Gripho, qui Demetrij Nicatoris filius fuit. Nam cùm Antiochiæ auream Iouis statuam furtim rapere vellet, ea re detecta populus arma cæpit. Inde mari fugiens, aduersa tempestate actus, cùm in maritimos latrones incidisset, captus, atque hosti suo deditus, fraudis atque ficti nominis, in alieni regni occupatione, acerbas moriendo pœnas luit. Ibidem.

ARCHELAVS, Mithridatis se filium fingens, gener atque idem successor Ptolemæi Ægypti regis factus, in Asia quoq; magnis vrbibus potitus est. Cæterùm tandem à Gabinio prælio superatus, vitam ac simul malè partum regnum amisit. Idem.

ANDRISCVS, abiectæ vir fortunæ, Demetrio Syriæ rege subornāte, Philippi nomen vsurpauit, & Persæ Macedoniæ regis filium se finxit, atque ab vrbe Roma profugisse se dicebat. Quem tanto omniū consensu ac fauore Macedones acceperunt, vt breui eum Macedonici regni possessorem, homines viderint. Ibidem.

C. IVLIVS Cæsar barbarum quendam, ob eximiam similitudinem Cappadociæ regnum affectantem, tanquam Ariarathes esset, quem à M. Antonio interemptum luce clarius erat, quanquam penè totius orientis ciuitatum & gentium credula suffragatione suffultum caput, imperio dementer imminens, iusto impendere supplicio coegit. Valer. Max. lib. 9. cap. 16.

Cū Nicomedes, Bithyniæ rex vereretur, ne Mithridates, si Cappadociam occupasset (id quod tunc agebat) arma quoque in Bithyniam extēderet, sub hoc nomine quòd eam Ariathis filio in Cappadocia regnante traditurus esset: Iuuenem satis liberali facie præditum subornauit, vt tāquam Ariathis filius Romam proficisceretur, atque à populo Romano Cappadociæ regnum peteret. Vt autem res similior verò videretur, cum eo vxorem Laodicæam misit, quæ olim Ariathis vxor fuerat, vt rem esse, quemadmodum iuuenis dicebat, testaretur. Cæterùm à Senatu ambo, tanquam falsæ rei auctores, indicto silentio reiecti fuerunt. Fulg. lib. 9. cap. 16.

IVDÆVS quidam Sidonius Alexandrum, Herodis Antipæ Iudæorum regis filium se esse finxit, quem pater occidi iusserat. Affirmabat enim se à militibus quibus occidendi cura demandata fuerat, emissum, fugiendi potestatem habuisse, atque pro se alium haud dissimilem interfectum. Itaque & vultus similitudine, & verbis signísque, quibus vtebatur, à subornatoribus diligenter instructus, multis se verè Alexandrum esse persuasit. Iudæorum igitur permultis eum sequentibus, regio habitu ornatus, Romam venit, vt regni partem suam peteret. Vbi cùm Augustus Cæsar, prudentia sua fraudem, vt habebat, detexisset, occisi subornatores fuerunt, & ipse ad seruitutem in triremi remo alligatus. Ibidem.

EQVITIVS Firmo Piceno natus, Tiberij Gracchi filium se esse finxit, tanto populi applausu, atque etiam Tribunorum assensu, vt nisi fraus hæc detecta fuisset, magnum Resp. vulnus accepisset. Val. Max. libro 9. cap. 16.

HEROPHILVS Equarius medicus, C. Marium septies Consulem auum sibi vendicando ita se extulit, vt coloniæ veteranorum complures, & municipia splendida collegiáque ferè omnia patronum adoptarent. Quinetiam cùm C. Cæsare Cn. Pompeio adolescente in Hispania oppresso populum in hortos suos admisisset, proximo intercolumnio penè pari studio frequentiæ salutatus est. Quòd nisi Cæsaris vires huic erubescendæ procellæ obstitissent, simile vulnus Respub. excepisset, atque in Equitio acceperat. Cæterùm decreto eius extra Italiam relegatus, postquam Cæsar interfectus est, in vrbem redijt, & consilium interficiendi Senatus capere sustinuit. Quo nomine iussu patrum necatus in carcere, feras prompti animi ad omne moliendum scelus, pœnas pependit. Ibidem.

CHAMACES, humillimæ sortis homo, cum se C. Marij filium esse diceret, & post sublatum Iulium Cæsarem, apud credulam plebem seditiones moueret, Romæ circa annum ab vrbe condita 710. interfectus est, testante Liuio lib. 6. Dec. 12. Floro lib. 116. Epitomes.

AVGVSTI temporibus quidam clarissimæ ac sanctissimæ sororis eius Octauiæ vtero se genitum finxit, propter summam autem imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde atque ipsius filium retentum, subiecto in locum suum proprio filio dicens, Sed cùm plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est. Val. lib. 9. cap. 16.

REPERTVS est etiam, qui se diceret esse Q. Sertorij filium: quem vt agnosceret vxor eius, nulla vi compelli potuit. Ibidem.

TREBELLIVS Calca, asseuerantes se Clodium tulit. & quidem dum de bonis eius contendit, in centumuirale iudicium adeò fauorabilis descendit, vt vix iustis & æquis sententiis consternatio populi vllum relinqueret locum. Illa tamen quæstione neque calumniæ petitoris, neque violentiæ plebis iudicantium religio cessit. Ibidem.

CORNELIO Sylla Repub. potiente, quidam in domum Cn. Assidionis irrupit, filiúmque eius patriis penatibus expulit, vociferādo non illum, sed se Assidone esse procreatum. Verùm, postquam à Syllana violentia Cæsariana æquitas reduxit gubernacula Romani imperij, iustiore principe obtinente Rempublicam, in publica custodia spiritum posuit. Ibidem.

C. IVLIO Cæsare præside Reipublicæ, in consimili mendacio muliebris temeritas Mediolani repressa est. Siquidem cùm se pro Rubria quędam perinde, ac falsò credita esset incendio perijsse, nihil ad se pertinētibus bonis insereret, nec ei aut tractus eius splendidi testes, aut cohortis Augusti fauor deesset, propter inexpugnabilem Cæsaris constantiam irrita nefarij propositi abijt. Ibidem.

Imperante Othone, magni motus in Græcia atque Asia fuerunt, propter CITHAROEDVM, qui se Neronem fingebat. Is cùm vultu atque voce ei persimilis esset, aiebat, quo tempore Romæ disseminatum fuit, Neronem sibi vim attulisse, alium pro eo fuisse mortuū. Quamobrem, cùm seditiosis permultis eum prosequentibus, Syriam aut Ægyptū petere contenderet: quò si peruenisset, minimè dubium erat, quin Oriens totus tumultuaret, aduersa tempestate ad Cythum insulam inter Cycladas delatus est. Vbi cùm veluti verus Nero, in milites, qui ab Oriente veniebant, imperio vteretur, impulit vt parērent, atque Sisenna centurio à militibus desertus, profugere ab insula cogeretur. Qua re audita, cùm Asia penè tota nutaret, missis ab Othone duabus triremibus, nauis, qua is falsus Nero ferebatur, oppugnata est, atque in eo prælio is interemptus fuit, corpúsque eius Romam missum. Alius quoque vigesimo anno post Neronis mortem, cùm se Neronem fingeret, in Oriēte tantum nominis atque existimationis peperit, vt vix, nisi post aliquod tēpus à Parthis Pop. Rom. deditus fuisset, reprimi posse videretur. Fulg. lib. 9. cap. 16.

QVIDAM post mortem Commodi Romanorum imperatoris, Sextum Clodium Quintilium se esse dicebat (qui olim Commodi imperatoris crudelitatem fugiens, multos annos in latebris ignotus hominibus latuisset, atque iamdudum mortuus falsò iudicaretur) quem similitudine formæ referebat. Recuperare autem cupiebat facultates Sexti, & omnem dignitatem, quam olim amisisse se fingebat. Respōdebat interrogatus de omnibus scitè: Attamen postquam eum Pertinax Græcè, cuius linguæ Sextus peritissimus fuerat, interrogauit, errauit maximè, dum non posset intelligere id quod à Pertinace quæreretur. Vide copiosius ea de re Dionem Niceum & Xiphilinum in vita Commodi.

Nero, quemadmodum alios multos, ita etiam Scribonianum senatorem occiderat, & tamen imperante Vitellio inuentus est in Illyrico seruus, nomine GETA, qui se Scribonianum esse fingeret. Qui magna seditiosorum atque seruorem coacta manu, omnia in Illyrico turbabat, vbi olim Scribonianus in magna apud eos populos gratia fuerat. Sed breui Geta ad Vitellium perductus, atque à patrono agnitus, vt seruus ac fugitiuus mulctatus est. Fulg. lib. 9. cap. 16.

NYMPHIDIVS Sabinus, sub Galba prætorij præfectus, fortasse quia ad imperium aspirabat, se Caligulæ filium esse dixit: matri enim meretricis notam inussit, vt se Cæsarum sanguini insereret, quanquam id longè à vero abesset. Ibidem.

BARBARIVS Philippus, seruus fugitiuus, tanquam ciuis Romanus Romæ præturam gessit. Cuius præturæ administratione, postea Iurecōsulti vehementer laborarunt, dum de his quæ in prætura Barbarius gesserat, Ratáne esse deberent, ageretur. Illa tamen rata pronunciarunt esse ob fraudem, haud à iure absonam, qua nimis multi comprehendebantur. Ibidem.

CHILDIBIVS genere Antio, his populis vicinus, qui sub Sclauonorum nomine, Iustiniano imperante, regionem trans Danubium incolebant: dum inter Antios Sclauonésque bello contenderetur, à Sclauone captus, quia corporis robori animi vigor respondebat, magnam audendo famam sibi comparauit. Hunc Antius quidam, à Sclauone, qui eum cæperat, redemit, Romani captiui hortatu: per hunc enim modum, se quoque liberatum iri sperabat. Antio autem asseruit, hunc Childibium, quia & virtus & nominis similitudo fidem faciebat, illum esse, qui ad Danubium Iustiniano imperante, Thraciam magnis rebus gestis rexerat, prælióque cum Sclauonibus edito, interijsse credebatur. Qua de re rogatus hic Childibius, cùm ea negaret, Romanus captiuus, vafro vir ingenio, ei cuius erat captiuus persuasit, hunc verum esse illum Childibiū, sed præ timore affirmare rem non audere. Itaque res palàm facta est. Ille partim quia terrebātur, nisi quod Romanus dicebat, affirmaret, partim quia euasurum se in maiorem fortunam putabat, si is Childibius, quem ferebant, putaretur esse: aliorum de se opinionem sequutus, quod alij ferebant, dicere & affirmare cœpit. Cùm igitur Iustinianus Sclauonibus atque Antiis opinionem fecisset, Turrim vrbem inhabitandi, quæ olim à Troiano condita, per id tempus continuis bellis à populo exhausta ac deserta erat: de ea incolenda, vtraque gens conuenit, si eis Childibius præficeretur. Existimabant enim, quemadmodum Thraciam olim virtute defenderat, ita ipsos nunc quoque defensurū. Missus ergo Childibius captiuus ab vtraque gente, ad Iustinianū orator, cùm in Narsetē eunuchum proficiscēs incidisset, qui Childibium primū, in prælio mortuum norat, diligenter ab eo excussus est: & quanquam Latinè loqueretur, & multa primi Childibij signa daret, tamen is esse, qui verè erat cognitus vinctus est, atque ad Imperatorem missus. Ibidem.

QVIDAM perditæ audaciæ homo se fingebat esse Fridericum Romanorum imperatorem, non mortuum, sed clàm suis elapsum, qui peracta gestorum perperam pœnitentia, nunc se redderet principibus. Fecerunt fidem aliquantum per corporis lineamēta non abhorrentia, permulta quæ nouerat eius secreta: quippe seruierat diu imperatori, & penitiora quædam intellexit. Sed vbi detecta est eius fraus, clàm tollitur. Crantzius lib. 8. cap. 16. Metropoleos.

A Virginis partu, ducentesimo ac quadragesimo tertio anno, post mille, in Asia minore, quidam fuit nobili inter Turcas genere ortus, qui COTHERINVS nuncupabatur. Hic quorundam Turcensium præfectorum opera, qui Baiothum Sulthanum inuisum habebant, cùm in publico cum matre ex composito contendens minis cum ea ageret, vt quo patre esset ortus, declarare vellet, ipsáque reluctaretur: arreptam capillis, grauiter calcibus pugnísque mulctauit. Itaque cùm filij vim vltra ferre se non posse ostēderet, palàm affirmauit, Cotherinū Baiothi Sulthani fratrem esse. Quam rem cùm populi ingenti gaudio accepissent, ad eum circiter viginti milliū hominum manus conuenit: atque vrbs Iconium iam deditionem fecerat, cùm inde profectus, vt Cādelorum occuparet, vbi regij thesauri custodiebantur, per fraudē à quodam Turcensi principe captus, vnà cum fratre suspendio vitam finiuit. Fulg. lib. 9. cap. 16.

Similem fraudem in Burgundia GONDEVALDVS astruere voluit. Nam cùm eius mater, quæ corpus vulgauerat, Clotharij Burgundiæ regis filium esse diceret, à Clothario atque Childerico eius fratre repulsus vt declinaret dedecus, quod inde in eum resultauerat, Hierosolymam in orientem profectus fuit. Mox audita Clotharij morte, cùm in Burgundiam rediisset, cumque populi excepissent, commisso cum Gonthrano vero Clotharij filio, graui prælio ab eo superatus, atque occisus fuit. Ibidem.

Mortuo in prælio aduersus Mauros in Hispania Aldephonso rege, HISPANVS, qui ei facie persimilis erat, se Alphonsum esse finxit, ostēdens propter acceptæ cladis dedecus, ignoto habitu, velle orbem terrarum peragrare. Quibus rebus apud multos (nam præter similem effigiē, multis quoque aliis signis, se verum Adelphonsum ostendere videbatur) tantum profecit, vt magnus hominum numerus Aldephonsum esse eum putaret. Itaque cùm ob eam rem multi hominem prosequerentur, veritus Alphonsus, qui in regno successerat, ne inde grauius sibi negotiū oriretur, comprehendi eum, atque suspendi iussit. Ibidem.

Anno à Virginis partu, centesimo atque trigesimoseptimo, supra mille, in Germania apud vrbem Solum aureum, ab eremo profectus QVIDAM, se Henricum quartum imperatorem esse palàm affirmabat, qui antea mortuus erat. Quamobrem, cùm multi ad eum transirent, inter Germanos graues ortæ sunt contentiones, cùm alij falsum Henricum, verum alij esse contenderent. Sed tandē aperta re, vt erat relegatus est, vt Clunij monasterium monachus inhabitaret. Ibidem.

Anno ducentesimo ac vigesimo quinto, aut circiter, post mille à partu Virginis iuxta vrbem Andronopolim, Balduinus primus, Constantinopolitanus Imperator, Flandriæ comes, in prælio à Græcis interfectus, nusquam repertus fuit, multíque ob id eum adhuc viuere dixerunt: inuentúsque est, qui se eum esse diceret. Per Belgicæ enim partē, quæ Flādria dicitur, in peregrini habitu vir quidam nomine BERNARDVS de Rayns errabat, verbis signísque permultis, fide apud plerosque facta, vt eum Balduinum esse crederent. Ob eam rem ingens hominum manus eum sequebatur, atq; aliquot iam vrbes ad eum defecerāt. Sed cùm Ludouicus Gallorū rex diligentius inquirere rem illam vellet, is, Ludouico ita requirente, Peronam venit. Vbi cùm eum inspexisset, obstupuit, cùm ex toto eius effigies Balduino simillima esset. Neque tamen hac similitudine contentus, aliis quoque modis de ipsa re certiora eruere voluit. Itaque cum meminisset Philippum regem patrem suum, equestria ornamenta Balduino dedisse: ab hoc petiit, vt diem, locúmque, atque modum declararet, quo equestri dignitate donatus fuerat, & vbi vxorē primò desponsasset, quæ regi Philippo arcta affinitate cōiuncta fuerat. Qua re is qui se Balduinum fingebat, cùm se captum videret, tempus ad respondendum sumpsit: tandémque detecta fraude, qui princeps atque Imperator illuc venerat, Perona in peregrini atque inopis viri forma abiit, à populis Flandrensibus desertus, quòd his respondere nesciret, quæ Ludouicus rex poposcerat, quæ ei, si verus erat Balduinus, exploratissima esse debebant. Nec multo pòst Herardi Castenaci opera in caupona Burgundiæ quadam captus, vt dignus erat, suspensus fuit. Fulg. lib. 9. cap. 16. & Crantzius lib. 7. cap. 22. Metropoleos.

Cùm Henricus quartus, Ricardum secundum, fratrem patruelem Britanniæ regem in vincula coniecisset, ac regnum occupasset, Salesberitanus comes ex matre Ricardi frater, vt eum liberaret, aut saltem vlcisceretur, regia veste Sacerdotem adornauit, qui olim in Ricardi musicorū numero fuerat, atque ei omnibus persimilis erat. Ricardum igitur in insula effugisse è carcere disseminauit. Ad eam famam cùm multi conuenissent, supposititiúmque regem sequerentur, Henricus valido exercitu cum eis conserta manu in fugam omnes conuertit, atque occidit, inter quos haud longè pòst verus quoque Ricardus fuit. Ibidem.

In Britannia regnante Henrico septimo, cùm is in carcere Eduardū, Georgij Clarentiæ ducis filium asseruaret (Georgius aut Eduardi atque Ricardi frater fuerat, quorum vterque in Britannia regnarat) Britannus quidam sacerdos, finxit Eduardum, qui in carcere erat, Henrici manus effugisse, & pro eo ADOLESCENTEM Oxoniensem organistæ filiū, qui ei simillimus erat, ostendebat. Hunc in Irlandiam deductum, eius insulæ populi regem appellarunt. Quibus subnixus, accedente præterea Britannorum exulum satis magna manu, in Britanniam traiecit. Vbi ab Henrico statim prælio superatus ac captus, cùm ab eo populo ostenderetur, vnà cum verò Eduardo, fraus illa prorsus detecta fuit, Henricusque hunc falsum Eduardum, anno quadringentesimo octogesimo septimo post mille, culinę seruitiò relegauit. Ibidem.

Post hunc falsum Eduardum, iterum anno quadringentesimo septimo, post mille, à Virginis partu, in Britanniam Scotorum ope QVIDAM descendit, qui se Ricardum Orcadum ducem nominabat, Eduardi quarti Britannorum regis filium, atque ad se regnū spectare asserebat: fingens, cùm patruus eius Ricardus, vt regnum ipsi ac fratri adimeret, occidi ambos iussisset, militem eum, cui cędes demādata fuerat, occiso primo eius fratre, precibus flecti se passum, alium pro se occidisse, atque ipsum liberasse. Cùm autem Eduardi effigies verbis addita (Eduardo enim vero simillimus erat) multos impulisset, & vt quę is dicebat, vera esse crederēt, à Carolo octauo Gallorū rege quæsitus, quòd eo tempore Henrico Britannico regi hostis erat, in Parrhisiorum vrbem cum honesto comitatu venit. Vbi posteaquam accepit, ab Henrico cum Gallis initam esse pacē, veritus, ne tanquam initæ pacis pignus Henrico traderetur, in Flandriā profugit, illicq; à Philippo Burgundię archiduce, cui Maximilianus imperator pater erat, tanquam propinquitate coniunctus in honore habebatur. Sed tertio anno pòst inchoata huius fraudis commenta, prelio ab Henrico rege Britannico, cùm in Britanniam traiecisset superatus ac captus, palàm fecit, se Tornacensis tonsoris filium, nomine Petrachinum Verbecchum esse: atq; ad vrbem Londam cùm idem affirmātes eius parentes venissent, ab Henrico liberatus, alimenta quoque quibus viueret accepit. Sed cùm postea iterum res nouas moliri deprehensus esset, in medio vrbis Londę foro capite mulctatus est. Ibidem.

ASTVS IN OCCVPANDA TYRANNIDE.

Consule tit. Seditionum.

MIDAS simulans se diis magnis rem diuinam facturum, per noctē Phryges cum tibiis, tympanis ac cymbalis eduxit, quibus enses occultè gestandos dederat. Ciues è domibus egrediebātur ad spectaculum. Illi tympana cymbaláque pulsantes, spectatores trucidauerunt, & in ædes apertas impetu facto, Mydam tyrannum constituerunt. Polyæn. lib. 7.

PISISTRATVS cum Megacle in Repub. simultates exercebat. Erat autem Megacles præfectus diuitibus. Pisistratus egenis & pauperibus. Et aliquando in concione multis conuiciis Megaclem insectatus, & minis, discedebat. Cùm seipsum deinde non leuibus vulneribus affecisset, postridie in forum prodiit, monstrans hæc Atheniensibus. Populus ira atque indignatione permotus, quòd suus præfectus & curator ipsorum tanta mala passus esset, ad protegendum corpus trecentos ei custodes addidit. Quibus clauigeris vsus, factus est Atheniensium tyrannus, & suis liberis tyrannidem reliquit. Polyæn. lib. 1. & Alexand. ab Alex. li. 2. c. 32.

IDEM ab Eubœa expeditionem fecit in Atticam, versus Pallenidem & in primas copias hostium incidens, eas occidione occîdit. Progressus, aliis pluribus obuiam fit. Ibi præcipit suis, vt sertis coronentur, neq; aduentantes occiderent, sed affirmarent se cum primis fœdus icisse. Illi credentes, pacem ineunt, & vrbem Pisistrato concedunt. Qui conscenso curru, fœminam magnam & venustam propter constituit, nomine Phyā, armis Palladicis ornatam: opinionem mouens, quòd Minerua ducem Pisistratum sine periculo immisisset: atque sic Atheniensium tyrannidem occupauit. Polyæn. lib. 1. & Val. lib. 1. cap. 3.

CYPSELVS, cùm clarissimos ex Bacchiadum familia Delphos misisset, qui de communi salute Corinthiorum oraculum consulerent, interdixit eis, ne Corinthum ingrederentur: atque in pósterum nobilissimis eiectis, securè tyrannidem obtinuit. Polyæn. lib. 5

DIOCLES Medus hoc pacto Medorum tyrannidem occupauit. Medi sparsim habitabant, nullámque ciuitatem habentes, sine legibus ac iudiciis vitam agebant, rapiebantq; sese mutuò. Diocles vicinis iura dabat, eósque æqualitatem seruare docebat. Eo delectabantur iudice, cuius nomen statim celebre apud Medos euasit, factúsque est ad eum concursus, tanquam ad æquabilem ac iustum iudicem. Cùm omnium beneuolentiam sibi fama & gloria conciliasset, præsidia comparauit: iísque vsus, per noctem lapidibus Tyrsen impleuit, & interdiu Medis ostendit, quasi eorum caussa hęc passus, & in mortis periculū adductus, quòd inter eos ius diceret. Multitudo indignabatur, & ad corporis securitatem decernebat ei locum munitissimum inhabitandum, arcem Ecbatanorum, & corporis stipatores quos ipse delegisset, eique victum de sacris pecuniis suppeditandum constituit. Hanc ille consecutus stipatorū multitudinem, indies his plures adiecit, & pro iudice rex factus est. Poly. lib. 7.

CLEARCHVS Heracleotes arcē ędificare volēs, cōstituit, vt mercenarij noctu clàm exirēt, raperēt, agerent, iniuriā inferrent, vulnerarent. Ciues id indignè ferentes, Clearchi auxilium implorauerunt. Qui neminem aliter desperationem eorum cohibiturum dixit, nisi quis ipsos mœnibus circumdaret. Permittentibus Heracleotis, locum ciuitatis muniuit, arce facta: non illos arcuit, sed potestatem ad iniuriam omnibus inferendam comparauit. Polyæn. libro secundo.

ARCHINVS, cùm Argiui arma cunctis ciuibus publico sumptu fabricarent, procurator eius officij designatus, singulis ciuibus noua arma largiens, vetera quasi diis suspensurus accipiebat. Etenim sic decretum fecerant Argiui. Postquam omnium vetera arma solus collegit, armatis mercenariis inquilinis, infamibus & egenis Argiuorum tyrannidem occupauit. Polyæn. lib. 3.

PHILOMEDVS Phocensibus, qui à Thebanis ac Thessalis bello petebantur, promittens se bellum fœliciter cõfecturum, cùm dux esset creatus, belli prætextu mercenarios collegit: affatimque sacris pecuniis ad eam rem abusus, ductum belli in tyrannidem conuertit. Polyæn. lib. 5.

SOLYSON Callicelis filius, popularis viri opinionem apud Samios habens, in ducem electus est, cùm Samij aduersus Ætolos bellum gerent, neque solenne festum celebrarent in templo Iunonis longius ab vrbe remoto, Solyson inquit, se in eo magistratu nequaquam commissurum, vt honor deæ negligeretur: quò stuporem etiam hostibus incuties, eos ad patrium conuentum pelliceret. Samij collaudata ducis pietate & fortitudine, venientes ad Iunonis templum, scenas, omniáque quę ad festi celebritatem pertinerẽt, summa alacritate parabant. Solyson per noctem in vrbem ingressus, à triremibus nautas intrò reuocauit, & Samiorum imperium occupauit. Polyæn. lib. 6.

THERON, Selinuntiis prælium aduersus Carthaginenses committentibus, cùm multi ex his qui occubuerant insepulti iacerent, & hostes instarent, atque illi sepelire mortuos non audentes, neque tamen insepultos relinquere sustinentes, consilium, quid agendum foret, caperent: Theron recepit, si triginta sibi darentur serui, qui ligna secare possent, se cum ipsis accessurum, & cadauera igni traditurum, ac polyandrium erecturum. Quòd si ab hostibus ipsi vincerentur, non inde magnum periculum ciuitati futurum, si vnum ciuem amitteret, & triginta mancipiorum precium. Laudarunt Selinuntij sententiam, eique concesserunt, vt seruos quos vellet sumeret. Qui robustos & florentes deligens, eduxit cum falcibus, bipennibus & asciis: vt ad combustionem mortuorum ligna secarent. Cùm exiuissent, persuadẽs eis Theron, vt dominis insidias struerent, serò vesperę in vrbem reuersus est. Quos mœniorum custodes agnoscentes acceperunt. Theron ipsis custodibus trucidatis, & plurimis ciuibus in lecto interfectis, ciuitatem occupauit, & Selinuntiorum tyrannus euasit. Polyæn. lib. 1.

THARON Agrigẽtinorum mercenarios in occulto paratos & instructos habens, cùm ei pecuniæ ad stipendia persoluenda non suppeterent, & ciuitas Mineruę templum magnificẽtissimum extrueret: suffuratus eas pecunias quas opificibus distribuere debuerat, suasit, vt summatim operum merces ad extremum solueretur, in eámque rem vades dignos acciperent, certúmque tempus definirent, quo templi ædificationem absoluere vellent. Vilius est non inutilem sententiam adferre, & ei ciuitas assensa, opus perficiendum locauit. Argẽtum accipiebat Gorgus, Theronis filius. Postquam igitur argentum ciuitatis accepisset, neque architectos, neque lapicidas, neque alios opifices conducebat: sed contra ciuitatem satellitibus mercedem dabat, & Agrigẽtinos suis pecuniis in tyrannidem redegit. Polyæn. lib. 6.

POLYCRATES, cùm Samij publicum sacrificium facere in templo Iunonis vellent, in quo cum armis pompam agebant, plurimis armis per causam solemnitatis collectis, fratres Syloſontem & Pantagnostum vnà pompam ducere iussit. Post pompam verò cum sacrificium obire Samij instituerent, plurimi arma deposuerunt ad altaria, partim occupati votis, partim libationibus. At qui cum Syloſonte & Pantagnosto erant, arma tenentes, vt virum adortus, omnes ordine trucidabant. Polycrates in ciuitate congregatis iis qui insidiarum participes essent, præoccupabat opportunissima loca, accurrentibus è templo omni studio fratribus cum armis, & auxilium ferentibus, & arcem muniebat, Astypalæam nomine, accersitis à Lygiamide Naxiorum tyrãno militibus, atque Samiorum imperium obtinebat. Polyæn. lib. 1.

PANÆTIVS, cùm Leontini bellum aduersus Megarenses gererent de finibus agrorum, dux belli creatus, primum egenos & pedites aduersus mercatores atque equites irritauit, quod illi longè deterrima conditione in pugnis verterẽtur, hi verò commodissima. Deinde pro portis armorum numerum atque delectum habere instituit. Eques aurigis traditos pabulatum ducere iussit. Sexcentos verò scutatos habens, idoneos & expeditos, ad eruptionem horum principi numerationem armorum permisit. Ipse verò sub arbores captaturas vmbram concessit, aurigísq; persuasit, vt impetum in dominos facerent. Illi conscensis equis incursionem in eos fecerunt, atque armis, quorum numerus habebatur, direptis, nudos & inermes trucidauerunt: atque scutati in eam cædem cõsenserunt, citatóque cursu vrbem occupauerunt, & Panætium tyrannum constituerunt. Polyæn. lib. 5.

AGATHOCLES cum Melca inducias fecit. Itaque hic in Libyam discessit. Ille verò congregata Syracusiorum concione: Hanc, inquit, horam semper omnibus votis optaui, qua ciues videbo libertate præditos. His dictis, deposita chlamyde & cuse, seipsum idiotam Syracusiorũ esse declarauit, quasi viro populari & moderato Rempub. commendassent. At ille post diem sextum, multis interfectis ciuibus, & fugatis plus viginti, ipse Syracusiorum imperium obtinuit. Ibidem.

SOSISTRATVS populum Syracusanum persuasit, vt eos quibus cum Agathocle necessitudo aliqua intercederet, quique ad tyrannidem assequendam suam operam ei præstitissent, communi decreto cum omni familia in exilium mitterent. Qui cùm extra ciuitatem venissent, mille viri comitantes eos partim armati, partim equites, alios comprehensos interfecerunt: alios qui effugerant Sosistratus, facta promulgatione, occidere concessit. Ipse verò exulum bonis potitus, conductis militibus Græcis ac Barbaris, iisque qui in lithotomiis vincti tenebantur solutis, stipatus his, ac satellitibus vsus, imperium in Syracusios tenuit. Ibidem.

HANNO Hamilcaris filius, quibus artibus tyrannidem occupare voluerit, vide infrà sub tit. Crudelitatis ciuium erga se mutuò.

GELON Dinomenis filius, Syracusius, in bello aduersus Himilconem Chalcedonensem suscepto, creatus summus dux & imperator: cùm egregiè pugnasset victor, prodiens in concionem, rationésque reddens imperatoriæ dignitatis, impensarum, temporum, armorum, equorum, triremium: & ob hæc vniuersa collaudatus, tandem exuit vestem, atque stans in medio nudus: Sic, inquit, ego vobis nudus sto, vos autem ornati. Itaque si quid à me gestum est intolerabiliter, proferte contra me. Tum ferro, igníque & lapidibus populus auxilium tulit, tanquam optimum ducem collaudans. Qui respondens inquit: Et in posterum igitur talem ducem eligite. Iterum populus: At alium talem non habemus. Ita creatus secundò dux belli, pro duce tyrannus Syracusiorum euasit. Polyæn. lib. 1.

DINIAS Telesippo natus, Pherensis, in vrbe Thessaliæ Cranonia paludibus & fluuiis auiculas aucupio venabatur. Ab eiusmodi vita ascendit ad tyrannidem, talibus machinis. Cranonij custodiam vrbis precio locabant. Dinias eam conditionem accepit, & vsque ad triennium summa cura diligentiáque excubias egit, vt noctes longè securiores essent diebus, his qui intempestiuè ambularent. Eam ob rem laudatus, plures sibi vigiles conduxit, vt maiorem laudem adipisceretur, si custodiam munitiorem efficeret. Cùm verò ciuitas frumentorum decimas mercede locaret, fratrem suum iuniorem ab omnibus officiis immunem subornauit, vt eas conduceret, summè extollens & amplificans reditus. Sic, cùm fratrem suum decimarum collectorem in vrbe constituisset, & multos ei iuuenes florenti ætate præditos tradidisset, iuxta agrorum numerum ad colligendos decimatos fructus, cùm festum celebraretur, quod Tænia nominatur, in quo omnes Cranonij ludunt: comũgens cum vrbis custodiis publicanos ab vrbe, & cum sobriis obruens temulentos, amplius mille ciuibus morte affectis, Cranoniorum tyrannus euasit. Polyæn. lib. 2.

DIONYSIVS, cùm Hermocrates Syracusiis operam nauaret: & scribæ ducibus, cùm Syracusij in bello quod aduersus Carthaginenses habuerant, persæpe victoriam hostibus dedissent, atque duces accusaret, ausus est eos proditionis insimulare. Qui cùm partim morte multati, partim in exilio pulsi essent, simulabat insidias sibi parari ab his, in quorum inimiciciam & odium venissent, propter damnatos: atque etiam bello Carthaginensi adhuc vigente, præsidium corporis à populo petiit. Quod cùm impetrasset, tyrannus Syracusiorum euasit longè truculentissimus, & vsque ad extremum spiritum imperium obtinuit, atque etiam filio suo quasi per manus traditum reliquit. Polyæn. lib. 5.

PHALARIS, Agrigentinus publicanus, cũ ciues Iouis gubernatoris templum ædificare decreuissent in arce, quòd ea saxis prædita & firmissima existimaretur, & alioquin etiam religiosum putarent in celsissimo loco deum constituere: ipse promisit se operi curando præfuturum, & fabros optimi generis habiturum, materiámque vtiliter suppeditaturum, ac pecuniarum certos arbitros daturum. Credidit populus, quòd eum ob genus vitæ, qui esset publicanus, harum rerum experientiam habere putaret. Acceptis igitur publicis pecuniis, magnum numerum conduxit mercenariorum, multósque captiuos coemit, & materiam non paucam in arcem comportat lapidum, lignorum atque ferri. Cúmque iam ædificarentur fundamenta, suborauit quendam promulgantem: Quicunque significarit eos qui lapides ac ferrum in arce subtrahunt, is tantundem argenti accipiet. Populus indignè ferebat materiam per furtum subduci. Ille igitur inquit: Concedite mihi potestatem muniendi arcem. Permisit ciuitas, vt eam muniret, vallóque circundaret. Ille captiuos vinculis liberauit, cósque lapidibus, bipennibus ac securibus armauit. cúmque Cereris festum celebraretur, ex insperato ciues adortus, magnam virorum stragem edidit: & ipse mulierum ac puerorum dominus factus, tyrannidem in Agrigentinorum Repub. exercebat. Ibidem.

AMVLIVS & Numitor fratres extitêre. Iunior Amulius cum exercitu & copiis Albæ regnum inuasit. Fratrem suum Numitorem in custodia seruabat: eiúsque filiam Syluiam, ne ex ea liberi progignerentur, vindices Amulij sceleris & iniuriæ, sacerdotẽ Vestæ effecit. Legem enim habebant Vestales, vt perpetuam virginitatem conseruarent. Polyæn.

Post Iulij Cæsaris mortem cùm Romæ grauis orta esset seditio, in qua Lepidus armatis militibus forum, Brutus verò & Cassius Capitolium occupauerant: posteaquam Cicero populum ad concordiam reuocasset, M. ANTONIVS huic reconciliationi operam & studium suum nauauit, non vt pacis autor esset, sed quia per id tempus priuatus ciuis, & dominandi cupidus nolebat in illa seditione & tumultu dominationem ab alio comparari. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Iulio.

OLIVERETVS Firmanus sub Paulo Vitellio, ciúsque fratre Vitellozzo stipendia meruit. Mox facinorosorum ciuium conspiratione inita, Ioanni Folliano patruo, viro opt. scribit, sese patriam animi gratia videre cupere, atque vt ciuibus magnificentiam suam testatam faceret, cum centum equitibus comitatum ingredi velle. Ioannes nihil mali suspicatus, Firmanis ciuibus persuadet, vt conciui suo atque nepoti tantũ honoris exhibeant. Excipitur ergo splendidissimè ab vniuersa ciuitate. Aliquot pòst diebus primores vrbes cum patruo ad conuiuium inuitatos, dato signo à militibus trucidari curat, & Firmum occupat. Anno tamen vix dum exacto à Cæsare Borgia Alexandri VI. filio, vita & imperio priuatus est. Niphus capite sexto de regnandi peritia.

ASTVS

ASTVS IN IMPERIO ALIORVM LABEFACTANDO.

Augurum Hetruscorum perfidiam pete ex tit. Malum consilium consultori pessimum.

ASTVS IN VRBE POPVLOSA REDDENDA.

Vide tit. Assa aperta, exemplum ROMVLI.

ASTVS IN LEGITIMA DIGNITATE ACQVIRENDA.

Iason misit per MENELAVM pecuniam Antiocho regi: Menelaus verò sibiipsi redemit summum sacerdotium, supponẽs Iasoni talenta argenti trecenta. 2. Mach. 4.

Sordida magorum dominatione in Perside oppressa, Darius rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis, pactum cum prælari operis cõfortibus fecit, vt equis insidentes, solis ortu, cursum in quendam locum dirigerent, isque regno potiretur, cuius equus in eo primus hinnisset. Cæterùm maximæ mercedis competitoribus fortunę beneficium expectãtibus, solus acumine equisonis sui Œbaris prosperum exoptatæ rei affectum assecutus est, qui in equæ genitalem partem demissam manum, cũ ad eum locum ventum esset, naribus equi admouit, quo odore irritatus ante omnes hinnitum edidit: audítóque eo, (ex reliqui summæ potestatis continuò equis delapsi, candidati (vt est mos Persarum) humi prostratis corporibus Darium regem salutauerũt. Quantum imperium, quàm paruo interceptum est vaframento? Val. Max. lib. 7. cap. 3. ex Herod. libro 1. Polyæn. lib. 7. & Iustinus, paulo aliter narrant. Equum enim Darij in constituto loco equæ admissum ab Œbare, postridie eodem in loco amoris desiderio commotum primum hinnisse. De modo ambigunt, de re constat.

GYLIPPVS, vt imperator Syracusij exercitus crearetur, congregatis Syracusiorum ducibus, ait oportere collem quendam inter vrbem & Athenienſium castra munire. Quibus morem gerentibus, noctu transfugam ad hostes mittit, qui hæc nunciaret. Illi re cognita præuertentes collem occupauerunt. Gylippus autem indignabatur, tanquam arcanis proditis ac promulgatis. Igitur in posterum ne fieret hoc amplius, principes Syracusiorum summam belli Gylippo detulerunt. Polyæn.

OTHO, qui septimus ab Augusto Romani imperij frena corripuit (etsi apud quosdam historicos, propter morum fœditatem, an propter temporis breuitatem, incertum, cum Vitelio è numero principum excluditur) libertinæ anus, & sortis & ætatis vltimæ, ob hoc vnum, quia inter aulicos gratiosam videbat, non obsequium modò, sed (quod anilem credulitatem mulcere solet) amorem planè ridiculum simulauit. Non ineficaci quidem solertia, quando per illam Neroni conciliatus, tunc temporis imperanti, primum in cramicos sortitus locum, ipse pòst versante res hominum fortuna, ad principatum quoque subuectus est. Tantum valuit obsequiosa callliditas. Petrarcha.

Postquam Acacius Constantinopolitanus episcopus à Rom. Pont. excommunicatus est, & alius in eiusdem locum substituẽdus esset, tum Zeno Imp. vt tolleret occasiones turbarum, quæ in electionibus plerúque oriri solebant, chartam puram obsignatam in altari reposuerat, & in alia scripta Deum orabat, vt ipse in mundum illam notis designare vellet, quem Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfectum vellet. Tunc ergo FLAVITAS presbyter, homo summæ audaciæ & impietatis, ædituo pecuniis corrupto, fecit vt suum nomen papyro inscriberetur. Hac fraude episcopatum adeptus, vix 4. menses eum tenuit, cùm Deus è medio eum sustulit. Nicephorus lib. 16. cap. 18.

In Celestino V. pont. (qui dictus fuit Petrus Maroneo) sunt non pauca memoratu digna. Primùm quòd Æsiniæ iuxta Sulmonem natus, eremiticam vitã intra Italiæ fines sit secutus: deinde quòd Nicolao III. pont. mortuo sub interregnum pontificatus annorum duorum longè absens, nihilque tale animo agitans pont. dictus à cardinalibus sit: quod constãter tamen renuens ab initio, tandem Caroli regis precibus ac minis victus rem susceperit. In quo tanto rerum fastigio positus, quum parum aptus atque idoneus tantæ rerum moli videretur, cœpit & ille cogitare, vt relicta dignitate tam graui, priuatam iterum vitam amplecteretur. Sed quum dubitaret vtrum cedere tãtę majestati posset, amicis etiam admonẽtibus id ne faceret, BENEDICTVM CAIETANVM ad sese accersit, cuius hominis ea tempestate ingenium, doctrina, rerúmque vsu præstans haberetur. Sed dùm vafer callidúsque Pontificis cõsilium probat, ea mente quasi abdicanti sese ille succedere facilè posset, relicta rerum amplissimarum cura in ordinem sese redegit, *nihil cogitans*, aut quid rex ipse Carolus maximè vellet, aut quid totius regni populi & proceres expeterent, nihil denique memor ducenta & amplius hominum millia sibi affuisse, quo sacro die tantam maiestatem inierit. Cæterum illud est quod præcipuè mireris, quòd Benedictus Caietanus pont. in eius loco creatus, hominem ad eremum redeuntem retraxerit, & perpetuò carceri intra Sulmonensem arcem, donec vitam finiret clauserit, vafro admodũ prætextu, ne Christiana res noui aliquid præ hominis leuitate pateretur. Egnat. lib. 4. cap. 1.

Venetiis quadraginta viri conuenerant, qui ducem in Thomæ Mocenici clarissimi principis locum sufficerent. Nec dubium vlli erat, quin Petrus Lauretanus senator longè clarissimus, maritimæque rei celeberrimus iam multis victoriis Imperator, votis omnium crearetur. Id quod PATRICIVS vnus ex his considerans, qui Francisco Foscaro maximè fauebat, in concionem ascendens, Petrum Lauretanum amplissimis extulit laudibus, dignúmque in primis illum esse, qui huic dignitati præsideret. Quinetiam se vnum ex iis esse, qui illum cunctis præponeret. Sed cum esse temporum statum Turcis ab Oriente instantibus, qui iam Constantinopolim expugnarent, ex alia Genuensibus, qui Philippi Mediolanensium ducis partes tuerentur, vt vno Petro Lauretano Respublica maximè indigeret, qui maritimæ rei præesset omni, contra tot tantósque turbines rerum, venisi vno eius præsidio tot mala sisti non facilè possent. Differrent igitur hanc in Petro Lauretano hoc tempore sententiam: & alium quamuis ducem declararent. Cuius oratio & auctoritas tantum valuit, vt Foscarus ipse, quod maximè optabat, sit assecutus. Egnat. lib. 7. cap. 3.

VENETIIS inclinabant non paucorum studia in FRANCISCVM Foscarũ, qui vniuersæ Reipublicæ præesset: sed recentior eius ætas multorum vota retardabat (alterum enim, & quinquagesimũ ætatis vix agebat annum) quæ tes maiorem quadraginta virũm partem ab hoc proposito auocabat, multis longè semoribus, qui Mocenico principi succederent, adhuc extantibus. Effecit tamen prudens vaferque Foscarus, vt voti sui compos tandem esset. Qui quum in quadragintauirũm numero aliquot essent, qui illi vni præcipuè studerẽt, effecit cum iis, vt in suffragando minimè sibi fauerent, nisi quum ille annuisset. Quare conuersus in alios omnes, hoc vnum sese ab illis petere agebat supplex, vt suo tantũ suffragio dignum illum censerent, qui summæ rei præesset, turpe enim & ignominiæ plenum sibi videri, si diui Marci procurator, sempérque de Repub. optimè meritus, vix tria aut quatuor suffragia referret, quum in nomen eius iretur. Quòd si semel supra dena numerare posset, sese id æquissimo animo laturum. Quod quum illi ex animi sui sententia obtigisset (nemo enim rem tam æquam negare ei poterat) nactus opportunã vt sibi videbatur, occasionem, annuit fautoribus suis ne deesset, sed omni opera ac studio, sibi adesset. Euntibus igitur omnibus in Francisci nomen, astu & arte id adeptus est, vt quinque & viginti suffragia sortiretur, qui numerus tunc temporis in eligendo duce satis esset. Quapropter stupentibus omnibus dux salutatur. Sicque Francisci veritia, & astus extotit, quod vna illius ætas recentior negasse hactenus videretur. Ibidẽ.

Mortuo Alberto Estensi Marchione Ferrariensi, Actius & ipse Estensis, sed exul, fretus ad eum principatum conscendere posse, Nicolao Alberti filio impuberi bellum intulit, ope Ioannis Comitis Cunij adiutus. IOANNI tutores Nicolai promiserunt, se Lugum atque Consilicem oppida donaturos, si Actium interfecisset. Ioannes conditionem non abnuit, & cùm virum mortuum Actio persimilem, qui ex composito ob eam rem latebat, ostendisset, oppida quę promissa fuerant accepit. Actu profecto magno, nec illaudato, seruata in primis amico fide, pro scelere non patrato, munus tanquam si scelus parrasset, assecutus. Fulgos. libro 7. cap. 3.

ASTVS IN GLORIA ASSERENDA.

ARISTOTELES Theodecti discipulo libros Rhetoricorum dono dedit, vt suo nomine publicaret. Ipse interim, vt tacitè gloriolam hanc sibi assereret, in 3. Rhetoricorum astutè fatetur, De iis rebus in Theodectiis plenius sese disputasse. Val. lib. 8 cap. 15.

ASTVS IN AVTHORITATE COMPARANDA.

SEDECHIAS filius Chanaan propheta Baal, fecit sibi cornua ferrea, quasi esset propheta verus, dicens regi Achab: Hęc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam. Tandem fefellit eum, & inauspicatò excitauit ad bellum. 3. Reg. 22.

Hermippus refert, PYTHAGORAM cùm in Italiam venisset, subterraneam fecisse domum, marrique Theano mandasse, vt quęcunque cõtingerent, tabulis inscriberet, tẽpúsque adnotaret: deinde illuc descẽdisse, ac dum rediret id matrem fecisse. Anno autem exacto, ascẽdisse Py-

thagoram ex specu squalidum ac macie confectũ,aduocatáque concione dixisse,ex inferis se ascendere,atque vt fidem faceret, recitasse quicquid euenisset.Ciues igitur iis quæ dicebantur affecti,in lachrymas eiulatúsque proruperunt,Pythagorámque iam diuini quippiam habere existimantes,vxores suas illi in disciplinam commiserunt, quæ postea Pythagoricæ fuerunt appellatæ.Laert.lib.8.

DIONYSIVS iunior dictitabat,se multos quidem alere liberalium artium doctores,non quòd illos admiraretur,sed quia per illos ipse aliis admirationi esse vellet.Sciebat,populum de illis tanquam de viris ornatissimis magnificè sentire,& hac persuasione callidè abutebatur ad conciliandum sibi multitudinis fauorem.Simili arte hodie fortassis principes quidam alunt in palatiis suis viros eruditionis & sanctitatis opinione venerabiles,vt populus arbitretur horum consiliis geri pleraque. Eras.lib.5.apoph.

Q.SERTORIVS in Iberia hinnulum candidæ ceruæ è venatoribus dono acceptum,aluit,cicurémque reddidit,ita vt accedentem sequeretur,& cum ascendente in tribunal simul ascenderet,atque os adduceret. Persuasit igitur Barbaros,animal hoc sacrum esse Dianæ , deámque per illud omnia prædicere,sociamque in bellis præstò esse. Quæcunque igitur ab exploratoribus arcana nunciabantur , ipse prædixit , simulans per hinnulum se à dea perdiscere hostiles incursiones.Quotquot etiam victoriæ bellorum acciderent,has etiam per hinnulum se ab dea cognoscere affirmans,stuporem Barbaris iniecit,qui eum adorabant , omnésque ad eum quasi diuinis viribus septum confugiebant.Polyæn.libr. 8.& Gell.lib.15.cap.22.Plin.libro 7.capite 32,Eutrop.libro 6.Val. libro 1. cap.3.

TIBERIVS Cęsar C.Caligulę ideo imperium reliquisse dicitur,quo memoriam scelerum suorum maioribus Caij sceleribus obrueret:vtque maxima atque nobilissima pars senatus post mortem suam necaretur. Sæpe enim senarium illum fertur vsurpasse:ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ Me mortuo,terra igni misceatur.Dion Nicæus in eius vita.

EVNVS Syrus in Sicilia,cùm sese furiis agitari simularet , ac deæ Syriæ ceremonias ac sacra populis concionabundus prædicaret,in ore inclusam nucem cum sulphure atque igne gestabat. Per hunc modum cùm loquens persæpè flammas verbis mixtas effunderet,in eam existimationem apud seruos atque infimam plebem venit , vt ex ea duo hominũ millia cogeret.Hac postea manu,cùm carceres effregisset,numerum vsque ad sexaginta millia auxit,comparatóque iusto exercitu,Manlium ac Lentulum, Pisonémque Romanos prętores,qui arma cõtrà mouerant deuicit:& quanquam postea à Perpenna ipse superatus fuit,industria tamen maiore quàm viribus ingentia gessit.Fulg.lib.7.cap.3.

MARICCVS quidam è plebe Boiorum ex deorum genere satum se esse mentiebatur.Vnde cùm sibi quoque Dei nomen arrogasset,& non spernendam perditissimorum hominum manum asciuisset, quos ingentibus promissis corruperat,ita vt in Romanos ferrent arma, postea captus & occisus,falsi inditi nominis cõdignas pœnas dedit.Alex.ab Alex. lib.2.cap.11.

BARCHOCHABA Iudæus,pari astu,quo Eunus,prȩsertim euomẽdi ab ore flammas,cũ præterea stellam se à Deo missam nuncuparet, leuiter Hebræos ad tumultuandum exciuit, fretos, per eum se Romani imperij iugum excussuros.Itaque ab Adriano Cęsare domiti,seditioso propheta occiso,diuersa omnia ab iis quæ sperabant,retulerũt.Ful.li.7.ca.3.

SELVRVS homo ignotus planè se Ætnæ filium esse mentiebatur,qui cùm loca circa Ætnam cùm perditissimis & facinorosis prædaretur , à Romanis captus,in ludo gladiatorio,ictibus bestiarum occisus est.Alex. ab Alex.lib.2.cap.11.

SAPOR Persarum rex,vt à suis coleretur,se Solis & Lunæ fratrem esse dixit.In tantam itaque apud suos existimationem & authoritatem venit,vt quasi Deus veneratus sit.Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

MAHYMETES falsus propheta,& sceleratæ legis author,prȩter plurima alia,quæ magno astu confinxit,vt diuinitatis opinionem,apud Barbaras nationes captaret,hoc quoque egit.Columbam ita commodè assueuit,vt ipso apud rudes populos conciones habente,in eius humerum volaret,rostróque aurem peteret,ex qua eam pascere consueuerat. Populi credidère,ipso ita affirmante,in columbæ forma Spiritum sanctum cœlitùs descendere,vt eum quæ dicenda essent,moneret.Fulgos. libr.7. capite 3.

ASTVS IN POSSESSIONIBVS ACQVIRENDIS.

IEZABEL crudeli astutia vsa est,vt vineam Naboth acquireret viro suo.3.Reg.21.

LAMPSACENI & Pariani de agrorum finibus litem habentes, constituerunt sub primum galli cantum,viros ex vtraque ciuitate ad se inuicem mittere.Vbicunque verò sibi missi obuiam fierent,hunc terminum ac finem regionis esse debere.Quod cum omnium sententiis esset approbatum,aliquos in iis locis per mare opus facientes persuaserũt,vt cũ Parianos viderent præterire,maximam piscium copiam in ignem imponerent,& circum circa vinum libarent,quasi Neptuno sacra facientes , eósque faustis auspiciis aduocarent ad honorandum Deum,& litationis societatem.Quod cum piscatores facerent,illi piscatoribus morem gerentes,simul epulabantur & bibebant,remittentes aliquantum ex itineris contentione.Lampsaceni verò contendentes,ad Hermæum priores venerunt.Id à Pario septuaginta stadiis distat,à Lampsaco autem ducentis.Tantum soli per fallaciam Lampsaceni Parianis ademerunt , finibus Hermæo constitutis.Polyæn.lib.6.

Q.FABIVS Labeo arbiter à senatu finium constituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus,cũ in rem præsentem venisset, vtrosque separatim monuit,vt omissa cupiditate,regredi cõtrouersia , quàm progredi mallent.Idque cùm vtraque pars autoritate viri mota fecisset,aliquantulum vacui in medio agri relictum est.Constitutis deinde finibus, vt ipsi terminauerant,quicquid reliqui soli fuit, populo Romano adiudicauit.Cæterùm si circumuenti Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt,secundum ipsorum demonstrationem dicta sententia,improbo tamen præstigiorum genere,nouum ciuitati Romanæ vectigal accessit, Val.Max.lib.7.cap.3.

CRESPHONTES & Temenus,atque Aristodemi filij cùm Pelopõnesum partirẽtur,visum est in tres partes regionem distribuere, in Spartam,Argos,Meganam.Cresphontes Messanam aut Argos obtinere cupiens sententiam pronunciat:Cui prima sors ceciderit , & cui secunda, Spartam accipiat,aut Argos:Messana tertij esto.Paruerunt,ac sortes dimiserunt.Illi quidem calculum album in vrnam plenam aqua,Cresphõtes verò glebam albam similem lapidi. Gleba igitur statim liquefiebat. Lapidis verò sortes prodeuntes,dederunt Argos Temeno,Spartam Aristodemi filiis.Cresphontes dolo sortitus,Messanam per fortunam accepisse visus est.Polyæn.lib.1.

ASTVS IN PECVNIA PRIVATIM EXIGENDA, ACquirenda,vel conseruanda. *Astuti fures.*

SAPPHYRA vxor & Ananias mentiti sunt Petro agri precium:sed illorum mendacium fuit per Petrum grauissimè punitum.Act.5.

Licinius Libertus Augusti operibus patroni pecuniam largiter in subsidium præstare consueuerat.Cœpto opere , certam pecuniam scripto ei promisit,literis numeros repræsentantibus.Animaduertit Cęsar,aliquãtulum spacij vacantis.Illud propria manu,similibus additis literis,impleuit,duplicauit summam,tam solerter,vt nulla suspicio inesset. Agnouit tamen libertus,& promissi duplum soluit,tacuítque. Misso tantum chirographo,in quo scriptum erat:Cõfero tibi Domine ad noui operis impensam quod videbitur. Petrarcha.

CASTRVTIVS dux Lucanus , cùm dispensatorem suum Lippum nomine,de suo locupletatum nosceret , non paruam pecuniam ab eo per ludum exigere cupiens,submisit qui ad eum tunc absentem pergeret,& Domini verbis pecuniam flagitaret.Stetit in dubio dispensator, literas Castrutij non videns,quamuis id varietate negociorum , quod in illo viro verisimillimum erat,omissum diceretur.Statuit tandem inconsulto Domino nihil agere.Cuius voluntatem cùm per literas exquireret,ille scripsit tam ambiguis tamque supplicibus verbis,vt licet superficie affirmationem claram continere viderentur , introrsus tamen ad vtrumlibet flecti possent.In fine verborum addidit:Vt petitam antè pecuniam numeres,omnino volumus.Hoc autem tantę primæ literę confusione scriptum erat,vt non magis Nolumus,quàm Volumus legi posset.Lippus literas Domini iubentis,cum verbis nuncij petentis conferens,pecuniam numerauit.Interiecto tempore cùm rationem redderet,negabat Castrutius iussu suo traditã pecuniam.Lippus literam manu eius scriptam proferebat.Castrutius illam relegens , suam quidem non negare,sed omnia aduersus illius sententiam interpretari. Et cùm ad finem peruenisset,sine vlla hæsitatione Nolumus legit , & non volumus. Intellexit ludum Lippus,& subridens siluit.Petrarcha.

AGAMEDES & TROPHONIVS Hyriei ærarium,quod ipsimet extruxerant,astutè depeculantur.Vide tit. Oraculorum clarorum de liberorum propagatione.

RHAMPSINITO secundo Ægyptiorum regi post Proteum narrant ingentem pecuniarum vim fuisse,quam nemo regum,qui deinceps scripti sunt,superare potuerit,ac ne proximè quidem accedere.Et cùm in tuto eam pecuniam collocare vellet, ædificium extruxisse lapideum, cuius parietũ vnus in exteriorem ædium partem pertingebat : sed structorem insidiãtem,vnum è lapidibus ita struxisse,vt è pariete facile tolli à duobus viris,atque adeò ab vno posset.Ædificio absoluto, rex in eo pecuniam reposuit.Interiecto tempore,structor ille,cùm esset vita excessurus,vocauit ad se filios duos,eísque narrat, se illis prospicientem, vt affluenter vitam degerent,astutè ædificasse regis ærarium: denique omnia illis exposuit planè,mensurásque ad lapidem amouendum docuit. Patre vita functo,filij rem aggressi,multas pecunias expilarũt. Rex cùm integra signa cerneret,& ærarium obseratum,laqueos aptè disposuit, vt si quis manus immitteret,caperetur.Fures redeunt,immissa manu capitur vnus.Is alterum rogat,vt caput sibi abscinderet,cóque ablato,cadauer solum relinqueret.Paruit ille. Vbi dies illuxit , ingressus in ædificium rex , corpus furis in laqueo sine capite inuenit, & ædificium incorruptum.Verùm vt cuiúsnam hoc cadauer esset cognosceret, cadauer è muro suspendi curauit:custodésque illic apposuit, vt si quem plorantem aut miserantem animaduertissent,eum ad se producerent. Suspenso

penso cadauere, mater indignè tulit filij mortem : allocutáque filium, qui supererat,impetrauit,vt quacũque ratione machinari posset,corpus fratris resolueret asportarétque.Id si negligeret,minabatur se regem esse adituram ad eum indicãdum,quòd pecunias regias haberet.Aduersus hanc cùm filius multa verba faceret , nec persuaderet , quòd illa rem grauiter accipiebat , talem rem fuit commentus . Asinis vtres vino plenos imposuit , & eo loci,vbi custodes agebant,dedita opera vtres soluit,ita vt vinum in terram proflueret.Iratus ille asinos cædebat. Custodes accurrunt,& vinum excipiunt. Quod cùm ille sese indignè ferre simularet,tandem tamen mitigatum sese finxit , atque adeò vino ex integris vtribus illos donauit.Custodibus vino somnóque obrutis,nocte intempesta fratris corpus matri suæ domum retulit. Rex interim spe sua delusus,cupiens quoquo modo inuenire quísnam esset ista machinatus, filiam suam domi prostituisse dicitur , iussam omnes indifferenter excipere:sed priusquam coirent, adigere ad sibi dicendum , quídnam in vita esset actum à se solertissimum & scelestissimum:& qui narraret quæ circa furem acta essent , eum comprehenderet, neque exire permitteret. Cùm itaque filia patris imperia faceret , fur cupiens eludere versutiam regis,hoc egit.Recentis mortui amputatam ex humero manum sub pallio ferens,ingressus ad filiam regis , cùm interrogatus esset eadem quæ cæteri,enarrauit,scelestissimum se perpetrasse,quòd fratris in ærario regis laqueo capti caput amputasset : solertissimum autem , quòd cadauer fratris suspẽsum resoluisset,custodibus prius ebriis factis . Illa cùm hæc audisset,manum iniecit.At fur in tenebris manum mortui porrexit.Quã mulier cùm apprehendisset,manum se furis tenere rata, fur per fores se proripuit,muliere delusa.Postquam & hæc renũciata sunt regi, tum astutiam,tum audaciam hominis stupuit. At extremum dimissis per omnes vrbes nunciis,edixit non modò veniam , sed etiam magna munera manere furem,si in conspectum ipsius veniret. Fur fide habita , ad eum venit.Rhampsinitus igitur magna viri admiratione ductus, filiã suam ei locauit,tanquam ex omnibus mortalibus plurima scienti. Quòd Ægyptij quidem cæteris,hic autem Ægyptiis omnibus calliditate superior esset. Herod.lib.2.

Apud Ninum Assyriorum vrbem FVRES quidem magnam vim pecunię Sardanapali,qui Nini rex erat,in thesauris subterraneis abstrusam compilare cùm constituissent,à suis domibus fodere exorsi sunt,dimensi viam sub terra ad regias ædes,eámque humum è cuniculis effossam , vbi nox aderat,in flumen Tigrim(qui Ninum præterfluit) exportabant, donec id quod optabant,perfecère.Herod.lib.2.

HISPANVS quidam Venetiis patricij cuiusdam scortum ambiebat. Illa procax & superba,sexaginta coronatis noctem paciscebatur.Accepit ille conditionem.Ad dominam cum loculis venit,mercedẽ numerat. Nocte intempesta surgit,& obseruato loco,in quem meretrix margaritas (quibus vice monilium Venetæ vti solent)maximi precij reposuerat,eas singillatim deuorat,& in lectum redit. Summo mane Thais margaritas nõ inuentas ab Hispano repetit, & vi etiam per suos lenones hominem excutit.Implorat ille popularium fidem,& vix tandem liberatur, hoc solo innocentiæ signo , quòd neque in vestibus neque in loculis eas vspiam haberet,sic auara meretrix suis artibus à callido Hispano delusa, pro sexaginta coronatis trecentos amisit. Andreas Vesalius in anatomia œsophagi & ventriculi.

ASTVS IN PECVNIA PVBLICA, IN TRIBVTO *& vectigalibus exigendis.*

Vide exempla aliquot sub tit. Auariciæ in exigendis pecuniis:

HERCVLES in India filiam adoptauit, cui nomen indidit Pandamẽ. Eam honoris caussa donauit ea parte Indiæ, quæ ad meridiem vergit in mare,subditósque distribuit in trecentos sexaginta quinque pagos,quotidie vni duntaxat pago regium tributum ferre imperans: vt qui tum nõ penderent , eorum auxilium ad reliquos cogendos regina paratum haberet.Polyæn.lib.1.

MAVSOLVS Cariæ rex pecunias ab amicis colligere volebat. Simulabat itaque regem Persarum imperio spoliatum iri : iisque conuocatis, equos in eorum cõspectu producit, thesauros,aurum,argentum,vestem aliáque eius generis regi se missurum dictitans , ne patrio principatu spoliaretur.His Mausoli verbis amici fidem adhibent,eodémque die infinitam pecuniarum multitudinem ei miserunt.Polyænus lib.7.

CONDALVS Mausoli præfectus , quando ei per regionem proficiscenti offerebat quispiam aut ouem,aut porcum,aut vitulum, describebat dantem,& tempus, præcipiebátque vt in domum reduceret , nutrirétque quovsque reuerteretur.At verò cùm satis temporis illi effluxisse videbatur,computans & quod nutriendum dederat, & quicquid fructus inde prouenerat,repetebat.Arist.in Œcon.

IDEM arborum quæcunque porrigerentur aut deciderent in publicas regiásque vias,vsumfructum vendebat.Ibidem.

IDEM militum,si quis moriebatur,elationẽ corporis drachma vendebat,neque eum fallere duces poterant , cùm quispiam militum è vita demigraret.Ibidem.

IDEM intuens Lycios amantes cæsariem ferre , simulauit epistolas venisse à rege quæ iuberent,mittendas esse comas ad proscomia , sibíque iniunctum esse à Mausolo,vt detonderet eos:veruntamen si vellent capitatim tributum aliquod dare,se è Græcia comas transmissurum Illi libenter dederunt . Sic plurimam pecuniam à numerosa turba collegit. Ibidem.

ANTIMENIDES Rhodius princeps factus ab Alexandro super vię dimidium circa Babylonem,hoc pacto pecunias conflauit.Cùm antiquitùs in Babylonia lex fuisset , omnium quæ inferebantur decimam soluere , & nullus illa lege vteretur:obseruauit præfectos omnes approbatos,& milites non paucos , & senes & alios artifices accersitos , inferentes bona propria peregrinando,& multa illis allata dona,& secundum legem positam decimam exegit.Ibidem.

HIPPIAS Atheniensis eminentias superiorum tabulatorum in viis publicis,& ascensus & præstructiones,& portas quæ aperiebantur foris, vendebat.Comparabant igitur ij quorum possessiones erant, sicque collectæ sunt pecuniæ multæ.Ibidem.

IDEM nummum qui Atheniensibus in vsu erat , fecit improbum : & precium ponens,iussit ad se ferri. Cùm autem conuenissent ad signandã pecuniam nouo charactere,dedit idem argentum.Ibidem.

Quicunque etiam nauis præfecturã habere,vel tribunatũ, vel impensas suppeditare,aut aliquã aliam publicã curam gerere deberent,iis precium ponens moderatum,precipiebat vt is qui vellet id precij persoluere,describeretur inter publicos administratores.Ibidem.

IDEM sacerdoti Palladis,quę degebat in Acropoli,pręcepit pro quolibet mortuo mensuram afferre ordei,& alteram mensuram tritici, & obolum vnum , atque simili modo pro quolibet puerulo nato illud idem fieri iubebat.Ibidem.

CLEOMENES Alexandrinus præfectus Ægypti,ingenti fame aliis in locis facta , in Ægypto autem re mediocriter se habente , vetuit eductionem tritici . Nomarchis autem causantibus se non posse tributa soluere,nisi educerent , educere permisit : sed permultum tritico imposuit tributum,ita vt pauco educto tritico,multum illi contigerit recipere tributum Quo factum est, vt Nomarchę à suo destiterint proposito. Ibidem.

CALLISTRATVS in Macedonia cũ prouẽtus portus vt plurimùm viginti talentis æstimarentur,modum inuenit vt duplum conficeret. Nam conspiciens eos qui emebant semper euadere ditiores , cùm oporteret eos dare fideiussores viginti talentorum,proclamari fecit, quicũque emere vellet, constitueret fideiussores tertiæ partis , solueret autem quisque quantum se posse sibi suaderet.Ibidem.

CHII cùm illis esset lex,describi debita in publico , & pecunia indigerent,statuerunt vt debitores quidem ciuitati debita assignarent,ciuitas verò de redditibus vsuras fœneratoribus dissolueret , quousque ad antiquum ditesceret morem.Ibidem.

DIONYSIVS Syracusanus,cùm non abundaret argento,numũ percussit è stanno , & concionem vocans,multa super laudato nummo dixit. Illi verò decreuerunt,quamuis etiam nollent , vt quisque haberet tanquam argentum,non autem tanquam stannum.Ibidem.

IDEM in egestate pecuniarũ constitutus,tributum ciuibus imperauit. Qui cùm sæpe iam se contulisse dicerent,vim eis adhibendam esse non existimabat.Intermissis verò paucis diebus,mandauit principibus , vt anathemata(quibus Asclepij templum erat exornatum , quæ multa fuerunt ex auro & argento confecta)è fano deportata, quasi profana in foro proscriberent. Ea summo studio coemebant Syracusij, ita vt magna vis pecuniæ colligeretur, quibus potitus Dionysius , edictum proponere iussit:Si quis anathema ad Asclepium pertinens emisset, mox in templum reportaret,Déoque restitueret,aut morte pœnam lueret , illi Deo sua rediderunt.Dionysius pecunias obtinuit.Polyęn.lib.5.

IDEM cùm ciues propter tributum pecora non nutrirent, dixit sibi tot sufficere : volentes autem nunc acquirere , immunes fore à tributo. Multis ergo citò multa comparantibus armenta , tanquam habituri ea essent absque tributo,nouum imposuit tributum.Hac igitur deceptione indignati ciues,illa iugulantes clàm vendebant : ille verò contra id statuit,vt interdiu tantùm occiderentur.At illi iterum in sacrificiis immolabant.Ille verò vetuit,ne fœminam sacris immolarent.Arist.in Œcon.

Idem rogabat ciues vt ei contribuerent.Illi responderunt, se non habere.Dionysius ergo vasa sua preciosa vẽdebat,quasi id ob indigentiam faciens. Syracusiis autem ementibus describebatur quid vnusquisque comparasset.Postquam autem precium accepit,iussit vnumquemque vas afferre,quod emisset.Ibidem.

IDEM volens pecunias congregare,concionem faciens,dixit,apparuisse sibi Cererem,iussisséque vt mulierum ornatum in templum deferret:se verò mulierum suarum ornatum obtulisse: atque hoc idem facere cæteros hortabatur,ne qua fortè indignatio à dea exoriretur:qui autem negligeret,reum fore sacrilegij.Afferentibus cunctis quę habebant,metu simul & religione deæ ornatum abstulit, tanquam à dea mutuans. Ibidem.

IDEM,cùm mulieres rursus ornatum ferrent,præcepit,vt ea quę vellet aurum ferre,munera quædam in templo offerret.Ibidem.

IDEM sacella circuibat : sicubi videret positam boni dæmonis mensam auream aut argenteam, & auferre præcipiebat : & quæcunque statuæ quippiam prætendere videbantur , auferri iubebat , dicens :

Quodcunque accipio, tollere præcipiunt. Vestimenta etiam aurea, & coronas aureas statuarum tollebat, dicens se & leuiora & accommodatiora daturum: & subinde illis laneos amictus, albiculásque circumponebat coronas. Ibidem.

IDEM iussit apud se describi pecunias, quotquot essent familiæ orphanorum, Descriptis autem cunctis, illorum bonis abutebatur, quousque ad ætatem quisque peruenisset. Ibidem.

IDEM, cùm cæpisset Rhegium, conuocato populo, exposuit causam quare ab eo iustè capti essent, impensas tamen quas in belli vsum consumpsissent, & insuper ab vnoquoque minas tres se petere, vt absolueret eos. Rhegienses quæcunque absconderant, in apertum eduxerunt, & egeni à ditioribus & peregrinis mutuò accipientes, conflarunt summam quam præceperat. Qua accepta, nihilominus omnium corpora vendidit, & cunctam supellectilem, vniuersáque bona diripuit. Ibidem.

IDEM à ciuibus accipiens pecunias, ea lege vt illas restitueret: cùm ab eo repeterent, iussit ad se afferri quantum quisque possideret argenti, alioqui mortis mulctam indixit. Delato argento, numum percussit nouo charactere, deditque drachmam duarum drachmarum valore: sicque debitum penes ipsum remansit. Ibidem.

IDEM in Tyrrhenium centum nauibus adnauigans, accepit è sacello Leucotheæ aurum & argentum multum, aliúmque apparatum. Ibidem.

IDEM cognoscens quòd nautæ quamplurima haberent, edixit, vt quisque dimidium eorum quæ haberet, deferret ad ipsum, aliud dimidium seruaret: non afferenti autem, statuit pro mulcta mortem. Credētes igitur nautæ, si ferrent dimidia, reliqua se habituros, securè attulêre. Postea quam verò illa accepit, præcepit rursus, vt alia afferrent dimidia. Ibidem.

ARISTOTELES Rhodius Phore princeps pecuniis indigens, vidēs duas esse factiones Phoreorum, alteram secreto allocutus, dixit: alios sibi velle pecuniam dare, vt illis negocia ciuitatis committeret, se autem malle ab ipsis accipere, atque eis ciuitatis administrationē tradere. Qui audientes, illicò pecuniam quantam præcepit, dedêre. At verò ille rursus aliis ostendit quæ ab his acceperat, qui dixerunt se non minus daturos. Sumens autem ab vtrisque, conciliauit eos inuicem. Ibidem.

IDEM conspiciens ciues multas inter se agitare causas, magnásque longo ex tempore iniurias, quæ per bellum illis obtigerant, iudicium statuens edixit, quicunque definito tempore ius suū nō obtinuissent, lege lata non amplius assecuturos, neque vlterius fore præteritorum delictorum iudicia. Multis itaque offerentibus pecuniam propter breuitatem temporis, & obtinēdam iustitiam, multis etiam vt produceretur tēpus, à singulis suscipiens, immodicam congessit pecuniam. Ibidem.

MAVSOLVS pecuniarum egens, in concione vocatis *Mylassensibus* inquit, metropolim (cùm sua esset ciuitas) muris munitam non esse, regē autem aduersus eum bellū decernere. Qua de causa iubebat vnumquēque *Mylassensium*, immodicam afferre pecuniam, asserens se, & eos qui attulissent, & reliqua eorū bona seruaturū. Quæ vbi oblata fuêre, multā coaceruauit pecuniam, & inquit: Deo non videtur in præsenti, mœnia ędificanda esse. Ibidem.

PHILOXENVS quidam Macedo, præfectus Cariæ, pecuniis indigēs, Dionysia celebrasse simulat, scribens ad eos qui maximè fructibus abundabant, vt festi essent apparatores, præcipiens quæ essent apparanda. Videns autem eos id grauiter ferre, misit aliquos, interrogans, quid dare vellent, vt *absoluerentur* ab huiusmodi ministerio. At illi multo plura quàm se censebant exposituros, velle dare dixerunt, ne vexarentur, & à propriis abesse non cogerentur. Ab his igitur capiens quod dederant, ad alios rursus scribebat, donec corrasit quantū volebat ex iis quæ apud illos erant. Ibidem.

EVASES *Syrus*, Ægyptiorum *præfectus*, sentiens Nomarchas, qui sub ipso erant, rebellare velle, vocauit eos ad tribunalia, & omnes suspēdio necauit: præcepitque, vt familiaribus eorum diceretur, eos in carcere detineri. Vnusquisque igitur affinium pro vnoquoque sollicitus erat, vt captiuos pecuniis redimeret. Ille pro vnoquoque paciscēs, & quæ pacta erant accipiens, singulis mortuum reddidit. Ibidem.

MENTOR filius Hermiam capiens, & prædia eius obtinens, dimisit eosdem curatores in regione, qui fuerant ab Hermia constituti. Cùm ergo securi iam essent, quæcunque absconderant, secum accepêre. Mētor verò omnes capiens, diripuit vniuersa quæ habebant, Ibidem.

CHARIDEMVS Orites edixit in ciuitatibus, quibus dominabatur, neminem domi arma tenere, alioqui mulctari argento. Quod subinde negligere visus est, & nullam eius rei curam gerere. Homines autem arbitrati edictum illud nullum esse, habebant singuli per regionem arma quæ prius possederant. At ille repentè exploratorem domorum faciens, apud quos arma reperisset, mulctam ab iis exegit. Ibidem.

GALLI neminem in ciuitates suas admittebant, nisi qui pecuniam mutuò dedisset, quæ apud inferos redderetur. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. de Inst. antiq.

CLEOMENES Alexandrinus, præfectus Ægypti, trāsfretans Nomō, vbi crocodilus pro deo habetur, cùm quendam puerorum crocodilus rapuisset, aduocans sacerdotes, dixit: se qui prior iniuria affectus esset, vltum iri in crocodilos: itaque præcepit venari eos, & ab aquis extrahi crocodilum. Sacerdotes verò, vt deus eorum non haberetur contemptui, congregarunt quantum auri potuerunt, & illi dederunt: sicque ab incœpto destitit. Aristot. in Oecon.

Alexandro rege mandante CLEOMENI vt construeret vrbem ad Pharon, & emporium quod prius erat in Canopo illuc transferret, ipse nauigauit Canopum ad sacerdotes, & eos qui diuicias haberent, atque se venisse dixit, vt eos deduceret colonos. Sacerdotes & accolæ afferentes pecuniam, dederunt illi, vt eos & emporium in regione relinqueret. Accipiens autem tunc quoque, discessit. Porrò transfretans, cùm essent sibi parata quæcunque erant necessaria ad ædificationem, petiit ab eis pecuniam maximam: quam cùm dicerent se dare non posse, transmigrare eos fecit. Ibidem.

IDEM, ad merces comparandas quosdam mittens, & sentiens eos vili precio emisse, at conuenisse vt ei rationem redderent: ille ad notos ementium dicebat, se audiuisse eos merces supra precium comparasse quod præceperat, & simul eorū cum simulata iracundia arguebat inscitiam. Illi autem hæc audientes, dicebant, non decere eum credere quippiam obloquentibus, priusquam ipsi venirent, & rationem ei redderent. Atque cùm emptores venissent, amici recitarunt eis quæ audierant à Cleomene. Ij verò volentes illis & Cleomeni integritatem suā ostendere, precia retulerunt quibus emerant Ibidem.

IDEM, cùm triticum væniret decem drachmis, conuocatis agricolis, quanti vendituri essent, rogauit. Illi cùm longè minoris quàm mercatoribus, se ei daturos respondissent, eodem tamen precio sibi afferri iussit, Ipse mox triginta duobus drachmis vendidit. Ibidem.

IDEM simulans se sacrificiorum multitudinem aboliturum, partim à sacrificiis, partim ab aliis pecunias accepit: illi quidem vt sua officia tuerentur, hi verò, vt sumptu superfluo liberarentur. Ibidem.

ANTONIO Athenas intranti, quum ciues vrbis obuiā processissent, dixissēntque, esse sibi Mineruam nubilem, quam Libero patri (ita enim eum vocabant assentandi studio) despondere vellet, arrepta occasione, ducturum se respondit: sed oportere futurę nuptę mille dari talenta nomine dotis. Rauil.

Quidam è charis VESPASIANI ministris, apud ipsum pro quodā, quem fratrem esse suum simulabat, intercedebat, vt illi procuratio committeretur. Id sentiens Cæsar, candidatum solum ad se vocauit, exegitq; pecuniam, quam ille suffragatori suo pepigerat: ea accepta, mox ordinauit Huius rei minister ignarus, rursum interpellauit pro fratre: cui Vespasianus: Alium, inquit, tibi fratrem quære, hic quē esse tuum putas, meus est. Eras. lib. 6. Apoph.

In itinere quodam MVLIO desiliit, quasi calceaturus mulas, sed reuera, vt adeundi litigatori spacium morámque præberet. At VESPASIANVS dolum suspicatus, interrogauit mulionem, quanti calceasset: pactúsque est lucri partem. Hoc si fecit, vt suos corrigeret, ciuilitas fuit: sin, vt eo emolumento fieret ditior, sordidum erat. Idem.

INSTITVERAT è lotio vectigal. Super hoc à filio monitus, dissimulauit, donec prima pensio esset soluta. Eam pecuniam admouit ad filij nares: sciscitans, num ex odore offenderetur, negante illo: Atqui hęc, inquit, è lotio est. Idem.

LEGATIS nunciantibus, decretam illi publicè non mediocris summæ statuam, iussit vt eam continuò ponerent, & vacuam ostendens manum: Ecce, inquit, parata basis: significans vt eam pecuniam, quam in statuam decreuissent impendere mortuo, viuo darent in manum. Idem.

XISTVS IIII. cùm multis tumultibus pecuniam omnem fermè consumpsisset, ne ære indigeret, noua Collegia primus excogitauit, quæ licitaretur. Dato itaque negocio Smolpho protonotario è castro Octerio, viro solerti, breuiatores minoris præsidentiæ instituit, quondā à Pio creatos. Deinde à Paulo successore sublatos: quorum loca quingētis postea sollicitatores quorum trecentis veniêre: deinde adstipulatores certos, sine quibus nullæ possent confici tabulæ, sed hi per successorem antiquati sunt. Postremò Apostolici fisci nouē notarios, quibus emolumēta vnius assignauit, qui antea cunctis pręerant. Hac pecunia templa quoque vetustate obsita omnia restituit: templum Pacis de nouo extruxit, vbi Canonicos regulares à basilica Lateratensi eiectos reposuit. Prętorianis, excubiatoribus, magistratibus, munerúque obeuntibus loca cōmoda assignauit, cum prius præter dignitatem in cellis penè pecuniariis situ squalentibus agitarent. Volat. lib. 22. Anthrop.

INNOCENTIVS VIII. Xisti exemplum secutus, quæstus gratia Secretariorum collegium instituit, pristinum numerum augendo. Pontificum autem primus qui nouum & ipse exemplum introduceret, palàm liberos nothos iactandi, ac soluta omni antiqua disciplina diuitiis eos omnibus cumulandi. Volat. lib. 22. Anthrop.

BONIFACIVS Neapolitanus è Tomacellorum familia, vectigal prędiorum sacerdotalium, quod Annatam vocāt, instituit. Nonnulli verò id tribuunt Ioanni XXII. Anno M.CCCC. Volat. in Anthrop.

ALEXANDER VI. nouum scriptorum Breuium collegiū instituit, numero LXXX. quorum loca singula DCCL. aureis veniêre. Anno 1492. Idem.

ALFONSVS rex vt magnam auri summam à sacerdotibus exigeret, traiecturum se cum exercitu in Græciam aduersus Turcas solenni voto, facta etiam re diuina, publicè professus est. Pontan. capite nono, de Liberal.

GALLORVM rex (Franciscus eius nominis primus, vt opinor) vt pecunias ab Ecclesiasticis exigeret, iussit pōtificio decreto, vt omnes ij qui sacris addicti essent, barbas raderent. Non tulit Ecclesiasticus ordo hanc pilorum calamitatem, sed profusè vnusquisque pro barba redimenda loculos exonerauit, aut certè se totum ære alieno obstrinxit. Extat Pierij Valeriani pro sacerdotum barbis elegans declamatio.

ASTVS IN CONTRACTIBVS.

PYTHIVS quidam, cùm audiuisset, C. Cannium equitem Romanum Syracusas ociandi causa non negociandi (vt ipse dicere solebat) se contulisse, vt hortulos emeret, quo inuitare amicos, & vbi se oblectare sine interpellatoribus posset, dixit, se quidem hortos non habere, sed licere vti Cannio (si vellet) vt suis, & simul ad cœnam hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Cùm ille promisisset, tum Pythius, qui esset, vt argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se conuocauit, & ab his petiuit, vt ante suos hortulos postera die piscarentur: dixítque quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Cannius. Et opiparè à Pythio apparatum conuiuium: cymbarum ante hortulos multitudo, pro se quisque quod cæperat, afferebat, ante pedes Pythij pisces obiiciebantur. Tum Cannius: Quæso, inquit, quid est hoc Pythi? Et ille, Quid mirum, inquit, hoc loco est Syracusis quicquid est piscium: hîc aquatio, hac villa isti carere non possunt. Incensus Cannius cupiditate, contendit à Pythio, vt venderet. Emit homo cupidus & locuples tanti quanti Pythius voluit. Inuitat sic Cannius postridie familiares suos: venit ipse maturè & scalmū nullum videt, videns se fraude deceptum esse. Cicero historiam recitat lib. 3. Off.

EVBATES Cyrenensis Olympionices, Laidi, quæ nuptias eius vehementer expetebat, sese assentiri simulauit, & finitis ludis eam se ducturū asseruit. Mox victor, Laidis pictam imaginem secum auexit, vt pactis staret, & à meretricis interim amore liberaretur. In alterutro peccauit, vel in promittendo, vel in promisso astutè interpretando. Æl. lib. 12. de Varia historia.

ASTVS IN PARANDA AMICITIA.

Cynosarges Gymnasium Athenis fuit extra vrbem, Herculi dicatū (qui inter deos non legitimus est, mortali scilicet matre natus) in quo spurij tantùm conuenire solebāt. THEMISTOCLES tum, qui spurius erat, etiam nobilibus adolescentibus persuasit, vt ibi vngerentur: eóque facto callidè discrimen spuriorum & legitimorum sustulit.

Antistius Sosianus fraude & delatione aliorum *iniusta* Neroni sese insinuat, vt ab exilio reuocetur. Vide tit. Poetarum.

ASTVS IN PARANDIS STIPENDIIS.

IASON Thessalus fratrem habuit Merionem, maximis opibus præditum, sed tenacem, nihílque ipsi largientem. Qui puero sibi procreato, ad imponendum ei nomen principibus Thessallorum conuocatis, aduocabat fratrem, vt primas in eo negocio partes ipse susciperet. Merione in his rebus occupato, Iason venationem præ se ferens, ad Pagasas vsque egressus est, vbi Meriones sedem ac familiam habebat, milites hastigeros circumdedit, vímque dispensatoribus adhibuit: & abreptis viginti argenti talētis, summo studio ad cœnam rediit, ac fratri litationum principatum concessit, eíque potestatem nomen puero indendi dedit. Meriones cum domum vastatam esse à nunciis accepisset, nomen imposuit infanti Porthaon, quod est vastator. Polyæn. lib. 6.

IDEM fratrem Polydorum ad ciuitatem iam capiendam adduxit, vt spolia diuenderet: cúmque tēpus esset balnei, fratrem monebat, vt vehemēter sibi corpus fricaret & exerceret. Qui cum ritè & aptè fricare conaretur, Iason simulans annulū quem frater digito gestabat, sibi molestū esse, eum inter fricādum iussit deponere. Polydorus abstractum è manu, viro cuidam fido ex iis qui fortè aderant, conseruandum dedit. Huic autem iniunctum erat, vt festināter ad vxorem Polydori curreret: datóque annulo, decem auri talenta ab ea postularet. Ille mariti annullo fidem habens, confestim aurum dedit: cúmque is qui annulum à Polydoro acceperat, rediisset, tum demum Iason fricari desiit. Ibidem.

IDEM, cùm stipendium ab eo milites flagitarent, neque esset soluendo, cucurrit ad matrem intrò, quasi persequentibus militibus: quorum duo trésve veluti persequentes eum, simul irruebant. Mater, quæ multis pecuniis abundabat, mercedem pro eo dissoluit. Ibidem.

IDEM, capta vrbe pecuniis affluente, multa splendidáque spolia consecutus, misit ad matrem, omnes famulas mittere iubens, quotquot varię magnificæque vestis experientiā & artem haberēt, quę ipsi pulcherrima quæque diligerēt. Illa famulas omnes quotquot habuit, ad vestes eligendas misit. Iason iis comprehensis, mercedem pro redimendis ipsis à matre postulauit. Ibidem.

IDEM ad matrem, in loco eo vbi famulæ textoriam artem exercere consueuerant, commorantem, ingressus cum vno ex fratribus, quasi in consilium eam de rebus imperij necessariis adhibiturus, eas remouere iussit. Satellitibus imperatum erat, vt omnes eas abducerent. Ipse post longum colloquium egressus, ac subridens, matri præcepit, vt pro famulis argentum sibi mitteret. Ibidem.

IDEM, cùm bellum dextrè confecisset, dixit ad matrem, *Dioscuros* manifestissimū sibi auxilium pręstitisse, & ob eam causam vouisse, se post victoriam deos hospitio recepturum. Vocasse autem ad conuiuium duces exercitus, & manipularios, atque tribunos militum, omnésque qui aliquā dignitatem gererent. Illa fidem habens eius verbis, quicquid habebat ornatus, poculorum, craterum, mensuram ex argento & auro, omnia misit. Qui magnam pecuniam assecutus, salarium mercenariis persoluit. Ibidem.

MEMNON Rhodius pecuniis indigens, precatus est suos, vt illi mutuò darent, quas ex prouentibus eius mox recepturi essent. Illi autem attulerunt, quia citò prouentuum receptio futura erat. At vbi ea, quæ prouentuum erant, missa sunt, sibi illis opus esse dixit: se verò postea conflatum æs dissoluturum cum vsuris. Arist. in Œcon.

COTYS Thrax petebat à Pirinthiis sibi mutuò dari pecunias, vt suum congregaret exercitum: Pirinthij verò illi dare recusarunt. Tunc eos rogauit, vt viros è ciuibus sibi darent ad custodiam quorundam locorum, vt militum opera, qui nunc illa custodirent, vti posset. Hoc cùm illi fecissent, arbitrantes se futuros locorum dominos, eos Cotys in custodia tenuit, præcepitque eam pecuniā dari, quam ab illis mutuò petierat. Ibid.

DIONYSIVS Syracusanus volens triremes extruere, agnoscens sibi opus esse pecunia, concionem vocans, inquit, quandam sibi ciuitatem prodi, ad quam opus erat pecuniis, precaríque ciues, vt quisque sibi duos stateres mitteret. Intermittens autem duos aut tres dies, tanquam in tradenda ciuitate error contigisset, ciues laudans, reddidit vnicuique quod miserat, vt ciuium beneuolentiam conseruaret. Mox eosdem à non inuitis repetens, tanquam de proditione certus esset, pecunias ad nauium extructionem conuertit. Ibidem.

Balduinus secundus Constantinopolitanus Imperator, cùm bello premeretur, quod Græci rebelles intulerant, atque pecuniæ defectu laboraret, Venetis permultas sanctorum reliquias vendidit: neque eo cōtentus, filium Philippū, accepta pecunia à priuatis mercatoribus, pignori obligauit, atque eum ad ipsos Venetias misit. Ipsa quoque templa plumbo quo tecta erant, spoliauit ac vendidit, vt inde pecuniam ad se tuendum conficeret Fulgos. lib. 7. cap. 6.

ASTVS IN PERSOLVENDIS ET DIFFErendis *stipendiis*.

MEMNON Rhodius à militantibus auferebat solutiones & stipendia sex dierum in anno, quos dicebat exemptos: dicens, his diebus neque custodiam illis vllam esse, neque itineris expeditionem, neque se impensas facere. Arist. in Œcon.

Ante id tempus dabat militibus stipendia secunda die à nono mense. A primo quidem mense præteribant dies tres, à sequenti quinque, & ita vsque ad tricesimum diem: sicque in anno mensem vnum à militibus iterum auferebat. Idem.

Charidemus Orites habens quędam prædia in Æolide, cùm aduersus eum militaret Artabazus, pecuniis indigebat ad militares copias. Primū quidem exhibuerunt illi, postmodum verò se non amplius habere quod exhiberent, dixerunt. Charidemus autem coniiciens prædium esse opulentissimum, præcepit, si quid haberent pecuniæ, aut supellectilem preciosam, mitterent in aliud prædium, & darent eis conductum custodem: simul autem & ipse hoc facere videbatur, suáque in prædium aliud mittere. Obsequentibus igitur illi hominibus, pòstquam non procul ab vrbe abfuerunt, scrutatus est quæ habebant, & cæpit quibuscunque indigebat: illos autem rursus in vrbem remisit. Idem.

Cleomenes appropinquante nouæ lunationis tempore, cùm ingrueret necessitas stipendia militibus persoluere, nauigauit ex industria. Procedente autem mense, stipendia persoluit, ac resumpsit nauigationem postea verò incœpto mense, solutionem differebat vsque ad lunam silētem: milites autem, quia nuper recepissent stipendia, quiete se habebāt. Ille verò in anno mensem vnum prorogans, semper mensis mercedem auferebat. Idem.

STABELBIVS Mison militibus stipendia debens, conuocans duces, dixit illis, nullo pacto se priuatis indigere militibus, sed ducibus. Cùm verò sibi opus esset, mitteret eos, dans eorum cuilibet argentum, ad colligendos externos, Stipendia autem quę illis debebat, ducibus ipsis pollicebatur se dare. Præcepit igitur vnumquemque dimittere extraneos è regione. Duces itaque arbitrantes pecuniam illam suam fore, remiserūt milites, vt pręceperat. Paruo autem exacto tempore, cùm mercedem poscerent, eos conuocans, dixit, neque tibicinem sine chorea, neque duces sine militibus ad quicquam vtiles esse. Quare præcipiebat, vt è regione discederent. Ibidem.

Hanno Carthaginensis cùm sciret, quatuor millia Gallorum equitū, propter retenta aliquot mensium stipēdia, decreuisse ad Romanos transire, quibus cum eo tempore Hanno in Sicilia bellum gerebat: pacatis miti oratione aliquantisper Gallorum animis, representata etiam pecuniæ parte, ordinauit, vt vnus ex iis qui ipsius pecuniam curarent, veluti administratæ pecuniæ rationem reddere non posset, à se profugeret, atq; Octacilio consuli Romano significaret, Gallos, qui cum Hannone essent in expeditionem profectos esse, tempúsque ac locum vnde abiissent, & quot essent moneret. Eos igitur incautos ac nihil tale verentes Rom. in-

uaſerunt.Galli autem etſi, dum ſe tuerentur, Romanorum permultos occiderunt, tamen à pluribus circumuenti, omnes ad vnum interierunt. Hanc tantis Gallorum impedimentis pecuniam, quam vt eos placaret dederat, magno fœnore redemit: tria haud leuia ea calliditate conſecutus. Nam & permultos Romanos hoſtium, per Gallos interemit: & trans fugas ad vnum vltus eſt: & pecuniam quam malè apud eos, qui tranſitionem moliebantur, locauerat, recuperauit. Fulg.lib.7.cap.4.

PRÆDAM ASTVTE DIVIDERE.

CIMON à Seſto & Byzantio multa Barbarica per vim cæpit, & rogãtibus ſociis ea diſtribuit in partes: quarum vnam conſtituit nuda corpora, alteram ſubligacula, veſtes, torques, & id genus alia. Socij capiunt ornatum, Athenienſes nuda corpora. Ridetur ab omnibus Cimon, qui maiorem portionem ſociis prodiderit. Non multo pòſt cognati eorum qui capti erant, à Lydia Phrygiáque deſcendentes, magna & ſplendida ad ſuos redimendos munera perſoluerunt. Ibi tum Cimonis calliditas admirationi cœpit eſſe. Athenienſes autem longè plurib. acceptis pecuniis, ſocios deriſerunt. Polyæn.lib.1.

ASTVS IN OCCVPANDIS VRBIBVS, ARCIBVS, *propugnaculis.*

MAVSOLVS, vt Latmium vrbẽ munitam caperet, amicitiã prę ſe ferebat erga Latmios. Obſides eis reddidit quotquot bello cæperat Hydriæus. Stipatores autem corporis habuit Latmios, quaſi ſolos fideles. Inſeruiebat eis prompto animo quacunque in re vellent: cúmque eos ſumma beneuolentia obſtrinxiſſet, petiit ab iis viros trecentos ſtipandi corporis cauſa, ad Pygela iter habens, quaſi metuens Phytum Epheſium. Illi confeſtim delectos miſerunt. Mauſolus his acceptis, alias etiam copias habens Latmium tranſibat, proficiſcens ad Pygela. Ciues omnes egrediebantur, ad ſpectandas tranſeuntes copias. Interim magna militũ multitudo per noctem in inſidiis collocata, præoccupauit vrbem vacuã hominibus, portiſque apertis. Mauſolus conuerſus introiuit cum vniuerſo exercitu, & Latmi dominus euaſit. Polyæn.lib.7.

LYSANDER amicis ſuis quos Mileti habebat, pollicitus ſe ad populum euertendum & opprimendum eis adiumento futurum, venit Miletum: & in eos qui nouas res molirentur, acerbiſſimè verbis inuehebatur, populo verò ſuam operam ad tuẽdam libertatem promittebat. Credens populus Lyſandro bona in ſpeciem dicenti, cùm imparatus meliora ſperaret, amici communi ſigno conſurgunt, & in plebem impetum facientes, multos cædunt, atque ſic Miletus in amicorum Lyſandri poteſtatem venit. Polyæn.lib.1.

HIPPOCRATES ad occupandam Ergetinorum vrbem animum intendens, quos quidem Ergetinos ſecum ſtipendiarios habebat, his ſemper maximam prædæ partem diſtribuit, ampliorémque mercedem dedit, ac ſummis eos laudibus tanquam ad ſubeunda pericula promptiſſimos affecit: in primiſque operã dedit, vt plurimos ex hac vrbe in exercitu ſuo haberet. Hæc ciuibus in vrbem nunciabantur. Qui æmulantes militantium famam ac fortunam, omnes vrbe relicta, ad ſtipendia ſub Hippocrate merenda exierunt. Hippocrates amicè ſuſceptis hominibus eadem nocte copiis aſſumptis per Læſtrygonium campum eas duxit, Ergenitiſque in mari collocatis, reliquo exercitu in continente. Cùm Ergetini ſeparati eſſent, & fluctibus impediti, præmiſſis equitibus Hippocrates vrbem eorum deſertam, ac præſidiis nudatam, occupauit: præconémque miſit qui bellum ipſis indiceret, & Gelois atque Camarinæis ſignum dedit, vt audacter Ergetinos ad vnum omnes conciderent. Polyæn.lib.5.

ANTIGONVS Corinthum tali ſtratagemate cæpit. Alexander arcem Corinthiorum tenens, è via diſceſſerat. Huic fuerat vxor Nicæa, annis iam grauis. Eam Antigonus filio ſuo Demetrio in vxorem poſtulat: quæ ſe lubenter adoleſcenti regi in matrimonium tradidit. Sacrificium inſtituebat magnificum, & panegyrim Græcorum, atque Amæbeum vt cithara luderet conduxerat. Magno ſtudio ad ſpectandum homines confluebãt. Nicæam ipſam regijs veſtimentis ornatam, ac ſuperbientem ſatellites deducedant. Quæ cùm in theatrum introiſſet. Antigonus parum de citharœdo & nuptiis ſollicitus amplius, impetum in arcem Corinthiorum fecit, & cuſtodibus circa feſtum & ſpectaculum occupatis, nullo negocio munitionem obtinuit, vniuerſaque Corintho potitus eſt, hoc vſus nuptiarum ſtratagemate. Polyæn.lib.4.

LYSIMACHVS Ariſtonem Autoleõtis filium ad Pœonas in paternũ regnum deduxit, vt cognito regio iuuene, beneuolè & amicè eum exciperent. Vbi verò Ariſtonem regio lauacro in Ariſtibo fluuio lauiſſent, & menſam regiam more patrio appoſuiſſent, Lyſimachus ſignum ſuis dedit, vt ſeſe armarent. Ariſton correpta fuga ad Sardenſes equo euaſit. Ita Lyſimachus Pœoniam obtinuit. Ibidem.

NEARCHVS Cretenſis Telmeſſum in ſuam poteſtatem redegit, cùm Antipatridas eam antea tenuiſſet. Nauigauit in portum Nearchus. Cùm igitur Antipatridas pro veteri amicitia ad eum ab arce deſcenderet, & eum qua de cauſa veniſſet, interrogaret: Cras inquit, ſe mulieres quaſdam & vinctos ſeruos apud eum velle deponere. Conceſſit Antipatridas. Serui vincti vaſa mulierum muſicarum portabant. In tibiarum arculis exigui quidam inerant enſes: in ciſtis verò pila. Cùm in arcem ventũ eſſet, ij qui mulieres ac pueros ducebant, ſtrictis gladiis arcem occupãt, & Telmeſſum Nearchus obtinuit. Polyæn.lib.5.

ALEXANDER præfectus iis præſidiis, quæ oppida Æolidis & munitiones tenebant, cõductis ex Ionia ludionibus præſtantiſſimis, tibicinibus Theandro & Philoxeno, hiſtrionibus verò Callipede & Nicoſtrato ſpectaculum indixit. Ad famam & celebritatem ludionum omnis vicinarum vrbium multitudo confluebat. Cùm plenum iam eſſet hominibus theatrum, immiſſis militibus ac Barbaris cum quibus oppida tenebat, ſpectatores omnes vnà cum liberis & vxoribus comprehendit: magnóq; accepto precio, eos liberos dimiſit. Ipſe verò munitionibus Thibroni traditis, ex iis locis diſceſſit. Polyæn.lib.6.

AGATHOCLES milites in aciem inſtructos petiit à Syracuſiis, quaſi in Phœniciam tranſmiſſurus, inquiens ſe ab aliquib. eius regionis incolis, quo cõmodius proditionem tranſigant, ſummo ſtudio acceſſiri. Syracuſij credentes dederunt. Quos cùm accepiſſet, Phœnicibus longum vale dixit: & aduerſus ſocios expeditione facta, caſtella circa Tauromenitem diruit. Polyæn.lib.5.

DIONYSIVS, vt Himeram ſuæ ditionis faceret, amicitiam cum Himerenſib. iunxit. Propinquis autem oppidis bellum intulit, caſtríſque nõ procul ab Himera poſitis legationem amicitiæ petendæ cauſa miſit, ad eos qui in caſtellis habitabant. Himerenſes per longum tempus militibus eius commeatum ſuppeditauère. Poſtquam verò procedente tempore nihil rerum gerere eum viderent, ſuſpectum habentes tantũ exercitum in proximo caſtra habẽtem, res ad victum neceſſarias mittere deſierũt. Dionyſius ab inopia ac deſtitutione commeatuum exordium ſumens inimicitiæ, ad Himeram ipſam copias adduxit, & ciuitatem per vim impreſſione facta, cæpit. Ibidem.

HASDRVBAL ſubigendorum Numidarum cauſa ingreſſus fines eorum, reſiſtere parantibus, affirmauit ad capiendos ſe veniſſe elephantos, quib. ferax eſt Numidia: & ſi hoc permitterent, ſecuritatem promiſit ex ea perſuaſione auocatos adortus, ſub leges redegit. Front. libro quarto, cap.7.

ASTV FOEDERA, INDVCIAS, COLLOQVIA SIMVLARE, *& hoſtes circumuenire. Iuſiurandum hoſti datum callidè interpretari.*

MOYSES, diuino reſponſo à Pharaone aduerſus Æthiopes creatus Ægyptij exercitus dux vrbem Sabam, quam poſtea Cambyſes à ſorore Meroen appellauit, obſidere cœpit. Cùm autem oppugnationi difficultas ingens ineſſet, Tharbis Æthiopis regis filia, veluti alia Nyſi Scylla, à muris Moyſem adhuc in iuuentæ flore pubeſcentem conſpicata, adeò eius amore incaluit, vt per ſecretos nuncios polliceretur, ſe vrbem daturam, ſi ſe vxorem duxiſſet, neque vltrà Æthiopem aliquem occideret. Aſſenſus Moyſes, atque vrbem ingreſſus, in Æthiopes magna peracta cæde Tharbim poſtea in matrimonium duxit, neque poſt deſponſationem factam, vltrà quenquam occidit: tempus quo cædes præfiniebatur, arbitratu ſuo interpretatus. Fulg.lib.7.cap.3.

GABAONITÆ callidiſſimi voluerunt decipere Ioſue: ſed ille eos in ſeruitutem redegit. Ioſuæ 9.

IACOBI filij, Sichemitis perſuaſerunt, vt circunciderentur. Mox eos incautos adorti, vſque ad internecionem occiderunt. Gen.34.

SENACHERIB Aſſyriorum rex, Ezechiæ datum iuſiurandum malignè interpretatur. Vide tit. Ab angelis aut dæmonibus interfecti.

ALEXANDER caſtellum Indiæ valde munitum obſidebat. Indi metu compulſi tranſegerunt, vt ſibi cum armis liceret egredi. & egreſſi, collem alium occupauerunt, cuſtodiáſque effecerunt. Alexander exercitum adducens, Indis fœderis religionem implorantibus, de exitu duntaxat ſe fidem dediſſe inquit, de dimiſſione nihil à ſe promiſſum fuiſſe. Polyæn. lib.4.

DARIVS rex Perſarum conſtitutus, quum populo iureiurando affirmaſſet, ſe nullum ex ſeptem principibus (qui coniurauerant aduerſus Magos) veneno, ferro, aut inedia oppreſſurum, vt religione ſolutus videretur, locum parietibus cinxit cineribus plenum: ſupérque ſuſpẽſum impoſuit lignum, cui principes ipſos benignè cibo & potione exceptos incidere iuſſit, vt ſomno ſopiti deciderent in inſidioſos illos cineres. Rauiſ.

TISAPHERNES, adiunctis viris bellicoſiſſimis, cum Clearcho fœdus percuſſit. Eadem autem fœdera cum cæteris etiam ducibus, ſe facturum affirmauit. Venerunt reliqui, Proxenus Bœotius, Menon Theſſalus, Agis Arcas, Socrates Achiuus. Sequebantur hos viginti manipulorum

præfecti, militéſque ducenti. Tiſaphernes duces in vincula coniectos miſit ad regem. Reliquos omnes ipſe interfecit. Polyæn.lib.7.

CLEOMENES Lacedæmoniorum rex, cùm ſeptem dierũ cum Argiuis inducias feciſſet, tertia nocte, cùm Argiui ſecuri agerent, Cleomenes incautos adortus, magnum eorum numerum cecidit, atque cæpit. Cùm autem perfidiæ Argiui eum arguerent, ſeptem dierum ſe inducias, dixit, pepegiſſe: cæterum de noctibus nullam prorſus feciſſe mentionẽ. Fulg.lib.7.cap.3.

AMASIS à Perſis aduerſus Barcæos miſſus (ij ſunt, qui poſtea ſub Ptolemaidis nomine vrbem incoluerunt) cùm vi potiri vrbe non poſſet, pacem cum Barcæis iniuit. Cæterùm nocte ea, quæ pacem anteceſſit, ingentem foſſam effodit, totámque poſtea, ſubiectis lignis, vt æqua cum alia humo eſſet, cõſtrauit: eo loco fœdus initum cum Barcæis iuramento confirmauit, cuius vnum erat caput, nũquam violaturum ipſum eam pacem, dum terra, quam calcabant, formam, quam habebat ſeruaret. Eo verbo Barcæos fefellit, arbitrãtes intelligi, dum orbis terrarum duraret. Itaque proxima nocte foſſam aperuit, atque ita ſacramento ſolutum ſe arbitratus, Barcæos nullam vim, facta iam pace, verentes inuaſit, atque ditioni ſuæ ſubiecit. Ibidem.

ATHENODORVS ducum culpa ad Atarnam ſuperatus à Phocione, iurauit milites atque duces eorum ſolitaria certamina ſubituros, donec eis vita ſupereſſet. Qui rurſus in eodem loco pugnam inierunt propter iuſiurandum: eóque tempore licebat videre victore vinci, & victos vincere. Polyæn.lib.5.

IPHICRATES in Theſſalia, & Iaſon tyrannus prope fluuium fœdus componere volentes, per internuncios ſeſe mutuò ſcrutabantur, & corpora armis nudabant: atque ita ſub pontem conuenientes, colloquiũ inierunt. Poſtquam verò per victimas iuramentum eſſet ſanciendum, Iphicrates in pontem aſcendit. Iaſon pecudem abſenti paſtori ereptam immolare in fluuium cœpit. Tum Iphicrates deſiliens, & apprehendens gladium, à cæde quidem abſtinuit: in conditiones autem quæ ſibi placerent, conſentire adegit. Polyæn.lib.3.

PERICLES Athenienſis affirmauit incolumes futuros hoſtes, ſi deponerent ferrum. Eiſque obſecutos conditionibus. vniuerſos qui in ſagulis ferreas fibulas habuiſſent, interfici iuſſit. Front.lib.4.cap.7.

THYBRON in Aſi caſtellum oppugnans, præfecto cuſtodiæ perſuaſit, vt ad faciendum fœdus prodiret, iurans ſi non feriretur, ſe rurſus ipſum in caſtellum reſtituturum. Qui proceſſit, & in colloquium venit. Cuſtodes autem caſtelli, ſpe pacis diſſolutius agebant. Interea Thybronij impreſſionem facientes, vi munitionem capiunt. Thybron verò præfectum cuſtodiæ reductum in caſtellum, quemadmodum iuſiurandum habebat, iuſſit eum intus morte affici. Polyæn.lib.2.

PACHES Notium oppugnans, Hippiam ducem poſtulauit, vt è munitione ad colloquium exiret: fide data, ſe illæſum & viuum eum remiſſurum. Poſtquam verò proceſſit, cuſtodia penes illum relicta, Notium vi cæpit: atque tum Hippiam viuum in vrbem induxit, quemadmodum in fœdere promiſerat, & poſtea iaculo peremit. Polyæn.lib.3.

THRACES prælio cum Bœotis facto ad Copidem paludem victi, in Heliconem confugerunt, & inducias cum Bœotis ad dies aliquot fecerunt: in quibus Bœoti inito conſilio diſcedunt, freti victoria, & induciis confidentes, atque immortali Etconiæ pro victoria ſacrificantes, conuiuia celebrant. Thraces per noctem in ſacrificantes & conuiuantes impetu cum armis facto, multos interfecerunt, multóſque viuos cæperunt. Bœotis eos violati fœderis incuſantibus, reſponderunt Thraces, ſe nullo modo fœdera eſſe tranſgreſſos. Dierum enim inducias certis conditionibus factas eſſe, de noctibus ſibi nullum fœdus cum eis interceſſiſſe. Polyæn.lib.7.

CHALCEDONII cum Byzantiis bellum gerentes, induciis aliquot dierum conſtitutis, vtrique viros ad capiendum de pace conſilium miſerũt. Tres dies conſilium agitabant. Quarto Chalcedonij ſibi diſcedẽdum eſſe dicebant, ob incumbentia quędam negocia. Cõcedentibus Byzantiis, illi per noctem impletis nauibus, ex improuiſo Byzantios nihil de bello ſuſpicantes obruerunt. Polyæn.lib.6.

ARSAMES Barcæos oppugnabat. Quibus legatos ad eum mittentibus de pace, conceſſit, dextrámque eis miſit Perſica conſuetudine: & oppugnationem ſoluẽs, hortabatur Barcæos, vt cum rege ſe coniungerẽt, in expeditione aduerſus Græciam ſuſcipienda, eíque curruum auxilia mitterent. Illi principes ſuos miſerunt, qui cum eo de ſocietate conſiliũ caperent. Arſames opiparo conuiuio parato, principes inuitauit, omnibúſque Barcæis forum abundans rebus omnibus aperuit. Quibus ad ememendum progreſſis, ſignum dedit Perſis. Qui enſibus armati, portas occuparunt, & irruentes vrbem diripuerunt, interfectis omnibus qui reſiſtere conarentur. Polyæn.lib.7.

CAVNITÆ cum hoſtibus iuſiurandum inierunt, & fœdus de pace conſtituerunt, ea conditione, vt nihil aliud quàm lapidẽ per vniuerſum murorum circuitum eximerent. Quibus eam rem tolerabilem exiſtimãtibus, hoſtes infimos lapides è mœnibus eruerunt, ſic vt facilè moles vniuerſa collaberetur. Polyæn.lib.6.

LOCRI Italici fœdus cum Siculis facientes, allij capita ſub tunicis ſuper humeros impoſuerunt, & terram iniectam calceis ſub pedibus habẽtes, iurarunt ſe firmam ac ſolidam ipſis Remp. conſeruaturos, donec eã terrã calcarent, & capita in humeris ferrent. Iureiurando fidem habentes, Siculos omnes poſtridie Locri interfecerunt, quaſi iam non amplius in eadẽ terra ingredientes, neque capita in humeris ferẽtes. Poly.lib 6.

TIMOLEON oppugnabat Mylarchum tyrannum, qui multos dolis circumuenerat, & neglecta iuriſiurandi religione trucidauerat. Tyrannus ſimulabat ſe iudicium apud Syracuſios ſubiturum, ſi Timoleon non accuſaret. Ille iurauit, ſe non accuſaturum. His intercedentibus conditionibus, Milarchus Syracuſas venit. Timoleon cum eum in concionem protraxiſſet: Nequaquam, inquit, eum accuſabo. ſic enim pactus ſum, verùm interfici celerrimè iubeo, Nam æquum eſt, qui multis verba dedit, eum aliquando ſimili ratione circumueniri. Polyæn.lib.5.

AGATHOCLES, cùm ſuperaſſet Leontinos, Dinocratem ducẽ ſuum miſit in vrbẽ, qui diceret, ei cum Dionyſio glorię contentionẽ eſſe, quòd vellet eos conſeruare, quemadmodum ille cõſeruarit Italos ad Eleporũ fluuium prælio deuictos. Crediderunt Leontini, pecuniáſque dederunt. Agathocles ingreſſus, iuſſit eos in concionem inermes conuenire. Dux interrogabat, cui videretur idem quod Agathocli, is manum tolleret. Agathocles igitur: Mihi, inquit, placet omnes occidere. Decẽ verò millia militum, qui circumſiſtebant, omnes in concione trucidarunt. Ibidem.

PHALARIS ad Teutum Veſſæ principem, quæ florentiſſima maximáque inter omnes Sicanorum ciuitates habebatur, miſit qui ſibi eius filiam in matrimonium peterẽt. Qui cùm eam adduxiſſẽt, milites imberbes in curribus collocatos miſit cum habitu veſtitúque muliebri, quaſi famulas, quæ puellę munera ferrent. Qui cùm domum occupaſſent, gladios diſtrinxère. Phalaris autem exemplo ſuperueniens, Veſſam in ſuam poteſtatem redegit. Ibidem.

MITHRIDATES Ponti rex, aduerſus Ariaratem nepotem, Cappadociæ regem bellum ſuſceperat, Sed cum Ariaratis vires opinione maiores offendiſſet, aſtu peragere decreuit, quod armis aſſequi ſe poſſe diffidebat. Itaque vt in colloquium venire vellet, ab Ariarate petiit, miſſis vtrinque, qui explorarent, ne occultè in colloquium arma ferrent. Cũ is qui Mithridatis corpus prætentabat, manum ſub veſte ad baltheum poneret, Mithridates ſubridẽs dixit: Caue, ne ſi inferiorem partem manu petieris, alium quàm quem quæris pugionem inuenias. Is virilia dici arbitratus, quęrere vltrà abſtinuit. Remanſit igitur in ea parte penes Mithridatem paruus pugio, quo nepotẽ, dum alloqueretur, interemit: qui plus eius verbis ambiguitate, vt ferrum atque inſidias occultaret, quam omni alio aſtu profecit. Fulg.lib.7.cap.3.

RHADAMISTVS regis Iberiæ filius, dum ſimulat cum Mithridate Armeniæ rege fœdus inire, & ob id (vt gentis mos erat) colligandi pollices forent, lorum ad terram callido aſtu decidere ſimulauit, quo Mithridatis pedes vinculo inuaſit, ipſúmque cum vxore & liberis captiuos duxit, & morte affecit. Alex. ab Alex.lib.5.cap.3.

ROMANI Celtis robur ac vires ſumentibus, fœdus cum eis fecerunt, his conditionibus, vt tributa eis penderent, portámque apertam omni tempore pręberent, & terram exercendam concederent. His factis, Celtæ caſtrametabantur. Romani, tanquam amici, multa hoſpitalia munera miſerunt, viníque magnam copiam. Barbari (natura autem Celtica gens ad vinum procliuis eſt) hauſto vino, præ nimia ebrietate proſtrati iacebant. Romani impetu facto, eos omnes occiderunt. Vt autem ex fœderũ conditionibus omnia viderentur agere, in ſaxo inacceſſo portam apertã ædificarunt. Polyæn.lib.8.

Bauarorum rex CACANVS, cùm in Carniam atque alia Venetiæ loca, cum ingenti exercitu veniſſet, primo prælio Giſulſum Longobardorum, eius regionis ducem occidit, atque vrbem, vbi Giſulſi vxor erat, Romilda nomine, obſedit. Ea de muris hoſtes conſpicata, vt Cacanũ ætatis flore conſpicuum formáque inſignem vidit, eius capta amore, pepigit, ſi ſe vxorem duceret, vrbem ac Giſulſi liberos daturam. Cacanus accepta conditione, vt fidem quam dederat, præſtaret: prima nocte, eodem lecto, cum ea maritale munus impleuit, poſtea iis qui adire eam vellent, vulgò permiſſa, adacto à muliebri ſexu per totam ipſam palo, ſpectandã omnibus propoſuit: vt ea parte, qua peccauerat, criminis ſui lueret pœnas, vrbémque Forum Iulij totam euertit, à qua poſtmodum regio nomen accepit. Fulg.lib.7.cap.3.

GREGORIVS Romanus patricius in Foroiulienſi regione cùm inuitatos Catonem & Taſonem Longobardos fratres. Foroiulienſes duces, vt ad ponendam apud ſe primam barbàm (quod priſcis Longobardis amicitię vinculum erat) Opitergium (quę vrbs Vderzum nunc appellatur) venirent, vt eos in vrbem accepit, clauſis portis, interimi iuſſit: delatiſq; ad ſe ipſorum capitibus, vt fidem præſtaret, ambobus manu ſua barbam abraſit, ita ne cultri raſorij moleſtiam vllam ſentirent. Ibidem.

ATTO, Moguntinus epiſcopus, cùm Ludouici tertij imperatoris nomine, Alberto Franconiæ comiti, quem Ludouicus in vrbe Bamberga obſidebat, promiſiſſet, ſi ad colloquium cum Ludouico ab vrbe deſcendiſſet, in Bambergam ſe eum incolumem reſtiturum: poſteaquam vrbe Albertus eſt egreſſus, Atto tanquam melius quid cogitaſſet, mutata ſententia, cum Alberto regredi ſe in vrbem velle, vt pranderet, dixit. Affirmans, quia hora tardior videretur, Satius eſſe prius prãdere, móxque ad Ludouicum ab arce deſcendere. Pranſi igitur, cùm ad Ludouicum deſcẽdiſſet Albertus, captus eſt, & ſecuri percuſſus, propter Conradi Ludouici patris mortem, qua eum Albertus affecerat. Cùm autem incuſaret Albertus, non ſeruari ſibi pactam fidem, Atto apertè reſpondit: Se eũ incolumem reduxiſſe in vrbem, cùm pranſum cum eo profectus eſſet: & quia ſemel tãtùm promiſerat eum ſe reſtituturum, ídque ſeruauerat, iniuſtè eum queri violatam, quæ data fuerat, fidem fuiſſe. Ibidem.

Cùm RODERICVS Gutherius comes, in prælio captus eſſet à Ferdinando Caſtulonẽſi rege. in quo prælio ipſius Roderici frater Aluarus mortuus erat, hac conditione à Ferdinãdo dimiſſus eſt, vt iuraret, ſe fratre ſepulto rediturum. Itaque vt promiſſa Rodericus præſtaret, fratris corpus aromatibus conditum, atque capſæ incluſum, quocunque proficiſceretur, ſecum ferebat, neque antè ſepeliuit, quàm Ferdinandum regem deceſſiſſe intellexit. Ea enim arte ad Ferdinandum non redeundo, ſacramenti religionem ſe ſeruaturum putauit. Ibidem.

ASTVTIA, FRAVS ATQVE DOLVS IN AVTHORVM CAPITA REDUNDAT. MALUM, HOC EST FRAUDULENTUM CONSILIUM CONSULTORI PESSIMUM.

Præclarè Hesiodus ἡ δὲ λακὴ βουλὴ τῷ πονήσαντι λακίῃ, eámque imitatus Naso, -Nec lex hac iustior vlla est, Quàm necis artifices morte perire sua. Iusticiæ hæc exempla sunt, si æquitatem spectes: sin dolum atque fraudem (cuius veluti comes perpetuus est pœna, sive velox sive tarda, quæ tamen & tarditatem supplicii gravitate recompensat) inter adiuncta callidtatis referenda esse videntur. Neque enim simplex est hic titulus, sed calliditatem primò continet: deinde iniusticiam, quæ per iustitiam correctiuam ad æqualitatem reducitur. Nos hic pauca quædam exempla fraudis, quæ suis authoribus nocuit, referemus, maximè cùm hic locus ab aliis quoque Exemplorum scriptoribus fuerit tractatus. Qui plura cupiet, consulat titulos Iusticiæ correctiuæ, de Pœna imprudentiæ, crudelitatis, libidinis, iniusticiæ, & similes. Nos pauca hæc colophonis instar fraudulentiæ attexemus.

Vicit MALVS DÆMON hominem in ligno: est & ipse in ligno ab homine victus. Cæterùm prior victoria fraudis fuit, quæ longo est intervallo secuta, virtutis, & sapientiæ. Sab. lib. 10. cap. 4.

Erat AMANIS autoritas apud Artaxerxen, siue Assuerum non parui ponderis. Perpulit is regem, vt vno die iusserit omnes Hebraici nominis in suo regno interfici, ipse ingentem crucem Mardocheo Iudaici sanguinis fabrefecit. [illegible] Imminebat manifestum Iudæis exitium, cùm paucissimarum horarum spacio, rex Hesteres precibus mutatus, non solùm edictum reuocauit, sed Amanem cõsilij autorem cruci affixit, quam ille Mardocheo nominatim parauerat. Ibidem. & Marul. lib. 5. cap. 1.

Pepercerunt leones DANIELI in caueam deiecto: eos fœdè laniarunt, per quos erat puer innocens bestiis expositus. Ibidem.

Pari exemplo vindicata est à calumnia SVSANNÆ pudicitia: senes qui capitalem noxam insonti attruxerant, sui sceleris conuicti, in se capitale supplicium vertêre. Ibidem. & Marul. lib. 5. cap. 1.

MOSYNI populi, si quis malè consuluisse aliquando videatur, fame necant, vt malè dati consilij ea ratione pœnas luat. Stobæus sermo. 42. ex Nicolai de moribus gentium historia.

PERICLES, dux Athenienſium, legem scripsit, vt nemo ad gubernãdam rempublicam accedere permitteretur, nisi qui vtroque parente ciue natus esset. Tetigit autem ipsum legis vtilio. Nam duo filij, quos habuit, Patroclus & Xantippus, communi morbo pestilentiæ confecti, mortem obierunt: superstites autem Pericli fuere nothi, quibus potestas administrandi rempublicam per legem patris fuit erepta. Ælian. lib. 6. de Varia historia.

Statua Romæ in comitio posita Horatij Coclitis fortissimi viri de cœlo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum, Aruspices ex Hetruria acciti, inimico atque hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis regionibus procurare. Atque illam statuam suaferunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol opposito circum vndique aliarum ædium nunquam illustraret. Quod cùm ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt. Et cùm de perfidia confessi essent, necati sunt. Cõstitítque eam statuam (perinde vt veræ rationes pósset comperræ monebant) in locum editum subducendam: atque ita in area Vulcani sublimiori loco statuendam. Eáque res bene & prosperè reipublicæ cessit. Tunc igitur quòd in Hetruscos aruspices malè consulentes animaduersum vindicatúmque fuerat, versus hic scitè factus cantatúsque esse pueris vrbe tota fertur:

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de aruspicibus, ac de versu isto senario scripta est in Annalibus maximis libro vndecimo, & in Verrij Flacci libro primo Rerum memoria dignarum. Videtur autem hic versus de Græco illo Hesiodi expressus:

Ἡ δὲ λακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι λακίσει Gell. lib. 4. cap. 5.

Potiti fuerant Pœni in Italia belligerantes Tarento vrbe, non vi bellica, sed prodicione: estque à Romanis id oppidum pari opera receptum. Vnde vox illa Annibalis: Eadem arte, qua cepimus, Tarentum amissimus. Sab. lib. 10. cap. 4.

Valens imperator Arriana hæresi laborabat. A quo cùm Gothi petiissent, vt mittere Episcopos vellet, à quibus in Christiana fide instituí cupiebant, ad eos pro catholicis Arrianos misit. Itaque cùm simplex Gothorum genus pro fideli doctrina peruersam accepisset, ne impunitum Valentis scelus maneret, tulit Deus, vt traiecto Danubio, intra imperijsnes, sine alia publica fide Gothi cùm consedissent, Valentis auaricia cogente rebellarent, Capta igitur Antiochia, Valente victo vulneratóque, cùm is fessus in pastoralem casam diuertisset, in ea superuenientibus Gothis viuus combustus est: vt quibus ignibus, missis peruersis doctoribet Gothorum incenderat animos, iis viuentis corpus Valentis (quia mali autor fuerat) cremaretur. Fulg. lib. 1. cap. 2. & Egnat. lib. 1. cap. 2.

SYLVERIVS Campanus, Pontifex Maximus, Iustiniani imperatoris tẽporibus, cùm consilium dedisset, Athenienſium episcopum nequaquam ab exilio reuocandum esse: ipse coactus Pontificatu se abdicare, in insula Pontiam fugiens, ibi ipse quoque in exilio moritur. Teste Volat. lib. 22. Anthropologiæ.

VIGILIVS Romanus pontifex Iustiniano imperante, cùm suo consilio contra conuctum, qui Athenienſium episcopum ab exilio reuocandi putarat, obstreperet: ille Constantinopolim vocatus, variis contumeliis verberibúsque affectus est, & extinctus, ni malo suo consilio sibi ipsi obesset. Volater. lib. 22. Anthrop.

LVCVS fœnerator Genuensis rapacissimus & locupletissimus, cùm peccata alienis precationibus dilui, auróque salutem redimi posse sibi persuasum haberet, si quem dolo & fraude circumuenisset (vt numerus delictorum constaret) in arca eam ob causam facta calculum nigrum reponebat. Accreuerant iam fraudes, & calculorum copia. Sub Paschatis festum peccata confitetur, atque ea ex calculorum numero petenda esse confessori suo asserit. Protinus domum redire, & calculos excutere iubetur. Trepidus accedit, arcam consulit: vnicum calculum reperit. Confessori rem indicat. Is ergo, vt singulari erat prudentia: Multos, inquit, decipere voluisti, multos calculos arcæ iniecisti: verùm dum alios decipere studes, te solum decepisti. Tui ergo solius causa, qui deceptus es à diabolo vnicus calculus in arca repertus est. Conuertere ergo, & pœnitentiam age, ne dum alios dolo circumuenis, à diabolo circumuentus æterna morte damneris. Malum namque consilium consultori pessimum. Hoc ipsum Plato voluit, quando neminem nisi à seipso lædi posse asserit.

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER QVARTVS.

DE FORTITVDINE.

VIRTVTES practicas superiore libro in διανοητικὰς & ἠθικὰς diuisimus. Cum autem Prudentiã, quæ inter διανοητικὰς ἕξεις sola πρακτική est, explicauerimus, superest, vt ἠθικὰς propriè dictas, quæ in parte animæ irrationali per se, rationi tamen obtemperante, consistunt, aggrediamur. ἠθικαὶ igitur virtutes dupliciter considerari possunt: vel respectu illius qui virtutibus istis præditus est, & ab illis perficitur, vt vitam securam, tranquillam, planéque beatam in terris degat: vel respectu eorũ, quibuscum vir bonus conuersatur. Quemadmodum enim sol oriens non cœlum tantùm, in quo oritur, sed vno eodémque temporis momento vniuersum terrarum orbem illustrat: sic etiam virtus quælibet non habentem tantùm perficit, sed illis quoque, quibuscum vir bonus habitat, commodat, & vtilis existit. Cùm autem bonum omne quo communius, eo diuinius habeatur, sit vt virtutis cuiuslibet maior habeatur ratio, quatenus ad alios refertur, quàm quatenus ad habentem. Hanc ob causam iustitia virtutum omniũ regina à Platone constituitur. Priore igitur cõsiderationis modo virtutes Ethicæ variæ sunt, pro varietate obiectorum externorum: posteriore verò modo iustitia vno veluti fasce virtutes omnes complectitur, & vt Theognis ait, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή' ἐστι. Etsi autem varia sunt obiecta externa, in ordinem tamen redigúntur, & ad duas summas classes reduci possunt: quòd scilicet quam primùm hominis animo corporíue oblata fuerint, vel ad agendum, vel ad patiendum referantur. Ad agendum quidem, quoniam vel confidentem, & in proposito perſequendo constantem faciunt: vel timidum & difidentem in susceptio negocio ad finem vsque perducendo. Ad patiendum verò, quoniam vel voluptatem in animo corporéue excitant, vel dolorem pariunt: voluptas autem & dolor passiones sunt. Circa obiecta igitur, quatenus spectant recipientis hominis actionem siue ἐνέργειαν (activa sit, an passiua, nihil refert) fortitudo versatur. Circa obiecta verò quatenus recipiens homo patitur, & vel cum iucunditate, vel cum tristitia, non vna tantùm virtutis species consistit, sed variæ, prout etiam voluptates variæ existunt. De quibus ab initio libri quinti copiosius disputabitur. Hoc enim loco de Fortitudine agemus, dignitatis & excellentiæ ratione habita: quoniam inter virtutes Ethicas, quatenus ad habentem referuntur, primas sibi vendicat. Nam cùm actio potior sit passione: Fortitudo etiam, quæ τὴν ἐνέργειαν confidentiam moderatur, cæteris virtutibus Ethicis antecellet, ex quibus voluptatem tantum moderari discimus, à qua voluptate pati semper videmur, siue illam agendo siue patiendo percipiamus. Hæc causa fuit, cur à Græcis ἀνδρεία fuerit dicta, quòd scilicet κατ' ἐξοχὴν veris viris conueniret, & masculavirtus esset, in generosos tantùm animos cadens. Præclarè igitur Maro Æneam suum introducit loquentem:

Dísce puer virtutem ex me, verúmque laborem. Virtus Fortitudo est, inter Ethicas splẽdidissima, animi inrernus habitus, per actiones fortes, quas verum laborem appellat, sese prodens, tum in aduersis rebus fortiter sustinendis, tum in prosperis moderatè secundis. Nam cùm in quotidiana vita insignis sit casuum varietas, quos fortuitos appellant, qui insolentia sua hominum animos vehementer perturbare consueuerunt: quicunque in illis grauitatem suam tuetur, is Fortis est, & summa admiratione dignus. Posset quinetiam virtus ista Grauitas nuncupari. Quemadmodum enim ea quæ grauia sunt, cùm semel naturalem locum obtinuerunt, difficulter inde mouenturita quoque Fortitudo à rebus tam prosperis quàm aduersis moueri, & à statu suo mentísque tranquillitate dimoueri nequit. Vsus tamen loquendi obtinuit, vt non totum genus, sed species quædam certa Fortitudinis hoc nomine appellaretur: vt in sequentibus audiemus. In tertio Ethicorum Fortitudinem definit Aristoteles, esse μεσότητα περὶ θάρρη καὶ φόβους. Qua quidem definitione Fortitudinis naturam siue causas internas & constituentes ad vnguem complectitur. Quod vt clarius innotescat, causas fortium actionum, quæ à consimili habitu prosluunt, diuidimus in internas & externas. Internas appello, materiam & formam. Materia siue subiectum, in quo & circa quod fortis occupatur, sunt bona quæuis externa, quæ θαρραλέα dicunt, quoniam confidere faciunt: item mala quæuis externa, φοβερὰ, quoniam metum incutiant, & difidentem faciunt, siue pertineant ad animum, (quæ per se vel fugienda sunt, vel amplectenda, vt vitia & virtutes, res honestæ & inhonestæ) siue pertineant ad corpus, siue circumstent hominem, & fortuita dicantur: quæ vtraque per se nec expetenda sunt, nec fugienda, nisi quatenus ad animi bona maláue conferunt. Materia ex qua fortes fiunt, sunt interni motus, ab obiectis externis tam malis quam bonis excitati, à θαρραλέοις quidem τὸ θάρρη, hoc est, confidentia: à φοβεροῖς verò οἱ φόβοι, metus, difidentia, timor. Ingeniosè autem internorum motuum Aristoteles in definitione meminit, quoniam fortitudo non in susceptione externorum obiectorum spectatur, quòd scilicet vel declinet vel suscipiat, sed in commotione siue motu ab illis excitato, postquam susceptasunt. Primi enim motus in nostra non sunt potestate, (cùm homines simus, non Dij, nec tanquam saxa immobiles) sed motus secũdi, quos Fortitudo moderatur. Et propterea τὸ θάρρη καὶ φόβους materiam Fortitudinis internam statuimus: eorúmque apppellatione obiecta θαρραλέα καὶ φοβερὰ, à quibus oriuntur, subintelligimus. Cæterùm inter hos motus Aristot. libro tertio Ethicorum capite 12. primum locum tribuit τῷ φόβῳ. In formidine enim difficilius est officij sui meminisse, mentéque constare, quàm in rebus prosperis, eo quòd mala toto genere naturæ nostræ aduersa sunt, cùm bona per se nobis non noceant, sed ipso tantùm abusu. Cùm igitur virtutis summus vigor in eo quod difficillimum est spectetur, περὶ τοὺς φόβους potius quàm περὶ τὸ θάρρη Fortitudo versabitur. Porrò cùm τὰ φοβερὰ quoque varia sint, & per consequens etiam οἱ φόβοι: Fortitudinem ὑγιείαν, hoc est, veram & proprijssimè dictam in summis terroribus versari necesse est, qualia sunt pericula bellica, in quibus non de fortunis tantùm, verumetiam de vita agitur: & in nostra potestate situm est, ea vel declinare turpi fuga, fœdere, deditione: vel forti animo perferre, & pulchram (vt ille ait) per vulnera mortem oppetere. Cætera mala vel summa non sunt, vt iniuria, pulsatio, calumnia, nobis nostrísue intentata: vel certè in nostra potestate non est situm ea effugere, sed quamuis inuiti ea perferre cogimur, vtpote morbos, pericula maris, & similia. Proinde in istis cernitur quidem animi fortitudo, non summa tamen neque perfecta virtus, sed μὴ νόσος tantùm, quæ etiam ad alios virtutum loco referri potest: vtputa Tolerantia iniuriarum ad πραότητα, &c. Iam verò forma, quæ Fortitudini dat esse, μεσότης est, ne ab externis obiectis, tam bonis quã

- Absentia, *sed tamen futura. Ratio ea declinare præcipit, quandoquidem naturæ hominis cõtraria sunt: in declinãdo modus est seruandus. Consideremus ergo hic*
  - Virtutem, *quæ ἀνώνυμος est, Declinare mala, quæ declinãda sunt et fugienda, quantum, quomodo, quando, & vbi oportet. Temeritatem fugere, in suscipiendis siue adeundis periculis. Exempla*
    - In genere. *Mala igitur*
      - VERA *declinãda sunt.*
      - IMAGINARIA *non sunt timenda.*
    - In specie. *Minora mala perferenda, vt maiora declinentur: cuiusmodi est* MORTIS *meditatio religiosa.*
  - Vitia, *extrema duo: alterum in*
    - Excessu. *Nimiũ declinare.*
      - In genere. MALA *futura vel vera vel imaginaria, timere*
      - In specie. *vt*
        - METVS *hostium, Cum hoste non audere congredi.*
        - METVS *insidiarum, Quàm anxiè se quidam custodierint.*
        - METVS *mortis, seu nimia vitæ cupiditas.*
        - OBIVM *vitæ, ex metu futurorum malorũ. Desperatio.*
    - Defectu. *Non declinare omnino mala, vel minus declinare quàm honestas præcipiat.* STOLIDITAS *quædam, & stulta ostentatio.*

A. *In rebus aduersis τχὴ φοβερῶν, diuersa est ratio Fortitudinis, pro varietate subiecti siue obiecti mali, quod cõsideretur ratione habita temporis. Mala enim vel sunt*

- Genere.
  - Virtus *esto* TOLERANTIA *siue Patientia, quæ primum interno animi vigore, deinde etiam externo corporis robore, eóque passiuo, nititur: vt quamuis toleret mala, non tamen succumbat, neq; à suo statu & tranquilitate deiiciatur. Exẽpla igitur Tolerantiæ asseruantur tum in*
    - Animi *neutiquam sunt tolerandæ, sed mors potius appetenda.*
    - Corporis *tolerãda sunt, si turpitudo abfit, aut cõmixta sit honestati: siue corp*
      - Crucient, *& vel*
        - Interna, *contra naturam.* MORBORVM *Tolerantia.*
        - Externa. *vt* VVLNERA, *verbera, tormenta.*
      - Tollant *omnino. Tolerantia mortis propriæ. Ferre*
        - INSIDIAS *occultas.*
        - MORTEM *sibi*
          - Naturalem.
          - Violentam. MARTYRES *utriusque sexus.*
  - Religiosa, *quæ propter fidei persuasionem omnia mala æquo ferat animo. Mala igitur*
    - DIVITIIS.
      - Propriam *in*
        - HONORIBVS. *nempe*
          - Famæ *læsionem per*
            - *Verba, calumnias, detractationes conuicia,*
            - *Facta & cõtumelias*
          - Dignitatis, *abrogationem aut repulsam.*
        - LIBERTATE
          - Carceres.
          - Venundationem.
          - Exilium.
      - Fortunæ, *siue externa, religionis ergò omnino relinquẽda sunt. Ferre iactu ram*
        - Patriæ *excidium.*
        - Suorũ: *vtpote*
          - Vxoris *impudicitiam.*
          - Mortem *suorum parentum, liberorum, &c.*

Specie. *Est enim Tolerantia alia*

Negantur *in his ergo.*

Præsentia, *eáq; vel tolerãdo vel propulsando euincẽda sũt. Sic apud Maronem Sibylla monet, Tu ne cede malis (in perferendo) sed cõtrà audẽtior ito (in propulsando.) Mala enim præsentia vel euitari*

Vitia duo. *Vide signum* C.

Ethica. *Vide in seq. signum* B.

Possunt. *Vide signum* D

B. *Ethicæ Fortitudinis est, Patienter ferre mala.*

- Animi, *hoc est ea mala, quæ virtutibus nostris quomodolibet officere aut derogare possunt, tum in*
  - Theoricis. PATI *se ab alio vinci: vel ab inferiore & minore instrui in Theoricis.*
  - Practicis: *& vel*
    - Mechanicis. PATI *se ab alio vinci, vel instrui.*
    - Ethicis. *Vitia ita sunt fugienda, vt turpitudini mors sit antẽponenda. Verum* IVSTAS *reprehensiones aut institutiones æquo ferre animo virum fortem decet.*
- Corporis, *absq; vitio, decet: siue corpus*
  - Crucient, FERRE *mala*
    - Interna, *& contra naturam, vt puta* MORBOS.
    - Externa, *vt*
      - Frigus, *& æstum.*
      - Vulnera, *verbera, tormenta.*
  - Tollãt. FERRE
    - Pericula *quæuis.*
    - Insidias, *etiam liberorum.*
    - Mortem. MORTIS *contemptus.*
- Fortunæ, *siue incommodent*
  - Diuitiis *tum*
    - Paruis: DAMNI *proprij patientia.*
    - Magnis. FERRE
      - Regnorum *amissiones & defectiones.*
      - Publicam *inopiam.*
      - Hostium *victoriam.*
  - Propriis *vel*
    - Honoribus, *vtpote*
      - Famæ *& existimationi.* TOLERARE
        - Conuicia, *libellos famosos*
        - Facta *cõtumeliosa, & iniurias.*
      - Dignitatis *abrogationem, aut repulsam.*
    - Libertati: *vt*
      - Carceres.
      - Venundationem *& seruitutem.*
      - Exilium.
  - Suorum *bonis.* FERRE
    - Patriæ *excidium.*
    - Damna *suorum quælibet.*
    - Vxoris *impudicitiam.*
    - Mortem *liberorum, fratrum, consanguineorum.*

C. *Duo sunt vitia: Alterum in*

- Excessu, NIMIA *tolerantia. Nam vel ea quæ non decet tolerat, vt in quibus turpitudo aliqua inest: vel nimium tolerat ea quæ decet, vt non virtutis habitu, sed ἀνωμαλότητός quadam niti videatur.*
- Defectu. PVSILLANIMITAS, *Deiectio animi, Mollities, in malis tum*
  - Animi, *vel*
    - Theoricis. ÆGRE *ferre, se ab alio vinci aut admoneri in Theoricis.*
    - Practicis, *tum*
      - Mechanicis. ÆGRE *ferre aliorum reprehẽsiones aut admonitiones in mechanicis.*
      - Ethicis
        - MALA *sua vltrà quàm par sit exaggerare, & desperare.*
        - REPREHENSIONES *suorum vitiorum ægrè ferre.*
  - Corporis.
  - Fortunæ.

D. Mala euitantur præsentia, propulsando. Opus est igitur interno animi impetu, Ira scilicet: tũ etiã externo, corporis robore. Actiua hæc species est, & propterea longè excellentior quàm reliquæ species, quæ merè passiuæ videntur esse. Itaque κατ' ἐξοχὴν *Fortitudo dici meruit. Cõsideremus igitur*

- Virtutẽ *ipsã, quæ Fortitudo dicitur. Alia est*
  - Religiosa. *Vincere & propulsare ea mala quę virtutibus Christianis officere possunt, superantur igitur*
    - Animi *mala interna. Confidentia in Deum* DIABOLICAE *tentationes superantur, præsertim tempore orationis.*
    - Corporis *luxus et libido, quæ spiritum aggrauare poterat, per*
      - Ieiunia.
      - Flagella, *labores, frigora.*
    - Fortunæ *siuè externa bona, quæ nos à cœlestibus auocare poterant, per* Contemptum mundi.
  - Ethica. *propulsare mala,*
    - Animi, *videlicet* DIABOLI *tentationes & impetus.*
    - Corporis *& fortunæ, tum*
      - Domi. Et *vel*
        - Publicos *hostes opprimere. Dicitur* FORTITVDO *politica siue vrbana vt*
          - Tyrannos.
          - Seditiosos *ciues.*
        - Priuatos *hostes, & insidiatores.*
      - Foris. *Vel contra*
        - Homines, *in bello. Et vel in*
          - Monomachiis, *siue certamine singulari. Est autem* MONOMACHIA *alia*
            - Aperta, *ex prouocatione scilicet.*
            - Occulta, *ex insidiis. Cuius generis sunt Assaßini dicti.*
          - Conflictu *multorum. In quo consideratur partim*
            - Virtus *ipsa. Quæ pẽdet vel à*
              - Deo. BELLA *diuino auxilio confecta.*
              - Hominib. QVI *vincũt robore corporis, & interna animi fortitudine. Exempla tum*
                - viro-rum
                  - DVCVM.
                  - MILITVM.
                - MVLIERVM.
            - Effectus, *ipsa scilicet* VICTORIA, *illustris, aut minus illustris, tum ratione*
              - Causæ. *Vincunt alij alios vel*
                - Robore *animi & corporis. Exempla, eorum qui*
                  - SAEPE *victores fuerunt, in genere, quacũque tandẽ ratione victoriam sint adepti.*
                  - PAVCI *multos.*
                  - INERMES *armatos.*
                  - VICTI *prius, victores vicerunt.*
                - Numero, *vt multi paucos. Victoria nulla laude digna.*
                - Arte *& astu. Exempla pete ex Stratagematis.*
                - Casu *& fortuna. Ad Fortunam loca pertinent.*
              - Modi. *Vincunt*
                - Cum *sanguine*
                  - Suorum.
                  - Hostium.
                - Absq; *sãguine*
                  - Suorum.
                  - Hostium.
        - Belluas *& feras.* FERARVM *domitores.*
- Vitia *duo: alterũ in*
  - Excessu. TEMERITAS *in propulsando*
    - Vrbana.
    - Bellica.
  - Defectu. IGNAVIA *& pusillanimitas vel*
    - Ethica: *eaq; vel*
      - Domestica *& vrbana.*
      - Bellica. TVRPITER *victi, vtpote*
        - Multi *à paucis.*
        - Victores *prius à victis.*
        - Armati *ab inermibus.*
        - Absq; *sanguine & conatu resistendi.*
    - Religiosa *in tentationibus Diaboli sustinendis.*

GRA-

GRAVITAS IN VTRAQVE FORTVNA.

Exempla pete quædam ex tit. Affectuum moderatio in genere.

MARIA, mater Domini, semper virgo, in vtraque fortuna (siquidem diuinitùs prędestinata, hoc appellanda sunt nomine) constantissima fuit. Primò quidem in continendo gaudium quod habuit de filij conceptione, natiuitate, Magorũ adoratione, & ipsius educatione, prædicatione, miraculorum operatione, resurrectione: rursum, sustinendo dolorem, quem passa fuit in ipsius filij passione. Luc. 22.

ARISTIPPVS neque præteritorum memoria, neque futurorum cura aut spe mouebatur: animum in diem intendebat, id tãtùm quòd præsens est in nostra manu positum esse dictitans. vt Æl. lib. 14. Var. hist. refert. De eo sic Horatius in primo Epistolarum.

Omnis Aristippum decuit color, & status, & res,
Tentantem maiora, ferè præsentibus æquum.

SOCRATES Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, eundem in vtraque fortuna vultum semper retinuit.

P. RVTILIVS magis ordinum dissensione, quàm vlla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetendit, nec dixit quicquam splendore præteritorum annorum humilius: effecitque hoc aliàs, vt periculum hoc, non impedimentum grauitatis eius esset, sed experimentum. Atque etiam cùm ei reditum in patriam Syllana victoria prętaret, in exilio, ne quid contra leges faceret, remansit. Quapropter felicitatis cognomen iustius quis moribus grauissimi viri, quàm impotentis armis assignauerit: quod quidem Sylla rapuit, Rutilius meruit. Val. libro sexto, capite quarto.

Numidicus METELLVS populari factione patria pulsus, in Asiam secessit. in qua cùm ei fortè ludos Trallibus spectanti, literæ redditæ essent, quibus scriptum erat, Maximo Senatus & Populi consensu reditum illi in vrbem datum: non è theatro prius abijt, quàm spectaculum ederetur. Non lætitiam suam proximè sedentibus vlla ex parte patefecit, sed summum gaudium intra se continuit. Eũdem constat pari vultu & exulem fuisse, & restitutum: adeò moderationis beneficio, medius semper inter secundas & aduersas res animi firmitate versatus est. Val. lib. 4. capite primo.

ALPHONSVS Aragonum rex ob magnas insperatásque victorias, nunquam omnino mutatus dicitur esse: vt qui ita se gesserit, vt illi semper & in omni fortuna vultus idem, idem habitus, sermo idem, mansuetudo benignitásque fuerit. Panor. lib. 4.

STEPHANVS Contarenus, creatus in Petri Zeni locum Senatus iudicio, qui maritimæ rei rectè peragendæ in Benaco lacu præesset, quando res aduersæ nunciarentur: statim suscepta prouincia, domum est profectus, euocata de superiore ædium parte vxore: Scias, inquit, me Benacensi oræ præfectum, Senatu ita iubente: tu igitur omnia domi parato, curatóque vt præsto sint, quæcunque mihi necessaria futura sunt. Atque intra paucos dies aut lætum à me partæ victoriæ nuncium expectato (id quod campani æris sonitus ex Marciana turri tibi significauerit) aut mortis meæ literas, quibus tu cadauer hoc ipsum auitæ sepulturæ mandes. Quæ vox grauior esse potuit, ad testandum animi robur in vtrauis fortuna: Egnat. lib. 6. cap. 4.

GRAVITAS IN SECVNDIS REBVS, IN GENERE.

Bona ex sui natura quilibet appetit, & persequitur. Grauitatis est, ea tantùm appetere & admittere, quantum honesti ratio patitur. Quare hîc quoque, vt in omnibus alijs virtutibus, recta ratio siue prudentia locum habet: in genere quidem, ne ea quæ mala sunt pro bonis amplectamur, & in electione decipiamur: in specie verò, ne bona minora maioribus anteponamus. Porrò Grauitas duplex est: alia quidem interna in animo, alia externa in moribus. Interna animi, quæ in vtraque fortuna spectatur, priore loco à nobis explicata fuit at quæ in fortuna secunda conspicitur, de ea hoc in loco agemus. Externa, quæ in moribus est, Honestas quædam vitæ appellari potest: quàm inferius, vbi de varijs Honorum differentijs agetur, suis exemplis illustrabimus. Græci in fingendis vocabulis fœlices, internam βαρύτητα, *externam* σεμνότητα *appellasse videntur: quamuis Aristoteles aliter distinguere videatur in 2. Rhetor. 30. quem nos in Honoribus sequemur. Sed iam ad exempla Grauitatis in secundis rebus accedamus.*
Quædam ex titulo, Contemptus honorum, colligi possunt.
Item ex tit. Popularitatis.

ALEXANDER Macedo, Dario vno iam & altero prælio virtutem eius experto, atque ideo partem regni Tauro tenus monte, & filiam in matrimonium cum decem milibus talentũm pollicente, cùm Parmenion dixisset, Se, si Alexander esset, vsurum ea conditione: respondit, Et ego vterer, si Parmenion essem. Vocem duabus victoriis respondentem, dignámque cui tertia, sicut euenit, tribueretur. Val. Max. libro sexto, capite quarto.

AGESILAVS Lacedæmonius potest cẽseri in hoc genere laudis: cui nisi vultus moderationis animi superfuisset, nunquam in perpetuo illo fœlicitatis cursu adeptus esset, vt ab omnibus plurimùm diligeretur. Sabell. lib. 4. cap. 10.

THEMISTOCLES cùm ad mare descendisset, vt occisorum Persarum stragem inspiceret, cùm passim humi cum mortuorum militũ corporibus sparsos torques & armillas aureas videret, ad amicum conuersus, dixit: Tu qui Themistocles non es, ista collige. grauissimo verbo ostendens, conditiones quibus hominum gradus discriminantur, eas esse, quæ faciant vt aliquid agere deceat aut non. Fulgosus libro sexto, capite quarto.

MANLIVS Torquatus, cùm ei consulatus omnium consensu deferretur, eúmque sub excusatione aduersæ valetudinis oculorum recusaret, instantibus cunctis: Alium (inquit) Quirites quærite, ad quem hunc honorem transferatis. nam si me gerere cum coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis. Si priuati tam ponderosa vox, quàm graues fasces consulis extitissent? Val. Max. lib. 6. cap. 4.

OCTAVIVS AVGVSTVS Domini adpellationem abhorruit: & in curiam veniens, senatores (quos assurgere non patiebatur) nominatim consalutare solitus erat. Volater. lib. 23. Anthrop.

PLOTINA Traiani imperatoris vxor, cùm post Traiani electionem primùm in Capitolium iret, multíque essent qui imperij fœlicitatẽ omnibus modis precarẽtur: cùm adhuc in gradibus esset, conuersa ad multitudinem: Talis, inquit, huc ingredior, qualem me exire cupio. Quo dicto innuere voluit, se non minus in imperio, quàm cum extra imperium esset, omnibus optimè velle. Vnde sic se in principatu gessit, vt omnino iusta reprehensione caruerit. Xiphilinus in vita Traiani.

LVDOVICVS duodecimus Gallorum rex, quo de Carolo octauo vxoris suæ fratri in regno suffectus fuit, ministrorum suorum vni, quem percharum habebat, morem non gessit, petenti dono sibi dari fortunas Aurelianensis cuiusdam ciuis, qui in Ludouicum ipsum hostili animo semper fuisse putabatur. Strenuè id negauit, atque alia maiora pollicitus est, inquiens: Iniquum videri, Gallorum regem velle, Aurelianensis ciuis iniurias vlcisci. Quin illud etiam magis à grauitate hoc profectum esse declarauit, quòd repentè ac præter expectationem in tantam fortunam euectus, omnium iniuriarum immemor, omnes eos qui Carolo paruerant, locis suis in honore apud se tenuit: ita vt excepta regis persona, quæ mutata erat, nihil in Caroli aula mutatum ex consueta specie videretur: mirúmque omnibus esset, Ludouico eos regi stipatores esse, qui olim captiuum ex prælio duxerant: & eidem in honore illos astare, qui vt in custodia tam diu seruaretur consuluerant: atque ipsos qui in carcere eum asseruarant, ea vultus lætitia, hísque animis, quibus Carolo operam dederant, inseruire illi, quem antè vt hostem captiuum habuerant. Fulg. lib. 4. cap. 1.

CLEMENS quartus Pontifex (Narbonæ in Gallia natus, iurecõsultus aliquandiu in patria insignis fuit) quum ad eum duæ, mortua iampridem vxore, peruenissent è Gallia filiæ, petẽtes pro patris ipsius dignitate maritos sibi dari: nonnullique alij propinqui præsto essent, qui grandia sacerdotia & dignitates tribui sibi exposcerent: ita omnibus respondit, vt quamprimùm à se abirent, paternæque rei quod sibi reliquum superesset æquis portionibus inter se diuiderent. Quo responso, & filiæ in sacra loca Christo dicata cõcessere, & affines cognatíque raptim natale solum repetiuère. Egnat. libro quarto, capite tertio & Fulgosus libro quarto, capite tertio.

GRAVITAS IN SECVNDIS REBVS, IN SPECIE.

VICTORIÆ MODERATIO.

Exempla plurima ex tit. Clementiæ & Mansuetudinis erga hostes tam mortuos quàm viuos, poterunt colligi.

Magnum & memorabile est ISRAELITARVM illud, quòd Beniaminæ tribus viri paucorum culpa ab omni Iudæorum gente alienati, atque ex confesso hostes facti, post varios belli casus, cùm vno demum prælio ad Gabaan commisso, omnis propemodum gens interiisset, vt ex quinque & viginti millibus bellatorum, qui nuper in acie steterant, sexcenti ex suorum strage ægrè reuulsi, in deserta loca refugissent: tantùm

absfuit, vt victrices tribus vnius reliquias ad interitum persecutæ sint, vt omnium Israelitarum decreto Beniamini exules, qui pauci numero supererant, ad reparandam sobolem, quia religio & iusiurandum totius gentis legitimis obstabat nuptiis, impunè sibi ex solenni Iudæorum mercatu raperent virgines, raptasque pro vxoribus haberent. Sab. libro 6. cap. 4.

ISRAELITARVM decem tribus, cùm cæpissent de viris Iuda ducenta milia mulierum & puerorum, pepercerunt eis, & vestitos atq; refectos ad propria remiserunt. 1. Paralip. 23.

AGESILAVS Lacedæmonius ea fuit in eos quos vicisset, humanitate, vt sæpe milites pro concione monuerit, ne captiuos cruciatu aliquo afficerent: quin illa potius reputatio subiret animum, eos qui victi essent, & ad eam fortunam redacti, homines esse. Cæterùm si qui ex his, cùm castra mouerentur, ob senium aut corporis ægritudinē à militibus relicti essent, parati erant ducis imperio, qui eos exciperent, exceptos humanè & benignè curarent: ne omni ope destituti, ferarum incursu inediáve conficerentur. Sab. lib. 6. cap. 4.

LYSANDER Athenas excindere volentibus Lacedæmoniis & sociis: Non, inquit, conducere. Thebanorum enim vrbem in propinquo sitam, validiores & maiores contra ipsos vires collecturam. Sin per tyrannos Athenas in officio contineant, ex propinquo posse curā gerere Thebanorum, & omni tempore timidiores habere. Lysander optimè visus dicere, persuasit ne Athenas excinderent. Polyæn. lib. 1.

CHABRIAS militibus dixit: Si pugnam inibimus, ne putemus nos cum hostibus manum conserere, sed cum hominibus sanguine ac carne præditis, & qui naturam eandem communemque nobiscum habeant. Polyæn. lib. 3.

PHILIPPVS Macedo, cùm in Chæronea fudisset Athenienses, licet fortuna euectus tamen appetitum rationi subdidit. Proinde consultum esse putabat, quotidie hoc ei manè in memoriam reuocari, quòd esset homo Puero delegauit hoc officium, vt singulis diebus hoc ter proclamaret, Philippe memento te hominem esse. Ælianus libro octauo de Varia historia.

ALEXANDER Philippi F. cùm Darium (qui DC hominum millibus paratus erat) vicisset, cæsis hostium multis millibus, & regem fugientem per quinque stadia insectatus esset, vxorem filiasque captiuas ad se perductos honorificè & pudicè habuit. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

IDEM capto Poro Indorum rege, cui & corporis ingentes inerant vires, & animi longè etiam maiores virtutes, hanc ipsam & corporis & animi excellentiam admiratus, sciscitabundus ipse quidē, magna tamen comitate adhibita, ab illo exigit, quánam se ab Alexandro ratione tractari, quemque erga ipsum sese gerere Alexandrum cuperet. Ad ea nihil Porus aliud, quàm vt pro regia secum dignitate ageretur. Rursus Alexāder: Num nam fortè & aliud: Ad ea quoque & ille subdidit: Regiam dignitatem cuncta in se continere bona. Quę dicta cùm Alexander pro sua & Pori dignitate examinasset, non regnum modò illi restituit, belli iure vindicatum: verùm imperio eius latiores etiam fines adiecit. Pontanus libr. 1. cap. vltimo de Magnanimitate: & Sab. libr. 6. cap. 4. ex Plut. Imp. & Reg. apophth.

Multi præterea regum partim bello victi, partim dediti, pari clemētia ita sunt ab EODEM Alexandro seruati, vt non solùm in pristina sint fortuna retenti, sed in multo etiam ampliore collocati: vt difficile sit iudicare, maiúsne sit belli decus, an liberalitatis & clementiæ nomen vincendo adeptus. Pulchrum est reges vincere, sed multo pulchrius propriis affectibus moderari. Sab. lib. 6. cap. 4.

ANTIOCHVS, cùm Demetrium Antigoni Macedoniæ regis filium vná cum exercitu suo profligasset, ipsumq; ie Antigonum cæpisset, noluit tamen hostem vllo crudelitatis exemplo afficere: sed captum Chæronēsi custodiæ tradidit, ac regio sumptu, venationibus, omnisq; generis voluptatibus, quibus ille assueuerat, vti permisit. Volat. libr. 15. Anthrop. in Demetrio.

PTOLEMÆVS, cùm Demetrium Poliorcetis filium adolescentem à patre contra se missum cum aliis bello cæpisset, parta victoria, eundem patri cum omni præda restituit. Volateranus libro 13. capite tertio Anthrop.

PYRRHVS Epirotarum rex, semper humanus & mansuetus in victoria erga hostes fuit. Pontanus li. 1 de For. bellica, ca. 33.

ROMVLVS Ceninenses, Crustuminos & Atennates, qui ex Sabinis hostiliter Rom. agrum inuaserant, bello victos, tantum abfuit vt crudeliter in eos aliquid statuerit, vt in vrbem traductos, ciues ex hostibus fecerit. Sab. lib. 6. cap. 4.

Id Romuli exemplum cæteri REGES Roman. secuti (præter Hostilium, qui Albam diruit) pro non paruo negotio habuêre, quos bello vicissent, Romam incolumes traducere, traductos eius ciuitatis participes facere, in quam infesto & plus quàm hostili nuper animo fuissent. Idem.

In P. SCIPIONE Africano quid fuerit laudabilius, fortitudóne in bellicis gerendis, an in omni vita continentia, dubium est, altera enim bis aut ter hostem superauit, altera seipsum semper. Quod eo fuit admirabilius, quòd plurimi inuenti sunt & inueniuntur quotidie, qui hostem vicerint: rarissimi qui sese, prę sertim cùm victoria insolentes intemperatosque efficiat. Pontanus de Principe.

IDEM patre patruoque in Hispania extinctis, quum nemo ad id bellum ire vellet, ipse se sponte obtulit, natus XXIIII annos. Vbi cùm Carthaginem nouam vna die oppugnasset, virgo ex captiuis, ei oblata est forma longè præstantissima. Eam vbi comperit summo loco natam, ac iam nobili viro pactam, incorruptam & insuper muneratam remisit, vt est apud Liuium & Plutarchum in eius vita: & Sabell. libro primo capite quarto Exem.

IDEM cùm Hasdrubalem Carthaginensium ducem superasset, Masinissæ nepotem in bello captum auo remittendum curauit. Ex quo postea eundem sibi perpetua deuinxit amicitia. Ibidem.

LIVIVS Salinator, cùm Hasdrubalem, exercitumque Pœnorum in Vmbria delesset, & ei diceretur, Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus & signis sparsos ac palantes, parua manu opprimi posse: respōdit, In hoc eis oportere parci, ne hostibus tantæ cladis domestici nuncij deessent. Val. lib. 3. ca. 7. & Front. lib. 4. cap. 7.

L. ÆMILIVS captiuum Perseum, Macedonum regem, ad genua sua procumbere volentem, dextra manu ad se traxit, laterique suo & mensæ assidere voluit. Platina libro secundo de Optimo ciue. & Plin. cap. 56. de Vir. illustr.

L. LVCVLLVS, cùm Mithridatem Tigranemque Armenium, reges Asiæ superasset, capto etiam Tigranocerta, mulieribus ab iniuria militū conseruatis: earum viros, qui cum Tigrane fugiebant, sibi deuinxit. Dion Nicæus, vel eius abbreuiator Xiphilinus in Pompeio.

C. IVLIO Cæsare nihil mitius excogitari potest. Illius enim nō modò facta, verumetiam dicta, summam humanitatem, singularémque placabilitatem præ se ferunt. Quemadmodum & sua ad Oppium & Cornelium scripta declarant, vbi inquit: Gaudeo me hercule, vos significare literis, quàm valde probetis ea quæ apud Corfinium gesta sunt. Consilio vestro vtar libenter: & hoc libentius, quòd mea sponte facere constitueram, vt quàm lenissimum me præberem, & Pompeium darem operam vt reconciliarem. Tentemus hoc modo, si possimus hominum voluntatem recuperare, & diuturna victoria vti: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuêre, neque victoriam diutius tenuêre, præter vnum Syllam, quem imitaturus non sum. Hæc noua sit vincendi ratio, vt misericordia & liberalitate nos muniamus, &c. Hæc Cæsar. cuius verba ad longum repetiit Pontanus lib. 1. de Heroica virtute, cap. 33.

IDEM, cùm opera Caluini legati Athenas cæpisset, omnes Athenienses impunitos reliquit: hoc vnum inquiens, Eos, cùm multa deliquissent, vita donari. Idem.

IDEM apud Pharsalum Pompeio victo, cùm videret suos milites immoderatè vti victoria, exclamabat, vt hostibus parcerent. Polyæn. lib. 8.

IDEM omnibus hostibus debellatis, vnicuique ex suis militibus potestatem fecit, vti vnum aliquem quem vellet, ex iis conseruaret. Sic omnes Romanos, qui aduersariorum factionem sequebantur, ex fuga reuocatos, beneuolentissimos in vrbe reddidit. Polyæn lib 8.

IDEM statuas Pompeij ac Syllæ inimicorum suorum deiectas à multitudine, ipse rursus erexit, magnamque ea re beneuolentiam apud Romanos adeptus est. Polyæn. lib. 8.

IDEM L. Domitium Pompeianæ factionis & acerrimum sibi hostem, pro clementia sua ter dimisit illum, qui de eius vita non tantùm cogitarat antea: sed etiam dimissus, datam fidem crudelissimè violarat. Volat. lib. 15. Anthrop.

IDEM suis ad amicos epistolis testatus est, ex ciuili victoria nullum se fructum percepisse, quam quòd à se quàm plurimi seruati essent: quos, quia hostes fuissent, & bello victi, iure perdere potuisset. Sab. libro sexto capite quarto.

CN. POMPEIVS summus imperator à populo Romano, præter senatus autoritatem, contra piratas electus, cùm eos magna virtute superasset, eorum post victoriam magnam curam gessit: & ne rursum inopia coacti eiusmodi scelera committerent, loca deserta eis distribuit, vrbes dedit, & eam præcipuè ciuitatem quæ ab eo Pompeiopolis dicta est. Dion Nicæus & Xiphilinus in Pompeio.

IDEM Tigranem Armeniæ regem à se deuictum summa humanitate ac clementia tractare voluit. Cùm enim iam bello superatus rex in castra Pompeij eques venisset, Pompeius eum ex equo descendere per lictorem iussit. Sed cùm eum videret proiecto diademate ad terram concidentem venerari se misericordia motus accessit, hominem erigit, diademate coronat, in proxima sede collocat: denique consolatur cùm aliis verbis, tum in primis quòd diceret eum non solùm regnum Armeniorū nō amisisse, sed etiam venisse in amicitiā P. Rom. Dion Nicæus in Pomp.

IDEM deuictis hostibus cùm ageret triumphum, captiuos tamen belli iure vinctos duci noluit, sed patrio more succinctos ire iussit, eosq; exacta triumphali pompa, regali munificentia liberos donatosque remisit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6.

Præstitit & AVGVSTVS Cæsar ex inimicis quosdam incolumes: sed in eo maior apparuit, quòd Alexandriam in Ægypto, quam belli iure diripere potuisset direptam incēdere & euertere, intactam reliquit: testatus vrbis incolumitatem cùm regi, qui eam cōdidit, se dare, tum (quod maius omnino fuit, magisq; memorabile) Arrio Alexandrino philosopho ea tempestate insigni. Sab. lib. 6 ca. 4.

M. AVRELIVS Antoninus, qua māsuetudine atq; placabilitate fuerit vsus, occiso Auidio Cassio (qui res nouas in Oriēte molitus fuerat) scripta docet ad Faustinam vxorem epistola, cùm ea immitius cōsuluisset. Tu quidē, mea Faustina, religiosè pro marito proq; liberis nostris agis. Relegi enim epistolam tuam in Phormiano, qua me hortaris, vt in Auidij conscios vindicē. Ego verò & eius liberis parcā, & genero, & vxori: & ad senatū scribā, ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Nihil est enim quod imperatorē Romanum melius cōmendet gētibus, quā clemētia. Hęc Cęsarē deū fecit, hęc Augustū cōsecrauit, hæc patrē tuū precipuè ornauit. Deniq; si ex animi mei sentētia de bello esset iudicatū, nec Auidi esset occisus. Esto igitur secura, Dij me tuentur, Diis pietas mea cordi est. Ad senatum

Ad senatū autē hanc sentētiam scripsit: Deportati redeant, proscripti bona recipiant, atque vtinā possem multos ab inferis excitare. Quare Cassij liberis, genero & vxori veniam dabitis. Quid dicam veniam? cum illi nihil mali fecerint. Viuant igitur securi sub M. Antonio. Viuant in patrimoniis parentum, sint diuites, securi & liberi, &c. Pontan. lib. 1. de Heroica fortitu. cap. vlt. & Fulg. lib. 5. cap. 1.

TRAIANVS Imperator, cùm Decebalum Dacorum regem in clade cæpisset, in inimicum crudeliter sæuire noluit: sed posteaquam eius vestimenta sauciis militibus vt vulnera ligarent, diuisisset, illæsum ad suos eum remisit. Volat. lib. 23. Anthrop.

VEXORES rex Ægypti, & Tanais rex Scythiæ, Nini primi Assyriorū regis temporibus non finitima, sed longinqua semper bella susceperūt, quibus non imperium sibiipsis, sed suis populis gloriam quęrebant, contentique victoria ab imperio omnino abstinebant. Iustin. lib. 1.

VENETI vnam Dalmatiæ vrbem septimò rebellātem, ad imperium vi & armis retractam, nulla maiore ignominia aut clade affectam, non solùm incolumem pręstitêre: sed facilè etiam passi sunt esse vt antea, Dalmatici nominis caput. Sab. lib. 6. cap. 4.

Alaricus Gothorum rex, Arrianus, Roma capta, & hostiliter direpta, in eo sibi temperauit, quòd edictum proposuit, vt capitale esset, si quis Apostolorum principum templa, aut quæ in his essent, violaret: & vt in vniuersum à cæde abstineretur, militibus edixit. Sab. lib. 6. cap. 4.

ATHAVLPHVS, qui Alarico in regno successit, etsi à propinqui sui clementia non degenerauit (namque Roma post Alarici interitum hostiliter repetita, in animo habuit eam receptā funditùs euertere, diuersóque vrbem loco statuere, Gothiámque pro Roma nominare: & Cæsarum abolita memoria, Athaulphi appellationem in posteros transmittere) tamen Placidiæ coniugis suasu adeò est mutatus, vt breui non hostis, sed amicus vrbis: non euersor, sed instaurator sit dictus. Idem.

TOTILA eiusdem rex gentis, maiorum exempla imitatus est: qui Cumis & cęteris Campaniæ vrbibus captis, cùm ingentem Romanarum mulierum numerum in illis intercepisset, quas Romani ciues ob nouos belli terrores vrbi imminentes procul domo ablegarant, vt earum pudicitia in omnem belli euentum tuta esset (erátque in his omnis Romana nobilitas) captiuas honestè & sanctè Barbarus penes se habuit, honestóque comitatu ad suos Romam sine precio dimisit. Idem. & Fulgos. lib. 4. cap. 3.

Alphonsus maior, qui fuit Siciliæ & Apuliæ rex, victus nauali prælio à Genuensibus circa Caietam, ac cum Petro Auarre rege fratre, & aliis clarissimis ducibus, qui in Aragonum partibus erant, PHILIPPO Mariæ Vicecomiti Mediolanēsium duci à victore Ligure traditus (erat tum Genua Vicecomitum ditionis) nō modò hostile quippiam est ab eo passus, sed amicè & regaliter habitus, amplísque muneribus donatus, cum suis omnibus est incolumis dimissus. Sab. lib. 6. cap. 4.

ALPHONSVS Aragonum & Siciliæ rex, capta Massilia cùm sibi nūciaretur matronas omnes & puellas ciuitatis præciosissimis rebus onustas, in templum D. Augustini profugisse, eas diligentissimè obseruari iussit: cùmque & illæ vim contumeliámque pertimescentes, regi per internuncium supplicarent, vt tradita omnium eorum gaza, ipsas tantummodo intactas abire permitteretur: non solùm intactas, sed ne visas quidem, cum omni earum supellectile, ad vnam omnes tutò abire permisit. Antonius Panormita de rebus gestis Alphonsi lib. 2. & Æneas Syluius de eius dictis.

IDEM mittens filium suum magno cum exercitu contra Florentinos, ad vlciscendas maximas iniurias: admonuit, vt victoriam deorum auxilio iam partam non crudelitate & insolentia defœdaret, sed hostes qui suæ fidei se permitterent, benignè susciperet: & si qui ex his etiam obstinati animis vsque ad extremam expugnationem persisterent, eos posteaquam cæpisset, non crudeliter tractaret, suæ potius mansuetudinis quàm illorum pertinaciæ memor. Antonius Panormita de rebus ab Alphonso gestis.

IDEM cùm vrbem Neapolitanam pertinacissimè obduratam cæpisset, omnium primum milites à cęde & direptione coercuit: & præter primos impetus, quos continere facilè non fuit, postea ciues omnes à militum furore & auaritia tutos incolumésque seruauit, ipsemet stricto ense perequitans ciuitatem, ne quis alteri vim aut cōtumeliam afferret, prohibuit. Dein his (quanquam victis) liberorum iura concessit, iniuriarum omnium, etiam Petri iucundissimi fratris cædis, oblitus. Pontan. lib. 1. de Fortit. cap. 33. de officio victoris: Panorm. lib. 2.

IDEM Isclam oppidum & milite & situ munitissimum cùm cæpisset, captis licet grauissimis hostibus pepercit: viduásque & virgines, quibus cum connubia copularent, dedit: ratus videlicet, id quod euenit, animos illorum deliniri & conciliari posse prole suscepta. Panorm. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm post captam vrbem Neapolitanam Antonium Cadolam, virum bellicosissimum in agro Lapuano cum aliis fortissimis militibus cępisset, cum tamen licet hęreditarium hostem (quem omnes morte mulctandum iudicabant) saluum esse voluit, & ei omnia sua bona restituit. Nec Iacobi patris capitales inimicitias, nec Antonij filij peruicaciam, iamdudum sibi damnosissimam vel paululum æstimare visus est. Milites præterea captiuos, missos fecit, & nonnullos etiam muneribus ob egregiam virtutem exornauit: qua clemētia ipsos etiam hostes sibi exinde beneuolos reddidit, vniuersóque regno Neapolitano ab Aquila Marsorum vrbe ad Rhegium vsque Brutiorum sine aduersario in pace, summáque tranquillitate potitus est. Panorm. lib. 2. de rebus gest. Alphonsi. & Fulg. lib. 5. cap. 1.

IDEM Vicario Apuliæ oppido capto, cùm milites à direptione continere nequiret, veritus ne furor tandem baccharetur in mulierum pudicitiam: conquisitas cum cura in locum extra muros, procul à militum impetu congregauit seruandas, dato negotio Ioāni Alzino viro amplissimo: & inibi seruatas simul & illibatas cum præsidio, quò vellent, dimisit, vt post paucos dies tutò ad suos redire possent. Panorm. lib. 2. de reb. gest. A phonsi.

BONA IMAGINARIA RESPVERE, ET AB IIS NON MOVERI

ΕΥΕΛΠΙΣΤΙΑ. MODERATA.

Differt à spe bona, quæ affectus est: quoniam hîc recta ratio coniungitur, illic solius appetitus mediocritas naturalis adest.

GAVDIVM MODERATVM.

VITIVM IN DEFECTV. ΣΚΛΗΡΟΤΗΣ, ET ΑΝΑΙΣΘΗΣΙΑ quædam. *A rebus prosperis omnino non moueri.*

VITIVM IN EXCESSV.

IMPOTENTIA ANIMI, IN REBVS SECVNDIS, IN GENERE.

Opponitur hoc vitium Grauitati. Eius exempla plurima ex titulis Crudelitatis colligi possunt. Præterea etiam ex titulo Superbiæ, & nimiæ suijpsius fiduciæ: quæ huic loco affinis est, quatenus à tranquillitate & constantia mentem deijcit: quatenus verò à veritate deficit, sic inter vitia veritati opposita referenda erit. Nos Titulos in specie persequamur.

VICTORIÆ INSOLENTIA.

Exempla quædam ex titulo Vindictæ immodicæ erga hostes, peti possunt.

Post victoriam adeptam de Arphaxat rege Iudæorum, exaltatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum, & cor eius eleuatum est. Iudic. 1.

REX BABYLONIS occidit filios Sedechiæ regis Iuda, in oculis eius, in Reblatha: oculos quoque ei eruit, & vinxit cum compedibus, vt adduceretur in Babylonem. Iere. 39. & 4. Reg. 25.

HERCVLES florenti adhuc ætate regem Eubœæ Pyrechmen, bellum Bœotiis inferentem, cùm vicisset, pullis equinis alligauit, vt in duas discerperetur partes Plut. capite decimotertio. Parall. ex tertio de Fluminibus libro.

ATHENIENSES deuictis Chalcedonensibus, terram eorum quæ Hippobota dicitur, in quadraginta portiones sorte distribuerunt, reliquam terram omnem precio elocarunt: captiuos affecerunt vinculis ac contumeliis compluribus. Ælian. lib. 6. de Var. hist.

LACEDÆMONII Messeniis superatis, omnium quæcunque in Messana erant dimidiam partem cæperunt, & mulieres liberas in funera prodire coegerunt. Ex viris aliquos reliquerunt colendo ruri, nonnullos vendiderunt, multos etiam morte mulctarunt. Ibidem.

IIDEM victoriis elati, inquilinorum puellas adigebant, vt attegias suis puellis in pompis præferrent, & mulieres mulieribus, & viri scaphas gestarent. Ælian. lib. 6. de Var. hist.

SICYONII, cùm cæpissent Pellenam, vxores & filias Pellenensium

in lupanari prostituerunt. Ælia.lib.6.de Varia historia.

PHILIPPVS Macedo, cùm vicisset Chæronensem pugnam, superbum animum gerebat tum ipse, tum Macedones, propter res gestas. Græci verò metuentes eum, se in eius fidem dedidêre Thebani, Megarêses, Corinthij, Achiui, Elienses, & Eubœi, qui in litore habitabant omnes. At non stetit conuentis Philippus, sed omnes, præter omne ius & æquitatem, in seruitutem redegit. Ælian.lib.6.de Var.hist.

PHERETIME Arcesilai mater, regnans apud Cyrenenses, cùm in bello cum Barcatis gesto Barcam cæpisset, viros in crucem egit: mulieribus autem mammas execuit, nec multo pòst ipsa etiam contabuit. Heraclides in Politiis.

SARDIANI cum Smyrnæis belligerantes, & castris circa mœnia positis, legatos mittunt, se non antè discessuros, quàm vxores ad coitum cõcessissent. Quum igitur Smyrnæi magnum ex necessitate probrum perpessuri forent, ancilla quædam honesta facie ad herum Philarchum accurrens, Mittite, inquit, ancillas ornatu liberali. Quo facto, earum defatigati coitu, capti sunt. Dositheus libro 3. rerum Lydicarum, & Plutarch. cap.56. Parall.

ATEPOMARVS Gallorum regulus, cum Romanis belligerans, non prius se cessurum inquit, quàm coniuges suas ad coitum exposuissent. Cæterùm consilio ancillarum seruas mittentes, barbaros lassos incredibili sopore captos accipiũt, & erumpentes in Gallos victoriam reportãt. Aristides Milesius lib.1. rerum Italicarum: & Plutarch. cap.57. Parall.

VALERIVS Leuinus consul, contra Hannonem ducem Carthaginẽsium missus, Agrigentum in potestatem suam redegit: Senatum securi percussit, cæteros sub corona vendidit. Volat.lib.20.

L. SYLLÆ victoris crudelitas in Marianos quanta fuerit, historiæ abundè satis perhibent. In illo enim bello secuta est honestam causam inhonestissima victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita, cùm bona in foro venderet & bonorum virorum & locupletum, & certè ciuium, Prędam suam se vendere. Cicero lib. Off.2.

C. IVLIVS Cæsar Sylla fuit crudelior in victoria, qui in causa (vt Cicero ait) impia, victoria etiam fœdiore, non solùm singulorum ciuium bona publicarit, sed vniuersas prouincias, regionesque vno calamitatis genere comprehenderit. Itaque vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperij portari in triumpho Massiliam visus est: & ex ea vrbe triumphari, sine qua nunquam Romani imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Cicero libro secundo Officiorum.

L. SEPTIMIVS Seuerus Pertinax Clodium Albinum non tantùm in prælio interfecit, sed eius caput abscissum Romam misit, reliquumque eius cadauer equo refugienti conculcandum dedit. Volaterran. libro 23. Anthrop.

HANNIBALEM post cladem Cannensem, mirè in victos ac vulneratos Romanos captos crudelitatem exercuisse ferunt. Pontanus de Immanitate, cap.11. Quinimò eò insolentiæ processisse fertur, vt nulli ciuium suorum nisi per interpretem responsum aut salutem dederit. Alexan. ab Alex.lib.2.cap.19.& Val.lib.9.cap.5.

TOMYRIS Scytharum regina, aurum liquefactum in os gutturque Crassi Romani infundens, etiam maledictis insultauit: Aurum sitisti, auro igitur sitim leua. Quod etiam Mithridatem Ponti regem fecisse tradunt, capto duce Romano Aquilio. Pontanus de Imman.cap.13.

GETÆ, cùm Macedoniam, Epirum, Thessaliamque diripuissent, nec pro redimendis captiuis satis pecuniæ ab Anastasio Rom. Imp. mitteretur, mirum in modum in captiuos sæuientes, crudeliter demum captiuos trucidarunt. Volat. libro 23. Anthropol.

IVDÆI, qui circum Cyrenem habitabant, cùm contrà Romanos atque Græcos fœliciter pugnassent, Andrea quodam duce, in Romanos & Græcos milites mirum in modum sæuierunt, lacerarunt interfectorum corpora dentibus, comederunt viscera, pinxerunt se hostium sanguine, multos à vertice transfixêre medios, multos obiecêre bestiis, multos etiam inter se certare coegerunt, ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Traiani.

NICEPHORVS Imperator Bulgariam ingrediens, cùm victoriæ temperare nesciret, à Bulgaribus cum multis senatorij ordinis viris interemptus est. Sigebertus in Chronicis.

BASILIVS Romanorum Imperator & Romani frater, Bulgaros quotidie tumultuantes, magnis & pluribus præliis superauit, ac 15. millibus ex eis captis, oculos effodit, vno tantum incolumi relicto, qui cæteros ad Samuelem eorum ducem perduceret. Volater. lib.23.

LVDOVICVS Romanorum imperator dum Berengario in Longobardia regnum moliendi bello se obiiceret, acieque victum in fugam vertisset, apud Veronam sisus victoria, securior & insolentior esse cœpit. Sed dum minus circumspiceret, insidiis captus & excęcatus est. Crantzius lib.2.cap.23. Metropoleos.

VIRTVS IN DECLINANDIS MALIS, IN GENERE.

Non extrema hæc est species illius fortitudinis, quæ circa τὰ φοβερὰ occupatur, nec vulgarem prudentiam requirit, vt quando, quantũ & quomodo declinãda sint mala, sciamus. Cuius rei exempla plurima sub titulo Prudentiæ tam priuata quàm publica à nobis superiore loco recitata fuerunt. Virtus igitur declinandi mala, hac ratione ad prudentiam pertinet: at quia in declinando fortitudine egemus, quæ nos in officio contineat, ne vltra honesti limites mala fugiamus (non secus ac qui in decliui colle robore eget, ne præceps ruat) idcirco sub fortitudine comprehendenda fuit, eo maximè quòd vitium in excessu declinationis, quando scilicet vltra quàm honestum patitur mala fugimus, fortitudini manifestè contrarium esse videtur: contrariorum autem eadem est ratio & tractatio. Præterea virtutis huius etiam in bellicis negociis (in quibus fortitudo propulsatrix locum præcipuè habet) vsus maximus conspicitur. Exempla ex Stratagematis peti possunt, De temeritate fugienda, De transducendo exercitu. De insidiis effugiendis & vitandis. Huc denique pacis studium referri debet.

ABIGAIL, cùm virum suum Nabal durè respondisse nunciis David audiuisset, festinauit, & tulit diuersa xenia, & Dauid iratũ placauit primo Reg.25.

EZECHIAS rex prophetæ voce monitus, fore vt diuitię, quas insolentius ostentasset, Babylonem transferrentur, nihil oraculum auersatus, ita occurrisse fertur: Bonus est sermo, quem Dominus locutus est: sit pax (oro) & veritas diebus meis. Hæc ille, & pœna in posteros dilata est. Sabel.lib.5.cap.7.

IDEM fleuit fletu magno, orans Dominum pro morte, quam sibi imminere in proximo putabat. 4.Reg.20.

HERODES metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctũ, & custodiebat eum. Marc.6.

DOMINVS, qui pati & occidi venerat, non vt timidus, sed vt prouidus, & horam passionis competentem expectans, rabiem Iudæorum sæpe deuitauit. Lucæ quarto. Iesus autem transiens per medium illorum ibat. Et Ioan.8.& 10. Abscondit se, & exiuit de templo.

D. PAVLVS plerunq; insidias deuitans Iudæorum, de ciuitate in ciuitatem fugiebat, non timore mortis, sed quia furori malorum cedẽs, pluribus se vtilem reseruabat. Act.25.

LEGATI Lacedæmoniorum Philippo Macedoni intolerabilibus oneribus ciuitatem eorum implicanti, si quid morte grauius impetrare perseueraret, mortem se prælaturos, responderunt. Valer.Max.libr.6. cap.4.

ORNICYNVS Scytha, Zanclæorum rex & monarcha, cùm ad Darium ascendisset in Asiam, omnium hominũ qui ex Græcia venerant existimatus est iustissimus esse, eò quòd in Siciliam ad regem profectus esset, pacis exposcendæ causa, rursumque ex Sicilia retrorsum ad regem iter fecit. Ælianus lib.8.de Varia histo.

LACON, quum voto se obstrinxisset, quòd se de Leucate præcipitem daret, conscendit montem, & conspecta altitudine sese auertit. Id cùm illi probri gratia obiiceretur: Non putaram, inquit, illi voto maiore voto opus esse. Ioco elusit inconstantiæ formidinisque crimen. Etenim qui facinus arduum concipit animo, prius à diis optare debet animum facinori parem. Plut.in Lacon.

ALCIBIADES, quum ad causam pro capite dicendam è Sicilia vocaretur ab Atheniensibus, obtemperare noluit: Stultum est, inquiens, iudicium quærere, non fuga tibi consulere, cum fugere possis. Et cùm quidam diceret: An non credis reipsum patriæ? respõdit: Imò ne matri quidem crederem. Timerem enim, ne fortè per imprudentiam, aut errore veritatis nigrum calculum pro candido submitteret. Dictum Græcis sonat iucundius, ob vocum affinitatem, φυγεῖν & ἀποφυγεῖν. Græcis autem ἀποφυγεῖν δίκην dicitur, qui iudicum sententiis absoluitur: φυγεῖν, qui vitat aut fugit. Plut.in vita Alcibiadis. Ælianus li.13.de Varia historia. Hinc haud absimile est Germanorum tritum prouerbium, Vil der vveiteit gut tædigen.

DEMONAX, quum aliquando in balneis refugeret ingredi aquam feruentiorem, & alius illum appellaret meticulosum: Quid, inquit, an hoc pro patria passurus essem? Sentiens, temeritatis esse, non fortitudinis, subire periculum, ni ob causam grauem & honestam fiat. Erasmus lib.8. Apoph.

Quum ANTIGONVS secundus aliquando cederet hostibus imminentibus, aiebat se non fugere, sed sedulitatem à tergo sitam persequi. Sentiés, non esse turpe fugere, quoties magis expedit hosti dare locum, quàm conserere manus. Dicti gratia in hoc est, quòd quum fugere & persequi sint contraria, ille fugiens interpretabatur, se persequi magis quàm fugere. Persequimur enim hostem, & persequimur id quod studiose expetimus. Plutarch.in Regum apoph. Stobæus serm.52.

P. CRASSVS, cùm bellum aduersus Aristonicum in Asia gerens, inter Æliam & Marinam in hostium corpus incidisset, viuusque abduceretur, execratus in consule Romano captiuitatem, virga, qua ad equum erat vsus, Thraci (à quo ducebatur) oculum eruit: atque ab eo per doloré concitato transuerberatus, dedecus seruitutis, vt voluerat, effugit. Front.lib. 4.cap.5.& Val.lib.3.cap.2.

C. CASSIVS secundus post Brutum in coniuratione aduersus Cæsarem, eodem die cædis, cùm apud M. Antonium cœnasset, ex vrbe continuò in Syriam concessit, & ibi cum authoritate senatum tenuit. Volater. lib.14.cap.2. Anthrop.

PAVLVS primus eremita, anno ætatis 15. orbus vtroque parente, metuens ne à sororio suo (qui bonis eius inhiabat) proderetur, quòd Christianus esset, in persecutione sub Decio & Valeriano in solitudinem cõcessit. D. Hieronymus in eius vita.

AVVS Basilij Magni in persecutione Christianorum sub Maximino, cum cognatis ac paucis ministris in montis specum sese abdidit per septennium, & solo pane sustentatus est. Ad postremum tamen martyriũ constantissimè passus est. Nazianzenus testis.

D. CYPRIANVS, cùm populo Carthaginensi se inuisum esse sentiret, secedere maluit & latêre, quàm inuerecunda præsentia sua seditionẽ magis augere. Quæ latebræ sub Decio & Gallo fuisse videntur. Postea enim ad Ecclesiam suam rediit. Cyprianus lib.3. epist.5.

ATHANASIVS ille Magnus, Alexandriæ episcopus orthodoxus, à Constantio Impe. Ariano proscriptus, muneribus etiam propositis, qui vel viuum vel mortui caput afferret, per sexennium in subterraneo puteo delituit. Proditus autem ab ancilla, latebras diuino monitu mutauit. Inde ad Constantem profugiens, eius beneficio reditũ impetrauit. Post quinquennium Constante à Magnentio tyranno interfecto, Constantius eum demùm expulit ita vt per decennium, vsque ad mortem Constantij, Alexandriæ apud sacram quandam virginem delituerit, & audita morte Constantij repentè suis cum gaudio sese restituerit. Sub Iuliano iterum latêre coactus est. Sub Iouiniano restitutus, anno Christi 367. Sed Iouiniano opt. principe post octo imperij sui menses in Cilicia morte sublato, successorib. Valentiniano & Valente, Valens Arianis fauens, etsi propter Athanasium Ægypto pepercit, Athanasius tamẽ præfectorum turbas metuens, per 4. menses in paterno latuit monumento. Populo id ægerè ferente, edicto Valentis Ecclesias suas repetere iussus, non multo pòst obiit, anno Christi 377, cùm episcopatum Alexãdrinum gessisset annis 46. Socrates lib.4.cap.20.& Sozomenus lib.6.c.19. cupiebat nimirum sanctissimus vir dissolui, & esse cum Christo: verùm Ecclesiæ causa diutissimè viuere optabat, ne sua morte vera religio dãni aliquid pateretur.

DIONYSIVS Alexandrinus episcopus, qui Heraclæ in episcopatu successit, sub Decio & Valeriano Ecclesiam persequentibus, diuina voce monitus, fugit in Mareotidem Libyæ, & ibi latuit. Eusebius lib.7.cap. 11.

D. FRIDOLINVS, cùm ab idololatris tutus esse non posset, precibus ad Deum Rhenum veteri relicto alueo nouum accipere coëgit, vt eo veluti propugnaculo contra iniurias Ethnicorum muniretur. Vide titu. Doctorum ecclesiasticorum.

VICTOR Mauritanus Maximini Imp. miles & aulicus Mediolani post varias pœnas è vinculis fugiens latitauit. Mox deprehensus propè eandem vrbem in hortis principis, capite plexus fuit, 8. Idus Maij. Vola. lib.20. Anthrop.

NICEPHORVS Imperator, cùm Aranem Ammiram cum trecentis milibus ascendentem vidisset, ne manus conserere suorum detrimẽto & strage miseranda cogeretur, pacem cum eo, etiam parum æquis conditionibus admittere, quàm temerè cum suis interire maluit. Sigebertus in Chron.

Hungari conspirauerant aduersus SIGISMVNDVM imperatorem, armatique regiam intrauerant, aut capturi regem, aut, si id non succederet, occisuri. Quos vt ad se irrumpentes Imperator cognouit, accepto pugione, in medium progressus: Ecquis, inquit, vestrûm manus in me iniiciet, aut quid nam feci, quòd me regem vestrum occidere vultis? Prodeat è vobis, si quis audet, & cum me solo solus congrediatur. Ea voce & audacia obstupuêre coniurati, & sibi quisq; timẽs abiêre. Æneas Syluius lib.3. Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

MALA IMAGINARIA NON TIMERE.

Cosmas Florentinus, dux magnus & illustris, cùm Alphonso Aragonio dono mitteret Titi Liuij libros vtique præclaros, reclamatum est à medicis, qui aderant, ne per immortales deos librũ attrectaret, ab hoste missum, veneni suspicione. Rex prima facie visus est medicis assentiri, illis animo illudens. Nam cum Liuius in medio constitutus esset, illũ manibus accepit, legit & euoluit. Subinde medicos, qui continuè auersarẽtur, rogitans, vt desinerent ineptire. Regum quidem animas non priuatorum libidini subiectas esse, sed sub Dei cura & tutela, sacras lætasque agere, inquiens. Panormita libro primo de rebus gestis Alphonsi.

VIRTVS DECLINANS MALA, IN SPECIE. MORTIS MEDITATIO.

Vera hæc est & perfecta philosophia, mortis scilicet meditatio: cuius vmbram Socrates vidit, naturam nõ est assecutus. Virtus est, mala minora sustinere, vt maiora fugias: virtus est, bona minora negligere, vt maiora assequaris. Rectè ergo mortis meditatio, ad eam virtutem, quæ mala declinare perhibetur, referenda est, tanquam species ad genus. Neque enim ad tolerantiã commodè reduci potest, cùm mors nõdum inferatur. Nos pleraque exempla ex Maruli lib.5.cap.9. desumpsimus.

IOB omnia vincens patientia, nullis fractus est ærumnis, nulla collapsus aduersitate, vt qui non ignoraret, breui iis se expeditum iri, eò quòd diu hîc viuere non posset, & deinceps multo beatius perenniusque viuere speraret. Breues, inquit, dies hominis sunt, &: Expecto donec veniat immutatio mea. Domine vocabis me, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Et iterum: Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabũtur, & solum mihi superest sepulchrum. Dies mei trãsierunt, & cogitationes meę dissipatæ sunt, torquentes cor meum, noctem verterunt in diem. Et rursum: Post tenebras spero lucem. Deniq; ait: Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Hæc & talia assiduè secum cogitans, cùm omnia corporis bona amisisset, animi non amisit.

Beatus propheta DAVID reminiscens se esse mortalem, vt morti paratior occurreret, diem quoque quo moriturus esset, nosse optauit. Deumque deprecatus est, dicẽs: Notum fac mihi Domine finem meum, numerum dierum meorum qui est, vt sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Verũ tamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. In imagine pertransit homo, & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Sub hæc omnem spem suam in Deo collocans, ac firmans continuò ait: Et nunc quæ est expectatio mea, nónne Dominus? & substantia mea tanquam nihilum apud te est. Itaque ista mente reuoluens, ne inimicorum quidem iniuriis ad iniusticiam potuit concitari.

Eadem considerans sapientiæ antistes SALOMON, vociferatur & ait. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et iterum: Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas & afflicto spiritus. Et: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Et: Nihil permanet sub sole, omnia tempus habent, & suis spaciis transeunt vniuersa sub cœlo. Definire autem volens quid esset in vita optimum: Et cognoui, inquit, quòd non esset melius, nisi lætari, facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. Adhæc peccatorem sollicitè exhortans: Quodcunque facere potest, inquit, manus tua, instanter operare, quia nec opus erunt, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud inferos, quò tu properas. Ac ne aliquid esse putemus diu viuere: Si annis multis, inquit, vixerit homo, & in iis omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguuntur præterea.

Horum meditatione & HELIAS propheta iam vita defungi optabat, dicens: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. Neque enim melior sum quàm patres mei. Sic & Dauid: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et Ionas: Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita. Ex quo patet, quantis hic premimur miseriis, cum etiam illi, quibus non nisi ad inferos descensus erat, hinc decedere tantopere cupierint. Cui sanè argumento Iob sententia astipulatur, dicentis. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.

Hoc idem vidit & IESVS ille in veteri Testamento Syrachi filius, qui in Ecclesiastico suo admonendo nos ita ait: Memor esto quoniam mors non tardat. Ante mortem benefac amico tuo, & secũdum vires tuas exporrigens da pauperi. Ante obitum tuum operare iusticiam, quoniam nõ est apud inferos inuenire cibum. Omnis caro sicut fœnum veterascet. Quàm ergo nauiter agendum est, vt quotidie lucri aliquid faciamus, incerti quando rationem negociationis nostræ reddere cogemur, & certi quòd longè abesse non possit. Vnde & Ecclesiastes: Memento, inquit, creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & propinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent. Rursumque Iesus: Memento nouissimorum, & desine inimicari. Nihil quippe ita iracundiam nostram frangit atque emollit, vt isthæc recordatio.

ESAIAS propheta & ipse futura mente scriptisque pertractando didicit contemnere præsentia, nec mori timuit, dum illum viuere inter seculi vanitates piget. Hinc etiam exclamat, immò exclamare iussus, ait: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus, exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Hæc cogitans, Manassæ regum nequissimi serram fortiter pertulit, & sectus in Domino requieuit. Quis fidelium non prœoptet huius necem cum meritis suis, quàm illius vitam cum regno eius.

Quòd si crudele aliquod turpéue mortis genus expauescimus, Domini IESV crucem cogitemus. Sin verò id nos terret, quòd nescimus quando mors ventura sit, occurrere illi semper parati simus. Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Si sciret paterfamiliâs qua hora fur venturus esset, vigilaret vtiq;, & nõ sineret perfodi domum suam: ideóque & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis vẽturus est. Beatus ille seruus, quẽ cùm venerit Dominus, inue-

E

nerit sic facientem. Amē dico vobis, quoniam super omnia bona sua cōstituet eum. Vigilate ergo, nescitis enim quādo Dominus domus veniat serò, an media nocte, an galli cantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Id breuius in Matthæo scriptum est: Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Sic ergo hodie viuamus, tanquam cras morituri.

Beatus IACOBVS apostolus, vitæ huius conditionē animo metitus: Quid est, inquit, vita vestra? Vapor est, ad modicum parens. Eleganter eam vapori comparat, in quo & fumus & calor est. Per calorem libidinis æstus: per fumum humanæ gloriæ vanitas designatur. Vtrumque fluxum atque fragile, & ideo ad modicum parēs, sed in æternum crucians. Quāobrem angelus in Apocalypsi clamat, Esto vigilans. & comminatur: Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Et iterum: Ecce venio, inquit, sicut fur. Quoniam autē qui nauiter excubat, non spoliatur, subiungit, dicens: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

IOANNES eleemosynarius, patriarcha Alexandrinus, dum sibi ædificaretur sepulchrum, imperfectum relinqui iussit. Porrò ministris suis iniunxit, ne vlla die obliuiscerentur se de illo perficiendo interpellare. Itaque nunquam ab eo mortis memoria recedente, sic vitam instituit, vt morte multo beatior factus sit, quàm si semper hic viueret, & omnibus afflueret vitæ huius voluptatibus omnibúsque deliciis. Terrena enim cœlestibus conferri non possunt, etiamsi æterna essent.

MACARIO Alexandrino per eremum aliquando pergenti nocte superueniente, quum somnum capere vellet, sepultura, in quam fortè inciderat, lectus fuit, nec dæmonis intra cadauerum ossa perstrepentis vocibus territus loco cessit: quia iugis futurorum commentatio & mortis fecerat intrepidum, & dæmonum contemptorem.

PHILORONIVM Galatam presbyterum tradit Heraclides, annos sex in sepulturis habitasse mortuorum, vt semper meminisse posset, se mundo mortuum, & viuere Christo.

SYLVANVS episc. Nazarethanus, cùm ei D. Hieronymus in visu apparuisset, & si quid à Deo vellet, interrogasset: Velle se ex hac vita migrare, dixit, & subsecutus est euentus. Pergant nūc nimis anxij vitæ suæ amatores, medicamentis sustentare sanitatem, morbos depellere, & breuissimi temporis spacium totis redimere patrimoniis: inuenti sunt Dei serui, qui mori optarent, vt in æternum viuere citius inciperent.

COLVMBANVS monachus, Columbani abbatis discipulus, quum febri grauiter æstuaret, & ei vir apparuisset: dicens, preces & lachrymas Abbatis ipsi obstare, ne mori posset. Continuò rogauit Abbatem, vt ab oratione cessando, permitteret se de corporis carcere quāprimùm educi, eo quòd ad æternam beatitudinem se transferendum minimè dubitaret. Statim ergo sumpto animæ viatico, relictáque carnis sarcina, cœlum petiit, quod iam diu petere percupierat. O verè preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Nisi enim preciosa esset, haud ita expeteretur.

HILARIONEM abbatem latrones cum armis circumsistentes terrere non potuerunt. Cúmque intrepidum permanere mirarentur, Nunquid necem non timeret, interrogant. Necem non timet, respondit, qui paratus est mori. Quis quæso militum ducumúe seculi tam præstanti animo vnquam fuit, vt in tanto vitæ periculo non contremuisset? Vnus miles Christi nudus & inermis, inter tot armatos nihil expauit. Plus igitur ipsi audaciæ ad mortem patiendam, quàm illis ad inferendam fuit. Quem enim interimere, vel saltem spoliare decreuerant, stupore correpti illæsum reliquêre.

Sic & multos MARTYRVM vitæ huius finem etiam per supplicia quæsisse constat, dum vitam, quæ finem non habet, concupiscerent: vltrò se persecutoribus offerebāt, cùm latêre possent, magísque dimitti, quàm occidi metuebant.

PRAXEDIS virgo Romana, cùm facultates suas pauperibus distribuisset, ad illum festinans, cuius amore hoc egerat, orauit vitæ illius finem, & impetrauit. Mira res, robustissimis viris terrori mors est, virgini iuuenculæ desiderio fuit.

SAVINA virgo ad tumulum Sauini martyris fratris sui prostrata, orasse dicitur, ne vltra viueret, non fratrem dolens: sed eum sequi cupiēs, quem iam diuino frui cōspectu non ambigebat. Illis ergo grauis & terribilis mors est, qui terrena curant, non iis, quorum conuersatio in cœlis est, & qui moriendo ad immortalitatem transmigrant.

VITIVM IN EXCESSV DECLINANDI IN GENERE.

MALA VEL VERA NIMIVM, VEL IMAGINARIA TIMERE.

PHRYNICHVS tragicus adeò meticulosus fuisse dicitur, vt cùm Mileti captiuitatem ageret, Athenienses metuentem eiicerēt. Vnde & prouerbium natum est, Vesparum examen metuit Phrynichus, velut gallus gallinaceus. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

ARTEMON (quē Heraclides Ponticus celebrauit Anacreontis poetæ testimonio) tam timidus fuisse fertur, vt domi plurimùm vixerit, duobus seruis supra caput æreum scutum tenentibus, ne quid supernè caderet: in aperto lectica non nisi adoperta veheretur: qui mos Periphoreti cognomen illi dedit. Sab. lib. 4. cap. 7. & Fulg. lib. 9. cap. 14.

DEMOSTHENES pro ignauo & maximè timido accusatus est, quòd in propria causa dicturus, prius aufugerit, quam deuenerit in iudicium.

ARISTOPHANES & LVCIANVS induxerunt Plutum quēdam, omnia formidantem.

PISANDER timebat, necubi animæ suæ occurreret, à qua viuus esset destitutus.

THEAGENES fuit adeò superstitiosè timidus, vt domi haberet Hecates simulachrum, nec vsquam pedem moueret, nisi illo consulto.

TIBERIVS Claudius Romanorum imperator, erat vsque adeò timidus, vt perterritus sæpenumero nequiret, quid sibi faciundum esset, animaduertere. Quæ cum familiares eius cognoscerent, eum magis agitabant, perterrefaciebántque, vt ex eo fructus caperent maximos. Iidem tam magnum timorem iniiciebant reliquis hominibus, vt cùm multi eodem die ad cœnam essent à Claudio & ab aliis vocati, illo quasi ob aliam causam prætermisso, apud istos cœnatum venirent. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Claudio.

VITIVM IN EXCESSV, DECLINANDI IN SPECIE.

CVM HOSTIBVS NON AVDERE CONGREDI, CVM VIRIBUS tamen vel pares, vel inferiores sint.

Consule titulum, Hostibus terrorem inijcere. Item sub tit. Timoris bellici.

CN. POMPEIVM C. Iulius Cæsar imperitum Imperatorem esse affirmauit, quòd in pugna Pharsalica, milites certaminis auidos, impetum accipere, non inferre iusserit. Alexander ab Alexandro libro quarto, capite septimo.

INSIDIARVM METV QVAM EXQVISITA CVSTODIA QVIDAM SINT VSI.

ALEXANDER Pheræus tyrannus (cuius præcordia hinc amor, hinc metus torserunt) cùm infinito ardore coniugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum veniens, barbarum compunctum notis Threiciis, stricto gladio iubebat anteire: nec prius se lecto cōmittebat, quàm à stipatoribus diligenter vxor esset excussa. Supplicium irato deorum numine compositum, nec libidini, nec timori posse imperare. Cuius timori eadem & causa, & finis fuit. Alexandrum enim Thebe, pellicatus ira mota, interemit. Val. lib. 9. cap. 14. & Cic. 2. Offic.

ARISTIPPVS Argiuorum tyrannus, ob nimiam suspicionem, cubiculum suum mobilibus scalis, cum puella amata conscendebat, cataracta ferrea aperta, quam cubiculum ingressus demittebat: & ne falli posset, lecto cataractæ superposito incubabat. In inferiore loco puellæ mater scalas amouebat, & manè postea restituebat. Cogebatur itaque Aristippus pronus inde descendere, & præ nimio timore in vnius anus custodia, vitam suam polluere. Fulg. lib. 9. cap. 14.

Artemonem cognomento Periphoretum, nescio timidúmne, an insanum dicam. Is domi per duos seruos assiduè supra caput clypeum tenebat, & cùm in publicum prodiret, operta lectica ferebatur. Adeò non diligentis modò, sed stultæ etiam curæ, per timiditatem seruandæ vitæ plenus erat. Fulg. lib. 9. cap. 14. & Sab. lib. 4 cap. 7.

Dionysius Syracusanorum tyrānus duo de quadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit. Summotis amicis, in eorum loco ferocissimarum gentium homines, & à familiis, locupletum electos prævalidos seruos, quibus latera sua committeret, substituit. Tonsorū quoque metu tondere filias suas edocuit. Quarum ipsarum, postquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non ausus committere, instituit, vt candentium iuglandium, aut nucum putaminibus, barbam sibi & capillum adurerent. Nec securiorem se maritum egit, quàm patrem. Duarum enim eodem tempore Aristomaches Syracusanæ, & Locrensis Doridis matrimoniis alligatus, neutrius vnquam nisi excussæ complexū petiit. Atque etiam cubicularem lectum perinde quasi castra, lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat, cùm forem cubiculi extrinsecus à custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obserasset. Val. Max. lib. 9. cap. 14.

IDEM cū arma ciuibus eripuisset, quo tempore aduersus hostes periculum erat subeundum, cùm eos ad centum stadia ex vrbe produxisset, arma iis reddidit. Post pugnam, antequam in vrbem reuerterentur, & portas aperirent, rursus eos deponere arma iussit. Polyæn. lib. 5.

MASSILIENSIVM oppidum intrare nulli cum telo licet: præstóq; est, qui id custodiæ gratia acceptum, exituro reddat, vt hospitia sua quēadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta sint. Val. lib. secundo cap. 1.

MASINISSA rex Numidarum, Po. Rom. amicissimus, parum fidei in pectoribus hominum reponens, salutem suam custodia canum vallauit. Quò tam latè patens imperium? quò tantus liberorum numerus? quò denique tam arcta beneuolentia constricta Romana amicitia? si ad hæc tuēda, nihil canino latratu ac morsu valentius duxit. Val. lib. 9. cap 14.

DOMITIANVS Imperator, cùm mortis instare tempus putaret, à Mathematicis prædictum, quod tamen nulla diligentia deuitare potuit: eius porticus, in qua deambulare solebat, Sphengitico marmore parietes incrustauit, vt ei lapidis illius fulgore, veluti in speculo, non minus eorū qui à tergo quàm qui à fronte se offerrent, imagines eodem tempore repræsentarentur. Fulgos. lib. 9. cap. 14.

COMMODVS Imperator, cùm tonsori nulli fidem haberet, sibiipse barbam comamque candenti carbone adurebat. Ibidem.

CAROLVS septimus Gallorum rex, cùm à filio Ludouico, qui Delphini dignitatem obtinebat, venenum vereretur, quia contumaciter cū eo viueret, sex dies continuos omni cibo abstinuit. Et cùm postea medici, atq; is religiosus vir, cui ipse Christiano more crimina sua fatebatur, eum monuissent, si ita pergeret, vitam animamque simul amissurum: reficere se cibo volens, cum extenuatis inedia viribus dimittere per fauces nihil posset, cibi abstinentia mortuus est. Parum enim consideratè cauendo, in id ipsum incidit, quod timendo euitare se credebat. Ibidem.

Non minus patre ipso Carolo suspicionis plenam LVDOVICVS XI. filius vitam egit, cùm apud Turones arcem inhabitaret, in quam voluptatis gratia secedere reges solebant. Nam non satis ducens, quadringentos milites in armis ad palatij custodiam semper habere, voluit vt in eo numero ducenti essent Scoti, ex populis, qui prisco nomine Britanni erant, minimè ei parentibus. Plus enim fidei in eis, quàm in Gallis reposuit. Præterea imam fossæ partem, qua circumsepta erat arx, ferreis spiculis totam compleuerat. Latera quoque ipsius fossæ, rastris ferreis acutissimis circumsepserat, quę persæpe lima acui iubebat. Magna enim cura, neque minore impensa, anxietatem animi sui detegebat: cùm tamen ea, per quæ cauere sibi nitebatur, haud magni ad cauendum facienda essent. Fulgos. lib. 9. cap. 14.

MORTIS METVS, NIMIA VITÆ CVPIDITATE MORtem honestam fugere.

Nunc de iis agamus, qui nimium mortem verentes, in appetenda longiore vita, modum sibi nullum fecerunt. Nam si vitæ prodigum hominem esse minimè oportet, ita nimis quoque vitæ auarus esse non debet, persæpe enim nimium vitam amando, nō euitatur mors, sed differtur: atque ita in vitam, quæ morte deterior est, interdum homines incidunt. Quòd si infœlicis vitæ spacium aliquantisper proferre contingit, in infamia atque dedecore vita amittitur. Pro vna enim morte, pluribus per hunc modum afficiuntur: quòd moriente corpore, fama quoque eiusmodi hominum extinguitur. Fulgos. lib. 9. cap. 13. Exempla etiam ex tit. Apostatarum petes.

MISA Moabitarum rex, à Ioram Samariæ, & simul à Iosaphat Iudęorū regibus obsessus, cùm videret vltra tueri se non posse: tentata prius incassum per noctem fuga, præ nimio timore, vt hostium manus euaderet, nouo atque crudeli commento vsus est. Nam in vrbis muris, in ea parte, quæ hostibus conspicua erat, diis suis maiorem natu filium immolauit: fretus sacrificio, hostium manus se euasurum, quemadmodum à magis suis, ei promissum fuerat, id quod etiam ei successit, soluta ab hostibus obsidione. Fulgos. lib. 9. cap. 13.

DISCIPVLI Iesu Christi, Saluatoris nostri, cùm vidissent Dominum in horto capi & ligari, relicto eo fugerunt omnes: maximè verò PETRVS apostolus, qui tam fortiter prima aut altera hora noctis pro suo steterat rege, mox captum, ter ante gallicinium negauit, Iudæorum sæuitiam veritus. ~~[illegible]~~ Sab. libr. 4. cap. 7. ex Matth. 26.

Christianis rebus Diocletiani sæuitia afflictis, abolitisque sacrarum rerum monumentis, & vt Christi nomen aboleretur, vrbium antistibus supremo supplicio affectis, septendecim piorum millibus paucorum dierū spacio, aliis alio supplicio peremptis, vnus omnium MARCELLINVS Romanus pontifex ad simulachra dæmonum, metu mortis, sacrificauit. Sed pœnitentia quam egit, non solùm illi Christianum nomen, sed & dignitatem restituit. Sab. lib. 4. cap. 7.

Intempestiuus fuit metus in mortis IVDEÆ gentis sacerdotibus, qui vrbe magna ex parte à Vespasiano capta, templo direpto, & incēso, cum nil superesset amplius, quod cum vita optari debuerit, suppliciter sunt vitam à Romani exercitus imperatore, salutémque precati, à quo illud tulêre responsum: Non esse opus venia, sacerdotibus, templo, & sacris amissis. Idem.

BION Borysthenites philosophus, cùm disputando semper asseruisset, Deum nullum esse, atque omnia casu regi: ęger cùm ita salutem speraret, carminibus fidem habuit, ac diis supplicauit, votaque suscepit: contra ea quæ ex sectæ suæ disciplina ipse prædicauerat. Laertius in eius vita.

Nemo turpius vnquam vitam appetiit quàm ASDRVBAL Carthaginensis. Nam cùm in defendēda Carthagine, Scipionem inde arcere nequiuisset, vrbem intrantibus Romanis, cum omnibus suis in Æsculapij templum admodum munitum se recepit. Neque eorum memor, quę ipse nimis crudeliter in captiuos Romanos gesserat, quibus paria sibi Romanos illaturos putare debebat, vt mortem prorogaret, vltrò Scipioni se dedidit, atque ad eius pedes iacere non erubuit. Cū vxor ipsum intuita, vilem atque effœminatum vocans, grauiter increparet, cui fortis animi exemplum ipse morte sua præbere debebat. Maluit sordidi animi vir, vinctus triumphantis currum anteire, & populo Romano ludibrium futurus, carnificis manu, quàm gloriose in patria pugnās, animam effundere. Fulgos. lib. 9. cap. 13. & Sab. lib. 4. ca. 7.

M. ANNEVS Lucanus poëta sub Nerone Cæsare comprehensus (velut Pisonianæ coniurationis conscius, de qua audacter nimis loquutus erat) vt tormenta adhiberi sensit, totus præ nimio viuendi desiderio immutatus, Neroni incolumitatem pactus promisit, magna se detecturum: atq; vt ei aliquid diceret, quod credi posse videretur, matrem suam Acillam, quanquā innocentem, accusauit. Verùm pro tanto scelere, vt gratiā, qua dignus erat, acciperet, intra paucos dies inter alios coniuratos occisus fuit, vita ingenti scelere in paucos dies producta. Fulgos. lib. 9. cap. 13.

PERPENNA, in Hispania Sertorio interempto, cum à seditioso exercitu fugisset, à Pompeianis deprehensus, cùm inter arbusta latêret, timēs ne tunc occideretur, vt aliquantisper vitam produceret, exclamauit, Vt se ad Pompeium deducerent, detecturum enim se omnia quæ ipsius hostes Romæ molirētur. O animum vilem & abiectum, vitæ pusillum momentum sibi amicorum proditione ac sanguine veluti precio velle concedi: cuius tamen compos non fuit, prius interemptus, quàm eum Pompeius videret. Idem.

C. CALIGVLA Cæsar superbissimus, ad omnia fulgura pauens, veluti infans, puluino caput tegebat, illicque, si quis plurimùm se terreri ostendisset, turpiter latebat. Idem.

A. VITELLIVS, cùm superbia sæuitiaque immensa in Othonem atque Sabinum Flauium vsus esset, non puduit eum, cùm palatium desereret, coquo pistore comitatum profugere: quinetiam, cùm oblata spe rediisset, tandem ab omnibus desertus, non erubuit accepta in baltheo parua pecunia, in ianitoris cella se abdere, forisq; alligato cane, culcitrā foribus obdere. Quod defensionis genus non insani modò hominis esse, verùm infantium quoque simplicitatem superare videbatur. Adeò præ timore prudentiam ac communem sensum exuerat. Illic deprehensus, & vix agnitus, posteaquam dissimulando diu Flauiorum antecursores elusit, quanquam exploratum haberet se moriturum, quia Sabinum Vespasiani fratrem occiderat: tamen cùm aliquot dies producere vitam cuperet, dixit, Habere se ea, quę Vespasiani vitam tangerent, quę ipse detegere vellet: & idcirco petere se, vt in vinculis, dum Vespasianus veniret, seruaretur. Quod ab hoste assequi non potuit. En Cæsareum animum atq; imperatoriam mentem, en virū, non dicam Bruti aut Catonis, sed ne Othonis quidem hostis imitatorem, dū tanto dedecore atque infamia, & quod grauius est, in ęrumna quauis morte grauiore, pauculos dies vitam prorogare quærit. Idem.

EVGENIVS tyrannus, cùm Arbogastis ope (qui postea militaris dux eius fuit) Valentiniano secundo occiso, in Gallia imperium occupasset, in prælio, quo cum primo Theodosio decertauit, inclinare aciem suam conspiciens, ne tunc minus vili, quàm antè scelerato animo cognosceretur, minimè Arbogastem imitatus, qui inclinante forma sibiipsi mortem consciuit, vt paucas horas vitam prorogaret (venia enim propter suam in Valentinianum proditionem atque sæuitiam indignum se norat) ad Theodosij pedes, abiecta imperatoria veste, se prostrauit, à quo vt merebatur, occisus, proditione infamis, turpiter periit: qui si paulo antè, quemadmodum olim Decius egerat, audacter prælium iniisset, aut vincere aut mori Imperator poterat. Idem.

VITÆ ODIVM, SIVE METVS, NE MAIORA SVPERVEniant mala, mortem appetere. DESPERATIO,

Huc refer exempla e Qui sibi ipsis mortem consciuêre.

IVDAS Iscariotes desperans, laqueo vitam finiuit. Mat.27.

CLEOMENES Lacedæmonum rex regno pulsus ab Antigono Macedonum rege, ad Ptolemæum Ægypti regem cen ad amicũ profugit, fretus ad recipiendum regnum quod amiserat, opem ab eo se habiturũ. Cæterùm nulla ope adiutus, sed vt captiuus in custodia habitus, cũ tredecim solis comitibus remansit. Mira autem arte custodia elapsus, cùm Hipitha comitum vnus, cui læso ischio vires corporis erant imminutæ, cõsequi euntes vltrà nequiret, orauit ne eius causa tã magnũ facinus omitteretur, & ne in hostiũ manus perueniret, rex eũ occideret. Nõ tamẽ propter hoc à rege Cleomene destitutus est, quin potius equò, quẽ primũ habuerunt obuiũ, Hipithã imposuerunt, atque per vrbẽ discurrẽtes, duos Ptolemęos regios præfectos, qui magna manu se opposuerant, obtruncarunt. Sed frustra ad libertatẽ diu vocatis ciuibus, cùm viderẽt tandem sibi in Ptolemæi potestatẽ esse redeundũ, demãdata Pantheo cura (qui postremus moriturorũ erat futurus) vt quos nondũ planè mortuos videret, ad obeundã celeriter mortem iuuaret, mutuis se vulneribus interemerunt. Is autẽ diligenter quæ demandata erãt curatis, iuxta Cleomenem regem sedens, pectus ipse sibi gladio traiecit. Fulg. lib.3. cap.2.

CLEOMENIS filius, cùm ex parentis suæ lachrymis patris mortem suspicaretur, nulla re dicta à summo ædium culmine se præcipitem demisit, egitque ea re, vt omnes Cleomenis filium fuisse intelligerent. Cui si tantum fœlicis ætatis, quantum animi fortuna concessisset, non minus quàm pater se Lacedæmonis dignum regem ostendisset. Idem.

PACHES Atheniensis, parto patriæ Lesbi insulæ imperio, cùm domum rediisset, rationem in Senatu omnium rerũ reddidit, quas eo bello administrauerat: atque eo ipso tempore, gladio quo cinctus erat, vt aduersariorum calumnias vitaret, seipsum traiecit. In seipsum immerentem grauius sæuiuit, quàm vix hostes fecissent, si culpam admisisse inuentus esset. Stultè igitur ac temerè dum mala euitare studet, in ea ipsa atque etiam grauiora incidit, quæ deuitare cupiebat. Fulg. lib.9. cap.8.

PHOCENSIBVS inexpiabile bellum cum Thessalis intercedebat, ita vt Thessali decretum facerent, à nemine qui ætatem haberet, abstinẽdum: liberos verò & coniuges in seruitutem redigẽdas. Cùm Phocenses pugnam facturi essent, Phocides statuerunt: In syluam ingentem nos conferemus, cùm viros superatos esse senserimus, ipsæ quoque in rogos cũ liberis ascendemus, syluámque comburemus. Hoc mulierum decretum effecit, vt Phocenses animosius pugnarẽt, & prælio commisso victoriam adipiscerentur. Polyæn. lib.8.

Bis Xanthij in Lycia parentes, liberos & vxores, ira & desperatione interfecerunt, vrbémque insuper cremarũt, primo bello Persico: inde post aliquot ętatis ciuili bello, quod Bruto & Cassio ducibus est aduersus triũuiros Antonium & Octauianum in Asia & Europa gestum. Sab. lib.9. c.5.

XANTHIA mulier se in publico excidio, laqueo suspendit, paruum filium à se enectum manu tenens, altera incensam facem, vt omnia secum perderet, absumerétque totam domum incendio. Idem.

SCIPIO, infeliciter Cn. Põpeij generi sui defẽsis in Africa partibus, classe Hispaniam petens, cùm animaduertisset, nauẽ, qua vehebatur, ab hostibus captã, gladio præcordia sua transuerberauit: ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cæsarianis militibus, Vbínam esset Imperator? respondit, Imperator bene habet: tantúmque eloqui valuit, quantum ad testandam animi magnitudinem æternæ laudi satis erat. Val. lib.3. cap.2.

CATONIS Vtica monumentũ est, in qua ex fortissimis eius vulneribus plus glorię, quã sanguinis manauit. Siquidem constantissimè in gladium incumbendo, magnum hominibus documentũ dedit, quanto potior esse debeat probis dignitas sine vita, quàm vita sine dignitate. Idem.

Scipio cùm Africam teneret, & à Iulio Cæsare iam victus esset, IVBA rex Mauritaniæ desperata salute, cum Petreio Scipionis legato, qui & ipse rebus suis diffidebat, in certamẽ descendit, eo animo, vt in eo vterque moreretur, ne in Cæsaris manus venirent. Xiphilinus in Cæsare.

SABINVS eques Romanus, cùm ei Claudius Cæsar impunitatẽ polliceretur, quòd cum Caligulæ percussoribus interfuisse eius cædi putabatur: posteaquam alios, qui cædi interfuerant, occisos esse cognouit, spreta impunitate quæ offerebatur, vt fortis vir, veréque Romanus, eodem pugione, quo Caligulam occiderat, ne in Claudij potestatem veniret, seipsum interemit. Fulg. lib.3. cap.2.

Cùm Fuluius Flaccus, propter Campanã perfidiã, principes ciuitatis ante tribunal suum capitali supplicio afficiendos iudicaret, literísque à senatu acceptis finem pœnæ eorum statuere cogeretur, vltrò se ei T. Iubellius Taurea Campanus obtulit, & quàm potuit clara voce: Quoniam (inquit) Fului cupiditate tanta hauriendi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere? vt gloriari possis, aliquanto virum fortiorẽ quàm ipse es, tuo iussu esse interemptum. Eo deinde libenter id se esse facturũ, nisi senatus voluntate impediretur, affirmante: At me (inquit) cui nihil Patres conscripti præceperunt, aspice oculis tuis quidem gratum, animo verò tuo maius opus edentem. Protinúsque interfecta coniuge ac liberis, gladio incubuit. Quem virum illũ putemus fuisse, qui suorum ac sua cæde testari voluit, se Fuluij credulitatem sugillare, quàm senatus misericordia vti maluisse? Val. Max. lib.3. cap.2.

OTTO Imperator mortem sibi ipsi consciscere ausus est, multis in ambiguo relictis, vtrum carceris metu, an principatus amissionem metuens, vel patriæ casum miseratus, quam ciuilia arma perdebant, cùm adhuc aduersus hostem vires sufficerent, & præterea ingentia auxilia expectaret. Mortem quæ non sine gloria videbatur fore, omnium aliarum rerum spei anteposuit. Fulg. lib.3. cap.2,

INGENVVS à Romanis legionibus in Pãnonia aduersus Galieni Augusti ignauiã imperator creatus, cùm infelici pugna superatus esset, neque nisi cum imperio viuere constituisset, audacter se interemit. Idem.

Dacarum rex DECEBALVS, ingentis animi vir, secundo prælio M. Vlpij Traiani Augusti viribus ita attritus, vt amplius spes nõ superesset: ne hosti lætiorem faceret victoriam, si captus vinctúsque in triumpho uictorem antecederet, sibiipsi vitam ademit. Idem.

THEOGENES Numantinus, perditis & afflictis rebus Numantinorum, cũ omnes eius ciues nobilitate, pecunia, honoribúsque superaret, vicum suum, qui in ea vrbe speciosissimus erat, contractis vndique nutrimentis, ignis incẽdit, protinúsque strictum gladium in medio posuit, ac binos inter se dimicare iussit, vt victus incisa ceruice ardentibus tectis, superiaceretur: qui cum tam forti lege mortis omnes absumpsisset, ad vltimum seipsum flammis immisit. Val. lib.3. cap.2.

Carthagine capta, VXOR HASDRVBALIS, exprobrata ei impietate, quòd à Scipione soli sibi impetrare vitam contentus fuisset, dextra læuáque tres communes filios mortem non recusantes, trahens, incendio se flagrantis patriæ obiecit. Idem.

ARIARATHES rex Cappadociæ, à Perdicca obsessus, quum iam desperaret effugium, ne quid fructus aut trophæorum accederet inimicis, vrbem incendit, sibique & suis omnibus consciuit mortem. Fulgos. libro 3. cap.2.

GALLOGRÆCORVM exercitus in Gręcia cùm ab auspicibus commonerentur, multum esse sanguinem effundendum, foréque vt eorum deleretur exercitus: quanquam retrò tuta in loca recipere se poterant, incolumes tamen liberis atque vxoribus occisis prælio decertare cum Antigono Macedonum rege, atque pugnando occumbere omnes maluerunt, quàm seruata salute, timoris signum hosti relinquere. Fulgosus lib.2. cap.2.

XANTHII, Asiaticus populus, cùm viderẽt Brutum occupata eorum vrbe aduersus Octauium arma parare, indignatione simul atque desperatione moti, sumptis armis diu contrà acriter restiterunt. Quorum motibus etsi postea publico edicto ignoscebatur, tamẽ omnibus trucidatis, ita vt vltra quinquaginta fœminas in ea nullus superesset, vrbem incendere, quàm precario videri vitam obtinuisse, maluerunt. Idem.

BVTHES Persa, Thraciæ præfectus, à Cimone Atheniensium duce, in vrbe Cione obsessus, cùm vt idem facerent, aliis qui vnà secum obsidebantur, persuasisset: incensa prius vrbe, ne ad hostes ex ea victoria commodum vllum perueniret, vnà cum obsessis omnibus mortem sibi consciuit. Idem. Polyæn. lib.7. Borgen uocat.

ELEAZARVS Iudæus, cùm diu contra Romanos Hierosolymis arma tulisset, post captas Hierosolymas, in arcem Massade cum nongentis Iudæis se recepit. In ea obsessus à Sabino Flauio Romano præfecto, cùm iam euersi essent muri, vt parua sui tuendi spes restaret, minimè vel fugæ sibi consulere, vel pacem ab hoste, vt multi eiusmodi in statu egerunt, petere tentauit. Sed animi ac fortitudinis plena oratione, confirmatis sociorum animis, eos demùm in hanc sententiam secum traxit, vt sorte decem eligerent, à quibus omnes vna cum liberis atque vxoribus occiderentur. Itaque re peracta, illi ipsi decem succensa arce, ne quid prædæ ad hostem perueniret, integra ab incendio ea tantùm, quæ victui parata erant, seruauêre: vt vera virtus, & non fames intelligeretur ea fuisse, quæ ad tam efferatum consilium eos perduxerat. Post hæc igitur ipsi quoque decem ad id facinus relicti, mutuis se vulneribus trucidarunt, neque ex tanto numero vllus superfuit, præter fœminam vnã: quæ audita illius deliberationis atrocitate, in subterraneos cuniculos cum quinque puerulis se recepit. Illicque dum res perageretur, latuit, à qua postea, vt res gesta erat, intellectum fuit. Fulg. lib.3. cap.2.

Non plus etiam Romano exercitui, quem Martius P. Scipionis auspicio, ad eos duxerat, ASTAPACENI in Hispania reliquerunt, idque ita egerunt, vt citra controuersiam virorum fortium nomen laúsque eis adimi non posset. Nam si vnà cum opibus patriam combusserunt, si vxores filiósque interemerunt, saltem hoc assecuti sunt, quòd inulti perire, atque ignauiæ suspicionẽ relinquere noluerunt. Ferocibus enim animis Astapaceni, tractandísque armis apti, Romanum hostem apertis portis inuaserunt. Qui, quãquam militari industria, atque armorum vsu numeróque superior esset, animi tamẽ fortitudine longè inferior extitit. itaque vix tandem Astapacenum populum delere potuit. Sed quid delere dico? siquidem pugnãdo inferiorem numero opprimere, id vitam, ordinem atque constantiam animorum adimere dici debet. Neque enim ex toto illo populo vllus qui in aciem prodierit aut ordinem, aut locũ deseruisse, aut dimicandi quàm vincendi finem fecisse, aut vnquam retro aspexisse inuentus est. A Romana enim multitudine circumuenti, in vestigio suo, vt in prælio erant stantes, corruerunt: cùm in vrbe illo ipso tempore conspecta aduersa pugna, qui in acie ferre arma ætate aut sexu prohibiti erant, mutuis se vulneribus cædentes, vrbem cum iis, quæ in ea remanserant, succenderunt. Idem.

Admiranda supra modum ea fuit desperatio, quã ARABS quidam latrocinio vitam agens ostendit. Nam cùm huius generis hominum multitudo ingens, inaccessibiles montium speluncas insideret, infestámque regionem faceret: Herodes Iudæorum rex, coacto exercitu, adductísq; bellicis machinis expugnationem adortus est. Itaque cũ multis occisis pars eorum deditionẽ fecisset, quidam inter ipsos maior natu ab Herode ad colloquiũ vocato, magno verborum conuicio eum persecutus, etsi sibi suísque vitam atque libertatẽ videbat offerri, si Herodis fidei se credidisset, in antri ore constitit: illícque septem filios, quos habebat, occidit, deorsúmque ad Herodem, atque eius exercitum, & post eos vxorẽ, séque ipsum mortuos deiecit. Admirandam profectò animi fortitudinẽ, & regio quàm latronis statu digniorem, Catoníque Vticensi laudibus præferendam, si tam fortem magnúmque facinus anteactæ vitæ, quę latrocinio infamis fuerat, scelere non maculasset. Idem.

MICHAEL Imperator Chrumno Bulgari congressus, bellóque victus fuit, & ex desperatione rerum monachus factus est, deponens imperium. Sigebertus in Chronicis.

ANDRAGATHIVS comes, statim vt intellexit Maximum tyrannũ, quem is principẽ sequebatur, ingenti victoria à Theodosio superatum, intrepido animo in mare se deiecit, atque submersit. Maluit enim moriendo Maximum sequi, quàm Theodosio magno seruire, ea parte quã semel susceperat relicta, Fulgos. lib.3. cap.2.

ARBOGASTES Eugenio, ad tyrannidem aduersus Theodosium euecto, cùm in certamine ad hostes inclinare victoriam vidit, ensem quem hostium sanguine cruentauerat, pectori suo condidit, vt ita se seruitutis fœditate liberaret. Idem.

ECELINVS Patauinorum tyrannus, qui sæuitiæ fama nulli cessit, victus prælio ad Soncinũ, vbi res suas sensit vna pugna accisas: vulnus, quod in acie acceperat, fotum & circumligatum, frendẽs ira, in morem sæuientis feræ vngibus conscidit. Sabel. lib.9. cap.3.

VITIVM IN DEFECTV.
MINVS DECLINARE MALA QVAM PAR SIT. MALIS SE *vltrò temerè obiicere, domi, foris, publicè, priuatim.*

Poetæ PHAETONTIS arguunt temeritatem, quòd patris currum acceperit regendũ, quum tamẽ non esset idoneus auriga. Oui. li.2. Meta.

BELLEROPHON insidiens Pegaso per medium aerem vectus, immisso tandem asylo à Ioue excussus est.

IASON & TYPHIS vitam ventis primi commiserunt, & vias maris (quas natura negat, teste Claudiano) aggressi sunt, Tristes hyadas, rabiémque noti, infames scopulos Acroceraunia, & mare turbidum, vt ait Horatius, siccis oculis prospicientes.

THESEVS & PYRITHOVS finguntur irremeabiles vmbrarum domos irrupisse, vt Proserpinam Ditis thalamo deducerent.

SINONIS Troię proditoris fuit miranda temeritas, qui in vtramque aleam paratus, ad Troianos (vt eos ipsos proditione ad nihilum redigeret) confugit. Vergil. lib.2. Æneid.

Antigonus rex, quum audiret filium suum ALCIONÆVM in acie cecidisse: O Alcyonæe, inquit, serius quàm oportuit vitam tuam morte commutasti, qui tam temerè in hostes insilieris, neque tuæ salutis, neque meorum monitorum vllam habens rationem. Putauit non esse deflendum hominem, qui temeritate potius quàm fortitudine vitam sibiipsi arripuisset. Refertur ex Plutarcho.

PERDICCAS Macedo, qui Alexandrum secutus est in bellis, vsque adeò fuit audax, vt aliquando in spelũcam leænæ latibulum solus introiret. Verùm leænam ipsam non deprehendit, sed catulos eius secum exportauit, & magnam hominum admirationem hoc facto meruit. Aelian. lib.12. de Varia historia.

CALLICRATIDES Lacedæmoniorum dux, cùm in Peloponnesiaco bello à suis admoneretur, vt classem ab Argiuis remoueret, nec cum Atheniensibus dimicaret: respondit, Lacedæmonios classe illa amissa, aliam parare posse, se autem sine suo ac suorum dedecore non posse. Cicero lib.1. Officiorum.

IDEM classis præfectus, quum nauali pugna esset conflicturus, atque Hermon nauclerus diceret, bonum esse ab eo loco soluere, eo quòd Atheniensium triremes numero lõgè plures essent. Quid, inquit, tum postea? fugere non tantum ignominiosum, sed damnosum etiam Spartanis est: contrà fortiter pugnare & vincere, honestissimum. Plutarchus in Laconicis apoph.

CELTÆ, qui ad subeunda in bello pericula promptissimi semper habiti sunt, adeò ducunt ignominiosum fugere, vt è corruentibus & incidẽtibus ædibus sæpe non effugiant, sed ne ardentibus quidem, ita vt incendio igniq; circumueniantur. Multi etiam fluctuans mare sustinent. Quidam enim in fluctus se iniiciunt, & eorum impetus excipiunt, protensis gladiis euaginatis, & hastis vibratis, perinde atque si vel terrere vel vulnerare possent. Aelian. lib.12. de Varia hist.

Temerè se AFRICANVS superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Siphacem traiecit, in vnius Numidæ infidi præcordiis suã pariter & patriæ salutem depositurus. Itaque exiguo momento, maximæ Reipublicæ casus fluctuatus est, vtrum interfector, an captiuus Scipio Siphacis fieret. Val. Max. lib.9. cap.8.

Cùm Q. SERTORIVS aduersus Cimbros cum C. Mario in castris esset, mutata veste, in Cimbrorum castra penetrauit, vt illic hostium consilia atq; ordines exploraret. Nimis magno periculo inter feras gentes id agere aggressus est, quod per alios vilioris fortunæ homines, minore reipublicæ periculo assequi potuisset. Fulgos. lib.9. cap.8.

C. IVLII Cæsaris anceps conatus, etsi cœlestium cura protectus est, tamen vix sine horrore animi referri potest. Siquidem impatiens legionum tardioris à Brundusio Apolloniam traiectus, per simulationẽ aduersæ valetudinis conuiuio egressus, maiestate sua seruili veste occultata, nauiculam conscendit è flumine, ac maris Adriatici sęua tempestate fauces petiit: protinúsque in altum dirigi iusso nauigio, multum ac diu contrariis iactatus fluctibus, tandem necessitati cessit. Val. li.9. c.8.

IDEM deuicto in Pharsalia Pompeio, eos insecutus, quos in Asiã Pompeius præmiserat, Hellespontum parua naue traiecit. Itaque cùm in L. Cassium hostem decem naues habentem incidisset, rectà Cassio occurrit: atque tum minis, tum rationibus adductis, ita egit, vt Cassius petita venia, ad eum transiret. Res profectò quanquam ingẽs, & cui fortuna fauit, præcipitis tamen ac prorsus temerarij consilij. Fulg. lib.9. ca 8.

MITHRIDATIS Pontici regis ingens ea temeritas fuit, qua cùm animo Asiæ imperium concepisset, vt diligentius locorum sitũ inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculoq; se obiecit, vt illuc seruus duceretur, vbi imperium quærebat: cui periculo domestica etiam mala accesserunt. Laodice enim soror eius ac coniunx, cùm certò mortuum esse arbitraretur, multis per adulterium se commiscuit: ipsiúsque reditũ verita, operam dedit, vt rediens interimeretur. Idem.

ADLAVVS, barbarorum Northumbrorum in Britannia rex, magno Echalstani, in propinqua insula regnantis, exercitu pressus, cùm hostiũ ordinem videre cuperet, mimi suscepta persona, ac mulicis ad Echelstani tentoria profectus, cecinit, munera accepit, & fortunæ fœlicitate magis quàm ratione adiutus, incolumis domum se recepit. Quanquam dũ cantaret, à quodam agnosceretur, qui in eius ministerio fuerat qui tunc cõticuit, quòd eum impensè diligeret, ne postquam, abierat palàm facta. Idem.

SALADINVS Aegypti Soltanus, Salutis anno centesimo atq; octuagesimo post mille, cùm accepisset à Christianis populis ingentem exercitum comparari, vt in Orientem aduersus eum traiicerẽt: cum duobus comitibus, ac tribus ministris, vt apparatum belli videret, in Græciam, Gallias ac Hispanias penetrauit, Perspectis itaq; hostium viribus, prudẽtior atque audacior ad resistendum fuit. Idem.

Cùm Franciscus Sfortia, Caruagium oppidum obsidione, adhibitis tormentis, premeret, Mediolanensis populi auspicio, cuius eo tempore militaris dux erat, Veneti duces obsessis opem ferre contendebant. TIBERIVS Brandolinus, militarium præfectorum vnus, corporis atque animi vigore præstans, cęterùm omnibus in rebus præceps habitus, ad ferendã obsessis opẽ, quòd diutius obsidionẽ sustinere non poterant, conferendã cum hoste manũ censebat. Cui sententię, cùm quosdã ex magnis Venetorũ ducibus aduersos haberet, vt omnia corã diligẽtius inspiceret, in calonis habitu, venali vua onustus in hostiũ castra tetẽdit, omniaq; intuitus, incolumis ad suos se recepit: lõgè plus criminationis ob temeritatẽ assecutus, quàm laudis, quòd fortis atque sagacis militis operã pręstitisset. Idẽ.

LVDOVICVS Gallorum rex XI. qui multum sapere visus est (quemadmodũ exitus in omni eius re ostendit) ipse quoque, vt permulti alij, plus fortunę fœlicitate, quam ratione adiutus, duo magna temeritate adortus, fœliciter transegit. Nam cùm regni proceres, conspiratione facta, eum in Parisiorũ vrbe obsiderent, etsi norat hostes nihil aliud magis quã ipsum quærere, vt ex ipsorum arbitrio regno atque ipsi administratores darentur, ad eos in syluam Vicennarum Parisiis propinquam se contulit, & cum illis trãsegit. Postea etiam malorũ consiliariorũ hortatu, qui mox cũ hostibus sentire detecti sunt, ad Carolum vltimum Burgundiæ ducẽ, quo cum graues inimicitias gerebat, vltrò Peronam venit: deinde, dum nimium inconsultè progreditur, Leodium in eius castra proficisci, ac primus ad incendendam amicam vrbem, cui ferre opem cupiebat, manum iniicere coactus est. Illic igitur aliquot dies cõmoratus, incolumis quidẽ, sed contra omnium opinionem ad suos in regnum rediit. Nondum procreatis liberis, eius fidei se credidit, qui ad regnum aspirabat. Idem.

TOLERANTIA SIVE PATIENTIA IN ADuersis rebus, in genere.

Mala, cùm euitari nequeant, ferre, pati & tolerare, Tolerantiæ est, seu dicere malis, Patientiæ. Græcum vocabulum huic ex æquo respõdens fortaßis καρτερία esset: cuius tamen aliã significationẽ Arist. in 7. Ethic. affert. ponit enim pro dispositione siue imperfecto habitu, qui quælibet mala magno perfert animo, ita tamen vt rectæ rationi appetitus repugnet. Verumenimuerò, modò de rebus constet, verba non multũ moramur. Tolerantiam hic fortitudinis speciem in ferendis malis statuimus, siue corpori dolorẽ afferant, siue animo. Et illis quidem ferendis opus est robore & firmitate corporis, sicut etiã in iisdem propulsandis. Non tamen propterea robur idem est quod fortitudo, vt neque ira: quamuis & ira & robur fortitudini inseruiant. Tolerãtia enim perfert mala ex animi perfecto habitu, qui moueri nequit: robur verò eadẽ perfert, ex corporis firmitudine & quadam veluti indolentia. Ira autem ex nimio animi feruore omnis doloris obliuiscitur, & solam vindictam appetit. Sic ferè vsuuenire videmus, vt in digladiationibus vulnera plurimi non sentiant, propterea quòd animus vindictæ intentus, nihil aliud ferè percipit, quàm illud quod vehementißimè desiderat. Sed iam ad exempla transeamus. Plurima ex tit. Metum militibus eximere, & aduersa dißimulare, sub loco Stratagematum, huc transferri poßunt.

Ion confitentem audimus, ab omni prorsus vindictæ appetitione semper se fuisse alienum. Ait enim, Si gaudius sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inuenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt experterem maledicens animam eius. Molliter igitur ferendo inimicos vsqueadeò fortis euasit, vt nullo deinde in calamitatum genere ad aliquod impatientiæ signum impelli potuerit. In maximas quidem incidit ærumnas, sed omnibus ærumnis maior in illo tolerationis virtus fuit. Denique qui non est gaudius ruinis inimici, idem nec suis vinci potuit. Maxul. lib. 5. cap. 2.

Sed quibus tandem verbis, quo ore Domini nostri Iesu Christi patientiam explicabimus? profectò maior est, quàm vt pro dignitate exprimi queat. Dei filius ab hominibus probris, flagellis, morte afficitur, iustus ab impiis, Dominus à seruis: & ab iis quidem, quos saluare venerat, ac de maledictione, cui addicti ab initio erant, in benedictionem gratiámque vindicare. Poterat in vno oculi ictu simul perdere omnes, ne quid mali ab eis pateretur: sed vltrò obtulit sese, vt nos per sui corporis sacrificiū conciliaret Deo. Irridebatur itaque, & tacebat: accusabatur, & nihil respondebat: verberabatur, & sustinebat: crucifigebatur, & pro

crucifigentibus ad patrem orabat. Quis tam durus est, vt hæc secū considerans, ad ignoscendum iis à quibus iustus fuerit nō molleatur? Indignè ille passus est quicquid passus est, quia delictū nō fecit: nobis nulla prorsus iniuria indignè inferri potest, qui peccatores sumus. Feramus ergo æquo animo quicquid in nos committunt homines, quia nos antè peccauimus Deo. Quicquid patimur, non est offensa, sed vindicta. Idem.

Heraclitvs & Diogenes Cynicus nunquam de rigore animi remisérūt, calcatísque turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem & miseriam vniformi duraúere proposito. Solinus cap. 4. Polyhist. & Laert. in eorum Vitis.

Alphonsvs Aragonum rex, bellum Neapolitanum semel ingenti atque inuicto animo cùm suscepisset, nulla postea vi, nullo periculo, nulla clade, nullis denique difficultatibus auerti potuit ab incepto: quinimò à fortuna proiectus, vel in hostium potestatem perductus, nūquam tristis surrexit, incredibilíque animi fortitudine bellum contra omnium expectationem, post secundum demum & vicesimum annum, confecit, mortalésque omnes suo exemplo, fortunam ferendo superati posse docuit. Panorm. lib. 1. cap. 9. de rebus gestis Alphonsi.

TOLERANTIA IN SPECIE, RELIGIOSA, ANIMI MALORVM.

Consule titulum, Pœnitentiæ religiosæ, eorum scilicet, qui propter peccata sua animum non desponderunt: sed Christianè vitia sua tolerarunt, de misericordia diuina non desperantes.

TOLERANTIA MALORVM CORPORIS RELIGIOSA, *siue Christiana.*

MORBORVM ET ÆGRITVDINVM.

Aduersas valetudines æquo animo ferre, virtutis est. Languente enim corpore, animi vigor in contemnēdis voluptatibus roboratur, iuxta illud Apostoli dictum: Cùm infirmor, tunc fortior sum. Quòd si corporeæ infirmitati quicquam inesset mali, hanc sanctis suis Deus contingere non permitteret. Permittit autem vt efficiat sanctiores. Exempla pleraque ex Maruli lib. 5. cap. 4. desumpta sunt.

Isaac, dum inter alienigenas non sine magno vitæ discrimine peregrinaretur semper protectus, cùm semuisset, oculis captus est, in tātum vt nec illos quidem quos genuerat, dignosceret. Et bene hoc cessit illi, quoniam per cæcitatis errorem ad posteritatis suæ felicitatem à Deo promissam peruenit. Dilexerat Esau, sed benedixit Iacob. Et cùm se deceptum resciuisset, non irritam fecit benedictionem, quia iam prophetię spiritu repletus, videre mente cæperat quæ oculis perspici nequeunt, futurorum arcana: illúmque Dominum constituit fratrum suorum, cuius propaginem in Christo claudendam cognouit.

Iacob quoque, cùm & ipse corpore ægroto visūque per ætatem caligante, nihil fermè cerneret, vidit tamen quem ex duobus filiis filij sui Ioseph alteri præferret. Vtrique enim benedicturus, cancellatis brachiis dexteram capiti eius imposuit, qui sinistræ astiterat: ei verò qui dexteræ se obtulerat, porrexit læuam. Lippientibus oculis prospexit, quod prospicere non potuit, qui habebat sanos. Nam Ioseph dexteram eius apprehensam super Manassem transferre frustra conatus, ab eodem audiuit: Quia Ephraim Manasse maior erit, licet Manasses natu prior esset. Idem Iacob suis postremò filiis conuocatis, certissimo vaticinio prædixit, quæ singulis olim euentura erant, oculorum hebetudinem, spiritus acumini nihil officere ostendens. Neque enim qui mundis oculis, sed qui mundo corde sunt, Deum videbunt.

Idem cū angelo luctatus, & ab eo in femore tactus, torpescente neruo claudicauit. Sed pedum vitium non sensit, dū mentis aciem in Deum dirigit. Nusquam queritur de femore debilitato, & statim post luctam vidisse se Dominum facie ad faciē gloriatur. Vnde illi nomen Israel, id est, Deum videns inditur. Nequaquam illud malum putauit, quod se à colloquiis diuinis non arcebat, ideo nec lamentari voluit.

Samsoni fortitudinem non minuit cæcitas, multóque plures hostium occidit erutis oculis, quàm antè integris occiderat. Tu quoque quem corporis visus destituit, mentis fortitudinem excita, bono animo esto, iam fecutior irruentes in te vitiorum cuneos excipies clausis obturatísque fenestris, per quas mors ingredi ad animam solet. Maxul. l. 5. c. 4.

Thobiæ viro tum in Deum pietate, tum sollicitudine in pauperes claro, dum resupinatus obdormiuisset, stercus de nidulo hirundinum cadens oculos excæcauit: & nihil eo contristatus dicitur, sed gratias egisse Deo pristinæque religiositatis ardorem accendisse magis quàm restinxisse. Ob quam patientiam anno à cæcitate sua quarto, visum recipere angeli ministerio meruit: & rursum gratias Deo agens: Ipse, inquit, castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam. Qui sic castigatus sic se humiliauerit, & ipse visum recipiet, non quo mundus, sed quo mundi dominus conspicitur, visum vtique mentis & spiritus. Ex Tobiæ 2. & 3.

Iob non tantùm pedibus aut manibus, aut aliquo membrorum æger erat, sed toto prorsus corpore tabidus atque putridus, & à planta pedis vsq; ad verticem fœdissimis vlceribus confectus. Testa saniem radebat, iacebátque in stercorilinio, magis etiā dolendi causas habens, quòd paulo antè omnem substantiam (cùm opulentissimus esset) vnà cum liberis amiserat, nec tamen vnquam cogi potuit vt saltem labiis peccaret. Vxor iacenti assidebat, nō quæ consolaretur afflictum, sed peruicantia sua grauius exasperaret: cúmque tantarum impatiēs ærumnarum iubebat, vt in suam ipse necem maledictis Deum prouocaret. At verò Iob nō ignarus, longè maiorem esse miseriam Deo peccare, quàm ista pati, in ipsam indignatus: Quasi, inquit, vna de stultis mulieribus locuta es, Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Merito igitur post tot aduersa talémque patientiam duplicia dicitur recepisse, cæteris fœliciora futurus, qui dum viuerer miserior existimabatur.

Pavlvs post triduanam cæcitatem, ita se correxit, vt de persecutore Apostolus fierer. Perculserat eum Dominus vt sanaret, & ille sanatus tantū profecit virtute, vt omnia ardua, dura, acerba, contumeliæ, verberationis vitæque pericli plena non inuitus subiret pro Christo, frigus, famē, gladiū iuxtā contemnens, &: Libēter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, & cùm infirmor, tunc potens sum. &: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diē. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis, non cōtemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, tēporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim, quoniā si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationē ex Deo habemus domum nō manufactam, sed æternam in cœlis. His Apostoli documentis patientiam nostram muniamus, & eiusdem exemplo qui quid euenerit, non modò constanter, verumetiam alacriter perferemus.

In Vdasti Atrebatensis episcopi vita legimus, cùm corpus eius de loco vbi olim positum fuerat, transferretur, quendam cæcum, cui Audomaro nomen fuit, experiisse, vt videret sancti ossa, & illico visum recepisse. Deinde cùm rursum orasset, vt si ea res animæ suæ saluti minus conduceret, rediret in firmitas, iteratò oculis captum fuisse. O prudens votum singularémque cæci patientiam, qui ne tunc quidem cernendi copiam postulasset, nisi tam pij desiderij causa incidisset. Idéoque sancti corpore viso, ad cæcitatem suam reuerti maluit, quàm ad ea, quæ ante cæcitatem fortè se commisisse recolebat. Contempsit oculos, vt innocentius viueret, & innocentius victurū, obducti denuò oculi fidē fecere.

Petrvs abbas Clareuallensis graui valetudine vexatus, oculum amisit, & se gaudere dixit, quòd è duobus inimicis alterius molestia iam liber esset. Argumento est, magis etiam gaudendum illis, qui vtroque orbantur. Et cur enim non se consolari habeant qui ambobus careant, cū nō sit eis opus ad Deum clamitare cum propheta: Domine auerte oculos meos ne videant vanitatem? Qui si illos vel auertere per se potuisset, vel omnino non habuisset, neque adulterij, neque homicidij crimine se polluisset. Marul. ibidem, & Sab. lib. 5. cap. 7.

Pygmenivs presbyter Romanus oculis captus gaudere se dicebat, ne quando illi inimicos ecclesiæ Christianæ aspicere contingeret. Vnde cùm Iulianus apostata imperator fortè ipsi occurrisset: Gratias, inquit, ago diis, ô Pygmeni, quod te video. Econtrà ille: Gratias Deo meo ago, respondit, quòd te non video. Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quàm tyrānum contempsit. Dehinc martyrij corona donatus, videre cœpit, quæ oculis non vidit: & audire, quæ auris non audiuit: & intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt. Et nos (proh nefas) cæcitatem horremus, cùm tantam beatitudinem & cæci cernere possint, & qui inoffensos oculos habent, difficilius assequi soleant. Maxul. lib. 5. cap. 4. & Sab. lib. 5. cap. 7.

Maiolvs

Maiolvs Cluniacensis monasterij monachus cæcus erat, & tamen sapientiæ ac sanctitatis meritò factus est abbas Maticensis. Nec sīa ipsi obstitit cæcitas, quin alios cæcos curaret: surdos insuper mutósque & claudos sanauit, proculdubio sanaturus & seipsum, nisi multo plus emolumenti ac fructus percipere se sciret ex eiusmodi imbecillitatis tolerātione atque patientia. Itaque cæcus quidem vixit, sed miraculorum fama videntibus illustrior fuit.

Ad Vbaldvm Eugubinæ vrbis episcopum (quoniam & ipse miraculis pollebat) cæcum quendam venisse legimus, opémque tulisse, & ab eodem illi persuasum, ne visum sibi restitui expeteret, qui eo restituto animæ cæcitatem esset passurus. Itaque incuratum dimisisse. Contenti hoc saltem exemplo, qui videre desierunt, ignari si sani essent, quàm continentes oculos forēt habituri. Noluit cæco mederi Vbaldus, ne corpori subueniens, animæ faceret detrimentum.

Spem abbatem, virum sanctimoniæ fama celebrem, oculis captum fuisse, in Dialogo pontificis maximi Gregorij traditum est. Sed eundem quadragesimo tandem anno visum diuinitùs recuperasse, audisséque sibi dictum, vti proxima monasteria inuisere pergeret, & fratribus perfectius viuendi præcepta daret, ipse propediem decessurus. Itaque eo defunctum officio, postquam ad suos rediit, in fratrum cœtu psallentem expirasse. Tunc ergo videre cœpit, cùm è vita egredi oportuit, vt palàm esset, cæcitatem illam non culpæ fuisse, sed probationis, qua actum est per patientiæ virtutem vitæ meritum. Ab ore morientis columbam exisse, & ad cœlum euolasse visam ferunt. Columbæ igitur puritate interius totus niteret, qui oculis tantùm exterius orbus fuit.

De Didymo Alexandrino testatur Hieronymus, qui eius auditor fuit, quòd à parua ætate oculis captus, & ob id elementorum quoq; ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam & Geometriam (quæ vel maximè visu indiget) perfectè didicerit. Addit etiam plurima opera ab eo nobilia scripta: Commētarios in psalmos omnes, commentarios in Euangelium Matthæi & Ioannis, de dogmatibus contra Arrianos libros duos, de Spiritu sancto librum vnum, in Esaiam decem, in Oseæ octo, in Zachariam quinque & infinita alia. Quòd si tanta nosse cæcus potuit, apparet, ne in discēdo quidem oculis admodum opus esse. Quinimò plerunque videmus magis docile ingenium tenaciorémque memoriam cæcorum hominum esse quàm videntium, & eò plus menti eorum datum, quo oculis minus. Conceptus enim & imaginatio, & ipsa rerum reminiscentia, totam se penitùs ad animam colligit firmitérque inhæret, dum foras varia visus obiecta nequit euagari. Ita fit, vt hac quoque de causa cæcitas nobis tolerabilior esse debeat, si accideret.

Gregorio pontifici, quòd pro Traiano infideli imperatore Deum deprecari ausus esset, pœnę nomine hanc optionem datam perhibent, vt fiue quàm diu viueret, magnis assiduè languoribus agitaretur: siue cum defunctus esset, biduí spacio ignem purgatorij sustineret: & elegisse languores, constantérque pertulisse. At nos grauioribus quidem obnoxij delictis, & nullo virtutis genere cum hoc sancto conferendi, quoties morbo aliquo afficimur, indignamur: vt scilicet post hæc leuia quæ impatienter ferimus, nec illa tanto atrociora deuitemus. Neque enim indignando peccata minui solent, sed cumulari. Qui autem libenter corporis mala tolerat, ad expiationem spiritus proficit.

Egidivs ad Rhodani ostia solitarius, cùm à venatoribus sagitta in incertum missa inter syluas lateretem fauciasset, non modò medicinam corpori admittere noluit, sed etiam Dominum orauit, ne quando læsa caro sanitatem reciperet. Parum erat solitudinis necessitatem ferre, quotidianis vigilandi, precandi, ieiunandi fatigationes pati, vulnus insuper quasi diuinitùs inflictum manere voluit incuratum, vt auditus corpori dolor ab animo procul arceret voluptatis cogitationes.

Stephanvs Marcotidis regionis anachorita, cùm verendas corporis partes exulceratas, tabóque diffluctes haberet, curationem quidem non recusauit, sed dum curatur, maioris patientiæ præbuit exemplum: vectiones à chirurgo passus nullo emisso eiulatu, nullo edito gemitu, ac si omnino doloris vim non sentiret. Adhæc eiusmodi ægritudine affectus, non intermisit manuum laborem, de palmarum foliis funiculos contorquens, non spiritalis exhortationis curam, semper eorum qui ad se venissent, saluti consulens. Ita magnam languoris molestiam maiore virtutum meditatione vincebat, animo etiam fortior quàm corpore debilior. Ibidem ex Soz. lib. 6. cap. 29.

Beniamin eremita aquæ intercutis morbo vehemēter laborabat. At ne hoc illi ob delicta datum crederes, alios infirmos oratione sola curauit. Eis verò qui infirmitatem eius miserabantur, è diuerso rogare solebat, ne corporis sui, sed animæ curam haberent, veniámque à Domino sibi exorarent peccatorum, quæ dum sanus esset, se commisisse aiebat. Itaque quòd peccator foret, plurimùm angebatur: quòd æger, nihil.

Pavlvs solitudinis quondam (quæ Panephisi Ægypti oppido adiacet) cultor, resolutis (vt Cassianus tradit) paralysi membris, in lectulo decubans, cæteris qui ægrotabant, sanitari erat. Oleo enim, cui ipse benedictionem imposuisset, perunctī curabantur. Qua quidem in re ostendere nobis voluit Dominus, quantum ille & fortis esset in patiendo, & pius in miserendo. Idem enim qui pro sua valetudine nihil solicitus videbatur, pro aliena anxius erat, & præsentaneū omnibus remediū cōferebat.

De servlo médico, & in homeliis & in dialogo Gregorij relatum est, quòd toto vitæ tempore paralysi laborarit, ita vt in lectica iacēs mouere se omnino non posset, semper tamen in doloris accessionibus Deo gratias agere, hymnos decantare, & concitatiore quodā quasi stimulis acto spiritu, aliquid de Scripturis, (quod non legendo) sed audiendo didicerat) recitare. Meritò ergo moriens angelorum cantus audiuit, meritò

mortuus odore suauissimo fragrauit.

Marcellini Ancoritani episcopi sanctitatē haud impediuit podagræ morbus, quippe qui manibus gestatus alienis, vrbis incēdium ex aduerso se obiiciens derpentè cessare fecit, tam potēs virtute, cùm pedibus tam debilis esset. Hinc nos, quoties imbecillitate aliqua superati vestigiis insistere minus valuerimus, meminisse debemus, ob hoc nobis terram calcandam denegari, vt cœlum mente conscendamus, nec dubitemus breuis infirmitatis nostræ patientiam æternæ illic incolumitatis beatitudine compensandam.

In vita Thomę Cantuariēsis archiepiscopi memorię prodiū est, quendā acquirēdę valetudinis gratia ad sepulchrum eius accessisse, & voti compotem factum dum rediret, secum quærere cœpisse sanirāne corporis an imbecillitas ad animæ salutem magis profutura esset: & rursum sancti aram repetisse, orasséque, vt quod sibi ad beatitudinem adipiscēdam accommodatius esset, id eueniret, ac statim eodem implicitum fuisse morbo. Virtus ergo (vt Apostolus inquit) non in sanitate, sed in infirmitate perficitur. Ibidem.

Nepotianvs Heliodori monachi & presbyteri ex sorore nepos primùm miles, deinde monachus, febri ardentissima correptus, hilari semper vultu conspectus est, adeò vt & aunnculum suum Heliodorū sæpe consolatus sit, & plorantibus iis qui assistebant, solus ipse riserit, ad mortem vsque. Hieronymus in Epitaphio eius.

Sylvia Rufini Alexandriæ præfecti soror, Deoque dicata virgo, eū male habere, medicis consulentibus balnea adiret noluit, nō medelam contemnens, sed molliciem cauens: quippe quæ per annos 40 neq; vultum neque pedes lauisset, neque aliam corporis partem, præter summos manuum digitos, cum capere vellet cibum, non alium ad cubandum lectulum habuisset, quàm nudam humum. Cogita nunc qualiter infirmitatem tulerit, quæ talia dum sana esset, sua sponte vt Christo placeret, tulit. Maxul. lib. 5 cap. 4.

Pavla Romana, cùm febri laboraret, & stomachi cruditate cibū nō digereret, vt modico vino vteretur, nec medicorum placitis, nec religiosorum suasionibus compelli potuit, noliēs ab instituto vitæ monasticæ ne in ægritudine quidem declinare. Multo enim tempore aquam bibens, magis expauit vini gustum, quàm infirmitatis periculum, neq; tāti fecit sanitatē, vt eius recuperandæ gratia spiritalis continentiæ modum, quem ad illam vsque diē perpetuò seruauerat, intermitteret. Idem.

Galla ipsa Romana Symmachi consularis viri filia, cùm intra puellares annos merito viduata ægrotaret, corpore toto in tabem verso medicis affirmantibus nisi iteraret matrimonium, vel moriturum eo morbo, vel mentum pilosum veluti vir habituram. Neglexit medicorū consilium, & omnia perpeti maluit, quàm ad coniugium redire. Ad quod reperendum, si fama exstitisset, fortasse nemine hortante solus iuuenilis ætatis ardor eam compulisset. Aegra didicit optare meliora. Itaq; vt operata posset ideri, omne carnis detrimentum pro nihilo duxit. Mammillam deinde vlceribus affectam ita toleravit, vt iam morti proxima, apparente sibi beato Petro apostolo, non vt curaretur rogarit, sed an sibi peccata sua condonata essent quæsierit. Quę dimissa esse audiens, multo plus ex hoc cōsolationis cæpit, quàm ex ægrotatione cæperat doloris. Si sic animæ curam gesserimus, omnis aduersa corporis valetudo tolerabilis erit. Idem.

Elisabet de Sconangia, Deo dicata virgo (vt Sigebertus scribit) toto corpore vlceribus contabefacto iacens nunquam ob hoc aliquam animi tristitiam vultu pręulit, multas interim futurorum reuelationes accepit, acceptasq; prodidit: vt facilè dixerim, & ideo sanctam fuisse, quia patiens erat: & ideo patientem, quia sancta. Idem.

Clara virgo, cùm languente corpore semota in lectulo decubaret, mentis oculis cernebat quæ procul in ecclesia agerētur: & deinde reuersis ad se sororibus (magna cū omnii admiratione) referebat. Nihil itaq; illi obfuit fracti corporis ęgritudo, cùm tantum animo valeret. Idem.

Apiaidem virginem toto corpore sanioſam, apud Tudorum Galliæ vrbem fuisse, constat: tantę tamen apud Deum gratię ac meriti, vt per annos multos infirma, nullo alio cibo vixerit, præterquàm sacrosancto eucharistię pane, in spiritu rapta damnatorum pœnas, beatorum gloriā viderit, quęque diuersis per orbem locis agerentur scierit, atq; interdū futura prędixerit. Si tot ac tanta cum lāguore possunt venire bona, quis illi præferte audet sanitatem? quæ si prę ferenda esset, haud dubium quin diuitissimè illa perfrui sanctos suos Deus concederet, nec ita frequens apud eos esset ęgrotationi locus. Ibidem.

VVLNERVM, VERBERVM, TORMENTORVM.

Pulsatus grauiter Martinvs antistes Turonēsis est ab equitibus, quorū equi ipsius asino sedētis aspectu cōsternati subito retrorsu sessores tergo deiecerant. Sterēre itaq; immobiles equi vestigio defixi, quoad sanctissimus senex precibus tenuit, vt his pœnitentiā agētibus, equorum sis vsus restitutus, & equites innoxiè demissi. Sab. li. 9. ca. 1. & Maxul. li. 5. c. 2.

Venit ad Bernardvm abbatem presbyter, nescio quis, monasticam vitam professurus, monitus ab eo, posse quidem & alibi eum proficere, si velit: ceu repudiatus eum pugno percussit. Fuissent qui aderant cōfestim vlti iniuriā, nisi eius qui erat iniuria affectus, intercessisset autoritas vim inhibentis: oportere hunc, dictitans, aliis ignoscere, cui toties à Deo ignoscereturus. Ibidem.

Christophorvs martyr à Samiorum præfecto percussus colapho: Repercuterem te, inquit, nisi Christiana pietas, cuius cultor sum, prohiberet, per quę hauddubiè monstrauit, Christianæ pietatis propriū

esse,non iniuriam vindicare,sed æquanimiter ferre.Ibidem.

EVPHRASIA virgo coram illa,à qua contumeliam indignè acceperat,ad genua procidens,veluti quę offendisset veniam petiit.Abbatissæ quoque in illam animaduertere volenti,vt missam faceret, supplicauit:nihil ei mali referre cupiens, à qua passa iniuriam fuerat,vt patientia remunerationem à Deo sperare posset.Marul.lib.5.cap.2.

MACARIVM Alexandrinum Scythioticæ solitudinis cultorem tradunt,dum culicis ictu percitus palmæ percussione illam corpori allisisset,extinxissétque,mox facti pœnituisse,atque afflixisse se,ita vt sex menses nudus per eremi loca deambulans,vltrò culicum morsibus se exposuerit,tulerítque multarum iniuriam,qui vnius non pertulerat.Vsqueadeò sanctissimi viri omne prorsus vindictę horrebant genus, vt à bestiis nedum ab hominibus offensa perpeti,quàm vlcisci satius putarent:illud semper animo versantes, Mihi vindictam,& ego retribuam,dicit Dominus.Idem.

Impetrauit ab Athanasio vrbis antistite ALEXANDRINA mulier tā diues,quàm nobilis,vt ex viduis,quæ ecclesiæ sumptu alebantur, daretur sibi vna aliqua alenda.Data est illi mulier,miti & suaui ingenio,cuius facilitate auctum est matronæ studium in pauperes.Poposcit sibi alterā dari.Casu an consilio,non facilè dixerim,data est peruicax,& inhumana mulier:ex qua cùm ex pio hospitio probra & sæua verbera reportaret, gratias egit Athanasio,quòd sibi demum dedisset,per quam ad patientiæ cultum exerceretur.Sab.lib.9.cap.1.

AGATHA virgo & martyr,cùm illi post multos cruciatus mammillā à pectore auulsisset tyrannus,quoniam fidem non poterat, & Petrus apostolus eā curaturus in carcere apparuisset, chirurgum aliquem ad se venisse rata,detrectabat medicinam:dicens,nūquam se pharmaca corpori admisisse,sed illius medici opera semper vsam,qui solo verbo omnem infirmitatem curaret:hunc autem esse Dominum Iesum.Tunc Petrus apostolum se eius esse,& ab eo se ad illam missum indicans, euanuit,ipsi sana relicta.Non hoc dicimus,vt infirma virgo medicamētum respuat,sed semper spem omnem in Christo collocet, semper soli gratias agat.Hoc in ęgra patientiæ,in sanata gratitudinis testimonium erit. Marul.lib.5.cap.4.

HELISABETH Pannonum regis filia,postquam amisso viro distractisque fortunis Deo in paupertate seruire cœpisset, fortè per semitam pergens lutulentam,notæ cuidam fœminæ,& in quam non pauca quondam beneficia contulerat,facta est obuiam. Quę contemptim admodū superbéque occurrens ipsam,quam antea coluerat obseruarátque,tunc per iniuriam aduerso impulsam latere euertit in lutum, atque præteriit. Multo ergo deturbata cœno,Christi ancilla nihil indignationis præ se tulit,sed tacita tantùm subrisit,gaudens se ab hominibus despici, vt placeret Deo.Marul.lib.5.cap.2.& Sab.lib.9,cap.1.

AGILIVS monachus Columbani abbatis discipulus,cùm manum arefactam ei qui se in itinere educto gladio ferire voluerat,sanitati restituisset,Theodoricum regem ad quem ibat,abbati suo Columbano iratum,antequam adiisset,fama miraculi præueniente,placauit,ita vt quem ille dudum à monasterio expulerat,protinus reuocaret.Igitur in Agilo benignæ patientiæ virtus,manum alterius malè affectam sanauit, regis iram molliuit,abbatem in gratiam reduxit.Qui si pro inimico orare neglexisset,nihil horum proculdubiò efficere potuisset.Marul. libro 5. capite 2.

PAVLVM in partibus Ægypti abbatem Cassianus tradit magno monachorum & suorum & alienorum cœtu discumbente (qui tunc eò fortè conuenerat)suo cuidam discipulo adolescenti,quòd tardius ferculum apposuisset:colaphum infregisse,ita vt & illi,qui non viderāt ferientem,ictus tamen sonitum audirent.At verò ipsum qui percussus fuerat,tanta patientia vsum,vt non mutiret,non tristitiam fronte proferret non vultum demitteret,non colorem saltem mutaret. Omnes tantam adolescentis constantiam admirati tandem didicerunt,Abbatem quoq; patientię illius conscium,id ex industria,non ex culpę castigatione egisse,vt scilicet ipsa patientiæ virtus cæteris(quibus adhuc incognita erat) exemplo foret.O inuicti animi iuuenem percussus in maxilla ita stetit, vt præbere videretur & alteram,ac tacitus dicere:Posui faciem meam vt petram durissimam,& scio quoniam non confundar.Idem.

LIBERTINVS Fundensis cœnobij monachus,ab abbate irato in faciem scabello grauiter percussus,ne gemitum quidem edidit,sed tacitus in cellam suam se recepit.Postero autem die negocij causa quod sibi iniunctum fuerat,ad ciuitatem iturus,abbatem adiens, eundi potestatem de more petiit.Ille ob acceptam iniuriam discessurum ratus, cur id peteret interrogat:sed cum causam didicisset,animaduertit ipsum tametsi liuidam adhuc & tumentem ex verbere faciem præferret,iniuriæ tamen omnino non recordari:& patientiam eius admiratus,genua submisit,se peccasse confitetur,veniam poscit.Libertinus verò & ipse in terram procidens,immò se peccasse asseuerabat,& sibi magis veniam poscere conuenire.Sic patientis discipuli humilitas magistri fregit duritiam, & cui murmuranti iracundus senex plus fortasse mali intulisset,ei malum illatum modicè ferenti se subiecit.Inde quò volebat dimissus cùm peruenisset,& vnde liuorem in facie haberet,rogaretur,se in scabellum impegisse respondit.Etenim quoniam patienter ictum pertulerat, sapientiæ donum accepit,vt rationem inueniret,qua & abbatis crimen celaretur, & quod verum erat,sciscitantibus referri posset,vt idem tam expers mēdacij foret,quàm erat ab impatientiæ perturbatione alienus.Marul.lib. 5.cap.2.& Sab.lib 9.cap.1.

POSSIDONII episcopi in Chalama vrbe Africæ moderationem contra Donatistas,qui eum pulsauerant,pete ex tit. Doctorum ecclesiasticorum.

EVSEBIVS Samosatenus episcopus orthodoxus, Dolicham Syriæ oppidum profectus,Arianis refertissimum,vt ibi episcopum Macem ordinaret,à muliere Ariana regula supernè iniecta vulneratus, paulo pòst mortuus est,cùm in episcopatu 40.annos exegisset honestissimè. Moriens assistentes sibi religione iurisiurādi adegit,ne mulierem illam vlcisci vellent.Theodoretus lib.2.cap.32.& lib.4.cap.13.

INSIDIARVM.

Innocentissimum DAVID,& semper optimè de se meritum capitali odio persecutus est Saül,ob hoc tantùm,quia sibi militaris virtutis gloria cum præferri audiuit.Sed quanto ille aduersus Dauid extitit infensior,tanto ipse erga eum se gessit submissius. Persecutorem suum non semel in suam potestatem nactus,semper illæsum dimisit, fugiendo inuidiam declinare malens,quàm vlciscendo. Denique ipsum qui viuus vitæ suæ insidiabatur,ab hostibus cæsum fleuit.Hanc tantam in eo patientiam,tantam animi mansuetudinem magis ego miror,quàm belligerandi præstantiam.Cum multo magnificentius sit,seipsum quàm hostes vincere.Seipsum autem vincit,qui perturbatæ mentis libidinem rationi cedere cogit,& iniuria lacessitus non excandescit.Marul.lib.5.ca.2.

IDEM quoque moderatus erga Absalonem filium fuit.Nam non contentus Absalon Ammonem fratrem per proditionem occidisse, à patre rebellasse,eum regno deiecisse,vt magis iura paternæ pietatis à se neglecta ostenderet,palàm paternis concubinis abusus est.Dauid pater, cū in eum exercitum educeret,plus paternæ charitatis,quàm acceptarum à filio iniuriarum memor,enixè ab omnib.militibus petebat, ne in Absalonem filium sæuirent.Mox cùm is cæsus in prælio esset,eum diu amarè luxit.Fulg.lib.5. cap 9.

BENEDICTVS abbas Florentium presbyterum vitæ suæ insidiantem,patientissimè tulisse perhibetur. Panem veneno infectum sibi ab illo muneri missum(licet dolos cognouisset)benignè accepit,ne recusando scelus hominis(quod cæteros latebat)proderet. Cæterùm abeuntibus,qui panem attulerant,coruo aliti præcepit,vt illum rostro sublatum eò transportaret,vbi contingi à nemine posset:& protinus volucris illa iussis eius obediuit,cuius sanctitati homo inuidebat:vt appareat,inuidos homines bestiis minus rationales esse.Decipi autem Dei seruus non potuit,Spiritu sancto insidias reuelante:eas tamen ipse nosse tunc dissimulauit,ne maliciam inimici palàm faciendo, suam vlcus iniuriam argui posset.Timens illud,Qui vindicari vult,à Domino inueniet vindictam. Porrò Florentius,quem occulta fraude vincere nequiuit, aperto bello aggredi decreuit.Meretriculas ergo de prostibulo conuocatas, in hortum monasterij adduxit,quæ impudenter inter se lasciuiēdo monachos ad libidinem pronocarent.Abbas autem cùm iam non vitæ suæ vnius, sed animabus cunctorum,qui secum erant,periculum verti vidisset, loco cedit,& vnà cum suis longius inde demigrauit.At hic scelestus infœlicissimæ pugnæ victor,quòd eos fugere compulisset, exultans domum rediit.Sed cùm lætabundus tripudiaret, repentino pauimenti collapsu elisus,expirauit.Benedictus verò exitialis inimici tristem exitum vehementer dolens,discipulum suum Maurum,quòd eo nuncio lætari videbatur,puniuit:vt doceret,ne persecutorum quidem malo quēquam gaudere debere,cùm etiam inimicos diligere,& pro eis orare,Domini preceptum sit.Sed eodem exemplo timeant tandem & improbi iustos infectari,qui quamuis ab vltione sui se contineant, suum tamen vltorem Deum habent.Marul.lib.5.cap.2.

GREGORIVM pontificem ne summa quidem dignitas ad iniuriæ impatientiam compulit.Mauricio enim Augusto,filiísque eius se persequentibus dicitur scripsisse, Quoniam ego peccator sum,vos tanto magis(vt opinor)Deum vobis conciliatis, quanto magis me illi ignauiter seruientem affligitis.Post hæc Imperator,cùm solus esset in conclaui, vidit monachum ad se intrantem,strictóque ense ferociter minantem, nisi à pontificis persecutione protinus cessaret.Eo visu territus, incunctanter & veniam ab eo cui vehementer infensus fuerat,petiit, & odiū in amicitiam commutauit.Itaque ipsum cui multorum bellantium exercitus resistere nequiuisset,vnius hominis toleratio fregit.Victus est patientia,quem arma vincere non valuissent.Idem.

HILARION cùm adolescens adhuc in solitudine esset, latrones in se grassātes intrepidus excepit.Rogatus ab his,Quid esset,quòd vim nō formidaret?Quia nudus,inquit,sum,Cur non vulnera,aiunt,& mortem? Non talia,inquit,ab eo timentur,qui paratus est mori.Quam illi in adolescente constantiam non solùm ita mirati sunt,sed etiam venerati, vt petita venia innoxij retrò abierint.Sab.lib.8.cap 5.

MORTIS NATVRALIS.

Exempla quædam ex tit.Mortis meditatio,peti possunt.

ROBERTI Siciliæ regis animi magnitudinem in ipso mortis agone describit Petrarcha sub tit.de Sapienter dictis & factis.

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

MORTIS VIOLENTÆ, VERÆ RELIGIONIS *causa mortem perferre.*

Martyres vocant eos,qui morte fidem suam testati sunt.Eorū exempla copiosè in historia sua Ecclesiastica Magdeburgenses explicauerunt.Nos hîc ea,quæ iam à Marulo lib.5.cap.5.& 6.collecta fuerunt, persequamur:primùm quidem virorum exempla, deinde mulierum, in quibus propter sexus fragilitatem maiori admiratione hæc ipsa constantia digna est.

ISAAC Abrahamo patri loco victimæ sese obtulit,Dei voluntati,quā pater sequebatur,quantum in se erat,satisfacere cupiens. Sed angeli interuentu dilata est victima,cùm piaculum esset,aliam Deo offerre hostiā humanam quàm ipsummet Messiam benedictum,Gen.22.

Primi veteris legis martyres PROPHETÆ fuerunt.Micheas in maxillam percutitur,& in carcerem truditur. Vrias interficitur. Hieremias carcerem & verbera patitur:in lacum cœni per ludibrium iactatus voluitatur,postremò lapidib,obruitur. Esaias in duas partes viuus secatur.Dū enim missi à Domino veritatem prædicarent, sæuissimorum principum vim atque minas pro nihilo habuerunt.Marul.lib.5.cap.5.

SIDRACH, MISACH & ABDENAGO pueri,ætatem animi magnitudine supergressi, cùm regis Nabuchodonosor statuā adorare nollent,in fornacem ardentem proiiciuntur, & inter furentes flammarum globos laudes Deo decantant. DANIEL leonibus deuorandus datur. Sed nec illos adussit ignis,neque hunc leones attigerunt:vt omnib. manifestum fieret, verę religionis virtutem potentissimo tyranno fortiorē esse,& fideles,nisi Deo permittente,nulla vi occidi posse. Ex cap.3. Dan.

Antiocho Epiphane Hierosolymam vastante, idolum desolationis super altare Dei positum, multi ex Iudęis nolentes adorare, trucidati sunt. Pueri qui cum circuncisione deprehendebantur, suspendio interempti;& qui cibis immundis astinuerāt,neci traditi Quidam qui se prius armis defenderant,die sabbati ad vnum ferè cęsi sunt. Etenim ne diuinæ legis mandato derogarent,ea die pugnare nefas esse duxerunt.Duę mulieres quæ filios circumciderant, cum ipsis infantibus ad vbera alligatis missæ sunt in pręceps.Plerique quia sabbatum obseruarent flammis exusti.Adeò hi omnes mori minus timuerunt,quàm pręuaricari.

ELEAZARVS scriba & ipse sacrarum legum seruator assiduus,interimi quidem potuit:vt autem porcinam gustaret,cogi non potuit, præferens vitæ suæ diuini ritus fidem. Et cùm amici aliam carnem, qua vesci licebat,supponerent,volentes eum subtrahere neci: non eis acquieuit, nolens hac simulatione se seruare, & alios perdere, præuaricationis exemplo,qui putassent ipsum cibo lege vetito vsum fuisse. Forti itaque animo cædentium ictus pertulit,vt ad eosdem constanter tolerandos fidelem populum animaret: haud ignarus multo gloriosius esse, Deo obediendo mori,quàm obsequendo infideli tyranno viuere, Ex 1. Machab.6.

Apud priscos Iudæos in omni ætate sexúque ceu à natura insita genti illi patiētia fuit,quemadmodum multis exemplis ostendi potest, ac pręsertim cùm Antiochus Epiphanes Iudęos ad idolorum cultum trahere conaretur.Nam cùm MACHABÆAM cum septem filiis comprehendisset,neque promissis aut minis in sententiam suam deducere eam posset:filiorum maximo sartagines ingentes feruenti oleo plenas ostendit, cōminatus se in illas eum proiecturum, nisi quod ab eo petebat effecisset.Cùm autem constantiorem quàm antea conspiceret, obscissa lingua detruncatísque digitis,capiti cutem ademit,ita vt carne os detectū maneret.Quibus tormentis cùm minimè flecteretur, tandem feruenti oleo semiuiuum torruit.Cùm autem arbitraretur matrem fratrésque tormētorum acerbitate territos in sententiam suam venturos esse, vt denuò colere idola vellent,rogauit,Multo ad negandum promptiores eos inuenit,qui non modò de idolis imperata facere recusabant,verùm Antiocho ipsi numinum eius stultitiæ plenam legem improperabant, illam ipsúmque cum eius tormentis despicientes.Itaque cùm eos vno tātùm superstite occidisset,postremus cum matre non minus fortis est inuictus: neque fratrum territus tormentis,neque iis victus quę postea in corpore suo pertulit, haud aliter quàm duo Zenones, item Anaxarchus & Theodorus philosophi,cum matre patientia insignis. Tanto autem eorum patientia his maior, quanto magis mirum videri debet in tenera ętate pueros matrémque duplici pietatis erga suos ac propriorum malorum tormento non victos esse,imo ne lachrymulam quidem aut suspirium in his malis emisisse:quorum conspectus aut etiam sola cogitatio hostem quoque,si modò homo fuisset, commouere debuerat.Fulgos.li. 3.cap.3.& Marul.lib.5.cap.5.ex 1.Machab.7.

RASIS Iudæus,à Nicanore circumuentus,cùm effugere non posset, vt doceret se non timere necem,sed magis religionis ab infidelibus ridendę ludibrium,sibiipsi mortem ferro consciuit,& de arduo loco præceps se mittens,erumpentia viscera manibus propriis direpta in turbam proiecit,Deum suum inuocans,vt inimicos vlcisceretur futuræ resurrectionis spe certissima stabilitus. Sensit itaque Nicanor se ab vno vinci, qui vno eo victo,cęteros facilè in suam erroris sententiam se tracturum crediderat.2.Machab.14.

IOANNES pręcursor Domini,& plus quàm propheta, quo non surrexit maior inter natos mulierum, Herodis Antipę iussu in gratiā adulterę carceri mancipatur,obtruncatúrque medius inter legem & Euangelium. Huius initium illius finem sanguine suo consecrat. Marul.lib.5 cap.5.

Post illum primitię mortuorū Dominus noster IESVS CHRISTVS ludibria,maledicta,conuicia, multa horrendáque supplicia, & ignominiosissimam crucis mortem sustinuit,vt pro quibus ipse volens ac libens talia patiebatur,eosdem ad patiēdas martyrij pœnas suo excitaret exemplo.Iam tum dux inclytissimus milites suos non armis muniens, sed toleratione confirmans,cùm diceret:Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam verò non possunt occidere.sed eum potius timete, qui potest & corpus & animam perdere in gehenna.Et:Qui perdiderit animam suam,inueniet eam.Et:In patientia vestra,possidebitis animas vestras.Si ergo commoriemur(sicut Apostolus inquit)& conuiuemus: si sustinebimvs,& conregnabimus.

Domini Apostoli flagellis primùm acriter cęsi non dolent,sed gaudēt: non tristantur,sed exultant,quoniam digni habitisunt pro nomine Iesu contumeliam pati.Ex quinto Actorum.

IACOBVS maior Herodis Agrippæ gladio decollatur, & eiusdem iussu Petrus in carcerem cathenis vinctus coniicitur.Sed horum alter à vinculis diuinitùs liberatur,alter pro temporali vita æternam accipit. Infœlicissimus verò Herodes à vermibus cōsumptus expirat, & ad inferna rapitur,ab immortali verme semper rodendus, ignéque illo inextinguibili sine fine cruciandus.Marul.lib.quinto, cap.quinto. & Fulg. lib.4.cap.1.

In PETRI apostoli martyrio Romę sub Nerone à multis angelos visos tradunt,coronas illi rosarum liliorúmque porrigentes,atque etiam iuxta stantem Christum,apertúmque librum manu tenentem,in quo ea scripta conspiciebantur,quæ Petrus ad populum fando expromebat: & dum plebs eum subtrahere neci vellet,ne oblatam sibi gloriam impedirent,petiit.Sed quota hęc beatitudinis eius pars?quę tantum ad fidelium consolationem vel infidelium conuersionem se ostendit,cum ille etiam inuisibilibus intra se iam frueretur bonis, quæ plenius liberiúsque amplecti affectans crucifigi optauit, & tam immane supplicium gratanter subiit:neque mors ei grauis,sed dilatio mortis erat.

Vas Dei electum PAVLVS Lystris lapidibus expellitur. Philippus cum Syla discipulo virgis cęsus,& compedib. vinctus carceri includitur.

Inde dimissus,plurimis peragratis locis profectus Hierosolymam, ibi alligari & mori paratus pro nomine IESV comprehenditur,ligatur,flagellatur,torquetur,in ore percutitur.Postremò Romæ capite trūcatur, tunc demum cessans euangelizare Iesum, cùm in corpore viuere cessasset.

ANDREAS apostolus,cùm Patris in Achaia in crucem Egeæ procōsulis iussu actus esset,deliberantib.turbis,vt ipsum per vim irruentes eriperent,non acquieuit,dissolui cupiens,& esse cum Christo. Cùm igitur iam biduum de cruce ad illos verba fecisset,vitæ æternæ promissis omnes erigens,si religionem à se prædicatam constanter tenuissent.Postremò animam Deo commendans,luce de cœlo lapsa circumfusus expirauit. In quāto ergo lumine viuunt sancti,si etiam moriendo luce sepiuntur?

PHILIPPVM apostolum Hieropoli Phrygiæ vrbe crucifixum,ac lapidib.interemptum constat.BARTHOLOMEVM apud Armeniam. in oppido Albano viuum excoriatum decollatúmque.IOANNEM apostolum Romæ in feruenti oleo decoctum,nec tamen læsum, Christo protegente,qui sic eum voluit manere,donec ipse veniret.THOMAM Didymum apud Indos carceri traditum,nudis vestigiis per cādentes laminas ductum, & in ardentem fornacem trusum, postremò lanceis perfossum.MATTHÆVM apostolum in Perside, post tergum transfixum. IACOBVM minorem Hierosolymis lapidatum, & pro inimicis deprecantem,fullonis fuste interemptum.Fratres verò eius SIMONEM Zelotem,& IVDAM Thaddæū in Persiæ vrbe Senair,quia ipsis ingrediētibus in templum simulachra deorum corruerant,ab æditius trucidatos. MATTHIAM,qui apostolatum,à quo Iudas deciderat,sortitus est,Hierosolymis à Iudæis lapidatū,& Romano ritu securi percussum BARNABAM,gentium apostolum,Salamine à Iudęis comprehensum,atque igni consumptum.Profectò nisi summa & præclara esset martyrij gloria,nūquam Christus apostolos suos(quos prçter omnes dilexerat)tanta ac talia paci permisisset.Sed beati,inquit,qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,quoniam ipsorum est regnum cœlorum.Beati estis, cum vos oderint homines,& cū separauerint vos,& exprobrauerint,& eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis,Gaudete in illa die,& exultate,ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

STEPHANVS Spiritu sancto & fortitudine plenus, faciens signa & prodigia,lapidibus obruitur.Sed quid mali illi lapidū ictus inferre poterant,cui cœli iam aperti erant? Vitam impij eripiebant,sed Iesus à dextris virtutis Dei manens animam suscepturus expectabat.Ille itaque iam de sua salute securus,pro suis occisoribus orabat:Domine,inquit,ne statuas illis hoc peccatum,auxitque martyrij gloriam pietatis erga inimicos merito,& in Domino obdormiuit, quia vigilauerat pro Domino, nomen eius confitens,& mortem contemnens.Act.7.

In MARCVM euangelistam Alexandriæ idolorum cultores furentes,collo fune circumiecto,per salebrosam humum huc illuc tractum extinxêre.

LVCAM in Bythinia diem suum obiisse tradunt,voluntate,non sorte martyrem,cùm & ipse gentibus ea de Christo prædicare ausus sit, quæ scripta reliquit.Sicque martyrij corona nec illum caruisse.

MARTINVS martyr tenellus adhuc,sed fortissimus Christi miles,in quo(sicuti in plurimis) Deus ostendit,facilè se suos fideles ab omni iniuria tutari posse,si id illis expediret,Romæ Martiani præfecti iussū bubalis loris flagellatus est,in equuleo extentus,ferreis vngulis laceratus: deinde ad machinam,vt mēbratim distraheretur, applicitus: at illa mox fracta diuinitùs liberatur,& à plagis quas acceperat,apparuit sanus.Sed rursum quia à puero vinci pudor erat,scissæ apertæque ad mediū vsque truncum arbori inseritur,vt partibus ad se redeūtibus collisus deficeret. Arbor autem veluti adactis cuneis funditùs diuisa in diuersum laxatur. Inde ergo ad ferream cratem torrendus transfertur, plumbo liquato perfunditur,sed repentè proximi fluminis inundatione ignis extinguitur.Iterum ille in sartagine coquitur,sed rore cœlesti protectus calorem non sentit.In cacabum pice bullientem iactatur,at ibi etiam effusa pice mãsit illæsus.Feris immanibus obiectus nihil iniuriæ patitur. In fornacem missus,die postero cùm iam in cineres redactus putaretur,exiit incolumis.Capitis tandem truncatione tormentorum finem,& beatitudinis accepit initium.Martianus verò ne tam obstinatam in puerum rabiem impunè ferret,putrescentibus membris,& toto corpore vermibus scaturiente,infœlici morte infœliciorem vitam ad æternos ignes deputatus inchoauit.Nobis operæprecium erit,hinc colligere, quam suauis est Dominus,cuius amore tam horrenda subire supplicia ne pueri quidē timuerunt.

CONON cum paruulo filio apud Isauriam sub Aureliano imperatore passi sunt.Hi iubente Domitiano præfecto primùm in craticula extēti,oleóque peruncti,deinde ad sartaginem translati torrentur.Postremò cùm magis torqueretur tyrannus,quòd tam diris mortiferísque suppliciis neque cederent,neque consumi possent,constructa copiosiore pyra superiniecti expirant.Cur autem sicut alia,ita & hoc pœnæ genus viui non euaserint,ostendit vox de cœlo lapsa quæ illos, quoniam strenuè contra dolorem decertassent,ad percipiendas iam martyrij coronas euocauit.Mori non poterant,donec multiplici cruciatu præberetur tolerationis virtus,probatam autem remunerari restabat.O sapientem pariter ac pium patrem,qui ipsum quem genuerat,secum pro Christo cruciari sustinuit,vt secum cœlo inferret.

VITVS puer septem tantum annos natus, ab impio patre ne Christū sequeretur,nullis minis verberibúsque coerceri potuit.Et quia patri malesuadenti non cessit,miraculis nobilitatus est.Diocletiani filium ab immundo spiritu vexatum sanitati restituit.Sed non ideo fracta est, perfidi imperatoris duricia,magis indignari cœpit,tantum inesse virtutis homini Christiano,& ipsum ad deos adorandos compellere perrexit. Tantum autem profecit,vt à puero imperator victus sit. Potuit illum mittere in carcerem,in olla pice,resina,& plumbo bulliente excoquere, feris bestiis laniandum præbere,& in equuleo extentum crudeliter verberare, occidere non potuit,Exclamante enim inter ipsa verbera Vito,Domine libera me,cœlum intonuit,terra tremuit,deorum simulachra corruerūt territus Diocletianus fugit.Vitum angelus inde sublatum longius transportauit.Vbi ille cùm orasset Dominum suum,vt iam de terris euocatus in ipso requiesceret,tradidit spiritum. Glorietur nunc proteruæ potestatis vanus imperator Diocletianus,maximæ orbis parti se imperitasse, validissimas quondam gentes suæ subegisse ditioni, si vni puero Christum colenti imperare nequiuit:si ipse pœnas inferendo plus timuit, quàm ille patiendo:si viuum denique dimittere coactus est,ad quem perimendum tam dira exquisiuit supplicia.

FLOCELLVS decem annorum puer,Antonino Augusto ecclesiam persequente apud Augustodunum passus est.Hic Valeriani præsidis iussu,cùm ad immolandum diis cogi non posset,in equuleo suspensus flagellatur,in cauea cum leone occluditur,in ignem mittitur, clauis configitur:sed iis omnibus superstes,feris tandem belluis obiectus,conculcatu'pressúque earum præfocatur,in nulla corporis parte cruentatus. Vnde quæso tam tenello tantum animi robur, tanta tolerationis vis? nisi quia Christi charitas in quocunque fuerit omnibus fortior est suppliciis.

MAMMES puer septennis Cæsareæ, & Agapetus quindecim natus annos Præneste,audacter se Christianos esse prædicarunt, neque vlla pœnarum magnitudine ab ea confessione dimoueri potuēre. Vita eos prophana tyrannorum crudelitas priuauit,sed non etiam fide. Si quem tali necessitate constrictum patiendi timor agitauerit, horum memor exemplorum se pueris imbelliciorem esse erubescat,& saltem his exæquari nolle nefas putet.

DIONYSIVS martyr Romæ passus, iubente Diocletiano fustibus prælumbatus,deinde equuleo suspensus,& virgis cæsus, admotis etiam lampadibus miserabiliter vlulatus,pro eiulatu clamorem edebat, quo se Christianum esse asseueraret.Et si millies,inquit,occidi possem, Dominum meum IESVM confiteri non cessarem. Itaque imperator non modò vt idola adoraret efficere nequiuit, sed etiam vt Christum taceret,donec caput id iam optanti amputari iussit.Sic ille ipsi Domino,quē tam audacter támque perseueranter in terra positus inuocauerat, fœliciter iungi meruit in cœlo.

Eadem Diocletiana persecutione EVSTRATIVS apud Auraricenos à Lysia præside equuleo à terra suspensus,fumo subiecti ignis ac vapore torquetur,repositus cæditur,& toto corpore plagis confecto, quo magis doleret,sale, aceto diluto confricatur.Deinde pedibus perforatis,ne effugere posset,è Satalia ciuitate,vbi hæc primùm passus est,ad Auraricam vrbem ductus,& hinc quoque cum multis Christianorum Sebasten missus,ab Agricolao præfecto igne consumptus,martyrij palmam recepit, cæteri obtruncati,præter vnum Orestem nomine:qui super lectum ferreum distentus,substratis prunis tamdiu excruciatus est, donec animã exhalaret.Magna quidem hæc pœnarum acerbitas, sed maius patientiæ præmium.

Sub Diocletiano & GREGORIVS martyr Spoleti passus,dum Flacci & Hyrcani præsidū minas rideret,colaphis cæditur,fustibus verberatur, super ferream cratem torretur. At verò vt fidei ab eo prædicatæ virtus patesceret,pars vrbis terræmotu concussa trecētos & quinquaginta idololatras suis oppressit ruinis.Præsides territi, & fugam fecēre. Cessante autem timore,sed perseuerante perfidia,martyrem idolis thura, adolere nolentem, virgis ferreis cædi iubent,& facibus ad latera admotis vstulari,ac demum capite truncari.Sic extinctum corpus,ne à Christianis honore sepulturæ afficeretur,in theatro feris laniãdum datur,sed à nulla læditur.Flaccus verò qui pertinacius in Gregorium sæuierat, eadem hora intestina per os euomitans,miserabiliter expirauit,multo acerbiora apud inferos,& quidem sine fine passurus.

SEBASTIANVS Romæ Diocletiano & Maximiano imperatorib.ad stipitem nudus ligatus,sagittis confoditur. Irene mulier Christiana, vt corpus mandaret sepulturæ,noctu venit,& ipsum adhuc viuere comperit.Solutum domi fouit,atque ille intra paucos dies curatus, rursum in publicum procedens principum in Christianos immanitatem arguere cœpit.Ipsi mirabantur quomodo viuere potuisset, & cùm eo miraculo ad credulitatem moueri debuissent,ad indignationem moti sunt, atque eundem tamdiu fustibus cædi iusserunt,donec exanimaretur.Tanto igitur martyrij amore flagrauit Sebastianus,vt nec sagittas passus conquiescere poterit,quousque ad optatum vitæ finem peruenit.

VINCENTIVS martyr in Hispania Cæsareæ passus est,verè Vincētius,quia omnia vicit tormenta,dum se Christianum confitetur. Quum in equuleo sublatus à Daciano præside per ludibrium rogaretur, vbi nã esset?In sublimi, inquit, vnde te potestate terrena tumentem altior despicio.Grauiora minitanti:Non minari mihi videris,respondit,sed quod votis omnibus concupieram offerre.Igitur quum vngulas, faces, prunas toto corpore dilacerato constanter exciperet,ait.Frustrà fatigaris, Daciane.Non potes tam horrenda excogitare tormenta, quàm ipse paratus sum sustinere.Carcer,vngulæ,candentes laminæ,mórsque ipsa,ludus iocúsque Christianis sunt,non tormentum.Post hæc aliis atque aliis cōfectus pœnis,cum victoriæ palma migrauit ad cœlum.

MARIVM & MARTHAM vxorem eius,liberósque eorū Audifax & Abacuch,natione Persas, Claudio Augusto Christianos persequente, Romæ martyrium passos legimus. Quum enim deos Gentilium dæmo-

nia esse prædicarent,& Martha eos hortaretur,vti cōfidenter pro Christo tormenta exciperent,fustigationem,equuleum,flagella,faces, vngulas pertulerunt.Præcisis deinde manibus & ad collum alligatis,per vrbē ducti sunt,acclamante præcone puniendos esse deorum contemptores. Postremò capite cæsi,martyrium consummauerunt.Martha post illos in Nympha aqua suffocata, & ipsa æquè constantis in tolerando animi exemplum posteris reliquit.Quam,dum suorum supplicia spectaret, nō dolor sollicitauit,sed timor,ne fortè ipsi cruciatuum acerbitate superati, prius à fide quàm à vita decederent.Itaque tanto alacrius ad necem iuit, quanto de illorum victoriis facta est securior.

Pontianus martyr sub Antonio Augusto Spoleti passus, nolens Gentilium sacrificare diis,virgis cæditur, per prunas nudis pedibus ambulare compellitur,in equuleo tunditur,vngulis ferreis ad ossa vsque proscinditur,leonibus in theatro exponitur.Sed eidem (in quem homines grassabantur)bestiæ pepercêre.Post hæc in carcerem fame consumēdus truditur. Sed angelo hominem nutriente quem inedia iam extinctum putabant,die decima saluum educunt. Tunc iudex plumbo liquefacto nudum perfundi iussit.Sed quū neque hoc supplicij genere perimi potuisset,capitis tandem abscissione interficitur.Poterat nec sic mori, sed iam omnes pœnas passo beatitudinis prēmia differre Dominus noluit,& breuem viri patientiam æternà fœlicitate remunerauit.

IGNATIVS Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum episcopus,Traiani persecutione dãnatus ad bestias, quum Romam vinctus mitteretur,& iam Smyrnam peruenisset,ad Romanos qui fidem receperant,scribens:ait De Syria vsque Romam pugno ad bestias in mari & in terra,nocte diéque ligatus cum decem leopardis,hoc est militibus, qui me custodiunt:quibus quum benefecerim, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum,mea doctrina est.Sed non idcircò iustificatus sum, vtinam fruar bestiis,quæ mihi sunt paratæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut aliorum martyrum non audeant corpus attingere.Quòd si venire noluerint,ego vim faciam,ego me ingeram vt deuorer.Ignoscite mihi filioli,quid mihi prosit,ego scio.Nunc incipio Christi esse discipulus,nihil de iis quæ videntur,desiderans,vt IESVM Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium,membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. Quúmque iam ductus esset ad bestias,& rugientes audiret leones,ait: Frumētum Christi sum,dentibus bestiarum molar,vt panis mundus inueniar. Præfocatū itaque à leonibus,& nusquam cruētatum ferunt.Profectò non fuisset in illo tam feruens pro Christo patiendi affectus, si quicquam dulcius esse potuisset,quàm frui Christo.

APRONIANVS Romæ quum ad Sisinium martyrem de carcere vt torqueretur eductum,vocem cœlitùs missam audisset: Venite benedicti patris mei,percipite regnum vobis à constitutione mundi paratum. Nihil cunctatus,ad pedes martyris prouoluitur,baptismo lustrari petit:deinde patiendi cupiditate, Laodicū pretorē,de impietate in Christianos redarguere cœpit:se quoque Christianum confessus, capitis tandem abscissionem lætus sustinuit,eodem die martyr factus, quo & Christianus. At nos à natiuitate ipsa fidem tenentes Christi, si fortè inter infideles versari contigerit,Christianitatem dissimulabimus, ne vitæ periculum subeamus,quasi nescij vitam nostram esse in Christo,& hanc,cui tantopere timemus,velimus nolimus,mox desituram:Sed meminerimus, nos quoque voce illa inuitari,qua inuitatus Apronianus,& ante eum Sisinius mortem contempsere,& vitam æternam adepti sunt.Marul. libro quinto,capite quinto.

„ POLYCHRONIVS episcopus & PARMENAS presbyter Babylone passi, magni ambo spiritus inuictique animi viri.Cùm enim à Decio comprehensi,multa singulatim interrogarentur,& Polychronius nihil omnino responderet,quærenti imperatori,an mutus esset?Parmenas ait:Nō esse mutum episcopum,sed ideo tacere, ne impiorum colloquiis inquinaretur.Quare in irã ille concitatus,statim Parmenę linguam pręcidi iussit,Polychronio os lapidib.contundi:deinde vtrunque decollari. Itaque alter ne loqui quidem cogi potuit, alter sic locutus est, vt illum qui in se necis potestatem habebat, contemneret.Hac animi præstantia ostenderunt,verum Christi militem omni terrena virtute esse fortiorem & occidi posse,terreri non posse.

MARCVS & MARCELLIANVS Romæ passi,gaudenter ad supplicium ibant,& quoniam germani erant,stipitibus infixi, Psalmum illū alternatim decantarunt:Ecce quàm bonum,& quàm iucundum, habitare fratres in vnum.Cúmque non modò ferrent, sed etiam irriderēt tormenta,erubuit Diocletianus contemptui se haberi ab iis quos torqueret, & ambos lanceis confodi iussit,atque interimi. Et præclarè quidem cum illis actum est, quia tanto maturius ad coronam martyrij peruenerunt, quanto pœnas minus expauescere visi sunt. Marul.lib.5 cap.5.& Sab.lib.5.cap.8.

Per idem tempus TRANQVILLINVS martyr, cùm audisset Zoen vxorem Nicostrati pro Christo neci datam:exclamãs, indignum facinus esse,vt fœminæ viros ad subeundum martyrium præcederent,in medium prorupit,& palàm se Christianum confessus,lapidibus obruitur.O laudabilem inuidiam,quam doluit Tranquillinus,non quia fœminæ fortes essent,sed quòd ignaui viri,proindéque seipsum tam egregiæ fortitudinis præbuit exemplum.

Christophorus magnus corpore,sed maior fide,Christū in humero tulerat,&eundē in corde fixū gerēs,nūquã dimisit.In oppido Ammonitarū Lycia,cùm militū cohors,vt ipsum cōprehenderet, missa,manū illi iniicere timeret,vltro se illis vinciendum præbuit, & eosdem à quibus vinctus ducebatur,à vinculis erroris exoluens,monstrata veritate Christianos fecit,ita vt Christum confitētes capitalem sententiam libenter subirent.Ipse verò virgis ferreis cæditur,galea sub prunis feruefacta operitur,& igne supposito in ferreo scamno torrendus constringitur. Postremò ad stipitem ligatus, sagittis impetitur. Et cùm ne sic quidem confici potuisset,capite mulctatur. Quòd autem rege illo à quo peremptus est,superior fuerit,etiam inde apparet,quòd rex oculum sibi sagitta fortè confossum cruore eius liniens in integrum restituit. Itaque ad sanandum,eius opem quē interfecerat,requisiuit,& impetrata credidit, mortui religionem spōte sequens,quem viuentem vt suam sequeretur, nulla vi,nullo prorsus supplicio cogere potuit.

In Pantaleonem martyrem Nicomediæ passum, dum Maximiani furor desæuiret,tormentorum genera defecerunt: ipsi patiendi ardor deesse non poterat.Pertulit itaque equitum vngulas,faculas, sartaginem, plumbum,in mare mersionem,in terra feras. Postremò, cum ad rotam clauorum mucronibus aculeatam lancinandus ligaretur,solutę protinus machinæ fragmenta,impietatis ministros percussere peremeréque.Ipse quoque Cæsar magis iam timens,quàm timēdus,ne quid martyrem torquendo grauius ipse pateretur,statim illum obtruncari iussit. Sed ne sic quidem eum interficere potuisset,nisi remunerandæ virtutis tempus id requireret. Tunc mori miles Christi permissus est, quum per patientiæ merita iam ad immortalitatem transferri iussit.

STEPHANVS primus pontifex maximus,ac martyr insignis,ad Martis templum perductus,vt aut sacrificaret, aut pœnam capitalem subiret, tanti periculum istud fecit,vt bellatoris Dei,imò diaboli templum funditùs euerteret,ac solo æquaret.Eo enim Iesum inuocante, idoli ædes corruit,& cultores suos,qui ad impietatem Stephanum vrgebant, conterritos in fugam vertit.Valerianus quoque Cæsar hac expauefactus virtute,ad eum occidendum nudum atque inermem,cohortem misit armatam.Ille verò dum solennia sacra ageret, nō immissa precatione imperterritus,vitæ finem expectauit.

MAXIMVS martyr sub Decio imperatore ab Opimio proconsule in Asia passus,cùm fustibus cæsus,& in equuleo extensus, vngulis quoque laniaretur,tormenta hæc non dolori sibi esse dicebat, sed iucunditati. Inde extra vrbem tractus, lapidibúsque obrutus iucunditate illa quam inter cruciatus capiebat,iam omni molestia liber frui plenius cœpit,fruiturus sine fine.

Quiriacum Hierosolymitanum episcopum(qui antè Iudas dictus,beatæ Helenæ lignum Dominicæ crucis, diu sub terra cælatum indicauit) quia Christum prædicare non cessabat, Iulianus apostata comprehendi iussit,& manum illi dexteram abscindi plumbum liquens in os infundi, super lectum ferreum torreri, ferreísque virgis cædi. Matrem quoque eius Annam per capillos altè suspendi,facibus aduri.Ea consumpta,rursum Quiriacum in foueam serpentibus refertam mitti mandat. Sed eo dimisso,serpentes omnes mortui apparuerunt.Ammonius verò veneficus,qui illos excantauerat,viso miraculo conuertitur, & Christum confitens obtruncatur. Quiriacus in cacabum oleo bullientem demersus, quam mori nequiret,gladio transuerberatur.O inuictæ fidei virum,qui vt Christum negaret,compelli nulla vi potuit.

BONIFACIVS Tarsi passus,ad locum suppliciorum audacter accedens martyres ad patiendum palàm hortari cœpit. Et Sulpitij præsidis iussu in equuleo erectus, vngulis ita laceratus est, vt ossa apparerent. Clauiculos deinde harundineos in digitis inter vngues & carnem desixos pertulit,atque in os plumbum infusum, tum deinde in bullientem picem in caput præcipitatur.Sed quum neque hoc cruciatu cōsumi posset,capitis amputatione peregit martyrium:& dum feriretur, terra tremuit,plurimíque conuersi idola reliquêre,tam immania tormenta nihil formidantes,dum Christum sequuntur.

VENANTIVS martyr sub Decio Cæsare, in oppido Camerino,Prędis iussu fustibus verberatur, leonibus exponitur, per pedes pendens, vertice ad terram verso,subditi ignis fumido vapore torquetur. Inde depositus,dispansis manibus, pedibúsque diuaricatis, prono distentóque funiceis vinculis corpore à solo subleuatur, & eiusdem ignis flamma ventrem & ilia lambente cruciatur.Postremò gladio perimitur,&tamen tot talibúsque afflictus tormentis,nunquam se Christianum negauit:neque idola dęmonia esse timuit confiteri,omni cruciatu fortior,omnibus tortoribus audacior. Cæsarem ipsum contemnens, dum amplexatur Christum.

EVSTATIVM cum vxore & liberis Hadrianus princeps, ob confessionem Christi in boue æneo.introclusos, cremari fecit: & cum triduo machina illa arsisset,ipsíque iam in cinerem redacti putarentur, exanimati quidem inuenti sunt,sed nunquam adusti.ita vt neque capilli, neque pili nitorem vllum amiserint.Deo volente etiam in igne corpora eorum seruari integra,quorum & in credendo fides,& in patiendo cōstantia extitit incorrupta.

MARCELLINVM Diocletianus pugnis circa guttur cædi fecit, nudum super nitri fragmenta volutari,in carcere clausum,fame sitíque torqueri.Et quum eum nullo cruciatus genere ad sacrificandum diis compellere posset, decollari iussit,victum se testatus, viuum vtique dimissurus,si vicisset.

Diocletianus Augustus,acerbus Christianorū persecutor, cùm sciret PETRVM vnum é cubiculariis ministris suis Christianæ religioni initiatum esse,dum ab ea deducere ipsum studet,plumbeis flagellis cædi,& deinde præacutis clauis dilaniari iussit.Cùm autem inter hæc tormenta læto perstaret vultu,aceto saléque totum perfundi,ac deductum, vt erat nudus,in ferrea crate distendi iussit,vbi lentis ignibus aduri cœptus est, vt tormenti diuturnitas sæuius dolorem acueret.Cæterùm ne ita quidē victus,quo vultu fuit,cum inchoarentur tormenta, hoc sibiipsi constãs,

& vitæ & tormentis finem fecit. Fulgos. lib. 3. cap. 3.

Duorum Antiochenorum iuuenum miranda patientia longè Romanum Saxeulam præergressa est. Nam cùm eorum nomen imperante Diocletiano, quòd Christiani essent, delatum esset, & propterea Diocletianus custoditi eos iussisset: blanda oratione diu tentatum est, vt ad colenda idola descenderent. Cæterùm cùm incassum laboraretur, & paratis tormentis ante aras vt sacrificarent, Diocletianus eos statui iussisset, concordibus animis respondérunt, patientiæ suæ periculum se facere paratos: ne quis consideret tormentorum magnitudine posse eos à Christiana fide deduci. Quod cùm dixissent, ambo manus sacrificij ignib. inie cerunt, nullóque doloris ostento sensu tandiu in eis manus tenuerunt, quoad vrendo deficeret à carne nuda ossa reliquerunt. O non mira iam solùm, sed prorsus diuinitùs data in ferendis duris constantia: quam digna es vt non in cœlo solùm præmia feras, sed etiam in hoc seculo scriptorè nanciscaris, cuius facundia tantæ virtutis magnitudo, vt gesta est, repræsentari possit: Fulg. lib. 3. cap. 3. & Egnat. lib. 3. cap. 3.

Quadraginta milites Sebastę passi sunt, sub Licinio imperatore Lysia & Agricolao præfectis. Hos quidem quum Christum publicè prædicarent, in stagnum gelu concretum colloteuus mersos, manere vsque ad diem alterum compulerunt. Thermæ propè appositæ erant, vt ad eas confugere liceret, si quis eorum pro Christo pati frigus recusaret. Vnus ex illis algoris impatiens: vt ad thermas peruenit, vita defunctus est. Reliqui in glacie perdurantes, Deo laudes decantabant. Circa vigiliam noctis tertiam, descendit lux super eos, & triginta nouę coronæ in luce apparuerunt. Quod cernès custodum Præfectus, illis qui secum erant à somno excitatis, Christianum se professus est: & vestitu reiecto nudus in stanum prosiliit, atque vnà cum iis qui ibi erant, psallere cœpit, coronam perceperturus, quam is qui inde effugerat, quum vita simul amisit. Manè post hæc eductis, & in fidei propolito persistentibus, crura confregerunt, illique animas Deo tradentes, tam gloriosa martyrij victoria feliciter potiti sunt.

Qui Romæ in carcere cum Alexandro maximo pontifice vincti tenebantur, post eius martyrium adeò & ipsi mori pro Christo concupierunt, vt Quirino tribuno, qui iam conuersus, eorum religionem sequebatur, claustra reserante, fugamque suadente, exire noluerint. Inde eductos Aurelianus princeps, alligatis ad colla ingentibus saxis, in mari submergi iussit. Quid furis, imò quid infanis Aurelliane? vincula adhibes fugere nolentibus, extrema minitaris mori cupientibus. Non est quod iustorũ nece glorieris, eos occidisti qui occidi optarunt, vt Christo fruerentur. Nihil illis felicius contingere potuit, quàm te inimico vti. Irascere igitur, & quantum vis debacchari ac ęstuare perge, dum magis nocere ignoscendo queas quàm puniendo.

Tiburtius & Valerianus, quum ab Almachio vrbano prętore in vincula coniecti, rogarentur, quur principum sententiis damnatos honore sepulturæ afficere præsumerent? Quia, inquiunt, quos principes ipsi pro Christo damnandos iudicant, eorum nos fieri serui cupimus. Itaque & ii ficuti volebant, obtruncationem passi, martyrij coronã perceperunt, tyrannorum sæuitiam in suum conuertentes triumphum.

Eleutherius Hadriani iussu, lectum ferreum, craticulam, fartaginem, fornacem expertus, noxam non sensit: cuorum ferocium caudis alligatur distrahendus, & solutis vinculis incolumis euasit. Leonibus in theatro exponitur, sed quum neque leones illi quicquam mali inferrẽt, capite cæsus, dem suum obiit. Hoc quidem postremum, permittente Domino, ne sanctus martyrij gloria careret: illa verò priora cohibente, vt credere nolentium inexcusabilior esset pernicacia.

Victorem martyrem Maximianus apud Massiliam, iniecto pedibus funę, raptatim trahi mandauit, atque ita vexatũ, tantúmque non exanimem in carcerem trudi. Vbi ille diuino splendore refocillatus ac refectus, carceris custodes ad Christum conuertit, cósque in fide stabiles Imperator capite cædi præcepit. Porrò Victorem in equuleo tolli, fustibúsque & neruis duriter cædi, ac rursum in vincula conici. At ipse qui simulachrum Iouis ante se constitutum adorare iuberetur, id abominatus, pede statuam euertit, iacuitque resupinatus Iupiter, suis etiam ridẽdus cultoribus. Cæterùm Maximianus fortiorem se Deo suo ostendens, vlcisci voluit eius iniuriam, qui seipsum defendere, ne saleem caderet, nequiuit. Victorem igitur, quum pedem illi prius abscidisset, molendini rota subiectum conteri, & adhuc spirãtem gladio feriri iussit. Et hic quidem martyr efficitur, sed euerti Iouis ignominia non aboletur. Ac ne Imperatori quidem tantum virium fuit, vt torquendo hominem fidem extorqueret: & quem vincere non potuit, interemit.

Hadrianus martyr Nicomediæ passus, quum esset militum præfectus cernens nostrorum in suppliciis constantiam, credere cœpit: & se Christianum profitens, inter damnatorum nomina suum ascribi petiit. Itaque Maximiani iussu in carcerem ducitur, & reis per tormenta consumendis computatur. Id vbi resciuit Natalia vxor eius (quia Christiana erat) læta ad carcerem cucurrit, virum ad patientiã hortatur: mox enim fore vt pro temporali pœna æternis fruatur bonis. His & aliis huiusmodi verbis animatum relinquens, abiit. Hadrianus verò cupiens illam suæ fortitudinis fieri spectatricẽ, quum dies martyrij instaret, vadibus datis dimissus, ipsam accersitum perrexit. At illa aduentantem prospiciens, rata ideo liberum factum, quòd præuaricatus esset religionis fidem, clausit ostium, & se nolle eum domi recipere exclamat, qui à Christo defeciuisset. Vt autem rem sicuti erat didicit, admissum dulciter amplexata, vnà cum illo ad carcerem rediit. Deinde quum ipse fustib. durè admodũ verberatus, fractisque cruribus in terra semiuiuus volutaretur, illa leniter plagas refouendo, animum virì in pœnis deficientem adhortationibus erigebat. Vbi tandem ipse manus insuper amputata expirasset, illa Deo gratias egit, & manum eius in sinu suo conditam latenter tulit, fieretãque in deliciis habuit. Corpus mandatum est sepulturæ. Mira vtriusque virtus, sed in sexu fragili mirabilior. Vir vltrò certè se neci exposuit, vt cum Christo viueret, mulier coniugium viduitate mutare peroptauit, vt maritum martyrem videret: cum illo simul cupiens torqueri, cum illo mori.

Dorotheus & Gorgonius etiam ipsi Nicomediæ passi sunt. Quos qui inter Romanos milites virtute ac nobilitate præcellebãt, Diocletianus primùm largitione & blanditiis auertere nixus est. Vbi id parũ processit, quæstione torquere cœpit, equuleum flagra, vngulas in eos experitur, additque vulnerib. dolorem, ea sale & aceto perfricando. Deinde in crate distentos, ad prunas applicat. Postremò suspensos laqueis necat. Adeò nullum tormenti inuenit genus, quo illos ne magis Christo quàm sibi militarent, mouere posset. Melioris itaque militiæ stipendia certiora perceperunt, non argentum, neque aurum, sed ipsum cœlorum regnum.

Nicetæ martyris pœnas difficile est enumerare, nec miracula minus. Nicomediæ illas à Maximino rege passus est auunculo suo magno, sed primùm ab infideli patre. Nam quum deos argenteos domi subductos confregisset, egenísque erogasset, ligatur à patre, & bubalis nexus nudus acerrimè flagellatur. Mox ab angelo spiritali cõsolatione recreatus, & in cœlum suspicere iussus, vidit manum coronam incredibilis decoris inde sibi porrigentem, ob quod magis patiendi cupiditate ardere cœpit. Et quam ei super plumeum stratum vinculis colligato, mollitérq; composito meretriculam adduxissent, linguam dentibus præfectam in illam expuit, & stupore attonitam discedere coegit. Inde super carrucam clauis præacutis aſperatam nudus collocatur, vt dum raptatus fuerit, ipsa qualfatione crebrius vehementiúsque lauiaretur. Sed ipso orante, omnes ferreæ cuspides illę palearum instar mollescũt. Quumque sicldi non posset, atrociora excogitantur tormenta: hamo ori indito suspenditur, ferro candenti per vtranque aurem transforatur, per latera quoque pilo perfoditur. Mira res, tot ęgritudinis plagis affectus, mori non poterat. Hinc etiam per pedes à terra suspensus, fumo cruciatur, mox in pyram cremandus proiicitur, & tamen inde quoque euadit inoffensus: manibus pedibúsque truncatur, & super candenti lamna mutilatis cruribus insistere cogitur: in foueam multæ altitudinis iactatur, sed & inde membris omnibus ab angelo redintegratus, viuus incolumisque educitur. Post hęc venenum sibi propinatum sine noxa hausit, ac mortuos quosdam precationibus ad vitam reuocauit. Quo quidem miraculo plurimi ad Christum conuersi, mota seditione, in regem impetum faciunt, & frustrà fugere conantem occidunt. Niceta verò quum illos baptizasset, ecclesiásque aliquot construxisset, à Domini tranquillo vitæ exitu migrauit. Verè Niceta, qui tot tormenta vicerit, & de cuius nece tyrannus non licuerit gloriari. Illo enim viuente, ipse peremptus, impietatis suæ pœnas dedit, longè acerbiores apud inferos, & quidem sine fine daturus.

Romanus, quum esset Gętilitiæ perfidię gnarus tor, & beatum Laurentium tormenta pro Christi amore patientem spectaret, dixit se videre iuuenem forma insignem, candidissimo linteolo cruorem illius detergentem. Laurentium ergo ad carcerem reductum secutus, ab eodẽ se baptizari fecit: & quum iam apertè se Christianum esse proclamaret, Decio iubente, virgis cæsus capite truncatur. Quid est, quæso, quòd tam horrenda aliorum supplicia non deterruerint illum, sed animarint, vt martyr esse optaret, qui paulò antè fuerat gentilis? Adeóne spectaculo illo delectatus est? imò exinde firmissimam æterni præmij spem animo concepit, si eadem sibi credenti pati contigisset, & ad quietem properans pœnas contempsit.

Laurentius, quum diuersorum tormentorum instrumenta sibi ante oculos proposita videret, semper se optatę dicit ad eiusmodi epulas inuitatum iri, & ad ipsas hauriendas accedere. Quúmque Decius cæteros Christianos ab eo sibi prodi poposcisset: Quid, inquit, eos requiris, quorum conspectu es indignus? Nam nomina illorum scripta sunt in cœlo. Iratus ille, contemptorem suum fustibus prælumbari iussit, laminis cædentibus vri, scorpionibus lacerari, in ore lapidibus contundi: sic denique excruciatum, super ferrea crate distendi, pruníque torreri, At ille supplicia irridẽs, intentis in Decium oculis: Iam satis assatum est, inquit: tolle, & mãduca. Mox Deo gratias agens, quòd se martyrij gloria dignatus esset, animam reddidit, tanto maius recepturus præmiũ, quanto passus duriora.

Hippolytus (cuius custodiæ Laurentius traditus fuerat) & ipse Christi credens atque confitens, Valeriani præfecti iussu ad colla indomitorũ equorum ligatus, quum distraheretur, fidem quam receperat, integram seruauit: membra diuidi potuerunt, Christi amor scindi non potuit. Pœna quoque hæc nõ casu inflicta, sed Dei nutu videtur electa, vt nomini eius, cui irrogabatur, pulchrè conueniret.

Cyprianus Carthaginensis episcopus, cuius multa religiosè & eleganter scripta extant, Carthagine passus est sub Valeriano & Galieno principibus. Hic ob Christianam assertionem primò in exilium actus, deinde reuocatus, quum edictum quo capite cædendus decernebatur, audisset, Deo gratias egit, nihil præ se tristiciæ ferens. Deinde suis præcepit, vt spiculatori à quo percuti deberet, quinq; & viginti aureos mercedi darent, quasi beneficium ab eo, non interitum acceperus. Itaque oculos ipse sudario tegens, extẽsam ceruicem gladio subiecit, & coronã accepit martyrij: tam animi constantia in patiẽdo clarus, quàm eruditione in docendo.

Arcadius martyr (vt Zeno Veronensis episcopus de illo prodit) membris pedibúsque articulatim atque membratim discerptis, truncus in suo sanguine

sanguine volutandus relinquitur. Sed tanto integriorem spiritum Deo reddidit, quanto patientius corporis mutilationem tolerauit.

Iacobus martyr in Persidę passus, quem à supplicij genere alij denodatum, alij intercisum cognominarunt, nos visitatiore vocabulo dearticulatum potius dicendum censemus. Huic enim se Christianum professo, manuum pedúmque digiti nodatim præcidũtur, tum palmæ, tum brachia, tum lacerti ad humeros vsque, sic & pedes & tibiæ & crura. Ita tamen ille trunco corpore Deo laudes gratę́que agere non cessauit, donec regis iussu dissecta ceruice consummauit martyrium, tam fide integer, quàm mẽbris lacer. Sic statur pro religione, sic dimicatur pro Christo. Hoc militiæ genere ad cœlestem gloriam angelorúmque triumphũ peruenitur.

Dominicus Prædicatorum pater, iter intrepidus in hęreticos, qui sibi insidiabantur, incurrit. Ab iis percunctatus, quid facturus esset, si cõprehensum trucidare vellent? Precarer vos, inquit, ne vno ictu mortem mihi inferretis: sed prius particulatim mutilantes, membrorum meorũ frusta ante me numeranda exoneraretis, deinde vt hos oculos effoderetis: & postquam me aliquandiu in meo volutassem sanguine, tum demùm reliquum corpus cæsum dilaniantes, crudeliter extingueretis pro nomine Domini mei Iesv Christi. Obstupefacti illi tanta viri audacia, intactum dimisẽre. Aliis etiam hæreticis necem minitantibus, nondum se martyrij gloria dignum dixit, sed vt dignus euaderet valde cupere. Igitur neque insidiis inimicorum, neque minis deterritus est, ne vel pergeret, quò necesse erat: vel loqueretur, quod opus erat ad salutem multorum.

Quum in Hispania Gothi diu imperium sub diuersis regibus Arriana labe infecti tenuissent, tandem Recaredi regis autoritate, & Isidori Hispalensis præsidis adhortatione, eam Christianæ fidei puritatem sunt complexi, quam nec Hermegildus Recaredi patruus, vt desereret, ne patris sui Theonogildi precibus, nec minis adduci potuit, vt quum filij ceruicib. ferrum immanis pater adigeret: Bene, inquit, mecum omnino agis pater, siquidem vt regnum hoc abs te iugulatus amittam, æternũ illud cum superis pro caduco hoc consequar. Tantos interdum animos futuræ gloriæ spes affert, vt regnum, vitámque, duo mortalibus præcipua bona, quis contemnere audeat. Egnat. lib. 1. cap. 1.

Exempla mvliervm.

Quæcunque author carent, ex lib. 5. cap. 6. Maruli desumpta sunt.

Barbaram, Dioscoridis Nicomediensis filiam, Christo deditam virginem, infidelis pater hostiliter persecutus est. Flagris cæsam, & per capillos tractam, Alexandriæ præsidi Martiano puniendam obtulit. Præses autem sacrificare nolentem, neruis bubalis duriter verberari iussit, & in carcerem trudi. Ob quam illa patientiam meruit à Christo visitari, & passionis dolorem, præsentia Dominicæ sauitatis mitigauit. Dehinc educta, dum ad supplicium traheretur gaudebat. Itaque lampades, malleos, flagella constanter perstulit. Cúmque amictu ipsa exuissent, magis pudore nuditatis quàm dolore affecta pœnæ ad Deũ orauit, & stola candidissima diuinitùs inducta apparuit. Postremò cum obtruncari iuberetur pater filiæ carnifex fuit. Sed mox tanti sceleris valde quàm iustas exoluit pœnas, fulminis ictu interemptus. Ipsa verò corporis vinculis expedita, cum virginitatis martyriique corona ad cœlestis tandem sponsi thalamos læta migrauit.

Par in tolerandis tormentis Agathæ virginis Catinensis fortitudo fuit. Quintiano Siciliæ proconsuli extrema minitanti, nisi diis thura poneret, respondit se Deo vero sacrificaturam, non dæmoniis. Et cum fidiculis equuleóque vexaretur, delectari se pœnis, non tristari dixit. Quoniam sicuti triticum non reconditur in horreum, nisi tritura ventilatióneque permundatum: ita & se non posse ad patientiæ præmium peruenire, nisi suppliciis antè probetur. Hinc iubente Quintiano mammillam illi à pectore distorquent, mox & abscindũt. Ac ipsa ad Quintianũ conuersa, exclamat: Impie, crudelis, dire tyranne, non te pudet in me amputare quod in matre suxisti, sed nihil proficis. Habeo enim quas auellere non potes, interiores fidei spęique mãnillas, quarum alimento reparatur in me sustinẽdi virtus. Post hæc in carcere poste, Petrus apostolus, apparens plagam curat, & locus antè tenebris horrens, pedoréque tristis repentè illustratur, suauitérque fragrat. Attonici eo miraculo custodes, relaxatis ianuis virginem vt abiret, hortantur. Cęterùm ipsa ne stans in limine victoriæ pedem referendo præmium amitteret, nusquam discessit. Postero igitur die Quintiani iussu, super prunas testis permixtas, aliquamdiu volutata torretur, simul ac laceratur, Fluętéque vbertim cruore ignis extinguí cœperat, cùm tam immane facinus terra nõ ferens intremuit, pars muri quassata, Quintiani asseclas oppressit ruina. Virgo rursum carceri reddita, cũ finem orasset vitæ, obdormiuit in Domino. Neq; illa in funere angelicis laudib. caruit, quæ in tormentis fidẽ seruauit. Ab angelis quippe apposita, fertur sepulturæ eius marmorea tabella, in qua scriptum erat: Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Et si tam gloriosa iacuit in tumulo, quàm fœlix regnat in cœlo. Vt autem & hinc pateſcat, quanto sint miseriores qui torquent, quàm qui torquentur, Quintianus cum equo cui insederat, in fluuium præcipitatus, vorticibusque obrutus, nusquam comparuit. Marul. li. 5. ca. 6. & Fulg. lib. 3. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap. 8.

Agnes Romana virgo tertiodecimo ætatis suæ anno, primum cõtra pudicitiæ oppugnatores inuicta perstitit, & ad lupanar vi adducta, Deo protegente corrumpi nequiuit. Deinde ab Aspasio tribuno, quod Christum confiteretur, ei se desponsatam dicens, in ignem comburenda impingitur. Sed diuisa flamma carnifices adussit, ipsam non attigit. Aspasij tamen ira flammis feruentior, ferro illam iugulari iussit, cui ignis pepercerat. Miremur viros contempsisse supplicia, si in tam tenella ætate fœmineum pectus tantum exhibuit constantiæ, vt torqueri, vt occidi maller, quàm vel sanctæ virginitatis propositum deserere, vel Christianæ credulitatis fidem.

Cæciliæ Romanę Christo dedicata virginitas martyrij retulit triũphum. Hæc Valeriano desponsata, dum nuptiarum celebris ageretur dies pro Festo ninis Euangelium intra se tacita decantauit. Et cùm iam cubilis secreta cũm sponso adesset, illi fidem Christi, deinde etiam Tiburtio fratri eius persuasit, atque ambos ad coronam egit martyrij, angelorum visu, rosarúmque cœlestiũ odore antè animatos. Ipsa quoque, quoniam deos gẽtilium simulachra vana esse diceret, Almachij Vrbani prętoris iussu in ignem cremanda deiicitur: & cum illæsa permaneret, decollari iubetur. Ter percussa occidi non potuit, & dimissa, triduum superuixit, vt neque tunc moreretur, cum carnifici liberet, neque vltra quàm sibi expediret, viueret: ne & ille nece eius gloriari posset, & ipsa tardius quàm vellet, cùm seruatæ castitatis, tum consummati martyrij reciperet mercedem.

Catharina virgo sanctitate magis, quàm regia stirpe clara, atq; inter Alexandriæ puellas pulcherrima, plus tamen virtutib. quàm forma pollens. Cũ Maxentius Cæsar Christianos ad idolorum culturam cogeret, prorupit in medium, Cæsarem increpauit, martyres pręmij spe confirmauit, mundi sapientes disputando vicit, ita vt conuersi pro Christi no mine quod impugnauerant, iam defendendo mori non formidarẽt, pro quo & ipsa scorpionib. cæsa, in carcerẽ fame sitíque afflicta, ab angelis visitatur atque alitur. Faustinã Maxentij coniugem, Porphyriúmq; militum magistrum cũ ducentis millib. virorũ in fidem recipit Christi. Quãobrem rotis applicatur, ita arte compositis, vt in orbem actæ multiplici mucrone discidissent alligatam, nisi extemplò vi diuina veluti fulminis cum fragore ruentis ictu, ipsa tormenti moles fracta dissiliisset. Itaq; virginem intactam reliquit, mutam tamen infidelium turbã violento fragmẽtorũ excussu prostrauit. Cęteri qui euaserãt, ferè omnes Christo credi dêre, martyrióque cũ Faustina & Porphyrio coronati sunt. Cũ ergo Catharina tantã multitudinẽ ante se ad cœlũ præmisisset, & iam eos cuperet sequi, obtruncatur. Vulnus lacte manasse constat, vt virginalem puritatem testaretur. Corpus ab angelis inde vsque ad montem Syna delatum, vt ibi à Deo data lex fuit, ibi illius monumentum esset: quæ sic pro lege stetit Christi, vt & philosophorum sapientiam confutaret, & tyranni sæuitiam nec reprehendere timeret, nec ferre recusaret. Marul. libro quinto, capite sexto, & Fulgosius libro tertio capite tertio.

Lvciam virginem Syracusanam Paschasius proconsul ad prostibulũ adduci iusserat. Sillà neque virorum, neque boum vi, qui fumib. vinctam trahere nitebantur, loco moueri potuit. Lignorum ergo struem tyrannus circumponi, & virginem incendio consumi decernit. At illa inter flammas constituta caloremi non sentiens, Deo gratias agebat. Fugit Paschasius, & tandiu se vertat nescit, dum ipsum à fœmina vinci pudet. Cúmque animo conflictaretur, quidam ex lictoribus districto ense Luciæ iugulum transfodit, nec tamen illa mori potuit, donec Eucharistiæ sacramentum de manu sacerdotis accepit, illòque comitata ad cœlum abiit, cuius fidẽ in terra cum torqueretur non deseruit.

Tecla virgo Pauli apostoli prædicatione instructa, Christo se dedicat, & inuenem cui pacta fuerat, repudiat, à matre Christianitatis quasi sacrilegij accusatur, à proconsule Alexandro igne cremanda condemnatur: sed ignis repentino imbre extinguitur, illa intacta liberatur. Rursum comprehensa bestiis exponitur, sed inter leones & vrsos tuta securáq; permanet. In fossam serpentum deturbatur, & serpentes emoriuntur. Tauris ferocissimis distrahenda alligatur, & rupto vinculis periculũ euadit, omniúmque mentib. in stuporem versis libera dimittitur. Inde ab Iconio, vbi talia passa est, Seleuciam deueniens, multis doctrina sua Christo adscitis, vitam hanc cum æterna commutauit, parata quidem pro veritatis assertione omnia perpeti supplicia, nisi ab iis illam Dominus protexisset, multorum consulens saluti, dum vni parcit. Ipsam tamen sic præmiis afficiens martyrij, ac si pœnis martyrij esset cõsumpta. O fœlicem virginem, quæ non sensit tormentorum cruciatus, & recipere meruit præmium. Marul. lib. 5. cap. 9. & Sab. lib. 5. cap. 8.

Dorothea virgo Cæsareæ Cappadociæ oppido pro Christi nomine à Fabricio præfecto diu torta, cum tandem ad capitale supplicium duceretur, gaudebat quòd se ad sponsum ire diceret, cuius paradisum omnium florum, omniúmque fructuum ferat, multo amœnius quàm dici possit, vernat, suauius fragrat, copiosius exuberat. Tunc Theophilus scriba ridiculi causa illam rogauit, vt cum eò peruenisset, inde sibi rosas aliquot mitteret curaret. Cui ipsa: Ne quid, inquit, impossibile esse credentib. credas, quod petis efficiam. Postquã ergo decollata est, Theophilo in curia versanti, puer cum recẽtium cistula rosarum apparuit, & quidem brumæ tempore, quando nihil in aruis florere solet, eáque ipsi à Dorothea de sponsi sui paradiso missas dixit: & cum obtulisset, ex oculis euanuit. Videns ergo ille serio factum, quod ioco poposcerat, quia fieri posse non credebat, & altius rem secum considerans, Christianum se fecit, martyriúmque sustinuit: p ost rosas, fructum quoque veræ perfectæque beatitudinis percepturus. Si Theophilũ rosæ mouerunt, moueãt & nos quotidiana sanctorum miracula, ne pro Christo quicquam ferre perpetíque timeamus.

APOLLONIA Alexandriæ virgini dentes euellere, eámque igne cremare Decij Cæſaris immanitas potuit, fidem corrumpere non potuit.

Inter Aphricanas puellas forma, nobilitate atque animo præſtans IVLIANA virgo, vt Chriſto nuberet, Eleuſij Nicomediæ præfecti nuptias cõtempſit:& vnius Dei ſe famulam confitens, ab idolis autem abhorrẽs, flagella, virgas, plumbum paſſa eſt: Diabolum viſibili ſpecie ſibi inſidiãtem ligat, verberibus afficit,& in latrinam præcipitem mittit. Sed etiam inter tormenta apparuit patientis virtus, rotis conterenda ſubiicitur, & frangitur: in bullientem plumbum mittitur,& tepeſcit. Capitis demùm obtruncatione implet martyrium, & eccleſiæ capiti Chriſto iungitur, tanto morte facta fœlicior, quanto fuerat in tolerando conſtantior.

MARGARITA virgo ab Olybrio Antiochiæ præfecto adamata, deinde quod Chriſtiana eſſet, amore in odium verſo, in equuleo fuit ſuſpẽſa, virgis cæſa, vngulis lacerata, carceri tradita. Vbi à dracone deglutita, rupto illius ventre euaſit illæſa. Et dæmonem qui humana figura ad ſe decipiendam venerat, proſtratum pedibus conculcauit, ita vt ille emiſſo eiulatu,& ſe victum cõfeſſus euaneſceret. Victrix igitur diaboli, nec humanis viribus vinci potuit. Cum enim iterum in equuleo torqueretur, facibus vreretur, in aquã mergeretur, terra tremuit, vincula ſoluta ſunt, vulnera curata, virginale caput ſolari radio coronatum apparuit, multa hominum milia ad Chriſtum conuerſa ſunt. Ipſa poſtremò virgo capite cæſa, relicto corpore cœlum petiit, vt ſemper cum Chriſto viueret, quę pro Chriſto mori non dubitauit.

EVPHEMIA virgo, dum martyres Chalcedone ad toleranda fortiter tormenta palàm hortaretur, dum cum ipſis torqueri cupiens clamat: Iniquum eſſe, vt ſibi, quæ Romana eſſet,& quidem ſenatoris filia, aduenę & ignoti homines præferantur, ſe prius ad Chriſtum mitti oportere. Hac vociferatione prouocato Priſco præfecto, in carcerem cum cæteris qui damnati erant detruditur,& Deo gratias agit, quòd ſe martyrum numero dignam feciſſet. Deinde cum alij vincti ipſa ſoluta, in forum producerentur, quæſta eſt derogari principum edicto, quòd non ſe quoque ſicuti reliquos vinculis conſtringerent. Præfectus ergo ſe ludibrio à puella haberi ratus, iracundè hoc tulit, omniáque in illam tormẽta, quę furenti occurrere poterant, exercuit: alapas, equuleum, ignem, inediam, trapeta, beſtias, gladium, quo tandem illa confoſſa, tradidit ſpiritum. Igitur non ſola virginitate Chriſto placere deſiderans, vltrò ſe expoſuit ſuppliciis, vt placeret & martyrio.

THEODOSIA virgo Cæſareæ Palæſtinæ oppido paſſa, quia Chriſtum apertè confitebatur, Vrbani pręſidis iuſſu per capillos nuda ſuſpenditur: nubes autem ab alto delapſa nuditatem eius texit, ferreis nexibus conſtricta in teterrimo carcere compegitur. At verò viuente ad ancillã ſuam Chriſto, illuxit carcer, vincula confracta ſunt, ipſa virgo iucunditate perfuſa. Deinde ſaxo ad collũ ligato, in mare præcipitatur, ſed ab eo ſoluta ad littus enatauit. Tum etiam leopardis exponitur, ſed beſtiæ quam illico dilaniaturæ putabantur, non attigerunt. Denique præſes omnibus beſtiis efferacior, quandoquidem illam aliter conſumere nequiuit, obtruncari iuſſit: nullis tamen tormentis, vt idolis adoleret, efficere potuit.

CHRISTIANAM virginem in oppido Italiæ Tyro (quod ad Vulſinum lacum ſitum eſt, paſſam) mirari facilius eſt quàm laudare. Patris ſui Vrbani Tyri præfecti idola argentea confringens, egenis diſpertiuit, blandimenta illius, quibus ipſam à Chriſto auertere moliebatur, deſpexit: minas irriſit, non flagellis, non vngulis dilaniata mutauit. Quinimò laceræ carnis fruſtum in patrem proiiciens, ait: Satiare carnibus miſer quas genuiſti: filiam comedere potes, at certè vt impietati tuæ conſentiat, facere non potes. Hinc rotis alligatur,& ſubdito igne vritur, in lacúmque deiicitur. Mox defuncto patre, à Dione eius ſucceſſore in oleo, reſina & pice coquitur:& cum ab hac quoq; pernicie liberaſſet eã Dominus, ad Apollinem adorandum ducta, ſtatuam precatione ſubuertit: & ipſe vates Apollo, quod futurũ de ſe non præuiderat, redactus eſt in puluerẽ. Tum Dione quoq; morte repẽtina ſubtracto ſubrogatur Iulianus. Qui Chriſtianam in fornacem ardentem mitti iuſſit, ſed miſſa noxam non ſenſit. Serpentibus mordendam obiecit, ſed ſerpentes illa dimiſſa veneficũ inuaſerunt: interemptum uerò ipſa ſuſcitauit,& ſerpentes in deſertum fugere compulit. Serpẽtibus tamen ſęuior Iulianus, mammillas illi amputari iubet, linguam pręcidi, ipſam ſagittis confici. Tali demùm martyrio conſumptam cœlum ſuſcepit. Sancti honorarunt, angeli laudibus extulerunt, Chriſtus amplexatus eſt, Deus pater regni cœleſtis hęreditate donauit. Siquidem vna puella à tribus crudeliſſimis ciuitatis pręſulibus cõtinenter excruciata, vinci nequiuit: hoc eſt, vt peccaret, compelli nulla vi vnquam potuit.

Antonino Auguſto eccleſiam perſequẽte, dum in Sicilia Sebaſtiani proconſulis iuſſu victor martyr torqueretur, STEPHANA militis cuiuſdã vxor viſis miraculis ad crudelitatem conuerſa, Chriſtum Ieſum Dei filiũ confiteri cœpit. Cúmque nullo pacto ab ea confeſſione reuocari poſſet, duobus duarum arborum aliquantum inter ſe diſtantium ramis aduerſo inflexu vi ad terram curuatis, alligata atque dimiſſa, rapido eorum in diuerſum reductu repentè diſcerpitur:& diſperſo per humum cruore, diffluentibus inteſtinis, corporis partes in ſuo vtraque ramo ſuſpenſæ palpitarũt: nec tamen diſcerpi mulieris fides potuit, quam illa integram conſeruauit,& pro qua ſeruata immarceſſibilem martyrij coronam accepit: tanto maiori honore à Chriſto ſuo affecta, quanto pro eius nomine à tyranno crudelius interempta.

IVLITA cum paruulo filio Quirico, apud Tarſum Ciliciæ oppidum paſſi ſunt. Ipſa primùm Alexãdri imperatoris iuſſu durè flagellatur Quiricus verò adhuc trimus puer, ſpectante matre præcipitio in terram eliditur. Rurſum ipſa cùm in confeſſione Chriſti perſeueraret, excoriatur, picis bullore perfunditur, poſtremò decollatur. Nec dum ſatiata tyranni rabies, aduerſus interfectos deſæuit, mortua corpora fruſtatim concidi, latéque diſpergi iubet: quaſi verò ſi ſancti in terra tumulo careãt, in cœlo non ſint habituri locum: vt tamen illo inuito etiam ab hominibus honorarentur, qui iam angelis iuncti erant, fruſtis illis inter ſe cocuntibus, atque conſolidatis, corpora integra inuenta ſunt, & ſepulturæ mandata,& à fidelibus reuerentiæ habita.

MAXIMA & DONATILLA ſorores, cùm ſe ſuámque virginitatem Chriſto dedicaſſent, perſecutione Galieni principis in Aphrica paſſę ſunt. Felle primùm & aceto Anolini præſidis iuſſu potatæ, gaudebant quòd dignæ habitę eſſent, eam iam bibere pro Domino amaritudinem, quam antè pro ipſis Dominus biberat in cruce. Inde verberibus diruptæ, calcéque confricatæ, vt plagarum dolor duplicaretur. Ad hæc etiã in equuleo extentæ, compelli non potuere vt idolo immolarent. In quod cum expuiſſent, ſuper craticula torrentur: deinde ad beſtias damnantur, ſed igne beſtiiſque parcentibus, non parcit Anolinus: gladio ambas cędi iuſſit, vt ſe & flammis ardentiorem,& feris animalibus truculentiorẽ oſtenderet. Ipſæ autem virgines, quoniam conſtanter tormenta pertulẽre, nũc inter angelorum choros fœliciter exultant, eius conſpectu ſemper fruẽtes in cœlo, cuius vnius amore terrena omnia contempſerant.

FELICITAS Romæ nec Antonini imperatoris edicta, nec Publij tribuni minas quicquam penſi fecit. Séque & ſeptem filios tyrannicæ vltrò ingeſſit crudelitati, dum vnà cum illis, quos genuerat, ad martyrij palmam cuperet peruenire. Ecce iam cernit alium plumbatis cędi, alium fuſtibus mactari, alium præcipitio elidi, cæteros capite truncati, & inde non ſe animo minus, quàm illos corpore torqueri,& tamen vt in confeſſione perdurent, hortatur. Ipſa demum colaphis fracta, carceriſque anguſtiis afflicta, cùm liberos, quos ad martyrium præmiſerat, ſequi optaret, decollatur. O verè fœlix Fœlicitas, cui tantum animi fuit, vt & filiorũ tormenta conſtanter ſpectares,& tua fortiter perferres. Fœlix quæ octuplici patientia, octies martyr, octo donanda coronis cœlum aſcendiſti, toties pro Chriſto mortua, quoties cum filiis, quos vna tecum mori expoſuiſti, numeraris. Viciſſitudine Machabæorum matrem, quòd illa pro lege ſuſtinuit, tu paſſa es pro Euangelio. Sed illa comprehenſa dicitur, tu te tua ſponte obtuliſti. Magnificum quidem, Chriſtianorúmque proprium exiſtimans, Chriſtianitatem non diſſimulare, ſupplicia contemnere: quorum toleratione probatur fides, glorificatur Chriſtus, veri Dei cultus innoteſcit. Marul. lib. 5. cap. 6.

SYMPHOROSA, Getulij martyris vxor, mortem ſeptem filiorum pro catholica fide occumbentium patiẽtiſſimè tulit, quinetiam ad martyrium animauit.

SOPHIA mulier tres filias ſub Adriano ingulari vidit cum gaudio.

EVLALIA virgo Hiſpana, Emerita vrbe orta, omnibus cruciatibus grauius, quàm vllus vnquam pro Chriſti nomine torta: cum tertium decimum annum non impleret, mirum dictu, ne verbo quidem, aut vlla lachrymula donec animã efflauit, mutati animi aut doloris ſigna vnquam oſtendit. Fulg. lib. 3. cap. 3.

TOLERANTIA SIVE PATIENTIA RELIGIOSA EORVM

malorum, quæ bonis fortunæ ſiue externis incommodare poſſunt.

DIVITIARVM IACTVRA.

Rerum iacturam fortiter feremus, ſi nihil accidere abſque diuino nutu poſſe crediderimus. Cùm autem ita Dei voluntas fuerit, quis eſt qui reſiſtat ei? Si peccauimus, vult vt caſtigati ad pœnitentiam conuertamur. Si non peccauimus, vt ſuſtinendo humilitate proficiamus. Non eſt ibi querelæ locus, vbi exercendæ occaſio datur virtutis. Nos hæc ex Marul. lib. 5. cap. 3. deſumpſimus.

IOB inter omnes orientales magnus (vt ſcribitur) pecorum vtique copia,& ſeruorum, familiæque nobilitate. At verò his repentè amiſſis, non ſolùm inter orientales, ſed in vniuerſo orbe magnus fuit. Nam patientia illius in aduerſis vbique terrarum prædicatur atque extollitur. O verè magnum & omnibus ſeculis memorandum virum, cùm die vno tot opibus, tot ſeruis, tot liberis orbatum ſe cognouiſſet, corruens in terram Deum adorauit. Et: Nudus egreſſus ſum, inquit, de vtero matris meę, nudus illuc reuertar: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt. Quia certè vel labiis peccare Deo maius damnum maiorẽmque miſeriã eſſe exiſtimauit, quàm cuncta quæ habuit ſimul amittere. Marul. li. 5. cap. 3.& Sab. lib. 1. cap. 5.

EZECHIAS cùm omnes diuitias ſuas nimis iactanter oſtentaſſet legatis

gatis regis Babyloniorum, omnes pariter Babylonem Deo puniente transferendas audiuit. Cùm ergo tantam iacturam ſe facturum didiciſſet, non eſt turbatus. Sed quia peccauerat, libenter & peccati pœnam admiſit, dicens: Bonus ſermo Domini, quem locutus eſt, ſit tantùm pax & veritas in diebus meis. Qua patientiæ humilitate meruit vt illa regiæ gazæ direptio ad ſucceſſores ſuos Ioachim & Sedechiam vſque differretur, quando etiam populus ipſe ob delicta ductus eſt in captiuitatem. Non ſenſit damnum, qui eo ſe dignum confeſſus, animum ſtatim ad ſuſtinendum parauit. Qui verò ſæpe aduerſa paſſi vitam corrigere neglexerãt, amiſſis tandem omnibus, iugum quoque tulẽre ſeruitutis. Et qui leuiora malè tolerauerant, grauiora ferre compulſi ſunt.

Sanctiſſimi APOSTOLI cæteríque diſcipuli, vt ſoli Chriſto adhærerent, omnia quæ habebant, conſtanti erectóque animo reliquerunt. Neque Matthæus pecunioſum teloneũ dimittere diſtulit, neque Zacchęus dimidium bonorum dare pauperibus,& iis quibus impoſuerat, reddere quadruplum tardauit. Quia multo plus lucri ſe in vno Ieſu facturos cõfidebant, quàm in omnium quæſtu quæ vbique ſunt diuitiarum atque opum. Quòd ſi à poſteris quoque non niſi in paupertate Chriſto fideliter ſeruiri non poterit, cur nos dolebimus aliquo rei familiaris detrimento, ob quod ad Dei cultum efficimur aptiores? Ad quem quiſquis cõuertitur, fragilium bonorum amiſſionibus non mouetur, dicente Scriptura: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit.

CHRISTVS ipſe ad ſeruandam huiuſcemodi patientiam nos compellit, dicens: Ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere: qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. Noli prohibere, inquit, ne ſcilicet prohibendo magis irrites raptorem, & illum ad necem tui accẽdas, cui ne rem auferat, obſiſtis, atque idem & tibi maioris damni,& illi grauioris peccati cauſa fias. [redacted]

Fundenſis monaſterij præpoſitus LIBERTINVS, viam pergens, fortè incidit in quoſdam equites Gotthos. Cúmque equum ſibi quo vehebatur abſtuliſſent, etiam flagellum eis porrigere cœpit, Tollite & hoc, inquiens, quod vobis ad agendum iumentum vſui erit. Illi verò abeuntes, cùm ad Vulturnum perueniſſent, nulla vi equos, vt fluminis vada intrarent, cogere potuerunt. Et memores iniuriæ quam Dei ſeruo intulerant, regreſſi ſunt, vt equum ſuum ei reſtituerent. Sed cùm ipſe omnino abnueret recipere, ac diceret, eo ſibi opus non eſſe: inuitum ſuperimpoſuẽre, & protinus remeantes, locum vbi prius ſubſtiterant recto curſu pertranſierunt. Quia ergo Libertinus, non modò repetere ablata, ſed nec recipere reſtituta volebat, recipere meruit vel inuitus.

Eiuſdem monaſterij MONACHVS, cui excolendi horti cura erat, cernens in eo olera partim pedibus conculcata, partim ſublata furto: & reperto aditu quo fur ingredi conſueuerat, ſerpenti præcepit, vt illum cuſtodiret, nec inde niſi iuſſus diſcederet. Proh pudor, irrationale animal ſeruo Dei obediuit, homo damnum irrogare non dubitauit. Fur ergo reuerſus cùm ſerpentem conſpexiſſet, præ timore ſe retrò ferre voluit,& pede vepribus implicato pronus pependit, donec ab ipſo olitore ſuperueniente expeditus fuit. Tum ab eodem amicè admonitus eſt, ne vltrà furto tolleret, quod ipſe petenti gratuitò conceſſurus eſſet. Itaque non olerum damno monachus angebatur, ſed furantis peccato. Quippe qui illi ſic deprehenſo nihil ſe denegaturum, quod popoſciſſet: & iam pœnas pro delicto ſolueti, dũ per pedes pẽderet, incunctãter ſuccurrit.

ISAAC apud Spoletanam vrbem ſolitarius per ſpiritum pręſciens fures ad hortum ſuum venturos, ſarcula & raſtros ibi appoſuit: atque illi cùm noctu hortum ingreſſi fuiſſent, inſtrumẽtis protinus arreptis vſque mane nihil aliud agere potuerunt, quàm terram vertere,& herbas infructuoſas conuellere, donec Iſaac adueniens eis prandium attulit pro opera. Inſuper exhortans, vt à furto abſtinerent. Semper enim quicquid eis opus eſſet, ſe libenter indulturum,& tunc primum omnis generis oleribus oneratos amicè dimiſit. Itaque & cum abeſſet, à flagitio illos cohibuit,& cum adeſſet rebus donauit: maius damnum reputãs proximi peccatum, quàm ſui hortuli, quo vitam ſuſtentabat, vaſtationem.

In VALERIÆ Prouinciæ partibus, cuiuſdam monaſterij greges in proximo ſtabulabantur. Fur noctu eò accedens, veruece ſublato, cùm rediret, quia per cœmiterium tranſitus erat, ſuper ſepulchrum, vbi illis diebus ſanctus quidam ſacerdos conditus fuerat, fixis veſtigiis hæſit, & neque progredi, neque regredi potuit, nec prædam quã tenebat dimittere, donec facto iam die à monachis deprehenſus, peccatum confitens veniam popoſcit. Illíſque orantibus, dimiſſo veruece abeundi facultatẽ impetrauit. Sacerdos ergo oſtendit grauem culpam eſſe furtum, reum viuum ipſe mortuus mirabiliter retinendo. Monachi oſtenderunt nihil ſe turbari damno, pro illo deprecando damnum inferre venerat.

In STEPHANO venerabili apud Reatinam ciuitatem patre magna patientiæ virtus enituit. Qui cùm ex agello (quem vnicum habebat) meſſem ad aream congeſſiſſet,& quidem bonorum perſecutor igne ſuppoſito ipſam incendiſſet, accurrenti diſcipulo ac ſuccla manti, Væ væ pater Stephane, quid tibi accidit? Immò væ illi, inquit, fili, per quem accidit. nã mihi nihil accidit mali. Etenim nihil omnino malũ eſſe arbitrabatur pręter peccatũ. Itaque illi qui damnũ intulerat indoluit, non ſibi qui paſſus fuerat: cùm præſertim nihil aliud ad victum ei ſupereſſet, niſi quòd à Domino nunquam ſe deſertum iri confideret. Maral. libr. 5. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap. 7.

MEDARDVS presbyter Torniaci Galliæ oppidi, vineæ ſuæ vaſtatorem vuas collectas exportare fruſtra conatum, cum deprehendiſſet, abſoluit, dimiſitque illæſum. Alium mella ex aluеariis ſuppilantem, ſed apum aculeis ita affectum, vt inde ſe mouere non poſſet, recepto furto pœna liberauit. Quidam etiam milites qui vicum eius Solenniacum deprædauerant, loco pedem efferre, niſi præda omni reddita, nõ valuerũt. Suarij item illius porcorum gregem procul abigere molientes, cum nocte tota iter feciſſẽt, mane ibidem vnde receſſerant, inuenti ſunt, & ipſe peccatum confitentibus ignouit. Quia ergo ſemper in eos qui ſe incommodo aliquo afficere tentauerant, mitis & clemẽs extiterat, ab omni prorſus incommodo tutatus eſt illum Deus, & eundem epiſcopum primo Nouienſem, deinde Torniacenſem fecit ſuper multa conſtituens, quia ſuper pauca fidelem fuiſſe nouerat.

ODDO Cluniacenſis cœnobij pater, ei qui equum ſuum noctu abegerat,& in eo ſedens hic luceſcente comprehenſus fuerat: cùm nec deſilire interim, nec diſcedere quiuiſſet, veniam petenti indulſit, atque inſuper numos quinque dari iuſſit, gaudens vtique, non quia equum recepiſſet: ſed quòd equi raptorem ad pœnitentiam conuerſum cernebat, & iam ab eo Deum timeri, qui prius contemnere conſueſſet.

Diuus HIERONYMVS, illos qui aſellum monaſterij furtim abduxerant,& inuiti rurſum reſtituerant, cùm veniam rogatum aduẽniſſent, dimiſſa offenſa, conuiuio excepit:& admonitos, vt ſuis rebus contenti aliena non appeterent, multa cum benedictione dimiſit. Atque illi quod ab eo quem læſerant, tam benignè accepti fuiſſent, quotannis monaſterio eius non paruam olei copiam miſſitarunt, vt iam non ſolum alieni auidi non eſſent, ſed etiam ſua largirentur. Marul. lib. 5. cap. 3.& Sab. libr. 5. cap. 7.

ELDVCVS in partibus Britanniæ abbas, Paulo diſcipulo ſegetis iam matureſcentis delegerat cuſtodiam. Quo obdormiente, graculorum agmen eo delapſum depaſcere agrum cœpit,& ille eorum ſtrepitu experrectus, eiſdem in nomine Domini ne auolarent, præcepit. Omnes ergo non ſecus atque quadrupedes ante ſe agens ad monaſterium vſque cõpulit:& admirante atque interrogante abbate, quid hoc ſibi vellet? Frumenti ſe vaſtatores ad illum adduxiſſe, vt pro culpa punirentur, reſpondit. Sed Elducus nihil de iactura dolens, illęſas aues protinus dimitti iuſſit. Diſcipulus itaque ſolliciti cuſtodis functus eſt officio. Abbas verò patientiæ præbuit exemplum, etiam alitibus parcens, quæ ſe damno affecerant.

MAMERTINVS apud Antiſiodorum monaſterij ſancti Germani abbas vrſum ad rapiendas oues ventitantem, cùm in laqueos, quos monachi tetenderant, incidiſſet, miſeratus exoluit ac dimiſit, tantum iubens ne vltra ſibi ſuiſque damno eſſet. Si ergo ſanctiſſimi viri beſtiis quoque, à quibus rerum ſuarum deductionem factam nouerant ignoſcẽdum duxerunt, quomodo nos non ignoſcemus hominibus?

EVSTACHIVS Romanus aduerſis caſibus in vita multum conflictatus,& ſemper ſuperior, ita vt non immeritò poſt beatum Iob alterum patientiæ dicatur exemplar: amiſſis fortunis, ſeruis, vxore, liberis, Chriſtum ſuum (cuius fidem miraculo doctus acceperat) nunquam dimiſit. Qui animi conſtantia meruit poſt annos aliquot (durè miſerabilitérque peractos) recuperare quæ amiſerat, vxorem ſcilicet olim à piratis auectam, duos filios, alterum à leone, alterum à lupo raptos: vtrunque enim paſtores illo initio feris eripuerant, atque à pueritia ad adultam vſque ætatem educauerant. Demum ipſam (quam apud Traianum habuerat) militię dignitatem, rurſum recepit. Sed maius his omnibus poſtremò ſub Hadriano aſſecutus eſt, cum coniuge ſimul ac liberis martyrii coronam, vt quos præter ſpem viuos in terris reperiſſe lætabatur, cum iiſdem etiã viueret in cœlo.

BERNHARDVS Clareuallenſis abbas, cùm ducenta argenti pondo ſibi ad impenſas conſtruendi monaſterij miſſa, à graſſatoribus intercepta fuiſſe audiſſet, gratias Deo egiſſe dicitur, quòd magno ſe onere leuaſſet. Tam ergo modicè tulit argenti amiſſionem, vt eo grauari ſe putaret, ſi non amiſiſſet.

ELIZABET vidua regia ſtirpe, & Thuringiæ principis connubio nobilis, defuncto viro propinquis eius tetrarchiam occupantibus, cum paruulis liberis eiecta, inops, egens, vaga, ærumnis omnibus obruta, ab iis quoque, in quos olim beneficia contulerat, contempta: ita omnia conſtanti animo ſuſtinuit, vt ad patrem regem in Pannoniam cùm acceſſiretur, redire nollet, ne patientiam & humilitatem, quam in miſeriis inuenerat, inter regales delicias amitteret, vnamquanque animi virtutem theſauris omnibus habens chariorem. Marul. lib. 5. cap. 3.

FLORENTIVS Nurſiæ prouinciæ ſolitarius, in illos qui ſibi vrſum beſtiam interemerant, inuidentes quòd ſylueſtre animal homini ſeruiret: dixiſſe fertur, ſperare ſe eos Deo vlciſcente commiſſum luituros. Inde ergo vrſinæ cædis rei repentino lepræ morbo confecti, paucos poſt dies verſis in ſaniem corporibus contabuẽre. Tunc qui vrſi necẽ doluerat, horum inopinatam mortem mœrore ac lachrymis inconſolabiliter proſequi cœpit: reprehendens, quòd pius in belluam, impius in proximos fuerit: quod illi vrſum, illos ipſe peremerit, quos ita ac ſeipſum diligere debuerat. Poſtremò in tantum eum pœnituit verba vindictæ protuliſſe, vt ſi fieri poſſet, ſua morte illorum qui conſumpti fuerant, vitam redempturus videretur. Itaque ſemper flebat, fletu ipſo oſtẽdens, nę mẽtionem quidem vindictæ eſſe faciendam. Nos igitur cum læſi fuerimus, linguam quoque à maledicto coerceamus, quando vox paulo acerbior aduerſum iniuriæ authores emiſſa, huic Dei ſeruo tantæ inquietudini tantóque angori fuit. Ibidem. cap. 2.

SPYRIDON paſtor vitæ ſanctitate clarus (qui poſtea epiſcopus Trimethũtis Cypri factus eſt) fures ouiũ, per noctem caulam eius inpetentes, retinaculis quæ non viderentur implicuit:& luce exorta deprehen-

sos obiurgauit, liberatos ariete quoque donauit. Simeon Metaphrastes Tomo 5. Vitarum S. patrum.

OBTRECTATIONES, CONVICIA, IVRGIA, *Reprehensiones.*

MOSES quo populum infestiorem habuit, & ad conuicia proniorẽ, eo impensius cœli numen his propitium reddere perseuerauit, precib. ad Deum effusis. Nec Aaroni conuicianti cõuiciatus est, nec sorori: quia Æthiopicum sibi connubium exprobrasset, correptáque esset lepra, minus libens opitulatus est, præsentem vltionem suppliciter deprecatus. Sab. lib 9. cap 1. ex Numeri 12.

IDEM cùm propter vituli adorationem, Deus populum internecione delere pararet: Aut dimitte eis, inquit, aut dele me de libro tuo quem scripsisti: & tamen sibi insultantes in deserto sæpe expauerat, ita vt diceret: Adhuc modicum, & lapidabunt me. Dissidij ergo & simultatum oblitus nisi impunè dimittantur, simul cum eis optat mori. Ac ne fortè ideò illis gratiam ab eo quæsitam putemus, vt superstes quibus ipse præsit, iam Dominum audierat pollicentem sibi: Faciam te in gẽtem magnam. Sed maius existimauit pro malo reddere bonum, quàm præsidere plurimis. Marul. lib. 5. cap. 2.

Filij Ephraim iurgantes fortiter contra GEDEONEM, sedati fuerũt, propter eius mansuetam responsionem. Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Iudic. 8.

SAVLIS regis illa patientia commendatur, qua rex factus cùm à quibusdam suorum contemptui haberetur, nosse dissimulauit. Deinde victis Ammonitis, cùm triumphans rediret, milites qui eam contumeliam armis vlcisci moliebãtur, coercuit. Turpissimum ratus, si paucorum obtrectatium inuidiam ferre nequiuisset, qui tot millium bellatorum exercitum potuit superare. Magni profectò animi vir, si vitiis postea non fuisset depranatus, ita vt idem & patientiæ & impatientiæ exemplum sit. Marul. lib. 5. cap. 2. & Sab. lib. 9. cap. 1. ex 1. Regum 11.

DAVID, cùm de Hierusalem fugeret, filij Absalonis factionem timẽs, & Bahurin vsque venisset, inde egressus Semei Geræ filius de cognatione Saul, per montis crepidinem ex latere incedens, ausus est maledictis & lapidibus Dauidem incessere, virum sanguinum, ac virum Belial compellans, alaque multa in illum congerens tam petulanter quàm temerè. Qui cum rege erant, ad vlciscendam iniuriam concitantur, sed ab ipso cui irrogabatur inhibiti sunt. Et: Dimittite eum, inquit, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid. Et quis est qui audeat dicere, Quare sic fecit? Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis hic filius Gemini maledicet mihi. Dimittite eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini, si forte aspiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Quid hac patientia humilius? quid hac humilitate patientius? Rex erat, & quidem fortissimorum virorum grandi agmine stipatus, & tamen vnius priuati hominis tantas corã acceptas contumelias dimisit impunitas. Neque eum spes illa frustrata est, qua sibi pro maledictis propiciaturum Deum dixit. Post hæc enim ab omnium inimicorum suorum molestijs liberatus gratias egit, dicens: Accinxisti me fortitudine ad prælium, incurrasti resistentes mihi subtus me. Marul. lib 5. cap. 2.

SARA, Raguelis filia, ab ancillis probro petita, quòd interfectrix esset virorum, non ad vindicandum ignominiam animum applicuit, sed ad Deum preces porrexit: vt sicut crimine se carere nosset ita infamia liberam faceret. Inde illa quæ iam septem maritis orbata fuerat, in octaui Tobiæ thalamo fœliciter conquieuit, multróque inter se rerum successu diu lætati sunt. Tantum profuit non vindicasse contumeliam, sed pro abolenda oratione. Marul. lib. 5. cap. 2. & Sab. lib. 9 cap. 1. ex capite tertio Tobiæ.

CHANANEAM mulierem in Euangelio patientia voti compotem fecit. Cùm repelleretur à Christo, non indignabatur, & canibus comparata, magis se submisit. Quod ergo considenter petierat, efficaciter obtinuit. dum contempta atque despecta mitis modestique animi constantiam nõ dereliquit. Marul. lib. 5. cap. 2.

SENEX quidam (vt Cassianus tradit) cùm apud Alexandriam infidelium turba constipatus maledictis impulsibúsque agitaretur, & ab eo quærerent, quid vnquam miraculi fecisset Deus eius Christus? respondit, vt iis quas insertis, atque maioribus non moueat, neque offendar iniuriis. Rectè id quidem. neque enim vẽtorum flatu concutl, aut fluminum illisu euerti potest domus, quæ supra petram fundata est: petra autem Christus est. Denique qui confidit Domino, sicut mons Syon, non commouetur in æternum: in persecutionibus gloriatur, in aduersis gaudet, in omnibus Deo gratias agit, & illi soli penitùs inhærens offensas non sentit improborum. Ibidem.

MYTII abbatis patientiam scriptis commendans Cassianus, ait: Cùm suscepto religionis voto filium quoque paruulum secum ad cœnobium adduxisset, de industria puer malè à fratribus accipiebatur, coram patre subinde cæsus, ac sæpe per capillos tractus, ob hoc solùm vt patris in eo cõstantię periculum facerent. Ille ergo neque fratrũ verberatione, neq; vnici filij iugibus penè lachrymis moueri poterat, vt vultu saltem tristiciam præferret: quin potius gaudebat, eum quoq; quem genuerat, quotidianis castigationibus ad patientiam eruditi. Itaque nunquam cur sic durè attereretur quæsiuit, nunquam ad flẽtem respexit, nesciebat se eius patrem quem dedicauerat Deo. Ad hæc etiam (vt alibi diximus) in proximum flumen illum proiicere iussus, promptè voluit obedire, nihil non faciendum ratus, quod ab abbate esset iniunctum. Igitur post probatam primò tolerationis, deinde obedientiæ virtutem, senior cœnobij ipsum cunctis proponens, sibi successorem reliquit: præfuitque omnibus, qui omnium patientissimus obsequentissimúsque fuerat habitus. Ibidem.

Cassianus PAPHNVCII presbyteri impubis adhuc patientiam commemorat, dicens: Quòd cùm inter fratres Scythioticæ solicitudinis persanctè versaretur, quidam inuidiæ stimulis agitatus excogitauit, quemmodum illum delicti insimularet, & captata occasione dum Dominico die Paphnucius cum cæteris ad Ecclesiam conuenisset, cellam eius clanculò adiens, codicem suum inibi absconditum reliquit. Cúmque mox & ipse ecclesiam esset ingressus, precatione solenni peracta, questus est, codicem sibi esse furto sublatum. Nouum erat id criminis inter eos audire, & cunctis mirantibus, ipse qui detulerat petiit, ne quis antè ab ecclesia discederet, quàm missis fidelibus viris cellulæ singulorum excuterentur. Missi seniores, codicem vbi suppositus fuerat, inter palmeas Paphnucij sportellas inuentũ referũt. Diu attonitus hoc audito stetit Paphnucius, neq; ausus est negare quod ram aperto affirmabatur indicio: & verbi pœnam, qua satisfaceret, imponerent, rogauit. Inde verò egressus, per duas hebdomadas ieiuniis ac fleru sese affligit, nec interim ad communionem accedere præsumpsit: sed tandem in limine ecclesiæ coràm prostratus, veniam petiit, cum innocens esset. Tunc demùm Dei iudicio factum est, vt eius ignominiæ auctor à dæmone arreptus, nequiciam suam ac dolos confitendo proderet. Qui cùm diu multúmque vexatus à sanctissimis viris curari nequiuisset, postreaò ipsius Paphnucij oratione curatus est. Sicque mitis ac modestus adolescens, iam labefactatã honestatis & sanctimoniæ famam patientia sua reparauit, pietate auxit, dum & inculpatus tolerat, & offensus misereturus. Marul. lib. 5. cap. 2.

EVLOGIVS presbyter Alexandrinus, leprosum quendam domi susceptum iam per annos 15 benignius quàm dici potest, aluerat, & eidem pro tanto pietatis officio conuicia excipiens, & ab eo cui pro amore Christi contempto contagiosi morbi periculo, suis ipse manibus ministrabat, contumeliis assiduè affectus, iam quid ageret nesciebat. Antonium ergo abbatem consuluit, vtrum illum dimittere deberet, à quo talia patiebatur? Vtrique consultum est: modicum adhuc sustineret, donec alter sicut pietatis, ita & patientiæ meritum impleret: alter ingratitudinis vitium emendaret, ne grauiorem animi quàm corporis lepram incurreret. Itaque cùm admoniti tranquillius manere simul cœpissent, Eulogius dies 40 superuixit, leprosus die tertio post eum obiit. Pius ergo ac patiens Eulogius consilio saniore vsus, geminæ tandem virtutis diademate meruit coronari. Quod nequaquam meruisset, si illum qui longuentem misericorditer acceperat, ingratum impatienter repulisset. Iunxit patientiam pietati, & duplum adeptus est fœlicitatis præmium. Ibidem.

Nobilis Alexandriæ MATRONA (vt tradit Cassianus) Athanasium episcopum adiens, petiit sibi dari vnam ex viduis, quæ ecclesiæ impensis alebantur, cui ipsa benefacere posset. Cæterùm cùm petenti optima concessa esset, queri deinde cœpit, non ex animi sui sententia viduam sibi datam. Ea igitur restituta, detertimam omnium accepit. Et dum illi benignè humanitérque deseruiret, nihil ab ea nisi contumelias maledictáque referebat: verbera quoque incerdum excipiẽs, ne quid ad exercendã animi tolerationem deesset. Inde lęta gratias egit Athanasio, quòd ea tandem sibi delegisset cubernatem, cui pro malo bonum, pro iniuria beneficium reddere assuesceret. Nam se ab illa priore (quoniam mitis & mansueti ingenij erat) offensis fuisse superatam. Sancta ergo & prudens fœmina eam sibi conciuerat sociam, quam non tantùm liberaliter alendo pietatis meritum consequi posset, sed etiam constanter perseuerando patientiæ adipisci mercedem. Quoraquęque est quæ talem non abdicasset filiam, qualem ista alienam adoptauit? quæ cum tali manens, se perditum iri non timeret, qualem ista, vt vberiorem beatitudinem promereri possit, elegit! Ibidem.

Athanasius præsul Alexandrinus, olim diaconus in concilio Niceno, Arrianorum maximas perpessus est insidias: multa ei falsa crimina obiecta, adducto etiam scorto, quòd rem cum ea habuisse crederetur, omnia patienter superauit. Russinus in sua historia.

PAVLA Graechorum stirpe nobilis, sed nobilior vitæ humilitate, cùm ne ipsa quidem, quæ omnia contempserat propter Christum, morsu hominum carere posset, nihil quicquam molestè ferebat. Cùmq; audisset se quorundam iudicio stultam ac mentis emotę reputari: Theatrũ, inquit, facti sumus mundo, & angelis & hominibus, nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus. Marul. libro quinto, capite secundo.

CARCERES.

ELISÆVS, homines qui venerant ad capiendum eum, non odio habuit: sed mensam apponi præcepit, refectósque abire permisit. 4. Reg. 6.

VENVNDATIONEM ET *seruitutem.*

IOSEPH frattrum in se inuidiam beneficiorum relatione compensauit. Fame qua laborabant, interiissent, nisi ille eos aluisset, in cuius necẽ conspirauerant: quem in cisternam vt ibi extingueretur, deiecerant: quẽ mox vt seruus potius quàm liber moreretur, inde exemptum alienigenis vendiderant. Non esset magna in Ioseph patientiæ & benignitatis virtus nisi & magnum in illum sæuientium frattrum extitisset odium: tanto

tanto plus laudis meruit, quanto maiorem iniuriam remisit. Marul. libr. 5. cap. 2. & Sab. lib. 9. cap. 1. ex Geneseos cap. 37. & 45.

ALEXIVS patricius Romanus, sicut voluntariæ paupertatis perpetuus obseruator, ita ad tolerandas iniurias patientiæ extitit assiduus cultor. Mendicus (vt Christum lucraretur) sponte factus, cùm in Syria de eleemosynis vixisset, Romam rediit: & in paterna domo pro inope susceptus annos decem & septem nulli cognitus mansit. Toto eo tempore à seruis patris indigna passus, duréque acceptus, non se prodidit, neque de aliquo conquestus est. Rideri, verberari, sæda colluuione perfundi à mancipiis patienter sustinuit, vt Christum suum (cuius paupertatem secutus fuerat) tolerantiæ quoque humilitate exprimeret. Quis autem esset, qualitérque vixisset, diuinitùs tandem reuelatum est, tunc scilicet, cũ è vita discederet, ne tantæ patientiæ exemplum ignorata generis claritate in obscuro foret. Neque enim satis magnum erat: & ipse (vt videbatur) seruilis conditionis fuisse crederetur. Maximum verò fuit, & omniũ admiratione dignum, filium familiàs patre consulari natum, ita se domesticis submisisse seruis, vt illis omnibus magis infimus appareret. Marul. lib. 5. cap. 2.

EXILIVM ET INHOSPITALITATEM.

Omnis patientiæ & exemplar & magister & remunerator IESVS DOMINVS, cùm à Samaritanis non fuisset in vrbe receptus, tam lenté tulit, vt Iacobum & Ioannem vlcisci iniuriam volentes increpuerit: Vis, inquiunt, dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos. Et responsum accipiunt: Nescitis cuius spiritus estis? Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Nos igitur si spiritus Christi esse cupimus, si parẽre voluntati eius optamus, curemus, ne quem impatientia nostra irritando perdamus, cum ille sustinendo pro salute omnium voluerit mori. Marul. lib. 5. cap. 2.

OTHILIA virgo apud Bauariam cæca nata fuerat, paternas deinde vix effugerat manus, qui eò processerat insaniæ, vt propter ipsum corporis vitium ei necem intentaret. Illa verò in omnibus quas patiebatur angustiis, Deo gratias agens, meruit tandem & vilum recipere, & in gratiam redire patris: & quod his præstabilius beatiúsque est, in sanctarũ virginum numero computari. Ibidem, cap. 3.

EVSEBIVS Samosatenus, episcopus orthodoxus, à Valente imp. Ariano in Thraciam exulatum mittitur. Cùm ad eum crepusculo Imperatoris minister cum exilij mandato venisset, monuit eum, vt quamprimùm abiret, ne à ciuibus suis in Euphrate fluuium præcipitaretur. Inde noctu vero comitatus ministro, qui scruical & libri ferret, vrbem pedes egressus est, & Zeugma prima luce peruenit. Samosateni eum plurimis nauigiis persecuti, vt maneret rogarunt, nec miseras oues lupis proderet. Verùm Imp. decreto paruit, & in exilio mansit vsque ad Gratianum, sub quo rediit. Theodoretus lib. 2. cap. 31.

PATRIÆ EXCIDIVM ISVORVMQVE GRAVES *casus, in bonis corporis, fortunæ & animi.*

LVPVS Trecasinæ vrbis episcopus, Attila ciuitatem obsidente interrogauit, quis hic esset, qui sic suos armis lacesseret? Vbi accepit Attilam flagellum Dei esse, ingemiscens ait: Et ego lupus vastator gregis Dei, dignus flagello eius. Portas ergo reserari iussit. Ingressi autem hostes, rectà vrbem pertransiẽre, nihil hostiliter agentes, ne respicientes quidem ad quenquam oppidanorum, quasi neminem vidissent. Hanc tantam tutandæ ciuitatis gratiam Deus contulit Lupo, vt qui se dignum flagello confessus fuerat, à flagello liber esset. Marul. lib. 5. cap. 2.

VXORIS IMPVDICITIAM.

PAVLVS, cognomento Simplex, vxorem suam cum adultero deprehendens, ne tantam iniuriam vlcisci cogeretur, statim auersus abiit, domo excessit, & se monachum fecit, magnique Antonij dignus euasit discipulus. Denique manus illas quas à vindicanda ignominia continuerat, ad Deum porrigens, nihil petiit quod non impetrauit, maximéque in faciendis miraculis insignis fuit. Ibidem. cap. 2.

PARENTVM, LIBERORVM, CONIVGVM *mortem æquo animo ferre.*

Magna prudentia, nec minore patientia DAVID rex mortem tulit filij. Quem vnicè non ob id solùm diligebat, quod filius erat: verumetiam quòd ex Bersabe, quam singulariter amabat, eum suscepérat. Is donec in ægritudine filium viuere sciuit, ieiunio lachrymisque operam dedit: & sacco indutus, in cinere versabatur, à Deo petens, vt filius seruaretur. Mortuo autem filio, cùm nemo id regi nunciare auderet (quòd ex his quæ viuente adhuc filio regem fecisse videtant, coniiciebãt, ex morte eius præ mœrore decessurum) ipse ex his quæ gerebantur, atque affãtim vultu cùm suspicaretur filium decessisse, eius rei certior fieri voluit. Itaque intellecta eius morte, præter omnium opinionem, ab humo surgens, cineres excussit, regiámque vestem indutus, læto vultu vt epulæ afferrentur, imperauit. Quod cùm omnes mirarentur, dixit: Donec spes superesse visa est, precibus humilitérque agendo, vt filius superuiueret, à Deo petere se non destitisse: sed posteaquam intellexit, mortuum esse, & se tantæ virtutis esse non duceret, vt precibus suis Deus illum suscitaret, oran di atque in squalore manẽdi irritum laborem putare. Et cùm Deo collibitũ esset, vt is moreretur, eius voluntati impium duceret, cõformare se nolle. Ad quod accedebat, quòd luctus qui mortuis nihil prodest, inter viuentes fastidium solum parit. Hoc responso, quo prudẽtius aliud inuenire non potuisset, omnibus satisfecit. Fulgos. lib. 5. capite 10. ex 2. Regum 12.

MACHABÆA mater sub Antiocho rege pereuntes septem fortissimos filios vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat, singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœminæ cogitationi masculinum animum inserens. 2. Mach. 7.

PETRVS apostolus Petronillæ filiæ suæ mortem familiariter tulisse fertur. Hæc enim cùm febricitans, extremum diem clauderet, interrogatus Petrus, cur non filiæ sicuti aliis succurreret: Mortem magis quàm vitam filiæ prodesse respondit. Volat. lib. 1. Anthrop.

FELICITAS Romana matrona, cùm sub Antonino Vero septem filios crudeliter pro catholica fide morte affici videret, neque lachrymas emisit, neque suspiria traxit: sed constanti animo horcabatur, vt fortiter eam mortem perferrent. Fulg. lib. 5. cap. 10.

BLANDINA Lugdunensis, filium ad ferendum fortiter mortẽ, hortata est Lugduni, imperante Antonino Vero. Neque verò diu morata post filium, propter catholicam fidem, ipsa quoque interempta fuit. Ibidem.

SOPHIA mater fœlicissima, tres filias, Fidem, Spem & Chatitatem, sub Hadriano pro Christi nomine ingulatas alacriter vidit, sepeliuitque xvii. ab vrbe lapide. Vol. lib. 18. Anthrop.

BASILIVS Amerbachius Bahlienis Iurecons. magni illius Bonifacij F. Alteriam formosissimam & venustissimam virginem, Iacobi Rudini tribuni plebis in vrbe nostra filiã matrimonio sibi iunxit. Nondum exacto ãni spacio, Bonifaciolum ex ea, magna posteritatis, sed maiore adhuc virtutis auitæ spe, suscepit. Quarto mẽse à partu colicis cruciatu doloribus crudelissimis lecto affigitur Alteriæ, & tanquã matri compateretur filiolus, pari genere morbi cruciari incipit. Post trimestre spacium succedẽtibus conuulsionibus vno eodémque horę momento, anno Christi 1562. v. Aprilis, circa meridiem mater & filius in cœlestem partam migrant. Bonifacius senior Iureconsl. clarissimus, non tam mœrore duplicis funeris, quàm desiderio & spe melioris vitæ, post tres hebdomadas placida admodum, & anteactæ vitæ consentanea morte in Domino obdormit, sexagenario maior. Triplex hoc tamen hebdomadarum funus atque vulnus, Basilius tanta animi cõstantia tulit, vt nec lectissimæ coniugis amor nec filioli dulcissimi desiderium, nec patris sanctissimi viri memoria illum à Christiana gratitude vllo pacto dimouere potuerint. Ne Hercules quidem contra duos vulgò audiatur hic noster cõtra tres grauissimos hostes simul consertim impetentes sese inuictum præstitit.

TOLERANTIA ETHICA, IN SPECIE. ET PRIMO MALORVM *animi, in vita Theorica. Moderatè ferre, se ab alio vinci, aut etiam ab inferiore & minore moneri ac instrui.*

Verè philosophicus est hic habitus, quia veritatis potius quàm gloriæ sitæ rationem habet. De eo nos sub loco Veritatis quoque agemus: quatenus scilicet id quod est, vt est, agnoscit atque fatetur, & ab alio se redargui, corrigi ac moneri non inuitus sustinet. In præsentia verò de eo agimus, quatenus eam ipsam molestiam (quam vel ingenui homines percipiunt, si ab aliis reprehendantur, aut ab inferioribus doceantur) moderatè fert. Hîc solius moderationis rationem habemus: illic internæ causæ, φιλαληθείας nimirum, quæ præstat vt æquo animo id ferre possit.

LABERIVS inter eos, qui Mimos scripserunt, diu clarissimus, victus tandem est à Publio Syro, cùm à Iul. Cæsare coactus Laberius in certamen descendisset. Victorem corona, victum anulo Cæsar donauit, inæquanimiter tulit, vt victum se sine altercatione fateretur, his sapientiæ plenis & memoratu dignis versibus:

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes agrè, & citius quàm descendas decides.
Cecidi ego, cadet qui sequitur. Laus est publica.

TOLERANTIA MALORVM ANIMI IN VITA *practica mechanica.*

Huius moderationis eadem planè est ratio, quæ & superioris: qui videlicet ab aliis se moneri, reprehendi aut institui æquo ferunt animo.

TOLERANTIA MALORVM ANIMI IN PRACTICA ETHICA.

Iustas reprehensiones aut institutiones moderatè ferre.

Duplicia sunt hæc mala: alia quidem absolutè, vitia nimirum: alia secundum quid, hoc est, respectu maiorum & perfectiorum virtutum. Vitia ita sunt fugienda, vt eorum turpitudini mors sit anteponenda. Imperfectio verò virtutum quatenus ad perfectionem tendit, non cōtemnenda est, neque fugienda, sed id sedulò conandum, vt perficiatur: quatenus autem à virtute deficit, sic aliorum reprehensiones & admonitiones non sunt grauatim suscipiendæ, sed in hoc ipso moderatione opus erit, ne plus quàm par sit doleat ex sua imperfectione. Vt enim in Theoricis habitus iste philosophicus erat veritatis studio φιλαυτίαν omnem fugiens: sic in ethicis habitus iste verè politicus est, virtutis causa & Reip. non ægrè ferens se ab alio vel vinci vel admoneri. Exempla plurima ex tit. Reprehensiones aliorum moderatè ferrè, peti possunt: illic enim veritatis studium, hic moderationem consideramus.

PÆDARETVS Spartanus, cùm in trecentorum ordinem non esset ascriptus, ridens abiit. Reuocantibus autem Ephoris, & causam rogantibus, respondit: Gratulor huic Reip. quæ trecentos habeat ciues me meliores. Plutarchus in Laconicis Apoph.

TOLERANTIA MALORVM CORPORIS.

MORBOS QVOSLIBET PA*tienter ferre.*

TVRBO præfectus prætorianorum sub Adriano tanta fuit constantia & animi magnitudine, vt nec morbo laborans domi se contineret, præpositos rerum stantes mori oportere dicens. Rauis.

COSMVS Florentinus podagra grauissimè laborans, cōtempta morbi grauitate semper non tantùm Florentinis, sed toti Italiæ prodesse studet. Pont. lib. 2. c. 8. de Fort domest.

Antonius Panormita multos annos tormina & vrinæ difficultatem tam sedatè tulit, vt dissimulare videri posset ægritudinem. Pontan. lib. 2. cap. 8. de Fort.

HOMERVS vtroque oculo captus ita tamen mentis oculis vsus est, vt non modò poetis, verumetiam philosophis reliquisque doctis hominib. veluti lucernam accenderit. Pont. lib. 2. cap. 8. de Fortitud.

Lycurgus, qui leges Lacedæmoniis dedit, non modò æquo animo tulit oculi cæcitatem ab Alcandro adolescēte temerario illatam: sed ipsum iniuriæ autorem ad supplicium sibi deditum benignè clementérque penes se tam diu habuit, quoad longa consuetudine ex improbissimo factus sit omnium frugalissimus. Sab. libro 9. capite 1. & Volater. libro 16. Vrb. com.

SERTORIVS Romanorum ducum virtute bellica haud quidem vltimus, cùm bello quodam adhuc priuatus oculum amisisset, non solùm id infortunium fortiter tulit: sed gloriari etiā est solitus, quòd cæteri viri fortes sua virtutis insignia, torques, hastas, coronas domi relinquerent, ipse vbique sua haberet decora. Sab. lib. 5. cap. 7.

BELISARIVS toties dux & victor, tandem iussu imperatoris Iustiniani ob inuidiam excæcatus, eleemosynam à prætereuntibus tuguriolum petere coactus est, Quam fortunam licet grauissimam, tam æquo tulit animo, vt nihil diceret aliud, quàm Viator da obulum Belisario, quem virtus extulit, excæcauit, & ad summam paupertatem adegit inuidia. Pont. lib. 2. cap. 8. de Fortuna domest.

Federicus Vrbinas tam æquo ferebat animo alterum oculum sibi deesse, vt interdum in deformitatem illam iocaretur. Rauis.

Asclepiades non ignobilis, nec inexercitatus philosophus, cuidam interroganti, Quid incommodi cęcitas ipsi attulisset: Vt vno, inquit, puero ambulem comitatior. Significans, sibi minimè molestam cæcitatem corporis, quum animo cerneret. Eras. lib. 8. Apoph.

LABORES, ÆSTVM, FRIGORA.

Robore corporis passiuo nititur hæc tolerantia, non secus ac Fortitudo propulsatrix robore simul & ira. Eapropter exempla quædam ex tit. Roboris corporei peti possunt, præterea ex tit. Imperator militibus exemplo præsit: insuper etiam ex tit. Educatio in bonis corporis.

Apud Indos patiētiæ meditatio tam obstinatè vsurpari creditur, vt sint qui omne vitæ tempus nudi exigant, modò Caucasi montis gelido rigore corpora sua durātes, modò flāmis sine vllo gemitu obiicientes: atque haud parua his gloria contemptu doloris acquiritur: titulus namque sapientiæ datur. Val. lib. 3. cap. 3.

DOLORES CORPORIS.

Huc quædam ex tit. Roboris passiui transferri possunt.

FLAMMAS, IGNEM.

CALANVS Indus sophista, cùm iam seipsum corporis vinculis liberare vellet, pyram ex aridis ac odoriferis lignis cōstruxit, & eandē ascendens, accendi iussit: ac in media lignorum flagrantium strue tam immotus constitit, vt nullo omnino corporis dolore affici, ac mortem cum vita nullis quasi cruciatibus mutari visus sit. Ælian. lib. 5. de Varia historia. De quo etiam infrá, sub Mortis tolerantia. Hîc doloris solius exustione ratio habetur.

Cùm Themistoclis frater AGESILAVS (quo tempore ingenti exercitu Xerxes ad euertēdam Græciam veniebat) vt pro exploratore in hostium castra proficisceretur, munus suscepisset: conspecto in castris Mardonio, homine Persa, amictu conspectúque ante alios insigni, arbitratus Xerxem esse, posséque fieri vt morte eius patriç salutem seruaret: sensim homini appropinquans, eum interemit. Ita comprehēsus, atque ad Xerxem perductus, qui ea ipsa hora sacrificabat, nullo aut vultu aut voce dolorem perferentis edito signo, ignibus, quibus in ara sacrificabatur, dexteram iniecit, totámque combussit. Cùm autem tanta patientia Xerxes obstupuisset, fertur ei Agesilaus dixisse: Tales Atheniensium animos esse, atque vt in ea rē maiorem faceret fidem, paratum se obtulit, si permitteretur aliam quoque manum ignibus iniicere. Quod Xerxes prohibuit tanta virtute motus, & abeundi Agesilao vnà cum supplicij remissione facultatem permisit. Fulgos. lib. 3. ex Plutar. cap. 3. Parall. & Samius lib. 2. rerum Persicarum.

Vetusto Macedoniæ more, regi ALEXANDRO nobilissimi pueri præstò erant sacrificanti. E quibus vnus thuribulo accepto, ante ipsum astitit, in cuius brachium carbo ardens delapsus est. Quo etsi ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perueniret, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aspergeret. Rex quoque patiētia pueri magis delectatus, hoc certius perseuerantię experimentum sumere voluit: solito enim sacrificauit diutius, nec hac re eum à proposito repulit. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, sciisset eius stirpis milites vinci non posse, cuius infirmam ætatem annuo robore præditam animaduertisset. Val. Max. libro 3. cap. 3.

Q. MVTIVS Scæuola, cùm Porsena rex Thuscorum aduersus Romanos bellaturus trans Tyberim castra locasset, in hostium castra mutato habitu se recepit, & satellitem regis pro ipso rege interfecit. Ad Porsenam regem ductus, dextram manum igni imposuit, dolorésque animosè dissimulans, eam quia errasset exussit, & Porsenam ad pacem cum Romanis faciendam impulit. Hæc Aristides Milesius lib. 4. Liuius lib. 2. Dec. 1. Val. lib. 3. Syll. Ital. lib. 8. & Sab. lib. 5. cap. 8.

POMPEIVS legationis officio fungens, à Gentio rege interceptus, cùm senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernę admotum digitum cremandum prębuit: eáque patientia regi simul, & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. Val. lib. 3. cap. 3.

VVLNERA, PLAGAS, ICTVS, SECTIO*nes medicas, verbera.*

ZOPYRVM Persam quis non doloris patientissimum fuisse dicat, qui sibi ipsi nares auresque amputauit, suúmque corpus variis vulneribus deformauit, vt Assyrios & Babylonios Dario, singulari fraude & astutia traderet. Historiam copiosè leges apud Iustinum lib. 1. Herod. lib. 4. Plut. in Apoph.

RISACES equiso naribus, auribus & labiis seipsum mutilat, vt Saccas ciues suos liberare possit. Vide tit. Hostes fame sitique conficere.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, cum post reformatam Rempub. à populo ferè dilapidatus esset, in ea seditione Alcander pertinacius insequens, fuste respicienti Lycurgo, in tergum extrudit oculum. Verùm hunc Alcandrum cùm noxæ deditum publico decreto accepisset puniendum, nec vllo affecit incommodo, nec incusauit, sed cum illum sui instituti socium haberet, effecit vt & ipsum Lycurgum, & vitæ rationem quam cum eo egerat, prædicaret: nec victum modò, sed vniuersam ciuium educationem amaret, quam Lycurgus induxerat. Porrò mali quod acciderat monumentum locauit dicatum in templo Mineruæ, cui ab æreo delubro nomen Chalciœco, deǽque cognomentum addit, vt Optiletis diceretur. nam Dores Lacedęmonem incolentes, oculos optilos vocant, ab ὄπτω, quod Græcis sonat video. Insignis tolerantiæ exemplum, quæ ex hoste capitali reddidit amicum ac propugnatorem: quē etiamsi necasset, vt ipsi licuit, nihilo tamen minus ipse fuisset lusus, & vno legum suarum defensore minus habuisset. Plutarchus in Laconicis. Stobæus sermone 17.

PVERI apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab indeiicibili virtute cognomen Orthia, flagellis ex more totum diem cędebantur: itáque frequenter durabant ad mortem vsque hilares ac læti, concertantes inter sese de victoria, quis ipsorum duritissimè fortissiméque toleraret verbera, victor cum primis celebris haberetur. Hoc certaminis genus appellabant διαμαστίγωσιν. Renouabatur autem quotannis. Huius consuetudinis originem indicat Plutarchus in vita Aristidis. Quum itaque Pausanias paulisper semotus à statione militum, rem diuinam faceret, Lydi aliquot incursione facta, sacrificiorum apparatum diripuerunt: quos ipse cum comitibus suis comprehensos, quoniam inermes erant, loris cecidit. In huius facti memoriam fieri cœptum est Spartæ, quod retulimus. Pausanias in Laconicis diuersam affert huius consuetudinis causam. Quum Limnates, Cynosurenses, Mesoan, & Pitauenses Dianæ sacrificarent, in dissidium venerunt, ex dissidio ad pugnam, adeò vt multis cadaueribus ara compleretur, reliquos pestilentia consumpsit. Hinc proditum est oraculum, aram Dianæ humano sanguine expiandam esse. Quum igitur immolarent, cuicūque sors obuenisset, Lycurgus eam mactationem vertit in flagellationem adolescentulorum. Ita factum est, vt citra necem hominum, ara sanguine humano expiaretur. Hoc exemplū vt imitari sit ineptum, ita nobis exprobrat immodicam indulgentiam erga pueros, qui sic in deliciis eos educamus, vt ad studiorum quoque laborem sint inutiles, & omnis increpationis quamuis blandæ impatiētes. Plut. in Lacon.

Apud Spartanos cum mos esset, vt quod quisque posset suffurari, concederetur, modò in furto non deprehenderetur: PVER quidam, quum viuam vulpeculam, quam sodales erant furati, sibi ab eis traditam seruaret, venissentque qui perdiderant, inquirendi gratia, vulpeculam sub veste abditam tenebat: verùm cum efferata bestia latus pueri vsque ad intestina corroderet, dissimulauit tacitus dolorem, ne proderet furtum. Mox verò cum obiurgaretur à consodalibus cur fecisset: Præstabat, inquit, fortiter emori, quàm hac nota traduci, vt ob molliciem dicar lucrifecisse vitam ignominiosam. Ibidem.

Nicodromus citharœdus CRATETIS dictis lacessitus, impegit illi pugnum in os, & sugillauit. At Crates fronti imposuit tabellam, in qua scriptum erat: Nicodromus faciebat. itáque cum liuore suo obambulās, traduxit citharœdum: festiuiter alludens ad artificum morem, qui operibus suis inscribunt, Apelles aut Phidias faciebat. Simile quiddam narratur de Diogene pulsato. Laert. lib. 6. cap. 5.

ADOLESCENS quidam, posteaquam Zenonem aliquandiu audierat, domum reuersus, à patre rogatus, quod tandem operæprecium fecisset in philosophiæ studio: Ostendam, inquit. Quum nihil aliud diceret, pater iracundus: existimans impendium periisse, cœpit flagris cædere filium. Eam parentis sæuitiam adolescens æquissimo animo tulit. Ac rursus efflagitanti patri, vt aliquod specimen profectus ederet, expectāti egregiū aliquod sophisma: Hoc, inquit, è philosophia fructus retuli, vt patris iram possim commodè perpeti. Eras. lib. 8. Apoph.

SOCRATES philosophus Atheniensis, cùm insolens atque immodestus iuuenis pugno faciem eius percussisset, nihil aliud egit aut dixit, nisi: Sibi permolestum esse, quòd nesciretur, quando cum galea domo egrediendum esset. Fulg. lib. 4. cap. 1.

IDEM ictu calcis à quodam percussus patienter tulit. Ferre id iniquo animo ex eius asseclatoribus quidam, monitúsque vt hominem repercuteret: An, inquit Socrates, si meus me asinus percusserit, oporteat me continuò in quadrupedem recalcitrare? Sab. libro quinto, cap. 7. & lib. 9. cap. 1.

DIOGENES Sinopensis, Cynicus, ingressus aliquando conuiuium, malè acceptus est ab insolenti iuuenum cœtu, multisque inibi cruentisque plagis affectus. Tulit fortiter Cynicus senex contumeliosam illam conuiuij temulentiam, stultámque intemperiem. Autorum tantum nomina exscripsit suo sanguine, exscripta ferculo circumtulit. Sabell. libro quinto, capite septimo.

CATO petenti cuidam veniam, à quo fuisset in balneo per imprudētiam percussus. Atqui, respondit, nūquam tu me, quod meminerim, percussisti. Pont. lib. 2. cap. 10. de Fort. domest.

C. MARIVS Rusticanus Romanus consul, cùm varicosus esset, atque vt curaretur, ex cruribus alterum secandum medico porrexisset: non modò non vinculis vllis, vt mos est, vinciri, aut ab aliquo teneri se passus est, sed ne verbo quidem aut gemitu aliquo plus dolorem patientis signa edidit, quàm si vel sectio in alieno corpore fieret, vel ipse sensu omnino careret. Cæterùm posteaquam alterius cruris adoriri curationem medicus tentauit, ei Marius dixit, cùm ægritudo quam patiebatur deformitatis tantum damna secū ferret, haud operę dignum esse precium, vt eius rei gratia tam grauem cruciatum perferret. Quo verbo, grauiter quidem, dum crus secaretur, se affectum fuisse declarauit: sed animi prudentia ferendóque dolorem dissimulasse. Facinus profectò illius virtute atque animi magnitudine dignum, qui antè tam multa gloriosè gesserat. Fulgos. lib. 3. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap. 8. & Cic. in 2. Tuscul. & Pont. lib. 2. cap. 8.

PORTIA Catonis filia & Bruti vxor, cùm Bruti viri sui consiliū, quod de interficiendo Cæsare cæperat, ea nocte, qua dies deterrimi facti secutus est, cógnouisset: egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium quasi vnguium resecandorum causâ poposcit, eóque velut fortè elapso, se vulnerauit. Clamore deinde ancillarum, in cubiculū reuocatus Brutus, obiurgare eam cœpit, quòd tonsoris præripuisset officium. Cui secreto Portia: Non est hoc (inquit) temerarium factum meum, sed in tali statu nostro, amoris mei erga te certissimū indicium. Experiri enim volui, si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quàm æquo animo me ferro essem interemptura. Val. lib. 3. cap. 2.

SIGISMVNDVS Cæsar, cùm grauiter pede laboraret (ignis enim quem sacrum vocant, digitum pedis exurebat) ne altius morbus serperet, Medici digitum pedis abscindendum suadebant. Paruit imperator, & quasi alius secaretur, ita immotus chirurgi ferrum spectauit & pertulit. Æneas Syluius libro quarto Commentariorum in res gestas Alphonsi.

IOANNES Aragoniæ rex candens chirurgi ferrum adeò constanter tulit, vt supra quàm oportebat, vreretur. Rauis.

ALPHONSVS Aragonum rex cauernosum vlcus cùm haberet, ignito gladio aperiendum medico præbuit, nullo prorsus aut voce, aut gemitu, aut frontis contractione doloris signo edito. Panorm. lib. 4. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM cùm fortè à quodam qui in itinere præcederet ramusculo arboris dimisso, grauiter læsus esset oculo, condolentibus amicis qui oculum ad cæcitatem ferè læsum videbant: regem dixisse ferunt, nihil profectò se dolere, nisi percussoris ipsius dolorem ac metum. Ibidem.

In collibus apud quos natus sum (inquit Petrarcha) vidit ætas nostra NOBILEM quendam virum, cuius primum studium fuit, excipere trāseuntes apparatu magnifico. Die quodam à syluis & venatu, cuius quoque perstudiosus erat, incultam & dumis laceratam tunicam indutus, rediens, plenam hospitibus domum reperit. Quibus honorandis intentus, dum huc illuc cuncta prouidens discurrit, in quendam illorum superbum & stabula purgantem famulum incidit, cœpitque eum blandè corrigere. Impatiens iræ furcifer, extenta manu faciem eius percussit. Abijt ille tacitus. Mox cernens famulus quem pulsauerat inter discumbentes medium, trepidare cœperat. Tandem explorato quisnam esset, erroris veniam poposcit. Cui ædium dominus: Tibi, inquit, libens parco: huic autem (& tunicam suam digito signauit) non parco, quæ vt ita tractarer præstitit.

TORMENTA.

Aristogiton & Harmodius, quemadmodum in tyrannos impetum fecerint, nemo est Græcorum qui ignoret. Erat Aristogitoni scortum nomine LEÆNA. Hippias comprehensam Leænam in quæstionibus examinauit, vt coniurationis socios indicaret. Illa pro virili parte restitit: sed tormentorum vi superata, suam ipsa linguam abscidit. Athenienses honore meretricem afficere volentes, ipsam quidem non in arce statuerunt, sed animal leænam æneam fabricantes, consecrarunt: Si quis in arcem ascenderet, in vestibulo statim leænam æneam conspiciebat, ad memoriam rei gestæ, lingua carentem. Polyæn. lib. 8. & Fulg. lib. 3. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap 8.

LYGVS fœmina, quum metu militum filiū occultasset, & illi per cruciatus interrogarent, vbinam occultasset: vterum ostendens, ibidem respondit latēre: nec vllis tormentis cogi potuit, vt constantiam vocis egregiæ mutaret. Cor. Tacitus.

ZENO Eleates, cùm esset in dispicienda rerum natura maximæ prudentiæ, ínque excitandis ad vigorem iuuenum animis promptissimus, præceptorum fidem exemplo virtutis suæ explicauit. Patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obrutum fuit, tanta fiducia ingenij ac morum suorum fretus, vt sperauerit & tyranno & Phalaridi vesanæ mentis feritatem à se diripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quàm consilij salubritatem valere animaduertit, nobilissimos eius ciuitatis adolescentes cupiditate liberandæ patriæ inflammauit. Cuius rei cùm ad tyrannum manasset, conuocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit, subinde quærens quósnam consilij participes haberet. At ille nec eorum quempiam nominauit, & proximum quenque ac fidissimum tyranno suspectum reddidit: increpitásque Agri-

gentinis ignauiam ac timiditatem, effecit vt ſubito mentis impulſu concitati, Phalarim lapidibus proſternerent. Senis eius vnius eculeo impoſiti, non ſupplex vox, nec miſerabilis eiulatus, ſed fortis cohortatio totius vrbis animum fortunamq; mutauit. Val. Max. lib. 3. cap. 3. & Alex. ab Alex. lib. 1. cap 30, & Pont. lib. 2. cap. 7.

Euiſdem nominis PHILOSOPHVS, cùm à Nearcho tyranno, de cuius nece conſilium inierat, torqueretur, ſupplicij pariter atque indicandorum gratia conſciorum, doloris victor, ſed vltionis cupidus: eſſe dixit, quod ſecretò audire eum admodum expediret: laxatoq; eculeo, poſtquam inſidiis opportunum tempus animaduertit, aurem eius morſu corripuit: nec antè dimiſit, quàm & ipſe vita, & ille corporis parte priuaretur. Val. Max. lib. 3. cap. 3.

In THEODORO viro grauiſſimo, Hieronymus Syracuſiorum tyrãrannus tortorum manus fruſtra fatigauit. Rupit enim verbera, fidiculas laxauit, ſoluit eculeum, laminas extinxit prius quàm efficeret, vt tyrannicidiis conſcios indicaret. Quinetiam ſatellitem, in quo totius dominationis ſumma quaſi quodam cardine verſabatur, falſa criminatione inquinando, fidum lateri eius cuſtodem eripuit: beneficioq; ae patientię, nõ ſolùm quæ occulta fuerunt texit, ſed etiam tormenta vltus eſt: quibus Hieronymus dum inimicum cupidè lacerat, amicum temerè perdidit. Idem.

Talis patientiæ æmulus ANAXARCHVS, cùm à tyrãno Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec vlla vi inhiberi poſſet, quo minus amariſſimorum eum maledictorum verberibus inuicem ipſe torqueret, ad vltimum amputationem linguæ minitanti: Non erit (inquit) effœminate adoleſcens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis, protinusq; dẽtibus abſciſſam, & commanducatam linguã, in os eius ira potens expuit. Multorum autem aures, illa lingua & in primis Alexandri regis admiratione ſui attonitas habuerat, dum terræ conditionem, ambitum maris, ſiderum motus, totiuſque denique mundi naturam prudentiſſimè & facũdiſſimè exprompſit. Penè tamẽ occidit glorioſius quàm viguit, quia tam forti fine, illuſtrem profeſſionis actum comprobauit: Anaxarchuq; nõ vitam modò deſeruit, ſed mortem reddidit clariorem. Valer. libr. 3. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap. 8. Pontanus lib 2. cap. 7. hoc Theodoro Syracuſano tribuit, qui à Timocreonte tyranno tortus fuerit. Sed in nominibus videtur Põtanus errare.

ARETAPHILA, Nicocratis vxor, qui Cyrenis tyrannidem exercebat, cùm plus eam patriæ charitas, quàm viri amor moueret, vt patriam tyrannide liberaret, aduerſo fato detecta eſt, conſilium iniuiſſe, Nicocratem virum veneno tollendi. Itaque variis ac longis cruciatibus affecta, à Caluia ſocru (quanquã res penè manifeſta eſſet) adeò conſtanter tormenta pertulit, atq; ita eam rem ſemper excuſauit, vt tanquam innoxia, in primum honoris gradum apud virum reſtitueretur, quem tamen ipſa haud multo pòſt interemit. Fulgoſ. li. 8. ca. 4, & Egnat. lib. 8. ca. 4.

Fannij ſeruus ALEXANDER, cùm in hunc ſuſpicio C. Flacci equitis Romani occiſi veniſſet, ſepties tortus, pernegauit ei ſe culpæ affinem fuiſſe: ſed perinde atque confeſſus, & à iudicibus damnatus, & à L. Calpurnio triumuiro in crucem actus eſt. Val. lib. 8. cap. 4.

Fuluio Flacco cauſam dicente, PHILIPPVS ſeruus eius, in quo tota quæſtio nitebatur, octies tortus, nullum omnino verbum, quo dominus perſtringeretur, emiſit: & tamen reus damnatus eſt, cùm certius argumentum innocẽtiæ vnus octies tortus exhiberet, quàm octo ſemel torti præbuiſſent. Idem.

M. Antonij oratoris, item C. Plotini Planci SERVORVM in tormentis & quæſtionibus tolerantiam, ne dominos ſuos proderent, pete ex tit. Seruorum amor erga dominos.

Q. CICERONIS filius verbera & tormenta patientiſſimè tolerat, ne patrem prodere cogatur. Vide titu. Amor filiorum erga parentes.

M. ATTILIVS regulus maiorem in ſuo ad hoſtem reditu præſtitit fidem, quàm in ſupplicio conſtantiam. Duplex itaque laus hodie hominis memoriam comitatur, iuſticię vna, altera fortitudinis: vtraque virtus, atque eius indolis alumna, per quam res Romana non ſolùm creuit, ſed etiam in immenſum propagata eſt. Sab. lib. 5. cap. 8.

Liberta, EPICHARIS nomine, cùm fortè in noticiam veniſſet Piſonianæ conſpirationis aduerſus Neronem, audentior conſtantiorque ſupra fœmineum ſexum: non ſatis habuit tantæ rei noticiam habuiſſe, ſe inter participes quoque annumerari voluit. Puteolos igitur in Campaniã profecta, miris modis operam dedit, vt præfectum naualium Voluſium in coniurationis partem traheret. Cęterùm is longè vilior quàm muliercula, rem omnem Neroni detexit. Quamobrem variis grauiſſimiſq; cruciatibus torta Epicharis, quanquam Voluſius coram quæ ab ea accepiſſet, teſtaretur: nunquam adduci potuit vt confeſſione ſua rem vllam aperiret, ſed cùm iam tortores defatigaſſet, & lacero corpore ingratã haberet vitam, ſe ipſam laqueo ſuſpendit. In fragili enim ſexu, quem nullius doctrinæ robur armârat, plus ineſſe virtutis atque potentiæ oſtendit, quàm veterum philoſophorum permulti fecerunt. Fulg. lib. 3. cap. 3. At de ea Polyænus ſic: Piſo & Seneca inſidias in Neronem comparabãt. Seneca frater erat Scelai, qui ſcortum habebat Epicharim. Hanc Nero quaſi participem occultorum conſiliorum, in quæſtionibus examinauit acerbiſſimè. Illa verò reſtitit, neque quenquam prodidit. Nero rem diſtulit, quaſi eam iterum torturus. Poſt triduũ Epicharim in lectica iuſsit adportari. Illa ſoluta Zona ſeipſam in ipſa lectica ſtrãgulauit. Qui portabant, ad tormentorum locum appropinquantes, depoſita lectica progredi eam iuſſerunt. At illius corpus mortuũ reperiebatur, ac tyrannus mirum in modum ſe cruciabat, quòd à ſcorto victus videretur. Poly. li. 8.

Cùm Ptolemæus per perfidiam ſocerum Simonem pontificem & Iudæorum principem occidiſſet, captaque SOCRV duobuſq; liberis cum eis ſe in Draconis arcem recepiſſet: Hyrcanus Simonis filius, qui Ptolemæi ſororis viri vim effũgerat, firmato patris imperio, dum vlciſci acceptas iniurias nititur, Ptolemæum in arce, in quam ſe receperat, obſedit, & iam eò redegerat, vt in arcto res conſtituta videretur. Cæterùm Ptolemæus primo ſceleri nouam crudelitatem adiungens, dum ab hoſtibus oppugnatur, in muris ſocrũ ſuam Hyrcani matrem ſæuiſſimis tormentis diſcruciare cœpit: mulierem autem non ſexus imbecillitas, non ſenium mouit, quin clara voce filium oraret, ne ab oppugnatione propter ipſius tormenta auerteretur. Quæ ita patienter in ſenili corpore ferebat, vt ea non ſentire videretur. Cæterùm plus in Hyrcano filio materna pietas, quàm vlciſcendi iuſtus dolor cùm poſſet, egit, vt ab oppugnatione deſiſteret, fretus ita matris tormẽto ſe finem facturum. Cæterùm Ptolemęus ſoluta obſidione, effugiendi viam nactus, matre fratribuſq; Hyrcani occiſis, in Philadelphiam ad Zenonem ſe recepit. Ful. lib. 3. cap. 3. ex Ioſephi lib. 12. Antiq.

Vltima Iudæorum rebellione, qua ciuitas eorum à Romanis deleta fuit, inter ſe ea gens ſocietatem iniuit, quam ZELOTARVM, id eſt amatorum atque obſeruantium legis nuncupabant. Primarium inter eos erat inſtitutum, vt vnum Deum Dominum agnoſcerent. Ex hac gente, quæ præter euerſas Hieroſolymas miſeranda multa in Ægypto pertulerat, cùm magnus propter nouas ſeditiones motas captus numerus eſſet, nulla vi tormentorum vllus adduci potuit, vt Cæſarem dominum ſuum appellare vellet. Idolorum enim cultum ceu tetram nefandamq; rem Romanis obſtinatè improperabant: magnificis verbis intrepidoque vultu nihili ſe tormẽta facere oſtendebant. Adeò autem huius rei tenax propoſitum penes omnes fuit, vt nedum firma ætas, verùm muliebris quoque ſexus ac pueri, inter tormenta ipſa, conſtanter perſeuerantes, ridentium ſpeciem ſemper præbuerint. Idem.

Eodem bello, cum vrbs Iotapata obſidione premeretur, captus à Romanis militibus illius vrbis CIVIS, cùm à Veſpaſiano de obſeſſorum ſtatu rogaretur, adhibitis inter tormenta ignibus, nũquam compelli potuit vt aliquid fateri vellet, Quin ridentis facie in ipſis tormẽtis mortem, cuius comminatione Romani eum terreri poſſe putabant, contemnere non antè deſtitit, quàm in crucem ſublatus vitam amiſit. Idem.

QVINTILIÆ Mimę virtus patientiaque non minor quàm Epicharidis fuit, quanquam fœliciorem exitum nacta eſt. Nam licet theatralibus ludis vſque ad id tempus enutrita, ab omni virtute atque potentia longè videretur abeſſe debere, tamen à Timidio accuſ[a]ta, quòd Popedij ſenatoris animi ac conſiliorum aduerſus principem Caligulam conſcia eſſet, ignorare ſe eam rem ſemper dixit. Dum ad tormentorum locum duceretur, coniuratorum vni qui aderat, dum tranſiret, pedem pede ſuo calcans, innuit, vt bono animo eſſet, quòd eum nominatura non erat. Atque inter tormenta in hac ſententia fortiter perſtans, tandem vt quæ per iniuriam hos cruciatus pertuliſſet liberata fuit, permultis ad leniendas mala, quæ pertulerat, collatis muneribus. Idem.

AEGYPTIOS patientiſſimè ferre tormenta, aiunt, & apud eos citius mori hominem in quæſtionibus tortum exanimatumque, quàm veritatẽ prodere. Ælian. lib. 7. de Varia hiſt.

QVIDAM in Hiſpania ſeruus vt domini ſui necem vlciſceretur, Haſdrubalem clariſſimum Carthaginenſium ducem obtruncauit. Idem ad ſupplicium raptus, cùm variis torqueretur modis, diriſq; cruciatibus afficeretur, non modò vultu, aut querula voce, gemitúue vllo dolore affici viſus eſt: ſed ridens geſtienſq; lætitia in medio dolore expirauit. Sab. li. 5. cap. 8 & Val. lib. 3. cap. 3. ex lib. 21. Liuij.

Recentior, ſed non minus inſignis IOANNIS BONETI Veronenſis patientia fuit, cùm ab Ecerino, quem à Romano oppido Romanum nuncupabant, Veronæ ac Taruiſinæ Marchiæ principe, qui omnes crudelitate ceu nouus Phalaris ætate ſua anteibat, ad prætorem Patauium Anſedinum ipſius crudelitatis miniſtrum miſſus eſſet: diu promiſſis primò allectus, deindè tormentis diſcruciatus, vt initæ in tyrannum coniurationis quoſdam nominaret, quos ipſe inſontes norat. Ne fortè doloris magnitudo ad ea dicenda cogeret, quæ ipſe ſponte ſua nunquam falſurus erat, in ipſius prætoris cõſpectu ſibiipſi dentibus linguam abſcidit, atque haud multo pòſt inter tormenta defecit, quemadmodum eius pater Thomaſinus eadem de cauſa antè defecerat. Fulgoſ. libro tertio capite tertio.

BARDILO Vicentinus, cùm aduerſæ factionis accuſationibus, quæ falſæ erant, premeretur, & propterea magiſtratui in cuſtodiam traditus eſſet, & diſquiſitione habita torqueretur, cùm tormentis putaretur adduci poſſe vt falſa fateretur, & ita perdi poſſet: prius verbis ſe excuſauit, ne dolore vinci poſſe crederetur, deinde dentibus linguam abſcidit, ſanguineque inde largius manante, Anaxarchum imitatus, periit. Idem.

MAVRISIVS ſeruus, cùm à Neapolitano prætore candenti forcipe concideretur (liberum enim hominem domini ſui iuſſu occiderat) traheretur que per vrbem ad maius ſupplicium, nullos omnino eiulatus miſit, non vultum mutauit, non ſtatum corporis: quin cùm pectus brachiaque ad neruos oſſaque vlulata & conciſa eſſent, protento collo, ita os carnifici obtulit, ac ſi ſecum non ageretur. Omnia enim vicit animi obduratione ac pertinacia. Pontanus libr. 2. capite 7. de Fort. domeſt.

Cùm Hermolaus Donatus, Venetiis inter decemuiros principum vnus haberetur, atque is fortè in vinculis adoleſcentem haberet, impudicitiæ reum, qui tormentis nullis, vt crimen fateretur, adduci poterat: contigit, vt adoleſcentis amator (fortaſsè fretus, ita ſe amatum adoleſcentem liberaturum) Hermolaum poſt ſecundam à ſolis occaſu horam, à palatio

palatio domum regredientem, vno ſolo comitatum, extincto eius lumine, vno vulnere occidit. Cùm autem caſus illius atrocitas vehèmenter ſenatum Venetum perculiſſet, & cædis autor ignoraretur, coniectura eius facti veritatem diſquirere decreuit. Itaque cùm in mentem rediiſſet, inter Hermolaum atque IACOBVM Foſcarum, qui vnicus Franciſci Foſcari eo tempore Venetorum ducis filius erat, graues olim contentiones fuiſſe: arbitratus ſenatus, Iacobum patris honore fretum illius cędis autorem fuiſſe, in vincula conijci eum iuſſit. Qui illic variis acerbíſque tormentorum generibus diſcruciatus, quanquam nihil fateretur: tamen cùm pertinaciter Senatus in ſententia maneret, ab eo Hermolai cædem procuratam fuiſſe, & tamen inconfeſſum morte mulctare non poſſet, tandem in Cretam eum relegauit. Cùm autem haud multò pòſt Iacobus in exilio deceſſiſſet, qui cædẽ eam patrauerat, cum ſe religioni dicaſſet, morti proximus, rem geſtam à ſe faſſus eſt. Quæ res ſatis apertè monet, non eſſe magnopere tormentis credendum. Perſæpè enim tormenta eos, qui in dolore teneriores ſunt, etiam quæ non egerunt fateri cogunt: quoſdam quoque veneficio à ſenſu alienatos vidimus tormentis, ceu in lecto iacerent doloris expertes, indormire. Nullam ergo de morte hominis, quæ peracta irreuocabilis eſt, cunctationem nimis longam ducere debemus: neque enim ab re, Romanarum legum conditores ſtatuerunt, ſolam criminis confeſſionem, quæ per tormenta extorqueatur, ad damnationem non ſufficere, ſi cum ea ad probandam rem aliud nihil conueniat. Contrà etiam tormentorum patientiam, ſi in contrarium probationes eſſent, ad abſolutionem ſatis non eſſe, ſed prudentia in vtraque re opus eſſe cenſuerunt. Fulg. lib. 8. cap. 4. & Egnat. lib. 8. cap. 4.

Vercellis, quemadmodum Hieronymus ſcribit, à viro VXOR adulterij accuſata, dum torqueretur, conſtanter crimen ſemper negauit. Iuuenis autem quo cum adulteraſſe dicebatur, tormentorum impatiens, quod non patrârat, patraſſe ſe faſſus eſt: atque ob eam rem, ambobus à conſule, in quo rigoris plus quàm iuſticiæ erat, morte damnatis, prodigio veritas detecta eſt. Iuuenis enim mendax, gladio percuſſus, caput ſemel ictus amiſit: ſepties autem cùm fœmina gladio percuſſa eſſet, nõ cæſum modò, verumetiam iugulo pũctim petito, ferrum retrò ab eius carne veluti à ſilice ſemper reſilijt, præterquam in extremo ictu. Seruandæ enim illius animæ gratia percuſſa, pro mortua vt ſepeliretur elata fuit: atque tunc viua inuenta, curato vulnere, cùm demùm iudicio abſoluta eſſet, verum inuentum eſt. Ibidem.

HIERONYMVS Olgiatus, ciuis Mediolanẽſis, ex quatuor vnus fuit, qui Galeatium Sfortiam Mediolanenſem ducem occiderunt. Hic captus atque in cuſtodia acerbè diſcruciatus, vt eius cædis conſcios detegeret, etſi ſecundum ac vigeſimum annum nondum excedebat, effigie mollique corpore virgini quàm viro ſimilior, neque armis aſſuetus (vnde in hominum animis vigor robúrque comparatur) funi quo torquebatur appenſus, ceu ſi tribunali inſideret, procul ab omni dolore clara voce intrepidóque animo & ſuum & comitum facinus commendans, nullum vnquam pœnitentiæ ſignum oſtendit. Intermiſſis inde tormentis ſoluta oratione carminibúſque, ſuas & ſociorum laudes deſcripſit. Demum ad locum vbi excarnificaretur deductus, Carolum Franciónúmque comites, qui præ timore exanimati videbantur, cohortatus, carnifices orauit, vt à ſe prius inchoarent, vt eius exemplo comites patientiam diſcerent. Nudus igitur in diſco protenſus, cruribus brachiiſque ad diſci pedes deligatis, cùm eos qui aſtabant præparatæ mortis ſpecies atque horror auerteret, ipſe ſpecioſis verbis atque intrepida voce peractũ facinus extollens, nequaquam ſe quod tunc inſtabat ſæuum mortis genus curare oſtendit. A ſummo igitur humero vſque ad medium pectus carnificis falce diuiſus, nec verbis nec voce mutata, vitam ſimul cum catholica ad Deum oratione finiuit. O admiranda patientia, ô virtus priſcis illis, in quibus tantum animi robur fuit anteferenda, ſi alio in facinore eius experimentum facere contigiſſet. Iniquè profectò fortuna egiſſe videtur, quòd tanto animi ac corporis robore ornatum virum non eò contulit, vbi aduerſus catholicæ fidei hoſtes oſtenderet, quanta Chriſtiani hominis pectori virtus inſideret. Nunc iniectis in principem ſuum manibus, quid Hieronymus egiſſe dici poteſt, niſi in Galeatij morte Italiæ pacem turbaſſe, & tantorum malorum, quæ poſtea mors eius in Italia atque Europa euerſis vrbibus ac regnis ſecum traxit (quorum nullum adhuc finem intueri licet) cauſa fuiſſe? Fulgoſus libro tertio, capite tertio, & Egnat. lib. 3. capite tertio.

PERICVLA QVÆVIS MODERATE FERRE, *Naufragij, Terræmotus, &c.*

PYRRHO Elienſis, in tempeſtate conſpiciens cæteros animo eſſe deiectiores, quum ipſe nihil moueretur: oſtendit porcellum in naui ſecurè edentem, dicens: oportere ſapiẽtem eam animantis imitari ſecuritatem. Laert. lib. 9. cap. 11.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm Virgiliana lectione præcipuè delectaretur, & terra fortè (cũ in quarto Æneidos libro legeret de morte Didonis) moueretur: obſtupeſcentibus aliis ex re tam improuiſa & periculoſa, Alphonſus dixiſſe fertur: An mirum vobis videtur, ſi in morte tam celebris reginæ (cuius mortem apud Vergilium diuus Aurelius Auguſtinus nunquam ſine lachrymis legiſſe fertur) terra intremiſcit? Panormita libro primo, de rebus geſtis Alphonſi.

TOLERANTIA INSIDIARVM *à proprijs filijs.*

Hoc titulo comprehendimus parentum in ſuſpectos liberos moderationem, quam ſub loco Clementiæ quoque & Manſuetudinis tractabimus.

DARIVS ciuis Romanus, etſi filium in manifeſto crimine vitæ ſuæ inſidiarum deprehenderat, ob eam rem tamen ei ſtatim iratus non eſt: ſed quanquam eo tempore parẽti in filium quæ vellet ſtatuere fas eſſet, Auguſtum atque alios amicos in conſilium adhibuit. Qui cùm damnarent omnes filium, vt eum quem palàm erat deliquiſſe, ipſe filio, quanquam is patris, id eſt, eius cuius ipſe erat ſanguis, rationem non habuerat, ignoſcere voluit, Maſſiliámque relegare ſatis habuit. Fulgoſ. libro 5. cap. 9.

SEVERVS Romanorum imperator, licet ſciret inſidias ſibi à filio Antonino paratas, qui à tergo ſtricto gladio impetum in parentem fecerat, tamen à militibus defenſus ne verbum quidem ad filium primùm dixit: ſed perfectis pro tribunali rebus neceſſariis, in prætorium reuerſus, ibíque filium & Papinianum & Caſtorem ad ſe vocauit, deinde gladium in medio collocari iuſſit. Hîc filium increpat, quòd tantum facinus eſſet committere auſus. Tandem ait: Si me cupis interficere, hîc me interfice. Quòd ſi id recuſas, aut times tua manu facere, adeſt tibi Papinianus præfectus, cui imperare potes vt me interficiat. Hæc cùm dixiſſet, filium indemnatum ac illæſum dimiſit. Dion Nicæus & Xiphilinus in Seuero.

CAROLVS Magnus, cùm iam ſecundò Pipini filij ſpurij coniuratio in eum detecta eſſet, nihilo iratior, quia primò ignouiſſet, parentem ſe magis quàm regem oſtendit. Quem alius fortaſſe capitali pœna mulctaſſet, ipſe non vltrà in eum animaduertit, quàm vt profiteri monachalem religionem cogeret: quæ pœna eiuſmodi fuit, vt eius pœnitere nunquam poſſet. Fulg. lib. 5. cap. 9. & Egnat. lib. 5. cap. 9.

Caroli Magni filius LVDOVICVS, cognomine Pius, patri in Galliarum regno imperióque ſucceſſor, à Lothario filio non minus quàm pater à Pipino læſus eſt. Nam cùm ab eo in carcere habitus eſſet, quẽ ipſe pro paterna charitate imperij cõſortem fecerat (id enim etiam grauius filij crimen reddidit (poſtea procerum opera in honorem reſtitutus, Lotharium in iis regnis, quæ antè dederat, viuens confirmauit. A volente enim patre, cum honore ea accepit, quæ ipſe per impietatem parare cõtenderat. Ibidem.

CAROLVS ſeptimus Gallorum rex, cùm maiorem natu filium Ludouicum rebellem haberet (etenim paternis hoſtibus ſemper adhæſerat) moriens tamen, quanquam minorem natu obſequentem haberet, regni ſucceſſione non priuauit. Ibidem.

BLANCA Vicecomes Mediolanenſis dux, etſi à Galeatio filio ducatus adminiſtratione, poſt viri Franciſci Sforciæ mortẽ priuata, magnis quoque aliis in rebus, graues ab eo iniurias tulerat, & alij eam filij vehemẽter reuererentur: tamẽ cùm Cremona vrbe dotali iure potiretur (quam ſi aliis liberis reliquiſſet, grauiter Galeatium vlciſci poterat) in morte oblita Galeatij iniuriarum, ne inter filios diſcordiæ ſererentur, teſtamẽto vrbis prouentibus ęquis partibus inter liberos diuiſis, Galeatio, vtpote maiori natu, vrbis imperium reliquit. Ibidem.

TOLERANTIA INSIDIARVM A QVIbuſuis alijs, *ſiue amicis ſiue inimicis poſitarum.*

DARIO Hyſtaſpis filio inter venandum Aribazus Hyrcanus inſidias ponebat, vnà cum aliis non obſcuræ famæ in Perſia viris. Quas ille cùm reſciſſet, non exanimatus metu eſt, ſed iuſſit eos arma ſumere & equos: deinde mandauit, vt intenderent arcus, toruúmque aſpiciens eos: Quid igitur non exequimini, inquit, id cuius gratia veniſtis? At illi cùm intrepidum hominis vultum aſpicerent, non ſolùm impetum remiſerunt, verumetiam vſque adeò terrore perculſi ſunt, vt haſtas abiicerent, & deſilientes ab equis Darium adorarent, atque reciperent ſeſe facturos quicquid vellet. Qui diſgregauit eos à ſe mutuò, & alium ad Indiæ confinia miſit, alium ad Scythica. Atque illi beneficij memores, fideles in poſterum & obedientes ei fuerunt. Ælian. lib. 6. de Var. hiſt.

GELON Syracuſanorum tyrannus, manſuetiſſimum ſe imperio præbebat. Seditioſi verò quidam eius vitæ tendebant inſidias. Quod cùm reſciuiſſet Gelon, conuocata Syracuſiorum concione, armis indutus in ſuggeſtum aſcendit, & commemoratis ſuis erga illos meritis, inſidias detexit, atque exutis armis, dixit ad vniuerſos: En igitur amictus tunicula, nudus, aſto & dedo me vobis, vt pro voluntate libitóque mecum agatis. Cùm igitur Syracuſij mirati, ſuppliciis afficiendos inſidiatores ei tradidiſſent, & illum regnare iuſſiſſent, etiam hos puniendos reliquit populo. Quamobrem Syracuſij ſtatuam ei poſuerunt, in diſtincta tunica. Atque hoc fuit eius animi popularis monumentum, & in poſterũ regnantibus documentum. Ælian. lib. 13. de Var. hiſt.

AVGVSTVS, quum iam quadrageſimum exceſſiſſet annum, ageretq; in Gallia, delatum eſt ad illum, L. Cinnam adoleſcentem nobilem, ac Põpeij nepotem, inſidias illi ſtruere: dictũ eſt vbi, quando, & quomodo aggredi vellent. decreuerant enim ſacrificantem interficere. Dictabatur proſcriptionis ſententia. Sed Auguſto interim varias edẽte voces, ingreſſa Liuia vxor: Fac, inquit, quod medici ſolent, qui vbi vſitata remedia nõ procedunt, tentant contraria: ſeueritate nihil adhuc profeciſti, ignoſce. Cinna deprehenſus vitæ tuæ nocere non poteſt, famæ tuæ prodeſſe poteſt. Protinus iuſſit accerſi ſolum ad colloquium, venienti alteram

cathedram poni iussit. Hoc, inquit, Cinna primùm abs te peto, ne me loquentem interpelles: dabitur tibi loquendi tempus. Hîc commemoratis pluribus in Cinnam beneficiis, quòd seruasset repertum in castris hostiũ, quòd patrimonium omne cõcessisset, quòd insuper ornasset sacerdotio: rogauit, quare putarit ipsum occidẽdum? perturbato Cinna, sic finiit obiurgationem: Vitam tibi Cinna iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia: contendamus, vtrum ego melior fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Et consulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuò amicissimum, solus illi fuit hęres, nullis amplius insidiis ab illo petitus est. Suetonius in eius vita.

ADRIANVS seruum qui in se irruerat armatus, non solum non puniuit, verùm & curari iussit, quòd esset furiosus. Pont. libr. 2. cap. 10. de Fort. dom.

PERTINAX Romanorum imperator ab amicis admonitus, vt prętorianorum militum insidias effugeret, qui iam conabantur imperatorem de vita tollere: respondit, se nequaquam malè sibi conscium esse: ideoq; non opus esse, vt cõtra imperatoriam maiestatem atq; anteactam vitam, latebris aut fuga consulat vitæ suæ. Herodianus lib. 2.

Ouinius Camillus, antiquæ familiæ senator, homo delicatissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum ALEXANDRO Seuero renunciatum esset, statimque probatum, ad palatium eum rogauit: eique gratias egit, quòd Reipub. curam, quę bonis viris recusantibus imponi solet, sponte susciperet. Mox ad senatum produxit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortem imperij appellauit, in palatium recepit ornamentis imperialibus: & melioribus quàm vtebatur ipse, decorauit, profectionis comitem adhibuit. Cumque Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit & Ouinium deliciis assuetum ad laborem, quem post quinque millia passuum cunctantem equo sedere iussit. Quúmque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento impofuit. Hoc quoque respuentem, ac imperium tædio laborum recusantem, denique & mori paratum dimisit, ac militibus à quibus Cæsar præcipuè diligebatur, commendatum, ad villas suas tutò abire iussit. Sic illi commonstrauit, quid esset gerere imperium. Lampridius.

VENCISLAVS mortuo patre dux Bohemiæ creatus, cùm sciret Boleslaum fratrem vitæ suæ insidias tendere, nunquam eum à facinore nisi verbis deterrere voluit. Cũ ei declararet, quàm iniuitè ipsum odio prosequeretur. Quib. verbis cùm prauum Boleslai ingenium non flecteretur, ac summo manè à templo redeuntem Vencislaum Boleslaus offendisset, in eum cum aliquot comitibus impetum fecit, nemine accurrere auso: quòd Boleslaus inter eos qui vim moliebantur, primum se ostentarat, atque fratri vulnus intulerat. Quo in loco Venceslaus humanus quidem vir, cæterùm minimè ignauus, magna vi se in Boleslaum immittens, ad terram prostrauit, gladiumque ademit. Quem cùm manu teneret, atque iniquo fratri perfidiam exprobraret, & quid in eum posset, ostenderet, ensem ei postea restituit, illud monens: Malle se, vt frater Deo sanguinis rationem redderet, quàm ipse, si in fratrem manus iniiceret, fraternæ necis caussam apud Deum dicere cogeretur. Neque verò hac in se fratris mansuetudine perfidus frater à scelere deterritus est, sed Vencislaum crudelem in modum occidit. Fulgos. lib. 4 cap. 1.

MORTIS PROPRIAE CONTEMPTVS, *siue naturalis, siue violentæ.*

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator grauissimus suis legibus id effecit, vt honestam mortem Lacedæmonij omnes turpi vitæ longè anteponerent. Xenophon in Laconum republica, & Stobæus sermone 42. de Legibus.

PHOCION Atheniensis Phoci filius, qui sæpe multumque suam operam in militiis patriæ præstiterat, morti adiudicatus, cùm iam cicutam bibiturus esset, porrigente ipsi calicem lictore, atque amici familiaresq; accedentes rogarent, quid præcepti filio relinqueret? Hoc, inquit, ei mãdo, ne cum iniurię memoria rependat. Atheniensibus hanc propinationem, quam ego nunc bibo. Ælianus libro 12. de Varia historia. Prętrerea cum vxor eius eiulans diceret: Mi vir, innocens moreris: ille subridens, Quid ais, inquit, vxor, num tu me nocentem mori malles? Deinde cum veneno iam consumpto ab iis qui multi ante eum biberant, carnifex de suo dare cogeretur: Phocion amicos pecuniam numerare iubet, cauillũ addens, quòd Athenis ne mori quidem gratis liceret. Guido Bituricẽsis.

THERAMENES Atheniensis in publica custodia mori coactus, triginta tyrannorum iussu porrectã veneni potionem non dubitanter hausit: quodque ex ea superfuerat iocabundus, illisum humo clarum edere sonum coegit: reddensque seruo publico, qui eam tradiderat: Pulchro Critiæ (inquit) propino: vide igitur vt hoc poculũ ad eum continuò perferas. Erat autem is ex triginta tyrannis crudelissimus. Profectò est supplicio se liberare, tam facilè supplicium perpeti. Itaq; Theramenes perinde ac in domestico lectulo moriens, vita excessit, inimicorum æstimatione punitus, suo iudicio finitus. Val. lib. 3. cap. 2.

SOCRATES morti destinatus, de cunctis rebus magis, quam de se defendendo, cogitare videbatur. Quare Hermogenes Hipponici filius, Socrati familiaris: Atqui, ait, par erat, ô Socrates, de tua defensione curam habere. Nõnne, ait Socrates, tibi videor ô Hermogenes hoc ipsum facere, dum quemadmodum vixerim meditor? Putabat autem Socrates sapientissimus, omnem defensionem superuacaneam esse apud eos, qui ex vita bene transacta suam innocentiam non agnoscerent. Idem quum iam ad mortem damnatus esset, Apollodoro comploranti, dicentiq; Innocens morieris: Quid, inquit, num me nocentem mori malles? Ea igitur mors libenter subeunda est, in qua criminis innocentia homo excusatur. Xenophon in Apologia pro Socrate. Stobæus sermo. primo Brus. lib. 2. cap. 1.

PLATO, cùm Academia diceretur locus esse pestilens, & medici consilium darent, vt in Lycæum scholam transferret, nequaquam obtemperauit, dicens: Sed ego producendæ vitæ causa ne in Atho quidem summitatem transmigrare velim. Ælian. lib. 9. de Var. hist.

DIOGENES Sinopensis, cùm iam morti proximus esset, seipsum deiecit de ponte, qui prope gymnasium erat: mandauitq; custodi palestræ, vt cùm expirasset, se abiiceret in Ilissum. Adeò pro nihilo duxit mortem & sepulturam Diogenes. Ælian. lib. 8. de Var. hist.

CERCIDAS ciuis Megalopolita ex Arcadia in morbum incidens periculosissimum, libenter se moriturum esse dicebat, post mortẽ enim se visurum ex philosophis Pythagoram, ex historicis Hecatęum, ex poëtis verò Homerum. Ælian. lib. 13. de Varia hist.

DVO PVERI Lacones inter se pugnabant, quorum vnus alteri lethale vulnus inflixit. Puerorum autem sodales, cùm saucius ille moriturus esset, polliciti sunt illi vindictam, seque vulneris autorem interfecturos. At ille: Nequaquam, inquit, per deos. Non enim æquum est: quandoquidem & ipse hoc facturus eram, si anteuertissem, siq; strenuus fuissem. Indolem verè Laconicam, qui victus ac moriens, iusto tamen victori fauebat: quòd virtute, nõ dolo superasset aduersarium. Quid talibus ingeniis felicius, si à teneris ad veram virtutem fuissent instituta, potius quàm ad militarem duriciem? Plutarchus in Lacon.

AGIS rex Laconum per insidias captus, in carcerem, qui Dechas dicitur, à Leonida detrusus, ac pręter meritum ab Ephoris condemnatus, quum ad laqueum duceretur, conspicereque quendam è lictoribus flentem, ob indignitatem rei, cuius cogebatur esse minister: Define, inquit, ô homo, vicem meam flere. Nam sic moriens pręter ius & ęquum, melior fœliciorque sum his qui me occidunt. Hæc locutus, vltrò collum laqueo induit. Quo nemo Stoicorum docuit quicquam fortius, hoc ille iuuenis non verbis, sed re pręstitit, fœlicitatem omnẽ solo honesto metiens: eosque iudicans infœliciores, qui faciunt iniuriam, quàm qui patiuntur. Plutarchus.

TECTAMENES, posteaquam innocenter ab Ephoris damnatus esset, abiit ridens: rogantibus autem iis qui aderant, an contemneret Lacedæmoniorum leges? Nequaquam, inquit: quin gaudeo potius, quòd hæc mihi mulcta soluenda est, cùm eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiã mutuò acceperim. Plutarchus in Lacon. Apoph.

AXIOTHEA, Nicoclis regis vxor, magna multitudine militum veniente ab Ptolemæo Ægypti rege, ad occupandum regnum, cùm Nicocles vitam laqueo finiisset, fratresq; eius sibiipsis mortem consciuissent, ipsa mortuorum virtutes æmulata est: sororesque eorum ac matres, vxoresque conuocauit, & iis persuasit, ne quid in hostium genere committerent. Quæ persuasæ, fortiter ianuas muliebris aulæ concluserunt: recurrentesq; se ad tecta, multitudine ciuium confluente, liberos quos in vlnis ferebant, interfecerunt, & igne tecti iniecto, aliæ gladiis semetipsas occiderunt, alię confidenter in flammam insilientes perierunt. Axiothea verò ducem se in periculis optimam præstabat. Cùm enim videret omnes egregiè iacere tum etiam ipsa summisso gladio per cædem se in flammam coniecit, vt ne mortuo quidem corpore hostes potirentur. Polyæn. lib. 8.

CALANVS sophista Indus, cùm seipsum è corporis vinculis liberare iam vellet, Alexandro ac Macedonibus valedicens, pyram in suburbio Babylonis ex lignis aridis construxit, & accedens, in media strue constitit coronatus foliis arundinum. Cumque Macedonibus signum dedisset, vt pyram incenderent, ille circumdatus flammis immotus constitit, neq; antè loco cessit, quàm expirasset. Quod cùm rex Alexander vidisset, admiratus hominis constantiam in perferenda morte tam crudeli, dixisse fertur: Calanum potentiores hostes debellasse quàm se. Nam Alexander cum Poro, Taxila & Dario bellum gesserat, Calanus verò cum labore ac morte. Ælian. lib. 5. de Var. hist.

ZARMONOCHAGA Indorum regis legatus ad Augustum, cùm demandatum sibi munus à Poro rege suo fœliciter expleuisset, neq; vltra vexationem illam perferre vellet, Indorũ more seipsum combussit, vultu in ridentis speciem semper seruato. Fulgos. libr. 3. cap. 3. ex Strabone, authoritate Nicolai Damasceni recitat.

Cùm pestifera seditione Syracusarum, tota regis Gelonis stirps, cruentissimis exhausta cladibus, ad vnicam filiam HARMONIAM virginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret, nutrix eius æqualem illi puellam regio cultu ornatam hostilibus gladiis obiecit: quæ ne cùm ferro quidem trucidaretur, cuius esset condicionis ederet, proclamauit (admirata illius animum) Harmonia, & tantæ fidei superesse non sustinuit, reuocatosq; interfectores, professa quænam esset, in cædem suam conuertit. Ita alteri tectum mendacium, alteri veritas aperta finis vitę fuit. Val. lib. 3. cap. 2.

ROMANI Gallorum exercitu pulsi, cùm se in Capitolium & in arcem conferrent, inque his collibus morari omnes non possent, necessarium consilium in plana parte vrbis relinquẽdorum seniorum cœperunt, quo facilius iuuentus reliquias imperij tueretur. Cæterùm ne illo quidem tam misero tamq; luctuoso tempore ciuitas Romana virtutis suæ oblita est. Defuncti enim honoribus, apertis ianuis, in curulibus sellis cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorũq;, quæ erant adepti, consederunt: vt & ipsi in occasu suo, splendorem & ornamenta vitę pręteritæ retinerent, & plebem ad fortius sustinendos casus suos prouocarent. Venerabilis eorum aspectus primò hostibus fuit, & nouitate rei, & magnificentiæ cultus, & ipso audaciæ generibus commotis. Sed quis dubitaret, quin & Galli & victores illam admirationem mox in risum & omne contumeliæ genus conuersuri essent? Non expectauit igitur hãc iniuriæ maturitatem C. Attilius, verùm barbam suam permulcenti Gallo, scipionem vehementi ictu capiti inflixit: eique propter dolorem ad se occidendum ruenti, corpus cupidius obtulit. Capi ergo virtus nescit, patientia dedecus ignorat, fortunæ succumbere tristius omni fato ducit. Idem.

M. CATO Vticensis post pugnam Pharsalicam cùm mori statuisset, ea nocte de philosophia Stoica disseruit, ac Phædone Platonis de animi immortalitate perlecto, Vticæ gladio incubuit. Volat. lib. 14. capite secũdo Anthrop.

OCTAVIVS Augustus Romanorum imperator, quum sentiret imminere mortem, admissos amicos percontabatur, ecquid ipsis videretur mimum vitæ sat commodè transegisse? sentiens de fabula vitæ peracta, & adiecit carmen peractis comœdiis accini solitum:

Δότε κρότον, καὶ πάντες ἡμῖν μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Eras. lib. 4. Apoph. ex Suetonio.

CANIVS Iulius, philosophus maximè constans & grauis, cùm diu cum Caio Cæsare altercatus esset, mori ab eo est iussus. Cùm verò ad necem vocaretur, latrunculis ludebat. Tum numeratis calculis, sodali inquit: Vide ne post mortem meam mentiaris te vicisse, & simul Centurioni annuens: Testis, inquit, eris, vno me antecedere. Ceruicem inde percussori præbuit intrepidè, Seneca testis.

SEVERIANVS Adriani iussu moriens, ignem petijt, & accenso thure: Vos, inquit, dij testes estote, nihil à me morte dignum esse commissum. Tantum hoc precor, ne quum mori velit, possit. Rauis.

THRASEAS Stoicæ disciplinæ studiosus, quum damnatus à Nerone solutis venis moreretur, magna constantia suorum fletum compescuit, libauitque sanguinem Ioui liberatori. Huius meminit Mart. libro primo dicens:

Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso.

OTHO Imperator iam destinata morte, Cocceium fratris filium ad se vocatũ, sic exhortatus est extremis verbis: O fili, habuisse te patruum Cæsarem nec prorsus obliuiscaris, nec admodum memineris. Noluit illum prorsus obliuisci, ne desereret curam suorum: nec rursum voluit valde meminisse, ne mortem patrui vlcisceretur. Sueton.

IVLIANVS Imperator moriens, cum videret eos qui aderant mortem suam ferre impatientius, vehementer eos increpasse legitur, quòd humile esset, cœlo diisque conciliatum principem lugeri, quin etiam iisdem astantibus, cum Maximo & Prisco grauissimis philosophis de animorum æternitate subtilius disputasse dicitur. Pontanus lib. secundo, capite 7. de Fort. domestica.

Venenum cicuta temperatum in ciuitate MASSILIENSIVM publicè custoditur, quòd datur ei, qui causas sexcẽtis (id enim Senatus eius nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda: cognitione virili, beneuolentia temperata, quæ neque egredi vita temerè patitur, & sapienter excedere cupienti, celerem fati viam prębet, vt vel aduersa vel prospera nimis vsi fortuna (vtraque enim finiendi spiritus: illa ne perseueret, hæc ne destituat, orationem præbuerit) comprobato exitu terminetur. Quam consuetudinem Masiliensium non in Gallia ortam, sed è Græcia tralatam inde existimo, quòd illam etiam in Insula Cæa seruari animaduerti, quo tempore Asiam cum Sex. Pomp. petens, Iulidem oppidum intraui. Fortè enim tunc euenit, vt summæ dignitatis ibi fœmina, sed vltimę iam senectutis, reddita ratione ciuibus, cur excedere vita deberet, veneno consumere se destinarit, mortémque suam Pompeij præsentia clariorem fieri, magni æstimarit. Nec preces eius vir ille, vt omnibus virtutibus, ita humanitatis quoq; laudibus instructissimus, aspernari sustinuit. Venit itaque ad eam, facundissimóque sermone, qui ore eius quasi è beato quodam eloquentiæ fonte manabat, ab incœpto cõsilio diu nequicquam reuocare conatus: ad vltimum propositum exequi passus est, quæ nonagesimum annum transgressa, cum summa & animi & corporis sinceritate, lectulo, quantum dignoscere erat, quotidiana consuetudine cultius structo recubãs, & innixa cubito: Tibi, inquit, Sex. Pom. dij magis quos relinquo, quàm quos peto, gratias referant: quia nec hortator vitæ meæ, nec mortis spectator esse fastidisti. Cæterùm ipsa hilarem fortunæ vultum semper experta, ne auiditate lucis tristem intueri cogar, reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias, & vnum nepotum gregem relictura superstitem, permitto. Cohortata deinde ad concordiam suos, distributo eis patrimonio & cultu suo, sacrísque domesticis maiori filiæ traditis, poculum in quo venenum temperatũ erat, constanti dextera arripuit. Tunc defunctis Mercurio delibamentis, & inuocato numine eius, vt se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem, cupido haustu mortiferam traxit potionem: ac sermone significans quásnam subinde partes corporis sui rigor occuparet, cùm iam visceribus eum & cordi imminere esset locuta, filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium aduocauit: nostros autem, tametsi nouo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lachrymis dimisit. Val. lib. 2. cap. 1.

CELTIBERI dimicaturi cum hostibus gaudio exultabãt, tanquam gloriosè & fœliciter vita excessuri: lamentabantur autem morbo laborantes, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Cic. lib. 2. Tuscul. quæst. Val. Max. lib. secundo cap. 1.

ASCVLANI iuuenes iussu hominis Sfortiæ, qui vrbi præerat, in carcerem coniecti, cùm à custode carceris accepissent manè se ad capitis supplicium educendos, dij boni quod exemplum posteris reliquêre? Lyram sibi afferri rogauêre, & cœnam quàm maximè opiparã. Quibus impetratis, vbi summa cum voluptate cœnassent, in cantu, choreis ac lusibus reliquam noctem exegêre. Macti virtute, qui non è squalore & lachrymis, sed è conuiuio ad mortem profecti estis. Pont. libro secundo, cap. 7. de Fort. dom.

PETRVS Zenus Venetus, maritimæ rei Imperator cum Pontificio legato Smyrnam clarum Homeri natalibus oppidum, & totius Ioniæ olim caput, tunc à Turcis cum reliquo tractu Asiatici littoris possessum, non dubitauit aggredi: quin etiam Turcis ipsis congressus, victor acie, vrbem quoque ipsam expugnauit. In qua quum diutius moraretur publicæ rei causa, dum litatorio sacro interesset, nihil sibi metuens, iussis militibus suis occurrere tumultuantibus Turcis, nunquam adduci potuit, vt sacrum ipsum desereret. Quare à magna Turcarum multitudine suis oppressis, hostem insultantem, in templúmque irrumpentem non extimuit. Itaque cum pontificio legato, superante eorum multitudine, in ipso templo cæsus, Deo opt. max. gratiam agens alta voce, expirauit. Egnatius libro tertio capite 6.

TOLERANTIA MALORVM FORTUNÆ.

DAMNA FORTVNARVM, PAVPERTATEM, *tam publicè quàm priuatim moderatè ferre.*

Exempla quædam ex tit. Liberalitatis, Non accipere ea quæ honestè possis, mutuanda sunt. Item ex tit. Testamentorum iniustorum pete illorum exempla, qui quamuis iniustè præteriti, æquo tamen animo tulerunt.

ZENO, cùm naufragium passus, sua omnia amisisset, immobili vultu: Euge, inquit, fortuna quàm probè nos ad hoc palliolum redegisti. Maximus serm. 18.

ARISTIPPVS, quum prædium amœnissimum perdidisset, cuidam deploranti tam miserabilem illius casum: Quid, inquit, an nescis tibi vnicum esse prædiolum, mihi verò tres agros superesse? Quum annuisset alter: Quin igitur tuam potius vicem deploramus? sentiens, insipientis esse, dolere amissis potius, quàm gaudere relictis. Laertius libro 2. capite octauo.

Q. FABIVS Maximus fraudatus pecunia, quam pro captiuis Hannibali numerauerat, publicè tacuit: compluribus etiam lacessitus iniuriis, semper eodem vultu mansit. Textor in Offic.

LVPVS Simonius Durreæ dominus, Neapoli proregem agens, cùm per nuncium Alphonso regi Arragonum absenti significasset, nauem alteram ex duobus, quas instar montium rex ædificarat, nautarum negligentia deflagrasse. Respondit Alphonsus: Sat scire se eam nauim quamlibet magnam atque magnificam, paucis tamen pòst annis, aut labe aut teredine perituram fuisse. Proinde secum æquo animo, si sapiat, ferret infortunium. Panormita lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.

PRÆLIA ADVERSA MAGNO *animo tolerare.*

M. TER. Varro, L. Pauli collega, Cannẽsi clade (cuius ipse author fuerat) fractis Rom. rebus, non vitæ cupiditate, sed Reip. amore superesse voluit. Itaque ei Romam redeunti senatus obuiam progressus gratias egit, quòd Remp. non deseruisset. Ille tamen barbam capillúmque submisit, nunquam accubans postea cœnauit, & honores oblatos recusauit. Front. lib. 4. cap. 5.

LICINIVS consul, cùm aduersus Persam, Macedoniæ regem bellum gereret, quanquam primo prœlio duo millia ac quingentos equites amisisset, de pace à rege Persa compellatus, grauitatem suam non amisit dixitque, Vt Persa totum Macedoniæ regnum, omniáque alia quę possidebat, Romanis relinqueret, séque eorum arbitrio dederet. Quibus rebus nihil maius à Persa peti poterat, si eum Licinius prælio deuictum penitùs afflixisset. Ostendere enim voluit Licinius, acceptum in prælio incõmodum, non animum ei, sed equos ademisse. Fulg. lib. 6. cap. 4.

ANTIOCHVS à L. Scipione vltra Taurum montem imperij finibus summotus, cum Asiam prouinciam, vicinásque gentes amisisset, gratias egere pop. Rom. non dissimulanter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Et sanè nihil est tam præclarum, aut tam magnificum quod non moderatione temperari desideret. Val. lib. 4. cap. 1.

MITHRIDATES rex Põti tãta fuit animi magnitudine, vt filiis, pręsidiis, & vniuerso principatu destitutus, quum nec amplius Romanorum virtuti posset obsistere, nihil tamen humile aut abiectum conceperit

animo. Quinimò ad Celtas profectus, cogitauit vnà cum illis in Italiam irrumpere. Rauis.

Celebris Venetorum ad Carauagium clades, quam Franciscus Sfortia Mediolanensium Imperator illis intulit, longè calamitosissima. Nam & fugatus Imperator Venetus, & capti legati duo, qui castris præerant, patricij ordinis ex more, & vniuersus exercitus fusus profligatusque est, quàm paucissimis omnino fuga seruatis. Id quum Venetias nunciatum esset, tantum abfuit vt in consternata ciuitate FRANCISCVS Foscarus dux precipuè Gallici belli author conciderit animo, vt statim aduocato Senatu vestem purpuream indutus, vultu etiam letiore, magnaque auri vi profusa, patres ipsos sit adhortatus, vt nequaquam humilioribus animis, aurum & argentum domesticum & ipsi in publicum offerrent: fore pollicitus, vt intra triduum Venete copie recuperarentur omnes: memorabili tamen euentu, quādo Franciscus Sfortia victor, pacem à Venetis petierit, & Mediolanensium principatum Venetorum in primis opera adeptus sit. Egnatius lib.3.cap.6.

LEONARDVS Iustinianus Venetorum dux, cùm Abduana pugna à Cameracensi fœdere res Veneta attrita esset, à Ludouico XII. Francorum rege, animum Venetum solus retinuit, & patres suo exemplo ad spē erexit. Eius consilium secuti, imperij vires amissas breui recuperarunt. Egnat.lib.3.cap.2.& 6.

ALOISIVS Molinus D. Marci procurator, cùm Veneti Abduana pugna intra 24. dierum spacium totius continentis imperium amisissent, primus de Patauio per Nic. Petilianū recuperando sentētiā dixit, & fundamenta restituti imperij iecit. Egnat.lib.3.cap.6.

DEFECTIONES SVORVM AEQVO *animo ferre.*

MARCVS Antoninus Imperator, qui Pio successit, ita oblitus dicitur iniuriarum Cassij, qui in Syria rebellauerat, vt & mortem eius doleret, & liberos post patris cædem summa humanitate prosequeretur. Pont.lib.2. cap.10.de Fort.domestica.

FERDINANDVS in initio regni, cùm multorum simul procerum ac populorum, nonnunquam etiam integrarum prouinciarum ad Ioannem Andegauensem defectiones nunciarentur, nunquam mutauit vultum, nedum vt animo consternaretur. In ipsos defectores nullo vnquam cōtumelioso dicto vsus. Nunciata rebellione magni cuiusdam viri, tantum commotus est, vt diceret: Dolere se, quòd talis vir, & ex tanta familia ortus, seque maioribusque suis indignum fecisset. Cæterùm Christo gratias agere, quòd ne minimam quidē ipse tanti patrandi facinoris causam illi præbuisset. Pontanus de Principe ad Alphonsum Calabriæ ducem.

OBTRECTATIONES, CONVICIA, SCOMMATA, *Dicteria, Libellos famosos patienter ferre.*

Tolerantia omnis generis iniuriarum, siue dicto siue facto fiant, similis admodum est illi virtuti, quam ἀοργησίας Arist. statuit, & πραότητα vocat. Exempla sunt eadem, habitudine tantum inter se differunt. Nam quatenus à reb. seu iniuriis externis animus non cōmouetur, vt propterea magis confidat, vel diffidat, sic fortitudinē siue tolerantiam induit: quatenus verò ab iisdem non mouetur ad iram et vindictam nimiam, sic πραότης siue mansuetudinem sequitur. Possunt ergo ex titulo Mansuetudinis exempla quædam huic loco inseruientia desumi. Præterea etiam ex titulo Libertatis in reprehendēdo, eorum qui reprehensiones veras moderatè tulerunt.

Peloponnesij, cùm PHILIPPVM Macedoniæ regem, à quo multa beneficia acceperant, in ludis Olympiacis, sibilis derisissent: rex admonitus ab amicis, vt eam iniuriam repēderet, negauit se id facturum: Si tam prauo, inquiens, sunt ingenio, vt eos irrideant qui de ipsis bene meriti sunt: quid tum fiet, si quid mali sentirent? Sensit vir prudentissimus, maledicos non vltione prouocandos esse, vt magis maledicant. Plutarc. in Apoph. regum & imperatorum. Hoc etiam Pausaniæ tribuitur.

PHILIPPVS rex Democharis Atheniensis superbum conuiciū forti tulit animo. Vide tit. Libertas nimia in dicenda sententia.

Quidam petulantioris linguæ maledicta coniicere solebat in PHILIPPVM. Hunc amici hortabantur vt eiiceret in exilium: at ille negauit se hoc facturum. Demirantibus, quid ita? Ne, inquit, oberrans inter plures malè de me loquatur. Quòd maledicum non egit in crucem, clementiæ erat: quòd ignouit, magnanimitatis: quòd cōtempsit, quòd noluit expellere, prudentiæ: plus enim nocuisset. Eras.lib.4.Apoph.

Smicythus Nicanorem deferebat apud regem quòd sine fine de ipso malè loqueretur. Cumque suaderent amici, vt hominem accersiri iuberet, deque eo supplicium sumeret, PHILIPPVS ita respondit: Nicanor non est Macedonum pessimus: videndum est igitur, necubi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit vehementer afflictum inopia, & tamen à rege neglectum fuisse, iussit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto cùm rursus Smicythus diceret regi: Nicanorem apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius: Videtis igitur, inquit, in nobis esse situm, vt bene aut malè audiamus? Erasmus lib.4.Apoph.

IDEM aiebat, se his qui in Repub. Atheniensium administranda primores essent, plurimam habere gratiam, quòd suis conuiciis efficerent, vt ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior. Dum conor, inquit illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. O verè philosophicum principis animum, qui nouit etiam ex inimicis capere vtilitatem, nec quod vulgus solet: hoc tamen spectare, vt maledicos afficeret malo, sed vt ipse minus malus redderetur, illorum maledictis admonitus. Ibidem.

ANTIGONVS rex, quum aliquando tempore hyberno compulisset castra transferri in locum, vbi non erat rerum necessariarum copia, atque de hac de causa milites quidam in regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo, virga tentorij vela diduxit: Flebitis, inquit, ni longius semoti de me malè loquamini. Quid hac facetia clementius? aut quid hac clementia facetius? Simulabat se non indignari, quòd malè de ipso loquerentur: sed quòd tā vicini, vt exaudiri possent ab eo cui maledicebant. Plutarc.in apoph. Regum & Impp.

IDEM, cùm nocte quadam quosdam è militibus suis exaudisset omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter & inextricabile lutum induxisset: accessit ad eos qui maximè laborabant, eosq; quum ignorantes à quo adiuuarentur explicuisset: Nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: sed ei bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Hac vindicta contentus erat regis verè excelsus animus. Erasmus Rot.lib.4.Apoph.

A Thrasippo amico inter cœnam sine fine conuicio laceratus PISISTRATVS, ita & animum & vocem ab ira cohibuit, vt putares satellitem à tyranno malè audire. Abeuntem quoq; veritus, ne propter metum maturius se cōuiuio subtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere. Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo respersit, nec tamen in vindictam sui valuit accendere: ille verò etiam filios suos violatæ patris maiestati subuenire cupientes, retraxit. Postero quoque die Thrasippo supplicium à se voluntaria morte exigere volente, venit ad eum, dataque fide in eodem gradu amicitiæ mansurum, ab incœpto reuocauit. Si nihil aliud dignum honore memoriæ gessisset, his tamen factis abundè se posteritati commendasset. Val.lib.5.cap.1.

IDEM, cùm in eius crudelitatem ebrius conuiua multa dixisset, stimulatus ab aulicis, vt hominem tam impudētem occidi iuberet, dixisse fertur: Non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis in se occurrisset. Bruson.libro 1.cap.16.

MAGAS rex, cùm à Philemone Syracusano comico in theatro taxaretur, satelliti mandat, vt nudo ense poetæ ceruicem tantùm attingeret, dein abscinderet: misitque talis ac pila veluti puero, qui nondum saperet, eum dimisit. Plutarchus περὶ ἀοργησίας.

Tulit patienter per integrum diem in publico conuiciatorem temerarium & insolentem PERICLES Atheniensium alioqui princeps, nec cùm vesperi se domum reciperet, à se repulsum adhuc maledictis insectantem: postremò vbi in primo domus limine constitit, ad seruum conuersus: Ito, inquit, & hunc ciuem domum reducito, Sicque homo improbus ab iniuria & contumelia gratiam reportauit. Sab.lib.9.cap.1.

PHOCIONEM, quum pro concione dicentem quidam petulantissimè maledicus interpellaret, multis conuiciis in illum debacchans, omisit quod cœperat, locúmque dedit maledico. Posteaquam ille vix dicendi fecisset finem, Phocion reuersus in suggestum, placido vultu, perinde quasi nihil esset dictum, cœptam orationē persequutus est: De pedestribus, inquit, copiis audistis, superest vt de velitibus ac leuis armaturę milite dicam. Plutar.

Proteo Cynico sine fine HERODEM sophistam conuiciis incessante: Conseruimus, inquit, ambo: tu quidem malè loquens, ego malè audiens. Sensit immedicabile malum esse, cui ille tamdiu assueuerat, & se moderatius ferre, quod iam nouum non esset. Eras.lib.8.Apoph.

Cuidam dicēti, Multi te derident ô DIOGENES: Et illos, inquit, fortassis asini. Altero subiiciente, Sed illi non curant asinos: Nihilo magis, inquit, ego ipsos. Asinis irrisionem tribuit, quòd subinde nudatis dētibus irrisionis speciem præbeant. Quin & deridentes quempiam, mota ab aure manu imitantur asininas auriculas. Videtur igitur & asinus motis auriculis irridere homines, nemo tamen offenditur. Laert.lib.6.

SOCRATES quàm patienter tulerit Xanthippes vxoris calumnias & conuicia, notum est. Inter alia tamen cùm multis conuiciis & maledictis maritum lacerasset, demùm sordidam quoque aquam suffundit: ad quod nihil aliud dixisse fertur, quàm, Notum sibi fuisse, post tot tonitrua tandē venturam quoque pluuiam. Vt est apud Diogenem Laertium in eius vita, & Pont.lib.2.cap.10.de Fortitud.domestica.

IDEM Aristophanis νεφέλας patientissimè tulit, in quibus ex professo, expresso etiam illius nomine & habitu proscindebatur, Anyti & Meliti instinctu. Quinimò cùm Drama in theatro ageretur, ridiculum admodum & facetum, & peregrini quærerent, quisnam ille esset Socrates? assurrexit Socrates, vt ab omnibus cognosci & cōspici posset. Ælian. lib.2.Var.hist.

IDEM cuidam admiranti quòd nihil in eum commoueretur, à quo conuiciis incessebatur: Mihi, inquit, non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit mihi non adsunt, nec in me hęrent. Atqui ob hanc causam hominum vulgus magis commouetur, si quid dicitur in immerentem. Boni quum malè audiunt, sibi gratulantur, quòd puri sint ab his malis quæ ipsis impinguntur, nec in se dici interpretantur: nihilo magis quàm si quis oculorum errore Platonem appellet Socratem, & in Socratem congerat maledicta: is non maledicit Platoni, sed ei quem existimat esse Platonem. Eras.lib.3. Apoph.

XENOCRATES Chalcedonius à Bione dictis lacessitus: Non sum inquit,

inquit, tibi responsurus: neque enim tragœdia, quum à comœdia taxatur, dignatur eam responso. Nota est veteris comœdiæ licentia, in qua multa scommata iaciuntur etiam in ipsos poëtas, & fabularum personas: at tragœdia non dignatur vicissim humiles personas attingere. Laert. lib.4.cap.2.

PLATO in Xenocrate discipulo suo constanter moderatus fuit. Audiēs enim eū multa de se impiè locutū, sine vlla cunctatione criminationem respuit. Instabat certo vultu index, quærens causam cur sibi fides nō haberetur? Adiecit, Non esse credibile, vt quem tātopere amaret, ab eo vicissim non diligeretur. Postremò cum ad iusiurandum inimici asserentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaretur, affirmauit, nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Non in corpore mortali, sed in arce cœlesti equidem armatum animum eius vitæ stationem putes peregisse, humanorum vitiorum incursus à se inuicta pugna repellentem, cunctosq; virtutis numeros altitudinis suæ sinu clausos custodientem. Val.Max.lib.4.cap.1.

ARCESILAVM Academicum Antagoras poëta probris insectabatur. At ille in forum progressus magnificè prorsus, vbi quàm plurimos homines stare videret, eò adibat, atque cum ipsis colloquebatur, vt conuiciator in pluribus sibi ipsi turpitudinem imponeret. Audientes igitur conuertebant sese, & insaniæ Antagoram accusabant. Ælianus libro 14. de Varia historia.

PYRRHVS rex, cùm audisset apud quosdam in conuiuio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum, accersitos qui ei interfuerunt, percontabatur. An ea quæ ad aures eius peruenerant, dixissent? Tum ex his vnus, inquit: Nisi nobis vinum defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ iis quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapulæ excusatio, támque simplex veritatis confessio, irā regis conuertit in risum. Qua quidem clementia & moderatione assecutus est, vt sobrij sibi Tarentini gratias agerent, & ebrij bene precarētur. Val.lib.5.cap.1.

LEONTYCHIDAS Aristone natus, cuidam ipsi dicenti, quod Demarati amici malè de eo loquerentur: Per deos, inquit, nihil miror, quādoquidem nullus illorum de quoquam beneloqui posset. Docuit, contemnendam esse maledicentiam, quæ non à iudicio, sed animi morbo proficiscitur. Qui verò passim maledicūt omnibus, eos palā est id naturæ vitio facere, non ex eorū merito quibus obtrectant. Plut.in Laconicis.

Cùm improbus quidam CLEOMENEM conuiciis incesseret: Num ideo, inquit, tu maledicis omnibus, ne si velimus respondere, ocium habeamus vicissim de tua dicendi malicia? Vt è sublimi contempsit maledicum, nec vllo respōso aut alia pœna dignum iudicauit hominem nullius rei, cui nihil esset præsidij præter maledicam linguam. Pluthare. in Laconicis.

CLEANTHES Assius, appellatus Asinus, agnouit conuicium: dicēs, se solum esse parem ferendæ Zenonis sarcinæ, Siue quòd Zenoni non multum esset supellectilis, siue quod vnus illius austeritate nihil offenderetur. Laert.lib.7.cap.1.

Sositheus poeta coram populo CLEANTHEM præsentem hoc carmine proscidit,

ὃς κλεάνθης μωρία βοηλατεῖ. id est:

Quos Cleanthus fatuitas agitat.

Nec tanto conuicio tactus, quicquam mutauit de vultu. Qua patientia delectati auditores, applaudentes philosopho, Sositheum eiecerunt. Quum Sositheus diceret, se pœnitere quòd illum aspersisset: respondit Cleanthes, Absurdum fore, si quum poetæ frequenter illudant Libero patri & Herculi, nec illi succenseant, ipse ob leue conuicium indignaretur. De diis enim multa probrosa scripsere poetæ, veluti, quum Bacchum faciunt mollem, timidum ac temulentum: Herculem faciunt seruientem Omphalæ, vsque ad sandalio commitigatū caput. Laert.li.7.c.1.

AGATHOCLES figulo patre natus fuit. Is cùm obsideret vrbem quandam, quibusdam è muro cōuicia in ipsum iacientibus, dicentibúsq; Figule, vnde militibus tuis persolues stipendium? Ille placidus ac ridens respondit. Quum hanc cæpero. At cùm vrbe vi potitus fuisset, venderétque captiuos: Si me, inquit, denuò conuiciis affeceritis, apud heros vestros querar de vobis. Ciuiliter illis exprobrans & intempestiuam maledicentiam & seruitutem, maledicentiæ præmium. Eras. libr.5.Apoph.

PITTACVS Mitylenæus Alcæum poetam, & amaritudine odij, & virib. ingenij aduersus se pertinacissimè vsum, tyrannidem à ciuibus Mitylene delatam adeptus tantummodo quid in opprimēdo posset, admonuit. Val.4.cap.1.

ANTISTHENES cuidam matrem Barbaram obiicienti: & matrem deûm Barbaram fuisse, respondit. Idæa enim fuerat. Pontan.lib. 2.cap. 10. de Fort.domestica.

DION Alexandrinus in conuiuio probris cuiusdam loquaculi, & infamibus verbis multum lacessitus, maledictis nihil penitùs respondit. Cæterùm vbi rediit domum, comitantibus plerisque, & conuiciorū contemptum suadentibus respondit, Ne gry quidem. Quod ægrè ferens conuiciator iuuenis laqueo se præfocauit. Rauis.

M. Cato senior à quodam infami multis nominibus vexatus: Impar mihi, inquit, tecum certamen est. Nam vt tibi & malè audire, & maledicere facillimum ac promptissimum est, ita mihi maledicere insuaue, malè audire insolitum. Eras.lib.1.Apoph.

Q. FABIVS Maximus, quoniam cum Hannibale confligere detrectabat, sed mora copias illius, & pecuniarum & commeatus egentes atterebat: sequens illum per aspera montosaque, ac subinde obiter se opponens, à nonnullis per ludibrium dicebatur Hannibalis pædagogus. Hoc conuicio nihil commotus, pergebat suum institutum sequi, dicens apud amicos: Qui dictelia conuiciáque metuit, eum sibi videri timidiorem iis qui fugiant hostes. Sensit hoc turpius esse timiditatis vitium, quo leuius est periculum. Nihil autem leuius dictis, quæ qui formidat, quomodo sustinebit impetum hostium? Eras.lib.3. Apoph.

Acerrimè cum Scipione Africano METELLVS Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graues testatásque inimicitias progressa fuerat. Sed tamen cùm interemptū Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, mœstoq; vultu & voce confusa: Concurrite, inquit, ciues, mœnia nostræ vrbis euersa sunt. Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria vis allata est. O Rempublicam pariter Africani morte miseram, & Macedonici tam humana, tamque ciuili lamentatione fœlicem. Eodem enim tempore, & quantum amisisset principem, & qualem haberet, recognouit. Idem filios suos monuit, vt funebri eius lecto humeros subiicerent, atque huic exequiarum, illum honorem vocis adiecit: Non fore vt postea id officium ab illis maiori viro prestari posset. Vbi illa tot in curia iurgia? vbi tam multæ pro rostris altercationes? vbi maximorum ciuium & ducū tantorum togata prælia? omnia nimirum ista præcipua veneratione prosequenda deleuit moderatio. Val.lib.4.cap.1.

M. MARCELLVS, qui primus & Hannibalem *vinci & Syracusas capi* posse docuit: cùm in consulatu eius Siculi de eo quæstum in vrbem venissent, nec senatum vlla de re habuit, quia collega Valerius Leuinus fortè aberat: ne ob id Siculi inquirendo timidiores essent, & vt is rediit vltrò de his admittendis retulit: quærentésque de se, patienter sustinuit. Iussos etiam à Leuino discedere, remanere vt suæ defensioni interessent, coegit. Ac deinde vtraque parte perorata, etiam excedentes curia subsecutus est, quo liberius Senatus sententiam ferret. Improbatis quoque eorum querelis, supplices & orantes, vt ab eo in clientelam reciperentur, clementer excepit. Super hæc Siciliam sortitus, eam prouinciam collegæ cessit. Toties laudatio Marcelli variari potest, quoties nouis ipse gradibus moderatione aduersus socios vsus est. Idem.

L. CORNEL. SYLLA, deposita dictatura, cum priuatus se domum reciperet, vno & altero amicorum comitantibus, in adolescentis intemperiem incidit, cuius pater fuerat ab eo proscriptus. Maledictis itaq; ac probris exceptum abeuntem insectatus est, atrocem vltionem minaciter intendens. Nullo interim ciuium intercedente, aut adolescentis petulantiā cohibente. Tulit obiter Sylla tacitus patienter hominis insectationem, tantùm ad amicos conuersus: Hic, inquit, adolescens fecit hodie, vt quicunque posthac dictaturam inuaserit, non nisi cum morte sit illam depositurus. Quod in C. Cæsare postea euenit. Sab.lib.5.cap.7.

L. CRASSVS orator, licet sæpe iurgiis à Cn. Domitio, cum quo censuram gessit, propter columnas Hymettias, quas in porticu domus habebat, vexatus sit: æquo tamen semper animo iniurias illatas tulit. Testes Plin. Val.& Volat.lib.14.cap.2. Anthrop. Item Macrobius & Ælianus.

C. IVLIVS Cæsar à Cicerone multis conuiciis lacessitus, adeò non curauit, vt ne responderit quidem. Quippe natura erat mitis, nec admodum iracundus. Clodium tamen in ipsum concitauit, ac per eum vt Roma exularet, fecit. Dion Nicæus in Pompeio.

IDEM Valerij Catuli poetæ Veronensis mordacitatem fortiter tulit, cúmque non tantùm commendauit: sed reconciliatus ab eo, eodem die ad cœnam lautissimè paratam, nunquam de vltione cogitans, vocauit. Tranquillus in vita Cæsaris. & Pont.lib.2.cap.9.

IDEM in ignem coniecit literas & libellos aduersum se scriptos, miniméque à se lectos. Maluitque ignorare maleuolentiam, atque aduersum se sentiētium nomina, quàm habere certam illis causam irascendi. Pont.lib.1.cap.8.de Magnanimitate.

AVGVSTVS, cùm multorum maledictis vexaretur, respondit: In ciuitate libera & linguas esse liberas oportere. Pontanus libro 2.cap.10.de Fort.domest.

IDEM, cùm multi accusarentur à Tiberio, quòd malè sentirent de eo, & loquerentur: Satis esse sibi, dixit, qui nocere posset, penitùs esse neminem. Pontan.lib.1.cap.8.de Magnanimitate.

IDEM in ore habebat, Regium esse, bene facere, & malè audire.

In cognitione quadam, cùm Æmylio Æliano Cordubensi inter cætera crimina illud vel maximè obiiceretur, quòd malè loqueretur de Cæsare: conuersus ad accusatorem Cæsar AVGVSTVS: Velim (inquit) hoc mihi probes: efficiam vt Ælianus sciat, me quoque linguam habere, plura enim vicissim de eo loquar. His minis contentus, nihil postea de illo inquisiuit. Suetonius.

Timagenes historicus multa petulantissimè in Cæsarē AVGVSTVM, multa in vxorem, multa in totam illius familiam dixerat. Sed Cæsar patienter eam ferens iniuriam, hominem admonuit tātum, vt moderatius lingua vteretur. Verùm quum in instituto perseuerasset, nil aliud quàm domo sua illi interdixit: neq; Mecœnatem, qui eum postea recepit, eam ob rem odio habuit. Eras.lib.4.Apoph.ex Suetonio.

Augustus, in Triumuirali proscriptione Fescennios ASINIVM Pollionē scripserat. Ille pro responso hoc tantum reddidit: At ego taceo, non est enim facilè in eum scribere qui potest proscribere.

Vitrici exemplum priuignus TIBERIVS Cæsar secutus, cum Rhodi Diogenem grammaticum sabbatis tantùm diebus disputantem, extra ordinem, de alia re quàm proposita erat, interrogasset: Diogenes, vt ad se primo die reuerteretur, Tiberio respondit. Cùm autem postea Diogenes ad imperatorem Romam venisset nullo acerbiore dicto factóue Diogenē vltus est Tiberius, nisi quòd per seruum respondit, Vt post septimum annum rediret. Fulgos.lib.4.ca.1.

IDEM, cùm audiret se quorundam maledictis acerrimè diffamari, minimè curabat, nec quēquam eam ob causam accusari patiebatur. In prin-

cipio etiam imperij in eos grauioribus rebus contra se deliquerant, nõ animaduertit, quanquam progrediente tẽpore de plerisque supplicium sumpserit. Dion Nicæus in Tiberio.

ANTONINVS Pius domum homuncionis ingressus, percunctatúsque, vnde columellas quasdam porphyreticas sibi comparasset? respondit ille: Cùm in domũ alienam veneris, & surdus & mutus esto. Quod dictum tantum abfuit, vt molestè tulerit, vt quanquam præceptum quoddam aliis seruandum tradiderit. Pont. lib. 2. cap. 10. de Fort. domest.

CAROLVS Magnus imperator, indignantibus contra se imperatoribus Constantinopolitanis, propter inuidiã imperatorij nominis à Romanis sibi impositi, magna patientia & magnanimitate eos tulit. Et quia suspectam habebant suam potentiam, crebris legationibus sibi eos firmissimo fœdere conciliauit. Sigebertus in Chronicis.

ALPHONSVS rex Neapolitanorum admirabili dissimulatione præterijt quorundam oblatrationes ac maledicta. Quin etiã illatas iniurias vindicare cùm posset, obliuisci maluit. Pontan. lib. 2. cap. 10. de Fort. domest.

ALPHONSO Aragonum regi Capuam cum exercitu transeunti, miles quidam ira efferuescens in foro obuiam factus comprehẽsis equi loris regem sistere coegit, neq; prius dimisit, quàm quæ libuisset in regem etiam armatum petulanter effudisset. Rex autem nihilo magis animo commotus ire perrexit, conuiciatorem ne paululum quidem conspicatus. Panorm. lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

Hispanus quidam, cùm apud reges exteros ALPHONSI famam & nomen miserè lacerasset, multáque mendacia, quæ eius existimationi detrahere potuissent, sparsisset: tandem veniens ad Alphonsum (qui hominem sibi infensissimum esse sciebat) perhumaniter ab eo exceptus atque tractatus est. Panor. lib. 1. de reb. gest. Alph.

Ioannes Fortis cognomine miles veteranus ægerrimè ferens, quòd ALPHONSVS oppidum suæ fidei commissum sibi auferret, vt alteri daret: ab eo discedens per omnem Italiam, Galliam, cæteràsque regiones Alphonsi ingratitudinẽ multis maledictis accusauit, & multa in eundem mendaciter confinxit. Sed cùm nemo eius subleuaret inopiam, ad Alphõsum redire coactus est, eius animum, quem probris immutatum, sibique infensum crediderat, explorans. Id regi cùm primum innotuit, Ioanni renunciari iussit, tutò ad se redire licere. Se quidem potius benefactorum eius, quàm maledictorum memorem esse: vemẽtémque honestissimo viatico iuuit, nullam vnquam maledictorum faciens mentionẽ. Panor. lib. 1. de reb. gest. Alph. & Fulg. lib. 5 cap. 1.

IDEM Proteæ cuidam dicaci homini, cui iurè plurimùm succensuerat, non modò veniam petenti dedit: sed quinque etiam talenta numerari confestim iussit, quæ essent reconciliati in eum animi pignus. Pontanus cap. 30. de Liberal. in fine.

Cum accusassent purpurati apud Sigismundum imperatorem, maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo principe passim obloqueretur subridens imperator: An vobis, inquit, graue videtur illos malè loqui, cum nos malè agamus? Indicauit autem, in nobismetipsis situm esse, quòd bene vel malè audiamus. Æneas Syluius libro 2. Commentariorum, de rebus gestis Alphonsi.

FACTA CONTVMELIOSA ET INIVRIAS *quaslibet ferre, publicas, priuatas, vrbanas, forenses, domesticas.*

Clazomenij quidam Spartam venientes, thronos Ephororum, in quibus sedentes ius dicere, & Reip. negocia transigere consueuerant, fuligine resperserunt. EPHORI re cognita, non molestè hanc iniuriam tulerunt: sed vocato præcone publico, mandarunt, vt publicè in ciuitate proclamaret, hoc mirandum: Liceat Clazomeniis indecorè facere. Æli. lib. 2. de Var. hist.

SOCRATES aliquando, nocte iam ingruente, reuertebatur à cœna. Adolescentes igitur scelerosi & nequam, cum cognouissent eum redire, clàm expectarunt in insidiis, cum accensis facibus & furiarum laruis. Moris autem erat eis, etiam cæteros homines ludificari, atque ocium, quod dabatur, in prauissimas eiusmodi ineptias conferre. Socrates verò cum eos aspexisset, nihil perturbatus constitit, & suo more interrogationes in eos intendit, quemadmodum in alios etiam in Lyceo, vel in Academia solebat. Ælian. lib. 10. de Var. hist.

IDEM præter cæteros suo tẽpore mortales moribus patientissimus fuit. Nam cum vxorem Xanthippem contumacius ac clamosius in se agentem diu tolerasset, ac postremò ab ea aqua perfusus esset, ridens dixisse fertur: Sciebam Xanthippen tonantem quandoque pluiturã. Laert. & Gellius.

PISISTRATVS, Atheniensium tyrannus, cùm adolescens quidam amore filiæ eius virginis accensus, in publico obuiam sibi factam osculatus esset: hortante vxore, vt ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: Si eos qui nos amant, interficiemus, quid iis faciemus quibus odio sumus? Minimè digna vox, cui adijciatur eam ex tyrãni ore de humanitate manasse. In hunc modum filiæ iniuriam tulit, suam multo laudabilius. Val. lib. 1. cap. 5.

SOLON in se despuentem quendam ferebat. Quum autem alter quidam eum propterea accusaret: Atqui, inquit, piscatores vt gobium vnum capiant, patiuntur se aqua marina conspergi: ego idem ferre non sustineam, vt hominem capiam? Max. serm. 42. Hoc Laertius Aristippo tribuit, quem Dionysius tyrannus conspuit.

PHOCION Atheniensis, cũ capitis iam dãmnatus esset, atque huius amici cæteri qui simul cum illo dãnati fuerant, flentes ducerentur, ex inimicis quidam obuiam factus, post multa conuicia in faciem Phocioni expuit. Tum Phocion ad magistratum clamans: Non hunc, inquit, compescet aliquis indecorè se gerentem? Ita vir sanctissimus etiam moriturus publicæ disciplinæ curam habere voluit. Plut. in Græcor. Apoph.

AGESILAVS ad Larissæos, qui non iuuerant res hostium, Xenóclem & Scythem legatos misit, vt amicitiam inirent. Verùm hos quum Larissæi contumeliosè tractassent, alij hoc factum grauiter tulerunt: & admonuerunt Agesilaum, vt hoc factum contra ius gẽtium admissum, admoto exercitu vlcisceretur. At ille negabat, se vel vniuersam Thessaliam hac conditione velle capere, vt ex his quos miserat, alterius faceret iacturã: amissurus vtrumque, si illos bello lacessisset. Plut. in Lacon.

DIOGENI de non irascendo accuratè disserenti, adolescens quidam proteruus, veluti periculum faciẽs, an re præstaret ea quæ docebat, inspuit illi in faciem. Tulit hoc leniter ac sapienter: Nõ quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat. Laert. lib. 6.

DEMETRIVS Phalereus, quum audiuisset Athenienses destruxisse statuas, quas illi posuerant: At virtutem, inquit, nõ euerterunt, cuius gratia illas posuerunt prius. Laert. lib. 5. cap. 5.

DION Syracusanus patria pulsus à Dionysio tyranno, Megarã petierat: vbi cùm Theodorum principem eius vrbis domi conuenire vellet, neq; admitteretur, multũ diúque ante fores retẽtus, comiti suo, Patiẽter hoc ferendũ est, ait: forsitan enim & nos cum in gradu dignitatis nostræ essemus, aliquid tale fecimus. Qua tranquillitate consilij, ipse sibi conditionem exilij placidiorem reddidit. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

LEGATI ROMANI à Senatu Tarentum ad res petẽdas missi, cùm grauissimas ibi iniurias accepissent, vnus etiam vrina respersus esset: in theatrum (vt est consuetudo Græciæ) introducti, legationem quibus acceperant verbis, peregerunt: de his quæ passi erant, quæsti non sunt, ne quid vltrà ac mãdatum esset, loquerentur, intimísque pectoribus eorum, antiqui moris respectus, dolore qui ex contumelia grauissimus sentitur, cõuelli non potuit. Finem profectò fruendarum opum, quibus ad inuidiam diu abundauerat Tarentina ciuitas, hac contumelia quæsiuit. Val. lib. 2. cap. 1. & Liu. lib. 4 Decad. 3. & Plut. in Pyrrho.

AFRICANVS posterior centurias recognoscens equitum, postquam C. Liciniũ sacerdotem citatum processisse animaduertit: dixit, Illum se scire verbis conceptis peierasse. proinde si quis eum accusare vellet, vsurum testimonio suo. Sed nullo ad id negocium accedente. Traduce quum, inquit, sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tua persona & accusatoris, & testis, & cẽsoris, & iudicis partes egisse videar. Val. lib. 4. cap 1.

ÆMYLIA, Scipionis vxor non modò dissimulanter tulit ancillam suam haberi à viro in deliciis: verùm Scipione mortuo manumissam eam liberto suo dedit vxorem.

Quum CATONI causam in foro agenti, Lentulus attracta pinguissima saliua in mediam frontem quantum poterat expuisset, absterisit Cato faciem, ac dixit: Affirmabo omnibus Lẽtule, falli eos qui te negent os habere. Os habere negantur, quos nihil pudet: id quum eo facto maximè declarasset Lentulus, tamen Cato ludens, profitetur illi esse os: nõ quòd erubesceret, sed quod ore multam purulentiam eiacularetur. Eras. lib. 5. Apoph.

C. IVLIVS Cæsar Actio poetæ non succensuit, quòd sibi non assurrexisset. Pontan. lib 2. cap. 10. de Fort domest.

AVGVSTVS Cæsar nunquam iis à quibus fuit affectus molestia, grauiter iratus, aut intemperãter affectus erga maleficos fuisse dicitur. Dion in Augusto.

M. ANTONINVS grauissimas aliorum, tum Faustinæ vxoris iniurias etiam dissimulauit. Pontan. lib. 2 cap. 10. de Fort. domest.

Athenienses FAVORINI æneam statuam deiecerãt, vt hominis Cæsaris inimicissimi. Erant enim Athenienses vectigales Adriano Cæsari. Id posteaquam philosopho denunciatum est, nihil commotus dixit: Vtilius erat Socrati ab Atheniensibus ærea priuari statua, quàm bibere cicutam. Philostratus.

ALFONSVS Aragonum rex, cùm obiurgaretur, quòd in Aluarum Lunam hominem sibi planè ingratum, tanta contulisset beneficia, quorum ne memor quidem iam esset: An ignoratis, inquit rex, ingenti beneficio, non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri? Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

REPVLSAS, DIGNITATIS ABROGATIONEM AUT *imminutionem æquo animo ferre.*

Consule titulum, de Honoris contemptu: illic enim voluptatis, quæ ex honoribus percipitur: hic solius confidentiæ, quæ honores comitari solet, ratio habetur.

PÆDARETVS cùm in trecentorum virorum ordinem nõ esset ascriptus, qui honos apud Spartanos primam dignitatem obtinebat, repulsus discessit hilaris ac ridens. Reuocantibus autem Ephoris, quídque rideret percontantibus: Gratulor, inquit, huic Reipublicæ, quæ trecentos habeat ciues multo me meliores. Quid hoc pectore magis philosophicum? Nec molestè tulit repulsam, nec questus est de Ephororum iudicio: sed plus voluptatis capiebat ex publico Reipub. bono, quàm sensurus erat ex honore impetrato. Plutarch. in Laconicis apoph. Valerius Maximus lib. 6. cap. 4.

EPAMINONDAS Thebanorum dux fortissimus, non ægrè tulit delatum sibi viarum sternendarum ministerium, quanquam satis sciret esse illud sordidissimum. Pontanus lib. 2. ca. 10. de Fort. domestica.

Q. FABIVS Maximus dictator publicam ignominiam, cum Minutius magister equitum potestate illi æquatus est, constantissimè tulit. Quem mox Minutius ab eo seruatus patrem, milites patronum appellarunt. Pont. lib. 2. ca. 10. & Sab. lib. 9. cap. 1.

L. ÆMILIVS Paulus post tres repulsas forti animo perpessas consulatum adeptus est. Plin. ca. 56. de Viris illustribus.

P. SCIPIO NASICA licet moribus spectatissimus, à rusticis tamen tribubus, ædilitatis repulsam magno animo tulisse fertur, quòd candidatus dum obuias manus daret, & suffragia ambiret, rustico opere duratas manus cuidam obiectasset. Alex. ab Alex. libro primo, capite decimoseptimo, & Pont. lib. 2. cap. 5.

MARCVS CATO iunior postridie comitiorum, quibus in petitione consulatus tulit repulsam, vnguento delibutus descẽdit in campum post prandium, vbi sine calceis & tunica funiculo succincta de more cũ amicis deambulauit. Adeò negligenter vir sapiens tulit, quòd cæteri ciues ignominiæ loco ponere consueuerunt. Sab. libro nono, capite primo & Pont. lib. 2. cap. 5.

TACITVS Imperator fratri petierat consulatum, nec impetrauit. Ea repulsa adeò non fuit offensus, vt vehementer etiam lætatus sit, dicens: Scit senatus, quem principem fecerit. Vopiscus.

FRANCISCVS Foscarus, dux Venetorum, quum Reipub. quinque & triginta annos præfuisset, patriamque ipsam suo in primis consilio & authoritate fœlicissimè administrasset, abrogato illi imperio publica authoritate, nulla alia de causa, quàm quòd senio grauis parum idoneus tanto videretur imperio principis tamen maiestatem deponere non potuit. Nam descendens in publicum principis ornatu, ridenti persimilis, purpurea etiam veste indutus, ex Palatinis ædibus, vniuersa inspectante vrbe, eumque etiam admirante descendit, Foscareasq; ædes suas ad diui Pantaleonis cupienti similis inuisit. Itaque ab vniuersis qui aderant ita exceptus est (aderat autem ferè vniuersa ciuitas) vt principis maiestatem fastigiumq; supremæ maiestatis susceptũ in eo priuato crederes. Quinetiam intra triduum illum defunctũ Paschalis Maripetrus dux suffectus, & vniuersa ciuitas, funebri pompa sic deduxit, vt nihil omnino de ducis dignitate illi ademptum videri possit: decoratus etiam elegãtissima Bernardi Iustiniani oratione, quæ hodie quoque extat. Egnat. lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 3, & 7.

VICTOR Pisanus, Imperator Venetus, post Polensem cladem carceri inclusus, publica vniuersæ ciuitatis acclamatione summo que consensu à patribus est emissus: qui quum lares suos viseus, ad diui Ennini, gratias duci & patribus egisset, deducente eum populo, ordineq; patriciorũ frequentissimo, pugno etiam percussisse nauarchum dicitur, qui eũ hortaretur, vt animaduerso tantum in sese mortalium omnium studio, abrogati sibi imperij carcerisq; iniuriam vlcisci vellet: illud elogium addẽs, Quacunque occasione bonum ciuem patriæ dignitatem & salutem præponere rebus omnib. debere. Egnat. lib. 2. cap. 5.

ANTONIVS Grimanus, rei maritimæ Imperator, suffecto illi Melchiore Triuisano, captiuus & nexus Venetias deductus, dum carceri includendus esset, tanta animi constantia visus est, vt vix filium Cardinalem agnosceret: qui patrem adhortabatur, vt hanc ipsam calamitatem forti animo ferret, nec dubitaret, quin in comitiis egregiè defensus dignitatem suam locumque retineret pristinum. Ei namq; respondit: Ego nihil hoc tempore aliud cogito, quam vt Resp. iure suo & legibus vtatur. Nec verò multo pòst in exilium missus, magno animo etiam casum tulit: vt tamen violatis exilij terminis Romamq; ad filium Cardinalẽ proficiscẽs, non multo pòst sit patriæ restitutus, & procuratoria primùm dignitate donatus, mox etiam princeps declaratus sit. Quo exemplo nescio an aliud inueneris memorabilius. Egnat. lib. 3. cap. 6.

CARCERES ET CAPTIVITATEM *moderatè ferre.*

IVGVRTHA regno amisso Romam captiuus ductus, in carceris ostiũ etiam iocatus esse dicitur. Pontanus lib. 2. cap. 7 de Fort.

MAGISTONA Eliensis, cum ab Aristotimo immani tyranno vnà cũ filiis multisque aliis fœminis in carcere obseruaretur, ipsiusque & aliarũ mulierum viri parentésque, à tyranno patria pulsi, armis libertatem repeterent, fretus posse se exules ad pacem redigere tyrannus, si vxores filiique eorum id per literas petiissent: carcerem ingressus, mulieres captiuas, vt de pace scriberent, humanis verbis hortatus est. Omnes autem ad Magistonam conuersæ, respondendi curam ei detulerunt. Magistona verò minimè tyranni præsentia mota, nõ solùm quod petebat negauit, sed ne assurrexit quidem, aut alio honore tyrannum dignata est, idemque cæteræ mulieres fecerunt. Qua re adeò commotus est Aristotimus, vt statim in carcere Magistonæ filium ad occidendum perquiri iuberet. Sed ne hoc quidem Magistonam mouit, vt sententiam mutaret: verùm ipsa manu apprehensum filium his tradidit, qui tyranni iussu eum quærebant. Quanquam verò ita tyrãni ira ob hæc succenderetur, vt vix quin manu sua eam interimeret, temperare sibi posset: efficere tamen nequiuit, vt Magistonam comitesque propositi pœniteret, atque vel vnũ verbum, vt cupiebat, scriberent, cùm plus apud eas induta semel constãtia, quàm carcer tyranniq; minæ valeret. Fulgos. lib. 3. cap. 8.

Regina Palmyrensium ZENOBIA, cùm ab Aureliano Augusto capta esset, Aurelianus ab ea petiit, qua re freta, æquare se Romano imperatori ausa esset? Ipsa quanquam captiua, atque in vltima fortuna constituta, respondit: Te qui vincere scis, imperatorem agnosco: sed Galienum, Aureolum atque alios eis similes, nunquam imperatores duxi. Itaque si optatis meis fortuna respondisset, imperij consors ac socia tibi esse volebam. Mira res profectò fuit, fœminam, captiuamq; de participando imperio cum Romano imperatore mentionem facere ausam esse. Fulgos. lib. 6. cap. 4.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm contra Caietanos pugnans nauali prælio captus esset, dum ad Philippum ducem Mediolanensem, qui Caietanis auxilio venerat, perduceretur, adeò liberi autoritatem maiestatemq; perpetuò seruauit, vt interdum victoribus ipsis non victus, sed victor potius videretur, vnde & nonnulli dixisse ex hostibus ferunt: In omni fortuna Alphonsum & videri & existimari meritò regem esse. Panormita lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM captus adductusq; ad Ænariam insulam, monitus iussusque est per internuncium Genuensium classis præfecti, vt insulam in potestatẽ populi Genuensis dedi protinus curaret. Cui rex per eundem internuncium respondit: fateri quidem se captum esse, sed nec mandaturum se tale quid popularibus suis: nec si mandaret, illos captiui regis mandata facturos. Persuaderet potius sibi, è regnis suis ne saxum quidem obtineri posse. Quo dicto, præfectus regis animum inuictum, atq; constantiã admiratus, verbis se apud regem purgauit, & culpam omnem in internuncium reiecit. Panormita lib. 3. de Alphonsi rebus gestis.

IDEM asseruatus à Philippo inclyto Mediolanensium duce, cùm audisset, quòd statim liberandus esset, renunciauit Philippo, quas pro liberatione sua leges dicturus esset, nullas omnino se recusaturum, præterquam si ab expeditione regni Neapolitani desistere iuberetur. Malle enim se in perpetuis carceribus mori, quàm ab huiusmodi incœpto desistere. Tum vt constantiã in re semel suscepta seruaret, tum vel maximè, ne suarum partium regulos, qui secum captiui essent, deseruisse argueretur. Ibidem.

Subrogatus absens fuerat Michaëli Mauroceno duci Veneto ANTONIVS VENERIVS, qui tum Cretam insulam summo cum imperio teneret. Qui Venetias sub idus Ianuarias rediens, magno totius nobilitatis & populi plausu in diui Nicolai phano, quod est in littore proximum, exceptus est. Inde mox Bucentoro naui in ducarium vectus, aliquot annos Veneti imperij maiestatem mirum in modum auxit pacis præcipuè vrbanæq; tranquillitatis studiosus, ad promerendámque mortalium gratiam in primis factus. Vna tantùm ad Tenedum insulam belli cura fuit, quo tandem fœlici cuncta composito, mox ad omnes pacis artes animum intendit. Cæterùm, quod ad rem institutam attineat, patientia tanta fuit, vt Aloysium filium in carcerem missum, criminisque conuictum, quòd cornua bubula patriciæ puellæ ianuis affixerat, quasi exprobraturus illi malè sanos amores, æquissimo tulerit animo. Quinetiam laborantẽ eũdem in carcere peste, nunquam educi passus est: tametsi vniuersa ciuitas ad id ipsum hortaretur. Quem adolescentis filij casum acerbissimum vsque ad vitæ finem constantissimè pertulit, cum summa optimi cuiusque laude. Egnat. lib. 3. ca. 3.

ANDREAS Grittus à primis annis à Turcis Byzantij carceri inclusus, Venetias postea liber solutusq; veniens, magnis honoribus functus, variisq; casibus aduersa reipub. fortuna iactatus, à Gallis Brixiæ captus, eodem semper vultu, animique vigore visus est, donec procuratoria dignitate & ducis sublimitate donatus, princeps decem & sex annos per summam constantiam egit. Egnat. lib. 3. ca 7.

CAROLVS Malatesta victus captusq; à Philippi Mariæ Mediolanẽsis ducibus, admirabilem in captiuitate præ se gessit animi firmitatem. Pontan. lib. 2. ca. 7. de Fortuna.

LVDOVICVS Boiariæ dux, apud Henricum eiusdem familiæ principem in carcere cùm seruaretur, nunquam illi ad se venienti assurrexit, neque capite annuit, neque quod ab eo peteretur suadere itúrue, quicquã fecit: sed eum vultum, eamque seueritatem retinuit captus, quibus, cum liber esset, vsus est. Æneas Syluius libro tertio, Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

Mortuo Turcarum rege Mahumeto, relictis duobus liberis, GEMI & Baiazete, contentione orta à maiore natu fratre Baiazete Gemes armis pulsus, in Petri Daubussonis potestatem venit, qui Hierosolymitanorum equitum primarius, Rhodi rerum potiebatur. Ab ea postea ad Innocentium octauum pontificem Romam missus, etsi aliud fingebatur, re vera tamen Baiazetis fratris arte atq; pecunia, vt captiuus custodiebatur. Dũ igitur Romam perductus, ad pontificem in consistorium tenderet (id pontificij senatus nomen est) petiit antè, qui mos esset pontificis adeũdi: itaque ei, neque pedem, neque manum, vt opinio erat, sed humerum tantũ deosculatus est. Cardinales autem solo complexu, nec alia re dignatus, inde discessit, haud aliter seruata grauitate, quàm si quiet⁹ regni sui possessor esset. Fulgos. lib. 6. ca. 4. & Egnatius libro sexto, cap. 4.

EXILIVM QVI FORTITER *tulerunt.*

TEVCER rediens ex Troiana expeditione, quum ob Aiacis fratris mortem Telamoni patri esset inuisus, atq; ab eo exilio mulctaretur, ad socios conuersus, ait: Patria est, vbicunq; bene est. Cicero in Tusc. quæst.

ARISTIDES Atheniensis nullo crimine inimicorum, tantùm inuidia in exilium pulsus, ostracismi gratia, non aduersus patriam ingratosq; ciues indignatus est: sed cùm Athenas egrederetur, omnibus audientibus deos rogauit, vt ea fœlicitate patriam suam complecteretur, ne vnquam Aristidis meminisse cogeretur. Fulg. lib. 4. cap. 1.

THVCYDIDES Atheniẽsis historicus, à suis in exiliũ missus ob pro-

ditionis suspicionem, fortunam illam æquo animo tulit. Neque [illegible] flere aut queri visus est, neque Bradidam exilij autorem scripturis carpere. Ravis.

DIONYSIVS iunior regno deiectus, adeò pristinam est fortunæ oblitus, vt iam minus sapere, ac parum sibi constare à multis crederetur. Cæterum rogatus à quodam: Equid ex Platonis consuetudine esset assecutus, quem inconsumi regno tamdiu penes se habuisset? An parum, inquit, vobis consecutus videor, quòd præsentem fortunam tam fortiter fero. Sab. lib. 5. cap 7.

IDEM eadem dicebat se pati, quæ adolescentes: quemadmodum enim illi, si peccaverint, hilari vultu fratrum consuetudine vtuntur, patris autem præ pudore fugiunt: sic sibi euenisse, vt in metropoli vitam agens verecundia teneretur, Leucade cum voluptate viueret. Brus. lib. 7. cap. 1.

FVRIVS Camillus, cùm præsidium eius ciues capra vrbe à Gallis Ardeæ exulantis petijssent, non prius Veios ad accipiendum exercitum iuit, quam de Dictatura sua omnia solèni iure acta comperisset. Magnificus Camilli Veientanus triumphus, egregia Gallica victoria, sed ita cũctatio longè admirabilior. Multo enim, multóque seipsum quàm hostem superare operosius est, nec aduersa propera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem. Val. libro quarto, capite primo.

Q. METELLVS in exilium ire, quàm Saturnini tribuni plebis iniquissimas leges ferre maluit. Ravis.

P. OVIDIVS exilium non tantùm fortiter tulit, sed etiam multa in eo scripsit.

PALLAS Strozza Florentia pulsus, Paduæ ita vixit, vt exilium ad otium literarum conuertisse videretur. Ravis.

Celebris est apud Venetos FRANCISCI Foscari principatus, qui suo consilio quum Remp. sua liberalissimè diu foris administrasset, nescio tamen quo fato domi eandem tranquillitatem seruare non potuit. Iacobo enim filio falsò accusato, quòd Hermolaum Donatum decemuiralis consilij præfectum, cùm domum noctu reuerteretur, quasi sibi in festiorem interficiendum curasset: non poterat certè pater, quum tortum in eculeo cum etiam audiret, non aliquantum commoueri. Verùm tanta animi constantia, vt ne vultu quidem hunc dolorem proderet: filium quoque ipsum inde perpetuo exilio damnatum, quamuis innocentem, æquissimo animo tulit: & sese etiam postea in ordinem redactum, quòd inuidiæ malevolorum in se hominum obsistere nõ poterat, pari modestia, fortitudinéque animi sustinuit. Egnatius libro quarto, capite primo.

PATRIÆ EXCIDIVM CONSTANTER FERRE.

ARCHIMEDES Syracusarum direptionem ne sensisse quidem videri potest, qui radium tenens, ac lineas ducens, Geometricæ figuræ contemplandæ intentus, à milite confossus est. Pontanus libro 2. de Fortitu. cap. 3.

STILPON Megarensis philosophus patria sua direpta, interrogati Demetrio: Nihil se amisisse, respondit. Pontanus libro secundo, cap. 3. de Fortitudine.

CLITOMACHVS Carthaginensis, licet maximo amore patriam prosequeretur, nihilominus tamen cum casu quodam euerteretur, non tantùm sorti animo tulit, sed ciues quoque cohortatus est suos ad excidium patriæ fortiter ferendum. Pontanus lib. 2. de Fortitudine cap. 3.

VXORIS IMPVDICITIAM ET ADVLTERIA MODERATÈ FERRE.

Consule etiam tit. Eorum qui non fuerunt zelotypi.

BYZANTIVS quidam, quum mœchum in vxore deformi deprehendisset: Miser, inquit, quid opus erat Sapragoræ dote? Significans, fœminam deformem non futurum fuisse qui concumberet, nisi dote conduci. Nunc quum illa nacta esset gratis adulterum, quid opus erat Sapragoræ marito dare dotem, quum esset qui gratis hoc faceret? Erasmus Sereto Apoph.

MORTEM LIBERORVM PATIENTER FERRE.

ANAXAGORAS, cùm inter familiares differeret de natura rerum, nunciata ei dicitur filij mors, atque vbi paululum tacitus subtilitissèt, conuersus ad illos: Sciebam, inquit me genuisse mortalem. Pontanus libro 2. cap 9 de Fortitu. domest. Ælianus lib. 3. de Var. hist. & Val. libro 5. cap. 10.

XENOPHON, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus à Platone fuerit, ac beatæ facundiæ gradu, cùm solenne sacrificium perageret, è duobus filijs maiorem natu nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidisse cognouit: nec ideo institutum deorum cultum omittendum putauit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipsam percontatus, quónam modo occidisset? vt audiuit fortissimè pugnantem interijsse, capiti repotuit numina quibus sacrificabat restans, maiorem se ex virtute filij voluptatem, quàm ex morte amaritudinem sentire. Alius remouisset hostiam, abiecisset altaria, lachrymis respersa thura difficiliter: Xenophontis cor pia religione immobile steterit, & animus in consilio prudentiæ stabilis manserit, ac dolori succumbere ipsa clade, quæ nunciata erat tristius duxit. Val. Max. lib. 5. cap. 10. & Ælii. lib. 3. & Pont. lib. 2. cap 9.

Princeps Athenientium PERICLES intra quatriduum duobus mirificis adolescentibus filijs spoliatus, his ipsis diebus, & vultu pristinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatus est. Ille verò caput quoque solito more coronatum gerere iussit, vt nihil ex vetere ritu propter domesticũ vulnus detraheret. Non sine causa igitur tanti roboris animus ad Olympij Iouis cognomen ascẽdit. Val. Max. lib. 5. cap. 10. & Ælian. lib. 9.

HARPAGVS Medus, cùm ei filium suum puerum adhuc epulãdum rex Astyages proposuisset (propterea quòd Cyrum, vt iussus erat, infantem non expotuisset) & post cœnam pueri caput ei ostẽdisset, eo spectaculo consternatus non fuit, sed continuit sese. Percontanti autem Astyagi, cognoscerétne cuius feræ carnes gustasset? Se agnoscere, respondit, sibique quicquid rex ageret, placere. Dissimulauit igitur iniuriam aliquãdiu, donec occasione captata Cyrum ex Persia in Mediam vocauit, & contra eum dux exercitus Medici ab insipiẽte Astyage cõstitutus, Cyro exercitum prodid. t. Itaque Astyages captus à Cyro fuit. Herod. lib. 1.

TRAHEASPÆ filium Cambyses iratus & obtusa sagitta traiecerat, atque aperto illius pectore iusserat inspici an cor quod petierat, fixum esset. Cui cùm insixam sagittam renunciassent, tunc ad patrem, qui astabat conuersus: Ecquid inquit, certam tibi habere manum vides? Ad quæ ille confestim, nullo perturbationis signo dato: Ne Apollinem quidem potuisse certius figere, respondit. Pontanus lib. 2. cap. 9. de Fortitudine.

Tyrrheum PITTACI Mitelænei tyranni filium, Cumis in tonstrina sedentem, faber quidam ærarius impacta securi occidit. Cumani homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, vt de eo supplicium sumeret. At ille cognita causa, dimisit hominem: dicens, Ignoscendum esse potiorem pœnitentia: sentiens, vtilius esse condonare, quàm meminisse iniuriæ, & vlcisci. Laert. lib. 1. cap. 5.

DION Hipparini filius, Platonis discipulus, publica quædam & communia negocia tractabat. Eius filius à tecto delapsus in atrium, vitam cũ morte commutauit. His nihil commotus est Dion, neque mutatus: sed constanter in eo quod inceperat, efficiendo perseuerauit. Ælian. lib. 3. de Var. hist. & Fulg. lib. 5. cap. 10.

LOCHADVS Poliænidæ filius, Sironis pater, nuncianti quòd è filijs ipsius alter interijsset: Olim sciebam, inquit, illi moriendum esse. Nihil illi visum est nouæ rei, si mortalis natus moreretur. Plut. in Laconicis apoph.

GYRTIAS, quum Acrotatus nepos in puerorum pugna plagis fœdè exanimatus esset, ploratibus aliis: Tacebitis, inquit, facto enim ostẽdit, cuius sanguinis esset. Alludit autem ad Lacedæmoniorum fortitudinem, qui mortem contemnentes, omnibus vitæ periculis sese obiiciebãt. Plutarchus in Lacon.

EIDEM, quum è Creta nũcius esset allatus de morte Acrotati: Quum ad hostes, inquit, proficisceretur, nónne futurum erat, vt aut ipse moreretur, aut illos occideret? Iucundius autem est audire, quòd mortuus est, vt & ipsos & ciuitate & progenitoribus dignum erat, quàm si iners & imbellis per omne æuum viueret. Solent autæ tenerius & impotentius amare nepotes suos, quàm ipsæ matres. Et vbi nunc sunt, quæ in morte liberorum confugiunt ad laqueum: quum Gyrtias nepotem & fœminee cem lugeri vetuerit: nec eundem fleudũ putarit, quòd fortiter pugnans interijsset? Plutarch. Ibidem.

ANTIGONVS rex, quum renunciatum esset, filium Alcyonæum in acie cecidisse, dimisso vultu pauli per apud se cogitauit, mox erupit in hanc vocem: O Alcyonæ, seruus quàm oportuit, vitam cum morte cõmutasti, qui tam audacter in hostes insilieris, neque tuæ salutis, neque meorum monitorum vllam habens rationem. Putauit non esse defendum, qui sua culpa periisset, sibique calamitatem accersisset. Referunt ex Plutarcho.

TYNNICHVS Thrasybuli filij mortem perquàm forti animo tulit. Vnde in eum hoc factum est. Epigramma:

Ex animis Piranen clypeo Thrasybule rediſti,
Septem ex Arguiis vulnera fœua gerens.
Aduersa ostendis tamen omnia, sanguinolenta
Membra rogo imponens. Tynnichus hæc senior.
Florentur timidi, mi insletus humabere fili,
Qui & patre hoc verè dignus es, & patria.

Plutarchus in Lacon.

FABIVS Max. cùm filium amisisset, vt vir sapiens & humanus parẽs, casum suum æquissimè tulit. Laudationem verò (quod munus in funeribus propinqui obeunt) ipse primus in foro pro filio recensuit, quàm postea scripsit dedit. Plutar. in Fabij Maximi vita.

HORATIVS Puluillus, cùm in Capitolio Ioui opt. max. ædem pontifex dedicaret, intérque nuncupationem solennium verborum poltem tenens mortuũ esse filium suũ audisset, neque manum à poste remouit, ne tanti

ne tanti templi dedicationem interrumperet: neque vultum à publica religione ad priuatum dolorem reflexit, ne patris magis quàm pontificis partes egisse videretur. Val. libro quinto, capite nono. & Pontanus lib. 2. cap. 9.

L. ÆMYLIVS Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filijs formæ insignis, egregiè indolis, duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentes translatos, sibi ipse denegauit, duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphum Macedonicum patris funere suo quartum ante diem præcessit, alter in triumphali curru conspectus post diem tertium expirauit. Itaque qui ad donandos vsque liberos abundauerat, in orbitate subitò destitutus est. Quem casum, quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus à se gestis apud populum habuit, hanc adiiciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo prouẽtu felicitatis vestræ Quirites timerẽ, nequid mali fortuna moliretur, Iouem opt. max. Iunonemque reginam, & Minervam precatus sum, vt si aduersi quid populo Romano immineret, totum in meam domum cõuerteretur. Quapropter bene habet se res: annuendo enim votis meis id egerunt, vt vos potius meum casum doleatis, quàm ego vestrum ingemiscerem. Val. Max. lib. 5 cap. 10.

CATONI Censorio, cùm filius natu maior obiisset, singulari ingenio & summa virtute iuuenis, adhæc prætor iam designatus: nihil tamen hoc casu commotus est, vt reipublicæ negocia segnius administraret. Plutar. in eius vita.

Q. MARTIVS rex, supe rioris Catonis in consulatu collega, filium summæ pietatis, magnæ spei, & quæ non parua calamitatis accessio fuit, vnicum amisit. Cumque se obitu eius subrutum & euersum videret, ita dolorem altitudine consilij coercuit, vt à rogo iuuenis protinus curiam peteret: Senatumque quem eo die lege habere oportebat, euocaret. Quòd nisi fortiter mœrorem ferre scisset, vnius diei lucem inter calamitosum patrem & strenuum consulem neutra in parte cessante, officio partiri non potuisset. Valer. Max. lib. 5. cap. 10.

M. CRASSVS, cùm filium, quem vnicum habebat, prælio cum Parthis inito, occisum esse, & ob id exercitum animo consternatum intelligeret: dissimulato dolore, qui altius tamen in corde ipsius insederat, quia senio confectus, alium procreandi spem nullam habebat, ingẽti animo, per totum agmen profectus, magna voce dicebat, Ne vnius militis iactura tantopere commouerentur: verùm fortiter dimicantes, & sui & patriæ decoris meminissent, huius doloris vltione sibi soli relicta. Plutarc. in Crasso.

L. SYLLAM, quo minus aduersus hostem rem egregiè gereret, mors filij non deterruit. Pontan. lib. 2. cap. 9. de Fortitudine domestica.

ASINIVS Pollio eo die, quo filium amisit charissimum cum amicis conuiuia celebrauit, ne plus æquo charum creptum sibi pignus lugere videretur. Alex. ab Alex. libro tertio, cap. 7.

M. BIBVLVS, vir amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functus, cùm in Syria moraretur puer unicus, duos egregiæ indolis filios suos à Gabinianis militibus Ægypti occisos cognouit. Quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, vt grauissimæ cladis vltionẽ arbitrio suo exigeret. At ille oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti poterat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificesque sanguinis sui intactos enestigiò ad Cleopatram reduci iussit, dicendo: Potestatem huius vindictæ non suam, sed Senatus esse debere. Valerius Max. libr. 4. cap. 1.

C. IVLIVS Cæsar audita filiæ morte in Britannia, die tertia imperatoria ad munera rediit. Pontan. lib. 2. cap. 9. de Fortitudine domestica.

TIBERIVS Cæsar, in Druſi morte, quem vnum habebat filium, pluris virtutem quàm sanguinem faciens, à funere eius rectà ad Curiam, ad publica munia obeũda, vt antè solebat, nullo doloris expresso signo perrexit. Fulgosius li. 5. cap. 10.

C. CLAVDIVS Cæsar, cùm eum amisisset, quem & optauerat & genuerat, ipse tamen pro rostris eum laudauit: & in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret, flente cuncto populo Romano, solus non fleuit parens. Pont. lib. 2. cap. 9.

M. ANTONINVS Philosophus imperator, mortuo filio, desecta post aurem vomica, non modò dolorem ipse non ostendit: verùm attonitos quoque medicos solatus, prohibuit ne vltra quinque dies lugeretur, etsi alij è more diutius lugebantur. Neque hoc funere tulit, vt ludi Iouiales intermitterentur. Fulgosius libro quinto, capite decimo: & Alexan. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

LAMBAS Auria, Genuensis classis præfectus, dum in Adriatico sinu cum Venetis confligeret, vbi magno eos prælio superauit, & in medio prælij ardore ei nunciatum esset, filium pugnando interfectum fuisse: nullo alio doloris edito signo, vt in certamine pergerent, & ad victoriam enitenterentur, alios hortatus est. Quod ad filium pertineret, in mare eum proiicerent, quòd nullo nobiliore sepulchro tumulari posset, quàm illic, vbi pro patria pugnans, parta à suis victoria, mortem oppetiisset. Fulgosius lib. 5. cap. 2. & Egnat. lib. 5. cap. 2.

HOMVLVS iureconsultus, Neapolitani regni accola, Xenophontis imitatus, Romæ cùm in palatio causam ageret, nunciata filij morte neq; voce neque vultu mutato, magna constantia peregit, quę dicenda susceperat. Postea ad clientes atque aduersarios conuersus orauit, vt æquo ferre animo vellent, dum vnam tantum horam paterno affectui operam daret. Atque his dictis, in cubiculum in ipso palatio secessit. Nec plus quàm horam moratus, ad perficienda quæ supererant, reuersus est, nulla in parte ab eo mutatus qui ante filij nuncium visus erat. Fulgosius libro quinto, capite decimo. & Pont. lib. 2. cap. 9.

MARZVCCVS Pisanus intreconsulrus, & equestri dignitate insignis, relicto seculo, in fratrum minorum ordinem se recepit. In eius ordinis disciplina, plus ad parandum moderationem ac patientiam animi, quàm permulti philosophi longissimis studijs, profecit. Vnde cùm sciret, Farinatam filium à Bentino Caprarien si occisum fuisse, non solùm filij funeri sine lachrymis interfuit. sed vt verius iniusiam se remisisse intelligeretur, Bentini filij percussoris manum deosculatus est. Fulgos. libr. 5. cap. 10. & Egnat. lib. 5. cap. 10.

CAROLVS octauus, Gallorum rex, in filij morte, quem vnicum & iam primum habebat, neque animo perturbatus est, neque vestem mutauit, aut festos ludos omisit. Senatum ac populos suos terrere noluit, ne parata ad repetendum Neapolitanum regnum arma remitterent. Grauissimis igitur verbis lætoque vultu Deo gratias egit, plusq; animi quàm antea ad obeundã expeditionẽ ostendit. Naturali tantùm prudentia adiutus, in eiusmodi re philosophos doctosq; permultos, quanquam adolescens iuuenis, atque in regio solio constitutus: id quod plerosque timidiores facit: longè superauit. Fulgos. lib. 5. cap. 10. & Egnat. ibidem.

LEONARDVS Lauretanus, dux Venetus, ex quatuor liberis iã grandibus natu, quum Bernardum filium, natu minimum, bonæ spei adolescentem amisisset, idque præter omnem expectationem, adeo constanter funeris acerbitatem tulit, vt quo die elatus est adolescens, Reip. non defuerit, quæ ducis præsentiam in re quadam grauiore tunc in primis exposcebat. Egnat. lib. 5. cap. 10.

LVCAS Zenus, D. Marci procurator, quum Mapheum filium iam virum factum, ductáque ab eo vxore honestissima & opulentissima, subitò quodam fato amisisset: eius mortem tam forti animo, constantique tulit pater ipse, vt celebrato funere magna quidem pompa, postridie aditum omnibus fecerit adeundi sui, benignissimeque omnes ad se aduentes exceperit: filij indolem & virtutem in primis laudando, reliquosque omnes adhortãdo, vt quicquid Deus & natura ipsa nobis præcripsisset, idipsum in bonam partem accipere vellemus. Idem.

DOMINICVS Triuisanus, diui Marci procurator, vir sua tempestate longè clarissimus, quatuor liberorum mortem diuersis temporibus inflictam Triuisanæ domo summa semper constantia tulit. Erat ipse pater summa dignitate constitutus, ipsaque ciuitas de illo sibi omnia pollicebatur, quum vno & altero funere fatigatus adolescentum filiorum, mox quarto etiam pressus, adeò inuictum se præstitit, vt eundem vultum eundemque animi tenorem, cum vniuersæ ciuitatis admiratione semper præ se tulerit. Idem.

Erant Venetiis. ALOYSIO MOLINO liberi sex mares, quum quatuor immaturo fato mortem oppetiissent, alter per summam iniuriam à Marco Michaele patricij sanguinis homine extinctus est. Quem casum (licet omnium acerbissimum) tanta animi moderatione tulit, vt nihil quoad vixerit, in homicidam ipsum grauius cogitarit. Quin vita decedens, superstiti filio MARCO testamento mandauit, ne fratris necem vnquam vlcisci vellet. Filius ergo quum sibi fraternæ cædis vindicandæ facultas sæpe vltrò oblata esset, non solùm voluntati parentæ piè obtemperauit: verùm etiam (quod immensæ, ac propè diuinæ benignitatis fuit) reconciliandam gratiam cum ipso iniuriæ autore quàm primùm curauit. Quamque ille sceleris reus, perpetuo exilio damnatus, extra Veneti imperij fines electus esset: hic de eo reuocando supplex ad Decemviros vltrò adiit, atque enixè contendit, vt ille omnino patriæ restitueretur. Hãc ingenui animi liberalitatem admirati in primis patres, in eius gratiam statuerunt, vt reus in agro Mistrino liberè esse posset. Quis tantam animi virtutem satis vnquam laudare poterit? Quis iam conqueretur, nimium durè esse nobis præceptum, vt illatas condonemus iniurias, quum hoc vnum tam memorabile exemplum legerit? Meritò igitur ciuitas minimè ingrata in demortui patris locum filium procuratoria dignitate statim subrogauit, quod nusquam antè alicui contigerat. Nec illud sciens omiserim, nihil esse in tota Veneta Rep. quod ad eius felicitatem cõseruandam augendamq; magis conducat, quàm hanc ipsam animi liberalitatem in mutuis iniuriis condonandis. Egnat. lib. 4. cap. 1.

MVLIERVM EXEMPLA.

LACIDÆMONIORVM matronæ, quotquot audiuissent suos filios in pugna cecidisse, abire solebant, & inspicere vulnera tã cominus, quàm eminus inflicta. Et si plura ex aduerso essent facta, cum gaudio magnaq; gratuitate, & aspectus toruitate, in maiorum auita monumenta filios deferebant. Sin alio loco vulnera accepissent, pudore suffusæ, lachrymisq; confectæ, quàm maximè poterant clandestina fuga discedebant, relictis mortuis, vt communi sepulchro humarẽtur, aut furtim surreptos in domestica sepulchra deportabant. Ælian. lib. 12. de Varia historia.

SPARTANA mulier, cùm quinque liberos haberet, in eo prælio quo haud longè ab vrbe decertabatur, venientem inde quendam rogauit, Quo in statu rerum summa versaretur? Respondente autem illo, Filios eius omnes interiisse: mulier ad eum, Malo tuo fato, hoc à te non petij, sed vt patria res se habeat rogaui, & cũ is postea subiunxisset, Omnia bene cedere: mulier iam se filiorũ morte non dolere dixit. Fulg. li. 5. ca. 10.

LACÆNA quædam, quum audisset, quòd filius fortiter in prælio se gerens occubuisset: Nimirum, inquit, meus erat. Nõ deplorauit mortem filij, sed de virtute sibi gratulata est. Contra, quũ de altero audisset, quòd ob timiditatem prælium detrectans, saluus esset: Nimirum, inquit, non erat meus, sentiens, non esse habendos pro liberis, qui à parentum institutione degenerassent. Plut. in Lacænarum apoph. Brus. l. 4. c. 1.

ALIA, quum audisset filium in prælio cæsum: Deponite illum, inquit, vt erat in ordine locatus, eiusq; locum expleat frater. Tale robur animi,

quale in paucis reperias viris.Non metuit orbitatem, modò vita patriæ impenderetur.Plut.in Lacænarum Apoph.

ALIA, quum in publica solenníque pompa audisset filium in prælio quidem tulisse victoriam,sed ex vulnerum multitudine mortuum,coronam non deposuit,sed glorians comitibus dixit:Quanto pulchrius est, amicæ,in acie victorem occumbere , quàm in Olympiis parta victoria viuere?Quantum hæc virago dissensit à cæteris mortalibus,quibus persuasum erat,diis proximum esse,in Olympiis ferre palmam:quum ibi nō ageretur certamen virtutis,sed artis & impendiorum:tum nihil esse terribilius morte:neque quicquam esse tanti : quod vitæ iactura sit emendum?Hæc nullam existimauit victoriam speciosiorem,quàm quæ patriæ quæreretur:nec vllam mortem optabiliorem,quàm quæ cum hac laude contigisset.Ibidem,& Brus.lib.4.cap.1.

Quum quidam SORORI suæ narraret , quàm fortiter ipsius filius in prælio occubuisset:Quantum,inquit illa,de filio cœpi voluptatis, tātum tuam doleo vicem,qui à tam honesta societate defeceris.Ibidem.

ARCHILEONIDA, Brasidæ mater,cùm filium in prælio occubuisse audisset, nil prius interrogauit , quàm an filius honestè occubuisset? Thracibus illius virtutem collaudantibus,dicētibúsque, Non esse apud Lacedæmonios alium illi parem:Ignoratis, inquit, hospites, quales sint Lacedæmonij?Erat quidem vir bonus Brasidas, cæterùm Sparta multos habet illo præstantiores. Vtrum in hac fœmina magis admirari conuenit:animíne generositatem,quæ de filij morte quòd obtigisset honesta, gloriandum etiam putaret , tantum abest vt muliebriter defleuerit : an modestiam,& in patriam affectum, quæ non passa sit ita filium prædicari , vt reliquorum Spartanorum gloriæ decederet aliquid. Plutarch. in Lacon.apoph.

Quidam cum Lacænæ MATRI dixisset , quàm fortiter frater in bello occubuisset:Non pudet te, inquit , te non fuisse in morte tam generosa comitem? Adeò hæc mulier non molestè mortem filij tulit , vt reprehenderet ignauiam alterius filij, qui honestam mortem subire non voluisset. Plutarchus in Laconicis apophtheg. Brusonius libro quarto capite primo.

LACÆNA quædam,cum filium audisset in acie cecidisse,ait:

Plorentur timidi,mi infletus humabere nate:
Et matre hac verè dignus es,& patria.

Plutarchus in apoph.Lacon.

QVÆDAM sepeliebat filium.ad eam quum vilis anicula quædam accessisset, dicens : Heu fortunam,ô mulier,illa subiecit , Per Geminos (inquit)bonam equidem arbitror.Siquidem cuius gratia filium peperi, videlicet vt pro Sparta moreretur , id mihi contigit. Fortissima mulier, aniculæ deplorationem vertit in gratulationē. Huius meminit M.Tullius Tuscul.quæst.lib.1.Plut.in Lac.apoph.

CORNELIA post duodecim partus amissos,Tiberium & Caium cæsos atque insepultos vidit.Sed quid hac eius voce generosius? nam miseram eam ob talem tantámque iacturam prædicantibus matronis, respondit,Numquam me ego fœlicē non dicā,quæ Gracchos pepererim. Pontan.lib.2.cap.9.de Fort.domestica.

RVTILIA, ea quæ Cottam filium in exilium sequuta fuerat , cùm reducem amisisset, eam firmitatem retinuit , vt post elatum funus eius lachrymas nemo viderit. Pontanus libro secundo capite nono de Fort. domestica.

LIVIA, generosissimi filij Drusi posito corpore,finem etiam lachrymis suis posuit.Pontanus libro secundo capite nono de Fortitudine domestica.

AMATRICIANA fœmella,cùm intellexisset filium nimis dimisso animo ad supplicium trahi,filio occurrens sedare illum lachrymas,atque abiicere metum iussit:cœlum ac solem vt respectaret,subinde admonēs. Quod ille quum faceret:An,inquit,ignoras fili, confestim te in arces illas emigraturum?ac vix vnius momēti dolorem,perpetuam tibi & quietem & voluptatem pariturum?Ibidem.

ARRIA maior(quæ virum in ipsa quoque morte secuta est,vt sub tit. Amoris coniugalis dicitur)cùm Cæcinna Pœtus maritus eius ægrotaret grauiter,item & filius:obiit filius,inscio parente. Tunc Arria tam egregiè dolorem,quem ex filij obitu conceperat,potuit dissimulare, vt Pœtus non prius quàm conualesceret, resciscere potuerit.Plin.lib.3.Epist. ad Nepotem.

QVORVMVIS ALIORVM AMICORVM MORtem constanter ferre.

Exempla quædam ex tit.de Sepultura & Luctu mortuorum peti possunt.

Thracia meritò sibi sapientiæ laudem vēdicat,quæ natales hominum flebiliter , exequias cum hilaritate celebrat. Nam sine vllis doctorum præceptis vitæ nostræ fragilitatem indicat.Val.Max.lib.2.cap.1.de Inst. antiq.Mela lib.2.Strabo lib.7.Herod.lib.5.Solinus cap.17.

ÆGINENSES,cùm à Viathotis liberi & coniuges cæderentur,præoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum,quàm à Romanis deficere. Front.lib.4.cap.5.

Duæ ante portas MASSILIENSIVM arcæ iacent , altera qua liberorum , altera qua seruorum corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehuntur,sine lamentatione,sine planctu,sine luctu:funeris dies domestico sacrificio,adiectóque necessariorum conuiuio finitur.Etenim quid attinet humano dolori indulgere?aut diuino numini inuidiā fieri,quòd immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit?Val.lib.2.cap.1.

LYCII, cùm iis luctus incidit,muliebrem vestem induunt,vt deformitate cultus commoniti maturius stultum proiicere mœrorem velint. Val.Max.lib.2.cap.1.

ÆMILIANVS Scipio iisdem ferè quibus patrem triumphantem diebus, funera duorum fratrum spectauit:& quanquam adolescens , tulit tamen æquissimè.Pontan.lib.2.cap.9.de Fortitu.domestica.

SCIPIONEM Africanum in exilio patientia sic comitata est,vt nunciata fratris morte, animum retinuerit.Ibidem.

SEX. Pompeius Gnei fratris sororis mortem familiariter tulit. Ibidem.

AVGVSTVS generorum,nepotum,sororis, filiorum mortes constātissimo animo pertulit.Ibidem.

M.ANTONINVS, in fraterna morte admirabilem præ se tulit animi magnitudinem.Ibidem.

MELANIÆ Rom.matronæ fortitudinem in funere mariti,duorúmque filiorum,pete ex tit.Monachatum.

GALIENVS imperator, cum patrem Valerianū audisset extinctum, vocem laudatissimam sine laude vsurpauit,dicens:Sciebam patrē meum esse mortalem.Trebellius Pollio.

ALPHONSVS Aragonum rex , cùm Petrum fratrem,quē propter singulares animi dotes plurimùm amabat,in obsidione Neapolitana interfectum esse audiuisset , exanimem multis primùm lachrymis exosculatus, in arcem quam Oui vocant , efferendum curauit : & cum honorificè regióque more sepulturæ mandasset,ad exercitum reuersus,eum Petri interitu vehementissimè consternatum forti admodum oratione erexit ac confirmauit. Ad amicos quoque & Petri socios absentes consolatorias epistolas scripsit.Panorm.lib.3.de rebus gestis Alphonsi.

MARCVS Molinus fratris mortem magno fert animo.Vide tit.Mortem liberorum patienter ferre.

VITIVM IN EXCESSV.

TOLERANTIA NIMIA.

Σκληρότης hæc & ἀναισθησία quædam est,cum obstinatione & pertinacia coniuncta,quoniam præter omnem honestatem & necessitatem quæuis mala temerè & obstinatè perfert:hoc ipso solùm ab obstinatione in non declinando differens,quòd illa minus quàm par sit declinet, hæc verò plus quàm par sit toleret.Exemplis illustremus.

FAMEM ET SITIM NIMIVM tolerare.

CRETENSES obsidione Metelli, ad vltimam vsque penuriam compulsi , sua iumentorúmque suorum vrina sitim torserunt , iustius dixerim, quàm sustentauerunt: quia dum vinci timent , id passi sunt,quod eos ne victor quidem pati coegisset.Val.lib.7.cap.6.

NVMANTINI à Scipione vallo & aggere circumdati,cùm omnia quę famem eorum trahere poterant,consumpsissent , ad vltimum humanorū corporum dapibus vsi sunt.Quapropter capta iam vrbe , complures inuenti sunt artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio.nam quibus mori licuit, sic viuere necesse non fuit.Ibidem.

CALIGVRITANI in Hispania,quo perseuerantius interempti Sertorij cineribus obsidionem Cn. Pompeij frustrantes , fidem præstarent (quia nullum iam aliud in vrbe eorum supererat animal) vxores suas notósque ad vsum nefariæ dapis verterunt : quoque diutius armata iuuentus viscera sua visceribus suis aleret , infelices cadauerum reliquias salire non dubitarunt. Ex hoc nimirum hoste tanto duci pœna magis, quàm victoria petenda fuit:quia plus vindicatus libertatis, quàm victus gloriæ afferre potuit , cùm omne serpentum ac ferarum genus, comparatione sui, titulo feritatis superārit. nam quæ illis dulcia vitæ pignora proprio spiritu chariora sunt , ea Caliguritanis prandia atque cœnæ extiterunt. Ibidem.

FRIGVS ET ÆSTVM.

Lacon quidam, quum videret DIOGENEM Cynicum in vehementi frigore statuam æream amplectentem,togauit,Num algeret?illo negante,Quid igitur,inquit Lacon,magni facis?Philosophus hoc ipsum existimabat magnificū, quòd sic haberet corpus ad omnes iniurias duratum: id Laconi ridiculum videbatur,cum magno eius incommodo fieret,nec vtilitas inde promanaret ad alios.Plut.in Lacon.

Stilpo Megarensis videns CRATETEM hybernis mensibus frigore rubentem:Δοκεῖς, inquit, μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. Lepos qui est in vocis ambiguo Latinè reddi non potest.καινοῦ coniunctim, sonat nouo : & καὶ νοῦ disiunctim , sonat , & mente, Discrimen auribus vix sentiri potest, scripto potest ostendi. Videris, inquit, egere pallio nouo , siue pallio & mente.Nouum requirebat,gelu : mentem , Cynici stulticia, qui vestem non accommodaret tempori.Laert.lib.2.cap.12.

TORMENTA.

Vide sub tit.Obstinationis,exempla quorundam Hæreticorum,qui tormenta pertinacissimè tulerunt.

AGESILAVS Lacedæmoniorū rex, quum audiret maleficum quendam ac scelerosum hominem constanter pertulisse tormenta:Vt insigniter,inquit,miser est homo,qui tolerantiam & patientiam in res flagitiosas ac turpes collocat?Dolebat duci egregio,tantum animi robur ac naturæ vim in re turpi consumptam:quam si attulisset ad res honestas, magno vsui poterat esse Reipublicæ.Plutarchus in Apoph.Laconicis.

ÆSOPVS Demosthenis libertus,diu discrutiatus,nunquam fateri voluit,ad patronum pertinere, adulterj culpā cum Iulia : prius quàm multorum testimonio conuictus Demosthenes ipse, crimen fassus est. Fulg. lib.8.cap.4.

AGATHOCLES, qui postea in Sicilia regnauit,cùm adhuc priuatus Syracusis viueret,& mari clàm prædaretur,nunquam è comitibus , qui cum eo capti fuerant(quāquam grauiter discrutiati essent) accusatus fuit. Itaque etsi crimen exploratum habebatur,constans comitū animus, singularísque eorum patientia,id in purgando Agathocle effecit , vt in iudicio tanquam innocens absolueretur.Idem.

DOLORES ET MORBOS.

VIRGO quædam clanculum corrupta fœtum extinxit , tam interim patiens dolorum,vt nullam ederet vocem , adeò vt parturiens & patrē & alios qui aderant falleret. Nam magnitudinem cruciatus turpitudo cum honestate coniuncta superauit.Generosi animi erat, quod ignominiam pati non posset.factum ipsum habebat turpitudinem:quam vt effugeret,nixus,in quibus aliæ mulieres solent miseras voces edere,silentio perpessa est.Plut.in Apoph.Lacænarum.

MORTEM.

Exempla quædam ex tit. Æstus in tyrannide occupanda:item ex tit.Obstinationis religiosæ, peti possunt.

MARCIONIS hæresis sacrilega eo religiosior habita fuit,quòd plurimos habuerit martyres:imò primi Marcionitæ martyres plures ostenderunt:teste Euseb.lib.5.cap.16.Ottho Frising.lib.5.cap. 15. meminit cuiusdam METRODORI Martionitæ,qui sub M. Antonio Vero ignibus traditus fuit.

VALENTINIANI hæretici,martyres multos numerant.

EVPHEMITÆ hęretici,cùm ab Imperatoribus propter errores suos occiderentur,Martyrianos sese vocarunt.Vide tit.Hæretic.

PATRICIANI hæretici carnem à diabolo factam asserentes , eam ita fugiebant,vt sibiipsis interdum mortem inferrent.Testis Philaster & D.Augustinus.

DONATISTÆ hæretici mortem violentam , quam vel sibiipsis sua manu inferunt,vel ab aliis sibi inferri curant,Martyrium appellāt. Prius autem hoc aliis indicant . Illi ergo eos summo obseruantiæ genere colunt,& cibis lautissimis saginant.Aliquanto tempore saginati , in obuios irruunt,& cogunt eos lethalia vulnera sibi afferre.Quod si facere nolint se de alto præcipitant. Theodoretus in fabulis hæreticorum . Idem de CIRCVMCELLIONIBVS scribit D.Augustinus.

GAVDENTIVS Tamugadensis Donatistarum Episcopus , libidine martyrium rapiendi adeò furens erat,vt cum quibusdam perditis crematurum se in templo minaretur.August.lib.1.contra Gaudentium.

PRAXEAS hæresiarcha , vir Asiaticus , plures in Trinitate negabat personas:sed eundem patrem & creasse omnia , & passum fuisse , quòd communicata pluribus monarchia,imperij vim impediret.Hęc inani arrogantia dictitabat,eóque incautè decipiebat , quòd fidei causa martyr extiterat.Huic Tertullianus eleganti lib.respondet.Volat.lib.18.Anth.

PRAYLVS Troadensis,Timonis Nicæi auditor,tam stupida fuit cōstantia, vt pateretur se iniustè,tanquam proditorem, affici supplicio , ne verbo quidem innocentiam suam defendens.Laert.in Timone.

ALBERTVS Austriæ dux,antequam Romanum suscepisset imperiū, in Iudæos desæuiens,eos omnes in sua ditione occidi iussit , qui nollent ad Christum conuerti.Multi igitur cùm metu baptizarētur,ex iis VNVM Fridericus in cubiculum accepit, & ad Christianā fidem adhortatus est. Verùm is cùm post aliquot annos pecunia cōductus ad Iudaicam fidem sese reuerti dixisset, ab Alberto iudici traditus , & ad mortis supplicium ductus,nullis constrictus vinculis(sic enim petierat)vt pyram ardentem vidit,Hebraicum carmen incipiens,in medias flāmas intrepidus se coniecit,atque ibi cantans exustus est.Æneas Syluius lib.3. Commentariorū de rebus gestis Alphonsi.

VVLNERA, PLAGAS, ICTVS.

PISISTRATVS vt vafro ingenio Athenarum dominio potiretur, lubens omnes corporis contempsit dolores:quippe qui deformato corpore ac lacero,pluribúsque sibi vulneribus illatis , in forum prodiit : & vulnera ab inimicis illata,falsò affirmauit,acceptóque præsidio , populi assensu,tyrannidem inuasit.Alex.lib.2.cap.32.

LACEDÆMONIVS adolescens quidam,cùm pro patriæ more furto leonis catulum subripuisset,quem veste tectum auferebat,fera quæ vt in arcto contineretur ferre non poterat,adolescentis vterum coxásque dentibus atque vnguibus lacerauit:nec tamen adolescens vllius doloris signa ostendit,quoad domum leonis catulum deportauit. Fulgosus lib. 3.capite tertio.

Ephori SCIRAPHIDAM mulctarunt , quòd iniuria esset affectus, ac sileret.Interpretabantur enim eius oscitantiam fuisse in causa , quòd complures auderent eundem lædere. Nam qui veterem impunè fert iniuriam,inuitat nouam.

OBTRECTATIONES, CONVICIA, Scommata.

NERO Romanorum imperator,cùm post infinita crudelia facinora matrem quoque Agrippinam occidi fecisset,à multis pessimè audiuit,qui tamen priuatim magis quàm publicè hominem damnabant. Nam culeū in quadam statua ipsius de nocte suspenderunt : vt ex eo significarent, Neronem in culeum coniici oportere.exposuerúntque puerulum in foro,alligata ad eum tabella,in qua scriptum erat:Nō te tollo,ne matrem occidas.Legebatur in plerisque locis scriptum:Nero,Orestes,Alcmæon matricidæ.Audire licebat eos qui ita dicerent: Nero matrem interfecit. Cuius tamen rei nullam pœnam Nero reposcebat , ne fama magis omnium sermone percrebresceret,vel quòd sermones habitos de iis rebus contemneret.Xiphilinus in eius vita.

PERICVLIS QVIBVSVIS SESE TEmerè obiicere.

DEFECTIONES, EXCIDIA PATRIÆ & regnorum.

GALIENO Imperatori tanta fuit in acceptis cladibus támque stolida patientia, vt in his etiam iocari non dubitauerit. Nam quum accepisset, Ægyptū à Romano imperio desciuisse:Quid, inquit, sine lino Ægyptio esse non possumus?Perdita Gallia ridens:Et non est,inquit,tuta Respub. sine trabeatis sagis?Asia Alemanorum & Scytharum incursationibus vastata:Quid,inquit,sine Aphronitris esse non possumus? Degeneris hæc fuerunt animi indicia.Et quid mirum?Cum eadem leuitate patrem Valerianum à Persis capi,& pro spectaculo circumduci passus fuerit.

VITIVM IN DEFECTV.

PVSILLANIMITAS, MOLLITIES ANIMI, DEIECTIO IN QVIbusuis malis tolerandis,tam religiosa quàm politica.

IN ANIMI MALIS FERENDIS, IN THEORICIS, PVSILlanimes.Aliorum reprehensiones,monitiones aut victorias ægrè ferre.

Consule titulum Æmulationis & Certaminum literariorum:item,Reprehensiones aliorum ægrè ferre.Nos solius Immoderationis & Diffidentiæ in eo dolore ferendo,qui ex his causis prouenit,hoc in loco rationem habemus.subest interim voluptas ex Ambitione & Mendacio proueniens:ac propterea ad diuersos locos diuerso respectu eadem exempla referri possunt.

HOMERVS omnis philosophiæ pater,& poetarum princeps, cùm ænigma à piscatorum pueris propositum soluere nequiret, præ dolore in grauissimum morbum incidit. Erat autem ænigma tale: Quæcunque cepimus, reliquimus: quæ verò non cæpimus, nobiscum portamus. Paulo pòst ex hac ægritudine extremũ diẽ clausit. Author Herod. in eius vita.

IODORVS Cronus. Dialecticæ professor, pudore expirauit, lusoria quæstione non protinus ad interrogationem Stilponis dissoluta. Plinius lib.7.& Laert. in eius vita.

IN MECHANICIS ANIMI MALIS FERENDIS *pusillanimes.*

Vide titulum, Certamina mechanica.

IN ETHICIS MALIS FERENDIS PVSILLANIMES.

Consule tit. Reprehensiones aliorum ægrè ferre. Item tit. Desperationis, religiosæ præsertim. Quoniam illi qui desperant, maiorem dolorem ex vitiis suis, quæ verè & per se mala sunt, concipiunt, quàm vel religio, vel ipsa etiam philosophia admittat. illi verò qui reprehensiones aliorũ non tolerant, non tam vitiorum suorum conscientia, quàm aliorum reprehensione exacerbantur. Duplex itaque immoderatio est in animi malis ferendis: altera, malis suis vltra quàm decet deijci atque terreri: altera, minus quàm decet illis moueri. Quarum posterior ad vitium in excessu potius quàm in defectu referenda videretur (quoniam mala animi securè fert, neque illis mouetur, vt ad saniorem mentem redeat) nisi adesset reprehensio. Hanc enim quia ægrè fert, & ab ea vehementius quàm par sit mouetur, idcircò posterior etiam hæc moderatio ad vitium in defectu referenda erit.

HERODES Atticus orator insignis, cum adolescens quondã in Pœonia coram M. Antonio imperatore perorans timore obmutesceret: ignominiæ tædio affectus ad Istrum secessit, quasi iamiam moriturus. vitam enim eloquentiæ posthabuit. Philost. in eius vita.

IN MALIS CORPORIS PERFERENDIS PVSILLANIMES.

IN MORBIS ET SENECTVTE.

HADRIANVS Imperator impatientia morbi sæpe à seruo gladium petiit, & à medico venenum: vtrumque prohibente Antonino, qui ei in imperio postmodum successit. Vt ex Spartiano & aliis refert Volater. lib. 25. Anthrop.

MILO Crotoniates athleta, iam senex, quum vidisset athletas alios in curriculo sese exercentes, fertur inspexisse lacertos suos, lachrymánsque dixisse: At hi iam mortui sunt. Meritò fleuit, qui felicitatem corporis viribus metiebatur. Animi vigor serius senescit, si tamen senescit vnquam. Eras. 6. apoph.

IN MORTE ET PERICVLIS FERENDIS.

Differt hic locus à titulo, Mortis metus, siue Nimia vitæ cupiditas: quod hic iam imminentem mortem, quæ nullo pacto euitari potest, abiecto ferunt animo: illic verò spe declinandæ mortis, multa præter dignitatem faciunt.

LYCAS, dum furentem fugit Herculem, complexus aras tremebunda manu, nimio metu exanimatus, mortem non sensisse videtur. Põtanus lib. 1. de Heroica fortitudine, cap. 15.

CN. CARBO Marianarum partium dux haud ignobilis, in Sicilia captus, cùm ad supplicium traheretur, tempus petiit ad ventrem exonerãdum, moram supplicio quærens: Ignarus scilicet, non in morte esse cruciatum, sed in via quæ ducit ad mortem Sab. lib. 4. cap. 7.

HELIOGABALVS tumultu militari exterritus, non solùm non obtulit sese irato militi, vt eum motum autoritate sedaret (quod sæpe Cæsar Dictator, & alij fecisse dicũtur) sed cùm matre fœtidam cloacam subijt, vbi multis vulneribus confossus, turpem vitam turpissima morte finiuit. Ibidem.

Vitellus imperator (Flauianis palatiũ irrumpentibus) ex ianitoris cella quo sese meticulosè illatebrarat, cum multa ignominia extractus, ante Romanę ciuitatis oculos est ad supplicium ductus. Sed quanto pulchrius obuiam hostibus factus mortem oppetiuisset? Potuit & Othonis hostis sui exemplum imitari, suáque ipsius manu sibi exitum quærere. Breuis vita longum illi peperit dedecus. Ibidem.

IN CARCERIBVS.

PHILIPPVS Pulcher, Francorum rex, simultates cum Bonifacio pontifice Maximo, deinde professas exercuit inimicitias: edictóque prohibuit ex regni sui finibus auri argentiúe facti, infectiúe quicquam Romam ferri. Demùm proditione Sarræ Columnæ, qui sub eo stipendia faciebat, comprehensus, in vrbémque deductus, paulo pòst ex animi mœrore breui periit. Ritius Neapolitanus lib. 2. Regum Francorum.

IN TORMENTIS.

Cùm Herodes Iudæorum rex, Alexandrum filium suspectum haberet, & ob eam rem TIRONEM ministrum eius in vincula coniecisset, quia Tryphon tonsor quidam fatebatur, ab eo se inuitatum, vt Herodẽ occideret, vt eo defuncto Alexander filius eius regnaret: Tiro diu vnà cum filio cruciatus est, cùm tonsor coràm esset, amborum corporibus crudelem in modum dilaniatis. Tironis filius, siue nimis ad dolorem tecens, siue quòd patris cõmiseratio eum moueret, cùm ei promissum esset, tormentis finem impositum iri, fassus est, sæpius patrem decreuisse vt Herodem occideret: & vt solum adoriri possent, occasionem captasse, ob eam rem tantum, vt Alexander post eum regnaret. Illius igitur confessione, quæ postea falsa est inuenta, motus Herodes, Alexandrum filiũ interemit. Fulg. lib. 8. cap. 4.

NICOMACHVS quidam, sub Decio imperatore, in vrbe Troade dũ à proconsule Opimio torqueretur, doloris impatiens, diis eius dixit se sacrificaturum. Atque vbi dimissus, thura ante idolum incendit, illicò à dæmonio arreptus, grauiores pœnas dedit. Quippe in rabiem versus, propriam linguam dentibus mandens expirauit. Heu heu infelix Nicomache, non tormenta mutasti, sed tortorem: non pœnam, sed fidem: non mortem effugisti, sed mortem felicissimam relinquens, miserrimam elegisti. Inter damnatos computaris, quia inter beatos censeri quum posses noluisti. Pro fide breuissimos pati cruciatus recusasti, at pro perfidia pateris æternos: & perenni illa amissa gloria, eò descendisti, vbi ignis inextinguibilis vrit, vermis immortalis rodit, tenebræ indiscussæ caligant, sulphuris fœtor semper exhalat, procellarum spiritus perpetuò furit, vbi deniq; horror sempiternus inhabitat. Meritò talia sortietur, quisquis oblatam sibi ex diuina largitate martyrij coronam, ignauo victus metu accipere contempserit. Marul. lib. 5. cap. 5.

FARION Ægyptius, tormentorum metu ea latrocinia fassus est, quæ nunquam patrârat. Alexandriæ dum deduceretur ad locum, vbi securi percutiendus erat, fortè in Appollonium Tyaneum philosophum incidit. Cùm is vel diuino nutu, vel magica arte (id enim non constat) innocentem eius criminis Farionem deprehendisset esse, dedita opera eum remoratus est. Cùm autem cæteri, iam à ministris capite mulctati essent, Farion reuocatus est: cum noxij quidam in disquisitione, quæ de eis habebatur, ipsa illa hora, innocentem Farionem eius criminis esse dixissent. Fulg. lib. 8. cap. 4.

N. AGRII argentarij seruus, Alexandrum Titi Fannij seruum occidisse insimulatus est: eóque nomine tortus à domino, admisisse id facinus constantissimè asseuerauit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est. Paruo deinde tempore interiecto, ille cuius de nece creditum erat, domum rediit. Val. lib. 8. cap. 4.

MERCATOR quidam Saxo tormentis victus latrocinium, quod nõ admiserat, fatetur. Vide tit. Iniustè damnati.

IN EXILIO.

PETRVS de Vineis, ex vrbe Capua Iurisperitissimus, Friderico Imperatori charissimus, cùm ab eo propter coniurationis suspicionem in exilium missus esset, doloris impatiens, capite parieti sæpe illiso expirasse dicitur, composito prius de consolatione libello. Huius meminit Dantes Can. XIII. primæ partis, & Volat. lib. 23. Anthrop.

IN VERBERIBVS, PVLSATIONIBVS, *vulneribus.*

PORPHYRIVS philosophus à Christianis pulsatus iniuriam ægrè ferens Christianismum abiurat. Vide tit. Apostatarum.

IN MALIS FORTVNÆ TOLERANDIS IMPATIENTES.

DIVI-

DIVITIARVM AMISSIONEM, PAVPERTATEM, *impatienter ferre.*

GERAZENI porcorum damnũ pluris facientes, quàm beneficiũ quo duo homines, & quidem ciues ipsorum, à dæmonũ legione liberati fuerunt, rogarunt Iesum vt inde à suis finibus discederet, & discessit: Indigni quippe erant præsentia Saluatoris, qui sua magis quàm se saluari concupiscebant. Marul. lib. 5. cap. 3.

MENIPPVS Phœnix secta Cynicus, cum habendi cupidissimus omnium esset, amissis bonis laqueo vitam finiuit. Laert.

ZENO philosophus quum sępe dixisset, diuitias esse indifferentes: Antigonus falsò ipsi nunciari fecit, prædia illius ab hostibus esse direpta. & quum tristior effectus esset: Vides, inquit, diuitias non esse indifferẽtes Brus. lib. 2. cap. 26.

REPVLSAM, HONORES EREPTOS.

MARCIVS Sabinus, post Numæ Pompilij mortem (nam cum eo Romam habitatum venerat) cùm præferri sibi Hostilium in regno videret, cui ipse aspirabat, adeò indignanter atque iracundè eam rem tulit, vt vitæ tædio sibiipsi mortem conscisceret. Fulgos. lib. 9. cap. 3.

P. VALERIVS Publicola, cùm arbitraretur, pulsis Tarquiniis, Bruto in consulatu collegam se futurum, vt Lucretium Collatinum præferri sibi vidit, adeò ira exarsit, vt omnes ante id tempus acceptos honores deponeret: abiectáque senatoria dignitate, patrociniis quoque causarum ac clientelis renunciaret, atque omni publico munere abstineret. Ibidem.

EQVITES quidam Romani, eo quòd Cn. Flauius humillimæ sortis homo præturam adeptus erat, offensi, anulos aureos sibimetipsis, & phaleras equis suis detractas abiecerunt, doloris impotentiam testati. Val. Max. lib. 9. cap. 3.

C. FIGVLVS, vir mansuetissimus, pacato iuris ciuilis iudicio celeberrimus, Consulatus repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quòd illum bis patri suo datum meminerat, cùm ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit, præfatus: Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis. Idem.

ANAXANDRIDES Rhodius Cõicus, quoties fabulam aliquam docuisset, nec ex ea victoriam reportasset, eam lacerabat, & ad vilissima quæque rerum inuolucra destinabat. Gyraldus Dial. 6. hist. poet.

CONVICIA.

LICAMBES Archilochi socer, cùm ab Archilocho propter denegatas filiæ nuptias virulentissimis iambis esset laceratus, suspendio cum filiabus sese necauit.

M. BIBVLVS Consul Romanus, cæsorum simul duorum filiorũ nuncium longè fortius quàm insolentiam importuni collegæ Iulij Cæsaris tulit. Nam partim pudore, partim dolore, quo collegæ iniuriis afficiebatur, toto consulatu domi mansit: eo excepto die, quo de filiorum morte certior fuit factus. Eo enim frequens in curia, munus suum obiuit. Indignum profectò se ostendens esse, duobus acerbis illis casibus: quorum alterum ob patriæ charitatem, alterum propter propriam ipsius virtutẽ, humanis superatis affectibus, fortiter tulit. Fulgos. lib. 5. cap. 10. & Pont. lib. 2. cap. 9. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

CORNELIVS lachrymas in senatu tenere nequiuit, cum à Domitio Corbulone Struthiocamelus depilatus vocaretur. Pontan. lib. 2. cap. 10. de Fortit. domestica.

GVLIELMVS nothus Iacobum Carrariensem patrem, Patauij principem, ex insidiis occidit, eo quòd in iurgio quodam à patre Spurius esset appellatus. Bernardinus Corius hist. Mediol. lib. 3.

HOSTILEM CONGRESSVM.

Huc exempla ex loco Stratagematum, De pauore & metu hostibus iniiciendo, referantur.

ISRAELITÆ cœlestium immemores operum, quia exploratores in Chananæam terram missi, omnia dura & hostilia referebant, in luctum & mœrorem versi, Mosem expeditionis ducem insequebantur vt vanum & delirum: suam detestantes stulticiam, qui tantum vni credidissent: satius fuisse in Ægypto seruire, vbi ad satietatẽ carnibus vescerentur, quàm inedia & bellorum iniuria in desertis confici, alienáque terra extingui. Inuidiosa querela, & execrabilis, in eo præsertim populo, qui toties manifesta cœli prouidentia pręsenti esset periculo seruatus. Sab. lib. 4. cap. 7.

VICTORIAM HOSTIVM.

PORVS Indorum rex, viribus corporis & animi magnitudine insignis, qui bellum iampridem, audita Alexandri opinione, in aduentum eius parabat: commisso prælio exercitum suum inuadere Macedonas iubet, sibi regem eorum priuatum hostem deposcens. Multis ergo vulneribus obrutus capitur. Victum se adeò doluit, vt cum veniam ab hoste inuenisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit: ægréque sit ab eo obtentum, vt vellet viuere. Eum ergo Alexander ob honorem virtutis, incolumem in regnum remisit. Iustinus lib. 12.

PERSES Macedoniæ rex, regni opibus fractis, tam humiliter & abiectè prouolutus iacuit ad Æmylij Pauli pedes, qui eum vicerat, vt sublatum manibus Romanorum imperator indignanti similis monuerit, ne clarissimam sibi victoriam turpi formidine inuideret. Sab lib. 4. cap. 7.

CIVILIVS mœrore & anxietate confectus, quòd parum prosperè res Albana à se mota videretur, diem extremum clausit. Sabellicus lib. 4. Enneadis secundæ. Hũc autem Liuius lib. 1. Decad. 1. C Caluiliũ appellat.

THEOPHILVS Romanorum imperator, cùm post multa fortia facta ex pugna Crotoniatę malè re gesta domum reuersus esset, non multo pòst ex animi dolore discessit. Volat lib. 23. Anthrop.

HENRICVS tertius, à filio Henrico Leodij obsessus, turbatione & animi angustia obiit. Volat. lib. 23. Anthrop.

SAMVEL Bulgarorum dux, cùm videret suos captos, & à Basilio Romanorum duce omnes execæcatos esse, vno tantum relicto, qui oculis orbatos ad eum duceret, fœdo spectaculo dicitur tertio die pòst ex animi dolore periisse. Volat. lib. 23.

MORTES AMICISSIMORVM.

Exempla impotentis luctus pete ex titulo de Sepultura & luctu mortuorum.

IACOB scissis vestibus, & indutus cilicio, filiũ suum Iosephum, quem defunctum putabat, non sine mœrore & luctu grauissimo, multo tempore defleuit. Gen. cap. 37.

ACHILLES Patrocli mortem impotenter adeò tulit, vt non tantum cinere caput conspersérit, in luto sese volutarit, cæsariem totonderit: verumetiam Hectoris cadauer equi caudæ alligatum ter circum Pergama raptarit, & multos Troianorum ad bustum Patrocli immolarit. Testis Homerus.

Cùm Ephæstion diem suum Babylone obiisset, ALEXANDER non tantum iniectis in pyram armis, auro & argento suum dolorem declarauit: sed seipsum etiam, omnésque bellicosos ac fortes rasit: ac barbarico more stolam permutãs, non prius à luctu destitit, quàm ipsum quoque mors abstulerit. Ælian. lib. 7. de Var hist.

SOLON Salaminius, cùm olim propter defunctum filium vnicè lugeret, diceretúrque sibi à quopiam: At nihil proficis: respondit Solon: At propter hoc ipsum lachrymor, quia nihil proficio. Laert. lib. 1. cap. 3.

PERICLES, cùm animo infracto semper fuisset, amisso Parhalo filio, magnitudine doloris victus, lachrymas vberes dedit, & eiulatus nunquã desinentes. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

HERODES sophista vxoris Regillæ mortem luxit impotẽtius, adeò vt picturas & ornamẽta domus coloribus atraret, velis pullis tegeret, ac lapide Lesbio obscuraret omnia: nam is funestus ac niger est. Quodam igitur die cum Lucius, qui frustrà conatus fuerat Herodi persuadere vt lugeret moderatius, pueros videret in fonte ædibus vicino lauantes raphanides, rogabat, Cui pararetur ea cœna? qui responderunt, Herodi, Tũ Lucius: Iniuriam facit Regillæ, qui albis radiculis vescatur in atra domo. Id vbi renunciatum est Herodi, amouit ab ædibus funestam speciem, ne apud probos viros traduceretur. Philost. in Sophist.

EIVSDEM dolorem ex prioris filię Panathenaidis obitu conceptum, vtcunque lenierant Athenienses, intra vrbem eam sepelientes, & obitus diem ceu funestum ex anno sustollentes. Cæterùm cum Elpinicen alteram filiam exanimem indecorè lugeret, proiectus humi ac vociferans: Quas inferias tibi faciam filia? quid tecum sepeliam? superueniẽs Sextus philosophus: Maximum, inquit, munus dederis filiæ, si moderatè lugeas. Philostratus.

Iulianus Imp. cùm iam extremum traheret spiritum, à SVIS vnicè multis cum lachrymis deploratus est. Quos cùm semimortuus videret, vehemẽter eos increpasse dicitur, quòd humile esset, cœlo diísque conciliatum principem lugeri: quin etiam iisdem astantibus, cum Maximo & Prisco, grauissimis philosophis, de animorum æternitate subtilius disputauit. Pont. lib 2. cap. 7. de domestica Fortitudine.

Paulina, vxor Senecæ, cùm mariti mortem iam imminẽtem adeò grauiter ferret: Caue, ait SENECA, hanc meam mortem amplius vt contumeliosam defleas, ne vel me minus amasse, vel gloriæ meæ inuidisse videaris. Ex vita Senecæ, per incertum autorem. Idem ferè Phocionem vxori suę, & Socratem Xanthippæ respondisse ferunt, cùm innocentem mori quereretur: An tu nocentem malles?

FORTITVDO IN PROPVLSANDIS MALIS.

Ab interno animi robore Fortitudo propriè dicta, quòd in propulsandis malis versatur, ortum ducit. Satellitem habet irascibilem animæ partem. Ira igitur in hac virtute famulatur: at in Seueritate, de qua infrà libro octauo agemus, subiicitur. Exempla eadem possunt esse, differunt tantum habitudine. Nam quatenus irascuntur, vt propellant mala, neque in malis diffidunt, sic Fortitudinis erunt: quatenus verò vo-

luptatem ex eo capiunt, quòd irascuntur quantum, quibus, quomodo & quando oportet, virtutis illius erunt, quæ περὶ ὀργὰς versatur, quam nos Seueritatẽ appellam⁹. In fortitudine enim ira nõ subijcitur, sed τὰ φοβερὰ καὶ θαρραλέα, ex quibus per accidẽs ira oritur in propulsãdo. At in Seueritate ira subiectum est, siue obiectum. Hæc eò dico, vt intelligant homines, cur de ijsdem rebus sub diuersis titulis agamus. Nunc ad exempla conuertamur, & primùm de Religiosa siue Christiana fortitudine agamus, quæ vel sathanæ tentationibus resistit cùm alias, tum præsertim orationis tempore: vel carnis luxum compescit per ieiunia, aut flagella.

FORTITVDO CHRISTIANA, SIVE RELIGIOSA.

DIABOLI QVASVIS TENTATIONES ET INSIDIAS PROpulsare & vincere, extra orationis tempus.

Diabolica terriculamenta etiam Ethnici norunt (de quibus consule titulum Spectrorum & Ostentorum) rationem eisdem resistendi, soli homines pij & sincera religione imbuti. Circuit sathan, communis humani generis hostis, tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Aliorum igitur exemplis discamus diabolo resistere, quando blanditiis allicit, terrificationibus vrget, partim dolo, partim vi contendit, modis omnibus, horis omnibus, nunc occultè, nunc palàm, vt hominis innocentiam subuertat, molitur, inuidens illi cœlestem beatitudinem, à qua se irreuocabiliter excidisse meminit. Facilè autem & calliditatem eius cauere, & vires non timere poterit, quisquis hæc etiam in parte sanctorum exempla diligentius inspexerit, accuratiúsque obseruarit. Verba sunt Maruli libro quinto, capite septimo. Vt & sequentia pleraque exempla.

Laudatur à Domino IOB, sathanas inuidet, sed nocere nisi permissus non potest. Vbi verò potestatem nocẽdi accepit, iustum hominem omnibus afficit ærumnis, postremò & mala corporis valetudine terribiliter vexat. Sed fortis Dei athleta semper inconcussus perstitit: quódque diabolus ad eius animi integritatem euertendam machinatus fuerat, id illi cessit ad gloriam: & patientiæ virtute tanto est factus clarior, quãto calamitatibus oppressus. Constat igitur aduersos interdum casus diaboli calliditate prouenire, vt hominem ad impatientiam trahat, quem prosperis in rebus modestum, pium ac Deum timentem videt. Quòd si etiã in aduersis patientẽ esse cognouerit, iam illum vltrà infestare erubescit, quem tot virtutum armis munitum cernit. Duplicia autem Iob post probationem recepisse dicitur, vt & tu te multo plura adepturum speres, si annisa æquo animo pertuleris. Marul. lib. 5. cap. 7. & Sab. lib. 10. cap. 3.

Quem hominum omnino intentatum relinquet ille, qui Dei filium IESVM tentare non timuit? Cùm enim dubitaret an ipse esset, ieiunum & iam esurientem ad gulę vitium prouocat, dicens: Dic vt lapides isti panes fiant. Mox quem constantem in ieiunando cognouit, posse eum mẽtis elatione cadere credidit, qua sibi iam sanctus videretur, & supra pinnaculum templi constituto ait: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim: Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Cúmque etiam humilem esse deprehendisset, adhuc auaricia animum pulsat, ostendénsque ei regna mundi & gloriam eorum: Hæc omnia tibi dabo, inquit, si cadẽs adoraueris me. Cùm autem & hoc incassum suasisset, iam omni vincendi spe amissa reliquit eum: & angeli accesserunt, & ministrabant ei. Angelico ergo ministerio honorari dignus erit, qui diabolum vicerit, non tam per potentiã, quàm (Christi exemplo) per Scripturam. Ibidem ex Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Vt verò Christi exemplo eundem vincamus, quoties ad lautiores cibos auiditas vrget, meminerimus: Quia non in solo pane viuit homo. Quoties ad subeunda pericula sola temeritas prouocat, statim occurrat, Quia Deũ tentare nõ debemus. Quoties honorũ opulentiæque cupidine sollicitamur, protinus ad mentem reuocetur: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Postremò quoties perniciosarum cogitationum stimulis agitabimur, semper resistendo ac repugnando clamemus: Vade retrò sathanas, iam satis certi eò angelos accessuros, vnde diabolus victus recesserit. Ibidem.

D. PAVLVS apostolus à sathana verbera sustinuit, neque hoc sine Domini volũtate. Sed ne magnitudo reuelationum, inquit, extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Qui Apostolo gratiam dederat, dedit & stimulum. Nulla enim potest esse victoria, vbi nulla est pugna. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Rogemus ergo Dominum, non vt submoueat nobis tentatorem: sed magis vt suppeditet vincendi facultatem.

De HVGONE Bonæuallis abbate legimus, quod religionem professus, continuò ad seculum redire tentarit: nec ferre ad intima vsque penetrantes inimici sagittas potuisset, nisi eis orationum scutum opposuisset.

Sub hoc abbate IVVENIS quidam religionis voto obstrictus, cùm peruersis cogitationibus multum agitaretur, vt è monasterio fugam faceret, confessus est abbati tam perniciosæ tentationis molestias. Tum demum eius exhortationibus roboratus, illis fortiter repugnauit. Biennio pòst aduersa valetudine correptus, vita decessit: atque apparens in visu, abbati gratias egit, quòd eius consilio, opere, operáque religionis statũ non deseruisset, & eam ob rem inter beatos collocatus esset. Tantum ipsi profuit, hasce inimici suggestiones suo detexisse abbati, neque celatas tenuisse.

Duo NOVITII MONACHI, eandem improbissimi spiritus molestiam passi, ab eodem Hugone admonentur ne discederent. Alter eorum recedens, ab inimicis in prælio peremptus occubuit. Alter manens, cum aduersa valetudine oppressus animam ageret, beatam virginem vidit: & ab ea consolatus, ac certior factus, quòd beatitudinem olim ab abbate promissam, mox accepturus esset, lætus diem suum obiit. Vtriusque euẽtus apertè docet, & quantum mali consequantur, qui religionem professi ad seculum redeunt: & quantum boni, qui in ea perseuerant.

Sub Bernardo abbate QVIDAM nobili familia ortus, cùm se monachum fecisset, in tantum mentis tędium lapsus est, vt palàm diceret, nunquam se hilari sedatóque animo futurum. Frustrà illum fratres, vt in Domino consolaretur, & spe præmij cœlestis tristitiam deponeret, hortabantur. Frustrà hoc ipsum abbas admonendo exaggerabat. At verò vbi idem abbas pro eo orationem fecit, ita immutatus est, vt econtrariò exultaret, ac se iam deinceps perpetuò cõtentum victurũ affirmaret. Quippe diabolus orantis abbatis virtutem sustinere non valens, ab impugnatione fratris illicò destitit: & ipse spiritalis gratiæ luce perfusus, causam agnouit, ob quam gaudere iucunditatéque affici deberet, & non conturbari, neque mœstus esse.

MEDERICVS abbas apud Eduum sanctitate clarus, cùm monachũ libidinosis cogitationibus æstuantem tunica sua induisset, eiusmodi molestia liberauit: discedentísque ab illo immundi spiritus vlulatus auditus est, & ipse in castitatis proposito absque lasciuię prurigine purè integréque permansit.

ALIVS frater Mederici reliquiis de mẽsa collectis atque haustis, vagæ mentis inquietudinem repressit, cum antehac tali dæmonis illusione sollicitatus, persistere in ecclesia omnino nõ posset: sed semper priusquam solennis precatio peracta foret, egrederetur. Itaque vehementiorum tentationum remedia à viris sanctitate præstantibus petenda erũt, cùm eos impurissimi spiritus ferre iam nequeant, à quib. toties victos fugatósque se reminiscuntur.

BENEDICTVS abbas, cùm fratrem quendam à diabolo ludi audisset, eius vicem dolens, ad monasterium vbi is habitabat accessit: vidítque ipsum ab Æthiope puero extra ecclesiam per vestem trahi, dum cæteri fratres psallere cœperant. Insecutus ergo eum, atque increpans, virga percussit: neque ipse postea eiuscemodi mentis instabilitatem passus, cũ aliis in oratione perseuerauit. Sic Benedictus monachum feriens, malignum ab eo spiritum in fugam conuertit. Marul. lib. 5. cap. 7, & Sab. lib. 10. cap. 3.

NATHANAEL anachoreta, cum ipsum solitudinis pertæduisset: et relicta cella in sibi proxime pagum constituerat. Ibi dæmon forma supra modum fœda terribilique ei apparens, ac flagellum manu concutiens, circumstrepere ferociter cœpit, vt pauefactum inde abigeret: insuper insectabundus, quòd etiam prius habitaculum eum deserere compulisset. Quod vt audiuit Nathanael, ne qua in re de se gloriari diabolus posset, ad desertum reuersus, ita illic postea habitauit, vt de cellulæ suæ septo annos septem & triginta pedem non extulerit. Sed rursum sathan fraude illum aggreditur: agasonem simulat, & asellum panibus oneratum agẽs, dum sub onere lapsum attollere nititur, Nathanaelis opem inclamat. Suspensus ille restitit: charitas proximo auxilium ferre stimulabat, propositi ratio exire dissuadebat. Dum autem quid facto opus esset, secum deliberat, venit in mentem, ne fortè id quod cernebat, diaboli ad fallẽdum fabrica esset. & vocanti respondit: Si Christianus es, Deum deprecare, & ipse adiuuabit te: sin Christi aduersarius, indignus es cui succurratur. His dictis visio euanuit. Et ipse Deo gratias egit, quòd tam callidè dolis non sit captus, nec suum intermiserit institutum. Exemplo est, cùm nos in laqueos paulatim labi remissius agendo senserimus, resipiscentes etiam pristinæ perfectioni aliquid addamus: vt potius in laqueos incidat qui illos parauerat, & conuertatur dolor eius in caput eius.

ANTONIVM Alexandrinum abbatem ad heremum pergentem, dæmones primum verberibus discidêre. Semianimis relictus, ad proximum vicum curandi gratia delatus est. Cúmque aliquantulum conualuisset, rursum eòdẽ se referri iussit, iterum verberari cædique paratus, si ita Domini referret voluntas, ne vlla vnquam Diaboli iniuria à proposito deterrendus. Hac animi constantia armatum, cùm iam contingere nequissimi spiritus non auderent, monstrosa diuersarum imaginum facie metũ illi incutere conabantur, ferarũ more in eum rugientes, vlulantésque, ac

simul serpentum sibilationibus perstridentes, rictibus ringentes, dentibus infrendentes, toruo oculorum aspectu scintillantes, & flammas ore, naribus, auribúsque perflantes, nulla pauoris omissa specie, qua terrere illum possent. Cæterùm vbi fortissimum Christi militem, neque ictus curare, neque tam horrendo tetróque spectaculo quicquam commoueri vident, victos se confessi, confusíque discessêre. Ille seruiendi Deo semel iam susceptum votum, magno constantíque animo prosecutus est. Marul. lib. 5. cap. 7. & Sab. lib. 10. cap. 3.

Post hæc veterator spiritus, ne quid adhuc intentatum relinqueret, cogitationibus ANTONII callidè sese insinuans tanto solitudinis tædio animum eius pulsauit, vt ille quid iam agere deberet dubius, ad Deum exclamaret dicens; En ego Domine Iesu, cupio his in locis tibi famulari, & nescio quo me inuitum subinde rapit violenta mentis meæ euagatio. Hæc dicenti, angelus monachali habitu iuxtà apparuisse dicitur. Et cùm aliquandiu nunc genibus prouolutus orasset, nunc surgens manibus fiscellas texuisset, ad Antonium conuersus dixisse: Ita & tu Antoni. Et hoc dicto ex oculis euanuisse. Tali ergo precum laborísque vicissitudine deinceps vsus Antonius, diabolicæ molitionis tentamenta facilè vicit: & cum minimè esset ociosus, minimum in eum potuit inanis cogitatus distractio.

IDEM dum verbera terrorésque perferret, lucem diuinitùs apparuisse, qua expauefacti dæmones diffugêre. Antonium verò eo splendore recreatum erexisse se, & quasi præsentem Dominũ aspiceret, dixisse: Vbi eras? Responsúmque accepisse: Aderam Antoni, sed euentum pugnæ tuæ præstolabar: quam quoniam imperterritus immotúsque viriliter sustinuisti, manet te victoriæ tuæ indeficiens in cœlo triumphus, immarcessibilísque corona, præmiúmque sempiternum. Igitur omnis diaboli vis atque decertatio, sola pij propositi continuatione destruitur atque dissipatur. Perseuerauit nempe Antonius: & mala quæ perpessus est, ad gloriæ illi cessêre incrementum.

MACARIVS Alexandrinus abbas, multum à malis spiritibus infestatus est. Parem autem eorum terrori extitisse vel inde constat, quòd in gentilium sepulchro, nocte quadam, amoto cippo, decubare ausus sit. Cúmque ossa, super quę iacebat, in vocem prorupissent, mãsit immotus. Vox autem erat alteri respondentis, venire se nunc non posse: quòd eius quem super se habebat, pondere grauatus esset. Ad quem Macarius: Exi atque abi, si potes, inquit: ego hic pernoctabo. Dæmones igitur tantam hominis audaciam perstupentes obmutuêre, ne si plura in eum conari pergerent, victi magis erubescerent. Marul. ibidem, & Sabell. libro 10. cap. 3.

Aliàs etiam terribilis dæmon falcem ferream manu vibrans, ac percussuro similis, EIDEM occurrit. Cúmque nec sic eũ terrere potuisset, superatum se fateri cœpit: superatum tamen non vigiliis, nõ ieiuniis, cùm & ipse dormiret, neque comederet, sed sola animi semper se submittentis humilitate.

Iterum ILLI apparuit medici speciem præferens, multásque vitreas ampullas circa se gerens: & quò pergeret interrogatus, quidue sibi vascula illa vellent? Ad proximum monasterium iter se habere respondit, vt fratribus singulis singulas offerret potiones: eósque qui hausissent, sibi obnoxios redderet. Non multo pòst Macarius inde reuertentem conspiciens, quid egisset quæsiuit: atque accepit, vnum duntaxat ex fratribus illis Theotiscum nomine, ampullæ veneno delinitum: anxiúsque de fratris periculo, protinus monasterium adit, Theotiscum conuenit, inimici in eum captiúnculas detegit. Ille his auditis expauidus, quicquid mortiferum diabolo propinante gustauerat, repentè corrigendo sese, totum id euomere curauit. Si quid itaque quod peccatum sapiat, in animum influxerit, statim est egerendum, ne diutius ibi remoratum nos interimat.

IDEM fratri, quem nequam spiritus occulta suasione eò induxerat, vt crederet inutiliter se in solitudine vitam agere, quòd nemini alteri quicquam benefacere posset: salubriter consuluit, vt quoties in huiuscemodi cogitationes incidisset, eis responderet: Hoc saltem in solitudine vtiliter ago, quòd amore Domini mei Iesu Christi à tuguriolo isto non discedo. Cessarunt ibi præstigiatoris insidiæ, vbi Christi amori datus est locus: & in cellula sua tranquillus permansit, qui iam de abitu cogitarat.

Multa expauescenda HILARIONEM abbatem à satana in deserto perpessum, Hieronymus in eius vita tradit. Sæpe enim nocte intempesta ab eo auditos infantum vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt ante sonitu quàm aspectu territus cederet. Denique ipsum fronte crucis signo armara, sollicitè circumspicientẽ, splendente luna vidisse currum directis equis super se irruere. Cúmque inclamasset Iesum, ante oculos eius in terræ hiatum visa est descẽdisse. Postremò quoties illi, inquit, nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ apparuêre dapes? interdum orantem lupus vlulans, & vulpecula, ganniens transiliit, psallentíque gladiatorum pugna spectaculum præbuit: & vnus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens, sepulturam rogauit. Orabat semel fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat: insiliit dorso ei⁹ festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans: Eia, inquit, cur dormitas? cachinnánsque desuper, si defecisset, an hordeum vellet accipere sciscitabatur. Dixerat enim ille quãdoque corpori suo iratus quòd se ad libidinem prouocaret: Ego te aselle iam non hordeo, sed paleis alam, ne calcitres. Huiuscemodi ergo insidiis iniuriisque contendũt cacodæmones isti, vt eos exterreant, quos proficere studio virtutis vident. Sed qui confidit in Domino, sicut mons Syon, non commouebitur in æternum. Marul. ibidem.

ELPHEGVS Cantuariensis archiepiscopus cùm ab infidelibus in carcere teneretur, & à diabolo in angelum transformato eductus, multum iam itineris vnà cum illo emensus esset, ambigere cœpit, reprobíne an boni angeli opera martyrium fugeret: Dúmque id sibi ostendi Deum orasset, diabolus euanuit. Ille ad carcerem reuersus, coronã recepit martyrij. Inuidia inimici seruare homini vitam hanc voluit, vt æternam differret. Sed ipse bonum à quo auertebatur, considerans, iustam dubitandi causam habuit, & dolos euasit. Ibidem.

Ad EVAGRIVM presbyterum, amborum quondam Macariorum discipulum, dum solitarius heremũ incoleret, tres dæmones clericali habitu venisse constat: qui se diuersarum hæresium esse simulãtes, suum quisque dogma probare nitebantur, vt illum aliquo eorum peruerterent. Cæterùm Euagrius, cùm fidem catholicam aduersus quemlibet eorum acerrimè tueretur ac defenderet, Deo adiuuãte omnes facilè superauit, ita vt confusi repentè euanescerent: nihil aliud moliri in eum ausi, quem, in fide tam firmum cognouerant.

MARTINVM Turonensem episcopum, sanctitati eius inuidens communis omnium hominum hostis ludificare conatus est. Aureo enim diademate & purpureo superbus indumento ei occurrẽs, regem se Christum esse, & ad iudicandum mundum descendisse asseuerabat. At verò Martinus & diabolicæ arrogantiæ gnarus, & mansuetudinis Domini memor: Haud talem, inquit, venturum se pollicitus est Christus, sed cũ omnibus passionis (quam pro nobis sustinuit) signis, cum spinea corona, vulnerúmque cicatricibus, & ipso victoriæ suæ trophæo cruce: cum talis apparuerit, eum aduenisse credam, alioquin hoc ab eo præceptum obseruabo: Si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Immundus ergo spiritus verbis veritatis victus disparuit, nihil ibi suum relinquens præter sui indicem fœtorem. Luculentus accesserat, fœtulentus abiit: vt nullam illi inesse lucem, nisi apparentem atque imaginariã, credas. Marulus ex Seuero Sulpitio.

PACOMIO Ægyptio abbati diabolus apparuit, pulcherrimæ fœminæ formam præ se ferens. Sed qui libidinis ardorem ieiuniorum frigore iam extinxerat, nulla carnis concupiscentia intellectum occupante, facilè perspexit inimici insidias: & frontem cruce signans, ipsum crucis fugauit aduersarium.

PACOMIVS alter in Scythia monachus conqueri solebat, annos XII venereæ voluptatis cogitationibus multum se fuisse molestatum, & cum postremò diabolus puellæ ætate & forma florentis imaginem gerens, ad genua eius procaciter lasciuiendo procubuisset, ipse facinus detestans, atque indignabundus, colaphum illi in faciem intorsit. Quo ictu repulsus dæmon euanuit, & illa tam diutina genitalium titillatio cessauit: quia qui visibili palpabilique specie seduci nequiuit, frustrà iam deinde iis inanibus cogitationum astutiis oppugnaretur. Magis enim visa quàm cogitata mouent, multóque magis etiam ad tactum vsque admissa.

Sub puellari figura nequissimus dæmõ PATERNIANVM in deserto Ægypti abbatem (qui postea Vris, illius regionis oppido episcopatũ gessit) est aggressus. Cùm iam diei vesper esset, ei in limine monasterij stanti apparuit, dicens: Seruam se cuiusdam principis viri nouitiam esse, & dum ad aquam hauriendam missa esset, viam aberrasse: proinde orare, vt sui misertus nocte illa sibi locum intra monasterij septum concederet, ne fortè foris manentem solitudinis bestiæ laniarent. Pietate motus Paternianus puellam admisit: & cùm attentius eam spectasset, formam admiratus concupiscere cœpit. Veruntamen ad se reuersus, illicitum in præcordiis sensum non sine inimici opera prouenire intellexit: ac protinus è foculo, qui iuxtà erat, arrepto torre, faciem puellæ percussit, & omnis mala tentatio cum tentatore simul dissipata effugit. Incipiẽte igitur peccati morbo, medicorum imitanda prudentia est, statim ad remedium recurrendo, nec patiendo vt malum curationis dilatione inualescat.

ANDREAS, qui Fundanæ vrbis episcopus, cum sanctimonialem quandam fœminam secum cohabitare, suæ illiúsque continentiæ nimiũ confidens permisisset, tandem dæmonis instigatione stimulatus, concupiscere quod semper abominatus fuerat cœpit. Ac die quadam ludens palma, tantummodo tergum fœminæ leuiter districxit. Cæterùm vbi audiuit à Iudęo quodam (qui ob id ipsum ad baptismum venit) hac ipsa de re diabolum fuisse iactatum: non solùm monialem ipsam, sed omnes prorsus fœminas, quæ sibi in episcopio famulabantur, expulit atque abegit, & illa fœdæ cogitationis tentatio cum ipsis pariter eliminata prurire desiit. Vide, homini quamuis sancto incauta cõuersatio quantum obfutura fuit, nisi Domini erga ipsum pietate inimici insidiæ quamprimum patuissent. Marul. ex Gregorij Dialogis.

EADMVNDVS, Canthuariensis archiepiscopus, cùm ad multam noctem peruigil, iam tandem somno surrepente supinus decubaret, ita graue pondus impositum sibi sensit, vt experrectus mouere se omnino non posset: manum leuare voluit ad signandum se crucis signo, & impeditus est. Excutere sese totis viribus conatus, plus grauitatis addi sibi cognouit atque adeò vt vix iam sufficeret sustinere. Vbi autem spiritum ipsum, vt se dimitteret, per Christi sanguinem adiurasset: statim dimissus assurrexit, & ab eodem à quo dimittebatur didicit, nullum adiurationis genus magis timori esse dæmoniis.

NICOLAVS quidam in sancti Patricij specum apud Scotiam, ad purgatorij (vt aiunt) loca descendens, tanta ac tam varia dæmonum tentamenta, tot fraudes, tot iras, tot errores vnus superauit. Nam quoties ad Dominum conuersus dixit: Domine Iesu Christe fili Dei viui, miserere peccatoris: toties ab insidiis liber euasit. Breuis quidem oratio, sed permultę virtutis, si fideliter, si ardenter, si humiliter exprimatur. Marul. libro 5. capite septimo.

DATIVS, episcopus Mediolanensis, cùm propter fidei confessionem eiectus, Constantinopolim tenderet, Corinthum appulit, & ibi ædes à

diabolo occupatas intrat, cùm nullas alias famulitio suo aptiores inuenisset. Intempesta nocte cùm dæmones fremerent, leonum more rugirent, balarent, Datius expergiscitur, & inquit: Impurissime dæmon, tu dixisti, Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Ecce propter superbiam porcis & asinis similis factus es, quandoquidem Deo obedire noluisti. Hac voce confusi dæmones, domum eam deseruerunt. Gregorius Turonensis lib. 3. Dialog. cap. 4.

MVLIERVM EXEMPLA.

SARA, in partibus Thebaidis abbatissa, cùm cogitationes eius ad libidinem diabolus incitare soleret, nunquam vt recederet tentatio orauit: sed vt & illa assiduè oppugnaret, & ipsa semper vinceret. In hoc carnalis lasciuiæ bello per annos tredecim fortiter contendit. Sed tandem aliquanto acrius impugnata, quā vt sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum, & superauit inimicum, ita vt oranti apparens dæmon diceret: Vicisti me Sara, vicisti. At illa nihil sibi ex hoc laudis vendicans: Non ego, inquit, vici te, sed Dominus meus Iesus. Hinc discamus si quando vehementior tentatio ingruerit, orare attentius: & quoties vicerimus, victoriæ gloriam Deo, non nobis, tribuere. Marul. lib. 5. cap. 7. & Sab. lib. 10. cap. 3.

THEODORA Alexandrina semel tantùm commissi adulterij conscia, se iam indignam maritali thoro indicarat: & viro relicto, in monachorum cœtu, nulli quòd fœmina esset cognita, sub nomine Theodori latens commanebat, in multa vitæ austeritate Deo seruiens, ac peccatum suum lugens. Cæterùm diabolus, vt illam maiori tristicia oppressam ad desperationē impelleret, ei apparens, adulterij crimen exprobrauit, frustráque illam fatigari dixit, eo quòd tam grande delictum veniam promereri non posset. Ipsa verò nequaquam de misericordia Dei diffidens, cùm se cruce signasset, tam manifesti mendacij assertorem euanescere vt fumum coegit. Ibidem.

Rursum ille sumpta mariti eius forma, blanditiis assentationibúsque ipsam allicere cœpit, impensius orans, vel potius vrgens, vt domum rediret. At cùm nec sic doli successissent, ferocium eam beluarum imaginibus, vt à monasterio discederet, terrere conatus est. Sed & hoc incassum. Theodora enim iam supra firmam petram fundata, tum ad ventorum, tum ad fluminum impetum immobilis, Deo humiliter supplicando, talē quoque visionem repulit, reiecit, in nihilum redegit. Ibidem.

Attamen inquieta & indefessa malignitate veterator diabolus, ne quod adhuc fraudis genus inexpertum dimitteret, multo stipatus comitatu, ac maiestatem quandam præferens ad illam venit: & cùm ab omnibus qui circa eum erant, plurimum honoraretur, ipsam quoque vt se adoraret iussit: nolentem verò, & quòd vnus Deus adorandus esset dicētentem, flagellis verberauit. Cúmque illa ne verberibus quidem cederet, ipse fremens & indignans abiit, patientia victus fœminæ, constantiáque superatus. Ibidem.

Postremò vt saltem vel ad auariciæ, vel ad gulæ vitium incautam traheret, hic auri massam, illic canistrum variis dapibus plenum ei apparere fecit. Illa autem præsentissimi contra omnia tentamenta remedij memor, crucem designauit, & diaboli laqueus dissipatus est: tantúmque in eam profecit malignus, vt quo magis illam tentauerit, eo plus sibi confusionis compararit, toties victus, nūquam victor. Igitur quæ semel corruerat, ita se erexit, vt nullo deinde aduersarij conatu euerti vnquam potuerit. Ob quod quantum receperit mercedis, inde cōiectari libet: quòd qua die vita decesserat, in visu Abbati apparuit, ad cœlestem thalamum gloriosè sublata: tantóque splendoris fulgore radians, vt perstringeret oculos intuentis. Idem.

PELAGIAM Antiochenam, & diuitiis & genere & impudicitia quōdam nobilem fœminam fuisse legimus, & (quod peius est) in idololatriæ errore natam atque adultam. Sed postquam ad Christum fuit conuersa, pauperem, humilem, pudicam, & omni inter fideles probitate præstantē. Hanc ergo conuersionis suæ initio, mammonæ spiritus ad pristinas reuocare sordes, tali versutiloquio tentauit, noctu illā adiens: Opes, inquit, quibus affluis ô Pelagia, dij patrij, quorum ego nuncius sum, tibi concessere: & tu nunc illis relictis, nescio quem Christum sequeris. Illos tamen & crimen tibi remittere, si ad eorum cultum redieris: & hoc insuper polliceri crede, tantum priori opum beneficio addituros, quanto magis ipsa nequeas optare. Facilè deprehendit dolos mulier, quæ iam veras diuitias Christum esse nouerat: & cum crucis in pectore signum dexterę manus ductu impressisset, sufflauit in suasorem impietatis: & tam facilè abegit, quàm solet puluerem ventus: tantíque illius promissa fecit, vt continuò ea etiam quæ habebat, cuncta, indigentibus erogaret. Et quoniam Deo, non mammonæ seruiuit, cœlestes æternásque diuitias possidere meruit. Idem.

IVLIANÆ virgini iam pœnis pro Christi nomine affectæ, & tantā coronam martyrij in carcere expectanti, Belial diabolus formam angeli fidelis gerens, apparuisse fertur, atque dixisse: Christum iubere, vt illa potius diis gentilium sacrificaret, quàm in cruciatibus deficeret. Obstupuit Iuliana tali nuncio, & dubitans quínam esset, à Deo sibi certius indicari postulauit. Mox diuinitùs inspirata, manu illum apprehendens, vinculis constrinxit, verberibúsque affecit, volente Domino, vt scelestus Belial ab eadem, cui dissuadere ausus fuerat suppliciorum pro Christo patientiam, supplicia ipse perferret. Marul. libr. 5. cap. 7, & Sab. libro 10. cap. 3.

MARGARITAM virginem post tormenta carceri mancipatam, terribilis draco latè patenti faucium hiatu ferociter inuadens deglutierat. Verùm vbi illa signum crucis edidisset, draco crepuisse visus est, quáque crepuerat, virginem viuam sanámque euomuisse, sicuti euomitus à pisce Ionas propheta legitur. Idem.

Iterum EIDEM in specie humana apparens imponere tentauit. At illa per capillos apprehensum humi allisit, & cùm quæreret, cur tam infensus infestúsque Christi cultoribus esset? accepit, Cacodæmonum proprium ac peculiare esse, inuidiæ odiíque facibus accēdi erga eos qui saluandi sunt: cum pati nō possint, vt ad cœlum vnde ipsi deiecti sunt, homines trahantur. Semper ergo eos aliquid tentare, moliri, struere necesse est, quo iusticiæ opera impediant, & innocentes ad peccādum pronocent. Sub hæc dimissus euanuit: illa ad martyrij palmam gaudens peruenit, tam diaboli victrix quàm tyranni. Ibidem.

IVSTINAM virginem cùm Aglaius iuuenis arderet, & ipsa iam Christo iūcta mortalis hominis nuptias respueret, dæmonem immisit Cyprianus magus, qui illius animum ad libidinem occulta carnis titillatione illiceret. Re autem infecta reuersum, cur eam mouere nequiuerit, interrogat: & audiens, signo crucis perterritum effugisse, alium misit nequiorem illo, qui virginalem formam habitúmque indutus ad Iustinam accedens, etiam se sicuti illa virginitatem Deo vouisse dixit: proinde petens, vt si non in societatem, saltem in seruitium reciperetur. Susceptus igitur post dies aliquot, captata occasione, suspenso tristíque vultu dubitare se ait, ne uirginitatem seruando offendant potius Deum, quàm aliquid promereantur. Scriptum enim esse: Crescite & multiplicamini, & replete terram. indéque in veteri Testamento sanctissimas mulieres, Deóque gratas, viros habuisse, & filios genuisse. Cœperat Iustinę animus iam nutare, ac de virginitatis proposito penè ambigere: mox seipsam reprehendens, Christi nomine inuocato cruce se signauit: & dæmon crucis virtutem non sustinens, effugit. Iterum idem Aglaij formam assimulatus, noctu ad eam venit, & nunc blandus, nunc minax, vt voto suo cōsentiret petiit. Sed eodem quo prius modo ab ea fugatus abiit. Deinde Iustina virgo aliis atque aliis partim diaboli, partim ipsius magi commētis tentata, cum semper cruce se muniret, semper superior euasit. Quam rem videns Cyprianus, & ipse Christo credidit, & vnà cum illa martyriū subiit, fidelis factus, quia fidelib. dæmonia præualere non posse liquidò cognouit. Ibidem.

EVPHRAXIA Romana, virgo nobilis genere, sed stirpis nobilitatē mentis humilitate superans, cùm se in monasterio apud Thebaidem inclusisset, ne seruilia quidem opera à se aliena putabat. Inuidens verò victuri eius diabolus, vt persecutionis molestia propositū turbaret, ad hauriendam aquam se inclinantem in puteum præcipitauit. Sed ipsa inde sana à sororibus educta, crebrius aquatum ire cœpit. Iterum illam dum coquinam faceret, in bullientem ollam impinxit: sed ipsa bullore illo humefacta, non læsa, nihilo segnius cœptum opus peregit. Rursum ligna findentem in latus impulit, & ipsa obliquato securis ictu pedem sauciauit: breui tamen curata, multò promptior ad subeundos labores accessit. Denique nullis infestationibus, nulla inimici iniuria ab humilitatis officio auocari potuit. Ita victis tandem superatísque tentationib', etiam miraculorum operatione insignis fuit. Idem.

DIABOLI TENTATIONES TEMPORE ORATIONIS *superare. Ex Maruli lib. 2. cap. 3.*

Quoniam orationes arma sunt è quibus prosternitur omne diaboli robur, iccirco maligni Spiritus interdum orantibus nobis impedimenta struunt: ut vel torpeamus pertæsi, vel territi obmutescamus: vel vagis cogitationibus abducti verba quæ pensiculatè ruminanda sunt, contemptim effutiamus: similes ebriis, qui sæpe multa quidem loquuntur, nec tamen quid loquantur satis sciunt. Sapienter admodum Agathon abbas interrogatus, Cuínam spiritalium actionum plus laboris inesset? Precationi, respondit. Quoniam precationis tempore ipse nequam Spiritus plurimum nobis negocij exhibet, nunc apertè oppugnans, nunc occultè insidians, modísque omnibus enitens, vt confundat deprecantium mentes, atque conturbet: haud ignarus quanti apud Deum momenti sit constans, continua, perseuerans humiliter orantis intentio.

SVLPITIVS Bituricensis episcopus, dum nocturnis precibus incumberet, horrendos circa se strepitus, vocésque terribiles audiuit: neque tamen aut loco cessit, aut orare desiit, donec sedatus est tumultus. Qui enim confidit in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, par terrori erit, atque dicet: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

MAXI-

MAXIMVS monachus (qui postea Rhegiensis episcopus fuit) cùm noctu ad littus processisset vt oraret (monasterium enim non procul à mari erat) vidit nauem applicuisse, à qua descendentes nautæ ipsum reuerenter adierunt, atque laudibus extollere cœperunt, quòd scilicer fama eius vsque ad Syriæ fines peruenisset, quódque multi eum videre desiderarent: quòd denique, si illò proficisci vellet, saluti plurimis foret: & si modo secum ire disponeret, se iam in rem paratos esse, pro lucro habituros, si talem virum vehere sibi contigisset. His inanis gloriæ officiis diaboli calliditas nitebatur subuertere hominis mentem, vt qui in orando humilitatem imitabatur publicani pectus percutientis, iam tandem imitaretur iactantiam pharisæi sese arroganter efferentis. Attamen Maximus antiqui hostis captiosas tendiculas, circumspecto sagacique animo percipiens, positis in littore genibus, sicuti proposuerat, orauit. Et statim auersi sunt erubescentes qui dixerunt illi, Euge euge. Discamus eius exemplo cauere adulantium adopertos delinificis sermonibus dolos, melléque circumlita venena, cum etiam Salomon præcipiat dicens: Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

LAVNONIARICO abbati Carnotensi noctu oranti, lucernam ter à dæmonio extinctam fuisse ferunt, & ter ab angelo rursum accensam. Nō enim passus est Dominus illum derediculi gratia in tenebris derelinqui, qui orando seruiebat luci. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quid tunc solatij, quid gaudij cœpisse Launoniaricū dixerim, cum pro se contra nequiciæ spiritum stare Dominum videret? Potuit lætus concinere Dauidicū illud: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

LEONHARDO Corbiacensi monacho oranti, serpens à pedibus in sinum vsque sursum versus reptauit. Quem quidem ille vsqueadeò nihil expauit, vt immobiliter permaneret, donec precum finem fecit. Quinetiam peractis precibus vltrò sese pestiferę bestiæ ingerebat dicens, ne facere differret quicquid faciendi facultatem aduersus ipsum à Domino accepisset. Sed illa sicuti orantem non terruit, sic etiam omnia pati paratum minimè læsit. Quorusquisq; vel viso tantū iuxta se serpente, non continuò trepidus exiluisset? At Leonhardus etiam intra gremium illabentem cōtempsit. Cur ita, nisi quia verum est, quod in prouerbiis Salomon ait: Fugit impius nemine persequēte. Iustus autē quasi leo confidēs absque terrore erit.

FRANCISCVS, cùm die quodam proxilius oraret, audiuit clamantem: Francisce pœnitentibus ignoscit Deus, non se tam pertinaci fatigatione conficientibus. Agnouit in verbis dolos, & sicut cœperat, orando perseuerauit, atque etiam ad perferendos pro Christo labores magis exarsit. Sciebat enim, inimici consilia semper eo spectare vt fallant, nunquam vt doceant: scriptúmque esse, Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. Rursum tamē humani generis perpetui hostes, quoniam fraudulenta inductione nihil profecerant, terrificationibus aggredi illum decernunt. Dúmque ipse nocte quadam precationi operam daret, super tectum domus immaniter strepere, atque horribiliter mugire cœperunt. At ille intrepidus exurgens, En adsum, inquit, nequissimi spiritus, venite, exercete in me quicquid vobis permissum est. Quòd si corpus hoc verberibus affeceritis, quid aliud quā vindicabitis me de aduersario meo? His dictis confusi discesserunt. Ille ad preces Deo persoluēdas rediit, nullis tentationibus cedens, sed fiduciam habens in Domino semper. Cæterùm neque sic superata sathanæ improbitas conquiescere potuit, iterúmque oranti illi plus etiam molestiæ intulit tacita suggestione, quàm intulerat manifesta infestatione. Intimo namque medullarum titillatu cogitationem ei libidinis excitauit, atque ille intermissa precatione repentè exurgens, violentum mentis motum dura corporis flagellatione repressit, venarúmque calescentium pruritum semel in gelida niue nudum prosternens extinxit. Hoc enim est genus illud quod nō eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.

CARNIS CASTIGATIO PER IEIVNIVM.

Altera hæc est Christianæ, seu potius (vt in genere loquar) religiosæ Fortitudinis species. Cuius exempla quædam apud Ethnicos quoque reperiri possunt. Verùm quia finis diuersus est, ideo etiam ad diuersos titulos reduci debuerunt. Hîc ergo de ijs, qui carnis illecebras per corporis castigationem abigere & edomare conati sunt, agamus, quorum exempla aliquot infrà sub tit. Abstinentiæ & Temperantiæ religiosæ comprehenduntur. At qui corpus vel ieiunio & abstinentia, vel laboribus, frigore atque calore obdurare ad grauiores dolores facilius perferendos voluerunt, sub titulis propriis, De tolerantia famis, verberum & tormentorum: item de Robore corporis, legendi erunt. Ipsa certè castigatio carnis ad Fortitudinem pertinet, Ieiunium ad Temperantiam: tamen quia castigatio finis est, ad quem refertur ieiunium, idcirco à potiori fit denominatio. Nemo itaque miretur, nos exempla Fortitudinis ea hîc afferre, quæ ad Temperantiam quoque referri posse videntur. De hac autem specie fortitudinis sic loquitur Marulus libro 4. cap. 1. cuius etiam pleraque sunt exempla: Non solùm diabolus, verumetiam corpus nostrum aduersatur nobis. Vas electum Paulus: Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Deinde exclamat: Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quia ipse per se non sufficit, respondet: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sed quoniam gratia ista sollicitis, non ociosis opitulari solet: ipse quoque non cessat, quantum potest, reluctari aduersario suo, & flagellationum iugo premere illum, atque imperare volentem, ad obedientiam compellere. Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo. Igitur si pugnat caro, castigatione reprimenda est, reprimentem Dei gratia adiuuabit. Carnis autem castigatio est ieiunium, vigilia, deprecatio, verberatio, labor. Nos primùm illam, quæ ieiuniis constat, explicare aggrediemur: vt qui volent hac quoque in parte sanctorum vitam speculari, cibi potiúsque abstinentia ritè seruata, ad illud tandem spiritale à Deo electum ieiunium (quod est vitiorum derelictio, assumptióque virtutum) facilius peruenire poßint: vt scilicet esurientes & sitientes iustitiam cum his ipsis, quos sibi proposuerint imitandos, æternæ beatitudinis pabulo saturentur. Cæterùm non omnibus data est eadem abstinentię mensura, idémque modus. Alius dies multos inediam pati potest, alius ne vnum quidem. Alij ad sedandam famem dimidium panis sat est, alij integer parum est. Tantum ergo sibi quisque ieiuniorum imponat, quantum ferre præualet: tantum comedat, quantum ad regendos corporis sensus sufficiat, non ad extinguendos: quódque ad continuanda ieiunia congruere visum fuerit, non vt duorum aut trium dierum nimia abstinentia, subsequentium repletione indigeat, & probro locus sit dicentium: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Turrim igitur ieiunij constructurus, computet sumptus, atque ita moderetur, vt futuro operi ad culmen vsque educendo suppetere poßint. Corpus enim ita affligendo moderari debemus, vt rationi pareat, non vt occidat. Sicut & paulo durior seruus non vt dispereat puniri debet, sed vt mitior submißiórque fiat, & domini sui imperium magis prompto exequi maturet famulatu. Certè nauis ipsa, si supra modum oneretur, subsidet, & fundum maris citius continget quàm littus. Et si infra modum ad omnem flatum instabili aluo alternáque laterum iactatione dum vacillat, periclitabitur. Et si lasciuienti iumento plus oneris quàm ferre præualet imponatur, in itinere corruet: si minus, contra stimulum calcitrabit. Tentandæ sunt igitur, examinandæque vires, & æquandum cum viribus pondus, quod ferentem neque grauitate opprimat, neque leuitate licentius insolescere sinat (vt idem Marul. libro tertio capite decimo, ait:) Summopere cauendum, ne dum abstinentiæ immodestiam fugimus, in vitium incidamus gulositatis. Quo subuersi Adam & Eua mandatum Dei contempserunt, & de paradiso eiecti sunt: Noe pudenda nudauit: Loth incestum commisit: Esau primogenituræ ius vendidit: populus Israeliticus in deserto periit: Heli sacerdotis filii hostili gladio cæsi sunt, Sodomæ quoque euersio (vt ait Scriptura) superbia & saturitas panis fuit. Ideo Dominus in Euangelio: Attendite, inquit, vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Et: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Mediocritate igitur opus est, vt nec nimium nec parum cibis abstineamus. Alterum seipsum incautè perdere est, alterum ventri, non Deo seruire est. Omni præterea ope & totis viribus enitendum, vt semper à vitiis magis quàm à cibo ieiuni inueniamur. Alioquin nec à cibo ieiunasse proderit, si inter ieiunandum peccato locus erit. Non est (inquit Apostolus) regnum Dei esca & potus, sed iusticia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Pietatis igitur & iusticię cura, curam superet ieiunandi. Hoc est enim ieiunium quod elegit Dominus, & propter quod per Esaiam ait: Sustollam te super altitudines terre, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Ad hæc ne quid simulatè, ne quid iactāter fiat: Nolite ieiunare inquit, sicut vsque ad hāc diē, vt audiatur in excelso clamor vester. Tales quippe pharisęū imitātur, qui ait: Nō sum sicut cæteri homines. Ieiuno bis in sabbato. Sed dum insipiēter gloriatur, publicano, quē despexerat, factus est deterior. Hos & per Zachariam arguit Dominus, dicēs: Cum ieiunaretis & plangeretis, nūquid ieiuniū ieiunastis mihi? Non enim Deo, sed vanitati & iusticię ieiunant, qui ieiunādo hominum rumusculos & inanes gloriolas aucupantur. & dici quàm esse sancti malunt. Qui sæpe quidem vt se efferant, aliis detrahunt, nec apostolum audiunt dicentē: Qui non manducat, mādu cantem non iudicet. Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum seruum Domino suo stat aut cadit. Stabit autem, Potens est enim Deus statuere illū.

Sint igitur examinata, sobria, pura, simplicia, humilia ieiunia: non immoderata, non lauta, non animi vitio polluta, non ficta, non suæ laudis cupida, alienæ inuida, & liuoris magis quàm abstinentiæ pallore infecta. Marul. lib. 4. cap. 1.

MOYSES in monte quadraginta dies & totidem noctes, nihil gustans, facie ad faciem cum Deo loquitur, & legem digito eius in tabulis lapideis conscriptam accipit: quibus ob populi culpam confractis, rursum ieiunans, & Domini indignationem placauit, & legem recuperauit. Marul. lib. 4. cap. 1.

IDEM in Leuitico præcipitur filiis Israel, vt septimi mensis diem decimam celebrem habẽtes, ieiunio affligant animas suas vsque ad vesperum, pro satisfactione vtique peccati quod vitulum adorando commiserant, vnde dies expiationum dicitur: & in memoriam, quia Moysi ieiunio ac precibus exoratus Dominus veniam illis indulserat, vnde idem etiam dies, dies propiciationis nuncupatur. Ieiunio igitur & Dei vindicta reprimitur, & commissa purgantur. Ibidem.

HELIAS propheta post subcinericij panis esum & aquæ potum, cùm dies XL. ieiuniis ambulasset, peruenit vsque ad montem Dei Oreb, atq; idem igneo curru sublatus transuectus est in paradisum. Si illic satiari cupimus, hic ieiunemus. Ibidem.

SAMVELIS deprecationes, ac populi ieiunium respiciens Deus, Philistinorum in Masphat exercitum in ipsos iam irruentem repenti fragore tonitrúque perterruit, & in fugam conuertit. Si sic stat pro ieiunantibus & orantibus Dominus, quis à tentationibus superatur, nisi qui neutrum diligenter exequitur?

SAVLIS regis edictum obseruans, populus Israel, quo die nihil comedit, ingentes Philistinorum copias quas paulo antè metu perculsus fugerat, fugientes persecutus est à machinis vsque in Hailon, multisque interfectis pręda potitus est. Inermis erat, & ieiunio se muniens armatos vicit: quippe neminem ex Israelitis arma tunc habuisse asserit Scriptura præter Saulem & Ionatham. Non ergo armis, sed ieiunij virtute præualuerũt. Et cùm vix decem millium numerum implerent, aduersariorum autem exercitus essent 30 curruum, 60 equitum: reliquum vulgus sicut arena, fauente Domino, multitudo cessit paucitati, armatura nuditati, saturitas ieiunio.

IOSAPHAT Iudæ regem legimus ieiunium cunctis, quibus præerat indixisse, cum Moab & Ammon & Idumæi innumera penè multitudo contra illum venientes, mutuis inter se vulneribus concidere: & qui cibo vacui erant, non tentato pugnæ periculo repleti sunt spoliis inimicorum.

ACHAB rex scelere quondam quàm regno insignior, impietatis suæ pœnam sacco & ieiunio humiliatus distulit in posteros. Illo defuncto, Ochozias filius cecidit per cancellos cœnaculi, & mortuus est. Ioram filius à Iehu sagitta percussus periit. Iezabelem vxorem vi de fenestra præcipitatam, equorum vngulæ contriuerunt, contritam dilacerauerũt frustatim canes, reliqui 70 filij in Samaria occisi sunt. Et qui in Iezrael de domo eius erant, omnes Iehu regnante interempti, & omne prorsus genus Achab internecione sublatum. Tantam suorum ruinam, tam miserabile spectaculum vidisset ipse (sicuti per prophetam interminatus fuerat Dominus) nisi ieiunasset. Ieiunauit, & vsque ad tertium regni successorem ea familiæ dilata est clades.

Peccauerat DAVID, & peccatum confitens à Nathan propheta audierat: Transtulit à te Deus peccatum tuum, & post hæc tamen infirmata sunt, inquit, in ieiunio genua mea. Sed cuius genua infirma ieiunio erãt, eius in Deo spes firma fuit. vnde ait: In te Domine speraui, non confundar in æternum.

DANIELI ieiunanti diuina reuelantur mysteria, & dies à sole iusticiæ illuminandus præfinito hebdomadarum numero panditur. In lacũ leonum missus, per dies sex nihil comedit, & inter ferocissimas bestias mansit illæsus. Cúmque esuriret, Abacuck propheta per angelum Domini de Iudæa translatus in Babylonem apposuit illi pulmentum, quod messoribus coxerat, & refocillatus est. Ieiunus igitur Daniel sacramenta discit, leonum ferociam domat, prandium diuinitùs missum accipit. Denique de fouea in quam proiectus fuerat, liberatur. Et qui Deum Israel prædicanti non crediderant, saluato credidêre, mirantes & confitentes, verũ, timendúmque esse Deum Danielis.

PROPHETES ille de Hierusalem veniens in Bethel, cum alterius fraude mẽdacióque deceptus fregisset ieiunium, à leone (quod animalis genus ieiunanti Danieli pepercerat) suffocatus periit. Qui tamen dum ieiuniũ seruabat, manum Hieroboam regis ipsum ferire volentis arescere fecerat: & arefactam, cùm illum pœnituisset, rursum sanitati restituerat. Tanta itaque ieiunantis virtus fuit, quanta soluentis ieiunium imbecillitas. Nam quem irati regis potentia lædere non potuit, vnius bestiæ vis interemit.

Quadraginta dies ieiunauit SALVATOR noster: & à diabolo tentatus, ostendit quomodo insidias eius euitare, & virtutem possimus vincere, dum ieiunando vincit. Quamobrem in hoc pugnę genere non est nobis viribus corporis opus ad vincendum, sed magis imbecillitas: ne in illo diabolus fomitem inueniat, quem concupiscentiæ igne succendat. Hic est enim faber sufflans in igne prunas, & proferens vas in opus suum.

IDEM Dominus noster, cum in monte transformatus totus diuinitatis suæ luce resplẽduisset, Moysen & Heliam iuxta se apparere fecit, quia & ipsi aliquando quadragenarij ieiunij obseruatores extiterãt, vt ex hoc nobis insinuaret, eos qui libenter ieiunauerint, suo glorioso consortio esse dignos.

IDEM cùm discipulis orandi rationem tradidisset, continuò ieiunandi documenta ingessit: quia illa demùm fortis & efficax est deprecatio, quã cibi comitatur abstinentia. Hoc enim duplici telo validiora inimici machinamenta demoliri ac dirui posse monstrauit, cum de nequissimo spiritu effugando diceret: Hoc genus non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.

IDEM, ne abstinentiæ bono abutamur ad iactantiam, & virtutem in vitium commutemus, ait: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Et vt potius sub aliquo iucunditatis velo lateat alios corporis nostri Maceratio: Tu inquit, cum ieiunias, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominbus ieiunans, sed patri tuo qui est in absconso: & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Palæstinorum ista mollicies erat, cùm festum agerent, caput vnguentis delibutum & lotam præferre faciẽ. Non ista facienda dum ieiunatur, præcipit Dominus: sed metaphora vtitur, per quam lætari & gaudere iubet, vt hypocritarum simulatæ sanctitatis tristiciam arguat. Vis igitur omnia prorsus quæ hic mãdantur, implere? hoc quòd ieiunas, quòd abstines, totum Deo, nihil ostentationi offeras.

Post Dominum Iesum primi inter Christianos APOSTOLI ieiunio vsi sunt. Ipse enim (vt in Euangelio legimus) cùm in Mathæi domo accubuisset, quibusdam interrogantibus, quare discipuli eius, sicut Ioannis & pharisæórum, non ieiunarent: respondit: Nunquid possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Peracta igitur spiritalis connubij celebritate, passionis ac resurrectionis tempus aduenit, & sublatus est ab eis sponsus. Exinde illius desiderio vehementer sollicitati, ieiunare & esuritione se afficere cœpere: nec vnquam ab his abstinentiæ angustiis recesserunt, donec in cœlesti thalamo rursum eidem quem tam ardenter desiderauerant, fœliciter iuncti sunt: vbi nunc ieiuniorum famem, quam hic haud multum diù sustinuerũt, æterna perpetuáque conuiuij refectione compensant.

Apostolicum virum NICOLAVM Miræ vrbis episcopum ferunt, infantulum adhuc in cunabulis vagientem, & fasciarum inuolucris colligatum, cum nutricis vberibus admoueretur, quarta & sexta quaque feria non nisi semel sugere lac voluisse. Mira profectò res, nondum ad dies papásque peruenerat, hoc est potus cibique vsum, & iam ieiunia obseruabat. Sed si adulti sanctitudinem considerauerimus, non erit mirũ quòd talis ac tanti hominis etiam infantia mirabilis fuerit.

Idem de SISINIO Thaunensi episcopo fertur, scilicet ipsum quoq; cùm nuper editus lacte genitricis suæ aleretur quarta & sexta feria tantummodo semel tenelluli oris labella vberibus admouere consueuisse.

Eosdem quartæ & sextæ feriæ dies MAIORVS, Sargiensis episcopus, ita ieiunio suo cõsecrauit, vt in illis nihil prorsus degustaret. Aliis verò diebus pane hordeaceo victitabat. Vis nosse quantum illi sic ieiunasse profuerit? Virginitatem perpetuò seruauit.

EADMVNDVS Cantuariensis archiepiscopus, ipse quoque virginitatis coronam adeptus est, lasciuiam carnis domans ieiuniis: feria sexta sicco pane tantum, & aqua frigida semper est vsus. Nunquam illi curæ fuit vt pasceret corpus, sed vt sustentaret. Propterea quidem cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Fuit enim doctor egregius, disciplinis diuinis apprimè eruditus, multis præterea miraculis clarus.

BONIFACIO martyri Misiæ archiepiscopo, quotidiana ieiunia pro deliciis erant, atque ita vt inediam per biduum quatriduúmque protelaret, Dominicis tantum diebus quintísque feriis cibum capiens. Cùm tamen docendo gentiles per Misiam iter faceret, vitæ ac frigoris asperitate fatigatus ita temperauit ieiunium, vt quotidie dimidio panis & aquę poculo vires reficeret. Et quoniam neque equo vehi voluit, sed pedes ire detractis etiam calciamentis (vt alibi diximus) magis mirandum existimo, tanto labori talem ac tam modicam cœnulam sufficere potuisse, quàm quod sine illo tot dierum, quot pictum est, inediam tolerarit. Tali vitæ tenore cucurrit ad martyrium. Et alij quidem martyres vnã martyrij coronã receperũt, hic duas, ieiunij martyriũ sanguinis martyrio copulãdo.

HVONEM presbyterum sollicitum in primis abstinentiæ cultorem, omnia ab ecclesia indicta ieiunia sola panis & aquæ refectione obseruare solitum legimus, vt plus aliquid faceret quàm quod præceptum fuerat, & alimenti tenuitas obedientiæ cumulus esset. Aliàs etiam abstemiũ fuisse, & nunquam vel modico vino vsum.

De Antonio Ægyptio abbate memoriæ proditum est, quòd semel in die hora vespertina panem cum sale comederit, & aquam frigidam biberit. Et cùm perseuerantius ieiunaret, nunc bidui, nunc tridui inediam passus: eam rem illi inuidens diabolus, sumpta monachi forma apparuit, cibos porrigens, vt aliquid sumeret, nec se fame confici permitteret, exhortatus est. Tandem deprehẽsa fraude Antonius crucis signo se muniẽs, ille euanuit.

SAMPSONIS Dolensis archiepiscopi ieiunia fuêre, modò biduo, modò triduo trãsacto, modò post hebdomadam cibum sumere: toto verò quadragesimæ tempore bis, aut ad summum ter, parcissimo victu lassum & effœtum viribus corpus recreare.

SEVERVS abbas natione Syrus, Dominico quoque die mane factã communionem, vesperi panem vnicum sumebat: altero cibi animã alẽs, altero corpus sustentans. Reliquis autem diebus cibo pariter ac potu vacuus perdurabat.

Hoc idem à MEDERICO abbate apud Heduam Galliæ vrbem, obseruatum legimus.

ELPIDIVS

ELPIDIVS abbas, genere Cappadox, cùm desertum quoddam incoleret, & squalentis antri angusto carcere se occlusisset, tantum bis in hebdomada, id est, Dominicis & quartę ferię diebus, vesci solitus dicitur.

MVTIVM abbatem in solitudine singulis Dominicis, singulo pane diuinitùs sibi allato nutritũ accepimus, aliis verò diebus absque cibo ieiunum permansisse.

Illos quatuor, quos Panucius abbas in remotissima Ægypti eremo commorantes reperit, IOANNEM, ANDREAM, THADEVM, & PHILIPPVM, hebdomadarũ cõtinuata ieiunia Dominicis diebus soluere solitos ferunt. Angelo tunc iuxta eorum numerum panes deferente, & in aduentu Panucij quintum panem additum fuisse dicunt. Nec sanè mirum videri debet, quòd quidem sanctissimi homines in solitudine de cœlo receperint alimenta, cum etiam præuaricator populus manna in deserto nutritus sit.

De STEPHANO presbytero Constantinopolitano traditum est, quòd nondum editus ieiunia colere cœperit. Nam (vt aiunt) mater eo grauida, non vinum, non carnem, non lacticinia gustare poterat: & si gustasset, præ nausea euomebat. Post hæc ipse iam natus, cum vberibus applicaretur, sugere matrem nisi ieiunantem nolebat. Tali ostento significatum est, quantæ ille abstinentiæ obseruator mox futurus esset. vbi enim cum ætate creuit virtus, in templo beati Petri apostoli clausuram subiens, herbas cum sale coctas absque alio condimento semper vesperi comedebat. Deinde presbyter factus, pristino victui salem ademit, & ne hoc quidem tam fatuo cibo quotidie vti voluit, sed aut bis tantũ in hebdomada eum sumere, aut ad Dominicum vsque diem inediam proferre. Postremò cum in solitudinem secessisset, herbis crudis pascebatur, à cocto abstinebat: & monachum professus, cum à seniore iuberetur modico vino vti propter stomachum, vnicam vini guttulam in vrceum aquæ plenum instillare cœpit, vt & obediret, & aquam tamen nihilo penè quàm antè sapidiorem biberet. Pauculas etiam ficus festiuis duntaxat diebus in cibo habuit: neque hoc quidem sua sponte, sed obedientię iure. Hic igitur iam ab initio in parentis visceribus à Deo electus, prædestinatúsque & sanctificatus, quàm magna res esset ieiunium ostendit, cùm ipsam matrem ad id compellendo, tum semet vsque in finem eo incredibiliter macerando, id est à duodeuigesimo vsque ad septuagesimũ-tertium ætatis suæ annum. tunc demùm pascuis cœlestibus satiatus est, tanto quidem vberius, quanto hic vixerat abstinentius.

Sancto LIBERALI, cuius ossa Taruisij posita sunt, de cœlo concessum fuit (omne enim donum perfectum desursum est) vti Dominico quoque die percepta spiritali alimonia corporis & sanguinis Christi, sine vllo alio cibo reliquum tempus perduraret. Itaque quod ad animæ salutem sumptum erat, illius virtute etiam caro sustentabatur.

IOANNES abbas in Thebaidis eremo, quem sub rupe quadam manentem toto triennio nunquam sedisse ferunt, ipsam sacrosanctam communionem Dominicis diebus à sacerdote sibi delatam sumens, nihil aliud gustabat. Hoc illi & sacramentum & victus fuit.

APELLES Ægyptius faber ferrarius, vt Christo seruiret, eremum penetrans: quemadmodum ferrum malleis, ita semet cudere cœpit ieiuniis, atque à Deo omni morum sanctitudine limatus & expositus euasit, vt etiam ipse nihil vnquam degustaret, præterquam Dominicis diebus panem illum qui de cœlo descendit, quem qui dignè manducauerit, nõ esuriet in æternum.

EPHESIVM anachoritam annos 40. quos in Scythiotica eremo peregit, sol non vidit manducantem. nunquam enim ante vesperum quicquam gustauit.

Diuus Hieronymus testatur, HILARIONEM abbatem nunquam ante solis occasum, ne festis diebus, nec in grauissima valetudine soluisse ieiunium, cum tamen duro admodum parcissimóque victu vsum dicat, herbarum syluestrium, hordeaceíque panis, & non coctæ, sed aqua frigida maceratæ lentis: ita vt ei aliquando caligarent oculi, corpus scabredine rigeret, & tunc oleum pro remedio in cibatu addidisse. Denique à 63 vsque ad 80 ætatis suæ annum, cùm pane quoque abstineret, sorbitiunculis ex farina & olere comminuto sustentatum fuisse, donec reddito spiritu conuiuij cœlestis perpetua & ineffabili dulcedine, quam semper appetierat, satiari cœpit.

De se quoque ipse HIERONYMVS ad Eustochium virginem scribens, loquitur ac dixit: Repugnãtem spiritui carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non tacuit quòd olim in eremo secretius egerat, vt illam quam docebat, suopte exemplo magis moueret: & tamen confitetur, cogitationum in corde lasciuientium illecebris vix interdum se resistere potuisse. Pallebant, inquit, ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Et ipsi nos tutos putabimus, si diem vnum aut alterum in hebdomada ieiunauerimus? Nescio an etiam ieiunium dici debeat, quod consequentis diei obruit repletio, cuius famen succedens, exuperat saturitas.

SYLVANVS abbas in deserto Scythiæ ieiunij die vnà cum Zacharia discipulo iter faciens, ad quoddam monasterium diuertit, & humaniter acceptus manducauit. Cùm discessissent, discipulum in via bibentem reprehendit, quòd eo potu ieiunium ante tempus soluisset. Et cùm ille tũc se ambos iam soluisse ieiunium diceret, cùm in monasterio comedissẽt. Minimè, inquit, nam illud non ieiunij solutio, sed charitatis communicatio fuit. Itaque existimauit, absque ieiunij detrimento posse aliquid prægustari in sodalitio exterorum: id est, cùm aut ipse alios hospitio susciperet, aut ab aliis susciperetur. Quem morem apud Ægypti monachos celebrem fuisse, auctor est Cassianus. Ita tamen, vt illam prægustationem districtiore postea ieiunio compensarent. Vsqueadeò neque charitatem dimittere, neque abstinentiæ quicquam derogare volebãt.

ODILO, Cluniacensis abbas, quadragesimale ieiuniũ sollicitè obseruans, cùm panem cinere aspersum comedisset, aquam potui poposcit. Qua accepta, & statim in vinum mutata, ministrum increpuit, quòd vinum pro aqua sibi attulisset. Illóque admirante, & rursum de fonte haustam afferente, idem secutum est miraculum. Vbi tandem agnouit Dei voluntatem, timuit recusare quod ab ipso offerebatur, & asperiorem cibum molliore poculo temperauit.

GREGORIVS pontifex ingenio ac sanctitate æquè clarus, dum adhuc monasticam vitam ageret, aduersa implicitus valetudine ieiunium quadragesimale seruare non poterat. Adueniente verò sabbati sancti die, flens Eleutherium abbatem rogauit, vti precibus à Domino tantillum sibi virium impetraret, quod satis esset ad eam saltem tam celebrem diem ieiunio excolendam. Quo orante tantum cõcepit vigoris, vt etiam in alterum diem inediam facilè producere posset, si voluisset. Sic quidem ipsemet in tertio Dialogi sui libro testatum reliquit. Quo exemplo apertè admonemur, vt si qua res ad seruandum ieiunium nobis impedimento fuerit, non negligamus: immò vt ab ea expediamur, votis precationibúsque Dominum sollicitemus. Petenti dabitur, & pulsanti aperietur. Marul. lib. 4. cap. 1.

VALENTINIANVS imperator moriens, se vna tantùm dixit victoria gloriari. Rogatus qua? Respondit, Inimicorum nequissimum vici, carnem meam. Brusonius libro 1. de Abstinentia.

MVLIERVM EXEMPLA.

ANNA Helchanæ vxor non capit cibum, sed luget & orat: & sterilitatem ab æmula exprobratam, Domino miserãte fœcunditate cõpensat, mœroréque in gaudium verso concinit dicens: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Vinum, & quod inebriare potest, nunquam bibit: & bibentibus vinum hilarior efficitur, dũ prolis generositate lætatur. Marul. lib. 4. cap. 1.

SARA, Raguelis filia, septem iam maritis, antequam ab eis tangeretur viduata, octauum Tobiam triduano ieiunio seruauit incolumem. Cúmque coniugum suorum interfectrix diceretur, omni penitùs probro, dũ ieiunasset & orasset, meruit liberari. Ipse denique Asmodeus dæmon, qui ipsos septem viros interemerat, vnius mulieris victus ieiunio, religatur in deserto: amittitque nocendi facultatem, qui habuerat occidendi. Ibidem.

Ieiunauit IVDITH omnib. diebus vitæ suæ, & Assyriorum exercitu fit fortior. Ozias Bethuliæ princeps, & qui cum illo erant, iam se suáque dedere hosti decreuerãt: quem illa interemit. Itaque quos arma à seruitutis iugo defendere non valebant, vnius fœminæ ieiunio & orationibus munitæ virtus liberauit. Ibidem.

ANNA, Phanuelis filia, quotidianis ieiuniis & obseruationibus ad prophetandi culmen peruenit. Puerum Iesum, quem Symeon sacerdos in vlnas acceperat, ipsa superueniens adorat, & redemptorem Israel confitetur spiritusancto plena, quia cibo vacua. Abstinendo & orando intellexit, quod scribæ & pharisæi legendo non perceperunt.

ASELLAM virginem Hieronymus laudibus efferens: Ieiunium, inquit, pro ludo habuit, inediam pro refectione: & cum eam non vescendi desiderium, sed humana conditio ad cibum traheret, pane & sale & aqua frigida concitabat magis esuriem, quàm restinguebat.

Idem PAVLÆ vita iam defunctæ virtutes enarrans: Tantæ, inquit, continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiuniis ac labore contraheret. Exceptis diebus festiuis, vix vnquã aliàs oleum in cibo cœpit: vt ex hoc vno æstimetur, qui de vino & liquamine, & piscibus, & melle, & ouis, & reliquis quæ gustu suauia sunt iudicarit: in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant, & si iis ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur. Post multa tandem ait: Nulla iuuenum puellarum sano & vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantæ ipsa fracto & senili, debilitatóque corpusculo. Postremò dicit, quòd cùm febri laboraret, nec medicorum consilio, nec Epiphanij episcopi suasionibus compelli potuerit, vt vinũ biberet, Et ipse Epiphanius ab ea exiens, tantum se profecisse dixerit, vt econtrariò sibi iam seni aquam bibere penè persuasum esset. Quòd si hæc & languore & ætate confecta fœmina, vinum in quo est luxuria, vsqueadeò gustare timuit: quomodo non magis timere debent, quæ & sanæ sunt, & iuuenilis ætatis feruore, etiam cùm multum ieiunauerint, incalescunt? Ibidem.

In Thebaidis monasterio, in quo EVPHRAXIA virgo omnium spiritalium vnguentorum odore fragrauit, quotidiana seruabantur ieiunia & non carnem, non lacticinia, non vinum, non oleum, non denique dulcium genera fructuum gustare fas erat. Euphraxia verò biduo triduóque & tota interdum hebdomada inediam protrahebat, vacuum cibo ventrem gerens, vt animam repleret virtutibus.

MARIA Ægyptiaca, quæ meretricium quæstum, in quæstum vertit paradisi, in solitudinem secedens, tres tantum panes pro viatico secum tulerat. Et quoniam ibidem Deo seruiens plus minus 40 vixit annos, nec vnquam interim hominem vidit, præter anno illo quo ad Dominum migratura erat, Zozimam abbatem. apparet eam hoc toto ferè tempore sine panis esu perdurasse. Et si quicquam ederit, more feræ syluestrium herbarum pastu fuisse sustentatam. Quicquid culpæ olim per ingluuiem contraxerat, tali ieiunio purgauit: & quæ diu versata fuerat in prostibulo, post eremi angustias incola efficitur regni cœlorum.

De FELICVLA virgine & martyre traditũ est, carcere inclusam dies

septem nihil gustasse:& iterum in tẽplum deæ Vestæ sub custodia translatam,alios septem dies pari inedia peregisse.Hac igitur abstinentiæ virtute roborata,constanti & imperterrito animo martyrij pertulit supplicium : nihil horrescens tyranni sæuitiam, sed mori cupiens,& esse cum Christo.

MARIA Decegnies,cuius ortu Niuella,Leodiensis episcopi viculus, nobilitatus est, à festo Exaltationis crucis vsque ad Pascha ieiuniũ cum sola panis & aquæ refectione per annos tres obseruauit. Eandem ferũt aliquando quinque & triginta dies absque cibo perseuerasse, diuinis fruentem colloquiis.Tres item & quinquaginta dies ante obitum suum nihil aliud gustasse,præter vitale viaticũ carnis & sanguinis Christi.Hinc defunctæ animam ab angelis in cœlum ferri visam,vt quæ à terrenis alimentis identidem abstinuerat,cœlesti pabulo repleretur in æternum.

CECILIA virgo & martyr,biduanis ieiuniis meruit virginitatis suæ angelum habere custodem,& palmam obtinere martyrij.Ibidem.

CARNIS CASTIGATIO PER FLAGELLA, LABORES, DOLORES, *æstum, frigora, &c. Ex lib. 3. cap. 10. Maruli.*

PAVLVS apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne fortè cùm aliis prædicauerit,ipse reprobus inueniatur.Ad hæc angelus sathanæ collaphizat eum,ne reuelationum magnitudine extollatur. Et si illi qui vas electionis erat, in quo Spiritus sanctus habitabat, non fuit satis peregrinando prædicandóque fatigari, & vbique sæuientibus persecutionis procellis iactari atque concuti : sed ad domandos corporis sensus,aculeósque cupidinum retundẽdos,verberum quoque ictibus quati,affligique oportuit:quis tutum se putabit,& non proprij corporis imperio se subditum iri timebit,si in eo castigando non æquè sollicitus fuerit?Marul.lib.3.cap.10 & Sabel.lib.2.cap.10.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, tunicam & femoralia poplitum tenus cilicina sub vestimentis gestitauit.Quippe indignum se qui ecclesiæ præesset arbitratus est,nisi & membris suis præesse posset.Membra igitur tegminis asperitate contrita sibi subiicere studuit, ne quando ipse illis subiectus, appetitum illorum sequi cogeretur, non suum.

MAIORVS in insula Britanniæ Sarina episcopus, qui episcopali dignitati solitudinis præposuit humilitatem,(spretis honoribus eremum penetrans,prçter incredibilem cibi potúsque abstinentiam,semper cilicio est vsus.Et quia virgo fuerat,virginitati inimicam indumentorum molliciẽ declinauit.Qui enim mollibus vestiuntur,in domibus regum sunt.

Eadem cilicij gestatio, EADMVNDVM Cantuariensem archiepiscopum commendat:& hoc plus adiicitur,quòd quadragesimæ diebus pro cilicio loricam plumbo contextam induere solitus sit. Itaque non duritia solùm cilicini tegminis, verumetiam plumbei grauitate carnis cõcupiscentiam frenans,& ipse virginitatem perpetuò incorruptam seruauit.

MEDERICI Eduensis abbatis cilicium, aliis etiam aduersus immundas tentationes remedio fuit.Monachus quidam libidinosæ cogitationis iã stimulos ferre non valens,cùm illud induisset,nequam spiritu confestim recedente,in castitatis puritate perseuerauit.

LVDOVICO quinto Galliarum regi multo plus contulit interius cilicium,quàm purpura exterior. Hæc terreni regni insigne erat, illud cœlestis aditum præbuit.Ad cilicij quippe squalorem respiciens Deus, non ad purpuræ luxuriam, Christianissimo regi & temporale regnum tutatus est,& æternum indulsit.Marul.lib.3.cap.10.& Sabel.lib.2.cap.10.

MACARIVS, Alexandrinus abbas, cùm corporis affectibus paulo improbius vrgeri se videret,saccum sabulo repletum,vix homini portabile onus,per eremum incedens humeris baiulauit.Theosebio fortè obuiam factus,& quid ageret interrogatus, Quòd vexatorem suum vexaret,respondit. Nisi ergo corpus nostrum fatigatione aliqua agitauerimus,periclitabitur animæ fortitudo. Quandoquidem naturali quodam instinctu,duo ista sibi inuicem aduersantur, vt alterius vis alterius debilitate constet.

Diuus Hieronymus in eo libello quem ad virgines Deo sacratas conscripsit,vidisse se in eremo affirmat VNVM ex monachis,qui à seniore iussus prçgrandem lapidem iam octo annos bis in die per tria ferè miliaria gestauerat in scapulis,ita alacri animo, vt intermedio tempore semper noua sibi iniungi opera vltrò patrem rogaret.Haud irritus hic videbitur labor,si considerabimus quanti fructus sit, cùm obedire patribus, tum ociositatem fugere.Marul.lib.3.cap.10.& Sab.lib.2.cap.10.

Si quis autem ipsius Hieronymi in legendo scribendóque laborem consideret, dicet, Quomodo sic occupato animo vlla turpis cogitatio potuit irripere?Tum si ad Eustochium virginem scribenti atque confitenti crediderit(*Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum no*ctem:nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas)planè intelliget,etiam inter labores cogitationũ tẽtationi esse locum, eásque cùm labor nequit repellere flagellis ac verberibus excutiendas,& semper auxilium diuinæ miserationis implorandum.Neque enim ex nobis sufficimus (vt Apostolus inquit) sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.Marul.ibidem.

Illud macerandi corporis genus,quod à BONIFACIO Misiæ inferioris archiepiscopo seruatum legimus,non est silentio prçtermittendũ. Ferunt enim,cùm ad illas gentes Christum euangelizaturus proficisceretur,equitantibus iis qui cum illo erant,ipsum medio brumæ tempore sine equo nudis pedibus incessisse.Et cùm ad montium asperiora itinera peruenissent,equum quidem conscendisse,sed tamen calciamenta minimè induisse,ita vt sæuiente hyeme,& niue quæ pedibus inciderat gelascente,plantas de stapede amouere nequiuerit,donec aqua feruente superinfusa glacies solueretur.Hanc in illo algoris patientiam imitentur, qui bullientem in medullis libidinis æstum cupiunt extinguere. Frigescente enim corpore,facilè & ipsa frigebit Venus.Idem.

HOSPITIVS apud Nuceriam solitarius(vt Paulus,qui Longobardorum historiam scripsit,refert)ferro solido lumbos nudos prçcingebat,vt eam corporis partem magis attereret,vnde magis voluptatis motum exurgere solere sciebat.Virtus enim eius,in lumbis eius:& fortitudo illius, in vmbilico ventris eius.Idem.

PHILORONIVS presbyter intra saxeam speluncam inclusus, & ferreis nexibus manus pedésq; reuinctus vixisse perhibetur, vt carcerem simul vinculáque perferret.Hic extremo vitæ die cõfessus est, nullum à se temporis momentum, quo non de Deo aliquid cogitaret, prætermissum. Dum igitur corpus voluntaria castigatione premeretur, spiritus ipse terrenis affectibus liber,semper cœlestia meditabatur.

MARTINVS in Massico Campaniç monte solitarius manens,vt euagãdi facultatẽ sibi surriperet,cathena saxo affixa pedẽ vinxerat.Et cũ diu angustiã hanc libẽter pertulisset, Benedicto abbate id demum resciẽte,iubentéque nõ committeret,vt cathena ferrea potius quàm cathena Christi ibi illum fixum teneret:statim quidem nodos dissoluit,sed nunquam inde longius discessit,quàm discedere vinctus poterat. Durum profectò & difficile fuit,hominem veluti rabidum canem ferreis vinculis constrictum permanere,sed multo difficilius,compede soluto longius abeundi voluntatem semper ligatam tenere.vtramque autem difficultatem superauit amor Christi.

IOANNEM monachum sub caua montis rupe annos tres rectum perstitisse tradũt,talique corporis gestu & cibum & somnum cepisse.Ex diutina tandem immobilique statione tibias imas intumuisse,vlceráque fecisse.Quid hac patientia intolerabilius?si quicquam intolerabile est,quo beatitudinis æternæ præmia compensantur.Ac ne dubites Ioannem nūc in cœlesti gloria esse cum angelis,Angeli ministerio pedum eius lãguor in terra curatus est.Marul lib.3.cap.10.& Sab.lib.2.cap.20.

PACOMIVS abbas per dumeta,& obducta sentibus loca nudis vestigiis deambulabat, vt voluptatis aculeos spinarum aculeis quasi clauum clauo expungeret. Cruentatis quidem pedibus ad cellam suam redibat:sed superata tentatione magis de victoria lætus,quàm de vulneribus dolens.De talibus propheta Dauid cecinit,dicens : Euntes ibant & flebant,mittentes semina sua:venientes autem venient cum exultatione,portantes manipulos suos.Marul.li.3.cap.10.& Sab.lib.2.cap.10.

SIMONEM monachum accepimus, dum ad puteum aquam hauriret, fune de situla soluto,nudum corpus multo volumine circunduxisse, vestéque superiniecta vincula illa nullo conscio operuisse.Sed cùm tãdem penetrãtibus nodis excesa,& iam suppurata caro fœtorem secretum prodidisset, abbatis iussu funem detractum, ipsum de monasterio pulsum fuisse,quoniam id facinus magis animi stulticiæ quàm deuotioni imputabatur.Pulsum autem abiisse in solitudinem.Et cùm ab eodem abbate nocturnis terrificationibus per visum agitato reuocandus quæreretur, in cisterna sicca inuentum, atque ad monasterium reductum ostendit Deus quanti talem in illo vitæ austeritatem faceret, sine cunctatione disponendo, vt ab his ipsis honoraretur,qui expulerant.

Pater minorũ FRANCISCVS,quàm in se durus extiterit,cùm sæpe alias, tum illo potissimum tempore monstrauit, quando connubij cogitationibus eum impugnari contigit.Sibimet enim iratus, proiectis repentè indumentis,& fune quo præcinctus fuerat arrepto, duré admodum sese diuerberauit.Cæterùm vbi verbera parum profecissent(vsqueadeò vehemens tentatio erat)extra monasterium prorumpens,in altam niuem (sicut nudus erat)se deiecit, diúque volutauit.Ac deinde ex illa compactas hominum effigies identidem corpore astringens, ipse se alloquebatur, increpandóque dicebat:En tibi Francisce vxor,en tibi liberi:aut vesti illos ne sic algeant,aut dimitte omnia,& vni Domino serui.Sic ille tãdem carnis petulantiam domuit flagellis,& libidinis incẽdium gelidas niues nudo amplexans pectore extinxit. Marul.lib.3.ca.10.& Sab.lib.2.cap.10.

VVENCESLAVS,filius Vratislai regis Bohemorum,per mediam brumam & medias niues discalceatus petebat templum, horásque obibat canonicas.Rauis.

MVLIERVM EXEMPLA.

ELIZABET Turingiç ducis coniunx, regia progenies,cum incolumi sospitéque adhuc marito Christum induisset,in secretiori cubiculo cum ancillis conclusa, vt se flagellorum ictibus onerarent iubebat. Ita submitti sese, & humilitate deiici didicit, experiendo an patienter ferret verbera ancillarum suarum tam clari generis fœmina.Marul.li.3.cap.10.

ELIZABET Deo dicata virgo,quam in Comagiensi latentem monasterio,fama virtutum mundo prodidit,& ipsa statutis horis quotidie flagello se cædebat, vt carne mortificata Christo viueret : non immemor quòd ipse etiam pro nobis perpeti flagella voluit, flagellísque atrociora.Marul.

ra.Marul.lib.3.cap.10.& Sab.lib.2.cap.10.

MARIA Decegnies virgo,inuita à parentibus viro tradita,cum prçter quotidiana ieiunia crebrásque precationes etiam flagris acriter se distringeret,mouit maritum,vt communi vtriusque voto castitatem seruarent.Naufragium fecerat virginitas, matrimonij commissa fluctibus: sed dum tabulæ innititur ieiunij,orationis,castigationis,illæsa intactáq; ad portum enatauit salutis.Idem.

RADEGVNDIS Clotharij Gallorũ regis vxor, sub preciosis & delicatis vestibus vile & asperũ ciliciũ tulit.Sicque omnem penitùs venereæ voluptatis motũ de suo excussit corpore,vt tamdiu à viro precibus contenderit, donec impetrarit vinculi coniugalis dissolutionem castitatis obligatione:quod fortasse nõ petiisset,nisi prius carnem cilicio domuisset.Carne igitur spiritui subiecta,præponere cœpit Christũ marito, monasterium regno Idem.

CÆCILIA virgo Valeriano desponsata, de ipso quidem nuptiarum die ciliciolum suum dimisit. Exterius noua nupta auro textis fulgebat vestibus, interius Christi ancilla cilicio squalebat. Cúmque fescennini concinerentur,& musici generis perstreperent instrumenta, illa tacita virginitatem ipsi cui se prius desponderat,Deo commendabat.Deus igitur per angelum suum eam ita tutatus est, vt integram inuiolatámque seruarit,martyrio coronarit,& pro cilicio luce induerit immortalitatis. Marul.lib.3.cap.10.& Sab.lib.2.cap.10.

SARA in Scythi virginum præposita, cùm ad fluminis ripam posito monasterio annos 60 habitasset,haud sustinuit vt aliquãdo aspicere per fenestram vellet leniter præterlabentes aquas, pratiue adiacentis amœnitatem, ne ex eo aspectu aliquid caperet voluptatis. Nescio an cilicio vsa sit,vel flagellis:sed affirmare ausim,tantam hanc oculorum cõtinentiã difficilius obseruari posse,quàm cilicium flagelláq; tolerari. Huius exemplo constanter depugnandum est cum sensuum nostrorum affectibus,qui ab illicitis,nedum à vanis auerti nullo modo possunt,nisi subdatur & laboribus corpus,& animus Deo.Marul.lib.3.cap.10.& Sab. lib.2.cap.10.

FORTITVDO IN PROPVLSANDO ETHICA.

ANIMI MALA, DIABOLICAS SCILICET TENTA-*tiones & impetus vincere.*

Ieiunio & orationibus dæmones vinci & eiici Christus testatur,eos videlicet qui nobis quatenus Christiani sumus,insidiantur,vt nos à vera religione ad idololatriam deducant. At eos qui vanis terriculamentis homines infestare solent(quales apud Ethnicos plurimi sunt visi) etiam philosophica fortitudine & magnanimitate edomari atque vinci posse,exemplis quorundam ostendemus.

Admirationem ædes illæ Athenis meruère,de quibus in Epistolis Plinius scribit.In quibus nocte vmbra ingens ac macilẽta cathenarum stridore ædes ipsas,quibus vincta videbatur,replebat : propter quam rem cum habitare eas nullus auderet,ad exiguum precium locatio redacta erat. Itaque cùm ATHENODORVS philosophus Athenas profectus, allectus precij vilitate, plus quàm terrere eiusmodi posset phantasma,domum conduxit:perspectáque audacter vmbra,eam per çdes secutus,vbi vidit in quo apparere desiuerat,humum effodit, illicque corpus cathenatum vmbræ simile,quæ apparuerat,inuenit. Itaque sublato cadauere,horrore ædes liberauit.Fulg.lib.1.cap.6.

LACON quidam noctu præteriens monumentum,quum videret spectrum,accurrit lancea traiecturus,& in hoc nitẽs:Quò me fugis, inquit, anima bis moritura?O mentem verè liberam omni formidine, quæ nec laruarum ac lemurum occursu terreri potuerit. Plutarchus in Laconicis.

MALA CORPORIS ET FORTVNÆ PROPVLSARE.

FORTITVDO VRBANA PRIVATA.

PETRVS Bariona non viribus corporis(nam quæ in homine exactæ ætatis esse poterant?)sed sui regis potius fretus præsentia, in aduersam armatorum cohortem,quæ Seruatorem in Olieto circumsteterat, ferrum stringere ausus est,cúmque cõsauciauit,qui temere in illum manũ iniecerat:conatus ab eo vim arcere, in cuius potestate sunt non solùm res humanæ,sed vita & mors hominis.Aut igitur Bariona tum ardentius amauit,vt credere est:aut quem tueri conatus est,parum respexit.Sab. li. 4.cap.6.

FORTITVDO VRBANA PVBLICA, IN PROFLIGAN-*dis tyrannis. Tyrannicidæ.*

Exempla τυραννοκτόνων ex tit. odij subditorum erga principes:item, Pœnæ crudelitatis erga subditos,non pauca colligere poteris.

SOLON, Execestidæ filius,iam annis grandior, suspectum habere cœpit Pisistratum,nomine tyrannidis affectatæ, cum progrederetur in concionem Atheniensium, & postularet præsidium à populo: Videns autem Athenienses negligentiores,& parum attentas aures sermonibus suis prçbere,Pisistrato verò auscultare:dixit,eum aliis callidiorẽ, aliis fortiorem esse.Quicunque enim non intelligerent ipsum,si accepisset corporis satellitiũ,tyrannide quoque potiturum,his versutiorem esse: qui verò intelligerent,tamen subticescerent, his fortiorem esse. At ille cùm impetrasset copias,tyrannidem occupabat. Solon verò ante domũ eius stans,protendebat scutum & hastam,inquiens:se arma sumpsisse ad asserendam patriã, quoad posset.Cùm iam ætate minimè par esset ad agendũ ducem aut militem,tamẽ animo patriæ fauebat. Nihilominus tamen Pisistratus,seu reuerentia tanti viri & sapientia, seu recordatione adolescentiæ prohibitus (dicitur enim amasius fuisse Solonis)nullo eum damno affecit. Solon verò paulo pòst,ad decrepitam vsque senectutẽ çtate prouectus,vitam cum morte commutauit, magnámque sapientiæ & fortitudinis laudem reliquit:atque in honorem eius ænea statua in foro posita est,sepultúsque publicè iuxta portas mœniorum,ad dextram introitus:ædificatúmque est ei ibidem monumentum.Ælian.lib.de Var.historia.

ARATVS dux Sicyonius, collecta coniuratorum manu patriam seruitute liberauit,expulitque Nicoclem tyrannum. Composito patriæ statu dux Achæorum factus, eorum Rempub. an. 14. felicissimè administrauit. Locridem & Calydoniam depopulatus est, Acrocorinthum expugnauit: Macedonibus inde repulsis Argæorum tyrãnos Aristonicum primò, dein de Aristippum bello sustulit, Ætolos Achæis inimicos debellauit. Sublatus demum [illegible]itur veneno à Philip. Macedonum rege, cui erat formidolosus.Plutarchus in eius vita.

ANTILEON tyrannicida.Vide tit.Amicitię,exemplo Hipparini & Antileontis,ex Parthenij Eroticis.cap.7.

GOBRYAS, cùm sordida & crudeli Magorum tyrannide Persas liberaret, vnúmque ex iis obscuro loco abiectum corporis pondere vrgeret, præclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ne dum Magum petit, ipsum vulneraret: Tu verò, inquit, nihil est quòd respectu mei timidius gladio vtaris,vel per vtrũque agas licet, dum hic quàm celerrimè pereat. Val.Max. lib.3 cap.2.

PETRVS Gradonicus dux nunciata Baiamuntis Teupuli de improuiso conspiratione sæua in primis, & inmani, animo forti & constanti statim præcepit,vt aduocarentur passim patricij ordinis viri, & plebeij, qui tanti sceleris expertes essent. Quo facto,campani æris sonitu exciti omnes, cúmque ipso Petro duce in aream Marcianam descendentes, aduenienti Baiamunti ex diuersis locis, fortissimè occurrerunt. Quum igitur aliquandiu in eo ipso loco pugnatum esset, cæsisque cõiurationis aliquot Principibus, non prius destitit ipse cõtendere, quàm ex omni parte coniuratos in fugam vertisset: nec minori animi magnitudine, multos patricij sanguinis viros, qui fugerant certis finibus inclusos, dato temporis spacio ad resipiscendum, postea in gratiam recepit. Quo tempore Vgolini Iustiniani Clodiensis prætoris virtus in primis enituit, qui quàm celerrimè audita re nauigiis instructis Venetias aduolauit, qui magno adiumento nostris pugnantibus fuerit. Sed & parta victoria decretum publicè est, vt decemvirale consilium posthac crearetur, vt Reipub. summa eius imperio subesset, quòd in hodiernum diem fœlicissimè viget. Illud certè nõ pigeat posteritatem omnem à me admonitam esse,huiusce principis creationis diem,qui fuit Catharinæ dicatus, inter festos Venetiis annumeratum.Vtinam verò mortui illius dies anniuersariis sacris coleretur. Egnat.lib.3.cap.2.& 6.

IOANNES Andreas, Lamponiana familia celebri inter Mediolanenses editus, cùm illum pertæderet nimiæ in principe viro, præsertim in matronas,libidinis, quinetiam delusus sæpe ab eodem enixè petens possessionem sibi tribui Miramondam sacerdotij,quod à Pontifice iusto titulo acceperat, consilium init cum Hieronymo Olgiato Mediolanensi ciue, aliquotque aliis, de eo interficiendo. Die igitur diuo Stephano dicato,sub Christi seruatoris nostri natalicia, sacro Ioratorio intentum pluribus vulneribus interimentes oppresserunt:nec satellitum cohors,nec nobilium virorum comitatus deterruere. Sed ipse Ioannes Andreas in tẽplo dum fugit prolapsus, inter matronas cecidit multis vulneribus confossus, reliquique coniurationis socij in tanta rerum trepidatione capti, móxque acerbissimis suppliciis omnes affecti. Lamponiani verò ca-

dauer per totam vrbem fœdè distractum est.Egnat.lib 3.cap.2.

Hieronymvs Olgiatus Mediolanensis, inita coniuratione cum Ioanne Andrea Lamponiano, Galeatiam Sfortiam Mediolani ducem Stephano luce dicata, in eodem templo interfecit,multitudine ingenti referto.Hic etiam,cùm tortor ipse quandoque auersus illum torqueret:Esto,inquit,bono animo,& huc te verte. Nam quam tu mihi grauem pœnam inurere putas, ea mihi max.solatio est: quotiescunque memini interfectum à me tyrannum, patriæque libertatem restitutam. Idem lib.8.c.15.

FORTITVDO VRBANA PVBLICA, IN SEDITIOSOS, *ciuibus opprimendis.*

Cùm trib.plebis Saturninus,& prætor Glaucia,& Equitius designatus trib.pl.maximos in ciuitate Romana seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret: primum M. Æmylivs Scavrvs C.Marium,consulatum sextum gerentem, hortatus est, vt libertatem legésque manu defenderet,protinúsque arma sibi afferri iussit:quibus allatis,vltima senectute confectum & penè dilapsum corpus induit,spiculóque innixus ante fores curiæ constitit,ac paruulis extremi spiritus reliquiis ne Resp.expiraret effecit.Præstantia enim animi sui,senatum & equestrem ordinem ad vindictam exigendum impulit. Val. Max.lib.3.cap.2.

Cùm Tib.Gracchus in tribunatu profusis largitionibus fauore populi occupato,Remp.oppressam teneret,palámq; dictaret, interempto senatu,omnia per plebem agi debere:in ædem Fidei publicæ conuocati Patres C.à Cos.Mutio Scæuola, quidnam in natali tempestate faciendum esset,deliberabant:cunctísque cēsentibus, vt Cos.armis Remp.tueretur, Scæuola negauit se quicquam vi esse acturum.Tunc P.Scipio Nasica: Quoniam(inquit)Cos.dum iuris ordinem sequitur,id agit,vt cum omnibus legib.Romanum imperium corruat,egomet priuatus voluntati vestræ me offero ducem.Ac deinde læuam manum apertè toga circundedit,sublatáque dextera proclamauit:Qui Remp.saluam esse volunt, me sequantur.Eáque voce cunctatione bonorum ciuium discussa, Gracchū cum scelerata factione, quas merebatur, pœnas persoluere coegit. Idem.

L.Odimivs, in Consulatu Fuluium Flaccum consularem & C.Gracchum tribunitium oppressit.Pedianus super orationem in Pisonem.

Petrvs Lavretanvs, rei maritimæ Imperator,debellarat primus,ad Callipolim Turcicam classem,Genuenses ad Drapallum memorabili prælio superarat,capto etiam eorum duce Francisco Spinula.Declaratus præterea Padanæ classis Imperator,quum studium omne suum in patriæ laudem & gloriam vertisset,clarissimum longè facinus aggredi perficeréque non dubitauit.Ille igitur proximas areæ Marcianæ ędes incolens,quum grauem in eadem area tumultum exaudisset à classiariis Dalmatici sanguinis excitatum,licet aduersa valetudine oppressus lecto decumberet,arreptis statim vestimentis,quæcunque potuit, in forum ita descendit,vt audito tātùm eius aduentu, classiarij ipsi statim recesserint: quorum nonnullos captos laqueo suspendi iussit. Non illum igitur vnà tanta hominum multitudo deterruit,non Dalmatarum hominum in rapinam conuersi animi continuēre,quin pro patriæ dignitate & salute, illius gloriam & laudem rebus omnibus anteponens, vltimum etiam spiritum si contigisset,pro patriæ incolumitate emitteret. Egnat.libro 8. cap.15.

FORTITVDO IN PROPVLSANDO BELLA.

MONOMACHIA APERTA.

David,qui postea rex fuit,tum verò admodum adolescens,cùm Iudæorum nemo ex prouocatione auderet cum Goliathæ,Philisteæ gentis inmanis statura viro dimicare,solus omnium extitit, qui certamen (vt apparebat)iniquissimum non detrectarit:& quod plus etiam admirationis habuit,funda duntaxat instructus vicerit.Violento enim excussi lapidis ictu moribundum,quātuscunque fuit,solo explicuit. Ad cuius casum nobilis victoria ex validissimo hostium exercitu est Iudæis quæsita.Sab. lib.4.cap.6.

Idem in acie Ammonitarum ducem Chadam, qui Sobachus dicebatur,manu sua obtruncauit.Fulg.lib.3.cap.2.

Pveri duodecim ex Isboseth,& duodecim ex parte Dauid, apprehenso vnusquisque capite comparis sui,defixit gladium in latus contrarij,& ceciderunt simul.Vocatúmque est nomen loci illius,Ager robustorum 2.Reg.2.

Melanthivs Atheniensium dux erat,Bœotorum Xanthvs.Hi de Melænis bellum gerebant.Melænæ castellum erat finitimum Atticæ & Bœotiæ.Deus prodiderat Xanth.

τεύξας ἀπάτην ὁ μέλας φόνον ἔχε μελαίνας.

Cui oraculo respondit euentus.Hi duces pugnam solitariam committūt de victoria.Et congredientibus Melanthus aiebat: Atqui iniuriam facis, qui comitatus venias ad pugnam.Xanthus conuersus, vt alterum respiceret,à Melantho confixus iaculo,peremptus est. Athenienses stratagematis dolo victoriam adepti,annuum festum instituerunt, quam vocant Apateriam,id est deceptoriam.Polyæn.lib.1.

Pittacvs & Phrynon solitarium certamen pro Sigæo suscipiebant:ac visum est,vt vterque paribus armis vteretur.Perspicua igitur arma,& manifesta,paria erant.At Pittacus occultato sub scuto reti,Phrynonem constringit,& facilè tractum vita priuat, atque Sigæum vinculo lineo piscatus est.Quemadmodum etiam nūc solitariam pugnam ineuntes,linum habent:id Pittachus docuit.Polyæn.lib.1.

Deianira causa fuit duelli inter Hercvlem & Nessvm Centaurum, atque etiam mortis ipsius Herculis.Fuit etiam causa belli inter eundem Herculem & Acheloum.Ouid.in Metam.

Clyti & Dryantis pugnam inter se pro Pallene filia Sithonis, pete ex tit.Procorum & similia alia.

Dioxippvs in Alexandri Macedonúmque præsentia correpta claua, Corrhagvm armatum ex Macedonibus ad certamen prouocauit: & cū ei hastam excussisset,vi rapuit hominem cum armis:& in iacentis collum ascendens,stricto gladio quo cinctus erat,armatum interemit.Quamobrem Alexāder illum odio habuit.Quod cùm videret,animum despondit,& tristitia mœroréq; confectus viuere desiit. Ælian.de Var.hist.li.10.

Cùm Oxylvs contra Eleum regem,ex Augeæ posteris, Dorienses in Eleam reducere conaretur, placuit vtrique exercitui duos singulari certamine de rerum summa dimicare. Obtigit sors Degmeno Eleo sagittario,ex Ætolis verò Pyrechmæ funditori.Superior discessit Pyrechmes.Pausanias lib.5.

Lacedæmonij Argiuis agrum,qui Thyrea dicitur,abstulerant.Conuenit inter vtrosque,vt trecenti soli vtrinque pugnarent:& qui superiores extitissent,eorum regio foret.Ex vtrisque delecti viri conflixerunt. nox prælium diremit.Superfuerunt ex Argiuis duo,Alcinor & Chranius, qui tanquam victores Argos cursu contenderunt:ex Lacedæmoniis vnus Othryades,qui spoliatis,Argiuorum cadaueribus, eorum arma ad suorum castra detulit,trophæum erexit,suo sanguine Lacedæmoniorum victoriam esse inscripsit: tandem pudore Spartam redeundi absque sociis, seipsum interfecit.Nec tamen vel sic à bello cessatum est.Argiui victoriam sibi vindicabant,quòd suorum plures superfuissent: Lacedæmonij verò,quòd illi fugissent,suus perstitisset,& hostium cęsos spoliasset.Concursum rursus vtrinque infestis signis,Lacedęmonij tamen victores euasere.Ex eo tempore Argiui tonsa coma,deuouerunt sese,ne prius comā alerent,néve mulieres aurum ferrent,quàm Thyreas recuperassent. Lacedæmonij econtrà,cùm tonsi essent,in posterum comati esse voluerūt. Herodot.lib.1.& Plut in Parallelis.

Tvrnvm ab Ænea interfectum licet Vergilius dicat,sunt tamen argumenta quæ inficiantur: imò verò Æneā à Turno adactum ad mortem inferunt,submersúmque in Numicio fluuio, dum insequentem Turnū fugeret.Quod apud Vergilium fateri videtur Venus, pro Ascanio Iouē orans,desperato iam Ænea,vbi ait:*Æneas sanè ignotis iactetur in vndis* Et quamcunque viam dederit fortuna sequatur: Incolumem Ascanium liceat superesse nepotem.Quum mortem prius Dido ei imprecata fuerat, vbi ait:At bello audacis populi vexatus,& armis, Finibus extorris, complexu auulsus Iuli, Auxilium imploret, videátque indigna suorum Funera nec quū se sub leges pacis iniquæ Tradiderit,regno aut optata luce fruatur:Sed cadat ante diem,mediáque inhumatus arena. Item Iuuenalis de Romulo fulminato, & Ænea submerso loquens: Alteraquis,alter flāmis ad sidera missus.Ouidius quoque in Metā.sic ait:Littus adit Laurens,vbi tectus arundine serpit In freta flumineis vicina Numycius vndis.Hunc iubet Æneæ quæcunque obnoxia morti Abluere,& tacito deferre sub ęquora cursu. Corniger exequitur Veneris mandata, suísque,Quicquid in Ænea fuerat mortale,repurgat.Item Tibullus li.1.

Pyrrhvs rex,Sicilia relicta,primo in Italiam appulsu in Mamertinorum phalangem incidit:qui non ausi regem à fronte lacessere, extremum agmen adorti,duos elephantos & eos qui circa belluas dimicabāt priusquam rex succurreret,opprimere:& iam cœperat turbari extremus ordo cùm Pyrrhus suorum periculo commotus,in medium sese certamē iniecit.Hìc accepto vulnere ægrè hostem à se propulsabat. Anceps itaque erat pugna.Cùm Mamertinorum vnus procera statura, armis fulgēs atque in medio stans regem si viueret,ad pugnam prouocat. Ea demum contumelia rex inflammatus,ei occurrit:ac tam valido ictu hostem percussit,vt ferrum capiti adactum ita ad ima descenderit,vt magno spectātium stupore dimidiatum corpus in duas partes abierit.Sab.lib.9.cap.3.

Romulus ab Acrone Ceninensium rege ad dimicandum prouocatus, quanquam & numero & fortitudine militum superiorem se crederet(tutiúsque erat toto cum exercitu,quàm solum in aciem descendere) sua potissimùm dextera omen victoriæ rapuit. Nec incœpto eius Fortuna defuit.Occiso enim Acrone,fusísque hostibus,opima de eo spolia Ioui Feretrio retulit.Val.lib.3 cap.2.

A Romulo proximus CORNELIVS COSSVS,eidem Deo spolia consecrauit,cùm magister equitum ducem Fidenatium in aciem congressus interemisset.Magnus initio huiusce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Cosso quoque multum acquisitum est, qui imitari Romulum valuit.Idē.

M. Cl. Marcellvs, qui primus armis Hannibalem vicit, Gallos,qui superatis Alpibus, sese Insubribus coniunxerant, iuxta Padum vicit,interfecto duce eorum Viridomaro, vnde spolia opima tertiò Ioui Feretrio suspendit.Plutarchus & Valerius libro tertio capite secundo.

T.Manlivs Torquatus,& Valerius Coruinus, & Æmylianus Scipio,vltrò prouocatos hostium duces interemerunt: sed quia sub alienis auspiciis rem gesserant, spolia Ioui Feretrio non posuerunt consecranda.Val.Max.lib.3.cap.2.

M.Servilivs vicies & ter amplius pugnauit ex prouocatione, ac semper victor in castra reuersus est hostilibus spoliis onustus.Sab. lib.4. cap.6.

L.Sicinivs Dentatus centies vicies præliatus est, octies ex prouocatione victor xlv. cicatricibus aduerso corpore insignis.Spolia cępit quatuor & viginti, duo deuiginti puris hastis ab imperatoribus donatus,phaleris vicenis, quinis torquibus, tribus & octoginta armillis, centenis quadragenis aureis, coronis sex & triginta, quatuordecim ciuicis,tribus muralibus,obsidionali vna: nouem imperatores triumpharunt,eius potissimùm opera victoriam adepti.Idem.

Q.Cotivs, propter fortitudinem Achilles cognominatus,Q.Metello Cos.legatus in Hispaniam profectus, Celtibericum sub eo bellum gerens: postquam cognouit à quodam gentis huius iuuene,se ad dimicandum prouocari (erat autem illi fortè prandendi gratia posita mensa) relicta ea,arma sua extra vallum deferri,equúmque clàm duci iussit, ne à Metello impediretur. Et illum Celtiberum insolentissimè obequitantem consectatus interemit,detractásque corpori eius exuuias,ouans lętitia,in castra retulit. Idem Piresum nobilitate ac virtute omnes Celtiberos præstantem,cùm ab eo in certamen pugna prouocatus esset, succumbere sibi coegit:nec erubuit flagrātissimi pectoris iuuenis,gladium ei suum,& sagulum vtroque exercitu spectante tradere.Ille verò etiam petiit, vt hospitij iure inter se iuncti essent, quando inter Romanos & Celtiberos pax foret restituta.Idem.

Porvs temerè Alexandrum Magnum prouocat, Taurea Iubellius Campanus Cl.Asellum Romanum,Badius Campanus T.Quintium Crispinum.Consule tit.Temeritatis bellicæ.

Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine noua celebrante, Dvo regij filij nuper patre mortuo, in arenam processerunt,pollicitíque sunt ibi se de regno præliaturos, quo spectaculum illud illustrius pugna sua facerent.Eos cùm Scipio monuisset,vt verbis contendere quàm ferro dimicare mallent, vter regnare deberet,ac iam maior natu consilio eius obtemperaret:minor corporis viribus fretus in amentia perstitit,initóque certamine pertinacior impietas fortunæ iudicio morte mulctata est.Val.Max.lib.9.cap.11.

Singulare Heraclii imperatoris & animi & corporis robur fuit, non occidendis tantùm manu sua ingētibus feris, vtpote leones atque elephantes(id quod persæpe spectante populo egit) verumetiam aduersus hostes ipsos. Quod satis apertè testatur facinus in Perside magna virtute gestum,cùm singulari certamine prouocatus,solus Persarum ducem Cosroen interemit.Fulg.lib.3.cap.2.

Avrelivs Valerius Probus, antequam ad imperium eueheretur, in Africa proconsul, Aradionem fortissimum virum singulari certamine interemit,prosequutúmq; honore sepeliuit, animi egregia virtute corporis robori coniuncta.Fulg.lib.3.cap.2.

Godofredvs Bolonius cum agnato quodam suo de Lotharingiæ ducatus parte singulari certamine contendit.Vide tit.Pudoris.

Vlaris Gotthi & Artauadæ Armenij Rom. equitis monomachia. Vide tit.Vulneribus variis mortui.

Avstregisilvs sub rege Guntranno in aula versatus, & regi mappam pro abstergendis manibus præbere solitus, falsarij crimine accusatus,cùm monomachia se purgare cogeretur, diuinum auxiliū prius implorauit.Cùm in circo hostem expectaret, nuncius affertur, hostem in itinere ex equo deturbatum fregisse ceruicem. Innocentia igitur illius perspecta,episcopus postea Bituricēsis creatus est, anno Christi 627. Sigebertus.

Galeacivs Bardassinus, eques Siculus(cuius animi ac corporis robur insigne fuit) præter alia ingentia facinora, cùm Alphonsus senior Neapolitanus rex Plumbinum obsideret(ita in Tusco littore contra insulam Iluam oppidum vocatur) conspicatus tres hostium equites, cum multis aliis vrbe egressos,ad se venire,qui à suis longè aberat, vltrò ad eos accessit,atque eorum vnum gladij capulo in galea percussum attonitum ad terram prostrauit: alium brachiis vinctum ab ephippio extraxit, longéque abstulit: tertium fugientem ad portas vsque insequutus est.Qui persępè vt virium suarum periculum faceret,totus armis tectus, ephippio inter coxas accepto, ingētem equum crinibus apprehensis saltu conscēdit,statímque nullis firmato vinculis ephippio, equum ad cursum adegit, coxarum ac crurum firmitate pro cingulis vsus.vbi non in Italia modò,verùm etiam per totum Christianum orbem aliquem virtute ac viribus insignē norat esse, illum singulari certamine prouocabat, semper victor.Fulg.lib.3.cap.2.

Sordellvs Viccecomes Mantuanus,qui Salutis octuagesimonono supra mille& centum natus est,in variis exterísque regionibus de tribus ac viginti equitibus fortissimis viris, cùm singulari certamine cum eis dimicasset, victoriam retulit. In Parrhisiorum vrbe vno die cum tribus, videlicet Iachelino & Leopardo Britannis, demum cum Frassato Burgundione pugnauit. Tantum animi ac corporis robore Asellum Torquatum,Coruinum & quoscunque alios superauit: quanto vnitas trium viginti numero minor est, & triplicis certaminis vno die labor, vnius tantum certaminis laudem debet anteire.Fulg.lib.3.cap.2.& Egnat.lib.3. capite secundo.

Cùm Cardinalis Gebennensis,Gregorij pontificis legatus,vrbem Bononiam obsideret, atque in exercitu Britannorum magnum numerum haberet,quo tempore eam vrbem populus Florētinus defendebat: duo Britones virtute atque animo ingentes,accepta fide,Bononiam ingressi, quæsierunt.Si illic aliquis esset præstanti virtute vir, qui singulari certamine pugnare vellet?Conditionem acceperunt Bettus Bissolis & Guido Assianus Florentini:diéque ad prælium constituta,cùm legatus Florentinus egrediundi militibus potestatem fecisset,inter castra vrbémque ipsam pugnatum est.Bissolis primus Britonē,quo cum pugnabat, ad terram prostrauit:& cùm ad occidendum eum ab equo descendisset, superatum hostem,petenti Legato,dono dedit.Guido Britóque alter,cùm se infestis hastis ambo ad terram ab equo strauissent,tandem victoria penes Guidonem mansit:qui similiter superatum hostem,cùm perdere posset, Cardinali condonauit.Ibidem.

Eo bello quod Sigismundus Austrasianus dux, à Tridento Venetis intulit,quorum copias Robertus Sanseuerinus,vir bellica virtute insignis regebat,cùm Ioannes Sonnenbergius comes Germanus prouocaret, si quis in Venetis castris esset qui singulari certamine dimicare vellet,pugnandi munus Antonius Maria Roberti filius suscepit. Itaque vt manus conseruerunt, equi vitio Antonius Maria inter septi cancellos illatus, cum equo corruit.Ab eo quoque descendente comite,cùm etiam Antonius ab equo se explicuisset,posteaquam incassum aliquantisper mucronibus pugnatum est,lacertorum mutuo nexu se colligarunt.Vbi cùm super Antonium Mariam Germanus se demisisset. Antonius Maria duobus acceptis vulneribus hosti deditionem fecit, à Germanóque victore ob virtutem muneribus datis, ad patrem, habitus fortuna, non virtute, inferior,rediit.Ibidem.

MONOMACHIA OCCVLTA.

Titulo isto cōprehendimus eos, qui ex insidiis soli solos aggrediuntur, quācunque tandem ob causam.Huius ergo loci erunt Sicarij & Assassini,populi Machumedici,(de quibus vide tit.Religionis hostes armis persequi)qui Christianos principes ex insidijs adorti sæpe occiderunt.Consule etiam titulum,Tyrannicidarum.

Mercvrivs Christianus miles sub Iuliano apostata merens, in conflictu cum Persis Iulianum in femore lancea sauciauit,hácque ratione Ecclesiam Christi à perniciosissimo hoste liberauit. Quamuis alij diuinitùs percussum, alij à Persa quodam, alij à Saraceno sauciatum asserant. Ipse tamen Libanius Sophista, qui funebrem orationem conscripsit, non ab hostibus, sed à Christiano aliquo milite vulneratum inuidiose scribit.Nicephorus libro decimo,capite trigesimoquarto.

BELLA DIVINA VIRTVTE CONFECTA.

Pleraque ex Hanapi cap.82.Vide tit.orationis effectus.

Abraham cum paucis sociis suis debellauit quatuor reges ita potentes, vt terras multas vastarēt,quinque reges Pentapolis vicerint,Sodomam & Gomórrham spoliauerint. Abraham spolia omnia recuperauit,& Loth nepotem suum liberauit.Gen.14.

Contra Amalech,filios Israel impedire nitentem, misit Moyses Iosue ad pugnandum. Ipse verò in propria persona non iuit, sed in oratione permansit:& plus fecit orando,quàm ille pugnando.Exod.10.

Filii Israel animosè aggressi sunt prohibente Moyse, Amalechitas & Chananæos.Illi autem percussere filios Israel,& persecuti sunt vsque Horma.Num.14.

Rex Arad pugnauit contra filios Israel, & duxit inde prædam. Illi verò voto se domino obligantes, vicerunt eum, & vrbes hostium subuerterunt.Num.21.

Ex præcepto Domini pugnantes filij Israel contra Madianitas tātam victoriam habuerūt, quòd triginta duo millia virginum fuerunt in præda:& tamen in populo Israel non fuerunt nisi duodecim millia pugnatorum,ex quibus ne vnus quidem in prælio mortuus est.Num.31.

Vociferāte populo & clangentibus tubis,sicut præceperat Iosue, muri Iericho corruerunt,& capta est ciuitas.Iosue 6.

Occasione præuaricationis Acham, filij Israel fugati fuerūt à viris vrbis Hai.Post expiationem autem peccati, ad præceptum Domini capta fuit ciuitas,& subuersa.Iosue 7.8.

Cùm pugnaret IOSVE contra quinque reges qui venerant ad destruendum Gabaonitas, misit Dominus super illos lapides magnos de cœlo:& multo plures lapidib.mortui sunt grandinis,quàm gladio.Tunc ad vocem Iosue stetit Sol per spacium vnius diei, vt posset delere funditùs inimicos suos.Iosue 10.

In acquisitione terræ promissionis, IOSVE omnem terram percussit cum regibus suis:& præter Gabaon,omnes debellando cæpit:vbique tamen legitur, Dominus autem Israel pugnauit pro eo. Vnde quamuis filij Israel manibus fortiter pugnarent,tamen Deo attribuebatur victoria.Ibidem.

Post mortem Iosue filij ISRAEL,non leguntur iuisse ad prælium,nisi prius consulto Domino:tradidit ergo Dominus Chananæum & Pheresæum in manus eorum.Iudic.1.

Suscitauit Dominus Israeli saluatorem nomine Ehud, qui percussit Eglon regem Moab:descenderuntque cum eo filij Israel, ipso in fronte gradiente,qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros in manus nostras.Et percusserunt de Moabitis circiter decem millia.Iudic.3.

Dixit Delbora ad BARACH:Surge,hæc est dies in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas:perterruitq; Dominus Sisaram,& omnes currus eius, ita vt omnis hostium multitudo vsque ad internecionem caderet.Iudic.4.

TRECENTIS viris,qui manu ad os proiicientes aquas biberunt, liberauit Dominus Israel de manu Madian & Amalech, qui erant in maxima multitudine,tempore Gedeonis.Iudic.7.

Transiuit IEPHTHE ad filios Ammon,vt pugnaret contra eos,quos tradidit Dominus.Percussitque viginti ciuitates filiorum Ammon plaga magna nimis.Iud.11.

Ex magna fortitudine,quam dedit Dominus SAMSONI,multas victorias obtinuit de Philistæis,qui tunc graui seruitute opprimebãt filios Israel.Iud.18.

SEXCENTI viri de tribu Dan, venerunt in Lays ad populum quiescentem & securum,& percusserunt eos in ore gladij: vrbemq; incendio tradiderunt,nullo penitus ferẽte præsidium,eo quòd procul essent à Sidone,& cum nullo hominum haberẽt quicquam societatis aut commercij.Iudic.18.

FILII ISRAEL iustè mouebãtur contra filios Beniamin,& erant plures sexcuplo:tamen fortitudine & numero confidentes,bis fuerunt victi. Postea verò coram Domino flentibus & ieiunãtibus,dixit eis Dominus: Cras tradam eos in manus vestras: tũc plenam victoriam habuerunt de ipsis.Iud.20.

Tempore Heli sacerdotis,filij ISRAEL debellati fuerũt à Philistæis: postea quasi tentantes Deum,tulerunt arcam Domini secum, sperantes per eam se victoriam habituros Philistæi verò iterum vicerũt eos,& arcam Domini cæperunt in prælio.1.Reg.4.

Clamante ad Dominum Samuele pro filiis Israel,& sacrificium pro eis offerente, intonuit Dominus fragore magno super Philistiim, & cæsi sunt,abinuicem inter seipsos fugati.1.Reg.7.

Cùm obsessi essent viri Iabes Galaad à Nahas rege Ammonitarum, citò succurrit eis SAVL. Nam cum multitudine bellatorũ ingressus est castra,vigilia matutina:& sic dispersi sunt inimici,ita vt non relinquerẽtur in eis duo simul.1.Reg.11.

AMMONITÆ & Moabitæ contra Iosaphat Iudæorum regem valido exercitu vrbem Gaddi obsidebant. Contra eos profectus Iosaphat iuxta ea quæ propheta Iezel monuerat regem ipsum, cum hymnorum cantu, præeuntibus sacerdotibus in loco formaq; quam propheta prædixerat, hostes inuenit subito confusos terrore,erroreq; simul arma in se vertisse, atq; in mutuam perniciem sæuire,ita vt Iudæis non pugnando aduersus hostes,sed in spoliandis qui occisi erant,esset laborandum.Fulgos.libr.1. cap.6.ex 2.Paralip.20.

Videns IONATHAS,filius Saul,stationem Philistinorum,dixit ad armigerum suum:Non est à Domino difficile saluare in multis vel paucis. Et accidit quasi miraculum à Deo. Fuit enim multitudo per eos prostrata,& huc illucq; diffugiens,vbiq; dispersa.1.Reg.15.

Ad mandatum Samuelis,percussit SAVL Amalech.Et cepit Agag regẽ Amalech viuum.Omne autem vulgus interfecit.1.Reg.15.

Audiens DAVID,quòd Amalechitæ succendissent Siceleg, & captiuas duxissent mulieres,consulit Dominum vtrum deberet persequi latrũculos.Dixitq; ei Dominus:Persequere,& cum quadringentis viris debellauit eos,& prædam integram reduxit.1.Reg.30.

Post multas persecutiones iniquas, quas SAVL mouit contra Dauid, Philistæi pugnauerunt aduersus eum,totumque pondus prælij versum est in Saul:ipse verò accipiens gladium,ex desperatione irruit in eum. Mortuus est ergo Saul,& tres filij eius,& totus exercitus eius.1.Reg.31.

Audierunt Philistæi,quòd DAVID vnctus esset in regem super Israel, & ascenderunt vniuersi,vt quærerent eum.Qui consuluit Dominum, & percussit eos.Alia vice accidit ei simile. Postea percussit iterũ Philistæos, & tulit frenum tributi de manu eorum.Item percussit Moab,& factus est ei seruiens sub tributo.Item percussit regem Soba, & Syriæ vigintiduo millia virorum.Seruauitq; Deus Dauid in omnibus,ad quæcunq; profectus est.2.Reg.5.& 6.

Videns IOAB,quòd præparatum esset aduersum se præliũ,& ex aduerso & post tergũ, dixit Abisai fratri suo:Si præualuerint aduersum me Syri,eris mihi adiutor.Si autem filij Ammon præualuerint aduersum te,auxiliabor tibi.Esto vir fortis,& pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri.Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo,&c. Inito prelio fugerunt omnes aduersarij.2.Reg.10.

Bellum inhonestum habuerat ABSALON contra patrem suum Dauid, & malè successit ei & populo qui eidem adhæsit:vt scias populũ non posse proficere,qui malo principi iniustè consentit.2.Reg.18.

BENADAB Rex Syriæ cum regibus obsidebat Samariam, sed victus fuit & fugatus, ad præceptum Domini pugnantib.contra eorum exercitũ tantùm pueris principum prouinciarum, qui erant 232. quos sequebantur septem millia filiorum Israel. Sequenti anno venit iterum Benadab cum maximo exercitu,& ceciderunt centum millia peditum ex Syris die vna,pro eo quòd dixerant:Deus est montium dominus, & non est Deus vallium.3.Reg.20.

Cùm essent congregati Reges IVDA, Israel & Edom, vt pugnarent contra Moab, & magnum paterentur aquæ defectum dixit Eliseus propheta:Alueus iste replebitur aquis insuper tradet Dominus Moab in manus vestras & ita fuit.4.Regum 3.

Samaria tandiu obsessa fuit à rege Syriæ quòd vendebatur caput asini octoginta argenteis,& quarta pars cibi stercoris columbini quinque argentis:sed iuxta verbum Elisei Syri fugerunt audito sonitu exercitus angelici,& facta est rerum abundantia.4. Reg.6.& 7.

AMASIAS Rex Iuda,obtenta victoria de Edom, misit ad regẽ Israel, prouocans eum ad prælium: sed fuit ab illo captus, & magna pars murorum ciuitatis Ierusalem destructa fuit propter elationẽ Amasiæ. quarto Reg. 14.

Licet IEROBOAM filius Ioas, Rex Israel,esset malus, & populus eius: tamen Dominus per manum illius saluauit eos, & multa bona fecit eis.Eodem.

Mirabiliter pugnauit Dominus pro EZECHIA Rege Iuda, aduersus Sennacherib Regem Assyriæ, quando angelus Domini vna nocte percussit de exercitu Sennacherib centum octogintaquinque millia. Et ipse post à filiis suis occisus fuit.4.Reg. 19.

ABIA rex Iuda cum exercitu suo videns, quòd instaret bellum à fronte & à tergo, clamauit ad Dominum. Et sacerdotes canere tubis cœperunt:& perterruit Dominus Ieroboam, & omnem Israel. Ceciderunt regis Israel quingenta millia virorum fortium. Humiliatique sunt filij Israel vehementissimè,& confortati filii Iuda,eo quòd sperassent in Domino.2.Par.13.

Egressus est contra ASA regem Iuda Zara Æthiops cum exercitu suo decies centenis millibus, & inuocauit Asa Dominum dicens: Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, aut in multis, &c. sequitur: Exterruit itaque Dominus Æthiopes, & ruerunt vsque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt. 2. Paralipo. decimoquarto.

PHACEE filius Romeliæ rex Israel, occidit de Iuda centum viginti millia vna die, omnes viros bellatores,eo quod reliquissent Dominũ. 2. Par. 29.

Victoria quam dedit Dominus populo Israel, per manum IVDITH, illustris est. Ipsa dixit, occiso Holoferne: Dominus omnipotens necauit eum & tradidit in manum fœminæ, & confudit eum. Iudith.19.

Videns Iudas Machabæus exercitum Seronis magnum, sociis timentibus ait: Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, vel in paucis,&c.Et contritus est Seron, & exercitus.1.Mac.3.

IDEM cum tribus millibus virorum, qui tegumenta & gladios non habebant, debellauit Gorgiam cum magno exercitu. 1. Mac.4.

IVDAS Machabæus quandocunque pugnaturus orauit, & diuinum auxilium inuocauit,semper vicit. In duobus autem præcipuis bellis orasse non legitur. Vnum fuit contra Antiochũ Eupatorem:secundum cõtra Bacchidem & Alcimum,& tunc ipse in prælio periit.1.Mac.6.& 9.

Eo prælio, quo Timotheum Antiochi Eupatoris Syriæ regis ducem IVDAS Machabæus vicit, quinque in equis ornati aureis apparuère, è quibus duo Machabæum defendebãt,ne in medio prælio vulneraretur: tres autem alij ante primam aciem acriter hostes inuadebant. Item alio prælio,quo Iudæi contra Lysiam dimicauerunt, in quo magna hominũ strages facta fuit, procedere in aëre viderunt duos equites armis aureis ac candidissimis equis insignes,non minore fœlicitate pro Iudæis quàm Castorem Pollucemque apud Regillum lacum aduersus Tusculanos pugnare.Fulgos.lib.1.cap.6.

Venit Bacchides vt pugnaret contra IONATHAM,& dixit Ionathas ad suos:Pugnemus & clamemus in cœlum,vt liberemur de manibus inimicorum nostrorum:quod & factum est.1.Mach.9.

Aduersus Galatas in Babylonia pugnauerunt 6000 hominum,& peremerunt 12000 hominum,propter auxilium è cœlo datum.2. Mach.8.

THEODOSIVS Imp. cum Eugenio tyranno in Alpibus dimicaturus,Deũ Opt.Max.sic precatus dicitur:Tu omnipotens Deus nosti, quia in nomine Christi filij tui,vltionis iustæ,vt puto,prælia hæc suscepi:si secus,in me vindica.Si verò cum causa probabili,& in te confisus huc veni, porrige dexteram tuis,ne fortè dicant gentes, Vbi est Deus eorum? Vix finitis precibus,ventus adeò vehemens ortus est, vt tela hostium in eos qui iecerant retorquerentur.Sozomenus lib.7.cap.24. Nice.lib.12.ca.39.

MASELCEREVS Africæ comes, cùm in Africã traiecisset, pugnaturus aduersus fratrem Gildonem, qui ab Honorio & Theodosio iuniore imperatoribus rebellarat:rem diuinam faciẽs,Deiq; Opt.Max. auxilium implorans,hostes vicit & deleuit.Fulgos.lib.1.cap.1.

Eo bello quod Leodrisius Vicecomes,ac Mastinus Scaliger,aduersum Actium Vicecomitem Galeatij primi filium,prælio ad vicum Parabiagiũ commisso,gesserant:cùm iam Luchinus Actianarum copiarum dux captus esset,redintegrato prælio ab auxiliaribus copiis,quæ superuenerũt, clarè conspectus est Ambrosius vrbis episcopus iam mortuus, flagello barbaros

barbaros(quos Mastinus mercede conduxerat)insectari: cuius numine conuersa eius prælij fortuna,receptus est Luchinus Vicecomes, atque hostiles deletæ copiæ.In huius autem memoriam victoriæ,Ambrosij simulachro ab eo tempore flagellum,quod nõ antè pingebatur, addi cœpit.Fulg.lib.1.cap.6.

Eo prælio, quo RAMIRVS, Hispaniarum rex,aduersus Saracenos, decertauit iuxta Calagurium,ab omnibus qui interfuère, conspectus est Iacobus apostolus albo vexillo Christianorum aciem antecedere,atque in fugam Saracenos vertere.Idem.

Quo die GOTOFREDVS Bolionius cum aliis ad Syriacam expeditionem profectis prælio Hierosolymas adortus, eam vrbẽ expugnauit, à multis perspectus est Aimarus episcopus Aniciensis, in prælio alios præire:& cùm primus in muros euasisset, aliis vt conscenderẽt innuere: quanquam pro certo haberetur, multis mensibus antè eum Antiochiæ decessisse,sicuti Gulielmus Tyrius episcopus scribit.Idem.

Cùm Balduinus tertius Hierosolymorum rex, ex Arabia regrederetur,frustra vrbem Bostrensem occupare adortus, eúmque Turcę acriter insectarentur, atque in ea regione via aberrasset: biduo ab equite, qui rubens vexillum præferebat, ductus est.In vexillo autem Crucis signum erat positum,longéque is exercitum anteibat: qui nusquam conspectus est, posteaquàm incolumis rex cum copiis in tutum se locum recepit. Idem.

Quàm paucissimos inuenias ea tempestate, qua Simon Montis fortis Comes floruit, qui fortitudine, animíque magnitudine comparari illi possint.Dux enim electus à Pont.Regéque Francorum aduersus Tolosanos & Albios, cæterósque ferè Narbonensis Galliæ populos, tam præclarè & fortiter rem gessit,vt & hęc in hunc quoque diem Simonis Mõtis fortis nomine & memoria celebrentur. Sæpe igitur congressus acie hostes prælio vicit memorabili,oppida munitissima cæpit,ipsósque omnes populos ad sanitatem veterémque Christi pietatem redegit. Capita autem scelestissimæ huius hæreseos,& principes erant Tolosates & Albij.Vnde Albiorum hæresis dicta,qui flagitiosissimè de Pont.Ro.de episcopis ac sacerdotibus sentirent,eos sceleratorum omnium duces, Ecclesiam in ferorum sedem, legitima matrimonia impiorũ amicitias appellantes: quum ipsi interim promiscuos concubitus, Venerémque nefariam expeterent.Non prætericrim tamen illud silentio,Caliguritanũ Dominicum, virum sanctitate præcipuum, Symoni comitem assiduum fuisse, nec ab illo nisi re tandem perfecta, ne transuersum quidem vnguem discessisse, qui assiduis precibus cum aliis religiosis pluribus viris Deum ipsum instanter fatigarent,cum vera pietatis religione.Egnat.lib. 3.cap.2.

PROPHANA EXEMPLA.

SETHON Ægypti rex,Vulcani sacerdòs, cùm Ægyptios contemneret,externo milite vtebatur, & Ægyptios agris exuebat. Ob hanc iniuriam factum est, vt cùm postea Sanacharibus Arabum Assyriorúmque rex,cum magnis copiis inuasisset Ægyptum, noluerint ei Ægyptij opitulari.Tunc sacerdos consilij inops in cœnaculum se contulit: ibique apud simulachrum complorauit, quantum periclitaretur. Ei igitur inter lamentationem obrepsit somnus,& inter quietem visus astare Deus exhortans,nihil eum molesti passurum, si copiis Arabum obuiam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His in somnis fretus sacerdos, sumptis Ægyptiorum voluntariis,institoribus & operariis, castra in Pelusio posuit. hac enim Ægyptus inuaditur. Eò cum peruenisset noctu, ingens multitudo agrestium murium repentè exorta,tum pharetras,tum arcus, tum scutorum habenas in castris hostium arroserunt, ita vt postera die hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis.Eóque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat,manu murem tenens,atque hęc per literas dicens:In me quis intuens,Pius esto.Herod.lib.2.

Cùm Galli contra Delphos pugnarent, tres armati terribili specie contra Gallos stare visi sunt:quorum duos vsque ab Hyperboreis, Hyperochum scilicet & Hamadocum venisse,tertium Pyrrhum fuisse aiunt Achillis filium. Quo factum, vt annua parentatione ex ea Delphi gratiam Pyrrho retulerint,cùm antea eius sepulchrum tãquam hostis,nullis honoribus dignum vnquam putassent.Pausanias in Atticis.

Cùm Brutij atq; Lucani odio incitatissimo, maximísque viribus Thurinæ vrbis peterent exitium, ac præcipuo studio eius incolumitatem C. Fabricius Lucinus Cos.protegeret,résque ancipiti euẽtu, collatis vnum in locum vtriusque partis copiis, gereretur: non audentibus Romanis prælium ingredi, eximiæ magnitudinis iuuenis primùm eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit:deinde,vbi tardiores animaduertit,arreptis scalis per mediam hostium aciem ad contraria castra euasit, & admotis,vallum conscendit.Inde voce ingenti clamitans, factum victoriæ gradum:& nostros ad aliena castra capienda, & Lucanos Brutiósque ad sua defendenda, illuc traxit, vbi conserti dubio certamine terebantur.Sed idem impulsu armorum suorum prostratos hostes, iugulandos, capiendósque Romanis tradidit.Viginti enim millia cæsa, quinque millia cum Statio Statilio duce vtriusque gentis,&tribus atque viginti militaribus signis capta sunt.Postero die cùm Cos. inter honorandos, quorum strenua opera fuerat vsus, vallarem coronam ei seruare dixisset, à quo castra erant oppressa,nec inueniretur qui id præmium peteret: cognitum pariter atque creditum est, Martem patrem tunc populo suo affuisse.Inter cætera huiusce rei manifesta indicia, galea quoque duabus distincta pinnis,qua cœleste caput tectum fuerat, argumentum prębuit. Itaque Fabricij edicto supplicatio Marti est habita, & à laureatis militibus,magna cum animorum lętitia, oblati auxilij testimonium ei est redditum.Val.lib.1.cap.8.

Cùm apud lacum Ragillum A.Posthumius dictator,& Tusculanorum dux Manilius Octauius magnis viribus inter se concurrerent,ac neutra acies aliquãdiu pedem referret:Castor ac Pollux Romanorum partium propugnatores visi,hostiles copias penitùs fuderunt. Idem.

Cùm LOCRENSES aduersus Crotoniatas dimicarent, in Locrensium acie perspecti sunt in candidissimis equis duo iuuenes,alios in prelio antecedere, parta victoria nusquam postea visi: quæ victoria eodem momento,quo parta fuit,Athenis, Lacedæmone atque Corinthi, etsi à Locris atque Crotone ea loca plurimum distant,denunciata fuit.Fulgosus libro primo capite sexto.

FORTITVDO DVCVM ET IMPERATORVM BELLICA

Exempla quædam pete ex tit. Militibus exemplo præesse. Item passim ex loco Stratagematum,

CHABRIAS dicere solebat, Magis timendum esse ceruorum exercitum cui leo dux præsit: quàm leonum, qui ducem ceruum habeant. Fulg.lib.7.cap.2.

Inter multa Dauidis Iudæorum regis admiranda fortitudinis facinora,illud vnum instar omnium erit,quòd Ammonitas Syrósque longè inferior numero adortus,cũ ipse inter primos fortiter dimicaret, Ammonitarum ducem Chadam, qui Sobachus dicebatur, virum fortissimum manu sua obtruncauit.Fulgos.lib.3.cap.2.

IVDAS Machabæus,cùm ab Antiocho cum duobus hominum millibus rebellasset, eúmque Bacchides cum duobus equitum millibus ac triginta millibus peditum persequeretur, præ timore multis Iudæorum abeuntibus,solus cum octingentis viris rem ansit.Qui cùm hortarentur eum,vt inde abiret,ingenti respondit animo:Emori malle,quàm vt eius fugientis terga hostes inspicerent.Prælio igitur inito,vnà cum suis,in eo campo vbi certauerat, vitam amisit. Fulgosius libro tertio capite secundo & Sab.lib.4.cap.6.

CODRVS Atheniensium rex,cum in bello Peloponnesiaco accepisset ab oraculo,victricem fore gentem,cuius princeps bello periret:relictis vestibus imperatoriis,gregarium se finxit militem,eóque modo inimicis occidendum se præbuit.Rauis.

EPAMINONDAS,maxima Thebarum fœlicitas,idémque Lacedęmonis prima clades,cum vetustam eius vrbis gloriam,inuictámque ad id tempus publicam virtutem apud Leuctram & Mantineam, secundis præliis contudisset:traiectus hasta,sanguine & spiritu deficiens, recreare se conantes,primùm,An clypeus suus saluus esset? deinde, An fusi hostes penitus forent?interrogauit.Quæ postquam ex animi sententia comperit? Non finis, inquit, commilitones meæ vitæ, sed melius & altius initium aduenit.Nunc enim vester Epaminondas nascitur,quia sic moritur. Thebas ductu & auspiciis meis caput Græciæ factas video:& fortis & animosa ciuitas Spartana iacet,armis nostris abiecta,amara dominatione Gręciæ liberata est? Orbus quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctram & Mantineam relinquo. E corpore deinde suo hastam educi iussit,eóque vulnere expirauit.Quòd si eum dij immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes gloriosior patriæ mœnia non intrasset.Val. Max. lib. 2.cap.2. & Iustinus lib.6. & Pausanias in Bœoticis.

ARISTOMENEM Messenium trecentorum à se vno prælio cæsorum ex Lacedæmoniis, victimas Diti immolasse dicitant.Plutarchus in vita Romuli,& Sab.lib.4.cap.6.

CYNIGERI Atheniensis gloria magnis est scriptorum laudibus celebrata,qui Marathonia pugna, cùm palantes Medos ad naues compulisset,nauem hostibus onustam dextra manu tenuit: Qua hostium ferro amputata,læua remorari conatus est. Cæterùm hanc quoque vis hostilis abscidit.Tum ille ad duplicem cladem nihilo remissior factus, mordicùs nauim defixit:cædibúsque fatigatus, ambabúsque manibus amissis,ceu fera quædam rabida morsu & dentibus dimicauit, quando alia vi non potuit.Sab.lib.4.cap.6.& Iustinus lib.2.& Val.lib.3.cap.2.& Plut.cap. 1.Parall.

CALLIMACHVS,Atheniensium dux,cùm aduersus Datẽ Persarum præfectum,qui cum tricies centenis millibus militum Marathonem,qui in Attica campus est,irruperat,pugnasset: complurimis transfixus hastilibus,quanquam vitam efflasset,stetit.Plutar.cap.1.Parall.

ARCHIDAMVS Lacedæmoniorum princeps,Methonem ad Athenienses deficientem recepit. In bello contra Pylon primus è naui prosiliẽs, nec vulneratus est, nec scutũ amisit. Aduersus Amphipolim strenuè decertauit.Tandem insimulatus,quòd Agnoni Thraciæ regi faueret,damnatus est.Suidas.

CYRO iuniore conflicturo cũ hoste,loco qui dicitur Cunax, Clearchus suasit,vt se post Macedones contineret, nec se in belli discrimẽ cõiiceret.Quid ais,inquit,Clearche?Iubésne, vt quum regnum appetam, regno me indignum ostendam?Plutar.in Regum & imp.apoph.

ALEXANDER Magnus in oppugnatione Nysæ vrbis cũ milites suos in traiiciendo amne,quo ab vna parte vrbs cingebatur,segniores videret,ipsius amnis altitudine territos,ipse scuto suo innixus,quod pectori

subiecit, primus fluuium tranauit. In India aliam quoque vrbem oppugnare adortus, primus scalis appositis, in vrbis muros euasit. In quibus cùm effractis scalis cum duobus tantum remansisset comitibus, quanquam multis acceptis vulneribus, nunquam de se hostibus dedendo verbũ fecit: sed vt erat confossus, à muris saltu ad suos se recepit. Fulgos. lib.3.cap.22.

IDEM tener adhuc annis, memorabili illa pugna ad Cheroneam à patre Philippo edita, qua Græciç opes funditùs concidêre, primus omniũ impetum fecit in sacram Thebanorum cohortem: quç quo insignius dimicauit, eo maius huic reliquit nomen, per quem primùm impulsa est. Sabell.lib.1.cap.4.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm in Sicilia Erycem arcem munitissimam oppugnaret, primus scalis in muros conscendere voluit. Vbi hostiũ, à quibus premebatur, alijs occisis, aliis cõspectus sui atrocitate territis, vi primus in muros euasit: illicque tamdiu solus hostiũ vim sustinuit quo ad milites qui deorsùm erant receptis animis, ac stimulante præterea ob ea quç regem egisse viderant pudore, omnes impetu facto muros conscenderunt. Fulg.lib.3.cap.2.

IDEM ex Sicilia in Italiam reuersurus, impetu magno in Mamertinorum exercitum facto, cùm inter primos pugnans vulnus accepisset, atque ad illud medendum secessisset: vt intellexit, ob eam rem cũctos hostium animos erectos, atque ex eis prç aliis validiorem quendam nominatim se vocantem, vt in prælium rediit vbi inuento eo qui in certamẽ prouocabat, manum cum ipso conseruit, gladióque ita in caput eũ percussit, vt statim moreretur. Quare Mamertinorum exercitus adeò perterritus est, vt inde postea pacatum iter habuerit. Idem.

PORVS Indorum rex, collatis cum Alexandro Magno signis, corpore vastissimo præditus, cum Alexandro congredi petiit. Sed multis tandem confectus vulneribus capitur. Iustinus lib.12.

ROMVLVS ad Fidenas pugnans, quatuor & decem millibus in ea pugna cæsis, dimidiam partem propria manu obtruncasse dicitur. Plut. in eius vita, & Sab.lib. 4.cap.6

M. MANLIVS Capitolinus, XVI natus annos voluntarium militẽ se obtulit, XXXVII militaribus donis à suis ducibus ornatus, XXXIII cicatrices in corpore habuit. Capta vrbe, in Capitolium autor confugiẽdi fuit. Quadam nocte clangore anseris excitatus, Gallos ascendentes deiecit, & Patronus à ciuib. appellatus est. Plin.de Viris illustribus, & Fulg. lib. 3.cap.2.

T. Manlius Torquatus, sub dictatore Sulpitio tribunus militum, Gallũ prouocatorem occidit. Torquem ei detractum ceruici suæ aptauit Latinos apud Vesonem fluuium Decij collega deuotione superauit. Plinius de Vir.illustribus.

SEMPRON. Tuditanus, & C.Octauius trib.mil.omnibus fusis ad Cãnas, cùm circumsiderentur, suaserunt cõmilitonibus, vt stringerent gladios, & per hostium præsidia erumperent secum: id sibi esse animi, etiãsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, affirmans. De cunctantibus 12. omnino equitibus vel peditibus, qui comitari sustinuerant, repertis incolumes Canusium peruenerunt. Front.lib.4.cap.5.

Cùm Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Accus, Pelignæ cohortis prçfectus, vexillum trans Punicum vallum proiecit: seipsum, suosque commilitones, si eo hostes potiti essent, execratus, & ad id petendum subsequente cohorte primus impetum fecit. Quod vt Valerius Flacus tribunus tertiæ legionis aspexit, conuersus ad suos: Spectatores (inquit) vt video alienç virtutis huc venimus: sed absit dedecus à sanguine nostro, vt Romani gloria cedere Latinis velint. Ego certè aut speciosam optaui mortem, aut felicem audaciç exitum, vel solus prçcurrere paratus sum. His auditis, Pçdanius centurio conuulsum signum dextera retinens: Iam hoc (inquit) intra hostile vallum mecum erit: proinde sequantur, qui id capi volunt: & cum eo in castra Pœnorum irrupit, totámque secum traxit legionem. Ita trium virorum fortis temeritas, Hannibalem paulo ante spe sua Capuæ potitorem, ne castrorum quidem suorum potientem esse passa est. Valerius Maximus, lib.3.capite 2.

P. DECIVS, primò pater, postea filius, in magistratus se pro republica deuouerunt: admissisque in hostem equis, adepti victoriam patriç contulerunt. Front.lib.4.cap.5.

M. CATO, à quo Portiæ familiç principia manarunt, cùm ab hoste in acie vehementi periculo peteretur, vagina gladius eius elapsus decidit: quem subiectum prçliantium globo, atque vndique hostilibus pedibus circundatum, postquam abesse sibi animaduertit, adeò constanti animo in suam potestatem redegit, vt illum non periculo oppressus rapere, sed metu vacuus sumere videretur. Quo spectaculo attoniti hostes, postero die ad eum supplices pacem petentes venerunt. Valerius lib.tertio capite secundo.

P.DECIVS Murena, tribunus militum, inducto ab Aulo Cornelio incautè in cauam vallem exercitu, circaque infessam ab hoste, cùm omnia metus plena, ipsúmque consulem consternatum cerneret, ductis secum legionis vnius hastatis, euadens in cacumen hosti imminens: pauentibus re inopinata Samnitibus, spacio. Consuli ad subducendum agmen in æquiorem locum dato, sua exercitum virtute seruauit. Nec hoc facto cõtentus: Macti virtute, inquit, milites estote: qui alios seruastis, vosmetipsos seruate: digni, qui quòd pauci pluribus salutem peperistis, nullius ope indigeatis. Pontanus libro 1. capite 31. de Fort. bell. & Front. lib. quarto, cap.5.

PVB. CRASSVS cum Aristonico bellum in Asia gerens, à Thracibus, quorum is magnum numerum in præsidio habebat, inter Eleam & Smyrnam exceptus, ne in ditionem eius perueniret, dedecus accersita

ratione mortis effugit. Virgam enim, qua ad regendum equum vsus fuerat, in vnius barbari oculũ direxit: qui vi doloris accensus, latus Crassi sica confodit: dumque se vlciscitur, Romanum imperatorem maiestatis amissç turpitudine liberauit. Ostendit fortunæ Crassus, quàm indignum virum tam graui contumelia afficere voluisset: quoniã quidem iniectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter pariter ac fortiter rupit, donatúmque iam se Aristonico, dignitati suæ reddidit. Val.lib.3.ca.2. & Front.lib.4.cap.5.

CÆLIVS prætor vrbanus, cum ei ius dicenti picus in capite insedisset, & aruspices respondissent, dimissa aue hostium victoriam fore, necata populum Romanum superiorem, ac Cælium cum familia periturum auem occidit. Qua occisa, Rom.exercitu uincente, ipsecùm 14. Cçliis et eadẽ familia in prçlio est occisus: hunc quidem non Cçlium, sed Lçlium fuisse: & Lçlios, non Cçlios perisse credunt. Frontinus lib.4.cap.5.

Cn. FONTEIVS Crassus in Hispania, cum tribus millibus hominum prçdatum profectus, locóque iniquo circũuentus ab Hasdrubale ad primos tantũ ordines relato consilio, incipiẽte nocte (quo tempore minimè expectatur) per stationes hostium erupit. Ibidem.

P. FVRIVS, fratris Titi Quintij consulis legatus, cùm aduersus Equorum gentem pugnaret, & cum paucis ab eorum multitudine circũuentus, hortantes eos audiret, vt abiectis armis, ipsorum misericordiæ vitam seruaret: spretis hostium promissis, mori pugnando maluit, ne pluris ignauam vitam quàm honestam mortem fecisse videretur. Fulg. lib.3. cap. 2.

M. CLAVDIVS Marcellus, qui Syracusas cæpit, per quietem sæpe sibi pugnare visus est. Optauit identidem iam sexagenarius, vt vnus inclusus loco, cum Hãnibale, omnium qui omni memoria fuerunt, ducum ferocissimo, de summa rei armis decerneret. Hoc certè fuit, cur Romæ sit populi gladius dictus, cum Fabius dictator clypeus diceretur. Sabell. lib.1.cap.6.

FABIVS Maximus in eo bello quod Romani contra Pœnos gerebant, collatis manibus cunctos milites amisit: & ipse mortifero accepto vulnere, in Hannibalem vehementi cursu comitatus ablato ei diademate, prope eum mortem oppetiit. Aristocles Milesius, & Plut.ca. 8.Paral.

L.SYLLA cùm in Orchomeno fusam aciem suam ab Archelao Mithridatis duce videret, ex equo confestim descendens, signo arrepto in medios irrupit hostes, exclamans: Hîc milites Romani mori volo. Sed vos cùm rogabimini, vbi ducem vestrum amiseritis, memento te petentibus respondere: In Orchomeno. Hac ipsius voce moti milites ad ordines regressi, redintegrata pugna, victores iam hostes in fugã verterunt. Fulg.lib.3.cap.2.

PETRONIVS Granius cẽturio VIII legionũ, sub Cæsare bello Gallico militans Gorgoniæ partum à multitudine hostium tam diu tenuit, donec sociis spacium fugiendi daret. Mox ducibus hostium cæsis, reliquos à custodia porta expulit: reuertentibusq; ac subsidio sociis vulneribus deficiens, Ite nunc (ait) incolumes. Plinius apud Volaterran. li.18.Anth.

POSTHVMIVS consularis cohortatus suos, cùm interrogatus esset à militibus, quid imperaret? dixit, vt imitarentur: & arrepto signo hostes primus inuasit, quem secuti victoriam adepti sunt. Front.li.4.c.4.

L. MARCELLVS, cùm in manus Gallorum imprudens incidisset, circumspiciendæ regionis, qua euaderet, causa, equum in orbem flexit: deinde cùm omnia esse infesta vidisset, precatus Deos, in medios hostes irrupit. Quibus inopinata audacia perculsis, ducem quoq; eorũ trucidauit atq; vbi spes salutis vix superfuerat, inde opima retulit spolia. Idem.

C.IVLIVS Cæsar, cùm innumerabili multitudine & feroci impetu Nerniorum inclinari aciem suam videret, timidius pugnanti militi scutũ detraxit, eoq; tectus, acerrimè præliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam diuino animi ardore restituit. Val.lib.3.ca.2.

IDEM alio prælio legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugç gratia iam conuersum, faucibus comprehensum, in contrariam partem detraxit, dexteramq; ad hostem tendens: Quorsum tu (inquit) abis? illic sunt cum quibus dimicamus: & manibus vnum militem, adhortatione verò tam acri omnium legionum trepidationem correxit: vincique paratas, vincere docuit. Ibidem.

IDEM post attritos Tigurinos, ad vrbem quandam sociorum proficiscens, quum audiuisset Heluetios in itinere occurrere, in locum quendã munitum se recepit: ibique copiis congregatis, & equo, cui insidere solebat, adducto: Hoc, inquit, post victoriam vtar in persequẽdis hostibus. Et pedes aggressus est Heluetios. Eras. libro 4.Apoph. ex Plutarchi Roman.apoph.

AVRELIANVS Imp. irrumpentes in Italiam Sarmatas bello fudit, & ex iis 49 sua manu interfecit. Vopiscus & Volaterranus lib. 23. Anthropol.

PROBVS, qui multis annis Romanum rexit imperium, bello Sarmatico Tribunus transmisso Danubio, multa fortiter fecit. Qua è re pro concione laudatus est, donatúsque hastis puris quatuor coronis vallarib. duabus, ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torq; aureo vno patera item vna librarũ quinque ad rem diuinam: quo etiam tẽpore Valerium Fecianũ adolescentem nobilem à Quadorum liberauit manu. vnde Valerius ciuica eum donauit, addita legione tertia, quæ Fœlix dicebatur: vestes etiam triplices, ac salarium duplex dari iussit. cui post Aurelianus Augustus decumanos etiam suos credidit. Pont.lib.1. de Fortitud.cap. vlt.

CLODOVEVS Gallorum rex, in Pictonibus Visigothos, à Vasconũ vrbibus, quas incolebant, profectos prælio ingenti fudit: & regem eorũ Alaricũ inter primos dimicans, manu sua occidit. Fulg.lib.3. cap.2.

ARTVRVS

ARTVRVS rex Britanniæ congregato exercitu, procedens contra hostes, Saxones videlicet, Scotos & Pictos, accinctus gladio nomine caliburno, & auream galeam simulachro draconis insculptã capiti imponens: clypeúmque humeris imponens, lanceam quoque quç Ron vocabatur, assumẽs, impetu facto, ex eis solo caliburno gladio 470. viros interfecit: cæteros autem in fugam conuertit, principibus eorum prostratis. Sigebertus in Chron.

ROLANDVM, quamuis multa de illo milite fortitudinis edita exẽpla vulgo referantur, quæ fabulis propiora videri possunt: non tamen id in dubium venit, omnibus sui temporis fortitudine præstitisse: Caroliq;, qui Magni cognomen tulit, felicitatem & gloriam huius potissimùm lacertis constitisse. Qui demum in insidias cum fortissimo quoque suorum præcipitatus circa Pyrenæum saltum, post ingentis fortitudinis patrata facinora, hostibus magno numero interfectis, cecidit, ne nuncio quidem tantæ cladis relicto. Sab.lib.4.cap.6.& Egnat.lib.3.cap.2.

GOTIFREDVS Bolionius, Lotharingiæ dux, & Eustachius frater, in Hierosolymarum expugnatione laboris atque periculi plena, in qua vtrinque obsessi atque obsidentes plurimum sanguinis effuderunt: primi in muros euaserunt, ponte iacto à lignea turri quam ipsi muris admouerant. Viam enim militibus virtute sua ad capiendam vrbem, vt præstantes duces decet, ipsi strauerunt, nulla ad eam inueniendam rem militum industria vsi. Iidem.

Ostrogothorum rex Theia, cùm apud Nuceriam aduersus Narsetis copias pugnaret, perfosso sagittis clypeo, ita vt eo commodè amplius vti non posset, atque eo in pugna impediretur: non modò ob id locum in acie non deseruit, sed ne retrò quidem aspexit. Clara tãtùm voce ministrorum vnum iussit integrum clypeum ad se perferre. Itaque dũ clypeum mutat, lethali accepto vulnere, in vestigio vbi erat immobilis manens, in hóstem pectore, vt erat, verso mortuus corruit. Iidem.

IOANNES decimus Bohemorum rex, & cæcus, & senio confectus, Philippo Valesio Gallorum regi pro affinitatis iure aduersus Britannos opem tulit. Initóque prælio, in medios hostes cum se intulisset, quãquam lumine captus, atque senex, deletis apud Cretiacum Gallorum copiis, inter præliantes occubuit. Fulg.lib.3.cap.2.

CLOTHARIVS secundus Gallorum rex, cùm iam senior in Austrasiam se contulisset, Dagoberto filio aduersus Saxones Germanicam gẽtem opem laturus: cùm Saxonem ducem Bertoldum castris suis appropinquare intuitus esset, vt fortasse diligentius castrorum formam inspiceret: ipse quoque solus eum insecutus, cùm aliquanti per pugnatum esset, manu sua interemit. Idem.

FERDINANDVS Consaluus, Castulonis comes, cùm aduersus Celtiberos, quos Nauarienses præsens ætas appellat, in prima acie pugnaret, & infesta hasta in Sancium Nauariensem regem currens incidisset, ad terram mortuum prostrauit, vnóque ictu atque vnius morte bellum cõfecit. Idem.

GVLIELMVS Condisaluus, Galliciæ comes, cùm diu Legionem vrbem in Hispania defendisset, & muris ab hoste perfossis honestè saluti consulere posset (quòd graui morbo affectus ferre arma prohibebatur) maluit in ea vrbe mori, quàm susceptam eius tuendæ curam omittere. Itaque arma indutus, cùm inualido corpori vix ad incessum vires sufficerẽt, ferri se ad locum iussit, vbi plus erat periculi: illicque iacens (neque enim consistendi facultas erat) inuictus animo hostium telis confossus, parta fama, qua semper nomen eius viuet, vitam amisit. Idem.

ORDELAPHVS Faletrus Venetorum dux, pòst nõ pauca egregia facta, ad Iaderam vrbem aduersus Hungaros, qui eam oppugnabant, fortissimè pugnans in prima acie contra illos occubuit: vt tamen Veneti ipsi reliqui, principis sui cadauer, intra vrbem retulerint. Quod postea Venetias relatum, vniuersa ciuitas magna pompa extulerit, inque æde Diui Marci, quod hodie quoque visitur, marmoreo sepulchro sepeliendum curauit. Egnat.lib.3.cap.2.

PETRVS Zenus clara antiquáque familia patricij sanguinis ortus, post multa & præclara belli facinora edita, demum imperator vniuersæ classis, cùm pontificio legato aduersus Turcas missus: quum eos vniuersa maris possessione breui eiecisset, mox in continentem cum vniuersis copiis descendens, magnam Ætoliæ & Ioniæ partem Christianæ pietati vindicauit: nec multo pòst recepta Smyrna, Turcisque omnibus eiectis, mutato fortunæ cursu, quum illi subitò reparatis viribus impetum in eandem fecissent, re subitò nũciata cum litatorio sacro interesset, neque discedere inde statuisset, nisi peracto sacro: tum verò illis occurrens, fortissiméque pugnans desertus ab omnibus, in eo quem cæperat loco occidit: & retentæ pietatis nobile posteris exemplum, & egregiæ fortitudinis insigne reliquit monimentum. Egnatius libro tertio capite secundo & sexto.

CAROLI Zeni filij fortitudinem in oppugnanda Clodia, pete ex tit. Victoriæ illustres.

STEPHANVS Contarenus, præfectus Benacensi classi, post ipsum PetrumZenum statim domum petiit: apertáque ianua, euocata vxore de inferiore loco, ad eam versus: Appara, inquit, mihi, quæ ad classem in Benacum publico nomine profecturo, necessaria fore intelligis. Nam breui pòst aut campàni æris sonitum de Marciana turri, victoriæ me duce partæ certum nuncium audies, aut mortuum me accipies. Quod non multo pòst adeò fœliciter cessit, vt deuicta hostium classe, captisque nõ paucis ducibus, Benacique lacus vniuersa ora in potestatem Veneti imperij redacta, res Veneta statim fœliciter sit gesta: vt certè fateri mihi necesse sit, aut vnum hunc Stephanum æterna laude esse colendum, aut certè non facilè quempiam alium illi præferendum: siquidem patriæ ipsi debere nos omnia, suo hoc exemplo omnes docuit. Egnatius libro

tertio capite secundo.

IANVS Fulgosus, Genuensium dux, cùm sex fratribus patruelibus, cùm patrio honore patriáque ipsa careret (vt permulta eius egregia facinora omittam, quibus quadriennium hostes vexauit) etsi satis norat Barnabam Adurnum aduersæ factionis principem, qui cum ducis titulo Genuæ rerum potiebatur, præter sexcentos Aragonij Alphonsi milites, magno alio militari numero septum esse: intrepidus vna triremi, Salutis anno septimo ac quadragesimo supra mille quadringentósque Genuam nauigauit: nocteque intempesta cum quinque atque octuaginta fortissimis viris vrbem ingressus, non antè destitit, quàm ad palatium peruenit. Illic prætorium ipsum prælio adortus, cùm penè omnes vulneribus confecti essent: ipse quoque crure atque facie saucius, paucitate incommodísque virtute atque animo superatis, ducatum Genuensem, & quod maius fuit, immortalis gloriæ famam, ex eo prælio retulit. Fulgos.lib.3. cap.2.

PETRVS Fulgosus, cùm in patria principatum obtineret, Aragonij Alphonsi regis Siciliæ armis atque potẽtia pressus, Carolo septimo Gallorum regi, eius quem ipse hostem habebat, hosti, vrbe atque imperio cessit. Cæterùm cùm Caroli ministri promissa non præstarent, iusto necessarióque dolore compulsus, bellum ei longè minore militum numero intulit, quàm Galli essent, qui rerum in vrbe potiebantur. Miro igitur animi vigore atque industria per muros vrbem ingressus est, Salutis anno quinquagesimonono supra mille quadringentósq;, pridie idus Martias. Vbi cùm militum, quos secum duxerat, præfecti imperata non fecissent, solutis militum ordinibus, atque ipsis in fugam conuersis: Petrus quia retrocedere difficile indecorúmque putabat, duobus solis comitatus viris, à quibus haud multo pòst desertus fuit, armatus atque equo insidens infesta hasta inter medios hostes viam strauit: & porta, quæ Vaccarum dicitur, veteres vrbis muros ingressus, nullo obsistere auso, solus vrbis longitudinem currendo emensus est. Tum portam, quam sancti Andreæ dicunt, prætergressus, ad ultimos vrbis muros peruenit: vbi nisi clausam offendisset portam quæ in ea vrbis parte erat, proculdubio incolumis ad suos se recepisset. Facinus eo gloriosius, quã in Asello equite Romano, cùm Tauream apud Capuam persequeretur, atque per hostiũ vrbis portas ad suos se recepit: quo facilius Asello fuit, nemine insequẽte aperta egredi porta: Petro autem, quem vndique hostium tela saxáque de fenestris missa petebant, vt ingenti animo cœpta fortiter perficeret, non hostium arma, non ipsius atque equi defatigatio ac vulnera, sed sola quæ clausa erat porta obstitit. Itaque retrò in vrbem conuersus, cùm hortantium ad deditionem nullum audiret, multis vulneribus ipse cum equo confossus, cùm in mediis hostibus corruisset, exanime corpus hosti reliquit: creatori verò spiritum, quem acceperat, liberum reddidit. Idem.

ALPHONSVS Aragonum rex, audiens milites suos ex castello Boualengo, quò irruperant, expulsos esse, properè accurrens, scalásque suis manibus apprehendens, in fossam oppidi deuoluit, equitibúsque equo desilire iussis statim oppidum recepit atque diripuit. Panorm. libro 3. de Alphonsi rebus gestis.

ALBERTVS Marchio Brandenburgensis, in eo bello quod aduersus Norenbergenses eximiè gessit, Grauenburgum (id oppidum in valle iacet xx.millibus passuum à Nurẽberga, ad amnem Pegnesum) ab eo multa ui oppugnatum est. Albertus autem cùm eam sibi oppidi partem elegisset, qua murus altior, & fossa profundior erat, insultu facto ab ea parte qua oppidum captum est, secundus ex omnibus ipse murum ascendit, & in oppidum omnium primus venit. Circumuentus ab oppidanis tam diu pugnam sustinuit (quamuis in se multi concurrissent) donec alij pugnantes, decretis sibi murorum partibus superatis, suppetias tulerunt. Æneas Syluius lib. tertio Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

Mahumetes, Turcarum rex, cùm Rhodum validissimo exercitu petiisset, atque insula potitus arcta obsidione vrbem premeret, tormentorum vi ita quassatis muris, vt nullo labore in eos per ruinas hostes conscenderent, iam in summos muros Turcarum ingens numerus peruenerat. In tam graui periculo Rhodios illa res iuuabat, quòd intrinsecus vrbis situs admodum depressus erat: Turcæque, qui per ruinas in eam irruere nitebantur, nisi in præceps se ac manifestum mittere periculum vellẽt, vnis tantùm lapideis scalis, quibus in muros Rhodij conscendebant, descendere cogebãtur. Cùm eo in loco periculi summa versaretur, Petrus Dabusson, natione Gallus, Rhodiæ religionis princeps, tuendum sibi eũ desumpsit, secum duobus nepotibus ac quatuor aliis militibus adhibitis. Is illic tantis viribus tantóque animi robore pugnauit, vt quanquam è comitibus perplures, aliis suffectis, occidissent, & ipse quinque acceptis vulneribus perfossa fractáque haberet arma: Turcarum tamen nullum eã in vrbem penetrare permiserit, sed ingenti repulsos cæde soluere obsidionem coegerit: ea in scalis tuẽdis edita animi & corporis viribus, quam Cocles Horatius Roma aduersus Ethruscos, dum sublicius pons rescinderetur, præstitit, tanto maiore virtutis laude, quanto maiorem sustinuit hostium vim. neque enim Turcis immanitate Ethrusci fuerunt conferendi. Fulg lib.3.cap.2.

Certamine illo, quo Florentinus populus apud Campaldinum Aretinorum copias fudit, cùm Gulielmo Aretino episcopo nonnulli suaderent, vt saluti suæ consuleret, quòd tuendi Aretinos spes nulla superesset, petiit an recipi ex prælio Aretini possent? Cùm negaretur fieri posse, vt amplius se ex acie reciperent, dixit: se cum eis mori malle, quàm sine eis incolumem vitam seruare. Itaque in prælium reuersus, in medios hostes irruit, & fortiter pugnans cum aliis suis in campo mortuus corruit. Idem.

CONSALVVS Agridarius, agnomine Magnus, disciplinæ militaris

obseruantissimus, Gallos, minores aliquanto copias ducens, duplici prelio vicit. Neemensem ducem, qui regis vicem gerebat, interfecit. Neapolim iisdem ademit: eos iterum maiore apparatu regnum inuadentes, ad Lyrim profligauit, Caieta expulit. Regnumq; id omne demum, quod Siciliæ citra Pharum appellant, Aragoniæ familiæ restituit. Sab. libro 10. cap. 8.

FORTITVDO MILITVM, ATQVE ETIAM TOTIVS EXERCITVS.

Consule Titulum Monomachiæ apertæ.

DAVID puer inermis Goliath gigantem hamata lorica & hasta instructum, fundæ ictu prostrauit. Vide lib. Regum.

IONATHAS Sauli filius, hostium castra vno duntaxat comite noctu ingressus, diuque ac multum in Philistæos nocturna cæde per occasioné grassatus, tantum illis terrorem incussit, vt multa millia hostium fugata sint, atque horum pars multo maxima Sauli regis occursu in fuga interfecta. Sab. lib. 4. cap. 6.

FILII transmigrationis ædificantes murum in circuitu Ierusalem, vna manu faciebant opus, & altera tenebant gladium. Nehemiæ quarto.

ELEAZARVS, Iudæ Machabæi frater, cognomento Mauonus, eo prælio quod aduersus Antiochum Eupatorem Syriæ regem commissum fuit, conspicatus elephãtem super alios ornatus magnitudine insignem, Antiochum eo vehi existimauit. Itaque in vna re & prælij & belli finem fore ratus, si Antiochum oppressisset: impetu in hostes facto, ad illum ipsum elephantem, quem designauerat, penetrauit: atq; sub eius ventrem cùm se immisisset, paruo gladio intestina elephantis effodit: qui supra Eleazarum corruens, mole sua eum oppressit, totumq; contudit, ita vt audacis facinoris læticiam sentire non posset. Fulgos. lib. 3. cap. 2.

Psammetichus in Ægypto quatuor & quinquaginta regnauit annos: per quorum vnde triginta magnam Syriæ vrbem obsidens oppugnauit, donec expugnauit. Hæc est AZOTOS, quę diutissimam inter omnes vrbes duntaxat (quas nouimus) sustinuit obsidionem, siue id loci natura: siue quod probabilius est, militum robore. Herod. lib. 2.

Cùm Leonidas Spartanus ad Thermopylas Persarum expectaret exercitum, propter oculorum valetudinem Aristodemum Eutychumq; ab exercitu in patriam redire iussit: in via EVTYCHVM reditus pœnituit, dedecoriq; sibi ratus, cum aliis prælhando non mori, ad exercitum rediit: cumque plus aurium vsu quàm oculis adiutus, cœptum iam prelium animaduertisset, miro animi vigore incensus, cùm sæpius in via pedibus offenderet, à seruo in prælium deductus est. Vbi cùm ciuem ab hoste non discerneret, vt poterat, cum aliis Lacedæmoniis pugnando interiit. Fulgos. lib. 3. cap. 2.

HARMATODII Thespiẽsis filius generosissimus ac bellicosissimus, auxilio veniens Atheniensibus, primùm quidem strenuè contra magnos ac potentes hostium insultus pugnauit: consumptis autem omnibus annis, nudis manibus aduersus armatos dimicando, vitam cum gloria finiuit. Ælian lib. 6. de Var. hist.

ROMANI semper militari disciplina alios superarunt. Ideoq; Pyrrhus Epirotarum rex, cùm eos apud Heracleam elephantorum nouitate vicisset, atque aduersa occisorum vulnera vidisset: Ego, inquit, talibus militibus orbem terrarum breui tempore subiicere potuissem. Plin. de Viris illustribus, cap. 35.

Hetruscis in vrbem ponte sublicio irrumpẽtibus, HORATIVS COCLES eius partem occupauit: totumq; hostium agmen, donec post tergũ suum pons abrumperetur, infatigabili sustinuit, atq; vt patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus se in Tyberim misit. Cuius fortitudinem dij immortales admirati, incolumitatem sinceram ei præstiterunt. Nam neq; altitudine deiectus, quassatúsue, neque pondere armorum pressus, nec vllo vorticis circuitu actus: nec telis quidem, quæ vndique congerebantur, læsus, tutum natandi euentum habuit. Vnus itaq; tot ciuium, tot hostium in se oculos conuertit, stupẽtes illos admiratione, hos inter læticiam metumq; hæsitantes: vnusq; duos acerrima pugna cõsertos exercitus, alterum repelliendo, alterum propugnando distraxit. Denique vnus vrbi Romanæ tantum scuto suo, quantum Tyberis alueo munimenti attulit. Quapropter discedentes Hetrusci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus. Val. li. 3. cap. 2. & Liuius. Plut. ca. 16. Parall. Plin. ca. 11. de Viris illust. Seneca epistola 20. Cic. in Paradox. Front. lib. 2. ca. 13, Gell. lib. 4. ca. 5. Florus lib. 1. cap. 10.

MVTIVS, cui Scæuolæ, à clade dexteræ manus, fuit postea cognomẽ, operosiore manu amissa, læua vtebatur, iuuenis, ac penè adolescẽs: Porsenæ castra ingressus, regium scribam pro rege interfecit. Captus, suique erroris admonitus, dexteram flammis iniecit, vt ea parte, qua erratum erat, à seipso pœnam exigeret. Visum est id spectaculum cùm cæteris, tũ ipsi regi atrox: qui vnius Romani ciuis fiducia, constantiaque cõmotus, pacẽ reddidit vniuersæ ciuitati, vrbemq; soluit obsidione. Sab. li. 4. ca. 6.

POSTHVMIVS Albinus pugnans aduersus Samnites ad Caudinas furcas, lethali vulnere accepto cecidit. Nocte verò concubia paululũ recepto spiritu, raptis ex interfectis hostibus clypeis, trophæum erexit, tinctaque cruore dextra titulum inscripsit. Aristides Milesius libr. 3. rerum Italicarum, & Plutarch. ca. 6. Parall. Liuius lib. 9. Dec. 1. à princip. Plin. ca. 30. de Viris illust.

MANLIVS Torquatus, Gallum prouocãtem, scuto & gladiis duobus armatum, ornatumque torque & armillis, viribus, adolescentia, magnitudine & virtute antestãtem cæteris, occidit: mortuo torquem detraxit, eamque sanguinolentam collo suo imposuit. Quo facto, ipse posterique eius Torquati cognominati sunt. Gellius ca. 13. lib. 9.

MANLIVS Capitolinus ante 17 annum bina ex hoste spolia cœpit. Eques omnium primus murali corona donatus, sex ciuicis, septem & triginta donis, triginta tribus cicatricibus aduerso corpore acceptis. Pont. lib. 1. de Fort. ca. vlt. Ex Plinij lib. 7. ca. 28.

L. SICINII Dentati opera, honoresq; operum, vltra fidem veri excedere iudicari possent, nisi ea certi autores, inter quos Mar. Varro, monimentis suis testata esse voluissent. Eum namq; centies & vigesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi atq; corporis vtentem, vt maiorem semper victorię partem traxisse videretur: sex & triginta spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus spectãte vtroq; exercitu ex prouocatione dimicasset: quatuordecim ciues ex media morte raptos seruasse: quinque & quadraginta vulnera in pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo: nouem triumphales imperatorum currus secutum, totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa cõuertentem. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, ciuicæ quatuordecim, murales tres, obsidionalis vna, torques centũ octoginta tres, armillæ cẽtũ sexaginta, hastę octodecim, phalerę viginti quinq;: ornamẽta etiam legioni, nedum militi satis multa. Val. Max. lib. 2. ca. 2. & Plin. lib. 7. ca. 28.

ROMANA iuuentus (C. Sempronio Atracino Cos. cum Volscis apud Verruginem parum prosperè dimicante) ne acies iam inclinata propelleretur, equis delapsa, seipsam centuriauit, atq; hostium exercitũ irrupit. Quo dimoto, proximum tumulũ occupauit: effecitq; vt omnis Volscorum in se conuersus impetus, legionibus nostris ad confirmandos animos salutare laxamentum daret. Itaque cùm iam de trophæis statuendis cogitarent: prelium nocte dirimente, victorésne, an victi discederent, incerti abierunt. Val. Max. lib. 3. cap. 2.

Strenuus ille quoq; flos ordinis EQVESTRIS, cuius mira virtute Fabius Max. Rutilianus, magister equitũ bello quod aduersus Samnites gerebatur, malè commissi prælij crimine leuatus est. Nanque Papyrio Cursore propter auspicia repetenda in vrbem proficiscente, castris prępositus, ac vetitus in aciem exercitũ ducere, nihilominus manus cũ hoste, sed nõ tã feliciter quàm temerè, conseruit, procul enim dubio superabatur. Cæterùm optimæ indolis iuuentus, detractis equorum frenis, vehementer eos calcaribus stimulatos in aduersos Samnites egit, obstinataque animi præstantia extortam manibus hostium victoriam, & cum ea spem maximi ciuis Rutiliani, patriæ restituit. Idem.

Qualis deinde roboris illi MILITES, qui vehementi ictu remorum concitatam fuga Punicam classem, nãtes lubrici pelagi quasi camporum firmitatem pedites, in littus retraxerunt? Idem.

P. SCIPIO, qui primus ex Africa cognomen reportauit, puer adhuc primo suo tyrocinio Scipionem equestri prælio (quod cum Pœnis est ad Ticinum amnem cõmissum) grauiter vulneratum, in aduersum hostium globũ ferociter inuectus, periculo seruauit. Adolescens non tantũ ciuica corona dignus, sed immortalitate etiam nominis. Sabell. lib. 1. cap. 4.

SCIPIO Æmylianus, cùm in Hispania sub Lucullo duce militaret, atq; Intercacia prævalidum oppidum circumsederetur, primus mœnia eius conscendit: neque erat in exercitu quisquam aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cuius magis saluti consuli & parci deberet: sed tunc clarissimus quisq; iuuenum, pro amplificanda & tuenda patria, plurimum laboris ac periculi sustinebat: deforme sibi existimans, quos dignitate præstaret, ab iis virtute superari. Ideoque Æmylianus hanc militiam, aliis propter difficultatem vitantibus, sibi depoposcit. Val. Max. lib. 3. cap. 2.

L. GLAVCVS, vir præcipua nobilitate (cum Hasdrubal capta Sicilia aduersus Romanos & Metellum eorum imperatorẽ pugnaret) Hasdrubalis nauem detinens, vtramque manum amittere quàm desistere maluit. Aristides Milesius libr. 1. Rerum Sicularum, & Plutar. cap. 2. Parall. & Fulg. lib. 3. cap. 2.

AEMYLIVS Lepidus admodum iuuenis, apud Ticinum patrem liberauit ab hoste, & hostem interfecit. Liuius.

Sub Attilio Calatino consule Laberius (quem nonnulli Q. Ceditium, quamplurimi Calphurnium Flammam vocitatum scripserũt) cùm demissum in eam vallem videret exercitum, cuius omnia latera superiora hostis insederat, deposcit & accepit à consule trecentos milites, quos hortatus vt virtute sua exercitum seruarent, in mediam vallem decurrit. Ad opprimendos eos vndique descendit hostis, longoque & aspero prælio retentus, occasionem Consuli ad extrahendum exercitum dedit. Front. lib. 4. ca. 5.

M. SERGIVS (vt scribit Plinius libro septimo cap. 28.) secundo stipendio dextram manum perdidit. Stipendiis duobus ter & vicies vulneratus est. Bis ab Hannibale captus. Bis vinculorum eius profugus, xx. mensibus nullo non die in cathenis & compedibus custoditus. Sinistra manu sola quater pugnauit, duobus equis insidente eo suffossis. Dextram sibi fecit ferream, eaque religata præliatus, Cremonam obsidione exemit. Placentiam tutatus est. Duodena castra hostium in Gallia cæpit. Vicit etiam fortunam. Solinus & Pontanus de Virtute bellica, qui Seruilium appellat, & Sabell. libro quatto capite sexto & Ful. lib. 3. cap. 2.

C. ATTILIVS miles C. Cæsaris, nauali ad Massiliam prælio, iniecta in puppim hostiũ dextra, & abscissa, eam lęua apprehẽdit, nec antè dimicare

destitit, quàm captam profundo mergeret. Factum illud memorabile Cynigeri Atheniensis imitatus, qui idem in consectãda Xerxis classe fecerat. Valerius lib. 3. cap. 2. & Suetonius in vita Cæsaris. Volat. libr. 13. cap. 5. & Sab. lib. 4. cap. 6.

Classicam Attilij gloriam, terrestri laude M. SCÆVA eiusdem Imperatoris centurio subsecutus est. Cùm enim pro Dyrrachio castello, cui præpositus erat, dimicaret, Cneique Pompeij præfectus, iussu eius summo studio & magno militum numero ad id capiendum mitteretur, omnes qui propius accesserant, interemit: ac sine vllo regressu pedes pugnans super ingentem stragem, quam ipse fecerat, corruit. Cuius corpus capite, humero, femore saucio, oculo eruto, scutum centum & viginti ictibus perfossum apparuit. Val. lib. 3. cap. 2. & Sab. lib. 4. ca. 6.

SCÆVOLA bello Gallico, quo C. Cæsar non contentus opera sua littoribus Oceani claudere, Britannicæ insulæ iniecit manus, cum quatuor commilitonibus rate trãsuectus, in scopulum vicinum insulæ, quam hostium ingentes copiæ obtinebãt: postquam maris æstus regressu suo spacium, quo scopulus & insula diuidebantur, in vadum transitu facilè redegit, ingenti multitudine barbarorum affluente, cæteris rate ad littus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, vndiq; irruentibus telis, & ab omni parte acri studio ad inuadendum nitentibus, quinque militum diurno prælio suffectura pila, vna dextra hostium corporis adegit. At vltimum districto gladio, audacissimum quenque modò vmbonis impulsu, modò mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britãnicis oculis incredibili spectaculo fuit. Postquam deinde ira ac pudor cuncta conari fessos coëgit, tragula femur traiectus, saxique pondere ora contusus, galea ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo se credidit: ac duabus loricis onustus inter vndas, quas hostili cruore infecerat, enatauit: visoque imperatore, armis non amissis, sed benè impensis, cùm laudem mereretur, veniam petiit. Magnus prælio, sed maior disciplinæ militaris memoria. Itaque ab optimo virtutis æstimatore, tum facta, tum etiã verba eius, centurionatus honore donata sunt. Val. lib. 3. cap. 2.

Cùm se M. Bruto tota penè Lusitania dedidisset, ac sola gentis huius vrbs CINANIA pertinaciter arma retineret, tẽtata redemptione, propemodum vno ore legatis Bruti respondit: Ferrum sibi à maioribus, quo vrbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab Imperatore auaro emerent, relictum. Val. lib. 6. cap. 4.

ANTIGONVS, Philippi regis miles fortissimus, in obsidione Perinthi catapulta confossus, non prius eam euelli passus est, quàm hostem fugatum intra mœnia compulisset. Rauis.

BABYNVS SYRVS, memorandæ fortitudinis, miles, sub Tito primus Hierosolymæ muros ascendit. Iosephus.

PRINCIPIVS & TARVNS, fratres Gothicis temporibus ex vrbe Roma ad pugnam egressi, aduersus Totilam, inclinata disiectaque vrbanorum acie, sua hostibus in cædem ruentibus corpora obiecère: ac tamdiu pertinaci statu Barbarum remorati sunt, quoad Principius in vestigio concidit: alter vbi suos in tuto esse vidit, defunctus prælio, multisq; confossus vulneribus, ad Pincianam portam inter suorum complexus & gratulationes expirauit. Sab. lib. 4. cap. 5. & Egnat. lib. 3. ca. 2.

ACHILLINVS, miles Belisarij, ad portam Pincianam solus impetum Gothorum repressit. Procopius apud Volaterranum lib. 13. capite 3. Anthrop.

CIMBRORVM & Celtiberorũ fortitudo celebratur, qui in acie gaudio exultabant tanquam gloriosè & fœliciter excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Cice. libr. 2. Tusc. quęst. Val. Max. lib. 2. ca. 1. de Inst. antiq. & Ælian. lib. 12. Var. hist.

Eo prelio quo Vrrachæ Castulonensis reginæ exercitus aduersus Alphonsum Aragonium ipsius virum decertauit, cùm vltimum agmen Gomericus comes signis suis clauderet, & inclinata ad Aragonios victoria hostes iam ad vltimi agminis Castulonensiũ signa penetrassent: EQVES qui vexillum ferebat, diu magna virtute signum defendit: & quanquam ambæ manus ab hoste, vt relinquere signum cogeretur, obtruncatę essent, brachiis vexillum amplexus, Oleaque inclamans (id enim principis eius erat insigne nomen) non antè vexillum quàm vitam amisit. Fulgos. lib. 3. cap. 2.

FORTITVDO MVLIERVM BELLICA.

Barach, filius Abinoe, noluit ducere exercitum contra Sisaram, nisi DEBBORA vxor Lapidoth iret cum eo, quæ dixit: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manũ fœminæ tradetur Sisara. Iudic. 4.

IVDITH inermis iuit ad tentorium Holofernis, cumque ibi occidit. Iudith. 10. & 13.

HESTHER regina exposuit se periculo pro liberatione populi sui, quando non vocata, ad regem ire præsumpsit. Esth. 4. & 5.

AMAZONES Scythicę fuerũt mulieres, ad Tanaim & Thermodoonta fluuios habitantes. Hæ quum nuptias seruitutem esse, non matrimonium, opinarentur, coniugia respuerunt, & Remp. administrarunt sine viris. Solebant accersere finitimos, ne gens periret. Si qui mares nascerentur, interficiebant. Virgines nõ ocio, neque lanificio, sed armis, equis, venationibus & sagittis exercebant. Infantibus dexteras inurebant mãmas, ne sagittarum ictus impediretur. Stephanus Byzantius scribit, Amazones Sauropatidas à Græcis fuisse appellatas, quòd lacertis vescerentur, quas illi Sauras vocant. De earum moribus pauca admodum Curtius refert lib. 5. de gestis Alexandri, his verbis: Vestis non toto Amazonum corpori obducitur, nam lęua pars est ad pectus nuda, cætera deinde velantur, nec tamen sinus (quem nodo colligunt) infra genua descendit. Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus liberos alant: aduritur dextera, vt arcus facilius intendant, & tela vibrent. Peltam & securim primæ omnium inuenerunt, vnde Securigerę & Peltiferę dicuntur. Pelta quoque & securis Amazonię & Penthesilææ dicuntur. Ouidius in Epistola Phædræ:

Prima securigeras inter virtute puellas.

Val. Flaccus libro quinto: Statius lib. 12. Horat. libr. 4. Car. Ouid. libr. 2. de Ponto. Duę primũ his reginę fuerunt, Marthesia & Lampedo, quę maiore Europę parte suis armis potenter subacta, Asię quoque nonnullas ciuitates occupauêre. Marthesiæ successit Orithyia, seruata in omne æuum virginitate commendabilis. Cum sorore ANTIOPE, quæ à Theseo & Pirithoo rapta fuit, teste Pindaro. Hegias verò Trœzenius scribit, Herculem non prius Themiscyram vrbem ad Thermodontem amnem, quam diu oppugnarat, cępisse, quàm Antiope Thesei amore capta, oppidum tradiderit. Eius sepulchrum prope Athenas spectatur. Aiunt enim Atheniẽses, cùm ad vrbem Amazones aduentarent, sagitta confixã à Molpadia Antiopen, Molpadiam à Theseo occisam. Pausanias in Atticis. Orithyiæ successit Penthesilęa: quę dum Troianis suppetias ferret, ab Achille interfecta est. Qua mortua reliquę iam ęgrè se tutantes, ad Alexandri ętatem durauerunt. Huius MINYTHIA concubitum per dies xiij obtinuit, vt filium haberet paternę virtutis heredem. Hanc alij Thalestrin, alij Minotheam vocant: & cum trecentis millibus contra Alexandrum profectam, pacis causa iugum illius corpore suo tulisse asserunt. Volat. lib. 13. ca. 3. Anthropolo. & Rauis.

HARPALICE Amazonum vna. Verg. lib. 1. Æneid.

--- Vel qualis equos Threissa fatigat Harpalice.

HIPPOLYTE Amazonum regina, quum instar cęterarũ bello insuesceret, ausa est arma capere in Theseum, à quo capta, & in vxorẽ ducta est. Propertius:

Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.

HARPE, Amazonum vna. Val. Flaccus lib. 6.

In eo bello, quo Aurelianus, qui equitibus tum temporis sub Claudio præerat, in Illyrico pugnauit, decẽ MVLIERES virili habitu pugnãtes captæ sunt, quas ex Amazonum genere nonnulli fuisse putant. Valer. lib. vigesimo tertio Anthrop.

LACÆNÆ mulieres virorum obibant munera, sese in gymnasio, in bello, in venatione exercentes. Hæ cum viris in certamen aduersus Messenios fortiter descenderũt. Quotquot audiuissent filios suos in pugna cecidisse, abire solebant, & inspicere vulnera tam cominus, quàm eminus inflicta: & si plura ex aduerso essent facta, cum gaudio, magnaq; quadam grauitate, & aspectus toruitate, in malorum auita monumenta filios deferebant. Sin alio loco vulnera accepissent, pudore suffusę lachrymisque confectę, quàm maximè poterant, clandestina fuga discedebant, relictis mortuis, vt in communi sepulchro humarentur: aut furtim surreptos in domestica sepulchra deportabant. Ælian. de Varia histor. libro duodecimo.

Cleomenes, Spartiatarum rex, interfectis in prelio Argiuis viris ad septem millia, septingentos, septuagintaseptem, iter Argos direxit, vt per vim vrbem caperet. TELESILLA poëtria Argiuas armatas ad pugnam eduxit: quæ armatę in propugnaculis stantes, circumcirca muros tuẽtes, Cleomenem repulerunt. Demaratum verò alterum regem etiam expulerunt, vrbemq; à periculo vindicarunt. Ob hoc mulierum stratagema vsq; in hodiernum diẽ Argiui celebrant numenia cuiusq; mensis, mulieres virilibus tunicis & chlamydibus, viros autem peplis muliebribus amicientes. Polyęn. lib. octa. Vide tit. Pręmia fortitudinis, statuę.

CANDACE Æthiopum regina, imperitabat virili animo, contra Petronium Ægypti pręfectum & alios, licet altero capta oculo. Volaterra. lib. 18. Anthrop.

CYNANE Philippi filia, bellica negocia tractabat, exercitúsque ducebat, & cum hostibus manum conserebat. Cum Illyriis signa conferens, reginam eorum Cæriam in collum inflicto vulnere prostrauit, multósque Illyriorum fugientes interfecit. Nubens autem Amyntæ filio Perdiccæ, cùm eum subitò amisisset, noluit secundò maritum experiri. Sed cùm vnam ex Amynta filiam haberet Eurydicem, eam in artibus militaribus exercuit. Alexandro verò Babylone vita defuncto, & successoribus nouas res molientibus, ausa est ipsa Strymonem traiicere. Eam cùm Antipater impediret, vim arcentibus adhibuit, & transmisit: & omnibus quos obuiam habebat debellatis, transiuit in Hellespontum, vt se cum Macedonum exercitu coniungeret. Vbi cùm Alcetas cum infestis copiis obuiam ei procederet. Macedones conspicati Philippi filiam, & sororem Alexan-

dri, pudore affecti animum mutarunt. Illa exprobrans Alcetæ ingratitudinem, neque multitudinem hominum, neque armorum apparatum reformidabat: sed animosè cædem tulit, mortem potius oppetere statuens, quàm Philippi genus regno priuatum & exutum videre. Polyæn. libro octauo.

SEMIRAMIS inter lauandum de Siracum defectione cognouit: & repentè sine calceis, nondum compositis crinibus, ad bellum exiuit. Columnæ autem eius hæc inscripta sunt: Me natura quidem mulierem finxit, at ego rebus gestis nullo fortissimorum virorum inferior extiti, Etonisque regnum tenui, ad orientem terminans fluuium Hinamamen, ad meridiem eam terram quæ thure ac myrrha abundat ab hyeme, Sacchas & Sogdos. Mare antea nemo Assyriorum vidit. Ego vero quatuor, quibus propter lõginquitatem appropinquare nemo potest. Quis enim ea impetus continet? Fluuios coegi fluere, quócunque vellem. Volui autem, quò conduceret, terram sterilem fœtam reddidi. fluuiis enim meis eam temperaui. Munitiones inuictas constitui. Inuias petras ferro domui. Vias meis pecuniis straui, quas ne feræ quidem prius ambulauerãt: & à rebus gerendis satis mihi superfuit temporis, quod mihi & amicis impertiui. Polyæn. lib. 8.

Ea fuit animi fortitudine Scytharum, seu potius Massagetarum regina Tomyris, vt amisso exercitu & filio, quem Cyrus interfecerat, animum tamen non remiserit, aut desperauerit victoriam. Nam quo tempore lugendus erat filius, & exequiis vacandum, & incredibili virtute fœmina victorem iam gloriosum, & nihil sibi non promittentem, regno iussit excedere per legatos. Quod mandatum quum nihili fecisset Cyrus, non prius suos hortari, & ad profligandum barbarum desijt animare, quàm simulata fuga, hostem in meditullium regni sui pellexerit, pellectũ numerosa militum caterua circumsepserit, circumseptum vicerit, victum interfecerit, interfectum coniecerit in vtrem plenum sanguinis, vt eo se saturaret, quem tantopere sitiuerat. Herodotus.

RHODOGVNE lauans crines abstergebat. Venit quidam nuncians subditam gentem defecisse. Illa non abstersis capillis, sed ita vt erant reuinctis, equum conscendit, & exercitum eduxit, iurauitque non antè se crines purgaturam, quàm à defectoribus victoriam reportasset: longóque tempore bellum ducens, tandem victoria potita est. Post victoriam lauabat, & crines colligebat: vnde Persarum regum sigillum etiamnum imaginem impressam habet, Rhodogunen disiectis capillis præditam. Polyæn. lib. 8.

Persæ cum Medis prælium committebant, duce Cyro. Satrapa Cyri Oebares fugam incœpit, & quantum is præibat, omnes Persæ sequebãtur. Tum Persides fugientibus obuiam processerunt, sublatis tunicis: &, Quò, inquiunt, contenditis? Vnde egressi estis, eò introire rursus vultis? Hæc mulierum verba pudorem attulerant Persis. Itaque reuersi ad pugnam, Medos in fugam converterunt. Polyæn. lib. 7.

TANIA, Zenidis Dardaniarum vrbium principis vxor, defuncto marito, regnum ipsa Pharnabazi auxilio gubernauit. Ipsa verò ad pugnas curru vehebatur, & præcepta pugnãtibus dabat, ordinésque instruebat, victoriæque præmia pro dignitate militibus distribuebat. Nullus hostis eam vnquam superauit. At Medias cùm filiam eius in vxorem duxisset, & fidelis ob affinitatem esse videretur, clàm ingressus eam confecit. Polyænus lib. 8.

HYPSICRATEA, Mithridatis coniunx, in omni bellorum discrimine adiutrix astitit marito. Quinetiam capillos sibi rasit, ne ferẽdæ galeæ essent impedimento.

Ætolis longo tempore cùm Acarnanis bellum gerentibus, ad extremum per proditionem in vrbem irruentibus, viri in subito periculo fortiter dimicarunt. Fœminæ in tecta ascendentes partim lapidibus, partim lateribus iacientes, multos ex hostibus interfecerunt. Viros autem cædentes, & penè victos, ipsæ tum cohortando, tum exprobrando, nonnũquam etiam supplicando, ad pugnam reuocarunt. Postquam verò rursus animosè pugnantes caperentur, mulieres in tantũ adhærescebant corporibus maritorum, aut parentũ, aut fratrum, vt eas in complexibus hærentes, hostes auellere non possent, & cum ipsis viris occidere cogerentur. Polyæn. lib. 8.

Pyrthus Epirotes in Argiuorum solum expeditionem faciebat, vocãte eum Aristeo Argiuo. Argiui cum armis in forum concurrerunt. Mulieres eorum tectis præoccupatis, Epirotas desuper iacientes, retrocedere coegerunt, ita vt etiam Pyrrhus ducum omnium fortissimus, incidente in caput latere occumberet. Argolides verò insignem gloriam inter Græcos adeptæ sunt, quòd Pyrrhus vir bellicosissimus non à viris, sed à fœminis Argiuis confectus cecidisset. Polyæn. lib. 8.

Celtæ intestina seditione laborabant. Qui cum iam ad bellum arma sumpsissent, Vxores eorum se inter medias acies opponentes, crimina deprecabantur: & transegerunt, vt viri in gratiam redeuntes, litem deponerent. Et vicatim, oppidatímque in posterum, si quando Celtæ consilium ineunt, de bello, de pace, aut etiam aliis quæ communiter ad ipsos aut ad socios pertinent, singula de mulierum sententia administrãtur. In fœderibus igitur cum Hannibale factis continetur, ne Celtæ Carthaginensibus exprobrent, Carthaginensium Hipparchos atque duces esse iudices: neque Celtis Carthaginenses obiiciant, Celtarum mulieres iudicare. Polyæn. lib. 7.

Arcesilaus, Batti Cyrenensium regis filius, per seditionem exactus à multitudine, imperio priuatus est. Mater eius Pheretima, progressum regem è Salamine in Cypro adnauigãs, suppliciter rogabat, vt auxilium ferret. Cyprius supplicationem ac preces neglexit. Ad extremum Arcesilaus in Græcorum exercitu militans, magnas opes nactus, rediens imperium recuperauit: cúmque acerbissimis suppliciis inimicos suos puniret, à finitimis Barbaris interfectus est. Pheretima in tantis calamitatibus animum non abiecit, sed ad Ægypti principem Aryandem confugiens, & quædam sua in Cambysen merita commemorans, magnis copiis terrestribus ac naualibus coactis, intolerabilem se Cyrenẽsibus præbuit, sic vt etiam filij mortem persequeretur, & generi imperium restitueret. Polyæn. lib. 8.

Ptolemæus cum Cyrenensibus bellum gerebat. Illi ducem ex Ætolia Lycopum euocantes, ei summam omnium rerum potestatem permiserunt. In pugnis Cyrenenses priores pericula subibant. Mulieres verò eorum valla munire, fossas ducere, tela adferre, lapides apportare, vulneratorum curam gerere, cibaria comparare. Deceptis autem viris Lycopo statum in Monarchiam transferente, in tantum Monarchiam blasphemiis affecerunt, vt exasperatus plurimas earum interficeret, sponte sua ad cædem accurrentes Polyæn. lib. 8.

CLEOPATRA Ægypti regina, Dionysij Auletis filia, quum mortuo iam Cæsare Antonium in amorem sui pellexisset, præter Syriæ & Arabiæ regnum ausa est Romanum quoque imperium superare. Quum ergo magis ac magis indies cresceret libido dominandi, imperium ipsum ab Antonio petere non dubitauit. Quod quum exorasset, sumptis cum eo ramis, in Augustum, eiúsque generum Agrippam copias duxit, mouítque bellum, cuius fortuna anceps aliquandiu pependit. Victis ad extremum Antonianis effrænata mulier cecinit receptui, ac se in pedes dedit cum adultero. Quos secutus victor Augustus ita oppressit, vt neglecta pacis conditione, Antonium ad inferendam sibi mortem compulerit. Quo extincto, vbi nullum rebus afflictis subsidium vidit Cleopatra, brachium aspidi mordendum præbuit, ne in triumphum captiua raperetur. Rauis.

ARTEMISIA regina Halicarnassi, in auxilium Xerxis contra Græcos veniens, inter primores duces bellum acerrimè gessit. Suidas: Iustinus lib. 2. Orosius lib. 2 cap. 10. Vbi Artemidoram vocat. Bocatius de Claris mulieribus cap. 55. Herodotus in Polyhymnia libro 7. Huic primam etiam palmam naualis pugnæ ad Salaminem factæ rex detulit, & in ipso tempore dum prælium committeretur, rex videns eam strenuè pugnare, viros autem timidius, exclamauit: O Iuppiter, ex viris mulieres fecisti, & ex mulieribus viros. Polyæn. lib. 8.

Cunabula Camillæ Volscorum reginæ manifestum futuræ virtutis lumen promiserunt. Nam ab ipsa iam tum infantia, non molliculis inuoluta est pannis, non à blandientibus nutriculis educata, sed à patre Metabo in mediis syluarum latebris ferino lacte pasta est. Relictis demum crepundiis paulò prouectior facta, neque tractandis insueuit lanis, nec fusos aut pensa manibus accepit: sed ferinis amicta pellibus, fundas cœpit circumagere, complicare arcus, sagittas torquere, ceruos & capreas lassare cursũ. Cui virtuti adiecit, studium virginitatis. Orto demum inter Turnum & Æneã bello, Rutilis adhæsit, fuitque ductrix copiarũ. Quam eius virtutem Vergilius in fine 7. Æneid. describit.

CLOELIA Romana inter cæteras virgines obses Porsenæ data hosti, nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit: celerique traiectu fluminis, non solùm obsidione, sed etiam metu, patriam soluit. Viris puella lumine virtutis præferenda. Val. lib. 3. cap. 2.

Apud IAXAMETES Scythicam gentem, virgo nisi quæ hostem confecisset, nulli nuptui dabatur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

MAVVIA Saracenorum regina bellicosissima. Vide tit. Conuersi.

ZENOBIA regina Palmyræorum, post Odenati viri mortem, in Syria Romanum rexit imperium: numeratúrque inter XXX. tyrannos, qui tempore Galeni orbem vsurpauerunt. Superata tandem ab Aureliano, ac in triumphum ducta fuit, eique principis clementia Tyburi possessio concessa, vbi honestè ageret. Ad cõciones galeata procedebat, cum limbo purpureo gemmis dependentibus, voce clara, moribus seueris, &c. Ex Pollione.

Syllius libro secundo ait. Tyburnam Saguntinam fuisse Murrhi vxorem & bellatricem.

TEVCA Illyricorum regina viris fortissimis imperauit, & Romanorum vires fregit sæpenumero. Fuit Argonis vxor. Rauis.

AMALASVNTHA Gothorum regina, principata est apud Rauennam: Burgundiones & Alemannos Liguriam populantes Italia repulit, adiuuante Theodato, quem regni consortem susceperat. Volaterranus.

BELLOVACÆ mulieres à Carolo Burgundiorum duce longa obsidione fatigatæ, mœnia defenderunt, & obsessorem è scalis in fossas vrbis detruserunt, reportatis ad suos vexillis Rauis.

BONA Longobarda, bellatrix puella, floruit anno Domini M. CCCC. LXVIII. Nupsit Brunorio Parmensi, egregio bellatori. à teneris annis lustrabat syluas, venatricibus stipata canibus: maritum in omni discrimine comitabatur: quem quum Alphõsus rex Siciliæ aliquando certa de causa in vincula coniecisset, miserta captiui fœmina ad diuersos principes instar Pegasarij cursoris cucurrit, vt ab eis literas & patrocinium obtineret pro viri salute, quod obtinuit. Idem.

MARGARITA Henrici sexti Britanniæ regis coniunx, aciem viri deficientem restituit. Idem.

IOANNA, quam Pucellã à virginitate Galli vocant, nõ tutata est solũ, verùm etiam ex Britannorum manibus recepit Galliã, diu antè à Britannis oppressam. Regnante enim Carolo sexto, qui insanus dicebatur, cùm Parrhisiorum vrbem magnámque Gallici regni partem Britanni possiderent: Ioanna Iacobo Arco patre orta, inope pastore, in Lotharingorum pago qui Dampremum dicitur, cùm nõdum 15. annũ superasset, propter admirandas visiones fatidica putabatur. A Carolo igitur Lotharingorũ principe, ad Robertum Baudiricurtum in Vallicore militarem Gallorum

Gallorum ducem, & ab ipso ad VII. Carolum regem in Gallia designatum missa fuit. Huic, cum largè victoriam polliceretur, non antè fides habita fuit, quàm experiendo in multis quæ futura prædicebat, verax inuenta est. Ita fidem adepta, delatam tandem Gallici exercitus summam atque imperium suscepit. Armata igitur, atq; ingenti equo insidẽs, cum voce gestúque à vero militari duce non abesset, ingenti animo Aurelianorum vrbem arcta obsidione ab eis oppressam liberauit, vbi pugnando vulnus in humero accepit. Nec verò armorum fragor, effusúsque in prælio sanguis, & sæua mortis genera, quibus cadere in prælio pugnantes intuebatur, virginis animum terruerũt, sed & ducis & militis munia impleuit. Inde exercitu ad Trecas perducto, vrbem eam contra omnium sententiam adorta cæpit, Carolumq; septimum, qui designatus rex erat, diademate, vt moris erat, Rhemis insigniri iussit: Salutisque anno quadringentesimo vigesimonono supra mille, cùm Parrhisiorum vrbem oppugnaret, inter primos milites in muros ascendit, neque quanquam crure sagitta traiecto ab incœpto destitit: tantumque formidinis de se Britannorum animis iniecit, vt quemadmodum antè Britannorum Galli conspectum non sustinebant, ita postea Pucellam Britanni ferre nõ possent. Fulgos. libro tertio, capite secundo. Cæterùm Rhotomagum contendens, quum eam vrbem aliquandiu frustra obsedisset, ab Anglis eruptione facta capitur. Eam per summum gaudium captam, tãquam simulatæ religionis ream comparata ingenti pyra concremarunt. Galli verò tantæ virtutis libertatisq; receptæ memores, eam vbique pictam veluti familiare numen colunt. Egnat. lib. 3. cap. 2.

VALASCA virgo Bohema, quam Libussa tertia Bohemorum dux, virtute fœmina insignis aluit, tanto studio dominæ mores imitari studuit, vt ea defuncta cuipiam amplius seruire dedignata, Amazonũ Lemniadumq; exemplo, permultas Bohemas mulieres ad perdendos viros impulerit: arreptisque armis, vt imperium sibi eius generis vendicaret, Primislaum Bohemorum ducem in Visegradi arce, quæ munitissima erat, obsedit. Quam rem vt supra vires suas difficilem animaduertit, haud lõgè à loco munitissimo oppidum statim condidit, quod Dieuizon nũcupauit, id verò illius gentis lingua virginẽ significat. Non multo verò pòst prælio cum Bohemis commisso, vera virtute eos vicit, atque in fugam compulit, occisis manu sua in eo prælio septẽ viris. Quæ cùm virtute inuicta putaretur, à Primislao prodita vnà cum aliis quæ cum ipsa erãt, fortiter pugnando non antè libertatem quàm vitam amisit. Ibidem.

Franciscus Petrarcha in Epistolis scribit, se vidisse Puteolis, haud longè à Neapoli, virginẽ MARIAM nomine, abiecta muliebri veste, propter seditiones, quibus ea regio erat infesta, virilem amictum armáque induisse: belli adeò studiosam, vt quocunq; in loco cum hoste manus cõserendæ essent, prima prælium iniret, neq; nisi editis antè claris facinoribus, acceptisque multis vulneribus ex acie se reciperet. Viribus ingens hæc virgo, in militari exercitatione sudem ferream iaculando, alios viros (id quod se præsente sæpius factum Petrarcha testatur) corporis robore superabat: ita vt omnes in sui admirationem conuerteret. Sed longè illud in ea præclarius, quòd assiduè inter viros versata, in armis agens in summa viuendi libertate, incolumem pudicitiæ laudem seruauit. Fulgos. lib. 3. cap. 2. & Egnat. lib. 3. cap. 2.

Haud dissimili virtute, apud oppidum Guastallum, VRSINA, Guidonis Taurelli, primi Guastallæ comitis coniunx, cùm intelligeret bello à Venetis moto, viro absente Guastallum Venetorum armis oppugnari, arma virili animo induit: factoq; in hostes impetu, oppidum multis hostium, atq; inter eos aliquot manu sua occisis, egregiè defendit. Idem.

Mortuo sine liberis Morinorum duce, quos posterior ætas vitiato nomine pro Britannis Britones nuncupat, Ioannes Montis fortis comes, vt hæres in ducatu successit: initaque societate cum Eduardo tertio Britãniæ rege, qui etiam Gallici regni titulum sibi asciscebat, in Nannetensi vrbe, ciuibus id permittentibus, à militibus Philippi Valesij Gallorum regis captus, atque ad Parrhisiorum vrbem, vbi periit, perductus est. Itaque cum Ioannes Blesensis comes, agnationis iure, Britonum ad se pertinere ducatum assereret, eiusq; possessionem tentaret, Montisfortis comes, Ioannis qui à Gallis captus dolo fuerat CONIVNX, armis intrepidè arreptis, terra mariq; Blesensi comiti obstitit: neque antè destitit, quàm eo in prælio occiso, filiis suis liberum Britonum ducatum reliquit. Ibidem.

MARGARITA, Vuoldemari Sueciæ regis filia, Aquini Noruegiæ regis vxor, horum regnorum propter patris coniugisq;, item Daciæ propter Olai filij mortem hæres: cùm ei Albertus Monopolensis dux bellũ intulisset, comparato exercitu armata aduersus Albertum profecta, prælio eum vicit, cæpitq;: & Romano more de capto triumphauit. Idem.

ORIETA Auria, Genuensis fœmina (quo tempore Catalusij Mitylenis in Lesbo rerum potiebantur, profecta Amurathi Turcarum regis ingens classis, vt insulam occuparet, Molagum oppidum oppugnare cœperat, vbi Lucas Orietæ coniunx magistratum gerebat) sola cum tribus comitibus, sumptis armis, nõ modò pugnando pericula omnia subiit: verùm confirmandis eorum animis quoque qui iam attoniti de deditione cõsilia inibant, sapientis ducis munia impleuit: agendóque atque hortando tantum effecit, vt Turcas ab oppido magna cum strage & dedecore repelleret. Idem.

Bello Venetis à Mahometo Turcarum rege moto, cùm classis ingens Mitylenas adorta esset, Coccinumque oppidũ in ea oppugnare cœpisset, virgo MARVLLA, cum cõtra Turcas oppidani eruptione facta acriter pugnarent, vt patrem inter pugnantes occubuisse conspexit, Coccinorumq; aciem ad fugam spectare: nõ lachrymis aut fœmineo vlulatu proprio dolori communiq; saluti occurrit, sed veluti muliebri abiecto sexu, patrísque assumpta virtute, ante alios paterno clypeo gladióque armata, in primam aciem prodiit: vbi acriter pugnando, hostes, qui iamiam se oppidum irrupturos sperabant, vera virtute à muris repulit, cùm eam sequeretur Coccinus populus, quem subpuduit armis arreptis, ea virginem efficere, quæ antea populus totus ausus non erat Ibidem.

FORTITVDINIS BELLICAE EFFECTVS, VICTORIA.

Victoria inter fortunæ bona referri consueuit. Cuius cùm variæ causæ possent esse, nos in præsentia de illa tantum verba facimus, quæ interno animi robore potissimùm nititur.

QVI SAEPE VICTORES FVERVNT.

Exempla quædam ex tit. Stratagematum peti possunt.

NINVS, primus Assyriorum rex (cum principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges esset, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat, quibus fines imperij magis tueri quàm proferre mos erat) primus omnium, veterem & quasi auitum gentium morem noua imperij cupiditate mutauit: primus bella finitimis intulit, ad Libyæ terminos vsque perdomuit, magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmauit. Domitis proximis (cùm accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset) totius orientis populos subegit. Diodorus Sicul. libro tertio: ex Ctesio Gnidio. Iustinus libro primo, ex Trogo. Sabellicus libro primo Ennead. 1.

THEARCHO, Æthiopiæ rex maximus, externas gentes subegit, Europæque populos, vsque ad Herculis perueniens columnas: vt author est Strabo, ex Megasthenis historia.

IDANTHYRSVS Scytharum rex, bello res magnas gessit: multum Asiæ subiugauit, & totam propè Ægyptum peruagatus est. Rauis.

CYRVS Persarum rex summa in bellis felicitate vsus est: quamcunq; gentem inuasit, illam subegit. Ad vltimum tamen, cùm Massagetas quoque inuasisset, à Tomyri eorum regina interfectus, & humano cruore satiatus est. Herod lib. 1.

DARIVS Hystaspis filius Babylonios perdomuit. Ionas nauali prælio superauit. Atheniensibus congressus est, sed magno suo incommodo. Rauis.

ANTIOCHVS Maximus Syriæ rex, Babyloniam, Ægyptum & Iudæam patrio adiecit imperio. Græciam cum sexaginta millibus intrauit. Idem.

DEMETRIVS Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, traiecto Euphrate Babyloniam occupauit, Athenas à Cassandri & Ptolemæi imperio redemit. Cyprum, expugnato Ptolemæo, nauali bello recepit. Bœotios accepit in deditionem. Pyrrhum ab oppugnatione Thessaliæ repressit. Ad extremum fortuna insidiante venit in manus Antiochi. Idem.

MITHRIDATES Phraatis filius, Parthorum auxit imperium, Armenios nunquam antea sub iugum missos adortus est. Babylonios accepit in deditionem, fratre interfecto, quem subditi regno præfecerant ob ipsius Mithridatis crudelitatem. Cum Romanis bellum gerens, Crassum cum filio ac toto exercitu deleuit. Idem.

SELEVCVS Nicanor, rex Syriæ, Babylonem cæpit, Bactrianos expugnauit, penetrauit ad Indiam. Compositis in oriẽte rebus Lysimachum domuit, & interfecit. Trogus lib. 15. & Volat. in Georg.

CONON dux Athenien. fuit bellica virtute clarissimus, qui Lysandrum Lacedæmoniorum ducem terrestri prælio vicit, & Athenarum restituit libertatem. Vnde factum adagium, Bellum Cononi curæ fuerit. Iustinus lib. 5.

PHOCION Atheniensis quadragies quinquies cum imperio præfuit exercitui, & potuit gregarij militis vita illustrari, si quis tot stipendia fecisset, quot ille obiuit imperia. Sabellicus de Senectute decrepita lib. 1. cap. 7.

LACEDÆMONII ante Leucturicam cladem, nullum vnquam belli aduersum casum experti fuerant, eoque se nunquam pedestri pugna victos gloriabantur. Nam Leonidæ regi suo, parta ferè victoria, quo minus ad Thermopylas Persas ad internecionem deleret, fatigati longa pugna militis robur defuisse asserebant. Et quæ Athenienses Demosthene duce ad Sphacteriã insulam gessissent, belli potius furtum quoddã, quàm victoriam fuisse. Prima illis illata est in Bœotiis clades: alterá (qua maioré

in modũ opes eorũ afflictæ sunt)ab Antipatro & Macedonibus acceperũt.Iã tertiam eorũ finibus calamitatem intulit,illatũ insperãtibus à Demetrio bellũ.Quartò Pyrrhus Epirotarum rex eos acie vicit:parúmque absuit,quinetiam vrbe ipsa potitus esset.Pausanias in Atticis.

CLEOMENES dux Lacedæmoniorum, Aratum ducem Achæorum multis affecit cladibus. Argos antea nulli expugnatum in potestatẽ recepit.Annos XIIII.felicissimè imperauit,reliquit multas illustres victorias.Rauis.

GYLIPPVS vir Lacedæmonius,bello strenuus,Athenienses multis bellis multisque cladibus affecit.Tibullus lib.4.

Non magni potior sit fama Gylippi.

TIMOLEON Corinthius,dux viribus fortissimus,arcem Dionysij solo æquauit,Syracusanis libertatem restituit: contra Leontinos pergens, eorum tyrannũ Icetem in bello captum interfecit.post hæc Mamercum Cataniæ tyrannum in fugam vertit, duobus hominum millibus occisis. Leptinum,qui Apolloniam per vim cæperat, captum ac victum Corinthum misit.Carthaginenses Siciliam bello inuadentes superauit,castráque eorum diripuit.Plutar.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus, Cransidis F. pro Achæis contra Lacedæmonios pugnauit,eorúmque duces variis afflixit cladibus.Cleomenem deinde Macanidam,Messenios quoque Onabi tyranno,superato imperio Achæorum subiecit.Postremò Dimocratem Messenium, cuius opera Messenij rebellauerant,vicit.Plut.in Epitome.

PHILIPPVS Macedo in Illyricum penetrans, multa hostium milia cecidit,vrbem nobilem Larissam cæpit. Inde Thessaliam improuisus expugnauit:item Methonem Magnesiæ vrbem. Lectus dux à Thebanis contra Phocenses, eos abiectis armis fugam capessentes cæpit, ac diripuit.Olynthios aggrediens, vrbem antiquissimam deleuit. Duobus fratribus Thraciæ regibus cum exercitu superuenit, regnóque vtrumque spoliauit.Arisbam Epiri regem regno deiecit, Scythas stratagemate superauit.Iustinus lib.7.8.& 9.

ALEXANDER Macedo tam bellicosus fuit, vt nemo fortium Imperatorum aut regum illum rerum gestarum gloria superarit. Nullus tantum terrarum subegit armis, aut tam numerosos profligauit exercitus. Nihil de bello tam arduum & difficile tentauit, quod non sit demùm adeptus:& quod eius fœlicitati,vel vigori potius, inuictóque animo iure imputes, nulli de tot gentibus tam celebris victoria contigit. Tantum enim terrarum cæpit, quantum obequitare potuit. Sabell. de Iuuenta lib.1.cap.5.Viginti natus annos, Thebas euertit. Traiecto Hellesponto Ilium profectus est:vbi animaduerso Achillis sepulchro Achillem ipsum fœlicem prędicauit,quòd laudum suarum pręconem habuisset Homerum. Darium Persarum regem ad Granum flumẽ perdomuit. cæsis viginti Persarum millibus: vbi Darium ipsum cum vxore & filiabus captiuum duxit,quem tamen iterum donauit venia.Verùm vbi tertiò redintegrasset copias,victo regnum eripuit. Eius tamen interfectorem Bessum supplicio affecit.Scythas demùm lacessiuit. In India Porum regem numerosis armatum copiis, & quatuor cubitis cum palmo procerum,fudit:cui & pepercit.Curtius & Plut.

L. Q. CINCINNATVS ex agro vocatus, & Dictator dictus, Minutium in Algido monte obsessum,obsidione liberauit, à quo corona aurea obsidionali donatus est.Vicit hostes,duces eorum in deditionem accepit,& in triumpho ante currum egit.Iterum post annos XX. dictator contra Fidenates dictus,fortiter pugnauit. Magistrum equitum Cornelium Cossum habuit,qui & Lartem Volumnium ducem sua manu interfecit.Quintius verò Sp.Melium regnum largitione frumenti adfectantem,in exercitu suo à Seruilio Hala magistro equitum necari iussit.Liuius lib.3.& 4.

M. CVRIVS Dẽtatus triumphauit de Samnitibus,iterum de Sabinis, tertiò de Lucanis ouans vrbem ingressus est. Pyrrhum Epirotarum regem Italia expulit.Legatis Samnitum aurum offerentibus, respondit se malle imperare aurum habentibus,quàm accipere.Rauis.

PAVLVS Æmylius,Æmylij Pauli consulis, collegæ Terentij Varronis,filius,de Liguribus triumphauit:Perseum Macedoniæ regem cæpit, demùm in triumphum duxit.Proconsul in Hispania, cum Vascetanis & Lusitanis aduerso marte pugnauit. Anno tamen sequenti Lusitanos fudit, cæsis ex eorum exercitu XVIII. millibus, captis verò D.XXX. Idem.

L. ATTILIVS Colatinus consul, cùm totam Siciliam suis militibus peruagatus esset, paucis nauibus magnam hostium classem cum duce Hamilcone superauit.Liuius lib.decimoseptimo & decimonono.Volat. lib.13.cap.3.Anthrop.

CN. DVILLVS consul Hannibalem bello nauali superauit,profligatúmque turpiter parua scapha aufugere compulit.Volat.lib. 13. capite 3. Anthrop.

M. ATTILIVS Glabrio consul in bello Macedonico, M. Portium Catonem,& L.Valerium Flaccum,consulares ambos secum duxit:& Antiochum & Ætolos eius auxiliares insigni clade apud Thermopylas, auxiliante Philippo,bello nauali vicit.Liuius de bello Macedonico.

M. CLAVDIVS Marcellus,vir in primis bellicosus,Gallos, qui superatis Alpibus,Insubribus sese coniunxerant,iuxta Padum vicit,interfecto Viridomaro eorum duce.Vnde spolia opima tertiò post Romulum & Cossum retulit Ioui Feretrio.Deinde Consul apud Nolam,Hannibalem primò omnium superauit.Inde tertiò Consul contra Syracusas profectus,triennio vrbem expugnauit.Plutarchus & Val. lib.3. capite 2. & Pont.lib.5.cap.1.

Fregit Q. FABII Maximi prudentia non minus Pœnum,quàm Marcelli inuictus animus: ac nescio an salubrior etiam fuerit Fabiana maturitas iacenti & afflictæ patriæ,quàm Marcelli ferocia. Hic Punicas vires primus fregit,ille ludificatus est:traxit hic quò voluit,ille quà hostis noluit,ire coegit: vicit hic sæpe, éstque aliquando & ipse victus. ille citra cruorem exercitum, quò voluit egit. Felicior euentu Fabij,quàm Marcelli virtus:hic in insidias præcipitatus concidit,ille pace parta vniuersę Italię consensu,graminea est corona donatus,qui postmodum altissimo senio naturæ concessit.Val.Max.

C. SVLPITIVS Potitus, dictator creatus, reliquias Brenni apud Præneste stratagemate vicit: multis agasonibus in insidiis collocatis, vnde triumphum egit.Deinde consul Soram expugnauit, Samnitésque apud Maleuentum superauit,cæsis ex eis ad XXX.milia.Frontin.lib.2.& Liuius lib.7.

Romani cùm aduersus Cretenses bellum gererẽt,Q.Metellus in Cretam missus,totam insulam cæpit:ac etiamsi à Pompeio Magno impediretur(qui per id tempus habebat totius maris imperium,& continentis) tamen eo inuito bellum hoc magna animi fortitudine confecit: de hostibus triumphauit,& à rerum gestarum gloria Creticus cognominatus est.Dion & Xiphilinus in Pompeio.

L. LVCVLLVS cæsis supra centum milibus peditum, cataphractisq; admodum paucis incolumibus,castris & præda omni potitus,hanc prudentiæ ac fortitudinis laudem tulit, vt diuersissimis artibus cum parua manu duos potentissimos reges,Mithridatem Ponti, ac Tigranem Armeniæ: illum cunctando, hunc celeritate summa vtendo,breui tamen vtrumque fregerit,Pont.lib.5.cap.1.de Prudentia.

Q. SERTORIVS Hispanos disciplinam rei militaris Romanorum didicit.Dux Lusitanorum delectus,paruis copiis multas vrbes subegit.Quatuor Romanorum duces cõtra eum missos variis cladibus adflixit, Cottam nauali prælio apud Mallatiam superauit. Phidiam Hispaniæ prætorem cum duobus millibus Rom.ciuium interfecit, Domitium proconsulem contriuit, Toranium à Metello missum cum toto exercitu deleuit. Volat.lib.19.Anthrop.

L. CORN. SYLLA Iugurtham à Boccho in deditionem accepit, bello Sociali Samnites Marsósque superauit, Consul Asiam sortitus est. Mithridatem apud Orchomenium & Cheronam prælio fudit, Archelaum præfectum eius Athenis vicit, portum Pyreneum recepit, Medos & Dardanos in itinere superauit, Carbonem ex Italia expulit, Marium apud Sacriportum, Thelesinum apud portam Collinam vicit. Nouem milia deditiorum in via publica occidit.Hæc Cæcilius.

P. SCIPIO Africanus,annum agens XVII. principio secundi belli Punici ductus in castra,circumuentum ab hostibus patrem liberauit. Post Cannensem cladem,quum iuuẽtus de relinquenda Italia cogitaret, ipse gladio supra capita erecto iurare singulos coegit, se non relicturos patriam.Mortuo in Hispania patre, quum omnes id bellum refugerent, sponte se obtulit, natus annos XXIIII. vbi Carthaginem nouam vno die expugnauit,Asdrubalem superauit, Masinissæ nepotem in bello captum auo remisit.Syphacem regem vi cæpit.Annibalem ex Italia accersitum superauit, Carthaginémque Romanis fecit tributariam. Reuersus Romam triumphauit. Consul in expeditionem Asiaticam profectus, omnia suis auspiciis rexit. Antiochum sub iugum misit. Accusatus demùm, quòd prædam Asiaticam non totam in ærarium contulisset, Linternum secessit in villam suam, pertæsus ingratitudinem vrbis. Liuius, & Plutarchus.

HANNIBAL Amilcaris filius,viginti annos natus, Saguntum expugnauit.In Italiam quinto mense,superatis Alpibus, ab Hispania peruenit.Apud Ticinum Corn.Scipionem,patrem Africani maioris,occurrentem superauit. Sempronium consulem apud Trebiam ingenti clade affecit. G. Flaminium quoque profligauit ad Thrasymenum, interfectis ex eius copiis XXV. millibus. P. Æmylium & Terentium consules cum exercitu deleuit apud Cannas, vbi senatores XC. alij ad XLV. millia perierunt, vbi & annulorum modij tres reperti sunt. Inde omnium metu accessit proxime Romam,& ad tertium vsque lapidem Claudium Marcellum Romanorum ducem iterum fudit, & ad extremum victus à Scipione Romam liberauit metu.Liuius.

ATTILIVS Regulus consul fusis Salentinis triumphauit.Primus Romanorum ducum in Africam classe traiecit. Quassata Amilcaris classe naues lõgas LXIII.oppida CC.ac totidem hominum millia cæpit.In Africa portentosæ magnitudinis serpentem occidit. Captus demùm insidiis Xanthippi Lacedæmonij, miserabili exitu ab inimicis enecatus est. Rauis.

T.Q. FLAMINIVS (eius Flaminij filius,qui ad Thrasymenum Hannibali inauspicatè congressus cecidit cum exercitu) Philippum Macedoniæ regem prælio fudit, castris exuit.Thessaliam,iuuantibus Ætolis & Acarnanibus,vexauit.Ciuitates quæ sub Philippo erant, per præconem liberas esse pronunciauit.Demetrium obsidem accepit, quem postea pecunia multatum in regnum restituit. Nabin Lacedæmoniorum tyrannum subegit. Legatus in Græciam contra Antiochum & Ætolos ad confirmandas in fide Romanorum ciuitates missus est.Rauis.

C. MARIVS septies consul, Iugurtham captum in triumphum duxit.Cimbros in Gallia,Teutones in Italia oppressit,déque his triumphauit.Apuleium & Glauciam prætores seditiosos interemit.Syllam victum coegit Minturnis delitescere inter paludes. Spiculatorem Gallũ ad inferendam sibi mortem missum, vultus maiestate deterruit. Plutarchus & Liuius.

CN. POMPEIVS Magnus Syllæ primùm partibus adhæsit. Domitium expugnauit. De Iarba rege Mauritaniæ triumphauit, nondum patientibus

annis.Contra Sertorium in Hispaniam profectus,Metelli copiis se coniungens,eum cum tota factione sustulit.Piraticum bellum tribus cõfecit mensibus.Triumphauit de Mithridate rege Ponti. Tigranem vicit regem Armeniæ,quem tamẽ ad genua sua prouolutum regno restituit. Iberos,Albanos,Iudæos debellauit,capto eorum rege Aristobulo, & in triumphum vnà cum filio Tigranis ducto. Reuersus ex Oriente triumphum egit biduo,prenotatis victarum gentium titulis.Ad extremũ versò fortunæ Zephyro victus à Iulio Cæsare in campis Philippicis,coactus est velut profugus ad Ægypti regem Ptolemæum se recipere, vbi hospitis(cui se commiserat)perfidia interfectus est.Rauisius.

Vnus omnium qui omni memoria fuerunt C. CÆSAR Dictator, Alexandrum Magnum gestarum rerum magnitudine propemodũ æquauit:in vno etiam fortassis maior habendus,quòd quinquagies collatis signis cum hoste dimicauit.quoties nec Macedo,nec aliorum ducum imperatorúmue quisquam.Idem plura hostiũ milia acie cecidit,quàm cæteri duces vicerint.Subit & illa reputatio:Cæsar priuata domo mediocrisq; fortunis ortus,ad fastigium rerum euectus est, nomenq; summi ducis adeptus:quæ eo Macedoni fuerunt aditu faciliora,quod & patrem regem habuit,& eundem tyrocinij magistrum non pœnitendum.Sab.lib.1.cap.5. Galliam omnem decennio subegit,eamq; redegit in prouinciæ formam. Germanos ponte super Rhenum fabricato,maximis affecit cladibus.Aggressus est Britannos, *ignotos antea*, superatisque pecunias & obsides imperauit.Macedoniam transgressus,Pompeium per quatuor penè mẽses,maximis obsessum operibus,ad extremum Pharsalico prælio fudit:& fugientem Alexandriam persecutus, occisum vt deprehendit, cum Ptolemæo rege bellum difficilimum gessit.Victor Ægypti regnum Cleopatræ,fratrique eius minori permisit.Ab Alexandria Syriam,& inde Põtum transiit,vrgentibus de Pharnace nunciis, quem Mithridatis Magni filium multis iam successibus præferocem intra quintum (qua affuerat) diẽ vna profligauit acie.Dehinc Corn.Scipionem,Pompeij socerũ,& Iubam,reliquias partium Africa refouentes deuicit, & Pompeij liberos in Hispania.Confectis bellis quinquies triumphauit. Primum triumphum egit Gallicum,sequentem Alexandrinum, ex victo & interfecto Ptolemæo.Huic proximum Africanum,ex Iuba debellato. Deinde Ponticum de Pharnace.Nouissimum Hispanensem,de Pompeij liberis. Reflante demùm fortuna,quum optimatium partibus esset formidolosus, Bruti, Cassij,& aliorum coniuratione,tribus & viginti vulneribus in senatu cõfossus est.Suetonius & Plutarch.

M. ANTONIVS triumuir, interfecto Cæsare fœdus cum Lepido & Augusto contraxit.Brutum & Cassium Cæsaris interfectores vicit in Macedonia.Profectus in Asiam,multos in Oriente reges debellauit. Antigonum Iudæorum regem securi percussit. Phraati Medorum regi congressus,quum victor euasisset, victum ad Araxem vsque persecutus est. Armeniæ regem,Alexandriam duxit in triumphum. Quum ergo vidit se positum in gremio luxuriantis fortunę(in quo parum sibi cauet mortalitas)deliciis captus,incidit in amorem Cleopatræ, quam repudiata Octauia Augusti sorore sibi copulauit.Hinc orta fax belli ciuilis. Hinc Augusti nata indignatio:cui apud Actium congressus, & ad extremũ victus,profugit Alexandriam,ibíque gladio se confodit.Rauis.

AVGVSTVS Imperator Cantabros,Aquitanos, Rhetos, Vindelicos, Dalmatas,Romano subiecit imperio.Sueuos,Cattosque deleuit. Sicambros in Galliam transtulit.Pannonios stipendiariis adiecit.Getarum populos,Bastarnasque lacessitos bellis ad concordiam impulit.Obsides accepit à Persis,creandíque regis arbitrium.Ad eum Æthiopes,Indi, Scythæ,Garamantes legatos cum donis miserunt.Bella ciuilia quinque gessit.Mutinense,& Actiaticum aduersus M.Antonium:Philippense in Brutum & Cassium:Perusinum aduersus L.Antonium,triumuiri fratrem: Siculum aduersus Sextum Pompeium,Cn.Pompeij filium.In bello Mutinensi non modò ducis,sed etiam militis functus est munere. Nam aquilifero legionis suæ grauiter vulnerato,ipse aquilam humeris subiit, diúque portauit.Quod fuit argumentum & indicium magnæ fortitudinis. Volat.lib.vigesimotertio Anthrop.

M. CRASSVS ab Octauiano Cæsare per Græciam & Macedoniã in Istrum missus,crebris præliis Mysos & Basternas deuicit, Eldonemque regem eorum ipsemet occidit.Deinde Thraces subegit,ac Getas magnis affecit incommodis:cuius rei causa plurimùm à Cæsare laudatus,& muneribus exornatus est Xiphilinus in Augusto.

C. PETRONIVS regnante Octauiano Augusto Ægypti præfectus, Æthiopes,qui vltra Ægyptum incolebant, vsque ad regionem Elephãtinam semel iterúmque fudit:Tenapem vrbem regiã cæpit, quam præsidio imposito prẹmuniuit,Æthiopesque in regionem vsque suam profligauit.Dion in Augusto.

DRVSVS Tiberij frater,ab Augusto Cęsare ad Celtas missus,qui trãs Rhenum incolunt,captis reb.omnibus quæ factæ essent obuiam,vsq; ad Albim fluuium est progressus.Idem.

GERMANICVS exercitu prosperè contra Celtas ducto, vsque ad Oceanum peruenit:barbarisque fortiter deuictis, ossa eorum qui cum Varo interierant,collegit & sepeliuit,atque postremò signa militaria recuperauit.Idem in Tiberio.

AVRELIANVS Imp.irrumpentes in Italiam Sarmatas bello fudit,è quibus vno die octo & quadraginta sua manu interfecit.Zenobiam quoque Palmyræ reginam,in triumphum duxit.Profectus in Galliam, Tetricum subiugauit.Mox in Ægyptum traiiciẽs,regionem pacauit, sublato Firmo,factiones ibidem suscitante.Romam postremò reuersus,de his omnibus triumphauit.Fla.Vopiscus,& Volat.lib.23.Anthrop.

VLPIVS Traianus propter fortitudinem militarem plures sibi titulos comparauit.Germanos enim transrhenanósque vt compressis quiescerent spiritibus coëgit, Daciam finitimósque Dacię populos subegit: compluribus trans Danubium regionibus in prouincię formam redactis.Item trans Euphratem ac Tigrim,Arabiam quoq; imperio adiecit, Armeniam à Parthis occupatam recepit,Albanis & Persis regem dedit, Babylonem finitimásque nationes ad Indiæ vsque fines armis subactas cępit.Ideóq; meritò tot exantlatis fœlicissimè bellis, in deorum numerum relatus est:& quod Romanorum Imperatorum ante eum nulli contigit,intra vrbem in foro conditus.Pont.lib.1.cap.vlt.de Magnificen.

IVSTINIANVS Imp.Persas domuit. Vandalorum gentem deleuit, Africam Rom.imperio totam restituit.Gothos iterum in Italiam irrumpentes fudit.Mauros Africam vastantes cum Attila rege subiugauit.Quæ magna ex parte auspiciis Belisarij gessit. Propter tot victorias dicebatur Alemanicus,Gothicus,Alanicus,Vandalicus,Africanus.Paulus Diaconus lib.18.rerum Rom.

CLODOVEVS Gallorum rex,Alemanos domuit,Gothos regno suo expulit,Alaricum eorum regem cecîdit.Aliaque permulta egit facinora, quibus docuit gentem suam ad arma natam.Rauis.

Huius filius THEODORICVS,Turingiam cum rege subiugauit. Traiecit in Italiam cum LXXX millibus armatorum,Belisarij copias repentino fregit impetu.Transpadanam regionem vicit.Decem Burgundiorum millia Gothis auxilio misit.Rauis.

CAROLVS Magnus,Pipini secundi filius,Aquitanorum regem Himuldum in deditionem accepit.Accersitus ab Adriano pont.Longobardos cum duce Desiderio Italia expulit.quã annos iam CCIIII possederant Domum reuersus,bellum Saxonum(quod annos propè 34 durauerat)quamuis interpolatum,prosecutus est.Quos sub iugum redactos, ad Christianę quoque pietatis cultum induxit.Aigolandum Sarracenum ~~Hispanósque male de Christo sentientes,subiugauit.~~ Beneuentanorum (qui duce Araiso in Romanum pont.tumultum parabant)repressit.Taxilonem Bauariæ ducem,res nouas molientẽ,sola pacauit legatione.Hunnos(qui Pannoniam occupauerant)magnis affecit cladibus. Godefredum Normannorum ducem,Francorum socios vexantem,in potestatem suam redegit.Leonem tertium Pont. à Romanis expulsum suæ sedi restituit.Cui tantę virtuti adiecit amorem literarum, quas vsq; adeò & amabat & mirabatur,vt Parrhisiensem academiam primus instituerit. Erat corpore procero,vastis pręter consuetudinem viribus.Idem.

CAROLVS Martellus,Pipini primi filius,Aurelianos vno impetu fudit.Traiecto Rheno Alemanos,Sueuos,Bauaros regno Francorum adiecit.Saracenos ab Eudone duce in Aquitaniam vocatos profligauit, cæsis ex eorundem exercitu CCCLXXXV millibus. Amorreum alterum eorum regem,suppetias Athimo apud Narbonem obsesso ferentem,deleuit.Gothos(qui Hispaniam citeriorem Galliæ partem annos iam CCC turbauerant)profligauit.Omnem postremò Galliam Francorum regno subiecit.Volateranus.

ALEXIVS Imperator Romanus,Isacij Comneni Imperatoris filius, missus à Michaele Imperatore cõtra Basilatium Prohedrum, qui Dyrrachium cæperat,tumultumque cõcitauerat,victor euasit:Pulso Nicephoro bellum cæpit contra Robertum,classe Dalmaciam vastantem, vnde victor reuertens,paulo pòst iterum tumultuantem prælio coercuit. Zocham Turcarum ducem fugauit.Pazinacas,quos hodie Tartaros vocant, perdomuit.Volaterranus libro vigesimotertio Anthrop.

HENRICVS III.Imperator bis & sexagies cum gentibus ferocissimis pugnauit,M.Marcellum & Cæsarem dictatorem supergressus.

OTTHO Primus,Henrici Saxonis filius, Imp.Rom.cum XI. millibus armatorum Berengarium cum Adelberto apud Forum Iulij superauit, ac regno deiecit:Bolaslaum Boemiæ regem expugnauit, Vgonem Comitem Parisiensem compescuit, aduersus Pannonios Italiam vastantes fœlicissimè pugnauit.Ibidem.

CAROLVS,Petri Zeni filius,paternę virtutis hęres, tot & tanta facinora pręclara edidit,vt illustrare patris memoriam meritò possit. Hic igitur primùm ad Methonem Genuensem classem, cui Bucicaldus Francici sanguinis pręerat, vir fortitudine & corporis robore ea tempestate maximè insignis,non sine ingenti discrimine superauit:pedem clauo sagitta affixus, sua manu fortissimè belli aleam ad extremum vsque sustinuit,victórq; euasit.Ille etiam Bichinoniam nauim magnitudinis inusitatę,& militum copia insignem suis triremibus,quibus pręerat, vulnera aliquot pectore excipiens,expugnauit,tanta gaza auróque onustam Venetias deductam,vt inde aliquid publicæ spei ad rem bene gerẽdam reipublicę affuerit.Nec suæ virtutis mox oblitus, Imperator à Principe Senatúque rei maritimæ declaratus,Clodiam vrbem munitissimã Genuensium præsidio ipsis hostibus extorserit,vulneribus non paucis acceptis, & vno præcipuè gula transfixus,vt omnes moriturum illum crederent, siquidem tanta sanguinis vis inde fluebat,vt non facilè sisti posse crederetur.Fuso tandem fugatóque Ligure hoste,reque Veneta pristinę dignitati restituta,senex etiam non destitit,quin insignem laudem assequeretur:Cypri insulæ regno à Genuensibus vindicato,regique suo fidelissimè restituto.Ita demùm sese in omni vita gessit,vt rectè in primis facturos crediderim omnes,qui Venetias inuisunt,si monumentum eius ad Cœlestinam ædem frequentes adierint,tanti viri cineres venerabundi, perpetuóq; Caroli Zeni fortitudinem celebrarint.Egnat. libr. tertio,capite secundo & sexto.

HENRICVS Dandulus,primùm ad Manuelem Byzantium Imperatorem legatus missus,ab eodem penè excæcatus est, quòd liberius aliquanto cum eo locutus esset, obiecta oculis candenti lamina. Tum verò dux creatus, inito fœdere & amicitia cum Gallorum aliquot ducibus, qui de Hierosolymis recipiendis inter se conuenerant, rebel-

lantem Iaderam iam quartùm, fortiſſimè diu oppugnans recepit. Qua recepta, Alexium puerum, Iſacij Byzantini Imperatoris filium, reſtituendum in imperium curauit, Gallorum ducibus ſociis. Auſpiciis poſtea ſacris ritè peractis, ſuo ductus Byzantium adnauigans, cum claſſe ducentarum & amplius nauium, puerum Alexium non ſine ingēti certamine à Venetis primùm mœnia vrbis tranſeuntibus patriis faſcibus reſtituit. Nec tamen multo pòſt Alexio puero & patre cæſis, à Murciphlo, quum ille maieſtatem imperatoriam ſibi vendicaret, Gallis principibus & Venetis neglectis in eundem arma ſumpta, Byzantiúmque eo fugato receptum. Inde Gallus imperator primum creatus, Thomáſque Maurocenus Veneti ſanguinis primus patriarcha dictus, Romaníque Pont. dignitas inter Græcos tum primùm aſſerta, Cretáque inſula Veneto nomini vēdicata. Quòd niſi eiuſdem principis mors immatura contigiſſet, Veneti Imperij gloria longè maxima, & imperij fines longius quoque prouecti forent. Idem.

SEBASTIANVS Zianus, dux Venetus, Alexandrum III. Pont. tota ferè Europa exulem, latentem tamen, & obſcurum Venetiis excepit, nihil omnino veritus Friderici Ænobarbi imperatoris in illum inſectationes, & acerbiſſima odia. Quinetiam Othonem eius filium intra Adriatici ſinus fines cum ſeptuaginta & amplius nauium claſſe inſultantem, multo minore nauium numero ipſemet aggreſſus, ſic vicit, & fugauit (non ſine tamen difficili certamine ac pugna) vt capta diſiectáque claſſe Othonem viuum cæperit, quem Venetias ad Alexandrum Pont. deduxerit: in quo certè iuuene laudare veræ religionis ſtudium poſſis, quippe qui legatus ad Patrem miſſus, pollicitúſque re infecta ſe ad Pont. rediturum, genitoris animum ſic reconciliauit ac flexit, vt depoſito irarum æſtu Fridericus ipſe Venetias venerit, vt Alexandro pont. ad veſtibulum aureæ ædis ſedenti ſe ſubmiſerit, pedéſque ſit oſculatus. Mox Romam redeuntem ita comitatus eſt, cum ipſo principe, vt nemo reconciliata gratia inter vtrumque non ſummopere lætaretur. Idem.

Quanta in re Andrea Contareno duce animi conſtantia, quod robur affuerit, declarat antea non recepta huius principatus dignitas, quæ illi ab vniuerſa ciuitate demandabatur: poſtremò verò quum in locum Marci Cornarij principis vita functi ſubrogaretur, declarat eius ab vrbe in agrum Patauinum ſeceſſio. Vaticinio enim quodam acceperat, fore vt ſi dux crearetur, patria ipſa in graues calamitates incideret. Quare quum nec cognatorum literis, nec publicis, iam dux dictus abſens reuocari poſſet, quamuis illi denunciaretur fore, vt bonorum publicatione & perpetuo exilio damnaretur, vix cognati cuiuſdam aſtu perſuaderi potuit, vt vrbem ſui viſendi cupidam ſaltem inuiſeret, & præſens ipſe data dignitate ſeſe abdicaret. Reuerſus igitur hoc animo, cùm vniuerſam vrbem ſibi occurrentem in ſlaguis animaduertiſſet, omnéſque exclamantes cùm ducem audiret, vix tandem adduci potuit (magiſtratuum etiam minis interiectis) vt dignitatem ſuſciperet: in qua non multo poſt, Genuenſi funeſtiſſimo bello tanta animi fortitudine ſe geſſit, vt non victus Piſanus imperator maritima pugna ad Polam, non expugnata ab hoſte Ligure Clodia, non acerbiſſima in vrbe fames, non rei pecuniariæ defectio, animum eius vnquam fregerit: quin ipſe aliquot familiis in patricium ordinem acceptis, claſſem conſcenderit, maior iam natu ſæuientéque hyeme Clodiam obſederit: eámque ipſam vrbem, ipſemet expugnandam curarit, triumphánſque ex hoſte in vrbem redierit Calēdis Iuliis, qui dies nobis feſtus eſt, in memoriam rei fœliciter geſtæ, & Principis clariſſimi memorabilis reditus. Idem.

PETRVS Mocenicus Nicolao de Canali rei maritimę Imperator ſuffectus, Eubœa inſula iā iam antè amiſſa, ſic vniuerſam Græciā ſua animi fortitudine, Othomanicis armis oppreſſam, reſtituit, vt non multo pòſt & Naupactum Turcarum penè armis expugnatum ſeruarit. Cyprum inſulam Veneto nomini, Corneliæque familiæ adiecit: mox Scodram ſua præſentia, ſuóque animi robore iam deploratam, ſic incolumen præſtitit, Turcicis armis iampridem oppreſſam, vt Veneto imperio planè conſtituto, domum rediens mortuo Nicolao Marcello duce, princeps ipſe alterum Mocenicæ familiæ decus, declaratus ſit. Idem.

FRANCISCVS Sfortia, Mediolani dux, Bracchij ſummi ducis vincendi ad Aquilam author fuit: omnibúſque poſtea præliis, quæcunque ſuo ductu auſpicióque geſſit, victor ſemper ex his rediit. Taceo reliquas eius præclaras illuſtréſque victorias, quas propria virtute ſibi peperit: certè duas non omiſerim, priorem ſcilicet illam maximè memorabilem, qua Venetas copias Mediolanenſium Imperator ad Carauagium fudit: alteram, qua Mediolani principatum, ſibi ſuíſque peperit. Idem.

IOANNES Ziſca Bohemus, Troſnouienſis, poſt Venciſlai domini ſui mortem, cùm iam altero oculo captus eſſet, quem in prælio amiſerat, Huſitanorum, qui tunc eſſe cœperant, ducem ſe præbuit: ædificatáque Thabor vrbe admodum munita, corúmque ſocietate, quæ Thaboritica nuncupatur, inſtituta, Bohemiæ partem maiorem imperata facere coegit. Dum autem Rabi caſtellum oppugnaret, vulnus accepit, quo altero qui ſupererat oculo orbatus eſt: & quanquam prorſus amiſſo lumine, ita vt aliena manu cibum capere eum oporteret, tamen exercitum ducebat: bíſque Sigiſmundo imperatore, qui Bohemiæ regnum hæreditario iure repetebat, ſuperato, eorum exercitum qui cruce ſignati aduerſus Bohemos arma ferebant, in fugam compulit. Orta verò cum reliquis Bohemiæ proceribus Pragenſique populo diſcordia, ab aduerſariis, qui numero plus poterant, pulſus fuit. Itaque alienorum oculorum vſu propriáque induſtria adiutus, vbi ſe in eum locum, quem animo rebus gerendis deſignauerat, perductum intellexit: nactus rei bene gerendæ occaſionem, in hoſtes ſe cōuertit. Eorum cæſo numero, Pragam vrbē obſedit: & quoad ſuperſtes vitæ fuit, Bohemiæ rerum potitus eſt. Cùm cæcus non regeret modò videntes, verùm ingentes quoque de hoſtibus victorias reportaret. Itaque ſi quis amiſſi in eo luminis incommoda, atque rerum quas cæcus geſſit, magnitudinem conſiderare voluerit, tantum Hannibali Sertorióque, altero tātum oculo captis, eum ſit præpoſiturus quantum ipſi propter lumen ei qui prorſus cæcus erat, præponēdi viderentur. Hac enim gloria, quæ ingens ac rara eſt, deceſſit: quòd dum vixit maximis præliis victor, nunquam ab hoſte ſuperatus fuit: nec minus cum natura certaſſe putari debet, quàm ſenior Marius aut Scæuola. Nā quanquam grandes natu, multíſque vulneribus debilitati eſſent, hominis tamen ſpeciem ſeruabant: à quibus tantum Ioannes Ziſca ob cæcitatē abfuit, quantum à viuente mortuus. Neque enim inter videntes cęcus, alius quàm mortuus appellari poteſt. Fulg. lib. 3. cap. 2.

ALFONSVS dux Calabriæ à totius Italiæ ceruicibus grauiſſimū ſeruitutis iugum repulit, terra marique graſſantibus Turcis reſtitit. Euocatus à patre ex Hetruria, pluribus expugnatis oppidis, fugatóque aduerſariorū exercitu, multa rei militaris præclara facinora edidit, quàm celerrimè trepidanti patriæ ſubuenit. Achmeti violentos impetus fortiſſimè repreſſit: traiicientem eum in Macedoniam maioris exercitus traducendi gratia, nauali prælio ſuperauit: pòſt circumſeſſis intra Hydruntem hoſtibus, quinto menſe ad deditionem coactis, bellum confecit. Iure igitur à ciuibus debentur illi omnia quæ fortiſſimo imperatori, quæ publicæ libertatis defenſori, cùm veteri, tum nouo inſtituto, intelliguntur. Pontanus in præfatione de Fortitud. bellica.

PAVCI MVLTORVM VICTORES.

Fortis & præferocis fuit Abraham ingenij, qui cùm totus Oriens Aſſyrio parēret imperio, eſſéntque eius gentis opes omnibus formidoloſæ, is Chananeæ terræ incola, cum parua hominum manu, quam ex propria familia legerat, ſecutus Aſſyriorum copias, quæ Sodomæ vrbis rege acie victo & profligato, grandem ex ea terra prædam, captiuorúmque numerum ingentem ob tributum ſibi denegatum abduxerant: circa alterum Iordanis fontem ex improuiſo adortus, magna ex parte cecīdit: fœdéque diſiecit, captiuis cum præda receptis, & in his Loth, viro iuſtiſſimo fratris ſui filio. Sab. libro quarto capite ſexto & Egnat. libro tertio capite ſecundo.

GEDEON Iſraelis Iudex, cum cæteri Iudæi virtutem atque animum amiſiſſent, Arabum atque Amalechitarum exercitus magnitudine conterriti (impetu enim facto gentes illæ Iudæam omnem vaſtabant) ex omni Iudæorum numero ſolos trecentos delegit: atque eo tantùm comitatu, noctu hoſtes in ipſis caſtris inuaſit: coniectáque omni eorum multitudine in fugam, ex ipſis centum milia occidit, à reliquis Iudæis in cæde fugientium adiutus. Hic igitur Græcia ſileat, quæ Spartanum Leonidam fortitudine omnibus anteponit. Tanto enim numero Gedeon non minorem exercitum inuaſit, de eóque cæſis centum milibus victoriam peperit, quanto Leonidas cum munitiſsimum inſideret locum, pugnans Perſarum ſuſtinuit regem, ac poſtremò cum omnibus ſuis occubuit. In eo Gedeoni tātum par quòd pro publica ſalute periculum mortémque non extimuit, in cæteris longè inferior & diſpar. Fulg. lib. 3. cap. 2. & Sab. lib. 6. cap. 7 ex cap. 7. Iudicum.

IONATHAS Sauli filius, vno duntaxat comite adiutus, vetus Diomedis & Vlyſsis exemplum retulit: hoſtium caſtra noctu ingreſſus, paſſim cum cæde peruagatus, tantum pauoris iniecit Philiſtæis, quorum erant caſtra, vt cùm omnia ab hoſte teneri crederētur, facta ſit fuga. Accurrit eò Saulus cum robore copiarum, vbi hoſtem ſua ſponte turbatum ſenſit, Philiſtæóſque paſsim diſpalatos immaniter trucidat: difficile dictu, maioréne virtute an fortuna vni hominum aut alteri inuictus alioqui ceſſerit exercitus. Sab. lib. 6. cap. 7. ex 1. Reg. 14.

IVDÆ MACHABÆI ſocij exercitum venientem videntes, dixerunt: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem? Et ait Iudas: Facile eſt concludi multos in manus paucorum Et non eſt differentia in conſpectu Dei, liberare in multis, aut in paucis: quia non eſt in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Conflixit ergo, & tribus millibus inermium Gorgię maximum exercitum deleuit. 1. Machabæorum cap. 3.

CYRVS, cùm aduerſus Artaxerxem pugnaret, quatuordecim Græcorum millibus, centum barbarorum milia ſuperauit. Frontinus libro quarto capite ſecundo.

MILTIADES, Cimonis filius, cùm in campis Marathoniis contra Artaphernem & Datim Darij præfectos pugnaret, decem Atheniēſium millia, Perſarum ducentis millibus crudelem in modum afflixerūt, toto cæſo exercitu. Herodotus: & Iuſtinus, & Sab. lib. 6. cap. 7. Nulla certè victoria magis Athenienſes gloriati ſunt, quàm Marathonia. Itaque Æſchylus, cùm propè iam eſſet, vt è vita decederet, qui de ſe ipſo antè prorſus conticuerat, vir tanta in poeſi nominis celebritate, cuiúſque virtus nauallibus præliis antè ad Artemiſium & Salaminem enituerat: de Marathonia pugna, cùm ſuum carmen ederet, in ipſa operis fronte ſuum & patriæ nomen inſcripſit. Marathonium enim ſaltum, & Perſas quibus illuc deſcenderunt, ſuæ teſtes virtutis citat. Pauſanias in Atticis.

LEONIDAS Spartanorum rex, cum 300. ſociis ad Thermopylas Xerxis exercitum

ſuſtinuit: vt quamuis omnes cæſi fuerint, victores tamen eo ipſo cēſeri debeant, quòd Xerxem paulo maioribus copiis vinci potuiſſe oſtenderunt. Sab. lib. 6. cap. 7. & Volat. lib. 16. Anthrop.

ALEXANDER Magnus 40. millibus iam inde à patre Philippo diſciplinæ militari aſſuefactis, totum orientem domuit, eóque ipſo ab Annibale omnibus aliis prælatus eſt Imperatoribus. Sabel. libro 6. cap. 7.

TIMOLEON Corinthus, tribus millibus militum fretus ad Crimiſſum amnem, cum ſeptuaginta millibus Carthaginenſium non ſolùm acie conflixit: ſed ita etiam prælio vno hoſtem afflixit, vt pars multo maxima Carthaginenſis ſit nobilitatis ibi loci deſiderata. Ibidem.

PHOCENSIVM contra Theſſalos præclaram victoriam, pete ex tit. Oracula ambigua non intellecta.

EPAMINONDAS Thebanorum dux quatuor hominum millibus, ex quibus CCCC tantùm equites erant, Lacedæmoniorum exercitum viginti quatuor millium peditum, equitum verò mille ſexcentorum vicit. Front. lib. 4. cap. 2.

Vetuſta eſt, ſed memoranda pugna, quæ ad Sagram fluuium in Calabria commiſſa eſt. Abiit res in prouerbium, vt Verius eſſe diceretur, cùm quid verè aſſereretur, re ad Sagram olim geſta: vbi dena Locrenſium millia cū modicā Rheginorum manu, centum triginta millia Crotoniatum vna acie profligarunt. Nec minori miraculo fuit, quòd eodem die, quo eſt ita inſigniter in Italia dimicatum, fama rei geſtæ OLYMPICI conuentus aures perculit. Sab. li. 6. ca. 7. & Alex. li. 6. cap. 25. qui à 15. millibus millia 200 cæſa ſcribit.

STRATENSES ſeptem validiſſimis gentibus circunſeſſi, omnes modico prælio fuderunt, vt qui nuper tot & tam diuerſis erant armis obnoxij, multa millia hoſtium, tanquam pecora vtiliſſima, totis præ ſe campis cum fœda ſtrage & multa cæde egerint. Sab. lib. 6. cap. 7.

SYRACVSII nouem triremibus inuadentes centum & viginti triremes Carthaginenſium, longè ſuperiores extiterunt. Ælianus lib. 4. de Varia hiſtoria.

Q. LVCTATIVS Catulus primo bello Punico CCC nauibus aduerſus Pœnos profectus, ſexcentas eorum naues commeatibus impeditas, duce Hamilcone apud Ægades inſulas inter Siciliam & Africam depreſſit. Volat. lib. 14. cap. 2.

M. MARCELLVS Gallorum ducem ingenti ſtipatum exercitu apud Padum cum paucis equitib. inuaſit, & obtruncato arma exuit. Liuius & Plin. de Viris illuſtrib.

FABIVS Æmilianus triginta millibus militum ad Rhodanum plus quàm CC. Gallorum millia ingenti ſtrage deleuit. Alex. lib. 6. cap. 25.

L. LVCVLLVS, Romanorum dux omnium fortiſſimus, contra Mithridatem & Tigranem Armenium, reges Aſię, pugnaturus, cùm ob militum paucitatem à Tigrane derideretur (qui dicebat: Romanos, ſi ad bellum gerendum veniſſent, perpaucos eſſe: ſi verò vt legatione fungerentur, permultos) attamen paucorum virtute ingentem exercitum Tigranes fugauit. Rex ipſe tyaram vittáſque dilaceratas abiecit, ne in fuga agnitus caperetur. Regalia illa inſignia à Romanis militibus inuenta, ad Lucullum victorem delata ſunt Dion Nicæus & Xiphilinus eius abbreuiator in Pompeio.

C. MARIVS Cymbros & Theutonas ad Aquas Sextias parua manu cecīdit. Alex. lib. 6. cap. 25.

P. PETRONIVS, Ægypti præfectus, ab Auguſto miſſus, Cornelio Gallo ſucceſſit, & aduerſus Æthiopes bellum geſſit Æthiopes enim Syenes præſidio expugnato, Cæſaris ſtatuas euerterant, & captiuas duxerāt. Petronius autem cum paucioribus quàm decem millibus peditum, & equitibus DCCC aduerſus triginta hominum millia profectus, in Pſeleam Æthiopicam vrbem eos fugere coegit, & mox oppidum in poteſtatem redegit, Volat. lib. 18. ex Strabonis lib. 17.

DOMITIVS Corbulo, duab. legionibus & pauciſſimis auxiliis Parthos bellicoſiſſimos, qui inſtructiſſimo exercitu ſe illi oppoſuerant, ſuſtinuit. Front. lib. 4. cap. 2.

Supthar Hunnorum rex, cùm in Gallia BVRGVNDIONES opprimeret, illi in Deum Chriſtianorum ſpem ſuam ponentes, baptizari petierunt. Et ſtatim Hunnis congreſſi, pauci multa millia eorum peremerūt, & rabiem ipſorum refrænauerunt. Sigebertus in Chronicis.

BALDVINVS GODOFREDI Bolonij & Euſtachij frater (cui Hieroſolymarum obtigit regnum) cùm illud defenderet, neque vltra ducentos ſexaginta equites peditéſque noningentos Chriſtianos haberet, Calyphæ exercitum in Iudæa, prælio fudit, in quo equitum nouem millia & viginti milia peditum erant: quo in prælio quinque equitum milia ex hoſtili exercitu deſiderata fuerunt. Fulg. lib. 3. cap. 2. & Egnat. lib. 3. cap. 2.

Salutis anno trecenteſimo quinquageſimo ſexto poſt mille, nono calend. Octobris, in Pictones Gallicum populum EDVARDVS Vualenſis princeps, Eduardi III. Britannorum regis F. non maiore quàm octo milium numero in Galliam penetrarat. Aduerſus eum Ioannes Gallorū rex ingenti exercitu profectus eſt, ſupra ſexaginta hominum milia, potioréque Gallorum principum partem ſecum ducens. Eduardus qui biduum ſenſim cedendo iam abire longius ſe non poſſe, quin prælio decertaret, videbat, quia longè impar viribus erat, obtulit: capta ſe eo bello reſtituturum, atque inducias cum Gallis in ſeptimum annum confirmaturum. Sed ob militum eius paucitatem, ſuperbè nimis elati Galli oblata ſpreuerunt, atque in ipſa munimenta aduerſus Eduardum impetum fecerunt. Erant autem caſtra ſepe, frequentibus prunis, denſa ducta extrinſecus foſſa munita. Illic cùm diu præliatum eſſet, atque in eo Eduardi milites magnum Gallorum numerum ſagittis eminùs confixiſſent, conſpicati eos iam laſſos, raróſque in acie ordines ſeruare: magno impetu in eos cum bipennibus, abiecto arcu eruperunt: atque in mediam potiſſimum aciem inuecti, omnes in fugam verterunt. Captus in eo prælio Ioannes rex fuit, à Picardo exule, nomine Dionyſio Morbequo, & principi datus: captus quoque Philippus eius filius, & principes alij permulti. Fulgoſ. lib. 6. cap. 11.

BAMBA rex Hiſpaniæ, qui Mauros Hiſpaniæ littora cum claſſe ducentarum ſeptuaginta nauium ingreſſos ingenti prælio fudit, & claſſem igni ſuccendit, ab aratro ad principatum Leonis Romani pontificis beneficio eſt euectus. Michael Ricius de regibus Hiſpaniæ lib. 2.

MASELCERVS, Africæ comes, aduerſus fratrem Gildonem, qui ab Honorio & Theodoſio imperatoribus defecerat, pugnans, quinque pugnatorum millibus, plus quàm octuaginta millia vicit ac deleuit. Fulg. lib. 1. cap. De cultu diuino.

Pipinus rex, cùm Italia Gallorum dicto parēret, & VENETI ſoli omnium ſuæ memores libertatis, patriæ iura tuerentur, littorali ora Gallicis armis domita, Riuo alto (ſic enim dicta eſt pars vrbis celeberrima) minaciter imminebat: aderatque Pipino ingēs exercitus, & cui ne Italia quidem tota, non modò Venetiæ partes obſiſtere poſſe crederētur. Verùm modicus armatorum numerus in cymbis ſedētium validiſſimam ratem, qua Galli vehebantur, primò fatigauit: inde vento Venetus adiutus, Gallicos conatus non ſolùm fregit, ſed hoſtem aquarum anguſtiis colluctantem adeptus, partim ferro confecit, partim ſoluta rate medio ſtagno depreſſit Sab. lib. 6. cap. 7.

SIMON, Montis fortis comes, Cruce ſignatorum dux, aduerſus Albigeſios hæreticos in vrbe Murello, cùm non amplius ſecum haberet militum quàm ducentos ac ſexaginta equites, peditéſque quingētos, à magno Aragonij regis exercitu, vnà cum comitibus ſancti Iulij & Fois obſeſſus: repentè in obſidentes eruptione facta, tanto impetu irruit, vt paruo tempore palantes in fugam compulerit, ac decem & ſeptem millia ex eis occiderit, non plus quàm octo è ſuorum numero deſideratis. Fulgoſ. lib. 3. cap. 2. & Egnat. lib. 3. cap. 2.

PAGANVS Auria in oriente trium & quadraginta triremium Genuenſium dux, eo tempore inter Genuenſes ac Venetos bellum gerebatur, cùm ſciret hoſtium claſſem, iunctis Græcis ac Catellanis, decem ſupra centum triremium numerum impleuiſſe, atque aduerſum ſe omnes iter habere, minimè territus eſt, neque fugæ alicuius conſilium iniuit. Sed potius induſtria, magno quem habebat animo addita, ne niſi à fronte pugnare cogeretur, ad Thracium Boſphorum, qua in Euxinum mare itur (id autem nunc ſancti Georgij brachium appellant) ſe recepit. Eo in loco diem noctémque totam ab hoſtium claſſe grauiter oppugnatus, cùm ventus quoque aduerſus eſſet. omnibus iis ſuperatis difficultatibus, Pancratium Iuſtinianum Venetæ & Pontium Catellanæ claſſiū duces occidit: captóque magno triremium hoſtilium numero, victoria vt ſudoris ſanguiniſque, ita glorię quoque ingentis plena potitus eſt. Fulg. lib. 3. cap. 2.

BRACHIVS ſenior Peruſinus, militaris dux, in Piceno apud Contratam arcem, aduerſus Bonifacium pontificem, cum præſidio centum tantùm equitum profectus, vt ſitum molendini inſpiceret, quod manu munire decreuerat: ab hoſtibus, qui exploratum profectionem eius miſerant, ſeptingentis equitibus, duce Angelo Pergulano, impetus in eum factus fuit. Itaque cum venientes Brachius à longè intueretur, nec recipiendi ſui temporis ſatis eſſet, conſiſtere ne metu retro ceſſiſſe videretur, atque cum eis decertare decreuit. Cùm autem extractum in noctem ipſum certamen tenebris diremptum eſſet, non modò integras ex prælio copias ipſas quas habebat, Brachius recepit: verumetiam ita hoſtes perterruit, vt militum ipſorum populorúmque, qui in hoſtili parte erant, magna pars deditionem fecerit: adeóque atrox prælium fuit, vt Spinta Brachianus miles centum ac quinquaginta, item Necha ſeptuaginta vulnera acceperint. Idem.

INERMES VINCVNT ARMATOS.

SAMPSON vnus cum gente Philiſtinorū internecinū bellū geſſit: contra millia hoſtium ſolus & inermis proſperè dimicauit. Idem hoſtili vrbe deprehenſus, vbi ſub noctem vim ſenſit aduerſus ſe parari, demolitus eſt partes vrbis, euulſiſque poſtibus, in iugum montis detulit, quod hoſtili vrbi imminebat: ſtatuítque in conſpectu attonitæ ciuitatis, ludibrium verius quàm trophæum. Iudicum 14. 15. & 16. cap.

IVDAS MACHABÆVS, cum tribus millibus virorum qui tegumenta & gladios non habebant, debellauit Gorgiam cum magno exercitu. 1. Machab. 4.

VICTI VICTORES VINCVNT.

Vide ſub tit. Stratagematum exempla quædam, Metum ſuis eximere, Animare ſuos, in inſidias conijcere hoſtes.

Habuit DAVID rex cohortem vnicam ex collecticiis suæ gentis viris, quamdiu extorris fuit patria, Sauli regis sæuitiam declinans: ediditque cum his præclara aliquot facinora. Sed illud præcipua memoria dignum, quòd Amalechitas, qui absente se Sicilechum (erat is vicus quem inhabitandum Dauid acceperat ab Acho Philistæorum rege, cùm Getheorum agrum incursarent) diripuerant, omnibus fortunis cum duabus vxoribus spoliatus, irrequieto cursu assecutus: improuiso accessu incautos, cũ iã nihil minus quàm hostis expectaretur, adortos fudit, fugauitque, vniuersaque præda exutos à prima diei hora ad vesperam cæcidit. Sab. lib. 6. cap. 7.

AMYNTAS Macedo, cũ ab accolis finitimísque Barbaris victus, regnũ perdidisset, statuebat regionem etiam in vniuersum relinquere, tantum vt vitam saluam & incolumem seruare posset. Verùm cum in his anxius ageret, quidam ad eum dictum Hellopidæ ad Dionysium (de quo paulo pòst) protulit. Itaque occupato illo loco, collectísque militibus, recuperauit imperium. Ælianus lib. 4. de Varia historia.

CYRVS Assyriorum rex, cùm Massagetas ingenti clade afflixisset, cæso etiam vnico regis filio, TOMYRIS regina dissimulans ægritudinem animi, parua manu hostium ingentes copias fudit, & ducenta millia Persarum vna acie trucidauit, tanta cæde, vt ne nũcius quidem luctuosæ cladis superfuerit. Iustin. lib. 1. & Herod. lib. 1.

LACEDÆMONII, cùm Thebanorum domini essent, adeò rursus ab illis fuerunt subacti, vt Thebani duce Epaminonda non solùm in Peloponnesum peruenirent: verùm etiam Eurotam transirent, Lacedæmoniorum terram vastarent, & propemodum ciuitatem etiam ipsam cæpissent, nisi veritus esset Epaminondas, ne vniuersi Peloponnesi conspiratione facta, pro Sparta dimicarent. Ælianus lib. 4. de Varia historia, & Polybius lib. historiæ Rom.

DIONYSIVS tyrannus à Carthaginensibus interceptus, cùm nullam spem salutis restare videret, animo consternabatur, & de fuga meditabatur. Verùm cum ex familiaribus quidam Hellopidas nomine diceret, O Dionysi, quàm spaciosum sepulchrum est ipsa tyrannis? pudore effusus, animum recepit, & cum paucissi nis multa hostium millia superauit, ditionémque suam ampliorem effecit. Ælian lib. 4. de Varia hist.

Nunquam magis variè lusit cæca & improba fortuna, quàm secundo Punico bello. REM Romanam ad Ticinum perculit, ad Trebiam fregit, prostrauit ad Thrasymenum, ad Cannas afflixit, iacentem & proculcatã ad Nolam suscitauit, in Hispania erexit, ad Metaurum restituit, ad Zamã victricem declarauit. Accidit sanè, quod nullo vnquam bello, vt propiores fuerint periculo, qui demùm vicère. Sab. lib. 7. cap. 8.

Q. MARTIVS Septimij filius, eques Romanus, & impiger adolescẽs, sub Gn. Scipionis disciplina in Hispania, mortuis Scipionibus, Hannibale Italiam vexante, collectis militibus ex fuga, & quibusdam de præsidiis deductis, habita concione, vice functus imperatoris, fractas Romanorum vires, cæsis fugatísque Hispanorum exercitibus, recuperauit ad XXVII. millia vno prælio cæsa. ex Liuij lib. 5. secundi belli Punici.

C. IVLIVS Cæsar ad Dyrrachium victus, ad Pharsaliam mox ingenti prælio fœliciter vicit. Guido Bitur.

L. ÆMILIVS Paulus Iunior proconsul in Hispania primùm, cum Vascenatis & Lusitanis aduerso Marte pugnauit apud Lyconem oppidum, vbi sex millia de eius exercitu cecidère. Anno deinde sequenti eosdem Lusitanos fudit, cæsis xviij millib. ac trecentis. Ob quam rem supplicatio à senatu decreta. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthr. ex Liuio.

CONSTANTINVS Chlorus Magni Constantini parens, à Germanis prælio in Gallia victus, atque in Lingones profugere coactus, cùm oppidani præ hostium metu aperire portas non auderent, fune per muros in vrbem receptus est, in quã magna pars eius copiarum se contulerat. Cũ eodem tempore aliæ quoque eius copiæ superuenissent, eruptione in hostes facta, eodem ipso die quo victus fuerat, hostes deleuit. E quibus eo prælio sexaginta hominum millia desiderata fuerunt. Fulgos. libro 5. cap. 11.

LVDOVICVS Flandriæ comes, cùm Gandauensem vrbem, quoniã ab eo rebellauerat, longè ab ea positis castris obsideret, in magnam populum Gandauensem rerum necessariarum egestatem coniecerat. Itaque cùm missis oratoribus lachrymãtes veniam errori suo peterent, Ludouicus superbè respondit: Se id nunquam facturum, nisi pedibus nudis, abiectis indumentis, aperto capite, extra vrbem fune in collum accepto ad petendam veniam venirent. Hoc respõso commota ciuitas, cùm nullum iam nisi audendo remedium saluti suæ superesse putaret, decreuit, armis sumptis potius in acie cadere, quàm per hunc modum venia petita ludibrio haberi. Egressi igitur ad eruptionem tentandam, cum quinque millium numerum non excederent, magnámque tormentorum vim in curribus, & simul quatuor dierum cibaria secum deferrent, prius Christiana confessione lustrati, aduersus Comitem, qui in vrbe Brugensi cum suis agebat, agmen direxerunt. Cum longè ab eo abessent, munitis iam castris, in eos Comes cum triginta hominum millibus impetum fecit. Ipsi autem omnibus tormentis vno tempore in Comitis exercitum vsi, & vnà omnes castris egressi, ingenti sublato clamore, tanto animorum ardore in eum irruerunt, vt temporis momẽto omnes eius copias fuderint. Fugientes autem insecuti, superueniente nocte cum eis Brugensem vrbem ingressi sunt, nec multum abfuit, quin Comes in ea clade caperetur. Qui cum se in furnarij lecto abdidisset, proxima nocte vrbem pedes egressus, vix ad Insulam (ea vrbs est) tutum in locum recipere se potuit. Cùm autem post paruum tempus sine liberis decessisset, gener eius Philippus, Burgundiæ dux, vir socero longè temperantior, omnem eum motum atque controuersiam composuit. Idem.

VICTORIA CRVENTA.

CVM SVORVM SANGVINE.

TOMYRIS Massagetarum regina cum Cyro Persarum rege cruentissimo Marte inter omnes Barbarorum pugnas certauit, & Cyro occiso victoriam adepta est. Herod. lib. 1.

ORTHRIADES Spartiata, cùm inter Achiuos & Spartiatas conuenisset, vt trecenti vtrinque delecti, de agro Tyreate inter se decernerent, & vtri superiores extitissent, eorum regio foret: vnus hic tantum victor è Spartiatis superfuit, (cùm duo qui ex Achiuis reliqui erant, fugissent, castris suis relictis) trophæum constituit, sanguine suo victoriam inscripsit: & ne solus superesset, gladio sponte incubuit. Valerius Max. & Plutarchus.

PYRRHVS Epirotarum rex, bis commisso cum Romanis prælio vicerat: sed desideratis compluribus amicis & ducibus: Si vno, inquit, adhuc prælio Romanos vicerimus, actum erit de nobis. Quod victi solent dicere, hoc dicebat victor: declarans, victoriam magno emptam non esse victoriam, sed calamitatem. Plutarch.

Eo bello quod inter VITELLIVM & Vespasianum propter imperiũ Rom. gestum est, cæsi sunt in vrbe plurimi mortales, multique in angustis locis propter multitudinem hominum oppressi interierunt, ita vt per illos dies obierint hominum quinquaginta millia. Xiphilinus in vita Vitellij.

VESPASIANVS imperator, cùm Romanum ambiret imperium, atque multi essent qui eò etiam aspirarent. Cerealius vnus ex primis vrbis senatoribus, atque Vespasiani affinis, rebelliones Germaniæ compescuit, multis præliis factis: in quorum vno tanta Romanorum Barbarorúmque multitudo cæsa est, vt mortuorum cadauera profluentis cursum retinuerint. Xiphilinus in vita Vespasiani.

CONSTANTIVS Imperator, posteaquam cum Magnentio certamẽ iniisset, vt qui oblatam conditionem de Galliarum tantùm imperio respuisset, prælio apud Mursam commisso, vtrinque hominum milia LIIII. cæsa sunt, absumptæque ferè Romani imperij vires. Volater. libro 23. Anthropologiæ.

HERMINGO Danorum rege defuncto, duo inter se de Regno contendentes, vndecim penè Danorum milia interfecerunt. Sigebertus in Chron.

Quàm tetram cladem GOTHI circa Fesulas adierint, prima eius gentis in Italiam irruptione, Vldini & Sari ductu, ex eo potest facilè existimari, quòd præter immensum mortalium numerum, qui ferro & fame est consumptus, sectores numo vno aureo licitarentur seruitiorum greges. Sab. lib. 6. cap. 5.

LOTHARIO & Theoderico prælium inter se committentibus, plus quã XXX milia cæsa sunt, Theodericus tamen victoria potitur. Sigebertus in Chron.

Conserto prælio inter CHVNIMVNDVM regem Gepidarum, & Albuinum regem Longobardorum, perierunt vtrinque 60 milia. Sigebertus in Chron.

In pago Autisiodorensi, apud villam Fontanedum, TRIBVS fratribus de regni partitione discordãtibus, pugna facta est cruentissima: tantáque cædes vtrinque, vt nulla ætas meminerit tantam stragem hominum fuisse factam in gente Francorum. & ita eorum vires ibi attenuatæ sunt, vt iam nec suos terminos ab hostibus externis tueri possent. Victoria tamẽ Carolo & Ludouico cessit. Sigeber. in Chron.

Est hodie, eritque semper tristis ad recordationem, VARNENSIS illa acies in ora Pontici maris, qua Ladislaus regum rex fortissimus, & Ioãnes Huniades, cum Amurate Turcorum rege conflixerunt. Huniades victus excessit, Ladislaus mortem occubuit. Quantum Christiani sanguinis pugna illa hauserit, ex eo facilè coniicitur, quòd ex iis qui vicerunt, duo de quadraginta millia post pugnam sunt desiderata. Itaque Amurates à Mahumete suo victorias similes in posterum deprecatus esse dicitur. Sab. lib. 8. cap. 5.

CVM SANGVINE HOSTIVM.

PHINEES, cum duodecim millibus pugnatorum debellauit Madianitas. Quorũ præter viros & mulieres, qui occisi fuerãt, triginta duo millia virginum in præda fuerunt, animalium verò maxima multitudo. Numer. 31.

AHVD aggressus regem Moab, Moabitarum circiter decem millia interfecit Iudicum 3.

BARACH pugnans contra Sisaram, domini auxilio perterruit omnes currus eius, ita vt omnis hostium multitudo vsque ad internecionem conciderit. Iud. 4.

Propter vxorem Leuitæ, fuerunt occisa plusquam sexagintaquinque millia hominum bellatorum de tribu Beniamin, præter mulieres & paruulos. Iud. 20.

In diebus Heli, quando fuit capta arca Domini, ceciderunt ex Israelitis triginta millia peditum pugnatorum. 1. Reg. 4.

Congregatis 32 regibus, BENADAB rex Syriæ bis fugatus est ab Achab rege Israel: & secunda vice centum millia peditum Assyriorum occisa fuerunt. 3. Reg. 20.

EZECHIAS rex Iuda, auxilio diuino fretus, pugnabat aduersus Sennacheribum regem Assyriæ. Angelus igitur Domini vna nocte percussit de exercitu Sennacherib 185000. Ipse postmodum fuga vix elapsus, in templo à filiis suis occisus est. 4. Reg. 15.

GEDEON iudex Hebræorum percussit quatuor reges Madianitarũ, Oreb, Zeb, Zebeæ, & Salmanam. Interfecitque ex eorum exercitu CXX millia hominum apud Iordanem nocte vna. Iosephus lib. 5.

ABIA rex Iuda, & exercitus eius, occiderunt vno die de exercitu Ieroboam quingenta millia virorum fortium, secundo Paral. 13. & Iosephus lib. 8.

ASA rex Iuda, habuit in exercitu suo quingenta & octoginta millia virorum. Æthiopes verò decies cẽtena millia. Æthiopes vsque ad internecionem perierunt, qui à Domino cædente contriti sunt. 2. Paral. 14.

Rex Israel PHACEE, filius Romeliæ, occidit de Iuda centum viginti millia virorum bellatorum die vna, eo quòd dereliquissent Dominum. 2. Paral. 28.

Misit IONATHAS Demetrio Antiochiam tria millia virorum in auxilium contra Antiochenos, qui volebant Demetrium occidere: & occisa sunt vna die de Antiochenis centum millia hominum. 1. Mach. 2.

Iudas Machabæus cum suis ducenta triginta sex hostium millia, & septingentos occidisse scribitur. 2. Machab. 15. dum contra Nicanorem, Seronem, Timotheum, Bacchidem, duces Antiochi Epiphanis & Eupatoris patriam religionem fortiter defendit.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, quadringentorum millium exercitu, Nino assyriorum regi obuiam factus, qui pedites ad decies septies centena millia, equitum milia ducenta, currus falcatos 10000. habuit, eũ in fugam vertit, & cædendo vsque ad montes proximos, ad centum millia hostium cæsis, persequutus est. Diodorus Sic. libro tertio de rebus antiquis.

Nisi Græcorum fidem suarum rerum ostentatio eleuaret. nihil in hoc genere exemplorum magis miraremur, quàm quòd in Marathonis campis ducenta millia PERSARVM vno aiunt prælio deleta: & quod magis miretur posteritas, decem millia duntaxat Atheniensium cum Platæensibus mille auxiliaribus, aduersus sexcenta Barbarorum millia aciem struxère. Sab. lib. 6. cap. 5.

Calamitosius EIDEM genti adhuc bellum hauddubiè habendum, quod Xerxes in Græciam instaurauit, si Salaminiæ pugnæ, & Platæensis damna æqua lance æstimentur: ac verius vero dixerit, si quis ex nullo vnquam bello affirmet maiorem humano generi iniuriam inuectam. Idem.

ALEXANDER Macedo cum Dario, qui DC hominum millia armauerat, in prælium descendit, eúmque superauit, cæsis hostium XI milibus. Volaterran. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

Maior CYRVS, qui Lydiorum regnum euertit, trans Araxem fluuium cum CC millibus Persarum à Scythis tam fœda occidione occisus est, vt ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit. Sab. lib. 6. cap. 5.

ROMVLVS eductis in Camerinos expeditionibus, sex hominũ millia interemit: captáque eorum vrbe, ex his quos belli calamitas reliquos fecerat, dimidiatos Romam traduxit, & duplici numero multitudinem Roma Cameriam habitatum deduxit, Calendar. Sextilibus. Plutarchus in Romulo.

T. MANLIVS Torquatus bello secundo Punico, qui Consul antea Sardos subegerat, rebellantes magna clade affecit, XXX. millibus ex eis cæsis. Hasdrubalem Pœnum cępit, ac omnem insulam perdomuit. Volat. lib. 17. Anthrop.

L. LVCRETIVS Tricipitinus, cùm T. Veturio Gemino consul cõtra Volscos profectus, eorum nomine propè deleto, X millibus & CCCCLXX cæsis, triumphum duxit. Liuius lib. 3.

Q. MINVTIVS Thermus, cum L. Corn. Merula cõsul factus, in agro Pisano fœliciter pugnauit, interfectis ex eis nouem millibus, reliquis in fugam conuersis. Volat. lib. 17. Anthrop.

L. CORNELIVS Merula consul contra Boios in Galliam missus, duodecim milia hostium cecidit, nonaginta duo cæpit, equites centum viginti septem, cum tribus eorum ducibus. Volat. lib 14. cap. 2. Anthrop.

M. CLAVDIVS & C. Cornelius consules, quinquaginta Gallorum millia profligarunt. Volater.

Q. FABIVS Allobrox de exercitu Bituiti, Aruernorum regis CXX millia hominum cecidit. Liuius lib. 6.

L. BEBIVS, cùm in Hispaniam exercitum duxisset, agmine explorato per abditos saltus & inuias regiones in insidias præcipitatus, circumuentúsque & oppressus à Liguribus ita est, vt Massilienses oportuerit tam luctuosam cladem per nuncios Romanis significare: cum ne vnus quidem euasisset incolumis, qui cæteros occisos ab hostibus referret. Alex. lib. 6. cap. 25.

Q. FABIVS Maximus consul, cum Gn Martio Rutilio apud syluam Ciciniam LX Hetruscorum millia partim cæpit, partim interfecit. Liuius lib. 9.

C. SVLPITIVS Samnites apud Maleuentum superauit, cæsis ex eis ad XXX milia. Front. lib. 2. & Liuius lib. 7.

Ad FIDENAS pugnatum est, in quo maxima operis pars Romuli fuit: qui cum pugnandi artem simul & audaciam ostendisset, robore ac velocitate pedum humanam vim excessit. A quibusdam dicitur, quatuor & decem millibus in ea pugna cæsis, maiorem dimidia partem propria manu Romulum obtruncasse. Plut. in Romulo.

TREBIAM, Trasimenum & Cannas, Romanus cruor nobilitauit: sed maior propemodum clades ad Metaurum Vmbriæ flumẽ Pœnis repensa est, vbi sexaginta & amplius Pœnorum millibus cum Hasdrubale cæsis, Claudius Nero & Liuius Salinator Romanorũ sanguinem toties eo bello fusum fortiter vindicauère. Sabellicus lib. 6. cap. 5.

Post Cannensem cladem cùm duce C. Manlio & Q. Seruilio Cepione à Cimbris & Theutonis, legiones Romanorum fusæ essent, plus 80. Romanorum & sociorum millia ad Rhodanum fœdè cæsa sunt: & tanta clades accepta, vt vix decem superfuisse dicantur. Alexand. ab Alexand. lib. 6, cap. 25.

L. VAL. Flaccus, M. Catonis senis familiarissimus, qui eundem ex Tusculano ad rempub. adduxit, pariter & instruxit: consul cum eodem Catone, circa Mediolanum, vt Liuius testatur, cum Gallis & Insubribus & Boiis collatis signis acerrimè pugnauit: vbi decem hostium millia cæsa sunt. Volat. lib. 20. Anthrop.

Ad Sextias aquas, & Vercellas, triginta Cimbrorum, Theutonũ & Ambronum myriades duobus præliis à Mario cæsæ, affatim materiam præbuère locorum indigenis, campestria prędia humanis ossibus in macerię speciem munire. Sab. lib. 6. cap. 5.

LVCRETIVS Asella, posteaquam C. Marium ex Sullæ victoria Prænesta fugientem obsedisset, vrbe potitus, ad duodecim milia trucidauit. Liuius lib. 88.

Redundauit ASIA ferè tota circa Taurum vno die, Romano sanguine, crudelissimo Mithridatis edicto, cẽtum quinquaginta millibus Quiritij nominis omnis sexus & ætatis, non in vna vrbe, sed vno quidẽ tempore interfectis: fuitque classicum illud renouati belli. Quòd si bellorum tessera tam calamitosa, quàm tristia & funesta esse prælia oportet, quibus aut vincendum est, aut cadendum? Sab. lib. 6. cap. 5.

Ad centum millia hostium, L. LVCVLLI ductu deleta sunt breui pugna, à duabus Romanis legionibus in Armenia: nunquam minor bellatorum manus cum tam numeroso conflixit exercitu, vt bisdeni hostium cum singulis Romanis manum conseruisse dicantur. Ibidem.

C. IVLIVS Cæsar, qui postea Dictator fuit, prædicare solitus dicitur, vndecies cẽtum, & nonaginta millia hostium, præter eos qui ciuilibus bellis periissent, suo ductu & auspiciis cæsa. In Gallia enim bis diurna pugna cęsa sunt centum hostium millia. Quòd si ad vnum ducem, qui paucis annis bellauit, tanta humani generis iactura referenda est, quid in tot ducibus tam longa rerum serie euenisse oportet, quanta prima hominum memoria censetur? Idem.

A Germanis multæ legiones ROM. cum Quintilio Varo occisæ fuerunt.

CLAVDIVS princeps CCC millia Sarmatarum cæcidit ad Martinopolim. Rauis.

Est & illa in raris cædes habenda, ac nescio an omnium quæ vnquam contigerunt maxima, & ob id præcipuè memoranda, quæ HIEROSOLYMITANO excidio edita est: decies centum millia Iudæorum obsideri cœpta dicuntur à Romanis, Titi Vespasiani ductu vrbe tum capta, vix horũ decima pars venit in victorum potestatem: cætera multitudine aut fame aut ferro consumpta. Sab. lib. 6. cap. 5.

IVDÆI qui circa Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce Romanos pariter atque Græcos conciderunt, atque eorum carnibus vsi sunt: viscera ederunt, sanguine obliniti sunt, pellibúsque induti. Multos à vertice transfixère medios, multos obiecère bestiis, multos etiam certare inter se coegerunt, ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Traiani.

COSROES rex Persarum, Palæstinam cum Hierosolyma, ac nongentis millibus Christianorum euertit. Rauis.

VSCODONIAM, seu Hadrianopolim, Thraciæ vrbem, quum cæpissent Turcæ, in ea centum hominum millia iugulata sunt. Rauis.

ROMANI peruagantes Syriam, peremerunt ducenta milia Saracenorum, Sigebertus in Chronicis.

SARACENIS & Arabibus, cum Romanorum exercitu congressis, occiduntur Saracenorum 30 millia. Idem.

HERNAC filius Attilæ, Hunnorum regis, cum Ardarico Gepidarũ rege, qui primus seruitium Hunnorum detrectauit, confligens, triginta Hunnorum milia amisit. Idem.

THEODERICVS rex Italiæ, Ibba comite suo contra Francos misso, 30. milia eorum occidit, in vindictam necis Alarici generi sui. Idem.

Sensit Tholosanus ager, quàm calamitosa res sit hominib. vis bellica, cum paucis horis centum octoginta virorum millia mortem occubuère, cùm Hunnorum rex Attila aciem inibi aduersus Ætium patricium Romanum, & Theodoricum Gothorum regẽ, magis ferociter quàm feliciter explicuit. Sab. lib. 6. cap. 5. & Sigebertus in Chronicis.

Alphonsus Castus cognomento, rex Gothorum, ad septuaginta Maurorum milia cecidit in acie, qui fines Asturum ferro populabãtur. Ritius Neapolitanus lib. 2. Regum Hispan.

In HISPANIIS viginti millia fermè militum contra Vandalos pugnantium cæsa sunt, anno Domini 433. Sigeber. in Chronicis

BVLGARI sub Theodosio Imperatore, Sarracenorum 32. milia peremerunt. Idem.

ARNVLPHVS rex Burgundiorum, audita suorum cæde, à Baioaria contra Normannos pugnaturus, properauit cum valido exercitu. Eos supra fluuium qui Tilia dicitur, pedestri prælio adortus, tantam stragem fecit, vt ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem aduersum nuncium ferret. Sigeber. in Chron.

AFRICANI, qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per exercitum Ioannis Papæ & per auxilium Romani Græcorum imperatoris, ita attriti sunt, vt ne vnus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Idem.

SAXONES in Italia à Longobardis recedentes, & terras suas, in

Germania repetere volentes, à Sigeberto vsque ad viginti millia cæsi, serò destiterunt à bellis. Idem.

HVNGARIS regnum Otthonis Imperatoris, ductu Conradi ducis depopulantibus, victi sunt tanta strage, vt nullus ferè eorum euaserit. Idem.

In bello EDVARDI quarti Anglorum regis, contra Scotos, perierũt Scotorum LX millia, Anglorum septem solum. Rauis.

FRIOLA filius Alphonsi, Catholici regis Haspaniæ, L millia Saracenorum in bello occidit. Idem.

In bello RODERICI regis Gothorum contrà Saracenos, DCC millia hominum vtrinque perierunt. Idem.

SAXONES contra Conradum Imp. bellum suscipientes, tanta clade eum inuaserunt, vt vulgò iactaretur, Vbi nam esset ille infernus, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset? Sigebertus in Chron.

VICTORIA INCRVENTA.

ABSQVE SVORVM SANGVINE.

ISRAELITÆ ex præcepto Domini pugnantes contra Madianitas, tantam victoriam assequuti sunt, vt triginta duo millia virginum in præda fuerint: & tamen de populo Israel non fuerunt nisi duodecim millia pugnatorum, quorum ne vnus quidem in prælio cecidit. Num. 31.

ALEXANDER Macedo ad Armenicas pylas in faucibus angustis, signis collatis cum Dario, pugnauit. Vltra centum millia Persarum peditũ feruntur cæsa, equitum decem millia: ex Macedonibus verò non vltra 32 pedites, & equites 150. Rursus ad Granicum amnem Barbarorum 20 millia, equitum verò duo millia fœdum in modum occubuere: cùm ex Alexandri exercitu 34 tantum desideratos fuisse quidam testentur. Alex. lib. 6. cap. 25.

ROMANI, cùm contra Antiochum pugnarent, interfectis quinquaginta hostium millibus, ipsi vigintiquatuor equites tantum, pedites verò 300. amiserunt Idem.

L. LVCVLLVS contra Tigranem Armeniæ regem pugnans, vltra centum hostium millia prostrauit, cùm ex Romanis non vltra centum vulnerati, occisi autem dicantur quinque tantum. Idem.

L. SYLLA, cùm contra Archelaum non longè à Pyreæo pugnasset, trucidatis viginti hostium millibus, ex suis quatuordecim tantum amisit. Idem.

CN. POMPEIVS, cùm Mithridatem strage atrocissima perculisset, quadraginta millibus hostium cæsis, viginti tantum ex suis desiderauit. Idem.

ÆLIVS Gallus in expeditione Arabica, post excidia & vastationes agrorum, pluribus oppidis expugnatis, plus triginta hominum millibus fœdè cæsis & profligatis, non plures septem ex suis amisit. Idem.

CAROLVS Martellus Gallorũ rex, Abidiramum Visigothorum regẽ ex Hispania hostiliter Galliam vastantem, ad Burdegalam ingenti prælio vicit, cæsáque vna acie CCC octoginta Gothorum millia: & quod maiori admirationi accessit, Francorum mille, nec amplius, ceciderũt eo prælio. Sab. lib. 6. cap. 5. & Sigebertus in Chron.

ABSQVE HOSTIVM SANGVINE, PER deditionem aut pacta, hostes, quos perdere poteramus, seruare.

Consule tit. Hostes amicos facere, aut ad deditionem compellere, sub loco Stratagematum.

Apud LACEDÆMONIOS, si dux fortiter dimicasset, & cruẽto Marte, magnáque hostium clade vicisset, trophæi loco gallum diis immolabat. Qui verò deditione & pacto, nec nimiũ cruẽta victoria potitus, belli mala vitasset, bouem sacrificabat. Vt significarent, magis decere imperatorem (iuxta Periclis sententiam) consilio & astu, quàm gladio & multo sanguine fuso, victoria potiri. Alexan. ab Alexandro libro primo, capite vigesimosecundo.

FORTITVDO IN PROPVLSANDA INIVRIA ET DAMno belluarum, in conficiendis feris. FERARVM domitores.

Exempla aliquot pete ex tit. Venatorum, & Robustorum.

HERCVLES Alcmenæ filius (si vera sunt quæ de eo Græci scriptores, & Romani Græcos secuti prodiderunt) plura maioráque quàm quisquam alius adiit pericula: nullus magis intrepidè omnifaria adiit monstra: nullus fortius tulit, validiúsque superauit, vt si quis stultæ de eo in deos recepto opinioni accedat, iure dubitet, sitne ille adeptus magis cœlum, an meritus. Sab. lib. 4. cap. 6. & lib. 1. cap. 5.

Par propemodum de THESEO manauit ad posteros fama: sed vtrique res magis cum monstris fuit, quàm cum hominibus, & ob id fortasse amborum virtus cunctatius censenda, cui poetica subscripsit fides, nõ historica. Sab. lib. 4. cap. 6.

LYSIMACHVS Agathoclis filius, leoni famelico, Alexandri iussu datus in prædam (quòd Callistheni captiuo ad remedium calamitatis dedisset venenum) manum amiculo inuolutam in os leonis intulit, ademptáque lingua feram exanimauit. Quo illustri facinore conciliatus est Alexandro. Trogus lib. 15.

ATTILIVS Regulus cõsul, in Africa portẽtosæ magnitudinis serpentem confecit cum exercitu.

DONATVS Euræa in Epiro antistes, cùm ad χαμαγέφυρας locum dictum draco terribilis (quem octo boum paria vix loco mouere potuerunt, cùm interfectus esset) excubaret, qui armenta, pecudes & homines deuorabat, cum crucis signo digitis facto adortus, & saliua parenti rictui iniecta, interfecit. Quem postea incolæ, ne aerem inficeret, protractum igni combusserunt. Nicephorus libro 12. cap. 45.

VITIVM IN EXCESSV PROPVLSANDI.

TEMERITAS IN PROPVLSANDO.

Quemadmodum Fortitudinis vocabulum omnes species comprehendit: ita quoque Temeritas in genere excessum, Timiditas defectum huius virtutis indicat. Temerè profectò illud fieri dicitur, quod ἀνοήτως, stultè, inconsideratè & absque ratione, quamuis magno cum conatu atque robore, fit. Tales fuerunt olim Gigantes, Cyclopes, Læstrygones, & quiuis alij Barbari, deorum immortalium, hoc est ipsius rationis, per quàm à belluis differimus, & ad deorum naturam proximè accedimus, contemptores. Audaciã quoque Latini vocant, detorto fortaßis vocabulo à Græcorum αὐθάδεια. Semper enim audax & temerarius sibijpsi plus æquo placet, nimium suo robori confidit, fortitudinem suam maiorem esse putat quàm reuera sit. Est ergo αὐθάδης, hoc est, αὐτάρεσκος, vt Eustathius interpretatur, & per consequens etiam superbiæ vitio laborat. Sed de nominibus non sit lis, modò rem intelligamus. Iam verò in specie Temeritatis, vocabulo, inconsultam fortitudinem in propulsando exprimimus, eámque fortitudini propulsanti veræ opponimus. Habitus ipse per se & semper vitiosus est: effectus interdum laudabilis existit, quando scilicet fortunæ beneficio res preclaras gerit: ob quas tamen non modò non laudandus, sed etiam vituperandus est habitus: quòd magis cæcos fortunæ impetus, quàm rationis solidum iudicium sequatur.

Nunc ad exempla accedamus.

TEMERITAS VRBANA.

TEMERITAS BELLICA.

GOLIATH Philistæus Gigantea proceritate, Dauidem homuncionẽ conuiciis lacessens, nimium viribus suis tribuit. Ab eodem tamen funda & lapide citra omnem laborem interfectus est. 1. Reg. cap. 7.

GIGANTES ausi sunt Iouem armis lacessere, & in eum montes iaculari, vt volunt Mythologorum fabulæ. Autor Ætnæ:

Tentauêre (nefas) olim detrudere mundo
Sidera, captiuíque Iouis transferre Gigantes
Imperium, & victo leges imponere mundo.

PORVS Indorum rex, cùm nimium tribueret viribus suis (erat enim statura quatuor cubitorum & palmæ, authore Plutarcho) regem Macedoniç Alexandrũ priuatum sibi hostem deposcit. Nec Alexãder moram pugnæ

fecit. Porus itaque multis uulneribus obrutus capitur: & victum se adeò doluit, vt neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit, ægréque sit obtentum vt viuere vellet. Iustinus lib. 12.

TAVREA Iubellius Campanus, memoranda vir fortitudine, cùm in castris Hannibalis militaret, Claudium Asellam Romanum, ingenti hominem robore in exercitu apud Molam prouocans, post inania verba congressum illius minimè sustinens, refugit. Eum Claudius insequens, vrbisque portam ingressus, stupentibus hostibus per alteram cursu cõtendens euasit. Hic postea capta à Fuluio Capua, manu propria coniuge liberisque interfectis, se postremò ante pedes Imperatoris gladio transfixit. Liuius lib. 2.

BADIVS Campanus, miles fortissimus, fretus suis viribus, euocari Titum Quintiũ Crispinũ iussit ex toto exercitu, prouocans illum ad singulare certamen. Cui Crispus respondẽs ait: nec sibi, nec illi hostes defore, in quibus virtutem ostendant. Sed postquam tam acriter prouocasset, ne virili animo carere videretur, aggressus illum est, & victor euasit. Liuius lib. 5. Dec. 1.

TERENTIVS Varro & FLAMINIVS, hic ad Thrasymenum, ille ad Cannas, dum Hannibalis artes despiciũt, dum æquales haberẽt exercitus, denique dum seipsos parum noscunt, nimium viribus suis fidunt, rem Romanam penè funditùs subuertêre. Pontanus libro primo de Bellica fortitud. cap. 10.

SER. Cepio consul contra Cimbros in Italiam irruentes temerè pugnans, 80. millia amisit. Liuius lib. 67.

BRACHIVS Perusinus, dux felicissimus, nimium temerè audẽdo, factus est infœlix. Nam cùm Æquorum vrbem Aquilam valido exercitu obsideret, scirétque Ecclesiasticum exercitum ad ferendam obsessis opẽ appropinquare, cui mõs arduus conscendẽdus erat, ac postea per eũdem iniquè nimis descẽdendũ: verit⁹, ne propter loci iniquitatẽ territi hostes retrocederẽt, ꝗ ea via nec seruare ordines, nec in aciẽ descendere poterãt: vt & vires & animũ simul ostentaret, tubicinẽ ad hostes misit, offerẽtem: Si ad ferendam obsessæ vrbi opem venirent, se in eos à vi temperaturum esse, dum in montem ascendissent: atque ex eo in planiciem profecti, aciem instruxissent, quæ res vt superbè nimis oblata fuerat, ita postridiè stultè nimis seruata est, cum pedibus equites à monte descenderent, & singuli equos suos ad manum traherẽt. Cum igitur hostium pars descẽdisset, & à suis Brachius moneretur, vt eos qui iam descẽderant inuaderet (quia cùm alij qui nondum descenderant, opem eis ferre non possent, captiui omnes proculdubiò fore videbantur) respondit: Nolle quendam ex hostium numero euadere, & propterea malle vt simul omnes conuenirent. Qui cùm descendissent, atque acies instructa esset, ab alia autem parte Aquilanus quoque populus eruptione facta Brachium inuasisset, ancipiti prælio à fronte & tergo dimicandum Brachio fuit: qui quanquam illic fortiter decertasset, tandem prælio fusus, graui accepto vulnere, quo intra breue tempus decessit, in hostium venit potestatem: ac temerè nimis oblati hostibus commodi pœnas luit. Fulgosus. lib. 9. cap. 8.

VITIVM IN DEFECTV PROPVLSANDI.

PVSILLANIMITAS RELIGIOSA, IN PROPVLsandis diaboli tentationibus.

Iam à principio coluber tortuosus diabolus humano generi infensus, in PRIMOS HOMINES inuidiæ suæ virus vomere cœpit: ac ligni à Deo vetiti vsum suadens, Nequaquam moriemini, inquit: sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Mẽdaci promissione pellexit eos ad peccandum, & illi diuinum transgressi mandatum, maledictionibus succubuere. Igitur caueamus ab eo, quia inimicus est: nec verbis eius præstemus fidem, quia fallax est. Homicida fuit ab initio (vt Saluator ait) & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. Marullus libro quinto, capite septimo.

Victo semel sathana, impensè cauendum est, ne qua ex hoc surrepat inanis gloriæ iactatio. Mirabantur se Apostoli, quòd dæmoniis imperarent. & audiunt: Nolite gaudere in hoc, quia dæmonia subiiciuntur vobis: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et: Videbam sathanam, inquit, sicut fulgur de cœlo cadentem. Qui quantò se altius erexerat, tanto inferius corruit. Qui ergo acceptam gratiam semper integram conseruare cupit, semper humilitati studeat, in omnibus Deo gratias agat: & si malarum tentationum victor euaserit, illi soli acceptum referat. Ait enim: Sine me nihil potestis facere. Idem.

Sathanas nequissimus, cùm Domini discipulos cribrare sicut triticum expetisset, non est permissus nisi in eum qui de se multum prçsumpserat, dicens: Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortẽ ire. Luc. 22. Petrus ergo & tentari & labi dimissus est, vt per pœnitentiam humiliatus, disceret iam non sibimet cõsidere, sed ei cuius beneficio etiã post lapsum subleuat⁹ est, ne periret. Igitur quisquis aliquid boni operis propria virtute se effecturũ promiserit, diaboli vanno concutietur: & cũ triticum mundum se esse crediderit, inter decermina computabitur. Frustrà aliquid conamur, nisi Domini affuerit auxilium: cum illo in carcerem vel in mortem ire tunc poterimus, cum ipse audendi præstiterit fiduciam. Vt autem præstet, rogari vult, dicens: Petite, & dabitur vobis. Idem.

In illos præcipuè diaboli insurgere solet malignitas, qui terrenis cõtemptis, religiosè vitam instituere decernunt. Idcircò præceptum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iusticia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Duo iuuenes Ioannem apostolum secuti, cùm angi animo cœpissent, quòd facultates suas in pauperum vsus erogassent, nec iam Apostolo meliora certioráque sperare iubenti acquiescerent, virgis in aurum mutatis, & lapillis in gemmas, plus etiam recipiunt quã reliquerãt. Mox cuiusdam (cui Stacteo nomen erat) à morte suscitati verbis credentes, quibus ille se vidisse affirmabat, quàm ingentem gloriam in cœlo paratam sibiipsi amisissent, ad quam tanquam infœlicitatẽ deuoluendi essent, quod retrò cessèrint: rursum ad populum reuersi, restituto quicquid ab eo acceperant, paupertatem in vita coluêre, vt post obitum diuites fierent. Reuocauerat eos diabolus ad pristinæ cõuersationis vomitum, sed Apostoli precibus & Dei dispensatione factum est, vt deprehensis inimici fraudibus ac dolis, quod impudenter repetierant, constãtius refutarent. Sic in tempore resipiscentes, gloriam illam quam sibi in cœlo fuisse audierant, iam amissam recuperarunt. Idem.

ZOZIMVS pontifex maximus, diaboli supplantatione in fornicationem semel lapsus, iterum & sæpius lapsurus fuit, nisi Antidij Turonensis episcopi opera se à scelere retraxisset. Antidius quippe cùm fortè, qua nocte id commissum est, multitudinem dæmonum conspiceret inter se iactantiũ de illis hominibus, quos captiosa inductione in laqueos mortis impegerant, & vnum præ cæteris gloriantem audiret, quòd Zozimũ papã annos à se septem sollicitatum, tãdem cum virgine quadam coire fecisset, euestigiò visa auditáque ad ipsum Zozimum defert, & ille pro breui voluptate æterni supplicij metu exterritus, pœnitentiam egit: multóque deinceps vixit circumspectius, nullam prorsus cum fœminis consuetudinem sibi indulgens, sed potius declinans quantum poterat etiam conspectum earum. Huius exemplo, & qui stat, caueat ne cadat: & qui ceciderit, pœnitendo resurgat, ita vt ne rursum corruat. Nam crebrius corruendo languescere resurgendi potestatem, ac debilitari necesse est. Idem.

Cassianus refert, HERODEM senem in Thebaidis deserto annos quinquaginta commoratum, sempérque ieiuniis intentum, suo tamen, non patrũ arbitrio vixisse. Hic ergo à dęmone laudatus, cùm eum à Deo missum ad se de cœlo angelum credidisset, credidit etiam quod ab illo audierat, se scilicet tãti iam apud Deum meriti esse, vt si ex arduo aliquo loco ad imum rueret, corpus suum alligi lædive non posset. Itaque immemor scriptum esse, Non tentabis Dominum Deum tuum: sed potius in perniciem suam illud imprudenter amplectens, Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum: noctu surrexit, & in puteum haud modicæ altitudinis se præcipitem misit. Ad sonitum casus exciti fratres, ipsum seminecem extrahunt: & cùm rem didicissent, à dæmonio illusum affirmant. Sed ille in sua credulitate præsumptuosáque superstitione perdurans, die tertio pòst vita defunctus est. Et quoniam in tali errore defecerat, vix illi à Paphnutio abbate multorum precibus exorato, inter dormientes in Domino fratres sepultura memoriáque concessa est. Proh dolor, tot tantósque viri labores vna destruxit sanctitatis præsumptio. Ea impostorem suum non agnouit, eam nulli de se nisi sibi credidit. Sic sic virtutum quamuis altè structum ædificium repentè labi solet, vbi subtraxeris humilitatis fundamentum. Idem.

De ALIO etiam apud eundem scriptorem traditum est, suppresso nomine (quia adhuc supererat) quem captum diabolus diu ludificauit, noctu ad eum ventitans, & cellam splendore illustrans, multáque ei occulta verè reuelans, vt postremò in erroris foueam incautum præcipitaret. Nil illi vltrà ad promerendum gloriæ culmen deesse dixit, præter Abrahæ obedientiam. proinde Deo iubente ne dubitaret, filium quem secum habebat, in holocaustum offerre. Credidit miser. Sed dum præter cõsuetudinem cultrũ in cote subigeret, & vincula præpararet, continuò pueri mens mali præsaga, suspicari id quod erat, ac subinde quid ille acturus esset, paulo semotior quàm vt ab eo comprehẽdi posset, spectare cœpit. Cúmque iam aduersum se insurgentem vidisset, nihil moratus è cella se proripuit, & fuga salutem petiit. Certè nisi effugisset, pater ipse pessimi parricidæ in filium scelus, non Abrahç obsequium consummasset: & quẽ Deo genuerat, diabolo immolasset. Eò iam vesanię processerat imprudẽs inconsultáque credulitas. Ibidem.

Narrat idem Cassianus, monachum etiam quendam Mesopotamenũ, qui annos multos clausus vixerat, continentiæ cęterarúmque virtutum fama supra omnes insignis, eodem fraudis genere, hoc est sub angeli forma à diabolo deceptum, ita vt ad Iudaismum declinarit, & circumcisionem acceperit. Etenim multis illius non falsis reuelationibus, & coram se coruscantis luce delinitus, firmissimè credidit, ipsum esse cœli, non tenebrarum spiritum. Vbi hoc persuasum est, illo tandem monstrante videre sibi videbatur, Apostolos martyrẽsque, & omnem prorsus Chri-

ſtianum cœtum,triſtes abiectóſque in locis miſeriæ ac prædicationis eſſe:at ecõtrariò Iudaicum populum cum Patriarchis & Prophetis ingẽti lumine fulgere,& altè ſidereis in ſedibus lætos ac geſtiẽtes verſari. His itaq; diabolicæ malignitatis præſtigiis illectus,corruit in errorem:nihil ab eo falſum oſtẽdi poſſe ratus,à quo toties ea quæ vera erãt didiciſſet: ignarus hanc eſſe piſcatorum malitiam,vt hamum eſcis tegant, non paſcendi,ſed præhendendiperdẽdique cauſa.Aut quid aliud diaboli blandimenta niſi odiorum inſidiæ ſunt?Ibidem.

PVSILLANIMITAS, SIVE IGNAVIA IN PROPVLſando, *Ethica.*

VRBANA.

BELLICA.

Exempla plurima ex tit. Victoriæ illuſtris, Ab hoſtibus capti, Monomachiæ, Strages memorabiles, Metum hoſtibus inycere, peti poterunt. Victor enim victi victor eſt: & vbi victoris illuſtris exemplum recitatur, ibi etiam victi.

ISRAELITÆ,quamuis multis à Domino miraculis confirmati eſſent,tamen cùm perſequentes ſe Ægyptios viderent,vehemẽter timuerunt.Exod. 14.

IIDEM exploratoribus in terram ſanctam emiſſis, cùm robuſtos incolas,vrbes munitiſſimas & opulentiſſimas eſſe audiuiſſent,Vtinam mortui eſſemus in Ægypto,lamentabundi vociferabantur.Deuteron. 1. Numer.13 & 14.

GEDEON cùm haberet in exercitu ſuo triginta duo hominum millia,& formidoloſis copia daretur remigrandi domum, reuerſa ſunt ex populo viginti duo hominum millia.Iudic.7.

SAVL & omnes Iſraelitæ in caſtris Gelboe , audientes ſermones Goliath Philiſtæi, ſingulare certamen petentis, timuerunt, primo Regum 17.

ASSYRII,cùm Holofernem decollatum audiuiſſent,tremore & metu agitati,fugæ præſidium ſumpſerunt.Iudic.15.

ROBOAM rex Iuda,rudis & corde pauido,non potuit reſiſtere exercitui,quem Ieroboam congregauit contra eum.2.Paral.13.

Videns IVDAS Machabæus,quòd fugiſſet exercitus ſuus,confractus eſt corde,& in bello illo cecidit.Nec legitur idem Iudas aliàs in bellis vel alibi timuiſſe.1.Mach.9.

METON aſtronomus,cùm Græcis in Siciliam nauigans,poſteaquam futura pericula cognouiſſet,metu & timore ferè exanimatus, quæſiuit quo fuco ſe ſubtrahere poſſet.Verùm cum non inueniret honeſtatis prętextum,vt immunis ab expeditione fieret inſanum & furibundum ſe eſſe finxit:& cùm multa perpetraret ad veriſimilem morbi opinionem reddendam ,domum etiam incendit. Inſanus igitur à belli principibus iudicatus,libere dimiſſus eſt.Ælian.lib.13.de Var.hiſt.

ARISTOGITON fuit Athenienſis quidam ſycophanta, qui Martem habebat in lingua,& nunquam non loquebatur de bellis , vt propterea bellicoſus appareret, quum tamen re ipſa foret meticuloſus.Proinde quum die quadam intellexiſſet exercitum parari,& conuocari milites, ſimulata valetudine crus obligauit,& baculo innixus in publicum prodit,claudicatem ſimulans.Quod vbi primùm conſpicatus eſt Phocion, cognita primo intuitu hominis vafricia:exclamauit, Ariſtogiton claudicat.Rauiſ.

MYSORVM populus vſqueadeò fuit vilis & contemptus,vt ſequẽti prouerbio locum fecerit,Myſorum poſtremus.Finitimorum incurſationibus malè vexabantur.Hinc orta parœmia,Myſorum præda: de his qui impunè à quibuſlibet læduntur,ac diripiuntur.Idem.

RHEGINI ignaui fuerunt in rebus bellicis , animiſque præpauidi. Hinc adagium,Rheginis timidior.Idem.

XERXES Darij regis Perſarum F. ex Cyri regis filia genitus,cui tanta diuitiarum affluentia,tantus regius ſplendor,tam grandis obſequentium populorum extitit copia,vt vix mortalium alter ei quouis ſeculo par legatur:trecenta millia militum duxit contra Græcos, & ab aliis ter ſuperatus eſt.Ea infœlicitas Xerxem adeò Perſis exoſum atque deſpectum reddidit,vt ſit auſus Artabanus eius pręfectus cum ſeptem filiis veſperi regiam ingredi,& incautum regem obtruncare.Guido Bitur.

CLEONYMVS notatur apud Ariſtophanẽ,quòd abiecerit clypeum. Rauiſ.

TVREA Iubellius Campanus,verbis quàm re ferocior,Claudium Aſellum militem Romanum ſuperbis comminationibus ad duellum irritauit vltrò:vbi autem ventum eſt ad conflictum, repente concitato equo fugam arripuit,& aufugit Capuam.Idem.

CN.VATIENVS ſiniſtræ manus digitos ſibi amputauit,ne bello Italico militaret.Idem.

Propter Cannẽſem cladem, SENATVS Octacilio , qui Siciliam: & Cornelio Mammulæ,qui Sardiniam proprætores obtinebant,querentibus quòd neque ſtipendium,neque frumentum claſſibus eorum & exercitibus ſocij præberent,affirmantibus etiam ne habere quidem eos vnde id præſtare poſſent:reſcripſit ærarium longinquis expenſis non ſufficere,proinde quo pacto tantæ inopiæ ſuccurrendum eſſet,ipſi viderent. His literis quid aliud quã imperij ſui gubernacula è manibus Senatus abiecit?Siciliámque & Sardiniam,benigniſſimas vrbis nutrices, gradus & ſtabilimenta bellorum,tam multo ſudore & ſanguine in poteſtatem redactas,paucis verbis,ita ſcilicet neceſſitate iubente,dimiſit? Val. libr. 7.capite ſexto.

C. MANCINVS omnium Romanorum ducum ignauiſſimus, ſua timiditate & turpi formidine eò venit,vt cùm Numantiam in Hiſpania obſideret,tanquam obſeſſus & victus ignominioſam ſibi & populo Romano pacem domum reportarit.Sab.lib.4.cap.7.

CN.POMPEIVS à Cæſare victus,deſperans quaſi de ſua ſalute, neque caſtra in idoneis locis collocauit,neque quò fugeret conſtituit: & cùm poſſet ſine periculo cunctãdo rerum potiri,ita tamen perterritus eſt,vt nec conſilium vllum oportunum aut ſpẽ firmam in periculis habuerit: imò relicto munito loco,in Ægyptũ profectus,ibidem per inſidias obtruncatus eſt.Xiphilinus Dionis abbreuiator in Pompeio.

TIGRANES Armenius potentiſſimus Aſiæ rex, contra Lucullum Romanum(quem ob militum paucitatem contempſerat) pugnans: cùm militum multitudine longè præſtaret,attamẽ turpiter fugam adornauit: ac tiaram vittáſque ſcidit,ne ex iis agnitus veniret in hoſtiũ manus.Dió Nicæus,& Xiphilinus in Pompeio.

MICHAEL Curopalates,cognomento Rancabe, gener Nicephori imperatoris,apud Hadrianopolim fuſus,fugatúſque amiſſis copiis domum ſe recepit:vbi mox coniuratione Leonis Armeniaci captus eſt, & miſſus in exilium.Volat.lib.23.Anthrop.

OTHO. II.Othonis primi filius,aduerſus Baſilium & Conſtantinum Imperatorem pugnãs cum claſſe,ac ſuperatus,turpi fuga ſolus ſcapham conſcendit:& à piratis pro ignoto captus,in Siciliámque ductus, à Siculis redemptus eſt.Volat.lib.23.Anthrop.

ALPHONSVS Aragonius in magno & opulento regno à patre hæres relictus,ſub Caroli octaui in Italiam deſcenſum , fortuna regni adhuc integra,incolumi exercitu,ciuitatibus in fide permanentibus,priuſquam Gallus fines tranſcendiſſet, dubium maiore timiditate an deſperatione,regnum reliquit:& qui nuper à tota Italia timebatur, repentè extitit omnium timidiſſimus.Sab.libro 4.cap.7.

FINIS LIBRI QVARTI.

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER QVINTVS.

DE TEMPERANTIA.

OBIECTA externa virtutum & vitiorum conſideramus in præſentia,quatenus voluptatem dolorémue pariunt:& vel in animo,vel in corpore.Diſtinguit enim voluptatem Ariſt.in σωματικὴν καὶ ψυχικήν. σωματικὰς ἡδονὰς Temperantia perſequitur,& in eorum appetitu moderando verſatur primò & per ſe:per accidens etiam,in cõtrariis doloribus.Definitur itaque temperantia μεσότης περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας σωματικάς,hoc eſt ,αἰσθητικάς.Cùm autem ſenſus externi ſint quinque,circa voluptatem viſus,auditus & olfactus μὴ κυρία Temperantia : circa voluptatem verò tactus atque guſtus(qui tactus quidam particularis eſſe videtur) κυρία Temperantia conſpicitur.Guſtui porrò & tactui voluptates ſubijciuntur,quæ vel ad indiuidui humani conſeruationem faciunt,& ex alimentis,cibo videlicet atque potu percipiuntur : vel ad ſpeciei propagationem,qualis eſt Venereorum vſus.Et propterea Temperantia circa alimenta & Venerem propriè verſatur:minus propriè circa ea,quæ ad priora illa quomodolibet facere poſſe videntur.Iam verò μεσότητα intelligimus ἑκτικήν,hoc eſt ἕξιν & habitum perfectum, non ſolam διάθεσιν. διάθεσις enim ipſa ſub genere communi ἐγκρατείας continetur, de qua in 7.Ethicorum Ariſt.diſputat.Exempla tamen vtrobiuis eadem ſunt:neque actiones alio inter ſe differunt, quàm ſolo principio.Eſt præterea & illud ſummopere in præſentia obſeruandum,Temperantiam propriè quidem habitum denotare,qui mediocritatem in corporeis voluptatibus & doloribus ſequitur:communiter tamen etiam pro quauis officij & decoris obſeruatione ac moderatione in quibuſcunque vitæ actionibus ſumi,ita vt omnes virtutum ſpecies ſui ambitu comprehendat.Nam qui iniurias & labores honeſtatis cauſa perfert,fortis propriè erit:qui diuitias vltra quàm oportet non perſequitur , liberalis : & tamen vterque propter moderationem Temperantis interdum appellationem ſubit.Sic etiam Græci σωφροσύνης vocabulo non rarò abutuntur:quam ſic dixêre,quaſi σωφροσύνην,ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν.Etenim ſi animi mores corporis temperiem ſequuntur,atque vt in prouerbio eſt , παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον:conſtare profectò cuilibet poterit.quòd non niſi in ſano & puro corpore,temperantiæ nimirum legibus addicto,ſapiens ac prudens anima habitare queat. Proinde vel ex hoc ſolo excellentiam huius virtutis colligere poſſumus,quoniam corpus animæ perfectiſſimis operationibus aptum reddit & opportunum.Cæterùm quia diximus,Temperantem circa voluptates & dolores verſari,quomodo illud fiat,obſeruandum eſt. Voluptas homini à natura familiaris exiſtit,& amica:proinde temerè repudianda non eſt,ſed quantum honeſtas permittit amplectenda præſens,abſens expetenda.Dolor econtrà,quia natura hominis contrarius,declinandus eſt atque fugiendus, ita tamen,ne turpitudinem incurras.Species igitur variæ ſunt huius virtutis:id quod ex ſequenti typo colligi poteſt. Etſi autem Fortitudo quoque circa λύπας verſatur,non tamen quatenus dolore corpus afficiunt,ſed quatenus diffidẽtiam in animo excitant.Eapropter Ariſt.inquit,οὐχ ὁμοίως περὶ τὰς λύπας τὸν σώφρονα καὶ τὸν ἀνδρεῖον occupari. Eodémque modo circa τὰς ἡδονὰς Fortitudo verſabitur,non quatenus ἡδοναὶ ſunt,ſed quatenus ἀγαθὰ exiſtunt,quæ nos confidentes facere poſſunt.Verumenimuerò cùm Temperantia in medio ſit poſita,extrema duo habet vitia,in exceſſu appetendi voluptates, declinandíque dolores ἀκολασίαν ſiue Intẽperantiã:in defectu verò appetendi voluptates, fugiendíque dolores, ἀναισθησίαν quandam,quæ vt rariſſimè reperitur(voluptatis enim appetitus natura omnibus inſitus eſt:qui illam penitùs reſpuunt, vel trunci ſunt & ſtipites,vel certè dij quidam terreſtres) ita etiam proprio nomine caret.De quibus hæc pauca admonuiſſe in præſentia ſufficiat.Exquiſita enim declaratio ad tertium Ethicorum librum pertinet.Nos nunc ad exemplorum enarrationem deſcendemus,quorum maior pars ad diſpoſitionem potius ſiue ἐγκράτειαν,quàm ad habitũ ſiue σωφροσύνην pertinet:plurima quinetiam multis fide parum digna videbuntur:quorum reprehenſionem tantiſper ego flocci-pendam,quoad eorum authorum,ex quibus hæc deſumpta ſunt auctoritas inconcuſſa manebit.Nihil enim hîc dicetur,quod non ſit prius dictum. Ante omnia tamen Titulorum ſeriem typo explicemus.

TEMPERANTIA, σωφροσυνὴ, *virtus est mediocritatẽ seruans circa voluptates corporeas: cuius exempla afferemus sic*

Genere, *eorum scilicet, qui ab omni genere voluptatũ abstinuerunt. Itaque* Virtus *dicatur* κατ' ἐξοχὴν TEMPERANTIA *in genere, quæ vel in omnibus, vel certè in præcipuis & impotentissimis voluptatibus moderationem seruat, abstinendo simul, & in sustinendo.*

Vitium *duplex. Alterum in*
- Excessu, *belluinum planè & homine indignum, exempla eorum continet,* QVI *omni genere turpissimarum voluptatum sese coinquinarunt.*
- Defectu, *vt rarum, ita* ἀναισθήτων *quorundam proprium est:* QVI *inepta quadam persuasione, præterquam honestas aut sinceræ religionis votum exigat, à corporeis bonis abstinent.*

Specie. *Vnicum obiectum Temperantiæ Voluptas est corporea: & per accidens Dolor, qui voluptatis absentiam denotat. Iam verò cum voluptatis variæ sint species. Temperantia quoque varia erit. Arist. in 3. Ethicorum sic diuidit, quod Temperantia versetur circa voluptates corporis vel*

à natura hominis datæ, sunt, vel ad conseruationem

Propriæ, *& ipsius gustus & tactus dijudicantur, & circa*

Indiuidui, *sine corporis humani. per alimẽta corpus reficitur, nutritur & augetur. Alimẽti necessitatem fames atque sitis dolore suo urgent: vrget & voluptas, quę ex assumpto cibo vel potu gustum hominis stillare cõsuenit. Circa cibũ itaq; & potum*

Omnibus *cibis.* IEIVNIVM *dicitur. Est autẽ vel*
- Religiosum
  - Pium, *siue Christianum.*
  - Ethnicum.
- Ethicum.

Delectu, *quoniam vel abstinet ab*

Aliquibus *alimentis, & vel à*
- Cibis, *tum*
  - Religiosè
    - Verè.
    - Ethnicè.
  - Ethicè. *vel*
    - Voluntate *sola.*
    - Necessitate *etiã alia. Vt qui in obsidionẽ vrbibus aut annonę penuria cõtra famẽ pugnãt, ne quid turpe ventris causa facere cogantur.* FAMEM *tolerare.*
- Vino, *tum*
  - Religiosè.
  - Ethicè. *Abstinere à vino, vel quouis alio potu*
    - Voluptate *sola, à nemine cultum.*
    - Necessitate *quadã, ne quid turpe facere recogatur.* SITIS *levantia.*

Virt' *dicitur* ABSTINENTIA *in genere. Cõsistit autẽ tũ in alimentorum*

Vsu *parco & frugali.* FRVGALITAS *& sobrietas, tam Religiosa. quàm Ethica.*

Vitium *duplex re peritur, alterum in appetendarum aut fruendarũ voluptatum ex alimento,*
- Excessu, ἀκολασία. *intemperantia tum in*
  - Cibo, VORACES, *Helluones, Gulosi.*
  - Potu, EBRII, *comlenti.*
- Defectu: *Qui nulla vrgente necessitate animi, nec corporis, nec fortunarũ, victu vltra q̃ naturæ debitũ requirat, parco vtuntur.* SORDITIES *circa alimenta appellatur: quidam & superstitio, si religionis causa fiat.*

Speciei. *per vsum Veneris, cui summã voluptatẽ natura cõiunxit, vt homines ad* τεκνοποιΐαν *vel inuiti traherentur. In Venerea ergo voluptate*

Virt° *dicatur,* CONTINENTIA, *si ita placet, diuersa tamẽ ab eyκρατείᾳ, à prius dicta, sicuti habit° à dispositione differt. Continentia porrò ista in opus progreditur tum in corpore*
- Suo, *quando vel*
  - Occasiones *libidinis fugit, affectum, colloquia, cogitationes, &c. Exempla Religiosa & Ethica.*
  - Libidinem *siue Veneris vsum euitat, Vide in seq. signum* A.
- Alieno, *qui alienam pudicitiã protegit & defendit.* PVDICITIÆ *alieni vindices & protectores.*

Vitia *sunt duo. Vide signum* B.

Improprias. *Vide signum* D.

A. Veneris *vsum euitat vel*

Sẽper. *Perpetuò virgines. Exempla* VIRGINVM, *quæ*
- Absque *insidijs castitatem seruarunt, tum*
  - Religiosa.
  - Ethica.
- Insidias *amatorum & procorum magno animo superarunt, tum*
  - Religiosa.
  - Ethica.

Non *semper, sed in præsentia tãtum abstinet à Venere, vel*

Legitima, *tum*
- Ante *cõiugium, quia pro eorum libidini non paret, nec aspectu, nec colloquio, donec certis destinetur nuptiis,* VIRGINEVS *pudor ante coniugium.*
- In *cõiugio.* QVI *Veneri vel*
  - Omnino *non indulget.* CASTITAS *coniugalis tum*
    - Religiosa.
    - Ethica.
  - Indulget *quidem, sed tamen vel*
    - Cum *certo modo & tempore, quamuis non omnino abstineat.*
    - Tandem *omnino abstinet Exẽpla*
      - Religiosa.
      - Ethica.
- Post *coniugium. Castitas duplex: nimirũ vel*
  - Non *repetito coniugio, quam* VIDVALEM *vocamus. Est autem vel*
    - Religiosa.
    - Ethica.
  - Repetito *coniugio. Satius enim est nubere, & vni addictum esse, quàm vni & promiscuæ Venere vti.* NVPTIÆ *repetitæ, & secundæ.*

Illegitima *quia vel*
- Non *cõmiscetur. siue*
  - Extra *coniugium.* FVGERE
    - Scortationem *& stupra. Exempla*
      - Religiosa.
      - Ethica.
    - παιδικὰ.
    - Incestum
      - Religiosum.
      - Ethicum.
  - In *coniugio.* FIDES *coniugalis in fugiendo adulterio.*
- Commiscetur, *sed postea maxima facti ducitur pœnitentia.* PVDICITIÆ *violatæ dolor.*

B. Vitia *duo sunt circa voluptatẽ Venereã. Alterũ in*

Excessu. LVXVRIA *appelletur in genere, et libido. In specie comprehendit eos, qui libidinẽ Veneream vel*
- Ipsi *sequitur. Et hoc rursus dupliciter. Aut enim luxuriosè*
  - Appetunt, *præter quam honestas admittat.* LIBIDINIS *furor. Exẽpla varia.*
    - Multi *vnam seruitè amant vel ad*
      - Coniugium, PROCI.
      - Stuprum *& libidinem,* RIVALES.
    - Luxuriæ *causa*
      - VITAE *periculis sese exponunt.*
      - FIDEM *negligunt, patriam produnt.*
      - RAPTORES.
    - IMPOTENTES, *quibus non voluntas, sed potestas deest Venerem explendi, siue ætatis vitio, siue morbo.*
  - Agunt, *& venerem exercent. Habendæ hîc est ratio personarum, modi, temporis atque loci. Si in vno tantũ peccetur, simplex: si in multis simul, composita erit luxuriæ species. Nos species simplices persequamur, vi delicet respectu*
    - Personarum. *vide in seq. signum* C.
    - Modi. MODVS *veneris libidinosus.*
    - Loci. LOCVS *veneris nefandæ.*
- In *aliis fouent, & alienæ libidinis ministri sunt, & incendiarij.* LENONES *&* LENAE.

Defectu, QVI *minus quàm oportet rebus Venereis operam dant.*

- C. Personæ *comprehendunt patientem & agẽtem. A patiẽte tamen ferè fit denominatio. Nã patiens persona ab agente vel*
  - Non *est distincta, sed in seipsam obscœna libido agit, absque coniũctione alterius, vt in* MASTVPRATORIBVS *sceleratissimis.*
  - Est distĩcta. *Exempla proponantur in*
    - Genere. QVI *vario libidinis genere sese contaminarunt.*
    - Specie: *Qui certa aliqua specie luxuriæ sese aliósque fœdarunt. Distinguitur patiens ab agente, ita tamẽ vt agenti vel*
      - Iuncta *sit vinculo vel*
        - Matrimonij. LVXVRIA, *siue libido coniugalis, ratione temporis, modi, loci.*
        - Consanguinitatis. INCESTVS *Ethici variæ species.*
      - Non *sit iuncta vllo vinculo necessitudinis, prohibentis coniunctionem. Sic ergo venus exercetur, vel cum genere*
        - Diuerso. *Si persona alterutra homo fuerit, altera non homo. Detestandum hoc & diabolicum genus concubitus exercetur vel cum*
          - Animatis, *vt cum*
            - Brutis.
            - Dæmonibus.
          - In animatis, *quæ vel constant*
            - Natura. *vt cum arboribus vel cadaueribus mortuis.*
            - Arte. *vt cum statuis & imaginibus.*
        - Eodẽ, *quando homo cum homine congreditur. At sic rursus alterutra persona vel est sexus*
          - Eiusdem. *si coeant*
            - Viri. PATHICI, *Cinædi.*
            - Mulieres. TRIBADES.
          - Diuersi, *vir nimirum cum fœmina. Sic rursus patiẽs persona vel*
            - Iuncta *est vinculo castitatis custodiendæ, vel*
              - *Deo: vtputa, si virginitatẽ Deo vouerit.* INCESTVS *religiosus.*
              - Hominibus: *quoniam matrimonio alteri iũcta est. Stuprum ergo volentes vel*
                - Inferunt, ADVLTERI, *qui matronas violant.*
                - Patiuntur, ADVLTERÆ.
            - Non est *iuncta coniugali vinculo cum aliquo. Sic rursus agẽs persona vel vinculo matrimonij*
              - Caret, *Concubitu ergo vtuntur illegitimo, qui tamen vel*
                - Concessus *est apud eos, quib. cũ versantur.* CONNVBIA *promiscua. Matrimonij contemptus.*
                - Non *est concessus, sed pœnis coercetur. Sic rursus persona patiens vel est*
                  - Virgo *aut vidua.* STVPRVM *propriè.*
                  - Impudica. SCORTATIO *simplex. Exempla tũ* SCORTATORVM, *tũ* MERETRICVM *& concubinarum.*
              - Obligata *est alteri.* PELLICES.

- D. Impropriæ *voluptates per se nõ expetũtur: sed ꝑpter voluptates ꝑprias, ad quas vel premouẽdas vel augẽdas plurimũ habẽt momẽti. Qualis est voluptas quæ ex sumptuoso apparatu conuiuiorũ, ex vestitu, supellectile, comitatu, & similibus percipitur. In quibus omnibus*
  - Virtus *dicatur* PARSIMONIA, *si ita placet: quæ tota in fugiendo luxu & sorditie, duobus scilicet extremis, posita est. Itaque*
    - Elegantiam *& mundiciem victus externam admittit & amplectitur (quam sordities respuit) non nimiam tamen, sed mediocrem.*
    - Luxum *& elegantiam nimiam contemnit, in* Sumptu *& apparatu conuiuiorum, in* Cultu *& ornatu corporis, in* Vestibus, *in* Lectis *& strato, in* Possessionibus *in* Supellectile *reliqua, in* Famulitio *& comitatu seruorum, equorum, canũ, &c.*
  - Vitia *duo locum habent, alterũ in*
    - Excessu, LVXVS *propriè dicitur, tum in*
      - Conuiuiorum
        - Sumptu *& apparatu.*
        - Materia *conseruanda & nutienda.* VIVARIA *piscium, auium quadrupedum.*
      - Cultu, *fuco & ornatu corporis.* Vestitu, Lecto *& strato,* Possessionibus *comparandis & exornandis,* Supellectile *reliqua,* Comitatu *seruorum, equorum, &c.*
    - Defectu. SORDITIES, *quæ in victu elegantiam & mundiciem non obseruat.*

TEM-

TEMPERANTIA, EIVSQVE STVdium in genere.

Antequam ad species Temperantiæ singulas accedamus, prius in genere eos qui vel in omnibus, vel certè in præcipuis voluptatibus modesti fuerunt, referamus, in abstinendo simul, & sustinendo. Voluit hoc sapiens ille, ἀνέχου καὶ ἀπέχου*: sustine & perfer dolorem ex desiderio absentium bonorum, & abstine à voluptatibus præsentibus. Rara huius generis exempla: nos tamen quasdam veluti vmbras exprimamus, sub generali nomine Temperantiæ.*

VETERVM philosophorum rara quædam exempla Temperantiæ in omni voluptatum genere reperias, sed illa literis diligenter expressa. Apud Christianos verò plurima, eáque valde illustria, quæ tamen partim copia sua, partim scriptorum qui ea extollerent inopia, non in magna habẽtur vulgi admiratione. Digna tamen sunt, tum veræ pietatis, tum etiam Ethicæ virtutis nomine, quæ ab omnibus legantur, & memoriæ ad imitandum consecrentur.

IOANNES Baptista, Zachariæ filius, non cessit suæ gentis hominibus alij alio genere laudis excellentibus: abstinentia verò & sanctitate post CHRISTVM Nazarenum (qui extra omnem humanitatis aleam est habendus) fuit omnium longè princeps. Sab. lib. 1. cap. 5.

SOCRATES per omnem suam ætatem temperantissimè ac continentissimè vixisse scribitur: atque ob eam causam cùm Atheniensium ciues subinde grauiter laborarent aduersa valetudine, ipse vnus ex omnibus inde ab initio nunquam ægrotauit. Ælian. lib. 13. de Varia histor. & Laert. libro 2.

LACEDÆMONII huiusmodi legem habebant, vt nemo Lacedæmoniorum mollitiem aliquam colore præ se ferret, aut habitior esset, quàm exercitiis conueniret. Nam hoc pigritiam, illud effœminatum virum ostendere videbatur. Ascriptum etiam hoc erat in lege, vt decimo quoque die ephebi ad vnum omnes publicè nudos Ephoris sese exhiberent. Quòd si essent bona corporis habitudine, valentésque, & quasi cõcisi ex certaminibus atque perforati, laudibus vehebantur. Sin aliquod membrum inueniretur delicatius & mollius, ob suppositam aut succrescentem oscitantia pinguedinem, verberabantur, & in ius trahebantur. Etiam huius curã gesserunt Ephori, vt quotidie inspectiones obirent vestimentorum, si quid in illis fortè à decenti iustóque ornatu alienum inueniretur. Lacedæmone quoque coquos esse non licebat alios, quàm carnis duntaxat. Qui verò præter hanc artem nouisset, eijciebatur Sparta, perinde atque ægrotantium purgamenta. Ælian. de Varia historia, libro 14.

ALCAMENEM Telecri filium cum quidam obiurgaret, quod tã parcè frugalitérque viueret, cum tamen amplissimas possideret diuitias: Decet, inquit, eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere. significans, perniciosas esse diuitias, nisi adsit animus diuitiis superior, qui possit earum vsum non ex copia, sed ex necessitate moderari. Plutarchus in Laconicis.

AGIS Lacedæmoniorum dux fortissimus, cibi potúsque abstinentissimus fuit, omnem vestimentorum ornatum neglexit, vt à gregario milite nil omnino differret. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

PYTHAGORAS philosopus holusculis tantũ & frugibus vescebatur, carnibus abstinebat. Potum illi fons tribuit. Castus in matrimonio vixit: mox in cœlibatu Damam suam filiam ad virginitatis votum, perpetuúmque candorem induxit: quæ perpetuam seruans virginitatem, virgines ea tempestate discipulas habuit quàm plurimas, quas omnes virginitatis voto firmauit. Gui do Bitur.

DIOGENES Sinopẽsis quàm abstinẽs in rebus omnibus fuerit, Laertius abundè docet. Quid enim in eo aut cultu neglectius, aut victu despicatius, aut cubatu durius, habuit vita hominum vnquam? Pallio duntaxat vno vsus est, cæterà nudus, oleribus & pane contentus, humi iacens somnum carpebat: aut cùm mollius, in dolio. Sabell. lib. 2. cap. 3.

GORGIAS Leontinus, sophista clarissimus, cùm centesimum & octauum ætatis annum attigisset, interrogatus, Cur ad tantam peruenisset senectutem? Quòd voluptatis causa nihil mihi vnquam facere permiserim, respondit. Cæl. Rhod. lib. 19. cap. 10.

APOLLONIVM, Iouis filium, Tyanæum, à coitu, vino & carnibus abstinentissimum fuisse, solísque vestibus lineis amictum, tradit Philostratus apud Volat. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

DEMONAX philosophus Hadriani tempore inter alias animi dotes vitam quoque continentissimam egit. Volat lib. 15. Anthrop.

NVMA Pompilius secundus rex Rom. vitam egit frugalissimam. Ocio non ad voluptatem & delicias, non ad quæstum, sed ad deorum immortalium cultum, & ad ipsorum naturam, quantum ratione poterat, cognoscendam vtens. Plutarch. in eius vita.

FABRICIVS Lucinus, legatus ad Pyrrhum profectus, cùm apud eum Cyneam Thessalum narrantem audisset, quẽdam Atheniensem clarum sapientia, suadentem, Ne quid aliud homines quàm voluptatis causa facere vellent: pro monstro eam vocem accepit, continuóque Pyrrho & Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. Licet Athenæ doctrina sua glorientur, vir tamen prudens, Fabricij detestationem, quàm Epicuri maluit præcepta: quod euentus quoque indicauit. Nam quæ vrbs voluptati plurimùm tribuit, imperium maximum amisit: quæ labore delectata est, occupauit: & illa libertatem tueri non valuit, hæc etiam donare potuit. Val. Max. libr. 4. cap. 3. & Plut. in vita Pyrrhi: & Florus li. 4. ca. 3. & Eutrop. lib. 2.

ROMANI Alcæum & Philiscum Epicureos ex vrbe eiecerunt, eo quòd multarum flagitiosarúmque libidinum autores essent adolescentibus. Messenij quoque Epicureos expulerunt. Ælian. de Va. hist. lib. 9.

M. CATONIS abstinentiæ testis Epirus, Achaia, Cyclades insulæ, maritima pars Asiæ, prouincia Cypros: vnde cum pecuniæ deportandæ ministerium sustineret, tam auersum animum ab omni Venere, quàm à lucro habuit, in maxima vtriusque intemperantiæ versatus materia. Nam & regię diuitiæ potestate ipsius continebantur: & fertilissimæ deliciarum totius Græciæ vrbes, necessaria totius nauigationis diuerticula erant: atque id Munatius Rufus, Cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis significat, cuius testimonium non amplector. proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturæ vtero & continentia nata est, & Cato. Val. lib. 4. cap. 3. Plutarchus in eius vita, & Florus in Epitome.

P. SCIPIO Africanus missus in Hispaniam, insolentissimos Numantinæ vrbis spiritus, superiorum ducum culpa nutritos, nunquam fregisset, nisi edicto ea omnia quæ luxuriæ & voluptatis causa comparata erant, auferri, penitúsque submoueri iussisset. Quamprimùm enim turpis illa & erubescenda sentina ex Romanorum castris eiecta fuit, exercitus qui paulo antè metu mortis deformi se fœderis ictu maculauerat, erecta virtute animosam Numantiam, incendiis exustam, solo æquauit. Val. Max. lib. 2. cap. de Militar. disc. Front. lib. 4. cap. 1. Oros. lib. 5. cap. 6. Eutrop. lib. 4. cap. 7. Flor. lib. 2. cap 18. Sabel. lib. 9. Ennead. 5. rhaps.

POMPONIVS Atticus, nobilis eques Romanus, & familiaris Ciceronis, singulari abstinentia præditus fuit, vt qui ab omni procul egerit ambitione, & præter patrimonium nihil quicquam appetierit, nec ædificator, neque emax fuerit. Vltima senectute morbo correptus, seipsum cibi abstinentia necauit. Nepos apud Volat. lib. 18. Anthrop.

TACITVS, vir consularis, senex & grauis, factus est Romanus imperator omnium assensu: vir temperans, sobrius, & librorum lectioni intẽtissimus. Frugales mensulas holusculis & leguminibus Pythagoricis instructas, multo lautiores esse dicebat, quàm Milesiorum sumptuosa fastidia. Guido Bituricensis.

LVCANI, vt aliorum criminum, sic etiam luxuriæ & ocij causas agũt. Quòd si quis homini luxurioso mutuasse aliquid conuincatur, priuatur mutuò dato. Stob. serm. 42.

ATHENIS ocij causæ forenses agitantur. Ex Nicolao de Morib. gẽt. Stobæus sermone 42. More ducto ex Ægypto, vbi Amasis primus legem de ociosis non ferendis tulit. Herod. lib. 2.

ORIGENES Adamantius, continuas vigilias, ieiunia, calores, frigora ferebat nudis pedibus, vna tantùm tunica tectus, nec carne nec vino vnquam vsus. Fulg. lib. 4. cap. 3.

MACARIVS monachus scripsit epistolam, in qua docet neminem Deo seruire posse, nisi qui sit omnino quietus & abstinentissimus ab omnibus voluptatibus. Gennadius.

IO. ANDREÆ in iure Canonico excellẽtissimus scriptor, vitæ abstinentia fuit tanta, vt annos viginti pelle tectus vrsina, citra lecti delicias, noctibus cubitaret, frequentibúsque ieiuniis inuigilaret. Volater. libr. 21. Anthrop.

VOLVPTATIBVS OMNIS GENERIS IN VNIVERSVM *dediti & immersi. Intemperantes in genere.*

Nefas sit (credo) in Salomone rege, qui fuerit omnium sapientissimus fatidicóque patre genitus, luxum consectari: quin si quid minus ciuile in illo fuit, si cum virtute pensetur, iure dissimulabitur. Potest tamen proximum luxurię videri, quòd citra omnem belli vsum tot millia equorum aleret, præsertim iugatorum: quòd in pellicatu ad extremum vsque vitæ hæserit, sitque frequenti connubio vsus: vt nisi sobolis procreatione excusetur, non parua detur ansa, luxum in eo calumniari volentibus. Sab. li. 8. cap. 7.

DIVES ille apud Lucam cap. 16. luxuriæ exemplum est manifestum: qui non tantum induebatur purpura & bysso, sed quotidie epulabatur splendidè.

CERINTHVS hæreticus tantum luxuriæ & voluptati deditus fuit, vt affirmaret, post resurrectionem regnum Christi Hierosolymis futurũ esse, vbi mille annis homines sese libidinibus ac voluptatibus explerẽt. Mores suos nimirum, vt Dionysius ait, fassus, quòd gulæ luxuriæque deditus esset. Euseb. lib. 3.

VLYSSIS socij, Circes veneficæ carminibus, id est fœdissimis voluptatibus in bruta animalia ac porcos mutati sunt, vt fingit Homerus.

DEMADES orator, cùm & pecunia & opibus tantum valeret, vt nihil sibi deesse fateretur: ingentes tamen diuitias per luxum & libidinẽ ita perdidit, vt eiectus ex ciuitate (septies enim accusatus fuerat) non habuerit, vt pecuniam, qua illum Athenienses mulctarant, solueret. Plutarchus, & Volat. lib.15. Anthrop. In eum solebat Antipater cauillari, nihil ei, sicuti & cæsis victimis, præter ventrem & linguam superesse.

EPICVRVS, filius Neoclis Atheniẽsis philosophus, voluptatem summum bonum statuit: de quo multa Laertius in eius vita, & Cicero de Finibus & Strabo lib.54.

XERXES omnibus donis fortunæ affluens, non equitatu, non pedestribus copiis, non nauium multitudine, non infinito auri pondere contentus, præmium proposuit ei qui nouam inuenisset voluptatem. Val. Max. lib.9. cap.1. ex Platina lib.2. de Optimo ciue.

Plato filius Aristonis, cùm videret AGRIGENTINOS magnis impensis ædificare, eodémque modo cœnare: Agrigentini, inquit, ædificãt quasi semper victuri: & comedunt, quasi semper morituri. Dicit autem Timęus eos lecythis argenteis & strigilibus vsos esse, mensas totas eburneas habuisse. Ælian. de Var. histor. lib.12.

ANNARVS Babyloniæ rex, tanti luxus fuisse proditur, vt stola muliebri amictus, mero & vnguento madens, centum & quinquaginta psaltriis simul accubantibus, velut officina nequitiæ, magnis effusionibus cœnitaret. Alex. ab Alex. lib.5. cap.21.

CYRENENSES vsque adeò luxu se coinquinauerunt, vt cùm Platonem accersissent, vt sibi leges scriberet: ipse recusarit, propter consuetam, & inde vsque ab initio durantem lasciuiam & ignauiam. Testatur etiã Eupolis in Marica, contemptissimos apud eos & abiectissimos decem minarum baltheos habuisse, mirabilique arte sculptos annulos. Ælian. li. 12. de Var. hist.

CROTONIATÆ, luxuriæ & omnibus vitæ voluptatibus indulgebant: quos tamen ad frugalem cultum Pythagoras reuocauit, matronas ad pudicitiam, iuuenes ad modestiam traxit: mulieres auratas vestes ornamentáque lasciuiora in templo Iunoni consecrare fecit. Volat. lib.18. Anthrop.

ASIATICVS luxus à multis vbique proclamatur, à quibus omnes lauticiæ & immodici sumptus ad Romanos defluxerunt. Val. Max. lib.2. cap. de Instit. antiq.

SARDANAPALVS Assyriorum rex, vir fuit muliere corruptior: quẽ cùm eius præfectus Arbaces inter scortorum greges purpuram colo nentem, & habitu muliebri partientem inter virgines pensa reperisset, indignatus, & ad suos socios progressus, negat se ei parêre posse, qui fœminam agere malit quàm virum. Bellum igitur Sardanapalo per Arbacem infertur. Quo ille audito, non vt vir regnum defensurus, sed vt mortis metu mulieres solent, primò latebras circumspexit: mox tantisper animum reuocans, cum pauculis & incompositissimis in bellum progreditur. Victus tandem Sardanapalus, domum suam regiam festinanter adit, vbi statim extructa pyra se suásque diuitias in incendium mittit, hoc solo virũ imitatus. Ipse suo sepulchro hoc epigramma iussit insculpi:

Ede, lude, bibe, charum præsentibus exple
Deliciis animum: post mortem nulla voluptas.
Namque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam.
Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit: at illa manent eius, præclara relicta.
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Guido. Bit. & Fulg. lib.9. cap.1.

MILESIORVM proprium fuit in amplis patrimoniis helluari, & familiam pecuniámque suam prandiorum gurgitibus proluere, nullum vnquam apud eos sobrium passi fuêre. Hermodorum, virum impensè literatum, quia frugalis & modestus erat, è ciuitate expulerũt. Fuit autem Hermodorus philosophus Ephesius, sicuti Pomponius iureconsultus scribit, & author duodecim tabularum ferendarum decemuiris. Plinius tamen asseuerat, fuisse decemuiralium legum interpretem, cui propter id statua publicè dicata fuit. Strab. lib.14. refert Milesios omneis suspendio dignos esse, qui Hermodorum frugalem eiecerint, proclamantes: Nemo sit apud nos frugi, alioquin cum aliis eiiciatur. Guido Bitur.

SMYNDIRIDES Sybarites, homo voluptuosissimus, omnem suam fœlicitatem in cibis & potibus statuit, vt author est Philelphus. Hunc Sardanapalo comparem inter voluptuarios nominauit Aristoteles Moralium Eudemiorum primo. Guido Bitur. ex Æliani lib. 9. & 12. de Varia historia.

SYBARITÆ populi Calabriæ, deliciis & voluptatibus adeò indulserũt, vt luxuriosa omnia dicerentur Sybaritica. Hinc Sybariticus luxus, & Sybaritici libelli, id est impudici. Conuiuia celebraturi, anno prius per vocatores fœminas inuitabant, quò luxu, roseis gemmis, auro, vnguentis & vestib. exquisiti impendij cultæ, omnium ora in se conuerterent. Erãt & fastu præturgidi. Hinc adagium, Sybaritæ per plateas. Artes quæ sono constant, à ciuitate reiiciebãt, ne qua ratione interpellaretur quies. Quin gallos quoque in vrbe nutriri nolebant. Habebant in deliciis exiguæ staturæ homunculos, & catellos. Diuites si quando rusticatum ire vellẽt, curru vehebantur adeò lenè, vt diurnum iter tribus vix diebus conficerent. Rauis.

BATTALVS fuit tibicen, qui lasciua & vinolenta carmine complexus est: fecítque adagio locum, Battali similis. Cælius ait hunc primum omnium calceis fœmineis in scena vsum fuisse, artémque tibiarum omnino remolliuisse. A quo fluxos, exoletos, & parum viros Battalos vocant.

SYRACVSANI olim erant opibus florentissimi, voluptatibúsque ac deliciis addictissimi. Vnde & Syracusana mensa transiit in prouerbium. Rauis.

AGRIGENTINI impendio & sumptu magnifico mensas parabant, & conuiuia. Propterea Plato dicebat, eos ædificare, ac si victuri perpetuò forent: itémque conuiuari, velut semper morituri. Vtebantur lecythis & xistris argenteis, habebántque lecticas totas ex ebore. Idem.

BYZANTII notati sunt à Græcis, vt acolasti & intemperantes, quòd in Venerem & vinum ferrentur pręcipites: plurimum enim versabantur in caupona. Idem.

IONVM mollities quondam abiit in prouerbium. Primi vnguenti, coronarúmque in conuiuiis dandarum, & secundæ mensæ consuetudinem repererunt. Hinc Horat.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo. ——

ANTIOCHVS Magnus dies totos dormire solebat, ob vinolentiam. Pugnaturus in Rhodios, captus amore puellæ Chalcidensis, nuptias etiã ipso belli tempore celebrauit, & totam hyemen cum ea vino indulsit & Veneri. Rauis.

SYRI leues sunt, & rebus nouandis magnopere procliues. Ludis præterea, celebritatibúsque dediti. Perunguntur oleo precioso, & linuntur vnguentis. Maximam diei partem in concænationibus absumunt, & potu. Proni sunt in cachinnos, & scõmata. Operosissimi sunt in hortis. Hinc adagium, Multa Syrorum olera. Nec caruerunt mollicici nota. Hinc Syrissare verbum, est molliter viuere. Extat adagium: Syrus quum non sis, ne Syrissa. Rauis.

Fuit ABRON quispiam vitæ adeò corruptæ & effœminatæ, vt locum parœmiæ sequenti reliquerit: Abronis vitam agens. De molliter ac deliciosè viuentibus. Idem.

ARTEMONEM quendam aiunt fuisse mollem adeò, & solutum deliciis, vt nunquam pedibus itaret, sed semper lectica circumferretur, habebátque duos vtrinque famulos peluim æream supra caput ferentes, ne quid supernè noxium incideret. Propterea factus est prouerbio locus, Artemon versatilis. Crinitus. li.16. cap.11.

STRATONEM Sidonium Theopompus scripsit mortales omnes superasse deliciis & mollicie, Ad quod allusit Mirandula in hymnis:

Quàm quæ Sidonium velabat purpura regem.

DEMETRIVS Antigoni Macedoniæ regis filius, cognomento Poliorcetes, post multa fortia & egregia facta, ab Antiocho captus, & Cheronensi custodiæ traditus est. Permisso itaque ei regio sumptu, mollique victu, venationibus omnibúsque voluptatibus est vsus, minimum de salute anxius. In morbum igitur per incontinentiam incidit, atque ex eo periit. Volat. lib.15. Anthrop.

Q. HORTENSII oratoris clarissimi nepos, in tantum dedecus prolapsus est, vt popinas & lupanaria circumiens, domesticum propè splendorem extinxerit, authore Platina. Guido Bitur.

L. TORIVM Balbum Cicero lib. 2. de Finibus ait ita vixisse, vt nulla tam exquisita posset inueniri voluptas, qua non abundaret.

FABIVS, Fabij Rutiliani filius, ob deuoratum in luxu patrimonium Gurges cognominatus est. Macrobius apud Volater lib.16. Anthrop.

FABII ALLOBROGIS filius adeò luxuriosam perditámque egit vitam, maioribúsque indignam, vt Pompeius prætor vrbanus paternis bonis ei interdixerit. Valerius apud Volat. lib.16. Anthrop.

M. ANTONIVS triumuir, ebrius in conspectu pop. Rom negocium publicum gerens, hesternam cœnam euomuit: ac gremium suum, totúmque tribunal incoctæ cœnæ frustis, vinúmque redolentibus impleuit, multis mimísque immensas possessiones oppidáque donauit. Nec contentus Cleopatræ arbitrio Oriẽtem totum regere: ei Arabiam, Phœniciam, Syriam, Ciliciam, item Iudææ partem, prouincias omnes, maximo populi Rom. labore sanguinéque partas, dono dedit. Nondum his expletus quę antea in Italia libidinosè egerat, dum exercitus circuit, lectica vnà cum mima deferebatur. Fulgos. lib.9. cap.1.

CLEOPATRA Ægypti regina ab irato Antonio amatore in iudicium vocata, cùm ex Ægypto in Ciliciam nauigaret, flumen Cydnum incredibili pompa subiuit. Nauis eius purpurea habuit vela, sericeósque rudentes: argento quoque remos exornatos, vt remigando tibiarum sonum, per dimensa temporis spacia percussis vndis imitaretur. Ipsa sub aurea vmbella, in media naui, in Veneris speciem ornata, sublimior sedebat: circumfusa virginum choris, in nympharum formam auro amictarum. Ad extrema nauis latera permultæ aliæ insignes puellæ, aureis thuribulis ad fluminis ripas odoramenta perfundebant: itaque haud iniuria tùc vulgò iactabatur, Venerem ad Bacchum profectam esse. Egressam postea naui, cùm pro iudicio res in conuiuiorum certamen deducta esset, inter cætera quæ nimis profusè delicatéque egit, cùm pepegisset cum M. Antonio se plus impensæ vno bolo, quàm Antonium magno conuiuio absumpturam: ingẽtem vnionem, cui similis magnitudine speciéque nunquam visus erat, ab aure detraxit, atque aceto maceratum absorpsit. Et cùm iam manum ad alterius auris vnionem apposuisset, ab Antonio, cùm vicisse eam declarasset, prohibita abstinuit. Quæ quanquam ingenti regno potiretur, non erubuit, cùm vxor esse Antonij non posset, superstite Octauia eius vxore, quæ Romæ erat, cum eo amicæ atque impudicæ nomen sustinere. Idem.

Augustus ad Mecœnatem scribens, eiusdem molliciẽ & delicias multis expressit locis, sed hoc maximè: Vale Mecœnas mel gentium, ebur Ethruriæ, lasar Aretinum, Tyberinum margaritum, Cilneorum smaragdæ, iaspi, figulorum, berillæ & cabunculum Porsenæ. Annæus quoque Seneca Mecœnatem vocat discinctum, mollissimásque eius delicias, & portentosam orationem. Idem: Magnum, inquit, Romanæ eloquentiæ daturus exemplum, nisi illum eneruasset felicitas. Macrob. lib.2. & Crinitus lib.24.

TIBERIVS Imp. vini appetentissimus, gulæque obnoxius, biduum continuum cum nocte, quæ media erat, potando epulandóque cum Põponio Flacco & L. Pisone, perditissimis senatoribus peregit: atque huic turpitudini prodigalitatem quoque addidit, vt imperium hoc perpetuo dedecore insigniret. Ipsorum enim alterum Syriæ prætorem fecit, alterum vrbi Romæ præfectum: crapulæ atque ebrietati his collatis honoribus, qui virtuti olim dari consuerant. A Sexto Claudio, iam grandi natu atque nimiæ veneris studio infami (quem olim Augustus ob eam turpitudinem damnarat) cœnam ea conditione exegit, ne quid in ea ex sua consuetudine mutaret, atque vt in ea nudæ puellæ ministrarent. In quæsturæ quoque competitura, ignobilissimum quendam aliis præposuit: quia in conuiuio, propinante Claudio, vini vrnam penitus exhauserat. Asellio Sabino ducenta sestertia dono dedit, propter confectum dialogum, in quo boleti, ficedulę, ostrea, turdíque introducti, inter se, qui suauius gulam explerent, contendebant. Tandem iam annosus, cùm Caprearum secessum delegisset, vt illic liberius, sine multis testibus, obscœnas libidines expleret, inter syluas multis in locis antra condidit: vbi vtriusque sexus adolescentulos, in nympharum morem excultos, constituit: qui cùm ipsum videre contingeret, venerem inter se exercerent, omnibus eius insulæ locis exornatis obscœnæ libidinis figurarum tabulis, vt ætate intermortua venus his exemplis excitaretur: tanto aliis magis damnandus, quanto scelestius est, effœtas iam annis in venere vires arte excitare velle, ac simul naturæ vim afferre, quàm in ætatis flore, ipso iuuẽtæ ardore ad libidinem impulsum continere se non posse: & vt paucis tantam turpitudinem quæ in eo erat absoluamus, T. Cæsonium Priscum veneri deliciísque nouo inuento magistratu præfecit, qui omnes alicuius in venere inusitati modi inuentores præmiis afficeret. Fulgosus lib.9. cap.1.

Q. RHEMMIVS Palæmon Vicentinus grammaticus sub Tiberio & Claudio principibus, luxuriæ ita indulsit, vt sæpius in die lauaretur: nec sufficeret sumptibus, quanquam ex schola quadragena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cuius studiosissimus erat, cum & officinas inde carnium & vestium exerceret: & agros adeò coleret, vt vitem manu eius insitam satis, constet ei xxxv. vasa edidisse: sed maximè flagrabat libidinibus in mulieres, vsque ad infamiam oris. Ex Tranquillo.

C. CALIGVLA, lasciuia veneréque perditus, nunquam nisi in odoribus lauabatur, citreóque ligno naues ędificabat, ornatis auro gemmisque earum puppibus. In eis quoque odoratas arbores atque herbas plãtabat, & viridaria porticibus atque tricliniis auratis, circumsepta construebat: iis nauibus circum Campaniæ littora, inter sonos cantúsque ac scorta nauigabat. In conuiuiis aureo pane, aureísque piscibus in verorum similitudinem expressis mensas instruebat. Pulmenta quibus excitari stomachus solet, detritis maceratísque margaritis conficiebat, tanquam alia nulla Romani consumendi imperij ratio offerretur. Denique ne intactum aliquid in venere relinqueret, sororibus suis se cõmiscuit. Fulg. lib.9. cap.1.

Quod cum sororibus Caligula perpetrare ausus est, id NERO dicitur cum matre appetiisse, cætera omnia fœda libidine transgressus animantia, castratum adolescentem Sporum, atque in fœminæ morem cõptum, solenni pompa duxit vxorem, & vestibus gemmísque augustalibus exornauit. Et ne aliqua in parte deesset, in qua naturæ vim non afferret, ipse Doryphoro liberto suo nupsit: & dum se simul virum vxorẽque effecit, in eo studia sua omnia reposuisse visus est, cui prorsus natura repugnaret. Neque verò naturæ leges tam infami scelere violasse cõtentus, religioni quoque iniuriam addere voluit, Vestali virgine incestata. Itaque omni in parte animi corporísque sensibus corruptis, non minus victus atque amictus sui deliciis, quàm venere ipsa modum omnem excessit. Nunquam plus quàm semel eandem induit vestem aureo sericeóque rete piscabatur, atque alia persæpe vno pũcto plus quadringentis sestertiis perdebat. Ingenti sumptu, nimiísque deliciis ædificauit triclinium, grande construxit, in cuius fornice stellæ, Sol atque Luna, gemmis expressæ, colore ipsorum siderum proprietatibus congruente, ex cœlestis cursus ratione mouebantur: sedilia aurea atque eburnea aderant, muri argenteis floribus tecti, auésque, locus assiduè omnium odorum fragrantiam spirabat. Consumptis imperij thesauris, cum aliunde opes non supperterent, ad rapinas conuersus est. Deliciarum ac prodigalitatis eius magnitudo intelligi ex eo potest, cùm ei vni id nõ sufficeret, quod reliquis omnibus in orbe terrarum satis erat. Idem.

Omnes omnium delicias, omne libidinis atque scelerum genus, penè transgressus est M. Aurelius Antoninus Bassianus Heliogabalus. Nam quanquam in priuata adhuc fortuna esset, intectis auro lectis vtebatur, argenteísque centum pondo vasis. Ex colorum ratione conuiuia dabat: primo die rubentia omnia, secunda prasina, deinde Persa tertio. Vini rosis conditi primus fuit inuentor: triclinia, lectos atque abacos rosis, violis atque liliis integebat. In piscinis odoriferarum aquarum natabat: lectos leporino pilo, aut quæ sub perdicum alis crescunt plumis conficiebat. Posteaquam ad imperium conscendit, malos quibus assueuerat mores secutus, pauonum ac lusciniarum linguis vescebatur, ac solis camelorum calcaneis conuiuia construxit, linguis duntaxat phœnicopterum, phasianorum, atque psitacorum: ex eo autem, quod de auibus supererat, canes alebat. Cùm mari propinquus esset, piscibus nunquam vescebatur, maritima mari longinquo apperebat, cùm nihil à quo difficultas abesset, eum delectaret. Inter cætera conuiuium fecit, in quo vnum ac viginti fercula, ac formosam mulierem singulis conuiuis apposuit, ac struthionum capita sexcenta. Lucernas balsamo aluit. Pomis gemmas miscebat, atque conuiuis apponebat. Domi, pro fœno, ad arcendum frigus, tãtum croci per pauimenta strauit, vt pedes integeret. In porticuum pauimento, intritum lima aurum inseruit: neque veste eadem, neque annulo plusquam semel vsus, domi diademate auróque ornatus agebat, calceos gemmis tegebat. Ventrem aureis trullis leuabat, & scaphiis gẽma confectis vrinam excipiebat. Romæ, naualia prælia, manantibus vino lacubus edidit: & vt pecuniam parui se pendere ostenderet, naues sæpe iocans cum ipso onere demersit. Vt autem, quemadmodum viuebat, ita etiam moreretur, in aureis vasis venenũ parauit: item sericeos laqueos, gemmatósque cultellos, si vel appendere se, vel iugulare, vt casus ferret, voluisset: atque si vt pręcipitem se ex alto daret, in animum venisset, turrim auratam totam extruxit, ex marmore auróque constrato circa eam solo. Ex homine igitur ob amentiam factus bestia, ne Neroni cessisse videretur, tanquam in mulierem conuersus, virum cæpit, marémque vxorem duxit: & cùm se in Veneris forma ostendisset, repentè dilapsa ab humero vsque in terram tota veste, altera manu pectus, altera pudenda texit. In vrbe Roma lupanar in palatio condidit, atque illic scorta & magnis muneribus affecit, in currúque aureo nudum se à quatuor nudis fœminis trahi fecit. Ne autem homines huius vitæ eum vnquam pœnituisse arbitrarentur, dixit, Hæredes suos obligare se velle, vt eandem, quam ipse tunc agebat, vitam viuerent. Fulgosus libro nono capite primo ex Lampridio.

L. VERVS Antoninus ad aleam, scorta, popinásque se cõuertit adeò, vt à Marco in Syria ad bellum Parthicum, ne vitia eius palàm essent, missus fuerit, ubi maiore longè est debacchatus luxuria. Rediit ex bello comitatus sordidorum hominum turba, in qua & Agrippus histrio fuit, quem Apolaustum quasi voluptuarium cognominabant. Volater. libro 23. Anthrop.

Fastidium penè mouet, immensæ atque sceleratæ Commodi luxuriæ commemoratio, qui inter trecentas cõcubinas totidémque pueros medius, nullo Veneris genere, quanquam fœdo nimis atque ferino, abstinebat: in quibus nonnulla fuerunt adeò extra omnem hominum morem aberrantia, vt à scribendo manus refugiat. Concubinas vt se præsente coirẽt, cogebat: ac demum sibi, dum nimium indulget, eò fœditatis proruit, vt ipse sorores suas incestaret. Veste quoque ac muliebri gestu vsus, aureo puluere capillos, vt igne quodam rutilare viderẽtur, aspergebat: atque cùm nimia crapula, nimióque coitu gustum omnem amisisset, ad id furoris deuenit, vt humanum stercus cibis immisceret: eósque irriderer, qui eam mixturam abhorrerent. Irrisorum duos, nudos, sinapi totum perfusos corpus, in mensa in patinis ferri iussit, quos statim muneribus locupletauit. Iulianum vrbis præfectum, multis spectantibus, nudum saltare coegit, omnes, vt ipse erat, amentes haberi cupiens. Fulgos. libro 9. cap.1.

GALIENVS Imperator, cùm feliciter contra Persas, Saporem regẽ, Gallos & Illyricos pugnasset, postremò in socordiam atque luxuriam lapsus, omnia in maximum discrimen duxit, ac xxx. tyrannis per diuersas orbis partes occasionem sumendi purpuram dedit. Tum demùm Dacia, & quicquid vltra Danubium à Traiano Reip. fuerat adiectum, perditum est. Caligas gemmatas ferebat. Ficus virides & poma ex arboribus semper alienis mensibus, melones quoque hyeme exhibebat. Tibiis processui, organis receptui canere in bello iubebat. Volater. lib.23. Anthrop. & Pollio in eius vita.

VOLSCINI quandiu Parsimoniæ & frugalitati operam dederunt, Hetruriæ principatum facilè obtinuerunt. Postquam verò luxurię atque libidini obnoxij facti sunt, sensim labente disciplina veteris modestiæ, non solùm imperium, sed etiam libertatem amiserunt: & quod fœdius est, in seruorum suorum potestatem superbissimámque dominationem inciderunt, à quibus ea passi sunt, quæ vix in ipsis seruis toleranda forẽt. Historiam habes apud Florum libro primo postremi Italicorum, & Valerium libro nono, capite primo & *Plinium Iuniorem* de *Viris* illustribus capite 36.

ROMANVS Iunior, Romani senioris ex filia nepos, qui cum Constãtino patre imperium rexerat, non tantum vino & ocio deditus fuit, sed semper voluptuarios tãtum homines infamésque circa se habuit. Volat. lib.23. Anthrop.

ALEXANDER Basilij Macedonis & Imperatoris Romani filius, in imperatorem defuncto fratre Leone electus, viginti annorum iuuenis, singulari desidia, rebus cæteris omissis, tantùm venationi, equis, canibus, suppellectilique lautæ ac luxui vacabat. Volaterranus libro vigesimotertio. Anthrop.

PETRVS Riarius Cardinalis, à Xisto IIII. Pont. Max. educatus, & ad eam dignitatem promotus, omnibus voluptatibus operam dedit. Vnde etiam biennio, quo tantum postea vixit, c c. aureorum millia in luxu victitando solùm absumpsit. L x. millia æris alieni, argenteorum item c c c. pondo reliquit. Obiit tabidus voluptate, annorum xxviij. Volaterranus libro vigesimosecundo. Anthrop. & infrà sub Tit. Luxus in conuiuiis.

TEMPERANTIÆ PRIMA SPECIES, quæ circa Alimenta versatur.

ABSTINENTIA.

Qui rationis & voluntatis suasu ac imperio à quocunque cibo aut potu abstinent, eo consilio, ne corpus voluptatibus enervetur, Abstinentes dici possunt. Excludimus igitur eos, qui aut natura aut ex morbo aliquo abstemij sunt, cibósue respuunt: eos solos amplectimur, qui aut religionis aut honestatis causa libidinis fomitem, frugalitate & abstinentia restinguere conantur, cùm interim cibis lautis non destituantur. Sunt enim alij quidam, qui abstinent quoque à cibis, non propter virtutem, sed propter necessitatem, quia annonæ penuria laborant: quorum exempla aliquot infrà sub tit. Famis memorabilis. Sunt & alij qui abstinent à cibo, vt seipsos fame enecent: qui propter abstinentiam non modò non sunt laudandi, sed etiam propter desperationem & pertinaciam plurimùm vituperandi: quos infrà sub tit. Eorum qui fame mortui sunt, expediemus. Iam verò Abstinentia vera, de qua nos hic loquimur, vel omnium ciborum est, non quidem toto vitæ tempore (tanta enim perfectio in hominem non cadit) sed aliquo tantùm, quam nos distinctioris doctrinæ gratia Ieiunium vocabimus: vel aliquorum ciborum tantùm abstinentia est, vtpote carnium, vini, & similium, in vita religiosa simul & Ethica. Quod quidem exemplis manifestum fiet.

ABSTINENTIA OMNIVM CIBORVM

IEIVNIVM RELIGIOSVM, PIVM sive Christianum.

Possunt ad hunc locum referri omnia ea quæ suprà de Castigatione carnis per ieiunium fuerunt à nobis dicta, sub loco Fortitudinis propulsantis. Ipsa enim Castigatio fortitudinis est, Ieiunium verò Temperantiæ.

MOYSES bis fuit in monte cum Domino 40 diebus, & 40 noctibus, & non manducauit nec bibit. Abstinentia enim bona dispositio est ad percipiendas reuelationes diuinas: & homo refectus diuina consolatione, folet corporales delicias abhorrere. Exod. 24. & 34.

VXORI Manue liberatorem populi concepturæ, angelus apparens abstinentiam indixit. Iudic. 13.

Sub Heli sacerdote bis debellati sunt filij ISRAEL à Philistæis, & arca Domini capta est. Sed postea sub Samuele ieiunauerunt, & victoria sunt potiti. 3. Reg. 4 & 7.

ISRAELITÆ de duodecim tribubus primò, & secundò à filiis Beniamin debellati, fleuerunt coram Domino, & ieiunauerunt die illo, & prælio uerunt contra illos, iudicum decimo.

POPVLVS Israel erat in castris esuriens, & erat mel per agrum, & nullus comedit de eo nisi Ionathas filius Saul: qui non audierat cùm adiuraret pater populum ne comederet. Voluit ergo eum pater interficere. 1. Reg. 14.

ACHAB audiens comminationem sibi factam à Domino per Heliam propheram, operuit cilicio carnem suam, & ieiunans dormiit in sacco, &c. propter quod Dominus quam comminatus est pœnam, remisit. 3. Reg. 21.

BARVCH legit verba libri sui ad aures Iechoniæ filij Ioachim regis Iuda, & ad aures populi vniuersi, qui audientes plorabant & ieiunabant, & orabant in conspecta Domini. Baruch 1.

Congregati sunt Moabitæ & Ammonitæ vt pugnarent contra Iosaphat regem Iuda. Quod ille audiens, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium in vniuersa Iuda. Itaque victoriâ obtinuit. 2. Paralip. 20.

ESDRAS prædicauit ieiunium, & fecit quòd omnes affligerẽt animas suas: quia petierant à Domino, vt viam rectam & prosperam daret eis. Sequitur: Ieiunauimus & rogauimus Dominum pro hoc, & euenit nobis prosperè. 1. Esdræ octauo.

Rogaturus NEHEMIAS Artaxerxem regem pro ciuitate sancta, vt muri eius possent reparari, dicit de seipso: Ieiunabam & orabam ante faciẽ Dei cœli. Nehem. 1.

Conuenerũt FILII ISRAEL in ieiuniis, in saccis & cinere, & confitebãtur peccata sua, & legerunt in volumine legis. Nehem. 9. & 15.

SARA filia Raguelis audito grãdi improperio ab vna de ancillis suis, perrexit in inferius cubiculum domus suæ, & tribus diebus tribusq; noctibus non manducauit, neque bibit. Tob. 3.

ISRAELITÆ audientes terribilem potentiam Holofernis, humiliauerunt animas suas in ieiuniis. Iudic. 4.

IVDITH ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata & festa & neomenias domus Israel. Itaque cùm ad illud grande facinus, quod mente agitauerat, perficiendum properaret, imposuit (vt ait Scriptura) Abræ suæ ascoperam vini, vas olei, polentam, lapathium, paues & caseũ, & profecta est. A carnibus ergo abstinebat, atque (vt ego existimo) etiam à vino: nunc tantummodo illo vsa, cùm & animi audacia opus esset, & vires quas ieiunio cilicioque antè fregerat, excitandæ acriore potu essent, vt fœminæ dextra ad secandam torolam tyranni ceruicem posset sufficere. Quæ enim vinum contra Holophernem tulit, eam contra carnis molestiam ieiuniis & abstinentia certasse nonumus. Aliter namque pugiles & gladiatores alendi sunt, aliter serui Christi. Marul. lib. 4. cap. 2.

HESTER allocutura regem Assuerum, Mardocheo ait: Congrega omnes Iudæos, quos Susis reperies, & orate pro me: non comedatis & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.

ANNA prophetissa filia Phanuel, inter cætera commendatur, quòd non discedebat ex templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiẽs die ac nocte. Luc. 2.

SALVATOR noster post baptismum statim ductus est in desertum, & ibi ieiunauit donec esuriret. Matth. 4. Lucæ 4.

Cum esuiret PETRVS in domo Simonis coriarij, cecidit super eũ mitis excessus, & vidit cœlum apertũ, &c. In qua etiam visione, oblata sunt ei animalia secundũ legem vetita. At is comedere renuit, quamuis esuiret. Actor. decimo.

Erant in ecclesia Antiochiæ prophetę & doctores, &c. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunãtibus, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum, &c. Act. 13.

PAVLVS & Barnabas, cùm constituissent in diuersis ciuitatibus per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunantibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt Act. 14.

LIBERALIS confessor singulis diebus Dominicis sacram sumebat eucharistiam: qua refocillatus, nihil ferè aut parũ cibi capiebat tota hebdomade. Rauis.

NICOLAVS quidam inter Heluetios, sine vllo penitus cibo multis annis duravit inter vastas solitudines, incredibili sanctitatis fama. Rauis.

ABSTINENTIA RELIGIOSA ETHNICA. Ieiunium Ethnicum

AMPHIARAVS summus vates, iussit sacerdotes, qui responsa clara accipere, & syncerè reddere vellent, integrum diem à cibo, à vino autem triduò abstinere. Volater. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

Apud Trœzenios QVI ad Aridati aram rem diuinam facerent, & eorum responsa expeterent, per integrum diem cibo, à vino autem perniciosum abstinebant. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2.

ABSTINENTIA ETHICA, SIVE IEIVNIA Ethica.

Exempla quædam ex tit. Eorum qui fame sese necarunt, peti possunt.

LEONES alternis diebus potum, alternis cibum capiunt: hæc frequenter, si concoctio non est insequuta, solitæ cibationi superponunt diem. Solinus cap. de Aphrica, & Plinius lib. 8. cap. 16.

TARENTINI, cùm à Romanis obsiderentur, ac iam deditio ob rei penuriam instaret, Rhegini cùm in decimum diẽ suis ieiunia indixissent, victum Tarentinis dederunt, quo pactum diutius defendere ab hostium iniuria possent. Ideoq; cùm Romani obsidionem soluere cogerentur, Tarentini in perpetuam eius rei memoriam ieiunij festum instituerunt. Ælianus libro quinto de Varia historia.

ABSTINENTIA QVORVMDAM CIBORVM.

RELIGIOSA ET PIA, SIVE christiana.

Exempla piorum, qui idolothyta vesci noluerunt, pete ex tit. Martyrum. Connumeratur autem hæc etiam Abstinentia inter Ieiunia

nos tamen vt res diuersas distinctis quoque nominibus efferamus, Ieiunium prope omnium ciborum abstinentiam esse definiimus.

Præcepit DOMINVS Adam dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quo abstinentia commendatur, dum non omni cibo voluit hominem vti in paradiso. Genesios 2.

ELEAZARVS, vir ætate prouectus, maluit occidi crudeli morte, quã carnes porcinas contra legem manducare, vel etiam simulare se comedisse 2. Machab. 6.

Contigit septem fratres cum matre compelli à rege Antiochio, carnes porcinas contra legem manducare: illi verò magis elegerunt crudelissima tormenta sustinere. 2. Machab. 7.

THOBIÆ in comedendo laudatur continentia, quòd in Niniue vrbe captiuus & iugo seruitutis pressus, nunquam vt gẽtilium esceis inquinaretur, animum induxerit: ritúque eorum spreto atque despecto, semper legitima Dei sui seruarit. Marul. lib. 4. cap. 2.

DOMINVS Ezechieli prophetæ dicit: Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & vicium, &c. Ezech. 4.

DANIEL, Ananias, Misael, Azarias, & ipsi Babylone captiui, contẽpta regis mensa legumina comedunt, aquam bibunt: & eis qui regiis epulis enutriti erant, apparent rubicundiores, obœsióresque. Iis ergo qui legumina carnibus, & aquam vino prætulerunt, à Deo datam scientiam legimus & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Denique omne verbum sapientiæ & intellectus, quod scisitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplum super cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno eius. Certè neque legumina amara sunt, neque aqua acerba: & si essent, non ne tanta mercede præoptanda ac prælumenda fuissent? Alibi Daniel ipse: Panem, inquit, desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum. Interim visiones videt, cum angelo loquitur, futura discit. Marul. lib. 4. cap. 2.

PANEM & pulmentum misit Dominus per prophetam Habacuc Danieli posito in lacu leonum, non carnes, aut alia cibaria delicata. Dan. 14.

Beati IOANNIS Baptistæ esca erant locustæ & mel syluestre, Matth. 3. Et multam abstinentiam in cibo & potu dicebatur facere, quasi non manducans, nec bibens. Matth. 11.

DOMINVS in Euangelio sæpe multiplicauit pisces, non carnes. Vnde ad præceptum Domini concluserũt discipuli multitudinem piscium copiosam. Luc. 5. Præterea panes & pisces bis multiplicasse legitur, nunquã carnes. De quinque panibus & duobus piscibus, Marc. 9. Luc. 9. Item de eodem Ioan. 6. de septem panibus & paucis piscículis ab ipso Domino multiplicatis habetur Matth. 15. Marc. 6. & 8. Luc. 9. Ioan. 6. Post resurrectionem etiam septem discipulis piscantibus & non prendentibus, manifestauit se Saluator dicens: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Sequitur, quòd extraxerunt rete plenum magnis piscibus, & de piscibus illis dedit Dominus discipulis suis. Ioan. 21. Populo autem Iudaico carnali dedit carnes ad vescendum. Exod. 16. Saluator noster, cuius actio est nostra instructio, nunquam legitur carnes comedisse, nisi de agno paschali: de pisce verò allato ad manducandum comedit. Luc. 24. Ioan. 21.

PAVLVS Apostolus ad Romanos scribens, Bonum est, inquit, non manducare carnem, & non bibere vinum. Et ad Corinthios: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Et ad Timotheum: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Cui propter aduersam valetudinem modico vino vti præcipit, eum, dum sanus esset, aqua vsum fuisse ostendit. Sed etiam malè affecto paucitatem, non copiam imperat: quod scilicet ad digerendam stomachi eruditatem satis sit, non quo etiam sopita genitalium voluptas excitari possit, ne corporis remedium vertatur in animæ perniciem. Marul. lib. 4. cap. 2.

IACOBVS frater Domini, appellatus cognomento Iustus, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit: reliqua viæ sanctitate sic excelluit, vt multi suspicati sint, propter necem eius Hierosolymam fuisse subuersam. Idem.

PETRO Apostolorum principi post ascensionem Domini, panis cum oliuis, rarò cum olusculis cibus fuit: vt moderati victus exemplum foret iis, quibus abstinentiæ præcepta dabat, iam piscator hominum factus, qui fuerat piscium. Idem.

ANTONIVM in Ægypto, Serapionem in Arsenoite regione, Ethbinum in quadam Hyberniæ sylua, Stephanum abbatem in monte Moreto, pane tantùm & aqua sustentatos fuisse legimus. Sed Antonium, cùm iam infirmior ætas pristinæ austeritati par esse non posset, oluscula & arborum fructus cum pane comedisse. Idem.

HELIÆ eremitæ in finibus Antinoes, quæ est metropolis Thebaidis, iam ætate decrepito, exiguus panis & paucissimæ oliuæ cibus erat, rebusfioribus verò annis interdum hebdomadarum inediam tolerauit. Idem.

PASTHVMIO Ægyptio abbati panis tantùm & aqua victus erat, vtrumque appendere solitus, ne edẽdi auiditas plus hauriret, quàm quòd sustentando corpori sufficere posset. Antehac verò, dum solitarius viueret, crudæ herbæ illi cibum, fontes potum suppeditabant. Idem.

HOR abbas, quamdiu solitudinem incoluit, herbis, radicibus, aqua sustentatus est: pane abstinuit, donec monasterio præpositus, communi cum aliis cibo vti cœpit, vt ipsos lucrifaceret, & quadam vitæ æqualitate contineret. Idem.

APOLLONIVS abbas panem, olus, herbas edere solebat: sed ita sanè, vt ea sale condiret, vel aceto maceraret, coctum gustauit nihil. Idem.

THEONEM monachum cruda comedisse accepimus, nec in vescendo ignis opera vnquam vsum. Idem.

ONOPHRIVS abbas, cùm sede incerta per solitudinem vagaretur, diu herbis tantum & fructibus sustentatus dicitur. Demùm pane & aqua nutritus, angelo homini ministrante. Ibidem, & Sab. libro secundo capite secundo.

PALÆMON monachus in Thebaidis deserto habitans, celebri paschæ die Pacomium contubernalem suum rogauit, vt solito largius obsonaret. Coxit ille olus, oleóque & sale condiuit. Sed posita mensa, Palæmon suspensus parumper stetit, ingemuit, lachrymas effudit: &, Dominus meus, inquit, crucifixus, felle & aceto potatus est, & ego oleum edam? Auertentem se ac lugentem, Pacomius hortabatur vt sumeret, & illam olei lauriciam non tam sibi quàm festi solennitati concederet: tantum profecit, vt nec ipse aliud gustarit, quàm quod consueuerant, panem scilicet cum sale, aquámque frigidam. Sic refecti Deo gratias egére, hoc tantùm festo tribuentes, quòd escas tunc sapidiores parauerint quàm comederint: adeò oleum in cibo sumere luxuriæ deputabant. Idem.

AMANDVS Turoni ad beati Martini sepulchrum 15. annos mansit, & hoc toto tempore cibus illi panis hordeaceus, aqua potus fuit. Postea Traiectensis episcopus factus, miraculis illustratus est, Heraclio in oriente imperante. Idem.

GERMANVS, Altissiodorensis episcopus, tenuissimo victu contentus vino abstinuit. In solennibus tamen festis ita aqua diluto vtens, vt vinum non saperet. Antehac hordeaceo pane & leguminibus vixerat, & his non sale, sed cinere conditis, quotidianum seruans ieiunium. Cum hac cibi ac potus vilitate luxuriam commutauerat epularum, ex Burgundiæ præfecto monachus factus, deinde episcopus Altissiodorii. Idem.

EVAGRIVS presbyter 46. annos pane, oleo & aqua vsus est, deinde annos 16. pomis, coctóque abstinuit. Postea verò etiam panem sibi interdixit, ac per biennium olere tantùm & lentibus vixit. Hic diuorum Machariorum discipulus fuit, quorum mores imitando adeptus est meritum. Idem.

SANCTVS presbyter quanto labore in eremo carnis tentationibus repugnaret, recenset D. Hieronymus ad Eustochium virginem scribẽs. De cibis & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Marul. lib. 4. cap. 2. & Sab. lib. 2. cap. 2.

Idem Pauli Thebani, primi eremitæ, vitam describens, Iesum & angelos eius testatur, in ea eremi parte quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse se monachos, quorum vnus per annos 30. claustu, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit: alter in cisterna veteri, quam gẽtili sermone Syricubam vocant, quinque caricis sustentabatur. Paulus (vt idem refert) à sextodecimo ætatis suæ anno vsque ad sexagesimum, palmę fructibus vixit. Deinde vsque ad 113. quo terris relictis ad cœlum migrauit, dimidiati panis fragmentum quotidie corno altre deferente acceptauit. In aduentu Antonij integer allatus est, Deo donante quantum vtrique satis esset. Qui cùm comedissent, ad fontem accedentes, prono ore manibus concauis aquam hauriendo sitim expulerunt. Ibidem.

TIMOTHEVS anachoreta in deserto Ægypti pernitentiam agens, palmæ fructibus & aqua de fonte hausta sustentatus est. Idem.

DOROTHEO abbati in Ægypto vnciæ panis sex, & oluscúlorum fasciculus, & aquæ congius refectio erat. Ibidem. & Volaterranus libro vigesimoprimo.

EVLGENTIVS Rupensis episcopus, ne morbo quidem affectus carnis alicuius alimento vel vini poculo vti voluit: veritus ne infirmitati blandiens, semel intermissum viræ rigorem sanus postea repetere nollet, superatus gulæ voluptate. Idem.

HILARIONEM abbatem diuus Hieronymus tradit à quintodecimo vsque ad vigesimum ætatis annum, quin & cum caricas post solis occasum comedisse. Triennio deinde dimidium lentis aqua maceratæ sextarium, ac deinde totidem annis panem cum sale & aqua, & totidem aliis virgultorum radices herbásque sylvestres crudas. Deinde annis nouẽ hordeacei panis vncias sex, & coctum modicè olus absque oleo. Postea debilitate corporis compulsum, olei parum addidisse vsque ad tertium & sexagesimum vitæ annum. Inde vsque ad 80. pane abstinuisse, sed sorbitiunculis vsum de farina & olere comminuto factis, potu cibóque vix vncias sex appendentibus. Cæterùm nunquam ante solis occasum quicquam gustasse, & neque diebus festiuis, neq; in grauissima febre soluisse ieiunium. Idem.

HOSPITIVS ille qui Longobardorum in Italiam aduentum longè antè prædixit, pane & pomis vescebatur. Quadragesimæ verò ieiunia herbarum tantum, radicúmque refectione transigebat, semper abstemius. Idem.

ROMVALDVS abbas, ordines Camaldulensis institutor, dum in eremo vitam ageret, panem & fabam aqua maceratam comedit. Ibidem.

MAXENTIVS Pictauiensis abbas, pane hordeaceo & aqua victitauit. Arido in loco cùm monachi siti laborarent, terram virga percutiens fontem scaturire fecit, vt scias elementa ei seruire, qui gulæ & ventri dominatur. Idem.

GREGORIVS Lingonensis episcopus panes hordeaceos triticea crusta oblitos esitabat: in aquę poculum tantillum vini addere solitus, vt

aqua suum saporem seruaret colore mutato. Sic occultabat victus angustioris vsum, ostentationem fugiens:& soli Deo placere affectans, nec tamen ciuitas in monte posita latere potuit, semper enim fugientem sequitur gloria, sequentem fugit. Idem.

IOANNEM presbyterum, qui in Gallia apud Castresium pagũ martyrio coronatus est, crudis herbis & aqua frigida sustentatum ferunt. Qui sponte corpus suum sic afflixerat, illud & martyrio exponere sine hæsitatione potuit, dissolui cupiens, & esse cum Christo. Idem.

COLVMBANVS in Gallia abbas, annis sexaginta herbis tantùm ac radicibus sustentatus est. Fontem de petra Deum precatus eduxit, qui hodie quoque effluit vbertim, & terram irrigat. Idem.

ALCIBIADI martyri apud Lugdunum panis, sal, aqua victus erat. Sed tandem in carcerem trusus, ne scandalo esset iis qui secum erant, reliqua immunda fortasse credituris, cùm adhuc infirmi essent, nihil recusauit eorum quibus ipsi vtebantur: malens abstinentiæ aliquid remittere, quàm fidei scrupulum proximis generare, monente Apostolo ac dicente, Noli esca illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Idem.

PION abbas in Thebaidis deserto, quo minus in edendo voluptatis caperet, deambulando sumebat cibum: aqua in potu vsus, quàm ipse effosso puteo amaram in dulcem verterat, exorato Domino. Ibidem.

ELPIDIVS Cappadox in specu quodam annis xxv vixit, vbi tantùm die Dominico & Iouis vescebatur. Ex Heraclidis historia.

SICINNIVS monachus, Elpidij se in sepulchrum clausit, & ibidem pane & aqua contentus vixit. Heraclides.

SERAPION in regione Arsenoite Ægypti fuit pater decem milium monachorum, manibus victum quærentium, quo pauperes iuuabant: ipse sola tunica contentus, panè insuper & aqua viuebat. Ex historia Tripartita lib 8.

AMMONIVS Alexandrinus philosophus & Christianus (quod Eusebius lib. 6. historiæ manifestè affirmat) tanta abstinentia fuit, vt nunquam nisi panem assum ederit, nunquam iratus, nunquam mentitus sit. Volat. lib. 20. Anthrop.

In monasterio Tabernensi, vbi Amos abbas mille quingentis monachis præfuit, FRATRES ad mensam congregati, pendentibus à fronte cucullis, ita oculos tegebant, vt alius alium videre comedentem nõ posset. Itaque tantum quisque sumebat, quãtum collibuisset: & singulorum continentia singulos latebat, ne inani gloriæ daretur occasio, sed diuino conspectui munus illud syncerius offerretur, quod submouebatur humano. Marul. lib. 4. cap. 2.

RICHARIVS cõfessor panem comedebat hordeaceum, quẽ aspergebat cinere, ne præ se ferret suauitatem. Aquam lachrymis suis tepefaciebat: eaque faciebat balnea, quib. abluebat leprosos, & se postremum. Rauis.

MEDERICVS Eduensis semel tantùm in hebdomade cibum capiebat, & perpetuò cilicio carnem domabat. Idem.

NICOLAVS Tollentinas abstinentissimus omnium sui temporis, pane & aqua semel tantum in die vescebatur, procul ab omni ocio, & verborum vanitate. Idem.

COLVMBA virgo Perusina, solis fructibus reprimebat famem. Idem.

HONORATVS Fundensis monasterij abbas (vt Gregorius refert) puerulus adhuc, à parentibus inuitatus, cùm à carnibus abstineret, deriduculi gratia interrogatur, an piscari in montibus vellet, qui tam procul à mari & fluminibus constitutis piscibus, non carne vesci optaret. Cumque ipse taceret, ecce is qui ad aquam hauriendam perrexerat, piscem de puteo situla sublatum attulit. Quo miraculo effectum est, vt omnes conuiuam, cuius continentiam irriserant, venerari inciperent. Marul. lib. 4. cap. 2.

PAMBO abbas, cùm animam ageret confessus est, quòd ab eo die quo solitudinem ingressus fuerat, panem non gustarit, neque quicquam cuius ipsum pœniteret prolocutus fuerit: & se tamen sic è vita discedere, tanquam qui modò cœpisset, non tanquam qui profecisset. Idem.

PHILORONIVS presbyter in Gallicia annos duodeuiginti in cella clausus, pane & cocto abstinuit, dein duobus & triginta annis nullũ pomi genus gustauit: vt omni ciborum dulcedine seposita, edendi auiditatem coërcere facilius posset. Idem.

ASELLA virgo pane & sale & aqua contenta fuit. PAVLA oleum in cibo non accepit: lacticinia, mel & alia palato suauia gustare noluit, vini ne infirma quidem. EVPHRAXIA præter hæc, fructus quoque gustu dulces repudiauit. MARIA Ægyptiaca vel crudis herbis, radicibusque vel cibo nullo vixit. MARIA Decegnies pane & aqua vacuum & ieiunum ventrem reficiebat, inediam semel ad trigesimum, iterum ad quinquagesimum produxit diem, rapta in spiritu. Idem.

MARTHA virgo Christi, hospita, & Christi sponsa, post eius ad cœlos ascensum, carnem nullam comedit: à lacticiniis quoq; & vino abhorruit, quotidianum seruans ieiuniũ, donec rursum suauissima hospitis & Domini sui præsentia satiari sibi liceret, iam nunquam ab ipso recessura. Idem.

MAGDALENAM sororem eius in deserto diuinis magis quàm humanis alimentis fuisse sustentatam accepimus, dum partem illam optimã possidere nititur, quam elegerat, & quæ non auferetur ab ea. Idem.

OTHILIA virgo leguminib. & hordeaceo pane lassum ieiuniis corpus sustentabat, donec in cœlestibus regnis grano illo frumenti satiata fuit, quod cadens in terra multum fructum attulit. O quam breuem esuritionem æternæ immensæque dulcedinis subsecuta est saturitas, dum se cibi vtilitate mortificans, facta est immortalis. Pro hordeaceo pane panẽ accepit vitæ, pro leguminibus vberrimum perennis lætitiæ fructũ. Ibid.

RELIGIOSA ETHNICA.

INDORVM magi, qui ad solis sacerdotium euecti erãt, carnibus abstinuerunt penitus. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

AEGYPTII sacerdotes, ex eo tempore (sicuti docet Porphyrius) quo cœperunt diuino cultui deseruire, carnibus & vino semper abstinuerũt. Lac etiam in cibis & oua fugiebant: quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato. Carnis autem & vini saturitatem libidinis esse seminarium, author est Chæremon Stoicus: & Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

QVISIDIS sacris initiandi erant, dies decem carnibus & vino abstinebant. Ibidem.

In CRETA Iouis prophetæ non modò carnibus, sed ne coctis quidẽ vescuntur. Euripides.

DIOSCVRIS in Prytanæo prandium parabatur, oliuę, caseus & porrum, veteris frugalitatis symbola. Alex. ab. Alex. lib. 3. cap. 11.

NVMA Pompilius cùm pro frugibus sacra faceret, esu carnium & Venere abstinuit. Alex. ab. Alex. lib. 4. cap 17.

ABSTINENTIA CIBORVM QVORVNDAM ETHICA.

QVI VOLVNTATE SOLA, NVLLA *adacti necessitate, à cibis abstinent.*

LACEDÆMONIIS iuxta & ROMANIS lex erat, ne cui licitum esset cœnare, quæ vel quando ipsi liberet. Nam cùm per alia ciues ad temperantiam reuocare voluerunt, tum non minimè per rationem mensæ. Ælian. lib. 3. de Var. histor.

LYSANDRO Spartiatę in Ioniam proficiscẽti, hospites quos habebat in Ionia, cum aliis multis, etiam bouem & placentam dono miserunt. Qui placentam contemplatus rogabat, quid nam illud cupediarum esset? Cui cùm is qui attulerat, responderet, ex melle, caseo, aliisq; quibusdam confectũ esse: Sed hoc, inquit Lysander, iis date qui nouerunt. Non enim hic est liberi & ingenui hominis cibus. Bouem verò patrio ritu mactandum apparandumq; curauit, quem cum voluptate comedit. Idem.

ZENO Cittięus crudis duntaxat vescebatur, & pallium prętenue ferebat. Aquam bibebat loco vini, vt discipulos suo exemplo ad temperantiã inuitaret. Hinc exiit prouerbium, Zenone temperantior. Rauis.

IDEM negabat virum bonum esse, qui nimio se vino obrueret: quandoquidem nullus tam imperitus rerum sit, qui aliquid secreti tali viro committere audeat, qui vino pressus leuiter effutiat. Seneca li. 12. epi. 84.

IDEM ne per morbum quidem cibo magis delicioso fruendum opinatus est. Igitur medico columbinum pullum consulente: ipse cõsilij impatiens, non secus quam Manem, si ægrotaret, curari se iussit. Nimirum volebat, non se mollius tractandum, quàm ęgrum aliquem seruum. Si enim absque preciosis alimentis recuperare sanitatem serui possunt, quid idem nobis futurũ prohiberet? Sanè indignũ est, virum bonum vllo se seruo molliorẽ pręstare. Musonius in li. de Alimentis. Stobæus sermo. 15.

PHILINVS tantæ abstinẽtiæ fuisse traditur, vt nullo cibo, nisi lacte, victitarit. Alex. ab Alex. li. 3. cap. 11.

PLATO ille diuinus tãtæ fuit frugalitatis, vt in lautissimis cœnis, sal, oliuas, caseum, porrum atque olera tantùm ex agris adponi iusserit. Idem.

MOSCHVS Antimolus sophista, solis caricis vesci solitus est. Idem.

CYRVS senior, vt author est Xenophon, cùm ad hospitem diuertisset, rogareturq;: Quid sibi cœnæ vellet apponi? Respondit, Panem tantum: & sperare se prope fluentem aquæ riuulum cœnaturum. Hic suos monere solebat, vt aquam bibere consuescerent, & fierent hydropotæ, quòd vinum omnibus bonis rebus aduersaretur. Guido Bitur.

GYMNOSOPHISTÆ adeò abstinentiæ studiosi sunt, vt pomis solùm, oriza & farina alantur. Alex. ab Alex. lib. 4 ca. 17.

PERSARVM magi nil ad cibum præter satinam & olera recipiebãt. Rauis.

EORVNDEM reges, pane tantùm, pulte, cardamo, & sale vescuntur. Alex. lib. 5. cap. 21. & Fulg. lib. 2. cap. 1.

PERSAS liberos suos in summa semper frugilitate & victus parsimonia educasse constat, vt qui iuuentutem nasturcio tantum, pane, aqua & sale, velut exquisitis valde obsoniis, vesci voluère. Alex. ab Alex. lib. 2. ca. 25. ex Cyri pædia: & Stob. serm. 42.

PORVS rex Indorum aqua & pane viuebat contentus. Rauisius.

PHRAOTES rex Indorum tantum vini bibebat, quantum soli sacrificasset, cibus ei olera, & palmarum fructus, & alia ex arboribus nascentia, quæ sua manu plantasset Philost. in vita Apollonij.

IDEM rex cum Apollonium Tyanæum humaniter hospitio suscepisset, conuiuioq; adhibuisset, ambos oleribus tantùm pastos fuisse ferunt, reliquos verò conuiuas sumptuosis venationum cibis. *Philostratus* in vita Apollonij, & Volater. lib. 13. Anthrop.

In RHODO insula qui pisces edunt, & in deliciis habent, horum suauitatem omnes admirantur, & quasi liberales cõmendant. Cui verò magis arridet carnium esus, ii Agrestes & Ventres calumniæ causa à Rhodiis appellantur. Ælian. lib. 1. de Varia historia.

AEGYPTIORVM lex erat, vt certa vini mensura regi quotidianis ferculis daretur, vltra quam excedere non licebat, ne sui impos per occasionem & licentiam turpitudini & sordibus vacaret. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. In cœnarum magnificentia & regali luxu, nihil præter vitulum & anserem adponere licebat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

IIDEM suis sacerdotibus certum cibum, certámque vini portionem dabant, ne cibo corpus grauaretur, & vini immodica ingurgitatione desiperent, & indigna facinora perpetrarent. Diodorus Siculus libro secundo, capite secundo, de Rebus antiquis. Carnibus & vino abstinebãt. Pane etiam raro vescebantur, ne onerarent stomachum. Oleum tantùm in oleribus nouerant. Ouum & lac vitabant pro carnibus: triduúque inediam sustinebant. Rauis.

IIDEM scirporum, aliisque radicibus, quas sub cineribus coquunt, caulibus quoque palustribus, quas partim coctas, partim assas igni, partim crudas pro cibo præbent, liberos nutriunt. Diodorus Siculus libro 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

SAMANEI populi (vt author est Bardesanes Babylonius historicus) tantæ sunt continentiæ, vt cùm cibis vesci exquisitissimis possint, arborum tamen pomis iuxta Gangem fluuium tantùm vtantur. Idem de Brachmanis testatur Bardesanes. Essæi verò Iudæorum geñs, vino, carnibus & vxoribus semper abstinuerunt. Author est Iosephus in secunda Iudaicæ captiuitatis historia, & Philo Iudæus.

ROMANORVM antiquissimos, cœnæ tantùm panem adhibuisse, carnes verò prandio non elixas, sed assas & veru decoctas, aut frictas, memoriæ proditum est: licet postmodum in summam luxuriam prolapsi sint. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. Eos quoque diu non pane, sed pulte victitasse, pistorésque per annos 600. vsque ad Persicum bellum nullos habuisse constat. Fiebat autem puls ex aqua, frumenti & fabarum aut ordei farina, quã in sacris oblationibus deorum pro victima adhibebãt. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

C. FANNII consulis lege ante tertium bellum Punicum introductum est, ne quid apud Romanos volucrum præter vnam gallinam, quę altilis non esset, apponeretur. Alex. Idem.

IDEM, vt modus cœnarum luxuria non difflueret, singulis diebus, præterquam Saturnalibus, & Romanorum ludis, vel plebeiis, denos asses, qui domesticis cœnis impenderentur, præfiniuit. Tantæ tamen frugalitatis fuerũt, vt mensam quamuis parcam omnino vacuam tolli non sinerent: sed ad cohibendum appetitum semper aliquid reliquiarũ, quod postera die cœnam iuuaret, superesse voluerunt. Idem.

POMPEIVS Magnus quum ex morbo ad cibos malè se haberet, medicus turdum dari mandauit. Hunc autem quum venalem non inueniret, cognitúmque esset apud Lucullum tantùm inueniri posse, noluit: Sine Luculli, inquiens, illecebris ipse non viuam? Brusonius libro 1. Facetiarum.

M. CATO superior, cùm Celtiberos Hispaniæ populos secundis aliquot præliis fregisset, & totam iam prouinciam obtineret: in sua tamen fœlicitate, quod rarissimè contingit, semper frugaliter vixit, contentus vino cibóque: quo nautæ vtebantur. Valer. Max. libro quarto, cap. tertio. Frontinus libro quarto, capite tertio. Plinius libro decimoquarto, cap. 13. Gell. lib. 13. cap. 18.

IDEM adhuc adolescens, cùm stipẽdia faceret in castris, semper aqua vsus est. Sed cùm fortasse vel æstu vel siti nimia laboraret, ad eam sedandam aceti haustu vtebatur: vel si quando vires pristinas desiderasset, vegetandi corporis gratia, leuiusculi nonnihil vini delibare consueuerat. Domi verò tanta frugalitate fuisse traditur, vt hyeme sola tunica demptis manicis indutus esset, æstate verò penè nudus labore cum seruis certaret: cum quibus sedere solitus eodem pane eodémque cibo vescebatur. Plutarch. in eius vita.

Q. METELLVS bello Iugurthino lapsam militum disciplinam restituit, cùm insuper prohibuisset alia carne, quàm assa elixá ve milites vti. Front. lib. 4. cap. 1.

M. SCAVRVS, cùm pro populi Rom. salute bellum gereret, adeò suos milites sub disciplina retinuit, vt dum castra moueret, in ipso castrorum aggere arborem optimis & maturis fructibus onustam, intactã reliquerit. Fulg. lib. 2. cap. 2. & lib. 4. cap. 3.

AVRELIANVS Cæsar tam seueræ disciplinæ fuisse dicitur, vt tribuno per epistolam mandarit, vt militum manus cõtineret, ne quis pullum aut ouem raperet, aut vuam ex vineis, aut ex segete spicas: vt arma tersa, calciamenta fortia, vestis noua, equus defricatus, & mulus centurionatus foret. Alex. lib. 6. cap. 18.

BELLISARIVS Constantinopolitanus, vt penè antiquos Romanos omni virtutis genere æquauit, ita militari virtute ac disciplina superauit. Cùm ad recuperandam è Gothorum manibus Italiam à Iustiniano missus esset, adeò ab omni maleficio milites continuit, vt cùm iter facerẽt, quanquam defessi, ad decerpendos fructus, qui in via ab arboribus pendebant, nunquam manum extenderint, neque in opacum locum pabulatum frumentúmque iuerint. Qua re effectum, vt Itali eius singulari continentia moti, spretis his malis quæ ab hoste poterant perferre, miro omnium consensu Bellisarij virtutem, paruásque eius copias Gothorum multitudini in omne cupiditatum genus correptæ anteposuerint. Fulgosus libro secundo, capite secundo: & Egnatius libro secundo, capite secundo.

QVI NECESSITATE COACTI A CIBIS *aliquibus abstinent: vt in annonæ penuria, in obsidionibus vrbium, in expeditionibus. Famem tolerare.*

Necessitatem hoc in loco eam intelligimus, quando cibaria non adsunt: possent tamen comparari, si quid turpe minúsue decorum patrare vellemus. Vt qui ab hostibus obsidentur, si sese illis dederint, commeatum acquirent: verùm quia hoc turpe illis esset, idcircò Fortitudo Temperantiam siue Abstinentiam sibi comitem iungit, & omnia aduersa fortiter tolerat. Vide titulum, Fames memorabilis. Item, Exemplo militibus præesse.

PETILINI à Pœdis obsessi, parentes & liberos propter inopiam eiecerunt: ipsi coriis madefactis & igne siccatis, foliisque arborum ex omni genere animalium vitam trahentes, 11. menses obsidionem tolerauerunt. Front. lib 4. cap. 5.

HISPANI, cum Fabrecense omnia eadem passi sunt, ne oppidum Hirculeio traderent. Ibidem.

Necessitas Casilinates obsidione Hannibalis clausos, alimẽtorúmque facultate defectos, lora necessariis vinculorũ vsibus subducta, éque scutis detractas pelles, feruenti resolutas aqua, mandere coegit. Quid illis, si acerbitatem casus intueare, miserius: si constantiam respicias, fidelius? qui ne à Romanis desciscerent, tali vti cibi genere sustinuerunt, cum pinguissima arua sua, fertilissimósque campos mœnibus subiectos intuerentur. Itaque Campanæ vrbis, quæ Punicam feritatem deliciis suis cupida fouit, in propinquo situm Casilinum moderatum virtute, clarum perseuerantis amicitiæ pignore, impios oculos verberauit. Val. lib. 7. ca. 6. Tantam autem inopiam perpessi sunt, vt centum denariis murem venisse, proditum memoriæ sit: eiúsque venditorem fame periisse, emptorem autem vixisse. Front. lib. 4. cap. 5.

Trecenti Prænestini obsessi cùm essent, accidit vt ex his quidam murem captum ducentis potius denariis vendere, quàm ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo deorum prouidentia effectum, vt & venditori & emptori, quem vterque merebatur, exitum attribuerit. Auaro enim fame consumpto, manubiis sordium suarum frui non licuit: æqui animi uir, ad salutarem impensam faciendam, carè quidem, verùm necessariè comparato cibo vixit. Val. lib. 7. cap. 6.

NVMANTINI, ne se dederẽt, fame mori præfixis foribus domuum suarum maluerunt. Front. lib. 4. cap. 5.

ALPHONSVS senior Siciliæ rex, cùm Iacobi Caudolæ copias, quæ ex parte Vulturnum amnem traiecerant, reiecisset: illic inclinato iam sole consistere decreuit, vt prohibere Caudolam posset, si iterum traiicere exercitum vellet. Sed quia repentè illuc Alphonsus iuerat, sub dio manere in armis exercitum nulla ad vescendum re parata oportuit. Alphonso autem cum Io. Esernitanus panem cum raphano & paruo caseo Balearico in tali casu munus ingens misisset, laudato Ioannis animo, munus accipere recusauit, dicens: Parum conuenire vt ieiuno exercitu, rex vlla re vesceretur. Panorm. lib. 3.

ABSTINENTIA A VINO RELIGIOSA ET PIA, *siue Christiana.*

Abstinent à vino alij natura, quos propriè abstemios vocant, de quibus sub loco Corporis bonorum & malorum agemus: alij ex virtute, de quibus hunc titulum intelligi volumus. Priore autem loco religiosa exempla tractabimus, quorum non pauca ex tit. Abstinentia ciborum, mutuari poterunt.

AARONI & reliquis sacerdotalis ordinis viris in Leuitici decimonono præcipitur: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis tabernaculum testimonij, ne moriamini: vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatísque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus sum ad eos per manũ Moysi. Idem in Ezechiele quinto & quadragesimo capite repetitur his verbis: Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. Præcipuè ergo sobrios esse oportet ecclesiæ ministros, quorum vita documentum aliorum est. Marul. lib. 4. cap. 2.

In libro Numerorum cap. 6. Nazaræis & sanctificatis Domino præceptum est, vt à vino & ab omni quod inebriare potest abstineãt: nec quicquam quod ab vua expressum est, bibant: vuas præterea neque recentes neque siccas gustent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrati fuerint. Idem.

SALOMON sapientia plenus, sapiẽtiorem se fore putauit, si abstemius viueret. Cogitaui, inquit, in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitarémque stultitiam, donec viderem quid esset vtile filiis hominum. Impedit ergo sapientiam, & nutrit stulticiam, nec quid in vita vtile sit, satis peruidere sinit

quantulufcunque fortaffe vini hauftus.Nam fi etiam modicus non noceret, haud ita penitùs ab eo fe abftrahere Salomon cogitaffet.Idem.

RECHABITÆ patris præceptis obfequentes, fcyphos & calices vino plenos,cùm fibi propinarentur,refpuerunt. &c, Non bibemus vinũ, inquiunt,quia Ionadab filius Rechab pater nofter præcepit nobis, dicens:Non bibetis vinum vos & filij veftri vfq; in fempiternum. Quamobrem merentur à Domino audire,Non deficiet vir de ftirpe Ionadab filij Rechab,ftans in confpectu meo cunctis diebus.Marul.lib.4.cap.2.ex Ierem.35.

MINISTRIS templi vinum prohibitum in Canonicis decretis eft, diftinctione tricefima quinta:ne ebrietate grauentur corda eorum,vt vigeat perpetuò fenfus & intellectus,néue venter mero æftuans,facilè defpumat in libidines.Cælius Rhodig.lib.28.cap.31.

DOMINICVS Hifpanus humi iacebat,annis decem abftinuit vino. Rauif.

RELIGIOSA ETHNICA.

Exempla pete ex tit. Abftinentiæ religiofæ à cibo.

MAHVMEDES Turcarum legiflator,fuis omnem vini potum interdixit,vt hac ratione illorum ingenia quodammodo eneruaret, ne legis fuæ nugacitatem cognofcere poffent.

ABSTINENTIA VINI ETHICA. QVI A VINO VEL

alio potu voluntate abftinent.

AGAR ancilla cum Ifmaele filio eiecta,panem tantùm & vtrem aqua plenum fecum in folitudinem defert.Confumpta deinde aqua, puer & ipfa fiti vexati,fonte angeli pietate oftenfo refocillatur. Abraham diues erat, & inuitus illam emittebat:in angelo diuina virtus omnia poterat: fed & ille ægrè dimittens,& hic multum miferans,aquam folam ad potũ conceffiffe ei fcribuntur:vt hinc facilè conijci poffit,iam tum mulieribus nefas fuiffe vinum bibere.Marul.lib.4.cap.2.

ANNA Helcanæ vxor,mater vinum & quod inebriare poteft nunquã fe bibiffe dixit.Quòd fi coniugalis pudicitia minus tutam fe putauit, fi vinum guftaffet: quomodo virginalis aut vidualis caftitas eodem guftu corrumpi non formidaret,cùm hæc illa tenerior fit,difficiliufque feruetur?Idem.

VETERVM memoria pueri puellæq;, donec ad coniugium accederent,aquam bibebant.Heraclides in Polit.

SALEVCI Locrenfis cùm aliæ multæ leges extant, tum illa non in poftremis habenda: Si quis Locrenfium Epizephyriorum ægrotans vinum intemperatum bibiffet,nifi iubente medico, etiamfi ad priftinã valetudinem rediiffet,mortis ei fupplicium erat conftitutum, quoniã non iuffus biberat.Ælian.de Var.hift.& Alex.lib.3.cap.11.

PERSÆ,licet natalem diem feftum fummo femper ftudio conuiuiis celebrarint,filiis tamen indulgentiffimi etiam parentes vinum prohibebant.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

CARTHAGINENSES toto imperij tempore magiftratibus fuis vinum interdicebant:abftemios enim& frugales principes reipu.prodeffe, temulentos autem & luxuriofos maximè obeffe putabant.Alexan. ab Alexan.lib.4.cap.6.

CRETENSES, LACEDÆMONII & CARTHAGINENSES militibus,ne efferos militia animos infolentiæ affuefcerent, in omni militia vini potum interdixère.Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

INDI adeò abftemij fuère,vt nifi facrorum caufa vinum bibere nulli fas foret.Si temulentum regem mulier occidiffet, hoc donabatur munere,vt fucceffori nuberet.Idem.

APVD Troglodytas reges mulfum bibunt,priuilegio honoris: vulgus verò abftemium eft,& aquam potat cum paliuro.Idem.

MESSALOTICA lex fuit,vt mulieribus non liceret vinum bibere. Quæ lex, vt Theophraftus affirmat,apud Milefios locum habuit, & Iadas.Ælian.lib.2.de Var.hift.& Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

Apud ROMANOS vinum ante annum trigefimum bibere,viris quoque criminofum fuit:feruo verò interdictum penitus,nifi facrorum caufa, & folennibus feftifq; diebus.Alex.ibidem.

ROMANIS mulieribus vini vfus olim ignotus ex inftituto erat, ne in aliquod dedecus prolaberentur, cùm proximus à Libero patre intẽperantiæ gradus ad inconceffam Venerem effe confueuerit.Plin.lib. 14. ca.13.Gell.libro decimo,capite vigefimotertio.Macrob. libro fecundo. Val.Max.libro fecundo,capite primo. Alexan. ab Alexan. libro quarto, capite octauo:& libro tertio,cap.11.propterea M. Cato propinquos fœminis ofculum dare iubebat,vt fciret an temetum olerent.Dicebat autem ebrietatem nil aliud effe quàm voluntariam infaniam. Guido.

PLATO magiftratibus,donec in honore effent,vinum prohibuit. Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

DEMOSTHENES orator infignis graui fupercilio, fobrius & aquã potans,à Philoftrati fophiftis (qui eum Æfchini bene poto opponunt) defcribitur.Volat.lib.13.cap.3.Anthropologiæ recitat.

ANDROCYDES,cum Alexandrum plus æquo vino deditum intelligeret,eius intemperantiam his verbis cohibebat: Vinum potatus rex, memento te bibere terræ fanguinem. Nam ficut venenum eft homini cicuta,fic & vinum.Rauif.de Gulof.

Aftyages cum rogaffet Cyrum regem, quamobrem vinũ non forbuiffet? Quòd metueram (inquit)mediusfidius,*ne in cratere mixta venena forent*.Etenim quum tu in nataliciis amicum adhibuifti,perfpicuè didici eum vobis venena infudiffe.Et quo pacto,inquit ille,ô fili hoc dignouifti?Quòd videbam vos,refpondit,neq; corporis effe, neq; mentis compotes.Brufon.lib.1.ca.19.Xenophon in Pædia.

ANCHIMOLVS & MOSCHVS,fophiftæ Elienfes,tota vita hydropotę fuerunt,folifque ficis defiderio ventris fatisfecerunt.Rauif.

C. IVLIVM Cæfarem vini parciffimũ fuiffe,nec inimici negauerunt. Vnde dicebat M.Cato, Vnum ex omnibus Cæfarem ad euertendam rẽpub.fobrium acceffiffe.Fuit & circa victum adeò facilis, vt quondam ab hofpite conditum oleum pro virili appofitum, afpernantibus cæteris, folus largius acceperit,ne hofpitem aut negligentiæ, aut rufticitatis videretur arguere.Idem.

APOLLONIVS Tyanæus apud Philoftratum docet,fe femper aquam bibiffe,neglecto vino:refertque potores aquæ fomnum leuem capere, neque vertigines vllas pati,quibus afficiuntur vinolẽti. Anima præterea, dicebat,à vino pura,facilius confpicit per fomnia vaticinationem.Guido Bitur.

PESCENNIVS Niger,cùm bellica virtute ad imperium euectus effet,exercitui fuo vinũm adferri nequaquam permifit.Quamobrem militibus,quibus Ægypti finium cura demandata erat,cùm vinũ pofcerent: refpondit,debere eis amnis Nili aquam fufficere.Fulgof.lib.2.capite de Militari difciplina.

[illegible]

Fridericus imperator ftudiofiffimus temperantiæ ac fobrietatis cultor fuiffe dicitur:qui cum audiffet, LEONORAM vxorem (quæ paterna in domo nunquam vinum guftauerat)facilè filios parituram,fi in Germania, tam frigida regione,vinum biberet:dixiffe fertur,malle fe fterilem vxorem habere,quàm vinofam. Nõ ignorauit autem imperator fortiffimus, quàm multa vinolentiam mala comitẽtur:& tum præfertim, cum fœmineum genus nimio vino obruitur.Æneas Syluius lib.2.Commentariorũ de reb.geft.Alphonfi.

ALPHONSVS Aragonum & Siciliç rex,cùm interrogaretur,cur vini expers viueret,aut vino dilutiffimo contentus fitim expleret,contra omnium regum & aulicorum morem?refpondit, Vino fapientiam obfcurari:ideoque nõ decere regem,vt hoc immodica compotatione in animo extinguat,fine quo imperatoris ac regis nomen ritè tueri nõ poffit. Antonius Panormita lib.2.de reb.geftis Alphonfi.

IDEM interrogatus,quid fibi vellet quòd vinum aqua dilueret: Ne ebrius fiam,refpondit:non enim ignoro, quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum regis gloriæ obfuerit.Idem.

IDEM ab amico etiam percontatus, cur adeò ebrietatis vitium damnaret?Ideo inquit,quia furorem & libidinem ebrietatis filios effe, haud ignoro.Ibidem.

QVI A VINO VEL ALIO QVOVIS

potu neceffitate abftinent,ne quid turpe,feque indignum committant. sitim tolerare.

Vide tit. Sitis memorabilis.

Cùm Palæftini DAVIDEM Iudæorũ regem obfiderent,ifque orandi gratia in arcem confcendiffet,hoftilem exercitum intuitus, ex re vna in aliam(vt humani ingenij moris eft)cogitando tranfiens,aquis Bethlẽ, quòd propè portam erant multum laudatis, eas defiderare vifus eft. Quod cùm Eleazarus, Iefebes & Semeia,viri fortes audacefque intellexiffent,per medios profecti hoftes,eius aquæ vafculum non fine ingenti periculo attulerunt.Dauid autem,quanquam multum eam defideraffet, quia magno periculo allatam fciebat,& propterea humani fanguinis inftar eam haberet,potu abftinuit: Deoq; eam pro trium falute,qui ipfam tulerant,obtulit.Fulgof.li.4.ca.3.

ALEXANDER,cùm Darium Perfarum regem prælio victum perfequeretur,grauiter fiti vexatus,incidit in quofdam è fuis,iumenta aquis onufta agentes: è quibus vnus fitienti in galea aquam cùm porrexiffet, Alexander priufquam guftaret,petiit quónam eam ferrent? & refpondẽte eo,Ad filios fe ferre,qui etiamfi morerentur, diu fuperuiuente Alexandro,copia liberorum ei defutura non effet:Alexander cum iam manu teneret galeam vt biberet,dixit: Nolle fe bibẽdo aliorum augere fitim, & aquam illi à quo acceperat reftituit.Expertus fitim folis ardore, atque animi corporifque labore partam, facilè huius abftinentiæ magnitudinem intelliget. Quod fecus in ocio affuetis eft,qui cùm orientem folem nunquam fobrij viderint,femperq; eis vino ftomachus naufeet,abftinentiæ vires nullas fentire poffunt.Idem.

CATO Iunior, cùm per Libyæ feruidas harenas iter faceret, & propter folis ardores laboremque totus exercitus fiti grauiter laboraret, porrecta

ei galea aquæ plena à milite, quam folam vix inuenerat, vt tolerantiam fuam oftenderet,neque fitientibus aliis folus fitim expleret:in exercitus confpectu aquam à galea in terram effudit,vt qui potu ora militum explere non poterat,oculis atq; exemplo fuo expleret: idq; affecutus eft,vt aqua quæ haufta vix vnius,idq; fortaffe ægrè fitim fedaffet, ea fparfa,fitim facilius omnes perferrent.Idem.

RODOLPHVS Romanorum imperator, cùm Auftriam deficientibus ex genere ducum virilis fexus hæredibus, ad imperium deuolutam affereret,& in bello contra Ottocarum Bohemiæ regem fiti laboraret exercitus,ferunt agrefti, qui mefforibus potum ferret, ablatam hydriam ficera plenam,atque imperatori oblatam. Quam cùm ille vidiffet:Reddite inquit:nam ego exercitui nõ mihi fitiebam. Hac fitis tolerantia fitibundum exercitum refocillauit. Æneas Syluius libro tertio Commentariorum de geftis Alphonfi.

FRVGALITAS IN VICTV, TAM RELIGIOSA quàm Ethica.

Exempla plurima ex fuperioribus titulis Abftinentiæ peti poffunt. Illic enim abftinentia à certis quibufdam cibis obferuatur: hic verò eiufdem cibi frugalitas & tenuitas. Præterea quoque fub titu. Inftitutionis liberorum fub parentibus, & Victus variarum gentium, exempla aliquot huic loco opportuna reperientur. Interim tamen illud meminerimus, Frugalitatem eam nos intelligere, quæ præfentibus alimentis contenta lautiora non expetit, antiquorum mores imitata: qui cùm frugibus folis vefcerentur & delectarentur, virtuti huic nomen frugalitatis impofuiffe videntur, quam à parcendo alij Parfimoniam dixere. Sunt tamen qui Frugalitatem in alimentis, Parfimoniam in fumptibus faciendis moderationem effe ftatuunt.

Primi illi humani generis parentes ADAM & EVA,quandiu in paradifo fuère,arborum fructibus aliti funt.Eiecti quoque non nifi pomis,olere,frugibus vefcebantur,& aquæ frigidæ potu. Carnium verò & vini vfus ad diluuij vfque tempora dilatus eft,id eft,poft duo millia & ducẽtos quadragintaduos annos à mundo condito. Quòd fi tot feculis harũ rerum vfu carere potuit humanum genus,profectò fi cui nunc earũdem abftinentia nimis difficilis videatur,gulæ non rationi fauet.Marul. libro quarto cap.2.

ISRAELITICVS populus in deferto per annos 40 manna alitur, & aqua potatur.Carnium auiditas atque efus illis exitio fuit.Vnde in Pfalmo dicitur:Adhuc efca eorum erat in ore ipforum,& ira Dei afcendit fuper eos:occidit pingues eorum,& electos Ifrael impediuit. Vbi autẽ fepulti funt,fepulchra concupifcentiæ appellata:vt pofteros locus ipfe admoneat,non concupifcere illud,ob quod alij morte mulctati funt.Idem.

VXOR Hieroboami,regis Ifraelitarum, vadens ad Heliam prophetã Dei,nil aliud tulit quàm decem panes,& vas mellis.3.Reg.14.

HELIÆ tenuis victus fufficiebat,qui nil aliud petiit à vidua Sareptana,quàm paululum aquæ,& buccellam panis.3.Reg.17.

HELIAM pauerunt corui canibus bis in die.Sed angelus Domini oftendit ei panem & vas aquæ femel tantum.3.Reg.17.19.

HELISEVS propheta Dei altiffimi,viginti panibus hordeaceis centum pauit homines,vt eo miraculo inuitaret omnes ad frugalitatem victus.4.Reg.4.

RVTH Moabitis in agro Booz,cùm fpicas deciduas legeret, benignè ab ipfo accepta,panem tantum iubetur comedere,& buccellam intingere in aceto:& cùm fitiret,eafdem aquas potare quas potabant meffores. Quod illa quidem pro magno munere habens,gratias egit,comeditque & bibit.At ipfe,quam victu tam parco tamque fimplici delectari vidit,dignam cenfuit vt fibi acciperet vxorem,& ex ea filios procrearet:non dubitans de pudicitia illius,cuius fobrietatem fuerat expertus.Marul.lib.4. cap.2.ex.2.3.& 4.cap.Ruth.

IVDITH,cùm ad illud grande facinus,quod mente agitauerat,perficiendum properaret,Abræ fuæ afcopam vini,vas olei,polẽtam,lapathia, panes & cafeum impofuit:& profecta eft, vt inftitutum abfolueret. Iudith.10.

Mittens DOMINVS difcipulos ad prædicandum,dixit: In quamcũque domum intraueritis,edentes & bibentes quæ apud illos funt. Hoc eft,vt effent contenti cibariis quæ haberent,non fumptuofa alia quærerent.Luc.10.

SALVATOR nofter ad epulas iuit nuptiarum,conuiuiis interfuit publicanorum:vorator,potator vini,& peccatorum amicus à pharifæis appellatus eft.Non vt fe pafceret,hoc egit,fed vt aliis prodeffet. Medicus ad curandos ægrotos acceffit,non ad inuitatores conuiua: quippe qui vt modeftiam victus doceret,quadraginta diebus nihil guftauit, efurientes & fitientes beatos dixit:à muliere Samaritana potum aquæ petiit, difcipulis vt manducaret hortantibus:Cibus meus eft,refpondit, vt faciã voluntatem patris.Quòd autem corpus fuum & fanguinem fub fpecie panis & vini fumendum obtulit,facramentum id cibi fpiritalis eft,quo animus pafcitur,non corpus.Nam poft refurrectionem quoq;, vt veritatem refufcitati corporis approbaret,cum difcipulis comedit,nõ carnem: nec tamen quicquam aliud præter panem,pifcem,fauum.Marul.lib.4.cap.2.

Chrifti præcurfor IOANNES Baptifta,Spiritu fancto repletus antè quàm natus,locuftis in deferto & fylueftri melle pafcitur. Ob quam victus auſteritatem à pharifæis dæmonium habere dicitur:à Domino neq; comẽdens neque bibens appellatur, non quod nihil omnino fumeret: fed quòd iis dumtaxat fuftentaretur, quæ alij vt infipida viliaque defpiciebant.Idem.

APOSTOLI fpicas fegetum manibus confricant, & hoc tam fimplici cibo efuriem quomodo poffunt leuant.Cumque numero 12 effent,nihil aliud quàm quinque panes hordeaceos, duofq; pifces habuerunt in deferto,quando Dominus turbam quinq; milliũ pauit.Iterum nihil omnino præter quã feptẽ panes & paucolos pifciculos, quãdo quatuor millia virorum fatiata funt.Rurfum transfretantes obliti funt panes fecũ ferre, vfqueadeò cibariorum curam non habebant,dum eius, quẽ relictis omnibus fecuti fuerant,dulcedine fatiantur:& tamen quòd non ieiunarent, adhuc excufabantur,quia fpõfus cùm eis erat. Quanto ergo continẽtius atq; tenuius eos victitaffe cenfebimus, poftquam ablato refponfo,hoc eft crucifixo Domino,nuptiarũ gaudium verfum eft in perfecutionis luctũ, & iã terrena omnia minus placere cœperunt defiderãtibus cœleftia?Idẽ.

Ante fruges cognitas, GENTIBVS plurimis glandes fuère frumenti loco.Sicut pyra Argæis & Tirynthiis,ficus Athenienfibus: quibus Cares adeò abundant,vt illis enutriant pecora,millium Mæoticis & locumetra, Medis amygdalæ,Ichthyophagis pifces, Æthiopibus locuftæ & arundinum fructus,Getulis ferina caro & pabulum pro pulmentario,Chelonophagis teftudines, cardamum Perfis, palmulæ Carmanis & Babyloniis, Ægyptiis lotus,Indis califtę femen.Alex.lib.3.cap.11.

VACHORIS Ægypti rex,vt ab omni luxuria & mollicie fe alienum oftenderet effe,fimpliciffimo victu contentus,relictis omnibus fuis diuitiis humi iacere ac dormire folebat.Rauif.de Temp.

PERSARVM milites tanta abftinentia viuere dicuntur, vt pane & aqua contenti fint.Alexan.ab Alex.lib.3.capite vndecimo.

LACEDÆMONII feruos in conuiuia introducebant ebrios, vt fic filios ex feruorum turpitudine confpecta,fobrios effe docerent. Plutarc.

LYCVRGVS quærens omnia quæ ad mores Laconum pertinerent: primus ex Creta,vel(vt alij volunt)ex Ionia,Homeri poëfin in Græciam attulit,cuius exemplo tum multa tum conuiuia quæ illi Phiditias cœnas vocant,inftituit, non diffluentes varietate & luxu, fed moderatione & mediocritate conditas,victum cultumque corporis non ad voluptatem, fed ad valetudinem & vires referendum effe indicans. Platina libro 1. de Optimo ciue,prope finem & Alex.ab Alex.lib 5.cap.21.Cuibus fuis tantum cibi conceffit,vt nec crapula vnquam grauarentur, & indigentiam ferre difcerent:eos tum qui fic affuefacti effent, abfque vllo cibo labores perpeti,plus temporis abftinere poffe,paruiore obfonio egere, & facilius omnem efcam admittere cenfebat.Quin etiam ad fanitatem, & ftaturę proceritatem plus parfimoniam conducere,quàm crapulam.Xenophon in Laconum Repub.& Stobæus fermone 42.

Quoniam apud LACEDÆMONIOS in fummo precio erat ius,quod illi nigrum appellant,adeò vt feniores hoc contenti, non defiderarent carnes,fed eas iuuenibus cederent: DIONYSIVS Siciliæ tyrannus dicitur huius gratia coquum emiffe Laconicum,eiq; mandaffe, vt fibi hoc ius appararet, nullis parcens impendiis. Quod vbi rex guftaffet, ac difplicuiffet, expuit. Tum coquus: Hoc (inquit) ius ô rex fumendum eft, pofteaquam te Laconum more exercueris, & in Eurota laueris. Feftiuius hoc narratur à Mar.Tullio Tufcu.quæft.libro quinto: in hoc variante à Plutarcho, quòd fcribit illum Spartæ in Phiditiis cœnauiffe, & à cœna negaffe fibi nigrum illud ius, quod cœnæ caput erat, placuiffe: tum qui illud coxerat, refpondiffe: Minimè mirum fi difplicuiffet,condimenta enim deeffe:ac Dionyfio rogante, Quæ tandem illa? Labor (inquit) in venatu, fudor curfus ab Eurota, fames, fitis: his enim rebus Lacedæmoniorum epulas condiri. Plutarchus in Laconic.

LACON quidam ingreffus diuerforium,cauponi dedit obfonium, vt appararet:quum ille pofceret cafeum & oleum:Quid, inquit Lacon, fi cafeum haberem,iam non egerem obfonio. Caupo cafeum & oleum petebat ad condiendum pifcem. at Lacon id videns, cui fufficiebat victus fimplicitas, fuperuacuum exiftimabat, cibum cibo mifcere, quum alter per fe fatis effe poffet. Quantum abfunt ab huius Laconis animo,qui centum rerum fpecies in vnum mifcent difcum? Plutarchus in Lacon.

ALIVS quidam quum duas amygdalas duras duplo vendi confpiceret:Sunt ne hic,inquit,rari lapides?Quafi nihil intereffet inter filicem & duram amygdalam.Adeò Lacon deliciarum erat rudis, vt nefciret, fub gemino cortice latère nucleum.Et apparet hoc genus arboris non quibuflibet regionibus fuiffe notum,quando Plinius dubitat, an ætate Catonis fuerit in Italia.Plutarch.in Lacon.

EPAMINONDAS Thebanus erat obœfis & corpulentis adeò infeftus,vt quendam aqualiculo portentofo fummouerit ab exercitu, quòd ad tegendum eius ventrem vix clypei tres fufficerẽt. Ipfe verò victu fuit adeò parco & tenui,vt à vicino ad cœnam inuitatus, quum dapfilem & affluentem deliciis menfam repperiffet,iratus receſſerit, dicens: Ego te

opinabar rei diuinæ operam dare, non de contumelia cogitare. Rauiſ.

IDEM, cùm feſtum diem Thebana vrbs ageret, & omnes crapulę ſtuderent, occurrit familiari cuidam ſobrius atque mentis compos. Illo admirante, quid ita ſolus ambularet? Quò liceat (inquit) omnibus vobis ebrietati deſidiæque vacare. Plutar.

PAVSANIAS, cùm deuicto Mardonio ad Platæas, vidiſſet hominum in conuiuiis luxum: omni apparatu ferculorum neglecto, modica menſa, Laconicam cœnam ſumpſiſſe dicitur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

ALEXANDER Macedo cibi parciſſimus fuit. Prandij condimentum, nocturnum iter appellare ſolebat: cœnæ, parſimoniam. Volat. in eius vita lib. 13. cap. 3. Anthrop. & Alex. lib. 1. cap. 12.

ARISTIPPVS licet tyrãnidem occupaſſet, cibo tamen vili excluſus ſtipatoribus cœnauit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

ANTIGONVS parco & vulgari cibo contentus, cum ſuis frugaliter ſemper vixit. Ibidem.

SOCRATES, cùm ab amico admoneretur, quòd excepturus hoſpites, tenuem admodum feciſſet apparatum? Si boni ſunt, inquit, ſatis erit: ſi mali, plus ſatis. Laert. in eius vita.

IDEM frugalitate & temperãtia ſua effecit, vt cùm Athenas peſtis ſæpenumero vaſtaret, ſolus ipſe nunquam ægrotarit Laert. lib. 2.

TIMOTHEVS Cononis filius, dux Athenienſium, omiſſis opiparis cœnis, & epulationibus imperatoriis, aſſumptus à Platone ad conuiuium Academicum, & frugali muſicáque cœna exceptus, reuerſus ad ſuos dixit: Qui cum Platone cœnant, etiam poſtero die bene habent. Exinde Timotheus vituperauit cœnas ſplẽdidas & oneroſas, quæ omne ſequẽtis diei gaudium & hilaritatem præſcinderent atque præriperent. Etiam ille ſermo prædicto affinis, & ſenſum eundem præ ſe ferens, verbis autem diuerſus, circumfertur, quòd poſtridie Timotheus conueniens Platonem dixerit: Vos, ô Plato, melius cœnatis ſequenti die, quàm præſenti. Ælian. de Var. hiſt. lib. 2. & Platina lib. 2. de Opt. ciue.

PERICLES Athenienſis à cœnarum & conuiuiorum apparatibus adeò abhorrebat, vt nec apud amicos cœnaret. Rauiſ.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, tam abſtinens cibi fuit, vt etiã ipſa Abſtinẽtia vocatus ſit. Suidas apud Volat. li. 13. ca. 4. Anthrop.

EPICVRVS ſummus voluptatis aſſertor, victu frugali & modeſto contentus, aqua & polenta, aut pane ordeaceo victum quæſiuit, contráque paupertatem inuictum animum geſſit: non quòd voluptates auerſaretur, ſed quòd in tenui victu ſe plus voluptatis experiri aiebat. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. & Volat. lib. 15. Anthrop.

ERVLVS poeta Cyprius, bene ſentientibus tria tantum propinari pocula putauit, Sanitati primum, Amori alterum, tertium Somno: quartum vtique non noſtrum, ſed iniuriæ: vltimum verò ἐρμῆν appellari voluit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

ANACHARSIS Scytha, philoſophus, nũ in Scythia tibiæ eſſent rogatus: Ne vites quidem, reſpondit. Ebrietatis comes eſt ruſtica muſica. Itaque non dubitauit grauiſſimus vir, remotione cauſæ, etiam effectum tollere. Sobrij ergo ſunt Scythæ, & propterea omnibus illecebris carẽt. Quamuis alij Scythas vino peregrino affatim indulgere teſtentur. Eraſmus lib. 7. Apoph.

IDEM primum craterem ad ſitim pertinere dixit, ſecundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad inſaniam. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. Apud Ciceronem lib. 5. Tuſcul. quæſt. ſuam abſtinentiam ipſe oſtendit, cum ait, Mihi pulmentum fames, cubile ſolum, veſtis Scytharum tegmen eſt. Rauiſ.

TELEMACHVS Acarnanenſis victitabat fabis. Rauiſ.

DIOGENES nunquam pendebat de craſtino, ſed in præſentem modò horam ſibi corrogabat cibum. Rauiſ.

Fuit illa ſimplicitas antiquorum Romanorum in cibo capiendo humanitatis ſimul & continentiæ certiſſima index. Maximis enim viris prandere & cœnare in propatulo verecundiæ non erat, nec ſanè vllas epulas habebant quas populi oculis ſubiicere erubeſcerent. erant enim adeò paucis contenti, vt frequentior apud eos pultis vſus quàm panis eſſet. Ideóque in ſacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre & ſale conſtat: extra farre ſparguntur: & pullis, quibus auſpicia petuntur, puls obiicitur: primitùs enim ex libamentis victus ſui, deos eo efficacius, quo ſimplicius, placabant. Val. Max. lib. 2. cap. de Inſt. antiq. Plin. 18. capite 8. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 1.

Apud Eoſdem, carnis aridæ, aut lardi pondo tria, & ſalſamentorum libram quotidianis ferculis apponere criminoſum erat. Si quis verò vltra apponeret, lege plectebatur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

Apud Eoſdem in ſecundis menſis poma & mel, ſicut ad principia conuiuij multiformes nuces dare aſſueuerũt. Item ſemen candidi papaueris cum melle & lactuca. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

ROMVLVS (vt recitat Lucius Piſo, qui Romuli regis vitam ſcripſit, in primo Annali) cùm in cœnam fuiſſet vocatus, pauxillum bibit, quia poſtridiè negocium haberet. Dicente quodam, Romule, ſi iſtud omnes faciant, vinum erit vilius? reſpondit: Imò verò carius, ſi quãtum quiſque volet bibat. nam ego bibi quantum volui. Hic, vt author eſt Halicarnaſſeus, legem tulit, vt temulentæ mulieres, & qui ſumpti meri debaccharentur inſania, morte plecterentur. Viuebant etenim ea tempeſtate mulieres abſtemiæ, abſtemiíque viri. Gell. lib. 11. capite 14. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

IDEM, cùm vini parciſſimus in conuiuio quodam vrbanè increpitus eſſet, quòd parcius quàm cæteri potaret: Ego, inquit, quantum volui bibi, non quantum potui. Sab. lib. 4. cap. 10.

L. PAPYRIVS imperator aduerſus Samnites dimicaturus, victori Ioui pocillum mulſi pro re magna votum feciſſe dicitur. Bibebant enim murinum aut paſſum, ſapam aut defrutum, aliáque eius generis potu dulcia. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

T. SEMPRONIVS Gracchus Rom. conſul, vir parciſſimus atque abſtinẽtiſſimus, vt qui cibario pane viliſque menſa vteretur, ac cum operariis ſæpe veſceretur, & in exercitu aquam potare ſit ſolitus, & per ardores æſtiuos aliquantulo permixtum aceto, paucis comitibus & toga villi ambulare viſus ſit. Volaterranus libro decimoquarto capite ſecundo. Anthrop.

P. SCIPIO omnes meretrices è caſtris eiecit, iubens eas in vrbẽ conuiuiis deditam recẽdere. Imperauit etiam, vt nouæ menſæ, ſcyphi, omniáque vaſa præter ollam, veru, & poculum fictile exportarentur. Ex argenteis poculis vti non amplius duarum librarum permiſit, ſi quis habere vellet. Balneis vti vetuit. Qui vngerentur, iuſſit vt ipſi ſeſe fricarent. nam iumenta fricantibus indigere. Pranderent autem expers ignis obſonium. In cœna etiam carnem ſeu coctam, ſeu aſſatam ederent. Veſtimento vterentur, ſago Gallico: & primus ipſe ſago pullo amictus, duces in ſtratis recumbentes circumiens inſpexit, dicẽs ſe deplorare exercitus luxuriam & molliciem. Polyæn. lib. 8.

C. FABRICIVS Lucinus imperator: poſt pacem cum Samnitibus factam, cùm grandem pecuniam ſibi offerri videret ad ſplẽdorem domus victúmq; neceſſariam, planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares ad os & gulam, deinde porrò ad ventrem imum deduxiſſe, & legatis aurum offerentibus ita reſpondiſſe fertur: Dum illis omnibus membris quæ attigiſſet, obſiſtere & imperare poſſet, nũquam quicquam defuturum: neque ſe pecuniam eam, quæ ſibi vſui non eſſet, ab iis accipere, qui ea maximè opus haberent. Iulius Hyginus li. 6. de vita illuſtrium virorum, Gell. lib. 1. cap. 14. & lib. 4. cap. 8. & lib. 3. cap. 8. Plut. in vita Pyrrhi. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Front. lib. 4. cap. 3.

MASINISSA rex Numidarum iam nonagenarius, ſemel tantum interdiu veſcebatur, ſine pulmento. Rauiſ.

MITHRIDATES rex Ponti iam ſenex, cibum capturus non accũbebat, verùm ſtans veſcebatur. Idem.

IBERORVM mulieres laborioſiſſimam vitam agentes, in primis tẽperantia excellunt alias gentes. Nam certæ mẽſuræ habent zonam, qua ſi venter alicuius cingi nequeat, turpe apud omnes videtur. Ex Nicolao de moribus gentium, recitat Stobæus ſer. 3.

HANNIBAL Pœnorum dux bellicoſiſſimus, nunquam plus ſextario vini hauſiſſe legitur, apud Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

SCIPIO Æmylianus ſi quando cum amicis in itinere ambularet, pane tantùm veſcebatur, cùm cæteri lautiſſimè epularentur. Frontinus lib. 4. cap. 3.

Auguſtus maiore comitate quam ſumptu conuiuia exercuit. Nam & tacentes prouocauit, & triuiales ludos interpoſuit è circo, frequentiſſimè etiam aretalogos. Pontanus cap. 1. de Conuiuiis. Breuiſſimi fuit cibi. Ad medias inter ſu epulas ſatiatis iam conuictoribus accedebat, primúſque ſurgebat menſa Rauiſ. Et licet vino delectaretur, in conuiuio tamen ſenos ſextantes non exceſſit. Alex. ab Alex. lib. 5 cap. 21. Eum ter tantùm in cœna bibere ſolitum, Cornelius Nepos tradit. Populi quoque Romani voluptates repreſſit. Conquerentem enim populum de inopia & vini caritate, ſeueriſſima coercuit voce: Satis prouiſum, inquiens, à genero ſuo Agrippa productis pluribus aquis ne ſitirent homines. Suetonius.

Auguſtus nulli ferè ad cõuiuium vocanti negare ſolitus eſt. Excepto igitur à Quodam cœna perparca, ac penè quotidiana, quum à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantum inſuſurrauit: Nõ putabam me tibi tam familiarem. Alius tam ieiunum apparatum, contumeliam fuiſſet interpretatus: ille etiam pudori conſuluit inuitatoris, familiaritati tribuens, idque in aurem, ne cæteri putarẽt exprobratam parſimoniam. Quid hac comitate amabilius in tanto monarcha, qualem nunc vix triginta reges æquent? Bruſ. lib. 2. cap. 2. & Macrob. lib. 2. cap. 4. Sat.

TITI Veſpaſiani filij conuiuia non profuſa, ſed iocunditatis plena ſemper fuêre. Quo ſapientiſſimus princeps docere voluit, ornari & exhilarati cœnam vultu potius placido, & ſermonibus familiaribus ac iucundis, quàm multo ciborum apparatu. Pont. cap. 1. de Continentia.

L. ANNEVS Seneca, Cordubenſis, Sotionis Stoici diſcipulus, & Lucani poetæ patruus, cibi fuit moderati, ac minimè exquiſiti, potúſque dilutiſſimi. Hieronymus in Epiſtolis.

TRAIANVS Imp. cùm omnem contemneret luxum, ipſo quoque in veſcendo frugaliſſimus fuit. Alex lib. 5. cap. 21.

CONSTANTIVM Imperatorem Marcellinus ſcribit nunquam guſtaſſe pomum, nũquam nares in publico exterſiſſe, nunquã ſpuiſſe. Idem ſuperatus à Perſis, fruſto panis à quadam vetula porrecto, inediam repulit. Marcellinus.

GREGORIVS Gemiſto, vir Græcus, & maximus Platonicus (vt qui defenſionem eius edidit) cibi tam temperans fuit, vt ſemel tantum per totam diem veſceretur. Volat. lib. 21. Anthrop.

BARTOLVS, vt intellectus acumen foueret, ad pondus dicitur comediſſe. Anno ætatis 46. obiit, cùm tot celebres ediderit lecturas: vt veriſimile ſit illum plus olei, quàm vini conſumpſiſſe. Fichardus in eius vita.

PYRRHINICVLVS Vaſco peregrè iter faciens, cum ad meritoriam tabernam veniſſet, & appoſita eſſet cœna omni ex parte olitoria, cum vino dilutiſſimo, omniáque adminiſtrarentur quàm parciſſimè, finita cœna iuſſit ad ſe vocari medicum, ad mercedem capiendam. Igitur caupo cum reſpondiſſet: Ecquid malum, in viculo maximè agreſti medicum requiris? Ibi ille: Nũ ô bone, teipſum ignoras? quo ſit igitur merces operæ ſuæ par, medici precium accipe, non cauponis. Senſit autem, frugalitatem ſobrietatémque optimam hominis eſſe medicinam. Adrianus Barlãdus.

VITIVM

VITIVM IN EXCESSV QVI NIMIVM VOluptatibus circa alimenta tribuunt.

VORACES, HELLVONES, GVLOSI.

Quàm fœda res ſit intemperantia, quàm homini grauis & calamitoſa, primorum PARENTVM infelix demonſtrat exitus, qui à lege aberrantes ſibi & omni poſteritati exitium peperêre. Iuſſi fuerant hi ab initio vitæ ligno abſtinere. Non potuit contumax animal, & pronũ in vetitum, aut certè noluit ab eo guſtu temperare. Mors proinde autoribus culpæ inde orta eſt: per eos clades attigit omne humanum genus: pauci deliquêre, ſed pœnam innumeri luerunt. Sabell. libro quarto capite 11. ex Geneſ. 3.

ESAV primogenituræ ius pro lentis edulio vendidit fratri ſuo Iacobo. Sed fortaſſis in illo fames plus potuit quàm luxus. Vtut ſit, voracitas certè illum à ſummo bono ad extrema impietatis mala præcipitauit. Geneſ. 25.

ISRAELITÆ ex Ægypto ductu Moſis egreſſi, quamuis præſentem numinis benignitatem experientia ipſa aſſequerentur: primùm tamen aquæ defectu, deinde cibi inopia contra Moſem & Dominũ ipſum murmurarunt. Aquas igitur de petra, cibum ex cœleſti manna deſuper pluẽte habuerunt. Exod. 15. 16 & 17.

IIDEM ollarum Ægypti memores, ſeruitutis obliti, carnes flagitare cœperunt, mannæ pertæſi. Hanc tamen illorum importunitatem miſericors Dominus æquo tulit animo: coturnices copioſas illis miſit. Illi verò carnis copia, carnis luxuriam ſtimulante, contra Dominum peccantes, in grauiſſima inciderunt mala. Num. 11.

PHILISTAEI epulabantur, & choreas ducebant: Sampſon verò, Domini implorato auxilio, vi diuulſis columnis, inimicos ſuos vltus eſt, & cum illis ſimul periit. Iudic. 16.

Nolebant filij HELI carnes coctas ab offerentibus accipere, ſed crudas, vt eas ſibi lautius præpararent. 1. Reg. 2.

Nouerat IOB multa in conuiuiis peccata. Idcircò poſtquam epulati fuerant filij eius, conſurgens diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis. Iob. 1.

In tentatione DOMINI legitur: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, &c. Matt. 4. Mar. 1. Luc. 4.

HERODES natalis ſui die cœnam fecit. Filia verò Herodiadis ſaltauit, & Herodi ſimul & conuiuis placuit. Hac occaſione decollatus eſt Ioannes Baptiſta, ad petitionem illius ſaltatricis. Matth. 14. Marc. 6.

BOEOTII Græcorum ſemper luxurioſiſſimi & voraciſſimi habiti ſunt. Quare ab Athenienſibus, fatui, rudes & pingues dicti ſunt, propter ἀδηφαγίαν: quippe cùm à conuiuiis crudi diſcederent diſtenti ſe rurſus ingurgitabant. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

THESSALIS inuſta eſt voracitatis nota, vt etiam PHARSALIS. Mneſimachus apud Cælium: Pharſalorum venit aliquis vt menſas voret ipſas. Rauiſ.

MYCONII liguritores fuerunt, & alienæ appetentes menſę. Hinc adagium, Myconius vicinus: in eum qui non vocatus ad conuiuium accedit. Idem.

TARENTINI molles & delicatuli fuêre, non minus in cibo quàm ſues aſſiduè grunnientes: de quibus illud Satyricum:

Atque coronatum & petulans madidúmque Tarentũ. Guido.

SICVLI conſueuerant præter antiquitatis morem bis in die epulis ſaginari. Templum quinetiam Saturitati dicauerant. Hinc Siculæ menſæ & Syracuſanæ deliciæ lautiſſimæ & luxurioſiſſimæ in prouerbium abierunt. Alex. ab Alexan. libro quinto, capite 21. Plato Siculas Dionyſij tyranni menſas admiratus eſt, quòd porcis magis quàm hominibus conuenirent.

ERYSICHTHON Theſſalus adeò gulæ deditus fuit, vt poëtarum fabulis occaſionem dederit, qui eum omnia deuoraſſe fingunt, adeò vt filiam Mneſtram proſtituerit, & ex eo quæſtu ſe ſuſtentarit. Ælian. lib. 1. Var. hiſto. eum Myrmidonis filium & propter voracitatem aſinum appellatum ſcribit.

ALCMAN poëta teſtatur ſe fuiſſe voraciſſimum. Ælian. libro primo Varia. hiſtor.

CTESIAM quendam infinitæ voracitatis fuiſſe, Anaxilas comicus teſtatur apud eundem.

MORYCHVS poëta tragicus gulæ & voluptati mirum in modũ deditus, notatur ab Ariſtophane. Volater. lib. 17. Anthrop.

MELANTHIVS ob gulam notatur. Erat enim cinædus, mollíque vita. Suidas.

HERCVLEM & VLYSSEM polyphagiæ & edacitatis nota famoſos fuiſſe, ſcribit Cælius. Hercules cum Leprea rege de gula contendit, vicitque, tauro toto paulatim deuorato. Rauiſius.

TIMOCREONTI Rhodio propter cibi & vini auiditatem epitaphiũ ſequens inditum eſt:

Multa bibens, tum multa vorans, malè plurima dicens
Multis, hic iaceo Timocreon Rhodius.

ARISTOXENVS Cyrenæus adeò gulæ ſtudioſus extitit, vt hortenſes lactucas veſpere mulſo irrigaret, quo luxurioſius creſcerent, & ſaporis eſſent delicatioris. Rauiſ.

HETEROGNATHVS ob voracitatem vtraque mandibula alternatim commandebat, à deux rebras, comme vn cheual d'vn commiſſaire, vt Galli loquuntur. Idem.

THEAGENES athleta taurum vorabat ſolus. Idem.

NISAEVS Syracuſarum tyrannus, cùm ab aruſpicibus didiciſſet, breui ſe periturum: quicquid ſuperfuit vitæ, comeſſationibus impendit, & ebrietati. Idem.

ASTYDAMAS Mileſius à Perſa Ariobarzane vocatus ad conuiuium, ſolus deuorauit, quicquid conuiuis omnibus fuerat preparatum. Idem.

PHAGO fuit quiſpiam adeò guloſus, vt adhibitus menſæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum vno die comederit, biberitque orcam vini. Flauius Vopiſcus.

HERACLIDES Pyctes infiniti propè cibi potuſque fuit capax. Nec parem reperit in bibendo. Alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, quoſdam ad cœnam: quibus omnibus ſine interſtitio ſufficiebat ſolus. Rauiſ.

AGLAIS filia Megaclis, tubicen optima, comam habebat appoſititiã, & criſtam in capite, vt teſtatur Poſidippus. Singulis cœnis comedebat duodecim minas carnium, & quatuor chœnices panum: bibebat cõgium vini. Ælianus.

GNOSIPPVS hac voracitatis infamia adeò laborauit, vt Atheniẽſes liberis ſuis interdixerint, ne cum eo veſcerentur. Rauiſius.

MILO Crotoniata carnium minas XX deglutiuit, & panis totidem. Vini choas perſiccauit tres. Idem in Olympia quadrimum ſolus abſumpſit taurum, quem per ſtadium retento anhelitu portauerat ſuis humeris. Idem.

CHOERILVS poëta, cùm 4. minas quotidie ab Archelao Macedonum rege acciperet, eas tamen obſonando abſumebat. Vide titu. Poëtarum.

ARCHESTRATVS Syracuſanus poëta, ventri gulæque deditiſſimus. Ibidem.

PHILOXENVS Ereſſius paraſitus, Leucadij filius, ob gulæ & ganeæ diſciplinam Philodipnos & Philichthyn appellatus, ab Ariſtotele Pachemerus dictus, & in 3. Ethicorum ὀψοφάγος, collum (quod etiam de Melãthio fertur) gruis ſibi dari optabat, vt guſtu diutiſſimè delectaretur. Mucũ quoque in paropſidibus cibariorum emungere ſolebat, vt reliqui conuiuæ ea auerſarentur, & ipſe ſolus abſumeret. Idem cùm cœnaret aliquando apud Dionyſium, & breuis illi trigla fuiſſet appoſita, illã ipſe ſibi auribus admouit, tanquam aliquid de Nereo marino Deo ſciſcitaturus, vel de Galatea. Tum hoc intuens Dionyſius, & ridens ait, Quid hoc ſibi vellet? Cui Piloxenus: De rebus marinis quum neſcio quid fortè reſcire cuperem, minor & iunior mea trigla ad tuam longè natu maiorem me relegabat. Delectatus ſalſo ioco Dionyſius, maiorem ei triglam appoſuit. Obiit tandem Syracuſis, cùm duorum cubitorum polypum totum pręter caput abſumpſiſſet. Gyraldus Dialogo 9. hiſtoriæ Poetarum.

IDEM, cùm olla coqueretur in caupona, tantiſper delectabatur, & ſeipſum odoris conuiuam præbebat: cùm verò magis magiſq; ei appetitus inſurgeret, neque iam deprauatę naturę frenum iniicere poſſet, iuſſit filium ollam cum cibis emere. Qui cum reſponderet, cauponem magno precio vendere: Hoc ſuauior, inquit, & iucũdior erit, quo maiori precio eam emero. Ælian. lib. 10. de Varia hiſto.

Zeno Cittieus philoſophus, QVODAM in conuiuio immoderatius vorante obſonia, neque quicquam aliis reliquum faciente, piſcem ingẽtem, qui apponebatur, è patina ſuſtulit, quaſi ſolus illum deuoraturus. Quum alter intuens Zenonem, ſignificaret ſe mirari impudentiã: Quid, inquit, putas cõuictoribus tuis accidere quotidie, ſi meam opſophagiam ferre non potes? Laert. lib. 7. cap. 1.

PRVSIAS rex Bithynię, popinas ſemper adamabat. Rauiſ.

MITHRIDATEM ferunt illis certa conſtituiſſe pręmia, qui plures cibos vẽtri deſtinaſſent, aut maiore ſe ingurgitaſſent vino, vt ſui ſimiles haberet. Idem omnes ſui temporis mortales hauſtu vini longè exceſſit. Idem.

CVRTIO equiti Romano, molli ac ſtomachoſo, ad menſam Cæſaris fortè macer turdus obuenerat (nihil autem importunius diuite delicato: mediocria cuncta faſtidit, dante animos gula) quæſiuit Curtius, Nunquid mittere liceret? Quid ni? inquit Cæſar. non expectauit ille amplius, protinuſque per feneſtram turdum miſit: propè dignus, qui pari proteruia iocandi poſt turdum mitteretur. Petrarcha.

CLODIVS Albinus Imperator in Gallia tantæ fuiſſe traditur gulæ, vt vno accubitu ſolitus ſit edere quingentas ficus paſſarias, quas Græci καλλιστρουθίας vocant, centum perſica campana, melones Oſtienſes decem, vuarum labicanarum pondo XX, ficedulas centum, ac oſtrea 400, & capones X. Volaterranus libro 14. capite ſecundo Anthrop. & Sab. lib. 10. cap. 10.

PVB. GALLONIVS homo fuit extremæ gulæ, in cupediis aſſiduè verſatus, vnde à Lælio gurges dictus eſt. Hunc præconem fuiſſe ſcribit Horatius. Cuius menſam accipẽſere magno infamem notat Lucilius his

verbis: Lælius præclarè & rectè ſophos, illéque verè. O Publi gurges Galloni, es homo miſer, inquit. Cœnaſti in vita nunquam bene, quum omnia in iſto Conſumis ſquilla, atque acipenſare cum decumano. Tertullianus Curij aleam, Apitij gulam, Gallonij ſumptum, & Antonij ebrietatem inceſſit. Rauiſ.

Q. HORTENSIVS orator, ſtudio gulæ primus omnium Romanorum pauonem appoſuit menſis. Idem.

DOMITIVM Afrum Euſebius prodit cibi præter modum accepti ſuperfluitate redundantem in cœna periiſſe. Idem.

VEDIVS Pollio ſeruos coniiciebat in piſcinas, vt piſces ipſi humano cruore paſti delicatiores eſſent. Idem.

SANCTRA nomen eſt guloſi, de quo Martial. lib. 7.

M. APITIVS nepotum omnium fuit altiſſimus gurges. Is cùm audiuiſſet grandes caricas naſci in Libya, nauigauit illuc. Quod demũ quum falſum deprehendiſſet, Libyam eiúſque inhabitatores diris imprecationibus deuouit. Hic omnium primus iudicauit linguam phœnicopterum eſſe optimi ſaporis. De Apitio Martial. libro ſecundo. Ipſe quoque ad cœnam gaudebat Apitius ire: Quũ cœnaret, erat triſtior ille, domi. Hic & congiaria principum, & ingens Capitolij vectigal commeſſationibus hauſit. Rauiſ.

CL. TYBERIVS Nero, propter nimiam vini auiditatem in caſtris pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur. Idem cum Pomponio Flacco & L. Piſone noctem continuúmque biduum epulando potandóque conſumpſit. Aſellio Sabino ſeſtertia ducẽta donauit pro dialogo, in quo Boleti & Ficedulę, & Oſtreę & Turdi certamen induxerat. Conuiuia celebrauit palàm, tanta populi frequentia, vt plerunque ſexcenti ſimul diſcumberẽt. Cibi & vini fuit appetentiſſimus. Sedens in tribunali quum olfeciſſet nidorem prandij, quod in proxima Martis æde parabatur à Saliis, deſerto foro commeauit ad Salios ipſos, & vnà diſcubuit. Nec vnquam à triclinio abſceſſit, niſi diſtentus & madens. Rauiſ. ex Sueton.

C. CALIGVLA maximam partem theſauri à Tiberio relicti cœnis & commeſſationibus cum leonibus & ſcortis deuorauit. Sueton.

NERONEM ferunt quandoque à meridie ad mediam noctem vſque epulas protrahere conſueſſe, ad inexplebilem ventris ingluuiem. Cœnitabat inter ſcortorum ambubaiarúmque miniſteria. Rauiſ.

GALBA erat cibi plurimi, quem hyberno tempore capiebat ante lucem. Inter cœnam congeſtas per manus reliquias circumferri iubet, ſpargíque ad pedes ſtantibus. Sueton.

VITELLIVS Imperator (vt author eſt Tranquillus) epulas quadrifariam diſpartiebat, in ientacula, prandia, cœnas, & comeſſationes. Is à primis vnguiculis fuit educatus inter Tiberij meretrices, natus ſolùm (vt inquit Plinius) ad vina perdenda. Fecit etiam, autore Suetonio, cœnam vnam, in qua (quod factu difficillimum putes) ſacrorum piſcium iecinora, faſianorum ac pauonum cerebella, linguas phœnicopteri, murenarum lactes, à Carpathio vſque freto Hiſpaniæ per nauarchos ac triremes petitarum commiſcuit. Is demùm non profundæ, ſed etiam intempeſtiuæ ſordidæque gulæ, cibos nondum è foco diſtractos mandebat: fumãtia quandoque obſonia, quandoque pridiana, quandoque (quod imperatorem maximè dedecet) ſemeſa deuorabat. Guido Bitur.

ÆLIVM Verum imperatorem omnium primùm excogitaſſe pentapharmacum præcipui ſaporis, ex ſumine, phaſiano, cruſtulo, aprugna, ſiue perna, teſtis eſt Spartianus.

PLAVTIANVS militum præfectus, qui Seuerum Romanorum imperatorem longè ſuperabat crudelitate & inſolentia, vomebat in conuiuiis, quòd nihil poſſet propter cibi viníque maximam copiam concoquere: pueríſque & puellis nõ ſine magno probro vtebatur, cùm tamen vetaret vxori ſuæ. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Seuero.

ANTONINVS Heliogabalus, cùm monſtroſis conuiuiis Vitellium & Apitium ſuperaret, ſæpe è linguis phœnicopterorum, cerebelliſque anſerum & pauonum ſibi cibum præparari voluit. Lampridius. Nũquam minus centum ſeſtertiis epulatus eſt.

BONOSVS Imperator, tantum mingebat quantum comedebat: is cùm ſuſpendio ſeſe enecaſſet, & quidã, quis eſſet, percontaretur: reſpondiſſe fertur alter qui vinolentiam eius nouerat, Non hominem eſſe ſuſpenſum, ſed amphoram. Author eſt Aurelius Sextus. Guido Bitur.

At MAXIMINVS imperator, qui Alexandro Mammeæ filio ſucceſſit, non magis corpulentus & validus, quàm edax & potulẽtus fuit, quippe qui quadraginta libras carnis vno die eſitabat (alij ſexaginta ſcribũt) potabátque vini amphoram, adeò vbertim ſudãte corpore, vt calice ſudor colligeretur, impleueritque vno die collectus ſudor treis ſextarios. Sab. lib. 10. cap. 10.

FIRMIVS Seleucius ſtruthiocamelum, quo nullum volucre eſt maius, vno die comedit. Huius ductu Ægyptus ab Aureliano principe defecit. Idem hippopotamos eſitauit: nãtauit impunè intercrocodilos, eius animalis adipe delibutus, Sab. lib. 10. cap. 10. ex Capitolino.

GALIENVM Auguſtum voluptatibus mirum in modum operã dediſſe, hoc tãtum dictum declarare poteſt. Nam cùm ei relatum eſſet, populum Romanũ indignè ferre, quòd Valerianus pater eius apud Parthos ſeruiret, conuerſus ad aſtantes: Ecquídnã habemus, inquit, quod prandeamus? O vocem principis abominandam, qui cibum potúmque patri præpoſuit. Pontan. in prologo de Conuiuentia.

BARBARIS gentibus hi tantùm viri dicebantur, quibus vorãdi plurima facultas eſſet. Id Ariſtophanes, inter comicos poetas ferè præcipui nominis, in fabula cui titulus ἀχαρνεῖς, teſtatur: & Cælius Rhodiginus libro 28. cap. 28.

CAMBLES rex Lydorũ, eò voracitatis euectus eſt, vt nocte quadam vxorem abſumpſerit. Rauiſ.

GATHIS regina Syriæ edicto cauit, ne quis piſcem comederet, quin ipſa adeſſet. Idem.

SAVROMATÆ triduo ad ſaturitatem ſe ingurgitant, & vxoribus ceu dominis per omnia parent. Virginem nõ prius locant ad nuptias, quàm hoſtem occiderit. Stobæus ſermone 42. ex Nicolai de Moribus gentium hiſtoria.

SVITRIGALVM Lituaniæ ducem, nunquam è domo pedem mouiſſe aiunt, quin diſpenſatorem percontaretur, an librum, quem ſibi de arte popinaria accuratiſſimè componi curauerat, ſecum afferret, quaſi Apitius exquiſitarum cultor epularum. Cœnã non minus ſex horarũ ſpacio ſumebat, nec fercula minus quàm triginta & centũ ſibi apponi mandabat. Æneas Syluius lib. 2. commentariorum de rebus geſtis Alphonſi.

HVGVTIO Fagiolanus, multis actus fortunæ tempeſtatibus, ad aulam Canis Magni Veronenſis, velut in portum aliquem feſſus ſenex appulit: vbi magnificè exceptus, quod in illa domo præcipuum erat, non hoſpitis, ſed parentis locum tenuit. Orta autem (vt fit) ſuper menſas ſemel edendi mentione, cum multi magni comeſtores referrentur, ab aliis expectatus Hugutio, ipſe qui inter maximos habebatur, vt de ſe aliquid loqueretur, cœpiſſétque vir immenſi corporis de eſu ſuo in ætate iuuenili quędam incredibilia narrare: Petrus Nauus, qui in eadem Canis aula ſapientia celebris, ſed mordax habebatur, reſpondiſſe traditur: Minimè quidem miror hæc quæ dicis, cùm maiora ſileas, quæ tamen ſcimus, Piſas & Lucam vno prandio deuoraſti. Pungentis ioci cuſpidem tranſfixiſſe ſenis animum reor. conſtans eſt enim opinio, potuiſſe die illo, quo de illarum ciuitatum dominio pulſus erat, vulgi tumultus comprimi, ſi è conuiuio ſurrexiſſet. Petrarcha.

VINOLENTI, BIBACES, EBRII.

Exempla quoque ex tit. Præmia ebrietatis, item Pœna ebrietatis, colligi poſſunt.

NOA bibens immodicè vinum quod plãtarat, inebriatus, & turpiter nudatus, à filio deriſus eſt in tabernaculo ſuo. Geneſ. 9.

LOTH, quem nõ Sodomorum & Gomorrhæorum impietas vicerat, ductus ab angelis vt tutus ab incendio eſſet, vinum adeò vicit, vt cùm propriis filiabus inceſtum committeret. Geneſ. 19.

SAMSON bene potus dormiens crudeliſſimis inimicis traditur. Iudicum 16.

AMMON filius Dauid, in conuiuio ab Abſalone temulentus fuit occiſus. 2. Reg. 13.

BENADAB rex Syriæ, temulentus in tabernaculo ſuo habebat maximam bellatorum multitudinem, & tamen victus & fugatus eſt per pueros principum prouinciarum. 3. Reg. 20.

HOLOFERNES bibit vinum vltra modum, quantum vna die vix vnquam in vita ſua biberat. Sopitus igitur ebrietate, à Iudith ſanctiſſima fœmina in tentoriis occiſus eſt. Iud. 13.

SIMON ſacerdos cum duobus filiis à Ptolemæo Abobi filio ad conuiuium vocatus & inebriatus, cum filiis occiſus eſt 1. Machab. decimoquinto.

DAPHNIS paſtor, quòd ebrius cum alia fœmina congreſſus eſſet, vt à nympha ei fuerat prædictum, luminibus captus eſt. Suidas.

POLYPHEMVS Cyclops hauſto largius vino, dum in altiſſimũ conc idiſſet ſomnum ab Vlyſſe excæcatus eſt. Fabulam pete ex Homero lib. 9. Odyſ. & Vergil. lib. 3. Æneid.

ELPENOR Vlyſſis ſocius apud Circem vino largius hauſto, impos animi factus, ſcalarum lapſu exanimatus eſt. Ouid. lib. 14. Metam.

GRÆCI in primis epulis minoribus poculis delectabantur, in fine verò largioribus. Quare Græco more bibere, eſt capacioribus poculis haurire. Lex erat, vt in ſympoſiis aut biberent, aut abirent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

IIDEM in conuiuiis deos & amicos inter pocula ſalutãt, nominatímque appellant euacuato poculo. Præterea cùm magiſtratus & honores dabant, vina pateris circumferebant: cúmque alicui propinaſſent, nominatim deſignabant, cui poculum vino repletum dãdum eſſet. Et ſic deinde deos primò, deinde amicos appellabant, & precatis diis poculum affatim hauriebant. Idem.

IIDEM vinum vnguento mixtum bibebant, & ſuprà quàm ſatis eſſet, aut neceſſitas poſtularet, hac mixtione vtebantur. Vocabatur autem vinum Myrrhinites. Meminit eius Philippus comicus poeta. Ælian. lib. 12. de Var. hiſt.

LACEDÆMONII eundem calicem in conuiuiis circumagebant, vt ſitim & vini auiditatem irritarent. Rauiſ.

CLEOMENEM Lacedæmonium non ſolùm multum bibiſſe perhibent, verùm etiam praua illa Scytharum conſuetudine præditum fuiſſe, vt vinum merum biberet. Itaque ad inſaniam redactus eſt. Ælian. lib. 2. de Var. hiſt. Meminit etiam Polybius. lib. 5. hiſtoriarum.

DIOTIMVS Athenienſis ebrietatis tantus fuit amator, vt infundibulo in os impoſito, ſine interſpirio vinũ infuſum abſorberet. Hinc Infundibuli cognomen meruit. Ælian. lib. 2. de Var. hiſt. & Alex. lib. 2. cap. 11.

ARGIVI

ARGIVI & Corinthii in comœdiis taxantur, quòd ſine modo vina biberunt. De THRACIBVS iã conſtans ac confirmatus rumor eſt, plurimũ eos bibendo poſſe. Ælian. lib. 3. de Varia hiſtor.

ALCIBIADES famam apud Græcos ex ebrietate meruit, vt author eſt Plinius, & Plato in Sympoſio.

XENARCHVS Rhodius à bibacitate Metretis cognomen habuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

ANACHARSIM philoſophum aiunt plurimum bibiſſe apud Periãdrum. Hoc enim vitium ſecum è Scythia attulerat. Ælianus libro 2. de Varia hiſtoria.

APOLLODORVS cùm largiſſimè omniũ vinum hauriret, non occultabat id vitij, neque celare conabatur ebrietatem, & eius mala: ſed incenſus & inflammatus à vino, multo truculentior euadebat, pręter naturã corporis etiam opportunitatem adiungens. Ælia. lib. 14. de Varia hiſt.

MELANTHIVS ſibi collum gruis optabat, quo bibendi voluptatem diutius ſentiret. Clearchus apud Cælium lib. 13. ca. 25. Hoc idem Philoxeno tribuitur, & Gnathoni Siculo.

XENOCRATES philoſophus, inuitante Dionyſio, inter cæteros vini choam hauſiſſe, & pręmiũ inde tuliſſe, proditur. Alex. ab Alex. li. 5. ca. 21.

DINOCRATES Meſſenius, in patria potens, in conuiuio temulentus muliebri habitu ſaltaſſe dicitur. Volat. lib. 15. Anthropologiæ.

CHRESTVS Byzantius ſophiſta vino deditiſſimus fuit, cæteris in rebus continenter viuens. Nam cùm ad galli cantum ſæpe calices protraheret, non prius tamen ſomno ſe quàm ſtudio dabat. Volat. libr. 14. cap. 2. Anthrop.

AESCHINES orator inſignis, moribus à Demoſthene planè diuerſus, egregius potator fuiſſe dicitur à Philoſtrati ſophiſtis. Volaterranus lib. 13. Anthrop. cap. 3.

ANACREON Teius poëta, deditus fuit vino: cui cùm liberalius indulgeret, vuæ acino ſuffocatus dicitur.

ARCESILAVS philoſophus immodico vini hauſtu exceſſit. Rauiſ.

LACYDES philoſophus ex nimia compotatione concidit in paralyſim, qua mortuus eſt. Idem.

CONNA tibicen fuit vinoſus, qui in conuiuiis coronatus potabat aſſiduè. Idem.

ALCÆVS, Ariſtophanes & Cratinus, quamuis ebrij, erant tamen ad ſcribendum carmen idonei. Idem.

IONEM Chium poëtam fama eſt, modum in bibendo vino non tenuiſſe. Ælian. lib. 2. de Varia hiſtoria.

STILPO Megarenſis philoſophus extremo deficiens ſenio, merum hauſit vt celerius moreretur. Cæl. Rhodiginus lib. 28. cap. 36.

PHAGO quiſpiam orcam vini perfacile bibebat. Flauius Vopiſcus.

HERACLIDES Pyctes parem in bibendo non habebat: alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, quoſdam ad cœnam, quibus omnib. ſine interſtitio ſufficiebat ſolus. Rauiſ.

CLEIO non ſolùm cum fœminis, verùm etiam cum viris potare auſa, omnes ſuperauit. Aelian. li. 2. de Var. hiſtoria.

MILO Crotonitates carnium minas 20 degglutiſſe, panes totidem, & vini choas perſiccaſſe tres dicitur. Theodorus.

AGLAIS tibicina Megaclis filia choam vini hauriebat. Rauiſ.

PHILOSTRATVS quidam cùm eſſet in balneis Sinueſſanis, tantũ vini potauit, vt ebrius factus ſcalarum lapſu penè extinctus ſit. Martial. libro 11.

A Sinueſſanis conuiua Philoſtratus vndis
Conductum repetens nocte iubente larem,
Penè imitatus obit ſæuis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit ipſe gradus, &c.

DIPHILVS luxu perditos ac vino madentes homines tria habere capita dixit, ſicuti Artemiſium, id eſt Dianæ ſimulachrum. Cælius Rhod. lib. 28. cap. 31.

CRATINVS antiquę comœdiæ poëta, Athenienſis, vini adeò fuit appetens, vt ſupra pelles recumberet, & in iiſdem etiam meieret. In prouerbium ergo abiit, Cratini κώδιον, id eſt pellis villoſa, turpis & putrida. Scripſit Pytinem fabulam, à vaſe vinario dictam: & Methen, id eſt ebriam. Dictus eſt inde Φιλοπότης. In ſuis fabulis poëtam quempiã fieri poſſe negabat, qui non vini eſſet appetẽtior, vinum enim vice magni equi poëtis eſſe. Gyraldus Dialogo 6. hiſt. Poët.

Philocrates & Aeſchines, Athenienſium legati ad PHILIPPVM Macedonię regem cum aliis miſſi, cum domum redirent, regemq; eo nomine laudarent quòd ſtrenuè bibiſſet: reſpondit Demoſthenes, Haber hanc virtutem cum ſpongia communem. Senſit vir prudẽtiſſimus, regum virtutes non in euacuandis poculis ſitas eſſe. Plut. in Demoſthene.

ALEXANDER Magnus quinta die menſis perpotauit apud Eumęũ, ſexta crapulam edormiuit: neque plus illo die vixit, quàm quòd ſurrexit, & ducibus de craſtina profectione mandata dedit, inquiens eam ſummo mane futuram. Septima deinde die epulatus apud Perdiccam, ſe rurſus vino ingurgitauit, & 8 dormiuit. 15 die eiuſdem mẽſis iterum indulſit vino, & ſequenti ſolito more crapulam ſomno decoxit. 24 cœnauit apud Bagoam. Diſtabat à regia Bagoæ domus ſtadiis decem. Pòſt tertio dormiuit. Ælian. lib. 3. de Var. hiſt.

IDEM per ebrietatem pręcipuos amicos interfecit: Clitũ, qui in menſa Philippum Alexandro prætulit: Philotam, Parmenionem & Calliſthenem philoſophum, Ariſtotelis propinquum, quem inter chariſſimos habuerat. Volat. & Rhodiginus li. 28. cap. 30.

IDEM, ad vnumquemque calicem multo colloquio ſermonem protrahebat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

PROMACHVS Macedo, in exequialib. certaminibus in honorem Calani inſtitutis, quatuor ingurgitans cantharos, ab Alexandro talenti corona donatus eſt: ſed triduo tantum ſuperuixit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. Aelianus libr. 2. de Var. hiſtoria. Pontanus lib. 3. de Magnificentia, ex Plutarcho.

ANTIOCHVS rex, cùm nimio potandi ſtudio inutilis ad regnum videretur, ipſe quidem imperij titulum inanem vſurpauit, eius tamen adminiſtrationem Ariſtæo & Themiſthoni commiſit. Aelian. libr. ſecundo de Varia hiſtoria.

ANTIOCHVS Epiphanes, Romanis obſes datus, vini erat immoderatè appetens. Eiuſdem cognominis Antiochus, qui cum Medis aduerſus Arſacem bellum geſſit, potationibus deditus erat. Idem.

CHRYSIPPVS Dialecticus inſignis, in potationib. dormire ſolebat, crura tamen agitabat: ita vt ancilla diceret, Chryſippi ſola crura ebria eſſe. Laert. lib. 7.

Zenonem Cittienſem ſumma verecundia precioq; habebat rex ANTIGONVS Accidit igitur vt aliquando vino ſupra modum impletus, obuiã Zenoni fieret: quem exoſculatus eſt atq; amplexus, vt temulentus, petiitque vt ſibi quid imperaret: & interpoſito temerè ſacramento, confirmauit ſe præſtiturum quicquid poſtulaſſet. Zeno dixit ei: Abi, & euome. Graui ſapientique reprehenſione ſimul temulentiam eius taxans · ſimul etiam cauens, ne nimia comeſſatio potatioque ei nocumentum adferret. Aelian. lib. 9. de Var. hiſt.

DARIVM vinolentum fuiſſe, arguit inſcriptio ſepulchri eiuſdẽ, quæ talis erat: Potui & multum vini potare, & hoc probè ferre. Rauiſ.

Archelaus rex opiparum lautumque conuiuium amicis ſuis parauerat, Cumque inter pocula largius EVRIPIDES biberet, ſenſim in ebrietatem eſt delapſus. Deinde proximè ſibi aſſidentem Agathonem tragicum poëtam complexus & exoſculatus eſt, annos circiter quadraginta natum. Ageſilao interrogante, Num adhuc in deliciis habendus videretur? reſpõdens: Per Iouem, iniquit, omnino, Non enim ver ſolum eſt honorũ optimum, verumetiam autumnus, Aelia. lib. 13. de Var. hiſt.

HIPPOCLVS rex cùm vinolentus ſponſam Chiorum adoleſcentis ſibi familiariſſimi indecorè amplecteretur, ac immoderatius cum ea luderet magno impetu eorum qui ſponſo aderant obtruncatus eſt. Plutar. de virtutib. mulierum, cap. 33.

LVCIVS quidam tyranni ſatelles, vino madidus & furibundus, cùm Miccam Phidoleni filiam moribus & forma præſtantem ad ſtuprum ſollicitaret, & illa renueret, occidit in ſinu paterno iacentem. Plutar. cap. 15. de Mulierum virtutibus.

DIONYSIVS Minor nonnunquam ad nonageſimum vſque diem ebrius perſeuerauit, & hinc quoq; cæcutientes & vinoſos oculos habuiſſe dicitur. Ariſtot. in Politicis, & Alex. li. 5. cap. 21.

CAMBYSES rex Perſarum, ebrius Prexaſpis F. ſagitta interficit. Vide ti. Reprehenſiones ægrè ferre.

AGRONEM Illyriorum regem immoderatus vini vſus in lethalem pleuritidem coniecit. Aelian. lib. 2. de Varia hiſt.

MITHRIDATES rex Ponti tantæ bibacitatis fuiſſe dicitur, vt præmia plus haurientibus proponeret. Alex. ab Alex. li. 5. ca. 21.

ORRHOPHERES Cappadocię rex ſupra modum bibere poterat. Aelian. lib. 2. de Varia hiſt.

LAPITHAE & CENTAVRI in nuptiis Hippodamię & Pyrithoi, poſt conuiuia in cædes grauiſſimas inciderunt, adeò quidẽ vt pocula & menſas in telorum vſum conuerterint. Meminit Flaccus, inquiens: Crateres menſæq; volant, aræq; deorum. Guido Bitur.

ERYCION fuit centaurus, ebrietatis infamia notatus. Ouidius libr. 2. de Arte.

Occidit Eurycion ſtultè data vina bibendo.

HYLAEVS centaurus deditus fuit ebrietati. Horatius libr. 2. Car. Nec ſęuos Lapithas, & nimium mero Hylęum.

SYRACVSANORVM tantus fuit in bibendo luxus, vt diebus interdum nonaginta interpellari non potuerint. Teſtis eſt Ariſtoteles.

IIDEM multo vino repleti, in Marcelli & Romanorum poteſtatem peruenerunt. Beroaldus.

CYANIPPVS Syracuſanus in tantam ebrietatem incidit, vt rerũ neſcius, occurrentem in tenebris filiam Cyanem reluctantem violarit. teſte Doſitheo li. 3. rerum Siculanum: & Plut. cap. 38. Parall.

PERSAE cuiuſdam celebratur apophthegma, qui negauit, tormẽtis opus eſſe ad exquirendum verum, vino enim rectius elici. Vide Roterodamum in prouerb. In vino veritas.

AEGYPTII procliues in vinum: cuius quum eſſent inopes, excogitauerunt potionem ex hordeo.

MYCERINVS Aegyptius, cùm ei vaticinium Latonæ è Bute vrbe afferretur, breuitatem vitæ prædicens, oraculum eludere volens, tẽpus duplicando, noctes adiiciens diebus, ſemper vigilias agebat, & poculis indulgebat. Aelian. lib. 2. de Varia hiſto. ex Herod. lib. 2.

CAMBYSES Perſarum rex, Cyri F. (vt eſt apud Senecã) cũ vltra modũ poculis operã daret, & à Thraheaſpe familiariter propter vinolentiã argueretur: cũ liberalius inde quàm vnquam antea vino indulſiſſet, eius filiũ ſagitta transfixit. Pontanus de Immanitate, ca. 21. ex Herod. li. 2.

INDOS ferunt ex fructu arundinum, quæ mel gignunt aut vino ex dactylis, inebriari. Alex. ab Alex. li. 3. cap. 11.

Apud ARABES, cùm longiori potu indulgerent, nemini ſupra duodena pocula bibere fas erat. Alex. ab Alex. li. 5. c. 21.

BABYLONII incenſo arborum fructu, & fumo hauſto ita ebrij redduntur, vt tripudiis & cantibus exultent. Alex. ab Alex. lib. 3. ca. 11.

THRACES epulantes focos ambiunt, herbarum semine ignibus iniecto, cuius nidore capti ebrios imitantur, & tãquam vino affecti temulenti iacent. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. Eũdem morem Turcæ hodie obseruant. Vide tit. Animare suos ad pugnam.

ILLYRII in conuiuio peregrinis & hospitibus permittunt, vt vnusquisque mulieribus propinet, si libeat, etiamsi fœminę nihil ad illos pertineant. Ælian. lib. 3. de Var. hist.

TAPYRORVM gens adeò dedita vino est, vt in vino plurimum vitæ tẽpus insumat. Neque solùm eo ad potandum abutitur, verùm etiam ad vngendum, quemadmodum cæteri oleo. Idem.

MASSAGETÆ cùm largius vinum bibissent, à Cyro Persarum rege miserè profligati sunt, à quibus sobriè viuentes tuti fuerant. Herodotus libro primo.

PARTHI bibendo gloriam aucupari solebant, Plin. lib. 4. De quibus scitum est illud, Quanto plus biberẽt, tanto magis sitire Parthos. Auget enim bibendi cupiditatem consuetudo. Guid. Bitur.

SCYTHÆ cum inebriari gaudeant, & abstemij sint, si quando ebrietatis dulcedine capiuntur, ne contra constitutum facerent, in ignẽ coniectis herbis, & fumo hausto, haud aliter quàm vino epoto madidi fiũt. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

EOSDEM quòd & robusti sint ac habitu calidiore, vinosos esse constat, adeò vt cùm ad meracius bibendum quem Græci adhortantur, illud insursurrare sit moris, vt docuit Herodotus, ἐπισκύθισον, id est Scythisato. Cæl. Rhodig. lib. 28. cap. 33. & Ælian. lib. 2.

TARENTINIS à summo mane poculis indulgere mos erat, & in medio plenóque hominum foro inebriari.

CYRINENSES vsque adeò luxu se inquinauerũt, vt cùm Platonem accersiuissent, vt leges poneret, ipse recusarit, propter eorum lasciuiam & ignauiam. Ælian. de Var. hist. lib. 12.

PHIGALEI qui Messeniis adiacẽt, vino adeò gaudent, vt non alibi quã in cauponis habitent, hospitibus domos elocantes cum vxoribus. Hostilis tubæ ne in somno quidem sonum perferunt. Rauis.

CHII calentes mero, quum Spartam venissent, itassẽntque ad curiam Ephororum, in curulibus magistratuum sellis ventris onera per summam fœditatem deiecerũt. Hinc natum adagium, Chius omnia percacans. Idem.

HANNIBAL Pœnus, vino excogitauit Aphros expugnare. Itaque leui prælio ex industria commisso, relictis quibusdam vasis vino repletis, fugam simulauit. At barbari statim occupatis castris, effusi vinum immoderatius hauriunt, & in modum defunctorum humi prosternuntur. Mox rediens Hannibal, obtruncauit omnes. Guido Bitur.

MEZENTIVS rex Hetruriæ, mercede vini Rutulis contra Latinos tulit auxilium. Testis est M. Varro apud Plinium.

BITIAS apud Didonem Vergilianam sic hausit merum, vt eo se totum prolueril. 2. Æn.

ENNIVS poeta nunquam accingebat se scribendis carminibus, nisi multo madidus vino. Hinc Horatius:

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda, &c.

Itaque ex nimio potu articularem morbum contraxit, quo etiam extinctus est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

M. CATO minor quamuis omni virtute esset cumulatissimus, interdum tamen cum amicis dabat operam compotationibus, tota nocte ad auroram vsque. Hoc ebrietatis vitium præcipuè illi obiecit Cæsar duobus libris, quos vocauit Anticatones. Rauis. de Gulosis.

ARVNTIVS Hydropota in Bacchanalibus Romæ ebrietate captus, filiam Medullinam obscuro quodam loco corrupit, quæ dempto violatori anulo patrem esse agnouit. teste Aristide lib. 3. rerum Italicarum, & Plutar. cap. 39. Parall.

M. CICERO filius binos congios haurire solitus est, vt scribit Plinius: qui eum quoque ob temulentiam M. Agryppæ scyphum impegisse scribit. Plin. lib. 14. in fine.

M. ANTONIVM triumuirum ebrietas & crapula perdidit, ita vt pro tribunali vomuerit. Cæl. lib. 28. cap. 30.

IDEM librum edidit de sua ebrietate, quo patrocinari sibi voluit, vt ea probaret mala, quæ per temulentiam orbi intulisset. Rauis.

L. COTTA vini appetentissimus, cum censor esset, atque Ciceroni sitienti in foro ad bibendum aqua esset oblata, vocatis amicis: Circumtegite me, inquit, ne si censor videat me aquam potare senatu amoueat. Brus. lib. 1. cap. 19.

L. PISO vigente bello Actiaco, vrbis custos, maiorem partem noctis in conuiuiis terebat, vsque ad horam sextam diei fermè dormiebat. Interim tamen tutelam vrbis diligentissimè administrauit. Seneca ad Lucilium lib. 11. epist. 84. & Volat. lib. 18.

Illud idem de Cosso vrbis præfecto recitat. Alex. lib. 6. cap. 14.

VIBIVS Crispus, summus Vitellij imperatoris amicus, cùm apud Cæsarem summa in nocturnis conuiuiis luxuria multas noctes consumpsisset, ob crapulam in morbum grauissimum incidit: ex quo cùm parũ cõualuisset, dixisse ad amicos fertur, omnino se fuisse periturum, nisi ad tẽpus tam grauiter ægrotasset Xiphilinus in Vitellio.

CL. TIBERIVS Nero Imp. gulæ deditus fuit. Penna resupino in os pro vomitu ciendo immittebatur. Vini potum cibos præcedere, edicto instituit. Itaq; passim pro Claudio Caldius, pro Tiberio Biberius, pro Nerone Mero appellabatur. Sueton. in eius vita. Sæpissimè quoque biduo integro potabat, potus arcana omnia effutiebat. Alex. lib. 5. cap. 21.

NOVELLIVS Tricongius Mediolanensis, ad Proconsulatum vsque ex Prætura promotus, ob treis vini congios vno impetu epotos, spectante miraculi causa Tiberio principe. Plinius lib. 14. & Volat. lib. 17. Est autem congius mensura sex sextariorum.

COMMODVM Cæsarem in æstuationibus ingens vini poculum euacuasse, cunctis acclamantibus, Viue Cæsar, memoriæ proditum est ab Alex. lib. 5. cap. 21.

LICINIVS Imperator Romanus, oriũdus ex Dacia, rei militaris exercitatissimus, auaricia tamen & rerum cupiditate præ cæteris maculatissimus, vinolentorum Achilles nominatus est. Guido Bitur.

MAXIMINVS iunior, Romanorum imperator, amphoram vini Capitolinam quotidie bibit, edit carnis libras XL. Capitolinus.

TRAIANVS Imperator natura clementissimus, & moribus probatissimus fuisse dicitur: duobus exceptis vitiis, quòd vino & puerorum libidini indulserit. Dion.

FESCENNIAM Martialis lib. 1. arguit vt vinolentam, dicens:

Ne grauis hesterno fragres Fescennia vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

MYRTALE vinolenta mulier, vino commiscebat folia lauri, ne vinum oleret. Mar. libro tertio.

Fœtere multo Myrtale solet vino:
Sed fallat vt nos, folia deuorat lauri.

PANARETVM potorem, idem lib. 6. arguit, quòd solus amplissimam vini lagenam exiccasset.

LAVFELLAM Iuuenalis vt temulentam incessit.

FIRMVS imperator vini patientissimus fuisse legitur, citra tamen ebrietatem. Quondam autem à barbaro vexillario ad bibendum prouocatus, duas vini situlas hausit, & postea toto conuiuio sobrius fuit. Quum verò barbarus diceret, Qur non & fecem ebibisti? Stulte, inquit, terra non bibitur. Eras. Rot. lib. 6. Apoph. ex Vopisco.

BONOSVS, qui imperator postea factus est, cum tantũ biberet, quantum hominum nemo: Aurelianus vrbanissimè dicebat, Non vt viuat, sed vt bibat, natus est. Brus. lib. 1. cap. 19. ex Vopisco.

IDEM cùm se suspendio suffocasset, interrogatus quidam, qui eius mores & vinolentiam nouerat, Quitnam esset qui ibi esset suspensus, respondit, non hominem esse, sed amphoram. Aurelianus.

CYRILLI filius omnem patris disciplinam contemnens, & omnia bona abliguriens, ebrius pijssimum patrem crudelissimè occidit, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, duas sorores alias ad mortem vulnerauit. Augustinus Tom. 2. ser. 33. ad Fratres in heremo.

NICOLAVS V. huius nominis Pont. Max. natione Lunensis, ex oppido Sarazano, homo non tam humanus quàm sanctè doctus, vepore qui primus nostri seculi literas penè extinctas excitauit, Bibliothecam Vaticanam instituens, officium nullum seu magistratum vendidit. Inter tot autem viri huius laudes egregias & amplissimas, vitium hoc tantùm notatum est, quòd nimio bibendi studio arserit, perquisitis vndique vinorum generibus. Volat. lib. 22. Anthrop.

BELA secundus Almi filius, Pannoniæ rex, corruptissimæ fuit temulentiæ. Rauis.

ANDEBVNTVS rex Anglorum, conuiuio quodam tantum cibi deglutiuit, & vini, vt eo suffocatus repentè animam efflauerit. Idem.

ALEXANDER, qui ex ducibus Marouiæ erat, egregius bibulus, cùm mortem obiisset Viennæ, diémque illi (vt vocant) tricesimum in templo diui Stephani, cui præfuerat, canonici multique viri nobiles celebrarẽt: sacerdos quidam, qui sitibundus cellam vinariam Præpositurae intrauerat, vidisse se inter dolia deambulantem asseruit: & ad ecclesiam reuersus, cùm orantes adhuc compresbyteros inuenisset, Quid hic Alexandro inferias (inquit) agitis? Ille in suo templo lætus agit, bibítque, vos autem hic siti arescitis. Æneas Sylnius lib. 1. Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

Accusatus Iuuenis quispiam, quòd in mensa intemperantius locutus esset aduersus sacerdotem, vocatúsque ob id in ius, atque interrogatus à iudicibus, cur hæc dixisset: Si eodem, respondit, pacto rursus in cœna me inuitauerint, duodecim etiam Apostolos, si adessent, fustibus tractarem. Iudices igitur cognito vini vitio, hominem absoluerunt: pœnámque irrogarunt sacerdoti, vt quatriduum à vino abstineret. Adrianus Barlandus, Centuria prima.

SENEX quidam multo vino madidus, cùm Alphonso Aragonum regi obuiam factus esset, videns notari eius vinolentiam, ad regem inquit, Lac senis vinum esse: putans ebrietatis vitium sic excusari apud regem posse. Cui rex: Paruo igitur, inquit, tuum tibi constat alimentum: paruo vt video Bacchi lætitia. Panormitanus libro 1. de rebus gestis Alphonsi regis.

Cùm celebrarentur à Ferdinando rege, Hippolytæ nurus, atque Alphonsi filij nuptiæ, apparatu splendidissimo (erat enim dies decursionis hastatæ, flagrabántque sub sole cuncta: conuenerant autem mortales omnis generis ad spectandum) cúmque plurimi ludorum essent laudatores, vel plerique omnes admiratores potius, in media laudantium frequentia & plausu exclamauit Germanus quidam: O valeant ludi, quibus nemo bibit. Pontanus.

VITIVM

VITIVM IN DEFECTV QVI NIMIVM AB ALImentis abstinent. Qui nimirum frugales sunt.

Huc refer exempla eorum, Qui fame seipsos necarunt. Item sub locis Auariciæ quædam huic instituto conuenientia reperies. Eapropter Sordicies in victu & alimentis appellari potest: potest & Superstitio dici, si religionis causa fiat. Vide tit. Eremitarum.

RELIGIOSA.

BATTHÆVS monachus in Cœlosyria, tam frequenter ieiunauit, vt ex eius dentibus vermiculi scaturirent. Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto.

CALVPPANES monachus in Meletensi monasterio in finibus Aruerni, ieiuniis ita se macerabat, vt operas, ab Abbate impositas propter imbecillitatem perficere non posset. Eius rei causa in eremum abiit. Greg. Turon. in Vitis patrum, cap. 11.

ETHICA.

PERTINAX Augustus inter priuatum & imperatorem nihil interesse putabat. Dimidiatas lactucas, carduos etiam dimidiatos apponere conuiuis solitus: ac si quando ad amicos de cœna mitteret, binas tantùm offulas, aut paucula poma: atque vbi opiparè magis egisse videri vellet, gallinaceos lumbos mittebat. Pontan. de Liberal. cap. 6. & Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 21. & Volat. lib. 23. Anthrop.

DIDIVS Iulianus, Saluij Iuliani iurisconsulti pronepos, consul cum Pertinace, porcellum leporémve domo ad se missum in triduanas partiebatur cœnas. Sæpe etiam cùm nulla religio aut abstinendi causa subesset, leguminibus holeribúsque solus cõtentus cœnabat. Pontanus de Liberalitate cap. 6. & Volat. lib. 23. & Alex. libro 4. cap. 17. & lib. 5. cap. 21.

TIBERIVS Cæsar in diebus etiam solennibus pridiana sæpe obsonia & semesa apposuit suis, & sibi quoque dari passus est. Alex. libro quinto, cap. 21.

Q. ÆLIVS Tubero in dando epulo nimis sordidus. Vide tit. Repulsam passi.

TEMPERANTIAE SECVNDA SPECIES, circa Venerea.

CASTITAS. PVDICITIA.

ASPECTVM, COLLOQVIA, COGITATIONES, OMNES *denique occasiones cuiuscunque libidinis fugere.*

EXEMPLA RELIGIOSA PIA.

Multa huius generis ex tit. Castigatio carnis per ieiunia & flagella petes.

Primum LEONEM pontificem maximum ferunt, dum solenni Paschæ die sacrosanctam corporis & sanguinis Christi communicationem populo daret, à quadam matrona in manu osculum excepisse, & cum ex hoc intimis in medullis improbè cupidinis excitatum sensisset incendiũ, in semet iratum, manũ illam abscidisse. Verissimum est igitur illud Apostoli oraculum, Bonum est, mulierem non tangere, postquam tetigisse tam malum fuit. Marul. lib. 4. cap. 7.

BENEDICTO abbati in deserto procul ab hominum consuetudine commorãti, necesse fuit nudum iniicere sentibus corpus, & totum multo volutatu cruentare, vt visæ aliquãdo fœminæ incestam recordationem dolore sedaret. Marul. lib. 4. cap. 7. & Sab. lib. 5. cap. 6.

AVGVSTINVS interrogatus, quare cum sorore habitare refugisset: Quia inquit, quæ cum sorore mea sunt, non sunt meæ sorores. Et hanc eiusdẽ sententiam esse perhibent, Malum est, mulierem videre: peius alloqui, pessimum tãgere. Ex sensibus igitur corporis nostri vt quisque periculo proximior, ita magis continendus. Sab. lib. 5. cap. 6.

IOANNES Anachoreta in quadam Ægypti præruptę rupis spelunca obtruso aditu degens, cum fœminis nunquam est locutus, rarò cum viris: ad se tamen intrare permisit neminem. Tribuno roganti, vti se coniugi suæ conspiciendum sustineret, non est assensus: sed in quiete se illi appariturum promisit, quòd eam pio desiderio affici sciret. Proxima itaque nocte mulier somnians ipsum vidit, quem vigilans nunquam viderat: & quòd viderit formam habitúmque corporis, & cuncta vultus liniamenta rectè veréque referendo, fidem fecit. Quantæ quæso perfectionis vir iste fuit, qui imaginem sui dormienti fœminę spectandam mittere potuit, cui tamen accessum ad habitaculum suum interdixit. Et si talis lapsum pertimuit, quis tutum putabit ingerere se obtutibus mulierum? Ibidem. & Sab. lib. 5. cap. 6.

PAVLVM abbatem, qui solitudinem Panephiso oppido proximam incoluit, ne fœminam videret, impensè cauisse accepimus. Et cùm aliquando cum abbate Archebio ad quendam senem pergerent, videns à longe obuiam venire mulierem, protinus retulit pedem: & comite frustra renitente, ipso relicto, tuguriolum suum cursu concito repetiit. Cassianus tantam deuitandi sedulitatem immodestiæ ascribit, Deique iudicio factum asserit, vt qui tantopere fœmineum conspectum execrabatur, paralysi resolutus ad cœnobium virginum deferretur, & languẽti mulier assideret. Sed ego reor etiam dono Dei factum, ne à muliere prius tãgeretur, quàm cùm se tangi non sentiret, valetudinis vi oppressus. Quòd si ab ea tangi antè contigisset, grauius fortasse animo quàm corpore ęgrotasset. Puritatis autem eius etiam apud fœminas iacentis testimoniũ fuit, quòd languentes oleo, quo ipse contactu fuisset, peruncti sanabantur, & infirmus infirmis remedio erat. Ibidem.

PAPHNVCIVS abbas, dum hospitibus pulmentum lenticulæ, quod atheram appellabant, pararet, & subuolãtis flammæ vapor manum eius adussisset, cogitare secum tacitus cœpit: cur qui iam pridem & dæmonum infestationes deuicisset, & illicitos carnis motus mortificasset, tam modicæ flammæ læsionem persentiret? Quiescenti angelus apparuit: Et quid, inquit, Palnuci ab igne te offendi potuisse miraris, cùm necdũ ignem qui in te, est, sic penitùs, vt putas, extinctum geras? Tunc te illum extinxisse crede, cùm puellam nudam atque formosam complexus, nullo te libidinis motu sollicitari deprehenderis. Euigilans ille expauit tale experimentum, & liquidò intellexit, tutius esse cum dæmoniis colluctari, quàm iuuenculæ mulieris lateri adhærere, & ab igne offendi, quàm ea tangi. Ibidem.

ARSENIVS abbas virorum quoque, nedum fœminarum declinare solitus consortia confabulationésque, vt expeditius diuinæ contemplationi vacaret: cùm quædam non obscuri generis matrona illum videre cupiens, de improuiso ante hospitiolum suum ipsi occurrisset, repentè auertit sese, & muliebrem audaciã gestu pariter ac verbis incusauit. Rogo, inquit illa, ne indignè feras àduentum meum, quæ sincera mente & pio affectu huc veni. Aut si eo quicquam offensus es veniam da, ac pro me Deum (cui soli seruis) deprecare. Precabor Deum, respondit, & quidẽ multum, ne vnquam meminerim tui. Documẽto nobis est, vt quas etiam aliquando vidisse contigerit, mente ne retineamus. Ibidem & Sab. lib. 5. cap. 6.

PION abbas, Antonij abbatis discipulus, in tantum fœminas aspicere timuit, vt nec sororem viduam valetudinéque affectam videre vellet. Cùm enim ab ea accerseretur, dicente, si ipsum vidisset, tam sibi gratum fore, vt inde sanitatem se recuperaturam spectaret: ire omnino recusabat. Mox tandem abbate iubente, profectus est, & sororis cubiculũ oculis clausis alterius ductu ingressus, se quidem illi videndum præbuit: sed illã ipse minimè vidit, nec ab ea cognitus abiit. Cúmque rursum vt veniret, inuitaretur: Et fui tecum, inquit, & vidisti me. Sic ille excogitauit, quemadmodum & abbati morem gereret, & sororem præsentem non conspiceret: ob hoc solum ne à proposito discederet, quo tuendam castitatem existimauit. Marul li. 4. cap. 7. & Sab. lib. 5. cap. 6.

Martino Massici Campaniæ montis solitario decretum ac deliberatũ fuit, ne fœminam aspiceret: & dum quædam non sancti visendi cupiditate, sed magis propositi eius turbãdi causa, illi captata occasione repentè astitisset, pronus humi corruit: vultúque inter palmas collecto, tamdiu Deum, vti se in tali pudicitiæ discrimine tueretur, orauit, donec illa longioris moræ victa tædio inde discessit. Ac ne quis Christi seruis negociũ facere læue crimen putet, fama est mulierem hanc simulátque de monte descendisset, vita decessisse, Deo temeritatem eius vlciscente. Marul. lib. 4. cap. 7.

CARILEPHVM in Gallia eo loci qui Cassagalla dicitur, solitarium fœmina quædam adiit, virili amictu sexum dissimulans: & cùm ipse muliebres congressus semper refugisset, & dum singula nemine impediente perlustrasset, oculis capitur: ac protinus facti pœnitens, nec iam se celans, meritò eiusmodi infortunium se passam asserens, & coram illo prouoluta suppliciter veniam petens, ipso orante visum recepit, vitámque correxit satis experta sub tutela Dei esse casti propositi viros Idem.

EVAGRIVM presbyterum hybernis noctibus in puteum, BERNHARDVM abbatem in lacum descendere solitos accepimus, vt gelidarum aquarum frigore calorem corporis temperarent, castitati infestum. AVDOMARVM Tamanensem episcopum in vepribus, patrem FRANCISCVM in niuibus nudum volutasse corpus, vt ea castigatione voluptatem carni insitam edomarent. BERNHARDVS illam, quæ libidinis furore percita vim castitati suæ inferre conabatur, clamoribus abegit: THOMAS Aquinas rapto de proximo foculo torre. O fida atque inuicta seruorum Christi pectora, quæ dum pro pudicitiæ arce starent, nec occultis inimici insidiis, neque aperto bello capi potuerunt. Idem.

HELENVS abbas, discipuli qui carnis petulantia acrius quàm ferre

posset infestabatur, cellam digito per humum ducto circumscribēs, immundis spiritibus ne signum illud transgrederentur, præcepit. Et ille deinceps eiuscemodi molestia liber fuit. Nos quoque si discipuli eius fuerimus, qui in digito Dei eijciebat dæmonia, nunquam casti propositi locum deseremus. Idem.

MEDERICVS Eduensis abbas, & ipse malarum tentationum victor ac virgo, monachum quendam assiduis inceste cogitationis oppugnationibus tantum non superatum, tunica sua induens periculo liberauit, ita vt ille deinde omnis huiusce molestiæ se expertem palàm affirmare solitus est. Ibidem.

ANTONIO Alexandrino abbati diabolus deformi admodum tetráque facie apparens, dixit se fornicationis spiritum, & ab eo superatum esse. Nec tamen ideo Antonius laxauit ieiunij rigorem, precum assiduitatem, laborisque solicitudinem, sed potius auxit: veritus, ne diabolo credendo, dum se stare putaret, caderet: & remissis armis quibus vicerat, occasionem vincendi victo daret. Ibidem.

De HILARIONE abbate diuus Hieronymus scribens ita ait: Iratus sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes percussione manus posset excutere: Ego te, inquit, aselle faciam vt non calcitres: nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æstus agitabo, & frigora, vt cibum potius quàm lasciuiam cogites. Herbarum ergo succo & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat: orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, vt ieiuniorum laborē labor operis duplicaret. Indicauit nobis Hieronymus aduersus libidinem tria præcipua remedia, dum sancti huius vitam recenset: ieiunium, orationem, laborem. Idem. & Sab. lib. 5. cap. 6.

ORIGENES Adamantius præter continuas vigilias, ieiunia, calores, frigora quæ ferebat nudis pedibus, vna tantùm tunica tectus, cùm nec carne nec vino vnquam vesceretur, vitam in graui volũtariáque inopia ducens, non satis duxit corpus ab omni venerea labe mundum seruare: sed vt suspicione quoque careret, nec minus famam quàm corpus sine labe teneret, sectis genitalibus membris, eunuchum se fecit. Fulg. libr. 4. cap. 3.

Beatus Martinus episcopus, cùm virginem quandam vitæ sanctitate percelebrem inuisere vellet, & illa aditu negato ei excusando dixisset: Mi pater sancte ora pro me, quia à viro nunquam sum visitata: gratias egisse Deo fertur, quòd illa talibus imbuta moribus castam custodiret voluntatem: & benedicens eam, abiisse lætus. Marul. lib. 4. cap. 8.

RELIGIOSA ETHNICA.

HIEROPHANTÆ Atheniēses sacerdotes Cereris, cicute sorbitione seipsos suo etiamnum tempore castrare solitos scribit D. Hieronym⁹, & Alex. lib. 4. cap. 7.

SACERDOTES Matris deûm Samia testa sibi virilia amputasse legimus, vt in casta religione manerent, & extra concupiscentiam omnē vitam agerent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

In THESMOPHORIIS Cereris sacris matronæ Athenienses, vt Veneris ictus cohiberent, foliis viticis cubilia substernebant: quædam ex garo piscium qui squamam non haberent, incendia libidinum extinguebant. Idem, ex Dioscoride Anazarbæo.

EXEMPLA ETHICA.

DRYAS Fauni filia, aspectum virorum vsque adeò refugit, vt in publicum prodire nunquam visa sit. Quo factum est, vt vetitum sit, ne eius sacris interessent mares autor Plutarchus.

ATALANTA licet puella esset venustissima, & quæ forma sua ea tēpestate omnes virgines Peloponnesiacas facilè superaret, perpetuam tamen virginitatem conseruare voluit, omne virorum commercium fugiens. Non enim facilè cuiquam se conspiciendam afferebat, nisi cùm de improuiso, feras persequens, aut aliquem vlciscens, apparuisset impetu repentino. At Hyleus & Rhœcus, duo ex Centauris adolescentes, eius amatores, cùm virginitati eius insidias in syluis struerent, illa non ignara consilij, quo pudicitiam defenderet, extenso arcu, telis ipsos confecit. Ælian. lib. 13. de Varia hist.

ALEXANDER Magnus, cùm Darij hostis coniugem, omnium fœminarum quæ ætate illa fuerunt pulcherrimam, filiásque virgines cæpisset eas videre noluit: interim tamen tam sanctè eas penes se habuit, vt proprias sorores & filias. Ad postremum victoriam adeptus, filiarum vnam matrimonio sibi iunxit, non libidinem, sed officium secutus. Sabell. libr. 4. cap. 18. Historia est à Valerio Annate descripta, ex quo recitat Gel. lib. 6. cap. 8.

IDEM, quum apud Antipatridem cœnaret: isque ad cœnã formosam psaltriam induxisset, Alexander aspectu motus in illam exarsit. Mox rogauit Antipatridem, nunquid ipse mulieris amore teneretur? illo consentiente: O scelestè, inquit, non tu protinus abduces è conuiuio mulierem? Quantum ille animus aberat à constupranda aliena vxore, qui tantopere sibi metuit ab amica hospitis? Plut. in Apoph. reg.

Rursum, quum Cassander Pythonem Euij tibicinis amasium per vim osculari vellet, idque Euium ægrè ferentem sensisset, ALEXANDER, iratus exiliit in Cassandrum, clamans. Itáne per vos ne amare quidem quicquam licebit? Non satis erat regi, si seipsum præstaret continentem, nisi & præfectos haberet sui similes. Quando autem passus fuisset à suis per vim constuprari filiam aut vxorem honesti ciuis, qui tibicini suos amores etiam ab osculo voluit esse inuiolatos? Denique quòd duces peccarent, arbitratus est ad se pertinere. Plut. in Apoph.

IDEM, cùm in Illyrios peruenisset, ac in Iouis ara animaduertisset mulierem forma præstantem, pulchritudinem admiratus, diu spectauit. Cúmque Hephæstion diceret. Æquum esse vt ipse amaram caperet: An non, inquit, hoc indignissimum esset, vt qui in aliorum incontinentiam animaduertere velimus, ipsi incontinentię seruire ab exteris deprehendamur? Max. ser. 3.

Inter leges quas LYCVRGVS rhetor tulisse fertur, hec erat vna: Ne qua mulier maritata proficisceretur Eleusinem. id statuit, veritus ne à diuitibus dato precio corrumperentur. addita est pœna, drachmarum sex millia. Ei legi cum vxor Lycurgi non obtemperasset, sycophãtis, qui deprehenderant ac detulerant, dedit talentum. Ea res quum illi postridie vitio daretur apud populum: Atqui ego, inquit, dare conspectus sum, nō accipere. Quidam ferunt leges ad quæstum. Hanc notam à se depulit, qui nec in vxoris gratiam voluit abrogare legem, sed mulctam de suo dependit. Eras. lib. 8 Apoph.

Apud LACEDÆMONIOS matronæ velatæ, virgines nudæ in publico & in palæstra versabantur, vnde φαινομηρίδες dictæ: illæ quidem, ne aliorum libidini occasionem darent, cum maritis solis placere deberent: hæ verò vt maritos facilius inuenirent.

Philoxenus classis præfectus, cùm Alexandro scripsisset, Tarentinum quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insignioris formę venales, si vellet emere: ALEXANDER indignè tulit, apud æquales subinde clamitans: Quid in me Philoxenus tam obscœnum animaduertit, vt mihi tantum probri conciliaret? Plut. in Alexandro.

LACONES comœdias & tragœdias non audiebant, vt nec serio nec ioco quicquam audirent repugnans legibus. Leges enim prohibent stupra, incestum & adulteria: prohibent dolos, iniurias, furta, cæteráque flagitia, at in fabulis talia poetæ diis affingunt. Nec placuit illis quorundam excusatio, fabulas ad voluptatem fingi, non ad fidem veri. Voluptas enim corrũpit imbecillium animos. Hanc ob causam Archilochum poetam cum venisset Lacedæmonem, eadem hora expulerunt: quòd intellexerāt ab illo scriptum, satius esse abiicere arma, quàm mori. Plut. in Lacon.

ZENO simul & Cleanthes assidebant Chæremondæ: quúmque sentiret affectum amoris Zeno, surrexit. Hoc admirante Cleãthe: Etiam à bonis, inquit, medicis audio, aduersus inflationes optimum esse remedium quietem. Subduxit se vir integerrimus imminenti periculo. Laert. lib. 7. capite 1.

ARISTIPPVS, quum Dionysius tres venustas meretrices obtulisset, admonens vt ex his quã vellet eligeret, omnes apprehendit, dicens: Ne Paridi quidem fuisse tutum, vnam cæteris prætulisse. ac puellas deduxit ad aulæ vestibulum, dimisitque: non minus in contemnendo facilis, quã in amplectendo. Laert. lib. 1. cap. 7. Brus. lib. 2. cap. 31.

Argeus, quibusdam non suas, sed aliorum quorundam vxores prædicantibus: Per deos, inquit, de bonis & honestis mulieribus nihil temerè loquendum est, sed in totum quales sint oportet ignorari, præterquàm solis maritis, quibuscum viuunt. Tam insignis erat apud priscos virginũ & vxorum pudicitia, vt eas ab aliis quàm à parentibus aut suis maritis conspici, gradus aliquis ad impudicitiam haberetur. Eras. in Apoph.

Rex Asiæ ANTIOCHVS, Epheso statim abiit, ne amore captus, cum formosissima virgine, quæ Dianæ sacerdos erat, patrare incestum cogeretur. Prudenter enim prælio abstinendum cum eo hoste duxit, qui vix, neque id nisi fugiendo vincitur. Plut. in regum Apoph.

PTOLEMÆVS Tryphon (hoc enim cognomen ex viuendi ratione inuenerat) cum speciosa quædam mulier loqui cum eo cuperet: Prohibuit, inquit, mihi soror, ne sermonem à speciosa fœmina susciperem. At illa intrepidè ac festiuè respondit: Atqui à specioso, inquiens, susceperis. Quod cùm audiuisset, eam laudauit. Ælian. de Var. hist. lib. 14.

DIODORVS tibicen vocatus à Lamia, venire recusauit: temperatior Demetrio rege, qui obsidionem vrbis scorti amplexibus postposuit. Ælian. lib. 12.

ARCHYTAS, cùm aliàs modestissimus fuit, tum etiam verborum obscœnitatem assiduè vitauit. Cùm verò necessitas aliquando postularet absurdius aliquid dicere, non profatus est, sed ipsum quidem silentio præteriuit. Inscripsit autem in pariete, monstrans quod docendum erat: neque cùm res exigeret, dixit. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

ISAEVS assyrius sophista, cùm à quodam, qui formosissimam ostendebat mulierem, interrogaretur, Num formosa videretur? ἀπέπαυσα respondit, ὀφθαλμιῶν: id est, desij laborare ab oculis. Non aspexerat, ne amori faceret aditum. Philostratus in Sophistis.

PERICLES Atheniensium princeps, cùm tragœdiarum scriptorem Sophoclem in prætura collegam haberet, ac is publico officio vnà districtus, pueri ingenui formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam eius increpans dixit, Prætoris non solùm manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidine & aspectu continētes esse debere. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Plut. in vita Periclis, Cic. lib. 1. Offic.

CLITOMACHVS Pancratiastes, si quando canes videret coeuntes, sese auertebat: & in conuiuiis si de rebus Venereis sermo incidisset, continuò surgens discedebat. Ælian. lib. 3. de Varia hist.

M. CATO senior tam inuictæ fuit continentiæ, vt Pachum seruum fidelissimum in ædes suas nunquam ire permiserit, quòd tres puellas captiuas explendæ libidinis gratia seruum coemisse intellexerat: Bruson. lib. 1.

C. GRACCHVS quandiu Sardiniam prouinciam administrauit, nulla meretrix introiuit in eius domum, nulli pueri eximia facie ei ad cyathũ steterunt. Gellius.

MAR-

MARCIA Varronis filia, quum suo seculo sculpendi pingendíque arte insignis haberetur, abstinuit semper ab effingēda viri figura, ne pudibunda quoque exprimeret. Rauis.

Olim tanta fuit PATAVINARVM mulierum castitas, vt non nisi operta facie prodirent in publicum. Cæl. lib. 7. cap 27. Vnde Martialis:

Tu quoque nequitias nostri lusúsque libelli
Vda puella leges, sis Patauina licet.

C. Sulpitius Gallus VXOREM repudiauit, quòd aperto capite foris fuisset, inquiens: Tibi meos vnius præfinit oculos lex nostra, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciosa: aliis velle videri formosam, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Eras. lib. 6. Apoph.

IVLIANVS Imperatorum continentissimus, capta Persidis vrbe Malica, in qua formosæ permultæ mulieres erant, non modò nullam ad Venerem coegit, verùm etiam ne in conspectum ducerentur, prohibuit. Fulgos. lib. 4. cap. 3. §. 11.

Apud ROMANOS in castris mulieres interesse, aut cum militibus turpi consuetudine versari non decebat. Mulieres enim castra sequi apud maiores magnæ turpitudinis erat, & seuerissimæ animaduersionis. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

ANTIGONVS cùm suum filium diuertisse audisset in eius domum, cui tres filiæ insignes specie essent. Audio, inquit, fili angustè habitare te, pluribus dominis domum possidentibus: hospitium laxius accipe. iussóq; commigrare, edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus hospitio matris familiàs vteretur. Front. lib. 4. cap. 1.

MASSILIENSES nullum aditum in scenam Mimis dederunt, quòd eius notæ argumenta maiore ex parte stuprorum actus continerent: ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam sumeret. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de inst. antiq.

CN. POMPEIVS Demetrij sui liberti vxorem formosissimam nunquã blandè allocutus fertur (quod tamen contra eius ingenium fuit) metuens ne pulchritudine ipsius, qua quemuis ad amorem pellicere poterat, captus videretur. Plut. in Pompeio.

VIRGINITAS.

QVI VEL QVÆ IN PERPETVA VIRGINITATE VIXERVNT.

EXEMPLA RELIGIOSA PIA.

HIEREMIAS diuinum accipit mandatum, ne vxorem habere velit, néve prolem suscipere. Itaque quòd in matris vtero sanctificatus fuisset, virginitate probauit. Qua etiam meruit, vt vrbe á Chaldæis capta, templóque direpto, solus apud hostes liber esset. & qui Sancta sanctorũ violare non timuerant, ipsum muneribus honoréque affecerunt: vt hinc agnoscas, hominem qui castitatis professione Deo sese dedicat, omni templo sanctiorem esse. Marul lib. 4. cap. 7.

Dominus noster IESVS CHRISTVS ita de virgine nasci voluit, vt perpetuam illi, de qua nascebatur virginitatem conseruaret: per portam clausam in mundum hunc veniens, per quam vir non trãsiuit: & ipsemet in virginitate perseuerãs, pudicitiæ puritate se plurimum gaudere significauit. Vnde, Sinite pueros, inquit, venire ad me taliũ est enim regnũ cœlorum. Tales quippe & illi in Apocalypsi, qui canticum cantant nouum, quod nemo alius canere potest, & sequuntur agnum quocunque ierit: sine macula enim sunt ante thronum Dei, & cum mulieribus non fuerunt coinquinati. Idem. & Sab. li. 5. cap. 6.

Per hoc quod SALVATOR dixit, quòd in illo seculo neque nubent, neque nubentur videtur quòd virgines vitæ beatæ specialiter appropinquant. Matth. 22. Luc 20.

IOANNEM baptistam, vt Christum baptizaret, virginitate meruisse credimus: cùm maximè docuerit, vt baptizari volens castus Dominus, casta editus matre casti serui opera ministerióque vteretur. Itaque Ioannes plusquã propheta est, quoniam plus est, virginem esse, quàm futura prædicere. Ipse est Helias: id est, robustus dominator, qui carnis lasciuiã animi puritate superauit. Denique inter natos mulierum nemo maior est illo: quia perfectę castitatis merito iam inter angelos computatus erat. De ipso enim dictum est: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Angeli igitur magis quàm homines sunt, qui virginitatem sanctè integréque custodiunt. Marul. lib. 4. cap. 7. & Sab. lib. 5. cap. 6.

IOANNEM apostolum, quoniam & ipse virgo erat, præ cæteris à Domino dilectum Euangelia testantur. Ob hoc ab eodem Domino illi matrem commendatam, & illum matri, Virginitatis etiam priuilegium fuit, quòd idem & apostolus est & euangelista & propheta, quódque in feruentis olei dolium missus lædi non potuit: & in terra relegatus, quæ in cœlo gerebantur vidit. Idem.

IACOBVM apostolum qui frater Domini nuncupatus est, in tantum castitate sanctitatéque præstitisse ferunt, vt etiam Iudæis incredulis admirationi esset. Soli Sanctasanctorum intrare permittebant. Plerique deinde ob illius necem Hierosolymam euersam putauerunt. Hunc Paulus & Cepham & Ioannem, veluti reliquorum præsides, columnas vocat, & ab iisdem sibi dextras datas societatis gloriatur. Marul. lib. 4. cap. 7.

PAVLVS gentium apostolus viduas virginésque ad perpetuam castitatis obseruationem suo hortatur exemplo, dicens: Bonum est eis, si sic permanserint, sicut & ego. Quod nequaquam dixisset, nisi se ab omni penitùs mentis & corporis immundicia expertem alienúmque cognouisset. Hinc ille est, qui raptus vsque ad tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: & nescit in corpore, an extra corpus raptus fuerit. Sic qui castitatem colunt, se in corpore esse nesciũt, quia corporis affectiones non sequuntur: sed supra cœlũ animo elati diuina concipiunt mysteria, quæ quidem terrenis voluptatibus dediti scire nō possunt. Idem.

Beatus STEPHANVS, propter castitatem ab Apostolis fuit deputatus ad custodiam mulierum. Act. 6.

ESSENI, gens in Syria non procul ab Asphalthite lacu, cœlibes, & sine mulierum commercio omni venere abdicata vitam agitasse dicuntur Renascebatur gens alioqui interitura aduenarum turba, iis hominum terram ipsam adeuntibus, quos vita fessos ad mores eorum fortuna fluctibus agitabat. Atque ita multis ætatibus (incredibile dictu) gens æterna fuit, in qua nemo nasceretur. Durétne hodie peruetus mos ille & ritus gentis in tanta rerum mutatione, haud quisquam facilè dixerit. Sab. lib. 5. cap. 6. ex Plin. lib. 5. cap. 17.

VENCESLAVS filius Bursinoi, regis Bohemorum, perpetuam seruauit castitatem. Rauis.

CASIMIRVS rex Poloniæ, perpetuò cœlebs & castus mansit. Idem.

Fuit Deipara Christi Mater non solùm virgo sed omnium etiam virginum decus & specimen vnicum: vt nefas sit sanctissimum eius nomen in ordinem redigere, nisi pro typo sit, & virginitatis idea. Sab. lib. 5. cap. 6.

Petrus apostolus, cùm omnes morbo aliquo laborãtes passim curaret, filiam PETRONILLAM virginem febri vexari dimisit, Et cùm interrogaretur, cur qui alios sanasset, filiam ægrotare sustineret? Sic ei expedire respõdit. Didicit virgo in infirmitate esse fortior, & iam nec sana de corporis voluptate cogitare: maluítque casta mori, quàm Flacco consuli (à quo petebatur) nupta viuere. Exaudiuit Deus deprecantem, & vitæ pariter, consulisque libidini iam vim parantis ipsam surripuit. Atque eandem quæ hominis vxor esse noluit, spõsam fecit Christi, cœlestibus fruituram nuptiis, quia terrenas contempserat. Marul. lib. 4. cap. 8.

Hilarius Pictauiensis episcopus, cùm FILIAM suam Appiam castè sanctéque viuendi præceptis imbuisset, & illa aliquandiu in virginitatis proposito perseuerasset: veritus ne malicia mutaret mentem, Dominum deprecatus est, vt ipsam è medio sublatam, iam in tuto collocaret. Itaque tam lætus & alacer mortuam extulit, quàm ne virginitatem in coniugiũ verteret, anxius ac sollicitus fuit. Idem.

PHILIPPI apostoli quatuor filiæ, quia virgines erant, prophetandi donum accipere meruerunt, etiam post Ioannem, cùm prophetas cessare oportebat. Marul. lib. 4. cap 8.

In CATHARINA virgine, victi philosophi scientiam, patienter tolerata tormenta constantiã, rotarum fractio, impiorúmque percussio meritum testantur. Sed ne virginalis quoque candoris ac puritatis deessent testimonia, de abscissæ ceruicis vulnere lac, non sanguis effluxit. Exanime corpus angeli sepelierunt, monumentum oleo manat: & si tantus honor mortuæ in terra, quanta beatitudo viuentis in cœlo? Idem.

EVSTOCHIVM Paulæ matronæ Romanæ filia, vnicum nobilitatis & virginitatis exemplum à D. Hieronymo celebratur.

ÆGYPTÆ virginis Edgari, Anglorum regis filiæ corpusculum post annos aliquot quàm conditum fuerat, aperto sarcophago redactum in puluerem inuentum est, præter ventrem & genitalia: cunctísque mirantibus, cur ea pars tantùm integra extaret, cuidam ipsa virgo in quiete apparens, minimè mirandum esse dixit, si reliquo corpore tabescente, venter incorruptus maneret, qui virginitate sanctificatus esset, & nulla libidinis labe inquinatus. Dunstano quoque episcopo de illa reuelatur, celebrandum esse in terra, quæ digna fuerit vt in cœlo celebris esset inter sponsas Christi. O grande virginalis pudicitiæ meritum, quo tanta comparatur fœlicitas, vt anima hominis honeretur in Dei regno, & corpus cariem nesciat in sepulchro. Marul. lib. 4. cap. 8.

ILDEGVNDA virgo Germanica, Nassiæ orta (quod oppidum haud longè à Colonia vrbe in Rheni ripa positum est) multis agitata casibus, post permulta quæ non sine ingenti admiratione ei acciderant, anno Salutis, centesimo octuagesimóque octauo supra mille, in puerili habitu monasticam disciplinam subiit, in Abbatia quæ prope Vormaciam vrbē Schuuabenheim dicitur. In ea diu incognita vixit, cùm Iosephi nomine appellaretur: inter viros singulari continentia ac sanctitate semper versata, vsque ad eam diem qua decessit, ne tunc quidem mulier esse cognita fuisset, nisi dum lauaretur detecto corpore sexus patuisset. Hoc quoque EVPHROSYNA Alexandrina puella Smaragdi nomine sexum mentita, itē MARINA sub Marini appellatione in monachorum conuentu egisse, à sacris scriptoribus perhibentur. Fulg. lib. 4. cap. 3.

Gunzonis, Arbonæ ducis FILIA, Galli abbatis precationibus à dæmonio liberata, virginitatem vouit. Cœperat enim Spiritus sanctus ibi habitare, vnde immundus fugerat. Cúmque à Sigiberto Galliæ rege in

matrimonium peteretur, à patre tradita: sponsam se cœlestis regis esse dixit. Quæ vox ita exterruit Sigibertum, vt puellam contingere non ausus, monasterio virginum delegaret: ei ipsam cedens, cuius se sponsam asserebat. Illa itaq; in cœlesti beatitudine Christo iungi meruit: quia dū in terris viueret, pluris fecit castitatem, quàm Galliæ regnum. Marul. li. 4. capite octauo.

Religiosa Ethnica.

Gymnetæ philosophi apud Indos licet nudi incedant vnà cum mulieribus: nullo tamen pacto cum mulieribus congrediuntur. Bruson. libro primo.

Vestæ virgines perpetuam castitatem colebant. Quæ secus feciſſet, viua sepeliebatur.

Exempla Ethica.

Electra Agamemnonis filia (quæ, vt Xanthus poeta ait, antea Laodice appellata est) cùm de medio subtlarus esset Agamēnon & Ægisthus, regnum gubernans Clytemnestram in vxorem duxisset sola coniugali lecto caruit, & in perpetua virginitate, castissimam agens vitam consenuit. Vnde etiam Electra à Græcis appellata est, quòd expers maritimi vixerit, & lectum coniugalem non cognouerit. Ælian. libro quarto de Varia hist.

Lala Cyzicena perpetua virgo, in pictura excellens. Vide tit. Mulierum quæ pictura claruerunt.

Trifto lemo Cereris filio, quum pleræque virgines ampliſſimam offerrent dotem, vt eum eo nuptias contraherent, aſpernabatur omnes, & reiiciebat. Ouid. in Ibin:

Filius vt Cereris fruſtra tibi ſemper ametur,
Deſtituátque tuas vſque petitus opes.

Melanio quidam odio mulierum in ſolitudinem demigrauit, pēque auia montium & nemorum cane vno feras inſectari ſolitus eſt, nec vnquam domum reuocari potuit. Vnde natum adagium, Melanione caſtior. Rauiſ.

Ictvs Tarentinus athleta nobilis, quum certò ſciret corporis vires eneruari libidine, toto vitæ tempore duraut expers veneris, vt palæſtricis ludis eſſet accommodatior. Volater.

Asbylvs Crotoniates athleta, perpetua caſtitatæ præditus fuiſſe traditur, ob curſus ſtudium. Plato de Repub.

Dama à patre Pythagora ad virginitatis votum perpetuúmque candorem inducta, *virginitatem ſeruauit*, & *virgines ea* tempeſtate diſcipulas habuit quàm plurimas, quas voto virginitatis firmauit. teſte Timæo.

Diodorvs Socraticus quinque filias virgines Dialecticas habuit: quarum vitam Philo, Carneadis magiſter, plenſſimè deſcripſit.

Apollonivs Tyanæus philoſophus, à puero titillationes Veneras adeò repreſſit & contudit, vt præſignis in eo noſceretur caſtitas, à qua nunquam poſtea declinauit. Cælius lib. 8. cap. 6.

Ioanna virgo Gallica, Valasca Bohema, Maria Putcolana, Marvlla Mitylenenſis, bellica fortitudine inſignes. Vide tit. Fortitudo mulierum bellica in propulſando.

QVÆ NVPTIAS ET AMATORVM INSIDIAS VIRGINITATIS *ſeruandæ cauſa conſtanter fortitérque repulerunt.*

Conſule titulum, Scortationem & Stupra fugere.

Exempla religiosa.

Margarita Antiochena, Chriſto deuota virgo, & patris gentilis oda, & omnes corporis cruciatus pati meruit, quàm Olybrio, Antiochiæ præfecto, matrimonio copulari. Equul eum, virgas, vngulas, ignem, grauiora morte ſupplicia, ſed & ipſam mortem capite truncata fortiter pertulit, ne nuptiis virginitatem mutaret. Hinc quidem pro Olybrio repudiato accepit Chriſtum, pro breuibus pœnis æterna gaudia, pro morte vitam. Nec immeritò à dracone deglutita, fracto ventre exiuit incolumis: quæ carne circundata, carnalis impudicitiæ veneno inſici non potuit, laſciuiam vincēs pudore, & in fragili corpore mentis integritatem. Marul. lib. 4. cap. 8.

Barbaram Nicomediæ ciuem, forma, genere, diuitiis, floréque ætatis præſtantem, fidei tamen ardore talia contemnentem, cum multis eā petentibus nulli nubere vellet, & ſe Chriſtianam virginitatis votum ſuſcepiſſe diceret: furens gentilis pater Dioſcorus, ſtricto gladio illam perſequi cœpit. Sed quam pater perſequebatur, ſaxa miſerata ſunt. Eam nāque montis crepido, ad quam fugiens confugerat, inclinata trans vallem mirabiliter rupe depoſuit, & rurſum ſe erigens perſecutorem impediuit. At neque miraculo mollitus, omni ſilice durior pater, tam diu per deſerta lautantem quæſiuit, donec inuenit. Tunc per capillos tractam, Martiano præſidi torquendam tradidit. Quam Martianus poſt multos cruciatus, & vtramque auulſam papillam, ignominiæ cauſa nudam per vrbis fora duci iuſſit. Exhorruit nuditatem virgo, quam non terruerant ſupplicia. Et cum Dominum oraſſet, extemplo aſſunt illi angelus, papillas reſtituit, ſanatúmque corpus candenti ſtola contexit. Sed quoniam miracula maleficiis, non virtuti imputabantur, iuſſa eſt decollari. Et ne quid ad immanitatem deeſſet, præuenit carnificem pater, filiámque gladio, quo antè perſecutus fuerat, interemit. Qui omnibus feris ferocior, interficere quidem illam quam genuerat potuit: cogere autem vt vel idola adoraret, vel virginitati nuptias præferret, non potuit. Ibidem.

Agnes virgo, Præfecti vrbis filium nuptias ſuas petentem deſpexit: diuitias quæ illi affatim ſuppetebant, offerentem neglexit: patrem quoque eius vt minantem, ita iniuria afficientem riſit. Ob quam conſtantiam Dominus, dum eam impij expoliant, capillorum veſtiuit incremento: dū ad proſtibulum trahūt, ſua turatus eſt luce. Infamem locum micantis fulgoris decore honeſtauit. Perculit horrore corruptores, & in fugam conuertit. Procum autem illum libidinis furiis actum, nihilque penſi habentem, cum ad eam irruiſſet, repentina nece mulctauit. Illa in medias proiecta flammas, non eſt aduſta. Neque enim quam exureret: obſcœni rumoris maculam ignis inuenit. Diſſipatus ergo ardor crudelitatis appetiit miniſtros: & inſonti parcens, conuerſus eſt contra nocentiſſimos, Dei voluntate obſequente elemento. Denique ſuſcepto per iugulum gladio, intactam virginitatem eidem cui vouerat Chriſto ſponſo obtulit. Ibidē.

Colymbam virginem apud Zenones paſſam, cùm inter meretricias vitiandā perturxiſſent, virtus ab iniuria tutatus eſt. Martianam Cæſareæ defendit paries, inter ipſam & corruptores mirabiliter ſe interponens. Irenam Romæ liberauit angelus, iis qui eam ad lupanar trahebant illudens. Flaviam Domicellam Tarracinæ intactam reliquit repentina eorum infantia, qui vim inferre parabant. Seraphiamapud Vendinenſes eripuit horrendus fragor, motúſque terræ illos exanimans, qui ipſam polluere nitebantur. Idem.

Ivstina Damaſci munita crucis ſigno, magiis Cypriani ſupplantari non potuit, vt viri copulam virginitate potiorem haberet. Vide igitur quantæ *virtutis ſit Deo dicata virginitas*, vt violari nullo modo queat, ipſo eam protegente cui dicata eſt. Ibidem.

Huiuſce propoſiti pariter & conſtantiæ fuēre, Dorothea paſſa Cæſare, Euphemia Calcedone, Iuliana & Dula Nicomediæ: Euphemia, Dorothea, Tecla Eratma Aquileiæ: Suſanna, Batilla, Domicilla, Anaſtaſia, Felicula, Daria Romæ: Victoria Tiburi, Valeria Lemouici, Vrſula cum undecim millibus virginum Coloniæ. Hæ & aliæ tum in iis, tum in aliis orbis partibus, multæ nuptiis virginitatem, vitæ prætulerunt Chriſtum, necō. iugalis voluptatis illecebris, nec tyrannorum tormentis victæ. Ibidem.

Brigida virgo, inter Scotiæ puellas pulcherrima, cùm à potentibus (& quidem Chriſtianis) viris in matrimonium peteretur, & illa *virginitatem* Domino vouiſſet: eundem orauit, vt aliquo corporis vitio ipſam deueniſtaret, quo procorum inquietudo facilè ſedari poſſet. Itaque cùm oculorum decore maximè placeret, alterum ſubito vlcere peruſtum amiſit. Cui ergo charior oculi fuit virginitas, nónne tanto pulchrior fuit in conſpectu ſponſi cœleſtis, quanto idis terrenis (quibus illam, qui paulo antè tam ardenter appetebant, deſponderi ſibi dedignabantur) riſa eſt deformatior?

Andragasina virgo in Gallia, Lothario regnante, cùm à parentibus Amberto principi viro (qui poſtea Rothomagenſem eccleſiam rexit) inuita deſponsaretur, multis cum lachrymis Dominum obſecrauit, ne ſuam pollui virginitatem pateretur. Mox que lepræ morbo totum corpus occupāte, ob fœditatem intacta dimittitur: & ne in incerto eſſet, cur id mali illi contigiſſet, vbi cœnobium virginum ingreſſa ſanctum velamen accepit, continuò ſana euaſit. Puto quæ tam cuixè orauerat, leprum etiam ipſam quo ad vixit, pati maluiſſet, quàm virginitatem amittere. Ibidem.

Farra virgo, cùm à patre Agerico (qui primo loco apud Theodebertum Galliæ regem habitus erat) ad nuptias vrgeretur, ſic vbertim fleuiſſe dicitur, vt imnio lachrymarum humore oculorum aciem hebetauerit. Et cùm viſum beati Eulalij epiſcopi precibus à Domino impetratum recepiſſet, rurſum patris moleſtiis inſeſtationibúſque, & iam octo cogitata ad eccleſiam confugit. Ille iratus, inde raptam in carcerem demiſit. Nec tamen efficere potuit, vt voto ſuo filia conſentiret, quæ ſe iam Chriſto deſponderat. Vbi verò firmam in propoſito permanere vidit, & neque minis neque verberibus moueri, iam placatior dimitti iuſſit: nec deinde impedimento fuit, quin ipſa inter ſacras virgines perpetuam virginitatem profiteretur. Tanta pro caſtitate perpeſſam martyrem dicerē, niſi obſtaret fidelis patermartyrij tamen coronam meruit, quæ ſic oppugnata, virginitatis non amiſit. Ibidem.

Gregoriam Romanam virginem, à beato Gregorio traditum eſt, ipſo nuptiarum die ad eccleſiam contigiſſe, & perpetuæ virginitatis voto Deo ſe conſecraſſe. Reliquit virum, & amplexata eſt Chriſtum. Reliquit corporis voluptates, & voluptatibus fruitur paradiſi. Prudens deliberatio, ſed facilior euentus, & qui perraro ſequi ſoleat in tam præſenti periculo. Maioris ergo prudentiæ eſt, antè in portum ſe recipere, quàm procellæ turbinem expectare. Ibidem.

Spoletana virgo eodem authore diuitis & principis viri filia, cùm pater ipſam nuptui collocare decreuiſſet, illo inſcio ad monaſterium abiens, virginitatis velum habitúmque accepit. Quòd ſi nuptias

certo intellexit. Egnat. lib. 4. cap. 5. & Fulg. lib. 4. cap. 5.

Maxelendis virgo Dei caſtiſſima, in territorio Cameracenſi pro voto virginitatis Harduinum amatorem ſuum fugiens, ab eodem occiſa eſt. Sigebertus in Chron.

Lvcia Syracuſana virginitatem vita habuit chariorem. Iuueni cui pacta fuerat, iungi noluit, vt iungeretur Chriſto: pro huius amore martyrium conſtanter pertulit, cum illo viuere recuſauit. Igitur Paſchaſio conſulari poteſtate tumenti haud tantum licuit, vt ei caſtitatem poſſet eripere. Impietatis furiis ardens, puellam duci ad lupanar iuſſit. Sed illā vis nulla, nulli prorſus conatus mouere potuerunt. Funibus circumligatam mille viri, mille boum iuga trahere nitebantur. Sed eodem loco quo eam fixerat Dominus, veluti montis rupes immota ſtetit. atque ibidē vri, cædi, iugulari potuit: abduci vt proſtitueretur non potuit, quoniam Deo vouerat caſtitatem. Marul. lib. 4. cap. 8.

Exempla ethica.

Daphne Penei filia fuit ſeruandæ caſtitatis adeò ſtudioſa, vt procos omnes reiecerit, ipſúmque Apollinem, quamuis perpetua iuuenta, intonſiſque crinibus ſpecioſum. Ouidius lib. 1. Metamorph.

Multi illam petiēre, illa auerſata petentes.
Impatiens, expérſque viri nemora auia luſtrat,
Nec quid Hymen, quid amor, quid ſint connubia curat.

Aliter Parthenius.

Amyclæ filia Daphne ad vrbem non progrediebatur, neque etiam reliquis virginibus conuiuebat. Verùm adparatu magno frequenter venabatur, aliquādo etiam vſque ad Laconicam regionem peruagata, progreſſaq; vlterius per reliquos Peloponneſi montes, adeò vt hanc ob cauſam valde grata eſſet Dianæ, quæ eam certò ſpicula faciebat eiaculari. In eius cum æqualibus per ſylnas oberrantis amorem Leucippus incidit, Œnomai filius: qui quum aliàs viam qua eam aggrederetur deſperaſſet, muliebribus veſtibus indutus, ac puellæ adſimilatus, cùm ea venabatur. Erat autem omnino iucunda ipſi Daphnæ illius conuerſatio, adeò vt nūquam dimitteret eum, talíſque colluderet, ac quaſi ex eo penderet omni hora. Apollo autem qui & ipſe puellæ deſiderio ardebat, iráque & inuidia ob Leucippi præſentiam renebatur, puellæ in animum iniicit, vt cum reliquis virginibus ad fontem accedat ac lauet. Quò ſanè quum peruenſſent, omnes exuebantur: & quum Leucippum cunctari viderent, veſtes ei detraxerunt. Cognita autem fraude & inſidiis ſibi paratis, omnes eum ſpiculis transfixerunt, atque ita ille diis volentibus diſparuit. Daphne verò quum Appollinem ſe petentem perſpexiſſet, ſtrenuè valde fugit: illo autem pariter inſequente, à Ioue petiit ſubſidium. Aiunt itaque ipſam factam arborē, quæ adhuc ab illius nomine Daphne adpelletur. Parthen. de Amat. cap. 15. ex Theodoro Elaite in Elegiis, & Philarchi lib. 15.

Virgo Ethruſca à militibus capta, ſeruandi pudoris gratia ex Anciſæ ponte in Arnum ſe deiecit. De ea ſic Bened. Varchius in ſuis Epigrammatis:

Perderet intactum ne virgo Ethruſca pudorem,
In rapidas ſeſe præcipitauit aquas:
Cúmque foret cœlo ter reddita flumine ab imo,
Impauidum toties obruit æmne caput.
Quid dicam? ſemel amiſſo Romana pudore,
Thuſca ter integra virginitate perit.

Cùm Maximilianus Imp. Patauinum agrum vaſtaret, agreſtium turba in vrbem confugit. Fortè Isabella Rauignana ruſtica puella in vrbe deuiarat. A militibus ergo Venetis qui vrbem cuſtodiebant, propter formam ad ſtuprum rapitur. Cùm alia ratione effugere non poſſet, ſeſe ex ponte Curuo in Medoacum præcipitat. Inde exanguis extracta, in proxima ripa abſque vllo funetis honore ſepulta fuit. Bernardus Scardeon. lib 3. claſſe 34. hiſt. Patauinæ.

CASTITAS VIRGINVM ANTE CONNVBIVM, QVÆ *tamen poſtea nupſerunt.*

Pvdor virgineus.

Sara in oratione dicebat: Tu ſcis Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia. Tob. 3.

Syritha Synaldi regis Danorum filia, tantæ fuit pudicitiæ, vt quum ob elegantiam formæ magna procorum frequētia peteretur, neminem tamen inſpexerit. Saxo. lib. 7.

Aspasia Hermotimi filia Phocenſis, à patre per vim abſtracta, cùm primum ſiſteretur Cyro iuniori, iamiam cœnatus erat, & bibere volebat more Perſico. Etenim Perſæ, poſtquam cibo ſaturati ſunt, vino & propinationibus indulgēt, potum tanquam hoſtem aggredientes. Inter media igitur quatuor virgines Græcæ ad regem Cyrum adducuntur, in quibus etiam Phocenſis Aſpaſia erat. Erant autem pulcherrimè ornatæ. Nam tres reliquæ ab amicis mulieribus, quæ vnà cum ipſis aſcenderant, crinibus erant pexæ, compoſitæque, & faciem pharmacis vnguentiſque vnxerant. Itaque à nutricibus acceperant documenta, quemadmodum erga Cyrum ſe gerere deberent, quomodo adblandiri, & non refugere ſi accederet, neque ſi tangeret ægrè ferre, & oſculum oſculo repēſare oporteret: omnibus denique præceptis & inſtitutis amatoris quibus vti mulieres ad fucandam faciem ſolent, inſtructæ: atque alia aliam pulchritudine ſuperare contendebat. Aſpaſia verò neque ſplendidam tunicam induere volebat, neque magnifico veſtitu corpus ſuum amicitri patiebatur, neque lauare ſuſtinebat: ſed gemebunda omnes deos implorabat Græcos Eleutherios, patris nomen inclamans, ſeipſam patrémque deteſtabatur, ſeruitutis manifeſtæ ac certæ ſignum reputabat ſi olam circa corpus inuſitatam, & apparatum ſuperfluum: verberibus ad inducdam cogebatur, ac tametſi ſummo cum mœrore iuſſis eorum vix ob-

temperaret,tamen coacta est eiusmodi quæ non virginem,sed scortum decerent facere. Reliquæ igitur cum venissent,ad Cyrum respicere,subridere,lætitiam vultu præ se ferre. Aspasia verò in humum oculos deiicere,ignito quodam & perquam eleganti rubore facies vniuersa suffundi,oculi lachrymis pleni esse,omnibus denique gestibus verecundiam quandam repræsentare. Vbi verò rex iussisset sibi assidere,reliquæ prōptissimè parebant:at Phocis illa dicto audiens non erat,donec coactam vi,qui eam adduxerat satelles,collocaret. Cum autem Cyrus contrectaret,& contemplaretur,earum oculos,genas atque digitos, reliquæ facilè patiebantur. At illa non sustinebat. Si enim extrema manu saltem Cyrus attingeret,exclamabat,dicebátque eum non impunè laturum, si talia fecisset. Ea re supra modum delectatus est Cyrus,& cùm attrectante mamillas,illa surgeret,& se in pedes conijceret, contra Persarum consuetudinem,ardente amore Cyrus erga ingenuitatem eius flagrare cœpit. respiciénsque ad emptorem: Hanc,inquit,solam ingenuam & incorruptam adduxisti:reliquæ verò tam facie quàm moribus sunt impostrices. Quamobrem Cyrus eam plus amauit omnibus,cum quibus vnquā cōsuetudinem habuisset. In posterum verò mutuus inter illos amor coaluit,confirmatúsque est,& vsque adeò increuit, vt propemodum etiam æquabilitas intercederet,neque quicquam differret à Græcorum coniugiorum concordia. Ælian.lib.12.Var.hist.

APHRAANTES Libyes virginum optimas putabant, quæ castitatē seruantes plurimum temporis manerent virgines. Stobæus sermone 42. ex Nicolao de Moribus gentium.

MONIMA Milesia,quanquam haud magnis natalibus orta esset,cùm eam Armeniæ rex Mithridates ingenti pecunia atque promissis in Venerem sollicitaret,assentiri nunquam voluit,nisi eam vxorem atque ad regium solium Mithridates duceret. Quippe castū pectus aduersus duos ingentes hostes Auariciam ac Venerem pudicitia protexit. Quæ duo mala non imbecillis solum mulieris animum,sed viros quoque ipsos atque philosophos:sed quid dico?regna,ipsúmque terrarum orbem expugnare potuissent. Fulg.lib.4.cap.3.& Sab.lib.5.cap.6.

MARCELLVS deuicta Sicilia,Veneris Ericinæ templum extra portam Collinam ædificauit,vt castitatem seruandam ad suum vsque tempus Romana iuuentus intelligeret.& omnis luxuria à matribus quoque familiàs procul abesset. Alex.ab Alex.lib.2.cap.4.

SORDELLVS Mantuanus,insignis eques,à Beatrice Ecelini Romanensis sorore(qui tyrannus latè rerum in Tarusina marchia potiebatur) nec precib. nec lachrymis,neque forma aut amore,quo illa furebat,vinci se tulit:quin in secretum quoque locum inuitatus,cùm à muliere precibus minæ adderentur,omnia spreuit,ne erga eius fratres, à quibus amanter Veronę exceptus erat,ingratus videretur. Tunc quoque cùm illa à fratribus profuga in virili veste,Mantuam eum prosecuta esset,non antè,quod ab ea optabatur,effecit,quàm Ecelinus frater, vt ipsa ei nuberet contentus fuit,cùm illius flammis,ac dignitati formæ,semper honestatem opponeret:plus veræ laudis ex hoc occulto periculosóque prelio,quàm tribus & viginti perduellionibus assecutus,ex quibus variis in locis victoriam reportarat. Fulg.lib.4.cap.3.

CASTITAS IN IPSO CONIVGIO, EORVM SCILICET *qui perpetuam in coniugio virginitatem seruarunt.*

Exempla religiosa.

ARNVLPHVS natione Gallus,genere clarus, Stambergam Clodouei regis neptim duxerat vxorem. Sed vt spiritu non carne iungerentur sancto suadente Remigio inter se conuenerunt. Ne verò præsentia oppugnaret propositum,ipsa domi resedit,ille peregrè profectus est. Cūque multa morum sanctitate polleret, Turonensem episcopatum Domino per angelum iubente suscepit:ne scilicet apostolica careret dignitate,qui apostolorum vitam secutus fuerat,matrimonio præferens castitatem. Marul.lib.4.cap.7.

VANDO abbas,Pipini Gallorum regis nepos,à Dagoberto regni successore(cui in primis charus erat)compulsus est ducere vxorem:neque tamen ne castitatem seruaret,compelli potuit. Nuptæ persuasit,vt Deo potius quàm mundo seruirent. Itaque illa sacrarum virginum collegiū iniit,ipse monachorum:Abbatisque officio functus est,& miraculis nobilitatus. Idem.

EDVARDVM Britannorum regem cum Egica vxore virginitatem custodisse,memoriæ proditum est. Non tam illi vrbes,populos, prouincias vicisse gloriosum fuit,quam quòd seipsum vicerit, nullum venereæ voluptati relinquens locum. Ibidem.

AMOS Ægyptius abbas à parentibus accipere vxorē coactus, virgini virginitatē vt seruaret persuasit. Diuisis ergo lectulis vsi, sed tamē eodē contubernio,cùm iam decem & octo annis corpore ac mente integri vnà peregissent,vtilius tutiúsque sibi visum est si digrederentur. Itaque illa mansit domi,ipse verò ad solitudinem Nitriæ abiens, ab hominum consuetudine semotus vixit. Quid magis mirer nescio:tres pueros illos in Babylonia fornace inter flammas vinculis constrictos ardere nequiuisse:an istos vigente iuuenta nuptiali thoro iunctos,nuptiale opus,cùm tamdiu simul vixissent,exercere nunquam voluisse? Magnum vtrumque miraculum:sed multo maius donum,mentem castam habere,quàm illæsum corpus. Marul.lib.4.cap.7.& Sab.lib.5.cap.6.

Hoc idem in IVLIANO Antiocheno martyre & Basilissa virgine mirari licet,qui nuptiis inter se celebratis,cum Iulianus continentiæ votum suscepisset,brumæ tempore rosarum ac liliorum fragrantiam in cubili collocari senserunt. Stupescentique puellæ sponsus dixit, odorem hunc mundiciæ virtutis virginalis esse. Cuius quidem suauitate illa capta vnà cum ipso in virginitate perseuerare decreuit. Propositum amborum confirmauit visio. Christus cum matre virgine illis apparuit,pudiciciæq; corollis donatos dimisit. Cúmque diu simul castè sanctéque vixissent, religioni sese tradidére. Alter abbas monachis,altera abbatissa præfuit virginibus. Iulianus postremò martyrij quoque palma glorificatus, sicut carnis lasciuiam pudicitia, ira tormentorum vim patientia superauit. Iidem.

AMATOR Antisiodorensis episcopus,parentum suorum voluntati cedens,inuitus puellam genere & forma insignem cùm in matrimonium accepisset,suadendo induxit,vt secum castitatem profiteretur. Suscepto vtrinque voto,angelum Domini viderunt,quem antè videre non poterant,& virginitatis coronas de manu eius acceperunt. Mox illa virginum monasterium ingreditur,ipse clericus efficitur,Eladióque in episcopatum succedit:dignus ecclesiæ sponsus,qui cum maritus esset,se maritum nesciuit. Idem.

Ad Ioannem abbatem quendam seculari habitu HOMINEM venisse,author est Cassianus, primitiásque obtulisse. Cuius aduentu dæmon ab obsesso,quem sanare abbas non potuerat, repentè effugit, propter eum se fugere confessus. Admiratus Ioannes vnde ex illo homine tanta virtus emicuisset, curiosius percunctari cœpit:atque audiuit, eum olim dum monasticæ professionis desiderio afficeretur,à parentibus compulsum ducere vxorem, & iam annum vndecimum cum illa in virginitate perseuerare:ipsam denique omnibus insciis,sororis, non coniugis loco habere. Quare in stuporem versus senex,protinus exclamauit. Non immeritò talis viri præsentiam immundum spiritum ferre nequiuisse,cuius pudicitiæ constantiam ipse imitari formidaret,ne quod illi in laudē sibi cederet in perniciem. Tale quippe facinus omnium prędicatione dignum esse,sed nō ab omnibus experiendum:cum semper inter castimoniæ cōseruatores is qui fœminarum familiaritatem deuitat, securior sit, fortior,qui non deuitat. Marul.lib.4.cap.7.

HENRICVS primus Imperator,& KVNEGVNDA Augusta, iuuenes & principes(quæ omnia ad Venerem virentes secum aculeos ferunt) non modò omni alia Venere abstinuerunt,sed inuiolatum quoque virginitatis florem seruauerunt. Quod fortasse apud plerosque fide careret nisi miraculorum magnitudo(neque enim aut falli, aut fallere diuinum indicium ac testimonium solet) veram de vtriusque virginitate famam esse testarētur. Fulg.libro quarto,cap.3.& Marul.lib.4.cap.7.& Egnat.lib.4.cap.3.

IDEM Henricus aliquando in falsam adulterij suspicionem incidit. Cunegunda vt innocentiæ & pudicitiæ coniugalis experimentum ederet,iussit ignitos vomeres in medium adferri. Quod cùm factum esset,in mariti conspectu nudis pedibus illęsa super ferrum ignitum ambulauit, cùm has prius voces proclamasset: Si adultera sum,Deum oro vt candēti hoc ferro ita comburar,vt punitæ pudicitiæ coniugalis aliis mulieribus præsentissimum sim exemplum. Quò facto, vidit imperator illæsam coniugis pudicitiam esse. Albertus Cranzius lib.4.cap.5.Metropoleos.

GALLICANVS Constantiam vxorem non attigit. Vide tit. Diuitias proprias relinquere.

EDVARDVS tertius Anglorum rex, vxorem(quam duxerat)nunquā attigit. Matrem Emmam(quam adulterij suspectam habebat)in cœnobiū relegauit. Rauis.

ALFONSVS secundus, Alphonsi Catholici nepos, & Hispaniæ rex, nunquam vxori congressus est. vnde & Casti meruit cognomentum. Volat.in Geogra.& Fulg.lib.4.cap 3.

VANDEGISILLO Comiti Palatino(qui sub Dagoberto rege floruit)quum per vim data esset vxor, eam ad amorem castitatis induxit. Quo factum est,vt vterque in cœnobio se incluserit. Rauis.

ALMERICVS Pannonius,Stephani filius,qui Christianorum primus apud Pannonas regnauit, iuuenis cum coniuge agens, tantam continentiæ laudem meruit, vt nesciens veneris omnem cum vxore vitam transegisse dicatur. Fulg.lib.4.cap.3.

TECLA virgo,Paulo Apostolo Iconij Christum euangelizanti credidit. Cúmque iam desponsata esset, repudiato coniugio virginitatem seruauit:& ob fidei confessionem in ardentem rogum missa, vri non potuit, subitis imbribus igne extincto. Deinde leonibus,vrsis,tauris exposita,tot feris beluis repentè mansuefactis euasit inoffensa. Puduit proconsulem vltra in illam sæuire velle,cui tam atroces bestiæ pepercerant,& liberam dimisit. Marul.lib.4.cap.8.

CÆCILIA virgo Valerianum,cui desponsata fuerat,ipso nuptiarum die ita perterruit,cùm angelum virginitatis suæ defensorem esse asseruisset,vt ipsam ne contingere quidem ausus sit. Quinimò deposito gentilitatis errore ad Christum conuersus,& ipse visionibus perfrui meruit angelorum. Sed & martyrij coronam cum fratre Tiburtio laudabiliter consecutus est. Ergo non solùm intacta permansit Cæcilia cupidissimo iuueni tradita,verumetiam eidem saluti fuit:non auso prophanare illud quod virtute protegi vidit diuina. Denique ambo rubentibus rosis & candentibus liliis ab angelo coronari meruerunt:vt hoc virginitatis insigne esset,illud martyrij. Neque enim suppliciis vinci potuerunt, quos non vicerat voluptas. Idem.

MARGARITA Ægyptia virgo,de sponsi thalamo ad thalamum per-

uenit Christi. Prima quidem nocte illo ex lassitudine altius dormiente, vt qui diem totum in choreis & tripudiis desudasset, ipsa dormire non poterat, assiduè secum voluens, quomodo virginitatis suæ thesaurum subtraheret eius rapinæ. Clanculum ergo pedetentímque sese de cubili proripuit,ædibúsque excessit:& virum assimulata, monasteriúmque ingressa inter monachos latuit, vocata Pelagius:vbi persanctè vixit,neque quòd fœmina fuerit,vlli ante obitus sui diem cognitum fuit. Igitur non dormiendum virgini,vbi periculum imminet:sed vigilandum fugiendúmque est,si sese integram cupit conseruare. Et nisi huiuscemodi incumbat necessitas,nunquam viris virgo se credat:vbi diuersus sexus est, diuersarum cogitationum pugnas incidere necesse est. Idem.

MARIA Decegnies,puella 12 annos nata,parentum, non sua voluntate,cuidam Ioanni nuptui tradita,vitæ districtione ac sanctitate commouit virum,vt intactam dimitteret. In virginitate ergo perseuerans, multa virtute multísque miraculis celebris euasit. E vita decedenti, Christus,angeli,apostoli in visu apparuerunt. Quorum consolationibus instructa,mortis angustias non sensit. Solutam deinde à corpore animulā, à beata virgine cum angelorum comitatu in cœlum ferri conspexit episcopus Tolosanus. Haud immeritò tantam consecuta est beatitudinem, quæ ne viro quidem iuncta virilem copulam admisit: & matrimonij iugo cui iam subdita fuerat excusso,incorrupta & corpore & mente permansit. Idem.

EDELTRVDIS virgo(vt Sigebertus & Beda tradunt) Annæ regis orientalium Anglorum Christianissimi filia, primùm Candeberto australium Girgiuorum principi in coniugium tradita, cum eodem pari voto virginitatem seruauit. Deinde eo defuncto, iterum à patre inuita desponsatur Cephordo regi. Sed cum ipso quoque in virginitate annos 12 vixit. Postea verò eius permissu religioni se consecrauit,& securiorem quidem in monasterio,sed nō quàm domi castiorem vitam duxit. Haud dubium quin castitatis merito tanta gratia illam donauerit Deus, vt etiam iis quibus nubebatur,statim continētiam persuaderet. Rarissimum sanè exemplum ac nescio an à condito æuo alterum tale,vt aliqua & bis marita sit,& semper virgo. Marul.lib.4.cap.8.& Egnat.lib.6.cap.1.

Exempla Ethica.

AMOEBEAS citharœdus tanta traditur fuisse castitate, vt vxorem quam pulcherrimam habebat,nunquam attigerit. Ælian.libr.3. de Var. historia,& Volaterranus libro decimotertio,cap.3. Anthrop.

DIONYSIVS tragicus histrio ab vxoris congressu penitus abstinuit Ælian.lib.3.

CONIVGALEM VENEREM OMNINO RELINQVERE. *Coniuges,qui cùm vnà in coniugio vixissent,tandem castitatis votum professi sunt.*

Exempla Religiosa.

PHARON Meldensis antistes, postquam pari cum coniuge consensu religionem professi,altera inter moniales,alter inter monachos diu sanctè vixissent,formæ pulchritudinísque eius memoria sollicitatus, ipsam vt ad se veniret,rogatum misit. At prudēs fœmina,sagaci mente,id quod erat,concipiens,ire omnino recusabat. Eo ille magis ardere, nec animo conquiescere, nec euocando cessare. Venit tandem mulier cilicio induta,squalore obsita,vultu lugubri, & ipsum immundæ cogitationis arguens resipiscere fecit. Quòd si sanctissimum virum procul à mulieribus separatum recordatio ipsa penè ad vomitum redire compulit:quāto propius periculo erunt,qui cum his simul habitare præsumpserint? Marul.lib.4.cap.7.

THEONAS Scythiotici monasterij abbas,parentibus non sibi obsecutus,coniugij iugum tulit. Cæterùm cùm quinquennium vxori seruisset,ad continentiam est conuersus. Illi verò vt itidem se contineret, & iam spiritu secum, non carne copulari vellet, persuadere nullo modo potuit. Vbi autem omnes adhortationes incassum cedere vidit, grauiter ingemiscens: Ego te,inquit,mulier abstrahere à morte non possum, nec tu me separabis à Christo. Melius est mihi cum homine,quàm cum Deo habere diuortium. Post hæc relictis omnibus,dimissáque vxore, monachum se fecit. Sed nemo legem putet vnicum exemplum,vt repudiet inuitam. Nescis enim an sic voceris,vt hic vocatus est, singulari quadam vocatione,non communi. Quippe qui breui tanta profecit sanctitudine ac scientia,vt sub Ioanne abbate monasterium ingressus, in successoris eius Heliæ locum omnium suffragiis suffici meruerit:cunctis prælatus, qui vxori prætulerat Christum. Idem.

VRSINVS,Nursiæ presbyter,vxorem habuisse dicitur. Sed cū presbyteratum accepisset,ita ab ea fuisse alienus, vt nulla necessitate ipsam ad se propius accedere passus sit. Post annos 40 in tali continentia trāsactos,dum ille animam ageret, & tandem cessante nouissimi singultus anhelitu decessisse putaretur,ipsa admota ad nares aure,an adhuc spiraret,explorare cœpit. Mira res:persentit mulieris tactum, qui seipsum iā non sentiebat. Tum quicquid vitæ in mortuo corpore residuum erat,totum ad os collegit,prorupítque in vocem dicens: Recede mulier, nondum penitùs extinctus est ignis,tolle paleam. Recedente illa apparuerunt Petrus & Paulus apostoli,quos ipso vidente cæteri videre non poterant. Et dum ab eis(vt aiebat)inuitatus,se venire respondisset, expirauit. Si tales comites habet hinc discedens casti hominis anima,quis nescit quales habere soleat eius qui libidini seruit? Marul.li.4.ca.7. & Sab. lib.5.cap.6.

EVPHEMIANVS Romanus & Aglae vxor,post susceptum Alexium filium,continentiam postea seruarunt. Vide tit. Liberalitatis religiosæ.

ETELFRIDA,Angliæ regina,post primum partum abstinuit à viro. Rauis.

RADEGVNDIS Clotharij Galliæ regis coniunx, cùm annos aliquot cum marito sine querela vixisset,tandem seruandæ castitatis cupiditate accensa diuortium impetrat,& monasterio se includit. Quæque regis vxor fuerat,facta est sponsa Christi:& magis deinde miraculis claruit,quàm antè claruerat Galliæ regno quod reliquit. Marul.lib.4. ca. 8.

MELANIA,Vrbani prętoris filia,viro tradita,cum duos liberos,quos ex eo susceperat,impuberes adhuc, morte immatura amisisset, nequaquam de reparanda prole cogitare cœpit,sed de castitate seruanda. Crebris itaque suasionibus induxit maritum,vt distractis in pauperum vsus bonis,ambo animum ad Dei seruitium applicarent. Itaque ille inter monachos,ipsa inter ancillas Christi, quod vitæ superfuit, relicto geniali thoro laudabiliter peregerunt:viduitatem seruantes antequam vidui essent:immò quod plus est,religione se vincientes,ne vxorios actus repetere expeditum foret. Ibidem.

ISACIVS Comnenus Imperator Rom. bellóne fortior,an mente religiosior,corporéque castior fuerit, dubium est. Paulo enim ante obitum monachi habitum sumens,in cœnobio vixit:vbi cùm postremò renibus laboraret,medicique iuberent remedij gratia coitu vti, constantissimè renuit,etiam viua & incolumi vxore,à qua diu post sobolem abstinuerat. Volat.lib.23. Anthrop.

Redierat VITALIS Michael, Venetorum dux, infausto sanè exitu domum,ex Constantinopolitana prouincia:quē Venetus populus haud lætis animis acceperat,tum quòd classem magna ex parte laceram hostium insidiis dimisisset,tum quòd Iustinianæ familiæ viri omnes aut ferro aut peste penitùs obiissent,senibus tantùm domi relictis,quorum ope reparari familia tam illustris non posset. Hanc inuidiam vt à sese auerteret dux,literis ad Pont. Alexandrum missis, haud ægrè obtinuit, vt Nicolaus Iustinianus,qui monachum ad D.Nicolai phanum ageret, adolescens,religionis initæ voto solueretur,cui Annam filiam vnicam in matrimonium iungeret. Quo facto, Nicolaus ipse,& Anna vxor, susceptis marib. liberis sex,tribúsque fœminis,mutuo consensu vterque religionem repetiere: ille ad D.Nicolai phanum regressus, ipsa cœnobio sese includens,à marito prius erecto,in loco qui de Amianis dicitur. Qua ex re facilè æstimes,quantum illi pudicitiæ tribuerint, quámque ipsam summo animi ardore constantiáque receperint. Námque vbi reparandę familiæ tam celebri operam dedissent suam,ad apicem ducémque virtutis omnis pudicitiam sua sponte rediêre. Egnat.lib.6.cap.1.

Exempla ethica.

SOPHOCLES Atheniensis,philosophus & poeta clarissimus, ætate iam senior,cùm ab eo quidam quæreret, an etiamnum rebus Venereis vteretur? Dij meliora,inquit:libenter enim istinc tanquam à domino agresti & furioso profugi. Cicero in Catone Maiore:& Valer.Max. libr.4. cap.3. Plutarch. de Cupiditate diuitiarum.

CONIVGALIS VENERIS MODVS, QVI NON PENItùs,sed certo tantùm tempore à Venere abstinent.

POPVLO Israelitico Dominum de monte Sinai loquentem audituro,Moyses,imò per Moysen ipse Dominus præcepit,dicens: Estote parati in diem tertium,& ne appropinquetis vxoribus vestris. Et quis nam matrimonium audet æquare castitati,si coniugatos alioqui noluit Deus, nisi cùm per triduum sese continuissent? Marul.lib.4.cap.7.

MOYSI in monte Oreb de rubo loquens Dominus, dixisse scribitur: Non appropinques huc, solue calciamentum de pedibus tuis. locus enim in quo stas, terra sancta est. Itidem dictum est ad Iosue, cùm transmisso Iordane in agrum vrbis Hierico peruenisset. Calciamētum autem solui ei,qui nuptiis propinquitatis iure sibi oblatis renūciasset,mos erat:dicebatúrque domus discalciati. Igitur Deo appropinquare,vel in loco sancto stare volentes,iubentur calciamenta soluere:id est curæ coniugalis obliuisci,& cœlibatus signa præferre. Idem.

ABIMELECHVS sacerdos panem ceremonia consecratum, neque Dauidi esurienti,neque ex iis qui cum Dauide erant,daturus fuerat, nisi prius exploratum habuisset,mundos fuisse eos ab omni mulierum congressu. Sab.lib.5.cap.6.

Nota vox est IOHELIS prophetæ iubentis, vt sponsus de cubili suo migraret, sponsa de thalamo. Ad excidium & vastitatem, quæ Chaldæis imminebat, auertendam, indixerat ipsi genti Propheta ieiunium & fletũ. Cæterũm neutrum credidit profuturum, nisi à castis fieret. Tanti virtutẽ vnam insignis fecit propheta. Idem, & Marul. lib. 4. cap. 7.

Primo nocte, quando introductus est TOBIAS iunior cum vxore, hortatus est virginem, dicens ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie & cras, & perendie, quia istis tribus noctibus Deo iungimur. Tertia autem nocte transacta, in nostro erimus coniugio. Tob. 8.

ZENOBIA Palmyrenſium regina, præterquam quòd ab omni alio Veneris genere se contineret, cubitum cũ viro non redibat, nisi ex muliebribus signis se grauidam non esse animaduerteret. Post mortem autem viri diu bella gerendo, inter milites sanctissimè sine vlla infamia vixit. Fulgos. lib. 4. cap. 3.

PETRVS Vrseolus, dux Venetorum, post susceptum filium, vxorem nunquam attigit. Quod vtriusque voto factum est. Volater.

ALOYSIVS de Caballis Venetus, & vxor Particij sanguinis, vno eodemque consensu nunquam in vnum conuenêre, nisi sobolis procreandæ causa: vt quamuis simul hoc nomine iungerentur, nil tamen Venereæ licentiæ sit vnquam datum: interulis suis ita interim amicti, vt non facile altera alterum tangeret nuda corporis reliqua parte. Egnat. libro quarto, capite tertio.

CASTITAS VIDVALIS, POST MATRIMONIVM.

RELIGIOSA.

MOSES, seu potius Dominus Deus per Mosen in lege præcipit: Si filia sacerdotis, inquit, cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur. Sin autem vidua vel repudiata & absq; liberis reuersa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueuerat, alatur cibis patris sui. Non ne & in hoc videmus nuptiis præpositam fuisse viduitatem? Marul. lib. 4. cap. 7.

IVDITH viduam & multæ diuitiæ, & iuuenilis ætas, & elegans præ cæteris forma ad repetendum connubium hortabatur. Illa tamen viduitatem præstulit nuptiis, molli indumento cilicium, luxuriæ ieiunio, somno atque ocio vigilias & orationem: hisque armis instructa, Holophernis, id est diaboli dissecuit caput, nullũ ei ad se corrũpendam relinquẽs locum. Hinc illi quæ sic vicerat dicitur: Confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris benedicta in æternum. Marul. lib. 4. cap. 8. ex cap. 8. Iudith.

ANNA prophetilla, Phanuelis filia, cùm septem tantùm annos vixisset cum viro, in viduitate ad quartum vsque & octuagesimum vitæ suæ annũ perseuerauerat, quando Christũ videre, & de illo vaticinari meruit. Didicitii incorruptæ viduitatis præmium: disce & quo fale, ne corrumpi possit, condita fuerit. Non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Marul. lib. 4. cap. 8. & Sab. lib 5. cap. 6.

NATALIAM Hadriani martyris coniugem (quoniam forma multis placebat) tribunus Nicomediæ in coniugiũ petiit. Denegare non erat quod tribunus peteret, & ancilla Christi iam quò se verteret, nesciebat. Impetrat tamen tridui spacium ad deliberãdum: atque interim Dominum votis precibúsque sollicitat, vt pudicitiam, quam illi vouerat, ipse tueatur. Et somnio edocta, inde soluens Constantinopolim versus fugam fecit. Quod vt resciuit tribunus, consensa naui fugientem persequitur. Iam propè erat vt consequeretur, cùm contrario flante vento coactus est reuerti, illa fuo quò volebat peruenit. Itaque in viduitate ieiuniis & precationibus vacans, Deo seruiuit: seruiller autem homini, si iterum nupsisset. Ibidem.

PAVLAM Romanam Hieronymus scripsit, post mariti mortem non solùm nubere noluisse, sed etiam cum viris nunquam comedisse. Casta mulier vix se viduam esse putauit, si cui non sui sexus hominum, vel ipsa tantum conuiuandi familiaritate iungeretur. Sic itaque viduitatem sanctè puréque custodiuit, vt in monasterio sacris virginibus præsset quas cum æquauerat castitate, eas cæteris virtutibus superabat. Ibidem.

ELIZABET Langrauio nupta votum vouit, si marito superesse sibi contingat, Deo se in castitate seruituram: & casti propositi meritum habuit etiam cõiugata. Post viri obitum, de ingentibus diuitiis ad vltimam denoluta est paupertatem, rapiẽtibus omnia qui se Langrauio succedere dixerant. Vnde ab episcopo Babenbergensi suscipitur, pieque sustentatur. Quo rursum ad nuptias hortante, dorémque multam pollicente: respondit, Si id conari pergeret, sibi in animo esse, truncatis naribus vel scissa facie ita se deformem reddere, vt qui ducere velit, futurus nemo sit. Igitur inops & egena mulier, nec prioris fortunę fœliciratem amissam doluit, nec secundę oblatam accepit, dum sola castitate gaudet. Adeóque impatienter tulit ad coniugium repetendum se inuitari, vt nisi qui inuitabat ceissasset, sitam ipsa faciem laceraſſet. Quanta autem sanctitate profecerit, hinc nosse licet, quòd nullum ferè virtutis genus in hoc opere eius exemplo vacuum sit. Profectò nisi perpetuam castitatem tam ardenter adamasset, ad tantam perfectionem nunquam peruenisset. Ibidem.

GALLA Symmachi consulis filia (vt Gregorius refert) Gothis Italiã vastantibus viduata viro, quo cum annum tantum vixerat, nulli postea nubere voluit, licet & ætate integra esset, & non illiberali forma. Ægrotanti, fœdaque corporis scabredine affectæ, medici consulebant rursum vti marito, alioquin eo morbi genere vel periturum: vel si vixerit, cõtra sexus sui morem villosum mentum habituram. At illa neque oris deformitate, neque moris periculo territa, propositũ dimisit castitatis. Dũ autem diẽ suum obiret, affuit in visu Petrus apostolus, à peccatis absolutam esse dixit, promissis vitæ æternæ erexit, & vt secum veniret hortatus est. Tunc sancta anima illo dimisso corpore, quò vocabatur, læta abiit. Si his etiam digamas frui solere visis nostis, nubire viduæ: sin verò nihil tale de illis memoriæ proditum legistis, non est, cur illas imitemini, de quarum beatitudine à scriptoribus siletur. Si quis tamen continere se nõ poterit, nubat. Melius est nubere quàm vri, quia minus malum maiore malo melius est. Ibidem.

EVPHRAXIA, virginis Euphraxiæ mater, hac vnica prole suscepta, cum viro suo Antigono castè continentérque vixit. Cæterũm illo defuncto, quoniam ætas, forma, diuitiæ suppetebant, ad secundas nuptias vrgeri cœpit Theodosij imperatoris Augustęque suasionibus ac promissis. Quod quanquam amore erga ipsam summo agebatur, illa tamen ingnans, & castitati metuens, rebus occultè nauigio impositis, cum filiis Ægyptum nauigauit: & in Thebaidam perueniens, filiam monasterio tradidit: quæ secum tulerat, pauperibus erogauit: pilsque ipsa operibus incũbens, castitatis propositum nunquam dereliquit. Cũmque abbatissa cui filiã cõmendauerat, in quiete vidisset Antigonum in paradiso fulgentem à Domino exoratum esse, vt coniugem suam de terris euocatam sibi sociam faceret: die qua prædictum fuerat, læta decessit. Tanta ergo accepit bona, quia & cum viro castè se habuerat, & sine viro viduitatem constanter seruauerat, quanta imperator iterum nubenti dare nunquam potuisset. Ibidem.

SALABERGA post quinque filios ex Alduino marito, Dagoberti Galliæ regis duce genitos, ab eodem impetrauit, vt deinceps in castitate Deo seruiret. Itaque constructo apud Lugdunum amplo monasterio, trecentis fere ancillis Christi præesse meruit, & multorum signorum operationibus celebris fuit. Et quia seruandæ castitatis gratia virum liberosque reliquit, nunc cum Christo regnat: & in quo omnis beatitudinis summa est, eius indissolubili fruitur consortio, conspectúque lætatur. Ibidem.

ETHICA.

CONIVGALIS amoris exempla sunt nobis turtures & cornicesquarum ea societas est, vt ex duabus sociis altera extincta, vidua altera perpetuò maneat. Quod de lyncib. quoque memoriæ proditum est, vt post amissam coniugem alij non iungantur præterea. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 5.

Apud ANTIQVOS mulieres quę vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ donabantur. Existimabant enim eum præcipuè matronæ, sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile, in publicum egredi nesciret, multorũ matrimoniorum experticiam quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

DIDO, mortuo Sichæo, vt secundas nuptias cum Iarba Numidæ efferet, seruandę pudicitię causa seipsam interemit. Videtit. Qui mortem sibiipsis consciuerunt.

Cyro in prælio contra fatrem interfecto, ASPASIA Phocensis concubina illius, in hostium quoque manus incidit. Eam rex Artaxerxes singulari studio inquiri præceperat. Cùm autem vinctam eam ducerent, reconduit, & huius facinoris autores in vincula coniecit: iussitque ipsi magnificum splendidúmque vestitum dari. Quod cùm audiuisset, cum lachrymis & gemitu deprecata est: tantamen induere stolam à rege donari coacta est magna vi. Nam summo luctu Cyri obitum deplorabat. Eam cùm induisset, omnium mulierum formosissima visa est: starimque Artaxerxes ignem concepit, & contabuit. Itaque primam inter omnes vxores illam habuit, mirificóque honore prosecutus est. Qua re gratum ei facere conabatur, sperans posse se memoriam Cyri ex animo ipsius euellere, & persuadere vt se non minus illo amaret. Verùm tardè seróque eadem spe potius est. Etenim confirmata in Cyrum benevolentia, quę ei in Aspasia radices egerat, quasi philtrum insanabile penitùs ipsi intederat. Ælian. lib. 12. Var. hist.

RHODOGVNE Darij filia, mortuo marito, nutricem dedit morti, secundas nuptias suadentem. Rauis.

EVRIPIDES fertur perpetuo mulierum odio conflagrasse: siue quia natura esset talis, abhorreréque à mulierum cœtu: siue quòd duas habuerat vxores simul, pro Athenienſium decreto: quarum matrimonij quem pertęduisset, toti sexui bellum indixit. Hinc μισογυνὴς dictus est. Cælius lib. 13. cap. 10. ex Suida.

NICERATI coniunx mortem sibiipsi consciuit, ne triginta tyrannorum, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret. Guido Bitur.

Demotionis Areopagitarum principis FILIA (vt recitat Hieronimus) audito sponsi Leosthenis interitu, qui Lamiacum bellum cõcitarat, fele interfecit: asserens, secundas nuptias se ferre non posse: sibi enim solum perpetuò in animo viuere Leosthenem. Guido.

Syuorix captus amore CAMMÆ, coniugis Sinati, miserè depereba: & cùm nullis pollicitationibus posset Caminam ad facinus adducere, virum eius Sinatum dolo malo sustulit. Quo extincto, Cammam vt sibi nuberet

nuberet compellere satagit. Illa verò assensum simulat: & ante aram Dianæ phialam tenens, quasi sacrificium factura, poculi partem hausit, partémque Synorigi porrexit (erat autem mulsum veneno permixtum) quam simul ipse ebibit. Guido Bitur.

ANNIA, cum ab amicis adhortaretur, vt post defunctum priotem marium alteri nuberet, cum ætas esset & integra, & forma præstantissima adhuc: quorum alterum preberet spem prolis, alterum promitteret amorem mutuum: Nullo, inquit, pacto hoc factura sum. Si enim bono viro nupsero, nolo posthac timere ne amittam: sin verò malo, quæ me caperet dementia, vt post optimum tantum admitterem? Idem.

VALERIA Messalarum soror, amisso Seruio viro, nulli voluit alteri nubere. Interrogata super hoc, respondit, sibi semper maritum Seruium vinere. Guido.

Simile est MARCELLÆ responsum, à qua cùm esset quæsitum, An gauderet se nupsisse: dixit, Ita quidem vt amplius nolim. Guido.

Cùm quæreretur à MARTIA Catonis filia minore, cur post amissum maritum, denuò non nuberet: respondit, Non se virum inuenire, qui magis eam vellet quàm sua. Quibus dictis ostendit, diuitias magis in vxoribus ducendis eligi solere, quàm pudicitiam: & multos non oculis, sed digitis vxores ducere. Author Hieron.

Eadem, cùm diutius lugeret maritum, rogata quem esset habitura diẽ luctus vltimum: respondit, quem & vitæ, *Sic illa Ethnica, magno sanè cũ* dedecore plurimarum Christianarum, quæ viro nondum elato iam nupserunt. Eras. lib. 8. Apoph.

EADEM, quum laudaretur apud eam mulier quædam vt bene morata, quæ tamẽ iterarat matrimoniũ m: Felix, inquit, ac pudica matrona nõ nubit nisi semel. Non passa est illam inter bene moratas numerari, quæ citra necessitatem asciscceret alterum virum. Nam multas huc cogit egestas. Porrò coitus gratia nuberè, est nõ verè pudicarũ. Eóque dixit, Felix: excusans necessitatẽ. Alij tamen hoc CORNELIÆ Gracchorũ tribuũt. Idem.

THEVTONVM & Cimbrorum coniuges captiuæ, Marium victorem orarunt, vt virginibus Vestalibus dono mitterentur: affirmantes æquè se atque illas virilis concubitus expertes futuras. Qua re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. Valer. Max. lib. 6. cap. 1. Hieron. in epistola ad Gerontiam.

ANTONIA, Druſi Germanici vxor, ætate integra & forma insigni amorem mariti sui egregia fide pensauit. Postquam enim Drusus maritus ex equo delapsus crus fregisset, & post tricesimum diem animam expirasset, cum Liuia socru sua reliquum vitæ tempus summa cum continentia vidua peregit, & cubiculum socrus pro marito habuit. Val. Max. libro 4. cap. 3.

Continentissimus IVLIANVS imperator fuit, qui mortua coniuge Helena, quanquam iuuenis admodum, multos annos in cœlibatu, sine vllo Veneris commercio, egisse creditur. Captáque in Perside vrbe Maiozanalcha, in qua formosæ permultæ mulieres erant: non modò nullam attigit, verùm vt continentior esset, ipsárum quoque conspectũ deuitauit. Fulg. lib. 4. cap. 3. ex Marcel. lib. 25.

QVIRINA senioris Bernardi Iustiniani vxor, & viuente marito, & eo postea mortuo, dum filiis educandis operam omnem impenderet, lumbos suos lamina ferrea præcinctos esse curauit. Quid igitur admirabimur ab hoc veluti materno fonte tres liberos esse profectos: Laurentiũ videlicet primum Venetiarum patriarcham, meritò inter diuos relatum: & Marcum ipsum, primum Bergomi prætorem: & Leonardum, D. Marci procuratorem, eloquẽtiáq; facilè sui temporis principem, & Bernardi iunioris Iustiniani postea parentem, tria veluti numina Venetiis floruisse? Quando Quirina mater omni studio illos à pueritia Christiano lumine, suóque in primis exemplo, quum quartum & vigesimum ætatis annum ageret, à mariti morte erudiendos curarit. Instruentur igitur patres & matres in filios hoc exemplo, quo pacto eos à primis annis erudiãt, qualésque ipsi esse debeant: Egnat. lib. 6. cap. 1.

SCODRENSES fœminæ non multæ sanè numero superstites, dedita Turcarum principi Scodra, ad Venetos commigrarunt, quæ tantum pudicitia excelluisse ferunt ur, vt apud nos Scodrenses fœminæ summæ cuiusdam pudicitiæ famam & nomen in hodiernum vsque diem retulerint. Sanè constat summa semper fuisse laude dignas, neque vnquam de iis infame exemplum esse auditum. Idem.

NVPTIÆ SECVNDÆ.

Virginitati primus debetur honos, secundus viduis. Matrimonium medium est, quod & virginitatis florem, & viduitatis fructum, ne pereãt, & incerta libidine æstuent, custodit. Nubere præstat, quàm vri. Hoc si virginibus conceditur, quorum dignitas maior est, multo magis viduis. Etsi ergo viduæ laudem meretur summam, quando prioris thori obseruantia pudicitiam suam tuetur: est tamen non minus illa quoque laudanda, quæ honestè ac pudicè secundas nuptias repetit. Nam quæ proportio est virginitatis ad matrimonium, eadem perpetuæ viduitatis ad secundas nuptias.

LEONIDAS Anaxandridæ filius, & frater Cleomenis, cum proficisceretur in bellum contra Persas, vxori GORGONI roganti, si quid ipsi mandaret: Nihil, inquit, aliud tibi mando, quàm vt nubas, & bonos liberos parias. Quo dicto vir fortissimus, quasi præsagio ostendit, se periturum in prælio: & admonet vxorem vt alij viro nubat, & omnes nexus intendat vt filij probè instituantur. Plutarch. recitat in Lacon. Apoph.

DEMETRIVS, quum alteram vxorem ducere statuisset, liberis ipsum percõtantibus, Nunquid in ipsis haberet de quo quereretur? Nequaquã, inquit, imò ob id potius alteram duco, quòd collaudem vos, cupiámque mihi & alios istiusmodi liberos nasci. Etaf lib. 5. Apoph.

BARBARA, quæ Sigismundi Cæsaris vxor, & eo fatis functo vidua superstitit, cùm sibi diceret aliquis, imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito perpetuam castitatem seruaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres iubes, cur non columbas potius, passeréque proponis? Æn. Syl. de dictis Sigismundi & Friderici Imp.

CONTINENTIA IN VENERE ILLEGITIMA.

SCORTATIONEM, STVPRA FVGERE.

EXEMPLA RELIGIOSA.

IOSEPHVS Israelis filius, quum in Putipharis domo Memphi seruiret, non herilib. illecebris, non suppliciorum metu subigi potuit, vt muliebrem libidinem secutus, cum hera, à qua procaciter appetebatur, sollius stuprum faceret. Maluit castissimus puer in tenebris inter reos & fontes vinctus iacere, quàm eam domum, in qua clementer ac benignè alebatur, flagitio fœdare. Sabellicus lib. 1. cap. 3. ex 39. Geneseos. Marul. lib. 4. cap. 7. & Fulg. lib. 4. cap. 3.

APELLES quoque monachus, diabolum sub mulieris forma se dolosè illicientem candenti ferro manu è fornace rapto (erat enim faber) perculit in faciem: & ille edito ciulatu, vt à multis audiretur, fugiens evanuit. Apelli deinde candens ferrum manu, non forcipe tenere, cùm opus faceret, motis fuit. Quem enim libidinis calor diabolo succendente vrere non potuit, iam nec ferri poterat. Marul. lib. 4. cap. 7.

CHRISTOPHORVM martyrem, qui mundi opificem in humeris gestare meruit, cui ducenti milites manum iniicere non sunt ausi, quo viso Ammonitarum rex est territus, vicissent fœminæ, nisi ille repentè ad orationis arma confugisset. Vinctus, & in carcere positus, dum illum duę insignis impudicitiæ sorores Niceta & Aquilina, ad hoc à rege missæ, vt turpi voluptate delinirum à Christo auerterent, complexu, osculis, alloquis oppugnare cœpissent: sensit in tali certamine suam sibi haud tuticere virtutem, & Domini inuocauit. Eo orante carcer illurit, subitus perstrinxit oculos fulgor: mulieres expauidæ in terram corruunt, mortẽ sibi timentes, quæ mortem intentauerant viro. Sed tandem ab eo spe venię recreatæ, Christo crediderunt: dúmque ipsum palàm confiterentur, tyranni gladium immotis iugulis excepère. Tantum itaque valuit casti cordis deprecatio, vt Christophorus & periculum euaderet: & quas pudicitiæ oppugnatrices habuerat, socias haberet martyrij. Ibidem.

EVSEBIVS episcopus & martyr, quam virginitatem ab ineunte ætate sollicitè custodierat Deo protegente nullius insidiis amittere potuit. Mulier quædam forma illius capta, cùm ad ipsum impudenter irrumpere veller, cubiculum aditu aperto intrare non potuit: & *culpæ conscia, ac* terrore simul perculsa, ante ianuam excito episcopo crimen confitendo veniam impetrauit: atque abiit mœrens, dum secum reputat quantum malum est libido, ob quam pudicitiæ cultorem ne adire quidem digna fuerit. Et illum profectò, quem nulla vnquam obscœnitas vicerat, nec persecutoris gladius vicit. Ibid.

ÆQVITIVS in Valeriæ partibus abbas, dum in iuuenta immundis tentationibus quateretur, ad precum confugia recurrebat. Postremò somniãti visum est, astitisse angelum, *omnémque sibi* gemtalium motum ademisse: nec postea se tentari. Quinimò Dei dono fretus, præsse monasterio fœminarum cœpit. Interim ramen discipulos admonere nõ cessabat, ne se in eo prius æmulari vellent, quàm pari miraculo intuperabiles facti fuissent. Ibidem.

NICETA martyr à patre Miximiano, Nicomediæ rege ob Christianam professionem supplicia passus, postquam omnia constanti animo pertulisset, super plumea culcitra resupinus collocatur: vinculisque constringitur, ne inde se mouendi facultas esset. Tum adducta est meretrix forma prædita, vestitu compta, arte instructa: quæ & minus fortes allicere, & non ita cautos posset peruertere. At verò Niceta, vbi se ab illa modis omnibus ad impudicitiam concitari vidit, manibúsque fœmineis verenda etiam in parte improbè ac peruianter attrectari, ne lasciuia vinceret, quem non vicerãt tormenta: præcisam morsicũs linguam in osculãtis se faciem expuit, & vi doloris vim repulit voluptatis. Exhorruit viri cruore perfusa mulier, abiitq; admirãs ac stupẽs: &

iam maius quiddam homine illi inesse reputans, quem vt libidini suæ cederet, ne vinctum quidem cogere potuit. Ibidem. & Sab. lib 5. cap. 6.

Par huic exemplum in vita Pauli primi eremitæ, refert Hieronymus, sub Decio & Valeriano persecutoribus apud Ægyptũ passi IVVENIS, Sed illum postquam omnia tormentorum genera superasset, in amœnissimos hortulos adductum, inter lilia candentia & rubentes rosas, lectulóque compositum leuis murmur illi iuxtà labente riuulo, mollísque sibilli vento arborum stringente folia, ita vt locus ipse turpem voluptatem mouere posset, nisi dissectę dentibus linguę dolor etiam thori molliciem, & meretriculę procacitatem blandimentáque contẽpsisset. Ibidẽ.

Ferunt etiam quendam in deserto Ægypti SOLITARIVM, singularis probitatis virum, ad quem corrumpendum cùm venisset meretrix) acceperat autem sponsionem à quibusdam lasciuis & simillimis iuuenibus, si illum ad coeundum secum compulisset) finxit se viam aberrasse: & quoniam vesper erat, flens petit, vti nocte illa tecto susciperetur. At ipse animi suspensus aliquandiu stetit. Castitatis periculum denegare quod petebatur suadebat, charitas verò cedere cogebatur, ne quid fœminæ foris manenti aduersi contingeret, cùm locus feris frequens esset. Denique receptam in vno tugorioli angulo posuit, & se in altero collocauit. Noctu tamen cogitationibus ad impudicitiam pulsatus, iam in eo erat vt vinceretur: cùm subitò in mẽtem venit, quòd pro tam breui voluptate ignem æternum passurus esset. Exurgens igitur accendit lucernam: &, Experiar, inquit, an ignem sustinere possim, quem sustinere cogerer, si deliquissem: digitósque ad lucernam admotus vrere pertinaciter cœpit. Adustionis cruciatus, libidinosas cogitationes dissipauit, & gehennæ timor intimam voluptatis titillationem repressit. Mulier autem, quę serui Christi in mortis foueam præcipitare moliebatur, ipsa ibidem vitam cũ morte commutauit. Manè iuuenes illi adueniunt: & quam vicisse putauerant, mortuam iacere offendunt. Sanctus verò vt pro malo redderet bonum, ipsam quæ pudicitiæ suæ insidiari ausa fuerat, precatione sanitati restituit. Idem.

Imperante Diocletiano Augusto, qui grauiter Christianum nomen insectabatur, MATER cum duabus puellis comprehensa, & plaustro imposita, Diocletiani iussu Antiochiam, & illinc (quia Christianæ ferebãtur esse) ad prostitutarum locum deducebantur: vt demùm, nisi diis, quibus princeps volebat, sacra peregissent, omnes occiderentur. Ipsæ verò cùm neque pudicitiam violare, neque Christiano nomini renunciare vellẽt, vt fortè (dum ducuntur) ad amnem quendam peruenerunt, petierunt vt plaustro descendere liceret, quia naturæ necessitatibus satisfacere cogebantur. Illic cùm aliquantisper à custodibus secessissent, in caput demissæ, in amnem corpus aquis, & animam innoxiæ creatori Domino reddiderunt. Duæ quoque ex eodem loco, in mare, ob eandem causam, cùm Antiochiam deducerentur, è naui sese præcipitarunt. Fulg. libro 6. cap. 1. Vnam ex his Pelagiam vocatam scribit Ambrosius lib. 3. de Virginibus.

PITHOMENA Alexandrina virgo, Romani ciuis serua, ab eo & propter formam, & propter virtutem vehementer diligebatur. Eam cùm diu promissis minísque frustra oppugnasset dominus, tandem amore in odiũ conuerso apud iudices eam ceu Christianam detulit. Cùm autem puella de sententia non moueretur, feruenti pici immersa, hoc tormento vitam agere, quàm pudicitiam violare maluit. Pudicitiam profectò mirandam. quis enim facilè credat, in ætatis flore, seruam, proposita morte, & vt grauior esset, publicè inter grauissima tormenta (cum alia in parte libertas opésque, si annueret, ostenderentur) omnibus resistere? nedum vel parua in re assentiri velle? Fulg. lib. 6. cap. 3.

EVGENIA Romana, Philippi proconsulis Alexandrini filia, cùm à Commodo Imperatore nimis ardenter diligeretur (neque enim minus opibus quàm forma excellebat) vim verita, quæ appropinquare videbatur, monachi habitum ac nomen mentita, profugit. In quo statu cùm sub falso nomine occulta maneret, Æmyliana Romana, quæ magno orta genere religionis gratia in orientem profecta, Alexandriæ morabatur, eam ardenter diligere cœpit: & cùm æquè in consuetudinem aliũ nullum admitteret (quia in viri habitu erat Eugenia (ob inuidiam, tãquam cum Æmyliana adulteraret, apud proconsulem accusata, necessitate ita premente, proconsuli se & fœminam & filiam eius esse detexit: statimque iudicio liberata, ad virgines transiuit. Sed postea quia in Christianos persecutio augebatur, cùm abnegare Christum nollet, vt ei cui inseruiebat placeret, occisionis mala pertulit. Idem.

SOPHRONIA Romana matrona, nobilitate insigni, quæ Maxentio (siue, vt alij, Maximino) imperante præfecti vrbis vxor erat: cùm à Maxentio sollicitaretur, ita vt nisi volens Maxẽtio morem gereret, vim imminere facilè appareret, viro omnem rem enarrauit. Cùm præ formidine virum sceleri animaduerteret assentiri, auro gemmísque se quàm impense potuit excoluit: & cùm eam à Maxentio missi viri expectarent, ipsa vna tãtùm comitata ancilla, cubiculum suum ingressa est. Vbi posteaquã longiore oratione se Deo excusauit, si ante statutam diem vitam relinqueret: cultello sibi ipsi mortem consciuit. Lucretiæ Romanæ in eo anteferenda, quòd ipsa ne vel corpus, vel animum, quæ duo insigni pudicitiæ cãdore fulgebant, labe aliqua inficeret, manum sibi iniecit: illa vt læsum iam pudorem excusaret, sanguinem cum vita effundere voluit. Idẽ, ex Eusebij lib. 8. cap. 17. & Viues lib. 1. de Instit. fœm. Christi.

ANASTASIA Constantinopolitana, cùm eam Theodora Augusta, suspicata à Iustiniano Augusto viro suo diligi, acerbo verbo carpsisset, vt vero experimento declararet se ea in re Iustiniano non consentire, Alexãdriam profugit: atque illic inter sacras virgines latuit. Vbi cum postea Theodoræ audita morte, se impensius quàm antea à Iustiniano, Theodoræ iugo liberato, diligi audiret: verita ne vis inferretur, cum declinauit amorem, quem permultæ magno studio sequi voluissent. Itaque viriles amicta vestes, ad extrema Ægypti deserta aufugit: & illic Anastasij, tanquam vir esset, nomine sumpto, diu austerè ac sanctè vixit. Fulgosus lib. 6. cap. 1.

Diuus Hieronymus ad Rusticum monachum scribens, testatur vidisse se in Ægypto ADOLESCENTEM, cum stimulis libidinis resistere atque obniti posse iam desperasset, abbatis solerti simulatione seruatum. Dicam, inquit, quod in Ægypto viderim: Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem pater monasterij hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgiis atque cõuiciis insectaretur hominem. Is post irrogatam iniuriam primus venit ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille cœpit contra mendacium, nullus alius credere verę veritati, solus pater defensionem suam callidè studuit opponere, ne abundantiori tristicia absorberetur frater. Quid multa? ita annus ductus est, Quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc aliquid molestię sustineret? Papæ, inquit, viuere mihi non licet, & fornicari libet? Nũ quæso, consultius meliúsve fecisset abbas, nihil tale confingere, & discipulo in æternæ mortis discrimen ruenti non subuenire? cùm præsertim nullo alio remedio ab imminenti pernicie eximi potuerit. Marul. libro 4. cap. 4.

EXEMPLA ETHICA.

ALEXANDER Macedo, cum Darij filias vxorem, sororem, captiuas haberet, mirũ in modum formosas, ne videre quidem eas voluit: turpe ratus esse, eum qui viros vicisset, à mulieribus superari. Author Basilius de Lib. studiis.

Mazusij abstinent à mulierum consuetudine, præterquam ab illarum quas bello cæperint. Brusonius lib. 1.

XENOCRATES Chalcedonius Platonis discipulus, tantæ continentiæ erat, vt Phryne, nobile Athenarum scortum, deposito cum quibusdam iuuenibus pignore in se suum concubitum allecturam, in lectuli parte admissa, nullis illecebris, nullo libidinis irritamento, cùm omnia frustra tentasset, incredibilem eius continentiam violare potuerit. Quæ, cùm à iuuenibus victoriæ precium posceretur, facetè respondit: se cum illis de viro, non de statua vel trunco certasse. Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Laertius lib. 4. cap. 2.

XENOCRATI quoque discipulos Laidem insignem meretricem, formáque excellentem iniecisse in lectulum tradunt: illúmque adeò fuisse continentem, vt cùm se ad libidinem incitari præsensisset, secati & vri verẽda sit passus. Diogenes Laertius lib. 4. cap. 2.

Quartum & vicesimum annum agens P. SCIPIO Africanus maior, cùm in Hispania Carthagine oppressa, maioris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, multósque obsides, quos in ea vrbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ virginem ætatis adultæ, & iuuenis, & cœlebs, & victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimóque gentis eius Indibili despõsatam, accersitis parentibus & sponso inuiolatam tradidit: aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius gratiam debitã retulit. Valer. lib. 4. cap. 3. Historiam habes apud Liuium lib. 7. dec. 3. Plut. in vita Scipionis. Plin. cap. 49. de Viris illust. Flor. lib. 2. cap. 6. Eutrop. lib. 3.

CN. POMPEIVS se continẽtissimum esse ostendit, cum superato Mithridate rege Ponti, captisque permultis quæ forma insignes erãt eius concubinis, rem cum nulla habere voluit: quin potius cùm nobili genere ortas intelligeret, cognatis illæsas restitui iussit. Qua cõtinentia non minus quàm Mithridate deuicto laudis deportauit. Fulgosus libro quarto, capite tertio.

TIBERIVS Cæsar aliquandiu fuit continentissimus, nec sinebat aliis libidinosè quicquam agere: in multos animaduertebat, vt etiam Liuiam matrem suam temperantiorem faceret. Dion in eius vita.

C. APPIVS Syluanus, vir nobilissimus, cùm à Messalina Claudij Cæsaris libidinosissima atque petulãtissima vxore, ad fœdam libidinem clàm sollicitaretur, atque libidinosæ adulteræ satisfacere nollet, apud Claudium à Messalina accusatus tanquam insidiator vitæ, miserè innocentérque occisus est. Xiphilinus in Claudio.

VAL. Diocletianus imperator Rom. cùm bello vxorem filiásque Narsei Persarum regis cæpisset, summa diligentia earum pudicitiam custodiri iussit. Qua continentia non minus magnum sibi apud hostes, quàm armis nomen peperit: eáque res Persas mouit, vt quod antè de imperio Romano occuparant, restituerent, pacémque iustis conditionibus admitterent. Fulgos. lib. 4. cap. 3.

Ingentem animi cõtinentiam TOTILAS in Italia Ostrogothorum rex ostendit, cùm bello aduersus Romanos suscepto, etsi eorum rebellione grauiter exacerbatus erat, in Campania Cumas vrbem cæpisset. Nã cùm in ea permultas nobili genere mulieres Romanas offendisset, seruata singulari diligentia earum pudicitia, parẽtibus propriis singulas eas restituit. Fulg. lib. 4. cap. 3. & Egnat. lib. 4, cap. 3.

FRANCISCVS Sfortia Mediolanensis, cùm Florentini populi copiarum dux esset, vi capto Casanoua oppido, quidam milites insigni forma puellam captiuam ducebant, clamantem vt ad primarium ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco Sfortia, Quamobrem ad se venire cupiisset? respondit, vt eius voluntati obsequeretur, modò incolumen eam à militum iniuria seruaret. Cùm forma insignis videretur, & ætatis flos ipse esset: parum se erraturum Franciscus putauit,

putauit, si volente ea potiretur. Itaque in lectum eam noctu secum adhibuit: & cùm appropinquare, atque eam complecti vellet, puella lachrymarum plena ad virginis Dei matris imaginem conuersa (quam lecto è more affixam Franciscus singulari veneratione colebat) rogauit, per illius quę in tabella erat venerationem, item per famam quæ de ipsius bonitate apud omnes erat, ne se virginitatis honore priuaret: sed marito intactam potius restitueret, qui cum aliis captiuis in vinculis custodiebatur. Adeò ingens Francisci continentia fuit, vt quanquã & formosam & puellam in bello captam, nudam propè se in lecto sentiret, pudicitiæ eius conspecto studio, statim lecto prosiluerit: manéque accersito ad se viro eam publicè restituerit, adiurans nihil cum ea sibi rei fuisse. Scipionem in pari facto non solùm imitatus est, sed etiam, quòd in ætatem minus bene moratam peruenisset, iudicio meo superauit. Præsertim cùm illud accedat, quòd cum nobili orta genere esset, quæ ad Scipionẽ perducta fuit, Scipioque in vrbe libera viueret, fortasse ex violata mulieris pudicitia censuræ iudicium expectare potuisset. At in Francisco nihil prorsus erat, quod eum ab explenda cupiditate, si abfuisset naturæ bonitas, ob vllam metus suspicionem cõtinere deberet. Hoc ipso patris Sfortiæ præceptum de alterius nupta non attingenda secutus. Fulg. lib. 4. ca. 3. Vide tit. Institutio sub parentibus.

Triginta Atheniensium tyranni, cùm PHÆDONEM in conuiuio necassent, filias eius virgines ad se venire iusserunt, & scortorum more nudari, supérque pauimenta patris sanguine cruenta gestibus impudicis ludere. Quæ paulisper dissimulato doloris habitu, cum temulentos conuiuas cernerent, egressæ, & inuicem se complexæ, præcipitauerunt sese in puteum, vt morte virginitatem seruarent. Guido.

Septem MILESIÆ virgines Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus suis sustinerẽt, turpitudinem morte fugerũt. Hieronymus.

Captis euersísque à Nicatore Thebis, is in THEBANÆ virginis flammas incidit: muneris loco, quòd ab eo diligeretur, eam accepturam arbitratus. Tamen cùm diu rogando nihil profecisset, virgo imminere vim verita, in partem secedens, & aliud à se agi fingens, mortem manu sua sibi consciuit. Fulgos. lib. 6. cap. 1.

Græca fœmina nomine HIPPO, cùm hostium classe esset excepta, in mare se, vt pudicitiã morte tueretur, abiecit: cuius corpus Erechtheo littori appulsum, proxima vndis humus sepulturę mandatum, ad hoc tempus tumulo cõtegit: sanctitatis verò gloriam æternæ traditam memorię Græcia laudibus suis celebrando, quotidiè florẽtiorem effecit. Val. Max. lib. 6. cap. 1.

DRASILLA Dyrrachina primaria virgo, cùm imminentem suæ pudicitię crudelem victorem cerneret, pacta est, si saluam integritatem reliquisset, herbam daturum se cuius succo illitus, nullis telis violari posset. Cõditionem accepit miles. Illa ex proximis hortis auulsa herba, quæ prima ad manum fuit, iubet vim eius experiri, infectóque iugulo: Hoc, inquit, pete ad faciendum periculum: nam res est comperta. Experitur miles, & virginem interemit, quę mori quam castitatem amittere maluit. Hieronymus: & Lud. Viues lib. 1. de Institut. fœm. Christ. At Niceph. lib. 7. cap. 15. paulò aliter.

BALDRACA puella, generis obscuri, peregrinæque conditionis, quãuis multarum rerum ob paupertatem esset indiga, noluit tamen corporis sui copiam facere Othoni imperatori, quamuis mõtes & maria (quod aiunt) promittenti. Rauis.

DVLA maluit à milite quodam interfici, quàm ab eodem violari. Idẽ.

Capta ab Attila Hũnorum rege Aquileia, cùm ingenua quædam mulier (Fulgos. lib. 6. ca. 1. DVGNAM vocat) à Barbaro hoste capta ad stuprũ raperetur, in preces versa, tanquam secreti cupida, facilè impetrauit, vt in superiorem partem domus abduceretur. Cúmque illa prior locum ascendisset, confestim partem illam cœnaculi occupat, quæ fluuio imminebat. Inde ad Hunnum conuersa: Sequere me, inquit, si vis me potiri. ac cum his in subiectum flumen se præcipitauit. Sab. libro quinto, capite sexto.

ΠΑΙΔΙΚΑ FVGERE.

AGESILAVS Spartanorum rex, cùm Magabatem Persam formosissimum puerum, iuxta Spartarum morem diligeret, & cum Magabates pro Persarum consuetudine deosculari vellet, cubito eum Agesilaus auertit. Quare cùm indignatum puerum esse animaduertisset, per iocum astantem quendam monuit, vt iterum ad tentanda oscula puerum impelleret. In quo cum certior fieri puer vellet, ne si Agesilaum inuitaret, iterum reijceretur: respondit Agesilaus, ne vnum quidem se osculum accepturum, licet diuitiorem se formosiorémque mortalium omnium facturus esset, atque omnia quę intueretur in aurum ei conuersurus. Fulg. lib. 4. cap. 3.

DEMOCLES mira specie adolescens Atheniensis, cùm eius amore Demetrius rex teneretur, nullo modo regis libidini morem gerere decreuerat. Contigit autem vt cũ balnea fortè ingressus esset, ad ea haud multo pòst Demetrius quoque veniret: illic à Demetrio nudus, vt erat, apprehensus est. Ab eius autem complexu diu luctatus, euasit. Cæterùm cùm tamen eius manus se diutius non euasurum cerneret, neque alia ad effugium spes relinqueretur, ingenti labro, in quo ad balnei vsum aquæ feruebant, operculum detraxit, atque nudus in illud se demisit: eo facto quãti pudicitiam faceret testatus. Nam vt eam seruaret incolumem, feruenti dolio immergere se, atque in eo emori non recusauit. Idem, & Volat. lib. 13. cap. 2. Anthrop. & Sab. lib. 5. cap. 6. ex Plutarch.

Antequam Hetruriæ ciuitas Romana daretur, excellentis in ea regione pulchritudinis adolescens, nomine SPVRINA, cùm mira specie cõplurium fœminarum illustrium solicitaret oculos, ideóque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus cõfudit: deformitatémque sanctitatis suæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. Valer. lib. 4. cap. 5.

VETVRIVS carcerem, plagas, diuersáque tormenta maluit pati, quã Cælio Plocio stuprandum se committere, Valerius, de Pudicitia.

TREBONIVS adolescens, cùm à C. Lucio, Marij consulis & Imperatoris propinquo, ad stuprum sollicitaretur, & iam non procul abesset, quia pollicitationibus nullis flecti poterat, vt vim pateretur, autorem iniuriæ ferro obtruncauit. Maluit probus adolescens caput quam famam periclitari. Cognouit causam Ca. Marius, ac manifestæ cædis reum non modò non aliquo affecit supplicio: sed pro concione laudatum, corona donauit. Sab. lib. 5. cap. 6. ex Plutarcho in Apoph.

PVBLIVS adolescens, L. Papyrij cliens & libertus, quum domini stuprum pati nollet, in vincula & carcerem coniectus, & multis postremò plagis affectus est. Maluit tamen egregius adolescens omnia tormenta corporis experiri, quàm præpostera illa Venere contaminari. Rauis.

DAMON Peripolta insigni forma adolescens, videns Romanum quendam præfectum Chæronæ, stuprum sibi per vim machinari, quia prius blandiendo nihil profecisset, ad pudicitiæ munimem aliquot socios conuocauit: qui omnes fuligine tincti, ne agnoscerentur, præfectũ in foro sacrificantem obtruncarunt. Idem.

INCESTVM FVGERE.

RELIGIOSA EXEMPLA.

HELIAS abbas, cùm 30 annos natus cœnobij virginum curam suscepisset, & carnis molestias ferre nequiret, ad desertum Scythi profugit. Deinde in quiete apparentibus angelis, cur Deo dicatas virgines reliquisset, interrogatus, causam dixit. Et cùm ab eis virilia sibi abscisa putasset, somno experrectus, & corpore se integrum & mente comperit, virginúmque curam securus repetiit: nullum postea pruritum (licet inter fœminas versaretur) improbæ cupidinis in se sentiens. Quisquis igitur, quantum potest, periculum cauerit, Dei tandem auxilio reddetur tutus.

ABBATISSA quædam, cùm virginibus suis in Ptolemaide (quæ nũc Arris aut Arca dicitur) salutis anno ducentesimo nonagesimoprimo supra mille, vrbe á Saracenis capta, cùm Veneris vim magis sacrę mulieres quàm mortem vererentur, ipsæ sibi nasos desecuerunt: arbitratæ fieri posse, vt hac deformitate ab iniuria tutæ forent: ídque eas minimè fefellit. Nam vt ità affectas Saraceni perspexerunt, omnes interemerunt. Fulg. lib. 4. cap. 5. & Egnat. lib. 4. cap. 5.

Luceiam Romanam virginem rex quidam Barbarus, nomine ANCIVS, cùm captam stuprare vellet, Dei cœli spõsam esse audiuit: & vi abstinuit, ac simul liberam fecit. quinetiam ad Christum conuersus, cùm ipsam Romæ martyrio consumptam audisset, captiuæ suæ sorte incensus, relicto regno, Romam perrexit, & pro veræ religionis assertione supplicia pertulit, magis iam desiderans regnare in cœlo quàm in terra. Tantum illi profuit, venerationi virginem habuisse. Marul. lib. 4. cap. 8.

EVGENIVS Barbarus Aphricæ rex, FLORAM & LVCILLAM sorores, Deóque dicatas virgines, Latium incursans, captas abduxerat. Sed cũ eas perpetuam castitatem deuouisse intellexisset, vitiare pertimuit, & libertate donauit. Ad bella procedens, earum precationibus se commendabat, victórque redibat: & frequenti successu lætatus, Christo ab ipsis prædicato credidit, in tantum vt Romam ad martyrium tendentes relinquere noluit. Iam quippe didicerat fragilem & caducam esse regni sui coronam, sed martyrij stabilem & æternam: atque vnà cum illis passus, cœlum petiit. Tantum & isti attulit vtilitatis honorata virginitas. Idem.

ETHICA.

Exempla quædam sub tit. Incestus, vide infrà.

HIPPOLYTVS castissimus adolescens, patris Thesei iram offendere maluit, quàm Phædræ nouercali libidini parcẽre. Dignus (si vera sunt, quæ de eo poetæ scribunt) qui mortuus reuixerit, fueritque curæ illi deæ quam omnium castissimam fabulata est vetustas. Sabinus libro quinto, cap. 6.

BELLEROPHON Glauci Corinthiorum regis filius, quum ab Antea vxore Præti Argiuorum regis efflictim adamaretur: nullis tamẽ precibus induci potuit, vt cum ea stuprum committeret. Iliados ζ.

TENNES incestos concubitus nouercæ Philonomes respuit. Vide tit. Miro modo seruati.

Sigismundus Malatesta, qui non exiguæ parti Æmyliæ imperitauit, cùm filium ROBERTVM de stupro sollicitaret: ille castitati & pudicitiæ suæ consulens, patrem stricto pugione à scelere vindicauit. Pontan.

de Immanitate capite decimoseptimo.

Iouiano Pontano fuit in deliciis catella, nomine CAPVANA, quam etiam suis celebrauit versibus, de genere catulorum eorum qui Camuli dicuntur. Eius erat proles ASTERION, omnium catulorum formosissimus pariter & nitidissimus. Aduenit tempus gestiendi. Eam ipse alij ne misceretur canibus, in abdito cum Asterione concludi iussit, vt ex vtraque soboles procrearetur. Nunquam passa est mater à filio se iniri: & quamuis à pueris comprehensa teneretur, nihilominus ea mordicus pueros à se reiecit: & in filium inuecta, illum dentibus male habuit. Pont. de Immanitate cap. 17. Pudeat erga homines, à quibus sæpe minor habetur legitimæ Veneris cura, quàm inter ipsas feras.

IOANNEM Vigintimilliũ Marchionem Giracien sem ferunt EQVAM apprimè nobilem habuisse. Cúmque incundam eam à filio procuraret, admittere illum ad coitum matrem nunquam voluisse. Cúmque ars adhibita fuisset, iniecto filio alterius equi corio, ornamentisque aliis quibusdam obuoluto, deceptam matrem passam tandem illum esse. At vbi artem intellexisset, vidisséque ornamenta & corium filio detrahi, tum eam in mœrorem versam, inedia inde ad paucos dies vitã finisse. Pont. cap. 17. de Immanitate.

CLEMATIVS Alexandrinus à socru sua de stupro compellatus, magno animo restitit. Illa monili gemmato Constantiam Constantini Maximi filiam, & Galli Cæsaris, qui in Oriente regnabat, vxorem corrupit, vt Clematium indicta causa è medio tolleret. Id quod & factum est. Fulg. lib. 9. cap. 4.

FIDES CONIVGALIS, IN ADVLTERIO FVGIENDO.

IOB vnica vxore contentus, ac monogamus: Pepigi, inquit, fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis? Et paulo pòst ait: Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, socrum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij. Hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Quibus profectò verbis & continentissimũ se fuisse ostendit, & quàm graue crimen adulterium sit, explicauit. Marul. lib. 4. cap. 7. & Sab. lib 5. cap. 6.

SVSANNÆ Helciæ F. Ioacimi Iudæi vxoris, in coniugio fides nuptis omnibus documento est, vt mori maluit quàm consentire corruptori. Melius est mihi, inquit, absque opere incidere in manus hominũ, quàm peccare in conspectu Domini. Propterea nec Deus innocentem cædi permisit, nec impunè pudicam infamari sustinuit. Hi qui iam ream iudicauerant, Danielis pueri prudentia, sententiam verterunt in accusatores: lapidibúsque obruti sunt, quos furens & effrenata libido ad mendacium egerat, & impietatem. Marul. lib. 4. cap. 8. & Sabell. lib. 5. cap. 6 ex 13. Danielis.

PENELOPE Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adduci potuit, vt absente per viginti annos marito Vlysse, castitatem corrumperet. Ouid. lib. 3. Eleg.

Penelope manſit (quamuis cuſtode careret)
Inter tam multos intemerata procos.

CHIÆ mulieres tanta fuerunt castitate, vt neque adulterium, neque illegitimus concubitus apud eas vnquam prodatur accidisse. Plutarch. de Virtutibus mulierum.

LACÆNA rogata, num ad virum accessisset: Non, inquit, sed ille ad me significans sese non libidinis causã commercium habere cum viro, sed parentibus ac legibus obtemperantem. Turpissimum enim esse fœminæ, si virum ad coitum sollicitet. Plut. in Lacon. apoph.

Quidam LACÆNAM missò nuncio sollicitauit, num assentiretur, vt ipsi sui faceret copiam: Cui illa respondit: Quum essem puella, parenti obedire didici, idque feci: mulier autem facta, viro. Itaque si me inuitat ad honesta, viro meo primùm rem aperiat. Plutarchus in Lacænarum apophtegm.

LYDIS moris erat, vt mulieres, antequam cum maritis concumberent, corpus prostituerent. Cùm autem semel laxatæ fuissent, deinde omni tempore continentes essent. Quę verò postea cum alio rem habuisset, ea sine venia & misericordia plectebatur. Ælian. de Var. histor. lib. 4.

Lais cùm EVBATAM Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eum amore cœpit flagrare, & de contrahendis inter se mutuò nuptiis sermonem ei detulit. At ille metuens eius insidias, recepit sese id facturum. Non tamen negocium aut rem cum illa Eubatas habuit, sed castè sobriéque se gessit. Sponsio verò his conditionibus facta est, vt post ludos certamenque rata deberet esse. Cùm igitur victor abiret è certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga fœminam, pictam Laidis imaginẽ deportauit secum Cyrenam: inquiens se Laidem ducere, & pacta non prætetire. Quam ob causam mulier quæ ipsi iam antè nupserat, maximam statuam Cyrenæ ponendam curauit, sic remunerari volens ipsius castitatem & modestiam. Ælian. de Var. histor. lib. 10.

PHERON Sesostris filius, Ægyptius rex, luminibus orbatus, cùm ciciter decennium cæcitati remedia quæsiuisset, tandem oraculo monitus est, vt oculos mulieris vrina lauaret, quæ alium quàm virum suum non agnouisset. Quamobrem à regina incipiens, permultas Ægyptias mulieres expertus, ægritudini suæ remedium nullum inuenit, nisi per Vxoris vrinam cuiusdam Olitoris, quæ prodigioso experimẽto oraculóque inter Ægyptias casta inuenta fuit. Herod. lib. 2.

ALEXANDER Macedo tãta castitate fuit, vt præter vxorem, & Berſanen è Damasco viduam ac regiam mulierem, nullam aliam complexus fuerit. Roxanem vxorem, Oxiartis regis filiam, non prius attigit, quàm perfectis ex ordine sponsalibus solennibus. Volat. in vita eius lib. 13. cap. 3. Anthropol.

CYRVS, filius Darij & Parisatidis, postquam Aspasiam Hermotimi Phocensis, singulari pulchritudine & virtute filiam duxisset, cum nulla amplius alia rem habuisse dicitur. Ælian. lib. 12.

HIERONIS Syracusani vxor, conquerenti viro. Quòd fœtere ei animam nunquam dixisset, & ideireo ab aliis non sine dedecore de eo monitus esset, respondit: Arbitratam se, aliis viris idem odoris esse. Fulgosius lib. 4. cap. 2.

BONAM DEAM Fauni vxorem tam illibatæ castitatis fuisse opinati sunt, vt extra gynæceum nũquam egressa, nec virum viderit vnquam, nec à viro conspecta sit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

CAIA Cæcilia, Tarquinij Prisci regis Rom. vxor, singularis modestiæ, probitatis & industriæ fœmina, lanificij peritissima, ac velut idea veræ matrisfamiliãs olim habita fuit. Hinc factum, vt plurimæ matronæ apud Romanos Caiæ appellarentur: atque etiam cùm noua nupta ad ædes sponsi deducta interrogaretur, quænam esset? Caia fum responderet. Author Val. Max. lib. 10.

Romulus, octingentis & amplius Sabinis raptis, vna contentus fuit Hersilia: atque ea iam adulta, & quę alterius, vt creditur, fuerit vxor. Sab. lib. 4. cap. 10.

Romæ in Veneris Ericinæ templo extra portas, Veneris Verticordæ simulachrum dedicatũ fuit: vt homines ab effusa libidine auerteret, & castitatem seruandam esse doceret. Alex ab Alex. lib. 2. cap. 4.

BIBLIA Duellij Romani, qui primus nauali em, apud Ro. duxit triumphum, vxor, cùm interrogaretur, annon ex oris fœtido odore viri nasum haberet: respondit: Ego alios viros similem odorem efflare putabam. Quo dicto ostendit, se vnico viro contentam viuere. Fulgosius libro quarto.

SVLPITIA Paterculi filia, vxor Fuluij Flacci, è centum lecta matronis, ob pudicitiam simulachrum Veneris Verticordæ è libris Sibyllinis dedicauit. Liuius, & Plin. lib. 4. & Val. lib. 8. cap. vlt.

LIVIA Augusti Cæsaris vxor, cum nudos homines vidisset dixit eos, matronis quidem honestis & continentibus, nihil à statuis differre. Cor enim hominis pudicum, rerum impudicarum aspectu nequaquam malis cogitationibus tangitur. Dion historicus in Tiberio.

CORN. Tacitus scribit, PONTIAM quandam Romanam fœminam, nullis verborum lenociniis aut pollicitationibus ad adulterium cum Octauio tribuno plebis committendum impelli potuisse: quin ab eodem interfici maluisse. Rami.

DRVSVS Germanicus, in matrimonio suo continentissimam vitam egisse dicitur. Cæteri enim principes cùm extra matrimonij limites pro more cum concubinis, scortis, ciuiúmque vxoribus libidinem explerẽt: ipsa Antonia consorte (quæ Marci Antonij triumuiri, & Octauiæ sororis Augusti filia erat) contentus adeò fuit, vt etiam rarissimè cum ipsa concumberet. Valer Max. lib. 4. cap. 3.

LVCHINVS Viualdus Genuensis, iuuenis in magnis opibus, cùm Genuensem fœminam matrimonio locatam deperiret, & ipsa amori assentiri recusaret, non desinebat tamen in amore persistere. Itaque cùm esus tulisset, vt propter bella, quibus tunc mare infestum erat, in Sardiniã huius mulieris vir caperetur: ipsa quæ ob eam rem in egestatem conjecta, non habebat vnde sibi filiique alimenta præberet: vltima necessitate premente, cùm amor Luchini ei in mentem venisset, misit quæ eum colloquium inuitaret. Profectus ad eam Luchinus, cùm venisse tempus arbitraretur, vt amata potiri posset: mulier pedibus eius prouoluta, manantibus lachrymis, dixit: Mentem quidem sibi semper fuisse, vt inuiolatam coniugi fidem seruaret: sed extrema inopia pressam, victámque pauperum pietate liberorum, quos fame iam confectos videbat, cogi se vt suam filiorúmque vitam eius misericordiæ commẽdaret. Quibus verbis auditis Luchinus, amore in pietatem virtutémque conuerso, ne manu quidem mulierem contigit: sed statim domum reuersus, omnia vxori communicauit: atque per eam, ne mulieris fama macularetur, pecuniam & cætera ad victum necessaria misit, neque vltrà ei in mentem venit, vt eam aliter quàm sororem diligeret. Fulgosus libro quarto, capite octauo.

CASTITATIS ET PVDICITIÆ VIOLATÆ DOLOR.

Pudet

Pudet fortasse ad Pœnitentiam locus iste referri, pertinet tamen ad Castitatem: quandoquidem casti est, non modò nihil turpe agere: sed si quid per incuriam fuerit commissum, id ægrè ferre: & si fieri possit, corrigere. Sicut etiam iusti est, iusta facere, & minuſta emendare. Quod si quis tamen omnino ad Pœnitentiam reducere laboret, non repugno: modò id mihi concedat, Pœnitentiæ huius stimulum castitatem esse.

ANIANVS, Alexandrinus episcopus, Marci Euangelistę successor ac discipulus, mulierem quandam intuitus, mortem sensit intrare per fenestras: & scandalizantem oculum eruit, proiecitque à se: post hæc solitus in gelidis mersare corpus aquis, inediáque & vigiliis fatigare, vt æstuantem in præcordiis libidinem extingueret. Et qui tanto labore castitatem custodierat, montes dicitur transiuisse (quod nescio an vllus alius) monte quodam Numidiæ Babylonem vsque, ad probandam Christianæ religionis veritatem ire iusso, atque obedientę. Marul. lib. 4. cap. 7.

TIMOTHEVS Anachoreta in vastissima Ægypti eremo, nulli hominum cognitus, iam annos triginta peregerat, quando à Paphnutio abbate fuit inuentus, toto eo tempore nudus & squalidus, & palmę tantùm fructibus victum sustentans: ac lugens peccatum suum, quòd nimia sui fiducia, cùm primùm secessisset, mulierem religiosam secum habitare passus fuisset. Qua tandem cognita, annos sedecim se abusum fatebatur: & dum fateretur, lachrymas tenere non poterat. Vide igitur quàm periculosum sit maris fœminæque consortium, etiam cùm ambo perpetuam vouerint castitatem, ambo solũ Deo seruire proposuerint. Quod ille expertus, eò iam profugerat, vbi nec nomen fœminæ audire posset. Idem.

MOSES abbas dicere solebat, vnam esse omnino libidinem, cùm qua vsque ad extremum Christi seruis pugnare opporteret, nec præterire castitati confidere: exemplo monachi cuiusdam, qui in senectute in stuprũ inciderat, ex quo natum infantem ille in cœnobio plorans circumeulit, ad culpam ignominia diluendam: rogans fratres atque obtestans, vt sibi Deum propitium redderent. Ex Tripartita hist.

SPARTANÆ virgines quinquaginta, cùm ad Messeniorum vrbem *sacrorum* causa profectæ essent, sicuti ex fœdere promissum erat, Messenij iuuenes in Venerem eas sollicitabant. Quorum vim vt effugerent, incolumi pudicitiæ vitam postponentes, mortem oppetierunt. Fulgosius lib. 6. cap. 1.

Insigne pudicitiæ exemplum illud fuit, quod duæ Leuctris, Scedasò patre, in Bœotia ortæ Virgines ediderunt. Nam cùm absente patre, duos iuuenes, pro veteri hospitio domi excepissent: ab iis vim passæ, eodem ferro die postera, ambæ concordes: cùm prima eo vsa, alteri eius vsum concessisset, se interemerunt. Hoc testimonio declarantes, & si corporibus vis allata erat, animos tamen culpæ insontes mansisse. Ibidem.

TIMOCLEA matrona nobilissima, captis ab Alexandro Thebis domo excisa, direptísque penatibus, cùm violentum etiam stuprum passa esset, à duce quodam Thracum, qui in Macedonum exercitu erat, rem commenta est vulgaris exempli ad iniuriam vlciscendam, testata se locum scire vbi multũ esset auri defossum. Credidit Barbarus, perductúsque ab ea est ad profundissimum puteũ, qui in remotiore fuit parte domus. Hîc cùm Thrax explorabundus prono in lapsum statu puteo immineret, vt quid in imo fundo esset melius prospiceret: à Timoclea, quę à tergo stabat, repentè impulsus, præceps ad ima corruit, saxíque supernè iniectis statim exanimatus est. Rapitur illa confestim in iudicium, & ad regis conspectum constituta, quænam esset fœmina iussa dicere: fuisse se intrepidè respondit Theagenis sororem, qui aduersus Macedones ad Cheroneam Thebanam instruxit aciem, oppetiitque mortem pro libertate Græciæ. Mulieris constantiam miratus Alexander, præclarúmque factum, liberam eam tota domo esse iussit. Adeò nonnunquam vel apud hostes in magno fuit honore virtus. Sabellicus libro quinto, capite sexto.

Potuit LVCRETIA Collatini vxor satis honestè viuere post pudicitiam à Tarquinij filio violatam: aberat enim inde dedecus, vnde abfuerat & peccandi voluntas, absoluebatúrque domesticorum iudicio interpolatus perpetuæ pudicitiæ tenor: at odium flagitij fecit, vt suorum defiderio deesse maluerit, quàm vltioni superesse. Ibidem.

Centurio, cùm Orisgontis Gallogræcorum reguli VXOREM eximia forma custodiret, inter captiuos, libidine motus, in eam vim fecit. Ad cuius leniendam indignitatem iniuriæ, pollicitus est eidem centurio quòd liberaretur, auri certo pondere dato. Acciderat vt ipsius mulieris seruus inter captiuos esset, quẽ electum primis tenebris extra custodiam eduxit centurio. Nocte sequenti duo necessarij mulieris, & centurio cum captiua venerunt ad constitutum locum: vbi cùm centurioni numerassent aurum, indicauit signo mulier, vt enses explicarent, & centurionem pendentem aurum occiderent. Illius caput detulit ad virum suum Orisgontem: & priusquam eum complecteretur, cęrurionis caput ante pedes eius abiecit: miranti verò cuiusnam id caput esset, & corporis iniuriam, & vltionem violatæ per vim pudicitiæ viro confessa est. Liuius, & Val. lib. 6. cap. 1.

PAVSANIAS Cleombroti F. Mardonio ad Platæas ad internecionem cæso, Coam mulierem, Hegetoridæ filiam, Antagoræ neptẽ, quam Pharandates Persa inuitam abduxerat, & in pallacarum numero habebat, Coon ad virum suum cum omni mulierbri mundo incolumem remisit. Pausanias in Laconicis.

VIRGINIVS plebeij generis, sed patricij vir spiritus, ne probro cõtaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cùm Appius Claudius decemuir, filiæ eius Virginiæ stuprum, potestatis viribus fretus, pertinacius expeteret, deductam in forum puellam occidit: pudicæque interemptor, quàm corruptæ pater esse maluit. Val. lib. 6. cap. 1.

CASTITATIS ALIORVM VINDICES ET PROTECTORES.

Actio ipsa ad Iuſticiam Στοιχωτικὸν pertinet, quatenus vim aliorum arcet, aliorum innocentiam & pudorem protegit ac defendit. Basis tamen iuſticiæ caſtitas eſt, & caſtitatis amor. Niſi enim caſtitatem venerarentur etiam in alieno corpore, nunquam eius patrocinium ſuſciperent: nunc verò quia illam omni ſtudio defendunt, tuentur & amant, amor autem ex æqualitate provenit: non obſcurè oſtendunt, ſcintillas non exiguas caſtitatis in animo latere: quæ tamen quamprimùm in opus progrediuntur, Iuſticiæ naturam induunt, etiſque nomen acquirunt. Hæc paucis indicare voluimus, ne quis aut ſuperfluì, aut omiſſi Tituli crimen abſque cauſſa in nos transferre poſſet.

D. IOANNI Apostolo Parthenio, Christus Dominus in cruce moriens matrem suam semper virginem commendare voluit.

D. IACOBVS Apostolus, cui propter sanctitatis & castitatis opinionem soli sancta sanctorum ingredi licebat, viduis & virginibus Christianis Hierosolymæ præfectus & custos datus fuisse, in Actis scribitur. Marul. lib. 4. cap. 7.

HELIAS Abbas, Monasterij virginum custos. Vide tit. Incestum religiosum fugere.

ABBAS quidam Ægyptius ingeniosè Græci monachi castitatem seruat. Vide tit. Scortationem fugere.

VITIVM IN EXCESSV. QVI PRÆTER MODVM Venerem vel appetunt, vel exercent, vel fouent.

IN APPETENDO, LIBIDINIS FVROR.

PLVRES VNIVS CONNVBIVM EXPETVNT. PROCI.

Claudianus lib. 1. de Raptu, facit MARTEM & APOLLINEM PROSERPINÆ (priusquam à Plutone rapta fuisset) procos, vbi ait:

Perſonat aula procis, pariter pro virgine certant:
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas:
Mars clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu.

HELENA, Tyndari & Ledæ filia, procos habuit totam Græciã. Omnibus tamen prælatus fuit Menelaus. Quamuis alij asserant, Paridi à patre locatam fuisse, multóque auro redemptam: eam rem indignè Græcos tulisse, & in Paridem tanquam raptorem arma tulisse. Vide Iloer. in Encomio Helenæ.

HIPPOMENES, Atalantæ virginis Arcadiæ procus, aureis pomis & cursu cum ea contendens, eam superat. Mox cùm in templo Matris deũm concubuissent, irata Cybele in leones iugales eos conuertit. Vide Ouidij Metamorph.

Absente Vlysse proci ex diuersis locis conuenerunt, vt castitati Penelopes insidiarentur: fuerúntque Dulychij LII. Samij XXIIII. Zacynthij XX. Ithacenses XXII. ex quibus hi ab Homero nominãtur, Antinous, Eurynous, Eurymachus, Leocritus, Neso, Pisander, Hegesippus, Agalus, Leocles, Ampinomus, Demoptolemus, Medon præco, Euphemus citharœdus. Quos omnes reuersus Vlysses occidit. Ouidiana Penelope nonnullos his verbis enumerat:

Dulychij, Samiique, & quos tulit alta Zacynthos,
Tentarunt in me luxuriosa proci.
Quid tibi Piſandrum, Polybum Medontáque dirum,
Eurymachúque auidas, Antinoúque manus,
Atque alios referam? quos omnes turpiter abſens

Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
Irus egens, pecorísque Melanthius autor edendi,
Vltimus accedunt in tua damna pudor. Rauis.

Proci HIPPODAMIAE, Oenomani filiæ, numerantur Marmax, Alcathus Parrhaonis filius, Euryalus, Eurymachus, Crotalus, Acrias Lacedæmonius, Capetus, Lycurgus, Lasius, Chalcodus, Tricolonus, Aristomachus, Prias, Pelagus Æolius, Cromius, Erythrus Leuconis filius. Alij tamen enumerantur Merinnes, Hippothous, Pelops, Opontius Acarnam, Eurymachus, Eurylochus, Automedon, Lasius, Chalcon, Tricoronus, Alcathus, Aristomachus, Crocalus. Cælius scribit, Marmaca omnium primum venisse Hippodamiæ procum, & ante alios ab Oenomao necatum: equasq; eius tradunt vocatas Partheniam & Eripham: quas quum iugulasset Oenomaus, iussit sepeliri. Rauis. Eam tandem Pelops vxorem habuit, cùm Oenomai auriga Mirtylus (quem postea Pelops in mare præcipitauit) non obdita rotis fibula, in medio cursu & pugna herum suum prodidisset. Testis Ouidius in Metamorphosi.

Propter LAVINIAM, Latini regis & Amatę filiam, ortum est bellum inter Æneam & Turnum, dum vterque eam sibi in matrimonium dari cuperet. Verg. in Æneid.

IDAS & LYNCEVS, Aruernes & Apharei filij, pro Leucippi filiabus Phœbe & Ilaira, aduersus Castora & Pollucem prope Spartam dimicarunt. In quo congressu periit Castor: Polluci autem profuit immortalitas.

CLISTENIS Sicyonij filia Agarista, plurimos habuit procos. Inter cæteros Hippoclidem Tysandri filium (vide tit. Saltationis odiũ) Smyndiridem Sybaritam: qui Sicyonem profectus, mille piscatores, mille aucupes, totidemque coquos cõduxit, ne si sponsam obtinuisset, imparatus esset. Præterea etiam Syritanum & Damnasium, quos ab Italia ad certamen venisse scribunt. Venerunt eòdem ex Ionio sinu Amphimnestrus Epidamnius, Ætolus Meges. E Peloponneso Leocides, Phidonis Argiuorum tyranni filius, Amianthus Arcas. Laphanes Heleus. Ex Attica Megacles Alcmæonis filius. Ex Ethruria Lysanias. Ex Thessalia Diactorides Cranonius. Ex Molossis Alcon. Conuenerant autem in Græciam, vt in Olympico certamine vires suas ostentarent: quoniam pater puellæ Clisthenes, Aristonymi filius, proclamauerat, ei se daturum filiam, quem in certamine præstantissimum reperisset. Herod. author.

Vergilius, Ouidius & Ausonius inter procos Didonis numerãt HIARBAM Getulorum regem. Propterea Dido ipsa apud Ausonium sic loquitur.

Sed furias fugiens, atque arma procacis Hiarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam.

OTHARVM quendam Saxo grammaticus facit fortissimum, procum SIRITHAE virginis pudicissimæ: HILDIGISLEVM verò Theutonicum, Sygnis puellæ, Sigari cuiusdam filiæ.

Diogenes & Hegesippus in Palleniacis aiunt, SITHONA Hodomantũ regem, genuisse filiam Pallenem, pulchram sanè & gratiosam, vt eo nomine plurimum eius fama increbuerit: venerintq; ad eam proci non solùm à Thracia, sed etiam à remotioribus locis quidam, ex Illyride, & ex habitantibus ad fluuium Tanaim. Sithonem autem aiunt, primùm quum venissent proci, pugnam secum committere iussisse: & siquidem quis fortiter præliaretur, filiam habiturum: si verò ignauior appareret, moriturum. Hoc modo valde multos sustulit. Postea verò quum vires ipsum destituerent, filiam sibi placare volens, duos procos inuicem confligere iussit, Dryantem & Clytum, proposito victoriæ præmio: ita vt altero occiso, qui superesset, & regno & filia potiretur. Definita autem instãte die, Pallene vehementi Clyti amore flagrans, maximè timebat illi: neque tamen vlli ex familia eius audebat id indicare. Multas itaque lachrymas incassum effundebat, donec nutritor eius senex PRÆSYNTES eam percũctatus, cognito dolore, bene sperare iussit. Is igitur clàm conuenit aurigã Dryantis, auroq; multo promisso persuadet, ne fibulas rotis obdat. Qui igitur ad pugnam procederent, ac inueheretur Dryas in Clytum, rotæ ei de curru deciderunt, atque sic ipsum de curru prolapsum inuadens Clytus occidit. Sithon verò amore & insidiis filiæ cognitis, ingentem pyram extruxit, cui imposuit Dryantem, in animo habens simul mactare & Pallenen. Porrò spectro diuinitùs apparente, ac aqua multa repentè de cœlo effusa, sententiam mutauit, ac nuptiis apparatis præsentem Thracum multitudinem placat, filiamque Clyto in vxorem ducere permittit. Parthen. de Amat. cap. 6.

PLVRES EIVSDEM SCORTI AMORE FRVVNtur. *Riuales.*

ANAVSIS (cuius meminit Val. Flaccus libr. 6. Argon.) riualis fuit Stiri Albani.

Excandescit Catullus in RAVDVM riualem, vt puellę suæ furem.

Idem Catullus ægrè fert, LESBIVM riualem sibi ob pulchritudinem à Lesbia præpositum, vbi ait:

Lesbius est pulcher, quid ni, quem Lesbia malit,
Quàm te cum tota gente Catulle tua.

Idem Catullus vocat MAMVRRAM Phormianum, & CÆSAREM, socios riuales.

MEMMIVS Romanus quum ageret Tarracinæ, deperibat quandam mulierculam non sine Largio quodam riuali. Cum hoc igitur quum aliquando rixa incidisset, eò iracundię prouectus est Memmius, vt ipsi Largio brachium mordicùs arripuerit. Vnde fluxit adagium in vulgus: *Lacerat lacertum Largij mordax Memmius.*

SCELLIS & GASSAMENOS, Cetoris filij, Thracenses, concitata naui ab insula Strongyle prius, nunc verò Naxo dicta prodierunt, deprędatique sunt Peloponnesum & circumiacentes insulas. Aggressi autem Thessaliam, multas fœminas secum abduxerunt: inter quas Iphimedam Halothei vxorem, eiusque filiam Pancrato, in cuius amore ambo perplexi mutuò se interemerunt. Parthan. de Amat. cap. 19. ex Andrisco, de rebus Naxicis lib. 2.

LIBIDINI POSTPONERE VITAM.

Exempla plurima ex tit. Libidinis pœna, peti possunt.

LEANDER Abydenus per insanos fluctus & Bosphori & Thracij ad Ero puellam, quæ in Sesto habitabat, natare ausus, cùm sæpius furta sua repeteret, tandem fluctuum impetu obrutus periit.

CALLIRRHOE Lyci regis filia, Diomedis amore capta, cùm voti compos fieri nequiret, ac Diomedem abnauigantem videret, laqueo sibi mortem consciuit. Iubas lib. 3. Africanarum rerum.

BYSALTIA Massylorum regis filia, Calphurnij Crassi amore capta, cùm satisfacere amori ardentissimo nequiret, Crassum abeũtem deflens vnicè, ferro iugulum transuerberauit. Hesianax lib. 3. rerum Libycarum, & Plutarch. cap. 47. Parall.

GALEATIVS Mantuanus vir impiger, Papię cùm hybernaret, fortè in ponte puellam, quam vnicè amabat, obuiam habuit. Ea, vt per blandã aliquam iocandi speciem amãtem ad colloquium inuitaret: Quin tu, inquit, bellissime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, è põte in amnem amoris gratia desilis? hoc ille audito, concitato repentè equo se demisit in fluuiũ. Equo exanimato, vix Ticino ipse natabundus emersit. Pont. lib. 1. cap. 25. de Heroica fortitudine.

Hercules Strozza HIPPOLYTÆ & CALLIMACHI amantium mortem eleganter his versibus explicat:

Ruperat Hippolytæ data fœdera, patre coactus
Aemiliam vxorem ducere Callimachus.
Illa furit, sed dissimulat: noctémque cupitam
Pollicita, incautum transadigit gladio.
Et spectante illo (quid non muliebria cogit
Corda amor?) vsa sua dextera & ense perit.
Non graue obire proco, sed non obiisse repentè:
Non doluit proprio vulnere, sed dominæ.

LIBIDINI POSTPONERE FIDEM ET PVDOREM.

Exempla sub tit. Proditorum & libidinus pœna, reperientur.

MEDEA Iasonem sequuta, prodito vellere aureo, cùm eos iratus pater Æetes insequeretur, Absyrtum fratrem dilaniauit, & in mari vndique dispersit. Pietate erga filium motus pater, partes laceras collegit, & à persequendo destitit.

THARBIS Æthiopum regis filia, Mosi patriam prodit. nuptias eius pacta. Vide tit. Astu iusiurandum interpretari.

SCYLLA Nisi regis filia, Minois (à quo pater obsidebatur) amore capta, purpureum capillum, qui ex vertice patris dependebat, clàm noctu abrasit, & Minoi transmisit. Eo accepto, potuit tandem Minos Nisum & vita & regno priuare. Minoem abeuntem Scylla sequitur. Sed desuper eã infestante Halyaeto, in quem Nisus pater commutatus fuerat, ipsa quoq; in auem mutata abiit.

TARPEIAM Celtis Capitolium prodidisse, ait Simulus poëta apud Plutarchum in vita Romuli, hanc vnicam ob causam, vt eorum regis amore ardentissimo

satiaretur. Plutar. ex Simulo recitat, In vita Romuli.

CANCANVS rex Bauarum, Iuliensium munitissimam vrbem in Venetiæ recessu obsidebat. Erat totius rei summa penes Romildam, quę Sisulphi Longobardorum ducis fuerat vxor, quem Cancanus non multo prius prælio victum interfecerat. Romilda hostis pulchritudine capta, quem viderat muris obequitantem, vrbem hosti tradidit cum duobus filiis, & regia gaza: spem connubij secuta, quod occultè cum Bauaro pepigerat. Præstitit fidem Barbarus, ac noctem vnam pro legitima habuit coniuge. Cæterùm mulieris intemperiem detestatus, quæ omnem & gentis suæ, & filiorum fortunam intempestiuis nuptiis posthabuisset, duodecim robustissimis militibus vexãdam tradidit, atque per hos malè affectam palo postmodum defixit. Sab. lib. 4. cap. 11.

RAPTORES PVELLARVM, VEL MATRONARVM.

APOLLO Marpissam Eueni filiam, & Idæ vxorem, rapuit. Rauis.

Rapuit Pluto Proserpinam Cereris filiam, vnde à Claudiano infernus raptor dicitur: Ouidius, & Syllius lib. 14.

AXVS Oceani filius rapuit Perhibiam, Iupiter Europam.

HERCVLES Augen. Seneca:

Arcadia nempe virgo Palladios choros
Dum nectit Auge, vim stupri passa excidit.

DRYOPE nympha Hylam.

CASTOR Phœben, Pollux Ilairam, sorores, Leucippi filias. Propertius libro primo.

Non sic Leucippi succendi Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Ilaira soror.

EVRYTVS centaurus Hippodamen rapuit. Ouid. lib. 12.

Eurytus Hippodamen: alij, quam quisque probabat,
Aut poterat, rapiunt.

THESEVS Ariadnam, Minois regis filiam, & Helenam ipsam prius quàm Paris, non offensa tamen eius virginitate.

Barbarorum cum Græcis inimicitia quamuis naturalis esse videatur, quandoquidem & lingua & situ regionum disiunguntur: habet tamen vetustissimas origines, varios scilicet puellarum raptus. Primùm enim Phœnices mercatores Argis merces venales exponentes, cùm inter cæteras regis quoque filia Io, vt muliebria quædam emeret, processisset: illius pulchritudine capti eam cum comitibus rapuerunt, & in Ægyptum abduxerunt. Mox Cretenses quidam ex insidiis Europam filiam Tyriorum regis raptam, in Cretam abduxerunt, tanquam par pari referre liceret. Græcorum deinde præstantissimi in Colchidem nauigarunt, & sub specie velleris aurei repetendi regis Aretæ filiam Medeam rapuerunt. Rege autem caduceatorem pro filia reddenda mittente, responderunt: cùm Barbari de rapta Io pœnas non dedissent, neque etiam sese Medeã reddituros. Postremò Paris Priami filius, iniuria potius quàm libidine instigatus, Helenam Lacedæmone rapuit. At cùm Barbari Helenã reddere nollent, cùm neque Medeam neque Europam Græci reddidissent, exortum est memorabile illud bellum Troianum, quod deinde animos Græcorum simul & Barbarorum irreconciliabili odio inflammauit. Herodot. lib. 1.

ÆGYPTII sacerdotes de Helena ita rem esse gestam narrant. Alexandrum, rapta è Sparta Helena, cùm renauigaret domum, in mari Ægeo ventis cursu excussum in Ægyptiacum pelagus: atque illinc non remittentibus flatibus appulsum in Ægyptum, ad ostium Nili, quod vocatur Canobicum, atque ad Taricheas. Erat in eo littore Herculis templũ: ad quod si quis cuiuscunque hominis seruus confugiens, capiat sacras notas, sese Deo tradens, eum nefas est tangere. Eam templi legem mancipia Alexandri cùm audissent, ab eo profugerunt: assidẽtésque Deo supplices, Alexandrum insimulabant, eum destructum volentes: rémque omnem exponebant, vt cum Helena gesta erat, & illata Menelao iniuria. Insimulabant autem de his apud sacerdotes, & apud huius ostij præfectum, nomine Thonim. His auditis, Thonis quàm raptissimè Memphim ad Proteum mittit, hæc nunciatum. Proteus rex Alexãdrum seuerè corripuit, & Helena cùm opibus apud se retenta, vt tridui spacio ex Ægypto transfretaret præcepit. Alexander in patriam nauigauit. Græci cum Menelao contra Troianos profecti, quamuis illi verè negarent se Helenam habere (relicta enim fuerat in Ægypto) tamen Græci non credẽtes, vrbem euerterunt: & Helena non inuenta, Menelaum ad Proteum miserunt. Hic vbi ad Ægyptum & Memphim nauigauit, exposita rei gestæ veritate, honorificentissimo hospitio exceptus, Helenam malorum immunem recepit, & insuper omnes pecunias suas. Et cùm hæc assecutus esset Menelaus, tamen iniurius in Ægyptios extitit. Nam cùm proficisci vellet, nec per ventos posset, rem indignam excogitauit. Sumptis enim duobus pueris quorundam indigenarum filiis, exactisque haruspicinam fecit. Quod vbi eum fecisse rescitum est, fuga in insulas Africæ obiacentes recedere fuit coactus. Herod. lib. 2. Helena igitur Troiæ nũquam fuit, Homerus tamen poetico more falsa veris immiscuit.

ACHILLES rapuit Diomedam, Phorbantis filiam, è Lesbo.

BOREAS Orithyiam, filiam Erichthei Athenarum regis.

IASON Medeam, Æetæ Colchorum regis filiam, quam postea reliquit, superinducta Creusa.

HERCVLES Pyrenem virginem Bebryciam, à cuius nomine montes Pyrenæi nomen sumpserunt. Syllius:

Nomen Bebrycia duxêre à virgine colles,
Hospitis Alcidæ crimen, &c.

PYRRHVS Achillis F. Lanyssam, Herculis neptem.

AIAX Telamonis filius, Tecmessam: Horatius:

Mouit Aiacem Telamone natum
Forma captiuæ dominum Tecmessæ.

AIAX Oilei filius, Cassandram.

NESSVS centaurus, Deianiram Herculis vxorem. Ouidius libro nono. Metamorph.

TLEPOLEMVS Astyochiam ex Ephyra Peloponnesi vrbe rapuit.

HIPPODAMIAM Atracij filiam, & vxorem Pirithoi, quum mero calescentes & æstuantes libidine Centauri rapuissent, bello petiti sunt à Pirithoo. Vnde puellam ipsam Propertius Ischomachen vocat:

Qualis & Ischomache, Lapithæ genus heroinæ
Centauris medio grata rapina mero.

THRASYMEDES, amore erga Pisistrati filiam magis magísque indies accrescente, assumptis æqualibus suis sociis, puellam in mari sacrificium obeuntem obseruauit. Qui districtis gladiis turbam disiecerũt, inque nauim impetum facientes, Æginam versus discesserunt. Hippias adultior Pisistrati filius, mare ab latrociniis repurgans, hanc etiam nauem ob remorum celeritatem latronum esse existimãs, sororem recuperauit: eósque qui rapuerant, cõprehensos reduxit. Thrasymedes, aliique corã tyranno constituti, nullo modo supplices se præbuerunt: sed admodũ viriliter, vt pro libito se tractaret hortabantur: dicẽtes, ex eo tempore se cõtemnere mortem, ac pro nihilo ducere cœpisse, cum primũ de raptu cõsiliũ iniuissent. Pisistratus admiratus in iuuenibus animi celsitudinem, filiam suam Thrasymedi adolescenti in matrimonium collocauit. Hoc facto, beneuolentiam & amicitiam eorum sibi conciliauit, non amplius tyrannũ se gerens, sed benignum patrem, ac popularem ciuẽ. Polyen. li. 5.

APHARETVS Marpissam Eueni (qui Martis & Steropes filius erat) & Alcippę (Oenomai filiæ) filiam formosissimam ex chorea rapuit. Pater autem fugientem insequens quum prehendere nõ posset, in Lycormam fluuium se præcipitauit: vt primo rerum Italicarum Dositheus refert, & Plutar. cap. 76. Paral.

CATHEVS nobilissimus adolescens Saliam, Anij Thusci regis filiam egregia forma, cùm colludentem aspexisset, adamauit, & raptam Romã duxit. Pater autem insequens, cùm raptorem deprehendere nequiret, Pareusium insiliens fluuium, ei nomen dedit. Anionem enim postmodũ appellatum constat. Historiæ author est Aristides Milesius, & Alexander Polyhistor libro tertio, rerum Italicarum: item Plutarch. cap. 77. Paral.

ROMVLVS ædificata iam Roma, cùm coniugia deessent, per legatos à finitimis ciuitatibus vxores petiit. Quibus negatis, ludos Consualia simulauit. Ad quos cùm vtriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptæ sunt. Liui. lib. 1. Dec. 1. & Sueton. cap. 2. de Viris illust.

C. CALIGVLA vxorem duxit Lolliam Paulinam, cuius virum Memmium Regulum coegit eam sibi despondere: ne eam quæ desponsata non esset, contra ius fásque duceret, eandémque pòst repudiauit. Xiphilinus Dionis abbreuiator.

MAXIMVS tyrannidem cùm arripuisset, Eudoxiam relictam à Valentiniano, vi rapuit. Illa Gensericum ex Africa inuitat, vt se à Maximo eriperet. Sigebertus in Chronicis.

OODILO dux Boioariæ, rapta sorore Pipini, contra eum rebellat, quem Pipinus pugna cruenta superauit. Idem.

LIBIDO IMPOTENS, SIVE EXTRA *coniugium, siue in coniugio.*

Exempla pete quædam ex tit. Mortui in actu Venereo.

ANTONINVS Caracalla Clodiam Lætam, Vestalem virginem, stuprare propter impotentiam non potuit. Illa nihilominus viua sepulta est. Dion in eius vita.

IO. MANARDVS Ferrariensis, medicus clarissimus, decrepitus & arthritide confectus iuuenculam duxit vxorem, & ex intempesta Venere obiit. Iouius in Elogiis.

INCONTINENTES IN MATRIMONIO.

Variis modis hîc peccari potest, loco, tempore, specie, similibúsque circumstantiis. Peccati autem causa in genere vnica, libido scilicet effrenis & Impotens, quæ sæpe facit vt benedictio diuina in maledictionem conuertatur. Exempla quædam pete ex tit. Mortui in actu Venereo.

Quandiu primi PARENTES in paradiso fuerunt, virgines extiterunt: sed ipsis eiectis dicitur: Adam cognouit Euam vxorem suã. Gen.4.

MATRIMONIO copulatos, quoties coierint, aqua lauari lex iubet, & vsque ad vesperum immundos esse denunciat. Mulier quoque cùm masculum peperit, immunda est dies septem: cùm fœminam, quatuordecim: purificationis quoque dies hîc sexagesimussextus, illic trigesimustertius præscribitur: nec antè puerperæ ingredi sanctuarium licet, quàm purificata fuerit. Ex quo apparet, matrimonij operam absque aliqua honestatis labe mundiciæque detrimento fieri non posse. Marul. lib.4.cap.7.

INTER ILLOS qui vocati sunt ad magnam cœnam, nec iuerunt: ille qui vxorem duxit, nõ petiit se excusatum haberi, sed ait: Vxorem duxi, ideo non possum venire. Per quod patêre potest, quàm longè sunt à cœna Domini, luxuriosi homines & immundi, si ducere vxorem ita hominem implicat & inuoluit, vt nihil aliud cogitare sinat Luc.14.

PISISTRATVS tyrannus Atheniensium, cùm Megaclis filiam duxisset vxorem viduam (prius enim Alcmæoni nupta fuerat, & ex eo liberos sustulerat, qui crimini piaculari obnoxij esse dicebantur) neque ex ea liberos tollere vellet, haud legitimè cum ea coibat. Vxor ea matri, mater patri indicat. Megacles conspiratione facta Pisistratum vrbe eiecit. Ille in Eretriam confugit, & vix vndecimo anno pòst tyrannidem iam tertiò occupauit. Herod.lib.1.

IO. MANARDVS Ferrariensis, medicus clarissimus, prolis quàm vitæ cupidior, decrepitus ferè & arthritide confectus, iuuenculam duxit vxorem. Itaque ex intempesto Veneris vsu mortem sibiipsi accersiuisse creditur: accedente ridiculo quodam Chiromantis cuiusdam præsagio, qui in fouea periturum dixerat: eo tamen non expresso, coniugíſne an terræ ea futura esset. Iouius in Elogiis.

QVI MVLTIPLICI VARIOQVE LIBIDINIS GEnere sese aliósque contaminarunt.

Ex horum numero antesignani sunt, Romanorum IMPP. Tiberius, Caligula, Nero, Commodus, Heliogabalus.

AVGVSTVM ferunt inter duodecim catamitos, totidemque puellas accubare solitum. Idem abiecta vxore Scribonia, Liuiam quasi marito concedente sibi coniunxit. Quumque esset luxuriæ mancipium, eius tamen vitij seuerissimus fuit vltor. Testis Sextus Aurel. M. Antonius dicebat eum adoptionem auunculi stupro meruisse. Fertur & Aulo Hircio in Hispania trecentis millibus numûm se substrauisse. Idem solitus est suburere crura nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Suetonius.

Non erubuit Imp. CALIGVLA sororibus suis congredi, quarũ ambas exoletis suis prostrauit, quo facilius eas in causa Æmylij condemnaret, tanquam adulteras. Liuiam Orestillam C. Pisoni nuptam, sibi iunxit, & intra biennium repudiauit, repudiatam relegauit. Loliam Paulinã C. Memmio ablatam coniunxit sibi, breuique missam fecit, interdicto cuiusque in perpetuum coitu. Cæsoniam adamauit, quam amicis plerumque ostendit nudam. M. Lepidum & M. Nestorem pantomimũ dilexisse fertur commercio mutui stupri. Val. Catullus consulari familia iuuenis, stupratum se ab eo, & latera sibi cõtubernio eius defessa vociferatus est. Suetonius.

HELIOGABALVS, naturæ monstrum, collegit lenones, meretrices, exoletos, & subactores propè innumeros: quibus adiecit nasatos homines, id est mutoniatos: quoniam his ad libidinem & flagitium vtebatur scelestissimè. Quocirca Lampridius ad Constantinum Imperatorem, de prodigiosa eius venere scribens, ait: Quis ferre posset principem per cũcta caua corporis libidinem recipiẽtem, quúmne beluam quidem talem quisquam ferat Romæ? Habuit insuper emissarios, quib. nihil aliud erat negocij, nisi bene nasatos perquirerent, eósque ad aulam perducerent, vt illis se compolluerct.

LIBIDINIS VARIAE SPECIES.

INCESTVS ETHICVS.

Incestus religiosus superiore loco à nobis expositus est, in quo vel vtraque, vel altera tantùm persona perpetuæ pudicitiæ ex voto religiosa addicta est. Nunc de Ethico agimus, in quo non religioni, sed sanguinis arctissimæ coniunctioni fœdo concubitu vis infertur: vt quo proprior est coniunctio, eo incestus magis fit abominabilis & detestandus.

INCESTVOSI IN GENERE, QVI VARIO incestu sese contaminarunt.

BABYLONIORVM institutum fuit, vt cum parentibus filij, cum sororibus fratres coirent, atque ex eis sobolem gignerent. In qua etiã sententia Chrysippum fuisse legimus apud Alex. ab Alex.lib.1.ca.24.

Non scelerata modò, verumetiam præter modum fœda, MAGVSEORVM Persarum libido fuit: quos Eusebius Cæsariensis scribit, nulla pudoris ratione habita, spreta ea quam feris quoque natura imposuit lege, cum ipsis matribus cõcubuisse. Quod scelus INDOS quoque, ÆTHIOPES ac MEDOS, Hieronymus librorum postremo quos aduersus Iouinianum edidit, non in matres solùm, verùm in auias quoq; ac filias perpetrasse scripsit. Fulgos.lib.9.cap.1.& Alex.lib.1.cap.24.& Pont.cap.17 de Imman.

ARABIVS alterius sanguinis congressus pro adulterio olim fuit. Sic humani iuris obliti, præter incestum, omnem venerem pro flagitio repudiarunt. Sab.lib.6.cap.1.

THYESTES rem habuit cum Europa, fratris Atrei vxore, & cum Pelopeia filia. Ouidius:

Filia si fuerit, sit quod Pelopeia Thyesti,
Myrrha suo patri, Nyctimenéque suo.

INCESTVS IN SPECIE.

FILIA CVM PATRE.

LOTH ebrius cum filiabus duabus concubuit, quæ non libidine, sed generis humani reparandi spe cum patre dedita opera se miscuerunt: quoniam incendio non Sodomam tantùm, sed vniuersum orbem conflagrasse putabãt: Maior igitur natu filia Moabum, minor Benammi, authores Moabitarum & Ammonitarum, gentium sceleratissimarum, peperit. Genes.19.

MYRRHA Cynaræ Cypriorum regis filia, rem habuit cum patre, & ex eo concubitu suscepit Adonidem. Ouid.lib.10.

Accipit obscœno genitor sua viscera lecto,
Virgineósque metus leuat, hortatúrque timentem.
Plena patris thalamis excedit, & impia diro
Semina fert vtero, conceptáque crimina portat.

Plut.cap.44.Parall.

HÆMON Rhodopen filiam pro vxore habuit: diisq; incestum vindicãtibus, ambo in mõtes cõuersi sunt. Ad quod allusit Ouid. in Ibin, dicẽs.

Nec tibi, si quid amas, felicius Hæmone cedat.

NYCTEVS rex Æthiopiæ, cum Nyctimene filia concubuit. Illa in noctuam versa est, ob vitij fœditatem. Ouidius in Metamor.

CLYMENVS, Telei filius, in Argo vxore ducta Epicaste, filios genuit masculos Idam & Theragrum: filiam verò Harpalycen, forma præcellentem. In eius amorem Clymenus incidit: & tempore quidem aliquo se continebat, ac superabat affectum. Quum autem multo magis increfceret morbus, per nutricem conciliauit sibi puellam, ac clàm cum eã coiuit. Postea verò vbi nuptiarũ tempus aduenisset, adessetq; Alastor, cui despõsata erat, eam in Nelidatũ terrã adducturus, statim sanè splendidis nuptiis instructis eã ille concessit: pœnitentia autẽ non longè pòst ductus ac delirus factus, per amentiam Alastorem transuerberauit: è medioq; itinere aufert puellam, ductamq; in Argos palã habuit pro vxore. Illa autem grauia atque enormia se passam à parente existimans, iuniorem fratrem mactat: ac festo quopiam sacrificiorum apud Argiuos die, in quo publicè omnes conuiuabantur, apparatas pueri carnes parenti apponit. Quo perpetrato, à diis petiit ex hominibus auferri. Mutata itaque est in Chalcidem auem. Clymenus autem mente calamitates suas voluens, seipsum interemit. Parthenius de Amat. capite decimotertio ex Euphorione.

ASSAON filiã Nioben stuprare voluit. Quòd cùm illa renueret, filios eius in cõuiuium adductos exussit. Niobe sese ex alta rupe præcipitauit, Assaon sua manu concidit. Parthen. in Erot.cap.33.

ARTAXERXES Mnemon Persarum rex, Darij filius, adeò libidini frena laxauit, vt non contentus tercentum ac sexaginta concubinas habere, omni naturali lege bonísque moribus despectis, Attossam atque Amistrim ambas filias duxerit vxores, quemadmodum Plutar. scriptum reliquit. Fulg.lib.9.cap.1.& Alex.lib.1.cap.24.

CYANIPPVS Syracusanus multo vino repletus, filiam Cyanem in tenebris occurrentem, & diu multúmque repugnantem violauit. Eam ob causam cùm pestis vrbem inuasisset, illa tractum capillis patrem, iuxta datum oraculum ad aram, mactauit, & ipsa mox superincubuit. teste Dositheo lib.3.rerum Sicularum, & Plutar.cap.38.Paral.

ARNVTIVS hydropota Medullinam filiam obscuro loco corrupit: quæ dempto violatori annulo postmodum agnouit parẽtem, & insidiatorem virginitatis mactauit. Ex Aristide lib.3. rerum Italicarum. Plutar. cap.39. Paral. recitat.

VALERIA Tusculana Valerium patrem deperibat: ex quo cùm cõcepisset, Syluanum peperit, quem Græci Ægipanem vocant. Aristides Miles.lib.3. rerum Italicarum, & Plutar.cap.45.Paral.

CICERONI Sallustius impingit, quòd filiam habuerit pellicem matris. Sed inimici verba fidem non capiunt.

SIGISMVNDVS Malatesta. Vide tit. Cinædorum.

MATER CVM FILIO.

OEDIPVS mortuo patre Laio (quem ignotum occiderat) nescius & imprudens duxit Iocastam matrem suam, ex qua suscepit Eteoclem & Polynicen. Statius lib.1. Theba.

Scandere quinetiam thalamos hic impius hæres
Patris, & immerita gremium incestare parentis
Appetijt, proprios monstro reuolutus in ortus.

MENEPHRON iacuit cum matre. Ouid.lib.7.Metam.

Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, sæuarum more ferarum.

PERDIX venator infando matris Polycastes amore correptus, eam contaminauit. Vnde Perdicis libido abiit in prouerbium, pro efferata, turpi ac infami. autor Cælius.

SYSIMITHRITAS Persarum satrapa, duos ex matre liberos suscepit. Nam, authore Curtio, apud Persas parentibus stupro coire cum liberis fas est.

Fertur de PERIANDRO Corinthio, quòd primũ mitis ac benignus fuerit: posteo verò crudelior factus sit, hanc ob causam. Mater eius amore capta, eum valde adhuc iuuenem his verbis alloquitur: Esse fœminã quandam formosam planè, quæ eum immodicè amet: suadere se, ne illam despiceret. Periander primùm se corrupturum negabat eam quę esset coniuncta viro, præter leges & publicos mores. Quum autem supplicibus verbis instare non cessaret, se facturum recepit. Postquam nox statuta venisset, admonuit ipsum, ne lumẽ ad thalamum inferret, neque cogeret eam ad colloquium, atque id illius pudori condonaret. Is ergo quum pollicitus esset omnia se facturum quæ mater iniunxerat, ipsa pulcherrimè ornata ad filium ingreditur: ac priusquam aurora illucesceret, clàm rursus exit. Sequenti verò die interrogat filium, quomodo placuerit ei amica, & númne velit illam rursus se accedere? Periãder verò se illud cupere respondit. Quare ab hoc tempore non cessabat sæpe ad filium redire, ita vt tandem cupido Periandrum caperet, cognoscendi eam, cum qua congrederetur. Aliquandiu apud matrem precibus impetrare studuit, vt mutuo colloquio eius: cuius desiderio flagraret, noticiam haberet. Verùm quum id fieri posse ob verecundiam fœminæ mater omnino negaret, ipse aliquem ex ministris lumen in cubiculo occulere iubet. Et cùm ea pro consuetudine accederet, ac condormire vellet, exurgens Periander producit lumen: atque cùm videret esse matrem, præ animi impotentia transuerberare eam statuit. Sed à quodam genio subitò apparente retractus, à facto temperauit: ac ex eo tempore mente perculsus insaniuit, in crudelitatémque incidit, & multos suorũ ciuium mactauit. Mater verò multum super genio suo lamentata, seipsam interemit. Parthen. de Amat. cap.16.

Dirum & detestabile Parthorum institutum, sed in regio tantùm stemmate, vt non nisi ex filio & matre genitus regnum capesseret. Fulgosus lib.9.cap.1.

SECVNDVS philosophus, quum matri nescienti esse filium se commiscuisset, & illa facto cognito, sceleris horrore intulisset sibi mortem: ipse quoque cùm incestus pœnitẽtia, tum dolore maternæ mortis æternùm tacuit, vt vlcisceretur vocem, qua in concubitu matri innotuerat. Autor Diog.

Scribit Corn. Tacitus, Agrippinam se plerunque ad incestum obtulisse Neroni filio, quum per vinum & epulas incalesceret.

Franciscus Scarolla legatione aliquando apud regem Africæ functus, missúsque eò à Ferdinando rege Neapolitanorum, cùm incidisset aliquando inter amicos de gentis eius intemperantia sermo, vidisse se in funere retulit Mulierculam, quæ filium deferret ad sacerdotem, quòd is eam cognosceret. Atque ibi tum sacerdotem de ritu gentis ac sectæ eius, dixisse ad eos, intellecta causa. Ne tu post hac mulier fueris illi mater, néue tute ipse adolescens ex hoc die fueris illi filius. His verbis libertatem sese adeptos arbitrabantur, ac si de cætero soluti ab omni iure, liberè inter sese exercere libidinem possent. Pont de Immanitate cap.17.

NOVERCA CVM PRIVIGNO.

Ex Oenone & Alexandro puer natus est Corythus. Is auxiliarius in Ilium profectus, Helenam amare cœpit: atque illa ipsum vicissim valde amanter amplexa est. erat enim forma pulcherrimus. Deprehensum autem ipsum pater occidit. Nicander sanè Corythum non Oenones, sed Helenes & Alexandri filium esse dicit. Parthen. in Erot. capite trigesimoquarto.

PHÆDRA Thesei vxor, Hippolytum priuignum de stupro compellãs, cùm repulsam esset passa, Theseum de vi sibi à priuigno illata persuasit: Ille à Neptuno patre petiit, vt Hippolytus à Phocis dilaceraretur. Quod cùm factum esset, Phædra laqueo se exanimauit. Extabat adhuc Pausaniæ tempore in Attica terra myrtus, cuius folia crinali acu Phædra transfixerat, ex amoris ægrimonia delirans. Paus. in Atticis.

PHINEVS duos habuit filios, qui nouercam Cleopatram, Dardani Scytharum regis filiam violarunt. Vnde & à patre excæcati sunt. Ouid. in Ibin.

PHOENIX Amyntoris filius rem habuit cum patris pellice. Domitius Calderinus in Ibin Ouidij.

ANTIOCHVS Soter, rex Syriæ, quum Stratonicem nouercam impatienter deperiret, indulgentia patris obtinuit eam. Volater.

ANCHEMOLVS filius Rheti, Marrhubiorum regis, nouercam suam Casperiam stuprauit. Verg.lib.10.

Hinc Sthelenum petit, & Rheti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare nouercæ.

ARISNOE nouerca Agathoclem priuignum propter denegatum incestum interfici curat. Vide tit. Impietatis parentum erga liberos.

PHILONOME incestum concubitum Teneris priuigni expetit. Vide tit. Miro modo seruati.

GIDICA Pomminij Laurentini vxor, Comminium priuignum adamauit vsque ad incestum A quo repulsam passa, laqueo se suspendit.

ANTONINVS Caracalla Imp. quum Iuliam nouercam impotenti amore deperiret, & illa quasi per imprudentiam corpus magna ex parte nudasset, pulchritudine illius allectus: O quàm vellem, inquit, si liceret? Quibus verbis ostendebat, se eius concubitum appetere. Tum illa: Si libet, licet, respondit: Leges dat Imperator, non accipit. Quibus verbis audacior factus Caracalla, nouercam ipsam sibi copulauit, cuius filiũ Getam paulo antè interfecerat. Autores Sextus Aurelius, & Ælius Spartianus.

SCYTHES rex Scytharum, Opœam nouercam duxit in matrimonium. Herodotus.

SOROR CVM FRATRE.

AMNON filius Dauidis, Thamar sororem suam longè speciosissimam, morbum simulans, ad se vocatam constuprauit. 2 Regum decimotertio.

Fuit IOVI deorum maximo stupri frequens consuetudo cum Cerere & Iunone sororibus, vt volunt poetæ: qui quum deorum furta carminibus suis detegunt, nihil aliud faciunt quàm quòd indicant, non esse iis credendum quos stupris, incestibus & adulteriis contaminatos docent. Rauis.

Fabulantur poetæ Nereum maris Deum iacuisse cum Doride sorore, & ex ea suscepisse Nymphas, quas Nereides vocant. Idem.

Dimœtas ambiit Trœzenis fratris filiam Euopin. Quum autem perciperet ipsam cum fratre rem habere, indicauit id Trœzeni. Illa ergo ob timorem & pudorem seipsam suspendit: multa mala prius imprecata ei qui huius calamitatis sibi fuisset causa. Nec multo tempore pòst Dimœtes in mulierculam quandam incidit specie valde pulchram, quæ à marinis fluctibus erat eiecta, atque cum ea cupidè penitùs congressus est. Cuius corpus quum ob longum situm marcesceret, ingentem ei tumulum extruxit: atque quum ne sic quidem remitteret dolor, insuper seipsum mactauit. Parthen. de Amat.cap.31. ex Philarcho.

LEVCIPPVS Xanthij filius, genus à Bellerophonte ducens, omnes sui temporis robore longè superabat. Is res bellicas exercebat magno adeò apparatu, vt multis sermo de ipso esset tum apud Lycios, tum apud vicinos populos, qui ab eo persecutiones patiebantur. Ille igitur ex indignatione Veneris in amorem incidit sororis suæ: & ferebat sanè aliquandiu fortiter malum hoc, sperans se facilè à morbo conualiturum: postquam verò tempore procedente, nihilo mitior affectus fieret, conuenit matrem, valde supplicans ne se contemneret pereuntem. Imò nisi auxilium ferret, minabatur seipsum perempturum. Ea itaque statim cupiditatem eius se impleturam pollicita, mitiorem eum reddidit: aduocatáque puella, eam condormire fecit fratri, atque ab hoc sanè tempore consuetudinem inuicem habebant illi, omni formidine exclusa, donec quispiam nunciat rem cui desponsata erat puella proco. Is ergo parente suo adsumpto vnà cum quibusdam aliis amicis, adiit Xanthium, ac factum ei indicat, nomen tamen non reuelans Leucippi. Xanthius autem

maximè iniquo animo hoc nuncium accipiens, multam diligentiam adhibebat, vt filiæ corruptorem deprehenderet: iubebatque delatorem ipsum manifestare tempus, quo condormientes illos sciret, qui quum promptè planè obediret, ac senem ad thalamum statim perduceret, puella repentino strepitu facto, exiliit per fores, spe latendi ingredientes. Quare pater ipsam opinatus corruptorem esse, machæra eam transuerberauit, & quum præ dolore exclamasset, Leucippus auxilium laturus ei, & præ mentis turbatione non præuidens quem peteret, occidit parentem. Ob eam causam relicta Thessalis domo, in Cretam abiit. Inde autem ab incolis expulsus, in Ephesiam peruenit, vbi regionem occupauit nomine Cretineam. Porrò Leucippum dicunt à Leucophrya Mandrolytæ filia adamatum fuisse, quæ prodiderit ciuitatem hostibus, quorum Leucippus erat præfectus, Captus autem est & ipse postea ex vaticinio, ab his qui missi erant ex Pheris ab Admeto. Parthen. de Amat. cap. 5.

HYPERMNESTRA concubitum fratris (quem deperibat) nocturno tempore assecuta est. Ouid. in Ibin:

Quæque sui Venerem iunxit cum fratre mariti,
Locris in ancillæ dißimulata necem.

CAVNVS Mileti ex Cyane filius, quum esset forma liberali, adamatus est à sorore Biblide ad incestum vsque, cuius pœnitentia postea se interfecit. Ouidius libro nono. Metam. Alij ante congressum, solum vertisse aiunt: & ad Lelegas penetrasse, ibique ex suo nomine Caunon vrbē ædificasse. Biblis baltheo sese à quercu suspendit. Ex lachrymis eius fons Biblidos nomine scaturisse dicitur. Parthen. in Erot. cap. 11.

MACAREVS Æoli Tuscorum regis filius, amore sororis suæ captus, eam violauit. Pater re cognita filiæ mittit ensem, quo accepto necem sibi consciuit: idemque paulò pòst Macareus fecit. Sostratus lib. 2. rerum Tuscanicarum, vt Plutarch. cap. 52. Parall. refert.

Cùm antehac Persæ sorores in matrimonium accipere nequaquam consueuissent, CAMBYSES rex minoris natu sororum amore captus, cupidúsque deinde ducendi illam vxorem, ne propter rei insolentiam malè audiret, accersit eos qui regij iudices nominantur. Fiunt autem delecti ex Persis viri, suntque perpetui nisi delicti alicuius comperti fuerint. Isti apud Persas ius dicūt, & legum patriarum sunt interpretes, & ad eos omnia referuntur. Hos Cambyses percontatur, num qua lex sit, quæ sinat volentem cum sorore contrahere matrimonium. Iudices & iustè & ingenuè respondentes, negant vllam se inuenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem: quandam tamen inueniri legem, qua liceat regi Persarum facere quicquid libeat. Ita neque legem abrogarunt, metu Cambysis: & ne legem tuentes ipsi perirent, aliā inuenerunt, adiutricem eius qui sororem in matrimonium ducere velit. Tunc itaque Cambyses eam accepit vxorem. Aliquanto pòst & alteram, natu maiorem, Atossam nomine. Herod. lib. 3.

DARIVS Satyram, iisdem genitam parentibus, connubio sibiipsi deuinxit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

CIMON Atheniensis Elpinicem sororem suam in vxorem duxit, cùm apud Athenienses germanas ducere vxores nulli crimini datum esset. Idem.

OLYMPIAS Pyrrhi Epirotarum regis filia, fratris coniugio potita est. Idem.

ÆGYPTII sororum amoribus coniugiísque implicari, atq; cum his passim matrimonia inire solent. Idem.

PTOLEMÆVS Ægypti rex, vt sororis suæ, quam ardentissimo amore deperibat, coniugium sortiretur, vt suam libidinem expleret, passim fratrum & sororum matrimonia permisit, vt eo aptius dirum scelus & nefandam libidinem matrimonij velamento obnubilaret. Alexan. ab Alex. libro 1. capite 24. Euergetes Berenicen, Philadelphus Arsinoen sororem duxit.

PTOLEMÆVS Physcon appellatus, sororem natu maiorem communi fratri nuptam, sibi nubere coëgit: postea deinde filia eius per vim stuprata ipsam dimisit, vt vacuum locum nuptiis puellæ faceret. Vale. Max. lib. 9. cap. 1.

CLEOPATRA à fratre (quem pro marito habebat) polluta est. Vnde Lucanus libro 10.

Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.

PAPYRIVS Romanus, cuius pater erat Papyrius Volucer, Claudiam sororem (alij Canusiam vocant) inhonesto amore flagrans grauidam fecit. Id vbi pater intellexit, filiæ gladium misit, quo se puella transuerberans exiuit è vita: idem quoq; Papyrius factitauit. Chrysippus lib. 1. rerum Italicarum, & Plutarch. 53. Parall.

CALIGVLA tres sorores suas stupro contaminauit: ob quem incestum Iouem se vocabat, autores Sex. Aurelius, & Tranquillus, cuius verba sunt hæc: Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque conuiuio singulas infrà se vicissim collocabat, vxore supra cubante. Ex his Drusillam vitiasse virginem prætextatus adhuc creditur.

M. ANTONIVS imperator consuetudinem Veneris habuisse dicitur cum Faustina sorore, ex qua & Lucillam genuit, quàm L. Antonio fratri copulauit.

COMMODVS Imperator sorores constuprauit, suasque concubinas videns ac volens ab amicis constuprari passus est. Adolescens infamauit omne genus hominum quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriusque sexus, quos libentius oculis suis applicabat. Lampridius.

Martialis scribens ad Fabullum lib. 12. arguit TEMISONEM quendam incestus cum sorore, vbi ait:

Quare non habeat, Fabulle quæris,
Vxorem Themison? habet sororem.

IOANNES Armeniacus comes, nimia incensus libidine, sororem suā vxorem duxit. Quamobrem extra catholicæ Ecclesiæ gremium factus, atq; infamis habitus est: Carolúsq; septimus armis illatis, euersis eius rebus, fortunaque omni, de viuentium numero ipsum sustulit. Fulgos. lib. 9. cap. 1. & Pontanus de Obed. Ariminensem vocat.

In Britanniæ insulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, IACOBVS rex eius gentis appellatione Genis dictus, publicè quidem matrimonia non contraxit cum duabus sororibus, sed cætera quidem maritalia iura cum eis exercuit. Fulgos. libro nono capite 1. & Egnat. lib. 9. cap. 1.

NEPTES CVM PATRVIS.

CLAVDIVS Cæsar Agrippinam, Germanici fratris filiam, nouercā duobus liberis superinduxit: cuius insidiis & venenis postea interfectus est. Sextus Aurelius.

DOMITIANVS Romanorum imperator: cùm Domitiam vxorem suam repudiasset, palàm cum nepte sua Iulia, tanquam cum vxore, rem habere inuentus est. Xiphilinus in vita Domitiani.

AVFILENA quædam proscinditur à Catullo, quòd patruo se prostituisset, & ex eo genuisset liberos. Hæc sunt eius verba.

Aufilena viro contentam viuere solo,
Nuptarum laus est laudibus eximiis.
Sed cuiuis quamuis potius succumbere fas est,
Quàm matrem fratres efficere ex patruo.

THEODORICVS Francorum rex, fratris à se interfecti filiam duxit in vxorem. Rauis.

HERACLIVS Imp. post obitum primæ vxoris Fabiæ Eudociæ, alteram duxit, Martinam filiam fratris: lata lege, vt idem omnibus liceret. Sed graues postmodum pœnas dedit. Hydropicus enim obiit: & priapismo tam crudeli vexatus est, vt quoties meieret, ne vultum lotio conspergeret, tabula vmbilico admoueretur. Martina quoque paulo pòst execta lingua, cum filio Heraclona (cui facies mutilata fuit) in exilium relegata est, quia Constantinum Heraclij filium spe imperij veneno sustulerat. Cuspinianus in Heraclio.

CVM MARITI FRATRE, VEL
vxoris sorore.

HERODES incestu se miscuit cū Herodiade vxore fratris, & à Ioanne baptista arguitur, Matth. 14. Marci 6.

TEREVS rex Thraciæ, Martis filius ex Bystonice nympha ducta, Pandionis Atheniensium regis filia Progne, sororem eius Philomelam vi compressit. Progne ad vlciscendum sororis stuprum Itym filiū patri Tereo epulandum proposuit. Tandem commiseratione deorum Tereus in Epopem, sorores in aues sui nominis mutatæ fuerunt. Ouidius in Metamorphosi.

LEVCON interfecit Oxylochum regem Ponti, fratrem suum, vt eius vxore frueretur. Rauis.

CRASSVS Romanorum ditissimus, vno è fratribus mortuo, illius vxori congressus est, & ex ea filios aliquot procreauit, author Plutarchus.

GALLVM quendam conuiciis proscindit Catullus, qui vt facilius posset fratrum suorum liberos & vxorem in suam libidinem allicere, ipse leno eos stupra committere docuit. Hæc autem sunt Catulli verba:

Gallus homo est bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puero vt bello bella puella cubet.
Gallus homo est bellus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.

CYDONEM quendam Statius libr. 9. Theb. ait adamatum à sorore. Eius verba sunt hæc:

Et malè dilectum miseræ Cydona sorori.

PHILIPPVS frater Alphonsi decimi Hispaniæ regis, Christianā Daciæ regis filiam & fratris sui vxorem sibi per vim copulauit, spreta religione, ac fa[illegible]tio, quum esset abbas, & præsul Hispalensis. Rauis.

LIBIDO NEFANDA, CVM DIVERSO GE-
nere se commiscere.

CVM BRVTIS.

Nihil SEMIRAMIDE Assyriorum regina clarius: in nulla vnquam fœmina maior apparuit indoles. Cæterùm tam effrenata & intemperās libido, vt (teste Iuba) domesticum equum libidinis causa adamarit, filiumque ad incestum conata sit allicere. Sed filius ab incesta matre debitas exegit pœnas: vel vna re maximè dignus, qui tantùm imperium teneret, qui matrem necare maluerit, quàm incestare. Sab. libr. 4. cap. 11. & Plut. in Apophth. & Plin. lib. 8. cap. 42.

PASIPHÆ Solis filia, & vxor Minois regis Cretæ, taurum ad coitum vsque fertur adamasse, ex quo & biforme illud monstrum Minotaurum susceperit. Ouid. in Metam.

Herodotus in Euterpe ait, suo tempore hircum palàm coiuisse cum MVLIERE.

ORATHIS pastor, quum in Venerem esset procliuior, capram omnium formosissimam deperire cœpit: cui congrediebatur frequenter: demumque vti amicam gratè amplexabatur, cum multa suauiatione. Quod contemplatus hircus, zelotypiæ œstro concitatus, dormientem Orathim cornibus inuasit, & interfecit. Hoc ex Græcis citāt Cæl. & Volaterra.

GLAVCAM citharistriam alij ferunt canem, alij anatem, alij anserē, alij arietem adamasse. XENOPHONTIS filium apud Ciliciæ Solos aiunt canem deperiisse: item deformem PVERVM Spartæ monedulam in deliciis habuisse. Ælian. lib. 9. de Var. histor.

ARISTON nobilis iuuenis Ephesius, filius Demostrati, reuera autem Martis, genus mulierum exosus, noctu ad patris greges currens, cum asina congressus est: quæ grauida facta, puellam formosissimam peperit, Onosceliam ab euentu dictam. Aristocles lib. 2. Paradoxorum, Stobæus sermone 62. & Plutarch. cap. 54. Parall.

FVLVIVS Stellus libidine flagrans, odio mulierū equę sese commiscuit, quæ deinde formosam admodum puellam peperit, quam Hipponam appellarunt. Agesilaus lib. 3. rerum Italicarum, & Plutarch. cap. 55. Parall.

VRSVS filiam cuiusdam patrisfamiliâs, in agro Suetico cum ancillulis lusum egressam, deturbatis comitibus rapuit: exceptamque vnguibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit. Cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggressus, petitam laniatu prædā in vsum nefariæ libidinis vertit. Effectus enim ex raptore amator, & famē concubitu soluit, ardoremque gulæ Veneris satietate pensauit. author Saxo Grammaticus lib. 10. Historiæ Danicæ.

Carolo octauo Gallorum rege Neapolim tenente, deprehensus est è Britonum gente MILES cum asina mistus. Pontanus cap. 17. de Immanitate.

CVM DAEMONIBVS.

Huc referenda sunt eorum exempla, qui cum dæmonibus, incubis aut succubis sese commiscent: quales sunt venefici & veneficæ. Cuius loci amores quoque deorum, seu dæmonum potius, ab Ethnicis poetis decātati, censeri possent: nisi mysticum sensum sub ridiculo, & turpi fabularum inuolucro contineri, doctißimorum virorum authoritate crederemus.

CVM ARBORIBVS.

XERXES rex cum mari terrisque Iouis operibus posthabitis, noua itinera & insolitam nauigationem sibi parasset, seruiuit platano, & arborē admiratus est. In Lydia igitur, vt rumor fert, cùm vidisset proceram platanum, integrum diem ibi commoratus est, nulla postulante necessitate: & castra posuit in solitudine circa platanum. Sed & multiplicem ac preciosum ornatum ex ea suspendit, torquibus armillisque ramos veneratus: & curatorem ei reliquit, quasi custodem & propugnatorem amasiæ. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

Morum arborem ætate Plinij adamauit PASSIENVS Crispus bis consul, osculari complectique eam solitus: atque etiam cubare sub ea, vinumque illi affundere.

CVM CADAVERIBVS MORTVORVM.

CYPSELVS Corinthiorum tyrannus, Melissæ vxori iam mortuæ se libidinosè commiscuit. Fulgos. lib. 9. cap. 1.

PERIANDER Corinthius, ex septem Sapientibus Græcię vnus, vxorem adeò dilexit, vt etiam cum mortua coiuerit. Suidas, Laertius, & Herod. libr. 5.

Apud AEGYPTIOS scribit Herod. funerum curatores cum iis venerem exercuisse, quorum corpora sepulturæ mandanda acceperant: propter quam iniuriam apud Ægyptios mos inoleuit, vt corpora sepulturæ curatoribus quarto die duntaxat post crederētur, vt fœtor ab eiusmodi iniuria mortuorū corpora defenderet. Fulgos. lib. 9. cap. 1. ex Herod. lib. 2.

DIMOETES, cùm in cadauer mulierculæ cuiusdam formosæ, à marinis fluctibus eiectæ, incidisset, cum eo rem habuit, donec ob longum situm maresceret. Illi ergo tumulum extruxit, seque ibidem præ dolore mactauit. Parthenius in Eroticis cap. 31.

Fera prorsus libido fuit, FABRIANENSIS cuiusdam ciuis. Nam cùm desciscente populo à Clauellis, eius vrbis principibus, ne fœminis quidem populi rabies ferrumque pepercisset, ipse cum mortua Clauellorum virgine commiscere se per Venerem non erubuit. Fulgos. lib. 9. cap. 1.

SIGISMVNDVS Malatesta Armini princeps, incensus forma Teutonicæ cuiusdam matronæ, Romam è Germania proficiscētis piaculorum gratia, vt diuorum templa Petri & Pauli visitaret, eam suos per fines iter facientem aggressus, cùm nulla ratione viuæ afferre vim posset, iugulauit, iugulatamque cognouit. Pontan. lib. de Immanitate, cap. 17.

CVM STATVIS ET SI-
mulachris.

ATHENIENSIS quidam adolescens statuam Bonæ fortunę ad Prytaneum stantem adeò adamauit, vt dictu mirum sit, sæpe in complexus eius se insinuans, oscula dabat: atque inde raptus in furorem, œstroque percitus, propter cupiditatem, in senatum veniebat, & enixè rogabat vt sibi eam liceret emere. At cùm nihil proficeret, multis regiis sertis & coronis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaque precioso vestitu exornata, profusis innumerabilibus lachrymis, ipse sibi mortem consciuit. Ælianus lib. 9. de Varia histo. & Cęlius lib. 7. cap. 32.

P. PILATVS, legatus Caij principis, imagines Atalantæ & Helenæ nudas à Cleophanto Corinthio pictas, earum libidine captus, rapere conatus est. Rauis.

PYGMALION quidam statuam formosam dilexit: eamque ceu egregiam aliquam nympham frequentibus osculis suauiatus, & lecto dignatus est. Ouid. in Metam.

ADOLESCENS quidam amore captus marmoreæ Veneris in Gnido insula (opus Praxitelis absolutissimum) cùm detulisset in ædicula, noctu simulachro cohæsit, suæque libidinis indicem maculam reliquit. Plin. lib. 36. cap. 5.

ALCHIDAS Rhodius adamauit in Pario colonia Propontidis Cupidinem nudum, opus Praxitelis, ex marmore, & cum eo coiuit. Ibidem.

IVNIVS Pisciculus, eques Rom. vnam ex signo Thespiadum ad ædē Felicitatis Romæ amauit. Ibidem, ex Varrone.

PATHICI, PAEDICONES, CINAEDI.

Pudet profectò Tituli, nedum Exemplorum, in re tam turpi exemplis carere optabilißimum foret. Nunc cùm eò & veteratoris spiritus insidiæ, & mortalium improbitas processerint, vt exempla non pauca detestandæ libidinis inueniantur: ea absque rubore in medium proferemus, tanquam iudices. Neque enim sontes in genere tantùm vt homines condemnantur, sed & proprio & gentis & patriæ expresso nomine: ita quoque cùm illi quorum hic mentio fiet, execrando libidinis genere sese contaminarint, & cum natura rerum bellum gesserint, cùm de facto constet, quocunque tandem qui eos supplicij genere dignos censuerit, liberum esto (prout sub iustitiæ correctiuæ loco declarabitur) satis sit in præsentia eorum catalogum contexuisse: eorum inquam, qui in mutuas libidines, vt D. Paulus inquit, exarserūt, & cum vero Dei cultu humanæ quoque societatis modum peruerterunt. Qui eò dementiæ & impietatis processerit, vt horum turpitudinem quàm aliorum castitatem imitari malit, illum tanquam deploratum, si magistratus authoritas corrigere nequit, at certè aliquando infernalis castigabit ignis.

Peccatū carnis pręcipua videtur fuisse causa, propter quā Dominus diluuio deleuit mūdū, dicitur enim: Omnis caro corruperat viā suā. Ge. 16.

SODOMITANI & Gomorrhęi tam horrendo libidinis æstu flagrabāt vt in tota ciuitate ne decem quidē viri probi inuenirentur ab Abrahamo, propter quos Dominus vrbibus illis ignoscere posset. Angelos duos, qui apud Lothum diuerterant, ad stuprum postulabant, & quamuis Lothus filias duas illis offerret, insana tamen cupiditate exagitati, conditionem respuebant. Et sanè angelis vim intulissent, nisi cæcitate omnes fuissent diuinitùs affecti. Pluit igitur cœlitùs pix cum sulfure, ita vt quinq; illę ciuitates cōflagrarint, & incolę ęternis adhuc crucientur ignibus. Gene. 18.

ORPHEVM Thraca detestādæ in mares libidinis principem & repertorē fuisse aiunt, post amissam Eurydicen. Ouid. libr. 10. Metam. Cælius

capite decimoquinto libro nono Ant. lect.

MINOS rex Cretensium susceptas cum Atheniensibus inimicitias, ob mortem filij sui Androgei, lubens deposuit amore Thesei, quem deperibat. Idem.

Sunt qui dicant, Thamyram primùm flagitiosis puerorum amoribus, ac præposteri concubitus fœditate pollutum, quum cœpisset efflictim deperire Hymenæum Calliopes & Magnetis filium. Alij Thaloni Cretensi rei tam probrosæ initia tribuunt, qui Rhadamanthum adamarit. Cæl.lib.15.cap.9.Antiq.lect.

CHALCIDENSES in Eubœa, pueriles amores ad stuporem vsque persequuntur. Cæl.ibidem.

CRETENSES adolescentum & puerorum amores primi videntur vsurpasse. Atque his deditum esse, nihil apud illos turpitudinis atque ignominiæ habet. Quòd si copia fiat, abducũt eos vel in montana, vel in ædes suas: atque ibi sexaginta continuos dies fruuntur (plures enim non licet) atque amator dona dat vestem aliáque munuscula, & bouem. Heraclides in Politiis, & Aristoteles.

LAIVM aiunt primum formosorum puerorum ac iuuenum amoribus arsisse, & Chrysippum filium Pelopis rapuisse. Ex quo factum est, vt honestum apud Thebanos haberetur, speciosos & elegantes amare. Ælian.lib.13.de Var.hist.

IVPITER Ganymedem rapuisse dicitur specie aquilæ. Sub turpi fabula castissimam philosophiam poetæ tradunt. In Ida monte (ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν) rapitur ab aquila (quæ contemplationis symbolum est) Ganymedes (ὁ γανυμενος τοις μηδεσιν) Iouísque pocillator constituitur (sapientiæ videlicet antistes, verúmque philosophus.)

BACCHVS, Ampelon puerum forma speciosissimum adamauit in Ismariis saltibus vt idem Naso Fastorum lib.3.canit.

Ampelon intonsum Satyro nymphâque creatum,
Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis.

CRATINVS Atheniensis comœdiographus, notatus est pæderastiæ vitio. Rauis.

PHÆDON philosophus, quum adolescentulus Athenis esset in seruitute, à domino in lupanari constitutus est, vt prostaret, & corpore faceret quæstum. Sed respuit.

Erasmus in adagiis ait, Cleocritum veteris Comœdiæ scriptorem maledictis proscissum, quod cinædus esset. Quam notam Argyrrhio eandem inurit.

AGATHON fuit tibicen, cantilenarum suauitate aures maiorem in modum deliniens: quem insania molliciei laborasse, testis est apud Erasmum Zenodotus.

Aratus poeta Cilix, Philinum adolescentulum deperiit: pro cuius reditu è Chio insula, deos multa precatus est. Rauis.

Ferunt IBYCVM historicum, patria Rheginum, insano puerorum amore exarsisse. Idem.

PHILOCLEM eximium adolescentem amauit Epicurus, ad quem solitus erat hoc modo scribere: Consumor ac deficio, amabilem tuum ac diuinum ingressum sustinens.

LIBANIVS sophista Antiochenus Constantinopoli ob impudicos amores puerorum pulsus est. Demum Nicomedia (quò se receperat) eandem ob causam detrusus.

LYCVM puerum adamauit Alcæus poeta lyricus, de quo Horat.lib.1. Carminum:

Liberum & Musas, Veneremque, & illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis, nigróque
Crine decorum.

CALETA, Ptolemæi regis amasius, vt pulcherrimus, ita & clementissimus. Pete tit. Misericordiæ.

PLATO diuinus fœdis quoque Agathonis & Asteris amoribus exarsisse fertur. Verùm tantam turpitudinem in tam excellsum animum cadere potuisse, incredibile videtur. Amauit ille Socratico more, non corpus, sed animum. Improbi tamẽ homines vt suis libidinibus patrocinarentur, grauissimis viris notam hanc inurere non dubitarunt.

BATYLLVS fuit Anacreõtis poetæ delicium. Horatius in Epodo. Ab eodem quoque adamatus est Megistheus puer. De vtroque Politianus in Rustico:

Nunc Samium celebras (iubet Adrastea) Batyllum:
Nunc teneram Eurypilem, tenerúmque Megisthea laudas,
Tandem acino passæ cadis interceptus ab vuæ.

Testatum est Græcorum monumentis, Pindarum nouem lyricorum principem in gremio dilecti pueri mortuum, in gymnasio repertũ. Val. Maximus de Mortibus non vulgaribus. & Quintil.

AGATHONEM poetam fœdo amore Pausanias figulus amauit, de quorum amatoriis contentionibus lege Ælianum libro secundo de Varia historia.

EVRIPIDES ab Archelao rege ad conuiuium vocatus, cùm inter pocula largius bibisset, proximè sibi assidentẽ Agathonem tragicũ poetam complexus & osculatus est, annos circiter quadraginta natum. Agesilao autem interrogante, num adhuc in deliciis habẽdus videretur? Respondens: Per Iouẽ, inquit, omnino. Non enim ver solum est bonorum optimum, verumetiam autumnus. Ælian.lib.13.de Var.hist.

Apud Megarenses inter pueros vere ineunte osculorum certamen agebatur: quíque suauius amantem esset osculatus, corollis onustus abibat. Cæl.lib.15.cap.9.

Apud LACEDÆMONIOS qui honestè liberalíque forma præditi sunt, non gerunt sese delicatè erga amatores, neque nimis arroganter. Siquidem hi diuersum à reliquis faciunt adolescentibus formosis. Nam ab amatoribus petunt, vt sese ament. Lacedæmoniorum autem ea vox est, Oportere amare: Spartiata & amor nihil turpe nouerunt. Siue enim adolescens ausus sit stuprum pati, siue amator inferre, neutrum prætermitti Spartę vtile fuisset. aut enim è patria discessissent: aut, quod grauius est, è vita. Ælian.lib.3.Var.hist.

Apud eosdem cùm quidam forma præstans, in amorem sui pertraxisset hominem locupletem, eo quòd ipse pauper esset: irrogarunt illi pecuniariam mulctam, plectentes pecuniarum illicitam cupiditatem, ablatione pecuniæ. Alium quẽdam formosum ac bonum virum, quòd neminem amaret ex iis qui deteriores essent, pœna affecerunt: quòd cùm bonus esset, neminem amaret. Similem enim sui potuisset amasium reddere. Est etiam apud Lacedæmonios eiusmodi lex: Si quis adolescẽs in deliciis habitus peccasset, concedebant aut morum simplicitati, aut ætati iuuenili. Amatorem verò eius pœnas luere cogebant, volentes arbitros eos & inspectatores esse omnium quæ isti facerent. Idem.

CLEOMENEM nefando huic omnibúsque modis detestando amori operam dedisse, hinc colligi potest. Nicagoras enim Messenius Archidami Lacedæmoniorum regis amicus, cùm in Alexandriam nauigasset, & fortè Cleomenem salutasset iuxta portum ambulantem, percontatus à Cleomene, quid nauibus apportaret? Equos, inquit, generosos, & ad bellandum vtiles veho. Cleomenes respondisse ad id dicitur: Mallem cinædos sambucásque vexisses. Polyb.lib.5.Historiarum.

CHARITON Agrigentinus, pulchritudinis amator, & circa formam iuuenum infœliciter versatus, ardenti desiderio Menalippum amauit adolescentem honestum, ac pulchritudine in primis insignem. Ælian. de Var.hist.lib.2.

Æschines criminosa & virulenta oratione Timarchum de impudicitia accusauit, apud Athenienses. Gell.3.lib.18.

PAVSANIAS, dux Lacedæmonius, Argilum forma conspicuum adolescentem mirè dilexit. Cæl.cap.62.lib.16.

ARISTOGITON Atheniensis, Harmodiũ insigni forma adolescentem deperiit. Thucydides lib.6.

HIPPARCHVS Pisistrati filius, quum Harmodiũ & Aristogitonem excellenti forma pueros per vim pædicasset, coniurationem in se concitauit. Iuuenes enim probrum ægrè ferẽtes, non prius finem insidiis fecerunt, quàm eum de medio sustulerũt, libidinem hominis magis quàm tyrannidem pertæsi. Autor apud Volaterranum Thucydides.

CLEOMACHVS Magnesius pugil, ita in cinædi cuiusdam amorem incidit, vt cinædorum & orationẽ & mores imitatus sit, teste Strabone.

ATTALVS Pausaniæ adolescenti stuprum per vim intulit. Hanc iniuriam cùm Philippo Macedonum regi conquestus fuisset, nec ille Attalum vlcisci vellet, sed insuper eum irrideret: Pausanias captata opportunitate Philippum interfecit. Iustinus.

Diogenes Cynicus interrogatus de quodam Adolescente, qualis videretur? Arcadẽ esse respondit. Siue significans, illum esse stupido ingenio: siue, vt eruditi quidam malunt, mollem & pathicũ, quòd Arcades ferantur glandibus victitare, teste Epigrammate,

πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ βαλανοφάγοι ἄνδρες ἔασιν.

Glans autem apud Latinos interdũ obscœnam habet significationem. Eras.Rot.lib.8.Apoph.

HIPPARINVS, Syracusiorum tyrannus, in amorem incidit pueri Achei. Eum itaque pollicitationibus multis inductum persuadet, relicta paterna domo secum cohabitare: progressu autem temporis, quum hostium incursio in quasdam subiectas sibi regiones fuisset annunciata, oporterétque cũ ob id celerrimè ferre auxiliũ, Hipparinus alacri quidem animo abiit: puero autem præcepit, vt si quis intra aulam vim ei inferre pararet, eũ ense occideret, quem ea gratia ei donauerat. Postea autẽ vbi cum hostibus congressus, robore suo eos sustulisset, multo vino inebriatus, Veneris appetens factus est. Quare præ ebrietate ac desiderio pueri penitùs ardẽs Syracusas rediit: ingressúsque domum, vbi puerum se expectare iusserat, quísnam esset non indicans, Thessalica simulata voce Hipparinum adoriebatur. Puer ergo indignatus, proprium herum Hipparinum in tenebris ferit. Ille triduo superuixit: & vbi Achæum à cęde sua immunem declarasset, è vita decessit. Parthen. de Amat.cap.24.

TERIDATES eunuchus, Artaxerxi in deliciis fuit. Cuius mortem quàm impotenter tulerit, pete ex tit. Consolationis.

GYGES rex Lydorum, Magnetem Smyrnęum, eximia pulchritudine clarum vsque adeò dilexit, vt bellum in Magnesios mouerit, quòd puero capillos totondissent, quò videretur deformior.

PHILIPPVS Macedo habuit Alexandrum adolescentem, Olympiadis vxoris suæ fratrem, non ad alium vsum, quàm ad stupri consuetudinem. Trogus lib.8.

Herodotus apud Cælium testis est, Persas à Græcis didicisse pueris abuti.

ALEXANDER Bagoan Inspectante theatro vniuerso suauiari plerúnque non erubuit, teste Athenæo. Contra tamen plerique sentiunt, ferúntque tanta castitate præditum fuisse, vt præter vxorem & Bersanẽ è Damasco viduam mulierem, nullam aliam complexus fuerit. Illud certè constat, quum Orsines, Persa nobilissimus, Alexãdrum, eiúsque amicos muneribus cumularet, soli Bagoæ nihil honoris detulit. Rogatus causam respõdisse

dixisse amicos regis, non scorta colere. Cęlius libr.15.cap.9.Antiq.lect.

DEMETRIVS Poliorcetes, Antigoni filius, Democli laudabilis formę adolescentulo stuprum inferre voluit. Quod quum per inualidas ętatis vires puer non posset aliter effugere, in proximum feruentis aquæ lebetem se coniecit, ibíque mortuus est. Idem Demetrius Lamiæ aliísq; scortis talenta CCL erogauit: autore Plutarcho.

Ferunt AGATHOCLEM Siciliæ tyrannum, forma & venustate corporis præeminentem diu vitam stupri patientia exegisse. Propterea Timæus dixit illum primæuo ætatis flore scortum promiscuum, impudentissimo cuiq; expositum. Iustinus lib.22.

NICOMEDES, rex Bithyniæ, stuprum C.IVLIO Cæsari intulit, non sine maxima vtriusque nota theatricisque conuiciis. Extant enim C. Licinij versus: Bithynia quicquid & pędicator Cæsar vnquam habuit.. Dolabella quoque Cęsarem ipsum pellicem reginæ vocabat. Curio pater stabulum Nicomedis, & Bithynicam fornicem. Omnium pręterea mulierum virum, omniumque virorum mulierem appellauit. Et Bibulus proscripsit collegam suum Bithynicam, cui dicebat regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum. Et C.Memmius obiecit, ad cyathum & vinum Nicomedis stetisse, cum reliquis exoletis pleno conuiuio accubantibus. Gallico deniq; triumpho milites eius inter cætera carmina illud pronũciauerunt: Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem. Suetonius.

Dionysius apud Cælium libr. 8.cap.30. testis est, ARISTODEMVM tyrãnum apud Cumas in Romanis antiquitatibus mollem fuisse cognominatum, quòd parum vir esset, ac pudicitiam substrauisset.

L.Q. FLAMINIVS vir consularis quidem, sed libidinosissimus, puerum ardebat adeò, vt siue prouincias adiret, siue exercitus duceret, nunquam ab eius latere discederet: eoque quodam in cõuiuio, aliquam corã se necari cupere dicente, statim vnum è damnatis securi percuti iussit. Valerius Antias id amore fœminæ factum dicit. Liuius quoque scriptum dicit in Catonis oratione, Gallum transfugam cum vxore & liberis venisse, & ab eo epulis exceptum, mox vt scorto, quod amabat, obsequeretur, propria manu confossum esse. Cuius etiam sceleris meminit Cice. de Senect. Volat.lib.16.Anthr.

CÆLIVS PLOTIVS, cùm Titum Veturium adolescentem propter æs alienum, nexum haberet, verberibusque, quòd stuprum pati nollet, cęderet: querela ad Consules delata, in carceres fuit coniectus Plotius. Volat.li.20.& Val.Max.de Pudicitia.

Q. OPIMIVS consularis, qui in adolescentia malè audierat, festiuo homini AEGILIO, qui videretur mollior, quum dixisset: Quid tu Ægilia mea, quando ad me venis cum tua colu & lana? vrbanè Ægilius crimen retorsit: Non pol, inquit, audeo. Nam me ad famosam vetuit mater accedere. Bruson.lib.4.cap.6.

L. PAPYRIVS Publium adolescentem in vinculis tenebat: afficiebatque plagis, quòd eius stuprum pati nollet. Re ad Senatum delata, dãnatus est Papyrius lata lege, ne quis in corpora libera ob æs alienum ius haberet. Liuius lib.8.

LVSIVS Marij ex sorore nepos, quum Trebonio pudicę sanctitatis militi vim & stuprum vellet inferre, ab eodem interfectus est. Cæl.libr.15. cap.9.Ant.lect.

HOSTIVS princeps quidam fuit obscœnitatis perditissimę, feruidęq; libidinis Augusti temporib. vtrique Veneri, masculę scilicet & muliebri, deditissimus: qui fecit specula eius notę, vt imagines multò redderẽt maiores. Quum ergo Veneri se daret, ea ita disponebat, vt quum virum pateretur, omnes admissarij sui motus in speculo videret, ac deinde falsã ipsius membri magnitudine tanquam vera gauderet. Cęl.Ant.lect.lib.14.

TITVS Vespasianus exectos plurimùm amasse dicitur: in cuius postea contumeliam Domitianus edixit, ne in posterum quisquam intra fines Romani imperij castraretur. Xiphilinus in vita Vespasiani.

PVB. Attilius Philiscus meritorius fuit. Vide tit. Stupri pœna.

NERO Romanorum imperator Sabinę pulcherrimę fœminę tanto desiderio teneri cœpit, vt Sporum puerum libertũ execari iusserit, quòd ei persimillimus esset: eoq; in cęteris rebus pro vxore vsus est. Propterea emanarat iocus bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius eius pater talem habuisset vxorem. Sporum autem Sabinam appellauit, quia propter eius similitudinem exectus fuerat: atque vt ei antea Sabina, ita hic in Gręcia pactis conuentis nupsit: cumque Tigellinus, vt lex iubebat, despondit. Hæ nuptię ab omnibus Græcis celebratæ sunt. Eo autem tempore duo simul cum Nerone coibant: Pythagoras pro viro (cum quo nuptias celebrauit, & dotem quoque amplissimam numerauit) Sporus pro vxore, qui præter cætera domina & regina appellabatur. Illud verò quis dignè mirari potest? quòd cùm adolescentes & puellas nudas alligaret cruci, capiebat pellem feræ: deinde quasi deuoraret aliquid, in eos irruebat petulanter. Insuper Doryphoro liberto (sicut ipsi Sporus fecerat) denupsit, voces & eiulatus vim patientium virginum imitatus. Hæc Suetonius, Dion Xiphilinus & Tacitus libro 17. Cæl.lib. 15.capite 9.

ANTINOVS puer fuit elegantissimę formæ, ex Claudiopoli Bithynię ciuitate, quem Adrianus Imperator ad infamiam vsque adamauit, vt etiã mortuo ciuitatem construxerit, templumque erexerit cum ara, & eius effigiem curauerit imprimendam. Spartianus ait, puerum illum ab Imperatore muliebriter defletum. Dion Cassius.

EARINVS Domitiani Romanorum imperatoris eunuchus, quem aliquandiu in precio habuit: mox tamen cùm legem de non castrandis viris promulgasset, repudiauit. Xiphilinus in eius vita.

TRAIANVS Imperator natura clemens & probus fuisse dicitur, duobus exceptis vitiis, quòd vino, quodque puerorum libidini plus satis indulserit, Dion.

LIGVRINVS Horatij fuit delicium. libr. 4. Car. Amauit & LYCISTVM, de quo in Epodo.

Habuit in primis Valer. Flaccus poëta Setinus in deliciis AMAZONICVM puerum, cuius formam commendat Martialis.

Tibullus CHERINTHVM: Asinius Gallius poëta, filius Asinij Pollionis viri consularis, Hippolytum.

Catullus IVVENCIVM.

ROSCIVM Q. Catullus Epigrammatista. Amauit & THEOTIMVM, de quo sic scribit: Aufugit mi animus, credo vt solet, ad Theotimũ deuenit, sic est, perfugium illud habet.

AEMYLII cuiusdam cinædi obscœnos amores, mollesque delicias, postremo infinitas libidines notat Catullus. Idem in Nasonem quẽdam pathicum his inuehitur verbis:

Multus homo es Naso, neque tecum multus homo: sed
Descendis Naso, multus es & pathicus.

Idem in THALLVM adolescentem impudicum his verbis inuehitur:

Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medulla, vel hinnula mollicula.

Idem quoque PORTIVM & SOCRATIONEM suis versibus infamat, quòd stupri meritis à Pisone Prætore præpositi sint duob. aliis adolescentulis, scilicet Veraniolo & Fabullo.

MAMVRRAM Formianum & CÆSAREM idem notat vt cinædos & pathicos, dum ait:

Pulchrè conuenit improbis cinædis,
Mamurræ pathicóque, Cæsarique:
Nec mirum, maculæ pares vtrisque,

CARGILIANVM quendam Martialis libro 3. arguit, vt cinædũ mollem, quem depilatoriis vnguentis faciem lauare consuesse dicit.

VOCONIVS Victor poëta, habuit in deliciis TESTYLVM puerum elegante forma. De quo Martialis:

Testyl: victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer.
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo.

Amauit VALGIVS poëta elegiographus Mysten, cuius mortẽ multis lachrymis defleuit, dicente Horatio:

Tu semper vrges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.

SIGISMVNDVS Malatesta, non exiguæ patri Æmyliæ imperans (quæ nunc est Romaniola) filium suum Robertum cognoscere tentauit: verùm ille in patrem stricto pugione irruens, à scelere se vindicauit. Pont.de Immanitate cap.17.

TVNETE solennem ac sanctum quendam diem esse, testatus fuit Marinus Minerua legationis munere functus, quo extra vrbem certum in locum conueniat omnis ferè multitudo ad promiscuam cum maribus Venerem exercendam. Idem.

TRIBADES.

AMYTHONE, TELESIPPA, MEGARA, ATHYS, CYDNO, ancillæ fuerunt Sapphus, quibus ipsa ad libidinem vtebatur. Eas enim subagitabat, & mutuò ab eis patiebatur. Vnde eius epistola ad Phaonem legitur:

Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno,
Non oculis grata est Atthys, vt antè, meis.

Vide tit. Poetarum. Vbi etiam ERINNAM inuenies, quam Suidas & Tacianus Papphus concubinam fuisse testantur.

PHILAENIN Tribada quandam lacerat Martialis in Epigram.

INCESTVS RELIGIOSVS.

FILII Heli Ophinius & Phinees, populares virgines in templum venientes sacrorum causa constuprabant: sed pœnam incestus mox dederunt. Sab. lib. 4. cap. 11.

SEXTILIA virgo, Vestæque sacerdos fuit: quæ in incestu deprehensa, secundum legem Vestalium delinquentium pœnas dedit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12.

OPIMIA Vestæ sacerdos, ob amissam pudicitiam crudeli supplicio iuxta legem damnata est. Ibidem.

CAPRONIA virgo, Vestæ dicata, cùm in stupro deprehensa esset, suspendio supplicium prævenit. Ibidem.

TVCIAM virginem Vestalem incestam fuisse, testis est Plinius libro 28. cap. 2.

POSTHVMIA, virgo Vestalis de incestu causam dixit, crimini obnoxia, ob suspicionem cultus elegantioris, ingeniúmque liberius quàm virginem deceret, parum abhorrens à fama: absoluta tamen pontificum sententia, qui eam abstinere coleréque sanctè potius quàm scitè iusserunt. Volat. lib. 18. Liuius lib. 4. & 2. & 22.

P. CLODIVS præter stupratas sorores mulierem mentitus, inter publicas Bonæ deæ cæremonias ad Pompeiam Q. Pompeij filiam furtim penetrauit, cámque adulterauit. Plutar. in vita Cic.

MINVTIA Vestalis, suspecta stupri propter mundiorem cultum, ad portam Collinam dextra via strata defossa est. Scelerato campo ab impuso ideo loco nomen factum est. Liu. lib. 7.

OPPIA & FLORONIA Vestales stupri compertæ, altera sub terra defossa est ad portam Collinam, altera sibimetipsi mortem consciuit. Liu. lib. 22.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imp. Clodiam Læam virginem Vestalem, quantum in ipso fuit, vitiauit. Quæ deinde iuxta legem viua sepulta est: cum tamen exclamasset, scire ipsum Antoninum se virginem esse, & propter morbos multos corporis ad rem Veneream ineptam fuisse. Dion Nicæus & Xiph. in Antonino.

CORNELIA virginum Vestalium maxima, convicta stupri, iuxta legem viua defossa est. Euseb. in Chronicis. Anno salutis 94. à creatione mundi 5292.

VALENTIÆ in Hispania citeriore ædes quædam sactæ, Vestalium, quæ monasteria ita patent amatoribus, vt instar lupanarium sint. Pontan. cap. 17. de Immanitate.

ADVLTERI, QVI STVPRVM MATRONIS INFERVNT, SIVE *ipsi legitimas vxores habeant, sive cælibes viuant.*

Propter Vxorem Lenitæ, à viris Belial in Gabaa Beniamin, incredibili libidinis furore vexatam, occisa sunt plus quàm sexaginta quinque millia hominum. Iudic. 19. & 20.

DAVID lumen sapientiæ, & religionis speculum, cum Bersabea vxore Uriæ adulterium commisit: cui sceleri adiecit ipsius Uriæ mortem, quem bello perdendum exposuit.

CELMIS virus fuit ex Idæis Dactylis, qui matrem deorum Rheam violauit stupro. Sueton. apud Eratosthenem.

PHAON portitor incognitam Venerem quò vellet duxit. Pro hoc officio ab ea vnguentum accepit, quo delibutus pulcher & gratus omnibus Mitylenæis apparuit. Eadem mœchus cum Sappho deprehensus, ac interfectus est. Ælian. de Var. hist.

NINVS Assyriorum rex, tanto in Semiramidem Menonis præfecti vxorem, flagrauit amore, vt precibus & minis satigarit hominem, vt sua sponte ipsi vxorem daret: promittens, in coniugium filiam Sosanem nomine, si votis satisfaceret. Verùm Menon cùm id renueret, comminatus est ei rex, se oculos ei eruiturum. Is ergo vt præueniret ignominiam, laqueo sibi ipsi mortem intulit. Quo facto, Ninus Semiramidé in vxorem duxit. Diodor. Sic. lib. 2. de Reb. antiq.

DAPHNIS pastor, quòd cum alia fœmina congressus esset, luminibus captus est: vt à nympha prædictum ei fuerat. Suidas, & Volat. lib. 15. cap. 1. Anthrop.

Antisthenes philosophus, conspicatus aliquando Mœchum fugiétem, insequentibus qui illum comprehenderent: Infelix, inquit, quantum periculum vnico obolo vitare poteras: sentiens, scorti congressu libidinem sedari potuisse, quum nunc de vita periclitaretur. Laertius libro 6. capite primo.

ALCIBIADES Athenienſis cum Timæa Agidis regis vxore libidinari solitus est. Plutar.

In oppida Thespiarum adulter captus, cùm per forum vinctus duceretur, aliqui ex familiaribus & amicis eum vi eripuerunt. Inde mota est seditio, magnáque hominum strages & infinitæ cædes factæ sunt. Ælian. lib. 11. de Var. hist.

Plato in 2. de Reip. scribit, Gygem, pastorem regium, stupratse Candaulis Lydorum regis vxorem. Confirmat Herod. lib. 1.

SEX. TARQVINIVS libidine ardens, ex castris Collatiam petiit: & domum Tarquinij Collatini irrumpens, Lucretiæ vim intulit. Liuius.

M. Varro apud Gellium testis est, C. SALLVSTIVM historiarũ scriptorem deprehensum in adulterio ab Annio Milone, & loris cæsum, dataque pecunia dimissum. Cicero improperat ipsi Sallustio, quòd paterna domum vendiderit, vt adulterij pœnam declinaret. Macrobius & Gell. lib. 17. cap. 18.

P. CLODIVS mœchus fuit notissimus, deprehẽsus in sacris Bonæ deæ formam virginis assimulans, causam dixit de pollutis sacris. Testis Cicero pro Milone, à quo interfectus est.

C. IVLIVS Cæsar corrupit plurimas illustres fœminas, Posthumiam Seruij Sulpitij, Lolliam Auli Gabinij, Tertulliam M. Crassi, & Cn. Pompeij Mutiam. Sed ante alias dilexit M. Bruti Seruiliã matrẽ, cui sexagies sestertium gemmam mercatus est. Corrupit quoque Seruiliæ filiam Iuniam tertiam, M. Cratli vxorem. Dilexit & Reginas, ve Eunoen Mauram Bogudis vxorem, sed maximè Cleopatram, cum qua & coniuncta in primam lucem sæpe protraxit, & eadem naue thalamóque penè Æthiopia tenus Ægyptum penetrauit. Sueton.

CALLIDIVS in adulterio deprehensus, absoluitur iniustè. Vide tit. Iniustè liberati.

Exercuit Augustus adulteria cum Liuia: quam cùm grauidam reddidisset, regendi sceleris causa, nuptias festinauit, vt obiecit Antonius. Abduxit & fœminam consularem è triclinio, viro coràm, quam rursus ad coniugium rubentibus oculis & incomptiore capillo reduxit. Rem quoque habuit cum Tertullia, Terentilla, Drusilla, Salvia, & Citiscenia. autor Sueton.

TIBERIO Claudio Germanico Romanorum imperatori, propter stupra matronarum parabantur insidiæ in coniunis & concubitibus. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Claudio.

Plinius lib. 29. ait, VECTIVM Valentem medicum fuisse adulterio Messalinæ imperatricis nobilitatum. Idem Eudemum in Liuia Drusi Cæsaris.

AVFIDIVS crebris fuit adulteriis famosus, & matronarum frequentissimus corruptor apud Romanos. Iuuenalis Satyra nona:

Notior Aufidio mœchus celebrare solebas.

PAVLINA matrona Rom. à D. Mundo stupratur sub Anubidis persona. Vide tit. Superstitionis.

C. CALIGVLA imp. adulter præter cæteros homines fuit impurissimus. Mulierem iam despõsatam viro eripuit, & complures alias nuptas, iámque cum maritis habitantes abduxit, easque omnes postea præter nam odio habuit: cui etiam inimicus fuisset, si vixisset diutius. Dion Nicæus in eius vita.

NERO, cùm Iulij Montani vxori, matronæ optimæ, stuprum vi inferre conaretur, Montanus facto in Neronem impetu, ei multas plagas infixit, ita vt per multos dies in conspectum hominũ non venerit. Neque tamen res Montano nullum damnum attulit. Xiphilinus in Nerone.

CONRADINVS Imp. Conradi filius, vt vxore comitis Caserani potiretur, virum honoris specie ablegauit. Rauisius.

VGOLINVS Gonzaga, princeps Mantuæ, cum Isabella vxore Luchini vicecomitis Italiæ mœchatus est. Volat.

PHOCAS Imp. diuersis adulteriis infamis fuit.

Gregorius Turonensis scribit, Deuteriam quãdam fœminam à Theodeberto Francorum rege adulteratam. Idem ait Dagulphum abbatem in adulteria admodum proclivem fuisse.

EGICA rex Hispaniæ, Fasillam ducem Tudensem (vt eius vxore potiretur) interfecit. Rauis.

TENDESILIVS Hispanorum rex, cùm vim honestis matronis intulisset, orta apud Hispalim seditione obtruncatus est. Ritius Neapolitanus lib. 1. regum Hispanorum.

ADVLTERÆ, MATRONÆ, QVÆ ALIIS SPONTE *se commiscuerunt, sive matrimonio iunctis, sive liberis.*

DIOMADES rex Ætoliæ, Tydæi & Deipheles filius, vnus è ducibus Græcorum, ab Homero tertius virtute post Achillem & Aiacem positus confecto bello ob adulterium coniugis in Apuliam sese contulit. Volat. lib. 15. Anthrop.

CLYTÆMNESTRA, cum Ægistho adultero in perniciem mariti Agamemnonis coniuravit. Quo interempto, Orestis furor in matrem concitatus est. Platina ad Stellam contra Amorem.

CRITEIS, virgo Camæa, cuidam Cleonacti Argiuo nupta, ex adulterio Homerum poetam, Troiani belli scriptorem, peperit. Herod. in vita Homeri, & Plutarch.

EVRYDICE Macedonum regina, Amyntæ vxor atque Philippi mater, vt adultero regnum traderet, Alexandrum ac Perdiccam filios venefica sustulit: idémque viro fecisset, nisi filia scelus detexisset. Fulg. lib. 9. cap. 1.

Hypsicreon Milesius & Promedon Naxius, magni inuicé amici erãt. Quum ergo tempore quodam Promedon in Miletum venisset, Neæram eum adamasse, atque ob præsentiam Hypsicreontis mariti nõ auferunt sam fuisse sermonem cum hospite conferre. Contigit autem aliquando Hypsicreontem è domo proficisci, atque illum alterũ Miletũ redire. Ad eum

cum dormientem noctu accedit Neæra, sperans eum persuaderi posse. Sed quum ille nihil concederet, reuertitur communem amicitiam, & hospitalitatis munus: Neæra famulis mandat, vt thalamum concludant: atq; die multis inductionibus vsa, coëgit eum sibi misereri. Sequenti die instructa naui abiit in Naxum, eumque Neæra ob timorem Hypsicreõtis secura est. Quam quum isthic quæsiuisset Hypsicreon, supplicem inuenit sedentem in templo Vestæ in Prytaneo. Naxij autẽ petenti Hypsicreonti daturos se eam negabant: concesserunt autem, vt à se persuasam vterò abduceret. Hypsicreon verò impium quiddam admittere timens, ad Milesios redit, eosq;, vt Naxiis bellum inferant persuadet. Parthen. in Erot. cap. 18. ex Theophrasti lib. 1. περὶ τῶν κοράβων.

FABIA, Fabij Fabriciani vxor, dum Patronium Valentinum liberali forma adolescentem (quo cum adulterij consuetudinem habebat) maximè deperiret, maritum interfecit, vt adultero frueretur securius. Plutarch. in Parall.

METELLA vxor Lucij Syllæ fuit, cuius adulteria nõ tantùm Romę, perq; omnem Italiam, authore Hieronymo, vulgata erant, sed per totam Græciam passim cantabantur.

Suetonius scribit, Iulium Cęsarem diuortium fecisse cum POMPEIA vxore, Q. Pompeij filia, & Syllæ nepte: quòd fama ferret, eam à P. Clodio inter sacra Bonæ deæ adulteratam.

IVLIA Cæsaris Augusti filia, cùm conscij flagitiorum admirarentur, quomodo similes Agrippæ filios procrearet, quæ tam frequenter vulgò potestatem corporis sui faceret? respondit: Quia nunquam nisi naui plena vectorem tollo. Macrob. lib. 2. cap. 5. Satur.

ARGENTOCOXI Calydonij vxor, Iuliæ Augustæ, quæ ipsam mordebat, initis fœderibus, quòd ipsæ pro more gentis impudenter cum maribus versarentur, dixisse fertur: Nos multo melius explemus ea quæ naturæ postulat necessitas, quàm vos Romanæ. Nam apertè cum optimis viris habemus consuetudinem: vos autem occultè pessimi homines constuprant. Obseruabis autem, hoc à muliere Britannica dictum esse. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Seueri.

MESSALINÆ Claudij imp. vxori non satis erat adulteria committere & scortari (iam enim cubiculum habebat in Palatio, in quo se & primarias fœminas prostituebat) sed cupiuit etiam pluribus viris nubere. Itaque Caio Silo nupsit, harumq; nuptiarum conuiuium magnificum & sumptuosum fecit: eiq; regiam domum donauit, in qua congessit omnes Claudij thesauros preciosissimos, cumq; ad extremum cõsulem designauit. Xiphilinus in Claudio.

EADEM Appium Syllanum, hominem nobilissimum ad se clàm vocans, cùm concubitum ab eo postularet, & is parere nollet: hominẽ tanquam vitæ insidiatorem apud Claudium accusans, in causa fuit vt innocenter homo castissimus interficeretur. Xiphilinus.

Cogebat ILLA etiam cæteras mulieres luxuriotè & petulanter viuere, efficiebatq; vt multæ in palatio viris suis præsentibus ac videntibus coirent: eorumque viros ipsa diligere, ac honoribus atq; dignitatibus augere: cæteros qui id non paterẽtur, odio habere, ac modis omnibus perdere solebat. Claudius autem multo tempore harum rerum erat ignarus, propterea quòd Messalina ancillulas quasdã ei suggerebat, cum quibus rem haberet. Idem.

EADEM cuiusdam saltatoris amore capta, cùm ei persuadere nõ posset, vt secum coiret, petiuit à Claudio vito suo, vt illum sibi obsequi iuberet, tanquam ipsi in quibusdam aliis rebus opera eius necessaria foret, Is posteaquam ei Claudius præcepit, vt omnia quę Messalina imperaret, libenter faceret, cum illa rem habuit, tanquam id quoq; sibi imperatum fuisset. Id enim Messalina sæpe in multis aliis fecit. Nam quasi Claudio conscio, sinentéque ei petulanter viuere, mœchabatur. Xiph.

EADEM vt ad satietatem sese Venere expleret, Lycisćæ prostituitę mulieris nomen mentita, sæpe lupanar sub noctem adiit, & cum famosissimis meretricij quæstus scortis coitu certauit, ex re fœdissima palmã sibi vigintiquinque virorum congressu quærens. Sab. libr. 4. cap. 11. ex Plinio lib. 10. cap. 63.

IVLIA Aggrippina, mater Neronis, adulterij consuetudinem fertur habuisse cum Domitiano. Iuuenal.

Quum tot abortiuis fœcundam Iulia vulvam
solueret, & patruo similes effunderet offas.

FAVSTINA, nec Antonini principis (non modò principum, sed omnium mortalium optimi, qui ætate fuerunt) neque patris memor, qui & ipse rerum Romæ potitus est: adeò in Venerẽ præceps abiit, vt in Caietano secessu nautas sibi conditione quæreret. Sed hunc suum scelus impunè cessit, nõ quia in occulto esset id flagitium, sed quia vtor defuit, admonitus Antoninus domestici probri: Aut est, inquit, id dedecus ferendum, aut restituendum est imperium, quod ab ea accepi. Sab. lib. 4. cap. 11.

NEVINAM mulierem Martialis arguit, quod casta venerit Baias, & adultera redierit. Hæc eius verba:

Incidit in flammas, Veneremque secuta, relicto
Coniuge Penelope venit, abiitque Helene.

Idem quoque arguit adulterij Paulam, aliam fœminam. Idem lib. 2. de THELESINA scribit.

Vxorem nolo Thelesinam ducere, quare?
Mœchatur. Sed pueris dat Thelesina, volo.

AVFILENAM Catullus adulteram suis versib. perstringit.

PROCVLINA quoque, LECTORIA & GELLIA, à Martiale notantur vt adulteræ. HIPPIA à Iuuenale notatur:

Promptius expediam, quod amauerit Hippia mœchos.

ZOE imperatrix Romanum Argyropylum maritum interfecit, vt liberius mœcharetur cum Michaele Paphlagone, qui imperio successit. Bapt. Egnat.

Saxo Grammaticus ait, FRIGAM Othini Danorum regis vxorem cuidam familiarium se stupro subiecisse.

FANNIA Ticinij vxor, adultera. Vide titu. Iusticia in litibus componendis.

ELISABELLA Britanna, adultera. Vide titu. Odium vxorum erga maritos.

FREDEGVNDA Gallorum regina, cùm à Chilperico viro (qui à venatione reuersus erat citius quàm antè consueuisset) post tergum, velut à blandiente, virga tacta esset, dum inclinata lauaretur, arbitrata ipsa id ab adultero Landrico actum esse (quia virum redisse nondum cognouerat) cum nomine amantis compellauit. Sed vt cõuersa errorem animadvertit, verita ne vir crimen vleisceretur, quòd detectum esse putabat, ne ipsa moreretur, viri mortem procurauit. Fulgos. lib. 9. cap. 9.

OTTHONIS. IIII. Imp. vxor, adultera. Vide titu. Pœna iniustæ accusationis.

ISABELLA Fusca, ex Flisco rum nobili gente, impudica mulier, Luchini vicecomitis vxor, viro ex podagra decumbente, quum spectare Venetias festo die Ascensionis Christi, naualibus, Indis & priuatarum publicarumq; opum ostentatione mirabiles, concupisset, importunę vxori Luchino cuncta cõcedente, haud difficulter impetrauit, vt ornatissima classe per Padum deueheretur: delectis in comitatu fœminarũ nobilissimis, quib. ambiguus inesset pudor, nec viri earum tuendę pudicitiæ cura tangerentur. Luxuriosę nauigationis is fuit finis, vt cum infigni probro protrahę pudicitię apud Vgolinum Gonzagam & D. adulum Venetum ducem, redierit, pari infamia deflagrantibus nonnullis illustribus fœminis ex comitatu. Mox cum Luchinus hoc flagitium non impunè laturus videretur, Fusca lento atque tabifico veneno mariti conatus prœoccupauit; nullo tamen sceleris extante vestigio. Iouius in Luchini vita.

MATRIMONII CONTEMPTVS. CONVBIA *promiscua.*

Exempla plurima ex Catalogo hæreticorum pete, qui nuptias tanquam opus diaboli condemnarunt, & promiscuos concubitus admiserunt.

LYMIRINI populi vulgato concubitu cõnubia habuère promiscua, filiósq; editos post quinquennium in vnum coactos, suum quemq; similem agnoscere, & pro filio educare feruntur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

NERO Imperator post multa atque diuersi generis edita spectacula, publicè sumptuosam in theatro cœnam dedit. Cũq; in ea vnà cũ Tigellino medius ipse teneret locũ, cõcessit vt in tabernas atq; lupanaria, quę ibi ædificauerat, oẽs ingrederentur, atq; cũ omnib. mulieribus ré haberent. Aderãt autem pulcherrimę & clarissimæ ancillæ, liberę, scorta, virgines, vxores multorum ciuium, non solùm plebeiæ, sed etiã nobilissimę puellę & mulieres: vbi poterat quisq;, ea quam cuperet, potiri: negare licebat nemini. Tum seruus cum domina, præsente domino suo, & gladiator cum virgine nobili, spectante patre, rem habuerunt, &c. Xiphilinus.

DAPSOLITES congregati, omnes vno die vxores vnà ducunt, pòst Vergiliarum occasum. Nam post epulas mulieribus seorsum discũbentibus, extincta lucerna, viri ad ipsas ingrediuntur: & quilibet, quamcunque contigerit, ducit. Ex Nicolao de Motibus gent. Strob. serm. 42.

STVPRA VIRGINIBVS ILLATA.

Exempla constupratarum virginum ex legum instituto apud Barbaras quasdam gentes, pete ex tit. Tempus nuptiarum.

SICHEM violauit Dynam, filiam Iacob. Ex eo stupro Sichenitę ad internecionem deleti sunt à Iacobitis. Gene. 34.

DANAE Acrisij Argiuorum regis filia à patre in turrim inclusa, à Ioue in specie imbris aurei grauida facta Perseum peperit. Ouid. in Metamor.

HERCVLES 50. virgines (quas Thespias vel Thestias Atheniensis Erichthei regis filius è pluribus fœminis susceperat) vna nocte omnes cõpressit, grauidásque fecit: & totidem liberos mares, qui Thespiadæ dicti sunt, suscepit. Diodorus lib. 5.

IDEM, quum ab Erythia Geryonis boues abduceret, per Celtarum regionem peruenit ad Bretannũ, cui filia fuit Celtine adpellata. Ea Herculis amore incẽsa, occultauit illi boues: neque reddere voluit, nisi prius cũ ea coiret. Hercules boues suas recipere cupidus, & puellæ forma cõcitatus, cum ea coiuit: natúsque filius nomine Celtus, à quo postea Celtę sunt adpellati. Parthen. de Amator. cap. 30.

TYRO Salmonei filia adamata est à Neptuno, & ab eodem compressa. Proper. lib. 1.

Non sic Æmonio Salmonida missus Enipeo
Tenarius facili pressit amore deus.

CHLORIS, seu Flora, dea florum, Zephyri vim passa est: à cuius nomine dicitur Zephyritis.

TEMESEVS comes Vlyssis, cùm virginem vi stuprasset, ab oppidanis interemptus est. Cuius postmodum manes nisi placarentur quotannis oblata virgine, grassabantur mirum in modum. Has autem Euthymus athleta fortissimus compressit. Pausanias.

Fuit in Aiace Oilei filio tantus libidinis feruor, vt temperare sibi nequiuerit, quin Cassandram Priami filiam in templo Palladis oppresserit. Quo factum est, vt dea iniuriam vlciscente, fulminatus sit in mari cum aliquot aliis Græcis. Vergil. lib. 1. Æneid.

DIONYSIVS iunior, quum se in Locrensium vrbem contulisset, per summam lætitiam virgines eius loci constuprabat. Pulso paulo pòst in exilium tyranno ciues illius filios peremere, impactis sub vngues acubus, ossibúsque in mortario attritis. autor Cælius.

PROMNESI filius, qui Cephaleniæ regnum gessit, homo impurus & omnibus luxus generibus deditus, omnes virgines ante connubiũ cognouit. Antenor autem arrepto ense, muliebribúsque vestimentis amictus, ipsum in lecto trucidauit. Ob quam causam à populo summis honoribus ornatus, ac demùm in ducem electus est. Heraclides in Polit.

APPIVS Claudius decemuir, Virginiam puellam plebeiam, sed forma excellentem (quam Virginius pater L. Icilio tribunitio viro, & expertæ virtutis homini despõderat) per vim stuprauit, quum nec precio, nec spe posset allicere. Quæ fuit causa abrogandi magistratus decemuirorum, quemadmodum reges prius ob stupratam Lucretiã eiecti fuerant. autor Liuius, & Cicero lib. 2. de Finibus.

CATILINA fecit multa stupra cum virgine nobili, & cum sacerdote Vestæ. Postremò vt Aurelia Orestilla frueretur, filium eius veneno sustulit: quòd is iam adultus terrori esset matri, ne secundum nuberet. Sall. & Valerius autores.

NERO imperator occultè tempore nocturno, mutatis vestimentis per totam vrbem debacchabatur, atque mulieribus puerísque stuprũ inferebat, spoliabátque eos qui fierent obuiam. Xiphilinus in eius vita.

PROCVLVS Cæsar Albinganus genere, sua epistola testatus est, se centum virgines Sarmaticas bello captas, quindecim dierum spacio ad vnum omnes grauidas fecisse: atque ex his decem nocte vnà. Sabell. lib. 10. cap. 12. Exemp.

RODERICVS Gothorum rex, Iuliani comitis in Aphrica pro se legati filiam stuprauit. Mox à Mauris à Iuliano sollicitatis bello petitus, in acie cecidit. Ritius Neapolitanus lib. 2. regum Hispaniæ.

ARIPERTVS Clotarij filius, Francorum rex, ob amorem in ancillas, cum vxore diuortium fecit.

GALEACIVS Sfortia Mediolani dux, cum Caroli vice comitis, qui principis cubiculo adscriptus erat, sororem subigeret, eámque cinædo cuidam suo fruendam dedisset: Carolo fratri occasionem dedit cũ Hier. Olgiato & Andrea Lamponiano contra se conspirandi. Iouius in vita Galeacij.

MARCION propter stuprum virgini illatum ex patria pulsus, hæreseos author fuit. Vide tit. Hæreticorum.

SCORTATORES QVI MERETRICIBVS VEL CONcubinis sese submiserunt.

SALOMON venereas libidines tam ardẽter sequutus est, vt leges Mosaicas sit præuaricatus, atque ab hoc scelere lapsus in scelus idololatriæ. Coluit enim Asthartem deam Sydoniorum, Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum, citra 46. annũ ætatis suæ: & tantùm sex alios annos superuixit. Et licet prius nominaretur Idida, id est amabilis Dei: postea mulierum amator vocitatus est, authore Hieronymo. Ex tertio Regum, vndecimo capite, varias mulieres alienigenas turpiter amauit: filiam Pharaonis, Moabitidas, Ammonitidas, Idumeas, Sydonias, & Cytheas: ei fuerunt vxores quasi reginæ septingentæ, & cõcubinæ trecentæ. Guid. Bitur.

NINVS Assyriorũ rex, & Semiramidis filius, suscepto regno post matris obitum inter puellarum greges sedens, sese voluptatibus immersit: quibus turpiter captus, aliquanto turpius consenuit. author est Sabellicus, Enneade prima.

ALEXANDER Macedonum rex, post Darium victum quasque suorum amicas ad epulas inuitauit: inter quas Thais fuit, Atheniensis genere, quã postea Ptolemæus magnopere adamauit. Hæc cum in cœna rogasset Alexandrum, vt Persarum regiam cremaret, statim mandauit. Volat.

Omnes libidinum voluptates experiri voluit Assyriorum rex Sardanapalus, dum viriles perosus tunicas, in mulierem se transformauit: relictáque regni cura, lasciuiæ se totum deuouit, ac perdendum commisit. Trogus lib. 1. & Cic. lib. 5. Quæst. Tuscul.

ANTIOCHVS, dum bellum gereret in Romanos, vino & Veneri dies multos indulsit, cum puella quadam Chalcidensi, quam deperibat. Ex quo factum est, vt mollicie illa deliciísque corruptus, hosti victoriam reliquerit. Liuius lib. 36.

THEMISTOCLES adolescens inter potus ac mulieres per omnia libidinum volutabra conspurcabatur: senex verò factus, nihil (authore Plutarcho) per intemperantiam egit.

ALCIBIADES dux eloquentissimus, fugiens ad Artaxerxem regem Persarũ, in ædibus Timandræ meretricis à Lysandro Lacedæmoniorum duce gladio confossus est. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthropol. Ei tumulum magnificum suis expensis Timandra extruxit.

MENANDER Atheniensis nouæ comœdiæ comicus, mente acutus, amore in mulieres insanus fuisse dicitur. Suidas.

MILONIS Crotoniatæ vires multorum sermonibus celebrantur, qui corpoirs robore adeò valuit, vt nemo aduersariorum malum, quod in manu tenebat, eripere potuerit. Atqui amasia eius nullo negocio exemit, sæpe cum eo colludens. Ex quo perspicuum est, Milonem corpore plus quàm virum, animo autem plus quàm fœminam extitisse. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

ARCHEDICAS deperibat meretricem Quandam in Naucrato Ægypti emporio. At illa fastuosa nimísque crudelis erat, & mercedẽ largam poscebat. Cúmq; accepisset, paulisper commercio eius, qui numerarat, indulgebat, deinde refugiebat. Cùm igitur deperiret eam adolescens, nec potiri adamata posset, quandoquidem supra modum erat opulenta, per somnium cum illa rem habuit, & confestim cupiditate iuuenis liberatus est. Ælian. lib. 12. de Var. hist.

DIOXIPPVS pugil Olympionices Atheniensis, cùm more pugilum Athenas introiret eques, magnáque hominum multitudo confluerent, atque alius aliunde spectandi cupidine depẽderet: in iis fœmina forma decentissima visum accurrerat. Quam videns Dioxippus, subitò pulchritudine uictus, indesinenter fixos in mulierem oculos habuit: conuersúsque & vultu in plurimos colores mutato, animaduersus est ab omni multitudine, non oscitanter mulierem adamare. Idem.

DIONYSIVS Syracusanus abiecta omni modestia, mulieres nudas hospitibus suis contemplandas introducere & offerre solitus est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

DEMETRIVS Asiæ rex, cùm vrbem Megaram obsideret, audita Cratesipolis apud Patras insigni forma, omissa urbe Megara, exercitúque sine duce relicto, ad eam abiit: parúmque absuit quin ab hostibus caperetur. Neque verò eo periculo factus prudentior, in Lamiæ tibicinis, quanquam vetulæ & prostitutę, amorem incidit: atque ita captus est, vt se ab ea regi pateretur. Quare cùm Lysimachus & Demetrij legatis in colloquio cicatrices ostenderet eius vulneris quod leo ei intulerat, cum ab Alexandro leoni esset obiectus: legati responderunt, in brachiis collóque posse Demetrium meretricis Lamiæ dentium natos ostendere. Fulg. lib. 9. cap. 1. & Alex. lib. 1. cap. 24. & Ælian. lib. 12.

PLATO Archeanassam Colophoniam deperisse putatur, editis his de ea versibus:

ἀρχεάνασσαν ἔχω τὴν ἐκ Κολοφῶνος ἑταίραν,
ἧς καὶ ἐπὶ ῥυτίδων ἕζετο δριμὺς ἔρως.
ἆ δειλοὶ, νεότητος ἀπαντήσαντες ἐκείνης
πρωτοπλόου, δι' ὅσης ἤλθετε πυρκαϊῆς.

Laertius in eius vita.

Quum aliquando adiret scortum Aristippus, sensit quendam ex adolescentulis, qui aderant, erubescere: quasi turpe esset, philosophum ingredi fornicem. Ad hunc versus: Huc, inquit, ingredi turpe non est, adolescens: sed egredi non posse, turpe. Sensit, ignoscendum, si quis moderatè vtatur licita venere: non ignoscẽdum, si quis addictus voluptati seruiat. Hoc dictum illo seculo probari poterat, quo nulla lex vetabat cum scorto congredi: nunc præter argutiam nihil habet laudabile. Laertius lib. 2. cap. 8.

ARISTIPPVM cum Phryne consuetudinem habentem, sic obiurgauit Diogenes: Cum publica, inquit, muliere tibi res est, Aristippe: aut igitur canem agas, quemadmodum ego: aut desinas. Hunc inductione sic repulit Aristippus: Num absurdum tibi videtur, Diogenes, inhabitare domum, in qua prius habitarunt alij? Quum negasset ille: Quid, inquit, num vehi naui, quæ multos antea vexerit? Quum hoc quoque negasset absurdum esse: Qur igitur, inquit, absurdum putas cõgredi cum muliere, qua plures sunt vsi? Athenæus hunc in modum retulit. Eras.

INDI impudicis & prostitutis mulieribus vti solent, dum voluntati care genio. Itaque relictis domi vxoribus, illas sibi asciscunt, non prolis, sed voluptatis gratia. Vxores verò adhibent in rebus honestis tantùm: vbi scilicet aut proli vacant, aut prȩter modum non lasciuiunt, ne nimio luxu corrumpant, quas esse pudicas volunt. Nec vnquam permittunt geniales illas & liberas voluptates coram vxoribus exerceri, quæ aliquam pudicitiæ iacturam afferre possunt.

THRACES

THRACES post intemperatissimas perpotationes, primò in alea versantur, mox ad illicitos concubitus accedunt. Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 21.

C. IVLIVS Cæsar post victum Pompeium Athenas etiam cæpit, & rerum gestarum gloria sexcentos vicit imperatores: à fœda libidine tamẽ victus est: & qui hostes multos cæpit, ipse amore Cleopatræ victus est, quam in Ægypto amauit vnicè. Tam pronus autem erat in libidinẽ Cæsar, vt non tantùm cum Cleopatra, sed cum plurimis etiam mulieribus aliis consuetudinem haberet. Xiphilinus Dionis Nicæi abbreuiator, in Cæsare.

Q. FLAMINIVS vir consularis quidem, sed libidinosissimus, cum Gallum trãsfugam vnà cum vxore & liberis hospitio suscepisset, in ipso conuiuio, vt scorto obsequeretur, propria manu illum coràm interfecit. Liuius, & Volater. lib. 16. Anthrop.

FLORAM meretricem insigni forma præditam, Cn. Pompeius amauit. Illa iam natu grandior sæpe gratam suæ cum Pompeio consuetudinis mentionem faciens, nunquam se ab eo, si vnà cubasset, absque morsu discessisse asseruit. Plut. in Pomp.

VICTORINO, qui Gallias post Iunium Posthumium rexit, neminem existimant præferendum, non virtute Traianum, non Antonium clemẽtia, non grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum, nõ in cẽsura aut seueritate totius vitæ Pertinacem vel Seuerum: sed omnia hæc libido & cupiditas muliebris voluptatis sic perdidit, vt nemo audeat virtutes eius literis mandare. Hæc Iulius Aterianus apud Vol. lib. 20. Huius etiam meminit Pollio.

COMMODVS, cum CCC concubinis, quas ex matronarum meretricúmque delectu ad formæ speciem constituerat, ac trecentis aliis puberibus exoletis (quos ex plebe & nobilitate collegerat in palatio) bacchabatur & lasciuiebat. Idem Lampridius.

GORDIANVS Iunior mulierũ cupidissimus fuit XXII enim habebat concubinas, & ex omnibus filios, adeò vt suorum temporum Priamus vocaretur: lepido cauillo à nonnullis pro Priamo, Priapus adpellatus. Volat. lib. 23. ex Capitolino.

CARINVS Imp. Cari filius, cui pater proficiscens contra Persas, Gallias & totum ferè Occidentem regendũ tradidit, adeò libidinosè vixit, vt Carus pater de eo necando sæpe cogitarit, quemadmodum scribit Onesimus.

CORN. GALLVS poeta Foroiuliensis, Ægypti præfectus, Cytheridem amauit libertam Volumnij, quæ eo spreto Antonium euntem in Galliam est secuta. Cuius amorem graphicè describit Maro, Ecloga decimo.

Lucretius poeta ob philtra dicitur periisse: hausto amatorio poculo, ob amorem fœminæ in furorem versus. Volat. lib. 16. Vrb. com.

D. AVGVSTINVS ante conuersionem concubinas habuit. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

GALLI pro amicis leuissimè offensis, authorem iniuriæ in certamen prouocant, pugnæ legibus propositis, interdum adeò duris, vt in certamen prodeundum sit, corpore maiore parte exarmato: concurrendúmque hastis & equis primò, deinde pedibus res gerenda, cominus gladio ac securi. Quo quid stolidius? quippe cùm vitam ob tam leuem, & quidẽ turpem causam, manifestissimis periculis sponte obiiciant. Pontan. lib. 1. cap. 25. de Bell. fort.

CAROLVS Magnus Imp. præter 5. vxores habuit 8. concubinas Ex Mathalgardi suscepit filiam Rothildim: ex Gersuinda Saxone filiam ex Adelthrudi regina Drogonem episcopum Metensem & Hugonem: ex Adelinda filium Theodericum: ex Hilmetrudi filium Pipinum gibbosum: ex Rachilde filiam Rothrudam: Luitperga & Leonia steriles fuerunt. Panuinius lib. 3. Imp.

CONSTANTINVS Monomachus Imper. concubinam egregia admodum forma loco legitimæ vxoris habuit, quam efflictim deperiit. Egnat.

IOANNES duodecimus Pont. Max. exuta morum honestate, relegatáque verecundia, greges meretricum aluit. Quibus flagitiis non defuit vltio. Ad extremum enim deprehensus in adulterio, ibidem interfectus est. Platina.

MAHVMETES Ottomanus Turcarum rex, quanquam annis plurimùm excelleret, adeò libidinibus superari se passus est, vt in Veneris vsum quadraginta tum fœminas, tum mares, septis tanquam cauea inclusos haberet: apud quos nonnunquam ita perpotabat, vt nimio vino rationem amitteret, & somno captus ferarum modo humi iaceret: militari gloria, insignibúsque victoriis, huius vitæ fœditate deturpatis. Fulgosus lib. 9. cap. 1.

AVGVSTINVS Niphus Suessanus, philosophus clarissimus, susceptis liberis & senescẽte vxore septuagenarius senex, puellæ citra libidinẽ impotenti amore correptus est vsque ad insaniam, ita vt philosophus senex & podagricus ad tibiæ modos saltare non erubesceret. Vnde illi maturatũ vitæ exitum constat. Iouius in Elogiis.

VITISSA Hispanorum rex, cùm nullum libidinis genus intentatum relinqueret, lege quoquè permisit, vt sacerdotes, quot quisque posset, concubinas alerent. Ritius Neapolitanus libro secundo regum Hispanorum.

SCORTA, MERETRICES, CONCVBINÆ.

Conueniunt in eo omnes, quòd illegitimè virorum patiuntur congressus, Scorta quidem omnibus prostituuntur, Concubinæ verò vni tantum. Facilè ergo erit à se mutuò separare volenti.

RAAB meretrix Hiericuntina. Vide tit. Prudẽtię in vita aliorum protegenda & seruanda.

DALILA Meretrix plurimùm à Samsone veteris testamenti fortissimo heroe adamata, eius necis causa fuit, cum crinem fatalem, in quo robur omne continebat, abrasisset. Iudic. 16.

MARIA Magdalena, Syri & Eucharíæ filia, Lazaríque Marthę soror, aliquot annis voluptatibus indulsit, adeo vt peccatricis meruit nomen. Demùm tamen vbi ad Christi in Simonis Leprosi domo recumbentis, pedes se prouoluisset, suísque rigasset lachrymis, capillísque abstersisset, & delibuisset vnguento, veniam impetrauit. Rauis.

PELAGIA Antiochena, cùm & diuitiis & corporis facie multum emineret, luxuriæ ac libidini dedita, vsqueadeò frontem fregerat, vt gloriaretur nullam se neque ornatiorem neque lasciuiorem in publicum procedere. At vbi Nonij Heliopoleos episcopi prædicationes audiuit, recognouit errorem suum, penitúsque immutata ornatum omnem abiecit, & quicquid habebat opum pauperibus erogauit: atque impudicitiis finem statuens in monte Olíueti tuguriolum sibi posuit: tũ ne quis in solitudine manenti fœminæ insidiari in animum induceret, sexu celato Pelagium se nominari fecit. Tantúmque deinde vitæ sanctitate excelluit, vt de pelago vitiorum facta diceretur pelagus virtutum, amarissimas marath aquas in dulces conuertens. Marul. lib. 2. cap. 11. & Sab. lib. 5. cap. 5.

THAIS Ægyptia meretrix, crebris Pannucij abbatis admonitionibus ad pœnitentiam conuersa, facultates quas non modicas corporis vulgatione parauerat, constructa pyra in ignem coniecit: & de prostibulo, vbi diu diabolo seruierat, ad monasterium transiens seruiuit Christo. Post triennem eius clausuram Paulo Antonij abbatis discipulo reuelatum est, dimissa esse à Domino Thaidi peccata. Itaque à Pannucio de cellæ carcere educta, cùm dies 15. superuixisset, migrauit ad paradisum, & consortio inserta est angelorum. Talis beatitudo eos manet, qui vitam corrigunt, & spem suam in sola Dei misericordia semper collocant Idem.

APHRA fuit meretrix in Creta, quæ vnà cum tribus ancillis, Dimna, Eugenia & Eutropia, cunctis se prostituebat. Tandem tamen à Narcisso Hierosolymorum episcopo, ad bonam frugem reuocata, voluptati repudium misit & Christianam secuta est religionem, pro qua etiam martyrium passa est.

NICETA & AQVILINA sorores, quum corporis quæstu mererẽt, missæ sunt à rege Dagnæ ad corrumpendum beatum Christophorum, inculcandúmque ei falsæ religionis cultum. Verùm aliter res se habuit. Nam & ipsæ ad fidem conuersæ sunt, & iussu regis interfectæ.

MEDVSA incredibili sua pulchritudine partim in saxa, partim in bruta viros conuertit. Saxei nimirum homines fiunt, & in brutorum transeunt naturam, qui muliercularum forma & illecebris capti, vitam agunt intemperantem & libidinosam. Platina dial. ad Stellam contra Amorem.

Apud BABYLONIOS, omnes mulieres indigenas oportet semel in vita, ad Veneris templum desidentes, cum externis viris consuetudinem habere. Multæ verò diuitiis tumentes, cùm sui copiam aliis facere apertè nolint, vehiculis tamen cameratis subuectę, pro templo consistunt, relicta interim à tergo magna famulitij turba. Pleræque autem hunc in modum faciunt: ad templum Veneris sedent, corollis tempora reuinctę: è quibus dum aliæ seorsum abeunt, aliæ regrediuntur (nam transitus vndecunque sic funiculis distincti, aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit deligendam) porrò cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in gremiũ iniecerit, & cum eadem à fano seorsum abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego tibi deam Mylittam imploro. Mylittam enim Assyrij Venerem appellant. At verò pecuniam illam, quãtalacunque sit, non est fas reiicere: siquidem in sacrum conuertitur vsum. Neque mulieri etiam licet hospitem aliquem repudiare: sed quicunque is est, qui pecuniam obiecerit, primum, hunc illa sequitur citra delectum. Postremò vbi iam cõgressa fuerit cum externo mulier, dea expiata, domum reuertitur. Ac deinceps facilè cuilibet commiscetur. Iam quæ forma sunt elegantiore, citius expediuntur: quæ verò deformes, diutius coguntur desidere pro templo, antequam legi satis faciant. Fitque interdum, vt vno atque altero anno, aut etiam triennio, atque amplius, expectare oporteat miseras. Alicubi, nempe in Cypro, similis quædam lex est. Herod. lib. 1.

Apud CAVNIOS, Cariæ populos, iuuentus frequenter amoris gratia ad compotationes conuenit, tam viri quàm mulieres & pueri. Herod. lib. 1.

SAPPHO Mulier Lesbia, quæ Lyrica carmina scripsit, amore Phaonis cuiusdam iuuenis capta, cùm ille eam fugeret, ipsa animi impatientia se præcipitauit in mare de monte Leucade: vt est apud Nasonem. Scribit Cælius, Sapphon è Lesbo meretricem fuisse, sed non poetriam: quódque lyrica Scamandronymi fuerit filia, altera à scorto.

SEMIRAMIS regina, cùm ob insignem formam à Nino, Assyriorum rege Memnoni marito per vim rapta esset, defuncto Nino, cùm ipsa imperaret, non alij viro se legitimo matrimonio coniungere voluit: sed eos ex militib. elegit, qui in castris erant formosissimi, quos omnes postea vita priuabat. Diodor. Sic. lib. 3. de reb. antiquis, & Iuba apud Plinium: & Plutarc. in Apoph.

LYDORVM mulieres ante connubium hospitibus quibusuis sese cõmiscent: eáque ratione dotem colligunt, dum nubiles ipsæ se elocent. Postquam nupserint, continentissimè viuunt. Ælian. li. 4. Var. hist. & Herodot. lib. 1.

Erisichthon quidam Thessalus, quum absumptis facultatibus ad extremam deuenisset inopiam, coactus est filiam (quam habebat liberali forma) METRAM nomine, prostituere. Ad quam qui commeabant adolescentes, coporis copiam non assequebantur, nisi equos, boues, amplissimáque deferrent munera: quia nondum id temporis repertus fuerat nummorum vsus. Porrò Thessali per iocum dicebant, Metram Erisichthonis verti in ea omnia quæ illi ab amatoribus donabantur. Vnde fluxit prouerbium. Mutabilior Metra Erisichthonis.

Ferunt scortum quoddam fuisse nomine CYRENEM, quæ in peragenda Venere duodecim figuris vsa sit. autor Eras. in explanatione illius adagij, Duodecim artium homo.

PITHONICAM Plutarchus in Phocione scribit fuisse meretricem, quam Harpalus Alexandri domesticus supra modum adamauerit.

ANTICYRA fuit meretrix, quam inde nũcupatam ferunt, quòd cum mentis emotæ hominibus furentibúsque discumberet: vel quòd Nicostratus medicus moriens hellebori vim ei magnam reliquerit. Cælius cap. 6. lib. 13.

PHÆDYNA, Otanis Persarum satrapæ F. concubina Cambysis primùm, deinde Smerdis magi, cum falsum Smerdim esse deprehẽdit. Herod. lib. 3.

PANDEMVS meretriculæ cuiusdam nomen, authore Cælio.

Aristophanes in Comœdiis scripsit, CYNNAN, SALAVACHAM & CASAVRIVM, fuisse Athenis celebres & forma exuperanti meretriculas.

ABROTONVM meretricis nomen est: quam Themistoclis fuisse matrem, Amphicrates apud Cælium prodit, in libro de Viris illustribus.

Apollodorus prodit, meretriculas quasdam fuisse APHIAS, id est Apuas cognominatas, quòd minutulæ forent, albæque, oculis grandioribus. Nomina eis fuérere Stagonium & Anthis. Cælius cap. 19. lib. 5.

ALCEN quandam fuisse meretricem, palàm est ex verbis Gellij lib. 4. scribentis: Dicebat Pythagoras se Euphorbum primò fuisse, deinde Pyrandrum, deinde Callidenam: deinde fœminam pulchra facie meretricẽ, cui nomen fuerit Alce.

HERMIA fuit meretrix, cui præ nimio amore sacra fecit Aristoteles, eiúsque laudibus hymnos dicauit. vnde ab Eurymedonte seu Demophilo accusatus, relictis Athenis (vbi 30 annos docuerat) Chalcidem se recepit. autor Origenes.

METICHE meretricula ad clepsydram Veneri solebat indulgere, vnde Clepsydra dicta Vide tit. Tragicorum, sub nomine Eubuli Certij Atheniensis.

THARGELIA Ionia, meretrix formosissima & eloquentissima, cũ multis Græcorum rem habuit, eósque regi Medorum conciliauit. Eius exemplum postea imitata est Aspasia. De qua vide sub tit Pellicum. Plut. in vita Periclis.

ASPASIA meretrix fuit, cuius gratia & suasu Pericles Samios expugnauit. autor Plutarch.

LAMIA scortum Atticum dixit: Leones Græci, Ephesi redduntur vulpes. Æl. de Var. hist. lib. 13.

EADEM, cùm in Græcia corpore quæstum longo tempore fecisset, adeò Græci eius libidine delectati sunt, vt imaginem eius Delphis in sublimi columna erexerint, quæ ex auro purissimo constabat. Ælian. lib. 9. de Var. hist.

EANDEM etiam senescentem Demetrius rex amabat, parum sobriè. Quum igitur de ea rex apud Mamiam, quæ & Demo dicebatur, gloriaretur, & appositis bellariis diceret, Vides quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, tibi mittentur à matre mea, si velis cum ea dormire. Notans, anus solere donare iis à quibus subiguntur. Eras. lib. 6. Apoph.

PHILÆNIS meretrix fuit, quam Philocrates poeta Grecus suis carminibus lacerauit. De hac etiam meminit Martialis lib. 7.

Verrius apud Lactantium testis est, FAVLAM Herculis scortum fuisse.

SINOPE scortum fuit nobile Corinthi, celebratæque lasciuiæ: hinc Sinopissare verbum, est libidinari & lasciuire. Erasm. in Chiliad.

CAMPASPE meretrix forma admodum liberali, quam Alexander Apelli pictori eam depereunti dono dedit. Plin. lib. 35. cap. 10.

LEÆNA Attica meretrix, nullis tormentis cogi potuit, vt Armodium & Aristogitonem tyrãnicidas proderet: in hoc Anaxarchum imitata, qui quum simili de causa torqueretur, præcisam dentibus linguam in tortores expuit. autores Plinius & Lactantius, & Crinitus lib. 9. cap. 8.

PHRYNE meretrix Thespiensis (quæ ciuitas est Bœotiæ) olim in iudicium vocata, dum sibi timeret à sentẽtia iudicum, sublatis tunicis corpus denudauit. Cuius pulchritudine permoti iudices, liberam abire permiserunt. Neque tam profuit puellæ Hyperidis actio & patrocinium, quàm venustas formæ: autore Quintil. & Pausania lib. 1.

EIDEM, quum Praxiteles dedisset optionem eligendæ imaginis omnium (quas haberet) pulcherrimæ: nec tamen ipse prodere voluisset quænam esset pulcherrima, hoc fabricauit commentum. Subornauit enim qui Praxiteli nunciaret, officinam cum signis & tabulis conflagrare. Quo tristi nuncio permotus Praxiteles percontari cœpit, Estne salus suus Cupido? Hoc itaque dolo explorauit meretrix, quænam esset tabula omnium ditissima.

EADEM iam anus dixit, A multis fæcem emi propter vini gloriam. Sentiens, multos ideo secum congredi, vt gloriari possent, cum Phryne rem habuisse, Sicut vini magni nominis etiam fex emitur, vt iactare possint, se tale vinum habere domi.

ARISTIPPVS philosophus Æginæ in Neptunalib. consuetudinem habuit cum Phryne. Cúmque illi quispiam obiecisset, quòd tantum pecuniæ impenderet mulieri, quæ Diogenem Cynicum gratis admitteret: Ego, inquit, illi multa suppedito, vt ipse ea fruar: non, ne quis alius. Traditum est hoc de Phryne, quòd cum esset formosissima, quibuslibet tamen sui copiam facere solebat, nullo delectu personarum, seu diuites essent, seu pauperes in neminem fastidiosa. Itaque turbam amatorum habuit. Huc respexit Horatius:

--Me libertina, nec vno
Contenta Phryne macerat.--

LAIS scortum Corinthiacum, vt refert Aristophanes Byzantius, Arine dicta fuit. quod eius cognomentum, morum & ingenij feritatem & procacitatem redarguebat. Ælian. lib. 12. de Var. hist. Ad eã propter formæ elegantiam Græci omnes turmatim conuolabant. Aristippo Cyrenaico cum ea fuit consuetudo: quod tamen flagitium philosophus sic defendebat, vt diceret, multum inter se & cæteros Laidis amatores interesse: quòd ipse haberet Laidem, alij verò haberentur à Laide. author Lactantius, qui etiam hoc ait: Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem formosissimam commearet, quum eum populus & riuales sui viderent omnibus perditis nequiorem? Ab hac meretrice quum Demosthenes petiisset, vt sui copiam faceret, & illa decem drachmarum millia pro concubitu poposcisset: pecuniæ magnitudine deterritus & expauidus philosophus: Pœnitere, inquit, tanti non emo. autor Gellius, & post hunc Macrobius, ex Phocione Peripatetico. libr. 1. cap. 8. Noct. Att.

Tradit Xenophon, Socratem aliquando in colloquium cum THEODOTA meretrice, fœmina formosissima, venisse Sed & cũ CALLISTE sermonem habuit, quæ cùm diceret: Ego quidem, ô Socrates, multum tibi præsto. Nam cùm tu neminem ex meis à me possis abalienare, ego, cùm libitum est, tuos omnes à te auoco. Respondit: Quid, inquiens, mirum hoc est? siquidem tu ad decliuem tramitem omnes rapis: ego verò ad virtutem cogo, ad quam arduus & plerisque insolitus est ascensus. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

NANNIVM meretricula, capra fuit dicta, quoniam Thallum cauponem deuorasset. Thallus alioqui germen significat. delectantur autem capræ germinibus. Suidas.

CHEOPIS regis filia meretrix, à patre prostituta, quæstum fecit maximum. Vide tit. Prostitutorum, qui suos liberos prostituerunt.

In NAVCRATE Ægypti vrbe lupanaria sunt frequentissima & nobilissima, propter commercium Græcorum cum Ægyptiis. Claruit illic RHODOPIS Thracia: & ARCHIDICE, tempore posterior, sed fama minus clara: cuius amore Charaxus insaniens, Mitylenen rediit, vt ei obijcit Sappho soror. Herod. lib. 2. Qui de Rhodope hæc scribit.

RHODOPIS Thracia, ancilla Iadmonis Samij, ex vrbe Vulcani, cõserua Æsopi fabularum scriptoris, in Ægyptum abiit, portata à Xantho Samio, profecta illuc ad quæstum faciendum. Magna pecunia fuit redẽpta à Charaxo, viro Mitylenæo, Scamandronymi filio, Sapphûs poematum conditricis fratre. Hunc in modum Rhodopis libertatem nacta est, & in Ægypto remansit: gratiosáque vehementer effecta, ingentes opes comparauit, quæ Rhodopen transcenderent, nõ quæ ad pyramidem faciendam ascenderent, vt quidam volunt, qui Mycerini regis pyramidem Rhodophi tribuunt. Cuius opinionis est Plin. lib. 36. & Plut. in Nicia. Et illarum opum decima parte, cùm optaret memoriam sui in Græcia relinquere, fecit opus, quod ab alio excogitatum non esset, neque donatũ: ídque donauit in templo Delphico monumẽtum sui: videlicet, tot ferro verua ad boues torrendos, ad quot facienda sufficeret decima ipsi, quam Delphos misit: quæ nunc quoque posita sunt eregionè templi post aram, quam Chij donauerunt. Hæc ex Herodoto. Ælian. lib. 13. historiæ sic de ea scribit:

RHODOPE meretricum omnium in Ægypto fuit pulcherrima. Cui aliquando lauanti, inopinatorum atque inexpectatorum amãs Fortuna contulit munus, non isto animo, sed fortuna venustatéque dignum. Cùm enim lauaret, atque vestimenta famulæ custodirent, aquila deuolans, alterum calceum abstulit, eúmque secum deportauit Memphim. In ea autem ciuitate cùm fortè Psammetychus iudicium exerceret, aquila in eius sinum calceum iniecit. Psammetychus autem miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem atque concinnitatem, & auis factum mandauit vt per vniuersum Ægyptum quæreretur fœmina, cuius is calceus esset: eámque inuentam in matrimonium accepit.

LEONTIVM meretrix insignis, & doctissima, Theophrasti libris respondit. Vide Gellium.

THAIS meretrix insignis, Atheniensis genere, amica fuit Alexandri Macedoniæ regis, quam postea Ptolemæus magnopere adamauit. Hæc cum victo Dario in cœna rogasset Alexandrum, vt Persarum regiam cremaret, statim fecit. Volaterranus. Atticam quoque iuuentutem in sui amorem pellexit. Hanc suis carminibus celebrauit Menander poeta Grecus vnde & Menandræa dicta est à Propertio:

Turba Menandrææ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

GLYCERIVM Thespiensis meretrix, dono Cupidinem à Praxitele acceptum Thespiensibus donauit. Strabo. At alij hoc Phrynæ tribuunt.

THALESTRIS, siue MINOTHEA, Amazonum regina, cum c c c millibus mulierum aduersus Alexandrum Macedonum regem processit, magis libidine quàm bello flagrans. Itaque vigintiquinque dierum, inter infestissimas gentes, itinere confecto, regem conuenit. Vbi cùm tredecim diebus ociose dedisset, & vterum impleuisset ex regis concubitu, discessit. Iustinus lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

ACCA Laurentia, Faustuli pastoris regij vxor, meretrix insignis, propter formosissimi corporis quæstum turpissimum Lupa adpellata (vnde ad nostram vsque tempestatem meretricum cellulę lupanaria dicuntur) Romulum & Remum nutriuit, & educauit. Liuius lib. 1. Dec. 1. Pluthar- chus in vita Romuli.

FLORA meretrix fuit, quæ populum Romanum constituit hæredẽ. Vnde Floralia sacra eidem consecrata sunt: alio nomine Laurentia vocatur. De hac vide Gellium lib. 6. cap. 7. & Volat. lib. 16.

Messalina Claudij Cæsaris coniunx, ad certamen Veneris elegit nobilissimam ex prostitutis ancillam mercenariæ stipis, nomine LYCISCAM: cámque die ac nocte superauit, quinto ac vicesimo concubitu. Plin. lib. 19. cap. 62.

FACCVLA Cluuia Capuana meretrix fuit, erga Romanos pientissima. Nam Annibale Capuam tenente, alimẽta captiuis egentibus furtim suppeditabat. Liuius lib. 26.

CALVIA Crispillina fuit magistra libidinum Neronis, digna discipulo magistra. Tacitus lib. 17.

MANILIA meretrix, cui A. Hostilius Mancinus diem dixit ad populum, quòd de ambulacro eius noctu lapide ictus esset. Gellius. Vide tit. Scortationis pœna.

PHOEBE Iuliæ Augustæ liberta, & libidinis socia, cùm non ignoraret amissam suam atque multis prostitutam pudicitiam, Augusto Cæsari (qui ideo etiam Iuliam relegauerat) cognitam esse, manus sibiipsi consciuit, ne crudelioribus suppliciis exponeretur. Dion in Augusto.

BARYNE Romana meretrix, quam Horatius suis carminibus illustrauit, dicens:

Vlla si iuris tibi peierati pœna
Baryne nocuisset vnquam.

CHIONE nomen scorti apud Mart. lib. 1. dicentem:

A Chione saltem, vel Laide disce pudorem,
Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.

LYCISCA apud Mart. notatur vt fellatrix & lupa, his verbis:

Facere in Lyciscam, Paule, me iubes versus,
Quibus illa lectis rubeat, & sit irata.
O Paule malus es, irrumare vis solus.

Item apud Iuuenalem, *Nomen mentita Lyciscæ.*

Immoderatam CÆLIÆ libidinem notat Martialis lib. 7.

Das Cattis, das Germanis, das Cælia Dacis,
Nec Cilicum spernis, Cappadocúmque toros.
Et tibi de Pharia Memphiticus vrbe fututor
Nauigat, à rubris & niger Indus aquis.
Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum, &c.

Martialis de SPATALE scribit:

Nouit loturos Dasius numerare, poposcit
Mammosam Spatalen pro tribus, illa dedit.

LEVCADIA Terentij Varronis Atacini amica fuit. Hinc fluxit illud distichon:

Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro.
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.

LICINIA Horatij pectus torsit amore. Horat. lib. 2. Car.

Me dulcis dominæ musa Liciniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus.

Amauit & GLYCERAM. De qua libro tertio Carm.

Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

LESBIA, Catulli. Catullus:

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Verè, quantum à me Lesbia amata mea est.

Hæc vero nomine vocabatur Claudia.

Amauit etiam Ipsithillam.

QVINTILIA, Calui Licinij. Propertius lib. 2.

Hoc etiam docti confessa est pagina Calui,
Quum caneret miseræ funera Quintiliæ.

ACME, Septimij. Catullus:

Acmen Septimius (suos amores)
Tenens in gremio: Mea, inquit, Acme,
Ni te perditè amo, atque amare porrò
Omnes sum assiduè paratus annos,
Solus in Libya, Indiáque tosta
Cæsio veniam obuius leoni.

Delia, SVLPITIA, NEMESIS, NEÆRA, Tibulli. De Nemesi notum est illud:

Vrit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil esse domo.

AVFILENA, Quintij. Catullus:

Cælius Aufilenum, & Quintius Aufilenam,
Flos Verronensium depereunt iuuenum.

HOSTIA seu CYNTHIA, Propertij. Propertius ipse lib. 1.

Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea,
Quàm sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis. Idem lib. 1.
Cynthia prima suis miserum me cæpit ocellis,
Contactum nullis antè cupidinibus. Martialis:
Cynthia facundi carmen iuuenile Propertij
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

MELENIS, Domitij Marsi. Martialis:

Nota tamen Marsi fusca Melenis erit.

CESENNIA, Cn. Getulici epigrammatistæ. BISSVLA, Ausonij Galli: METELLA, Ticidæ epigrammatistæ. CYTHERIS, seu LYCORIS, Cornelij Galli. Hinc illud manauit:

Gallus & Hesperiis, & Gallus natus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

PAMPHILA, Valerij æditui. De qua sic apud Gellium scribit:

Dicere quum conor curam tibi Pamphila cordis,
Quid mi abs te quæram? membra labris abeunt:
Per pectus miserum manat subitò mihi sudor,
Sic tacitus, subitus, duplo ideò pereo.

CHRYSIS, Q. Trabeæ comœdiographi, de qua sic scripsit:

De improuiso Chrysis vbi me aspexerit,
Alacris obuiam mihi veniet,
Complexum exoptans meum:
Mihi se debet,
Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

NEÆRA, Licinij Imbricis comœdiographi. de qua afferuntur hi versus:

Nolo ego Neæram te vocent, sed Nerienem.
Quum quidem Marti es in connubium data.

VIOLANTILLA, Stellæ poetæ. Hæc Græcè Hyantis dicitur. Martialis lib. 6.

Perpetuam Stellæ dum iungit Hyantida vati,
Læta Venus dixit, Plus dare non potui.

Aliter vocatur ASTERIS. Vide Statium in Syluis.

TIRESIA scortum Petri Riarij, Cardinalis Sauonensis, sumptuosissimum. Vide tit. Luxus in conuiuiis.

PELLICES.

MINTHAM fingunt fabulæ Plutonis fuisse pellicem, quam Proserpina dolis circumuenerit, & in hortensem mentam commutauerit, Huius meminerunt Strabo lib. 8. Cælius cap. 22. lib. 6.

SVRINAS Parthorum ditissimus, & secundus à rege, ducentas pellices habebat in castris. Plutar.

Quum ob Helenam repetendam Diomedes & Acamas venissent, LAODICE multo desiderio flagrauit, vt posset iuueni Acamanti misceri: & aliquandiu quidẽ præ pudore se cohibuit: pòst verò ab affectu victa cõmunicauit rem Persei vxori nomine Philobiæ, illámque sic aduocauit, vt quantum posset iamiam pereunti auxilium ferret. Illa puellæ calamitatem miserta, Perseum rogat vt se in ea re iuuet, iubens eum hospitalitatem & amicitiam cum Acamãte inire. Perseus partim vt vxoris voluntatem impleret, partim Laodices misertus, omni conatu Acamantem persuadet, vt se in Dardanum conferat, cuius regionis præfectus Perseus erat. Venit ergo eò quoque Laodice tanquam ad festum quoddã, Troiadibus quibusdam comitata, adhuc virgo existens. Vbi quum opipatum conuiuium adparasset, in eodem lecto collocat Laodicem cum ipso, inquiens vnam ex regiis pellicibus esse. Atque hoc quidem modo Laodice desiderium suum expleuit. Progressu autem temporis filius nascitur Acamãti Munitus, quem sub dio enutritum post Troiæ captiuitatẽ transportauit in domum, ipsúmque venantem in Olyntho Thraciæ serpens occidit. Parthen. de Ama. cap. 16. ex libro. 1. Hegesippi de reb. Milesiorũ.

MARTIA fuit Cōmodi Romanorum imperatoris, atque Quadrati eius cubicularij pellex, quàm Electus postea in vxorem duxit. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Commodi.

DAMOSTRATA Commodi Cæsaris fuit pellex, quam Cleander qui ex seruo Cæsaris cubicularius factus est, in vxorem postea duxit. Idem.

ANTIBERTVS, vel vt alij vocant Theobertus, Clotharij Francorum regis filius natu maior, omni muliere corruptior, & ad libidinem solutissimus, in complexu pellicum maturè decessit: ex illo multiplici coniugio non plus vno suscepto filio, qui patrem continuò sequutus est. Michael Ritius Neap. lib.1. de Regibus Francor.

In LITVANIA, quæ Germaniæ pars est, fœminæ in magna fortuna constitutæ, palàm alere multos iuuenes solent, quos matrimoniorum auditores vocant: palàmque secum eos cubitum ducunt, neque tamen ob id viris licet concubinas habere. Fulg. lib.2 cap.1.

ASPASIA Mileto orta, patre Axiocho, Thargeliam inter priscas Ioniæ fœminas imitata (quæ copore suo potentissimos Græcorum Medorum regi conciliauerat) cum præstantissimis Græcorum rem habuit, ita vt Pericles repudiata legitima vxore eam sibi iunxerit. Quamuis alij ciuilium rerum causa à Pericle cultam asserant, vt & à Socrate, qui ad eam cum familiaribus quandoque accessit: & mulieres ad eam mittere solebant propinqui & parentes. Parum decoro tamen se sustentauit artificio, cùm puellas corpore quæstum facientes domi aleret. Tanti autem fuit nominis, vt Cyrus Persarum rex charissimam ex pellicibus Phocensem, patre Hermotimo, Milto dictam, Aspasiam appellari voluerit. Lysicles ouium mercator sordidus, eo quòd post Periclis mortem cum Aspasia rem habuisset, principem locum inter Athenienses fuit consecutus. Plut. in Pericle.

HERPYLLIS pellex Aristotelis, magni illius philosophi, cui & sacra fecisse dicitur, & ex ea filium Nicomachum suscepisse. Obtinuit autem eam ab Hermia eunucho, principe Atarnensium: postquam Pythias Hermiæ filia, quam prius pro vxore habuerat, mortem obiisset.

NITETIS filia Apriis regis Ægyptiorum ab Amasi interfecti, missa ab Amasi ad Cambysem regem Persarum habitu & loco filiæ, cùm Cambyses Amasis F. in matrimonium postulasset, & Amasis nec propter illius potentiam negare auderet, nec concedere vellet, cùm sciret Cambysem illam tantùm concubinæ loco habiturum: Nitetis autem veritatem fassa, Cambysem ad Amasim vlciscendum impulit. Herod. lib.3.

MODVS VENERIS LIBIDINOSVS.

SOTADES Marotines cinædus & poeta, turpissimos scripsit Iamborum libros, quos adpellauit Cinædos lingua Ionica, in quibus libidinū lasciuæ species & descriptiones inerant. De quo Martialis dicit:

Nec retro lego Sotadem cinædum:

Retro enim eius carmina legebantur, vt sensus tegeretur. Volat. libr. 19. Anthrop.

TIBERIVS Cæsar (autore Tranquillo) cellariam excogitauit sedem arcanarum libidinum: in quam accersiti puellarum & exoletorum greges, monstruosique concubitus repertores, triplici serie connexit inuicem incestarent se coram ipso. In syluis quoque Venereos locos excogitauit, cōmentúsque est, quibus impenetrabat prostantes. Instituit & pueros primæ teneritudinis (quos discipulos vocabat) vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent, lingua morsúque sensim appetentes: eósq; quasi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admouebat. Fertur & in sacrificando quondam facie ministri acerram præferentis nequiuisse abstinere, quin penè vixdum re diuina peracta, ibidem statim seductū constupraret, fratrémque eius tibicinem: quibus tamen postea crura infregit, quòd flagitium mutuò exprobrabant. Rauis.

Exercuit imperator DOMITIANVS assiduitatem nimiæ libidinis, quam Clinopalen, id est, lecti palæstram vocabat. Inter vulgatissimas meretrices quandoque natasse dicitur. Fratris filiam adhuc virginem alteri collocatam viro corrupit. Suet.

CRATINVS Atheniensis comicus, vino venerique deditissimus, tāta libidine, puerorum præsertim, flagrauit, vt speculis cubiculum ornaret vndique, quò se facilius coeuntem spectaret. Quod & Horatio Grammaticorum nebulonum quidam tribuunt, sed falsò. Hoc & Tiberium Imp. scelestissimum fecisse, Suetonius tradit. Gyraldus Dialogo sexto Historiæ poetarum.

ELEPHANTIS, PHILÆNIS, ASTYANASSA de variis generibus concubitus libellos figuris ornatos ediderunt. Vide tit. Poetriarum.

LOCVS VENERIS NEFANDÆ.

De cinædis suprà, quos ratione loci immutati ad hunc quoque titulum referre possemus. Nunc tantùm de iis, qui quamuis aliam, corporis partem nefario æternísque damnanda ignibus libidine aggrediuntur & polluunt.

LESBII præ omnibus fœdissimæ Veneris fuisse dicuntur, apud quos nihil synceri erat, aut incontaminati, adeò, vt ne capiti quidem parcerēt, & omni fœda libidine se inquinarent. Alex. ab Alex. libr.1. cap.24. Vnde Lesbiari, pro fellare & irrumare vsurpant.

PAPILVM quendam Mart. lib.7. taxat velut cunnilingum, & irrumatorem.

Ausonius inuehitur suis carminibus in quendam EVNVM, quem vt liguritorem & irrumatorem taxat.

Q. RHEMMIVM PALÆMONEM grammaticum, flagrasse libidinibus in mulieres vsque ad oris infamiam, ferunt.

Satyricus felle aspergit quendam GELLIVM patrui sui irrumatorē, matrísque & sororis stupratorem.

RVFFI cuiusdam Bononiensis libidinem Catullus amarulentè lacerat, quòd mulieris magæ os irrumaret.

HELIOGABALVS naturæ monstrum, nullam corporis partem (dictu nefandum) intentatam reliquit. Lampridius.

HORTENSIVS Corbio, Q. Hortensij oratoris clarissimi filius, linguam suam in lupanari omnium libidini prostituit. Val. lib.3. cap.5.

LENONES, PROSTITVTORES ALIENÆ PVDICITIÆ vel virginum, vel vxorum,

Lenonum mentionem fecimus superiore loco inter sordidißima officia Mechanica, quatenus prostitutione alienæ pudicitiæ, corporis vsumfructum libidinosum cum pecunia commutant. Hic verò proprius eorum est locus, & in extremo luxuriæ gradu, eóque nequißimo sunt habendi: quis non libidinis impetu, sed auariciæ stimulis conciti, alienam impudicitiam sustentant atque fouent. Nam si Pudicitiæ alienæ defensores & vindices ad Castitatis locos pertinent: pari ratione Lenones, alienæ pudicitiæ insidiatores & prostitutores, ad Luxuriæ titulos referri debent.

ERISICHTHON Thessalus cùm decoxisset filiam Mnestram omnibus volentib. mercede elocauit. Vide tit. Scortorum.

CHEOPES Ægyptiorum rex, cùm incredibilem pecuniæ vim in pyramide extruenda consumpsisset, pecunia defectus, filiam suam in quodam ædificio prostituit, imperans, quantumcunque faceret quæstum. nō enim quantum dicebatur. Ea igitur cùm patris iussa fecisset, tum verò priuatim de relinquenda sui memoria cogitauit. Itaque singulos ad se intrantes orauit, vt sibi ad operæ singulos lapides donarent. Ex his lapidibus aiunt extructam fuisse pyramidem, quæ stat in medio trium in cōspectu pyramidis magnæ, cuius vnum quodque latus sesquiiugerum est. Herod. lib.2.

BABYLONII posteaquam à Persis expugnati sunt, rémque domesticam absumpserunt, vnusquisque plebeius ob victus inopiam filias suas adegit ad quæstum corpore faciendum. Herod. lib.1.

Ægeus rex Atheniensium, cùm desideraret liberos, Pythiam consuluit. Illa respondit:

τὸν προὔχοντ' ἀσκοῦ ποδεῶν, ὦ φίλτατε λαῶν
μὴ λῦσαι, πρὶν γῆν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι.

Ille cùm Trœzenem venisset, oraculum PITHEO regi proposuit. Is oraculo intellecto, quòd heros aliquis ex Ægeo nasci deberet, Æthram filiam Ægeo prostituit. Ex eo concubitu natus est Theseus. Plut. in Theseo. At Xenophon ad Peleum Achillis patrem hæc refert.

GALBA Mecœnatem acceperat conuiuio: quúmque sentiret illum velle ad ipsius vxorem ludere, simulauit se dormire, quo magis liceret Mecœnati quod libebat. Interea quum accessisset aliquis, volens quædā è mensa tollere, ibi Galba: Infelix, inquit, huic dormio, non tibi. Eras. lib. 6. Apoph.

CROBYLVS leno scelestissimus duo scorta domi alebat, quorum lenociniis quàm plurimos adolescentes in perniciem alliciebat, allectos compilabat furto. Vnde natum adagium, Crobyli iugum: quod de conuentu & societate duorum hominum, qui pari sunt improbitate, dici cōsueuit Erasmus in Chiliad.

Timæus apud Erasmum testis est, CINNARVM quempiam fuisse, patria Selinusiam, arte lenonem, qui quoad viuebat, pollicebatur se facultates omnes Veneri consecraturum. Cæterùm moriens populo diripiendas exposuit.

Catullus

Catullus inuehitur in quendam SILONEM, quem vt lenonem, arguit.

CIPPIVS simulabat se dormire & stertere, quo facilius eius vxor mœcharetur. Quod arguit, eum à zelotypia longè fuisse alienum. Vnde natū videtur adagium, Ciceroni in quadam ad Fabium Gallum epistola positum: Non omnibus dormio. autor Lucilius, apud Beroaldum.

VETILIVS leno exhæredatus. Vide tit. Testamenta iurè rescissa.

BITOPRVS, mercalem habuit vxorem. Guido.

NICOLAVS hæresiarcha (cuius Ioannes in Apocalypsi mentionem facit) cum post Dominicam ascēsionem ab Apostolis zelotypiæ redargueretur, vxorem in medium productam cupientibus sponte obtulit. Clemens Alexandrinus in 3. Stromatum lib. & Euseb. lib.4. Vide Catalogum hæreticorum.

PATER quidam Smyrnæ trium filiarum propter egestatem prostitutor, à D. Nicolao episcopo tantum auri clàm dono accepit, vt filias honesto matrimonio elocare posset. Sab. lib.2. cap.1.

C. TICINIVS Minturnensis Fanniam vxorem impudicam de industria fecit, vt eo crimine eam dote spoliaret. Vide tit. Iusticia in litibus componendis.

GEMELLVS tribunitius viator ingenui sanguinis, sed officij intra seruilem habitum deformis, Metello & Scipione Consulibus, ac Tribunis plebis, magno cum rubore ciuitatis, lupanari domi suæ instituto, Muciā, & Fuluiam tum à patre, tum à viro vtranque inclytam, & nobilem puerū Saturnium in eo prostituit. Probrosa prosapiæ corpora, ludibrio temulentæ libidinis futura: epulas Consulibus & Tribunis non celebrandas, sed vindicandas. Val. lib.9. cap.1.

P. CLODII iudicium quanta luxuria & libidine abundauit? in quo vt euidenter incesti crimine nocens reus absolueretur, noctes matronarū & adolescentium nobilium magna summa emptæ mercedis loco iudicibus erogatæ sunt. Quo in flagitio tam tetro, támque multiplici, nescias quem primùm detestêre: an qui istud corruptelæ genus excogitauit: an qui pudicitiam sequestrem periurij fieri passi sunt: an qui religionē stupro permutarunt. Idem.

HENRICVS rex Castulonensis, vxoris suæ leno. Vide tit. Inuidiæ.

LENÆ.

ASPASIA, Periclis deliciæ, puellas corpore quæstum faciētes domi alebat. Plut. in vita Periclis.

CALLISTION, cognomento Ptoche, læna, quum à quodam esset cōducta seruo: isque quoniam æstiuo tempore nudus accumbebat, ostenderet in corpore notas plagarum: Vnde, inquit, illa miser? quúmque is dixisset, se puerum iure fuisse perfusum. Tum illa, Nimirum vitulino: sentiens, esse flagrorum vestigia. Ex carnibus vitulinis coqui faciunt ius, ex pelle vitulorum fiunt lora. Eras. 6. Apoph.

DIPSAS nomen est lenæ, quam Ouid. 1. Eleg. suis carminibus insectatur, quòd puellam suam meretricia arte instrueret:

Est quædam (quicunque volet cognoscere lenam,
Audiat) est quædam nomine Dipsas anus, &c.

Aphra meretrix (quæ à Narcisso Hierosolymorum episcopo à turpi & immundo quæstu reuocata fuit) matrem habuit HILARIAM, quæ solis lenociniis victum sibi comparabat.

VITIVM IN DEFECTV.

QVI MINVS QVAM OPORTET VENEREIS REBVS *operam dant.*

~~[illegible]~~

ORIGENES sub Deciana persecutione ad aram dumus, vt aut diis sacrificaret, aut ab Æthiope turpissimo (qui astabat) stuprum pateretur: maluit thus igni iniicere, quàm castitatem perdere. Eapropter ab Ecclesia Alexandrina excommunicatus, in Iudæam abiit: & illic obiit in summa miseria & paupertate, si non etiam desperatione. Suidas: & Nicephorus libro quinto, capite trigesimosecundo.

TEMPERANTIÆ TERTIA SPECIES, IN IIS QVÆ ad corporeas voluptates mediatè conferunt.

ELEGANTIAM ET CVLTVM VITÆ MODERATE *amplecti, absque vlla superbia & insolentia*

IVDÆORVM reges ab aliis Iudæis solo nomine discerni mos erat. Cęterùm posteaquàm Dauid Ammonitas bello superauit, vrbémque eorum munitissimam nomine Rabath vi cœpit, diadema assecutus, quo eorum rex vtebatur (quod magni erat precij) gestare incœpit, vt insigni diademate non venerabilior solùm, magísque conspicuus in posterum esset, verumetiam vt simul quoque ingentis victoriæ recordatio repeteretur. Fulgos. lib.3. cap.6.

Aristobulus cùm patri Hyrcano in Iudæorum pontificatu atque principatu successisset, deuictis Ithuræis, incircumcisísque, sicuti Dauid, hostile diadema vsurpare cœpit: ita ipse primus Assāmoneorū Machabęorū anno vno & octogesimo, tribúsque mensibus post quadringentos, à prima Babyloniorum captiuitate, Iudaicum principatum in regni nomen conuertit: gentíque suæ diadematis insigni restituto, primus illud capiti suo imposuit, atque Pontifex & Rex appellatus est. Idem.

Agesilaus milites suos pulchris armis instructos esse voluit: quamuis alioqui frugalissimus esset, & vilissimo vteretur amictu. Alexād. ab Alex. lib.1. cap.20.

CRATES Thebanus à magistratu obiurgatus, quòd contra leges & consuetudinem Atheniensium sindone vestiretur, ait: Quid si Theophrastum vobis ostendam sindone amictum? Adduxit igitur eos in tonstrinā,

ostenditque Theophrastum, qui tum fortè tondebatur, linteo amictum quod Græci à contegendis humeris ἀμόλινον vocant: submonens faceto responso, omnibus ad vsum vti licere. Turpe enim ac inhonestum si esset vti linteis, ne in tonstrina quidem vsus esset. Laert.lib.6.cap.5.

Quum quidam ARISTIPPO probro daret, quòd lautè nimisq; splendidè viueret: Id, inquit, si vitium esset, in deorum celebritatibus non fieret. In his enim magnificè vestiri, & lautissimè epulari solent. Ibidem.

XENOPHON eloquentissimus & fortissimus Atheniensium dux, arma pulchra & expolita semper habebat, quòd hæc & decorem viuenti, & mortuo iacenti authoritatem aliquã apud hostes parerent. Habuit igitur scutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, equum Epidaurium. Elegantiam itaque vir sapientissimus laudauit, quæ fortitudinis opera non modò non impediret, verumetiam promoueret. Ælian.lib.3.Var.hist.

Vini vsus olim ROMANIS fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam venerem esse consueuit. Cæterùm vt non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentib. maritis, & auro abundanti, & multa purpura vsæ sunt: & quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligẽtia capillos cinere rutilarũt. Nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter & videre sanctè, & aspici mutuo pudore custodiebantur. Val.lib.2.cap.1.

P.SCIPIO, cùm in Sicilia augendo exercitum, traijciendóque in Africam opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volueret, inter consilia ac molitiones tantæ rei operam gymnasio dedit, palliòque & crepidis vsus est: nec hac re segniores Punicis exercitibus manus intulit, sed nescio an ideo alacriores: quia vegeta & strenua ingenia quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. Crediderim etiam, fauorem eum sociorum vberiorem se adepturum æstimasse, si victum eorum & solennes exercitationes cõprobasset, ad quas tum veniebat, cum multùm ac diu fatigasset humeros, & cętera membra militari agitatione firmitatem suam probare coegisset; consistebatque in illis labor eius, in iis remissio laboris. Val.lib.3.cap.6.

L.SCIPIONIS statuam chlamydatam & crepidatam in Capitolio cernimus: quo habitu videlicet, quia aliquando vsus erat, effigiem suam formatam poni voluit. Val.lib.3.cap.6.

L.SYLLA, cùm Imperator esset, chlamydato sibi & crepidato Neapoli ambulare, deforme non duxit. Idem.

HORATIVS in Epistolis à Ioue petit

Mundum victum, non deficiente crumena.

AVRELIANVS Imperator multis partis victoriis aduersus barbaros atque tyrãnos, cùm triennio totum pacasset imperium, quod vix expeditus homo peragrare posse videbatur, Augustorum primus regio diademate vti voluit: cùm vsque ad id tempus alij imperatores, quibus modestia inerat, haud à cæteris disparem habuissent habitum, nisi quòd soli cum magistratibus purpura vtebantur. Fulg.lib.4.cap.6.

LEONEGILDVS Gothus Hispanorum rex, partis ingentibus victoriis, ac multis gentibus subactis ex fortunæ successu, quo persæpe in vitia virtus delabitur, Regio diademate primus vti cœpit: cùm ante id tẽpus alij Gothorum reges non alia re magis, quàm nomine, cæteris gentis suæ hominibus dignoscerentur. Fulg.lib.3.cap.4.

ALPHONSVS secundus Neapoli rex Aragonius, patre Ferdinando primo ortus, posteaquam Turcas deuicit, à quibus magno Italiæ periculo Hydruntum vrbs in extrema Calabriæ ora occupatum fuerat, armatus falcato ense in Turcarum morem (fortasse vt nobilis victoriæ memoriam excitaret) persæpe vtebatur. Fulg.lib.3.cap.6.

D.AVGVSTINVS vestitu mundo vsus est, nec sordido, nec nitido nimium. Cochlearia argentea erant: cætera vasa omnia testacea, lignea aut marmoria. Poss.cap.22.

ELEGANTIAM NIMIAM SIVE LVXVM REPVDIARE, *& fugere: quæ* PARSIMONIA *in victu propriè fortasse dici posset.*

Et primùm in genere.

SOCRATES per forum obambulãs, quum aspiceret mercium copiã quæ illic vendebantur, ita secum loqui consueuit: Quã multis rebus ego nõ egeo. ast alij cruciãtur animo, ita cogitãtes: Quã mihi multa desunt. Socrates sibi gratulabatur, quòd iuxta naturam viuens, ac paucis assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, aulæa, reliquásque diuitum delicias, nec cuperet, nec egeret: quas dicere solebat magis necessarias agẽdis tragœdiis, quàm ad vsum vitæ. Bruson lib.5.cap.22. In hãc autem sententiam vsurpabat versus Iambicos poetæ nescio cuius:

Τάδ᾽ ἀργυρώματ᾽ ἐστὶν, ἥ τε πορφύρα,
Εἰς τὰς τραγῳδὰς χρήσιμ᾽ οὐκ εἰς τὸν βίον. id est:
Argentea isthæc vasa simul, ac purpura,
Tragœdiarum accommoda histrionibus
Sunt, ad beatam conferunt vitam nihil. Laert.lib.2.

ALCAMENES Telecri filius, rogante quodam cur adeò parcè viueret, tantas opes possidens? Quia, inquit, qui multa possidet, non ex libidine, sed ex ratione viuere debet. Bruson.lib.5.cap.22.

PARSIMONIA IN VICTV, IN SPECIE.

IN SVMPTV ET APPARATV *conuiuiorum.*

LACEDÆMONE coquos esse non licebat alios, quàm carnis duntaxat. Qui verò quamuis cupediariam aliam artem nouisset, eiiciebatur Sparta. Ælian.lib.14.de Varia hist.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, legem promulgauit, ne quis in loco abdito vel clauso cœnam vel prandium sumeret. Quod ideo constitutum ferunt, ne quis splendidius altero vesceretur. Alexan.ab Alex.lib.5.cap.21.

AGESILAVS non tantùm sub dio stramentis pro lecto & pellibus indormire solitus erat: sed cùm cæteri delicatissima quæque sibi pararẽt, ipse solus quicquid vel insipidi apponebatur, bibebat & comedebat. Zenophon, & Probus.

XENOCRATIS magna fuit in victu continentia. Is cùm missa sibi ab Alexandro talẽta intellexisset, Legatos ad exiguam cœnam inuitauit: cúmque ab his quæreretur, cui numerari talenta vellet? Nónne, inquit, hesterna cœna intellexistis, Xenocratem huiuscemodi muneribus minimè indigere? Platina lib.2.de Optimo ciue.

Cariæ regina cùm ad Alexandrum Macedonem multa obsonia, fercula opipara, coquósque optimos misisset: his haud opus esse Alexãder Macedo dixit, cùm cibo communi, pane & aqua, latrantem sibi stomachum conciliare posset. Bruson.lib.1.Facetiarum.

Apud ROMANOS immolatarum hostiarum exta, ad quæstores ærarij delata veniebant, sacrificiisque Pop.Rom. tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat: Imperatoribus nostris quàm sacras manus habere deberent, apud ista altaria discentibus. continentiæque tantum tribuebatur, vt multorum ęs alienum, quia prouincias sincerè administrauerant, à Senatu persolutum sit. Nam quorum opera publicam autoritatem, splendorémque suum procul obtinuisse viderant: eorum dignitatem domi collabi indignum, sibíque deforme esse arbitrabantur. Val.Max.lib.2.cap.1.

NVMA Pompilius edixisse fertur, ne pisces, qui squamosi non essent, in visceratiónibus haberent: nullã aliam nimirũ ob causam, quàm ne nimis magno in funeralibus cœnis mercarẽtur obsonia, quam cœnam Pollincturam dixère. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

CVRIVS Dentatus, cùm à Samnitum legatis adiretur, rapa sibi parare obsonium inuentus est, eiq; duos calones in castris fuisse asserũt, cùm summam imperij gereret Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

MASINISSAM regem nonagesimum ætatis annum agentem, meridie ante tabernaculum stantem, vel ambulantẽ capere solitum cibos, legimus. Frontin.lib.4.cap.3.

HANNIBAL surgere de nocte solitus, ante noctem non requiescebat: crepusculo demum ad cœnam vocabat: neque amplius quàm duobus lectis discumbebatur apud eum. Idem.

IASENSIBVS lege lata indictum erat, ne in celebrandis conuiuiis plures vocarent quàm decem viros, & totidem mulieres: neque in nuptiarum celebritatibus vltra biduum producerent. Heraclides in Polit.

IN SVMPTVS SACRIFICIORVM.

SOCRATES sacrificia volebat quã minimis impendiis constare: quòd dij, vt non egent rebus hominum, ita magis spectant affectus immolantium, quàm diuitias. Alioqui cum improbissimi quique maximè abundẽt diuitiis, actum esset de rebus humanis, si malorum potius quàm bonorum victimis delectarentur. Eóque versum hunc magnopere probare consueuit.

καδδύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱερ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι.

[redacted] Eras.lib.3.Apoph.

IN CVLTV CORPORIS, ET FVCO.

LYCVRGVS vnguenta eiecit è republica, tanquã olei corruptelam ac perniciem. Nam oleum odoribus vitiatum nullum habet vsum, nec ad esum, nec ad membrorum vnctionem. Plut.in Laconicis.

DIOGENES nactus vnguentum, eo pedes inunxit, præter morem publicum. Id demirantibus, dixit: Quoniam vnguentum capiti infusum exhalatur in aerem, à pedibus autem ascẽdit ad nares. Similiter alius reprehendit publicam consuetudinem, qua coronas capiti imponunt: quũ magis conueniat infra nares ponere, quòd fragrantię vapor non tam descendat quàm ascendat. Laert.lib.6.& Bruson.lib.4.cap.6.

DARDANENSES Illyrides ter solummodò per vniuersam vitam lauantur: post partum, cùm nuptias ineunt, & cum mortem obierunt. Ælian.lib.4.de Var.hist.

P.LICINIVS Crassus, & C.IVL. Cæsar, censores, Antiocho rege deuicto, ne quis vnguenta exotica (quibus ad luxuriam irritabantur Romani) venderet, pœnis inhibuerunt. Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

IN VESTITV CORPORIS.

Nihil habuit ABRAHAMVS anachoreta in solitudine præter catinum, & cicilinam vestem, cum sago rustico: vixítque talibus deliciis contentus, quamdiu in humanis fuit: id homini tutius, quàm si opes affluxissent, & ad diuinorum meditationem multo habilius. Sabel.libr.8. capite 5.

TORA virgo nũquam vti voluit noua tunica, nunquam nouis calciamentis. Rauis.

AGESILAVS cùm haberet exercitum optimis vestimentis & armis ornatissimum, ipse tamen vilissimo corporis vestitu semper vtebatur. Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

Cum Spartanos pecuniæ deficerent ad bellum eo quòd alerent externum militem, AGESILAVS in Ægyptum profectus est, ab Thaco Ægypti rege accitus stipendio. Cæterum Agesilaus ob corpus incultum, ac vestis vilitatem, venit in contemptum eius gentis hominibus, qui sperarant se visuros Spartanum regem talem, qualis esset rex Persarum, corpore decentissimè ornatum: perperam sanè de regibus sentientes, quos externo cultu putabant æstimandos potius, quàm animi virtutibus. Nihil ille quidem de cultus ac victus simplicitate mutauit: sed interim ostendit, maiestatem dignitatémque regiam non vestium splendore, sed prudentia ac fortitudine parari oportere: grauitérque taxauit vulgares monarchas, quibus si diadema, purpuram, aurum & gemmas detrahas, nihil videas præterea regium. Plut.in Lacon.& Athenæus.

GERADAS Spartiata vetustissimus, interrogatus ab hospite, Quid apud eos adulteri paterẽtur? nam se nullam videre legem hac de re à Lycurgo latam, dicebat. Respondit: nullus, ô hospes, apud nos est adulter: subtracta sunt profectò Veneris irritamenta, videlicet indumenta. quandoquidem spectata species decora, maximè luxuriam accendit. Plutarch.

LYSANDER & ARCHIDAMVS recusarunt indumẽta preciosissima, quæ Dionysius Siciliæ tyrannus, ad eorum filias miserat, timẽtes maximè ne deformiores hisce fierent. Guido.

EPAMINONDAS Thebanorum dux vnam solum habebat vestem, eámque sordidam. Si quando eam misisset ad fulonem, ipse se domi cõtinere ob indigentiam alterius cogebatur. His facultatibus præditus tamen, cùm ei Persarum rex magnam vim auri dono misisset, non accepit. & magnificentior fuit is qui aurum non accepit, quàm qui donauit. Ælian.lib.5.de Var.hist.

PHOCIONIS vxor, vestem Phocionis gestabat, neque opus habebat vel crocoto, vel Tarantino, vel Anabola, vel Encylio, vel Cecryphalo, vel peplo, vel tinctis & coloratis tunicis: sed primùm inducebat temperantiam, deinde quæ suppeterent. Idem.lib.7.de Var.hist.

Ex ROMANORVM fœminis multæ eosdem cum viris calceos gestare consueuerunt. Ibidem.

AVGVSTVS Cæs. veste non alia fuit vsus, quàm domestica, quam vxor, soror, filia neptésque cõfecerant. cuius dictum erat vulgatissimum: Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidúsque luxuriæ. Suetõ.

ALEXANDER Seuerus coniugi suæ preciosioribus vestibus, quàm cæteræ Romanæ, vti interdixit. Fulg.lib.4.cap.1.

ALPHONSVS Aragonum rex, quum vestitu cultúque corporis non multum discreparet à popularibus suis, admonitus à quodam vt regio ornatu incederet, respondit: Malo moribus & authoritate meos excellere, quàm diademate & purpura. Panormita lib.1.de rebus gestis Alphõsi: Æneas Syluius de eius dictis.

IN LECTIS ET STRAGVLIS.

VACCHORIS rex Ægypti, relictis diuitiis, humi iacuit.

HANNIBAL cùm sub Asdrubale Imperatore militaret, plerunque super nudã humum sagulo tectus, somnos capiebat. Fron.lib.4. cap.3.

AVGVSTVS Cæsar non nisi humili, modicéque strato thoro cubauit. Sueton.

IN POSSESSIONIBVS.

ÆLIORVM familiam, & Tuberonum, cùm decem & septem eiusdem cognominis forent, modicis ædibus, cum vxoribus & liberis, eosdem lares incoluisse, eundémque agrum Vientanum arasse, & ex eius fructu victitasse, legimus apud Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

SCIPIO quinquaginta quatuor annorum spacium emensus, neque emit, neque vendidit quicquam: adeò paucis fuerat contentus. Cùm autem quidam ei scutum eleganter apparatum ostenderet, dixisse fertur: Atqui Romanorum ciuem par est in dextra spem ponere, non in sinistra. Æl.libro vndecimo.

PTOLEMÆVS Lagi filius, qui frequentissimè apud amicos cœnabat & dormiebat, nihil præter necessaria possidebat: alios locupletes efficere, magis esse regale dicens, quàm locupletari. Plutarch.

IN SVPPELLECTILI RELIQVA, PRÆter vestitum & lectos.

SARDOLIBYES aliud vas aut instrumentum non possident, præter calicem & gladium. Nicol.de Moribus gent. Stob.serm.42.

EPAMINONDAS dux Thebanorum, tantæ abstinentiæ fuit, vt in suppellectili eius, præter ahenũ & veru vnicum nihil inueniretur. Frõt. lib.4.cap.3.

AGATHOCLES, tyrannus Siculorum, nunquam sine fictilibus (memor paternæ obscuritatis, quòd figulo patre genitus fuerat) cœnauit: adeò quidẽ, vt inter vasa aurea, figulina semper admiserit. Alex. ab Alex. lib.5.cap.21.

LACON cùm in peregrinatione vidisset homines in sellis curulibus sedentes: Absit, inquit, vt in talibus sedeam sellis, vnde non liceat assurgere seniori. In his enim sedebant delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exurgere. Plut.in Lacon.

Apud priscos ROMANOS vltra septem iugera agri excedere, aut denas argenti libras viro triumphali in supellectili esse, perniciosum erat. Alex.lib.3.cap.11.

FABRICIVS cùm censor esset, lege sancita prohibuit, ne duces plusquam pateram & salinum ex argento in castris haberent, & milites vasis ligneis tantum vterentur. Alex. ab Alex.lib.2.cap.29.

SPARTACVS dum contra Romanos arma molitur, omnem auri argentíque vsum militibus interdixit, ne nimiis bonis frangerentur. Ibidem.

ÆLIVS Catus consul, cùm in fictilibus cœnaret, legatos Ætolorum vasa aurea offerentes repulisse fertur. Alex.ab Alex.lib.3. cap.11.

ALEXANDER Seuerus Augustus & princeps orbis, in conuiuiis suis aurum planè nesciuit. Pont.cap.2.de Splendore.

IN FAMVLITIO, SERVORVM, EQVOrum, Comitatu.

PALAMEDES Argiuus, vir sapientissimus, ad Troiam nauigans absque seruo & ancilla, cùm Achilles ad eum dixisset, Rudior plerisq; ô Palamedes videris, quòd qui tibi ministret in bello neminem adduxeris: tũ ille ambas protendens manus, Quid ergo hæ, ô Achilles? respondit. Philostratus.

PHILOPOEMENES Achæorum dux, præcipuè inter Græcos clarus, diuertere volebat ad hospitium veteris amici. Quo cognito, iussit hospes apparari quæ necessaria essẽt alia ab vxore, dum interim ipe obsonia appararet. inter hæc Philopœmen solus (vt res ipsa ferebat) ad hospitium properat. quem venientem, vt solum, vt deformem, vt qui nihil ornatus haberet eximij, arbitrabatur mulier ex administris esse aliquẽ, qui herum præueniret. cúmque esset de aduentu Philopœmenis mirificè solicita, etiam blandiendo rogauit eum, se vti adiuuaret ad dominum comiter excipiendum. Tum Philopœmen, vt erat perhumanus, cognito mulieris errore: confestim securi accepta, & cuneo, cœpit ligna findere, ad coquendam cœnam. hospes interim domum ingressus, cùm animaduerteret Philopœmenem findendis lignis malleo incumbere: Prò Iupiter, inquit, quid hoc Philopœmen? quid agis dux maxime? Ad ea Philopœmen: Pro deformitate, inquit, oris totiúsque corporis pœnas luo. Voluit ipsemet præbere de se hospiti & sibi ipsi risũ. Res sanè festiuo ac faceto homine digna: quæque quo rarior, eo etiam fuerit lepidior. Pontanus.

P.SCIPIO iunior, cum legatus mitteretur ad Carthaginenses, vnum tantum comitem Panætium philosophũ & amicum secum habuit, & famulos quinque: quorum vno in peregrinatione defuncto, alium emere noluit, sed è Roma vnum in defuncti locum accersiuit. Potuisset Scipio multis comitatus viris & seruis, legationem suam absoluere pro Romanorum consuetudine. Verùm ne cęteris ostentationis & superbiæ exemplum esset, his contentus, Reipublicę negocia expedire voluit. Plu. in Rom.Apoph.

SCIPIO Æmylianus ad orbis terrarum componenda regna missus à senatu Rom. quo cuique sua tribueret, post duos inclytos cõsulatus, totidémque triumphos, septem tantùm seruis sequentibus officio legationis functus est, cum ex Carthaginis & Numantiæ spoliis plures sibi cõparare potuisset, nisi operum & factorũ suorum fructum ad patriam redundare maluisset. Val.Max.lib.4.cap.3. Plin.cap.58.de Viris illust. Alex. ab Alex.lib.1.cap.18.

CATO superior, qui Celtiberos Hispaniæ populos robur prouinciæ secundis præliis fregit, cùm totam illam prouinciam administraret, pellibus hœdinis pro tapetis vsus est: cúmque in Hispaniã vlteriorem proficisceretur, viatico quingentorum assium contentus, trium tantùm seruorum comitatu omnem peregrinationem absoluit, cùm pro suo iure & dignitate officij, magno adparatu seruorum vti potuisset. Hic de seipso ita loqui solitus erat: Nulla mihi ædificatio, neque vas, neque vestimentũ vllũ in manu preciosũ, neq; preciosus seruus, neq; ancilla. si quid est quo vtar, vtor quidem: si non est, ego sum, cuíque per me vti atque frui licet. Bruson.lib.1.facetiarum.& Val.lib.4.cap.3.& Plut.in Catone. Cic.in Catone maiore.

Multum à priſca continentia ſpacio annorum poſterior Cato diſcedit, vtpote in ciuitate iam diuite & lauticia gaudente natus : is tamen cùm bellis ciuilibus intereſſet, filium ſecum trahens, duodecim ſeruos habuit: numero plures quàm ſuperior, temporum diuerſis moribus pauciores. Val.lib.4.cap.3.

ENNIVS poeta, quem (vt Syllius Italicus canit) Rudiæ genuêre vetuſtæ: in Auentino habitās, tam parcus ac tenax fuiſſe dicitur, vt vnius tantùm ancillæ miniſterio vſus ſit. Volat.lib.15.Anthrop.

ALEXANDER Seuerus imperator curſore nunquam vtebatur, niſi ſeruo ſuo, dicens: Ingenuum currere niſi in ſacrocertamine non debere. Cocos item, piſcatores, fullones & balneatores non habuit, niſi ſeruos ſuos: nolens quenquam ingenuū ſordidis miniſteriis dehoneſtare. Ælius Lampridius.

IVLIANVS imperator cum eunuchis & coquis ſeruos ſuos etiam ex palario eiecit. Rogatus verò cur id faceret? ait: His non opus eſſe, cum minori ſumptu viuere poſſet. Eraſ.lib.8.Apoph.

VITIVM IN EXCESSV.

LVXVS IN EPVLIS, ET CONVIVIORVM APPARATV.

Luxus & luxuria vt re, ita & nomine conueniunt. Luxuria enim, quamuis generali ſignificatione omnes intemperantiæ ſpecies comprehendere videatur, tamen in ſpecie ad veneream libidinem referri ab authoribus conſueuit. Atque ſine Cerere & Baccho friget Venus. Quare luxus quoque cum luxuria ferè ſemper coniungi ſolet. Nos ergo primùm Luxum conuiuiorum exponemus: & apparatum ſuperfluum (de Voracitate enim & Ebrietate ſuperius egimus) mox Delicias in veſtitu, cultu & ornatu corporis, atque etiam comitatu enarraturi. Illud tamē hic obiter notandum, Luxum à Prodigalitate hoc ſolo differre, quòd Luxus id quærit, vt voluptatibus externis diffluat: Prodigalitas verò erga alios benefica, erga ſe iniquior, profuſione iſta laudē aucupatur, ſibíque mirum in modum intus placet atque gratulatur, neq; σωματικὴν ſed ψυχικὴν tantum ἡδονὴν ſectatur. Quare luxus temperantiæ ſeu frugalitati, at prodigalitas liberalitati opponitur. Cùm ergo ſola relatione, non autem ſubiecto differant, vt re conueniunt, ita quoque titulorum exemplis conuenire poſſunt. Qui igitur plura Luxus exempla deſiderat, petat ex loco Prodigalitatis. Per accidens Luxus quoque ad Ambitionem refertur, quatenus ex luxu honorem captant.

ALEXANDER in Perſarum regia prandium regis legebat, & cœnam in ærea columna inſcriptam. In qua cæteræ quoque leges inerant, quas Cyrus ſcripſerat. De triticea farina pura quadringentæ artabæ. artaba autem Medica modium Atticum conficit. De ſecundaria poſtea farina poſt puram, artabæ trecentæ: & de tertia, aliæ deinde triginta artabæ. De omni triticea farina, artabæ ad cœnam mille. De hordeacea farina puriſſima, ducentæ artabæ. de ſecunda poſt eam quadringentæ, atque itidem de tertia quadringentæ. Summa hordeaceæ farinæ, artabæ mille. Grani auenarij artabę ducētę. Pollinis in polentā admixtæ pro offis, decē artabæ. Naſturcij inciſi, ſignatíque, tenuis priſanæ, decem artabæ. De ſinapis ſemine tertia pars vnius artabæ Oues maſculi quadringenti, boues centum, equi triginta, anſeres ſaginati quadringenti, turtures trecentæ, auiculæ omnis generis ſexcentæ, agni trecenti, pulli anſerini centum, damæ triginta. Lactis recentis decem maries. mixtis autem decem valet choas atticas. Oxygalactis dulcorati decē maries. Allij talentū, ceparum ſemitalentum: de aſperiorum genere, folij artaba, liquoris ſilphij duæ minæ, cucumeris artaba. ſilphij, talentum ponderatum. Sacri ex pomis muſti, quarta pars artabæ, cocceonis. Ecidum auſterarum artaba. Faui ex cucumere facti, quarta pars artabæ. Grana panici, tria talenta pondere. Anethi floris tres minæ pondere. Melanthryon tertia pars artabæ. De Diarthimis ſemine, duæ capetes. Siſami puri decem artabæ. Muſti ex vino quinque maries, raphanorum ſeu gōgylidum ſale conditarū quinque maries. Æthiopici cucumeris ſex capetes: capetis autē eſt chœnix Attica. Anethū aridum triginta minarum pōdere. De apijſemine quatuorcapetes. Olei ſiſamini decē maries. Olei lactei quinq; maries. Olei terchinthini quinque maries. Olei acanthini quinq; maries. Olei de amygdalis dulcioribus tres maries. Amygalarum aridarum dulcium tres artabæ. Vini quingentæ maries (quod ſi Babylone aut Suſis cœnam faciant, dimidium vinum de palmis præbet, dimidium de vitibus) Lignorum ducēti currus. Fluentis mellis centum palathæ quadrangulæ, quæ circiter decem minas capiebant. Cum in Media, hæc præſtat: Semen cnici ad tres artabas. Crocum, duas minas exæquantem pondere. Hęc in cœnam & prandium. Conſumit autem largiendo triticeę farinę purę quingentas artabas. Hordeaceę farinę purę mille artabas, aliarúmque mille artabas. Siliginis quingentas artabas. Chondri ex farre quingentas marias. Hordeum pro iumentis vicies mille artabas. Palearum decies mille currus. Feſtucarum quinquies mille currus. Olei ſiſamini ducentas marias. Naſturcij conciſi tenuis, artabas triginta. Hæc omnia diſpertit copiis, quę ſunt enumerata. Rex autem cum prandio cœnáque, & iis quę inſumit largiendo, tantum impendit quotidie in hunc cœnę apparatum. Reliqui Macedones hæc legentes, tanquam beatum admirabantur. Alexander verò, tanquam infœlicem & miſerum deridebat; atque multis negociis impeditum. Itaque columnam etiam, in qua hęc ſcripta extabant, conuellere iuſſit, dicēs ad amicos: Nequaquam vtile eſſe regibus, tam intemperanter & prodige cœnare diſcere. Neceſſe enim eſſe, vt magnum luxum ac prodigalitatem, eximia timiditas atque mollities conſequatur. Videtis autē, eos qui tantis cœnis impleri ſolēt, in pugnis etiam celeriter hoſtibus victoriam dare. Polyęn.lib.4.

STRATON Sidonius dicitur omnes homines luxu & munificentia ſuperare ſtuduiſſe, & Theopompus Chius comparat eius vitam Phęacum comeſſationibus, quas Homerus pro ſuo ſingulari ingenio & conſuetudine taxauit. Huic pręſto erant cœnanti, multę mulieres muſices peritę, fiſtulicines, lupę decora facie, & ſaltatrices. Egregiè certabat cum Nicocle Cyprio, de nulla re honeſta ſeriáque, ſed de cupedijs. Nam cùm audiret vterque ab iis qui adueniebant de alterius rebus, vterque alterum cum quadam ęmulatione ſuperare conabatur. Veruntamen neuter potuit his in perpetuum indulgere. Nam vterque violenta morte de medio ſublatus eſt. Ælian.lib.7.de Var.hiſt.

DEMETRIVS Poliorcetes, cū obſidione cæpiſſet vrbes, abuſus ſua luxuria, talenta mille & ducenta ſingulis annis ab iis exegit: atque huius ſummę minimam partem in exercitum inſumebat, reliqua in libidinem luxuriámque conferebat omnia. Vnguentis tum ipſe, tum pauimentum eius diffluebat: & ſingulis anni partibus flores recentes ei ſubſternebantur, vt in ipſis veſtigia poneret. Erat etiam immodicus erga mulieres, & adoleſcētium amores aucupabatur. Maximam ſuiipſius curam gerebat in venuſtate conſeruanda, comparandáque. Nam & capillos decorè pectendo diſponebat, & rufos faciebat, faciémque inungebat: itémque aliis vnguentis vtens, ſummum ſtudium ſuę inertię impendebat. Ælian.lib.9. de Var.hiſt.

Stratonicus muſicus clariſſimus, Rhodios quum videret deliciis diſſolutos, & calido potu vtentes, appellauit albos Cyrenęos: & ciuitatem illorum appellauit procorum ciuitatem, quòd colore quidem differrent à Cyrenęis qui nigri ſunt, luxu & voluptatum ſtudio ipſis ſimiles. Athenęus.

Diogenes cum in Maronia potaret cum quibuſdam, dicebat ſe poſſe ſcire ad quem locum ſpectaret ciuitatis, ſi tecta facie ipſum ducerent. Quum duxiſſent, rogaſſéntque quò ſpectaret? Ad cauponam, inquit. Sētiens, totam ciuitatem nihil aliud eſſe quàm cauponam. Itaque quocūque verteretur tectis oculis, ſciebat ſe ſpectare cauponam. Maronia porrò Ciconum ciuitas eſt, negociationi dedita. Eraſ.lib.6.Apoph.

AGRIGENTINORVM tantus fuit in omni re luxus, vt Plato diceret, eos ędificare, ac ſi victuri perpetuò forent: ita demum conuiuari, velut ſemper morituri. Vtebantur lecythis & xiſtris argenteis, habebant & lecticas totas ex ebore.

IONAS vnguenti coronarúmque in conuiuia dandarum, & ſecundæ menſę ponendę conſuetudinem primò reperiſſe, teſtatur Val.Max.lib.2. cap.1.de Inſtit.antiq.

Ariſtoxenus Cyrenęus adeò delicatus fuiſſe dicitur, vt veſperi lactucas mulſo irrigaret, vt luxurioſius ſuberleſcerent, & ſaporis eſſent pręſtantioris. Suidas.

SYBARITARVM luxum, qui in conuiuia equos introducebāt, quaque ratione à Crotoniatibus victi fuerint, vide ſupra inter Stratagemata, ſubtit. Equos hoſtibus adimere, vel inutiles reddere.

SMINDYRIDAM Sybaritam vſque adeò gulę deditum fuiſſe perhibent, vt cum procus ambiret Agariſtiam Cliſthenis filiam, Sicyonem proficiſceretur, & mille coquos, totidémque aucupes, atque mille piſcatores adduceret. Ælian.lib.12.de Var.hiſt.

PTOLEMÆVS rex, olim mille cōuiuas totidem aureis poculis ſaginaſſe fertur, immutans vaſa cum ferculis.

ROMÆ adeò luxus excreuerat affluentibus diuitiarum copiis, vt obſonia lautiora, maioréſque epularum ſumptus, & magnas effuſiones edicto coercere, & luxurioſos adparatus pluribus legibus inhibere neceſſe fuerit. Hinc enim Fannia, Orchia, Didia, Oppia, Cornelia, Ancia & Iulia leges, ad cohibendam luxuriam victus, veſtitus & cœnarum immodicos ſumptus latę ſunt, hinc Cenſorum edictis vulua, verrina, abdomina, & glires epulis & conuiuiis inhibita. Alex.ab Alex.lib.3.cap.11. ex Macrob. Saturn.

Seruilius Rullus primus apud Romanos fuit, qui ob luxuriam totos apros vna menſa apponeret. Alex.ab Alex.lib.5.cap.21.

C. SERGIVS Orata, ne gulam Neptuni arbitrio ſubiectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit, ęſtuariis intercipiendo fluctus, piſcíumque diuerſos greges ſeparatis molibus includendo, vt nulla tam ſæua tempeſtas incideret, qua non Oratę menſæ varietate piſciculorum abundarent. Ædificiis etiam ſpacioſis & excelſis, deſerta ad id tempus ora Lucrini lacus preſſit, quo recentiore vſu conchyliorum frue-

retur. Vbi, dum ſe publicæ aquæ cupidius immergit, Conſidij publicani iudicium nactus eſt: in quo Lucius Craſſus aduerſus illum cauſam agens, errare amicum ſuum Conſidium dixit, quòd putaret Oratam remotum à lacu, cariturum oſtreis. nanque ea, ſi inde petere non licuiſſet, in tegulis reperturum. Val.Max.lib.9.cap.1.

Huic nimirum magis Æſopus tragœdus in adoptionem dare FILIVM ſuum, quàm bonorum ſuorum hæredem relinquere debuit, non ſolùm perditæ, ſed etiam furioſæ luxuriæ iuuenem: quem cantu commendabiles auiculas immanibus emptas preciis, in cœna pro ficedulis ponere, acetóque liquatos magnæ ſummæ vniones potionibus aſpergere ſolitum: ampliſſimum patrimonium tanquam amaram aliquam ſarcinam quàm celerrimè abiicere cupiētem, quorum alterius ſenis, alterius adoleſcentis ſectam ſecuti, longius manum porrexerunt. neque enim vllum finitur vitium ibi, vbi oritur. Inde ab Oceani littoribus attracti piſces, inde fuſæ culinis arcæ, cenſibúſque edendi atque bibendi voluptas reperta eſt. Idem.

METELLVM Pium Salluſtius in ſua hiſtoria reprehendit, quòd præter eius & populi Rom. dignitatem & modeſtiam conuiuiis in Hiſpania indulgeret, omníque luxu vteretur, à patre ſuo Metello Numidico apertè degenerans. Val.Max.lib.9.cap.1.

Poſt ingentes victorias in Oriente partas, Romam reuerſus L. LVCVLLVS, luxurię atque deliciarum inuentor ac parens habitus eſt. Nam quocunque in loco eum voluptas cæpiſſet, nunc in mari, depulſis vndis, immenſa palatia ædificabat: nunc montibus ædificando occupatis, aquas ſuperinducebat, vt in his cum natura contendere videretur: nulláque eum impēſæ magnitudo deterreret, quo minus perageret, quæ omnino fieri non poſſe viderentur. Itaque haud iniuria togatus Xerxes à Romanis appellatus fuit. Piſcium quoque atque oſtrearum viuaria aluit, marinis atque dulcibus aquis diuiſa. Inſuper auiaria tanta, vt omnibus temporibus auium, ſicut piſcium oſtreariúmque copia ingens ſuppeteret. Ante alia etiam immodicus eius luxus tum præcipuè apparuit, cùm inuento in foro, Magnus Pompeius Ciceróque vltrò dixiſſent: Se cum eo cœnaturos ea conditione, ne quid domi mandaret. ab eis enim is vnum duntaxat exegit, vt miniſtris locum ipſum declararet, vbi ea die cœnaturus eſſet. In Apolline igitur (ita enim conclaui nomen erat) parari cœnam iuſſit. Ad quem locum cùm veniſſent Pompeius ac Cicero, tam magnificè, tantíſque deliciis paratam inuenerunt cœnam, vt eam etiam opulentiſſimi regis fortunam excedere videretur. Quam rem Pompeius Ciceróque mirati, cùm cauſam tanti apparatus quærerent, vnius duntaxat triclinij, in quo cœnandum erat ſignificatione facta? Reſpondit Lucullus: Omnibus tricliniis apud ſe conuiuiorum taxatam eſſe impenſam: & propterea cùm architriclinis ſuis locum, vbi cœnandum eſſet, declaraſſet, ſatis ſemper cœnæ notum eſſe apparatum. Cùm igitur ſemel architriclinum increpitaret, quòd parum lautè cœnam apparaſſet: & is excuſaret, idcirco factum fuiſſe, quia hoſpes nullus inuitatus eſſet: reſpōdit Lucullus, Sciebas tamen, etſi hoſpes alius non erat, Lucullum hodie mecum cœnaturum. Hoc enim reſponſo ſignificauit, non pompæ tantū gratia eam à ſe fieri impenſam: verumetiam vt gulæ atque voluptati operam daret, per delicias abſumendis opibus, quas ingentes magno ſudore, neque ſine ſanguine Orientalibus bellis parauerat. Fulg.lib.9.cap.1.& Sab.lib.8.cap.7.

SPVRIVS Albinus, cùm contra Iugurtham magno cum exercitu profectus eſſet, luxuria totum exercitum perdidit, & à Iugurtha vinci fecit. Verùm cùm Metellus poſtea exercitum ad priſtinam frugalitatem reuocaſſet, mira fœlicitate contra hoſtes pugnauit. Plin.ca.62.de Viris illuſt. Front.lib.4.cap.1.Val.Max.lib.2.cap.de Militari diſcip. Alex.ab Alex.lib.1.cap.12.

SYLLA adeò in apparandis cœnis fuit ſuperfluus: vt vinum etiā quadragenarium exhiberet ſuis conuiuis. Quinetiam poſt finita fercula & exaturatum populum, magnam reliquiarum vim in flumen transfundi iuſſit. Pont.in prolog.de Conuiuiis, & Alex.lib.5.cap.21.

C. IVLIVS Cæſar in Ægypto conuiuiū multiplici ferculo protraxit cum Cleopatra ad primam lucem. Alex.lib.5.cap.21.

AVGVSTVS Cæſar: cœnam clandeſtinam magno ſumptu ſtudióque fecerat, qua ipſe quidem Apollinis habitu, cæteri conuiuæ ſingulorum deorum deartúmque geſtu diſcubuerant. Eius cœnæ inuidiam infamiámque cumulauit publica fames atque inopia, quæ illis diebus vrbem inuaſerat. Itaque præter apertas inimicorum exprobrationes, & effuſos in populum verſus ſine auctore famoſiſſimos, conclamatum eſt, omne frumentum Deos comediſſe. Item verè Cæſarem eſſe Apollinem, ſed tortorem: quo quidem cognomine Apollo quadam vrbis parte colebatur. Petrarcha.

CLEOPATRA, vltima Ægypti regina, cœnam parauit Antonio, in qua centies ſeſtertiūm, id eſt CCL millia aureorum vno ferculo ſecundæ mēſæ conſumpta ſunt. Vnde Sidonius Cleopatricas dapes vocat. Rauiſ.

P. OCTAVIVS atque Apicius piſcem Tiberio Cæſari dono datum, qui in piſcario foro venalis propoſitus erat, certatim aucto precio, eo perduxerunt, vt eum Publius quinque ſeſtertiis coemerit: neque enim puduit, in priuata fortuna viuentem ciuem, tam ingenti precio piſcem emere, quem Rōm. Imperator vendi iubebat: nimio gulæ ſtudio Publius honoris atque fortunæ ſuæ immemor factus. Fulg.lib.9.cap.1.

IVLIVS POMPONIVS ſecundus cœnam olim C. principi dediſſe dicitur, in qua vinum CLX annorum propinauit. teſte Plinio.

A. VITELLIVS Romanorum imperator, magnam diei noctiſque partem conſumere in comeſſationibus ſolebat: crebróque vomere omnia, vt ſolo tranſitu ciborum nutriretur. Cui quidem rei ipſe ſufficere poterat: quamuis cæteri qui cū eo cœnabant, omnes miſerè interirent. Precioſiſſima autem quæque intra fines Oceanī, vndique terra maríque cōquiſita, vſque adeo opiparè ſibi parari mandabat, vt omnes cupediæ, cibique eiuſdem generis ex eo etiam nunc Vitelliani nominentur. Eo autem tempore quo principatum tenuit (regnauit autem non annum integrum) conſumpſiſſe in cœnas aureorum nonagies cētena millia dicitur. Sumptuoſiſſima cœna, quanquam extemporanea fuit, ea quam Vitellio principi Frater fecit, in qua duo electorum piſcium, & ſeptem auiū precioſarum millia, præter alia exhibuit. Quam cœnam cùm ſuperare Vitellius vellet, in ſola vna patina, quæ tam latè patebat, vt Mineruæ clypeus appellaretur, ſcaurorum iecinora, item phaſianorum atq; pauonum cerebrum tantum, præterea phœnicopterorum linguas, & murenarum lactes, ab orientali plaga Atlanticóq; freto, triremibus eius rei gratia miſſis, aduectarum præbuit: tam longè, tantóque impendio palati, tam breuem atque pudendam voluptatē, & bonæ valetudini vehementer aduerſam quærens. Huic patinæ faciendæ fornax in campis ædificata erat. Ful.lib.9.cap.1.& Alex.lib.5.cap.21.ex Xiphilino & Suetonio.

CALIGVLA in cōuiuiis perſæpe precioſiſſimas gēmas aceto liquefactas ſorbillauit: præterea vna die centies ſeſtertio cœnauit, & ex auro panes & obſonia hoſpitibus ſuis appoſuit. Alex.lib.5.cap.21.ex Suetonio.

NERO effuſus in luxum & epulas, à medio die ad medias noctes inter vina & ſcorta accubaſſe fertur. Verſatilia cœnationum laquearia cōmentus fuit, vt cùm fercula admittebantur, alia facies cubiculi deſineret, alia ſuccederet. Alex.lib.5.cap.21.

L. VERVS, qui vnà cum M.Antonio imperauit, cùm ad Perſicum bellum proficiſceretur, conuiuium fecit, in quo conuiuæ omnes criſtallinis gemmatiſque iiſdem vaſis, aut murinis, quæ recentiores Alexandrina nuncupant, biberunt. Omnibus autem ferculis, pocula ſeruique mutabantur, qui miniſtrabant, quos omnes conuiuis donabat, cum argenteis curribus, quibus omnes ad domos ſuas deducerentur. Conuiuij autem illius impenſa circiter centum atque ſexaginta ſeſtertiorum numū millibus cōſtitit. Vt verò is fulgentiore capillo vteretur, auri limatura comā perfundebat. Fulg.lib.9.cap.1.

VARIVS Heliogabalus, cùm voluptatibus plenam ageret vitam, familiari cuidam, vt temperanter viueret conſulenti: Quid, inquit, dij boni melius, quàm vt ipſe mihi atque vxori hæres ſim meæ? Nunquam minus centum ſeſtertiis cœnauit, hoc eſt triginta argenti libris: nunquam tribus millibus cœnatus eſt. Sexcentorum ſtrutionum capita multis in cœnis exhibuit, vt conuiuæ cerebellis illorum veſcerentur. Ad mare cū diuerſaretur, piſcem nunquā edit: cùm à mari longius, omnia è mari. Quin etiam non cōuiuas modò, verùm ruſticos in cœnaculum intromiſſos luporum & murænarum lactibus pauit. Tenuit & hunc morem, vt quibuſdā in cœnis, ſolis faſianis veſceretur, ex eáque aui ſola dapes omnes cōcinnari: in aliis omnia ex eadem pecude, aut ex ſolis pomis, aut lacte: aliquando ex mellitis omnia: adeò totum ſe in hanc vnam rem cōuerterat. Pont.de Conuiuentia, poſt Prologum.

IDEM pro luxus affluentia paraſitos in ſecundis menſis nouo genere edulij ſaginaſſe dicitur, nam cereas dapes, aut lignea edulia, vel eburnea ſæpe fictilia aut marmorea exhibuit, cùm per ſingulos miſſus tantùm biberent, velut veſcerentur, & manus abluerent. Alexan.ab Alexan. libr. 5. cap.21.

IDEM XXII. fercula ingentium obſoniorum vna cœna admiſit: nunquā lotis linteaminibus vſus, ſed nouis & recentibus ſemper. Idem.

GETA, maxima prandia per ſingulas literas parari ſibi voluit: vt pullum, perdicem, pauonem, porcellum, piſcem & pernam, quæ vnis epulis apponerentur. Alex.ab Alex.lib.5.cap.21.

L. ÆLII Veri cœna, qua nulla hominum memoria fuit portentoſior, ſexagies centum millibus ſeſtertiis inſtructa eſt, ſi integra ſcriptorum fide ſunt hæc in literas miſſa: duodecim, qui cum eo accubuerunt, ſingulis abeuntibus congeſta dono ſunt vaſa, argentea, aurea, cryſtallina, & myrrhina. Tot enim generibus poculorum fuerant in cœna vſi. Sua cuiq; data eſt mula precioſiſſimè inſtrata, qua domum veheretur. Quærere, quibus epulis admoti ſint, qui ita donati abierint, potius eius eſt qui mauult monſtra diſcere, quam luxuriæ argumenta. Sab.lib.8.cap.7.

Famoſa fuit illa cœna centum conuiuis, recenti adhuc memoria, à priuato homine, cæterùm patricij ordinis, VENETIIS inſtructa, à prima hora noctis inita per omnia luxuriæ inſtrumenta, vſque ad ſolis ortum extenſa, variantibus per noctem dapibus, nouo ſemper concentu pręcinente: & vt cætera diſſimulentur (quæ tanta fuêre, vt neſcias maiori ne admirationi fuerit varietas, an nouus & ſumptuoſus apparatus) illud portento ſimilius fuit, quàm edulio, quòd ex gobiorum lactibus cētena fercula (tot enim conuiuæ accubuerunt) ſunt triclinio illata. Idem: & Egnat. lib.9.cap.1.

PETRVS Riarius Sauonenſis, cardinalis S.Sixi, ſub Sixto IIII. Heleonoræ Aragoniæ, cùm Ferrariam Herculi Eſtenſi duci nupta proficiſceretur, conuiuium Romæ fecit, quod propter ferculorum numerum, quæ precioſis atque delicatiſſimis cibis conſtabant, inter quæ ludi inſignes plurimis interuallis edebantur, horas ſeptem perdurauit: architriclinique in eo, atque miniſtri omnes, ſæpius, vt conuiuij magnitudini reſponderent, amictum pro ferculorum genere mutauêre: populóque ea ex cibis ſpargebantur, quæ de menſis auferri contingebat: quorum particularis commemoratio, longiora ſpacia quàm præſens patiatur locus, occuparet. Et ne quid deeſſet, in quo ordinis ſui ſeueritatem non contempſiſſe videretur, amicam Tireſiam, non palàm ſolum, ſed tanto etiam ſumptu alebat, quantus ex eo intelligi poteſt, quòd calceis margaritarum tegmento inſignibus vtebatur: temporis meliore parte inter ſcorta atque exoletos adoleſcentes conſumpta, carnibus toto anno, etiam

parte ea cui carnium vsum religio interdixit, vescebatur: arbitratus fortasse, ita facilius ad cœlestia perueniri regna posse, quàm per castitatem atque ieiunia, quibus is operam dabat, cuius ab initio habitum sumpsit, & sequi vitam vouit, & ante eum Apostoli vtebantur: quorũ in Cardinalatu factus postea successor, ita vt dictum est, eorum imitari debeat vitam. Fulgos. libro 9. cap. 1.

LVXVS IN MATERIA ALIMENTARIA CONseruanda.

PISCINARII. PISCIVM VIuaria.

Hæc quoque ad luxum circa apparatum conuiuiorum pertinent. Nisi non tam ventris quàm splendoris gratia à prodigis hominibus instituantur. Tunc enim ad prodigalitatem pertinent.

Ostrearum viuaria, primus omnium SERGIVS Orata inuenit, optimúmque saporem Lucrinis adiudicauit.

Licinius Muræna reliquorum piscium viuaria primus instituit.

LVCVLLVS ad piscium receptacula montem excidit iuxta Neapolim, maiore impendio, quàm villam ædificauerat, admisso mari.

Murenarum viuaria excogitauit C. HIRCIVS, qui cœnis triumphalibus dictatoris Cæsaris sex millia murenarum mutua appendit, & dedit in pondus.

VEDIVS Pollio, quum piscinas magno studio coleret, solebat seruos suos occidere, eósque piscibus vorandos præbere, vt hominum cruore pasti delicatiores essent.

Curauit & piscinas HORTENSIVS orator: murenámque adeo dilexit, vt mortuam multos dies atratus fleuerit. Cochlearum viuaria primus instituit. Fuluius Hirpinus.

AVIVM VIVARIA.

QVADRVPEDVM VIVARIA, ET venationes.

BARNABAS Vicecomes Mediolani princeps, diuiserat per pagos venationibus opportunos multa millia venaticorum canum, grauissimo incolarum sumptu alenda, curandáque: seuero etiam supplicio illis irrogato, qui vel strigosiores vel obæsiores, vel impexis villis malè curatos produxissent. Iouius in eius vita.

LVXVS IN CVLTV, FVCO'QVE CORPORIS.

CÆVS quidam ætate prouectus, venit Lacædæmonem: & cum aliás turgeret superbia, propter senectutem reuerenter habebatur, proinde canos occulere conabatur tinctura. Itaque cùm in conspectum Lacedæmoniorum prodiisset, ostenso tali capite, exposuit quorum gratia venerat. Consurgẽs itaque Archidamus rex Lacedæmoniorum: Quid, inquit, hic sani diceret, cuius non solùm animus, verumetiam caput fucis contaminatum est? Ælian. lib. 7. de Var. hist.

Diogenes CVIDAM habenti capillos vnguẽto delibutos: Caue, inquit, ne capitis suaueolentia, vitæ maleolentiam adducat. nam Græcarũ vocum iucundam affinitatem vtcunque reddere studuimus, εὐωδίαν & δυσωδίαν. Vnguentum enim in viro arguit vitæ mollicięm. Fama porrò velut odor est hominis. Simile quiddam dixit Martialis: Neuole, non bene olet qui bene semper olet. Laertius lib. 6. & Stobęus.

DEMETRIVS Poliorcetes capillos decorè pectinendo disponebat, rufos faciebat, faciem vngebat & vniuersum corpus. Ælian. lib. 9. de Varia historia.

BATILLI populi vnguentis madent, autore Plinio: vt Cyprij, Cyzizeni, Corinthij, & Parthi.

C. SERGIVS Orata pensilia balnea primus facere instituit, quæ impensa leuibus initiis cœpta, ad suspensa calidæ aquæ tantùm non æquora penetrauit. Val. lib. 9. cap. 1.

C. CALIGVLA omnium prodigorum ingenia superauit: qui cùm nesciret quónam voluptatis genere animum explere posset, nouum balnearum vsum excogitauit: & cum calidis frigidísque vnguẽtis lauaretur, preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorbillauit, conuiuis etiam ex auro panes atque cibos apposuit. Pont. cap. 1. de Conuiuentia.

Neronis vxor POPPEA Sabina, deliciis atque prodigalitate non minus quàm vir, infamis fuit: quæ quocunque tenderet, secum ingentes asinarum greges trahebat, vt earum lacte lauaretur: equósque quibus vtebatur, auro calceabat. Fulgos. lib. 9. cap. 1.

Ælius Adrianus vt noua specie vteretur, primus inter Romanos Cæsares Barbarorum regum more Barbam nutriuit, vt ita ab aliis qui ante cum fuerant differre videretur. Fulgos. lib. 3. cap. 6.

GALIENVS, & ante eum COMMODVS Imp. comas prolixas scobe auri aspergebant. Fulg. lib. 9. cap. 1.

LVXVS IN VESTIBVS. VESTITVS INSOLENS, ET IMMVTATVS.

BACCHI mollicięm Seneca in Hercule furente his exprimit verbis: Non erubescit Bacchus effusos tener Sparsisse crines, nec manu molli leuem Vibrasse thyrsum, quum parum forti gradu Auro decor syrma Barbaricum trahit.

Veteres ATHENIENSES, pupureas vestes induere soliti sunt, & variis amiciri tunicis. Corymbis implicarunt capillos, & os aureis cicadis, aliísque ornamentis ex auro appositiciis circumdãtes, in publicum processerunt. Quocunque ibant, sequebantur pueri cum sellis claudicantibus, ne temerè in quouis loco sedere cogerentur. Manifestum est autem, mensam etiam & alias uitæ rationes ipsis fuisse delicatiores. Et eiusmodi cùm essent, tamen è prælio Marathonensi victores discesserunt. Ælian. lib. 4. de Var. hist.

LYDI non contenti natiuo lanæ candore, eam primi omnium infecerunt: tanquam, si id vtilius fuisset, aut magis necessarium, natura omnium parẽs non potuerit in re tam parua humano generi gratificari, aut (quod si altum sit credere) noluerit. Sab. lib. 8. cap. 7.

TYRII magis detestabiles, qui hanc Lydorum insaniam studiosius tractarunt. Detestabilior & Asia, quæ aurum prima intexuit: Babylon, quę vestem variis coloribus acu distinxit: Ethruria, quæ purpuram vestibus prætexuit. Idem.

Alexander Macedo superatis Persis abiecta Macedonica modestia, vestem patriam Persicis ornamentis mutauit. Quare Macedonum animos à se auertit, quibus non Macedonum arma à Persis, sed Persarum deliciæ de Alexandro triumphare videbantur. Fulg. lib. 3. cap. 6.

ARISTAGORAS quidam Milesius, quum in concionem prodiisset, insolita apud Lacedæmonios vestitus mollicie, quidam ex Ephoris hoc eum dicto submonuit: Domi Milesia. Rauis.

SARDANAPALVS vltimus Assyriorum rex, luxuriosissimus, & muliere corruptior, cùm muliebri habitu inter mulieres versaretur, à coniuratis interfectus est. Orosius lib. 1. cap. 19.

ANTIOCHVS Syriæ rex luxuriosissimus fuit. Eius cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit: argenteáque vasa ad vsum culinæ comparauit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Auaro potius hosti præda optabilis, quàm vlla ad vincendum strenuo mora. Val. Max. lib. 9. cap. 1.

Plurimas MVLIERES luxu & luxuria diffluxisse testatur Ælianus, quæ corollam sublimem capiti imponebant, pedes verò sandaliis induebant, ex auribus longas mauras dependentes habebant. Tunicarum verò eam partem quę est ab humeris vsque ad manus, non consuebant, sed cõtinuis fibulis aureis & argenteis cõstringebant. Ælia. de Var. hist. li. 1.

Quum Diogenes vidisset generosum quendam ADOLESCENTEM muliebriter vestitum: Nõ te pudet, inquit, qui peius tibi velis, quàm ipsa natura voluit: Illa siquidem te virum esse voluit: tu verò te ipsum ex vestitu mulierem facis. Laert. lib. 6.

Idem cùm videret Aolescentem quempiam sese ornantem: Si ad viros, inquit, frùstra: si ad fœminas, iniustè. Hoc dictum festiuius est Græcis, ob vocum affinitatem, ἀτυχεῖς & ἀδικεῖς. Nam frustra se mas parat masculo, inter quos non potest esse coniugium: & iniquè facit adolescens, si cultura formæ insidiatur infirmo sexui, cum vxor non lenocinio, sed honestis moribus concilianda sit. Ibidem.

Idem DIVITEM quendam indoctum, sed splendidè vestitum χρυσόμηλον appellabat: hoc est, ouem aureo vellere. Nam tales fuisse proditum est à poetis, qui minimum valerent ingenio: ouillis moribus, etiam prouerbio dicebantur. Laert.

Cum Adolescens quidam comptior Diogeni proposuisset quæstiunculam: Non tibi prius, inquit, responsurus sum, quàm sublatis vestibus ostenderis, vtrum masculus sis, an fœmina. Ex cultu parum virili, notauit illius mollicięm. Laert. lib. 6.

TERIBAZVS in venatu Persicam vestem dilaceratam ostendit, consulens quid faciendum esset. respondente autem Artaxerxe rege, aliã induendam: Tuam igitur, inquit, mihi tradas oportet. Rex suam tradidit, dicens: Dono do tibi hanc vestem, sed gestare prohibeo. Teribazus vir minimè quidem malus, sed leuis præcipitísque consilij neglecta regis monitione, vestem induit, muliebribus etiam ex auro donis quæ à rege acceperat exornatam. Hoc cæteris omnibus indignè ferentibus (nam id facere nefas erat) rex effusè ridens: Tibi inquit, vt mulieri aurum, vt insano regium amictum gestãdi ius potestatemq; concedimus. Eras. li. 6. Apoph.

Iulia Augusti Cæsaris filia, licentiori quàm par erat vestitu ædes paternas ingressa, cum parentem grauiter offendisset: postero die mutato vestitu, iterum Augustum salutauit. quã vbi vidisset, ait: Quãto probabilior est hic cultus, tam honestus, in filia Augusti? Cui respondit: Hodie me patentis, heri verò mariti mei ornaui oculis. Macrob. lib. 2. cap. 5. Satur.

Vrbi Romanæ secundi belli Punici finis, & Philippus rex Macedoniæ deuictus, licentioris vitę fiduciam dedit. Eo tempore MATRONÆ Brutorum domum ausæ sunt obsidere, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quam fœminę tolli cupiebant: quia his nec veste varij coloris vti, nec auri plus semiuncia habere, nec iuncto vehiculo propius vrbem mille passibus, nisi sacrificij gratia, vehi permittebat. Et quidem obtinuerunt, vt ius per continuos viginti annos seruatum aboleretur. nec enim prouiderunt seculi illius viri, ad quem cultum tenderet insoliti cœtus pertinax studium, aut quò se vsque effusura esset legum victrix audacia. Quòd si animo mulieres apparatus intueri potuissent, quibus quotidie aliquid nouitatis sumptuosius adiectum est, in ipso introitu ruenti luxuriæ obstitissent. Valer. libro nono, capite primo.

MECOENAS vnus ex Hetruriæ regibus (quem Horatius & Propertius ad sidera vsque attollunt) deliciosus non solùm cultu & moribus, verùm etiam stylo dicendi fuisse commemoratur: quare Augustus eum Malacinum vocabat, exagitabátque frequenter, teste Tranquillo, vt Cacozelum & μυροβρεχέα, id est vnguento madidum. Volat. lib. 17. Anthrop.

M. ANTONIVS triumuir, post partas ingentes victorias, summámque dignitatem, ardente terrarum orbe, ciuili bello Athenis Grȩca veste vtebatur, ociosúsque deambulabat: deinde ea leuitate motus, quæ ei à natura erat insita, præter omnem Romanum morem, & ipse & filij quos ex Cleopatra genuerat, in aureo throno sederunt: & quia stirps eius ab Hercule dicebatur manasse, super arma leonis pellem induit. Fulg. libr. 3. cap. 6.

SEX. POMPEIVS, magni Pompeij filius, nauali bello potitus victoria aduersus Octauium, magis ventis quàm alia re adiutus, paludamẽto cærulæo vsus est. Marini enim & cœlestis coloris esse fertur, cùm gestare purpureum Romanus mos esset. Idem.

Q. HORTENSIVS orator post Ciceronem summus, vir alioqui ex professo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem, fuit vestitu ad mundiciem curioso. Et vt bene amictus iret, faciem in speculo quærebat: vbi se intuens, togam corpori sic applicabat, vt rugas nõ fortè, sed industria locatas artifex nodus astringeret: & sinus ex composito defluẽs modum lateris ambiret. Is quondam cùm incideret elaboratus ad speciem, collegę de iniuriis diem dixit, quòd sibi in angustiis obuius, offensu fortuito structuram togæ destruxerat: & capitale putauit, quòd in humero suo locum ruga mutasset. Macrobius li. 3. Satur. ca. 13. L. Torquatus eum Dionysiæ saltatriculæ nomine appellabat. Gellius.

CAIVM Cæsarem Augustum legimus perrarò humanis vestimentis indutum fuisse, quippe qui luxurians vestitu sępenumero conspectus fuit deorum habitu, nunc aurea barba, nunc Veneris habitu. Suetonius in eius vita, & Pont. lib. de Splendore, cap. 5.

NERO nullam vestem bis induit.

ATTIDIVS Melior, Domitiani temporibus, tantæ fuit mollicięi, vt Nitidus appellari meruerit. Vnde Statius:

Stat quæ perspicuas nitidi Melioris opacet
Arbor aquas,---

HELIOGABALVS gemmas ab optimis sculptas artificibus in calceamentis ferebat, quæ nunquam iterabat. Preciosas vestes sæpe conscidit. Rauis.

C. AVREL. Val. Diocletianus, cùm pacatis in Oriente rebus imperij fines protulisset, impulsus victoriarum successu, qui plerunque insolentiam parere solet, primus inter Augustos post ignauum atque eundem vanissimum Caligulam, veste atque calceamento gemmato vti cœpit: atque ante alios instituit, vt Romani eius pedes deoscularentur. Fulgos. lib. 3. cap. 6.

GRATIANVS Augustus parta ingenti victoria in Gallia aduersus Germanos haud lõgè ab Argentuaria vrbe, cùm percharos haberet milites quosdã Alani generis, armísque Alano more vteretur, magna Romanarum legionum indignatione, equo & amictu, vt cæteri Alani, cœpit vti. Quare Maximo, qui ab eo rebellârat, de se faciliorem victoriam fecit. Idem cap. 4.

ZENOBIA Palmyrensium regina, cùm desertum in oriente imperiũ Galieni Augusti ignauia ipsa tueretur, sumpto à virtute præclaris facinoribus suis animo, quoties alloqui exercitum volebat, armata virilem induebat vestem, atque more, quo cæteri Cæsares atque Augusti Romani, se ostendebat. Quinetiam vt vestem imperatoriam, ita etiam nomen vsurpabat. Idem cap. 6.

CAROLVS Caluus Gallorum rex, posteaquam regno imperatoris nomen addidit, deposito amictu, quo cæteri Gallorum Augusti ante eũ vsi erant, Græca veste, perpetuóque diademate ornatus incessit, capite orientalium regum more inuoluto. Fulg. lib. 3.

LVXVS IN LECTIS ET STRATO.

PERSÆ, cùm neglecta auita parsimonia & frugalitate, voluptatibus incumbere inciperent, in tantam luxuriam prolapsi sunt, vt lectos auro fulgẽtes, & gemmis ornatos instruxerint. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

SMINDYRIDES Sybarita quodam tempore in rosarum foliis recumbens, somnúmque in iis carpens, expergefactus dixit: Se tubera ex nimia lecti duricie inflicta habere. Ælian. de Var. hist. lib. 9.

CARBILIVS Pollio primus instituit testudinum putamina secare in laminas, lectósque & repositoria his vestire. Fiebant autem antiquitùs ex testudine, lecti preciosi, & ad luxuriam procliues: quod Plinius, Iuuenalis, Martialis & cæteri prodidère. Cuius rei iureconsulti quoque meminerunt his verbis: Nunc ex ebore, aut testudine, aut argento, iam ex auro etiam atque gemmis suppellectili vtuntur. Plinius verò portẽtosa ingenia appellat, quæ materiam in mari quæsiuère ad lectos, testudinẽ que in hoc secuère. Fenestella dicit, Tiberij Cæsaris principatu testudineos lectos in vsum venisse. Guido Bitur.

Deliciis præter modum ÆLIVS Verus deditus fuit, is quem Adrianus adoptauit, ac Cæsarem creauit: lectos rosis violisque sternebat: fortasse arbitratus Fabricios, Scipiones, Brutos, Publicolas, Cincinnatos, atque alios priscos, quorum sudore sanguinéque partum fuit imperium, ita lectos, cùm bella gererent, habuisse. Ful. lib. 9. cap. 1.

GALIENVS Imp. ignauissimus, post multam crapulam cubitum se conferens, aureis linteaminibus lectum suum sternere permisit. Alex. li. 5. cap. 21. Gemmatas quoque caligas habebat, Caligulam imitatus.

IN POSSESSIONIBVS COMPARANDIS, VEL *domibus exornandis.*

CN. DOMITIVS Lucio Crasso collegæ suo altercatione orta obiecit, quòd colũnas Hymettias in porticu domus haberet. Quẽ cũ continuò Crassus, quãti ipse domũ suã æstimaret, atque interrogaret vt respõdit, Sexagenes sestertiûm: Quo ergo eam (inquit) minoris fore æstimas, si decem arbuscula inde succidero? Ipse tricies sestertiûm, inquit Domitius. Tunc Crassus: Vter igitur luxuriosior est? egóne, qui decem columnas centum millibus numûm emi? an tu, qui decem arbusculorum vmbram tricies sestertiûm summa compensas? Val. lib. 9. cap. 1.

C. IVLIVM Cæsarem toreumata signa, tabulásque antiquissimas magna cura comparasse legimus, vt ædes suas splendidas redderet. Pontã. ca 3. de Splendor.

NERONIS domus non modò auro ornata, sed gemmis atque vnionum conchis distincta fuit: cuius cœnacula tabulis eburneis, iisque versatilibus laqueata fuerunt, vt flores per fistulas spargi, & vnguenta desuper defluere possent: gemmas ac margaritas, nedum aurum atque argẽtum, ludis Circensibus in populo sparsit. Pontan. cap. 1. de Splendore.

ALFONSVS rex, regiam in qua habitabat, & templum vbi sacra faciebat, & multorum legatorum domos mirificè ornabat, & quidem vario ornamentorum genere: nihilominus tanquam parum abundaret, Galliam vlteriorem aulæis, Syriam gemmis penè spoliauit, ingentibus preciis propositis. Quinetiam artifices ac mercatores corrupit, ne quid præter cętera insigne, nisi sibi soli, venderent. Pont. cap. 4. de Splendore.

Plato philosophorum summus, videns Agrigentinos magnis impensis multa ædificia extruentes, dixisse fertur: Agrigentini quasi semper victuri ædificant, & comedunt quasi semper morituri. Notauit autem vanam illam ædificiorum condendorum magnificentiam, cum homo fragile & caducum animal, facilè tugurium habere possit, in quo ad paucos annos, quibus in hoc mundo quasi in alieno solo obambulat, à tempestatis intemperie se defendat. Ælian. li. 12. de Var. hist.

LVXVS IN SVPELLECTILE RELIQVA, PRÆter *vestes & lectos.*

ALCIBIADES Atheniensis, purpureis in prætoria naui vsus est velis: tanquam concharum sanies, quia marinæ sunt, magis ad naualem expediret cursum, quàm candens linum. Sab. lib. 8. cap. 7.

CILICES piratæ, cùm omne internũ mare latrocinio insedissent, purpureis sunt velis vsi, auratis rudẽtibus, remis argẽto præditis. Sab. lib. 8. ca. 7.

MITHRIDATES Ponti rex, cùm per totam suam ætatẽ splendorem excoluisset, moriẽs ad duo millia poculorum ex onychite lapide, auro politorum, phialas permultas, & mira varietate vascula, & alia splendorem multum præ se ferentia post se reliquit. Pont. ca. 3. de Splendore.

Pro miraculo abiit in aures & ora hominum (neque enim modicæ ciuilis ve supellectilis fuit) quòd cum L. LVCVLLVS prætor Romæ in ludorum apparatu ab eodem vestes petiisset, ad scenam instruendam, ducentas detulit, atque omnes purpureas. Per hæc ille consecutus est, vt inter rara luxuriæ exempla tempestatis illius censeretur. Notum est illud in ore Quiritum celebre: Loquitur vt Cato, viuit vt Lucullus. Sab. lib. 8. cap. 7. & Pont. ca. 4. de Splendore.

C. MARIVS post Iugurthinum, Cimbricumque & Theutonicum triumphum, cãtharo semper potauit: quòd Liber pater inclytum ex Asia deducẽs triumphum, hoc vsus poculi genere ferebatur, vt inter ipsum haustũ vini, victoriæ eius suas victorias compararet. Val. Max. lib. 3. cap. 8.

GARBILIVS Pollio citreas mensas, quæ elephantinis pedibus sustẽtarentur, primus instituit. Alex.lib.5.cap.21.

CAIVS, qui Tiberio Augusto in imperio successit, liburnicarum nauium gemmatis puppibus, ac diuersicoloribus velis vsus est suis in nauigationibus: in quibus etiam thermas, porticus & triclinia magna largitate statuit, vitibus etiã ac pomiferis arbusculis dispositis, quarum vmbra de die tectus, inter choros & cantus littora Campaniæ comessabundus discurrit. Pont.cap.3.de Magnificentia.

NERO Augustus piscatus est rete aureo, purpura & cocco funibus nexis. vsus est & soleis mularum argenteis.

HELIOGABALVS aureo vase stercora vẽtris excipiebat: mingebat in myrrhinis & onychinis. Mensas argenteas primus instituit. Alex.lib.5. capite vigesimoprimo.

BASSAM fœminam Martialis lib.1.notat, quòd excrementa corporis aureo exciperet vase, vbi ait:

Ventris onus misero (nec te pudet) excipis auro,
Bassa, bibis vitro, carius ergo cacas.

ANTONIVS Sopus in contumeliam naturæ, vilitatem auro fecit. Rauis.

ALFONSVS rex cados & dolia & situlas ex argento habuit, crateres etiã ex auro, toralia & mappas è tela conquisitissima: cuius mensis nil fuit splendidius. Pontan.cap.2.de Splendore.

Philippum Mariam, ducem Mediolanensium, quodam in conuiuio statuisse legimus, ne argenteis quadris, sed ligneis, tamen nouis, carnes in mensa continuis apponerentur: ipsas autem quadras, alias post alias statim mutari, mutatásque abiici iussisse, eáque ratione grandem quandã summam effudisse. Itaque non lignea quadra, vili comparata: sed effusio ipsa, tantúsque numerus, reddere eum splendentem potuit. Idem.

PETRVS Riarius Sauonensis, ordinis Minorum fratrum, quem Sixtus quartus pontifex ad Cardinalatum titulo S.Sixti extulit, inter domesticos aureis vestibus vtebatur: neque lectos aureis stragulis integere satis habuit, sed lectorum etiam ipsorum culcitras & sericeis & aureis pannis confecit. argenteis quoque vasis onus ventris excepit. Fulg.lib.9.cap.1.

LVXVS IN COMITATV SERVORVM, EQVORVM, &c.

CYPRII reginas suas, mulierum corporibus velut gradibus constructis, quo mollius vestigia pedum ponerent, currus conscendere æquo animo sustinebant. Val.lib.9.cap.1.

ALEXANDER suos familiares & socios luxu & luxuria corrupit. Itaque Agnon (alij Agamencelum vocant) aureos clauos in crepidis gestare solebat. Cletus verò, siquando tractare causas vellet, purpureis vestibus induebatur, atque sic apparebat coram iis qui negocia sua proponerẽt. Perdiccam verò & Craterum deditos arti pugillandi, sequebãtur stadiales magnitudine diphtheræ, quibus amplissimum locum cõprehendebãt in castrametationibus, vt in eos se exercerent. Sequebatur etiã eos multus puluis per iumenta vectus, qui ad exercitiorum certamina pertinebat. Leonatum & Menelaum, venandi studio deditos, aulææ centum stadiorum sequebantur. Ipsi verò Alexandro tabernaculum erat centum mensarum, quinquaginta columnis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum tectum erat inauratum, & magnifica arte varietatéque concinnatum. Atque primi stabant circa ipsum interius Persæ, qui dicebantur Melophori, purpureas melinásque stolas induti. Post eos sagittarij mille, flammei atque hysginei coloris vestibus amicti. ante hos centum scutati Macedones, cum scutis argenteis. In mediis verò castris aurea sella ponebatur, in qua sedẽs Alexander causas solebat cognoscere, circumcingentibus vndequaque satellitibus, corporis. Ambibat autem castra circuitus, quem tenebant mille Macedones, & Persarum 10.millia, neque quisquam facile ad regem accedere audebat. Ælian.lib. 9.de Var. histor.& Polyæn. lib.4. cuius verba pete ex tit. Prudentia in authoritate conseruanda.

SPEVSIPPVS quum vehiculo ferretur in Academiam, obuium habuit Diogenem, cui cùm Salue dixisset: At tu, inquit, nequaquam salue: quia ciusmodi cum sis, non diu viuere cupis. Notauit autem molliciem hominis, quæ plerunque multorum morborum causa est, vt labor & exercitiũ sanitatis. Brusonius lib.4.cap.6.

IDEM mille semper habuit elephantos, deferentes eius aurum: quadringentas quadrigas oneratas, mille ducentas bigas, equitum trecenta millia: camelorum, mulorum & dromedariorum innumerabilem multitudinem, quę vel exercitui necessaria, vel annonam vehebant. Nec abre gloriari solebat, quòd à nemine beneficentia vinceretur. Eius tamen erat dictum, Malo doctrina quàm opulentiis excellere. Plutarchus.

PAPYRIVS Masso, cùm bene gesta Republica triumphum à Senatu nõ impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit: próque laurea corona, cùm alicui spectaculo interesset, myrtea vsus est. Val.lib.3.cap.6.

CAIVS Duillius, qui primus naualem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescunque epulaturus erat, ad funalem cereum præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reuerti solitus est, insignem bellicæ rei successum nocturna celebratione testando. Idem.

GN. DOMITIVS Ænobarbus deuictis Aruernis Allobrogibusque, quos hæc tempora Delphinenses & Sabaudientes appellant, noua atque inusitata facie elephanto vectus, inter legiones ceu triumphans per totã Italiam ad vrbem Romam profectus est. Fulgos.lib.3.cap.6.

Heliogabalus quaternos canes ad currum iunxit, eóque modo vectatus est. Idem iũctis quaternis ceruis in publicum processit. Sed & leones coniunxit, se Cybelem appellans. Iunxit & tygres, se Liberum patrẽ vocans. Iunxit etiam quaternas mulieres, nudúsque à nudis vectus est.

FIRMVS imperator vectus est ingentibus struthionibus, adeò vt magis volare quàm gestari videretur. Rauis.

Alexander Romanorũ Imperator, vt scribit Lampridius, sibi fecit argyroaspidas & chrysoaspidas milites, cum clypeis auratis & argentatis, Alexandrum Macedonem sequutus: quem tradunt militum scutis argẽteas lamias, equis verò frenos aureos addidisse: loricas demum quasdam auro, quasdam argento magnificenter donasse. Guido Bitur.

~~Cassianvs episcopus Alexandrinus, vir doctissimus & sanctissimus, ambitiosior tamen plus quàm deceret [illegible]~~

VITIVM IN DEFECTV.

Parsimoniæ opponitur Sordicies, non ea quæ in pauco ciborum vsu consistit (de qua suprà egimus) sed quæ in victus elegantia posita est, semper in apparatu ciborum, in vestitu & ornatu corporis, in supellectile, in comitatu & famulitio seruorum, equorũ, &c. siue auaricię stimulis vrgeatur, & sumptibus parcat, siue superstitione aliqua, nimiáve abstinentia inducatur. Huius itaque loci erunt exẽpla eorum, qui quamuis bono proposito, nimium à vitæ elegantia lapsi sunt. Itaque & ex Superstitionis & ex Auariciæ titulis quædam huic loco opportuna depromentur. Exempla eadem sunt vtrobique, diuerso tantum respectu considerata.

ANTISTHENES, quum salsamenta per forum gestaret, quibusdam admirantibus, quòd philosophus officio tam sordido fungeretur, idque in publico, ac non potius seruo id delegasset: Quid, inquit, admiramini? hæc mihi porto, non aliis. Sentiens, nullum esse sordidum obsequium, quod sibi quis impenderet. Deinde non esse indecorũ, eum portare salsamenta, qui salsamentis vesceretur. Laertius lib.6.cap.1.

Socrates quum videret Antisthenem, attritam partem vestis semper in conspectum protendere: Quin desinis, inquit, arrogãtius superbiam tuã nobis prodere? Vidit philosophus sapientissimus, Antisthenem magis gloriari vestitu attritissimo, quo laudẽ quærebat, quàm alios qui holoserico, vel auro etiam aut argento vestiti in publicum prodire consueuerant, ab omni superbia alieni. Laert.

Diogenes quum vidisset Olympiã, & Rhodiacos quosdam adolescentes preciosis magnificísque vestibus amictos, cum risu inquit: Hoc nihil est præter fastum. Deinde cum incideret in Lacedæmonios laceris squalentibúsque tunicis amictos: Hæc, inquit, longè alia est superbia. Vidit autẽ philosophus, superbum animum non semper splendido & ornatissimo vestitu elucere, sed in sordibus etiam: dum homines opulentissimi sæpenumero vilissimo vestitu incedentes, hominum ex eo laudem superbientes venentur. Ælian.lib.9.de Var.hist.

Diogenes Cynicus, cùm Aristippi luxum euitare vellet, in oppositam sorditiem delapsus est. Calcabat ille Platonis luxum, cùm Plato conuiuas in pulchris tapetis discumbere fecisset: taxabat quoque Socratem, quòd ad nullum necessarium vsum comparasset domum, lecticam & crepidas, cùm canino more in dolio habitare posset. Inter luxum & elegantiam, canino præditus ingenio, distinguere nõ poterat. Ælian.li.4.de Var.hist.

SERGIVS GALBA, qui Neroni successit, plurimùm abstinentiæ deditus fuisse dicitur, adeò quidem, vt apud quosdam in auariciæ notam inciderit, cùm parcius suis vteretur. Pont.de Liberalitate.

LIBRI QVINTI FINIS.

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER SEXTVS.

DE LIBERALITATE.

DE voluptatibus corporis præcedenti Libro disputauimus, nunc ψυχικὰς aggredimur, quæ animum per se delectant, corpus non nisi per accidens. Tales sunt voluptates, quæ ex diuitiis, honoribus, & modo conuersandi cum hominibus percipiuntur. Cùm igitur obiectum voluptatis triplex sit, erit quoque mediocritatis triplex ratio: circa pecunias, circa honores, & circa modum conuersandi, quàm ὁμιλητικὴν ἀρετὴν vocat Arist. eiúsque quatuor species assignat. De mediocritate igitur circa diuitias (περὶ χρήματα, καὶ ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι οἷον μέτρῳ ἁπάντων μετρεῖται) in præsentia agemus, quam Arist. ex obiecti quantitate diuidit: & si circa magnam pecuniam versetur, μεγαλοπρέπειαν, siue Magnificentiam: si circa paruam aut mediocrem, ἐλευθεριότητα, hoc est liberalitatem vocari scribit, quòd scilicet verè libero homine digna sit, qui se non sibi tantùm, sed & aliis natum sciat, vel certè, quòd hominẽ à turpissima grauissimáque seruitute pecuniaria liberet: vt quemadmodum moderatio voluptatis corporeæ κατ᾽ ἐξοχὴν, Temperantiæ appellationem meruit, ita moderatio voluptatis pecuniariæ nomẽ Liberalitatis. Quòd si iam formalem rationem mediocritatis consideres, vtraque species subdiuidetur, quoniam vel in χρήσει (vnde χρήματα Græcis dicta sunt) vel in κτήσει (quæ κτήματα iisdem appellantur) consistit. χρῆσις tanto splendidior, quanto præclarius est εὖ ποιεῖν, quàm εὖ πάσχειν. τῆς ἀρετῆς γὰρ μᾶλλον τὸ εὖ ποιεῖν, ἢ τὸ εὖ πάσχειν· καὶ τὰ καλὰ πράττειν μᾶλλον, ἢ τὰ αἰσχρὰ μὴ πράττειν, inquit Philosophus in 4.Ethicorum. χρῆσις rursus ἐν δαπάνῃ καὶ ἐν δόσει spectatur, κτῆσις ἐν λήψει καὶ φυλακῇ. Latini quamuis propriis vocabulis destituuntur, videntur tamen Magnificentiæ appellatione τὴν ἐν τῇ δαπάνῃ μεγάλῃ μεσότητα expressisse, Munificentiam autem ad δόσιν retulisse: quarum tamen vtranque Græci vnico μεγαλοπρεπείας nomine complexi sunt, quæ in magnis sumptibus faciendis, magnísque muneribus dandis τὸ πρέπον obseruat. Cæterùm vt hæc omnia clarius innotescant, breui typo ea comprehendere visum est.



Ex hac

Ex hac igitur rudi, verùm distincta hypotyposi, quitis naturam & differentias Liberalitatis ac Magnificentiæ perspicere poterit: quòd scilicet in ea voluptate, quæ circa res pecuniarias consistit, moderanda versentur, quatenus voluptas illa ad habentem refertur. Nam si actiones pecuniarias spectes, quatenus ad alios referuntur, sic iam sub Iusticiam pertinent (vti etiam reliquæ uirtutes) & Beneficentię appellatione comprehenduntur. Beneficium enim id omne vocant Latini, quo alteri in quibuslibet bonis, animi, corporis, aut fortunæ, bene fit. Erit igitur Liberalitas veluti species quædam Beneficentiæ, hæc autem Iusticiæ Φιλανθρωπίας, eáque propter grauissimi authores Liberalitatem Iusticiæ speciem statuisse videntur: quoniam nemo liberalis esse possit, nisi ex merito & dignitate personæ cuiuslibet. id quod dignoscere, prudẽtis, obseruare, iusti hominis proprium existit. Latius igitur patet Beneficentiæ generalis appellatio, quàm Liberalitatis. Potest enim cum iusticia coniungi, præcedente merito aliquo, & Gratitudo dicitur: potest cum Calliditate & spe fœnerandi, quæ Fœneratio beneficij appellari meretur: potest denique cum Prodigalitate connectitiita vt pro varia connexione modò laudem, modò vituperium subeat. Eadem tamen si in specie sumatur pro eo beneficij genere, quo Liberalitas erga alios vtitur, angustius patet, quàm liberalitas: vtpote quæ ad χρῆσιν potius quàm ad κτῆσιν pertineat, & erga alios tantùm exerceatur (nemo enim erga seipsum beneficus esse propriè dicitur) cùm erga seipsum liberalis quis esse possit. Porrò μεγαλοπρέπεια à μεγαλοψυχία differt: quoniã vt illa circa pecunias, ita hæc circa honores magnos versatur. Differt ab vtraque μεγαλοφροσύνη, quoniam tanquam genus & μεγαλοψυχίαν & μεγαλοπρέπειαν comprehendere videtur: eáque propter ab Arist. nusquam fuit explicata, cùm certam virtutis speciem non constituat. His sic constitutis, ad titulorum enarrationem accedamus: postmodum exempla subiuncturi, in quibus quædam diligenter obseruanda erunt. Primum, sub iisdem titulis non Liberalitatis tantùm, verumetiam Magnificentiæ exempla comprehendi, cùm tantum materiæ quantitate differant. Alterum, Liberalitatis & Magnificentiæ appellatione non modò χρῆσιν, sed etiam κτῆσιν contineri, quamuis ad χρῆσιν propriè videantur pertinere. Tertium, Beneficentiam ad Liberalitatem referri, quatenus ex ipsis beneficiis (quæ pecunia circũscribi possunt) voluptatem liberalis percipit. Quatenus enim benefaciendo vel iusti, vel callidi veteratores, vel prodigi videntur esse, sic ad alios atque alios locos spectant. Quartum, Hospitalitatis quoque exempla hîc adduci, quatenus à liberalitate proueniunt. Est enim obseruatione dignum, quòd Hospitalitas pro vario respectu ad diuersos locos pertinere potest. Requirit enim vera hospitalitas in primis fidem, tanquam internum quid: deinde pro externa significatione partim liberalitatem in Δαπάνῃ simul atque δόσῃ, partim humanitatem in conuersando. Ratione fidei ad Iusticiam pertinet, at meritò sumptus ad Liberalitatem: respectu denique humanitatis in voce, vultu, gestu, ad virtutes ὁμιλητικὰς. Quintò & vltimò, ad Liberalitatem, ἐν κτήσει tota pertinet Oeconomia. Ipsa enim acquisitio vel custodia opum moderata, Liberalitatis propria existit: quandoquidem cupiditati nimiæ frenum imponit. Modus interim acquirendi, ad Prudentiam œconomicam pertinet, de qua Libro tertio egimus. Et hæc quidem monere voluimus, ne quis vel reprehenderet, vel miraretur, Titulos eosdem in varios locos à nobis fuisse deductos.

VITIA duo virtuti opponuntur: alterum in excessu, alterum in defectu. Germani in vocabulorum etymis nō minus felices, quā veteres, excessum quidē Geudigkeyt, defectū verò Geitigkeyt appellant: quoniā ex Cratylo Platonis media consonans Dcrassitiem & abundantiā, T verò litera tenuū defectū & inopiā exprimit. Vitiū igitur in

Excessu, *minus cum virtute pugnat, quam vitium in defectu. Hoc in parvis ἀστωΐα dicitur (nam qui hoc vitio laborat, ad extremum pereat necesse est) in magnis βαναυσία & ἀπειροκαλία. Latini generali nomine* PRODIGALITATEM *vocarunt, quæ in χρήσει potius quàm in κτήσει spectatur: cui vicissim* Auaricia *magis in κτήσει, quàm in χρήσει consistat. Prodigalitatis exempla afferemus in*

Genere: *Qui variis modis prodigi fuerunt.*

Cum *spe premij. Hæc non est vera* Prodigalitas, *sed potius* Auariciæ *species, quam* Fœnerationem beneficij *appellant:* Dare, *vt maiora accipias.*

Specie: *Qui mediocritatem excesserint vel* c*ν*

χρήσει. *Quia ergo sua profundunt vel*

Absque *vlla spe præmij & talionis. Consistit tum* c*ν*

Δαπάνῃ. *in*

Aedificiis, *statuis, sepulchris, navibus, lacubus, &c.*

Spectaculis *& ludis, eorumque apparatu.*

δόσει. *videre licet in iis quæ tribuūtur*

Animalibus *brutis, vt* Alimenta, Ornamenta, Exequiæ, Statuæ, Sepulchra, *&c.*

hominibus, *in*

Conuiuiis

Publicis, *Epulis scilicet, & visentationibus.*

Priuatis conuiuiis *& nuptiis.*

Muneribus *tum*

Publicis, COLLEGIARIA *& Donativa.*

Priuatis *quibuslibet.*

κτήσει. *vtpote* c*ν*

λήψει. *Qui ea quæ honestè accipere poterant & debebant, non accipiunt.*

φυλαχῇ. *Qui bona sua vel*

Vario *luxu absumunt. Decoctores.*

Stultè *perdunt, vt nec ipsi nec alij voluptatem aut fructum aliquem inde percipiant.*

Genere: QVI *variis* Auariciæ *speciebus obnoxij fuerunt.*

Defectu, *in parvis quidem* ἀνελευθερότης, *at in magnis* μικροψυχία *dicitur.* Latini AVARICIAM *appellant, fomitem magnorum sæpe malorum: quam quidem ob causam* Itali *scitè admodum auaros homines* Miseros *vocant. Exempla eius afferamus in*

Specie. *Vide in seq. signum* C. C. Auari-

889

Δαπάνῃ: *Qui nimis parcè sumptum faciunt, in quibusuis rebus, quarum vsus vel ad alios, vel ad seipsos pertineat* SORDITIES *propriè videtur appellanda: quoniam sordes ferè hanc auaritiæ speciem comitantur.*

χρήσει. *Hanc videntur Latini* PARCITATEM *vocare. Spectatur tum in*

δόσει. *Qui vel alteri*

Non *largiūtur omnino ea quæ debebāt, vel nimis parcè: vtpote*

Munera *& salaria. Exempla*

Religiosa.

Ethica.

Hospitium. INHOSPITALITAS *auara. Qui vel hospitio*

Non *excipiūt quos oportebat.*

Exceptos *sordidè & illiberaliter tractant.*

Largiuntur *aliquid, non animo liberali, sed spe maioris præmij. Quæ* FOENERATIO *beneficij dicitur. Cuius generis sunt & Hæredipetæ: qui, vt Lyricus inquit, frustis & pomis viduas venantur auaras, Obseruantéque senes quos in vinaria mittant.*

c. Auaricie *species consistūt partim* c*ν*

λήψει. *ἀσχημόνως propriè dicitur. Spectatur partim i*

Appetitione

Inhonestorum.

Honestorum *nimia & immodica.*

Aliquo, *siue dante.* HONESTA *munera vltra modum accipere.*

Acquirit. NIMIO *studio opes honestis rationibus comparare.*

Accipere, *vltra quàm honestis admittat: & vel afferēte*

Nemine. *Sicubi vel ipse*

Exigit *ab aliis, etiāsi inuitis, tū*

Politicè, *& vel*

Priuatim, *propter*

Operam *locatam.* ARTI *siue preciū auarè statuere.*

Hospitium. AVARI *hospites.*

Pecuniā *creditā.* FOENERATORES.

Publicè, *per violentas exactiones, vectigalia, tributa.*

Bellicè, *vel*

Vi.

Pacto.

Acquisitione. *Auari hominis est, Diuitias & munera*

none sta

Non *accipere, non quia ea contemnat: sed quia maiora se acceptūrum confidit, his contemptis.*

Inhonesta, *offerēte*

Aliquo, *Propter turpem causam qualemcunque accipere.* CORRVPTIO *munerum.*

Nemine, *acquirere vel*

Priuatim, *vt*

Fures.

Latrones.

Prædones.

Vi, *tū*

Publicè *siue*

Domi:

Sacrilegia.

Peculatus.

Foris: BELLA *illegitima, causa præclæ susceptā.*

Pacto, *& voluntate. Cū tamen turpi, vt*

Venūdationes *infames, tum*

Sacras. SIMONIA.

Profanas.

Lusum *& aleam.*

Scortationem.

φυλαχῇ. *Qui nihil penitus erogant, sed more formicarum aurum custodiunt,* TENACITAS *fortassis propriè dici posset.*

κτήσει *duobus modis.* c*ν*

LIBERALES, BENEFICI IN GENERE.

Beneficentia latius patet, quàm Liberalitas. Liberalitas enim in pecuniis tantū, & iis quorum precium potest circumscribi & definiri pecunia, versatur: at Beneficentia omnem materiam bonorum comprehendit, animi, corporis & fortunæ. Pariter quoque Gratitudo in quouis genere bonorum consistit, & merito subiecti latius patet quàm Liberalitas: at ratione eius in quem confertur, angustioribus terminis continetur: quia Liberalitas erga quoslibet liberaliter agit: Gratitudo verò erga eos tantùm, qui de nobis bene meriti sunt. Beneficentia itaque certo aliquo titulo explicari nequit, Liberalitas potest: Gratitudo sub Iusticiam διανεμητικὴν referenda est, cuius respectu Liberalitatem totam non obscuri authores Iusticiæ partem esse censuerunt.

Instituto Mosis, apud Iudæos quinquagesimo quoque anno debitæ relaxabantur pecuniæ, donabantur serui libertate, quæ vilius venissent antiquis possessoribus reddebantur, vt tellus immunis eo anno haberetur: ac quascunque sua sponte fruges tulisset, tribulibus essent & hospitibus communes. Sab. lib. 6. cap. 1.

CIMON Atheniensis, bello aduersus Barbaros gesto, partis immensis opibus, agros suos sepibus ac muris nudauit, vt omnibus integrū esset, quod vellent ex eis capere. Cuicunque inopi, qui in eius domū diuertissent, assiduè potus cibúsque dabatur: & cùm è domo in publicū egrederetur, magno nobiliū iuuenū numero septus erat: qui pulchris nouísque vestibus amicti, si in probos viros, cæterùm tritis vestibus tectos, incidissent, cùm eis vestes suas commutabant. Iidem per vicos euntes, secretò sacculos pecunia plenos gestabant, egētibúsque omnibus numos impartiebant: modò non indigni hac ope viderentur. Hoc modo cū bene partis opibus Cimon vteretur, Leontinus Gorgias Cimonem dixit opes parasse vt vteretur: vtúmque esse, vt ex eis sibi honorem pararet. Fulg. lib. 4. cap. 8. ex Plutar. & Lactantio.

PTOLEMÆVM filium Lagi, maxima cum voluptate aiunt amicos suos locupletes effecisse. Dicebat enim: Melius est ditare, quàm ditescere. Ælianus.

ALEXANDRVM Macedonem ingentis spiritus terrarum principem, inter alia quibus eum natura dotatum cœlo quodāmodo inseruerat, magna sua gloria solitū prædicare legimus, à nemine se vnquam benignitate fuisse superatum. Cælius lib. 7. cap. 28.

THEAGENES, vir potens & diues, Athenis sua beneficentia publicè & priuatim multa laude dignissima gessit. Suidas.

CLEOMENES & PTOLEMÆVS adeò benefici erga cunctos extiterunt, vt inde Beneficorū (εὐεργετῶν) cognomina deportarint. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 11.

CYRVS Persarum rex, postquā regno Assyriæ potitus est, nullū in suos liberalitatis genus prætermisit: cùm non pecuniā, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisset diuitiarum, suos esse thesauros duceret. Quanquam non modò familiares & amicos, sed è subiectis vnumquemque adeò gauderet copia rerum abundare, vt boni regis proprium officium, quin & opus esse diceret, etiam ciuitates beatas efficere. Pontan. de Principe.

Agrigētinus Gillias, propemodū ipsius liberalitatis præcordia habuit. Erat opibus excellēs, sed multo etiam animo quàm diuitiis locupletior: sempérque in eroganda potius, quàm in contrahenda pecunia occupatus: adeò vt domus eius quasi quædam munificentię officina crederetur. Illinc enim publicis vsibus apta monumenta extruebantur: illinc grata populi oculis spectacula edebantur: illinc epularū magnifici apparatus, latentique animo annonæ subsidia tribuebantur: & cùm hæc vniuersis, priuatim aliméta inopia laborātibus, dotes virginibus, paupertate pressis subsidia, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur, hospites quoque tum vrbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissimè excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam verò tēpore quingentos simul Gedensium equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit, ac vestiuit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propriæ fortunæ benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat, pro cuius salute & incrementis tum Agrigentina ciuitas, tum etiam vicinæ regiones votis excubabant. Val. Max. lib. 4. cap. 8.

P. SCIPIO AFRICANVS nunquam domum è foro redibat, nisi beneficio prius in aliquem collocato. Itaque fertur de eo, quo die operam suā nulli contulisset, regressum eum domum non modò grauatè id tulisse: verumetiam obiurganter quæstum esse, quòd amicis diem amisisset. Pontan. lib. 1. de Magnanimitate, cap. 6.

Laudatur L. Syllæ munificentia, qui nunquam ab vllo suorum amicorum beneficentia superatus est. Guido Bitur.

C. IVL. CÆSAR ingentes opes bello partas, non ad venationes, non ad luxū, non ad voluptates contulit: sed liberaliter bonis viris, qui bene de Republica promeriti erant, dispensauit. Pont. cap. 10. de Liberalitate.

Fuit in Tito Vespasiano liberalitas adeo magnifica, vt die quadā vesperi recordatus nihil se cuiquam præstitisse, dixerit: Amici, perdidimus diem. Monentibus domesticis quòd plura polliceretur, quàm præstare posset, respondit: Non oportere quenquam à facie principis tristem discedere. Non solùm nihil negauit petentibus, sed etiam hortatus est vltrò, vt quæ vellent, peterent. Plebem quādoque admittebat in thermas, quibus lauabatur. Ciuitates incendio Vesuui in Campania dirutas reparauit. Afflictis morbo, nullam non adhibuit opem & medelam, inquisito omni sacrificiorum remediorúmque genere. Sueton.

HADRIANVS (quem tradunt reges omnes vicisse munerum magnificentia) vt fuit in conferendis muneribus magnificentissimus, sic alieni continentissimus, & in delectu habendo etiam prudentissimus. Amicos, & quidem non petentes, locupletauit, & petētibus nihil negauit. Aurum coronarium Italiæ remisit, prouinciis minuit, multos etiam populos tributis leuauit. Pont. cap. 19. & 22. de Liberalitate.

COCCEIVS Nerua senior, iis mēsibus quibus imperauit, in egenorum vsum decies ac quinquies centum milium aureorum numûm summam dispensauit: præfectis senatoribus, vt agros ad eorū sustentationem coemerent, atque iis diuiderent, quos ob inopiam ope dignos animaduerterent. Vnde inops pecuniæ factus, vestes, vasa, & vniuersam supellectilē auctioni subiecit, agrósque & domos vendidit. Dion Cassius. Quicquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit. Afflictas ciuitates releuauit. Puellas & pueros natos parentibus egenis sumptu publico per singulas vrbes Italiæ foueri iussit. Aurelius Victor. Fulg. lib. 4. cap. 8. & Xiphilinus in eius vita.

M. ANTONINVS Romanorum Imp. qui ob insignem eruditionem Philosophus cognominatus est, posteaquam Athenas venit, initiatúsque fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus: quorum in vrbe doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos constituit, ad omnium gentium vtilitatem. Romam verò rediens, viritim octo aureos dedit quæ fisco ærarióue publico debebantur remisit, omnésque syngraphas scriptas de iis rebus in foro comburi iussit. Pecuniam multis etiam ciuitatibus largitus est: & Smyrnam, quæ ingenti terræmotu cōquassata fuerat, restaurauit. Rectè igitur Beneficentiæ templum Romæ in Capitolio nuncupauit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

ANTONINVS Pius Imp. prouinciarum præfectos locupletauit, & ornamentis consularibus donauit: rhetoribus & philosophis non solùm salaria, verumetiam honores & prouincias decreuit. Pontan. de Liberal. c. 11. Mox etiam liberalitatem suam, testamento plurimis legatis manifestissimam fecit. Pont. cap. 42. de Liberalit.

AVR. ALEXANDER Seuerus, nullum diem prætermisit, quo non pium aliquid, liberale humanúmque fecerit, publici tamen ærarij ratione habita: vt quamuis imperaret, sciret tamen moderatum se prudentémque Reipublicæ dispensatorem esse debere. Pont. li. 1. c. 6. de Magnanim. & Vol. li. 23. Anth.

IDEM amicos, quos bene de se meritos intelligeret, etiam ad petendū inuitabat: Quid est quòd nihil petis, inquiēs, an me vis tibi fieri debitorē? Pete, ne sit quod priuatus de me querare. Pōta. cap. 11. de Liberal.

IDEM, non solùm eligebat erga quos liberalis esset: sed etiam prouocabat, quos liberalitate sua dignos putasset. Ibidem.

IDEM honesto loco natos, & magistratibus atq; honoribus functos, quos inopia rei familiaris laborare intelligebat, dum tamen neque per luxum patrimonia absumpsissent, neque inopiam simularent, alios aliis commodis, agris, seruis, armentis, & quo quem egere intellexisset, iuuabat. quinetiam magnificas domos à se extructas, integris & incorruptis viris amicitia secum iunctis donabat, vt non modò quid daret, sed quibus etiam daret, exactè adeò pensitare visus sit, vt histrionibus atque adeò in scena se exercentibus, nihil aureum aut argenteum, quin perraro numos dederit. Idem cap. 12.

GREGORIVS Magnus pontifex max. tam liberalis fuit, vt fermé omnes ecclesiæ thesauros dissipauerit: & hanc quoque ob causam eo defuncto, memoriam eius ex libris deleuissent, ni Petrus Diaconus restituisset. Sigebertus in Chron.

NICOLAVS V. pontifex max. quamuis multis laborauerit vitiis in sua vita, plurimùm tamen ob insignem liberalitatē semper laudatus est. Pont. cap. 23. de Liberal.

ALFONSVS rex, ob naturæ suæ incommoda morúmque austeritatem in multis malè tum à suis tum ab exteris audiuit: ob liberalitatis tamē studia ab omnibus plurimùm commendatus fuit. Ibidem.

IDEM, oblatrantibus canibus & rebellantibus offulam obiiciendam esse dictitabat: intelligens, maleuolos homines beneficiis & liberalitate vincendos esse. Idem cap. 30.

AMVRATVM, Mahometi Turcarum regis patrem, liberalitas & splēdor etiam apud hostes plurimùm commendauit. Idem. cap. 27.

PHILIPPVS Maria Mediolanensis dux, non solùm aduersus hospites & peregrinos multa liberalitate vsus dicitur: sed si quem fortem & clarum virum in Italiæ vrbibus, aut finitimis regionibus agere intelligeret, munera mittebat, & se & illo digna. Idem cap. 28.

LIBERALITAS ET MAGNIFICENTIA IN SPECIE.

Non habitu differunt Liberalitas & Magnificentia, sed tantùm quantitate subiecti: quia illa circa paruas opes, hæc verò circa magnas occupatur. Eapropter à nobis sub iisdem titulis vtriusque Exempla promiscue afferentur. Qui volet, facili negocio distinguere poterit.

LIBERALITAS EN ΔΑΠΑΝΗ, SIVE MAGNIFICENTIA IN SVMPTIBVS FACIENDIS.

centia in sumptibus faciendis.

SVMPTVS IN RES SACRAS COLLATI.

Exempla pete ex tit. Religiosæ Iusticiæ. Hic sumptuum ratio habetur, illic pietatis.

IN TEMPLIS.

FILII ISRAEL, mente promptissima obtulerunt munera, ad faciēdum opus tabernaculi: & quicquid ad cultum & vestes sanctas erat necessarium. Et sequitur: Artifices dixerunt Moysi, Plus offert populus, quā necessarium est. Exod. 25. & 36.

Redeuntes de Babylone FILII IVDA, obtulerunt spontè secūdum vires suas, ad extruendam domum Domini. 1. Esdr. 2.

SAMI templum est in tota Græcia amplissimū, cuius architectus primus fuit Rhæcus Philei F. Samius. Herod. lib. 3.

BABYLON Assyriæ metropolis, medio secatur Euphrate. In vtriusq; ciuitatis plagæ medio murus erectus, quorum hic regiam comprehendit ambitu prægrandi atq; valido: in altero Iouis Beli templum, æreis portis, duorum vndecunque stadiorum amplitudine, figura quadrata. In templi medio turris solida, crassitudine simul & altitudine stadij: cui alia rursus superimposita turris, & huic subinde alia, ad octauam vsq;. His forinsecus scalæ sunt in circuitu adhibitæ, per quas ad singulas conscenditur turres. In mediis gradibus ductus, sellæque in hoc factæ: in quibus ascensuros liceat sedere ac conquiescere. In postrema turri sacellum est aliud magnū: magnus quoq; lectus, & splendidè stratus, & apposita mensa aurea. Statua tamen in hoc sacello nulla est: neq; hic noctu cubat hominum aliquis, præter mulierem vnam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, vt narrant Chaldæi, huius dei sacerdotes. Herod. lib. 1.

AMASIS Ægyptiorum rex, inter reliqua ædificia præclara admirabile attulit in vrbem Saim ædificium ex solido saxo ab vrbe Elephantina: in quo afferendo triennium consumpserunt duo millia delectorum virorum, qui omnes erāt gubernatores. Eius tectum extrinsecus est vnius & viginti cubitorum longitudo, quatuordecim latitudo, octo sublimitas. Hæc est dimensio exterior tecti ex vno lapide. Introrsum tamen duodeuiginti & amplius cubitorum est longitudo, quinque sublimitas. Domus hæc ad ingressum templi Mineruæ collocata est. Nam ob id aiunt in tēplum non fuisse pertractam, quòd tecto aducto cùm suspirasset eius vehendi architectus: vtpote pertæsus diutino tempore operæ, ea de re stomachatus Amasis, non permiserit hominem vlterius trahere. Nonnulli aiunt, quendam ex his qui vectibus lapidem agebant, à lapide fuisse oppressum, ideoque lapidem non introductum. Herod. lib. 2.

In vrbe Bubasti Ægyptiorum templū est Bubastis, hoc est Dianæ, omnium maximè memorabile. Quo etsi alia sunt tum grandiora, tum sumptuosiora, nullum tamen aspectu iucundius. Id ita se habet. Cætera præter accessum insula est: cuius ad ingressum vsque duo è Nilo fluenta vicina currunt, nec confluunt, hinc atque illinc præterfluentia, centū vtrunq; pedum latitudinis, arboribus inumbrata. Eius vestibulum decē passibus sublime est, figura senūm cubitorum adornatum. In media vrbe situm, vndiq; circumeuntium oculis subiicitur. Nam cùm vrbs sit aggestu terræ sublimis, templum quemadmodum à principio conditum, nec loco motum, pro speculo est. Illud maceria figuris exculpta ambit. Interius delubrum, ingenti procerissimis arboribus manu consitis luco ambiente, in quo delubro statua est. Longitudo templi quoquò versus vnius est stadij. Ab eius ingressu via per forum orientem versus, quæ fert ad Mercurij templum, tria circiter stadia longitudinis, & quatuor iugerum latitudinis, strata lapide est, vtrinque arboribus manu consitis in cœlū euntibus. Herod. lib. 2.

TEMPLVM Dianæ Ephesiæ factum est à tota Asia ducentis & viginti annis. Hoc autem in solo palustri fecēre, ne terræ motum sentiret, aut hiatus timeret. Et ne in lubrico & instabili tantæ molis fundamenta locarentur, antè calcatis ea substrauēre carbonibus, deinde velleribus lanę. Templi longitudo erat CCCCXXV pedum, latitudo CCXX. Colūnæ in eo cētum vigintiseptē à singulis regibus factæ, ex quibus 36 erant cælatæ. Operi præfuit Ctesiphon.

IN STATVIS ET SIMVLACHRIS DEORVM.

ATHENIENSES Phidiā tulerunt, quandiu is marmore potius, quàm ebore, Mineruam fieri debere dicebat, quòd diutius nitor esset mansurus: sed vt adiecit, Et vilius, tacere iusserunt. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

Inter orbis miracula recensetur simulachrum IOVIS Olympici, quod Phidias fecit ex ebore. Propert. lib. 1.

> *Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,*
> *Nec Iouis Elei cœlum imitata domus.*

COLOSSVS Solis apud Rhodios fuit LXX cubitorum altitudinis, qui post quinquagesimum sextum annum terræmotu prostratus, iacens quoque fuit miraculo. Pauci pollicem eius amplectebantur. Maiores erant digiti, quàm pleræque statuę. Vasti specus hiabant defractis membris. Spectabantur intus magnæ molis saxa. Factus est hic colossus annis duodecim, trecentis talentis. Artifex fuit Chares Lyndius, Lysippi discipulus. Soldanus Ægypti quum insulam Rhodū inuasit, ex ære huius statuæ DCCCC camelos onerasse fertur. Ab hoc colosso Rhodij vocantur Colossenses, & Rhodos Colossicola.

IN SACRIFICIIS.

ABELVS Adami filius, primigena pecora liberalitate pia Domino Deo obtulit, maiori religionis studio, quàm rei domesticę cura. Cainus econtrà, terræ frugum non primitias, sed decimas obtulit. Illius itaque munus accepit, huius verò repudiauit Dominus. Gene. 4.

ATHENIENSES à Lacedæmoniis frequenter bello fracti, humano destituti consilio, Hammonis Iouis oraculum consuluēre: Quid'nā causę foret, cùm ipsi lectas hostias, ad aras mactarent, nihilque huiusmodi facerent Lacedæmonij, victoria tamen penes Lacedæmonios semper esset? Responsum acceperunt Athenienses, Tacitam & minimè ambitiosam Lacedæmoniorum orationem magis, quàm Atheniensium pompam inanem, diis probari: quibus semper est peculiare, multo magis dantis animum, quàm munus intueri. Guido Bitur.

BABYLONE in Iouis templo mille talenta thuris quotannis adolentur. Herod. lib. 1.

SOLIS mensa apud Æthiopes Macrobios talis esse memoratur. Est in suburbanis pratum, omnium quadrupedum assa refertum carne, quā per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere: ad eamque, vbi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc ipsa à terra reddi assiduè, aiunt. Herod. lib. 3.

IN LVDIS ET SPECTACVLIS SVMPTVS FACTI.

Qui ludos & spectacula propriis sumptibus exhibent, præsentis sunt loci. Ipsorum ludorum genera & spectaculorum sub. tit. Bonorum corporis reperies: prætereà etiam sub tit. Certamina literaria.

OENOMAVS primus apud Elidem ludorum spectaculum, equorumque cursum edidit. Apud Romanos ROMVLVS in Sabinarum raptu. Rauis.

TARQVINIVS Priscus opulentius instructiusque quàm aliquis regum, ludos & spectacula Romæ fecisse dicitur. Ab ipso enim Circus Maximus spectaculis designatus locus fuit, qui postea ædificiorum magnitudine & aulico apparatu præcipuus semper exhibendis ludis est habitus. Alex. lib. 5. cap. 16.

OLYMPICORVM ludorum imaginem à Græcis ad Romanos Cato primus transtulit, cùm in theatro spectacula edidisset: victoribúsque non ex auro, sicut olim, sed ex oleastro coronas proposuisset. Alex. lib. 5. ca. 8.

L. SYLLA Olympiade quinta & sexagesima supra centesimam, athletas & reliqua ex Olympiis certamina Romam traduxit, & solum stadij cursum Græcis reliquit. Idem.

AVGVSTVS Cæsar, postquam fames, quo diu vrbs laborauerat grauiter, cessasset, Germanici atque fratris eius nomine ludos Circenses fecit, in quibus elephantus superauit rhinocerotem: & vir equestris ordinis, qui fuerat olim locupletissimus, obiit munus gladiatorium. Dion Nicæus in Augusto.

IDEM, post pugnam Actiacam Olympicorum ludorum imaginem, & ludos illis æmulos, apud Actium in sinu Ambracio Apollini consecrauit: illorumque curam multis propositis coronis, Lacedæmoniis mandauit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

ALPHONSVS rex, ludos Christianos magnificentissimo apparatu, deuotissima ac solenni repræsentatione, ingenti hominum frequentia ac celebritate quotannis edidit: & cùm accepisset, Hetruscos istiusmodi ludos singulari industria commentos esse, ne hac saltem in re, quæ ad diuinum cultum pertineret, à quoquam mortaliū vinceretur, omnia perscrutatum atque exploratum eò misit: explorataq; iam lōgè præclarius atque artificiosius expressit. Panormita lib. 1. de Rebus gestis Alphonsi.

SVMPTVS IN AEDIFICIIS, IN GENERE.

SESOSTRIS, vel,vt alij vocant, Seſoris, Ægyptiorum rex, permultos erexit poſt conditas ciuitates aggeres, vt homines & pecora ab inũdatione Nili tuta eſſent. In omni verò ora quæ à Memphi ad mare ſpẽctat, frequentes à fluuio foſſas duxit, quo fructibus breuiori itinere faciliúſque inuectis, maior rerum copia eſſet. Muniit præterea ea loca, quibus ad Ægyptum patêre hoſtibus ingreſſus poſſet. Duxit & murum ab eo latere Ægypti, quòd orientem verſus ad Syriam atque Arabiam ſpectat, à Peluſio vſque ad Solis ciuitatem per deſertũ ſtadiis mille & quingentis. Nauem fecit ex cedro ducentorum octoginta cubitorum longitudine, deauratam exterius, intus verò deargentatam: quam dono obtulit Deo, qui Thebis colitur. Duos etiã obeliſcos ex lapide duro, vtrumque altum cubitis centũ viginti, in quibus tum imperij magnitudinem, tum multitudinem vectigalium deſcripſit, & alia multa: de quibus Diodorus Sic.lib.2.cap.2.de Rebus antiq.

AVGVSTVS parum contentus illud nobiliſſimum Apollinis in Palatio templum ædificaſſe, & forum cum æde Martis victoris, ędémque tonantis Iouis in Capitolio, & porticum cum Latina Græcáque bibliotheca: multa etiam de ſua pecunia alieno ſub nomine ædificanda curauit, vt porticum, baſilicámque ſub Lucij & Caij nomine, itẽ Liuiæ & Octauiæ, architheatrum Marcelli. Quinetiam ad coercendas Tiberis inundationes, eius alueum non ſolùm repurgnauit: ſed ripas quoque, quo liberior curſus eſſet, laxauit. Viam item Flaminiam Ariminũ vſque muniuit. Adhæc ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incẽdiis abſumptas reſtituit: reſtitutáſque opulẽtiſſimis donis ornauit. Siquidem, vt Suetonius refert, in Capitolini Iouis cellam, ſedecim millia pondo auri, gemmáſque & margaritas quingenties ſeſtertiũm vna donatione contulit, &c. Pont.ca.11.de Magnificentia, & Alex.lib.2.cap.12.

TIBERIVS imperator multa reſtituit in vrbe ædificia, quæ corruerant: nullúmque prorſus ſibi vendicauit, ſed eis reddidit nomina eorum, à quibus ædificari cœpta eſſent. Auguſtale tamen ab imis fundamentis ipſe extruxit. Dion.

FL. VESPASIANVS fecit templum Pacis foro propinquum. Item amphitheatrum in media vrbe. Expleuit cenſum ſenatorium. Conſulares inopes quingentis ſeſtertiis annuis ſuſtentauit. Plurimas per totum orbem ciuitates terræmotu aut incendio afflictas in melius reſtituit. Primus è fiſco Græcis Latiníſque rhetoribus annua centena conſtituit. Pręſtantes poetas & artifices coemit. Coloſſi refectorem magna mercede donauit. Cuidam ſumptum increpanti, reſpondit: Sineret ſe plebeculam paſcere pane. Dedit Apollinari tragœdo cccc. ſeſtertia, Tarpeio Diodoróque citharœdis ducenta. Apophoreta dabat viris in Saturnalibus, & fœminis calendis Martiis. Suetonius.

SEVERVS Romanorum imperator licet in ſumptu faciẽdo omnium parciſſimus fuerit, noua tamen ædificia extruxit, vetera reſtituit: atque Baccho Herculíque templum maximum ædificauit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Seuero.

TRAIANVS Romanorum imperator, & ante illum Coc. Nerua multos ſumptus fecit, belli pacíſque temporibus. Multa, éaque apprimè neceſſaria ædificauit: cuius generis ſunt viæ, porticus, ædificia publica: quorum tamen cauſa nullius vnquam ſanguinem effudit. Magnificus enim natura, & magnanimus erat. atque poſtquã Circum collapſum reſtituit, maiorémque reddidit atq; pulchriorẽ: inſcripſit in eo, perfeciſſe ſe, vt populo Romano ſufficeret. Dion Nicæus, atque Xiphilinus in eius vita. Galenus Medicorum princeps æmulum ſe Traiani perhibet, quòd vt ille vrbis ruinas, ſic ipſemet Hippocratis medicinam reſtaurarit.

DIOCLETIANI Imperatoris magnificentiam teſtantur non pauca, quæ extant Romæ & in Dalmatia, monumenta. Pont. cap.11.de Magnificentia.

PROBVS Imperator mirum in modum laudatus eſt, quòd diuerſis in locis pontes, templa, porticus regias conſtruxerit, multorum fluuiorum hoſtia patefecerit, paludéſque exiccauerit: quinetiam in ſepeliẽdo Ardione, quẽ ſingulari certamine vicerat, animi magnitudinẽ teſtatus eſt, ſtructo ſepulchro, cuius latitudo trecentorum eſſet pedum. Ibidem.

THEODOSIVS Imp. inter magnificos principes iurè collocandus eſt. Capta ſuperioribus ſeculis Conſtantinopoli, multa eius monumenta Turcarum immanitas diruit. Ibidem.

COSMVS Florentinus, imitatus eſt priſcam magnificentiam, tum in condendis templis ac villis, tum in bibliothecis faciendis: nec ſolùm imitatus eſt, ſed primus reuocauit morem conuertendi priuatas diuitias ad publicum bonũ, atque ad patrię ornamentũ. Idem c.11. de Magnificẽtia.

FEDERICVS Siculus arces, templa, regias etiam plurimas magnificentiſſimè factas reliquit in Apulia, Calabria atque Sicilia. Idem cap.11. de Magnificentia.

ALPHONSVS Neapolitanus, portus pulcherrimam molem pluribus locis euerſam reſtituit, aquæductus ſubterraneos expurgauit ac refecit, veteres fontes inſtaurauit, nouos nonnullos plurimis & magnificis impenſis extruxit, aquas publicas diu iam magna ex parte diſperſas, in aquæductus alueum reduxit, vias vrbis omnes vetuſtate detritas atque conuulſas nigra ſilice conſtrauit, paludes omnes ad aeris ſerenitatem ſalubritatémque exiccauit. Panormita libro primo de Rebus geſtis Alphonſi.

SVMPTVS IN ÆDIFICIIS PVBLICIS, IN SPECIE.

Septem fuerunt ædificia toto orbe cantatiſſima, quæ propter operis magnitudinem & ſumptum incredibilem extitere loco miraculi, vt nihil diuinius ars humana poſſet confingere aut excogitare. Fuerunt autem hæc Pyramides Nili, Turris Pharia, Muri Babylonis, Templum Dianæ Epheſiæ, Sepulchrum Mauſoli, Coloſſus Solis apud Rhodios, & Simulachrum Iouis Olympici: quibus nonnulli addunt Domum Cyri Medorum regis. Horum quædam huius ſunt loci: quædam ad alios titulos Magnificentiæ, atque etiam Prodigalitatis pertinent.

IN VRBIBVS ÆDIFICANDIS *& reficiendis.*

NEEMIAS ædificauit murum in circuitu Hieruſalem, magna cum ſolicitudine & diligentia. Nemiæ 2.3.4.

DARDANVS, Troiam. Verg.lib.9.Æneid.

NEPTVNVS, muros Troiæ. Verg.lib.9. Æneid. Feruntur autem habuiſſe in ambitu XL. millia paſſuum: nec aliam ob cauſam aſcribuntur deis autoribus, quàm propter magnificentiam. De his Lucanus libro ſexto.

Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Aſcribátque deis.---

AMAZONES, Epheſum. Archias, Syracuſas. Mithridates, Eupatoriam. Rauiſ.

PHILOCTETES, Petiliam vrbem Brutiorum. Verg. libro tertio Æneid.

Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

ANTENOR, Patauium. Verg.lib.1.Æneid.

CADMVS, Thebas Bœotias. Ouid.lib.3.Metam.

AMPHION, muros Thebarum. Horat.in Arte:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis.

TELEGONVS filius Vlyſſis, Tuſculum oppidum Italiæ. Propert. lib. ſecundo.

Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

CAPYS, Capuam. Sylius lib.11.& Verg.

Et Capys, hinc nomen Campanæ dicitur vrbis.

DANAE Acriſij filia, Ardeam vrbem Italiæ. Verg.lib.7.

--Quam dicitur vrbem
Acriſioneis Danae fundaſſe colonis.

MOPSVS ex Apolline & Manto Tireſiæ filia natus, vates & Argonauta, Mopſorum oppidum in Theſſalia ædificauit. Strabo.

OSYRIS, cùm per Arabiam iuxta Rubrũ mare iter faceret, ad extremos Indos perueniens, plures conſtituit vrbes: ex quibus vnam Nyſam appellauit, in eius memoriam, à qua nutritus fuerat. Diodor. Sic.lib 1.cap.2.Rerum antiq.

Sais ciuitas Ægypti, vnde Amaſis fuit rex, condita eſt à dea quam Ægyptij Veithen, Græci Athenam nominant. Plato in Timæo.

BVSIRIS Ægyptiorum rex, Solis vrbem Thebas Ægyptias appellatam condidit, cuius mœnia centum quadraginta ſtadia ambitu complectuntur: eam magnis ædificiis ac ſpecioſis deorum templis ornauit: ſimili modo & priuatorum domus vſque ad quartam aut quintam contignationem extruxit. Diodor.Sic.lib.2.cap.1. Rerum antiquarum. Porrò centum portis nobiles coniecturam miræ amplitudinis reliquerunt vniuerſæ poſteritati. Iuuenal.

Ecce vetus Thebæ centum iacet obruta portis.

OGDOVS rex, Memphim condidit Aegyptiam. Cuius ambitus fuit 150. ſtadiorum.

BABYLONIS muros (qui inter 7. orbis miracula recenſentur) vt Iuſtinus lib.1.docet, Semiramis cõdidit, aut ſaltem ruinoſos reparauit, coctilibus laterculis & bitumine ferruminatis, ducentũm pedum altitudine, latitudine verò quinquagenũm pedum: adeò vt quadrigas inter ſe occurrentes reciperent, turréſque haberent CCC. plures multo habituri, niſi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuiſſent. Huic autem operi porrẽtoſo adhibita ſunt trecenta hominum millia. De Babylone Propert.lib.3.

Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt ſolidum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in aduerſum miſit per mœnia currus,
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.
Duxit & Euphratem medium, qua condidit arces,
Iuſſit & imperio ſurgere Bactra caput.

Herodotus lib.1.ſcribit, muros Babylonis habuiſſe craſſitudinẽ quinquaginta cubitorum regiorum, celſitudinem ducentorum. Per ambitum centum portæ ſtabant æreæ, omnes cum cardinibus.

SARDANAPALVS Medię rex, vt ait Ariſtobulus, vno die Anchialum & Tarſum condidit. Strabo.

Murus BYZANTII vrbis fuit olim ex Mileſio quadrato lapide, adeò

indiſcreta laterum ſtructura, vt vna propè muri compages ſpectantibus videri poſſet. Rauiſ.

SOLON Salaminius, vnus è ſeptẽ Gręciæ Sapientibus, in Ciliciam profectus, ciuitatem à ſuo nomine Solos ædificauit: in qua Atheniẽſes colonos ſtatuit, qui interuallo temporis ab Attica lingua deſciſcẽtes, ſolœciſſare dicti ſunt: vnde verbum ſolœciſmus tractum. Volat.lib.19.Anthrop.

DIOCES à Medis iuſticiæ nomine rex deſignatus, iuſſit eos oppidũ condere: atq; eo vno communito, exornatoq; aliorum non ita magnam curam habere. Obſequentibus igitur Medis, mœnia conſtruxit ampla ſimul & valida, ea quę nunc Ecbatana appellantur, in quibus murus vnus alteri in ambitu veluti contiguus erat: ſic nimirum conſtitutis mœnibus, vt ambitus ſinguli alteris gradatim eſſent ſublimiores, ſoliſq; pinnis prominerent. Adiuuabat huc loci ipſius commoditas, qui collis inſtar erat eleuatus. Acceſſit etiam maius quiddam ſingulari ſtudio factum: vt ambitus iſti numero eſſent ſeptem contigui, ſinguli ſuis diſtincti coloribus: in quorũ poſtremo regia erat, & theſauri. Horum verò mœniorũ quod eſt ampliſſimum, magnitudine prorſus illum Athenienſium æquat ambitum, nempe primi ambitus pinnæ colore ſunt albicanti, ſecundi nigro, tertij purpureo, quarti cęſio, quinti ſandaracino: poſtremi verò duo, alter ągentatas, alter inauratas habebat pinnas. Atque hiſce munimentis Deioces ſe ſuamq; cinxerat regiam: reliquum verò populum iuſſit ſeorſim iuxta mœnia circumquaque habitare. Herod.lib.1.

SABACVS Æthiopum rex, Ægypto potitus, Anyſi rege cęco expulſo, vrbes cõtra Nili illuuionẽ excelſiores reddidit: cùm neminem facinoroſorum morte plecteret, ſed pro delicti magnitudine ad aggerem vrbis, quam inhabitarent, effodiendum cõpelleret. Seſoſtris primus humũ aggeſſit, quãdo Nilũ in riuos diuiſit: ſed Sabacus maximè auxit. Her.libr.2.

TIMOTHEVS dux Athenienſis potentiſſimus, muros Atheus ædificauit. Suidas.

DIOMEDES rex Ætoliæ, Tydei & Deiphiles filius, vnus è ducibus Græcorum, confecto bello Troiano, ob adulterium coniugis in Apuliam ſe conferens, Adriam, Beneuentum, Arpos, ſiue Argyripam, aliáſq; multas in Italia condidit ciuitates. Volater.lib.15.Anthrop.& Verg. libro 10. Æneid.

EGESISTRATVS Epheſius profectus in Aſiam, cõdidit Eleamitem vrbem. Plutarch.

IDOMENEVS rex Cretæ, cùm propter filiam mactatam diis à Cretẽſibus pulſus eſſet, in Apuliam nauigauit, & vrbem Petiliam ſuper Salentinum Calabriæ montem condidit. Volater.lib.16.Anthrop.

MARON Thracię præfectus, poſt Lycurgi regis mortem rex factus, ciuitatem condidit, quam à ſe Maronæam appellauit. Diodor. Sic.libr.1. cap.3.rerum Antiq.

LYSIMACHVS Agathoclis filius, vnus è ſucceſſoribus Alexandri, Lyſimachiam vrbem condidit: quæ poſt annos 22 terræmotu euerſa, ipſi ſtirpíque eius exitum portendit. Trogus li.15.

ALEXANDER MACEDO Heracleam, & loci amœnitate delectatus Alexandriam vrbem in Ægypto condidit. Teſtes ſunt omnes qui de eius rebus geſtis ſcripſerunt: quorum catalogum habes apud Volaterra. lib.13.cap.3.Anthrop.

DIDO, Carthaginem. Verg.lib.4.Æneid. Dido ſic loquitur:

Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi.

Maſſilienſes, Niceam: Galli Mediolanum. Claud.

Continuò ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ ſuis oſtentantia pellem.

ANTIOCHVS, Laodiceam. DARIVS, Suſas vrbem Perſidis. PHORONEVS, Argos. NINVS, Niniuen. SICHEN, Sidonem. OCNVS, Mãtuam. AGENOR, Tyrum. AMYCLAS filius Lacedæmonis regis, Amyclas vrbem Laconię. NELEVS pater Neſtoris, Pylon. PARANVS Phœnicum dux, Maſſiliam. PILII, Metapontum. Iapygas. LAPYX Dædali filius, Coram. DARDANVS, Agyllam. PELASGI.

ARCADES, Pallantæum oppidum, ſitum in monte Palatino. Verg.lib.8.

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Delegêre locum, & poſuêre in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine Pallantæum.

ANTIGONVS Demetrij filius, ciuitatem Philam de matris nomine ædificauit. Volaterranus.

CATILLVS Arcas, Tybur oppidum, Romæ vicinum. Verg. libr. 7. Æneid.

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem.

CAECVLVS, Præneſte. Verg.7.Æneid.

T. SEMPRONIVS Gracchus pater Proconſul Celtiberos in deditionem accepit, ac monumentum operum ſuorum Gracchorum oppidũ in Hiſpania conſtituit. Liuius.

L. MVNATIVS Plancus, vir conſularis, prætorius ac orator clariſſimus, Ciceronis diſcipulus, dum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit, & Rauracam, quæ nunc Baſilea eſt: vt ex antiqua inſcriptione deprehenditur, quæ adhuc Caietæ, in turri quadam, quæ dicitur Orlãdi, legitur. Inſcriptionem pete ex Volater.lib.18.Anthrop.

C. IVLIVS Cæſar Charthaginem & Corinthum, vrbes antiquiſſimas atque florentiſſimas, quæ fuerant à Romanis deletæ, inſtaurauit, in eáſq; colonias deduxit: quæ ſicut antea vno eodemque tempore dirutæ fuerãt, ita tum vnà reficiebantur, ac florere incipiebant. Xiphilinus Dionis Nicæi abbreuiator.

AVGVSTVS Cæſar, cùm nauali prælio, magna animi virtute apud Actium pugnaſſet, & Antonium ſuperaſſet, ſtatim eo loco vrbem ædificauit Nicopolim: eumque locum, in quo caſtra habuerat, ornauit lapide quadrato, & roſtris nauium quas cęperat ab hoſtibus: poſtremò Apollini templum ſine tecto fieri iuſſit. Dion in Auguſto.

TITVS Cæſar Veſpaſianus pecunia ſua incendia reſtituit, & quę in vrbe Roma, & quæ in Veſeuo eius temporibus facta fuerunt: idque nõ parandi imperij gratia egit, quòd rebus pacatis ſine hoſte impetrabat: ſed quia liberali benignóque ingenio ad iuuandum humanum genus initabatur. Semel quoque in cœna queſtus eſt, diem illam ſe perdidiſſe, quia nulli ea die beneficium contuliſſet. Fulgoſ.lib.4.cap 8.

HADRIANVS Antinoo Bithynico, ſuo liberto, nõ tantum templum apud Mantinæam, ſed etiam ciuitatem ſui nominis apud Nilum ædificauit, ob inſignem adoleſcentis pulchritudinem. Pauſanias.

M. ANTONINVS, Romanorum imperator, multas ciuitates ſua pecunia ſubleuauit: & Smyrnam ex grauiſſimo terræmotu quaſſatam atque laceratam miſerè, ſua pecunia reſtaurari mandauit. Xiphilinus in Antonino.

ALEXANDER Seuerus compluribus oppidis, quæ terręmotu corruiſſent, inſtaurandis ædificiis tum publicis tum priuatis, pecuniam è vectigalibus ſubminiſtrari iuſſit. Pont.16.cap.de Liberal.

TRAIANVS vrbes trans Rhenum in Germania reparauit.

CONSTANTINVS Auguſtus, vt moles Byzantia diuturnior eſſet, è littore Baiano, Puteolanum puluerem nauibus comportandum curauit, vt eo calci immiſto ſtructura eſſet ſolidior. Pont.ca.11. de Magnificentia.

FRIDERICVS Imperator Romanorum, Viennę & in Noua ciuitate Auſtrię arces magnificè inſtaurauit, vt Sigiſmundus olim Budę. AEneas Syluius lib.1. Commentariorum in Alphonſi res geſtas.

OTTHO rex, Henrici filius, conſtruxit vrbem Madeburgum, quæ & Parthenopolis, id eſt virginum ciuitas dicitur. Anno 939. Sigebertus in Chron.

ALPHONSVS Aragonum rex arcem regiam, quam nouam Neapolitani vocant, à fundamento reſtituit: & ita demum nouis operibus ampliauit, vt cũ omni vetuſtate poſſit de magnificentia contendere. Panor. de Rebus geſtis Alphonſ.li.1.

ALFONSVS Calabriæ dux nouis & ampliſſimis muris Neapolim cinxit, noua propter id vectigalia ſuorum inſtituens. Pont.cap.7.de Magnificentia.

LEO huius nominis IIII. Pontifex ſummus, Ludouico ſecundo imperante, Vaticanum 5 annorum ſpacio mœnibus cinxit, ciuitatemq; Leoninam appellauit: templum quoq; S. Marię extruxit. Volat.lib.22.Anthrop.

PETILIVS ex clariſſima Vrſinorum familia Petilianum in Hetruria condidit. Petrarcha & Volat.lib.22. Anthrop.

Quis neſciat, quum primũ VENETAM ciuitatem nunquam antea viſam adierit, vnam eſſe quę ſine vllo artificio, caſúq; potius, vel diuina prouidentia in mediis ſtagnis condita, centeſimum ſupra milleſimum ab hinc annum ita floreat, vt ab orbe cõdito tale nihil inuenias? Salſis enim aquis ita vndiq; alluitur, vt nullus ferè occurrat locus, in quo non tibi aquæ obuiam veniant. Quòd ſi tu publica ædificia ſpectes, ſi forum, ſi curiam, ſi Marcianam ipſam intueare turrim, ſi ſubiectam inambules aream, quis non obſtupeſcat, tantas rerum moles in mediis aquis aſſurgere, atque ita planè ſtare, vt omnia tibi inſultare videantur? Quare deſinant iam artes hac in parte: & quum totam inambulauerint vrbem mortales, riuóſq; aquarum qui ſaxeis iunguntur pontibus, vt ambiri cõmodius poſſint, quũ tot diuorũ tẽpla viderint, totq; & tanta cœnobia verę pietati dicata conſpexerint: tandem ad Deum Opt. Max. conuerſi, ipſum precentur ſupplices, vt eã vrbẽ, quam ipſe diuina prouidentia conſtruxerit, cuiq; nulla vnquã ſimilis extiterit, diuturnam ac perpetuam eſſe velit. Huc addam, tãta animorũ magnitudine præſtitiſſe ſemper Venetos vt in mediis aquis auſi ſint cãpanariæ turris fundamẽta, tam immenſæ altitudinis, quàm omnes videamus, iacere: ſperaréq; tantum opus, tam graue, tamq; onerosum iã quadringenteſimum abhinc annũ felicitate aſſurgere eximia, vt cœlum cacumine petere videatur. Cuius etiam ſonitu vrbis totius gaudia publicè ac priuatim ſemper declarentur, vt tamen duci procuratoribúſq; ipſis atq; etiam templi canonicis, quotieſcunque ſingulorum funus effertur, aſſonent. Fulg.lib.8.cap. 1.

IN THEATRIS.

Exempla etiam pete ex tit. Prodigalitatis. Facilis enim à Magnificẽtia ad Prodigalitatem lapſus eſt.

TARQVINIVS Priſcus Circum maximum celebratiſſimum triũ ſtadiorum longitudine Romæ ædificauit, cuius deſcriptionem lege apud Blondum de Roma inſtaurata, Marlianum, & Alex.lib.5.cap.16.

CORNELIVS Balbus Romæ theatrum magnis impenſis extruxit, cui quatuor columnæ ex ophite lapide pro miraculo fuere: licet hodie nulla earum veſtigia videamus. Alex.lib 4.cap.25.

CVRIO Romæ theatrum verſatile & temporaneum mirabili cõmento conſtruxit, operum longè maximum, & conſpiciendum. Ibidem.

POMPEIVS Magnus theatrum Romæ ſolida materia primus ædificauit, in cuius dedicatione ludos dedit in circo. In eo leones quingenti, diebus quinque abſumpti ſunt: præterea elephanti decem & octo cùm armatis hominibus certauerunt, quorũ pars ſtatim, pars non multo pòſt

interiit.Sunt tamen qui hoc theatrum non esse à Pompeio,sed à Demetrio eius liberto, ex pecunia, quam cum eo militando quæsierat,ædificatum putent.Pompeium autem id sibi vendicasse, ne propterea malè audiret,quòd libertus eius tam magnam pecuniam conflasset, vt tantos sumptus potuisset sustinere. Capiebat XL. millia hominum. Theatrum hoc Nero in vnum diem totum auro operuit,vt Tyridati regi Armeniç illud ostenderet.Xiphilinus Dionis abbreuiator,in Pompeio.

MARCELLVS,theatrum Romæ sumptuosissimi operis, ad infimum Argilæti,iuxta templum Pietatis condidit,quod deinde Augustus Marcelli nomine inscripsit.De quo Marlianus. Alex.lib.4.cap.24.

C.IVLIVS CÆSAR circum fecit longitudine trium stadiorum, latitudine vnius : sed cum ædificiis iugerum quaternûm, ad sedem CCLX. millium.Idem solum tantùm foro extruendo sestertij mille ducentis emisse dicitur.

IDEM, molem amphitheatri ingentem in campo Martio substructionibus maximis erexit,quam postea Augustus Mauseolum ædificaturus destruxit.Alex.lib.4.cap.25.& Sueton.in eius vita.

Martialis lib.1. Domitiani Imperatoris AMPHITEATRVM omnibus miraculis,superbísque ædificiis anteponi,dicens.

Omnis Cæsareo cedat labor amphiteatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

THERMAE.

MECOENAS Augusti Cæsaris summus amicus apud Romanos, primus aquæ calidæ balneum construxisse fertur, in vsum populi Romani. Dion Nicæus in Augusto.

M.ANTONINVS Philosophus,ob popularem gratiam balneum sine mercede exhibuit omnibus, cum antea singuli quadrantem exponere lauaturi cogerentur.Alex.lib.4.cap.20.

FORVM.

C.IVLIVM Cæsarem, Romanum forum de manubiis, vnà cum æde Veneris genetricis magnifica impẽsa & profusis sumptibus construxisse legimus:cuius aream supra sestertiũ millies constitisse,authores tradũt. Alex.ab Alex.lib.2.cap.12.

PORTICVS, BASILICAE.

CATO Censorius Portiam basilicam magnificis impensis in vsum pop.Rom.construxit. Alexander ab Alexandro libro 2.capite duodecimo.

TVRRES.

Memoratur Turris illa,quam Ptolemæus fecit in Pharo insula, nõ ad alium vsum quàm ad nocturnos ignes nautarum cursui ostendendos. Hanc autem constituit talentis DCCC. Gnidio Sostrato architecto, qui structuræ tantæ suum inscripsit nomen. Plinius libro trigesimosexto capite duodecimo.

AQVAEDVCTVS.

AGRIPPA Romæ aquam,quæ defecerat vitio aquæductuum, sumptu suo restituit,atque in complures partes vrbis deduxit. Præterea refecit ædificia publica, viásque omnes sine vllo sumptu publico. Cloacas verò ita purgauit, vt per eas in Tiberim nauigaretur. Dion Nicæus in Augusto.Fecit hic in ędilitate sua DCC.lacus,fontes CL.castella CCXXX.signa CCC.ærea aut marmorea imposuit,columnas CCCC.ex marmore.Fecit & aquarum ductus memorabiles.

CLAVDIVS Caligulæ successor,perfecit aquæductum ab ipso Caligula incœptum,in omnes vrbis montes eleuatum,in quem fluebant Curtius & Cæruleus fontes. Erogata in id opus DLV. mille sestertia. Riuũ Anienis lapideo opere in vrbem perduxit,diuisitque in plurimos lacus.Multis in locis inter Baianas atque Puteolanas ruinas,fistulas plumbeas miræ crassitudinis posuit:quarum vestigia nostra quoque tempestate, magna hominum admiratione videntur.Pont.cap.11.de Magnificentia.

IDEM, in maxima panis atque omnium frumentorum apud Romanos penuria, cùm annona non absque maximo discrimine adferri posset,portum(dissuadentibus fabrorum ob sumptus magnitudinem prefectis)ædificare cœpit: iactísque vndique fundamentis, eò mare intromisit.deinde in ipso mari factis vtrinque magnis aggeribus, ac multo mari concluso,in eo insulã fecit,atque in ea turrim ædificauit,in qua lumen nauigantibus nocturno tempore præberetur.Exhibuit etiam crebrò ludos gladiatorios,quibus valde delectabatur.Xiphilinus in eius vita.

FLVMINVM DERIVATIONES, *Exiccationes.*

NITOCRIS, Assyriorũ regina(quæ multis annis post Semiramidem floruit)Euphratem fluuium, qui mediam Babylonem rectus præterfluebat,fecit tortuosum supráque pontem erexit trium stadiorum,diffi cillimum factu propter paludes, quæ vrbem ambiunt. Fecit & ingentes cauernas ad excipiendum fluminis impetũ, egessitque quicquid erat limi ad iacienda fundamenta.Herodotus & Curtius.

NECVS Ægyptiorum rex,Psammetichi F. fossam ad rubrum mare ferentem primus aggressus est,quam Darius Perses secundo loco depressit:longitudinis quidem quatuor dierum nauigationis:latitudinis,vt per eam duæ possent simul agi triremes. Aqua quæ in hanc è Nilo deducitur,paulò supra Bubastis vrbem,iuxta oppidum Arabiæ Pathmon deducitur,euadens in mare rubrum. Initium fodiendi sumptum est à planitie Ægypti,Arabiam versus. Nam quæ supra planiciem sunt, continens prope Memphim occupat mõs,in quo lapidicinæ sunt.Itaque ad huius montis ima ducta est fossa versus hesperum & auroram,longo tractu & deinde pertingens diuortio mõtis tenus,quod diuortium ad meridiem & austrum fert in sinum Arabicum:qua breuissimus tractus, & maximè compendiarius est è mari sepẽtrionali ascensus ad australe, quod idem rubrum vocatur:à monte Casio, qui Ægyptum Syriámque disterminat. Hinc stadia mille sunt in Arabicum sinum. Et hoc quidem breuissimum est:verùm fossa multo longior, scilicet quanto est confragosior. In qua fodienda sub rege Neco centum viginti millia Ægyptiorum perierunt ínque eius medio opere Necus destitit,hoc interpellatus oraculo,eum id opus barbaro præmunire.Ægyptij barbaros omnes vocant, qui non ipsorum lingua loquuntur.Herod.lib.2.

Cùm admirabilis sit Ægyptius labyrinthus, tamen stagnum MORIOS, ad quod labyrinthus ædificatus est, plus præbet admirationis. Cuius in circuitu mensura trium millium, & sexcentorum stadiorũ est, schœnorum sexaginta, quanta videlicet ipsius Ægypti ad mare mensura est.Iacet autem stagnum lõgo situ aquilonem versus, austrúmque altitudine,vbi profundissimum est, quinquaginta passuum. Quòd autem manu facta sit ac depressa,indicat, quòd in eius fermè medio stant duæ pyramides,quinquaginta passus ab aqua extantes, altero tanto ædificij aquis tecto:super quarum vtraque lapideus est colossus, in solio sedens. Ita pyramides sunt centum passuum.Cẽtum autem iusti passus sunt, stadium vnum sex iugerum.Passus inquam mensuræ sex pedum, siue quatuor cubitorum:pedes autem quatuor palmorum,cubiti verò sex palmorum.Aqua stagni natiua non est,vtpote solo illo admodum arido, sed è Nilo deriuata.sex mensibus in stagnum fluens, totidem retrò in Nilum refluens.Illísque sex mensibus quibus effluit, augens regium fiscum talentis argenti singulis in singulos dies,prouentu piscium cùm influit viginti mnis.Hoc stagnum dicebant indigenæ euadere in Syrtim Africæ, perforato sub terram meatu in mediterranea Hesperiam versus, secundum montem Memphi imminentem.Idem.

Isthmum Peloponnesi perfodere nauigabili alueo tentauere DEMETRIVS rex, C.IVL.Cæsar, CAIVS princeps,& NERO, qui ipse accepto ligone opus aggressus est.Plinius libro 4.capite 4.& Xiphilinus in Nerone.

CÆSAR non satis habuit exiccare Pontinam paludem, qua è remirum in modum vicinis populis consuluit, sed per mediam illam strauit viam pontibus pluribus erectis,quo iter in vrbem & breuius esset,& cõmodius: quorum vestigia cùm hodie quoque singulari cum magnificẽtia plurimis in locis extent,ipsæ etiam ruinæ admirationi videntibus atque contemplantibus sunt.Pont.cap.11.de Magnificentia.

CLAVDIVS Cæsar per tria passuum millia montem effodit, & excidit, ad emittendum Fucinum lacum: quod opus ægrè absoluit post vndecim annos quamuis triginta hominum millia sine intermissione operantia adhibuisset.

TRAIANVS strauit paludes Pontitias lapidibus, extruxítque iuxta vias ædificia,pontésque magnificentissimos fecit, ac numum omnem adulterinum sustulit.Dion Xiphilinus.

PONTES.

C.IVLIVS CÆSAR, vno die pontem in Arari constituit:alium supra Rhenum mira celeritate,quem decem diebus absoluit.

C.CALIGVLA Romanorum imperator, pontem inter Puteolos & Baias fecit:qui locus oppositus ciuitati, distat ab ea amplius tria millia passuum. Ad quem pontem faciendum, naues coactæ & ædificatæ fuerũt: nec enim sufficiebant collectæ,propterea quòd pons ita factus non est, vt liceret tantummodo per eum transire: sed fuere etiam in eo diuersoria quædam,ita ædificata,vt in ea aqua bibendi causa deduceretur. Xiphilinus Dionis abbreuiator.

TRAIANVS Romanorum imperator,pontem lapideũ in Danubio faciendum curauit,cuius pontis pilæ sunt 20 ex lapide quadrato, singulæ absque fundamentis altitudine pedum 150. latitudine pedum 60. Distabant autem inter se interuallo 180 pedum, erántque cum fornicibus coniunctæ.Cuius operis sumptus licet sit incredibilis,tamen plus admirationis habet, quod hæc in fluuio gurgitibus pleno, limosóque alueo facta sunt,quódque fluxus eius fluminis aliò auerti non potuit.Eius pontis autem vberiorem descriptionem pete ex vita Traiani apud Dionem, Xiphilinum & alios.Hunc pontem, seu liuore maligno, seu alia causa, dirupit postea Adrianus.

IDEM, in ea expeditione qua in Parthos profectus est, cùm iam in hostilem terram ingrederetur, atque ea regio quæ ad Tigrim fluuium spectabat,materiam ad ædificandas naues non ferret, ea nauigia quæ in syluis apud Nisibin fecerat, plaustris in flumen conuehi iussit. Sic enim comparata fuerant,vt dissolui & coniungi possent, ægréque ad radices Cardyni montis pontem fecit in flumine continuatis nauibus, quamuis hostes ex aduerso collocati prohiberent.Dion & Xiphilinus.

CAROLVS Magnus Gallorum rex, Rheni ad Maguntiam ripas ponte iunxit,qua parte quingentos passus fluminis latitudo erat. Pont.cap.11.de Magnificentia.

SIXTVS

SIXTVS pontifex,qui Paulo successit,põtem Tyberis qui ab eo dictus est,fecit:vias vrbis magna ex parte strauit, templa quædam noua ædificauit, vetera instaurauit, nullisque in exornanda vrbe sumptibus pepercit.Pont.cap.12.de Magnificentia.

INSVLAS.

ANYSIS rex Ægyptius,insulam Elbo fecit.Vide titul.Cæcorum,

SVMPTVS IN ÆDIFICIIS PRIVATIS, QVÆ TAMEN *ipsa quoque ad totius ciuitatis ornamenta pertinent.*

Fecit SALOMON sibi regiam candenti pauimento, triplici intus materia, cedro, argento & auro. Quod opus absoluit tredecim annorum spacio.

REGIAM solis describit.Ouid.lib.2.Metam.his verbis:

Regia solis erat,sublimibus alta columnis,
Clara micante auro,flammásque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat,
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.
Materiam superabat opus:nam Mulciber illic
Æquora cælarat medias cingentia terras,
Terrárúmque orbem,cœlúmque quod imminet orbi,&c.

Septem orbis miraculis quidam addunt DOMVM Cyri Medorum regis,quam fabricauit Memnon, illigatis auro lapidibus.

Regia Latini regis centum columnis fuit sublimis, & cedrinis auorũ simulachris ornata.Verg.lib.7.Æneid.

Socrates dicebat,ARCHELAVM quadraginta minas in domum suã impendisse, conducto mercede Zeuside Heracleota, qui picturis eam exornaret:in seipsum verò nihil.Et ob hanc causam multos è lõginquis terræ partibus,magno studio contemplandæ domus causa venire: ipsius verò Archelai gratia neminem in Macedoniam proficisci, nisi si quem fortè persuaderet,pecuniis & muneribus inescaret:quibus tamen honesti bonique viri capi non possent.Ælian.lib.14.de Var.hist.

CAIO Octauio multum contulisse autoritatis & gratiæ inter ciues, Cicero refert quòd domum magnificam ædificasset.Pont.cap.11.de Magnificentia.

MAMVRRA Formiis natus,eques Romanus,vt tradit Cornelius Nepos,primus Romæ parietes in Cælio monte domus suæ marmore incrustauit.Idem solidas quoque è Carystio & Lunẽsi marmore columnas habuit,Plin.& Volat.testibus lib.17.

M.LEPIDO viro cõsulari,& Q.Catuli collegæ,fuit olim domus omnium in vrbe pulcherrima,quæ tamen intra annos XXXV, centesimum locum non obtinuit.Rauis.

P.CLODIVS,quem Milo occidit,domum habuit sestertiis CXLVII millibus emptam.Idem.

In M.SCAVRI villæ incendio bis millies sestertiûm absumptum legitur.

Cicero non minoris quinquaginta millibus aureis habitauit. Quam pecuniam furto & rapina comparatam scripsit Salustius,in sua contra eũ inuectiua.

C.Iulius Cæsar,cùm magnis sumptibus villam ædificasset, absolutam dirui iussit,eo quòd animo suo nõ plenè satisfaceret.Pont. ca.11. de Magnificentia.

C.MECOENAS, tum in aliis multis tulit magnificentiæ laudem, tum in turri illa edicissima, quæ postea Mecœnatiana dicta est.Ibidem.

NERONIS domus non solùm auro fuit perpolita, sed gemmis atque vnionibus distincta,cœnacula tabulis eburneis,iísque versatilibus laqueata,quò tum flores per fistulas spargi,tum vnguenta desuper desfluere possent. Ad eam peragendam Otho quinquenties sestertiûm, id est duodecies cẽtena & quinquaginta millia aureorum nostrorum attribuit, quum tamen nihil deesset operi:atque hoc tam prodigiosum ædificium à theatro M.Scauri victum,contendit Plinius.Habebat illa Neronis domus stagnum instar maris,vineta, syluas, cum omni pecudum genere & ferarum.Item aues argenteas,quæ in modum cœli mouebantur.In solariis lapidem quendam Sphengitem,quo perpetuus dies illucebat.

BORSIVM Estensem ferunt amplissimas semper & magnis sumptibus ædes ædificasse, quibus familiares quosdam suos donaret. Pont.de Magnificentia,cap.7.

Robertus princeps Salernitanus, cùm magnificam Neapoli domũ ædificaret, ad cędendam comportandamque è Lucania materiam multos constituit.Ibidem.

STATVÆ.

Exempla aliquot vide sub loco Bonorum fortunæ.

SEPVLCHRA.

Exempla pete ex loco Bonorum fortunæ

In Lydia sepulchrum est HALYATTIS Crœsi patris, inter omnia & Ægyptiorum & Babyloniorũ opera in primis admirandum. Cuius basis è grãdioribus est lapidibus,reliqua sepulchri pars agger terrę.Quod sepulchrum construxisse feruntur homines emptícij atque operarij,& vnà cum his adiuuantes ancillæ.Ad nostram vsque ætatem tumuli summitas quinque terminis distinguitur,quibus literæ insculptæ indicant, quantũ quique hîc laborauerint. Apparétque, si metiare, ancillarum opus esse maximum.Lydorum siquidem filiæ omnes meretricantur:atque hoc nimirum quæstu tantisper dotem colligunt, dum nubiles ipsæ se elocent. Sepulchri autem huius ambitus stadiorum est sex, & duorum iugerum: latitudo,iugerum tredecim.Herod.lib.1.

ARTEMISIA regina Cariæ, Mausolo marito mortuo sepulchrum erexit inter orbis miracula annumeratum,cuius altitudo attollebatur XXV cubitis:cingebatur columnis XXXVI. Patebat ab Austro & Septentrione LXIII pedes.Toto circuitu cõtinebat pedes CCCCXI.Ipsum ab oriente cælauit Scopas,à septentrione Briax, à meridie Timotheus, ab occasu Leocares.Regina opere nondum absoluto concessit fatis:artifices tamen non recesserunt nisi eo consummato.Plin.lib.36 cap 5.Ab hoc sepulchro omnia regum & imperatorum monumenta,quæ preciosa sunt,vocantur Mausolæa,De hoc Propert.lib 3.

Nec Mausolæi diues fortuna sepulchri,
Mortis ab extrema conditione vacat.

SVMPTVS IN BIBLIOTHECIS COMPARANDIS, *aut LIBRIS excudendis.*

Hic Magnificentiæ ratio habetur.Superiori loco Bibliothecas inter præceptores mutos retulimus.Exempla inde petantur.

D.AMBROSIVS,per Originem à secta Valentini & Marcionis conuersus,Originem ad sacras literas commentandas cohortatus est, suisque sumptibus aluit,septem ei notarios & complures puellas ad scribendum exercitas adiungens,qui inuicem sibi per horas succederent. Suidas & Origenes in epistola quadam.

Nicolaus V.pont.max.bibliothecam Vaticanam mirum in modum auxit,libros sacros plurimos sumptibus suis describendos curauit: vt cùm in cæteris rebus publicè & priuatim liberalis fuerit,in hac ipsa magnificus quoque videri potuerit.Platina in eius vita.

Habemus quoque nostro seculo illustria huiusce laudis exempla. FERDINANDVS Imp. Ioannem Langium pro versione Nicephori quingentis aureis donauit,& Oporinum ad illius editionem spe amplissimorum præmiorum inuitauit.Sed quid hæc in Cæsare admiramur?Cùm inter Augustanę Reip.patricios,vt cęterarum virtutum, ita etiam liberalitatis clarissima reperiantur lumina.Inter quos vt tempore,sic etiam loco primus erit LEONARDVS Beck à Beckenstain,qui ad Laontei Chalcocondylę de rebus Turcicis historiam Gręcam Latino simul & Germanico idiomate conuertendam sumptus liberalissimè suppeditauit, & trecẽtos florenos integro triennio absque omni fœnore vtendos Oporino concessit longè maiori liberalitate erga eum in posterum vsurus, nisi auaricia & improbitas quorundam, quorum nomine ipse facultates suas in periculum coniecerat,pręclaris illius conatibus obstitisset.

FVGGERORVM in hac parte regia extat magnificẽtia. Io.IACOBVS ad Ziegleri opera excudenda trecentis florenis, ad magnum illud opus Comment.in orationes Cic.quingentis coronatis Oporinum ità iuuit, vt donatione excepta, nihil ab illo liberalius fieri potuerit. ANTONIVS pro Zonarę atque Nicetę versione Hier.Vvolfium virum doctiss. ducentis florenis,Oporinum pro eorundẽ editione totidem donauit,quingentos insuper absque omni vsura mutuò dedit. Patris opt.liberalitatem erga Oporinum,IOANNES & MARCVS FF.tanto patre digni, in Nicephoro Gregora imitati sunt:& porrò, concedentibus fatis, imitabuntur.

Eodem munificentię genere CAROLVS Villingerus, Baro à Schœnberg generosiss.commendari debet, cuius opera & liberalitate, Hier.Vvolfius Suidam ex Grammatico Historicum fecit: eundemq; anno 1564 typis elegantissimis Oporinus euulgauit,octoginta florenorum munere ab amplissimo viro ornatus : nec minoribus pollicitationibus vlterioris beneuolentię animatus & incitatus. Atque vt illius magna li-

beralitas fuit, ita fortassè non minor Oporini alacritas: qui in grauissima pestilentia, cessantib, aliis, de nulla re minus quàm de morte sollicitus, Suidam absoluere voluerit. Ad triarios certè res redierat, ita vt vix, quæ operi perficiendo pares essent, operæ typographicæ relinquerentur. Peruicit tamen omnes istas difficultates Oporinus, ne vel de studio suo erga Remp. aliquid remisisse, vel erga clarissimum virum parum gratus extitisse videretur: eo solo excepto, quòd geminum Indicem, tam prouerbiorum & ὁνομαστικῶν, quàm historiarum extra alphabeti ordinem expositarum, propter operarum eladem, Suidæ annectere non potuerit. Quod tamen damnum magno cum fœnore aliquando resarcietur.

Sic quoque Io. Bapt. Hainzelius, consul Augustanus, vt non tantùm patriæ prudentia sua consulere videretur, verùm etiam Reip. literariæ opibus suis prodesset, superiorum exempla, seu potius suum ipsius heroicum secutus genium, Oporino ne petenti quidem centum florenos vltrò transmisit, vt eo facilius in cœptis laborib. pergere posset. Similiter Georg. à Stetten sexaginta Ioachimicos. Quorum liberalis promptitudo laude dignissima est, quòd vna eadémque opera & Oporinum subleuarunt, & literario suo thesauro consuluerunt: Oporino per singulas nundinas debitæ gratitudinis ergò optimos quosque, qui recens editi essent, authores transmittente.

Sed & generosus Baro D. Ioan. Georgius Pavngartnervs, patricius item Augustanus, non minore cæteris beneuolentia promouere Oporini conatus, annis aliquot studuit, trecentis & amplius florenis non semel absque vllo fœnore, tantum certo tempore præscripto reddendis, vltrò ad ipsum missis: quo sumptui typographico, qui immensus esse solet, temporibus adeò afflictis sustinendo melius sufficere posset.

Nec minore Oporinum ad publica commoda promouendum studio, hoc ipso etiam anno Generosus heros D. Lazarvs à Styvenden, Philippi Hisp. regis primùm, ac inde etiam Cæs. Maiest. Archistrategos: itémque Doctissi. vir D. Ioannes Stvrmivs, Scholæ Argentinénsis Rector, cum rursum infortunio quodam vexari illum, amicorúmque ope indigere intellexissent, centum singuli florenis vltrò ad ipsum missis, succurrere amico dignati sunt, libros tantum ab eo paulatim ad solutionem accipere contenti. quin & ampliorem vterque erga eundem munificentiam polliciti, quamprimùm ex difficultatibus, vtrique hoc tempore præter & meritum & expectationem obiectis, eluctati fuerint.

Ludovicvs quinetiam Grempius, Inrecos. doctissimus: quantum communia studia promouerit, testis esse potest Oporinus, illius liberalitatem in difficillimis rei typographicæ temporibus sæpissimè magno cum fructu expertus.

Æ. qualis, ne dicam maior, omnibus istis Christophorvs Vrsitmolsetus, qui iam propè fluctibus marinis obrutum Arionem, anno Christi 1558 è piratarum manibus eripuit: & mille Ioachimicorum præsidio Delphinum muniens, vt securius vastissimum typographiæ pelagus sulcare posset, effecit. Insignis hæc profectò viri opt. liberalitas fuit, séque maior, quòd nomine solo notum Oporinum, sola illius fide, & paruo chirographo contentus, tanta pecuniæ summa iuuare non dubitarit. Hanc verè magnifici herois munificentiam filij tres, Ioannes, Christophorvs & Esaias, vt studio suo viuentem patrem excitarunt: ita post eiusdem obitum sancta imitatione adæquare, ne dicam superare, contendunt. Deus opt. max. nobis Mecœnates tantos diutissimè incolumes seruet, vt illorum benignitate Respub. literaria contra imminentem Barbariem protegatur. Nam quod ad præmium attinet, effulgebit procul dubio in censorio illo die, quo cuiusque opera examinabuntur, Christiana tantorum virorum liberalitas: & hîc interea in terris tandiu gloria illorum florebit, quoad studiosi, ad quos tam præclarus in omni genere disciplinarum peruenit thesaurus, Oporinianis laboribus fruentur.

Io. Rodolfvs Stœr, Antistes Morbacensis & Ludrensis, annuum stipendium, quo doctiss. virum Sigismundum Geleninum literarum nomine ornauerat, post illius mortem in Oporinum, Bibliothecæ suæ, quam multos iam annos maximis sumptibus colligit, locupletandæ ergò, liberalissimè deriuauit.

Est quoque Hvldrici Fuggeri commemoranda munificentia, qui gentilium suorum vestigia imitatus, Henricum Stephanum doctiss. & elegantiss. typographum annuo stipendio conduxit: quo veluti obstricturo scriptores optimi, Græci simul & Latini, in lucem edantur.

Ioannes Vngenad, Baro in Sonnegg, & fortitudine & magnificentia Christiana admirabilis adeò, vt nostra quoque sæcula Cornelium Cæturionem tulisse videantur, immensis sumptibus characteres Dalmaticos & Croaticos sculpi, iisque religionis Christianæ præcipuos libros excudi curauit, vt exemplaria vel inuitis Turcis obtruderentur. Vidit enim generosissimus vir, libris potius quàm armis Turcorum tyrannidem deseri posse. Itaque dum alij venaticos canes, equos generosos, exercitio prosusis sumptibus alunt: alçe, poculis, veneri indulgent: ille diuino illustratus spiritu verique solis iustitiæ radios in sese colligens (cuius omen cognomina ipsa fecisse videntur) talentum sibi à Domino concreditum multo cum fœnore exercet & auget.

LIBRI MAGNO REDEMPTI.

Exempla quædam ex tit. Docti viri in precio habiti, peti possunt, eorum præsertim qui aliorum labores magnis præmiis prosecuti sunt.

Plato Philolai Crotoniatæ Pythagorici libros tres, centum minis, etiam in difficultate rei familiaris, mercatus est, ex quibus multa in suũ Timæum vsurpauit, Vide lib. 18. Antrop.

Viginti talentis vnam orationem vendidit Isocrates. Plin. lib. 7. ca. 30.

M. Popilivs Andronicus opusculum quoddam annalium xvi. millibus numũm vendidit. Tranquil. de Gram. illustribus.

Plinivs iunior refert, potuisse se (quum procuraret in Hispania) vendere suos Commentarios Largio Licinio quadringentis millib. numũm. Quis nunc regum (inquit noster Budæus) emere bibliothecam confertissimam decem aureorum millib. velit, quanti à Plinio ciuis vnus priuatus regesta quædam extemporanea licitari ausus est? Plin. libr. tertio Epistolarum.

Antonivs Pius, cùm Oppianum poetam de natura piscium canentem audisset, singulos versus aureo numo redemit. Illius ergo posthumũ aurea carmina sunt nuncupata. Æneas Syluius libr. 3. Commentariorum de rebus gestis Alphonsi. Verùm hoc alij ad Antoninum Caracallam referunt, quod verisimilius est. Nam Oppianus Severo mortuo, à quo pater eius in Meltâ insulam relegatus erat, oblato poemate eius filio Antonino Caracallæ, & parentis in patriam reditum impetrauit: & ab eo tot idem aureis numis, quot erant versus, donatus est. Quanquam huius rei, haudquaquam indignæ relatu, Spartianus non meminit.

LIBERALITAS EN ΔΟΣΕΙ QVÆ IN MAgnis propriè munificentia dicitur.

BENEFICENTIA DEI ERGA HOMINES.

Consule titulum, Orationis effectus.

BENEFICENTIA HVMANA, ET LIBERALIS.

Humanam voco, quoniam ab homine proficiscitur: siue erga Deum, siue erga homines exerceatur, nihil refert. Liberalem verò, vt distinguatur à Beneficentia illiberali, quæ benefacit quidem, sed spe maioris præmij. item à Beneficentia prodiga, quemadmodum ab initio huius Libri docuimus.

MVNERA, DONARIA, ANATHEMATA DIIS DATA.

Midas Gordij F. Phrygiæ rex, primus regiam sellam, in qua iura dicere solitus fuerat, Delphico Apollini dono misit. Post eum Gyges Dascyli F. qui Candaule obtruncato, regnum Lydorum inuasit, eo quòd regnum ei confirmarat Pythia, præter auri & argenti immensam vim, crateres aureos sex, pondo triginta talentorum, muneris loco obtulit: locus, in quo repositæ sunt, Gygadas dicitur. Eius abnepos Halyattes, Sandyattis F. secundus ex hac domo, cùm è morbo conualuisset, dedicauit Delphis grandem ex argento crateremitémque alteram ex ferro paruulum, compactilem, inter omnia Delphorum donaria spectatissimum: opus Glauci Chij, qui primus omnium ferri compactionem excogitauit. Croesvs Halyattis F. muneribus omnes vicit. Herodot. libro primo.

MVNERA QVIBVSVIS HOMINIBVS.

religionis ergò, data.

Cum

Cùm Amphictyones templum, quod nũc Delphis est (quia illud prius sua sponte deflagrauerat) trecentis talentis construendum locassent: Delphi, quos quarta pars sumptus cõtingebat, circa ciuitates vagi, cùm aliũde, tum verò non minimum ex Ægypto retulerunt. Nam Amasis rex Ægyptius, eis mille talenta aluminis: Græci autem qui Ægyptum incolebant, vicenas minas donauerunt. Herod. lib. 2.

HOSPITALITAS LIBERALIS, EAQVE *religiosa & pia.*

Abrahãm in valle Mambre ante ostium tabernaculi sedet, ne quis pertranseat, quem ad se diuertere nõ roget. Tres venire videt, neque dum adueniant expectat: sed currit obuiam, atque adorat, vt hospires non fouendos solùm, sed etiam honorandos scias. Orat, ne se prætereãt, quasi acceptarus, non daturus beneficium. Et primùm aquam pedibus parat: vt doceat, omnium virtutum fundamẽtum esse humilitatem. Subcinericios panes, butyrum & lac, & vitulum coctum apponit: vt copiosè potius quã luxuriosè hospites pascendos esse demonstret. Denique discedentes deducit, vt quos benignè accepimus, eosdem cum honore discamus dimittere: ne si incomitati hospitij limen exierint, expulsi magis quam dimissi esse videantur. Nec arbitreris, ideo illos ab eo sic acceptos, quia scierit angelos esse: sed potius quia sic homines accepit, angelos quoque accipere meruisse: & tales angelos, in quibus sub trinitatis typo maiestas vnius Dei adoranda facilè appareret. Marul. lib. 1. cap. 6.

Loth, Sodomę eosdem angelos hospitio susceperit: nec rogauit solùm, verumetiam compulit eos vt apud se diuerterent. Itaque alter, exoratos statim suscipiendos monet: alter, si vlterius recusarint, cogẽdos suadet. arguens nempe illos, qui sic summis labiis etiam notos interdum inuitant, vt palàm sit ipsos hospitales videri quàm esse malle. Loth præterea tanto affectu hospites suos ab iniuria nefandissimorum hominum eripere nixus est, vt duas virgines filias pro illis stuprandas offerret. Sed perturbatus flagitiũ flagitio voluit cõmutare: nosin illo fidẽ hospitij imitemur, non mẽtis turbationẽ, ne dum hospes præter modum defenditur, offendatur Deus. Denique angeli vt Loth gratiam referrent, illum de consortio eorum quos pro scelere vltum aduenerant, cum suis simul incolumen eduxerunt. Cúmque euerterent Sodomam & Gomorrham sulfure & igne de cœlo misso, pepercerunt Segor propter eum: quia illuc confugerat, ne simul cum impiis perderent iustum, & cum aduenarum infestatoribus aduenarum susceptorem. Marul. lib. 1. cap. 3. & Sab. lib. 7. cap. 6. ex Gen. 19.

Prompta ad hospitalitatem videbatur Rebecca, quæ dixit seruo Abrahæ: Palearum & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Et paulo pòst dixit eidem Labam: Præparaui domum, & locum camelis. Gen. 24.

Exploratores, quos misit Iosue, accepit hospitio Raab meretrix liberaliter, & custodiuit fideliter, ac dimisit. Et domus eius tota ab hoste seruata est. Iosue. 2. & 6.

Senex quidam (vt in Iudicum libro legimus) habitans in Gabaa vrbe tribus Beniamin, cum vidisset hospiti suo Leuitæ vim parari ab effrenatę libidinis viris, loco ipsius filiam eis virginem tradere voluit. Hospes verò ne illi à quo benignè exceptus fuerat, dedecoris ignominiæque causa existeret, sua quam secum habebat coniuge raptoribus satisfecit: qua illi ficabusi sunt, vt extinctam reddiderint. Digna imitatu & semis humanitas, & Leuitæ gratitudo, si modum seruet affectus. Sed omnino defugiendum execrandúmque exitiale Gabaonitarum scelus: quo effectum est vt tribus Beniamin propè delera fuerit, vrbes vicique eius incensi: & his qui cædem fuga euaserant, connubia reliquarum tribuũ diu interdicta. Tam magni mali causam præbuit libido paucorum. Marul. lib. 1. cap. 3. & Sab. lib. 7. cap. 6.

Iethro recepit peregrinum Moysen hospitio. Postmodum autem filia eius, & nepotes sui, fuerunt per illum magnificè honorati. Exod. 2.

Testatur Moyses dicens: Dominus Deus noster amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum: & vos quoque amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ. Deut. 10.

Quidam boni Israelitæ, captiuos Iudæos vestierunt, & illos qui ambulare non poterant imposuerunt iumentis, & duxerunt ad fratres eorum. 2. Reg. 28.

Vidva Sarephtana cui nihil aliud erat præter pusillum farinæ in cado, & paululum olei in lecytho, totum id quod habuit, petenti Heliæ prophetæ concedere non dubitauit. Et ex illa die cadus ei farinæ nõ defecit, nec lecythus olei fuit imminutus, donec pluuiam dedit Dominus super terram. Denique paruulum filium Ionam, quem mors abstulerat, pieras viuum in sinu matris restituit, annuẽte Domino precibus prophetæ, quem illa & cibo pauerat, & fouerat hospitio. Marulus libro primo, capite secundo, ex 3. Reg. 17.

Mvlier Sunamitis transeuntem Helisæum legitur renuisse, & secum panem comedere compulisse, tam familiariter, vt deinde non rederet propheram ad illam virúmque eius frequenter diuertere, eorũ consuetudine vti, cum ipsis vnà cibum sumere. Multos hospites aduentus nõ tantùm non restinxit studium eorum, sed magis inflammauit, vt etiam cœnaculum illi construerent, in quo veniens requiesceret, & diutius apud se manendi occasionem haberet. Quibus meritis precante Helisęo & filium genuerunt, cùm antea sterilis fuisset: & eundem cùm decessisset, vitæ restituerunt receperunt. Marul. lib. 1. cap. 3. ex 4. Reg. 4.

Iob dicebat: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Iob. 31.

Salvator discipulos ad prædicandum mittens, in illis seipsum recipi asserit, inquiens: Qui vos recipit, me recipit: qui vos spernit, me spernit. Matth. 10. Luc. 10.

Martha, postquam excepit Iesum in domum suam, ministerio intenta, parandíque cõuiuij sollicitudine ardens, nequit facere animo suo satis. Proinde Mariam sororem vti se adiuuet, secúmque collaboret vocat. Itaque quali cura, quantóque affectu hospes honorandus sit, documento nobis est. Nec ideo nos negligentiores esse debemus aduenam aliquem suscipientes, quia seruum, non Dominum suscipimus, cùm ipse protestetur ac dicat: Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me susceperit. Et iterum: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec quenquam moueat, quòd Maria sedens secus pedes Iesu, & verbum illius audiens, optimam partem dicitur eligisse. Non enim propterea hospitalitatem Marthæ improbatam credimus: sed bono melius præ latum, actioni contemplationem. Ad quam tamen non poterit peruenire, qui non prius iusticię exercitationibus labem expiauerit delictorum. Vt tunc demùm ad conseruanda Dei inuisibilia animus attollatur, cum liberum se esse perse nserit onere peccatorum. Marul. lib. 1. cap. 3.

Gaudens accepit Dominum Zachæus in domo sua, & Dominus ipsum magis gaudentem effecit, dicens: Hodie salus huic domui facta. Luc. 19.

Duo Discipvli in castellum Emaus tendentes, cum Iesu simul eũt simul fabulantur: externum ac peregrinum esse putant, donec compulsum secum manere, & secum recumbere, in fractione panis agnoscerunt eum. Sic igitur hospitalitatis officium ad agnitionem Dei nos adducit, vt quem nunc in ænigmate & per speculum videmus, post hęc facie ad faciem, & sicuti est, videre valeamus. Marul. lib. 1. cap. 3. ex Luc. 24.

Pavlvs apostolus Hebręis præcipiens ait: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci, per hãc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Et Dominus ad discipulos: Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit: Qui recipit propheram in nomine prophetę, mercedem prophetę accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquę frigidę tantùm, in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Idem ex Heb. 13.

Apostoli hospitabantur vt plurimùm in domibus artificum, & hominum mediocrium. Vnde legitur de Petro, quòd hospitabatur apud Simonem quendam coriarum, iuxta mare. Act. 10.

Mulier purpuraria, nomine Lydia, baptizata ad prædicationem Pauli valde liberaliter & deuotè rogauit, imò coegit Paulum & socios suos manere in domo sua. Act. 16.

Cùm euasissent Paulvs & socij naui fracta, tempore hyemali, Barbari non modicam humanitatem præstabant eis. Accensa enim pyra reficiebant eos, propter imbrem qui imminebat, & frigus. Act. 28.

Pvblivs princeps insulę Mitylenę, ad quam Paulus & socij eius post tempestatem venerunt, suscepit eos triduo benignè: Paulus autem patrę eius febribus & dysenteria laborantem sanauit. Ibidem.

Commendat Gaivm beatus Ioannes in tertia sua epistola, dicens: Charissime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

Onesiphorvs Ephesius, discipulos Christi susciperе solitus, sic ab apostolo Paulo benedicitur, vt dubitare non sit, quin hospitalitatis officiis eterne vitę præmia sibi compararit. Det, inquit, misericordiam Dominus Onesiphori domui qui sæpe me refrigerauit, & cathenam meam non erubuit: sed cùm Romam venisset, sollicitè me quęsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi! O fœlix igitur Onesiphorus, qui aliquando auditurus est optatissimam vocem illam vocantis Domini, ac dicentis: Veni benedicte patris mei, posside tibi regnum parauum à cõstitutione mundi: hospes enim eram, & collegisti me: in carcere eram, & venisti ad me. Amen dico tibi, quicquid fecisti vni de his fratribus meis minimis, mihi fecisti. Marul. lib. 1. cap. 3.

Sylvestrvm hospitalitatis prętер cętera studiosum fuisse ferunt. Timotheum ab Antiochia venientem presbyterum, & ipse presbyter domi suę benignissimè susceрit. eundem mox, quia Christum prędicabat, martyrio coronatum, condidit ac sepeliuit. Cui enim viuo hospitium prestiterat, mortuum tumuli honore carere non sustinuit. Deinde ad pontificale officium promotus, effecit vt omnibus ad vrbem aduentantibus, apud se hospitandi ius esset. Ita vt cum beato Iob iure suo dicere posset: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Idem: & Sab. lib. 7. cap. 6.

Gregorivs pontifex, non solùm facilem ad se aditum concessit peregrè aduenientibus, sed etiam per fora & compita passim quęsitos inuitauit, insuper discumbentibus interdum ipse ministrauit. Qua humilitate meruit aliquando conuiuam habere Christum. Semel enim inter ministrandum, dum se paulisper auertisset, conuersus deprehendit vnum ex conuescentibus non apparuisse. Quam rem vehementer secum admiranti, nocte proxima affuit in visu Dominus, dicens: Eò quòd cęteris diebus membra mea hospitio mensaque excepisti, dignus fuisti qui he-

sterno exciperes & caput. Palã quippe fieri voluit Saluator noster, qui est caput nostrũ, se ipsum in peregrinis recipi, quos sua membra esse dixit: sibique præstitum imputari, quicquid præstaretur illis. Si ergo Iesum suscipere cupimus, aduenas & peregrinos non contẽnamus. Idem: & Sab. lib. 7. cap. 6.

GERBONIVS, Populonij episcopus, occidi potuit: cogi autem vt hospites proderet, non potuit. Totilæ regis irati minas contempsit, nolens prorsus latebras indicare eorum qui ad se confugerant. Et cùm vrsis ferocissimis obijceretur lacerandus, atque inter illos illęsus versaretur, verecundia regem cæpit, nolle ei parcere, cui feræ beluæ pepercissent: ac protinus hominem dimitti iussit. Ibidem.

Ad MARINVM monachũ paruulo sub tugurio in solitudine habitãtem, aprum aliquando à venatoriis canibus actum confugisse legimus. Quem ille apud se tandiu latere permisit, donec ei sine periculo ad sua lustra redeundi facultas affuit. Cui tantæ curæ fuit tutum bestiæ præstare hospitium: quo cum studio vel suscepisse homines, vel suscepturum fuisse putabimus? Certæ etiam rationis expers ac syluestre animal, humanitatem fidémque illius quodam naturæ præsagio videtur persensisse, cum in tam præsenti periculo sese ei credere, quàm syluas fuga petere maluerit. Ibidem.

DOROTHEVS Ægyptius monachus, licet pauperrimus, & tenui admodum victu contentus fuerit, attamen ex lapidibus collectis quotannis habitaculum construebat ad hospites excipiẽdos. Volaterran. libr. 21. Anthrop.

LEO IX. pontifex, summa erga pauperes liberalitate, cum ante fores suas leprosum pauperem inuenisset, eúmque in lecto suo collocari iussisset: apertis mane à ianitore foribus, nuspiã pauper inuentus est, sed Christum pauperis habitu ibi recubuisse creditum. Platina in eius vita.

NEAPOLITANI, vt hospitalitatis iura sanctissimè seruarent, in Mariæ domo omnes pauperes hospitio excipiebant, educabant, omnia necessaria præbentes ad victum & vestitum: in qua etiam vna vice expositicias puellas noningentas educari multi boni viri viderunt. Quod quanquam abundè mirandum: illud tamen multo admirabilius, quòd easdem pudicè liberalitérque institutas, qui domui præsunt, honestis viris bona cum dote elocant. Pont. lib. de Liberalitate, cap. 19.

CLODOVÆVS, filius Dagoberti regis Francorum, honorificè hospitio suscepit sanctum Furseum, peregrinantem ad Gallias. Sigebertus in Chronicis.

LVDGARD, matrona omnium castissima, totum patrimonium suum offerens, omnia ad curam pauperum & susceptionem peregrinorũ, multis locis distribuit. Visitauit & ipsa Bremæ quotidie infirmos, nec erubuit ipsis ministrare. Cranzius lib. 1. cap. 41. Metrop.

XYSTVS IIII. Rom. pontifex, vir planè humanus ac hospitalis, miseros atque à Turcis eiectos principes Bosnæ Cyrique reginas, præterea Andream Palæologum Peloponnesi, & Leonardum Toccum Epiri despotos aluit. Volat. lib. 22. Anthrop.

RELIGIOSA ETHNICA.

SCIPIO NASICA, à senatu vir optimus iudicatus, matrem Deûm tunc primùm aduectam, apúdque virum optimum ex oraculo diuertẽdam, hospitio suscepit. Volat. lib. 19. Anthrop.

ELEEMOSYNÆ CHRISTIANÆ.

ALIMENTA PAVPERIBVS SVBMINISTRARE, conuiuio pauperes excipere.

TOBIAS, omnia quæ habere poterat, cùm captiuis fratribus, qui erant de genere suo, impartire studebat, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat. Tob. 1.

ABDIAS, centum prophetas in spelũca metu Iezabelis vxoris Achab delitescentes, occultè pauit.

Dominus noster IESVS iubens discipulos, vt turbis in deserto epulũ darent: quinque panes & duos pisces, cùm nihil aliud haberent, discumbentibus apposuerunt. Atque vbi omnes pransi ac saturati essent, pro quinque panibus duodecim cophinos reliquiarum plenos retulere. Aliàs item de appositis septem panibus, & paucis pisciculis cùm multitudinem esurientem satiassent, septem sportas fragmentis, quæ super erãt, impleuére. Vt experimento disceret, nequaquam fallere eum qui dixerat: Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & cõfertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Marul. libro primo, capite primo.

D. GREGORIVS pontifex, non contentus vulgi tantum subuenire inopiæ, omnibus vbique Christi seruis, quantum Romanæ census ecclesiæ suppeditare potuit, necessaria ministrauit: & ministrando effecit, vt in monasteriis monachorum cresceret numerus, in solitudine degentibus incommoda solitudinis minus grauia forent: per Syriam dispersis & in Syna vsque habitantibus, Roma non ita abesse, vt abest, videretur. Ibidem.

Ad EVNDEM, dum adhuc abbatis officio fungeretur (venisse quendam atque eleemosynam poposcisse legimus, quòd se naufragium fecisse diceret: & cùm sex numos ab eo accepisset, mox reuersum, totidem pari facilitate (tanta erat largitoris benignitas) impetrasse. Perendiè rursum accessisse lamentantem, minimum quid præ iis quæ in mari amiserat, sibi fuisse emendicatum, proinde ad opem eius implorandam iterum atque iterum necesse se habere confugere. Tunc murmurante multum dispensatore, ac dicente, Iam aliud nihil quod dari possit, præter argenteam laguneulam in monasterio restare: continuò eam ipsam à Gregorio tradi iussam. Neque verò multo pòst summus pontifex designatus, cùm duodecim tantum peregrinos pauperes (in illis, apostolos Domini veneraturus) inuitari præcepisset, discumbentes intuitus, præstituto numero vnum superesse animaduertit: & cùm inuitatorem criminis argueret, quòd plures quàm iussus fuerat conuocasset, ille econtrariò nequaquam plures esse asseueraret, eos de integro considerare cœpit: atque eum ipsum quem vt solus videre potuit, ita solus residuum esse adnotarat, subinde mutari deprehẽdit, & modò iuuenis, modò senis speciem vultu præferre. Tali ostento attonitus, silentium tantisper tenuit, donec peracto conuiuio seorsum euocatum, quisnam esset interrogauit. Ille se non hominem, sed angelum esse respondit, cui aliquando sumpta naufragi forma, mendicanti ipse & pecuniam & argenteam laguneulam largitus esset. Cúmque subiunxisset, tum demum illum à Deo electum, qui præesse ecclesiæ post Pelagium põtificem deberet, euestigiò tenues dilapsus in auras, cõspectum eius dereliquit. Gregorius igitur, quoniam neque sæpius petentis procacitate sic offendi potuit, vt non misereretur neque monasterij sui tenuitate sic deterreri, vt petenti aliquid non tribueret, dignissimus iudicatus est, cui vineæ Dei manu plantatæ, & mundi per Christum saluati cura regiménque committeretur. Ibidem.

EVPHEMIANVS Romanus, & Aglae vxor eius, cùm diuitiis pollerent, nec prolem vllam habere possent quotidie, positis tricliniis, pauperculos domi conuocatos reficiebant, propriis manibus ministrantes. Quibus pietatis officiis meruerunt parentes fieri sanctissimi viri Alexij. Quo vnico contenti, deinceps continentiam inter se perpetuò seruarunt. Tot igitur fructus produxit eleemosyna, vt sterili partum daret, partui sanctitatem, parentibus castitatem, omnibus paradisum. Ibidem.

APOLLONIVS confessor, mendicis morbo laborantibus operam & pastum suppeditabat. Rauis.

SABBA monachus, dum Hilarionem abbatem cum trium millium monachorum comitatu venientem excipiens, in vinea sua ad vuas, quæ iam maturæ erant, inuitasset, & omnes earum pastu refocillati essent: vsqueadeò multiplicatum inde collegit fructum, vt vinea quæ integra cẽtum lagenas æstimata fuerat, depasta, trecentas redderet. Marul. libr. 1. cap. 2.

ARCHEBIVS Ægyptius monachus, cùm eremum in Ægypto incoleret, cellulam, quam sibi iam quinquagenarius ipse ædificauerat, Ioanni Cassiano monacho, qui illuc ab extera regione se contulerat, cum omni suppellectile dono dedit: sub eo nomine, quòd cuicunque monacho deinde contigisset, illuc venire, eam daturus esset. Cæterùm vt cella Cassiano cessit, statim etiã ædificare cœpit, quam similiter aduentãti peregrino monacho dedit, tertióque idem repetiit. Tecum igitur reputa Lector, quid inopi eremitæ hanc toties danti remanere poterat: & cõparatam ei Macedonum Alexandrum, auarum iudicabis. Fulgos. libr. 4. cap. 5.

BASILIVS Magnus, episcopus Cæsariensis, in fame vehementi facultates suas vendidit: frumentum comparauit, ex quo pauperes omnes, etiam Iudæorum liberos aluit. Sozomenus lib. 6. cap. 34.

BERNHARDINVS, ordinis Minorum secunda gloria cùm parentibus orbatus, sub Dianæ materteræ disciplina degeret, & virenti adhuc ætate, futuræ perfectionis floreret signis, prandiolum suum cum pauperculis partiri consueuisse dicitur. Et dum in panario, die quodam, vix qui domesticis sufficeret panis extaret, ac materfamiliâs mendicanti defectum, qui tunc casu affuit, excusaret: eam Bernhardinus tamdiu orare nõ destitit, donec exorauit id saltem petenti concedi, quod sibi reseruabatur: assirmans semet esurire malle, quàm esurientem non pauisse. Marul. lib. 1. cap. 2.

PVDENTIANA & PRAXEDES, virgines, pauperes Christianos suis nutriebãt sumptibus. Rauis.

IODOCVS, cùm ad fluminis ripam in solitudine sibi domicilium cõstituisset, vno duntaxat discipulo contentus, partem quartam panis, quem tunc vnicum habebat, mendicanti dedit: mox iterum, & tertio, & item quarto, diuerso semper, ne agnosceretur, habitu petitum reuertenti semper partem largitus, nihil sibi, neque discipulo, nisi certam in Domino spem dereliquit. Et dum hæsitantem discipulum consolatur, ne de victu dubitaret, ei seruiens qui irrationabilia quoque pasceret animalia, aspiciunt duos lembos proximæ ripæ applicuisse vectore nullo. Cúmque comperissent omni cibariorum genere, quo ipsi vesci solebant, plenos, Deo gratias egerunt, qui pro vno pane pauperi dato, tam vberem alimentorum copiam sibi sine cunctatione prouidisset. Marul. lib. 1. cap. 2.

SIMON monachus Sitionis filius, cùm in cœnobio illo, vbi tunc manebat, in vesperum edundi mos esset, viritímque cibaria fratribus diuiderentur: sæpenumero nihil delibans, cœnulam suam integram sepónebat: demum secretò pauperculis eo ventitantibus offerebat, hebdomadatum interdum inediam passus, vt aliis alimenta præbere posset. Et cùm tot dies nihil gustaret, famem non sentiebat, dum fami prospicit aliorum. Spem sibi certissimam extendens ad illud veræ fœlicitatis pabulum,

lum, de quo Psalmista ait: Satiabor cùm apparuerit gloria tua, Domine. Sumant hinc documentum ieiunantes, vt saltem cibo quem sibi interdixerint, pauperes alant: alioquin non ieiunare, sed impensæ parcere meritò videbuntur. Ibidem.

SERVVLVS mendicus erat, imò mendicorum miserrimus, si tantum fortis attendatur malignitas, non etiam animi patientia, qua sola poterat videri fœlix. Hic (vt Gregorius in Dialogo refert) paralysi resolutus, cùm se prorsus mouere non posset, iacebat in carruca sub porticu sancti Clementis Romæ, à prætereuntibus victum mendicans. Et cùm eleemosinis sustentaretur, quicquid in diem sibi residui erat, cæteris offerebat, nihil sollicitus in crastinum: sed quærens regnum Dei, & iusticiam eius. Quod quidem facilè est adeptus, dum & suam calamitatem patiẽter fert, & miseretur alienæ. Ibid.

OSVALDVS Britanniæ rex, miserorum turbam quotidie ad se in atriũ confluẽtium alebat. At cùm die quodam maior esset mẽdicantium multitudo quàm ciborum copia, ne eos qui supererant vacuos dimitteret, totidem argenti fragmentis escaria lance communita donauit. Fortè aderat Adrianus Indifranensis episcopus, & liberalitatẽ miratus, apprehensam regis dexteram dum deosculatur, ait: Tam promptam in dando manum senescere prorsus non debere. Hinc aiunt adhuc integrã in monumẽto illibatámque ostendi, vt quàm meritò id olim ab Episcopo prolatum fuerit, tam certus euentus testis etiam posteris foret: & nemo vnquam dubitaret, ipsius animam fulgere in cœlo, cuius corporis partem tot iam annos incorruptam permanere cerneret in sepulchro. Ibidem.

RABANVS Maurus Fuldensis Antistes, mox Archiepiscopus, cùm tanta fames Germaniam occuparet, vt etiam pater filium suum deuorare vellet, multam beneuolentiam pauperibus exhibuit. Sigeber. in Chron.

ANASTASIVS IIII. pontifex max. pauperes pauit sua pecunia, quum vniuersam propè Europam publica torqueret fames. Rauis.

AMEDÆVS dux Sabaudiæ, rogatus quondam à quibusdam oratorib. qui aderant, an etiam haberet canes venaticos? annuit, vt postera die redirẽt. Cùm verò iam adessent, Amedæus è pergula ingentem à latere ædium mendicorum multitudinem eis ostendit vnà discumbentium. Atque hi sunt, inquit, canes mei quos alo quotidie, quibúsque cœlestem gloriam me spero venaturum. Recitat Monsterus lib. 2. Cosmographię, vbi de Allobrogum vel Saubaudiæ ducibus.

VESTIRE PAVPERES.

Pro DRVSIANA egenorum Ephesi turba Ioanni apostolo occurrẽs, vt quam illi tunc efferebant, ipse protinus suscitaret, obtinuerunt, dum vestes ab ea acceptas ostentant, dum illa incolumi, se nunquam famem timuisse affirmant. Mulier igitur ad vocem apostoli à morte veluti à somno exurgens, illum suscepit hospitio, solitáque subsidia pauperculis misit: nunquam pietatis deserens officium, ob quam & hanc vitam redire illi licuit, & proficisci ad æternam. Marul. lib. 1. cap. 2.

PETRVS Constantinopolitanus, cognomento Telonarius, cùm opibus afflueret, dubitatum est, vtrum ditior an auaritior esset. Hinc inter mendicos ortum est certamen: vnus profitebatur se ab eo eleemosynam eliciturum, cæteri id omnino fieri posse negabant. Qui se facturum promiserat, accessit cum multo precum ambitu: & dum hominem auertentẽ sese vrgere cœpisset, in iram concitauit, ita vt furore ardens repentè arreptum panem (panes autem casu ancilla è fornace domum coctos referebat) in faciem precantis intorqueret: qui cùm declinasset ictum, sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum sociis nunciauit. Petrus verò postea aduersa valetudine agitatus, cùm postremò horis aliquot exanimis iacuisset & reuixisset, narrauit sibi interim visum fuisse, se ante tribunal Dei in cœlo sisti, ab aliis accusari, ab aliis defendi: in altera libræ lance peccata quæ commiserat appendi: in altera vnicum panem illum, quem ipse quondam proiecerat iratus. Et cùm exæquatum vtrinque pondus staret, reuerti, ac pani superaddere aliquid quod præponderet, si multi reatus supplicia cuperet euadere, iussum. Mox cùm conualuisset, quæ cupidè conflauerat, liberaliter cœpit effundere, neminem indigentem opis suæ expertem fieri passus. Itaque cum die quodam conspexisset hominem attrito laceróque amictu, tantùm non nudum: ad se euocatum, veste qua ipse induebatur, donauit. Eam pauper (quia honestior erat quàm vt personæ suæ conueniret) in forum delatam vendidit. Quamobrem Petrus se indignum ratus, cui⁹ vestibus pauper tegeretur, animo vehementer angi cœpit. Et dum doleret, nocte insecuta, vestimẽto illo indutum Christum vidit. Hoc somnio facilè persuasum habens, id Christo dari, quicquid datur inopi, omnia dilargiendo nihil sibi reliqui fecit. Nec sic quidẽ satiatus, Hierosolymam profectus, venum seipsum dedit, vt haberet quo adhuc aliorum subueniret inopię: seruúsque factus est hominis, vt precium offerret Deo. Ibidem.

SERAPION monachus, cùm nihil præter tunicam, & pallium, & euangeliorum codicem haberet, duobus pauperculis obuiam factus, alteri pallium, alteri tunicam dedit & cùm nudus sederet, interrogatus qui eum despoliasset, protento codice illo quem manu tenebat: Hic, inquit. Iterũ alios mendicantes conspicatus, etiam codicem vendidit, & venditi precium illis distribuit, dicẽs à Domino præceptum esse: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdum se istud implesse putauit, donec semetipsum quibusdam gentibus vendidit: ita tamen vt ipsos Domino lucraretur. Cúmque eos ad Christum conuertisset, pecunia quam acceperat se redemit. Rursus idem Lacedæmone fecisse dicitur, eodem successu, conuerso diuite quodam ac principe viro. Post talia charitatis officia in abbatem electus apud Arsinoen, decem millium monachorum pater fieri meruit: & qui omnes præibat pietate, omnibus præesse dignus fuit. Marul. lib. 1. cap. 2. & Fulg. lib. 4. cap. 8. & Egnat. lib. 4. cap. 8.

Egidius Atheniensis spoliauit se veste, vt repertum in via pauperem operiret. Rauis.

FRANCISCVS ordinis minorum pater (quibus solis tantum possidere lex est, vt mendicare necesse sit) dum iter ageret, incidit in hominẽ, cuius vestimenta diutino vsu detrita, vix pudenda corporis operuerant: & nuditatem eius dolens substitit, suspirauit, ingemuit. Frater verò qui illum comitabatur: Quid, inquit, ita tristaris, pater? etsi hic indumentis eget, forsan abundat concupiscentiis. Tunc Franciscus, fraterni erroris nõ dissimulator, sed corrector, iussit protinus vt ille sua se tunica exuens, pauperem tegeret. Et quia de ipso perperam opinatus fuerat, ab eodem veniam rogaret: ac tãdem disceret nefas esse, miserorum mores sugillare, indigentiam negligere. Vtinam talem subire cogantur mulctam, ne pœnis grauioribus obnoxij sint, qui mendicos ob hoc solùm interdum improbitatis arguunt, & increpationibus repellunt, vt quòd eis subuenire nolunt, iudicij esse videatur, non impietatis. Marul. lib. 1. cap. 2.

D. Martinus catechumenus adhuc, cum militem ageret, in porta Ambiensi occurrit ei pauper nudus. Verùm cum præter arma & chlamydem nihil haberet, gladio vestem mediam discidit, & pauperi eam dedit. Ea deinde nocte Martino in somnis Christus visus illa chlamydis parte contectus, hac voce, Martinus catechumenus hac me veste contexit. Seuerus Sulpitius in eius vita.

IDEM postea Turonensium episcopus factus, cùm in vestibulo ecclesiæ offendisset hominem detrita lacerna seminudũ, in sacrarium euocato, tunicã quam sub pallio solam habebat, dedit. Allato sibi demùm colobio, indutus ac superindutus podere, reliquisque sacerdotalibus ornamentis, dum sacra peragit, atque inter agendum ambas suppliciter manus ad cœlum tollit, delabentibus lineis brachia nudata ostendit. Sed priusquã ea demitteret, amicta apparuêre tegumento ornatus supra modum mirabilis, oppidóque stupẽdi. Vt scilicet miraculo admoniti crederemus, eum qui indigentes vestierit vestiendum cœlestis gloriæ lumine, cùm Dominus Iesus Christus transformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ. Marul. li. 1. cap. 2. & Fulgos. lib. 4. cap. 8.

CAPTIVOS REDIMERE.

SORANVS abbas Longobardis Italiam vastantibus, redimere captiuos, & eos qui amissis rebus prædæ superfuerant iuuare non destitit, donec latronum gladiis ecclesiæ thesauros ab eo frustra quærentium (quoniam iam nulli erant) confossus occubuit. Eo corruente terra tremuit: testata credo tam pium hominem tam impiè cæsum non oportuisse, nisi ad pietatis mercedem cumulus accederet corona martyrij. Marullus lib. 1. cap. 2.

PAVLINVS, Nolanæ vrbis episcopus, depopulata Campania Vandalorũ excursionibus, cùm in redimẽdis captiuis cuncta consumpsisset, seipsum quoque in eleemosynam tradidit. Profectus enim in Africam, vicaria seruitute redemit viduæ Nolanæ filium: olitorémque se fecit barbari Domini, vt matrem vnici amissione consternatam, eo recuperato consolaretur. Iactent se qui volunt, facultates non modicas in pauperum vsum impendisse. Ecce qui omnia impenderat, inuenit præterea, quemadmodum inops factus, omniũ diuitum eleemosynas superaret. Cæterùm misericordiæ remunerator Deus, virum tanta pietate præditum non est passus diutius iugo premi impiorum. Contulit illi prophetiæ spiritum: quo afflatus cùm prędixisset regem in proximo moriturum, diuinationíque respondisset euentus, tantæ admirationi fuit, vt statim libertatem sibi acciperet, aliis impetraret. Pro vnius liberatione se in seruitium obtulit: sed cum omnibus simul, qui è Nola abducti fuerant, liberatus: frumẽto insuper nauibus imposito, ad patriam postliminio rediit, pristinæque dignitati honorificentissimè fuit restitutus. Marullus lib. 1. cap. 2. & Egnat. lib. 4. cap. 8.

S. MARIÆ ordo, de redemptione captiuorum, seu de mercede, institutus fuit à Iacobo illo, qui Baleares insulas subegit Anno 1212. Gregorio 9. probante. Amictum gerunt album cum atra cruce, quorum officium, captiuos redimere. Huius ordinis sectatores pete ex Volat. lib. 21. Anthrop.

Theodosio iuniore contra Persas suscepto bello regionem Azazenam vastante, capti erant à Rom. circiter septem Persarum millia. Quos cùm regi Persarum reddere nollent Romani, fame cœperunt periclitari. Ibi tum ACACIVS Amydenus episcopus conuocato Ecclesiastico collegio omnes eò duxit, vt vasa & donaria Ecclesię preciosissima venderẽt, & eo precio miseros captiuos redimerent. Eos ergo cibo refectos, & viatico insuper donatos, ad regem remisit. Qui tanta Acacij pietate motus, à Theodosio impetrauit, vt Acacium coràm videre, eiúsque colloquio frui posset. Socrates lib. 7. cap. 21.

ANIANVS episcopus Aureliensis, cum pro inauguratione cum solennitate vrbem esset ingressurus, petiit ab vrbis prefecto Agrippino, vt captiuos omnes sibi dono daret. Quòd cum Agrippinus recusaret, ex ruina lapidis ex alto cadentis grauiter vulneratus, & ab Aniano curatus: concessit demùm, quòd antè recusarat. Vincentius lib. 19. cap. 12.

SEVERINVS (de qua vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum) Romanus captiuos à Gisa, Filithei Rugiorum reguli coniuge impetiosa & crudeli, sibi donari petebat. Superbè pium senem à se illa repulit, & statim filius eius morbo graui correptus est. Petit illa veniam à sancto Seuerino, eíque captiuos omnes donat. Seuerinus vicissim filium eius sanitati restituit, Phrisingensis lib. 4. cap. 30, & Eugypius

MVNERA DARE PAVPERIBVS QVÆVIS *alia, præter hospitium, alimenta, vestes, libertatem, etiam operam suam.*

MAGI ab Oriente Christo, vero Deo & homini, munera obtulerunt externa: opes nimirum, & honores. Opes, aurum: honores tam diuinos, thus quod diis adoletur: quàm humanos, myrrham, qua ad supremos regiorum funerum honores antiqui vtebantur.

REX CYRVS protulit vasa templi Domini, quæ abstulerat Nabuchodonosor, & remisit ea in Ierusalem. Fuerunt autem vasa aurea & argentea quinque millia quadraginta. 1. Esdr. 1.

AMANE à rege Nabuchodonosor interfecto & suspenso, Iudæi festum diem instituerunt, in quo pauperibus munuscula largiebantur. Esther 9.

ZACHÆVS publicanorum princeps, & ipse diues, eodem die, imò eadem hora qua se bonorum suorum partem dare dixit pauperibus, oraculum accepit, salutem factam esse domui suæ: séque nõ iam inter publicanos & peccatores, sed inter Abrahæ filios computari. Marul. lib. 1. cap. 2. ex Lucæ 19.

MARIA, MARTHA, & LAZARVS, cùm inter se partiti essent hereditatem: Mariæque Magdalum oppidum, Marthæ Bethania, Lazaro pars vrbis Hierusalem sorte obuenisset: omnibus post ascensum Domini distractis ac diuenditis, pecuniam ad pedes Apostolorum proiecêre in terram, vt corda erigere possent in cœlum, quò Christum iam præcessisse conspexerant. Hunc morem sedulò à fidelibus ea tempestate obseruatum, Lucas in Apostolorum actis testatur, dicens: Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa prout cuique opus erat. Et iterum: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulo pòst: Possessores agrorum aut domuum vendentes, afferebant precia eorum quę vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Subiungit etiam, Iosephum Barsabam cognominatum agrum quem habebat vendidisse, pecuniámque Apostolorum conculcãdam pedibus apposuisse: vt scilicet ea contempta, agrum sibi illum de Euangelio parare posset, inquo absconditus est thesaurus regni cœlorum. Idem: & Sabel. lib. 2. cap. 1.

CORNELII, Italicæ cohortis centurionis, eleemosynæ (vt in Actibus apostolorum legimus) ascenderant in memoriam in conspectu Dei: atque ad illum adhuc gentilem, angelum de cœlo, & Simonem Petrum ab Ioppe, Cæsaream vsque euocarunt: dignum vtique reddentes, qui cũ angelo colloqueretur, ab apostolo baptizaretur: à Spiritu sancto, priusquàm baptizatus sit, visibiliter illustraretur. Adeò vt & qui aderant ex circumcisione fideles, mirati sint, Spiritus sancti gratiam etiam in gentibus esse effusam: & Petrus in veritate se comperisse dixerit, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Marul. lib. 1. cap. 2.

EVSTOCHIVS sub Cæsare Traiano magister equitum, super cornibus cerui, quem venando insecutus fuerat, Christum in cruce fulgentem vidit. Qui dum, ob ipsius erga inopes beneficia, ei se apparuisse diceret, vt mysteria veritatis reseraret, credentem baptizari iussit. Sic, qui charitate iuuerat miseros, fide inter verè fœlices receptus fuit. Ibid.

Pro TABITA Dorca, pauperum, quibus illa se benignam præstiterat, obsecrantium voces apostolum Petrum compulerunt, vt illi iam conclamatæ, ad pristinam vitam reditum à Domino impetraret. Ibid.

THOMAS apostolus ad Gondophorum Indiæ regem pro architecto non terreni (vt ille putauit) sed cœlestis ædificij missus, cùm magnam pecuniæ vim in ædificandæ regiæ sumptus accepisset, profecto in aliam prouinciam rege, argentum omne pauperibus diuisit. Quod vbi innotuit regi, vinctus ductus est in carcerem. Interim Gad frater regis elatus, cùm die quarto reuixisset, testatus est vidisse se in cœlo mirabilis structurę basilicam, gemmis auróque fulgentem, atque audiuisse à Thoma regi conditam, nisi ea se ipse fecerit indignum. Rex itaque rediuiui fratris tum miraculo attonitus, tum verbis permotus, apostolum vinculis liberat, Christum prædicanti credit: & credens intelligit, nõ in terra, sed in cœlo eleemosynis paranda esse mortalibus habitacula. ibidem.

IOAN. Alexandrinus patriarcha, cum aliquando mendico sibi obuiã facto, sex numos dispensatorem dare iussisset: ille acceptis diuertit paululum de via, & progredientium præuertens vestigia, gestu habitúque alium mentitus, alios sex, non quia non agnosceretur accepit, sed quòd talem nactus fuerat datorem, qui etiam deprehensa dolositate manum poscenti subtrahere nesciret. Et iam tertiò pari astu vso, cùm patriarchã duplicatam pecuniam numerari præcepisset succlamare dispensator in malitiam hominis cœpit. Conuersus verò Ioannes: Tace, inquit, fili nam fortasse hic Dominus noster est Iesus Christus, periculum nostri faciens, an tandem offensi crebris repetitionibus, cessaturi simus misereri. Hic quia maximè in dando propensi animi erat, cognomento Eleemosynarius dictus fuit. Ibidem.

IDEM pauperes non aliter quàm dominos suos appellare solitus dicitur. Et cùm à diuite quodam, vile ac sordidum grabatuli sui tomentum miserante, plumeam culcitram dono missam accepisset: vbi primùm ea substrata cubauit, noctem illam totam insomnem egit, identidem ingemiscens, mollius tunc se iacere quàm dominos suos. Cúmque illuxisset, culcitram venundari, pecuniam pauperi erogari mandauit. At diues ille ab emptore redemptam, iterum misit, precatus ne munus suum vltrà venale haberet, sed eo ipse frui vellet. Verùm diuites preces superabat patriarchæ in egenos misericordia. neque modo vllo Ioãnes tenere se potuit, quin rursum itidem faceret vt prius. Diues autem iam secundo recuperatam eidem referri iussit: Videbimus, dicens, vter nostrûm citius defatigabitur, tu vendendo, an ego redimendo. Ille modesto admodum risu excipiens: Deo gratias ago, inquit, quòd inituri sumus certamen, diuiti salubre, pauperi commodum, mihi iucundum. Itaque quoties id muneris missum sibi accepit, toties vendendum curarit: vt inde dominis suis, id est, Christi pauperibus subueniret, faciens sibi sacculos, qui non veterascunt: thesaurum indeficientem in cœlis, quò fur non appropinquat, nec tinea corrumpit. Ibid.

Pontifex maximus VRBANVS, cùm Ceciliæ martyris thesauri, quos dispensandos acceperat, quærerentur: quoniam eos iam indigentibus impenderat, dixit: Ceciliæ thesauros pauperum manus in cœlum sustulerunt Ibid.

LAVRENTIVS leuita à Decio tyranno questione agitatus, vt argentum indicaret quod Philippum Philippi Augusti filium olim ecclesię obtulisse constabat: protensa in pauperes manu, quibus iamdudum erogatum erat: Apud hos, inquit, Philippi argentum depositum seruatur. At Decius sibi proculdubiò illudi putauit: quia vbi veræ diuitiæ essent, & vera gloria, ignorauit. Ibidem.

GERMANVS Antisiodorensis, Burgundiæ præfectus, ingenuísque artibus apprimè eruditus, pari cum vxore castitatis religionísque suscepto voto, magistratum vltrà deposuit: & tantas opes, quantas ea præditus dignitate habere poterat, pauperibus erogauit: nihilque sibi quicquam reliqui fecit, tunica, cuculla, ciliciόque contentus, vt lucrifaceret Christum. Ibidem.

GALLICANVS Romani dux exercitus, postquam Scythis Dacísque & Thracibus pugna superatis, Constantiam Constãtini Augusti cõiugem sibi pactam victor accepisset: ab ea conuersus, Christianúsque factus, cõtinuò dignitatis abiecit insignia: derelictauit militiam: & quicquid plurimorum annorum stipendia victoriæque parauerant, repentè sustentaculum fit debilium. Denique sponsam, virginem forma insignem, & quod maius est, imperatoris filiam relinquens intactam, humilis, pauper, castus voto se obligauit religionis. Neque illi tam magnificum fuit hostes vincere: quàm quæ assecutus fuerat, honorem, opes, voluptatésque contemnere. Illud enim hominis est, hoc supra hominẽ. Marul. ibid. & Sab. lib. 2. cap. 1.

LEONHARDVS natione Gallus, inter aulicos regis primo loco habitus, relicta regia, dilargitísque facultatibus religioni se tradidit: monasticísque sacris initiatus, in Aquitaniam est profectus, atque operam prędicationib. dedit, haud dubiè stabiliorem, ampliorémque seruitij sui mercedem, à cœlesti Domino accepturus, quàm receperat à terreno. Marul. lib 1. cap. 1.

LVPVS Senonum archiepiscopus, regia stirpe in Gallia ortus, nobilitatem æquauerat diuitiis. Sed dum indeficientem in cœlo thesaurum sibi comparat, eas pia in pauperes largitate libenter effudisse, non tam liberalis quàm prudentis hominis esse existimauit. Ibidem.

EGIDIVS Atheniensis, regio genere nobilis, dum adhuc sub tutela patris ętatem ageret, mendico ægrotanti (quoniam aliud quod daret nõ habebat) seipsum despolians, proprium amiculum dedit. Quo quidem ille indutus (tantum donatoris misericordiæ meritum fuit) e vestigio sanus consurrexit. Postea verò quàm defunctis parentibus liberam suscepit bonorum possessionem, tam prompto animo omnia egenis dispertiuit, vt ea non prius habuerit, quàm donauerit. Ibidem.

Alexandrinus ciuis, Macarius nomine, in magnis opibus à patre relictis, paruo tempore iuuentæ mali secutus, omnibus consumptis ad inopiam redactus est: quæ idcirco ei infestior erat, quòd mendicitatem erubescebat. Hoc cũ APOLLINARIS, Alexandriæ patriarcha, resciisset, arbitratus id quod erat, Macharium (qui postea inter sanctos relatus est) vt aliquid eleemosynæ nomine acciperet præ pudore nunquam adductum iri: nouum inuentum, vt eum iuuaret, excogitauit. Finxit enim, in antiquis Alexandriæ ecclesiæ scripturis vetus instrumentum esse inuentum, quo ostendebatur superioribus temporibus Alexandrinam ecclesiam contracto nexu quinquaginta auri libras annuas eius patri debuisse: atque ea arte instrumentum erat confectum, vt quamuis tunc Patriarchæ opera factum esset, multorum annorum senium præ se ferret. De huius instrumenti inuentione, cùm palàm patriarcha fecisset, idque se pro animi conscientia reuelare Macario velle dixisset, ad se eum accersiuit: orauítque, vt re inuenta, quam nullus ita fore sperabat, vellet, vnius anni pensione contentus, pro reliqua summa ecclesiam liberare. Hoc contentus cum esset Macarius, quinquaginta auri libras ei numerari iussit. Huius inuenti modestia, & Macarij pudorem, & suam largitionem texit: ea ad dandum industria vsus, qua plerique honore Apollinari similes, in extorquenda ab aliis per iniuriam pecunia dies ac noctes vtuntur. Ful. lib. 4. cap. 8.

SYLVESTER pontifex viduarum & orphanorum, reliquorúmque Christi pauperum nomina, in codicillo seriatim descripta lectitabat, ne quem die vllo præteriret, cuius miseriam æqua ope non iuuaret, seruãs illam religionis vitæque munditiem, de qua Iacobus apostolus ait: Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Marul. lib. 1. cap. 2.

Hoc idem ante eum & CLEMENTEM pontificem factitasse tradũt, sed ita, vt etiam ad longinquas regiones transmitteret indigentibus subsidia. Neminem ex iis quos ad veritatem ab errore conuerterat, passus est mendicare: vt qui se authore, iam Christo viuerent, se quoque adiutore famem non timerent. Ibidem.

NICOLAVS Myreæ vrbis episcopus, cùm Patare Lyciæ oppido patri matrique vnicus esset, eíque hæreditas satis ampla obuenisset: nihil prius animo agitasse dicitur, quàm quo pacto distractis in pauperum alimenta rebus, expeditius liberiúsque soli Deo seruiret. Hinc illud memoratu dignissimum, quòd dum vicinus quidam, vrgente in scelus inopia, prostitutis trium natarum corporibus, victum sibi quærere decreuisset: ille accedens domui eius nocte intempesta, vt eleemosyna in occulto fieret, tantum auri per fenestram iniecit, vt inde & virgines honestè locarentur, & pater ipse in spem sustentandi se non iniquam simul deueniret. Nicolao verò, quoniam bona sua prudenter dispensauerat, ecclesiastica credita sunt, & in episcopum Myreæ diuinitùs est electus. Ac post breuissimos vitæ huius labores, ad æternam vocatus est quietem, dicente Domino: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituam, intra in gaudiũ Domini tui. Marul. lib. 1. cap. 2. & Sab. lib. 2. cap. 1.

ELIGIVS Nouionensis episcopus, quum antè aurifex esset, quicquid ea arte consequebatur lucri, dabat pauperibus. Rauis.

DOMINICVS Hispanus, dum Valentiæ bonis artibus perdiscendis operam daret, ciuitas annonæ caritate laborare cœpit. Ille multorum famem miseratus, cum pecuniam non haberet, qua indigentib. pro tempore subueniret, libros vendidit: nec dubitauit literarum studiis, studiũ præponere pietatis. Et quoniam scriptum est. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: ad tantam deuenit perfectionem, vt ordinis fratrum Prædicatorum fieret auctor. Marul. lib. 1. cap. 2.

CYPRIANVS Afer, facultates suas omnes pauperibus impertiuit. Rauis.

PLATO martyr, qui passus est imperante Maximiano, paternam hereditatem concessit pauperibus. Idem.

VALDO (à quo pauperes quidam Lugduni Valdenses appellati sunt) vniuersum patrimoniũ pauperibus erogauit, dictitans omnia inter Christianos communia esse oportere. Idem.

TIBERIVS III. Imperator, quòd liberalis erga pauperes erat, liberalitatem eius Deus multis thesauris repertis recompensauit. Sigebertus in Chron.

CONSTANTINVS monachus. Im. Rom. licet ignauus, cuius desidia res pessum ire cœperunt: liberalis tamen in pauperes & in templa habitus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

CAROLVS rex honestati Ecclesiasticæ omnino intentus, non tantũ legendi & psallendi disciplinam diligenter correxit: sed maximè etiam circa pauperes solicitus, non solùm in regno suo, verumetiam trans maria, in Ægypto, in Syria, in Africa, præcipuéque Hierosolymis liberalitate eleemosynarum Christianos pauperes sustentabat. Sigebert. in Chrõ.

Sedente in pontificatu Bonifacio IX. LVDOVICVS rex Pannoniæ, Caroli regis filius, Romam ad annum iubileum profectus, quatuor aureorum millia ære Petri obtulit. Rauis.

VVENCESLAVS rex Bohemorum regni sui pauperes egregia fouebat munificentia. Idem.

PETRVS Vrseolus Venetiarum princeps, pauperum ægrotantium cubicula solebat furtim visere, & opibus suis iuuare. Idem, xenodochiũ sumptu suo extruxit. Rauis.

ALFONSVS rex Neapolitanus erga virgines Deo initiatas liberalis fuit, pecunia templis oblata, quam dotis nomine acciperent. Pont. lib. de Liberal. cap. 16.

EVPHRAXIA Romana, genere nobilis, opib. pollens, ætate florens, forma præstans, post mortem viri Antigoni neque rursum cuiquam nubere voluit, licet multum suaderet Theodosius Augustus: neque Romæ manere, quamuis & patria esset, & orbis domina: neque diuitias possidere, tametsi honestissimè posset. Procis repulsam dedit, mare transmisit, ad Thebaidem venit: & eo loci considens, quicquid secum attulerat facultatum, partim erogauit egenis, partim ecclesiis: neque aut sibi, aut filiæ patulæ Euphraxiæ quicquam residui fecit. Quin imò moriens eidẽ in monasterio manenti sollicitè iniunxit, ne tardaret quod reliquum Romæ fuerat, simili liberalitate vt distribueretur, curare. Marul. libr. 1. cap. 1.

LVCIA virgo, cùm matrem Eutychiam ad erogandas pauperibus facultates hortaretur, illáque diceret, vti vitæ suæ finem expectaret, ipsa postea quod vellet, de opibus suis factura: Non est, inquit, admodũ gratum, ó mater, Deo munus: quod qui offert, ideo offert, quia illius vsum supre ma sibi interdicit dies. Da, dum sana es: ne si moriens dederis, inuita dedisse arguaris: rem vtique, quam velis nolis relinquere cogeris. Victa rationibus Eutychia, laudauit filiæ sententiam. Lucia verò iam bonis omnibus ad votum erogatis, cùm diis sacrificare compelleretur: ait. Sacrificium Deo acceptissimum esse, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Et quia etiam inter tormenta misericordiæ in egenos remiscebatur, misericordiæ semper remunerator Deus effecit, vt cùm ad lupanar traheretur, loco moueri non posset: cùm vreretur illæsa inter flammas maneret: cùm iugularetur, morti non cederet: donec ad cœlos itura, vitale viaticum de manu sacerdotis accepit: corpus videlicet & sanguinem agni, pro cuius amore sua omnia in eleemosynã, seipsam in sacrificium, tam confidenter quàm libenter obtulerat. Idem capite secundo.

PAVLAM in largiendo sic profusam fuisse ferunt, vt sibi tandem necesse fuerit, ne rogantibus repulsam daret, pecuniam mutuò accipere, vsuris sese obligare, versuras facere. Prodigalitatis accusata, Deum testabatur, se pro illius nomine cuncta agere: & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, & in funere suo alieno syndone inuolueretur. Ego, inquit, si petiero multos, inueniam qui mihi tribuant: mendicans si à me non acceperit, quæ ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit à quo anima eius requiretur? Nulla itaque in pauperes liberalitate satiata, ad egestatem penè vltimam peruenit: sed quanto tunc se fecerat pauperiorem, tanto postea amplioribus locupletata est diuitiis in regno cœlorum. Idem Marul. ibidem.

ELISABET nondum marito Lantgrauio Turingiæ viduata, ob assiduam in in pauperes benignitatem, mater eorum cognominabatur. Sanis vitæ subsidia mittebat, afflictos consolabatur, ęgrotos visitabat, mortuis funus sua procurabat impensa. Quos in plebe magis inopia oppressos animaduertebat, ex his compatruos atque commatruas sibi comparabat, vt eis liberius subueniendi causas haberet. Si quando pecunia nõ suppeteret, vestimenta vendebat. Cernens pauperculum quendam nudum efferri, detracto sibi capitis velamine, inuolui iussit cadauer. Quo tempore fame laboratum est, vim magnam frumenti diuisit: & id quidem absente viro, atque inconsulto: vel quia approbaturum speraret: vel quia quod vnius erat, aliis quoque commune esse debere facilè persuaserat necessitas multorum. Denique cùm esset regis Pannonum filia, & Turingiæ Domini coniunx, nere, texere, suere suis ipsa manibus non est dedignata, vt de laboris sui peculio eleemosynas dare posset. Et de illa ergo non incongruè dici potest, Manum suam misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem: Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Tandem marito Hierosolymis peregrè defuncto, ab iis qui eius tetrarchiam iure hæreditario acceperant, nequiter eiecta, maléque habita, quasi rem viri sui dissipasset, quoniam in dandis eleemosynis minus parcam fuisse dolori erat auaris animis, cùm vix tandem dotalia ab illis extorsisset bona (erant autem duo millia pondo argenti infecti facti cœlatíque) pauperum & peregrinorum satis amplum in Marupre construxit receptaculum: ibíque iis humiliter ministrando, quanto se inter mortales fecerat viliorem, tanto sublimius inter sanctos & electos postmodum fuit exaltata. Constantis verò animi haud obscurum argumentum fuit, quòd cùm à patre vt in Pannoniam rediret missis nũciis plurimùm sollicitaretur, nunquam acquieuit, malens alienigenarum opprimi iniuriis, quàm suorum illectationibus blandimentisue deliniri. Denique orasse Dominum dicitur, vt contemptis omnibus, liberorum etiam, quos propinquis commendarat, abiecta cura, ei soli toto corde, totísque viribus famularetur ac deseruiret: & responsum accepisse, preces suas esse vt petierat exauditas. Adeò illi omnia extrema potius pati, quàm à seruitio Christi discedere, certum ac deliberatum erat. Idem capite 1. & 2.

PLACILLA Theodosij Romanorum Imp. vxor pientissima, cùm reprehenderetur à suis, quòd ægrotos visitaret, atque pauperibus etiam liberaliter facultates suas elargiretur: respondit, Imperio conuenire, vt aurum id largiatur: se autem manuum opus pro imperio ipso, ei qui id semel contulit, offerre. Niceph. Callist. lib. 12. cap. 42.

EPIPHANIVS Cypriorum metropolis Salaminæ episcopus, facultates suas pauperibus distribuit. Ad eum tanquam ad communem œconomum pecuniæ quæ pauperib. darentur, vndique mittebantur. Quodam tempore cùm totum exhausisset Ecclesiæ ærarium, Ecclesiæ œconomus ægrè id ferebat, & prodigum appellabat. At non multo pòst incerto authore loculi auro referti in ædes œconomi illati, diuino testimonio Epiphanij pietatem confirmarunt. Sozomenus lib 8. cap. 14.

IOANNES, νηςευτὴς ob vitæ abstinentiam dictus, episcopus Amasenus, erga pauperes liberalis fuit. Multa talenta ab Imperatore Mauricio mutuò sumpserat: eique dederat syngrapham, in qua hypothecæ loco totam suam substantiam oppignorabat. Moriens nihil præter lectulum ligneum, laneum amiculum & penulam deformem reliquit. Quæ tamen ipsa Imperator accepit, & syngrapham discerpsit. Nicephorus libro 18. cap. 34.

BERNARDINVS Senensis, cùm duodecim aliis, Senis ministrabant illis qui peste correpti erant. Vide tit. Charitatis fraternæ erga proximum.

MARIA Decegnies cum marito, vota castitate, leprosis inseruiunt. Vide tit. Charitatis fraternæ.

ALFONSI Aragonij Siculorum regis liberalitatem in ægra muliere visitanda, & iaspidem ei offerendo, pete ex tit. Popularitatis.

HOSPITALITAS ETHICA LIBERALIS.

Religiosa liberalitas pietatis habet stimulos: Ethica *verò quo leuiores habet stimulos, eo pluris est faciẽda.* Nam *si non indigentes hospitio excipiat, vt reges, principes, diuites & locupletes viros, pura & mera* Liberalitas *appellari debet: si verò pauperes hospitaliter tractet, miscetur* Liberalitati *clementia & humanitas, siue misericordia. Vtriusque hospitalitatis, tum puræ, tum mixtæ, ex hoc titulo exempla depromere poteris.*

Q

Cæterùm hospitalitatem liberalem voco, vt distinguatur ab Hospitalitate populari & iusta. Conueniunt enim tres istæ hospitalitatis species ea ratione, quoniam erga hospites ita vt oportet sese gerunt: differunt ratione principij. Nam hoc in loco Liberalitas, illic verò vel Popularitas vel Iusticia consideratur: quoniam alij ex innata affabilitate & benignitate, alij quia hospitalitatem colunt.

Ægyptum ingressus Iudæorum optimus ABRAHAMVS, ignotus quidē omnibus, nec ipse quenquam indigenarum nouerat: verùm cum sacerdotibus eius gentis sæpius congressus, cœlestium & humanarum rerum vir scientissimus, breui in eam dignitatem venit, vt ne principibus quidem eius ordinis cederet cultu & veneratione. Per quos regi insinuatus, non solum domestico pudore integro regem coluit: sed agrum etiam, quem coleret, dono accepit. Sab.lib.7.cap.5.

ALCINOVS rex Phæacum, Vlyssem Troiā redeuntem suscepit hospitio. Homerus

CALYPSO naufragum Vlyssem suscepit in Ogygia insula. Idem.

Ianus excepit Saturnum, Euander Æneam.

PHOLVS Centaurus, fuit Herculis hospes, Lucan.lib.6.

Hospes & Alcidæ magni Phole.

MOLORCHVS pastor, Herculem.

MIDAS, hospes Bacchi, teste Ouidio.

PHYLLIS, Lycurgi regis Thracum filia, Demophoontem ab expeditione Troiana redeuntem, & ventis pulsum in Thraciam. Rauis.

ARIADNA suscepit hospitio Theseum, profectum in Cretam, & Minotauro destinatum. Idem.

HYPSIPHILE Thoantis filia, & MEDEA filia Æetę regis Colchorum, Iasonem susceperunt hospitio.

Tyrrhenus nauigans in Italiam, à Cybela & Corybanto, tanquam ex Herculeis, hilari hospitio exceptus, & ciuitate Razeuua donatus est. Verba sunt Berosi Babylonici lib.vlt.de Chaldæorum dignitate.

Quum Galli incursionem facerent in Ioniam, ciuitatésque depopularentur, in Mileto fortè Cæreris sacra Thesmophoria nuncupata, & mulieres congregatæ in templo erant, quod non longè aberat à ciuitate. Tum sanè pars quædam barbarici agminis à reliquis auulsa, in Milesium agrum incursu facto, mulieres rapuit: quas multo auro & argento dato Milesij liberarunt. Quidam autem ex Barbaris aliquas domestica consuetudine adsuefactas secum abduxerunt: in quarum numero Erippe quoque fuit, vxor Xanthi, hominis magnæ authoritatis, ac primi generis in Mileto, relicto domi puero bienni. Huius igitur vehementi desiderio ardens Xanthus, magnam bonorum suorum partem argēto commutauit: ac comparatis aureis mille, primùm in Italiam transiit: inde à propriis hospitibus deductus, Massiliam peruenit, atque inde in regionem Celtarum. Quúmque ad domum accessisset, in qua vxor eius manebat, cum viro apud Celtas reputatione planè maximo, vt hospitio exciperetur, rogabat: illis autem promptè (quę eorum hospitalitas est) eum excipientibus, ingressus domum videt vxorem, atque illa eum vicissim: ulnis insuper amplexa, amicè penitùs abduxit. Mox verò vbi Celta superuenisset, exponit ei Erippe aduentum viri, & quòd eius gratia venisset, liberationis præmia exoluturus. Celta itaque animum Xanthi laudauit: conuocatísque statim amicis, maximè cognatis, hospitaliter eum tractauit: apparatóque cōuiuio vxorem ei collocauit. Et per interpretem interrogauit, quanti æstimet vniuersam rerum suarum summam? Xantho verò in numerum mille aureorum respondente, Barbarus eam summam in quatuor partes diuidere iussit: ita vt tres sibi vxori & filio tolleret, quartam verò relinqueret precium redemptionis vxoris. Quum verò in cubile peruenissent, plurimùm increpauit Xāthum vxor, propterea quòd tantum auri non haberet, quantum Barbaro esset pollicitus: periclitaturum ob id ipsum, inquiens, nisi promissis satisfaciat. Xanthus itaque respondit, adhuc alios mille aureos seruorum crepidis sibi occultatos esse, quòd non sperasset tam æquum aliquem Barbarum se reperturū fuisse, ac non longè maiora precia expostulaturum. Sequenti ergo die vxor Celtæ indicat multitudinem auri, iussítque ob id occidi debere Xanthum: confitens, se ipsius amore plus quàm patriæ & pueri teneri, Xantho verò se penitùs esse infestam. His auditis, Celta animo habuit ipsam occidere. Quum autem abitionem pararet Xanthus, eum valde amanter à se dimisit Celta, deducens simul cū eo Erippen. Peruenerat iam ad montes regionis Celticæ, vbi Barbarus se sacrum facturum dicebat, antequam inuicem discederēt. Victimam itaque adornatam Erippen iussit effingere. Quæ quum, vt aliàs consueuerat, apprehendisset: extenso gladio eam penetrat, capútque ei amputat: consolatus Xanthum, ne ęgrè factum ferret, reuelans simul insidias illi ab ea paratas, & omne aurum illi liberaliter donans. Parthe.de Ama.cap.8.

PROTAGORAS Abderites Menandri Thracum locupletissimi filius, Xerxem contra Græcos proficiscentem hospitio suscepit. Philostratus.

MARAS fuit quispiam apud Berrhœam Syriç ciuitatem ditissimus humanus & officiosus in omnes, tum ciues, tum hospites. Rauis.

Cùm Stratonicum citharœdum perhumaniter QVIDAM excepisset, mirum in modum gauisus est vocatione. Neque enim hospitem aliquem habuit, quippe qui in peregrinam regionem venisset. Proinde maximas homini gratias habuit, quòd ipsum sui tecti participem fecisset. Cùm verò mox videret, alium introire, iterúmque alium, atque hoc modo nulli diuertere volenti domum illius non patēre: Facessamus, ô puer hinc, inquit, ad suum comitem. Etenim pro columba, palūbum nacti esse videmur, cùm pro hospite pandochum inuenerimus. Ælian.de Var. hist. lib.14.

SYDON Corinthius fuit hospitalitate adeò insignis, vt eius fores omnibus essent peruiæ. Hinc adagium natum, Semper aliquis in Cydonis domo. Rauis.

Cleophilus Samius, cùm hospitio suscepisset Homerum, accepit ab eo dono inscriptionē poematis, quod Œchaliæ direptionē vocāt. Sed Callimachus in quodam epigrammate contrà ostēdit, quòd quanquam Cleophilus opus composuerit, Homeri tamen inscribatur, ob ipsius hospitij munus. Strabo libro 14.& Volaterran.libro decimoquarto. Anthrop. capite secundo.

CIMON Atheniensis, priuatos lares in publicum velut hospitiū vertit, quod iuxta ciuibus peregrinisque patêret, prædiorum fructus omnibus legere volentibus proposuit: nullum fuit tempus quo non hospitalitati indulgeret. Est proinde & à Cratino diuinus, & in hospites officiosissimus hominum iudicatus: & Critias tyrannus cùm Scopadum diuitias sibi optaret, & victorias Agesilai, adiecit Cimonis liberalitatem. Atheniensis ciuitas (quod satis constat) publicum illud in hospites studium tota Græcia celebratum, Cimonis munificentiæ tulit acceptum. Sab.lib.7. cap.6.

LYCAS Lacedæmonius gymnicis agonibus peregrinos Lacedæmonem abeuntes comiter excipiebat, benignóque fouebat hospitio. Sabell. lib.7.cap.6.

Cùm inter Megarenses & Corinthios de imperio certaretur, captiuos in bello velut hospites inuicē tractabant, & sine precio dimissos Doryxenos appellabāt. Illis enim Iupiter ξένιος, id est Hospitalis, in precipuo cultu erat. Quare milites cum hostibus extra aciem familiaria iura seruabant, in acie verò pugnabant vehementissimè. Alexand. ab Alexand. lib.4.cap.10.

ALEXANDER rex, nouem militibus Macedonum ad conuiuium vocatis, singulos aurea phiala donauit. Pontanus cap.15.de Magnificentia.

Medicis temporibus TROEZENII Atheniensium vxores, & liberos metu hostium patria eiectos (cùm viri ligneos muros, naues videlicet, conscendissent, ita monente oraculo, duce Themistocle) in vrbem accepére, acceptos publica pecunia aluerunt: edictúmque est, vt pueri, vnde vellent, impunè sibi fructus legerent. Sab.lib.7.cap 6.

EPIDAMNII potestatem omnibus in suam vrbem migrandi, peregrinandíque libenter faciebant. Ælian.lib.13.de Var.hist.

Cretenses semper peregrinos perhumaniter tractarunt. Eorum enim quæ in conuiuiis apponuntur, & artem peregrinis & hospitibus primùm dant. Post hospites principi quatuor portiones præbent: vnā quā etiam reliquis, alteram principalem, tertiam familiæ, quartam vtēsilium. Prorsus apud Cretenses humanitas peregrinis habetur, atque etiam ad gerendos magistratus sæpenumero vocatur. Heraclides de Politiis.

LEVCANORVM hospitalitas meritò laudibus celebranda est, apud quos si sub occasum solis venerit peregrinus, volueritque sub tectum alicuius diuertere, & is hominem non susceperit, grauissima neglectæ hospitalitatis pœna mulctatur. Ælianus libro 4.de Var. hist.& Heraclides in Politiis.

CELTÆ armis accincti, omnia in ciuitate negocia transigunt: & grauius apud eos in illum animaduertitur, qui peregrinum, quàm qui ciuem occiderit. Huic enim exilium, illi mors pœna statuitur. In primis autem illos honorant, qui publicam regionem augent, & ianuas ædium nunquam claudunt. Nicol.de Moribus gent. Stob.serm.42.

Germanis ius hospitij sanctissimum erat: hospitiísque tam enixè indulgebant, vt quanquam hospitum, cum quo mensa fuisset communis & sacrificia, arcere tecto, aut auersari nefas ducerent. Alex. ab Alex. lib.4. cap.10. Corn. Tacitus, & Cranzius lib.1.cap.34. Metrop.

MOSYNI prouenientes ipsis frumentum æqualiter distribuunt, partem aliquam communiter pro hospitibus aduenientibus seponentes. Stobæus serm.42 ex Nicolai de Gentium moribus hist.

Phasianorum hospitalitas plurimùm literis semper commendata est, qui naufragium passis viaticum præbuisse, & rursus abnauigantibus tereminas dedisse feruntur. Heraclides in Polit.

MASSILIENSES, cum pro humanitate & innata beneuolentia libenter exciperēt hospites, nulli tamen intrare oppidum eorum cum telo licuit: præstò enim erat, qui id custodiæ gratiæ acceptum exituro redderet: vt hospitia sua quemadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoque tuta essent. Val.Max.lib.2.cap.1.de Inst.antiq.

Apud LVCANOS lege cautum erat, vt si quis sole occidente, diuertentes hospites, notos ignotósque domo exigeret, κακοξενίας teneretur, mulctámque eo nomine pendere cogeretur. Alex. ab Alex.lib.4 cap.10.

CALABRI hospites comi hospitio benignè inuitant pyra illis affatim apponendo, cùm maiora non habeant. Ibid.

PTOLEMÆVS Philadelphus septuaginta senes Bibliacę historiæ scientissimos, ab Iudæa vsque in Ægyptum vocauit, quos regia vrbe exceptos hospitaliter & benignè coluit, corúmque interpretationem cupidè complexus, magnis à se muneribus donatos honorificè dimisit. Neque id genti datum magis quàm doctrinæ, credere est: cùm nulla tam gens esset in terris inuisior omnibus, aut despicatior, quàm Iudæi. Sab. lib.7.cap.5.

Aristippus naufragio facto, in littus apud RHODVM nudus eiectus: ob doctrinam inuenit non modò qui necessaria ad victum, verumetiam qui vestes ipsi atque comitibus præberet. Cùm autem redeuntes domum quidam ex ipsis comitibus petiissent, si quid suis Aristippus mādare vellet: respondit hoc tantùm se mandare, nomine suo cognatos monerēt, vt filiis opes eas pararent, quas aduersa maris tempestas perdere nō posset. Ostendit enim quàm preciosa sit doctrina, in quam neque fortunæ, neque tempestati aduersæ, sæuiendi potestas esset. Fulg.lib.7.cap.2.

CN.MARTIVS Coriolanus cùm bonam bellando operam aduersus Volscos & Coriolanos nauasset, & multa militaria dona à Posthumio oblata essent, nihil quiquam accepit: verùm orauit, ne amicum Volscum, iure belli captum diuenderet: sed sibi, cuius hospes olim fuerat, dono daret. Dionysius lib.7.& T.Liuius lib.2.dec.1. Plin.cap.19. de Viris illustr. Val.Max.lib.4.cap.5.

Accepit hospitio Annibalem Carthaginensium ducem PACVVIVS, longè princeps Campani nominis: cuius filius Romanis gratificaturus, Pœnum hospitem super cœnam interficere cogitauit: peregisséts; hauddubiè ferox iuuenis audax facinus, nisi paternis precibus & lachrymis victus (placuit enim cum patre, priusquam conuiuium iniretur, id consiliū communicare) proposito abstinuisset. Potuit illeexcidium, quod Cāpano nomini imminebat, sua dextera redimere, nisi pluris hospitalē patris sui fidem, domesticorúmque larium præsentiam, qui tanti hospitis cæde erant polluendi, quàm patriæ ciuiúmque salutem fecisset. Sab.lib.7.cap.6.

Q.FABIVS Max Honoris templum ante Carmentalem portam ædificauit, quod deinde M.Marcellus restituit: vt omnes doceret, non tantū domi, & in ipsa vrbe, sed foris quoque honore dignos homines, quamuis Peregrinos, venerandos esse. Alex.ab Alex.lib.2.cap.4.

CAMPANI exercitum Rom.cùm Coss. apud Caudinas furcas sub iugum à Samnitibus missum, nec inermem tantùm, sed etiam nudum, vrbē suam intrantem, perinde ac victorem, & spolia hostium præ se ferentem venerabiliter exceperunt: protinúsque consulibus insignia honoris, militibus vestem, arma, equos, commeatum benignissimè præstando, & inopiam & deformitatem Romanæ cladis mutarunt. Quo animo si pro imperio Rom. aduersus Hannibalem quoque vsi fuissent, truculentis securibus materiam sæuiendi non præbuissent. Val.Max.lib.5.cap.1.

Confecto Macedonico bello, Musicanes Masinissæ filius, cum equitibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat, ab imperatore Paulo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa, Brūdusium æger delatus est. Quod vbi SENATVS agnouit, continuò illò Quæstorem ire iussit, cuius cura & hospitium adolescenti expediretur, & omnia quæ ad valetudinem opus essent præberentur: impensæque liberaliter tum ipsi, tum toti comitatui præstarentur, quibus ipse bene ac tutò cum suis in Africam traiiceretur. Equitibus singulas libras argenti, & quingenos sestertios dari imperauit: quæ tam prompta & tam exquisita Patrum C. humanitas efficere potuit, vt etiamsi expirasset adolescens, æquiore animo desiderium eius pater toleraret. Ibid.

IDEM Senatus, cùm ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ regem Perse deuicto venire audiuisset, obuiam illi P. Cornelium Scipionem Quæstorem Capuam misit: censuitque vt ei domus Romę quàm optima conduceretur: & copię non solùm ipsi, sed etiam comitibus eius publicè præberentur. In eóque excipiendo tota vrbs vnius humani amici vultū habuit. Ibidem.

Rex Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilij gratia cū paucis admodū seruis squalore obsitus Romam venerat, ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam SENATVI relatū est, accersito iuuene, quàm potuit accurata excusatione vsus est, quòd nec Quæstorem illi more maiorum obuiam misisset, nec publico hospitio eum excepisset: eáque non sua negligentia, sed ipsius subitò & clandestino aduentu facta dixit, & illum è curia subitò ad publicos penates deduxit: hortatúsque est, vt depositis sordibus, adeundi ipsius diem peteret: quinetiam curæ habuit, vti munera ei per Quæstorem quotidie darentur. His gradibus officiorum iacentem ad regium fastigium euexit: effecitque, vt plus spei in auxilio pop.Rom. quàm metus in sua fortuna reponeret. Ibidem.

QVINTIVS Crispinus Badium Campanum, & hospitio benignissimè domi suæ exceperat, & aduersa valetudine correptum attētissima cura recreauerat. A quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam prouocatus, cùm & viribus corporis, & animi virtutibus aliquanto esset superior, monere ingratum, quàm vincere maluit. Nam quid agis (inquit) demens? aut quò te praua cupiditas transuersum rapit? parum habes, publica impietate furere, nisi etiam priuata lapsus fueris? vnus tibi Romanorum (videlicet Quintius) placet, in quo scelesta exerceas arma? cuius penatibus & honoris vicissitudinem & salutem tuam debes? At me fœdus amicitiæ, diíque hospitales, sancta nostro sanguini vestris pectoribus vilia pignora, hostili certamine congredi tecum vetant: quinetiam si in concursu exercituum fortuito vmbonis mei impulsu prostratum agnouissem, applicatum iam ceruicibus tuis mucronem reuocassem. Tuum ergo crimen sit, hospitem occidere voluisse: meum non eris hospes occisus: proinde aliam, qua occidas, dextram quære, quoniam mea te seruare didicit. Dedit vtrique cœleste numen debitum exitum, siquidem in eo prælio Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus euasit. Ibidem.

PYRRHVS rex, legatis Romanorum ad redimendos captiuos castra sua petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Molossum obuiam misit, quo honoratius exciperentur: ipse cum ornatu equitum extra portam occurrit, secundarum rerum prouentu adeò non corruptus, vt officij prospectum in iis deponeret, qui tunc maximè armis cum eo dissidebant. Ibidem.

PAVLA Busa Canusina, mulier Apula, Hannibale contra Romanos bellum gerente, populantéque totam Italiam igne ferróque: postquàm apud Cannas ferè confregisset omnes Italicas vires, ex eo conflictu circa decem millia per deuia noctu Canusium peruenerunt. Eos omnes exangues, nudos, inermes, affectósque vulneribus, ipsa Busa, propriis in ædibus comiter excepit hospitio: adhibitisque medicis, vulneratos curari fecit: nudis vestimenta concessit: inermibus arma cæteráque necessaria munificentissimè largita est: & quod excedit reliqua, omnibus refocillatis, & abire volentibus, cunctis viaticum vltrò voluit impartiri. Val.Max. lib.4.cap.8.

Annibale Capuam tenente, FAVCVLA Clunia captiuis Romanis egentibus suppeditauit alimenta.

IVBII Paciaci Hispani opera, hospitalique affectu octenos menses M.Crassus profunda spelunca latuit, in extrema Hispania: quo tempore pater eius, & frater à C.Mario ciuili bello interfecti sunt, ipse celeri fuga delatus cum decem comitibus in altam sese speluncam illatebrauit. Hic non solùm tutus fuit dubij silentio, sed benignè etiam cultus, vt non modò cætera corpori necessaria nō defuerint, sed superfuerint etiam omnium voluptatum instrumenta. Sab.lib.7.cap.6.

L. LVCVLLVS tanta fuit in omnes, eruditos præcipuè, liberalitate & beneuolentia, vt domus eius Græcorum Romam venientium portus diceretur. Rauis.

BESSARIONIS presbyteri cardinalis (qui sub Eugenio quarto floruit) domus fuit liberalium artium officina, doctissimósque viros semper aluit atque fouit. Nec minus ipse in literis versabatur. Platonem in primis obseruabat, in cuius defensionem commentarios edidit cōtra Trapezuntium Peripateticum. Volat.

Incluserat Sanctius rex Hispanus Alphonsum fratrem cœnobio, monasticámque vitam eum sequi iusserat, vti solus, mortuo patre, regnis Hispaniæ potiretur: eúmque custodiri diligentius iusserat, ne fortè inde effugeret. Cæterùm quum tandem Alphonsus inde clàm aufugisset, seséque fidei ALMENONIS Maurorum regis, Tolletanique principis credidisset: tantum abfuit vt Christianum hominem reiecerit, regia stirpe iuuenem, vt eum sit in primis amplexus, illúmque pręcipuo amore semper sit prosecutus. Et cùm non multò pòst Sanctius ipse rex sine liberis decessisset, peteretque Alphonsus ab Almenone, vt paterna fraternáque regna reciperet, illum benignissimè missum fecit: tametsi amici familiarésque omnes Almenonis dissuaderent, admonentes eum vt totius Hispaniæ Mauri quàm facillimè potirentur imperio, quando nullus superesset hæres: & timeri præcipuè posset, ne Alphonsus ipse receptis regnis Mauros omnes expellere ex Hispania contenderet. Cæterùm datę fidei memor, eum ita dimisit, vti Tolleto perpetuò abstineret, páxque perpetuò inter vtrunque foret. Id quod ab vtroque seruatum esse cōstantissimè proditur. Egnat.lib.6.cap.6.& Fulg.lib.6.cap.6.

ANDRES Dandulus dux iuuenis creatus, literarúmque amore incēsus, doctissimos quosque in terra Italia cùm præcipuè coleret: tum vnū Franciscum Petrarcham, ea ætate clarissimum, ita complexus semper est, vt Venetias illi aduenienti, publicas ædes semper parari iusserit. Quinetiam si quando in publicum prodiret, eum quoque prodire secum honestissimo semper loco voluit. Egnat.lib.6.cap.15.

CAROLVS Zenus, vir in bellicis rebus clarissimus, & patriæ libertatis vindex, literatos homines semper amauit, domique familiarissimos habuit. Quorum vnus fuit Petrus Paulus Vergerius Iustinopolitanus, qui ea ætate celebris inter literatos habebatur, cuius etiam hodie monumenta aliquot extant: & Petrus Thomasius, Veneti sanguinis medicus, quem Blondus ipse memorat eloquentissimum fuisse, præter singularem medicinæ peritiam. Egnat.lib.8.cap.15.

BORSIVS Ferrariensium princeps, ingeniis magnopere fauit, quæ vndecunque accersita domi alebat: & in his T.Strozzam poetam Florentinum, Ioannem Aurispiam, Hugonem medicum, & Petrum bonum, lyristem egregium. Omnes quoq; qui Ferrariam peregrini diuertissent, renunciari sibi volebat: demandata ministris quibusdam eius rei cura, vt qui & quales essent, diligenter sciscitarentur: ne qui erga notos abūdè liberalis esset, erga ignotos & peregrinos parum benignus haberetur. Ad eum quoque multarum Italiæ vrbium exules sic profugiebant, vt ab eo nemo repelleretur. Pon.cap.28.de Liberal.

CAIETANI Ladislaum Neapolitanorum regem regno exutum, collata è publico pecunia sustentarunt. Idem cap.32.de Liberal.

PHILIPPVS dux Mediolanensis, Martinum v.Pont. Max. honorificè & magnificentissimè hospitio excepit. Volat.lib.22. Anthrop.

ALPHONSVS rex eos qui ad se diuertissent, nōn solùm accipiebat liberaliter ac splendidè, verùm donis quoque magnificentissimè prosequebatur, pro cuiusque dignitate, nullum adeò honestandi ac munerandi genus omittens. Pont.cap.18.de Magnificentia.

IDEM oratoribus populorum aut regum, tum claris viris ad se publico aut priuato nomine venientibus, ædes exornari iubebat: & victum, quandiu apud se essent, lautissimè ministrari, nec nisi egregiè à se donatos abire. Pont.de Liberal.cap.19.

NEAPOLI in Federici Cæsaris aduentu pluribus diebus nobilissima vina in speciem aquæ extemporariis fontibus vbertim fluxēre. Sabel.lib. 8.cap.7.

IVLIVS FORTIS Messanensis, tam liberaliter Iouianum Pontanū graui morbo laborantem & exulantem tractauit, vt non tantùm omnia sua studia, verùm & vitam ei acceptam ferret. Testis est Pont.libr. de Liberal.cap.20.

FERRARIENSE bellum, siue Sociale potius appellare mauis, quando vniuersa Italia in VENETOS exarsit, cui non cognitum celebratūm

que est?Sic enim biennio,& amplius idipsum est gestum, vt ipsa Ferraria capi,expugnaríque à Venetis potuerit,si fides in Italiæ principib. affuisset,in quibus summa esse debuerat : & tamen inita mox pace Hercules dux,quum Venetias inuiseret,adeò benignè iucundéque semper exceptus est, vt & ædes publicæ, iam pridem à Venetis donatæ maioribus ipsius, vario ornamentorum genere sternerentur,& ipse publica impensa cum omni comitatu suo magnificentissimè aleretur.Egnat.libro quinto,capite primo.

ELEEMOSYNÆ ETHICÆ.

DEMOSTHENES dicere solebat, æquum esse vt pauperes piè foueantur, cum delectu tamen : ita vt dimissis improbis, illorum ratio potissimùm habeatur, qui præter culpam egestate premuntur. Stobæus.

ARISTOTELES cum nefario cuidam homini eleemosynam dedisset, & ob id castigaretur à quodam : Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum.Docuit vir sapientissimus, etiam malis & indignis eleemosynam dandam esse in summa rerum necessitate, ne penuria suadente agant,quod dedecus est coram Deo & hominibus. Dictu extat apud Laert.lib 5 cap.1.

IDEM reprehensus à quodam,quòd eleemosynam dedisset improbo: non homini,inquit,dedi,sed humanæ sorti.Ibid.

LIBERALES ET MAGNIFICI IN CONVIVIIS, EPVLIS, *visceràtionibus exhibendis.*

Si in his sumptum spectes, ad magnificentiam ἐν δαπάνῃ pertinent:sin verò ipsum munus, quoniam aliis tribuuntur, huius erunt loci propriè.Illud idem de seq.titulis intelligi debet.

Quo tempore Xerxes in Græciam cum decies centenis millibus hominum proficiscebatur, Pythius Lydus diem integram impensa sua eum cum toto exercitu aluit,& præterea regi ipsi ingentem pecuniam obtulit. Quam rem superbus rex miratus quæ Lydi Pythij conditio esset interrogauit? Atque vbi accepit,virum priuatum quidem, sed in magnis opibus esse, & aliàs Dario patri eius vitem platanúmque auream dono dedisse:præter cœnam qui totum eius exercitum exceperat, conuersus ad Lydum Xerxes petit, quantam haberet pecuniam? Cui cùm Lydus respondisset,duo milia habere argẽti talenta, auréaque Darica quadringenta milia,septémque tantum hinc deesse numero milia, quæ libenter omnia ei dono daret,quòd ad bellum proficiscẽti magno thesauro opus esse duceret:Xerxes admiratione captus,respõdit:Magno mihi dedecori foret,vt tu,qui me cum innumero exercitu tam largè hospitaliter que accepisti,insuper hospitalitati pecuniam quoque adderes: verùm ne te lateat,penes gratum liberalitatem tuam collocatam esse, tibi ipsi ret nebis quæ mihi obtulisti,& vt numerus quadringentorum milium Daricorum impleatur,volo septem milia,quæ deesse dixisti, ex thesauris meis capias:tu perge liberalitatem exercere,quoniam ipsius te nunquã pœnitebit. Fulg.lib.4.cap 8.

PAVLVS Æmylius, quum deuicto Perseo epulum exhiberet victoriale admirantibus Græcis,quòd in magno splendidóque apparatu curiosus esset,dicere solebat:Eiusdem esse animi, & aciem & conuiuium bene struere:illam quidem,vt formidolosus hostibus:hoc,vt amicis gratus esset.Plut.in Rom.apoph.& Bruson.lib.2.cap.2.

Romani habebant cœnam exequialem,quæ senibus & his qui multum ætate processerant dabatur, in qua pransi discedentes, alter alteri vale dicebat:quàm Silicernium vocabant.Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

L.LVCVLLVS domum suam ita instituit,vt cum videret propter conuiuarum diuersitatem non vnam conuiuiorum rationem sequendam esse; diuersa cœnacula cõstituerit,definito singulis precio,& apparatu.Siquidem in Apolline (quod cœnaculi nomen erat) quinquaginta millibus cœnari consueuit.Habebat enim cuncta adeò apparata, vt satis esset admonere dispensatorem de cœnaculo vbi esset conuiuendum.Pont.ca.6. de Conuiuentia.

DVCES Veneti quater in anno publica conuiuia nobilibus exhibẽt. Vide tit Prudentiæ in amicitia conseruanda.

Neapolitanorum regum institutum fuit,annis singulis,statis quibusdã diebus, parare nobilitati epulum ad ædem Mariæ coronatæ, adhibitis etiam præstantissimis matronis:vt nobilium & clarorum in vrbe hominum, animi reconciliarentur.Pont.cap.1.de Conuiuen.

LIBERALES ET MAGNIFICI IN NVPTIIS.

AHASVERVS rex medorum,iussit præparari conuiuium magnificũ in nuptiis Hester:& dedit requiem vniuersis prouinciis,ac dona largitus est Esther.2.

FRIDERICVS tertius Romanorum imperator, cum nuptias cum Heleonora sua celebraret,omnis ferè Germaniæ nobilitas interfuit, cõplurimi Hispaniæ principes Heleonoram ex Hispania deduxerunt. Venatio adhibita est(vt alia taceam) quatuor millibus passuum à Neapoli, qui locus à regibus venationi statutus est.Fixa tentoria in campis,secundum Anguinam paludem: fontes è vario vini genere passim ad litus facti:mentæ apparatæ, in quibus supra triginta hominum millia discubuere.Huc accedit,quòd qui spectandi gratia cõuenerant plurimi mortales,onerati esculentis plurimorum dierum domum rediere. Pontan. cap.16.de Magnificentia.

FERDINANDVS Neapolitanorum rex,in Hippolytæ Mariæ & Alfonsi filij nuptiis celebrandis singularem quendam splendorem ac magnificentiam ostendit.Omnes principes & populos Italiæ inuitauit. Missi ab iis oratores,singulari comitate sunt excepti : ludi plurimis diebus editi, orchestris ac gradibus ad spectaculum magnis sumptibus dispositis,iisque partim purpura ac serico,partim variato panno intectis : equestres concursiones magno apparatu hominum atque equorum factæ, epulæ lautissimæ ac largissimę præbitę.Ibidem.

PETRVS GENVARA comes Arianensis,cum vxoris Ariani nuptias celebrasset dies octo,non populares modò suos, sed finitimos quoque, qui ad nuptias vocati venerant, ita accepit, vt nil visum fuerit in eo genere opulentius:fuitque opulentię admista lauticies. Et quia principes quoque multi conuenerant,certatum est etiam, vt neque ciborum conquisitio & concinnatio,neque apparatus domesticus vinceretur à copia. Pont.cap.1.de Conuiuentia.

MVNERA ALIMENTARIA LARGIRI. *Exempla quædam ex tit.Congiariorum pete.*

Fugiente Dauid à facie Absalone, SOBI ET MACHIR & Berzelai obtulerunt eius exercitui necessaria, frumentum, hordeum, farinam. 2.Reg 17.

Ephialtes proprios fundos,omnibus qui cuperent fruendos permisit, ex quibus plurimis victum pręstitit.Heraclides.

CIMON Atheniensis,agrorum suorum fructus omnibus communes esse voluit,sepibus amotis,& macerie diruta.Plut.& Lactant.

TROEZENII bello Persico,cùm Athenienses relicta vrbe contra Persas pugnaturi, vxores suas & liberos Trœzenem misissent,benignè exceperunt: & vt impunè absque precio omnes hortos & agros ingredi, & fructus decerpere possent Athenienses,edicto sanciuerunt.

HIERO Syracusanorum rex audita clade, qua Romani apud Thrasimenum lacum afflicti erant,trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei,aurique ducenta & XL pondo illis muneri misit.Nec ignarus verecundię illorum,ne nollent accipere, in habitum id victorię formauit: vt eos religione motos, munificentia sua vti cogeret. Voluntate mittendi prius,iterum prouidentia cauendi ne remitteretur, liberalis. Val.lib. 4.cap.8.

M.ANTONINVS Pius,cùm fame plures Italię vrbes summa rerum egestate vrgerentur,frumento comportando ex vrbe, largissima manu subuenit.Pont.cap.14 de Liberal.

OPILIVS Macrinus,licet parcissimus auri foret, largissima tamẽ manu annonam atque frumentum tribuit bonis viris.Pontanus de Liberal. capite duodecimo.

Theodericus,qui mortuo Odoacre seruulo Imp.totius Italię adeptus est ditionem,Romanis singulis annis dedit viginti millia modiorum tritici Paul.Diaconus.

IOANNES Zuinggerus Bischosizellensis, mercator,cùm in eo bello quod sub Friderico 3.Rom.Imp. Germani cum Heluetiis gessere, ciues suos in summa rei frumentarię inopia commeatu subleuasset : eáque ratione,ne ad deditionem compellerentur,eos sustentasset, Spiseri cognomen meruit,hoc est altoris.Mox facta pace,cùm pro Sigismũdo à Bradis Barone,qui in eo bello captus fuerat,apud Heluetios Basileę intercessisset,& sua eloquentia cum contra omnium opinionem è vinculis liberasset,charus ob id factum Imperatori, quamuis hostis fuisset, virtutis ergò ab eo gentilicia insignia obtinuit: venabulum album in rubro campo,bellicę fortitudinis ergò:galeę insidet barbatus senex, venatorio habitu,brachiis carens:quoniam eloquentia magis quàm viribus rem gessisse visus est. Prius certè ex bellico symbolo Friderici nothi à Brandis (qui author generis nostri extitit, & contra tres primos Heluetię pagos multa laude digna pręstitit)tres anulos cathenatim connexos gens nostra gestabat,quos Germani Zvvingen vocant, à quibus Zuinggerorum appellatio manauit.Data autem fuere insignia auo nostro, anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo:prout ex diplomate Imperatorio colligi potest.

VESTES

VESTES ET ARMA LARGIRI.

SYLOSON vestem habebat preciosissimam,quam Dario adhuc priuato desideranti dono dedit:móxque factus rex Darius, vestiariam Sylosontis liberalitatem regni remuneratione compensauit. Guido Bitur.

C.CÆSAR Dictator,liberalitatis exemplum, fuit in suos milites semper beneficentissimus:eósque auro & argento ornauit, vt tenaciores forent in bello,neque damni metu sibi fuga salutem compararent.Suet.

ALFONSVS rex milites auratis loricis ac faleris, & sericis vestibus, pro cuiusque dignitate ornabat,interdum etiam auro argentóue intextis aut bracteatis.Pont.cap.19.de Magnificentia.

IDEM quum nouam induisset vestem,eam familiarium cuipiam non multo pòst tradendam curabat.Pont.cap.22.de Liberalitate.

SERVOS, EQVOS, VEL QVÆVIS ALIA ANIMALIA *dono dare.*

Q. FAB. Max.dictator tam liberalis fuisse dicitur,vt Manlium Statiũ ad hostes transfugere volentem,equo & armis donatis retinuerit. Plin. Iunior de viris illust.& Volat.lib.16.Anthrop.

IDEM,Lucano cuidam fortissimo mulierem, quam vnicè amabat, emptam magna pecunia,donõ dedit.Ibidem.

ÆL.HADRIANVS notum sibi olim in militia,cùm scabie laborantem animaduertisset in via,seruos illi donauit,& necessaria illi administrare iussit.Pont.cap.11.de Liberal.

BRIGIDA abatissa cum aliquot sororibus curru vehebatur, & occurrens pauperculis lignorum fasces dorso baiulantibus,vt alterius onera portãdo impleret legem Christi,solui iugales equos iussit, eisque tradi.Oneratis iumentis læti abierunt. Ipsa cum suo comitatu in via residens,præstabolatur Domini auxilium. Ecce autem eandem viam quidam regulus ingrediens,vbi causam moræ earum intellexit, suos illis equos largitus est.Brigida ergo tantæ pietatis fuit,vt necessitati proximorum sua posthaberet:tantæ spei, vt nunquam se à Domino deseri timeret.Sic lampadi infundens oleum,id est virginitatis decus misericordiæ operibus exornans,admissa est ad sponsi nuptias cœlestis celebritatis,ineffabili gaudio semper fruitura.Marul.lib.1.cap.2.

ASSYRIORVM rex ad Ferdinandum regem Neapolitanum inter alia munera camelum,pardalim & asinum misit,quem ex vltimis Orientis partibus adduxerat: ad quem spectandum multi remotissimis è locis venere,quòd esset miraculoso pilo, virgatum corpus ostendens diuersi coloribus ac paribus lineis.Pont.cap.19.de Magnificen.

OPERAM SVAM, SVORVMVE, GRATIS *alicui locare.*

IN THEORICIS.

Æschines cùm cuperet esse ex numero discipulorum SOCRATIS, suámque apud pręceptorem excusaret paupertatem,molestè ferens quũ alij Socratis amici multa subinde largirentur se solum nihil posse: Annon intelligis,inquit Socrates,quàm magnum munus mihi dederis? nisi fortè teipsum parui æstimas.Comiter suscepit discipulum egenum,& nihil mercedis postulauit ab eo quem pauperem esse nouerat.Laert.

M.ANT.Gripho Grammaticus Rom.nũquam de mercede pactus,cóque plura ex liberalitate discentium consecutus.vide titulum Grammat.

L.TABERIVS Hiera,temporib.Syllanis proscriptorum à Sylla liberos gratis in disciplinam recepit.Suet.de Gram.illust.

AVSONIVS Burdegalensis,poeta & medicus,gratis medicinã exercuit.Sic enim de seipso scribit:

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,
Officiúmque meum cum pietate fuit.

CLAVDIVS,Rabanus,Alcuinus,gratis se docturos profitentur. Vide tit.Academiæ & schol.sub nomine Caroli Magni.

CAROLVS princeps Nauarræ,Ioannis Alphonsi regis fratris filius, etiam infirmis ac sordidis hominibus opem ferre non recusabat, cùm ipse morbi cuiusdam abdita medicamenta teneret.Pontanus capite sexto,de Beneficentia.

IN MECHANICIS.

IVDÆI,si cuiuspiam sub onere iumentum concidisse perspexissent, non prætergrediebantur,nisi prius vt consurgeret,iuuissent.Fulgos.libr. 2.cap.1.

POLYGNOTVS gratuitò pinxit porticũ Pœcilen,id est Stoam,scholam Atheniensium,in qua Stoici philosophabantur. Guido Bitur.

ALFONSVM regem descendere ex equo,& cœnosam viam ingredi nõ puduit,vt rustici & imbecilli senis prolapsum sub onere asellum cauda subleuaret.Pont.de Beneficentia cap.6.

IN ETHICIS.

EXPEDITIONES ET BELLICOS SVM*ptus alterius causa suscipere,perferre,subministrare.*

PTOLEMÆI regis,PHILIPPI,CARTHAGINENSIVM, LVCENSIVM exempla, pete ex tit. Non accipere ea quæ honestè offeruntur.

PIPINVS Gallorum rex(in quo,inter permultas virtutes, Liberalitas plurimùm enituit)Gregorij tertij Pontificis precibus, bis in Italiam cum ingenti exercitu impensa grandi pecunia descendit,aduersus Longobardos.Quibus cùm Rauennam exarchatúmque ademisset(hæc enim Longobardorum dignitas erat : atque in ea Æmyliæ viæ pars : sub Romandiolæ nomine designata.Ferrariáque continebatur, item quicquid inter Ariminum Placentiámque comprehensum est) spreto magno auri pondere,quod Constantinus imperator offerebat,si ei cuius ea loca antè fuerant,restituerentur,Pontifici atque catholicæ Ecclesiæ omnia dono dare maluit.Fulg.lib.4.cap.8.& Egnat.lib.4.cap.8.

Non minus liberalem se, quàm Pipinus pater CAROLVS Magnus ostendit:qui vt Adrianum pontificem aduersus Desiderij Longobardorum regis arma tueretur,bis in Italiam descendit:domitáque Longobardorum rabie, dono data à Pipino patre confirmauit: eisque Parmam, Mantuam ac Lucam,& cum eis haud contemnendam Ethruriæ partem addidit:quæ omnia si voluisset,retinere sibi poterat.Fulgos.libr.4. cap.8. Egnat.ibidem.

ROMANVS populus Gregorium pontificem,virum sanctissimum, secutus, datam semel fidem constantissimè retinuit. Nam & Trasemundum ad se confugientem perbenignè recepit: & Luitprãdum ipsum cum magnis copiis aduentantem, Romámque ipsam acerrimè oppugnantem,forti animo sustinuit:donec pace inter eos inita,Trasemundus incolumis saluúsque intra imperij sui fines rediret. Vt certè hoc ipsum laudare vehementius in Romano populo possis qui in tam graui discrimine,datam Trasemundo semel fidem,tam sæua tempestate seruare maluerit.Egnat.lib.6.cap.6 & Fulg. ibid.

GENVENSIVM quorundam liberalitatem in classe propriis sumptib. pro patriæ salute conficienda,pete ex tit.Amor patriæ.

ALFONSVS Aragonius suppliciter à Ioanne Neapolitanorum reginæ,omni ope destitutæ,oratorib.vt contra Martinum v.pontificem (qui eam indignam quæ regnum ecclesiæ Romanæ feudatarium teneret, iudicarat,& Ludouicum Andegauensem Siciliæ regem declarauerat)auxilium ferret rogatus, dissuadentib.consiliariis, vt qui durum & perquàm anceps fore bellum dictitarent:respondit, Herculem etiam non rogatũ laborantibus subuenire consueuisse. dignum igitur esse, vt ipse quoque fœminæ afflictæ, & tantopere roganti,opem ferat.Panorm.lib.1.de reb' gestis Alphonsi.

IDEM cùm hortatu & precibus Eugenij pontificis expeditionem in Picenum agrum(qui à Francisco Sfortia potentissimo ac præstantissimo duce occupabatur)instituisset,atque Sfortiam expulisset.Eugenius vnam atque alteram vrbem ex receptis Alphonso obtulit.Verùm rex repudiatis omnibus,non quæstus gratia hanc expeditionem se suscepisse ait,sed ecclesiæ.Panormita lib.3.de rebus gestis Alphonsi.

LVCIANVS Auria,cùm Genuensi classi præfectus aduersus Venetos in Illyrico bellum gereret,nec à Genua stipendium mitteretur, & iam classis rerum omnium inopia laboraret,quanquam ipse neque rem propriam gereret,neque piraticam exercere vellet, vt ex rapto vndequaque classem aleret,eo quoque quod postremum relinqui videbatur, etsi iustè poterat,vti noluit,vt imperfecto bello cum classe domum rediret. Ingentis igitur animi vir,ac verè liberalis,impensa omni pecunia, quã è suo habebat, argenteáque supellectile inter naues diuisa,vt ea se nauales socij sustentarent:cùm eorum vnus pecuniam peteret,neque iam vltra quod daret aliquid superesset, à baltheo ornamentum argenteum quod pendebat, abscidit,atque ei dedit:quod non precij gratia, verùm propter rem ipsam(plura enim daturus videbatur,si plura habuisset)magni est faciendum.Fulg.lib.4.cap.8.

VTENSILIA VARIA LARGIRI.

PERSARVM regum munificentia ac liberalitas omnibus ferè sub orbe nationibus satis nota est.Venientibus enim ad se legatis,siue ij ex Græcia,siue aliunde aduenissent,hæc erant,Vnicuique talentum Babylonicum argenti præstantissimi. Talenta verò, duæ fuerunt argenteæ phialæ.Conficit autem Babyonicum talentum septuaginta minas Atticas.Item armillas & torquem.Vniuersa hæc mille Daricis æstimata : ad hæc stolam Medicam,quam Dorophicam appellant.Ælianus libr. 1. de varia histor.

NEAPOLITANI populi erga Romanos commemoranda liberalitas est. Nam durãte adhuc Annibalis bello, Mar. Attilio & Gemino Seruilio Musitano consulibus, Romam quadraginta aureas pateras magni ponderis per legatos munus populo Rom. miserunt, omnésque alias fortunas suas obtulerunt. Cæterùm non minor populi Romani grauitas atque abstinentia fuit, qui minima lance ex munere accepta, alias ingentibus actis gratiis restituit: quãquam diuturno bello impensarúmque magnitudine pressus, in magnam necessitatem coniectus esset. Fulgosus lib. 4. cap. 8.

ANTONIVS, M. Antonij pater, pressum necessitate amicum, numis cùm non posset, argenteo pocillo iuuit, etiam clam vxore. Quæ cùm furti seruos argueret, non puduit Antonium, quanquam virum ac patrem familiæ, furtum à se factum dicere, ac petere ab vxore veniam. Pont. cap. 28. de Liberal.

TACITVS Augustus columnas centum è lapide Numidico Hostiensibus dono dedit, quarum singulæ pedum trium & viginti esse dicuntur, donum vndique circũspectum: fuit enim & magnum, & ipso atque Hostiensibus dignum. Pont. cap. 19. de Magnificentia.

RICHARDVS Britannus rex, cùm mirè apparato conuiuio animaduertisset, duos ex equitibus suis attentius quædam mirari vasa aurea, & vnà sermones serere, ad eos accessit, petiitque quibus de rebus vnà loquerentur. Qui cùm respondissent, inter se locutos, quòd satis se opulentos fore putarent, contentíque viderentur, si duo tantùm ex eorum vasorum numero haberent: subridens rex dixit, Ne ob id contenti esse desinerent: se enim ea ipsa hora dono vasa dare: quæ in ipsorum manu poni iussit. Verùm quòd sculpturæ in eis excellens erat opus, neque sine tantæ artis iniuria deleri posse videbantur, in medio conuiuio inspici eorum pondus iussit, & pro vasis duodecim aureorum numûm milia (tanti enim esse censebantur) ambobus repræsentauit. Fulgos. lib. 4. cap. 8.

Nataliciis Christi Saluatoris diebus, cùm IDEM auro gemmísque sacram ædem, quam in palatio habebat, pro more exornasset, atque Aquensis episcopus Bonifacij Pontificis legatus mane in ea sacrificium peregisset, dum is pontificias exueret vestes, ex aræ ornamentis nihil moueri rex iussit apprehensóque postea humanè per manũ legato, cùm ad aram accessisset, dixit: Æquum non videri, ea die Põtificum legatum in aliena veste ornamentísque sacrificare: & propterea quæcunque tunc in ea æde essent, ei dono se dare. Ibidem.

REGNA, AGROS, POSSESSIONES, PRÆDIA, ET QVÆVIS ALIA *immobilia largiri.*

Consule tit. Dignitatibus & magistratibus sese abdicare.

ATHENIENSIS populus Lysimacho Aristidis filio argenti centum minas, totidémque consiti agri iugera, post patris mortem dedit: adiectis etiam quatuor drachmis, quæ de publico diebus singulis penderentur. Pontan. cap. 35. de Liberal.

Philippus Macedonum rex, vt scribit Plutarchus, Nicanora proprium inimicum & detractorem, inopia vehementer afflictum, munere donari præcepit.

ALEXANDER Philippi filius, in Asiam profecturus, non antè nauem ascendit quàm rebus amicorum egregiè pensitatis. Vt enim cuique commodius visum est, alij villam, alij prædia, quibusdam portoria, aut annuos è domibus prouentus dono dedit. Pontanus libro de Liberalita. cap. 12.

IDEM soli Phocioni Atheniẽsium duci cùm scriberet, χαίρειν apposuit. Insuper etiam centum argenti talenta misit ei: & quatuor ciuitates nominauit, Chium, Eleam, Mylasam, & Pataram: quarum quamcunque libitum esset, deligere iussit, vt eius census & reditus in propriam vtilitatem conuerteret. Atque hæc Alexander liberaliter & magnificè. Verùm magnificentius longè Phocion, qui cùm neque argentum neque ciuitatem accipere vellet, tamen ne planè promissa Alexandri nihili facere & contemnere videretur, hac re eum honorauit. Eos qui in arce Sardis captiui tenebantur, liberos sibi dimitti rogauit: Echecratidem sophistam, Athenodorum, Himeræum & Demaratum, qui duo fratres erant, & Rhodij. Ælian de Var. histor. lib. 1.

IDEM Porum hostem ęgrum curauit, & in amicorum numerum recepit, & ampliore donauit regno, quàm prius habuisset. Q. Curtius.

ATTALVS fratris Eumenis filio regnum liberaliter offert. Vide tit. Amor erga fratres.

TVLLIVS Hostillius è septem Romanis regibus vnus, quot agrorũ cæteris reges in vsum suum seruabant, publicè pauperibus diuisit: multorum regum moribus dissimilis, qui quod pauperum est, sibi vsurpare consueuerunt. Fulg. lib. 4. cap. 8.

ROMANI erga Acarnanes liberalitate non mediocri vsi sunt, cùm Leucadem & Anactorium oppida, quæ Corinthiis ademerant, sua sponte donationis titulo obtulerint Pont. cap. 34. de Liberalitate.

IIDEM Asiam bello captam Attalo regi muneris loco possidendam tribuerunt: eo excelsius & speciosius vrbis suæ futurum imperium credentes, si ditissimam atque amœnissimam partem terrarum orbis in beneficio, quàm in fructu suo reponere maluissent. Ipsa victoria donum felicius: quia multùm occupasse, habere inuidiam potuit: tantum tribuisse, gloria carere non potuit. Val. lib. 4. cap. 8.

ALPHONSVM regem Aragonum non modò vectigalium partem maximam ciuibus suis elargitum: sed vrbes etiam præclarissimas, comitatus ducatúsque splendidissimos dono dedisse, testatur Panormita lib. 4. de rebus gestis Alphonsi.

PECVNIÆ LARGITIONES. ÆS ALIENVM DISSOLVERE *pro alio.*

Consule titulum Liberalitatis in libris excudendis, vbi exempla quædam huic loco conuenientia enumerantur.

ARCHESILAVS pholosophus, Ctesibium ægrotantem inopiáq; rerum pressum inuisens, plenum numis sacculum clàm eius puluillo subiecit. Quo reperto: Archesilai (inquit Ctesibius) hic ludus est. Archesilaus dicere solebat, se malle liberalitatem, quàm auream argenteámque supellectilem. Guido Bitur.

Alexander Macedo plurimos ære alieno circunuentos liberauit, ingenti summa creditoribus exoluta. Pont. cap. 16. de Liberal.

IDEM, superato Dario, cùm in itinere videret Macedonem agasonem, qui mulum defessum auro onustum agebat, à mulo in humeros suos sarcinam trãstulisse, verentem quia Alexandri aurum illud erat, ne eo amisso ipse quoque vitam perderet: & tamen ipsum quoque agasonem sub onere, quod ingens erat, deficientem, vltra progredi non posse, agasoni vicinior factus dixit: Vt tibi hic labor minus grauis sit, in tabernaculum tuum hoc aurum deferes, quia iam hac hora tuum esse iubeo. O liberalitatem immensam, pluris quàm auri vim tantam, agasonem facere. Fulg. lib. 4 cap. 8. & Pont. cap. 13. de Liberal.

IDEM Taxilæ regi mille talenta contulit: vasa item conuiuialia ex auro & argento plurima: item vestes Persicas, & equos 30. suis insignibus ornatos. Rauis.

IDEM bis Persarum ciuitatem ingressus, toties mulieribus erogauit numos, prægnantibúsque munus duplicari iussit. Idem.

Menander comœdiographus ab Ægypti regibus per legatos magnis præmiis inuitatus est. Idem.

MASILIENSES, audita clade qua Romanos Galli affecerant, publico funere mortuos Romanos prosecuti, aurum quoque Rom. populo miserunt, vt facilius se à Gallis redimerent. Atque hoc Massilienses egerunt, nondum aliqua societate aut fœdere Rom. coniuncti. Fulgos. lib. 4. cap. 8.

TIGRANES rex Armeniæ sexies millies talentũm Pompeio Magno dono dedit. Pont. cap. 19. de Magnificent.

Proculeius fratres suos Scipionem & Murænam impendiis bellorum ciuilium attritos, & spoliatos, partito iuuit patrimonio. Vnde Horat. lib. 2. Carm.

Viuet extento Proculeius æuo
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

T. POMP. ATTICVS fugientẽ è patria Ciceronem sestertiis ducentis & quadraginta milibus donauit. Cedenti Italia Bruto sestertia centum millia muneri misit. In Epiro agenti sestertia trecenta numerari absens iussit. Familiares quosdam M. Antonij èx vrbe profugiẽtes, quibus rebus egere intelligebat, sponte iuuit. In P. Volumnium tam multa contulit, vt plura proficisci à parente non potuerint. Pont. cap. 14. de Liberal. & Fulg. lib. 4 cap. 8. Idem quoque publicam Atheniensium inopiam suis opibus sæpe subleuauit. Pontanus cap. 19. de Liberalitate & Corn. Nepos in vita Attii.

Idem Seruiliam Bruti matrem, post filij mortem, non tantum coluit, sed pecunia & aliis necessariis rebus iuuit. Fuluiæ Marci Antonij vxori pluribus modis & litibus vexatæ sic adfuit, vt nullum ea sine Attico vadimonium pręstiterit, quin ipse sponsor rerum omnium fuerit: necessariámque pecuniam non tantùm sine fœnore, sed sine vlla stipulatione crediderit. Pont. cap. 43. de Liberal.

TIBERIVS Cæsar erga benemeritos fuit omnium liberalissimus: qui eam pecuniam, quàm largissimè depromebat, atque alia munera, iubebat coràm numerari atque repræsentari, ne dantium perfidia aliquid supprimeretur. Intelligebat enim, Augusti temporibus magnam diminutionem de donis eius sæpenumero à ministris esse factam. Dion Nicæus in Tiberio.

NERO Romanorum imperator, cùm prætoriano militi, qui liberos imperij eius administrabat, dari iussisset aureorum centena millia: eáque Agrippina, vt ipsum intuentem summam tantæ pecuniæ pœniteret, vno in loco coaceruasset, interrogauit, quantum esset numeratum? cognitáque summa, eam duplicari iussit. Non enim putaui, inquit, me tam exiguũ munus dedisse. Xiphilinus Dionis abbreuiator in eius vita.

ADRIANVS cùm intellexisset populos quosdam peste affligi, pecunia eos & ope iuuit. Pont. cap. 14. de Liberal.

Ligustico bello dum Contarenus dux ad Clodiam recipiendam contendere vellet, quam Genuensis hostis expugnatam obtinebat, non parua ciuium Venetorum copia magnam vim auri argentíque in publicum contulit: ad alióśque bellicos vsus, omnes se paratos obtulerunt, vt Veneta dignitas atque libertas staret. Eorum magnam partem post pacem initam, patricio donauit ordine dux, & Senatus: & in iis Iacobum Caballum, qui terrestri bello ea ferè tempestate summa sua cum fide & laude præfuit. Supersunt adhuc Venetiis ex iis non paucæ familiæ, quæ honestissimum inter patricios obtineant locum. Eguatius libro quarto, capite octauo.

COSMVS Florentinus, per alios sæpenumero munera misit amicis suis, vt à quo mitterentur ignoraretur. Quo docuit, seruandum in quibusdam & erga quosdam tritum illud Christianorum prouerbium. Ignorare sinistram debere quod ipsa dederit dextra. Pontanus de Liberalit. capite vigesimoseptimo.

IOVIANVS PONTANVS, cùm aliquando Narniam venisset, hospitiúmque publicum ingressus esset cum familiaribus, & his qui itineris comites fuerant, tubicen non malus hospitium quoque ingressus est. (inualuit enim mos, vt quum peregrinus quispiã qui dignitatem præ se ferat aliquod oppidum ingreditur, tubicines postquam tuba eum salutauerint, donari se expectent.) Tubicinem igitur carleno donauit, atque vt taceret iussit. Causam requirenti cauponi, respondit: se, cum erga tibicinem liberalis esse nequaquam posset, si caneret, eo carleno redemisse, ne liberalis diceretur, & silentium eo argento mercatum esse. Pontanus de seipso refert lib. de Liberal. cap. 23. in fine.

Magna fuit Caroli Zeni Veneti in Franciscum Cararium humanitas atque benignitas: cui principatu Patauino à Ioanne Galeatio Mediolanensi principe deiecto, in exiliúmque ad Astam oppidum misso, relegatóque, Carolus fortè obuius factus est, qui tum Imperio vniuersi principatus præesset. A quo quum propter veterem amicitiam non paruam pecuniæ summam peteret, vt vitam produceret, seséque alere vnũ posset: perlibenter illi, & quàm facillimè petitam pecuniæ summam numerauit: iussítque vt omnem operam à se expectaret, quæ præstari ab se sua cum dignitate illi posset. Egnat. lib. 5. cap. 1.

SIGISMVNDVS Imper. Caroli IIII Rom. Imp. filius, natione Bohemus, anno 1410. electus, cum ex Burgũdia 40. aureorum millia accepisset, & ad mediam vsque noctem cogitabundus iaceret, in quémnam vsum eas pecunias conuerteret: tandem aulæ proceres conuocari iussit, iísque pecunias omnes dono dedit, his verbis: Vos hinc auro onusti vigilantes abite, ego porrò curarum vacuus securè dormiam. Æneas Syluius lib. 4. de gestis Alphonsi.

ALPHONSO Aragonum regi, cùm à quodam deferrentur aureorum decem milia, dixissétque qui fortè aderat, ea duntaxat summa se diuitem & beatum fore: Accipe, rex inquit, quantacunque ea est, & beatus esto. Panorm. lib. 4. de rebus gestis Alphonsi.

MVTVVM DARE ABSQVE FOENORE.

Consule titulum, Sumptus in bibliothecis comparandis, aut libris excudendis. Quo in loco illustria exempla clariss. virorum reperias, qui Io. Oporinum in re typographica sumptibus suis, absque vllo fœnore (quod non nisi in sordida cadit ingenia) adiuuerunt.

ANTONIVS Creticus, M. Antonij Triumuiri pater, cum non amplas haberet facultates, eámque ob causam ab vxore Iulia matrona rarissima prohiberetur, ne sua liberalitate ex animi sententia vteretur, & amicus ad eum pecuniæ causa petendæ accessisset: deficiente pecunia, mandauit puero, vti aquam in argenteo scypho afferret, atque ea genas abluit, tãquam barbam tonsurus. puero autem alterius negocij causa digresso, scyphum amico tradidit, eóque vti iussit. Vt verò scyphum à seruis requiri sensit, vxorémque indignè ferentem, & velle de singulis seruis quæstione habita inquirere, fassus est factum, veniámque petiit. Plutar. in Antonio.

DOTEM LARGIRI.

ALEXANDER Macedo Perillo cuidam suorum amicorum dotem pro filia petenti, quinquaginta dedit talenta. Eo tamen dicente, Decem satis esse: Tibi (respondit) accipere quidem satis est, at mihi dare nequaquam satis.

PLINIVS orator, historici nepos, Quintiliano rhetori dedit abundè pecuniæ, qua nubilem dotaret filiam. Quod ad ipsum scribens edocet, his verbis: Et tanquam parens alter puellæ nostræ confero quinquaginta millia numûm. Rauis.

VRSVS comes Nolanus singulis annis, quibus Nolæ præfuit, satis bonam pecuniam puellis collocandis decreuerat: vnde & viuus maximè charus Nolanis fuit, & mortuus ab omnibus desideratur. Pontanus de Liberal. cap. 20.

CENSVM ET SALARIA LIBERALITER ALICVI LARGIRI, *vel augere.*

Consule titulum, Gratitudinis erga præceptores & doctos.

LYCVRGVS obiicientibus, quòd eloquentiæ studio rhetoribus daret mercedem: Si quis, inquit, profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas, sed omnium facultatum dimidium essunderem. Plurimum ab hominum vulgo discrepans, qui periisse existimãt quod liberis instituendis impenditur. Eras. Rot. lib. 8. Apoph.

CÆSAR Augustus cum suis successoribus, censum senatorum, qui ad numos octingenta millium olim fuerat, ad duodecies centies sestertiũm auxisse scribitur, nequis eorum inops & egens foret. Alex. ab Alex. libro 4. cap. 11.

TIBERIVS Cæsar, præterquam quòd censum senatorium iuuit, & honestam paupertatem innocentium subleuauit, prodigos vel senatu mouit, vel loco cedere coegit. Ibidem.

NERO senatoribus Romanis, qui tenui re familiari essent, annua salaria statuisse dicitur. Ibidem.

HADRIANVS fœminis plurimis, vnde familiam honestè alerent, salaria constituit: nescias liberalius ne, an magis consideratè. Pontan. cap. 11. de Liberal.

SEVERVS Imperator milites suos vnicè dilexit, quibus inter omnes imperatores maius semper stipendium assignauit. Tantum autem annonæ moriens reliquit, quantum septennio potuisset vrbi sufficere. Guido Bitur.

CAROLVS Septimus, Sexti filius, Gallorum rex, solenni Episcoporum concilio Pragmaticam instituit sanctionem, vt qui magna olei impensa euasissent literati, ad sacerdotia proueherentur. Prius enim curæ animarum (quas vocãt Beneficia) mulionibus, aut etiam lenonibus præsulum dabantur: ita vt vtilius multo videretur, in aulica vita eius rei gratia parasitari, & scurram agere, quàm studium literis impertiri. Asini enim portabant mysteria: doctos oportebat sua fama contentos viuere, nec aliud sperare quicquam. Rauisius.

FRANCISCVS I. Galliæ rex, laudatissimis Impp. & eruditione & rerum gestarum gloria par, pietate etiam superior, verus Musarum Mecœnas, Parisiis in omni literarum genere professores annuo stipendio 400. librarum in singulos constituit, quos Regios vocant, qui absque stipe docerent publicè. Hácque ratione factum est, vt rudis illa & bellicosa Gallia literis quoque & pacis studiis ornaretur. Nam regis ad exemplum totus componitur orbis. Cæsar Gallias armis subegit: at hic noster Mineruæ filius & armis protexit, & literis ornauit atque illustrauit.

FERDINANDVS rex grandem pecuniæ summam quotannis ex ærario pendendã statuit Rhetoribus, Philosophis, Theologis, qui publicè Neapoli docerent. Egregium sanè factum, & perpetua commendatione dignum, eos alere, quorum vtilitas non tantùm ad parentes & sanguine coniunctos, verùm etiam ad totam patriam, & totum terrarum orbem redundare potest. Pont. lib. de Liberal. cap. 29.

ALFONSVS rex, adolescentulos multos pauperes & ingeniosos in Galliam vlteriorem, ad capiendum ingenij cultum misit. Pontan. cap. 20. de Liberalitate.

Non parum laudis IO. IAC. Fuggerus nostra hac ætate meritus est, qui maximis sumptibus quotannis non in Germaniæ tantùm celeberrima Academia Ingolstadiẽsi, in omni disciplinarum genere studiosos fouit adolescentes, verumetiam in Italiam atque Galliam ad capessendum ingenij cultum liberaliter, seu potius magnificè dimisit. Vtinam verò Herois tanti virtutes illi imitarentur, qui vt opibus cæteros vincunt, ita etiam splendore & munificentia superare deberent. Melius certè cum rebus humanis ageretur.

LIBERTATEM VEL IN BELLO CAPTIS, VEL ALIOQVI SERVIS
restituere gratis.

ANICERIS Cyrenæus,Platonem ab Aeginetis captum & inter mancipia vænalem expolitum,ne quid indignum paterentur , minis aliquot mercatus est,& honesto comitatu Athenas ad suos remisit. Quam pecuniã,quum à Platone sibi remissam intellexisset : Profectò,inquit peccatũ videri potest,quod maiore summa non iuuerim tantum virum. Rauis.

BIAS Prienæus,cùm dines esset,puellas quasdam Messenias redemit, & pro filiabus educauit:postea dote data eas Messanam ad parentes remisit.Breui pòst inuento aureo tripode , cùm ex oraculo deberetur Sapientissimo,puellæ cum patre suo in concionem prodierunt, & Biantis liberalitate expolita,appellarunt eum Sapientem, authoréque fuerunt vt tripus Bianti mitteretur.Laert.lib.1.

Cum Periander Cypseli filius, Sardis ad Halyattem castrandos mitteret trecentos primorum Corcyræorum(qui Fœtus Lycophronem interfecerant)liberos:& Corinthij,qui illos ducebant,Samum appulissent,audita SAMII causa,cur Sardis pueri ducerentur, primùm edocuêre pueros,vt puluinar Dianæ contingerent.Deinde cùm eos,ne à puluinari abstraherentur,obseruarent Corinthij, præbebant illis alimenta Samij, diế solennem agentes,quem nunc quoq; per id tẽpus celebrant. Cùm enim non aduenit,quamdiu pueri precabantur , tam diu exercebant choros virginum atq; adolescentium.Tunc autem choros exercentes , esculẽta fecerant ex sesamo ac melle,quæ distribuenda ferrent: vt ea Corcyræorum filij rapientes,alimenta haberent.Idque eousque factum est, dũ Corinthij pueris(quos asseruabant)omissis abierunt. Ita Samij pueros Corcyram reduxerunt.Herod.lib.3.

PTOLEMÆVS rex,fugato Demetrio , quos prælio cœperat Demetrij amicos , vnà cum eius supellectile statim remisit: mitlis qui dicerent,de imperio & gloria magnis viris certandum esse. Pontan.cap.31. de Liberalitate.

DEMETRIVS classe Ptolemæi superata , eorum qui ceciderant corpora magnificè sepelirì,captiuos autem omnes liberos abire iussit. Ibidem.

ANTIOCHVS rex Asiæ.Scipioni filium charissimum captum , sine dono libens remisit.Plutar.in vita Scipionis,Plinius de viris illustribus.

P. SCIPIO Hispanos,grauissimos Romani nominis hostes , captiuos sine vlla redemptione ad paternos lares dimisit.Pontanus lib.de Liberal.cap 31.

IDEM Matinissæ nepotem magnificentissimè donatum , absque vlla contumelia dimisit ibidem.

Q. FABIVS Max.captiuos ab Hannibale interposita pactione nummorum receperat.Qui cùm à senatu non præstarentur , missò in vrbem filio fundum,quem vnicum possidebat,vendidit, eiusq; precium Hannibali protinus numerauit,si ad calculos reuocetur,paruum, vtpote septẽ iugeribus , & hoc in Pupinia addictis redactum : si animo prærogantis, omni pecunia maius. Se enim patrimonij,quàm patriam fidei inopem esse maluisse:eo quidem maiora cum commendatione, quòd proni studij certius indicium est supra vires niti,quàm viribus ex facili vti:alter enim quod potest præstat,alter etiam plus quàm potest. Valeri. Max. libro quarto,cap.8.

CN. MARTIVS Coriolanus, cùm post egregia facinora à Postumio Comminio omnibus donis militaribus , & agri centum iugeribus, decem captiuorum electione,& totidem ornatis equis,cẽtenario bouum grege,argentoque quantum sustinere valuisset,donaretur , nihil ex his præter vinus captiui salutem,equumque quo in acie veheretur , accipere voluit.Historia extat apud Liuium li.2.Dec.1.Plut.in Coriolano,Plin.de vir.illust.Val.Max.li.4.cap.3.& lib.5.cap.4.Flor.lib.1.cap.22.Eutrop.lib.1. cap.vndecimo.Fulgos.lib.7.cap.5.& alios.

Cùm Carthaginensium legati ad captiuos redimendos in vrbem venissent,SENATVS protinus his nulla pecunia accepta reddidit,iuuenes numerum duũm millium & septingentorum quadraginta trium expletes.Tantum hostium exercitum dimisserunt,tantam pecuniam contempti, tot Pœnicis iniuriis veniam datam,ipsos legatos obtuppuisse arbitror, ac secum dixisse:O munificentiam gentis Romanæ,deorum benignitati quandam. O etiam nostram legationem supra vota felicem:nam beneficium quod nunquam dedissemus,accepimus. Val.Max.lib.5.cap.2.

SALADINVS,maximus & amplissimus inter Maumethanos principes , vel eo nomine quòd Hierosolymitani regni fastigium nobis ademerit,vt nunquam sit à nobis postea receptum,claris victoriis aduersus nos partis celebris,celeberrimus verò capto Guidone Lusignano Cypri insulæ rege,& aliis non paucis principibus Christianis , quos omnes apud se humanissimè habuit,facileque postea dimisit.Sed est illud eius facinus non minus memorabile,quod recepta arce per biennium à se obsessa,quam Christiani milites mebantur,coacti fame illam restituere,eos omnes summa humanitate excepit,vxoréque singulis suas tribuit,suas pecunia multas ex iis captiuas redemit,magnoque auri pondere eos donauit,incolumésque domum dimisit.Tãtam in illo virtutem admirans, nescias quibus laudibus non insigniem principem nunc laudes.Egnatius lib.sexto,capite quinto.

Captis ab Eo Hierosolymis, quum passim illi fœminarum vulgus & matronarum comitatus occurreret,quæ & maritos suos in acie interfectos desiderent,& supplices peterent,ne pactam pro redemptione suæ pecuniam,quę illis nulla superesset,exigere vellet: tantam humanitatẽ erga illas exhibuit,tantamq; clementiam in eas præ se tulit, vt non modò quicquam ab iis extorserit,sed benignè ad se appellatas , numerata singulis pecunia,vestisq; muneribus ornatas vltrò dimiserit: datis etiã ducibus,qui eas quocunq; abire mallent,tutò innocentérque deducerent. Egnat.lib 5.cap.1.& Fulgosius libro 5.cap.1.

PHILIPPI MARIÆ Mediolanensis liberalitas & animi magnitudo in primis clara & nobilis vsa est,qui captũ nauali pugna Alfonsum cum duobus fratribus,altero etiam rege,multis item regulis,non modò liberos esse voluit,verùm nullum liberalitatis,comitatis,munificentiæ genus in eos prætermisit.Quid enim pulchrius , quàm quos armis vicetis,eos liberalitate & pietate deuincire?Pontanus li.2.de Liberal.

LIBERALITAS EN ΔΗΥΕΙ.

OPVM ET DIVITIARVM CONTEMPTVS IN
genere, in non acquirendo.

LVCVRGVS apud Spartanos,liberos homines vetuit quicquam attingere,quod circa rem pecuniariam versaretur. Quæcunque autem libertatem ciuitatibus adferrent,hęc sola instituit persequenda.Xenophõ in Laconum Repub.& Stobæus sermone 42.de legibus.

PELOPIDAS in præfectura rei militaris Epaminondæ erat collega:quumq; amici dicerent,illi rei necessariæ,videlicet colligendi pecunias,nullam esse curam:Ita per Iouem,inquit,necessariæ,sed huic Nicomedi:ostendens hominem clausum ac manicum.Sensit,fortibus vitis nihil esse opus pecunia.Pluta.in Græc.Apoph.

THEBANI Ægypti jiuxta legem patriam neminem ad magistratum & publica munera admittebant,nisi prius à mercimoniis destitisset annos decem,adeò exosa apud illos fuit auaricia,& nimium lucri studium. Alexand.ab Alexand.lib.4.cap.6.

Sustulerunt è medio omnem auri & argenti vsum SPARTANIS Lycurgi instituto , ferumque prætulerunt : vtpote rem magis vtilem , numo ex eadem materia percusso : certa persuasione, nullam ciuitatem diu duraturam , in qua luxus & auaricia præualerent. Sab.lib.6.cap.1.

In Tygris alueo oppidum est BABYTHACE, cuius incolæ mortalia soli aurum odio habent.Rauis.

Apud MACROBIOS Æthiopiæ populos,æs pluris æstimatur quàm aureis cuius tam vilis est vsus,vt eò profecti Cambysis legati , fontes viderint aureis cathenis in custodia vinctos.Herodotus lib.3.& Sabellicus Enneade prima,& lib.2.

ACQVISITIO OPVM HONESTA, SIVE PROPRIA INDVSTRIA,
siue alieno munere:vt pote,Accipere ea quæ honestè offeruntur.

Exemplæ plurimæ ex Tit.Gratitudinis peti possunt.Nam qui gratus est,prius beneficium ab eo,erga quem gratus est,accepit.

ARISTIPPVS philosophus reprehensus , quòd pecunias acciperet ab amicis,atque non ideo accipere vt vteretur ipse,sed vt illi discerent, ad quas res vtendum sit pecuniis.Vulgus enim diuitum aut in equos,aut in operosas structuras,aut in luxum perdit pecuniam: quum ea bonis viris,si egeant,sit eroganda.Laertius lib.2 cap.8.

IDEM reprehensus à quodam,quòd Socratis discipulus , contra Socratis morem pecuniam acciperet:Meritò,inquit,hoc facio,nam Socrati plurimi diuites amici mittebant triticum & vinum : è quibus pauca in vsus necessarios reseruans,remittebat reliquum . Nimirum habebat ille dispensatores Athenienssium primores:ego verò Eutychidem , seruum meum empticium.Significabat se nihilo minus contemnere pecuniam, quàm Socratem:sed illi fuisse largiores amicos . Laertius libro secundo capite octauo.Hoc colore se possent & hodie quidam excusare , prositentes summum pecuniæ contemptum , quum apud amicos habeant depositam pecuniam : quòd olim habebant benignos pœni curatores : nunc esurituros satis,si nihil sit alicubi repositum numorum. Erat in Apoph.

DIOGENES Cynicus,cum egeret pecuniis,eas ab amicis accipiebat. At cùm

At cùm à quibusdam ob id suggillatus esset,quòd præter philosophi dignitatem,mendicorum more peteret:Imò,inquit,non peto,sed repeto. Repetimus autem mutuum,aut depositum.Amicus autem egenti amico dans,non donat,sed reddit potius id quod amico debet: quoniam amicorum omnia debẽt esse communia.Diogenis dictum extat apud Laertium lib.6.

TIMOTHEVS tibicen,aduentãtem discipulum interrogauit, an sub alio etiam præceptore Musicę operam dedisset.qui cum sub alio militasse etiam affirmasset:Duplicem igitur dabis mercedem, ait quoniam duplex mihi labor subeundus est: dedocendi videlicet vetera , & docendi noua.Brus.lib.2.cap.23.

LAMPIS negociator, interrogatus quomodo sibi parasset diuitias: Magnas,inquit,haud difficulter,exiguas verò cum labore ac tardè.Sentiens,initiò paulatim magnáque vigilantia corrasam pecuniam. Cæterũ parata iam ingenti sorte, facilè est amplis lucris ditescere.Primùm autoritas ac fama tardè paulatimque , nec sine negocio paratur. At qui iam innotuit,facilè magnam assequitur laudem.Meminit Plut.in libello, An seni sit capessenda respub.

CN.POMPEIVS Magnus à Tigrane Armeniæ rege victo ingentia munera accepit,cúmque liberalitatis ergò in regnum restituit: filiũ verò, qui tanti cœnam Pompeij emere nolle dicebat , in triumpho duxit. Fulg.lib.9.cap.4.

P. SCIPIO amplissima munera à rege Antiocho missa, pro tribunali se accepturum esse dixit , eáque omnia referre quæstori in publicas tabulas iussit.Plutar.

OCTAVIVS Augustus strenam ab infimis accipere dedignatus non est.Vicissim tamen in ea mittenda largus admodum ac liberalis fuit.Põtanus cap.40.de Liberal.

SYLVANVS abbas,quamuis ieiunaret, tamen hospitij gratia cibum sumpsit.Vide sub tit.Castigatio carnis per ieiunium.

Q.RHEMMIVS Palæmon,Veientanus , Grammaticorum princeps Romæ,cùm maximos sumptus faceret, tum etiam in re familiari diligẽtissimus erat,cùm & officinas promercalium vestiũ exerceret , & agros adeò coleret,vt vitem manu eius institutam satis constet CCCLXV vasa edidisse.Impurus alioqui.Vide tit.Grammaticorum.

NON ACCIPERE EA QVÆ HONESTE ACCIPERE
possis,cum ab alio offerantur.

ABRAHAM noluit accipere munera , quæ obtulit ei rex Sodomorum,licet ipse optimè meruisset, quando reuersus fuit Abraham à cæde quatuor regum.Gen.14.

HELISEVS propheta cùm Naaman Syrum à lepra curasset , nullis precibus moueri potuit vt dona acciperet.At Giezi minister eius cupiditatis stimulo percitus,cucurrit post Naaman,quasi à magistro missus:mẽdacique procacitate impudenter vsus,argentum & uestes ab eo accepit: propterea & lepra , qua Naaman fuerat liberatus, adhæsit illi & semini eius vsque in sempiternum:vt saltem sic punitus discat,charitatem erga proximum gratuitam esse debere,non mercenariam. Marul. libro primo cap.7.

DANIEL oraculi diuinitùs in pariete descripti mysterium expositurus regi,dona dignitatémque polliceuti ait: Munera tua sint tibi,& dona domus tuæ alteri date:scripturam autem legam tibi rex,& interpretationem eius ostendam tibi. Quod verò deinde legitur, eum mox purpura fuisse indutum,torque aureo circumdatum,potestate præditum,argumento est,licere aliquando peracto opere oblata recipere:non tamẽ ex pacto,sed ex donantis liberalitate:neque ad luxuriam, sed ad necessitatem.Considerandum autem, sic etiam acceptum munus quantæ paterit inuidiæ:nónne tantæ , vt acceptorem suum leonibus obiecerit laniandum:niſi quòd mitior tunc sylvestrũ beluarum extitit feritas , quã semper malesuadus flagitiosorum hominum huor. Nec mirum si Deo volente protectus est , qui vt suos protegeret, honorem munúsque admisit,non vt sibi indulgeret.Marul.libro primo capite septimo ex Danquinto.

Sed si hi qui adhuc sub legis vmbra versãbatur, venalitati sese exponere in excipiẽdis diuinis nefas esse ducebant:quanto eos contemptores esse par est,quos iam coruscante Euangelio in lucem eductos omniũ virtutum decet consummata perfectio: Proponantur nunc igitur Christi apostoli:vt magis confundantur,qui ne veterum quidem sanctorum parsimoniam imitari studẽt,luxuriæ potius cupiditatibúsque dediti,nomen atque professionem clericorum habentes,non vitã. Quos per Malachiam arguit Dominus,dicens: Quis est in vobis qui claudat ostia , & incendat altare meum gratuitò: non est mihi voluntas in vobis , dicit Dominus exercituum:& munus non suscipiam de manu vestra.Sed iam audiant,quàm moribus eorum diuersa gesserint illi,quorum sectæ se esse autumant.Idem.

PETRVS & IOANNES missi in Samariam , baptizatis imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Tũc Simon magus & ipse baptizans,sed magis ad auariciam quàm ad fidem corde conuersus, pecuniam Apostolis offerre cœpit:ab eis petens,vt simili euentu,quibus ipse manum appossuisset,Spiritum sanctum acciperent. Haud parum lucri se facturum ratus,si hanc potestatem assequi potuisset. Adeò quippe mentem animúmque eius excæcauerat malicia, vt nesciret sacramenta Dei, & venale putaret quod nec vendi nec emi potest. Ideóque meruit audire:Pecunia tua tecum sit in perditionem,quoniã donum Dei existimasti pecunia possideri. Apostoli ergo non modò præmum non acceperunt, verumetiam offerentis nequitiam acerba execratione prosecuti sunt. Idem.

PAMBVS Ægyptius monachus,cùm sportellas texeret,vt iuxta monachorum morem labore suo parto pane vesceretur : Meliana Romæ patricio stemmate nata,quæ tunc in Ægypto agebat, quadringenta argenti pondo ei dedit.Quam pecuniam cùm Pambus vix aspexisset, iussit monachum prope se stantem vicinis monasteriis,quorum inopia nota esset,diuidere, nihilque pro ipsius monasterio retinere. Fulgos. libro quarto,capite tertio.

BARTHOLOMÆVS apóstolus,Polemo Indię rege offerente sibi camelos argento auróque oneratos , eo quòd filiam eius ab immundo spiritu liberam reddidisset,nihil prorsus accipere voluit, sibi his nequaquam opus esse dicens : neque ob hoc se venisse vt munera acciperet , sed vt in Christum credentibus viã adipiscendæ salutis monstraret. Hæc res profectò non minus,quàm miraculum sanatæ filiæ,impulit regem vt baptizari susciperet:& postremò relicto regno,discipulus Apostoli fieret, qui fuerat Indiæ dominus.Idem.

IVDAS Thaddæus , cùm Abgarum gentis vltra Euphratem potiæ regem graui valetudine laborantem , solo tactu sanitati restituisset, magnam vim argenti atque auri pro eo sibi oblatam constanter recusauit.Si nostra,inquit,derelinquimus, quomodo accipiemus aliena:Itaque tantum diuitiarum cõtemptum in tam paupere viro rex admiratus,non ita cupidè paulo autè expetierat sanitatem , vt tunc Christi susceperit fidem. Neque enim dubitauit veritatem ab eo sincerè prædicari , à quo aberat captatio lucri. Idem.

Pari animi magnitudine prædictus Cyriacus martyr , cuius glorioſus exitus 6.Idus Aug. nobis celebris habetur à Roma ad Persas vsque , ab Sapore eorum rege euocatus,cum filiam illius Iobiam à dæmoniaca vexatione vindicallet , dona quibus vel longi itineris labor compensiri potuisset,oblata repudiauit. Neque enim pro terreno præmio peregrinationẽ illam susceperat,sed pro cœlesti. Itaque qui mortalis regis gazam contempsit , ab immortali Domino martyrio coronatus , æternam adeptus est beatitudinem.Idem.

COSMAS & DAMIANVS germani fratres,medendi arte clari,sed pietatis officio clariores,gratuito curationem exercebant. Et cum Damianus Palladia matrona morbo liberata,munusculi aliquid ab ea,precibus pulsatus,ac penè coactus accepisset,adeò id ægrè Cosmas tulit, vt mandasse dicatur,ne eodem tumulo cum fratre componeretur, quãdocunque ipsis vita defungi contigisset:mihil tam iniquũ existimans, quàm pro labore, qui propter Deum susceptus fuerat , ab homine mercedem quærere.Idem.

LEONHARDVS sancti Remigij discipulus,quoniam Gallorum regis coniugem difficili partu laborantem , medicis iam desperantibus, ipse diuina virtute à periculo liberarat regi ampliſima dona offerenti:haud quaquam se iis indigere respondit, proinde neque accipere velle.nihil cuiquam necessariorum defuturum allerens, qui omnium opifici libenter seruiret, cùm ipsa veritas dicat:Quærite primùm regnum Dei,& hęc omnia apponentur vobis.Idem.

HILARION abbas,vt in cæteris omnibus , ita hac quoque in parte circumspectus,Orioni,à quo legionem dæmonum Christi virtute expulerat,dona immodica secum illata portigẽti,Nónne legisti, ait, quid Giezi,quid Simon passi sint? quorum alter accepit precium , alter obtulit: vt ille venderet gratiam Spiritus sancti,hic mercaretur. Cùmque Orion flens diceret,Accipe & da pauperibus:respondit,Tu melius potes tua distribuere,qui per vrbes ambulas,& nosti pauperes:ego qui mea reliqui, cur aliena appetam:Multis nomen pauperum occasio auariciæ est, misericordia verò artem non habet. Nemo melius erogat , quàm qui sibi nihil reseruat.Tritii autem,& in terra iacenti:Noli,inquit, contristari filiique:quod facio,pro me & pro te facio.Si enim hæc accepero,& ego offendam Deum,& ad te legio reuerteretur.Idem.

IDEM purpurato cuidam Constantini imperatoris, quem itidem nequitiæ spiritu vexatum , sanum fecerat,decem auri libras dono offerenti,hordeaceum porrexit panem:dicens,quòd qui tali cibo aluntur, non pluris aurum æstiment quàm lutum.Idem.

In Sicilia etiam quidam de primoribus viris morbo aquæ intercutis, ea ipsa die qua ad eum venerat curatus, cùm postea eidem offerret plurima munera,audiuit dictum Saluatoris ad discipulos:Gratis accepistis, gratis date.Idem.

EVGENIA virgo dum sub personæ abbatis sexu dissimulato virorum præesset collegio,Melanciam Alexandriæ nobilem matronam,quadam desperatissima corporis ægritudine affectam,Deum precata, repentè & efficaciter curauit. Et cùm pro tali beneficio ingentia sibi offerrẽtur dona,nihil accepit:se Christi paupertatem præferre diuitijs dicens , & pro eius amore ea quæ cum seculo transeunt cõtemnendo,ad illas, vbi ipse est,nunquam deficientes delicias anhelare : quæ quidem vitæ huius incommodis,non opibus comparantur. Et certè fieri non potuit , vt quæ seipsam abnegauerat,ita vt etiam inter viros viuens mulierem se nesciret,quicquam præter Christum concupisset.Ibidem.

D. MARTINVS, cùm aliquando Leontij cuiusdam ædes à peste liberasset,isque vicissim pro beneficio centum argẽti libras offerret, eas repudiauit.Ægrè autem id ferentibus discipulis,& paupertatẽ causantibus,

respondit:Nos Ecclesia & pascat & vestiat,dummodo nil nostris vsibus quæsisse videamur.Seuerus Sulpitius in eius vita.

EXEMPLA ETHICA.

PALAMEDES,cùm ei Græci ex vectigali pecuniam offerrent,accipere noluit,inquiens:Non capiam:nam & ego vos pauperes fieri iubeo, nec tamen obsequimini.Philostratus.

EPIMENIDES Cretensis, Atheniensibus pestilentia laborantibus cùm consilium dedisset salubre,reuertens domum oblatam ab eis pecuniam remisit.Plato lib.1.& 3.de Legibus.

Alexander cognomen inuicti assecutus,continentiam Diogenis Cynici vincere non potuit.Ad quem cùm in sole sedentem accessisset, hortareturque,vt si qua sibi præstari vellet, indicaret: quemadmodum erat in crepidine collocatus,sordidæ appellationis, sed robustæ vir præstantiæ:O rex (inquit) de cæteris,interim velim vt à sole mihi non obstes. Quibus verbis illa nimirum inhæsit sententia: Alexander Diogenem gradu suo diuitiis pellere tentat, celerius Darium armis. Vale. Max. libro 4 cap.3.

IDEM Syracusis,cùm olera ei lauanti Aristippus dixisset, Si Dionysio adulari velles,ista non esses.Imò (inquit) si tu ista esse velles, Dionysio non adulareris.Ibidem.

PHILOPOEMENI Megalopolitano cupiebāt Lacedæmonij aliquo insigni munere pro acceptis beneficiis gratiam referre. Cæterùm cùm oratores,qui ad eum cum centum viginti talentis missi erant, perspecta eius vitæ abstinentia,nunquam de danda ei hac pecunia hiscere ausi fuissent,data Timoleonti,qui ei familiaris erat,huiusmodi cura,ne ipse quidem prima aut secunda vice verbum ei facere ausus est. Tandem tectis verbis cùm Lacedæmoniorum animum ostendisset,turbatus est grauiter Philopœmenes,& Lacedæmonem profectus, in Senatu Lacedæmonios grauiter increpuit:quòd amicum,quem sine vlla impensa habebant,coemere pecunia tentarent.His quæ ei iusserant offerri, non minore molestia se affectum ostendens,quàm plerìq; soleant, si eis nihil tribuatur. Fulgos.lib.4.cap.3.

XENOCRITA Cumæa,cùm eius opera Aristotimus vir, qui Cumas tyrannide premebat,occisus fuisset,vellentq; eam ciues honore commodisq; cumulare,quòd ipsa ob patriæ charitatem, & marito à quo diligebatur & principatum se priuasset, præ modestia animi omnib. quæ offerebantur spretis,solū Aristotimi viri sui corpus ad sepeliendū petiit. Ibidē.

Alcibiades ambitione quadam munificus,cum plura magnaq; munera Socrati dono misisset, & Xanthippe admiraretur donorum amplitudinem,eaq; cuperet eum accipere,Socrates dixisse fertur: Imò nos certemus liberalitate cum Alcibiade,& ea quæ mittuntur ab ipso non capiamus,quadam munificentia.Ælia.lib.9.de Varia hist.

Quum Alcibiades spaciosam aream dono offerret SOCRATI,in qua sibi domum ædificaret:Quid,inquit,si mihi calceis opus esset, nū corium mihi dares,vnde mihi calceos conficerem?Et si dares, an non ipse ridiculus essem,si acciperem?Hac similitudine munus inutile recusauit. Eras.lib.3.Apoph.

SOCRATES philosophus obiurgatus ab vxore Xāthippe,quòd multa militantibus amicis,nihil acciperet,dixit:Si omnia quę dantur,statim acciperemus,ne si peteremus quidem in posterum, vt darent, habituri essemus.Stob.serm.1.de prudentia.

Archelaus rex, Socratem ad se vocarat, multa pollicens:Socrates respondit,se nolle ad eum venire,à quo acciperet beneficia, cum illi reddere paria non posset.Hoc dictum improbat Seneca:quòd philosophus, persuadens auri argentique contemptum,plus dat,quam si det aurum & argentum.Erasmus Rot.lib.3.Apoph.

Quum Aristippus,Socratis discipulus,ex quæstu quē Socraticorū primus facere instituit,præceptori misisset viginti minas, remisit ilico SOCRATES ad illum pecuniam:dicens,ipsius genium hoc nequaquā permittere.Dicebat enim Socrates,sibi peculiarem esse dæmonem, à quo prohiberetur arcano signo,si quid tentaret parum honestum.Geniū autem illum,opinor fuisse rationem.Atque interim ciuiliter indicauit Aristippo,sibi non probari,quòd philosophiam doceret mercede:eoq; munus missum repudiauit.Laertius.

CYRO iuniori hormus preciosissimus à Scopa iuniore Thessalię pręfecto(qui ex Sicilia acceperat)missus fuit.Hoc monile mirabili quadā arte varietateq; confectum esse videbatur.Omnibus itaq; quibus id ostendisset Cyrus,mirantibus,gauisus thesauro,repentè circa meridiem ad Aspasiam se contulit:cumque eam reperisset dormientem,subter vestē insinuans,sese clàm acclinauit,& tacitè sineque strepitu permansit,donec illa somnum perfecit. Quæ cùm experrecta vidisset Cyrum, complexa est solito more & consuetudine.At ille extractum de cista monile,monstrauit ei,dicens:Hoc certè vel filia,vel matre regia dignum est. Cumq; annuisset illa:En,inquit,id tibi possidendum dono:tu verò cura, vt è collo suspensum gestes.Illa non recepit munus, sed prudentissimè respondit: Et quomodo,inquit,ausim,cùm hoc donum potius matrem tuam Parisatidem deceat?illi igitur mittito.Ego verò sine ornamento hoc tibi collum satis venustum præstitero.Hoc responso delectatus Cyrus,Aspasiam vehementius amauit:& hæc facta dictáq; singula in epistolam conscripta, ad matrem vnà cum monili misit.Et Parisatis accepto munere, non tam propter missum donum,quàm propter aurum gauisa est, & ob hæc maximis regiisque muneribus Aspasiam remunerata est.Hoc enim summā ei lætitiam faciebat,quòd tametsi vel sola apud filiū excelleret Aspasia, tamen se vellet superari à matre ipsius. Aspasia igitur munera collaudanit,& non indigere se illis dixit,quoniam sibi plurimæ pecuniæ esse muneribus venissent,sed remisit ad Cyrum:Tibi(inquiens)hęc vsui possunt esse,qui magnam hominum multitudinem alis:mihi verò sufficit, si te simul amem,& ornamento vtar.Ælian lib.12.

Demetrius Antigoni filius,cùm Megaram cæpisset, iussit Stilponis domū seruari indemnem.Admonitus igitur Stilpon, vt libellum daret rerū omnium quas amisisset:Ego,inquit,nihil bonorum meorum amisi:nam eruditio & eloquentia mihi sunt incolumes,quod hæc verè sunt οἰκεῖα, hoc est domestica propriáque bona.Eras.lib.7.Apoph.

EPHIALTES Sophronidæ filius,pauperrimus fuit:attamen quum amici decem talenta ipsi dono darent,non accepit:Hæc inquiens,me cogerent, siquidem reuerenter vos haberem, aliquid præterius concederesin minus vos obseruarem,ingratissimum haberi.Ælianus lib.11. de Varia historia.

LYSANDER siue Archidamus,preciosas vestes, quas Dionysius ad filias ipsius miserat,non accepit,dicens:Vereor,ne his amictæ turpes videantur.Plutarch.in Lacon.Apoph.Brusonius li.3.cap.33. Plut. in Lacon.

Dionysius senior Corinthiorum legatis ad se missis donaria,prout mos est,obtulit:quę cum illi negarent se accepturos, eo quòd lex esset apud ipsos,vetans ne legatione fungentes munera acciperēt à principe:Rem, inquit,absurdam facitis,qui quod vnum bonum habet tyrannis,hoc tollitis:dum docetis,etiam beneficium à tyrannis accipere periculosum esse.Ille grauem contumeliam iudicabat oblata recusare munera, quasi hac vna re tyranni se possint aliis commendare. Tyrannidem enim adeptis superest,vt potentiæ inuidiam munificentia comitateque leniant.Plut.in regum Apoph.

DEMETRIVS Cynicus,quum Cæsar ducenta talenta ei attulisset,ridens reiecit:Si tentare,inquit,me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.Brus.lib.1.cap.9.

Alexander Magnus ad Xenocratem philosophum Atheniensem legatos cum triginta talentis miserat: quos in Academiam perductos solito sibi,id est modico apparatu,& admodum paruulis copiis excepit.Postero die interrogantibus,Cuinam adnumerari pecuniam vellet? Quid vos (inquit) hesterna cœna non intellexistis,ea me non indigere?Ita rex philosophi amicitiam emere voluit:philosophus regi suam vendere noluit. Val.Max.lib.4.ca.3. Alij testantur,cum acceptis solùm tribus millibus Atticis,reliquum remisisse,dicēs:Illi opus esse pluribus,qui plures nutriret. Laert.lib.4 ca.2.& Cic.lib.5.Tusc.quæst.

IDEM amplissimum auri argentique pondus ab Antipatro dono missum,accipere noluit,sed statim remisit,Mirontanus in Similibus,& Laertius lib.4.cap.2.

CN. MARTIVS Rom.Anci regis clara progenies, cui Corioli Volscorum oppidum captum cognomen adiecit,cùm editis conspicuè fortitudinis operibus à Posthumio Comminio consule accurata oratione apud milites laudatus,omnibus donis militaribus,& agri centum iugeribus,& decem captiuorum electione,& totidem ornatis equis, centenario boum grege,argentóque quantum portare valuisset, donaretur: nihil ex his pręter vnius captiui salutem hospitis,equumq; quo in acie vteretur,accipere voluit.Liuius li.2.Dec.1.Plut.in Coriolano,Dionys.lib.7. & 8.Plin.ca.19.de Viris illust.Florus lib.1.ca.22.Val.Max.lib.5.ca.4.& li.4. ca.3.Eutrop.lib.1.ca.11.& Fulgos.lib.7.ca.5.

C.FABRICIVS Lucinus,cum à Samnitibus,quos vniuersos in clientela habebat,decem æris & quinq; pondo argenti,totidemq; seruos sibi dono offerri videret,prçsentibus Samnitum legatis manu primū caput, deinde os,oculos,postmodum gulam ventremque tetigit, ac respondit: Dum hæc membra in suo vigore essent,satis se pecuniarum habere:neq; opus esse vt acciperet pecuniam ab iis,qui maximè opus haberent. Historiam scribit Hyginus lib.6.de Vita rebúsque gestis illustrium virorū. Valer.Max.lib.4.ca.3.Gel.lib.1.ca.14.& lib.4.ca.8.& lib.3 ca.8. & Plutarc. in vita Pyrrhi.

Q. TVBERO Catilius consul bello Macedonico, cùm prouinciam illam propemodum Romano subegisset imperio, Ætolorum legati de victoria gratulaturi ad eum in castra venerunt,& fictilibus vasis vtentem in mensa viderunt.Quod cùm in patriam reuersi suis ciuibus retulissent, Aetoli argentea illi vasa artificiosè elaborata mittenda censuerunt.Quæ cùm obtulissent,eos statim in patriam cum donis redire iussit.Val.Max. lib.4.ca.3.Plinius autem hoc de Sex.Ael.Cato.viro consulari,scribit,li.33. ca.11.qui nihil aliud argenti ad extremum vitæ diem habuit, quàm duo pocula,accepta à L.Paulo socero suo.

Q. FABIVS Gurges,C.Numerius,Fabius Pictor,& Q.Vgolinus,cùm missi essent legati ad Ptolemæum regem Aegypti pro pace cum populo Romano iungenda,& eos Ptolemæus liberaliter exceptos regiis muneribus donasset,munera renuerunt.Interiectis autem diebus cùm eosdē ad cœnam inuitasset,aureas coronas dono dedit:quas illi honoris quidem gratia acceperunt,sed postera die abituri statuis regis imposuerunt: vt docerent,Romanos non adeò amare diuitias,vt donis corrumpi se paterentur.Iustinus libr.18.& Val.lib.4.ca.3.

APOLLONIVS Tyanæus à Vespasiano munera magnifica oblata renuit,dicens:Auaris hominibus,qui harum rerum indigent, esse tribuēda.Philostratus in vita Apollonij.

Erat Senatus populúsque Romanus,longo ac graui Hannibalis bello exhaustus (cùm interim nunquam satis victæ Hispaniæ, præterea Galli Gręcique,exercere vires Romanas non intermitterent) vt quanquam animo inuictus,viribus tamen defesso proximus esset. Eo tempore non sine magna animorum solicitudine(neque enim propter hostis potentiā, quem exitum res habitura esset,satis perspici poterat)contra Antiochum Syriæ atq; Asiæ regem sumere arma coactus est.Itaque cùm Aegypti rex Ptolemæus, præter magnam vim frumenti, mille auri, atque totidem argenti

argenti pondo ei offerret,Philippus quoque Macedonum rex, milites auxiliares, pecuniam & frumenta:Senatus populúsque Romanus, verbis grauissimis cùm gratias egisset,nulla re accepta à Philippo, hoc solùm accepturum se dixit,vt Romanis ducibus aduersus Antiochum eam opem,quæ ipsi videretur,ferret,vbi re aliqua eis opus esse contingeret. Massinissæ quoque regis oratoribus,quæ quingenta frumenti modiorū milia,ducenta ac quinquaginta hordei,præterea equos quingentos, elephantósque viginti offerebāt:responsum fuit, Senatum populúmque Rom.frumentum duntaxat venale accepturum.At Carthaginensium legatis,post eos de quibus dictum est, cùm ingentes commeatus classémque offerrent,atque insuper tributum multorum annorum, qui nōdum elapsi erant(ô animorum ingenuum responsum) dici iusserunt, Nihil Senatum ac populum Romanum à Carthaginensibus, nisi quod pacto tenerentur,velle.Fulg.lib.4.cap.3.

Anno Salutis ducentesimo quinquagesimooctauo supra millesimum, cùm in Syria propter priuatas contentiones, quibus nulla adhibita fuerant remedia, inter Genuenses Venetósque graue bellum ortum esset, non sine Genuensium detrimento,quòd eodem tempore Pisani quoque hostes erant,Lucensis ciuitas insignes oratores Genuam misit, qui marcharum (ponderis id genus est)auri duo milia Genuensibus dono offerrent:rogantes ne munus Genuenses, sed animos mittentium munus inspicerent:eóque interim auro vterentur Genuenses,dum Lucenses aliā quoque pecuniam pararent. Summa ea minimè in tanta rerum necessitate contemnenda erat:& tamen ingenti Genuenses animo, veluti palma quæ contra onus nititur,hilari vultu Lucensium tunc acceptum munus, postridie integrum oratoribus restituerunt: atque vt ad grauiores casus Lucenses eam pecuniam seruare vellent, hortati sunt.Ibidem.

Fuit Laurētij Lauretani ducis Veneti vita cum aliàs aliis laudibus insignis,tum verò abstinentiæ laude memorabilis,quam etiam liberi eius imitari retineréque semper studuerunt.Neque enim munus donúmque aliquod inferri intra ædes suas publicas passi sunt:nulla publicæ, nulla priuatæ pecuniæ vestigia sunt visa, quæ iniustè obseruari possent. quòd liberi quoque eius post 20.principatus patris annos,constantissimè dum viuerent sunt amplexi.Vacabat ille semper publicæ dignitati,vt priuatæ gratiæ nihil vnquam tribueret: quod supplicia ex patriciis non paucis sumpta,facillimè declarant.Egnat.lib.4.cap.3.

DOMINICVS Triuisanus vniuersa Europa, & magna Asiæ parte à sese lustrata,dum publicis muneribus obeūdis vacat,domi quoque magistratibus omnibus cum summa innocentiæ fama obitis, diui Marci procurator tandem totius ciuitatis assensu declaratus est. In quo etiam magistratu Imperatoriam rei maritimæ totius maiestatem, sua summa cum laude adeptus est. Quum legationis munere apud Innocentium pont. max. fungeretur,illiúsque pontifex liberis amplissimas dignitates & opulentissima sacerdotia vltrò offerret: nunquam adduci potuit, ne absens postea quidem ab ipso Pontifice requisitus, vt aliquid dari sibi passus sit. Erant illi quidem liberi mares sex.erant priuatæ rei fortunæ non grandes:quæ tamen omnia pellicere eius animum non potuére: vt minimè mirandum sit,si gratissima semper in omnes Veneta Resp. eandem procuratoriam dignitatem Marco Antonio eius filio assignandam curauit.Ibidem.

NON EXIGERE EA QVÆ HONESTE ETIAM A NOLENTIBVS *exigere possis,quando non offeruntur.*

TRIBVTVM.

DARIVS rex,Xerxis pater, quum tributum indixisset subditis, accersitos prouinciarum præfectos percontatus est cùm aliis de rebus,tum etiam an grauia essent populo tributa.Quum illi respondissent,esse mediocria:iussit, vt singuli dimidiam tantum partem exigerent. qua beneuolentia & clementia admodum conciliauit sibi subditorum animos, vt meritò ab omnibus diligeretur. Plutarch. in Regum & imperatorum Apoph.

CYRVS primus Persarum rex, tributum nullum à Persis exegit. Vide tit.Auariciæ in vectigalibus.

P. VALERIVS Publicola orphanis & viduis tributum lubens remisit.Plut.in eius vita.

TIBERIVS Cæsar centesimam rerum venalium, in ducentesimam partem relaxasse dicitur.Alex.ab Alex.lib.4.cap.10.

NERO initio sui principatus, vt gratiam popularem aucuparetur, quintam & vigesimam venalium mancipiorum remisisse dicitur.Ibidem.

DOMITIVS NERO Augustus aliquando animum induxit, vt omni genere vectigalis prorsus adempto, pulcherrimo hoc munere mortalium genus donaret. Quam Neronis voluntatem licet ex liberalitatis fonte deriuatam intelligerent, publicæ tamen vtilitati obesse quamplurimum putabant.Pontan.lib.38.de Liberal.

ANTONINVS Pius exhausto ob bellum Marcommanicum ærario, augustalia ornamenta,pocula crystallina,quæque in deliciis habebat vēdidit,ne suos depilare cogeretur.Idem.cap.44.de Li.

CONSTANTIVS Chlorus Imp.amicis admonentibus, quod in augendo fisco videretur indiligentior:respondit, publicas opes rectius à priuatis haberi,quàm intra vnum claustrum reseruari. Bonus princeps, qui magis à suis diligitur quàm timetur,habet quicquid ciues possident.Eras.li. 8.Apoph.

ALPHONSVS Aragonum rex, Ludouico Podio (quo propter eius singularem diligētiam ac fidem perpetuò ferè oratore in Italia vsus est) renunciante,pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus esset, plus quàm ducenta millia aureorum extorqueri posse,respondit, Pacem dare se,non vendere solitum esse.Panormita libro tertio de Rebus gestis Alphonsi.

FERDINANDVS rex Siciliæ & Neapolis vehementer laudatus est,quòd populis quibusdam strenam remisisset,antiquis principibus inueterato quodam iure quotannis vendi solitam. Pontanus capite quarto de Liberalitate.

DAMNATORVM BONA.

POPVLI Romani abstinentia mirifica fuit in illa procella, quam C. Marius & L.Cinna Reipub. inflixerant. Nam cùm à se proscriptorū penates vulgi manibus diripiendos permisissent,nemo inueniri potuit qui ciuili luctu prædam peteret. Plutarchus in Mario & Sylla. Valer. Maximus libro quarto capite tertio Appianus libro primo Bellor. ciuil. Lucanus libro secundo.

HADRIANVS Augustus damnatorum bona non in priuatum fiscum,sed in ærarium publicum referri iussit, vt auariciæ notam & suspicionem fugeret.Pontanus capite 44.de Liberal.

AVRELIANVS Augustus Heraclemonem occidi passus est, veritus ne fidem frangeret, quam patriæ non seruarat. Eius tamen bona liberis reddidit, ne quis pecuniæ causa locupletem hominem occisum esse diceret.Pontan.cap.44.de Liberalitate.

Victo captóque ab Alfonso rege Antonio Caudola Carpenono,cùm vxor & filij & fortunæ omnes Antonij essent in potestatem regis redactæ,omnes in libertatem pro suo more incolumes restituit,thesauros vxori dedit:sibi ex preciosa & diffamata supellectile nihil omnino nisi vitreum poculum assumens.Panormitanus lib.3.de Alph.reb.gest.

HÆREDITATEM.

ABRAHAM Ægyptius grandem(iam defessis ætate parentibus) hæreditatem mox aditurus,non expectauit:sed vt nudus discedens,in solitudine sibi cellam constituit.Deinde illis vita defunctis,cùm ad capiendum tantarum opum patrimonium vocaretur, tanti illud fecit, vt loco pedem non efferret.Porrò per procuratorem ita egit, ne quid sibi reliquum foret:sed rebus diuenditis, pecunia omnis mendicantium turbæ, viduisque & pupillis diuideretur.Igitur diuitias & cùm non haberet,cōtempsit:& cùm haberet,ne respexit quidem, sed alteri dilargiēdas commisit,maiores diuitias existimans Christi paupertatem.Marul.libro primo cap.primo.

PHILOXENVS Cytherius,poeta Dithyramborum, cùm in colonia Siciliæ esset,& ei ex hæreditate quapiam obtigissent quę ad vitam necessaria sunt:cùm consideraret ea esse ad luxum & voluptatem,aliò nauigauit dicens:μὰ τοὺς θεοὺς ἐμὲ ταῦτα ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα.Gyraldus Dialog.9.Hist.poet.

DEMOCRITVS Abderites fratribus suis hæreditatem paternam concessit(fuit autem illa amplissima,quandoquidem pater eius Xerxis, exercitui epulum dare potuit)ipse paucis assumptis pecuniis, quātum pro viatico satis fore videbatur,Philosophiæ studio peregrinatum abiit.

AGESILAVS, cùm intelligeret cognatos Agidis inopia pressos, bona Agidis ex æquo cum illis diuisit,licet iure ac ciuium iudicio ad se solum pertinerent.Pont.de Liberalitate,cap.11.

P.SCIPIO Numantinus integram Fabio fratri hæreditatem concessit.Ibidem.

ANTONINVS Pius, cùm institutus à quibusdam hæres testamento esset,vbi cognouit liberos illis esse,repudiauit hęreditatem,licet absque vlla reprehensione capere potuisset.Idem cap.45.

M. AVRELIVS Antoninus ad paternum patrimonium cum sorore diuidendum à matre vocatus,vniuersum sorori concessit,auitis tantùm bonis contentus. in imperio quoque constitutus nihil magis aut timuit, aut deprecatus est,quàm auariciæ infamiam,vt deterrimum malum, & imperij labem.Idem cap.11.

ARSENIVS stirpe senatoria,Honorij principis aulicus, relictam sibi paternam hæreditatem respuit:& vitam agere solitariam cœpit, cùm vocem hanc audisset, Euge,tace,& quiesce.Volat.lib.13.cap.4.Anthrop.

THESAVROS REPERTOS.

BOEOTVS amplius septuaginta annos natus,cùm in thesaurum incidisset,sublato crure contempsit,& præteriit, quasi iam nihil ad se pertinentem. Ex Phauorini Commentariis recitat Stobæus, Sermone duodecimo.

Persarum & penè totius orientis rex Tamburlanus,quodam tempore cum iter per Syriam faceret, obtulit se ei arator, qui tunc in ingens vas aureæ monetæ arando impegerat. Cum autem omnes qui cum rege erant,regis aurum illud esse dicerent(quoniam inuenti,qui occultantur, thesauri,fisci putantur)iussit rex agricolam ad se monetam deferre,qui iam omni spe retinendi inuenti auri deciderat.Inspecta moneta rex, ab astātibus petiit,Putaréntne patris sui imaginem esse, quam pecunia impressam habebat?Cui cùm respondissent, Romanorum principum effigiem esse:rex dixit, Si ergo hæc pecunia maiorum meorum non fuit,

aratori eam relinquamus,ad quem Deus eam detulit. Abstinentia profectò singularis,& quæ in permultis principum nostrorum optanda sit. Neque enim contenti sunt,inuentos sibi rapere thesauros:verùm quotidie illa quoque rapiunt, quæ priuatorum multo labore ac sanguine parta, id coniuges liberósque eorum alendos necessaria sunt.Fulgos.lib. quartò capite tertio.

DEBITVM, AES ALIENVM.

Pecunias despexerunt, animique celsitudinem declararunt Corinthij Theocles & Thrasonides,Mitylenæ Praxis:qui cùm ipsi in amplissimis opibus versarentur,& viderent ciues suos penuria laborãtes, omne debitum non tantum ipsis remiserunt:sed hortatores etiam aliis fuerunt,vt paupertatis onus egentibus releuarent.Ælianus libr.14.de Varia historia.

SOLON Salaminius,primus σεισάχθειαν inuexit apud Athenienses, hoc est,corporum possessionumque redemptionem, ἀπὸ τοῦ ἀποσείσασθαι τὸ βάρος τῶν δανείων,ab excutiendo onere æris alieni. Plurimi enim propter inopiam nectebantur à fœneratoribus. Solon igitur cùm septem sibi talenta ex patrimonij sui iuri deberentur,ea debitoribus remisit, & reliquos ciues suo exemplo ad idem prouocauit.Quo initiò vsus,ad cęteras quoq; leges condendas viam sibi fecit.Laert.in eius vita.

Q. Considius,Catilinæ furore ita consternata Rep.vt ne à locupletibus quidem debitæ pecuniæ,propter tumultum preciis possessionũ diminutis,solui creditorib.possent, cùm centies atq; quinquagies sestertiũ summam in fœnore haberet,neq; de sorte quenquã debitorum suorum,neq; de vsura appellari à suis passus est:quantumq; in ipso fuit,amaritudinẽ publicæ confusionis priuata tranquillitate mitigauit, opportunè mirificéque testatus,se numorum suorum,non ciuilis sanguinis esse fœneratorem.Nam qui nunc præcipuè negociatione delectantur,cùm pecuniam cruentam domum retulerint, quàm improbando gaudio exultent,recognoscent,si diligenter Senatus consultum,quo consilio gratiæ actæ sunt,legere non fastidierint.Val.lib.4.cap.3.

HADRIANVS ingentem auri summam, quæ à priuatis debitorib. fisco debebatur,in vrbe prouinciisque remisit,syngraphis etiam in foro Traiani patris incensis,ne vnquam ea summa repeti posset. Pontanus cap.19.de Liberal.

IVLIANVS Augustus plurimis ciuitatibus debita,longa diuturnitate contracta,condonauit:quinetiam sua illis vectigalia restituit. Pontanus cap.19.de Liberal.

PRAEDAM, BELLICA MVNERA *negligere, non exigere.*

ABRAHAMVS quinque regulos,qui Baram Sodomæ regem prælio vicerant, noctu cum suis seruis aggressus,cecidit,& prædam omnem recepit.Postea autem petenti Sodomorum regi,homines omnes quos cęperat reddidit,præter victum duntaxat iuuenum.Genes.14.

ANTIGONVS rex Macedonum,& post eum Demetrius filius, sæua Cassandri tyrãnide liberatis Athenis:quanquam ab Atheniensi populo inuitati essent Athenas venire,tamen nunquam voluerunt,priusquam in potestatem redactis omnibus munitis locis,eos populo Atheniensi restituerunt:affirmantes,se Athenas nisi liberas non ingressuros.Cùm autem non deessent qui Demetrium monerent,vt sibi Athenas retineret:respõdit,Semper se existimasse, beneuolentiam verum firmumq; regnorum fundamentum.Fulgos.lib.4.ca.8.

ARISTIDES,filius Lysimachi,qui multa præclarè domi militiæque gessit,& Græcis tributum imperauit:non tantum post obitum reliquit,vt exequiis celebrandis sumptus esset: Æl.lib.11.de Varia historia.

Ter ex hostibus victis triumphauit P. VAL. Publicola:fuit idem Romanę libertatis vindex.Cęterùm tam pauper decessit,vt publico sit sumptu funeratus,quoniam domestico non potuit: indubitato argumento, Reipub.domi forisque continenter & sanctæ administratæ.Sabell.libro secundo cap.1.

M. CVRIVS cùm ex victoria de Pyrrho rege parta magnam prædã collegisset,eam tamen lubens militibus vrbíque concessit, neque ex ea quicquam attingere voluit.Præmia quoque virtutis pro re tam bene fœliciterque gesta cùm à senatu sibi populóque decernerẽtur,æquare omnibus voluit,cũ sibi multo maiora quàm populo,darentur.Quippe septenis tantum populo sibi verò quinquaginta cãpi iugeribus pro sua dignitate decretis,indignum ciuem & Reipublicæ minimè idoneum esse putauit,qui plus æquo appeteret.Plin.ca.33.de Viris illust. Front.lib.4.cap.3.

IDEM nonnullis reprehendẽtibus,quòd ex agris bello partis partem exiguam vnicuique militum distribuisset,magnam verò reipub.optauit à diis,ne quando existeret quisquam Romanus, cui ager exiguus videretur,qui posset alere dominum.Sentiens,eum non esse Romano dignum nomine,qui plus appeteret,quàm quod ad victum frugalem satis est.Plutarc.in Roman.Apophtheg.

L. PAVLVS Æmylius,cum deuicto Persa Macedonum rege, quem duxit in triumphum,tantam ex ea prouincia prædam in patriam reportasset,vt repleto ærario tributis præstandis modus ac finis impositus fuerit:nihil ex ea attingere, nedum accipere voluit, vt gloriosus magis quam diues ex eo bello redisse videretur, Plutarchus tamen quosdam ex ea præda libros cum sibi retinuisse ait.Historiam leges copiosius apud Oros.lib.4.& Eutrop.libro quarto. Cicer. libr. 1. Off. Iustin.libr.33. Valer.Max.libro quarto cap.3. Plin. cap.56. de Viris ill.& alios:& Sabel. libr.2.cap.1.

L. MVMMIVS,qui Corintho capto non Italiam solùm, sed etiam prouinciam tabulis statuísque exornauit,adeò nihil ex tantis manubiis in suum conuertit, vt filiam eius inopem senatus ex publico dotauerit. Frontin.lib.4.ca.3.& Cic.lib.2.Offic.

M. ATTILIVS Regulus,cùm summis rebus præfuisset,adeò pauper fuit,vt se,coniugem, liberósque toleraret agello, qui colebatur per vnum villicum: cuius audita morte, scripsit senatui de successore,destitutis enim rebus obitu serui, necessariam esse præsentiam suam. Frontinus ibidem.

SCIPIO AEMYLIANVS,cuius summa dignitas, magnæque res gestæ fuêre,licet maximus imperator,tantæ tamen abstinentiæ fuisse dicitur,vt annos quatuor & quinquaginta,quibus in humanis egit,nihil emisse,nil vendidisse,nil ædificasse:atque in tanta rerum affluentia & opibus,quibus Carthaginem & Numantiam deleuit funditùs,haud plus tribus & triginta argenti libris,auri verò duabus reliquisse dicatur. Alex. ab Alex.lib.1.ca.18.

M. POR. CATO ex hostili præda nihil præter cibum & potum accepit:ministros etiam suos ab omni præda violationéque abstinere voluit. Pontanus ca.46.de Liberalitate.

CALPHVRNIVS Piso consul,cùm in bello fugitiuorum prouinciam Siciliam obtineret,quam sexaginta seruorum milia occupauerãt: re bene gesta,milites omnes qui strenuam operam nauassent in eo bello, militaribus donis donauit:& filium solum,qui fortissimè etiã dimicauerat, & suæ virtutis præclara documenta dederat,munerum omnino fecit expertem. Non æquum esse dicens,à magistratu è publica pecunia quicquam erogari,quod in se aut familiæ suæ vsum rediturum esset. Valer. Max.libro quarto cap.3.Liuius libro 57. Epit. Plutarchus in Crasso,& Oros.lib.5.

PROBVS Augustus ex plurimis victoriis præter tela & arma nihil sibi è pręda retinuit.Ponta.de Liberal.cap.11.

CAROLVS Zenus,patre Petro imperatore longè clarissimo editus, quem Morbassanus,Turcarum princeps,ad Smyrnã improuiso tumultu fortissimè pro Christi religione pugnantem occiderat: statim à primis annis sic literis imbutus est cognatorum opera,ingeniíque felicitate, vt adolescens apud Clementem Pontif.Max.qui tunc in Gallia Aueniona agebat,eam orationem habuerit:qua vna habita tanta admiratione Pontificem affecerit,indole tam fausta captum, vt non dubitaret Patrensem dignitatem illi demandare,quàm ille aliquot post annis multis pręclarè gestis in ea prouincia sua sponte postea reiecerit. Ille verò non multo pòst ex Gallia cisalpina(quod imperium in Cisalpinę Galliç parte longè amplissimum erat)vbi aliquot annos apud Galeatium Mediolani principem,totius eius imperij custos verius quàm pręfectus dicendus,in patriã reuersus,post amplissimos magistratus innocentissimè in ea gestos,maritimis rebus omnibus imperatoris nomine pręficitur:in quo se aduersus Genuenses,acerrimos tũc hostes,ita gessit,vt lustrata suo ductu,vastatáq; magna ex parte omni Liguriçora, mox etiam naui eorum cognomẽto Bichinionia,quç ea tempestate & magnitudine sua celeberrima atq; inuictissima credebatur,opibus suprà quàm credi possit referta,ab se expugnata,vulneribusque aliquot insuper in prælio acceptis, ad Clodiam reuocatus à Patribus,opportunè in primis applicuit:si quidem hostis eam vrbem ita occuparat,vt Contarenus princeps pręsens cum omni senatorio ordine & reliquis adesset.Primùm igitur relatis coràm,quę à se gesta forent:mox summa auri copia ducentorum & amplius millium aureorum,in principis totiúsque Senatus conspectu exposita, quod ex hostili præda assecutus erat, eam operam in expugnandam Clodiam præstitit tum mari tum terra:imperator etiam exercitui datus,quando Acutius dux Senatum fefellerat,vt non multo pòst fusis fugatisque omni ex parte Genuensibus,Venetiæ ipsæ veterem suam libertatem & dignitatem retinuerint, vt meritò patriæ suæ pater dici appellaríque possit. Prætereo nunc,ex Bucicaldo Gallico homine,qui tunc Genuensi præerat classi, præclaram victoriam iuxta Methonem partam, memorabiléque prælium editum,& alia innumerata eius facinora: quòd iam senex Hierosolyma ipsa insigni pietatis argumento petierit,quòd Cyprum insulam Ligusticis armis oppressam præsens ipse vindicarit, Regique conclamata penè re asseruerit:ex quibus tot tantísque rebus gestis, filio tamen suo & nepotibus moriens eas opes reliquerit, quæ vix mediocrem ciuem sustentare aletéque possent: vt vnius Caroli exemplo admoneri omnes valeant, quid quantúmque patriæ debeamus ipsi. Egnat.libr.4. cap.3.& 8.

PETRVM Lauretanum, æmulum Caroli Zeni propè dixeris Imperatorem, qui Turcico bello rei maritimæ præfectus Imperatoris titulo, Iuliis Calendis insigni prælio classem immanissimi hostis primus omnium superauit. Idem postea ad Rapalum Liguriæ, Genuensium classem cum ipso Francisco Spinula imperatore, cum aliquot pręclaris ex Genua viris in captiuitatem redactis felicissimè oppressit. Postremò domum reuersus,Procuratorque creatus(quæ summa à principe dignitas habetur)classiariorum, qui ad tria milia & amplius conuenerant, vino incalescentem seditionem turbulentissimam in area Marciana concitatam, quæ nullis magistratuum aut principis imperiis sisti poterat, ex ædibus procuratoriis repentè adueniens, sua præsentia penitus sustulit, suspendio etiam nautis quibusdam priuato edicto affectis. Cuius quidem opes tantæ talésque, summi alioqui ciuis extitêre, vt vix hæredem inuenerint. Egnat. libro quarto capite tertio.

INHO-

INHONESTAM ACQVIRENDARVM OPVM RATIONEM *fugere. Auariciam vitare.*

Aristoteles in primo Politicorum ostendit,quænam sit κτητικὴ œconomica,etiam viris bonis permissa:& vicißim χρηματιστικὴν omnem, tum eam,præsertim quæ fœneratio dicitur,reprehendit & vituperat.Hanc nos hoc in loco inhonestam rationem acquirendarum opum vocamus.

Poterunt esse omnibus exemplo veteres Venetiæ, quantum sit frugalitati & temperantiæ tribuendum. In quibus quum amplissimæ semper opes fuerint,vetus tamen institutum(si quis huc animum intendat)id extitit in omnibus,vt quicunque diuitiis etiam excellerent, millenos non amplius aureos dotis nomine legitimo matrimonio natis puellis tãtum impenderent:ab omni continentis terræ cura penitus abstinerent:sacris sacerdotiis,vt à re funestissima,interdictum constantissimè vellẽt iis, qui patricij ordinis essent:mercatura reliqua omnis exerceretur cum magna laude,à frumẽtaria autem re penitus abstinerent: pręstitores alieni periculi, vt portenta quædam execrarentur. Quare nil mirum,si tantis opibus nunc ciuitas abundet ipsa,quæ ab iis initiis ortum habuerit: si tot ædificiis publicis atque priuatis,si tot cœnobiis, tot diuorum templis exculta,exornataque:si publicis viis,si areis, & præcipuè Marciana abundet:si denique tantum multitudinis,cum tanta felicitate,quotidie alat & foueat.Vt nisi conferas huic ipsi Romanam vrbem,non aliam inuenias, quæ tantas opes tantásque diuitias aluerit:tametsi iustius nostrates hasce laudes,quæ non totius orbis præda,sed industria & studio comparatæ & acquisitæ sunt.Egnat.lib.9.cap.1.

AB INHONESTIS MVNERIBVS, ET EXACTIONIbus abstinere,

De Samuele propheta in Ecclesiastico scriptum legimus, quòd pecunias,& vsque ad calciamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit illum homo.Hoc quidem post multas eius inibi enumeratas laudes, ideo fortasse in fine quasi in vestibulo collocatur,vt scias donorum contemnendorum curam non solùm virtutem esse, sed etiam virtutem seruatricem atq; custodem.Quæ si absit,cupiditati linquens aditum, irruẽte vitio dissipabitur virtutum cœtus.Conturbat quippe domum suam(vt Salomon in Prouerbiis ait)qui sectatur auariciam: qui autem odit munera,viuet.Marul.lib.1.ca.7.ex 1.Reg.12.& Ecclesiast.20.

AGESILAO Lacedæmoniorum regi,qui in summa rerũ inopia versabatur,cùm à Tithraustis grandis pecunia oblata esset,si ab eorum dãnis abstineret:respondit, Lacedæmonios longè maius ducere exercitus suos quàm ducem locupletare. Fulgos.lib.4.ca.3.

AGESILAVS,cum in Lydia Tissaphernẽ vertisset in fugam,ac quamplurimis interemptis,iam in agros regios fecisset incursionem,rex Persarum per legatos,quorum præcipuus Tithraustes, ingentem pecuniarũ vim vltrò ad illum misit,petens vt à bello desisteret.Agesilaus spreta pecunia respondit:Pacis quidem tempore reipublicæ vigere authoritatem vt ius habeat decernendi, quod ad tuendam ciuitatis tranquillitatem censuerit conducere,belli verò tempore non item. Sibi verò iucundius esse si,milites suos daret,quàm si ditescat ipse:præterea se pulcherrimum ducere,si Græci non munera caperent ab hostibus, sed armis pararent spolia.Vox excellentis animi,qui non aliud virtutis præmium ambiret, quàm gloriam:nec pacem hosti venderet,fraudato milite. Plutarchus in apoph.Lacon.

ALCAMENEM Teleeri filium quum quidam interrogasset, Cur munera à Messeniis oblata non accepisset? respondit: Quoniã si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem. Quo dicto docuit, munera nequaquam esse accipienda,quæ legibus& reipub.aliqua saltem ex parte obesse possunt.Plutar.in Laconicis.

Mæander Samiorum tyrannus,ob incursionem Persarum profugerat Spartam,ostenditque quantam pecuniarum vim secum apportasset, & quantum Cleomenes vellet largiri.At Cleomenes ipse quidem nihil accepit,sed veritus ne quid aliis ciuibus donaret,adiit Ephoros: dixitque, satius esse,si hospitem suum Samium è Peloponneso submouerent, ne cui Spartano persuadeat vt fiat malus.Ephori verò Cleomenis consilio parentes,eodem statim die promulgarunt edictum, vt Mæander Peloponneso decederet.Quantus in hoc homine diuitiarum contemptus, à quibus non secus atque à præsentissimo veneno timuit ciuibus suis:cum plerių; non aliter existiment beatas ciuitates, quàm si quàm maximè abundent opibus.Plut.in Lacon.Herodotus.lib.3.Mæandrium appellat.

GORGO Cleomenis regis filia,quum Aristagoras Milesius Cleomenem ad bellum pro Ionibus aduersus regem Persarum suscipiendum hortaretur,magnam pecuniarum vim pollicens:quantoq; magis ille recusabat,tanto plus adderet promissæ summæ:Pater,inquit,corrumpet te hic peregrinus,ni ocyus eum ædibus extruseris. Vbi nunc sunt qui dicũt auarum mulierum genus, quum Gorgo pro hortatrice patri fuerit dehortatrix?Plutarc.in apoph.Lac.

Cum Cyrus stipendium misisset militibus, Callicratidi seorsim xenia, amicitiæ monumenta: stipendium quidem accepit, xenia verò remisit: negans sibi cum ipso priuatam habendam amicitiam:sed quam haberet publicã cum Lacedęmoniis omnibus,eãdem illi secũ quoq; intercedere. Quid hoc animo incorruptius,qui tot⁹ad reipub.cõmoda spectabat?Idẽ.

CALLICRATIDAS præfectus classis, cum à Lysandri amicis solicitaretur,vt permitteret ipsis accepta pecunia quendam ex hostibus occidere:haud concessit. Cui cùm Cleander dixisset: Accepissem profectò pecuniam,si ego Callicratidas fuissem:Et ego,inquit,si fuissem Cleander.Quo dicto monuit,in omni actione spectandum esse personæ decorum.Idem.

LYCVRGVS orator, obiiciente quodam,quòd se pecunia redemisset à calumnia:non est inficiatus,sed clarissima voce populum appellãs: Bene habet,inquit,viri Athenienses,quandoquidem tot annos in Repu. versatum dedisse me,non accepisse pecuniam, criminantur obiectores. Eras.lib.6.Apoph.

EPAMINONDÆ Thebani fama virtuteque motus Artaxerxes Persarum rex,cùm eum facere amicum cuperet,munus cum pecunia simul Diomedonti dedit.Qui de hac re Epaminondam compellare nõ ausus, quinq; talenta iuueni cuidam Epaminondæ familiari, vt ipse cũ eo hoc munere fungeretur,dedit.Epaminondas autem vix auditis primis illius iuuenis verbis,Diomedontem vocari iussit,& acerbè increpatum, quòd corrumpendi sui causa tantum itineris frustra suscepisset:dixit,Sibi pecunia opus non esse:quoniam si in honesta aliqua re Thebani eius opera egerẽt,semper eam sine pręmio facturus esset:quòd si mala foret, totius orbis aurum,vt ab ipso obtineretur,non effecturum.Qua re vehementer territus Diomedontes,ab Epaminonda petiit,vt cum pręsidio reduceretur.Epaminondas ei libenter assensus est, ne si fortè pecunia erepta foret,suspicionem à se acceptæ relinqueret. Thebanum quoque iuuenem Michitum, cui quinque talenta Diomedontes dederat,accepta restituere iussit.Fulg.lib.4.ca.3.& Bruson.lib.1.

IDEM, cum legati venirent ferentes munera animo corrumpendi, ad prandium eos venire iussit prius, vt in eodem causam aduentus explicarent. Apposita est igitur mensa vilis, bibebantque vinum acidum. Subridens igitur Epaminondas,ad legatos ait: Abite, & domino vestro mea prandia narrate:quibus me contentum, nõ facilè suis muneribus ad proditionem alliciet.Stobæus sermone primo,de Prudentia.

ALEXANDER Magnus,quum quidam ex numero amicorum, qui summè beneuoli videbantur,ei diceret: Ciuitates subiectas maiora posse pendere tributa:respondit,Olitorem odi,qui radicitùs euellit olera. Max.serm.13.

CIMON Atheniensis,Rhisacem Persam hominem qui à rege defecerat,cùm patrocinio vti suo vellet pateras duas offerentem, alteram aureorum plenam,argenteorum alteram:ea acerbitate ab se reiecit, vt diceret,mercenarium se non esse:quin si sua vti vellet amicitia,quæ secum attulisset,domum referret munera.Pontanus libr.de Liberal.capite 45.& Volat.lib.14.cap.2.

PHOCION Atheniensis,cùm Alexandri oratores centum auri talenta ad eum tulissent,priusquam aliquid ab eis diceretur,petiit:Quamobrẽ Athenas ad solum se munus deferrent:Qui cùm respondissent, id ab Alexandro agi,quòd solum bonum iustumque Athenis ipsum esse iudicaret,dixit:Sinite eum me esse,viderią; quem rex velit iudicat, & aurum vestrum ad eum referte.Fulgos.lib.4.ca.3.& Æl.lib.11.& Sab.lib.2.cap.1. & Pont.ca.37.de Liberal.

IDEM similem abstinentiam ostendit,cùm Menilli, qui Athenis Antipatri præfectus erat,munera respuit. Dixit enim,Cùm Antipater Alexandro maior non esset,neque honestior dandi causa,nihil sibi cur accipere deberet,videri. Quòd cũ Menillus filio ea dare munera vellet,Phociõ respõdit,Filiũ,si patri similis foret,neq; illis,neq; aliis munerib.opus habiturum:verùm si dissimilis,ei neq; Antipatri munera, neque longè maiora suffectura.Quamobrem non iniuriâ Antipater dicere solebat,Se ex duobus amicis,quos Athenis habebat,neque Demadem vnquam explere,neq; Phocionem vt acciperet adducere potuisse.Fulgo.lib.4.cap.3. & Plut.in Græ.Apoph.

EVNDEM cùm Harpalus ab Alexandro Athenas fugiens, pecunia sibi conciliare amicum vellet,spretis septuaginta talentis, quæ ad eum Harpalus miserat,renunciari ei iussit:Nisi pecunia Athenienses corrumpere abstineret, inde ad eum graue malum peruenturum fore. Fulgos. libr.4.cap.3.

EPHIALTES Sophonidæ filius,pauperrimus fuit tamen cùm amici decem talenta ipsi dono darent,non accepit: Hæc (inquiens) me cogerent, siquidem reuere iter vos haberem,aliquid præter ius concedere:sin minus vos obseruarem,ingratissimum videri.Ælianus de Var.hist. libro 11.

M. CVRIVS, Dentatus consul cùm Samnites grauissimos Romanorum hostes magna virtute vicisset,Samnitum legati pacem petituri ad eũ venerunt.Cuius paupertatem cùm conspexissent, auro corrumpendum putarunt, vt æquas pacis conditiones admitteret.In eius igitur conspectum aurum cùm attulissent, multisq; persuasionibus illum inuitassent, vt munera oblata acciperet, subridens ait:Ite potius & renunciate ciui-

bus vestris, malle me habentibus aurum imperare, quàm aurum habere, & aliorum imperio subditus esse. Plin. cap. 33. de Viris ill. Val. Max. libro quarto. cap. 3. Cic. in Catone Maiore. Flor. lib. 1. cap. 18. Plin. libro 33. cap. 14. & lib. 16. cap. 93. Platina. lib. 2. de Optimo ciue. Sabell. libro octauo En. 4. raps.

C. FABRICIVS Pyrrhi regis aurum, regnúmque opulentissimum, in cuius partem recipiebatur, est aspernatus: dignus cui hostis nõ solùm captiuos ciues gratis restituerit, sed eius quoque ciuitatis optauerit amicus fieri, quæ tantum sortita esset ciuem. Sabell. lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 1. Front. lib. 4. cap. 3. Stratagem.

PYRRHVS Epirotarum rex potentissimus, cùm Romanorum virtutibus bellicis iam fractus planè esset, beneuolentiam populi Romani, quoniam virtutem debilitare nequiuerat, mercari cupiens pecunia, penè totum regiarum opum apparatum Romam misit. Verùm cùm & magni precij & varij generis à legatis eius, tam virorum quàm fœminarum apta vsui, munera circa domos ferrentur, nullius cuiusquã ianua patuit. Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Plut. in Pyrrho: meminit quoque Iustin. libro 18. & Plin. cap. 34. de Viris illust. *

T. SEMPRON. GRACCHVS semper in prouincia munera contempsit, vt ipse testatur in sua oratione apud Aulum Gellium, vbi inquit: Ita versatus sum in prouincia, vt nemo possit verè dicere, assem, aut eo plus, in muneribus me accepisse, aut mea opera quenquam sumptum fecisse. Tunc cùm Roma profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas è prouincia inanes retuli. Alij vini amphoras, quas plenas domo extulerant, argenti plenas reportarunt. Volat. lib. 16. Anthrop.

M. CATO iunior, quum à Deiotaro rege, vt filias filiúmque commẽdaret, vocatus esset, atque ei dona egregia rex offerret: hac re adeò cõmotus est Cato, vt cùm vespere ad eum venisset, postridie circa horam tertiam abiret. Bruson. lib. 1.

IVLIVS Græcinus pecuniam ab amicis ad ludorum impensam conferentibus, acceperat: sed magnã pecuniam missam à Fabio Persico non accepit. Obiurgantibus quòd non accepisset: Ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, à quo propitiationem accepturus non sum? Quúmque illi Rebilus consularis homo eiusdem infamiæ, maiorem summam misisset, & vt acciperet, instaret: Rogo, inquit, ignoscas: & à Persico non accepi. Bruson. lib. 1. cap. 9.

VICTORINVS Romanæ vrbis præfectus, cùm aliquando præesset Germaniæ, conatus est domi, remotis arbitris, persuadere legato suo, ne se pecuniis corrumpi sineret. Cúmque ille non parêret, in tribunal conscendit: iurauítque in eo, se nunquam accepisse pecuniam, aut munera alia: neque, quàm diu viueret, accepturũ. Mox præcepit illi, vt se eodem iureiurando obstringeret. Cúmque legatus peierare nollet, iussit vt se abdicaret magistratu. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Commodi imperatoris.

M. AVR. ANTONINVS delationes, quibus fiscus augeretur, audire contempsit: ne plus satis ad rem attentus iudicaretur. Pontanus cap. 44. de Liberalitate.

IDEM, exhausto ob bellum Marcommanicum ærario, quòd nollet prouinciales extraordinario tributo grauari, auctione augustalium ornamentorum in foro diui Hadriani facta, etiam pocula crystallina, quęque in deliciis habebat, vendidit. Ibidem.

M. ANTONINVS Pius ab omni lucri genere abstinuit, quo prouinciales offendi possent: quadruplatores amouit: si qui repetundarum damnati essent, eorum liberis bona restitui iussit, modò ea quæ parentes malè accepissent, ipsi prouincialibus redderent. Pontanus capite 44. de Liberalitate.

PESCENNIVS Niger ea moderatione tum seipsum tum milites texit, vt decretis sibi prouinciis, miles non operam, nõ oleum, nec lignum quidem à prouinciali extorserit, ipse nihil vnquam à militibus acceperit. Idem cap. 46.

CONSTANTINVS Chlorus Galliæ Imperator, cũ Galerio & Maximiano, adeò ab omni rapina fuit alienus, vt conuiuia celebraturus, alienis vasis ea ornare cogeretur. Fulg. lib. 4. cap. 1.

Præfectus Cæsareæ sancto Basilio blandiens, suadebat, vt in gratiam imperatoris fidem negaret: promittens ei imperatoriam amicitiam & opes. Cui Basilius: Hæc mihi homini Christiano, inquit, non conueniunt: sed adolescentibus & illorum similibus, qui talia promissa respiciunt. Tripar. hist. lib. 7. cap. 36.

HORMISDA cùm vestimentis quibusdam donatus à Varana Persarum rege esset, qui eum beneficiis vincere conabatur, excandescens, tunicam concissam abiecit, & voce magna exclamauit: Si huius, inquit, gratia me religionem longè optimam mutaturum putas, en munus tuum vnà cum impietate habe. Rex autem tam forti illum animo esse cernens, nudum regia exegit. Niceph. lib. 14. cap. 20.

LIBERALITAS ΕΝ ΦΥΛΑΚΗ. CVSTODIRE SVA BONA modestè & frugaliter. FRVGALITAS.

NON DARE SVA INDIGNIS.

Exempla quædam pete infrà ex tit. Iusticiæ distributiuæ, Indignos præmiis non afficere.

CLEMENS IIII. pontifex in agro Narbonensi ortus, iureconsultus, ad Petri apostoli solium conscendit. Ad eum iam Pontificem cùm duæ filiæ, quas antè ex matrimonio susceperat, venissent, fretæ illius opera se matrimonia non ex pristina fortuna, sed ex pontificatus magnitudine consequuturas: neque ipsarũ, neque aliorum cognatorũ precibus adduci Clemens vnquam potuit, vt rem vllã ex pontificatus bonis aut reditibus daret, sed illorum postulatis semper respondit: Pontificibus Rom. filios non esse: neque eis licere, quòd suum nõ esset, propinquis dare. Et propterea contentas debere esse, si fortunas, quas ante Pontificatum habebat, omnes eis reliquisset. Quibus opibus cũ conditionẽ in matrimonio ex sententia sua non inuenirẽt, ambæ sacrarum virginũ pudicitiam matrimonio præposuerunt. Nepotem quoque à tribus Canonicatibus, quos habebat, duos dimittere coegit. Rara profectò abstinẽtia: sed tamẽ, quæ plurimum laudetur, haud indigna: filiarum lachrymis tam sublimi fortuna id non impartiri, quod permulti non modò filiis, verùm cinædis quoque ac meretricibus, minimísque largissimè donant. Nam filiis non thesauri solùm dantur, verùm principatus quoque ac regna designãtur: & vt ea assequi valeant ipsi, qui à Deo pacis custodes relicti sunt, bello terrarum orbem inflammare non verentur. Nec verò sacerdotia tantùm singulariter filiorum aut nepotum vni conferuntur: sed cum cardinalatus honore, quod permultorum episcoporum esse deberet, certatim vni accumulatur. Fulg lib. 4. cap. 3. & Egnat. lib. 4. cap. 3.

DARE SVA, SED PARCE ET FRVGALITER.

LYCVRGVS percontanti, cur instituisset vt minutis ac vilibus rebus sacrificaretur? Ne vnquam, inquit Lycurgus, deficiat nos, quo numẽ honoremus. Quis non diceret, in solenni deorum cultu magnificentiam ac splendorem adhibendum? At vir prudens intellexit, numen magis delectari frugalitate, quàm opimis victimis, ne sub religionis obtentu luxus irreperet, aut certè rerum penuria. Deus enim non eget nostris impendiis: amat autem homines, quorum necessitati poterat illis impẽdiis succurri. Plut. in Lacon.

PERICLES cum magistratum annuum adeptus esset, inuictum se à pecunia præstitit: alioquin non negligens omnino rei faciendæ. Nam bona paterna, quæ iusto titulo possidebat, cùm neque incuria dilabi pateretur, neque iis tractandis multum sibi negocij molestiæque esse vellet, eam domesticæ rei rationem iniit, quam & expeditissimam esse & certissimam putabat, ita vt omnes annuos fructus venderet simul quotannis: quæ autem ad victum & rem familiarem erant necessaria, singula in foro quouis tempore emeret. Ea ratio neque pubescentibus filiis grata erat, neque largum prębitorem eum mulieres habebant: reprehendebántque istam impensarum rationem indies, & accurato calculo computatam, cùm in magna familia & opibus splendidis nihil abũdaret, sed omnes sumptus, omnes reditus ad certum numerum mensurámque reuocarentur. Totam autem rem familiarem accuratissimè administrabat Euãgelus famulus, siue natura, siue institutione Periclis ad id negocium ita egregiè paratus, vt nemo quisquam. Plut. in Pericle.

NON CVSTODIRE SVA BONA, SED EA RELINQVERE.

Opum contemptus in non conseruando.

EXEMPLA RELIGIOSA.

Possunt huc eorum quoque exempla referri, qui per eleemosynas omnia sua pauperibus erogarunt: nisi quòd illic δόσις, hic verò φυλακὴ obseruanda est. Qui dat alteri, duplici nomine laudem meretur: et quia beneficus est erga alium, & quia opũ cupiditate non vincitur. At qui relinquit omnia, simpliciter tantũ laude dignus est: quia opes rebus præstantioribus postponit, neque ab illis vincitur. Itaque cũ χρῆσις & κτῆσις inter se differant, etiam species horum inter se differre debent: δόσις videlicet, & φυλακή. Eapropter nemini mirum videri debet, ea quæ ab aliis confusè tradita sunt, à nobis philosophiæ beneficio distincta fuisse.

MATTHÆVS, ex quæstuosissimo hominum ordine (erat enim publicanus) à paupertatis magistro accersitus, grandem pecuniam reliquit, cœlestium rerum spem secutus, sed in nulla re quæstuosior, quàm in paupertatis complexu: rem terrenam & caducam contempsit, & quæ aut

casu aliquo amittenda fuerat, aut in morte relinquenda: estq; tanto maiora adeptus, quantum ille veritatis autor, à quo vocatus est, omnes qui vnquam fuêre in terris virtute & sapientia antecelluit. Sab. libr. 2. cap. 1. & Marul. lib. 1. cap. 1.

BARTHOLOMAEVS regio stemmate fulgẽs, piscatoribus se æquari passus est, diuinarum rerum cupiditate captus. Contempsit ille diuitias, hic seipsum: ille fœnerare desiit, hic regnare: quod tanto præclarius est hominum opinione, quanto turpius & calamitosius seruitutem seruire. Idem.

Omitto nunc alios Apostolici ordinis viros, non quia in contemnendis rebus minus constantes fuerint: sed quia & ante apostolatum humiles inopésque extitisse eos apparet, stulta tunc & infirma Deo eligente, vt sapientia fortiaq; confunderet. Quamuis verissimum sit, eos quoque non minus multa reliquisse, qui sibi nihil reseruauerint. Hinc est quòd tantum piscatoriam nauim, & quæ resarciebant retia dimittentes, audacter proloquuntur: Ecce dimisimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis præmij? Et responsum merentur accipere Domini, dicentis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israel: & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitã æternam possidebit. Marul. lib. 1. cap. 1.

POLEMVS, potentissimus Indorum rex, Bartholomæi apostoli prædicationibus ad fidem conuersus, atq; baptizatus, relicto imperio eidem constanter adhæsit: discipulúsque maluit esse apostoli, quàm Indiæ dominus. Idem.

IOSAPHAT Indiæ rex, Auenir regis filius, Barlaam eremitæ salubri persuasu fidem amplexus Christi, postquã omnes qui suæ ditionis erant, baptismatis gratia renouandos diligenter curasset, coædificatis vicatim ecclesiis, deposuit regnum: nihilque secum ferens nisi mundanæ gloriæ contemptorem animum, secessit in solitudinem. Cùm enim in vrbibus adhuc sine honore esse non posset, ab hominum frequentia procul abire decreuit: iunctúsq; ipsi Barlaam, vitam traduxit in eremo, quæ dicitur terræ Senair. Itaque quem vrbis instar regia vix capere poterat, angustũ informis speluncę tenuit habitaculum: & qui tot populis, totq; gentibus imperitauerat, vnius homunculi præceptis obediuit. Idem.

HILARION Palæstinus (sicut de illo diuus Hieronymus literis cõmendauit) parentibus defunctis, partem substantiæ fratribus, partẽ pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans: Dominicæ sententiæ memor, dicentis, Qui non renunciauerit omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus. Erat autem annorum 15, cum sic nudus & armatus in Christo solitudinem ingressus est, sacco tantum & pelliceo pallio membra coopertus.

BENEDICTVS abbas, qui viuendi formulas (quas nunc plerunque sequuntur monachi) scripto edidit, à parentibus ex Nursia Romam, ad excolendum liberalibus disciplinis ingenium missus, impubis adhuc, ac penè puer, altius quàm ea consueuit ætas diuinitùs inspiratus, cogitans literarum studia, Romam ipsam, parentésq; deseruit: vixitq; solitarius, orationem studiis, Romæ erẽmum, parentibus pręponens Christum. Idẽ: & Sab. lib. 2. cap. 1.

NIVARDVS Bernhardi Clareuallensis frater, postquam ipsum, reliquósq; omnes Cæcilino patre & Aletha matre natos ad religionẽ aspirare videret: maluit abeuntes sequi, quàm in paterna domo hæres ex asse futurus manere. Illi enim proficiscentes, paruulo inter æquales in foro ludenti dixêre: Nivarde frater, nunc re solum totius summa respicit patrimonij: nos nanq; ius omne vni tibi cedentes, Christũ sequimur. Tunc ipse: Cœlum vos ergo possidebitis, inquit, ego terram? Nihilq; moratus, post eos adiit monasterium: vt potius cœlestes cum fratribus, quàm cum parentibus manens diuitias obtineret terrenas. Idem.

IVDAELLVS Britanniæ rex, cùm monasticam vitam ducere in animo haberet, Iodoco fratri voluit tradere regnum. Ille itidem ad Dei aspirans seruitiũ, ne quod vltrò offerebatur, vel inuitus suscipere aliquando cogeretur, clàm inde profugit, atq; ad ripam Alzei fluminis in agro Pontinij, constructo paruo humilique tugurio, solitarius habitauit. I nũc vana & stulta mortalitas, per cædes & parricidia quære tibi dominatum, quem sanctissimi viri tam vili habuerunt, vt alter deponere vellet, alter recusaret accipere. Idem.

PAVLA Romana tanta ac talis sese offert, vt non alio ore satis dignè laudari queat, quàm quo laudata est. Quid enim vberius elegantiusve ab vllo vnquã afferri possit, iis quę de illa diuus Hieronymus literis mandauit? Paula, inquit, nobilis genere, sed nobilior sanctitate, potens quõdam diuitiis, sed nunc Christi paupertate insignior, Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Pauli hæres, cuius vocabulum trahit Metiæ Papyrię matris, Africani vera & germana progenies, Romæ prætulit Bethleem, & auro tecta fulgentia informis luti vtilitate mutauit. Post hęc discessum eius ab vrbe describens ait: Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimã matrem vincere pietate cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur, paruulus Troxotius supplices manus tendebat in littore. Ruffina iam nubilis vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat: & tamen illa siccos oculos tendebat ad cœlũ, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. O magni animi fœminam, & tanto virtutum suarum pręcone dignam, quantus fuit ipse Hieronymus. Idem.

KVNEGVNDA Henrici imperatoris coniunx, cùm summum dignitatis locum adhuc inter principes fœminas retinere posset: defuncto tamen Henrico ingressa ecclesiam, inspectante populo, abiecit imperialia ornamenta, & religionis induit habitum. Maluit enim abiecta viuere in domo Domini, quàm sublimis versari in tabernaculis peccatorum. Idem.

PLACIDIA virgo, Valentiniani imperatoris & Eudoxiæ filia, repudiatis opibus, nulli rei preterquam saluti inhiabat. Rauis.

ETBVRGA filia Eduardi senioris regis Angliæ, relicta paterna domo claustrum ingressa est: in quo ad mortem durauit sanctissimè. Idem.

Beata Eugenia, relictis opibus paternis, cœnobio se inclusit.

CLOTILDIS vxor regis Gallorum Clodouei, dimissis opibus & regno, cœnobio se inclusit. Idem.

HOMOBONVS ciuis Cremonensis, opes nundinariis & negociatoriis partas laboribus reliquit, vt spirituali consuleret lucro. Idem.

CAROLOMANNVS Pipini frater, alteram Franconię partem quę illi fratris morte obtigerat, tantum absuit vt eam expeteret, vt omni principatu neglecto, statim petens Italiam Cassinati religioni sese addixerit: in qua multos annos superstes, cum summa pietatis nostrę bene pieq; retentę fama, non multo pòst decesserit, vt nullis vnquam regnorum illecebris ab incœpto reuocari potuerit. Egna. lib. 4. cap. 1.

RACHISIVS Longobardorum rex, anno regni sui quinto, cùm Lõgobardorum reges admodum florerent, Astulfo fratre rege instituto, monachum professus est. Ponta. lib. 2. de Magnanim.

EXEMPLA ETHICA.

AGIS Lacedęmoniorum rex, cum opibus atque deliciis, quemadmodum plerique regum agere solent, superare alios posset, non solùm augendi fortunas suas desiderio abstinuit: verùm renouatis quoque Lycurgi legibus, voluit vt inter ciues omnes fortunę ęquarẽtur: & vt à se huius rei exemplum proficisceretur, omnes opes suas in commune transtulit, atq; aliis Lacedæmoniis se opibus ęquauit. Fulg. lib. 4. cap. 1.

ANAXAGORAS sapientiæ amore captus, vt expeditior ad eam accederet, campestre prædium ad compascui vsum suis reliquit ciuibus, cętera domesticis partitus est: & hoc affectu ad philosophandum fecit sibi aditum. Estq; facilè expertus sublimi vir ingenio, nihil his quę contempserat sibi opus fuisse, vt prędicere posset quãdo saxum esset è cœlo casurum? Rogatus hic idem aliquando, ad quid natus esset? Vt cœlũ, inquit, spectem. De patria appellatus, ceu parum hęc foret ei curę: Imò hanc curo, respondit, digitum cœlo intendens. Sab. lib. 2. cap. 1.

DEMOCRITVS, cuius pater Xerxis exercitui sufficientes epulas dare potuisset, quo magis animo vacuo literarum studiis inhæreret, paucula admodum pecunia retenta, patrimonium suum patriæ donauit. Aulus Gellius, Cicero, Petrarcha: & Sab. lib. 2. cap. 1.

CRATES Thebanus, Philosophus Cynicus, & Diogenis discipulus, in pecuniam omnem substantiam redigens, apud trapezitam deposuit hac lege, vt si filij philosophi essent, eam indigentibus ciuibus distribueret, nihilo enim philosophos indigere existimans: sin idiotæ, eis redderet, vt vacuis virtute saltem opes opitularentur. Diog. Laertius, & Suidas. Philostratus autem in vita Apollonij, & Diocles, substantiam aiũt eum omnem in mare proiecisse, vt eo liberius philosopharetur. Aliter de eo Ælianus, inquiens:

Crates Thebanus omnium fuit contemptor, quæ vulgo admirationi sunt, tum pręsertim pecuniarum ac patriæ. Non enim tantùm facultates suas Thebanis tradidit omnes, sed Thebas etiam, quas antea inhabitauerat, reliquit: Non opus esse, inquiens, vt eam ciuitatem incoleret, quam Alexander vel alius subuersurus sit. Ælian. lib. 3. de Varia historia.

CLEANTHES Assius collectam pecuniolam aliquando proiecit coram familiaribus, dicens: Cleanthes alterum Cleanthem alere posset, si vellet. Laert. lib. 7. cap. 2.

ARISTIPPVS, cùm nauis olim, qua vehebatur, onere premeretur, iussit aurum in mare proiici. Laert. in eius vita.

Eo bello quod toti Græciæ Xerxes intulerat, cum Aristidi, qui Græcorum omnium nomine consuluerat, Delphicum respondisset oraculum, vt in sacris Eleusinæ Cereri campis dimicarent: neque alibi locus esset vllus Cereri Eleusinæ, nisi in Atheniensi agro sacer: nemini dubium erat, quin iuxta oraculum, in Atheniensem agrum redeũdum foret. Quod si fieret, gerendi belli rationibus vehementer id aduersari putabatur. Itaque cùm consilio incerti omnes manerent, dicerentque aut oraculo aut militaribus consiliis, in quibus communis salutis spes posita erat, deesse oportere: Platæenses, qui cæteris populis viciniores Athenis erant, in quorum agro Græcorum tunc castra erant, ne ab eo loco exercitus cederet, qui rebus fœliciter gerendis opportunus videbatur, & vt simul oraculo satisfieret, quod agri inter vrbem suam Athenásque possidebant, Atheniensibus donarũt. In quo cùm & Græcorum castris, & ad pugnãdum satis esset spacij, idque dono Atheniensium esset factum, & propterea Eleusinæ Cereri sacrum dici iam deberet: egerunt Platæenses, vt cum oraculo militare quoque consilium congrueret, atque ita penes Græcos eius prælij victoria iam maneret. Huius rei gratia Alexander non liberalis solùm ipse, verùm etiam liberalium amator & studiosus, cùm Platæarum vrbem muro nudatam offendisset, pecunia sua muro sepsit in liberalitatis præmiũ, quo Platæenses vniuersam affecerant Græciam. Fulgosus libro quarto capite octauo.

ANACREON Teius poeta, quinque talentis à Polycrate Samiorum tyrãno donatus, cum duabus ferè noctibus ex cogitatione somno caruisset, reddidit ea Polycrati, inquiens, οὐ τιμῶμαι αὐτὰ τῆς φροντίδος. quasi diceret, Tanti curam non emo. Gyraldus Dialogo 9. Hist. poet.

Simile quid refertur de SIGISMVNDO Imp. Vide tit. Pecuniariæ largitiones.

MAXIMILIANVS Romanorũ imperator iustissimus, quamuis non rarò ad eum ingens pecuniarum summa afferretur, tamen penes se eam nunquam retinuit: sed ad quæstores referri iussit, dicens, Se regendis hominibus præpositum, non auri sibi custodiam demandatam: quo si quis semel capiatur, mox è rege seruum futurum. Iacob. Spieg. in Æneæ Syluij commentaria de rebus gestis Alphonsi.

VITIVM IN EXCESSV.

PRODIGALITAS, IN GENERE.

Prodigalitas & Luxus in eo conueniunt, quòd subiectum idem habent, differunt tantùm vario respectu: quòd hîc quidem sumptus inanis consideratur, illic verò voluptas impotens in his rebus quæ ad voluptatem corporis mediate tantùm conferunt. Proinde exempla vtriusque loci eadem sunt. Aes quoque alienum huius erit tituli, nisi quòd infrà commodiore loco sub Fide violata recensebitur.

PERICLEM CALLIAM, filium Hipponici, & Niciam, prodigalitas & vita voluptuaria, ad paupertatem redegerunt. Postquam enim defecit eos pecunia, tres simul cicutam inuicem propinantes, in extrema potione quasi è conuiuio ad inferos migrarunt. Ælian. libro quarto de Varia historia.

Timotheus in ARISTOPHONTEM prodigum grauissimè inuehebatur, inquiens: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe. Ælian. libro 14. de Var. hist.

PHOCVS Phocionis filius, quum paternas opes prodigo luxu dilapidasset, Atheniensibus vsque adeò factus est odiosus, vt occurrentes omnes diffamatorem sui generis illum nuncuparent. Rauis.

M. LIVIVS Drusus tribunus plebis, Latinis ciuitatem, plebi agros, Equitibus curiam, Senatui iudicia permisit, tanta facilitate: vt professus sit, nihil cuiquam ad largiendum se reliqui fecisse, præter cœlum atque cœnum. Plin. de Vir. illust. & Volat. lib. 16. Vrb. com.

CINNÆ cuiusdam luxum Martial. lib. 9. ita arguit:

Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.

ALBIDIVS fuit adolescens perditissimæ vitæ, qui decocto vniuerso patrimonio, vnas (quæ supererant) ædes rerum desperatione incendio dedit. Quod videns Cato: Hic, inquit, proteruiam facit. Id erat priscum sacrificij genus, in quo si quid superfuisset, seruari religio erat, sed igni cremabatur. Plut. in eius vita: & Eras. lib. 5. Apoph.

Omnium ferè luxum & prodigentiam nepotinis helluationibus superauit Apicius, de quo Martialis libro quinto.

Dederas, Apici bis trecenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne sitim & famem ferres,
Summa venenum potione duxisti.

Quod sic interpretatur Budæus: Apici sexcenties sestertiûm, id est, quindecies centena aureorum coronatorum millia, inexplebili ilia ingluuie helluatus, quum posses adhuc cel. millibus (quod centies laxum appellat) vitam lauto & eleganti victu producere: tamen venenum miser hausisti, ne patrimonio tanto superesses, quod iamiam te deserturum videbatur.

LICINIVS Crassus, quum omnia decoxisset, occurẽtium tamen cachinnis vocabatur Diues, his verbis: Qui in Parthos militauit, non fuit appellatus diues primus, sed hic.

M. TIGELLIVS Hermogenes fuit adeò prodigus, vt tibicines, histriones, parasiti, gnathones, mimi, epulones, balatrones, mẽdici, vnguẽtarij, caupones, reliquique ociosæ & perditæ vitæ homines, mortem eius multis lachrymis defleuerint. Horat. lib. 1. Serm.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
Mæstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli,
Quippe benignus erat, &c.

RHEMNIVS Palæmon grammaticus, luxuriæ ita indulsit, vt sæpius in die lauaretur: nec sufficeret sumptibus, quamuis ex schola quadragena annua caperet, & non multo minus ex re familiari. Sueton.

L. NERATIVS homo egregiè improbus, autore Gellio, quum pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palma verberare: seruum comitem habebat, crumenam plenam assium portitantem. Et quemcunque depalmauerat, numerari statim secundum duodecim Tabulas xxv. asses eidem iubebat. Rauis.

AGRIPPA Octauij Augusti temporibus non solùm magnifico sumptu diuersa vrbis ædificia propriis impensis restaurauit: sed etiam cùm in circo errare homines animaduerteret, in numero circuituum, quos Græci Διαύλους vocant, delphinos & ouata opera fieri iussit, vt ex iis circuitus curriculorum ostenderentur. Adhæc oleũ salémque omnibus dedit ciuibus: balneáque gratis per annum mulieribus ac viris concessit, in quibus lauarentur. Conduxit etiam tonsores in mercatu, vt nemo quicquam impenderet de suo. Præterea missilia de loco superiore in theatrum iecit, in quibus argentum erat, atque alia permulta. Res quoque venales multas in medio positas, populo ad diripiendum dedit. Dion Nicæus in Augusto: & Alex. lib. 4. cap. 20.

C. CALIGVLA saltatores ex vrbe à Tiberio eiectos, restituit: cœpitque in equos & gladiatores ita magnos & effusos sumptus facere, vt maximos thesauros à Tiberio congestos breui tempore consumpserit: in quibus cùm inuenisset aureorum ducenties tricies centena millia, ea ante annum tertium dilapidauit. Dion Nicæus in eius vita.

Plinius scribit, felicem Arabiam non tantum cinnami, casiæ, aliorúmque odorum annuo fœtu parere, quantum NERO princeps nouissimo pompæ suæ die concremauit. Idem sordidos vocabat, & parcos, quibus ratio impẽsarum constaret. Eos verò lautos ac magnificos laudabat, qui abuterentur, & perderent. Mirabatur auunculum Caium Caligulã, quod ingentes à Tiberio relictas opes in breui spacio prodegisset. In Teridatem regem Armeniæ octingenta nummûm millia diurna erogauit: abeunti, super sestertiûm millies contulit. Menecratem citharœdum, & Spiculum Marmillonem, triumphalium virorum patrimoniis ædibúsque donauit. Cercopithecum Panerotem fœneratorem propè regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadragenis in punctum sestertiis aleã lusit. Piscatus est reti aurato, purpura & cocco funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille iter fecit. Mulos argenteis crepidabat soleis, & Canusina operiebat lana. Theatrum auro totum operuit in honorem ipsius Teridatis. Idem cubicula viatoria vnionibus consternebat. Annis XIIII. quibus imperio præfuit, bis & vicies millia donationibus effudit: id est, quingenties & quinquagies centena millia aureorum.

DOMITIANVS Imperator, cùm ingentes opes summa prodigalitate, ludis atque spectaculis & conuiuiis edendis dilapidasset, atque pecunia iam egeret, multos ex potentioribus occidit: partim reos factos in senatu, partim absentes accusauit, nonnullos etiam ex insidiis & clandestinis venenis sustulit, quo haberet vt tantos sumptus faceret. Xiphilinus in vita Domitiani.

L. COMMODVS M. Antonini Augusti filius, erga alios parcissimus, immoderatis sumptibus séque ærariúmque ita exhausit, vt deficiente pecunia, quo itinerarium æs exigeret, in Africam se ad constituẽdam prouinciam transmissurum finxerit. Pont. de Liberal. cap. 9.

VARIVS Heliogabalus cum à familiaribus interrogaretur, An non paupertatem timeret, profusionis commeat? Respondit: Quid melius, quàm vt ipse mihi hæres sim, meæque vxori? Vix fidem inueniunt, quæ de eius insania verius quàm luxuria prodita sunt memoriæ. Piscinas rosacea impleuit aqua. Balsamũ infudit lucernis, gemmas nobilissimorum artificum manu sculptas apposuit calceis, croco triclinium strauit, porticum scobe auri: nunquam iterum cum aliqua est fœmina congressus, præterquam vxore: nunquam iterum aurea veste vsus est, aut holoserica. Eleuant hæc veterem Demetrij regis infamiam. is quia auratis vteretur calceis, penè prodigiosum Macedonia existimauit. Sab. libro 8. cap. 7. & Pont. cap. 9. de Liberal.

GALIENVS Imp. Valeriani filius, nihil vnquam cuiquam petenti denegauit. Liberalitatis hæc officia videri poterant, nisi hæc eadem improbitate & stulticia contaminasset.

ALEXANDER quintus pontifex maximus in Creta insula natus, Minorianæque familiæ à puero addictus, ingenij fœlicitate & literis maximè excelluit. Qua ex re Ioanni Galeatio Mediolanẽsium principi cognitus, qui eloquentiæ vim in eo admiratus, quam concionabundus referebat, naturæque bonitatem illius obseruans, ac liberalitatem, eam operã dedit, vt primùm Vincentinus declararetur episcopus: tum relicta Vincentia, Nouariensi præficeretur ciuitati: mox Mediolanum euocatus, Archiepiscopali dignitate donatus est. Quinetiam postea Pisani concilij autoritatem secutus, quam cardinalis ipse maximè probabat, ea causa vt schisma tolleretur trium Pont. omnium iudicio cardinalium Pontifex maximus creatus est: qui motum elegantiam, eiúsque excellentem doctrinam, ingentémque eius liberalitatem perspexerat. Vtinam verò diu ille summæ rei præfuisset: nam Christianæ rei fortasse melius consultum esset. Sæpe interim cum familiaribus agens, dicere solitus erat, diuitem se olim episcopum, pauperem verò cardinalem, mendicum ex nimia liberalitate pontificem esse: in qua dignitate octauo pòst mense obiit. Egnat. lib. 4. cap. 8. & Fulg. eodem.

SIXTI IIII. pont. liberalitas summa, cum ferè ad inopiam redegit. Indicat hoc notissimus ille versiculus:

MITRA *caue, instituit dicere:* SVM, *quod eram.*

Humili enim genere natus, & ad summam euectus dignitatem, ad extremam denuò paupertatem, ob largitionem Ecclesię bonis dilapidatis, redactus fuit. Fulg. lib. 4. cap. 8.

ALFONSVS

ALFONSVS Neapolitanorum rex, licet plurimis & populis & nationibus imperaret, ac pace ocioque permulto frueretur, faciendis tamẽ ingentissimis sumptibus, edendis magnificentissimis ludis spectaculísque, & omnis generis rerum effusionibus eò processit, vt conflato ingenti ære alieno, cùm satisfacere creditoribus nequiret, tandem decoxerit: ac dolore itaque permotus, regij census ministros plerosque mulctæ nomine penè bonis omnibus spoliauerit. Ponta. de Liber. cap. 9.

PETRVS Riuarius cardinalis à Xysto quarto creatus, vir fuit natus perdendæ pecuniæ. Nam biennio quò tantùm postea vixit, CC. aureorum millia in luxu victitando solùm absumpsit: LX millia æris alieni, argenteorum item CCC pondo dimisit. Discessit itaque tabidus voluptate annorum XXVIII. opificibus maximè desideratus, quorum officinas nouis semper operibus replebat. Volat. lib. 22. Anthrop.

PRODIGALITAS IN SPECIE, ΕΝ ΔΑΠΑΝῌ.

IN AEDIFICIIS, STATVIS, NAVIBVS, *lacubus, aquæ ductibus, &c.*

DAEDALVS Labyrinthum fecit in Creta, tanta viarum perplexitate, vt introeuntibus non paterent reditus. Verg. lib. 6. Æn. & Ouid. in Metam.

LABYRINTHVS in Ægypto à duodecim regibus ædificata, paulo supra stagnum Mærios, versus vrbem Crocodilorum: quo nihil admirabilius in toto orbe. Etenim duodecim eius aulæ sunt tecto opertæ, portis oppositis altrinsecus: sex ad aquilonem contiguæ, totidem ad austrum vergentes, eodem extrinsecus muro præclusæ. Bifaria in eo sunt domicilia, vna subterranea, altera superiora illis imposita, vtraque numero tria millia quingenta. Quorum ea quidem quę superiora sunt, ipsi vidimus: & quæ aspeximus, enarramus. Subterranea verò auditu didicimus. Nam præpositi Ægyptiorum nolebant vllo pacto illa monstrari, quòd dicerent, illic sepulchra esse cùm eorum regum qui ædificãdi labyrinthi fuẽre autores, tum sacrorum crocodilorum. Ita de inferioribus ędificiis fando cognita referimus. Superiora ipsi aspeximus, humanis operibus maiora. Nã egressus per tecta, & regressus per aulas diuersissimi, infinita me admiratione afficiebant. Ex aula in conclauia transitur, ex cõclauibus in cubicula, è cubiculis in solaria alia, è conclauibus in alias aulas. Horum omnium lacunar, quemadmodũ parietes, lapideũ est, sculptilibus passim figuris ornatum. Singulæ aulæ maxima ex parte digesto lapide albo, columnarum ambitu redimitæ. Angulo, quo finitur labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta passuum, in qua grãdia sunt insculpta animalia, ad quam iter sub terra fit. Herod. lib. 2. post quem Plin. lib. 36. ca. 13.

Fuit & tertius in Lemno, quartus in Italia, omnes lapide polito, fornicibus tecti. Lemnius habebat CL columnas, quarum in officina turbinis ita librati pependerunt, vt puero circumagente tornarentur. Eius architecti fuerunt Zmilus, Rholus & Theodorus. Italicum sibi fecit Porsena rex Ethruriæ, loco sepulchri: quò si quis improperasset sine glomere lini, exitum inuenire nequiuisset. Supra erant pyramides quinque, quatuor in angulis, & in medio vna, in imo latæ pedum LXX, altæ pedum CL: ita fastigiatæ, vt in summo orbis æneus, & pegasus vnus omnibus sit impositus, ex quo pendebant iuncta catenis tintinnabula. Plin. libr. 36. capite 13.

CYRVS Persarum rex contra Babylonem tendens, cum in Gyndemne vnus à sacris equis candidis submersus esset, ægrè ferens hanc sibi à flumine illatam iniuriam, expeditione omissa, tota æstate cum vniuerso exercitu in eo fuit, vt Gyndem, qui prius vnico alueo fluebat, in centum & octoginta riuulos diuideret. Quo ipso facto dubium est, vtrum Cyri stulticiæ, an iracundia, an prodigalitas maiore sit digna reprehensione. Stulticia certè occasionem præbuit iracundię, iracundia & vltionis vindicta insanę prodigalitati. Herodot. lib. 1.

PYRAMIDES in primis erant structuræ & moles lapideæ infernè quadratæ, sursum versum acutæ, quas Ægypti reges superponendas tumulis erigebant, aut id inanem diuitiarum ostentationem, aut vt populi torporem excitarent. Earum vna saxo naturali fuit elaborata, & rubrica, cuius ambitus per frontem centum duos pedes colligebat, longitudo erat CXLIII pedum, altitudo 62. Alia fuit facta ex Arabicis lapidicinis, quam sexcenta hominum millia viginti annis construxisse memorantur. Tres aliæ fuerunt annis LXXVIII, & mensibus quatuor factæ. Plin. libro 26. capite 12. scribit, MDCCC talenta fuisse erogata in raphanos, allium & cepas, quibus artifices vescebantur in extruenda earum vna. Quo argumento coniectare est, quãta quamque prodigiosa fuerit aliarum rerum impensa. Omnium amplissima continebat octo soli iugera, quatuor angulorum paribus interuallis per DCCCLXXXVIII singulorum laterum altitudo pedes vigintiquinque. Secundæ singula interualla per quatuor angulos pares DCCXXXVII, pedes comprehendebant. Tertia erat minor prædictis, sed multo spectatior, Æthiopicis consurgẽs lapidibus, trecentis sexaginta tribus pedibus inter angulos. Omniũ minimam fecit Rhodope meretricula, Æsopi fabulatoris conserua, diuitiis illis quas meretricio quęstu sibi comparauerat. Herodotus in Euterpe scribit, Cheopem Ægypti regem fecisse pyramidem ex Arabicis lapidibus, cuius longitudo erat quinque stadiorum, latitudo decem passuum, altitudo octo passuum, in qua decem annos fuisse consumptos memorat, & in operarios pro cepis, apio & aliis erogata MDC talenta affirmat. Fecit & aliam viginti annis absolutam, in qua tantum profudit pecunię, vt nimio sumptu attritus, filiam (quam habebat formosissimã) coactus sit prostituere. Ea est, in qua M.DCCC talenta in cepis & raphanis erogata sunt. Herodotus alias complures memorat, quas volens omitto: quoniam prædictæ satis arguunt, quàm ociosa fuerit illorum regum & opera & prodigentia. Rauis.

ASYCHIS rex Ægypti, post Mycerinum, reges superiores antecellẽdi cupidus, reliquit memoriam sui pyramidem latericiam, incisis lapide literis in hęc verba: Ne me cæteris pyramidibus compares, qui tantùm illis præcello, quantum Iupiter cęteris diis. Nam fundum lacus cõto verberantes, quod luti conto adhęrescebat, id colligentes, me cõposuerunt, & in talem mensuram redegerunt. Herod. lib. 2.

OBELISCI sunt structuræ minores pyramidibus, deorsum versum specie quadrata, in augustum verticem desinentes, & paulatim gracilescentes. Ægypti reges quatuor fecerunt obeliscos, CCCCLXXX cubitorum longitudine. Ramises rex Ægypti (cuius ætate captum est Ilium) obeliscum fecit quadraginta cubitorum, & alium longitudine vndecenis pedibus, per latera cubitis quatuor: quem fecisse dicuntur viginti hominum millia. Cuius operis admiratione factum est, vt quum Syenem oppidum expugnaret Cambyses rex, ventumque esset incendio ad crepidines obelisci: extingui ignem iuberet, molis reuerentia. Obeliscum posuit Phius XLV cubitorum. Ptolemæus vnum Alexandriæ LXXX cubitorum. Alij duo fuerunt Alexandrię, quos excidit Mesephees rex, XLII cubitorum. Alius fuit excisus à rege Semneserteo CXXV pedum Nuncoreus, filius Sesostris, vnum fecit cubitorum L. Colossus fuit Tarenti quadraginta cubitorum, factus à Lysippo. Plin. libro 36. capite nono, & sequentibus.

Inter mirabilia hominum opera sunt: Athos factus à Xerxe nauigabilis: Isthmos cœptus à multis perfodi, nec absolutus: Alpes aceto diuisæ: Lucrinus lacus vndecim annis à triginta hominum millibus exiccatus: Luculliana villa, vbi excisa monte Euripus admittebatur.

ALEXANDER Magnus, in Babylone thronum aureum fabricari fecit, cui similis in toto orbe nõ reperiebatur. Erat 12 cubitorum, ad quem per duodecim aureos gradus ascendebatur: hinc inde erant duodecim statuę aureę, in quibus erant scripta nomina duodecim principũ. sursum eminebat Alexandri sedes ex smaragdo: vndique parietes ex topazio, & per vniuersos gradus preciosi lapides cuiuscunque generis. Rutilabat in summitate noctu & interdiu lapis rubicundus, variis imaginibus illustratus: quibus appendebant versus Gręci Latinique, nomina quinetiam prouinciarum quę subiiciebantur Alexandro. Corona omni genere preciosorum lapidum circumsepta, titulum sequentem Gręcis & Latinis literis sculptum habebat:

Ortus & occasus, aquilo mihi seruit & auster. Guido Bitur.

GORGIAS Leontinus rhetor, auream statuam solitam in templo Delphico sibi posuit: tantus olim erat artis oratoriæ docendæ quæstus, Plinius.

C. IVLIVS Cęsar villam à se magnis sumptibus in nemorensi ædificatam atque absolutam, dirui iussit, quòd animo suo non satisfaceret. Pontanus capite vndecimo, de Magnificentia.

CAIVS, qui Tiberio Augusto successit, liburnicarum nauium gemmatis puppibus, ac diuersicoloribus velis vsus est: in quibus etiam thermas, porticus & triclinia magna laxitate statuit, vitibus etiam ac pomiferis arbusculis dispositis. Idem in extruendis prętoriis ac villis nihil pẽsi habuit, excisæ rupes durissimi silicis: montes alibi ad planum vsque subuersi alibi terræ aggestione campi montium iugis æquati, moles iactæ profundo & æstuoso mari: atque hæc omnia tanta celeritate, vt capitale esset, causam tarditati dedisse. Ponta. cap. 3. de Magnificentia.

BELFLORIVS Siculus, homo non indoctus, ingenio tamen nõ satis constanti, cùm non paruam pecunię summam sibi comparasset, senex iam magnificam Catinæ domum inchoauit, in cuius iaciendis fundamẽtis omnem illam summam absumpsit. Qua absumpta, cùm ab incœpto destitisset, accusaretúrque à familiari quodam suo, quòd tantam molẽ, quæ regias facultates exigeret, vir priuatus & haud magna cum re aggressus esset: At, inquit, hoc ipsum ago, vt vbi è vita excessero, magnũ me quendam fuisse virum, his è fundamentis posteri suspicentur. Pontanus capite decimo, de Magnificentia.

IN SPECTACVLIS ET LVDIS, EO- *rumque apparatu.*

CORINTHII tanto studio Isthmios ludos coluẽre, vt ne deleta quidem Achaia à Mumio, & tota Corintho maximo bello cõuulsa, ab eorum spectaculis destiterint, cumque deserta Corintho, celebrãdis ludis ciues superesse nequirent, Sycionus proximis incolis, ne celebritas intermitteretur, cultum curamque demandarint. Alex. lib. 5. ca. 8.

DEMADEM Atheniensem tradunt mirificam pecunię vim in res turpissimas contulisse: cuius illa vna profusio docere satis potest, quàm non solum immoderatè, verumetiam improbè pecuniis vsus fuerit. Nam lege cautum Athenis cùm esset, ne qui peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum multa ei indicta qui ludos ederet: Demades ludis suis centum peregrinos qui saltarent mercede conductos, in theatrum induxit, centies mille drachmis exolutis. Quid hac profusione improbius? Ponta. cap. 3. de Magnificentia.

AEDILES plebis aut curules apud Romanos, munera magnificẽtissima,

& ludos apparatissimos,ad conciliandum populi fauorem , publica aut priuata impensa , aut ex multaticia pecunia curari & instaurari consueuerant:in quibus venationes belluarum, multa nonnunquam gladiatorum paria,qui digladiarentur, exhibuêre. Quæ munera cùm magnificẽtissimè per ædiles edita fuissent , gradus ad amplissimos honores magistratúsque fecêre.Alex.ab Alex.lib.4.cap.4.

CLAVDIVS Pulcher scenam varietate colorum adumbrauit,vacuis ante pictura tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius , auro Petreius,ebore Q.Catulus prętexuit.Versatilem fecerunt Lucius & Cinna locum , quem argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornauit. Translatum antea Phœniceis indutum tunicis, M.Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit.Val.Max. lib.2. capite primo & Alex. libro 5. capite decimosexto.

Q. CATVLVS Campanam imitatus luxuriam , primus spectantium consessum byssinis velamentis & vmbraculis texit.Plin.lib.15.Val. Max. lib.2.cap.1.

Gladiatorum munus primum Romæ datum est in foro Boario, Appio Claudio,Q.Fuluio Coss.Dederũt M.& Decius filij Bruti funebri memoria,patris cineres honorando.Val.Max.lib.2.cap.1.

CN.POMPEIVS, ne in ludorum spectaculis populo æstus officeret,aquę decursum per subsellia theatri duxisse non sine grauissimis expensis dicitur. Alex.ab Alex.lib.5.cap.16 ex Val.Max.lib.2.cap.1.

Ingens prodigalitas,atque immensæ deliciæ fuerunt M.Scauri, L.Syllæ generi atque priuigni,qui primus athletarum certamen dedit, vt Val. lib.2.cap.1.testatur.Nam vt in ædilitate sua, quemadmodũ eius honoris mos ferebat,ludos ederet,neque publicis theatris vti vellet: ipsorum ludorum gratia tantùm,quos ipse editurus erat extemporarium theatrum extruxit,& peractis ludis opus ipsum demolitus est.Fuit autem illius magnitudo speciésque tanta, vt viuentium regum nullus his temporibus simile,pro mãsuro opere facturus fuerit.In eo marmoreas columnas trecentas ac sexaginta posuit:qui omnes tricenorum octonorũque pedum, ac circiter longitudinem implerent. Scenæ autem pars marmorea fuit, altera autem polymito opere exornata , tota æneis inauratísque tabulis tecta. Intercolumnia verò ænearum statuarũ tribus millibus exornauit: præter tabularum ornamenta,quæ insignium pictorum opere,mira arte confectæ erant:reliquæ theatri partes,aulæis egregij operis vestita , ita vt quod in eius operis vsum supra necessitatem cõparatum fuerat,mille sestertiorum precium excederet. Cuius tam ornati preciosique theatri amplitudo tanta fuit, vt in eo sedere hominum octuaginta millia potuerint : cum Circus maximus , quem Pompeius lapide calcéque extruxit, vltra sexaginta millia non caperet. Fulgos.libro nono capite 1. ex Plinij libro trigesimooctauo.

CÆSAR exhibuit munus gladiatorium, ludos etiam regionatim vrbe tota,& per omnium linguarum histriones. Item Circenses athletas. Naumachiam in foro depugnauit. Furius Leptinus stirpe prætoria , & Q. Calpenus senator quondam actórque causarum, Pyrrhicam saltauerũt.Venationes edidit per dies quinque sublatis metis, quo latius dimicaretur. Athletæ cucurrerunt per triduum.Defossus est in monte Cælio lacus ad nauale prælium,in quo biremes ac triremes Tyriæ & Ægyptię classis magno pugnantium numero conflixerunt.Ad quæ spectacula tãtum confluxit hominum, vt præ turba elisi & exanimati sint plurimi, & in his duo senatores.Fuit quoque equestris pugna , cui *Troia* nomen erat,à pueris nobilissimis antiquo more pugnata,cùm quibus iuuenes itidem nobilissimi ex curribus certauerunt In his spectaculis, (magnificentissimi apparatus argumentum) ne sol spectatoribus molestus esset, peripetasmata serica suprà extensa fuerunt,qui panni facti primò ad barbarorum voluptatem,ab illis ad Romanos,ad muliebres delicias fuerũt importati.Xiphilinus Dionis abbreuiator in Cæsare.

De spectaculis AVGVSTI sic scribit Tranquillus:Spectaculorum assiduitate & magnificentia omnes antecessit. Fecit nõnunquam vicatim. Athletas quoque extructis in campo sedilibus ligneis , nauale prælium circa Tyberim. Ad scenicas quoque & gladiatorias operas , equitibus Romanis quandoque vsus est.Milites secreuit à populo. Multis è plebe ordinem assignauit.Prætextatis cuneum suum,&proximum pædagogis. Fœminis gladiatores videre solùm ex superiore loco concessit. Virginibus Vestalibus locum in theatro separatum , contra Prætoris tribunal dedit.Voluit primum subselliorum ordinem vacuum senatoribus relinqui.Athletarum spectaculo muliebrem remouit sexum.Athletis priuilegia confirmauit. Histrionum licẽtiam compescuit in circo aurigas,cursorésque & confectores ferarum produxit.Troiæ ludum frequentissimo puerorum delectu edidit.Exhibuit rhinocerotem apud septa, tygrim in scena,anguem quinquaginta cubitorum pro comitio. Nulli Græco certamini interfuit , quo non pro merito certantium quémque honorauerit.Spectauit studiosissimè pugiles, maximè Latinos:nec legitimos & ordinarios solùm,sed & cateruarios oppidanos , inter angustias vicorum pugnantes temerè ac sine arte.

SEIANVS in collegam à Tiberio Cæsar ascitus,cùm extolleret se supra Cæsarem,multa in odium atque contemptum Tiberij fecit:in cuius contumeliam etiam per caluos homines præbuit spectaculum vsque ad vesperam.erat enim Tiberius caluus:præterea abeuntibus ex theatro à quinque millibus puerorum, qui omnes rasi erant , lumina præferri curauit.Dion Nicæus in Tiberio.

C. CALIGVLA Imp. munera edidit gladiatoria , quibus inseruit cateruas Afrorum & Campanorum pugilum, ex vtraque legione electissimorum.Nec spectaculis semper ipse præsedit,sed interdum magistratibus aut amicis præsidendi munus iniunxit.Scenicos ludos varij generis fecit,quosdam nocturnos accensis tota vrbe luminibus.Panaria cũ obsonio viritim dedit. Edidit & Circenses plurimos à mane vsque ad vesperam,interiecta modò Africanarum venatione,modò Troię decursione. Minio & chrysocolla constrauit circum.Hasticos ludos egit Syracusis:in Gallia Lugduni miscellos,id est multiiugis ludicris variísque ludionibus refertos.Item certamen Græcæ Latinæque facundiæ , in quo victoribus victi præmia contulerunt, & eorundem laudes componere coacti sunt. Qui autem maximè displicuissent , scripta sua spongia linguáue delere iubebantur,nisi ferulis obiurgari, aut in propinquo flumine mergi maluissent.Idem Imp.Mirmillionem rudibus secum dimicantem, & spontè prostratum, confodit ferrea sica:& more victorum cum palma discurrit. Præbuit quoque in vrbe varia spectacula , in quibus vrsi quadringenti, cum aliis Libycis belluis interficiebantur. Dion siue Xiphilinus in Caligula.

Cæsar Claudius fecit seculares ludos quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos. Circo maximo marmoreis carceribus,auratísque metis exculto,propria Senatoribus constituit loca, promiscuè spectare solitis: & super quadrigarum certamina , Troiæ lusum exhibuit.Exhibuit & Thessalos equites: qui tauros per spacia Circi agebant:insiliebántque defessos , & ad terram cornibus detrahebant. Item pantheras , quas conficiebat equitum prætorianorum turma , ducibus tribunis.

TITVS VESPASIANVS, posteaquam Romæ amphitheatrum dedicasset,multa eáque mirabilia in eo fecit.Grues enim certauerunt inter sese,præterea quatuor elephanti:ac pecorum ferarúmque millia nouem interfecta sunt,quæ mulieres ignobiles confecerunt:multi obierũt munus gladiatorium,multi quoque conferti pedestria ac naualia prælia cõmiserunt. Nam amphitheatro derepentè aqua impleto, in ipsum equos tauro̗sque,aliáque mansueta animalia introduxit , quæ facere didicerãt ea quæ in terra consueuerant. In hanc aquam introducti sunt homines in nauibus , qui in Corcyrenses & Corinthios diuisi , prælio nauali decertauerunt. Extra hunc locum pugnatum est ab aliis in horto Caij & Lucij,quem Augustus perfodi eam ob caussam iusserat. Ibi enim primò die bellum nauale, cædésque belluarum facta est,lacu,qua parte statuas spectat,tabulis ædificato , ac fixis vndique trabibus. Postridie eius diei ludi Circenses facti sunt. Tertio die nauale prælium hominum trium millium:post hæc pedestris pugna consecuta est. Fuêre per centum dies spectacula eius generis.Sed & plebi vtile fuit quod Titus paruos globos ligneos de superiore loco iaceret in Amphitheatrum , in quibus inscripta erat nota alicuius esculenti: vestisúe, aut vasis argentei,aut aurei,equorúmque & iumentorum ac mancipiorum.Quos globos qui rapuisset,attulissétque ad eos quibus imperatũ fuerat ea munera largiri,quod scriptum erat,consequebatur. Hæc Xiphilinus in vita Vespasiani.

NERO edidit Iuuenales, Circenses & Scenicos ludos.Item gladiatorum munus. Iuuenalibus senes quoque consulares , anúsque matronas recepit ad lusum:Circensibus loca equiti secreta cæteris. Exhibuit & camelorum quadrigas. Ludos pro æternitate imperij susceptos appellari Maximos voluit , in quibus plerique ex vtroque ordine & sexu partes ludicras sustinuerunt.Nouissimus eques Rom. per Catadromum decurrit,insidens elephanto : fabulam Afranij togatam , Incendium nomine (quo Troiæ ruina continebatur) induxit:concessitque scenicis,vt ardentis domus supellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsa & missilia omnium rerum : id est, varij muneris munera, quæ erant occupantium. Singula quotidie millia auium cuiusque generis.Exhibuit etiam ad ferrum quadringentos senatores, sexcentósque equites Rom. ad conficiẽdas feras in arena.Item Pyrrhicas saltationes per ephebos: quibus peracta opera, diplomata & priuilegia ciuitatis Romanæ singulis obtulit.Fecit etiam vt taurus Pasiphaen in ligneo iuuencæ simulachro abditam iniret, quod multi spectantium crediderunt. Instituit & quinquennale certamen more Græco triplex, musicum,gymnicum,equestre.

TERIDATES deuictis Barbaris cùm Romã redire vellet,Nero imperator,à quo belli dux declaratus erat,obuiam ei venit,benignéque & comiter eum excepit, ac præter cætera ludos etiã gladiatorios Puteolis in eius honorem fecit:quorum tanta fuit magnificentia atque sumptus vt vnius diei spacio nemo præter viros & mulieres & pueros Æthiopes amphitheatrum ingrederetur. In his Teridates de superiore loco, in quo sedebat,belluas iaculo traiecit, duósque tauros vno ictu , si tamen credibile est, vulnerauit atque confecit.Ludos item maximos & magnificentissimos in honorẽ Agrippinæ matris fecit.Nam simul in quinq; festíue theatris complures dies festos egit. Quo tẽpore elephas introductus in theatrum, in summum eius fornicem conscendit , atque inde vehens hominem in fune ambulauit.Id verò turpissimum visu atque grauissimũ fuit,quòd viri fœminæque,non solùm equestris,sed etiam senatorij ordinis,in orchestram & circum & amphitheatrum ingressi sunt, vt homines turpissimi atque inhonestissimi:nõnullique eorũ tibiis cecinerunt, saltauerunt,tragœdias & comœdias egerunt , citharœdi fuerunt, equos agitauerunt, belluas occiderunt, munus gladiatorium obierunt.Idẽ cùm in theatro spectacula præberet primùm eodem theatro de repentè aqua maris expleto,in qua pisces & alia animalia natabant, bellũ nauale Persarum cum Atheniensibus fecit: deinde subitò aquam eduxit, exiccatóque solo rursum multos pedites,non modò binos, sed etiam confertos, paribus vtrinque congredi iussit.Xiphilinus in eius vita.

IDEM cùm in spectaculis curtus ageret, belluis interfectis, ac subitò aqua in amphitheatrum deducta, bellum etiam nauale cõfecit:eodẽmque amphitheatro exhausto, præbuit certamen gladiatorium:mox aqua rursum introducta,publicè sumptuosam cœnam dedit.Xiphilinus.

NERONIS temporibus Romę editum est spectaculum, in quo homines in equis insidentes, magno cursu atque impetu in tauros facto, eos occiderunt

occiderunt:tum ab equitibus stipatoribus corporis Neronis quadrigenti vrsi cum trecentis leonibus hastis transfixi sunt virique equestris ordinis triginta munus gladiatorium obierunt.Xiphilinus in Nerone.

IDEM auri ramenta pro harena in ludis & spectaculis strauisse,& vela stellata colore cœli posuisse,totúmque Pompeij theatrum in vnum diem auro operuisse dicitur. Alexand.ab Alexand.lib.5.cap.16. ex Plin.libr.33. cap.3.

VITELLIVS Romanorum imperator, ludos Romæ gladiatorios fecit: in quibus cùm vrgeret Sporum vt puellæ ornatu incederet, neque Sporus talem contumeliam ferre posset, sibiipsi manus inferre , quàm in eo vestitu turpiter se dare maluit.Xiphilinus in Vitellio.

DOMITIANVS spectacula edidit magnifica & sumptuosa in amphitheatro & circo,vbi præter bigarum & quadrigarum cursus duplex etiã commisit prælium,equestre ac pedestre , & in amphitheatro nauale quoque. Venationes,& gladiatores exhibuit,noctibus etiam ad lychnos. Pugnas præterea non virorum modò,sed & fœminarum . Toto gladiatorij spectaculi tempore habuit ante pedes suos puerulum coccinatum, portentoso paruóque capite, cum quo plurimùm fabulabatur . Edidit nauales pugnas effosso circa Tyberim lacu , quas inter maximos imbres spectauit:in quo non solùm omnes ferè qui pugnauerunt , mortui sunt: sed etiam multi ex spectatoribus , propterea quòd maximo imbri & vehementi tempestate repentè commota, nemini permisit abire ex spectaculo.Xiphilinus in eius vita.Fecit etiã ludos Seculares.Instituit quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, Musicum, Equestre, & Gymnicũ . Fecit certamen Gręci,Latinique sermonis.Celebrauit & in Albano monte quotannis quinquatria Mineruæ.

Adrianus Imperator in ludis & spectaculis Rom. balsama & crocum per gradus theatri strauisse fertur.Alex.ab Alex.lib.5.cap.16.

IDEM spectacula suo natali die populo gratis dedit: vbi ita magnus numerus bestiarum cæsus est , vt simul leones centum , ac totidem leænæ confectæ sint.Dion Nicæus,& Xiphilinus in Adriani vita.

IDEM mille Athenis feras in stadio , & gladiatorum munus per sex dies habuit.Pont.cap.14.de Magnificentia.

M.ANTONINVS Pius munera edidit,in quibus elephanti,crocutæ, rhinocerotes,crocodili,hippopotami,& omnia ex omni terrarum orbe animalia,etiam tygres fuêre.In munere publico tam magnanimus fuit, vt centum leones vna missione simul exhiberet sagittis interfectos.

Traianus spectacula edidit dierum centum viginti trium,in quibus interdum cæsæ sunt feræ mansuétæve bestiæ mille,interdum etiam ad decem millia:interdúmque gladiatorum decem millia inter se certauerũt. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Traiani.

Gordianus senior,eodem tempore,iisdem etiam diebus , in omnibus Hetruriæ , Campaniæ & Vmbriæ vrbibus Scenicos & Iuuenales ludos quatriduò dedit.Pont.cap.14.de Magnificentia.

IDEM populo Romano spectacula per singulos XII dies dedit, ita vt gladiatorum nonnunquam quingenta paria,& nunquam minus centum quinquaginta feras Libycas vno die,quandoque mille ediderit. Erat ei sylua,in qua habuit ceruos ducentos,Britannos equos feros XXX, oues feras albas mille,decẽ aureas capreas,quas inaurari fecerat,struthiones Mauros miniatos CCC, onagros XXX, apros CL, ibices CC. damas CC. Quæ omnia populo diripienda concessit, die muneris , quod sextum edebat.

PHILIPPVS Arabs Imp.Seculares ludos & munera edidit Circensia.in quibus dati sunt elephanti XXXII , tygres XX , leones mansueti LX, hyænę C,gladiatorum fiscalium paria mille, rhinoceros vnus, archoleontes X, camelopardi X, equi feri XL, leopardi mansueti XXX. Omnes denique eas , quas Gordianus puer in triumpho Persico reseruauerat, belluas confecit . Volaterranus libro vigesimoquinto Anthropologiæ.

GALIENVS cùm multa strenuè & fœliciter in Gallia & in Illyrico gessisset,Scytháśque apud Byzantium vicisset,Romam reuertens Decennalia celebrauit,nouo genere ludorum,maximóque apparatu. Volater. lib.23.Anthropologiæ.

PRODIGALITAS EN ΔΟΣΕΙ.

IN CONVIVIIS PVBLICIS, *Epulis,Visceratiombus.*

C.IVL. Cæsar in Aphricano triumpho, præter obsonia apparatissima, vno die in duobus & viginti millibus tricliniorum instructis, paratísque mensis epulum regali magnificẽtia,& vini falerni amphoras 100,& Chij cados 100,populo dedisse fertur: & sex murenarum millia vna cœna exhibuit.Alex.ab Alex.lib.6.cap.6.

GALBA dedit epulum populo,senatui & equestri ordini:ac præter epulas forensia viris,fœminis ac pueris fascias purpuræ & conchylij, quibus veteres pro caligis vtebantur.Alex.ab Alex.lib.5.cap.24.

Domitianus sportulas ad cœnas reduxit,in qua frequens obsonium,panis,oleum & porcina caro dari solita,absque vino.Idem.

ROMÆ in viscerationibus omnia carius veniebant quàm aliàs:quare, Ad pollinctum emere,sermo increbuit.Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

ATHENIS per funeris præfectos,epulum apud defuncti necessarios dari consueuit.Alex.lib.3.cap.7.

IN CONVIVIIS PRIVATIS.

Consule tit. Luxus in apparatu conuiuiorum.

ARISTIPPVS Platoni obiurganti, quòd multos pisces emisset : respondit, Se illos emisse obolo:qúmque Plato dixisset, Tanti & ipse empturus eram:Vides,inquit:igitur ô Plato, me nõ esse obsoniorum auidũ, sed te pecuniæ amantem.Laertius lib.2.cap.8.

Aristippus cùm aliquando perdicem quinquaginta drachmis iussisset emi cuidam detestanti luxum in philosopho : Et tu , inquit Aristippus , si obolo venalis esset,non emeres? Quum is respondisset,se empturum:Et mihi,inquit,tanti sunt quinquaginta drachmæ. Quod ille luxus nomine damnabat,hic detorsit in contemptæ pecuniæ laudem.Ibidem.

ÆSOPI tragœdi filius tanta fuit prodigalitate , vt vniones aceto liquefactos cœnis apponeret.Horat. lib.2. Serm. Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,Scilicet vt decies solidum exsorberet, aceto diluit insignem baccam.Volat.lib.13.cap.3.ex Plin.

CÆSAR Borgia, Alexandri VI. pontificis filius, quotidianis epulis ducentos aureos dicauit.Parasitis vestes duorum millium donauit. Exercitum octo millium hominum viuente patre semper aluit.Rauis.

IN NVPTIIS.

ALEXANDER cùm Darium vicisset, nuptias & sibi & amicis parauit. Erant autem qui vxores ducerẽt, nonaginta, totidémque thalami. Locus verò,in quo recipiebantur & accumbebant , centum habebat mensas, quarum vnaquæque argenteis pedibus nitebatur, ipsius verò aureis : & omnes purpureis stragulis erant ornatæ, variáq; veste texturæ barbaricæ & preciosissimæ. Recepit etiam in conuiuium peregrinos hospites,quos sibi e regionè accumbere iussit.In aula verò conuiuia agitabant copiæ pedestres & nauales,equites,legationes & peregrini Græci:atque ante cœnam tubis dabatur signum , quo conuocarentur , si ad mensam veniendi tempus esset:alterum verò,quo surgerent ab epulis. Quinque dies integros & continuos ordine,nuptiales epulas celebrauit.Aduenerunt etiam musici & histriones,tam comici quàm tragici permulti. Aderant insuper circulatores mirifici ex India , quod genus reliquis ferè cęterarum nationum præstare videbatur Ælian.lib.8.de Var.hist.

DEMADES Atheniensis ditissimus, accusatus est , quòd in filij sui nuptiis regium,magis,quàm honesto ciue dignum splẽdorem adhibuerit. Decet in primis esse sui ipsius memorem. Pontanus cap. 16. de Magnificentia.

Galeatius,filius Ioannis Galeatij,primi Insubrium ducis,in filię nuptiis (quibus interfuit Petrarcha) ad centum millia nummûm erogasse fertur Rauis.

IN MVNERIBVS PVBLICIS CON- *giariis & Donatiuis.*

Apud Romanos, corrupta iam viuendi disciplina, congiarium populo, donatiuum militi à principibus dabatur, vt & magnificentiam suam testarentur,& illorum sibi animos ratione hac reconciliarent.Pont.cap.15. de Magnificentia . Atque hoc annuum plerunque homines clarissimi & summis honoribus functi, pro officio & clientela velut stipendium capiebant.Alex.lib.5.cap.24.

ANCVS *Martius rex,salis modia sex millia congiarium* populo erogasse fertur:ex quo tantùm quisque ferebat, quantum in singulorum capita descriptum erat, ab vndecimo ætatis anno.Alexand.ab Alex.libro 5. cap.24.

Tuditanus patrimonium populo diripiendum sparsit.Rauis.

Cornelius Cethegus in cõsulatu, mustum rutatum populo dedit.Alex. ab Alex.lib.5.cap.24.

CATO iunior nouo more tribuit sportulas: Græcis ex tritico, raphano, blito & apio: Romanis autem vini amphoras, carnes porcinas, ficus, & lignorum fasces.Ibidem.

C.IVL. Cæsar ad conciliandum populi fauorem , frumentum viritim dedit, ternos modios,& totidẽ olei libras : trecenos quoque numos singulis,& centenos pro mora.Moriens singulis drachmas 75.dari curauit. Ibidem.& Pont.cap.42.de Lib.

OCTAVIVS Augustus frumentum plebi gratuitum & menstruum dedit. Idem quoque *tricenos* & quadragenos, nonnunquam singulis quinquagenos & ducentos numos largitus fuit, & ne minores quidem pueros prętеriit.Ibidem.

Tiberius trecentenos viritim numos dedit,& prandium mille mensis. Ibidem.

NERO Imperator plebi congiarium quadragenos numos viritim dedit.Ibidem.

IDEM Romanorum imperator editis in vrbe spectaculis magno apparatu, magnificentissima quęque & lautissima, quibus homines vescuntur, cęteráque omnia preciosissima, equos, mancipia, vehicula, argentum, vestem diuersi generis in signis & notis quibusdam dabat.Iaciebat enim ad plebem paruos globos inscriptos, tanquam in singulis eorum aliquid inesset:& vt quisque signum collegerat, ita ei largiebatur . Xiphilinus in eius vita.

Traianus imperator, cùm congiarium populo daret, infantes quoque

ad ſportulas admiſit.Alex.ab Alex.lib.4.cap.24.

ADRIANVS nouo more aromata, balſama & crocum in congiario populo dedit.Ibidem.

DOMITIANVS cōgiarium populo numorum c c c.ter dedit, & inter ſpectacula muneris largiſſimum epulum. Septimontiali ſacrorum die ſenatui & equitibus panaria & ſportellas cum obſonio diſtribuit. Sparſit & dona miſſilia in populum.Multa opera incendio abſumpta reſtituit, vt Capitolium. Excitauit ædem in Capitolio cuſtodi Ioui, & forum.

M.ANTONIVS Romanorum imperator, ex Africa Romam rediens, octo aureos in cœnam viritim dedit, quantam ſummam antea nunquam acceperant Romani:quibus confectis rebus, remiſit id quod fiſco ærarióue publico debebant, ab annis quadraginta, abſque ſedecim annis Adriani: iuſſitque ſyngraphas omnes ſcriptas de iis rebus in foro comburi.Pecuniam multis ciuitatibus largitus eſt, in quarum numero Smyrna, quæ ingenti terræmotu quaſſata fuerat.Xiphilinus.

COMMODVS imperator ſingulis denarios ſeptingenos vicenos qui nos dedit.Alex.ab Alex.lib.5.cap.24.

SEVERVS Romanorūm imperator, poſtquam attigit decennium ſui principatus, congiario populo prætorianiſque militibus dato, eis tot aureos, quot annos imperauerat, dedit. Quam ob cauſam ibi mirum in modum placebat, cùm nemo vnquam ſimul tantundem eis dediſſet.Cōſumpta ſunt enim in ea largitione aureorum vicies centena millia. Xiphilinus in Seuero.

AVRELIANVS Auguſtus(cuius illud dictum perulgatum eſt, Populo Romano ſaturo nil eſſe lætius)ter populo congiarium dedit ad oleū & panem.addidit etiam porcinam & tunicas albas manicatas, item alteras tunicas ex Afro & Ægyptio lino, adhæc oraria quibus populus vteretur ad fauorem.Pont.cap.15.de Magnificentia.

IDEM ad Parthicum profecturus bellum, cùm bilibres coronas ſingulis promiſiſſet, & aureas populus expectaret, ſiligineas dedit nouo genere panis, quo deinceps vſi fuere:qui tamen populo vniuerſo panem, oleum & ſuillam carnem poſtea diuiſit: vinúmque dare ſtatuerat, niſi morte præuentus fuiſſet.Alex.ab Alex.lib.5.cap.24.

ALEXANDER Seuerus ter militibus donatiuum dedit, item populo congiarium, in quo carnem quoque diſtribuit vix antea præberi ſolitā. Pont.cap.15.de Magnificentia.

ALPHONSVS x.rex Hiſpaniæ, in nuptiis filij ſui & Blanchæ, diui Ludouici filiæ, congiarium populo dedit, & pauperes veſtimentis viritim ornauit, Imperatorem Cōſtātinopolitanum à Soldano captum ingenti redemit pecunia.

IN MVNERIBVS PRIVATIS.

In priuatis muneribus vel magnitudo prodigalitatem continet, vel certè, ſi munus per ſe magnum non ſit, attamen ratione perſonarum excedit: ſiue reſpectu dātis, qui maiora quàm facultates eius ferant tribuit: ſiue accipientis, cui propter inhoneſtas cauſas tribuitur. Cuius rei exempla quædam petes ex tit. Iniuſtitiæ munera indignis collata, vt meretricibus, proditoribus, ſcurris, ſicariis, &c.

ALEXANDER Macedo Promachum bibaciſſimum hominem, victorem in vini certamine, aurea corona donauit.Curtius.

CALLIAS fuit quidam, qui conſectandis meretricibus vniuerſum dilapidauit patrimonium.Hinc per iocum dicebatur à ſcortis deplumatus.Rauiſ.

DEMETRIVS Antigoni & Stratonites filius CCL.talenta ſcortis dari iuſſit.Plut.

LONGINVS vna domo mulieris vnicum congreſſum emere ſolitus erat:vt habetur in lege ſecunda, & in lege Mercalem.C.de con.ob turp.cau.Guido Bitur.

SIGISMVNDVS Auguſtus Burram Hiſpanum, celebrem ſcurram, quodam in conuiuio argento onerauit adeò, vt ſub pondere deficeret. Pont.cap.16.de Liberalitate.

FREDEGVNDA Hiſpaniæ regis filia, duos audacis & ad omnia parati iuuenes animi comparauit, oneratóſque promiſſorum ſpe & præſenti largitione, in hoſtium caſtra ſubmittit, vt Sigisbertum Clotarij Francorum regis filium improuidè agentem interficiant.Michael Ritius libr.1. de Francorum regibus.

IANVARII & quorundam aliorum iniuſtam liberalitatem, hoc eſt prodigalitatem, pete ex tit.Teſtamenta iurè reſciſſa.

COMES olim Fuxi, in Cataloniam profectus, vt erat homo liberalis, turba petentium obſeſſus, nihil ſibi reliquerat præter mulam, quam ponderoſus ſenex equitabat.Reditum paranti non defuit, qui calcaria inſuper precibus extorquere niteretur.At ille protento pede ſubridens: Accipe, inquit, modò mihi aliquem expedias, qui mulam meam Fuxum vſque ſolliciter.Petrarcha de iocis.

IN ANIMALIVM BRVTORVM ALI- *mentis, ornatu, exequiis, ſepulchris.*

Diodorus Siculus ſuo tempore QVENDAM fuiſſe ſcribit, qui in animalium ſepulturas haud minus centum talentis contulerit.Diod.li.2.ca.2.de Rebus antiquis.

CIMON & XANTIPPVS equos & canes parentis affectu luxerūt, & tumulo honorarunt. Namque Cimon Athenienſis equabus, quibus tertiùm vicerat in Olympico certamine, ſepulchrum ſtatuendum prope ſuum monumentum curauit.Pontanus cap.36.de Liberalitate.& Alex.li.6.cap.14.

ALEXANDER Magnus Bucephalo ſuo duxit exequias, & vrbem illius nomine conſtruxit.Plin.lib.8.cap.42.

AGRIGENTINI equis ſepulchra & pyramides erexêre.Plin.lib.8.cap.42.

AVGVSTVS equo ſuo ſepulchrum inſtituit.

C.IVLII Cæſaris monſtrorum omnium monſtruoſiſſimus ſonipes, ante Veneris ædem marmorea fuit effigie conſecratus. Plin.libro octauo, cap.42.

ANTONINVS Verus, equo ſuo viuenti ſimulachrum aureum fieri iuſſit, & mortuo ſepulturam.Author eſt Petrarcha.

C.CALIGVLA equorum omnium fuit ſtudioſiſſimus. Vnum autem equum, quem velociſſimum nominabat, inuitauit ſemel ad cœnam, ita vt ei hordeum ex auro apponeret, funderétque vinum in poculis aureis ad potum.Xiphilinus.

IDEM Caligula adeò amauit equum, vt ſe eum conſulem facturum polliceretur:quod omnino etiam feciſſet, ſi vixiſſet diutius.Idem.

IDEM cum poſt infinita crudelia nefandáque facinora ſeipſe ſacerdotem feciſſet, equum collegam in ſacerdotio deſignauit.Ibidem.

NERO Romanorum imperator, in primis curſu & certaminibus equorum delectabatur:ita vt ob eam cauſam inſignes equos victores, & iam ſenio confectos ſtola forenſi, non ſecus ac homines ornaret: eóſque honeſtabat pecunia ſtipendij loco. Xiphilinus in Nerone.

ADRIANVS Romanorum imperator, Boryſtheni equo, quo libenter in venationibus vtebatur, mortuo, monumentum ædificauit: erexitq; columnam, inſcripto epigrammate.Dion & Xiphilinus.

COMMODVS Praſino equo mortuo, ſepulchrum in Vaticano fecit. Alex.ab Alex.lib.6.cap.14.

ÆGYPTII cùm felis, aut ibis, aut cornix, aut quoduis aliud animal moritur, cuius ſuperſtitioni addicti ſunt, ſindone contectum, & ſale atq; aromatibus deliburum animal ſepeliunt, Alex.ab Alex.li.6.cap.14.Diod. Sic.lib.2.cap.2.de Rebus antiq.

IIDEM ſacrum taurum, quem vocant Apim, publicè lugent: magnificéque ſepultum, quærunt ad id delecti ſacerdotes vitulum priori perſimilem:quo inuento, populus luctui demum finem imponit.Poſt Alexandri obitum boue in Memphi ex ſenecta mortuo, is qui illius nutriendi curam cæperat, pecuniam, quæ in eius ſumptum data erat, permagnam, ac inſuper quinquaginta talenta argenti mutuo à Ptolemæo Lago ſumpta, in eius ſepulturam impendit. Diodor.Sic. libr. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

LACIDI philoſopho anſer ita adhæſiſſe fertur, vt nec domi nec foris ab eo diſcederet: quem elatum funere, effuſis lachrymis ſepeliuit. Ibidem.

POLIARCHVM ferunt ad eam molliciem perueniſſe, vt canes etiā & gallos, ſi quibus delectatus fuiſſet, mortuos efferret publicè: & amicos ſuos conuocaret ad funus, ſplendidéque eos ſepeliret: atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum inſculpebat. Ælian.lib.8.de Varia hiſt.

CORVVS fuit Romæ docilis admodum, qui è cortina, vbi curioſius alebatur, in publicum euolans, Tiberium Cæſarem, Druſum & Germanicum, totum denique Romanum populum nominatim ſalutauit: tanta plebis gratia, tantóque ſingulorum fauore, vt cùm eum vicinus quiſpiā, vel inuidia, vel ira motus, occidiſſet, occiſor ipſe primùm ex ea vicinia pulſus fuit, demum à populo interfectus.Ea populi Romani fuit in coruum amicitia.Coruus autem operoſis exequiis & ſolenni funere elatus à duobus Æthiopibus, præeunte tibicine, traditus eſt ſepulturæ. Author eſt Plin.lib.10.cap.43.

ALPHONSVS, qui ex Aragonum gente primus Neapoli regnauit, incredibile ſtudium in alendis ad venatum canibus, & ad aucupium alitibus adhibuit, vt mille circiter pondo auri in portentoſum illum apparatum quotannis(vt ſæpe fando audiui)inſumeret.Sab.lib.8.cap.7.

PRODIGALITAS EN ΛΗΨΕΙ.

Valde affinis eſt hæc ſpecies Liberalitati ἐν λήψει, niſi quòd Prodigalitas, neque id quod honeſtè poterat & debebat, accipit: at Liberalitas, vt inhoneſtam acceptionem fugit, ita honeſtè & ea quæ meretur non modo non reſpuit, ſed ea libenter etiam accipit, & liberalis officio ſeſe in hoc ipſo fungi exiſtimat.

PRODIGALITAS EN ΦΥΛΑΚΗ.

QVI

QVI SVA VARIO LVXV ABSVMVNT, CVIVS VOLVPTAS *vel ad ſe, vel ad alios pertingat. Nepotes & decoctores.*

Vide tit. Prodigalitatis in genere. Omnia denique Prodigalitatis exempla ἐν δαπάνῃ καὶ δόσει huc referri poſſunt: quatenus ſcilicet ille qui nimium dat, ſua non cuſtodit, ſed profundit, abſumit, atque perdit.

QVI BONA SVA STVLTE PERDVNT, VT NEC AD SE, *nec ad alios, fructus aliquis inde perueniat.*

CRATO philoſophus, dum Epheſi contemnendarum opum ederet ſpectaculum, gemmas immodicæ æſtimationis contundens, à Ioanne apoſtolo reprehenſus fuit.Nam ſi pietati magis quàm gloriæ ſtuduiſſet, nunquam profectò illas contriuiſſet:ſed potius venditarum precio indigentibus ſuccurriſſet.Quam quidem ſententiam & ipſe poſtea eſt ſecutus.Lapillis quippe ab Apoſtolo priſtinæ integritati reſtitutis, miraculo ad fidem Chriſti conuerſus, quod ad ſuam ipſe iactantiam inſtituerat, ad proximorum vertit vſum:iam ſatis edoctus, ſapientiā huius mundi ſtultitiam eſſe apud Deum.Marul.lib.1.cap.2.

VARIVS Heliogabalus naues diuitiis onuſtas mergi iuſſit: magni animi ducens, contemnere bona fortunæ.Pont.cap.3.De magnificentia.

VITIVM IN DEFECTV. AVARICIA.

Ἀνελευθερότητα, quæ Liberalitati opponitur, & μικροπρέπειαν quæ Magnificentiæ contraria eſt, hîc complectimur, quia non habitu, ſed ſubiecti tantùm accidente inter ſe differunt. Quot autem Liberalitatis ſunt ſpecies, totidem quoque Auariciæ. Exempla plurima ex tit. Auariciæ pœna, petantur.

AVARICIA IN GENERE. QVI VARIIS AVARICIÆ *ſpeciebus obnoxij fuerunt.*

Eſt Ariſtophanis poetarum faceti ſſimi Comœdia, cui titulus ἱππεῖς, id eſt Equites.in ea CLEON proſcinditur in hunc modum:

τὼ χεῖρ' ἐν αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν κλωπιδῶν.

Quid verò ſit in Ætolis manum habere, interpretes explicant: & meminit Euſtathius, in ſordis extremæ hominem, ſempérque in petendo paratum, ac nil niſi rapinas meditātem, dici conſueuiſſe. Ioci autem gratia, ex verbi Græci notione conſurgit:nam αἰτεῖν petere ſignat.Quod verò inſertur, in Clopidis fuiſſe mentem, vrbaniſſimè item in depeculatorem pronunciatur, quando κλωπᾶν furtum ſignificat. Vrbanitas verò elicitur inde, quia Clopidæ in Leontide recenſebātur tribu. Dum ergo ſignari loca videntur, mores impoſtoris ac nepharij hominis citius occultiúſque reteguntur, comicóque inſperguntur felle.Faciunt ad hæc, quæ apud Athenæum legimus obſeruata:Ætolicum fuiſſe, rapere.Cœl.lib 11. cap.21.

C.IVL. Cæſar in Hiſpania à proconſule & à ſociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni. Et Luſitanorum quædam oppida, quanquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas pateſacerēt, diripuit hoſtiliter.Templa deûm donis referta expilauit:vrbes diruit ſæpius ob prædam, quàm ob delictum. In primo conſulatu M M M. pondo auri furatus eſt è Capitolio.Societates & regna precio dedit. Sex millia talentorum ſuo & Pompeij nomine Ptolemæo abſtulit.

Diogenes ANAXIMENIS ſeruos conſpicatus multa vaſa ferentes, cuius ea eſſent interrogauit. Cum autem illi, Anaximenis eſſe, reſpondiſſent: Annon pudet eum, inquit, tam multa habere, cum ſeipſum non habeat? Voluit autem indicare, hominem auarum eſſe extra ſeipſum. Maximus ſerm.12.

Tiberius Cæſar occidit Cn.Lentulum augurem, patricio genere, vitęq; modeſtia ac virtute inſignem, poſteaquam is eum hæredem ſcripſerat. Veneficij Lepidam fœminam innocentiſſimam condemnauit, vt Quirino diti atque orbo morem gereret: fretus ob nauatam eam operam, ſe eius futurum hęredem. Vononum quoque Parthū, qui per ſeditionem regno pulſus, ad eum confugerat, poſteaquam opib.ſpoliauit, quas ingentes attulerat, interemit. Fulg.lib.9.cap.4.

C.CALIGVLA poſt immenſas profuſiones ad auariciam atque rapinas conuerſus, teſtatores, vt ipſum hæredem ſcriberent, cogebat: quos poſtea, ſi ſuperuixiſſent, veneno tollebat: ridendos ducens, quòd condito teſtamento ſuperuiuerent.Superante demum cupiditate atque auaricia, fœminarum mariúmque lupanar in palatio condidit:ac miſit, qui per vrbem curſitantes, obuios, vt fructuoſum vectigal principi redderent, inuitarent.Coacta igitur ex eo vectigali ingenti pecunia, in ea nudum ſe prouoluebat, vt auri auiditatem expleret.Fulgoſ.lib.9.cap.4.

Sororum quoque ornamenta, & ſuppellectilem, & ſeruos magno precio vēdidit. Vectigalia noua & inaudita exercuit, nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret, Pro eduliis (quæ tota vrbe vænibant) certum ſtatúmque exigebat.Ibidem.

Nero Romanorum imperator theſauros ſuos omnes quos habebat in thalamo regio ita exhauſit, vt ei ſtatim opus fuerit nouis reditibus. Itaq; non ſolùm exegit noua vectigalia, ſed etiam inhiauit locupletum facultatibus, quas per iniuriam abſtulit à multis: eorúmque multos occidit. Xiphilinus Dionis abbreuiator in eius vita.

IDEM tabernulas effringebat & expilabat: calumniis & rapinis intēdebat. Matronam purpura cultam, veſte & bonis omnibus exuit: templis compluribus dona detraxit:ſimulachra ex auro vel argento fabricata conflauit.Rauiſ.

SERGIVS Galba ciuitates Hiſpaniarum & Galliarum, quę cunctantius fecerant deditionem, grauioribus tributis puniuit: Iouis coronā auream librarum x v conflauit: milites aquilam & ſigna flagitantes decimauit:Germanorum cohortem, à Cęſaribus ad cuſtodiam corporis inſtitutam, diſſoluit, & ſine vllo commodo remiſit in patriam. Appoſita lautiore cœna, ingemuit, quaſi ſumptum ęgrè ferens.Ordinario diſpenſatori breuiarium rationum offerēti, nihil pręter paropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexit.Idem.

VESPASIANVS imperator, & ſi aliorum principum ſcelere effectum eſt, vt inter bonos annumeretur:tamen haud mediocriter auaricia laborauit.Nam cum ab amicis reprehēderetur, quòd rapaces homines in prouincias, atque ad obeunda publica munia mitteret: reſpondebat, His ſe tanquam ſpōgia vti:quia rapinis locupletatos, ipſe poſtea ſpoliaret.Fulg. lib.9.cap.4.

IDEM filio Tito reprehendenti, quòd è viliſſimis rebus cogere pecuniam non omitteret, dixit:Vt follem pecunia plenum, quem à procuratoribus allatum, tunc ante ſe habebat, olfaceret, experiretúrque quidnā oleret:& reſpondente Tito, Grauem nullum inde odorem ſentiri: ridens dixit, Atqui hoc lotium eſt: nam ex vrinę vectigali hęc pecunia confecta eſt.Non animaduertit, vrinę fœtorem, cui auaricia eſſet coniuncta, etſi naſum non lęderet, famam tamen denigrare.Ibidem.

IDEM omiſſa ſub Galba vectigalia reuocauit. Noua etiam & grauia addidit, & auxit tributa prouinciis:nonnullis etiam duplicauit Auiditate lucri negociationes, vel priuato homini pudendas, palàm exercuit.Candidatis honores, reis abſolutiones venditauit.Rauiſ.

PERENNIVS militaris diſciplinæ periti ſſimus, auariciç vitio fuit execrabilis:in quo, ſicuti refert Herodianus Grçcus, fuit inexhauſta diuitiarum ſitis:nihilque pendens quæ acquiſierat, nouis ſemper lucris inhiabat.

DIDIVS IVLIANVS imperator, Iuliani iureconſulti nepos, propter auariciā odioſus populo, deſertus ab omnibus, imperióque priuatus, in palatio tandem occiditur.Guido Bitur.

MAVRICIVS genere Cappadox, & ſucceſſor in Romano Imperio Tiberij ſoceri, cùm auariſſimus eſſet, nec pecunia vllo modo expleri poſſet, à Phoca centurione limitis Scythici captus, & ſecuri percuſſus eſt. Volat. lib.23.Anthrop.

Phocas cùm poſt Mauricium in Imperatorem lectus eſſet, & omnibus auariciç morbo laborare videretur, omnibus primùm contumeliis affectus è medio ſublatus eſt, cum imperaſſet annos 13.Ibidem.

Iuſtinus minor Iuſtiniani ex filia nepos, patre Illyricę gentis, Sophiam coniugem habuit, cuius hortatu ab initio liberalis viſus, verùm poſtea auariſſimus euaſit.Ibidem.

CONSTANS tertius, Phocæ imperatoris ex Conſtantio maiore natu filio nepos, ex Grçcia ad vrbem Romam profectus, omnibus ſacris prophaniſque locis ſpoliatis, quinque diebus, quibus in ea vrbe manſit, tantum ſtatuarum ac reliquorum ornamentorum inde abſtulit, quantum antea omnes Barbari, qui vrbem Romam diripuerant, non abſtulerunt: adeóque acerbè populos imperio parentes, pręſertim Siculos grauibus tributis preſſit, vt multi vendere filios cogerentur.Is cùm in Sicilia à militibus ſuis interfectus eſſet, Sarraceni, qui per id tempus in Sicilia Panhormum vrbem occuparant, in Aphricam omnes Conſtantis rapinas deuexerunt:atque id ei contigit, quod plerunque auaris ſolet, vt opum quas rapinis congeſſerunt, illi poſſeſſores fiant, quos minimè arbitrabātur, ac penes raptorem auarúmque infamia ac crimen maneat: cùm alij recto Dei iudicio, rapinarum commodō ac voluptate perfruantur. Fulg. libro nono, capite quarto.

AVARICIA EN ΔΑΠΑΝΗ. SORDITIES PROPRIE, *in faciendis quibusuis sumptibus.*

PATROCLVM quendam taxauit Aristophanes, quòd in summa rerum opulentia sordidè & immundè viueret, ne faceret sumptum.

VNIDII auariciam describit Horat. lib.1.Serm.dicens:

Vnidius quidam (non longa est fabula) diues
Vt metiretur nummos, ita sordidus vt se
Non vnquam melius seruo vestiret, adusque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat: at hunc liberta securi
Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.

TIBERIVS Cæsar fuit adeò parcus, & tenax pecuniæ, vt comites expeditionum & peregrinationum cibariis tantùm iuuerit, non salario. Rauis.

ÆLIVS Pertinax imperator, dimidiatas lactucas aut carduos conuiuiis solebat apponere. Et si quid interdum vellet amicis mittere, binas tantùm offulas, aut paucula mittebat poma: aut si quando lautius vellet facere, dabat lumbos gallinaceos. Rauis.

Iunius Bassus, querente DOMITIA Bassiani, quòd taxans eius sordes, calceos eam veteres diceret vendere consueuisse: Non mehercules, inquit, hoc vnquam dixi: sed dixi, emere te solere. Bruson.lib.1.cap.1.

DIDIVS Iulianus porcellum leporémue dono ad se missum, in triduanas partiebatur cœnas: sæpe etiam, cùm nulla religio, aut abstinendi causa subesset, leguminibus oleribúsque solus contentus cœnaret. Pont. lib. de Liberalitate, cap.6. & Volat.lib.23.

MARTINVS pontifex auariciæ deditus instituit, vt crudi familiaribus pisces à dispensatore in sportula traderentur, quos antea coctos præberi mos esset. Vnde hodie quoque decantatur familiaris cuiusdam eius versiculus:

Vnusquisque suam digitis contrectat arengam.

Pontanus de Liberalitate, cap.7.

IDEM clanculum cereos extinguebat, qui diuersis basilicæ locis succensi à ministris essent, nocturni luminis gratia. Ibidem.

ANGELOTTVS sacerdos cardinalis, particulam hordei à singulis equis clàm subducebat ex ipsis præsepibus, secreto quodam aditu ad stabulum facto. Tandem à magistro stabuli pro fure deprehensus in tenebris, vapulauit. Pont.lib. de Liberalitate, cap.7.

IDEM cùm nimis tenacem se erga suos præberet, à famulo, quem cubiculi curam habere iusserat, iugulatus est. Pont.in lib.de Principe.

AVARICIA EN ΔΟΣΕΙ.

QVI NIHIL DANT, VEL MINVS QVAM OPORTET. TENACITAS *propriè.*

Religiosa.

DIVES ille purpuratus, quia luxuriæ suæ deditus, Lazari pro foribus iacentis non respexit ærumnas: impietatis pœnas tulit, sepultus in inferno. Et qui dudum panis micas de mensa cadentes non concesserat mendicanti: nec ipse postea in igne positus, vel vnam aquæ guttulam, qua linguam refrigeraret, potuit impetrare. Quoniam sine misericordia iudicium fiet illi, qui non facit misericordiam: & qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Marul.lib. 1. capite 2.

PETRI Constantinopolitani telonarij illiberalitatem erga pauperes, pete ex tit. Liberalitatis religiosæ.

SABINIANO pontifice Maximo sedente, pauper quidam, cùm à nautis eleemosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero: Desiste eleemosynam petere à nobis, qui nihil hic præter lapides habemus: cùm subiecisset pauper, Omnia ergo vertantur in lapides: quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, forma rerum earundem permanente. Sigebertus in Chronicis.

DONATELLVS Florentinus, statuarius egregius, homuncio non inurbanus, cùm importunè mendicanti stipem obtulisset, & ille diis acceptam diceret, tùc ipse: Non diis, inquit, sed tuæ importunitati, ne me efflagitando occideres. Quo voluit innuere, tum importunè petentium, tum indignorum hominum rationem habendam esse. Pontan.de liberalitate, capite vigesimosecundo.

ETHICA.

Consule etiam titulum Perfidiæ in contractibus. Item, Astu stipendia denegare.

NABAL erga Dauidem regem nimis tenax, cùm opibus vitam ferè amisit, nisi Abigail eius vxor prudens iratum regis animum muneribus leniuisset. 1.Reg.25.

ALCINOE Polybi Corinthij filia, vxor Amphilochi Dryantis, ob amorem Lamij cuiusdam hospitis, Xanthi nomine, insaniuit: irata ei Minerua, quòd à se mercede conductam mulierculam artis texendi doctã Nicandram, quæ totum annum in eius opere fuerat, postremùm ædibus expulisset, neque integram mercedem persoluisset. In tantam autem insaniam venit, vt relicta domo & filiis nuper genitis, naue abiret vnà cum Xantho. In medio cursu quum rem altius memoria repeteret, multas lachrymas profudit: ac inclamauit nunc quidem iuuenem domi maritum, nunc etiam natos. Ad finem verò Xantho multa promittente, ac se eam pro vxore habiturum spondente: illa nullis verbis placata, seipsam præcipitauit in mare. Parthen.de Ama.cap.27.

OCHVS rex Persarum auariciæ nota adeò laborauit, vt vrbem nunquam ingrederetur, ne mulieribus congiarium impertiretur. Nam Cyrus lege sanxerat, vt vbi primùm Persarum rex ingrederetur, mulieres quotquot adessent, singulos auri numos ab ipso rege acciperent. Rauis.

ZENO Citticus, vbi iam in philosophicis aliquantulum profecisset, non tamen contentus esse voluit: sed ad Polemonem, vt in Dialecticis exerceretur, commeabat. Vnde Polemon dicere solitus est, Sat scio, ô Zeno, te per posticum irrepere, & furari dogmata, quibus Phœnicũ more indutus es. Notauit hoc dicto Zenonem, qui furtim & gratis à præceptore discere volebat, vt aliis postea multa mercede venderet. Laert. lib. 7. cap.1.

QVIDAM cum Aristippo agebat, vt filium suum susciperet erudiendum. Sed quum philosophus pro mercede peteret quingẽtas drachmas, alter deterritus magnitudine precij: Minoris, inquit, emerem mancipiũ. At hic inquit: Habebis duo. Sensit, eadem pecunia illum sibi paraturum & philosophum vtilem, & filium obsequentem. Laertius.

PERSA vltimus Macedonum rex, à Paulo Æmylio superatus ac captus: à reliquis militibus desertus, paulo antequam caperetur, magnarũ promissionũ spe paucos quosdã Cretenses secum retinuit: promissionũ pignus fuére data aliquot aurea vasa. Cùm autem Cretensium præsidio, in tuta se loca recepisset, pollicitus se pecuniam daturum, vasa à Cretensibus recepit, & cum vasis pecuniam quoque retinuit. Itaque ab ipsis etiã Cretensibus destitutus, cùm nullo alio quàm auro comite in Samothraciam profugisset, ab Æmylio captus, Romam in triumphum perductus fuit. Fulg.lib.9.cap.4.

Cum Tigranem Armeniæ regem Pompeius deuicisset, & is ab eodem Pompeio in regna, quæ antè possederat, restitutus, in Romana castra ad salutandum Pompeium venisset, maiore natu filiorum prosequente, à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus, post epulas Pompeio totíque exercitui ingentia muneta contulit. Cùm postea FILIVS quoque inuitatus esset, respondente eo, tanti se cœnam emere nolle: indignatus Pompeius, custodiri eum iussit, ac Romam in triumphum duxit. Ibidem.

VESPASIANVM Imperatorem rusticus quidam (quoniam gratuitam libertatem suppliciter petens à Cæsare, repulsus erat) non veritus est clarè reprehendere, dicens: Vulpes pilos mutat, non mores. exprobrans illi naturæ rapacitatem: quasi mercede data cõcessurus fuisset, quod gratuitò negabat. Roterod.lib.6.Apoph.

HERACLIVS stipendio Saracenos fraudat. Is dolus orientis imperium ei extorsit. Vide tit. Oracula non intellecta.

INHOSPITALITAS AVARA.

HOSPITIVM DENEGARE. HOSPITES NON SVSCIPERE.

Inhospitalitas sui ambitu duo vitia comprehendit, Illiberalitatem videlicet ἐν δόσει simul & δαπάνῃ, atque Morositatem siue inciuilitatem in conuersando. Prioris rationem hoc in loco tantùm habemus: posterioris exempla infrà Libro decimo afferentur, vbi de Odio peregrinorum agetur. Conueniunt duo isti loci in genere, quoniam inhospitales sunt: differunt ratione principij, quoniam hic ob auariciam, ne sumptus facere cogantur, & propterea Auara inhospitalitas appellatur: illic propter morositatem, & preregrinorum odium. Proinde nemini mirum videatur, Inhospitalitatem in diuersis locis tractari. Potest quinetiam ad Iniustitiam referri, quatenus fidem hospiti non seruat.

Petiit

Petiit Moyses à Rege Edom: Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam: non ibimus per agros, non per vineas, nec bibemus aquas de puteis. At is valde illiberaliter negauit. Num.20. Idẽ accidit de SEON rege Amorrhæorum. Sed quia noluit concedere pauca, amisit multa. Num.21.

Gedeon petiit à viris SOCHOT & Phanuel, panes pro commilitonibus fatigatis, qui dare renuerunt. Sed malè accidit eis. Iudic.8.

In GABAA Beniamin, non inuenit locum Leuites, qui eum hospitio reciperet, nisi quendam senem de opere venientem. Iudic.19.

Superstitiosus apud HEBRÆOS mos tenuit, omne alterius gentis commercium & affinitatem auersari, vt ne viam quidem aberrãtibus, nisi suis, aut fontem sitientibus monstrare fas esset. Sab.lib.6.cap.1.

In ÆGYPTO apud Busirim & Cynospolim hospites non diuertebãt, neque admittebantur peregrini: sed ex eorum finibus pellebantur. Alex. ab Alex.lib.4.cap.10.

HOSPITES SVSCEPTOS SORDIDÈ *tractare.*

Cum AMICVS quidam hospiti in phiditiis nihil apposuisset nisi vinum nigrum, & panem igni duratum, succensuit homini Cleomenes, dicens: Erga peregrinos non oportere nimium λακωνίζειν. Seueritas est, si quis à seipso exigat victum duriorem: at inhumanitatis est, hospitem eodem compellere. Plut.in Laconicis.

DARE, SED CVM FOENERATIONE BENEFICII, SIVE *spe maioris talionis.*

Huc referantur pleraque exempla ex tit. Munerum corruptela. Nam vbi est corruptus, illic etiam corruptor. In corrupto præsens spectatur auaricia: at in corrumpente absens, siue futura.

Cùm vidisset SIMON, per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem. Actor.8. Ab eo postea omnes qui sacras dignitates pecunia mercantur, SIMONIACI sunt appellati.

Menelaus per argentum, quod promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium. Demùm per vasa aurea, de templo furtiuè ablata, quæ dedit Andronico, fecit Oniam occidi. Tandem accusatus apud regem Ptolemæum, corrupit eum per pecuniam: & contra accusatores fecit ferri mortis sententiam. 2.Machab.4.

ALCIMVS accedens Demetrium regem, accusauit Iudam Machabęum in multis: deinde obtulit regi coronam auream, & alia dona infinita: quibus effecit, vt summum sacerdotium acquireret. 1. Machab.7. & 2. Machab.4.

Lycurgus, donato singulis magistratibus talento, rex Spartæ creatus est. Alex.ab Alex.lib.3.cap.17,

PHILIPPI regis Macedonum, auara magis quàm liberalia dona vulgo celebrantur, quibus paulatim Græcarum vrbium libertatem emit. Vnde non temerè dictum illud manauit in populos, Philippi auro Græciam euersam esse. Pont.lib.de Liberal.cap.18.

Q.COPONIVS, quòd vini amphoram ei, cuius suffragio magistratum petebat, dono dedisset, ambitus fuit condemnatus. Alexãd.ab Alex. lib.3.cap.11.

M.CATO Vticensis insimulatus est auariciæ à Cæsare, quum Martiam coniugem Hortensio amico roganti concessisset, eámque postea Hortensij recepisset hæredem: Dimisit, inquit, vt locupletem reciperet.

DIDIVS IVLIANVS Mediolanensis, audiens Pertinacem Romanorum imperatorem à seditiosis militibus iam interfectũ esse, ditissimus omnium, largitionibus viam ad imperium sibi fecit: sciebat enim Romã vnà cum imperio, quasi in foro aut mercatu venalem esse propositam. Emebant igitur Sulpitianus & Iulianus, factis contra se mutuis licitationibus (ille intus, hic foris erat) atque auctione paulatim ab iis facta, eò ventum est, vt singulis militibus ducentos aureos daturos se promitterent. Nam milites vtrinque separatim renunciabant, quantum alter eorũ daret: dicebántque Iuliano, Sulpitianus nobis hanc summam dat, quid tu adiicis: Itémque Sulpitiano: Iulianus nobis tantundem promittit, quid tu præterea polliceris? Potior autem fuisset Sulpitianus: quippe intra castra, & præfectus vrbis erat, priórque ducentos aureos promiserat, nisi Iulianus non sensim amplius, sed simul ad superiores ducentos aureos, alteros quinquaginta adiecisset, eámque summam magno edito clamore in manibus ostendisset: quibus adnumeratis Imperator dictus est à militibus, qui tum temporis omnem potestatem in manibus habebant. Xiphilinus in Iuliano.

AVARICIA EN ΛΗΨΕΙ.

Tertia hæc Auariciæ species est, quam vel αἰσχροκέρδειαν, vel πλεονεξίαν fortasse appellare possemus. Est enim πλεονεξία iniusticiæ species, quatenus plus sibi quàm aliis tribuit: & in genere ad quamuis cupiditatem cuiuius bonorũ referri potest. Sic qui maiores honores aut diuitias appetunt, quàm mereantur, ex Iusticiæ distributiuæ præscripto πλεονεκτεῖν dicuntur. Quatenus verò circa hoc vel illud genus bonorum versatur, hoc est ratione materiæ subiectæ, modò ad Auariciam, modò ad Ambitionem referenda est. Sit ergo hoc in loco nimium acquirendæ pecuniæ studium πλεονεξία, seu φιλαργυρία: quemadmodum prima species, in erogando consistens, ἀνελευθερίοτης & μικροπρέπεια dicebatur, à Latinis propriè Tenacitas. Nam quando eiusdem rei varia sunt vocabula, vel ratione diuersarum specierum, vel diuersorum accidentium imposita fuisse credendum est. Nisi quis tertiam hanc Auariciæ speciem diuidere velit, quòd partim in appetitione auara, partim in acquisitione consistat. Appetitio interna est, & πλεονεξία fortaßis appellari posset, quando vel inhonestas opes & lucra appetunt, & ab aliis petunt: vel honestas diuitias atque munera plus satis expetunt. Acquisitio iam veluti in opus progreditur, eáque propter αἰσχροκέρδεια dici commodè posset, sub qua omnis illicita & inhonesta acquirendarum opum ratio continetur.

APPETITIO, SIVE PETITIO OPVM QVARVMLIBET *auara & impudica.*

Consule titulum Adulatorum, qui lucri spe aliis assentantur.

Philippus Macedo, quum ATHENIENSES, quotquot apud Chæroneam capti fuerant, gratis dimisisset, illi verò etiam vestes stragulásque reposcerent, atque hac de causa Macedones in ius vocarent, risit Philippus, dicens: Quid? nónne videntur Athenienses arbitrari, se à nobis in talorum ludo victos esse? Tam ciuiliter tulit victor victorum ingratitudinem, qui non solum gratias non agerent, quòd ipsi & incolumes & gratis fuissent dimissi: verum etiam criminarentur, quòd non simul & amictus & stragulas redderent, quasi nescirent quale esset ius belli: quasíque nihil aliud esset certare armis, quàm certare talis, qui ludus est puerorum. Plutar. in Apoph.reg.& imper.

ALEXANDER Macedo, cum audisset, Anaxarchum de mundorum infinitate disserentem, illachrymatus est: rogatúsque ab amicis, quam ob causam ad lachrymas moueretur? Annon, inquit, dignum est flere, quum infiniti sint mundi: ego verò dominus vnius vix factus sum? Brusonius lib.1.cap.1.in fine.

Ciuitas quædam vt ab armis ALEXANDRI quietem haberet, obtulit illi partem agrorum, & præterea rerum omnium dimidium. Cui sic respondit: Hoc animo veni in Asiam, non vt acciperem quod dedissetis, sed vt vos haberetis quod reliquissem. Plut.in vita Alexandri.

ARISTIPPVS quondam petiit talẽtum à Dionysio: quúmque rex redarguendi nactus occasionem, diceret: Nónne tu prædicabas, philosophum non egere: Da, inquit, & postea de hoc disputabimus. Cùm accepisset pecuniam: Annon, inquit, rectè dixi, philosophum non egere? Non eget, qui quum opus est, habet vnde accipiat. Laert.lib.2.cap.8.

Adolescens quidam Ponticus pollicebatur se rationem ANTISTHENIS habiturum, si nauis ipsius quæ salsamenta vehebat, appulisset. Antisthenes accepto nouo vase, vnà cum adolescente ibat ad mulierem quæ vendebat farinam: & impleto vase, cœpit onustus discedere. Mulieri verò poscenti farinæ precium, commonstrato adolescente: Hic (inquit) dabit, si nauis cum salsamentis appulerit. Significans, inanes esse in diem pollicitationes, quum farina quotidie sit præsenti pecunia emenda. Laert.li.6. Bruson.lib.2.cap.2.

ARISTIPPVS à Dionysio consputus, patienter tulit. Eam autem iniuriam quum quidam ægrè ferrent: Piscatores, inquit, vt gobium capiant, mari patiuntur aspergi. Bruson.lib.3.ex Laert.lib.2.cap.8.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, spe auri potiundi ad Orœtem profectus, capitur, & in crucem suffigitur. Vide titul. Auariciæ pœna iniusta.

FANNIVS quidam (non ille Lælij gener, hiſtoricus) poeta malus, ſed locuples & abſque liberis. Huius carmina HÆREDIPETÆ in bibliothecis reponebant, & ſtatuas ei ponebant, vt ab eo hæredes ſcriberentur. Gyraldus Dial. 4. Hiſt. poeticæ.

Cum EQVES quidam, Ioannes Calaguritanus nomine, ab hoſtibus captus, & ab iiſdem emiſſus carcere, Alphonſum regem adiiſſet, in ſolatium calamitatis multa poſtulauit ab eo, & impetrauit. Quo digreſſo, rex dixit ad familiares: Diſperam, inquit, ni metui, ne vxorem etiam meam depoſceret eques meus. Panormita lib. 2. de Alphonſi rebus geſtis: & Eraſ. lib. 8. Apoph.

EQVES quidam cùm ſubinde ab Alphonſo Aragonum rege munera peteret, & acciperet, omnia profudit, & alia deinde petiit. Cui rex ait: Si pergam tibi dare quæ petis, citius me pauperem effecero, quã te diuitem. Ibidem.

IACOBVS de Sirck, epiſcopus Treuerenſis, princeps elector, vir induſtrius, ac magni conſilij, ſed multum cupidus, & ad extollendam eccleſiæ ſuæ potentiam nimis attentus, Fridericum Cæſarem apud Nouam ciuitatem cum adiiſſet, & alia atque alia petens impetraſſet, ſed plura tamẽ petendo inſtaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego certè negandi finem facilè inueniam. Quo dicto perquàm lepido improbũ compeſcuit. Æneas Syluius lib. 2. Commentariorum de rebus geſtis Alphonſi.

ACQVISITIO AVARA ET IMPVDICA.

OPES, MVNERA QVÆ AB ALIO PROPTER HONESTAM *cauſam offeruntur, nimium amplecti.*

Miſit rex Babylonis literas & munera ad EZECHIAM. & ſequitur: Lætatus eſt autem Ezechias in aduentu eorum. Sed nota ibi, quomodo diſplicuerit Domino. 4. Reg. 20.

Videns Thryphon IONATHAM veniſſe ad eum cum exercitu multo, timuit eum, & cum honore excepit, munera ei dedit: & hac occaſione decepit eum. Nam remiſſis militibus, ipſum cum paucis retinuit, & occidit. 1. Machab. 12.

SACERDOTES Iudæorum volentes quòd populus frequenter offerret, permittebant vt ea quæ offerri poterant, venderentur in templo. Hac etiam de cauſa dicebatur aurum templi ſanctius eſſe templo: & donum quod erat ſuper altare, maioris eſſe reuerentiæ, quàm ipſum altare. Matth. 23.

MIDAS rex Phrygiæ fuit, cui cùm Bacchus optionem dediſſet petendi à ſe quicquid vellet, auri argentique cupidiſſimus, petiit vt quicquid tangeret aurum fieret. Annuente Baccho, Midas vt rem experiretur, attigit ligna, lapides, poma, & mox omnia erant aurea. Sed cùm cibus & potus quoque aurum fierent, tunc tandem ſenſit, ſe ſtultè petiiſſe: & pœnitens Bacchum orauit, vt hoc munus auferret. Bacchus iuſſit, vt in Pactolo flumine ſeſe lauaret, vt liberaretur. Fabulam pete ex Ouidij lib. 11. Metam. & ex Prouerb. apud Roterodamum, Midę aures quis non habet: & Volat. lib. 17.

ALCMÆON Megaclis filius, quum legatos Crœſi Lydorum regis Delphos ad oraculum proficiſcentes humaniſſimè frequenter accepiſſet, Crœſus vt reſponderet tantæ humanitati, & beneficium reponeret, eum donauit tanto auro, quantum ille corpore ſuo ferre poſſet: Tum Alcmæon talarem tunicam laxóſque cothurnos induit, quos ærarium ingreſſus impleuit pecunia. Quinetiam os referſit, & ramenta quædam alligauit ſuis capillis, adeò vt oneri ſuccumberet. Homine conſpecto, Crœſus erupit in cachinnum, eúmque tanto inſtructum munere dimiſit. autor Herod.

LYSANDER Laced. quum aliquando Dionyſius ipſi miſiſſet ſtolas duas, iubens vt vtram elegiſſet, eam mitteret filiæ. Ipſa, inquit, rectius eliget. atque accepit ambas, & abiit. In hoc exemplo nihil eſt imitandum, nec viro Lacedæmonio dignum: nec aliud ab hoc duce expectandum ferè, preter malicioſam ingenij vaſticiem. Plut. in Laconicis Apoph. Bruſ. lib. 2. cap. 31.

Ei qui pallium à Diogene repetebat, lepidiſſimè reſpondit DIOGENES: Si donaſti, habeo: ſi commodaſti, vtor. ſignificans, ſibi non eſſe in animo reddere, ſiue dono, ſiue commodato accepiſſet. Turpe eſt repoſcere, quod dono dederis: & inhumanum eſt eripere, quo vteti eſt opus. Laert. lib. 6.

GALBA, antequam imperaret, Hiſpaniarum proconſulatum ſub Nerone gerens, cùm ei Tarraconenſis ciuitas dono coronam auream daret, quam ponderis quindecim librarum dixerant eſſe: ſtatim adhibita ſtatera, iuſſit pondus inſpici. Et cùm inueniſſet tribus libris minus, quàm dictum fuerat pondus eſſe, munere, tanquam deberetur, in obligationẽ conuerſo, poſtpoſito pudore, à Tarraconenſibus tres libras, quæ coronæ deerant, exegit. Fulg. lib. 9. cap. 4.

VESPASIANO Imperatori legatis nunciantibus, decretum illi publicè ſtatuam non mediocris ſummæ, Voluit vt eam argenti portionem continuo ponerent. & cauam oſtendens manum: Ecce, inquit, parata baſis. Significans, eam pecuniam, quam in ſtatuam decreuiſſent impendere mortuo, viuo darent in manu, vt oculos inde paſceret. Eraſm. libro 6. Apoph.

Martialis notat auariciæ SALERANVM quendam, qui fingebat ſe triſtari de morte vxoris, quum tamen lætaretur plurimùm, vt ſolus poliretur bonis.

HADRIANO ſophiſtæ miſerat quidam piſces in diſco argenteo, picturato auro: at ille delectatus vaſculo, non remiſit. tantum ei qui miſerat, reſpondit: Bene facis, quòd etiam piſces: quaſi diſcus eſſet dono miſſus, piſces tantum nouitatis gratia additi. Quidam autem dicunt ioco factum, vt caſtigaret diſcipuli vitium, qui ſordidior eſſe dicebatur: nam eo admonito, diſcum reddidit.

Quum eſſet D. Eraſmus Rot. apud Coloniam Agrippinam, Senatus honoris gratia miſit vinum in cantharis teſtaceis, quos repeti mos non eſt. Id admiratus, rogauit cauſam. Reſponſum eſt, olim vinum ſolere mitti cantharis argenteis. Hoc honoris quum eſſet habitum CVIDAM ex eorum numero qui magnam nobilitatis partem exiſtimant rapto viuere poſtridie manè profectus eſt cum argenteis cantharis. Re comperta, miſit ad illum ſenatus, qui cantharos repoſceret. At ille: Vltrò, inquit, dono dediſtis, & ego gratias egi. Hoc caſu admoniti, mutarũt conſuetudinem. Verba ſunt Eraſ. in Apoph.

AVARICIA IN ACQVIRENDO. NIMIVM STVDIVM *in honeſtis etiam opibus parandis.*

PYTHIVS Bithynicus, ciues ſuos omnes in metallis ſodiendis occupatos habebat: idque vnum auri congerendi ſtudium tantopere coluit, vt ob laboris illius magnitudinem interirent plerique. Vnde mulieres agminatim ad Pythij venerunt vxorem, inſtanter orantes, vt huic malo mederetur. Illa ergo adhibitis artificibus, panes & alia id generis edulia ex auro confici præcepit: eáque omnia Pythio parari cœnam poſtulanti, ſtatim appoſuit. Quorum aſpectu delectatus primùm Pythius, poſthęc aliquantiſper ſatiatus, cibos afferri imperauit. Verùm cùm vxor cuncta quæ poſtulabat ex auro concinnata iuberet apponi, & is ira percitus ſeſe clamitaret eſurire, nec amplius auro tunc opus eſſe: reſpõdit mulier prudentiſſimè, Nullius, inquiens, habendæ rei præter hanc, ô coniunx, facultatem tuis ciuibus præbes. omnis hominum tuorum cura, tuo iuſſu in parando tantùm auro verſatur: iam propter id nullus agros colit, iam totius ruſticationis cura intercidit. Hac vxoris caſtigatione non mediocriter commotus Pythius, animum ab incœpto reuocauit opere. Hic fuit is qui platanum auream, nobilémque vitem Dario regi donauit, quíque Xerxis hominum octuaginta & octo millia vno epulo benignè excepit, his ſtipendium quinque menſium, frumentúmque pollicitus. Guido Bitur. ex Polyæno.

Critias affirmat THEMISTOCLEM, antequam ad rempublicam accederet, trium ſolùm talẽtorum hæreditate paterna rem habuiſſe. Deinde verò cùm rempub. geſſiſſet, & tãdem in exilium pulſus eſſet, dum bona publicarentur, inuentas fuiſſe centum talẽtorum facultates, quas cõgeſſerat. Ælian. lib. 10. de Varia hiſt.

CLEON antequam rempub. capeſſeret, non habuit dignam libero homine ſubſtantiam: pòſt verò quinquaginta talentorum rem reliquit. Ibidem.

TIMANDRIDAS Lacedæmonius, cùm poſt longam peregrinationem domum reuerſus, rem familiarem longè auctiorem, quàm reliquerat, à filio factam vidiſſet, multos ab illo deos & homines iniuria affectos eſſe, & ex rapinis opes iſtas aggeſtas fuiſſe dixit. Liberi enim ciuis eſſe, ea quibus domi abundes, in deorum cultum & hoſpitalitatem cõferre: qui ſecus faciat, iniuſtum eſſe. Æl. lib. 14. Var. hiſt.

PERTINAX Auguſtus nõ aliter quàm priuatus ac ſordidus ciuis mercaturas exercuit. Pont. cap. 4. de Liberal.

NEAPOLITANORVM regũ quidam, erepta ſuis mercaturę facultate, quæſtum ſpectantes, prouinciales ad inopiam redegẽre. Idem.

PARTI SVÆ IN THEORICIS PRECIVM AVARE STA- *tuere. Ex arte quæſtum facere.*

GRAMMATICI AVARI.

SP. Carbilius, Sp. Carbilij libertus, primus ludum Gammaticæ aperuit, mercede docens. Plut. in problem.

RHETORES AVARI.

Olim tantus erat artis oratoriæ quæſtus, vt GORGIAS Leontinus auream ſtatuam ſolidam ſibi poſuerit Delphis. Plin. cap. 4. lib. 33.

POETÆ AVARI.

SIMONIDES poeta, rogatus à quodam, vt encomium in eius ſcriberet laudem, gratiam loco muneris accepturus: reſpondit, Duas ſe habere arcas, vnam gratiarum, alteram argenti. Hanc quum aperiret, commu nem plenámque reperire, illam verò inanem & vacuam. Pecuniæ ſtudio in Siciliam ad Hieronem tyrannum nauigauit. Vnde σιμωνίδου μέλη, in eos prouerbio iactantur, qui lucri cauſa verſus faciunt. Ipſum certè Chamęleon κίμβικα appellauit, id eſt pecuniæ auidum. Ab Hieronis vxore interrogatus, Meliúſne eſſet diuitem an ſapientem eſſe? reſpondit, Longè ſe frequentius intueri ſapientes in diuitum ianuis, quàm contrà. Interrogatus, Cur ſenex eſſet auarus? reſpondit, Cùm morior, inimicis malo pecuniam relinquere, quàm viuens amicos egens experiri. Gyrald. Dialogo 9. Hiſt. poet.

PHILOSOPHI AVARI.

Apollonius Tyanæus arguebat PLATONEM auariciæ, quòd pecuniæ cauſa ſecutus eſſet Dionyſium in Siciliam.

HERMODORVS Siculus, auditor Platonis, auariciæ plurimum deditus fuit. Ideóque vitio ei datum, quòd quæſtui philoſophiam habuerit, & dicta quæ ſub præceptore audiuerit colligendo, ac dein in Sicilia venditando mercaturam quodammodo exercuerit. Volat. lib. 15. Anthrop.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, primus Socraticorum quæſtu philoſophatus eſt, Volat. li. 13. ca. 4. Anthr. Hic ab eo qui ſibi filium commendarat, quingentas petiit drachmas. cui ille cum dixiſſet, Tanti emere mancipiũ valeo: Eme, inquit, & habebis duo. Bruſ. lib. 3. cap. 9.

ANTISTHENES interrogatus, cur tam paucos haberet diſcipulos? inquit: Quoniam depello illos virga argentea. Sentiens, ideo paucos venire, quòd magna mercede doceret. vulgus autem magis amat pecuniã, quàm ſapientiam. Et hinc Satyricus exclamat:

Scire volunt omnes, mercedem ſoluere nemo.

Dictum Antiſthenis extat apud Laertium lib. 6. cap. 1.

THEOLOGI AVARI.

ANTHIOCHVS Ptolemaidis Phœniciæ epiſcopus, tempore Arcadij, vir mirè facundus, & ob id à multis Chryſoſtomus dictus, Conſtantinopolim ſe contulit, & ibi concionando magnas opes collegit, quamuis aduerſus auariciam longum volumen compoſuerit. Diem ſuum tandem malè obiit: vt & alij inimici Ioannis Chryſoſtomi, epiſcopi Conſtantinopolitani. Sozomenus libro 8. cap. 10. Eius exemplum imitatus eſt SEVERIANVS, Gabalanorum in Syria epiſcopus, Antiocho ſola pronunciatione Syriaca & craſſa inferior: qui epiſcopatui Ioannis Chryſoſtomi inſidiatus eſt, & tandem malè periit. Sozomenus lib. 13. cap. 36. ſub Theodoſij iunioris imperio.

MEDICI AVARI.

DEMOCEDES Crotonienſis, in mercede à Dario exigẽda auarus. Vide tit. *Præmia Medicis data.*

PHILIPPVS auarum nactus MEDICVM, & indeſinenter efflagitantem, cùm ea parte qua collo adnectitur pectus, quę Græca voce κλεὶς id eſt clauis dicitur, vulneratus eſſet, & curaretur, inſuſurrauit medico auaro:

Λάμβανε ὅσα βούλει, τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις.

Cape, inquit, quantum libet, quando clauem habes. Eraſ. in Apoph. In exigendo.

ZERBVS medicus auariciæ ſuæ pœnas luit. Conſule titulum Medicorum.

IVRECONSVLTI, CAVSIDICI *auari.*

Cùm DEMOSTHENES ab Harpalo poculum ingens dono accepiſſet: Hic, inquit Corydus, alios Acrocothonas, hoc eſt bibulos appellat, quum ipſe magnam pateram attraxerit. Cothon cyathus eſt fictilis. attrahit, qui accipit donum: & attrahit vinum, qui bibit. Eraſmus libro ſexto Apoph.

HORTENSIVS orator defenſionis mercedem à Verre acceperat Sphingem argenteam. is quum M. Tullio obliquius quiddam & inuolutius loquuto dixiſſet, Non didici ſoluere ęnigmata: Atqui, inquit Cicero, Sphingem habes domi. Nota eſt fabula de monſtro Sphinge, quæ præmiis propoſitis edebat ænigmata: non ſoluẽtibus autem, mors erat præmium. Plut. in Romanorum Apoph.

ANGELVS RAIS, iuriſconſultus Neapolitanus, nudatis vertebris lignea pala grauiter ſe ab ancilla verberari iuſſit, graui pœna, ni obtemperaſſet ancillæ, propoſita. At quam ob cauſam? Quia delatam ad ſe à cliente pecuniam, quòd argentea non eſſet, repudiaſſet. Pro qua mutãda cùm à ſe clientem acerbius obiurgatum dimiſiſſet, ille indignè id ferẽs, ſtatim cum aduerſario pactus liti ceſſit, neque ad aduocatum rediit. Nihil hoc homine abiectius: quẽ cur auarum potius quàm ſeruum nominem, cauſam nullam video. Pont. cap. 7. de Liberal.

IASON Maynus, iurecõſ. clariſſimus, Conſilia ſua graui vendebat precio: ea tamen pactione, vt ſi cauſa decidiſſent conſultores, ſe continuò reddituros pollicerentur. Iouius in Elogiis.

MECHANICI AVARI

ZEVSIS Heracleotes, cùm pinxiſſet Helenam, magnum ex eo opere quęſtũ fecit. Nõ enim gratis, neq; quemuis obuiũ impudenter ad id cõtemplandum admittebat: ſed primùm oportebat certam pecuniæ ſummã numerare, deinde poteſtas videndi permittebatur. Vnde Græci, qui eo tempore viuebant, Helenam ſcortum vocabant, quòd forma quæſtũ faceret. Ælian. lib. 4. de Var. hiſt.

PAMPHILVS pictor neminem docuit minoris talento annis decẽ, quam mercedem Apelles & Melanthius ei dedẽre. Plin. 35. cap. 10.

MILITES AVARI ET MERCENARII.

CARES populi mercede cœperunt militare, ac proinde vt viliores paſſim infamati ſunt. Hinc adagium, Homunculus ex Caria.

SPARTANI corrupto muneribus rege Ariſtocrate, bello cõtra Meſſenios, læſa fide iuriſiurandi, primi Martiam virtutem venalem fecerunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 10.

Cato ſenior in militia quinque famulos habebat, quorum VNVS tria captiua corpora emit. Quod vbi ſenſit reſciſſe Catonem, priuſquam in eius cõſpectum veniret, ſeipſum laqueo pręfocauit. Adeò quæſtum oderat in milite, adeò veniã deſperabat qui peccauerat. Plut. in Ro. Apoph.

IN HOSPITIO ET ALIMENTIS LARGIENDIS AVARI.

Cyrillus Hieroſolymitanus epiſcopus, poſt diui Hieronymi in Domino obdormitionem, ad Auguſtinum ſcribens, tradit fuiſſe MONASTERIVM quoddam in Thebaidis partibus ducentarum ferè fœminarum, ſanctarum vtique, ſi nõ auariciæ fœditate ſanctitatis decorem polluiſſent. Conſuetudo peſſima apud illas inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non afferret. Cuidam ex iis cuius Deo deuotus animus à tam profana negociatione abhorrebat, apparuit in ſomnis Hieronymus, iubens vti cæteris pergeret nunciare, niſi actutùm pœnitentes ab ea exactione deſiſterent, vltionem à Deo paratam iam ipſarum capitibus imminere. Cúmque hæc in conuentu omnium narrata fuiſſent, ridiculè excepta ſunt, exiſtimantibus deliramentũ eſſe mulierculæ aniliter deſipientis: ſecunda deinceps & tertia nocte eadem viſa rurſum coràm replicantem, iam odio habitam probris agitantes eiecẽre: Deo pro illa diſponẽte, ne ſcilicet Loth cum Sodomis diſperiret, iuſtus cùm impiis. Vix mulier ſepta monaſterij egreſſa fuerat, cùm monaſteriũ ipſum terribili fragore funditùs concuſſum, reliquas oppreſſit ruina, vt ex tanto numero ne vna quidem, ſaltem extremum in morte anhelitum ducens, poſt caſum illum ſit inuẽta. Itaque contuſis miſerabiliter artubus, vnà omnes tam paruo temporis momento extinctæ, tunc demum auariciæ, cùm vitæ, finem fecẽre. Marul. lib. 1. cap. 7.

IN PECVNIA MVTVANDA AVARI FOENERATORES.

CARIOTES, nomen eſt fœneratoris apud Plutarchũ in Phocione.

TEMESEVS fœnerator fuit quiſpiam, quem Euthymus Locrenſis athleta coegit reddere, quicquid illicito vſurę quæſtu ſibi comparauerat. Rauiſ.

FVSIDIVM fœneratorem Horatius arguit his verbis:

Fuſidius vappæ famam timet, ac nebulonis,
Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exigit: atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius vrget.

ALPHIVM Horatius fœneratorem vocat, vbi ait:
Hæc vbi locutus fœnerator Alphius,
Iamiam futuris ruſticus Omnem redegit idibus pecuniam,

Iulius Capitolinus ſcribit, M. ANTONINVM Pium imperatorem fœnus trientarium exercuiſſe, vt patrimonio ſuo plurimos adiuuaret.

NERIVS fœnerator fuit notiſſimus, morte tamen coniugum locupletatus: cuius pecuniarum inexplebilis ſitis nunquàm extincta fuit. Huius meminit Perſius, inquiens:

---Nerio iam tertia ducitur vxor.

LYCVS fœnerator. Hiſtoriam vide ſub tit. Fraus in authorum capita redundat.

MENIPPVS Phœnix, Cynicus, ἡμεροδανειστὴς fuit. namque vſura nautica fœnerabatur: & vt plus lucri cõquireret, pecunias ab aliis mutuò ſolebat accipere. Tandem ex inſidiis, omnibus priuatus, præ mœrore ſeip-

sum laqueo suffocauit. Laert.lib.6.

ZENO Citticus, cùm Athenas veniret, plusquam mille talenta habuit, iisque fœnerari solitus fuit. Dedit postea operam philosophiæ. Laert.lib.7.

AVARICIA IN EXACTIONIBVS, TRIBVTO, VECTIGALIBVS.

Vide tit. Astus in vectigalibus extorquendis. Item sub tit. Auariciæ in genere.

ROBOAM Deo non placuit, cùm populum suum vectigalibus nimis grauare vellet.3 Regum 12.

PROTEI filius, cùm in Ægyptiorum regem electus esset, per omnem vitam vectigalibus, & ad cumulandum thesaurum intentus, neque deorum muneribus, neque vlli beneficentiæ vacans, plus auri atque argenti quàm præteriti reges omnes reliquit. Diodo.Sic.lib.2.capite 2.de Rebus antiquis.

CAMBYSES Persarum rex deuicta Ægypto, munera, quæ ab Afris venêre, perbenignè accepit: quæ autem à Cyreneis, succensens quòd exigua erant (quingentas enim mnas argenti miserant) sua manu dispersit in milites. Eo namque tempore nullum adhuc tributum imperabatur, sed munera tantùm à volentibus mittebantur. Herod.lib.3.

DARIVS Persarum regnum adeptus, viginti prouincias, quas ipsi satrapias vocant, constituit: iisque præsides præfecit, qui tributum exigerent, cum hoc edicto, vt qui argentum, in babylonici talenti pondere: qui aurum, in Euboico pondere afferrent, valet autem Babylonicum talentum septuaginta mnas Euboicas. Sub Cyro, atque deinde sub Cambyse, nihil fuerat circa tributa institutum, sed munera afferebantur. Ob hanc tributi ordinationem & alia huiusmodi. Persæ aiunt Darium fuisse institorem, Cambysem autem dominum, Cyrum verò patrem: Quoniam Darius res omnes quæstui habebat, Cambyses asper erat ac morosus, Cyrus omni ratione de Persis bene mereri studebat. Supputatione igitur facta, colligebat Darius annuatim ex Asia, & parte quadam Africæ, argenti talenta Euboica nouies millena, quingena & quadraginta: auri quatuor millia talentorum, sexcenta & octoginta. India sola, vt populosissima est, ita etiā maximè dabat tributum, 360 talenta aureorum ramentorum. Prçter pecuniā Cilices equos albos 360 annuatim pendebant, ad quos educandos 140 talenta erogabantur. Ægyptus certum frumenti numerum centum viginti Persarum millibus, qui in albo muro Memphitico stationem habebant, eorúmque auxiliaris: insuper etiam prouentum piscarium ex lacu Mœrios: Babylonij castratos pueros quingenos. Herod.lib.3.

Est in Asia planities quædam vndique cincta monte, quinque in locis interciso, quæ aliquando fuit Chorasmiorum cum ipsorum finibus, & Hyrcanorum, & Parthorum, & Sarangeorum, & Thomaniorum. sed posteaquam Persæ rerum potiti sunt, facta est regis. Ex hoc circumiecto monte ingens amnis profluit, nomine Aces, qui quondam per singulas vndique intercisiones ductus ac distributus, totidem gentium regiones irrigabat. Vbi verò in potestatem regis venerunt, hoc ab illo sunt passæ, quòd anfractibus montium ab rege DARIO abscissis, & ad eorum singulos portis inditis, aqua ab exitu interclusa est: interfluentéque in eorum amne, planities quæ intra montes erat, pelagus facta, cum fluat, in interiora amnis nulla ex parte exitum habens: atque ita ipsæ gentes pristino aquæ vsu frustratæ, afficiuntur permagno detrimento. Nam hyberno tēpore deus illis, quemadmodum alijs hominibus pluit: sed æstate cùm serant pinum & sesamum, aquam desiderant. Igitur cum nihil eis aquæ tribueretur, ad Persas venerunt viri atque mulieres, stantésque præ foribus regis, cum eiulatu vociferabantur. Tunc rex his qui maximè indigebant, portas reserari iussit, vtique eas quæ ad illos ferrent: easdem, cùm illorum terra humore hausto satiata est, rursus obserari: ita deinceps alias, vt quique ceterorum populorum maximè aqua indigerent. Id faciebat rex pecuniæ exigendæ gratia, præter tributum. Herod.lib.3.

PISISTRATVS Atheniensium tyrannus, omnium rerum decimas exigebat. Is ergo cùm ignoto habitu progressus ruri rusticum in solo petroso serentem vidisset, quid ageret, interrogauit. Tum ille respondit: Sphacelos sero, & horum tamen vectigal quoque Pisistratus exigit. Mouit libera vox tyrannum, vt tributum id subditis remitteret. Plut.in eius vita.

ACHÆVS rex fuit Lydorum, qui quum noua tributa à subditis vellet extorquere, ob auariciam populari factione suspensus est elatus pedibus, & demerso in Pactolum capite. Ouid.in Ibin:

Morte vel intereas capiti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera teste pependit aqua.

CONDALVS domesticus Mausoli, regis Cariç, tanta laborauit auariciæ nota, vt si qua arbor in vias procumberet, fructus ipse decerperet, & exponeret vænales. Eidem regionem peragranti si quis ouem aut vitulum attulisset, danti imperabat vt domum referret, & nutriret. Longo demum post tempore ipsum repetebat, & si quid inde fores natum emolumenti.

ANTIGONVS in extorquēdis pecuniis acer erat, ac rigidus. Cuidam itaque dicenti: At non talis fuit Alexander: Meritò, inquit: nam ille metebat Asiam, ego culmos lego. Sentiens, opulentissimam Asiam prius ab illo spoliatam, sibi à spoliatis corradendum quod posset. Plut. in Apoph.regum.

DIONYSIVS senior exegerat pecunias à Syracusanis: deinde quum videret illos lamentantes, obsecrantes, ac negantes se habere quod darent indixit alterā exactionem, idque iterum ac tertiò fecit. At posteaquam, vbi maiorem summam imperasset, audiret illos in foro obambulantes ridere, & scommata in regem iacere, iussit præfectos ab exigēdo quiescere. Iam enim, inquit, nihil habent, posteaquam contemnunt nos. Plut.in regum Apoph.& Bruson.lib.5.cap.10.

C.VERRES persunctus quæstura & prætura vrbana, successit in Sicilia prætor C.Sacerdoti: vbi laborans auariciæ morbo, multum auri argentique corrasit. Inde decedens tandem succedente Metello, repetundarum reus à Siculis postulatus est. Pedianus.

LICINIVS Iulij Cæsaris libertus, quem Augustus Galliæ præfecerat, Gallis plurima damna pecuniæ cumulandę causa intulit. Cùm enim soleret singulis mēsibus à Gallis tributa conferri, ipse quatuordecim menses fecit, vt cumulatius ditesceret. At cùm grauiter apud Augustum à Gallis eo nomine accusaretur, ac vitæ periculum sibi imminere non dubitaret, ea que diu cumulauerat dedit Augusto, vt vitam eriperet. Dion Nicęus in Augusto.

C.Fabricius P.Cornelium, hominem (vt putabatur) auarū & furacem, sed egregiè fortem ac bonum imperatorem, suo suffragio fecerat consulem. Huic quum Cornelius ex more gratias ageret, quòd immemor simultatis, ipsum fecisset consulem, bello prçsertim magno & graui: Nihil est, inquit, quòd mihi gratias agas, si maluit cōpilari quàm venire. Compilamur furto, vænerunt bello capti. Proinde inimico fauit, cuius dexteritate sperabat fore, ne Romani venirent in manus hostium. Eras.lib.6. Apophtegmat.

C.Caligula profectus in Galliam magno militum exercitu, vbi post multas exactiones alea cum Gallis quibusdam luderet, disceptantibus aliis de pecuniarum vili summa, respondit: Vos de paruo quidem drachmatum numero contenditis: at ego collegi sexagies centena millia aureorum. Xiphilinus in C.Caligula.

Tiberius Cæsar cùm deprehendisset, ÆMYLIVM Rectum, quem Ægypto præfecerat, nimium à populo exegisse, super ea re iratus, rescripsit: se tonderi velle suas oues, non deglubi. Solent autem principes deglubere oues, cùm grauiores exactiones subditis imponunt, quàm vllo pacto ferre possint. Dion Nicæus in Tiberio: & Bruson.lib.13.cap.13.

Domitianus operum & munerum impensis exhaustus, nihil pensi habuit bona viuorum prædari, & mortuorum. si qualecunque factum aut dictum aduersus maiestatem principis alicui obiectum esset, confiscabatur eius hæreditas. Stipendia ab his exigebat, qui Iudaicam viuerent vitam.

Antoninus Caracalla Romanorum imperator, à Iulia matre grauiter obiurgatus, quòd ingentem illam pecuniam, quam per fas & nefas à subditis vi exegerat, profunderet: gladium euaginatum ostendens: Bono (inquit) animo esto mater nobis, quamdiu hunc habebimus, nulla vnquam deerit pecunia. Dion Nicęus, & Xiphilinus in eius vita.

CLAVDIANVS auariciam RVFFINI his incessit verbis:

Plenus sæuitiæ, lucríque cupidine feruens,
Non tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas preciosa Tagi: non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totúmque exhauserit Hermum,
Ardebit maiore siti.

IVSTINIANVS iunior tanta fuit cupiditate, vt ciuibus & senatoribus aurum & argentum extorqueret, quod capsis ferreis ad hunc vsum factis includebat. Rauis.

PHILIPPVS Augustus Gallorum rex, decimas imperauit: reclamantibus Innocentio quarto, & vniuerso Galliarum clero. Idem.

Batto, qui Dalmatis sępenumero defectionis author fuerat, & Romanis magna damna attulerat, cum à Tiberio interrogaretur, Cur ei defecere, tàmque diu contra Romanos bellare visum sit: Vos, inquit, causam dedistis, qui ad greges vestros custodiēdos non mittitis canes aut pastores, sed lupos. Dion in Augusto.

Pescennius Niger Imp. Palestinis rogantibus, vt ipsorum censitio leuaretur, eo quòd regio esset grauata, satis inclementer respondit: Vos terras vestras leuare vultis, ego etiam aerem vestrum censere cuperem. Ælius Spart.

ALPHONSVS Siciliæ rex, erat liberalis natura: verùm cùm pecunia deficeret, à suis extorqueri per iniuriam non grauatè ferebat. Instituto nouo magistratu, quem pecuniæ prçsidem Neapolitani gentiliter appellant, ei consiliarios adiunxit, qui neminem re vel fama diuitem relinquebant intactum. Ille autem non modò exactam, sed etiam quam suos in posterum putabat exacturos, temerè profundebat. Ritius Neapolitan. lib.4.regum Siciliç.

FERDINANDVS Rex non caruit publica Campanorum nota & accusatione, quòd aurum sitiēs, Capuç vrinarum vectigal instituerit, sub priuatç vtilitatis prætextu. Pont.cap.38.de Liberalitate: & alibi.

AVARICIA

AVARITIA BELLICA VIOLENTA, IN BELLO INFERENDO, aut præda partienda.

ACHAN Israelita, in castris Iosue cùm ex deuota Hierichuntis præda paludamentum sustulisset, grauiter vniuersus exercitus fuit afflictus. Re demum cognita, lapidibus obrutus ipse fuit. Iosue 5.

SAVLVS rex propter auariciam præcipuè reprobatus fuisse videtur, propterea quòd prędę ex Amalechitis ductæ inhiarit. Itaque dixit ei Samuel: Quare non audisti vocem Domini, sed conuersus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? 1.Regum 25.

Post bellum contra Gorgiam commissum, venit IVDAS Machabæus cum suis, vt prostratorum corpora sepeliret. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum denarios idolorum à quibus lex abstinere prohibet Iudæis. Ob hanc ergo causam creditum est, Iudam cum suis corruisse. 2. Mac.12.

ARIMASPI populi monoculi, continuè depugnant cum griphibus in Hyperboreis montibus, aurum custodientibus. Guido Bitur.

DEMETRIVS Poliorcetes cùm obsidione cæpisset vrbes, abusus sua luxuria, talenta mille & ducenta singulis annis ab iis exegit: atque huius summæ minimam partem in exercitum insumpsit, reliqua autem omnia in libidinem luxuriámque contulit. Vnguentis enim cùm ipse, tum pauimentum eius diffluebant, & singulis anni partibus flores recentes substernebat, vt in ipsis vestigia libidinis poneret. Maximam sui ipsius curā gerebat, in venustate conseruanda, comparandáque. Nam & capillos decorè pectendo disponebat, faciémque inungebat. Itémque aliis vnguentis vtens, summum studium suæ inertiæ impendebat. Ælian.lib.9.de Varia hist.

THRAX miles, à Timoclea Thebana auri spe incautus trucidatur. Vide tit. Coniugalis castitatis.

M.CRASSVS ad Parthicā expeditionē proficiscens, quum ex itinere Deiotarum Galatarum regem extremo iam senio confectum, nouam vrbem ædificantem offendisset: O rex, inquit, quídnam negocij hoc est? Quid, quum iam duodecima diei hora tibi adsit, nouam vrbem condere incipis? Ad hæc subridens Deiotarus, Crassíque auariciam subcarpens: Tu verò, inquit, Imperator quum sis, haudquaquā (vt videre videor) matutinus (erat enim sexagenarius) in Parthos cum exercitu festinas, prædā amplissimam rapturus. Brusonius lib.1.cap.1. Hic postquam contra Orodem iam pugnasset, vnà cū filio & toto exercitu suo miserè interiit. Parthi autem auro in os Crassi demortui fuso, hominem irriserunt, dicētes: Bibe, fortiter bibe aurum quod sitisti. Erat enim Crassus vsque adeò diues & pecuniæ cupidus, vt pauperrimos iudicaret eos, qui suis reditibus exercitum Romanum alere non possent. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Pompeio.

Aurum inexplebiliter ac sceleratè nimis sitire se ostendit ROMANVS exercitus, cùm Hierosolymas Titus obsideret. Iudæos enim, qui ab vrbe fame compulsi profugiebant, deuorata aurea moneta, vt ita eam ab hoste incolumem seruarent, medios ferro diuidebant, vt in intestinis aurum, quod deuorauerant, inquirerent. Cùm eam moram, qua ventrem exonerantes inter stercora aurum effunderent, prę nimia cupiditate ferre non possent. Biduo itaque duo Iudæorum millia per hunc modum milites interemerunt: pluresque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna, eam rem interdixisset. Fulg lib.9.cap.4.

Balduini secundi Hierosolymorum regis MILITES Turcas, quos expugnata Cæsarea in ea vrbe cæperūt, auri spe exenterarunt, & multos eorum hac ratione peremerunt. In eis immensa habendi cupiditas pudorem cum vicit, qui iure in eo bello seruādus erat, quod sub religionis titulo, & non plura habendi cupiditate Balduinus gerebat. Ibidem.

AVARICIA BELLICA IN PACTIS ET CONVENTIONIBVS cum hostibus vel sociis.

ACHILLES ductus auaricia, cadauer Hectoris Priamo exposuit venale. Vergil.lib.1.Æn.

Exanimúmque auro corpus vendebat Achilles.

Sergius Galba, prinsquam ad principatum eueheretur, cùm sub Claudio Africæ præesset, & parcè ob penuriam militibus frumentum diuideret, intellexit MILITEM quendam diuendito tritici modio cētum denariis, frumentum à quæstore, vt ali posset, postulare. Cui nec ipse dedit, nec vendi ab aliis est passus. Itaque miles fame consumptus, aliis exemplo fuit, datam à se auariciæ operam, nihil aliud ipsi quàm mortem peperisse. Fulgos.lib.2.cap.2.

GETÆ cùm Macedoniam, Epirum & Thessaliā diripuissent, nec pro captiuis redimendis pecuniam idoneam ab Anastasio Imperatore accepissent, coràm captiuos trucidarunt. Volat lib.23 Anthrop.

Q.CASSIVS in Hispania Silium & Calphurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos, quinquagies sestertiûm ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit. At quis dubitet, si alterum tantum daretur, iugulum quoque suum æquo animo illis fuisse præbiturum. Val.lib.9.cap.4.

OPES SEV MVNERA, QVÆ INHONESTE, SIVE PROPTER turpem causam ab aliquo offeruntur, accipere. Munerum corruptela.

Inimici Samson pecunias DALIDÆ promiserunt, & eam, vt illum deciperet, induxerunt. Iudic.16.

De FILIIS Samuel dicitur: Declinauerunt post auariciam, acceperūt munera. Et statim sequitur: Peruerterunt iudicium. 1. Regum 8.

Rex Syriæ BENADAD, fœdus habebat cum Baasa rege Israel: sed propter munera quæ misit ei Asa rex Iuda, rupto fœdere cum Baasa, grauiter oppugnauit eum. 3. Reg.15.

GIEZI minister, cùm Helisæus propheta Naamanem Syrum à lepra curasset, donáque nullo modo accipere vellet, quasi à magistro missus, argentum & vestes ab eo accepit. Ideóque lepra, qua Naaman fuerat liberatus, adhæsit illi & semini eius in sempiternum. 4.Reg.5.& Marulus li. 1.cap.7.

Cùm quidam IVDÆI de mandato Machabæi obsiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles, accepta pecunia, quosdam effugere dimiserunt. Eos Machabæus tanquam proditores & fratrum venditores interfecit. 2.Mac.10.

Propter munera quæ dedit & promisit ambitiosus Iason regi ANTIOCHO, obtinuit summum sacerdotium. Cùm autem misisset pecuniam regi per Menelaum, ipse supplantauit eum, & obtinuit principatum: quia supposuit Iason talenta argenti trecenta. 2. Mach. 14.

IVDAS, accepta pecunia à Iudæis, Christum tradidit eis. Matth.26.

MILITES, qui debuerant custodire sepulchrum Domini, accepta à Iudæis pecunia, dixerunt, quòd discipuli eius furati eum fuerāt, illis dormientibus. Matt.28.

FELIX Iudææ præses, cùm Paulum in vinculis captiuum haberet, magnum aliquod munus ab eo sperans, frequenter ad se vocabat. Verùm cū pecunia nulla offerretur, Festo successori suo vinctum reliquit. Act.24.

ASSYRII populi ad auariciam proni (vt author est Egesippus) & ad omnem parati versutiam, nihil est tam atrox & crudele quod refugiant: nihil tam turpe, quod erubescant studio pecuniæ. Guido Bitur.

ERIPHYLE desiderio habendi monilis aurei, quòd ferebat Adrastus rex Argiuorum, Amphiaraum maritum suum prodidit, qui se occuluerat, ne Thebas ad bellum raperetur, quòd ex vaticinio præuideret ibidem se periturum. Rauis.

ARGYRASPIDÆ, post Magni Alexandri mortem ab Eumene Cardiano conducti, qui vnus successorum Alexandri fuit, cum eo aduersus Antiochum bella gerebant. Qui vt impedimenta recuperarent, paulo antè ab Antigono adempta, nulla fidei atque honoris habita ratione, Eumenem captum, Antigono prodiderunt. Sed vt pro perfidia atque auaricia parem gratiam, vt digni erant, acciperent, iterum ipsis impedimentis spoliati, omnium egeni, nisi perfidiæ infamia, remanserunt. Atque in tāto Antigoni, cui eam operam nauauerāt, atque eius militum odio post id factum fuerunt, vt eorum nullus in patriam viuus redierit. Fulg.libr.9. cap.4.

PAVSANIAS Lacedæmoniorum imperator, in eo bello quod Persæ aduersus Græcos susceperant, quinquaginta auri talenta à Xerxe accepit, vt Spartam proderet. Quem pater vsque ad Chalciœcę Palladis templum insectatus est: vbi cocto latere fores templi clausit, & filium ibidem fame consumpsit, mater verò insepultum abiecit. Chrysermus libr.2.hist. & Plut.cap.21.Parall.

LYSANDER pecunias Lacedęmonem attulit à rege Persarum, & Lacedæmonios in deorum immortalium iussa delinquere fecit, qui Spartā auro argentóque inuiam esse mandauerant. Quidam igitur sapientes viri mordicus adhuc tenētes Laconicam integritatem, & Lycurgo Pythióque dignam vitam agentes, sese illi opposuerunt. Alij verò qui permiserant, infamiam reportarunt: & quæ à principio viguerat ipsorum virtus, paulatim interiit. Ælian.lib.14.de Varia hist.

DEMOSTHENES orator Atheniēsis, cùm Harpalus ob rationes male administratas fugisset à Philippo Macedone Athenas, & Athenienses de eo recipiendo agerent, Demosthenes, qui paulo antè in gratiam Persarum regis dixerat, non esse recipiendum: valetudinem simulauit, ac fasciis collo circunligatis, dixit se synanchem, id est anginam pati. Æschines verò respondit, Demosthenem non synanchem, sed argyrāchem pati. Volat.lib.15.Anthrop.

PHILIPPVS Macedonum rex, omnia castella dicebat posse expugnari, ad quæ posset ascendere asellus onustus auro. Guido.

Ptolemæus Ægypti rex, Romam perfugit, ibique muneribus corrupit potentissimos quosque, vt in regnum restitueretur. Ægyptij centum le-

gatos ad regem accusandum Romam misere, quos rex veneno necauit. Cuius sceleris nullas pœnas dedit: POMPEIVS enim eius pecunia victus, defendebat ipsum. Tantum Romæ per id tempus poterat largitio. Xiphilinus in compendio Dionis, in Pompeio.

CYNEAS Pyrrhi Epirotarum regis medicus, senatui Romano pollicebatur se Pyrrhum pharmaco interempturum. At Romani Pyrrhũ, etiam hostem atrocissimum, admonuerunt, vt sibi à medici caueret insidiis. Ælianus lib.12. de Varia historia.

TARPEIA virgo Vestalis, se hostibus Capitolium nocturno tempore tradituram promisit, si ornamenta aurea, quæ in sinistris manibus haberent, darent. Promiserunt illi, & scutis quæ in sinistris manibus habebant eam obruerunt. Liuius lib.1. Dec.1.

Cassius Brutus in bello Romanorum aduersus Latinos dicta mercede, vrbem se proditurum promittebat. Verùm deprehensus à patre, in æde Palladis occlusis foribus necatus fame, & insepultus fuit abiectus. Clitonymus lib.9. rerum Italicarum: & Plutarch. cap.22. Parall.

Cùm admodum locupleti L. Minutio Basilio falsum testamentum quidam in Græcia subiecisset, eiusdémque confirmandi gratia potentissimos ciuitatis Romanæ viros M. CRASSVM, ET Q. HORTENSIVM, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset, quanquam euidens fraus erat, tamen vterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiauit. Quãtam culpam quàm leuiter retulit: lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura inuitati autoritatibus suis texerunt. Val. lib.9. cap.4.

A. POSTHVMIVS Albinus missus ad inferendum Iugurthæ bellum, pecunia corruptus destitit. Liuius lib.64.

FL. FIMBRIA, satelles Cinnæ, Valerio Flacco consule, legatus in Asiam profectus, per simultatẽ dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curauit. Volat. lib.16. Anthrop.

M. LIVIVS Drusus Magulsam Mauritaniæ principem ob regis simultatem profugum, accepta pecunia à Bocho prodidit, quem ille elephanto obiecit. Sueton. de Viris illustrib.

L. SEPTIMVLEVS cum C. Gracchi familiaris fuisset, caput eius abscindere, & per vrbem pilo fixum ferre sustinuit, quia Opimius consul auro id se repensurum edixerat. Sunt qui tradunt, liquato plumbo eum cauati partem capitis, quo ponderosius esset, explesse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo, clientis tamen scelesta fames in has vsque iacentis iniurias esurire non debuit. Val. lib.9. cap.4.

ROMANI cùm auariciæ operam darent, Iugurtha Numidarum rex discedens ab vrbe, reflecténsque oculos: O vrbem venalem, inquit, & citò perituram, si emptorem inuenisset. In ea enim ciuitate, in qua regnat auaricia, nulla potest esse religio, nulla virtus, nulla charitas. Platina lib.2. de Optimo ciue.

COMMODVS Imperator alienæ mortis facultatem, cupientibus facilè pecunia permisit, omniúmque aliorum criminũ impunitatem auro condonauit: palàm litium capitaliúmque criminum iudicia vendidit: haud secus quàm si publicis nundinis venundandæ merces essent. Fulgos. lib.9. cap.4.

CONSTANTIA, Constantini Maximi Augusti filia, & Galli Cæsaris, qui Orientem regebat, coniunx, iussit Clematium Alexandrinum, virum innocentem, indicta causa interfici: gemmato monili corrupta à Clematij socru, quem inuisum socrus habebat, quia vir probus, stupri ab ea interpellatus, tanta turpitudine abstinuerat. Fulg. lib.9. cap.4.

CAIANVS Auarorum rex, pecunia corruptus à Leone Imperatore, Iustinianum Imperatorem prodidisset, nisi imperator admonitus ad Therbellem Bulgarorum regem confugisset. Sigebertus in Chronicis.

VIOLENTA EXACTIO, PER CÆDES ET LATROCINIA.

Exempla quædam pete ex Tit. Perfidiæ ergà hospites.

ACHAB rex, cùm vineam Naboth acquirere cuperet, Iezabel innocentem virum duobus falsis testibus productis lapidari curauit. 3. Reg. 21.

Pygmalion rex Tyri, Sichæum sororis suæ Didonis maritum interfecit: vt eius auro potiretur. Vergil lib.1. Æneid.

---Ille Sichæum

Impius ante aras, atque auri cæcus amore,

Clam ferro incautum superat, securus amorum.

Germanæ.---

POLYMNESTOR rex Thraciæ, Polydorum Priami & Hecubæ filiũ fidei suæ tempore belli Troiani commissum interfecit, vt eius auro potiretur. Verg. lib.3. Æneid.

Quo tẽpore Annibal opprimebat Campanos bello, VALERIVS Bestius Ruscium, Imbrici soceri sui filium, quem acceperat seruandum, auaricia stimulante morti dedit, vt eius auro potiretur. Plutarchus.

ANTONINVS Caracalla Romanorum Imperator, cùm ad se tanquam ad amicum Augarus Ostroenorum rex venisset, ei fidem hospitij fregit, deprehensum in vincula coniecit, & Ostroenem iam rege destitutam cœpit. Dion Nicæus, & Xiphilin.

SACRILEGIA.

Vide titulum Sacrilegorum.

DARIVS rex, cùm recuperata Babylone Semiramidis sepulchrũ aperuisset, secundum monumenti inscriptionẽ (quæ talis erat: Quisquis rex pecuniis eguerit, aperto monumento, quantum voluerit, capiat) nihil pecuniarum inuenit, sed ex altero saxi latere hoc scriptum reperit: Ni vir malus esses, & pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moueres. Eras. lib.5. Apoph. ex Herodoto & Plutarcho.

PECVLATVS, FVRTA PVBLICA.

Vide locum Iniusticiæ.

BOETHVS Tarsensis poeta (de quo vide tit. Poetarum) à M. Antonio Tarsensi gymnasio magnifico præfectus, eiusque expensis, deprehensus est tum reliqua, tum etiam oleum surripere. Accusatus apud Antonium iniquum esse dixit, Homerum à Græcis apud Agamemnonem aut Achillẽ, quorum res gestas decantasset, accusari. (Scripserat autem Boethus ipso Carmen gratulatorium Antonio pro victoria Phillippica) Tunc accusator excipiens, sed nec Homerus, inquit, Agamemnonis aut Achillis oleũ surripuit. Boethus tamen obsequio & blanditiis Antonij iram effugit. Gyraldus Dial.4. hist. poet. ex Strab.

PER FVRTA PRIVATA.

Vide Locum Iniusticiæ.

EVÆPHNVS Polycharis boues ἀφετηρίζειν tentat. Consule tit. Latronũ.

IN VENVNDATIONIBVS PVBLICIS, IISQVE SACRIS, *auaricia.* SIMONIA.

SIMON magus Samaritanus, omnium hæreticorum pater, auro Spiritum sanctum ab Apostolis mercari voluit. Ab eo omnis sacrorum venundatio & negociatio SIMONIA dicta est.

Benedictus nonus Gregorio Sexto pontificatum vendidit: quem credibile est, si tantum emptorem inuenisset, seipsum quoque venditurum fuisse: ac libertatẽ vitámque ipsam auro, si magna eius vis oblata fuisset, postpositurum. Fulgos. lib.9. ca.4.

AVARICIA IN VENVNDATIONIBVS ET PROFANIS, *vt magistratuum, imperij, libertatis, &c.*

Consule titulum Proditorum, Qui mercede alios produnt.

CHII Pactyam Lydum, qui à Cyro defecerat, & ad se supplex confugerat, tradiderunt, pro mercede. Atarnei, qui locus est Mysiæ, Lesbo è regionè situs. Herodotus lib.1.

Rhodolphus imperator Germanus, adeò auri cupidus fuit, vt Italicas vrbes parua pecunia ab Imperij iure ac nexu liberaret. Fulg. lib.9. cap.4. & Egnat. lib.9. cap.4.

QVI LVCRI CAVSA ALEÆ OPERAM DANT, VEL CVIVIS *alteri ludo. Aleatores infames.*

Consule tit. Eorum qui inhonesto ludo operam dant, sub loco Scurrilitatis.

ALEATORIS Budensis horrendam historiam, pete ex tit. Deorum imagines non venerari.

C. CALIGVLA aleam ludens, plus mendacio, atque etiam periurio lucrabatur: & quodam tempore proximo collusori demandata vice sua, progressus in atrium domus, quum prætereuntes duos equites Romanos locupletes sine mora corripi confiscarique iussisset, exultabundus in domum rediit, glorians se nunquam prosperiore alea lusisse. Suetonius in eius vita.

LVCRVM EX ILLICITA VENERE. MERETRICES *auaræ,* LENONES *auari.*

Exempla collige ex locis propriis.

INDORVM matronæ celebres sunt pudicitia. Oblato tamen elephãti precio, pudicitiam amatoribus substernunt, nullo inde præfloratæ famæ dispendio.

LAIS Corinthia cuidã amatori, qui misso sigillo iubebat illam venire: Non possum, inquit, lutum est. Olim terræ genere signabant: at illa lutum esse dixit, quasi ob lutum viarum non posset accedere. Lutum sigillum nihil morabatur, argenteum quærebat. Eras.6. Apoph.

AVARICIA EN ΦΥΛΑΚΗ.

CAIN

CAIN primus legitur ædificasse ciuitatem, sed non Abel: quia sancti non habent hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt, vt testatur Apostolus Heb.13. Gen.4.

Tempore Nehemiæ, erant aliqui ex optimatibus ita vsuris oppressi, quòd volebant filios suos & filias suas vendere. Sed Nehemias illos diuites grauiter & viriliter increpauit. Nehem.5.

Excusauerunt se, ne irent ad magnam cœnã, ad quam vocati erant, EMPTORES boum & villarum: quia sæpe per talia homines à cœlesti gloria retrahuntur. Lucæ 14.

ADOLESCENS qui quæsiuit à Domino, quomodo posset habere vitã æternam, multas habebat possessiones. Et idcirco abiit tristis, cùm audiuit consilium profectionis. Matth.19.

Quidam quæstuarij, habentes puellam Pythonissam, à qua Paulus eiecit dæmonium, videntes quòd amiserant quæstum suum, apprehenderũt Paulum & Silam socium eius, & duxerunt eos ad principes ciuitatis: accusantes eos, quòd ciuitatem turbarent, & mores illicitos nunciarent. Magistratus autem fecerunt eos cædi, & in carcere custodiri. Act.16.

Paulo apud Ephesum multa miracula faciente, DEMETRIVS quidã argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus nõ modicum quæstum. Quos conuocans dixit, quòd Paulus auertebat populũ à cultu deorum. Et ita turbauit ciuitatem, quòd impleta est confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Caio & Aristarcho comitibus Pauli. Act.19.

LACEDÆMONIVS quidam adolescens cùm vilissimo precio fundum emisset, ad magistratum accersitus est, & mulcta affectus. Ratio verò, quamobrem iudicaretur supplicio dignus, illa fuit: quòd cùm iuuenis esset, nimium lucro inhiaret. Fuit autem apud Lacedæmonios laudatissimum, non solum aduersus hostem in acie, verùm etiam contra auariciam argentum audere pugnare. Ælian. lib.14 de Var. hist.

PTOLEMÆVS Cypriorum rex, cùm anxiis sordibus magnas opes corripuisset, proptérque eas periturum se videret, & ideo omni pecunia imposita nauibus in altum processisset, vt classe perforata suo arbitrio periret, & vt hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum, sed futurum suæ necis præmium domum reuexit. Proculdubiò hic non possedit diuitias, sed à diuitiis possessus est: titulo Rex insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium. Val. Max. lib.9. cap.4

EVCLIO apud Plautum nomen est auari, qui quum haberet ollam pecunia refertam, & abditam terra, domo non audebat egredi, ne quis suffuraretur. Omnes qui ad eum itabant, habebat suspectos furti. Neque tantum aurum & argentum, sed vilissima quæque, vt aquam, plorabat, quòd lauando eam effundere cogeretur. Denique vnguium præsegmina à tonstrina domum referebat. Pont. lib. de Liberal. cap.7.

IVDÆI, cùm Hierusalem à Tito Vespasiano expugnata esset, in summo vitæ periculo & media quasi morte aurum vorarunt. Romani autem cùm omnes deuorasse pecuniam crederent, duo hominum millia trucidarunt, vt resectis eorum ventribus aurum colligerent. Iosephus, & Egepus de bello Iudaico.

Stroza pater auariciæ inurit notam cuidam SCAVRO, vbi ait:

Scaurus habet villas, vrbana palatia, nummos,
Pinguiáque in numeris prædia bobus arat.
Huic tamen assiduè maior succrescit habendi,
Nunquam diuitiis exatiata fames.
Ditior est igitur patrio contentus agello,
Qui viuit nullo fœnore Fabricius.

ROMANI, authore Sabiniano pontifice, cùm ærarium eleemosynis exhaustum post mortẽ S. Gregorij pontifices reperissent, eius libros cõburere, eiúsque memoriam abolere voluerunt: nisi Petrus archidiaconus iureiurando eis confirmasset, spiritum sanctum sæpe se in specie columbæ Gregorio inter scribendum insidentem vidisse. Sigebertus.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER SEPTIMVS.

DE MAGNANIMITATE.

LIBRALITATEM sequitur Magnanimitas, quæ circa honores versatur: hoc est, circa voluptatẽ illã ψυχικὴν, quam ex honoribus animus percipit. Est enim μεσότης περὶ τὰς τιμάς. In illius autem enarratione eâdem methodo vtendum est, qua & in Liberalitate vsi fuimus: quoniam ratione materiæ virtus ista diuiditur. Nam si versetur circa honores magnos & excellẽtes, propriè μεγαλοψυχία dicitur: vitiũ in excessu, ἠλιθιότης, stoliditas: seu χαυνότης, id est ostentatio inepta: in defectu, μικροψυχία. Sin verò parui sint honores, aut certè mediocres, mediũ quidẽ ἀνώνυμον est, Liberalitati correspondens: extrema verò, φιλοτιμία καὶ ἀφιλοτιμία dicuntur. Sic Arist. in 4. Ethic. sentit. Cæterùm hîc obseruãdum est, Aristotelem virtutem hanc ἐν τιμῇ tantùm, non etiam ἐν ἀτιμίᾳ ponere: hoc est, in sola voluptate, quæ percipitur ex honoribus: non etiam in dolore, qui ex ignominia prouenit, sustinendo. ἀτιμίαν enim ferre, vel eidem succumbere, potius ad fortem virum (quatenus ex ignominia & obtrectationibus φοβεῖσθαι consueuit) quàm ad Magnanimum pertinet. Est præterea etiam illud animaduersione dignum, quòd Honores non absolutè considerantur, sed respectu eius qui eos vel amplectitur vel repudiat, quòd scilicet aut maiores sunt, aut minores, aut pares. Maiores amplecti quàm deceat, Ambitiosi est: minores, interdum Ambitiosi, interdum verò Pusillanimis, qui se maioribus dignum esse non putat. pares, siquidem per se magni sint, μεγαλοψύχου est: sin parui & mediocres, σώφρονος, nam proprio vocabulo destituimur. Ex his iã forma quoque huius virtutis colligi potest, ipsa scilicet Mediocritas, quæ perspicitur partim ἐν λήψει honorũ, partim ἐν φυλακῇ: vtraque autem ad κτῆσιν pertinet. De χρήσει honorum, siue δόσει, nihil in præsentia. Honores enim virtutis præmia sunt. Qui si dignis conferantur, ad Iustitiam distributiuam pertinent: si indignis, ad Iniustitiam distributiuam. Aliter se res habebat in Liberalitate, quæ potius ἐν χρήσει quàm ἐν κτήσει consistebat. Pecunia enim & opes non tantùm virtutis sunt præmia, sed quibusuis etiam indigentibus & oppressis liberaliter erogari debent. vt non Iustitiæ hîc sola ratio habeatur, digni sint, nécne: sed vt omnibus iis qui egent, distribuantur. Vt ergo species quædam liberalitatis, quæ scilicet digna pro meritis erogat, ad Iustitiam distributiuam refertur: ita quoque tota honorum distributio ad eandem referenda erit: neque χρῆσις honorum ad Magnanimitatem vllo pacto pertinebit, sed ad Iustitiam tantùm. Hæc igitur causa est, cur in Liberalitate χρῆσις simul & κτῆσις spectentur: at in Magnanimitate sola κτῆσις. His sic constitutis, (quæ typica demonstratione paulò pòst illustrabuntur) obseruandum est præterea, ne cui vocabulorum diuersitas imponat: quòd Valerius Maximus & Io. Baptista Camposulgosus libr. 4. ca.1. titulum habent, De animi moderatione: quam quidem (vt exempla Camposulgosi testantur) potissimùm ad honores referunt. Cupiditas profectò in omni irrationalis animæ parte posita est: quæ si rationis moderationem subterfugiat, immoderatio & impotentia, atque etiam apud Græcos ἀκολασία dicitur: sin nutum rationis obseruet, eidémque obtemperet, Animi moderatio appellatur, sæpius quoque σωφροσύνη siue temperantia. Quare non virtutem tantùm circa honores, sed eam quoque quæ circa pecunias, circa voluptates corporeas, circa timorem & confidentiam versatur, comprehendit. irrationalis siquidem animæ impetus à ratione moderandus est, atque regendus. Quot ergo impetus sunt species, totidẽ quoque moderationes & virtutes erunt. Quapropter non ineptè à nobis factum iudicari debet, quòd titulum nimis generalem & confusum, in suas species distinctas diduxerimus. His sic prælibatis, titulorum descriptionem aggrediamur.


Circa HONORES.
Virtꝰ μεσότης τῶν τιμῶν, hoc est, moderatio eius voluptatisque in animo ex honoribus percipitur. In magnis, μεγαλοψυχία: in parvis, σωφροσύνη dicitur, sive versetur circa
λήψει. Honores vel
Amplecti tur modestè, & vel ab alio.
Oblatos: vt pote
Magistratus & dignitates.
Quo suis alios honores.
Per se res magnas aggressi sunt.
Genere, eorũ qui gloriæ cupiditate
Specie, qui quos honores affectarint. vtpote
Cum aliis certare non dubitarũt in bonis vel
Amini tum
Corporis. Certamina
Fortunæ.
Theoricis.
Mechanicis
Practicis.
Roboris.
Fœcunditatis.
Formæ.
Magistratus vel
Famam & gloriam nominis immortalem per
Per se.
Cum aliis certando. Competitores.
Historias & monumentalia rarium.
Quæuis alia monumenta.
Nõ oblatos. Exempla afferãtur in
Nõ amplectitur, sed contemnit, & vel
Maiores quã sibi conueniant, ututetiã pares sẽque dignos, respuit, sive ab alio
Minores, tanquam se indignos contemnit & respuit.
Offerantur. Contẽnere ab aliis oblatos
Magistratus
Sacros.
Profanos.
Honores quos suis a lios sine
Veros Exẽpla
Sacra
Pia.
Ethnica.
Profana.
Fictos, qui ab adulatoribus offerantur.
Non offerantur. Honores quoscunque non oblatos
Fugere omnia, quia verentur ne aliquando offerantur.
φυλαχῆ. Honores quoslibet iam possessos vel
Conseruare. Quòd si
Non exhibeantur, cùm exhiberi debeant, asserantur.
Auferantur, eripiantur, aut impediantur, vindicentur.
Non conseruare. & vel si
Non exhibeantur, aut etiam eripiantur, non vindicentur.
Nemo cogat, vltrò relinquantur. Relinquere
Magistratus tum
Sacros.
Profanos.
Quos suis alios honores.
Vitia duo. Vide in seq. fol. signum*
*Vitia


*Vitia sunt duo. Alterum in
Excessu: quod minus eũ medio pugnat, quã vitium in defectu. In magnis honoribus, qui maioribus se dignum arbitratur quã revera sit, χαῦνος, id est offerator vanꝰ dicitur: atque etiã ἀλίβιος, stupidus. at qui minores etiã honores affectat, aut pares nimium appetit, φιλότιμος simpliciter appellatur. Nos in genere Ambitionem vocabimus, sive versetur circa
λήψει, sive in acquisitione honorum vel
Diuini: quos vel sibi ipsi attribuit, vel ab aliis oblatos patienter suscipit. Hæc extrema est Ambitionis species, ratione materiæ obiectæ.
Maiorum. Sũt autem vel---
Humani. & vel ab aliis
Oblati: vel propter imprudentiã eorum, vel propter adulationẽ.
Magistratus. Dignitates acquirere sibi ex virtute nõ debitas, vel
Largitionibus & ambitu
Stupro.
Cædibus.
Bellis.
Seditionibus.
Criminationibus.
triumphi.
Non oblati: sive sint
Fama nominis: quæ acquiritur vel ex rebꝰ.
Honestis: idque vel
Per se, absq; alterius iniuria
Cum alterius iniuria. Labores alienos in se transferre tum in
Theoricis.
Practicis
Inhonestis.
Quiuis alij honores.
Parium. Pares honores, sẽque dignos, ambitiosè
Asserere: quamuis inuitis ijs, quorum voluntate obtineri eos oportebat.
Petere. Differt hic locus à superiori Ambitu: quia maiores illic honores expetuntur, hîc verò aquisitis humeris.
Acquirere, & propagare.
Cum æmulis certare & dimicare, Socium ferre non posse.
Minorum. Minores honores, & se alioqui indignos, ambitiosè complecti. Ex paruis rebus honorem quærere.
φυλαχῆ. Honores quoslibet ambitiosè, sceleratè, sollicitè custodire & conseruare.
λήψει. Qui vel
Pares tanquam impares respuit.
Minores & impares tanquam pares persequitur & suscipit.
Defectu. μικροψυχία dicitur, in magnis: quibus cùm dignus sit, sese indignum iudicat. ἀφιλοτιμία in paruis: qui paruis, quibus dignus est, se indignum esse arbitratur: sive qui minores quàm deceat honores affectat, quia maiores sibi nõ conuenire existimat. Versatur hæc eadem circa
φυλαχῆ, qui honores vel
pares
Non oblatos non curat.
Ereptos non vindicat.
Impares & minores, tãquã pares vel
Non oblatos dolet.
Ereptos persequitur.

MAGNANIMITAS EN AHΨEI.
DIGNITATES OBLATAS MODESTE SVSCIPERE.

Exempla plurima pete ex tit. Magistratus ablatos respuere: eorum scilicet, qui eos suscipere noluerunt, sed tandem coacti susceperunt. Huc etiam pertinet titulus, Socium in imperio ferre posse.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, vbi primùm dignitatem iniit, continuò inanis gloriç lasciuientes cogitatus carnis macerationibus reprimere cœpit, instantibus orauit, frequentius ieiunauit, cilicium induit. Qui sic agit, is planè declarat, non se ad pontificale fastigium, sed ad multiplicium laborum aceruum ascendere: nec de honoris pompa sibi blandiri, sed de tentationum ingruentium pugna iam anxium æstuare. Marul. lib. 1. cap. 6.

Post Damasi mortem, cùm populus Romanus missis legatis ad Henricum secundum Imperatorem, peteret, vt arbitratu suo hominem idoneum ad pontificatum eligeret: & is BAVONEM Tullésem episcopum elegisset, atq; cum Pontificis insignibus eum Romam mitteret: in via Bauo in Hildebrandum incidit, à quo monitus quòd erraret Pontificalem sumere habitum, priusquam à Romano clero esset electus: statim præ modestia habitum Pontificium, & cum eo honorem quoque, quem antè gerebat, abiecit, & nouæ electiõnis discrimen Romæ subiit. Qui quanquam peregrino habitu Romam profectus esset, à clero tamen populoque electus est, sub Leonis noni nuncupatione. Fulg. lib. 4. cap. 1.

EVPHRANIA Christo dicata, virgo insignis in Thebaide diuinitùs factis clara, cùm puerum quendam paralyticum mulierémque fanaticam sanitati restituisset, ne miraculorum magnitudine insolesceret, laboribus cumulū addidit: crebrius vtens ieiuniis, vigiliis, precationibus, cæterísq; corporis exercitiis: nullum ocio tempus remittens, ne desidiosa aliquãdo cogitaret, se alicuius momenti esse, cùm nihili æstimari mallet. Igitur tametsi à monasterio non recessit, inuenit tamen quemadmodum abesse posset à gloria. Corpus enim castigando, & in seruitutē redigendo consentire coëgit spiritui, semper humilitatem affectanti. Marul. lib. 1. cap. 4.

E T H I C A.

EPAMINONDAS Thebanus, primus qui patriæ lumen nomenq; inter Græcos attulit, imperia magistratúsq; inuitus gessit: ita tamen, vt ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Iustinus lib. 6.

THEOPOMPVS Spartanorum rex, cùm primus instituisset, vt Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regiæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ consulari imperio tribuni plebis sunt obiecti, atque illi vxor dixisset: Id egisse illum, vt filiis minorem potestatem relinqueret: Relinquam (inquit) sed diuturniorem. Optimè quidem: ea enim demum tuta est potentia: quæ viribus suis modum imponit. Igitur Theopompus legitimis regnum vinculis constringendo, quo longius à licentia retraxit, hoc ad beneuolentiam ciuium propius admouit. Val. lib. 4. ca. 1.

P. VALERIVS, qui populi maiestatem venerando, Publicolæ cognomen assecutus est, cùm exactis regibus imperij eorum vim vniuersam, omniáque insignia sub titulo Consulatus in se translata cerneret: inuidiosum magistratus fastigium, moderatione sua ad tolerabilem habitum deduxit, fasces securibus vacuefaciendo, & in concione populo summittẽdo. Numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, vltrò Sp. Lucretio collega assumpto: ad quem, quia maior natu erat, priores fasces trãsferri iussit. Lege etiam comitiis centuriatis tulit, ne quis magistratus ciuẽ Romanum aduersus prouocationem verberare aut necare vellet. Itaque ciuitatis cõditio liberior esset, imperium suum paulatim destruxit. Quid quòd ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere videbantur? nónne quantum domo inferior, tantum gloria superior euasit? Ibidem.

CONSTANTINVS Chlorus, cum Galerio Maximianóque post depositum à Diocletiano imperium, Imperator creatus, cùm forte ei ad regendum Italia Africaq; ac Gallia obtigissent, relictis aliis duabus regionibus collegis suis, ipse sola Gallia contentus fuit: atq; in ea adeò modestè se semper gessit, vt conuiuia celebraturus, alienis vasis ea ornare cogeretur. Fulg. lib. 4. cap. 1.

BOEMVNDVS Normandus, qui sub crucis signo ad Syriacam expeditionem cum Gotifredo Bolonio se contulit, dum vrbem Antiochiam ipse permultíque alij principes obsiderent, à Pyrrho, qui Antiochiæ plurimùm poterat, monitus de dedenda vrbe, ea conditione, vt ipse principatum eius sumeret (etenim ob singularem animi virtutem ac corporis robur eum vnicè diligebat) Boemundus conditionem antè non accepit, quàm re exercitus ducibus narrata, eorum cõsensu princeps creatus est. Ibidem.

ALEXANDER Seuerus Augustus, adeò Senatum legésq; in honore habuit, vt se penè æqualem aliis faceret. Quod cùm ei à matre atque cõiuge obiiceretur, diceretúrque ab eo Augustalis maiestas ad imum atq; in ordinem nimis redacta, is respõdit: Tutiorē se, duraturámq; magis eã fecisse. Neq; enim amori minus virium dabat, quàm alij armis timorísq; cõcessissent: nec minus quietis illi ob modestiam suam, quàm iis qui cõtrà sentirent, angustiarum & molestiæ ex insolentia prouenit. Ibidem.

QVOSVIS ALIOS HONORES OBLATOS SVSCIPERE.

THEMISTOCLES Atheniensis, parta de Xerxe Persarum rege victoria, cùm in Olympicis ludis ab vniuersa Græcia, ingenti omnium admiratione, immensáque laude exceptus esset, tantæ gloriæ ac famæ superato gaudio, ad quosdam amicos conuersus: Tunc verè optatum præmium laboris periculorúmque, quæ pro Græciæ salute subiuerat, à Grecis se accepisse dixit, gloriam scilicet, laudemque omnibus aliis præmiis anteponendam. Fulg. lib. 8. cap. 15.

Scipionem, dona militaria iis qui strenuam operam ediderant, diuidẽtem, T. Labienus, vt forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit: cóque se negante id facturum, ne castrensis honos in eo violaretur, ipse ex præda Gallica aurum equiti largitus est. Nec tacitè id Scipio tulit, nam equiti, Habebis, inquit, domum viri diuitis. Quod vbi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, vultum demisit. Idem vt audiuit Scipionem dicentē, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit. Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tãgatur. Illa verò & à claris viris interdum ex humillimis rebus petita est. Val. lib. 8. cap. 15.

PINDARVS cuidam commemorãti, quòd ipsius laudes vbique prædicaret: Ego, inquit, pro isto officio bonam repono gratiam, efficiens vt vera prædices. Vera virtus nihil moratur hominum laudes. Eas qui prædicant, plus debent iis quos laudant, quàm ipsis debent qui laudantur. Eras. 8. Apoph.

Lucas Medicus, vir disertissimus, cum orationē apud ALPHONSVM Aragonum regem eloquentissimam habuisset, cumque exquisitis & heroicis laudibus extulisset, rex hæc audiens, dixisse fertur: Si vera sunt, Luca, quæ de me prædicas, Deo optimo maximo gratias ago: sin aliter, vera vt isthæc faciat, oro atque obsecro. Innuens, maximè decere reges, vt laudibus dignos vbique se præbeant. Panorm. libr. 1. de rebus gestis Alphonsi.

GLORIAE CVPIDITATE QVI MAGNAS RES aggressi sunt.

Exempla pete ex tit. Tyrannicidarum.

OSIRIDEM nulla alia ratione omnem terrarum orbem peruagasse ferunt, plantantem vbique vites, tritici hordeique segetem, pecorúmque fructum, quàm vt sibi nomen apud posteros faceret immortale. Diodorus Sic. lib. 1. c. 3. de Reb. antiq.

LIBER pater hoc in primis secutus videri potest, qui vitē, & vini vsum rem magis gratam homini quàm necessariam, primus omnium demonstrauit. Sab. lib. 5. cap. 5.

CERES demõstratione tritici, an est aliud quàm immortalitatis spem intuita? nunquam tantum terrarum mortales docẽdo mulier perlustrasset, nisi spes magna, omnium conatuum mater, in communi laboranti affuisset: malè actum esset ab initio cum homine, si qui iuuare possunt, solum officium intuerentur. Idem.

Nec Thebanus ille ALCIDES tot sese monstris opposuisset, labores & pericula subiturus, si nulla æternitatis cura animum tetigisset. Hæc illi vel nouerca infestior, quæ nunquam passa est eum quiescere: hæc durior quàm ille, & imperiosus Eurystheus, per quem tam variè est exercitus Alcmenæ filius: denique fuisset ille nunquam tantus, si spem de immortalitate nullam animo concepisset. Idem.

Huc spectat illa ROMVLI, qui parens fuit & conditor Romanç vrbis, huc NVMAE sanctitas, etsi inter deorum aras hic vixit, ille inter lituos & arma: neuter tamen tãtum suscepisset laboris, si omnia cum corpore interitura credidisset. Aliquid ambo sperarũt diuersum à mortalitate: quapropter laboriosè viuere, non voluptuosè, maluerunt. Idem.

Ac CVRII paupertas, fides REGVLI, FABRICII constantia, CATONIS sanctitas, BRVTI & TORQVATI seueritas, multo longius prospexêre, quàm breuis sit humanæ vitç terminus, nisi virtutis operibus longius extendatur alia atque alia via, cęterùm omnes immortalitatis spem complexi tales fuerunt, qualium virorum fama sit omni æuo duratura. Idem.

Quid quod fœminis sua spes blandita est, æternitatémque pollicita? Quæ causa fuit Semiramidi, vt virilem sexum mentita, amplissimos ductarit exercitus multos & magnos adierit labores, periculáque immensa, præsertim Indico bello, licuisset illi, vt fœminæ, suç per ocium indulgere libidini: nisi aliquid esse persuasum habuisset, quod vltra hoc, quod viuimus, stabile esset, perpetuúmque mansurum. Idem.

Recusasset ARTEMISIA Xerxis commilitium, excusata sexus imbecillitate: sed & prælia obire voluit, & militares ferre labores, ne tota semel interiret. Eadem fortassis alteri eiusdem nominis causa fuit, & coniugalis amor sepulchri Mausolo construendi, rei opere & materia memoratissimæ: fuit enim inter tota mundi miracula id opus celebre. Vel si extincti coniugis famam insigni monumento tueri voluit (nam impatienter eum amasse dicitur) suam interim ambitiosa mulier non neglexit. Idem.

Nec Lucretiæ PVDICITIA, etsi à Tarquinio læsa, tantum esset facinus ausa, nisi hic affectus, cuius nunc exempla referuntur, interuenisset: est enim vis eius tãta, vt victura perimat, proferat peritura, neglecta fatorum lege. Idem.

ALEXANDER Magnus, cùm adhuc puerulo in literario ludo victoria, quam pater Philippus pepererat, narraretur, suspirans dixit: Si pater omnia vicisset, nihil sibi superfuturum. Cui cùm astantes respondissent: ipsi hæc omnia parari: dixit, Parui se ducere, quòd latè regnaret, quando parandæ gloriæ materia eriperetur. Iam in ea ætate Oriẽtales victorias animo visus est concipere. Fulgos. lib. 3. cap. 1.

ANTIGONVS rex Macedonum, cùm mitteret filium suum Demetrium cum numerosa classe, magnáque militum vi ad Græcos liberãdos: dicebat, Gloriam à Græcia velut à specula in orbem terrarum accendi. iuuenem gloriæ studio extimulans, vti strenuè rem ageret, quòd eius laudis rumor non intra Græciæ fines esset continẽdus, sed ob Græci nominis celebritatem per omnes mundi plagas dimanaturus. Roterodamus lib. 4. Apoph.

Vix adduci possem, vt hac ętate nostra, in qua vnà cum virtutibus, non parui solùm fit, verùm etiam penè despectui habetur fama, aliquem fuisse crederem, qui famæ desiderio morti se obiecisset, nisi ego ipse libellum legissem. Hieronymo Olgiato dictante, cùm torqueretur, scriptum: qui nunc è quatuor fuerat, qui Galeatium Sfortiam Mediolanensem ducem confoderunt. In eo enim libro fassus est, ad id facinus se adductū, solo gloriæ ac magni nominis desiderio: quo incensum se dicebat, cum priscorum hominum res præclarè gestas, puer adhuc in literario ludo legeret. Eo autem is fuit animo, vt notarius, qui moriẽti astabat, scripserit, cùm extremam penè animam Hieronymus ageret, Latinè hæc verba sub carnifice effudisse, cum iam cultro non admodum acuto pectus illi incideretur, commemorato tam acerbæ mortis optato præmio: Collige te Hieronyme, stabit vetus memoria facti. Mors acerba, fama perpetua. Fulgosus libro octauo, capite decimoquinto: & Egnat. libro 8. capite decimoquinto.

ÆMVLI ALIENÆ VIRTVTIS ET LAVDIS.

Honoris studium non nisi in magna & præclara ingenia cadit: quia virtutis veluti præmium est honor. Virtus quidem per se omni contentione caret: at gloria magnas sæpe æmulationes parit. Hesiodus in primo ἔργων, duplicem facit contentionem: alteram quidem laudabilem, quæ gloriæ stimulis excitatur: virtute perficitur, alteram verò κακόχαρτον, exitialẽ & perniciosam, quæ Inuidia verius quã Æmulatio dici debet: in qua solum contendendi studium & nocendi feruor absque virtute vlla continetur. Hæc enim gaudet alienis malis, nec tam sibi prodesse quàm alteri nocere studet: illa verò nemini obesse cupit, omnes aut certè quamplurimos virtute excellere optat: sibi tamen præcipuum honorem deferri postulat. De mala ergo & perniciosa Æmulatione hic non agimus: sed de ea tantùm, quæ virtute nititur, & per consequens etiam laudem & gloriam virtutis præmium spectat. Quæ non alio differt ab Imitatione, quàm quòd Imitatio est virtutis, at Æmulatio est Honoris atque laudis, quæ virtutem sequitur & concomitatur: ac propterea ad hunc locum pertinet. Laus profectò vera ex sola virtute prouenit: non vera autem, siue fucata, etiam ex aliis bonis corporis aut fortunæ. Vt ergo nihil sit hic quod desideretur, Æmulationem istam & certationem in omni bonorum genere, exemplis illustremus.

CERTAMINA ET ÆMVLATIONES IN Theoricis.

Species hæc æmulationis omnium laudatissima existit. Exempla quædam ex tit. Poetarum colliges, presertim Comicorum.

TRAGOEDI olim quatuor dramatibus certabant, Dionysiis, Lenęis, Panathenæis, & Chytris: quartum autem poema erat Satyricum. Laert. in Platone. In Panathenæis Æschylus primus tragœdiam dedit, Sophocles vicit. Alex. lib. 6. cap. 19.

In ELIDE quoque poetæ accepto themate, carminibus certabant, victóque coronam ferebat domum Ibidem.

DELPHIS ad Pythios ludos citharœdi, tibicines & fidicines concurrebant. Idem.

ROMÆ magnis oratorum & vatum certaminibus, noctibus magna luce ignium, singulis quinquenniis spectacula fuêre. Ibidem.

ARCHELAVS Mausolo agona dicauit, & ludos in quibus doctissimi sæpe decertarunt: inter quos Theopompus, Isocratis discipulus, omniū consensu propter singularem vim ingenij victoriam tulit. Ibidem.

QVINQVENNALE ludicrum Nero Cæsar primus ad morem Græci certaminis, è Græcia Romam traduxit: Iouíque Capitolino dicauit. in quo tam versu quàm prosa oratione, Græcè Latinéque, tum musica per citharœdos & citheristas, tum Gymnicis ludis certabantur. Alex. libro 6. capite decimonono.

NEAPOLI quinquennale certamen fuisse tradunt Musicum & Gymnicum: illis æmulum, quæ in Græcia summa laude celebrantur. Ibidem.

In DITHYRAMBORVM certamine poetis dabatur bos, vel tripos cum inscripto epigrammate: & Spartę in certamine poetarum prœmium ex farina & melle, quod Syrmeam dixêre. Alexander libro quinto, capite octauo.

HESIODVS poeta Cumæus, in certamine Musices repulsus fuit, eo quòd non didicerat vnà cum cãtu citharam pulsare. Pausanias apud Volat. lib. 15. Anthrop.

Olympiade prima & sexta, qua Exænetus Agrigentinus vicit stadium, contenderunt inuicem Xenocles & Euripides. Et primam palmam consecutus est Xenocles, quisquis is tandē est, Oedipode, Lycaone. Bacchis, & Athamante satyrico. Posthunc secundus erat Euripides Alexandro, Palamede, Troianis, & Sisypho satyrico. Ridiculum igitur est, cum eiusmodi dramata fuerint, Xenoclem non victum, & Euripidem non superiorem discessisse. Vnum itaque ex his duobus in causa fuerit necesse est, aut suffragiorum domini nihil viderunt, & imperitiam suam prodiderunt, procúlque à sano iudicio discesserunt: aut pecuniis corrupti fuerunt. Ignominiosum verò vtrunque est, & Atheniensibus indignum. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

THVCYDIDES Herodoti æmulus. Vide titulum Indolis theoricæ signa.

ARISTOTELES Stagirites, quum Xenocrates in Academia profiteretur Platonis loco, dixit: αἰσχρὸν σιωπᾶν, ξενοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν. Itaque & ipse in Peripato scholam aperuit. Laert. lib. 5. cap. 1.

ÆSCHYLVS tragicus Atheniensis, iam natu grandis, cum Sophocle adhuc puero certans, victus est. Quod cum iniquo ferret animo in Siciliam migrauit, & ibi obiit, ad fluuium Gelam sepultus. Plutarch. testis.

MENANDER à Philemone superatur iudicum inuidia. Vide tit. Poetarum tragicorum.

NICERATVS Heracleota & Antimachus Colophonius Lysandria poemata egerunt. Lysander Nicerato coronam, Antimacho nihil donauit. Antimachus indignatus, carmina sua aboleuit. At iuuenis adhuc Plato, Antimachi ingeniū admiratus, cum sic solari cœpit: Id verò est ignorantium vitium, vt meliora deteriora iudicent. Plut. in Lysandro.

STRATONICVS musicus, Ptolemæo rege de musica cum ipso contentiosius disserente: Aliud est, inquit, ô rex sceptrum, aliud plectrum. Significans, non esse regium, de musica cum musico disputare. Erasmus 6. Apoph.

IDEM musicus quum apud Sicyonios vicisset aduersum se cithara cerantes, consecrauit in Æsculapij tẽplo trophæum cum hac inscriptione: Stratonicus à malè cithara canentibus. Refertur ab Athenæo.

DIODORVS, Cronus cognomine, cùm apud Ptolemæum Soterem à Stilpone sophismata proposita soluere nequiuisset, à rege increpitus, & Cronus per contemptum vocatus, è conuiuio discessit: egressúsque librum de ea propositione scripsit, & vitam mœrore finiuit. Laertius libro secundo.

NICOMACHVS Atheniensis tragicus, qui, incertū qua fortuna, Euripidem & Theognim tragicum vicit. Gyrald. in hist. Poet.

PINDARVS poeta Thebis, in contentione imperitis auditoribus visus, superatus est à Corinna quinquies. Redarguens verò ruditatem ipsorum Pindarus, vocauit Corinnam. Quasi diceret, auditores ignorantia pares esse Corinnæ. Ælian. de Var. hist. lib. 13.

APOLLONIVS Naucratita, Heraclidis Lycij sophistæ æmulus, in orationibus eum vt laboriosum & ingenio tardum insectatur. Philostratus in Sophistis.

SECVNDVS Atheniensis, quem alij Epithyrum vocant, quòd architecti filius fuerit, multæ doctrinæ, mediocris eloquentiæ, æqualis & æmulus fuit Herodis Attici, ex quo Herodes illud Hesiodi elegãti mutatione in eum cauillatus est:

---καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ ῥήτορι τέκτων.

qui nihilominus senem postea morientem & epicedio & lachrymis honorauit. Philostratus.

SATRIVS Ruffus, non fuit contentus vulgari facundia: sed Ciceronis æmulus esse voluit. Plin. in Epist.

L. LVCVLLVS, iuuenis adhuc cum Hortensio causidico, & Sisenna historico per iocum primùm, deinde seriò contendit: ac professus est, seu oratione seu carmine Latino Græcóue, vtrum sors tulisset, bellum sese Marsicum descripturum. Videtur autem orationem Græcam fortitus fuisse. extat enim adhuc Græca eius belli historia. Plutarchus in Lucullo.

DOMITIANVS Imp. P. Papinium Statium patrem in Albano certa-

mine auro & corona donauit, victorem in poësi, & præceptorem suum. Eodem postea honore affecit & filium eius P.Papinium Statium iuniorē. Gyrald.Dialog.4.hist.Poet.

L.VAL.PRVDENTIVS poëta tredecim annos natus, Romæ in certamine sacro Iouis Capitolini, omnium iudicum consensu inter Latinos poëtas coronatus est, statuamq; meruit. Cuius inscriptio adhuc inter antiqua elogia habetur. Vide Gyraldum Dialogo 5.hist.Poet.

AVR. Olympius Nemesianus, Carthaginensis, cum quo Numerianus Imperator doctissimus in poëtica facultate certauit, scripsit Cynegetica, Halieutica & Nautica. Omnibus coronis poeticis illustratus emicuit.

HIPPOLYTVS præsul Alexandri Imp. tempore scripsit rationem Paschæ. In cuius æmulationem Origenes, eius ferè æqualis, scribere cōpulsus est ab Ambrosio suo. Teste Volat.lib.6.Anthrop.

D.HIERONYMVS, & Ruffinus presbyter Aquileiensis, orta inter se simultate, pro quæstionib. Scripturarum libros inuectiuarum, satis quidē luculento, sed nimis mordaci sermone alter in alterum scripsere. Sigebertus in Chron.

FRANCISCVS Philelphus Tolentinas, Emanuelis Chrysoloræ gener, in literis Græcis exercitatissimus, cum Timotheo quodam Græculo de vi syllabæ contendens, barbam victo inexorabili superbia derasit. Sic enim inter eos conuenerat, vt barba victus mulctaretur. Iouius in Elogiis.

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]

CERTAMINA ARTIVM MECHANICARVM

Pictorum certamina pete ex Plin.lib.6.cap.9

Mira ZEVXIS atque PARRHASIVS, in pingendi arte iis contentionibus, quas inter se exercuerunt ostendēre. Nam ad vuas quas Zeusis pinxit, aues specie deceptæ aduolarunt, vt eas manducarent. Parrhasius autem cum pictam in tabula mappam, qua tegi pictura in tabula videbatur, ad Zeusim tulisset: rogauit Zeusis, vt sublata mappa, tādem picturam ostenderet: sed mox errasse se magna mappæ similitudine deprehendēs, Parrhasio primam laudem eius picturæ concessit. Fassus, longè maius fuisse, quòd se pictorem Parrhasius, quām quòd ipse aues fefellisset. Fulgos.lib.8.cap.11.ex Plinio.

PYTHIS pictor superatus est à Timagora Chalcidense: quod ipsius Timagoræ carmine vetusto adparet. Plin.& Volat lib.18.Anthrop.

PARRHASIVS pictor, quòd purpuram gestate, caputque aurea corona redimere solitus fuerit, cùm alij testantur, tum etiam epigrammata plerarúmque eius imaginum. Certauit quodam tempore Sami, incidítque in aduersarium non multo se inferiorem, atque superatus est. Propositum autem quod in manus sumpserant, erat: Aiax dimicans cum Vlysse, pro Achillis armis. Victus Parrhasius, vrbanè respondit cuidam cōdolenti ex familiaribus, Se quidem parui pendere victoriam: condolere potius filio Telamonis, qui in eadē re bis iam aduersario fuisset inferior.

Vtebatur baculo, circum serpentes aureos racemos habente, aureis fibulis supernè calceamenta constringebat. Aiunt eum sine omni molestia & labore in suo opificio versatum esse, alacri facilíque animo, canebat enim, & modulis laborem artis mitigabat. Refert hęc Theophrastus apud Ælian.lib.9.de Var.hist.

PROTOGENES Rhodi viuebat. Eò Apelles videndi eius gratia profectus est: continuoq; petit officinam, in qua tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatā picturæ anicula quædam custodiebat. Ea Protogenem negauit esse domi: rogauitq;, à quo quæsitū diceret reuerso? Ab hoc, inquit Apelles: arreptoq; penicul̄o, lineā ex colore duxit summæ tenuitatis, per tabulā. Reuerso Protogeni, quæ gesta erant anus indicauit. Ac lineam ille contemplatus, continuò dixit: Profectò Apelles Rhodum venit, nec enim in alium cadit tam absolutum opus. Mox induxit alio colore lineam illa subtiliorem, anuiq; mandauit, vt si rediret hospes, diceret ostensa linea, Hic est quem quæris. Reuersus Apelles, & vinci se erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. Protogenes victum se cōfessus, in portum deuolat, hospitem quærit, domumque ducit victus victorem. Ex minimo vestigio artifex agnoscit artificem. Brus.lib.5 cap.23.

CERTAMINA ET AEMVLATIONES PRACTICAE.

THEMISTOCLES stimulis virtutum agitatus, & ob id noctes inquietas exigens, quærentibus, Quid ita eo tempore in publico versaretur? respondit, Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant. Marathō nimirum animum eius, & Artemisium, & Salamis, naualis gloriæ fertilia nomina, illustranda tacitis facibus incitabant. Idem theatrum petēs, cum interrogaretur, Cuius vox auditu illi futura esset gratissima? dixit: Eius à quo artes meæ optimè canerentur. Dulcedini gloriæ penè adiecit gloriam. Val.lib.8.cap.15.

ALEXANDER Magnus Achillis æmulus fuit, in monomachiis tanto inferior, quanto rerum gestarum gloria maior: hoc tamen Achilles excellit, quòd Homerum virtutis suæ præconem nactus fuerit. Alexādri æmulus fuit C.IVLIVS Cæsar. nam cùm ad Gades eius statuam vidisset, illachrymasse fertur, ea ætate Alexandrum totum orbem subegisse, qua ipse nihil adhuc dum vel laude dignum egisset.

C.IVLIVS Cęsar, quum Alexandri Magni res gestas legeret, non tenuit lachrymas, atque ad amicos: Hoc, inquit, ætatis qua nunc sum, Alexander deuicit Darium: mihi verò ad hunc vsque diem nihil præclari facinoris gestum est. Suetonius tradit id accidisse, quum prætor iure dicundo conuentus obiens, apud Gades in templo Herculis vidisset Alexandri Magni statuam. Vtinam hoc ingenium ad moderati potius quàm ad maximi principis æmulationem properasset. Plutarchus in Rom. Apophthegmatibus.

CERTAMINA IN BONIS CORPORIS.

ROBORE ET AGILITATE

Vide tit. Exercitationum corporis.

ICCVS Tarentinus, nobilis palæstrita, ideo toto vitæ tempore Veneris expers fuit, vt arti accommodatior esset. Tanta illi glorię cupido fuit. Ælian.de Var.hist.

Mos erat apud Lacedæmonios, vt rex hostes aggrederetur, præcedente quopiam gestante coronam, qui in certamine victor aliquando tulisset coronam. Quum igitur LACON quidam in Olympiis magnam pecuniæ vim respuisset, sed multo cum sudore deiecto aduersario coronā tulisset, cuidam dicenti, Quid emolumenti tibi adfert victoria ô Lacon? ille ridens & alacer respondit: Ante regem, inquit, coronatus incedens, pugnabo cum hostibus. Generosæ mentis est, laudis honore teneri potius quàm pecuniæ. Plut.in Lac.

FOECVNDITATE.

RACHEL cum LIA sorore certat de fœcūditate, adeò vt cùm ipsa parere non posset, Balam ancillam Iacobo marito subiecerit, ex qua Danē & Nephthalim sustulit. Lia similiter, cùm ipsa gignere desiisset, Zilpam ancillam Iacobo dedit, ex qua Gadum & Aserem suscepit. Genes.30.

FORMA ET PVLCHRITVDINE.

Apud ELIDEM formæ pulchritudinísque certamen fuit: vbi si quis venustate alios superat, ad templa vittatus deducitur, myrtóque coronatus, Diadumenus vocatur, & arma dono arrepta Mineruæ consecrat. Alexan.ab Alexan.libro quinto cap.8.& Volater.5.capite octauo.

In CARERIS Eleusinæ festo, prope Alpheum speciei certamen erat, in quo Tenediæ mulieres omnium quotquot sunt in Asia venustatis palmam tulerunt: tametsi Hypæpas, tanquam venustatis præcipuæ, alij celebrarint, & Homerus formosissimas in Hellade asseuerēt. Alexand.libro quinto capite octauo. Illic victrix Herodice palmam meruit: teste Cœlio libro 13.capite nono.

SYRACVSANAE sorores duæ, formæ conspicuę rur: educatæ, inter se de natium specie persæpe certabant. Hæ pari consensu sese vrbani adolescentis iudicio permisere. Qui vtraque conspecta, pro maiore pronunciauit, quòd nates pulcherrimas haberet, sibique eam in vxorem delegit. Eius verò frater nō inuitus alterā accepit. Vnde Veneri καλλιπύγῳ templum

templum Syracusis conditum. Gyraldus Dialogo septimo historię Poetarum.

TERENTIA, Mecœnatis vxor, cum Liuia Augusta de forma certare voluit: iampridem enim Augustum in sui amorem pellexerat. Dion in Augusto ait, Augustum ex vrbe in Gallias profectum, vt sermones qui de se & Terentia ferebantur, effugeret.

CERTAMINA IN BONIS FORTVNÆ.

Inter GRÆCIÆ populos maximè de antiquitate & deorum muneribus cum Atheniensibus certant Argiui: non aliter quàm inter BARBAROS cum Phrygibus Ægyptij. Pausanias in Atticis.

MAGISTRATVS PER SE APPETERE.

MAGISTRATVS CVM ALIIS CERTANDO

appetere. Competitores.

PVB. Sylla, eo quòd competitor in consulatu Titi Manlij Torquati fuisset, ab eiusdē filio accusatus est. Itaque Sylla & collega damnati sunt. Vol.lib.17.Vrb.com.

L.CASSIVS, L. filius, fuit inter competitores Ciceronis in consulatu. teste Asconio Pediano.

SYMMACHVS pontifex Rom. natione Sardus, competitorem in pōtificatu habuit Laurentium, qui clerum & populum diuisit. Verùm cum Theodericus Gothorum rex, qui tum Italiæ præerat, concilium Pontificibus indixisset, prælatus est Symmachus, qui pontifex fuit vsque in annum decimumsextum. Cranzius lib.2.cap.2.Metrop.

BONIFACIVS primus Pont.Rom. habuit competitorem Eulalium Vnde cùm multa dissidia orirētur, ambo vrbe eiecti sunt. Sed paulò pòst reuocatur ad pontificatum Bonifacius: qui cùm multa constituisset, anno quarto sui pontificatus, in Domino obdormiuit. Ibidem.

BONIFACIVS secundus Romanorum pontifex, patria Romanus, habuit competitorem Dioscorum. Ibidem.

NOMINIS IMMORTALITATEM PER HISTORIAS

& literarum monumenta affectare.

ALEXANDER Magnus, cum de rebus suis non bonum poetā Chœrilum scripsisse intelligeret (quanquam sæpe dicere soleret, ab Homero se Thersitem esse, quàm à Chœrilo Hectorem aut Achillem, scriptum malle) vt alios doctiores ad scribendum inuitaret, singulos versus Chœrili Philippeo numo redemit. Præcipitē quoque ille idem in Hydaspem amnem deturbare Aristobulum voluit, cum ei falsas ipsius laudes recitasset: ademptum profectò ei librum in amnem demersit. Fulgosus libro 8.capite decimoquinto.

IDEM Phrygia, apud Achillis sepulchrum, lachrymas profudit: quia Homericam eloquentiam, Achillis rebus gestis præoccupatam videbat, neque sibi parem in scribendis rebus suis contingere vatem posse dolebat. sperasset enim, si suarum rerum gestarum magnitudini, Homero similem præconem inuenisset, se nominis sui æternitatem certius consecuturum. Ibidem.

LYSANDER Lacedęmonius, ductus & ipse gloriæ desiderio, Chœrilum poetam secum semper habebat, vt carminibus ea celebraret, quæ ipse armis atque virtute gessisset. Ibidem.

SVPERIOR AFRICANVS Ennij poetæ effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari voluit, quòd ingenio eius opera sua illustrata indicaret: non quidem ignarus, quàm diu Romanum imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus esset subiecta, totiúsque terrarū orbis summum culmen arx Capitolina possideret, eorum extingui memoriam nō posse: si tamen illis literarum quoque lumen accessisset, magni æstimās: vir Homerico, quàm rudi atque impolito, præconio dignior. Val. Max. lib. 8.cap.15.& Cic.pro Archia.

M.TVLLIVS Cicero, longa epistola à Lucio Luceio, ciue Romano, enixè petiit, vt Catilinariæ cōiurationis historiam seorsim ab aliis rebus, ad propagandam nominis sui famam scribere vellet: neque abstinuit illud quoque deposcere, vt in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsóque viuente eam ederet, vt viuens gloria sua perfrui posset. Fulgos.libro 8.capite 15. Testatur quoque φιλοτιμίαν suam Cic. passim, præsertim in Orat. pro Archia.

L.SYLLA, cùm hastam spectaret, vbi publicata quorundam ciuium bona vendebantur: & ei quædam carmina, in ipsius laudem scripta, non bonus poeta dedisset: famæ desiderio motus, ex his quæ subhastabantur, nonnulla munus poetæ dare iussit: ea lege, ne in posterum de se scriberet: tanta eum famæ suæ cura tenebat. Fulgosus libro octauo, capite decimoquinto ex Cic.pro Archia.

CN.POMPEIVS Magnus, Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum ciuitate donauit, beneficium per se amplum accurata etiam & testata oratione prosecutus. Quo effectum est, ne quis dubitaret, quin referret potius gratiam, quàm inchoaret. Val. Max.lib.8.cap.15.& Cic.pro Archia.

D.BRVTVS familiari cultu & prompta laudatione Accij poetæ delectatus, eius versibus templorum aditus, quæ ex manubiis consecrauerat, adornauit. Val.Max.lib.8.cap.15.& Cic.pro Archia.

AVGVSTVS Cæsar, cùm testamentum suum scripsisset, libellos etiam quatuor adiecit: in quorum secundo res à se gestas ideo annotauit: vt in columnis æneis ad sepulchrum suum insculperentur. Dion Nicæus.

ÆLIVS Adrianus magna diligētia rerum suarum historiam scripsit: & ne ei nominis sui inscriptio fidem adimeret, vt libertorum suorum nomine edidit Septimius quoque Seuerus, nō alterius, sed suum imposuit titulum. Fulg.lib.8.cap.15.

D.HIERONYMVS in eo libro quem de Viris illustribus scripsit, in eorum catalogo se ipsum quoque connumerat: diligenti etiam cura omnibus voluminibus, quæ vsque ad eam diem scripserat, titulos ac nomina sua indens. Augustinus quoque in Confessionibus propriam vitam doctrinámque luculenter, cùm aliud agere videretur, expressit. Ibidem.

EVGENII IIII. Veneti, Rom.Pont.studio, dissidens Græcia inter se reconciliata fuit, concilio œcumenico Florentiæ indicto. In quo Palæologus ipse Constatinopolitanus imperator interfuit, ipséque patriarcha cum vniuerso suo clero præsens affuit. Quare tunc expetita per tot annos concordia inter Latinos Græcósque homines fœlicissimè successit. Id quod Eugenius ipse non literis tantum Græcis Latinisque mandari curauit, sed reliquis etiam subministrauit, foribus ex ære ad diui Petri tēplum fabrefactis, quæ rem perpetuam etiam vulgo testarentur. Egnat. lib.8.cap.15.& Fulg.eodem.

ALPHONSVS Aragonius, Siciliæ rex, gloriæ atque famæ studiosus, non contentus ædificiorum magnitudine, qua nulli recentiorum regū cessit: apud se Panormitam, insignem eo seculo poetam, item Bartholomæum Faccium, historiæ scribendę peritum habuit, qui gestas ab eo res perscripserunt. Fulg.lib.8.cap.15.

FAMÆ IMMORTALITATEM PER QVÆVIS ALIA OPERA, PER

statuas, sepulchra, vrbes, epigrammata, picturas, &c. affectare.

Consule titulum, Statuarum, sepulchrorum, &c.

Vrbes ab Alexandro Magno nominatæ in India, apud Assyrios, Ægyptum atque Asiā: item à Seleuco Seleuciæ, Antiochiæ ab Antiocho, Cæsareæ quoque per terrarum orbem à Cæsarib. conditæ, nihil aliud indicant quàm immensum famæ desiderium: quia sperabant huiusmodi vrbium conditores, ea appellatione, additis simul præclarè gestis rebus, se æternitati nomina sua consecraturos. Fulg.lib.8.cap.15.

ALEXANDER Magnus edicto vetuit, ne à quoquā pingeretur, præterquam ab Apelle: aut à quoquam ęre sculperetur, prȩterquam à Lysippo, artificibus illius ætatis præstantissimis. nam hoc quoque iudicabat ad principis dignitatem pertinere. Cum Chœrilo poeta pactus erat, vt pro vnoquoque bono versu Philippicum acciperet aureum, pro malo colaphum. Eras.lib.4.Apoph.

Quum Alexander Thebanorū mœnia diruisset, Phryne meretrix pollicita est de suis impendiis reposituram, modò ciues paterentur hoc insculpi elogium: Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη. id est, Alexander quidē subuertit, sed Phryne restituit. Hic meritò quis dubitet, vtrū sit admiratione dignius. an quòd scortum corporis vsura tantas opes collegerit: an quòd tanto nominis amore teneretur, vt titulum tam carè voluerit emptū. Nam vt præclarius est restituere, quàm demoliri: ita speciosior fuisset laus Phrynes scorti, quàm Alexandri regis. Eras.lib.8.Apoph.

Quum Thucydides vociferaretur apud POPVLVM aduersus Periclē, quòd in picturas ac statuas summorum artificum profunderet reipub. census: ipse assurgens rogauit populum, Videretur ne multum impendisse? quo respondente, Plurimùm: Age, inquit, sint igitur hæc mihi impensa, & non vobis: atque ipsis donariis deorum, meum tantum nomen inscribam. Hæc vox subitò mutauit animum populi, iussitque vt publicis impendiis pergeret, nec vllis parceret sumptibus. Eras.lib. 5. Apoph. ex Plutarcho.

Darius contra Scythas profectus, Bosphorum Thracium ponte sublicio iungi fecit. Eo ponte delectatus, autorem eius, Mandroclem Samium donauit decuplo. Ex cuius primitiis Mandrocles pictis animalibus,

commissionem Bosphori & regem Darium Medico solio sedentem, ac suas copias traducentem, effinxit, eamq; picturam templo Iunonis dedicauit, cum hac inscriptione:

Qui rate piscosum coniunxit Bosphoron, implens
Darij regis vota iubentis opus,
Iunoni Mandrocles hæc monumenta dicauit,
Esset honor Samiis vnde corona sibi. Herod. lib. 4.

SOSTRATVS architectus, per inscriptionem Phari Ægyptiæ turris. Vide tit. Honores ablatos recuperare & vindicare.

MAMVRII fabri, & CONSTANTINOPOLITANI cuiusdam architecti studium in fama nominis propaganda, vide sub tit. Mechanicis artibus honor exhibitus.

BELISARIVS, posteaquam in Italia sæpius Gothos deuicit, regémque eorum Vitigen, & in Africa Vandalorum regem Gilismerem cæpit, Aphricam quoque & Siciliam recepit, & de Persis triumphauit: Cruci aureæ, gemmis contextæ, centum pondo, Gręcis Latinísque literis, victorias suas inscripsit, atque eam Romæ sancto Petro apostolo munus dedicatus ob religionem, perpetuum atque insigne omnibus seculis magnitudinis militaris virtutis suæ monumentum fore. Fulgosus libr. 8. cap. 15. & Egnat. libro octauo, cap. 15.

EVGENIVS quartus pontifex, cùm non satis sibi duceret, quòd à multis scriptum esset, ab eo Florentiæ Græcorum, Armeniorum, Æthiopum atque Indorum ecclesiam in id deductam, vt ipsorum atque Latinorum vna esset fides, idémque ab omnibus crederetur: voluit etiam, vt tota illa historia, duabus æneis foribus exprimeretur: easque ipsas fores, ad primariam in Petri apostoli templo portam posuit. Idem.

SIXTVS quartus Pontifex, in porticu, quam à fundamentis instauratam, sancti Spiritus hospitatoria domo Romæ condidit, vitam suam resque à se gestas pingi iussit: pontemque qui in Tyberi dirutus erat, instauratum, à suo nomine Sixtum appellauit. Fulgosus libro octauo cap. 15.

DIGNITATES ET MAGISTRATVS OBLATOS REpudiare, respuere, negligere.

EXEMPLA SACRA.

ISAAC monachus, cùm resciisset decerni sibi presbyteratum, de Scythia transmigrauit in Ægyptum, vastæ solitudinis secessum quæritans, vt hominum effugeret conspectum. Sed qui diuinitùs eligebatur, latére nō potuit. Cùm enim fratres in Ægyptum vsque illum quæsitum profecti essent, & asellus quem secum habebant, per desertum fugiens, ad speluncam ipsius substitisset, eo insecuti, dum asellum comprehendunt, monachum quem vix inuenire sperauerant, conspiciunt. Quare læti, gratátésque, simul ipsum vt secum redeat hortantur. Igitur cùm se ille muti animalis indicio deprehensum agnouisset, intellexit Dei voluntatem: & fratrum votis annuens, ad monasterium reuersus, presbyteri officiū suscepit. Hic mihi probè obseruasse videtur, quòd Apostolus ait: Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, inquit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Marulus libro primo, capite sexto.

PASTVMIVS monachus, à Macario abbate post vitæ huius labores ad beatitudinis quietem decedente, in locum suum succedere iussus, & fratrum curam habere: diu renuit atque recusauit, obnoxiè affirmans se abbatis honore indignum, officij ignarum, sollicitationum labori imparem. Verùm obedientiæ pressus iugo, flens, tandem regendi monasterij munus suscepit. Et quia ex humilitate sibi prorsus diffidebat, à Domino meruit adiuuari, atque ita vt ei per angelum suum præcepta institutionésque dirigeret: quibus ille fratres sibi commissos instruēdo, in omni sanctitatis genere facilè reddebat perfectos. O verè igitur beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Ibid.

ODDO Cluniacensis cœnobij monachus, à Benone abbate proximè decessuro suffectus, cùm fugam pararet, à fratribus comprehensus, corámque adductus, nō solùm abbatis compellente iussione, verumetiam episcoporum vrgentib. censuris regimen inuitus accepit. Indignum enim se esse arbitrabatur, qui præesse deberet, cum se cunctis inferiorem constituisset: sic tamen se gessit, vt multis postea miraculorum signis nobilitatus sit, Deo humilitati eius gratiam conferente. Ibid.

LAMON monachus mori præoptauit, quàm Episcopus viuere. Hieropoli enim electus, nullis suasionibus adduci potuit, vt electioni assentiret. Cumque Theophilus episcopus fortè ex itinere eòdem loci diuertisset, atque itidem suaderet, quando iam tantę auctoritatis viro apertè refragari difficile erat, diem ad deliberandum impetrauit. Dum autem in *solo loco* genibus prouolutus, toto eo tempore secretæ precationi intendisset, inuentus est efflasse animam. Hoc ipsum petenti illi diuinitùs indultum credi par est, verenti vtique, ne si episcopum gereret, quę episcopi sunt, præstare non posset: aut si præstitisset, ne vel ex hoc in elationem aliquam mentis incidens, illis iam tandem comparandus euaderet, quibus dicitur, Væ vobis qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Ibid.

Sanctus GOAR monachus, in Gallia à rege Sigeberto ad Treuerēsem episcopatum vocatus, postquam recusando nihil se proficere videret, triginta dierum manendi in monasterio moram, quasi res suas expediturus petiit. Interim in cellula sua se includens, Dominum precatus est, paratum se ad omnia dura pro illius amore sustinenda, tantum hoc episcopalis officij onere se grauari non sineret. Mox ergo febri correptus, reliquum vitæ in lectulo æger peregit: ne sanus ad pręsulatum cogeretur, quandoquidem etiam quoduis pati sibi satius putauit. Ibid.

Beatus Leonardus inter aulicos regis Galliarum aliquando primo loco habitus, cùm tandem contempta mundanę ambitionis luxuria, ad religionem conuersus Dei seruitio sese addixisset, nec adhuc tamen minoris æstimationis apud regem esset, episcopatum ab eodem sibi oblatum recusauit. Ac ne deinceps huiusce rei illectatione aliqua tentari capiue posset, inde in Aquitaniam discedens, operam prædicationibus dedit. Ibidem.

AMBROSIVS, Romanus patricius, cùm Mediolanensem pręfecturam gereret, videretque à populo Mediolanensi ad se deferri episcopatum, abiectiore vitę genere contentus, sequenti nocte Mediolano profugit. Cęterùm à populo retractus, coactúsq; episcopatum assumere, ea integritate virtutéque administrauit, vt postea eius memoriam ceu sanctissimi hominis Mediolanenses ciues semper coluerint. Fulg. lib. 4. ca. 1. & Egnat. lib. 4. cap. 1.

ANDREAS Minorum ordinem professus, modestię plenus, ingenti animo Cardinalatum abnuit, quem ei patruus Alexander quartus offerebat. Fulgos. lib. 4. cap. 1.

GEMINIANVS Mutinensis clericus, defuncto Antonio episcopo, à populo electus fugit. Dum autem latitaret, & quęri dignus fuit, & inueniri. Qui quia inuitus consecratus est, tantam promeruit gratiam, vt nō solùm Mutinensem ecclesiam optimè gubernarit: sed etiam miraculorum fama celebris mundo fuerit. Iouimani Imperatoris filiam à dæmonio liberauit. Attila Italiam vastante, suos non repugnando incolumes seruauit. Ipso enim orante, hostis apertis portis vrbem mediam percurrens, eam prorsus inoffensam intactamq; reliquit. Marul. libr. 1. cap. 5.

GREGORIVS pontifex quàm grauatim ecclesię gubernandæ subierit onus, hęc res indicio est. Quòd cùm illud palàm repudiare sibi integrum non esset, inhibente populo, clandestina fuga ab vrbe decedere decreuit: & cùm exitum omnem diligenti septum custodia videret, dolio se condi & exportari fecit. Tum proximi montis vastam solitudinem penetrans, antrum quoddam adiit, satis ibi se latere sperans. Cęterùm cùm quęreretur, lucida nubes loco incumbens prodidit latentem. Inuentus ergo, in sedem quam fugerat, rediit, non tam ab hominibus quàm à Deo miraculo testante electus. Ibidem.

SENEX quidam, inquit D. Hieronymus, eremi cultor, & Spiritu sancto plenus, nepotem suum quærentem, vtrum episcopus electus munus accipere deberet, super disco satis altè à terra erecto diu fecit volutari. Cumq; ille postremo casum se timere dixisset, iussit vt descenderet, atq; itidem super latam mollioris soli planiciē sese agitaret, vbi ex multa volutatione sudanti ac defesso: Surge, inquit, & iam facere perge, quod tibi tutius factu putas. Itaque edoctus de pręminentię periculo iuuenis, electioni renunciauit. Ætatis vitio delirasse senem, dicere possent improbi cauillatores, nisi rem saluberrimi consilij plenam miracula confirmaret. Constat enim iuuenem illum postea vita defunctum seni apparuisse, & postquam gratias egisset, dixisse: Scio quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero episcoporum. Ibid.

Post Pelagij pontificis mortem GREGORIVS primus cū sciret à Romanis ei se electum successorem (etenim temporibus illis Pōtificum electio patum valida erat, nisi eam, qui tunc imperabat, confirmaret) statim ad Mauritium Augustum Constantinopolim scripsit, ne electioni de se factę assentiri vellet. Cæterùm à Romanis nūcio cum literis intercepto, Mauritius populi precibus eum confirmauit. Fulgosus lib. 4. capite primo & Egnat. lib. 4.

PETRVS Muronus (qui postea Celestinus quintus est dictus) vt omnes alios pontifices modestia superauit, ita postremus penè in clericali ordine inuenitur, qui magnus modestiæ cultor fuerit. In eo enim clericalis characteris bonitas fecisse videtur, quod accensæ lucernę lumē consueuit, scilicet vt deficiēte materia, atque propinquo luminis fine, supra consuetum flammam in maius effundat. Nam mortuo Nicolao quarto, cùm iam biennio interregnum continuasset sacer senatus, discors de noui pontificis electione, demùm Petrum ipsum Muronum omnium suffragiis elegit. Cùm autem diu laboratum esset, vt is delatū acciperet honorem, spreta omni pompa, quantū fieri poterat, seruare eremiticæ vitę, cui antea deditus fuerat, formam nitebatur: & tandem pontificias curas fastumque abhorrens, nulla necessitate compulsus, quin potius multis contrà nitentibus, atq; ne id ageret obtestantibus, post quintum mēsem pontificatuum solenni ritu seruato, in cardinalium manu deposuit, eremiticámque vitam atque habitum resumpsit. Fulg. lib. 4. cap. 1. & Marul. lib. 1. cap. 6. & Egnat. lib. 4 cap. 1. & Volat. lib. 22.

BENEDICTVS tertius pontifex maximus, post Leonem ad pontificatum vocatus, diu lachrymis restitit, dum se tanto honore indignum dicat. Sed tandem eum honorem assumere coactus, ita se gessit, vt electionis autores nunquam pœniteret. Fulgos. lib. 4. cap. 1.

Benedicto Nicolaus primus in pontificatu succedēs, cùm se electum intelligeret, clàm ab vrbe Roma profugit: magnoque labore à Romanis inuentus, maiore vi, collatum accipere pontificatum vt vellet, cogi vix potuit. Atque haud minus in hoc laboratum, quàm his temporibus plerique

soleant, qui ad sacerdotij apicem malis artibus vitam astruunt. Fulgos. ibidem: & Egnat. eodem.

IOVIANVS, quum post Iulianum apostatam, qui aliquot Christianorum millia interfecerat, ad imperium raperetur, clamabat: Nolle se infidelibus imperare, quum ipse esset Christianus. Cui responsum est à militibus omnibus, sese quoque Christi fidei esse obnoxios. Nicepho. libro 10. capite 38.

EXEMPLA PROFANA.

ARETAPHILA Cyrenæa, Nicostrati tyranni coniunx, ab eo singulariter amata, vt patriæ charitas, in qua tyrannidem Nicostratus sæuè nimis exercebat, in viri comparationem venit. Duplici experimento ostēdit, nihil esse in humanis post Deum, quod patriæ præponi debeat. Nam & Nicostrati fratrē Leandrum magno consilio impulit, vt Nicostratum occideret: & cùm se Leander fratre immitiorem gereret, & quod de eo occidendo egerat, nō patriæ charitate, sed auaricia egisse palàm fecisset, eadem Aretaphila consilio suo effecit, vt Leander quoq; occideretur, libeгæq; Cyrenæ eius morte remanerent. Cùm autem eius opera duobus liberatæ immanibus tyrannis Cyrenæ, inter ea quibus Aretaphilę virtutē honore prosequi decreuerant, principem eam publicorum consiliorum atq; omnis publicę administrationis facere vellent, ipsa omnibus spretis, se in sacrarum virginum conuentum contulit, atq; inter eas humana ambitione molestiaque procul vitam egit. Fulg. lib. 4. cap. 1.

OTHANES Persa, coniuratorum aduersus magos falsumq; Smerdē primus, cum egregio perpetrato facinore diu frustrà laborasset vt sociis persuaderet, vt nullo vltrà creato rege, Persiden patriam liberam relinquerent: posteaquam vidit eos omnino ad creandum regem inclinare, cum eis ita conuenit, vt quò ad se, neque domini, neq; serui conditionē subiret. Nam vt regiæ dignitatis honore se priuabat, ita seruitutem quoque induere nolebat. Verè profectò generosi moderatique animi indicium, cùm prorsus inter se duo aduersa seruitutem atque regnum æquè abhorreret. Ibidem.

THEMISTOCLES Neoclis filius, audiens quosdam ambire magistratum: Si mihi, inquit, duas ostenderetis vias, quarum vna ad infernum, altera ad tribunal duceret, multo libentius ingrederer eam quę rectà ad infernum tenderet. Non ignorauit sanè vir sapientissimus, quantæ curę, molestiæ, vexationes, circūueniant eos, qui in magistratu constituti, omnibus expositi esse coguntur. Ælian. lib. 9. Variæ historiæ,

Xerxes LEONIDÆ Lacedæmoniorum regi scripserat: Si desinas θεομαχεῖν id est, cū diis bellare: sed meis te copiis adiunxeris, potes Gręciæ fieri monarcha. Huic ita respondit Leonidas: Si nouisses quæ sint in vita honesta, abstinuisses à concupiscendis alienis. Mihi verò potius est pro Græcia mori, quàm in populares meos gerere monarchiam. Quid tam impium est, quod mortalium vulgus non admirat ampli principatus gratia? At hic prius duxit honestam mortem pro amicis liberādis oppetere, quàm monarcha factus eos seruitute premere, à quibus venerat depulsurus seruitutem Barbarorum. Plutarc. in Lacon.

T. QVINTIVS Cincinnatus Cos. cum honorem eius P.C. continuare vellent, non solùm propter illius egregia opera: sed etiam quòd populis eosdem tribunos in proximum annum creare conabatur, quorum neutrum iure fieri poterat, vtrunque discussit, senatus studium simul inhibendo, & tribunos verecundiæ suæ exemplum sequi cogendo: atq; vnus causa fuit, vt amplissimus ordo, populúsque tutus esset ab iniusti facti reprehensione. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

T. MANLIO Torquato, cùm omnium consensu apud Romanos consulatus deferretur, oculorum aduersæ valetudinis causam prætexit, quo honorem oblatum commodè recusaret. Instantibus autem cunctis: Aliū, inquit Manlius, quærite Quirites ad quem hunc honorem transferatis. Nam si me gerere eum coēgeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis. Plin. cap. 28. de Viris illustribus. Val. Max. lib. 6. cap. 4.

Senatus populúsque Romanus, cum ei propter externa bella ciuiléśque motus necessarium videretur Dictatorem dicere, T. LARGIO & Q. CHLOELIO cos. quorum virtuti fidebat, alteri ipsorum dictatorem dicendi munus demandauit. O ingentem temperati animi modestiā, quicquid contentionum alij suscepissent, vt ipsis hic honor demandaretur, id totum inter eos consumptum est, vt ipsum honorem collega acciperet, biduoque consumpto in tam honesta mutuò transferendi in collegam honoris concertatione, vix tandem Senatus ac collegæ precibus victus, dictaturam T. Largius suscepit: semper affirmans, eo honore Chlœlium se digniorem esse: cui non minus laudis ac gloriæ hæc tanta animi moderatio atque temperantia peperit, quàm si primus in vrbe dictaturam obtinuisset. Fulg. lib. 4 cap. 1.

Ingentem modestiam PRIMVS qui è Cornelia gente Africani nomen assecutus est, ostendit, cùm in Hispania post deuictum Asdrubalem ab omnib. Hispanis rex salutatus est, declinato enim superbo regis nomine, Hispanos grauissimis verbis, vt in populi Romani fide permanerēt, hortatus est. Ibidem.

Non defuit Romanis grata mens ad pręmia EIDEM exoluenda. Siquidem maxima eius merita parib. ornamentis decorare conati sunt: voluerunt illi statuas in comitio, in rostris, in curia, in ipsa denique Iouis opt. max. cella ponere: voluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam Capitolinis puluinaribus applicare: voluerunt ei continuum per omnes vitę annos cōsulatū, perpetuamq; dictaturam tribuere: quorū sibi nil neq; plebiscito dari, neque S.C. decerni patiendo, penè tantū in recusandis honoribus se gessit, quantū egerat in emerēdis. Val. Max. li. 4. c. 1.

M. RVTILIVS Censorinus, censor iterùm creatus, ad concionē populum vocatum, quàm potuit grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset: cuius maiores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum iudicassent. Vterque rectè, & Cēsorinus, & populus. Alter enim, vt moderatè honores crederent, pręcepit: alter, se moderato credidit. Ibidem.

Q. FABIVS Maximus vltimum consulatum recusauit: dicens se iam senem ac perfunctum laboribus, laborum pręmiis nō solicitandum, cùm nec temporis nec animi vigor ille idem adesset. Ex qua recusatione tantam laudem assecutus est, vt non minor inde illi authoritas increuerit, quàm ex iis quæ postea fortissimè in ipso consulatu gessit. Pont. libr. 2. de Magnanim.

IDEM, cùm à se quinquies, & à patre, auo, proauo, maioribúsque suis sæpenumero consulatum gestum animaduerteret, in comitiis, quibus filius suus summo consensu Cos. creabatur, quàm potuit constanter, cum populo egit, vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti daret: non quòd virtutibus filij diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius, aut valentius? quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habētur, superauit. Val. Max. lib. 4. cap. 1. Plin. de Viris illust. cap. 32. Fabium Rullianum vel Rutilianum vocat.

CICEREIVS, quum prætoriis comitiis Cn. Scipioni superioris Africani filio competitori omnium suffragiis præponeretur: erubescens se tanti viri filio prælatum, ex competitore suffragatorem se fecit. Rauis.

GERMANICVS, pater Caligulæ, cùm à militibus suis imperator cōtra Tiberium nominatus esset, post Augusti mortem pluribus verbis seipsum excusauit. Quibus cùm nihil proficeret, & eos dimoueri de sententia nequaquam posse videret, gladium distrinxit, tāquam sibi ipsi manus inferre vellet: vix tamen militum furor à Caligula eius filio sedatus est. Et sic cùm posset summum adipisci principatum (beneuolētia enim populi Romani, atque subditorum omnium, omnino erat in eum propensa) noluit. Dion in Tiberio: & Fulgos. lib. 4. cap. 1.

GORDIANVS senior Africanus, cùm à militibus, qui strictis gladiis ac pugionibus eum accesserant, Augustus salutatus esset, senex fessus à grabato surgens, imperium oblatum detrectauit, humi proiectus supplicando: tandem minis compulsus est rem suscipere. Volaterr. libro 23. Anthrop.

Triarium MATERNVM post Commodi Imperatoris mortem, quia Pertinax senior, & tanto oneri parum idoneus videbatur, exercitus creare imperatorem volebat. Retinentibus ergo eum militibus, & electioni assentiri cogentibus, relicta veste, quam milites apprehenderant, nudus ab eis profugit. Fulgos. lib. 4. cap. 1.

Cum occiso in Persica pugna Iuliano, Rom. imperium ad interregnū venisset, magnis precibus egit vniuersus exercitus apud SALLVSTIVM, Palatinam pręfecturam sustinentem: qui non solùm diligēs, verumetiam audacis animi vir erat, vt imperij honorem suscipere vellet. Sed frustra laboratum est, Sallustio parum prosperam valetudinem seniumque excusante. Quę res exercitum mouit, vt Iouinianum ferret, qui nulla publica autoritate eum honorem vsurpauit. Fulg. Ibidem.

LIBANIVS sophista, ex Antiochia Cœlesyrię ciuitate, cùm in Iuliani principis dignationem venisset, præfecturam prætorij respuit: dictitās esse plus sophistam, quàm pręfectum. Suidas apud Volaterranum libr. 16. Anthrop.

Cum haud longè Gothi abessent, vt à Belisario armis victi viderētur, antequam prorsus arma deponerent, vehementer Gothi apud eum egerunt, vt qui ipsos Iustiniani auspicio armis persequebatur, Italiæ se regē facere vellet: polliciti, si id agere voluisset, se sine contentione imperata facturos (adeò eum propter immensas virtutes amabant: Iustiniani autem auariciam abhorrebant) Is cùm ambiguis verbis annuisse videretur, dicto audientes per aliquod tempus Gothos habuit, Rauennaque & Vitigi potitus est. Cæterùm posteaquam ob eius rei suspicionem ab Italia Iustinianus eum reuocauit, ipse statim parère constituit, quanquam etiam inuito Iustiniano manere potuisset. Gothi verò cum intelligerent profectionem eum parare, Papiæ Idoaldum regem crearunt: qui statim ad Belisarium misit, si ipse Italicum regnum suscipere vellet, se ad eum iturum, & regno quod à Gothis delatum habebat, ei cessurum. Quam rem tunc Belisarius apertè abnuit se facturum. Maiore enim industria atque arte vsus est, ob animi temperantiam, in recusando regno quod ipse armis ac virtute sua pepererat, quàm multi vt potirentur egerunt. Quanquam in eum ingratè se ob auariciam Iustinianus habuerit, parumque æquus tantæ virtutis æstimator visus fuit. Fulgos. libr. 4. cap. 1. & Egnat. eodem.

VRAIA Gothus post Vitigem Gothorum regem patruum bello captum, quem Belisarius Constantinopolim captiuum miserat, cùm ad eū ob singulares virtutes Gothi regnum deferrent, minimè assentiri voluit. Affirmabat enim, quanquam captiuus esset Viriges patruus, tamen quia legitimus Gothorum rex esset, locum eius, dum viueret, quia iniustè id fieret, occupaturum non esse. Itaque cùm Gothi sine rege manere nollent. Idualdum pro eo regem crearunt.

Pius pontifex scribit, ætate sua Ludouicum Thuringię Landegrauium, ad Imperatoriam maiestatem electum, virum armis clarum, iusticiáque insignem: cùm literas se nescire excusaret, rem imperio per necessariam, electione de se facta vti noluisse. Fulgos. Ibidem

ALBERTVS Bauariæ dux, cùm ingens ad eum legatio totius Bohemiæ populorum nomine profecta esset, ostenderétque mortuo ipsorum rege Alberto Austrio, qui Ladislaum infantem filium in cunis reliquerat, quia tandiu expectare infantis grandiorē ætatem populi nolebant,

ipsum omnibus suffragiis ab omnibus populis regem electum esse: ipse ingenti moderatóque animo renuit, ac multis sanctè facundéque in hāc sententiam dictis, populus vt regem suum paruū exspectare vellēt, hortatus est. O animum vere excellentem, & laudibus omnibus celebrandū, qui (meo quidem iudicio) dum oblatum spreuit regnum, nō minor fuisse quàm Alexander appetendo censeri debet. Illud quidē haud dubium erit, honestiorem sanctiorémque Alexandro fuisse. Ibidem.

Mortuo Ioanne Dandulo Venetiarum duce, cùm vniuersus populus ei successorem Iacobum Teupolum nominaret, reiicerétque quicūque præter eum nominatus esset: ipse præ animi modestia clàm nauem conscendit, atque in Africam nauigauit, vbi secretus tam diu mansit, quoad certior factus fuit, Petrum Gradonicum ducem creatum fuisse. Ibidem.

FRIDERICVS Marchio Brandenburgensis, vacāte Poloniæ regno, in Vladislai morte per legatos ad regnū accersitus, vtpote qui inter eos nutritus plurimùm diligebatur, accipere abnuit: hortatus populos, vt Cazimirum Lituaniæ ducem defuncti regis fratrē, quia id æquius erat, regem acciperent. Fulg. ibidem, & Egnat. lib. 4. cap. 1. & Æneas Syluius libro 2. de gestis Alfonsi.

STRATIQVA Bohemus, Boleslai secundi Bohemiæ ducis frater, cùm se monachum fecisset, Pragensem pōtificatum renuit, cùm ei ceu digniori ab Adelberto illius vrbis episcopo esset oblatus. Fulg. lib. 4. cap. 1.

Alberto Ladislai patre vita functo, & Bohemi & Hungari Fridericum Cæsarem sibi regem petiuerūt. Verùm Fridericus princeps iusticiæ & æquitatis amantissimus, cùm offerri tantum sibi honorem animaduertisset: Absit à me, inquit, hoc scelus, vt patrueli meo paternam hereditatem auferam. Æneas Syluius libro secundo Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

FERDINANDVS (qui aliquot pòst annos regnauit in Hispania citeriore, quæ nūc in Aragoniam & Cataloniam diuisa est) mortuo rege, & superstite in cunis filio, qui de more gentis regno succedebat, quiq; propter infantiam regni principibus ac populis despectui habebatur, cū ipse ob egregias animi dotes in sui admirationem proceres vlterioris Hispaniæ ac populos traxisset omnes, solicitatus est à plerisq;, vt regnū assumeret. Itaque vt erat non minus prudēs quàm iustus, cupiditatúmq; humanarum victor, multorum animos nunc spe, nunc blanditiis, vt quéque affectum nouerat, honestè moderantérque aliquantulum cùm protraxisset: vbi tandem opportunum visum est, conuocatis de more proceribus, in publico vlterioris ferè Hispaniæ conspectu, expectantibus cūctis vt se ipsum regem declararet, prodiit in medium: edicóque è suggestu infantulum regio ornatu cultum atque impositum humero, altéq; sublatum ab omnibus vt conspici posset, ostentans: En regem, inquit, ô Hispaniæ principes: Noster hic rex est, hunc veneremur, hunc colamus, huic fidem seruemus. Atque his dictis, collocatum regio in solio infantulum ipse primus, vt moris est, ad pedes eius procumbēs, veneratus est, & in eius verba iurauit: vtque idem & alij facerent, suo exemplo adegit. Pont. lib. 2. de Magnanimitate.

VENETI Senatorum certum habent numerum, quos Rogatos Patres vocant (I. Pregai illorum lingua dicuntur) penes quos totius ferè Reipub. summa consistit. Nominis hanc fuisse causam audio. Veneti olim mercaturæ dediti, parū ocij, quod Reipub. darent, habebant. Rogabitur ergo ab apparitoribus, vt constituta hora Reip. adesse vellent, & in commune consultare. Tantus tunc temporis honorum erat cōtemptus: nisi quis optimis viris auariciæ crimen inurere perfidiosè conetur. Diuina certè benedictio illorum innocentiæ attestatur.

HONORES QVOSVIS ALIOS OBLATOS RESPVERE, *vel in alios digniores transferre.*

EXEMPLA RELIGIOSA PIA.

Non nobis, dixit Propheta summus, sed nomini tuo da gloriam: quū cœli numen alloqueretur. Clamat fatidicus ille Vates, testatur, admonet, dementis & stulti esse, tribuere homini, quod proprium sit numinis, ad quod bona cuncta sunt referenda. Omnes humanæ vitæ successus inde sunt: inde & quicquid in terris boni nomen habet, velut ex vberrimo manat fonte. Sab. lib. 10. cap. 1.

MOSES & AARON, in Arabiam cum incolumi populo per Rubrū mare transgressi, confestim Deo seruatori laudes decantarunt. Sab. libro 10. cap. 1.

DEIPARA VIRGO, ab cœlesti nuncio salutata, præclarúmque & ineffabile mysterium edocta, non se Domini matrem, non filiam, non sponsam dixit, sed ancillam. Cæterùm quo se abiectius depressit, eo sublimius in cœlum euecta est. Ibidem.

Dominus noster Iesus Christus, leprosos mūdat, cæcos illuminat, infirmos curat, surdo & muto aurium linguæque officium instaurat. Et tamen singulis, nemini quicquam dicant, iniungit. Archisynagogi quoque filiam à morte suscitaturus, turbam iuxta cadauer tumultuantem abscedere præcepit: nec in publico, sed domi vitale operatus est remedium, ne popularē gloriam expetere videretur. Quòd autem multa id genus non secretò, sed in conspectu peregerit plurimorum, atque etiam prædicari voluerit, non fuit inconstantiæ volubilitas (nullum vitium in eo, qui Dei sapientia est, cadere potest) sed piæ dispensationis miseratio, quæ diuinæ conuenit bonitati. Non solùm enim illi qui iam credebant, quomodo ostentationem vitarent instruendi: sed etiam qui nondum credebāt, ad fidem manifestioribus signorum spectaculis conuertendi erant. His dicitur: Si mihi non creditis, operibus credite. Illis: Cauete, ne iusticiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Marul. li. 1. cap. 4.

APOSTOLI Dominica vestigia secuti, ad confirmationem prædicatæ fidei, in propatulo quidem miracula operabantur: reuelationes autem, visionúmque mysteria, nisi necessariò in vulgus proferenda essent, occultabant. Ibidem.

IOANNES Zebedæi filius bis septenos annos de suo in cœlum raptu pertinaciter mortales cælauit omnes: nec prius id arcanum retexit, quàm Corinthios commonefacere coactus est, ne sibi non veros apostolos præferrent, praua opinione decepti. Sab. lib. 10. cap. 1.

PAVLVS apostolus, cùm raptus in tertium cœlum, siue in corpore siue extra corpus audisset arcana verba, quæ nō licet homini loqui: annos quatuordecim rem tantam silentio texit, conscientia sua contentus, donec Corinthiis (veritus ne pseudoapostolos sibi vel sui similibus præferrent, alienati à veritate, quam ab ipso didicerant) eam aperuit, palámque fecit. Sed & hanc gloriandi necessitatem insipientiam vocat. Factus sum insipiens, inquit, vos me coegistis. ego enim à vobis debui commēdari. Nihil enim minus feci ab iis qui sunt supra modū apostoli, tametsi nihil sum. Quibus sanè verbis testatus est, minimè de se loquendum, nisi cùm incumbit necessitas. Sed & tunc ita temperandum, vt & res dicatur, & euitetur iactatio. Marul. lib. 1. cap. 4.

Sacerdos & populus Lystris, videntes Pauli & Barnabæ miracula, & deos esse credentes, voluerunt sacrificare eis. Quod illi tamē prohibuerunt. Act. 14.

Cecidit Ioannes ante pedes angeli, vt adoraret eum. Respondit ei Angelus: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, &c. Deum adora. Apoc. 19. & vigesimosecundo.

TABITHA virgo sacra, monasterij magni Thebaidis, cùm se omni humilitate deiecisset, insanire putabatur. Verùm quia stultum Dei sapientius est hominibus, sancto Pierio abbati, in eremo degenti reuelatum fuit, illius merita suis esse potiora. Proinde ad visendam eam pettexit, & responsa quæ diuinitùs acceperat palam fecit. Ex quo ipsa vt vidit se nō iam vt stultam contemni, sed potius vt sanctam honorari: clàm discedēs, monasteriū pariter honorémque dereliquit, & in solitudine vitam duxit. Marul. lib. 1. cap. 4.

MARIA natione Gallica, de vico Niuella episcopi Leodiensis, ignobilis genere, celebris sanctitate, frequentiam hominum illuc ad se visendam turmatim accurrentium molestè ferens, precata est ostendi sibi locum sanctæ quieti magis opportunum. Et reuelatione accepta discedēs, tridui iter arripuit, nulli labori parcens vt humilitatem cōseruaret. Peruenitque quò volebat, ad ecclesiam sancti Nicolai cognomento Decegnies, & ibidem solitaria consedit. Ferunt sacelli illius fores, cùm clausæ obseratæque essent, aduentanti sua sponte protinus patuisse: vt vel hinc intelligas, gloriam humanam fugientibus facilem præberi aditū ad gloriam angelorum. Ibidem: & Sab. lib. 10. cap. 1.

MOSES abbas, si quis visendi eius studio aduenisset, tarò aditus copiā faciebat, tanti se haberi molestissimè ferens. Quamobrem præsidi quoque prouinciæ, spe conueniendi primùm quidem decepto, deinde iterū aduentanti, obuiam tandem profectus, cùm interrogaretur, vbinam esset Moses abbas (nam fama tantùm ipsi notus erat) Quid tibi, respondit, cum stulto illo ac deliro sene? Deinque de semet quasi de alio licentius obloquendo, discedere hominem compulit non mediocriter mirātem, quòd tam diuersa de illo, quem iam secundò quæsitum venerat, sibi audire contigisset. Qui reuersus didicit ab indigenis, eum quidem ipsum Mosen fuisse, à quo eiusmodi responsum accepisset: & magis mirari cœpit, tam gratum illi esse sui contemptum. Marul lib. 1. cap. 4.

CONSTANTIVS, Anchonitanæ ecclesiæ monachus, cū è longinquis partibus quidam (vt ipsum videret) aduenisset, ostensúmque despexisset, eo quòd statura admodum breui esset, quasi corporis vitium animi virtuti officere possit: irrisorem suum osculo excepisse dicitur, lætari se affirmās, quòd tandem nactus esset hominem, à quo iure paruipendendus existimaretur. Seruum enim se esse, vt habitu pusillum: ita ad ea quæ facto opus erāt, ignauum, inertémque, ac prorsus inutilem. Nónne satis declarauit, quantum ab humanæ gloriæ concupiscentia procul esset, qui sic exultauit contemptus? Ibidem.

IOANNES Ægyptius monachus, cùm spiritusancto reuelante multis futuri euentus responsa daret, inferebat non suis meritis eam reuelationem sibi factam, sed illorum qui rogatum aduenerant. Morbo affectos coram se curationis gratia adduci vetuit, quoniam vltrò citróque commeantium agmen ostentationi esse potuisset. Oleum eis benedictum mittebat, quo peruncti conualescebant, atque à languoribus liberabantur. Ibidem: & Sab. lib. 10. cap. 1.

ANTONIVM abbatem tradunt Martiniano militum præfecto pro filia, quam nequitiæ spiritus possederat, supplicanti, respondisse: Ne se opem posceret, cùm & ipse peccator esset. Sed si in Christo confideret, eidem supplicaret, iuxta fidei meritum gratiam ab ipso impetraturus. Credidit Martianus: & domum rediens, Deum precatus incunctanter, filiam dæmonio liberauit, vt prædictum ab Antonio fuerat. Pulchrè igitur vnico respōso Antonius tria simul expressit bona: humilitatis obseruationem, fidei virtutem, infirmitatis remedium. Ibidem.

GREGORIVS pontifex, cuidam probato viro ipsum extollenti respondisse fertur: Deum deprecare frater, vt his quæ de me prædicas, dignus efficiar: sicuti & tu dignus es, cuius opinio improbari nō debeat: sed

sed plerunque euenit, vt ea quæ de iis quos amamus in medium proferimus, maiora vero sint. Itaque quamuis ista commendatione tua lōgè inferiorem me esse agnoscam, charitati tamen gratias ago. Huiuscemodi responso sapientissimus pontifex & laudatori satisfecit: & cùm summo honore præditus esset, ab humilitate non discessit. Ibidem.

FRANCISCVS, cùm se inter homines fama sanctitatis efferri perceptisset, ne quam ex eo voluptatem caperet, alteri negociū dedit, vt econtrà probris petulantiáq; ipsum incesseret. Et cum ille rusticanum, idiotā, ignauum inutilemq; eum appellasset, calumniāti gratias agebat: affirmās verius de se sentire oblocutores suos, quā laudatores, qui opinione dece pti, supra id quod esset se æstimarent. Itaq; quanto ab aliis magis extollebatur, tanto se gerebat submissius, cauillationibus potius quàm cōmendatione ingenij morumq; suorum delectatus, Esaiæ memor, dicētis: Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Ibidem.

EGIDIVS Atheniensis, quoniam miraculis clarere cœperat, iactationis occasionem fugiens patriam dereliquit, & ad eremum se contulit. Et dum apud Veredenium eremitam in agro Arelatensi habitaret, fabuloso ac sterili solo ab ipso terræ conditore Deo fœcunditatem precibus impetrauit. Mox inde discedens, vastioris solitudinis latebras petiit: ibi quærens domicilio locum, vbi non facilè mortalium de se rumores audire posset. Ibidem.

IVDOCVS, fama sanctitatis, regumque Britanniæ stirpe clarus, dum solitarius habitaret, & signorum quæ fecerat rumor multos ad visendum eum à diuersis partibus exiuisset: videns in tanta se aduentium frequētia periclitari humilitatem, in vlteriorem deserti angulum sedem transtulit, vt tam ab inanis gloriæ cupidine semotus esset, quàm à consuetudine hominum. Ibidem.

EVLALIVS monachus criminis olim suspectus, vt innocentiā probaret, iubente abbate, fiscellam quam de palmeis foliis ipse texuerat, igni imposuit: atque vbi à flammis eam lædi non posse animaduersum est, nō solùm omni suspicione fuit absolutus, verumetiam ob miraculum venerationi haberi à fratribus cœptus. Cæterùm se in celebritate esse indignè ferens, procul inde secessit in desertum: maluitque in speluncis cum feris habitare, quàm in monasterio ab hominibus honorari, memor dictum esse à propheta: Saluabuntur qui fugerint ex eis, & erunt in mōtibus quasi columbæ conuallium. Ibidem.

HILARION abbas, iam sexagenarius, cernens circa se tum monachorum multitudinem, tum eorum qui sanandi ad eum vndiq; confluebant, flebat quotidie, & ad seculum redisse se atq; in vita mercedem recepisse aiebat. Abire cupientem, inhibebant. Denique biēnio in tali animi sollicitudine peracto, cùm postremò comedere nollet, donec discessum impetraret, & iā dies septem nihil gustasset: ne inedia conficeretur, dimissus reliquit Palæstinam. Preterea gloriam semper fugiendo, dū crebrò sedem mutat, Bethilium, Pelusium, Theubaton, Babylonemq; peragrauit: deinde Aphroditon, eremum Antonij, rursum Aphroditon, Alexandriam, Osam, Brutium, Paretonium, Siciliam, Epidaurum, ac post hæc Cyprū. In cuius insulæ vastiore minusq; noto angulo, cùm sese abdidisset, diu latère non potuit, miraculis eum vbiq; prodentibus. Quia tamen viribus partim ætate, partim labore exhaustis, inde iam emigrare illi incommodum erat, ibidem & fugæ finis & vitæ fuit. Hunc tantum in ipso honoris contemptum præter cætera extollens Hieronymus: Mirentur, inquit, alij signa quæ fecit: mirentur incredibilem abstinentiam, scientiā, humilitatem: ego nihil ita stupeo, quàm gloriā illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronarum quoque Christianarum grandis tentatio, & hinc & inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile: sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. At ille nihil aliud quàm solitudinem meditabatur. Marul. ibidem, & Fulg. lib. 4. cap. 1.

APOLLONIVS abbas, cùm annos 40 in deserto solitarius vixisset, iussus voce sibi è cœlo delata iam tandem ad frequentem locum pergere, cœnobium construere, discipulos comparare: tam constanter Dominum rogasse dicitur, ne qua se deinde inter homines versantem iactātiæ aura perstringi sineret, vt nō aliud olim magis veritus ad eremi latebrā confugisse videatur: nō ante vitæ finem fortasse inde discessurus, nisi iussio intercessisset diuina: quæ postremò dignum illum iudicauit, vt auctor fieret salutis multorum. Ibidem.

Hinc eundem haud parum sæpe monachis præcipere solitum tradunt, ne quis propterea se ante alios esse existimaret, quòd aliquo miraculi ostento insignitus esset: quandoquidem & Dominus discipulos suos non ideo gaudere iusserit, quia dæmonibus imperarent, sed quia in libro vitę æternæ scripti censique essent.

Iterum admonebat, si quam aliquis ex illis vel secretæ visionis, vel spiritalis fruitionis dotem à Deo accepisset, nemini nisi necessitate coactus proderet. Alioqui si illū præ cæteris æstimationi haberi contigisset, haud facilè vanæ gloriæ vitio cariturum. Eo autem surrepente, gratiam omnem quam assecutus fuerat, irritam fore, dicente Scriptura: Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Denique, domicilia eorum ob hoc cellas appellari, quòd in his cælarentur quæ occulta esse velint. Ibid.

[redacted]

GODOFREDVS Bolionius, cùm à toto exercitu qui ad Hierosolymitanam expeditionem profectus erat, rex salutatus esset, aureo diademate recusauit ornari: quod iniquum esse diceret, seruum mortalémque hominem ac peccatorem auro gemmisque confectam coronam eo in loco gestare, vbi Christus Dei filius, qui cœlum & terram condidit, vt à nobis culpam auferret, acutissimis spinis ad contumeliam confectum diadema tulit. Fulgos. lib. 4. cap. 5. & Egnat. lib. 4. cap. 5.

Neapolitani ciues, cum ob virtutem & clementiam ALPHONSI regis decreuissent vno consensu omnes, arcum regi triumphalē ad memoriam honorificè struere, elegerunt locum super gradus marmoreos maioris ecclesiæ. Id verò quandoquidē fieri non poterat, ni magna ex parte dirueretur Nicolai Mariæ Buzutij, magnanimi & strenui militis domus, rex fieri omnino hoc prohibuit: Haud tanti se facere, inquiens, huiusmodi saxorum struem ventis imbrique obnoxiam, vt amici domum ideo euerti pateretur. Cōtempsit rex honorem, & laudem saxorum testimonio posteris memorandam: cum secus hodie faciant ij, qui nullis virtutibus conspicui, omnibus ædificiis & parietibus nomen suū posteris celebrandum inscribūt atque insculpunt. Panormita li. 1. de Rebus gestis Alphōsi.

RELIGIOSA ETHNICA.

AGESILAVS ille Magnus, cùm à Thasiis se viuum adhuc in deorum numerum relatum audiuisset, respondisse fertur, Thasij si potestatem faciendi deos habent, cur non potius seipsos quàm me in deos cōsecrant? Alexan. ab Alex lib. 6. cap. 4.

TIBERIVS Cæsar adeò gloriæ atque honoris fuit contemptor, vt neque statuam sibi erigi, neque templum ædificari permiserit, imò edixit etiam palàm, ne ciuitas vlla, néue priuatus quisquam id faceret, cui edicto addidit hæc verba, *Nisi ego permittam, mox* adiecit, Atqui non permittam. Dion Nicæus in Tiberio.

TITVS Vespasianus captis Hierosolymis, cùm omnia loca cadaueribus impleuisset, & à finitimis gentibus ob victoriam corona ei offerretur, respuit: dictitans se tali honore indignum. Non enim se talium operum authorem, sed Deo iracundiā contra Iudæos demonstranti suas manus præbuisse. Philostratus in vita Apollonij, & Volat. libr. 13. ca. 4. Anthr.

EXEMPLA ETHICA.

A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controuersia est: illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunæ ductus emisse dicente. Qua contētione propter nouitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad vniuersum eius ciuitatis populum delata: placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit, illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstarēt, his verbis Græcis:

ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
ὅς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Tunc illi consensu Thaleti mensam dederunt, ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alijs deinceps, q; per omnium septem Sapientum orbem ad vltimum, ad Solonem peruenit: qui & titulum amplissimę prudentię, & præmium ad ipsum Apollinem transtulit. Val. libro 4. cap. 1. & Laertius in Thalete.

AGESILAO, quum nationes quæ id temporis Græciam incolebant, decreuissent, in clarissimis quibusq; ciuitatibus honoris causa statuas erigi, rescripsit illis hunc in modum: Mei nulla sit imago, neq; picta, neque ficta, neq; vllo alio artificio parata. At principum vulgus hoc honoris genere se diis æquiparari credebat, summumq; rerum bene gestarū præmium arbitrabatur. Agesilaus ipso honesto contentus, negligebat eiusmodi adulationes verius quàm glorias: malens insculpi prudentū ac bonorum hominum pectoribus, quàm in foro æreus aureusue stare. Eximiam virtutem sponte suum consequitur decus. Nec vlla speciosior statua, quàm honorifica bene actæ vitæ memoria. Plut. in Apoph. *Lacon.*

IDEM, cùm discessisset ex Ægypto, patriam repetens, morbo implicitus in portu qui Menelai dicitur, ac breui pòst moriens, mandauit ijs qui aderant, ne quam fictilem aut aliās imitatam corporis sui imaginem facerent: Si quod, inquit, præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minus, ne omnes quidem statuæ, cum sint vilium ac nullius rei opificum opera, illustrabunt mei memoriam. Quis non miretur in bellatore pectus tam philosophicum? Ibidem.

PYTHO, Atheniensibus ob res feliciter gestas ipsum admirantibus ac prædicantibus, quòd Cotyn regem interemisset: Dijs, inquit, habenda est gratia, quibus autoribus hoc facinus præclarè gestum est. nam ipse nihil aliud quàm manum & operam meam commodaui. Euentus rei in manu Dei est, & huic debetur gratia, si quid feliciter cesserit. Sed interim vult nostram operam accedere. Erasmus libro 6. Apoph. ex Plut. in Politicis.

Pylij cum decreto statuissent THEOPOMPO summos honores, ipse renuit: Mediocres honores ipsum tempus augere, immodicos verò abolere, dicens. Quo apophthegmate, id quod alij sibi aut vendicant arroganter, aut ambiunt ineptè, ipse vltro delatum reiecit. Plutarc. in Lacon.

NICIAS Atheniensis, Corinthijs prælio victis, cùm moris esset eorū qui vicissent, tropheum, vbi victoria parta esset, erigere: id decus planè aspernatus est. Sabellicus lib 5 capite secundo.

NVMA Pompilius ex illustri inter Sabinos genere natus, cùm Tatij Sabini, qui simul cum Romulo regnauit, filiam in vxorem duxisset: non tamen eo connubio elatus migrauit ad socerum: sed patrem iam seniorē fouens & nutriens in Sabinis, cum Tatia vxore, priuati viri quietē regno soceri pretulit. Plutarch. in vita Numæ.

M. FABIVS, is qui collegam in consulatu habuit Cn. Manlium, superatis cruenta pugna Veientibus atque Hetruscis, cùm senatus triumphum ei decreuisset: facilè quidem se passurum respondit, pro eximia eo

in prælio militum opera,triumphare exercitum, si triumphare sine imperatore exercitus possit: se verò lauream non accepturum, amisso eo in clade fratre.Pont.lib.2.de Magnan.& Alex.lib.6.cap.6.

FRONTINVS iam moriturus, sibi statuas vel monumẽtum extrui vetuit, his verbis:Impensa monumenti superuacanea est: memoria nostri durabit,si in vita meruimus.Recitat Eras.lib.8.Apoph.

M. CATO senior,conspiciens multorum erigi statuas:Malim,inquit, vt de me quærant homines, quam ob rem Catoni non sit posita statua, quàm quare sit posita. Sentiens, se malle res præclaras gerere, vt olim scientes illum promeruisse statuam,mirentur non esse positam.Plut.in Rom.Apoph.Plin.lib.de Viris illustribus.

P.SCIPIO NASICA in Censorem electus,statuas quas sibi consulum quisque in foro per ambitionem habebat,sustulit.Consul Delminiũ, Dalmatiæ vrbem,superauit.Vnde imperatoris nomẽ à militibus, & à senatu triumphum oblatum recusauit.Volat.lib.19.Anthrop.

C.CLAVD. Nero,Liuij Salinatoris in Hasdrubale opprimendo particeps gloriæ, cum triumphantem equo sequi,quàm triumpho,quem ei senatus æquè decreuerat, vti maluit: quia res in prouincia Salinatoris gesta fuerat Sine curru ergo triumphauit:eo quidem clarius,quòd illius victoria tantummodo laudabatur,huius etiam moderatio. Val.lib. 4.capite primo.

CN. FVLVIVS Flaccus tam expetendum aliis honorem triumphi, decretum sibi à senatu ob res bene gestas spreuit ac repudiauit. Nimirum non plura præcerpens,quàm acciderant.Nã vt vrbem intrauit,continuò quæstione publica afflictus,exilio mulctatus est:vt si quid religionis insolentia commisisset,pœna expiaret.Val.lib.2.cap.3.

Q. TVRNIVS, cùm Garamantes,vltra Æthiopes, horridos & incultos populos bello vicisset,honoris tamen & gloriæ inanis contemptor, Garamantici nomẽ respuit, cùm omnes ferè Romanorum duces à subactis prouinciis cognomina sibi tribuerint.Alex.ab Alex.lib.1.cap.11.

C.MARIVS, deuictis Theutonis triumphum distulit:plus patriæ laboranti ex aduentu Cimbrorum, quàm gloriæ suæ tribuens.Alex. ab Alex.lib.6.cap.6.

CN.POMPEIVS, cùm post egregias in Aphrica res gestas toto conspirante exercitu Imperatoris nomine honestaretur,honorem renuens, nunquam epistolis aut chirographis hoc nomen vsurpare voluit. Alex. libro primo,capite secundo.

IDEM, in acie Pharsalica victus à Cæsare,quum postero die Larissam intraret,oppidique illius vniuersus populus obuiam ei processisset: Ite, inquit,& illud officium præstate victori.Rauis.

M. ANTONIVS, quum Rhodum insulam vi cæpisset, & in ingressu salutaretur rex atque dominus: Nec rex sum,inquit, nec dominus, sed regis ac domini interfector.Plut. in Anton.

OCTAVIANVS Augustus, cùm esset aliquando Dominus à populo nominatus,non solùm vetuit ne quis se appellaret eo nomine,sed etiam id cauit diligenter Dion in Augusto,& Volat.lib.23.

TIBERIVS Cæsar Dominus à liberis hominibus, aut Imperator, præterquam à militibus, vocari noluit. Patris patriæ nomen omnino repudiauit,Principísque Senatus,vt erat vetus consuetudo, nominari tantùm voluit.Crebrò autem dicebat se dominum seruorum,imperatorem militum,& principem reliquorum esse.Dion in Tiberio.

IDEM, de Illyriis parta victoria, triumphare noluit,consternata tunc ciuitate propter Varianam cladem, cùm tamen iure triumphare potuisset.Alex.ab Alex.lib.6.cap.6.

IDEM, cùm multa restituisset in vrbe ædificia, quæ corruerant (nullum enim extruxit nouum,præter Augustale)nullum tamen prorsus sibi vendicauit:sed eis nomina reddidit eorum,à quibus ædificari cœpta essent.Dion.

IDEM, multa impendit in vsus ciuitatum & priuatorum hominum: cuius rei causa nullum honorem postulauit,nullam omnino laudem admisit.Idem.

Cùm EI instaret senatus,statuerétque Nouembrem mẽsem,eo quòd in eo natus erat,Tiberium appellandum esse,eum honorem planè irridens ait:Si vobis Cæsares erunt tredecim,quid facietis?Ibidem.

L.SEPTIMIVS Seuerus Pertinax,posteaquam Pescennium Nigrum rebellantem apud Cyzicum interemisset, plerosque populos partim subegisset,partim in officio continuisset:triumphum recusauit,eo quòd pedum valetudine laboraret.Volat.lib.23.Anthrop.

TRAIANVS Imperator,mortuo Nerua,magnis rebus gestis in Germania,cui præerat, floruit: subiugatísque Marcomannis ac Iazygum & Pannoniæ populis, cùm ad successionem imperij Romam rediret,minimè triumphans aut quadrigis,cùm ei per senatum liceret,sed tantùm equo insidens,in Capitolium inuectus est. Per vrbem semper more Catonis pedibus ibat,paucis comitibus, nullis spiculatoribus aut satellitibus:Senatum patrem, se ministrum laboris vocabat. Stans consules sedentes venerabatur, quòd se illis inferiorem ex legibus esse reperiret. Volat.lib.23 Anthrop.

ALEXANDER Seuerus vix annos sexdecim natus,cùm à Senatu Imperator creatus, ob virtutis magnitudinem Patriæ quoque parentis, & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum vt hos acciperet honores induxit.Oportere enim aiebat, vt res gestæ maturiórque ætas ea nomina pararent. Nomina igitur quæ alij ad honestandam fortunam omnibus studiis asciscere sibi laborarunt, ipse adolescens adhuc oblata singulari animi moderatione non admisit.Sed ne coniugem quidẽ preciosioribus vti gemmis,quàm cæteræ Romanæ ciues permisit:& si quæ dono daręerant,eas vel vendi iussit, vel templis donauit. Affirmabat enim,minimè se velle, vt à coniuge sua pomparum atque profusionum exempla proficiscerentur.Fulg.lib.4.cap 1.

VALERIANVS Cesar,quòd promptus ad arma & bellicosior cæteris esset,à militibus Carpici nomẽ obtinuit,quòd carpum armis impigrè admoneret:sed tamen postea in imperio delatum Carpici cognomentũ refutauit.Alex.ab Alex.lib.1.cap.11.

MAXIMINVS senior nunquam ad oscula pedum quenquam admisit, dicens:Dij prohibeant,vt quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat.Capitolinus.

HONORES QVOSLIBET, QVI AB ADVLATORIbus offeruntur,repudiare.

Exempla eorum qui adulatores odio habuerunt,huius erunt loci.Vt enim superbi propria nimium extollunt,sic adulatores aliena.

CÆLIO oratori,quum quidam cliens omnia concederet,longa assentatione fastiditus Cælius:Dic,inquit,contrà, vt duo videamur.Rauis.

OCTAVIVS Augustus nullam aliam pestem magis quàm adulatores & assentatores detestatus est.Si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandius,foras detrudi & exigi iubebat.Alex.ab Alex.libro secundo, capite decimonono.

IDEM se Dominum appellari, ne à liberis quidem & nepotibus suis, vel seriò vel iocò sustinuit,atque huiusmodi blanditias inter ipsos etiam prohibuit.Rauis.

TIBERIVS adulationes adeò auersatus est, vt neminem senatorum aut officij aut negocij causa ad lecticam suam admiserit. Consularem verò satisfacientem sibi,ac per genua orare conãtem,ita subfugit, vt caderet supinus. Idem si quid in sermone vel oratione blandius de se quicquam audisset, interpellabat, & commutabat protinus.Domini appellationem vt maledicum nomen exhorruit.Quendam dicentem, Sacras eius occupationes, alium Autore eo senatum se adiisse: verbis mutatis iussit dicere,pro autore suasorem:pro sacris occupationibus,laboriosas.Idem.

AVR. Alex.Seuerus imperator,vt probus,ita maximè pius,nullum omnino assentatorem admittebat. Si quis etiam salutando caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset,eum vt adulatorem inanem reiiciebat.Volat.lib.23.Anthrop.& Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

ALPHONSVS, Aragonum & Siciliæ rex, nihil magis vnquam in vita exhorruit,quam mendaces:nihil magis auersatus est, quàm parasitos ac adulatores:quos etiam pestem principum appellare cõsueuit,& variis interdum pœnis ac cruciatibus affici mandauit. Antonius Panormita de Rebus gestis Alphonsi, & Æneas Syluius de eius dictis.

HONORES NONDVM OBLATOS, QVOS TAMEN offerri sibi veretur,omnino fugere.

RELIGIOSA.

D. MARCVS euangelista,vt sacerdotio reprobus haberetur, pollicem sibi imputasse dicitur.Veruntamen(vt ait Hieronymus)tantum cõsentiens fidei prædestinata potuit electio, vt nec sic in opere verbi perderet,quod prius meruerat in genere.Cùm enim ex Leuitis esset,vt Alexandriæ episcopus fieret, eo compelli dignior fuit, quo magis refugit. Marul.lib.1.cap.6.

ANTONIVS Anachoreta, ne eligeretur episcopus,læuam sibi auriculam ferro præsecuit.Rauis.

AMMONIVM, Origenis Didymique discipulum, aurem sibi præcidisse ferũt,ne idoneus episcopali officio haberetur: & cùm nihilominus ad eam dignitatem suscipiendam ab omnibus vrgeretur, etiam linguam sibi se amputaturum,nisi missum facerent,protestatus est. Tam ergo periculosam rem episcopatum putauit,vt inde membrorum mutilatione se redimere non dubitaret.Marul.lib 1.capite sexto.

ETHICA.

TIMOLEON Corinthius, euerso Dionysij principatu, & libertate Syracusanis parta, è medio sua sponte cessit: maluítque priuatus & in prædiorum secessu solus vagari, quàm officiorum frequentia septus in vrbe conspici.Sab.lib.10.cap.1.

Ex rebus à CN. POMPEIO Magno gestis,magnam partem cæterum, etsi preclarę sunt,quas nullus ex veteribus Romanis adæquauit,alij fortunæ tribuere,alij militum fortitudini. Hoc verò omnium est maximum atque pulcherrimum, quòd cùm posset totius Italiæ imperio potiri, Romæque propter amplissimam potentiam, quam habebat, solus regnare, id tamen noluerit. Statim enim vt Brundusium venit, exercitum dimisit, nihil plebe aut senatu de eo decernente. Dion Nicæus in Pompeio.

HONORES

HONORES MINORES, SEQVE INDIGNOS CONTEMNERE.

Huic loco inseruire aliquatenus possunt exempla sub titulis Fortitudinis superius allata: Obtrectationes & Conuicia,atque etiam Iniurias ferre.

AGESILAVS Lacedæmoniorum imperator, cùm in ludo quodam solenni in locum parum honorificum collocatus esset: Bene sanè habet, dixit,ostendam enim non locum viris,sed viros loco conciliare dignitatem.Plutarc.in Apophtheg.Lacon.

THEMISTOCLES,ducta Græcorum classe ad Artemisium, vt cum Persis confligeret:quanquam & ipse dux Atheniensium, & nauium numerus,quas Athenienses in ea classe habebant,maior esset: tamen cùm accepisset,Eurybiadem Lacedæmoniarum triremium ducem, velle cum eo de præcedendi ratione contendere, sine vlla verborum controuersia locum ei primum concessit:affirmans, eum primarium ducem habitum iri,qui aduersus Persas pugnando,maiorem melioremque operam nauasset,neque enim ex publica vtilitate putauit,cùm esset confligendum, de eiusmodi re,quæ minima erat,contendere. Siquidem tunc nulla alia re facilius,quàm hac contentione,hostis victor euadere potuisset.Itaque haud multo pòst deleta Persarum classe, partæ victoriæ laus ac gloria penes solos Themistoclem atque Athenienses mansit. Fulgosus libr.7. capite secundo.

DIOGENES Sinopeus nunquam se tantùm abiecisset,vt pueris cõtemptui esset,si ex vana vulgi opinione & multitudinis plausu pependisset. Maluit ille esse vir bonus,quàm prædicari: magis naturæ æmulus, quàm gloriæ cupidus:estque propterea post mortẽ assecutus,quod viuus repudiauit. Sab.lib.10.cap.1.

SOCRATES,famæ vulgaris contemptor, cùm in theatro ab Aristophane exagitaretur, & peregrini plurimi quisnam ridiculus ille Socrates esset inquirerent?surrexit, & donec peracta esset fabula erectus stetit,vt omnes quis esset cognoscere possent.Itaque vna eademque opera innocentiam suam texit,constantiam declarauit,& famam populi famosam contempsit.

FABIVS Maximus,ne Cunctatoris quidem nomen repudiauit, modò cunctatio illa patriæ profutura esset:nec prætulit ille rumores hominum publicæ vtilitati.maluit dux vtilis esse,quàm vana & stulta prædicatione nobilitari.Sab.lib.10.cap.1.

Posterior CATO,non paruo summæ moderationis fisus indicio, Cypriacam pecuniam maxima cum diligẽtia & sanctitate in vrbem deportauerat,cuius ministerij gratia Senatus relationem interponi iubebat, vt prætoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. Sed ipse id fieri passus non est,iniquum esse affirmãs,quod nulli alij tribueretur, sibi decerni:ac ne quid in persona sua nouaretur,campestrem experiri temeritatem,quàm curiæ beneficio vti,satius esse duxit.Valer.Max.libro quarto capite primo.

CATO,ob modestiam,nullam sibi statuam erigi passus est,dicens: Se malle,vt posteri percontarentur,cur Catoni posita non esset statua,quàm cur posita. Rauis.

EQVES Romanus aurum Labieni respuit,Scipionis argẽteas armillas alacer tulit: quòd illud viri diuitis munus, hæ virtutis testimonia ab Imperatore profecta essent.Val.Max.lib.8.cap.decimoquinto.

MAGNANIMITAS EN ΦΥΛΑΚΗ.

HONORES QVOSVIS PROMERITOS, SI NON EXHIbeantur,asserere,& vindicare.

Exempla pete ex tit.Prudentiæ in authoritate sua suorúmve tuenda & asserenda.Item ex tit. Confidentiæ suiipsius in dictis & factis.

ALEXANDRVM Macedonem puerum adhuc inter eiusdem ætatis æquales constitutum,quidam cùm percunctarentur, Libenter ne certaturus esset in stadio(pedum enim præstabat pernicitate) Atqui perlibenter,respondit,si certaturi secum reges essent.Pares dignitate in certamine puer adhuc & penè infantulus requirebat.Pont.lib.1.cap.8.de Magna.

ANAXAGORAS philosophus, à Pericle occupationibus distracto neglectus,corpore obuelato iacuit,& vitam inedia finire voluit.Pericles re accepta,territus accurrit:& summis ab eo precibus contendit,vt Periclis misereretur,cui tantum consiliarium adimeret. Tum Anaxagoras reducta veste dixit:Qui lucerna opus habent, ò Pericles, oleum affundunt.Plutar.in vita Periclis.

L.VALERIVS Potitus,primus consul post decemuiros,cùm Volscos Æquosq; ad Algidum magna clade debellasset,& triumphus ei à patribus negaretur,suadente Ilicio tribuno plebis,primus sine authoritate senatus triumphauit,ideoq; Maximi cognomen adeptus est.Plutarch.

CN. POMPEIVS triumphum à L.Sylla,quamuis obstante ætate, extorsit.Vide titul.Confidentiæ suiipsius in dictis aut factis.

Antoninus Pius Romanorum imperator, cùm Apollonium, quem Chalcide acciuerat,ad Tiberinam domum,in qua habitabat, vocasset, vt ei M.Antonium traderet,atq; ille dixisset: Non magister ad discipulum debet venire,sed discipulus ad magistrum:risit eum,dicens: Facilius fuit Apollonio philosopho è Chalcide Romam venire, quàm è domo sua in Palatium.Capitolinus,& Cuspinianus in Consulibus.

VALENTINIANVS imperator iam Romanorum electus,cùm solicitaretur à militibus,vt sibi imperij socium deligeret: Vestrum quidem (inquit)fuit,vt priuatum me ad imperialem extolleretis dignitatem: res autem administrare,non iam vestri, sed principis ipsius arbitrij esse, vos ipsi quoq; dixeritis.Itaque vos deinceps imperata facere,& quietos esse: me autem,quid facto opus sit,curare decet.Niceph.Callist.libr.11.cap.1. Ecclesiast.hist.

MARTINI Turonensis episcopi in authoritate sacerdotali conseruanda,& honore,exemplum,pete ex tit.Sacerdotes reuereri.

AMBROSII & Theodosii exempla pete ex titu. Sacerdotum reprehensiones ferre.

LAVRENTIVS Celsus Venetorum dux, cùm à patre obtinere non posset,vt sibi tanquam duci assurgeret,meritósq; honores tribueret:crucem auream ducali pileo affigi iussit,quam vel inuitus pater reuereri cogeretur.Egnat.lib.9.cap.2.

HONORES EREPTOS AVT IMPEDItos asserere.

Minos cùm Theseum,cęteramque puerorum Atheniensium manũ in Cretam abduceret,amore Peribœæ captus est. Cuius cùm Theseus libidini aduersaretur,& alia in illum,ira incensus,maledicta cõtulit, Minos se Neptuni filium esse negauit:quòd quam habebat cælatam gemmam, in mare si abiecisset,non esset eam ad se reportaturus. Vix ea locutus, gemmam dicitur Minos abiecisse.Theseum verò memorant cum ea, & corona,quam ab Amphitrite dono acceperat, è mari emersisse. Pausanias in Atticis.

ARISTOTELES,filius Nicomachi,vir sapientia præstans, cùm quidam ei decretum Delphis honorem eripuisset,scribens de his ad Antipatrum,inquit:Ea quæ Delphis mihi decreto sunt assignata, quibúsq; nunc priuatus sum,animũ meum afficiunt,vt neq; magnopere mihi cordi sint, neque tamen omnino non cordi sint.Neq; verò hęc ab ambitione proficiscebantur:sed sapientissimè putauit, non esse simile, dignitatem aliquam non suscipere,& cùm acceperis,ea spoliari. Non enim graue est, non adipisci:at cùm adeptus sis,rursum amittere,id molestũ est.Ælianus lib.decimoquarto,de Varia historia.

PHERENICE filium suum ad Olympia certaminis causa adduxit: & cùm Hellanodicæ prohiberent eam à spectaculo ludorum, ad ius cum ipsis descendit:dicens se patrem habere victorem Olympiorum,atq; tres fratres,itemq; filium abduxisse pugillatorem.His rationibus causam cõtra populum obtinuit,legemq; quę fœminas à spectaculis arceret,infregit,& Olympia spectauit.Ælian.de Varia hist.lib.decimo.

SOSTRATVS Gnidius architectus, Ptolemæo regi fabricatus maximam illam pulcherrimámq; in Pharo Ægypti turrem, vnde nautis nocturna lumina ostenderentur,suum quidem nomen in lapide muri ipsius clàm incidit:calcem deinde superinducens,Regis nomen inscripsit: fore id quod accidit,auguratus,vt non multo pòst literæ illæ cum lorica sua defluerent,atq; insculptum saxo nomen suum appareret.Hęc autem erat inscriptio:Sostratus Dexiphanis Gnidius diis salutaribus ob nauigantes. Non ille seculi sui tantum leuissimum captabat applausum: sed sibi in longum tempus,dum turris ista staret,prospiciebat.

M.ANNEVS Lucanus cum C. Pisone contra Neronem conspirasse dicitur,quòd pręter publicum tyranni odium etiam priuatam inimicitiæ causam haberet:quòd carminum eius famam Nero deprimeret, & tanquam æmulus obscurare studeret.Crin.lib.3.de Poet.Lat.cap.58.

SEPTIMIVS Seuerus cùm podagra laboraret,& propterea impediri,quã susceperat,expeditio videretur, maiorẽ natu filiũ eius Antoniũ Bassianũ exercitus Augustũ salutauit:arbitratus in eo nihil se peccare.Quod Seuerus cũ audisset,lectica se ad tribunal deferri,citatísq; primis huius cõsilij autoribus eos securi percuti iussit.Qui omnes cũ humi prostrati,& cũ eis vnà reliquus exercitus lachrymãs miserabili voce erroris sui veniã peterẽt,vix tandẽ adduci potuit,vt petẽtibus in hęc verba erũpens, veniã daret:Nunc demũ intelligitis,non pedes,sed caput imperare.Fulg.li.2.c.2.

HELIODORVS Triccensis episcopus,in Thessalia historiam Æthiopicam scripsit:eoque nomine ei ademptus est episcopatus.Nam cùm lectione eorum opusculorum iuuenes multi in periculum coniicerentur, Synodus prouincialis statuit,vel libellos ipsos igni comburendos, vel authorem dignitate sua priuandum. Ille verò episcopatum deponere, quàm scripta sua supprimere maluit.Nicephorus libro 12.cap.34.

HONORES NON EXHIBITOS, AVT ETIAM *ereptos, non asserere, neque ægre ferre.*

Μικροψυχία hæc videri posset, nisi ita distinguerentur, quòd scilicet μεγαλόψυχος honores minores, etsi non offerantur, non magnopere curat: nam & maioribus se dignum esse nouit: & in paruis, si vel propter imprudentiam, vel propter contemptum non offerantur, paruam inesse iacturam existimat. μικρόψυχος verò non modò honores minores, sed etiam paues, eripi sibi patitur, quòd nec his nec illis dignum se & se arbitretur. Cauè ergo exemplæ singulis locis opportuna afferri debent. Porrò exempla eorum qui obtrectationes & Comicia forti animo, huius loci videri possent, nisi hic solius honoris ratio haberetur: vt iampridem monuimus.

ALEXANDER quodam tempore Darij mulieres inuisit vnà cũ Hephæstione. Hũc, cùm esset eodem ornatu quo rex, corpore etiam maior, Syngambris Darij mater, pro rege adorauit. Eadem cùm ex nutibus adstantium intellexisset errorem suum, perturbata, denuò salutauit Alexãdrum. Tum Alexander: Nihil est ô mater, quòd perturberis: nam & hic Alexander est. Sentiens, amicum esse alterum Alexandrum. Erasmus lib. 4. Apoph.

TIBERIVS Cæsar, æquitatem maximè colebat. Nã cùm Rhodij magistratus ad eũ scripsissent, nec essent ei in extrema epistola, vt erat consuetudo, salutem precati, eósque ob eam rem accessiti instituissent, tanquam statuisset in ipsos animaduertere: vt venerũt, nihil fecit acerbius: sed eos, posteaquam vota, quæ deerant epistolæ, subscripserunt, dimisit. Dion Nicæus in eius vita.

P. SCIPIO Africanus cum Annibale Ephesi congressus, cùm in deambulatione honestiorem locum sibi vendicaret Annibal, eum non iniuitus ei concessit. De ducum inde præstantia quæstione oborta, cùm Annibal primum locum Alexandro Magno, secundum Pyrrho, tertium sibi tribueret, placidè subrisit Scipio, inquiens: Quid ergo, si te ego non vicissem? Tunc Annibal: Vtique Scipio, tum non tertiũ mihi, sed primum tribuissem locum. Plut. in vita T. Q. Flaminij.

HILARIVS in consessum Episcoporum non admissus Romæ, in terra consedit. Miraculum pete ex tit. Honorem dignis eripere.

DIGNITATES ET MAGISTRATVS RELINquere, iisque se abdicare.

RELIGIOSOS, SIVE SACROS.

Exempla quædam pete ex tit. Liberalitatis religiosæ: Diuitias, regna, possessiones relinquere. Item, Contemplationi Theoricæ dediti.

Cum successus Gregorij in ecclesia inuidia subsequeretur, adeò vt iniquis & minus sanis proscriptionibus ei abcũdum esset: iámque alius ordinaretur Episcopus, quod nemo illi palàm dicere audebat. ipse verò sentiés quid fieret, dixit: Absit, vt mei causa aliqua simultas in Dei sacerdotibus oriatur. Si propter me est ista tempestas, tollite & mittite me in mare, & desinet à vobis quassatio. Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, Eccles. hist. lib. 11. cap. 9.

MAIORVS Britannus, Dolẽsis archiepiscopus, cùm Budocum in sua collocasset fide, ipse se ad eremum cõtulit, & solitariam deinceps vitam duxit: tanto factus Deo vicinior, quãto ab vrbanis tumultibus fuit semotior. Marul. lib. 1. cap. 6.

IVSTVS Lugdunẽsis episcopus, cùm in terra vitam egisset cœlestem, de solitudine deserti ad paradisi celebritatem euolauit, tugurioli angustias comunitans cum amplitudine cœli. Corpus eius ab eremo Lugdunum relatum est: & honore cui renunciauerat viuens, non caruit mortuus: exhibitis exequiis, pompáque funerali, non tantùm vt præsuli, sed etiam vt sancto. Ibidem.

REMALCHVS Traiectensis episcopus, postquam commissum sibi gregem tum verbi pabulo, tum vitæ exemplis piè sanctéque annos aliquot nutriuisset, dignitatem officiúmque deposuit: & cœnobium ingressus, monachum se fecit ex episcopo. Vt enim tutius, ita tranquillius sibi futurum iudicauit, obedire quàm præesse, & subiectum esse quàm præeminere. Alterum optare arrogantis est, alterum se in omnibus submittentis, & veri serui Christi, qui ministrare venit, non ministrari. Ibidem.

BONIFICVS Maximini tempore monachus, & cœnobij parer, iam senex inde clàm aufugit, ad aliud interioris Thebaidis cœnobium honoris vitandi gratia, & commodi: ignotúsque in eo cùm aliquandiu in humili ministerio versaretur, cognitus est tãdem, & ad pristinũ officium remittus. Ex Heraclide.

PETRVS Damianus, qui cardinalatus honore insignis, Hostiensis episcopatus titulum gerebat, pontifice Gregorio septimo, cardinalatus dignitati, atque eius pompæ, longè maiori animo, quam plerique eam parare nitantur, renunciauit, atque in eremum se transtulit: sapienter intuitus, quod labores malaque purpura tegat: contráque quãtum quietis atque bonæ spei eremus polliceatur. Fulg. lib. 4. cap. 1.

ADELBERTVS Prangensi episcopatu dimisso, vt Christianum cultum augeret, in summa inopia ad Prutenos idololatras profectus, dum prædicando ad Christi fidem eos adducere conatur, ab eis crudelem in modum occisus est. *Ibidem.*

VLFRANIVS archiepiscopatu Senonensi sponte se exuit, vt solitudini vacaret. Rauis.

PROFANOS.

ARISTIDES Athenien*sis*, cùm ipse Miltiadésque inter decem Prætores aduersus Darium creati essent, & propter ducum multitudinem, expeditionem illam cortuere animaduerteret (per vices enim ad singulos imperandi munus transibat) vt ei sors impetãdi contigit, partes suas in Miltiadem militaris artis peritissimum transtulit, atque exemplo suo aliis vt idem facerent auter fuit. Hac animi moderatione sibi præturam ademit, vt patriæ victoriam, quæ de Dario optabatur, traderet. Fulgosus libro 4. cap. 1.

SABACVS Ægyptiorum rex, regno se spõte abdicauit, & in Æthiopiam priuatus redit, quòd etiam fontes plectere inhumanum esse putaret. Diodor. Sic. lib. 2. cap. 2.

PITTACVS à ciuibus suis Mitylenæis tyrannus electus, post decennium magistratu se sponte abdicauit, & decẽ annos supernixit. Laer. li. 1.

LYDIADES Megalopolitanus tyrannus, tyrannidem sponte sua deposuit, & libertate patriam donauit. Eius rei causa cùm à Lacedæmonijs in prælio interfectus esset, à Cleomene eorum rege pulcherrimè omatus, suis remissus fuit ad sepeliendum. Fulg. lib. 5. cap. 1.

GN. QVINTILIVS Dictator dictus, cùm fixo clauo ciuium mẽtes sui compotes fecisset, discordésque animos conciliasset, statim dictaturã se abdicauit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 6.

L. Q. CINCINNATVS quæstionibus exercendis dictator factus, cùm Sp. Melius Romanum affectaret imperium, sumpto post tem exploratam de reo supplicio, continuò se dictatura abdicauit. Ibidem.

IDEM cùm ex agro suo trans Tyberim vocatus, & Dictator dictus esset, sumptis insignibus, Minutium consulem in Algido monte obsessum, obsidione liberauit: & deuictis quoque bello aliis, 16. die quàm acceperat dictaturam deposuit, & in agrum reuersus est, ne inanis gloriæ cupidus videretur. Vnde post annos 20. reuocatus, iterum Dictator dictus est contra Fidenates, vt est apud Liuium. lib. 3. & 4.

CANINIVS eodem die quo est adeptus consulatum, honorem contemnens abiit: ex quo Ciceronis sẽomna, Vigilantissimum habuimus consulem Caninium, qui toto consulatu somnum non vidit. Volat. libro 14. cap. 2. Anthrop.

MAIOR SCIPIO publicam rerum administrationem sponte reliquit, vt priuatus ageret. Rauis.

MESSALA primus omnium Romæ vrbis præfectus consitutus, die sexta ab ea dignitate se abdicauit. Rauis.

L. SYLLA magnis laboribus magnisque periculis patram in patria dictaturam, nulla necessitate compulsus, postea deposuit. Nam cùm ad priuatam vitam reuersus, nullo præteritarum rerum stimulante metu, Romæ in foro deambularet, ab immodesto adolescente minis conuitiisque vexatus, Sylla submissa voce attantibus dixit: Facier huius adolescentis immodestia, vt in posterũm alius nullus dictaturã deponat. Fulg. lib. 4. cap. 1. & Pont. lib. 2. cap. 4. de Fortir.

AVGVSTVS non semel cogitasse dicitur de administratione Reipblicæ populo Romano reddendarnee desiit, vt Seneca tradit, quietem sibi precari, & vacationem à Republica petere. Pontanus lib 2. cap. 5. de Fortir. dometi.

SIMILIS, deposita Palatina præfectura, sub Adriano Cæsare, quæ dignitas Augustorum magnitudini proxima erat, moriens ordinauit, vt tumulo inscriberetur: Hic Similis iacet, cuius ætas multorum fuit annorum, & tamen ex eis septem solùm vixit. Annorum enim in ambitioso magistratu multitudinẽ in mortis sorte computauit: solos paucos, quos in priuato ocio degit, ad vitam referens: quemadmodum rectè æstimatibus verum esse inuenietur. Fulg. lib. 4. cap. 1.

VAL. AVR. Diocletianus, virtute partum imperium cùm multos annos rexisset, ingentiq; animo tueretur, vt senio grauari se sensit, ne ipsius imbecillitate imperium euerteretur, in eorum manu deposuit, qui feliciores erãt, ac magis prospera valetudine vtebantur. Se autem apud Salonas vrbem, in priuati hominis statum contulit: vbi cùm multos egisset annos, hortantibus Maximiano atque Galerio vt imperiũ resumeret, rescripsit: Si herbarum ordinem, quas ipse in horto suo seuerat, videres, nunquam ipsos de resumendo imperio mentionem ei facturos. Ibidem & Pont. lib. 2. cap. 5. de Fortir. & lib. 2. de Magnan.

MAXIMIANVS princeps, relicto imperio, vitam priuatam elegit. Rauisius.

Duo Indorum Reges Auenir, filiúsque eius Iosaphat, anno Christiæ salutis octuagesimo supra trecentos (quemadmodum Damascenus Ioannes scripsit) relictis regnis, eremiticam vitam vixerunt: plus animorum quiete contenti, quanquam in magna inopia, quàm opibus atque molestiis, quas regna trahere secum solent. Fulg. lib. 4. cap. 1.

GALLICANVS, Romani dux exercitus, post Thraces, Dacos & Scythas bello domitos, Constantiam Constantini principis filiam filij matrimonio locatam, ac bene conuenientem reliquit, & Christi milles factus est. Sabellicus lib. 2 cap. 1.

THEODOSIVS III. Adramyttenus Imp. cùm imperio renunciasset post duos annos, in cœnobio reliquo vitæ tempore vixit. Volater. libr. 23. Anthrop.

ALEXIVS Crinitus Mosolus, gener Theophili Imp. ex filia Maria, ab eo Cæsar appellatus ante ortum Michaelis filij: mox eo nato, in gratiam Theophili imperio se abdicauit, & in monasterio Anthemij à se extructo vitam sanctissimè finiuit, Nicephorus, & Zonaras.

MICHAEL III. Paphlago, Constantinopoli à Zoe Augusta (vxore prius Romani III.) adscitus, & Cæsar appellatus, cum ea annos 6. imperauit, sponte se abdicauit, in monasterio Anargyrorum, in suburbio Byzantij à se condito, vbi aliquot diebus post hydrope obiit, anno Domini 1041. Zonaras.

ISAACIVS Comnenus Imp. appellatus, in Oriente contra Michaelem seniorem Augustum, imperij anno 2. sponte se abdicauit, & monachus factus est in monasterio Studij.

NICEPHORVS Botoniates cognomento, qui originem à Nicephoro Phoca Imp. ducebat, cùm se Reipublicæ planè inutilem esse videret, in cœnobium ingrediens, monachum egit. Volat. lib. 23. Anthrop.

LOTHARIVS Imperator, partito inter filios regno, abrenunciauit secundo, & in Prumia monasterio, habitu monachi suscepto, sic in Domino obdormiuit. Sigeber. in Chronicis.

AGNES vxor Henrici tertij Imp. omnibus & diuitiis & honoribus se abdicauit, vt religioni daret operam. Rauis.

RACHIS Longobardorum rex, regno se sponte abdicauit, vt monachum ageret. Ibidem.

CAROLOMANNVS Pipini frater, eius partis quietus princeps, quæ de Francoma cum fratre diuisa ei obtigerat, ingenti animo, cæterùm moderato, & qui secularem vanitatem contemneret, vt verè philosophus religionísque cultor, relicto fratri regno, Soractææ se prope vrbem Romam habitatum contulit: & inde ad Cassinatem montem, vbi sub Benedicti disciplina vixit. Fulgos. lib. 4. cap. 1.

IOANNES Armeniæ rex Clemente quinto pontifice, relicto Leoni nepoti regno, eremum solus incolere potius, quàm regno vti maluit. Cùm autem postea Turcæ Armeniam infestarent, maléque Leo eam tueretur, à populis regnum sumere coactus, magno animo diu defendit. Offendens neque inertia compulsum antea se regnum reliquisse, neque postea ambitione aut leuitate resumpsisse. Ibidem.

IMBERTVS Viennensis Delphinus (hoc enim honoris nomine præcorum Allobrogum principes in ea parte Galliæ vocabantur) vendito Delphinatu Philippo Valesio ex ro Gallorum regi (post quem, Gallorum regum primogeniti Viennæ Delphini vocari cœperunt) distributa in pauperes pecunia, salutis anno trecentesimo ac quadragesimonono supra mille, Lugduni Prædicatorum religioni se dicauit. Ibidem.

PETRVS rex Angliæ, dimisso suis regno, Romam venit, vbi in paupertate priuatus vixit. Idem.

IVDOCVS regis Britonum filius, relicto principatu, cui post patrem erat successurus, byssino & purpuram in pannolas & viles commutauit tunicas. Idem.

INAS Britannorum rex, vxoris Edelburgæ hortatu, relicto regno Romam profectus, eremiticam duxit vitam. Id quod ETELNOLPHVS quoque post eum egit, relicto Egberto fratri patrueli regno. Fulg. lib. 4. cap. 1. & Egnat. lib. 4. cap. 1. qui Inam vocat.

RAPHAEL Adurnus Genuensis dux, hortantibus ciuibus, quibus patriæ libertas curæ esse videbatur, vt principatu cedere vellet (asserebant enim, si ita fieret, sublato factionis metu, concordes fore ciuium animos, atque in communem libertatem conspiraturos) spõte nullisque armis coactus ducalem dignitatem deposuit: atque ab vniuerso populo in priuatas ædes suas deductus, omni laudis atque honoris genere cumulatus fuit. Cæterùm quanquam res ipsa, vt optabatur, vrbis libertatem non peperit: ipse tamen pro virili sua, vt libera esse posset, effecit. Spoliare enim se honore quem gerebat, vt libertati locum daret, non recusauit. atque honestæ famæ gloria, quæ æterna erit, ducatum permutauit: quem aut mors, aut alius casus, sicuti in humanis rebus contingit, vt semper retinere posset, passurus non erat. Fulg. lib. 4. cap. 1.

AMVRATVS Turcarum rex, Mahumeto filio adolescentulo sub Calybaũæ tutela regnum viuens reliquit, téque ad eremiticam contulit vitam. Postea tamen populorum precibus arma resumere coactus est, vt eos qui Ioannis Vaiuodæ armis infestabantur, defenderet. Itaque graui ac periculoso prælio cùm eum vicisset, paulo pòst naturę cõcessit, eodem Mahumeto filio regni successore relicto. Ibidem.

AVRELIVS Mastropetrus dux creatus, quadraginta virũm suffragiis in Ciani locum (quem ipse prius sibi præferri voluerat, quum Dalmaticum bellum aduersus Iadrenses gessisset, qui iam quartò à Venetis rebellarãt) in Syriam ingenti classe Pisanis sociis aduersus Saladinũ contendit. Quo victo, Ptolemaidéque recepta, Venetias rediit, Friderico Ænobarbo vita functo, qui princeps in Saladinum terrestre bellum præcipuè gerebat. Domum igitur reuersus, pacis etiam multis artibus illustris, veterúmque superiorum principum vestigia secutus, monasticam vitam amplecti maluit: mortuúsq; non diu pòst, in phano diuę Crucis sepultus iacuit. Egnat. lib. 4. cap. 1.

VRSVS Parriciacus semper domi vixit cum summa pietatis & innocẽtiq; constantiq; laude: quam declaratus dux sic retinuit, vt monasteriũ diui Felicis ad Amianos extruxerit: in quo mortuus postea sepultus iacet. Veteres scriptores huius liberalitatem in pauperes, & in reliquos munificentiam præcipuè commendant. In patriam autem tanta animi propensione fuit, vt vndeuigesimo principatus anno sponte sese eo abdicarit, quando prægnauante tenecta parem huic curę se non esse cognouerat. Ibidem.

IOANNES ex Patriciaca familia dux tertius hoc nomine, phano diuo Cornelio & Cypriano extructo apud Medoacum egregij operis, non paucisque rebus domi forisque præclarè gestis, quum diuturniore morbo laboraret, ne Resp. principe, qui eam gubernaret, in magna rerum occasione careret, Petrum Candianum subrogari sibi expetiit, cui etiam principis insignia propria manu lubens tradidit: mox ad proprios lares rediit. Iterum verò post Petri Candiani mortem populi precibus adactus principatu assumpto, nec diu principatum tenens, dignitati cessit: populo persuadens, vt omnino successurum sibi ducem eligerent. Quo facto, domum priuatam remisit. Quibus igitur verbis hanc in hoc vno animi moderationem extuleris? Qui omnia patrię tribuens, principatum deposuerit bis: quod nunquam antea, nec postea in hunc diem contigit. Egnat. lib. 4. cap. 1. & Fulgos. lib. 4. cap. 1. qui Ioannem Patriciatium, cognomine Baduarium vocat.

Petro Candiano duce cum ipso filio Cresо, Ducatióque incenso, magnáque diui Marci templi parte conflagrata, vnus PETRVS Vrseolus princeps subrogatur, magno totius populi consensu: qui ad ipsum frequens conueniebat penitus renuentem, neque omnino se tantæ rerum moli parem exclamitem. Victus verò tandem precibus omnium, principis sceptrum imitus penè sumpsit: rémque publicam turbatam Petri Candiani interitu, & tantis incendiis consternatam ita rexit, vt pacatiora omnia reliquerit. Sarracenos quoque interim ad vtranque Italiæ partem classe vagantes, qui Barum Picentum vrbem obsidebant, & Capuam ex altera parte vastabant, soluta prius obsidione Barrensi, memorabili prælio maritimo postmodum superauit. Reuersus inde, ducalias ædes & Marci euangelistæ templum exustum (vt diximus) sua priuata impensa in ampliorem formam restituit, & tabulam insuper mira arte confectam Byzantij ad maximam aram collocauit. Diui etiam Marci corpus paucis cõscitis vbinam esset, præcipuè latére voluit. Mox ad veterem animi moderationem, spectatámque virtutem rediens, compositis rebus publicis omnibus, quoad eius fieri potuit, principatum deposuit: noctúque Guarinum Aquitanum monachũ secutus, Romualdóque & Marino Rauennatibus monachis comitibus, vxore ac filio inscijs, cum duobus generis Gradonico & Mauroceno in Aquitaniam ad D. Michaelis de Cuxano contendit. Et ne quid non per summam moderationem egisse videretur ædes primatas scias, diuersoriorum perpetuum esse voluit. Vixit denique apud monachos in Aquitania non paucos annos, miraculis clarus: celebréque Petri Vrseoli nomen, in eo tetrarum tractu hodie què viget. Egnat. lib. 4. cap. 1 & Fulg. eodem.

IACOBVS Theupulus dux, cùm diutius oblatum principatum recusasset, charitate tandem patriæ victus, non potuit non illi obtemperare. Ille igitur post Petrum Cianum ducem domi fuit salutatum, qui ægrotus iacebat in lecto: ducatum sedem repetẽs, pluribus & maximis confectis bellis, recepta etiam Iadera, quę iam quintùm rebellarat: legibúsque eũ Venetis in vnum corpus redactis, Vatacióque Lesbi domino nauali prælio victo, eóque Cretæ littorib. summoto, Byzantio præterea ab obsidione liberato, hostium insuper superata classe, Gregoriúmque pontificem aduersus Fridericum constantissimè semper tutatus, vt hibum Petrum etiam Mediolanensium prætorem captum à Friderico amitteret: vigesimo tandem pòst anno & aliquot menssibus dignitate principis sponte se abdicauit. Quum tamen prius, & D. Marinę corpus ex Constantinopoli delatum Venetias summa pietate excepisset, & Gemellorum ędem prius extruxisset in D. Mariæ Formosę, & diuę Marinę finibus, vbi extra portã maiorem sepelirí voluit. Egnat. Ibidem.

Sebastianus Cianus (qui Petrum sibum relicto post Henricum Dandulum ducem, principem & ipsum habuit, non minus celebrem pacte) multis belli pacíque artibus insignis: Cretam insulam, quę tunc primùm Veneto nomini cesserat, sic ãdministrauit, vt patricij tanquam & plebeij eò familias non paucas miserit, tanquam in coloniam: variisque etiam postea bellis agitatam ita moderatus est, vt in hunc vsque diem pacata perduret. Is quum feliciter Remp. duos & viginti annos rexisset, florente Rep. sponte sua principatu se abdicauit: priuatáque ædes repetens, mortem non multo pòst appetiit. Ibidem.

IACOBVS Contarenus dux, pace cum Anconitanis inita, qui variante adhuc bello multa damna Venetis intulerant: post quintum principatus annum quando ętate confectus, publicę curę par esse non posset, spõte se imperio abdicauit: vt quam animi moderationem ciuitas ipsa publicè semper retinuerat, exemplo quoque suo retinere posteri facilius possent. Ibidem.

BAMBA rex Hispanorum, anno post initum regnum nono, mensęque vno religionis habitum sumpsit: in eóque permansit annis septenis, ad vltimum vitæ diem. Ritius Neap. lib. 2. Regum Hispanorum.

VITIVM IN EXCESSV. AMBITIO EN ΑΗΥΕΙ.

Ambitionem in genere pro vitio in excessu circa honoris cupiditatem ponimus, qualescunque sint honores, tam diuini quàm humani: & inter humanos imperia, regna, magistratus, triumphi, coronæ, statuæ, &c. Comprehendit ergo χαυνότητα simul & φιλοτιμίαν: quarũ illa

in magnis honoribus, hæc in paruis posita est. Apud Romanos, quia euidens maximè erat, honoris studium in magistratuum petitione, nimiam hanc gloriæ cupiditatem ab ambiendo, & populi fauorem in comitiis conciliando, ambitionem vocarunt: ambitum verò, si munera quoque, quibus corrupta suffragia emendicarentur, accessissent. Quare ambitum seuere puniebant: ambitionem non item. Hæc enim beneuolentia ferè nitebatur, ille largitionibus & corruptionibus. Vsus postea loquendi obtinuit, vt omne nimium gloriæ studium, Ambitio appellaretur. Quam vocabuli significationem nos hic quoque retinebimus. Porrò illud quoque hîc obseruandum, quoniam Ambitio ex variis obiectis laudem captat, ex luxu, ex pecuniis vel dandis vel respuendis: idcirco exempla Luxus, Liberalitatis & Prodigalitatis huic quoque loco interdum inseruire posse.

MAIORES HONORES, QVAM MEREATVR, SIBIIPSI *tribuere, adulatoribúsque credere. Et primùm Diuinos.*

Consule titulum Hæreticorum.

PRIMI parentes ambitione accensi, quòd ex fructu arboris scientiæ boni & mali diis similes euasuri essent, contra Dei præceptum porrigête serpente fructum comederunt, & se simul atque posteros infinitis malis onerarunt. Genes.3.

Præceperat NABVCHODONOSOR Holoferni, vt omnes deos terræ exterminaret, vt ipse solus Deus diceretur ab his regionibus, quæ ab Holoferne subiugarentur. Iudic.1.& 3.

SALMONEVS rex Elidis tonitrua astutè finxit, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret. Rauis.

THEMISON Cyprius Hercules dici volebat, eóque nomine rem sibi diuinam fieri patiebatur. Idem.

MENECRATES medicus, cùm morbos quosdam desperatos, ac parum curabiles sua arte sanasset, Iouem deorum summum seipsum appellauit. Vnde cùm ad Philippum Macedonum regem scripsisset, tali vsus est exordio: Philippo Menecrates Iupiter salutem. Ad ea cùm respondisset Philippus, in hunc modum orsus est epistolam: Philippus Menecrati sanitatem. Significauit autem, latenter hominem non esse sanæ mentis, qui se Deum esse fingeret. Ælian.lib.12.de Var.hist.

ALEXANDRI regis virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouem Hammonem patrem asciuit. Tædio morum, & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit. Spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus est. Nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem dissimulare. Val. Max.libr.9. cap.5.

IDEM superato Dario, & Persarum regno in suam potestatem redacto, prospera fortuna inflatus, Græcis scripsit vt se deum facerent. Aliis aliter statuentibus, Lacedæmonij decretum eiusmodi fecerunt: Quoniam Alexāder deus esse vult, esto deus Laconicè simul & patrio more: redarguentes stuporem & væcordiam Alexādri. Ælian.de Var.hist.lib.2.

Anaxarchus cognomento Eudæmonicus, ridebat ALEXANDRVM, quòd seipsum Deum faceret. Cùm autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem pararet, ridens Anaxarchus, inquit: At nostro deo spes omnis in sorbilatione patellæ posita est. Æliā. de Var.hist.lib.9.

HERACLIDES Ponticus, Athenas iuuenis concessit: vbi cùm molliore vestitu vteretur, corpore obeso, ac ideo incessu tardo, pro Pontico Pompicus cognominabatur. Multa scripsit, multa etiam ab aliis furatus est. Gloriæ auidissimus. Elegias, Tragœdias, Pyrrhichas composuit. Draconem aluit: quem, cùm sibi mortem imminere sentiret, iussit cuidam fidissimo pro se in lecto collocari, vt deus factus videretur. Quod cū propinquus ille fecisset, serpens, dum iusta agerentur, è lecto prorepsit, & præsentes perterrefecit: eiusque ambitio patefacta fuit. Laertius.

ANNON Carthaginensis, præ nimia ambitione noluit intra hominū septa permanere: sed præstantiorem de se famam euulgare statuit, quàm natura sua pateretur. Itaque plurimas aues ad perdiscendas cantiones idoneas coemit, & in tenebris obscuróque loco aluit: solúmque vnam cātilenam eas docuit, Annon est deus. Quæ cùm vna duntaxat audita voce, eam complexæ essent consuetudine, aliam aliò in diuersas plagas dimisit: arbitratus auium carmen de se vulgatum iri. At illæ semel alis solutæ, libertatémque adeptę, & ad consuetum victum reuersæ, naturalem cantum ediderunt, & auium modulationes recoluerunt: longo vale Annoni, doctrinæque, qua in seruitute fuerant imbutæ, dicto. Ælian.lib. 14. de Varia hist. Erasm. hoc refert in Psaphonem quendam,

EMPEDOCLES philosophus, cùm Panthiam Agrigētinam in graui morbo curasset, atque ob id se penè pro numine coli animaduerteret immortalitatis atque famæ studio incensus, vt in numerum deorum trāslatus videretur, Æthnam insiliit, atque medios ipsius in ignes se coniecit. Fulg.lib.8.cap.15.& Alex lib.6.cap.4.

PERSARVM, Medorum & indorum reges diuinos sibi honores tribuentes, voluerunt vt omnes regem salutantes, tanquam deos adorarēt, & salutando toto corpore procederent. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

CYRVS Persarum rex primus, ab exteris diuinos sibi honores tribui passus est: eique proximum diis honorem semper tribuêre Persæ. Ibidem.

ANTIOCHVS Syriæ rex, omnium hominum clarissimus, diuinos sibi honores tribuit, & cognomento Deus dici voluit: vt non tantùm in presenti vita inter suos clarissimus esset, sed post mortem etiam insigniter coleretur. Alex ab Alex.lib.2.cap.11.

CALIGVLA Imperator, cùm sibijpsi diuinos honores ascripsisset, superbiens, templum in vrbe sibi faciendum, & domum in Capitolio ædificandā curauit, quò posset, sicuti dicebat, vnà cū Ioue habitare. Sed indignatus postea, quòd sibi habitanti cum Ioue secundæ partes darentur, eum propterea accusare cœpit, quòd Capitolium occupauisset. Ob hanc causam templum alterum ędificari in Palatio diligenter iussit, eóque statuam Iouis Olympij in suam formam transferre voluit: sed non potuit, propterea quòd nauis quæ ad transuectionem eius parata erat, fulmine perculeretur. Quoties autem ad eam statuam tangendam ibatur, multus risus audiebatur. Quare Caius minatus Ioui, aliam sibi faciendam curauit: templúmque Castoris & Pollucis, quod erat in foro, demolitus, inter medias statuas eorum aditum sibi ad palatium patefecit, vt Castorem & Pollucem, sicuti dicebat, ianitores suos haberet. Dialem se nominabat. Cæsoniam vxorem, & Claudium, aliósque locupletissimos homines, sacerdotes fecit. Cúmque se ipse sacerdotem fecisset, equum collegam in sacerdotio designauit: singulis diebus aues teneras & preciosas sacrificandas sibi curauit. Tonabat etiam machinis quibusdam, & fulgurabat: ac quoties fulmē de cœlo caderet, ipse cōtrà iaciebat lapidē: dicebátque in singulis iactib. illud Homeri, ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ, Aut tu me interficias, inquit, aut ego te. Multorum numinum statuis capita ademit, & sua similia restituit. Castoris atque Pollucis templum, in vestibuli speciē, ante palatij sui valuas transtulit: atque illic inter deorum statuas sedēs, tanquā numen coli se iubebat, ac Latialem Iouem appellari, cum manu fulgur aurata barba teneret. Cùm autem interdum tridente manum armaret, vt Neptuno similis esset, maris numen dici volebat: Idem sibiipsi tēpla ac statuas aureas condidit, fasianisque tantum ac phenicopteris pauonibúsque sacrificabat. Lunam quoque, tanquam si fœmina esset, in eundem thalamum ac lectum inuitabat: & cum ea se coiuisse gloriabatur. A Victoria se coronatum esse iactabat. Iouem etiam se ab vrbe depulsurū minitabatur: quòd nonnunquam emissis imbribus, ludos ac munera, quæ edebat, perturbasset. Fulg.lib.9.cap.5.ex Xiphilino.

DOMITIANVS iactabat, in senatu patri se & fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse. Gaudebat appellatione Domini, atque etiam Dei. Vnde Eusebius: Primus, inquit, Domitianus Dominum se & Deū appellari iussit. Hinc fluxerunt duo versiculi cuiusdam poetæ assentatoris: Edictum Domini, Deique nostri, Quo subsellia certiora fiunt. Vnde institutum est ab eo, vt ne scripto quidem, aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit. Septembrem & Octobrem menses ex appellationibus suis Germanicum, Domitianúmque transnominauit, quòd altero suscepisset imperium, altero natus esset. Rauis.

M. AVR. Antoninus, Bassianus, Heliogabalus, Imperator, cùm ob superbiam deus haberi vellet, currum conscendens, quem leones traherent, Cybelem se nominare iubebat: & Bacchum vocari, cùm currui tygres iungeret, cui potandi studio similior fortasse videri poterat. Sed cū immanitate alios omnes excederet, vniuersum senatum vrbe expulit, atque in contemptum seruos togatos nuncupauit. Fulg.lib.9.cap.5.

COMMODVS Romanorum imperator, cùm diuinos sibiipsi honores tribuisset, se Herculem aureum esse dixit: sibique statuas Herculis habitu collocandas erexit, vnóque abscisso colossi capite, sui capitis imaginem exorandam reposuit, data ei claua, leonéque æneo subiecto, vt Herculi si milis esset. Lampridius: Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita: item Marul.lib.2.cap.19. Topogr. vrbis Rom.

DIOCLETIANVS contra instituta maiorum, Deum se appellari voluit, cùm antecessores Cæsaris nomen sibi tantum tribuissent. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19.

EVNVS Syrus, cùm nuce iuglande in os inclusa ignem euomeret, simulans se deæ Syriæ numine afflatum, apud seruos & infimam plebem diuinus habitus est: mox tamen suę temeritatis dignas pœnas dedit. Alex. ab Alex.lib.2.cap.11.

MARICVS quidam ex plebe Boiorum cùm Dei nomen sibi arrogasset, captus & occisus, falsi inditi nominis grauissimas pœnas dedit. Alex. ab Alex.lib.2.cap.11.ex Corn.Tacito.

Persarum rex SAPOR, ad Constantium Imperatorem scribens, Solis atque Lunæ se fratrem, & qui inter stellas partem haberet, nuncupauit, nullo erga Constantium honore vsus. Fulg.lib.9.cap.5.

IVLIANVS Imp. apostata, cùm lethali vulnere percussus, incerto authore, in Perside ad fluminis ripam iaceret, consilio cum sacerdotibus inito, se clàm in fluuiū præcipitare voluit, vt diuinitùs raptus videretur. Quidam tamen ex eunuchis imperum hunc inhibuit, & impius nebulo spe sua frustratus est. Niceph.lib.10.cap.37.

HONO-

HONORES HVMANOS QVOSLIBET MAIORES, SEQVE *indignos, ab aliis vel propter imprudentiam, vel propter adulationem oblatos, amplecti.*

Exempla quædam ex tit. Superbiæ, quæ bona sua nimium extollit, desumi poterunt. Illic enim ratio habetur ipsius mendacij, quatenus id quod non est, tanquam sit offerunt: hic verò cupiditatis honorum. Itaque absurdum nemini videatur, eadem exempla diuerso respectu ad diuersos titulos referri. Huius denique loci sunt illi, Qui adulatorum sermonibus aures præbent.

MAGISTRATVS ET DIGNITATES NON OBLATAS *ambitiosè acquirere.* REGNANDI *libido.*

LARGITIONIBVS.

Exempla quædam pete ex tit. Ambitionis pœna. Plurima ex tit. Impietatis contra parentes, fratres, consanguineos, &c.

ANITVS, Anchemeonis filius, primus apud Athenienses largitionibus immodicis pecunias erogasse, & suffragia mercatus fuisse dicitur. Alexand.ab Alexand.lib.3.cap.17.

STVPRO.

CONRADVS Marchio Ferrariensis, libidine regnandi laborans, Isabellam Sibyllæ sororem, quæ regni Hierosolymitani ius ad se spectare prædicabat, Henfredo Toronio nuptam, vi compulit in suum matrimonium, séque Hierosolymorum regem voluit appellari. Mox igitur à duobus sicariis, quos Saraceni vocant Arsacidas, in foro trucidatus est. Ritius Neapolitanus de Regibus Hierosolymorum.

CÆDIBVS.

ABIMELECH, filius Gedeonis ex concubina, interfecit septuaginta fratres super vnum lapidem, vt solus posset dominari: vno duntaxat excepto, qui fuga & pedibus salutem sibi reperit. Idem Sichimitas (quòd ab his vrbe & tribu eiectus fuisset) noctu adortus, omnes trucidauit, nulla sexus aut ætatis habita ratione: vrbem vi captam diruit, & in eius area salem sparsit pro semine. Eos verò qui spe salutis ad templa se receperāt, facta lignorum congerie, ibidem flammis & fumo necauit. Sed postea quædam mulier cerebrum eius fregit, fragmē molæ iaciens super ipsum, dum turrim obsideret. Iudicum.9.

ZAMBRI dux equitum, occidit Hela dominum suum, & regnauit post eum septem diebus. 3.Reg.10.

SELLVM, filius Iabes, coniurauit contra Zachariam regem Israel, dominum suum, & interfecit eum: regnauitque post eum vno mense tantùm. 4.Reg.15.

Sennacherib Assyriorum rex, cùm oraret in templo, duo filij percusserunt eum, cùm tamen neuter eorum regnauerit post eum. 4.Reg.19.

Tryphon ambulans cum rege Antiocho adolescente, domino suo, vt regnaret eius loco, occidit eum. 1.Machab.3.

PTOLEMÆVS Abobi filius, Simonis ducis Iudęorum gener, incensus regnandi cupiditate, Simonem cum duobus filiis inuitatum ad cœnam interfecit. Volater. in historia Hierosolymitana: & lib.18. Anthrop.

HERODES multa puerorum millia occidi iussit, vt authorem nostræ salutis interciperet, tanquam verum regem Iudæorum.

Archelaus Macedonię tyrannus (sic enim eum Plato nominat, non regem) habebat amasium, cui nomen erat CRATEVAS: qui non minus imperium deperibat, quàm tyrannus amasium. Interfecit ergo amatorem suū non alia spe, quàm quòd credebat se parto imperio beatum fore in posterum. Verùm cùm vix tres aut quatuor dies imperiū amasius tenuisset, ipse rursus ab aliis per insidias circumuentus & occisus est. Ælianus lib.8. de Varia historia.

PERSEVS, Philippi Macedoniæ regis ex concubina filius, Demetrium fratrem ex legitima vxore apud Astræum Pœoniæ oppidum veneno per Didam sustulit: & patri quoque insidias nectere cœpit: non planè irritas futuras, nisi Philippus iam sexagenarius tabe prius consumptus fuisset. Sed ab Æmylio Paulo victus, regno, quod malis artibus pepererat, exutus est.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, Pantagnotum & Sylosuntem fratres alterum interficit, minorem natu regno pellit, vt solus rerum potiretur. Vide tit. Tyrannorum.

PHRAATES, Orodis Parthorum regis filius, regnandi cupidissimus, ac omnium sceleratissimus, Orodem patrem, fratrésque germanos, nulla alia de causa tam crudeliter interfecit, quàm vt eo tutius Parthorum regnum occupare posset. Dion Nicæus in Augusto.

TARQVINIVS Superbus, homo nequissimus, & inhumanę crudelitatis, dum libidine regnandi stimularetur, dies noctésque cogitauit, quibus insidiis Seruium Tullium, socerum suum fidelissimum, & Romanorum regem fortissimum, interficere posset. Tandem subornatis quibusdam militibus interficiendum curauit, & ipse imperium inuasit. Liuius, Dionysius, Florus, Plinius, & alij.

IVGVRTHA fratres suos Hiempsalem & Adherbalem morti dedit, vt Numidarum regno solus potiretur. Rauisius.

PERPENNA consul Marianarum partium in Hispaniam fugiens, coniunctis castris cum Q. Sertorio, aduersus duces pop. Rom. multos annos fœliciter pugnauit. Demùm regnandi cupidus, Sertorium ipsum inter epulas incautum interfecit, vt solus imperaret in Hispania. Volat. lib.18. Anthrop.

Augustus Cæsarionem, Cæsaris ex Cleopatra filium, è medio sustulit, vt solus imperaret. Pont. de Immanitate, cap.4.

Tiberius Cæsar, veritus ne aliquando ab aliis ab administratione imperij deiiceretur, multos interfici iussit, explorata die & hora, qua nati fuissent: atque inde animaduersa fortuna eorum & moribus, eos præsertim quos excellere videbat, aut sperare principatum, funditùs perdebat. Diō Nicæus in eius vita.

NERO cùm iam natus esset, prima luce, antequam sol ortus esse videretur, radij circum eum fulserunt. Qua ex re, tum etiam animaduerso stellarum cursu, qui tum erat, atque earum coniunctione, quidam astrologus duo simul prædixit: eum regnaturū esse, & matrem necaturū. Quod cùm AGRIPPINA intellexisset, demens subitò exclamare cœpit: Me verò, inquit, occidat, dum regnet. Præsagio votóque respondit euentus. Xiphilinus in Nerone: & Sabel.lib.4.cap.9.

Numerianus adolescens (in expeditione contra Persas patre Aurelio Caro Romanorū imperatore interfecto) ab eius socero interfectus est, ad imperium frustra aspirante Vopiscus.

PHILIPPICVS, qui & Bardanius, Iustinianum Imperatorem iugulauit, vt post eum regnaret. Sigebertus in Chron.

ANDRONICVS Comnenus Alexium pupillum, vt imperio potiretur, occidit: sed mox à populo ob crudelitatem pulsus est. Volat.li.23. Anthrop.

Arthemius, qui & Anastasius, Philippicum imperatorem priuans regno & oculis, imperauit annis duobus. Sigebertus in Chronicis.

MARTIANA Constantinum imperatorem priuignum suum, quatto imperij mense, veneno extinxit, vt cum filio suo Heraclona imperium arriperet. Sigebertus in Chronicis.

MICHAEL Paphlagon per coniurationem, vt in regno administrando succederet, Romanum Argyropolum siue Argyrum interfecit, ac Zoen eius coniugem in matrimonium accepit. Volat.lib.23. Anthrop.

MICHAEL Thraulus, Leonem Armeniacum, Pardi patricij filium & Imperatorem, vt regni hæres esset, per coniurationem interfecit. Volat. lib.23. Anthrop.

Michael, Theophili Imperatoris filius, cùm vnà cum Theodora matre vndecim annos imperator fuisset, tandem BASILIVM Macedonem, virum strenuum, consortem imperij sibi asciuit, à quo mox interfectus est. Volaterranus lib.23. Anthropologię.

CONSTANTINVS V. Pogonatus, Constantis filius, cùm videret fratres suos duos æquali secum honore esse, adeò vt populus trinos Imperatores in Trinitatis honorem coleret: naribus vtrunque truncauit, & solus imperauit per 17 annos. Paulus Diaconus lib.19. rerum Rom.

Stauracius, Nicephori imperatoris filius, cùm patri in regno succederet, ab eius sororio MICHAELE Curoplate cognomento, mense tertio quàm imperare cœperat, regnandi libidine flagrante, deiectus est. Volat. lib.23. Anthrop.

ATTILA Bledam fratrem germanum, Hunnorúmque regem, fraude, vt regni successor esset, interemit: & mox in excidium orbis animo fertur. Sigebertus in Chronicis.

Tendius Hispanorum rex, Amalasuitham (Almarici regis matrem, quæ post filij mortem imperij habenas sumpserat, eúmque adoptauerat in spem successionis) aspirās ad imperium, in balneo suffocandam curauit. Ritius lib.1. Reg. Hispan.

Sanctius quartus Hispaniæ rex, patrem suum Alphonsum decimum, è Germania redeuntem, occupato regno non admisit. Quatuor hominum millia trucidari iussit: quòd in tumultu quodam Alphonsum fratris sui filium regem appellassent. Rauisius.

Henricus II. Alponsi XI. Hispanorum regis filius & nothus, Petrum fratrem suum, qui post Alphonsum parentem imperij habenas susceperat, stricto gladio cōfodit: eóque interempto, regno potitus est. Ritius Neapolitanus lib.3. Reg. Hispan.

Victericus Hispanię rex, Luybam antecessorem in regno insidiis interemit, vt regnum diu desideratum recuperaret: adeptóque per fraudem dominatu, septem potitus annis, eodem mortis genere periit. Idem lib.1.

SIGISBERTVS Clotharij Francorum regis filius, Chilperiū fratrem incautum subito bello opprimere tentans, vt Suessiones recuperaret, immissis percussoribus eum occidit. Ritius lib.1. de Reg. Francorū.

THEODERICVS Gundebaldi Francorum regis filius, qui defuncto patre Metensib. imperabat, & CLOTARIVS eius frater, qui Suessionibus, regno Clodomiris fratris inhiantes, ausi rem barbaræ crudelitatis, accitos ad se fratris filios ab auia Clotilde, quæ Parisiis eos educabat, Theobaldum & Gonterum fœdè necarunt. Ibidem.

THEODORICVS Visigothorum rex secundus in Hispania, vnà cum fratre FRIDERICO, Thurismundum fratrem iugularunt, vt Theodericus succederet: qui recuperans hac ratione regnum, præfuit suis annos 13. Sigebertus in Chron. Tandem à fratribus suis quoque iugulatus est. Ritius lib. 1. Reg. Hispan.

MAHOMETVS fratrem suum gladio confecit, vt solus ipse succederet Amurato patri in Asiæ ac Græciæ imperio. Qua successione imperiũ Constantinopolitanum funditùs euersum est. Pontanus de Immanitate, cap. 4.

LVDOVICVS Sfortia, duos nepotes ex Galeatio fratre veneno sustulit, ut Mediolanensi principatu cum suis liberis ipse potiretur. Nec hoc crimine contentus, eorum fidissimum tutorem, eundémque vetustissimũ, Franciscum Calabrum interimi iussit. Hanc quoque fuisse causam euocandi ex Gallia Caroli octaui regis aduersus Alphonsum regem vel præcipuam tradunt, ne quid moliri Alphonsus ipse aduersus ipsum posset. Deus tamen & ipsum viuentem captiuum Gallorum regem esse voluit, nec liberos suos diutius frui imperio passus est. Egnat. lib. 9. cap. 2.

IACOBVS Carrariensis indignè ferens Marsiliettum sibi à patruo Vbertino duce III. in successione Patauini principatus prælatum, nocte intempesta Marsiliettum incautum adortus, obtruncauit in ædibus propriis: & antequam facinus increbresceret, literis Marsilietti sigillo obsignatis ciuitatum custodias renouari præcepit: & sic tandem confirmatis rebus suis se principem publicè fassus est. Bernard. Scardeonus lib. 3. hist. Patauin.

BELLIS.

ABSALON ambiens regnum patris, cœpit maliciosè populo adulari, & facta patris sui vituperando, se bene regnaturum iactare. 2. Reg. 15.

NABVCHODONOSOR rex Assyriorum, vocauit duces bellatores suos: dixitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Iudith 2.

NINVS Assyriorum rex (cùm à principio rerum, gentium nationúmque imperium penes reges esset, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat) primus omnium veterem & quasi auitum gentium morem, noua imperij cupiditate mutauit, primus bella finitimis intulit, & rudes adhuc ad resistendum populos ad Libye terminos vsque perdomuit. deinde cùm proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius orientis populos subegit. Iustinus libr. 1. Diodor. libr. 3. Sabell. libr. 1. Enn. 1. Rapf. ex Ctesia.

SESOSTRIS Ægyptiorum rex, in Libyam profectus, maiorem eius partem adhuc adolescens occupauit. Verùm rebus à se gestis elatus, adiecit animum ad imperium orbis, atque vt optata perficeret, omnium Ægyptiorum beneuolentiam sibi conciliauit. Milites, vt pro ducibus suis ad opperendam mortem promptiores redderet, omnes beneficiis affecit: hos donauit pecuniis, alios agris, nonnullos remissione pœnæ. Plura leges apud Diodorum Sic. lib. 2. cap. 1. Rerum antiquarum.

CROESVS Lydorum rex, cùm Cyrum, capto auo Astyage rege Medorum, ad Persas imperium transtulisse videret, veritus illius potentiam, eãque in ipsis initiis opprimi posse ratus, arma contra eum mouit: & quatuordecim dierum spacio Sardis obsessus, & captus, regnóque exutus est. Herod. lib. 1.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, primus extitit Græcorum, secundum Minoem (& si quis Minoe prior maris imperio potitus est, vel in animum induxit vt mari potiretur) qui multam conciperet spem Ioniæ atque insulis dominandi. Verùm insidiis ab Orœte Sardium præfecto circumuentus, cruci fuit affixus. Herod. lib. 3.

ALEXANDER Magnus, Anaxarcho comiti suo ex authoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti: Heu me (inquit) miserum, quò nec vno quidem adhuc sum potitus. Augusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit. Volat. libr. 8. cap. 15, & Ælian. lib. 4.

CN. MANLIVS Volso missus ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, cupidine triumphandi bellum Pisidis & Gallogræcis, qui Antiocho adfuerant, intulit. Plin. de Viris illustr.

L. CATILINA ob auariciam & imperandi cupiditatem in patriæ suæ excidium coniurauit. Vide Sallustium.

Belli ciuilis inter CÆSAREM & POMPEIVM multæ causæ fuerũt: sed certissima causa fuit, dominandi cupiditas. Pompeius enim, etsi antea Cæsarem auxerat, tamen eius fortunæ & gloriæ postea cœpit inuidere: atque cùm initio eius potentiam impedire clàm studuisset, deinde grauiter & apertè inimicum se ostendit. Cæsar, qui nihil de dignitate sua detrahi patiebatur, quíque potius omnium maximus esse cupiebat, apertè se Pompeij hostem declarabat. Xiphilinus Dionis Nicæi abbreuiator, in Pompeio.

C. IVL. Cæsar cum iam in senatu obtruncatus esset, LEPIDVS quasi eius necem vindicaturus, armatis militibus forum occupauit: verè autem rebus nouis studebat, & sibiipsi eam dominationem quærebat. Xiphilin. Dionis abbreuiator, in Cæsare.

In ea ipsa seditione, posteaquam Cicero sua facundia populum mitigasset, M. ANTONIVS quoque huic reconciliationi operam & studium nauauit, nullam aliam ob causam, quàm ne in illo tumultu alius dominationem sibi tum temporis priuato ac regnandi percupido præriperet. Xiphilinus eodem loco.

SEDITIONIBVS.

Exempla plurima pete ex tit. Tyrannidem astu inuadere,

Locuta est MARIA & AARON contra Moysen, & dixerunt: Nónne & nobis similiter locutus est Dominus? Sed hæc verba videbantur ambire ducatum populi sui. Num. 12.

CHORE & complices sui anhelantes ad regnum populi, condemnauerunt Moysen, & Aaron accusauerunt, dicentes: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini? Numer. 16.

Cùm Babylone Alexander Magnus animam egisset, PRÆFECTI eius adeò per seditiones de regno contenderunt, vt Alexander, qui antea Iouis filium se esse iactarat, triginta diebus sepulturæ expers maneret: cuius etiam egenissimi quique (natura postulante, vt mortui terra occultentur) compotes fieri solent. Ælian. lib. 12. de Var. hist.

CALVMNIIS, CRIMINATIONIBVS.

HERODIAS Agrippæ regis Iudæorum soror, indignè ferens Agrippam, qui decoxerat, & Romæ adulando Caligulæ ad regnum peruenerat, ad tantum fastigium honoris peruenisse, suum verò maritum Herodem tetrarcham tantùm Galilææ & Pereæ esse: maritum impulit, vt ipse etiam Romam profectus, falsis criminationibus apud Caligulam, Agrippam regno exueret. Sed contrarium euenit. Agrippa enim re intellecta, Fortunatum libertum suum Puteolos ad Caiũ misit, & Herodem conspirationis cũ Artabano Partho accusauit. Regno igitur exutus Herodes, exilio perpetuo vnà cum Herodiade ad Lugdunum Galliæ vrbem damnatus fuit. Iosephus in Antiquitatibus.

TRIVMPHOS VEL QVÆVIS ALIA BELLICA PRÆMIA IN- *dignè postulare, aut accipere.*

Quum CHABRIAS circa Corinthum paucos Thebanos sub mœnibus auidius pugnantes prostrauisset, atque ob id trophæum erexisset, Epaminõdas deridens hominem dixit: Hic sanè dicebat, non trophæũ, sed Hecatæum erectũ esse. Veteres enim ante portas in triuiis congruenter Hecates imaginem statuere solent, vel ad indicandam viam, vel in gratiã sepultorum. Plutarchus in Græcorum Imp. Apoph.

C. CALIGVLA iuuenilibus annis nimiaque felicitate abstractus, cui non rarò coniuncta insolentia inuenitur, cum valido exercitu in Germaniam profectus, non modò non cæso, sed ne viso quidem hoste circumactis legionibus machinisque omnibus, qua parte Oceanus terrã alluit, milites omnes cõchas, atque illa quæ in littus mare euomit, colligere iussit: dicens se ac palatio ea digna esse spolia, & de rebus illis, tanquam de victo spoliatóque Oceano, magna pompa insanientis potius quàm triũphantis more, laureatus vrbem iniuit. Fulg. lib. 2. cap. 3.

Magno dedecore suo, magnóque populi Romani dolore, NERO plurib. in locis de musica arte triumphauit. Nam cum ex Græcia rediret, vbi assiduè inter citharistas cantorésque de musica certauerat, quorum multi vt principi blandirentur, superatos se dicebant, Neapolim inire curru voluit, quem albi traherent equi: magna murorum diruta parte, vt triũphantes Hieronicas imitaretur. Idem cùm Antij quoque atque Albæ factum esset, postremò vrbem Romam purpurea veste amictus, stellis aureis conspersa, coronatus oliua, laurum Delphicam præ se ferens, curru triumphali quo olim Augustus vectus erat, intrauit: maioris Circi fornice, qui prætereunti impedimento futurus videbatur, ad terram prostrato. atque inde per velabrum ad Apollinis templum perrexit, tanquã ad numen quod musicæ arti præesse putatur. Ingrediebantur primùm qui tabellas longis hastis affixas ferebant, in quibus scriptum erat nomẽ & genus certaminis. Fulg. lib. 2. cap. 3. ex Xiphilino in Nerone.

Mortuo Maxentio, CONSTANTIVS Augustus triumphans vrbem Romam iniuit: quamuis hostis Maxentius non externus, sed ciuis Romanus fuit: neque à Constantio, sed per seditionem à suis cæsus: Constãtius tamen eo prætextu vsus, tunc primùm vrbem initurus, Romanis opulentiam exercitus ostentare voluit. Fulg. lib. 2. cap. 3.

AVRELIANVS Augustus in aliis rebus temperantissimo habitus animo, plus triumphalis honoris quàm æquum esset ardore incensus, contra mores legésque de Tetrico viro senatorio, ciue Romano, quem in Oriente vicerat, & de Zenobia triumphare voluit. Quem enim honestum triumphandi prætextum habere potuit, ob ea quæ aduersus ciuem Ro. atque fœminam gessisset? Cæterùm hoc etiam eius cupiditatem magis detexit, quód non contentus leges triumphãdi parum seruasse in iis cõtra quos bellum gesserat, vrbem iniuit curru, non quem equi, vt mos erat, sed quem cerui traxerunt. Ibidem.

FAMAM

FAMAM NOMINIS MAIOREM, QVAM CONVENIAT, EX HO- *nestis rebus captare, absque iniuria alterius.*

ALEXANDER Macedo, cùm ab vltima India reuerteretur, maiora equorum frena, locáque in quibus stabulantes equi manderent, item arma his quibus vtebatur maiora, in ea regione reliquit: quia per ea credere apud Indos posteritatem cupiebat, & statura & viribus, atque insuper virtute, se suósque maiores, quàm essent, fuisse. Fulg. lib. 8. cap. 15.

CORN. Gallus in Ægyptum ab Octauio Augusto missus, vt iam occupatam administraret prouinciam, propter honoris magnitudinem statim superbire, atque alios præ se adeò contemnere cœpit, vt etiam in Augustum quædam iactaret conuicia. Suas præterea statuas in omnibus ferè Ægypti partibus collocauit: iussitq; res á se gestas in pyramidibus inscribi. Vnde apud Cæsarẽ accusatus, ac facultatibus omnibus priuatus, mortem sibi ipsi præ desperatione intulit. Dion in Augusto.

COMMODVS Romanorum imperator, tam fuit ambitiosus, vt vrbem Romam suo de nomine Commodianam, & exercitus Commodianos: & diem etiam ipsum quo hæc decernebantur, Commodianum appellari voluerit. Multa etiam ex mera ambitione cognomina sibi assumpsit, presertim Herculis. Voluit vt & menses ex eo nominarẽtur hunc in modum: Amazonius, Inuictus, Fœlix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Superans, quæ nomina cum sibi sumeret, mutarétque sæpenumero, tamen cognomen Amazonij & Superãtis perpetuò retinebat, quasi omnes homines in rebus omnibus superaret. Dion Nicæus & Xiphilinus in eius vita,

Idem Carthaginem à nomine suo Commodianam appellauit: sublatóque de Neronis colosso capite, suum pro Neroniano imposuit.

FAMAM NOMINIS, ALIORVM SVDORES ET LABORES IN *se falsò transferendo, aucupari.*

IN THEORICIS.

Consule titulum, Furta literaria, sub loco Iniustitiæ.

Solebat CALLIPHANES poeta, diuersorum carminum & orationũ initia conscribere, ad tres aut quatuor versus, eáque pronunciare & ostentare, vt cõmentum ignorantibus multiscius & eruditus videretur. Rauis.

BARTOLVS iurecons. princeps, veterum nominibus pretermissis, eorum inuenta sibiipsi attribuit, præcipuè Nicolai de Maturellis Mutinensis dogmenta, vt ex Angelo & Castrense recitat Fichardus in eius vita.

Io. ANDREÆ Bononiensis, in Iure canonico excellentissimus, multa ex consiliis Olradi Ladensis sibi vendicauit, suppresso authoris nomine. Quapropter Baldus eum insignem furem alienorum laborum exclamat, & furta eius prodit. Fichardus in eius vita.

LEONARDVS Aretinus, Procopij Gothicam historiam à se versam, suppresso authoris nomine, tanquam suam, & è variis historicis hincinde collectam, Iuliano Cæsarino cardinali, qui ad Varnam ab Amurathe cæsus periit, dedicarat. Sed illius furtum Christophorus Persona Romanus detexit, qui Procopium Latinè loquentem fecit. Iouius in Elogiis.

IN PRACTICIS.

Cùm in prælio inter Artaxerxem Mnemonem, ac fratrem eius Cyrũ, Metrodorus Cyri capiti vulnus intulisset, Cares autem retrò poplites succidisset: ARTAXERXES huius famæ auidus, vt manu sua Cyrum interemisse videretur, dum milites recenseret ob virtutẽ premio dignos ad Mithridatem misso munere, ei mãdari iussit, vt munus acciperet, quia Cyri pileum apud Artaxerxem detulisset: Cari autem, quòd primus Cyrũ nunciasset mortuũ ex vulnere, quod ei Artaxerxes intulisset. Tãta autem in vtroque gloriæ cupiditas fuit, vt spretis muneribus, contra regis voluntatem, se ipsos prædicarent esse, qui Cyrum interemissent, eũmque ab Artaxerxe ne tactum quidem fuisse. Itaque indignatus rex, cum sibiipsi eam famam arrogare vellet, vtrunque iussit occidi. Fulg. lib. 8. cap. 15.

L. SYLLA, etsi ad neminem scriptorem animum direxit, tamen Iugurtha à Boccho rege ad Mariam perducto, totam sibi laudem cupidè asseruit, vt annulo, quo signatorio vtebatur, sculptam illam traditionem haberet: & quãtus postea? ne minimum quidem gloriæ vestigium contempsit. Valer. lib. 8. cap. 15.

IOANNES Capistranus, quãquam Minorum ordinem profiteretur, quæ professio nullius rei magis quàm humilitatis studiosa esse debet, cùm prælium scriberet, quo Mahumetes Turcarum rex apud Belgradum vrbem à Ioanne Huniade, eius Mœsiæ partis quæ nunc Transsyluania dicitur, Vaiuoda (hoc quoque honoris nomen est) superatus ac fusus fuit, nulla penè de eo atque de Apostolico legato mentione facta: de se tantùm loquutus est, ceu ipsius vnius virtute aut miraculo partam insignis victoria foret: & qui aliis prædicabat, ambitionem atque mundanam gloriam fugiendam esse, doctrinæ suæ penè immemor, pleno cursu insequutus alienam, occultata eorum virtute ac robore qui verè res gesserãt, sibi vsurpabat: quemadmodum in historia Pius testatur, Fulg. lib. 8. cap. 15.

FAMAM NOMINIS EX INHONESTIS REBVS CAPTARE,

Nouam rationem, aut potius dementiam atque scelus, CHEOPES Ægypti rex ad comparandum sibi nomen excogitauit. Nam cùm priscis Ægypti regibus mos esset gloriæ operam dare, struendis insanis molibus, & ipse pyramidem inchoasset, quam deficiente pecunia imperfectam reliquerat: filiam miræ pulchritudinis, inter lapidicinas prostituit, vt ita ad perficiendam pyramidem pecuniam pararet. Itaque perfecta omni ex parte pyramide, vt illius scelere atque insania dignum erat, pro gloria quam inde sperabat, dedecus est assecutus: cùm pyramis non boni nominis & gloriæ, sed stulticiæ atque ignominiæ eius perpetuum monumentum haberetur. Fulgos. lib. 8. cap. 15. ex Herod. lib. 2.

RHODOPHE, Græcum in Ægypto scortum, parto turpi quæstu ingenti thesauro, quanquam ipsa humili fortuna orta esset (serua enim fuerat) tamen famæ desiderio incensa, minorem pyramidem extruxit: quæ quanto molis magnitudine ab aliis vincitur, tanto alias ipsa operis excellentia superauit, cùm meretrix ac liberta, cum tantis regibus magni operis impendio contendere ausa esset. nec minus se in lupanari, quàm illi in palatiis famæ cupidam, nomini ac gloriæ dare operam velle ostendit: quæ tanto reges ipsos in nominis ac famæ desiderio superauit, quanto imperij atque opum magnitudine reges eam anteibant. Ibidem.

Inuentus est EROSTRATVS quidam, qui Dianæ Ephesiæ templum incenderet, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur. Quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. Ac bene consuluerant Ephesij decreto memoriam teterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnæ facũdiæ ingeniũ, in historiis eum suis comprehendisset. Val. Max lib. 8. cap. 15.

Pausanias cùm Hermocratem, siue (vt alij) Hermoclem percontatus esset, quónam modo subitò clarus posset euadere: atque is respondisset, Si illustrem virum aliquem occidisset, futurum vt gloria eius ad ipsum redundaret: continuò Philippum interemit. Et quidem quod petierat assecutus est. Tam enim se parricidio, quàm Philippum virtute notum posteris reddidit. Ibidem.

CALIGVLA princeps amens prorsus, atque omni scelere imbutus, cùm per virtutem sciret, se nominis diuturnitatem non assecuturũ: temporibus suis palàm optare se aiebat, vt ingens aliquod malum contingeret, de quo diu homines loquerentur: quemadmodum imperante Augusto primo Variana clades fuerat, & sub Tiberio Fidenis ruina theatri, in qua viginti duo millia hominum oppressa fuerunt. Fulg. lib. 8. cap. 18.

COMMODVS Antoninus imperator eò vesaniæ venit, vt omnia etiã turpiter, impunè & crudeliter facta, publicis iusserit poni monumentis: vt Marius Maximus testatur.

Gabrini Fonduli, Cremonensis tyranni ambitio ex inhonestis facinoribus, petatur ex tit. Obstinationis.

HONORES QVOSVIS ALIOS NON OBLATOS INDIGNE SIBI ARROGARE

AMAN superbissimus, videns quòd Mardochæus ipsum adorare nollet, suasit regi per mendacia, vt totus Iudæorũ populus deleretur. Ester. 3.

ANACHARSIS Scytha Delphos profectus, deum consuluit, quisnam sapientissimus esset: sperans, Deum se hac laude ornaturum. Ac Pythia, Socratem respondit. Pausanias in Atticis.

M. CRASSVS, quòd vrbem Zenodotium trans Euphratem imbelli certamine & incruento Marte vicisset, Imperatoris sibi nomen arrogauit, non sine magna inuidia: cùm Romani illos tãtùm, quorum ductu & auspicio conflatum esset bellum, & sub quibus decem hominum milia vno prælio cecidissent, Imperatoris nomine dignos putarint. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2.

M. Antonini filia LVCILLA, Vero imperatori nupsit. At illo mortuo Pompeiani nuptias sequuta, imperatoriis insignibus & imperatoria sede vtebatur: atque iter faciẽs, ignem vnicum honoris signum, Augustis tantum atque eorum vxoribus seruatum, prçmittebat. Cùm autem Commodus imperator eius frater, Crispinæ, quam vxorem duxerat, primum honorem, vt par erat, dedisset: Lucilla, superba nimis mulier, adeò id grauiter tulit, vt aduersus Commodi fratris vitam, inscio viro Pompeiano, cõspiraret. Propter quam rem Commodus eam cum multis aliis interfici iussit. Fulgos. lib. 9. cap. 5.

[illegible]

[redacted]

IOANNES νηστευτὴς id eſt, ieiunator ob vitæ abſtinentiam dictus, in Amaſeno epiſcopatu ſucceſſit Eutychio, ſub Imp. Mauricio, tanta arrogantia, vt ſe Oecumenicum epiſcopum appellari voluerit, oppoſuit ſeſe ei acriter Gregorius papa, vt patet ex lib. 4. epiſt. 32. & ſeq.

[redacted]

ÆQVOS SIVE PARES HONORES ET DIGNITATES AMBITIOSE PERSEQVI.

ASSERENDO, VEL INVITIS IIS QVORUM voluntate obtinere eos oportebat.

Huc pertinet tit. Simultas principum in adminiſtranda Repub. qui ſcilicet ſocios in imperio ferre non potuerunt,

PAVSANIAS Lacedæmoniorum dux, ad Platæas victor contra Mardonium, cùm de manubiis tripodem auream Delphis votum ſoluiſſet, ſuúmque nomen inſcriberet: Lacedæmonij pertæſi inſolentiam, epigrāma induxerunt, & ciuitatum nomina inſcripſerunt. Alex. ab Alex. libr. 3. cap. 22.

In certamine Apollinis Triopij apud Dorienſes, victores tripode æreo donabantur: quem tamen non liceret è ſacro efferre, ſed Deo ipſi donare AGASICLES verò Halicarnaſſeus ſpreta lege, primus tripodē domum tulit. Dorienſes igitur omnes Halicarnaſſeos in poſterum à ſacro iſto excluſerunt. Herod. lib. 1.

PERSARVM reges neminem in conſpectum admiſerunt, niſi prius ante pedes eorum procubuiſſet. Quam conſuetudinem cùm Iſmenias Thebanus, qui legatus ad eos miſſus à Thebanis erat, ſciret: in regis cōſpectum veniens, annulum de induſtria ad pedes cadere permiſit, quem ſe flectendo collegit. Atque hoc modo & Grecorum dignitati, & regis ſuperbiæ ſatisfecit. Author eſt Ælian. de Varia hiſt.

L. MARTIVS Trib. pleb. cùm abſque Senatus authoritate Proprætoris titulum ſibi ſumpſiſſet, à Senatu reprehenſus eſt, Vide tit. de Militum obedientia, & inobedientiæ pœna.

PETENDO.

Huc referas Ambitum, ſiue eos qui muneribus dignitates mercantur.

SAVL petiit à Samuele, vt eum coram ſenioribus populi honoraret. 1. Reg. 15.

C. IVLIVS Cæſar, quum Romæ maximi pontificis dignitatem ambiret, competitore Q. Catulo, primæ apud Romanos dignitatis ac potentiæ viro, matri ipſum ad fores deducenti: Hodie, inquit, ô mater, aut pontificem maximum habebis filium, aut exulem. Excelſa indoles, omniſque repulſæ impatiens. Plut. in Rom. apoh.

IASO Maynus cùm Ticini profiteretur, à Ludouico XII. Gallorum rege (qui Genua ſubacta de Liguribus triumpharat, pro fama Mayni motus, eum profitentem nobiliſſimorum principum choro ſtipatus audierat) rogatus, Cur nunquam duxiſſet vxorem? Vt te commendante, reſpōdit, Iulius pōtifex ad purpureum galerum geſtandum me habilem faciat. Iouius in Elog.

ACQVIRENDO ET PROPAGANDO.

HIPPONICVS Calliæ filius, ſtatuam ponere, ſacroſanctum patriæ donarium, in animo habebat. Cùm igitur quidam ei conſuleret, vt à Polycleto fingendam imaginem curaret: Non, inquit, ſe eiuſmodi donariū apud animum propoſuiſſe, cuius gloria non ad conſecratorem, ſed factorem eſſet reditura. Etenim ſpectatores in ea ſtatua magis artem & induſtriam Polycleti, quàm ſuam liberalitatem & munificentiam admiraturos. Ælian. de Var. hiſt. lib. 14.

CONSTANTIVS, quanquam Romani imperij princeps, famæ tamē auidior ac gloriæ fuit, cuius ſine incommodo comparandæ occaſiones miro ſtudio captabat. Nam ſi aliquādo ab eius ducibus, qui in longinquo bella gerebant, victoriarum nuncij perferebantur: ipſe ab Italia per cæteras orbis terrarum partes eas ſcribebat, tanquam virtute ſua atque induſtria partas. quin ordinem modúmque geſtarum rerum, tanquam ipſe interfuiſſet, deſignabat. Fulg. lib. 8. cap. 15.

LEO 4. pontifex maximus, dum vrbis Romæ partem, quæ cis Tyberim eſt, muro cingeret: ipſe etiam famæ ac nominis cupidus, à nomine ſuo Leoninam vrbem appellauit. Ibidem.

PIVS II. pont. max. Senenſis, vir moribus caſtiſſimus, religionis amātiſſimus, literis ac ſtudiis pertinaciſſimè deditus fuit. Sed tot viri laudes vnum tantum ambitionis vitium commaculabat: quum ſemper promotionum appetentiſſimus fuerit, & gloriæ, eáque de cauſa labores plurimos ſuſceperit. Volat. lib. 22. Anthrop.

CVM ÆMVLIS NIMIS CONTENTIOSE, PERfidè, obſtinatè certando & dimicando, PAREM in imperio ferre non poſſe.

Facta eſt cōtentio inter DISCIPVLOS Chriſti, quis eorum videretur eſſe maior. Luc. 22.

THAMYRAS muſicus, cum Muſas amaſſet, ac cum eis de cantu certaſſet, hac conditione, vt victoriarum complexu potiretur: victus verò, quicquid eis placeret pateretur: ſuperatus à Muſis, oculis & lyra priuatur eſt. Ex quo prouerbium manauit in eos, qui præter ingenium proprium aliquid agunt, θάμυρις μαίνεται Volat. lib. 20. Anthrop.

SOCRATIS æmuli fuerunt Antiochus Lemnius, & Antiphon aruſpex, Pythagoræ Cydon & Onata: Homeri viuētis, Sagaris: mortui, Xenophanes Colophonius, Heſiodi Cercops & Xenophanes, Pindari Amphimenes Cous, Thaletis Pherecydes, Biantis Salarus Prienæus, Pittaci Antimenides & Alcæus, Anaxagoræ Soſibius, Simonidis Timocreon. Hæc Laert. lib. 2. in vita Socratis, ex 3. lib. Poet. Ariſt. recenſet.

Cùm aliquando præ foribus regis Cambyſis conſiderent Orætes Sardibus præfectus, & alter quidam Perſes nomine Mitrobates, præfectus gentis quæ eſt in Daſcylo, è verbis ad iurgia peruenerunt. Et cùm de virtute diſceptaretur, Mitrobates obiiciens Orætı, inquit: Túne in precio virorum es, qui inſulam Samum tuæ prouinciæ adiacentem, regi non acquiris: ita facilem captu, vt Polycrates quidam è popularibus quindecim armatis fretus occuparit, eiúſque tyrannide potiatur? Hoc iurgium audiens Orætæ adeò doluiſſe quidam aiunt, vt affectauerit non de obiurgāte vindictam, ſed Polycratem prorſus occidere, propter quem malè audiſſet. Herod. lib. 3.

MELITVS orator Athenienſis, qui Socratem accuſauit, æmulus Periclis in Repub. fuit. Vnde pulſus, dux Samiorum factus eſt in bello nauali contra Sophoclem, ducem Athenienſium. Volat. lib. 17. ex Suida.

HYPERIDES Athenienſis, vnus è decem oratoribus primis, æmulus quandoque Demoſthenis: accuſatúſque ab eo ſuper rapina pecuniæ, ambo iuſſu Antipatri damnati ſunt. Volat. lib. 16. Antrop.

Darius obtulit has conditiones ALEXANDRO, vt ab ipſo acciperet talentorum decem millia, & inſuper Aſiam ſecum ex æquo partiretur. Id cùm recuſaret Alexander: Ego, inquit Parmenio, accepiſſem, ſi Alexander eſſem: Et ego, inquit Alexander, ſi Parmenio eſſem. Dario verò hunc in modum reſpondit: Neque terram duos ſoles, neque Aſiam duos reges ferre poſſe. Et hic animi celſitudinem probare poſſis, niſi dictum impotentiam quandam dominandi ſaperet. Sic Plutar. in Apoph. regum & Imperatorum. Verùm hoc paulo aliter recitat Seuerinus Boetius in Commentariis, cuius hæc ſunt verba: Cum Lydis Crœſus imperaret, fratrem in conſortium imperij aſſumpſit. tum quidam ex Lydis accedens, dixit: Omnium in terra bonorum, ô rex, maximū eſt ſol: neque quicquam extaret in terra, ſole non illuſtrante. At ſi gemini ſoles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia peſſum irent. Ita & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & ſeruatorem eſſe credunt: duos verò ſimul tolerare non poſſunt, &c. Stob. ſer. 45 ex Seuerini Commentariis.

MÆVIVS & BAVIVS mali poetæ, Vergilij æmuli, vt ipſe in Bucolicis.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

Horatius:

Mala ſoluta nauis exit alite,
Ferens olentem Mæuium.

Volat. lib. 17. Anthrop.

Adrianus Auguſtus, preter modum cupidus, vt in omni arte atque diſciplina ſupereminere alios putaretur, cùm ei Auguſti nominis magnitudo, item hiſtoriç à ſeipſo de rebus ſuis geſtis ſcriptç ſatis non viderentur, ſi multarum artium ac diſciplinarum, in quibus ipſe reuerà multum excellebat, quemquam inueniſſet ſcientiam habere talem, vt imminere periculum putaret, ne aliquādo ab eo ſuperaretur: inuidia preſſus, eū occidebat. Inter quos & Apollodorus architectus in ea arte vir admirandus fuit: quòd cùm ad eum Adrianus inſpiciendam miſiſſet magni operis formulā quā ipſe deſignarat, is efficacibus rationibus oſtēdiſſet, quibuſdam locis corrigendam eſſe. Eadem quoque de cauſa Fauorinum Gallum, ac Dionyſium Mileſiū, ſophiſtas tollere conatus fuit, eorūmque ſectatores perdidit. Dion Nicæus & Xiphilinus in eius vita: & Fulg. lib. 8. cap. 15.

ÆGYPTVS cùm regnandi libidine agitaretur, eiecit fratrem Danaum è regno, imperauítque poſt fratrem LXVIII annis, à quo Ægyptus nomen accepit. teſte Marathone hiſtorico, qui ſcripſit Supplementū poſt Beroſum.

Cùm

Cùm Bocchus Mauriſiorum rex, ſtatuam auream Syllæ poſuiſſet, quia ab eo Iugurtham captiuum acceperat, & C. MARIVS eo loco dimoueſtatuam voluiſſet, quòd Marij, qui conſul erat, nomine eam Sylla acceperat, & idem Marius de Iugurtha triumpharat: ex eo inter ipſos ortum ciuile bellum, tanto partium damno atque periculo ſtetit, vt etiam nunc malorum memoria maneat. Fulg. lib. 8. cap. 15.

CN. Pompeius Magnus, dum piratas bello proſequeretur, & à Metello prætore in Creta inſula iā oppugnatos intelligeret, nimia gloriæ cupiditate incēſus, armis ſuis aduerſus Metellum eos defendit, vt Romanū neminem piraticæ victoriæ ſocium atque participem haberet. Ibidem.

M. CATO Vticenſis, quum M. Octauius duas habens legiones, haud procul ab Vtica, à Catone poſtularet, vt inter ipſos de imperio ſtatueretur, legatis nil reſpondit, verùm ad amicos conuerſus: Quis iam miretur, inquit, rem malè geſtam eſſe, quum in ipſa morte, in noſtris videatis dominandi cupiditatem? Significans, ambitione ducum bellum infœliciter ceſſiſſe. Eraſ. Rot. lib. 5. Apoph.

LVDOVICVS, cognomine Bauarus, quòd ex Bauariæ ducibus eſſet & FRIDERICVS Auſtriæ dux, per diſſidium & diſcordiam principum Imperatores creati, ambo octo annis inter ſe armis certauerunt. Bauarus tandem victor euaſit. Volat. lib. 23. Anthrop.

SIGEFRIDVS & AMILO, cùm intelligerent Henningum Danorū regem mortuum eſſe, cum inter ſe de primatu regni conuenire non poſſent, prælio rem dirimendam putauerunt. In quo cōgreſſu vndecim millibus hominum interemptis, reges ambo ceciderūt. Pars Amilonis cruēta victoria petita, Reginfredum & Heroldum in regnum collocauerūt. Cranzius lib. 1. cap. 27. Metrop. & Sigeb. in Chron.

VRSACIVS presbyter Romanus (alij Vrſinum, alij Vrſicinum vocant) Damaſum ſibi in epiſcopatu Romano prçlatum adeò indignè tulit, vt armata manu in occulta quadam baſilica ab ignobilibus epiſcopis ſe epiſcopum creari curarit. Cruenta inde orta ſeditio, quam Maximus præfectus Damaſi inuidia flagrans, vix ſedare potuit. Anno Chriſti 369. Rufin. lib. 2. cap. 10.

THEOPHILI epiſcopi Alexandrini ambitionem in honore erepto aſſerendo, pete ex tit. Inuidiæ.

SABINIANVS (Palmerius Sabinum, Nicephorus Innocentium vocat, li. 18. ca. 56.) cùm Gregorio Magno (cuius legatus fuerat ad reges) ſucceſſiſſet, vt vidit ſibi defuncti laudes obſtare, nihil non tentauit, quo memoriam eius penitus tolleret. Finxit crimina multa in Gregorium, quòd ædificia collabi permiſiſſet, ærarium eccleſiæ expilaſſet. Intercedente tamen Petro archidiacono, nihil efficere potuit. vixit anno Chriſti 604. Sigebertus.

MINORES HONORES, ET SE ETIAM INTERDVM INDIGNOS, AMBITIOSE perſequi Ex paruis & vilibus rebus honorem quærere.

Locus hic cum μικροψυχίᾳ coincidere videtur. Differt tamen, quòd in μικροψυχίᾳ eſt fuga honoris: hic verò ſtudium & appetitus gloriæ, eo ipſo reprehendendus, quòd ex rebus viliſſimis & nullius momenti famam captare ſtudeat.

DEMOSTHENIS ambitionem vel inde colligas, quòd cùm aquam ferentes duo, alter alteri inſuſurraſſet (Hic eſt Demoſthenes ille) erexit ſeſe, vt quiſnam eſſet, conſpici poſſet. Æl. lib. 9. de Var. hiſt. Hinc Perſius:

Quàm pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, Hic eſt.

Socrates animaduertens ANTISTHENEM ambitioſius oſtentore veſtem laceram & detritam, facetè hominem increpauit: ὦ παῦσαι, inquit, καλλωπιζόμενος ἡμῖν: id eſt, non deſines te nobis comere? Significans, eiuſdem eſſe ambitionis vilitatem amictus oſtentare, & delicato cultu ſeſe venditare. Eraſ. lib. 8. Apoph.

Quum ANTISTHENES Cynicus pallium haberet pertuſum, ídque obuertens fiſſuram omnibus daret inſpiciendam: Per fiſſuram, inquit Socrates, pallij tui, video tuam inanitatem. eleganter notans, turpiorem eſſe ambitionem ex vilitate cultus, quàm ex amictu ſplendido. Atque vtinam inter Chriſtianos non ſint multi Antiſthenes, qui ſub veſte fuſca, vili ſordidáque, plus cælent gloriæ, quàm alij diuites habent in holoſericis ac byſſinis. Eraſ. lib. 3. Apoph.

Alcibiades cum SOCRATI magnifica miſiſſet munera, & Socrates reſpuere videretur: Xantippe auida diſſuaſit: & donum magnificum, at indignum vt nō acciperetur, eſſe dixit. Tum Socrates. Alcibiades, inquit, hæc mittit ambitioſè, & nobis noſtra eſt ambitio. Alij namque videri & laudari cupiunt, dum alios ornant muneribus: alij verò ex eo laudem ſibi parare ſtudent, quòd propter communem conſuetudinem omnia cōtemnant: & ſic omnibus ſua innata eſt ambitio. Eraſ. lib. 8. Apoph.

DIOGENES Sinopenſis de ſe ipſo dicere ſolitus eſt, ſe implere & ferre tragicas execrationes. Nam erronem ſe eſſe, domo & patria carere, mendicum agere, tenui veſtitu vti, & in diem viuere. Nihilominus tamē in his non ſibi minus placebat, quàm Alexander in terrarum orbis imperio, cùm ſubactis Indis Babylonem reuerteretur. Ælian. libr. 3. de Varia hiſt.

DIOGENES quum aliquando perfuſus eſſet aqua, ſtarétque toto diſtillans corpore, circunſtantes aliquot, vt fit, commiſerabātur hominem indigna paſſum. Quibus Plato (nam & is fortè tum aderat) Si vultis, inquit, commiſerari Diogenem, abite: notans in philoſopho gloriæ cupiditatem. Hoc igitur ſpectaculo quoniam delectabatur, felix erat potius quàm miſerandus: at ſi nullo teſte perfuſus fuiſſet, tum verè fuiſſet miſerabilis. Laert. lib. 6.

Diogenes, quum Rhodios quoſdam adoleſcentes elegantiore cultu conſpexiſſet, dixit: τῦφος οὗτός ἐστιν, id eſt, hic faſtus eſt. Rurſum, quum vidiſſet LACEDÆMONIOS ſubſtricta tunica parcè ſordidéque cultos: ἄλλος, inquit, οὗτος τῦφος ἐστίν, id eſt, Hic alius faſtus eſt. Significans, non minus peccare eos qui ad oſtentationem ſordidè veſtiuntur, quàm qui ſplendido veſtitu ſeſe iactitant. Vnde ſcitum eſt illud diui Hieronymi: Pullas æquè vt candidas deuita. Eraſ. lib. 8. Apoph.

Plato frugalis quidem erat, ſed tamen amans mundiciei: contra DIOGENES, ſordidus. Itaque calcans Platonis aulæa & periſtromata præſentib. aliquot Dionyſij amicis, quos Plato inuitarat ad conuiuium, dixit: Calco Platonis ambitionem. Mox Plato: At quanta ſuperbia tumes ipſe Diogenes, dum alienam ſuperbiam te calcare putas? Hoc ipſum ab aliis narratur lepidius. Diogeni dicenti, Calco faſtum Platonis: Calcas, inquit Plato, ſed maiore faſtu. Nam hoc ipſum faſtus erat, quòd iactabat mundiciei contemptum: & qui ſordibus gloriantur non minus ambitioſi ſunt, quam qui ſplendidè veſtiuntur, ſed aliter. Turpior eſt autē ambitio, ex fuco virtutis laudem captans. Socion tamen hoc non aſcribit Diogeni, ſed Platoni Cynico. Laert lib. 6.

Q. FABIVS nobiliſſimus ciuis, cum in æde Salutis, quam C. Iunius Bubulcus dedicauerat, parietes pinxiſſet, nomen his ſuum inſcripſit. Id nimirum ornamenti familiæ conſularibus, & ſacerdotiis, & triumphis celeberrimæ deerat? Cæterùm ſordido ſtudio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem ſuum ſilentio obliterari noluit: videlicet Phidiæ ſecutus exemplum, qui clypeo Mineruæ effigiem ſuam incluſit, qua conuulſa tota operis colligatio ſolueretur. Val. lib. 8. cap. 15.

C. IVLIVS Cæſ. quum triumphans ſubſellia tribunitia præteriret, Pōtius Aquila non aſſurrexit, vnus omnium, id adeò indignè tulit, vt proclamarit: Repete ergo Aquila à me remp. tribunus. nec deinde per continuos aliquot dies cuiquam quicquam pollicitus eſt, niſi ſub hac exceptione: Si tamen per Pontium Aquilam licuerit. Eraſ. lib. 4. Apoph.

NERO Imperator, cùm nomen ſuum præclaris facinoribus, aut virtute, cuius erat hoſtis, celebrare non poſſet, inter muſicos principatum appetiit: ſublatiſque omnium ſtatuis, quæ temporibus ſuis Olympionicis victoribus, cantoribus aut tragœdis poſitæ fuiſſent, pro eis poni ſuas iuſſit. Lucanum quoque poetam prohibuit, ne carmen quod ſcribebat ederet, vt ſolus in poetica excelluiſſe videretur. Quare non minus quàm Nero nominis ac famæ vanitate Lucanus impulſus, cum eam contumeliam immoderatè nimis ferret, cum Piſone coniurauit, atque ob id à Nerone damnatus eſt. Nero etiam præter alia deſiderio torquebatur, vrbē Romanam de nomine ſuo Neropolim appellandi, quemadmodum ante Aprilem menſem Neronem nominari iuſſerat. Fulg. lib. 8. cap. 15.

SEVERIANI Gabalenſis epiſcopi ambitionem pete ex tit. Obtrectatorum, ſub nomine Serapionis.

[redacted]

LAVRENTIVS Celſus Venetorum dux, patrem ſibi aſſurgere & honorem exhibere inuitum coegit. Magiſne ambitioſus filius, an ſuperbus pater fuerit, neſcias. Itaque Senatuſconſulto decretum eſt, vt crux aurea pileo ducali (cornu vocant) effigeretur, cui in poſterum honorem exhiberent ij, quos ducalis dignitas minus moueret. Egnatius libro nono, capite 5.

PATAVII moris eſt (vt & in reliqua Italia) eorum nomina qui eruditione aut quouis alio virtutis genere excellūt, parietibus publicè inſcribere. Profitebatur QVIDAM nouus homo Sophiſticen. Is cùm mirum in modum ſibi placeret, expectabat quoque diſcipulorum ſuorum, quos perpaucos habebat, encomia in parietibus depicta. Verùm cùm illi ceſſarent, nocte quadam ſolus arrepta ſcala, & pyxide atramento referta, per vrbem deambulat, ſuúmque nomen authenticè per compita deſcribit. Accurrunt vigiles, furem arbitrantur, in carcerem conijciunt. Quòd niſi miſero illi pyxis cum penicillo innocentiæ opinionem attuliſſent, ſcala profectò exitium peperiſſet. Noua hæc res, & inaudita, mirificè omnium animos delectauit, ita quidem vt etiamnum hodie ambitoſa hæc ſcala publico prouerbio circumferatur, vulgíque fabula exiſtat.

HONORES QVOSLIBET AMBITIOSE, SOLLICITE, *scelerate custodire & conseruare.*

Ierobo a m timens ne populus reuerteretur ad domum Dauid, excogitauit vitulos aureos, quos fecit à populo adorari: vt mallent recedere à Deo suo, quàm à domino suo. 3. Reg. 12.

Athalia Hierosolymorum regina, post viri Ioram, & Ochoziæ, qui filius erat, mortem, ne esset qui ad regnum aspiraret, & per quem eius ambitio impediretur, omnes ex Dauidis stirpe iussit occidi: vixque Ioas, ex filio nepos, superfuit: magis Iosabeth amitæ industria, quàm quòd auiam pietas vlla mouisset. Qui cùm adhuc tener esset, auia interempta, in regno successit, & per eum regia stirps instaurata fuit. Fulgos. lib. 9. cap. 11. ex 4. Reg. 11.

Semiramis Assyriorum regina, defuncto Nino rege & marito, ne amitteret imperium, filio adhuc impubere à patre relicto, ipsa cum filio sexum mentita est. Igitur brachia & crura velamentis, tiara caput tegit: & ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri iussit, quem morem vestis exinde gens vniuersa tenuit. Et sic primis initiis sub viri prætextu puer credita est, magnásque res ad regni incrementum gessit. Siquidem non contēta acquisitos à viro regni terminos tueri: Æthiopiam quoque regno suo adiecit, Indiæ bellum intulit, quò præter illam & Alexandrum Magnum nemo intrauit. Iustinus lib. 1. in Trogum, Diodorus lib. 3. Sabell. lib. 1. Enn. 1. Rhap. ex Ctesio Gnidio.

Aristot. Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donauerat. Sed molestè postea ferens hanc gloriam alteri concessam, in tertio Rhetoricorum (quos nunc habemus) planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse adiecit. Nisi me tanta & tam latè patentis scientiæ verecundia teneret, dicerem dignum philosophum, cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur. Cæterùm gloria ne ab iis quidem qui contemptum eius introducere conantur, negligitur: quoniam quidam ipsis voluminibus nomina sua diligenter adiciūt, vt quod professione eleuāt, vsurpatione memoriæ consequantur. Valer. li. 8. ca. 15.

Eucratides Bactrianorum rex potentissimus, cùm filium suum socium regno asciuisset, ab eodem ex insidiis miserè, dum post Demetrium fugatum, Indiámque subactam domum reuerteretur, trucidatus est: nullam aliam ob causam, quàm vt post interfectum patrem solus imperare pro libitu posset. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 6.

Dionysius senior, quum in initio regni regia ipsius obsideretur, coniuratis in illum ciuibus: & amici autores essent, vt imperium deponeret, ni mallet captus interfici: ille conspiciens bouem à coquo mactatum ilicò concidere, dixit: Quum mors adeò breuis sit, annon absurdum sit, nos metu mortis tale regnum relinquere? Quanta regnandi libido pectus illius occuparat, qui principatum morte bene emi putarit? Plut. in regum Apoph.

Ob Apim Ægyptiorum deum, vulneratum, continuò Cambyses insaniit, cùm ne compos mentis quidem antea fuisset: exorsus primùm perpetrare facinus in Smerdim, ex eisdem sibi parentibus fratrem, quem ex Ægypto remiserat in Persas, liuore commotus, quòd solus ille Persarum arcum (quem Ichthyophagi ab Æthiopum rege attulerant) ad duos digitos traheret: quod nemo alius è Persis poterat. Smerde in Persidem profecto, hanc vidit in somnis Cambyses visionem. Nuncius quidam è Persis veniens, ei nunciare est visus Smerdim in regio sedentem solio, cœlū contingere vertice. Ob id Cambyses sibi metuens, ne à fratre occuparetur imperium, mittit in Persas ad illum interimendum Prexaspem, sibi ex omnibus Persis virum fidelissimum. Hic vbi Susa conscendit, Smerdim necandum curauit (vt quidam aiunt) cùm eum eduxisset venatum: quidam inquiunt, cùm ad mare rubrum produxisset, ibi eum demersisse. Herod. lib. 3.

Romvlvs condita ciuitate, quæ omnium domina esse debebat, regnandi libidine flagrans, non tantùm fratrem suum Remum, quòd vallum contra edictum suum ascendisset, occidi iussit: verùm etiam Tatium, quem ex Sabinis reconciliatum, regni consortem acceperat, vt quidam voluut, interimi permisit. Eius enim mortem posteaquam resciuerat, dixisse ferunt, Cædem cæde pensatam esse. Quæ res suspicionem plerisque attulit, non inuito Romulo patratum facinus esse: vt sublato regni socio ac participe, rerum summam ipse solus obtineret. Plutar. in Romulo.

Appivs Claudius regnandi libidine incensus, censuram quinquennio per vim contra legem Æmyliam, quæ ad menses XVIII illam redduxerat, tenuit, cùm etiam eius collega Cneus Plautius se abdicasset. Quapropter P. Sempronius tribunus plebis contra eum in cōcione inuectus: Hæc est, inquit, Quirites, Apij progenies, qui decemuir in annum creatus, altero anno seipse creauit: tertio nec à se, neque ab vllo creatus, priuatus fasces & imperium obtinuit. Historiam habes apud Liuium lib. 9. & Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

Agrippina Claudij Cæsaris vxor posterior, cùm Neroni filio, quem Claudius adoptauerat, imperium parare conaretur, non tantùm Britannicum legitimum Imperatoris filium in mariti conspectum venire prohibuit: sed Claudium etiam filium suum, cùm imperij successorem facere vellet, Locustæ veneficæ insidiis è medio sustulit, vt Nero imperij successor fieret. Xiphilinus in Claudio.

Domitianvs Romanorum imperator cùm sibi insidias strui animaduerteret, indagatis diebus horisque in quibus principes viri nati essent, plerosque ex iis qui potentiam etiam nunquam sperauerant, occidi iussit. Xiphilinus in eius vita.

Constantinus IIII. Imperator cùm sextam synodum Constantinopoli celebraret, duos fratres adhuc pueros naribus ablatis dehonestauit, ne ad Imperium quandoque aspirarent. Volat. lib. 23. Anthrop.

Rvffinvs vnà cū Stilicone & Gildone, relictiā Theodosio seniore imperij administratores, pro tutela Arcadij & Honorij filiorum, Gildo in Africa, Stilico in occidente, Ruffinus in oriente: omnes cupiditate regni incensi, in suos arma imperatores verterunt: sed diuersis modis oppressi perierunt. Volat. lib. 19. Anthrop.

Constantinus, Constantini principis filius, Ablabium genere Ægyptiū, quem parens illi imperij rectorem adiunxerat, vt solus imperaret, interfecit. Eunapius in vita Ædesij, & Volaterran. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

Constantinus VI. cùm Imperium vnà cum Irene matre suscepisset, annósque decem cum ea regnasset, tandem solus imperare cupiens, matrē expulit: à qua tandem excæcatus, & in carcerem coniectus est. Volater. lib. 23. ex Sigeberto in Chronicis.

Michael Curoplates, defuncto Michaele Paphlagone Imperatore, hac conditione successit, vt Zoen (quæ hæres Imperij remāserat) veluti matrem coleret, pariterque dominaretur. Quod tamen minimè seruauit: sed non multò pòst, vt solus imperaret, eam ex ædibus eiecit. Mox tamen pœnas condignas luit. Volater. lib. 23. Anthrop.

Brunechildis Gallorum regina, alio nomine Bruneusta, parum ducens impiam matrem se esse, sceleratissimam quoque auiam se præstitit. Nam post Sigeberti viri regis mortem, seminatis discordiis inter Theodericū atque Theodebertum, ex Childerico filio nepotes, oratione sua Theodericum impulit, vt Theodebertū interimeret, cuius ipsa liberos adhuc infantes manu sua occiderat: atq; inter ipsos Merouæum, adhuc in cunis agentem, pedibus apprehensum, saxo alliserat: & vt sola regnaret, Theodoricum quoque postea veneno petiit. Fulg. lib. 9. cap. 11.

VITIVM IN DEFECTV. PVSILLANIMITAS, μικροψυχία.

Rarum est hoc vitium, atque etiam rarißimum. Gloriæ stimuli à natura nobis sunt insiti: & quo quisque excellentiore est ingenio, eo longius à μικροψυχίᾳ recedit, in excessu potius quā in defectu peccans. μικρόψυχοι igitur erūt, qui ἐν λήψει vel honores æquos respuūt, vel minores amplectuntur: non ambitione moti, sed quia sese maioribus indignos esse vererentur, cùm tamen reuera illis sint digni. Pusillanimi quoque sunt qui ἐν φυλακῇ honorum negligentes sunt, & de fama seruanda parum solliciti. Vtrobique tamen excipio Christianam humilitatem, quæ non modò non μικροψυχία, sed verißima μεγαλοψυχία censeri debet: spretis enim caducis istis & fluxis gloriolæ humanæ illecebris, ad veros & sempiternos aspirat honores, Christi nobis sanguine partos: nullo nostro intercedente merito, quod non prius à datore luminum desuper acceperimus. Spernit ergo paruos & mortales honores, ut maximos & æternos beatæ vitæ thesauros adipiscatur: quam μεγαλοψυχίας speciem superiore loco esse diximus. Indignum quoque se etiam humanis istis honoribus esse apertè fatetur, peccatorum onere grauissimo pressus, vt vix respirare, & oculos ad cœlum attollere poßit. In quo ipso non tam μικρόψυχος, quàm σώφρων dici debet: quia plus sibi ipsi non tribuit, quàm mereatur. Pusillanimitas ergo Christiana omni vitio caret: Ethica verò, quàm nobis descripsit Aristoteles, vituperio digna est, & magis cum medio pugnat quàm vitium in excessu. Qui ergo exemplis locum hunc illustrare volet, Ethica afferat sola: & Christiana, siue religiosa, alterius fori esse sciat.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER OcTAVVS.

De Virtvte et vitiis περὶ τὰς ὀργάς.

Externa obiecta virtutum Ethicarum, ex quibus ψυχικὴν voluptatem oriri in præcedentibus diximus, tria erant: Diuitiæ, Honores, & Conuersatio quotidiana. Priora duo expediuimus: superest nunc, Conuersationis virtutes declarare. Quemadmodum autem Empedocles duo principia statuit, Physica in rerum ortu, Litem & Amicitiam: ita nos quoque in cōuersatione humana (est enim homo μικρόκοσμός τις) aliam quidem iræ & contentionis, aliam verò amicitiæ & humanitatis plenam esse statuimus. Multa siquidem, & penè innumera in quotidiana hominum conuersatione accidere possunt, quæ vel disiunctionem pariant, & vehementissimum affectum, ὀργὴν scilicet, excitent: vel coniunctionem animorum atque corporū efficiant. Ingeniosè igitur Aristoteles in 4. Ethic. virtutes eas quæ in externa hominum conuersatione spectantur, ita diuidit, quòd aliæ περὶ τὰς ὀργὰς versentur: aliæ verò ἐν ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν, καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν, consistant. hoc est, cùm illi qui conuersantur, aut amici sint, aut inimici, virtutem consistere vel in moderanda ira erga inimicos, vel in moderanda tota reliqua conuersandi ratione, siue cum amicis, siue cum inimicis. In vniuersum quidem recta conuersandi ratio, Humanitatis nomine appellari potest (quamuis non ignorem, Humanitatis vocabulum præcipuè ad popularitatem transferri, & nomen generis speciei tribui) quia cum hominibus humano more viuit: ita quidem vt in omni actione hominem se esse recordetur, mundi incolam, hominum reliquorum conciuem, humani nihil à se alienum putet: quod sibi fieri non vult, alteri non faciat: à belluina feritate quàm longissimè recedat, deorúmque immortalium bonitatem imitetur. Sic etiam vitia huic opposita Inhumanitatis nomine comprehendi possunt. In specie verò, prout varia est conuersationis materia, ita variæ virtutes, variæ quoque virtutum appellationes, iræ moderatio, veritas, popularitas, vrbanitas, de quibus Aristot. singillatim agit, & nos quoque distinctè exempla afferemus. Ἀρεταὶ ὁμιλητικαὶ dici possunt, quas Isocrates in Parænesi ad Demonicum pulchrè exprimit, cuius verba hîc subijcere operæprecium fore duximus: Γίνου πρὸς τοὺς πλησιάζοντας ὁμιλητικός, ἀλλὰ μὴ σεμνός. τῶν μὲν γὰρ ὑπερηφάνων ὄγκον μόλις ἂν οἱ δοῦλοι καρτερήσειαν. τὸν δὲ τῶν ὁμιλητικῶν τρόπον ἅπαντες ἡδέως ὑποφέρουσιν. ὁμιλητικὸς δὲ ἔσῃ, μὴ δύσερις ὤν, μηδὲ δυσάρεστος, μηδὲ πρὸς πάντα φιλόνεικος, μηδὲ πρὸς τὰς τῶν πλησιαζόντων ὀργὰς τραχέως ἀπαντῶν, μηδ' ἂν ἀδίκως ὀργιζόμενοι τυγχάνωσιν. ἀλλὰ θυμουμένοις μὲν αὐτοῖς εἴκων, πεπαυμένοις δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττων· μηδὲ περὶ τὰ γελοῖα σπουδάζων, μηδὲ περὶ τὰ σπουδαῖα τοῖς γελοίοις χαίρων. τὸ γὰρ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν, μηδὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος, ὅπερ πάσχουσιν οἱ πολλοὶ ποιοῦντες μέν, ἀηδῶς δὲ τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες. μηδὲ φιλαίτιος ὤν, βαρὺ γάρ, μηδὲ φιλεπιτιμητής, παροξυντικὸν γάρ. His verbis clarissimè τὰς ἐν ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν ἀρετὰς Isocrates expressit, πραότητα scilicet, φιλαλήθειαν, φιλανθρωπίαν & vrbanitatem: neque ab Aristotelis sententia discrepat, nisi quòd τοῦ ὁμιλητικοῦ appellatione, tanquam generis, quatuor virtutes, quas Aristoteles distinctè executus est, comprehendit. Et de postremis quidem tribus, in sequentibus agemus. Nunc de ea moderatione, quæ circa iram occupatur, loquemur: si illud prius statuerimus, quòd quemadmodū cum amicis interdum placidè, interdum acerbè conuersamur, sic etiam cum inimicis conuersari possumus. Et quidem placidè cum illis agimus, tanquam cum hominibus, non habita ratione prioris offensæ. Sic captiuos hostes placidè tractare, popularitatis est, & familiaritatis, de qua in sequentibus agemus: non autem ipsius πραότητος. πραότης enim ignoscit hosti: popularitas hosti nō ignoscit, sed tamen cū licet in vinculis positū humaniter tractat, vltionē & pœnā in aliud tempus differēs. Quatenus autē cū hoste vltionis & vindictæ cupidi cōuersamur, sic hosti vel ignoscere, vel certè nō maiores quā deceat pœnas exigere, virtus ista docet: de qua in præsentia disputaturi sumus. Est enim virtus quædam, quæ περὶ τὰς ὀργὰς versatur: nō aliter quā circa alios affectus aliæ quoque virtutes conspiciuntur. Verbi gratia, circa φόβον (τὰ φοβερὰ scilicet, quæ φόβον efficiunt) circa εὐτολμίαν καὶ ἀτολμίαν, circa Misericordiā, circa Spē, Fortitudo & Temeritas illi opposita: circa καταφρόνησιν Veritas, & eius contrariū Superbia: circa Inuidiā, Amicitia & inimicitia: circa Pudorē Confidētia suiipsius, quæ sub veritate cōprehēditur. Et sic de cæteris, de quibus infrà sub titulo Affectuū in genere dicetur. Nullus enim affectus est, qui nō sub alicuius virtutis ambitū referri queat, aut etiā diuersarū, diuerso tamen respectu. Sic nāque ira in fortitudine propulsante locū habet, veluti satelles rationis imperio parens, & cōtra τὰ φοβερὰ insurgēs: hoc verò in loco obiectū est, circa quod virtus ipsa versatur. Vt mirū non sit, eadē exēmpla sub Fortitudine simul & sub Māsuetudine siue Clemētia describi, prout in illis & Fortitudinis & Clemētiæ character manifestè cōspicitur. Obiectū ergo huius virtutis est ipsa ὀργή, hoc est, vt Arist. in Rhetor. definit, Appetitus vindictæ ex apparēte contēptu. Causa iræ est, cōtēptus. Iræ effectus est, vltio & vindicta. Moderatio ergo in hoc ipso consistet, vt nō à quauis causa ad irā moueatur: deinde etiā ne in iræ effectu, in vltione scilicet & vindicta, pl' cæco appetitui permittat, quā rationi. Irascatur quibus oportet (& nō quibus nō oportet) quantū, quomodo, & quando oportet. Vlciscatur quoque eadē moderatione. Neque enim vindicta alio differt ab ira, quàm quo effectus à causa, fiueres quæ appetitur ab ipso appetitu. Si ergo iusta sit ira, iusta etiā erit vindicta: & quāta erit ira, tanta etiā vindicta: quinimò ex ipsa vindicta, iræ moderatio intelligi poterit. Porrò quia ex contēptu apparēte ira nascitur (quia arbitrantur se ab aliis contēni, siue reuera sint contēpti, siue suspicētur tantū) contēptus autē variæ sunt species, quas Arist. in 2. Rhet. luculēter enarrat: diligēter omnes hæ differētiæ perpēdēdæ erūt, vt pro ratione offensionis ira quoque refrenari queat. Nam magnus contēptus irā quoque magnā excitat: ira magna parē vindictā exigit. Iræ itaque moderatio virtus hæc appelletur, siue omnino nō irascatur (vel quia causa nō adest: vel quāuis adsit, potior tamē alia causa subest, quæ irā prohibeat) siue irascatur quidē, tamē vel absque vltione, quā Clementiā, Lenitatē, Mansuetudinē, Indulgentiā vocare possumus: vel cū vltione honesta atque decēti, quæ Seueritas & Vindicta moderata dici potest. Cōprehendit præterea virtus ista eos etiam, qui nulla alia de causa, quā pacis & māsuetudinis studio, aliorū iras placāt, eósque inter se reconciliāt. Quēadmodū enim Oratorem, qui alios mouere cupit, ipsum prius moueri necesse est, & talē esse, aut certè videri, quales auditores esse vult: sic quoque qui alios ad moderandā & placandā irā traducere vult, ipsem et moderatū & placidum se ostendere debet. Virtus igitur ista Iræ moderatio appelletur: Græci πραότητα nominant. Differt porrò ab ea Iræ moderatione, de qua in Affectibus infrà disputabitur, quòd hîc moderatio iræ à ratione, & in secundis potissimùm motibus spectatur: illic verò iræ moderatio non ad rationem, recta pendet, sed ad temperaturam cordis refertur: quæ in causa est, vt alij citò, alij tardè ad iram commoueātur,

alij diu retineant, alij celerrimè eandem deponant. De qua re Medici in temperatura Cordis explicanda copiosè agũt, nósque in Tabulis nostris in Artem Medicinalem Galeni abundè disputauimus. Ergo in primis tantùm motibus Irę (vt affectus est) moderatio consistit: in secundis verò, vt virtus est. Secundos autem voco, qui rationem habent iunctã. quę si recta sit, Virtutem: si peruersa, & affectus impetu corrupta, Vitium parit. Potest enim Irę moderatio cum quauis alia virtute coniũgi: vtputa qui vel diuitiarum spe, vel honoris à vindicta abstinent. Nos hîc solius moderationis rationem habemus, à quocunque habitu vel affectu proueniat. Iam verò secundi isti motus vel in animo tantũ consistunt, vt in illis qui irascitur non tamen ad vltionẽ properant, aut quia nolint, aut quia non possint: vel in opus progrediuntur, actu vindictã persequantur, & pœnas sumunt de iis, à quibus offensi fuerunt, singula horum virtutis varias constituunt differentias: & simul etiam, ipsius vitij, tum in excessu, tum in defectu. In excessu quidem vitium dicitur in genere ὀργιλότης, Irę immoderatio, tũ respectu primi solius motus (hęc enim immoderatio ad affectum pertinet) sed secundi, qui cum ratione est peruersa & affectum nõ moderante, siue ad vindictam non progrediatur, siue progrediatur, & vlciscatur sua manu, alio rúmue opera & subsidio. Si nõ vlciscatur, ὀργιλότης erit, quãdo interius in animo maior commotio est, quàm res ipsa patiatur: vt quamuis externa vltio non subsequatur, vel quia nolint (quæ species propius ad virtutem accedit) vel quia non possit, tamen propter internum motum nimis vehementem à sua tranquillitate animus deiectus, in vitium incurrisse videtur. Si verò præter internum motũ ad externam quoque vindictam properet, siquidem causa vltionis legitima nulla sit, sed φαντασία tantùm, eo grauius vitium censeri debebit, quòd iniustæ vindictæ etiam imprudentia in iudicando coniuncta est: quoniam non verum contemptum, sed apparentem tãtùm pro vero amplectitur. At si causa legitima vltionis subsit, nõ iam vltio in vniuersum (vt in superiore) vitiosa erit, sed quantitas tantum aut tempus vltionis in reprehensionem veniet, qcòd in vlciscendo plus iræ quàm rationi permittat, & iram diutius quàm par sit seruet. Iræ igitur immoderatio tot habet differentias, quæ nominibus quoque certis exprimuntur, vt quidam ὀργίλοι simpliciter, alij ἀκρόχολοι, alij πικροί, alij χαλεποὶ dicantur: & apud Latinos, iracundi, difficiles, acerbi, tetrici, austeri, adde etiã, si placet, crudeles. Dignũ enim obseruatione est, quòd Crudelitatis vocabuli, vt & Immanitatis & Feritatis, in genere omnem ἐκμετρότητα cõprehendit: hoc est, omnia vitia, qualiacunque sint, quę in hominẽ, vt homo est, non cadunt, sed quatenus ad belluinam naturam degenerat. Sic crudele est, Humanis carnibus vesci, Vetitis libidinis genere vti (quorum vtrunque ad Intemperãtiam pertinet) Hospites mactare (quod inhospitalitatis est) Inimicos diris supplicijs afflicere (quod Immoderatæ vindictę est) Summum ius, non admissa vlla æquitate, in puniendis sontibus seuerissimè persequi (quod iniustitiæ est) In omnibus denique vitiis Immanitatis exẽpla sese offerunt, magnitudine tantùm ab aliis distincta, in quibus si insignis aliqua læsio, corporis præsertim, conspiciatur, Crudelitas propriè appellari consueuit: vt quamuis sæpe Crudelitas pro Immanitate & Feritate vsurpetur, vtplurimùm tamen Immanitas & Feritas magis generalia esse videantur nomina, quàm Crudelitas. Cùm igitur Crudelitas per omne genus vitiorum dispersa sit, etiam in hac iræ immoderatione locum habebit: eáque propter crudeles ad ὀργιλοτητος species possunt referri, quatenus scilicet in vlciscẽdo bellaino more seuiunt, nec humanæ vindictæ terminis se contineri patiuntur. Iam verò Vitium in Defectu ἀοργησία erit. Est autem ὁ ἀοργητος, ἀλήθως ἢ ἀλογος βοτὸς stupidus, stolidus, stipes, qui nulla re moueatur, etiam quæ turpitudinem iunctã habeat. τὸ γὰρ πρὸς πλανητὸν ὠμὸν ἴσως θηρὸς τῆς οἰκείας ἀφορᾶν, ἀνδραποδῶδες, inquit Aristotel. Qui ab ira non mouentur, honestatis causa & virtutis alicuius potioris, quia omnia humana sub se posita esse arbitrãtur, non ἀοργητοί, sed ἥμεροι erunt, & ad iræ moderationem referendi. At qui nulla proposita honestate, propter ignauiam & timiditatem, non modò contemptu & iniuria, in bonis fortunæ ac corporis, sed etiam in bonis animi, non mouetur, is verè ἀοργητὸς dici debet: quia nec damno, nec ignominia & turpitudine (quam mortis instar omnes boni fugere debent) ad vindictam iustam & honestã excitari potest. Rarissimum tamen est hoc vitium, non modò quia ira ἀνθρωπικὸ τὸ τοῦτο πάθος ἐστὶ, vt frequentius in excessu quàm in defectu peccent homines: verumetiam quia gloriæ studium (quam ira asserere & defendere consueuit ἀλογαίνει φαινομένῳ vlciscẽdo) omnibus innatum est, vt paucos reperias, qui non vel ex professo gloriam sequantur, vel certè dedecus fugiant. His sic declaratis, ad exempla conuertamur, in quibus non formæ tantùm rationem habebimus, sed etiam personarũ, qui scilicet quibus irascantur. Poterunt etiam ex loco Inimicitiæ & Iusticiæ plurima exẽpla huc transferri. Hic enim vindictæ ratio habetur, quatenus ex contemptu oritur, in Iusticia verò, quatenus per vindictam id quod inæquale est, ad æqualitatem reducitur: in Inimicitia denique sola animorum disiunctio consideratur, siue cum virtute sit iuncta, siue cum vitio. Hæc ergo diligenter distinguenda sunt, ne quis de iisdem rebus, diuersis in locis nos ταυτολογεῖν credat. Nunc ad Titulorum seriem describendam accedamus.

IN *conuersatione hominum quotidiana virtutes variæ consistunt, prout variæ etiam in vita accidere possunt, quæ vel coniungant, vel distinguant humanam societatem,* ἀρεταὶ ὁμιλητικαὶ *appellari possunt. In ipsa certè conuersatione tria requiruntur. Benenolentia & amor in primis, quo coniunguntur veluti vinculo, quem quidem amorem mutuũ esse oportet, siue* ἀντιφίλησιν. *Deinde Veritas in dictis atque factis, omni simulatione reiecta. Tandem Iucunditas in moribus. Amor respectu personarum, Veritas respectu rerum, Iucunditas respectu virtusque, in seriis simul & ludicris, erga amicos simul & inimicos. Arist. virtutes has ita diuidit, quòd in conuersatione quotidiana vel ratio habeatur*

- τῆς ὀργῆς *hoc est, dissensionis & inimicitiæ, ex quacunque tandem causa prouenerit. Cùm autem ira sit natura conuersationẽ humanam tollat, ne ea omnino pereat, moderatione iræ opus est, quam ἀριστοτέρη ὀργὴ vocat. Vide in seq signum *.*
- τῆς ὁμιλίας, *quam τῇ ὀργῇ quodammodo opponere videtur. In ὀργῇ disiunctio est animorum & conuersationis, cuius que solius ratio habetur: at in ὁμιλίᾳ, non disiunctionis & inimicitiæ ratio habetur (possunt enim & amici & inimici inuicẽ conuersari) sed ipsius ὁμιλίας moderandę virtus traditur. Expropter ἀρετὰς τῆς ὁμιλίας Arist. vocat, & tres numero constituit: Veritatem, Popularitatem, & Vrbanitatem. Requiritur enim in quotidiana conuersatione respectu*
  - Rerum, *de quibus agitur, veritas atque candor, omni reiecta simulatione. Quæ* VIRTVS *veritatis appellatur* φιλαλήθεια. *De qua li. IX. agetur*
  - Personarum, *quibus cum versamur, Iucunditas, siue Humanitas. Homines enim sumus, & à natura insitã habemus humanitatem in conuersando tum*
    - Seriam, *videlicet forsitan sed tamen familiariter conuersandi cum quibusuis, amicis inimis, deinde etiam inimicis.* POPVLARITAS. *De qua lib. X.*
    - Ludicram, & inuitandam παιδιὰν *vocant, in ocio in primis, deinde etiam in negocijs erga amicos, siue erga inimicos.* VRBANITAS *dicitur: De qua Lib. XI.*

* *si quando*



Non *vlciscitur, aut quia non velit, propter maius periculum imminens: aut quia non possit. Vitium est in excessu, quia interna commotio vehementissima adest, quamuis exterius in opus non progrediatur. Est autem hæc species minus mala cæteris omnibus.*

- Publica. *Iræ immoderatio et nimia vindicta*
  - Principum *erga subditos.*
  - Subditorum *erga principes.*
  - Ciuium *erga se mutuo, extrabella tamen intestinum.*
- Vel
  - Ethica
  - Religiosa, *erga hostes religionis.*
- Extra *bellum, vel*
  - Liberos.
  - Parentes.
  - Amatos *& amatas. Vindicta zelotypa*
  - Priuata. *Erga*
    - Fratres, *quos sui sanguineos & affines.*
    - Dominos.
    - Seruos.
    - Discipulos.
    - Præceptores.
    - Amicos *quosuis, aut inimicos*
- Statim, *dum ira adhuc recens est, feruore & impetu cæco abripitur, vt rationis imperium excutiat. Exempla asseruantur tum*
- In bello *erga*
  - Suos . *tum*
    - Imperatorum *erga milites.*
    - Militũ *erga*
      - Imperatores.
      - Se inuicem, *vt in seditionibus & bellis intestinis.*
  - Hostes, *tum*
    - Viuos
    - Mortuos.
- Excessu, ὀργιλότης dicitur. *Affectus, iræ scilicet, contingitur peruersa ratio, vt in irascendo & vlciscendo nec quantitatem, nec locum, nec tempus, nec personas obseruent. Immoderatio irę & vindictæ appellatur. Exempla asserantur immoderationis eiº, quæ nimium, & tamen vel*
- *Vitiũ *aliud in*
- Prædita, *Homines scilicet. Vlciscuntur alij*
- Vlciscitur. *Exempla vltionis immodicæ tũ ergà rationem*
- Longo *post tempore. Qui iram diu seruant, quia scientes volentesque imprudenti huic affectui plus æquo indulgent, extremo sunt dignis vituperio.*
- Carentia, *siue animata sint, siue inanimata.*
- Defectu. ἀορ γησία. *Nimia indulgentia.*

ΠΡΑΟ

ΠΡΑΟΤΗΣ. IRÆ MODERATIO, IRÆ OCCASIONES OMNES ANTEVERTERE.

Iræ προφύλαξις.

Cùm ABRAHAMI & LOTHI pastores assiduis iurgiis contenderent, placuit vtrique, vt ex Bethel discederent vtrinque. Itaque Abrahamus in Chananæa, Lothus in oppidis cãpestribus habitauit, circa Sodomam. Gen. 13.

Cùm ESAVS & IACOBVS fratres Isaaci filij, in Chananæa maximis opibus pollerent, Esaus cum omibus suis aliò concessit, vtà fratre lõgius abesset, quoniam propter copiam facultatum simul habitare nequibant. Gen. 36.

ÆGYPTIVS quidam monachus interrogatus, cur adeò se omnibus corporis voluptatibus subtraheret? respondit: Vt hac ratione omnem irę causam & occasionem præcidam. Ira quippe vt de voluptatibus belligeratur, ita etiam voluptatum suppressione sopitur. Niceph. Callistus li. 11. Eccles. hist. cap. 43. ex Euagrio.

COTYS, quum esset natura celer ad iram, sæuúsque castigator eorum qui in ministerio deliquissent, hospes quidam ad illum detulit vascula fragilia, tenuiáque, sed scitè curioséque celte tornóque elaborata. At is hospiti quidem dedit munera, cæterùm vascula omnia confregit. Demirantibus quur id faceret: Ne, inquit, sæuiam in eos qui fracturi erant. Prudentis est, naturæ suæ morbum agnoscere, & vitio materiam præripere. Plut. in reg. Apoph.

ANTIOCHVS sophista, quum malè vulgò audiret, veluti formidolosus, quòd nec prodiret in concionem, nec Reip. munia capesseret: Nõ vos, inquit, metui, sed meipsum, agnoscens bilem suam vehementiorem, quàm vt cohiberi posset. Sensit idem Plato: qui sunt iracundioris ingenij, ad disciplinas quidem esse idoneos, ad gerendam Remp. non item: Philost. in Sophist.

CN. POMPEIVS Magnus, quum Sertorij literas intercepisset, in quibus erant inclusæ complurium ducum epistolæ, Sertorium ad nouandas res, starúmque ciuitatis immutãdum Romani inuitantium: exulsse omnes, vt improbis daret pœnitentiæ locũ, & in melius mutandi cõsilia facultatem. Quis non miretur tantam in Pompeio animi moderationem, qui hostium literas aperire noluit, ne quid legeret à quo abhorreret, & inimicis pœnitentiæ præberet iustam occasionem? Plutarchus in Romanorum Apoph.

C. IVL. Cæsar, deuicto Pompeio, cùm clarissimorum senatorum literas in Pompeij scriniis inuenisset, ne iræ suæ fomitem maiorem adderet, omnes iussit comburi: eáque ratione & saluti illorum & gloriæ suæ consuluit. Nam seipsum vincere, maxima est & laudatissima victoria. Xiphilinus in Pompeio.

IRÆ ΘΕΡΑΠΕΙΑ.

NON IRASCI, VEL QVIA CAVSA LEGITIMA NON ADSIT: *vel quia maior aliqua causa, cur irasci non debeant, subsit.*

Differt virtus ista ab ἀοργησία, quoniam recta ratione nititur, estque diuina propemodum hæc virtus. Vt enim naturalis valde affectus est ira, καὶ ἀνθρωπικώτερον πάθος, quã ἀοργησία, vt inquit Aristot. ita pauci reperiuntur, qui non ea corripiantur suo tempore, & datæ occasione: præsertim cum facultas animæ ὀργητικὴ veluti satelles adiuncta sit rationi, vt illius imperio obsequatur. Videntur ergo ad decorum immortalium ἀπάθειαν proximè accedere, quod à nemine penitùs sè contemni aut contumelia affici posse existiment, quàm à seipsis, vt eruditè Socrates apud Platonem disputat: & propterea nemini irascendum, sed ignoscendum potius, & aliorum perturbationibus condolendum esse arbitrentur. Exempla quædam ex tit. Tolerantiæ malorum corporis, vtputa vulnerum & verberum, item Tolerantiæ iniuriarum, desumi poterunt.

APOSTOLI, reliquíque discipuli, iugum suaue & onus leue Dominicircumferentes, dum Euangelium prædicarent, persecutorum immanitatem patiendo, non contendendo vicerunt. Flagellis cædebantur, & ibant à conspectu concilij gaudẽtes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et impletum est illud Esaiæ vaticinium: Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Marul. lib. 4. cap. 5.

PASTOR de Scythi abbas, interrogatus super illud Euangelij, Qui irascitur fratri suo sine causa, solam fuisse iræ causam definiuit separationem à Deo: cæteris quamlibet magnis iniuriis acceptis qui irascitur, cũ sine causa irascit. Igitur cùm offensis lacessimur, meminisse debemus nos non habere indignationis causam, sed patientiæ. Ita fiet, vt pacem etiam cum inimicis habeamus. Non est enim cur illis irascamur, quos diligere, & pro quibus orare iubemur. Diligite, inquit Dominus, inimicos vestros, & benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequẽtibus vos. Marul. lib. 3. cap. 6.

BENO deserti Thebaidis abbas, nunquam visus est iratus. Qui neminirascitur, nónne semper in pace versatur? Profectò tametsi persecutiones sustinet, fatigantur persecutores, odij stimulis agitati: ille omnia æquanimiter ferens, in spe præmij cœlestis conquiescit, dicente Domino, Mihi vindictam, & ego retribuam. Ibidem.

IOANNES monasterij in Scythi positi abbas, cùm ad Pesiũ anachoretam visendum veniisset (Volat. lib. 21. Epistum appellat) & ab eo quæreret, quanam in solitudine per annos 40. quibus in ea permanserat, profecisset: sique referret, quòd sol omnia collustrans nunquam se conspexisset manducantem: Nec me iratum, respondit. Haud minoris meriti existimans, non irasci, quàm corpus quotidianis tenuare ieiuniis, inediáque atterere. Ibidem. Quæret aliquis, quomodo fontes monachos castigarit, si nunquam iratus sit. Neque enim fieri potest, vt in tanta multitudine aliquis non peccarit. Huic respondebimus, quòd ne delinquentes quidem irascendo castigandi sunt, sed miserendo. Iræ proprium vocere est, castigationis prodesse: in altero virtus, in altero vitium est. Sed cur, inquiet, in Scripturis Deus irasci dicatur, si ira vitium est? Irasci quidem Deus dicitur, non quòd irascatur: sed quia dum iustè punit, iratus videatur. Iudici autem ac præsidi punire conuenit vt iuuet, non irasci ne noceat. Quòd autem & ille iuuetur, qui punitur, hinc patet, quia impunitus plus deliquisset. Et vbi plus delicti est, ibi pœnæ grauioris exactio est: Hoc quidem modo Ioannem hunc nunquam fuisse iratum crediderim. Alioquin si peccantem fratrem non corripuisset, si nullo pœnæ genere afficillet, irato nocentior esset. Malum enim, quod quantum in ipso est, præcidere debet, crescere licẽtia sineret. Itaque vt eódem, vnde digressus sum, reuertar: semper eandem animi lenitudinem seruasse, nõ omissa delinquentium animaduersione magnum, atque magnificum fuit. Marulus libro quinto, capite octauo.

GABRIEL Brixiensis, ordinis Minorum, & Cardinalis presbyter, iurare solebat, se annos XXX. nulli mortalium succensuisse. Rauis.

PHOCION, iniuria vxori suæ facta, tantum ab autoris accusatione absuit, vt cùm ille sponte metu percussus, Phocionem accederet, & veniam postularet, inquiens, ignorasse quòd eius vxor fuisset, in quam iniurios fuerat: hoc sermone fit vlus, Mea quidem vxor nihil abs te affecta est, sed fortassis alia quæpiam: proinde non est cur excusationem apud me dicas. Eras. in Apoph.

PISISTRATI Athẽiensis tyranni vxorem publicè conuicio iuuenes quidam incesserant. Qui cùm postridie errorem suum agnouissent, & præ formidine prosusis lachrymis veniam à Pisistrato peterent, ipse nequaquam ad iram aut vltionem animo permotus, respõdit: In posterum modestiores estote: quanquam vxor mea, sicut vos arbitramini, hesterna die domum egressa non fuerit. Verbo, in quo non minus prudentię quã humanitatis fuit, iuuenum errorem & illatum vxori dedecus texit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

SOCRATES, publica conuicia ab Aristophane passus, non modò nõ ægrè tulit, sed obuium etiam interrogauit, Num se rursus ad similẽ rem aliam opus haberet? Quàm facilè putes inter paucos maledicta sustinuisse ille, quem ne publicè quidem in frequenti theatro iactata commouere potuerunt: Eras. in Apoph.

ARISTIPPVS cuidam, qui ob iram in verba venerat, dixit: Ne quæso à verbis propter iram discedamus: sed potius ab ira, propter verba. Idem cuidam maledicenti ait: Tu maledicendi dominus: ego audiendi. Laertius.

PERICLES aliquando in foro conuiciis impetitus à quodam impuro homine, totum diem tacitus eum sustinuit: interim quod habebat negocij conficiens. Vesperi domum modestè abiit: & subsequente eo, nihilominus famulo suo mandauit, vt ei domum suam præluceret. Plut. in eius vita.

M. CATONEM in balneo quidam percussit imprudens (quis enim illi sciens faceret iniuriam?) Postea satisfacienti, Caro: Non memini, inquit, me percussum. Melius putauit, non agnoscere, quàm vindicare. Eras. in Apoph.

Fuit T. Pomponius Atticus tanta erga domesticos facilitate, vt iurauerit se cum matre nonagenaria nunquam in gratiam rediisse, cum soror pariter nullam gessisse simultatem. Rauis.

ALPHONSVS Tarraconensis rex Siciliæ, nunquam visus est iratus. Rauisius.

BESSARIONIS Cardinalis Græci moderationem erga Nic. Perottum, cuius rusticitate pontificatum amisit, pete ex tit. Auersæ conuersationis.

AB IRA MOVERI.

Qui penitùs non irascuntur, dij quidam sunt censendi: at qui quantum oportet, homines ratione prediti. Primi certè motus in nostra non sunt semper potestate: improuisos adoriuntur, rationis imperium anteuertunt. At secundi illi sunt, qui ratione duce moderari debent. ex qua moderatione virtus omnis dependet. Melanthius iram grauem videri negabat, quæ mentem emigrare tantum cogeret, non penitùs tamen domo excluderet: quòd ira hominibus connata esset, & veluti rationis satelles atque minister, cuius primus impetus rarò refrænari potest: at secundus potest, ne vltrà quàm par sit, ad vindictam progrediatur. Præclarum est Zenonis illud apothegma apud Laertium. Nam cùm maledictis lacessitus incandesceret olim, reprehensus quòd philosophus verbis improborum commoueretur. Si conuicia, inquit, æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est, non sentire discrimen inter laudantem & vituperantem: sed philosophi est, non ita commoueri, vt ab honesto recedat. Nunc ad species huius moderationis accedamus.

EFFERVESCENTEM IRAM COHIBERE, ET REfrenare aliquantulum, quamuis non omnino ignoscat.

Tarentinus ARCHIAS, dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitùs immergit, magno labore, longóque tempore solidum opus doctrinæ complexus, postquam in patriam reuertitur, ac rura sua reuisere cœpit, animaduertit negligentia villici corrupta & perdita. Intuensque malè meritum: Sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Maluit impunitum dimittere, quàm propter iram grauius iusto punire. Val. Max. libro quarto, cap. 1. ex Cic. libro quarto Tuscul. quæst.

PLATO, cùm aduersus delictum serui vehementius exarsisset, veritus ne ipse modum vindictæ despicere non posset, Speusippo, siue Xenocrati amico castigationis arbitrium mandauit: deforme sibi futurum existimans, si commisisset, vt parem reprehensionem culpa serui, & animaduersio Platonis mereretur. Val. Max. libro quarto, capite primo: & Laertius libro tertio.

Plutarchus scribit, priscos ROMANOS instituisse, vt securibus, quæ præferebantur magistratibus, virgarum alligarentur fasces, vt dum fasces soluerentur, magistratui spacium cogitandi daretur, ne iratus ea fieri imperaret, quorum postea eum frustrà pœniteret. Fulgosius lib. secundo, capite primo. Quod VENETI perbellè imitati, ensem vagina tectum ponè principem gestari, planè sapienter instituerunt. Egnat. lib. 2. cap. 1.

CHARILAVS seruo cuidam audacius agenti cum ipso: Ni iratus essem, inquit, occiderem te. Adeò putabat nihil rectè dici fierive ab irato, vt ne in seruum quidem animaduertere voluerit commotior. Plut. in Laconicis.

ATHENODORVS philosophus, vir doctissimus, in postremo congressu, cùm ab Augusto abeundi veniam peteret, monuit eum, vt quoties in iram incideret, ne quid prius vel ageret, vel diceret, quàm Græcum alphabetum secum recitasset. Ea enim parula mora iræ impetum deferuere aiebat: fieríque, vt quicquid postea vel loqui vel agere vellet, tranquilliori mente efficeret, vnde minus postea doleret. Fulgos. libro septimo, capite secundo: & Rhodig. lib. vigesimotertio, capite 21.

AVGVSTVS, cùm Cornelium quendam de vita vxoris accusandum curasset, isque in senatu respondisset, Se de voluntate & consilio Cæsaris eam duxisse: ira vehementer incitatus, nihil acriter, nihilque fecit acerbè, sed statim exiluit è senatu, ac paulo pòst reuersus est. Dion Nicæus in Augusto.

Quum populus Atheniensis videretur deliquisse quiddã, scripsit AVGVSTVS ex vrbe Ægina: Non arbitror vos latere, quòd vobis irascor, neque enim Æginæ hybernaturus sum. Nec aliud illis vel dixit, vel fecit, satis habens illis comminatum esse, si desisterent. Eras. lib. 4. Apoph.

Siciliæ rex ALPHONSVS, cum Pyrrhum pocillatorem suum iussisset Gaspari vni ex aulicorum, quo cum graues inimicitias Pyrrhus gerebat, patera, quam manu ferebat, propinare, Pyrrhusque imperium geminanti non paruisset, Aphonsus ira succensus, Pyrrhum stricto gladio insecutus, vt in eum sæuiret: statim vt assecutus est, cùm vulnus iam inferre pararet, iræ statim frena contraxit: abiectoque gladio, præ modestia, in Pyrrhum sæuiendi sibi potestatem ademit. Etsi neque vltionis, neque castigationis respectus vllus erat, qui eum mouere deberet. Fulgosius libro quarto, capite primo: Panorm. libro primo de Gestis Alphonsi, vocat Pyrretum.

OMNINO IGNOSCERE, ET VENIAM DARE, siue petentibus, siue non petentibus.

DEI CLEMENTIA ET MANSVETVDO ERGA HOMINES PECCATORES.

Diuina hæc est Mansuetudo, quam veluti ideam nobis proponere & imitari debemus, Iustus est Deus, & peccantibus irascitur, sed iuxtà tamen misericors. quia peccatoribus pœnitentibus ignoscit, & veniam dat. Huius loci exempla plurima ex titulo Pœnitentiæ religiosæ petenda erunt. Hic enim respectu Dei clementis & misericordis aliqua referuntur: illic verò respectu hominis vitam suam corrigentis & emendantis, quæ correctio ad Iustitiam διορθωτικὴν pertinet.

Si in vrbe Sodoma decem tantum viri boni fuissent inuenti: propter illos decem, intercedente Abrahamo, DOMINVS omnibus pepercisset. Genes. 18.

DAVID adulterij & homicidij crimine nequiter corruerat, sed per Nathan prophetam reprehensus. Peccaui, inquit, Domino. dixitque Nathan: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Peccatũ confitendo doluit, & de misericordia Dei non diffidit. Idcirco non est spe deceptus. tunc veniam impetrauit, cum commissa ingemuit. Sed si Dauid sic cecidit, nemo continentium se arbitretur securum. rursum si idẽ tanti reatus damnatione absolutus est, nemo delinquentium desperet. Marul. libro secundo, cap. 12. & Sab. lib. 5. cap. 5.

MANASSES, regum omniũ qui Hierosolymis regnarunt sceleratissimus, stellas adorauit, aras Baalim erexit, in templo Dei idolum posuit, somnia obseruauit, auguria sectatus est: super hæc sanguinem innoxium fudit, interficiens prophetas, Esaiam serra medium secans. Cumque ob hæc flagitia Dominus tradidisset eum in manus principum Assyriorum, ferroque vinctus ductus esset in Babylonem, angustijs compellentibus agnouit peccatum, egit pœnitentiam, orauit, exauditus est, Deoque propitio redijt Hierusalem, & recuperauit regnum: atque in alium mutatus, idolis sublatis prophanata expiauit, & vnum Deum Israel impensè coluit. Quis igitur veniam desperet, si Manasses inuenit? aut quis adeò pessimus moribus viuit, vt euadere bonus non possit, si ille euasit? Iidem.

NINIVITÆ, cùm Iona prophetante vrbis excidium imminere didicissent, peccatorum, ob quæ id passuri erant, pœnitentiam agentes, dixerunt: Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Grandis fiducia, in ipso diuinæ vltionis procinctu sperare misericordiam: sed frustrà quidem sperassent, nisi vitiis finem statuissent. Quod sperauerant, pœnitendo obtinuerunt, dicẽte Scriptura: Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est super malitiam quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Ea igitur spes impetrandæ salutis non fallitur, quam vitæ correctio comitatur. Iidem.

Euangelij tempora percurramus. Cuius spem non incitat atque accendit LATRO in cruce pœnitens? quam quidem crucem, si nihil mali commisisset, si nemo cogeret, sua ipse sponte hac mercede ascendere debuit, vt à Domino audiret vocem illam, qua nihil iucundius, Hodie mecum eris in paradiso. Ob latrocinia noxæ deditus, mortique addictus, dum moriens dignum se supplicio confitetur, dum in Christum credit, dum iuxta se pendentem deprecatur, transiuit de morte ad vitam, de cruce ad paradisum. O diuinæ clementiæ immensitas, quàm feræ conuersioni quàm grandem tribuisti mercedem. Iidem.

PETRVS de piscatore apostolus, iam carni & sanguini Domini communicauerat, iam speciali priuilegio cum Iacobo & Ioanne eiusdem Domini gloriam in monte viderat, iam Iesum Dei filium confessus fuerat: & tamen Dominicæ passionis tempore, dum homines timet, Deum negauit. At quoniam post negationem amarè fleuit, non solùm quod peccando amiserat, pœnitendo iterum est assecutus: sed etiam omnium princeps factus, claues regni ecclesiæque gubernandæ potestatem accepit. Benignissimus Dominus plus contulit eius pœnitentiæ, quàm contulerat innocentiæ, pristrinis beneficijs cumulum faciens tam excellẽtis præposituræ honorem. Iidem.

DAVID quidam in finibus Hermopolis, grassatorum princeps, cùm diu exercendis latrocinijs operam impendisset, tandem pœnitudine pulsus ad monasteriũ venit: monachusque factus, Deo in humilitate seruiuit. Et cùm post aliquot dierum pœnitentiam, dimissa sibi esse peccata quæ commiserat angelo referente accepisset, multitudinis eorum cõscius, dubitauit an vera audiret. Ob incredulitatem, linguæ officio caruit. Sed cũ vehementer doleret, quòd solitas Deo laudes ore impedito concinere non posset, vocis vsum ad eam duntaxat rem recuperauit, ad cætera mutus permãsit. Sperauit ille quidem futuram aliquando delictorum veniã, sed spem eius præcessit Dei clementia. Et vt præcessisse crederetur, non credentem puniuit: vt scias, quia non est ponere numerum neque finem misericordiarum eius Marul. libro secundo, cap. 12.

DOMINVS mulieri in adulterio deprehensæ pepercit: iniungens tamẽ ei, ne amplius peccaret: vt intelligas, tunc nos rectè veniam sperare, cùm desinimus peccare. Malignis autem in illam frementibus iniecit ruborẽ, & his propria eis exprobrans delicta, qui accusatum venerant aliena. Et hi plenè vnus post alium abierunt, sicut aduenerant, nequitia & impietate pleni.

Illa verò perstitit, donec condonato reatu dimissa est. Perseuerare enim sperando debemus, nec vllo expectationis tædio affecti deficere, dicente Apostolo: Christi domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Quandiu ergo speramus in Christo, habitat in nobis Christus: procul est ab iis qui desperant. Idem.

MARIAM Magdalenam ob impudentis lasciuiæ crimen, cæterorũque vitiorum infamiam cognomento peccatricem dixêre: & tamẽ cùm sese pœnitendo Domino submisisset, dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & quæ diu serua fuerat peccati, meruit effici discipula Christi, eiúsque resurrectionem videre prima, atque audire, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Sic vbi abundauerat peccatum, superabundauit misericordia, & in pœnitente omni spe maior spei merces fuit. Marul. lib. 2. cap. 12. & Sab. lib. 5 cap. 5.

MARIA Ægyptiaca meretricio quæstu diu infamis, cùm aditu etiam ecclesiæ indignam se diuinitùs eo prohibita cognouisset, post lachrymas eremíque labores ad tantam vitæ perfectionem deuenit, vt orans in terra terram non tangeret, & Iordanem transiens super quas ambularet. Ad Dominum migratura à sanctissimo viro Zozima sacrosanctam communionem accepit: à leonibus sepulturam, cùm scrobem in terra carptim vnguibus excauassent, sancti corpusculi capacem: vsqueadeò Dominus conuersam exaltauit, quam peccãtem ne in templum quidem intrare permiserat: tam erga pœnitentem misericors, quàm delinquentem iustus. Marul. lib. 2. cap. 12.

CLEMENTIA HVMANA.

Exempla plurima ex tit. Tolerantiæ iniuriarum, siue in dictis, siue in factis, huc referri possunt. Illic enim ea tantum ratione recensentur, quia à φοβεροῖς se moueri non patiuntur: hîc verò eo nomine locum habent, quoniam in vlciscendo rationis metas non egrediuntur, neque ab ira se superari sinunt.

ERGA HOSTES RELIGIONIS MODERATIO.

[redacted]

PRINCIPVM ERGA SVBDITOS MODERATIO, SIue in foro, siue extra forum. CLEMENTES iudices.

Apud Persas ob vnum solum delictum atrocius aliquem punire, non conceditur: sed expendunt prius, an plura ac maiora sint flagitia quàm benefacta: atque tum demùm iudicant. Herod. lib. 1.

LYCVRGVS Lacedæmonius, cùm Alcander iuuenis in iurgio oculũ ei baculo excussisset, adolescentem ad supplicium datum nõ modò non incommodo affecit aliquo, sed perhumanè & sapienter domi instituit: vt non tantum insolentiæ & temeritatis secum attulerit in sapientis viri domum, quantum inde prudentiæ & humanitatis reportauit. Sab. libr. 5. cap. 3. & Ruffus in dictis Epicteti de Amicitia.

ARISTIDES Atheniensis, post innumera benefacta quæ in patriam collocauerat, inuidia quorundam in exilium actus est. Cùmque tertio anno pòst reuocaretur domum, de vltione nunquam cogitauit, nec iniuriarum vnquam meminit. Plutar. in eius vita.

Singulari humanitate vsus est Philippus rex erga Nicanorem Macedonem, qui omnibus in locis, quantum poterat, Philippum criminabatur. Nam cùm Sinycithas aliíque Philippi amici suaderent, vt in eum rex animaduerteret, recusauit illud Philippus, dicens: Haud malum esse virum Nicanorem, sibi persuasum esse. Cùm igitur inopiam eius nosset, dono ei pecuniam misit. Post quod factum, cùm à Sinycitho moneretur, Nicanorem nõ criminari vt antè, sed regem laudibus efferre: Philippus Sinycitho fertur dixisse, Nunquid non vides in manu nostra esse, vt quæ volumus à populo audiamus? Fulg. lib. 5. cap. 1.

ALEXANDER Macedonum rex, in detrectatores etiam suos liberalitate vsus est, regium esse dicens, à quibus malè audias, in eos etiã beneficentiam exercere. Pont. lib. 1. cap. 8. de Magnanimit.

Persarum rex Artaxerxes, cùm ab Alcide Sampsone vbique carperetur, ei iussit renunciari. Licere ipsi regem arbitratu suo criminari: sed similiter regi quoque integrum esse, & dicere & statuere in eum quæ ipsi collibuisset. Eodem verbo, & eo quidem humano Alcidis temeritatem & potentiam atque clementiam suam ostendit. Fulgosus libro quinto, capite primo.

SABACVS Æthiopum & Ægyptiorum rex, adeò sanguinis animaduersionem exhorruit, vt capitis reos, damnatósque vinctos cathenis operas ciuitatibus præstare iuberet, ne scilicet interimerentur. Herod. lib. tertio: & Diod. Sic.

Cùm in Cæsarea moraretur Agrippa Iudæorum rex, rescijt Hierosolymis se publicè à Symone Iudæo criminatum, tanquam Iudaicæ legis esset euersor. Itaque cùm Symonem in theatrum spectante populo vocasset, assideréque sibi hominem iussisset, interrogauit, In quo Iudaicam legem violaret? & vt id palàm loqueretur monuit. Symon regis iram veritus, se ad eius abiecit pedes, veniámque errori petijt. Eum igitur supplicem manu sua rex sustulit, neque veniam modò pro crimine petenti dedit, verùm muneribus quoque affectum domum remisit. Sapiens profectò, nedum clemens Agrippæ factum. Quo enim pacto melius & sibi bonitatis nomen comparare, & detrectatorem à maledicentia reuocare potuit? Fulg. lib. 5. cap. 1.

C. IVL. Cæsar dictator, cùm rerum gestarum fama & gloria floreret, Catullum Veronensem, cuius versiculis de se & Mamurra editis indelebili respersus esset infamia, sibi satisfacientem non solùm non incommodo affecit aliquo, sed cœnæ etiam adhibuit: & quod maius etiam fuit reconciliatæ gratiæ signum, in eius patris hospitio, vt erat solitus, perseuerauit. Sab. lib. 5. cap. 3.

IDEM C. Memmio, cuius asperrimis orationibus coactus fuerat verborum acerbitate respondere, erátque ex confesso inimicus, suffragator extitit in petitione consulatus. Ibidem.

Cùm post triumuiratum, apud Augustum Cinna, Cn. Pompeij nepos accusaretur, in Gallia insidias eius vitæ tetendisse, vxoris Liuiæ suasu, Cinnam solum in cubiculum acciuit, eíque omnia patefecit, quæ de hac re acceperat. Quare Cinna perterritus, cùm neque deprecaretur crimẽ, neque negaret, Augustus humanissimè omne odium remisit, atque in sequentem annum Consulem designatum in familiarium amicorum numero habuit. O diuinam prorsus clementiam, ei qui vitæ insidias tetendisset, honores illos impartiri: qui vix illis præstandi essent, qui periculo pro tuenda dantis salute vitam obiecissent. Fulg. lib. 5. cap. 1.

Cùm AVGVSTVS obtrectatorum malignitatem perferret, atque eius patientiam Tiberius carperet, hortatus vt ex eis aliquot vlcisceretur: respondit, Satis sibi esse ne quis eum plus quàm dicto lædere posset. Ibidem.

Vespasiani filius TITVS, ad se accersitis duobus patricij ordinis viris, qui affectare imperium dicebantur, modestè eos coarguit: docens, fato imperia, & non ingenio, aut vlla alia industria dari. Quòd si quid cuperent, eos id vt peterent hortabatur, quia libẽter assensurus esset. Ambos quoque cœnæ secum adhibuit: idque, qui alterius eorum matri renunciaret celeriter misit: ne cùm detectam coniurationem intelligeret, verita filij vitam in discrimine versari, sibiipsi mortem consciscceret. Postero quoque die in theatro assidere sibi vtrunque iussit, & vt ipse oblata gladiatorum tela inspexit, ea vtrisque inspicienda porrexit. Itaque cùm hac ingenti humanitate amandum se omnibus præberet, minimè mirum videri debet, si is populi Romani iudicio, Humani generis deliciæ appellaretur. Fulg. lib. 5. cap. 1.

NERO Imperator sub imperij initia ea fuit humanitate & clemẽtia, vt cùm ei de more damnationis libelli exhiberentur, quibus subscriberet, gemebundus exclamarit: Vtinam verò nescirem literas. Ne videlicet subscribere cogeretur.

DOMITIANVS inter initia Imperij sui adeò ab omni cæde abhorrebat, vt edicere destinauerit, ne boues immolarentur. Suetonius.

ANTONINVS Pius fuit adeò mitis, vt quum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluerit placare, quàm vlcisci seditionem.

ÆL. HADRIANVS Imperator, quo die ad imperij culmen euectus, cuidam quo cum graues exercebat inimicitias, & propterea noui imperij magnitudine is vehementer territus erat, palàm dixit, Euasisti. Eo enim verbo, singularique animi moderatione ostendit, minimè conuenire, cum publicam induisset personam, priuatas amplius vlcisci inimicitias velle. Fulg. lib. 4. cap. 1.

M. ANTONINVS Philosophus nationes omnes quæ rebelliõe fecerunt, perhumaniter tractauit, neque quẽquam ex obscuris hominibus aut illustribus interfecit. Dion Cassius, & Xiph. in vita M. Antonini.

Insignis clementia FL. IVLIANI imperatoris illa fuit, quam Antiochiæ ostendit, cùm à colligatoribus apud eum accusatus esset Thalassius, qui sub Constantino minister à secretis fuerat. Nam cùm Galli Cæsaris, qui Iuliani frater fuerat, mortis cõscius fuisse diceretur, faceto verbo respondit: Æquum esse, cùm hac in re maior ipsius, quàm colligantiũ cum Thalassio iniuria esset, sibi quoque prius satisfieret. & cùm hoc dixisset, præfecto imperauit, ne in Thalassij causa aliud ageretur, nisi prius secum in gratiam eum rediisse intellexisset. Ita enim cauere voluit, vt non modò ipsius maleuolentia Thalassius non læderetur, verùm ne ipsius quidem odij opinio apud alios aliquo modo detrimentum afferret. Fulg. lib. 5. cap. 1.

Quidam vxori GALIENI iunioris gemmas vitreas pro veris vendi-

deratre comperta, mulier flagitauit vindictam. Cæsar iussit hominem corripi, quasi leoni obiecturus. Dein è cauea, dum impostor & populus expectat terribilem leonem, prosiliit capus. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per curionem dici iussit: Imposturam fecit, & passus est. Trebellius Pollio.

THEODOSIVS iunior tam admirabili fuit ingenij lenitate, vt cum ab amicis rogaretur, quamobrem neminem eorum à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret? Vtinam, inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum: in iis quæ lædunt Rempub. decet esse seuerum. Eras. lib. 8. Apoph.

LVDOVICVS XII. Gallorum rex, mortuo Carolo octauo sine liberis, quum illi successisset, qui cum grauissima gessisset bella, captúsque ab eo carceri diu mancipatus esset: regio fastigio gẽris more inito, post Caroli mortem omnes qui in eum hostili erant animo, benignissimè suscepit: Quinetiam Aurelium ciuem, quem acerrimum hostem antea semper expertus fuerat, quum à familiarissimo quodam suo bona illius peterentur, in quæ inuaderet, si modò rex ipse annuisset: tantum ab hoc consilio abhorruit, vt vltrò ad se aduocatum hospitio regio acciperet: insuper oblitum sese iniuriarum omnium fateretur, quas ille in sese perpetrasset, post hæcq; sese illum in amicissimi loco habiturum polliceretur. Egnat. lib. 4. cap. 1.

ALPHONSVS Aragonius, Siciliæ rex, erga Ioannem Fortem militẽ suum humanè se gessit. Nam regi Ioannes infestus factus, propter cuiusdam arcis præfecturam, quam ei ademerat, omnem Italiam pererrabat: vt vbi eius hostes inuenisset, illic eius nomini detraheret. Tandem egestate premente, ad Alphonsum redire coactus est. Rex autem longè in seruanda humanitate, quàm Ioannes in prudentia diligentior, non modò nulla ex parte Ioannis maledicentiam vlcisci cogitauit: sed data pecunia, eius necessitatem subleuauit. Fulg. lib. 5. cap. 1. Panor. lib. 1. de Gestis Alfonsi.

CAROLVS V. Imp. Maximus, rari artificij horologiũ habebat. Quod in frequenti turba aulicorum à quodam surreptum fuit. Verùm horologium ipsum suo tinnitu furem prodidit. Is cùm ad Cæsaris pedes metu exanimatus procidisset, τῷ τοῦ ἀξίως ἐλέγχῳ delectatus Imperator, incolumem dimisit: hoc tantum monens, cogitaret in posterum, Timorẽ spe longè vehementiorem esse affectum. Hoc ipsum M. Ant. Callimachus in X. Epigrammatum his verbis extulit.

κλέμμ᾽ ὅπερ ἦν κρυπτὸν κλέπτην φανέρωσεν ἀέλπτως,
ἔμβαλε καὶ θανάτου τῷ δὲ τρέοντι φόβον.
τοῦτο δ᾽ ἔην ὡρῶν σημαντικὸν ἔργμ᾽, ὀπιπλίγδην
χρυσοφαές γ᾽ ἐντὸς χάλκεον ἔμπα πέλεν.
κλέμμα γὰρ ἐν θαμινῷ κοναβίζον κρυπτὸν ὁμίλῳ
ῥέξε τόδ᾽ ἀντηδὲν καίσαρος ἐν θαλάμῳ.
ὃς γέλασ᾽ εὐφροσύνης πλήρης, καὶ φείσατο κλέπτου
κλέμματ᾽ ἀφεὶς ἀδεῶς τόνδ᾽ ἐκέλευσεν ἔχειν.

MODERATIO CIVIVM ERGA SE MVTVO, *Reipublicæ causa.*

ONOMADEMVS Chius, postquam aduersam factionem superasset, quibusdam censentibus omnes diuersę factionis vrbe pellendos, negauit expedire, dicens: Se vereri, ne omnibus inimicis ad vnum eiectis, inter amicos existerent dissidia. Sentiens sic esse multorum ingenium, vt si desint inimici, in quos naturę malitiam exerceant, amicos impetant. Eras. lib. 6. Apoph.

THRASYBVLVS populum Atheniensem triginta tyrannorum sæuicia sedes suas relinquere coactum, dispersámque & vagam vitam miserabiliter exigentem, animis pariter atque armis cõfirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis victoriam, clariorem aliquãto moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc obliuio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labentem ciuitatis statum, in pristinum habitum reuocauit. Valerius lib. 4. capite primo.

L. MVRENAM M. Catonem obiecto corpore suo, à Metelli armis tribuni plebis in eum irati protexit, quamuis anno ante à Catone ambitus atque largitionis accusatus, magno in discrimine salutis versaretur, nisi eloquentiæ pater Cicero eum defendisset. Nam quanquam aliorum opera vlcisci se posse inimicum videbat, patriæ tamen charitatem acceptarũ iniuriarum dolori prætulit: hostemque, quod multo gloriosius censetur, laborantem seruauit. Fulg. lib. 4. capite primo.

TIB. GRACCHVS tribunus plebis, cùm ex professo inimicitias cum Africano & Asiatico Scipionibus gereret, & Asiaticus iudicatæ pecuniæ satisdare non posset, atque ideò à Coss. in vincula publica duci iussus esset, appellassétque collegium tribunorum: nullo volente intercedere, secessit à collegis, decretumque composuit, nec quisquam dubitauit, quin eo scribendo, irati hostis aduersus Asiaticum verbis vsurus esset. At is iurauit primùm cum Scipionibus se in gratiam non redisse, deinde tale decretum recitauit: Cùm L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum subactos hostium duces in carcerem coniecerit, indignum & alienum à maiestate Pop. Rom. videri, in eundem ipsum duci. Itaque se id non passurum fieri. Libenter tunc opinionem suam Pop. Rom. à Graccho deceptam cognouit, moderationémque eius debita laude prosecutus est. Valerius Maximus libro quarto, capite primo.

AVGVSTINVS Barbadicus Venetiis creatus fuit dux quadraginta virali iudicio in fratris Merci locum, vir vitæ innocentia & grauitate senatoria insignis. Repulsámque tulerat Bernardus Iustinianus diui Marci procurator, literis, oratoriáque facultate celebris, ætateque ipsa, quam Veneti semper magnifecère, præponendus. Cæterùm Barbadicus ipse adeò moderato animo sese in eum gessit, vt verecũdè admodum Bernardum ipsum salutarit, dextramque iunxerit, illique quoad ille vixit, nõ parũ verecundię & obseruationis exhibuerit, & fratris charissimi loco semper habuerit. Egnat. lib. 4. cap. 5.

ANTONII Grimani Veneti ab exilio reuersi grauitas egregia fuit: qui Nicolaum Michaelem (acerrimum sui accusatorem) vbi primum domum rediit, & reliquos eius collegas duos, Pisanum & Sanutum, auidè complexus est omnes: Nicolaum verò ipsum summoperè laudauit, quòd pro dignitate ipsius, quàm gessisset, constantissimè publicam causam tutatus esset. Addens quòd optaret, Respublica similes illi vt plures semper haberet. Sed enim, & dux in locum clarissimi Lauretani creatus, eum occurrentem sibi primùm saluere iussit, omnia de se ipso illi pollicitus. Extant adhuc literæ ipsius ad ipsum scriptæ, plenæ summæ grauitatis & amoris. Egnat. lib. 6. cap. 4.

CLEMENTIA SEV INDVLGENTIA PRIVATA *parentum ergà liberos.*

SOCRATES, cum iratus esset filio aliquid delinquenti, nihil aliud dixit, quàm: Ipse te coherce. Laert. in vita Socratis.

L. GELLLVS omnibus honoribus ad cẽsuram vsque defunctus, cùm crimina grauissima de filio, in nouercam commissum stuprum, & parricidium cogitatum propemodum explorata haberet: non tamen ad vindictam procurrit continuò, sed penè vniuerso Senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit. Inspectáque diligentissimè causa, absoluit eum cùm consilio, tum etiam sententia sua, quod si impetu iræ abstractus sæuire festinasset, admisisset magis scelus, quàm vindicasset. Valerius Maximus libro quinto capite nono.

Q. HORTENSII, qui suis temporibus ornamentum Romanæ eloquentię fuit, admirabilis in filio patientia extitit. Cùm enim eo vsque impietatem eius suspectam, & nequitiam inuisam haberet, vt Messalam suæ sororis filium hæredem habiturus, ambitus reum defendens iudicibus diceret, si illum damnassent: nihil sibi præter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum: hac scilicet sententia, quam etiam editæ orationi inseruit, filium potius in tormento animi, quàm in voluptatibus reponens: tamen ne naturæ ordinem confunderet, non nepotes, sed filiũ hæredem reliquit, moderatè vsus affectibus suis: quia & viuus moribus eius verum testimonium, & mortuus sanguinis honorem debitum reddidit. Ibidem.

Idem fecit clari generis, magnæque dignitatis vir FVL. FLACCVS, sed in filio aliquantum tetriore. Nam cùm auxilium Senatus implorasset, vt suspectus in parricidio, & ob id latens per triumuirum conquireretur, ac iussu P.C. comprehensus esset: non solùm eum non notauit, sed etiam decedens Dominum omnium esse voluit, quem genuerat hæredem instituens, non quem fuerat expertus. Ibid.

Magnorum etiam virorum clementibus actis ignoti Patris nouæ atq; insitatæ rationis consilium adiiciam, qui cùm à filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam vxorem suspicans: suppliciter rogauit, ne se vlterius celaret, siue illum adolescentem subiecisset, siue ex alio concepisset. Asseueratione deinde eius, & iureiurando se nil tale debere suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto, gladiũ quem secum occultum attulerat, tradidit: ac iugulũ feriendum prębuit, nec veneno, nec latrone ei ad peragendũ parricidium opus esse affirmãs. Quo facto non paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit, continuóq; abiecto gladio: Tu verò, inquit, pater viue, & si tã obsequens es, vt hoc precari filio permittas, me quoq; exupera. Sed tamen quæso ne meus erga te amor sit vilior, quòd à pœnitẽtia oritur. Solitudinem sanguine meliorem, pacatiorésque penatibus syluas, & alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ quàm datæ vitæ felicius beneficium. Ibidem.

LVDOVICVS Pius, Gallorũ rex, quum quatuor liberos variis principatibus honorasset, ab his tandem incommoda multa passus est, atque etiam coniectus in carcerem. Quod tamen animo adeò ciuili & mansueto pertulit, vt cum his postea redierit in gratiam. Rauis.

FVLCO Andegauensis comes, postquam viuens comitatus honorem filio Gaufredo tradidit, armis postea laboreq; magno, quia acerbè populus imperabat, honore eum deiecit: nec tamen multo pòst eum restituit. Nã filius agnita culpa ad patrẽ venit, iumentariáq; sella in tergũ recepta, patris

pedibus obuolutus veniam petiit. Quem cùm pater pede ter calcasset, improperans, tandem victum esse: ei filius haud consternato animo respondit: A te pater, fateor, me victum, quia cùm pater sis, ęquũ est: cæterùm cum aliis omnibus lõgè aliter sentio. Quibus verbis se magni animi virum, erga patrem humili corde verentem filium esse, ostendit. Id quod patrem magnoperè ad ignoscendum mouit. Fulg. lib. 5. cap. 9.

CLEMENTIA ERGA FRATRES.

Fraterna odia vt maxima esse solent, adeò vt in prouerbium quoque abierint: ita vicissim clementia ergà fratres summa non laude tantùm, sed admiratione quoque digna censeri debet.

ESAVS quamuis à Iacobo fratre primùm ætatis prærogatiua, deinde benedictione defraudatus fuisset & eam rem ita indignè ferret, vt Iacobus à matre Rebecca amandatus fuerit in Mesopotamiam, ne ab Esao occideretur tamen cum post 20. annos rediret Iacobus, Esaus cum 400. viris obuiam illi factus, flens flentem deosculatus est, nulla planè præteritarum iniuriarum habita ratione. Gen. 33.

IOSEPH mitissimi ingenij adolescens, in cisternam à fratribus deiicitur, externis in seruitutem venditur: & tamen eos à quibus talia passus fuerat, benignè suscipit, largè educat, non malum pro malo reddens: sed vincens in bono malum. Irasci enim nescit mansuetus, & benefacere iis etiam à quibus offensus est, nouit.

TITVS Vespasianus Romanorum imperator, fratrem Domitianum insidias molientem non est vltus, sed his verbis admonuit: Quid opus te parricidio petere, quòd me volente obuenturum est, imò quòd iam habes, imperij particeps? Haud temerè in Christiano reperias tãtum mansuetudinis. Eras. lib. 8. Apoph.

CLEMENTIA ERGA CONIVGES.

Alexander Priami filius, in Ida pastor, Cebrenis filiam amabat Oenonen. Hanc autem numine correptam, futura prædicere solitam, atque alioqui etiam ob singularem animi prudentiam vbique magni nominis fuisse scribunt. Alexander igitur abductam eam à parente in Idam, vbi statiua sua posuerat, habuit pro vxore: blando sermone pollicitus, se nũquam illam deserturum, in maximóque honore habiturum. Verùm illa cohabitare quidem illum sibi nunc dixit, tanquam qui valde amaret. Tẽpus autem futurum, quo ipsa neglecta, in Europam esset penetraturus, vbi amore peregrinæ mulieris implicitus, bellum propriæ patriæ esset inducturus. Exposuítque amplius, quomodo futurum esset, vt in bello sauciaretur, & quòd nemini possibile esset, eũ posse sanare præter ipsam. Singulatim autem ipsa hæc recensente, ille animum non aduertebat, neque sinebat vlterius meminisse. Temporis autem progressu, quum Helenam vxorem duxisset, Oenone indignata ob ea quæ fecerat Alexander, ad Cebrenem, vnde genus duxit, reuersa est. Ille verò instante belli iam tempore, sagitta à Philoctete petitus vulneratur. In animum itaque reuocatis Oenones verbis, ab ipsa sola eum posse sanari, præconem mittit oratum, vt se accedat ac medeatur, præteritorúmque omnium obliuionem faciat, tanquam ex voluntate deorum omnia ista esset perpessus. Ea autem valde contumeliosè respondit: Debere eum ad Helenam ire, illámque precari. Sed tamen interim maximè eò festinabat, vbi eum decumbere perceperat. Quum ergo præco respõsum ab Oenone citius retulisset, præ animi molestia Alexander expirauit. Oenone autem superueniens, quum mortuum iam in terra iacentem videret, magno gemitu ac eiulatu turbata, seipsam interemit. Parthenius in Erot. cap. 4. ex Nicandro in lib. de Poetis, & Cephalone Gergithio in Troicis.

CLEMENTIA DOMINORVM ERGA SERVOS.

ARCESILAVS Scytha, cum hospites quosdam vnà cum amicis excipere conuiuio, cœna quidem apposita est: sed deerat panis, videlicet pueris oblitis emere. Hic ille ridens: Quam, inquit, res est apta cõuiuiis apparandis, esse sapientem. Sentiens, philosophos in rebus vulgaribus minus sapere, quàm idiotas. Sed interim dedit exemplum philosophicæ moderationis. quis enim ibi non excãduisset ira? Laertius libro quarto, capite sexto.

Humanum persæpe AVGVSTVS se ostendit, sed tum maximè cùm deambularet cum Diomede liberto suo. Effractis enim caueis aper proruperat, rectáque ad Augustum tẽdere videbatur. Itaque libertus, in quo formidinis quàm prudentiæ plus erat, apprehenso Augusto, se post eum texit. Ea re (periculi enim permultum habuit, & fortasse haud paucos ad vlciscendum libertum impulisset) Augustus neque iræ, neque commotã animi aliqua signa ostendit. Prudenter enim aduertit, eos qui pusillo corde sunt, vbi de vita agitur, omnis rationis iudicium amittere. Fulgos. libro 5. cap. 1.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm poculum ex quo ipse bibere solebat, amico dari iussisset: & Pirretus pincerna donum non dedisset, semel atque iterum iussus: demũm rex iracundia motus, arrepto gladio Pirretum fugientem secutus, cum hominem manu iam teneret, gladium abiecit, ne quid iracundia motus ageret crudelius, cuius postea pœniteret Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi. Fulgosus libro quarto, capite primo hunc Pyrrhum vocat.

CLEMENTIA ERGA QVOSVIS ALIOS PRIVATOS, *qui quocunque iniuriæ genere nos nostrosue affecerunt.*

RELIGIOSA.

Cùm interrogasset Petrus Dominum: Quotiescunque peccabit in me frater meus, dimittam ei, vsque septies? audiuit: Non dico vsque septies sed vsque septuagies septies. Matth. 18.

Ad remittendum fratribus ex corde, induxit Dominus parabolam serui nequam, cui decem millia talenta à domino liberaliter fuerunt dimissa. Ibidem.

IOANNES Gualbertus, Florentinus eques, cùm ex agro in vrbem magno hominum numero comitante rediret, eique fortè obuius esset is, à quo haud multo antè frater quem solum habebat, fuerat occisus, neque diuertere posset: Ioannes iam gladium, vt fraternam necem vlcisceretur, strinxerat: sed cũ humi prostratus fraternæ necis auctor, vt sibi ob Christi crucifixi reuerentiam parceretur oraret, singulari modestia Ioãnes iram compescuit, atque illum gladiúmque quem vlciscendæ iniuriæ gratia strinxerat, in templum quod primùm offendit deduxit, & crucifixi imagini quam in eo vidit, vtrunque præsentauit. Mira res, sed tamen vera narratur: scilicet Christi imaginem, cernentibus omnibus qui aderant, demisso capite, aperta signa dedisse, omissæ gratia sua vltionis munus acceptum atque gratum habere. Quod factum ita Ioannis quoque animum pupugit, vt relicta patria, relictis fortunis & seculari vita, princeps condendæ congregationis quæ sub Vmbrosæ vallis nomine censetur, perhibeatur fuisse: imago autem quæ hoc fecisse dicitur, postea singulari veneratione in sancti Miniati fano, haud longè ab vrbe Florẽtia, asseruata est. Fulg. lib. 4. cap. 1.

BRIGIDA virgo apro ferocissimo, & qui in pecudum gregem repẽtè irruerat, præsto occurrẽs, vsque adeò reddidit mitem, vt eidem gregi ipsum præficeret pastorem. Itaque tam modo immanis fera, tam tenellas oues, quas laniatum venerat, mox & ad pascua educere, & pastas reducere domum cœpit. Voluit autem Deus beluæ feritatem virginis humanitati cedere, vt ostenderet quanti apud se ponderis esset talis virtus. Marul. libro quarto, capite quinto.

MARINVS in Arba Dalmatiæ insula natus, apud Ariminum vitam solitariam duxit. Cùm autẽ aliquando cellam suam versus ab vrbe Roma rediret, asellum, quo in via vehebatur, visus terribilis inuadẽs peremit. Ille vrsum tenuit, & vt asini vices subiens ad cellam vsque se deferret, iussit. Subitò syluestrem exuens animum immanis bestia, dorsum homini præbuit, cuius asello non pepercerat. diceres humanitatis eius conscientia, quoniam ille amissi iumenti iacturam passus in authorem damni nõ excanduit, neque indignatus est: sed tantùm seruitio eius vsus, quo probaret, posse se ab ipso pœnas exigere, si vellet, cuius dorso potuit tam imperiosè insidere. Ibidem.

ETHICA.

Consule tit. Eorum qui mortem liberorum, vel quorumuis aliorum amicorum moderatè tulerunt.

CROESVS Lydorum rex, cùm Atys filius summæ spei ab Adrasto Phryge in venatione per imprudentiam occisus esset, Adrasto tamen ignouit: quòd per errorem hoc illi obtigisse certò sciret. Nam cùm telum in aprum Olympium direxisset, frustrato ictu Atym interemit. Herodotus lib. 1.

GISCON, iis qui Amilcarem fratrem interfecerãt, clementer ignoscit. Vide tit. Ex hostibus amicos facere. Sub Stratag.

CLEMENTIA IMPERATORIS *erga suos milites.*

Exempla pete ex tit. Beneuolos reddere milites.

In LEVCTRIS,multis Lacedæmoniis abiicientibus arma, & aciem deserentibus,ne magna multitudo infamia notaretur & legũ tamen seruaretur authoritas,placuit patribus,vt legislator designaretur. Designatus, non scripsit nouas leges , sed veteres post Leuctricam pugnam valere iussit. Sic & militibus consuluerunt, & legum authoritati. Polyænus libro secundo.

EPAMINONDAS conabatur noctu Lacedæmoniorum vrbem vacuam ciuibus occupare.Agesilaus insidiis ex transfugis perceptis,incitato cursu cùm exercitu suo prior in vrbem venit,&Thebanos expectauit. Qui impressionem faciẽtes,repulsi sunt per vim à Lacedæmoniis. Cùm verò per confusionem ac tumultum in graue periculum incidissent, noctu fugere coacti,multi scuta abiecerunt.Epaminondas eam rem conspicatus,nolens vt qui scuta abiecissent,redarguerentur,promulgauit: Nemo armatorum ipse scutum portet,sed tradat scutatis, aut aliis sequentibus:ipsi verò cum solis hastis & ensibus ducem sequantur.Ita multitudo eorum qui arma abiecerant,venit,& Epaminondæ se obsequentiores ad futura pericula ob hoc beneficium præbuerunt.Polyænus lib.2.

ARTAXERXES rex ducib. suis qui deliquissent,pro eo quòd solent flagris cædi corpora,iussit vt pro corporibus vestes illis detractæ cæderentur:vtque pro eo quòd solet illis velli caput,tiara deposita velleretur. Plutarc.in Regum Apophtheg.

ALEXANDER Macedo,quum è Macedonum numero ad mare remitteret & valetudinarios,& mutilos debilésque:productus est quidam qui se inter ægrotos ascripserat,quum non ægrotaret.Is quum ad Alexandri conspectum adductus esset,& examinatus fateretur se morbũ prætexuisse ob amorem Telesippæ,quæ ad mare fuerat profecta: percontatus est Alexander,cui negocium retrahendę ad exercitum Telesippę delegaretur?Cæterùm vt cognouit eam esse liberam: Persuademus igitur, inquit,ô Antigenes Telesippæ,vt nobiscum maneat,nam vim admouere liberæ,non est nostrum. Sic indulsit amori strenui militis , quem hac ratione apud se retinuit,vt eius postea opera fideli sæpe sit vsus.Plut.

TIGRACVS,cùm dixisset futurum vt ex Volonum numero fortibus libertatẽ daret,ignauos crucibus affigeret,& quatuor millia ex his(quia segnius pugnauerant) metu pœnæ in quendam munitum collem coissent.misit qui eis dicerent,totum sibi exercitumVolonum vicisse videri, quòd hostes fugissent.Sic eos & sua fide & ipsorum metu exolutos recepit.Front.lib.4.cap.7.

Q. FABIVS Maximus , cuius non dimicare,vincere fuit,cùm præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem,dubia fide suspectum,& strenuę operæ Lucanum equitem amore scorti deperditum in castris haberet, vtroq; potius bono milite vteretur,quàm in vtrunque animaduerteret:alteri suspicionem suam dissimulauit , in alterum disciplinam paululum à recto tenore deflexit.Namque illum plenè pro tribunali laudádo, omníque genere honoris prosequendo,animum suum à Pœnis ad Romanos coëgit reuocare:& hunc clàm meretricem redimere passus, paratissimum pro nobis excursorem reddidit.Val.lib.7.cap.3.

SYLLA in bello Sociali,viri militaris & ętate prouecti Albini,lapidibus ac fustibus interempti mortem non vltus est , sed autores cędis neglexit:inquiens se eos alacriores hac re ad pugnandum reddere,cum insigne peccatum insigni aliqua fortitudine expiare deberent.Itaq; in pugnis multo virilius dimicabant,vt obliuionem suo in Albinum sceleri inducerent.Polyæn.lib.8.

C. IVLIVS Cæsar,delicta militum non omnia obseruabat:sed neque à peccantibus satis dignum supplicium sumebat,veniam fortitudinis effectricem esse ratus. At si quis tumultum inciperet,aut aciem relinqueret,eum impunè ferre nequaquam patiebatur.Ibidem.

CLEMENTIA ERGA HOSTES VIVOS.

Huc refer exempla Moderatæ victoriæ , quatenus ira,quamuis iusta,non vltra rationis limites efferuntur. Eo enim in loco Moderationis tantum ratio habetur , *quòd secundis rebus non nimium fidunt.* Porrò *erga viuos hostes clementem se præbere, qui paulo pòst nocere possent, maius est:quàm erga mortuos,in quibus virtutem admirari securè absque vllo metu possumus.* Hinc tritum illud apud Italos, Huom ò morto *non fa guerra ,* Ex tit. Liberalitatis *bellicæ,& ex tit.* Ex *hostibus amicos facere,quædam poterunt desumi.*

Magna animi moderatio in Dauide fuit , cùm adhuc priuatam ageret vitam,cumq; Iudæorum rex Saul infestè nimis,vt perderet, persequeretur.Nam cùm in antro latêret,eandémque speluncam fortè Saul vt vẽtris onus deponeret, illic Dauidem esse ignorans , solus esset ingressus: Dauid cum perdere eum,hostemq; vlcisci,& simul regem se facere posset,magna se animi moderatione continuit. Suspenso enim gradu cum regi appropinquasset,regiæ vestis partem abscidit:vt eo signo ostenderet,se perdendi regis occasionem nactum,ea vti noluisse. Fulgos. libr.4. cap.1.ex 1. Regum 24.

LYCVRGVS præcipere solebat,vt posteaquam in bello hostem vertissent in fugam,ac superassent,tam diu fugientes insequerentur, donec certa esset victoria , moxque retrocederent. Neque enim Græcorum conuenire moribus,eos trucidare qui cessissent : idque non solùm honestius,verumetiam vtilius esse dicebat. Siquidem hostes , quibuscum res est,vbi cognorint Lacedæmonios parcere cedentibus , occidere verò qui loco non cedunt.sibi conducibilius existimabunt fugere quàm persistere.Frequenter enim desperatio magnum robur addit animo,non minus quàm spes victoriæ.Decet autem Græcos legibus ac disciplinis imbutos etiam in bellis meminisse clementiæ.Barbaricæ feritatis est,sæuire in prostratos.Sed rursus ita temperanda est clemẽtia, ne nobis sit exitio.Fit enim non rarò, vt hostis fugam simulet , vt redintegratis viribus acrior insurgat in victorem.Eras.ex Plut.in Laconicis.

Demosthenes,quum ab Areopagitis damnatus,elapsus è carcere fugeret , & haud procul ab vrbe obuios habuisset aliquot diuersæ factionis Homines,primùm abdere sese voluit,sed quum illi nominatim Demosthenem appellantes,iuberent esse bono animo,& viaticum insuper offerrent,grauiter ingemuit,dicens:Qui possum hanc vrbem relinquere, in qua tales habeo inimicos,quales amicos vix in alia sum inuenturus? Plutarchus.

AGESILAVS Laconum rex,fœliciter pugnauerat apud Corinthum. In eo prælio,quanquam accepisset Spartanorum admodum paucos desideratos,cæterùm è Corinthiis & Atheniensibus,aliisque sociis ingentẽ numerum interiisse:adeò non gauisus est,nec elatus ea victoria,vt grauiter ingemiscens deploraret Græciæ vicem:Heu,inquiens, Græciam,quę tot viros intestino bello perdidit,quot vniuersis barbaris debellandis satis esse poterat.Idem.

CYRVS Persarum rex postquam Crœsum Lydorum regem omnium ditissimum vicisset,& Crœsus pyræ cremandus impositus iam esset,suspirans ait Crœsus,hunc sibi exitum à Solone prędictum esse.Dimissus igitur est clementia Cyri.Herod.lib.1.

Quibusdam Philippo Macedoni consulentibus, vt cum Atheniensibus asperius ageret respondit , illos absurdè facere , qui homini cuncta ad gloriam tum agenti,tum patienti,suaderent,vt gloriæ suæ theatrum abiiceret : significans sese hoc agere,non vt Athenas euerteret,sed vt ciuitati celeberrimæ , doctissimorum virorum copia florenti , suas virtutes probaret.Eras.lib.4.Apophthegmatum.

Quum Grçci,qui apud hostes stipendium faciebant, venissent in potestatem Alexandri,Athenienses quidem iussit Alexander Mag. in compedibus seruari:quòd quum ex publico stipendium haberent, tamen apud hostes meruissent:similiter & Thessalos , quòd regionem optimam nacti,non eam colerent.Thebanos verò dimisit,dicens: His per nos nihil est reliquum,neque ciuitas,neque agri.Ita moderatus est pœnam, vt mortem commeritis non indiceret,nisi vincula : & culpam eorum qui necessitatem excusare poterant , in se transtulit. Plutarchus in Apophthegmat.

IDEM capto Dario Leonatum ex purpuratis suis misit , qui eius matrem,vxorem,aliásque fœminas consolaretur, & à lachrymis auerteret. Atque etiam matri Darij(cui nomen erat Sisigambis) permisit, vt quos vellet , bello extinctos milites patrio more sepeliret. Eius verò vxorem (quam nulla id ætatis fœmina corporis pulchritudine vicit) non solùm non violauit,sed summam adhibuit curam ne quis captiuo corpori illuderet. Omnem insuper cultum fœminis reddi iussit , nec quicquam ex pristinæ fortunæ magnificentia adimi. Et (quod omnium maximum humanitatis argumentum) Darium ipsum amisso iure belli regno restituit.Rauis.

Psammenitus Ægyptiorum rex, victus à Cambyse Persa, si compertus fuisset nec affectasse res nouas,accepisset Ægyptum, vt eam procuraret. Nam consueuerunt Persæ in honore habere filios regum, etiamsi qui ab eis defecissent, tamen illorum filiis restituere principatum. Quod eos ita facere consuesse, cùm aliis permultis potest probari documẽtis: tum verò hoc quod Thannyra Inari Afri filius recepit, quem pater obtinuerat, principatum:quodque Pausiris Amyrthęi filius & ipse paternum recuperauit imperium . Nec ipsis Inaro & Amyrthæo quicquam amplius à Persis irrogatum est. Nunc Psammenitus cum ad defectionem Ægyptios induxisset, captus est:ac perfidię à Cambyse conuictus, epoto cruore taurino expirauit.Herod.lib.1.

DEMETRIVS Antigoni filius cum cæpisset Atheniensium,qui defecerant,vrbem,eáque grauiter rei frumentariæ penuria laboraret, protinus conuocata concione,dilargitus est illis frumentum gratis. Plutarc.in vita Demetrij.

EPAMINONDAS,quum aliàs solitus esset vncto corpore hilaríque vultu prodire in publicum,postridie eius diei quo feliciter pugnatũ est in Leuctris,processit squalidus ac summissus . Amicis autem sciscitantibus,ecquid illi molesti accidisset?Nihil,inquit:sed heri sensi, me plus æquo mihi placuisse:eius gaudij intemperantiam hodie castigo.Adeò metuit arrogantiam vir Bœotus , ac militaris : & nos non idem facimus, quoties secunda fortunæ aura res nobis succedunt? Plutarchus in Græcor.apoph.

POLYDORVS cùm prosperè contra hostes pugnasset, hortabantur eum socij & milites,ne eam opportunitatem præteriret , sed aggressi hostium muros,ciuitatem illorum caperet.Id enim factu fore facillimũ, quum interfectis viris,solæ mulieres essent reliquæ. His in hunc respondit modum Polydorus:Mihi pari Martis alea rebellantes deuincere honestum est.Ceterùm quum pro agris pugnarim,vrbem velle capere,nõ arbitror esse iustum.Siquidem huc veni agros recepturus, non vrbẽ occupaturus. Vir excellentis animi,ne cum hostibus quidem putauit agendum

dum secus quàm postulabat ęquitas:quum hominum vulgus sibi in hostem putet licere omnia,in tantum, vt si de frigido oppidulo fuerit concertatio,victor existimet sibi ius esse,regnum vniuersum victi occupare. Ille etiam turpe sibi iudicabat, bellare cum his quibus deerant paria ad bellum præsidia.Talis enim victoria nullam habet virtutis laudem, sed crudelitatis crimen.Plut.in Lacon.

DATAMES Sinopam oppugnans,cum literas accepisset à rege, vt ab oppugnatione desisteret:lectam epistolam adorauit, & sacrificia gratulatoria fecit, quasi magnum ab rege commodum accepisset:& nocte cõscensa naui discessit.Polyæn.lib.7.

L.PAVLVS,cùm Persen regem Macedoniæ paruo temporis momẽto captiuum ex rege ad se adduci audisset , occurrit ei Romani imperij decoratus ornamentis:conatúmque ad genua procumbere,dextera manu alleuauit,sermonéque grato ad spem exhortatus est.Introductum etiam in tabernaculum,lateri suo proximum in consilio sedere fecit , nec honore mensæ indignum iudicauit. Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses:& harum rerum quas retuli,contextus : vtro magis spectaculo delectentur homines dubitabunt.Nam si egregium est hostẽ abiicere:non minus tamen laudabile infelicis scire misereri. Val.Max.li. 5.cap.1.

P.SCIPIONIS AFRICANI posterioris humanitas speciose latéq; patuit.Expugnata enim Carthagine , circa Siciliæ ciuitates literas misit, vt ornamenta templorum suorum à Pœnis rapta , per legatos recuperarent,inque pristinis sedibus reponenda curarent. Beneficium diis atque hominibus pariter acceptum.Huic facto par eiusdem viri humanitas : à Quæstore suo hastæ subiectos captiuos vendente,puer eximiæ formę & liberalis habitus missus est. De quo cùm explorasset Numidam esse,orbum relictum à patre,educatum apud auunculum Masinissam, eo ignorante immaturam aduersus Romanos ingressum militiã: & errori illius veniam dandam,& amicitiæ regis fidissimi pop. Rom. debitam venerationem tribuendam existimauit.Itaque puerum annulo fibuláque aurea & tunica laticlauia,Hispanóque sagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum prosequerentur equitibus, ad Masinissam remisit:eos victoriæ maximos fructus ratus,diis templorum ornamenta Roman.regibus sanguinem suum restituere. Val.Max.lib.5.cap.1.

P.SCIPIO Africanus superior causam Hannibalis in senatu protexit, cùm eum ciues sui missis legatis , tanquam seditiones apud eos mouentem,accusarent:adiecit quoque,Non oportere.P. C.se Reip. Carthaginensium interponere: altissimáq; moderatione alterius saluti consuluit, alterius dignitati,victoria tenus vtriusque hostem egisse contentus.Val. Max.lib.4.cap.1.

CN.POMPEIVS Mamertinis ignouit,propter Sthenium. Consul. tit. Amatores patriæ

IDEM regem Armeniæ Tigranem,qui per se magna cum P.Ro. bella gesserat,& infestissimum vrbi Rom. Mithridatem Ponto pulsum viribus suis protexerat,in conspectu suo diutius iacere supplicem passus non est: sed benignis verbis recreatum,diadema quod abiecerat,capiti reponere iussit: certísque rebus imperatis,in pristinum fortunę habitum restituit: æquè pulchrũ esse iudicans,& vincere reges,& facere. Val.Max.lib.5.c.1.

Cùm Domitius Ænobarbus ex Antonij partibus,ad Augustum transfugisset,M.ANTONIVS adeò se humanum præstitit,vt res & bona eius remiserit.Plut.in Antonio.

C.IVLIVS Cæsar,cùm post multos conflictus , in quibus æquo Marte cum hoste pugnauerat,Pompeium tandem vicisset:equites tamen, senatorésque vrbis,quorum infinitos cæperat,perhumaniter tractauit : imò literas etiam in scriniis Pompeij inuentas, quibus odium & acerbitatem contra Cæsarem multis contumeliosis verbis expresserat, legere voluit: sed statim comburi iussit,ne iis fortassis irritatus,inhumanius cum Pompeio agere cogeretur.Xiphilinus in Pompeio,& Plin.lib.7.

AVGVSTVS princeps, verus C.Cæsaris hęres,& in hac laude ęmulus, L.Cinnam in hostium castris repertum , non solum seruauit,sed (quod ad charitatis cumulum accessit)integrum ei patrimonium restituit. Eundem cõiurationis aduersum se initæ conuictum, ea lege incolumen prę-stitit,vt diceret. Olim tibi hosti, ô Cinna, nunc insidiatori & patricidæ do veniam.Iam hinc inter nos inchoetur amicitia, contendamúsque vtrum meliore fine ego bis tibi vitam condonauerim , an tu acceperis. Sab.lib.5.cap.3.& Seneca de Clementia.

Corocota erat insignis in Hispania latro, cui cum à principio ita fuisset infensus AVGVSTVS, vt edixisset, se ei qui Corocotam viuum cæpisset, daturum aureorum decem millia: postquam is vltrò venit,non modó ei nullum damnum attulit,sed etiam pecuniam dedit , cúmq; locupletauit. Dion Nicæus in Augusto.

Quum Alexandrini post vrbem vi captam extrema se passuros existimarent: AVGVSTVS suggestum conscendit,adiuncto sibi Ario Alexandrino:dixítque,se ciuitati parcere, primùm propter ipsius magnitudinẽ ac pulchritudinem , deinde propter Alexandrum Magnum , eius vrbis conditorem:postremò,in gratiam Arij amici.Raræ cuiusdam clementiæ fuit,non diripere ciuitatem,quæ pertinacissimè rebellaret , sed non minus laudis merebatur illa ciuilitas,quòd huius beneficij gratiam non sibi vindicauit,sed vnam præcipuam partem ipsi concessit vrbi , alteram tribuit Alexandro,cuius memoriam sciebat apud Alexandrinos esse gratiossimam:tertiam transtulit in Arium,eius ciuitatis ciuem , amicum tanto titulo suis commendans.Eras.lib.4.

Crassus Calphurnius,cùm COCCEIO Neruæ Imperatori insidias tetendisset,is tam sublimi fortunæ gradu collocatus tantæ iniuriæ veniam dedit:& munere suo fruendam ei reliquit vitam , qui ipsi per insidias salutem eripere tentarat.Fulg.lib.5.

VESPASIANVS,qui Flauiæ gentis primus est rerum Romæ potitus, Vitellij hostis sui filiam matrimonio splendidissimo locauit, ac dotatam muliebri mundo instruxit:ingenitæ charitatis, suaque clementiæ magis quàm paternæ iniuriæ memor.Sab.lib 5.cap.3.

DROMICHETES Getarum rex , regem Lysimachum,qui nulla lacessitus iniuria vltrò arma intulerat,prælio deuictum cæpit. Quanquam igitur barbarus,ferox & inops,magnas in eum irarum causas haberet: tamen deposita illati belli iracundia familiariter(vt alij ostentare opes solent) ipse suam populorúmque suorum pauperiem Lysimacho ostendit: atque ea se valde contentum viuere affirmans,ipsum liberauit , & ex rerum copia quam habebat muneribus affecit. Datæ quoque libertati ac muneribus consilium addidit , ne in posterũ cum his bellum Lysimachus gereret,quibus deuictis nihil esset fortunarum,quod lucrifacere posset, quin potius eiusmodi hominibus amicis vteretur. Eodem enim facto audacem se prudentémque ac humanitatis cultorem, sed auaritiæ quoque atque superbiæ non minus quàm hostium domitorem esse ostendit. Ful. lib.5.cap.1.

SALADINVS Sultanus Ægypti,humanum se præstitit erga Christianos hostes,qui in arce Cracholim(Deserti petra nũcupata) biẽnium obsidionem post amissas Hierosolymas Syriámque omnem sustinuerunt. Nam cùm vltra fames resistere eos prohiberet,non modò incolumes omnes seruauit : verùm filios quoque atque vxores in obsidione diuenditos,vt vnde alerentur haberent,redemit, ac præterea ingentem pecuniã dono dedit,& cum præsidio in Christianorum populorum fines remisit. Dignos arbitratus qui iuuarentur, quia fidelem fortémque operam præstiterant.Omnes enim,prout vel scelus vel bonitas ac fides,aut pœna aut munere dignos fecerat,prosequutus est.Ful.li.6.cap.5.

IDEM captis Hierosolymis,cùm eius pedibus Christianorum militũ, qui in prælio occiderant, lachrymis oppletæ vxores obuoluerentur, petentes vt pacto promissa pecunia,nihil prorsus habentibus remitteretur: non blãdo solùm alloquio lenire earum dolorem nisus est, verùm & pactam remisit pecuniam. Et præterea tam largè è suo eas donauit, vt haberent quomodo se in Christianæ ditionis loca recipere possent. Fulg.lib.5. cap.1.& Egnat.eodem.

Cùm TOTILAS in Italia Gothorum rex, vrbem Romam recepisset, quæ in primo Bellisarij aduentu à Gothis ad eum defecerat, accusata est Rusticiana,primi Theodorici,qui Gothos in Italiam traxerat, statuas euertisse.Quam ob causam cùm iratus in Rusticianã animaduertere Totilas decreuisset,posteaquam Boëtij cõiugem, & Symmachi sororem amborum fortuna virtutéque insignium virorum fuisse intellexit,qui falsis criminum suspicionibus à Theodorico interfecti fuerant: adeo apud ferum barbarúmque regem ratio valuit , ob iustum mulieris nobilissimæ dolorem,vt iram, qua percitus erat,in clementiam verteret.Idem.

IVLIANVS Imperator Nebridium Constantij(in quem ille bellabat) fautorem,ad genua sua prolapsum,paludamento protexit, ne à militibus interficeretur.

THVRISMVNDVS Gepidarũ rex, cùm ad eum se recepisset Alboinus,Audonis Longobardorum regis filius, vt ipsius manu equestrem honorem atque ornamenta acciperet,quæ barbarorum more, non nisi regis,& eius quidem externi,manu accipere fas erat: eum & dignitate militari, & muneribus mensæque honore dignatus est : quamuis sciret Alboini manu,in prælio Thurismundum filium , eodem quo ipse erat nomine,interfectum fuisse. Acerbissimis quinetiam verbis in suos inuectus est,qui eum interimere volebant.Fulg.lib.5.cap.1.

IVSTINIANVS Vitigem Gothorum regem,pop.Rom.acerbum hostem, cùm à Bellisario captiuus Constantinopolim missus esset , non vt hostem captiuúmque, sed vt amicum habuit. Patricia enim dignitate decoratum,magnæ eum prouinciæ Persis finitimæ præfecit , vbi honoris & opum plenus aliquod tempus vixit. Ibidem:& Egnat.lib.5 cap.1.

IVNIPERTHVS,Ariperti Longobardorum regis filius, prælio victũ Alchuinum Longobardorum , qui Tridenti ducalem honorem gerebat (nam ab ipso atq; ab eius patre rebellauerat: quanquam illud pater grauiter ferret)non liberauit modò , verumetiam ne sine principatu viueret,pro Tridento Brixiam dedit. Fulg.Ibidem.

LVDOVICVS Pius imperator,Theodulphum episcopum(cuius consilio & instinctu à Lothario filio regno pulsus,& in custodiam traditus erat)deprehensum,non immaniter tractauit : sed cùm aliquandiu in carcere habuisset,illæsum dimisit,nequaquam memor tantæ iniuriæ. Cranzius lib.1.cap.27.Metropolis.

Fuit Creta olim insula, iam inde à sui primordio ad hæc tempora maximè celebris,centúmque vrbium fama clara, vt nauigandi palmam primi sibi vendicent,Minoë rege autore militiæ à pueris assueti, disciplina domestica olim adeò illustres, vt Lacedæmonij ab iis vinẽdi legem sumpsisse credantur. Hæc insula à Metello domita, Cretici cognomentum illi tribuit.Floruit sub Constantinopolitanis principibus diu:quam tamẽ Sarraceni classe sæpe vastarint, donec recepta à Francis Venetísque Cõstantinopoli, Bonifacióq; Montferratensi principi ab Balduino imperatore sorte data,eam ille Henrico Dandulo duci, & Venetis cesserit. Ex hac insula varia & ampla documenta summæ Venetorũ humanitatis percipi possunt: siquidem eam sæpius rebellantem duces Veneti & Senatus ipse ita complexi sunt,vt deducta eò colonia patriciorum & plebeiorum Veneti sanguinis constans in fide ad hanc ætatem manserit. Calergis optimè de Veneto nomine meritis, & aliis Cretici sanguinis patricio ordine donatis Egnat.lib.5.cap.1.

Veneti Iaderę septies ab imperio Veneto desciscẽti veniã semper tribuerunt. Eiecerat illa suos prætores non semel: Pannonas iterum atque iterum, magnis propositis præmiis ad sese aduocarant , vario bellorum

genere Venetum nomen sæpe vexarant. ceciderat in acie fortissimè pugnans Ordelaphus Faletrus dux: steterant pro Genuensibus Ligustico bello, cum magna Illyrij parte: & tamen veniam petentibus semper data est. Quam tu igitur humanitatem, quam benignitatem Venetæ parem ex Græcorum Latinorúmque monimentis huic ipsi leges? Desciuère sæpius à Romanis finitimi populi, graue bellum cum Samnitibus per multos annos est gestum, Capuam infestissimam habuère, pro reliqua Italia sæpe à Romanis certatum legas: Carthago contra illos tria bella Punica, Sociale denique bellum perniciosissimum intra Italiæ fines sensit. Et quis non videat grauissimas pœnas à deuictis populis semper exactas? grauíque seruitutis iugo ciuitates oppressas? Cùm Veneti inuiti frequētius bella gesserint: de victis verò nulla alia trophæa, præterquam summæ benignitatis & lenitatis retulerint. Ibidem.

Nullum vnquam atrociorem, infestiorémque hostē expertæ sunt Venetiæ, Ligure ipso: qui quamuis ab Adriatico sinu longè distaret, maritimis tamen assuetus velis, Venetique nominis æmulus, non potuit non acerbissimus esse, dum partim suis, partim alienis auspiciis bellum contra Venetos gerit. Cæterùm vt alia in præsentia omittam, quis ignorat Andrea Contareno duce bellum ab hoc hoste Venetis illatum? vt de libertate ipsa certatum, non de imperij finibus videri possit. In hoc tamen ipso bello sic à Venetis postremò dimicatum esse, nemo non fateatur: vt summa humanitatis exempla in acerrimum hostem semper sint edita: & nouissimè ab Contareno duce recepta Clodia, quatuórque milibus captiuorum receptis, in publicámque custodiā datis, sic publicè priuatímque sunt habiti, vt non facilè crederes, eum esse Genuensem hostem, qui Venetam libertatem penitùs opprimere studuerit. Satis enim constat, & publicas ædes illis assignatas, vnde prospectus in canalem maiorem foret, & certatim à matronis singulis diebus allata iis cibaria: ægrotantésque, si qui forēt, vario medelæ genere leuatos esse, summa cura semper adhibita, ne quis neglectus esse omnino videretur. Ibidem.

PETRVS Lauretanus, totius rei maritimæ Venetæ imperator, ad Rapalitanum sinum victis Genuensibus, captiuum ipsum Franciscum Spinulam imperatorem, & reliquos ad se adductos adeò benignè excepit, vt illos penè fratres Lauretanos maiore aliquo periculo seruatos diceres. Excepta est quandoque Spinulę vox, admirantis tantam animi lenitatem atque clementiam, palámque dicentis: Neque in classe ipsa dum Venetias veheretur, neque in ipsa ciuitate asseruatum se captiuum esse. Tanta Lauretani in omnes Genuenses animi lenitas fuit. Ibidem.

FERDINANDVS Legionensis rex, cùm Alfonsi Lusitaniæ regis arma repelleret (multa enim de ipsius regno occupauerat) in prælio captum atque effracta coxa debilitatum, præter quàm quòd curari diligenter iussit, mensæ quoque honorem ei semper communem fecit: nullaque prorsus earum rerum quas offerebat, accepta, ijs dūtaxat quæ occupauerat receptis dimisit. Clementiæ profectò etiam Cn. Pompeio ac Paulo Æmylio, qua in Tigranem alter, alter erga regem Persarum vsus est, præferenda. Fulg. lib. 5. cap. 1.

ALPHONSVS XI. Castulonensis rex, cùm Algaziram vrbem à Mauris possessam obsideret, ad eum Maurus quidam, vt ipsum interimeret profectus, cùm captus esset: atq; habita disquisitione fateretur eius rei gratia se venisse, vt pro patria dijsque suis vitam offerret: nouis amictum vestibus, data insuper pecunia, multis cōtrà suadentibus, cum præsidio incolumē ad Belmarin regem misit, cui Maurus ille parebat. Is autem quanquam barbarus, non minus tamen Alphonso humanus, diu acerba voce increpitum, quòd tanti animi regem occidere tentasset, statim, ne pœnam euaderet, interfici iussit. Fulgosus libro quinto, capite 1. & Egnat. lib. 5. cap. 1.

FRIDERICVS Imperator victis in Hungaria Gunziensibus: Magnum, inquit, actum est opus. Nunc autem maius restat, vt scilicet vincamus nosmetipsos, atque auaritię & vlciscendi cupiditati frenos imponamus. Discant nostri principes victores, exemplo Friderici imperare animi affectibus, neque insolescere ob res ad nutum voluntatémque cedētes, parceréque victis. Æn. Syl. lib. 2. Comment. de rebus gest. Alph.

SIGISMVNDVS Romanorum imperator obiurgatus, cur fugatos hostes non insequeretur, & comprehensos occideret? Satis, inquit, vicit, qui hostes fugauit. Vtinam & huius exemplo monarchis nostræ ætatis persuaderi possit, magno cruore partam victoriā non existimari victoriā. Idē.

Hostes vrbem Genuam irruperant. Quos cùm virtute nouáque arte Thomas Fulgosus, Genuensium dux profligasset, atque inter captiuos Raphael Adurnus cum filio, qui aduersæ factionis princeps erat, item Orlandus Fliscus, Ioannis Philippi frater numerarentur, cum quibus erat Ludouicus quoque Fulgosus, cum multis eius factionis viris, verentibus omnibus ne quid durius in eorum vitā statueretur: Dux vt erat armatus, omnes data dextera, bono esse animo iussit, atque omnes aut equis aut pecunia donatos eadem ipsa hora liberauit. Qui quāquam, prudenti vir ingenio præditus, non ignoraret, sublatis ex aduersa factione principibus, quietius se in posterū regnaturum: tamen clementiæ nomē magna sua laude securitati suæ anteponendum duxit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

ALPHONSVS Aragonius Siciliæ rex, cùm vrbem Gaietā obsideret, Gaietani (vt in eiusmodi casibus nōnunquam fieri contingit) commeatibus parcere cupientes, imbellem ætatem mœnibus exegerant. Qui senum, mulierum atque puerorum numerus, cùm ab hoste minis saxísque ad vrbem repelleretur, neque eos Gaietani recipere vellent: inter duos hostes miseri mortales constituti, planctu & lachrymis omnia replebāt. Quam rem posteaquam Alphonso exploratores retulerūt, omnibus qui in exercitu erant suadentibus vt in vrbem repellerentur, quoniam non ipsorum culpa, sed Gaietanorum obstinatione, quorum sanguis ipsi erant, in eam necessitatem compulsi essent: ipse insigni rex pietate, contra omnium sententiam recipere eos constituit: affirmās, malle se regno depelli, quàm tot, præsertim innocentium hominum, cùm seruare eos posset, mortis attulisse causam videri. Itaque ad se vocatos omnes, cùm antè vnde alerentur dedisset, quò vellent se recipiendi potestatem fecit. Ibidem.

ALPHONSVS Aragonum rex victo captóque Arpario oppido, Marinum Bossam infensissimum hostem nactus, in cuius mortem vniuersus fermè exercitus coniurarat: eum à furore militum defendit: & non tantùm iam liberato bona restituit, sed in senatorum etiam numerum accepit, eiúsque filios in aulicorum suorum numero esse voluit. Panormita lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM cum in obsidione Stephati, centuriones ac milites qui maledixerant regi, post captam vrbem clementer tractasset, castigatus à suis, qui omnes morte damnandos indicarent: respondit, Se malle ex clemētia & humanitate erga hostes, quàm ex victoria laudem adipisci. Panor. lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.

Mirum profectò videri non debet, si Alphonsus tanta clementia præditus, hoc ab immortali Deo assecutus fuit, vt pari insignes bonitate hostes haberet. Æquum enim fuit vt humani ingenij bonitatísq; suæ, ceu optima ex arbore non insuauem fructum colligeret: neque iracundum atque superbum supercilium subiret, qui se tam humanè gerebat: quémadmodum ei cōtigit, cùm apud Gaietam nauali prælio victus, in Philippi Mariæ Mediolanensis ducis potestatem venit: Etenim non ceu captiuus ab eo habitus est, sed festis, ludis, conuiuiísque honoratus, sine precio dimissus est, qui se ingenti auri pondere libenter redemisset. Fulgos. lib. 5. capite primo.

LADISLAVS rex Pannoniæ, victum à se inimicum regnare permisit. Quinetiam si per proceres licuisset, oblatum recusasset principatum. Rauisius.

SIXTVS secundus pontifex, apud Valentinianum iuniorem imperatorem, & Placidiam eius matrē à Basso patricio maximis criminibus accusatus, posteaquam innocētiā suā purgauit, multis precibus lachrymísque egit, ne Bassus in exilium mitteretur. In quo cùm frustra laborasset, & post aliquod tempus Bassi mortui corpus Romam deportatum esset, Sixtus non modò honoris gratia funeri & sepulturæ voluit interesse, sed manibus quoque suis eum tumulauit. Fulgos. lib. 5. cap. 1.

ALEXANDER VI. pontifex suos aduersarios placabilitate ac patiētia deuinxit: neque de eorum qui ex numero patrum exulabant, quos sibi suspectos habuerat, dignitate quicquam detraxit. Volat. lib. 22. Anthrop.

RODERICVS Viuarius Hispanus, eques, Cid cognominatus, & humanitate & animo excellens, coacta satis grandi manu, ex amicorum propinquorúmque numero, præter eos quos ipse pecunia sua conducere potuerat, vt Mauris qui Hispaniæ partem Beticam occupabant, bellum inferret, dum ad Mauros tendit, & iam finibus regni Petri Arragonij regis appropinquasset, à Petro armis ac bello petitus est. Dum ingenti animo illatam vim à se propulsat, in prælio regem cæpit: ab eóque, quanquam ob acceptam iniuriam haud iniquè id posset, neque regni partem, neque pecuniam vllam exegit: sed liberè cùm dimisisset, ad Mauros, vt cœperat, iter continuauit. Fulg. lib. 5. cap. 1. & Egnat. lib. 5. cap. 1.

CLEMENTIA SEV MANSVETVDO BELLICA
erga hostes mortuos.

Exempla quædam suprà ex tit. Moderatæ victoriæ peti possunt, & sub tit. Sepulturæ.

DAVID rex Amalechitam hominem vita priuauit, quòd Saulum regem (quem semper infensissimum habuit) interfecisset: magno quidem hominum documento, regiam maiestatem nisi à rege violari oportere. Sab. lib. 8 cap 4.

Pari exemplo interfici iussit Banam & Rechabum, qui Remnonis fuere filij, quia Isbosetum Sauli filium dormientem peremissent, cùm nihilo is esset in Dauidem pacatiore, quàm pater fuerat, animo. Cæterùm plus valuit apud regem regum sanctitas, quàm infensissimi regis iniuria, quàm propria salus, qua nihil est homini natura optabilius. Sabell. lib. octauo, cap. 4.

IEHV rex Israel, hostem suum Iezabelem fecit ornari tumulo.

IVDAS Machabæus post prælium in Gorgiam commissum iussit, vt occisorum corpora sepelirentur. Rauis.

DEMETRIVS classe Ptolemæi (qui prius fuerat victor) superata, eorum qui ceciderant corpora sepeliri iussit, & captiuis omnibus liberum concessit reditum. Idem.

Lacedæmonum rex Cleomenes, cum Achæorum exercitum superasset, magnúmque hostium numerum interemisset, omnia ad sepulturam petita corpora libenter cōcessit. Inter alia autem cùm inuentum Lydiadis corpus esset, qui olim Megalopoli tyrannidem exercuerat, & sponte sua liberatis Megalopolitanis ad priuatam vitam redierat, purpurea veste tectum, corona quoque exornauit: magnóque apparatu à suis vsque ad Megalopolis portas deferri iussit, ne is patriæ sepulturæ honore careret, qui illi libertatem donarat. Fulg. lib. 5. cap. 1.

PAVSA

PAVSANIAS Cleombroti F. Mardonij corpus ad Platęas ad internecionem cæsi, contra Lamponis Æginetæ sententiam, violari vetuit. Pausanias in Lacon.

PYRRHVS, cùm diris auspiciis Argiuorum inuasisset vrbem, abscissúmque caput eius Alcyoneus Antigoni regis filius ad patrem lætus velut aliquod fœlicissimum victoriæ opus attulisset, ANTIGONVS correpto iuuene, quòd tanti viri subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret, humo caput sublatum, cauea, qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit, corporíq; Pyrrhi impositum honoratissimè cremandum curauit. Quinetiam filium eius Helenum captiuum ad se pertractum, & cultum & animum gerere regium iussit: ossáq; Pyrrhi ei aurea inclusa vrna, Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

Singulari māsuetudine ferunt HERCVLEM in hostes suos fuisse. Primū enim ante hominum memoriam facto fœdere, mortuos suis ad sepeliendum reddidisse: cum eo tempore parum occisos curare solerent, & canibus ad vescendum relinquere, vt inquit Homerus: Ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν. & κυσὶ μέλπηθρα γενέσθαι Ælianus de Varia historia libro duodecimo.

Persarum rex DARIVS, cùm ei caput Hystiæi Mylesij, quē hostem iudicauerat, allatum esset, non quemadmodum principū fortasse permulti agerent, ad alios terrendos, siue etiam insolentia elatus, contumelia aut dedecore affecit: sed statim lauari, & honorificè sepeliri iussit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

HANNIBAL Æmylij Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum iacere passus non est. Hannibal Tyberium Gracchum Lucanorum circumuentum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandauit, & ossa eius in patriam portanda militibus Rom. tradidit. Hānibal Marcum Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius quàm consideratius speculatur, interemptum, legitimo iure extulit. Punico quoque sagulo, & corona donatum laurea, rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiam inefferata barbarorum ingenia penetrat, orbósq; & truces hostium mollit oculos: hæc victoriæ insolentissimos spiritus flectit: nec illi arduum aut difficile est inter arma contraria, inter districtos comminus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium, hostilémq; sanguinem hostilibus lachrymis permiscet: atque etiam admirabilem Hannibalis vocem pro funeribus Romanorum ducum arbitria statuentis expressit: quia aliquanto ei plus gloriæ Paulus & Gracchus & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt: siquidem illos Punico astu decepit, Romana mansuetudine honorauit: vósque fortes ac piæ vmbræ, non pœnitendas sortitæ estis exequias. Nam vt optabilius in patria, ita speciosius pro patria collapsæ, supremi officij decus infœlicitate amissum, virtute recuperastis. Val. Max. li. 5. cap. 1. & Pont. cap. 15. de Magnif.

MITHRIDATES Ponti rex, cùm Thoridoracem Galatam, qui in ipsum conspirauerat, occidi iussisset, verētibus omnibus eum sepelire: adolescentula insignis, quæ eum deperibat, vt sepeliret corpus exorauit. Cū autē ab ea Mithridates (deducta enim ad ipsum fuerat) intellexisset, amore captam illud egisse, nō modò eius quam amauerat corpus illi ad sepulturam concessit: verùm vt funus quoq; exornaret, pecuniam impendit. Longè enim pluris hoc veri amoris humaníq; ingenij signum in puella, quàm illatam sibi ab Thoridorace iniuriam fecit. Fulgosius libro quinto, capite primo.

SENATVS Rom. Siphacem quondam opulentissimum Numidiæ regem captiuum, in custodia Tiburi mortuum, publico funere cēsuit efferendum, vt vitæ dono honorem sepulturæ adijceret. Val. Max. lib. 5. capite primo.

Consimili clementia in Persa vsus est. Nam cùm Albæ, in qua custodiæ causa relegatus erat, decessisset, Quæstorem misit, qui eum publico funere efferret, ne reliquias regias iacere inhonoratas pateretur. Ibidem.

L. CORNELIVS Cos. primo Punico bello, cùm Olbiam oppidum cæpisset, pro quo fortissimè pugnans Hanno dux Carthaginensium occiderat, corpus eius è tabernaculo suo amplo funere extulit: nec dubitauit hostis exequias ipse celebrare. Eam demum victoriam & apud deos & apud homines minimum inuidiæ habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuisset. Ibidem.

CN. POMPEIVS audita Mithridatis morte, qui desperatis rebus sibi ipsi vim intulerat, quanquam sciret eum obstinato nimis animo cōtra populum Rom. gessisse bellum, permultáq; cum hominū milia, per id tempus inermia, sine causa crudelem in modum occidisse: tamen plus miserādo eius casu motus, militaríq; disciplina, quæ sine modestia nomine suo indigna est, quā his quę permulta hostiliter Mithridates gesserat, inhonoratum relinquere corpus eius noluit, sed iussit vt regia pompa in regum sepulchris conderetur. Fulgo. libr. quinto, cap. primo, ex Dione Nicæo Pompeio.

MARCVS Antonius Marci Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit: quóque honoratius cremaretur, iniici ei suum paludamētum iussit, iacentem non hostem, sed ciuem seposito existimās odio. Cúmque interceptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eū animaduertit, hac antè præfatione vsus: Quid? tu ignorasti, cuius tibi viri sepulturam commiserim? Val. lib. 5. cap. 1.

C. IVLIVS Cæsar, cùm Cn. Pompeij caput ab Achille amputatum conspexisset, lachrymas tenere non potuit: atq; illud preciosissimis odoribus cremandum curauit. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

Quum CÆSAR rerum potitus, Pompeij statuas deiectas honorificè reposuisset: Cæsar, inquit Cicero, dum Pompeij statuas reponit, suas stabilit. Sentiens, illum hoc non in Pompeij gratiam facere, sed vt sibi clemētiæ simulatione fauorem apud ciues conciliaret, atque hoc pacto suum regnum constabiliret. Plut. in Rom. Apoph.

Catonis morte CÆSAR audita, & se inuidere illius gloriæ, & illum suę inuidisse dixit: patrimoniúmque eius liberis ipsius incolume seruauit: & herculè, diuinorum Cęsaris operum non parua pars Catonis salus fuisset. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

VESPASIANVS Augustus, quanquam Vitellius Sabinum eius fratrē occiderat, & filium vt occideret acerbè persecutus erat: tamen posteaquam vrbem attigit, Vitellij filiam magna cura ingentíque collata dote ac muneribus nuptui dedit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

AVGVSTVS cùm Alexandriæ gladium vidisset, quo seipsum M. Antonius peremerat, secessit: lachrymísque acceptum ex eius morte dolorem expressit, atque regio honore ipsum Cleopatrámque simul tumulari iussit. Ibidem.

Epigramma quod in laudem Pescennini Nigri fuerat ascriptum, illius statuæ ad viuum effictæ, quum præfecti suaderent eradendum, SEVERVS noluit, dicens: Si talis fuit, sciāt omnes qualem vicerimus: si talis non fuit, putent nos omnes talem vicisse. Ælius Spartianus.

Omnes clementia atque humanitate M. ANTONIVS philosophus imperator longè superauit. Id inter cætera in Auidio Cassio, eiúsque familia, cùm ab eo in Ægypto rebellasset, clarè ostensum est. Nam cum Senatus acerbè Auidium propinquósque eius persequeretur, Antonius pro eis tāquam amici forent, deprecatorem se semper exhibuit. In quo quoniam perdifficilè mihi foret verbis meis eam partem orationis exprimere, quam ad senatum habuit, hic eam, vt apertius eius bonitas agnoscatur, totidem verbis ponemus. Quod autem ad Cassianam rebellionem pertinet, obtestor vos Patres conscripti, vt deposita censuræ vestræ seueritate, vestram meámque clementiam seruetis. Neque per senatum aliquis occidatur, nec similiter in senatorem animaduertatur, nullius patricij sanguis effundatur, relegati redeant, & exulibus bona sua restituātur: atque vtinam multos qui interempti fuerunt, ad vitam reuocare possem. Nunquam in imperatore proprij doloris vltionem probaui: quæ quanquam persæpè iustissima sit, plerisque tamen semper acerba videtur. Quamobrem Auidij Cassij liberis, generóque eius atque vxori veniā dabitis. Sed quid veniam dico? quandoquidem nullus eorum errauit. Viuant igitur, sciántque tutos se sub Marco viuere. Viuant in sui patrimonij parte, vestibus auro atque argento vtantur: neq; opulenti modò, verumetiam tuti sint, tutò se ac liberè ad omnia conferre loca possint, vt per totum terrarum orbem in populorum conspectum vestræ meæque clementiæ verum atque certissimum exemplum præ se ferant. Neq; tamen hæc, Patres conscripti, magna est clementia, vt rebellium liberis atque vxoribus ignoscatur: peto igitur, vt omnes senatores equitésq; Romanos, qui insimulati sunt, mortis pœna, exilióq;, item formidine, odio, infamia iniuriáque liberetis. Date hoc præsentibus meis temporibus, vt in his coniurationibus quæ ad tyrannidem initæ sunt, eorum tantùm qui in tumultu ipso cæsi sunt, mors afferatur, neque vltra pœna progrediatur. Hęc oratio adeò Senatui populóque Rom. placuit, vt Marci clementiam miris laudibus efferrent. Fulg. lib. 5. cap. 1. & Pont. lib. 1. de Heroica fortit.

Simili clementia PERTINAX imperator erga Falconem imperium affectantem vsus est, cuius vitæ fortunísque vim vllam inferri nunquam voluit. Fulg. Ibidem.

Humanum se præstitit M. AVREL. Claudius secundus imperator erga Aureolum tyrannum, qui in Illyrico augustalem dignitatem nomēnque vsurpauerat. In prælio enim cæsum, sepulchri honore dignatus est, iuxta pontem quem ab ipso Aureolum nuncupauit: epigrammáque addidit, quo ostendebat, cupere vt adhuc viueret, modò id aduersus rempublicā non esset. Quàm humanum igitur aduersum amicos credere debemus fuisse, qui hosti mortuo hunc rerum verborúmque honorem tribuit? Ibidem.

PROBVS Imp. Arcadionem (quem singulari certamine pugnans confecerat) magnificentissimo honestauit sepulchro, cuius latitudo trecentos habebat pedes. Pont. cap. 12. & 15. de Magnif.

SIXTVS III. pontifex maximus, accusatus à Basso Romano patricio, interueniente etiam Placidia vxore, variis illi calumniis obiectis, omniū indicum sententiis, nulláq; penitùs variante, absolutus est. Quare quum Bassus ipse & vxor exulare ab vrbe cogerentur, primùm Sixtus id à iudicibus deprecatus est. Quod cùm obtinere non potuisset, mortuo non multo pòst Basso facilè ostendit animi sui benignitatem, & placabilitatem. Namque eius cadauer SIXTVS, quod in vrbem deferendum curauit, propriis manibus ornauit: varióq; genere supplicationum & precum vsus, ipsemet sepulturæ tradidit. Egnat. lib. 5. cap. 1.

FERDINANDVS Consallus Castulonensis comes, cùm decertaret cum Pictonum ac Tolosanorum comitibus, qui Nauarrensibus, quibus cum ipse graue bellum gerebat, auxilio venerant, manu sua obtruncato Tolosano comite, posteaquam ei arma atque alia spolia detraxit, ne minor in eo humanitas quā bellica virtus appareret, occisi corpus aureo pāno texit: & Tolosanis, qui eo bello capti erant, redeūdi ad suos potestate facta, collatam in viaticum pecuniam dedit: nulla re ab eis exacta, nisi vt iurarent principis sui corpus, quod eis tradebat, se Tolosam cum toto comitatu perlaturos. Fulgos. lib. 5. cap. 1.

HVGVTIO, Fagiola cognomento, qui Pisis ac Lucæ rerum potiebatur, cùm oppidum Montemcatinum obsidione premeret, atque inde

eum pellere Roberti Gallorum regis Florentinorum fœderati ac Florentinæ copiæ tentarent, quanquam in eo prælio filium Franciscum, insignem virtute iuuenem, Hugutio amisisset, tamen deletis hostium copiis, dum mortuos recenseret, inuentis corporibus Petri, qui Tempestatæ cognomentum ferebar, Roberti regis fratris, & Caroli eiusdem regis nepotis, ea cum filio Pisas detulit, magnóque pro eorum fortuna funere tumulauit. Plus enim mortuorum dignitati, quàm proprio dolori, vir ingentis animi indulgere voluit. Ibidem.

RENATVS Lotharingiæ dux, à Carolo postremo Burgundiæ duce pulsus, postea Heluetiorum fœderatorũ ope adiutus, eum ipsum à quo tam multa tulerat, prælio vicit & interemit. Caroli corpus in conferta cæsorum multitudine vix inuentum, ad Nanceium oppidum, in sancti Georgij fanum detulit, cum omni aula sua cum honoris gratia atratis vestibus prosecutus, tanto sacerdotũ facúmque numero adhibito, quantus tunc inueniri potuit. Signa doloris omnia edidit, dum hostem grauissimum efferret, qui in ipsum omnésque alios superbus atque immanis fuerat, non aliter ac si verum parentem suum extulisset. Ibidem.

LAMBA Auria cùm sub Admiralis nomine (dignitas ea est maritima) præfectus ingenti Genuensium classi, maiorem Venetorum vicisset, captiuas triremes cæsósque qui in mare è more proiiciebãtur, recensens, vt Andreæ Danduli, qui Venetæ classi primarius dux præfuerat, corpus inuenit, nõ tulit vt cum aliis in mare gregatim proiiceretur: sed ad Curzulam delatum, insigni funere tumulauit, ipséque cum nauiũ præfectis omnibus adesse voluit. Quod eo magis etiam mirandum fuit, quia ipse in eo prælio filium amiserat, quem gregatim proiici cum aliis iussit. Ibid.

SEVERITAS INIVSTA VINDICTA PERSEQVENDA VINDICTAE *iusta cupido.*

Tertia hæc pars est eius virtutis, quæ περὶ τὰς ὀργὰς versatur: Iustè scilicet iram persequi. Hanc communi vocabulo Seueritatem appellare possumus, siue vindictam capiat, siue actu vlciscatur quæ non aliter à crudelitate differt, quàm quo iustum ab iniusto, & mediocritas ab excessu. Iusta ergo vindicta hic est, intra suos terminos consistens, quantum, quomodo & quando oportet, siue publicè, siue priuatim, siue secundum leges & consuetudines, siue quocunque alio rationis modo fiat. Et certè in hac non minus laudis inest, quàm in ipsa mansuetudine. Quinimò si rectè rem perpendere volumus, quò difficilius est iram moderari efferuescentem, eò præclarius. Magni erat roboris Milo, qui stantem taurum loco mouere poterat: at longè maximi Tithermus bubulcus, qui taurum furentem in medio cursu violenter retinebat. Quod vel ipsius Milonis, quamuis æmuli testimonio constat, qui immani hoc facinore conspecto, O Iupiter, vnde nobis alter Hercules? exclamauit. Cuiusuis est in decliui loco seipsum lento passu incedentem, ne prolabatur, sustinere: at cùm labi cœperit, seipsum cohibere, non nisi robustissimi esse potest. Sic quoque omnino ab ira non commoueri, minus arduum est, quàm cùm semel irasci cœperis, iram ita moderari, vt constitutos à recta rationis limites non egrediaris. Virtus ergo hæc Seueritas est, aut certè ita à nobis in præsentia appelletur, quæ iis quibus oportet, & quantum oportet, irascitur, & vindictam debitam persequitur, siue publicè (quod in ciuilibus controuersiis ad magistratum & iudices, in bellicis rebus ad imperatorem & exercitum spectat) siue priuatim, vt qui priuatas iniurias vlciscuntur, manum pro manu, oculum pro oculo repetentes. Quorum vindicta moderata ad præsentem locum pertinet, quatenus animi tranquillitatem non vltra modum turbari sinunt. At quatenus alios iustè vlciscuntur, sic eadem exempla ad iustitiam correctiuam pertinebunt. His sic constitutis, ad exempla accedamus, primùm quidem Diuina, non quòd huius sint loci: sed vt tanquam regula & idea sint, iuxta quæ homines quoque vindictam suam moderari debeant. deinde etiam humana.

SEVERITAS DIVINA ERGA INIVSTOS.

Exempla ex tit. Iusticiæ religiosæ peti possunt: præterea etiam ex tit. Iusticiæ Ethicæ, eorum scilicet qui diuino iudicio condemnati fuerunt. Eo tamen ipso differt Seueritas diuina ab humana, quòd ab omni libera est affectu: neque propriè irascitur, sed metaphoricè tantùm irasci dicitur: propriissimè autem vindictam persequitur. Nos ea quæ Hanapus cap. 10. recenset, afferamus.

Neque Cain peccatum dissimulauit Dominus, sed damnationis sententiam in eum proferẽs, ait: Nunc igitur maledictus eris super terram. Cùmque operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus super terram eris. Gen. 4.

Mundo Deus non pepercit, sed ipsum penè totum diluuij inundatione deleuit. Gen. 7.

Quinque ciuitates propter peccatum Sodomiticũ, fœtente ignis conflagratione consumptæ sunt per angelos à Deo missos. Gen. 19.

Ægyptij persequentes filios Israel, submersi sunt iubente Deo, quasi plumbum in aquis vehementibus. Exod. 14. & 15.

Quia populus Amalech voluit impedire filios Israel euntes in terram promissionis, dixit Dominus ad Moysen, Delebo memoriam Amelech sub cœlo. Exod. 17.

Propter vitulum quem adorauerunt populi, ceciderunt vna die ad tria millia hominum. Exod. 32.

Egressus est ignis à Domino, & deuorauit Nadab & Abiu, filios Aarõ: qua arreptis thuribulis, ignem alienum & incensum desuper posuerũt, & coram Domino obtulerunt. Leuit. 10. Num. 3. & 26.

Iussit Dominus, puerum blasphemum extra castra educi, & ab vniuerso populo lapidari.

Cùm ortum esset murmur populi Israel, quasi dolentium præ labore, contra Dominum: accensus in eos ignis Domini, deuorauit extremam partem castrorum. Leui. 24.

Cùm Manna fastidirent, carnibus quas miserat Dominus adhuc existentibus in dentibus eorum: percussit Dominus populum plaga magna, propter ingluuiem & voracitatem, Num. 11.

Percussit Dominus Mariam lepra, quia locuta est contra Moysen. Num. 12.

De sexcentis millibus virorum, & mille septingentis triginta, qui numerati sunt, nullus intrauit terram promissionis, propter eorum murmur, præter Caleb & Iosue: sicut minatus est Dominus. Num. 14. & 26.

Ligna colligens in sabbato, fuit præcepto Domini lapidatus. Num. 15.

Terribili morte occidit Dominus Chore, & complices eius, terra eos deglutiente: eo quòd stetissent contra Moysen & Aaron, ac paulo pòst consumptis ducentis quinquaginta viris, qui pro eis offerebant incensum, xiiij. millia & septingentos homines, qui murmurauerunt aduersus Moysen & Aaron, ignis de cœlo combussit. Num. 16.

Hæsitantem ad aquas contradictionis Moysen, Dominus increpans puniuit. dixit enim ad ipsum, & Aaron: Quia nõ credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Num. 20.

Misit Dominus serpentes ignitos in populum, quia tædebat eos itineris & laboris, & dixerunt: Cur eduxisti nos de Ægypto, &c. Num. 21.

Achan filius Charmi, cum tota supellectile sua periit, quia abstulerat de anathemate Iericho. Iosue 7.

Pro peccato in vxore Leuitæ commisso, tota tribus Beniamin, exceptis sexcentis hominibus, fuit, Domino iubente, deleta, Iudic. 20.

Heli peccantes filios corripuit, sed leuiter: propter quod ipse in eis & cum eis punitus fuit. Quid ergo de illis, qui filios suos non corripiunt, sed incitant ad malum verbis & exemplis? 1 Reg. 2. & 4.

Quia Saul obtulit holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus fuit. Et quia regem Agag, Amalech, & greges ouium reseruauerat. 1. Reg. 13. & 15.

Item propter peccatum Saul & domus eius, quia occidit iniustè Gabaonitas, facta est fames in terra, & puniti sunt homines de domo eius etiam post illius mortem. 2. Reg. 21.

Adducente Dauid arcam Domini super plaustrum, Oza tenuit eam ne caderet, quia bos lasciuiens inclinauerat eam: & percussit eum Dominus propter temeritatẽ, & mortuus est ibi. 2. Reg. 6. & 13. Rationem assignãs, vel quia irreuerenter nudam tetigit arcam: vel quia iumentis vehi fecit, quæ hominum portari debuerat humeris. 1. Par. 13.

Septuaginta millia hominum peste mortui sunt propter elationẽ Dauid, quando fecit populum numerari. 1. Reg. 14.

Vir Dei, qui venit de Iuda, & nunciauit Ieroboam successionem officiorum sacerdotum eius, occisus fuit à leone, eo quód contra imperium Domini comedit panem in domo cuiusdam prophetæ. 3. Reg. 13.

Quadraginta duo pueri à duobus vrsis sunt lacerati, pro eo quòd illuserant Eliseo, dicentes: Ascende calue. 4. Reg. 2.

Grauiter punitum fuit Giezi, pueri Elisei peccatum, qui cum posteris lepra percussus fuit: eo quòd clam domino suo accepit munera, à Naaman à lepra per Eliseum curato. 4. Reg. 5.

Ozias rex Iuda cæpit thuribulum, & more sacerdotum voluit adolere incensum: statímque est orta ei lepra in fronte. 2. Par. 26.

Quia Ezechias ostendit thesauros suos nunciis regis Babylonis, amisit eos. 4 Reg. 20.

Populum dilectum tradidit Dominus in manus Nabuchodonosor, qui totam gentem crudeliter euertit, sanctam ciuitatem combussit, & templum destruxit. 4. Reg. 24. 25. Hier. 39. & 53.

Heliodorus fuit grauiter flagellatus, eo quòd viduarũ & pupillorum deposita voluit auferre. Machab 3.

Antiochus rex fuit tam graui plaga percussus, vt de corpore vermes scaturirent, odore etiam illius ac fœtore exercitus grauaretur. 2. Machab. 9.

Seruum nequam, qui noluit dimittere cum seruo cẽtum denarios, dominus iratus tradidit tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum. Matth. 10.

Inutilem seruum, qui traditum sibi non studuit multiplicare talentum, præcepit dominus eo quod habuerat spoliari, & in tenebras exteriores eiici. Matth. 25.

Fraus illa quam commisit Ananias, conscia Saphira vxore sua, graui fuit vltione punita. Act. 5.

HERODES vestitus veste regali, sedet pro tribunali: populus acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confestim ergo percussit eum angelus, eo quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit. Act. 12.

HVMANA SEVERITAS. VINDICTA. VINDICTÆ CVPIDITAS. *tam priuata quàm publica: eáque primùm religiosa.*

Iustitia διορθωτικὴ tota ad hunc locum referri potest, quatenus scilicet ad alios refertur, & in ira & vindicta (quæ iram sequitur) pro merito vnicuique id quod suum est tribuit, tam in malis, quã in bonis: & id quod inæquale est, per pœnam æquale reddit. Nos hoc in loco Seueritatis & vindictæ legitimæ exempla enumerabimus, respectu personarum: quæcunque tandem causa fuerit, quæ vltores ad vindictam sumendam impulerit: modò legitima sit, atque honesta. alioqui Crudelitas diceretur, & ad vitium in excessu referenda esset. Exempla quædam pete ex tit. Religiosæ iustitiæ, De pœnis impiorum.

HELIAS duos semicenturiones Ochoziæ regis, qui ad se comprehẽdendum missi fuerant, igne de cœlo excito consumi imprecatus est. Alij etiam prophetæ multis in locis diuinæ Scripturæ, idem fecisse videntur: nec tamen irati (vt equidẽ reor) sed Spiritu sancto inspirati, futurum prædicentes, non malum alicui exoptantes, aut vindictam appetentes. Itaque nec Helias iracundia commotus, sed numine actus, in impios illam sententiam dixit: quam ęquam iustámque esse, repentinus probauit euentus. Vel aliter dicendum est. Nõdum Christus aduenerat, propitiatio nostra, qui veteris legis rigorem nouæ benignitate mitigauit. Vnde, Dictum est antiquis, inquit, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderũt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & super iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nónne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Marul. lib. 5. cap. 2.

In noua lege Christi apostolus PAVLVS in facie cęsus, tã ægrè tulit, vt Ananiæ sacerdoti, qui ipsum cædi iussit, maledixerit, dicens: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et cùm argueretur iniuriæ in sacerdotem: Nesciebam, inquit, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptũ est enim: Principi populi tui non maledices. Ignorationem ergo officij excusauit, non hominis. Nunquid autem, si etiam sacerdos non esset, maledicere illi debuit? Nequaquam. Non igitur maledicendi affectu hoc dixit: sed Spiritu sancto concitatus, iniquo homini pœnam denunciauit. Vel etiam prophetauit: quia vetus Iudæorum sacerdotium percutiendum, hoc est repellendum erat nouo Euangelij sacerdotio. Vnde alij codices scriptum habent, Percutiet, non Percutiat: vt quod futurum erat significet, non quod ex indignatione futurum optet. Excusat autem, ne quis eo exemplo putet, in malo sacerdote dignitatis rationem non habendam, cùm etiam malo & dyscolo honor deferendus sit. Ibidem.

In Apocalypsi, sancti MARTYRES ad Deum clamant, Vsquequò Domine sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitãt in terra? Hoc quidem perinde est, ac si dicerent: Da iam, ne vltra sanguinem nostrum sitiant persecutores nostri: sed ad te conuertantur, & salui fiant. Itaque vindicta ista quam implorant, non impatientię est, sed amoris: non inimicitiæ, sed pietatis. Quod ita esse, vt dicimus, vel ex eo facilè persuaderi potest: quia plurimi inter illos, qui martyrum cruore manus fœdauerant, mox credentes, & ipsi martyrio coronati sunt. Quã gratiam nequaquam assecuti fuissent, si in eos aliter vindicandum sancti postulassent. Vnde Dominus in Psalmo, Vltus sum in eos. Quod exponens Augustinus: Vindicaui me, inquit, de inimicis meis. Quomodo me vindicaui? occidendo in eis errorem, suscitando fidem. Atque inde nos admonens, ait. Quãdo te persequitur homo, noli attendere illam figuram quam fecit Deus, aut animam illam quam spirauit Deus. Nõ te persequitur quod fecit Deus, sed malitia quam fecit homo. In malitiam ergo hominis irasci licet, in hominem non licet. Ibidem.

INNOCENTIVS primus pont. max. quum accepisset, Ioãnem Chrysostomum patriarcham Constantinopolitanum ab Arcadio imp. Eudoxię vxoris suæ astu in exilium, esse pulsum, Theophilúmque illi ab eodem principe subrogatum, Arcadium ipsum admonuit, vt Chrysostomum reuocaret: quod nisi quamprimùm faceret, tunc sese & Eudoxiam vxorem pro certo sciret, extra communionem Christianam eiectos esse, in ordinémque redactos. Egnat. lib. 6. cap. 3.

CONSTANTINVS pont. max. Philippum Constantinopolitanum principem malè de fide catholica sentientem, sæpius à se literis admonitum, neque vnquam resipiscentem, seuerè admodum vltus est. Nam & dignitatem imperij illi ademit, & ne inter reliquos principes imperatorésque nomen eius referretur, edixit. Verùm obstinationem illius, nimiãque animi pertinaciã non multo pòst diuina prouidentia vindicauit. Nã anno vno, mensibus sex imperij vix expletis, captus à suis, oculis primùm, tum vita priuatur. Ibidem.

GREGORIVS VII. pont. Henricus imperatorem redigere in ordinem nõ est veritus: quoniam ille venalia omnia sacerdotia passim haberet, nec sæpe à pontifice admonitus à tam graui scelere temperaret. Sed nec veniã petenti facilè tribuisset, nisi Henricus per mediã hyemẽ nudis pedib. ad Canusij portas, vbi tunc põt. agebat, zona insuper collũ pręcinctus, supplicem sese pedib. ipsius publicè spectantibus omnib. exhibuisset. Ibidem.

NICOLAVS pont. max. re cognita, quòd Lotharius Ludouici secundi imperatoris frater, iustam vxorem reiecisset, & alteram sua sponte superduxisset: adiuuantibus eum tamen præsulibus Coloniensi & Treuerensi ipsum Lotharium non dubitauit diris pontificiis persequi, & duos illos sacros præsules in ordinem redigere. Ibidem.

ALEXANDER 3. pont. max. Fridericũ Ænobarbũ imp. (quòd ille schismatis author fuisset, vno atq; altero pont. superinducto) dignitate primùm priuauit, anathematisq; spiculũ in illum & reliquos illi fauentes intorsit. Quem non prius à tanto crimine absoluit, quàm Venetias deductus, Alexandrum pont. ipsum, in vestibulo diui Marci, cũ principe & senatu sedẽtem salutare iusserit, pontificisq; ipsius pedes osculatus sit. Ibidem.

SEVERITAS PROFANA PRINCIPVM ET MAGISTRATVVM *profanorum erga subditos.* IVDICES *seueri.*

ÆACVM, RHADAMANTHVM, & MINOA poëtæ fecerunt iudices inferorum, ob incorruptam & inexorabilem seueritatem.

Bessus Bactriæ præfectus, Darium regem post Persicas opes triplici prælio afflictas, vinctum letaliter confodit. Hunc Bessum in potestatem redactum Alexander Magnus, vt documento esset omni posteritati, duabus arboribus ex aduerso multa vi in se à vertice inflexis religatum, dissectísque repentè vinculis atrociter laniauit, cacuminibus sua vi corpus in diuersa distrahentibus. Disphendonem Græci vocant id genus supplicij, à duplici fundæ excussione. Sab. lib. 8. cap. 4.

Q. MVTIVS Scæuola Tribunus plebis, nouem collegas qui duce Spurio Cassio ad dominationem aspirabant, viuos in æde, vbi factio tractabatur, cremauit: ausúsque fuit solus pœnam ille nouem collegis dare, quam & nouẽ Tribuni ab vno collega exigere timuissent. Val. de Seueritate: Volat. lib. 17. Anthrop.

T. MANLIVS Torquatus tam seuerus fuit, vt ideo consulatum recusarit: diceretque, Neque se populi vitia, neque illum seueritatẽ suam posse ferre. Plin. de Viris illustribus.

LIVIVS Salinator cùm inuidia peculatus reus ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus in voluntarium exilium iuisset, & vrgente Italiam Hannibale reuocatus, & in consulem creatus esset: postmodum cẽsor cum Claudio Nerone, omnes tribus, excepta Metia, ęrarias reliquit, stipẽdio priuauit, eò quòd prius eũ iniustè condẽnassent. Liuius lib. 29.

L. CASSIVS prætor Rom. tanta seueritate fuit, vt tribunal eius Scopulus reorum diceretur. Val. lib. 3. cap. 7.

CASTRVTIVS Castracanis, Lucæ olim dominus, Mensarium Lucensem, quòd vrbe decoquens effugisset, breuíq; pòst pactus cum suis creditoribus rediisset, deductum ad se coegit, in carcerémque coniectum iussit debitam omnem pecuniam dissoluere. Si quid verò superfuit, totũ in publicum redegit, eo perpetuo insuper exilio damnato. Egnat. lib. 6. cap. 3.

Franciscus Carmaniola præfuerat terrestrib. omnib. copiis Venetorum imp. nomine eo bello, quod cũ Philippo Mediolanensium duce gerebatur. Et erat alioqui is obscurissimo inter Allobrogos loco natus, Philippo principi antea quã gratissimus. A quo postea, illius insidias vitabũdus transfugiens ad Venetos, donatus ab iis summa dignitate, receptáq; vxore & rebus omnib. suis à Philippo, Venetis id contendentibus, quum aliquandiu bene his operã pręstitisset, mox mutata sententia, miniméq; memor tot beneficiorũ quot acceperat, de Venetis deserendis, Philippóque principi inseruiendo cogitare cœpit. Quare Veneti sæpius ab eo delusi, variisque casib. vexati, literísq; etiam eius interceptis, quum eũ Venetias euocassent, aliud certè simulantes sese agere, carceri publico includitur: confessúsq; omnia, inter geminas columnas edicto publico cæditur. Egn. lib. 6. cap. 3.

Interfectus fuerat Venetiis noctu domum rediens decemuiralis consilij præfectus, præeunte funali, dũ ex senatu rediret, haud longè ab ędib. suis: Hermolaus Donatus, vir ea tẽpestate longè clarissimus, nec de cædis autore satis constabat. Mouit id facinus tam inexpectatũ vniuersæ ciuitatis,

animos supra quàm quod credi possit: quum non multo pòst Iacobus Foscarus Ducis filius in suspicionem venit, quasi eo conscio, vel potius autore tam atrox consilium initum sit. Nec deerant causæ, quæ id ipsum comprobare viderentur. Captus igitur, grauissimísque tormentis diu tortus, quum interdum pater ipse filij clamores exaudiret (sunt tamen, qui idipsum dedita opera factum suspicentur) nihílque vnquam confessus in perpetuum exilium est missus, vnde reuocari nunquam potuerit, vt Venetias inuiseret. Tametsi non defuerint, qui cædis patratorem detulerint, qui tamen ex humanis discessisset. Æstiment igitur lecturi secum, inclinéntque animum in quam partem malint: illud certè non poterunt non vehementer admirari, neque principis patris authoritatem pro filio quicquam valuisse, neque tam immanis facinoris satis exploratum iudicium fuisse. Egnat. lib. 5. cap. 8.

Boso, Arelatensium rex vltimus, episcopo Arelatensi in vigilia natalis Christi, ne officium in ecclesia nocturnum celebraret, nisi ipso præsente, mandauit. Episcopus autem quum aliquandiu cum sacerdotibus aduentum regis frustra expectasset, vltra horam consuetam, prosequutus est sacra. Superueniens autem rex cœpit expostulare cum episcopo, cur non expectasset? commotúsque, dedit episcopo alapam in medio populi. Episcopus autem, quum regem apud Othonem primũ Romanorum imperatorem accusasset, mandauit Otho, vt ob tantum facinus decollaretur. Archiepiscopus verò cum reliquis episcopis & principibus cum intercederent apud Imperatorem, vt hoc sanguinis iudicium suspenderetur, ait rex: Non est æquum, vt rectum Imperatoris iudicium executioni non mandetur, cum non conueniat vel vllum verbum ex principis ore frustra egredi Sebast. Munst. lib. 2. Cosmog. de Arelato.

SEVERITAS POPVLI ET SVBDITORVM ERGA *magistratum & principes.*

Exempla pete ex tit. τυραννοκτόνων.

Violenter se in pectore vniuersi Pop. Rom. odium gessit, eo tempore quo suffragiis eius dedicatio ædis Mercurij M. Plethorio primipili centurioni data est: præteritis consulibus, Appio Claudio, quòd obstitisset quo minus ære suo alieno succurreretur: & Seruilio, quòd susceptam causam suam languido patrocinio protexisset. Negas efficacem iram, cuius hortatu miles summo imperio prælatus est? quæ quidem non proculcauit tantùm imperia, sed etiam gessit impotenter. Val. Max. libro 9. capite tertio.

M ANLIO Torquato amplissimam & gloriosissimam ex Latinis & Campanis victoriam in vrbem referenti, cùm seniores omnes lætitia ouantes occurrerent, iuniorum nemo obuiam processit, quòd filium adolescentem fortissimè aduersùs imperium suum præliatum, securi percussum occidisset. Miserti sunt æquales, nimis asperè puniti: nec factum eorum defendo, sed iræ vim indico, quę vnius ciuitatis & ætates & affectus diuidere valuit. Ibidem.

Cum inter Marium Syllámque ciuili bello decertaretur, C. Fabius, Africæ proconsul, quia crudelem se auarúmque nimis præstabat, cõpulsis ad arma populis, viuus in palatio combustus est. Fulg. lib. 9. cap. 10.

Cùm Adrianus ciues Romanos, qui Vticæ erant, sordido imperio vexasset, idcircóque ab iis viuus esset exustus, nec quæstio vlla in vrbe hac de re habita, nec querela versata est. Val. Max. lib. 9. cap. 10.

H ELIOGABALVM populus Rom. ita odit, vt mortuum proiecerit in cloacam, mox in Tyberim cum matre Scenide traxerit, cuiúsque nomen è publicis monumentis eraserit. Rauis.

Belisarius, cum bello Gothos persequeretur, & necessariis de rebus in Siciliam esset profectus, exercitui, quem in vrbe reliquerat, Cononem præfecit. Huius insignis erat auaricia. Frumenta enim mercatus, quę militibus diuideret, aucto in dies singulos precio, cariora faciebat, vt ea ratione militum stipendia facilius deuoraret. Quod cùm Milites perspexissent, neque amplius ferre eam rem possent, seditione mota, eum interemerunt. Imperator autẽ ipsorum, cùm rem, atque simul eius causam intellexisset, nequaquam pœna dignum esse putauit Fulg. li. 9 capite 10.

Iulianus Imperator non castigandum duxit Alexandrinum populum, quòd per vrbem pedibus tractum Georgium Alexandrinę vrbis episcopum, viuum combusserat: quia Constantio rapaci principi, nouas onerum imponendorum rationes & commenta proposuerat: ita enim incommoda, quæ per eum tulerat, vlcisci Alexandrinus populus voluit. Ibidem.

R AVENNAS populus, Ioannis Lemigij, Rauennatem exarchatum sub Phoca imperatore gerentis, auariciam atque libidinẽ vltus est, Ioánem ipsum cum coniuge atque iudicibus impunè interemit. Ibidem.

V ENETI, qui alioquin modestos se ac quietos præbere visi sunt, dolore compulsi, nonnunquam acerbos se vltores ostenderũt, occiso Horleo, qui etiam Vrsus Hippatus dictus est, Veneto duce, quòd is nimium crudelis habebatur: item cùm Gallam patria atque luminibus priuarũt, qui Horleo sicuti in ducatus dignitate, ita etiam in vitiis successerat. Dominicum quoque Moengareum, ipsorum ita in crimine, sicut in ducatu, successorem, pari supplicio affecerunt: neque de eorum aliquo pœna sumpta fuit, qui in ipsos principes manus iniecerunt: adeò iustè omnes vindictam de scelere sumptam putauerunt. Ibidem: & Egnat. lib. 9. c. 10.

Marinus Falerius clarissima ortus familia, dux insuper absens à Venetis declaratus, tantum sceleris animo concepit, vt cum popularibus quibusdam plebeiisque hominibus coniurationem inierit de libertate ipsa opprimenda, tyrannidéque inuadenda. Id quod quum Senatui Veneto certum exploratúmque fuisset, statim eo capto, crimenque suum confesso, supplicium publicè sumptum est. Vniuersa enim ciuitate spectante, in summo scalarum Palatinarum gradu ceruices illi abscissæ sunt, bonáque publicata: decretóque publico cautum, vt in maiori comitio, vbi ducum omnium pictæ spectantur imagines cum suis elogiis, nulla eius extaret effigies: tantúmque atro colore locus illius obscurus esset, ea cum subscriptione, quæ testaretur Marini Faletri locum esse vacuum, cui duci propter ingens in patriam scelus amputata publicè ceruix foret. Egnat. lib. 6. cap. 3.

Alexandriæ (quæ vrbs transpadana est in cisalpina Gallia) Ludouico Sfortia Mediolanensem ducatum administrante, cum Petrus Vespucius Florentinus eques, eo tempore transpadanæ oræ præfectus, vocata ciuiũ parte altera, repentè captum Carrantem Vissauegiam molendinarium à palatio suspendisset, adeò ad vltionem Carrantis propinqui exarserunt, vt quinque ex eis manè palatium ingressi, factione eorum vires præbente, cùm non satis duxissent præfectum occidere, eius corpus à cubiculi fenestra suspenderint: & mox facinore patrato, impunè ab vrbe illa profugerint. Fulg. lib. 9. cap. 10.

SEVERITAS CIVIVM ERGA SE INVICEM, EXTRA BELLVM.

Trib. pleb. M. Fuluius, ad populum de Tusculanis retulit, quòd eorum consilio Veliternos Priuernatésque rebellaturos diceret. Qui cum coniugibus ac liberis squalore obsiti, cùm supplices Romam venissent, accidit vt reliquis tribubus salutarem sententiam secutis, sola Pollia iudicaret, oportere publicè eos verberatos securi percuti, imbellem multitudinem sub corona vænire. Quam ob causam Popilia tribus (in qua plurimum postea Tusculani in ciuitatem recepti potuerunt) neminem vnquam candidatum Polliæ tribus fecit magistratum, ne ad eam vllus honor suis suffragijs perueniret, quę illis vitam ac libertatem quantum in ipsa fuit, ademerat. Illam verò vltionem & senatus & consensus omnium approbauit. Val. Max. lib. 9. cap. 10.

B OEMVNDVS Teupulus, patre Venetorum duce (ex Sarmatica tamen matre) genitus, in patriæ libertatem penitùs tollendam conspirauit: eo animo, vt duce patribúsque interfectis, ipse sibi tyrãnidem astrueret, cum aliquot nobilibus, qui tantam eius amentiam & insaniam secuti sunt. Dedit autem meritò pœnas, dederunt & reliqui tanti furoris comites, quando aliis aut subitò securi percussis, aut in exilium missis, ipse quoque Boemundus exulauit, donec meritò sit ab externis hominibus interfectus. Celebris est adhuc Venetiis tam nefandi sceleris memoria, multis patrum indiciis: vel quòd primùm inuisitur à principe patribúsque, & ab vniuersa ciuitate diui Viti templum: vel quòd ipsius Boemundi ædes, quæ in Riualtina sede positæ erant, in publicum macellum sint conuersæ, in hunc vsque diem: vel quòd decemuirale consilium, à quo publicæ dignitatis & libertatis fastigium penderet, tum primùm institutum sit: cautúmque etiam, ne in centum annos vni familiæ, quæ cum ipso Boemundo conspirarat præcipuè, aditus ad decemuirale esset: vel denique, quòd familiæ ipsius insigne sit penitùs immutatum: hoc etiam decreto addito, vt nemo Venetiis, aut in albo, aut quouis alio loco nomen ipsius Boemundi retineret. Egnatius libro sexto, capite octauo.

SEVERITAS PRÆCEPTORVM ERGA DISCIPVLOS.

A NTISTHENES philosophus interrogatus quamobrem tam seuerus esset discipulorum obiurgator? Et medici, inquit, erga ægrotos. Significans, se vitia obiurgare, non homines. Laertius libro sexto, capite primo.

SEVERITAS PARENTVM ERGA LIBEROS.

Magna est parentum erga liberos mansuetudo, eáque naturalis: maxima ergo legitimæ seueritatis laus esse debet, quæ naturalem affectum iusticiæ & æquitati parere cogit. Quapropter huius rei exempla quædam referamus, præsertim cùm cæteri quoque Exemplorum scriptores titulum istum κατ' ἐξοχὴν *tractauerint.*

Ille

Ille summus & verus omnium parens D EVS, qui cœlum & omnia creauit, omnia gubernat, mundo adhuc recenti documentum dedit insigne, atque omni posteritati ad exemplum conducibile: Parentum præcepta, quibus vitam debemus, contemni non oportere. Protoplastum & Euam, quam illi iunxerat, deliciarum regione depulit, moriendi necessitatem iniunxit: quia diuino præcepto aberrassent, nec ligno abstinuissent quod fuerat ambobus interdictum. Peperit illis breuis voluptas perpetuum laborem: & qui beatam à principio vitam omniúmque malorum expertem fuerant sortiti, iam inde tristem & ærumnosam egêre. Sabellicus lib. 3. cap. 3.

Quàm seuerum in transgressu legis est P ROTOPLASTES expertus parentem illum omnium (nam tum duo tantum in terris erant, quorum pater dici potuit) tam ipse? nec minus fuit in Cain filium: quem post Abelis cædem adeò est auersatus, vt omnis sanctioris disciplinę reliquerit expertem. Enimuerò cùm ipse veræ pietatis negligens fuit, tum qui ab eo procreati sunt negligentissimi: subiissétque breui veritatis obliuio, cùm mundus adhuc recens esset, nisi cætera Adami soboles sanctius instituta, totum id arcanum in posteros propagasset. Ibidem.

Cùm S AVL primus Iudæorum rex, prælio Palæstinos insequeretur, qui Ionathæ filij virtute in fugam conuersi erant, edicto prohibuit, Ne quis in exercitu cibo vsque ad noctem vteretur: vt sine intermissione omnes, dum territi essent hostes, persequerentur. Cùm autem Ionatha valde defessus, fortè oblatum sibi fauum mellis inuenisset, paruámque ex eo partem sumpsisset: id Saul vt fortibus resciit, Ionatham comprehẽsum morte affecturus erat nisi orto tumultu, Iudæi eum è patris manibus eripuissent. Fulg. lib. 5. cap. 8. ex 1. Regum 14.

Cùm P AVSANIAS Lacedęmonius cum Persis aduersus patriam conspirasset, atque ad vrbẽ ab Ephoris reuocatus, animaduertisset illud agi, vt comprehenderetur, in Palladis asylum confugit. Vnde cum religio esset vi eum deducere, decreuerunt Ephori in eo inclusum ad mortem fame compellere. Quod eius mater cùm intellexisset, ipsa prima esse voluit quæ ante alios ad obstruendas templi fores materiam perferret. Hac enim seueritate in filium pro patria vti voluit: quanquam vnicum illum haberet, & is præter multas virtutes quibus ornatus erat, multas quoque insignes victorias peperisset. Fulgos. Ibidem.

Non minus seuera erga filium D AMATRIA Spartana fuit: quæ cùm accepisset eum vili atque ignauo animo esse, domum reuersum manu sua occidit, ac Græcis versibus sepulchro inscripsit:

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonio. Ibidem.

A LIA erga filium similiter seuerissima fuit Spartana fœmina, quæ ex prælio redeũtem filium, cùm interrogasset, Quo in statu res patriæ versarentur? & is, Mortuos omnes, respondisset: arreptam tegulam, in filij caput ita impegit, vt eo vulnere moreretur. dixit enim: Ergo te solum ad rẽ tam sæuam tristémque nuncium miserunt? Ibidem.

Cùm Spartam venissent Chij quidam exules, apud Ephoros Pædaretũ gubernatorẽ accusantes, id vt mater eius T ALANTIA intellexit, Chios ipsos ad se vocauit: diligentérque audita eorum querimonia, cùm haud iniustè queri arbitraretur, ipsa de filio statuere voluit. Ad quem literas in hæc verba scripsit: Aut te melius in Chij administratione gerito, aut istic perpetuò maneto, neque domum redeas. Quòd si Spartam redieris, non est quòd vltra te victurum speres. Ibidem.

Epaminondas Thebanus filium suum Stesimbrotum, quem contra Lacedæmonios eduxerat, quòd præter mandatum se absente cum hoste dimicasset, licet victor euasisset, securi percussit. Plutarchus in Parallelis.

Alexander cum reprehenderetur ab vxore, quòd filium inutilem abdicasset, diceretque ex eo esse, cum expuisset in terrã: Et hoc inquit, ex me est, at non vtile. Maximus serm. 23.

A RISTIPPVS philosophus, incusante quodam, quòd filium sic abiiceret, negligerétque, quasi ex ipso natus non esset: Annón, inquit, & pituitam, & pediculosè nobis natos, velut inutiles, procul à nobis abiicim⁹? Sensit, eos non habendos pro filiis, qui nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui commendent, nisi quòd ab ipsis progeniti sint. Ita senex in Comœdia: Tantisper te volo meum, dum id quod te dignum est facis. Laert. lib. 2.

T ENNES rex Tenediorum, cùm legem promulgasset, vt si quis adulterium deprehendisset, securi trucidaret: intellexit mox filium in hãc legem peccasse. Vnde cum rogaretur, quid faciẽdum esset? Lege vtendum, inquit: securi percutiatur. In altera ergo parte numismatum suorum securim insculpsit, in altera viri atque mulieris faciem ex vno colle dependentem. Eo factum est, vt de summa seueritate diceretur, Tenedia securi percussum esse. Historiam recitat Heraclides in Polit. paulò verò aliter Pausanias lib. 10.

Z ALEVCVS legem statuit Locris, vt in adulterio deprehensis eruerẽtur oculi. Quam legem quum filius eius temerasset, eidem oculum excuti iussit, & sibi alterum, vt eam probaret firmius. Hinc Zaleuci lex abiit in prouerbium, de tetrico nimis edicto.

Mithridates rex Ponti, filium suum catenis vinctum mori coegit, quòd eius opera Bosphoranos & Colchos putabat defecisse.

R EX Thracum (nomen alius dicat) cùm Xerxes Græciæ bellum inferret, aufugit in montem Rhodopẽ. Sex verò suis filiis consulebat, ne contra Græciam arma caperent. Verùm cùm illi patri morem non gessissent, reuersis omnibus oculos eruit. Ælian. lib. 5. de Var. hist.

R HACONES genere Mardus, cùm quatuor haberet filios, ex his Cartomem natu iuniorem, degenerem ac omnis disciplinę impatientem, nõ apud iudices tantùm, sed apud Artaxerxem etiam regem accusauit: ac vt filium disciplinam parentum respuentem, mortis supplicio grauissimo condemnarent, obnixè orauit. De hoc plura leges titulo de Educatione liberorum sub parentibus, ex Æliani lib. 1. de Var. hist.

I VNIVS B RVTVS post exactos reges primus Romanorum consul, cùm audiuisset Titum & Sempronium filios ad recipiendos in vrbẽ Tarquinios (quorum nomen iam inuisum & abominale erat) cum Aquiliis & Vitelliis coniurasse, virgis cædi, & deinde in omnium conspectu securi percuti iussit. Filiorũ preceps & lachrymas (sed magis fortunã patris) populus miseratus, amborũ vitã paratus erat patris merito condonare. Perstare Brutus, nullo modo patrio affectu in ore eminente, filiósque ad palum deligatos de more cædi iubet. Conuerterant illi multitudinis in se oculos: sed plures omnino consulis vultum, in medio filiorum cruciatu velut mente alienatum, cum stupore intueri. Illi itaque virgis cæsi, & securi percussi sunt. Liuius lib. 1. Dec. 1. Dionys. lib. 5. Florus lib 1. cap 9. Val. Max. lib. 5. cap. 8. Plutar. cap. 20. 21. 22. Parall. Eutrop. lib. 1. cap. 11. Oros. lib. 2. cap. 5.

M ANLIVS Torquatus in bello Latino consul, filium suum Titum Manlium, quòd prouocatus à Gemino Metio Tusculanorum duce ad dimicandum descendisset, gloriosam victoriam & speciosa spolia reportãtem, abripi à lictore, & in modum hostiæ mactari iussit. Liuius libro 8. Dec. 1. Florus lib. 1. cap. 14. Plutar. cap. 37. Parall. Val. Max. lib. 2 cap. de Militari discipli Gell. lib. 9. cap. 13. Plin. cap. 26. de Viris illust. & Eras. in prou. Manliana imperia. Sabel. lib. 3. cap. 3.

T. Manlius Torquatus, præter egregia facta, iuris quoque ciuilis & sacrorum pontificalium peritissimus, cùm ad senatum Macedonia de filio eius Decio Syllano, qui eam prouinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset, à P.C. petiit, ne quid antè de ea re statuerent, quàm ipse Macedonum filiíque sui causam inspexisset. Summo deinde tum amplissimi ordinis, tum etiam eorum qui questum venerant, consensu, cognitione suscepta, domi concedit: solúsque vtrique parti per totum biduum vacauit. ac tertio die plenissimè diligentissiméq; auditis testibus, ita pronunciauit: Syllanum filium meum pecunias à sociis accepisse, cùm mihi probatum sit, & Rep. & domo mea indignum iudico, protinúsque è conspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia perculsus Syllanus, lucem vlterius intueri non sustinuit, suspendióque se proxima nocte consumpsit. Peregerat iam Torquatus seueri & religiosi iudicis partes, satisfactum erat Reipub. habebat vltionem Macedonia: potuit tam verecundo obitu filij, patris inflecti rigor. At ille neque adolescentis exequiis interfuit: & cùm maximè funus eius duceretur, consulere se volentibus vacuas aures accommodauit. Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate, conspicua imago posita erat: prudentissimóque viro succurrebat, effigies maiorum suorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solùm legerent, sed etiam imitarentur. Val Max. lib. 5 cap. 8

A. Posthumius Tubero, magister equitum, & in bello contra Volscos à Q. Cincinnato consule Dictator dictus de eisdem triumphauit. Quam victoriam funestauit mors filij, viri magna virtute: quẽ, quòd contra iussa eius fœliciter, data occasione, cum hostib. pugnasset, securi percussit. Ex Liuio lib. 4. Dec. 1. Val. Max. lib. 2 de Mil. discip.

M. Fabius Cæsar. Fabium Buteonem filium, furti insimulatum, capitis reum egit, & vltimo supplicio affecit. Alex. ab Alex lib 3 cap. 13.

S P. C ASSIVS, filium, qui Trib. plebis Agrariam legem primus tulerat, multísque aliis rebus populariter animos hominum amore sui deuinctos tenebat: postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum & amicorum consilio, affectati regni crimine domi damnauit, verberibúsque affectum necari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit. Val. Max. lib. 5. cap. 8. & Sabel. lib. 3 cap. 1.

M ARCVS Scaurus, lumen ac decus patriæ, cùm apud Athesim flumẽ impetu Cymbrorum Romani equites pulsi, deserto cõsule Catulo pauidi vrbem repeterent: consternationis eorum participi filio suo misit, qui dicerent, se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, quàm ipsum tam deformis fugæ reum visurum. Itaque si quid modò reliquum in pectore verecundiæ superesset, conspectum degenerati patris vitaturum. Recordatione enim iuuentæ suæ, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset filius, admonebatur. Quo nuncio accepto, iuuenis coactus est fortius aduersus semetipsum gladio vti, quã aduersus hostes vsus fuerat. Val. Max. lib. 5. cap. 8. & Plutarch. cap. 72. Paral.

Nec minus animose A. F VLVIVS, vir Senatorij ordinis, euntem filium in aciem retraxit, quàm Scaurus è prælio fugientem increpuit. Namq; iuuenem & ingenio, & literis, & forma inter æquales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinæ secutum: inque castra eius temerario impetu ruentem in medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit: prefatus non se Catilinę illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. Licuit, donec ciuilis belli rabies præteriret, inclusum arcere. Verũ illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur. Val. Max. lib 5. cap. 8.

Augustus Cæsar, cùm Iulias filiam & neptem, item Agrippam (quas tria carcinomata sua vocare solebat) nocturnis comporationibus indulgere, & se Iulio Antonio atque aliis prostituere turpiter intellexisset: iratus filiam in Pandateriam insulam Campaniæ proximam relegauit, scortatoribus interfectis. At cùm populus orasset vt eam restitueret, respondit: Citius ignem aqua cõmisceri. Itaque populus multum ignem in Tiberim proiecit: sed tamen nihil profecit. Tandem tamen impetrauit, vt ex insula in continentem reduceretur. Dion in Augusto.

C AROLVS Caluus, Gallorum rex atque imperator, luminibus filium

Carnolem priuauit: quia iam ad Diaconatum euectus, abiicere ordines sacros, ádque rebellionem spectare videbatur. Fulg.lib.5.cap.8.

TREBELLIVS Bulgarorum rex (ea gens est Scythica, quæ cum Cõstantino fœdere inito, vtrasque Danubij ripas insedit) sacris Christianæ legis initiatus, relicto regno ei ex filiis qui natu maior erat, in monasterium se condidit, vbi austerè viuendo Deo inseruiebat. Sed post aliquod tempus, præter alia quæ in regni administratione perperàm filius agebat, intellexisset, eum ad pristinam decreuisse gentilitatem redire: adiecto religioso cultu, arma resumpsit, filiúmque regno oculísque simul priuauit. Et cùm postea minori natu filio, in quo plus obsequij cernebatur, regnum dedisset: ad monasterium, vnde discesserat, reuersus est. Fulg. ibidem: & Sab.lib.3.cap.3.

CONSTANTINVS VI. Rom. huius nominis imperator, cùm imperium vnà cum IRENE matre suscepisset, decem annos cum ea regnauit. Postea cùm eam expulisset, & illa à ciuibus in pristinum statum restituta, sola per tres annos imperio præfuisset: de vltione cogitans, filium Constantinum effossis oculis in carcerem coniecit, vbi etiam extinctus est. Volat.lib.23. Anthrop.

CANDIANVS dux, cùm filium Petrum in principatus societate cooptasset, natu medium: ille neque patris gratiam tantam, neque authoritatem veritus statim patri ita aduersari cœpit, vt inita cum facinorosis quibusdam societate, sese vnum principem neglecto parente constituere vellet. Quod cùm graue illi in primis accidisset, seniorúmque omnium ordo in parentem propensior esset, coactus tandem est pater filium, quẽ sibi cooptauerat, reiicere, & indicto exilio, ita cum finibus omnibus Venetis expellere: vt omnes iureiurando sese astringerent, nunquam se esse passuros, vt aut viuente patre, aut mortuo illum Venetias reuocarẽt. Egn. lib.5.cap.8.

Affixerat ANTONII Venetij, ducis Venetorum, Ludouicus filius amicæ suæ ianuis (cui etiam iam antea in via publica occurrenti osculum inuitæ obtulisset) bubula cornua numero non pauca: indignatus illi, quòd sese illa asperuari videretur, quem ducis filium plebeij sanguinis puella expetere debuisset. Ea res ad aduocatores delata, adeò graue insolénsq; facinus est visum, vt Quadragintauiralis consilij authoritate captiuum Ludouicum carceri incluserint, insupérque damnatum perpetuò asseruandum curarint. Pater verò Antoninus grauiter illum ęgrotantem quũ accepisset, móxque etiam pestilenti morbo laborantem intellexisset, tametsi vniuersa ciuitas soluendum esse filium tanto supplicio duceret, nunquam tamen adduci potuit vt solueretur filius. Quæ res postea mortuo filio in summam totius ciuitatis admirationem omnium animos cõuertit. Egnat.lib.5.cap.8.& lib.6.cap.3.& Fulg.lib.5.cap.8.

MICHAEL Donatus, patricius Venetus, filium suum indulgentius in omni vitæ parte agentem, sæpius admonens vt resipisceret: victus tandem nimia adolescentis pertinacia, publico eum carceri includendum curauit. Quem aliquandiu ita asseruari voluit, vt nunquam eum inuiserit, cibaria tantùm consueta ad eum inferri passus. Mox tamen amicorum precibus admonitionibúsque victus, quum præfecti carceris etiam multa bona de eo nunciarent, tandem dimisit liberum, domúmque secum habuit. Egnat.lib.5.cap.9.

Eodem animo, quo Michael Donatus in filium, plebeij VIR sanguinis in primogenitum fuisse dicitur: quem sepius castigatum atque reprehensum, quum incassum facere iterum atque iterum animaduertisset, aduocatorum authoritate teterrimo carceri mancipauit. Verebatur enim pater, ne reliqui liberi iam adolescẽtiores, fratris nimiam natu maximi licentiam (quod ferè vsuuenire solet) & ipsi imitarentur. Ibidem.

SIMON Vignosus, ingentis Genuensium classis præfectus, cùm in Oriente Chium insulam Genuensium imperio subegisset, & eo tempore edixisset, ne quis ex sociis naualibus vineam aut hortum accolarum eius insulæ peteret, pœnámque virgarum edicto non parentibus proposuisset: Franciscum filium (quem quidam Chij cùm non nossent, in vinea deprehensum ad præfectum ipsum deduxerant) virgis iuxta edictum, nulla in parte seueritate remissa, cædi iussit. Fulgosus libro quinto, cap.9.

SEVERITAS ERGA CONIVGES.

Vide tit. Adulterij pœna. Item, Odij erga coniuges.

SVLPITIVS Gallus vxorem suam, nullam aliam ob causam repudiauit, quàm quòd aperto capite foris fuisset, contra legem, quę vxori vnius viri præfiniebat oculos. Erasmus lib.6. Apoph.

SEVERITAS ERGA SERVOS.

Quidam LACON seruo, qui dum puniretur dicebat. Non volens errau: Non volens igitur, inquit, pœnas dato. Plut. in Lacon. Apoph.

QVENDAM acrius castigantem seruum, quamobrem ita sæuiret roganti: Quoniam, inquit, quum sit obsoniorum voracissimus, tamen ignauissimus est: quúmque sit auidissimus, tamen desidiosissimus est. Tum Socrates: Nunquámne, inquit, cõsiderasti, vter vestrûm pluribus egeat verberibus, túne an famulus? Vtinam sibi quisque dicat, quod illi Socrates, quoties hoc in aliis reprehendit, puníque idem, quod sibi ignosci aueat non idem, crebrò deterius. Erasmus libro tertio Apoph.

SEVERITAS ERGA QVOSVIS ALIOS PRIVATOS INIMICOS.

Learchus ab Archelao Cyrænarum rege, in amicorum numero præcipuus habebatur. Cùm autem ipsum regem veneno sustulisset, ac simul regnum occupasset, ERIXONAM reginam, Archelai coniugem, vt matrimonio secum iungeretur, tentauit: pollicitus, si id Erixona egisset, se Archelai filium adoptaturum esse. Cùm autem non imprudens fœmina, conditionem sibi non displicere ostendisset, sed fratres duros admodũ obsistere: posse ad hanc rem aliquam dixit rationem iniri, si ad se noctu in colloquium, vno tantùm comitatus veniret. Nihil insidiarum inesse putans Learchus, qui præ amoris magnitudine cæcus erat, noctu in Erixonæ ædes se recepit: vbi eum Erixona à duobus, quos domi ocultos habebat, interimi iussit, ac corpus de fenestris deijci. Per hunc modum, cum aliter nequiret, mariti mortem vlta est. Fulg.lib.9.cap.10.

Audax atque amoris plena, in mariti Sinati vlciscenda morte, CAMMA Galata fuit, aduersus Sinorigem: qui ob id solum Sinatum interemerat, vt Camma potiretur. Nam cùm nec precibus, nec donis placari posset, postremò verita ne precibus vim Sinatus adderet, matrimonio assentiri cum eo se finxit: atque vocatum eum, in Dianæ templum, cuius ipsa sacerdos erat, in numinis conspectu ostendit, desponsationem se celebrare velle. Quia autem mos erat, vt eodem in desponsatione poculo vir vxórque biberent, ipsa prius peractis solennibus verbis, post iusiurandũ aureo poculo delibatam à se, venenatam potionem Sinorigi propinauit: qui fraudem nullam inesse ratus, ex eodem vase quoque venenum hausit. Quod ipsa conspicata, præ lætitiæ contenta se mori exclamauit, posteaquam ita virum vlta fuerat: nec multo pòst ambo perierunt. Ibidem.

LENÆVS Pompeij libertus, in Sallustium grauiter stomachatus est, quòd herum Pompeium calumniatus esset. Piaculum enim se committere arbitratus est, si Pompeium patronum suum malè pòst obitũ à Sallustio audientem, non defenderet, & calumniam illatam non vlcisceretur. Suet. de Illust. gram. cap.14.

PATROBILVS Neronis libertus, cùm Galba Neronẽ imperio vitáq; simul, quanquam absens, priuasset, quo tempore ipse à pretorianis interemptus fuit: caput eius centum aureis nummis coemit, vt illud eó proijceret, vbi se Nero interemerat. Fulg.lib.9.cap.10.

Mortem suam IOANNES Stanarola Veronensis vltus est, cùm detecta coniuratione, inductæ ei compedes essent, & ita ad Henricum Dugnam ab Ecelino Veronensi vrbi præfectum perductus esset. Nam cùm se ad nominandos coniurationis conscios cogi videret, neque ob id tamen salutem obtinere posset: vt poterat, saltu Henrico appropinquauit, atque paruulo gladio, quem veste abdiderat, ter punctim in caput eum percussit: ita vt quanquam ipse illic statim occideretur, breui tamen etiã Henricus periret. Ibidem.

GINVS Vaccij, Senensis ciuis, fratris ac patrui mortem vltus est. Nam cùm is Radicofani arcem in Senensi agro positam, furtim occupasset, atque ab eo loco regionem propinquam prædando infestaret: Bonincasa Aretinus, qui sub vicarij titulo Senis ius dicebat, Turtim Turritam, Gini fratrem, ac Taccium eius patruum, tanquam Radicophani occupationis consocios, in foro Senensi capite mulctauit. Cùm autem post aliquod tempus Romam, ad gerendum magistrum Bonincasa profectus esset: Ginus, cuius ex animo amissi fratris ac patrui dolor nondum exciderat, sequutus eum, in ipso tribunali, in quo ius dicebat, palam occidit, atque ademptum ei caput abstulit. Ibidem.

SEVERITAS ET VINDICTA BELLICA ERGA SVOS.

Exempla pete ex tit. Stratagematum, pœna seditiosorum proditorum, transfugarum: & illic prudentiæ ratio habetur, hic conuenientis vindictæ, sub iustitia denique correctiua ipsius æqualitatis.

FILII Israel, congregati omnes tanquam vir vnus ad vindicandum grauissimum scelus, quod commiserant viri de Gabaa Beniamin contra vxorem Leuitæ. Iud.19.& 20.

SEMIRAMIS Assyriorum regina, cùm ei circa cultum capitis occupatæ

paræ nunciatum esset, Babylonem defecisse: altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnãdam cucurrit: nec prius decôrem capillorum in ordinem, quàm tantam vrbem in potestatem suam redegit. Quocirca statua eius Babylone posita est illo habitu, quo ad vltionem exigendam celeritate præcipiti tetendit. Val.lib.9.cap.3.

CLEARCHVS Lacedęmoniorum dux, egregio dicto disciplinam militię continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando, à militibus imperatorem potius quàm hostem metui debere. Quo apertè denunciabat futurum, vt spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent. Idque à duce præcipi non mirabãtur, maternarũ blanditiarum memores, quæ exituros eos ad præliandum monebant, vt aut viui cum armis in conspectum earum venirent, aut mortui in armis referrentur. Hoc intra domesticos parietes accepto signo, Spartanę acies dimicabant. Val. Max. lib.2. cap.2.

BRVTII Italorum primi, se Hannibali coniunxerant, & postremi ab eo discesserunt. Igitur ab Italia depulso Hannibale, & superatis in Africa Carthaginensibus, senatus populúsque Rom. ad perpetuam Brutiorum facinoris ignominiam atque vltionem sanxit, ne in posterum Brutiorum vllus militia dignus fieret: sed cum magistratibus, inter ministros atque apparitores Brutij semper mitterentur: qui tunc Brutij dicti, postea vt sic temporis successu, corrupto nomine Birri nuncupati sunt. Fulgosus lib. 9. cap.10.

Nulla suorum temporum nouitate Romana ciuitas maiora tulit scelerum mõstra, quàm cùm inter Syllam & Marium est de summa rei in vrbe & foris dimicatum. Nec in tãtis malis viderunt indignius quicquam miseri ciues, quàm quòd Marij permissu seruitia (adeò creuerat eorum licentia, quibus ille septus in vrbem ab exilio redierat) ad libitum grassarentur in ingenua Romanorum corpora. quam SERTORIVS iniuriã haud ferendam ratus, etsi vnus Marianarum partium, facto in seruos impetu ad quatuor millia eius generis in campo trucidauit. Sabellicus lib. 8. cap.4.

C. CÆSAR seditione orta in tumultu ciuilium armorum, ac tum maximè tumẽtibus animis, legionem totam exauctorauit, ducibus seditionis securi percussis: mox eos quos exauctorauerat ignominiam deprecantes restituit, & optimos milites habuit. Front.lib.4.cap.4.

PESCENNIVS Niger, quum Galliam regeret, imperante Septimio, tribunum quendam lapidibus obrui iussit, quòd is militum stipendia decimaret. Rauisius.

Discurrebant VENETIIS in Riualtina vrbis parte aliquot Roberti Sanctoseuerinatis milites, modò huic, modò illi infesti, sub primam noctis horam. Quos cùm publici lictores arcerent, admoneréntque vt ab inferenda iniuria abstinerent in libera ciuitate, tũ verò violentiores facti exclamare cœperũt: Roberte Roberte imperator, ferto precamur opem militibus sic optimè de te meritis. Quare statim vinctis, ad consiliúmque decemuirale deductis, sic in illos animaduersum est, vt deducti eodem momento in aream publicam, inter geminas columnas sint suspensi. Egnat.lib.6.cap.3.

SEVERITAS BELLICA ERGA HOSTES.

ACHÆI, postquam audiuissent Philopœmenem ducem in bello captum, & veneno in carcere sublatum esse, vrbe hostium per vim potiti, Dinocratem Messenium, à quo veneno sublatus fuerat, quærunt, vltionẽ molientes. Dinocrates autem metu inimicorum sibi manus intulit. Plut. in Epitome.

NITETIS filia Apriis regis Ægyptiorum, quem Amasis interfecerat, cum ab Amasi ad Cambysem esset missa (nam Cambyses Persarum rex filiam Amasis in vxorem petierat: quam tamen Amasis ei dare nolebat, quia pellicis loco eam habiturus videbatur) tanquam filia Amasis, Cambysi dolum indicauit: & eundem ad bellum Ægyptio inferendum, & paternas vmbras vlciscendum impulit. Herod.lib.3.

THAIS meretrix, Athenis nata, euntẽ Alexandrum cum exercitu in Orientem secuta fuit, antequam à Ptolemæo in deliciis haberetur. Hæc cum nonnullis aliis fœminis ac principibus, vt cum Alexandro in Persepoli vrbe, in Xerxis ipsius palatio cœnaret, inuitata (forma enim atque eloquio insignis erat) post cœnam cum Alexandro iocans: Tunc se, dixit, ex castrensibus laboribus, Asia peragrata, quod cupiuerat præmium accepisse, posteaquã Alexander ei, vt in Darij Persarum regis palatio cum ipso cœnaret, indulserat: quod munus longè maius, imò æternum existimatura esset, si vt incẽdere quoque palatium posset cõcederetur: vt ipsa, quæ muliercula erat, tantũ regem, quãtus fuerat Xerxes, vlcisceretur, cuius olim exercitus patriam suam Athenas incenderat. Eius igitur animi magnitudine motus Alexander, cùm ei quod cuperet, agendi facultatẽ permisisset: ipsa palatio ignem iniecit, patriæ suæ iniurias, quo poterat modo, vlta. Fulgos.lib.9.cap.10.

TOMYRIS, Massagetarum regina, caput Cyri abscissum in vtrem humano sanguine repletum dimisit, exprobrans illi insatiabilem cruoris simúlque pœnas occisi ab eo filij sui exigens. Herod.lib.1.

BERENICE Laodices insidiis interceptum sibi filium grauiter ferẽs, armata currum cõscendit: persecutáque satellitem regium, crudelis operis ministrum, nomine Ceneum quoniam hasta nequicquam petierat, saxo ictum prostrauit: ac super eius corpus actis equis inter infesta contrariæ partis agmina, ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, pertexit. Val. Max.lib.9.cap.10.

Miserat Romam legatos LAVRENTINA ciuitas, súntque hi contra ius gentium violati à T. Tatij necessariis. regnauit is cum Romulo. Missi sunt inde, qui res more maiorum repeterent, vt sontes ad supplicium dederentur. Valuit plus gratia apud Tatium, quàm iura hominum: súntque legati re infecta iussi retrò abire. Proficiscuntur nec multo pòst Romani reges ad solenne sacrum Lauinium. Hic Laurentes ambos adorti, Romulum, quia author fuerat iniuriæ vindicãdæ, vti iustum, incolumem dimittunt: Tatium regni consortem publicitùs trucidant vt tyrannum, & humani iuris contemptorem. Sabel.lib.8.cap.4.

C. Marius, cùm in Minturnensibus paludibus, cùm Sulpitia rogatione prouinciam Sulla eriperet, esset inuentus, in carcerem coniectus est: vbi missum percussorem Gallum vultus authoritate deterruit, ex quo Minturnenses ad mare fugientem comitati sunt. Vnde accepta illa nauicula in Africam traiecit, vbi diu exulauit. Mox Cinnana damnatione reuocatus, ruptis ergastulis ad Telamonem applicãs portum, exercitum coegit, cæsísque inimicis suis iniuriam vltus est. Plinius cap.67. de Viris illust.

VENETI Carrariẽses principes Patauinos in carcerem coniectos necarunt: quoniam magnis affecti beneficiis à senatu Veneto, non modò grati non fuerunt, sed externos quoque principes ad Venetam libertatẽ opprimendam solicitarunt. Egnat.lib.9.cap.3.

IRATOS PLACARE.

Hoc quoque Mansuetudinis & Clementiæ siue πραότητος est, vt aliorum reconciliationi studeat, nullius vel premij vel commodi causa, quod ad se redeat, sed solo pacis studio. Quòd si iam eos qui nobis irati sunt, placemus, & nobis reconciliemus, nulla proposita vtilitate (nisi per accidens) sed ea tantum quæ ex mutua beneuolentia oritur voluptate, intra ipsius πραότητος fines consistemus. Exemplis vtrunque genus placandi illustremus.

RECONCILIARE SIBI INIMICOS, EX HOSTIBVS *facere amicos.* RECONCILIATI.

Exempla ex tit. Prudentiæ in amicitia iungenda, item Clementiæ erga hostes, peti possunt. Item ex loco Stratagematum, Ex hostibus facere amicos: illic enim prudentiæ, hic solius reconciliationis ratio habetur.

EXEMPLA VRBANA, PVBLICA ET PRIVATA.

ISAAC patriarcha (vt in Genesi legimus) Geraræ apud Abimelech Palæstinorum regem considens, cùm multa rerum hominúmque copia auctus fuisset, in inuidiam incidit. Eiectus ergo abiit: & semper vbi tranquillius viuere posset quærens, in Bersabee sibi posuit sedem. At cùm idẽ Abimelech potẽtiam eius formidans, quem offenderat, vltrò amicitiam petitum venisset, ipse oblitus iniuriæ, quod petebatur facilè cessit. Initóque inter se fœdere ac pace iureiurando firmata, hospitium conuiuiúmque illi, & omnibus qui cum illo erant indulsit. Vlcisci offensorem suum poterat viribus iam superior: sed sicut expellenti nõ repugnauit, ita amicitiam petenti annuit. Et quo sibi magis obnoxium faceret, ad epulas inuitauit, lautè opiparéque instructas. Marul.lib.3.cap.6.

Cùm IACOBVS ex Mesopotamia in Chananæam rediret, præmisit nuncios ad Esaum fratrem in terram Seiriam, in agrum Idumeæ, qui cum dominum appellarent, & seruum eius Iacobum apud Labanem hactenus peregrinatum, nunc in patriam redire velle nunciarent, Esaus 400. hominibus ei obuiam profectus est, Iacobus metuens ne vim sibi inferret, fratri munus misit, capras & oues ducenas, capros & arietes vicenos, camelos matrices cum suis pullis triginta, vaccas quadraginta, tauros decem, asinas viginti, asellos decem. Hæc in lacinias partitus suis seruis tradit, eósque præire iubet, interiecto inter lacinias spacio. Tum primo seruo præcipit, vt si incurrerit in Esaum fratrem, quærenti cuius sit, quò contendat, & cuius sint ea quæ ante se agat: respondeat, Se esse Iacobi, illius serui, à quo id munus Esao domino mittatur: ipsum autem Iacobum subsequi. Idem alteri etiam & tertio præcipit, & omnibus laciniis sequentibus, vt eodem modo cum Esao, vbi ei occurrerint, loquantur, ipsúmq; Iacobũ post se venire dicãt, idque eo consilio fa-

ciebat, vt illius à se animum præmisso munere pacaret, & ita demùm receptum ad eius conspectum haberet. Rebus sic administratis, cum in conspectum Esai venisset, septies ante illum procidit, & sic Esaum placauit. Genes. 32 & 33.

DAVID Saulem regem se vbique hostiliter persequentem, fuga declinabat & cùm posset lædere, noluit. Chlamydis eius oram latenter abscidit, hastam & scyphum secus caput dormientis positum abstulit: vt ea res fidem faceret, ideo se parcere vitæ persecutoris, vt esset cū quo tandem placato in gratiam rediret. Itaque beneficio Dauid victa est Saulis inuidia, pacémque inter se iniêre. Dauid tamen Saulis inconstantiæ non ignarus, ne præsentia sua illum turbaret, in Palæstinam ad Achim Gethæorum regem se transtulit: habitauitque in Sicelech vrbe, donec Saule hostium armis cæso, rediens illi successit in regno, cuius odium placare quā vlcisci maluerat. Sic ergo Dei benignitas ac fauor, pacis patientiæque exaltauit cultorem. Marul. lib. 3. cap. 6.

AGATHON abbas gloriatus est, se nunquam cœpisse somnum, nisi prius & suam aduersum alios, & aliorum aduersum se indignationem placando sopiuisset: Implens illud breue quidem, sed multæ perfectionis præceptum: Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Eundem dicere solitum accepimus, Iracūdos Deo atque hominibus odio esse. Sicut enim humilitas pacem conseruat, ita iracundia concitat lites, concordiam dissipat. Ibidem.

CLEOBVLVS philosophus, vnus è septem Sapientibus, non tam amicos quàm inimicos beneficiis prosequi oportere docebat: hos vt amicos, illos vt amiciores reddamus. Diogenes in eius vita, & Suidas.

GRÆCI in sedandis discordiis verbo hoc vtebantur, μὴ μνησικακεῖν. Vide tit. Formularum iurisiurandi.

ARISTIDES & THEMISTOCLES infestissimis odiis laborantes, diuersas in repub. factiones sequebantur. At interueniente Persa se mutuò apprehendentes, & extra ciuitatem conuenientes in vnum, vterque dextram manum demisit, atque complicatis digitis acclamarunt: Inimicitias hic deponimus, donec bellum aduersus Persam cōfecerimus. Hęc locuti, manus distractis digitis, quasi odio deposito, sustulerunt. Deinde simul obruta fouea, redierunt, & per totum bellum in concordia permāserunt. Maximè verò effectum est vnanimitate ducum, vt Barbari victoriam amitterent. Polyæn. lib. 1.

Magnæ inter CIMONEM PERICLEMQVE Athenienses amicitiæ fuerunt, adeò vt Periclis opera Cimon in exilium pelleretur: conciliatóque demùm inter eos amore Periclis opera, Cimon restitutus, classi quæ in Cyprum mittebatur, præfectus fuit. Fulg. lib. 4. cap. 2.

CONVIVIA solennia ROMANI olim instituerunt, atque Charistia appellarunt: in quibus amici & affines conuenientes, odia & rixas eorū qui in matrimonio erant, tollebant inter animorum hilaritatem. Valer. Max. lib. 1. cap. de Institutis antiquis.

Quoties ROMÆ inter virum & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum deæ Viriplacę, quod est in palatio, veniebant: & ibi inuicem loquuti, quę voluerant, contentione animorum deposita reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris assecuta fertur: veneranda quidem, & nescio an præcipuis & exquisitis sacrificiis colenda, vtpote quotidianæ ac domesticæ pacis custos, in pari iugo charitatis, ipsa sui appellatione virorum maiestati debitum, ac fœminis reddens honorem. Val. Max. lib. 2. capite 1.

SEXTVS Liuius Salinator, etsi Neronis odio ardens, in exilium profectus fuerat, testimonio eius præcipuè afflictus: tamen postquam eum inde reuocatum ciues collegam illi in consulatum dederunt, & ingenij sui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauissimam acceperat, obliuisci sibi imperauit: ne si dissidente animo consortium imperij vsurpare voluisset, pertinacem exhibendo inimicum, malum consulem ageret. Quæ quidem mentis in tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo, plurimùm salutis vrbi atq; Italię attulit: quia pari virtutis impetu connixi, terribiles Punicas vires contuderunt. Valer. Max. lib. 4. cap. 2.

Scipio Asiaticus P. Scipionis Africani frater, post superatum Antiochum & Asiam bello victam, peculatus crimine accusatus à tribunis plebis, cū in carcerem duceretur, Tiberius Gracchus Tiberij & Caij Gracchorum pater tribunus plebis (qui antea, quòd de Repub. cum Africano dissentiret, infensus Corneliorum genti fuerat) intercessit, eúmque ne in carcerem conijceretur inhibuit. Cuius rei beneficio amicitia inter capitales inimicos cōciliata, & affinitas facta est. Non contentus enim P. SCIPIO authore Senatu, in Capitolio, Iouis epulo, cum Graccho concordiam communicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibidem despondit. Val. Max. lib. 4. cap. 2. Plut. Plin. de Viris illust. & Gell. lib. 12. cap. 8.

M. ÆMILIVS Lepidus bis cos. & pont. max. diutinas ac vehementes inimicitias cum Fuluio Flacco eiusdem amplitudinis viro gessit: quas vt simul censores renunciati sunt, in campo deposuit: existimans non oportere eos priuatis odiis dissidere, qui publicè summę iuncti essent potestati. Valerius & Gel. Ibidem.

CANINIVS Gallus reum pariter atque accusatorem admirabilem egit, & C. Antonij, quem damnauerat, filiam in matrimonium ducendo: & M. Colonium, à quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo. Val. lib. 4. cap. 2.

COELII Rufi vt vita inquinata, ita misericordia quam Q. Pompeio præstitit, probanda: cui à se publica quæstione prostrato, cùm mater Cornelia fidei commissa prædia nō redderet, atque iste auxilium suum literis implorasset, pertinacissimè absenti affuit. Recitauit & eius epistolam in iudicio vltimæ necessitatis indicem, qua impiam Corneliæ auaritiam subuertit. Factum propter nimiam & eximiam humanitatem, ne sub Cœlio quidem autore repudiandum. Ibid.

M. CICERO Aulum Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo vrbe expulerat. Idémque P. Vatinium dignitati suæ semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est, vt sine vllo crimine leuitatis, ita cum aliqua laude. Quia speciosius aliquāto iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur. Ibid.

Ciceronis factum adeò visum est probabile, vt imitari id ne inimicissimus quidem illi CL. PVLCHER dubitauerit: qui incesti crimine à tribus Lentulis accusatus, vnum ex his ambitus reum patrocinio suo protexit: atque in animum induxit, & iudicem, & prætorem, & testem, Vestæ ædem intuens, amicum Lentulo agere: intra quam ille salutem eius fœdo crimine obruere cupiens, hostili voce perorauerat. Ibidem.

Inter VESPASIANVM, cùm adhuc priuatam ageret vitam, Liciniúmque MVTIANVM, vt inter pares plerunque solet, inimicitiæ haud mediocres erant. Cæterùm cùm postea Vitellius imperium laceraret, Vespasiano aduersus Iudæos bellum gerente, Mutianus qui Ægypto atque Syriæ præerat, primus fuit qui imperatorem Vespasianum salutaret, atque Syriacos Orientísque exercitus in Vespasiani partes traheret. In eáque beneuolentia atque fide dum vixit Mutianus perstitit. Contrà quoque Vespasianus Mutiani insolentiam, vt inter amicos par est, pertulit ac texit. Fulg. lib. 4. cap. 2. & Egnat. lib. 4. cap. 2.

FRANCISCO Foscaro duci immeritò ducalis dignitas trium senatorum præcipuè ambitione abrogata fuit, qui summa contentione in decemuirali consilio causam eam attributis patribus egerunt. Cùm igitur descendens ex ducario priuatas suas ædes repetiisset, suos omneis pro iure suo admonuisse fertur, ne vllo tempore memores esse vellent iniuriæ tam grauis illatæ: quin potius, dum tres illi superstites forent viri, optimè de eis mereri studerent, quando id sibi ingrauescente iam ætate & morbo præstare nequaquam liceret, vt quarto pòst die moriendum illi fuerit. Egnat. lib. 4. cap. 2.

CAROLVS Zenus, vir sua tempestate clarissimus, Venetæque Reip. præcipuum decus, diui Marci procurator (quæ suprema à principe dignitas semper est habita) creatus: quum non multo pòst inuidorum quorundam improbitate magistratus illi abrogatus esset, carceríque per biennium inclusus foret, omnes tamen illos, & vnum præcipuè tanti flagitij authorem, quum ægrotare cœpisset, aduocandum Petro filio suo iussit: venientémque tandem ita excepit, benignissiméque allocutus ab eo petiit, ne memor illatæ iniuriæ esse vellet, cuius ipse facilè obliuisceretur. Prædicans se vnum hoc dolere, quòd aduersa valetudine impeditus non posset illi præstare, quod polliceretur: mandaturum se tamen Petro filio, vt se vita functo omnem illi gratiam semper cumulatè rependeret. Ibidem.

ANTONIO Grimano, Venetorum in Græcia rei maritimæ aduersus Turcas imperatori, publico decreto dignitas ea adempta fuit. Nicolaus Michael aduocator communis (sic enim eam dignitatem præcipuam inter vrbanas appellant) cum suis collegis in primis causam eam agens, cū summa totius ciuitatis admiratione, eius in exilium mittendi maximè author est habitus, vnde illi procuratoria dignitas accessit. Cæterùm cum mox Antonius maioris cum consilij authoritate restitutus patriæ foret (tametsi exilij legem minimè seruasset, qui Romam ad filium Cardinalem profectus esset) Nicolaus ipse procurator non dubitauit domum illius accedere, rogaréque ne præteritarum rerum memoria penes eum superesset. Statim ipse Antonius eum complexus est, nec vnquam se memorem futurum, in summa omnium frequentia, qui tunc aderant, pollicetur. Ad hæc insuper addidit, non dubitaret à sese ea omnia petere, quæ sibi necessaria forent: omnia enim libentissimè semper præstiturum. Nec verò defuit vnquam illi, etiam restituta sibi procuratoria dignitate, aut posteaquam dux Lauretano principi suffectus est. Ibidem.

ALFONSVS rex Aragonū, canibus iratis & oblatrantibus offulam obijciendam esse affirmabat. Innuens, homines maleuolos & iratos nobis beneuolentia & placabilitate reconciliandos esse. Pontan. cap. 30. de Liberalitate.

IDEM, cùm Ioanni Forti præfecturam ademisset, atque is ægerrimè hoc ferens, per Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniámque regi maledixisset: eius arguens ingratitudinem, neminem tamen inuenit qui vel panem modò & nasturtium offerret ad victum. Inopia igitur coactus, cùm ad Alphonsum, quem multis conuiciis lacerauerat, se recepisset, rex hominem maledicum ad se vocauit: se quidem potius benefactorum eius, quàm maledictorum memorem esse. Hominem igitur viatico & pecunia iuuit, & dimisit. Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi: & Fulg. lib. 5. cap. 1.

Simili etiam liberalitate & beneficentia vsus est erga quendam equitē Hispanum. Is enim cùm apud reges Occidentales ferè omnes Alphonsi nomen & vitam nulli maledicto parcens, passim palámque proscidisset: tandem rediens, ab Alphonso perhumaniter & benignè exceptus, & multis beneficiis ornatus est. Ibidem.

IDEM, cùm audisset Albertum Orlandum apud se diutissimè exploratorem agere: non solùm non eiecit è curia, sed salarium quoque annuū illi vltrò constituit. Idem lib. 4. de Alphon. rebus gestis.

Fuerunt graues inter SFORTIAM Attendulum inimicitiæ (cùm Ioannæ secundæ Neapoli regnantis copiarum militarium dux esset) & Pandulfellum Alopum, ab eadem Ioanna plusquam pudicitiæ ratio pateretur amatum. Itaque cum apud reginam plus ob amorem posset Pandulfellus, Neapolis Sfortia custodiri iussus est. Cæterùm postea adueniente Iacobo rege, communis timor ex inimicitiis amorem inter vtrunque peperit: collocatáque Catharina sorore in matrimonium, cum Sfortia Pandulfellus beneuolentiam affinitate confirmauit, vt Sfortia Magnus in Neapoli-

Neapolitano regno Conestabilis (ea post regiam maior potestas erat) crearetur. Fulg. lib. 4. cap. 2.

Quæ grauiores cruentæq; magis inimicitiæ fuerūt, quàm inter PETRVM Fulgosium Genuensem ducem, ac Ioannem Fliscum? Septennium durauére tanto animorum odio, vt nullum Petrus hostem haberet, quem statim Ioannes Philippus Petri iniuriam beneuolentia non complecteretur: tantúmque sanguinis atque auri hæc odia exhausere, vt quibus videre ea tempora contigit, horrore penè exanimarentur. Et tamen posteaquam Alphonsi regis potentia, peste insuper cōflictatus deserere Petrus principatum coactus fuit, Ioannes Philippus in eum amorem cum eo rediit, vt nunquam postea nisi communem mensam lectúmque haberent: & tam acriter Ioannes Philippus ad recuperandam Petri dignitatem decertauit, vt pro ea vitam amiserit. Ibidem.

EXEMPLA BELLICA.

DIOMIDES, posteaquam cum Glauco Hippolochi filio, & Bellerophontis nepote in singulare certamen processisset, memor veteris amicitiæ, iunctis dextris, armísque commutatis, ius veteris hospitalitatis renouauit.

LACONES antequam bellum hostibus inferrent, Musis immolabant, Clementięque & Amicitiæ, non Marti. Satius enim esse putabant, pactione hostium animos & pace incruenta conciliare, quàm prælij subire aleam, & multa hostium cæde victoria potiri. Alexand. ab Alexand. lib. 4. capite septimo.

Inter Xerxem Darij filium & Arimenem fratrem de regno erat contétio. Itaque cum Xerxes intellexisset fratrem ex Bactrianorum regione descendere, misit illi munera, & iis quibus ea mandarat præferenda, iussit vt ipsius verbis illi dicerent: His in præsentia te honorat frater tuus Xerxes. Quòd si rex fuerit declaratus, eris apud ipsum omnium primus. Hac humanitate delinitus Arimenes, contentionem remisit, ac fratri, regno adepto, protinus adorationis honorem exhibuit, atque diadema imposuit, Xerxes autem illi proximum ab se locum dedit.

MASINISSA antequàm Numidarum regnum adeptus est, Romanorum acerbissimus hostis fuit: omníque ope, quantum in se fuit, aduersus Scipionem Carthaginenses iuuit. Sed demùm P. Scipionis virtute allectus, studia mutauit, atque à Carthaginēsibus ad Romanos amorem ita conuertit, vt Masinissa fideliorem nullum Romani inuenerint. In amore autem Masinissa dum vixit perstitit, & moriens senatum Romanum Scipionémque liberis suis tutores reliquit. Fulgos. lib. 4. cap. 2.

Laudandus in ROMANIS mos ille erat, quo renouari prohibebantur hostium spolia, posteaquam longo ęuo consumpta inuenirentur. Odium enim, quod statibus spoliis retineri videbatur, tempore cum spoliis ipsis deleri curabant. Fulgos. lib. 2. cap. 1.

ROMANI, cùm post pugnam cum Veientibus ad Vesunium fœdus firmassent cum Laurentibus, deinceps singulis annis post decimum Latinarum feriarum diem, denuò innouabant. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 7.

LVCTATIVS post primum Punicum bellum, cùm ad Ægades insulas nauali prælio contra Carthaginenses fœlici victoria pugnasset, M. Actilio & T. Manlio coss. icto cum Carthaginensibus fœdere, rebus omnibus pace placatis, Iani templum in pacis & concordiæ signum clausum est. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14.

AVGVSTVS Imp. pòst bellum Actiacum, Antonio & Cleopatra victis, profligatísque, pace terra marique parta, cùm tot dissonas gentes nationésque societate & fœdere iunxisset, & à ciuili dissensione abstinuisset: clausis Iani portis, pacem colendam esse mandauit. Ibid.

TITVS Cæsar euersa Hierosolyma, & bellis confectis, Iani templum in pacis testimonium clausisse fertur. Ibidem.

Cn. Pompeius Magnus, cum Mamertinos, quòd hostium partibus adhęsissent, interficere omnes statuisset: STHENIVS, eius ciuitatis princeps, Pompeium adiit, & his verbis loquutus est: Non ęquum facis Pompei, qui propter vnum noxium, multos innoxios occidere paras. Quo audito, Mamertinis pepercit Pompeius, ciuitatémque & Sthenium liberauit. Habes autem hic in Sthenio exēplum, quem animum erga Rempublicam oporteat habere principem, si in periculum incidat: in Pompeio autem placabilitatis argumentum, qui viri boni maluerit habere rationem, quàm indulgere irę. Plutarch. in Apophthegmatib. Romanorum.

MACEDONIVS Antiochenus monachus, Theodosium Imp. Antiochenis infestum reconciliat. Vide tit. Eremitarum.

FELIX episcopus Taruisinus, Alboino Longobardorum regi ad Planem fluuium occurrens, cum ciuibus suis placatum reddidit. Ei rex omnes Ecclesiæ suæ opes concessit, ciuibúsque pepercit. Blondus lib. 8. & Paulus Diaconus lib. 2. cap. 9.

ZACHARIAS Romanæ ecclesiæ pontifex, quia Rempublicam à Longobardis perturbatam inuenit, statim beneuolentia sua omnia composuit, & cum Longobardis in 20. annos pacem firmauit. Sigeb. in Chron.

VENETI Herculem Ferrariensem ducem, à quo grauissimo bello petiti fuerant, pace facta Venetias venientem, publico hospitio in iis ædib. quas dono à Venetis maiores eius acceperant, exceperunt: publicóque ære tota eius familia, ipséque ad alendum donatus est. Egnat. libro quarto, capite secundo.

Bello, quod cum Philippo Mediolanēsi principe gestum à Venetis est, Franciscum Sfortiam, quem infestissimum hostem senserant VENETI, sub Philippo ipso militantem, non dubitarunt illum cum summa etiam illius dignitate recipere. Quem etiam mortuo Philippo duce, quum imperator ille Mediolanensium creatus esset, Carauagiensémque cladem grauissimam Venetis intulisset: eum non multo pòst in gratiam receptū, vt principatum Mediolanēsem consequeretur, enixè operam dederunt. Ibidem.

Venerat in terram Italiam ROBERTVS cognomento Viscardus, Normannici vir sanguinis, vexabátque interea magnam Apuliæ Calabrięque partem armis, quam sibi & posteris parare studebat. Hanc externi hominis audaciam penitùs tollere omni ope ac studio Nicolaus Pōt. II. enitebatur, quem etiam Pont. diris persequi non dubitauit. Interea grauibus bellis inter vtrunque exortis, ita tandem accidit, vt Robertus ipse Pont. maiestati sese lubens volénsque subiecerit, & Nicolaus ipse Robertum in gratiam receperit, donatum iure, quod dicunt, feudi multis Apuliæ & Calabriæ oppidis. Quare Robertus eiúsque posteri, Romanis Pont. magna ex parte grati in primis, beneficiíque memores vixêre. Ibid. & Fulg. lib. 4. cap. 2. qui Guiscardum vocat.

Graues inter se CAROLVS sextus Gallorum, atque Richardus secundus Britannorum reges, inimicitias ac bella gesserunt, & tamen in colloquium deducti, ita abiêre, vt non inimicitia solùm, verùm affinitate quoque, Isabella Caroli filia in matrimonium Richardo collocata, iungerentur. Iidem.

Ætate nostra hostes inter se fuêre LVDOVICVS vndecimus Gallorū, atque Edouardus Plantaginetus Britannorum, reges. Cum autem Edouardus cum valido exercitu in Galliam traiecisset, priusquam prælium committeretur, in colloquium reges venêre, atque inde conciliata amicitia atque affinitate, ambo retro in patriam recessêre. Edouardi filia Ludouici filio, qui penè infans erat, in matrimonium promissa. Fulgosus lib. 4. cap. 2.

Quàm graui cruentóque inter se bello dissiderent duo insignes duces, Aurelianensis CAROLVS, & Burgundus PHILIPPVS, toti Galliæ his quoque temporibus notum est. Etenim huius belli causa, magna eius pars ferro ignéque vastata est: magnúsque in eo virorum numerus occubuit, cùm hæc inter ipsos odia arderent. Etenim Parisiis Aurelianensis Caroli pater, patris Philippi ducis Burgundiæ opera cæsus fuerat: & dum Carolus patris mortem vlcisci quærit, Philippi quoque pater interficitur. Expleta vtrinque ira, ambo mutuam amicitiam affinitatémque inierunt, Philippi Burgundiæ ducis nepte in matrimonium Aurelianensi duci locata. Ibid.

Magnæ inimicitiæ inter duos ALPHONSOS, Castulonensem Legionensémque reges fuêre: sed Heleonorę Castulonensis reginę opera finitæ, affinitatem contraxerunt, quòd Legionensis Alphonsus alterius Alphonsi gener factus est. Fulg. libro 4. cap. 2. & Egnat. lib. 4. cap. 2.

Graues inimicitias inter se diu gessêre VEREMVNDVS Castulonensis, Garsiáque temulentus Nauarræ, reges. Cæterùm cùm Saracenorum armis Veremundus infestaretur, vt primùm ab eo ad ferendam opem Garsias vocatus est, positis statim inimicitiis, belli partem suscepit: factíque eo bello amici sociíque, mutuum dum vixerunt, amorem seruauêre. Ibidem.

Graui olim bello obsedit atque pressit vrbem Mantuam BERNABOS vicecomes, cùm in ea Ludouicus Gonzaga rerum potiretur. Tandémque inter eos non pax tantùm inita fuit: verùm affinitas quoque cōciliata, Barnabouis nepte in matrimonium Vgolino Ludouici nepoti locata, accipitris auis annuo censu constituto, pro vrbe Lepidi Rhegio, quam is restituere Bernaboui debebat, à fratrino patruo armis ereptam. Ibidem.

Longo tempore ALPHONSVS Sicilæ rex, & Philippus Mediolanensis dux, graues inter se inimicitias gessêre: & tamē posteaquam apud Caietam captus Alphonsus, per Philippum ductu Blasij Assaretis Genuensis libertatem obtinuit, is inter ambos amor conciliatus est, vt postea nō minus laborarit Philippus ad restituendum in regno Alphonsum, quàm antea vt inde eum pelleret, egerat. Pariter quoque Alphonsus ab eo tempore ceu parentem Philippum coluit, hostésque eius amicósque omnes & pecunia & militibus non aliter quàm si cum Philippo stipendia faceret, promptissimè vt res poscebat, vel offendit, vel iuuit. Ibidem.

ALPHONSVS Aragonum rex quum Florentinis ac Venetis petentibus pacem dedisset, & regiorum plerique gloriæ studio flagrantes, permolestè hoc tulissent, eo quòd in eo bello magnificum ac gloriosum aliquod facinus edere potuissent, à quo iam pace comparata se frustratos planè agnoscerent: Rex id quod erat suspicatus aliquando, occasionem iam nactus, dixisse fertur: Bono animo estote commilitones. nam & virtuti vestræ, & mihi credite. Neque locus enim, neque honos deerit: & mihi perquàm speciosum fuit, petentibus pacem dare. Ita enim arma capere consueuimus, vt sine cruore, si id modò fieri potest, victoriam adipiscamur. Et quid aliud pacem tam submissè petentes confitentur, quàm se victos, nos autem victores esse? Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi regis.

Cùm inter GALEATIVM vicecomitem Matthæi filium, & Actium Estensem, Ferrariæ principem, crudelem in modum odia arderent, armatíque ambo in agro Cremonensi ad Abduam amnem infestis exercitibus conuenissent: inita pace atque affinitate inimicitias posuerunt, Galeatio in matrimonium ab Actio sorore Beatrice data, quæ mortuo Nino priore viro Gallurae iudice (ea enim potestas insignis in Gallia erat) Alberti Scoti filio, qui Placētiam obtinebat, promissa fuerat. Itaque cùm postea Alberti Scoti opera, vt prælatum sibi Galeatium vlcisceretur, Galeatius cum Matthæo alisque vicecomitibus patria pulsus esset: magna fide ab Actio exceptus, eum qui tanto casui necessaria præstaret, promptum habuit. Fulg. lib. 4. cap. 2.

Atroces inimicitias inter se exercuerunt HERCVLES Estensis, ac Fridericus Gonzaga, Mantuanus marchio, propter Nicolai Estensis

mortem (quia Ferrariensis ducatus competitor ad eum adnitebatur) ab Hercule occisi, qui Friderico arcta affinitate iunctus erat. Adeò autem inter ambos exarserunt odia, vt cùm vterque cum populo Florentino stipēdia faceret, in iisdem castris in Ethruria, prælio inter vtriusque milites exorto, summam rerum (nisi quòd Alphonsus hostis aberat) penè in extremum discrimen adduxerint: & tamen haud multo pòst conciliata inter ambos amicitia, Hercules Isabellam filiam Francisco, Friderici filio, coniugem dedit. Ibidem.

Non minus quoq; odiis inter se decertauerunt RENATVS Andegauensis, Barri atque Lotharingiæ dux (qui postea regni Siciliæ titulum vsurpauit) & Antonius Validi montis comes. Nam cùm Renatus Validum montem obsideret, ab Antonio ipsius loci comite & Burgundionibus fusus atque captus, Diuionem fuit perductus. vbi Philippi Burgundię ducis opera, ambo positis inimicitiis, ad mutuam beneuolentiam conciliati, affinitatem quoque ducis filia in matrimonium comitis filio locata iunxerunt: auctóque indies amore, cùm ducis stirps deficeret, Renatus ex nouo matrimonio natus, materni aui magna ex parte hæres fuit. Ibidem.

Diu mutuis grauibúsque inter se odiis Genuenses atque Pisani decertauêre, cùm Pisas Vgolinus comes, Genuam autem duo Oberti Auria & Spinola gubernarent. Itaque cùm salutis anno ducentesimo atque octuagesimoquarto supra mille, deleta Pisanorum ingenti classe, LOTHVS Vgoloni comitis filius, in prælio captus, quadriennium in Genuensium potestate fuisset, eo tempore Gibellina factio Pisis Lothi parentem atque fratres obsessos fame confecit. Cæterùm cùm postea initam Pisani cum Genuensib. pacem violassent, Lothus è carcere mittitur, atque à Genuensibus ciuitate donatus, & Oberti Spinolæ gener factus, ab hostibus salutem honorésque assecutus est, cùm à ciuibus suis fratres eius miserum in modum periissent. Ibidem.

PACIFICI, QVI ALIORVM INIMICITIAS QVAScunque componunt, & sontibus veniam impetrant.

Titulum hunc etiam sub loco Affectuum reperies. Illic enim primum motum tantùm consideramus: hic verò motus secundos, quatenus à recta ratione diriguntur. Exempla quædam ex tit. Prudentiæ in amicitiis fouendis, dissoluendísque inimicitiis, peti possunt.

ABRAHAM iurgia inter pastores suos & nepotis sui Loth prudenter dissoluit. Genes.13.

RVBEN & IVDAS mitigare tentant fratrum iram erga Iosephum. Genes.37.

VBALDVS Eugubinæ vrbis episcopus, cùm ciues suos in seditionem versos verbis pacare non potuisset, & iam ad arma esset concursum, inermis inter tela strictósque mucrones irrumpens, humi prono corpore sese prostrauit: nec exurrexit, donec illi saucium iacere rati, mutua odia in vnius miserationem conuertissent. Iacens diremit pugnam, quam stans nequiuerat inhibere: audacem autem & periculi impauidum fecerat ipse pacis amor. Marul.lib.3.cap.6.

IDEM Federicum imperatorem Eugubinis infensum iratúmque, & ob id graue æris vectigal acceptis obsidibus imperantem, suppliciter adiens placauit, ita vt ille & pecuniam remitteret, & obsides restitueret: & ipsum, vbi multo honore affecisset, discedentem deduci iuberet. Sicque pastor bonus in tanta ouium suarum trepidatione nunquam conquieuit, donec securas redderet, factus eis vix speratæ pacis impetrator simul & nuncius. Ibidem.

HIVO presbyter, cùm multis miraculis, tum in primis pietatis operibus clarus, dolens quendam cum matre non leui odio dissidere: postquā reconciliare nulla prorsus ratione quiuit, Deo pro illis supplicauit. Exinde nemine iam sollicitante, solo diuino instinctu ita animis resipuêre, vt & hic filium se agnosceret, & illa matrem. Documento est, vt quos exhortando ad concordiam reuocare non possumus, reuocemus pro eis deprecando: quandoquidem non hominum, sed Dei donum est pax. Ibidem.

Paphnucio abbati in solitudine vitam agenti, reuelatum est, quendam HERACLEæ illius regionis vrbe sibi vitæ meritis esse parem. & quærens, inuenit eum quidem & vxorem & filios habere: sed post secundam susceptam prolem castitatem cum ipsa seruare, iustitiæ studere, pietatem colere: & hoc præcipuè moris habere, vt si quos inter se odio distractos cognouisset, continuò in gratiam reducere niteretur. Non fuisset (vt opinor) ciuis ille tam religioso solitario comparandus, nisi hoc sibi virtutis genus adsciuisset, quo ille procul ab hominibus manens vti non poterat. Assidua quippe cura in reconciliandis aliorum animis indignationibúsque leniendis vrbanum hominem dignum fecit, qui sanctis eremi cultoribus esset æquandus. Ibid.

TROGLODYTARVM Æthiopiæ populorum certamina pabuli caussa accepta dirimunt, quæ ætate præcedunt fœminæ: quibus nullo periculo in medium prodeuntibus (nefas est enim has vllo pacto lædere) extēplò à certamine cessant. Diod. Sic.lib.4.cap.3.

AGESILAVS, cū cæteris in rebus esset rigidior, & exactè iusti legūque tenax: tamen in amicorum negociis existimabat inhumanitatis ac sæuitiæ prætextum esse, nimium aduersus illos esse iustum. Huius rei testis est epistola quædam perbreuis, quæ fertur ad Hidriæum Carem scripta, qua cuidam amico veniam deprecatur in hunc modum: Nicias, si nihil peccat, dimitte hominem: si peccat, mihi dimitte: sed omnino dimitte. Innocentem punire scelus est. Quum enim iustitiam semper oporteat esse clementia temperatam, quoties nacta est grauem interpellatorem, & minus habet inuidiæ, & plus impetrat gratiæ. Eras.lib.1. Apoph.

Cùm quidam à rege defecisset, suasu DEMARATI Lacedæmonij ducis mutatus ad suos reuersus est. Eum cùm tentaret rex occidere: Turpe, inquit, fuerit, ô rex, si cum hostis fuerit, non potueris ab eo defectionis pœnas sumere, nunc amicum factum velis interficere. Hoc prudentissimo dicto & regis indignationem temperauit, & eius cui reditum persuaserat incolumitati consuluit. Vtrique consultor vtilis: alteri, ne quid indignum regia mansuetudine committeret: alteri, ne pœniteret ab errore reuocanti paruisse. Ibid.

GALETA Ptolemæum ad fontes quosdam, qui ad supplicium ducebantur, liberandos ingeniosè hortatur. Vide tit. Misericordiæ.

DEMOCEDIS Crotoniensis medici insignis fuit erga medicos Ægyptios humanitas. nam cum Darius rex pedem luxasset, nec isti regem curare possent, & cruci essent suffigendi, quòd à Græco medico superati forēt: impetrata ab rege venia, eos liberauit. Item vatem quendam Heleum, qui Polycratem secutus fuerat, & inter captiuos pro neglecto relictus. Herod.lib.3.

THRASYBVLI prudentiam & diligentiam in ciuium animis recōciliandis per ἀμνηστίαν pete ex tit. Clementiæ ciuium erga se mutuò.

Demonax, cùm QVENDAM vidisset seruum suū virgis tractantem: Desine, inquit, te seruo tuo similem ostendere. Seruus enim est, qui suis affectibus & cupiditatib. imperare non potest. Eras.lib.8.Apoph.

LEO Byzantius, auditor Platonis, cum missus legatus ad Athenienses ob miram ventris pinguedinem inter perorandum derideretur: Quid ridetis, inquit, ô Athenienses? Scitote mihi vxorem esse longè pinguiorē. Tales tamen tantósque vnus tantum & admodum breuis lectulus capit: discordes ne tota quidem domus. Philostratus in Sophistis.

CONCORDIÆ templum apud Romanos nullam aliam ob caussam ędificatum esse cōstat, quàm vt hominum inter se odia & simultates, quibus Respublica fluctuaretur, in eo factis sacrificiis deponerentur. Ideóque Seuero Romanorum imperatore iam morbo extincto, cùm odium inter Getam & Antoninum fratres ob regni successionem esset ortum, in magnum Romanæ reipub. detrimentum, Senatus decreuit, vt pro cōcordia vtriusque diis immortalibus sacrificaretur, ac præsertim ipsi Cōcordiæ. Dion Nicæus, & Xiphilinus eius abbreuiator in vita Antonini.

Cùm consulatum Cn. Pompeius & M. Crassus parum amico inter se animo gessissent, fertur consulatu ad finem tendente SEX. AVRELIVS in Senatu (vbi ambo erant Consules) dixisse, in somnis se à Ioue monitū, vt consulibus reuelaret, priusquam consulatu abirent, positis simultatibus, mutuam beneuolentiam redintegrarent. Quo audito Crassus, quanquam natu maior, primus consurgens, Pompeio dextram porrexit: haud indecorum sibi ducens, etsi senior erat, à se prius Pompeium ad copulandum amorem vocari, cùm eum Senatus quanquam in prima adhuc iuuenta Magni cognomine honestasset, ac deinde cùm per ætatem Senator nondum esse posset, decretis duobus triumphis insignem reddidisset. Cui contrà cum Pompeius mutuam ostendisset voluntatem, conciliatam ea hora amicitiam, quoad vixerunt, incolumem seruauerunt. Fulg. lib.5.cap.1.

CATONIS Vticensis studium in reconciliando Ptolemęo & Ægyptiis pete ex tit. Libertatis in reprehendendo Ethicæ.

Adeò clementi ingenio AVGVSTVS fuit, vt sibi similes amicos omnes optaret. Id patuit, cùm eo apud Pollionem cœnante, seruus cristallinum vas confregisset. Nam domini iussu murænarum pabulo damnatus, in viuarium perferebatur. Is cùm ducentium manus effugisset, se ad Augusti pedes prouoluit: id vnum petens, vt alio mortis genere periret. Augustus vt mortis caussam genúsque intellexit, solui seruum iussit: virguláque omnia Pollionis cristallina perfregit, viuariáq; euertit. Se enim caussam dixit adimere Pollioni velle, ne in animi perturbationem incideret, aut ob eiusmodi caussam in posterum seruum aliquē tam crudeliter perderet: qui cuiuscunque esset generis, in hoc ipso quod homo erat, pluris quàm omnia quæ terrarum orbis haberet vasa, faciendus erat. Fulg.lib. quinto, capite primo.

Regnante Philippo Deodato, cùm internecinum bellum inter Rothomagensem regem, ac sancti Egidij comites esset, neque ei vllius opera finem imponere posset: pauper quidam vir DVRANDVS nomine, ex Podio pusillo loco ortus, cùm in parua membrana pictam virginis imaginē cum filio gestaret, in cuius margine Latinè inscriptum erat, Agnus Dei dona nobis pacem: eam sibi à Deo datam dicebat, & iniunctum, vt bellantes inter se populos pacem inire Dei verbis iuberet. Eius orationi fides habita est: atque inita pace, imagini illi similes permultæ factæ fuerunt, quæ gestantes eas in pileis, non incolumes solùm inter arma præstabant, verùm vt viatico quoque in itinere iuuarentur efficiebant. Fulgos. lib.1.cap.1.

Gratianum Imperatorem Gentilium quidam conuiciis proscidērat, eúmque à patre suo degenerasse dixerat. Capitis ergo damnatus fuit. At AMBROSIVS episcopus Mediolanensis properè ad Imperatorem cōtendit, eúmque in theatro venationibus indulgere animaduertens, cùm alia

via non posset, cum venatoribus theatrum ingreditur: neque inde prius est egressus, quam Gratianum & eos qui cum eo erant de absoluēdo homine permouisset. Nicephorus lib.12.cap.41.

Inter Germaniæ principes Electores, COMITES Palatini pacis studio semper fuêre celebres, & veri εἰρηνοποιοί. Ea propter tot Friderici inter eos extiterunt, conuenienti suis moribus nomine.

FERDINANDVS Imp. pacis studiosissimus fuit. Sub illius certè imperio Germania tranquilla fuit. Dedit hanc nimirum prosperitatem illius pietati Deus opt.max. Atque vtinam tam benigno principe diutius nobis frui licuisset.

VITIVM IN EXCESSV: ΟΡΓΙΛΟΤΗΣ

Impotentiam animi hic consideramus, quæ mentem à suo statu deiicit. At sub loco Iniustitiæ eadem exempla recenseri possunt, habita ratione inæqualitatis.

IRA IMMODERATA, ABSQVE VINDICTA TAMEN, *vel quia nolit, vel quia non posit.*

Nolunt vlcisci, quamuis poßint & cupiant, propter maiorem aliquam caussam: vtpote metum alicuius periculi, spem lucri, &c. Interdum non vlciscuntur, cum cupiant tamen, & velint, quia non possunt. Vtrobique peccatur in excessu iræ internæ, quamuis exterius per vltionem in opus non prodeat.

Audientes IACOBVS & IOANNES, quòd Samaritani non reciperēt nuncios Domini, aiunt: Domine, vis dicamus, vt ignis de cœlo descēdat, & consumat illos? Et conuersus Dominus increpauit illos, & dixit: Nescitis cuius spiritus estis?

VLTIO IMMODICA ERGA RELIGIONIS HOSTES, EXTRA BELLVM.

Consule tit. Iniustitiæ Religiosæ, in piis hominibus persequendis. Item tit. Martyrum.

VALENS Imperator Arianus 80. viros orthodoxos (ex quibus Vrbanus, Theodorus & Menedemus præcipui) qui ad eum Nicomediam venerant supplices, naui impositos, quasi in exilium relegandos, in medio pelago comburi iussit. Socrat.lib.4.cap.16. & Sozomenus lib.6. ca.14.

IRA ET VLTIO IMMODICA PRINCIPVM ERGA *suos ciues & subditos, extra bellum.*

Consule tit. Odij erga subditos.

Cùm Corcyræi Lycophronem, Periandri Corinthiorum tyranni F. interfecissent, PERIANDER eos armis superauit, & trecentos eorum filios ex primoribus, Sardis ad Halyattem castrandos misit. Eos tamen Samij liberauerunt. Herod.lib.3.

L. DOMITIVS prætor Siciliæ, illum qui sibi dono aprum attulerat, cruci affixit: cùm comperisset vi teli feram captam, quod antea per edictum vetuerat. Valer.Max.lib.6.cap.3.

AVGVSTVS Herothen, ægypti procuratorem, malo nauis iussit configi, quòd coturnicem aliarum victricem comedisset. Rauis.

IVSTINIANVS II. Imp. in vindicandis suis aduersariis crudelior quàm iustior fuit. Chersonenses, qui eum prodere exulem machinati erant (ad eos enim lingua, naso & auribus mutilatus, à Leontio patricio Constantinopolitano fuerat relegatus) prorsus delere instituit: septem ex primariis eius loci, verubus ligneis affixos assauit: viginti verò aquis submersit, & reliquam multitudinem acerbo mortis genere sustulit: ad infantes, quibus sicarij pepercerant, extirpandos, classem instruxit. Sed in classis tempestate disiecta ministros illos cædis ad septuaginta millia, antequam in Chersonam venirent, in profundo maris submersit. In ciues adeò sæuiit, vt quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abstergeret, toties aliquem ex eis trucidari iuberet. Leontium & Absimarum, qui imperium inuaserant, pedibus conculcatos, acclamante populo, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & leonem & draconem conculcabis, iugulari fecit. Tandem omnibus exosus, à Philippico præfecto exercitus interfectus est: & hanc laudem sibi reliquit, vt hæreticus, adulter & tyrannus ab omnibus proclamaretur. Paulus Diaconus libro 19. & 20. rerum Romanarum, Iuo in Chronico: & Heinricus de Erphordia.

IOANNES 12 Pontifex, cum accepisset è Cardinalium numero, duos ad Italiæ totiúsque ecclesiæ salutem commodúmque per literas cohortatos esse Othonem imperatorem, vt confestim in Italiam descenderet: superbum atq; insolens nimis ingenium pro tyranni more sequutus, alteri eorum nasum, alteri autem manum, qua scripserat, desecuit. Fulg. libro 9.cap.5.

FERDINANDVS rex Neapolitanorum, eos qui ceruum, aprúmue furtim vel palàm occidissent, alios manibus mutilauit, alios suspēdio affecit: agros quoque serendos interdixit dominis, legendásque aut glandes, aut poma, quæ seruari volebat in escam feris, ad venationis suæ vsum. Pont.lib.de Immanitate, cap.14.

IRA IMMODERATA, VLTIO ET VINDICTA NIMIA *Subditorum erga principes & Magistratus, ipsam denique Patriam.*

Exempla quædam pete ex tit. τυραννοκτόνων.

Cyrus Persarum rex, ad Amasim Ægyptiorum regem miserat petitum ocularium medicum præstantissimum. MEDICVS ille infensus Amasi ob idipsum, quòd vxorem & liberos relinquere cogeretur, mortuo Cyro, Cambysi Cyri F. persuadet, vt Amasis filiam in matrimonium peteret: quam si dare recusaret, bellum ei iure posset inferre. Amasis cùm filiam dare nollet (sciebat enim Cambysem pellicis tantum loco habiturum) nec recusare tamen auderet, Nitetim Apriis regis superioris filiam tanquam suam ad Cambysem mittit. Re intellecta, Cambyses Amasi bellum intulit. Et sic medicus Amasim vltus est. Herod.lib.3.

LOCRENSES crudele Dionysij facinus vlciscentes, sublato per Dionē eius regno, vxorē Dionysij vnà cùm filiis non tantū prostituerunt: sed post expletā etiā libidinem, compunctas acubus intra digitorū vngues, interemerunt, ossáque in mortariis contuderunt: & carnes ab ossibus abstractas, si quis non comedisset, eum diris deuouerunt. Ælian. libro nono de Varia historia.

MATHON Carthaginensis à suis exilio mulctatus, patriam infesto petit exercitu. Vide tit. Crudelitatis parentum erga filios.

Onesilus Gorgij Salaminorum regis frater, quoniam Cyprios induxerat, vt Dario se submitterent, comprehensus ab AMATHVSIIS (quibus id volebat persuadere) obtruncatus est: eiúsque caput supra vrbis portas suspensum. autor Herod.

Iasonem Thessalum Persarum regi bellum inferre parantem, an satis iusta vltio absumpserit, ambiguæ æstimationis est. Taxillo enim gymnasiarcho à quibusdam IVVENIBVS pulsatum se conquesto, permisit, vt aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret. Qua posteriore vindicta vso, qui vapulauerant, Iasonem interfecerunt, animi non corporis dolore pœnæ modum æstimantes. Cæterùm paruo irritamento ingenui pudoris maximæ rei expectatio subruta est, quoniam opinione Græciæ tantum in spe Iasonis, quantum in effectu Alexandri reponebatur. Val.Max.lib.9.cap.10.

L. CATILINA in Senatu M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicente: Sentio (inquit) & quidem illud, si aqua non potuero, ruina extinguam. Quem quid aliud existimemus, quàm conscientię stimulis actum, simulachrum à se inchoari parricidij peregisse? Idem cap.11.

C. CALIGVLA Romanorum Imp. qui crudeliter in multos sæuierat, hominésq; abstrahi à spectaculis, partim abeuntes è theatro abripi iusserat occidendos, quosdam è sociis suis innocenter de ponte in mare deiecerat, innocētes accusauerat atq; dānauerat, tandem suę crudelitatis dignas pœnas dedit. Cùm enim ludos edidisset, atq; iam domū properaret, à milite interfectus est. Eo turpiter mortuo, nemo corū qui aderant

præsentes, manus ab illo abstinuit, sed mortuum consecerũt vulneribus, nonnulli etiam carnem eius degustauerunt, eiúsque filiam atque vxorẽ miserè occiderunt. Atque sic is qui optabat populum Romanum vnam ceruicem habere, vt vno ictu perdere posset, sensit complurium manus sibi infensas esse, qui vnam ceruicem habebat. Xiphilinus in Caligula.

COMMODVS Romanorum imperator, post crudelia facinora à Narcisso interfectus, statim hostis patriæ nuncupatus est. Hunc Senatus populúsque Romanus editis clamoribus, multis ac grauibus contumeliis insecuti sunt. Cupiebãt autem in primis corpus eius sicuti statuas, trahere & lacerare: sed cùm dixisset Pertinax, iam terræ traditum esse corpus, atque sepultum esse, à corpore abstinuerunt. In cæteris autem prætermisere nihil, quin iacerent in illum contumelias cuiusuis generis. Iámque Commodum imperatorem appellabat nemo, sed perniciem atque tyrannum: addebant etiam, illudentes ei, gladiatorem, aurigam, scæuam, herniosum. Xiph. in Commodo.

CLEANDER, qui ex seruo summus apud Commodum Romanorũ Imp. cubicularius factus est, cùm iam crudeliter in vrbe grassaretur, atq; pro animi arbitrio cuncta gereret, à populo interfectus non tantum est cum filio, qui in Cõmodi manibus educabatur: sed totũ etiã eius corpus tractũ per plateas, atque miserè laceratũ, capútque eius ignominiosè in pilo per totam vrbem gestatum est. Dion Nicæus & Xiph. in vita Com.

Nulla ciuitas in se vlciscenda, magis suo dolori, quàm Constantinopolitana indulsit ciuitas, quæ Andronico imperatori (quia cum sorore stuprum patrasset, Alexióque pupillo interfecto, imperium aggressus, omnem propemodum nobilitatẽ sustulisset, alios alia iniuria afflixisset) abrogauit primò imperium, in ordinem inde redactum altero priuauit oculo, asinæque auersum imposuit, bestiæ caudam pro sceptro habentem, pro diademate restem. Per vrbem inde circumuehitur, viris fœminísque in eum probra iacientibus, lutúmque & alia fœdiora dictu in prętereuntem congerentibus, postremò laqueo pendens vncis & harpagonibus est laniatus. Multi particulam corporis vnco adeptam non solùm attrectare, sed mandere etiam sunt ausi. Sab. lib 8. cap. 4.

VENETI Petrum Candianum ducem principatu pulsum quintum decimum post annum, incensaque simul ducaria æde cum D. Marci templo, fugientem cum paruulo filio, supplicantem etiam, vt ipsi saltem parcerent puero, cum coniuge ipsa & filio interemerunt: inuentúmque eius cadauer in macellum vsque pertraxère, membratímque laceratum canibus tradidere. Egnat. lib. 9. cap. 10.

IOANNES Paccius sic in Mediceos exarsit odio, vt ausus sit in diuæ Reparatæ templo Laurentium & fratrem Mediceos, quum sacris sacerdos litaret, ferro petere: quorum alterum interfecit, alterum acerrimè vulnerauit, dum in sacrarium fugeret. Sed tamen Paccius ipse Ioannes pœnas meritas luit, dignus vt nominis eius nullus vnquam meminisset. Egnat. lib. 9. cap. 3.

Orta inter Ioannem decimum pontificem, atque Albertum Ethruriæ Marchionem discordia, quia Albertus Pannonas aduersus Romanã ecclesiam mercede conduxerat (qui iuxta gentis suæ morem, ferro atque igne omnia fœdabant) indignatus ob eam rem Populus Romanus, quòd illorum discordiis Romanus ager vastaretur, capto Alberto, caputademit. Exercitus quoque pontificem manibus in eum iniectis, in carcere puluino ori obiecto enecauit: nulla in vtroque dignitatis vel ecclesiasticæ vel secularis habita ratione. Fulg. lib. 9. cap. 3.

Cùm Badilus vir Gallus, nobilitate inter suos clarus, iniustè à Childerico Gallorum rege vapulasset, adeò ira, atque indignatione exarsit, vt per occasionem manu sua venantem Childericum interimeret: neque eo contentus regi coniugem, quæ vterum ferebat (in regno enim magna Badilus potentia erat) addidit. Fulgos. lib 9. cap. 10.

IOANNES Andreas Lamponianus Mediolanensis ciuis, tantum iræ odióque indulsit in Galeatium Sforțiam Mediolanensium ducem quòd sibi haud satis fauisset, in ea rerum difficultate quę illi erat cum episcopo Comensi Branda nomine, vt furore præceps, tribus additis comitibus, ipsum principem ausus sit in diui Stephani templo, dum sacris interesset, aggredi, multísque id spectantibus interficere. Quem vbi postea principis lictores insecuti in ipso templo vulneribus peterẽt, exclamabat: Petite inquam me, & confodite, sic enim perlibenter morior. Egnat. libro 9. cap. 3 & Sab. lib. 4. cap. 6.

MARCVS Placentinus presbyter, Adrianum pontificem nefandissimo odio prosecutus est: diutius enim eum è cubiculo prodeuntem frustrà quum expectasset, ira odióque in se vnum inflammatus, se ipsum tandem interfecit ad illius ianuam. Veritus, vt opinor, ne si id rescisset, quod cum aliis communicarat, acerbissimas pœnas daret odij tam iniqui & impij. Egnat. lib. 9. cap. 3.

Quum florerent res Gothorum in Hispania, Roderici regis auspiciis, nimia fœlicitate corruptus regis animus, ad violandam Iuliani Tingitani principis filiam, (quæ apud suam vxorem in regia tunc agebat longè pulcherrima) propensior fuit. Quòd quum pater filiæ literis accepisset, adeò exarsit, vt Mamolinum totius Mauritaniæ & Aphricæ principem impulerit, qui superato Gaditano freto Hispanias ipsas inuaderet: promittens sese illi præcipuum belli adiutorem & socium. Quare instructis copiis Muza duce, Iulianóque ipso præsente transgressus mare, Sictium primum Roderici filium acie vicit, & occidit: paríque fœlicitate Rodericum ipsum cum ingentibus copiis occurrentem fudit, & interfecit. Quo facinore perpetrato, vniuersa Hispania in Maurorum potestatem cessit, præter Astures montanos, ad quos ex fuga non pauci se contulerant. Cogitet igitur secum quisque animo, quanti constiterit Hispanis omnibus Roderici hæc regis immensa libido: quámque acriter doleant principes ingenio præstantes, sua pignora per vim corrumpi: quum meminerit, octingentos annos Mauros ipsos in Hispania ad nostram vsque ætatem, Maumethis auspiciis viguisse. Egnat. lib. sexto, capite primo Fulgosus ibidem.

VINDICTA IMMODERATA CIVIVM ERGA *se mutuò, extra bellum.*

SYRACVSANI, cùm audiuissent Dionem, à quo liberati erant, à Calippo Atheniensi interfectum esse, ægrè adeò tulerunt, vt in eius vltionem, quando eum in potestate habere non poterãt, filios interfecerint. Plutarchus in Dione.

HETRVSCI feroces in pœna excogitanda, viuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata atque constricta, ita vt singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebãtur, amari vitæ pariter ac mortis tortores. Val. lib. 9. cap. 2.

Hanno Hamilcharis Carthaginensium ducis filius, regnum affectans, scelestum facinus excogitauit. Desponderat filiam suam egregio iuueni: cuius insignes nuptias celebraturus, sub porticibus opiparum epulum populo præparari iussit: Senatum verò omnem in domo propria excepit, infectáque veneno pocula, conuiuij ministris, vt sitientibus Senatoribus porrigerent, tradidit: arbitratus, amoto Senatu Rempublicam cõsilio destitutam, occupari posse facillimè. Cùm autem fraus per ministros Senatui detecta esset, & cum minus tutum Reipublicæ videretur in tantum virum aliquid attentare, nil aliud in eum præter legem vnicam, quæ sumptus nuptiales arceret, pro tunc actum est. Attamen Hanno, dum in se nil audentes patres audiuit, impulsus acriori rabie, quod veneno nequiuerat explere, id agendum ferro proposuit: cuius ausui temerario cum exitus non satis responderet, à Ciuibus capitur, captus nudatur, nudatus virgis inclementer cæditur: dehinc eruuntur oculi, manus abscinduntur, demùm confringuntur crura. Sed cùm hos immanissimos cruciatus omnes viuens adhuc Hanno vicisset, fessi carnifices obstinatum spiritum abire ferro coegerunt: cuius lacerum cadauer & mille vulneribus deforme, in spectaculum cruci cunctis intuentibus affixum, altissimè sublatum est. Nec adhuc ciuium contẽta sæuitia, eius filios cognatósque, alios etiam innoxios quoscunque supplicio tradidit, ne vel ad imitandum tale scelus, aut vlciscendum Hannonis necem aliquis superesset. Guido Bitur.

M. DRVSVS tribunus plebis, Philippum consulem, eo quòd concionantem interpellarat tantùm, præcipitem in carcerem egit: & ita quidẽ, vt magna sanguinis ex ore & naribus copia efflueret. Alex. ab Alex. lib. primo, capite secundo.

Repentinam, atque haud scio an iustam quoque iram, populus Romanus ostendit, cùm ad mortem stilis graphiariis Erixonem equitem in foro percussit, quòd ab eo filius nimis sæuè vapulauerat. Fulgosus libro nono, capite tertio.

IRA ET VLTIO IMMODERATA PARENTVM ERGA LIBEROS.

Vide tit. Impietatis, Perfidiæ, Odij parentum erga filios.

Vetustior fama est, & magis poetarum nota fabulis, quàm historica fide nixa, res tamen cognitu non inutilis: potest enim exemplo prodesse. Phœnix Amynthoris filius, qui Achillem ad Troiam comitatus est, matri gratificaturus, patris interfecit pellicem. Prætulit Amynthor propriũ affectum domesticæ pietati: filiúmque dirè execratus, domo ac patria pulsum perpetuò multauit exilio. Sab. lib. 3. cap. 3.

ALTHEA, Oenei vxor, vt duorum fratrum cædem vlcisceretur, Meleagrum filium cædis autorem crudeliter deuouit, deuotum ad mortem compulit. Fuit hoc iræ indulgere, non seuerè animaduertere: secuta tamen est continuo pœnitentia, animóque consternata mulier laqueo vitam finiuit, ac domesticam cladem propria morte cumulauit. Ibidem.

HIPPOMENES Atheniensium princeps, Limonem filiam in adulterio deprehensam, equo feroci & famelico præbuit absumendam. Ouidius in Ibin:

Soláque Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente ferox viscera carpat equus.

Ortum est hinc adagium, Magis impius Hippomene.

HIPPODORVS vnus Codridarum, inuidiam populi vitare cupiẽs, & optimi principis famam inter Athenienses adipisci, seueritate in suos vsus est, ac filiam cùm mœcho deprehensam currui iussit alligari atque discerpi. Ælian. de Var. hist.

Fuerunt (ex numeroso, vt credere est, pellicatu) quinquaginta filij ARTAXERXI Persarum regi: hi Darij impulsu, quem pater cõtra morem gentis viuens regem constituerat, in senem coniurant. Nefarij consilij causa inde orta, quòd pellicem vnam, Aspasiam nomine, petẽti Dario negasset pater, facinus ostento simile, quòd in paternam cædem numerosa illa filiorum phalanx conspirare potuerit, nullo discrepante. Cęterùm omnis humanæ pietatis immemor pater, Darium concepti sceleris conuictum cum numerosa illa fratrum cohorte extremo affecit supplicio, coniugibus & liberis interfectis: vt ex tanta nuper sobole ne progenies quidem vlla superesset. nec ipse multum inde superuixit huic domesticæ cladi, morbo & mœrore confectus. Rex felicior quàm pater, regnauit annos duos & sexaginta, nonagenarius obiit. Sab. libro tertio, capite tertio.

Cùm aduersus Gręcos innumerabilem exercitum Xerxes duceret: Bysaltidum populorum, qui in Thracia sunt, REX, cùm nullo modo adduci posset vt eius imperata faceret, aut cum eo aduersus Græcos militare vellet, intra montes in loca difficillima se recepit, quibus nisi longo tẽpore pelli non posset: & his qui in regno remanserant imperauit, ne aduersus Græcos militiam inirent. Sed filij spreto paterno imperio Xerxẽ secuti sunt. Itaque cùm postea finito bello, sex ex eis domo reuersi, nihil ob eam rem impendere sibi à rege periculi putarẽt, ipse ob spretum imperium ira succensus, omnibus seuerè erui oculos iussit. Ful. libro quinto cap. 8.

TIGRANES Armeniorum rex, in venatione collapso equo, cúm humi iaceret, præsentésque duo eius filij essent, maiorem natu, quia parentem non iuuit, & mortuum arbitratus, eius diadema capiti suo composuit: statim vt à casu surrexit, interimi iussit, regnúmque minori natu filio tradidit: quia & patrem iuuit, & ex casu dolorem se accepisse ostendit. Ibidem.

Tigranis mentio, MITHRIDATIS qui in Ponto regnauit, memoriam secum trahit: etenim ei socer fuit. Is cùm aduersus Bosphoranos & Colchos, qui ab eo rebellauerant, exercitum duceret, Colchi se imperata facturos ostenderunt, si eis Mithridatem filium principem dedisset. In ea re cùm eis morem gessisset, positis armis Colchi pacatos se prębuerunt. Cæterùm haud multo pòst, is filium Mithridatem sub aliarum rerum prætextu vocatum ad se, quia eius opera defecisse Bosphoranos & Colchos putabat, cathenis aureis vinxit, & postremò mori coegit. Ibidem.

Carthaginenses detestandum patriæ morem secuti (consueuerant enim ducum suorum culpæ ascribere, quæ aduersa fortuna contigissent) MATHONEM cum toto exercitu exilio mulctarant: quia peste magna ex parte consumpto exercitu in Sicilia atque Sardinia victus fuerat. Hi autem in desperationem versi, naues conscẽderunt: & Carthaginem profecti, malè de se merentem patriam obsidere cœperunt. Contingit vt eò iter faceret Carthalo sacerdos, Mathonis filius, qui Tyro sacrorũ causa reuertebatur. Is à patre vocatus, subsistere neglexit, sed rectà Carthaginẽ tetendit. Id, vt debebat, religione motus patienter Matho tulit. Sed non multo pòst, Carthaginensium permissu, Chartalo sacerdotali veste amictus atq; corona ornatus, in castra ad visendum parentẽ venit. Indignatus Matho tanto ornamento, cùm antè filium corripuisset, quòd in tam superbo habitu, ad miserum parentem conciuésque exules venisset (quippe qui ita eorum casibus insultare videbatur) in altissimam crucem sublatum, mori coegit. Ibidem.

IRENE Augusta Constantinopoli nimis seuerè acceptam à Constantino sexto filio iniuriam vlta est. Nam cùm eam filius ab administratione imperij deiecisset, in qua post Leonis quarti viri sui mortẽ simul cum filio perseuerauerat, contigit, vt postea filius, cùm malè Rempublicam gereret, à populo in vincula coniiceretur, & Irene mater imperio restitueretur. Itaque in carcere manẽti, mater effodi oculos iussit, vbi prę dolore is haud diu superuixit. Ibidem.

VSSVNCASSANVS Persidis ac Armeniæ rex, Masubeum filium secum semper in vinculis duxit, atque ad extremum mori coegit: quia cum matre ipsius Gurlumonech, qui ab eo desciuerat, sensisse dicebantur. Ibidem.

FRIDERICVS secundus Imperator, filium Henricum in carcere peremit, suspicatus sentire eum cum Gregorio Pontifice, quo cum Fridericus ipse bellum non sine magna odij acerbitate gerebat. Ibidem.

LENOGILDVS Gothorum rex, in Hispania Arriana hæresi laborabat, eámq; veram fidem esse rebatur. Cùm autem sciuisset Hermogildũ filium ex Arriano catholicum effectum, idque vxoris Nigegundæ Childerici Gallorum regis sororis, item Leandri Hispalensis episcopi suasu egisse: arbitratus eum vehementer errasse, cùm seuerè fidem suam tueri vellet, crudelissima morte affecit. Ful. lib. 5. cap. 8. & Ritius lib. 1. Hispanię: & Sigeberr. qui Lewigildum vocat.

DEVTERA Gallorum regina vidua, Theodeberto Gallorum regi nupsit, secúmque formosissimam ex primo viro susceptam filiam duxit. Suspicata autem Theodebertum ad hanc animum adiecisse, interimi puellam iussit: leuissimæque suspicioni, qui tam potens esse consueuit, maternus amor cessit. Fulg. Ibidem.

CLOTHARIVS Gallorum rex, cùm Vasconibus Aquitanísque Cranium (alij Chrannum vocant) filium præfecisset, & is iuuentæ feruido ingenio actus, amicorum monita non audiret, potestatem atque imperium aspernaretur, & ob eam rẽ palàm ab eo rebellasset: Clotharius pater aduersus eum cum ingenti exercitu profectus, cedere vsque in Morinos Venetósque, siue (vt præsentia nomina sunt) in Britones filium coegit: illic demum victus, captúsque, & vnà vxor ac liberi eius statim Clotharij iussu simul colligati, in pastorali casa, viui spectante patre, combusti sunt. Cùm eum neque paterna charitas, neque innocentium tenera ætas, quæ permultum tangere auorum corda solet, vlla in parte commoueret. Fulg. lib 5. cap. 8 ex Sigeberti Chron.

Comes de Fois (loci gallici nomen est) cùm ei dotalem pecuniam Celtiberorum (qui nunc Nauarienses dicuntur) rex, vxoris frater deberet, sorórque ad eam repetendam profecta nihil profecisset: verita ad virum propter eius iracundiam redire, se apud fratrem continebat. Filio autem Vascone nomine, ad eam visendam à patris domo profecto: rex, dum eum dimittit, posteaquam de Comitis ingenio quædam locutus, iniquè ipsum aduersus pueri ipsius matrem agere dixisset, puluerem in paruo folle dedit: ostendens si ea pater vesceretur, fore vt vxorem diligeret. Ita fore puer arbitratus, ab illegitimo fratre, quo cũ de ea re verba fecerat, apud patrem accusatus est, & pulueri venenum inesse experimẽto cognitum fuit. Quamobrem in vincula à patre cõiectus, morti damnabatur, nisi populi re intellecta ad principem conuenissent: veniámque ætati, in qua dolus non erat, impetrassent. Cæterùm durus pater, contumelioso nomine, proditionem filio semper exprobrãs, turpi supplicio affecturum se eum comminabatur, atq; in tetro carcere macerare pergebat. Qua immanitate filius in desperationem coniectus, cùm morte finire contumeliæ dolorem statuisset, obstinato animo omni cibo abstinebat. A qua sententia vt deduceretur, molliorem se in eum pater ostendens, quia blandiendo non proficiebat, verberibus eum affecit: sed filius in sententia perstans, interiit, cùm in Gallia Carolus sextus regnaret. Ful. Ibidem.

IRA IMMODERATA FILIORVM ERGA PARENTES.

Consule tit. Parricidarum, & Impietatem filiorum erga parentes.

ORESTES matrem Clytæmnestram interfecit, quòd illa suasu Ægysthi adulteri, Agamemnonem patrem occidisset, maritum suum.

TENNIS nimia ira erga patrem veniam petentem, vide tit. Miro modo seruati.

NICOMEDES, cùm patri Prusiæ Bithyniæ regi suspectus esset, quòd à populis nimium diligeretur, ab eo Romam missus est: & quia illic quoque cũ honore Romani habebant, patri suspicio atq; odium simul creuit. Itaque cùm tentaret, vt Romæ occideretur, re ab eo detecta, qui vt cędem perageret missus fuerat, Nicomedes in Bithyniam profectus, cùm populi à Prusia patre rebellassent, fugientem eum interfici iussit. Prusias igitur, quia suspicionis plus haberet quàm oportebat (vt persępè euenit) sibiipsi eius mali causam attulit, quòd sine ratione futurum metuebat. Fulg. lib. 9. cap. 10.

ANTIOCHVS Gryphus, Syriæ rex, cùm sciret venenatam esse potionem, quam ei mater porrigebat, haud iniusta vltione coegit, vt eam mater biberet: qua hausta, repentè mortua concidit. Ibidem.

CHOSROES Persarum rex crudelissimus, & Christianorum hostis atrocissimus, cùm ab Heraclio Imp. per annos sex bello esset in Persia exagitatus, & filium suum natu minorem regem designasset: SYROES filius natu maximus, vindicaturus ius suum, patrem captum indignè tractauit modis. Primùm manibus pedibúsque ligatis, è collo etiam ferrea pila suspensa, eum in altissimam turrim, quam is ad recondendas pecunias condiderat, deiecit: ibi solo pane & aqua parcissimè pauit, addens sæuissimas exprobrationes, vt de auro comederet, quod tam multorum sanguine, támque immani vastatione orbis terrarum collegisset. Postea cùm eum inde extraxisset, spectatorem crudelissimæ cædis filiorum, illius præsertim quem regem fecerat, esse coegit. Tandem multis conuiciis proscissum obtruncauit: cadauer omni ludibrio affecit, & sagittariis tanquam scopum in quem collimarent per quinque dies integros proposuit. Paulus Diaconus libro 18. rerum Rom. & Regino libro primo Chron.

Aroldus rex Anglorum, Cuntonis filius nothus, patri successit: quod ægreferens ANDEBVNTHVS (qui erat legitimus) mortuum Aroldum refodi iussit, refossúmque in mare proiici Volat.

ALPHONSVS primus rex Lusitaniæ, matrem coniecit in vincula, quòd mortuo primo marito secundas tentasset nuptias. Rauis.

SANCTIVS Castulonensis comes, cùm à materna ancilla accepisset à matre principem quendam Arabem amari, & vt commodius Veneri cũ eo operam dare posset, ab ea ipsius vitę veneno insidias esse paratas: quo tempore poculum, in quo venenum miscuerat mater porrexit, iusta ira Sanctius ad vltionem impulsus, ipsam vt prius biberet coegit: & ita vt digna erat, mater confestim mortua est. Fulg. lib. 9. cap. 10. & Egna. l. 9. c. 10.

IRA ET VINDICTA IMMODERATA ERGA CONIVGES.

PROGNE Pãdionis Athenarum regis filia, Ityn filium marito suo Tereo Thracum regi apposuit comedendum, quòd stuprum intulisset Philomelæ, eiusdem Prognes sorori.

OLYMPIAS, ex Pyrrhidarum sanguine, filia Neoptolemi Molossorum regis, Philippo Macedonum regi nupta, adulterij suspecta fuit, ita vt Philippus non solum palàm diceret, ex se non genitum Alexandrum, verum & Olympiadem ignominia notaret repudij, & Cleopatram Alexandri Epirotæ filiam in vxorem duceret. Quod Olympias ægrè ferens, impulit Pausaniam iuuenem, ex Orestis sanguine natum, in Philippi viri sui necem, conscio etiam Alexandro filio. Demùm Cleopatram, post illisam saxo filiam, ad laqueum compulit. Alexandro filio apud Babyloniam per venenum absumpto, Macedoniæ regnum sola obtinuit vidua & regina. Verùm cum passim in cruorem tam nobilium quàm plebeiorum Macedonum quasi bellua debaccharetur, obsessa est à Cassandro in Epidua ciuitate, occisáque miserrimè. Guido Bitur.

Cùm Rosimunda Longobardorum regina, viro suo Alboino necem per Helmigem equitem suum procurasset, regno populorum indignatione pulsa, Rauennam cũ adultero fugæ comite profugit. Illic, vt fœminei moris est, cum Helmigis eam satietas, cæpisset, & mutare adulterum cuperet: dum ambo balneis egrederẽtur, ipsa Helmigi venenatum poculum propinauit: idque quod erat Helmiges cùm bibendo præsensisset, stricto gladio eam coegit, vt quod in poculo superfuerat ipsa hauriret. Qui quanquam eo haustu antè moreretur, viuus tamen Rosimundam vltus est, quandoquidem haud diu post Helmigim ipsa quoque decessit. Fulgosus libro nono, capite decimo.

VINDICTA ZELOTYPA. AMORIS SPRETI VLTIO.

Exempla pete ex tit. Virginitatis custodiæ.

Antheus, regij generis ex Halicarnasso adolescens, Phobio Nelidæ tunc Milesiis imperanti obses datus fuit. In huius amorem Cleobœa (quam quidam Philachmen vocauerunt) Phobij vxor illapsa, multa sanè machinata est, quibus adolescentem alliceret. Quam autem ille eam auersaretur, aliquando quidem timorem prætexuit, ne videlicet manifestum id fieret: aliquando autem hospitij ius & communem mensam caussatus est, tamdiu vt Cleobœa ægrè rem ferens, in animo haberet vlcisci eum, immisericordem ipsum & superbum vocans. Quare temporis progressu amorem in se extinctum simulabat: ac perdicem cicurem in profundum puteum demittens, Antheum rogabat vt descenderet atque extraheret illam. Itaque quum promptè obediret, nihil enim mali suspicabatur) Cleobœa ingentem super eum deiicit petram, vnde ille statim mortuus est. Ipsa verò animo voluens quàm graue flagitium perpetrasset, atque aliàs etiam vehementi adolescentis amore flagrans, seipsam suspendit. Porrò Phobius ob eandem caussam tanquam scelestus, Phrygio regnum cessit. Dixerunt autem quidam non perdicem, sed vasculum aureum in puteum proiectum fuisse. Parthen. in Erot. cap. 14.

CLEONYMVS Lacedæmonius regij generis adolescẽs, & qui multa præclara facinora apud Spartanos designauerat, vxorem duxit Chilonidem genere sibi cognatam. Quam quum vehementer contineret, impatientérque amaret, ab ea despectus est: tota autem tenebatur amore Acrotati filij regis. Etenim adolescens is palàm eam deperibat, vt omnibus in ore esset eorum consuetudo. Quam rem grauatè ferens Cleonymus, & qui aliàs Lacedæmoniorum mores non probaret, ad Pyrrhum abiit in Epirum: ipsúmque persuadet vt aggrediatur Peloponnesum. futurum enim vt si acriter bellum vrgeat, facilè vrbes in eo expugnet. Dixit etiam rem sibi præmeditatam esse, vt & victus bellici certa ratio ei sit adfutura. Idem cap. 23.

HVRCATVS Æthiopum rex, cùm Ephigeniam Christo dedicatam virginem nec minacibus verbis, nec alio quouis pacto in matrimonium suum pertrahere posset: monasterium illud quod inhabitabat, cremari præcepit. Sed flammæ statim in eius palatium conuersæ, totum absumpserunt. Isque demum horrida lepra percussus, cùm nulla medendi foret occasio, sese mucrone proprio interemit. Guido Bitur.

TRAMBELVS Telamonis filius, Apriaten Lesbiam per insidias rapiens, cùm votis eius satisfacere nollet, in mare præcipitauit. Parthenius in Erot. cap. 26.

VALERIVS Torquatus, in eo bello quod cum Tusco gerebatur à Romanis, cùm regis filiam Clusiam nomine vidisset, vxorẽ à Tusco petiit: quam cùm minimè consecutus esset, oppidum diripuit. Theophilus lib. 3. rerum Italicarum: & Plut. cap. 23. Parall.

IRA IMMODERATA ERGA FRATRES, SORORES, SOCEROS, &c. *quosuis denique consanguineos aut affines.*

Exempla ex tit. Inimicitiæ aut Odij erga fratres, &c.

ABSALON, vt vindicaret iniuriã sororis suæ, quam oppresserat Ammon frater eius, fecit pergrande conuiuium, & fratrem suum inuitauit: & dum comederet, eum occidi iussit. 2. Reg 13.

SALOMON contra Bersabeæ matris suæ preces, Adoniam fratrem occidi iussit, quòd in eum insidias machinatus fuerat. Ioseph. 8. lib. Antiquitatum, cap. 1 & 3. Reg 2.

ATREVS Pelopis filius, vxorem habuit Meropen: quam quum stuprasset Thyestes frater, & grauidam fecisset, susceptos ex ea liberos Atreus decoxit: & conuocato per speciem beneuolentiæ fratri apposuit comedendos. Quod facinus adeò sol exhorruit, vt refugus matutinum repetiuerit cubile. Vide Ouidium lib. 1. de Ponto.

HORATIVS post prælium trium Curiatium conditione pugnæ omnium Albanorum victor, cùm ex illa clarissima acie domum repetẽs, sororem suam virginem Curiatij sponsi mortem profusius, quàm illa ętas debebat, flentem vidisset: gladio, quo patriæ rem bene gesserat, interemit: parum pudicas ratus lachrymas, quæ præpropero amori dabantur. Quem hoc nomine reum apud populũ actum pater defendit. Ita paulò propensior animus puellæ ad memoriam futuri viri, & fratrem ferocem vindicem, & vindictæ tam rigidum assensorem patrem habuit. Val. libro sexto, capite tertio.

Gundegarus Burgundiæ rex, Athanarici stirpe ortus, quatuor liberos suscepit, Gondebaldum, Godisillum, Hilpericum & Gondemarum. Gõdebaldus cùm barbarè sæuiret, fratrem Hildericum, cum coniuge occidit: ac de tribus filiis duas in exilium misit, natu minorem Clotildim nomine apud se retinuit: quæ propter eximiam formam, in matrimonium à Clodoueo petita, occultè ei nupsit, atque de patrui manibus vi extorta est. In quem adeò Clodoueum virum ipsa inflammauit, vt Gõdobaldus, cùm minus viribus valeret, pacem ingenti precio ab irato Clodoueo emere coactus sit. Iis autem, id est, Clodoueo atque Gõdebaldo vita functis, in Gallia Clodouco Theodoricus, Lodemirus, Hildebertus, Lothariúsque filij successerunt: in Burgundia autem, Gondebaldo filius Sigismundus. Cùm verò in Clotilde neque ætas neque communis sanguinis respectus vltionis desiderium extinxisset, liberos in Sigismundum armauit. Qui prælio victus, cum fugeret captus, atque in vinculis à Lodemiro Aurelios deductus est: ab eo Clotildis mater obtinuit, vt Sigismundum cum vxore ac liberis (quemadmodũ olim Gondebaldus Sigismundi pater Clotildis parentes in amne submerserat) in puteum præcipites mitteret. Fulg. lib. 9. cap. 10.

IRA IMMODICA DOMINORVM ERGA SERVOS.

Peruagata est inter Phliasios fama, Herculem è Libya redeuntem, abreptis Hesperidum malis, Phliuntem venisse, sui cuiuspiam negocij caussa. Ad eum ibi commorantem Oeneum ex Ætolia, qui socer eius esset, accessisse. Ibi cùm vel Oeneus Herculem ad cœnam vocasset, vel ipse apud eum accumberet: dicitur Hercules digito vno, Cyathi pueri, qui erat Oeneo à calice, eius in fundendo ministerio offensus, tam grauiter caput percussisse, vt ex eo vulnere puer diem suum obierit. In eius facti memoriam, Phliasij apud Apollinis, cellam ædificarunt, in qua è marmore signa sunt, Cyathus Herculi poculum porrigens. Pausanias in Corinthiacis.

VEDIVS Pollio Augusti Cæsaris temporibus, in piscinis murenas habebat, quæ carnibus humanis vescerentur: eísque seruos obiiciebat, de quibus sumebat supplicium. Itaque cùm Augustum conuiuio excepisset, incernam qui fortè scyphum cristallinum fregerat, murænis obiici iussit. Is cùm ad pedes Augusti procidisset, veniam impetrauit, Augustus vasa crystallina omnia confregit, vt occasionẽ irascendi Pollioni adimeret. Dion in Augusto, & Plin. lib. 9. cap. 23.

Fera nimis, nedũ barbara fuit vltio Abagae Can, id est regis Tartarorũ, aduersus Paruanam: quòd cùm ab eo Turciæ præfectus esset (eius enim imperium Tartari, anno Salutis ducentesimo atque octuagesimo supra mille, sibi pepererant) precio eam regionem Ægyptio Sulthano vendiderat. Abagas enim, cùm postea armis Turciæ regnum recuperasset, captum proditorem (vt Scytharum mos est) medium desecuit, deinde corpus inter alias epulas coxit, ex eóq; & ipse & proceres eius epulati sunt: neque ita adhuc sibi pro iniuria satisfactum arbitrabatur. Fulg. li. 9. c. 10.

MAHVMETES Ottomanus Turcarũ rex, inter alia sæuitiæ genera, quibus vtebatur, quum in hortis, quos Cõstantinopoli in deliciis habebat, deesse pomum in arbore cedro, quod paulo antè inspexerat, animaduertisset: arbitratus proculdubio, vnum è tribus pueris, quos secum habebat, pomum decerpsisse, quòd in hortis prçter eos alius nullus fuerat, quia quilibet ipsorum se pomũ decerpsisse negabat, iussit vt ferro eorũ pectora aperirentur: & nisi in primi, cuius apertum fuit pectus, stomacho fuisset

inuentum, dubium non erat, quin ad omnes ipsos ea pœna transiret. Fulgos. lib. 9. cap 2. & Egnat. lib. 9. cap. 2. & Sab. lib. 9. cap. 3. qui non cedri fructum, sed binos pubescentes cucumeres huic crudelitati occasionẽ dedisse refert.

OTHO Antonius Montis Ferreti comes, atque Vrbinatium princeps, puerum, quem in cubiculi ministerio habebat, resinato linteo atque sulphure perfuso inuolutum, viuum in cãdelæ morem combussit: quòd hora, quam ei præfixerat, ipsum non excitasset. Fulgos. lib. 9. cap. 2.

MATTHIAS Coruinus, Hũgariæ rex, tonsori suo, quem pergratum habebat, locupletauerátque, labra ac nasum desecuit, atq; in lance ferri iussit: quòd is in regio cubiculo, ministris Aragonij cardinalis legati, vxoris suæ fratris, posteriores vestium partes per iocum mutilauerat: & ipse rogatus eius facti causam exprimere, ridens regi fassus erat. Cui pœnæ eũ rex damnauit, vt qui in maleficio ridebat, semper exertis dẽtibus etiam cum fleret, ridere videretur. Fulgos. lib. 6. cap. 3.

VENCESLAVS Bohemiæ rex Sigismundi frater Caroli quarti imperatoris filius & hæres, verbo ministri offensus adeò iracundia insaniuit, vt è mensa consurgens, arrepto pugione amicum interfecerit. Æneas Syluius lib. 1. Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

IRA IMMODERATA PRÆCEPTORVM ERGA DISCIPVLOS.

ORBILIVS Beneuentanus ludi magister fuit Romæ, tanta in discipulos seueritate, vt plagosus appellaretur, & vulnerarius.

IRA IMMODICA DISCIPVLORVM ERGA PRÆCEPTORES.

GALEAZIVS Sfortia, dux Mediolanensis, cùm à Cola Montano pędagogo puer vapulasset, postquã ad imperium euectus est, totidem plagas nudis natibus ei rependi, se inspectante, iussit. Quæ iniuria effecit, vt Cola tres ex suis discipulis, præsertim verò Hieronymum Olgiatum, ad tyranni cædem inflammarit. Iouius in Galeatij elogio.

NERO Imperator, quòd prerà Seneca præceptore verbera tulisset, cum mori coegit, data tamen mortis eligendæ copia, & res domesticas componendi spatio. Itaque in aquę calidę solium descendens, incisis venis, sumpto insuper veneno, expirauit.

IRA ET VINDICTA IMMODERATA ERGA *amicos aut inimicos, extra bellum.*

ASTYAGES Medorum rex, cùm paruum nepotem suum Cyrum, ab Harpago, contra ipsius imperium, seruatum fuisse intellexit: nulla eius rei ostensa indignatione, Harpagi filium, sub alterius rei prætextu, ad se vocatum, clàm occidit: atque in varia epularum genera coctum, ignaro patri vescendum apposuit: & posteaquam Harpagus his epulis naturæ satisfecit, ne eũ lateret filij extis se cœna saturatum, caput, manus, pedes que in lance, pro secundæ mensæ frugibus, ei iussit apponi. Fulgos. lib. 9. cap. 2. ex Herod. lib. 1.

CAMBYSEM admonitum scribit Herodotus à Thrasçaspe, qui erat illi maximè fidus ac charus, vt in potu esset abstinentior, quòd ebrietas in regibus maximè notabilis esset: respondisse, non mentem modò post vinum sibi, verúmetiam & oculos & manus in officio esse, idque breui se comprobaturum. Cúmq; liberalius quàm vnquam antea poculis indulsisset, iussisse filium eius vltra limen progredi, ibidémque consistere, alleuata supra caput sinistra, euestióque contento arcu cor illius mediũ sagitta fixisse, quod se transfixurum antea dixerat: conuersúmque ad patrẽ dixisse, Ecquid certam ipse videretur habere manum? Herod. lib. 3. Seneca de Ira lib. 3. Fulg. lib. 9. cap. 5. §. 6.

DARIVM Hystaspis F. Persarum regem, refert Seneca parantem expeditionem aduersum Scythas, rogatum ab Artabazo nobili admodum sene, vt è tribus liberis, quos rex ipse secum duceret, vnum ei in ętatis suę ingrauescentis iam solatium relinqueret, & tanquam senectutis baculũ: respondisse, Plus se quàm ille rogasset, præstiturum: trésque eos vnà ad patrem remissurum, confestimque occidi eos simul iussisse, atq; ante patris conspectum cruentos abiici. Pontan lib. de Immanitate cap. 21.

XERXES Darij filius, eùm in exercitu suo Pythij quinque liberos haberet, rogatus: Vt vnum ad patris solamen, ne omnes in eodem periculo haberet, relinquere vellet: respondit, Vt Pythius quem mallet eligeret. Electum autem Xerxes in duas diuisit partes, atque inter eas transire exercitum iussit. Fulgos. lib. 9. cap. 2.

ALEXANDER Macedo nimiam exercuit sæuitiem erga Callisthenẽ philosophum, suum condiscipulum, sibique familiarissimum. Nam cùm is Persico more vellet adorari, Callisthenes palàm dictitabat, Alexandrũ non adorandum esse. Alexander itaque Callisthenem coniurationis cõscium fuisse criminatus est, eúmque truncatis membris, abscissísque auribus, labiis ac naso deformatum, post varia tormẽtorũ genera de medio sustulit. Callisthenis itaque mors Alexandri crimen erit æternum, quod nulla virtus, nulla belli fœlicitas vnquam redimet: nam quoties dicetur, Occidit Alexãder Macedo Persarum multa millia, occidit Darium: subdetur statim, Et Callisthenem. Seneca lib. 6. Naturalium quæst.

CLAVDIVS Pulcher à Cilicibus piratis captus, cùm de redemptione cum eis conuenisset, atq; ad Cypri regem Ptolemæum misisset, qui mutuò pactam summam cum piratis posceret: Rex autem partem tantum dedisset, adeò exiguam, vt accipere eam piratæ recusarent: tandem sine precio Appius à prædonibus est dimissus. Qui cùm postea Romam venisset, à patribus ob id solùm ad plebem trãsiit, vt Tribunus plebis creari posset: id quod, donec inter patres mansisset, assequi nõ poterat. Creatus igitur Tribunus, nihil prius populo proposuit, quàm ingentes Ptolemæi Cyprij regis opes: atque populum cohortatus est, vt iudicato hoste Ptolemæo ad eas capessendas mitteret. Ita Appius Pulcher Ptolemæum vltus est, quod tam paruam sui rationem habuisset. Ful. lib. 9. cap. 10.

[redacted]

IRA ET VLTIO IMMODERATA IMPERATORVM *erga suos milites.*

SAVLVS, qui primus rex fuit in Iudæa, vsque adeò excandescere solitus erat, vt non irasci, sed furere & lymphari crederetur. Enimuerò regia appellatione nuper recepta, auditáque ab aratro suorum hominum legatione, Hammonitarum iniuriam quæreatium, bobus aratoriis, quos præ se agebat, succidit crura: edicto præfatus fore, vt sic non aliter dispeirent, quicunque sibi eo die ad Iordanem fluuium non præstò in armis essent. Eiusdem præceps illud & sęuum in filium Ionatham iudicium, implacabilis in Dauidem iracundia, in hostem pertinacia, quę ne fatali quidem cessit necessitati: periit tamen omnibus multo charior, quàm vixit. Sab. lib. 8. cap. 3.

PHEROTIMA Cyrenarum regina, Cyrenensibus irata, miserorum ciuium corpora palis defixa, circa muros vrbis disposuit, mulierum mãmas violenter auulsas in publico suspendit. Ibidem.

Metius Suffetius ex homine priuato rex Albanorũ factus, pugnans contra Tullum Hostilium, victus est, & Romanorũ vectigalis effectus. Demũ pugnantibus Romanis contra Veios, dum Metius, cui Tulli iussu commissi fuerant Albani, deberet admouere aciem in Fidenates, qui Veiorum partes fouebant: sensim montium subsidia, contra promissum ei ac summa religione firmatũ fœdus petiit, expectaturus quibus victoria prę stari videretur, vt illis tanquam amicus applauderet. At TVLLVS Veiẽtibus victis, omnibus tam Albanis auxiliaribus, quàm Romanis in concionem vocatis, Metium applaudentem illi ob victoriam palàm detecta fraude capi iussit: cumq; nudatum regiis ornamentis, alligari quadrigis in diuersa nitentibus præcepit: cuius corpus a gentibus lictoribus, & vi equorum trahentium, cum maximo patientis angore (vt ignominiam omittam) vtroque spectante exercitu, in partes plureis disceptum est.

Cùm aduersus Hasdrubalem LIVIVS Salinator bellum gesturus vrbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne antè descẽderet in aciem, quàm hostium vires animúmq; cognosceret: primum occasionem pugnã di non omissurum se respondit. Interrogatúsque ab eodem, quid ita tam festinanter manum conserere vellet? Vt quàm celerrimè (inquit) aut gloriam ex hostibus victis, aut ex ciuibus prostratis gaudiũ captam. Ita tunc atq; virtus sermonem eius inter se diuiserunt: illa iniustæ damnationis memor, hæc triumphi gloriæ intenta. Sed nescio an eiusdem fuerit hoc dicere, & sic vincere. Val. li. 9. cap. 3.

TIGRANES, arma in eum L. Lucullo mouente, illi qui primus huius rei nuncium tulit, pro munere caput ademit. Ful. lib. 9 cap 5.

Cum Lucretius Offella consulatum à L. SYLLA dictatore peteret, quòd ipsius opera Sylla vrbem Præneste cæpisset, atque iuniorem Mariũ euertisset: Sylla autem nutu consulatum negaret, neque ob id Offella rogare desineret: Sylla qui in foro deambulabat, manu sua eum interemit, atróxq; facinus grauiore verborum atrocitate auxit, cùm populo qui in concionem venerat, aratoris fabulam narraret. Pẽdiculorum enim morsu vexatũ (omissa oratione) vestem, vt poterat, manu sua purgasse, dixit: sed cum denuò earum bestiolarum morsibus peteretur, eandem diligẽtiam iterum adhibuisse: & cùm ob id ea molestia non liberaretur, vestem ipsam, pediculósque simul in ignem coniecisse: ob eam rem cohortatus est omnes, ne vltrà ei molesti essent, nisi eadem ob ipso perpeti cuperẽt;

inauditam profectò superbiam, orbis terrarum domitori populo tanquam mancipiis silentium indicere:& amicum, cuius labore periculóque multa esset assecutus, quia meritum honorem peteret, crudeliter occidere.Ibidem.

MACRINVS Imp.geminos boues miræ magnitudinis aperiri iussit: hísque milites singulos (qui ancillæ hospitis pudorem violasse ferebantur) inclusit, capitibus boum exectis, vt facilius vnà colloqui possent. Rauisius.

ALEXANDER Iudæorum rex, insigni crudelitate notus, quem alio nomine Iamnæum appellarunt, cùm Hierosolymam, quæ paulo antè ab eo desciuerat, armis in potestatem redegisset, octingẽtos Iudæos eodem temporis momento in crucem extulit: atque illis cernentibus, vxores eorum ac liberos interemit. nam præter fas iustúmque, ac prętér cōmunem hominum morem, contra innoxiam ætatem sexúmque sæuire non abstinuit. Fulg.lib. 9.cap 2.

TAMBERLANES Scytharum rex, gregarium militem (qui mulierculæ cuidam lac furto sustulisse ferebatur) mandauit interfici: apertísque intestinis, visceribus lac epotum extrahi. Rauis.

IRA ET VINDICTA IMMODERATA MILITVM *erga suos Imperatores.*

Consule tit. Odij erga Imperatores.

PSAMMETYCHVS Ægypti rex, illato Æthiopibus bello, exterorum militum virtuti magis quàm Ægyptiorum fidere videbatur. Cùm autem ob eam rem peregrinos maiore in honore haberet, indignati Ægyptij, ad ducenta millia coacti, Psammetycho rege deserto, in Æthiopiam tetenderunt. Cùm autem ipse abeuntes secutus blandè appellaret, patriæque & vxorum atque liberorum eos commoneret, Ægyptij in ira perseuerantes, concussis armis dixerunt, illis nouam sibi patriam comparaturos: sublatísque vestibus cùm genitalia membra patefecissent, donec incolumem eam corporis partem seruarent, neque vxores, neque liberos sibi defuturos: plus apud eos indignatio atque iracundia, quàm patriæ liberorúmque charitas valuit. Herod.lib.2.

Ira tantum potuit, vt vniuersum Populi Rom equitatum à Fabio Cõsule ad hostium copias persequendas missum, cùm tutò & facilè eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorem, immobilem retineret. Val.Max.lib.9.cap.3.

Ira Populum Romanum Appio Claudio duci, cuius pater, dum pro Senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrimè impugnauerat: infensum exercitum faciendo, voluntaria fuga terga hosti, ne triumphum imperatori quæreret, dare coegit. Ibidem.

Quintilius Varus in Galliam ab Augusto Cæsare missus, cùm subitò Gallis perinde atque seruis imperaret, & pecuniam tanquam à subditis exigeret: Galli licet ferre eius tyrannidem nequaquam possent, tamen apertè atque palàm deficere noluerunt: sed simulata beneuolentia, cùm is compararet exercitum, frequentes ad eum venerunt, quasi socij futuri essent ei ad bellum gerendum. Postea autem, cum nihil tale cogitantem inuadūt in locis quibusdam difficillimis, & circumstantes vndique iaculantur, quo ad exercitus populi Romani, qui neque sibi auxilio esse, neque se fugæ mandare poterat, interiit. Dion in Augusto.

MARTIALIS Romanus eques Macrini præfecti prætorij suasu, Antoninum Bassianum Caracallam imperatorem, dum in agro ventrem leuaret, à suis aliquantisper semotum interfecit: & cùm inde se fuga proripere vellet, statim interemptus fuit. Ad hanc autem cædem impulsus fuit, quòd paulo antè Bassianus eius fratrem interemerat. Fraternæ igitus necis vltionem, vitæ suæ anteposuit. Fulg.lib.9.cap.10.

VVILLA Gepida miles, Aldoaldum Gothorum regem, dominum suum, cœnantem vno vulnere interemit: quia vxorem, quàm antè ei promiserat, absente Vvilla vt regis negociis operam daret, rex alteri in matrimonio collocarat. Ibidem.

IRA IMMODERATA CIVIVM SIVE MILITVM ERGA SE *mutuò bellica. Seditiones & Intestina bella.*

Omnis vltionis mater est iniuria soror ira: quo maior est, eo certè minus seruari potest modus in vlciscẽdo. hinc graues mulctæ, & memorabiles vltiones, testes hominis sæpe à ratione aberrantis. Nemo iratus non vult tantum sibi licere, quantum libeat. Quod nisi sic esset, contenti esse potuissent Iraelis filij minore vindicta, quàm ea fuit qua vsi sunt vlciscẽdo Dinæ sororis suæ raptu. Sichimitas populariter trucidarũt, cùm ipse iniuriæ author tanti videri potuerit, vt citra vim omnem puella repeteretur, vel quia regis filius esset, aut quòd illius sponsus esse potuit. Sab.lib.8.cap.4.

Pari affectu, sed euentu adhuc tristiore, omnes Iudæorum tribus in Beniaminos cognatos suos hostiliter, & velut sacrata lege coniurarunt. Ob Leuitæ coniugem, Gabaæ ad stuprum raptam, dimicatum est sæpius acie aduersus totam gentem: consumptáque demum ferro est tribus vna nobilissima: pauci admodum media suorum strage reuulsi, in montium deserta abierunt, per quos ægrè, extinctum propemodum genus, est deinceps reparatum. Ibidem.

ABIMELECHVS Gedeonis nothus, Sichimitas, quia se vrbe & tribu eiecissent, incautos adortus, agrestibúsque intentos operibus, sine sexus & ætatis discrimine passim trucidauit: vrbem vi captam diruit, sparsítque in eius area salem pro semine. Profugos inde, vt velut tutissimum asylum templum multæ religionis occuparant cum liberis & vxoribus, circumdata lignorum strue, fumo & æstu crudeliter necauit. Idem.cap.3.

L. SYLLA, quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis dignè potest: quia dum quærit victorias, Scipionem se pop.Rom.dum exercet, Hannibalem repræsentauit. Egregiè nãque autoritate nobilitatis defensa, crudeliter totã vrbẽ atq; omnes Italiæ partes, ciuilis sanguinis fluminibus inundauit: quatuor legiones contrariæ partis fidem suam secutas, in publica villa, quę in Martio cãpo erat, nequicquã fallacis dextrę misericordiã implorantes, obtruncari iussit: quatum lamẽtabiles quiritatus trepidæ ciuitatis aures receperant: lacerata ferro corpora Tyberis impatiens tanti oneris, cruentatis aquis vehere coactus est. Quinque millia Prænestinorũ spe salutis per P.Cethegum data, extra mœnia municipij euocatos, cùm abiectis armis humi corpora prostrauissent, interficienda, protinúsque per agros dispergenda curauit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos, in tabulas publicas retulit: videlicet, ne memoria tam præclaræ rei dilueretur. nec contentus in eos sæuire qui armis à se dissenserant: etiã quieti animi ciues propter pecuniæ magnitudinem, per nomenclatorem conquisitos proscriptorum numero adiecit. Aduersus mulieres quoque gladios distrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est, abscissa miserorum capita, modò non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, vt oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quàm porrò crudeliter se in M.Mario prætore gessit? quem per ora vulgi ad sepulchrum Luctatiæ gentis pertractum, non prius vita priuauit, quàm oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes confringeret: vix mihi verisimilia narrare videor. At ille etiã M. Plethorium, quòd ad eius supplicium exanimis ceciderat, continuò ibi mactauit, nouus punitor misericordiæ: apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Sed mortuorum vmbris saltẽ pepercit? Minimè. nam C. Marij, cuius etsi postea hostis, quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alueum sparsit. En quibus actis, Felicitatis nomen asserendum putauit. Val.lib.9.cap.2.

Cuius tamẽ crudelitatem C.Marij inuidia leuat: nam & ille nimia cupiditate persequendi inimicos, iram suam nefariè distrinxit. Nam pòst exilium vrbe potitus, cum Cinna, Carbone & Sertorio, ad cædem principum animam conuertit. Itaque C.Cæsaris consularis & censorij nobilissimum corpus, ignobili sæuitia trucidauit, & quidem apud seditiosissimi & abiectissimi hominis Varij bustum. Id enim malorum miserię tunc Reipublicæ deerat, vt Varij Cæsar piaculo caderet. Penè tanti victoriæ eius non fuerunt: quarũ oblitus, plus criminis domi, quàm laudis in militia meruit. Idẽ caput M.Antonij clarissimi oratoris abscissum, suis manibus inter epulas per summam animi ac verborũ insolentiam aliquandiu tenuit, clarissimíque & ciuis & oratoris sanguine contaminati mẽsæ sacra passus. Atque etiam P.Annium, qui id attulerat, in sinum suum, recentis cædis vestigiis aspersum, recepit. Ibidem.

EIVSDEM iussu, Crassi pater & filius in mutuo alter alterius aspectu iugulati sunt. Bebius & Numitorius per medium forum vncis carnificũ tracti sunt. Catulus Luctatius haustis carbonibus, hostili se exemit ludibrio. Archarius & Merula flamen dialis confossi sunt. Quæ omnia felicitatis exempla à Ianuarij Cal. intra Idus absoluit. Rauis.

DAMASIPPVS, homo nulla præditus virtute, nobilissimos ciues (qui Syllanis partibus adhæserant) inter victimas tanquam beluas crudeliter enecauit. Carbonis Aruinæ tribuni plebis truncum in sublime elatum, per ora vulgi deferri iussit: tandem à victore Sylla obtruncatus est. Val. lib.9.cap.2.

C.CATILINA, M. Marium Gratidianum, spectante populo Romano, virgis per totam vrbem cecidit, ad bustum egit, vbi illum omni cruciatu lacerauit, viuo statim collum sua dextra secuit, sinistra capillum eius à vertice tenuit, caput sua manu cecidit, cùm inter digitos eius riui sanguinis fluerent. Cicero de Petit.consul.& Volater.lib.17. Mentionem facit Asconius Pædianus.

Adempta L.Antonio consuli Perusia, cùm aram Iulio Cæsari ędificasset, illic pro victimis, ter centum partim equites, partim senatores crudeliter mactauit. Grauiter errabat, cùm Cæsaris manes humano sanguine placare se arbitraretur, cuius nulla maior quàm clementiæ laus fuit: & cui ciuilis sanguis, nisi cùm in prælij ardore necessitas cogeret, semper inuisus fuerat. Fulg.lib.9 cap.10.

Sed nusquam gentium maiora iræ argumenta extiterunt, quàm in factiosis ITALIÆ vrbibus, cùm nostra tum patrum memoria, vbi principes factionum in inimicorum potestatem redacti, viui quidam combusti sunt, in crepundiis pueri interfecti, prægnantes matronæ excesto vtero cum partu crudeliter peremptæ, multi præcipitati, exenterati quidam, cordáque ad opprobrium suspensa ac diuerberata. Sed quales fuerint eiusmodi carnificinę, illud declarat, quòd clemẽtia fuit hominẽ subiicere securi,

aut laqueo necare. Sab.lib.9.cap.3.

Olim inter digladiantes quasdam familias inimicitiæ ortę sunt. Captus quidam ex factione altera, euestigiò concisus in minutissima frusta fuit: mórque exemptum illi iecur, in prunis candentissimísque carbonibus à factionis eius principib. tostum, pérque bucellas minutim dissectum, inter cognatos ad id inuitatos, in ientaculum distributum. Allata etiam post degustationem tàm execrabilem pocula, non sine collecti cruoris aspergine. Cõgratulationes habitæ inter se, risus, ioci, leporésque cibũ ipsum condientes: denique & diis ipsis propinatum, tantæ vindictæ fautoribus. Hanc historiam se Pont.lib.de Immanitate, cap.13.ab auia sua Leonarda etiamnum puerum audiuisse scribit.

VINDICTA NIMIA ERGA HOSTES VIVOS.

Exempla quoque pete ex tit. Victoriæ insolentis. item, Fides hostibus non seruata.

Cùm GEDEON Madianitas persequeretur, acie à se victos, atque in fugam conuersos, ipséque ad vrbem Soccoth peruenisset, pro petitis commeatibus, ab eius vrbis populo per contumeliam irrisus est. Cùm autem confecta expeditione inde reuerteretur, Soccoth vrbem prælio adortus, in potestatem redegit, ac septuaginta Soccothinorum ciuium, primarios viros, in torcularibus, inter tribulos spinásque nouo crudelíque pœnæ genere pressit: atque huiusmodi supplicio egit, vt ira, quę alioquin in Soccothinorum gentem iusta erat, iam propter tormenti crudelitatem damnanda videretur. Fulg.lib.9.cap.2.

SAVL Iudæorum rex, cum audiuisset Dauidem sibi odiosum, ab Abimelecho in Nobea ciuitate hospitio susceptum: ira & odio ciuitatem & hospitem incendit, hominibus vtriusque sexus interemptis. 1.Reg.15.

Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant reliquias sub mensa ADONIBEZECH, cui reddidit Deus, sicut fecit. Iudic.1.

DAVID, cùm vrbem Ammonitarum Rabbath cæpisset, populum vniuersum, nullius ætatis aut sexus habito discrimine, à ferratis curribus atq; equis dilaniari in frusta, atque proteri iussit. Quam sæuitiam sæpius quoque postea, in multas eius gentis vrbes exercuit. Fulgosus libro 9. cap.2.

NAAN Ammonitarum rex, omnibus Iudæis, quos in bello cæpisset, aut qui se eius fidei credidissent, statim dextrum oculum eruebat. Ibidem.

Sedechias rex Iudæorum, cùm à Nabuchodonosor rege defecisset, cuius auspiciis tamen ad regnum peruenerat, & Nechani regi Ægyptiorũ cõtra Nabuchodonosor suppetias tulisset: post longam oppugnationem tandem à rege NABVCHODONOSOR captus, in conspectu suo filios suos trucidari vidit: ipse postea oculis priuatus, & Babylone perpetuo carceri mancipatus, miserrimè periit. 4.Regum vlt.

TROIA propter adulterium & raptum Helenæ, vxoris Menelai, à Græcis capta, incensa, & funditùs deleta est: vt testantur Homerus, Vergilius, & historiæ quam plurimę.

HERCVLES Pyræchmen, regem Eubœæ, bellum Bœotiis inferẽtem cùm vicisset, pullis equinis ita alligauit, vt in duas dispertiretur partes Plutarch.cap.13.Paral.ex 3.de Fluminibus lib.

Ciuitas Atheniensium, indigno gloriæ suæ decreto, Æginensiũ iuuentuti pollices abscidit: vt classe potens populus, in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret. Non agnosco Athenas, timori remedium à crudelitate mutuantes. Val.lib 9.cap.2.

OCHVS, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione, quæ septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimẽtorum necaret: crudeliorem mortis rationem excogitauit, quę hos iunctos sibi, nõ perrupto vinculo religionis tolleret. Septum enim altis parietibus locũ cinere compleuit: suppositóque tigno prominente, benignè cibo & potione exceptos in eo collocabat: è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant. Ibidem.

DARIVS rex capta Babylone astu Zopyri Megabyzi F. muros eius diruit, & portas omnes amolitus est. Babyloniorum procerum tria millia patibulis affixit. Herod.lib.3.

Amastris Xerxis vxor, vxorem Masistæ Bactrianorum præsidis excarnificauit. Eius mammillas præcidit, quas obiecit canibus. Item nares, aures, labra, linguam inhonestissimis deformauit plagis. Rauis.

SAMII modico quodam successu elati, Atheniensium captiuos noctuæ figura inusserunt: publicam, vt credere est, eius ciuitatis religionem aspernati. Est enim ea volucris Mineruæ sacra: Athenienses contrà (nam iniuria semper iniuriam parit) Samios bello captos non noctua, sed Samenæ nauis signo deformarunt. Sab.lib.8.cap.4.

SCYTHARVM crudelitatem erga captiuos, pete ex tit. Sacrificiorum.

Pheretime mater Arcesilai, cùm bellum Barcæis intulisset, Barcámque iam occupasset, viros in crucem egit, mulierib9 autem mammas execuit. Neque multo pòst ipsa etiam contabuit. Heraclides in Politiis.

MITHRIDATES rex, vna epistola octoginta millia ciuium Romanorum in Asia per vrbes negociandi gratia dispersa interemit, tantęque prouinciæ hospitales deos, iniusto, sed non inulto cruore respersit: quoniam cum maximo cruciatu, veneno repugnantem spiritum suum tandẽ succumbere coegit: simúlque piacula crucibus illis dedit, quibus illos amicos suos autore Gauro spadone, libidinosus obsequio, scelestus imperio affecerat. Val.Max.lib.9.cap.2.

SELEVCVS rex, Demetrio à se capto, quanquam socero: petenti tamen Tyrum, Sydonémque, in quibus agere vitam posset: cùm ipse ab Indo mari ad Syriæ littora cuncta teneret, dare omnino recusauit: adeóque inops animi, & suprà quàm dici potest à misericordia alienus fuit, vt maximo regi, ingentibus fortunæ malis prostrato socero, denique intra latissimos regni sui fines, vix angustum hospitium concesserit. Pont. de Liberal.cap.16.

Vehemens Gallorum ira fuit, cùm aduersus Clusinos, cæterósque Ethruscos populos, motis armis, pacem cum Romanis turbarunt. Nam cùm inito cum Clusinis prælio, resciuissent Fabium Ambustum, legatum Romanum, qui ad conciliandam inter Gallos Clusinósque pacem missus erat, in prælium cum Clusinis descendisse, atque gentis suæ Gallum vnũ interemisse: ira, ac potius furore repleti, omissis Clusinis, Romam petierunt: occisísque omnibus quos inuenerant, sacra atque prophana incendio ruinísque fœdarunt. Fulg.lib.9.cap.3.

ROMANVS quidam miles, qui Cannensi prælio, quo Hannibal magis vires Romanorum contudit, quàm animos fregit: cùm ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conãtis Numidæ ceruicem complexus, os naribus & auribus corrosis, deforme reddidit, inq; plenæ vltionis morsibus expirauit. Sepone iniquum pugnæ euentum, quanto interfectore fortior interfectus? Pœnus enim in victoria obnoxius, morienti solatio fuit: Romanus in ipso fine vitæ, vindex sui extitit. Val.lib.3.cap.2.& Sab.lib.9.cap.3.

Carthaginenses M.Attilium Regulum palpebris resectis, machina, in qua vndique præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter, & continuo tractu doloris necauerunt. Tormenti genus indignum passo, autoribus dignissimum. Val.Max.lib.9.cap.2.

EADEM crudelitate vsi in milites Romanos, Martis certamine in suam potestatem redactos, nauibus substrauerũt: vt earum carinis ac põdere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent, tetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi. Ibidem.

HANNIBAL Romanos captiuos, oneribus & itinere fessos, prima pedum parte succisa relinquebat: quos verò in castra perduxerat, paria fratrum & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat: neque antè sanguine explebatur, quàm ad vnum victorem omnes redegisset. Iusto ergo illum odio, veruntamen tardo supplicio Senatus, Prusię regis factũ supplicem, ad voluntariam mortem compulit. Ibid.

ASDRVBAL, Carthagine obsessus à Scipione, cuius vrbis iam partem Romani milites occuparant, impellente, quæ ei à natura insita erat, crudelitate: deductis in hostium cõspectum omnibus Romanis captiuis, partim eorum effodit oculos, quibusdam linguam neruósque desecuit: multis quoque genitalia hamata ferramento diuellere nixus est, nonnullis etiam ex pedum planta cutem abrasit, aliquos penitus excoriauit, atque ita affectos ab vrbis muris laqueo suspendit. Horum variandis tormẽtis, cùm tanquam in re gratissima suum patriæque periculum lenire studeret, magis aggrauauit. Fulg.li 9.cap.2.

MVNATIVS Flaccus, Põpeiani nominis acrior quàm probabilior defensor, cùm ab imperatore Cęsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguẽsiũ obsideretur, efferatã crudelitatẽ suã truculẽtissimo genere vesaniæ exercuit. Omnes enim ei9 oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos muris præcipitauit. Fœminas quoque ciuitatis nominibus virorum, qui in contrariis castris erant, vt cædes coniugum suarum cernerent, & maternis gremiis superpositos liberos trucidauit. Infantes alios in conspectu parentum humo infigi, alios superiactos pilis excipi iussit. Quæ auditu etiam intolerabilia, Romano iussu, Lusitanis manibus administrata sunt: cuius gentis præsidio Flaccus vallatus, Cæsari vecordi pertinacia resistebat. Val.Max.lib.9.cap 2.

L.SEPT. Seuerus Pertinax post Commodum imperator ab exercitu declaratus, cùm Clodium Albinum tumultuantem conserto prçlio interfecisset, caput abscissum Romam misit, reliquúmque eius cadauer equo refugienti conculcandum dedit. Volat.lib.23. Anthrop.

Aurum inexplebiliter ac sceleratè nimis sitire se ostendit ROMANVS exercitus, cùm Hierosolymas Titus obsideret. Iudæos enim qui ab vrbe fame impulsi profugiebant, deuorata aurea moneta, vt ita eam ab hoste incolumen seruarent, medios ferro diuidebãt, vt intestinis aurum, quod deuorauerant, inquirerent: cùm pusillam horam, qua vẽtrem exonerantes inter stercora aurũ effunderent, præ nimia cupiditate ferre non possent. Biduo itaque duo Iudæorum millia, per hunc modum milites interemerunt: pluresque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna eam rẽ interdixisset. Fulg.lib.9.cap.4.ex Iosepho.

Apertè ostenderunt IVDÆI, quàm ferum atque crudele esset eorum ingenium, cùm in Oriente bellum gerente Traiano, ob illius aduersam valetudinem, ipsi in libertatis spem exarserunt, atque in Cyrenis Cypróque rebellarunt. Nam duce quodã Andrea nomine, in vicinos populos sæuierunt, atque ducenta hominum millia occiderunt: neque verò eis tantum humani sanguinis haurire satis fuit, rabie acti, luporum more, humanas carnes dentibus dilaniabant, atque occisorum intestinis se cingebant: amicti quoque occisorum pellibus, ceu furiis acti, passim discur-

rebant: per humana etiam cadauera,ferarum rabiem transgressi prouolebantur. Sed de tanta vesania. à Traiano missi duces, minore quidem crudelitate,sed non pauciore eorum sanguine,pœnas sumpserunt. Fulg. lib 9.cap.2 ex Dione.

Cùm Petronius Maximus Romanus Senator,per Thrasillam militem, Valentinianum Augustum occidi curasset, atque occupato imperio illud enitteretur, vt EVDOXIA Augusta ei nuberet:tantum ex ea re indignationis,propter amissum virum,Eudoxia concepit,vt quo facilius Valentiniani mortem vlcisci posset, Petronij animo se gerere morem velle ostenderet.Sumpto igitur prætextu ad legiones atque prouincias scribendi,vt eas Petronio conciliaret,in Africam ad Gensericum Vandalorum regem misit,qui eum hortaretur,arma aduersus Maximum mouere atque ad diripiendam vrbem Romam venire:qui cùm ingenti classe Romam venisset,Maximum occidit,vrbem cæpit ac diripuit, ablatis inde non thesauris solùm, verùm omnibus quoque claris artificum monumentis.Fulg.lib.9.cap.10.

BASILIVS imperator post Ioannem Zimiscem, Bardam Silerum vnum ex suis ducibus rebellantem quum vicisset,oculis priuauit. Bulgaros tumultuantes,quum in potestatem suam redegisset,quindecim millibus captis,oculos effodit,vno tantùm incolumi relicto, qui excæcatos ad Samuelem eorum ducem dirigeret.Rauis.

ISACIVS Angelus è gente Comnena,qui Angeli cognominabantur, vir æqui seruantissimus,è Peloponneso ad Imperium accersitus, Andronicum in potestatem redactum minutatim excarnificauit. Volat.libr.23. Anthrop.

IVSTINIANVS Imperator,auxilio Therbellis Bulgarorum regis imperium amissum recipiens, Leonem & Tyberium vsurpatores imperij in medio circi iugulauit, Callicinicum patriarcham excæcatum in exilium misit: & in aduersarios tantam crudelitatem exercuit, vt quoties à naso sibi abscisso defluentem rheumatis guttam detergeret, toties aliquem ex his qui contra eum conspirauerant iugulari præciperet.Sigebert.in Chron.& Fulg.lib.9.cap.10.& Egnat.lib 9. cap.10. qui Leontium appellant Leonem.

NARSES Italiæ præfectus,Linduualdum Britonum ducem armis domitum in trabe suspendit.Rauis.

GETÆ Macedoniam,Epirum & Thessaliam cùm diripuissent,nec pro captiuis redimendis pecuniam idoneam ab Anastasio Rom. Imp. reciperent, coràm crudeliter captiuos trucidarunt Volat.lib 23 Anthrop.

Stultum pariter atque crudele illud erat,quod INCOLÆ eius insulæ seruabant quæ iuxta Britanniam olim Vectis, nunc Mona nuncupatur. Deos enim suos captiuorum sanguine placabant,quos ante aras pro victimis immolare consueuerunt,donec Romani per Suetonium Paulinũ sub Nerone superatos,ad mitiorem cultum redegerunt, euersis templis combustisque syluis,vbi ea sacra peragebant.Fulg.lib.2 cap.1.

SAPOR rex Persarum,quum Aurelianum Imperatorem bello victum cæpisset, equum ascensurus curuatos eius humeros premebat suppedanei loco.Rauis.

COSROE successu elatus(erat enim in Persarum regem electus)in effusione humani sanguinis & maximè Christianorum vltra modum grassabatur Sigebert.in Chron.

SIGIPRANDVS Atisprandi filius,& Longobardorum rex, Ariperto(quo cum certabat)oculos eruit:vxorémque eius naso auribúsque trũcis honestauit.Rauis.

ATTILA rex Pannoniæ,vndecim virginum millia in expugnatione Coloniæ interfecit. Fratrem Budam morti dedit.Aquileiam diruit.Ibid.

TOTILA Gotthorum rex, cùm per septennium vrbem Perusinam obsedisset,& tandem expugnasset,ciues omnes obtruncari,Herculanum episcopum virum sanctissimum excoriari,& capite mulctari iussit. Greg. Turon.lib.3.Dial.cap.13.

IDEM capta Roma tertiam partem murorum disiecit.Capitolium incendit,omnia diripuit:& tanta passim feritate debacchatus est,vt Dei flagellum diceretur.Egnat.lib.6.cap.3.

ALARICVS Gothorum rex, cùm ab Honorio Imperatore obtinuisset,vt in Galliam ad quærendas nouas sedes proficisci posset,& iam profectioni se accinxisset,iuxta vrbem Vercellas,contra fidem datam solẽni Dominicæ resurrectionis die, Saulus à Stilicone missus (penes quem eo tempore Occidentalis imperij administratio erat)eum inuasit. Alaricus autem cùm strenuè,ingentique animo se tueretur, ac diu grauitérque prœliatum esset,tandem Romanum fudit exercitum:vehementérque ob eam rem indignatus,omissa Gallia, retrò exercitum conuertit:atque omnibus, vsque ad vrbem Romam direptis incẽsísque, quid ira posset ostendit.Vrbem enim quam primò Galli, Fabij Ambusti culpa incenderant,nunc quoque Stiliconis, qui tueri eam debebat.perfidia, cùm ad eam vlciscendam Gothi se cõuertissent, euertit.id enim iræ magnitudo Gothos vt agere auderent compulit, quod antea ne cogitare quidem ausi fuissent.Fulg lib.9.cap.3.

THEODERICVS rex Italiæ,Ibba comite suo contra Francos misso triginta hominum milia occidit, in vindictam necis Alarici generi sui. Sigebert.in Chron.

LOTHARIVS rex,filius Theodorici regis Francorum in bello captos occidit:Brunichildem quoque reginam vno pede & brachio mulctatã, ad caudam equæ indomitæ religatam,membratim discerpi fecit: imputans ei,quòd decem reges per eam fuissent extincti Idem.

CHILDEBERTVS Francorum rex, vt materni aui cædem vlcisceretur,Burgundis bellum intulit,Sigismundúmque eius gentis regem,cũ liberis & vxore captum,in profundissimum puteum præcipitauit. Interfecit & Almaricum Visogothorum regem,qui in Hispania laté imperabat,quòd soror illi connubio iuncta,ab eo indigna pateretur.Sab.lib.8. cap.4

BOLESLAVS tertius Bohemorum rex,Mosconi regi Poloniæ superato oculos eruit,vt etiam Odoalricus Boleslai frater alteri fratri Iamuro.Rauis.

TARTARI Pannoniam ingressi Varidano oppido capto, fœminas templis inclusas cremauerunt:& Belam,quartum eius populi regem, sic terruerunt,vt ad præsidium salutis,latebras inquisiuerit.Ibidem.

TAMBERLANES Tartarorum rex,cùm ij quos obsederat pueros & puellas linteis vestibus candidis amictos,sertisque oleæ redimitos ei obuiam misissent:pacis exorandæ veniæque deprecandæ causa, omnes ad vnum equis immissis conculcauit.Cùm verò ex amicis quidam tam crudele facinus reprehenderet, Caue sis,inquit,ne iram & furorem Dei temerè accuses.

IDEM Baiazethem Turcarum Imperatorem captum caueæ inclusit,& catheniis vinctum sub mensa,instar canis reliquias pro sedãda fame colligere coegit.

MAHOMETVS Turcarum imperator victoria parta, è captiuorum numero nunc plures,nunc pauciores in conspectum suum adductos, in frusta vti conciderentur imperabat.Pont.de Immanitate cap.5.

EIDEM quoque mos erat,captiuis,quorum aut ætate, aut aliam ob rem inutilis videretur seruitus futura,grandi palo per anum in totum adacto corpus,interra defixum palum in sublime erigere,atque ita quantum fieri posset,dato cibo alere. Fulg.lib.9 cap.2.

Cùm ERVOIA Spaletij dux à Sigismundo imperatore,qui etiam Vngariæ atq; Boemiæ regna possidebat,rebellasset,atque vno prælio multos è Sigismundi ducibus ac præfectis cæpisset, omnes sine precio humanè dimisit,vno Paulo ex Chuporo excepto,cui nudo statim assui bouis pellem iussit nam cùm Eruoia adhuc in officio cum Sigismundo maneret,atque in eius aula versaretur,quia ipsius aspectus morésque rusticum hominem præferebant,nunquam à Paulo aliter quàm expresso bouis mugitu salutabatur. Ei ergo capto,hoc improperauit,dicens:Velle se, vt voci illi personæ quoque imago responderet.Fulg.lib.9.cap.10.

Anno salutis ducentesimo atque octuagesimo quarto supra mille, cũ bello inter se Genuenses atque Pisani decertarent, GENVENSES captis duabus Pisanorũ triremibus, cùm Syracusis in Sicilia appropinquassent, atque per noctem extra vrbis muros triremium patronos in furcis suspendissent,reliquam naualem turmam vendiderunt,precio in singulos vnius cæpe constituto,eam ignominiam longè grauiorem quàm ipsam mortem arbitrati. Fulg.lib.9.cap.3.

NICOLAVS Picininus,cùm Philippi Mediolanensis ducis auspicio, Album Ingaunum obsideret,captum Valentem Fogatiam, quòd ab obsessis deferre literas deprehensus erat,collo eius ad crura alligato, ita vt in globum conuersus esset,tormento, cui vulgo Italicè Bricolæ nomen est,in vrbem Album Ingaunum transmisit.Qui quanquam antè moreretur.quàm terram attingeret,sæuum tamen mortis genus visum est. Discerptus enim tanti casus altitudine humanam formam amiserat, ita vt vix parua in parte,aliis amissis,colligi posset.Idem cap.2.

IOANNES dux Venetus,Mauricij ducis filius,auito suoptéque ingenio in Fortunatum Gradensem patriarcham inuectus,non contentus leui mortis supplicio, summo crudelitatis exemplo captum illũ præcipité dedit:non multò post tamen cum nepote in exilium missus est.Egnat.li. 9 cap 2.

Nimis acerbus vltor fuit paternæ mortis,GVIDO Montisfortis. Simon pater eius hostis ab Henrico Britanniæ rege iudicatus,regi regnum atque libertatem ademerat.Cùm autem postea Eduardi filij opera, regnum Henricus recepisset, hostem quoque Simonem cæpit, atque eum acerba morte in quatuor frusta discerpsit.Huius mortem Guido filius vlcisci cupiens,quo tempore Carolus primus Neapolitanus rex vnà cum iuniore Philippo Gallorum rege à Tunete venerat,vt cardinalium collegio suaderet,ne vltrà noui Pontificis creatio differretur, quia cum eis Henricus Britannus erat,Ricardi iam Imperatoris electi filius, huius autem Ricardi frater fuerat Henricus rex,qui Simonem interimi iusserat, Henricum Missarum sacra in templo audientem, atque vtroque genu humi nixum,Guido occidit:& capillis apprehensum, sæuè è templo abstraxit,atque inde fuga se in Ethruriam recepit.Fulg.lib.9.cap.10.

CAROLVS vltimus Burgundiæ dux,vel ipsarum tragœdiarum portenta superauit.Quibus enim(vt alia multa omittam)verbis satis deplorari excisæ penitùs vrbes clarissimæ Leodium atque Dinantum poterunt, in quibus omnibus igne ferróq; fœdatis,nulli ætati aut sexui pepercit: quis etiam sine ingenti dolore,illata Heluetiis mala commemoret? è quibus vno die,quingentos in deditionem acceptos, partim funibus ordine alligatos in lacu submersit,partim suspendit. Iniuriæ tamen à Leodiẽsibus & Dinantinis,atque etiam ab Heluetiis acceptæ excusare in Carolo sæuiendi atrocitatem aliquo modo debere videntur. nam alteri in ipsius contemptum episcopatu propinquum eius deiecerant,alteri furcis Caroli ipsius atque procerum eius simulacra appenderant. Sed proculdubio in dedititios, atque in sexum ætatémque imbellem tam crudeliter sæuire,hominis nimium iræ frena laxantis opus fuisse videtur.Idem cap.2.

ROGERIVS Vbaldinus Pisanus archiepiscopus, cùm quibusdam aliis Gibellinæ factionis ciuibus Pisanis, ab vrbis administratione Vgolinum Gerardeschum depulit,cùm ipsum in eo honore Guelfum Pisani constituissent, vt Lucensium atque Florentinorum Guelfi nominis amicitiam aduersus Genuenses conciliarent:quorum res in Gibellinorum Vbertorum,Auriæ,Spinulęque manu erant: & à quibus maritimo bello Pisani magna clade afflicti,nouem millia, atque insuper ducentos.anno salutis ducentesimo atque octuagesimoquarto supra mille,è suorum numero

mero desiderauerant. Carcere igitur longo maceratum Vgolinum, pollicitus archiepiscopus se incolumen seruaturum, si pecuniam, quam habebat, patefecisset: posteaquam eius thesaurum assecutus est, fame, cum tribus liberis,quadriẽnio pòst quàm clades illata fuerat,ad mortem compulit:sub eo prætextu,quem ad modum cum Genuensibus, per Nicolinum Petracium Genuensem pepigerat,vt Gibellinæ factioni,Pisanæ vrbis administratio restitueretur: in quo non minus cum Genuensi populo archiepiscopus fidem violauit, non tradito Vgolino, quem se daturum promiserat,quàm cum Vgolino, cui incolumitatem pollicitus,si thesaurum detegeret, postea cum thesauro etiam vitam, vt dictum est, ademit.Ibidem.

VINDICTA IMMODERATA ERGA HOSTES MORTVOS.

ACHILLES Hectorem, Patrocli sibi charissimi interfectorem occidit, occisum ter circum Troiæ muros raptauit curru. Quúmque instar frendentis beluæ immanitatem expleuisset, Priamo patri vęnale cadauer exposuit.Homerus in Iliade.

CREON tyrannus,militum in bello mortuum cadauera vetabat sepeliri,& inhumari.Hunc Theseus interfecit.Ouid.in Metam.

———Prohibentem busta Creontem
Atticus Ægides rupit Marathonidæ quercu.

OLYMPIAS Alexandri mater,Iolam pincernam (qui Alexandro venenum ministrasse ferebatur)mortuum,& iam tumulatum refodi iussit,ac refossum minutatim discerpi.Rauis.

Cyrus rex Persarum,dùm Sargapisem THOMYRIS Massagetarum reginæ filium,bello captum ad mortem impulisset: irata mulier non prius finem fecit furori,quàm mortuum vlta sit. Contractis itaque copiis ita conflixit,vt maximam inimicorum partem,cum ipso etiamnum rege occiderit.Nec tamen hoc euẽtu propterea emollita est animi rabies: mortui enim caput in vtrem humano cruore plenum demisit, his verbis insultás:Filij mei sanguinem hausisti,& meum sitiuisti Cyre:at ego te cruore saturabo.Herod.lib.2.

Apis medicinæ primus repertor,Phoronei filius & Pythonis, ægyptiorum rex fuit:apud quos pro Deo cultus, vocitatus est Osyris, id est multioculus, quia vir oculatissimus salubrem illam medicinam inuenisset. Hunc OCHVS ferocissimus Persarum rex,cui Macherę cognomentum animi dedit immanitas,obtrũcauit,& coctum in cœna cum amicis comedit:putans eius carnem esse medicinalem.Guido Bitur.

Persarum rex Cambyses, Cyri filius, cùm Amasis Ægyptij regis filiam in matrimonium petiisset,Amasis veritus,ne ea potitus,non vxoris loco, sed in concubinarum numero haberet, Niretim filiam Apriis regis à se interfecti pro filia ei misit. Quam rem Cambyses cùm cognouisset, ita exarsit,atque cum ingenti exercitu in Ægyptum descendit.Vbi cum defunctum Amasim inuenisset,filium eius Psammenitũ regno eiecit, ipsius Amasis corpus sepulchro eruit:& tanquam viueret, verberibus cædi,acutisque ferramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit.Neque animaduertit, plus in seipsum iracundiæ flammas teláque, quàm in mortuum Amasim sæuire:quòd ea iracundiæ vis ac natura est, vt semper autorem torquere incipiat. Aiunt tamen, Amasis cadauer illud non fuisse,sed cuiusdam iuuenis,quem viuus Amasis eò tumulari curasset, veritus ne quid tale sibi post fata eueniret. Vtut sit, & crudeliter & impiè egit Cambyses,Nam nec apud Persas,nec apud Ægyptios cadauera cremari moris est.Persæ enim nefas esse aiunt,igni,quem pro Deo colunt, cadauer attingere.Ægyptij ignem animatam belluam esse putant, quæ cùm omnia deuorando fuerit expleta,tandem & ipsa emoriatur. Piaculũ censent,cadauer ab animato absumi. Eáque propter cadauera sale condiunt,ne humata à vermibus deuorentur.Herod.lib.3.

BAGOAS Ægyptius eunuchus,cùm Artaxerxem (quem Ochum cognominarunt veteres) maximo odio,ob interfectum in Ægypto Apim prosequeretur,primò insidiis circumuenit: cùmque crudelissimè hominem occidisset,cadauer eius felibus dilaniandum deuorandúmque proiecit:postmodùm vt crudelitate animum satiaret,ex femoribus eius manubria gladiorum fieri curauit.Ælian.lib.6.de Var.hist.

Quem primum virum cæperit SCYTHA, eius sanguinem potat:quoscunque in prælio interemit,eorum capita regi offert.nam capite allato, fit prędæ,quamcunque cęperit,particeps:alioqui expers.Caput hoc modo præcidit:in orbem illud amputat circa aures, verticéque sumpto excutit, deinde pellem detrahit: & vbi sicut bouis corium manibus mollit, tanquam mantile possidet, eáque & habenis equi sui appensa gloriatur:qualia mantilia vt quisque plurima habet,ita vir iudicatur præstãtissimus.Sunt quoque multi,qui coria hæc humana tanquam brutorum consuant,quibus pro amiculis induantur.Multi etiam cæsorum hostium manus dextras cum vnguibus excoriant, eisque opercula pharetrarum integunt.Est autem inter omnia coria humanum ferè & crassum maximè,& candore splendidum. Multi totos homines coriatos, & super ligna extentos,supra equos circumferunt.Non tamen de omnium,sed de inimicissimorum capitibus hoc faciunt, vt illud quisque infra supercilia recisum prorsus excutiat: & crudo tantum bouis corio, si pauper sit:sin diues,non modò exterius inducat bouino corio, verumetiam interius inauret,& sic vterque pro poculo vtatur.Idem agunt de familiaribus,si inter eos extiterint discordiæ, dum apud regem victoria sunt potiti.Hæc capita hospitibus,qui ad eos veniunt viri alicuius existimationis,exhibent:referúntque illos,cum essent domestici, & ad pugnam lacessissent,ab ipsis esse superatos.Herod.lib.4.

TAVRI Scythiæ populi erga hostes ita se gerunt. Amputatum quisque caput hostis domum reportat,fusti suffixum admodum sublime supra tecta statuit,& plerunque supra fumarium.Dicunt enim, eos totius domus esse custodes.Idem.

MITHRIDATES Ponti rex,victo captóque Aquilo duce Romano, aurum liquefactum ac calore longè fragrantissimum in os fudit.Pont.de Immanit.cap.13.

HANNIBALIS Pœni scelerata atque atrox nimis vox fuit, cùm inspecta humani sanguinis plena fossa, Pulchrum in ea esse spectaculum, dixit:feræ enim,quàm homini,verbum conuenientius fuit. Fulg.lib.10. cap.11.

IDEM, cuius maiore ex parte virtus sęuitia constabat,in flumine Gela corporibus Romanis ponte facto,exercitum traduxit, vt æquè terrestrium scelestum Carthaginensium copiarum egressum terra, quàm maritimarum Neptunus experiretur.Val.Max.lib.9.cap.2.

LVCRETIVS ædilis cadauer Titi Gracchi in Tiberim proiici iussit. Volat.lib.16 Vrb.com.

M.Crassus facilè docet, inexplebilem hominum auiditatem nullis auri cumulis,nulla bonorum myrmecia,aut drachmæ grandine expleri: sed crescere semper,& augeri copia.Nam quum esset ditissimus Romanorũ, haberétque tantum agri,quantum nec miluus oberret, sibi tamen modum præscribere,aut temperare non potuit,quin Parthos(quorum opes sitiebat)aggrederetur.A quibus cum toto exercitu fusus,immodicæ libidinis dedit pœnas. Nõ solum enim à Pomaxarte occisus est,verùm mortuo quoque insultarunt inimici. Causam siquidem agnoscẽtes, qua bellũ susceperat,in caput interfecti aurũ liquauerunt,hísque irriserunt verbis: Aurum sitisti Crasse,aurum ad saturitatem bibe. L. Florus & Sex. Ruffus.

Apuleius Saturninus tribunus plebis, quum Gracchorũ leges Agrarias vellet asserere,à Caio Mario & Lucio Valerio consulibus in Capitolio obsessus,deditionem tandem facere coactus est. Captus autem, fustibus & saxis coopertus,ibidem expirauit.Mortui caput C.RABIRIVS senator per conuiuia in ludibrium circumtulit. Vide Suet.& Plin.de Illust.vi.

CORNELIVS Sylla C. Marij reliquias apud Anienem sitas dissipari iussit,solo motus odio:propterea moriẽs primus apud Rom. cremari voluit, talionem veritus.

M.ANTONIVS triũuir,acerbè & crudeliter,nulla misericordia permotus occidebat nõ modò eos quos proscripserat: sed eos quoque qui proscriptis opem ferre conarẽtur,quorum capita etiam inter epulas spectabat, eáque inspectione nefaria, & calamitosa magna ex parte satiebatur. Xiphilinus.

Cùm ad EVNDEM Cesetij Rufi Senatoris caput allatum esset, auersantibus id cæteris,propius admoueri iussit, ac diu diligentérque considerauit.Cunctis deinde expectãtibus quidnam esset dicturus: Hunc ego (inquit)notum non habui. Superba de senatore, impotẽs de occiso confessio.Val.Max.lib 9 cap.5.

FVLVIA Antonij vxor,non tam odio impulsa, quàm studio pecuniæ querendæ,sæpenumero morte alliciebat homines, viro suo incognitos. Itaque is,vt caput cuiusdam ad se perlatum vidit, Hũc hominem(inquit) ignorabam. Capiti Ciceronis allato,contumeliosissimè maledixit:iussitq; in rostris,quo magis inter cætera emineret, collocari in præcelso atque edito loco:imò prius in faciem spuit,supra genua collocaunt, ex eóque ore aperto linguam extraxit,atque acu multis locis hinc inde transfixit. Idem:& Appianus lib.4.Bell ciuil.

TIBERIVS,cùm intellexisset Carnuleium, in quem pro sua crudelitate tormentis grassari decreuerat, mortem anticipasse, ira atque indignatione percitus exclamauit, Sanguinis humani cupidissimus Carnuleius me euasit:vt vitam sibi suam ex ea re penè molestam esse ostenderet.Pont.de Immanitate cap.9.

GALBA Romanorum imperator,ab Otthonianis militibus post mortem crudeliter tractatus est. Neque enim contenti fuerunt Cæsarem sacrificare in Capitolio volentem, cum pontifice sene interfecisse: sed caput etiam eius ceruicibus absciderunt,fixerunt in pilo, atque cadauer in senatorum plebisque præsentia infinitis contumeliis affecerunt: à quo tamen viuente nunquam vel dicto vel facto læsi fuerant.Xiphilin.in vita. Galbæ.

SEPT.SEVERVS Imperator,tanquam immemor esset, se à Iuliano Imperatore olim desciuisse,Clodium Albinum,ob similem culpam,posteaquam prælio victum interemit,nudum eius corpus pro palatio proiici iussit.Ad quem cùm ipsius equus accedere formidaret,calcaribus adactũ coegit corpus ipsum calcare. Indigna profectò res, vt vir,qui iam sexagesimum excederet annum, tam graui contumelia, Romanum virum, non modò nobilitate, verùm etiam imperatorio honore insignem afficeret:neque vero hoc egisse contentus fuit, illic enim corpus Albini retinuit, quoad fœtore compulsus, iuberet in flumen proiici. Fulgosus lib. 9.cap.3.

CORRAVS Trincius, qui Fulgineæ in Vmbria imperauit, cæso Nicolao eius fratre à præfecto arcis Mucerinę ob adulterij suspicionẽ, pręfectum ipsum cùm in potestatem accipere nequiret(vtpote qui se despe-

rabundus è summa turri deiecerit) deceptus opportunitate in vicum illũ sæuiendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, notos, qui cum illo cõsuetudinem exercuissent aliquam, captos, cruciatósque ad excarnificationem, ad vltimum comminui in frusta, exenterarísque imperauit, ac per sentes, maximéque frequentium viarum sepes ac margines eorum viscera intestináque suspendi, ac passim dispergi. Pont. de Imman. cap. 14.

ALBVINVS Longobardorum rex, cùm Chunimundum Gepidarum regem cæsis 60 milibus hominum occidisset in ipsa clade, ex testa capitis eius poculum sibi ad bibendum fecit. Sigebert. in Chron.

OTHOMANNVS Turcarum princeps, anno salutis DCCCCLII. Constantinopolim cæpit. Constantini Imperatoris mortui caput ad ludibrium palo affixit, & totis castris gestauit. Mares & fœminas illustres iugulauit, ad vsum nefariæ libidinis reseruauit. Rauis.

IRA ET VINDICTA LONGO TEMPORE SERVATA.

Possunt etiam ex præcedentibus exempla desumi. Hîc enim solius tarditatis in vlciscendo ratio habetur.

Adeò vltionis desiderium suauitate conditum est, vt magnis prudentiæ antidotis munitum esse oporteat eum, qui illæsus prætergredi eam cupiat: id in propheta Dauide declaratum fuit, nam cùm ei ingentia crimina Deus remisisset mansuetiorem factum esse oportebat. Et tamen cũ iam annosus, atque ætate diminutò, clarúsque à vita discederet, eum acceptarum iniuriarum, quas viuens dissimulauerat, vltionis cupiditas cæpit. Itaque Salomoni filio successori imperauit, vt Semeum Geræ filium occideret, quòd is ei maledixerat, atque saxis ipsum incesserat: cùm ab Absalone filio Hierosolymis pulsus, fuga saluti suæ consuleret. Fulg. lib. 9. cap. 10.

IVNO Troianis semper ex iracundia fuit inimica: primò quòd genus ducebant ex Dardano Iouis & Electræ filio, quæ fuit Iunonis pellex: secundò, quia raptus Ganymedes Trois filius, Hebes Iunonis filię erat ministerio prælatus: tertium, quòd Antigone Laomedõtis filia Iunonis formam spræuit, idcirco versa in ciconiã: postremo, quòd in iudicio de forma, victa discesserat, iudice Paride Priami filio. Hinc apud Verg. libr. 1. Æneid. Gens inimica mihi. & paulo pòst, Iudicium Paridis, &c. Meminit Augustinus libr. 1. cap. 3. Ciuitatis.

TENEDII Achillem, quòd Tenedum deuastasset, ita infensum habuere, vt supplicio afficeretur, si quis restituto tẽplo Achillem nominasset. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 14.

ILIENSES Herculem, eo quòd Ilium olim depopulatus esset, odio tam perniciali prosequuti sunt, vt eius sacra celebrari prohibuerint. Ibidem.

NERONIS & Galeacij Sforzæ exempla, pete ex tit. Iræ discipulorum contra præceptores.

CLOTHARIVS Gallorum rex, Clodoueo patre ortus, (qui alio nomine Clouis quoque nuncupatus, 1. Gallorum regum habitus est, inter eos qui Christianum nomen profiterentur) cùm inuidorũ opera, respersum falsis criminibus Gualterium Iuetoti dominum, regij cubiculi honore atque ministerio insignem expulisset, & is decennium in Oriente aduersus Christi hostes pugnando consumpsisset: inde postea reuersus, cùm regi Clothario, Virgilij pontificis scriptas in commẽdationem sui literas in templo reddidisset, ea die qua Christi redemptoris mortem ecclesia ingentibus cerimoniis celebrat, arbitratus & loci & temporis ratione clementiorem se regem habiturum, ex toto eum opinio fefellit. quoniam præter modum furore correptus rex Clotharius, eum manu sua crudeliter occidit. Quamobrem acerbè à Põtifice reprehensus, cùm præterea etiam eum conscientia (id quod persæpe in ira cõtingit) torqueret, vt pro tanto crimine, quãtum fieri poterat, satisfaceret: sicuti nimia ira atque superbia palàm deliquerat, ita etiam palàm, atque humiliter corrigere crimen voluit. Gualterij enim hæredes ac posteros, item Iuetoti vrbem atque agrum, ab omni Gallici regni imperio ac seruitute liberauit. Itaque ab eo tempore, eius loci potiti homines, regio nomine insignes facti sunt. Neque verò Iuetoti exiguitas obstitit, quanquam vndique eum Gallici regni loca ambirẽt, & à rege Gallico defenderetur, quin subiectionis ius nullum agnosceret. Fulg. lib. 9. cap. 5.

FERDINANDVS Neapolitanorum rex, à puero conceptum odium seruauit ad senectutem. Itaque multa indignè, prætérque regiam dignitatem etiam in homines innocentissimos patrauit. Pontanus libro primo, capite octauo. de Magnanimitate.

VLTIO IMMODERATA ERGA RATIONE CARENTIA.

siue animata, siue inanimata.

Cùm è vita iam discessisset Theagenes Thasius athleta nobilissimus, ex eius obtrectatorum numero QVIDAM ad eius statuam nocte qualiber accedens, eam flagris cædebat: non aliter quàm si in eo ære ipsum viuẽtem vlcisceretur. Cùm autem hominem statua subito casu oppressisset, eius filij statuam de cæde postularunt. Estque ea Thasiorũ sententia in mare abiecta, Draconis scilicet lege, qui anima etiam carentia, vrbe agróque exterminanda (cùm Atheniensibus leges scriberet) sanxit, si quid fortè eorum corruens, homines peremisset. At enim cùm permultos deinceps annos frugem feré nullam terra Thasiis redderet, qui sciscitatum Delphos missi fuerant, responsum tulere, exules reuocandos. Neque tamen exulibus reuocatis finem sterilitatis reperere. Quare cùm iterum per legatos questi essent, se quidem dicto audientes fuisse, non esse verò deorum iram vlla ex parte placatam, respondit rursus Pythia:

Theagenis vestri at nullam rationem habuistis.

Ibi cùm ea cogitatio solicitos haberet, quánam arte statuam Theagenis reciperent, piscatores aiunt in altum prouectos, inter pisces rete comprehensam effigiem Theagenis in littus exposuisse. Ea cùm in suum locũ reposita fuisset, à Thasiis diuinis celebratur honoribus. Pausanias in Eliacis, lib. 6.

CYRVS Gyndem amnem, quoniam in eo quidam è sacris equis candidis submersus fuerat, in centum octoginta alueos diuisit, vltionis gratia. Vide tit. Iudicij stulti in reb. aliorum extra forum.

Cùm ponte Hellespontum apud Abydum & Sestum iunxisset XERXES, Persarum rex, expeditionem contra Græcos parans, atque is oborta ingenti tempestate dissolutus fuisset: indignè ferens stupidissimus rex hanc iniuriam, iussit trecenta verbera Hellesponto infligi, & in pelagus par compedum demitti. Misit quoque, qui stigmata Hellesponto inurerent, & colaphos incuterent, barbaris hisce verbis: O aqua amara, Dominus hanc tibi irrogat pœnã, quòd eum læsisti, qui de te nihil malè meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis nolisue, transmittet: meritóque nemo hominum tibi sacrificat, vt doloso pariter & amaro flumini. Illos autem, qui pontem fecerant, capite mulctauit. Herod. lib. 7.

VITIVM IN DEFECTV. ΑΟΡΓΗΣΙΑ.

Exempla plura qui poterit, afferat. Cur rara sint, causam superiore loco attulimus.

SCIRAPHIDAM mulctarunt Ephori, quò à multis erat iniuria affectus. Interpretabantur enim, illius ignauiam esse in causa, quòd complures auderent eundem lædere. Nam qui veterem impunè fert iniuriã, inuitat nouam. Si qui primus læserat, delatus dedisset pœnas legibus, cæteri temperassent ab iniuria. Plutarch. in Lacon. apoph.

Agesistrata quum AGIDEM filium exanimen iacentem videret, exosculata faciem dixit: Nimia tua, ô fili, bonitas, nimia mansuetudo & humanitas, te simul & nos perdidit. Moliebatur enim Agis facinus sanè pręclarum, sed inuidiosum: nimirum vt degenerantes Lacedæmoniorũ mores ad priscam illam seueritatem reuocaret. Interim dum studet offendere neminem, & gratificari omnibus, semetipsum in exitium coniecit. Plut. in Lacon. apophtheg.

Archidamidas cuidam in laudem CHARILLI prædicanti, quòd pariter erga cunctos fuisset mitis ac mansuetus: Et qua fronte laudetur aliquis, inquit, qui erga sceleratos se mitem præbebat? Perspexit vir egregius, mansuetudinem cum iustitia cõiunctã esse oportere. Alioqui principis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quã in bonos crudelitas? Plut.

TIMOTHEVS episcopus Alexandrinus orthodoxus, sed nimium mansuetus, vt eius rei causa apud Leonem Imp. à suis accusatus fuerit, quòd nimis remissè se erga hæreticos gereret. Imp. tum non paruit. Itaque non minus ipsum hæretici quam orthodoxi amarunt, & publicè ei hæretici acclamarunt: Tametsi tibi non communicamus, te tamen amamus. Liberatus testis.

PETRVS Alexandrinus episcopus post Athanasium orthodoxus, nimis facilis fuit in hæreticis recipiendis, adeò vt non caruerit suspicione acceptæ pecuniæ. Ruff. lib. 2. cap. 3. Socrates lib. 4. cap. 2.

FINIS LIBRI OCTAVI.

THEA-

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER NONVS.

DE VERITATE ET MENDACIO,

in genere.

CONVERSATIO placida & amica tùm inter amicos, tũ inter inimicos (nam cũ inimico quoque placidè possumus conuersari) turbulentam & offensionibus plenam sequitur. Habet hæc quoque suas virtutes, quæ ἐν ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν conspiciuntur, vt inquit Aristoteles: quemadmodum econtrà virtutibus istis opposita vitia, discordiam, lites, & inimicitias pariunt, alunt, atque fouent, in quotidiana vita. Placidæ autem conuersationis duplex est genus: alterum quidem in rebus seriis: quod Veritatem Aristoteles, nos Integritatem appellare possumus: alterum verò in rebus iucundis & ludicris, quod in genere Vrbanitatem vocabimus, de quo infrà agemus, ὁμιλεῖν πρὸς ἀλήθειαν ἢ πρὸς ἡδονὴν καὶ λύπην Philosophus nominat: eam voluptatem intelligens, quæ in animo ex iucunda conuersatione percipitur. Integritati subiecta est Veritas, Vrbanitati Iucunditas. De Veritate ergo, siue Virtute quæ circa Veritatem occupatur, acturi, prius in genere Veritatis & Mendacij θεωρίαν instituamus, ne in sequentibus eadem sæpius repetere cogamur. Duo sunt summi bonorum fontes, Verum atque Bonum: illud quidem theoricum, hoc verò practicum. Pendent ab vna eadémque idea, à Deo opt. max. qui solus verus est, atque bonus: & propterea natura discrepant, affinitate tamen conueniunt. In homine philosopho, qui Dei imitator est in contemplando pariter & in agẽdo, simulacra vtriusque ideæ reperiuntur, exilia tamen, & valde obscura: ac propter ortus sui cognationem sæpius id quod verum est, complecti dicitur ipsum bonum, & vicissim à bono comprehendi id quod verum est. Propterea vsuuenit, vt in vita ethica actiua veritatẽ aliquam statuamus, de qua nunc loqui instituimus: & vicissim in vita theorica boni sæpe fiat mẽtio, quod nihil aliud est quàm verũ. Vitæ practicæ finis est bonum, quod triplex philosophi faciunt: Honestum, Vtile & Iucundum. nam tria sunt ista ferè, propter quæ homines omnia reliqua admirantur, & in bonorum genere ponunt. Honestum per se expetẽdum est: reliqua duo per accidens tantùm, quatenus ad honestatem conferunt, à viro probo amplectenda sunt: si nihil conferant, fugienda. Solidum itaque bonum vitæ practicæ, in honesto positum est: ergo ipsum quoque Verum. Quare Veri studium in vita practica, nihil erit aliud quàm boni siue honesti studium, in omnibus humanæ vitæ actionibus, cogitationibus, dictis atque factis: & proinde omnem virtutem comprehendet, quatenus in conuersatione hominum quotidiana, id quod bonum est, quódque reuera sentit, vel verbis, vel opere præstat. Quẽadmodũ enim veritas theorica id quod est, vt est, apprehẽdit, & intellectu assequitur: ita veritas practica, id quod est, vt est, nõ sola intellectus apprehensione venatur, sed reipsa declarat. Nam si bonum sit ens, tale esse asserit, & in assertione perseuerat: sin malum, idipsum vel simpliciter effatur & indicat, vel certè reprehendit, ut ex hac reprehensione vitiosi homines resipiscant. Propterea veritatis practicæ subiectum est modò bonum, modò malum, quod tamen bonum esse interdum videatur. Nam qui mala sua consilia apertè alteri fatetur, vt qui bellum alteri iniustè indicunt, veritatem obseruant, in malo proposito reuerà, quod ipsis tamen bonum esse videtur. Vicissim qui alteri errores suos fatetur, & resipiscere cupit, veritatem in bono proposito tuetur. Vterque ex æquo propter veritatẽ laudandus: sed propter habitus diuersos, à quibus veritatis significatio profluit, alter laudem, alter vituperium meretur. Finis verò practicæ veritatis semper est bonus: quoniam bonũ & virtuti consentaneum esse videtur, liberè cum hominibus conuersari, idem in ore & in pectore habere, integritatem & candorem in omnibus dictis atque factis obseruare. Et hæc hactenus, de Veritatis ipsius notione: vt constaret, quare in practica philosophia virtutem veritatis Aristoteles posuerit. Nunc vt clarius natura Veritatis & Mendacij pateat, typicè causas vtriusque proponamus.

VERITATIS causas quatuor cõstituimus. Nempe

- Materiam duplicẽ habẽ
  - IN qua, siue subiecta in
    - Genere, est τὸ ὂν vel
      - ἀπλῶς, siue substantialiter, substantia ipsa:
      - πῇ, siue accidentaliter, accidens quod per se non subsistit, sed substanti contenta inhæret.
    - Specie vel---
      - Theoricum, quod pro entium diuersitate in varias artes & disciplinas à nobis suprà, vbi de vita contemplatiua egimus, distinctum fuit.
      - Practicum, Habitus aut dispositiones internæ, aut actiones externæ, veluti obiecta, in quibus censendis et declarandis Veritas occupatur, considerantur vel
        - Per se, quãdoquidem vel sunt
          - Boni habitus, aut actiones. Veritatis est, eas tales, quales sunt proferre, exercere & persequi constanter.
          - Mali habitus aut actiones. Veritatis est, eas patefacere & declarare, seu amplectẽdo & persequendo, siue reprehendẽdo & fugiendo, in se aut aliis. Et hic optimè notandum est, quòd Veritas etiam cum vitio iuncta esse potest. Nam qui alium per vim & iniuriam opprimere in animo habet, siquidem animum hunc suum illi apertè indicet, Verus, Candidus, Ingenuus & Apertus esse dicetur, iniustus tamen erit. Vt enim Mendacium cum virtute interdum subsistit: V.G. cum prudentia, quando Reipublicæ causa vir bonus mentitur: ita quoque Veritas cum vitio esse potest, propterea Veritas malos habitus aut actiones, suas aliorumue, modò reprehendit, fugit, aut fugere iubet: modò illos profert & patefacit, quando propter vitiosum habitum in illis adhuc persistere cogitat
        - Per accidens, hoc est ratione personarum, quibus accidunt. Veritas enim vel est de actionibus, aut habitibus
          - Propriis, in ijs exercendis, proferendis, laudandis, vituperandis.
          - Alienis, in laudando aut vituperando.
    - Ex qua, siue per quam Veritas ipsa se prodit. In
      - Theoricis, primi sunt conceptus in animo, siue notiones similes rerum naturæ: deinde simulachra conceptuum, ipsæ voces: tùm accedunt demonstrationes in quibus de iis scribitur, vt in Mathematicis, in Medicina, & similibus.
      - Practicis, primi sunt habitus animi, vel etiam dispositiones tamũ: mox sermo animi index sequitur: tertio in loco actiones interno habitui attestantur.
  - Formã in
    - Theoricis, ipsam conformationem intellectus theorici cognoscentis, siue conceptuum qui sunt in anima intellectiua ijs ipsis rebus quæ cognoscuntur.
    - Practicis, Conformationem intellectus practici cum actionibus, habitibúsue, vel nostris vel alienis. Qualis est res subiecta, talis de ea erit nostri intellectus sententia, opinio, existimatio, in quotidiana cõuersatione: & animi sententiam sequentur actiones similes, dicta scilicet & facta rebus conformia. Hinc veritas ἀλήθεια, quasi ἀλάθεια dicta est, Est enim veritatis, non celare ea quæ in quotidiana vita alter alteri manifestare debet, siue
      - Diceudo. Oportet ergo
        - Bona sua vel alterius, cùm res & occasio ita postulat, vt ea proferre opus sit, modestè, citra arrogantiam vllã detegere.
        - Mala, vel sua vel alterius, aut
          - Reprehendere, in ipso quidem per Pœnitentiam, siue Resipiscentia in alio, per admonitionem, aut pœnam.
          - Indicare verbis. Sic ingenuisse arbitramur milites, prius signum in aris violenter irruat, vim suam indicare.
      - Faciendo. Facta animum suum alteri declarare, siue bonum, siue malum. In proposito semel cœpto, bono, malóue perseuerare. Comprehendit in genere tum Constantiam, tum Obstinationem.

Efficientem. Vide signum A.

Finem. Vide signum B.

A. Efficientem. In præcedentibus cõstitit, Veritatis vtriusque
- Ideam in Deo opt. max. solo reperiri perfectissimam: in quo summa quoque bonitas subsistit: eáque propter verũ & bonum valde inter se sunt affinia.
- Simulachrum, ad diuinæ ideæ æmulationem, quantum fas est, in hominis intellectu manere, siue in rationali animæ parte (qua destituuntur bruta, vt veritatem à mendacio distinguere nequeant) eáque vel
  - Theorica, siue speculatiua, quæ res scientiæ causa contemplatur.
  - Practica, siue actiua, quæ ad actiones vitæ quotidianæ omnia refert.

B. Finem. In
- Theoricis est ipsa rerum, vt sunt, cognitio.
- Practicis, alius est
  - Per se, quoniam honestus esse videtur omnis candor, ingenuitas & integritas: cuius finis respectu Veritas ipsa Virtus esse dicitur. Hoc ergo considerationis modo Veritas per se semper laudabilis erit, quatenus aperta est animi sui significatio de rebus propriis vel alienis. Iam verò quia animi habitus, à quo significatio ista proficiscitur, vel bonus vel malus est, fit quoque vt veritas quæ per se bona est, ratione principij sui vel sit
    - Bona, quæ à bono animi habitu prouenit.
    - Mala, quæ à malo animi habitu pendet: vt loquacitas.
  - Per accidens, quatenus honestatem comitantur interdum
    - Vtilitas.
    - Iucunditas, animi potius quàm corporis.

MENDACIVM Veritati opponitur. Causas itaque habet contrarias
- Materia
  - In genere, est τὸ μὴ ὂν, siue per essentiam, quod nihil est omnino: siue per accidẽs, quod aliquid est subiecto, sed non ea quantitate aut qualitate præditum, quam habere dicitur. Sic superbus φησὶ τὸ μὴ ὂν versatur, quia maioris sua æstimat, quàm æstimari mereantur.
  - IN qua
    - In specie. Vel
      - Theoricum, vt falsæ suppositiones in qualibet arte & scientia.
      - Practicum, vt habitus, actiones, dicta aut facta, quæ vel sibijpsi, vel alteri iniustè attribuuntur, laudando, vituperando & reprehendendo.
    - Ex qua, siue per quam Mendacia struũtur. In
      - Theoricis, sunt Sophismata ipsa, omnésque elenchorum sophisticorum species et loci.
      - Practicis, dicta & facta sophistica. Omnium enim errorum, vt Gal. inquit, mater est sophistice, hoc est, falsa ratiocinatio, siue persuasio.
- Forma. Vide signum C.
- Efficiens. Vide signum D.
- Finis. Vide signum E.

C. Formâ in
- Theoricis, *est discrepantia intellectus theorici, & rerum: quæ vel omnino nullæ sunt, vel non sunt tales, quales intellectus eas esse credit & enunciat.*
- Practicis, *est discrepantia intellectus practici ab actionib. quotidianis, vel nostris vel alienis. Aliter sentit, aliter res se habet: siue ita sentiat* ὄντως, *siue* φαινομένως *tantum. Sententiam autem suam reipsa indicat, tum dicendo, tum faciendo. Porrò si habitum spectes, à quo mendacium promanat, ignorantia ista veri vel erit*
  - Simplex, κατ' ἀπόφασιν, *qui mentiuntur non malo habitu inducti: sed quia id quod est reuerà, ignorant. Vera ignorantia appellari potest, & ad Imprudentiam referenda est.*
  - Composita *cum aliqua specie virtutis (& bonum efficit Mendacium) aut vitij (& malum erit Mēdacium) Mendacium* κατὰ διάθεσιν *appellabimus, quoniam ab habitu seu dispositione interna prouenit: & est ficta, nō vera ignorātia. Neque est vnius generis. nam cùm sciat rem aliter se habere, quàm profitetur, fingit tamen vel*
    - Non *ens esse ens* προσποίησις, *Simulatio propriè dicitur. Aut ergo simulat id qd'*
      - Omnino *nihil est, secundum substantiam, esse aliquid, siue in suis rebus, siue in alienis. Sic Adulator bona quæ nulla sunt, de Thrasone suo eloquitur: sic Maledicus falsas calumnias in alium congerit: quod genus Mendacij, Obtrectatio propriè dicitur.*
      - Aliquid *est secundum substantiam, in accidente qualitatis aut quantitatis maius esse quàm reuerà sit.*
    - Ens *esse non ens Dissimulatio, siue* εἰρώνεια. *Dissimulat ergo id quod*
      - Substantialiter *est, omnino nihil esse. Sic Delatores optimis viris incommodare possunt, quod mendacij genus Detrectatio propriè appellatur.*
      - Accidentaliter *est magnum, vel pulchrum, minus esse tale.*

D. Efficiens *Mendacij*
- Idea *in suo patre est diabolo, qui vt malus est, ita non nisi mala producere potest, ad perniciem humani generis.*
- Simulachrum, *in hominis intellectu, qui ad bonum & malum propensus est, maximè tamen ad malum: eáque propter Mendacium ex fine suo modò bonum erit modò malum: siue sit in intellectu*
  - Theorico, *qui non ens tanquam ens statuit, fingit & imaginatur.*
  - Practico, *qui in quotidiana cōuersatione falsas actiones aut habit° pro veris introducit.*

E. Finis *in*
- Theoricis *modò*
  - Bonus, *quoniā* ἐκ τοῦ μὴ ὄντος *narratione aut suppositione in rebus*
    - Seriis τὸ ὂν *elicit: vt quando Mathematici falsa supponunt, veritatis indagandæ causa. Hoc Arithmetici in Regula aurea siue falsi (vt vocant) cum laude faciunt. Sic quoque in Logicis, ex falsis interdum verum elici potest. Denique tales sunt Fabulæ & Apologi omnes: talis est tota Poesis, quæ fictione sua delectat simul & prodest.*
    - Ludicris, *voluptatem ciet. Tales sunt fabulosæ narrationes Luciani: ipsa denique* ἀδολεσχία *tota in theoricis, cui non deceptio, sed oblectatio aliorum proposita est.*
  - Malus, *ipsa Deceptio, quæ veræ scientiæ opponitur: & propterea summum rationalis animæ malum censenda est. Huc tota Sophisticè pertinet, quæ* τὸ μὴ ὂν ὡς ὂν *tractat.*
- Practicis *interdum est*
  - Bonus, *quando* ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὸ ὂν *bonum prouenit, in seriis quidem rebus vtilitas (sic Plato viro bono Reipublicæ nomine mentiri licere asserebat: & in bello licet hostem variis stratagematis, simulando & dissimulando opprimere, quia ex professo inimicus est) in ludicris verò Iucunditas, & hinc dicuntur* ἄρεσκοι, *de quibus infrà sub loco Affabilitatis agemus.*
  - Malus, *quando* ἐκ τοῦ μὴ ὄντος *prouenit vel*
    - μὴ ὄν, *qui nulla proposita vtilitate aut voluptate sua aliorúmve mentiuntur, sola mentiendi libidine adducti.*
    - ὄν, ἀλλὰ κακόν. *Nam*
      - Aliis *malum est, quatenus officit bonis*
        - Animi, *vt adulatio,* κρεῖττον ἄρα εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν· οἱ μὲν γὰρ τὰ σώματα, οἱ δὲ τὰς ψυχὰς διαφθείρουσι.
        - Fortunę, *vt Fraus & deceptio pecuniaria, Obtrectatio, Maledicentia.*
      - Sibiipsi *per accidens bonum esse videtur, quia ad bona corporis aut fortunæ confert (hunc enim finem propositum habent Adulatores) reuerà tamen malum est, quandoquidem eos in nobilissima sui parte corrumpit, quando falsa etiam nolentes loqui coguntur aut facere, præter id quod conuersationem synceram & verè amicam penitus inficiunt.*

DE VERITATE PRACTICA, ET DE *virtute quæ circa illam versatur.*

DE Veritate & Mendacio hactenus in vniuersum hæc dicta sint. Ex quibus constare arbitror, quæ sit natura vtriusque, & quæ singulorum differentiæ: quódque Veritas, de qua nos hic loquimur, & quam virtuti practicæ subijcimus, practica sit: hoc est, in actionibus quotidianis versetur, & ad eas referatur. Cæterùm quia Veritatis & Mendacij practici variæ sunt species, in omni ferè genere virtutum & vitiorum locum habent: quandoquidem veritas cum vitio, & vicissim mendacium cum virtute iungi potest. In præsentia autem non ex professo de iis sermonem instituimus, sed eatenus tantum, quatenus ad virtutem eam quæ circa veritatem occupatur, intelligendam conferunt. Quare ex locis suis differentiæ singulorum petantur. Hic tantum veritatis practicæ curam habemus, quæ τῆς φιλαληθείας subiectum constituit: & id quod est, vt est, in quotidiana vita liberè pronunciat: cuius tamen vsus ad omnes virtutis locos sese extendit. Nam qui patriæ prudenter consulit, illiúsque libertatem acriter defendit, prudens & fortis erit: nec minus tamen veritatis studiosus, sed diuerso respectu. Qui vitia reprehendit atque punit, Iustus appellabitur: Veritatis interim famam hoc ipso obtinebit, quòd in proposito Iustitiæ tramite constanter pergat, & id quod reuerà bonum esse nouit, absque vlla tergiuersatione exerceat, & in opus producat. Hanc ipsam ob causam ἀλήθεια à Græcis dicta est, ὡς ἀλάθεια, quòd minimè lateat: quandoquidem in opus exit, & in actu semper versatur, siue interno, vt Veritas theorica: siue externo, vt Veritas practica, de qua nunc agimus. Simili rationis modo qui vitia, quibus laborat, in quibus hæret & volutatur, apertè indicat, habitu quidem vitioso præditus, sed veritatis tamen custos esse dicetur. Est enim Veritas simul & Mendacium, neutrum quid modò bonum, modò malum: vt etiam omnes aliæ actiones, quatenus vel cum virtute, vel cum vitio coniunguntur. Huius itaque veritatis practicæ materia, in qua sunt actiones humanæ bonæ malæúe, siue nostræ, siue alienæ: ex qua sunt dicta atque facta, per quæ veritas sese prodit. Forma est ipsa conformatio practici intellectus cum ipsis rebus, nempe vt bona non dissimulet, sed laudet modestè, vel apertè fateatur, vel mala reprehendat atque puniat. Vt enim veritas theorica consistit in rerum & notionum similitudine: sic practica veritas in actionum externorum & habituum animi internorum paritate. Nam qui de bono bene sentit, in animo primùm habet boni opinionem de bono quod extra animum est: hanc ipsam deinde opinionem internam confirmat actionibus externis, tum dicendo, tum faciendo. Qui verò de malo malè sentit, in animo opinionem mali habet, & hanc ipsam externis actionibus confirmat. Finis autem in omnibus est τὸ καλὸν: quia pulchrum & laudabile, videtur esse, veritatem sequi, & sibiipsi in omnibus dictis atque factis constare. Subiectum ergo virtutis, de qua nunc acturi sumus, veritas est practica. Virtus ipsa Aristoteli ἀνώνυμος est religione quædam vocabula nouandi. Si cui videbitur, φιλαλήθεια appelletur: Latinis, Veritas, Integritas, Libertas, ingenuitas, Candor, Constantia. Cuius definitionem Aristotel. ingeniosè admodum sub descriptione eius qui huic virtuti studet, insinuare voluit. inquit enim: ἔστιν ὁ μέσος (qui virtutem inter duo extrema mediam sequitur) αὐθέκαστός τις (quasi potentia intellectus practici in se omnes omnium actiones comprehendens, sicut philosophus theoricus intellectu suo omnia cognoscente, omnia esse dicitur) ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ (factis scilicet) καὶ λόγῳ (dictis, non de theoricis rebus, sed de practicis (τὰ ὑπάρχοντα (substantiam, & ea quæ verè sunt, atque simul ea quæ non sunt) ὁμολογῶν εἶναι περὶ αὐτὸν (hoc est, sententiam propriam de rebus, siue suis, siue alienis, tam bonis quàm malis, liberè & apertè proferens. nam τὸ περὶ αὐτὸν non ad ipsa ὑπάρχοντα referre oportet, ad bona scilicet, aut mala quæ sunt circa ipsum, sic enim excluderetur veritas, quæ est de rebus alienis: sed ad ipsum animum cognoscentem, & sententiam suam de rebus ferentem) καὶ οὔτε μείζω, οὔτε ἐλάττω (accidentia videlicet, & ea quæ non verè, sed accidentaliter tantum esse dicuntur.) Ex hac igitur descriptione, ipsius quoque habitus definitionem colligere possumus, quòd scilicet φιλαλήθεια nihil aliud sit quàm μεσότης τῆς ὁμολογίας τῶν ὑπαρχόντων. Vt μεσότης est, sic differt ab extremis duobus, de quibus postea. μεσότης autem in genere, moderationem & modestiam quandam indicat: cui affinis est ipsa Prudentia, vt quantum, quando, quomodo, & vbi veritatis cura sit habenda, sciat. Mutuas enim operas præstant: Prudentia Veritati inseruit, & veritas vicissim prudentiæ. Superbus interdum ea quæ verè sunt profert, sed immodestè & ambitiosè, Vitia aliena reprehenduntur interdum, sed nimis acerbè. Non in confessione ipsa, sed in immoderatione vtrobique peccatur. φιλαλήθεια igitur μεσότης est, & proinde virtus, cum recta ratione coniuncta: propterea omnes seruandæ integritatis & libertatis circumstantias studiosè obseruat. Differt ergo virtus veritatis à veritate, quemadmodum habitus ab ipso obiecto siue subiecto: aut vt virtus περὶ ὀργὰς, πρᾳότης scilicet, ab ipsa Iracundia. Eapropter in superioribus in genere de veritate practica egimus, sub cuius ambitu non virtutem tantùm, sed vitia quoque comprehendimus, quatenus in iis omnibus forma generalis conspiciebatur, ipsa scilicet conformatio intellectus practici per sua indicia cum rebus seu actionibus quotidianæ vitæ. Proinde veritati superius obstinationem quoque siue pertinaciam adiunximus, quia in eo quod sentit pertinaciter perseuerat: præterea etiam libertatem improborum hominum, qui potentia sua freti, sæpissimè alios, vt sibi caueant, monere solent. Veritatem omnes isti profitentur. id enim quod est, vt est, liberè indicant & persequuntur: sed quia μεσότητα negligunt, & à recta ratione deficiunt, ad virtutem eam quæ veritatem dirigit & moderatur, referri non debent: sed

ad vitia huic virtuti contraria. Quemadmodum vicissim Mendacij quædam species est cum virtute iuncta, quæ aut publici aut priuati alicuius commodi gratia mentitur: hæc quia μεσότητα in mentiendo obseruat, non ad vitium in defectu veritatis referenda erit, sed potius ad ipsam prudentiam. Virtus itaque veritatis & bona est, & modestiæ studiosa. Hoc enim sibi vult vocabulum μεσότητος, quod loco generis in definitione fuit adhibitum. Sequitur particula, τῇ τῶν ὁμολογίαν. ὁμολογία confessio est, & aperta significatio per dicta aut facta, quibus interna animi sententia exprimitur. Hæc autem varia est, pro varietate subiecti. In bonis erit laudatio, commendatio: in malis, reprehensio, castigatio. Differt interim à Iusticia: quoniam Iusticiæ æqualitatis obseruatio proposita est, & inæqualitatis correctio: at virtuti huic nostræ veritas in dictis & factis, correspondens internæ voluntati. Propterea Iusticia præmio & pœna continetur: hæc autem virtus simplici confessione, tam reali, vt ita loquar, quàm vocali. Quod vltimo in loco additur, τὰ ὑπάρχοντα, omnia ea comprehendit, de quibus practicus intellectus agere consuevit: siue secundi substantiam considerentur, vt quòd sint aliquid, vel non sint: siue secundum accidens. In qualitate enim, bona & mala: in quantitate, magna & parua connumerantur. Id ergo quod est, vt est, quantum, quale, quomodo, quando, & id quod non est, vt non est, effere & enunciare, Veritatis est practicæ in quotidiana conuersatione & negociatione mutua. In hac autem virtute, itidem vt in cæteris omnibus, exempla dubium sint generum. Quædam enim simplicem professionem habent per dicta aut facta: quædam etiam perseuerantiam habent iunctam. Posteriora tanto pluris sunt æstimanda, quò perfectiorem virtutis habitum arguunt. Eapropter nos in Titulis describendis hanc distinctionem sequemur,

non in virtute tantum, verumetiam in vitiis
oppositis.

Φιλαλήθεια.

Genere, Veritatis & integritatis amatores, qui vel ipsi eam sunt professi, vel in aliis coluerunt.

Φιλαλήθεια, veritatis studium, vel, vt sunt, in quotidiana hominum conuersatione vel dictis vel factis profitetur. Exempla afferemus in

Specie, In quibusdam consideratur

- Bonis, vel
  - Sua sponte proferendis,
    - Per se, absque aliorum respectu. Libertas in sententia dicenda, tam publicè quàm priuatim, παρρησία.
    - Respectu aliorum. Bona enim nostra si cum aliorum bonis conferantur, vel sunt
      - Maiora. Non sunt celanda: sed modestè, & secundum rectam rationẽ, absque ambitione, cùm necessitas exigit, manifestanda. Confidentia suipsius appellatur, tum in
        - Dictis, Bona sua liberè, aut modestè, profiteri.
        - Factis, tam domi, quàm in bello.
      - Minora. Veritatis est ergo, maioribus se submittere, non simulatè (vt ἀλαζονεία, aut Adulatio) sed verè & ex animo. Humilitas hinc oritur tum
        - Religiosa.
        - Ethica.
  - Ab aliis, tam
    - Veris excipiendis & admittendis.
    - Falsis, quæ Adulatores afferunt, reijciendis.
- Propriis
  - Vitiis & peccatis liberè vel
    - Sua sponte confitendis. Confessio peccatorum libera, vel
      - Religiosa.
      - Ethica.
    - Ab alio si reprehendantur, audiendis: vel si dissimulentur, vt ab Adulatoribus, non ferendis, nec admittendis.
  - Veritatis simplex professio, sic in
    - Alienis
      - Malis & vitiis, de quib.
        - Constat, vel
          - Ab alio audiendis & indicandis, Accusatores et delatores veros audire.
          - Non dissimulandis, nec approbãdis vel laudandis. Adulari nolle.
        - Per seipsa
          - Reprehendendis etiam Libertas in reprehendendo tum
            - Religiosa.
            - Ethica.
        - Non constat, non temerè credendis. Falsis delatoribus non credere.
      - Bonis, etiam inimicorum, vel non celandis, sed laudandis et extollendis (vt in Specie, Hostem non contemnere) vel non dissimulandis, detrahendo & maledicendo: Obtrectationem fugere.
    - Perseuerantia in dictis & factis secundum virtutem. Constantiam appellare liceat. Hæc ergo duplex est. Nam vel id quod
      - Bonum est, sedulò persequuntur, & assiduè exercentur in quocũque virtutis genere. Constantia
        - Religiosa. cáque vel
          - Pia & Christiana.
          - Ethnica.
        - Ethica.
      - Malum est, constanter fugiunt, nec assentiuntur. Exempla
        - Religiosa.
        - Ethica.

Virtutem excipiunt duo vitia:alterum in excessu, veritatis,alterum in defectu. Vtraque sub communi genere Mendacij comprehenduntur,maximè tamen illud quod est in defectu.Mendacium autem intelligimus practicum,non theoricum. Neque tamen omnes mendacij species his vitiis complectimur:sed eas tantùm,quæ à moderatione virtutis excidunt per excessum aut defectū.Vt enim virtus non circa omnem veritatem,sed circa eam tantùm quæ μεσότητα admittebat, hoc est,quæ honesta esset & moderata, verfabatur:ita vitia non in omni mendacio occupantur,sed in illo tantùm,quod inhonestum est,immoderatum, & à recta ratione deficit, non per ἀπόφασιν, sed per διάθεσιν siue habitum corruptum. Nam quod mendacij species quædam cum virtute prudentiæ iuncta sit,quódque mendacium aliud simplex sit,aliud compositum,iamdudum diximus. Vitium igitur in excessu Aristoteles ἀλαζονείαν vocat,cuius elegantissimam notationem ex Eustarchio afferre libet. λέγεται μὲν ἀλαζὼν, ὁ ἀπὸ ἀλης ζῶν, ἤγουν ἀγύρτης, ἀπλῶς δὲ ὁ φενακίζων· ἢ πλανᾶται πρὸ αὐτοῦ διηγούμενος Solent ij qui post longas peregrinationes domum redierunt, inaudita quædā, monstrosa & fabulosa referre,quæ insolentia sua omnes in admirationem trahunt,& quandam sapientiæ existimationem authoribus conciliant. Ab hoc Etronum mendacio translata vox est ad omnes eos,qui vel ea quæ omnino non sunt, esse fingunt:vel maiora,quàm reuera sint, esse dictitant. Latinis propriè Insolentia appellari posset,ad imitationem Græci vocabuli. Insolenter enim segregare dicuntur,qui præterquam ipsis conueniat,in dictis & factis libertatem vsurpant. Reliqua nomina, quibus ἀλαζόνεια exprimi posse videtur,angustiora sunt,quàm quæ omnes huius vitij species complectantur. ὑπεροψία, Despicientia, à contemptu aliorum nomen habet. Lactantius in verbis posita est Arrogātia alieno(vt Comicus inquit) partam labore gloriā verbis in se transferre, & sibi arrogat maiora quàm mereatur. Fastus, Tumor, Elatio, nomina sunt varia, res eadem, prout etiam rei eiusdem varia sunt accidentia. Vitium illud per coniugatum suum definire docet Aristoteles. Est enim ἀλαζὼν, προσποιητικὸς (simulator. Simulamus id quod non est,tanquam sit, Versatur ergo simulans circa non ens subiecto,quod tamen simulatione siue professione est ens. προσποίησις autem,si spectes etymon, propriè Affingere significat,quasi ei quod est,aliud quid falsò addere. Fictio ipsa, quemadmodum virtutis ὁμολογία, vel dictis vel factis absolvitur.) τῶν ἐνδόξων (nam si penitus absurda & impossibilia essent, non Insolens simulatio, sed insania quæpiam appellaretur) ἢ μὴ ὑπαρχόντων (quæ nihil omnino sunt) ἢ μειζόνων ἢ ὑπάρχει (quæ maiora esse fingit,secundum omne genus accidentis,quàm reuera sint.) Ergo ἀλαζόνεια siue Insolentia nihil aliud erit, quam excessus quidam veritatis, quando id quod non est vel substantialiter vel accidētaliter,esse asseritur:siue,vt propriè loquar,quādo simulat ea adesse, quæ reuera nō adsunt. Simulationem enim Aristoteles propriè tribuit excessui veritatis:dissimulationem defectui. Vtrunque vitiū,quatenus veritati opponitur,popolitum habet τὸ μὴ ὂν ὡς ὄν efferre:hoc est,aliter quàm res sit vel nō sit, eam fateri dictis aut factis:sic simulans id quod non est esse fingit,& dissimulans id quod est nō esse fingit, atque adeò in genere vterque περὶ τὸ μὴ ὂν versatur,alioqui non essent species Mendacij. Quatenus verò subiectum & finis vtriusque in specie considerantur sic differūt inter se. Simulatio enim interdū circa omnino non ens,interdum circa ens occupatur:illud, hoc maius esse quàm reuera sit asserit. Dissimulatio verò semper subiectum habet ens,sed illud modò omnino non esse:modo esse quidem,sed non tale,quale est,asseuerat. Simulatio itaque reuera non ens,sed apparentiā tantùm ens sequitur & captat:dissimulatio reuera ens,apparentiā non ens sibi proponit. Qui simulat non ens,dissimulat etiā ens:& qui ens dissimulat,simulat etiam nō ens. Ne tamē in vna eademq; actione duo vitia contraria ineſſe concedamus, distinguenda sunt hac ratione medij.nam rem vt est dicere, Veritatis est:plus dicere, Simulatio appellabitur:minus dicere, Dissimulatio erit, nō tam respectu subiecti,quàm ipsius ὁμολογίας ὁμολογία enim vera virtutis est:falsa,in excessu & defectu,vtriusque vitij. Vitium itaque in excessu ἀλαζόνεια dicatur in genere, Insolentia scilicet quæ προσποίησιν siue simulatione constat.in defectu verò veritatis, εἰρωνεία ab Aristotele appellatur,nos Dissimulationem appellare possumus,quandoquidem dissimulatione perficitur. Definit autem τὰ ἐπαινετὰ esse τὰ ἀφανιζόμενα(dictis aut factis)τὰ ὑπάρχοντα(id quod est,nihil esse. Sic differt à Veritate, quæ etiam negat siue non esse dicit,non tamen τὰ ὑπάρχοντα ἀλλὰ τὰ μὴ ὑπάρχοντα(ἢ ἐλάττω ποιοῦνται (non tale esse,quale est,secundum quoduis genus accidentis affirmantem.) Diximus autem tam antè, Dissimulationi κατ' ἐξοχὴν Mendacium cōuenire, & Dissimulatorem malum φιλοψευδῆ nominari:malum dico, quia bonus dissimulator & modestus non adhoc vitium referendus est,sed ad prudentiam aut magnanimitatem:verbi gratia,honores respuere oblatos,tanquam se indignos:minores fingere copias, vt hostem ad pugnandū eliciamus:& multa alia eiusmodi,de quibus suo loco egimus. Malam autem dissimulationem seu vitiosam eā statuo, quæ vltra quàm oportet aut vbi non oportet,quando,quomodo, & quantū non oportet, dissimulat, siue in propriis rebus,siue alienis,quocunque fine proposito, honestate,vtilitate,aut iucunditate. Nam nec virtus veritatis omnem veritatem comprehendebat:nec dissimulatio omnem defectum veritatis comprehendet,sed vitiosum tantùm. Non vitiosus sub certis virtutum titulis dispositus reperietur. Superest vt titulorum seriem describamus.

Virtuti,



Mendacij, *ratione formæ siue quatenus scilicet id quod est, non vt est, vel id quod non est, non vt non est profert: sic enim Veritati opponitur, quæ id quod est vt est, vel id quod non est, vt non est, enunciat dicto aut facto. Ex quo veluti fonte Vitia duo promanant. Non tamen omnes mendaciorū species ad duo ista vitia referuntur, sed ad alios quoque locos: quod ex generali theoria Mēdacij in præcedentibus exposita colligi poterit. Vide in seq. signum* B B.

AA. *Vitium in defectu veritatis, ea quæ sunt non esse: vel ea quæ talia sunt, talia non esse, sed minora asserit.* Εἰρωνεία, *quæ dissimulatione constat, hoc est, assertione eius quod est tanquam non sit, siue assentiantur verè, siue non assentiantur. Latius tamē dissimulatio patet, vt quæ interdum virtus est. Differt ab Humilitate: quia humilitas verè & ingenuè sua deprimit:* εἰρωνεία *verò simulatè tantum, alterius finis gratia, propter quem ad locum Calliditatis quoque referri potest.* In hoc autem vitio consideratur tum

- Professio *eius quod est tanquam non sit, siue secundum substantiam, siue secundum accidēs. Vel in rebus*
  - Propriis, *tum*
    - Bonis. *Rustica dissimulatio, etiam alio laudante.*
    - Malis, *vel*
      - Sua *sponte dissimulandis, & minora facere quàm reuera sint, aut pauciora confiteri.*
      - Ab *alio si sint*
        - Reprehensa, *ægrè ferre.*
        - Excusata, *ab Adulatore scilicet, libenter admittere.*
  - Alienis *vel*
    - Bonis *deprimendis, quod* Inuidiæ *est, & Detrectationis.*
    - Malis *dissimulandis, quod Adulationis est.*
- Defectus à *veritate. Nam vel*
  - Nunc *primum deficit, cùm prius rectè sentiret,* Inconstantia *tum*
    - Religiosa.
    - Ethica, *vtputa*
      - Mores *mutati in peius.*
      - *Qui in proprias leges peccarunt.*
  - Cū *prius dissimulator esset, in dissimulatione mala perstat.*

BB. *Mendacium duplex est. Aliud*

- κατ' ἀπόφασιν, *quod simplex est, & ex pura siue mera ignorantia eius quod est, vt est, proficiscitur, nulla fictione intercedente: Malum est, quia non est conformitas intellectus & rerum: venia tamen dignum, quia non ex malo habitu proficiscitur, siue ex peruersione rationis, sed potius ex rationis defectu. Et propterea species* Imprudentiæ *esse videtur. Mendacium per ignorantiam appellare possumus: siue Mendacium simplex, siue Mendacium secundum negationem.*
- καθ' ἕξιν, *siue* διάθεσιν, *quod compositum est cum aliqua specie virtutis aut vitij. Ex fine autem diiudicatur, bonúmne sit, an malum. Coniunctam habet fictionem, per quam id quod aliter se habere scit, aliter enunciat. Mendacium per scientiam appellatur, quoniam non ex defectu rationis prouenit, sed vel ex rationis solertia & prudentia, quando bonum est finis: vel ex eiusdē peruersione, quam Astutiam & Calliditatem nominant. Quatenus à rerum Veritate deficit, semper malum erit omne mendacium: per accidens tamen bonum, respectu finis boni. De huiuscemodi igitur mendacio exempla offeruntur.*
  - In genere, *eorum qui absolutè* φιλοψευδεῖς *appellari possunt, quoniam simulant ea quæ non sunt, & dissimulant ea quæ sunt, Mendaces. Quorum exempla hîc afferētur, quia Veritatis amatoribus simpliciter opponuntur: vt enim illi Veritatem per se, etiam nulla propria vtilitate colunt: ita isti mēdacium sola mentiendi libidine persequuntur, propterea* φιλοψευδεῖς *vocantur.*
  - In specie, *eorum qui certo fine proposito mentiuntur.*
    - *Per se quidem omne mendacium, quia à veritate deflectit, vituperādum est: at respectu finis, siquidem is verè bonus sit, Prudentię adscribetur: sin verò malus, Astutię & Calliditati. Ex illis ergo locis exempla petantur. Nam quocunque fine proposito, fingunt vel id quod*
      - Non est, *siue substantialiter, siue accidentaliter esse. Simulatores propriè dicuntur.*
      - Est, *siue substantialiter, siue accidentaliter, non esse. Dissimulatores appellantur.*

VERITATIS AMATORES, IN GENERE. INTEGRI, ingenui, synceri.

Huc refer exempla eorum qui Mendacia odio habuerunt. item, Mendacij pœna.

Hor Abbas veritatis studiosissimus fuisse dicitur. de eo enim tria cōmemorat Heraclides in sua historia: Quòd nunquam sit mentitus, nunquam alicui maledixerit, nunquam citra necessitatem locutus sit.

Theonas abbas in eremo Scythi nunquam mentitus dicitur, cùm tamen tribus millibus monachorum præfuisset. Mirum est, inter tantam multitudinem non fuisse lingua lapsum. Marul. lib. 4. cap. 9.

Beon abbas, qui in Thebaidis solitudine vixit, nunquam visus est mentiri. Ibidem.

Pythagoras dicebat, hæc duo diuinitùs hominibus data esse longè pulcherrima: veritatem amplecti, & beneficiis operam date & addebat, vtrunque cum deorum immortalium operibus comparari posse. Ælian. lib. 12. de Var. hist.

Persæ filios tam sanctis moribus imbuerunt, vt illorum disciplinæ nil addi posse videretur: & per omnes ætatis gradus illud præcipuè suis inculcarunt, vt fugientes mendacium, vera semper loquerentur. Alex. ab Alex. libro secundo, cap. 25. Herod. lib. 1. Musarum: & Plut. in libello περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι.

Epaminondas tam seuerus veritatis cultor fuisse traditur, vt ne ioco quidem quandoque mentitus sit. Alex. lib. 6. cap. 10.

Demonax Hadriani tempore philosophus insignis, inter alias animi dotes & continentiam seruasse, & veritatis amantissimus fuisse dicitur. Volat. lib. 15. Anthrop.

T. Pomponius, nobilis eques Romanus, & amicus Ciceronis (qui ob linguam Atticus dictus est) mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Quapropter omnes ei res suas amici curandas certatim dabant, consiliúmque ab eo de Republica déque rebus magnis petebant. Nepos.

Ammonius Alexandrinus, & Eusebio lib. 6. hist. teste, Christianus, tam studiosus veritatis fuit, vt nunquam mentitus sit. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

LIBERTAS IN SENTENTIA DICENDA, CAVSAQVE AGENDA, aut aliena non defendenda tam publicè quàm priuatim. Παῤῥησία.

Alia corporis libertas est: alia animorum & voluntatis, dicendi faciendique ea quæ lubet. Quòd si ergo animus virtute sit imbutus, Libertas quoque heroica erit, integra & ingenua: sin vitiis occupetur, petulans & scurrilis. Proinde Libertas conuersationis, non nisi vehementis spiritus esse potest. Quanto autem vehementior, eo maiori eget moderatione. Modus itaque laude dignam facit, excessus vituperio: quamuis in eo semper conueniant, quod veritatem liberè proferant, altera tempestiuè, altera intempestiuè. De modesta igitur libertate nunc agamus: de immodesta sub titulo Superbiæ tractabitur. Priore autem loco exempla Libertatis in sententia propria dicendo, mentísque cogitationibus proferendis, siue de suis, siue de aliorum rebus, proponemus. Ad quem locum omnes ij qui in Veritatis assertione & testimonio constantes permanserunt, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, & c. referendi erunt: quatenus liberè id quod senserunt, profiteri non dubitarunt.

Mardochæus renuit adorare Aman superbissimum, licet sciret regem hoc præcepisse. Idem etiam cum magna teneritate & libertate loquebatur reginæ, dicens: Ne putes quòd animam tuam liberes, quia in domo regis es, si enim nunc siueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi, & tu & domus patris tui peribitis. Esther 3. 4. & 5.

Ananias & socij eius confidenter Nabuchodonosor regi dixerūt: Deus noster, quem colimus, potest nos eripere, &c. Dan. 3.

Cæcus natus, à Domino illuminatus, libera voce veritatem de Domino fatebatur. Ioan. 9.

Petrus qui ad vocem vnius ancillæ pauefactus Christum negauerat, accepto Spiritu sancto tanta virtute indutus, vt coram populo Pharisæorum ac magistratuum collegio ipsum cum omni fiducia prædicaret. Mat. 26. Act. 2. 3. 4. 5.

Stephanus plenus gratia & fortitudine, Christum dominum cum mira libertate prædicabat: & Iudæos increpans confundebat, dicens inter cætera: Dura ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Act. 6. 7.

Timothei abbatis libertatem in defendendis 4 Synodis œcumenicis, pete ex tit. Monachorum.

In Antiochena synodo paulo ante mortem Constantij Imp. Ariani, Meletius Antiochiæ episcopus factus est ab Arianis, ea spe, quòd eum quoque Arianum esse crederent. At ille, cùm sententiam suam de Christi natura proferre iuberetur, tribus erectis digitis, móxque in volā adductis duobus, vno relicto erecto, laude dignam eiusmodi vocem emisit: Tria sunt quæ intelliguntur, vnum autem quod compellamus. Spe ergo sua Imp. cum perfidis Arianis frustratus, Meletium in exilium pellit, eique Euzoium manifestum impietatis Arianæ patronum substituit. Theodoret. lib. 2. cap. 31. Sozom. lib. 5. cap. 28. ait: Cum Meletius filium eiusdem esse essentiæ cum patre diceret, Archidiaconum accurrisse, manúque os eius obturasse. Tunc Meletium clarius manu quam voce sententiam suam explicasse.

Democritus libertatem in dicendo, ingenuitatis signum esse dicebat: sed occasionis diuersitatem, habere periculum. Stobæus serm. vndecimo.

Itaque quum pro Atheniensibus apud Philippum legatione fungeretur, liberéque loqueretur, Philippus: Metuísne, inquit, ne tibi caput iubeam amputari? Non, inquit, nam hoc si mihi abstuleris, patria ipsa mihi immortale pro hoc reponet. Max. serm 31.

Solon à Crœso Lydorum rege interrogatus, Quémnā mortalium beatissimum esse iudicaret? Respondit, primò quidem Tellum Atheniēsem ciuem, qui liberis auctus, pro patria apud Eleusinam pugnando victor occubuisset: deinde verò Cleobin & Bitonem Argiuos, qui matrem suam ad tēplum Iunonis, bobus destituti, plaustro pertraxissent, & post sacras epulas eadē nocte placida morte expirassent. Crœsum verò beatum dici non debere, sed fortunatum tantùm, nisi etiam bene & feliciter hac vita migrasset. Herod. lib. 1.

Phocion, cùm Athenienses rem aliter quàm ipse suaserat, prosperè administrassent, adeò perseuerās constantiæ suæ propugnator extitit, vt in concione lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse diceret. Non enim damnauit quod rectè viderat: sed quia quod alius malè consuluerat, bene gesserant: fœlicius illud existimauit, hoc sapientius. Plerunque enim temeritatem casus iuuat, vbi prauo consilio propius aspirat: & quo vehemētius noceat, desperatius prodest. Placidi sanè & misericordes & liberales, omni suauitate temperati mores Phocionis, quos optimè profectò consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Itaque constantia, quæ natura rigidior videtur, lenis è mansueto pectore fluxit. Val. Max. lib. 3. cap. 8.

Gallorvm legati, qui in propinquo agebant, ad petendam Alexādri Magni amicitiam profecti, cùm ab eis causam timoris Alexander peteret, propter quem ipsius amicitiam eo tempore postularent: arbitranti dicturos, Eius rei præpotentes ipsius vires causam esse: subridentes legati responderunt, Nihil aliud Gallos metuere, nisi ne in ipsorum caput cœlum rueret: & tamen ingentis animi regum, sicuti decebat, amicitiam magnifacere. Fulg. lib. 6. cap. 4.

Consueuère veteres Romani, non nisi lacessiti bellum inferre, præmisso semper fœciali aut Patrepatrato, qui ereptas res ab hostibus repeteret, assignatis ad restitutionem triginta diebus, nisi fortè armis ipsi peterentur. Quòd si intra præfixum tempus res restitutæ non essent, non antè tamen in hostilem terram arma proferebantur, quàm per fœcialem hosti bellum indixissent. Lōgè enim pluris ritè iustéque se fecisse, quàm vllam rei bene gerendæ occasionem faciebant. Fulg. lib. 2 cap. 1.

C. Fabricivs non potuit corrumpi à Pyrrho neque pollicitationibus neque muneribus, vt in senatu censeret contra dignitatem patriæ, regi pacem concedendam esse, antequam ab Italia discederet. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

Ciuitate Romana Cannensi clade perculsa, cùm admodum tenui filo suspensa Reipublicæ salus ex sociorum fide penderet, vt eorum animi ad imperium Romanum tuendum constantiores essent, maiori parte senatus principes Latinorum in ordinē suum sublegi placebat. Anius autem Cāpanus etiam consulē alterum Capuæ creari debere asseuerabat. Sic contusus & æger Romani imperij spiritus erat. Tunc Manlius Torquatus filius eius, qui Latinos apud Veserim inclita pugna fuderat, quàm poterat clara voce denunciauit: Si quis sociorum inter Patres C. sententiam dicere ausus esset, continuò se ipsum interempturum. Hæ vnius minæ, & Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, & Italiam ad ius ciuitatis exequendum consurgere passæ non sunt: nanque vt patris armis, ita verbis filij fracta cessit. Val. Max. libro 6. cap. 4.

M. Castritivs dum Placentiæ magistratum gereret, Cn. Carbone cōsule iubente decretum fieri, quo sibi obsides à Placentinis darentur, nec summo eius imperio obtemperauit, nec maximis viribus cessit. atque etiam dicēti, multos se gladios habere, respōdit: Et ego annos. Obstupuerunt tot legiones, tam robustas senectutis reliquias intuentes, Carbonis quoque ira, quia materiam sæuiendi perquàm exiguam habebat, paruulum vitæ tempus ablatura, in se ipsa collapsa est. Val libro sexto, cap. 2.

Cn. Carbo tribunus plebis nuper sepultæ Gracchanæ seditionis tur-

[illegible] vindex, idémq; orientium ciuilium malorum fax ardentissima P. S c i p i o n e m Africanum à Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem, ab ipsa penè porta in rostra productum, quid de Tiberij Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogauit: vt authoritate clarissimi viri, inchoato iam incendio multū incrementi adiiceret: quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem, aliquid pro interfecti necessarij memoria, miserabiliter esset locuturus. at is iure eum cæsum videri respondit. Cuius dicto cùm cōcio tribunitio furore instincta violenter succlamasset: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est. Orto deinde murmure, Nō efficietis, ait, vt solutos verear, quos alligatos adduxi. Vniuersus populus iterum ab vno contumeliosè correptus erat. Quantus est honos virtutis? tacuit actutum, recens victoria ipsius Numantina, & patris Macedonica, deuictæq; Carthaginis spolia habita, ac duorum regum Siphacis & Persæ ante triūphales currus cathenatæ ceruices, tunc totius fori prementes ora clauserunt. Nec timori datum est silentium: sed quia beneficio Æmyliæ & Corneliæ gētis, multi metus vrbis atque Italiæ finiti erant, plebs Romana libertatis Scipionis libera non fuit. Val. lib. 6. cap. 2.

S e m p r o n i a Tib. & C. Gracchorum soror, vxor Scipionis Æmyliani, à trib. pleb. producta ad populum, Equitio, cui Semproniæ gentis falsum ius quærebatur, tanquam filio Tiberij fratris sui osculum daret: tamen illum nescio quibus tenebris protractum, vt portentum execrabili audacia ad vsurpandam alienam propinquitatem tendētem repulit. Val. lib. 3. cap. 8.

M. C a t o Vticensis, cùm Ciceronis factum non probaret, quòd ille publicas tabulas, in quibus erant Clodiani tribunatus acta, in Capitolio fregisset, dicēt tantis non oportere illa rata haberi, quæ is qui contra leges esset tribunus plebis factus, rogasset: Tum Cato frequenti curia, Eū, inquit, ne dicas præter legem creatum, qui permittente lege ad plebem transiit, & vt plebeius tribunatum cœpit: quòd si (vt plerique fecerunt) abusus est, eum corrigendum censeo, non tribunitiam potestatem labefactandam. Sab. lib. 4 cap 4.

C e s e l l i v s vir iuris ciuilis scientia clarus, nullius aut gratia, aut autoritate compelli potuit, vt de aliqua earum rerum quas triumuiri dederāt, formulam componeret, Hoc animi iudicio victoriæ eorum beneficia extra omnem ordinem legum ponēs. Idem cùm multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amicíq; ne id faceret monerent, duas res quæ hominibus amarissimæ videntur, magnam sibi licentiam prębere respōdit, senectutem & orbitatem. Val. lib. 6. cap. 2.

M. Palicani seditiosissimi hominis pestiferis blanditiis prereptus populi fauor, consularibus comitiis summum dedecus admittere conabatur, amplissimum ei deferre imperium cupiens, cuius teterrimis actis exquisitum potius supplicium quàm vllus honos debebatur. Nec deerat consternatæ multitudini furialis fax tribunitia, quæ temeritatem eius & ruētem comitaretur, & languētem actionibus suis inflammaret. In hoc miserando pariter atq; erubescendo statu ciuitatis tātum non manibus tribunorum pro rostris C. P i s o consul collocatus est. Cùm hinc atque illinc eum ambirent, ac Palicanum suffragiis populi cos. creatum, An renunciaturus esset, interrogaretur, primò respondit: Non existimare se, tātis tenebris offusam esse Rempublicam, vt huc indignitatis veniretur. Deinde cùm perseueranter instarent, ac dicerent: Age, si ventum fuerit: Non renunciabo, inquit. Qui quidem tam abscisso responso, consulatum Palicano, prius quàm illum adipisceretur, eripuit. Multa & terribilia Piso contempsit, dum speciosum mētis suæ flecti non vult rigorem. Val. Max. lib. 3. cap. 8.

Depulsis prostratísq; inimicorum partibus, Sylla occupata vrbe, senatū armatus coegerat, ac summa cupiditate ferebatur, vt C. Marius quàm celerrimè hostis iudicaretur. Cuius voluntati nullis obuiam ire audentibus, solus Q. S c æ v o l a augur interrogatus, de hac re sententiam dicere noluit, quinetiam truculētius sibi minitanti Syllæ: Licet (inquit) mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies vt propter exiguum senilémque sanguinem meum, Marium, à quo vrbs & Italia conseruata est, hostem iudicem. Ibidem.

Cùm triumuir Antonius in Asia degeret, atque vnà esset Cleopatra Ægypti regina, cuius nutu Antonius, eius amoribus nimium vinctus, regebatur, per id tempus graues inter ipsum atq; Octauium controuersiæ exarserunt. Amici igitur ab vrbe Roma ad Antonium in Asiam G e m i n i v m miserunt, vt omnia tentarentur, per quæ cum Octauio redintegrari communis amicitia posset, atque in mutuam cōcordiam rediretur. Cùm autem Geminium Antonius conuiuio excepisset, præsente Cleopatra, monuit vt mandata quæ habebat exponeret. Ad quem Geminius, post salutem dictam, nulla aut ipsius amplitudinis aut Cleopatræ præsentis ratione habita, Reliqua, dixit, Antoni quæ tibi dicere iussus sum, cum sobrio & alio loco, quàm vbi nunc sumus, tractanda sunt. Sed vtcunq; rem vnam vel ebrius dicere mihi posse videor, scilicet res tuas omnes bene successuras, si Cleopatram in Ægyptum dimiseris. Paucis liberísque verbis & Antonij ebrietatem, & eius in Cleopatram immodicum amorem, sapienter carpsit Fulg. lib. 6. cap. 2.

Cùm ab orientalibus exercitibus V a l. Probus imperator, nec quærens, nec volens creatus esset, militibus qui eum elegerunt dixit: Non est è re vestra, imperium meum, ô milites, neq; vt arbitror mecum conuenietis: quoniam ego vt vobis blandiar, adduci nunquam potero. Magna grauitatis suæ commendatione rigiditatem seuerámq; vitam suam ostendit. Fulg. lib. 6. cap. 4.

Henricus Dandulus (qui postea dux in Aurei Mastroperti locum suffectus est, & Byzantinum imperium cum Veneta classe & Francorum auxilio de Gręcorum manibus eripuit) potuit imperator propter singularem suam virtutem Constantinopolitanus creari, omnium sententiis in eum inclinantibus: nisi P a n t a l e o Barbus, vnus ex iis qui aderant, patricius Venetus, nimia libertate vsus, idipsum fieri dissuasisset. Mouit vt opinor, Pantaleonis fortassis animum, quòd vereretur ne nimia hæc fortunę fœlicitas Veneto nomini grauius in posterū officeret, Græca gente plusquam credi possit in Latinum nomen infestiore. Egnat. lib. 6. cap. 2.

Victi erant Galli memorabili acie ab Hispanis, Consaluo Ferdinando eorum duce: veneratq; Hispanus orator ad L e o n a r d v m Lauretanū Venetorum principem, & patres victorię lauream nunciaturus. Aderátq; eodem tempore Gallorum regis legatus. Qui euocati in collegium, quū tristior alter, alter exultabundo similis assedisset, conuersus dux ad verūque: Ego, inquit, penes vos Pauli apostoli verbis in præsentia vtar: vt quādo diuinæ voluntati nemo possit obsistere, ita nunc fleam ego cum flentibus, gaudeam cum gaudentibus. Quo principis dictis adeò omnis inuidia leuata est, vt Galli & Hispani vicissim gratias illi agerent: indéq; discedentes, eius singularis viri prudentiam in primis admirarentur. Ibid.

CONFIDENTIA SVIIPSIVS, IN DICTIS AVT SCRIPTIS. LIBERE
de bonis suis, qualiacunque sint, animi, corporis aut fortunæ, cum occasio sese offert, modestè & ingenuè pronunciare.

Hæc quoque Libertatis & Veritatis species est, sua bona non dissimulare, cùm occasio ita exigit. Veritas enim id quod est, ita vt est, eloquitur, nihil extollit, nihil minuit. Qui ergo virtutes suas profitentur, liberæ sunt linguæ & veritatis professores, absque vllo ambitionis aut superbiæ fumo: sibiipsis confidunt, quia virtutem suam norunt, modestè tamen & tempestiuè illud faciunt. At qui immodestè & intempestiuè libertate ista vtuntur, nimiúmque confidunt suis virtutibus, sub titulo Superborum à nobis referentur. Exempla quædam huius loci ex titulo Magnanimitatis peti possunt, eorum præcipuè, qui honores promeritos petere, asserere & vindicare ausi fuerunt.

I p h i c r a t e m cùm rhetor quidam in cōcione interrogaret: Quis nam esset, quod adeò se efferret? num eques, aut grauis armaturæ miles, aut sagittarius, aut peltam gerens? Nihil horum sum, dixit: sed istis omnibus imperare noui. Sentiens esse pulchrius, bonum præstare ducem, quā quemuis militem Eras. lib. 5 Apoph. & Stobæus in sermone 2. de Imp.

Memoranda est E p a m i n o n d æ Thebani confidentia, qui à ciuibus suis aduersus Lacedæmonios in Peloponnesum missus, quanquam sciret apud Thebanos capitale esse, prætura præfixo tempore non cedere: tamen perspiciens eo bello Thebanos superatum iri, si finito præturæ tempore expeditio aliis demādaretur: præteritorum facinorum suorum conscientia fretus, collegis persuasit, vt adhuc quadrimestre tempus in imperio, quod solis prætoribus dabatur, perseuerarent. Quo tempore bello Lacedæmonios deuicit: & Thebas reuersus collegas monuit, si accusarentur, quòd tempore, quo per leges debebant, imperium non tradidissent, ipsi vni culpam omnem assignarent. Id quod ab eis cùm actum esset, ipse in iudicium vocatus, non negauit legem se transgressum esse, mortémque mereri: illud solum petebat, vt tumulo inscriberent, Epaminondam morte mulctatum esse, quia Thebanos apud Leuctram superare Spartiatas coegisset, quorum ora ante id tempus Thebanus nullus inspicere ausus erat. Horum verborum confidentia, omnium confessionem extorsit, verè ab Epaminonda patriæ victoriam, ipsísq; gloriam & salutem partam fuisse. Fulg. lib 3. cap. 7.

I d e m obiicienti, quòd Agamemnonis gloriam æmularetur: Falleris, inquit, nam ille totius Græciæ præsidiis vsus, decem annis vix vnam cœpit vrbem: ego vnius huius vrbis præsidiis, vno die profligatis Lacedæmoniis, totam Græciam liberaui. Eras. lib. 5. Apoph.

Posteaquam Alexandrum Pheræorum tyrannum Thebanis infensum, Athenienses sibi fecissent amicum ac socium: isque polliceretur illis, se perfecturum vt minam carnium emerent semiobolo: videlicet significans, se tantum pecudum ac iumentorum adducturum è præda. E p a m i n o n d a s subiecit: At nos, inquit, Atheniensibus ad coquendas illas carnes ligna gratis suppeditabimus. nam syluas ipsorum succidemus, si se plus satis admisceant nostris negotiis. Plutarchus in Græcorum Apophthegmatib.

A g i s rex Lacedæmoniorum, quum in carcere rogaretur ab Ephoro, num pœniteret eorum quę gessisset? impauidè respondit: Se nulla tangi pœnitētia consilij, cum prudentia honestóq; coniūcti: tametsi nō ignoraret, se mortem præmij loco relaturum: sciens ipsam virtutem abundè magnum esse sui præmium, quicunque sequatur euentus. Plut. & Bruson. lib. 2. cap. 1.

P h o c i o n dux Atheniensis, quū adhuc floreret Leosthenes, interrogatus ab oratoribus quid ipse boni fecisset Reip. Nihil aliud, inquit, nisi quòd, donec ego vobis fui dux, nulli dicta est oratio funebris: sed omnes vita defuncti, in maiorum monumentis sepulti sunt. Alij iactabant cruentas victorias: Phocion existimabat egregij ducis esse, sic administrare rem militarem, vt nulli aut quàm paucissimi ciues pereant. Mos autem erat Athenis, eos qui in acie cecidissent, apud populum laudare, ac cenotaphia erigere. Plut.

Cùm iudices inter se disceptarent, qua pœna dignus esset Socrates: Ego, inquit, ob ea quæ feci, dignum me cēseo, qui publicitùs alar in Prytaneo, nā hoc honoris haberi solebat, qui præclarè de Rep. fuissent meriti. M. Tullius hoc refert libro de Oratore primo: Erat, inquit, Athenis reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio ex sententia: quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi æstimationem commeruisse se maximè confiteretur? quod quum interrogatus Socrates esset: respondit: Se meruisse vt amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & vt ei victus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur: qui honos apud Græcos maximus habebatur. Cuius responso iudices sic exarserunt, vt capitis hominem innocentissimum condemnarent. Eras. lib. 3. Apoph.

Quum Alexander Magnus ad Diogenem venisset, cúmque salutasset, percontatus est Diogenes, quisnam esset? Quumque ille respondisset: Ego sum Alexander ille rex: At ego, inquit, Diogenes ille canis. Non minus superbiens sua libertate, quàm Alexander suo regno. Interrogatus autem, cur nam Canis vocaretur? Quoniam, inquit, dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo. Diogenes libro sexto, capite secundo.

A g e s i p o l i s Pausaniæ filius, cùm Athenienses querimoniarum, quas cum ipso mutuas habebant, arbitram delegissent Megarensium ciuitatem, quæ cōtrouersiam inter eos componeret: Turpe, inquit, si Megarenses melius norunt quid iustum sit, quàm hi qui se Gręcorum duces ac rectores præstitissent. Megarenses apud Græcos malè audiebant, de quibus iactatum est, quòd neque primi essent, neque secūdi, neque tertij, neque quarti, neque vllo in numero, quum Athenienses pleræque Græciæ imperarent. Ab ipsis igitur quibus cum litem habebat, rex volebat finiri dissidium: simul declarans, & quàm suæ fideret causæ, & quàm aduersariis non diffideret: malens clarissimę ciuitatis iudicio vinci, quàm Megarensium arbitrio vincere. Plut in Lacon. Apoph.

Cuiusdam Lacedæmonij minimè spernenda fuit confidentia, qui cum in clypeo pictam (vt vera videretur) muscam ferret, atque ei diceretur, Insigne nimis paruum id esse, neque ab hostibus visum iri: respondit, Se ita hosti appropinquaturum, vt longè maior, quàm esset, hosti musca videretur. Fulgos. lib. 3. cap. 7.

S p a r t a n v s quidam increpatus à quodam, quòd in aciem claudus descenderet: Pugnare, non fugere, propositum sibi esse respondit. Alius, referente quodam, Sagittis Persarum solem obscurari solere: Bene narras, inquit: in vmbra enim melius præliabimur. Val. libro tertio, capite septimo.

A l e x a n d e r Magnus ante quam in Asiam transiret, immunitates reditúsque ingentes in Macedonia amicis donauit. Cùm autem Perdicca amicorum vnus ei diceret: Omnia dando quid sibi retineret? respondit: Spem, bonáque Persarū. Admirabili fiducia ostendēs se quod adhuc in potestate hostium erat, ceu rem propriam ducere. Ea permoti spe Macedones, spretis muneribus, quę tunc Alexander representabat, sola ipsa spe, cum ipso contenti manserunt: longè pluris eam quæ nondum venerat, quàm præsentia munera facientes. Fulgos. lib. 3. cap. 7.

Z e v x i s, cùm Helenam pinxisset, quid de eo opere homines sensuri essent, expectandum non putauit, sed protinus hos versus Græcos ex Homero adiecit:

Οὐ νέμεσις Τρῶας, καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Adeóque dextræ suæ multum pictor arrogauit, vt ea tantum formæ comprehensum crederet, quātum aut Læda cœlesti partu edere, aut Homerus diuino ingenio exprimere potuit. Val. lib. 3. cap. 7.

Magnam artis suæ fiduciam Zeuxis pictor ostendit, cùm athletæ, quē pinxerat, in quo sibiipsi satis fecisse videbatur, carmen inscripsit in hanc sententiam: Opus scilicet illud esse, cui facilius præclari possent inuidere pictores, quàm quicquàm imitari. Fulgosus lib. 3. cap 7.

C h r y s i p p v s philosophus doctrina sua fretus, amico petenti, cuius doctrinæ filium traderet? Sibiipsi daret, respondit. Nam si alium se doctiorem sciret esse, ad illum audiendum ea ipsa hora se profecturum affirmabat. Neque verò ad arrogantiam id ei debet ascribi, sed rectum de se ipso iudiciū putari. Etenim ætate sua solus sapiens habitus est, cùm cæteri sola doctrinæ vmbra dicerentur. Ibidem.

Non minor Asclepiadis Prusiensis fiducia in medendi arte fuit, cum diceret, Ne medicus fuisse diceretur, si vnquam in vita aduersa valetudine laboraret. In qua re fœlix vsque ad septuagesimum fuit annum, mortuus cum è scalis fallente vestigio fortè concidisset. Ibidem.

E v r i p i d i s confidentiam in tragica poesi, pete ex tit. Libertas in reprehendendis aliorum vitiis.

I d e m Alcestidi poetæ tragico obiicienti, quòd triduo tria tantùm carmina composuisset: Se verò centum respondit. Sed hoc interest, tua triduo tantummodo, mea verò in omne tempus sufficiēt. Gyraldus Dialogo 7. Hist. poet.

P h i d i a s Homeri versibus egregio dicto allusit. Simulachro enim Iouis Olympij perfecto, quo nullum præstantius, aut admirabilius humanæ fabricatæ sunt manus, interrogatus ab amico, Quónam mentem suam dirigens, vultum Iouis propemodum ex ipso cœlo petitum, eboris lineamētis esset amplexus, illis se versibus quasi magistro vsum respondit:

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων,
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Valer. libro tertio, capite septimo.

D i o g e n e s Cynicus aliquando vocatus ad cœnam, negauit se venturum. Roganti causam: Quoniam, inquit, heri mihi non sunt actæ gratiæ. Vulgus hominum postulat sibi veluti pro magno beneficio gratias agi, si quem admiserint ad conuiuium. At Diogenes, licet pauper, existimabat sibi deberi gratiam, quòd non grauaretur interesse cōuiuio: quia nusquàm iret asymbolus, sed lautius philosophiæ sermonibus pasceret conuiuatoris & conuiuarum animos. Laertius.

Ratione iocóque non caruit fiducia, quam Menander ostendit, cùm prælato Philemoni, qui in theatralibus concertationibus fauore ambitúque vt victor declararetur sæpius obtinuerat, subridens dixit: Heus Philemon, quæso dic mihi sine ambage, nunquid non erubescis cùm me superas? Comico nobili ac suaui verbo, suam Philemonisq; doctrinam, artésque simul quibus ille vincebat, cùm aduersarium iudicem faceret, ostendens. Fulgos. lib. 3. cap. 7.

A n t i g e n i d a s tibicen, discipulo suo magni profectus, sed parum fæliciter populo se approbanti, cunctis audientibus dixit: Mihi cane, & Musis. quia videlicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, iusta fiducia non exuitur: quámque sit se laudem meritam, eam etsi ab aliis non impetrat, domestico tamen acceptam iudicio refert. Val. Max. libro tertio, capite septimo.

T o m y r i s Massagetarum regina, cum Cyrus ponte Araxem iungeret, ei significauit, vt omissa pontis structura, vel ipse in regionē Massagetarum tridui itinere progrederetur, se retrocedente: vel ipse retrocedens, tridui itinere Massagetas in regionem Persarum progredi sineret: vt nulla spe effugij residua, de summa rerum certare possent. Cyrus Crœsi consilio vsus, in Massagetarum regionem progressus, primò quidem victor extitit, postea verò vitam amisit. Herod. lib. 1.

A l e x a n d e r, audito Darium triginta myriades in aciem producere, dixit: Vnus coquus non metuit multas oues. Antonius in Melissa, par. 1. serm. 37. Max. serm. 71.

I d e m, cùm explorator ei diceret, maiorem esse Darij exercitum, dixit: Oues etiam, licet plures, ab vno aut altero lupo capiuntur. Ibidem.

Cùm Antigonus Macedonum rex, cum classe apud Andrum esset, & militum vnus hortaretur, vt inde abiret, quia hostium classis nauium numero maior appropinquare dicebatur, vt qui ingentis animi plenus erat: Antigonus respondit, Et me pro quanto nauium numero censes? Hoc modo animi sui vigore æqualem se hostium multitudini ostendit esse posse. Fulgos. lib. 3. cap. 7.

A n t i g o n v s cum ad regiam dignitatem recens ascendisset, & haud obscurè populi eam rem ægrè ferre diceretur, virtutum suarum conscientia fretus, in populorum conspectu diadema sceptrúmque deposuit: palámque monuit, Si alium quempiam se regno digniorem inuenirent, ad eum ex arbitrio diadema sceptrúmque deferrent: commemoratis antè iis rebus, quas magna virtute gloriáque gesserat. Hac animi fiducia populos mouit, vt vltrò omnes ad capessendum denuò regnū hortarentur, ac magnis precibus peterent. Quod ipse constanter renuit, nisi antè de seditionis autoribus supplicium sumeretur. Ibidem.

C o t y s Thracum rex, vt ab Atheniēsibus ciuitatem sibi datam cognouit: Et ego, inquit, illis meæ gentis ius dabo. Æquauit Athenis Thraciam, nè vicissitudine talis beneficij imparem se iudicando, humilius de origine sua sentire existimaretur. Val. lib. 3. cap. 7.

H a n n i b a l cùm apud regem Prusiam exularet, autórque ei committendi prælij esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret: An tu, inquit, vitulinæ carunculæ, quàm imperatori veteri mauis credere? Si verba numeres, breuiter & abscisè: si sensum æstimes, copiosè & valenter. Hispanias enim ereptas populo Rom. & Galliarum ac Liguriæ vires in suam redactas potestatem, & nouo transitu Alpium iuga patefacta, & Thrasimenum lacum dira insignitum memoria, & Cannas Punicę victoriæ clarissimum monimentum, & Capuam possessam, & Italiam laceratam, ante pedes hominis effudit: vniúsque hostiæ iecinore, longo experimento testatam gloriam suam postponi, æquo animo non tulit. Et sanè quod ad exploranda bellica sacrificia, æstimandósque militares ductus attinebat, omnes foculos, omnes aras Bithyniæ, Marte ipso iudice, pectus Hannibalis prægrauasset. Ibidem.

Imperante Nerone, cùm orta esset inter Germanos cōtrouersia, Germani quidem legati Phrysij Verritus & Malorix Romam venerunt: & theatrum ingressi, vt populi Rom. magnitudinem inspicerent, mirati eius in sedendo ordinem, nonnullos minimè Romana veste amictos inter senatores sedere animaduerterunt. cùm, qui essent illi, interrogassent: vt intellexerunt, vrbium quæ fide ac virtute alias antecedebant legatos esse, propria virtute ac fide freti, quoque sessum inter senatores iuerunt, dicentes, Nationem nullam eis notam esse, cui ob militarem virtutem ac fidem locus ille magis quàm ipsis deberetur. & ob id à Senatu læta

fronte accepti, Romani ciues creati fuerunt. Fulg.lib.3.cap.7.

Cùm eo bello quod aduersus Pyrrhũ gerebatur, Carthaginenses centum ac triginta nauium classem in præsidium ROMANIS Hostiam vltrò misissent, Senatui placuit, legatos eorum ad ducem ire, qui dicerent, populum Romanum bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset: proinde classem Carthaginem reducerent. Val.Max.lib.3.cap.7.

CAIVS Fabricius, ab omni leuitate atque iactantia alienus, quæ virtutis suæ fiducia esset ostendit, cùm legatus ad Pyrrhum missus, ab eo rogatus est, vt inter duces atq; amicos suos primum vellet accipere locum. Ei enim in aurem respondit: Non hoc Pyrrhe ex re tua fieri posset. nam qui nunc virtutem tuam mirati te suscipiũt, téque amant ac colunt, cùm me experti essent, à me potius quam à te regi cuperent. Tantúmque eius viri existimatio apud Pyrrhum potuit, vt non modò verbum illud patiēter ferret: sed vt verum quoq; probans, illi vni captiuos, quorum causa iuerat, dono dederit. Fulg.lib.3.cap.7.

P.SCIPIO in Hispania cum oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem quę intra mœnia hostium erat, vadimoniũ in posterum diem facere iussit: continuóq; vrbe potitus, & tempore & loco quo prædixerat, sella posita ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prędictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Val.Max.lib.3.cap.7.

P.SCIPIONI diem ad populum M.Næuius trib.plebis, aut (vt quidã memorant) duo Petilij dixerant, qui ingenti frequentia in forum deductus, rostra conscēdit, capitíque suo corona triumphali imposita: Hac ego (inquit) Quirites die Carthaginem, magna sperãtem, leges nostras accipere iussi: proinde æquum est vos mecum ire in Capitolium, supplicatum. Speciosissimam deinde eius vocem æquè clarus euentus secutus est. siquidem & Senatum totum, & vniuersum equestrem ordinem, & cunctã plebem, Iouis opt.max. puluinaria petens, comitem habuit. Restabat vt trib. apud populum sine populo ageret, desertúsque in foro cum magno calumniæ suæ ludibrio solus moraretur: cuius deuitandi ruboris causa in Capitolium processit, déque accusatore Scipionis venerator est factus. Ibidem.

PAVLVS æmilius consul, aduersus Persam Macedoniæ regem creatus, cum mos esset in eiusmodi rebus pop.Rom. gratias agere, vt suam in dicendo libertatem seruaret, virtute atq; innocentia sua fretus, ad populum dixit, De duobus cõsulatib. quos erat adeptus, primùm se sui ipsius gratia petisse, hunc autem secundum ab ipso populo delatum suscepisse. huius igitur postremi causa gratias non agere: quin potius, si quē se meliorem ad eam expeditionem populus inueniret, eũ eligeret, quia id ipse æquo animo esset laturus: verùm si quid in eius virtute spei reposuisset, sine verbis dicto ei audiens esset. Quòd si populo statutum esset imperare malle, & non imperanti parere, sciret ludibrio omnibus Romanorum expeditiones fore. Ea libertate animi populum Romanum, qua virum quemcunq; priuatum allocutus est. Fulg.lib.6.cap.12.

Non minorem sui confidentiam senior CATO in censura petenda aduersus competitores ostendit, cùm altiorem conscendens locum palàm dixit: Romanos mores seuero medico, non autem molli egere. Atque ob hanc rem illos qui animi morbo laborarent, quia eis notus esset, ipsius censuram deuitare, suffragiáque ad competitores se deferre, ne esset qui ipsorum errata corrigeret. Itaque si populo Romano virtus curę esset, odióque vitia prosequeretur, atque Romanos mores ad priscam frugalitatem restitui vellet, Valerio Flacco sibíque censuram deferrent. Hac oratione moto populo, cùm aliis prælatus esset, censuram assecutus tanta integritate administrauit, vt ei in foro populus Romanus statuã poneret: addito titulo qui testabatur, Catonem censorē statuę illius honorem meritum esse, quòd solutos Romanorum mores prudentia sua ad priscam frugalitatem atque virtutem restituisset. Fulg.lib.3.cap.7.

SCIPIONIS Nasicæ confidentiam, pete ex tit. Libertas in reprehēdendo. Ethica.

IVLII Drusi ædes Publicolę pluribus ex partibus patebant vicinorũ prospectui. Hoc incommodum faber se quinque talentis correcturum pollicebatur, effecturúmque ne pars aliqua esset obnoxia prospectui. Tũ Drusus: Decem, inquit, dabo, si talem reddas domum meam, vt vndiquaque pateat omnium oculis, quo non vicini tantùm, sed omnes ciues perspicere possint, quomodo domi meę viuatur. Eras.lib.6.Apoph.

SYLLA quum ad sociale bellum magnis cum copiis missus esset circa Limernam, è vasto terræ hiatu magnus ignis emicuit, cuius flãma ad cœlum perueniens constitit. Id vates interpretati sunt, quòd vir bonus, aspectu eximius & admirandus, principatum adeptus, præsentibus turbis ciuitatem liberaturus esset. Hoc audito Sylla: Ille, inquit, ego sum. nam illi erat peculiare, comam habere auream, igníq; concolorem. nec se ait suæ virtutis pudere, qui res tam multas, támque præclaras gessisset. Plut. in Sylla.

Romę mos erat, vt equites qui legitimum tempus militassent, equum in forum deducerent ad duumuiros, quos Censores appellant: & commemoratis expeditionibus ac ducibus sub quibus meruissent, pro meritis aut collaudarẽtur, aut vituperarentur. Itaque Cn.POMPEIVS quũ esset consul, ipse equum ad censores Gallium ac Lentulum deduxit: quibus ex more percontantibus, An omnia militaria munia obisset? Omnia, inquit, sub me ipso imperatore. Significãs, se sic gessisse ducem, vt nihilo secius omnes militis partes grauiter pręstaret. Idem & imperator bonus, & miles strenuus: qua laude nulla principi potest maior contingere. Plutar. in Rom.Apoph.

Petebat IDEM partis iam multis victoriis, triumphum à L.Sylla dictatore sibi decerni. Cùm autem ætas & lex obstaret (neq; enim adhuc senator aut consul creatus fuerat) Sylla pertinaciter cõtrà reluctabatur. Quare minimè motus Pompeius, se triumphum à populo impetraturum dixit. Et cùm ei relatum esset, Syllam, si id tẽtaret, dixisse, Se ei aduersaturum: respondit, Neq; se ob eam rem ab incœpto discessurum, cùm plures nationes per terrarum orbem inuenirentur, quę orientem quàm quę cadētem solem venerarentur. Eo enim mordaci dicto, Syllę senio iuuentam suam præposuit: atq; exacerbata his verbis dictatoris ira sęuitiáque, qui multa Romanorum virorum millia longè minorem ob causam occidi iusserat, extorsit, vt Sylla exclamaret: Triumphet, & ita potitus est triumpho Pompeius. Plut. Ibidem.

P.OVIDIVS Naso ingenio excellenti poëta, peracta Metamorphosi sua, doctrinę suę magnitudine fretus, operis finem carminibus illis clausit, quę ostendunt peractum ab ipso opus esse immortalis famę, dum terrarum orbis staret duraturum. Cuius iudicio euentus quoq; felicitas satis hactenus visa est respondere. Fulg.lib.3.cap.7.

ACACIVS Berrhœę in Syria episcopus, ędes suas somni, cibi, quouis alio deniq; tempore omnibus patere volebat: vt cùm plures spectatores haberet, nihil nisi quod honestum esset & pium, vel ageret vel meditaretur, veritus semper ex improuiso aduentantiũ turbam. Niceph.li.12.c.47.

TITVS Vespasianus iunior cum de crimine impietatis nunquam cognouisset, neq; aliis vt cognoscerent permitteret: Nemo, inquit, iniuria me afficere, aut insequi cõtumelia potest, propterea quòd nihil ago quod reprehendi mereatur. Ea verò quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo. Porrò principes, qui mortem cum vita commutarunt, ipsi se, si verè heroes sunt, aut si quicquam possunt, vlciscerentur, si quis eis iniuriam faciat. Xiphilinus in eius vita.

M.ANTONINVS philosophus imp. cum periniquo animo ferre se ostenderet, quòd Auidius Cassius, qui rebellauerat, deinde prælio erat victus, occisus fuisset, quodam ex iis qui astabant dicente: Si Auidio vincere contigisset, quid is fecisset? statim magna animi fiducia respõdit: Non ita nos cum diis hominibúsque gerimus, vt Auidius vnquam bello vincere nos deberet. Fiducię profectò ingentis verbum: sed non maioris tamen, quàm illius virtus & morum sanctitas requireret. Fulg.lib.3.cap.7.

AVR.VAL.Probus imperator, captis Ptolemaide Captóque vrbibus, Narsetis Persarum regis oratoribus, qui cum ingentibus donis ad se missi erant, dixit, vt regi suo referrent: mirari Probum, quòd è tantis rebus quæ ex præda Probi futuræ erant, iisq; bene vsurus esset, tam paruam ad ipsum partem misisset? Hac animi confidentia Persæ moti, præformidine pacem petierant, qui vsq; ad eam horam bellum Romanis inferre ausi erant. Ibidem.

IDEM perdomito Oriente toto, dixit: Confidere se breui efficere posse, vt Romanum imperium milite amplius non egeret. Sanctitatis profectò plenum verbum. Quid enim aliud hoc esse poterat, nisi pace iustitiáque ita omnia moderari, vt vltra nec bellũ, nec belli suspicio esset futura, quia omnes sorte sua contenti essent mansuri? Opus profectò tanto cęteris excellētius rebus, magísque laudandum, quanto illius imperij magnitudo omnem alium principatũ excedebat. Neq; verò ab animi vanitate atq; iactantia proficisci vox illa videri poterat, cùm nihil temerè sibi Probus vnquam arrogare videretur: etenim virtutis eius experimēto in Oriente facto iam in prouerbium venerat, Ita Probi sapientia in Oriēte res compositas esse, vt illic nemo quidem immodestam vocem edere auderet. Ibidem.

Cùm IOANNES Zisca Bohemus, Hassitarum dux, quanquam lumina captus, multas de hostibus victorias peperisset, in aduersam valetudinem incidit. Ita que populi qui ei parebant, periniquo animo eum casum ferentes, ceu euersam communem salutem deplorabant: ab eóq; petebãt, quid illis, si, vt verebantur, mortem obiret, faciendum censeret. Populis igitur respondit, Vt mortui corpus excoriarent, atq; tympanum ex pelle facerent: pollicitus, si ad illius tympani pulsum pariter eius nomen inuocarent, hostes eis nunquam repugnaturos. Cuius dictum cùm populi abominarentur, exercitus pars, duces sibi non perpetuos, vt ipsum, sed ad tempus delegit: pars autem cùm omnes post Ziscam velut ignauos sperneret, & propterea eorum tæderet, Orphani ab eo tempore appellati fuerunt. Ibidem: & Egnat.lib.3.cap.6.

Administrationem Toletanam, HISPANVS iuuenis, ab Alphonso octauo Castulonensi rege poscebat. Quem cùm propter iuuenilē ætatem rex reiiceret, audax libérque iuuenis respondit: Et tu princeps, cùm adhuc lacte infantem te nutrix aleret, iam rex eras: & quotidie permulti, in magnis muneribus apud te conspiciuntur, qui pueri tecũ alea ludebant: me autem quia tecum non lusi, existimas ætate ingenióq; parum valere. Quæ verba à libero profecta animo, ita Alphonsum mouerunt, vt muneribus ornatum, vltra desiderare quod optabat, non pateretur. Ful.l.6.c.1.

MAXIMILIANVS Cæsar, cùm Oenoponti in curia hoc symbolum eleganter & curiosè depictum vidisset, **Do Adam hackt vnd Eua span / vvar vvare do ein edilman**: quia se quoque hoc ipso prouerbio taxari credebat, summo manè propria manu hos versiculos subiunxit:

Ich bin ein man vvie ein ander mann/
Alle in mir Gott der eheren gan.

ALBERTVS Austriæ dux, eius nominis quintus, bellum contra Bohemos suscepturus, cum percontaretur, Quem copiis præficere vellet? Si alium, inquit, quàm me ductorem petitis, profectò frustra me Austriæ ducem nominatis. Ostendere autem voluit, non tam bellandi se imperitum esse, vt externis ducibus opus sit, præsertim cum ipse hostibus sese manu & propriis viribus opponere cupiat. Æneas Syluius lib.3. Commētariorum, de rebus gestis Alphonsi.

CONFIDENTIA

CONFIDENTIA SVIIPSIVS IN FACTIS, TAM DOMI *& in pace, quàm foris & in bello.*

EPAMINVNDAS, cùm ei ciues irati, sternendarum in oppido viarũ contumeliæ causa curam mandarent (erat illud ministerium apud eos sordidissimũ) sine vlla cunctatione id recepit: daturúmq; se operã, vt breui speciosissimum fieret, asseuerauit. Mirifica deinde procuratione abiectissimum negotium, pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit. Val.lib.3.cap.6.

Cũ Athenis in republica administranda perpetuas contentiones Cleõ atque Nicias exercerent, quorum Nicias peritissimus rei militaris dux habebatur: contigit vt Græcis prælio ab Atheniensium exercitu superatis, quadringenti Lacedæmones se in Stagiram insulam reciperent. Eos in potestatem suam redire Athenienses plurimùm cupiebant, & propterea in insula ab Atheniensium copiis obsidebantur. Sed cùm potiri insula quanquam magnis laboribus defunctos Athenienses, hyems sæua, simúlque loci situs egregiè munitus, ac præterea obsessorum singularis virtus non pateretur, hac de re Nicias Cleónq; sæpius contēderunt. Itaq; quòd ea res voto non respōderet, culpa Niciæ, qui dux rei gerendæ fuerat ascribebatur. Adeò autem inter ipsos contentio exarsit, vt Cleon: Si illius expeditionis munus ei soli demandaretur, se breui feliciter finiturum, offerret. Decreta igitur ei prouincia, tantum fiduciæ Cleon præ se tulit, vt Athenis abiens dixerit, intra viginti dies se Lacedęmonios, qui obsidebantur, aut occisurum, aut in potestatem viuos habiturum. Huic fiduciæ fortuna quoque aspirauit, vt quod Nicias militaris dux præstantissimus perdifficile censuerat, Cleon intra designatum tempus fœliciter conficeret. Virtute enim victa temporis ac loci difficultate, simul hostiũ qui obsidebantur, fractis viribus, parte eorum cæsa, alios captiuos Cleon Athenas perduxit. Fulg.lib.3.cap.7.

Lacedæmoniorum rex AGESILAVS in prima iuuenta, cùm non sine ingenti Gręcorum omnium trepidatione grauis fama manaret, Persas ingenti exercitu in Græciam traiecturos: ciuibus suis paruo exercitu obtulit, se non defensurum modò patriam, sed in Asiam quoq; traiecturum, atque inde de Persis aut victoriam, aut honestam pacem reportaturum. Huius animi fiducia freti Lacedæmones, decem millia armatorum ei dederunt. Quibus copiis Agesilaus in Asiam profectus, prælio Persas deuicit, ac deinde à ciuibus suis in patriam reuocatus, integras copias lętus victórque domum reduxit. Ibidem.

SCYTHÆ post missa Dario dona, auem, murem, ranam & sagittas, cũ peditatu ac equitatu aduersus Persas in acie instructi steterunt, tanquam conflicturi. Cùm interim lepus in medium prosiliit, quem vt quisq; vidit insequebatur. Perturbatis Scythis, ac vociferãtibus, sciscitabatur Darius, Vnde hostium tumultus existeret? Et cùm audisset illos leporem insectari, atque adeò se cum toto exercitu illis ludibrio esse, fuga sibi consulendum censuit, ne cum hoste tam confidente manum consereret. Herod. lib.4.

EORVNDEM confidentiam de seipsis, pete ex tit. Stratagematum in terrendo hoste.

P.& Cn.Scipionibus in Hispania cum maiore parte exercitus acie Punica oppressis, omnibúsque eius prouinciæ nationibus Carthaginensium amicitiam secutis, nullo ducum Rom. illuc ad corrigendam rem proficisci audente, P.SCIPIO quartum & vigesimum annum agens, iturum se pollicitus est. Quę quidem fiducia pop.Rom. salutis ac victorię spem dedit. Val.Max.lib.3.cap.7.

EIVSDEM nec minus animosus, minúsue prosper in Africam transitus: in quàm è Sicilia exercitum Senatu vetante traduxit. nisi enim plus in ea re suo, quam P.C. consilio credidisset, secundi Punici belli finis inuentus non esset. Ibidem.

IDEM, postquam Africam attigit, speculatores Hannibalis in castris deprehensos, & ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consiliis ac viribus Pœnorum percontatus est: sed circa omnes manipulos diligentissimè deducendos curauit. Interrogatósque an satis ea considerassent, quę speculari iussi erant? prandio dato ipsis, iumentísque eorum, incolumes dimisit. Quo tam pleno fiducia spiritu prius animos hostium, quàm arma contudit. Ibid.

IDEM, cùm à L.Scipione ex Antiochēsi pecunia H.S. quadragies ratio in curia reposceretur, prolatóq; ab eo libro, quo acceptę expensǽque summæ continebãtur: refelli inimicorum accusatio posset, discerpsit: indignatus de ea re dubitari, quę sub ipso legato administrata fuerat. Quin etiam in hunc modum egit: Non reddo P. C. ęrario vestro H.S. quadragies rationem, alieni imperij minister, quod meo ductu, meísque auspiciis bis milies H.S. vberius feci. Neque enim adhuc puto eò malignitatis ventum, vt de mea innocentia quęrendum sit. Nam cùm Africam totam potestati vestrę subiecerim, nihil ex ea, quod meum dicerem, pręter cognomen retuli. Non igitur me Punicę, non fratrem meum Asiaticæ gazæ auarum reddiderunt: sed vterq; nostrûm inuidia magis quàm pecunia locupletior est. Tam constantem defensionem Scipionis vniuersus Senatus comprobauit. Sicut & illud factum, quòd cùm ad necessariũ Reip. vsum pecuniam ex ęrario promi opus esset, idque Quęstores, quia lex obstare videretur, aperire non auderẽt: priuatus claues poposcit, patefactóque ærario, legem vtilitati cedere coegit. Quam quidem fiduciam conscientia illa dedit, quia meminerat, omnes leges à se esse seruatas. Ibidem.

SENATVS Cannensi clade exhaustis Romani imperij viribus, supplementum exercitus in Hispaniam mittere ausus, fecit ne hostilium locus castrorum, tum maximè Capenam portam armis Hãnibale pulsante, minoris veniret, quàm si illum Pœni non obtinerent. Ita se gerere in aduersis rebus, quid aliud est, quàm sęuientem fortunam in adiutorium sui pudore victam conuertere? Ibidem.

P.FVRIVS Philus Cos. Quintum Metellum, Quintúmque Pompeiũ consulares viros, vehementer inimicos suos, cupitam sibi profectionem in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coegit: fiduciam non solùm fortem, sed penè etiã temerariam exhibēs, quæ duobus acerrimis odiis latera sua cingere ausa est, vsúmque ministerij vix tutum in amicis, & sinu inimicorum petere sustinuit? Ibidem.

M.CATO superior sępenumero ab inimicis ad causæ dictionem vocatus, nec vllo vnquam crimine conuictus, ad vltimum tantum fiducię in sua innocentia reposuit, vt ab his in quęstionem publicam deductus, T. Gracchum, à quo in administratione Reipub. ad multum odium dissidebat, iudicem deposceret. Qui quidem animi præstãtia, pertinaciam eorum insectandi se inhibuit. Val.lib.3.cap.7.

LVCIVS Crassus, qui eloquentia clarissimus fuit, cùm ex consule prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn.Carbo, cuius patrem damnauerat, ad speculanda acta sua venisset: non solùm eum inde non submouit, sed insuper locum ei in tribunali assignauit: nec vlla de eo re, nisi in consilium adhibito, cognouit. Itaque acer & vehemens Carbo, nihil aliud Gallica peregrinatione cõsecutus est, quàm vt animaduerteret, sontem patrem suum ab integerrimo viro in exilium missum. Ibidem.

M.ANTONIVS ille disertus (non respuendo, sed amplectendo causę dictionem, quàm innocens esset testatus est) Quæstor enim proficiscens in Asiam, Brũdusium iam peruenerat: vbi literis certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium prætorem, cuius tribunal propter nimiam seueritatem Scopulus reorum dicebatur, cùm id vitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum qui Reipublicę causa abessent, recipi nomina vetabat, in vrbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciæ bonæ consilio, tum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consecutus est. Ibid.

Poëta ACCIVS Iulio Cæs. amplissimo & florentissimo viro, in collegium Poëtarum venienti, nunquam assurrexit: non maiestatis eius immemor, sed quòd in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse consideret. Quapropter insolētię crimine caruit: quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur. Ibid.

C.IVL.Cæsar Dyrrachij expectabat, vt illuc è Brundusio milites mitterentur. id quum tardius fieret, clàm omnibus conscensa scapha exigua, tentauit transmittere pelagus: quúmq; nauigium vndis obrueretur, gubernatori iam animum despōdenti, quis esset aperuit, dicens: Confide fortunę, sciásq; te Cæsarem vehere. Tanta erat animi præstantia, quasi fortunam ac deos in manu haberet. Ac tũ quidem tempestate ingrauescente, vetitus est quod instituerat peragere. Milites autem vbi resciuēre factum, concursum fecerunt ad Cæsarem: grauitérq; ferebant si alias expectaret copias, velut ipsis diffisus. Plut. in Romanorum Apoph.

M.ANTONIVS philosophus Imperator magnam pietatis suæ confidentiam ostendit, cùm virtute atq; innocentia fretus, vt bonitatis suæ periculum faceret, solus Eleusinæ Cereris templum ingressus est, quod non sine periculo nisi ab innoxiis adibatur. Neroni profectò conscientia lõgè dispar fuit: qui cùm se parricidam meminisset, eo templo abstinuit. Fulg lib.3.cap.7.

CAROLVS Magnus inuitatus à Romano pontifice nimium Longobardis infesto, propter eorum insolentiam, non est veritus in Italiam descendere eo animo, vt Longobardos ipsos omni Italia expelleret, qui vniuersam Italiam ducentos & amplius annos armis vicerant atq; domuerant. Quod incœptum felici successu, non tamen sine periculo & graui labore capto Desiderio rege, expugnatáq; Papia, fœliciter tandem illi successit, recepta omni ferè Italia & pace Romanæ ecclesię restituta. Egnat.lib 3.cap.6.

Miserat Almaricus, Hierosolymorũ rex, VGONEM Cęsariensem principem, virum militia clarum, oratoris nomine ad Baldacensem Caliphã, vt res inter Christianos & Saracenos componerentur, discordięque ac bella sedarentur. Verũ quũ ipse Caliphas nudã suam dexterã Vgoni porrigere nollet, sed tantum vestem suam contrectare iuberet, præcipuè verò quòd Christianus esset: auersus procul à Maumethis sacris, nunquam adduci Vgo potuit, vt id faceret: quin bellum denuncians, quàm primùm se discessurum pollicitus est. Qua ex re Calipha territus, inuitatum ad se benignè excepit, virtutem hominis admiratus, dextráq; simpliciter iuncta fœdus sanxit. Egnat.lib.6.cap.4.

GREGORIVS VI. pontifex maximus, cùm æger in vitæ discrimine versaretur, sciretq; de ipsius acta vita Cardinales malè sentire, idq; habitis inter se colloquiis eos ostendisse: animi sui conscientia fretus, accersitos ad se Cardinales, de iis quæ dixerant vehementer increpuit: & cùm efficacissimis rationibus, omnem rerum à se gestarum suspicionem purgasset, vt omnia de se expleriora essent, hoc addidit: Vt defuncti corpus in feretro, ante valuas ędis sancti Petri statuerent, eásq; antè diligēter clauderent. Quòd si numine corpus, sine humana ope, in templum introduceretur, malè de ipso cogitata emendarent: sin autem extra templũ corpus remãsissent, sacra sepultura indignũ censerent. Eo mortuo, cùm cõditio quam posuerat seruaretur, omnibus admiratione captis, magna vētorum vi reseratis templi foribus, in templo iacere Gregorij corpus fuit inuentũ. Fiducia profectò Gregorij conscientiæ ingens, & quę ne temerè

iudicemus, retrahere nos debeat. ostendit enim, tanto ab humano iudicium differre diuinum, quanto diuinum occultius atque iustius est. Fulg. lib.3.cap.7.

Fuit admiranda MARCELLINI Anconitani episcopi confidentia, cùm vrbe ingenti incendio correpta, extinguendo igni remedia non inuenirentur. Ipse enim pedibus captus, contra incendij vim deferri se iussit, vitæ suæ innocentia fretus, cum incedendi visum amisisset. Itaque cũ eo appropinquante sedatum esset incẽdium, prorsúsque extinctum, confidentia eius in laudem conuersa est. Ibid.

BALTHASAR Cossa, cùm Bononia, vbi aliquod tempus magna diligentia literis operam nauarat, Romam proficisceretur: rogatus, Quamobrem Romam tenderet? Vt se inquit, Pontificem faceret. Neque id ioco respondit. Atque haud diu pòst ab Alexãdro quinto ad Cardinalatus honorem euectus, in Pontificatu ei sub Ioannis vigesimiquarti nomine successit. Ibid.

Ingens militaris peritiæ confidentia illa fuit, quam præ se tulit Gulielmus Normandiæ dux, cùm in Britãniam aduersus Heraldum eius insulæ regem exercitum traiecisset. Nam detectis captisque hostium exploratoribus, sua exercitúsque sui virtute fretus, deduci eos per tota castra iussit, & omnia eis ostẽdi: deinde cibo recreatos, cum muneribus ad suos remitti. Neque verò multo pòst haud leuiter temeréque se expeditionẽ suscepisse ostendens, prælio adortus Britannos vicit, Heraldúmque occidit, & primus Normandorum illius insulæ regno potitus est virtute, quæ vt in insulam descendit, in eo perspecta est. Etenim vt exercitui ostenderet in sola virtute spem ponendam, illicque aut vincendum aut moriendum esse, naues quibus venerat, statim omnes incendit. Ibidem.

Potentiæ virtutique suæ GENVENSES ac PISANI plurimùm se fidere ostenderunt, graui eo bello, quod inter se salutis Anno ducentesimo sexagesimo secundo, post mille, gesserunt. Nam cùm vterque in hostium vrbem, sub aliarum rerum prætextu, inspecturos qui apparatus fierent, exploratores misissent, vtrique liberè in vrbe sua iis permiserunt omnia inspicere, & ad suos inspecta scribere. Adeò vterque populus potentiæ militarique virtuti suæ fidebat. Quarum rerum confidentia, diu incerta victoria, paribúsque damnis bellum acriter continuarunt. Ibidẽ: Et Egnat. lib.3.cap.6.

Insignis ea fuit fiducia, quam BLASIVS Axeretus, Genuensis classis præfectus, aduersus Alphonsum regem, Caietam obsidentem ostendit. Nã cùm ad eum ab Alphonso legatus esset missus, qui sub prætextu, indicẽdi Genuensibus belli, classem Genuensem diligẽter inspiceret: ei Blasius mãdauit, vt regi suo omnes eas Genuensis populi naues preciosis mercibus, quæ in Orientem mittebãtur onustas esse referret: & propterea si victoria potiretur, sciret prædam se ingentem de Genuensibus acturum. Fiducia profectò ingens hominis noui, & qui antè non naualem rem, sed tabellionicam exercuisset, minore nauium numero paucioribus militibus duorũ magnorum regum, multorúmque principum rerum maritimarũ peritorum eo verbo auariciam accẽdere, aut indignatione iram augere. Cæterùm victoria quam de eis peperit, audacem eum ac prudentem, & non iactatorem fuisse ostendit Iidem.

PHILIPPVS Maria Mediolanensis dux, Venetis, Florentinis, aliisque principibus bellum sibi indicentibus, nisi à Florentinis ipsis violandis abscederet, tales spiritus, eamque sui fiduciam retulit, vt bellum forti animo indictum susciperet, sæpéque etiam memorabili euentu victor euaserit. Quòd si duces inter se concordibus animis, Picininus videlicet, Sfortia & Malatesta gessissent, facilè potuissent imperij sui fines augere, & hostes suos retundere. Egnat. lib 3 cap 6.

EDGARVS Britannorum rex, cùm reges omnes qui ei parebant, in conuiuium adhibuisset, eique esset relatum, Rinandum Scotorum regem (cùm eum statura pusillum inspexisset.) dixisse: Non mediocriter se mirari, quòd ipse aliique reges, viri fortes proceróq; corpore, tam paruo homini subiectos se esse paterentur: nulla prorsus re dicta, venatum deduxit eum: datáque opera vt solus cum eo ab aliis disiunctus esset, Rinando alterum è duobus gladiis, quos secum tulerat, obtulit: dixitque, fortitudinis eius periculum se facere velle, vt sciret, an verbis in eo facta responderent. Qua re Rinandus vehementer territus, errori veniam petens, tandem eam impetrauit, cùm ei Edgarus generoso facto, singularique virtutis suæ fiducia ostendisset, virtute se, & non sorte electum regnare: ei vt hoc experiri posset, potestate facta. Fulg. lib 3. cap.7.

HVMILITAS RELIGIOSA.

Veritatis est, simul & prudentiæ, bona quæ habeas, data occasione, non occultare, eáque vel reipsa vel certè verbis ostendere: non inani gloriæ causa, sed vt iuxta Christi præceptum, homines ea videant, & Patrem cælestem glorificent. At humilitatis est, si minora hæc esse videris, quàm quæ æstimationem, aut æmulationem aliquam mereantur, ea dissimulare, celare, occultare: & profectò si Christianè & piè omnia bona humana perpendantur, quia diuina sunt munera, non nostra, sed Dei esse videbuntur, nihil nobis reliqui fiet in quo gloriemur, quàm (vt Apostolus inquit) crux Domini nostri Iesu Christi. Quid enim habes, quod non acceperis? Humiliemur ergo sub potenti manu Domini. Quinetiam Ethica philosophia humilitatem hanc nouit, quæ tamen non religione mouetur, sed potius insticia quadam, & conscientiæ integritate, cùm maiora sibiipsi non attribuat quàm mereatur, proprióque modulo seipsam metiri sciat, ac vicissim iis qui maioribus honoribus digni sunt, obsecundare & subiici non erubescat. Differt ergo ab εἰρωνείᾳ, quòd quamuis vtraque sua bona minora esse contendat, Humilitas tamen verè et ingenuè ita sentit, Dissimulatio ironicè tantum. Nos primùm religiosam Humilitatem persequemur: cuius scopus est, & veluti forma (per quã ab Ethica distinguitur) quòd cum creatore, Domino & seruatore suo, homo seipsum confert, & ex propria abiectione ac vilitate illius diuinam maiestatem suspicit, reueretur & adorat. Ethicæ humilitatis forma, seu finis, cur ita seipsam abiiciat, est propria conscientia & integritas, quòd se inferiorem aliis esse, seu sponte sua, seu coacta, agnoscit, & propterea illis cedit. Quemadmodum vicissim cùm se aliis superiorem esse sciat, Veritate iubente, bona sua citra superbiam non dissimulat. Sed iam ad exempla accedamus. Plurima ex tit. Contemptus honorum, religiosa simul & ethica: item ex tit. Pænitẽtiæ religiosæ, peti poterunt. Vt enim humiliantes sese pænitentiam interdum agunt, ita pænitentes semper sese humiliant. Vide ea quæ sub tit. Confessionis peccatorum liberæ à nobis dicentur.

ABRAHAM coram Domino se humiliat, inquiens: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis Genes.18.

ACHAB, cùm pœnam se commeruisse audiret, coram Domino humiliatus est. 3. Reg.21.

Roboam à Semeia propheta reprehensus, pœnitentiam egit, & iram Domini à se auertit. 2. Paralip.12.

HIEREMIAS ad prophetandum vocatus, humiliter recusauit. Hierem.1.

EZECHIAS humiliatus est coram Domino, & ira Domini dilata est. 2. Paralip.32.

ESTHER regina, coram Domino se humiliauit ieiuniis & precibus. Esth.14.

ISRAELITÆ in aduentu Holofernis se coram Domino humiliauerunt. Iudith.4.& 8.

MARIA virgo mater, humilem se ancillam filij sui vbique professa est: Respexit humilitatem ancillæ suæ.

IOANNES baptista, non se Christum, sed Vocem clamantis in deserto esse pronunciat, & indignum qui calciamẽtorum corrigia soluat. itaque à Christo etiam baptizari cupit.

SALVATOR noster, vt humilitatis exemplum nobis inculcaret, in Galilæa concipi & educari voluit, regione tunc temporis contemptissima. Humili matre nasci, in præsepio reponi, cum pauperibus conuersari, honores oblatos respuere, nudis pedibus obambulare, asino vehi, pedes discipulorum lauare, inter latrones crucifigi, denique vsque ad mortem crucis ignominiosissimã in extremo probro, paupertate atque dolore Patri obediens esse voluit.

Claudo per Petrum sanato, Petrus non ascripsit factum sibi, sed diuinæ virtuti, & inuocationi nominis Iesu Christi, &c. Act.3.

Cùm introisset Cæsaream Petrus, obuiam venit ei Cornelius, & procidens: Surge, & ego ipse homo sum, ait Petrus, eleuans Cornelium. Actorum.10.

Audientes Paulus & Barnabas, quòd homines de ciuitate Lystris dicebant eos esse deos, & eis sacrificare volebant: concissis tunicis, exilierunt in medias turbas, clamantes: Viri, quid facitis? & nos mortales sumus similes vobis, &c. Actor.14.

Humiliter de se sentiebat Paulus, qui fratrum orationibus cõfidebat. Adiuuantibus vobis in oratione pro nobis, ait 2. Corint.1. Orationes aliorum solicitè postulauit. vnde ait: Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, vt adiuuetis me in orationibus. Rom.15. 1. Corinth.4. & Thess.4. Verbis etiam suis veram humilitatem interius indicabat. 1. Corinth.15. Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, &c. Et Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, &c. 1. Tim.1. Item ad humilitatem alios solicitè inducens, ait: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Et ad Philippen.2. In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, &c. Rom.12. Ex Hanapo.

BARTHOLOMÆVS apostolus Iesu Christi, regio stemmate fulgẽs, piscatoribus se æquari passus est, diuinarum rerum cupiditate captus. Sab. lib.2.cap.1.§3.

MONACHIS Nitriæ montis morem fuisse constat, præter cætera in peregrinos beneficia, pedes eorum lauare, linteolísque abstergere, illum imitari volentibus, qui magister & Dominus discipulorum pedes lauit: Exemplum, inquiens, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Marul. lib.1.cap.5.

APOL-

APOLLONIVS abbas ad se magis, quàm ad eos quibus præerat, huiusmodi seruitium pertinere arbitratus, suis ipse manibus hospitum lauabat pedes: Abbatémq; se in monendo duntaxat corripiendóq; nouerat, præterea omnium minimus erat. Ibid.

HOR abbas eadem erga peregrinos obseruantia, certo tamen ordine vsus dicitur. Primùm cum illis simul suppliciter prouolutus Deum adorare, deinde pedes eorum abluere, postremò ablutis præcepta salutis dare: quasi innuere volens, iis qui peccatorum sordes pœnitentiæ lauacro mundare cupiunt, necessariam esse pietatem, humilitatem, iustitiam. Ibidem.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus quotidie 13. pauperes domi conuocabat, sedere iussis genu flexus pedes lauabat, discumbentibus ministrabat, abeuntes cum dono dimittebat, singulis eorum quatuor nummos largitus: ita vt liberalior an humilior fuerit, nõ facilè discerni queat. Serui interdum dedignantur mendicis ministrare, archiepiscopus etiã pedes lauit. Ibidem.

GALLICANVS monachus (quem & Consulem & victorem, & Constantini augusti generum fuisse aiunt) omnibus pro Christo contemptis, tam ardẽter in monasterio serui functus est officio, quàm prius in castris Imperatoris ac ducis. Nec magis olim militaris gloriæ auidus fuit, quàm postea humilitatis. Operæpretium erat videre pauperum lauantem pedes, monachorum manibus aquas dantem, mensas parantem, pauimenta verrentem, & reliqua id genus exercentem: paulò antè tot clientium patronum, tot seruorum dominum, tot militum ductorem, quot conuenire potuit principi viro, Cæsaris genero, Romani exercitus præfecto, sæpe victoria potito, nunquam victo. Tantam status mutationem nequisset efficere fortuna, quantam ille sua sponte suscepit: haud ignarus, multo maiorem certiorémque fœlicatem esse seruire Christo, quàm dominari mundo. Quoniam (vt Esaias inquit) à seculo non audierunt, neq; auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Ibid.

PACOMIVS abbas fratribus morbo implicitis assedit: non dedignatus ministri operam, vt obsequium præstaret Domino iubenti ac dicenti: Qui maior est vestrûm, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Ibid.

ANTONIVS abbas, non minus mansueti ingenij vir, episcopis & presbyteris solitus est submittere ceruicem, captans ab eis benedictionem. Idcirco benedixit ei Dominus, & custodiuit illum: ostendit ei faciem suã & misertus est ipsius: conuertit vultum suum ad illum, & dedit ei pacem. Ibidem.

EVNDEM tradunt in spiritu raptum vidisse, orbem terrarum quaquauersum, laqueis oppletum. & cùm mirabundus quis illos euadere posset, quæsisset, responsum fuisse, Humilitas. Beati igitur humiles, quibus à periculo erutis competere poterit illa Prophetæ gratiarum actio, dicentis: Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine Domini. Ibid.

PINIFIVS abbas (vt liberius humilitatis incumbere operibus posset) diuersa perquisiuit loca, in quibus minus notus maneret, ab Ægypto trãsmigrauit in Thebaidẽ, & inde ad Palæstinã, semper inter alienos serui fungens officio, donec agnitus cogebatur simul relinquere & locum. Postquam nullibi se diu ignotum futurum vidit: ad suos tandem monachos reuersus, aliam conseruandæ humiliationis rationem iniit, vt quo plus honorabatur, eo magis corpus suum ieiuniis inædiáq; maceraret. Malens fame affligi, quàm ambitione deliniri, & de cibis cogitare, quàm de honoris illecebra. Ibid.

GREGORIVS primus Rom. pontifex se Seruum seruorum Dei appellauit: ac ne dictu id illi quàm factu facilius fuisse putes, aduenienti Ioanni abbati assurrexit, & prior honoris gratia in terram prouolutus est Pontifex quàm abbas. Cæteri deinde maximi Pontifices nomenclaturæ istius titulum omnes vsurparunt, opus rari. Omnes se Seruos seruorum Dei dici, pauci esse voluerunt. Igitur Gregorij humilitatem approbasse videntur etiam ipsi, qui imitari neglexerunt. Ibid.

Mirabilis in primis humiliatio PETRI Telonarij fuit, qui distractis pro amore Christi facultatibus, à Byzantio Hierosolymã petiit, seruúmque se venalicium fecit. Et cùm in aliena domo à conseruis maledictis verberibúsq; afficeretur; gaudebat in contumeliis, nunquam de iniuria sibi illata conquestus. In tantum vt de medio calumniatorũ suorum nusquam discesserit, nisi cùm Byzantij hospitis indicio cognitum, honorare cœpissent. Deniq; tunc profugit cũ coleretur, vt liber, non cùm sperneretur vt seruus, humilitati studens, à gloriationibus abhorrens: displicere cupiens hominibus, vt Christi seruum se exhiberet. Marul. lib 1. cap.5.

MARTINVS dum adhuc stipendia faceret, nec tamen tam Cæsari quàm Christo militaret, præter illud celebratissimum pietatis opus haud minus celebre præstitit humilitatis exemplum. Vno seruulo contentus, eundem vt fratrem dilexit, vt dominum coluit, cœnanti ministrabat, cubitum eunti calciamenta detrahebat, cæteráq; penè omnia mutata cum illo officij vice exercebat, seruus serui factus, vt Christo se seruire probaret, non mundo. Miles erat, nec dum baptizatus, sed tantum cathecumenus, & iam perfectionis viam ingressus, Spiritus S. sententiam sequebatur per Salomonem in Prouerbiis prolatam, Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. Ibid.

ALEXIVS Euphemiani consularis viri filius, spreta generis nobilitate, Roma decedens, Edessam Syriæ vrbem venit, & inter alienigenas 17. annos incognitus mendicauit. At postquam vulgatum est, vocem diuinitus allatam, Alexium mendicum in ecclesiam recipiendum, videns ibidẽ miraculum illud honori sibi futurum, Laodiceam est profectus, à Laodicea Tharsum, Tharso rediit Romam. In paterna domo pro peregrino pauperculo susceptus, alios 17. durauit annos in summa rerum inopia, statúq; miserabili, nec ipsis genitoribus suis sese manifestans, ob hoc solùm ne agnitum honore afficerent. In exitu vitæ & quis & quantus esset apparuit, hoc signis prodigiisq; instanter editis, illud chirographo in manu defuncti reperto, ac rei ordinem indicante, tunc scilicet, cùm iam superato vanæ ambitionis periculo, secura humilitas ad cœlos properabat, veræ & immortalis gloriæ honore semper fruitura. O beatum, ô fœlicem illum, qui sic se humiliat, vt sic exaltetur. Ibid.

HERACLIVS Augustus, cruce ex Perside recepta, in qua pendens Iesus nos ab æterna damnatione redemit, cùm eam in locum suum in Caluariæ monte vellet referre, ditissimo apparatu, regióq; amictu atque diademate ornatus, in collum eam, sicuti Redemptor noster tulerat, sustulit. Vt verò ad portam peruenit, quà ad Caluariæ cliuum via ducit, progredi non potuit. Itaq; cùm omnes mirarentur, monente vrbis Patriarcha fortasse, Christo qui toti terrarum orbi humilitatis atq; inopiæ se exemplũ præbuit, opulentam illam superbámque pompam esse molestam, quę rarò iustitiæ esset coniuncta, mutata rerum facie, Heraclius cùm abiectam vestem induisset, nudis pedibus, facilè quò voluit crucem pertulit. Fulg. lib.1.cap.6.

GODOFREDVS Bononius, Lotharingiæ dux, & Hierosolymorum rex primus omnium consensu declaratus, neque titulum regis vsurpauit vnquam, neque diademate caput ornari passus est. Haud enim dignum putabat, hominem qui bona fide Deum coleret, auro coronari eo in loco, vbi Dei caput sentibus esset ornatum. Ritius Neapolitanus de Regib. Hierosolymorum: & Fulg. lib. 4. cap.5. & Egnat. eodem.

ELISABET regis Pannonum filia, & Lantgrauij Turingiæ principis coniunx, Deo gratificari cupiens, non alienum à dignitate sua putauit, mendicum quendam infirmum, obsitum, squalidum, olidum, suo recipere sinu, suísque manibus crinem illius pectere, tondere, caput lauare, totum corpus quantum licuit, à pedore sordibúsq; vindicare. Multos prętterea eiusdem sortis pauperes visitare, benignè consolari, ad patientiam exhortari, cibos porrigere, potum propinare, modis omnibus opem ferre, & vlceratorum plagas contrectare, tegere, linire, circũligare, & si quãdo fasciæ deficerent, sui capitis velamento obuoluere. Deniq; defuncto viro Lantgrauio, cùm multorum pauperum capax construxisset habitaculum, semet illis in ministerium dedit. Ibi puerum quendã ventris profluuio laborantem, ipsa in suis vlnis ad exonerãdam aluum, etiam noctu consurgens, pluries portauit. Ibidem mulieris leprosę curam habens, omnia illi libenter præstitit, officiosèque ministrauit, quæ ipsa per infirmitatem non poterat. Post hæc non est passa se ab ancillis vocari dominã, sed sororem, & eis aliquo de industria emissis, ipsarum interim munus vsurpabat, vasa lauando, coquinam parando, pauimenta verrendo, vtensilia suis disponendo locis, cæteráque diligentius exequendo, ancillis etiã se humiliorem fecerat. Nunquam tanta mulier ad tãtam humilitatem descendisset, nisi prius ardentissimæ charitatis feruore medullitùs incaluisset. Nihil quippe tam paruum aut tam vile est, vt id se ducat indignum, qui perfectè diligit. Marul. lib.1.cap.5.

BRIGIDA virgo, licet abbatissam gereret, minorem tamen se iis quibus præerat, exhibebat. Quasdam in monasterio longa valetudine oppressas, vt saltem squalore leuarentur, lauari iusserat, sed ancillis sororibúsque cunctantibus, protinus ipsa accedens lauat, tantúmque humilitas abbatissæ valuit, vt illæ lotæ e vestigiò sanarentur. Tres erãt diuersis infirmitatibus laborantes, alia paralytica, alia dæmoniaca, alia verò leprosa. Magnum miraculum fuit, tales languores curasse, sed non minus mira extitit humilitas, sic affectas lauisse. Equidem opinor parem virtuti datam fuisse gratiam, vt quæ dignata est lauare, ipsa etiam mederi posset. Ibidem.

EVGENIA virgo, Philippi Alexandrinæ præfecti filia, quoniam parẽtibus idolorum cultui deditis Christo seruire non poterat, eos reliquit. Et sexu celato, virorum monasterium ingressa, monachi habitũ induit, & se Eugenium vocari fecit. Tandem ob animi sapientiam, morúmque integritatem in abbatem electa, hoc primùm à fratribus exegit, vt quãuis dignitate pręlaret, permitterent tamen se interdum officia obire infimorum, ne per ocium insolesceret, præsertim in illo præpositurę honore constituta. Impetrata igitur venia, aquam portauit, ligna concidit, pauimenta verrit, cellulam sibi omnium despectissimam elegit. Denique quo feruore cõcita parentes fugerat, eodem primatum inter monachos tenens, humilitatem coluit, & tandem martyrij palmam meruit obtinere, vt quæ mundi pompam calcauerat, tyrannorum quoq; tormenta superaret, & in cœlesti gloria humilitatis præmiũ perfectæ patientiæ merces augeret. Marul. lib.1.cap.5.

PAVLA Romana (vt Hieronymus refert) maternum genus à Scipionibus Gracchisque paternum ab Agamemnone potentissimo quondam Græciæ rege ducens, liberos è Toxotio susceperat, qui ab ipso Ænea Iulióque trahere originem credebatur: postquam autem contemptis omnibus Christo cœpisset seruire, tanta se humilitate deiecit, vt qui eam videret (videre autem propter nominis celebritatẽ multi gestiebant) ipsam esse non crederet, sed ancillarum vltimam. Quamuis enim frequentantibus virginum cingeretur choris, veste tamen, voce, habitu, incessu minima omnium apparebat. Intellexit profectò sapientissima mulier, hominis nobilitatem non genere, non potentia, sed virtute constare: inter virtutes autem Christianæ professionis nihil esse præstantius humilitate, nihil fructuosius. Ibidem.

PLACILLA Theodosij imperatoris vxor pientissima, subinde maritum admonere solebat, iam in Cæsarem euectum, vt se olim priuatum

hominem fuisse cogitaret. Quem putabat præ cæteris ad Romanæ reipub.gubernacula assumptum, non vt ferocius superbiret, atque iam Deū se factum existimaret, vt alij: sed vt hominem se esse cogitans, variis cum subditis fragilitatibus obnoxium, ritè gubernaret imperium, tanquam Dei seruus. Nicephorus Callistus lib.12.cap.42.

ANTALCIDAS, cum in Samothracia sacris initiaretur, interrogatus à sacrorum antistite, quidnam præclari gessisset in vita? Si quid, inquit, feci quod laude dignum est, deos nequaquam latet. Et sic modestè tacuit, ne se vel immodicè laudare, aut turpiter vituperare diceretur. Plutarch.in Lacon.

EXEMPLA ETHICA.

HVMILITAS ETHICA.

Exempla quædam pete ex tit. Frugalitatis in cultu corporis, & variarum specierum liberalitatis: consule etiam titulum Magnanimitatis, maiores honores quàm mereatur, aut etiam pares, respuere. Videtur quinetiam in belluas cadere: vt ex tit. Mansuetudinis belluarum erga homines, colligi potest. Huc pertinent Supplices. Exempla quædam pete ex tit. Pœnitentiæ Ethicæ.

Humiliauit se Iacob coram Esau, & sic compescuit iram eius. Genesis trigesimotertio.

MOSES Israelitarum dux, Obab filium Raguelis sibi comitem esse rogauit. Num.10. Vtile quoque consilium Iethro soceri, quamuis alienigenæ, non respuit. Exod.18.

GEDEON angelo dicente sibi, Vade, in hac fortitudine tua liberabis Israel: respondit, Ecce familia mea infirma est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Iud.5.

SAVL antequam in regem vngeretur, quærebat asinas patris sui, & excusabat se apud Samuelem. 1.Reg.19.

DAVID humiliat se coram Saule, cum gener illius fieri deberet. 1. Reg.19. Idem quamuis in regem vnctus esset, tamen iussu patris cibos fratribus suis rus portat. 1.Reg.17.

CASSANDER cùm omnibus libellis & epistolis rex salutaretur, tantæ moderationis fuit, vt nunquam regium sibi vsurparit nomen. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

PORVS Indorum rex, ab Alexandro victus, in posterum nunquam se regem appellari sustinuit. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

AGATHOCLES rex Siciliæ, nullo vnquam luxuriantis fortunæ zephyro auerti potuit à recordatione figulinæ patris officinæ. Quamuis enim haberet auri & argenti abundè, semper tamen abacum vasis fictilibus onerabat. Ausonius:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

M.TER.VARRO, L.Pauli collega, cui à senatu gratiæ actæ sunt post Cannensem cladem, quòd Rempub. non deseruisset, non vitæ cupiditate, sed Reip. amore se superfuisse reliquo ætatis suæ tempore approbauit. Nam & barbam capillúmque submisit: & postea nunquam recubans cibum cœpit: honoribúsque, cū ei deferrentur à populo, renunciauit: dicens, felicioribus magistratibus Reip. opus esse. Front.lib.4.cap.5.

DRVSVS, cùm esset factus consul, officio consulis cum collega suo vt priuatus pariter fungebatur: hærésque à quodam institutus, corpus eius simul extulit. Dion Nicæus in Tiberio.

CLAVDIVS imperator, de maiore negocio in senatu acturus, medius inter consulum sellas tribunitio subsellio iubés sedit, ne nimium maiestati suæ tribuere, & sibi ipsi placere videretur. Alex.ab Alex.lib.4.cap.11.

TIBERIVS Cæsar, licet se imperatoria maiestate ornatum sentiret, in tanto tamen dignitatis & honoris gradu ita se humiliauit, vt senatoribus assurgeret, & iis de via decedere non erubesceret. Ibidem.

TRAIANVS imperator, subiugatis Marcomannis ac Iazygū & Pannonię populis, minimè triumphans, sed equo tantùm insidens in Capitolium vectus est: per vrbem semper, more Catonis, pedes ibat, paucis comitibus, nullis satellitibus, senatum patrem, se ministrum tantùm vocabat. Stans, consules sedentes venerabatur, quòd se illis inferiorem ex legibus esse sciret. Volat.lib.23.Anthrop.

DECEBALVS Dacorum rex, cùm à Traiano principe bello cum suis omnino profligatus esset, victum se agnoscens ante pedes Traiani procubuit, à quo solutus ad suos peruenit. Volat.lib.23.Anthrop.

LVDOVICVS XI. Gallorū rex, Caroli septimi filius, gloria regnóque atque in primis liberalitate quantū vllus superiorū regum ingens, multis victoriis clarus, cùm alij reges auro sericóque amicirentur, lana aut bombyce induebatur: asinúmque pro equo nonnunquam in vsum adhibebat. & quo preciosiore veste vt fulgerent alij curauerant, ipse vt viliore amictus inspiceretur operam dabat. Fortasse ob eam causam, vt cùm inter Christianos reges omnium maximus liberalissimúsque haberetur, qui viderent eam habitus humilitatem, mirarentur. Fulgos.lib.5 cap.6.

CAROLVS Nauarræ princeps, Ioannis Alphonsi filius, etiam infimis & sordidis homuncionibus opem ferre non recusabat, cùm ipse morbi cuiusdam abdita medicamenta teneret: etiam tunc, cùm ob morbum pharmaca sumpsisset, & aeris asperitatem fugere deberet. Pontan. cap.6.de Beneficentia.

Tentarant sæpius Veneti, idque frustra, vt Romanum pontificem Clementem sibi iratum & infestum propter Ferrariam receptam, pluribus ad eum missis oratoribus reconciliarent. Postremò missus est & Franciscus Dandulus, qui eo animo profectus est Aueniorem in Gallias (ibi enim pontifices Romani aliquot egerunt annos) vt quacunque ratione fieri posset, ipsum Clementem pontificem sibi patriæque conciliaret. Cúmque incassum multa variáque tentasset, tandē id consilij iniit, quod omniū mortalium animos implere admiratione posset: Veste enim mutata, quadrupedísque canis habitu sumpto, zona in catenæ modū etiam collo vinctus, ad prandentis mensam Clementis propius accessit: pedibúsque eius aduolutus, neque habitum, neque animum præsentem sese mutaturum testatus est, nisi Venetam Rempublicam Pont. ipse prius in gratiam recepisset. Tantum rei nouitas, neque antea visa aut audita humilitas, animum pontificis perculit, vt statim surgere eum iussum admiserit, séque omnia facturum quæ petiisset annuerit. Quod & factum est. Quare illi Veneti gratiam rei tam optatæ referentes, ducem in Superatij mortui locum, Canis cognomento illi indito, ex quodam facti (vt ita dixerim) miraculo sibi præfecêre. Egnat.lib.2.cap.4.& lib.5.cap.5.& lib. sexto, capite secundo.

ALPHONSVS potentissimus Arragonum, Neapolitanorum & Siciliæ rex, cùm Capuam proficisceretur, videns quendam auxilium implorantem, propterea quòd asellus in lutum prolapsus esset farina onustus: illicò equo desilit, & asinum hærentem cœno subleuare nequaquam erubuit. Asinarius verò, qui regem prius non nouerat, pertrepidus veniam precabatur. Parui quidem momenti res, sed quæ nonnullos Campaniæ populos regi reconciliauerit. Panormita lib. 1. de Rebus gest. Alphonsi: & Pont cap.6.de Beneficentia.

HERMOLAVS Barbarus, Francisci Barbari ex fratre nepos, homo doctissimus, tam submissè sese gessit, vt à quouis discere non dedignaretur, sæpéque proximos & familiares de aliquo dubio percunctaretur. Volat.lib.21.Anthrop.

VIRTVTVM, BONORVMQVE SVORVM VERAS LAVDES
ab aliis decantatas suscipere, modestè tamen.

Veritatis hoc est, simul & Magnanimitatis, in debitis honoribus admittendis & exigendis. Itaque ne eadem toties repetantur, consulendus erit locus Magnanimitatis in honoribus promeritis suscipiendis & persequendis.

HERODES sophista, Atheniensibus sic admirantibus eius eloquentiam, vt dicerent illum esse de numero decem oratorum, nihil elatus est hac laude, quæ videbatur maxima: tantum respondit: Certè Andocide sum melior. Is, vt opinor, fuit sophista quispiam notæ vulgaris. Philost. in Sophistis.

PYRRHVS quum rebus feliciter gestis domum rediisset, & à suis aquila diceretur: Per vos, inquit, aquila sum. Quî enim non essem, quum vestris armis veluti pennis subleuer? Modestissimè gloriosi cognominis laudem in suos milites transferens, vitauit inuidiam. Plut. in Regum & impp. Apoph.

FALSAS LAVDES REIICERE, ADVLATIONEM
respuere, quamuis veras laudes proferentem.

Mendacij odium φιλαληθείας pars est. Illustrari Titulus iste ex magnanimitatis loco potest, de iis qui maiores honores vel oblatos repudiarunt, vel non expetiuerunt.

DÆMONIS testimonium Christus respuit, Marci 1. Lucæ 8. Itidem & Paulus Pythonissæ acclamationes contempsit, & dæmonem à puella eiecit. Act.16.

HERMODOTVS Antigonum regem in quodam carmine Solis filiū appellarat. Rex verò respondit, ὃ ταῦτά μοι σύν οἶδεν ὁ λασανοφόρος: De iis mecum neutiquam sentit matulæ minister. Gyrald. de Hist.poet.

ALEXANDER Magnus per fluuium Hydaspem nauigans, cùm ei Aristobulus poeta quidam carmen obtulisset, in quo ei ita assentabatur, vt elephantos interimere, turres prosternere, muros perfodere diceret: indignatus rex, Apage isthæc, inquit, mendacia, quæ vera etiamsi essent, possent in mendacij suspicionem venire. Et simul librum in profluentem abiecit, similia authori minatus, si tale quid in posterum ederet. Gyrald. Dial.3.de Hist.poet.

IDEM habebat Eudæmonicum philosophum, sed quouis parasito adulantiorem. Hic quum aliquando tonaret vehementer, adeò vt omnes expauescerent: dixit Alexādro, Quin tu tale quippiam facis Alexander, fili Iouis? At ille non ferens tam abiecti philosophi vocem, ridens ait: Nolo enim formidabilis esse, quemadmodum tu me doces, qui satraparum ac regum capita me iubes super cœnam apponere. Sic Athenæus. Plutarchus in vita eius, secus aliquanto: Quid mihi succenses, quòd pisces apponam in conuiuio, ac non potius satraparum capita? Eras.libro 6.Apoph.

IDEM arce capta, quum amici dicerent, illum egregiis gestis Herculem superasse: At ego, inquit, meas res gestas in imperio, ne verbo quidem cum his quæ gessit Hercules, arbitror conferendas. Adulabantur illi, sed huius animo nulla satisfaciebat adulatio. Plutarch. in Apoph. regum & imperat.

IDEM Ammonis filius à sacerdote Iouis Ammonis, spe lucri dictus interpretatus est: Nihil mirum inquiens, cum Iuppiter omniummatura esset pater. Eras.libro quarto Apoph.

Hermodotus, Antigonum in carmine scripserat Iouis filium. Is hoc legens: Istius, inquit, rei nequaquam mihi conscius fuit Lasanophorus ille, perquam facetè ridens poeticam adulationem, parique modestia sui generis humilitatem agnoscēs. Lasanum autem matula dicta lis est. Quòd si Iouis erat filius, ea res hactenus fefellerat, & seruum matulam in cubiculo ferre solitum, & Antigonum filium. Plut.in Apoph.

Tarraconensibus pro læto ostento nunciantibus, quòd in ara Augusti palma esset enata: Apparet, inquit, quàm frequenter accendatis. quod illi diis tribui volebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæsaris adolerent incensum. Suetonius in August.

Cum Pescennio Nigro imperatori creato, quidam panegyricum recitare vellet: imperator dixisse fertur, Scribe laudes Marij, vel Hannibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt eū nos imitemur. Nam viuentes laudare irrisio est, maximè imperatores: à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publicè possunt, qui possunt necare, qui proscribere: se autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari. Ælius Spartianus.

SIGISMVNDVS imperator, assentatores se veluti pestes odisse cum diceret, Brunonius Neronensis respondit: Tamen nullum genus hominum magis amas, quàm adulatores. Tum Sigismundus: Vincis sanè, inquit. Ita enim natura comparatum est, vt cùm vitandos esse adulatores dicimus, tum maximè illis hæreamus. Nam nec tu mecum tam diu fuisses, nisi meis moribus blandiri adsueuisses. Æneas Syluius de dictis Sigismundi & Friderici impp.

IDEM, cum adulatores odio haberet, supra modum eum laudanti, & diis similem esse dicenti, alapas dedit: dicentíque illi, Cur me cædis Imperator? Cur me, inquit Sigismundus, mordes adulator? Æneas Syl. libro 2. Commen. de reb.gest.Alphonsi.

VITIA ET PECCATA SVA LIBERE CONFITERI.

Ad libertatem & veritatem hic quoque locus pertinet, non Christiana tantùm ratione, sed etiam philosophica. Hanc enim animi integritatem Plato quoque in Gorgia, ni fallor, requirit, vt sapiens primò sit accusator suiipsius. Nam si nemo nisi à seipso læditur, seipsum quoque accuset oportet. At quia cæci omnes sumus, & vsque adeò φίλαυτοι, vt pro merito nosipsos punire nequeamus: [illegible] *Satis nobis erit, exēpla confessionis peccatorum ex aliis in medium attulisse, quatenus virtutis huius, quæ circa veritatem practiā versatur, pars est. Differt autem confessio ab humilitate, quòd Humilitas minora bona cum maioribus confert, & propterea se alteri submittit: Confessio verò mala tantū sua patefacit. Possunt tamen humilitas, confessio & pœnitentia in vnā eandémque actionem & personam codē tēpore cadere. Humiliatur peccator sub potenti manu Dei, peccata sua confitetur, pœnitentiā agit. Cùm itaque tantus virtutū concursus sit in homine pœnitente, mirum non est, gratissimum eum cœlestibus angelorum hierarchis à Christo prædicari. Cæterùm interdum seiunguntur hæc tria. Humilitas sæpe sola est, sæpe etiam confessio absque pœnitentia reperitur: quod genus confessionis in malos quoque Spiritus cadit, qui credunt & contremiscunt, confitentur & desperant. In hominibus confessio ista ad virtutem veritatis referri posse videretur, quatenus scilicet id quod est, vt est enunciant: sed reuera ad vitium in excessu impia ista confessio pertinet, quia scilicet peccata sua maiora esse falso credunt, quā vt ab immensa Dei misericordia superari queant. Domini enim misericordia super omnia opera eius: nec qui in veritate perseuerat, vnquam desperabit, quia peccata sua Christi meritum superare non posse persuasissimum habet, cùm fieri non possit vt diuinæ actiones ab humanis vllo modo vincantur. De confessione ergo libera, eáque pia & religiosa, quæ cum virtute iuncta est, hîc agimus. Impiam ad vitium in excessu relegabimus. Exempla pœnitentiæ huic loco eatenus conueniunt, quatenus in pœnitente libera quoque confessio est.*

LIBERA CONFESSIO RELIGIOSA.

PRIMOS homines Adam & Euam cùm deliquissent, cibum sibi interdictum comedendo, compulit Deus confiteri peccatum suum. Adam, inquit, vbi es? hoc est, quò excidisti, quantum commisisti mali? Et ad mulierem, Quare hoc fecisti? Post confessionem eiecti sunt paradiso, subditique laboribus, doloribus, morti. Venit deinde Christus, exoluit pro eis debitum, & reducti sunt eò vnde pulsi fuerant, angustiis liberati, & ex miserrimis fœlicissimi facti. Tunc ergo gratiam accipit confessio, cùm satisfactum est pro delicto. Marul.lib.4.cap 11.ex Gen.3.

In LEVITICO, qui immundi fuerint, extra castra eiiciuntur, donec mundentur. Quia peccator nisi per pœnitentiam & confessionem fuerit expiatus, non admittitur in consortium sanctorum. Itaq; illi qui ob lepram separatus est, lex datur, vt habeat vestimenta dissuta, caput opertū, os veste contectum, vtque contaminatum se ac sordidum clamet, & solus habitet extra castra. Quæ omnia non nisi magnæ humiliationis signa sunt, dolorem animi luctúmque præferentia. Per hæc enim purgātur peccata: lachrymisque & confessione humiliātis deletur scelus, quod superbiendo contractum fuerat. Ibidem.

SACRIFICIVM in quo mactabatur hircus pro peccato, in hanc formam fieri præcepit Dominus: Postquam emundauerit sacerdos sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem: & posita vtraq; manu super caput eius, cōfiteatur omnes iniquitates filiorū Israël & vniuersa delicta atque peccata eorum, &c. Vt constet quòd ad emundationē conscientiæ, quæ fit per contritionem, carnis mortificationem requiritur etiam cōfessio omnium peccatorum. Leuit.11.

Comminatur Dominus filiis Israël dicens: Propter peccata patrum suorum, & sua, affligentur, donec confiteantur iniquitates suas. Leuit 26.

VIR siue mulier, cum fecerint ex omnib. peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atq; deliquerint, confitebuntur peccatum suum. Num.5.

Afflicti filij ISRAEL per ignitos serpentes, confitentes peccatum suū venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus cōtra Dominum, & te. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, in quem aspicientes percussi sanabantur. Num 21.

Confessus est ACHAM peccatum suū, cùm dixit: Verè ego peccaui domino Deo Israël, &c. Iosue.7.

Vehementer oppressi filij ISRAEL à Philistæis, & filiis Ammon, confitentes dixerunt: Peccauimus redde tu nobis quicquid tibi placet: tantū nunc libera nos. Et seruierunt Domino Deo, qui doluit super miseriis eorum. Iudic.10.

Delictorum confessionem cùm in multis diuinæ Scripturæ locis, tum in prophetæ Nehemiæ lib. legimus. c.1.2.& 9. vbi dicitur, quòd FILII Israël dum de captiuitate reuersi ædificarent Hierusalem, ieiunantes & operti saccis, & terra consperſi confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum, quater in die, & quater in nocte. & adorabant Dominū Deum suum. Pœnitentiam igitur iungat confessioni, qui de captiuitate redire cupit ad pristinæ innocentiæ statum, & construere ciuitatem sanctam in cœlo preciosis lapidib. virtutum, auróq; puritatis: Quoniam non intrabit in ea aliquid coinquinatum. Marul.lib.4.cap.11.

Quamuis TOBIAS ab infantia Deum timuerit, & mandata eius custodierit, tamen dicebat, humiliter recognoscens: Non egimus secundum pręcepta tua, & non ambulauimus synceriter coram te. Tob.3.

Reprehensus DAVID à Nathan propheta propter adulterium, peccatum suum humiliter confessus est, dicens, Peccaui. Et audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum. 2.Reg.12.

IDEM recognouit peccatum suum, quādo fecerat populum numerari, ita quòd etiam obtulit se penę, loco populi innocentis. Et propitiatus est Dominus terræ 2.Reg.24.

IDEM rursum in Psalmis clamat: Iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et iterum: Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ. Vias meas annunciaui tibi

& exaudiſti me. Cogitaui vias meas,& conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Ex his diſcamus confeſſionis virtutem, confitentis humilitatem, cogitantis ſollicitudinem:ad hæc etiam pœnitentis dolorem, vbi ait:Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Et:Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Certè ſi iugiter conſiderabimus, quanto & quali domino peccauimus, etiam poſt veniam nunquam deerit nobis flēdi materia:donec ille eadē benignitate lachrymas noſtras penitùs abſtergat,qua peccatum remiſit.Marul,lib.4 cap.11.

Ezechias, cuius pœnitentia & innumeram hoſtium multitudinem ſtrauit,& longiora vitæ ſpacia illi impetrauit, docet quo mœrore delicta meditanda confitendáque ſint,dum ad ipſum,cui cōfitebatur, ait:Recogitabo tibi omnes annos meos,in amaritudine animæ meæ. Et quid huiuſcemodi confeſſionem ſequatur,oſtendit ſubiungens:Tu autem erutſti animam meam,vt non periret, proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea.Ibid.

Ad Danielem prophetam, dum populi & patrum peccata confitetur,Gabriel angelus aduolaſſe dicitur, & eidem liberationem eorum de Babylonica ſeruitute mox futuram nunciaſſe.Ex quo apparet,humiliter confitenti præſtò eſſe angelorum miniſteria,& eundem his internunciis Deo reconciliari , & de peccati iugo ad innocentiæ libertatem reuocari. Ibidem.

Confitebatur Iob,dicens,Peccaui:quid faciam tibi, ô cuſtos hominū? quarepoſuiſti me contrarium tibi?& factus ſum mihimet ipſi grauis? Cur non tollis peccatum meum?& quare non aufers iniquitatem meam?Ecce nunc in puluere dormiam,& ſi mane me quæſieris non ſubſiſtam.Inſtat & vrget,vt citius veniam conſequatur, incertus an vſque mane vita ſibi ſuppetat: certus autem poſt mortem non eſſe veniæ locum, ſed iudicio, vt quiſq; recipiat prout geſſit in corpore,ſiue bonum, ſiue malum. Et ſi Iob,qui Dei ſententia iuſtus habebatur,non negat ſe peccatorē,quis exiſtimabit ſe expertem eſſe peccati?Aut ſi ille qui nihil graue commiſerat, ſic efflagitat dimitti ſibi, vt vſque mane differri periculoſum arbitretur: cui periculum non erit procraſtinare opus,quo veniam ipſam promereri poſſit?Idem ait:Vias meas in conſpectu eius arguam,& ipſe erit ſaluator meus.Vt ex hoc intelligas,peccatorum confeſſionem refugium eſſe ſalutis.Ibid.

Tres ſocij Danielis, qui ſanctè inter Chaldæos vixerant, & pro quibus Deus tantum miraculum faciebat in fornace, nequaquam cōtra Dominum murmurabant,quaſi iniuſtè talia paterētur, ſed dicebat Azarias: peccauimus,iniquè egimus.Dan.3.

Sextvs ſeptem fratrum mori incipiens, ait: Nos enim propter noſmetipſos hæc patimur,peccantes in Deum noſtrum 2.Mach.7

Veniebat ad Ioannem baptiſtam omnis Ivdæa, & omnis regio trās Iordanem,confitentes peccata ſua,&c.Mat.3.

Chriſtus Leproso mundato dixit: Vade, & oſtende te ſacerdoti,& offer munus quod præcepit Moyſes,in teſtimonium illis.Mat.8.

Filivs prodigus ad patrem reuerſus,dixit:Pater,peccaui in cœlum, & coram te,&c.Luc.15.Decem viris leproſis dixit Dominus:Ite,oſtendite vos ſacerdotibus.Luc.17.

Latro in cruce peccata ſua confeſſus eſt,& veniam meruit.Luc.23.

Prædicante Pavlo per Aſiam,multi credentium veniebant confitentes & annunciantes peccata ſua. Act 19.

Languenti monacho,qui iam fari nequibat, Philibertus Rothomagēſis abbas Deum precatus,linguam exſeruit:ob hoc ſolùm, ne ſine confeſſione decederet. Vbi enim cōfeſſus eſt,illico expiauit.Satis eſſet in tali neceſſitate intimus peccatorum dolor,& ipſa cordis contritio.Sed ſanctus abbas,neſcius an ille conuenienter doleret, à confitente dicere voluit,vt pro eius ſalute confidentius oraret.Marul.lib.4.cap.11.

Severvs ſacerdos (vt in beati pontificis Gregorij dialogo relatum eſt) vocatus ad cuiuſdam ægrotantis confeſſionem audiendam,cùm paulò tardius veniſſet, vita defunctum offendit:eáq; re vehementer angi afflictaríque cœpit,ſe illius interfectorem,ſe homicidam clamitās. Et dum in his lamentis cadaueri incumbens acerrimè fleret, reuixit qui iacebat mortuus:dixítq; ſe,dum ab impiis ſpiritibus ad horrenda tenebrarum loca raptim traheretur,ab angelo protinus dimitti,atq; corpori reſtitui iuſſum,quòd diceret,Deum id Seueri lachrymis indulſiſſe. Igitur vbi confeſſus eſt,peracta ſeptem dierum pœnitentia,iterum obiit, corporis vinculis pariter peccatorúmq; abſolutus.Ibid.

Vgoni Boneuallenſi abbati, quendam ex fratribus poſt mortem apparuiſſe ferunt: & mox vt peccatum confeſſus eſt, pœnis quibus afficiebatur,ſe liberatum dixiſſe.Hanc autem confitendi facultatem idcirco ſibi reſeruatam,quoniam abſente abbate deceſſerat, deliberatum habens illi confiteri cùm rediſſet.Etenim fratrum abſolutio ex monaſtico inſtituto ad ſolum abbatē ſpectabat.Expedit igitur etiam cùm abeſt cui cōfitendum ſit,confitendi ſemper habere propoſitū.Pro inconfeſſo erit,qui quamuis copiam confitendi non habeat,non habuerit voluntatē.Ibid.

Ferunt Mulierem quandam peccata ſua in volumine deſcripta, Baſilio Magno porrexiſſe,ſupplicantem vti pro eorū remiſſione Deum deprecaretur.Orauit ille,& omnia deleta apparuēre, præter vnum cæteris grauius.Cuius cauſa dum ad Effren eremitam miſſa mulier nihil profeciſſet, inde rediens,Baſilium iam diem ſuum obiſſe comperit, fleuítq; vbertim. Mox chartam illam ſuper iacentis pectus deponens, cùm tandem ſuſtuliſſet:id quoq; in ea,quod reſiduum erat,abolitum deprehendit.Ibid.

Serapion abbas,iuuenculus adhuc ſub Theana præpoſito, edacitatis morbo tentatus, poſt nonæ refectionem paximacium furto ſublatū veſperi latenter comedere conſueuerat.Sed tandem conſcientiæ ſtimulo agitatus coram abbate proſternitur, peccatum confitetur, & cum pœnitentiæ mœrore veniam expoſcit.Vixdum verba finierat,& flammā de ſinu eius,in quo paximacia recondere ſolitus erat, promicans,intolerabili fœtore cellam,in qua erant,repleuit.Ille nunquam poſtea tali edendi auiditate ſe pulſatum ſenſit.Vincebatur,quamdiu occultum tenuit facinus. Porrò vbi confeſſus eſt, ita victor euaſit , vt ad eandem pugnam redire vltrà neceſſe non fuerit. Illam quippe diaboli flammam penitus extinxit humilitas confitentis.Ibidem.

Rectè quibuſdam in Monaſteriis præceptum , conſtitutúmque eſſe legimus, vt iuniores quicquid mente conceperint , repentè præpoſitis manifeſtum faciant:nihil ipſi diiudicent, nihil ſibimetipſis credant, ſed ſem per ſeniorum regantur arbitrio, ſeniorum ſententiis ſtare aſſueſcāt. Ita fiet, vt in eis neque prauæ cogitationes moram faciant, neque dubiæ errorem inducant , neque vllus vnquam aduerſario ſuperſit fallendi locus.Ibidem.

Libera confessio ethica.

Athenienses ſontes , ſi culpam ingenuè & pœnam quam merebantur confeſſi fuiſſent, impunitate donabant.Alex.lib.3.cap 5.

Agesipolis Pauſaniæ filius,cùm quidam dixiſſet, ipſum, cùm rex eſſet,cum æqualibus ſuis fuiſſe obſidem:non liberos, aut vxores eorum. Et quidem non iniuria, inquit. Par enim eſt, vt & nos noſtra errata feramus.Indicans, ſi quid calamitatis in bello accideret, plerunque ducum inſolentia fieri. Par igitur eſt, vt delicti pœnas etiam dent præ cæteris. Plut.in Lacon.Apoph.

Tarentini iuuenes, cùm multa de Pyrrho rege ſecurius inter cœnam locuti eſſent , & is iam facti rationem repoſceret , poſteaquam res neque negari, neque defendi poſſet, vnus ex his: Imò, reſpondit, niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te. qua loquendi libertate , rem ſeriam cùm in iocum vertiſſet, tota inuidia criminis diſſoluta eſt. Quint.libro 6.capite de Riſu.

REPREHENSIONES ALIORVM IVSTAS LIBENTER SVSCIPERE.

Conſule tit. Eorum qui obtrectationes & ſcommata forti tulerunt animo. Item, Libertas in reprehendendo. Item, Acerbi in reprehendendo.

Avgvstvs, ab equitis Romani libero verbo tactus, æquo animo eius libertatem tulit.Nam cùm cenſor Auguſtus eum reprehendiſſet, tāquam fortunas ac bona ſua decoxiſſet : eo ipſo tempore eques à ſe auctas fortunas eſſe oſtendit. Item cùm ab eodem carperetur , tanquam de matrimoniis legem non ſeruaſſet, ſtatim teſtibus quoque crimen reiecit,oſtenditque non ſolùm vxorem duxiſſe , verùm etiam ex ea trium liberorum patrem ſe factum. Itaque eques aliquātiſper commotus his, addidit:O Cæſar, aliàs cum de probis viris certiorem te fieri voles, eius rei onus probis quoque & non maledicis dato. Aſperū profectò reſponſum : ſed liberum & equite Romano ad imperatorem, eundémque cenſorem, dignum. Fulg.lib.6.cap.2.

Valentinianvs Imp.ſenior cùm ab Ambroſio nuper in Epiſcopum Mediolanenſem aſſumpto reprehenderetur , quòd prætoribus ſuis nimium concederet, reſpondit:Nota mihi tua fuit libertas, quamobrem & electionem tuam adiuui: affer ergo medicinam delictis animarum noſtrarum. Theodoretus lib.4.cap.7.

Ptolemævs rex , Berenices vxoris reprehenſionem placidè ſeſt. vide tit. Ludo ſupra modum dediti.

EXCVSATIONES PECCATORVM SVORVM INIVSTAS *& falſas ab adulatoribus prolatas reiicere.*

ALIORVM ACCVSATIONES ET DELATIONES *iuſtas audire, & iudicare.*

Hic omnium iudicum, quatenus veritatis ſtudio veras accuſationes admittunt, exempla referri poſſunt.

Ex eius collo, qui inter Ægyptios iudices primarium obtineret locū, numinis imago pendebat, gemmis & auro confecta , quod numen ipſi Veritatem nuncupabant. Hoc ſigno oſtendebant , iudicis cordi oríque veritatem ineſſe ſemper debere. Fulg.lib.2.cap.1.& Ælian.lib.14.

Romæ, cùm facinoroſi homines clàm grauiſſima ſcelera patrarent, & in ſalutem quoque Reipub. & principum conſpirarent , lege Papia certa delatoribus præmia fuerunt conſtituta, dimidia videlicet pars bonorum ærariorum. Sed quia ſpe tam ampli præmij propoſita multæ iniuſtæ cædes fiebant , Nero ad quartam partem reuocauit : & hinc Quadruplatores dicti ſunt delatores Alex.libro quarto, capite 12.

ALIORVM VITIA NON DISSIMVLARE. ADVLARI NOLLE.

Philoxenvs Cytherius, Dithyramborum poeta , maluit in latomias detrudi, quàm inepta Dionyſij tyranni poemata laudare. Cùm recitantem audiret tyrannū, ſurgens abiit. Tyranno interrogante, Quónam? In latomias, inquit. Gyraldus Dialogo 9.hiſt.poet.

Antigonus rex admirantibus quamobrem tanti faceret Zenonem, reſpondit:Quoniam quum multa à me acceperit, nunquam tamē emollitus eſt.Eius mortem quum audiſſet, ingemuit dicens:Quale theatrum perdidi ? Erat enim Zenon acerrimi iudicij , & ab aſſentando alieniſſimus. Laertius libro ſeptimo, capite primo.

LIBERTAS IN REPREHENDENDIS ALIORVM VITIIS.

Ampliſsimus eſt Titulus iſte. Qui volet, ex qualitate perſonarum aut diuerſitate vitiorum diſtinguere poterit.

RELIGIOSA, SIVE CHRISTIANA.

Loth Sodomitas liberè increpat.Geneſ.19.

Phinees filius Eleazari, eos qui aram ædificauerant in contemptum Iſraelitarum, liberè redarguit , eorúmque ſatisfactionem libenter ſuſcepit. Ioſue 22.

Ionathas patrem Saulum ſæpe reprehendit , ne Dauidem iniuſtè perſequeretur.1.Reg.9.

Abigail virum ſuum reprehenſura , quòd Dauidis nuncios inhumaniter tractaſſet, non prius id fecit , quàm vir crapulam edormiuiſſet. 1.Reg.25.

Nathan Dauidem homicidam & adulterum corripit.2.Reg.12.

Helias Iſraelitarum idololatriam reprehendit.3.Reg.18.

Reprehenſurus Achab regem Iſrael , vir quidam de filiis prophetarum, propoſuit ei ſimilitudinem, per quam cognouit rex peccatum ſuum 3.Reg.20.

Cum magna libertate dixit Eliſeus ad Ioram regem Iſrael , exercitu circumſtante:Si non erubeſcerem vultum Ioſaphat, non attendiſſem te, nec reſpexiſſem.4.Reg.3.

Sacerdotes reſtiterunt Oziæ regi Iuda, volenti adolere incenſum,& dixerunt:Non eſt tui officij vt adoleas incenſum 2.Para.26.

Cum magno ardore corripuit Eſdras filios trāſmigrationis, qui duxerunt alienigenas contra legem.1.Eſd.9.& 10.

Nehemias audiens clamorem populi , propter grauamina , quæ patiebatur à diuitibus, increpauit optimates & magiſtratus. Eos quoque qui portando onera, diem Sabbati prophanabant.Nehem.5.

Irridebant Tobiam parentes & cognati eius, at ipſe increpabat eos, dicens:Nolite ita loqui, filij ſanctorum ſumus,&c.Tob.2.

Audiens Iudith propoſitum ciuium ſuorum , quòd poſt quinque dies volebant ciuitatem tradere Aſſyriis, reprehendit eos ſermonibus fidelibus & diſcretis.Iudith 8.

Daniel diſcretè arguit regem Balthaſar exemplo patris ſui. Et nota, quàm patienter rex illum audiuit, licet dixiſſet contra eum, & poſtea ipſum magnificè honorauit.Dan.5.

Cum miro feruore dicebat Ioannes baptiſta Phariſæis & Sadducæis: Progenies viperarum , quis demonſtrauit vobis ſugere à ventura ira? Matth.3.Luce.3.

Dicebat idem Herodi adulteranti cum Herodiade vxore fratris ſui: Non licet tibi illam habere.Matth. 14.Marc.6.

Stephanvs in conſilio Iudæorum exiſtens , confidenter increpabat eos, dicens inter cætera:Duri ceruice , & incircumciſi corde & auribus , vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis , ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem prophetarum non perſecuti ſunt patres veſtri? Act.6.& 7.

Simonem magum pro dono Dei pecuniam offerentem, Petrus terribiliter increpauit, dicens:Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Act.8.

Pavlvs intuens Elymam magū , qui nitebatur auertere proconſulem à fide, dixit illi:O plene omni dolo,& omni fallacia, fili diaboli,& inimice omnis iuſticiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas? Act.13.

Pavlvs vas electionis, in reprehendendis vitiis, ſi quis alius, acerrimus eſt. Id quod ex epiſtola ad Romanos, Corinthios, Galatas & Theſſalonicenſes apertè colligi poteſt.

Polycarpvs D.Ioannis apoſtoli diſcipulus , Marcioni hæretico fortè occurrens, cùm ab eo , an ſe agnoſceret, interrogaretur , reſpondiſſe dicitur: Agnoſco diaboli primogenitum. Itaque docet, haud molliter cum huiuſmodi hominibus loquendum eſſe , ſi quando loqui neceſſe fuerit. Cur enim diſſimulemus, eoſdē nos habere inimicos, quos Dei eſſe nouerimus tanto maiore odio dignos, quanto doloſius catholicæ inſidiantur veritati? Marul.lib.3.cap.7.

Athanasivs ille Magnus Alexandriæ epiſcopus , cùm ab Euſebianis Atij patronis apud Imp. Conſtantinum Magnum accuſaretur fictis calumniis,& Imp. quāuis bonus , aduerſariis nimium credere videretur, liberè ad eum Athanaſius:Iudicabit Dominus inter me & te , quoniam etiam tu cōſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ. Ob eam vocem Imp. Athanaſium Treuerim in exilium deportari iuſſit , anno Chriſti 339. vbi biennium & 4.menſes manſit:reuocatus tandem à Conſtantino iuniore, voluntate tamen patris morientis. Socrates lib. 1. cap.35.& Theodoretus lib.2.cap.2.

Mares Chalcedonenſi epiſcopo propter ætatem decrepitam luminibus capto, cùm eſſet Conſtantinopoli nunciatum, Iulianum imperatorem in templo Fortunæ ſacra facere, clara voce Iulianum apoſtatam compellauit. Cui cùm indignatus Iulianus reſpondiſſet : Galilæum (ita enim Chriſtum appellare ſolebat) ei viſum non reſtituturum : exclamauit ita vt ab omnibus audiretur, Deo ſe pro cæcitate gratias agere, quòd ita ſibi facultas Iulianum impium imperatorem videndi erepta eſſet. Quo verbo attonitus Iulianus, loquendi cum Marete finem fecit. Fulg.lib.6. cap. 2. & Egnat.lib.6.cap.2.qui Inarium appellat.

Maximvs primò compulſa ad rebellionem Britannia , in qua imperatorium nomen vſurpauerat , in Galliam aduerſos Gratianum traiecit. Quo per fraudem occiſo , Galliam maiorémque Germaniæ partem, nonnulláque alia ſubegit. Deinde pulſo ab Italia Valentiniano , vt de ſe bonam opinionem relinqueret, Martinvm Turonenſem epiſcopū ad cœnam inuitauit. Sed ſanctus libérque epiſcopus ire recuſauit : aſſirmans , Se cum eo in epulis communem menſam nunquam habiturum, qui duorum dominorum, quos habebat, alterum occidiſſet, alterum imperio expuliſſet. Itaque antè vt iret adduci non potuit , quàm Maximus ſcelus, culpa in milites reiecta excuſauit:quorum ſeditione vt imperaret coactum ſe dicebat, in quo ſe pro viribus enixurum vt placarentur , promittebat. Fulg.ibidem.

Maiore etiam libertate cum Maximo vſus eſt Ambrosivs Mediolanenſis epiſcopus, cùm à Valētiniano imperatore legatus ad eum Treuerim miſſus fuit, ad fratris Gratiani ab eo occiſi repetendum corpus. Nam publicè in cōſilium deductus, cùm Maximus aſſurrexiſſet, vt oſculo Ambroſium exciperet, ipſe veſtigio ſe, ne cùm vocaretur quidem mouit:quin potius cùm liberè grauitérque eum propter proditionem cædémque in Gratianum increpauiſſet, illic palàm omnia in Maximum reiecit, quæ ad purgandum crimen ipſe in medium adducebat. Ibidem.

Ambrosivs Theodoſium, principem alioqui clarum & illuſtrem, quum Mediolani ageret, à ſacri templi foribus repellere nequaquam dubitauit:quoniam ille apud Theſſalonicam multos Chriſtianos non auditos vno edicto interfici iuſſiſſet. Cùm enim in theatro orta ſeditione, magiſtratus quidam ſaxis obruti fuiſſent , & inter hos Bothericus dux quidam , immiſſis militibus ſeptem ciuium millia trucidari curauit. Procul hinc abeas (inquiebat Ambroſius) princeps mihi chariſſime, & tecum domi diutius cogita, quid ad hoc tam graue delictum remedij adhibeas. Tulit verò Theodoſius hanc à templo repulſam tanta animi æquitate, vt ſtatim inde abiens domum redierit: vt neſcias vtrum magis laudes, vel potius admirēre, Ambroſiúmne ipſum tam libero animo fuiſſe, an Theodoſij patientiā, qui ne minimo quidem dicto antiſtitem ipſum laceſſierit. Egnat.libro 6.capite 2.ex Theodoreti libro ſexto, cap.18.& Sozomeni lib.7.cap.24.

D.Io.Chryſoſtomus in reprehendendis aulæ & Imperatricis Eudociæ vitiis ſeuerus, duplex patitur exilium. Vide in eius vita ſub tit. Doctorum Eccleſiaſticorum.

Antonivs monachus clariſſimus , cùm propter pugnas aduerſus hæreticos aliquando ex ſolitudine Alexandriam veniſſet, & Didymus cęcus eruditiſſimus cum eo multa in Scripturis contuliſſet:ingenium primùm eius & acumen admiratus Antonius, cùm ſubtriſtem eum eſſe animaduertiſſet, cauſam rogauit. Ille pudore detentus, vix tandem faſſus eſt, oculorúmque cladem ſe lugere reſpondit. Tūc Antonius: Miror, inquit, prudenti viro eius rei damnum dolorem afferre poſſe, quam cum formicis, muſcis & culicibus communem habet:ac non lætari potius illius boni poſſeſſione, quo ſancti ſoli & Apoſtoli ornati fuerunt. D.Hieronymus in epiſtola ad Caſtrutium.

Isacivs monachus Conſtantinopolitanus, cum Valentem imperatorem vnà cum exercitu contra Gotthos , qui Chriſtianam religionem acceperant, exeuntem vidiſſet, manu frenum equi , quo ille vehebatur, arripiens, voce magna dixiſſe fertur: Quónam, ô imperator , proficiſceris , qui aduerſus Deum bellum geris , neque illius opem tecum trahis? Nam ille quodammodo contra te hoſtem excitauit , quoniam tu aduerſus illum impiorum hominum peregrinas & blaſphemas linguas exacuiſti,& catholicos ex ſacris ædibus eiecisti . Plura leges apud Nicephorum lib.11.cap.50.Eccleſiaſt.hiſt.

Traianvs Valentis crudeliſſimi in Chriſtianos omnes imperatoris, dux contra Gothos miſſus , cum poſt malè in eo bello res geſtas rediret domum, atque obiurgaretur ab Imperatore , qui grauiter hominis ignauiam accuſabat, reſpondit:Non ego, ô imperator, victus ſum, ſed tu potius, qui contra Deum inuictum bellum ſuſcipis, atque tua impietate à te ipſo omnē victoriā reiicis. Niceph. Calliſt.li.11.Eccleſiaſt.hiſt.cap.49.

Spyridon ex paſtore epiſcopus Trimethuntis Cypri, ſub Cōſtantino Magno miraculis clarus, Eryphilū Ledranum epiſcopum (qui cùm in conuentu quodam epiſcoporum Tyri concionaretur, & in Euangelij

expositione, Tolle grabatum tuum, loco grabati aliam concinniorem vocem, vt sibi videbatur, insolentius commutasset) duriter reprehendit, publicè cum eo expostulans, vtrum melior esset eo qui prius grabatum dixisset? Simeon Metaphrastes Tom 5.

Cùm iam septuaginta annos in Gallia Romani pontifices egissent, contigit vt per id tempus GREGORIVS vndecimus ad pontificatum assumeretur. Is cùm absente ab vrbe Roma pōtifice, videret magnis incommodis catholicam ecclesiam affici, & ob id ad repetēdam vrbem Romā animum inclinaret: fortè euenit, vt se Pontifici EPISCOPVS quidam offerret. quem cum Gregorius hortaretur, ad petendam Ecclesiam suam, illicque commorari, vt in ea Dominicum gregem ei creditum gubernaret: episcopus dicendo satis liber, ad ea: Et tu, sancte pater, respondit, à quo mihi alijsque bene agendi exemplum proponi debet, cur ab episcopatu tuo abes, qui propter absentiam tuam permulta incommoda perfert? Quo responso Pontifex, ad eam diem in petenda Italia anceps, quò eum patriæ amor Galliarúmque respectus mouebat, Romam petere decreuit: vbi postea haud multo pòst cùm decessisset, causa fuit, vt in posterū Romæ Pontifices remanerent. Fulg. lib 6. cap. 2. & Egnat. li. 6. c 2.

Agapetus pontifex maximus, à Theodato, qui in Italia Gothorum rex erat, Constantinopolim placandi Iustiniani gratia missus, loquendo deprehendit Iustinianum Eutychiana hæresi laborare. In qua re aliquādiu conatus de sententia Iustinianum dimouere: cùm frustra laborasset, sanctus Pontifex, veritate atque conscientia fretus, continere se non potuit, quin Imperatori mētem suam aperiret, dixit enim: Ad Iustinianum Christianissimum imperatorem venisse me arbitrabar: sed quantum intueri possum, ad Diocletianum me venisse video. Ibidem.

Dissidentibus inter se Othone quarto, & Friderico secundo imperatoribus, cum Innocentius tertius pontifex apertè fauisset Othoni primo, deinde post aliquod tempus ad Fridericum studia conuertisset, videbatur multis pontifex harum discordiarum causas serere. Itaque cùm per quadragesimæ tempus Innocentius è more conciones haberet, mirantibus omnibus eius in dicendo facundiam, IOANNES Capocius ciuis Rom. Othoni deditissimus, cùm Pontificem de concordia magno studio prædicantem audiret, quia ab eo omnes has discordias ceu oblato fomite ali videbat, continere se, quin erumperet non potuit. Surgens igitur, non expectato Pontificis orationis fine, dixit: Verba tua, Pater sancte, Dei sunt: cæterùm facta, quæ verbis longè contraria sunt, diaboli videntur esse. Fulg. ibidem.

[redacted]

Cùm DVNSTANVS Cantuariēsis archiepiscopus, Ethelstanum Britanniæ regem coronaturus esset, & peractis aliis ceremoniis, postea capiti eius diadema imposuisset, clara voce vt audire posset, dixit: Quia hoc regnum fratris tui sanguine mortéque affectasti, præterquam quòd tota Britannia hoc factum grauiter latura est, ne tu quidem ex eo lætum exitum feres. Nouo immanique regi crimen suum palàm improperare veritus non est Ibidem.

GERARDVS episcopus Zaladiensis in Pannonia requisitus, vt Petrū Hungariæ regem diademate insigniret, qui Stephano regi successit, munus hoc renuit. Improperauit enim regi crimen ingens quod perpetrarat, cum quadraginta senatorij ordinis viros insignes consiliarios suos turpi morte affecit, adacto per media eorum corpora palo, quòd eius voluntati obtemperare noluissent. Quem cùm postea ab aliis episcopis coronari inspiceret, pulpitum conscendit: adhibitóque interprete, qui Pannonia lingua pronunciaret, quæ ipse Italica dicebat, denuo regi crimen suum exprobrauit, tempúsque ac viam mortis, quæ breui eum maneret, prædixit. Ibidem.

FVIT Sixtus 4. iam tum adolescens, Sauonæ Liguriæ ortus, ex Minoritana familia vnus, qui ingenio literísque non parum excultus, intérque Bessarionis cardinalis lōgè optimi familiares ascitus, mortuo Paulo Barbo pontifex à cardinalibus suffectus est. Ad eum quum plerique ex suo ordine gratulabundi accederent, ita sanè accidit, vt FRANCISCVS Aragonius illi in primis olim familiaris, accederet. Qui quum palatij magnitudinem, pōpámque, & eius ornatum maximè admiraretur, vt nō dubitarit Sixtus pōtifex argentea illi pocula, aureámque suppellectilem omnem liberius ostentare: quin etiam & illud addere, Petrum & Paulum Christi apostolos nequaquam hæc ipsa ornamenta ostensuros: tunc pari libertate Franciscus ipse Aragonius vsus, Ne tu quidem Pontifex maxime Petri successor, claudicanti dicere poteris, Surge & ambula. Quo sanè dicto admoneri Sixtus potuit, veterem pietatem adeò exoleuisse, vt nihil iam ex ea nisi nomen superesset. Egnat. lib. 6 cap. 2. & Fulgosus lib. 6. cap. 2.

ARATOR quidam senex, in Germania, cùm episcopum ducémque Coloniensem, qui iter armatus faciebat, vidisset, magno risu solutus, interrogatus est: Quæ tanti risus causa esset? Arator autem, cum negaret se rem videre non posse: respondit, Ridere se, quòd Petrus apostolus, clericalis ordinis princeps, in tanta inopia mortuus esset, & posteros in eo ordine tantopere locupletasset. Respondente autem episcopo, se simul & ducem esse & episcopum: & eo tempore, vt ducem armatum esse, & cum armatis iter facere: & cùm in templo esse contingeret, illic vt episcopum agere: maiori etiam cachinno solui arator cœpit. Denuo igitur causam rogatus, dixit: Vellem equidem declarari mibi, cum mortuū hunc ducem, cuius personam geris, in inferno esse continget, quò putes episcopum iturum? Fulg. lib. 6 cap. 2.

Cùm Henricus ad cardinalatum à Cisterciensium ordine euectus, à Clemente pontifice legatus in Germaniam mitteretur, vt aduersus Christi hostes crucem prædicaret, in comitatu aliquot habebat monachos. Itaq; cùm iter faceret, ab eis petiit, vt aliquis eorum aliquid ad leuandū viæ fastidium loqueretur, vnde audientium animi fructum aliquem accipere possent. MONACHVS autem cùm inter ipsos vnus esset, eo numero qui quòd ad sacros ordines non promouentur, sed in monachorum seruitia ali solent, Conuersi appellantur: non sine difficultate eum impulerunt, vt is esset, qui tunc loquendi onus subiret. Ad cardinalem igitur subridens se conuertit, & dixit: Cùm mortui erimus, id quod haud multo tempore pòst erit, & ad paradisi valuas perducemur, Benedictus ordinis nostri primus parens, obuius nobis erit, vt in paradisum nos inducat. Cùm is te Domine mitratum cōspiciet, quia ignorabit, petet, quisnam sis: & si è numero ipsius monachorum te esse responderis; dicet, monachorum non esse, capitibus cornua gestare. Cæterùm postquam tu multa ad hos ornatus excusandos dixeris, vt certior de te fieri possit, regni cælorū ianitori imperabit, vt tibi in terra extenso, stomachū aperiat: & si herbis leguminéq; te pastū esse inuenerit, monachū esse credat, atq; in paradisum inducat. Quòd si delicatioribus cibis enutritū esse cognoscet, sciat verum non esse monachum. Quid tunc, Domine mi, dicturi erimus, cùm in has difficultates coniectos esse nos videbimus? Ibidem.

S. LAMPERTVS Pipinum principem increpare ausus, quòd pellicē Alpiadem Plectrudi legitimæ vxori superduxisset, à Dodone fratre ipsius Alpiadis Leodij interfectus est. Sigebert. in Chron.

LVDOVICVS à patre Lothario, qui Imperatoris nomen habebat, Augustus creatus, atque imperij consors & socius nominatus, cùm magnis viribus grandique apparatu vrbem Romam peteret, vt ei Pontificis manibus diademate imposito sinctus haberetur, à SERGIO secundo pontifice ad sancti Petri valuas, quæ Argentearum nomen habent, quæ è more tunc Pontificis iussu clausæ erant, deductus est. Cùm autem manu sua eum Pontifex teneret, senio confectus, inermísque ac solus, iuueni Ludouico nulla eius virium habita ratione, omnibus audientibus hæc dixit: Si Ludouice pacato animo venisti, recludantur fores, atque ingredi templum tibi licebit. Quòd si alio venisti animo, caue ne has fores contingas, quia vindex Dei gladius in tuum morúmque caput sæuiet. Cui cùm humanè Ludouicus de animo suo respondisset, reclusis forib. templum intrauit: atq; illic è more fuit coronatus. Fulg. lib. 6. ca. 4. & Egnat lib. 6 cap 4.

HILDEBRANDVS ad pontificatum electus, sub nomine Gregorij VII cum sciret consuetudinem esse per id tempus, ne electus pontificatū iniret, nisi antè ab Imperatore confirmatus esset: ad Henricum tertium, qui Augustus erat, scripsit, vt à Symonia abstineret, denuncians se in pōtificatu confirmatum illud crimen, si pergeret, non esse laturum. Fulg. ibidem: & Egnat. eodem.

ETHICA LIBERTAS IN REPREHENDENDO.

Huc omnia incorrupti liberique iudicij exempla referri possunt, tam priuata quàm publica, præsertim in dijudicandis litibus & controuersiis. De quibus infrà sub loco Iustitiæ correctiuæ, tit. Iusti iudices. & Integritas in litibus dijudicandis. Loquacitatis reprehensiones liberas pete ex tit. Garrulorum.

SOLON Salaminius Crœso regi congressus, cùm ille in sublimi solio regio luxu sederet, & an pulchrius vnquam spectaculum vidisset, rogaret, respondit, Gallos gallinaceos, pauones, psittacos. Naturali enim splēdore illi superbiunt, tu artificiali tantùm. Laert. lib. 1.

CIMON Atheniensis, cum per totam vrbem sparsum esset, à Delphico oraculo responsum esse: Vnum Athenis virum esse, qui aduerso omnib. aliis ciuibus animo esset: & cui præsentium rerum administratio inuisa esset: populum apertè monuit, Ne quærendo laboraret: se enim eum esse, cui nihil eorum placeret, quæ per id tempus in administranda republica gererentur. Verbo aperto & libero eius tēporis administrationem carpsit. Fulg. lib. 6. cap. 2.

Vir SPARTANVS, hospiti suo patriæ muros excelsos latósque ostendenti, dixit: Si mulieribus istos comparastis, rectè: si viris, turpiter. Val. li. 3. cap. 7.

SOTADES Cretensis Maronites, impurissimus alioqui poeta, cùm Ptolemeus Philadelphus Arsinoen sororem in vxorem duxisset, dixisse fertur, εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς. id est: Ne in sanctam rimam trudas aculeum, néue incestum committe. A rege ergo in vincula coniectus contabuit. Plut. περὶ παίδων ἀγωγῆς.

ARISTOPHANES comicus summa in reprehendendis vitiis libertate. Vide tit. Comicorum.

BERENICE supinam Ptolemæi oscitantiam in causis noxiorum cognoscendis liberè redarguit. Vide tit. Eorum qui ludo præter modum dediti fuerunt.

THEOCRITVS quendam ineptum poetam recitantem carmina auscultans, interrogatus ab eo quænam ei placerent? respondit: Quę omisi.

sti. Antonius in Melis. par. 1. serm. 50.

Diu in Sicilia commoratus PLATO apud Dionysium, cùm tandem dimitteretur ab eo, ad cœnam vocatus est: atque inter alia quæ cœnantes fabulantur, cùm Dionysius diceret: Nónne, ô Plato, cùm Athenis eris, cū aliis philosophis de nobis loquêris? Ei Plato subridens respondit: Nunquam philosophos qui Athenis viuunt, ita vacare, aut de tam vili materia inter eos tractari posse, vt loqui de Dionysio valeant. Acutè & modestè vitam eius, vt digna erat, momordit. Fulg. lib. 6. cap. 2.

Non minore libertate argutiáque ANTAGORAS poeta, Antigono regi respondit. nam cùm solus castra Antigonus perambularet, & ad Antagorę tabernaculum venisset, conspicatus eum congrum coquere, dixit: Putásne Antagora, Homerum, cum Iliadem scriberet, congros decoxisse? cui facetus atque extemporaneus poeta: Nunquid & tu rex Antigone, arbitraris, Agamemnonem, cùm ea gereret, quę ab Homero scripta sunt castra Græca perambulasse, quærentem, si quis congros aut aliam rē decoxisset? Celeri acutóque responso Antigoni nimiam curam loquacitatēque satis aptè repressit. Ibidem.

EVRIPIDES Athenis, postulante populo, vt ex tragœdia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam, dixit: Se vt eum doceret, non vt ab eo disceret, fabulas componere solere. Laudanda profectò fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat: tantum sibi arrogās, quantum à contemptu & insolentia distare satis est. Valer. Max. libro 3. cap. 7.

IDEM cùm apud Alcestidem tragicum poetam quereretur, quòd eo triduo non vltra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: Sed hoc (inquit) interest, quòd tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient. Alterius enim fœcundi cursus scripta, intra primas memoriæ metas corruerunt: alterius cunctante stylo elucubratum opus, per omne ęui tempus plenis gloriæ velis feretur. Ibidem.

ANTIGONVS rex conspiciens filium suum eos, in quos habebat imperium, ferocius tractantem, atque insolentius: An ignoras fili, inquit, regnum nostrum esse splendidam seruitutem? Nihil dici potuit cordatius: nam princeps non minus seruire cogitur populo, quàm populus principi: nisi quòd princeps id facit cum dignitate, alioqui reuera mutua est seruitus. Eras. lib. 4. Apoph.

THALES ingeniosè Solonis de liberis procreandis, vxoréque ducenda sententiam reprehendit. Vide tit. Amor parentum erga liberos.

SOCRATES, cùm videret Antisthenem attritam partem vestis semper in conspectum protendere: Quin desinis, inquit, arrogantiam tuam nobis prodere. Æl. de Var. hist. lib. 9.

IDEM Alcibiadem intuitus ob diuitias inflatum, & superbientem opib. prædiísque, in quendam locum duxit, in quo suspensa erat Cosmographica tabula, terræ circuitum complexa: iussit igitur Alcibiadem, Atticam in ea inquirere. Quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. Quę cùm Alcibiades nusquam esse picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis quæ circa nullam terræ partem existunt? Eras. in Apoph.

DIOGENES Cynicus petebat à prodigo minam. A quo cùm rogaretur: Cur ab aliis obolum, à se peteret minam? Quia, inquit, ab aliis omnibus denuò me accepturū spero, abs te verò an rursus accepturus sim, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Laert. lib. 6.

EIVSDEM & DEMOSTHENIS libertatem in reprehendendis Atheniensibus, quòd fabulis potius quàm rebus seriis delectarentur, vide infrà sub tit. Nugarum amatores.

IDEM cùm venisset Olympiam, & Rhodiacos quosdam adolescentes videret preciosis magnificísque vestib. amictos, cum risu inquit: Hoc nihil est præter fastum. Deinde cùm incideret in Lacedæmonios, laceris squalentibúsq; tunicis amictos: Hæc (inquit) longè alia est superbia. Ælian. de Varia historia lib. 9.

IDEM, captiuus in castra ad Philippum Macedoniæ regem deductus, cùm interrogaretur à rege, Quísnam esset? respondit, Se exploratorem esse ad ipsum profectum, vt insatiabilem eius rapacitatem videret. Ea libertate dicendi victus Philippus, statim eum dimitti iussit. Fulgos. libr. 6. capite secundo.

IDEM aliquando in Antisthenem incidens, reprehendit ipsum, vt in dicendo remissiorem se multò & qui vix etiam altùm clamans exaudiretur. Seipsum verò tubam conuiciorum appellabat. Cui verbis se vlciscens Antisthenes, pro tuba se similem esse respondit vespis, quæ sonum quidem alis haud magnum edant, centrum tamen habeant acerrimum: plurimùm verò libera Diogenis linguæ promptitudine delectabantur. Stob. sermone 11.

IDEM quodam tempore lucernam accensam gestans, obambulabat in foro clarissima luce, quærenti similis. Rogantibus, quid ageret? Hominē, inquit, quęro: notans publicos ciuitatis mores, vix homine dignos. Laert. lib. 6.

IDEM, cuidam sibi placenti, quòd leonis exuuio tectus ingrederetur: Non tu desines, inquit, virtutis stragulas pudefacere? Indecorum esse cēsuit, quòd homo mollis, Herculis amictum sibi vendicaret. Idem dici potest iis, qui prodigioso amictu profitentur vitæ sanctimoniam, vita non respondente, Diogenis dictum extat apud Laert. lib. 6. cap 2.

STILPO philosophus, conspecto adolescētulo, cultu gestúque parum virili: Non te pudet, inquit, qui peius tibi velis, quàm ipsa natura voluit? Siquidem illa te virum fecit, tu teipsum refingis in fœminam. Id in plerísque dici potest, quos quum natura crearit homines, ipsi sua sponte degenerant in pecudes. Laert. lib. 6.

PLATO de Ideis disputans, subinde Mensceitates & Cyathitates in ore habebat. DIOGENES eum irridens, Mensas quidem & cyathos video, inquit, mensceitatem & cyathitatem non video. At Plato excipiens: Nec mirum, respondit: oculos enim habes quibus cyathi & mensæ cernuntur: mentem verò qua sola cyathitas & mēseitas cernitur, non habes. Laert. lib. 6.

Stratonicus musicus, quum egrederetur HERACLEAM ciuitatem, portas ac mœnia circumspiciebat. Percōtanti verò cuidam, quid circumspiceret? Pudet, inquit, si videar exire è lupanari: notans corruptos eius ciuitatis mores. Sūt eius nominis ciuitates multę: sed de Heraclea Thraciæ sensit, opinor. Erasm. 6. Apoph.

Bithys parasitus, quum LYSIMACHVS rex vesti ipsius curasset affigendum scorpium ligneum, aut (vt Plutarchus ait) rubetam, pulchrè assimilatum vero, perturbatus resiliit. Ridentibus omnibus, vbi dolum sensit: Et ego, inquit, te vicissim terrebo rex. Quum ille dixisset, Fac: Da mihi, inquit talentū: exprobrans regi sordes & parsimoniā. Eras. l. 6. Apoph.

Aliquando lautissimum conuiuium instruxit PHILIPPVS, ad quod Menecratem medicum qui sese Iouem appellabat, inuitauit, seorsimque mensam ei iussit apparari, & apponi acerram, suffitúmque fieri. Reliqui verò epulabantur: eratque admodum opipara cœna. Menecrates itaque primùm ferebat, gaudebátque honore. Postquam verò paulatim fames obreperet, & homo esse conuinceretur, ísque vanus & stolidus, consurgens discedebat, seséque iniuria affectū querebatur: festiuissimè Philippo inertiam eius redarguente, & in lucem proferente. Ælianus lib. 12. de Varia historia.

OLYMPIAS ab Alexandro F. literas receperat, in quib. se Iouis Ammonis & Olympiadis reginæ filium inscribebat. Rescripsit, ventosam filij castigans insolentiam his verbis: Amabo, inquit, fili mi quiescas, ne deferas me, neque crimineris aduersus Iunonem: malum mihi prorsus illa dabit magnum, cùm me literis tuis pellicem esse illi confitearis. Petrarch.

Quo tempore Philippus Macedonum rex, ortis discordiis cum vxore ac filio dissidebat, ad eum visendi gratia profectus est DEMARATVS Corinthius. Qui cùm interrogatus esset, Quàm bene inter se Græciæ ciuitates conuenirent, facetissimè ei respondit: Magnæ profectò tibi curæ est, Philippe, vt de Græcorum concordia certior fias: siquidem haud iniuria id ad te pertinet, posteaquam cum coniuge tua ac filio tam concorditer, tantóque in amore viuis. Quod facetum, nec minus mordax verbum ita Philippum pupugit, vt postea cum vxore ac filio in gratiam rediret. Fulg. lib. 6. cap. 2.

Mulier quædam alienigeni sanguinis, à Philippo rege temulento iniustè damnata: Prouocarem ad Philippum (inquit) sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac præsentia animi ebrium resipiscere, causáque diligentius inspecta, iustiorem sententiam ferre coegit. Igitur ęquitatē quam impetrare non potuerat, extorsit, ac potius præsidium à libertate quàm ab innocētia mutauit. Val. lib. 6. cap. 2. Hoc ipsum Machætæ tribuit Plut. Vide tit. Condemnationem prudenter effugere.

Lacon quidam quotidie conuiuantem QVENDAM, plagiarium ac tyrannum vocauit, per quem ipse tot annis nunquam vidisset mensam suā. Ioci autem lepos est in faceta fictione, plagiarium appellauit, quòd liberalitate sua homines sibi redderet obnoxios: tyrannum verò, quòd per illum non liceret cuiquam conuiuarum domi suæ viuere. Erasm. Rot. lib. 8. Apoph.

Democritus iam senex ascendens in arcem Athenis perquàm anhelosus: idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensium soleret: nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere.

ARCHIDAMVS Agesilai filius, post conflictum apud Cheronæam habitum, cùm à Philippo rege Macedonum literas accepisset acerbius scriptas, hunc in modum rescripsit: Si metieris vmbram tuam, haudquaquam reperies illam factam maiorem, quàm erat ante victoriam. Grauiter admonens, non esse prudentis ob fortunæ successum intumescere, cùm ipse sit nihilo maior. Æquum autem est, vt homo se suis ac propriis bonis metiatur, potius quàm externis, quæ fortuna, cùm libet, dat, cùm visum est, adimit. Eras. lib. 1. Apoph.

DEMONAX ad Agathoclem Peripateticum arroganter iactantem sese & solum & primum esse dialecticorum: Si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? Idem lib. 8. Apoph.

IDEM, Cynico cuidam arroganter iactanti pallium, peram & baculū: ac subinde vociferanti, se Antisthenis, Cratetis ac Diogenis sectatorem esse: Impudenter, inquit, mentiris, cùm sis Hyperidæ discipulus, allusit ad vocem ὑπερειδεῖν, quod est, per arrogantiam despicere.

Theophrastus Chius (vt scribit Ælianus de Var. histor.) venit legatus Lacedæmonem, vir alioquin iactator & lasciuus, vt qui senectutem dissimulans canos infecerat. ARCHIDAMVS igitur surgens in senatu: Quid, inquit, veri hic dicet, qui etiam capillis mentitur?

AGESIPOLIS Cleombroti filius, cùm quispiam apud ipsum ceu rē magnam prædicaret, quòd Philippus Macedonum rex intra pauculos dies subuertisset Olynthum: Atqui per deos, inquit, talem ciuitatem longè maiore temporis spacio non extructurus est. Significans multo regalius esse, condere vrbes, quàm conditas demoliri. Eras. lib. 1. Apoph.

Pausanias Cleombroti filius, quum Delij de insula cum Atheniensibus haberent controuersiam, atque inter cætera diceret, quòd ex more regionis neque mulieres in insula parerent, neque mortui sepelirentur: Quomodo igitur, inquit, hæc insula erit vobis patria, in qua neque fuit quisquam vestrûm, nec futurus est? Argutè notauit ineptam Deliorum consuetudinem, qui suos in patria neque nasci sinerent viuos, nec humari mortuos: quum vt mulier, ita nec regio mater sit, nisi gignat: alienum autem sit à materna pietate, nolle sepeliri quos genuit. Plutar. in Laconicis.

Cùm à deuicta Samo Pericles reuersus, funere ingenti cæsos in prælio honorasset, laudibúsque eorum virtutem extulisset, & Athenienses mulieres postea flores sertáque é more rogis iniicerent, ELPINICE Cymonis soror, non sine magna indignatione erupit: Sunt profectò ista floribus ac sertis digna Pericle, qui nos tot præclaris viris orbasti: neque hoc bello contra Phœnices aut Medos suscepto, sicut Cymō frater meus egit: sed vrbem atque insulam nobis beneuolentia propinquitatibúsque coniunctam subegisti. Animo magis quàm virili ausa Periclem palàm carpere, qui gratia & arte omnium rerum moderamen Athenis sibi vendicarat. Fulg. lib. 6. cap. 2.

Non minoris facienda fuit MACEDONICÆ vetulæ erga Demetriū regem libertas, & ALTERIVS erga Adrianum Augustum: quę quanquā diuersis fuerunt temporibus, tamen hîc propter similitudinem coniunctim enarrantur. Indignitate enim quòd loquendi petita potestate, hi duo principes, audiendi ocium sibi non esse, respondissent, eis dixerunt: Ergo reges non estote. Quod verbum cùm eos acriter pupugisset, in posterum cum aliis vterque humaniorem faciliorémque se præbuit. Ibid.

FOEMINA senectutis vltimæ Syracusis, omnibus Dionysij tyranni exitium propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera, votis expetentibus, sola quotidie matutino tempore deos, vt incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quòd vbi is cognouit, non debitam sibi admiratus beneuolentiam, accersiuit eam, & quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogauit. Tum illa: Certa est (inquit) ratio propositi mei. Puella enim cùm grauem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupauit: eis quoque finiri dominationem magni æstimabam: tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaque timens, ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoueo. Tā facetam audaciam Dionysius punire erubuit. Val. lib. 6 capite 2.

DERCYLLIDES Lacedæmonius, missus à Spartano populo, ad regē Pyrrhum legatus, cùm eum Pyrrhus grauib. verbis vrgeret, vt Lacedæmonij Cleonymum regem, quem expulerant, in regnum reciperent, nulla illius dignitatis ratione habita respondit: Si Deus es, nobis minimè timendum à te ducimus: nam cùm iustam habeamus causam, Deus qui iustus est, nihil aduersus nos molietur: si non Deus, sed homo es, tantoperè nobis à te formidandum non est. Fulg. lib. 6. cap. 2.

THEODORVS Cyrenæus Lysimacho regi mortem sibi minitanti: Enim uerò (inquit) magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim assecutus es. Cùm que hoc dicto accensus, cruci eum affigi iussisset: Terribilis hæc (ait) sit purpuratis tuis: mea quidē nihil interest humi ne, an sublimè putrescam. Val. lib. 6. cap. 2.

Herodes adhuc priuatus, cùm apud Hyrcanum Iudæorum pontificem ac regem, à multis eius gentis nobilibus præpotentibúsque viris accusaretur, Hyrcanus qui eum diligebat, monuit, vt in iudicium habita salutis ratione veniret. Itaque is purpuratus, & armatorum septus corona, in iudicio constitit. Cùm igitur eo conspectu territi iudices, in ipsum hiscere nihil auderent, SAMÆVS Pharisæus, qui inter eos vir erat & prudens & liber, dixit: Tu Hyrcane rex, vósque iudices, ni fallor, nunquam in iudicium capitis venire aliquem vidistis, nisi squallidum, & atra, neque canisi trita veste amictum. Quamobrem cùm hic Herodem & nitida cute fulgentem, & veste ornatum adesse videatis, armísque tectum: videatur nihil aliud eniti velle, nisi vt vel armis iudicium ad liberationem suam extorqueat: vel si id nequiuerit, vt nos iudices occidat. Itaque si hoc ei vos iudices per ignauiam permittitis, ipse quidem, quòd reo in periculo conducere videtur, egerit: at vos mihi credite, quotquot hîc sedetis iudices, túque rex vnà cum iudicibus, ab Herode occidemini. Audax libérque Samæus, veritus non est coram Herode ea dicere, quæ audiendo alij prę formidine contremiscebant. Secutum est igitur, vt breui Herodes regnū occuparet: & Samæi verba quæ dixerat, vera inuenirentur: solus autem Samæus é iudicum numero incolumis seruatus est, cui Herodes non modò ob virtutem pepercit, sed inter amicos etiam habere eum voluit. Fulg. lib. 6. cap. 2.

Annonæ caritate increbrescente, C. Curiatius trib. plebis productos in concionem, Consules compellebat, vt de frumento emendo, atque ad id negocium explicandum mittendis legatis in curiam referrent. Cuius instituti minimè vtilis, interpellandi gratia SCIPIO Nasica contrariam actionem ordiri cœpit. Obstrepente deinde plebe: Tacete quæso Quirites (inquit) plus enim ego, quàm vos, quid Reipub. expediat intelligo. Qua voce audita, omnes pleno venerationis silentio, maiorem autoritatem eius, quàm suorum alimentorum respectum egerunt. Val. lib. 3. cap. 7.

Nihilo segnior SCIPIONIS Æmyliani aut in curia, aut in concione grauitas. Qui cùm haberet consortem censuræ Mumium, vt nobilem, ita eneruis vitæ: pro rostris dixit, se ex maiestate Reipublicæ omnia gesturum, si sibi ciues vel dedissent collegam, vel non dedissent. Val. Max. lib. 6. cap. 4.

IDEM, cùm Seruius Sulpitius Galba & Aurelius consules in senatu cōtenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter P. C. dissensio esset, omnibus quónam eius sententia inclinaret expectantibus: Neutrum (inquit) mihi placet: alter nihil habet, alteri est nihil satis. Æquè malam licentis imperij magistram iudicans inopiam, atque auariciam. Quo dicto, vt neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit. Ibidem.

T. QVINTIVS Flaminius, cùm aduersus postremum Philippum Macedoniç regem bellum gereret, & in tractanda pace delectus ad colloquium locus esset: posteaquam loco appropinquarūt. Philippus fraudē veritus, obsides à Flaminio petiit: affirmans, Romæ multos esse Flaminios, sed apud Macedones vnum esse Philippum. ad quem Flaminius statim respōdit: Id ipsius Philippi culpa accidere, qui amicos & propinquos omnes interemisset. Romano, id est libero verbo, crudelitatē atque perfidiam Philippo improperauit. Fulg. lib. 6. cap. 2.

LABERIVS eques Rom. mimorum fabularúmque scriptor cùm iam grandis natu à C. Iulio Cęsare penè coactus saltaret, & fabulas quas scripserat, ipse ageret præter ætatem, id vt potuit vlcisci decreuit. Personam igitur Syri serui induit & tanquam à domino vapulasset, fugientis speciem præbens clamauit: Quirites profectò libertatem amisimus. Ficto eo sermone, personáque, Cæsaris tyrannidem haud obscurè taxauit. Quā ob causam postea Laberius Cæsari nunquam gratus fuit. Ibidem.

Liberum Laberij verbum fuit: sed non minus GRÆCI poetæ, cum Augusto factum. Nam cum hic poeta Augusto sæpe versus dare consueuisset, neque vnquam ab eo aliquid tulisset, nisi quod postremo epigrāmate, tāquam in omnium satisfactionem, donatus fuerat. Poeta egregiè laudato Augusto appropinquauit, atq; ex pera sūptos numos quosdā minimos, in Augusti manu posuit, dixitque: Non hos quidē ex fortunæ tuæ amplitudine, ô Auguste, dedi: sed quoniam maior copia non erat, hæc qualiacunque malui quàm nihil dare. Quare omnib. in risum conuersis largissimè ab Augusto pro omnibus remunerationem tulit. Ibidem.

Corn. P. Ruffinus, vir rapax & auarus, cæterùm in bello animo ingens, manúque promptus, cùm bellum immineret, in Consulatu obtinendo C. FABRICII Lucini opera adiutus est, viri omni integritatis laude digni, qui ob prauam vitam Ruffino semper aduersus fuerat: cæterùm eo tempore ob belli suspicionem, quia ignauos desidésque ipsius competitores videbat, sententiam mutauerat. Quam rem Ruffinus miratus, cùm Fabricio impense gratias egisset, subridēs ad eum apertè Fabricius: Noli mirari Ruffine, quia compilari malo quàm vendi. Commodè enim acutéque Ruffini rapacitatem, & competitorum ignauiam taxauit. Ostendit enim latius se ducere, ab auaro Consule, eodémque gnauo homine, & rebus agendis idoneo rapinis vexari: quàm iis ad consulatum euectis, qui per ignauiam rem communem prodituri essent, vinctum ab hoste venundari. Ibidem: & Gell. lib. 4. cap. 8.

Pulsus Ægypti regno Ptolæmeus, & opis petendæ gratia Romam profectus, è re sua fore putauit, si cum iuniore CATONE (qui postea Vticēsis dictus est) de causa sua loqueretur. Itaque quod optabat, Catoni significari iussit: sperans re intellecta, eum ad se venturum. Exonerabat ventrem Cato cùm id accepit, & ita respondit: Si quid à se Ptolemæus vellet, domum ad se veniret. Sed ne tum quidem, cum ad ipsum accessit, obuiā se Cato præbuit: sed penè vt priuatæ fortunæ hominem excepit. Quare Ptolemæus vehementer turbatus, quòd Catoni, sub liberæ popularísque vitæ nomine, tantum inesset superbiæ: posteaquam grauem eius sermonem audire cœpit, odium in admirationem cōuertit. Reprehēdere enim eum cœpit Cato, quòd propter discordiam quæ ei cum popularibus suis esset, Romam opis petendæ gratia ad eos venisset, qui præ auariciæ magnitudine eum expilandi nullum finem facturi essent. Itaque eum hortari, vt cum suis reconciliare amorem vellet: séque eius rei gratia in Ægyptum vsque profecturum offerre, sequestrúmque concordiæ fore. Catonis consilium probabat, atque illud sequi constituerat. Cæterùm postea in contrariam sententiam aliorum suasu deductus, diuersam ab ea quam Cato proposuerat, viam inire cœpit: tardéque eum pœnituit errati, dum quod Cato suadebat, omisit. Quia experiendo, longè melius quàm alios rebus suis Catonem consulere palàm perspexit. Fulg. lib. 6. cap. 4.

IDEM omnis etiam priuatæ quæ suspecta esse posset potentiæ, ceu à natura editus hostis nedum apertorum tyrannorum grauis persecutor fuit. Itaque cùm verba faceret aduersus ciuilem occultámque tyrannidē, quam Crassus Pompeiúsque ac Cæsar sub triumuiratus nomine inuaserant: Trebonij tribuni plebis iussu lictor eum à suggestu, in quem verba facturus ascenderat, detraxit. Cum ob id loqui non desineret, foro ab eodem pulsus fuit. Sed cùm constanter tunc quoque in triumuirorum potentiam inueheretur, Tribunus eum in carcerem duci iussit. Et cùm ne tunc quidem sileret, multitudinis concursu delictorum manu liberatus est. Fulg. lib. 3. cap. 8.

Quid ergo? libertas sine CATONE non magis quàm Cato sine libertate. Cum in senatorem nocentem & infamem reum iudex sedisset, tabellæque Cn. Pompeij, laudationem eius continentes, prolatæ essent, procul dubio efficaces futuræ pro noxio: submouit eas è quæstione, legem recitando, qua cautum erat, ne senatoribus tali auxilio vti liceret. Huic facto persona admirationem ademit. Nam quæ in alio audacia videretur, in Catone fiducia cognoscitur. Val. Max. lib. 6. cap. 2.

ÆLIVS Mantia Formianus, Libertini filius, vltimæ senectutis, L. Libonem apud Censores accusabat. In quo certamine cùm Pompeius Magnus humilitatem ei, ætatémque exprobrans ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset: Non mentiris (inquit) Pompei, venio enim ab inferis, L. Libonem accusaturus, sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium ænobarbum deflentem, quòd summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, in ipso iuuentutis flore tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ, bonorúmque patris tui defensorē, in tertio consulatu cathenis, quas tu ei inijci iusseras, vinctum, obtestantem te, aduersus omne fas & nefas, cùm in summo esset imperio, à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu & quiritatu tuo prætoriū virum Perpennam, sæuitiam tuam execrantem: omnésque eos vna voce indignantes, quòd indemnati sub te adolescentulo carnifice occidissent. Obducta iam vetustis cicatricibus bellorum ciuilium vastissima vulnera, municipali homini seruitutē paternam redolenti, effrenatę libertatis intolerabilis

spiritus impunè reuocare licuit. Itaque eo tempore & fortissimum erat Cn. Pompeio maledicere, & tutissimum. Ibidem.

DIPHILVS tragœdus, cùm Apollinaribus ludis inter actum ad eum versum venisset, in quo hæc sententia continetur, Miseria nostra Magnus est: directis in Pompeium Magnum manibus, pronunciauit: reuocatúsq; aliquoties à populo, sine vlla cunctatione nimiæ illum & intolerabilis potentię reum gestu perseueranter egit. Eadem libertate vsus est in ea quoque parte, Virtutem istam veniet tempus cùm grauiter gemas. Ibidem.

CN. LENTVLVS Marcellinus consul, cùm in concione de Magni Pompeij nimia potentia quereretur, assensúsque illi clara voce vniuersus populus esset: Acclamate (inquit) acclamate Quirites, dum licet: iam enim vobis impunè facere non licebit. Pulsata est tunc eximij ciuis potentia, hinc inuidiosa querela, hinc lamentatione miserabili. Ibidem.

Pompeio candida fascia crus alligatum habenti, FAVONIVS: Non refert (inquit) qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione, regias eius vires exprobrans. At is neutra in parte mutato vultu, vtrumq; cauit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut tristi iram profiteri videretur: eáque patientia inferioris etiam generis & fortunæ hominibus aditum aduersus se dedit. Ibidem.

CN. PISO cùm Manilium Crispum reum ageret, cúmque euidenter nocentem gratia Pompeij videret eripi, iuuenili impetu ac studio ad accusationem profectus, multa & grauia crimina præpotenti defensori obiecit, interrogatus ab eo, Cur se quoque non accusaret? Da (inquit) vades Reipub. te, si postulatus fueris, ciuile bellum nō excitaturum: iam de tuo prius, quàm de Manilij capite, in consilium iudicis mittam. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos, accusatione Manilium, libertate Pompeium: & eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solùm poterat. Ibidem.

M. ANTONII libertatem in Megarensium curia, sumptuoso quidem, verùm inutili ædificio, carpenda: CICERONIS item, in Chiorum mœniis, quæ ex Porphyretico marmore constructa erant, vide suprà sub tit. Prodigalitatis, De sumptuosis ædificiis.

C. MÆCOENAS Augustum Cæsarem pro tribunali sedentem, cùm libēter admonuisset, ne iniustos condemnaret, nec præ multitudine populi ad ipsum Augustum proximè accedere posset, ad eum schedulam in hæc verba scripsit: Tandem aliquando surge carnifex: & deinde quasi aliud scriptum esset, epistolam in sinum conjecit. Ita Cæsar nemine capitis damnato, statim surrexit: tantúmque abfuit vt ex ea re molestiam cæperit, vt summopere approbarit. Nam quoties supra modum irascebatur, coactus vel natura sua, vel rebus necessariis, libertate & licentia amicorum corrigebatur. Dion Nicæus in Augusto.

M. ANTONIVS triumuir, solebat, Alexandrinis illecebris captus, cū regina Cleopatra sæpius piscari: habebátque vrinatores paratos, qui occultè pisces vicissim ipsius piscantis hamo affigerent. Admonuit frequens captura reginam vanæ ostentationis. Quam vt maiore quodam risu eluderet, præmisit qui fumosum piscem piscanti appenderet. Qui attractus, ingentem ridendi materiam præbuit Cleopatræ, & legatis qui aderant. Erubuit Antonius, suis elusus artibus. Ad quem Cleopatra: Alexandrinorum est (inquit) Antoni Imperator fortissime, piscari: tuum, bellando vincere. Sab. lib. 10. cap. 4.

EQVES Rom. cum aucupij peritia magnus haberetur, magnóq; labore vix noctuam cæpisset, quæ rure Augusti somnum molesto carmine rumpebat, ab Augusto laudatus, cùm non vltra mille denariorum summam dono tulisset, muneris exiguitate indignatus, dixit: Malo noctua viuat, atque in hæc verba eam dimisit, nulla eius quem offendebat, habita ratione. Fulg. lib. 6. cap. 2.

Cornelius Gallus Ægypti præfectus, ob animi elationē omnib. dignitatibus & bonis priuatus, cùm iam mortē sibiipsi cōsciuisset, multi in partes Largi, qui ipsum apud Augustū accusauerat, trāsierunt, eo quòd ipsum iam augeri videbant. In quibus tamen non fuerunt optimates. Nā PROCVLVS, cùm primùm factus esset ei obuiam, cœpit nares suas & os manu occludere: atque ita significare iis qui aderant præsentes, tutum non esse, coram eo respirare. Præterea alius quispiam ad eum accessit cum testibus, tametsi erat cognitus, cúmque interrogauit, an se cognosceret? & cùm ille negasset, iussit id responsum in libello scribi. Quasi non liceret homini quantumuis improbo, calumniari eum, quem antea nunquā vidisset. Dion Nicæus in Augusto.

VETERANVS quidam, quum vocatus in ius periclitaretur, adiit in publicò Augustum Cæsarem, rogans vt sibi vellet adesse. Cæsar è comitatu suo selectum ilicò dedit, eíque litigatorem commēdauit. Hic miles vociferans: At non ego, Cæsar, periclitāte te Actiaco bello vicarium quęsiui: sed pro te ipso pugnaui: simúlque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in aduocationem: veritus ne non modò superbus, verùm etiam ingratus videretur. Roterod. lib 4. Apoph.

Miserum & infelicem appellauit pop. Roman. Augustus princeps iam morti proximus, qui sub TIBERIO priuigno futurus esset. Quæ vox arguit dolēter eum tulisse, quòd talis sibi successor contigisset, aut quòd Romanæ ciuitati perniciosus: aut quia licet priuignus, fui tamen hostis quondam filius. Sab. lib 10. cap. 13.

Irrisit Tiberius princeps Iliensium legatos. Nam cum ad eum consolandum in morte filij aliquanto serius venissent, mandatis expositis, respondit: Et se illorum vicem dolere, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent, tarditatem illorum tacitè reprehendens.

Neronis scelera publicè reprehensa, vide tit. Indignos præmiis & honoribus afficere.

Caeso C. Caligula imperatore, populus Rom. in forum conuenit, arbitratus principem senatus opera interfectum esse.

Itaque cùm id grauiter quereretur, Caligulæ largitionibus assuetus, interfectorum nomina, vt in eos animaduerteret, requirebat. Id cōspicatus VALERIVS Asiaticus, senator honore quem gerebat nō indignus, cùm indignaretur vehementer, molestè populum eam rem ferre factam esse, quam propter tyrāni crudelitatem populum ipsum facere oportuisset: in eminentem locum conscendens, clara voce populum increpuit, quòd cædis autores quæreret: subiunxítque, magni muneris loco accepturum se fuisse, si ipse huius rei autor esse potuisset. Quam libertatem, ob viri reuerentiam, populus æquo animo tulit, nihil in eum motus: etsi haud multo pòst in omnes sæuiit, qui in Caligulæ vitam conspirauerant. Fulgos. lib. 6. cap. 2.

Post Domitiani pessimi principis mortem, de Cocceio Nerua principe optimo, atque eodem patientissimo, ad populum FRONTO consul locutus est. Nam cùm videret nimium populo ab Imperatore indulgeri, permittíque vt in eius esset manu, vel accusare vel occidere, quem Domitiani ministrum fuisse diceret, clara voce dixit: Malum esse sub principe viuere, qui nihil agi permitteret: sed longè deterius, sub eo, qui fieri nihil prohiberet. Quod Nerua cùm audisset, modum accusationibus imposuit. Ibidem.

Liberè Neronem ISIDORVS Cynicus allocutus est, cùm ei magna voce palàm dixit: Bene eum Nauplij mala cantare, & malè bona sua curare. Ibidem.

Libera RVBRII Flauij tribuni militaris oratio fuit, quo tempore conuictus conscium se Pisonianę conspirationis esse, rogante Nerone, Quamobrem eius vitæ insidias tetendisset? respondit: Nullus vnquam erga te fide maior me fuit, dum vt amari poteras, dignum te præstitisti: sed posteaquam matris parricida fuisti, vxorémque tuam occidisti, item auriga factus es, & mimicam artem exercuisti, vrbémque ac patriam communem incendisti, mortalium omnium etiam odio dignum te fecisti.

SVLPITIVS Asper, eadem dignitate qua Flauius, & item pari culpa insimulatus, cum similiter, Quare motus cōspirasset? rogaretur: non minus liberé, cæterùm paucioribus verbis respondit: dixit enim, Se in Neronem conspirasse, quia aliam rationem finiendorum eius immensorum scelerum non inueniebat. His verbis Nero magis consternatus est, quàm omnibus aliis quæ in ea coniuratione continebantur. Neque enim vera, vt maior principum pars, audire cōsueuerat. O miram in dicendo libertatem, ô verè Romanos animos, coram eo, atque in eum, qui terrarum orbis imperium obtineret, & crudelitate immanes alios omnes anteiret, nō moueri animo, neque minore in eum vti libertate, cùm in eius manu vincti essent: quàm si ipsi imperantes, vinctum eum, coram quo dicebant, habuissent. Ibidem.

Metium Domitianus imperator reprehendebat, nimium sibiipsi placentem, cùm diceret: Vellem tam formosus esse quàm Metius sibi videtur. Suetonius in Domitiano.

Liberum & mordax verbum fuit MIMI cuiusdā, in triumphali pompa, quam Galienus ignauissimus imperator ducebat. Nam cùm nonnulli in Persico vestitu comparuissent, & mimus quidam eo studiosius cōtemplari videretur, fuerunt qui peterent, Quid sibi tanta illa cura quæreret? quibus respōdit mimus, Inter hos Persas Galieni se patrem quęrere. Hoc verbo Galieni ignauiam carpsit, qui patrem iam diù apud Persas captiuum, armis ab hoste recipere non curaret, & nunc puerorum more de simulatis Persis triumpharet. Fulg. lib. 5. cap. 2.

Cùm pace inita cum Persarum rege, Iouinianus imperator quædam loca à Romanis possessa, & inter alia Ctesiphontem vrbem Persis concessisset, præsénsque vrbem eam traderet: contrà totis viribus, quantum valebant, nitebantur ciues. Sed cùm impedire rem non possent, ceu muneris loco quærebant, vt eis permitteretur, sese, si possent, defendere. Quod cùm à Iouiniano negaretur, & penè in desperationem ciues coniecti essent, inter eos SABINVS liberè dixit: Constantius interdum à Persis victus, ita afflicta fuit fortuna, vt eum viderim panem ab anu inopi petentem, & tamen nihil vnquam de imperij finibus Persis reliquit: tu autem principatus tui initio, Ctesiphontem vrbem, locáque propinqua, quæ Romani imperij clypeus, & ceu repagulum aduersus hostes dici possunt & debent, hostibus tradis? inter hæc verba ciues, cùm è more coronam auream imperatori munus darent, quàm difficulter Iouinianus adduci potuit, vt acciperet, SYLVANVS non minus Sabino liber, premente animi impetu, Ita te cæteri coronare possint, dixit. Eo verbo Iouiniani ignauiam & animum ostendens. Ibidem.

HYRIVS militaris dux, in Gallia Carolo septimo regnante ab exercitu ad regem missus (cuius auspiciis Genuæ in Aquitania aduersus Britannos bellum non sine Gallorum detrimento gerebatur) cùm ei rex, à quo necessaria ad alēdum exercitum expectabat, voluptatum apparatus, item ludos puellásque & conuiuia ostentaret, ac peteret ab eo, quid de eis sentiret? respondit Hyrius: Nunquam se alium regem, qui sua lętius quàm ipse perderet, vidisse. Cuius verbi aculeo, ab ocio voluptatibúsque experrectus, rex confestim cōfici ea, quorum causa Hyrius venerat, iussit. Ibidem: & Egnat. lib. 6. cap. 2.

LEONARDVS Venerius à Venetis ad Mediolanenses missus erat, vt eorum libertatem contra Franciscum Sfortiam tueretur, quum mortuo duce Philippo Medialanenses sese in libertatem asseruissent. At Ioannes & Caspar Stampæ, qui Francisci partibus fauebant, coniuratione inita, cū magna manu per posticum palatij ingressi, Venerium cum libertatis authoribus aggrediuntur. Hic Venerius tumultu audito, Caspari occurrit, & eius audaciam seuerè corripuit. At ille telo Venerium interficit: & mox ad reliquos conuersus, vnà cum illis libertatem Mediolanensium sustulit. Egnat. lib. 6. cap. 2.

Quum nunciatum esset ANDREÆ Gritto abscenti, Constantinum Cauaciam, vnum ex quatuor scribis, à decemuirali consilio delectum, qui locus honestissimus in primis sit, summæque inter plebeios dignitatis: Vtinam, inquit, patres ipsi maturius Reip. consuluissent: nam laqueum video Cõstãtini collo, hoc ipso decreto appensum esse. Quod & sanè illi cõtigisset, nisi exilio suo pessimè de Rep. meritus, fugã arripuisset. Quid hoc principis responso grauius esse potuit? Namque operam eius quando que expertus, publico munere, facilè ingenij prauitatem, & pessimos eius mores deprehenderat. Egnat. lib. 6. cap. 4.

ALPHONSVS Aragonum rex, aiebat olim inter Iouem, Neptunum & Plutonem omnium rerum partitionem trifariam esse factam, & horũ vnumquemque sua sorte contentum esse, nec occupare aliena: at inter homines neminem sua portione contentum esse, nec vllam partitionem esse stabilem, sed omnem πλεονεκτεῖν. Roterod. lib. 8. Apoph.

ACCVSATIONIBVS ET CALVMNIIS FALSIS NON credere. *Delatoribus falsis fidem non adhibere, odio habere.*

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, quoties audiebat aliquos ab aliis laudari aut vituperari, existimabat non minus discendos esse eorum mores qui loquebantur, quàm eorum de quibus loquebantur. Quo dicto sensit vir prudentissimus, eos qui alienę laudi obtrectant, magis prodere morbum suum, quàm detegere morbos alienos. Plut. in Apoph. Lacon.

ALEXANDER Macedoniæ rex, quum familiaris quidam aduersariũ suum traduceret, altera manu aurem obstruxisse fertur, vt illam puram absenti relinqueret. Antonius in Melissa par. 1. sermon. 53.

IDEM inclyta iam pugna, excellentissimis opibus Darij contusis, æstu & itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore cõspicuus, Tharsum interfluit, corpus suum immersit. Subitò deinde, ex nimio haustu, rigore obstupefactis neruis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanimatione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur. Iacebat æger Tharsi, inque valetudine eius aduersa, instantis victoriæ spes fluctuabat. Itaque conuocati medici, attentissimo consilio salutis remedia circumspiciebant. Qui cùm ad vnam potionem sententiam direxissent, atque eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus & comes) porrexisset: à Parmenione missæ literæ superuenerunt, admonentes, vt rex insidias Philippi perinde ac pecunia corrupti à Dario caueret. Quas cùm legisset, sine vlla cunctatione medicamentum hausit, ac tum legendas Philippo tradidit. Pro quo tam constanti erga amicum iudicio, dignissimam à diis immortalibus mercedem recepit, qui incolumitatis eius præsidium falso interpellari iudicio voluerunt. Val. lib. 3. cap. 8.

Syracusanus DION quibusdam monentibus, vt aduersus Heraclidem & Calippum quorum fidei plurimum credebat, tanquam insidias ei nectẽtes, cautior esset: respondit, vitam malle excedere, quàm in metu violentiæ mortis amicos inimicósque iuxtà ponere. Ibidem.

DIONYSIVS rex, cùm audiuisset duos adolescentes multa contumeliosè de ipso & tyrannide eius inter compotandum dixisse, vtrunque vocauit ad cœnam. Cùm videret autem alterum ex temulentia petulãtem, & multa nugantem, alterum verò modestè & cautè bibentem: illum vt natura ebriosum & stolidum dimisit: hunc verò interfecit, tanquam ex animi proposito maleuolum & inimicum. Antonius in Melissa, par. 1. Serm. 52.

Apud ROMANOS si manumissus delatorem summisisset, vel domino suo obtrectasset, patrono ius reuocandæ libertatis & vniuersa promerita abrogandi lege donabatur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

APVD eosdem, si qui dominorum suorum detrectatores essent, vltra vigesimum lapidem in terram Campaniæ relegandi domini arbitrium erat. Ibidem.

Apud EOSDEM veteri sanctione fuit constitutum, vt neque mulieri, neque damnato criminis, neque militi, aut veteranis, neque viris clarissimis ob dignitatem criminosum deferendi licitam esset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 22.

CLAVDIVS Cæsar libertum, quòd patrono delatorem submiserat, vt de statu faceret quæstionem, seruituti addixit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

VESPASIANVS & Titus adeò delatores insectati sunt, & odio prosequuti, velut publico exitio destinatos, vt flagellis cæsos per amphitheatri harenam spectandos traducerent: vt pœnis coerciti, à noxiis deferẽdis abstinerent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 22.

NERO Imp. delatorum licentiam volens cõpescere, præmia ad quartas reuocauit (cùm delatores pœnæ dimidiam partem ex lege Papia haberent antea) & ideo Quadruplatores dicti sunt, quòd quartam de proscriptorum bonis, quos detulerant, partem acciperent. Ibidem.

DOMITIANVS inter imperij monstra connumeratus, hac in re solùm sapere visus est, quòd delatores contempserit, & ab vrbe expulerit, hanc vocem diligenter vsurpans: Delatores qui nõ castigat, irritat. Quales igitur ęstimandi sunt ij, quos etiam scelestus Imperator odio habuit? Ac meritò quidem. Contra superbos enim, iracundos, violentos, fures, prædones, sicarios, inuidos sunt nobis inuenta remedia: contra hos verò nullum, cum versuti, vafri, subdoli, fallaces sint, ac prius opprimant quàm tale aliquid suspicari possis euenturum. Platina lib. 1 de Optimo ciue.

M. AVR. ANTONINVS Pius, delatores si non probarent, capitali pœna affecit: si probarent, oblato præmio dimisit infames. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 22.

NERVA Cæsar seruos qui dominorum detrectatores essent, velut ingratos occidi iussit. Alex. lib. 3. cap. 20.

MARCVS Vlpius Traianus, vitæ bonitate, rerúmque gestarum gloria insignis, antequam in Domitiani principis locum ascenderet, Surram inter alios præcipuum amicum habuit. qui falsò delatus ad illum, quasi illum coniurasset, respondit delatoribus: Tantum abest vt hoc credam, vt cras vestro etiam iudicio vos illum absoluatis. Quare adueniente postea luce, duobus tantùm seruis comitatus, cũ Surra ipso cœnaturus domum eius aduenit, móxque à cœna radi se ab eius tonsore voluit: quinetiam eius à medico, qui præsens aderat, oculos diligentius inspici voluit, diutiúsque contrectari sibi illos passus est. Inde domum incolumis rediens, facilè Surræ calumniatorib. satisfecit. Ex eo tempore breui principatum adeptus Domitiano principe sublato, tribunum ipsum Surram declarauit: quem etiam alta voce admonuit, districtũ gladium illi tradẽs, vt si rectè imperasset, ad sese tuendum illo vteretur: sin verò minus rectè se gereret, ipsum ensem in se distringeret. Egnat. lib. 4. cap. 7.

SEVERVS imperator edicto cauit, ne serui delatores dominorum audirentur, sed pœna potius seuerissima multarentur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

OPILIVS Macrinus imperator, delatores minimè admittebat: sed vndique conquisitos, pœnis & damno afficiebat. Alex. lib. 4. cap. 22.

D. AVGVSTINVS episcopus Hipponensis, obtrectationes cauebat, ita vt mensæ etiam hoc distichon insciberet:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Non raro etiam coepiscopos suos aliis obtrectantes grauiter obiurgauit: séque aut deleturum versus illos, aut abiturum minatus est. Possidonius cap. 22.

FRIDERICVS Romanorum imperator, cùm literas Casparis Schlickij ex Nurenberga accepisset, quæ nonnullis Hungaris inscribebantur non defuerunt assentatores, qui eas aperiendas dicerent, quòd in iis aliquid proditionis scriptum esse putarent, quod sciri oporteret. Quibus Fridericus: Casparem ego & probum virum, & mei amantem existimo respondit: Si fallor, malo per sese error pateat, quàm mea diligentia inuestigetur, vero consilio edoctus. Delatoribus autem non temerè credẽdum esse, eo facto docuit: qui à natura ita comparati sunt, vt dum innocentes accusant, sibijpsis applausum & aditum faciant. Æneas Sylvius lib. 4. Commentariorum de Rebus gestis Alphonsi.

LIBERTAS SIVE VERITAS IN BONIS ALIORVM, ET IAM INIMICOrum, non dißimulandis, sed laudandis, commendandis & extollendis. Obtrectationem & detractionem fugere.

Consule tit. Humilitatis, in quo rationem habemus comparandis bonorum inter se, maioráne sint an minora: hoc verò in loco simpliciter bona aliorum perpendimus, etiam inimicorum, absque comparatione habita cum nostris.

ÆSCHINES Atheniensis orator insignis, cùm orationem suam (quã aduersus Ctesiphontem habuerat) Rhodi publicè legisset, & admirantib. Rhodiis, quónam modo tanta facundia conuicta fuisset? Atqui, inquit, nulla vos teneret admiratio, si Demosthenem contra hæc differentem audissetis. Quare non solùm inimici collaudauit eloquentiam, sed etiam sententiam iudicum excusauit. Hæc ex Philostrati sophistis, & Plin. libr. 7. cap. 30. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop. recitat.

M. CATO interrogatus, qualis inter primores iuuenum videretur Scipio Æmylianus? Hunc solum sapere, cæteros verò omnes velut vmbras ferri, respondit. Non dubitauit igitur liberè aliorum notare socordiam, vt futuræ magnitudinis Scipioni daret verissimum testimonium. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 18.

HOSTEM NON CONTEMNERE.

Exempla ex contrario pete ex tit. Hostem contemnere. Item ex loco Stratagematum, Hosti liberam fugam concedere.

Cùm

Cùm Phraati Parthorum regi bellum Pompeius indiceret, hostis potentiam veritus PHRAATES, Pompeium non contempsit, sed literas humanitatis ac beneuolentiæ plenas rescripsit: in quib. sua in populum Romanum beneficia enumerauit. Quibus lectis, Pompeius regis beneuolentia motus, non tantum à bello suscepto destitit, sed ne Tigrani quidem cui Parthi bellum inferebant, auxiliatus est: atque contra Phraatem nihil vnquam hostiliter admisit. Dion Nicæus in Pompeio.

CONSTANTIA RELIGIOSA ET PIA, IN QVOVIS genere virtutum exercendo.

Marulus lib. 5. cap. 8. de Perseuerantia bene agendi tractat: nos ad Constantiam reuocamus. Quæ si virtuti innitatur, laudanda est: sin vitio iungatur, vituperanda. Cum qualibet autem virtute complicari potest: verbi gratia, cum fortitudine tolerandi mortem, Constantia martyrum: aut cum temperantia in Venereis, Constantia eorum qui à libidine vetita sese cohibere potuerunt. Ex suis igitur locis petantur singula: hîc solam Perseuerantiam in proposito & semel cœpta virtute obseruamus. Quæ à fortitudine tolerante, aut à temperantia abstinente hoc solo differt, quòd in illis simpliciter habitus, à quo actiones laudabiles profluunt, consideratur: at hîc id tantùm spectamus, quòd in habitu bono, veritatis causa (hoc est, quia honestum, & per consequens reuera bonum esse nouit) permanet, neque constantiam suam vllo modo labefactari patitur. De hac igitur Constãtia éaque primùm verè religiosa & pia, hîc agamus. Antequam autem ad exempla accedamus, pauca quædam, loco proœmij ex Marulo audiamus. Inquit enim: In omni benè beatéque agendæ vitæ instituto constare nos nobisipsis decet. Nunc hoc, nunc illud velle, leuitatis indicium est. Multi de ordine clericali ad monachalem transmigrant, non profectus desiderio, sed nouitatis. Multi domicilia mutant, sui met tædio, non loci. Multi verò (& id deterrimum inconstantiæ genus est) cum diu sanctè vixerint, ad vitia delabuntur. Nos ista sedulò deuitantes, cum semel boni alicuius exercendi propositum sancto afflante spiritu arripuerimus, semper idem simus, eadémque animi alacritate curramus qua cœpimus. Viam namque Domini incedentibus magis cauendum est ne remittant gradum, quàm curandum vt intendant. Nullaque certior ad finẽ vsque perseuerãdi ratio est, quàm viribus æquare onus, vt quisque non quantum ferre potest sumat, sed perferre. Hæc est ergo columna Iachin, & columna Booz, id est firmitatis & fortitudinis, quæ epistilia liliorum malogranatorúmque sustentant: quia firmi ac fortis est, summa in conseruare virtutum, quam semel amplexus fuerit. Hæc est talaris tunica siue poderis Aaron, à capite ad pedes vsque demissa. Hæc est hostiæ cauda, quam Deo offerri lex iubet. Hoc illud calcaneum est, quo serpentis caput conteritur. Hæc denique crucis longitudo, quæ latitudinem illam fulcit, in qua manus extẽduntur. Latitudo quippe bonorum operum inniti debet longitudini continuationis, vt partem illam quæ supernè eminet, valeat attingere, hoc est ad cœlestis beatitudinis altitudinem peruenire. Optima autem perseuerandi ratio est, non solùm non retrocedere, sed etiam in dies vlterius progredi, & quantum possumus ad sublimiora semper tendere ac niti. Ibunt de virtute in virtutem (inquit Propheta) videbitur Deus deorum in Sion. Vnde & Apostolus: Quæ retrò sunt obliuiscens, & ad quæ priora sunt se extendens, ad destinatum persequitur brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, ait Dominus. Quo autem pabulo vel qualibus epulis hi saturandi sint, in Apocalypsi declarat, dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Quibus verbis quid nisi veræ perfectæque beatitatis indicibilis designatur suauitudo? Et vt apertius loquatur, ait: Esto fidelis vsque ad mortẽ, & dabo tibi coronam vitæ. Corona vitæ, gloria immortalitatis est. Videt autem Deus boni operis in nobis affectum, & exercendi præstat facultatem: exaudit preces, & consummandi affert auxilium. Negociari volentibus commodat talentum, sollicitè lucrantes beat, ignauiter torpentes damnat. Itaque summoperè enitendum est, vt semper aliquem quæstum faciamus in ijs quæ nobis à Deo credita sunt, & nunquam ocio nos corrumpendos tradamus. Qui super pauca fidelis fuerit, super multa constituetur, & intrabit in gaudium Domini sui, cœlestique beatitudine perfruetur. Illi quidem fideles serui sunt, qui in seruitio perseuerant. Perseuerantibus autem miseretur Dominus, & commodat. Misereor turbæ, inquit, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos nolo, ne deficiant in via. Sic ergo Dominus perseuerantes gratia sua pascit, vt deficere non sinat, immò vt abundare faciat. Nam & comederunt, inquit, & omnes saturati sunt. Ac ne quis ad vitæ perfectionem sibi nihil deesse existimet, fragmenta multa superfuerunt, non à turba, sed ab Apostolis colligenda. Hæc Marulus lib. 5. cap. 8. Nunc ad exempla.

Trecentos & sexagintaquinque annos vixit ENOCH & ambulasse cũ Deo dicitur, atque ob id non apparuisse: quia tulit eum Deus. Dignus quippe visus, qui tamdiu corpus suum ab immundicia custodierat, vt cũ corpore simul transferretur ad paradisum. Marulus libro quinto, capite octauo.

NOE cum Deo ambulasse fertur iustus, perfectúsque fuisse gratiámque inuenisse: & tamen quingentorum iam annorum erat, quando cœpit ędificare arcam: sexcentorum, quando perfecit: nongentorum & quinquaginta, quando vita defunctus est. Itaque tam diutina innocentiæ, fidei, spei obseruatione meruit, solus cum coniuge liberisque & nuribus mundo pereunte saluari. Ex quo illi iure arguendi sunt, qui cùm ne decimam quidem partem summæ huius viuant, in exercendis tamen virtutibus minus constanter se habent. Ibidem.

ABRAAM centum septuagintaquinque vixit annos, ISAAC centum octoginta, IACOB centum quadraginta septem, omnes tam Deo chari gratique, vt eorum Deus dici voluerit, Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob. Certè nisi ab ineunte ætate adusque vitæ exitum iustitiam pietatémque coluissent, nunquam ad tantæ dignationis culmen peruenissent. At nobis iisdem in virtutibus perseuerandi facultas tanto quidem datur maior, quanto vita breuior: & sic repentè deficimus. Ibidem.

Peccauerat sanctus DAVID. Sed quia post peccatum, quod pœnitendo deleuit, sincerius vixit, non minus Deo placuit, quàm si omnino non peccasset. Igitur si quo fortè vitij diuerticulo iustitiæ iter interruptum fuerit, rursum ad illud per pœnitẽtiam reuertamur. Quoniam autem reuertendi facultas interdum morte præciditur, diuertere periculosissimũ est, continuare semper tutissimum. Ibidem.

Continuauêre ex PROPHETIS Samuel, Nathan, Helias, Helisæus, Esaias, Hieremias, Ezechiel, duodecímque alij. Ex REGIBVS Ezechias, Iosias: nisi quod Ezechias opulentiæ suæ ostentatione deliquit. Cæterùm quia à Deo puniendus mulctæ denunciationem submissè tulit, mulcta ad posteros dilata, ipse pacem habuit quam optauit. Vsque adeò expedit repentè corrigere sese, & vitium virtute mutare. Ibidem.

Multi ex PROPHETIS extrema pati, quàm vera reticere præoptarunt, cùm ob hoc à Deo dirigerẽtur, vt regum populorúmque vitia corriperent, & eis pœnas denunciarent. Esaias in duas partes sectus est, Hieremias lapidibus obrutus, Amos vecte per tempora transfixus. Alij etiam sancti homines talia passi sunt: sed de morte transierunt ad vitam, de laboribus ad quietem. O peroptanda supplicia, per quæ beatitudinis cumulus augetur, & quorum patientia Deo nos efficit chariores. Marul. lib. 4. cap. 4.

NEHEMIAS in ædificanda vrbe multa passus fuit impedimenta, non tamen cessauit ab opere, donec murus fuit constitutus. Nehem. 46.

ELIACHIM sacerdos magnus, allocutus est omnem Israel, dicens: Scitote quoniam exaudiuit Dominus præces nostras, si permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu Dei, &c. Iudic. 4.

Non dimisit DANIEL propter crudele decretum Darij quin adoraret in die, sicut antè consueuerat, dominum suum. Dan 6.

In Euangelio DOMINVS noster piis actionibus nos continenter inhærere monet, dum ipse turbis prædicare non cessat, dum variis languoribus affectos curare non desinit, dum dies quadraginta neque comedit neque bibit, dum in tentationibus perdurat, dum in oratione pernoctat, dum suos vsque in finem diligit, dum denique persecutiones vsque ad ignominiam crucis æquanimiter tolerat, nunquam ab exercitatione virtutum quietus, vt ab ea nunquam quiescendum esse doceret, dicens: Nõ qui incœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Marul. lib. 5. cap. 8.

IOANNES baptista eius præcursor, quia perseuerauerat in abstinẽtiæ proposito, nunquam opiparos cibos ventri suo indulgens, nunquam vinum aut siceram bibens, nunquam mollibus indutus, assiduè in deserto baptismum prædicans, iugiter turbas ad se confluentes docens: ideircò ipsius Domini testimonio plusquam propheta dicitur, & nulli inter natos mulierum posthabendus censetur. Denique tantæ constantiæ virũ Herodis improbitas occidere potuit, terrere non potuit. Idem.

Duo cæci secus viam sedentes, cùm post Iesum clamitarent misericordiam implorando, increpabantur vt tacerent. At illi magis clamabant. Perseuerarunt ergo in clamoribus piis, & quod volebant assecuti sunt. O cõstantis inconcussique animi viros, quos non retraxit obtrectatio multorum ab inuocatione Saluatoris, sed accendit. Qui sicut non cessarunt sanitatem petendo, ita ea impetrata non fuerunt ingrati, dicẽte Scriptura: Et secuti sunt eum. Sic peccator, si deprecando continenter clamauerit, appropinquabit vt audiatur, auditus illuminabitur, illuminatus assiduè sequetur Iesum, non passibus, sed affectu. Ibidem.

ANNA Phanuelis filia (vt Lucas tradit) annos septem vixerat cum viro: quod defuncto, ad quartum vsque & octuagesimum ætatis suæ annum vidua permansit, semper castitatem seruans nunquam de templo discedens, nocte ac die ieiuniis obsecrationibúsque intenta. Hac perpetua pij propositi obseruatione digna euasit, quę Spiritusancto afflaretur, & multa prophetaret: immò quę illum quem prophetæ venturum prędixerant, pręsentem cerneret, & ipsum esse mundi saluatorem palàm confiteretur. Perseuerando igitur aditus ad Iesum comparatur, vt vbi ipse est, ibi sit & minister eius. Ibidem.

CHANANÆA mulier (cuius filia dæmoniaca erat) in Euangelio clamat, dicens, Miserere mei Domine: & Dominus tacet, quamuis intercedentibus discipulis. Et rursum illa: Adiuua me. Respondet ipse: Non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus. Illa tamen instat & vrget, nec dedignatur canibus comparari: Sed & catelli edũt, inquit, de micis quæ cadunt de mensa dominorum. Quia ergo & petendo & humiliando sese perseuerauit, nec silentio repressa, nec contumelia confusa, meruit audire: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Magnam fidem indefessa supplicantis probauit assiduitas: quæ si semel vel iterum repulsa cessasset, profectò neque magnæ fidei esse diceretur, neque quod petebat impetrasset. Ibidem.

MARIA Magdalena veniens ad monumentum, vidit lapidem reuolutum, currit nunciare discipulis, & vnà cum illis redit. Mox eis recedentibus ipsa permanet plorans, anxia inclinat se, videt angelos: sed neque eorum visione contenta, loco cedit, neque flere desistit. Solius ergo Domini desiderio tota ardens, prima mortis victorem videre meruit, quem præ cæteris perseuerantius quæsiuit. Ibidem. Matt.27. & 28. Marc.15.16. Luc.23.24. Ioan.19 20.

Crucifixo Domino, Ioseph ab Arimathia audacter introiuit ad Pilatum & petiit corpus Iesu. Mat.27.

Post Dominum sancti APOSTOLI discipulísque eius perseuerarunt illum sequendo, illi obediendo, spiritum sanctum per illum à patre mittendum expectando, per orbem vbique baptismi gratiam annunciando, nec vnquam deficiendo, donec quod annunciauerant martyrio confirmarunt: morientes prius, quàm tacentes religionis veritatem. Et hi quidẽ tam fortes, támque magno animo viri, tãto prius pauore perculsi fuerant, vt Domino relicto fugerent, Petrus etiam se illum nosse negaret. Ne quis itaque sibi applaudat quòd firmus sit: ipsa perseuerandi firmitudo non à nobis, sed à Deo est. Marul. lib.5 cap.8 ex Act.1.

Principes Sacerdotum, comminati sunt PETRO & IOANNI, ne vltrà loquerentur in nomine Iesu. Qui responderunt eis: An iustum est, eos potius audire quàm Dominum? Non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Deinde cum arguerentur Apostoli à principibus sacerdotum, quia non seruassent eorum mandatum, responderunt Petrus & alij apostoli: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Actorum quarto.

Multis vrbibus regionibúsque docendo peragratis, PAVLVS contulit se Athenas, disseruítque cùm Epicureis & Stoicis: palàm ostendens, quanto præstaret eorum philosophiæ disciplina Christi. Quanta autem vel argumentorum vi disputauerit vel miraculorum operatione, illa quæ dixerat, approbauerit, Dionysius Areopagita indicio est, factus Apostoli discipulus, qui magister fuerat philosophorum. Relictis autem Athenis venit Corinthum, & Aquilę Priscillęque hospitio vsus, artem scenofactoriam cum illis exercuisse dicitur, Sabbatis verò in synagoga disputationes instituisse. Hinc ipsemet quidem ad Corinthios scribens: Laboremus inquit, operantes manibus nostris. Et ad Thessalonicenses: Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus, *non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nos*metipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Nemo igitur Euangelio seruiens, assiduè sibi de Euangelio viuendum putet. Et quod prædicationi superest, temporis ocio conterat. Ne & petendis eleemosynis crebrius insistens, non petere, sed exigere videatur: & corporis quieti indulgens, ad socordiam paulatim deuolutus, à labore quoque spiritalium actionum animo obtorpescat. Marul. lib.3 cap.4.

PAVLVS primus eremi cultor, à decimosexto ætatis suæ anno, quo solus desertum adiit, vsque ad centesimum & decimumtertium, quo vita defunctus est, hominem nõ vidit. Hac tam diutina, tam pij propositi continuatione meruit (veluti Helias propheta) diuinitùs nutriri, coruo pabulum homini quotidie deferente. Meruit ab Antonio sepeliri, cauata à leonibus terra. Quódque omnium maximum est, meruit ab angelis in cœlum ferri, teste Antonio, qui hoc se oculis suis conspexisse affirmabat. Cuius quidem mercedis magnitudinem quisquis crebrò secum cogitauerit, nullo vnquam spiritalis vitæ labore grauari poterit, nunquam lassitudinis tædia sentiet, tantorum spe præmiorum sustentatus. Marul. lib. 5. cap.8.

ANTONIVS, cùm primùm & ipse solitudinem inhabitare decreuisset, ne verberibus quidem dæmonũ absterreri potuit, quin quod cęperat persequi pergeret. Perseuerauit itaq; ab octauodecimo ætatis suæ anno vsque ad centesimum quintum, quo in Domino quieuit, cui seruierat. Angelorum sortitus gloriam, quia in perseuerando dæmonum contempserat iniurias. Ibidem.

Eius discipulus Paulus simplex, cùm se recipi postulasset, & Antonius ab eo discedens, donec rediret, expectari responsum iussisset: toto triduo ante ianuam perstitit, plus moræ ibidem tracturus, nisi Antonius iam satis eius constantiam se expertem arbitratus, illum intro admisisset. Hoc exemplo eorum sane arguitur ignauia, qui religionis habitum sumere volentes, nisi statim in collegium recepti fuerint, indignantur, mussitantésque abeũt: & priusquam de ipsis periculum factum sit, ea re quam petebant, se indignos ostendunt. Ibidem.

Post hæc idem Paulus multo etiam constantioris perseuerantiæ specimen dedit. Nam lingua quandoque lapsus, cùm se errasse animaduertisset, triennie silẽtium seruauit: donec scilicet se iam didicisse credidit, quid loquendum, quid tacendum esset. Si cui difficile factu videtur, parte aliqua diei ex monastico instituto silentium custodire, consideret quanto difficilius sit annos tres nihil cuiquam proloqui voluisse. Ibid.

SYMONEM Susotionis filium, tredecim annos natum, adisse Timothei abbatis monasterium ferunt, & monachum se profiteri velle dixisse. Cúmque non esset admissus, quòd ea ætas lenitati propior videretur, ante ostium procidisse, & ita dies quinque sine cibo ac potu perseuerasse ibi mori paratum, nisi quinta demũm die receptus votum suũ implesset, stupente abbate tantam in puero animi firmitatem, quanta rarò in senibus esset. Hoc ille stabilitatis prælusio sic reliquam ætatem egit, vt in omnibus mirabilis euaderet: & si cuncta vera sunt quæ de illo produntur, nemo vnquam corpus suum acerbius afflixit. Ibidem.

Taconi Ægyptio eremitæ, Hieronymus verus scriptor, testimonium perhibet, triginta annos cellula inclusum, non alio quàm crudo cibo se nuper vixisse: neque vllius alloquio per id tempus vnquam, ne cum ipso quidem Hieronymo, nisi per literas, vsum. Constantia procul dubiò admiratione digna, vt vnus vir inuentus sit, qui triginta annos à loquendo temperare potuerit: cùm ætate nostra non sine labore vix vllus inueniatur, qui secretum, in cuius communicatione interdum de vita agitur, vel diem vnam celare possit, cùm in reliquis loquendi facultate ei non sit interdictum. Fulg. lib.3. cap.8.

Paterni Scoti monachi obstinationem potius quàm constantiam appellarẽ, cũ Padebornæ, quæ in Germania est, flagrante vrbe tota omnes fugerent, ipse constanter maneret, ne præter longi temporis institutum cella sua egrederetur. Verùm eius sanctitas obstare videtur: etenim imperij Henrici tertij anno secundo, sæpius vrbis illius incendium cùm prædixisset profectò id deuitare poterat: nisi Deo ita volẽte, cuius consilia abyssus multa sunt, satius duxisset, in cella permanendi propositum non violare. Ibidem.

MVTIVM tandem pro foribus monasterij rogantem permansisse constat, vt contra consuetudinem vnà cum octenni filio in ordinem monachorum receptus sit. Immobili fixóque perseuerandi proposito extorsit quod cœnobitica lex vetabat. Ab eo enim [illegible], qui supra legem erat, & qui ait: Pulsate, & aperietur vobis. Neque hoc fecit quòd à filio separari non posset, sed quum simul cum filio saluari optaret: malens illum secum offerre Christo, quàm relinquere mundo. Marul lib.5 cap.8.

PACOMIO quidem abbati præter cætera curæ fuisse legimus, iuniores ad perseuerandum exhortari. Frustra aiebat eos ad brauium salutis currere, nisi sic currant vt comprehendant. Frustra cum hoste confligere, nisi sic certent vt vincant, dicente Apostolo: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Legitimè aut certare, esse, certãdo nõ defatigari. Ibi.

THEODORVS eius discipulus, professione suæ initio à matre multum vt rediret sollicitatus, nunquam assensit. Attulerat illa ab episcopis literas, quibus reddi sibi filium præcipiebatur: hísque obsequi compulsus abbas, discipulo discedendi potestatem fecerat. Cæterùm ipse omnibus præferens Christum, nec egredi de monasterio voluit, nec saltem se ostendere matri: ne scilicet scandalizantem oculum, quem à se iam proiecerat, rursum quærere videretur. Perseuerauit ergo in monasterio, & factus est Dei filius, qui matris esse noluit. Ibidem.

Beatum Franciscum ipse qui genuerat pater, infenso admodum animo persecutus est: nec efficere potuit, quin ille, sicuti cœperat, post Christum ire perseueraret. Verberatur ergo Franciscus, despoliatur, contemnitur, & gaudet quòd dignus habitus sit pro nomine Iesu contumeliam pati. Et quoniam omnia aduersa subire prius paratus erat, quàm à proposito discedere: mox virtutum operatione vitáque sanctitate tantum profecit, vt & terram sui fama repleret, & gaudio cœlum. Ibidem.

THOMAM Aquinatem de monasterio Prædicatorum vi tractum, & domi clausum, fratres eius vt à religione reuocarent, biẽnio ferè tenuerunt. Sed cùm ille neque minis terreretur, neque blanditiis allici posset, neque meretriculę quam ad illum intromiserant lasciuia deliniri: dimissus ad monasterium rediit, ac veluti sol qui diu nube tectus latuerat, mox serenato cœlo irradiare terram incipit: sic ille relictis fratribus ac domo illuminare ecclesiam cœpit morum, ingenij & doctrinæ nitore. Nequaquam ad tantam gratiæ claritudinem peruenisset, nisi etiam nebula fraternæ fatuitatis circumseptus currere perseuerasset, in proposito firmus, in tentationibus inuictus. Ibidem.

Illa quoque duorum perseuerantia, in primis memoratu digna, Ioannis abbatis & Pesij eremitæ. Hunc (sicuti à Cassiano relatum est) 40. annis quos in solitudine exegerat comedentem sol non vidit, quod occiso duntaxat sole ieiunium soluere consueuisset. Illum verò nunquam vidit iratum: eóque nunquam omnino in iram concitatus esset, licet magno fratrum numero præsideret. Ibidem.

De Elpidio abbate memoria proditum est, quòd per quinque & viginti annos nunquam se ad occidentem verterit, semper ferè orans: & illum cui nomen Oriens, iugiter contemplans. Non putauit nefas esse retrò aspicere, sed sibiipsi voluit imperare: vt cùm corporis appetitum ab iis etiam quæ licita erant, refrenasset, facilius ab illicitis custodiret. Ibidem.

NATHANAELIS anachoretę quàm constans in perseuerando animus fuerit, ex eo intelligi potest, quòd semper clausus vixit: episcopos ad se venientes reuerenter excepit, abeuntes ad limen vsque officij

officij gratia prosecutus est. Neque vt inde pedem efferret, callida (vt alibi diximus) diaboli euocatione induci potuit. sicque septem & triginta perseuerans annos, elatus inde, non egressus est: & corpus pariter cellãque relinquens, in consortium receptus est beatorum. Ibid.

SARA in Scythico virginum monasterio abbatissa, iuxta quod fluuius molliter labens, perspicuísque limpidus aquis, intuentium oculos mira amœnitate detinere solebat: cum tantam in eo cernendo iocunditatem esse audisset, sibiipsi imperauit, ne quando illud aspiceret, ne quam ex eo caperet voluptatem. Itaque annos 60. quibus ibi vixit, nunquam fenestram adiit, nunquam tam prope fluentem fluuium vidit: vt potius flumen illud videre digna esset, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Et quoniam in cauendis terrenarum rerum oblectatiunculis perseuerauerat, cœlestium fœlicitatem perenniter possedit, æternis digna deliciis, quæ breues periturásque semper contempsit. Ibidem.

VIGILIVS Tridentinus episcopus, Tridentinos ad Christi pietatem omni studio, animíque robore traducere cupiens, magnáque parte Tridentini soli vera pietate iam imbuta, cùm superessent qui idolis addicti essent, nec vlla ratione detrahi ab incœpto possent: ille vno atque altero comite eò profectus, simulachra illa ęrea manibus suis deiecit. Quam rem indignè ferentes superstitiosissimi homines, nihil opinionem summæ religionis & pietatis veriti, præcipitíque quodam furore acti, pluribus ictibus corpus eius in frusta dissecuêre. Egnat. lib.3. cap.7.

CYRIACVS patriarcha Constantinopolitanus, Phocam parricidam quamuis coactus non prius inaugurare voluit, quàm orthodoxæ fidei assertorem se fore promisisset. Eidem quoque Constantinam, Mauricij Imp. quem interfecerat, vxorem, cum tribus filiabus, ex ecclesia abripere conanti, restitit, & iuramentum ab illo accepit de earum incolumitate. Paulus Diaconus lib.17 rerum Romanarum: & Nicephorus lib.18. cap. 44. Zonoras tomo tertio.

PVBLIÆ matronæ & abbatissæ Antiochenæ constantiam in sacris exercitiis, quamuis prohibente Iuliano apostata, pete ex tit. Monacharũ.

PETRI Zeni Veneti constantiã in sacris audiẽdis, pete ex tit. Tolerantia mortis propriæ.

ETHNICA RELIGIOSA CONSTANTIA.

CARTHALO sacerdos in peragendis sacris constantissimus. Vide tit. Ira immoderata parentum erga filios.

C. FABIVS Dorsuo, Gallis Capitolium obsidentibus, ne statutum Fabię gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humerísque sacra gerens, per medias hostium stationes in Quirinalem collem peruenit: vbi omnibus solẽni more peractis, in Capitolium post diuinam venerationem victricium armorum, perinde ac victor, rediit. Val. lib.1. cap.1. & Liuius lib.5.

CONSTANTIA ETHICA IN QVOVIS GENERE *virtutis exercendo.*

IACOB ad Laban auunculum suum venit. aliquam ex filiabus eius ducturus vxorem. Seruiuit illi annos septem pro Rachele, sed Lya data est. Seruiuit alios septem, & Rachelem accepit. Seruiuit etiam annos sex, & valde ditatus est pecudum seruorúmque copia. Igitur quoniam viginti annos perseuerauit seruiendo, tali rerum successu potitus est. Marul. lib. 5. cap.8.

Magi cùm Persarum regnum per fraudem falsi Smerdis occupassent, inito inter se consilio, statuerunt conciliandum sibi amicum Prexaspẽ, qui à secretis Cambysis regis fuerat, quòd indigna passus à Cambyse esset, occiso eius filio ictu sagittæ, & solus mortem Smerdis Cyro geniti nosset, vt quem ipse suapte manu interemisset, quòd pręterea ob id apud Persas maxima flagraret inuidia. His de causis accitum hominem, sibi amicum comprobabant, accipientes fidem ac iusiurandum: fallaciam quæ ab ipsis in Persas facta esset, intra se habiturum, neque cuiquã mortaliũ patefacturum, pollicitantes innumerabilia se ei daturos. Recipiẽte Prexaspę conditionem, iubent hominem, vt omnibus Persis sub murum arcis conuocatis, ipse conscensa turri prædicaret, à Smerde Cyri Persis imperari, & ab alio nemine. Hæc illi præcipiebant, veluti homini summæ apud Persas autoritatis, & qui sæpenumero asseuerasset eum esse Smerdem Cyri, ac cædem à se factam pernegasset. Hæc quoque Prexaspe se paratum exequi dicente, Magi conuocatis Persis, hominem in turrim perductum iubent habere orationem. Prexaspes ea quæ ab istis oratus fuerat, sponte obliuiscitur, exorsúsque ab Achæmene, seriem familię Cyri recenset, & vbi tandem deuenit ad Cyrum, commemorauit illius in Persas beneficia. His expositis, prompsit veritatem causatus ideo se hactenus occultasse, quòd sibi tutum non fuisset proferre rem gestam, sed in præsentiarum necessitate coactum proferre: dixitque se à Cambyse adactum, Smerdem Cyri occidisse, & Magos esse qui regnent. Multis quoque verbis Persas deuouit, nisi rursus imperiũ recuperarẽt, ac Magos vlciscerẽtur. Hæc locutus sese in caput è turri præcipitẽ dedit. Herod. li.3.

In Magorum cæde cùm Darius esset complexus Magum, & metu ne GOBRYAM socium feriret, manus Mago inferre nollet: Gobryas magno animo exclamauit: Tu verò vel per vtrunque adige gladium, modò Magus intereat. Darius Gobryę obtemperans, pugione Magum interfecit, illæso Gobrya. Herod. lib.3.

CONON, superatis à Lysandro Atheniensibus, coactus Pharnabazũ adire, Artaxerxis Persarum regis generum ac satrapam, vt eius opera opem aduersus Lacedæmonios impetraret: ab eóque missus ad Xerxem, vt Tisaphernem satrapam, tanquam suum atque Atheniensium hostem, accusaret. Posteaquam ad valuas regiarum ædium peruenit, & ministros regios quis esset docuit: ab eis monitus est, vt si Xerxem alloqui vellet, morem Persicum seruaret, ac se regi indicaret: quod si facere nollet, quę corâm, si ipse loqueretur, dicturus esset, scripta daret. Conon etsi satis intelligeret, se corâm loquentem, melius rei suæ satisfacturum: respondit ministris, Sibi nequaquam graue vnquam futurum, omni honore ac reuerentia Persarum regem prosequi: cæterum vereri, ne patriæ dignitatem imminueret, si cùm missus esset eius vrbis legatus, quæ semper imperare consueuisset, Persarum, & non vrbis suæ morem seruasset. Itaque scripta dedit, ea quæ dicturus erat. Fulg. lib.6. cap.4.

ATHENIS Ephilates accusare publicè iussus, & inter cęteros Demostrati nomen deferre coactus est, cuius filius erat Demochares excellentis formæ puer, animo eius flagrantissimo inhærens amore. Itaque communis officij sorte truculentus accusator, priuati affectus conditione miserabilis reus: puerũ ad exorandũ, quo parcius patris criminibus insisteret, venientẽ, neq; repellere, neq; supplicẽ genibus suis aduolutũ intueri sustinuit. Sed operto capite flens & gemens, preces expromere passus est: nihilóque minus sincera fide accusatum Demostratum damnauit. Victoriam nescio laude an tormento maiore partam: quoniam prius quàm sontem opprimeret, se ipsum vicit Ephilates. Val. Max. libro 3. capite octauo.

BOGES Persa, Xerxi charissimus, quum ab Atheniensibus & Cimone Miltiadis filio obsideretur, liceréque ei accepta fide egredi, & in Asiam remeare: tamen abnuit, ne regi præ metu superfuisse videretur: propterea ad extremum vsque perstitit. Atque vbi nihil in mœnibus commeatus reliquum fuit, rogum accendit: cui liberos, coniugem, concubinas, familiam iniecit, totúmque vrbis aurum & argẽtum è muris proiecit in Strymonem. Quo facto, seipsum postremùm incendio dedit. Rauis.

VAL. PVBLICOLÆ Iouis ædem dicanti, iámque ex more postem tenenti, Marcus illius frater derepentè funestum nũcium ingessit, dicẽs: O consul, filius tuus morbo periit in castris. Ob eum nuncium mœstis omnibus, Publicola nihil commotus: Cadauer, inquit, quò libet abijcite. simúlque dedicationem solenni ritu peregit. Nec tamen verum erat, perisse filium: sed data opera factum est, vt à dedicatione reuocaretur, atq; is honor ad alium transiret. Quanquam Liuius libr. de vrbe condita secundo, hoc aliquanto diuersius narrat.

SENATVS Rom. tertio die post Cannensem cladem, Annibalis legatis, qui accepta fide, cum quibusdam captiuis venerant, vt de redimendis ageretur, & sub eo prætextu pacis mentionem inducerent: lictorem extra vrbem misit, qui iuberet, vt eo die Romano agro cederent. Tam afflicta fortuna, cui iam vix vltrà resistere amplius poterat, eiusmodi grauitatem austere ostendit, qui ex præsentis fortunæ ratione optare, nedũ non fugere, factam de pace mentionem debebat. Fulg. lib.6. cap 4.

Q. FABIVS Max. pecuniam pro captiuis Hannibali numerauit. fraudatus ea publicè, tacuit. Dictatori ei Magistrum equitum Minutium iure imperij Senatus æquauerat, silentium egit. Compluribus præterea iniuriis lacessitus, in eodem animi habitu permansit: nec vnquã sibi Reipublicę permisit irasci, tam perseuerans in amore ciuium fuit. Quid in bello gerendo, nónne par eius constantia? Imperium Romanum Cannensi prælio penè destructum, vix sufficere ad exercitus comparandos videbatur. Itaque frustrari & eludere Pœnorum impetus, quàm manum cum iis tota acie conserere, melius ratus, pluribus comminationibus Hannibalis irritatus, sæpe etiam spe bene gerendæ rei oblata, nunquam à consilij salubritate, ne parui quidem certaminis discrimine, recessit: quódq; est difficillimum, vbique ira ac spe superior apparuit. Ergo vt Scipio pugnando, ita hic non dimicando, maximè ciuitati Rom. succurrisse visus est: alter enim celeritate sua Carthaginem oppressit: alter cunctatione id egit, ne Roma opprimi posset. Val. Max. lib.3. cap.8.

BLASIVS (Blactius aliis) Salapiam patriam suam præsidio Punico occupatam Romanis cupiens restituere, Dasium acerrimo studio secum in administratione Reipublicæ dissidentem, & alioqui toto animo Hannibalis amicitiæ vacantem, sine quo propositum consilium peragi non poterat, ad idem aggrediendum opus maiore cupiditate, quàm spe certiore, tentare ausus est. Qui protinus sermonem eius, adiectis quæ & ipsum commendatiorem, & inimicum inuisiorem factura videbantur: Hãnibali retulit, à quo adesse iussi sunt, vt alter crimen probaret, alter defenderet. Cæterùm cùm res pro tribunali gereretur, & illi quæstioni omnium oculi essent intenti, dum aliud fortè certioris curæ negociũ tractatur: Blasius vultu dissimulante, ac voce submissa monere Dasium cœpit, vt Romanorum potius quàm Carthaginensium partes foueret. Enimuerò tunc ille proclamauit, se in conspectu ducis aduersus eum sollicitari. Quod quia incredibile existimabatur, & ad vnius tantùm aures penetrauerat, & iactabatur ab inimico, veritas fide caruit. Sed non ita multo pòst, Blasij mira constantia Dasium ad se traxit: Marcellóque & Salapiam, & quingentos equites Numidas, qui in ea custodię causa erant, tradidit. Ibidem.

EVMENES Cardianus, qui inter Magni Alexandri successores annumeratus fuit, cùm ab Antigono Asiæ rege, in Norana arce, in Cappadocia obsideretur, de pace in colloquium cum Antigono venit. In eo ingẽti seruata verborum grauitate, nunquam de salute sua mentionem fecit: sed tãquam ipse Antigonum superasset, restitui omnia postulauit, graui-

tatis suæ minimè immemor:& si premēte fortuna, grauiter affectus erat. Fulg.lib.6.cap.4.

C. POMPILIVS à senatu legatus ad Antiochum missus, vt bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret: cùm ad eũ venisset, atque is prompto animo & amicissimo vultu dextram ei porrexisset, inuicem ei suam porrigere noluit: sed tabellas senatusconsultũ continentes tradidit. Quas vt legit Antiochus, dixit se cum amicis collocuturum. Indignatus Pompilius, quòd aliquam moram interposuisset, virga solum, quo insistebat, denotauit Et prius (inquit) quàm hoc circulo excedas, da respõsum, quod Senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam curiam ante oculos positam crederes. Continuò enim rex affirmauit fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur. Ac tum demum Pompilius manum eius tanquam socij apprehendit. Quam efficax est animi sermonísque abscisa grauitas? Eodem monumento Syriæ regem terruit, Ægypti texit. Valer. libro sexto, capite quarto.

FVL. FLACCVS Capuam fallacibus Hannibalis promissis, Italiæ regnum nefari defectione pacisci persuasam, armis occupauerat. Tandem culpæ hostium tam iustus æstimator, quàm speciosus victor: Capuanum Senatum impij decreti autorem, funditus delere constituit. Itaque cathenis onustum in duas custodias, Theanam, Calenámque diuisit, consilium executurus, cùm ea peregisset, quorum administrandorum celerior esse necessitas videbatur. Rumore deinde de Senatus mitiore sententia orto, ne debitam pœnã scelerati effugerēt, nocte admisso equo, Theanam contendit: interfectísque qui ibi asseruabantur, euestigiò Calenam transgressus, perseuerantiæ suæ opus executus est: & iam deligatis ad palum hostibus, literas à P.C. nequicquam Capuanis salutares accepit. In sinistra enim eas manu, sicut erant traditæ, reposuit, ac iusso lictore lege agere: tunc demum aperuit, postquam illis obtemperari non poterat. Qua constantia, victoriæ quoque gloriam antecellit: quia si eum intra seipsum partita laude æstimes, maiorem punita Capua quàm capta reperies. Val. Max. lib.3. cap 8.

In conditionibus, quas cum Mithridate aduersus Romanos SERTORIVS iniuit, misso in Asiam Mario prætore, vt suo ac populi Romani nomine eam prouinciam obtineret: cauit, vt cum fascibus Mithridatem Marius præcederet, donec in ea prouincia Mithridates maneret. Neque enim exilium aduersǽque res animum eius infregerāt. Fulgos. lib.6. ca.4.

CAII Marij miranda ea fuit constantia qua aduersus Cottæ consulis voluntatem ferre legem de ambitu voluit: prohibiturus ne quis largitione magistratum consequi posset. Nam quum in ea re conatus sui effectum tulit, quanquam ei non Senatus modo, cõsúlque Cotta, verumetiam Metellus tribunus se opposuerant, ex constanti animo ingentem laudem assecutus est. Fulgos. lib.3. cap.8.

IDEM in eodem tribunatu, in quo de ambitu legem tulerat, aduersante populo, frumētariam legem ferri constanter vetuit, popularem impetum minimè veritus, cùm incompositæ plebi veluti de manu panem extorquere magno sui discrimine videretur. Constanter enim in vtraque lege, altera ferenda, altera reiicienda, quia ita è Republica videbatur esse, se gessit. Ibidem.

Cùm ad L. CORN. Syllam oratores rediissent, nũciantes, regem Mithridatem ratam habere pacem, quæ cum Archelao composita erat, in qua id non inducebatur, quòd Mithridates retinere Paphlagoniam volebat: Sylla quanquam magis necessitatibus premeretur, tamen non secus ac si apud eum omnia quietissima essent, animi magnitudine aduersǽ fortunæ superata necessitate, grauiter se oratoribus commotum ostendit, dixitque: Arbitratus essem, Mithridatem omni alia re contentum remansurum fuisse, si modò à me dextera ei relinqueretur, qua scripsit, vt tam multi Romani ciues vno tempore trucidarētur. Quòd cùm Mithridati à legatis relatum fuisset, in propinquum tutũque locum se contulit, vt in colloquiũ cum Sylla veniret. Illic cùm Mithridates (vt mos est) Syllæ dextræ suam iungere vellet, Sylla retrocessit: dixítq;, Scire se prius velle vtrum hostis an amicus Mithridates venisset. Cui Mithridates cùm longa oratione causam suam vt poterat defendens, conatus esset persuadere, vt Paphlagoniam ei dimittere: ad eum Sylla, Haud me latebat, ô Mithridates, te eloquentia plurimum valere, & tamen id in præsentia magis etiam animaduerti, cùm tot ac tam speciosis verbis causam tuam, quæ iniquissima est, persuasisti tibi æquam posse probare. Sed quæso responde: Accipísne pacem cum Archelao factam? Cui cùm Mithridates, Accipere se, respondisset, Sylla eum amicè complexus est. Fulgosus lib.6. cap.4.

Magnam animi fortitudinem ciuili bello OCTAVIVS consul ostendit, cùm vrbem Romam Cinna Marióque ineuntibus, ab amicis atque aruspicibus suasus vt abiret, respondit: Se cùm Consulatum gereret, patriam nisi cum vita non relictúrum. Itaque cum consularem sellam cum consularibus ornamentis conscendisset, quanquam tunc quoque essent qui fuga sibi vt consuleret hortarentur, optimo equo ad fugam oblato, ipséque Censorinum à longe venientem videret, quem ad se perdendũ missum esse sciebat: nunquam aut loco, aut vultu immutatus est: sed intrepidus eodem loco manens, sæuiente Censorino caput amisit. Fulgos. lib.3. cap.2.

VIRIATVS Lusitaniæ princeps, vbi bellum aliquod mente conceperat, non prius accumbebat mensæ, aut in lecto quiescebat, quàm propositum absoluisset. Rauis.

ALOYSIVS Molinus, diui Marci procurator, quum Principes fermè omnes Iulij II. pont. max. indignationem secuti, in Veneti nominis perniciem coniurassent: cõsternatis Venetorum animis, iámque rebus omnibus desperatis, vnus de vrbe Patauio recuperanda ad senatum constantissimè retulit. Cuius sententia, quum à principe ipso cæterísque omnibus exploderetur: ille tamen tanta animi fortitudine ac robore perstitit, atque id omnino esse faciendum contendit, vt tandem in eius sentētiam senatusconsultum factum sit. Quod quidem consilium vt ab illo fortissimè coeptum est, ita quoque fœlicissimum habuit euentum. nam ea vrbe recepta, mox maiori animo de aliis recuperandis excogitatum est, vt merito hæc ciuitas tanti viri manibus perpetuò debeat. Egnat. lib.3. cap.2.

HVGO Cæsariensis, Gallus eques, ab Almarico Hierosolymorum rege, legatus ad Elhadechum Calypham Cayræ vrbis missus, vt aduersus Calypham Baldacēsem cum eo fœdus iniret: cùm è more data vtrinque dextra, res stabilienda esset, vt vidit Hugo Calypham non dignari cum dexteræ suæ contactu, & idem Solthanum Suar & Admiratos facere, dicentes Calyphæ personam humanam excessisse cõditionem, & ceu sacrã fas non esse ab homine contingi, præsertim qui diuersa coleret numina: denunciauit se infectis rebus inde abiturum, nisi Calypha eo modo, quo ipse Almarici regis nomine, dextera data, ac iureiurando fœdus sanciret. Coactus igitur, cùm ita rerum necessitas vrgeret, Calypha, dexterã Hugoni, sed sericeo velatam panno porrexit. Contingere autem eam Hugo abnuit, nisi cùm ipse nudam porrigeret dexteram, nuda etiam à Calypha porrigeretur. Itaque Hugonis grauitas extorsit, vt nudam ipse quoque dextram Calypha daret. Fulgos. lib.6. cap.4.

IOANNES vicecomes, archiepiscopus & princeps Mediolanensis, cũ Bononiam occupasset, à Clemente pont. max. per legatum repetebatur: & vt vel Ecclesiam solam vel Rempublicam capesseret, sub excommunicationis pœna vrgebatur. Ille ergo cùm sacra fecisset in templo, sinistra crucem arripuit, dextra gladium eduxit, & alta voce pronunciauit: Hæc Ecclesiæ, hic verò Reipublicæ conuenit: neque est cur vel crucem Domini, vel arma Reipublicæ abiiciam, ne aut religionis, aut pietatis erga patriam proditor esse videar. Hoc igitur sanctissimo patri meo nomine refer, cum cruce & gladio me ad extrema etiam perferenda paratum fore. Bernard. Corius lib.3. hist. Mediolanens.

CONSTANTIA RELIGIOSA, IN QVOVIS GENERE *vitij fugiendo.*

MOSES nunquam potuit adduci, vt vel in Ægypto immolaturus Domino remaneret, vel paruulos aut iumenta populi Pharaoni dimitteret. Exod.8 9.10.

Ioseph dominam habuit impudicissimam, perseueranter tamen & constantissimè operi nephario restitit. Exod.39.

MARDOCHÆVS constanter perstitit in proposito, vt non solùm adorare Amanum noluerit, sed nec ei assurgere transeunti. Esther 3 4. & 5.

SOCII Danielis constanter dixerunt regi Babylonis, Notum sit tibi rex, quòd deos tuos non colimus, & statuam tuam non adoramus. Dan. tertio.

Constanter restitit SVSANNA duobus presbyteris senibus, qui eam tam vehementi pulsatione tentabant. Dan.13.

Multi Israelitarum, ne manducarent immunda, elegerunt potius mori, quàm coinquinari immundis. I. Mac. I.

Septem FRATRES cum pia matre sua perseuerauerunt vsque in finem, nec poterant ad præuaricationem legis adduci blanditiis aut tormentis. 2. Mac 7.

Antiochus Epiphanes Syriæ rex, ad idololatriam transferre Iudæos tentans, cogere ELEAZARVM, vt carne suilla vesceretur, enixus est. Ad quam rem cùm adduci nullo modo Eleazarus posset, ne vi quidem eius aperto ore, tandem ad mortem deducebatur Id quod grauiter cùm nonnulli, qui eum amabant, perferrent, seorsum deducto dixerunt: Satis ad effugiendam mortem esse, si vesci fingeret, quanquam re ipsa nihil manducaret. Quibus turbato vultu Eleazarus respondit: Egò ne, qui iam nonagesimum excessi annum, qui scriba, qui nobili genere inter alios Hebræos insignis habeor, vt pusillum vitæ spacium mihi prorogem, hæc in re fingere incipiam, à qua multi qui nunc in iuuentæ flore constanter in lege nostra perstant, exemplo meo mori præuaricabunt? Nolo igitur non modò hoc admittere crimen, sed ne id quidem committere, vt illud perpetrasse me homines suspicentur: Longè enim eam infamiam, exemplúmque quod inde manare poterat, amissa grauitate pluris fecit, quàm mortem præsentem, statim igitur post illud responsum occisus fuit. Fulg. lib.6 cap.4.

Cùm Ananias Iudæorum pontifex periniquo animo ferret Christianorum augeri numerum, arbitratus est, si IACOBVS Iustus (cuius vitæ sanctitas apud omnes nota, omnibúsque probata erat) adduci posset vt Christi fidem reprobaret, omnes eius autoritatem secuturos esse. Cùm autem precibus ac minis frustra, vt id Iacobus ageret, laboratum esset: supra templi pinnaculum perductus fuit, vt nisi ab eo loco populis, quæ de Christo eius lex continebat, tanquam falsa dissuaderet, inde præceps deturbaretur. Sperabat Ananias periculi præsentis magnitudine territum Iacobum, quod vsque ad eam horam negarat, fortasse facturum. Sed ne ob id quidem Iacobus sententia motus est, locutúsque contraria id est, Christum verè Dei filium, fidémque eius veram, sanctam atque iustam esse: indignatis Iudæis, eorum impulsu inde deiectus vir sanctus, verba simul

simul cum vita finiuit. Fulg. lib.3. cap.8.

AMBROSIVS Mediolanensis episcopus, cùm à Valentiniano iuniore, instigante matre Iustina Ariana, in templo obsideretur, atque inde exire iuberetur: Hoc, inquit, sponte mea facturus non sum, neque prodã lupis stabulum ouium mearum, nec tradam templum illis qui in Deum blasphemi sunt. Quòd si igitur constitutum habes me occidere, hic intus in me ensem hastámue defige: eiusmodi enim perquàm grata mihi futura est mors. Tandem in exilium missus est. Theodoretus lib.5. ca.12. Idē Ambrosius lib.5. Epistolarum, contra Auxentiũ sic scribit: Cùm esset propositum vt Ecclesiæ vasa traderemus, hoc responsi dedi: Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere: nec tradere illud, quod custodiendum, non tradēdum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim liberi sacerdotis vocem si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria.

Constantinus Imp. cùm in synodo Antiochena Meletium Antiochenę Ecclesiæ præfecisset, totius synodi consensu: mox quia orthodoxum esse audiebat, in exilium eiecisset: metuens subscriptiones omnium episcoporum in electione Meletij, eas ab Eusebio Samosatense repetit. At EVSEBIVS minimè licere sibi inquiens, depositum commune totius synodi tradere, nisi simul congregati omnes qui sibi commisissent, ita iussissent: hanc constantiam quamuis iratus admiratus Imp. è Syria contra Iulianum in occidentem mouet, & ad Mopsi fontes moritur. Theodoretus lib.2. cap.31.

VALERIANVS episcopus Habbēsę ciuitatis Africæ, Genserico Vandalorum regi crudeliss. sacros libros & alia quædã Ecclesiastica vasa tradere noluit. Itaque extra ciuitatem pulsus senex octogenarius, sub dio nudus longo tempore publicè iacuit, itaque periit. Sigebert. in Chronico, & Victor lib.1.

ARCHIMENIDES, & qui Hormisdes appellatus est, cum in Persia Christianam religionem in maxima piorum persecutione profiteretur, vocatus à Varane rege, & obiurgatus ob fidei confessionem, quam in homine extinguere minis conabatur: respondit, Impia atque difficilia à me petis rex, qui vniuersitatis Deum nequaquam abiuro, vt tuæ maiestatis siam amicus. Maius enim est crimen, diuinam, quàm regiam lædere maiestatem. Niceph. lib.14. cap.20. Eccl. hist.

Imperantibus adhuc Romæ Augustis, Constantius tertius Imperator, neque promissis neque minis adducere MARTINVM primum pontificem maximum potuit, vt Monothelitanam hæresim confirmaret. Qui cùm neque ab Olympio exarcho positis eius vitæ insidiis flecteretur, & tandem à Theodoro Caliopa captus esset, maluit in exilio, amisso cum patria etiam Pontificatu emori, quàm de hæresi illa iustum mutare propositum. Fulg. lib.3. cap.8. & Egnat. lib.3. cap.7.

CONSTANTINVS patriarcha Constantinopolitanus, à Constantino quinto imperatore, vt Manginorum hæresi assentiretur, apud quos in honore idololatriam haberi sciebat, nunquam vt id facere vellet, adduci potuit: quia explosam à catholica fide eorum sententiam sciebat. Itaque plagis à sæuo imperatore cęsus, item in custodia habitus, ac tãdem morte affectus, nunquam sententiam mutare voluit. Ibidem.

In eadem vrbe, parem IGNATIVS dignitatem cùm obtineret, parē quoque constantiam ostendit, vt Michaelis imperatoris filium decebat. Prius enim in exilium ire sustinuit, quàm vt Bardam (Egnat. libr.3. cap.6. Varadam vocat) alterius Michaelis Amorij imperatoris patruum, anathemate solueret, quo eum innodarat, quòd dimissa coniuge quam habebat, in eius locum nurum duxisset. Ibidem.

VIGILIVS primus pontifex max. à Iustiniano imperatore atque Theodora Augusta eius coniuge monitus, vt Anthemium hęreticum extra ecclesię gremium ab Agapeto Syluerióque summis Pontificibus positum, Christianorum communioni restitueret: minimè Syluerij exemplo territus est, qui quòd eam rem agere noluerat, in exiliũ pulsus mortem obierat. Sed id se facturum cõstanter negauit. Quamobrem Iustiniani iussu captus, cùm Romæ in æde sanctæ Ceciliæ sacrificaret, in Tyberi paruæ cymbę impositus, insana eum plebe fustibus saxísque exagitante, Constantinopolim fuit perductus. Vbi cùm in sanctæ Sophiæ templum cum pontificali honore profectus esset, quia restituere Anthemium coram Iustiniano audacter negauit: cæsus atque contumeliis omnibus ab eius coniuge Theodora affectus, cùm inter tot mala illæsam animi libertatem seruasset, tandem à Iustiniano liberatus est. Ibidem.

Romana ecclesia à Pipino Gallorum rege multis commodis atque honoribus aucta, hæc quoque acceperat, quòd à Longobardorum potentia eam defenderat. Carlomanno Caroli fratre mortuo, Bertha eius coniũx malis suasoribus impulsa, ad Longobardorum regem se recepit. Quem cùm haud latēret, Gallorum vires, si per seditionem diuiderentur, debiliores fore, ab ADRIANO primo pontifice maximo petiit, vt Berthæ filium oblato diademate Gallis regem constitueret. Quod cùm prudens pontifex negasset, ei furiata mente Desiderius bellum intulit: & tamen neque illata arma, neque occupata Æmylæ viæ loca (quæ nunc sub Romandiolæ nomine censentur) aliáque permulta Pontificem vt à proposito discederet, mouere potuerunt. Ibidem.

Constantissimus habitus est GREGORIVS septimus pontifex, qui quòd Henricum tertium imperatorem propter aperta nimis Symoniæ crimina pro pastorali officio reprehendebat, grauius ab eo iniuriis affectus est. Itaq; iniuriarum magnitudine compulsus, Henricum Gregorius vt hæreticum, imperij honore priuauit. Cùm autem Hēricus solui ecclesiastica censura, non emendatione vitæ, sed armis quæreret, alium creare Pontificem enixus, capta vrbe Roma obsidere Gregorium cœpit. Quæ mala cùm Gregorius pateretur, nunquam tamen à iusto proposito dimoueri potuit. Cui quàm similes se recentiores Pontifices gerant, caussis non pro Dei honore, sed pro priuatis commodis sæpe susceptis, qui in eo constantes sunt, vnde spes ostenditur, ipsi norunt, ipsi fateantur. Ibidem.

HVGO Capetus, cùm regno exuisset Carolum Gallorum regem, qui vltimus ex Caroli Magni stirpe regnauit, Caroli familiam omnem tollere conabatur. Arnoldum itaque Remensem episcopum, qui naturalis tãtùm patruus Caroli fuerat, dignitate ea priuare volebat. Cúmque solus SERGIVS Cenomanensis antistes resisteret, eum triennali exilio damnauit. Quod ille forti animo perpeti, quàm iniustę exautorationi subscribere maluit. Fulg. lib.3. cap.8.

CONSTANTIA ETHICA, IN QVOVIS GENERE VITIO- *rum fugiendo.*

Infœlix quidem, quanquam haud indigna laude constantia ONIÆ Iudæi fuit, qui ab omnib vir sanctus, & qui à Deo multa impetraret, habebatur. Itaque cùm inter Hyrcanum atque Aristobulum Alexandri Iudæorum regis filios, de regni successione grauis orta esset contentio, atque ab Hyrcano templum, quod in Aristobuli manu erat, & sacerdotes obsiderentur: ab iis qui Hyrcani partes sequebātur captus est Onias, qui ne alteri partium adhæreret, latebat. Ab eis autem ad templum deductus cùm precibus ac minis vrgeretur, vt rogando infestum Aristobulo Deũ redderet, ipse immobilis contrà nitebatur. Itaque cùm illi vrgere vt agere non desinerent, ipse autem de sententia non flecteretur, ne se eorũ contentionibus immisceret, clarè vt audire omnes possent, Deum dixit se rogate, ne vllam ipsarum partium aduersus alteram (quòd vtraque populus eius esset) audiret. Itaque ab Hyrcani fautoribus statim fuit occisus. Fulg. lib.3. cap.8.

Cùm in Spartanorum consilio, quidam vitę parum probatæ, cæterùm lingua promptus, sententiam suam apprimè prudenter dixisset: quoniam maiorem Senatus partem magnopere mouerat, & propterea dictum erat vt in eius verba decretum conscriberetur: SENEX quidam inter alios vehementer Senatum reprehendit, quòd ab illaudatæ vitæ homine aliquomodo consilium cępisse videri vellet, ostendens eiusmodi rem vehementer grauitati Lacedæmoniorum aduersari. Sed cùm omnes illius tamen sententiam laudarent, persuasit, vt eandem ipsam rem, quam eloquens, cæterum parum bonus dixerat, ab alio, quanquam non æquè diserto, bono tamen viro, dici iuberent, & sub eius nomine Senatusconsultum conficerent. Quamobrem, ne (vt monebantur) grauitatis immemores fuisse viderentur, bono vsi consilio, autoris nomen præterierunt. Ful. lib.6. cap.4.

Cùm Simonides poeta, prætoris THEMISTOCLIS operam pro amico in re iniqua peteret: respondit Themistocles, nec Simonidem fore bonum poetam, nisi mensuram modúmque in canendis carminibus, quæ scribebat, curaret: neque se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac iustitiæ, alicuius gratiam præposuisset. Ibidem.

Grauiter LACEDÆMONII Philippo Macedonum regi responderunt, cùm rem iniquam ab eis petiisset, hoc enim responso vsi sunt: Lacedæmonij Philippo regi. De eo quòd ad nos scripsisti, οὐκ. nulla alia vel excusatione vel verbo addito. Ibidem.

Grauissimum fuit responsum SYAGRI Lacedæmoniorum legati, cũ vnà cum Atheniensibus, quo tempore Xerxes expectabatur, ad Gelonem tyrannum Syracusanum missus fuit, vt in eo bello opem ab eo peterent. Nam cùm Gelo offerret ducentas triremes, duo equitum, & octo peditum millia, ac præterea grandem pecuniam, ac vim magnam frumenti, si Græci in eo bello ducem eum creare vellēt: Syagrus respondit, Non accipere se conditionem, quia ad quærendos milites, & non ad sumendũ ducem, missus erat. Pluris patriæ dignitatem, quàm eam necessitatem, in qua eos fortuna deprehenderat, facere voluit. Ibidem.

Vniuersa ciuitas Atheniensium iniquissimo & truculentissimo errore instructa, de capite decem Prætorum, qui apud Arginusas Lacedæmoniã classem deleuerant, tristem sententiam tulerat. Fortè tunc eius potestatis SOCRATES, cuius arbitrio plebiscita ordinarētur, indignũ iudicans tot & tã bene meritos, ex indigna causa impetu inuidiæ arripi, temeritati multitudinis constãtiam suam obiecit, maximóque concionis fragore & incitatissimis minis compulsus non est, vt se publicæ dementiæ autorem ascriberet, quæ oppositu eius legitima grassari via prohibita, iniusto prætorum cruore manus suas contaminare perseuerauit: nec timuit Socrates, ne consternatæ patriæ vndecimus furor, mors ipsius existeret. Valer. Max. lib.3. cap.8.

IDEM Græcæ doctrinæ clarissimum columen, cùm Athenis causam diceret, defensionémque ei Lysias à se compositam, qua in iudicio vteretur, recitasset, demissam & supplicem, imminentique procellæ accommodatam: Aufer (inquit) quæso istam. nam ego si adduci possem, vt eam in vltima Scythiæ solitudine perorarem, tum meipsum morte mulctandum concederem. Spiritum contempsit, ne careret grauitate: maluitque Socrates extingui, quàm Lysias superesse. Val. lib.6 cap.4.

Ingenti grauitate ROMANVS senatus vsus est, cùm vrbe à Coriolano atq; Volscis obsessa, quanquã Senatuscõsultum de pace cõscripsisset: aperiri tamē nuquam voluit, nisi prius Romano agro Volsci cũ exer-

citu excessissent: ne aliquando diceretur, Timore coactos Romanos pacem cum Volscis fecisse. Fulgos.lib.6.cap.4.

Miram constantiam SENATVS populúsque Romanus ostendit, Annibale cum exercitu pro portis vrbis Romanæ manente. Nam quanquã summo in discrimine rei Romanæ summa versaretur, tamen nunquam à Capua exercitus suos reuocauit: & ob id cùm Annibalem spes fefellisset, desperatis rebus deditionem coacti fecerunt. Fulg.lib.3.cap.8.

L.PAVLVS amisso ad Cannas exercitu, offerente equum Lentulo quo fugeret, superesse cladi (quanquam non per ipsum contractæ) noluit, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinauerat, persedit, donec ab hostibus oppressus confoderetur. Frontin.lib.4.cap.4.

METELLVS Numidicus, cùm animaduerteret quò tenderent Saturnini trib.pleb funesti conatus, quantóque malo Reipublicæ, si non his occurreretur, erupturi essent: in exilium, quàm in legem eius ire maluit. Potest aliquis hoc viro dici constantior? qui ne sententia sua pelleretur, patria; in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit. Val.lib.3 cap.8.

PVBLII Rutilij verba prius an facta existimem nescio. Nam vtrisque æquè admirabile inest robur. Cùm amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergo (inquit) mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis? respondit: Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhonestè facturus sum? Valer. libro sexto, cap.4.

POMPONIVS eques Rom. qui in Luculli exercitu contra Mithridatem militabat, cùm vulneribus confectus, ac simul in Mithridatis manu captiuus, à rege interrogaretur, si curatis vulnerib. liberaretur, amicúsne ei futurus esset? intrepidè respondit: Fore se, si ipse quoque Rom. populi amicus foret. Audacia proculdubio ingens, & animi robur Romano viro dignum Fulg lib.3.cap.8.

Bellum gerente in Asia L.CORN. Sylla aduersus Mithridatem, Romę C.Marius in vxorem fortunas atque amicos Syllę inuectus, grauiter omnes affecit. Vt hac iniuria affectus Sylla redire Romam posset, in colloquium de pace cum Archelao Mithridatis copiarum duce venit. Hortatus autem Syllam Archelaus, vt Romam ad vlciscendas iniurias reuerteretur, regis sui nomine daturum se offerebat classem, pecuniam ac milites, modò ei Asia aut Ponto cederet. Cui non sine animi indignatione Sylla respondit: Et tu Archelae, quamobrem non adduceris, vt cum pop. Rom. amicitiam ineas, & tibi Mithridatis regnum assumas? Cùm eiusmodi proditionē Archelaus abominaretur, rursum Sylla dixit: Tu qui Archelaus es Cappadox, barbari regis seruus precio coemptus, ne tantum tibi regnum pares, pudore deterreris, ne vnquam regem tuum prodidisse dicaris: mihi, qui Romani exercitus dux sum, & L. Sylla, audes proditionis me compellare, veluti si is Archelaus non esses: qui posteaquàm parua celoce ab vrbe Roma profugisti, centum viginti millia virorum bello amisisti? Quæ verba posteaquàm Archelaus audiuit pacem his conditionibus, quas Sylla volebat, accepit Fulgos lib.6.cap.4.

Post L.Syllæ ex Asia discessum, cùm Mithridates adhuc bellum Romanis in Hispania mouere vellet, ad SERTORIVM legatos misit, qui ciuilibus bellis pulsus, in Hispania Iberiam: nullo Romani imperij permissu, possidebat: pecuniam autē ac classes Sertorio obtulit, si vt populi Romani proconsul, Asiam prouinciam ei concessisset. Cęterùm, quanquam omnes, quos super his Sertorius consilium adhibuerat, suaderent, vt quæ Mithridates offerebat accipere Sertorius vellet (arbitrabantur enim, cùm à patria exularet, regis auxilia plurimum causæ eius collatura, præsertim cùm à Sertorio nihil daretur, nisi vanum nomen eorum quæ ipse non haberet) Sertorius quanquam eum necessitas premeret, tamen consuetam grauitatem non omisit, dixitque, Se nunquam adsensurum, vt Asia à Mithridate in pacis conditionibus accepta, ipsius Sertorij scriptura aut concessione Mithridati data videretur. Etsi patria exul Romanorum armis infestaretur, id tamen tanti apud se non esse, vt Mithridati Asiæ possessione cedendum duceret. Se quidem contentum fore vt prouinciæ Cappadocia atque Bithynia ei darentur, quòd hæ iuris populi Romani non erant. His addebat, non se cùm hostibus decertare, vt Romanum imperium minueretur, sed vt illud potius pro viribus augeret: quoniam etiam salus atque vita ipsa iis postponenda sit, quæ decus secum traherent. Hæc Sertorij verba cùm Mithridates accepisset, fertur astātib. dixisse: Quid arbitramini facturū Sertorium fuisse, si & domi, & consul esset? cùm exul, atque in extremo terrarum orbe positus, etiam leges imponat, & comminetur. Itaque quas Sertorius voluit, conditiones accepit. Ibidem.

M.Bruto cum tota ferè sese dedisset Lusitaniâ, sola vrbs Cyania pertinaciter arma retinuit. Verùm quum tentarētur per Bruti legatos, vt data pecunia se darent Bruto, CYANIENSIS populus vno ore respondit: Sibi ferrum esse à maioribus relictum, quo libertatem patriæ tuerentur: non aurum, non munera, quibus ab hoste se redimerent. Recitat Erasm. lib 8. Apophtheg.

Q. Seruilius, vir inter optimates clarus, indignabatur POMPEIO concessum triumphum: atque etiam milites complures obsistebant, ne triumphus ageretur: non quòd inuiderent Pompeio, sed munera quędam poscebant, quasi largitionibus ab ipsis esset emendus triumphus, alioqui milites minabantur, se direpturos pecuniam quæ in triumpho ferretur: eóque Seruilius Glauciáque suadebant, vt eam potius inter milites diuideret, quàm diripi sineret. Verùm vbi Pompeius respōdit, se citius omissurum triumphum, quàm militibus blanditurum: simúlque laureatos fasces eis obiecit, vt illinc inciperent direptionem: Nunc, inquit Seruilius, te Pompei verè magnum video, dignúmque triumpho. Non iudicabat esse speciosum triumphum, nisi qui citra ambitum, citráque largitiones benefactis redderetur. Plut. in Rom. Apoph.

PONTIVS pro Cæsaris partibus excubans, Scipionis præsidio interceptus, cùm vno modo salus ei daretur, si se futurum Cn. Pompeij generi ipsius militē affirmasset, ita respondere non dubitauit: Tibi quidē Scipio gratias ago, sed mihi ista cōditione vitæ non est opus. Val. lib.3.ca.8.

C. MEVIVS centurio diui Augusti, cùm Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas edidisset, improuisis hostium insidiis circumuentus, & ad M Antonium Alexandriā perductus, interrogatúsque quidnam de eo statui deberet? Iugulari me, inquit, iube, quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, vt aut Cæsaris miles desinā, aut tuus esse incipiam. Cæterùm quo constantius vitam contempsit, eo facilius impetrauit. Antonius enim virtuti eius incolumitatem tribuit. Ibidem.

Magna constantia, inter recentiores GESVALDVS Lōgobardus vsus est: cùm à Romualdo Beneuentano duce Beneuenti à Constantio imperatore obsesso, clàm missus ad Grimoaldum Longobardorum regem, ipsius Romualdi patrem, rogatum vt filio opem ferret, cum exercitu Beneuentum reuerteretur. A Grimoaldo itaque iussus clàm ad Romualdū reuerti, atque opem, quam pater ferebat, nūciare, aduersa fortuna in hostes incidit. Qui de propinquis auxiliaribus copiis certiores facti, spectare eò cœperunt, vt ad pacem Romualdum traherent: arbitratíque se id melioribus conditionibus facturos, si auxiliorum spem Romualdo ademissent, Gesualdum monitum antè vt in eam sententiam loqueretur, ad Beneuenti muros deduxerunt. Cæterùm ipse ex fide omnia obsessis narrauit breuíque affuturum cum valido exercitu Grimoaldum affirmauit. Qua re indignati hostes, statim Gesualdum occiderunt, & postera die motis castris obsidionem soluerunt. Fulgos.lib.3.cap.8. & Egnatius lib.3. cap.7.

CAROLVS Zenus ab inuidis accusatus, quasi pecuniā à Catrariensi principe dono acceptam, in publicum non retulisset ærarium, carceri inclusus ea conditione, vt veniam petere posset: nunquam adduci potuit, vt id per biennium faceret, quo toto inclusus vixit: adeò innocentia ipsa constantię iuncta, securum intrepidúmque reddebat, conscius sibi & pecuniam mutuam ab eo acceptam: & exulanti illi, quum in Gallia cisalpina ageret, optima fide persolutam, quum ipse Carolus Mediolanensem principatum, Galeacio duce ita volente, suis penè auspiciis regeret. Egnat.lib.3.cap.7.

VITIVM IN EXCESSV.

Veritati in genere, Mendacium in genere opponitur: quod in vniuersum simulatione non entis vt entis, & Dissimulatione entis tanquam non entis constat. Ipsa certè Simulatio & Dissimulatio, quatenus circa non ens versantur, Mendacij ambitu comprehenduntur: & quia à veritate deflectunt, reprehensionem per se merentur. [redacted] *Sunt insuper alij quidam, qui nullam ex mendacio vtilitatem captant: sed libidine tantùm mentiendi irritati, simulant & dissimulant. Quorum hoc in loco potissimùm mentionem faciemus, sub generali titulo Mendacij. Illorum verò exempla, qui simulant & dissimulant vtilitatis vel suæ vel alienæ causa, aliorúmve damni gratia: quia non sola mentiendi libidine veritatem negligunt, sed vtilitate adducti prudenter aut certè astutè mentiuntur, sub loco Prudentiæ & Astutiæ à nobis descripta fuerunt. Illinc, qui volet, & Simulationis & Dissimulationis exempla desumere poterit.*

ΦΙΛΟΨΕΥΔΕΙΣ IN GENERE: MENDACES, QVI SIMVL *dissimulant & simulant.*

ÆGYPTIIS nullus mentiendi modus, summáque mentiendi impunitas erat. Alexand.lib.6.cap.10.

TIBERIVS Cęsar ita omnes animi affectus occultabat, vt quæ cupiebat, nunquam ferè diceret: pugnarétque cum oratione voluntas eius, & desiderium. Id enim detestabatur, quod expetebat maximè: & quod oderat, dissimulabat. Irascebatur, nulla re conturbatus: iratus, tranquillissimo æquissimóque animo esse putabatur: commiserabatur eos, in quos grauiter animaduertebat; & quibus veniam dabat, succensebat nonnunquam. Sic amplexabatur inimicos homines, vt sibi familiarissimos: contrà autem cum amicissimis non aliter se gerebat, quàm cum alienissimis

hominibus. Denique putabat principis animum nemini cognitum esse debere. Dion in Tiberio.

NERO Augustus dum odium dissimulabat, dum beneuolentiam fingit, sæuitiam suam ferè in præclarissimum quenque cùm ciuem tum senatorem exercuit. Pontanus libro primo de Magnanimitate, capite octauo.

DOMITIANVS Romanorum imperator neminem vnquam verè & ex animo dilexit, præter paucas mulieres: eum se diligere simulabat semper, quem maximè interfectum cupiebat. Simulabat etiam, se fratrem (quem tamen clàm cum patre summo odio prosequebatur) maximè amare ac lugere: laudabátque non sine lachrymis, cùm tamen omnia contrà quā vellet, præ se ferret. Nam Circenses ludos, qui natali die illius fiebant, diremit: & alia multa clàm atque per fucum in eius contumeliam fecit, de quibus lege copiosius Xiphilinum in eius vita.

ΑΛΑΖΟΝΕΙΑ, INSOLENTIA, EIVSQVE SPECIES.

LIBERTAS NIMIA, IN SENTENTIA DICENDA, ET ANIMI *cogitationibus proferendis.*

Audiuimus quendam sacerdotalis ordinis virum, cùm ipso præsente inter Mahumetanos quosdam de Deo mentio incidisset, & multa vltrò citróque iactata fuissent: tādem dixisse, Deum ipsum sæpe à se manibus contrectatum, sæpe ore haustum. Quod inconsultè admodum & incautè protulit, vt illi non modò non crederent, sed etiam ipsum quasi blasphemum vlcisci vellent. Denique parum absuit, quin eidem tunc quod sequitur contingeret, Et canes conuersi disrumpāt vos. Cuius quidem periculi non ignarus Salomon: Qui custodit, inquit, os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Marul.lib.3.cap.4.

SOROR Cambysis propter nimiam libertatem à fratre Cambyse interfecta. Vide tit. Parricidarum.

Cum Athenienses ad Philippum in Macedoniam legatos misissent, acerbum quidem, sed occultum ipsorum hostem: confecta legatione, Philippus eos dimittēs, vt mos est, dicere cœpit: Si quid aliud esset, quod Atheniensium gratia facere posset: neque vltrà ad finiendam orationem pergebat. Statim legatorum vnus Demochares, cęteris audacior, subiunxit: Vt te suspendas apertè ei verum fassus, qui fictè operam suam Atheniensibus videbatur offerre. Quæ libertas magno ei malo constitisset, nisi eum plus ficta Philippi humanitas, quàm propria prudentia texisset. neque enim aliud Philippus egit, nisi quod ad alios legatos conuersus dixit: Referte Atheniensibus, eum qui tam acerbum verbum, minimè indignatus audiuit, longè eo qui verbum nihil lacessitus pronunciauit, modestiorem erga vos fuisse. Fulgos.lib.6.cap.2.

In prælio captus Philodes Atheniensium dux, cùm à Lysandro qui eum cœperat, interrogaretur, Quid is meritus esset: qui de Lacedæmoniis tantum, vt ei vitio dabatur, oblocutus esset? interritus respondit: O Lysander, noli eum accusare, qui iudice careat: sed iam tandem aduersus Philodem id exequere, quod ipse iam in te fecisset, si tam tu in ipsius manu esses, quàm ipse in tua est. Quamobrem cum Lysander occidi iussit. Ibidem.

PELOPIDAS Thebanus, cùm ab Alexandro Pheræo captus, haud admodum arcta custodia teneretur: per id tempus populos Alexandro subditos sollicitare non desinebat, monebátque breui Alexandrum pœnas daturum. Quod cùm Alexander resciuisset, misissétque qui Pelopidam monerent, Nisi linguam compesceret, fore vt ei mortis causam afferet: nuncio respōdit, vt Alexandro referret, Pelopidā mirari, quòd tam diu distulisset, cum ipse adeò in eum hostili animo esset, vt si vnquam euadēdi facultas daretur, ad dandas pœnas, pro eis quæ impiè in populos suos, nulla eorum culpa ederet, ipsum coacturus esset. Nec longè res ea abiit, quòd Pelopidæ opera Alexander à suis interemptus fuit. Ibidem.

C.BLOSII nimiam libertatem in amicitia sua cum Tib. Graccho explicanda, pete ex tit. Amicitiæ priuatorum mutuæ.

Priuerno capto, interfectísque qui id oppidum ad rebellandum incitauerant, senatus Rom. indignatione accensus cōsilium agitabat, quídnam sibi de reliquis quoque Priuernatibus faciēdum esset. Ancipiti igitur casu eorū salus fluctuabat, eodē tempore & victoribus & iratis subiecta. Cæterùm cùm auxilium vnicū in precibus restare animaduerterēt, ingenui & Italici sanguinis obliuisci non potuerūt. Princeps enim eorū in curia interrogatus, quàm pœnam mereretur? respōdit, Quam merentur, qui cùm se dignos libertate iudicarent, arma sumpserant: exasperatósque P.conscriptorum animos, verbis inflammauerat. Sed Plautius cōsul fauens Priuernatum causæ, regressum animoso eius dicto obtulit: quæsiuitque, qualem cum eis pacem habituri Romani essent impunitate donata? at is cōstantissimo vultu: Si bonam dederitis (inquit) perpetuam: si malam, non diuturnam. Qua voce perfectum est, vt victis non solum venia, sed etiam ius & beneficium nostræ ciuitatis daretur. Sic in Senatu Priuernas loqui ausus est. Val.lib.6.cap.2.

PRÆFVIT sua ætate Scipio cognomento Nasica, cùm Marco Pompilio collega Reip.censor: qui quum equites cum eodem Pompilio de ciuitatis more censerent, animaduertēre transeuntem Equitem nitidum in primis, & præpinguem, strigosiori tamen equo & planè macilento insidentem qui ab eisdem censoribus interrogatus, cur ipse cute tam nitida incederet, equo præsertim tam male habito? ita respondit: Quid miramini tantopere, quum ego me ipsum curem, Statius verò libertus equum? Quo responso insolentiore, moti censores, & illi equum ademere, & inter ærarios adscribēdum iussere: addita ad hæc censoria grauiore nota, ne in publicis demandandis magistratibus ius illi esset vnquam suffragij ferendi. Egnat.lib.2.cap.4.

BONIFACIVS octauus Pontifex, Gibellinæ factioni aliquanto infestior, quum prius Columnenses ipsos armis euertisset: Archiepiscopum quoque Genuensem, occurrentem sibi primo quadragesimæ die ad ædem sacram, vt cinerem à Pont. de more acciperet, ita planè excepit, vt mutata consueti carminis oratione dixerit: Memento, qui Gibellinus es, & Gibellinus moriere. Nec dicto contentus, sparsum cinerem in oculos illi obiecit. Egnat.lib.6 cap.2.

HENRICVS Dandalus, qui postea dux Venetiis creatus est, Sebastiani Ziani ducis tempore ad Manuelem Commenum imperatorem Constantinopolitanum, Veneto nomini infestissimum, missus orator: cùm multa alia prudenter apud eum principem locutus esse dicitur, vt illum patriæ recōciliaret: tum verò illud grauissimè addidit, vt meminisset Sibyllini carminis iampridem vulgati: futurum non multo pòst, vt Andria orti Constantinopolitani imperij fasces sceptráque ad se traherent. Quo tam graui dicto adeò excanduit Manuel, vt illi intra cubiculum euocato, æneum vas candēs obiecerit, quod inspectare diutius voluit, vt eum oculorum lumine priuaret: Quam pœnam ita passus est, quamuis grauiter laborarit, vt præcipuus ille autor fuerit imperij ad Gallos transferendi. Idem cap.4.

ERAT iampridem Venetis aliquanto infestior Iulius Pont. Max. quíque Christianos principes omnes in Venetam Remp. occultè armaret. Quo tempore Dominicus Pisanus pluribus iam honoribus functus, in patriam eiusdem Senatus Veneti decreto venit orator. Qui causam diligenter agens publicam, quum grauius & acerbius sæpe ab ipso Iulio Pont. accusaretur: tandem semel stomacho nimium indulgens, tanta cum libertate illi respondit, vt nihil vehementius dicere potuerit: Caueret, ne ex tanto dignitatis fastigio clericuli habitum assumere cogeretur. Quæ libertas adeò Iulij Pont. animum pupugit, vt constantius Principum conspirationem, suámque in Venetos iracundiam perficeret. Ex qua ita contigit, vt ipsis Venetis ad Abduam amnem superatis, grauissima omnium calamitas Venetos oppresserit. Idem.cap.2.

OPINIONEM ET SENTENTIAM SVAM DISSIMVLARE, AC *falsam siue simulatam proferre.*

Exempla quædam ex tit. Testamenta iniusta, pete eorum scilicet, qui iamiam morituri anulos suos iis reliquerunt, quos tamen hæredes non instituerunt, sed sola spe hæreditatis ludere voluerunt.

BONA SVA VERBIS NIMIVM EXTOLLERE. IACTANTIA *propriè dicitur.*

GOLIATH Philistæus, exercitum Israelitarum contemnēs, aliquem ad singulare certamen prouocauit. 1.Reg.17.

ABSALON regnum patris ambiens, non tantùm patris facta improbauit, sed seipsum bene iudicaturum iactitauit. 2.Reg.15.

ROBOAM Iudæorum rex, cùm mortuo patre Salomone, populi ad eum misissent oratum, vt onera imminuerētur, superbissimis verbis eos à se reiecit: dixítque, tanto maiora ab eis exigere velle, quanto ipse patrem virtute antecedebat. Eius facti indignitate in desperationem coniecti populi, cùm decem tribus ab eo rebellassent, Ieroboam primum Israelitici populi regem constituerūt. Roboami igitur superbia Israelis regnum ab altero, qui Iudæ dicebatur, diuisum est. Fulg.lib.9.cap.5.

ADONIAS filius Hagith, eleuabatur dicēs: Ego regnabo. Sed parum durauit regnum eius. 3.Reg.1.

BENADAB rex Syriæ, misit nuncios regi Israel, & ait: Hoc faciāt mihi dij, & hoc addant, si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me. Sed pulchrè responsum est ei: Ne glorietur accinctus, æquè vt discinctus, &c. 3.Reg.20.

Grandia verba & superba dixit Rapsaces: Nunquid liberabūt dij gentium terram suam de manu regis Assyriorum, &c 4.Reg.18.

HOLOFERNES dixit Achiori: cùm percusserimus omnes quasi hominem vnum, tunc etiam ipse cum illis, Assyriorum gladio interibis. Iudith.6.

SERON princeps exercitus Syriæ,ait:Faciam mihi nomen, & glorificabor in Regno.Et contriſtatus eſt.1.Mach.3.

DEMETRIVS,filius Demetrij,miſit ad Ionatham, dicens: Deſcende ad nos in campum,& congredere,quia mecum eſt virtus bellorum. Interroga,& diſce,quis ſum ego,&c.Sed paulo pòſt malè ſucceſſit ei.1.Machab.10.

Fugatus turpiter ANTIOCHVS ex PERSIDE,ſuperbè locutus eſt, ſe venturum Ieroſolymam, & cõgeriem ſepulchri Iudęorum eam facturum.Sed Deus percuſſit eum inſanabili plaga.2.Mach.9.

AMAN inuitatus ad conuiuium Eſther,vocauit amicos & vxorem ſuã, & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum & filiorum,& quando apud reginam ſolus cum rege prandere debebat.Sed poſtera die ſuſpenſus fuit,in ea trabe,quam parauerat Mardochęo.Eſth.5.& 7.

Aperuit Eſaias verba REGIS Aſſyriorum: In fortitudine manus meæ feci,& ſapientia mea intellexi,&c.Non fuit qui moueret pennam,& aperiret os ſuum,& ganniret,&c.Eſa.10.

De NABVCHODONOSOR intelligitur ad litteram illud Eſaiæ: Dicebas in corde tuo,*In cœlum conſcendam*, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum,& ſimilis ero Altiſſimo.Eſa.14.

PETRVS audacter dixit Domino:Et ſi omnes ſcandalizati fuerint,non tamen ego.Sed poſtea longè aliter accidit. Matth.26. Marc.14.Lucę 22. Ioan.17.

Arroganter nimis dixit Saluatori PILATVS,Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te,& poteſtatem habeo dimittere te?Ioan.19.

GLAVCVM quempiam,Hippolochi filium,& Bellerophontis nepotem introducit Homerus lib.6.Iliad.Lyciorum ducem iactantiuſculum, & oſtentatorem.

APRIES rex Ægyptiorum,eò venit inſolentiæ, vt nullum neque deorum neq; hominum regnum ſibi adimere poſſe exiſtimaret. Tandem à ſuis deſertus,& ab Amaſi captus,à ſubditis ſtrangulatus fuit. Herod. lib. ſecundo.

MENECRATES medicus adeò ſuperbia turgebat, vt ſeipſum Iouẽ appellaret. Miſit autem aliquando literas ad Philippum Macedonum regem,in hæc verba:Philippo Menecrates Iupiter ſalutẽ. Ad ea reſcripſit Philippus: Philippus Menecrati ſanitatẽ. Quo ſignificauit hominem ſui oblitum,non eſſe ſanæ mentis.Plut in Lacon.& Ælian.de Var.hiſt.

IDEM cùm literas ab Ageſilao accepiſſet,Menecrati rex Ageſilaus fœlicitatem:quaſi conuicio affectus foret,reſcripſit,Menecrates rex Ageſilao ſanitatem.Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

Cùm DARIVS Perſarum rex ad Tearum Thraciæ amnem perueniſſet cum exercitu,quem contra Scythas ducebat: oblectatus amne,cippũ erexit, his literis inſcriptum: Teari amnis capita optimam aquam atque pulcherrimam cunctorum amnium continent:& ad ea peruenit, exercitum ducens aduerſus Scythas, vir optimus atq; pulcherrimus cunctorũ hominum Darius,Hyſtaſpis filius, Perſarum totiúſque continentis rex. Herod.lib.4.

XERXES,cuius in nomine ſuperbia & impotentia habitat,ſuo iure inſolenter vſus eſt,quòd Græciæ indicturus bellum, adhibitis Aſiæ principibus : Ne viderer (inquit)meo tantummodo vſus conſilio,vos contraxi.Cęterùm mementote parendum magis vobis, quàm ſuadendum. Arroganter,etiamſi victori repetere ei regiam contigiſſet:tam deformiter victi,neſcias vtrum inſolentius dictum,an impudentius.Val. Max. libro 9.cap.5.

ASTYDAMAS hiſtrio quidam,Morſimi filius, cùm in Panathenæorum celebritate pręclarè egiſſet,& propterea ei ponẽda eſſet ſtatua.ipſemet Epigramma tale inſcripſit:

Vixiſſent vtinam mecum illi,aut inter ego illos,
Quos penes eſt linguæ ſuaueloquentis honos.
Præmia prima equidem citra certamen haberem:
Nunc adimunt,in quos nil habet inuidia.

Quòd vbi in concionem detulit,Senatus populúſq; eum reiecit,& ſtatua indignũ iudicauit.Itaq; Comici eum taxarunt hoc verſiculo, σαυτὸν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας γύνη, mox in prouerbium abiit.Gyrald. Dialogo 6.hiſt.poët.

PYRRO cuidam, qui vellet ſe recipi in numerum diſcipulorum Diogẽis, ac diceret ſe excellere ingenio,reſpõdit Diogenes:Si adeò excellis ingenio,optimíſq; moribus præditus iam es,non eſt quòd me præceptore ad vitam neceſſaria diſcas. Notauit autem inanem adoleſcẽtis iactantiam,& indignum putauit vt in philoſophiæ ſtudio exercitaretur. Bruſonius lib.3.

Quum ATHENIENSES ad Syllam duo tréſue miſiſſent de pace tractaturos, atq; illi nihil adferrent quod ad incolumitatem ciuitatis faceret:ſed Theſeum,Eumolpum, & res aduerſus Medos geſtas verbis inanibus iactarent:Abite,inquit,ô beati,iſtáſq; orationes vobiſcum referte. non enim diſcendi cupidus huc miſſus ſum à populo Romano, ſed vt rebelles ſubuertam.Plut.in Sylla.

Magnam C. NEVIVS comœdus doctrinæ eloquiíq; fiduciam oſtendit,cùm tumulo ſuo iuſſit à ſe confectum epigramma hoc poni,quod hodie adhuc Romæ apud campum Floræ in ędibus Vrſinorũ habetur: Immortales mortales ſi foret fas flere, Flerent diuæ Camœnę Neuium poëtam. Itaq; poſtquam eſt Orchio traditus theſauro,Obliti ſunt Romę lingua Latina loquier.Sed inſoleſcat iudiciũ fortaſſe de ſe ipſo arrogans,niſi à doctioribus quoq; non minorem doctrinæ laudem acciperet,Fulgo. lib.3.cap.7.ex Gellio.

APPION Grammaticus Alexandrinus,tanta vir arrogantia fuit,vt donare ſe immortalitate diceret illum,cui opera ſua dedicaſſet.Plin.

Q. RHEMMIVS Palæmon, Vicentinus, Romæ verna,deinde manumiſſus,grammaticus & poëta inſignis, extemporè verſus faciebat. Arrogantiſſimus fuit,adeò vt ſecum natas & morituras literas diceret,& Varronem porcum appellaret. Nomen quoq; ſuum à Vergilio in Bucolicis prædiuinatum volebat, cùm cecinit: *----Venit ecce Palæmon* Tanquam ipſe futurus eſſet poëtarum omnium cenſor. Libidinoſiſſimus fuit,& luxurioſiſſimus. Gyral.Dial.4.hiſt.poët.

BRADEAS nobilitate generis plus ſatis gloriatur. Vide tit. *Nobilitas generis*.

L. SYLLA dictator poſt multos ciues patria exactos,ſparſimque ciuilibus bellis ſanguinem,depoſita Dictatura cùm in foro deambularet, interrogatus, quomodo tam multis crudeliter atque auarè perpetratis rebus,à tam ſublimi loco,vbi imperabat, iterum ad priuatam vitam redire auſus eſſet?reſpondit: Si neceſſe eſſet : omnium quæ in dictatura geſſiſſet ſe rationem redditurum. Quo verbo fortaſſe innuit, crudelitatem rapináſq; ceu medicinam ad coercendum ſeditioſum auarúmq; populum neceſſarias fuiſſe,vt in grauibus morbis contingere ſolet.Per ſæpe enim inſulſis cibis guſtúq; ingratis pharmacis,nõnunquam etiam ſectione ignibúſque medentium ars malè valentibus afferre opem ſolet: quæ omnia moleſtia plerunque,interdum etiam doloris plena ſunt,& tamen ſine his recipi aut retineri ſalus non poteſt.Fulg. lib.3.cap.7.

C.IVLIVS Cæſar dicebat, debere homines pro legibus habere quæcunq; diceret.eóque arrogantiæ progreſſus eſt,vt aruſpice, triſtia & ſine corde exta quondam nunciante,futura diceret lætiora,quã vellet.Rauiſ.

SENECIO fuit quiſpiam, qui grandia ſemper cupiebat dicere. Idem ſeruos nolebat habere niſi grandes,& argẽtea vaſa non niſi grandia.Cõcubinam habebat ingentis ſtaturæ.Summis inſiſtebat digitis, quum diceret, vt grandior videretur.Ibid.

AGEBAT penes pontificem Iulium II. Venetus orator DOMINICVS Piſanus, ſingulari prudentia & probitate vir:qui tamen,cùm grauiter Venetum nomen laceraret Pont.de imperióq; Veneto penitus à ſe euertendo minaretur,eo impotentiæ lapſus eſt,vt Põt. ipſum vilem clericulum Venetorum opera euaſurum diceret. Quod ſuperbè dictum vſqueadeò pontificis Iulij animum incendit, vt Cameracenſe tandem fœdus initum ſit,quo totius Imperij ſui clade Veneti ſint affecti. Egnat.libro 9. cap.5.

BONA SVA FACTIS INSOLENTIBVS NIMIVM EXTOLLERE.

FASTVS, *Tumor, Elatio.*

Huic referri poteſt tit. Victoria inſolentis.

DAVID rex elato animo populum ſuum numerari curauit, & ſeptuaginta duo millia hominum morte amiſit.2.Reg.24.

De MOAB *dicitur:* Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius,& arrogantia eius, & indignatio eius,pluſquàm fortitudo eius.Idcirco vlulabit Moab.Eſa.16.

Quoniam eleuatũ fuit cor NABVCHODNOSOR regis Babylonis, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam,depoſitus eſt de ſolio ſuo,& gloria eius ablata eſt.Dan.5.

BALTHASAR filius Nabuchodonoſor, rex Babylonis,non humiliauit cor ſuum,ſed aduerſus dominatorem cœli eleuatus eſt:& ideo interfectus eſt,& Darius Medus ſucceſſit ei in regno.Eodem.

ANTIOCHVS æſtimabat ſe præ ſuperbia terram ad nauigandum,pelagus verò ad iter agendum deducturum,propter mentis elationem. ſed aliter euenit.2.Mach.5.

NICANOR veniens ad pugnandum contra Iudam & ſocios eius,vẽdebat Iudæos, antequàm in campo videret eos. Sed ei malè ſucceſſit.2. Mach.8.

AMAN ſuperbus conuocauit ad ſe amicos,& expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum,& filiorum turbam, & quanta cum gloria ſuper *omnes principes rex eum eleuaſſet.* Eſth.5.

EZECHIAS, cùm animo elato oſtendiſſet theſauros ſuos nunciis regiis,amiſit eos.

Deambulans in aula NABVCHODONOSOR,ait:Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna,quam ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ,& in gloria decoris mei? Cúmque adhuc ſermo eſſet,vox de cœlo ruit,&c Dan.4.

Cùm dixiſſent DISCIPVLI:Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.Compeſcuit eos Dominus,dicens: Videbam ſathanam ſicut fulgur cadentem de cœlo, &c. In hoc tamen nolite gaudere. Luc.10.

Superbia PHARISÆI,qui ſe iactabat, & proximum condemnabat, damnatur Lucæ.18.

HERODES veſtitus veſte regali,ſedit pro tribunali, & concionabatur ad populum.Populus acclamabat: Dei voces,& non hominis. Confeſtim

feſtim autem percuſſit eum angelus Domini,eo quòd non dediſſet gloriam & honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit. Actorum duodecimo.

CANDAVLES (quem Græci Myrſilum vocant) Sardium rex, vxorem ſuam ob formam valde amabat:cupiebat tamen alios quoque eam pulchritudinis ergò ſuſpicere. Itaque Gygem Daſcyli filium, vnum ex ſatellitibus ſuis, cogit vt ſe in cubiculum abderet, & mulierem ſeſe exuentem conſpiceret. Paret ille. Vxor proſtituti quodammodo corporis iniuria accenſa,cum Gyge contra regem conſpirat. Gyges Candaulem obtruncat, & Lydorum rex factus eſt. Itaque Candaules vltimus Heraclidarum,rex fuit Sardium:Gyges primus Mermnadũ, ex quorum proſapia vltimus fuit Crœſus,quem Cyrus ſuſtulit.Herod.lib.1.

TIMÆVS Siculus hiſtoricus,gloriabatur ſeſe Thucydidem & Philiſtum in hiſtoria ſuperaturum.Plutarch.

MYXVS fuit Dianæ ſacerdos glorioſus, & virtutum ſuarum eximius præco.Rauiſ.

ACCO mulier ad ſpeculum ineptè ſibi blandiebatur.Rauiſ.

CALLIPIDES Græcus tragœdiarum hiſtrio, plurimum ſe admirabatur.Propterea quum Ageſilao regi occurriſſet, arrogantius eum ſalutauit,ſubinde illi ſe oſtentans,& inter aſtantes ſeſe intrudens:arbitratus fore,vt comiter à rege exciperetur. Verùm is quum grauioribus intenderet,ac Callipidem ne reſpectaret quidem:Nõ admodum,inquit,noſſe me videris,ô rex,nec qui ſim audiſſe.Ridens Ageſilaus: Annon es,inquit,Callipides ille mimus?Plut.

SELLVS quum eſſet pertenui fortuna, volebat tamen haberi diues. Rauiſius.

DIOGENES Sinopenſis de ſeipſo dicere ſolitus eſt, ſe implere & ferre tragicas execrationes Nam erronem ſe eſſe, domo & patria carere,mendicum agere, tenui veſtitu vti, & in diem viuere. Nilominus tamen in his ſibi non minus placebat, quàm Alexander in terrarum orbis imperio,cùm ſubactis Indis Babylonem reuerteretur.Ælianus libro 3.de Var.hiſt.

DEMETRIVS Antigoni Macedonum regis filius, adeò ſuperbiuit, vt præter ſe & Antigonum patrem, regem nęc nominaſſe,nec ſalutaſſe dicatur.Alexander ab Alexandro libro ſecundo,cap.19.

IDEM legatos Athenienſes, qui honore apud eũ cæteros anteibant, duos annos fruſtra terendo tempus,eius veſtigia ſecutos, rebus tandem infectis domum remiſit.Volat.lib.15.Anthrop.ex Plutar.

Dionyſius ſenior,Syracuſanus tyrannus,cum obiurgaret Filium,quòd ciuis cuiuſdam Syracuſani vxorem ſtupraſſet, cum hoc tam indignum facinus à parente ſuo nunquam vel vidiſſet, vel audiuiſſet etiam ab aliis: reſpondit filius,Verum eſt pater,hoc abs te nunquam audiui:ſed id accidit,quòd nunquam patrem regem habuiſti. Ad quem pater:Nec tu quidem,mi fili,niſi hęc facere deſiueris, vnquam habebis filium regẽ.Quod mox contigit.Nam cum Dionyſio ſeniori filius ſucceſſiſſet, haud multo pòſt ob indigna facinora Syracuſis pulſus eſt. Fulgoſus libro ſeptimo, capite ſecundo.

XERXIS ſuperbiam, qui Helleſponto vincula iniecit, & colaphos impingi curauit,pete ex tit. Vltionis nimiæ erga ſenſu carentia.

Perſarum rex Cyrus, cùm ad Babylonicam expeditionem proficiſceretur,fluuium Gangem,immenſæ magnitudinis,rapidúmque, in trecentos ac ſexaginta paruos alueos diuiſit: quòd in eo eques Perſa,vnà cùm equo abſorptus eſſet Superbæ rei inſolens quoque verbum addidit, affirmans ſe ita diminuturum amnem, qui equiti ſuo ſe peruium facere noluerat, vt etiam prægnans fœmina pedibus ſine labore eum traiecturæ eſſet.O immanem ſuperbiam, elementis non ſecus ac hominibus iraſci,atque ab eis reuerentiam exigere.Fulgoſ.lib 9.cap.5.

Ægypti rex Seſoſtris, principes ac rectores prouinciarum ad ſe quotannis cum munere cogebat venire,atque ex eorum numero à quatuor veluti equis currui iunctis,ad templum trahi volebat:demens nimium, cui id in mentem non veniret,quòd qui hominibus pro iumentis vteretur,ipſe ob ſuperbiæ magnitudinem, amiſſa ratione, beſtia iumentúmque efficeretur.Ibidem.

TIGRANES Armeniæ rex,reges domitos domeſtico miniſterio adhibebat,in menſa atque aliis rebus eorum opera vtebatur: & cùm pro tribunali cauſas populorum aut legatos audiret, circumſtare tribunali ſupplicibus manibus in ſeruorum morem cogebat. Hic tandem coram Pompeio flexo genu procumbere, atque ad eius pedes diadema deponere coactus fuit.Etenim hæ ſuperbiæ leges eſſe ſolent, vt ſordidorum corda plerunque inuadat: quos vt proſpera fortuna inſolentes reddit, ſic aduerſa proſternit.Ibidem.

M. LIVIVS Druſus, dum Quæſtor Aſiam obtineret, nullo lictore aut alio inſigni honorum (pro more) vti voluit: non quòd ita ſe humiliaret, ſed ne quid ſeipſo inſignius in prouincia eſſet. Plin. de Viris illuſtribus:& Alex.ab Alex.lib.1.cap.27.

DARES, vt eſt apud Vergilium,fuit neſcio quis glorioſus, qui in ludis & certaminibus(quæ Æneas ad Anchiſæ patris tumulum celebrauit in Sicilia)inani brachiorum oſtentatione gloriabatur,& immodicis laudibus ſe prædicabat, vnumquenque ad duellum prouocans, & ſuam vnius virtutem extollens immodicè.Vergil.lib.5.Æneidos:

Nec mora,continuò vaſtis cum viribus effert
Ora Dares,magnóque virûm ſe murmure tollit.

VARVS Pergæus fuit quiſpiam, qui verbis aſſentatorum corruptus: perſuaſit ſibi, ſe eſſe omnium formoſiſſimum,arte quoque & robore in palæſtra omnes excellere,imò ne Muſas quidem cantare ſuauius.Rauiſ.

SVFFENVS fuit ineptiſſimus poeta, qui in ſuis operibus mirabatur ſe plurimum,ſibíque blandiebatur,& arridebat.Catull.

MVRHANVS antiqua generis nobilitate gloriabatur apud Verg. libro duodecimo.

Murrhanum hic,atauos & auorum antiqua ſonantem
Nomina, per reges actum genus omne Latinum,
Præcipitem ſcopulo atque ingenti turbine ſaxi
Excutit.

ACTIVS poeta in Camœnarum æde maxima forma ſtatuam ſibi poſuit,quum tamen breuis admodum eſſet.Plin.lib.34.

ASINIVS Pollio, cùm à Meſſala Coruino vocatus eſſet, vt Sextilij Henæ Cordubenſis poetæ carmen de Ciceronis morte audiret, & Sextilius in principio hunc verſum ſine aſſenſu recitaret. Deflendus Cicero eſt,Latiæque ſilentia linguæ:tum Pollio grauiter commotus,ait: Videris tu,Meſſala,quid tibi liberum ſit in domo tua : ego iſtum non ſum auditurus,cui videor mutus.Et ſimul conſurgens abſceſſit. Gyraldus Dial. 4. de Hiſt.poet.

C. IVL. Cæſar dictator,cum triumphali curru vectus, vicum præteriret, vbi e regionè prætereuntis Tribuni ſedebant, vehementer turbatus eſt aduerſus Pontium Aquilam, quòd vnus ex tribunorum numero, vt cæteri fecerant,ei non aſſurrexiſſet: neque verò multo poſt illum aſſurgendi honorem, quem ei Tribunus habere noluerat,ipſe vniuerſo Senatui negauit.Venientem enim in Veneris genetricis templum, ſedens ſuperbè nimis excepit:monentémque veſtis contactu C. Trebatium vt aſſurgeret,minus familiari vultu aſpexit.Fulg.lib 9.cap.5.

C. CALIGVLA, Romanorum imperator,complectebatur & oſculabatur paucos:manum ſuam,pedémue plurimis,iiſque ſenatoribus, ad oſculandum præbebat:ita vt ij quos ipſe oſculatus eſſet,ei etiam in ſenatu gratias agerent, licet ſaltatores quotidie in conſpectu omnium oſcularetur. Xiphilinus in Dione.

LVCANI poetæ ambitio in eruditione oſtentanda,exitium ei attulit. Vide tit.Poetarum.

NERO Cæſar maiorem ſe putabat, quàm vt quenquam ſalutare, vel ſalutatus quoque reſalutare,ſui eſſe officij crederet. Alex.ab Alex. libro ſecundo,cap.19.

IVVENALIA feſta à Nerone imperatore inſtituta atque celebrata ſunt,propter eius barbam, quæ tum primum raſa fuerat. Cuius pilos in ſphæram auream coniectos,Ioui Capitolino conſecrauit.Xiphilinus in Nerone.

METIVM quendam aſſiduè Domitianus imperator reprehendere ſolitus eſt,cùm diceret: Vellem ſanè tam formoſus eſſe,quàm Metius ſibi videretur.Sueton in Domitiano.

ADRIANVS Romanorum imperator inanis ſcientiæ perſuaſione elatus,cum omnibus doctis exiſtimationem auferre tẽtaret: Homerum è medio tollere,atque Antimachum, cuius ne nomẽ quidem antè à pleriſque cognitum erat,pro eo introducere, conatus eſt. Dion: & Xiphil. in vita Adriani.

MAXIMINVS, filius Maximini,Romanorum imperator,cùm mira ſe pulchritudine adoleſcentem eſſe nequaquam dubitaret, ſuperbiæ vitio maximè laborauit,vt qui manus pedéſque viris ſenatoribus exoſculandos præberet: à quo pater quanquam crudeliſſimus abſtinuiſſe dicitur,Capitolino teſte.

LEONTIVS Tripolis Lydiæ epiſcopus Arianus, cùm ad edictum Euſebiæ reginæ, Conſtantij Imp.vxoris, Ariani epiſcopi aliquando plurimi conueniſſent,& ſupplices reginæ fierẽt,ſolus domi manſit: neque etiam maximis oblatis dignitatibus venire voluit, niſi eam obuiã ſibi proceſſuram ſciret,& caput manibus ſuis ſubmiſſuram:ipſóque ſedente, ſtaturam ſe, ac iuſſis obtemperaturam promiſiſſet. Par eius libertas in reprehendendo Conſtantio. De qua vide tit. libertatis in reprehendendo. Suidas teſtis.

PAVLVS Samoſatenus hæreticus,fuit intolerabili ſuperbia. Nam & incedens per plateas,literas & doctrinam publicè oſtentans, *notariis* ſolebat dictitare.In templo thronum altius conſcendens, ad plebem concionem habebat:iactando dextram arroganter,ad latus reducendo, ſcabellúmque feriendo,theatralem plauſum ſcenico quadam mollicie ſibi excitare cupiendo.Hæc ex epiſtola præſulum, qui concilio vltimo Antiocheno interfuére,apud Euſebium.

NESTORIVS hæreticus, factus præſul Conſtantinopolitanus, orationem poſtero die habuit ad populum arrogãtiæ plenam, & ſuperbiæ, qua cœlum ſe vnicuique daturum promittebat.Rauiſ.

Erat Attila rex Pannoniæ ſuperbus inceſſu, huc atque illuc oculos circumferens,vt elata potentia in ipſo corporis motu appareret.Rauiſ.

Superbia immanis ea fuit,qua Sapor Perſarum rex, in Publium Cornelium Licinium Valerianum imperatorem vſus eſt: quem cùm prælio ſuperatum cæpiſſet, non ſolùm veluti canem vinctum tenebat, verùm tergo quoque ac renibus eius pro ſcamno vtebatur,vt commodius in equum conſcenderet Fulg.lib.9.cap.5.& Egnat.lib.9.cap.5.

BELPHECH Perſarum rex, Romanum Diogenem nuncupatum, Conſtãtinopolitanum imperatorem,cùm prælio cæpiſſet,veluti canem vinctum circumducebat:eiúſque tergo pro ſcamno vtebatur,equum aſcenſurus.Fulg.lib.9.cap.5.

TAMBERLANES Perſarum rex, quanquam cæteris in rebus moderatè fortunam ſuam ferre videretur : tamen in Baiazeten Turcarum regem, in prælio à ſe captum,ſuperbè nimis ſe geſſit:nulla enim fortunę varietatis habita ratione,cauea Baiazetẽ incluſit: atque ita currui impoſitum, quocunque ipſe proficiſceretur, ſecũ trahebat,eo pro ſcabello vtens,vt

faciliorem in equum pararet ascensum. Fulg.lib.9.ca.5.& Egnat li.9.c.5.

CAROLVS Imperator, post adeptum imperium, consuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias & insolitos habitus affectabat: & talari Dalmatica indutus, & desuper baltheo accinctus pendente vsque ad pedes, capite verò inuoluto velamine serico, & diademate superimposito incedebat. Sigebert. in Chron.

EDGARVS Britannicus rex, superbiæ magnitudine notus, Scotiæ atq; Hyberniæ reges remigare cogebat in ea cymba, qua ipse voluptatis gratia vehebatur. Fulg.lib.9.cap.5.

Absens Laurentius Celsus quadragintavirali suffragio dux creatus, patre adhuc superstite: qui tum Venetiis agebat quum vniuersa ciuitas maximè lætaretur nouo ducis aduentu, PATREM obuium nunquam habuit, qui filium ducem incolumẽ gratularetur. Quòd scilicet ille iniquo ferret animo, se patrem ita filio occurere debere, vt eum nudato capite salutare cogeretur: quasi verò nesciret, quicquid honoris impenderetur filio à patre, id publicæ maiestati, non priuato vlli officio deberi. Cæterũ quanto pater haud satis ciuili animo sese gessit, tanto magis pietas prudénsq; consilium filij laudari debet: qui pileo suo in frõte crucem aureã affigendam curauit (quod & reliqui duces in hunc vsq; diem retinent) vt crucis vexillo, non filij dignitati reuerentiã exhibere videretur: id quod pacatissimo postea animo pater excerperit. Egnat.lib.5.cap.8.

HVGONEM Senensem medicum, sub Eugenio quarto quis non vt superbissimum, ac elato spiritu hominem iudicet? Cùm enim in concilio Ferrariensi esset, ibidémq; ad cœnam Latinos Græcósq; philosophos vocasset, monuit vt proponerent quicquid vellent. Eorũ enim doctrinis se respõsurũ satis, ac partes siue Platonis siue Aristotelis defensurum. Volat. lib.21. Anthrop.

MAIORA AGGREDI ET CONARI, QVAM PERFICERE POSSIT.

Frustra & stultè nimium in se confidebant ÆDIFICATORES turris Babel, quorum linguam meritò confudit Dominus. Gen.11.

PHARAO & ægyptij in curribus & equis stultè confidentes, dum aduersus Dominum persequerẽtur Hebræos, submersi sunt in mari rubro. Exod.14.

PHAETHON Solis & Clymenes filius, patris currus temerè regẽdos suscepit. Mundo incenso, à Ioue fulmine tactus, in Eridanum cecidit. Eleganter Horatius: Terret ambustus Phaethon auaras Spes, & exemplum graue præbet ales Pegasus, terrenum equitem grauatus Bellerophontẽ.

ICARVS Dædali filius, qui cum patre volasse dicitur ex Creta, cùm superbiens nimis altè volare vellet, liquefacta cæra qua pennæ erant compositę cecidit in mare, quod ab eo Icarium appellatum est. Vnde Ouid. Icarus Icareas nomine fecit aquas.

BELLEROPHONTES, cùm Pegaso ferretur præceps, excussus est. Quod euenire sæpissimè iis solet, qui secundis rebus inflati, superbè nimis & intemperanter agunt. Pont.lib. De principe.

MARSYAS tibicen, Apollinem ad tibiæ certamen prouocauit.

Ausa est ARACHNE certare cum Minerua de lanificio.

MISENVS Aeneæ tibicen, deos marinos ad certamen tubæ ausus est irritare.

POLYDAMAS athleta ea fuit animi confidẽtia, & temeritate, vt ruinam scopuli, quem pręuidebat casurum, expectauerit, existimans se posse resistere: quo tamen obrutus est. Rauis.

THAMYRAS poëta & musicus, cum Musas in certamen prouocasset, ab eis victus, oculis & lyra priuatus est. Hac autem conditione certabãt, vt Thamyras victor complexu Musarum potiretur: victus verò, quod eis luberet pateretur. Hinc prouerbium, θαμύρης μαίνεται. Volat. quoq; li.20. Anthrop.

LEPREAS Glauci ex Astydameia filius, cùm videret Herculem corporis viribus multos superare, æmulatione ductus cum eodem variis modis certare conatus est. Prouocato igitur Hercule, disco contendũ, aquarúmq; exhaustione: in quibus tamẽ omnibus Lepreas superatus est. Tãdem ira & indignatione commotus, sumptis armis cùm ad pugnam Herculem prouocasset, pugnando ab eodem interfectus, dignas suæ temeritatis pœnas luit. Ælian.lib.1.de Var.hist.

XERXES, cùm satis ei non esset, superbè in homines agere, etiam aduersus mundi elementa bellum suscepit. Primum cùm Hellespontiacum fretum traiiceret, indignatus ventis mare intumuisse, tanquam aquis sensus inesset, verbera ac carceres interminatus, ceu vincire vellet, compedes in mare deiici iussit. Deinde cùm Athos longo tractu in mare procurrens, nauigationi eius incommodus videretur, à continenti montem abscidit. Adeò enim à recto sensu superbia eum auerterat, vt matris terrarúmque ac propriæ naturæ inscius videretur. Fulg.lib.9.cap.5.

MAIORES HONORES, QVAM MEREATVR, APPETERE.

Titulus iste sub Ambitione tractatus à nobis est, quatenus immodica honoris cupiditate accenduntur homines: huc verò transferri potest, quatenus hoc ipso, quòd maiores honores expetunt, à veritate recedunt. Comprehendit denique locus iste omnem in vniuersum αὐθάδειαν, hoc est, vt Eustathius interpretatur, αὐτοαρέσκειαν καὶ φιλαυτίαν. Cæcos enim reddit amor proprius, vt cùm sua magni æstiment, maiores quoque honores, quàm mereantur, sibiipsis tribui postulent.

TIMOTHEI Atheniensis iconi pictores, adulandi gratia iuxta Fortunam comitem addiderunt, retibus ciuitates ei inclusas deferentem. Ille autem indignatus pictori fuit, quòd fœlicitati potius eius res gestas, quã virtuti, videretur ascribere. Haud multo pòst, hoc factum Fortuna quasi ægrè ferente, rebus excidit. Suidas.

ADVLATORIBVS AVRES PRÆBERE.

Consule locum Ambitionis, item titulum Adulatorum. Ambitiosè quidam maiores honores sibi tribui patiuntur, quàm deceat: mendaciter quoque eosdem ab aliis oblatos suscipiunt. Diuerso itaque respectu modò ad Magnanimitatis, modò ad Veritatis excessum referri possunt. Ex prædictis itaque locis exempla petantur.

C. IVLIVS Cæsar, adulatorum suorum artibus sibi ipsi peperit exitiũ: quos si nunquam audiuisset, tutè Romanum gubernare imperiũ potuisset. Nam assentatores cùm persuaderent, diuinos tanto Cæsari honores meritò tribui, cuius nomine & Iulium mensem posthac appellari instituebant. Deum ipsum & dominatorem rerum omnium Iouem coram salutabant, templúmq; dicabant: in tantam animi elationem incidit, vt se hominem esse oblitus, pro arbitrio omnia fecerit: vnde in tantam incidit apud populum inuidiam, vt insidiatorum cruentas manus effugere nequaquam potuerit. Xiphilinus, in compendio Dionis.

BALTHASAR Cossa, qui pontificatum adeptus maximum, Ioannes tertius & vicesimus dictus est, sæpenumero supra modum laudatus, inquit: Quamuis ficta de me dici sentiam, tamen iis quæ præclarè de me prædicantur, plurimùm oblector. Vnde sunt qui putant, non probandos esse, qui prorsus non ferunt vllam adulationem: quòd in hoc prosit, vt intelligat laudatus, qualis esse debeat. Æneas Syl. libro 1. de dictis & factis Alphonsi.

MALA ET VITIA SVA DISSIMVLARE, ET VICISSIM simulare virtutem.

Consule tit. Fraudis cuiuslibet. item, Simulatæ amicitiæ. item, Inconstantia.

TIBERIO Cęsari cunctanter & ægrè suscipienti delatum imperium, quidã in os ausus est dicere: Cęteri quod pollicentur, tardè præstant: tu quod præstas, tardè polliceris. Notata est illius simulata cunctatio, detrectantis quod cupiebat. Eras.lib.6. Apoph.

C. CALIGVLA ab initio humanus fuisse dicitur. Postea verò crudelissimus euasit. Notauit Theodorus Gadaræus præceptor eius ingenium, quando sæpe πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον eum appellauit Lutum, s. sanguine maceratum: stupidum & crudelem hominem significans.

NERO Cæsar primo imperij quinquennio talem se præbuit in omni virtutum genere, vt vulgò in prouerbium abierit, Omnes principes, etiã bonos, longe à Neronis quinquennio abesse. Erupit tãdem simulata hæc mansuetudo in vrbis & orbis maximam calamitatem, vt quantum à virtutibus eius alij, tantũ ipse à seipso dissideret: & Senecæ præceptoris somnium reipsa confirmaret, qui sub initia imperij Neronis sese Caligulam in disciplina habere somniauerat.

CONFESSIO NIMIA, SEV POTIVS EXAGGERATIO peccatorum.

Huc titulus Desperationis referri potest, quatenus scilicet peccata sua ita extollunt, vt nullum diuinæ misericordiæ locum relinquant. Quæ falsissima persuasio ab authore & parente mendacij, humani generis hoste, prouenit.

CAIN

CAIN recognouit peccatum, desperans, non piè confidens: Maior est, inquit, iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Gen.4.

PHARAO dixit: Peccaui in Dominum: & in vos. Et: Peccaui etiam nunc: Dominus iustus, & ego & populus meus impij. Non tamen dignè pœnituit. Exod.9.

SAVL ait: Peccaui, apparet quod stultè egerim, & ignouerim multa nimis. 1.Reg.26.

Item IVDAS: Peccaui tradens sanguinem iustum. Nullus tamen ex illis veniam consecutus est, quia non recto corde dixerunt. Matthæi vigesimoseptimo.

CONTEMNERE ALIOS PRÆ SE. SVPERBIA PROPRIE ὑπεροψία. *Honorem aliis debitum exhibere nolle.*

AGAR ancilla Sarai, concepisse se videns, dominam suam despexit. Gen.16.

Superbè respondit Pharao, quando dixit: Nescio Dominum, & Israel non dimittam. Exod.5.& 14.

Rebellio Chore & aliorum, facta contra Moysen, ex superbia processit. Nam dixit illis Moyses: Multum erigimini filij Leui. Num.16.

NICANOR Iudæis dicentibus, Est Dominus potens in cœlo, qui iussit agi diem septimum: Et ego, inquit, potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negocia regis impleri. Sequitur: Et in summa superbia erectus, cogitauerat commune trophæum statuere de Iuda. Sed corruit cum armis suis. 2.Mach.15.

Cùm audisset Nicanor holocausta quæ offerebantur à Iudæis pro rege, irridens spreuit, & locutus superbè cecidit primus in prælio. 1.Mach. septimo.

NABVCHODONOSOR rex Babylonis, dixit tribus sociis Danielis, qui noluerunt statuam eius adorare: Quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? Dan.3.

Cõtra iactantes se, & arrogantes, inducit Dominus exemplum Pharisæi, dicentis: Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus. Lucæ 18.

Magnæ arrogantiæ verba dixerunt Pharisæi cæco nato, quem Dominus illuminauit, & illos rationabiliter confundebat: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Ioan.9.

Poetæ fabulantur, Cassiopen, Cephei filiam, Nereidibus se prætulisse, Nioben Latonæ, Antigonam filiam Laomedontis Iunoni, Lychionem filiam Dedalionis Dianæ.

NARCISSVS puer liberali forma, tantæ fuit superbiæ, vt pueros omnes & puellas, à quibus adamabatur, nihili faceret. Ouid. libro tertio Metam.

Multi illum iuuenes, multæ cupière puellæ:
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuuenes, nullæ tetigere puellæ.

Cùm vniuersæ Græciæ exercitus aduersus Persas conuenisset, Pausanias Lacedæmonius sæuè nimis omnes verberibus afficiebat, qui ante Lacedæmonios pabulatum iuissent: nec minore superbia, petenti Aristidi Atheniensi, Se eum grauibus de rebus alloqui velle: respondit, Sibi tunc audiendi ocium non esse. Quibus rebus Græcos omnes fastidio affecit, eiúsque superbia ante alia reliquos omnes Græcos impulit, vt Lacedæmoniorum fœdus atque amicitiam relinquerent. Fulgos. libro 9. capite quinto.

Superbum Lysandri responsum fuit, cùm de finibus Argiui atque Lacedæmonij contenderent. Nam cùm Argiui potiora sua dicerent iura esse, Lysander stricto gladio affirmauit, Illius potiora iura, qui gladij dominus esset effectus. Insolenti verbo ostendit, se vim iustitiæ antelaturum esse. Ibidem.

ALEXANDER Macedo, posteaquã profligato Dario Magni cognomen accepit, adeò superbia victus est, vt nulli in posterum nisi Antipatro & Phocioni in literis salutem dederit. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

TIMÆVS Siculus historicus, Thucydidem & Philistum in historia se facilè superaturum dixit. Volat.lib.20. Anthrop.

NVMANVS Remulus Rutulus, quum multum sibi tribueret, & immodicè placeret, Troianos in Italia obsessos arguebat mollitiei. Verba Vergil. sunt hæc:

Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidúsque nouo præcordia regno
Ibat, & ingentem sese clamore ferebat.

Insolentiæ inter Carthaginensem & Campanum Senatum, quasi æmulatio fuit. Ille enim separato à plebe balneo lauabatur, hic diuerso foro vtebatur. Quem morem Capuæ aliquandiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet. Val.lib.9.cap.5.

HANNIBAL Cannensis pugnæ successu elatus, nec admisit quenquam ciuium suorum in castra, nec responsum vlli nisi per interpretem dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum suum clara voce affirmãtem, prospexisse se quónam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aspernatus est. Adeò felicitatis & moderationis diuiduum cõtubernium est. Ibidem.

M. FVLVIVS Flaccus consul, M. Planci Hipsei collega, cùm perniciosissimas Reipublicæ leges introduceret, de ciuitate danda, & de prouocatione ad populum eorum qui ciuitatem mutare voluissent: ægrè compulsus est, vt in curiam veniret. deinde partim monenti, partim oranti Senatui vt incœpto desisteret, responsum non dedit. Tyrannici cõsul spiritus haberetur, si aduersus vnum senatorem hoc modo se gessisset, quo Fuluius in totius amplissimi ordinis contemnẽda maiestate versatus est. Ibidem.

CN. POMPEIVS balneo egressus, ante pedes suos prostratum Hipseum, ambitus reum, & nobilem virum, & sibi amicum iacentem reliquit, cõtumeliosa voce proculcatum: nihil enim eum aliud agere, quàm vt conuiuium suum moraretur, respondit. & huius dicti conscius, securo animo cœnare potuit. Ille verò etiam in foro non erubuit P. Scipionem socerum suum, legibus noxium, quas ipse tulerat, in maxima quoque reorum & illustrium ruina, muneris loco à iudicibus deposcere, maritalis lecti blanditiis statum Reipub. temperando. Ibidem.

M. ÆMILIVS Lepidus triumuir, cum M. Antonio & Octauio Africã sortitus est cum xx. legionibus. Quapropter elatus imperio, primas sibi partes vendicabat, Octauiúmque spernebat, neque auxilium cõtra Sex. Pompeium petentem iuuit. Ex quo ab eodem & exercitu spoliatus, & supplex concessa vita apud Circeos relegatus in perpetuum fuit. Volat. lib.13.cap.3. Anthrop.

ACCIVS poeta grauissimus, tam grauiter philautiæ morbo laborauit, vt Cæsari in collegium poetarum venienti non assurrexerit, se Cæsare multo maiorem iudicans. Volat.lib.13.cap.3. Anthrop.

Frater Leonhardus beatum Franciscum asello insidentem pedes comitatus, mente voluere cœpit, quanto illum quondam superarit generis nobilitate, potentiáque seculari. Franciscus Spiritu sancto edoctus, vt intellexit gliscentem in præcordiis comitis tumorem, statim desiliens, asellum se illi cedere dixit, ipse potius pedibus iter facturus, eo quòd obscuriore loco natus esset. Agnouit ille insolentis cogitationis culpam penè apertè sibi obiici: & miratus deprehendi potuisse, ad pedes eius suppliciter prouoluitur, séque peccasse confitens, veniam impetrat, cautius deinceps humilitatis propositum seruaturus. Aratrum quippe tenẽs post tergum respexerat, sed magistri opera rursum citò cõuersus, aptum se fecit regno Dei. Marul.lib.1.cap.4.

PALLAS, Claudij Cæsaris libertus, immensis opibus comparatis, cùm à Peto accusaretur, in Neronem conspirasse, atque ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerentur, coactus est Pallas, vt innocentiam probaret, superbiæ suæ magnitudinem detegere. Affirmauit enim, moris sui esse, nunquam ministrorum suorum quempiam alloqui: sed si quid vellet, id eis aut manu aut nutu indicare: & si quid esset, quod longiore oratione declarandum esset, illud eis scribere. id autem agebat, ne cum ministris superbæ vocis suæ dignitatem communicaret. O immanem fastum, adeò nimia fortunæ fœlicitate Pallantem efferri, vt primæ fortunæ gradum obliuisceretur: & his in quorum ordine fuerat, adeò se illius rei auarum præbere, quod largè sine vllo detrimẽto communicari potest. Fulg.lib.9.cap.5.& Alex.lib.2.cap.19.

LAVRENTIVS Celsus dux creatus est viuente patre. Pater cum salutandi gratia adiret, nunquam illi aperto capite occurrere voluit: quasi verò patria authoritate indignum videretur: filium salutare domi sedentem aperto capite. At nec filius domi fortasse hoc plurimum exquirere debuisset, etiam si aliquid de sua dignitate adimi crederet. Tandem id verò adinuentum est, vt cornu suo dux crucem auream affigi in fronte iusserit, cui pater omnem honorem dicaret. Egnat.lib.9.cap.5.

HOSTEM IMPRVDENTER CONTEMNERE.

Consule tit. Hosti securitatem iniicere: Nam qui securi sunt, hostem aliquatenus contemnere videntur. item tit. Bonis consiliis non parere.

CARTHAGINENSES in Hasdrubale Hannonis filio, Boscaro & Hamilcare, omnium fortissimis eo tempore ducibus contra Romanos magno cum exercitu pugnantes, à minore militum manu adeò fracti sunt, vt penitus iam desperarent, ac pacem suppliciter à M. Attilio Regulo peterent. Qui dum iniquas fœderis conditiones proposuisset, admoniti Carthaginenses à Xanthippo Lacedæmonio, ne tantas ignominiæ notas sibi ipsis inurerent, & ab eodem edocti quibus rationibus pristinas virtutes recuperarent: reliquias exercitus Xanthippo nouo duci dederũt: qui non multo pòst capto Attilio Regulo cum multis aliis, Romanos vinci posse reipsa ostendit. Polybius lib.1. Hist.

TIGRANES Armenius, potentissimus Asiæ rex, contra L. Lucullum Romanorum ducem pugnaturus, cùm milites Romanos vidisset numero paucissimos, eos irridens dixisse fertur: Eos, si quidem ad bellum venissent gerendũ, perpaucos esse: si verò vt legatione fungerẽtur, permul-

cos. Attamen mox paucorum militum cōſilio ac virtute adeò victus eſt, vt fugam adornans, tiaram vitráſq; diſciderit, clámq; abiecerit, ne ex iis agnitus in hoſtium manus turpiter veniret. Dion Nicæus, vel eius abbreuiator Xiphilinus in Pompeio.

POMPEIVS Magnus, Tigrane iam deuicto cùm ab ALBANIS contemneretur, quibus bellum minitabatur, in regione Tanaitide ad Cirnū fluuium exercitum in tres partes diuiſit: Albanóſq; fortiter aggrediens, magna illata clade facilè deuicit. Hiſtoriam copioſius leges apud Dionē Nicæum, vel eius abbreuiatorem Xiphilinum in Pompeio.

OCTAVIVS Auguſtus in eo bello quod in Sicilia geſſit, cùm contēneret Pōpeianos, eò quòd iam ab Agrippa ſuperati fuiſſent, cum iis cōflixit. Quo in prælio non ſolùm amiſit magnam partem claſſis, ſed ipſe quoq; in maximum periculum & diſcrimen venit, cū non poſſet ad ſuos, qui in Sicilia erant, perfugere: ſatiſq; ei fuit, ſe recipere in proximam cōtinentem, atq; ibi tutò eſſe. Xiphilinus in Auguſto.

Quum Parthi denunciaſſent CRASSO per legatos, vt ſuæ ætati conſulens, à bello abſtineret, iam ſexagenarius, inſolenter reſpondit: In Seleucia iſtis mandatis reſponſum dabimus. Hic Agiſis legatorum vnus ſublata manu, mediam palmam oſtendens: Prius, inquit, in hac manu naſcētur ſetæ, quā tibi Seleuciam conſpiciendi ſit futura poteſtas. Plut. in vita Sertorij.

ALIORVM ERVDITIONEM CONTEMNERE.

Conſule tit. Bona ſua nimium extollere, exemplo Aſinij Pollionis, Rhemnij Palæmonis, Næuij, &c. Item tit. Æmulorum.

ZOILVS Amphipolitanus, Polycratis auditor, qui canis Rhetoricus nominatus eſt, homo ſtudioſus malè loquendi, cum non ſolum in Homerum, Platonem, alióſque pręclaros ac magnos viros ſtilum ſtringeret, ſed vbique litibus & pernicioſis etiam cōtentionibus operam daret: rogante quodam erudito viro, quamobrē omnibus malè loqueretur? Quoniam, inquit, malè facere cum velim, non poſſum. Exprimit autem omniū maledicentium & detrectantium perſonam Zoilus: qui dum non inueniunt qua ratione facto lædant, dentibus caninis & lingua amarulenta in bonos inuehuntur. Ælian. lib. 11. de Varia hiſtoria, & Bruſ. libro 1. cap. decimo ſexto.

XENOPHANES Colophonius Homeromaſtyx, quum apud Hieronē Siciliæ regē lamentaretur paupertatem, quòd vix à ſe duo famuli poſſent nutriri: At Homerus inquit Hieron, cui tu aſſiduè maledicis, pluſquā decem millia hominum alit, vel mortuus. exprobrauit autem innatam homini maledicentiam, quæ paupertatis & inopiæ ſuæ non minima cauſa erat. Bruſ. lib. 1. cap. 16.

ALIORVM BONA NIMIVM EXTOLLERE ET PRÆDICARE.

Adulatorum hoc eſt proprium. De quibus infrà ex profeſſo, quando de Iucunda conuerſatione agetur. Item ſub tit. Maiores honores quàm quis mereatur, ſuſcipere ab aliis oblatos.

TRIBONIANVS Macedoniani F. genere Pamphilius, cùm ſociis, Iuſtinianas Inſtitutiones & Digeſta cū Codice compilauit. Vir impius & auarus fuit, adulator & impoſtor, vt qui Iuſtiniano perſuaſerit, non moriturum eum, ſed cum ipſo corpore in cœlos iri ſublatum. Suidas teſtis.

FALSIS CALVMNIIS AVRES DARE, DELATORIBVS *falſis fidem adhibere.*

TIBERIVS Cęſar, cauſa quæſtus tantum delatoribus tribuit, vt nemini fidem abrogaret, ſiue quid veri, ſiue vani referrēt. Nam ebriorum ſermo excipiebatur, ſimplicitas iocantium, & quodcunque dictum capite, & fortunis luebatur: adeò vt capitale eſſet, circa Auguſti ſimulachrum ſeruū cæcidiſſe, veſtem mutaſſe, effigiémque impreſſam nummo vel annulo latrinæ aut lupanari intuliſſe, dictum factúmque eius aliqua æſtimatione læſiſſe: ita vt primores ſenatus & magna hominum vis, infimas delationes exercerent. Cúmque ſenatus de præmiis accuſatorem abrogantis aliquā do agendum putaret, Tiberius dictitans, iura ſubuerti, ſi cuſtodes legum amouerentur: tantum licentiæ delatoribus dedit, vt pleriq; criminis poſtulati ante iudicium, ſupplicium præuenerint. Alex. lib. 4. cap. 22.

DIONYSIVS tyrannus, proſagogidas diſpoſitos habuiſſe fertur, qui ſingulorum dicta factáque referrent. Alex. lib. 4. cap. 22.

VITELLIVS tantum delatoribus tribuit, vt mathematicos delatos, inauditos capite punierit, exploſa omni excuſatione innocentiæ. Ibid.

DOMITIANVS dum rapinis intendit animum, ita aures delatoribus patefecit, vt nihil cuiquā tutum eſſet, delatórq; delatorē timeret: & cauſidici cauſarum actionibus poſthabitis, ad delationes ſe conferrent. Ibid.

Apud HADRIANVM imperatorem, alioquin bonum principem, adeò valuere delatorum voces, vt quoſdam amicos ad dignitatem antea euectos, deinceps hoſtium loco habuerit. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

CONSTANTINVS omni tempore delatores admiſiſſe, eóſque omni ſtudio fouiſſe dicitur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 22.

THEODERICVS Gotthorum rex, cùm delatoribus fidem haberet, Symmachum & Boetium viros clariſſimos interfecit. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

FALSIS CALVMNIIS ALIORVM FAMAM LÆDERE. OBTRE- *ctatores, Calumniatores.*

Exempla pete ex tit. Eorum qui obtrectationes & conuicia forti tulerunt animo. Vbi enim eſt patiens obtrectationis, illic etiam authorem obtrectationum eſſe oportet. Huc referantur Teſtes falſi, quos alia ratione ſub loco Iniuſtitiæ infrà referemus.

CALVMNIÆ picturam, Appelle authore, talem fuiſſe ferunt. Ad dextram conſidet quiſpiam auribus prælongis inſignis, quales ferè illæ Midæ feruntur: manum porrigit procul accedenti Calumniæ. circumſtant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, ac Suſpicio. adit aliunde propera Calumnia, eximiè compta, vultu ipſo & geſtu corporis efferatam rabiem & iram ęſtuāti conceptam pectore præ ſe ferens: ſiniſtra facem tenens flammiuomam: dextra ſecum adoleſcentem capillis prǽhenſum, manus ad ſuperos tendentem, obteſtantémq; immortalium deorum fidem, rapit: anteit vir pallidus in ſpeciem impurus, acie oculorum minimè hebeti: cæterū planè iis ſimilis, qui ſontico aliquo morbo contabuerunt. hinc facilè conijcias Liuorem eſſe. quin & mulierculæ aliquot Calumniam ſequuntur comites, quarum eſt munus dominā hortari, inſtruere, comere: interpres aiebat, inſidias ac fallaciam eſſe. à tergo lugubri habitu Pallorem lacerámque Pœnitentia ſubſequi, quę capite in tergum deflexo cum lachrymis ac pudore procul venientem Veritatem excipit. Hac Appelles fabula ſuos luſit caſus. Lucianus in Sophiſta.

Muliebris fuit intēperies, ſed ſtultitia non caruit, quòd MARIA Moſis ſoror, & fœmina iam grandis natu, temerè auſa eſt huic conuicium facere. per quem ipſa & vniuerſa Iudęorum gens exempta fuerit ſeruitio. Affuit itaque confeſtim cœleſtis vltio, inuaſitq; lepra contactum os improbum mulieris. quod malū non conuiciatricis oratio, ſed huius in quē iniuria immiſſa eſt, ſuſtulit pietas. Sab. lib. 4. cap. 9.

Dauid, qui Roboæ fuit auus, Abſalonis defectione regio ſolio turbatus cum cohorte vna Hieroſolymis digreſſus, conuicio exceptus eſt, ac lapidibus petitus à SAMEIA quodam. Erat is ob Sauli regis propinquitatem in Iudęa minimè obſcurus. Is nouitate illa temporum fretus, ſuiq; in Dauidem ſtomachi magis quàm regię maieſtatis memor, in prętereuntē temerè inuectus probro, & lapidum iniectu ſacroſanctum hominem violare eſt auſus. Nec Dauid eam iniuriam vltus eſt, ſed filius: cui exilio prius, deinde capitis ſupplicio debitas Sameia expendit pœnas. Ibidem.

Peſſimum mendacium adinuenit AMAN, vt poſſet confundere Mardochęum, eo quòd illum adorare nolebat. Eſther tertio.

Mentiti ſunt contra Dominum Ieſum IVDÆI, præcipuè Scribæ & Phariſæi, dicentes eum eſſe potatorem, mendacem, voracem, & prohibentem tributa dari Cæſari, gentis ſubuerſorem, & turbarum ſeductorē, dæmoniacum, blaſphemum, & Samaritanum. Matth. 11. Luc. 23. Ioan. 8.

PATACION quiſpiam infamis calumniator, cui cùm mos eſſet, bonis viris calumnias ſtruere, atque hoc tam fœdo quæſtu parare rem: tandem deprehenſus, conuictúſque, capite pœnas dedit. Eraſ. Roterod. prouer. Patacione calumnioſor.

Leontychidas Ariſtone natus, cuidam ipſi dicenti, quòd DEMARATI amici malè de eo loquerentur: Per deos, inquit, nihil miror, quandoquidem nullus illorum de quoquam bene loqui poſſet. Docuit, contemnendam eſſe maledicentiam, quæ non à iudicio, ſed ab animi morbo proficiſcitur. Qui verò paſſim maledicunt omnibus, eos palàm eſt id naturæ vitio facere: non ex eorum merito, quibus obtrectāt. Eraſmus libro primo. Apoph. 5.

ZOILVS

ZOILVS Amphipolites Macedo rhetor, κυὼν ῥητορικὸς dictus, propter maledicendi petulantiam, vt ne Homero quidem parceret: interrogatus, cur adeò in alienum nomen ac famam procliuis eſſet? reſpondit: ἐπεὶ ποιῆσαι κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι. Tandem à Ptolemæo Philadelpho cruci affixus eſt. Alij Smyrnæ viuum exuſtum, alij in Olympia ad Scyronias petras præcipitatum aſſerunt. Gyrald. in Hiſt. poët. Dialo. 2.

Ariſtoteles, cum iudiciorum metu Athenis profugiſſet, interroganti cuidam qualis eſſet ciuitas Athenienſium? reſpondit, Pulcherrima: ſed in ea pyrus ſuper pyrum, & ficus ſuper ficum conſeneſcit. Quo dicterio notauit Athenienſium ſycophātas & calumniatores, pernicioſiſſimos bonis viris. Ælian. lib. 3. de Var. hiſt.

ARISTOXENVS Tarentinus muſicus, in Ariſtotelem iamiam morientem conuicia dixit, quòd ei Theophraſtum in ſcholæ ſucceſſione prępоneret. Suidas.

XENOPHON Menoni conuicium dixit, quòd familiaris eſſet Platonis, cuius ipſe æmulus fuerat. Teſte Volat. lib. 20. Anthrop in vita Thucydidis.

SERAPION ægyptius, archidiaconus à Io. Chryſoſtomo epiſcopo Conſtantinopolitano factus, homo iracundus & contumelioſus, ſuo tamen paſtori fideliſſimè adhæſit. Cùm aliquando eo ſedēte præteriret Seuerianus Gabalēſis antiſtes, cum quo ſimultates exercebat, & ipſe honoris gratia Seueriano non aſſurgeret, Seuerianus eum contemptum ægrè ferens, dixit: Si Serapion Chriſtianus fuerit mortuus, Chriſtus nō eſt homo factus. Hanc arripiens occaſionem Serapion, Seuerianum apud Chryſoſtomum accuſat, quòd abſolutè dixiſſet, Chriſtum non eſſe hominem factum. Itaq; Seuerianus à Chryſoſt. in exilium eiicitur. Soc. lib. 6. cap. 11.

ALIORVM ERRORES ACERBE, INTEMPESTIVE, IMMODESTE, *petulanter, inconſideratè reprehendere. Reprehenſio petulans & vitioſa.*

Diſcumbente Domino in domo Matthæi, murmurabant SCRIBÆ & Phariſæi, dicentes ad diſcipulos eius: Quare cum peccatoribus & publicanis manducatis? Lu. 5. Matth. 9. Marc. 2. Item Luc. 15. Erant appropinquātes ad Ieſum publicani & peccatores, & murmurabant dicentes: Hic peccatores recipit, & cibum capit cum illis, &c.

Idem de Zacchæo murmurabant, quia ad hominem peccatorem diuertiſſet. Luc. 19.

Senex quidam in ægypto (vt refert Ioannes Caſſianus) cùm monachū adoleſcentem in confeſſione audiſſet libidinis ſtimulis vrgeri, immoderata reprehenſione propè ad deſperationem compulit, indignū monachi nomine conteſtans, cuius pectus impudicis cogitationibus patêre poſſet. Sed mox ipſe iuſto Dei iudicio eadem tentatione tam vehementer inquietari cœpit, vt & hic ſenex, ſicut & ille iuuenis, iam ad ſeculū redire ſecum in animo verſaret. Cæterū ſapientia ac ſanctitate præditus Apollo abbas, iuuenem vultu demiſſo cernens, cùm triſtitiæ cauſam didiciſſet, blanditer cōſolatus eſt, docens non eſſe malū fœda cogitatione impugnari, ſed vinci. nam ſe quoq; idem ſæpe paſſum: Deo tamen adiuuāte nunquam ſuccubuiſſe. Deinde ſenem iam relicto in quo ętatē egerat tugurio, vagum profugúmq; ad ſe aduocans, vt rediret admonuit: & iam ſuam expertus imbecillitatem, alienæ miſereri diſceret, non iraſci. Poſt hæc pro illo precatus, tentationem oratione abegit. Marul. libro quarto, capite vndecimo.

CARPVS Pauli diſcipulus, fideli cuidam, qui ab Eccleſia deſciuerat, nimis acerbè iraſcitur. Vide tit. Charitatis fraternæ.

Nullum opus tam abſolutum eſſe poterat, quod non calumniaretur MOMVS. Sandalium Veneris Praxitelicæ culpauit, quum Venerem ipſam non poſſet. Rauiſ.

ZOILVS Amphipolitanus qui ſtilum in Homerum, Platonem, alióſq; ſtrinxit, Polycratis fuit auditor. Hic POLYCRATES etiam accuſationē ſcripſit contra Socratem. Zoilus verò ille, Canis rhetoricus nominatus eſt. Barbam ſubmiſſam alebat, caput vſque ad cutem radebat, pallium ſupra genua pendebat: ſtudioſus malè loquendi, ferendis litibus operam ſedulò dabat: contumelioſus denique nequam erat. Rogante quodam erudito viro, Quamobrem omnibus malè loqueretur? Quoniam (inquit) malè facere ſi velim, non poſſum. Ælianus libro vndecimo, de Varia hiſtoria.

THEON fuit poëta quiſpiam rabioſæ loquacitatis, petulantiſſimæque maledicentiæ. Hinc Adagium, Dente Theonino rodi.

OSCVS fuit quiſpiam, natus ad contumelias omnium ingeniis impingendas. Nulli non inuſſit notam. Seneca.

SVSARION, MACHNES, CRATINVS, ARISTOPHANES & EVPOLIS, Græci poëtæ, flagitia hominum tanta libertate inſectabantur, vt opus fuerit lege, quæ maledicam illam & effrænem mordendi licentiam cohiberet, & cōprimeret. De quibuſdam horum meminit Horatius, dicens:

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophanéſque, poetæ,
Atque alij quorum comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus aut fur,
Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

ÆSOPVS Delphos profectus, gentis illius iram in ſe conuiciis, & contumelioſis apologis concitauit. Rauiſ.

DAPHIDAS grammaticus in Thorace monte cruci affixus eſt, quòd reges maledicis carminibus inceſſeret. Strabo lib. 14. Hinc prouerb. Caue Thoracem.

Antigonus rex THEOCRITVM Chium occidit, propter ſalſum & mordax ſcomma ab eo de ſe dictum. Quum enim quaſi puniēdus ad Antigonum raperetur, ſolantibus eum amicis, ac ſpem pollicentibus, quòd omnino clementiam regis experturus eſſet, quum ad eius oculos veniſſet, reſpondit: Ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpē ſalutis. Quo verbo illudebat regi, quòd altero orbatus eſſet oculo. Macrob.

Dionyſio inquirenti, vbinam terrarum exquiſitius haberetur æs? ANTIPHON ſophiſta reſpondit, optimum ſe noſſe Athenis, vbi ſtatuas habebant Armodius & Ariſtogiton tyrannicidæ. Innuebat autē Antiphon, Dionyſium eſſe dignū qui ab huiuſmodi hominibus interficeretur. Quæ petulans & verboſa dicacitas homini malè ceſſit. Rauiſ.

MEDIVS fuit quidam ex Alexandri adulatoribus, qui calumnias in quemuis iactabat, & alios ad idem opus hortabatur.

HIPPONAX poëta Iambographus amarulentus, & notæ mordacitatis. Hinc Hiponacteum præconium, ceſſit in parœmiam.

Hiero tyrannus, quum aliquot è familiarib. occidiſſet, paucis pòſt diebus EPICHARMVM vocauit ad cœnam. cui ille nimium liberè: At nuper, inquit, quum immolares amicos, non me vocabas. Solent, qui ſacrificant, ſplendidum epulum apparare, adque id rogare amicos. Periculoſa libertas, quæ plus laudis adfert ferenti, quàm dicenti. Plut. in reg. Apoph.

ARCHILOCHVM libidinoſiſſimæ linguæ poëtam, Critias reprehēdit, quòd etiam ipſe de ſe peſſimè locutus ſit: Niſi enim, inquit, ipſe de ſe talem opinionem & famam in Græciam intuliſſet, nunquam vtiq; nos ſcire potuiſſemus, neq; eum Enippe ſerua natum fuiſſe: neque relicta Paro, paupertate rerúmque penuria coactum in Thaſum veniſſe: neque cum veniſſet aduerſus hos inimicitias geſſiſſe: neq; tam ingenio malicioſo eſſe, vt tam amicis quàm inimicis malè loqueretur. Adhęc, inquit, neq; eum adulterum, luxurioſum, iniurioſum eſſe: neque, quod ex omnibus eſt turpiſſimum, ſcutum abieciſſe ſciuiſſemus, niſi ipſe de ſe prædicaſſet. Ælian. lib. 10. de Var. hiſt.

EIVSDEM libros Lacedæmonij ob ſolam dicacitatem, & ingenij virulentiam ab vrbe ſua ſummouerunt, ne illorum lectione corruptum aliquid imbiberent lectores. Rauiſ.

ALCIBIADES cani mirè ſpecioſo, quem paulò antè magno precio coemerat, caudam penitus abſcidit, ac paſſim ire permiſit. Cúmque ex amicorum numero factum quidam reprehenderent, dixiſſéntq; illud perperam actum eſſe: reſpondit, Voluiſſe ſe paruo illo errore, materiam ſui criminandi ATHENIENSIBVS dare: vt dum de eo loquerentur, de maioribus, quæ pertinerent ad ipſum, ſilerēt. Perſpicaci ingenio animaduertere viſus eſt, difficulter fieri, vt qui virtute aut dignitate aliis ſupereminеat, ita hominum linguas compeſcat, quin aliqua in re malè audiat. Et propterea enitendum eſſe dicebat, vt populo de leuioribus rebus loquendi materia daretur. Fulgoſ. lib. 7. cap. 2.

DEMETRIVS rex, cùm Lyſimacho vulnera oſtendiſſet, quę cum leone miræ magnitudinis pugnans aduerſo pectore excepiſſet, ipſius legati dixiſſe feruntur: Cur non oſtendis etiam notas, ô rex, à Lamia meretrice tibi dentibus in collo inflictas? Quo dicto tacitè turpiſſimum eius erga meretricem Lamiam amorem detexerunt: cuius amore accenſus, non tantùm à rebus bellicis abſtinuit, ſed turpiſſimè etiam ſeruiuit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

LVCIVS Philippus conſul, aduerſus Senatorum ordinem libertatem exercere non dubitauit. nam ſegniciem pro roſtris exprobrans, alio ſibi Senatu opus eſſe dixit. tantúmque à pœnitentia dicti abfuit, vt etiam L. CRASSO, ſummæ dignitatis & eloquentiæ viro, id in curia grauiter ferenti, manum iniici iuberet. Ille reiecto lictore: Non es (inquit) mihi Philippe conſul, quia nec ego tibi ſenator ſum. Val. lib. 6. cap. 2.

NÆVIVS Metellos ac Scipiones ſuis verſibus auſus eſt proſcindere. Propterea Metellus conſul hoc ei ſenario reſpondit. Dabūt malum Metelli Neuio poëtæ. Tandem autem propter nimiam illam in ſcribendo maledicentiam à triumuiris in vincula coniectus eſt, & in carcerem detruſus. Rauiſ.

STATERIVS ætate Marci Tullij, ob conuicioſa verba & mordaculos ſermones rei capitalis iure damnatus eſt.

Sedenti pro tribunali L. Syllæ, cùm prętor eſſet, atque C. IVLIO Cæſari adhuc priuato iratus diceret, *Se officio ſuo viurum:* reſpondit Cæſar: Rectè tuum appellas officium, quod pecunia tua comparaſti. neque enim magiſtratus maieſtate deterritus eſt, quin ei, qua arte magiſtratum eſſet aſſecutus, coram exprobaret. Fulg. lib. 6. cap 2.

Audax fuit & licentioſum C. MEMMII verbum, qui auſus eſt obiicere Cæſari, tanquam pathico, quòd ſtetiſſet ad cyathum Nicomedi regi inter exoletos. Rauiſ.

TIMAGENES hiſtoricus Auguſtum & vniuerſam eius familiam maledicis verbis, probroſiſque conuiciis auſus eſt denigrare. Benignus tamen Imperator ad vindictam ſatis habuit, ei domo ſua interdicere. Idem.

C. IVLIVS CÆSAR poſtquam audiuiſſet Catonem iuniorem defunctum eſſe, motus inuidia, quæ diu eius animo inſederat, non pepercit iam mortuo Catoni: ſed in eum librum mordaciſſimum conſcripſit, quem Anticatonem nominabat, in quo omnia Catonis vitia notabat. cuius apologiam poſtea Cicero ſcripſit, Plutarcho teſte in vita C. Cæſaris.

LENÆVS Pompeij Magni libertus, & grammaticus celeberrimus, in

Cc

Salustium historicum, quòd Pompeium oris improbi & animo inuerecundo esse scripsisset, acerbissima satyra lacerauit. Lastaurum, & Lurconem, & Nebulonem Popinonémque adpellans, & vita scriptisque monstrosum, præterea priscorum Catonísque verborum ineruditissimum furem. Suetonius cap.14. de Gramm. illust.

VAL. Catullus poeta Veronẽsis, in poematis lasciuus fuit, & mordax: quippe Cæsari maximo tunc viro minimè pepercit, & iambis eum criminatus est. Sueton. in vita Cæsaris.

A. CECINNA Quadrigariorum magister, & Pompeianarum partiũ tempore belli ciuilis, scripsit librum criminosissimum contra Cæsarem. Volat. lib.14. cap.2. Anthrop.

Valde liberum mordáxque Mimi cuiusdam aduersus Tiberium Cæsarem verbum fuit, cum is Augusti hæres, ab Augusto legata populo nõ impleret. Nam cum fortè coram eo mortuus ad sepulturam efferretur, Mimus sublata voce, mortuo inclamauit, Vt nomine suo referret Augusto, nondum pro eius legatis populo Romano satisfactum. Minimè veritus hac libertate, quæ ei exitium attulit, Tiberium hæredem, cuius ea erat culpa, mordere. Inde enim factum est, vt Tiberius Mimo pro eius parte satisfaceret: & postea interfici, atque ei dici iuberet, Vt Augusto nunciatum iret, iam cœpta esse eius legata persolui. Quo exemplo haud obscurè ostenditur, non semper dicendi libertatem, etiam in re vera tutam esse: diligentérque pensitandum, cui, quomodo, quando, & vbi loquaris. Fulg. lib.6. cap.2.

TIBERIVS factus Romanorum post Octauium imperator, cũ principatum diuisisset, vt collegis etiam aliquam partem traderet, & facta iam esset grauis contentio: Asinius Gallus vtens plusquam sibi vtile fuit, patria loquendi libertate, Opta igitur (ait ad Tiberium) quam partem velis. Cui Tiberius respõdit: Qui fieri potest, vt is optet, qui ipse partes faciat? Verùm Gallus cùm cognouit se ob tantam linguæ libertatem apud Cæsarem periclitari, cœpit lenire sermonem, sed frustra: acceptis enim postea mulctis & grauibus incommodis, ad extremum occisus est. Dion Nicæus in Tiberio.

Quidam bubulcus Seruus, iam senio penè confectus, cum assumpto ad imperium Vespasiano domino, propter nouæ fortunæ felicitatem, meritum se putaret, quem dominus munere dignaretur: venienti in vrbem Vespasiano se obtulit, & libertate se donari petiit. Cùm autem minimè assentiri Vespasianum videret, continere se seruile pectus nequiuit, quin vt poterat dominum vlcisceretur. magna enim voce exclamauit, Vero adagio dici, vulpem pilos, non mores mutare. Ita enim domino auaritiam natura insitam exprobrauit. Fulg. lib.6. cap.2.

MVSONIVS Babylonius philosophus, Stoicus ac Dialecticus, Neronis tempore familiaris Apollonij Tyanei, à Nerone ob linguę licentiam interfectus est. Volat. lib.17.

ALEXANDRINORVM petulantiam in Vespasianum, & nimiam libertatem, pete ex tit. Exactiones iniustæ.

SERVIVS Galba C. Iulium Cæsarem consummatis victoriis in foro ius dicentem, in hunc modum interpellare sustinuit. C. Iuli Cæsar, pro Cn. Pompeio Magno, quondam genero tuo, in tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? dependam? Palàm atque apertè ei bonorum Pompeij venditionem exprobrando, vt à tribunali submoueretur, meruerat: sed ipsa illud mansuetudine mitius pectus, æs alienum Pompeij ex suo fisco solui iussit. Val. lib.6. cap.2.

Antoninus Pius, singulari humanitate princeps, Homulij ciuis Romani ædes ingressus, cum porphyreticas columnas vidisset, petiit, Vnde Homulius eas habuisset: Cui is respõdit: In aliena domo, hominem mutum surdúmque esse oportere. Libero verbo forsasse magis, quàm apud imperatorem æquum esset, nimiam Antonini curam momordit. Fulgos. lib 6. cap.2.

SIBIANVS, summus Pontifex sub Phoca imperatore, Gregorij laudibus iam defuncti (cui ipse successerat) obtrectauit, quòd Ecclesiæ patrimonium popularis gratiæ causa dissipasset. Volaterranus libro vigesimosecundo Anthrop.

HIERONYMVS & Rufinus presbyter Aquiliensis, orta inter se simultate, pro quæstionibus Scripturarum, libros inuectiuarum, satis quidem luculento, sed nimis mordaci sermone in alterum scribũt. Sigebertus in Chronicis.

LEONTIVS Tripolis Lydiæ episcopus, Arianus, summa dicendi libertate præditus fuit. Cùm quodam tempore in cœtu Episcoporũ Constantius Imp. Arianus verba faceret, & promulgaret constitutiones: omnibus aliis approbantibus, Leontius solus obstinatè tacuit. Causam rogatus, ideo se tacere respondit, quia cogitans miraretur apud se, quòd ab ipsius negociis tantum suppeteret Imp. temporis, aliena vt curaret. Bella enim & Remp. Imperatorem decere, religionem Episcopis committi debere. Suidas testis.

RELIQVERAT Franciscus Capelius eques, vir patricij ordinis insignis, liberos mares quatuor: Carolum videlicet natu maximum, qui iuuenis adhuc immaturo quodam fato subreptus est: & Bernhardum ipsi proximum, qui vbi per ætatem honores aliquot assecutus esset, dum nimia libertate iuuenis adhuc vteretur, modò hunc publicè, modò illum accusans, minabundúsque etiam se in reliquos talem futurum: tandem decreto patrum, cui haudquaquam parendum sibi in animum induxerat, in perpetuum exilium abire coactus est. Nũquam suspicatus fore, vt in libera ciuitate, nimia libertas sibi officere posset. Egnat. lib.6. cap.2.

HENRICVS Dandulus Venetorum legatus, quòd liberius quædam locutus esset, à Manuele imperatore Constantinopolitano luminibus orbatus est. Volat. lib.23. Anthrop.

DANTES Florentinus poeta insignis in sua lingua, cùm ex Florentia cum reliquis Albis pulsus, ad Maruellum Malespinam marchionem confugisset, ac deinde ad Canem grandem Veronæ principem, quem in auxilium partium suarum contra Florentinos dimicare compulit, ob linguæ licentiam eius (apud quem magno aliàs erat in precio) offensam contraxit. Volat. lib.21. Anthrop.

ALIORVM ERRORES ACERBE NIMIVM EXAGGERARE.

GREGORIVS ille Magnus, antequam pontifex Rom. fieret, abbas fuit, eámque regulam suis tradidit, ne quippiam proprium possiderent. Accidit vt Iustus medicus, sed monachus, in mortis agone tres aureos se occultasse diceret. Gregorius eum viuum diabolo dat, quamuis pœnitentem mortuum in sterquilinio condit, & excommunicat, inquiens, Pecunia tua tecum sit in perditionem, [redacted]

PERSEVERANTIA NIMIA, QVAMVIS IN BONO PROPOSITO.

Exempla quædam ex tit. Superstitionis peti possunt.

IVDÆI omnes qui Mathatiam Machabæum sequuti sunt, cùm à Iudaicæ religionis ritu ad gentilitatem eos deducere Antiochus tentaret, in deserta loca confugerunt: & incassum promissis inuitati vt inde redirent, tandem cùm sabbata, quo die opus vllum facere nefas Iudæi habent, impetus in eos esset factus, maluerunt inermes atque indefensi mortem oppetere, quàm se tuendo religionis suæ ritum violare. Fulg. lib.1. cap.1.

Cùm Hierosolymæ die sabbato à Magno Pompeio, duce Romano, oppugnarentur Iudæi, eo die ab hostibus aggeres, castella, atque alias ad oppugnandam vrbem machinas muris admoueri, nihil obsistentes, permiserunt, ne si id impedire conarentur, sabbati vacationem violarẽt. Deuicta igitur per hunc modum vrbe Iudæi, vt conscendentibus muros hostibus non repugnarunt: ita posteaquam in vrbem ingressi, populum hostes trucidabant: sacrificia, quibus eo die operabãtur, nihil ob ea moti quæ ab hoste pattari videbant, tanquam in summa quiete nunquam intermiserunt. Ibidem, ex Iosephi lib.14. cap.8.

OBSTINATI, PERTINACES IN MALO PROPOSITO.

Vide tit Desperationis, Incredulitatis pœnæ, Inimicitiæ & odij, Iræ longo tempore seruata.

CAIN post increpationem, quam fecit Dominus, peior fuit, & fratricidium perpetrauit. Genes.4.

Cor Pharaonis nec per blandimẽta Moysis, ex parte Domini, nec per dura flagella potuit emolliri. Exod. quinto, vsque ad 10. cap.

FILII Israel dicuntur à Domino populus duræ ceruicis, vt patet Leuit. pluribus locis. Exod.32.

HELI sermonibus suis filios corripuit, sed nihil eis profuit. 1. Reg. secundo.

SAMVEL prædixit populo conditiones regis eorum valde graues, & quòd hoc displicebat Domino, & tamen noluit desistere ab incœpto. 1. Reg.8.

Non per verba Ionathæ, nec per beneficia à Dauid recepta, cor Saulis ad amandum Dauid potuit prouocari. primo Reg. decimooctauo, decimonono, & vigesimo.

SAVL, quamuis non ignoraret ad certam se mortem proficisci, vt ei à Pythonissa prædictum fuerat: tamen totam noctem iter continuauit, vt prælio cum suis interesset. In quo cùm omnia præstitisset, quæ à rege nõ prudenti solum, verùm etiam forti expectanda erant: tandem vt suos in fugam conuersos vidit, vnà cum suis illic oppetere mortem, quàm fugere maluit. Fulg. lib.3. cap.2. & Sab. lib.10. cap.13.

NABAL erat durus, pessimus, & maliciosus. 1. Reg.25.

Obstinatè nimis Asahel persequebatur Abner. secundo Reg.2.

Mittebat

Mittebat Dominus viris IVDA prophetas, vt reuerterentur ad eum. Quod illi audire nolebant: imò & Zachariam filium Ioiadæ, increpantẽ eos, crudeliter occiderunt. 2. Paral.24.

EZECHIAS rex Iuda, misit nuncios ad vniuersum Israël, dicẽtes: Nolite indurate ceruices sicut patres vestri, &c. At illi irridebant & subsannabant eos. 2. Paral.30.

Durissima fuerunt corda ILLORVM, qui venerunt ad comprehẽdendum Dominum. Quos cùm ad terram prostrauisset solo verbo, & auriculam vnius sanasset, non fuerunt moti ad misericordiam, vel ex miraculi manifestatione, vel ex beneficij pietate. Luc.22. Ioan.18.

Beatus Stephanus, IVDÆOS ardenter increpans, ait: Dura ceruice, & incircũcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Act.6.

POLYCHRONIVS fuit presbyter & monachus Macarij. In Synodo iussus exponere suam fidem, exhibuit chartam, in qua erat sentẽtia Monothelitarum scripta. Asserebat autem, se impositurum eam mortuo alicui cadaueri, eiúsq; resuscitatione demõstraturum virtutem veritatis. Synodus consentit, vt charta mortuo imponatur: idque facit ille in publico conuentu. Expectatur mortui resurrectio ad multas horas. Polychronius insusurrando in aures cadaueris, nihil efficit: ac tandem confitetur, se nõ posse mortuum excitare. Synodus iubet eum à falsa sententia recedere, & veram amplecti. Sed is adeò obstinato fuit animo, vt diceret, se cum præceptore Macario episcopo Antiocheno malle errare, quàm cum aliis rectè sentire. Ideóq; dictus nouus Simon, quia phantasmate mortuos voluisset excitare, & excommunicatus est. Magdeb. hist. Centuria septima, cap.11.

In Chalcedonensi concilio, cùm contra Eutychetis hæresim disputatio esset instituta, placuit patribus, vt decretum fidei vtriusq; tum orthodoxę tum Eutychis in libellis describeretur, & cõtrouersię iudicium sanctæ virgini & martyri Euphemiæ (cuius sepulchrum cum templo in ea vrbe erat) committeretur. Libellos clausos ad pedes eius deponunt: & nocte tota precationibus consumpta, diluculò vtriusq; partis principes adsunt, & monumẽti operculo remoto, orthodoxorum libellũ martyris manib. tenaciter apprehẽsum conspiciunt: Eutychis verò temerè ad pedes proiectum iacere. Cùm autem nihilo minus EVTHYCHIANI in suo errore perstarent, iure merito à synodo condemnati fuerunt. Nicephorus lib.15. cap.5.

LACEDÆMONII contra Messenis propter spretas virgines suas in solenni Messeniorum sacrificio, per annos viginti indefesso furore bellantes, ruinæ suæ totas Græciæ vires implicuerunt. Qui cùm se magnis exercationibus deuouissent, sacramentisque obstrinxissent, domam, nisi Messena expugnata, nunquam esse redituros, per decem annos longa fatigati obsidione, tandem Messenios fraude expugnarunt. Oros. libro.2. cap.21.

Cogitabat MITHIDATES rex, ter victus à Romanis, per Gallias bellum Italiæ inferre, Agathoclis & maioris Aphricani exempla secutus, qui hostilem terram inuasere, vt suam bello liberarent. Potuit ferocissimus rex Italiæ magis infestus esse, quàm Pœnus olim fuit, si cum exercitu terram ipsam intrasset: sed filij defectione, & proposito auersus, ac desperatione actus, quia veneno non potuit, ferro perire maluit, quàm cuiquam seruire. Sab. lib.10. cap.13.

Non religio, cuius contemptor fuit, sed Halmicharis, qui eum genuit, studium & volũtas in causa fuit, quòd HANNIBAL omnia iura diuina & humana maluit peruertere, quàm amicus esse Romani nominis. Desiit is victus res Romanas sollicitare, ex odio tamen nihil remisit: vixit priuatus, sed Romanorum nihilo secius hostis. Potuit fortuna ducis mutari, propositum non potuit. Adeò in quibusdam plus affectus valet, quã necessitas. Sab. lib.3. cap.1.

MARCVS Brutus suarum prius virtutum, quàm patriæ parentis parricida (vno enim facto, & illas in profundum præcipitauit, & omnem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit) vltimum prælium initurus, negantibus quibusdam committi oportere. Fidenter (inquit) in aciem descendo: hodie enim aut rectè erit, aut nihil curabo. Præsumpserat videlicet, neque viuere sine victoria, neq; mori sine securitate posse. Val. lib.6. cap.4.

Affuit ATTILÆ Hunnorum regi ingens sui fiducia: nam coacto primùm ingenti exercitu ad ducenta & amplius armatorum millia, quum Galliam ipsam inuasisset, victúsq; ab Aëtio Romanorum duce in campis Tolosanis esset: non dubitauit tamen reparatis non minoribus copiis Italiam ipsam inuadere. Cuius vniuersę imperio facilè potitus esset, nisi interuentu Leonis Rom. pontificis territus potius quàm persuasus, ab incepto destitisset: vt tamen vniuersam Veneriam, & vniuersam Carnorum oram fœdissimè vastarit, Aquileia ipsa vrbe clarissima per triennium obsessa, & adinternecionem Carnorum ciuium expugnata & capta. Egnat. lib.3. cap.6.

GABRINVS Fondulus Cremonensis tyrannus, cum à Philippo Mediolanensi duce damnatus, capite mulctandus esset, astante populo, eo tempore quo viuendi finis ei imminebat, dixit: Grauiter vnum ferre, quòd dum Cremone principatum obtineret, Sigismundum Imperatorẽ, ac Ioannem 23. pontificem, cum eos in vrbem accepit, à turri, quæ immẽsæ altitudinis in media vrbe est, saltu se dimitere non coegisset: vt eo facinore diuturniorem de se loquendi posteris materiam relinqueret. Impio homini satis non erat, crudelitatis ac malorum, quæ perpetrarat, memoria, nisi moriturus quęreretur, grauiora se non perpetrasse. Ful. lib.9. capite 11.

GEORGIVS Seruię, quę Mœsiæ pars est, princeps ac dominus, cum Græcorum errorem sequeretur in catholica fide, & regno suo à Turcarum rege Mahumete pulsus esset, ad Ladislaum Hungariæ regem in Austriam se contulit, vt opem ab eo peteret. Cùm autem fortè euenisset, vt cum Ioanne Capistrano, qui ordinem Minorum profitebatur, atque eo tempore aduersus Christi hostes in ea regione magna apud eos populos existimatione concionabatur, sermones per interpretem sereret, hortari Georgium Ioannes cœpit, vt ad Romanæ ecclesiæ dogma veniret: quia id non animę solùm verũ monendis quoq; vehementius Hungaris, vicinísque gẽtibus ad opem ferendam plurimùm esset collaturum: respondit, Haud decenter id agi posse, vt cùm iam nonagesimum attingeret annum, neque aliam induisset vnquam religiosam disciplinam, nisi quæ ei à maioribus tradita esset, nunc quanquam infœlix, prudens tamen inter suos habitus, mutato dogmate, hac ætate leuis vanúsque iudicaretur: subiungens, Malle se regno priuatum laqueo vitam finire, quàm à paterna auorúmque suorum religione discedere, à colloquio secessit. Fulg. libr.6. cap.4.

In Bohemia, post Venceslai regis mortem, Gallus quidam, natione Picardus, nouæ hæresis scelus in eam intulit. Is Adam nomine inter sectatores vsurpato, cùm adoptiuum se Dei filium appellaret, atq; redigere gentem ad primos hominum ritus vellet, instituit, vt nudi degerent, ac promiscuus fœminarum vsus esset. Cuius turpitudinis magnitudinem abominatus Ioannes Zisca, qui eo tempore magna ex parte Bohemorũ genti imperabat, GENTEM hanc quę Litmericij amnis insulam incolebat, adortus, occidione deleuit: superstitibus tantũ fœminis duabus, quòd eas grauidas esse inuenerat. Hę autem cum neq; post partum discedere à scelerate disciplinæ instituto vellent, & propterea supplicio succensis ignibus rogo iniectæ afficerentur, carmina modulantes, nunquam donec eas vita defecit, canere desiuerunt. Fulg. lib.3. cap.3. & Egnat. lib.3. cap.5.

Parem quoque obstinationi coniunctam Nouariæ patientiam, ostendit Tridentina mulier MARGARITA nomine, fratris Dulcini hæresiarchæ coniunx: cuius hæresis haud multum ab ea abhorrebat, de qua nuper dictum est. In eam sectam cum ingentem traxisset numerum, crudeliter comburi maluit, quàm scelus quod profitebatur deserere: id quod in Bonifacij octaui pontificatu actum fuit. Ibidem.

Eodem modo salutis anno ducentesimo ac decimo supra mille, in OCCITANIS, capto Bitera oppido, quòd gentem eam Albigensium heresis teneret, populi qui cruce signati aduersus ipsos aliósque malè de fide sentientes expeditionem susceperant, optione omnibus seruandę salutis facta, si ad catholicam fidem reuerterentur, centum octuaginta illic inuenti sunt, qui comburi, quàm erroris pœnitere maluerunt. Ibidem.

Idem quatuor & septuaginta contigit, ex eiusdem secte hominibus, obsidione capto oppido CARCASSONE, in regione quã nunc Guienne dicunt. Nam cùm potestas eis facta esset euitandi supplicij, si abnegare hęresim vellent, hilari vultu pręparatum supplicio suo rogum, qui iam succensus erat, canentes conscenderunt. Ibidem.

Ætate nostra GEORGIVS Cella Nouariensis ciuis, cùm Bononię hęresæos conuictus esset, cúmq; nec promissa nec minæ à proposito deducerent, vt viuus combureretur, damnatus fuit. Itaque in summa pyra sine laqueo vllo constitutus, veste seuo delibuta amictus est, vt tormenti aucto terrore facilius à fero proposito reuocaretur. Verùm cùm in sententia perstaret, vt ad pœnitentiam quoq; regressus relinqueretur, in ima pyra prius coniectus ignis, ita eam sensim succendebat, vt adhuc spacij per multum Georgio ad salutem retinendam, si eum pœniteret, daretur. Cęterùm quo periculum magis augebatur, eò obstinatius in hæresi permanens, & carmina semper decantans, paulatim donec pars vlla superfuit, combustus est. Ibidem.

BALDVS Iurecos. clarissimus, propter pertinacem cum Bartolo concertationem eò venit audaciæ, vt antiquos codices ausus fuerit corrumpere. Vide sub tit. Iurecoss. in Baldum.

VITIVM IN DEFECTV. ΕΙΡΩΝΕΙΑ

BONA SVA RVSTICE DISSIMVLARE, VEL PER SE, VEL *alio laudante & prædicante.*

MALA SVA ABSCONDERE, AVT MINORA QVAM SINT, *fateri. Confessio falsa & mendax suorum peccatorum.*

REPREHENSIONES ET MONITA ALIORVM ÆGRE *ferre. Veritatis odium*

Exempla quædam ex titulo imprudentiæ. Quòd bonis consiliis non acquiescere periculosum est, peti possunt. coniuncta est interdum cum

superbiæ vitio Imprudentia*: quia imprudentes bona sua maiora esse credunt, quàm quæ à quopiam reprehendi debeant: interdum verò distinguntur, vt quando volens sciénsque deteriora sequitur, ne alteri obedire, & prudentia ab illo vinci dicatur. Nos hic promiscuè exempla afferemus. Cæterùm quia illi qui aliorum monita ægrè ferūt, vt plurimùm quoque eos odio habent: idcirco tritum illud prouerbium, Veritas odium parit, ex hoc præcipuè titulo exemplis illustrari poterit.*

AGAR ancilla Saræ, non ferens correptionem dominæ suæ, quæ affligebat eam propter ipsius superbiam, fugam iniuit: sed ad mandatum angeli rediit. Genes. 16.

BALAAC rex Moab dolebat, quando Balaam bona dicebat de filiis Israel, licet essent vera. Nec eum honorauit, sicut honorasset si ei placētia verba dixisset: Decreueram quidem honorare te, &c. Num. 24.

Ionatham filius Ierobaal, fugit à facie Abimelech, cùm dixisset verum de eo, & de illis qui malè eum elegerant. Iudic. 9.

Iratus est Saul contra Ionatham filium suum: quia ille excusabat Dauid, qui verè innocens erat erga ipsum Saul. 1. Reg. 20.

Quia durius locuti sunt filij Iuda cum aliis decem tribubus, separatus est Israel à Dauid, & secutus est Sebam filium Bochri. 2. Reg. decimonono & 20.

Iehu filius Hanani, quia prophetauit malum aduersum Baasa regem, & domum eius, & contra omne malum quod fecit, occisus est ab eo. 3. Reg. 16.

ACAB cum ab Helia argueretur propter iniquam mortem Naboth, maximo cum odio prosequutus est, dicens: Vnde inuenisti me inimicum tibi? cui dixit, Inueni. 3. Reg. 21.

Micheas propheta, cùm de belli euentu, quod Achab & Iosaphat reges contra Syriæ regem parabant, consuleretur, nihil ad gratiam est locutus, prædixit Israelitici exercitus fugam, & Achab regis necem, ipso audiente, ac pseudoprophetis è diuerso prospera omnia pollicentibus. Sed quoniam malis inimica est veritas, à Sedechia in maxillam percutitur, ab Achab in carcerem truditur. Cùm autem euenissent quæ prædixerat, mendacium interiit, veritas mansit: & qui vera vaticinanti manus intulerant, ab aduersariis cæsi pœnas dedere, ipso vinculis liberatus est. Marul. lib. 4. cap. 4. ex 3. Reg. 22.

Vir Dei ille in Bethel nequaquam veritus est Hieroboam regis præsentiam, vt prophetaret aduersus sacerdotes excelsorum ab ipso constitutos. Rex ergo ira percitus, protenta manu prophetantem comprehendi iubebat: & manus quam protenderat, aruit: ita vt quem vlcisci voluerat, continuò eundem pro instaurāda manu supplex rogaret. Vsqueadeò is qui vera prædicere ausus fuerat, ipso etiam rege tunc maior fuit: lædi non potuit, læsum sanauit. Marul. lib. 4. cap. 4.

Achior Ammonitarum ductor, ab Holopherne Bethuliam obsidente, de Iudæorum virtute interrogatus, quod sentiebat non dissimulauit: asserens inexpugnabiles esse, Deo ipsorum cum ipsis stante, nisi quando eo relicto ad deos alienos declinassent. Ob hoc vinctus in Bethuliam mittitur, vt simul cum illis contra quos bellum erat, captus puniretur. Sed longè secus quàm veritatis persecutores crediderant, euenit. Holophernes, qui nihil armis suis resistere posse gloriabatur, fœminæ manu interimitur, reliqui fugam petunt. Achior verò vitæ periculum euadens, ne quid in se gentiliciæ falsitatis resideret, etiam circumcisionem accepit. Qui ergo pro veritate steterat, salutem: qui contrà nitebatur, necem & nece grauiorem ignominiam, & vtroque acerbiora gehennæ supplicia est consecutus. Ibidem, ex 5. & 6. cap. Iudith.

Cùm increpasset Hanani propheta Asa regem Iuda, quia confusus erat in Benadab rege Syriæ, iratus est Asa, misitque viuentem in neruum. 2. Par. 16.

Zacharias Ioiadæ sacerdotis filius, veritatis, id est Dei spiritu imbutus non dubitauit Ioam regem Iuda palàm arguere: quòd patriæ ritu relicto, ad idolorum cultum conuersus fuisset. At illi prophetantem in atrio domus Domini lapidibus obruerunt. Deo verò innocentis necem vlciscente, in gentes illorum copiæ à paucis Syris prostratæ sunt, Ioas à seruis interfectus. Qui autē pro veritate mori non timuit, vitæ æternæ præmia recepit. Ibidem, ex 2. Paralip. 24.

Clausit Hieremiam prophetam in domum carceris Sedechias rex Iuda, dicens: Quare vaticinaris, dicens, Hæc dicit Dominus? Hierem. 32. & trigesimooctauo.

Cùm legisset Baruch verba quæ scripserat ex ore Hieremiæ, coram Ioachim rege Iuda, rex in ignem proiici volumen curauit, & Baruch & Hieremiam comprehendi: sed Deo nolente, tunc non fuerunt inuenti. Hiere. 30. Postmodum verò cùm iterum prophetaret captionem ciuitatis, missus fuit in lacum, vbi non erat aqua, sed lutum. Et descendit Hieremias in cœnum. Hieremiæ 38.

Pro eo quòd Daniel probauit, Bel & draconem non esse deos, Babylonij conuenerunt aduersus regem, & procurauerunt Danielem mitti in lacum leonum. Dan 14.

Cùm dixisset Tobias de hœdo, quem balantem audiuit, Videte ne furtiuus sit: Vxor eius impatienter respondit. Tob. 2.

Sara filia Raguelis vnam de Ancillis suis pro culpa increpabat, & illa nimis iniuriosè respondit, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Tob. 3.

Ioannes Baptista dicebat Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui Philippi Herodiadem. Herodes id ægrè ferens in vincula coniectum captata occasione interfecit. Mat. 14. Mar. 6.

Cum Dominus increparet hypocritas & Pharisæos, Cœperunt illi grauiter insistere, insidiantes ei, & quærentes capere aliquid ex ore eius. Lucæ 11.

PHARISÆI cæco nato, à Domino illuminato, maledixerunt, & extra synagogam eum eiecerunt: quia veritatem constantissimè fatebatur. Ioan. 9.

PRINCIPES sacerdotum, audientes verba Apostolorum de doctrina Christi, cogitabant interficere illos: & cæsis denunciauerunt, ne amplius loquerētur in nomine Domini Iesu. At illi ibant gaudentes à conspectu concilij. Actor. 5.

Audientes Iudæi beati Stephani verba, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Act. 7.

Multos & magnos habuit aduersarios beatus Paulus, pro verbis veritatis & sobrietatis quæ ipse hominibus loquebatur. Act. 9. Item ad Galatas: Ego inimicus factus sum vobis, verum dicens. Galat. 4.

CAMBYSES Persarum rex, cùm Prexaspe satrapa audiuisset, Persas de eo propter temulentiam malè loqui: ira percitus, Prexaspis F. pocillatorem in medium produci iussit, & arcū intendens, sagitta cor eius trāsfixit. Conuersus inde ad Prexaspem: Abi, inquit, & Persis refer, vel temulentum regem munere suo probè functum, filiique tui cor medium non frustrato ictu transfixisse. Herod. lib. 3.

IDEM cùm propter crudelitatem à Crœso rege captiuò reprehenderetur, quódque patris vestigiis non insisteret, coargueretur: arcu correpto eum confixisset, nisi fuga sibi consuluisset Crœsus. Ministri, quibus interficiendi Crœsi potestas erat data, hominem abscondunt. Eundem rursus, cùm Cambysem facti pœnituisset, producūt. Cābyses lætus quòd Crœsus adhuc superesset, ministros tamen propter inobediētiam morte affecit. Ibidem.

IDEM sororis, quæ vxor etiam fuit, verbis inflammatus in eam calcibus insiliens, abortire fecit. Vide tit. Parricidarum.

OROETES Sardium præfectus, cùm à Mitrobate præfecto Dascyliorum reprehenderetur, quòd Samum insulam tam propinquam regis ditioni non adiunxisset (eam namque eodem tempore Polycrates subiugarat) primùm quidem Polycratem astu captū cruci affixit, deinde mortuo Cambyse Mitrobatem cùm Cranape F. interemit. Herod. lib. 3.

Callisthenes liberius cum Alexandro locutus, eiusdem mandato adiudicatus est morti. Hæc autem eius verba ad Alexandrum fuisse feruntur: Si deus es, beneficia largiri mortalibus, nō sua debes eripere. Si homo, id quod es, semper te esse cogita. Rauis.

M. DRVSVS trib. pl. parum habuit L. Philippum cōsulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat, obtorta gula, & quidem non per viatorem, sed per clientem suum, adeò violenter in carcerem præcipitem egisse, vt multus è naribus eius cruor profunderetur, verumetiam cùm Senatus ad eum misisset, vt in curiam veniret: Quare nō potius (inquit) ipse in Hostiliam propinquam rostris ad me venit? Piget adiicere quod sequitur: Tribunus Senatus imperium despexit, Senatus tribuni verbis paruit. Val. Max. lib. 9. cap. 5.

M. LIVIVS Drusus genere & eloquentia magnus, sed ambitiosus & superbus, ædilis cùm esset, Rhemnio collegæ quædam de vtilitate Reipub. suggerenti: Quid tibi cum Repub. nostra? respondit. Suetonius de Viris illust.

Iulius Crispus, tribunus prætorianorum militum, vidēs Seuerum Romanorum imperatorem ob vilissimas causas bellum inferre multis, atque ferrum stringere leuiter in innocentissimos, cecinit carmen Maronis, quo carmine vnus ex militibus Turni, qui bellum cum Ænea gerebat, dolet nulla ratione magnum numerum hominum perire, vt Turnus Lauiniam in vxorem ducat. Quod cum audiuisset Seuerus, occidi iussit hominem. Fuit autem proculdubio carmen quod extat libro Æneidos vndecimo, his verbis:

Scilicet vt Turno contingat regia coniunx,
Nos animæ viles, inhumata infletáque turba
Sternamur campis. Xiphilinus in Seueri vita.

Carina Secundus, præclarus apud Romanos orator, nullam aliam ob causam exilio mulctatus est, quàm quòd contra Caligulæ tyrannidem, exercitij tantùm gratia declamasset. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula.

Lamperius præsul & ciuis Traiectēsis, sub Pipino rege, eo quòd Ciues omnibus vitiis operam dantes reprehenderat, ab iisdem in exilium pulsus est: ac post septem annos reuocatus, ab iisdem occiditur. Volaterranus lib. 20. Anthrop.

EVDOXIA Arcadij Imp. vxor, cùm reprehensiones liberas D. Io. Chrysostomi Constantinopolitani episcopi ferre non posset, bis in exilium curauit eiici virum sanctissimum. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum, sub nomine Ioannis Chrysostomi.

THEOPHILVS Alexandrinus episcopus, Longorum fratrum reprehensionem ferre non potest. Vide tit. Monachorum, quatuor Monachi fratres.

IVNIPERTVS rex Bergomensium, cùm Ioannis episcopi admonitionem ferre non posset, eum insidiis equi è medio tollere conatur. Vide sub tit. Doctorum Ecclesiast.

CVIDAM ex fratribus perpetuum silentium seruāti, pater Franciscus vt semel saltem in hebdomada confessionem faceret, persuadere non potuit: & ille sibi de se magis quàm præposito suo credens, excidit à

sanctorū collegio, & ad vomitū est reuersus. Primùm irrationabile erat, tam obnixo obstinatóq; animo tacere, vt confiteri nollet, quasi qui nihil vnquam deliquisset: deinde arrogans ac superbus, maiorum voluntati suam præponere: cùm Dominus dicat: Obedientiam volo, & non sacrificium. Et: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Profectò qui obedire negligit, subiici dedignatur: & qui subiici dedignatur, superbit: & qui superbit, nunquam proficiet. Igitur ipsum quoque oris silentiū semper meatis humilitate niti debet, vt eo facilius obseruatori suo prodesse possit. Marul. lib. 4. cap. 6.

Columbanus ex Hybernia Gregorij tempore, cùm Theodericum Frācorum regem secundum paulo liberius corripuisset, in exilium ab eo actus est. Volat. lib. 21. Anthrop.

Henricus Dandulus, Sebastiani Ziani ducis tempore missus Constantinopolim orator ad MANVELEM principem, Veneto nomini infestū, quum aliquanto liberius prę cęteris collegis publicam causam ageret, in grauissimum Manuelis odium incurrit, vt tandem illo ad se semel aduocato seorsum ab aliis, candelas igneas eius oculis diu obiecerit. Quo facto Henricus ipse lumen oculorum penè integrum amisit. Egnat. li. 6. c. 2. At cap. 6. splendidum lebetem oculis obiectum esse asserit.

BERNABO vicecomes, qui Mediolani rerum potiebatur, Massiliensem abbatem ab Innocentio 6. pont. ad eum missum, quòd ingrata quædam nunciabat, ac postremò Apostolicas censuras minitabatur: Pontificis literas, quas attulerat, deuorare coegit, nulla eius habita ratione, à quo Abbas legatus erat. Fulg. lib. 9. cap. 5.

Superbissimi animi facinus RAINALDI Castilionensis Antiocheni principis, in Almericum Antiochenum patriarcham fuit, cùm per æstatis tempus, integram diem vinctum, in turris summitate, sub dio, nudo capite, ac melle os totum perfusum stare cœgit: ita vt parum abfuerit, quin nimio calore, ac muscarum tædio conficeretur. Cuius rei illa fuit causa, quòd visus fuerat parum probasse matrimonium ab eo cum Constantia principe initum: quia nulla quatuor liberorum paruulorū, quos ex Raimundo principe, qui primus vir eius fuerat, habita ratione, Rainaldo Constantia nupserat. Fulg. lib. 9. cap. 5.

BONIFACIVS 7. pont. in vrbem reuersus, è qua propter crimina pulsus fuerat, nulla dignitatis habita ratione, Ioanni cardinali innocentissimo viro, oculos effodi iussit: quòd ei in his quæ parum iustè appetebat, aduersaretur. Fulgos. Ibidem.

EXCVSATIONES PECCATORVM SVORVM FALSAS, AB

adulatoribus prolatas, suscipere & admittere.

BONA ALIORVM DEPRIMERE.

Inuidiæ hoc est, & Detrectationis, qua ea quæ sunt, vel bona esse penitùs negat, vel certè minora esse asserit. Conuenit cum Obtrectatione in genere Maledicentię: differt ab ea non tam subiecto, quàm quòd Obtrectatio φάσις est malorū, Detrectatio verò ἀπόφασις bonorum: quamuis ferè qui mala obtrectat, simul etiam vel apertè, vel certè tacitè bona detrectat. Itaque eadem exempla vtrobique inseruire poterunt.

MALA ALIORVM CONTRA VERITATEM DISSIMVLARE,

excusare, aut saltem non reprehendere.

Etiam hoc Adulatoris est, si spe lucri fiat: sin amicitiæ causa, ἀρέσκȣ, vt in sequenti Libro dicetur.

ESAIAS lamentatur, inquiens: Væ mihi, quia tacui. Reprehensibilem se agnoscit propheta, quòd Oziam regem, populúmque in vitia pręcipitem, verbis non corripuerit, iuxta illud: Ne reuerearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Marul. libro 4. capite sexto.

INCONSTANTIA RELIGIOSA. ΑΠΟΣΤΑΣΙΑ

Exempla plurima pete ex tit. Hæreticorum, quorum maior pars ab Ecclesia recessit. Pertinet autem Titulus iste ad Religiosam iniusticiam, si perfidiam spectes. Hic inconstantiæ solius ratio habetur.

Rediens Moyses de terra Madian in Ægyptum, narrauit omnia verba Domini, pro quibus miserat eum. Sequitur: Credidit populus, audierúntque quòd sanctificasset Dominus filios Israel, & proni adorauerunt. Postea verò cum essent afflicti ab exactoribus Pharaonis, dixerunt Moysi & Aaron: Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos. Exod. 4. 5.

Cùm post multas Ægypti plagas diuites & armati egrederentur FILII Israel de Ægypto, Domino præcedente, & etiam eis per nubem & ignem ostendente, viderunt Ægyptios post se venientes, & timuerunt valde, & dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, & ideo duxisti nos vt moreremur in solitudine Dei. Mox tamen confortati sunt per Moysen, quum Dominus mare rubrum diuisisset, & populus sicco pede transisset, submersus est exercitus Pharaonis: & timuit populus Dominum, & crediderunt Domino & Moysi seruo eius, dicentes: Cantemus Domino gloriosè, &c. Exod. 15.

Non multò pòst venientes in Marath, murmurauit populus propter aquas nimis amaras. Quibus per lignum appositum dulcoratis, consequenter murmurauerunt pro defectu cibi, dixerúntque ad Moysen & Aaron: Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, &c. Et misit Dominus vespere coturnices, & manna pluit eis de cœlo mane. Exod. 15. & 16. Postea cum daturus esset eis legem, dixerunt: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Exod. 19. Cùm narrasset eis Moyses verba & præcepta quę à Domino acceperat, similia verba dixerunt. Exod. 24. Cùm autem moram faceret Moyses in monte cum Domino, in descriptione tabernaculi, congregatus est populus apud Aaronem, & ait: Fac nobis deos, qui nos præcedant. Exod. 32. Cùm erectum esset tabernaculum, & factæ oblationes principum, post numerationem bellatorum & Leuitarum, ortum est murmur populi, quasi dolentium præ labore. Num. 11. Audita relatione exploratorum, murmurauit populus, & fleuit, dixítque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Num. 13. & 14. Audientes quòd displicuisset Domino murmur eorum, voluerunt ascendere montem, & contra voluntatem Moysi pugnare: & tunc fuerunt ab hostibus debellati. Eodem.

Rursus in seditione Chore multi surrexerunt contra Moysen & Aarō: quib. terribiliter castigatis, murmurauit etiam multitudo filiorū Israel contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cúmque oriretur seditio, & tumultus cresceret, Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Num. 16.

Cùm autem per miraculum virgæ Aaron, compescuisset eos Dominus, dixerunt: Ecce consumpti sumus, & omnes peribimus: quicunque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num. 17. Vlterius procedentes, venerunt ad aquas contradictionis, & insurrexerunt aduersus Moysen & Aaron, & diffisi sunt de diuina virtute: propter quod & puniti sunt à Domino. Num. 20. Postea fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: & initiatus est Israel Beelphegor. Et præcepit Dominus principes suspendi in patibulis Num. 25.

MOYSES charitate in proximos, pietate in Deum semper præstantissimus, & AARON sacerdos à Deo electus, quoniam longum virtutum suarum tractum semel peccando ad aquas contradictionis interruperāt, populum Israel in terram promissionis non induxerunt. Quomodo nos terram viuentium intrabimus, qui non semel, sed frequenter peccamus? Marul. lib. 5. cap 8.

Saul primus rex Iudæorum, priusquam vngeretur in regem populi Israel, vir erat bonus & iustus, nec erat vir in Israel melior illo. Sed postquam adeptus est regiam administrationem, elatus animo, mandatum Domini transgressus est: & ex rege factus tyrānus, ac subditorum oppressor. Quamobrem reprobatus à Domino, regia dignitate priuatus est: & ad extremum derelictus, & fugatus ab exercitu Philistinorum, vulneratus est vehementer à sagittariis in montibus Gelboe, mox gladium arripiens, irruit in seipsum. 1. Reg. 9. & 25.

SALOMON, quo non erat in filiis Israel melior, quia postremò præuaricatus est: ab eodem Deo, à quo electus fuerat, regno indignus iudicatur, [redacted].

ROBOAM vnà cum populo cui præerat, in viis prophetæ Dauid ambulasse dicitur: mox deinde legem Domini reliquisse. Ob id à Sesac Ægypti rege capti, spoliati, in seruitutem redacti sunt: dicente Domino per Prophetam, Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manus Sesac.

Rex IOAS Ochoziæ filius, quandiu vixit Ioiada sacerdos, à quo vnctus fuerat, rectè ac laudabiliter se gessit: eo autem defuncto, ad idola declinauit, & à seruis interemptus periit. Sed leuis hæc inconstantiæ pœna, nisi post eam æternis etiam addicti fuissent suppliciis. Marulus libro 1. capite octauo.

Cùm complesset HIEREMIAS verba, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad populum, apprehenderunt eum sacerdotes & prophetæ, & omnis populus, dicentes: Morte moriatur. Et post pauca dixerunt principes & omnis populus ad sacerdotes & prophetas: Non est

viro huic iudicium mortis.Hiere.26.Accesserunt omnes à paruo vsque ad maximum ad Hieremiam prophetam,& dixerunt:Omne verbum in quo miserit te Deus ad nos,faciemus, siue bonum siue malum.Cùmque post decem dies exposuisset eis Hieremias Domini voluntatem, dixerũt ei:Mendacium tu loqueris.non misit te Dominus,sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos:& non audiuit vniuersus populus vocẽ Domini,&c.Hiere.42.& 43.

Quando satiauit Dominus quinque millia hominum, cum quinque panibus & duobus piscibus,voluerunt eum rapere,& facere regem.Citò autem pòst cœperunt increduli disputare,& quærere: Quod signum facis,vt credamus tibi?Ioan 6.

Ante quinque dies Paschæ,Dominum Iesum recepit P O P V L V S magno gaudio,& manè veniebat ad eum in templo.Feria verò sexta,in die Parasceues,clamauerunt omnes:Crucifige eum.Mat.21.& 27.Lucæ 19.& 23 Ioan.12.19.

Nisi I V D Æ apostoli mores & vita ab initio hominum opinione probata fuisset,indignus videri potuit,qui in sanctissimum Christi comitatũ reciperetur.Verùm sic omnia in eo mutata sunt,vt ex fideli perfidus, ex discipulo proditor sit factus:qui cum in bona spe esset, desperationem præsumpsit.Tam incerta est humanæ vitæ conditio,tam prona in lapsum vt tum maximè concidat,cùm se stare putat.Sabel.lib.8.cap.8.

Paulo apud Ephesum existente,& multa ibidem miracula faciente,Demetrius quidam argentarius,faciens ædes argenteas Dianæ, conuocatis artificibus,concitauit tantam turbationem in ciuitate,quòd tota impleta est confusione,& impetum fecerunt vno animo in theatrum:& tamen plures nesciebant,qua ex causa conuenissent. Tunc fuerunt in magno corporum periculo Paulus & socij eius:sed scriba populum sedauit,& ad propria remisit.Act.19.

Quadam die tantus fuit H I E R O S O L Y M I S aduersus Paulum populi concursus,quòd percutiebant eum,& trahebant extra templum: & vix potuit eripi à tribuno cohortis,qui cum militibus superuenit.Postea verò cùm narrasset quæ ei acciderant Damasci,leuauerunt vocem, dicentes:Tolle de terra eius memoriam:non enim est fas eum viuere.Sequẽti autem die exclamauit Paulus in concilio:Viri fratres,ego Pharisæus sum filius Pharisæi:& facta dissensione inter Pharisæos & Sadducæos, soluta est multitudo:& surgentes quidam Pharisæi,pugnabant pro eo, dicẽtes: Nihil mali inuenimus in homine isto.Quid si Spiritus locutus est ei, aut angelus?Act.22.& 23.

Ad Christianam fidem,Volfranij Senonensis episcopi opera conuersus R A T H O L D V S Frisonum dux,cùm iam alterum pedem in baptismatis fonte posuisset,priusquam alterum poneret, ab Episcopo petit, Vbinam maiorem,in paradiso an in inferno,suorum esse numerum putaret?respondente autem Volfranno: Quippe in inferno, quòd eorum nullus Christum redemptorem agnouisset;pedem ex baptismate dux retraxit,dixitque:Eò proficisci velle, vbi sui essent:malléque eos qui plures essent,quàm pauciores sequi.Impia hæreticorum leuitate,saluti damnationem anteposuit.Fulg.lib.9.cap.11.

M A X I M V S philosophus Platonicus Epirota, vel Byzantius, præceptor Iuliani principis,vario fuit ingenio.Primò siquidem Christianus, deinde desertor, postremò ad sanitatem rediit.Quapropter à Gregorio Nazianzeno in eius scriptis primò vituperatur,deinde laudatur.Vol.lib. 17.Anthrop.

Imperante Diocletiano,qui acerbè Christianum nomen insectabatur, M A R C E L L I N V S præ nimia mortis formidine compulsus ad idolorum venerationem, tria tantùm thuris grana incẽderat.Quo facto,quanquã eum priuare nullus pontificia dignitate auderet, semetipse criminis sui censor pontificio honore abdicauit:neque multo pòst vt errorem corrigeret,martyrio se obtulit,ac sanguinem suum pro Christi nomine effudit Fulg.lib.1.cap.1.

P T O L E M Æ V S Ægyptius quindecim annos in eremo commoratus est,atque vitam solo pane ac rore ducens,orando tempora sua transigebat.Sed postea ad priorem scelestam vitam reuersus,apostatauit.Fulg.li. 6.cap.9.

H E R O Alexandrinus, cùm magnam temporis partem austerè atque cum virtute egisset,religione cum virtute relicta,ad secularem vitam, vt inter scorta viueret,conuersus est.Cæterùm illius etiam vitæ pœnitentia ductus,ad eremum denuò se recepit.Ibidem.

Carthaginensis T E R T V L L I A N V S, cũ antea singulari vitæ innocentia esset, ac permulta de catholica religione ingenti doctrina atque eloquentia scripsisset,Romæ quorundam clericorum contumelia affectus,maiore indignationis,ad quam permotus erat, quàm honoris propriæque salutis habita ratione,ad hæresim transiuit,ac prauum Mõtani Phrygij dogma secutus,aduersus catholicam fidem scripsit.Fulg.li.9.c.3.

A M M O N I V S Alexandrinus,præceptor Origenis,fuit à puero Christianus.Prouectior verò factus,ad philosophiam se conuertit, deserta fide orthodoxa.Rauis.

I A C O B V S natione Persa, sed professione Christianus, dum inter regis Persarum aulicos honori præcipuo haberetur, ad exercendum idolorum cultum prolapsus est.Mox pœnitens,grauiter animo angi cœpit. Et cum palàm se Christianum esse,& deos vanos fallósque despicere diceret, ipsius regis iussu supplicia pertulit, membratim articulatímque dissectus.Inde alij Denodatum,alij Intercisum cognominant:ego potius Deartuatum dicerem.Nihil tamen refert quo cognomento appellandus sit:sed magis considerari decet,à quanta perditione per pœnitentiam liberatus,ad qualem peruenerit gloriam,vt inclytissimis Christi martyribus annumeratus sit.Marul.lib.4.cap.10.& lib.2.cap.12.

B O N I F A C I V S II.pont.Rom.conuocata synodo decreuit,quòd liceat Pontifici viuo successorem ordinare.Et statim Vigilium suum diaconum elegit successorem,si moreretur. Paulo pòst cùm eum pœnituisset facti,quòd alteri habenas commisisset:iterum conuocata synodo, fassus est se contra dignitatem sedis Apostolicæ,& contra Canones egisse. Itaque ab adulatoribus facilè impetrauit,vt chirographos igni traderent,& electionem irritam facerent.Ex libro Pontificum.

INCONSTANTIA ETHICA, TAM PVBLICA, QVAM *priuata in pace & in bello.Item,*

MORES IN PEIVS MVTATI MVTATIONE FORTVNÆ AVT ÆTATIS.

Inconstantia vitiosa est,quæ à meliori in deterius labitur.de qua hoc in loco agimus.Contrà laudabilis existit,quæ à malo ad saniorem mentem conuertitur:& propterea non Inconstantia censeri debet,sed potius Pœnitentia ethica,de qua sub loco Iustitiæ agemus.Latissimè autem patet,& multos alios titulos sub se comprehendit mala Inconstantia,pro varietate personarum:vtputa Degeneres filios,Perfidos & Proditores:omnes denique eos,qui fidem suam multis antea in rebus perspectam frangunt.

Cùm liberasset Gedeon populum filiorum I S R A E L de manu Madiã, & occidisset Zebee & Salmana,dixerunt omnes filij Israel ad eum: Dominare nostri tu,& filius tuus,& filij tui.Ipso tamen mortuo, cùm haberet septuaginta filios,nullum de ipsis assumere in dominum & principẽ voluerunt.Iudic.8.

Samuel propheta liberauit populum I S R A E L de manu Philistiim,& recuperauit vrbes quas illi abstulerunt Israel.Postea congregati sunt: & petierunt regem sibi constitui contra voluntatem Domini & Samuelis.1. Reg.7.8.

Quamuis Dauid bene populum rexisset,& multas victorias habuisset: tamen facta est coniuratio contra eum, & populus concurrens augebatur cum Absalon.2.Reg.8.& 15.

Cùm rediret Dauid Ierusalem,P O P V L V S certatim volebat eum reducere cum honore:sed pro eo quòd viri Iuda locuti sunt cum viris de decem tribubus,separatus est omnis Israel à Dauid: secutúsque est Sebã filium Bochri.1.Reg.19.& 20.

Audientes filij I S R A E L terribilem potentiam Holofernis, præoccupauerunt omnes vertices montium,& muris circundederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.Postmodum cũ vidissent se premi ab exercitu,congregati sunt ad Oziam omnes simul,& dixerunt:Iudicet Dominus inter nos & te,quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Assyriis.Iudith.7.

A T H E N I E N S E S ad commutandos reip.status erant versatiles,&omnium propensissimi ad vicissitudines.Nam regnum Cecropis,Erichthei, & Thesei & Codridarum moderatè tulerunt. Tyrannidem experti sunt sub Pisistratis, Aristocratia vsi sunt vsque ad quadraginta:deinde singulis annis in posterum, 10 ex ciuibus remp.gesserunt.Postremò cum 30 tyranni constituerentur,coorta est confusio,& sine magistratibus respub.fuit. Hanc tam procliuem commutationem morum, an laudare æquum sit, ego sanè ignoro.Ælian.lib.15.de Var.hist.

E V T H Y D A M A S rhetor, cum aliquando ob oratoriam clarus atque vtilis Reipub. esset,ad tyrannidẽ postea inclinabat.Eius amicus Hybreas, illo mortuo:Euthydame ait,malum es ciuitatis pernecessarium.Nam nec tecum viuere possumus,nec sine te.Bruson.lib.4.cap.7.

A N T I G O N V S, Lysimachus,Ptolemæus,& cęteri Alexandri successores, quàm diu nomine & insignibus regiis abstinuere, benignè clementérque imperium exercuisse dicuntur.Cæterùm diademate & regis appellatione recepta,vis pro iustitia placere cœpta est,pro æquitate libido,fastus & superbia pro clementia & humanitate:postremò prioris fortunæ obliti, ausi sunt histriones imitari,qui vitam & mores cum vestibus vno die sæpius mutant.Sab.lib.8 cap.8.

P A V S A N I A S Spartanorum dux,cum aduersus Xerxem Persarum regem opulentissimum missus,multas & præclaras inde victorias retulisset,& plurimum incrementi Lacedæmoniorum adiecisset imperio, sensim vitam suam in mores Asiaticos labi permisit: deinde eò vsque prosessit,vt Xerxi promiserit se Lacedæmoniorum imperium,perditurum,si filiam sibi in matrimonium daret.Val.Max.lib.2.cap.de Instit.antiq.

A R I S T O C L E S Pergamensis sophista, tempore quo philosophabatur,squallidus,horridúsque aspectu:mox sese cultius habuit, voluptatibus nimirum tum lyræ,tum cantus indulgens.Philostr.

D I O N Y S I V S,Leonem postquam iussisset ad interitum duci, ter mãdauit satellitibus vt rursus abducerent,atque ter animũ mutauit:& quotiescunque accersiuisset, exosculatus est lachrymãs:& execratus seipsum, quòd cùm sumpsisset ensem, tandem metu vinceretur, interfici iussit: Non licet,inquiens,ô Leo,tibi viuo esse.Ælian.lib.3.de Var.hist.

A L E X I N V S sophista inter ambulandum multa mala dixit in Stilponem Megarensem,cęterùm vbi quispiam eorum qui aderant dixisset:Atqui ille te nuper laudauit:Per Iouem,inquit:vir enim optimᵘˢ est, ac pręstantissimus.Tam facilè ex obtrectatore factus est laudator, nõ ob aliud, nisi quòd ab eo laudatus esset.Eras.lib.6.Apoph.

C V R I O quum prius esset inimicissimus Cæsari,mutata postea volũtate, factus est acerrimus eius propugnator, quum ab eo liberatus esset maximo ære alieno.Vnde Lucanus:

Audax venali comitatur Curio lingua.

Et alij de eodem:

Gallorum captus spoliis & Cæsaris auro.

Seruius ait,Curionem vendidisse Romam Cæsari 26.millibus aureorum.

T I B E R I V S Cæsar ab Augusto socero,atque eodem vitrico,non sine vitæ periculo Rhodum relegatus, haud multo pòst ad imperium conscendit:humanum se ab initio,(ad Germanici vsque mortem.qui collega in imperio futurus erat)atque ciuilis bonitatis studiosum ostẽdens, omnem rerum administrationem Consulibus permisit: ad id patientiæ perductus,vt palàm in Senatu etiam perexiguæ existimationis Senatores ei contradicerent.Cæterùm cum ætate mutatis etiam moribus, adeò crudelis,superbus atque immanis fuit, vt mortuum populus Romanus exclamauerit,in Tyberim proiiciẽdum esse. Hic igitur & fortunam & mores tam varios habuit,vt ab extremo,nulla mediocritatis ratione seruata, ad aliud extremum transilierit. Fulg.lib.6.cap.9. ex Dione in eius vita.

C.C A L I G V L A adeò fuit difficilis in rebus gerendis imperator, vt nemo sciret quid se apud eum dicere aut facere oporteret. Quòd si quid illis prosperè successisset, id magis eueniebat fortuna quàm cõsilio. Solebat hominum frequentia delectari, mox solitudinem amare: cùm quid ab se peteretur,irasci:sæpenumero cùm nihil esset petitum,succẽsere:accedere ad res gerendas celerrimè, in quibusdam negligentissimus esse:prodigus in profundenda pecunia,in quærenda sordidissimus.Dion in eius vita.

Idem posteaquam ad imperium conscendit,vt timore omnes liberaret, factas aduersus fratres quos Tyberius occiderat accusationes publicè combussit:& vt clarius humanitatis studium ostenderet,legere chirographum recusauit ad se missum,quo inita contra salutẽ eius cõspiratio detegebatur:ob id,vt dicebat,ne aliquem supplicio afficere cogeretur. Sorores quoque,vt fratrem æquum erat, vehementer dilexit. Cæterum ficta eiusmodi virtus bonitásque haud longè abiit, neque diu ostentitam antè ingenium præstitit: breui enim fratrem occidit, crudeliter sorores vrbe expulit:in Romanorum ciuium,qui nobilitate fulgerent, quanquã innocentium,uitam atque fortunas atrociter sæuiit, adeò vt iis qui eum antè norant, Caligula ille non videretur, quem ab initio aliis moribus ad principatum conscendisse viderant.Fulg.lib.7.cap.9.

Nemo N E R O N E in morum mutatione magis varius fuit. Is enim à prima ætate matris obseruantissimus,vt qua bonitate esset clarius appareret,perlatis ad eum literis, quibus damnati hominis supplicium mandabatur,vt eis è more subscriberet, dixit: Quàm vellem nescire literas, ne cuiusquam mortem mandasse viderer.Vectigalia, aliaque grauia populis imposita onera,diminuit:Senatoribus fortunę casibus nulla sua culpa ad inopiam vergentibus,de publico salaria cõstituit. Sed posteaquã in ætas inualuit,in matrem impius,mortem eius procurauit, Senatores clarósque alios permultos viros leuissimis de rebus interemit: nec eo contentus,tormentis interesse voluit,multas in se tanquam factę essent coniurationes finxit,vt sæuiendi materiam haberet. Cùm autem in prouincias procuratores mitteret, præter generalem normam augendorum vectigalium, monebat seorsum, Scite ipsos quæ ipsius necessitas esset: tandémque in diuites omnes,ceu in hostes inuectus est, virtutibus, quis adolescens præ se ferebat,in contraria longéque maiora vitia conuersis, vt non homo, sed infandum monstrum inter homines emersisse videretur.Ibidem.

M.O T H O Syluius à prima ætate impudicitiæ nota laborauit, & præterea iniustus habebatur.A Nerone in Lusitaniam missus, eam singulari iusticiæ laude,vt omnibus mirum videretur,rexit: factus postea imperator,ad primas libidines conuersus est.Denique moriens,adeò ab eo qui antè videbatur, diuersum se ostendit,vt animi fortitudine Catonem Brutúmque superaret.Breui vitæ suæ cursu, sæpius morum mutatione facta. Ibidem.

Domitianus primis imperij initiis, non abhorrere modò videbatur, vt humanus spargeretur sanguis:verùm etiam ea loca,tanquam molesta, deuitabat, in quibus cæsis ad vescendum animalibus, eorum cruor manabat.Relictas quoque hæreditates repudiabat. Sed ex bono in pessimũ conuersus,leuissimis de rebus nobilissimos viros permultos occidit, bonáque eorum publicauit: mortuorũ bona inuasit, qui vel vno teste probarentur dixisse:Velle bonorum suorum hęredem principem esse. Prorsus igitur à Bonitate atque abstinentia, quam primis initiis ostenderat, ad ingentem immanitatem atque rapacitatem se transtulit Fulgosus lib. 6.cap.9.

L.V E R V S Antoninus moribus fuit ab initio probatis, deinde ad aleã paulatim, scortáque ac popinas sese conuertit, adeò vt Marco in Syria ad bellum Parthicum,ne vitia eius palàm essent,missus fuerit, vbi maiori longè est debacchatus luxuria.Volat.lib.26.Anthrop.

Commodus Romanorum imperator, ab initio imperij nec vafer nec maliciosus erat,sed propter omnes homines apertus & simplex,seruiebat iis cum quibus versabatur:à quibus primò persuasus propter imprudentiam, id quòd multo melius erat, in immanem naturam & mores nefarios commutauit.Dion Nicæus,& Xiphil.in eius vita.

A N T O N I N V S Caracallus, Romanorum imperator, puer adhuc, à patre Seuero omnibus rebus quæ ad virtutem pertinebant, & corpus animúmque,probè erat institutus:adeóque in literis etiam profecerat, vt versaretur cum doctoribus,ac magnam diei partem philosopharetur.Verùm postea ad imperium euectus, in omnia vitia factus est adeò procliuis,vt sua licentia, crudelitate atque nefandis sceleribus totum maculauerit imperium.In prima iuuenta,si quem ad supplicium deduci vidisset, oculos in aliam partem, manantibus lachrymis, auertebat: sed postea mortuo patre, sine causa Antoninum Getam fratrem, item Senatores, permultósque alios,crudeliter interemit.Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

M A C R I N V S antequam ad Romani imperij gubernationem admitteretur,erat vir bonus: & cùm se hominem Maurum atque ex obscuris parentibus natum esse non ignoraret, probitate morum atque præclaris virtutibus adeò obscurabat suam ignobilitatem, vt sub Antonino præfectus prætorio,atque post eundem interfectum,imperij successor crearetur. Attamen cùm iam imperium obtineret,cœpit insolenter agere in rebus etiam grauissimis,& licentius vti sua potestate,ratus iam eo pacto melius contegere se posse generis ignobilitatem:atque ob hanc causam eos quos molestè ferre suspicabatur aut ignobilitatem eius, aut inopinatam adeptionem imperij, tractabat incuriosius, eósque de medio tollebat. Licet oportuisset eum contrà facere, conscium sibi quo loco natus esset, & qualis fuisset antea:neque efferre se insolenter sed potius beneficio & specimine virtutis omnes sibi pariter deuincire.Dion Nicæus, & Xiphil. in Macrino.

P E T R V S Candianus dux Venetorum, quartus in ea familia princeps, & viuentis iudicio patris, & totius ciuitatis assensu, propter egregiam indolem,in tãtam dignitatem ascitus fuit. Qui tamen non multo pòst mutatis moribus & fortuna,tantum sibi conflauit odium & patris & totius ciuitatis, vt non multo pòst in exilium sit missus, huic decreto fauente etiam patre.Cæterùm eo non multo pòst mortuo reuocatus ab exilio, vniuerso populo idipsum exigente,iterum Reip.præfuit, magna eorum lætitia qui eius adolescentiæ annos meminerant. Nec verò ille opinionem ciuitatis fallebat,tanta erat illius erga Rempubl. & reliquos ciues moderatio atque comitas.Cęterùm bis vertente anno,mutato planè ingenio,primùm vxorem legitimam, & filium ex ea susceptum dimisit, & Valdradam Guidonis Italici principis filiam, paternis bonis succinctam sibi iunxit,quæ in paterna aula genita,diúque versata, maiores quosdam spiritus marito tacitè ita substituit, vt iam ille tyrannus, non princeps haberi posset. Quum igitur omnes veterem principum bonitatem & prudentiam in eo desiderarent, tandem ita euenit, vt totius ciuitatis conspiratione iure optimo sit oppressus: petitúsque primùm incendio,dum cum paruulo filio tantum discrimen euadere tentat (quod ipse sibi persuaserat)per auersam à tumultu partem fugiens,in infestiorẽ multo turbam incidit, quæ nullis eius precibus flexa, & ipsum & infantẽ sustulit,eiúsque cadauer in macellum exportauit, quod canibus esca foret.Quamuis Ioannis Gradonici opera in diui Hilarij ædem clàm sit postea delatum.Egnat.lib.6.cap.8.

M A R I N V S Falerius ex clarissima familia natus, quem sibi maximis honoribus ornatissimum vniuersa patria delegerat, vt etiam oratorem Venetum apud Pont. agentem, ducem sibi in locum celeberrimi nominis Andreæ Danduli ducis creandum non dubitarit: quum omnem ætatem cum summa laude transegisset,declaratus princeps, non dubitauit in patriæ libertatem conspirare, idque ipsum haud sanè iusta causa.Quare illi meritò publicè abscissa est ceruix, & in maiori comitio locus inter duces datus illi non est.Egnat.lib 6.cap 8.

Qua tempestate Byzantini principes magnam Italiæ partem Græco imperio vendicabant,præerat Calabriæ & Apuliæ I O A N N E S Campsinus magnæ cum autoritate vir, qui postea, vt sunt eorum ingenia quos principes sine discrimine fouent,breui ab imperio desciuit.Quo accepto nuncio Heraclius,qui tum rerum potiebatur, E L E V T H E R I V M Constantinopolitanum patricium,vt rebellantem Ioannem Calabria Apuliáque expelleret, misit. Ille verò Neapolim veniens paratis copiis Ioannẽ acie victum à se interemit.Cuius beneficij mercedem persoluere cupiẽs Heraclius, hexarchatus dignitate illum ornandum curauit. Quam adeptus ille, vsque adeò immemor & fortunæ suæ, & imperatorij beneficij fuit,vt regem Italiæ sese appellari voluerit Id quod milites ipsi iustè admodum vlti sunt:ipsóque interfecto,Heraclio,partem eam Italiæ statim restituere.Egnat lib.8.cap.6.ex Fulg.eodem.

I N N O C E N T I V S Pont.septimus Vrbanum & Bonifacium Pont.Max. quum ipse inter cardinales vnus haberetur,arguere sæpe solebat, quòd de tollendo schismate minus soliciti essent.Verùm quum mox ipse Innocentius Pontificatus fasces adeptus esset, videbatur & ipse omnibus nihil omnino hac de re secum cogitare. Admonẽtibus autem illum non paucis, Romani ciues acrius instantes hoc ipsum ab eo exigere non dubitarunt.Qui ab eo ad nepotem remissi,cùm idipsum exquirerent,in cubiculum introducti, eius iussu pręcipites de fenestris iacti sunt.Egnat.lib. 8.cap.6.& Sab.lib.8.cap 8.& Fulg.lib 8.cap.6.

Fuit magna morum fortunęque mutatio.quam A L P H O N S V S secundus Neapolitanus rex fecit: nam simul cum iuuenta armis literisque relictis,hortos vnà cum vino epulisque secutus est. Itaque ex forti viro ac militaris prudẽtiæ pleno secors,ac propter obœsum corpᵘˢ ad res geren-

das ineptus,postremo penè amens etiam habitus est.Ad primum Caroli octaui Gallorum regis aduentum,cùm is in eum arma moueret, attonitus,Ferdinando filio regnum tradidit:ac nauem conscendens, in Siciliā terroris plenus profugit,cùm & hostis iuuenta, quæ consilij plerunque indiga est,item parum copiosa rei pecuniariç ratio (ita enim esse docebat,corrogata in primo aduentu ab omnibus pecunia)præterea hyems, quæ venienrem hostem adoriebatur,satis magnam spem facere possent, vt non resisteret modò,sed in Galliam ipsam illatum bellum trāsferret. Id quod haud difficulter poterat, cùm affatim milites & pecunia ei superessent.Cæterùm animo captus,omnibúsque neglectis, ille qui in iuuenta inexpugnabiles arces deuicerat, qui Turcas ipsos magno labore expugnata Hydrunto Italia depulerat,nihil vltra quæsisse videtur,quàm vt se solum seruaret.Sed ne Sicilia quidem,in quam se profugus recepit, longo tempore ad seruandam vitam adiumento fuit:siquidem illic nulla re minus,quàm hostium armis pressus, sine regno in ea breui diem suũ obiit,manu vehementi cancro debilitatus.Fulg.lib.6.cap.9.& Egnat.lib. 6.cap.8.

QVIQVÆ IN ALIIS VINDICARVNT, IPSI COMMISERVNT.

Vel qui in proprias leges peccarunt.

Iniustitiæ species hæc est.Tamen quia opinionum mutabilitas hic abest,ad Inconstantiam titulum hunc referre placuit, persertim cùm Valerius & Fulgosius eundem tractarint.

ISRAELITICVS populus seuerè atque atrociter Cananæos, aliósque vicinos populos,quòd idola colerent,euertit:cũ ipse tamen vniuersus,primò in desertis locis,dum ab Ægypto remigraret, & postea decē tribus eiusdem populi idem peregissent.Fulg.lib.8.cap.6.

SAVLVS pimus Iudæorum rex,cùm ariolos & pythonissas, qui ei parebãt,interemisset:ipse quoque ab officio discedens,de bello Pythonissam consuluit:qui postea pro crimine illo, ea pœna quam aliis irrogarat à Deo multatus est.Ibidem.

LYCVRGVS legem scripsit,ne mulieres in festo Mysteriorum curru veherentur:quæ verò id fecisset,mulctam lueret,quam ipse constituerat. Prima verò ipsius vxor aduersùs hoc psephisma deliquit, atque damnata pœnam subiuit.Ælianus lib.13.de Var.hist.Vide tit Occasiones libidinis fugere.

CLISTHENES cùm primus legem exilij apud Athenienses tulisset, haud multo pòst eadem lege quoque damnatus est.Alex.ab Alex. libr.3. cap.20.ex Æliani lib.13.

PERICLES Atheniensis ciuis,cùm plurimum in patria posset,author fuit,ut filij qui naturales tantùm essent, ciuium numero non haberentur.Cui cùm postea functis vita legitimis liberis, solus qui naturalis erat superstes fuisset,dum ciuium numero eum habuit, primus fuit qui conditam à se legem violaret.Fulgosius lib.8.cap.6.& Alex. libr.4.cap.10. & Æl.lib.13.

CHARONDAS Tyrius legem tulit, ne quis armatus in concionem veniret:cúmque postea ipse è rure veniens ex improuiso, vt erat gladio accinctus,in concionem indictam venisset, admonitus legis ab eo qui proximè sedebat, eidem gladio incubuit.Volat.lib.14.cap.2 Anthrop.

ZALEVCVS legislator Locrensium,iussit vt adultero deprehenso, vterque oculus effoderetur.Filius eius deprehensus in adulterio,pœnam à paterna lege statutam luere debuit.Ne igitur quod semel omnium sententiis confirmatum erat,irritum fieret,ipse pro altero filij oculo, sibi alterum eximi iussit,ne prorsus cæcus fieret filius, & lex interim seruaretur.Ælian lib.13.de Var.hist.Val.Max.lib.6.cap.5.Strab.lib.3.Laert.in vita Pythagoræ,Stob.sermone 42.

C.LICINIVS cognomine Hoplomachus, à Prætore postulauit, vt patri suo bonis,tanquam ea dissipanti,interdiceretur: & quidem quod petierat,impetrauit.Sed ipse paruo postea tempore mortuo sene, ampla ab eo relicta latifundia festinanter consumpsit.Dignus hac vicissitudine pœnæ fuit,quoniam hæreditatem absumere,quàm hæredem maluit tollere.Val.Max.lib.8 cap.6.

QVINTVS Varius propter obscurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus,trib.pleb.legem aduersùs intercessionem collegarum prorogauit qua iubebat quæri, quorum dolo malo socij ad arma ire coacti essent, magna cum clade Reipub.sociale enim prius,deinde ciuile bellum excitauit.Sed dum ante pestiferum trib.plebis,quàm certum ciuem agit, sua lex eum domesticis laqueis constrictum absumpsit. Ibid.

MARCVS Licinius Stolo, cuius beneficio plebi petendi consulatum potestas facta est:cùm lege sanxisset, ne quis amplius quàm quingenta agri iugera possideret,ipse mille comparauit: dissimulandique criminis gratia,dimidiam partem filio emancipauit.Quam ob causam à M.Popilio Lenate accusatus,primus sua lege cecidit:ac docuit nihil aliud præcipi debere,nisi quod prius quisque sibi imperauit.Ibidem, & Liuius libr. 6 Decad.1.

CAIVS Marius,cùm magnum & salutarem Reip.ciuem in L.Saturnino opprimēdo egisset, à quo in modum vexilli pileum seruituti,ad arma capienda ostentatum erat: L. Sylla cum exercitu in vrbem irrumpente, ad auxilium seruorum pileo superlato confugit.Itaque dũ facinus,quod punierat,imitatur:alterum Marium,à quo affligeretur,inuenit.Ibidem.

SVLPITIVS tribunus plebis,vt credendi modum præfiniret, legem tulit,ne quis ordinis Senatorij,vltra M M. drachmarum æs alienum conflaret.Postea ipse decedens contra legem à se latam C C C.myriadas æris alieni conflasse inuentus est.Alex.ab Alex.lib.1.cap.7.Plut.in Sylla. Appian.lib 1.Bell.ciuil.

L.SYLLA dictator,cùm per legem modum funeribus atque conuiuiis præfiniuisset,in Metellæ coniugis funere, atque in epulo quod sæpius populo exhibuit,nimia profusione põpáque,legem à se factam trāsgressus est.Fulg.lib.8.cap.6.& Plut.in Sylla.

OCTAVIVS Augustus,cùm de ornatu mulierum, & virorum continentia præcepta dare conaretur,irrisus est, eo quòd domi non haberet de iis rebus loquendi potestatem,nec libertatem. cùm multis enim rem habebat,Liuiæque,quam viuo marito eius duxerat,erat(vt aiunt) subiectus.Itaque adducto ad se adolescente,qui duxerat vxorem eam cũ qua adulterium commiserat:eóque grauiter accusato, Cæsar in dubitationē venit,quòd neque auderet id facinus contemnere, neque in adolescentem animaduertere.Tamen ita respondit:Seditiones(inquit)nobis attulerunt multa ac grauia incommoda,quæ recordari non est necesse: quare prouideamus in posterum,ne quid huiusmodi committatur.Dion Nicæus in Augusto.

TIBERIVS Imperator diligenter inuestigare solebat, quæ sibi homines exprobrarent.Sed postquam ea quæ secretò collocuti essent homines deprehendisset,ea ipse ita palàm dictitauit, vt postea in publicis commentariis scriberentur.Quo autem videretur iustius irasci,ea sæpè quæ nemo dixerat,sed quorum esset conscius,dicta esse mentiebatur:Ex quo fiebat,vt contra se delinqueret in iis, propter quæ alios, vt impios puniebat.Dion in eius vita.

NERO Imperator lege condita de moderando in victum sumptu, edixit,ne caupones in vrbe Roma aliud quàm legumen atque herbas venderent,pœna pro delicatioribus cibis imposita.Neque verò diu cunctatus,exquisitissimorum ciborum cœnis sumptuariam legem ipsam violauit:atque ipse in cauponas atque apothecas,quas in Tiberis ripa cõstruxerat,ciborum gratia se contulit.Fulg.lib.8.cap.6.

SENECA reus factus est multorum Neronis imperatoris scelerum: sed præsertim,quòd cum Agrippina Cæsaris matre rem haberet. Necenim in hac re solum,sed in plerisque aliis contrà facere visus est, quàm philosophabatur.Cùm enim tyrannidem improbaret,tyranni præceptor erat:cúmque insultaret iis qui cum principibus versarentur,ipse à palatio non discedebat.Assentatores detestabatur,cum ipse reginas coleret, & libertos,ac laudationes quorundam componeret.Reprehendebat diuites is,cuius facultates erant aureorum tricies centena millia: quique luxum aliorum damnabat,quingentos tripodas habuit de ligno cedrino, pedibus eburneis, similes & pares inter se,in quibus cœnabat. Ex quibus omnibus ea quæ sunt iis consentanea,quæque ipse libidinosè fecit, facilè intelligi possunt.Xiphilinus Dionis abbreuiator,in vita Neronis.

Gildo Aphricæ præfectus,in Theodosij primi morte eam prouinciam occupauit:& cùm in eandem perfidiam MASSELZEREM fratrem suũ trahere nequiuisset,fugientis inde vxorem liberósque peremit. Honorius autem atque Arcadius fratres,imperio potiti Masselzerem ad repetendam Aphricam,aduersus Gildonem fratrem miserunt, quem is prælio victum occidit:recuperatáque omni Aphrica in eundem, in quē Gildo,incidit errorem,quia ab Honorio atque Arcadio rebellauit.Fulg.lib. 8.cap.6.

HERACLIANVS ab Honorio Augusto, aduersus Attalum tyrannum,in Hispaniam missus,cùm eum deuicisset, Hispania recepta, ipse quoque rebellauit:sed cùm postea ad vrbem Romam cum ingenti exercitu veniret,à militibus suis occisus est.Ibidem.

Calabriam atque Apuliam Heraclei imperatoris nomine, Ioannes Campsinus, Græcus patricius regebat.Itaque ab eo,cuius auspiciis ipsas prouincias administrabat, desciuit.Ad persequendum eum ab Heracleo missus Eleutherius, Constantinopolitanus patricius.haud longè ab vrbe Neapoli,in prælio Ioannem occidit.Pro quo merito,ne sine munere ab Heracleo præteriretur, Italiæ exarchatum accepit. Cæterùm ipse dato honore non contentus, rebellauit,atque se regem appellauit.Quamobrem à Romanis legionibus,quas secum habebat,postea interfectus fuit, atque ipsius caput à militib.Constantinopolim missum.ibidem:& Egnat. eodem.

INNOCENTIVS Septimus,cùm nondum ad Pontificatum conscendisset,adhuc solo Cardinalatus honore insignis,persępè Vrbanum ac Bonifacium pontifices,qui ante eum Rom.Ecclesiæ præfuerant,reprehendit:quòd de tollendo à catholica ecclesia schismate,paruam gerere curam viderentur.Cæterùm postea ad Pontificatum euectus, in eosdē ipse quoque incidit errores.A quibusdam autem Romanis ciuibus rogatus, vt ad tollendum schisma curam adhibere vellet: cùm eos ad nepotem remisisset, ipsius nomine responsurum, à nepote pro responso id tulerũt, quòd à fenestris præcipites deiecti fuerunt:illud enim, is affirmauit, suũ esse responsum. Est autem cùm in permultis aliis sæpè hoc crimen, vt quod in aliis reprehendunt,illud reprehensores ipsi agant:tum maximè sacerdotum ordini velut à natura insitum, à Christo redemptore longè antè enunciatũ, cũ dixit: A sacerdotibus grauia aliis onera imponi, quæ ipsi ne digito quidem leuare volunt.ibidem,& Egnat.eodem.

LIBRI NONI FINIS.

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER DECIMVS.

DE VIRTVTE, QVAE IN PLACIDA CONVERSATIONE, *eaque seria,siue in otio,siue in negotio,consistit.* ΦΙΔΑΝΘΡΩΠΙΑ,*seu* FAMILIARITAS.

HACTENVS de ea virtute, quæ in placida conuersatione veritatem solam spectat: nunc de ea, quæ iucunditatem (interdum etiam coniuncta vtilitate) propositam habet. Iucunditas ista spectatur vel in conuersatione seria, vel in conuersatione ludicra. Seria conuersatio esse potest, & nihilominus iucunda: potest & ludicra esse,modò acerba,modò placida,& iucunda. Eapropter virtute opus est,quæ iucunditatem hanc passim obseruet: in seriis quidem popularem, in ludicris verò ludicram, siue(vt Græcorum παιδιὰν exprimamus)iucundam. Et de ludicra quidem conuersatione Lib. XI agemus. Nunc de seria, cuius virtutem Arist. ἀνώνυμον esse dicit, similem tamen Amicitiæ facit. Pro cuius intelligentia illud ante omnia obseruandum est, quòd conuersatio hominum nihil est aliud, quàm λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνία. qui ergo in sermone & actionibus quotidianis, pro sua aliorúmque dignitate, mediocritatem seruare poterit, virtutis huius, de qua nos hîc loquimur, particeps erit. Mediocritatis autem est, vtrúmque extremum fugere. Ergo & nimiam austeritatem, & nimiam familiaritatem euitabit, atque in medio (vt Poeta inquit) tutissimus ibit. Cùm igitur duplex sit extremum, duplex etiam erit huius virtutis ratio: altera quidem in nimia familiaritate vitanda, altera verò in austeritate rustica, & inhumana fugienda. Prior illa Taciturnitatem, personæ morúmque decentem Grauitatem complectitur: posterior Popularitatem, Affabilitatem, Facilitatem continet, Affabilitas quidem in sermone est,Facilitas & Popularitas in moribus esse videntur: nisi quòd Popularitas potissimum ad publicam conuersationem refertur vt,principis,& magistratus erga subditos,aut ciuium erga se mutuò:Facilitas verò magis generalis exsistit.Ipsa certè Popularitas,siue Facilitas virtus est verè politica,quia cũ hominibus cõuersari cupit:homo autē natura animal est κοινωνητικὸν,cœtus & conuersationis amans.Qui ergo popularem conuersationem fugit(si Arist.credimus, seu potius veritati)aut Deus est,aut bestia.Deus quidem,si vel religionis caussa,vel philosophiæ studio solitudinem petat, vt à nullis externis rebus impeditus,mentis agitationi liberrimè possit vacare,neque odio hominum fugiat,sed præstantioris, & diuini commercij desiderio: ὁμοῖον γὰρ ὁμοίῳ ἀεὶ κατὰ φύσιν φίλον. Deus ergo est,id est,diuinæ conuersationis assecla,Deíque imitator verus, nimirum philosophus,in theoricis potissimùm,iísque maximè sacris. Huiuscemodi autem ἠρεμία,& hominum fuga, quæ non modò non vituperanda,sed etiam summis laudibus euehenda est,in primo libro ad studium Exercitationis theoricæ à nobis relata fuit: solitudinem enim contemplationis caussa amplectitur:hominum conuersationem,quia contemplationi,& theoricæ officit,euitat.Qui huius rei exempla desiderat,legat titulum eorum,qui Contemplationi fuerunt dediti,item Eremitarum.Popularitatem isti relinquunt, virtutem scilicet ethicam:vt longè perfectiorem & excellentiorem virtutem theoricam,Sapientiam scilicet,cõsequantur.Itaque cùm relicta vita practica theoricam amplectantur,à nemine accusari debent,quòd relictis virtutibus ethicis, theoricas persequantur. At qui in vita practica permanens,Popularitatem reiicit,ille vituperio dignus est,quoniam virtutem suæ vitæ consentaneam,& necessariam relinquit.Hoc inde patet,quòd qui in vita practica Popularis non est,in vitium incidit vel in excessu,quia præter dignitatem se popularem facit:(nimia enim familiaritas contemptum parit, vt vulgò dici consueuit) vel in defectu, quia δύσκολος καὶ μισάνθρωπός τις efficitur. At qui in vita Theorica πολυανθρωπίαν, vt ita loquar,siue commercium hominum fugit,nec in excessu, nec in defectu peccat:sed Sapientiæ studio omnem popularitatem,quæ contemplationem impedire possit,euitat, vt diis simillimus efficiatur,quantum in hac vita homini concessum est.Iam verò qui bellu ino more hominum conuersationem fugit,nulla honesta aut legitima caussa inductus,sed vel odio hominum,vel desperatione,inter μισανθρώπους censeri debet,& ad vitium in defectu Popularitatis referri.Cum hominib.igitur amicè conuersari posse,præstans virtus est,nec minus tamen rara. Vix enim quemuis,aut planè neminem inuenias,vt vetus habet prouerbium,qui omnibus placere possit,---οὔτε γὰρ ὁ Ζεὺς οὔθ' ὕων πάντας ἀνδάνει, οὔτ' ἀνέχων. At quia omnibus nõ potest,saltem optimis quibusque placere studeat:& quantũ in se est,efficiat,ne quis conuersationem suam meritò reprehendere possit.Hanc autem ipsam Popularitatem similem Amicitiæ esse inquit Arist.quatenus cum hominibus placidè & amicè conuersatur:differentem tamen statuit,quoniam Amicitia ἀντιφίλησιν habet,& bene vult alteri illius caussa, quia dignus est:at popularitas στοργῇ caret,καὶ ἄνευ πάθους ἐστίν, οὐκ ἀντιφιλήσει, ἀλλὰ τῷ τοιοῦτος εἶναι, εὖ ποιεῖ, quoniam hac familiaritate sibiipsi placet,quamuis nulla vtilitatis spe proposita. Germani scitè admodũ hanc virtutē Lütseligkeyt appellant:quasi tu dicas:sufficientiam quandam hominum fauorem conciliandi. Vocant enim Früntlikeyt,vt similitudinem,quam Arist.inter Popularitatem & Amicitiam esse contendit,exprimant. Parit enim popularitas multorum amicitias:reuera tamen ab amicitia differt. Differt quoque à clementia,quoniam Clementia iram moderatur,& erga illos benignitatem suam ostendit,à quibus iustè vindictam exigere posset.Popularitas verò,iræ & offensæ rationem non habet,vt illam moderetur:sed id tantùm agit,vt benignè, amicè, placidè cum hominib.conuersetur,siue amici sint,siue inimici.Quod quidem summè hoc in loco obseruandum est. Nam quando de placida, & amica conuersatione loquimur,non eam tantùm intelligimus,quæ cum amicis est,verumetiam,quæ cum inimicis. Vt enim duplex est ratio cum amico conuersandi:altera quidem blanda,& placida,altera verò aspera,atque dura:vtputa reprehendendo, obiurgando,castigando:ita quoque cum inimico interdum acerbè,& asperè conuersamur,irascendo,& vlciscendo,quatenus inimicus est,& nos iniuria affecit,cuius moderationem Lib.octauo exposuimus: interdum verò placidè,& modò non amicè, non quatenus inimicus,sed quatenus homo est,cui nos ex communi naturæ lege humanitatem debere non ignoramus. Quando itaque cum inimico iniuriç vlciscendç caussa conuersamur,Clementia affectum nostrum moderatur:quando verò non vlciscendi proposito, sed quauis alia occasione vel in seriis,vel in ludicris rebus cum hoste congredimur,non minus populares erga illum esse possumus, & debemus, quàm erga amicos intimos,seruato interim vbique decoro. Et quod de Popularitate dixi, illud idem de Vrbanitate quoque debet

intelligi,quę erga amicos pariter,& inimicos exerceri potest. Hæ sunt igitur formales huius virtutis differentiæ,quam Arist. ἀνώνυμον esse ait,ne temerè ὀνοματοτελεῖν cogatur.Latinis fortasse Familiaritas dici posset, quamuis neque hoc nomine satis omnes huius virtutis partes exprimantur . Si de Græcis quoque coniectari aliquid audemus,qui virtuti huic studet,videtur φιλάνθρωπος καὶ προσομιλητικός τις εἶναι,quoniam τοῖς τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας, τὰς ἐν ταῖς ὁμιλίαις γινομένας versatur,& decorũ obseruat.Nisi fortè quis φιλανθρωπίαν latius patére dicat,ita vt προσότητα quoque comprehendat : προσομιλίαν verò ad Popularitatem priùs referendam esse,contendere velit.Quamuis Isocrates τὸν ὁμιλητικὸν non tantùm in hoc genere virtutis,sed in omnibus iis,quę in conuersatione hominum posite sunt,statuat:vt superiore loco,quando de Iræ moderatione disputauimus, à nobis ostensum fuit. Ipsius certè Popularitatis(quam speciem huius virtutis constituimus)differentias non obscurè idem Isocrates in Paræneſi sua ad Demonicum expressisse videtur , vbi inquit: τῷ μὲν τρόπῳ γίνου φιλοπροσήγορος , τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος ; ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τοῖς ἅπασιν ὡς ἥδιστα , εὐπροσηγορίας δὲ , τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. Ex quibus verbis coniectari possumus,φιλοπροσηγορίαν καὶ εὐπροσηγορίαν Popularitatis differentias esse:hanc quidem, quatenus alios placidè suscipit,patienter audit,benignè respondet,quæ Facilitas à Latinis appositè dici posset, interpretes minus propriè Vrbanitatem (quæ ad παιδιὰν refertur) conuertunt : illam verò, quatenus alios amicè alloquitur,salutat,confabulatur, & affatur , vnde Affabilitas dici meruit.Summa certè est nominum istorum abusio:quæ quibusuis imponere posset,nisi distincta rei cognitio confusas nominum significationes illustraret.Iam verò virtuti huic duo vitia opponuntur,alterum in excessu,alterum in defectu. Peccant in excessu,qui nimium familiares sese faciunt in conuersando,quoniam ea,quæ reticenda essent effutiunt,& dum popularitatem inconsideratè affectant,nimium sese submittunt,præter dignitatem personarum,temporis,atque loci : denique aliorum bona maiora faciunt,quàm reuera sint.Qui ergo immota naturæ benignitate, & facilitate hæc agunt, ἄρεσκοι dicuntur:quia non vtilitatis alicuius causſa,sed tantùm vt aliis placeant,in dictis & factis popularitatem obseruant. At qui commodi sui gratia ad placitum loquuntur & obsecundant , κόλακες appellantur.Peccant in defectu,& cum virtute maximè pugnant, οἱ δύσκολοι καὶ δυσέριδες, Difficiles, Morosi,Austeri,Inhumani , vel quocumque tandem nomine appellari possunt,οἱ πᾶσι δυσχεραίνοντες πρὸς πάντα ἀντιτείνοντες καὶ τῷ λυπεῖν ὅλως ὁπῶν φροντίζοντες. Sed vt hæc ipsa clarius cognoscantur,species & differentias huius virtutis typo describamus.





con-

CONVERSATIONEM POLITICAM RELIGIONIS causſa fugere.

Exempla horum pete ex tit. Contemplationis studium. Item ex tit. Eremitarum. Cùm Theoricā vitam persequantur, mirum non est, eos conuersationem practicam fugere, & fugam hanc maiorem laudem mereri, quàm ipsam conuersationem. Vide quæ hac de re à principio huius Libri à nobis dicta sunt.

TACITVRNITAS RELIGIOSA, PIA, ET CHRISTIANA

Exempla quoque horum ex tit. Contemplationis peti possunt. Nam qui solitudinem petunt, taciturnitatem quoque obseruare & desiderare videntur.

POSTQVAM locutus est Dominus ad MOYSEN, impeditioris & tardioris linguæ fuit. Ex quo innuit, quòd spirituales viri, qui sæpe cum Deo loquuntur, tardi esse debent ad loquendum. Exod. 34.

ANNA mater Samuelis, veniens ad tabernaculum Domini, loquebatur in corde (suo) tantumque labia sua mouebantur, & vox penitus nō audiebatur. 1. Reg. 2.

SAMVEL dormiens in tabernaculo, ostensam sibi visionem nō indicauit Heli, donec interrogatus, & adiuratus fuit ab illo. 1. Reg. 3.

TOBIAS, auditis verbis iniuriosis ab vxore, non legitur ei respondisse sed ingemuit, & cœpit plorare cum lacrymis Tob. 2. 3.

CVM ANCILLA Saræ dominæ dixisset grauis improperij, & maledictionis verbū: Sara tacens cessit liti, & pergens in cubiculū domus suæ deuotè cœpit orare. Tob. 3.

IOB à Domino arguitur, quòd contendere, ac disputare secum concupierit, dum calamitatum suarum causſam anxiè perquireret. Et respōdens ait: Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? Confitetur se non habere quo excuset inconsultam locutionem, & vt pœnitendo veniam consequatur. Manum meam, inquit, ponam super os meum. Vnū locutus sum, quod vtinam non dixissem: & alterum, quibus vltrà non addam. Hinc tu, si quando res inciderit, in qua diuinæ prouidentiæ rationem inuenire nequiueris, cane ne quid imprudenter proferas: sed tacitus mirare, & nihil à Deo nisi bonum equumque proficisci posse, semper tibi habe persuasum. Matul. lib. 4. cap. 6. Iob. 39. & 42.

EZECHIAS quartodecimo regni sui anno obsessus in Hierusalem, plebem silere iussit, ne colloquiis Rabsacis nunc minantis, nunc blanditiis, ad deditionem sollicitarentur. Exemplo est, ne quid is, qui de plebe imperitorum est, respondere præsumat captiosis hæreticorum argumentis: dum confutare ea nescit, etiam ipse in reticulo diaboli inuoluatur: & arce veritatis in cautè custodita, ab erroribus captus pereat. Tacitus ergo obediat Ezechiæ, id est Christo regi, & in silētio oret: & ipse mitter angelum suum, qui perimat copias Assyriorum: hoc est, dissipet malignorū insidias, mentémque orantis illuminet, vt amota nebula, iam clarè videre possit eos verè mortuos esse, qui ipsum nitebantur in mortem trahere secum Matul. ibidem.

IESVS filius Syrach, dum effiere nequit, ne inter loquendum peccato aliquando non implicetur, sic in Ecclesiastico suo conqueritur & clamat: Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certū, vt non eadem in ipsis, & lingua mea perdat me? Hoc ipsum periculum quod in se deprehenderat, alios cauere iubet, dicens: Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. ibidem.

HIERMIAS in matris vtero sanctificatum se audit, & tamen ait: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Quomodo ergo illi lingua non delinquāt, qui irrequisiti garriunt: ti peccare loquendo timuit, quem loqui Deus inuitabat? Qui tunc demum ad prophetandum populo se accinxit, cum Dominus non iam inuitaret, sed imperaret, dicēs: Noli dicere quia puer sum: quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcunque mandauero tibi loqueris. Ad hæc ne quid dubitaret, mittit manum suam, tangit os eius. Et ecce dedi, inquit, verba mea in ore tuo. Toties quippe lapsus timendus est, quoties nostra, non Domini verba prolaturi sumus: cum etiam de ociosis, hoc est, quę neque dicenti, neque audienti prosunt, reddenda ratio sit. ibidem.

Beata VIRGO legitur in Euangelio tantummodo locuta fuisse Angelo. Item cum filio suo: Quid fecisti nobis sic? Et apud Ioannem: Vinum non habent. Lucæ 12. Et quando ministros nuptiarum instruxit: Quæcumque dixerit vobis, &c. Ioan. 2. Licet autem Elisabeth magnificè eam commendasset: nihil tamen ei respondit, sed ad laudandum Dominum se conuertit. Lucæ 1.

MARIA Magdalena peccatrix, veniens ad pedes Domini in domo Simonis, nihil dixisse refertur: sed lacrymis cœpit rigare pedes eius Luc. 7. Similiter sorori de ipsa conquerenti, nihil respondit. Rursus etiam discipulis indignè ferentibus effusionem vnguenti, & in eam frementibus, nihil dixit. Quoniam autem tacuit, Dominus pro ea respondit, & eam vbique defendit. Luc. 10. Math. 26. Mar. 14. Io. 10.

MVLIER in adulterio deprehensa, coram Domino accusata, non legitur aliquid locuta fuisse. Dominus autem pro eaverbum assumpsit, & eā deniq; misericorditer absoluit. Ioannis octauo.

AGATHONEM abbatem lapillo assidue ori indito tacere didicisse ferunt, idque ab eo annos tres obseruatum: ne etiam cùm fari vellet, expedirum sibi foret. Legerat quippe illud in Prouerbijs: Qui custodit os suū, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentietmala. Matul. lib. 4. cap. 6. Dicebat autem, tria esse necessaria ad Dei cultum: Silentium, orationem, & mansuetudinem. Rauiss. de Temperantia: & Volat. lib. 21. Anthrop.

HOR abbas, per totam fermè ætatem vnicè taciturnitatis munere dotatus fuit. Tria enim ab eo commemorat in sua historia Heraclides: Quòd numquam sit mentitus, numquam alicui maledixerit, numquā citra necessitatem locutus sit.

PAVLVS monachus, cognomento Simplex. Pauli primi anachoretæ discipulus, cùm quæsisset, esset ne Christus prior prophetis? insulsam interrogantiunculam silentio diluere iussus, per triennium nemini quicquā proloqui est ausus. Itaque quæ dictu digna indignaque haberentur, tacendo didicit. Matul. lib. 4. cap. 6.

PAMBO abbas, cùm etiam ipse discere prius, quàm loqui proposuisset, ad illum qui trigesimum octauum Psalmum sibi legere cœperat, Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: Sat est, inquit. Reliqua audiam, cùm istud opere impleuero. Multo deinde tēpore post reuersus, cùm interrogaretur. Cur tantum ad magistrum redire distulisset: Nondum se illud quod didicerat, perfecisse dixit: & Apostolicum esse præceptum, Estote factores verbi, & non auditores tantum. Ibidem.

IDEM Theophilo episcopo se aliquando adeuturi, & aliquo sermone ab ipso spiritaliter refici petenti, respōdit: Si taciturnitate tua, non reficiebatur, nec sermonibus est refici posse. Hinc quidem deuitæ suę iam suprēmo audacter affirmauit, ex quo eremum incolere cœpisset, nullum se vnquam protulisse verbum, quod prolatum nollet. Perfecit ergo, quod initiō promiserat: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquā in lingua mea. Quàm igitur lætus, quàm securus hinc decedebat, quem nullius propriæ culpæ conscium taciturnitas ipsa fecerat? Ibidem.

BENEM abbatem, in Thebaidis deserto habitantem, in summo silentio vixisse accepimus, ita vt perquam rarò loqueretur, nec nisi quantum auditoris exigere videbatur necessitas: taciturnitatem eadem opera seruans, & simul officio fungens charitatis. Ibidem.

THEONEM in cellula clausum annos 30. silentij habuisse continentiā perhibent: & quamam ea re profecisset, miraculis postea ostēdit, neminem non sanum dimittendo, qui æger ad se curationis gratia accessisset. Ibidem.

IN Tabernensi monasterio, quod in eremo Scythiotica positum erat, AMOS abbas mille quingentis monachis præfuisse dicitur. Et cùm tot essent, horis quibus silentium indictum erat, sæpenumero aduenæ locū adeuntes, neminem ibi deesse putauerūt: donec ingressi, illos vnūquemque seorsum in suis cellulis orantes, vt aliquid aliud facientes conspicerent: adeò non strepitus aliquis, non susurrus, non saltem exercatus audiebatur, denique multitudo solitudinem taciturnitate æquabat. Ibid.

LIBET hoc loco apponere, quanta diligentia, qualique circumspectione hoc idem ÆGYPTIIS monachis olim seruatum, Ioannes Cassianus de cœnobiorum institutis tractans dicat: Cùm solemnitates, inquit, quas illi synaxeis vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnum tam numerosissimarum multitudo conueniat præter illum, qui consurgens psalmum decātat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur: ac præcipuè cùm consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non exercatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dilutis malis & hiantib. trahitur: nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promuntur: nulla vox absque sacerdotis voce precem concludentis auditur, nisi fortè hæc, quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet, atque intolerabili spiritus feruore succensi, dum ea, quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quendā gemitum ex intimis ac abditissimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Post hæc qualiter se gerant, describit dicēs: Finitis itaque psalmis, & quotidiana congregatione (sicut superius cōmemorauimus) absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere aut sermocinari audet cum altero: sed ne quidem per totum diei spacium à cella sua progredi, aut deserere opus, quod in ea solitus est exercere, præsumit, nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cuiusque operis euocati. quod ita explent foras egressi, vt nulla inter eos sermocinatio penitus conferatur, sed sic vnusquisque opus exsequitur iunctum vt psalmum vel scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solùm conspirationi noxiæ vel consiliis prauis, sed ne ociosis quidem colloquijs vllam copiam vel tempus impertiat, oris pariter & cordis officio in meditatione spirituali iugiter occupato. Summa namque obseruantia custoditur, ne quisquā cum alio, ac præcipuè iuniores vel ad punctū temporis pariter substituisse, aut vspiam secessisse, vel manus suas inuicem tenuisse deprehendantur. Hinc discant, qui soli Deo placere studeut, vel tacere, vel ea tantum, quæ Dei sunt loqui, vt cum Propheta dicere possint:

Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit. Ibidem.

SEVERVS Sulpicius presbyter in Aquitania, cũ multa catholicè scripsisset (vt Gennadius presbyter tradit) in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsq; ad mortem tenuit, vt peccatum quod loquendo cõtraxerat, tacẽdo penitùs emendaret. Marul.lib.4.cap.6.ex Sigeberti Chronicis.

IORDANES instituit silentium mensæ, cuius decreta monachi hodiè quoq; obseruant. Rauis.de Temp.

Diuus HIERONYMVS eo libro, quem de institutione sanctarũ virginum ad Eustochium scripsit, plerosque se in eremo reperisse testatur, qui per septennium nullum prorsus verbum homini alteri emiserant, scientes quòd non in multiloquio Dominus potest haberi. Puto qui sic se ab humanis colloquijs sequestrauerant, diuinis familiarius perfruebãtur, non interpellata meditatione illa, quæ hominis animum terrenarum rerum cura excussum cęlestibus inserere solet. Marul.lib.4.cap.6.

ROMVALDVS abbas, ordinis Camaldulensis auctor, dum montem solitarius incoleret, septenni silentio spiritalem psalmorum intelligentiam meruit percipere. Quos cùm argutè eleganterq; exponeret, dicere videbatur: Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum. Post hoc etiam miraculis nobilitatus est: vt qui propter Deum tamdiu tacuerat, propter eum signa loquerentur. Ibid.

RELIGIOSA ETHNICA.

Quum Telemachus apud Homerum dixisset,

ἦ μάλα τις θεὸς ἔνδον οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

PATER subiecit,

σίγα, καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε, μηδ' ἐρέεινε,
αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

Hoc interpretationem Pythagorici nominantes, nihil respondebant de diuinis rebus, quoquo modo interrogarentur.

Apud ELEVSINIOS capitale erat, quicquam ex mysterijs in vulgus efferre: cuiusmodi erant apud Romanos sacra Bonæ deæ.

TACITVRNITAS ETHICA, PHILOSOPHICA.

Egregia est Simonidis sententia, quem dicere solitum historici referunt, ὅτι λαλήσας μὲν πολλάκις μετενόησε, σιωπήσας δ' οὐδέποτε. Id est: Locutu esse pœnituit sæpe tacuisse numquam. Hinc & PYTHAGORICOS Athæneus scribit, animantes quidem attigisse reliquas, verùm moderatè quasdam immolasse: pisces autem ne gustasse omnino, Echemythiæ, id est silentij ratione: quippe silentium esse opinantur quiddam diuinum.

SIMONIDI in conuiuio assidebat hospes nihil loquens: Ei Simonides, si fatuus es, inquit, sapientis opus facis: si sapiens, fatui. Plut.lib.3. Symposiacon.

PYTHAGORAS suis præcepit discipulis vt priusquam quæstionibus & altercationis implicarentur, quinquennio tacerent, audire, & meminisse contenti: nec à temeraria procacitate, sed à sobrio, & attento silentio sapientum auspicarentur. Petrarcha libro tertio, tract. 2. cap. 40. Laert. lib.8.cap.1.& Alex lib.2.cap.25.

ZENO Cittiæus ad quendam dicentem, breues esse philosophorum sententias: Vera prædicas, inquit. oportet enim & syllabas illorum, si fieri posset, esse breues. Veritas multis verbis non eget: & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehensa sunt. Eras.lib.7.Apoph.

APOLLONIVS Tyanæus, Iouis filius, quinquennium integrum ne verbum quidem locutus est. Philostratus in eius vita: & Volater.lib.13.cap. 14.Anthrop.

THOMAM Aquinatem, dum inter scholasticos versaretur, naturaque taciturnus esset, & corporis habitu reliquis paulo obæsiore, bouem mutum appellabant. Magister verò vbi ingenium illius disputatiunculis experiri cœpisset, deprehendens quorsum eius tenderent silentia: Bos iste mutus, inquit, talem mox edet mugitum, vt sonum eius totus admiraturus sit mundus. Et cùm omnium doctissimus euasisset, tunc sanè apparuit, quantum docilis taciturnitas vanæ & arroganti loquacitati esset præferenda. Marulus libro quarto, capite sexto.

TACITVRNITAS POLITICA SIVE PRIVATA, SIVE PVBLICA.

Ægyptiorum regẽ periclitãdi gratia, cuiusmodi foret in PITTACO prudentia, proditum memoriæ est, integri animalis carnes ad eum transmisisse, petentem: secerneret inde quod optimum censeret, rursúsque quod pessimum. At is vnam modò linguam eximẽs, ad eum referri iussit: symbolicè innuens, in ea corporis parte portioneque, ingentium sæpe bonorum latêre fomites: nec deesse tamen, si prodigi sit & infrenis, maximarum cladium organum. Hinc apud Euripidem Ino, audacius astruit, tenere se tacendi tempora, atque item loquendi. Cœlius Rhodiginus lib. 7 Lect.antiq.cap.26.

ZENO Cittiæus dicere solebat, Satius esse labi pedibus quàm lingua: eoque conuiuia quantum poterat vitabat, quòd ibi solutus vino, & aliorum fabulis prouocatus, facilius labi posset. Eras.lib.7.Apoph.

ZENO ab Antigoni legatis Athenas missis, vnà cum alijs philosophis ad conuiuium vocatus est: & cùm reliqui inter pocula suam quisque eruditionem ostentaret, ipse tacebat. Cùm autem legati interrogarent, quid Antigono de ipso deberent renunciare? Hoc ipsum, quod videtis, respondit: vidisse vos senem, qui in conuiuio tacere nouerit. Quum enim ceteri ad ostentationem multa dixissent, vnus Zeno perpetuum tenuit silentium. Erasmus lib. 2. Apophtheg. Stob. 7. Taciturnitate Serm. 33. ex Plutarcho.

CHILO Lacedemonius sapiens dicebat, non committendum vt lingua præcurreret animum: admonens prius cogitandum quid loquaris, quàm lingua prorumpat in verba. Nescit enim vox missa reuerti. Cogitatio prior potest corrigi posteriore meliore, vt habet prouerbium: vox nõ item. Eras.lib.2.Apoph.

IDEM præcipiebat, linguam cùm aliàs semper, tum præcipuè in conuiuio continendam, quòd illic cibus, ac potus inuitet ad intemperantiam. Porrò vbi plus est periculi, ibi maior adhibenda est ratio.

IDEM rogatus, quid esset difficile: Arcanum, inquit, reticere. Tanta est linguæ omnium maximè volubilis incontinentia, quum alioqui nihil videatur facilius quàm tacere. Eras.lib.2.Apoph.

Cùm in loco quodam multis loquentibus SOLON non loqueretur, interrogatus à Periandro, vtrum propter verborum inopiam, an quia stultus esset, taceret? ait: Nemo stultus tacere potest. Laert.

ZENO Eleates, Pythagoræ discipulus, cùm Phalaridi tyranno crudelissimo necem machinaretur, detecto eius consilio, captus, & acerbissimis quæstionibus laceratus est, vt conscios coniurationis detegeret. Attamen nullis vel minis, vel cruciatibus eò adduci potuit, vt facinoris conscios indicaret: sed vultu interrito, & sublimi quadam constantia tortoribus restitit, & demùm intimos tyranni amicos (licet insontes) coniurationis capita esse dixit: quibus sublatis, multitudinem sæuientem magnifica oratione ita impulit, vt facto impetu lapidibus tyrannum obruerint. Alex. ab Alex.lib.1.cap.30.

THEOPHRASTVS Eresius dicere solitus est, potius esse fidendum effreni equo, quàm verbo incomposito. Nemo non metuit insidere equo infreni: at plus est periculi à lingua effreni. Laertius.

Quàm voluptatis patronus Epicurus, tam hostis XENOCRATES: nec minus loquendi, quàm agendi abstinens. Hic ergo cùm casu inter maledicos quosdam, atque illis ex more obtrectantibus absentium famæ, solus conticesseret, interrogatus, cur id faceret? Quia locutum, inquit, me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Laudatum hoc à sapientibus responsum, mihi plenius probaretur, si sermonum sæpe, taciturnitatis rarò pœnituisse dixisset. Petrarcha lib.3.Memorabilium, cap.49.

ANACHARSIS Scythæ imagini inscriptum fuit, Continendum esse à lingua, ventre & pudendis: id est, abstinendum à loquacitate, gula, & venere. Laertius in eius vita.

Quum quidam ad tacentem Cleanthem dixisset: Tu quid taces? atqui iucundum est cũ amicis confabulari: Iucundum quidem, respondit Cleãthes: sed quo iucundius est, eo magis in hoc amicis oportet concedere. Plutarchus.

LAERTIVS Diogenes seruauit perpetuum silentium, ex eo quòd matri ex eius sermone, ac tentatione mors accidisset: nec illum Hadrianus Imperator ad loquendum, etiam capitis pœna indicta, commouere potuit: cuius constantiam admiratus pepercit, & petiuit data ei tabula, vt ad aliquot problemata proposita responderet manu saltem, id quod non grauatim fecit. Amantius.

LEÆNA quamuis mulier, cùm per omnes cruciatus vexaretur à tyrannis, numquam tamen adduci potuit vt concilia Harmodij & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret. Ob quod meritum simulacrum illi Athenienses erexêre Leænam æneã. Iphicratis opus, cui ob taciturnitatem linguam addi vetuerunt. Alex.lib.1.cap.30.

THEODORVS, cùm Hieronymum, Hieronis filium, iuuenem omnibus flagitijs coinquinatum interficere vellet, propter vitæ suæ turpitudinem captus, & in carcerem coniectus, omnia quantumuis crudelissima tormenta ferre, imò mortem ipsam libentius subire, quàm coniurationis socios vel vnico verbo depingere, maluit. Ibidem.

PERSÆ nihil fide sanctius, nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius esse arbitrabantur. Illud vel morte custoditum: hanc morte castigari voluerunt.

ÆGYPTIOS aiunt patientissimè ferre tormẽta: & citius mori hominem Ægyptium in quæstionibus tortum, examinatumque, quàm veritatem prodere. Ælian.lib.7.Var.hist.

ANGERONA dea, præses silentij, obsignato ore antiquitùs efficta est, sanctèque semper à Romanis culta, vt silentio apto nil melius esse ostenderent. Alex.lib.4.cap.vigesimo 6.

ROMANI adeò magna charitate patriæ tenebãtur, vt patrum arcana consilia seculis nemo senator enũtiauerit. Q. Fabius Maximus tantummodo, & is ipse per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in curia erat actum, Publio Crasso rus petens domum reuertenti in itinere narrauit, memor eum triennio antè quæstorem factũ: ignarusque nondum à Censoribus in ordinem senatorum electum: quo vno modo etiam ijs, qui iam honores gesserant, aditus dabatur. Sed quãuis honestus error Fabij esset, vehementer tamen à Coss. obiurgatus est. Numquam enim taciturnitatem, optimum, ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. Val.Max.lib.2.cap.1.

ROMANI cum Pyrrho bellum gerentes, Timochare offerente se Pyrrhum veneno necaturum, Pyrrhum, vt sibi caueret, monuerunt. neq; tamen Timocharis nomen indicarunt: quòd turpe esse iudicarent, eum, qui

qui operam suam illis obtulisset, hosti prodere. Valer. Max. lib.6. cap. quinto.

Cùm Asiæ rex Eumenes, amantissimus Romanæ vrbis, bellum à Perseo aduersus P. R. comparari Senatui nuntiasset: non antè sciri potuit quid aut ille locutus esset, aut patres respondissent, quàm captum Persen cognitum est. Fidum erat & altum Reipublicæ pectus, cura silentijque salubritate munitum, & vallatum vndique: cuius limen intrantes, abiecta priuata caritate publicam induebant. Itaque non dicam vnum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum. Valer.Max.lib.2.cap.7.

PAPYRIVS Prætextatus à patre in Senatum ductus, secreta matri efflagitanti aperire noluit. Vide tit. Prudentiæ in taciturnitate seruãda.

ROMAE, cùm magna in Neronem imperatorem crudelissimum facta esset coniuratio, multi deprehensi atque varijs mortis, generib. à Nerone interfecti sunt. Verùm EPICHARIS libertina, cũ accusaretur, quasi eius rei conscia, ac crebris tormentis cruciaretur Tigellini sæuitia: nõ tamen vllis cruciatibus eò adduci potuit, vt aliquid de ea cõiuratione effutiret. Xiphilinus in vita Neronis.

PLANTIVS Lateranus, Pisonianæ coniurationis aduersus Neronem particeps, cùm vt mortem obiret, à Tucio tribuno, qui eiusdem coniurationis conscius erat, deduceretur: non modò eum non detexit: verùm ne verbum quidem dixit, aut aliquid innuit, vnde Tucius in suspicionem venire posset. Fulg.lib.3.cap. 8.

VENETORVM mercatorum miram in negociando taciturnitatem, pete ex tit. Mercatorum. Habent adagium etiamnum hodie, Mutus mercator, & surdus. His enim duob. breuissimè, omnia ea, quæ in bono & integro mercatore requiruntur, comprehendi existimant.

VENETIIS, post attributos quinquaginta patres, post alios magistratus qui Senatum perficiunt, additos, vix vnum aut alterũ inuenias, in quo proditi consilij publici culpam requiras. Sed quum multa referre possem memorabilia, tamen aliquod subiiciã, vt verissimè dictum à me in huius virtutis laudem comprobetur, quod recens cõmemorabo. Mediolanẽ si bello, quod primũ cũ Philippo Vicecomite gessimus, dictus est Imperator totius exercitus à Senatu Frãciscus Carmaniola, loco & parentib. sanè obscuris, qui tamen rei bellicæ peritissimus ea tempestate haberetur, quiq; Philippo ipsi maximam principatus sui partẽ sua virtute restituisset: à quo transfugiens, cuius ingratum in se animum ferre non poterat, Taruisium peruenerat. Hunc igitur Veneti Imperatorẽ sui exercitus dixêre. & ab initio quidem ille præclarã operã præstitit. fusis enim apud Malcodiũ memorabili acie Philippi copijs, & recepta Brixia, Brixiensique agro omni, rebúsque Philippi ita accisis, vt vix ille intra Abduæ ripas imperiũ tueretur suum, hisque rebus elatus Carmaniola (quasi verò Philippo tacitè faueret) partim accusare Senatum Venetum audacius, & legatis ipsis in castris insultare: partim rem Venetam ita negligere, vt meritò proditionis suspectus haberetur. Ipso igitur Venetias appulso, quasi de pace cum Philippo ageretur, cũ per octo menses de illius proditione quotidie inquireretur, numquam tamen ille tale quippiã suspicari potuit, donec, Senatus consilio facto, quum omnia certis nunciis, & Carmaniolæ ipsius litteris constarent, ipse post XXX. dies, quàm custodiæ mancipatus erat, intra duas columnas securi percussus, meritas perfidiæ suæ pœnas luit. Egnat.lib.2.cap.1.

FRANCISCVS Foscarus dux, quũ per annos quattuor & quadraginta Reipub. præfuisset, eiúsque prudentia Veneti Imperij fines promoti essent, multáque domi præclarè facta, tandẽq; prægrauãte senecta veluti publico muneri præesse non posset: decemuirali iudicio quinquaginta ferè patrum sententia, viuenti adhuc illi, quod nusquam aliàs contigerat, ducis dignitas abrogata est. Quæ res tãta taciturnitate per aliquot dies protracta est, vt ad auertendam suspicionem huiuscemodi consilij Marcum Foscarum fratrẽ, procuratoremq; in curiam aduocarent, quem tamen cubiculo includerent, graues comminati pœnas, si quid ille alicui vmquã prodidisset. Est igitur Foscarus ipse dignitate priuatus, in eiúsq; viuentis locum Paschalis Mari, Petro subrogatus est: quẽ tamen intra triduũ mortuũ, Princeps ipse, & vniuersa ciuitas ad Minoritanã ædem extulit, omniáque illi ducis munera sunt præstita. Ibid.

Postquam funestissimo prœlio à LVDOVICO Francorum rege victi sunt Veneti iuxta Abduam amnem. omnésque imperij ciuitates partim ad Gallos, partim ad Germanos defecissent, cum ipso Patauio: non tamẽ multo post, Lauretani clarissimi principis cõsilio de ipsa recipienda in Senatu actum est. Ea res quum à patribus ipsis tractaretur per aliquot dies, nemo tamen vmquam ne suspicari quidem id potuit, quũ interim quotidie Patauini Venetias, & Veneti Patauium frequentes peterent. Iussus est igitur terrestri itinere Petilianus imperator, cum Andrea Gritto legato, qui ad Margariam cum exercitu ageret, vt id munus recipiendæ Patauinæ vrbis susciperet. Confestim, & clandestinè tamẽ domi interea lembi frequentissimi, aliáque nauigia, comparata, quibus ciuium multitudo Medoaco amne subuecta, in eandem diem, & horam ex altera parte, Patauium adoriretur. Sicque factum, vt felicissimo auspicio vrbis ipsa Patauium à Gritto incauta opprimeretur, quæ nihil vmquam tale resciuerit: & ex alia parte nostri, qui aquis, & stagnis subuecti erant, vrbẽ ipsam quã facillimè caperẽt. Gesta autẽ confectaq; res est die XVII. Iulij mensis, quæ diuæ Marinæ sacra habetur: in cuius perennẽ memoriam tam præclari facinoris gratissimi patres decreuêre, vt dux ipse cũ Senatu magnifico apparatu ædem ipsam inuiseret. Ibidem.

FAMILIARITER DE REBVS VEL SVIS VEL *aliorum verba facere.*

CONVERSATIONEM IMPROBORVM FVGERE.

Vide tit. sub loco Iustitiæ religiosæ, & etiam humanæ.

NIMIAM FAMILIARITATEM VITARE.

Arist. in 2. Rhetoricorum grauitatem cũ affabilitate coniungi vult, & quodammodo temperari, ne nimia grauitate superbi videantur: aut immoderata affabilitate ταπεινοὶ hoc est, humiles, abiecti & contempti euadant. Tritum est prouerbium, Nimiam familiaritatem parere contemptum.

NIMIAM ABIECTIONEM ET OBSE- *cundationem fugere.*

POPVLARITAS, HVMANITAS, FACILITAS, *affabilitas*

Cicero passim eos vocat Humanos, qui communis societatis caussa id tribuunt aliis, quod alioqui non tribuerent: vt quando quis vitam vilis mancipij in maris iactura pluris facit, quàm preciosissimarum mercium: aut qui pauperes fame frigoréque confectos benignè suscipit, atque fouet. Solum naturæ lumen Ethnici habuerunt in humanitate excolenda. Nos hanc, pietatem Christianam, & amorem proximi vocamus. Humanitas itaque in genere pro benignitate & beneficentia quauis sumitur: at hic pro popularitate, hoc est pro conuersatione placida, humana & benigna, non tam in conferendis beneficiis, quàm in aliis externis circunstantiis obseruandis. Cuius exempla non pauca ex titulo Amicitiæ huc transferri possunt, quandoquidem (vt paulo antè dictum est) valde inter se sunt similes Amicitia & Popularitas, soláque ἀντιφιλήσει differunt. Nos primùm Diuinæ benignitatis exempla tum vera, veri scilicet Dei, tum falsa, deorum scilicet gentilium, hic recensebimus. Mox ad humanitatem & Popularitatem hominũ erga se mutuo, simul & erga belluas accedemus. Tandem ad Belluarũ benignitatem descendemus: non quòd propriè huius sit loci, sed vt id quod belluis præter naturam in est, multo magis hominibus secundum naturam inesse debere ostendamus.

BENIGNITAS DEI VERI ERGA HOMINES.

Ideam omnis humanitatis in Deo euidenter ex plurimis exemplis agnoscere possumus, quemadmodum etiam iustitiæ & seueritatis. Sunt enim diuinæ istæ virtutes valde illustres & claræ, quoniam in nos destinantur. Summa certè est Dei benignitas, caritas, amor dilectio,

seu quocumque tandem nomine appellata velis, erga genus humanum: & Deliciæ illius esse cum filijs hominum. Vt reliqua taceam, ita dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum pro nobis tradiderit. Hanc virtutem imitemur: & ad exemplaris perfectionem, quantum in nobis est, summo studio contendamus. Huc referantur exempla, Bellorum diuini numinis auxilio confectorum. Item tit. Clementiæ Dei erga homines, nisi quòd Clementia iram sequitur, & offensam: at Benignitas, de qua hic absque ira est. Exemplorum quorundam fides stet penes authores, & lectores.

ABRAHAM loquens cum Domino, & petens vt parceret Sodomitis, mira fiducia vtebatur: & visus fuisset apud homines importunus, sed Dominus ei semper benignè respondit, & quod petebat concessit. Gen. 18.

CVM Sodomæ propinquarumque vrbium scelera Dei iusticiam stimulassent, vt ad grauem iustamque vltionem properaret, vt pius Loth ex patriæ incendio eriperetur, duo cælestes nuntij sub humana effigie diuinitùs missi fuerunt. Deducto autem Loth extra patrios muros cum duabus filijs, atque vxore, contra diuinum imperium vxor suprà quàm fas esset curiosior, cum incendij fragore mota retrò respexisset, in statuam salis fuit conuersa. Eam Iosephus Hebræus, vir doctissimus, à se visam scribit. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

FVGIENTI Iacob iram fratris, Dominus clementer apparuit, & pòst ipsum redeuntem in patriam suam ab insecutione soceri sui liberauit. Gen. 28. 31. & 33.

MAGNA fiducia vsus est Iacob, orando Dominum, dicens: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Gen. 32.

GRANDE miraculum fuit, quòd numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, populo exeunti de Ægypto ad terram promissionis. Exod. 13. & 14.

MEMORANDVM & terribile miraculum fuit in diuisione & exsiccatione maris rubri, quando transierunt filij Israel sicco pede, Ægyptij verò in medijs fluctibus obuoluti. Exod. 14.

PER lignum Moysi ostensum, dulcoratæ sunt aquæ. Exo. 15.

MISIT Dominus murmuranti populo coturnices: & postea pluit illis manna, ad manducandum: & eduxit aquam de petra abundantem, ad bibendum. Exod. 16.

DVXIT Dominus filios Israel per desertum quadraginta annis: & non sunt attrita vestimenta eorum, nec calciamenta vetustate consumpta. Deut. 29.

INGRESSIS filijs Israel fluuiũ Iordanis, intumescebant aquæ superiores ad instar montis, inferiores in mare mortuum descenderunt. Ios. 3.

AIT Dominus ad Moysen: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos. Quasi diceret: Tu me tenes, nec possum hos peccatores conterere, nisi dimittas me. Exod. 32.

LOQVEBATVR Dominus ad Moysem, sicut loqui solet homo ad amicum suum, ipsumque ab æmulis suis, & detractoribus defendebat. Exo. 33. Num. 12. & 14.

BALACH vocauit Balaam, vt malediceret filijs Israel: sed Dominus è contrariò per illum benedixit eis. Nume. 2. 3. Iosue 24.

OBEDIVIT Dominus voci Iosuæ, dicenti: Sol contra Gabaõ non moucaris. Iosue. 10.

GEDEON à Domino bis petijt signum in vellere, vtrum deberet victoriam de hostibus obtinere. Iudic. 6.

EX præcepto Domini corui deferebant panem & carnes Heliæ, & postea angelus Domini panem, & aquam eidem ostendit. 2. Reg. 17. & 18.

EZECHIAS rex Iuda dixit: Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum, & non imputabit eis quòd minus sanctificati sunt. 2. Par. 30.

MISIT Dominus angelum suum, qui Tobiam iuniorem duxit & reduxit, dæmonium ab eius vxore compescuit, gaudium parentibus eius fecit, seniorem Tobiam à cæcitate curauit, & totam domum eius bonis omnibus repleuit. Tob. 6. 7. 8. & 11.

VIDEBATVR quasi Dominus timere offensam Hieremiæ, cùm vellet populum propter peccata sua omnino delere. Dicebat enim ca. 7. Projiciam vos à facie mea, & c. tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quoniam non exaudiam te. Hiere. 7.

DEVS est cum seruis suis in tribulatione: vnde Nabuchodonosor vidit cùm Azaria & socijs suis, similem filio Dei in fornace candenti. Daniel 3.

EXAVDIVIT Dominus vocem Susannæ: & quia per impudicos senes præsbiteros iniustè fuerat condemnata, per continentem puerum Danielem fuit iusto iudicio liberata. Dan. 13.

Cùm DANIEL esset Babylone in lacu leonum, misit Dominus ex Iudæa prandium per Habacuc prophetam. Dan. 14.

SALVATORIS nostri ac Domini mãsuetudo maior est, quàm vt verbis explicari queat. Neminem ad se in veritate venientem repellit, aut sine beneficio dimittit: turbas docet, paruulos suscipit, pauperes eligit, ægrotos visitat, ac sanat, proditoris osculum non refutat, vincientibus se & cædentibus non repugnat, pro crucifixoribus suis orat. Mansuetissimus agnus ad victimam currit, maledicitur & tacet, irridetur, & sustinet. Quàobrem se nobis in exemplum præbens, clamat: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris, requiem in terra, requiem in cælo, dicente Propheta: Mansueti hęreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Marul. lib. 4. cap. 5.

DEORVM ETHNICORVM BENIGNITAS ERGA HOMINES.

Dæmones Dei opt. max. simiæ, dum diuinos honores expetunt, diuinam quoque benignitatem æmulari, & beneficijs suis hominum fauorem sibi ipsis conciliare studuerunt. Malignus est diabolus, simul tamen astutissimus. Sub benignitatis igitur specie miseros mortales ad horrandam idolatriam traduxit: & sic cùm propitius ac beneuolus esse videretur, maximo eos affecit damno. Exempla quædam huius benignitatis ex tit. Bella diuino auxilio confecta, peti poterunt. Huius denique loci sunt ferè omnia Miracula Ethnicorum.

TRIENNIO continuo vexata pestilentia ciuitas Romana, cùm finẽ tanti & tam diuturni mali neque diuina misericordia, neque humano auxilio imponi videret, cura sacerdotum inspectis Sibyllinis libris animaduertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quàm si ab Epidauro Æsculapius esset accersitus. Itaque eò legatis missis, vnicam fatalis remedij opem auctoritate sua, quæ iam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit. Neque eam opinio decepit. Pari namque studio petitum, ac promissum est præsidium, e uestigióque Epidaurij Romanorum legatos in templum Æsculapij, quod ab eorum vrbe quinque millibus passuum distat, perductos, vt quidquid inde salubre patriæ laturos se existimassent, pro suo iure sumerent, benignissimè inuitarunt. Quorum tam promptam indulgentiam numen ipsius Dei subsecutum, verba mortalium cælesti obsequio comprobauit. Siquidem is anguis, quem Epidaurij rarò, sed numquam sine magno ipsorum bono visum, in modum Æsculapij venerati fuerũt, per vrbis celeberrimas partes, mitibus oculis & leni tractu labi cœpit: triduóque inter religiosam omnium admirationẽ conspectus, haud dubiam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit, pauentibusque inusitato spectaculo nautis, eò conscendit, vbi Q. Ogudnij legati tabernaculum erat: inque multiplicem orbem per summam quietem est conuolutus. Tum legati perinde, atque exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione, cultuque anguis à peritis excepto, læti inde soluerũt. ac prosperam emẽsi nauigationem, postquam Antium appulerunt, anguis qui vbique in nauigio remanserat, prolapsus, in vestibulo ædis Apollinis myrto frequentibus ramis diffusæ, supereminentem excelsæ altitudinis palmam circum dedit: perque tres dies positis, quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antiensis templi hospitio vsus, vrbi se Romanæ ad vehen dum restituit: atque in ripam Tyberis, egressis legatis, in insulam, vbi templum dicatum est, transnauit: aduentuque suo tempestatem, cui remedio quæsitus erat, dispulit. Val. libro primo capite octauo.

Nec minus voluntarius in vrbem Romanam IVNONIS transitus. Captis à Furio Camillo Veijs, milites iussu Imperatoris simulacrum Iunonis Monetæ, quòd ibi præcipua religione cultum erat, in vrbem translaturi, sede sua mouere conabantur. Quorum ab vno per iocum interrogata dea, an Romam migrare vellet? Velle se, respondit. Hac voce audita, lusus in admirationem versus est. Iamque non simulachrum, sed ipsam cælo Iunonem petitam portare se credentes, læti in Auentino monte collocauerunt. Val. libro primo, cap. 8.

FORTVNAE muliebris simulacrum, quod est in Latina via ad quartũ miliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio vrbis, maternæ preces repulerunt non semel, sed bis locutũ constitit, prius his verbis: Ritè me matronæ vidistis, riteque dedicastis. Val. libro 1. capite 8.

Cùm PALLADIS templum apud Cyzicum vrbem Asiæ à Mithridate obsideretur, cumque sacrorum solẽni die vaccam nigram sacrificare mos esset, & ea in bello clausa vrbe haberi non posset, atque ob eam rem sacerdotes in graui molestia versarentur: non sine miraculo conspecta est in mari eiusmodi bestia ad terram annatare, vltroque templo se offerre, ubi à Cyzicenis immolata fuit. Fulg. lib. 1. cap. 6.

BENIGNITAS HOMINVM ERGA SE MVTVO.

PRINCIPVM ERGA SVBDITOS SVOS

Popularitas.

Si etymo fides aliqua adhibenda est, benignitas & affabilitas principum erga subditos propriè Popularitas dici poterit: verùm de nominibus non est cur litigemus, modò de re constet. Exempla quædam ex tit. Amicitiæ peti possunt.

DAVID ob placabilitatem & humanitatem iuuenis etiam ad gubernandum populum vno omnium consensu electus est, adeò vt parentes eum filijs suis, filij parentib. in amore præferrent, cùm ad vtilitatem hominum potius quàm dominãdi cupiditate sumpsisse regnum videretur. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

SESOSTRIS, vel, vt alij, Sesaris, Ægyptiorum rex, cùm animum ad imperium orbis adijceret, vt facilius optata perficeret, sibi omnium Ægyptiorum beneuolentiam conciliauit: omnes affecit beneficijs, hos donauit pecunijs, alios agris, nonnullos remissione pœnæ, singulos oratione, & humanitate deuinxit, omnes qui in regem deliquerãt, dimisit impunitos, ob æs alienum vinctos soluit, agros ciuibus, ac militib. diuisit, ne ea quæ ad victum pertinent, deesse viderentur. Demùm cùm multa imperio suo adiecisset, summa præterea humanitate erga omnes subditos vsus est. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. rerum antiquarum.

ACTISSONES Æthiopum rex, cùm Amasidem Ægyptiorum regem crudeliter in subditos grassantem debellasset, & fugasset, ipse Ægyptiorũ rex factus, eos, quos Amasis crudelitate offenderat, ipse humanitate, clementia, & mansuetudine sibi deuinxit. Ibid.

CHERINVS Ægyptiorum rex, summa humanitate & clementia imperasse dicitur, quia subditos beneuolẽtia potius, quàm seueritate, & crudelitate in obedientia contineri sciebat. ibid.

CYRVM regem Persarum dixisse ferunt, iucundiora multò, acceptioráque hominibus videri in optimo viro, humanitatis quàm belli opera. bellum enim plurimùm mali afferre mortalibus, humanitaté autem plurima bona conferre. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

PARYSATIS Cyri & Artaxerxis mater, præcipere solebat, vt rex palàm ac liberè locuturus, verbis byssinis vteretur: hoc est magnificis, ac mollibus, quo sermonis blandicies rei mitigaret asperitatem. Reges byssò vestiuntur: sed talem decet esse regis orationem, qualis est amictus. Plutarch. in Apoph. regum.

Philiscus ALEXANDRO aliquando dixit: Ad gloriam incumbe: verùm ea condicione, ne sis pestis, vel in ignis aliquis morbus, sed pax, & sanitas. Nam per vim, & sæuitiam expugnare ciuitates, & populos exscindere, tyrannicum est: sanitatis verò, salutisque subditorum rationem habere, ea sunt pacis commoda. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

ALEXANDER operam dabat, vt omnes homines beneuolentia superaret. Itaque statuebat omnes pro mortalibus, vitis, maribus, inopibus & hominibus, Alexandros appellare. Polyæn. lib. 2.

PERICLIS Atheniensis humanitas, ac clementia insignis fuit, qui cùm longo tempore Athenas arbitratu suo in multis ciuium contentionibus rexisset, & iam haud longè abesset vt moreretur, nec vires modò, verumetiam sensus penè eum defecissent, contigit vt inter amicos, qui in lecto iacenti astabant, de eius victoriis, atque eloquentia, quæ in eo mira fuit, mentio haberetur, eámque ceu admiratione capti laudib. efferrent. Hæc autem cùm ipse audiret, apertis oculis aliquantisper nixus vt loqueretur. Mirari se dixit, quòd victorias, eloquentiamque in eo laudarent, quarum rerum partem fortuna sibi vendicabat: seipsos quidem potius laudare debere, quòd cùm longo tempore Athenas rexisset, nemo ipsius caussâ lugubrem vestem vmquam induisset. Fulgosius libro quinto, capite primo.

AGESILAVS claudus fuit, statura parua, & aspectu contemnendo. Cæterùm hilaritas, animusque omni tempore lętus, & vrbanus, voxque & vultus ab omni morositate, & austeritate alienus, amabiliorẽ eum formosis vsque ad senectutem fecerunt. Plut. in Agesilao.

ALCIBIADES in quotidiana conuersatione tam suauis erat, & iucũdus, vt etiam iis, qui eum vel metuerent vel inuiderent, præsentia eius, & aspectus voluptati lætitiæque esset. Tisaphernes certè Persa, Græcorum alioqui osor, omnium suorum hortorum pulcherrimum, regio luxu ædificatum, Alcibiadem nominauit. Plut. in Alcibiade.

Inter alia EPAMINONDÆ pulchrè dicta factaque, quæ quidem plurima sunt, etiam hoc numeratur: Dicebat Palopidæ, non prius interdiu discedendum è foro esse, quàm nouum aliquem amicum ad veteres esset adiectus. Æl. lib. 14. de Var. hist.

ANTIGONVS rex, amicis suadentibus, vt si Athenas caperet, validis illam presidiis communiret, ne quando deficeret, summaque curavet totius Græciæ basim custodiret, respondit: Se semper in hac fuisse sententia, vt crederet nullum esse regni præsidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. Eras. lib. 1. Apo.

IDEM, cùm cerneret filium suum se violentiorem & imperiosiorem gerere erga subditos: An non inquit, nouisti, fili, nostrum regnum, nobilẽ esse seruitutem? Atque hæc Antigoni verba, quibus filium alloquutus est, maximam mansuetudinem & humanitatem præ se ferunt. Ælianus libro secundo, de Var. hist.

ARTAXERXES Cyri frater, cognomẽto Memor, non solùm seipsum affabilem prębuit adire volentibus: verum vxorem quoque legitimã iussit, sublatis currus aulęis vehi, vt iis, qui eam conuentam vellent, etiam in itinere pateret aditus. Plut. in regum Apoph.

IDEM iis, qui secum venabantur, qui possent, & vellent, vt ante regem iaculum emitterent, libenter concedebat. Plut. in regum Apoph.

GELON Syracusorum tyrannus, mansueti animi se in imperio præbebat. Seditiosi verò quidam eius vitæ tendebant insidias. Quòd cùm rescivisset Gelon, conuocata Syracusiorum concione, armis indutus in suggestum ascendit: & commemoratis suis erga illos meritis, insidias detexit. atque exutis armis, dixit ad vniuersos: En igitur amictus tunicula, nudus armis, asto, & dedo me vobis, vt pro voluntate arbitrióque mecum agatis. Cùm igitur Syracusij mirati supplicijs afficiendos insidiatores ei tradidissent, & illũ regnare iussissent, etiã hos puniẽdos reliquit populo. Quamobrem Syracusij statuam ei posuerunt, indiscincta tunica. atque hoc fuit eius animi popularis monumentum, & in posterum regnantibus documentum. Ælian. de Var. hist. lib. 13. & lib. 6.

IAMBLICVS, philosophus Pythagoricus, è Chalcide Syriæ, morib. adeò probatis fuit, vt eius vitæ abstinẽtia modestiaque ea tempestate nominatissima fuerint. Eunapius.

ROMÆ per quingentos & quinquaginta octo annos, SENATVS populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Seranus, & L. Scribonius ædiles, ludos Matri deũm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis soluerunt: eaque auertit vulgi animum, & fauorem Scipionis magnoperè quassauit. Val. lib. 2. cap. 1.

P. VAL. cui Publicolæ nomen inditum est, cùm ex ædificio domus in suspicionem affectati regni incidisset, vt suspicionem etiam falsò conceptam eo facilius euitaret, vna nocte totam domum vnà cum fundamentis diruit. Et ex eo facto vir prudentissimus, & iustissimus (qui non tantùm crimine, verumetiam suspicione carere voluit) non suspicionem tantùm aboleuit omnem: verùm in populo, patribusque summa vitæ integritatisque sibi, ac iusticiæ admirationem peperit. Pontanus lib. 5. cap. 1. de Prudentia, & Plinius de Viris illustribus. cap. 15.

Q. FABIVS Maximus dictator, tam humanus támque clemens per totam vitam, non tam erga suos quàm exteros fuit, vt Ouiculæ nomine semper sit salutatus. Volater. lib. 16. Anthrop.

AFRICANVS Scipio non prius è foro solebat discedere, quàm vnũ aliquem ex his quibus cum congrederetur, beneuolum sibi & amicum efficeret. Et quamuis eius potestate victa fuisset Carthago, motiens tamẽ argenti libras XXXIII. auri duas dumtaxat reliquit: tãta in omnes exstiterat munificentia.

M. CRASSVS epulum dedit Romano populo, & tres minas viritim: nulli ciuium suum patrocinium non libens impendit: nullum in via non salutauit: fecitque vnus omnium popularem auaritiam, ex qua nemo antea gratiam reportarat. Sab. lib. 8. cap. 2.

ROMANORVM imperatores, cùm per multos annos Regum nomine salutati essent: tandem ne in crimen inuidiamque inciderent, Imperatoris nomẽ tamquam titulum mitem, & honestiorem, abrogato regis vocabulo, iterum, & sæpe desumpsẽre. Alexander ab Alexandro, lib. 1. capite 2.

AVGVSTVS Cæsar, cùm alijs virtutibus permultis, tum summa apud cunctos humanitate conspicuus fuit, adeò quidem vt Varus declamator probè dixerit: Qui apud te, Cæsar, audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem: vt est apud Senecam.

IDEM, cum nulli ferè ad conuiuium inuitanti suum denegaret officiũ, exceptus à quodam cœna perparca, ac penè quotidiana: cum à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tãtum insusurrauit, Non putabam me tibi tam familiarem esse. Alius tam ieiunum apparatum contumeliam fuisset interpretatus, ille ciuiliter etiam pudori consuluit: inuitatoris familiaritati tribuens, idque in aurem, ne ceteri putarent exprobratam parsimoniam. Sueton. in Aug. Plut. in Romanorum Apoph.

IDEM non semel cogitasse dicitur de administratione Reipub. populo Romano reddenda: nec desijt, vt Seneca tradit, quietem sibi precari, & vacationem à Republica petere. Pontanus libro secundo, capite quinto, de Fortitudine domestica.

TIBERIVS Cæsar tam popularis erat in rebus omnibus, vt nihil etiã in suo natali (vt alij) die fieri permitteret, quod antea fieri non consueuisset. Nemini licebat per fortunam eius iurare: neque animaduertebat in eos, qui per eandem fortunam iurantes peierassent. Neque verò in his solis popularis erat: sed etiã in eo, quòd ei nullum templum dedicatũ est, quodque nemini licebat statuam ei facere. Dion Nicæus in Tiberio.

IDEM in primis erat affabilis, comis & humanus. Itaque iussit vt senatores simul omnes se salutatum venirent, ne multitudine inter ceteros premerentur. Ibid.

IDEM, cum amicis versabatur vt priuatus: iisque cum rei essent, præstabat patrocinium. Intererat eorum sacrificiis, visitabat ægrotantes, nullis stipatus custodibus: quinetiam defunctum amicum, & familiarem suum laudauit funebri concione: cumque conuentus & ludi celebrarentur, eos ipse spectabat de domo cuiusdam Cæsariani, aut liberti, vt possent homines proximè & facillimè ad se conuenire. Ibid.

VESPASIANVS Romanorum imperator, tanta fuit præditus humanitate, vt non senatores tantum Romanos, sed priuatos etiam homines pubicè salutaret, acciperet hospitio, atque apud eosdem etiam interdum cenaret. Sua consilia semper cum patribus communicabat, sæpe etiam ipse ius dicebat in foro. In summa, in iis, quæ ad reipub. curam attinebãt, erat imperator: in ceteris rebus viuebat cum ceteris tamquam priuatus. Nec iocabatur tantùm familiariter, verumetiam iocose se ludi libenter patiebatur. Xiphilinus in eius vita.

IDEM, cùm libenter in hortis Sallustianis habitaret, eo recipiebat

etiam quemcumque nō solùm senatorij ordinis, sed etiam homines priuatos. Ante lucem, cùm esset adhuc in lecto, colloquebatur cum ijs, qui sibi familiares erant. Ibidem.

TITVM semper dixisse ferunt: Velle quidem se talem priuatis exhibere, quales sibi priuatos hebere cuperet, Vt enim nihil perniciosius est, quā odio haberi, ita nihil vtilius quàm diligi, & amari. Quod certè humanitate, lenitate, & facilitate comparatur. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

IDEM, quum admoneretur ab amicis, quòd plura polliceretur interpellantibus, quàm præstare posset: respondit, Non oportere quemquam à Cæsaris colloquio tristem discedere. Sueton. in eius vita.

HADRIANVS Cæsar in colloquijs etiam humillimorū mirè ciuilis erat: eosque detestari solebat, qui hanc humanitatis voluptatem ipsi inuiderent, hoc prætextu, quod dicerent principis majestatem vbique seruandam. Dion in eius vita.

Cuidam AVGVSTVS libellum sibi trepidè porrigenti, qui manum nunc proferret, nunc retraheret: Quid, inquit, an putas te assem dare elephanto? Solent enim pueri minimos numos elephanto porrigere, quos ille non sine spectatorum admiratione proboscide sic corripit, vt pueri manum non lædat. Sic videmus pueros & in vrsorum rictum manum inserere, non sine metu. Molestum erat optimo principi, quòd timeretur. Sueton. in Augusto. Eras. lib. 4. Apophth.

TRAIANVS Imperator, cùm alias virtutes quàm plurimas, tum in primis veram humanitatem colebat, vtpote qui ipse accessit semper aliquid consulturus ad alios: & eos qui ad se accedebant, summa semper beneuolentia, & humanitate audiuit. Volater. lib. 23. Anthrop.

IDEM venationibus, conuiuijs, serijsq;, atque iocosis rebus ciuium libenter intererat. Sæpe quartus discumbebat, veniebàtque in ædes eorū, interdum nulla planè munitus custodia, ibique interdum etiam quiescebat. Xiphilinus & Dion Nicæus in eius vita.

IDEM solebat, ægrotantes amicos visere, deposita imperatoria majestate. Ausonius.

IDEM amicis incusantibus, quòd parum memor imperatoriæ majestatis, nimium esset omnibus expositus: respondit, Talem præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. Eras. lib. 8. Apoph.

CONSTANTINI Magni popularitatem, pete ex tit. Leprosi miro modo sanati.

ALEXANDRINI Seueri Imp. popularitatem, pete ex tit. Honores oblatos respuere.

HYLDRICVS princeps wittembergicus, in comitijs publicis, cū alij annuos reditus, alij propugnacula, alij venationes suas, alij alia quædam ad luxum & delicias spectantia laudarent: ille gloriabatur, quòd in vasta solitudine in gremio vniuscuiusque subditorū suorū tutò, & securè quietem solus capere posset. Mira profectò sui fiducia, rectéque administratæ Reip. sincera conscientia.

NICOLAVS VRSINVS III. pontifex Rom. ita moribus honestissimis ac bonis præditus fuit, vt vulgò Compositus sit appellatus. Volat. lib. 22. Anthrop.

FRANCISCVS Sfortia Mediolanensium dux, quum adhortarentur eum familiares, vt Guelfam factionem omnino tolleret, quæ illi eiusque imperio infesta in primis esset: Pudeat, inquit, vos me Principem recens Mediolanensem totius populi consensu creatum, ad alterius partis internecionem adhortari, quæ hunc principatum volens mihi tradiderit. Aspicite igitur canos in capite meo capillos, & nigrescētes ex alia parte. Quos præferam, vt alteri alteris non inuideant? Et vt certè me eorum non pudeat, sic patiamini quæso Guelfos & Gibellinos æquo iure sub me principe agere, qui pudorem verecundiamque semel animo cæptam, exuere animo non possim, nec debeam: si modò vos me cum principem esse velitis, quem ab initio tanto studio elegistis. Egnat. lib. 4. cap. 5.

IDEM in publica constitutus audientia exteros & infimos quosq; primò omnium summa humanitate & clementia audire solitus est. Pontan. cap. 15. de Beneficentia.

Mos erat ALPHONSO Aragonio Siculorū regi, quocumque in loco Eucharistiam ferri perspexisset, relicto equo quo vehebatur, pedibus eam prosequi in locum quò perferebatur. Dum hoc peragit, contingit semel in vetulæ domum ingredi, sanguinis fluxu laborātis. Cum autem certior factus esset, eiusmodi morbo plurimum iaspidem conferre, misit statim, qui vnum quem habebat perferret, ipseq; mulieris manui eum inseruit. Breui autem liberata anus, cum post aliquot tempus ad Alphonsum venisset, gratias pro acc. pro beneficio actura: excusauit se, quòd iaspidem non retulisset, ne ei daretur vitio, quia sinistro casu eum amiserat. Cùm autem qui ad[illegible] grauiter eam increpassent, subridens Alphonsus: Mater, inquit, mea hi qui valent [illegible] suæ nullam rationem habent, mirantur, si tu vt valere posses iaspidem retinuisti. O humanitatem insignem, regem clarissimum cum vetula tam humanè vrbanéq; se gerere. Fulg. lib. 5. cap. 1.

IDEM [illegible] potissimùm beneuolentiam hominum sibi conciliabat, quòd [illegible] patiebatur tristem à se abire. Pont. de Principe.

POPVLARITAS SVBDITORVM SIVE CIVIVM ERGA *se mutuò.*

Exempla pete ex loco Amicitiæ.

ROMANA plebs in patriciorum equitúmque, id est totius nobilitatis tutela erat, per clientelas diuisa. Ipsius causas patricij equitéque gratis tuebantur. Populus quóque nobilibus, eùm peterentur honores, suffragijs suis adsistebat. Plebi puellarum dotes patricij persoluebant, atque in bello captos redimebant, à neutris autem hæc officia improperabantur. Sed haud diuturnus tam sanctus eos mos mansit qui inter ipsos amoris ac fidei verum firmúmque vinculum erat, & Romanis rebus felicitatem afferebat. Fulg. lib. 2. cap. 1.

Apud SCYTAS hominum conuictus religiosissimus habebatur, & iurare per conuictum, sacrosanctum erat. Pont. in prologo libri de Conuiuentia.

Plinius scribit, discordiam ignotam esse HYPERBOREIS, viritim gregatim que degentibus.

GALLI nostra ætate dicuntur conuiualitati admodū dare operam; quos quis non laudet, dum id faciant cum delectu? Pont. cap. de Conuiuentia.

Q. FAB. Maximus propter morum clementiam Ouiculæ appellationem meruit. Volaterranus lib. 23. Anthropologiæ.

POPVLARITAS SIVE BENIGNITAS, ET HVMANITAS *Oeconomica.*

THEBANORVM hæc lex rectissimè & humanissimè posita est: Ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abijcere, capitis supplicio constituto. Verùm si in extrema mendicitate pater sit constitutus, siue mas sit, siue fœmina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fascijs adferre. Qui acceptum alicui tradit leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, vt per suam fidem infantem alat, & adultum serui uel seruæ loco habeat, sic vt alimentum & educatio seruitute compensetur. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

ERGA CONIVGES.

Ex vno homine Deus humanum genus instituit, ad commendandum hominibus, quàm ei grata sit etiam vnitas in pluribus. Vnde August. Vnū ac singulum creauit, non vtique solum sine humana societate deserendū: sed vt eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumque concordiæ, & non tantùm inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis affectu homines necterentur: quando nec ipsam quidem fœminam copulandam viro, sicut ipsum creare placuit, sed ex ipso, vt omne ex homine vno diffunderetur genus humanum. Vnde quàm diu vnus fuit, non peccauit, sed multiplicatus citò deliquit. August. lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 21.

ERGA SERVOS.

Hæc forasse maximè propriè Familiaritas appellari posset, quoniam erga familiam siue famulos affabilis est.

GILLAS Agrigentinus hospitio exceptus apud hominem durum, & vndecumque facientem quæstum, qui ne dormire quidem famulis permittebat, sed alium operari aliud noctu iubebat: eundem & ipse postea quum Agrigentum venisset, suscepit. & cōuocatis famulorum pueris (qui permulti erant) nuces & caricas distribuit. Interrogante autem hospite, vnde tot pueri? A famulis meis, dixit, mihi generantur. Voluit autē ostendere, ita tractandos esse seruos, vt ad procreandos etiam liberos legitimè essent apti. Stobæus ser. 60.

THEODOSII Imp. facilitatem, & popularitatem erga seruos, pete ex tit. Assiduitas lectionis.

ERGA DISCIPVLOS.

ANNEVS Cornutus Leptites genere, philosophus & rhetor, tanta humanitate fuisse dicitur, vt discipulos ex ea causa plurimos ad se, non minus quàm doctrina alliceret. Natura enim magis quàm studio iuuabatur. Suidas.

ALEXANDER Philippi filius, puer adhuc, cùm nondū ad puberem ætatem peruenisset, citharam didicit pulsare. Magistro autē iubente chordam quandam tangere conuenientem, & quam postulabat artis ratio: Et quid interest (inquit) etiamsi hanc pulsauero? in aliam digitum intendēs. Qui respondit: Nihil interesse regis, sed non eodem modo nihil interesse futuri citharœdi. Timuit autem preceptor fidissimus (qui nil celare discipulum volebat) ne idem sibi eueniret quod Lino: qui cùm discipulum Herculem in arte Musica acrius reprehendisset, ab eodē occisus est. Ælianus lib. 3. de Var. hist.

ERGA HOSPITES ET PEREGRINOS.

Exempla Hospitalitatis huc pertinent, ratione humanitatis tantùm, & affabilitatis. Nam respectu sumptuum vel fidei, ad Liberalitatem & Iustitiam pertinent. Eapropter vt distinguantur à se inuicem, Hospitalitatem humanam vocamus eam, de qua nunc acturi sumus: Liberalē alteram, de qua Libro VI. egimus: Iustam tertiam, quam sub loco Iustitiæ explicabimus.

ABRAHAM nouus hospes, & omnibus ignotus, Ægyptum cum Sara coniuge ingressus, vir alienæ legis, alieniq; instituti adeò dextrè accuratéque cum sacerdotibus eius gentis est cōgressus: déque diuinis & humanis rebus appellatus, grauiter & pensiculatè disseruit, vt totus ille ordo, qui erat secūdus à rege, in ea gente peregrinum hominē non solùm coleret, sed vehementer veneraretur: nefasque etiam ducerent, vt tanta in vno viro modestia, frugique sapientia ab vllo violaretur. Quæ opinio nō solùm illi ad salutem profuit, sed ad pudorem etiam, & pudicitiam coniugis in perdita gentis libidine tuendam. Sab. libro quarto capite decimo.

Nec minor censeri debet humanitas PHARAONIS regis, qui Abrahamum peregrinantem benignè suscepit. ABIMELECHI itidem Gerarorum regis in Palæstina, qui erga Abrahamum in primis, deinde etiā erga Isaacum, qui famis causa Geraris diuerterant, humanus fuit: quamuis causas haberet vtrisq; succēsendi, propterea quod ille Saram, hic Rebeccam sorores esse dixissent. Vide lib. Geneseos.

PLATO filius Aristonis, Olympiade apud ignotos contubernium instituit. Quorum animos ita sibi conciliauit, vt cum eis conuiuando ac familiariter colloquendo multas horas consumeret. Cùm verò Athenas ventum esset, perhumaniter eos excepit Plato. Ad quem cum hospites (quibus ignotus erat Plato) dixissent: Age vir optime, monstra nobis Platonem Socratis discipulum, & duc nos in Academiam eius, vt aliquam voluptatem ab eo percipiamus. Ille clàm subridens: Ego, inquit, sum Plato quem videre cupitis. Quod cùm audissent, obstupuerunt, quòd ignorassent se tanti viri vti familiaritate, qui sine iactantia omni secū esset cōuersatus. Ælian. lib. 4. de Var. hist.

Parthorum rex ARTABANVS, principum regni sui coniuratione pressus, minimè se in eo posse tutò manere arbitrabatur: & cùm vires, vt principes ad officium cogeret, ei deessent, ad Iazatē Adiabenorum regē, etsi ei notus non erat, conferre se decreuit. Itaque dum ad eum tendit, incidit in ipsum per regnum obequitantem. Vt eum vidit, ab equo statim descendit: expositóque casu suo, rogauit vt ope se ad repetendum regnū iuuaret. Cùm Iazates eum agnouisset, ipse quoque in terrā ab equo descendit coactumque Artabanum in equum conscendere, pedibus eū prosequi volebat, quòd ætas ipsius præteritáque fortuna plus quàm præsens necessitas apud se valeret. Deductum igitur regnum amicè Artabanū solatus est, & ceu parentem semper in honore habuit. Sumptis denique armis in regnum quoque restituit. Ful. lib. 5. cap. 1.

Pace cum Genuensibus inita, postquam Clodia vrbs recepta est à Cōtareno duce, belloque atrocissimo finis est impositus, missi sunt Genuēses oratores Venetias, qui & publicè Ducem Senatúmque adirent, & CAROLVM ZENVM priuatim inuiserent: quos ille tanta benignitate & facilitate ita excipere solitus erat, vt non domi solum eos perquam familiariter haberet, verùm etiam vrbem cum iis sæpe lustraret. Quinetiam dedita opera illos secum ad magistratus deduxit ad quos deprecaturus simulatè venerat, vt sibi veniam darent, mulctámque remitterent, quando eorum lictor gladium sub veste Caroli ipsius latentem sibi ademisset. Quum id difficilius impetrare videretur, interuenientibus oratoribus ipsis, qui suppliciter peterent & gladium restitui, & mulctam remitti ciui de patria tā bene merito, vix magistratus adduci potuit, vt ipsi oratores id impetrarent. Quæ tamen omnia fictè simulatéq; agebantur, vt Venetiis intelligerent omnes legibus obtemperare debere. Egnat. libro quinto capite primo.

POPVLARITAS BELLICA, ERGA SVOS.

Exempla aliquot pete ex tit. Beneuolos reddere milites. Item ex loco Amicitiæ.

CYRVS Persarum rex qua tempestate ob inopiam liberalitate vti non poterat, beneuolentiam suorum humanitate conabatur assequi, cū illis etiam in faciendo opere adiutor adesset, & laborum socius. Pont. lib. de Principe, Ex Iustino. lib. 1.

ALEXANDER Macedo, dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loco niuali tempestate oppressus, senio iam confectū militem Macedonem nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi & propinqua igni sede sedens animaduertit: factáque non fortunæ, sed ætatis vtriusque æstimatione, descendit: & illis manibus quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum in suam sedem imposuit: id ei salutare futurum ducens, quod apud Persas capitale exstitisset, solium regium occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare iucūdum ducebant cui gregarij militis incolumitas proprio fastigio carior erat? Valer. lib. 5. cap. 1.

IDEM non hominum vlli, sed naturæ fortunæque cedens, quamquā violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus qui eam contingere vellent, porrexit. Quis autem illam osculari non curaret, quæ iam fato oppressa, maximi exercitus cōplexui, humanitate quàm spiritu viuidiore suffecit? Ibid.

PERICLES quotiescumque belli dux creatus esset, chlamydem induens, apud se dicere consueuit: Attende Pericles, quod gesturus es imperium in liberos, in Græcos & in Athenienses. His dictis se vir cordatissimus hortabatur, vt moderatè gereret principatum. Magni ingenij est, imperare liberis: at Græci plus quàm libri tū erant, postremo inter Græcos libertimi Athenienses. Plutarch. in Græc. Apoph.

Apud Rom. antiquitùs DICTATOR equo vehi militiæ non poterat: vt cum regia alioqui esset Dictaturæ potestas, hoc pacto populo obnoxiam esse ostenderent. Nam populi causa, qui peditatu potissimum cōstabat, Dictator creabatur. Cogebatur ergo suis nō consilijs tantùm, sed & præsentia adesse. primus Fab. Max. petiit à senatu, vt militiæ sibi liceret equo vehi. Plut. in Fab. vita.

DEMETRIVS rex, & M. ANTONIVS triumuir, in re bellica abstinentia, labore & fortitudine: in ocio verò luxuria, temulentia & libidine omnes superabant. Sab. lib. 8. cap. 8.

C. IVLIVS Cæsar dictator, inter Romanos duces moderatæ militaris disciplinæ singulare exemplum fuit. In milite non philosophorum austeritatem, sicut nonnulli duci militari; modestiæ axactores, sed ciuilem modestiam ad virtutem ac res gerendas requirebat. Quamobrem longinquo hoste liberiora militibus disciplinæ frena remittebat, vt postea propinquior factus, cùm ita militum animis vires recreasset, promptioribus diligentioribúsque aduersus hostem vteretur. Numquam prælij aut expeditionis tempus militi prædicebat, vt omnibus horis præsto esse se debere, atque in medijs diliciis si inhærentur, descendendum esse prælium scirent. Quæ norma multas ei peperit victorias, atque hostes in magnas deduxit calamitates. Quòd si nimia indulgentia milites ad contumaciam descendisse animaduertisset, aut seditionem in exercitu mouere (quæ militaris disciplinæ mortiferum est venenum) ceu bonus insessor, moderatè frena contrahendo militare imperium sibi vendicabat. Id ciuili bello apud Placentiam ostendit, vbi seditiosum exauctorauit: neque antè pristino honori restituit, quàm de sontibus pœnas sumpsisset. Romæ quoque Decumanos nimis petulanter ac temerè missionē ac præmia poscentes, cum ignominia dimisit: quos cū erroris pœnituisset, atque in Africam secuti fortem in eo bello operam nauassent, omni tamen prorsus præda & prædiorum, quæ promiserat tertia parte priuauit. Fulg. lib. 2. cap. 2.

IDEM milites commilitonum vocabulo solebat appellare, æqualitate nominis promptiores reddens ad subeunda in pugnis pericula. Poly. libro 8.

ALEXANDER Mammeæ filius humanitate ea fuit, vt etiam milites qui morbo affligerētur, visitaret, popularitate tanta vt præter affabilitatem quotidianam aditum quoque ad se non amicis modò ac familiaribus verùm etiam militibus cæterisque hominibus quàm facillimū præbuerit. Pont. lib. 1. de Magnan. cap. vlt.

POPVLARITAS ET FAMILIARITAS ERGA HOSTES.

Cum hostibus quoque humanitatem exercere possumus, non quidem quatenus vindictā moderamur (de hac enim moderatione sub loco Clementiæ à nobis actum est) sed quatenus extra vindicandi cupiditatem cum illis, tanquam cum hominibus placidè, & modo non amicè conuersamur. Exempla aliquot ex tit. Clementiæ erga hostes peti possunt, quatenus in illis quoque affabilitas quædam cum hac moderatione coniuncta esse videtur.

EXTRA BELLVM.

D. AVR. Augustinus, episcopus Hipponensis, in refutandis hæreticis nimiam vbique cauit acerbitatem. Testis ipse lib. 3. cap. 1. contra literas Petiliani.

PROCLVS quintus episcopus Constantinopolis post D. Io. Chrysostomum præceptorem, vir eloquens, doctus & pius, tanta erga omnes fuit moderatione, etiam erga hæreticos, vt æmulis calumniandi occasionem dederit, quasi canis mutus esset. Sed hoc eius modestiæ & prudentiæ potius tribuendum erat. Hæreticis enim contradicebat, rei potius firmitate quàm verborum acrimonia fretus, præsertim cùm multos mansuetudine & lenitate reconciliari posse, plurimos verborum seueritate magis inflammari videret. Nicephorus libro 14. cap. 37.

IN BELLO.

AFRICANVS superior, Syphacem regem barbarum, atque (vt Liuij verbis vtar) Romanis moribus insuetum: & quod mirabilius fuit, Hasdrubalem quoque Carthaginiensem, non barbarum modò, sed etiam immitem Romani nominis inimicum, inter cenandum suaui conuictu, & comi mansuefecit alloquio.

BENIGNITAS HOMINVM ERGA BRVTA. BRVTA
quæ hominis auxilium implorarunt.

Pudeat homines, virtutem humanitatis non amplecti, quam lege naturæ hominibus peculiarem esse, ipsum docet etymon, ipsa quoque bruta fatentur. In huius rei testimonium exempla adducemus animalium, quæ opem hominum implorarunt. Sed longè magis pudere debet hominem, si in ea *virtute, quæ sibi propria esse videtur, à belluis vincatur.* Proinde *alium titulum,* De *mansuetudine belluarum erga homines, subnectemus.* Nunc *de priore agamus.*

Cerua, dum venatorum telo saucia fugeret, ad BASIANVM Laudēsem episcopum se recepit: qui persequebantur, miraculo obstupefacti stetére. Quidam verò licentius accedens, eam de manu episcopi eripere voluit, sed ipse præreptus à diabolo vexari cœpit. Episcopus autem qui bestiam blandè amicéque exceperat: & clementer fuerat tutatus, nec in hominis violentiam irasci potuit, ab immundo spiritu oppressum: Eum igitur miseratus, incunctanter pristinæ restituit sanitati. Idem igitur & tutelæ fidē, & patientiæ benignitatem seruauit, amicis inimicisque iuxta fauens. Marul. lib. 4. cap. 5.

ÆGIDIVS abbas, ad hostia Rhodani solitaris manens, & hominibus incognitus, ceruæ lac præbente (vt alibi diximus) vixit. Sed cùm illa à venaticis canibus agitaretur, præpeti fuga cellam ipsius petiit, & trepida, ac solito mæstius immugiens, ante senis pedes prouoluta iacuit: vt cuius humanitatem diu experta fuerat, eius etiam auxilio ab imminenti periculo tegeretur. Igitur illo orante canes propius accedere nequiuere. Vnus autem de venatoribus (quia locus vepribus obductus erat) incertò sagittam dirigens, abbati vulnus inflixit. Post hoc penetrantes latebram, reperiunt senem, ceruámque iuxtà accubantem, & religione quadam concussis animis procidentes, veniam ab eo quem imprudenter læserant, suppliciter petunt, atque impetrant, ceruam dimittunt intactam. Tam enim ille libēter iis à quibus vulnus acceperat, offensam dimisit, quàm pro cerua orauit: pari simplicitate & de ipsa sollicitus, & in illos mitis: Ibidem.

Ad REMIGIVM Rhemensem archiepiscopum passeres aduolare solitos accepimus, & de manu eius certatim cibum capere. Cur ita? nisi quòd non sic tutò se pasci posse in apertis campis putarunt, vt in mansuetissimi præsulis sinu. Ibidem.

BLASIO Sebastæ vrbis episcopo, in solitudine persecutionem declinanti, siluestres auiculæ victum suppeditarunt. Ibidem.

A IVDOCO regis Britanniæ filio, dum contempto regno soli Christo seruiret, columbas piscésque escam manu porrectam acceptasse ferunt. Ibidem.

HIVONEM presbyterum ad mensam recumbentem, auis quædam albo viridique colore spectabilis, de improuiso adiisse dicitur, & tangi se ac contrectari ab eo passa, post acceptam benedictionem euolasse. Testata mihi videtur naturam eius non gestu solum, quo se illi liberè atque vltrò obtulit, sed etiam pennis, varietatéque colorū. In candore signabatur mētis puritas, in viuore spei alacritas, in plumarum mollicie animi lenitudo atque facilitas. Ibidem.

MAXENTII Pictauiensis abbatis humanitas effecit, vt agrestes volucres non cupidius arborum ramis quàm manibus eius insiderent. Panis micis, aut tritici granis ab eo pastæ auolabant. Hinc discamus, non sine beneficio eos dimittere, qui sine hæsitatione nostræ se crediderunt fidei. Ibidem.

SEVERVS Agathensis abbas passerem aduolantem ita humaniter excepisse dicitur, vt cùm ille fracto crure aliorum aucupium effugisset, ipse sua precatione sanatum dimiserit. Qui enim benignè alios accipit, facilè quod à Domino petit impetrat. Scriptum quippe est, Mãsuetis dabit gratiam. Ibidem.

FRANCISCI lenitatem auicularum audacia mirabiliorem fecit. Ad prædicantem confluebant neque refugiebant manum eius: vsque adeò obsequentes, vt non nisi cùm ipse iussisset abirent: non nisi cùm ipse innuisset, garritum comprimerent: non quòd iussa intellexerint, sed quòd iubentis authoritatem virtutémque senserint. Cum aliquando in horto inter fruteta deambularet, cicada ficulneam linquens, super euocantis manum consedit: & Deum laudare iussa, voce tinnula, gutture fistulato, suauiorem solito stridorem edidit. Humanum igitur cōsortium effugere solitæ bestiolæ, Franciscum omnibus ex mansuetudine applaudentem creaturis adire non timuerunt: neque potuerunt non obtemperare imperanti, cui iam diuina inerat virtus. Talibus enim dictum est: Si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet. Ibidem.

CLOTARIO Britannorum rege venationi indulgente, aper à venatoribus actus, ad DEICOLVM abbatem confugisse perhibetur, & ab eo seruatus. Siluestre animal tutius se in Deicoli sinu putauit, quàm siluas fuga periisset: præsagio quodam lenitudinis pietatisque eius. Qui insequebantur, pepercere belluæ ob reuerentiam viri, non ausi eam lædere, quæ sese fidei commiserat sancti. Ibidem.

MARIANVS Bituricensis cœnobij monachus, bubulci officio defungi non dedignatus, aprum ad se confugientem tutatus est. Canibus insequentibus imperauit, ne illum tangerent. Mira res: canes obedierunt, aper discedere noluit: & cuius benignitate se seruatum agnouit, eidem veluti iam pridem mansuefactus humiliter adhæsit. Ibidem.

Vrsa ad BASOLI Remensis abbatis cellam confugiens, pedibus eius prouolutá sic in tuto fuit, vt canes qui magno cursus impetu iam tergo fugientis imminebant, repentè subsisterent. Tunc Attila venator rem admiratus, prædium quod ibi habebat, abbati concessit: dignum omni beneficio asserens, cuius & mansuetudinem aper, & virtutem canes testati sint. Ibidem.

COLVMBANO abbati vrsi in siluis obtemperauerunt. HELENO onagri, crocodilique: hos insiliens trans fluuium ibat, illos autem sarcinis onerabat. Haud ita repentè mansuescerent syluestria aquaticáque animalia, nisi in homine mansuetudinis vim sentirent, cui obsequebātur. Ibidē.

Diuus HIERONIMVS cùm inuidorum maliciam atque infestationes ne ferendo quidem posset reprimere, Roma cessit. Mansueti enim placidique hominis proprium est, dare locum improbitati aliorum, neque cū pertinacium malignitate contendere. Sed cui Romæ homines aduersabātur, in Syriæ deserto feræ seruierunt. In Bethlehemitico deinde monasterio manentem, leo posita ferocitate blanditer adiit: & reliquis qui aderant metu dilabentibus, ipsi pedem spina vulneratum porrexit, sanatus famulatum exhibuit: nullique iam monachorum metuendus, asellum ad pascua educebat, reducebatque ad stabulum, agasonis fungēs officio, qui quondam prædonis functus fuerat. Ferocire nempe non potuit, vbi hospitis benignitatem experiri cœpit: nec ab eo prorsus discidere, cuius beneficio se nouerat conualuisse. Ibidem.

Habuit Macarius confessor in desertis nemorum locis vicinam cellæ suæ LEÆNAM, cuius catulis cæcis quum restituisset visum, fera obsequij memor, eidem pelles ouium, & pecudum (quas venabatur) afferebat Rauis.

XENOCRATES Carthaginensis Platonis familiaris, non solùm hominum, sed persæpe etiam brutorum animalium misertus est. Nam cùm quodam tempore sederet in loco aprico, passer acriter instantem accipitrem fugiens, in sinum ipsius deuolauit. At ille cum voluptate receptam & occultatem auem custodiuit tantisper, donec accipiter è conspectu recessisset. Vbi verò iam metu periculóque salutam esse arbitratus est, nudato sinu auem dimisit: inquiens, se supplicem hosti non prodidisse. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

Androdus Dacus à Domino Afcicam prouinciam administrante quotidianis verberibus ad fugam coactus, secessit in deserta Libyæ: vbi cùm obuio LEONI ad genua sua prouoluto ingentem spinam è crurē to pede reuellisset conceptámque saniem vulnere intimo expressisset, ferunt bestiam in hostimentum beneficij Androdo tribus annis comitem adhæsisse, & opimiores (quas venaretur) carnes præparasse. Pertæsus demū vltæ illius ferinæ Androdus, quum reliquisset antrum, fato inauspicato comprehensus est à domini satellitibus, ferísque adiudicatus. Vbi idem leo (qui in venatu captus fuerat) agnitum medicum ab iniuria reliquarū bestiarum tutatus est. Petentibus propterea cunctis qui aderant, pœna solututus est Androdus, eíque populi suffragio donatus leo. Quem quum tenui loro reuinctum compitatim per vrbem traheret, sequentes cum plausu dixisse feruntur, Hic est leo hospes hominis. Hic est homo medicus leonis. Plinius.

Plinius scribit, PANTHERAM patri cuiusdam Philenis, affectatoris sapientiæ, blanditam fuisse, vt delapsos in foueam catulos extraheret ille.

Mentor Syracusanus LEONEM in Syria repertū, quum expauescēret timenti protinus sese opposuit fera, eiúsque vestigia cœpit lambere, similis adulāti, donec ille expede leonis (in quo tumorem & vulnus animaduerterat) surculum ingentum extraxit, ipsúmque leonem liberauit cruciatu. Rauis.

Elpis Samius viso in Africa LEONE pauidus arborem conscendit. Tū leo ad arborem procumbens, hiatu opem implorabat, habebat enim ingentem spinam pedi infixam. Quam quum reuulsisset Elpis, gratiam retulit fera venatus aggerendo. Idem.

HVMANITAS

HVMANITAS, SEV POTIVS MANSVETVDO BELLVARVM
erga homines. Belluæ *quæ hominibus non nocuerunt.*

Exempla aliquot ex tit. Eorum *qui ab animalibus nutriti sunt, petantur.*

Expositus famelicis LEONIBVS in prædam Daniel propheta, euasit incolumis.

Pontianus martyr (qui passus est sub imperatore Antonino) geminos leones in suam mortem laxatos exarmauit.

Hadrianus Imperator geminos LEONES inusitata feritate horribiles, & diuturna frendentes inedia, ad concerpendum raptim Eleutherium episcopū laxari imperauit. Qui tamen non solùm non nocuerunt sancto, sed pedibus eius aduoluti innocua reclinauerunt capita. Rauis.

Liberalis episcopus (qui sub Hadriano passus est) post varia tormenta, famelico LEONI, deuotus, fera ad eius pedes innocua procumbente, illæsus permansit. Idem.

VRSI laxati ad interficiendum Pontium episcopū, decubuerunt ad eius pedes innocui.

Laxatus è spelunca leo famelicus in Darium martyrem, non solùm non ei nocuit, at etiam ab alijs feris eum tutatus est, sub imperatore Numeriano. Rauis.

Diuersæ & horrendæ feritatis BELLVÆ laxatæ sunt ad deuorandum Mammetam martyrem: quæ tamen sæuitiæ prioris immemores, ad eius pedes exarmatæ se prouoluerunt.

VRSVS laxatus fouea ad inferendam mortem Cerbonio episcopo, relicta feritate eundem cœpit amplecti, & circum lambere.

Eodem modo laxatus in Donatillam virginem VRSVS, posita feritate ad eius pedes mansuetus decubuit. Idem.

CHRISTINA virgo VIPERIS & aspidibus (quarum simulachra excitabat nescio quis magus) deuota, euasit incolumis & illesa. Idem.

REPERIVNTVR & alij sancti feris & belluis expositi, qui tamē mortem illam effugerunt: vt Andronicus Ephesius, Albanus, Blandina virgo, Basilides, Benignus presbyter, Thelca, Dorotheus, Quiriacus, Prisca, Pōtianus, Probus, Taracus, Flocellus, Germanicus, Venantius, Marin⁹, Martina virgo, Mymas, Magnus martyr, Theodosia. Idem.

VITIVM IN EXCESSV.

NIMIA FACILITAS ET POPVLARITAS IN GENERE.

Cum Plato laudaret QVENDAM hoc nomine, quòd erga omnes esset humanissimus: Quid, inquit Diogenes, illi tribuendum est, qui tot annos in philosophia versatus, nullum hactenus affecit dolore? Sentiens, proprium philosophi munus esse, mederi vitijs hominum. id autem fieri non posse, nisi metu ac dolore, metu probri, dolore præsentis ignominiæ. Idem.

IN SPECIE.

LOQVACITAS, DE IIS REBVS LOQVI, QVORVM
nullam habet cognitionem.

EA QVÆ TACENDA ERANT EFFVTIRE.

Exempla quædam pete ex Tit. *Libertatis nimiæ in reprehendendo. item, Mollities in tormentis perferendis.* Item tit. Proditorum, *quatenus tacenda hostibus aperiunt, huc referri posset.*

VXOR Samsonis statim vt sciuit propositionem obscuram viri sui, indicauit ciuibus suis, in damnum mariti sui. Iudicum 14.

CVM vidisset Dalila, quòd Samson confessus esset ei omnem animum suum, quomodo fortitudinem amittere posset: inimicos illius vocauit, & statim eis reuelauit. Iudic. 16.

TANTALVM apud inferos damnatum aiunt, quòd deorum secreta hominibus reuelasset. Ouidius:

Quærit aquas in aquis: & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

LARA fuit nympha, cui Iupiter linguam abstulit, quòd furtiuos eius amores Iunoni reuelasset. Ouid. lib. 2. Fast.

Iuppiter intumuit: quáque est non vsa modestè,
Eripit huic linguam, &c.

C. MECÆNAS Augusti intimus amicus, vxorē habuit, vel certè puellam adamatam, Terentiam, vel Terentillam nomine, sororem Murenæ, eius qui in Augustum coniurauerat. Detecto autem facinore, Mœcenas Terētiæ fratris coniurationem indicauit. Quam loquacitatem Augustus ægrè tulisse dicitur. Suetonius in Augusto.

ANNEVS Lucanus poeta, matrem suam Pisonianæ coniurationis consciam prodit. Vide tit. Mortis metus.

Veneti, Sebastiani Ziani ducis auspicio, ex Constantinopolitana vrbe ARCHITECTVM insignem accerserant, ad extruandam auteā D Marci ædem. Præter amplissima munera etiam marmoream statuam in augustissimo templi loco sibi poni Græcus homo postulabat. Assenserunt patres. Iam ferè absoluto opere, nimia leuitate coram patribus imprudens fassus est, se quidem multo celebrius templum ipsum fuisse extructurum, nisi inter ipsum opus occurrissent plura, quæ illum prudētiorem fecissent. Ad quem subridens Dux: Ergo nos quoque de statua ponenda prudentiores reddemur. Illi itaque in vestibuli fronte marmoream statuam collocarunt, manu ad os obiecta, quasi illum dicti sui pœniteret. Egnat. lib. 6. cap. 5.

CVM QVIBVS, QVANDO VEL VBI NON
oportet, verba facere & colloqui.

EVA prius legitur cum serpente, quàm cum viro habuisse colloquiū quòd sibi & posteris damnosum fuit. Ibidem. nota quàm male repetijt mandatum Domini, homini datum. Genes. 3.

PLOTIVS Crispinus, Stoicus philosophus & poeta, nimia loquacitate sectam suam adeò contaminauit, vt vulgò Aretalogus diceretur. Gyraldus Dialogo 4. hist. poet.

PROLIXA ORATIONE ID QVOD PAVCISSIMIS VERBIS
expediri poterat, narrare. GARRVLI, *Blatterones.*
Hic loquacitatis ratio habetur. Reprehensio *ad præcedentem* Librum *pertinet.*

ANTISTHENEM, quoniam multa conscripsit volumina, Timon appellare solet παντοφυῆ φλέδωνα, id est ingeniosum nugatorem. Non tamē dixit ἀφυῆ, sed παντοφυῆ, quòd ingenio ad quiduis versatili varia tractaret argumenta, & in his quædã parum digna philosopho. Eras. lib. 7. Apoph.

Bion Borysthenites CVIDAM immodicè loquaci, vt sibi subueniret oranti, respondit: abundè tibi morem geram, si aduocatos miseris, non veneris ipse.

Zeno Citticus ad ARISTONEM discipulum multa temere garrientem, quædam etiam præcipitanter, cōfidenterque, Fieri inquit, nō potest, quin te pater ebrius proseminarit. oderat futilem loquacitatem, ipse in dictis tum breuis, tum grauis. Eras. lib. 7. Apoph.

IDEM eleganter ac polirè loquentiū sermones, aiebat esse similes pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, ac vndique scripturam habenti, more numismatis, nihilo tamen esse meliorem. Rursus, qui magis studerent vtilia dicere, quàm nitida, similes esse dicebat tetradrachmis, temerè ac ruditer percussis, quæ sæpe picturatis illis nūmis præponderarent. In nummo non spectatur elegantia scripturæ, sed pondus ac materia: ita nō refert quàm sit elegans oratio, sed quàm grauis & vtilis. Ibidem. Nō mihi quidem videntur diserti reprehendēdi, sed qui disertè de rebus leuioribus & inanibus loquuntur.

IDEM adolescenti cuidam multa garrienti: Aures, inquit, tuæ in linguā defluxēre: submonens, adolescentis esse audire multa, loqui pauca.

IDEM adolescentem multa temerè garrientem, hoc dicto corripuit: Ob id binas habemus aures, os vnicum, vt plurima audiamus, loquamur paucissima.

IDEM iuueni confidenter loquenti: Non dixerim, inquit, ô adolescēs, quæ mihi succurrunt. subnotans, è sermonis procacia colligi & morum impudicitiam.

Laborus, CVIDAM apud ipsum prolixiore vsōti sermone: Quid mihi,

inquit, de re pusilla, lõga texis procemia? Quanta res est, tãtam oportet & orationem esse, qua vteris. Est hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi sermone, quàm causa postulat, longiore: adeò numquam nõ placebat frugalitas. Nam ad causam non magnam, adhibere superuacuam verborum copiam, luxuriæ genus est. Eras. lib. 1. Apoph.

DIOGENES ad quendam, qui se philosophum profitebatur, interrogabat verò contentiose: Vale miser, dixit, cum id quòd optimum est in vita philosophi, corrumpas, verbis tamen audes te philosophum iactare.

THEOCRITVS à blaterone quodam interrogatus, vbi cras visurus esset ipsum: Illic, dixit, vbi ego te non videam.

QVVM SOPHISTA quispiam apud Agidem dixisset, orationẽ esse rerum omnium præstantissimam, videlicet prædicans artem, quam profitebatur: Ergo, inquit Agis, tu cum taces, nullius es precij: significãs multo præclarius esse, res magnificas gerere, quàm habere linguam ad magnificè loquendum expeditam.

Cùm Abderitarum LEGATVS apud AGIDEM multa loquutus, vix tandẽ dicendi finẽ fecisset, rogaretq; quid ciuibus suis esset renuntiaturus? Agis illud, inquit, renuncia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendũ, tantum me silentem audiisse. Hoc dicto exprobrauit stolido oratori inanem loquacitatem, responso indignam. Eras. lib. 1. Apoph.

Quum QVIDAM Ephoris oportuna quidem loqueretur, sed pluribus quàm sat erat: Anaxandridas, hospes, inquit, re necessaria in non necessario vteris: significans, quod per se rectum est & vtile, non egere prolixa oratione, quòd ipsa causæ bonitas facilè se ipsam cõmendet. Quòd si vsquã locus est loquacitati, eã oportet ad honestas causas adhibere. Eras. in Ap.

Alius Laconum, cum audiret RHETOREM magnos sermonis circuitus connectentem: Per Geminos, inquit, fortis sanè homo: qui cum nullum habeat argumentum, tamen egregiè voluit linguam.

CTESIPHONTEM Lacones eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totũ diem posse dicere: dicẽtes, boni oratoris esse, sermonẽ habere rebus parem. nulla in re iustius putarunt adhibẽdam frugalitatẽ, quàm in oratione, quam Hesiodus non aliter quàm preciosum thesaurum parcissimè censet esse depromendam, ad vsum, non ad ostentationem.

ALEXANDER Macedo, quòd inter bibendum multa loqueretur, multi tamquam vinolentum ipsum accusárũt, vt scribit Aristobulus apud Volat. lib. 13. cap. 3. Authrop.

ARISTOTELES, cũ apud eum garrulus QVIDAM multa effutiisset nugatus, & tandem dixisset, Fortassis obstrepo tibi nugis meis: Non hercule, inquit, neque enim aduerti animum. Eras. in Apoph.

Venerat ex Hellesponto ad scortum Atticum Gnathænam, AMATOR quidam, eius fama & nomine permotus. Cùm itaque inter pocula plurima effutiret, & importunus esse videretur, respondens Gnathæna: Numquid, inquit, tu te ex Hellesponto venire dixisti? cumque annuisset: Cur igitur, inquit, primariam inibi ciuitatem ignoras? Qui cum diceret, Et quæ tandem est illa? Sigeum, respõdit. Artificiose hoc nomine futilem eius loquacitatem coercuit (σιγὴ enim silentium & taciturnitas appellatur) Aelian. de Var. hist. lib. 12.

P. SEXTIVS Ciceronem cum alijs quibusdam ad causæ patrocinium adhibuerat: cumque ipse vellet omnia dicere, nec cuiquam locum dicẽdi daret, vbi iam constaret illum à iudicibus absoluendum, ferreturque sententia: Vtere, inquit Tullius, tempore hodie, cras enim priuatus eris. Notans hominem, quòd in causa suo arbitratu solus egisset omnia. Eras. lib. 4. Apoph. ex Plut. in Cicerone.

NIMIVM ALIENA BONA VERBIS EXTOLLERE. ADVLATORES *quid ad gratiam omnia loquuntur.*

Qui aliena maioribus extollunt laudibus, quàm deceat, vt hac affabilitate gratiam sibijpsis concilient, adulatores, quasi adaulatores: & assentatores, ab assidendo fortasse, dicũtur, Vitiũ est in excessu affabilitatis seu popularitatis: ὁ πάντα συνηδόνων, ἢ πάντα πρὸς ἡδονὴν ἐπαινῶν, ἢ οὐδὲν ἀντιτείνων Quòd si id faciat ipsius affabilitatis causa, ἕνεκα τοῦ ἡδὺς εἶναι, μὴ διά τι ἄλλο, Ἄρεσκος dicitur, quoniã omnibus placere studet. Sin vtilitatẽ aliquã sectetur, ἕνεκα ὠφελείας εἰς χρήματα, καὶ ὅσα διὰ χρημάτων, Κόλαξ appellatur. Cuius elegantẽ admodũ etymologiã ex Athenæo Eustathius affert, dictũque vult ἀπὸ τοῦ προσκολλᾶσθαι ταῖς ὁμιλίαις: Ea enim quæ agglutinãtur, diuersa sunt ab ijs quibus committũtur: sic quoque adulator non est verus amicus, sed adhæret tantùm, & tempestate aliqua ingruente fugit, sólũque relinquit. Ἄρεσκος ergo & κόλαξ conueniunt in excessu affabilitatis, solo fine differũt. A nobis exempla simul vtrusque afferẽtur: qui volet, ex ipso fine distinguere poterit. Est præterea illud quoque obseruandum, quòd superbia & adulatio conueniunt, quoniã vtraque id quod est maius facit, tã dictis quã factis: Verùm differunt, quia superbia in proprijs rebus mentitur, adulatio in alienis. Mendacij igitur species quædã est adulatio. Deinde etiam in eo differunt, quòd superbia veritatis excessus est, adulatio verò affabilitatis: Vt quamuis vtraque mendacio participet, in superbia tamen nihil adsit iucunditatis, in adulatione adsit. Notandum insuper, quòd adulatio ad hunc locum spectat: at exempla eorum qui adulatores admittũt, vel odio prosequuntur, ad titulos Superbiæ, ambitionis & magnificentiæ referri debent. Nunc de adulatoribus, qui omnia ad gratiam faciunt. Exempla pete ex tit. Eorum qui adulatores ferre potuerint.

MALI prophetæ prædicebant Achab regi Israel, de bello futuro prospera vti eum velle sciebant. 2. Reg. 22.

Herodi nequissimo regi, qui occiderat Iacobũ, & in carcere Petrũ vinctũ detinebat, POPVLVS acclamabat: voces Dei, & non hominis. Eodẽ.

Argiui indictis comitijs non tantùm Iouem, Appollinem & Herculem inuocabant, sed Philippum etiam: cuius fauorẽ sibi conciliabant summa blandiloquentia. Alex. ab Alex lib. 4. cap. 3.

ARCADION adulator, odio Phillippi Macedonis sponte deseruit patriam. Euenit autem, vt Philippo Delphis agente, & ipse adesset. Eum ergo rex accersitum rogauit. Quousque fugies Arcadion? Donec, inquit, peruenero, vbi nemo norit Philippum. Quis non miretur eam libertatem in adulatore? Sed hac libertate delectatus rex, vocauit illum ad cenam, itaq; cum eo in gratiam redijt. Quamquam libertati suberat adulatio, subindicans Philippum nusquam non esse celebrem. Eras. lib. 6. Apoph.

Alexander Magnus cum in Hammonis templũ venisset, SACERDOS grandæuus illum salutauit: Salue fili, & hanc salutationem, à Deo habeas. Tũ Alexander: Lubẽs, ô pater, excipiam eam salutationem & posthac lubens tuus ero filius, si mihi totius orbis imperium concesseris. Sacerdos autem cum se intrò recepisset, quasi Deum consuleret, respondit. Iouem id promittere quod petijsset. Iterum ab eodem scire cupiebat Alexander, num eorum aliqui superessent, qui patrem Philippum interfecissent? ad quæ sacerdos ait. Interfectores iamdudum dignas dederunt pœnas, qui Philippum occiderunt: sed patri tuo nemo mortalium potest tendere insidias. Tales sunt hodie adulatores, qui sub prætexru pietatis, blandiloquio principes terrarum seducunt, dum eos quasi deos extollunt, & mira adulatione ad quiduis tentandum extimulant: nullam aliam ob causam, quàm vt ita principibus placeant, vt tamen nihil de dignitate, potestate & authoritate illis decedat. Plut. in vita Alexand.

DEMAGORAM Athenienses decem talentis multauerunt, quòd Alexandrum Deum appellasset. Rauisius.

NICESIAS, quum videret Alexandrum Magnum peritum à muscis. Quanto inquit, hæ cæteris præstant, quæ sanguinem tuum degustant! Idẽ quum vulneratum eum conspiceret, illud Homericum statim protulit:

Qualis diuorum percurrit corpora sanguis. Idem.

Quum Alexander Iouis filium appellari se vellet, & more Persarum prostratis humi corporibus à Macedonibus salutari, talia concupiscenti protinus accesserunt AGIS Argiuus, pessimus carminum author post Chœrilum, & CLEO Siculus, quos maximorum exercituum ducibus anteferebat. Hi quum intelligerent nutum domini, & quid creparet pollice, cœperunt protinus plenis cũ buccis immodicè prædicare, & iam tũ ante mortem deum facere. Adiecerunt insuper. Herculem, Bacchum, Pollucẽ cum Castore, nouo numini cessuros. Horum fumis permotus Alexander, conuiuium omni opulentia exornauit: cui non Macedones tantùm, sed & principes Græci interfuerunt. Quum autem omnes vnà cum rege discubuissent, Cleo institutum & præmeditatum sermonem cum admiratione laudum eius exorsus est, enarratisque meritis, quib9 eum noua apotheosi dignum prædicabat, iam vnũquemque cœpit hortari, vt regẽ inter deos colerent. Quod ne quis recusaret, obtulit se primus, qui prostrato humi corpore regem adoraret. Cœlius.

AGIS Argiuus adulator, videns Alexandrum ingentia munera dedisse cuidam ridiculo, exclamauit: O rem vehemẽter absurdam. Quũ Alexander hac voce excitatus, dixisset, Quid tu ais? Fateor, inquit agis, me pati non posse, quum videam vos è Ioue prognatos omnes pariter assentatoribus delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanum habet pro morione: & Hercules Cercopibus, & Bacchus Silenis delectari consueuit. Tales videmus & apud te magnifieri. Pestilentissimum adulationis genus, sub libertatis imagine blandiri. Eras. lib. 6. Apoph.

COLAX Bianti stupido sic adulatus est: Plus bibisti quàm rex Alexander. Quod in Alexandro turpissimum erat, illi laudi tribuit. Neque enim statim laude dignum est, quod fit à principibus. Eras. lib. 8. Apoph.

CHIROSOPHVS Dionysij adulator, quum videret regem cum aliquot familiaribus ridentem, ipse quamquam longo abesset interuallo, nec audiret pariter risit. Rogauit Dionysius, num audiret quæ dicerentur? negauit. Quur igitur, inquit, rides? Quoniam persuasum habeo, quidquid istuc est quod inter vos agitis, esse aliquid ridiculum. Ridicula Græcis dicuntur interdum, non deridenda, sed festiua. Erasmus 6. Apoph.

APOLLOPHANES Antigoni fuit adulator. Rauis.

PHILOXENVS fuit parasitus quispiam, qui cœna quadã, vbi atriorem panem vidisset apponi: Ne multum, inquit, attuleris, ne tenebras nobis inducas. Idem.

DROMEAS fuit parasitus, à quo quum quæsisset nescio quis in vrbe an apud Chalcidem lautius pararetur conuiuium? respondit: Iucundius sibi videri Chalcidẽsis cœnæ præmiũ, ostreorũ numero & varietate. Idem.

DEMOCLES legationem obiens, cùm à reliquis legatis accusaretur, magnis Dionysij rebus obstitisse, irascente tyranno, Mihi cum his, inquit, controuersia fuit, quòd post cenam Stesichori & Pindari Pæanes canerent:

canerent: ego verò eos quos tu composuisti. Atque simul eius carmina cecinit Dionys. lætitia affectus, non amplius ob crimina in eum collata irascebatur. Polyæn. lib. 5. & Athen.

ANDROMACHVS Currens, fuit adulator Crassi: quem tamen Parthis prodidit. Rauisius.

Venienti ab expeditione Galliarum Cæsari, & in Pompeium copias paranti, CVRIO obuiam approperauit, multis blanditiis eundem confricans. Ait enim, se inuito senatu Cesaris partes fouisse, tantisper dum coactæ bello siluissent leges. Præualente demum Põpeio se expulsum Roma, velut exulem, se tamen exilium non grauatè perpeti, propter Imperatorem. Vnde sic apud Lucanum inducitur lib. 1.

——Dum voce, tuæ potuere iuuari
Cæsar, ait, partes, quamuis nolente senatu,
Traximus imperium, tunc quum mihi rostra tenere
Ius erat, & dubios in te transferre Quirites.
At postquam, &c.

Audita Curionis oratione, LÆLIVS primipilus statim Cæsari ad quæcunque discrimina sese obtulit, testatus nullum esse flagitium, quod non committeret lubens, si Imperator iuberet. Hæc eius verba ponit idem Lucanus:

Iussa sequi tam velle mihi, quàm posse necesse est:
Nec ciuis meus est, in quem tua classica Cæsar
Audiero.——

DECIVS Laberius actor mimorum, inuitatus à Cæsare, vt in scenã prodiret: respondit, se necessariò coactũ, nihil tanto viro denegare posse cui & ipsi dij omnia tribuissent. Rauis.

Pendente inter Augustum Cæsarem & M. Antonium fortuna, cuius belli neque mediocres casus erant, neque vulgaria præmia victoriæ, ingensque apud omnes gentes finis expectatio: PAVPER quidam Romę in cunctos sibi prouidens euentus, omnia diligentia duos coruos enutriuit: efficitque vt alter Augustum, alter Antonium salutaret. Idem Augusto tandem victori in patriam reuertenti, salutatorem suum manu præferens occurrit, qui inter crocitandum hæc verba fundebat: Aue Cæsar, victor imperator. Delectatus Augustus, viginti milibus nummorum loquacem volucrem comparauit. At huius socius ex tempore consiliũ cœpit, Cæsarem adiit, obtinuitque vt coruum alterum afferri iuberet. Iussus illum attullit, qui hostẽ salutare didicerat his verbis: Aue Imperator Antoni. Non amplius motus est Cæsar, quàm vt prioris auis precium iuberet cũ delatore partiri. Per idem tẽpus inuentus est, qui picam ad salutationem similem: inuentus & qui psittacum erudiret, & hunc & illã emi placuit. Tot vicinorũ successibus admonitus inops sutor, & ipse corui ingenium formare instituit. Quod cum frustra diu tentasset, tædio affectus, crebróque mutam auem increpitans aiebat: Opera & impensa periit. Vix tandem coruus & hoc, & salutationem, quæ iubebatur, expressit: & in publico positus, prætereuntem Cæsarem salutauit. Quod ille audiens: Satis, inquit, salutatorum talium domi habeo. Procedens in vociferatione solita coruus, ait: Opera & impensa periit. Effusus in risum Cæsar, maiori quàm cæteras precio redemit. Petrarcha: ex Macrobio, qui tamen aliquãto secus rem actam narrat.

VARVS Geminus, inter declamatores Augusti tempore nequaquam postremus, cùm olim apud Augustum diceret: Qui apud te audent dicere, Cæsar, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem. Auctor Seneca.

Tiberio senatum ingrediente, surgens adulator QVIDAM, exclamauit, esse liberè loquendum, nec reticenda quæ ad Rempublicam attinerent. Erectis ad hanc vocem omnibus, ipso etiam Tiberio attento: Audi, Cæsar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palàm fateri. Impendis teipsum nobis, corpus tuum diurnis nocturnísque laboribus & curis pro Repub. conficiens. Huiusmodi multa quum diceret, sub libertatis pretexru turpiter adulans, C. Seuerus subiecisse fertur: Ista tanta libertas hunc hominem dabit exitio. Eras. lib. 6. Apoph. Brus. libro tertio capite decimosexto.

C. Caligula imperator, cùm aliquando pro solita sua dementia secum Luna coire diceret, interrogarétque VITELLIVM insignem suum assentatorem, an deam videret coeuntem secum: obstupefactus tremensq;, cœpit deorsum inspicere, locutúsque pauca: Licet, inquit, Domine, vobis diis tantummodo vos inter vos videre. Itaque Vitellius inde facto initio, cæteros assentatores in reliquum tempus superauit. Eius autem assentatione eò ductus est Cæsar, vt templũ in vrbe faciendum sibi curauerit, & domum in Capitolio, quo posset vnà cum Ioue habitare. Xiphilinus in vita eiusdem.

PVBLIVS Afranius, homo apud Romanos plebeius, insignis fuit assentator. Qui cum ægrotanti Caligulæ imperatori dixisset, se moriturum libenter, si Cæsar inde conualesceret: Caius credere hoc noluit. Verùm cum hoc iuramento confirmasset, Caligula posteaquam conualuisset ex eo morbo, hominem occidi iussit, ne peierasse Afranius videretur. Ibidem.

AFRANIVS secundus, vir equestris ordinis, cùm dixisset se eandẽ ob causam in singulare certamen descendere, pro pecunia quam inde se à Caligula (cui assentatus erat) sperauerat accepturum coactus fuit promissa facere, ne peierasse videretur. Ibidem. Fieri potest vt de eodem id varie dictum manauerit.

NERO Romanorum imperator, cùm non tantùm ludos variáque spectacula Romæ instituisset, sed ipse etiam in theatrum prodiisset, Gallionis voce nominatim prædicatus: assistebant ei Burus, atque Seneca vt magistri semper aliquid suggerentes. Cũque hoc idem pronuntiasset Cæsar, plaudebant manibus ac vestimentis, vt reliquos ad idem faciendum inducerent. Erant etiam eam ob causam parata quinque millia militum, Augustales nominati, qui incipiebant eum laudib. extollere: post hos ceteri omnes inuiti acclamare cogebantur, vno Thrasea excepto, qui numquam ei visus est assentari. Reliqui atque in primis nobiles viri, studiosè simul & ingemiscentes omnia comprobabant, quæ ab Augustalibus dicta essent, atque vna simulata lætitia conclamabant. Tum licebat audire qui ita dicerent, quàm pulcher Cæsar, Apollo, Augustus, vnus veluti Pythius, nemo per te Iouem vicit, Cæsar, &c. Xiphilinus in Nerone.

TYRIDATES Armeniæ Rex, cùm à Corbulone bello victus Romam deduceretur ad Neronem, cuius hostis fuerat, in genua procumbẽs: Ego, inquit, Domine Arsaci nepos, Vologesi & Pacori regum frater, tuus seruus sum, deniq; vt te deum meum non secus ac μίθραν, id est Solẽ, colerem. Equidem is ero, quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es, & fortuna. Qua assentatione effecit, vt à Nerone in Armeniæ regnum restitueretur. Imò cùm in omnib. ferè assentaretur Neroni, seq; studiosissimè in eius familiaritatem insinuaret, multa etiam munera ab eo accepit, quarum precium aiunt fuisse ad aureorum vicies centena millia Idem & Sueton. in Nerone cap. 13. & 30.

ANTONIVS Caracalla Romanorum imperator, omnem illam pecuniã, quã per continuas exactiones iure iniuria, à plebe & senatoribus etiam extorsit, partim militibus, partim assentatoribus (quos plurimùm semper amauit) largitus est. Dedit autem Iunio Paulino decem millia aureorum, quòd ipsum, quamquam minus ex animo (erat enim mordax) ad prædam faciendam cohortatus esset: dixissetque eum quoties iracundiam simularet, planè iratum videri. Dion. & Xiphilinus in eius vita.

IN CONVERSATIONE SESE ABIICERE ABIECTI.

CONVERSATIO ET FAMILIARITAS CVM *quibus non oportet.*

NIMIA FAMILIARITATE, GRATIA ET OBSEQVIO *contemptum sui excitare.*

ADVLATIO IN FACTIS. OMNIA AD *gratiam facere & obsecundare.*

Differt hic locus à superiore, quòd illic dicta Adulatorum tantùm, hic autem facta recensentur.

Rex Assuerus iratus contra Vasthi reginam, interrogauit SAPIENTES consiliarios suos, cui sententiæ Vasthi subiaceret? Qui non temperauerunt regis furorem, nec excusauerunt absentem: sed vnus respondit cum indignatione dicens, Regis iusta est indignatio. Esth. 1.

AMICI Aman & vxor eius, cognoscentes quo animo affectus esset in Mardochæum, non increpauerunt eum, sed dixerunt: Iube excelsam parari trabem. Esth. 5.

Post obitum Ioiadæ sacerdotis, PRINCIPES Iuda adorauerunt regem: qui delinitus obsequiis eorum acquieuit eis: & dereliquerunt templum Domini, seruieruntque lucis & sculptilibus. 2. Paral. 24.

Videns HERODES Agrippa rex, placere Iudæis quòd quosdam de ecclesia cepisset, & Iacobum fratrem Ioannis occidisset, voluit apprehẽdere & Petrum. Actorum 12.

TIMAGORAS Atheniensis, Darium regem Persarum (ad quem legatus missus fuerat) adulando more Persarum adorauit. Quod vbi resciuerunt Athenienses, eundem supplicio capitis affecerunt. Rauis.

CLITOSOPHVS, Philippi Macedonis parasitus claudum se fingebat, quòd Philippus fractum crus haberet. Os & oculos eodem modo, & iisdem gestibus contorquebat, quibus dominus. Idem.

CHARISOPHVS videns Dionysium (cuius erat parasitus) separatim cum amicis ridentem, procul quoque ridebat. Interrogatus autem ab ipso Dionysio, quid rideret? Quod, inquit, ea putem digna risu, quæ dicitis. Idem.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, meruit nomen regij canis, & aulici, quòd adularetur Dionysio, & sequeretur quaqua versum iret ille, saginandi ventris causa. Vnde Horatius.

Si pranderet olus patienter, regibus vti
Nollet Aristippus. ——

L. VITELLIVS clarus propter Syriam, quam prouinciam obtinuerat, cùm cognouisset odium in se concitatum esse apud Caligulam imperatorem propter præclara sua in Syria & contra Artabanum facta, vocatus à Cæsare, simulare cœpit se longè minorē esse opinione. Ad pedes igitur ex mera simulatione atq; assentatione (qua seuitę discrimē effugere posse sperabat) prouolutus Caij, profundere magnā lacrymarū vim cœpit, diuinos honores tribuit, se ei sacra facturū pollicitus est. Vnde Imperatoris iram adeò placuit, vt non solum viuere sed ex intimis amicis etiam haud postremum esse vellet. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula.

Quum CHABRIAS circa Corinthum paucos Thebanos sub mœnibus auidius pugnantes prostrauisset, atque ob id trophæum erexisset, Epaminondas deridens hominem dixit: Hic sanè decebat, non trophæum sed Hecatæum erectum esse. Veteres enim ante portas in triuiis congruenter Hecates imaginem statuere solent, vel ad indicandā viam, vel in gratiam sepultorum. Plutarch. in Græcorum impp. Apoph.

DIONYSIVS senior, quū in initio regni regia ipsius obsideretur, cōiuratis in illum ciuibus: & amici auctores essent, vt imperium deponeret, ni mallet captus interfici: ille conspiciens bouem à quoquo mactatum illicò concidere, dixit: Quū mors adeò breuis sit, an non absurdum sit, nos metu mortis tale regnum relinquere? Quanta regnandi libido pectus illius occuparat, qui principatum morte benè emi putarit? Plutarchus in regnum Apoph.

VITIVM IN DEFECTV. MOROSI, Inhumani, Intractabiles.

Vitium in defectu homines efficit morosos, importunos, rixosos, litigiosos, contentiosos. Nam cùm affabilitate destituantur, μισάνθρωποι quidam euadunt, δυσέριδες, δυσάρεστοι, φιλόνεικοι: nihil ad gratiam nec dicunt, nec faciunt, non inimicitiæ caussa: sed odio quodam hominū, & nimio contendēdi studio. Quapropter sicuti Affabilitas amicitiæ similis erat, ita Morositas ista (liceat enim nobis sic appellare) inimicitiæ similis est. Aristot. vocat δυσκόλους & δυσέριδας. δύσκολοι quidem ἀπὸ τοῦ δυσκολλᾶσθαι, quia malè cum aliis conglutinantur, sicuti è contrà κόλακες ἀπὸ τοῦ προσκολλᾶσθαι dicebantur. δυσέριδες verò, quoniam ex duplici genere τῆς ἔριδος, vt Hesiodus docet, τὴν κακόχαρτον, malignam scilicet & perniciosam contentionem sequuntur. Quapropter πᾶσι δυσχεραίνοντες ab Aristot. apto vocabulo appellantur, quasi (quod de Esau Isaaci patriarchæ filio sacræ perhibent literæ) manus illorū sint contra omnes, & omnium contra illos. Cęterùm quia affabilitati, seu potius, vt magis generali vocabulo vtamur, Familiaritati, opposita est inhumanitas ista morosa, de qua hic agere instituimus: ea propter totidem habebit differentias, & in omni genere vitæ locū obtinebit, publicè simul & priuatim. Affabilitas conuersatione delectabatur, aliis obsequio & facilitate sua placebat, neminem accusabat. Morositas econtrà vel à consortio abhorret: vel si quando cū hominibus versatur, litibus, rixis, conuiciis tam veris quàm falsis, omnia perturbat, obloquitur, reprehendit, accusat. Quo tamen in loco illud est obseruandum, Reprehensionē hanc ab ea quam suprà veritati seu libertati attribuimus, differre: quòd illa ingenua est & liberalis, hæc verò liuoris & inuidiæ plena. Differt etiam à reprehensione, qua superbi vtuntur: quoniam superbia alios ex contemptu reprehendit, at Morositas odio & acerbitate quadam quia superiore loco generalem huius vitij typum descripsimus, ita vt hic singula repetere non sit opus.

CONVERSATIONEM HOMINVM OMNINO FVGERE, *propter honestam quidem causam, sed tamen præter modum.*

Qui honesta de causa moderatè conuersationem fugiunt, vt puta vel religionis vel philosophiæ vel temperantiæ gratia, à nobis iampridem, quando de contemplatione egimus, enumerati fuerunt. Nunc de illis tantùm agimus, qui honesta quidem de causa solitudinem expetunt, & persequuntur, verūtamen præter modū, & honesti rationē. Quorum exempla quædam ex tit. Occasiones libibinis fugere, peti poterunt, Pauli & Pionis abbatum, Ioannis anachoretæ, & similium.

ARSENIVS, cùm Theophilus Alexandriæ archiepiscopus quodā nobili Alexandrino ciue comitatus, ad eum non procul à Canopo habitātem venisset, sermonē cum eis dixit se facturū, si modò quicquid præciperet seruare vellet. Sponsione autē facta, Præcipio, inquit, vt vbicunque Arsenium morari audieritis, illuc ne accedatis. Alia quoque die cùm ab eodem Pontifice per nuncium, vti sibi adeundi copiam concederet, solicitaretur: Si veneris, ait, & quod petis concedam, & loco sedam. Itaque Theophilus mutauit aditionis propositum, ne ille longius discedendo mutaret habitaculi locum. Marul. lib.1.cap.9.

IDEM à Marco abbate interrogatus, cur tantopere commercia hominum fugeret? Dūm Deo & hominibus simul se omnino esse non posse dixit. Vsque adeò vel modica alicuius interpellatione à diuinæ contemplationis dulcedine se auocari indignè ferebat. Quamuis enim adhuc in terris esset, iure suo tamē cum Apostolo dicere poterat. Conuersatio nostra in cœlis est Marul lib.1.cap.9.

PASTOR presbyter, matrem ad se venientem clausa repulit cella. Rauisius.

PAPHNVTIVS eremita Bubali cognomē meruit, quòd perrarò ceteris in solicitudine fratribus sui videndi copiam faceret. Cassianus cap. primo tertiæ collationis.

Rhesus, priusquam ad Troiam auxilio futurus proficisceretur, multum terrarum peragrauit, ac vectigale sibi reddidit. Inde & ad Chiū peruenit, fama mulierculæ illectus pulcherrimæ, cui nomē ARGANTHONE. Atq; hæc quidē domesticum victū atque habitationem perosa, canibus multis coactis venabatur, nullius hominis familiaritate valde gauisa. Quum igitur in eam regionem venisset Rhesus, per vim quidem nihil in eam admisit. Dixit autem se eum ea in venationem exire velle. Nam se quoque frequentiam ac consuetudinē hominum odio habere. Illa ergo vera dicere eū putans, sermonem eius approbauit. Ita temporis progressu sensim amare Rhesum, ac deperire adeo cœpit. & primum quidem verecundia prohibente, se tacitè continebat: sed inualescente amore ausa interpellare ipsum volenti atque optanti nupsit. Postea verò bello Troianis instante, miserunt eum reges auxiliarium. Verum Arganthone siue amore eius nimio impulsa siue cognouisset quid de eo esset futurum, eum proficisci vetabat. Rhesus autem quamquam eius familiaritate multum delectaretur, tamen nihil moratus ad Troiam abiit: vbi ad fluuium, qui vsque in hunc diem Rhesus ab eo appellaretur, à Diomede sauciatus moritur. Argāthone autem eius morte cognita, rursus abiit in eum locum, vbi primùm cum ipso erat congressa: ibique diuagata, frequenter nomen Rhesi inclamabat: ac tandem fluuium quoque adgressa, ex mœrore è viuis sublata est. Parth. de Ama. cap.36.

ATALANTA Iasonis Arcadis filia, feris à patre exposita fertur, quòd se pueris, non puellis opus habere diceret. Seruus qui exponebat, eam in monte Parthenio prope antrum, cui fons conterminus erat, depositam reliquit. Vrsa superueniens, cui catuli nuper erepti fuerant, infanti lac præbuit: donec à venatoribus re explorata, inuenta est puella, & educata inter pastores. Ætate progrediente, relictis pastorum tuguriis, syluas colere cœpit, montésque altissimos inhabitare, venationi dedita, & perpetuæ virginitatis cōseruandę studiosa. Congressum hominū vitabat, nisi quādo vltionis causa instar fulminis ex improuiso apparuisset. Ælianus de Varia historia lib.13.

HERACLITVS Ephesius, vir magno alioqui ingenio, suorum ciuium tædio ad fanum Dianæ primò secessit: vbi aliquando irrisus, quod cū filiis luderet astragalis: Malo hoc, inquit, nam vtilius est id facere, quàm rempublicam vobiscum administrare. Abiit inde hominum odio in montes, herbarum & aquæ victu contentus ferarum ritu soliuagus. Sab.lib.2.cap.2.

PERICLEM Atheniensem legimus à cœnarum ac conuiuiorum apparatibus, consuetudinéque hominum sic abhorruisse, vt ne apud amicum vnquam cœnauerit, præterquam apud Euryptolemum nuptiarum die, licet aloqui admodum liberalis esset. Pontanus de Conuiuentia.

CONVERSATIONEM INHONESTA DE CAVSA FVGERE, *vtpote vel auaritia, vel odio, vel desperatione adducti*

TIMON Atheniensis non religione, non cælestium rerum indagine adductus, solus esse voluit: sed prauo quodam affectu, rigore naturæ, omni hominum commercio sibiipsi interdicto. Is domicilium in agro Attico parauit vt hominum congressum fugeret: vixque vnus Atheniensium Pœantus ab eo admittebatur, qui cùm super cenam iocularitèr dixisset, Nonne satis pulchrum hoc conuiuium Timon? Pulchrum quidem, respondit: sed adhuc pulchrius futurum, si Pœantus non adesset. Sabellicus libro secundo, capite secundo: & Fulgosus libro 9.cap.11.

Fulgosus lib 9. cap. 11. Adimantum appellant alij quem Sabellicus Pœaneum, Laertius in Mysonis vita Apemantum.

ARISTOTELES Cyrenensis dicebat, non oportere beneficium oblatum à quoquam recipere: aut enim vt rependere possit, molestias habiturum: aut si non referat, in ingratitudinis reprehensionem incursurum. Ælianus libro decimo, de Varia historia.

MYSON Strymonis filius, Cheneus genere, à vico quodam Laconiæ, Apemanti & Timonis moribus fuit, hominum osor, vt qui in solitudine solus risierit. Cúmque à quodam, qui fortè interuenerat, rogaretur, Cur præsente nemine risisset? At ob hoc ipsum rideo respondit. Hunc tamen Pythia sapientiorem Anacharside, vel (vt alij) Chilone esse asserunt. Laertius in eius vita.

CORDILIO philosophus Stoicus, Pergamenus, tam morosus fuisse dicitur, vt omnium principum ac regum amicitias spreuerit. Hunc Cato Vticensis, qui tribunus militum in Macedoniam missus fuerat, precibus exorando in castra secum duxit, magnam putās se adeptum palmam, qui hominem seuerissimum, & ab aliorum moribus alienum, à sententia dimouisset. Volat.lib.14.cap.2.Anthrop.

M. ANTONIVS triumuir, cum Lepido & Octauio, Actiaca clade fractus, posteaquàm in Ægyptum reuersus est, tædio & pudore præsentium rerum, Timonis vitam sibi instituit, solus extra Alexandriam victurus. Sed Cleopatræ illecebræ breui eum ab eiusmodi vitæ instituto reuocarunt. Sab.lib.2.cap.2.

MICHAEL Curoplates, cognomento Rancabe, gener Nicephori imperatoris Romani, cuius & ipse in regno successor fuit, cùm in coniuratione Leonis Armeniaci captus, & in exilium missus esset, in cænobio quodā monachum perpetuò egit. Volater.lib.23.Anthrop.

PEREGRINORVM ET HOSPITVM COMMERCIVM FVGERE HOSPITES *& peregrinos non suscipere.* ODIVM *peregrinorum.*

Apud INDOS nisi triduò hospitem diuertere licebat, ne ciues longo vsu dissimiles peregrinorum mores addiscerent, & in alienas leges ritúsque transirent, Alexand. libro quarto, capite decimo.

SPARTANI peregrinos & aduenas non tantùm non admiserūt (vnde ἀπεγνώξενοι dicti sunt) sed ciues Sparta discedētes, qui apud exteros morarentur, capitis damnabant. peregrinari enim non licitum erat, ne versutias & dolos à peregrinis haurirent. Itaque Cleomenem regem accusarūt quòd hospites, quāuis solo iure nigro, & pane igne durato Laconico more, ad epulas admisisset. Ibidem.

THEBANI quoque nouos incolas & peregrinam stirpem non admisere in ciuium numerum: sed omne ius ciuitatis & vrbis vsum peregrinis interdixerunt, victósque armis pro alienis arcuere. Ibidem.

APOLLONIATÆ Epidamno finitimi populi in sinu Ionico ad legis Lacedæmoniorum regulam peregrinos omnes vrbe expellebant. Ælianus lib.13. de Varia historia.

EPIDAVRII, cùm Illyricos mores exosos haberent, nec illorum commercia vitare possent, vt se à contagione accolarum seruarent immunes, selegerunt vnum ætate grauem, qui solus ad illos penetraret, cum quo commercium haberent, quem Poletem dixerunt. Alex. ab Alex. lib.4.cap.10.

CARTHAGINIENSES adeò peregrinos odio habuerunt, vt eos qui in Sardiniam aut ad Herculis columnas adnauigabant, mari demergerent. Ibidem.

SOLON Atheniensis, præter eos qui sacra, genus aut stirpem antiquissimam haberent, ius ciuitatis nulli peregrino dandum sanxit. Ibidem.

PERICLES legem tulit, vt hi solùm in ciuitatem reciperentur, qui vtroque parente Atheniensi ciue nati essent. Ibidem.

SCYTHÆ peregrinos mores summo prosequuntur odio. Vide tit. Imitatio praua Ethicorum vitiorum.

GARAMANTES Africæ populi, omnium hominum commercium fugiunt, nihil bellicæ armaturæ habentes, ac ne defendere quidem sese audentes. Herod.lib.4.

MOROSI, INHVMANI, INAFFABILES ET SVPERBI *in conuersando.*

Superbiam superiore Libro enarrauimus, quatenus à veritate excidit: hic per accidens tantùm eius mentionem facimus, quatenus scilicet Morositas ex superbia prouenire dicitur.

ALEXANDER Macedo, postquam profligato Dario Magnus est cognominatus, nulli nisi Antipatro & Phocioni literis salutem dedit. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19.

Callicratides classis præfectus, cum venisset ad CYRVM regem, petiturus pecunias rei nauali necessarias, vidit regem largius bibentem. Expectauit igitur, donec bibisset. Vidit enim non dari copiam, vt regem conuenire posset. Postero verò die cum iterum audiuisset illum bibere, nec se admitti ad colloquium, dixit: Ita curam habendam esse pecuniarum, vt ne quid tamen committeretur Sparta indignum, & mox inde recessit Ephesum, multa imprecans mala iis qui primi à barbaris fuissent ludibrio habiti: eósque sua patientia docuissent, illos fiducia diuitiarum aliis illudere. Plut. in Apoph. Laconicis.

Venerunt aliquando Lacedæmonij ad LYGDAMIN tyrannum, legatione fungentes: sed quum ille variis causationibus frequenter distulisset colloquendi copiam, tandem post omnes excusationes dictum est, illum parum firma esse valetudine, sed languere nonnihil. Legati responderunt: Per Iouem, non venimus huc cum illo luctaturi, sed colloquuturi. Bellè taxarunt barbari regis fastum ac delicias, qui quauis friuola de causa res serias omitteret. Ibidem.

Anui cuidam pauperculæ PHILIPPVM appellanti, vt causam ipsius cognosceret, cum hac flagitatione frequenter obstreperet illi: respondit sibi non esse ocium, cúmque anus inclamasset, Proinde ne rex quidem esse velis: Philippus admiratus aniculæ liberam vocem, nō illi solùm præbuit aures, verumetiam alios audiuit. Hoc idem Latini tribuunt Adriano imperatori: sed Philippo Macedoniæ regi tribuit Plutarchus in Apoph. regum & imperatorum.

Aristippus quū aliquando DIONYSIVM interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret: prostratus cœpit amplecti pedes regis, & impetrauit. Id factum quum quidam velut abiectius quàm vt philosophum deceret, reprehenderent: Non ego, inquit, sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Ingenium iuxtà promptum, & ad faciendum, & ad excusandum quidlibet. Laertius libro secundo, capite octauo.

HIPPODAMVS Milesius natura studiosus, ob ambitionem omnino morosus dicitur fuisse, vt est apud Aristotelem lib.2.Polit.

DEMETRIVS præter se & Antigonum patrem, nec regem nominasse quenquam nec salutasse dicitur. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19.

HANNIBAL Carthaginensium dux, pòst suam ad Cannas victoriam eò insolentiæ processisse perhibetur, vt nulli in posterum suorum ciuium salutem dederit. Ibidem.

DOMITIVS doctus clarúsque in vrbe Roma grammaticus, ideo Insani cognomine salutatus est ab omnib. quod inhumanus, intractabilis, & in omnibus morosior esset. Gell.lib.18.cap.7.

C. IVLIVS Cæsar Pompeio Pœno agenti gratias, pedem cum socculo aurato osculandum dedit. Alex. ab Alex. libro 2. capite.19.

Neronis Imperatoris atauus, DOMITIVS Ænobardus, homo durus, seditiosúsque & arrogās fuit, in cuius mores ita lusisse traditur L. Crassus orator: Quid mirum si æneam barbam Domitius habet, cum & os ferreū & plumbeum cor habeat? Petrarcha.

PALLAS Claudij libertus, eius proteruiæ fuit, vt non modò nulli ministrorum salutem impartiret: sed ne vocem quidem cum familiaribus communicaret. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19. Vide tit. Contemnere alios præ se.

NERO Cæsar, nedum salute, sed ne resalutatione quidem aliquem impertiuit. Alex. ibidem.

IDEM tam difficilis atque morosus erat, vt neque cum seruis, neque cum liberis sermones conferret: sed omnia quæ vellet, mandarétve, in libellis scribere consueuerat. Xiphilinus in Nerone.

MAXIMINVS in salutationibus sibi pedes osculari voluit. Alexand. ab Alexand.lib.2.cap.19.

AVSTERI ET ACERBI NIMIVM IN CONVERSANDO CVM *quibusuis hominibus, cum ciuibus, hospitibus, & c.*

Exempla quædam pete ex tit. Libertatis nimiæ in reprehendendo. Illic quidem veritatis, hic affabilitatis ratio habetur. Huius loci est Inhospitalitas morosa, eorum qui hospites susceptos inurbanè tractant.

L. Lvcvllvs, qui primus è ciuibus Romanis Taurum montem trãsiit belli gerendi cauſa, duóſque potentiſſimos reges Mithridatem & Tigranem bello vicit: Tigranocertam & Niſibin, munitiſſimas ciuitates, expugnauit: inſidis ad omnia militibus eſt vſus, & ab illis ad extremum defertus. Multa enim ipſis imperabat, parum erat affabilis: in primis acer in rerum geſtarum rationibus repoſcendis, inexorabilis in ſupplicis ſumendis: neſciebat molli oratione placari aut munerib. reconciliari. Cuius rei argumento eſt, quòd Pompeius, cùm eoſdem milites poſtea recepiſſet, eos ne minimum quidem ſeditioſos habuit. tantum homo homini præſtat. Dionyſius Nyczus, vel eius abbreuiator Xiphilinus, in Pompeio.

Orbilivs Pupillus, grammaticus inſignis, qui ſemper maiore fama quàm emolumento docuit, tam acerbæ fuit naturæ, vt non modo in antiſophiſtas, quos omni ſermone lacerabat, inueheretur, ſed etiam in diſcipulos: quod etiam Horatius ſubindicat, Plagoſum eum appellans. Sueton. de Gram. illuſt. cap. 8.

Phiocles tragicus poeta, Æſchyli nepos, propter moroſitatem ἀηδὴς & ἄλυπος, id eſt bilis & falſugo dictus fuit. Vide tit. Tragicorum poetarum.

Hortenſius orator ob cultum mundiorem, ac geſticulationes in dicendo molliores, crebrò malè audiebat, in ipſis etiam iudiciis. Sed quum L. Torqvatvs, homo ſubagreſtiſous & inceſtiuis moribus, dũ apud concilium de cauſa Siſiæ quæreretur, non iam hiſtrionẽ illum diceret: ſed geſticulatricem, Dionyſiámque, notiſſimæ ſaltatriculæ nomine compelleret: tum voce molli demiſſaque Hortenſius, Dionyſia (inquit) Dionyſia malim equidem eſſe, quàm quod tu Torquate, ἄχαριτες, ἀγχέμαχοι, ἀκαλλωπίστοι, id eſt, inelegans, agreſtis, aditu difficilis. Periculoſè maledicit alteri, cui vel idem, vel ſimile vel diuerſum, ſed deterius vitium poteſt obiici. Erasmus lib. 6. Apoph.

Medicvs quidam, cùm ægrum inuiſeret, & ille conquereretur, eſſe moriturum: barbarus ille verſum occinuit, quo miſerum ægrum penitus exanimauit: πίνω τὰ, πάτροκλος, ὅπου σὺ μὲν ἀπόλλυσαι. Prudentis medici eſt, mortem prædicere, & familiares admonere: non autẽ ægrum terrere, atq; vt Poeta inquit, Spem ſimulet vultu, præmat altum corde dolorem.

D. Hieronymvs in converſatione adeò moroſus fuit, vt cum in ſolitudinem inter Syros & Agarenos cum Heliodoro comite ſeſe abdidiſſet, Heliodorus eius moroſitatem perferre nequiuerit, ſed ad ſuos redierit. Teſtatur hoc Hieronymus ipſe, in epiſtola ad Iulianum Diaconum.

Stephanvs quidam preſbyter prouinciæ Valeriæ, aliquando domum reuerſus de itinere, ſeruo tardo ſtomachabundus, dixit: Veni miſer diabole, & ſoccos mihi detrahe. Ad hanc vocem ſtatim cœperunt caligarum corrigiæ diſſolui. At Stephanus diaboli præſentiam deteſtatus, crucis ſigno eum abegit. Vixit ſub Mauricio Imp. Gregorius Turonenſis lib. 3. Dialog. cap. 20.

Theodorvs Epiſcopus Rauennas, tetricus & auſterus nimium, à ſuis deſeritur. Vide tit. Ambitio in honore erepto vleiſcendo.

Nicolavs Perottus, Beſſarionis cardinalis cubicularius, cùm Romæ in conclaui tres cardinales Beſſarionem prandentem adire vellent, vt eum omnium conſenſu Pontificem renunciarent: ille non vocare nunc hero ſuo, vt cum illis inter prandium colloqueretur, reſpondens ſcribus eos excluſit. Illi indignati, ſi Pontifex eſſe nolit, ne cogendus quidẽ eſt, abeuntes dixere. Ignarus huius rei Beſſarion, poſtea tamen certior factus nihil grauius commotus his tantum verbis Nicolaum corripuit: importunitatẽ & ruſticitatẽ tua, Perotte, mihi mitram, tibi pſi verò galeri inuidiſti. Iocatus in eius vita.

RIXOSI, CONTENTIOSI LITIGIOSI, ΦΙΛΟΝΕΙΚΟΙ, ΔΥΣΕΡΙΔΕΣ ΔΥΣΑΡΕΣΚΟΙ.

Qui nihil eorum quæ fiunt approbant, ſed omnia reprehendunt, & de lana quod dici ſolet, caprina lites exercent, huius erunt loci, in quocunque tandem vitæ genere, theorico, practico, politico vel œconomico. Priore autem loco eos qui leui de cauſa cum aliis litigant proponamus: mox eos, qui inter amicos diſcordias & inimicitias ſerere ſtudent.

Lites exercere.

Parrvs, ob amicitiam nauiculam cum obuiis quibuſque litigabat. Hinc adagium, Diſceptare ſcapulam: id eſt, ob res minutulas multum mouere litium & querelarum. Rauiſ.

Empedoclem aiunt iis fuiſſe moribus, vt aſſiduè ſimultatem cum aliquibus, cáſque pertinaciſſimè exerceret. Idem.

Anus quæpiam fuit Ptolemais, quæ quoad vixit, litos agitabat, nec vnquã ab agendis cauſis feriabatur. autor Diogenianus apud Eraſmũ.

Hyperbolvs fuit mirum in modum appetens litium. Hinc adagium, Vltra Hyperbolum.

Gellius ſcribit, Xanthippen Socratis vxorem moroſam fuiſſe admodum & iurgioſam: quod etiam de altera eius vxore Myrrho Ariſtidis filia prædicatur. Ambæ enim in muliebres contentiones propter ipſum Socratem deueniebant. Rauiſ.

Domitivs Calderinvs, vir clariſſimus ingenio, & qui primus poetas grauiſſimos ſuo tempore enarrare auſus eſt, nullo magis quã obtrectationis vitio laborauit. Ideóque Volaterranus lib. 21. Anthroph. dignum eum (vt de Cœlio Quintilianus ait) vita longiore, ingenio tamen leuiore, exiſtimauit.

Lavrentivs Valla maledicus in omnes fuit, contra ipſam demum religionem latrauit: ſcriptis quoque probare conatus, nullum ius ſine munus imperij Pontificí conceſſum. Ex quo defuncto non defuit, qui Diſtichon huiuſmodi iactatet.

Obe vt Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt?
Si quæris quid agat, nunc quoque mordet humum.

Nunc poſtquam manes defunctus Valla petiuit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Iuppiter hunc cœli dignatus parte fruiſſet,
Cenſorem linguæ ſed timet ipſe ſuæ.

Poggivs Florentinus è Terranoua oriundus, oppido agri Aretini, mira & naturali facundia, præſertim in accuſationibus & inuectiuis, quas plures, ſed in Philelphum potiſſimùm, ſcripſit. Volat. libro vigeſimo primo Anthrop.

Ioannes Venetvs ea fuit linguæ licentia, vt vnus omnium laudibus obtrectaret, doctrina alioquin & ingenio ſummus: & talis quidem, vt ſuo tempore cum viris omnium clariſſimis conferri potuerit. Volat. lib. 21. Anthrop.

Lites serere, discordias fouere inter alios.

Evrymnvs fuit calumniator, qui diſſidium inter Caſtorem & Pollucem conatus eſt ſerere, alterum apud alterum inſimulans.

Nicephorvs eunuchus, cui curã adminiſtrandi imperij Michael Parapinaceus Imperator tradidit, homo fuit natura ſeditioſus ac turbulentus. Volaterranus lib. 20. Anthrop.

INEPTI ET INCIVILES IN CONVERSANDO.

FINIS LIBRI DECIMI.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER VNDECIMVS.

DE VRBANITATE ET COMITATE, QVAE IN *placida & ludicra converſatione cum inimicis ſimul & amiciſſe exercetur.*

Altera hæc ſpecies eſt iucundæ converſationis, quæ non ſeriò, ſed iucundè vel in ocio vel in negocio cum aliis verſatur: locum autem habet potiſſimum in animi relaxatione à grauioribus ſtudiis atque curis, ſiue in ocio, interdum tamen etiam in negocio. Tota namque hominis vita (ſi Ariſtot. in 7. Politicorum credimus) in πόνον καὶ ἀνάπαυσιν diuiditur. Πόνος actiones quaſlibet, tam Theoricas quàm practicas complectitur: Negocium Latini vocant. ἀνάπαυσις verò ocium & intermiſſionem, omnem denique tam corporis quàm animi relaxationem continet. In ocio quidem luſus locum habet ex confeſſo, quem παιδιὰν Græci vocant, quaſi pueris cõueniat maximè: vtpotè qui propter corporis & animi imperfectionem prius ludere diſcunt, quàm ſeria negocia aggrediantur: cùm econtrà in viri πόνους ἀνάπαυσιν præcedere debeat, vt labor quiete attemperetur, & homines ad intermiſſas occupationes alacriores redeant. Sic enim ſomnus quoque homini datus eſt à natura, vt ſpiritibus refectis, ad diurnas exercitationes habilior vegetiórque reddatur. Iam verò in negocio quoque interdũ luſus admittitur, veluti condimẽtũ laborũ & occupationũ. Protogenes pictor celeberrimus, cùm ſummo ſtudio arti ſuæ incũberet, cantus ſuauitate laboris diurni tædiũ ſubleuaſſe traditur. Iter faciẽtes confabulationibus tempus fallũt: & iuxta prouerbiũ, Iucundus comes in via pro vehiculo eſt. Innumera huius rei exẽpla poſſent afferri, quibus luce clarius conſtat, in negocio quoque τῆ παιδιᾷ, & quæ circa παιδιὰν occupatur, virtuti locum dari: & per conſequẽs, nõ erga amicos tantũ vetũ etiã erga inimicos vrbanitatem & comitatem poſſe exerceri. Cæterum παιδιὰ vel honeſta eſt, vel inhoneſta: illa quidem cum virtute iuncta, hæc verò cum vitio. Virtutem, quæ proprio nomine apud Græcos caret, Vrbanitatem aut Comitatem appellare poſſumus. Vitium in exceſſu, Scurrilitatem: in defectu, Ruſticitatem. Ex quibus omnibus corollarij loco elicimus, quod varias differẽtias virtus iſta admittit. Primùm ratione modi, quoniam vel in dictis, vel in factis, vel in vtriſque conſiſtit. Deinde ratione temporis, quandoquidem vel in ipſis negotiis, ſiue theoricis, ſiue practicis, ſiue mechanicis, vel poſt negocia in ocio exercetur. Tãdem reſpectu perſonarum, quoniam vel ipſi eam exercent, quam Actiuam Vrbanitatem vocare poſſemus: vel alios exercentes ſpectant audiuntue patienter, quam Paſſiuam quodammodo Vrbanitatem appellare liceret. Rurſus, vel erga amicos eſt, vel erga inimicos, poſſumus enim erga hoſtes quoque vrbani eſſe & faceti, non minus quàm erga amicos: quinimò maiorem ferè laudem meretur Vrbanitas erga hoſtem, qui in erga amicum, quanto ſcilicet difficilius eſt animum relaxare obiecto triſti, quod nos ad iram prouocare poſſet, præſente, quàm abſente. Magnum profectò circumſtantiæ iſtæ ad virtutem rectè diiudicandam momentum afferunt, eáque propter non ſunt neglegendæ. Nos omnes, prout rei natura feret, obſeruabimus, & typica deſcriptione oculis ſubiiciemus.

- IN *ludicra cõuersatione cõsistit*
  - Virtus, *quam* VRBANITATEM *vel Comitatẽ appellare possumus. Exempla afferentur huius tũ in genere, tum in specie. Alia enim Vrbanitas*
    - Actiua, *q. ipsi vrbani sunt, comes & faceti vel in*
      - Dictis. *In quibus vel ratio habetur*
        - Acuminis. *Ioci & sales, tum in*
          - Aliorum *dictis vel factis*
            - Reprehendendis.
            - Recensendis *aut describendis.*
            - Inuertendis *aut retorquendis.*
          - Suis *rebus proferendis, vel extollendo, vel deprimendo.*
          - SENTENTIAM *suam facetè dicere.*
        - Rei *subiectæ. Iucundæ narrationes*
          - Theoricæ. φιλολογία.
          - Practicæ. ἱστορία.
      - Factis, *quatenus vel*
        - Alios
          - Reprehendunt.
          - Delectant.
        - Seipsos *oblectant. Obseruamus hic*
          - Personas. *Ludere cum*
            - Paribus.
            - Pueris.
            - Seruis.
            - Brutis.
          - Modum, *siue* τῆς παιδιᾶς *genus. Exercitia vel sunt*
            - Liberalia. *Ocium terere in*
              - Literis.
              - Pictoria arte.
              - Musicis.
              - Gymnastica.
            - Minus *liberalia quæuis alia vt Alea, & Ludus quilibet.*
    - Passiua. *Quia vel aliorũ*
      - Scommata *& dicteria vrbanè*
        - Ferunt.
        - Non *ferunt, si inhonesta sint.*
      - Exercitia *& ludos vel*
        - Audiunt.
        - Spectant.
  - Vitium *duplex. Alterũ in*
    - Excessu, SCVRRILITAS. *Eáque vel*
      - Actiua. *Quidam sunt Scurræ*
        - Ex professo, *qui in dictis & factis risum tantum & cachinnos hominum captant.*
        - NÕ *ex professo, sed occasione tãtũ, tũ i*
          - Dictis. *In quibus cõsideratur* Mod°. *Nimirũ qui vltra quàm deceat vel*
            - Iucũdi *sũt, & nimis scurriles.*
            - Iniucundi *sunt. Consideratur tum*
              - Acerbitas *nimia aut libertas, tũ in*
                - Aliorum *dictis vel factis*
                  - Reprehendendis.
                  - Recensendis.
                - Suis *rebus proferendis.*
              - Res *subiecta. Qui vel de rebus*
                - Non *necessariis, sed friuolis loquuntur: Nugacitas,* λογολεσχία.
                - Necessariis *plus quàm oportet loquuntur,*
          - Factis, *quatenus vel*
            - Alios *reprehẽdũt factis.*
            - Seipsos *oblectant ludo, eóque vel*
              - Illiberali.
              - Liberali *quidem, sed præter modum.*
      - Passiua, *tum i.*
        - Dictis, *iisque vel*
          - Friuolis *auidè audiendis.* Ἀδολεσχία.
          - Vrbanis
            - Non *ferendis.*
            - Acerbè *retorquendis.*
        - Factis, *hoc est ludis & exercitiis inhonestis spectandis & approbandis.*
    - Defectu. RVSTICITAS *&* ASPERITAS *tum*
      - Actiua: QVI *nullo honestæ relaxationis genere vtũtur.*
      - Passiua: QVI *aliorum quamuis honestas exercitationes ferre non possunt.*

VRBA-

VRBANITAS GENERE.

Strato, siue (vt alij tradunt) Plato, dixit ARISTIPPO: Tibi vni & chlamydem & pannum ferre datum est. Chlamys vestis est satraparum, pannus mendicorum. Id ita notauit Horatius:

Omnis Aristippum decuit color.

Apud Dionysium saltauit in purpura, interdum vili pallio vtebatur: semper tamen decori memor. Eras. ex Laer. lib. 2. cap. 8.

C. Publicius solitus est dicere, P. MVMMIVM, temporis cuiusuis hominem esse. Sentiens, illum dexteritate facilitatéque ad omnem vitæ statum esse accommodum.

ASINIVS Pollio omnium horarum homo, & lepôrum atq; faceciarum pater dictus est. Vide Tit. Comicorum Latinorum.

In L. CRASSO oratore, summa semper grauitas fuisse dicitur, & cum grauitate iunctus facetiarum & vrbanitatis oratorius, non seruilis lepos. Cicero de oratore.

M. TVLLIVS Cicero eloquentissimus æquo & imprimis facetus fuit. Cõstat eum sæpe iocis ex tempore prolatis, reos quos defendendos susceperat, magnoperè iudicibus insinuasse. Hanc ob caussam à Vatinio inimico Consularis scurra vocatus fuit.

AVGVSTVS vnus maximè & iocos dicere & pati potuit, maiore vrbanitate an felicitate, & æquanimitate, nescias.

NICOLAVS Damascenus vir doctissimus, tam iucundis moribus preter formam corporis fuit, vt Augustus Cæsar palmarum balanos pulcherrimos & maximos appellari de eius nomine Nicolaos præceperit auctor Suidas. Vide tit. Comicorum.

Tiberius Cęsar DVOS familiarius à se dilectos, omnium horarum amicos vocare solebat. Id alij dictum de Pollione tradunt. Eras. lib. 6. Apost.

VRBANITAS ACTIVA.

FACETE ALIORVM DICTA AVT FACTA BONA AVT *mala reprehendere* ἀστεισμοί. *Vrbana dicteria, & Sales.*

Exempla quædam pete ex tit. Libertatis in reprehendendo: illic enim veritatis, hic lepôris habetur ratio. Plurima in Apophthegmatis Lycosthenis reperies.

REPREHENDERE MALA ANIMI.
In Theoricis.

BASILIVS Magnus episcopus Cæsariensis, vrbanus in congressibus etiam inimicorum fuit. Valens Imp. contra eum orthodoxum varios misit, qui eum verbis, minis ac supplicijs persuaderent in his Demosthenem quendam, hominem furibundum & audacem, qui cùm blasphemias in Basilium debaccharetur, Barbarismo quodam fortè oborto offendit. Ad quod risu Basilius, Vidimus inquit Demosthenem sine literis. At cùm importunius oblateraret, ita obiurgauit: Tuum est de pulmẽtarijs cogitare, & non diuina dogmata decoquere. Sozomenus lib. 6. cap. 16.

SAPIENS quidam, cùm imperitus medicus ei dixisset, Senex factus es: respõdit, Bene quidem, & satis feliciter: medico enim numquàm vsus sum. Antonius in Melissa, part. 1. ser. 56.

IN MECHANICIS.

AVGVSTVS, cùm extrui Forum præcepisset, & absoluendi auidus, architecti nimiam tarditatem inuisam haberet, eodémque tempore, & à Cassio Seuero accusati plurimi absoluerentur, ac velut inquieti & calumniosi hominis laqueis, æquitate iudicum expedirentur: Vtinam inquit Augustus, Forum meum accusaret Cassius.

IN PRACTICIS
Imprudentiam.

M. TVL. Cicero venerat ad castra Pompeij in principio ciuilis belli, reprehendentibus amicis, quod nimis suum aduentũ distulisset: Minimè, inquit, serò veni, nam nihil hîc paratum video. Pompeij tarditatem in apparatibus bellorum ludens.

Molliciem & ignauiam.

AFRICANVS Censor cùm castigaret militem, quòd in pugna non fuisset: ille verò diceret, se custodiæ caussâ in castris mansisse: Nõ amo inquit Africanus, milites nimis diligentes. Eras. lib. 6. Apoph.

Impudicitiam; scortationem, adulterium.

Abutebatur Cæsar vno tempore matre & filia: nomen matri Seruilia, quæ M. Bruti mater fuit: quam, vt ait Suetonius, ante alias dilexit, & cui super alias donationes margaritam ingenti precio mercatus est: filiæ nomen Tertia, quæ soror Bruti, & C. Cassij vxor erat. Cùm itaque bona ciuium sub hasta venderentur iussu Cæsaris, & Seruilia magni pretij fundum exigua pecunia comparasset, lusit CICERO. Equidem quo melius emptum sciatis, comparauit hunc fundum Seruilia, Tertia deducta.

Luxum in vestitu, comitatu, ornatu, &c.

Iulia festinatos canos ægrè ferens, clàm vellere consueuerat. Superuenit ornatricib. operi inhiantib. AVGVSTVS Cæsar, & vulsos capillos in illarum gremio notauit: sic tamen oculos auertit, vt nec vidisse videretur. Post dies aliquot filiam sciscitatus est, Vtrum sua ætate canos, an nullas habere comas mallet? Atque illa sine hæsitatione, respondenti, & caniciem caluitio præferenti, sic insultauit: Cur igitur hæ ante tempus te decaluant?

Illiberalitatem & auaritiam.

Demetrius Antigoni filius, cùm adductis omniũ ciuium seruis STILPONI diceret, Ciuitatem vestram liberam vobis relinquo. Rectè, inquit Stilpo: nullum enim in ciuitate seruum relinquis. Plut. in vita Demetrij.

CICERO apud Damasippum cenans, cum ille mediocre vinum mẽsæ adhibitum, grandiloquis verbis extollens diceret: Bibite falernum hoc, quadraginta annorum est. respondit: Benè fert ætatem. Facetè, unde gloriam ille vino petebat, hic veniam dedit.

LVCIVS Cæcilius Epirota grammaticus, cùm familiaris esset Cæsari, atque ille alijs, qui cum eo pila lusitabant, centena sestertia, sibi an 50 tantum numerasset: Quid ego, inquit, vna manu ludo, & non duabus, vt plus habere possim? Macrobius.

AVGVSTVS solebat ad cenam inuitatus non negare, quo se ciuib. suis cõuictu non superbo, quàm familiarissimum faceret. A pauperrima ac tenuissima cuiusdam cœna rediens, hospitati illum verbis prosequenti, hoc vnum ad aurem iocoso murmure respondit: Tam familiarem me tibi nõ putabam.

Petebat à Cæsare congiarium Pacuuius Taurus, idq; vt ei persuaderet, vulgatum iam apud omnes affirmabat, magnam pecuniam sibi ab illo datam: cui respondit AVGVSTVS: Sed tu noli credere. Alteri cùm à pub. munere remotus esset, similia flagitanti, atque addenti, Non se cupiditate ad id petendum induci, sed pudoris caussâ, & vt sine noxa præfecturam equitum sponte dimisisse, insuper & liberalitate Cæsaris dignus putaretur, sic respondit: Tu te accepisse palàm dicito, ego me dedisse non negabo.

Apud VESPASIANVM quidam ex domesticis, cuidam externo, per speciem germanitatis munus publicũ impetrare nitebatur. Agnouit fraudem, & dilata re, illum pro quo petebatur accersit, certiórque ab eo fact°, quid pro se supplicaturo spopondisset. id sibi numerari iussit, & voti compotem dimisit. Reuersus intercessor instare. Cui Vespasianus: Aliũ tibi fratrem quære: quem tuum putas esse, meus est.

IDEM, cùm iter faceret, mulio auriga descendit ad calciandas mulas, substititque vehiculum. Arrepta interim occasione, litigator anxius accessit ad principem, quæ vellet narrandi tempus nactus. Animaduertit commentum Cæsar: interrogatóque mulione quanti calciasset, pepigit lucri partem. Festiuè vtrumlibet, nisi auaritiæ suspicio iocis insita videretur.

QVINTIVS prætor Domitiani temporibus ex prouincia reuersus, in morbum inciderat. Is dum gelidas manus se habere cum AMICO cõquereretur assidenti: Certè, ait ille, nuper calidas de prouincia retulisti. de furtorum scilicet, & rapinarum frequentia iocum texens. Qui viro integerrimo, & bene sibi conscio risum mouit, fastidiúmque discussit, suffusurus noxio ruborem.

Prodigalitatem.

Quidam Romanus eques diem obierat. post cuius mortem æs alienum ingens, quod vsq; ad extremum occultauerat, emersit. Re comperta miratus AVGVSTVS: Ite, ait, & cubicularem mihi culcitam eius comparate. Obstupentibus mandatum, rationem adiecit: Somnos, inquit, alliciet culcita, in qua ille tantis debitorum molibus oppressus, somnum capere poterat.

Ambitionem.

SABINVS, diues, gloriæ auidissimus, magnis pretijs seruos comparauit, quorum alter hunc, alter illum poetam familiariter memoriterque nosset: hoc scilicet expeditum iter ad eam, quam appetebat, gloriam ratus, si serui vt peculium, sic & litteras domino quærerent. Hac famulatu instructus, conuiuas suos quæstiunculis exagitabat. Serui ad pedes aderant & de quacumque re sermo esset obortus, accommodatos materiæ versus insusurrabant: quos ille gloriabundus dum pronunciare vellet, in medio

herebat. In hunc igitur SATELLIVS Quadratus stultorum diuitum irrisor, & arrisor, & derisor, ita iocatus est. cum ille iactaret centenis milib. seruos sibi singulos constitisse, Minori precio, inquit Quadratus, totidem scrinia emisses. Idem Sabinum vt luctaretur orabat. cúmque ille diceret Quomodo luctabor homo æger ac debilis, & vix viuere valens? Noli quæso, inquit Quadratus, hoc dicere: aspice quot seruos habes robustissimos.

Ædilitatem agens Cæsar cum M. BIBVLO, Capitolium ac forum, comitiúmque & basilicas ac porticus adornauerat, ludósque insuper fecerat communi impensa. Sed quia collegæ obscurius, clarissimum Cæsaris nomen erat, cùm omnium gratia reflecteretur in Cæsarem, iocatus est Bibulus, Idem sibi quòd Polluci contigisse: etenim vt ille cum fratre communem domum habens in populo ignoraretur, cùm Castoris tãtùm domus diceretur: sic communem suam ac Cæsaris largitatem, vnius, & non alterius iactari. Cum eodem postmodum M. Bibulo consulatum gerens, quod absque vllo eius respectu Remp. versaret, iocandi occasionem vulgò dedit. Fuére qui quoties ex more tale aliquid agerent, quod consignatione diei & coss. egeret, non Cæsare & Bibulo: sed Iulio & Cæsare coss. gestũ, scriptis mandarent. Hinc vulgati mox sine auctore versiculi:

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare gestum est:
Non Bibulo fieri consule nil memini.

Iracundiam.
Mendacium.
Superbiam.

DOMITIANO nonnihil paterni lepôris inerat. Eius illa referuntur de Metio, qui in cultu corporis multus erat: Vellem, inquit, tam formosus esse, quàm Metius sibi videtur. Alterius comam permixta canicie flauescentem, perfusam mulso niuem appellauit.

DEMOCRATES iam senex, ascendens in arcem Athenis perquàm anhelosus: idem se facere dixit, quòd vniuersa ciuitas Athenensium soleret. Nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere. Stob. serm. 20.

ANTISTHENES, quum Platonis superbiam notare cuperet, fortè in pompa equum hinnientem frementémque aspiciens, ad Platonem versus, ait: Tu profectò meo iudicio, præclarus fuisses equus. est enim equus animal superbissimum. Bru lib. 6. cap. 5.

ZENO Citticus in quendam circa formæ curã studiosio rem quàm deceret virum, quum imbricem lentè ac circumspectè transiret: Meritò, inquit, suspectum habet lutum, in quo non potest seipsum vt in speculo cernere. Laert. lib. 7. cap. 1.

INVRBANITATEM.

AVGVSTVS cuidam libellum timidius offerenti, nunc porrigendo dexteram, nunc identidem retrahendo: Putásne ait, assem elephanti dare?

Morositatem.

SOCRATES Atheniensis, cùm vxorem Xanthippen contumacius ac clamosius in se agentem diu tolerasset, ac postremò aqua sordida ab eadem perfunderetur, alta voce ridens dixisse fertur: Sciebam Xanthippen tonitrum quãdoque pluituram. Historiam habes apud Laertium & Gellium.

Mendacium quodcumque.

Quum SILVS testis læsisset Pisonem reum, cui Crassus aderat, prolato crimine, quod se in eum dictum audisse dicebat: Potest fieri Sile, inquit Crassus, vt is vnde te audisse dicis, iratus dixerit? Annuit Silus. Potest etiam, inquit fieri, vt tu non rectè intellexeris? Quum id quoque toto capite annuisset Silus, vt se Crasso daret, subiecit Crassus: Potest etiam fieri, vt omnino quòd te audisse dicis, numquàm audieris? Hoc adeò prçter expectationem erat, vt Silum testem omnium risus obrueret. Eras. lib. 6. Apoph.

Impietatem erga patriam, & tyrannidem.

Andron quidam Laodiceus Romam venerat. Aduentus causam interrogauit CICERO. Atque illo respondente, Pro patriæ suæ libertate legatum ad Cæsarem venisse: seruitutem Romanam dissimulare non valẽs, Græco sermonem in hanc sententiam respondit: Si obtinueris, & pro nobis intercede.

Antigono occiso, eius occisores rerum potiti, omni iniuriarum genere Phrygios affecerunt. AGRICOLA verò quidam agellum fodiens, rogatus quidnam faceret: Ego, suspirans inquit, Antigonum refodio. Longè tolerabiliorem sub tyranno, quàm sub tyrannicidis seruitutem fuisse, indicans. Brusonius lib. 6 cap. 21.

Impietatem erga parentes vel liberos.

Mos antiquis erat, in agris suis sepeliri. Vectius quidam agrum excolẽs, illic inuento sepulchro patris non pepercit, sed aratrum superinduxit. Qua in re ita lusit AVGVSTVS: Hoc est (inquit) verè sepulchrũm patris colere.

AVGVSTVS audita fama Herodis Iudæorum regis, quòd infantes circa bimatum omnes in Syria natos, & inter eos etiam proprium filiũ mandasset occidi: Melius est, inquit, Herodis porcum esse, quàm filium. Alludens mori Hebræorum, qui carnibus suillis abstinent.

Iniustam distributionem.

IVL. Cæsar peregrinos ac nouos homines in Senatum admiserat, præcipuè Gallos. Inuetus est libellus hoc continens: Bonum factum, nequis Senatori nouo curiam monstrare velit. Item illa publicè canebantur: Gallos Cæsar in triumphum duxit, idem in Curiam. & rursus: Galli brachas deposuerunt, latum clauum sumpserunt.

CORPORIS MALA REPREHENDERE.

Deformitatem.

M. TVL. CICERO Quintum fratrem, ac Lentulum habebat generũ, homunciones pusillæ admodum staturæ: in vtrũque igitur cauillatus est. Venerat in prouinciam cui frater præfuerat: illic imaginem eius clypeatã amplissima forma, ad pectus vsque depictam cernens: Frater, inquit, meus maior est dimidius, quàm totus. Generum ingenti gladio accinctum videns: Quis generum meum gladio alligauit? Alter illi gener erat Piso, qui cum incessũ cunctatior foret quàm conueniret viro, filia ex diuerso concitatior quàm deceret fœminam, vno verbo lusit in vtrumque. ait enim filiæ: Ambula vt vir. anceps iocus, duos simul pupugit.

Orator quidam clarus, sed gibbo prominẽti deformatus Galba (de quo Lollij vulgatissimus iocus erat, Ingenium Galbæ malè habitare) coram Cæsare AVGVSTO causam agens, & velut eloquio gloriabundus, sæpe iterans: Corrige in me, si quid corrigendum videris, Auguste. hoc ab eo tandem responsum habuit: Ego te Galba monere possum, corrigere auté nullo modo.

Hortante Vespasiano QVENDAM, vt contra se aliquid diceret: Faciam, inquit, cùm ventrem exonerare desieris. Nitenti enim atque impellenti simillimam faciem habuisse Vespasianum, & scriptores rerum tradunt: & imago vultus sui, quæ vulgò adhucuareis, argenteis æreísque numismatib us insculpta reperitur, ind cat. Pe trarcha.

Senectutem.

DINVS Florentinus, gratissimæ dicacitatis adolescens, casu præteriens per loca frequentissima sepulchris, aliquos sibi notos senes illic confabulantes comperit: qui vt iocandi peritum irritarent, iocari simul omnes (vt est ætas illa loquacior) & manibus etiam plaudere cœperunt. Ille se proripiens, hoc vnum omnibus respondit: Iniquum hoc loco certamen, vos ante domos vestras animosiores estis. senio scilicet eorum & vicinæ morti alludens, Nec prius intellectus, quàm eo abeunte, cœmiterium circumspicientes, quas ille domos loqueretur perpenderunt. Innumerabilia dixit ad hũc modum, quæ apud Hetruscos vulgò etiam nota sunt. hoc enim loco non iocos eius prosequi, sed nomen attingere propositum fuit. Petrarcha.

Morbos.

PVB. Mimus celeberrimus, & Iulio Cæs. gratissimus, cùm herus eius se suum in sole resupinum hydropicum videret, & quid illic ageret quæsiuisset: ex improuiso etiamnum puer respondit, Aquam calefacit.

IDEM, orta inter conuiuas disceptatione, quodnam esset ocium molestissimum? Podagrici pedes, respondit.

Vatinius podagræ morbum (qui ferè omnium mos est) dissimulare nitebatur, dicens: Se iam mille passus per diem ambulare. dixerat hoc ille, forsan posthyemale solstitium. Hinc irridendi materiam AVGVSTVS arripuit: Et minus, inquit, miri est, longiusculi dies incipiunt.

AVGVSTVS nomenclatori, quem obliuiosum, & officio suo imparem grauiter ferebat, Numquid in foro agi vellet, ipsum percunctanti? Commendatorias, ait, literas tecum profer. notum enim ibi nullum habes.

FORTVNÆ MALA REPREHENDERE.

Paupertatem.

Ignominiam, repulsam.

CICERO illusit Vatinio, qui paucis diebus Cos. fuerat: Grande, inquit, prodigium anno Vatinij, quòd illo Cos. nec pruina nec ver, nec æstas nec autumnus fuit. Eidem quærenti, quòd ad se venire neglexisset: Volebam, inquit, in Consulatu tuo venire, sed nõx me comprehendit. De Caninio est alter Ciceronis iocus: Vigilantem Cos. habemus, qui in Consulatu suo somnum non admisit.

Impotentiam.

VALERIVS P. Clodio infenso sibi, Quid, ait, durius minaris, quàm vt eam Dyrrhachium, & reuertar? Sumpta iocandi materia de exilio Ciceronis, qui eò in exilium perrexerat agente Clodio, confestímque redierat.

ALIORVM DICTA AVT FACTA IOCOSA RECENSERE, NARRARE, LITERIS MANDARE.

C. MELISSVS anno ætatis 60. librum Ineptiarum seu iocorum scripsit. Vide tit. Comicorum Latinorum.

MENIPPVS Ascalonites, Cynicus philosophus, libros scripsit multo risu refertos: vt & MELEAGER, qui eodem tẽpore vixit. Item nænias, & satyras ridiculas, quas M. Varro imitatus est & re & nomine. Stephanus eum σπουδογέλοιον cognominatum scribit. Gyraldus Dialogo 6. hist. Poet.

Nostro seculo plurimi nugarum scriptores ex professo extiterunt. Cuius generis sunt sermones conuiuales IO. GASTII, Facetiæ POGGII Florentini, & IO. Bebelij. Quorum studium eatenus commendandum est, quatenus Ridentem dicere verum Nil prohibet.

FACETE ALIORVM DICTA INVERTERE, VEL *scommata retorquere in ipsos authores.*

ARISTIPPVS, cùm Diogenem olim philosophum vt sordidum, ita quoque omnia contemnentem, lauãtem olera vidisset, ad Diogenem ait: Si scires regib. obsequi, non tibi lauanda essent olera. Cui Diogenes respondit: Et tibi mi Aristippe, non esset obsequendum regibus, si esses oleribus contentus. Iactatum illud scomma pulcherrimis verbis carmine exprimit Horatius lib. 1. Epistolarum ad Scæuam.

Libanius sophista, summus Iuliani apostatæ fautor, cùm interrogasset Antiochiæ LVDIMAGISTRVM quendam, virum bonum atque pium: Quid nunc fabri filius (Christum per contumeliam intelligens) ageret? respondit: Non ociatur, ô sophista, quem fabri filium appellas: parat enim Iuliano loculum. Intellexit autem vir optimus, Iulianũ ob insignem impietatem & crudelitatem non diu superstitem fore, & diuinam vltionem præ foribus esse. paucos enim post dies, Iulianus est interfectus. Tripart. hist. lib. 6. cap. 44.

L. MANLIVS pictor egregius, deformes filios habebat. Quibus visis, AMICVS apud eum cœnans: Non similiter, ait, pingis & fingis Manli. Ille autem: Nimirum, inquit: fingo enim in tenebris, in luce pingo.

RVTILIVS, quum aliquando Romę adisset Musonium, rogauit: Dic mihi Musoni, Iupiter seruator, quem tu imitaris, num fœneratur? Notãs illius inopiam, qui cogeretur interdum accipere mutuum. Ad hoc arridens Musonius: At ne fœnerat quidem, Rutili. Turpius est ad fœnus dare, quàm accipere. At Rutilius, cum ipse faceret quod grauius est, obiecit illi quòd erat leuius. Eras. Roterod. lib. 6. Apoph.

Cùm Christianorum proceres terram Sanctam indigno seruitio decreuissent liberare, electus est in ducem Santius Hispani regis frater, quem & experientia armorum commendabat, & genus, & probitas: nec suspectum luxus faciebat, vt qui Hispano more asper & agrestis, sub dio inter labores educatus erat. Accersitus igitur omnium consensu, Romam venit, & Latinæ linguæ nescius, vnum ex amicis interpretis loco habuit. Publicũ celebrabatur consistorium: illic inter multa recitatum erat Rom. pont. decretum. vbi Ægypti regem Santium fecerat. Quo audito, sublatus est ingens applausus omnium. Santius, sedentem ad pedes interpretem, quid sibi vellet is strepitus, percunctatus est. Vbi audiuit, se Ægypti regem pronunciatum: Surge, ait, & diuum Papam pronuncia Calyphum de Baldacho. Festiua & verè regia libertas, inanis regni nomen, inanis Pontificatus titulo recompensauit.

Patriarcha Hierosolymitanus, qui totam cancellariam Apostolicam regebat, conuocatis aliquando certam ob causam discutiendam aduocatis nõnullis, nescio quem verbis acriter castigauit. Huic cum vnus præ cęteris THOMAS Biracus liberius respondisset, versus in eum patriarcha, inquit: Malũ caput habes. At ille, vt erat homo promptus: Rectè, inquit, ac verè loqueris. Nam si bonum caput haberem, satis meliori loco res nostræ essent, neque opus esset hac nostra controuersia. Te igitur ipsum culpas, ait Patriarcha. Tum ille. Non me, inquit, sed caput reprehendo, ita ipsum, qui aduocatis omnib. præerat, Patriarcham accusans, qui duro paulum capite erat. Poggius Florentinus.

GALEOTTVS Marcius Narniensis, Matthiæ Coruini præceptor, epistolarúmque magister, & in castris miles, cùm Venetiis hæreseos reus (nã ex iusta lege naturæ viuentibus cælestis auræ fructus paratos publicis scriptis asseruerat) ad geminas columnas à tribunali perductus esset, vt palinodiam caneret: quidam patricius strigosa proceritate & impudicæ vxoris probro insignis, traductum ludibrio præpinguem porcum appellauit. Ad quàm extemplò conuersus Galeottus: Pinguis porcus quàm macer hircus esse malo, respondit. Tota igitur turba in risum conuersa, fecit vt palinodiæ contumelia Galeotto minus grauis esse videretur. Iouius in Elogiis testis.

FACETE SVAM SENTENTIAM EXPLICARE FACETE *de suis rebus loqui, seu malis, seu bonis.*

Eadem ratione diuidi possunt loci & facetiæ istæ, quæ & superiores, secundum animi, corporis & fortunæ bona.

THERAMENES Atheniensis philosophus, cùm à 30. tyrannis venenum bibere cogeretur: Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui causa potissimum eius mortis fuerat. Iocabatur vir fortissimus, in morte, teste Cicerone in Tusc. quæst.

MITHRIDATES Ponti rex Cappadocum, sororis suæ filio sub simulatione colloquij insidias tendens, gladium abdiderat. Adolescens, regio illorum more temporum, scrutatorem præmisit: qui dum Mithridati manum in secretiores partes corporis mittit, iocatus ille: Caue, ait, ne aliud telum, quàm quod quæris, inuenias. eóque modo suspicione detracta, iocis texit insidias. Mirum quod in eo statu iocari posset, sanguine mox nepotis respergendus.

CICERO cùm ad Iul. post ciuilis belli victoriam venisset, interrogatus: Cur homo doctus in electione partium tam pueriliter aberrasset: hoc vnum quod responderet habuit, Præcinctura me decepit. Cautè simul & iocosè. cùm enim meritorum comparationi locus amplius non esset, habitus ducum contulit, & quasi rerum omnium præcellentiam Cæsari tribuens, solo quòd videretur inferior se deceptum affirmauit. Constabat enim Cæsarem propter habitus negligentiam ab ineunte ætate malè prçcinctum puerum vocari solitum.

M. TVLLIVS Cicero, cùm repudiata vxore Terentia, virginem & iuuenculam duxisset, mirantibúsque amicis, quòd ea ætate virginem duxisset, Cras mulier (inquit) erit. Volat. lib. 20. Anthrop.

AVGVSTVS qui tragœdiam scribere adortus erat, Aiacem: eam, siue iam quòd displicuisset, vt Macrobius refert, siue stilo non succedente, vt Suetonio videtur, aboleuerat: & interrogantibus amicis, Quid Aiax suus ageret? In spongiam, inquit, incubuit.

IVLIA Augusti filia, inter multas & varias naturæ dotes, comitatẽ sermonis habuit. Contra crebros patris monitus, culta lasciuius, oculos eius turbauerat. Sed modestiore habitu reuersa, mitigare paternam indignationem voluit. Itaque verba quæ dolor oppresserat, gaudium Augusto expressit. Et: Sentísne, ait, quanto magis hic, quàm hesternus habitus deceat Augusti filiam? Non obstupuit illa tanti coloris maiestatem, sed, Heri me (inquit) viri, hodie patris oculis ornaui. Eandem spectaculo ludorum circumuallauerant adolescentum impudicorum agmina, cùm ex aduerso Liuia Augusta venerando modesta comitatu staret. Hæc Cæsareæ coniugis, ac natæ varietas, populum commouerat: sed ipsum maximè Augustũ. Commonefecit ergo Iuliam breui scripto, circumspiceret, quanta morũ imparitas inter duas dignitate pares fœminas foret. Illa castigatorem suũ repulit his verbis: Et hi mecum senescent. Amico sobrio & prudenti, vt se paternæ frugalitatis imitatricem faceret, modestósque illius mores in animum induceret, respondit: Ille se Cæsarem obliuiscitur, ego Cęsaris me filiam recordor. Petrarcha.

Rogatus, cur more Romano cum viduis diebus festis nuptias facere liceret, cùm virginibus non liceret? respondit: Quia festis diebus veteres fossas tergere licet, nouas facere non licet.

VESPASIANI principis facetissima quædã sunt, illud in primis. Mulier amorem sassa, seque amando perituram, nisi opem ferret, rigorẽ Maiestatis precibus ac blanditiis euicit, & in amplexus tandem Cæsareos admissa est. Cùm certam pecuniæ summam vel concubitus vel amoris precium princeps amanti daret, dispensator ignarus, Quo nomine eam pecuniam rationib. insereret percunctabatur, respondit: Vespasiano Adamato. Quid in tali, præsertim sene, iocosius? Petrarcha.

VESPASIANVS supremo vitæ tempore iocari non destitit: ad primũ ægritudinis insultum statim, quod erat, mortiferum arbitratus: Vt puto, inquit, Deus fio illudens prædecessoribus suis, in deorum numerum relatis. Petrarcha.

Eusebius Ponti præfectus, in D. BASILIVM Cæsariensem episcopũ furens, post verbera minabatur, se ei hepar ex medijs viscerib. extracturum. Respondit Basilius: Gratum mihi quid profectò feceris, ô Eusebi, si hepar, quod cætera omnia membra (quod ex facie & habitu corporis iudicare potes) cruciat & affligit, euulseris: ita enim corpus omne à molestiis semel liberabis. A vulgo liberatus est ex manib. præfecti. Sozomenus lib. 6. cap. 16.

Multis naturæ fortunęque muneribus Azo marchio Estensis claruit: verum ne iis absque molestia frueretur, minus spectatam habuisse creditur VXORIS fidem. Cùm ergo ex illa susceptum puerum in vlnis habens suspirasset: causam quæsiuit illa suspirij. Cui maritus: Vellem, inquit, hũc puerum meum esse, vt tuus est: & hanc certitudinem libens magna fortunarũ mearum parte redimerem. Atqui, ait illa, nihil hic impensæ est, negocij parum. Arreptóque filio: Hic inquit, quod nemo dubitat, meus est. Annuẽte viro: Vt nihil igitur dubij supersit, de manibus meis suscipe eum, ait, tuus sit. Petrarcha.

ACTIVS Syncerus, rari vir ingenij, magnæ nobilitatis, cùm in conspectu Federici regis esset inter physicos quæstio, quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati? alijque fœniculi afflatim dicerent, alij vitri visum, alijque aliud: At ego, inquit, inuidiam aio. Obstupuerunt hoc dicto adeò medici, vt ab auditoribus derisui haberentur. Tum ipse: An non inuidia maiora & pleniora omnia videre facit? Quid autem oculis magis præsentaneum, quàm vt vis ipsa aspiciendi maior reddatur, atque vegetior? protulitque statim Ouidianos illos versus:

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinúmque pecus grandius vber habet.

Pontanus. Ibidem.

IN THEORICA CONVERSATIONE
φιλολογεῖν.

Exercitatio Theorica suam ἀνάπαυσιν & παιδιὰν necessariò requirit. Quæ vel communis illi est cum studiis practicis, vtputa musica, palæstra, deambulationes, & similes motus, quibus etiam illi qui in practico ocio versantur, incumbunt, animi relaxandi gratia: vel propria est illi, ipsa videlicet φιλολογία, hoc est Confabulatio de literis remissioribus, siue (vt Plato nominat) μαλακωτέραις μούσαις, quas grauioribus studiis, καὶ συντονωτέραις μούσαις opponit. A studiis Philosophiæ Theologiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ recursus & veluti relaxatio dabitur ad studia historiarum eloquentiæ, mathematices etiam, si placet. Denique vt in longis peregrinationibus fieri solet, planiciem minus odiosam montis facit vicissitudo, & collium asperitatem subiectæ valles minuunt: sic quoque assiduos labores in quocunque genere disciplinæ diversa studia aliquatenus refocillare solent. In corporis motu, statio sessionis quies est, stationis decubitus, decubitus deambulatio. Itidem in animi motibus diuersarum rerum theoria quietem aliquam præstat: præter id quòd quando ratio feriatur, phantasia nihilominus aut memoria libere potest operari. Est igitur φιλολογία honestissima & fructuosissima Theorici ocij refocillatio. Cuius generis sunt, Platonis Symposium, Athenæi Dipnosophistæ, Ciceronis Tusc. quæstiones, Macrobij Saturnalia, & similes aliæ doctorum iucundæ conuersationes.

IN PRACTICA CONVERSATIONE ΙΣΤΟΡΕΙΝ.

Theoria παιδιὰ honestissima erat φιλολογία, hoc est, diuersorum studiorũ interiectio: in qua non tam acumen, quàm delectatio requirebatur. Vicissim in vita practica φιλολογία historica iucundissima erit & fructuosissima siue veræ rerum gestarum narrationes instituantur, siue fabulosæ & poeticæ: ex quibus tamen vtilitas aliqua percipi queat. τὸ ἱστορεῖν ergo inter practicas παιδιὰς primas obtinet, quando quidem Historia vitæ ethicæ simulachrum est, atque speculum.

VLYSSES apud Homerum in conuiuio Phæacum errores suos narrat, suaque facundia comitate omnium animos demulcet.

NESTOR passim ἐν τῷ ἱστορεῖν vrbanissimus & iucundissimus ab Homero introducitur.

ÆNEAS Didoni Troiæ excidium inter pocula narrat, apud Vergiliũ, Homeri simiam.

FACETE ALIOS FACTIS REPREHENDERE, *punire, aut redarguere.*

ANGELOTVS cardinalis S. Marci, vir admodum facetus, quum eius familia ducendi Domini gratia (sicuti mos est) ad pulsati tintinnabuli signum nõ conueniret: ad horam postea mẽsæ vulpina cauda, ne sentiretur, æra percuti mandabat: paucique admodum fortè præsentes, tantum discũbebant. Volat. lib. 22. Antroph.

CAROLVS V. Imp. Gandaui rusticum temulentũ in triuio dormiẽtem conspicatus, in aulam a suis satellitib. deferri curauit, & in regio lecto collocari: cumque edormisset crapulam, famulos præstò esse, qui cum splẽdidis vestibus induerent, & tanquam Imperatorem obseruarent. Parent illi. Rusticus expergefactus, rei nouitate primùm obstupescens, & vigilãtem se somniare existimans, mox magicis præstigiis se decipi credens, adiurationibus & obsignationibus cacodæmones abigere tentabat. verùm cùm tandem & mensa regia esset apposita, præsentem felicitatem amplectens, nec qua ratione eam adeptus esset vlterius perpẽdens regio supercilio famulos alloqui, eorumque ministeria exigere cœpit. Porrò vbi vino obrutus in somnum rursus incidit vestib. propriis rusticum vestiri, & in triuium reponi iussit. Rusticus cùm crapulam edormisset, somnianti sibi ea quę vigilanti In aula Imperatoris acciderant apparuisse constanter affirmauit.

VRBANIS MORIBVS ALIOS DELECTARE.

ZENO philosophus rogatus, cur in conuiuio tam hilaris esset, qui alioqui seuerior videbatur: vrbanissimè respondit, Lupini (inquit) quũ sint amari, perfusi tamen aqua dulcescunt Laertius in vitis.

QVI CVM QVIBVS LVSERINT, ET ANI- *mum honestè relaxarint*

CVM PARIBVS.

ALEXANDER Macedo etiamnum puer, interrogatus vtrum in arenam descendere vellet? Perlibenter respondit, si reges antagonistas habiturus esset.

CVM PVERIS LVDERE.

HERCVLEM aiunt labores, quos in certaminibus subibat, ludicris alleuiasse. Ludebat enim ille Iouis & Alcmenæ filius remissius cum pueris. Sed & Euripides eundem deum introducit, & facit dicentem: Ludo, quoniam laborum vicissitudo mihi semper grata est. Dicit autem hoc, puerum tenens. Ælianus lib. 12. de Var. hist.

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, quum miro esset affectu erga liberos suos, dicitur aliquando arundine pro equo conscensa, vnà cum pueris lusisse domi. Id cum fortè vidisset ex amicis illius quidam, rogabat, ne cui diceret quod viderat, priusquam ipse quoque liberorum parẽs esset factus. Festiuè subindicans, cum lusum nõ esse leuitatis, sed pietatis: nec hoc quod agebat, videri posse ineptum ei qui modo expertus esset, quàm ingens sit affectus charitatis parentum erga filios. Plutarch. in Lacon. Apoph. & Ælianus libro 12. de Var. hist. Simile cum proximo Socrati attributo.

SOCRATES, qui Delphici *Apolinis oraculo omnium sapientissimus* pronunciatus est, cùm fortè cum Lamproclo filiolo pueriliter luderet, ab Alcibiade vehementer derisus est. At ipse: Non est, inquit, vt me parentẽ cũ filio ludentem rideas *immoderatius*, qui ignoras parẽtum in filios affectum. tacebis itaque, donec & ipse liberos genueris, similia tentaturus, & fortasse magis puerilia Ælian. lib. 12. de Var. hist.

ARCHITAS Tarentinus, Reip. simul & philosophiæ studio deditus, factus iam maritus, & seruis abundans, maximè liberis eorũ delectabatur: & cum seruorum filiis ludiera agitabat, plurimumque inter epulandum illorum præsentia delectari solebat. Ibidem.

Volaterranus ait, COSMVM Medicem iam senem, & patriæ principẽ, nepotibus paruis colusisse, & ex his cuidam auenam in medio foro aptasse.

CVM SERVIS LVDERE.

M. CATO censor grauissimus, cum verna & famulatu animum relaxauit, & ea ipse die qua tulit repulsam in conuiuio lusit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21.

CVM BRVTIS LVDERE.

Ostendit nobis IOANNES Euangelista, viuentẽ hominem in negociis perpetuò versari non posse, ita ne aliquando ocium attingat. Itaque is sæpe cum perdice ludebat. Propter quam rem cùm eum adolescens irrideret, arbitratus parum conuenire seni homini, qui sanctimoniæ exemplum atque specimen esset, vt ociosus cum aue animi laxamentum quæreret: Ioannes pendere arcum ab eius humero conspicatus, petiit vt arcũ tenderet. Quod cum egisset adolescens, sæpiúsque sagittasset, demùm à Ioanne dimissus, arcum remisit: tũ Ioannes, Remittendi causam quæsiuit. Respondente autem adolescente, arcui funem se detraxisse, vt cùm vti eo necesse fuerit, sagittationi inutilem non inueniat. tunc Ioannes: Et ego & cæteri honesto ocio interdũ relaxamur, vt maioribus viribus orationi atque ieiunio sufficere possimus. Quod fieri non posset, si semper eodem viueremus. Fulg. lib. 8. cap. 8.

DOMITIANVS Vespasiani & Domicilæ libertæ filius, & germanus Titi iunior, qui vndecimus ab Augusto imperiũ suscepit, non tantũ ociosus, verũ omnino segnis in imperio fuisse dicitur. Remotis quippe omnib. muscarum agmina persequebatur. Hinc percunctanti cuidam, quisquámne in palatio esset? responsum, Ne musca quidem. Europ. lib. 9. cap. 3. & Erasm. prouerb. Ne musca quidem.

HIERONYMVS Donatus Venetus, patre Antonio natus, dum puer literis vacaret, ocij tamen in primis amans habitus est. Quippe qui & domi sæpe cantaret, & auiculis, si fortè in illas incurrisset, se oblectaret. Quo animi affectu tantum tamen literis Græcis ac Latinis excelluit, vt quum noctu dieque libris euoluendis operam daret, sæpe tamen musicæ cantilenæque ocio caperetur. Quum etiamsi ei liceret, ab vrbe sæpe Patauium peteret, vbi egregias condidisset ædes, doctissimorum hominum consuetudine præcipuè vtebatur, cùm iisque colloquia iucundissimè miscere solebat. Ibidem.

LIBERALIBVS EXERCITIIS OCIVM TERERE.

Aristoteles in 8. Pol. παιδεύματα liberalia 4. cõstituit: γράμματα, γυμναστικὴν, γραφικὴν, καὶ μουσικὴν quibus optimæ ciuitatis liberos erudiri præcepit, vt his tanquam veræ virtutis rudimentis assuescant, & mox vnà cum ætate ad magis seria studia capessenda idonei reddantur. Præterea etiam illis qui Remp. iam administrant, si quando à grauioribus curis animum relaxare volent, ad hæc studia recursus dabitur: non quidem vt ipsi agant, hoc est, vel pingant, vel cãtent, vel exerceantur, vel in literis versentur (hæc enim puerorũ sunt παιδεύματα) sed vt alios in his versantes audiant, & de illis iudicare possint. Vult enim Aristoteles, ciues suæ Reip. in omni virtutum genere perfectissimos esse. At nos, qui hanc ideam magis optare, quàm oculis intueri possumus, exercitia liberalia in ocio laudamus, ab Aristotele proposita: vt tamen parum interesse opinemur, vel alios in illis versantes audire & intueri, vel sponte in illis exerceri. Exempla plurima ex loco Post conuiuia quid agendum: item ex tit. Eorum qui magistratibus sese abdicarunt, peti possunt.

IN LITERIS.

ALPHONSVS rex, statim post prandium doctum aliquem virum ad se vocare solitus erat, qui aliquid cedro dignũ diceret: vt ita quoque post corporis pastum, animus aliquo pacto iucundioribus & lepidis sermonibus reficeretur. Pont. cap. 1. de Conuiuentia.

IN PICTORIA ARTE.

Exempla pete ex tit. Pictorum.

LVCAM Euangelistã arte picturæ animũ, spiritalibus negociis fatigatũ remittere consuesse accepimus. Romæ duæ imagines visuntur: altera Christi in sancta sanctorũ, altera beatæ Mariæ virginis in ecclesia quæ sanctę Mariæ maioris dicitur: eas ab ipso pictas ferũt, similitudinẽ exprimentes eorum, quorum nomini dedicatæ sunt. Constantinopoli etiam extare eiusdem virginis effigiem pictam constat, quam ab eodem delineatam ac fabrefactam fama celebrat. Hoc exercitij genere siquis vti voluerit, illud tantummodo pingendum fingendúmue sibi meminerit, quod ad virtutẽ capessendam prouocet spectatores, non quod ad vitia inani oblectatione possit allicere: hoc enim opus diaboli est, illud Christiani. Marulus libro tertio, capite nono. Sabellicus libro secundo, cap. 9.

IN GYMNASTICIS EXERCITIIS, AVT *quibusuis aliis corporis motibus.*

SOCRATES vsque ad vesperum contentius interdum ambulasse dicitur. Interrogatus autem, cur id faceret? Quo melius cœnaret, obsonare in ambulando famem, respondit. Platina 2. de Optimo ciue.

ROMANÆ iuuentutis summum studium fuit in nandi peritia, post solitas exercitationes, quibus quasi simulachris pugnæ, animos corporáque tanquam ad verum bellum acuebant. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

DIONYSIVS tyrannus pila & folliculo assiduè lusisse dicitur, vt amissas vires acquireret. Alexan. ab Alex. libro tertio, cap. 21.

AVGVSTVS Cæsar pila & folliculo animum persæpè recreasse scribitur. Pont. lib. de Principe.

L. CÆCILIVS Epirota, qui primus Romæ Grammaticæ ludum aperuit, primúsque Vergilium aliósque nouos poetas prælegere cœpit: post multos labores in schola impensos, cum Cæsare pila ludere consueuit, vt animum literis defatigatum, paululum recrearet: vt retulimus ex Macrobio, in titulo de Scommatis.

ALFONSVS senior Calabriæ dux, Alfonsi iunioris auus, vir literarum & Reipublicæ administrationis studiosissimus, & in primis bellicis rebus clarus, post grauissimarum rerum curas, meridianis horis, arcu se cum iunioribus relaxandi & refocillandi animi gratia exercebat. Pont. lib. de Principe.

ANTONIVS eremita, cùm olim suos monachos animi & relaxationis gratia in desertum duxisset, obuiamque venisset sagittarius, admirans cur Christi serui in ocio vitam degerent: iussit Antonius vt arcum magis magisque intenderet. Ille cùm incolumi arcu vlterius non posse, respondisset: Bene, inquit, Antonius. sic quoque nihil est quod continuum & perpetuum laborem ferre possit. Volater. libro vigesimo primo. Anthrop.

ROBERTVS Hierosolymorũ & Sicilię rex, philosophus summus, singulis diebus statis horis tum aliis exercitiis, tum præsertim balistæ ludo operam dabat, in quo genere exercitij breui omnes superauit. Corpori honestam hanc exercitationem sanitatis ergò concedebat, animo verò iucundissimam recreationem à grauioribus negociis præstabat. Petrarcha de Ocio.

MARCVS Cornarius Venetus, sublato Marino Faletro loco principis creatus, dum res ipsas publicas diligentius curaret, semper equo vehebatur: non tam quòd securiorem fore crederet, quàm quod ipso equitandi vsu maximè oblectaretur. Id quòd Venetiis mirum esse omnibus videbatur, namque eo ocio equitandi delectatus, grauiores omnino pro Repub. curas sustinere videbatur. Egnat. lib. 8. cap. 8.

IN MVSICIS.

Exempla quædam pete ex tit. Studium Musices: item, Vsus Musices in exercitatione Mechanica, eorum scilicet, qui cantu animum refocillarunt.

EPAMINONDAS Thebanus, quem apud præstantissimos auctores, vel primum, vel inter primos Græciæ duces semper inuenio, cui literarũ studium ac Philosophiæ doctrina tanta inerat, vt mirabile videretur (sicut Iustinus historicus ait) vnde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato: is inquam, cum quo Thebanorũ omnis gloria & orta simul & extincta est, suauitate musica gemino labori debitum ocium exornãs, præclarè (vt est apud Ciceronem) Græcis fidibus cecinisse dicitur. Petrarcha de Ocio.

Homerus ingenij cœlestis vates, vehementissimis ACHILLIS manibus canoras fides aptauit, vt earum militare robur leui pacis studio relaxaret. Valerius lib. 8. cap. 8.

SOCRATES philosophorum parẽs, iam senex & annis maturus, apud Conum fidicinem lyricis organis operam dedit.

MINVS LIBERALIBVS EXERCITIIS *ocium terere.*

MECHANICIS EXERCITIIS.

PAVLVS abbas in Ægypti eremo (cui Porphyrio nomen est) cõfidẽs, cum sibi ad victum hortulus, quem ipse fecerat, & palmarum ferax regio satis essent: quotidie tamen aliquot horis palmæ texturæ operam impendebat. Ea verò quæ texuerat, annis singulis concremabat. Septima enim & eo amplius mansione ab hominum habitaculis remoto, neque dare illa cuiquam, neque vendere promptum erat. Quotidianus igitur labor, nõ nisi fugiendi ocij causa insumebatur. Quòd si desidiæ corporique se dedisset, nec in deserto solus permanere, nec ad profectionem sanctitudinis peruenire potuisset. Multam enim malitiam docuit ociositas. Marul. lib. 3. cap. 9.

DANIELI Ægyptio abbati & presbytero in Scythiotico monasterio degenti, sicuti facere aliquid operis post spiritales labores libuit: ita quæ confecerat, ad vicum aliquem deferendo venditare rubori non fuit. Precium omne pauperibus largiebatur, eleemosynas de propriis laboribus impendens, comperta ratione, qua & minimè ociosus, & maximè pius esset: vtque dignus appareret, cuius exemplo cæteri viuerent, miraculis nobilitatus est. Ibid.

STEPHANVS Anachoreta in Mareotide regione, sanctitate vitæ & miraculis clarus, quamuis herniæ morbo (quem Græci hydrocelen appellant) laboraret, non tamen intermittebat quin certa diei hora de palmarũ foliis funiculos intorqueret: maiorem morbum existimans ociositatem. Marulus libro tertio, capite nono: Sabellicus libro secundo, capite nono.

CYRVS maior (si vera sunt quæ de eo Græci scriptores prodiderunt) mirificè est terræ cultu delectatus. Satis constat à Lacedæmonio hospite, mortalium felicissimum iudicatum: quòd præter regnum, quod amplissimum illi fuit, terram scientissimè coleret. Sabellicus libro 2. capite nono.

ATTALVS Philometor in regio horto aconitum, cicutã, aliásque noxias coluit herbas: legebatque semen ceu salubrem aliquam frugem, cùm haud dubie hominum perniciem legeret. Sab. lib. 2. cap. 9.

IDEM Asiæ rex, post regia & ardua negocia hortũ pro deliciis coluit, & fundendis statuis ocium occupauit. Ibidem.

PERSARVM rex iter faciens, ne tædium obreperet, ex tempore, philyrium gestare solebat, & quo id scinderet cultrum. Atque huic operi regiæ manus deditæ fuerunt. Prorsus enim neque libellum, neque cogitationes, vel ad necessarium aliquid dignúmque scitu legendum, vel ad magnum aliquid & memorabile consultandum versauit. Ælianus libro 14. de Varia hist.

P. SCIPIO Aphricanus, sicut laboris supra fidem patiens, sic ociosæ cupidus quietis solus sæpe cum C. Lælio rusticari peregrinarique solitus erat: & interdum littorib. Italicis vagabundus, expugnatricem illam Carthaginis, Numantiæque dexteram, ad marinas conchulas lapillósque cãdidulos legendos inclinauit. Sic enim ad id quod supererat negocium, ocio breuissimi temporis animum recuperabat. Verecunde hęc apud Ciceronem, reuerentérque narrantur, eos incredibiliter, ne vera dicerem, repuerascere esse solitos, cùm rus ex vrbe tanquam è vinculis euolassent. Petrarcha de Ocio.

Fuit FRANCISCI Foscari principatus variis curis, variisque molestiis publicis, bellóque in primis Gallico cum Philippo Mediolanensi duce plurimos vexatus annos. In quo certè & Patres ipsi, & vniuersa ciuitas, & Foscarus ipse dux præcipuè laborarũt. Cæterùm constat ipsum ducem cum ocium ipsum non aspernaretur, intra publicas res quamuis maximè sollicitum, piscationi operam, vbi liceret, impendere solitum, procúlque ab vrbis stagnis in eo ocio versatũ. Videbat enim, qua sapientia præstabat, non posse publicæ rei tantos fluctus à se sustineri, nisi priuato solatio quandoque indulgeret. Ibid.

Regem PHAMPSINITVM, secundum à Proteo primo Ægyptiorũ rege, aiunt descendisse viuum sub terram, eò vbi Græci opinantur sedes infernas esse, & ibi cum Cerere alea lusisse: & aliquando victorem, aliquando victum fuisse: & sursum iterum fuisse reuersum, munus ab ea obtinentem mantile aureum. Quod tempus à Rhampsiniti descensu ad reditum dicebant sacerdotes feriatum esse apud Ægyptios. Herod. lib.2.

HERACLITVS Ephesius, cũ à negociis grauioribus quiesceret, astragalis lusisse fertur. Alex. ab Alexand.lib.3.cap.21.

P. MVTIVS Scæuola Iurecons. (non augur ille, vt Valer. Max. opinatur) pila & duodecim scrupis, atque alea optimè lusisse dicitur. Tanta in illo 12. calculorum lusu diligentia fuit, vt cùm aliquando calculum promouisset, essetque victus, rus profectus, repetito totius certaminis ordine, quoque loco errasset recordatus, redierit ad victorem, & errorem suum indicarit. isque factum confessus sit. His ludis animum à forensibus negociis occupatum reficiebat. Rutilius in eius vita.

Q. Mutius Scæuola diuini pariter & humani iuris illa ætate consultissimus, à procella fori fugiens, in ocio pilæ, aleæ & calculorum ludo fertur operam dedisse. Petrarcha de Ocio.

CLAVDIVS Cæsar, cùm assiduum laborem hominem nequaquam ferre sentiret, nõ tantùm ipse lusibus operam interdũ dedit, sed aliis quoque lusorium opus conscripsit. Alex. ab Alex.lib.3.cap.21.

THEODORICVS Gothorum rex. vt animi vires aliqua ex parte reciperet, in arduis negociis amissas, alea sæpe lusisse dicitur. Ibid.

Memmio cuidam vituperanti CATONEM Vticensem, dicentíque quòd totas noctes ebrius esset: At illud, inquit Cicero, non addis, eum totos dies aleam ludere. ciuiliter excusans Catonem, qui totum diem Reipublicæ negociis dabat, nocturnas aliquot horas sumebat laxãdo animo. Erasm.4.Apoph.

CANIVS Iulius philosophus, iam cædendus, latrunculis intrepidè ludit. Vide Mortis propriè contemptus ethicus.

VRBANITAS PASSIVA.

QVI ALIORVM VRBANAS ET FACETAS REPREHENSIONES modestè ferunt, & vrbanè.

Multos dicendo faciendóque vrbanos reperias: pauciores, qui aliorum iocos, præsertim si ipsos leuiter perstringant, ferre posint. Itaque nõ minor ne dicam maior virtus est, aliorum vrbanitatem ferre posse, quàm vrbanè vel dicere vel facere: præsertim cùm tolerantiæ (de qua iampridem egimus) valde affinis esse videatur. Differt autem à Tolerantia simul & à Libertate, seu potius veritate in reprehensionibus placidè suscipiendis, quòd illic animi fortitudo & veritas considerantur, hic autem sola vrbanitas in patiendo. Nemo enim verè vrbanus dici debet, qui non pari alacritate Scommata dicere & audire potest: absque vlla tamen scurrilitate, aut acerbitate.

C. IVLIVS Cæsar dicteria in ipsum torta, cùm facetissimus esset, non modò æquo animo tulit, sed mirum etiam in modum probauit. Panormia de Rebus gestis Alph.

VESPASIANVS Romanorum imperator, non tantùm pro innata sua erga omnes clementia atque humanitate, iocabatur apud amicos: sed iocosè etiam se ludi ab aliis patiebatur. Xiphilinus in eius vita.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm esset admodum facetus & vrbanus: mirari tamen magis licuit, quo animo, quaque moderatione sales & iocos in se retortos pertulerit, quàm quomodo ipse iocos protulerit. Panormita lib.4. de Rebus gestis Alph.

QVI ALIORVM EXERCITIIS OBLECTANTVR.

AVDIENDO.

SOCRATES philosophus grauissimus in theatrum descendere solitus est, quando Euripides fabulas suas edebat. Qua spe tunc quoque ducebatur, quando in Aristophanis νεφέλας incidit. Vide tit. Tolerantiæ obtrectationem.

SPECTANDO.

Huc omnes illi qui Spectaculis delectati sunt, referri possunt.

ROMANI, quantum ludis & spectaculis delectati fuerint, illud satis indicat, quòd Trebonius auro, aliis argento, plerique ebore, Q. Catulus velis carbasinis Lentulus Spinter byssino velo theatrũ texerat, Nero Cæsar auri ramenta pro harena strauit. Alex. ab Alex lib.5.cap.16.

ALEXANDER Seuerus imperator. si quando quietum post Reipublicæ negocia se esse videret, perdicum & catulorum pugna se oblectauit. Alex. ab Alex. lib.3. cap. 23.

Quum post cladem acceptam ad Persas quidam ab arcadia transfugissent, auxilia pollicentes, producti sunt in conspectu Xerxis. Ibi Persis percontantibus, quid agerent GRÆCI? responderunt, eos celebrare Olympia, ac gymnica equestriáque certamina spectare. Rursus percontantibus, quod esset certaminis præmium? responderunt, coronam oleaginam. Hic Tritantæchmes Artabani filius, versus ad exercitus præfectum: Papæ, inquit, Mardoni in eiusmodi viros nos incitasti ad pugnandum, qui non pecuniarum gratia certamina agitant, sed virtutis ac laudis. Ea vox tum visa est timida, vt sæpenumero prudentia habetur pro ignauia. Refert Herodotus in Vrania.

SOCRATES Euripidis tragœdiis admodum delectabatur, vt nunquã in theatrum nisi illarum spectandarũ gratia descenderet. Tunc quoque cũ νεφέλας Aristophanis agi vidit, non illarum gratia, sed quia ab Euripide aliquid expectabat, eò venerat. Ælian.lib.2. Var.hist.

SCOMMATA ALIORVM TVRPIA ET INHONESTA non ferre.

EXERCITIA ET LVDOS ALIORVM INHONESTOS non ferre.

ODIVM HISTRIONVM ET MORIONVM.

AVGVSTVS Cæsar, Hylam pantomimum in atrio domus suæ nemine excluso flagellis verberauit, prætore licentiã histrionis culpante. PYLADEM quoque vrbe atque Italia summouit, quòd spectatorem (à quo exsibilabatur) demonstrasset digito, conspicuumque fecisset. Suetonius.

FRIDERICVS Cæsar potentissimus, interrogatus an moriones in conuiuium intromittendi essent? Neque stultis, inquit, delectari possum, neque superbis esse amicus. Non intelligũt hodie principes Friderici dictum, qui hac hominum fece ita delectantur, vt omnes aulæ stultorum & morionum sint plenæ. Æneas Syluius lib. 2. Commentatiorum de rebus gestis Alphonsi.

ALPHONSVS Aragonum rex, quanquam esset liberalissimus, stultos tamen & moriones perrarò admisit: huiusmodi homines cisternæ rimosæ persimiles esse dicens, quas vt nullus impleret imber, sic hos nulli quamuis magni prouentus rerumque compendia exsatiarent. Pont. de Liberalitate.

ODIVM ATHLETICORVM CERTAMINVM.

DIOGENES Cynicus Dionysiaca certamina, quæ Athenis in honorem Bacchi magnis impendiis põpáque celebrabantur appellabat magna stultorum miracula: quòd in his nihil non ridiculum ageretur. Laertius lib.6. cap. 2. Eras. lib.3. Apoph.

DEMONAX Cynicus philosophus, quum videret Athenienses hoc agere, vt barbarorum exemplo gladiatorum spectacula in vrbem inducerent: Nolite, inquit, ô canes istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem vestram, quàm Misericordiæ aram sitis demoliti. Significans, non cõuenire, in ea ciuitate, in qua Misericordia pro dea coleretur, spectari plusquam ferinam crudelitatem. Eras. lib. 8. Apoph.

ANACHARSIS Scytha aiebat se demirari, quî cõueniret, vt Græci, qui

legibus suis violentiam & iniuriam puniunt, athletas ob hoc ipsum honorarent, quòd se mutuò percuterent. Salsè damnans crudelem populi voluptatem, ac in moribus inconstãtiam. Quod enim iniustum est, semper iniustum est. Quãquam heu nimium Ethnicarum reliquiarum adhuc residet in moribus Christianorum: tamen illis prodigiosis voluptatibus gladiatorum, pugilum & Athletarum delicijs liberati sumus per Christũ. Eras. Rot. lib.7. Apoh. ex Laert. lib. cap.9.

IDEM oleum dicebat esse venenum, insaniam gignens, eo quòd athletas videret vnctos in se inuicem insanire. Nec olei vsum, vt arbitror, nouerãt Scythæ: vt quod nec apud illos proueniret, nec aliunde importaretur. Athletæ non pugnant, nisi vncti. putant enim corpus fieri robustius. at Scytha simulabat se credere, illis oleum esse causam insaniæ. Philosophi dictum extat apud Laertium lib.1.cap.9.

VITIVM IN EXCESSV. SCVRRILITAS.

SCVRRAE EX PROFESSO.

Varijs appellantur nominibus. A discurrendo Scurræ, ab imitando Mimi, ab errando plani, à concursu populi Agyrtæ & Circumforanei: à captando cibo βωμολόχοι quasi quòd aris insidientur, & in deorum sacrificijs frequẽtes adsint, vt populum post sacra delectent, ventrẽque saginent. γελωτοποιοὶ denique & χειρόσοφοι quod risum moueãt, quódque ridicula multa manuũ agilitate posint efficere. Exempla aliquod huic loco inseruientia ex titulo Histrionum petes, quos supra famulos Poetarum esse diximus. Artis ratione Poetarum sunt ministri: sed quatenus risum affectant, huc spectare videntur. Sic etiam quando aliis scurrilitate sua placere volunt, inter adulatores connumerari possunt.

CIRCVLATORES Indi omnium præstantissimi, quos Alexãder Macedo in nuptijs suis adhibuit. Ælian.lib.8. Variæ historiæ.

GENESIVS Arelatensis patria, arte mimus & infamis, Christianos apud Imperatorem Diocletianum turpissimis gestibus irridebat. Qui tamen ab eodem demùm quoque interfectus est. Volater. libro decimo sexto. Anthrop.

SARMENTVS Romanus eques, scurrilitate notissimus sub Augusto Cæsare.

APITIVS Galba nobilis scurra sub Tiberio Cæsare. De vtroque Iuuenalis Sat.5.

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

De Sarmento Horat. in Ser.

Nunc mihi paucis,
Sarmenti scurræ pugnam, Messíque Ciceri
Musa velim memores, & quo patre natus vterque,
Contulerit lites. Messi clarum genus Osci.

RHYNTON fuit vilissimus nugator Tarentinus, de quo Varro & Galba meminerunt.

TECTIVS Caballus scurrilitate claruit apud Romanos. De eo Martialis lib.1.

Qui Galbam saltibus tuis, & ipsum
Posses vincere Tectium Caballum.

BVRRA fuit quidam scurra natione Hispanus, quem Sigismundus imperator in conuiuio argento onerauit, adeò vt sub pondere iam fatisceret. Rauis.

MÆNIVS scurra ab Horat. in primo Epistolarum commemoratur:

Mænius vt rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis vrbanus (abusiuè, pro βωμολόχος) cœpit haberi,
Scurra vagus, qui non certum præsepe teneret,
Impransus ciuem qui non dignosceret hoste,
Quælibet in quemuis opprobria dicere fenus,
Ingluuies, & tempestas, baratrúmque macelli:
Quicquid quæsierat ventri donabat auaro:
Exhaustusque bonis, patinas cœnabat omasi
Pinguis, & agnini, tribus vrsis quod satis esset.
Scilicet vt ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos correptus. Menius idem
Si quid erat nactus prædæ melioris, vbi omne
Verterat in fumum & cinerem: Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona, cùm sit obæsò
Nil melius turdo, nil vulua pulchrius ampla.

PELAGIA Antiochena mima, non modò corpus vulgauerat, verùm Antiochiæ quoque scenæ ac theatro operam suam locabat. Hæc postea mutato viuendi genere, cùm in deserta loca se contulisset, libidines delíciasque in vitæ rigiditatem solidãque virtutem commutauit, ita vt abstinentia alijsque virtutibus, permultos monachos atque eremitas superaret: ædificique & dum vixit, & posteaquam mortem obijt, miraculis, in sanctarum numerum referri meruit. Fulgos.6.cap.9.

P. SYRVS mimus facetissimus. Vide titul. Comicorum Latinorum.

ANTIPHANES Bergæus (ex Thraciæ vrbe Berge) Comœdias scripsit, in quibus ἄπιστα fingit, adeò vt ab eo prouerbium factum sit, βεργαΐζειν, id est, vana & incredibilia dicere. Gyraldus Dialogo 6. Hist. poet.

OTTO Iocundus cognomine, Austriæ dux, duobus morionibus summopere delectabatur, altero equite Franco, Ottone Fugs, qui ab euentu odij, quo cum rusticis perpetuò confictabatur, Neydhardus dictus est, altero sacrifico, Vuigando à Teben, parocho in Calenberga, pago ad Danubium. Lazius in Geneal. Aust. lib.2.

OTTO Fugs, propter odium rusticorum Neytharbus dictus, eques Francus, & WIGANDVS à Teben, sacrificus, parochus Calenbergæ in Austria ad Danubium, moriones festiuissimi: quorum iocis Otto Iocundus Austriæ dux mirum in modum delectabatur. Eorum facta dictáque falsa apud Germanos passim adhuc vigent, non tantùm ore populi, sed etiam monumentis literarum celebrata. Sarcophagus alterius ad parietem meridionalem cathedralis templi Viennæ, alterius verò in pago Prugkles, supra oppidum Newenkychen conspicitur. Lazius libro 2. Geneal. Aust.

QVI NIMIVM SCVRRILES SVNT, IN CAPTANDO RISV *hominum, & delectando eos quibus cum versantur.*

AMASIS Ægyptiorum rex, ab aurora vsque, dum refertum esset forũ, accuratè negocia expediebat. Deinde potabat, & inter compotores iocabatur, morionem agens ac scurram. Quibus rebus offensi amici, cum verbis castigabant, quòd contra dignitatem regiam ageret. Quibus ille respondit: Arcus ab his quorũ sunt, cùm est opus, intendi: eosdem cũ semper intenti sunt, ruptum iri: nec posse eis illos, cùm indigeant, vti. Ita etiã homo si assiduo laborare studio, nec vllam partem ad lusum sibi indulgere velit, fore vt pedetentim aut mente capiatur, aut membris. Eapropter vtrique rei tempus impertiendum. Herod.lib.2.

PETVLANTES IN SCOMMATIS ET DICTERIIS iaciendis. Ioci intempestiui.

σαρκασμοὶ & μυκτηρισμοὶ, huc referri possunt. Exempla quædam ex tit. Acerbitatis in reprehendendo huc transferri possunt: præterea etiam ex tit. Tolerantiæ obtrectationum, &c. Item, Libertatis nimiæ pœna.

Clitophus PHILIPPO iacienti in ipsum scommata, & admodum hilari: Ego posthac, inquit, te non alam. Lepidè inuertens rem. nam reges in hoc alunt parasitos, vt illorum dictis exhilarentur. Quod si ipsi reges inter se norint ludere, & in alios ridicula dicere, nihil opus sit parasitis, quũ ipsi norint parasitos agere. alioqui parasiti magis alunt reges, quàm reges parasitos. Quamquam Plutarchus in Symposiacis ita refert, οὐκ ἐγώ σε τρέφω, id est, Non ego te alo: notans regem, quòd versa rerum vice, pro rege ageret morionem: Tu me alis, vt ridiculis dictis te exhilarem, nõ ego te. Eras.6. Apoph.

PHILIPPVS rex Macedonum, is cum quo Romani primum bellũ Macedonicum gessêre, iocosior etiam inter seria fuisse traditur, quàm deceret regem. Is cùm ad T. Q. Flaminij multorumque Græciæ principum colloquium venisset, & disceptatio de altissimis rebus esset, vbi suus regnique sui status vertebatur, dicente Ætolorum prætore Phanea: Quid multis verbis opus est, inter nos bellum iudicabit. Istud quidã (inquit rex) etiam cæcus videt: cauillatus in loquentis lippitudinem. Petrarcha.

P. SCIPIO Africanus, intempestiuo ioco in comitijs ædilitatis repulsam tulit. Vide tit. De repulsa.

CICERO solebat de Pompeio nimium mordaciter iocari his verbis: Ego, quem fugiam habeo, quem sequar non habeo. his horumque simi-

libus hoc vnum Pompeius reludebat: Cupio ad hostes Cicero transeat, ve nos timeat. Tantam illam loquendi fiduciam Ciceroni nō aliunde, quàm ex familiaritate nimia prouenire affirmans. Petrarcha.

Gallus quidam de Cæsaris exercitu ad Pompeium transfugerat: illi ciuitatem Romanam dederat Pompeius. exclamauit CICERO: O bellum hominem Gallo ciuitatem promittit alienam, nobis nostram reddere nō potest. Idem.

Quis immitior TIBERIO Cæsare, præsertim postquam Capreas attigit, cruentissimo eius otio famosam & infælicem insulam? Illic moras

trahentem, Ilienſium adijt legatio, conſolationis obſequium principi ferens, ſuper mortem Druſi vnici filij. Cuius mortis dolorem ille memoriamque omnem, non tam forti quàm inhumano animo conſeſtim ableuerat. Itaque velut intempeſtiuis conſolatoribus ſic illuſit: Ego quoque fortunæ veſtræ compatior, quia magnificum ciuem Hectorem perdidiſtis. Vtra milleſimum annum iocandi materiam quæſiuit, animo ferox, actiſq; metuendus. Idem.

ΑΟΓΟΑΕΣΧΙΑ. NVGIGERVLI, QVI DE REBVS FRIVOLIS & in vtilibus garriunt. Nugacitas.

Exempla quædam ex tit. Loquacitatis pete. λόγοι Græcis prochodochium eſt δημόσιον οἴκημα εἰς λέχος ἢ ἀκροατὴν τοῖς ἀκροᾶσθαι βουλομένοις. Inter mendicos de rebus fatuis & minutis tantum diſputatur. Itaque λογολεσχεῖν nihil eſt aliud, quàm de rebus inutilibus & fabuloſis verba facere & nugari. ἀδολεσχία, ὅτι ἀδεῖ τοῖς λόγοις, quia delectatur hiſce magis, ad ſcurrilitatem paſſiuam refertur.

LOQVACITAS QVI DE REBVS NECESSARIIS PLVS quàm oportet, loquuntur.

De Loquacitate ſuperiori Libro egimus, quando de nimia familiaritate diſputauimus: hic tantùm, quatenus ab Vrbanitate excedit, locum habet.

QVI LVDO VEL INHONESTO ET ILLIBERALI, VEL HONESTO quidem, tamen præter modum, locum, tempus, ſeipſos oblectarunt.

Auaritiæ crimen plerumque coniunctum eſt: nos tamen hic ſolam ludendi voluptatem conſideramus.

Plato Athenienſis, APOLLESCENTEM, quòd luſiſſet aleam, graniter increpauit, qui quum diceret: Sic obiurgas ob rem paruam? At paruū non eſt, inquit, aſſueſcere. Senſit vir prudentiſſimus, aleam eſſe rem perniciosam, & vitij ſuſtentaculum. Laert. lib. 3.

Alexander Magnus QVONDAM ex amicis mulctauit, quòd in ludo aleæ ſentiſſet eos non ludere: ſiquidē multi ſunt qui in hoc ludo velut in re maximè ſeria verſantur. nō enim ludūt, qui fortunas ſuas omnes, interdū & liberos, aleæ permittunt arbitrio. Plut. in regum & imp. Apoph.

MANNIVM Curium accuſator eius ad concitandam inuidiam in ſipario ſibi velaminis genus ſpinxerat omnibus locis, aut in neruo nudū, aut ab amicis redemptum ex aleæ choe agens, vt omnibus perſuaderet, quàm is eſſet perditè deditus aleæ. Hoc crimen ridiculè iudicatus eſt Manius: Ergo, inquiens, numquam vici: Alter intelligi volebat, Curium aſſiduè lutulē aleam. Curius eo tulit, quaſi infelicitas eſſet opprobrata. Non eſt verſimile, qui frequenter ludit talleris, numquam vincere. Refert Fabius.

LARTES Volumnius Veientium rex, alea ludens, cùm in proſpero tesseratum ictu, Occide, exclamaſſet, & Romanorum legati forte interuenissent: Satellites citate vocis impulſi, legatos interfecerunt. Val. Max. lib. 9.

CHILON Lacedæmonius, iungendę ſocietatis cauſa CORINTHVM miſſus, cùm principes ciuitatis in alea occupatos inuenisset, ſtatim infecto negocio redijt, dicens: Nolle ſe gloriam Spartanorum, tum quidem clarescentem, ea maculare infamia, vt diceretur, Spartanos cum aleatoribus ſocietatem iniiſſe. Platina hib. 1. de Optimo ciue.

PTOLEMÆVS Ægyptius ex, talleris ludens, fontes condemnabat. Berenice vxor eius, accepto libello è pueri manibus, non permiſit vt ad

ALYPIVS, Tagaſtenſis poſtea epiſcopus, D. Auguſtini amicus ſummus in iuuenta (antequam ad Chriſtum conuerſus eſſet) Circenſium ludorum ſpectaculis ad inſaniam vſque deditus fuit: à D. tamen Auguſtino ad meliorem vitam reuocatus. Vide eius vitam ſub titul. Doctorum Eccleſiaſticorum.

Diogenes Cynicus, cùm aliquando de ſe ſeria differens, nullum haberet auſcultatorem attendentem, cœpit ineptam cantionem caſtere, veluti ſaltaturus. Vbi iam PLVRIMI conuenirent, obiurgauit illos, qui ad ſtulta & inepta ſrequentes & alacres accurerent: ad ſeria verò & ad bene viuendum vtilia, nec alacriter conuenirent, nec diligenter auſcultarent. Huic ſimillimum eſt, quod Demoſthenis quidam adſcribunt, de vmbra aſini. Laertius lib. 6.

VITIVM IN DEFECTV. RVSTICITAS. Inurbanitas. ἄγριοι καὶ σκληροί.

Ruſticitas duplex eſt: Actiua eorum, qui nec dictis nec factis hilares eſſe poſſunt, aut volunt: Paſſiua, qui aliorum iocos, facetias, ludos nec videre, nec audire ſuſtinent. Vitium τῆ μισανθρωπίᾳ ſeu Moroſitati proximum.

INVRBANITAS ACTIVA

M. CRASSVS tanto fuit animi rigore, vt ſemel tantùm in vita riſerit. Sidonius.

Tam cenſorius haud fuit vel ille,
Quem riſiſſe ſemel ferunt in æuo,

PHILIPPVS Imp. (qui Gordiano ſucceſſit) tam ſeueri & triſtis fuit animi, vt iam tum à quinquennio ætate nullo cuiuſquam commento ad riſum ſolui potuerit, aut ab inflexibili naturæ tornitate dimoueri. Sex Aurelianus.

EVRIPIDES Tragicorum princeps, natura triſtior ac ſeuerior fuiſſe ſcribitur. Vnde μισογέλως dictus eſt Gell. lib. 15. cap. 20. Athenæus tamen lib. 13. Sophocle authore, eum excuſat, quòd in fabulis tantùm hunc præ ſe animum tulerit, reipſa autem & priuatim talis non fuerit.

INVRBANITAS PASSIVA.

SCVRRILITAS PASSIVA.

ΑΔΟΛΕΣΧΙΑ.

Qui rebus friuolis & fabuloſis audiendis delectantur, ἀδολεσχεῖν dicuntur. Cuius etymon paulo antè declarauimus.

DIOGENES cùm ſeriò quandoque loqueretur, & nemo auſcultaret, ſeſe ad ſonum muſicum contulit. Congregatis autem ad ſe quampluribus, exprobrauit, vt qui ad inepta ſtudioſè concurrerent, ad ea verò quæ grauia eſſent & vtilia, negligenter conuenirent. Dicebátque deſodiendo & calcitrando certare homines: vt autem boni & probi fierent, curare neminem. Laert. lib. 6. cap. 2.

DEMOSTHENES, *cùm quemdam in capitali cauſa defenderet, ac iudices parum attentos haberet, & dicenti obſtreperent, ille: Pauliſper, inquit, aures mihi præbete, ſiquidem rem narrabo nouam ac lepidam, atq; audire iucundam. Cumq; autes arrexiſſent omnes: Adoleſcens, inquit, quíſpiam aſinum conduxerat, quo merces ex Athenarum vrbe Megaram ve-*

heret. Cùm autem in via æſtus meridianus ingraueſceret, nec inueniret, quónam vmbraculo ſolis ardorem depelleret: depoſitis clitellis, ſub aſino ſedens, eius vmbra ſe obtegebat. Cæterùm id agaſo non ſinebat, eum inde repellens: clamansque, aſinum eſſe locatum, non aſini vmbram. Alter item ex aduerſo tendebat, aſſerens etiam vmbram aſini ſibi collocatam eſſe. Atque ita acerrima inter eos pugna exorta eſt, ita vt ad manus venirent. Hæc locutus Demoſthenes, vbi ſenſiſſet indices diligenter auſcultantes, repentè cœpit à tribunalibus deſcendere. Porrò reuocatus à iudicibus, rogatusque vt reliquum fabulæ enarrare pergeret: De aſini, inquit, vmbra lubet audire: viri autem cauſam de vita periclitantis, audire grauamini, &c. Vide prouerb. apud Eraſ. de Aſini vmbra.

QVI LVDOS ET EXERCICIA INHONESTA ALIORVM, VEL *honeſta quidem, præter modum tamen, ſpectant & perſequuntur.*

LIBRI VNDECIMI FINIS.

THEA

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER DVODECIMVS.

DE IVSTICIA IN GENERE.

DE virtutibus Ethicis hactenus,quatenus habentem perficiunt.Nunc ad iusticiam transimus, quæ solo ἀλότελον καὶ κοινωνικὸν ἀγαθὸν est:hoc est,non ad habentem refertur (nisi quatenus ab ea iustus esse dicitur)sed potius ad alios,quibus cum versatur:virtus humana maximè,si vlla alia, & ad societatem politicam fouendam accommoda,Dei opt. max. naturam in bonitate sua aliis imperiendа referens.Humanæ igitur societatis vinculum est Iusticia, quandoquidē omnes alias virtutes in se continere videtur,sine quibus vita beata esse non posset. Et propterea inter virtutes Prudentia & Iusticia principes esse videntur:Prudentia quidem, quatenus τὸν ὀρθὸν λόγον , sine quo nulla virtus subsistit,continet & moderatur,Iusticia verò,quatenus virtus quælibet alia suum cuique tribuere videtur.Tribuit autem suum cuique vel propter Legem iubentem , quam δικαιοσύνην νόμιμον καὶ καθόλου, siue ὅλην ἀρετὴν vocat Aristot.vel propter Rationem rectam,quæ æqualitatem in omnibus rebus obseruare iubet:& propterea τὸ ἴσον,siue τὸ δίκαιον κατὰ μέρος appellatur. Νόμιμος iusticia ea est,quando rectè & iustè agunt,non respectu æqualitatis,sed respectu legum,quibus parere iussum esse ducunt. Tribuunt ergo primò & per se legibus id quod suum est:videlicet obedientiam: quando ea quæ sequi lex iubet amplectuntur:quæ fugere,fugiunt,interim quoque per accidens tribuunt aliis τὸ ἴσον. Hoc tamen non est perpetuum,potest enim quis legibus parere,& tamē reuera iniustus esse,quoniam legibus iniustis obedit:quales sunt illę,quę in mala Repub.feruntur,in qua bonus ciuis à bono viro differt.At in bona Repub.idem est vir bonus, & ciuis bonus : ac per consequens,qui iusticiam νόμιμον obseruat,semper quoque Iusticiam particularem κατ' ἰσότητα obseruabit. καθόλου autem siue ὅλη ἀρετὴ dicitur,quoniam leges sunt veluti publica politicæ vitæ præcepta:cuimque in politica vita omnes virtutum species requirantur,de illis omnibus νόμος præcipiet.Vnde tritū illud,ὁ δὲ δικαιοσύνην συλλήβδην λέγων πᾶσ' ἀρετὴ λέγει. Qui igitur νόμῳ parēbit,τὴν ὅλην ἀρετὴν parebit,& propterea νόμιμος iusticia ἡ καθόλου,siue ἡ ὅλη ἀρετὴ dicetur,ea ratione,qua virtus non ad habentem refertur, quem perficit:sed ad leges ipsas,quibus parendo iustus esse dicitur, & interim per accidens omnigenæ virtuti incumbit.Laudabilis est igitur hæc iusticia,quoniam politicam societatem seruat,& virtutum omnium custos atque vinculum existit:nōn tamen perfecta est, neque philosophica,quandoquidem rationem rectam non sequitur(nisi quatenus legi paret,)sed solam legem : quæ si mala sit & iniusta,tub opinione & specie iusti magna flagitia sæpe designabit.Altera verò Iusticia,quæ τῷ ἰσότητι obseruat,siue à lege posita,siue non sit posita(vtitur enim rectæ rationis iudicio,quæ etiam absq; legibus iustè & sanctè viuere docet) non τὸν ὅλον ἀρετὴν continet,sed μέρος τῆς ἀρετῆς.Fortitudo μεσότης est περὶ θάρρη καὶ φόβους:Temperantia περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας: & sic de reliquis.At Iusticia μεσότης est,nō circa subiectum numero circumscriptum,sed ratione definitum:nempe περὶ τὸ ἴσον καὶ ἄνισον. Vt hic μεσότης nihil aliud sit quàm ἰσότης:ἰσότης autem ista in omnibus iis quæ in nostra sunt potestate vel dandi, vel acquirēdi, vel auferendi alteri,posita esse conspicitur,in quocunque bonorum malorúmue genere censeantur. Non est ergo ὅλη ἀρετὴ, sed μέρος ἀρετῆς:id est,virtus quædam determinata,subiecto materiali à reliquarum virtutum subiectis nō differens : sed ratione formali,hoc est modo considerandi Nam,verbi gratia,Iusticia versabitur circa pecunias,circa quas & liberalis. Liberalis quidem,vt moderatè pecunijs vtatur:& alteri largiendo,animi sui immoderatam habendi cupiditatem refrenet.Irgta seipsum ergo primò,per accidēs erga alium,Liberalitas dirigitur.Iustus verò in pecuniis largiendis id primò & per se considerat,ut is cui largitur , pro merito id quod suum est,quódque vel ex pacto,vel ex virtute meretur,accipiat.Similiter Temperans ab adulterio abstinet : quia turpe sit , vetitæ indulgere libidini:& ipse indignus,qui hoc flagitium committat:iustus verò,quia alter indignus sit,cuius genialis thorus violetur. At vbi nullus est alterius respectus,sed suipsius tantùm:illic non iusticia,sed virtus tantùm ea quæ circa illud subiectum versatur, locum habet. Verbi gratia,Scortationem simplicem euitare eum meretrice, non iusti est,sed solius temperantis:nisi quis ad alium,hoc est ad legem referat:quæ tamen iusticia non particularis,sed νόμιμος siue vniuersalis esset.Et hęc quidem hactenus, de speciebus Iusticiæ, earúmque differentia,tum inter se,tum à reliquis virtutibus.Iusticia igitur vniuersalis sola legum authoritate nititur.siue per se iustæ sint,siue iniustæ.Particularis verò ad æqualitatem omnia refert.Propterea Aristote.μεσότητα esse definit περὶ τὸ ἴσον. τὸ ἴσον Iusticiæ per se subiicitur:τὸ ἄνισον quod τὸ πλέον καὶ ἔλαττον continet,per accidens tantùm,quatenus scilicet à Iusticia corrigitur. Aequale respectum denotat rerum & personarum inter se mutuò.Considerandæ sunt igitur tum res ipsæ æquales & inæquales,tū personæ ad quas res istæ pertinent.In personis ἀξίαι siue dignitas locum habet,quæ vel præmia vel pœnas merentur : in rebus æquanda lentia,vt dignitati & merito cuiusque adæquentur.Personæ igitur iusta agunt vel patiuntur mediis rebus.Sunt enim alię gentes, aliæ patientes personę huius dramatis.Agens vel Deus est,cuique pro merito tribuens,& Iusticia diuina dicitur:cuius nos exempla quædam exemplaris loco afferemus,vel homo,vnde Iusticia humana appellatur.Humana rursus merito patientis vel Religiosa est, quido Deo id quod suum est tribuit:vel profana , quando erga homines æqualitatem obseruat,quam Ethicam alio nomine appellare possemus.Hoc tamen in loco illud est animaduertendum,quòd non semper personę agentes & patientes subiecto diuersæ sunt, sed ratione tantùm.In iudiciis agens persona iudex est,re simul & ratione à litigantibus distinctus.At si quis iniuriam ab alio illatam vlciscatur,agens iusta idem erit,& iusta patiens.Nam iniuriam sibi illatam vltione amolitur:& ipsa amolitione non agere tantùm , verumetiam pati videtur.Sic Hercules Cacū interficiens,iustè agit:iustè patiuntur,Cacus primùm,cui τὸ πλέον, boues scilicet adimuntur,& Hercules,cui iidem restituuntur.In agente persona rursus qualitas obseruāda est,& respectus quem habet erga personam patientem:vtpote,quòd sit vel publica,vt princeps,magistratus:vel priuata,pater, dominus,maritus:itē,vel amicus,vel inimicus:preterea vel notus,vel peregrinus:tum domi & in pace,tum foris & in bello. Atque vt hæc in persona agente consideranda sunt,ita etiam in patiente:cuius diligens ratio est habenda:vt quęnam sit illa nobis constet.Agens enim iustè vel iniustè,volunrate semper agit: at patiens

tiens modò volens,modò inuitus patitur,cuius merito συναλλάγματα alia ἑκούσια,alia ἀκούσια esse dicuntur.Patiens ergo persona ea est,ad quam passio ipsa, siue inæqualitas pertinet,aut quæ huic opponitur æqualitas: præmia denique,& pœnæ . Persona ista nonnunquam in actione præsens est,vtpote si quis per vim ab alio spolietur:nonnunquam absens est,& tamen iniustæ actionis vis ad eam pertingit.Sic qui cum alterius vxore volente mœchatur,vxorem non afficit iniuria propriè , sed maritum eius absentem & nolentem,& propterea quamuis personæ agentes,quæ in actione ista iniusta concurrunt,volentes sint:tamen quia persona patiens, maritus scilicet absens,non cōsentit,συνάλλαγμα ἀκούσιον dici debet.Sed quid si maritus etiam ipse consentiat , nunquid erit contractus voluntarius ipsum adulterium?Neutiquam:quia persona patiens,honestas scilicet morum,quæ vel legibus vel natura cōstat, repugnat.Nam quando domestica æquitas peruertitur,ad politicam confugiendum est.Mariti primùm est adulterium punire. Marito conueniente,& ius suum negligente,iam Reipublicæ interest,ne quis re sua malè vtatur.Vbi autem ne lex quidem prohibet,naturale vel philosophicum ius erit asserendum.Illud idem de scortatione dicendum est,in qua agens vtérque consentit,patiens (bonæ scilicet Reipub.& morum constitutio)repugnat:ac propterea contractus non est voluntarius , vt quamuis persona patiens præsens non sit,ad illam tamen iniuriæ nota pertingat.Nisi quis dicere malit,in quibuscunque actionibus persona patiens consentit , in illis iniusticiam nullam esse particularem,de qua nos hîc loquimur:sed vniuersalem tantùm,secundum quam erga seipsum quoque quis potest iniustus esse in omnibus iis,quæ contra leges sunt.Non semper itaque necesse est,in actione iusta vel iniusta patientem personam præsentem esse.Quemadmodum etiam nullo numero vel agens vel patiens persona adstringitur,sed modò vna , modò plures esse possunt:& quamuis plures sint,conueniunt tamen in vna ratione vel agendi vel patiendi.Et hæc quidem de personis hactenus dicta sunt.Res non vnius sunt generis,quæ tribuuntur,vel per quas inæqualitas tollitur:prout etiam variæ sunt actiones humanę, in quibus res istæ tanquam opportuna media inæqualitatis tollendæ adhibentur.In vniuersum tamen Præmij & Pœnę nomine comprehendi possunt,in quocunque genere Iusticię,Iusticiam enim diuidit Aristot.in διανεμητικὸν & διορθωτικὸν:quarum illa pro merito cuiusque,cuique tribuit id quod suum est,in omni vita:hęc verò ortam inæqualitatem quamcunque,adæquando tollit. Διανεμητικὴ igitur dignitatem personę respicit,eiúsque ἀξίαν siue meritum,cui accommodat rem,præmium scilicet conueniens. Διορθωτικὴ verò res ipsas intuetur inæquales:τὸ πλέον scilicet,& ἔλαττον.eiúsque adęquare conatur, vtrinque addendo vel detrahendo. Proinde Geometricam proportionem distributiua iusticia sequitur,Arithmeticam verò correctiua: vtriusque vim in tabulis Ethicis luculenter ostendimus,inde petat,qui volet.I hoc tantùm in loco,pro clariore exemplorum distinctione sciendum est,Distributiuam iusticiam non vnius esse generis:in primis enim digni & indigni rationem habet. Dat igitur dignis,indignis non dat. Ad vtramque actionem prestandam animi integritas requiritur,quam FIDEM appellare possumus,quę fundamentum est Iusticiæ. Nisi enim inesset habitus in animo insit,quamuis actiones speciem quandam Iusticiæ distributiuæ præ se ferre videantur, nemo tamen iustus vel esse,vel dici poterit.Quòd si distributiuæ Iusticiæ fundamentum est fides,erit & correctiuæ. Correctiua enim tota in eo est, vt errores in distributione commissos emendet,& ad æqualitatem redigat.Cæterùm Fidei appellatione passim vtimur,pro tali mentis dispositione,cui meritò ab omnibus fidi quęat:quæ in homine iusto actu reperitur. Actuè enim fides præconceptam quandam Iusticiæ opinionem denotat,quæ facit vt alter alteri ob iusticiam fidat.Iusti autem hominis est,talem sese & voluntate , & dictis atque factis gerere,vt fideliter & syncerè cum quibuslibet egisse videatur. Etsi enim interdum ille,quibuscum versatur,indigni sunt erga quos fidelem sese præstet:ipse tamen indignus est,qui fidem suam frangat. Fides igitur in genere totam distributiuam Iusticiam complectitur,quoniam in distribuendo seruat Geometricam proportionem, vnicuique id quod suum est,pro cuiusque dignitate,tribuens. Dignitas porrò ex personarum qualitate petenda est,sine qua iusta distributio esse nequit , qualitatem personarum iusta patientium intelligo , quatenus illis iusta tribuere tenemur vel ex pacto & obligatione aliqua , vel absque pacto. Pactum intelligo expressum , quando fides data est , & vel res , vel verba,vel vtrúnque intercedunt . In quo quidem ratio habenda est in primis personarum,amici sint,an hostes:& si amici,notine , an peregrini . Noti rursus vel publicę , vel priuatim,publicè,vt ciues,princeps,magistratus:priuatim,pater,dominus,maritus.Secundo ratio est habenda rerum, quarum gratia contrahunt & pacisciuntur,publicæ sint,an priuatæ.Cuiusmodi esse possunt,Emptio,Locatio,Fideicommissum,Mutuum,Pignus,Seruitus,& similia.Etsi enim contractus illi voluntarij sint, & propterea ad correctiuam iusti.iam pertinere videantur:diligenter tamē obseruandum est,contractus istos ad Distributiuam pertinere iusticiam,quatenus fides in illis requiritur,qua alteri id quod promisit ex pacto prestare cogitur.Quatenus verò in ipso pacto inæqualitas inter res,quarum interuentu contractus fit,oritur , sic Iusticiæ correctiuæ munus est eam auferre:vti illic iusticiæ distributiuæ erat,fidem datam præstare.Tertiò,ratio est habenda modi contrahendi, qui vel verbis constat,vel factis,vel vtroque.Cuius generis sunt Iuramenta,Fœdera,Testeræ,Symbola,&c.item,Pacta,Stipulationes, Repromissiones,Sponsiones,Restipulationes apud Iurecos.quorum est hæc ipsa accuratè distinguere.Nobis satis est, crassa Minerua singula persequi.Iam verò absque pacto,& fide non data,neque expressa,tribuimus alteri id quod meretur,quódque ex fide tacita ei tribuere tenemur(quamuis ille se interdum ea fide indignum præstet:verbi gratia,quando M. Attilius Regulus Pœnis perfidis fidem seruat)vel per se,quia honestas id iubet:vel propter aliud,propter effectum scilicet bonum, iucunditatem scilicet & vtilitatem in nos nostrósve redundantem.Propter honestatem quidem tacita fides iis se obligatam nouit vel naturali iure, vel iure gentium , primò & per se,qui animi dotibus excellunt:per accidens verò,qui corporis aut fortunæ bouis insignes sunt . Animi dotes omne genus tam theoricarum,quàm practicarum virtutum appello.Corporis fœcunditatem,robur,formam,senectutem. Fortunæ,diuitias,honores, libertatem:ipsum denique imperium tum politicum,tum œconomicum,quod triplex est,patrium,coniugale,& herile. Per accidens autem externis istis bonis obligatur fides,quoniam propriè bona non sunt,sed eatenus tantùm , quatenus ad virtutes promouendas facere possunt.Quod de excellentia quorumuis bonorum dixi,illud idem quoque de excellentia malorum intelligi volo. Nam qui malis corporis aut fortunæ præter suum meritum agitantur,afflicti,inopes,peregrini,supplices,fouendi sunt , dictante idipsum honestate & humanitate.Non item qui malis animi detinentur,nisi spes aliqua sit,ad meliorem frugem eos perducendi . Propter vtilitatem verò(tanquam affectum consequentem ea bona,quæ nos per se suspicimus & admiramur. Sub vtilitate autem comprehendo etiam iucunditatem)tacita fides eos complectitur, quibus beneficium aliquod vel accepit,vel se accipere posse sperat.Quòd si beneficium præcessit,in nos nostrósve collatum,fidei est par pari referre,non Arithmetica,sed Geometrica proportione . Et fides ista peculiari nomine Gratitudo dicitur.In qua duo sunt obseruanda:Beneficium collatum,& Gratia relata.Beneficiorum triplex est materia,quoniam vel animo,vel corpori,vel fortunis alterius conferunt.Et quatenus ad alterius meritum referuntur, Iusticiæ distributiuæ propriè conueniunt.Quæ si ad habentem tantùm referantur,ad liberalitatem vel quamuis aliam virtutem pertinerēt.Gratiæ eadem est materia:modus triplex,vti etiam tria sunt in homine conferendorum beneficiorum organa,internum vnum, & veluti basis cęterorum,Voluntas:externa duo,Verba,atque Pacta.Sic Latini,Habere,Agere,Referre gratias dicunt. Virtutis certè est,in opus progredi,nisi impediatur.Et proinde vera gratitudo,cùm potest,non sola voluntate,nec solis verbis contenta est,sed ad actionem properat. Quòd si beneficiorum tanta sit excellentia vel in sui natura,vel certè ratione circumstantiarum & personarum,vt gratiæ nullo modo referri possint,ipsa tamen voluntas proportione Geometrica tantis meritis par esse potest.Atque vt bene de hominibus mereri , iusti est & elegantis hominis:ita non minus iustū,gratum sese prestare,& beneficia alterius exæquare . Nam qui beneficium accipit,dante minor est,per Gratitudinem tamen in libertatem sese quodammodo asserit,& danti æqualis efficitur . Iam verò si beneficium ali-

quod nos consecuturos speremus, ipsa vtilitas monet, vt eos in oculis & auribus feramus, & beneficium quodammodo anticipemus, seruata vbique moderatione, ne in auaritiæ aut adulationis crimen incurramus. Cæterùm hîc obseruare oportet, nihil prohibere quo minus in vnam eandémque personam omnes fidei species coincidant. Verbi gratia, promittat quis patri alimenta iureiurando, à quo maximis beneficiis sit affectus, plurima sese adhuc accepturum speret, quem naturalis honestas colendum & obseruandum præcipit. Quòd si ergo promissis stet filius, & fidem iureiurando expressam seruabit: & tacitam similiter duobus modis, tum honestatis causa, tum vtilitatis, quam in hoc casu ἀντιπελάργωσιν appellant: ab excellentiore tamen semper sit denominatio. Sunt igitur tres illæ Διανεμητικῆς Iustitiæ species, generali appellatione Fidei comprehensæ, quarum primam, quæ pacto expresso nititur, & fidē apertè dat, FIDEM κατ' ἐξοχὴν vocabimus, distinctioris doctrinæ gratia. Posset etiam Pietas vocari, metaphora ducta à Religiosa iustitia. Alteram, quæ honestatis causa cuique suum pro merito tribuit, DISTRIBVTIONEM simplicem quorumuis præmiorum. Etsi enim præmia virtuti nulla possunt digna tribui (superat enim omnia sui excellentia, & per se, quamuis nullo proposito præmio, expetenda est. Hanc ob causam Athenienses perrarò virtutis præmia bene meritis conferebant, quòd eos virtute sua longè ornatiores, quàm vllis præmiis esse crederent) tamen testimonia sunt nostræ erga virtutem præditos voluntatis & obseruantiæ, non tam eorum gratia quibus tribuuntur, instituta, quàm vt alij spe similis gloriæ ducti, eos strenuè & alacriter imitentur. Virtutem autem generali significatione quorumuis bonorum excellentiam, Aristotelis imitatione, voco. Tertiam speciem GRATITVDINEM appellabimus, quæ interdum beneficia anticipat atque prouocat, interdum sequitur & recompensat, vel voluntate, vel reipsa. Quæ gratitudo Correctiuæ Iustitiæ pars esse videtur, idque si inæqualitatem spectes, qua accipiens plus, dans minus habere videtur. At si fidem ipsam, Geometrica nitentem proportione, consideres, Distributiuæ iustitiæ propria erit. Et hæ quidem tres species sunt Distributiuæ iustitiæ, in quascunque personas incidant, publicas, vel priuatas: amicos, vel inimicos: notos, vel peregrinos: qualiacunque ea sint, quæ tribuuntur, bona animi, corporis, aut fortunæ. Nam in exemplorum enarratione, honorum, diuitiarum, magistratuum mentio fiet, quatenus præmia sunt virtutis: quæ alioqui per se, quatenus bona sunt externa, ad fortunæ locos pertinent. Aristot. in quinto Ethicorum Διανεμητικὴν Iustitiam in iis bonis statuit, ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς αὐτῆς πολιτείας. Et rectè sanè. Nam sub politica societate, œconomica quoque comprehenditur: & si in perfectissima societate Διανεμητικὴ locum habet, locum etiam habebit in minus perfecta. Præterea cùm bonum quo communius, eo diuinius existat, κατ' ἐξοχὴν certè distributio in iis muneribus cõsistet, quæ publicè à grata ciuitate, virtutis ergò ciuibus suis tribui consueuerunt, in quocunque genere Reipublicæ. Hæc monere volui, ne quis vel Aristotelem aliquid omisisse, vel nos plures species constituisse suspicaretur. Porrò neque διορθωτικὴ vnius est generis. Versatur autem circa eadem, circa quæ & Διανεμητικὴ, diuerso tamen respectu: quoniam hîc inæqualitatis corrigendæ ratio habetur, illic verò vt fides seruetur, & cuique pro dignitate id quod suum est tribuatur. A Equale medium est inæquale vtrinque ad latera abscedit, per magis & minus. Et quoniam hîc personæ plures sunt inter se contrahentes, ad minimum duæ, si æquales inæqualia obtineant, vel inæquales æqualia, iustitiam peruertunt. Itaque in vna eadémque actione, respectu eius qui plus habet, iniustitia actiua in excessu æqualitatis dici potest: ratione respectu eius qui minus habet, iniustitia passiua erit in defectu æqualitatis. Hæc causa est, cur Iniustitia vnica Iustitiæ opponatur, cùm cæteris virtutibus duo semper vitia opponi consueuerint. Hanc inæqualitatem corrigere, διορθωτικῆς munus est. Corriget autem, si τὸ ἄνισον, quod diuersarum personarum respectu & πλέον & ἔλαττον est, ad μέσον atque ἴσον reducat. Reductionem hanc medio aliquo molitur, eóque vario, pro consortij & conuersationis (sic enim τὸ συναλλαγμα, in genere interpretor) modo. Accidit enim inæqualitas vel in contractibus voluntariis, in quibus vterque, & agens & patiens, consentit: verbi gratia, in emptione, in venditione, in opera locata & consimilibus, vel in voluntariis, in quibus patiens non consentit. In voluntariis quidem ille qui emit, accipit ab alio rem emptam: qui vendit, dat alteri rem emptam: hîc iam inæqualitas adest, πλέον habet emens, ἔλαττον habet vendens. Tollenda est igitur per rem æquiualentem, nimirum per pecuniam (quæ veluti mensura est omnium rerum ipsa æstimatione) aut certè per commutationem. Emens itaque vendenti precium rependit, & sic id quod inæquale erat corrigitur. Voluntarius erat contractus, & propterea correctio quoque est voluntaria. Nam si qua oriatur fraus dolúsve malus in hac conuentione, non amplius erit voluntarius contractus, sed inuoluntarius: & propterea non correctione commutatiua, sed per pœnam aut mulctam equalitas erit restituenda. Iam verò inuoluntarij contractus, quia altero volēte, altero nolente contrahuntur (generali enim vocabulo Arist. conuentiones istas siue actiones quotidianas in mutua hominum conuersatione συναλλάγματα vocat, quamuis Latini vocabulo contractus in solis voluntariis vtantur) idcirco etiam correctionem non voluntariam habent: quia alter vult corrigi, alter non vult. Nam sicuti iniustè agens in agendo volens, in correctione iusta nolens euadit: sic iniustè patiens, in patiendo nolens erat, at in correctione iusta volens efficitur. Res autem, per quas inæqualitas ista è medio tollitur, Aristoteles generali nomine ζημίαν & κέρδος vocat, lucrum & damnum, metaphora ducta à voluntariis contractibus, in quibus pecuniaria æstimatione lucrum vel damnum facere dicuntur. Hæc duo ita inter se sunt contraria, vt etiam contrahentium voluntates. Qui iniuria volens afficit, πλέον acquirit, & propterea κέρδος habere videtur, modò pecuniarium, vt qui iniusto fœnore alium opprimit, vel qui æs alienum dolosè supprimit: modò quoduis aliud, verbi gratia honorem, vitam, & similia. Adulter pudicitiam eripit, homicida vitam, & sic de cæteris. Quapropter lucrum istud interdum est corporeum, vt pecunia, vt quæuis alia substantia quæ vi alicui auferitur, liberi, iumenta, seruicinterdum est incorporeum, vt honor, existimatio, pudor, & consimilia. Iam verò is qui iniuria nolēs afficitur, ἔλαττον acquirit, & propterea ζημίαν pati videtur: hoc est, damnum vel in corporeis, vel in incorporeis. Correctio igitur in eo iam consistet, vt τὸ πλέον τῷ ἐλάττονι vtriusque reducatur ad æqualitatem: videlicet vt is qui iniustum κέρδος agendo iniustè obtinuit, iustam ζημίαν luat, quæ pœna & mulcta propriè dicitur: vicissim vt is qui iniustam ζημίαν siue damnum passus est, iustum κέρδος per restitutionē adipiscatur. Itaque lucrum & damnum non tantùm in pecunia & opibus, sed in omnibus externis bonis consistunt: quamuis vsus loquendi obtinuerit, vt ad opes propriè transferantur. Correctio igitur in inuoluntariis modò per eandem res numero vel specie fit, per quas iniusta actio: verbi gratia, per restitutionem eius quod allatum est furto, sacrilegio, fœnore, rapina, modò per res specie diuersas, & numero, æquiualentes tamen: vt quando pro pudicitia violata reponitur pecunia, aut homicidium exilio mulctatur, & sic de cæteris. Hæc itaque ratio est contractus inuoluntarios corrigendi, in quibus patiens iniusta non consentit. Non consentit autem, quia nemo volens iniuria afficitur. Cur ergo nolens se iniuria affici sinit? Causa duplex est. Altera, quia clàm ab alio iniuria afficitur, vt in furto, in peculatu, in falso testimonio, in insidiis, in adulterio, in omni clandestina cæde, fraude & dolo, in quibus omnibus agens scient & volens agit: at patiens ignorat, siue adsit, siue absit. Propterea ab Arist. συναλλαγμα ἀκούσιον λαθραῖον dicitur. Et sanè quæcunque dolo malo & fraudulenter fiunt, quatenus agens πλεονεκτεῖ, ad Iusticiam pertinent, non voluntariam: quia alteri id quod ipsius est adimunt, quatenus verò sibiipsi acquirit, ad Auariciam aut Ambitionem referri possunt, quatenus denique prudentia sua male vtuntur, ad Astutiam, quæ prudentiæ secundum excessum opponitur, releganda erunt. Altera causa est, quia palàm ab alio iniuria afficitur, coactus tamen, & vi à potentiore circumuentus: cuius generis sunt torméta, carceres, exilia, mortes, atque cædes apertæ: in quibus omnibus agens scit, & volens facit: patiens scit quidem, sed nolens patitur: cogitur tamen pati propter inopiam defensionis. Itaque συναλλαγμα ἀκούσιον μὴ λαθραῖον, βίαιον tamen, appellatur. Sic ergo ratione patientis Inuoluntarius contractus duplex est apud Arist. In vtroque tamen par est correctionis ratio, quemadmodum iam à nobis dictum est. Et hæc hactenus de Iustitia in genere dicta sint. Qui distinctiorem enarrationem petit, consulat Tabulas nostras in Ethicos Aristotelis libros.

IVSTICIA

IVSTICIA RELIGIOSA.

Tinlos Iusticiæ Religiosæ more nostro typicè describemus. Religiosam autem intelligimus humanam iusticiam, cuius fomes causáve effectrix, vt ita dicam, religio est, Deúsque timor. Crebrò etiam Diuinæ iusticiæ exempla aliquot in medium proferentur: sed non tam respectu agentis personæ, Dei scilicet, quàm patientis, hominum videlicet, quibus religionis nomine digna tribuuntur siue præmia, siue pœnæ. Præter id quòd Diuina iusticia, quamuis huius loci propriè non sit (de Ethica enim & humana iusticia tantum agimus) poterit tamen exemplaris loco nobis inseruire, vt hanc veluti ideam in omnibus iusticiæ generibus sequamur. Eâdem quoque ratione in reliquis virtutibus sæpe diuina intermiscuimus exempla. Iam verò etiam illud obseruatione dignum est, quòd Fides siue Religio Christiana, quatenus rerum inuisibilium certa est persuasio (persuasionem voco: nam si scientia esset, non esset fides: certam addo, vt eam à falsa opinatione distinguam atque separem) sic ad Metaphysicam pertinere videtur, & inter Theoricas virtutes connumerari debet. Quatenus verò non ociosa aut mortua est fides, sed in opus progreditur, Deum purè & synceriè colit, erga proximũ officiosa est, sic ἀλλότριον ἀγαθὸν dici poterit: atque adeò Iusticiæ Ethicæ pars erit maxima & præcipua. Vt enim humana Iusticia vsu & exercitatione perficitur, ita quoque fidei operatio assiduam requirit exercitationem: hâcque ratione non ineptè virtus Ethica appellabitur τῆς πράξεως ἕνεκα, quæ alioqui respectu τῆς θεωρίας & diuinæ illuminationis, Theorica virtus esse statuitur. Tertio loco & illud diligenter animaduertendum, non veræ tantùm pietatis, quæ veteri nouóque Testamento continetur, sed Ethicæ quoque religionis exempla à nobis allata esse, non quòd Religio ipsa propriè laudem mereatur (quis enim dæmonum cultum laudibus efferat?) sed quòd studium religionis, quamuis falsæ, præconio dignum sit, cùm non in πράξει, sed in θεωρίᾳ tantùm à vero deficiat. Ergo falsæ quoque religionis cultus, si actionem spectes solam, laudabilis erit, quamuis ipsa religio per se exterminanda sit & profliganda. Quòd si pro falso habitu theorico verum substituas, duplicem iam merebitur laudem: & quia veram pietatis theoriam profiteatur, & quia piè & religiosè viuendo iustus sit. Hæc eò monere volui, ne quis institutis nostri rationem reprehenderet aut fugillaret, quòd Ethnicam religionem (quæ mera superstitio fuit) cùm Christiana pietate miscuerimus. Supposita enim religionis theoria (siue falsa ea sit, siue vera) illud tantùm obseruamus, an in cultu ipso mediocritas obseruetur, quæ Pietas & Religiosa Iustitia propriè appellatur: an à medio fiat recessus, idque vel per excessum, quæ Superstitio dici potest: vel per defectũ, quæ Impietas erit. Vt hoc rationis modo non in vera tantùm, sed in falsa quoque religione Superstitioni locus dari possit, quod multis fortasse paradoxum videbitur. His sic declaratis & suppositis, nunc ad typum accedamus.


Genere. RELIGIONIS
Institutio.
Cultus, tum
Internus. CONFIDENTIA in Deum.
Externus. OBSERVATIO religionis.
Voluntatem diuinã
Exquiramus, & inuestigemus quacunque tandem ratione.
Cognitam sequamur, eique obediamus.
Præparatio ante orationem.
Genere.
Quid sit petendũ à Deo in
Specie. tum
Publicè in
Pace.
Bello.
Priuatim, pro bonis
Animi.
Corporis.
Fortunæ.
Oratione, preces & hymnos. Exempla
Petitionis, Deum cõciliare sibi suisve precib. & oratione. Tituli varij. Exempla eorum qui
Orarunt. Tituli varij.
Quomodo. Mores, Modus siue ritus precandi
Quantum. Feruor & deuotio.
Quando. Tempus.
Vbi. Locus.
Exauditi sunt. Orationis effectus, preces exaudita.
Gratiarum actionis, pro acceptis beneficiis.
Benignitatem & misericordiã nobis cõciliem⁹, laudibus extollamus, & gratias agam⁹. Id quod fiet per
Sacrificia. PER sacrificia
Petere aliquid à Deo.
Purgare, expiare, placare.
Gratias agere.
Templa
Dedicata, restaurata.
In honore habita.
Aras. Ædificare, colere, venerari aras.
Imagines, simulachra, statuas, colossos, vel
Erigere.
Venerari.
Munera, pro placando, gratisve agendis.
Solitariam vitam
ORDINES monachorum varij.
EREMITÆ & monachi varij.
Dies festos. DIES festos
Instituere.
Obseruare & colere.
Bona agendo. Oportet ergo vt
Deos. Deo subiicere nos debemus, eique omnia nostra accepta referre. Atque vt in Deo Iustitia & Misericordiæ virtutes sunt cõsummatissimæ ita nos, quantum in nobis est, vtramque persequi debemus, tũ
Mala fugiendo, videlicet vt
Res sacras non attingamus, surripiamus, in profanos vsus conuertamus.
Superstitiones fugiamus.
Præsunt aliis, eos & verbo & opere docere & instruere debẽt. DOCTORES religionis sinceri.
Fide, siue fidelitate, quam ex officio & charitate alter alteri præstare debet. Sic ergo qui
Homines pios, religiosos, sacros diuinos, siue ĩpe rẽt, vt sacerdotes & Ecclesiastæ, siue pareãt. Iustitia ergo Religiosa erga homines diuidi-tur, vel procedit ex
Principes religionu, vt
Parentes &c debent erga
Audiant illorum doctrinam, monita, reprehensiones.
Obediãt. Exempla
Hominũ in
Genere.
Specie, vt quòd MONACHI suis obediant abbatib.
BRVTORVM, quæ viris sanctis obediuerunt.
Colant quocunque genere obsequij & honoris. SACERDOTES & diuinos homines colere.
Seinuicem, vt mutua charitate & benevolentia proximum suum quisque exosculetur tanquam seipsum. Huc pertinent beneficia collata in
Viuos. vt
Eleemosynã, & quibus alijs beneficijs.
Cœnobia condita.
Xenodochia.
Mortuos. Cœmeteria.
Merito, quoniam vel ex virtute vel ex gratitudine alteri debentur Iustitiæ religiosa qualiscunque præmia qualiacunque.
IVSTICIA religiosa constituit tum ex
Exemplis rũ
Specie. Institutio, atque etiã cultus religionis, pertinet vel ad
Διόρθωσις. Vide signum*


Institutionem, Nempe vt religio
Nostra corrigatur, & in veterem integritatem restituatur. RELIGIONIS correctio. SYNODI & Concilia.
Aliena, & peregrina vel
In nostram commutetur. MORES alienæ religionis in mores nostræ religionis conuertere.
Penitùs tollatur & euertatur.
* Διόρθωσις (quæ magna ex parte IVM religionis continet) pertinet partim ad religionii
Cultum, siue ad ipsos homines, qui religionẽ colunt. Colitur autem religionem
Nostram. Pietatis est, tum
Aliorum peccata
Seuerè,
Reprehendere, & ad pœnitentiam instigare.
Punire. POENA.
Blasphemiarum & conuiciorũ, Diuinæ maiestatis læsæ.
Sacrorum & rituum religionis non obseruatorum, neglectorum, contemptorum. Atheismi pœna.
Defectorum in religione, & Apostatarum.
Hæreseos. Simoniæ & ambitionis.
Impietatis contra imagines, statuas quorumcunque deorũ.
Religionis, sacrorum, templorum, asylorum, quacũque ratione pollutorum & profanatorum.
Sacrilegij.
Inobedientiæ religiosæ erga Deum vel homines diuinos.
Incestus religiosi.
Crudelitatis, impietatis, perfidiæ, persecutionis contra sacros homines, tam priuatim quam publicè.
Benignè, si pœnitentiam egerint, soluere. POENITENTIBVS ignoscere.
Sua peccata confiteri, aliorum reprehensiones boni cõsulere, & pœnitentiam agere. POENITENTIA religiosa. Emẽdare
Religionem. CONVERSI ad veram religionem.
Vitam dissolutam.
Alienam. Oportet ergo vel cum impiis
Omnino non commisceri: sed postquam conuerti noluerint, illorum consortium fugere.
Commisceri quidẽ, sed vel
Placidè & benignè, ita vt ad fidem & veram religionem conuertantur. Exempla eorum QVI
Cum impiis versati sunt.
Idololatras & Hæreticos conuerterunt.
Seuerè & acerbè tum
Extra bellum. PVNIRE idololatras & hæreticos. Exempla pete ex tit. Pœna Idololatriæ & Hæreseos.
Bello, & armis
Pellere hostium religionis impetum atque vim, tũ in
Genere, ORDINES varij militum Christi.
Specie, qui extra ordines pro Christo contra infideles pugnarunt.
Cogere ad suscipiendam veram religionem.

INSTITVTORES ET AVTHORES RELIGIO- *nis, in genere.*

EXEMPLA SACRA.

M o y s e s legis scriptæ author fuit, seu potius Dei optimi maximi interpres, vt qui lapideas tabulas Dei digito exaratas ex monte Sina detulit: quas tamen cùm ira commotus fregisset terræ illisas, ipse postea similes confecit: Lapideas itidem, vt legis duriciem & austeritatem vel ipsa materia indicaret.

I e s v s Christus Dei filius, ipsemet patris λόγος atque veritas, ex cœlo descendit, & non lapide, sed precioso suo sanguine benignam Euangelij gratiæque legem descripsit, & confirmauit: id denique effecit, quòd mysticè virga sua Moses significauit, quando ex scopulo durissimo aquę limpidissimę fontem produxit. Sic enim Christus optimus maximus ex sterili Mosaicæ legis & infœcundo lapide, flumina in æternam vitam scaturientia scaturire fecit: & in eius rei signum etiam sensibile, sacramenta sua instituit, alterum aquæ, alterum panis atque vini: vt cùm duplex Mosaici illius fontis vtilitas fuerit, lauare, & sitim restinguere, pariter nos sacrosancto baptismatis lauacro regenerati, sitientes animas nostras preciosissimo corporis & sanguinis eius pabulo diuinitùs reficeremur.

EXEMPLA ETHNICA.

Æ t h i o p e s qui antiquissimi esse feruntur, deos primùm se coluisse affirmabant, quod & Diodoro verisimile esse videtur. Apud eos alij deos sempiternos, alij mortalis & corruptibilis naturæ participes esse putauere.

P h o e n i c e s de Deis & rerum principijs miranda tradiderunt, qui Dagonum & Chamum coluerunt magna veneratione.

M e l a m p v s Amythaonis F. Græcis Dionysij nomen & sacrificium, & pompam phalli enarrauit, edoctus nimirum à Cadmo Tyrio, alijsque Phœnicibus, qui in Bœotiam venerant: Cadmus autem ab Ægyptijs hæc habuit: nam pleraque nomina Deorum ex Ægypto venerunt. Herod. libro secundo.

Apud Græcos C e c r o p e m primùm omniũ Iouem appellasse, simulachra reperisse, aras statuisse, victimas immolasse, Isidorus memoriæ prodidit.

Primi è Græcis A t h e n i e n s e s, à Pelasgis edocti, statuas Mercurij erectis virilibus efformarunt. Herod. lib. 2.

Æ g y p t i i omnium superstitiosissimi fuerũt, adeò vt Herod. libro 2. omnia ferè deorum nomina ex Ægypto in Græciam trãslata fuisse asserat. Neque id mirum, nam cùm in Iudæa veri Dei cognitio haberetur, studuit astutissimus dæmon, vt ex finitimis Ægyptijs fœdissima & absurdissima promanaret idolomania. Vbicũque enim veritatis maximam vim esse videt, eò omnes machinas conuertit, vt veritatem impedire, & ad summã impietatem homines rapere possit.

Ab H y p e r b o r e i s duæ virgines, Argis & Opis, in Delum venerũt, vnà cum ipsis dijs. Tempore longo pòst Hyperocha & Laodice, & cum his tutelæ gratia quinque è popularibus suis, Peripheres vocati in Delo, ad reddendum Lucinæ tributum pro partu maturãdo. Quæ cùm in Delo mansissent, indignè ferentes Hyperborei, si eos quos assiduè mitterent nõ reciperent: miserunt qui ferrent ad confines suos sacra in stipula tritici ligata, iuberéntque illos consideratè mittere ad aliam nationem, donec in Delum peruenirent. Herod. lib. 4.

A t l a n t i d e s Africæ populi ab se deorum genus manasse asserebant, qui primùm Deum οὐρανὸν, id est cœlum, apud se regnasse prædicabant.

A s s y r i i omnium primi Vraniam Venerem coluêre: quos sunt secuti in Cypro Paphij, & ad Ascalonem Phœnices, à quibus didicerunt mox Cytherij. Sed & Athenis Vraniæ Veneri fuit erectum templum. Pausanias apud Cœlium lib. 12. cap. 35.

M i d a s Gordij filius ab Orpheo sacrorum solennibus initiatus, Phrygiam totam religionibus impleuit, quibus tutior omnis vita quàm armis fuit. Iustinus lib. 11.

L y c v r g v s non in politicis tantùm, verumetiam in religionis negocijs Lacedæmonios instituit. Nullam tamen deorum imaginem in vrbe esse voluit, quòd immortalibus mortales species tribuere nefas esse duceret. Alex. lib. 2. cap. 22.

R o m v l v s Romanæ conditor vrbis, cùm legib. armísque vrbẽ muniuisset, ne religio in bene instituta ciuitate deesset, collegium fratrum Aruaium & undecim in eo fratres constituit sacerdotes, quorum insigne fuit Spicea corona alba, infula alligata, quam, dum operantur sacris, singulos gestare more solenni decebat Alex. ab alex. lib. 1. cap. 26.

Magnum esset pietatis nomen N v m æ Pompilij Sabini, Pomponij filij qui Romæ secundus à Romulo regnauit, nisi stulticia verius quàm iusticia: superstitio, non religio, habendus sit malorum dæmonum cultus. Fuit is autor, vt Martia ciuitas, & ad id tempus rei bellicæ addicta, aris & sacellis dæmonum addiceretur. Dignus senex qui meliora voluisset. Nemo tenacior cultos fuisset religionis, quippe qui hostium accessu repentè nunciato: Ego, inquit, sacrifico. Ædem Vestæ confecit, virgines Vestales elegit: Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem. Deinde Salios Martis sacerdotes: exin Pontificem maximũ creauit: & vt scribit Plinius, fabrorum collegium singulorum instituit. Iani templum erexit, pacis & belli signum, quod bello foret apertum, pace verò clausum. Annum præterea diuisit in menses duodecim: primis duobus, Ianuario, scilicet & Februario superadditis. primúsque Romæ leges primus sanxit: de quo referunt historiographi, nihil fuisse liberalitatis, quod apud suos non exercuerit. Sab. 1. cap. 5.

CONFIDENTIA ET SPES ERGA DEVM, IN GENERE.

Fides siue Confidentia simul & spes internus habitus esse videtur, à quo omnes religiosæ actiones tanquam à fonte profluunt. Itaque hic in genere eorum exempla afferemus, qui in Deo confisi sunt, eiusque promissis & bonitati fidem habuerunt. In specie deinde secundũ actiones singulas proprios titulos persequemur: Pleraque ex Hanapi capite 34. & 113. desumpsimus. Possunt quoque etiam ex tit. Charitatis in Deum exempla plurima sumi, quandoquidem charitas fidei est consummatio, de qua sic loquitur Marulus: Vtinam sperat, qui nec adeò misericordiæ Dei confidit, vt iustitiam non timeat: nec adeò iustitiam timet, vt misericordiæ diffidat. Itaque semper attendendum est, ne ad proxima spei vitia imprudenter delabamur. Ea sunt, Desperatio & Præsumptio. Qui desperant, non satis perpendunt diuinæ misericordiæ magnitudinem: & conscij delictorum, antè se damnant, quàm damnantur. Qui præsumunt, iustitiæ securitatem obliuiscuntur: & dum nihil timent, licentius peccant. Neque hi præsumerent, neque illi desperarent, si meminisse voluissent, quòd iustus pariter & misericors sit Dominus, quòd simul & sontes puniat, & pœnitentibus ignoscat. Marul lib. 2. cap. 12.

Per fidem primum placuit Deo pater noster A b r a h a m. Cùm enim promissiones seminis sui, id est Christi, in quo benedicendæ omnes nationes erant, accepisset, sic de illo scriptum legimus: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, inquit Apostolus, quia reputatum est illi ad iusticiam: sed & propter nos, quib. reputabitur, credentib. in eum, qui suscitauit Iesum Christũ Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Marul. libro secundo, capite sexto: & Sab. libro 6. capite 4.

Multis annis expectauit A b r a h a m, antequam haberet filiũ de Sara: quia iam centenarius erat, quando natus est Isaac. Genes. 15 & 21.

A promissione primò facta Abrahæ vsque ad ingressum seminis sui, fluxerunt anni 400 nec tamen irrita spes fuit. Genes. 12. & 15.

Permisit Dominus filios Israel in Ægypto flagellari longo tempore, & affligi, & postea per desertum tentari 40. annis, antequam venirent ad terram promissionis, sicut apparet in Exodo, & Numerorum libro. Qui longanimes fuerunt, seruati sunt, cæteri perierunt. Psal. 93.

Superato mari rubro, & exercitu Pharaonis submerso, timuit P o p v l v s Dominum, & crediderunt Domino & Moysi. Exod. 14.

Commendat apostolus fidem R a a b, quæ non perijt cum incredulis, cùm excepisset hospitio exploratores pacifice. Heb. 11. Ios. 26.

I o n a t h a s dixit armigero suo: Non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis. 1. Reg. 14.

D a v i d, pugnaturus contra Goliath gigantem, dixit: Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini 1. Reg. 17.

R v t h adhæsit socrui suæ Noemi, dicens: Populus tuus & Deus tuus meus. Vnde Booz postea dixit ei: Reddat tibi Dominus plenam mercedẽ, ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas. Ruth. 1. 2.

Mulier vidua S a r e p t a n a credidit verbis Eliæ prophetæ, licet rem satis difficilem illi imperaret. Ideo ex illa die hydria farinæ non defecit. 3. Reg. 17.

Mundi creationem & corporum resurrectionem optimè confitebatur mirabilis illa M a t e r, quæ septem fratres filios torqueri vno die vidit, & ipsos ad moriendum pro Dei legibus fortiter animauit. 2. Machab. 7.

A s a similiter dixit: Domine, non est apud te vlla distantia, vtrũ in paucis auxilieris, aut in pluribus. 2. Paral. 14.

I o s a p h a t rex Iuda, exercitui suo ad pugnam congregato dixit: Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera. 2. Paral. 20.

E s d r a s rediturus in Ierusalem, propter magnam & periculosam viã noluit petere conductum à rege, sed conuertit se ad ieiunium & orationẽ Deo se commendans. 1. Esd. 8.

V i d e n s Nehemias multa imminere pericula & labores ædificantibus, magna fide dixit: Deus noster pugnabit pro populo, & nos ipsi faciamus opus. Nehem. 4.

M a g n æ fidei verbum protulerunt S o c i i Danielis regi Nabuchodonosor, dicentes, Deus noster quem colimus, potest nos eripere de camino ignis, & de manu tua liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, quòd deos non colimus. Daniel. 3.

Parentibus Tobiæ irridentib. eum, & dicentibus: Vbi est spes tua, pro qua eleemosinas & sepulturas faciebas? T h o b i a s increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo Iob. 2.

Afflictus corpore, orbatus filiis derisus ab amicis, & rebus omnib. spoliatus I o b, dicebat: Et si occiderit me, in ipsum sperabo. Iob duodecimo, & decimotertio.

Cùm esset S v s a n n a duorum presbyterorum iniquo condemnata testimonio, dicitur tamen de ea, quòd erat cor eius habens fiduciam in Domino. Daniel. 13.

V n v s septem fratrum postulatus à tyranno Antonio, linguam citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cœlo ista possideo. 2. Machab. 7.

I v d a s Machabæus sociis suis timẽtibus dixit: Facilè est concludi multos in manibus paucorũ, & non est differentia manus Dei, liberare in multis aut in paucis: quia nõ in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Machab. 3.

Circa mysterium Dominicæ incarnationis fuerunt M v l i e r e s ad credendum promptiores quàm viri. Nam Zacharias pater Ioannis Baptistæ incredulitatis fuit ab angelo accusatus: Pro eo quòd non credidisti verbis meis, &c. Elisabeth autem non reprehensibilis, sed commendabilis legitur extitisse, quæ statim in aduentu beatæ virginis exclamauit: Benedicta tu, &c. Luc. 1.

B e a t a virgo, credidit angelo dicenti sibi, quòd conciperet de Spiritu sancto. Eodem.

A n n a vidua prophetissa loquebatur de puero nato omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Luc. 2.

Homo erat in Ierusalem cui nomen S i m e o n, & homo iste iustus, timoratus, expectans consolationem Israel. Luc. 2.

Mira fides in tribus M a g i s fuit, qui Bethlehem ab oriente venerũt & inuenientes puerum cum paupercula matre, humiliter adorauerunt, & mysticas ei munerum species obtulerunt. Matth. 2.

Meritò commendatur à Domino fides C e n t v r i o n i s, qui dixit: Domine non sum dignus, &c. Sequitur, Non inueni tantam fidẽ in Israel. Math. 1. Luc. 7.

Multum potest valere cuilibet fides propria, si tantum P a r a l y t i c o valuit fides aliena. Videns Iesus fidem illorũ, dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, & statim eum sanauit. Mat. 9. Luc. 5.

Cedens iam P a t e r pueri lunatici humiliter sibi fidem augeri petebat, & cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem, &c. Matth. 9.

Mariæ Magdalenæ dixit Dominus: Fides tua te saluam fecit, vade in pace Luc. 7. Magnam fidem habebat mulier H æ m o r r o i s s a, & sufficiebat ei, vt tantummodò tangeret fimbriam vestimenti eius. Ideo meruit audire verbum dulce: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Matth. sexto, Lucæ 9.

Nec longa expectatione, nec dura responsione destitit clamare ad Dominum mulier C h a n a n æ a, idcircò tandem audiuit: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15. Marc. 7.

Magnæ fidei verbum dixit P e t r v s Domino interroganti, quid homines dicerent de eo: Tu es, inquit, filius Dei viui. Mat. 16.

Mulier S a m a r i t a n a plenè confessa est, dicens: Quia Messias venit, qui dicitur Christus. Et postea multi Samaritanorum crediderunt in Dominum propter verbum mulieris illius. Ioan. 4.

Confessio fidei M a r t h æ (quæ dixit: Ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti) similis fuit cõfessioni Petri. Ioan. 11. Mat. 16.

De resurrectione Domini legimus multos viros dubitasse, & Dominum Iesum illorum incredulitatem & cordis duritiam reprehendisse: de mulieribus autem nihil tale legitur. Sed surgens Dominus, primò apparuit mulieri, scilicet Magdalenæ & illa currens discipulis lugentibus nunciauit. Matth. 28. Marc. 16. Io. 20.

Ascensurus in cœlum Saluator præcepit D i s c i p v l i s, suis vt non discederent ab Ierosolymis, sed expectarent promissum patris Act. 1.

T h o m æ Dominus dixit: Infer digitum tuum, &c. noli esse incredulus, sed fidelis. Quia vidisti, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 20.

Elegerunt Apostoli S t e p h a n v m, virum plenũ fide & Spiritu sancto. Actor. 6.

E v n v c h v s ait Philippo: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens Eunuchus, ait: Credo Dei filium esse Iesum Christum. Tunc Philippus baptizauit eũ Actor. octauo.

Transeuntibus Paulo & Barnaba per diuersas ciuitates, E c c l e s i æ confirmabãtur in fide, & abundabant numero quotidie. Actor. decimo sexto.

P h i l o cum aliis Iudæis apud C. Caligulam accusatus ab Appione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aula, sociis Iudæis respõdit: Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Eusebius libro secundo Ecclesiasticæ historiæ, cap. 5.

ETHNICA.

Qui Vestalis Claudiæ, aut Tuciæ factum considerat, fatebitur non sine spe euentus eorum quæ secuta sunt, res tantas non modò fieri, sed ne tentari quidem potuisse. Hæc enim cribro aquam (vt proditum est) hausit: illa nauim, quam Romanus populus non potuit, cingulo remolita est. Sab. lib. 5. cap. 5.

OBSERVATORES RELIGIONIS IN GENERE.

Fecit N o e omnia quæ mandauerat ei Dominus, ideo à diluuio saluatus est Genes. 6. & 7.

Qui custodierint sabbata mea, inquit D o m i n v s, & elegerint quæ ego volui & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Marul. lib. 4. cap. 3.

Receperunt filij I s r a e l mandata Dei, iussi sunt sanctificari. Ait Dominus ad Moysen: Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras: vnde præcepit filij Israel vt ponerẽt vittas hiacinthinas per angulos palliorum, quatenus continuam haberent memoriam cœlestium mandatorum. Exo. 19. Num. 15.

Non prætermisit I o s v e de vniuersis mandatis Domini, ne verbum vnum. Iosue 11.

Cùm arca fœderis Hierosolymam referretur, cum solenni musicorum instrumentorum ac carminum pompa. D a v i d rex non arbitratus satis honorem Deo exhibẽdum esse pedibus ea præcedere, ipse diuina carmina voce ac psalterio modulans, ad vocem musicam corporis quoque gestus accommodauit: nihilque de regia maiestate sibi deperire, si sacerdotum in numerum se coniecisset, putauit: neque inde se retraxit, quamuis ab vxore Michole rideri quæ agebat videret. Fulgos. libro primo, capite

D v æ mulieres delatæ sunt natos circumcidisse, quas infantibus ad vbera suspensis cum publicè per ciuitatem perduxissent, per muros præcipitauerunt. 2. Mach. 6.

E l e a z a r v s vir ætate prouectus, duros corporis dolores sustinuit & tandem occisus fuit, quia carnes porcinas noluit manducare contra legem nec etiam simulare se nulla tenus manducasse. Eodem.

I v d æ i distincti sunt à cæteris gentibus, cùm in omnibus ferè rebus quæ ad viuendi ritum pertinẽt: tum maximè, quod aliorum deos omnes negligunt, & soli Deo unico amplissimos & maximos honores tribuũt: Simulachrum Hierosolymis nunquam habuerunt: sed ei Deo, cuius nomen non dici posse, quémq; forma vacare arbitrabantur, magnificè præter certos homines religioséque seruiebant. Dion Nicæus in Pompeio: & Iosephus lib. 14. cap. 1. Antiquitatum.

P a r e n t e s Ioan. Baptistæ incedebant in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Luc. 1.

Docuit C h r i s t v s veritatis magister, quin ipsa veritas potius, supremâque sapientia, non pœna, non præmio hominem subigi oportere, ne à præcepta religione aberret, neque præcipiti ruina territus, neque terrarũ omnium dominatu: & quanquam ipsius erãt omnia, non adduci potuit, vt quod infra Deum esset, adoraret: Testatus venisse se nõ vt legem tolleret, sed præcepto impleret, & exẽplo. Illius exemplum discipuli primũ, quos duodecim habuit, secuti sunt: atque omniũ primus Stephanus, quem Protomartyra ex hoc ipso nominant: deinde ex hoc veluti fonte innumera multitudo fidelium profluxit, qui omnes pro Christo mori nõ dubitarũt, vt cum Christo regnare & æternum viuere possent. Martyres Græci vocant, quasi testes. Testimonium autem verissimũ illud, quod morte propria cõfirmatur, quia minimè fucatum esse creditur. De martyribus multi multa scripserunt: atque etiam Gibertus Cognatus noster, selectiora Martyrum exempla collegit, & puriore stylo illustrauit. Nos sub tit. Tolerantiæ religiosæ, item Constantiæ religiosæ, ea expediuimus: qui volet, inde petat.

H o n o r i v s Imperator, cùm semper in Deum opt. max. speraret, veræque religionis studiosissimus esset, liberauit eum Deus à multis in eũ vndique insurgentibus tyrannis. Sigebertus Chron.

S i s s e b v t v s Gothorũ rex, verum Dei cultum nostrámque religionem mirifica pietate prosequutus est. Ritius Neapolitanus lib. 1. de Hispanorũ regibus, prope finem.

A l f o n s v s Aragonum & Siciliæ rex, cùm filium suum ad vlciscendas, Florentinorum iniurias (qui cum hostibus perperam & iniquè fœdus contra Alfonsum fecerant) magno cum exercitu misisset, post longuam filij institutionem, hæc adiecit: Nunc maximè tũ admoneo, fili, ne tantum aut tuæ aut commilitonum audaciæ tribuas, vt putes absque deorum auxilio victoriam vllam haberi posse. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industria paratur, sed Dei opt. max. benignitate & arbitrio. Scientia igitur rei militaris ita demũ profutura est, si deum nobis pietate atque innocentia pacatum propitium habuerimus. Deum igitur in primis cole, in eum confide: à quo tum victorias omnes, & optima quæque prouenire non dubium est. Quem si quando tibi iratum suspicaberis, caue contendas: imò quicquid ab eo tibi accidisse videatur, boni consule, & patientia & pœnitentia eum placa. Panormit. lib. 3. de gestis Alfonsi.

G a l l o r v m reges cum in multis templis sui regni Canonicorum ordinariorum numero ascripti sint, si quando ad eiusmodi tẽpla accedunt depositis regiis ornamẽtis lineã vestem sacerdotali more cum aliis Canonicorum insigniis desumunt, muniáque sua cum aliis Canonicis obeunt: arbitrati non modo indignam regio honore rem vllam in eo à se fieri, sed potius regium honorẽ prisco more sacerdotio vehemẽter augeri

Fulgos.lib.1.cap.1.

ROBERTVS Francorum rex, qui fuit Vigonis filius, adeò diligens fuit pietatis cultor, vt non tantum omnibus sacrorum interesset horis, sed etiam hymnos caneret, ceu ex initiatis vnus. Hinc, vt credi par est, contigit, vt vrbium muri, qui armato obstiterunt, sacris operanti cesserint. Sab.lib. quarto capite secundo.

ALPHONSVS senior, Alphonsi iunioris Calabriæ ducis auus, omnes ætatis suæ, multorumque ante sæculorum reges superauit studio veræ religionis, quem sacra stata ritusque Christianos ac solennes cæremonias tanto cultu obseruasse certum est, vt ne ab ipsis quidem pontificibus in hoc vinceretur. Pontanus lib. de Principis institutione.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, cum accepisset, Iohannem Patriarcham, illum omnium hominum nequissimum, ingenti exercitu Salerni esse, per iter difficillimũ ac per confragosos tractus contra hominem armata manu profectus est: ac cùm vnum ex ducibus Patriarchæ habuisset obuium, cum exercitu fudit, & cœpit. Qua clade perculsus Patriarcha, à rege inducias belli supplex petijt & impetrauit. Post hæc cum Iacobo Candola reconciliata amicitia coniunxit exercitum: atque immemor fœderis & iurisiurandi, aduersus regem nihil tale suspicantem, duplicato exercitu, continuis itineribus contendit. Erat autem rex in vico Iuliano, rem diuinam faciens: siquidem natalis Domini dies celebrabatur. Cui cùm nunciatum esset, ambos duces magno cum exercitu iam paratos adesse, rei diuinæ cultum gloriæ & vitæ præponens, non prius quàm peractis sacrificijs, capere milites arma iussit. contra hostes pugnauit pauca suorum manu: & hostes militibus & armis instructiores tanta fœlicitate profligauit, vt plures equos ac milites hostium cæperit, quàm suorum sarcinas amiserit. Antonius Panormita, de rebus gestis Alphonsi lib.3.

PETRI Zeni Veneti pietatem in sacris audiendis, pete ex tit. Tolerantia mortis Ethnica.

BENEDICTI abbatis & NIVARDI adhuc puerorum amorem erga religionem, pete ex tit. Diuitias proprias relinquere.

EXEMPLA ETHNICA.

BARBARORVM nemo ad contemptum deorum vnquam excidit: neque in dubium vocant, sint ne dij, an non sint? curent ne res humanas, an non. Nemo igitur, neque Indus, neque Celta, neq; Ægyptius, eam cogitationem in animum induxit, quam vel Euemerus Messenius, vel Dionysius Phryx, vel Hyppon, vel Diagoras, vel Sosias, vel denique Epicurus. Sed Barbari hi, quos dixi, contendunt & esse deos, & nostri curam gerere, & præsignificare futura per aues, signa, viscera, & alias quasdam obseruationes atque doctrinas: quorumque præscientiam homines ex beneuolentia deorum habere possint, ea magna ex parte per insomnia & stellas aiunt significari. Et hæc immota side tenentes, purè rem diuinam faciunt, sanctè vitam agunt, ceremonijs obeunt, orgiorum legem obseruant, & alia patrant: ex quibus certũ est, quòd deos colant ac venerentur. Ælian. de Var. histor. lib.2.

ATHENIENSES deorum cultu, studióque religionis longè cæteras omnes ciuitates olim superarunt. Primi Mineruam Erganem appellarunt: primi mutilos Mercurios coluerunt: primi bonorum Genio templũ dedicarunt. Pausanias in Atticis.

SOTERVS Antiochus Syriæ rex, cùm vrbem Hierosolymam obsidione cinxisset, eo tempore quo Tabernaculorum festa celebrabantur: atque à populo Hierosolymitano rogatus esset, vt septem dierum inducias ad ea sacra colenda daret: non solùm postulata concessit, verùm etiã vt non minus à se quàm à Iudæis religionem coli ostenderet, taurum auratis cornibus, ac multa aurea vasa cum thure ad vrbis portas sacerdotibus ferri iussit, atque eos rogauit vt illa quoque Deo offerrent. Fulgos. libro primo, capite primo.

ANAXAGORAS philosophus quàm pius, religionísque amans fuerit, satis liquet. Rogatus enim olim. Ad quid natus esset? Cœlum, inquit, vt spectem. De patria quoque appellatus, ceu parum hæc sibi esset curæ: Imò hanc curo, respondit, digito cœlum ostendens. Sabell. lib.2. cap.1.

XENOCRATES philosophus Carthaginensis, Platonis auditor, & Polemonis præceptor, in templo Cereris Eleusinæ ex Triptolemi legibus scripsit, tria esse præcepta: Imprimis venerandos esse deos, deinde honorandos parentes, tertio carnibus non vescendum. vt refert ex Hieronymo Volater. lib.20. Anthrop.

ROMANVS senatus adeò semper magni fecit religionem, vt quotiescunque conueniret, idipsum quod primò proponebatur, ad religionem pertineret: nulláque quanquam grauior causa, vel quæ celeritatẽ requireret, hunc morem anteuertebat: vt publicorum consiliorum, quemadmodum etiam aliarum rerum, diuino cultui primæ partes darentur. Varro ad Cn. Pompeium, in eo libro vbi ratio & locus habendi senatus ostenditur.

ROMANI cùm vidissent Numam Pompilium, populum ferocem religione iniecta ad meliorem cultum redegisse, qui multa sacra antea nũquam visa instituerat: decreuerunt vt singulis quibusque annis decem Patriciorum filij ad alios sacrorum peritos mitterẽtur, qui Hetrusca imbuti disciplina in patriam redeuntes, dijs suis ritè sacra exhiberent. Platina libro primo de Optimo ciue. Cicero lib. de Diuinatione: & Valer. Max. libro primo capite primo.

ROMANVS senatus post Cannensem cladem decreuit, ne matronæ vltra trigesimum diem luctus suos extenderent, vti ab his sacra Cereris peragi possent: quia maiore penè Romanarum virium parte in execrabili ac diro solo iacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres ac filiæ, cõiugésque & sorores nuper interfectorum, abstersis lachrymis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris thura dare coactæ sunt. Qua quidem constantia obtinendæ religionis magnus cœlestibus iniectus est rubor (si dijs placet) vlterius aduersus eam sæuiendi gentem, quæ ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu absterreri potuerit. Val. Max. lib.1. cap.1.

Silentio prætereundum non est AVR. Alexandri Seueri religiosum verbum: qui quamuis ita religioni addictus nõ esset, vt superstitione captus videretur (etenim persæpe poetæ Persij carmen vsurpabat: Dicite põtifices, in templo quid facit aurũ?) tamen cùm eius temporibus Christiana fides iam inualuisset, & Christiani publicum quendam locum orandi gratia occupassent, contrà autem caupones quidam gentiles antè suum esse contenderent: Alexander, audita controuersia, etsi ipse minimè Christianus erat, respondit, Quoquo modo esset, satius esse in eo loco Deum coli, quàm cauponas exerceri. Verbum certè tanto principe dignum. Fulgosus libro 1. capite primo.

L. FVRIVS Bibaculus, prætor circa secundum bellum Punicum, ancilia iussu patris Saliorum tum magistri, tulit per vrbem, quanquam honestè negare potuisset: quoniam officij maioris gratia vacationem & immunitatem habebat, tamen omne quod dijs exhibetur officium, laudabile cùm semper haberetur, nil omittere voluit, quod dijs gratum videbatur. Valer. Max. de cultu deorum.

DEI [illegible] VOLVNTATEM QVACVNQVE RATIONE INVESTIGARE,
per oracula, auguria, exta, omina, &c.

Vide ea quæ sub loco Metaphisices de hac inuestigatione attulimus. Illic quidem sola theoria, hîc religiosa praxis consideratur.

MINOS Cretensium rex nono semper anno in quoddam præaltum & vetusta religione consecratum specus secedere solebat, & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prorogabat. Dionis. Halicar. lib.2. Strabo libro 16. Val. Max. lib.1. cap.3. Volat. lib.34. Vrb. con. Diodorus Sic. lib.3.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, non antea multitudini leges exhibuit, quàm cum præstantissimis viris Delphos petens Deum rogasset, an esset futurum conducibilius & melius Spartæ, vt legibus quas ipse tulisset, obediret. Cùm autem respondisset Deus, id prorsus melius forenum demum leges suas eis proposuit, non modo iniquum, verùm & impium statuens, si quis legibus Pythio roboratis oraculo minus paruisset. Xenophon in Laconum Republica, & Stobæus serm.42. Plut in eius vita. Strabo libro 16. Diodorus Siculus libró 3. Dionys. Halicar. libro 2. Iustin. lib.3. Val. Max. lib.1. cap.3.

CAMBYSES Cyro filio ad auum Astyagem ituro, hæc in primis mandata dabat, vt nihil vel publicis vel priuatis in reb. ageret, nisi sacris peractis, deorumque voluntatibus per auguria perspectis & cognitis, quid agendum, quid non agendum, explorasset. Humanum enim genus erroribus plenum esse. At dij cum semper fuerint, cúmque omnia norint, præsentia, præterita & futura, inuocati adsunt consultationibus hominum, quibus propitij ob pietatem fuerint: signísque ostendunt, quid agere, quibusúe abstinere oporteat. Historiam ex Xenophonte recitat. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

CHARONDAS Locrensis, vt consultantes agentésque aliquid à dijs sumant auspicia, suis legibus sanxit. Optimum enim est, vt parœmia fert, Deum causam & authorem esse illorum omnium. Stobæus sermone 41.

ROMANI militantes, instructo paratóque exercitu deos primò omnium cõsulebant: mox auspicato & litato, ne incertis auspicijs & turbatis religionibus acies committerent, Solem venerabantur. Alexand. ab Alex. libro quarto capite septimo.

Apud EOSDEM sponsa nequaquam ad sponsum ducebatur, nisi prius religionis studijs intenta, in Futini dei gremio aliquandiu sedisset, & prosperum nuptiarum euentum efflagitasset. Alex. ab Alex. lib.1. cap.24.

ROMVLVS & REMVS, gemini ex Rhea Syluia, per Martis (vt creditur) stuprum nati, cùm ciuitatem Romam condidissent, noluerunt alio modo quàm per auguria vrbi nomen imponere. Sed posteaquam in augurátione Remo sex, Romulo verò duodecim vultures apparuissent: Romulus augurio victor, vrbi nomen dedit. Liuius lib.1. Dec.1.

NVMA Pompilius, cùm Romanorum rex declaratus post Romulum esset, imperij signa respuit, Deum in primis consulendum ratus. Auguribus igitur, sacerdotibusque assumptis, Capitolium ascendit (id Tarpeiũ collem tunc Romani appellabant) vbi qui auguribus præerat, illum velato capite, ad meridiem vertens, ipse autem retro manens, & eius caput dextra manu tenens, precatus est: & contrà quàm longissimè prospectum oculi ferebãt, quæ à dijs immortalibus auspicia signare mitterentur, circumlustrabant. Silentium summum tanta in multitudine forum tenebat, cunctis euentum obseruantibus, & de futuro suspensis: ac mox cùm bonæ aues dextræque apparuissent, insignia tradita accepit. Plutarchus in vita Numæ.

IDEM vt populum Romanum sacris obligaret, dicebat sibi cum dea

dea Ægeria congressus esse nocturnos, eiusque instinctu & monitu se quæ accepta diis immortalibus essent, instituere. Liuius lib. 1. Dec. 1. Plut. in Numa. Cic. lib.1. de Legibus. Ouid. lib. 3. & Fast. & 15. Metamorph. Lact. lib.1. cap. vigesimo secundo. Plin. cap. tertio de Vir. Max. libro primo capite tertio.

P. SCIPIO Africanus non prius ad publica negocia ire solitus erat, nisi prius in cella Iouis sedisset, mentémque diuinam accepisset. Vnde & Iouis filius appellatus fuit. Liuius libro sexto, Dec. tertiæ. Plut. in eius vita: Val. Max. lib. primo capite tertio. Plin. de Viris illust. cap. 49. Gell. libro septimo, capite primo. Sabell. libro quarto, En.5. Sylius Ital. libro decimotertio: & Appianus de Bellis ciuilib. Sic quoque Neptunum sibi apparuisse dicebat, & Carthaginem capi posse authore Deo asserebat. Polyb. lib. x.

Dimicaturus acie L. PAVLVS Æmilius aduersus Persen Macedoniæ regem, cum prima luce Herculi sacrificare cœpisset, nec litaret, religione perfusus viginti hostias vnam post aliam mactauit: nec prius ab incepto destitit, quàm in prima post vicesimam certa victoriæ argumenta extiterunt. Credidit, & expertus est Æmilius, sine religione nihil à mortalibus feliciter moueri. Sab. lib.4. cap.2.

Q. SERTORIVS per asperos Lusitaniæ colles ceruam albam trahebat: & ab ea se, quænam agenda aut vitanda essent, admoneri asserebat. Gell. lib. 15. cap. 22. Plin. lib.7. cap. 32. Eutrop. lib. 6. Valer. Maxim. libro 1. capite tertio.

AVRELIANVS imperator, cùm aduersus Marcomannos pugnandum esset. Mediolanum vsque & Placentiam veniens, ad senatum rescripsit, vt inspectis Sibyllinis libris, quæ necessaria essent sacra ad impetrandam deorum opem conficerent. Quæ cùm senatus egisset, Aureliano statim via ad victoriam de Barbaris patuit. Fulg. li.1. cap.1.

LVSITANIS vetus mos erat, ex intestinis hominum exta prospicere, atque inde omnia & diuinationes captare, abscissásque captiuorum dextras pro munere diis offerre. Alelexander ab Alexandro libro sexto capite. 26.

DIVINAE VOLVNTATI PARERE.

Exempla plurima ex tit. Pœnitentiæ religiosæ peti possunt.

NOE oraculum diuinum secutus, arcam iuxta Domini mandatũ fecit, fabrefactam texit, cataclysmo omnia obtinente. Ideoque & ipse cum tota domo seruatus, seruatáque cum eo animalia omnia terræ & cœli Genes. sexto septimo.

ABRAHAM, vt Deo obediret, patriam, domum cognationémque reliquerat, se suósque omnes circuncidi sustinuerat: denique filium unicum vnicéque dilectum suis immolasset manibus, si Deus quod iusserat, impleri voluisset. Non dixit: In Isaac mihi promissum est semen, quare nunc puer adhuc occidi mandatur? non dixit, Quomodo vnici filij sanguine infœlix pater manus polluam? tacitus iussa exequi maturat, vt discas, non discutiendum esse mandatum eorum qui præsunt, sed perficiendum. Marul. lib.4. cap.3. ex Genes.22.

Obediuit MOYSES Domino imponẽti ducatum populi quinquies tamen excusat se. Exod.3. quarto, & infrà.

FILII Israel per desertum ambulantes, ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperiũ eius deponebant: & bene illis erat. Nũ. 9.

BALAAM ariolus, dixit Balach regi: Nonne dixi tibi, quod cunq; mihi Deus imperaret, hoc facerẽ? Magnam reuerentiam habebat etiam homo malus ad imperium Dei. Num.23.

CHISTVS Iesus cœlesti patri obsequendũ esse monstrauit, cùm diceret: Meus cibus est, vt faciã voluntatẽ eius qui misit me. Et: Non quæro voluntatẽ meam, sed voluntatẽ eius qui misit me patris. Et: desceñdi de cœlo nõ vt faciã voluntatẽ meã sed voluntatẽ eius qui misit me. Et ad patrẽ: Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu. Diuisit voluntates hominis & Dei, Deus & homo Christus: vt discamus diuinam voluntatem semper humanæ præferre, & carnis affectum spiritus affectui subiugare. Denique Apostolus de illo: Humiliauit, inquit, semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Marul. lib.4. cap.3.

Mirabilis in primis iam à principio APOSTOLORVM obedientia fuit. Nondum Christum miracula facientem conspexerant, nondum cœlestis regni retributionem per illum futuram audierant: & statim vt vocauit eos, relictis omnibus ipsum secuti sunt, atque ita eidem adhæserũt, vt nulla deinde aduersitate, nullis persecutionum tempestatibus auelli separique potuerint. Qui enim semel gustauerit quàm suauis est Dominus, omnes alias suauitates facilè contemnet. Marul. lib.4. cap.3. ex Matth.9. Luc.5. Mar.4.

Sed neque tunc paruum obedientiæ specimen dedère, cum in deserto turbæ discumbenti iussi cibos apponere, quinque panes, & duos pisces id est totum quod habebant, nihil sibi reseruantes, porrexerunt. Si quidẽ ipsi fame periclitari, quàm necessitatem excusando, Domino suo nõ statim obtemperare malebant. Et quoniam lubenter paruerant, multo plura collegerunt, quàm obtulerunt. Marul. li.4. cap.3.

Cùm deinde ad insinuandam gentibus veritatẽ destinarentur, & supplicia & neces sibi perferendas didicissent, nunquid quo minus obedirẽt, exterriti sunt? In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Et cùm verberibus minísque agitaretur vt tacerent, responderunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Ibid.

SAVLVS in terram prostratus, audiẽs verba Iesu Nazareni, promptè ait: quid vis me facere? Act.9.

EXEMPLA ETHNICA.

Vide tit. Metaphysicos, oraculorum, auguriorum, ominum &c.

ERECHTHEVS Atheniensiũ rex, cùm bellum aduersus Eumolpum suscepisset, responsum accepit, sese victorem futurum, si filiam victimam diis faceret. Qua re vxori Praxitheæ communicata puellã cecidit. Cuius rei Euripides in Erechtheo, & Plut. cap.40. meminit.

CYRVS rex Persarum gentilis, monarcha totius mundi, non verecundabatur dicere: Præcepit mihi Deus cœli & terræ, vt ædificarẽ ei domum in Ierusalem 1. Esdr.1.

CYANE Cyanippi Syracusani filia, cum pestilentia vrbem inuasisset & oraculo responsum esset, profligari pestem si Cyanippus, qui incestum cum filia commiserat, diis immolaretur: tractum capillis patrem Diis liberatoribus mactauit, seque super eum necandam iniecit, teste Dositheo libro tertio rerum Sicularum, & Plutarcho capite trigesimotertio Parall.

MEDVLLINA Aruntij Hydroporæ filia, & ab eo per vim stuprata, iubente oraculo, coronatum patrem ad fulguris aram duxit, ibique fusis lachrymis mactauit. Pluris enim iussa deorum, quàm debitum parentibus honorem fecit. Historiæ author est Aristides Milesius lib.3. rerum Italicarum, & Plut. cap 39. Paral.

Q. FABIVS Maximus cum rem diuinam fecisset, concentus soricis auditus est. Quæ vox cùm diri aliquid portendere videretur, ne deos offenderet, Dictaturæ honorem respuit. Valer. Maxim. libro primo, capite primo.

SVLPITIVS nullam aliã ob causam sacerdotio priuatus est, nisi quòd apex, hoc est virga lanata in summo flaminis pileo decidisset. Ibidem.

C. FLAMINIVS sacrificans, cùm soricis vocẽ audiuisset, magister equitum esse noluit, ne reclamãtibus diis honorẽ & potentiam amare diceretur. Ibidem.

P. CÆLIVS propter exta parum curiose aris admota, à Flaminio abire iussus est, monentibus id diris auspiciis. Ibid.

C. CLAVDIVS propter exta aris deorum immortalium sinistrè admota, Flaminio similiter abire visus est. Ibid.

M. CETHEGVS flamen rem diuinam faciens, cùm ex extis sacrificiis dira pronunciaret, statim flaminis officio se abdicauit. Ibid.

M. CORNELIVS, cùm rem diuinam faceret, & exta malum portẽderent, sacerdotio abire iussus est Ibid.

TIBERIVS Gracchus, cum procõsul in Asia esset. Figulo in Gallias & Scipioni Nasicæ in Corsicam literas mittit, quæ indicabãt eos aduersus auspicia consulos creatos esse. Qui etsi magistratum iam iniissent, & in prouinciam vterque suam discessissent: Romam tamen redeuntes, se magistratu abdicarunt, ne religionem contemnere viderentur. Ibidem.

METELLVS Imperator, Pœnis ac Siculis socia arma aduersus Romanos parantibus, omnibus diis, excepta duntaxat Vesta, sacrificiũ fecit. Quæ cùm aduersos classi ventos immisisset, C. Iulius vates eos cessaturos dixit, si antea filiam immolasset. Ille vrgentibus rebus, filiã Metellam immolaturus adduxit, dea verò adolescentulam miserata, buculam supposuit: puellámque ad Lamusium deferẽs, sacerdotem eius, qui in eo loco colitur, draconis fecit. Pythocles lib.3. rerum Italicarũ: & Plut. cap.29. Parall.

METELLVS homo patricius suburbanum suum petens, cædentes se inuicem alis coruos vidit. Augurij igitur religione deterritus Romam reuersus est. vbi cùm Vestæ templum incendio flagrare videret, Palladium eripuit, & luminibus captus est, teste Aristide Milesio, de rebus Italicis: & Plut. cap.35. Parall.

C. MARIVS in Cymbrico bello profligatus, somnio præmonitus est se victoriam reportaturum, si prius victimam filiam Calphurniam faceret. Eo igitur facto, victoriam reportauit: cuius rei Dorotheus lib. 4. rerum Italicarum, & Plut. cap.41. meminit.

DEVM SIBI CONCILIARE ORATIONE ET PRECIBVS.

PRAEPARATIO ANTE ORATIONEM.

SALVATOR noster ac Dominus, sicuti nos orare docuit, ita etiam ante orationem vt piè nos preparemus iubet, fidem, spem, charitatẽ

exigens à nobis. Fidem ibi, Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Spem ibi, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Charitatem ibi, Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem. Marul.lib.2.cap.1. & Sab.lib.2.cap.4.

In orando fidem, patientiam, humilitatem necessaria esse, CHANANEÆ mulieris monstrauit euentus. à Domino sanari posse filiam credidit, & despecta supplicare non destitit: & canibus cōparata, non modò nō contradixit, sed etiam ad catellorum vilitatem se submisit. Quamobrem audire meruit, ô mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Sic & tu, quamuis multum aliquid diúque petitum nondum acceperis, petere tamē adhuc ne cesses. Ideo dare differt Dominus, vt perseueranter instanti, cumulatius tribuat. Marul.lib.2.cap.1.

IEIVNIIS quoque preces accenduntur, quod infrà sub tit. Pœnitentiæ docebimus. Nam vt physicè quoq; de hac re loquamur, calor alimento humido destitutus, acrior & feruentior redditur.

PETRVS & IOANNES ascendebant in templum ad horam orationis nonam, & languido ante vestibulum mendicanti pro eleemosyna sanitatem dederunt. Itaque documento nobis sunt, ne soli orationi vacantes, misericordiæ in egenos obliuiscamur. Scriptum est enim, Non apparebis ante conspectum Domini vacuus. Marul.lib.2.cap.1.

QVAE A DEO PETENDA SINT, IN GENERE.

CHRISTIANA EXEMPLA.

Delectat DEVM, quidquid de Scripturarum fontibus haustum orando effundimus, quod Prophetæ, quod Apostoli nobis tradiderūt: sed precipuè, quod Dominus noster Iesus Christus Lucæ 11. Ipse enim est patris verbum, ipse filius suus dilectus, in quo sibi bene complacuit, ipsum audiamus. Sic inquit orabitis: Pater noster qui es in cœlis. Si pater in cœlis, filij quæ sursum sunt sapiant, non quę super terram. Sanctificetur nomen tuum. ita, ne quid à nobis existimetur sanctius. Adueniat regnum tuū: ne in nobis regnet peccatum. Fiat volūtas tua sicut in cœlo, & in terra. Quoniam qui facit voluntatem tuam, manet in æternum. Panem nostrum supersubstantialem, vel quotidianum, da nobis hodie. Panem qui de cœlo descendit. Nostrum, quia pro nobis oblatus est. Supersubstantialem, qui omnibus substantijs, omnibus præeminet creaturis. Vel quotidianum, quia Christus Iesus heri & hodie ipse, & in sęcula. Da nobis hodie: da semper, ne vnquam separemur ab eo: quoties enim separamur, toties deficimus in via. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: vt cum ignouerimus in nos peccantibus, tu nobis ignoscas quicquid peccauimus tibi. Et ne nos inducas in tentationem: id est, ne patiatis nos tentari supra id quod possimus sustinere. Sed libera nos à malo: vt tandem sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus tibi in sanctitate & iustitia coram te, omnibus diebus nostris. Amen. Marul.lib.2.cap.1.

ETHNICA.

Consule locum de Votis.

APVD INDOS, hi qui Pedalij vocantur, inter vota precésque solam iustitiam petere in vsu habent, quasi hoc munus amplissimum esset. Alex. ab Alex.lib.4.cap.17.

In VVLCANALI colle iuxta Agrigentū, viridia ligna quę arę superimponebantur, si preces iustæ erant, sponte ignem concipiebant. Quòd si iniquæ, nullum concipiendi ignis signum edebant. Fulg.lib.1.cap.6.

HERCVLES cùm post egregia sua facinora in numerum deorum relatus esset, vix dici potest quot sacrificiorum genera ei instituerint. Literis tamen proditum est, ab ignauis vota Herculi & preces effusas non exaudiri: quòd soli strenuo & peruigili prosperos successus faceret, & propitius foret. Alex.ab Alex.lib.2.cap.14.

ATHENODORVS philosophus, multum eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent: eáque peterent, quæ peti ab eis homines scire nolent: rogandumque solum de iis Deum esse, quæ minimè molestè homines ferant, etiam si ab omnibus intelligantur. Addebat etiam, ita cum hominibus homines viuere debere, non secus ac si Deus eorum semper actiones intueretur: hoc modo illos carpebat qui iniusta à Deo petentes, ipsi sibi, ne exaudirentur, impedimento essent. Fulg. libro septimo cap.2.

PYRRHVS Epirotarum rex cùm immolaret, nullas effundere precationes solitus erat, nisi quòd sanitatem & benevalere optaret. Alexand.ab Alexand.lib.4.cap.17.

APOLLONIVS Tyanæus à dijs poscebat, vt bonos cognosceret, malos vitaret. Ibidem.

SOCRATES in Platonis Phædro, post longam de Pulchro disputationem, in sacello Panis vnà cùm Phædro, deos orare hunc in modum introducitur: ὦ φίλε Πὰν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδοθεν· ἔξωθεν δ' ὅσα ἔχω, τοῖς ἐντὸς εἶναί μοι φίλια. πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν· τὸ δὲ χρυσοῦ πλῆθος εἴη μοι, ὅσον μήτε φέρειν μήτε ἄγειν δύναιτο ἄλλος ἢ ὁ σώφρων.

Q. HORATIVS Flaccus Venusinus, lyricorum Latinorum princeps, in primo Epistolarum ad Lollium sic scribit:

Me quoties reficit gelidus Druentia riuus,
Quem Mandela bibit rugosus frigore pagus
Quid sentire putas, quid credis amice precari?
Sit mihi quod nunc est, etiam minus, vt mihi viuam
Quod superest æui, si quid superesse volunt dij.
Sit bona librorum, & prouisò frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

QVAE A DEO PETENDA SINT, IN SPECIE, PRO SE, ALIISVE.

PVBLICE IN PACE, DOMI.

ABRAHAMVS pro Sodomitis apud Dominum, qui sub forma angeli apud se diuerterat, intercessit tanta gratia, vt si vel decem fuissent iusti in vrbe, propter illos cæteris omnibus pepercisset Dominus. Genes.18.

Orauit multoties Dominū MOYSES, vt amoueret plagas de Ægypto: & exaudiebatur, licet illi mali essent. Exod.7.8.9.& 10.

Post adorationem vituli, videbatur velle Dominus populum delere: sed MOYSES per orationis instantiam obtinuit veniam. & nota ibi modum orandi. Aut, inquit, dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Exod.32.

Per orationem Moysis absorptus est ignis, qui deuorauit castra murmurantium & dolentium pro labore. Num.11.

Petiit POPVLVS carnes in deserto, & Dominus iratus concessit eis. Per quòd liquet, quòd non semper exauditio orationis signum est diuinæ dilectionis. Eodem.

Afflictus populus ab ignitis serpentibus, dixit ad MOYSEN: Ora pro nobis. orauit Moyses pro populo. Num.31.

Displicuit SAMVELI, quòd filij Israel peterent sibi regem, tamen orauit ad Dominum. Qui dixit ei: Audi vocem populi tui in omnibus quæ loquuntur tibi 1.Reg.8.

Dixit SAMVEL ad populum: Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. 1.Reg.12.

ESTHER locutura ad regem Assuerū, dixit Mardochæo: Congrega omnes Iudæos, quos reperies, & orate pro me. Quàm verò deuotè & humiliter orauerit, postea habetur. De oratione Mardochæi, quomodo deprecatus est Dominum pro se & pro populo. cap.4.13.14.

Orans ELIAS pro pluuia, dixit puero suo, vt prospiceret contra mare, vnde sperabat nubem consurgere pluuiosam: sed vsque ad septem vices nihil penitùs apparebat. Septima autem vice apparuit nubecula, & data est pluuia: in qua oratione diuturnitas & instantia commendantur. 3. Reg.18.

Cum vrbem Romam pestis acerbè vexaret, GREGORIVS primus Romanus pontifex sub Mauricio Imperatore supplicationes, quæ Maiores dicuntur, & sexto Calend. Maias celebrari etiam nunc solent, instituit. Cùm antè MAMERTVS Claudianus Viennensis episcopus vir morum sanctitate clarus, minores in Gallia Salutis anno quinquagesimo octauo supra quadringentesimum ordinasset, quæ triduo ante Domini ascensum eduntur: quo tempore rei atrocitate territis Gallis, in ipso meridie lupi feræque aliæ vrbes ingressæ in homines grassabantur, quotidiéque aut tellus moueretur, aut de cœlo tacta loca, vel ruerent, vel comburerētur. Quibus malis in Gallia Romæque per hæc remedia finis putatur fuisse inuentus. Quamobrem postea à Leone tertio Rom. pontifice in Aurelianensi consilio per vniuersam ecclesiam huiusmodi supplicationes stabilitatę fuerunt. Fulg.lib.2.cap.1.& Egnatius lib.2.cap.1.

LEO IIII. pontifex Romanus, sub Ludouico 2. basilicum perniciosum, qui halitu multos mortales necauerat, è fornice S. Luciæ in Orphes fusis antè ad Deum precibus expulit. Volater.lib.22. Anthrop.

Est ille peruetus VENETÆ ciuitatis mos, vt supplicationes frequentissimæ diuis immortalibus exhibeantur. Nam ex singulis hebdomadibus (vt hinc exordiar) ex D. Marci æde instructi prodeunt sacerdotes: qui subiectam aream perlustrantes præeunte crucis signo, litanijs quoque suis persolutis in templum redeunt. Sunt præterea collegia quinque maiora, quæ statis temporibus hoc muneris magna obeant pompa. Nec desunt interim minora quædā collegia singulis addicta tēplis, quæ more à maioribus tradito, hoc expiationis genus nunquā omittant. Quòd si quis Venetias à resurrectionis luce sexagesimo & altero die fortè inuisat, videátque vniuersam ferè ciuitatem in Marcianam aream descendere: non poterit ille non maximè admirari institutum hoc per manus à maioribus tanto antè traditum, tanta pietate coli, celebraríque. Prodeunt enim suo quæque ordine, primùm maiora collegia incredibili ac propè infinito numero, & pompa longè celeberrima, quæ vniuersam aream ambiant: quem tamen ambitum (nec & illud sciens præterierim) totum, quà pompa ipsa ducitur, candido panno tectum, palis in terra defixis altioribus, qui ipsum pannū sustineant extentū. Ad quod adijciam etiā virentes arbores, ex Taruisino maximè agro petitas. Post ipsa verò collegia subeunt hi qui Fratres monachiq; vulgò dicūtur: quorum frequentissima est multitudo. Hosce subsequuntur sacerdotum vrbanorū nouena collegia, sacros

sacros hymnos decantantia. Tunc prodeunt Oliuolenses, Marcianique sacerdotes. Non longo pòst interuallo Dux, magnaque senatorum copia. Qui omnes amplè instructi Ducem comitantur, deducúntque ipsum: vt tamen interim suis quibusdam certis locis flectentes genua, Christianæ pietatis nunquam obliuisci videantur, donec templum iterum Diui Marci reuisant. Interim verò dum princeps ipse cum senatu progreditur, ex Marciana turri lætus in primis campani æris sonitus redditur. Egnat.lib.1.cap.1.

NANNACAS Phrygię rex, teste Hermogene de rebus Phrygijs, ante Deucalionis tempora prȩuidens diluuium futurum, coegit populares in templo, multa gemens, & diis supplicans. Ex quo prouerbium Græcum manauit in luctu multo, τὰ Ναννάκου κλαύσω Volater.lib.17.ex lib.Prouerb.

GRÆCI si quando territi malis supplicabant, vetustum carmen inter vota precésque cani iubebant, hoc tenore: Beatorum antiquissima sanitas, in omni tempore tecum sim. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

ATHENIENSES cùm vota diis effunderent, Chiis & sibi prospera precabantur. Idem & Theopompo.

In PANEGYRIS, quæ singulis quinquenniis fiebant, per præconem sibi & Platæensibus bona precari Athenienses vsurparunt. Idem.

LACONES, si quando suos inuocarent deos, nihil petebant aliud quā vt adderent dij cęteris bonis, etiam ea quę honestissima essent. tantùm valebat apud homines gentiles rerum honestas. Huius rei testis & Plutarchus in Apoph. Laconicis.

ARGIVI indictis commitiis per prætorem in præfationis carmine, Iouem, Appollinem atque Herculem, vt successus daret, prosperos, prȩfari solebant. Alex.ab Alex. libro quarto, capite 3.

ROMANI in omni prȩcatione solenni, non tantum pro populo, sed pro senatu quoque & Quiritibus semper orarunt. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

IIDEM semper cum prȩfatione deorum, dearúmque bonis faustisque ominibus, ac diis bene iuuantibus, concilia & comitia inibant. Alex. ab Alex.lib.4.cap.3.

NVMA Pompilius sub Romani imperij auspicia, vt populum ad pacē & tranquillitatem perduceret, diuinum auxilium implorauit sacrificiis plurimis, ludis & tripudiis, quę simul cum grauitate gratiam consuetudinem, benignámque voluptatem apud cunctos impetrarunt. Plutarchus in eius vita.

ROMANI, si terra ingenti motu concussa esset, aut vrbs agriue contremiscerent, sæpius supplicationem in triduum decreuêre. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

IIDEM, si quando horrenda prodigia visa vel audita essent, circa omnia delubra fanáque & puluinaria, in quibus honos diis dabatur, concurrebant: senatores & patricij cum coniugibus & liberis plerique coronati, nonnunquam omnes tribus & ordines, præeūte pontifice maximo, aliquando duumuiris, præcedentibus pueris ingenuis & libertinis, item virginibus patrimis & matrimis coronatis, vel laurea tenentibus manu, voce modulata pronunciantibus carmen, prælata pompa, frequētes supplicare, & pacem deûm exposcere solebant. Ibidem.

L. ÆMYLIO Paulo & C. Bebio consulibus, post multa visa prodigia, ex Sybyllinis supplicatum est, cùm sex mensib. non pluisset. Iulius Obsequens cap.4.

L. SCIPIONE & C. Lælio consulibus, cùm multa prodigia Romæ visa essent, quæ aliquid mali (vt solent) portendebant: supplicatio per decem pueros patrimos, matrimos, totidémque virgines habita est. Idem. cap.1. de Prodigiis.

PVBLICE, IN BELLO CONTRA *hostes.*

In bello quod habuerunt filij Israel contra Amalech, plus fecit MOYSES orando, quàm Iosue pugnando. Exod 17.

Pugnabant filij Israel contra Philistæos, dixerúntque SAMVELI: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, vt saluet nos de manu Philistinorum. Qui clamauit ad Dominum, & exauditus est. 1.Reg.7.

Audientes FILII Israel potentiam Holofernis, clamauerunt ad Dominum. Eliachim verò summus sacerdos commemorabat eis, quomodo Moyses confidentem in virtute sua Amalech, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit. Vnde occiso à Iudith Holoferne liberati sunt. Iud.4.13.

Multum confidebat IVDITH in orationibus aliorum, vnde proponens ire ad Holofernem, dixit presbyteris: Orate vt firmum faciat consilium meum Deus. Sequitur: Nihil aliud fiat pro me, nisi oratio ad Dominum. Iudith.8. Similiter quàndo debuit amputare caput Holofernis, orauit cum lachrymis ad lectum. Iudith.13.

IOSAPHAT rex Iuda timore perterritus, totum se cōtulit ad rogandum Dominum. Audierat enim, quòd maxima multitudo gentium veneirat contra eum, & exauditus fuit. Nam vertit Dominus hostium insidias in seipsos, qui se mutuis vulneribus confoderunt. 2.Par.20.

Cùm vidisset IVDAS Machabæus, & fratres eius, quòd appropinquarent hostes, congregatus est exercitus, vt essent parati in prælium, & vt orarent & peterent misericordiam & miserationes. Ac paulo pòst idem. 1.Machab.3.

IDEM commissurus prælium contra Gorgiam, ait: Clamemus in cœlū, & miserebitur nostri Dominus. Et congressi sunt, & contritæ sunt gentes. Item postea cum reliquo exercitu Lysiæ præliaturus orauit, & dixit: Benedictus est Saluator Israel, & victoria potitus est. 1. Machab. 4. In duobus autem præcipuis bellis non legitur orasse: vno scilicet, contra regem Antiochum Eupatorem, & tunc non vicit, sed diuertit: altero contra Bacchidem & Achimum, & tunc in bello cecidit. 1.Machab.6.& 9.

Videns IONATHAS, quòd omnes (exceptis paucis) derelinquebant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimēta sua, & orauit: postea victoriam obtinuit. 1.Machab.11.

IVDÆI in tribulatione positi, quæ superuenit, orauerunt Dominum. Sacerdotes verò ante altare, cum stollis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit, vt ijs qui deposuerunt, ea salua custodiret. Vniuersæ etiam mulieres, protensis manibus in cœlum, deprecabantur, & auxilium eis affuit. 1.Machab.3.

IVDAS Machabæus, & qui cum eo erant, simul deprecabantur Dominum, vt eriperet eos ab impio Nicanore, &c. Etsi non propter eos, sed propter testamentum quod erat ad patres eorum, & propter inuocationem sancti & magnifici nominis eius super ipsos. Et ira Dei in misericordiam conuersa est. Machab.8.

Nicanor, & qui cum eo erant, cum tubis & canticis admouebant: IVDAS verò cum suis, inuocato Deo per orationes congressi sunt. Manu quidem pugnantes, sed cordibus Dominum orantes, prostrauerunt non minus triginta quinque millia hominum, præsentia Dei magnificè delectati.

Appropinquante exercitu Timothei, MACHABÆVS & qui cum illo erant, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbósque cilicijs præcincti, ad altaris crepidinem prouoluti, vt eis esset propitius, & inimicis eorum inimicus. Et victoria potiti sunt per auxilium cœlitus missum. 2 Machab.10.

HERACLIVS Imperator, graui Cosroe regis Persarum bello pressus, cùm is omnes pacis conditiones aspernaretur, ad diuinam opem confugit. Nam cùm sæpius solenni more supplicasset, & supplicationibus ieiunia atque orationes addidisset, Constantinopoli ipso paschatis die egressus, manu dextra sacræ virginis imaginē, quæ miro modo facta fertur, tulit: atque in hunc modū fide speque armatus, cùm immani hoste, duobus prælijs conflixit, ac semper victoriam reportauit. Fulg. libro primo capite primo.

NARSES eunuchus, Iustiniani principis cubicularius vir religione & pietate insignis, plus precibus ante Deum quàm vi contra inimicos profecit. Volat.lib. 17. Antroph.

THEODOSIVS senior imperator Rom. pridie quàm cum Eugenio & Arbogaste pugnaret, eam diem totam orando consumpsit. Quibus rebus bonæ spei plenus in certamen descendit, & ex eo bello victoriam ingentem tulit. quam Paulinus Nolanus præsul Panegerico laudauit. Ful. lib.1.cap.primo.

MASELCERIVS Africæ comes, cùm aduersus Gildonem fratrē bellum suscepisset, orationibus assiduis ad Dominum clamitans cum sacerdotibus, exauditus quinque pugnatorum millibus plusquam octuaginta hostium millia fugauit & interfecit. Ibid.

ARNVPHIS philosophus Ægyptius, cùm exercitus M. Antonini Imp. siti laboraret, imbrem cum fulgore & tonitru excitauit: vt testis est Suidas. Cuius etiam rei Eusebius meminit, affirmans, nec excantationibus nec magicis id euenisse, sed Christianorum assiduis precibus.

Apud ROMANOS, si quod iustum bellum in exteras nationes indictum, aut si pro aris focisque & deorum templis ac solo patrio pugnandū esset, vt ea res populo Romano sociisque, ac nomini Latino bene & feliciter eueniret, vtque bonis auspiciis ac diis bene iuuantibus arma sumerent supplicationes institutæ sunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. & Plut. in vita Metelli.

Inter Christianos populos HELVETII hunc morem à maioribus traditum constantissimè retinent vt ante conflictum proni cœlestem pacem expetant. Atque vtinam quàm in hac parte religiosi sunt, tam quoque in bellis suscipiendis maiorum suorum vestigia sequerentur.

PRIVATIM PRO SE, ALIISVE.

Bona animi.

PETRVS & Ioannes orauerunt pro hominibus Samariæ, vt acciperent Spiritum sanctum tunc imponebant manus super illos, & accipiebāt Spiritum sanctum. Act.8.

SAVLVS ad terram prostratus, & salubriter excæcatus, postea surrexit. Et in Damascum veniens, orare cœpit: & fuit tribus diebus nō māducans. Act. 9.

CORNELIVS centurio erat vir religiosus, & timens Deum cū omni domo sua faciens eleemosynas multas, & deprecans Dominum semper. Et per hoc disposuit se ad fidem. Vnde sequitur: Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Act.10.

Recedens PAVLVS à fratribus de Achaia, post paucos sermones & pia verba, positis genibus, cum omnibus illis orauit. Magnus autem fletus factus est omnibus. Act.20.

Orabat PAVLVS pro aliis, vt eos videret, & in eis fructificare posset. Memoriā vestri facio semper, in orationibus meis obsecrans, si quādo prosperum iter habeā, in voluntate Dei veniēdi ad vos Rom.1.& ad Titum: Sine intermissione habeo tui memoriā in orationibus meis nocte ac die, desiderans te videre ad Titum 1. Item pro Thessalonicensibus, vt Deus eos ad vitam salutis vocaret: Oramus semper pro vobis, vt vos dignos habeat vocatione Dominus Deus noster. 2.Thess.1. Et pro Philipensibus, vt ipsi de bono melius proficerent: Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet. Philipp.1. Item vt plenitudinem diuinæ cognitionis habe-

rent:Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius.Coloss.1.

DIDYMVS Alexandrinus, præsul Cæsariẽsis, inflammatus desiderio literarum, non desperauit assiduis precib. apud Deum id impetrare, quod natura consequi non erat. Miscebat precibus studia, licet cæcus. Ruffinus lib.11.historiæ.

Bona corporis.

CVRATA est Maria à lepra per orationem Moysi.Num.11.

Deprecatus est Dominum DAVID pro paruulo, & ieiunauit:& ingressus seorsum, iacuit super terram. Bonus fuit modus orandi:sed tunc Dauid non fuit dignus exaudiri.2.Reg.7.

Videns SVSANNA, omne humanum sibi deesse consilium, recurrit ad orationis suffragium:& oratio eius fuit exaudita.Dan.13.

Orauit IONAS ad Dominum de vtero piscis, & dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum,& exaudiuit me.Ionæ 2.

ONIAS summus pontifex, orauit pro Heliodoro, diuina virtute grauiter flagellato, eo quòd voluerit spoliare templum. Dominus autem illi vitam donauit. 1.Machab.3.

AZARIAS stans in medio fornacis, orauit sic: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum:& liberati fuerunt.Danielis.3.

PETRVS apostolus antequam Thabitam modò defunctam ad vitam reuocaret, eiectis omnibus foras, ponens genua, vnicè Deum orauit, diuinum implorans auxilium, & deinde dixit:Thabita surge. At illa aperuit oculos:& viso Petro sedit.Act.9.

Cùm orasset in templo PAVLVS, factus est in stuporem mentis, viditque Dominum Iesum dicentẽ:Festina & exi velociter de Ierusalem.Act.22

Patre Publij febribus & dysenteria laborante, cùm orasset PAVLVS,& imposuisset ei manus, sanauit eum.Act.28.

MARVTHAS episcopus, legatione ad Persas functus, filium Sdigerdis regis orando à dæmonio liberauit, per quod maior fidei gloria accreuit. Sigebertus in Chronicis.

Valens cùm BASILIVM Cæsariensem diu multúmque conuiciis ac contumeliis vexasset, & ea nocte vxor Valentis maximis doloribus correpta, filia insuper paruula extincta esset, Valens Basilij assiduis precibus ad Deum fusis, saltem seruatus est: vt refert Rufinus lib. 11. Historiarum.

MARCELLVS ab equo in pugna lapsus, solem supplex adorauit.Plu. in vita Metelli.

C. IVL. Cæsar dictator post vnum ancipitem vehiculi casum semper vt primùm consedisset, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solebat. Cuius exemplum multi postea imitati sunt.Plin.lib.28.cap.2.

Bona fortunæ.

RACHEL & LIA Iacobi vxores, ANNA Helcanæ vxor, pro liberis apud Dominum intercedunt.

TOBIAS auditis duris sermonibus vxores, cœpit orare cum lachrymis, & exauditus est.Tob.3.

APOSTOLI volentes vnum de discipulis eligere in apostolum, loco Iudæ, statuerunt duos, Ioseph & Matthiam, & orantes dixerunt:Tu domine, qui nosti omnium corda, ostende quem elegeris.Act.1.

Cùm dixisset Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabam & Paulum ad opus, ad quod assumpsi eos. Sequitur:Tunc ieiunantes & orantes, eisque manus imponentes, dimiserunt illos,& fecerunt mirabilem fructum. Act. 13.&.14.

SYLVANVS Troadis præsul Maximiani tyranni tempore, cùm nauis, qua in Troaden nauigaturus ascendebat, diu immobilis in litore permansisset, nec vlla mortalium vi sedibus dimoueri posset, eius precibus soluta processit: vt est in historia Tripartita.

QVOMODO SIT ORANDVM. MODVS ET *ritus orandi.*

Cùm esset ANNA amaro animo, orauit Dominum, flens largiter,& votum vouit. Loquebatur autem in corde suo, & vox penitus non audiebatur.1.Reg.1.

SALOMON ædificato templo stetit ante altare Domini, in conspectu ecclesiæ Israel, expandens manus suas in cœlum, vtrumque genu in terrã fixit, & orauit.3.Reg.8.

Conuertit EZECHIAS faciem suam ad orandum ad parietem, vt attentius orare posset, & orauit Dominum, dicens: Obsecro Domine, memento quæso &c. Fleuit itaque Ezechias fletu magno,& audiuit Dominus orationem eius.4.Regum 20.

TOBIAS pater à cæcitate,& filius ab internecione liberati, vt pro beneficio gratias agerẽt, vterque in faciem se prosternentes, per horas tres benedixerunt Deum. Et cùm exurrexissent (vt ait Scriptura) narrauerunt omnia mirabilia eius. Vt scias, peractis etiam precib. à laudibus Creatoris non esse cessandum. Præterea orationes eorum coram Deo ab angelo oblatas fuisse legimus: ne quid precemur, nisi quod angelorum relatione dignum sit, quodque Dei aures delectet audire. Marul.lib.2.cap.1.

IVDITH oratorium ingressa, cilicio induta, cinere conspersa, in terrã prostrata Domino supplicauit:& sola meruit Iudæam vniuersam de vno ab Assyriorum oppressione liberare. Ausa enim facinus omnibus seculis memorandum, inter tot armatorum millia Holofernem ducem sua occidit manu. Quo cæso, reliqui metu perculsi, in fugam conuersi sunt. Si sic orauerimus, sternetur sathanas, vitia recedẽt, malarum tentationum nexus dissoluentur.Ibidem.

CHRISTVS quo corporis gestu, qua ve humilitate orandum esset, suo sæpe exemplo monstrauit. Dum (sicut veritatis scriptores retulerunt) nunc procidens in faciem, nunc positis genibus, nunc eleuatis in cœlum oculis obsecrat patrem.Ibidem.

Quando MARIA Magdalena veniam obtinuit à Domino dicente, Remittuntur tibi peccata:nihil vocaliter orasse dicitur, sed fleuisse: vbi apparet efficacia mentalis desiderij, etiam sine oratione vocali.Luc.7.

Arrogantiam in orando fugiendam humilitatémque sequendam, hinc phariseus, hinc publicanus monet:alter insolenter sese efferens, & inani iactatione cæteris præponens reprobatur: alter verò cœlum intueri non ausus, sed in terram pronus, pugnis pectus verberans, rediit (vt Veritas ait) iustificatus præ illo. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur,& qui se humiliat exaltabitur. Oratio humiliãtis se (vt Ecclesiasticus inquit) nubes penetrabit.Marul.lib.2.cap.1.ex Lucæ 18.

Vas electionis PAVLVS in Apostolorum gestis vbique memoratur, positis genibus preces Domino obtulisse. BARTHOLEMÆVM quoque centies in die & centies in nocte flexisse genua, dum orationes iteraret, ferunt. IACOBO Alphæi vtrunque genu in modum camelorum procũbendi assiduitate occalluisse. Quòd si sic orarunt, qui iam Spiritus sancti igne excocti, omni purius auro renitebant: quid nos facere oportet, qui peccatis peccata cumulantes, quotidiè diuinam in nos indignationẽ prouocamus? Submissius supplicare debet, qui grauius delinquit. Ibidem:& Sabellicus libro 2.cap.4.

Bartholomæum imitatus APOLLONIVS abbas,& ipse centenis genuflexionibus die noctúque precationes repetiisse perhibetur: in repetẽdo assiduitas, in genuflectendo laudem meretur humilitas. Marul.lib 2. cap.1.

ANTONIVS abbas,& ipse non nisi submissis genibus orans, sæpe diẽ noctémque peregisse dicitur precatione perpetua. Nescio quod maius miraculum, an illo corporis gestu tamdiu immotũ perstitisse, an tam continenter orasse? Vtrunque sanè difficile: sed timor gehennæ & amor Christi omnem vincunt difficultatem.Ibidem.

PASTVMIVS abbas vsque adeò orãdi studio ducebatur, vt nulla corporis debilitas animi sedulitatem coerceret. Aduersa valetudine pressus, cùm de lectulo surgere non valeret, iacens orabat. Iam languor vehemẽs expeditius loquendi ademerat facultatem,& tacitus labiorum motus etiã tum illum orare testabatur. Denique discedens anima, non prius orationẽ quàm corpus reliquit. Orantem adhuc angeli exceperunt,& ad cœlũ tollentes Domino obtulerunt: vt semper lætari possit eam se beatitudinem impetrasse, quam semper petierat.Ibidem.

MOYSEN abbatem noctem penè totam orando peruigilare solitum ferunt: ac dum oraret, recto corpore patentibúsque oculis, ne sopori succumberet, perstitisse. Sic superasse dæmonum tendiculas atque dolos, qui sopitum voluptuosis phantasmatum imaginibus ad illicita prouocabant. Experimento ergo didicit, quanti momenti illud Domini præceptum sit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.Ibidem.

Stantem atque orantem IOANNEM abbatem in superioris Thebaidis eremo, sub quadam cauæ rupis fornice annos tres perseuerasse legimus, nunquam procubuisse, ne minus orare quàm vellet cogeretur, quoniam cubanti citius obreperet somnus. Quietis molliciem standi frangebat laboris, standi laborem leuabat auiditas deprecandi. Miraculum auxit toto eo tempore nihil gustans, præterquam Dominicis diebus sacrosanctam Eucharistiæ communionem, quæ illi simul & animæ cibus,& sustentamẽtum corporis erat.Ibidem.

SISINIVS Elpidij abbatis discipulus, cùm annos septem sub illius institutionibus fuisset conuersatus, tandem discedẽs,& in quodam satis gradi lapideo monumento se occludens, per triennium semper rectus orasse dicitur, neque interim aut sedisse, aut iacuisse, aut inde pedem extulisse. Quid prius mirer nescio, an angustè habitantem? an immobiliter stantem? an continenter orantem? Cuncta quidem dura, factúque difficilia, nisi quòd corporis lassitudinem animus Deo intentus minus sentire potuit. Qui enim tam perseueranter orauit, is in cælo magis quàm in sepulchro fuit.Ibidem.

PAVLVS in finibus Aphricæ quingentorum monachorum quondam pater, nullo vitæ suæ die quicquam prius egit, quàm trecentas orationes genibus prouolutus Domino obtulisset: eas calculis in sinum ingerendo numerabat. Atque hi multo fœlicius in sinum iactati sunt, quàm illi in fistellam, quibus in Senatu decerni magistratus solẽt: alteris terrenus honor quæritur, alteris Paulus cœlestem gloriam est adeptus.Ibidem.

ISAAC Syrus, tunc quidem monachus, deinde etiam ipse abbas, postquam Spoletum Piceni oppidum appulisset, presbyteros rogauit, vt ibidem orandi quamdiu vellet, copiam sibi concederent, nec sinerent interim oranti quenquam impedimento esse. Ea re impetrata, dies tres continuos,& totidem noctes genibus innixus orauit. Hoc quidam hypocrisis vitio deputans, eò processit dementiæ, vt post verborum insultationem etiam colaphum illi incuteret. Sed quoniam parata sunt derisoribus iudicia,& mallei percutientes stultorum corporibus, repentè maligno arreptus spiritu vexari cœpit. At Isaac pietatis memor, iniuriæ immemor, percussorem suum precatione à supplicio liberauit. Offensámque omnẽ tunc remisit, cùm accepit,& eodem die remissam beneficio rependit, vt audito benignæ patientiæ cultu, triduanæ orationis vberior fructus fieret. Ibidẽ: & Sabellicus lib. secundo, capite 4.

ARSENIVM abbatem hunc morem habuisse satis constat, vt vnoquoque sabbati die submissis genibus, à vespere vsque manè orationem protelaret, facie semper ad orientem versa: illum adorans orientem, de quo per Prophetam dicitur:Ecce vir, Oriens nomen eius.Marul.lib.1.cap.1.

Sed neque coniugatis, quo minus orationi animum intendant, maritalem thorum impedimento esse, ELIZABET Lantgrauij Turingiæ principis

cipis vxor, suo ostendit exemplo. Impetrata enim à viro noctis continentia, ad orationem secedebat, super pauimẽtum distento tapetulo cubitãs ne mollius iacenti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea quæ Dei sunt magis magisque inflammabatur. Inde & quod petebat facilius concedere, & ipsemet impensius orare. Diceres eos identidem recordari illud ab Apostolo præceptum: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Ita ambo eiusmodi curæ pariter incumbentes, spiritui magis quàm carni seruiebant. Sed illa deinde viduitate facta liberior, tanto soli Deo intenta orauit ardentius, quanto à rebus familiaribus iam aliena vixit expeditius.Ibidem.

ETHNICA.

VETERES supplicantes,& piè exorare aliquid volentes, deorum hominúmque genua amplectebantur: manus apprehendebant, & ad genua procumbebant: in his membris numẽ & sedem miserationis esse arbitrati. Veteres Græci mentum tangebant dextra, sinistra genua apprehendebãt. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.ex Plin.lib.11.cap.45

Apud EOSDEM quoque manus ad cœlum tendere, vel puluerem crinibus spargere, vulgaris supplicandi mos fuit.Ibidem.

ANCHISES, vt poetica fides his adijciatur, ostento commotus, quòd circa Ascaniũ fieri contigit, nocte illa qua Iliũ est à Græcis excisum, Iouẽ precaturus, manus & oculos ad cœlum extulit. Sab.lib.2.cap.4.

AENEAS huius filius, in templo Delij Appollinis cum his qui aderãt in terram procubuit. Cęterùm in Creta noctu apud deos penates patrium morem imitatus, supinas manus & oculorum aciem in cœlum ablegauit, deos rogaturus.Ibidem.

Nec DIDO vno orasse modo traditur: quippe quæ hospitalem Iouem propitiatura, vinum leniter libauit: mox alibi aram tenens manibus, orationem peregit.Ibidem.

MACEDONVM mos erat, si quid suppliciter à dijs vel hominibus exposcerent, seminudos,& interiori tantùm amictos tunica, obtestari. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19.

SICVLI squalida veste, capillo & barba promissa, illuuie & squalore obsiti supplicabant: pedibus quoque obuolui, humũ vertere crinibus, aut passis protensisque manibus obtestari solebant.Ibidem.

Apud SCYTHAS & Latinos supplicem in lare sedere, tacitum obiurationis & maximum supplicandi genus notabatur.Ibidem.

NVMA Pompilius secundus Romanorum rex, inter alia religionis instituta, quæ arcanas habent,& non omnibus perspectas rationes, voluit vt adorantes vel precantes Deum, in orbem sese verterent, ac deinde sederent oratione finita. Conuersio ad mundani circuitus similitudinem sit: aut fortasse is qui orat, quoniam templis ad orientem spectantibus auersatur ortum, mutat seipsum,& ad Deum conuertit, orbem faciens, & absolutam precem vtrunque coniungens. Fortè etiam Ægyptijs rotis simile quiddam mutatio illa habitus significans: docétque, nihil ex humanis rebus stabile & firmum esse, sed vtcunque vertat Deus, reuoluátque vitam nostram, id iucundè & libenter admitti conueniat. Sedere autem, cùm adorarint, auspicium esse dicunt, quo & ratas preces & in bonis perseuerãtiam fore significatur.Plut.in vita Numæ.

ROMANI in summis supplicationibus, nudo pectore & deiecta toga ex humeris, genu nixi, nonnũquam humi prorsus deiecti, preces fundere solebant. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

Accidit sæpius, vt Rom. rebus bello accisis, cùm nouus terror ab hostibus impenderet, ROMANÆ mulieres pacem malorum petituræ, solutis crinibus templorum pauimenta verrerent.Sab.lib.2.cap.4.

ROMANI in expugnandis vrbibus interdum deos euocabant tutelares, interdum verò vrbes deuouebant, certis quibusdam sacris verbis: in libro 3. Rerum reconditarum Sammonici Sereni, vtrũque carmen se reperisse Macrobius testatur, quod ille se in cuiusdam Furij vetustissimo libro reperisse asserit. Est autem carmen huiusmodi, quo dij euocantur, cùm oppugnatione ciuitas cingitur: Si DEVS, si Dea est, cui populus, ciuitásque Carthaginensis est in tutela, téque maximè ille, qui vrbis huius, populique tutelam recepisti, precor, veneróque, veniámque à vobis peto, vt vos populum ciuitatémque Carthaginensium deseratis: loca, templa, sacra, vrbémque eorum relinquatis, absq; his abeatis: eíque populo, ciuitatique metum, formidinem, obliuionem injiciatis: proditique Romam ad me, meosque veniatis: nostráq; vobis loca, templa, sacra, vrbs acceptior probatiórque sit: mihi quoque populóque Romano, militibúsq; meis præpositi sitis, vt sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voueo vobis templa, ludósque facturum. In eadem verba hostias fieri oportet, authoritatemque videri extorum, vt ea promittant futura. Vrbes verò, exercitúsque sic deuouentur, iam numinibus euocatis. Sed dictatores Imperatorésque soli possunt deuouere, his verbis: DIE PATER, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est nominare, vt omnes illã vrbem Carthaginem, exercitúmque, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis: quique aduersus legiones, exercitúmque nostrum arma, teláque ferent, vti vos eos exercitus, eos hostes, eosque homines, vrbes, agrósque eorum,& qui in his locis, regionibusque, agris, vrbibúsq;, habitant, abducatis, lumine supero priuetis: exercitúmque hostium, vrbes, agrósque eorum, quos me sentio dicere, vti vos eas vrbes, agrósque, capita, ætatésque eorum deuotas, consecratásque habeatis, illis legibus, quibus quãdoque sunt maximè hostes deuoti: eósque ego vicarios pro me, fide, magistratúque meo, & pro populo Rom. exercitibus, legionibúsque nostris do, deuoueo: vt me, meámque fidem, imperiúmq; legiones, exercitúmque nostrum, qui in his rebus gerundis sunt, bene saluos siuatis esse. Si hæc ita faxitis, vt ego sciam, sentiam, intelligam: tunc quisquis votum hoc faxit, vbi faxit, rectè factum esto, ouibus atris tribus, Tellus mater, téque Iupiter obtestor. Cùm Tellurem dicit, manibus *terram tangit: cùm Iouem dicit*, manus ad cœlum tollit: cùm votum recipere dicit, manibus pectus tangit. In antiquitatibus autem hæc oppida inueni deuota, Stonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas intra Italiam, præterea Carthaginem & Corinthum. Sed & multos exercitus oppidáque hostium Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarúmque gentium, quas prisci loquuntur annales. Macrob. libro 3, Satur.cap.9.

QVANTVM SIT ORANDVM: ASSIDVITAS, FERVOR *& deuotio in orationibus.*

Dux ISRAELITICI populi Moyses, quàm olim solicitè pro eorum delictis Domino supplicauit, ipse confitetur dicens: Et iacui coram Domino 40 diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar ne deleret vos, vt fuerat comminatus. *Vtinam nos nostris peccatis tam impensè* atque perseueranter veniam posceremus, quàm ille alienus. Marul. libro 2. cap.1.& Sab.lib.2.cap.4.

ANNA Helcanæ vxor, ita ardenter orauit Dominum, vt temulenta putaretur. Heli sacerdoti sibi ebrietatem exprobranti, nihil turbata respondit: Vinum,& omne quod inebriare potest, non bibi: sed effudi animam meam in conspectu Domini. Et tunc quidem homo faciem tantùm videns, deceptus est: sed scrutator cordis & renum Deus compunctionem considerauit orantis,& misertus quod rogabatur concessit: vt quæ propter sterilitatem contemnebatur, propter partum multis matrib. honorabilior appareret, edito Samuele sacerdote, simul & propheta.Iidem.

SARA Raguelis filia, in superiori cubiculo se recludens, dies tres in oratione perseuerauit, cibi ac potus expers. Qua solicitudine à Domino meruit obtinere, ne priorum virorum interfectrix crederetur. Tobia viro seruato, cum hoc vno fœlici admodum matrimonio iuncta, ad decrepitã vsque ætatem vixit sine querela.Iidem.

Septies in die laudem Domino dicens, ipse sanctus propheta DAVID septem canonicarum horarum, quas nunc seruat ecclesia, orandi documentum reliquit. Quali autem quantóue mentis affectu orauerit, testatur dicens: Deprecatus sum faciem tuam ex toto corde meo. Et item: Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. In corde ad Dominum clamant, qui ardenter orant: non qui tantum vocibus obstrepunt, & quod labijs volutant, mente non concipiunt.Iidem.

Post illum SALOMON omnium Iudææ regum sapientissimus, in eo libro (si modò illius liber est) qui Sapientiæ inscribitur: Adij, inquit, Dominum,& deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis. Ex toto quippe rogandus est, qui ex toto corde præcipitur diligendus. Negligenter autem orantes,& eum à quo aliquid petunt, non satis magni pendere arguuntur, ideóque nec impetrant. Reprobatur enim eiusmodi rogator, dicente Domino in Apocalypsi: Quia tepidus es,& nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.Iidem.

Vir desideriorum DANIEL (quamuis Darij edicto Deum alium præter regem adorare capitale esset) ingressus cœnaculum, id est, superiorem partem ædium, apertis fenestris contra Hierusalem, ter in die statutis horis genua sua flexisse,& adorasse Deum suum dicitur. Hinc tu quoties orare *volueris, domum Dei ingressus mente cœlum conscende*: apertisq; fenestris, puræ syncerǽque intentionis Spiritui sancto ad cor tuum aditum para, & semper ad cœlestem Hierusalem animo conuersus terrena contemne: ac die vno ter genua flectens, Trinitatem personarum, vnitatémq; substantiæ in Deo crede, confitere, adora. Iidem ex Dan.6.

TOBIAS cum lachrymis orasse perhibetur, & cùm casu quodam oculos amisisset, ab angelo Raphaele de celo in terras misso, meruit curari: adeò inter orandum illi fleuisse profuit.Iidem.

TOBIÆ filio eius, etiam nuptiarum celebritatem sacris precationib. placuit initiari. Cum Sara enim vxore sua priusquam copulæ coniugali operam darent, tres noctes totas in cubiculo simul orando consumpserunt. Inde illa quæ primo statim concubitu iam septem extulerat viros, cum hoc postremo diu fœliciter vixit.Iidem.

ANNAM viduam in Euangelio legimus de templo nusquam discedentem, ieiunijs & obsecrationibus nocte ac die seruientem, & eodem in templo vidisse Iesum: visum credidisse, creditum prophetando prædicasse. Tot illi similis attulit bona, nec sola viduitatis castitas, nec solum corporis ieiunium: sed vtrique accedens etiam assidua deuotæ mẽtis obsecratio.Iidem.

Assiduitate in orando opus esse, CHRISTVS IESVS tum verbis docuit, tum exemplo significauit. Dormientibus Apostolis ipse vigilans, iterum & tertiò eundem repetendo sermonem orasse dicitur: & vt Lucas ait, Factus in agonia prolixius orabat, ne scilicet aliter egisse videretur quàm præcepisse. Præceperat autem, similitudinem afferens ac dicens: *Si quis nocte intempesta* ad amici pulsans fores perseueret, ipsa poscendi improbitate coget illum de stratu suo surgere, & panes quos petierat, sibi mutuò dare. Parabolam etiam proponens, iudicis Deum hominésq; contemnentis, qui viduæ quotidiè interpellantis victus tædio, eam ab aduersarij calumnia tandem decreuit vindicare. Audite, inquit, Lucæ 18. quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Non vindictam intelligas contra inimicos, quos diligere iubemur: sed

contra tentationes, quibus resistere nemo valet, nisi Domini ope auxilióq; adiutus fuerit. Quádiu ergo cum his nobis colluctandum est, tandiu & orandũ. Neque huic sententiæ illam cõtrariam putemus, quam idem salutis nostræ auctor ac doctor protulit, dicẽs: Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. Ethnici enim, id est gentiles longas orationes orabant, orandi affectum non habebant. Itaque non multũ orare prohibuit: sed eos qui labiis multum, corde parum orant, imitari. Ideóque subiũxit: Nolite vos assimilari eis. Marul. lib. 2. cap. 1.

Christus & APOSTOLI, postquam deuicta morte ad cœlos vnde venerat rediit, in Hierusalem reuersi cùm cœnaculum ascendissent (vt Lucas in actis eorum testatur) perseuerantes erant vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Inde refert Spiritũ sanctum aduenisse, domũ vbi erant sedentes repleuisse, supra singulos eorũ linguas tã quam ignis apparuisse: vt intelligas perseuerãtiæ ac iugi oratione Spiritus sancti gratiam conciliari solere. Ibid.

Apostolus PAVLVS orandum esse sine intermissione, monebat, hoc ipsumque solicitus faciebat. Sine intermissione memoriã facio vestri semper in orationibus meis. Rom. 1.

MARTHAM centies per diem, & centies per noctem submittere genua solitam ferunt, dum illum supra cœlos regnantem adorat, quem in terris morantem suscepisse hospitio beneficij loco habuit: non iã minus in supplicando solicita, quàm olim fuerat in ministrando. Marul. lib. 2. cap. 1.

Huiusmodi solicitudinis æquè mirandum exemplum in GREGORII pontificis dialogo relatum legimus. Ipse enim testatur in TRASILLÆ virginis amitæ suæ, cùm vita defunctam lauare vellent, genibus cubitisque concretam callorum duriciem apparuisse. Palámque factum exanimi iam corporis indicio, quanta illi adhuc viuenti sanctarũ precum cura studiũque fuerit. Sic conseruatur virginitas, sic ad cœlestis thalamum spõsi peruenitur. Ibid.

Assiduus deprecandi labor etiam BONIFACIVM episcopum ad cœlum, imò supra cœlum, ad Dei vsque conspectum exaltauit, quotidie duplicatum laudis sacrificium Domino offerentem. Monasticas enim canonicásque precationes simul iungens, alteras episcopus factus assumpsit, alteras iampridem monachum professus non deseruit. Ad inferiorem Mysiam perueniens, primus Christum prædicauit: Rhutenorum regem baptizauit: martyrio coronatus est. Ibid.

MARTINVS Turonensis episcopus, ne tunc quidem cùm quicquã operis manibus exerceret, linguam ab oratione cohibebat, effecítque illud Apostoli præceptum: Sine intermissione orate. Illi etiam qui simpliciter victum intelligunt, à se plenè seruatum non negent. Ibid.

IDEM diem obiturus extremum, frigescentibus membris iam immotus iacebat, labia tamen mouebantur. Denique orare non destitit, donec subitò lumine circunfusus reddidit spiritum. Deum ergo moriendo orat, & orando moritur, mortis tenebras non sensit. Ibid.

SERVATIO Tragiecensi episcopo oranti, igneus supra verticem radius apparuit: qui mox in sublime euolãs, cœlum petiit, testatus (vt mihi videtur) in ignis specie orationum eius feruorem, in splendore vitæ puritatem, in ascensu meritorum altitudinem. Ibid.

PHILBERTI abbatis apud Rhotomagum Galliarum vrbem, in ecclesia deprecantis, oculi veluti duo sidera fulgere visi sunt: vt ex hoc cognoscas, humiliter intentéque deprecantium mentis oculos Spiritus sancti fulgore illuminari, ne vnquam obdormiant in morte, ne quando dicat inimicus eorum, Præualui aduersus eos. Ibid.

Sed ne quando (vt vsuuenire solet) inter orandum sopore correpti dimidiatas relinquamus preces, STEPHANI presbyteri Constantinopolitani exemplum nos hortatur. Qui cùm totum Psalterium singulis noctibus perlegere moris haberet, atque aliquando citius quàm consueuerat consopitus ipsum semilectum dimisisset monitus est à Petro apostolo in somnis, vti surgeret, & cœptum opus intentius perficere curaret. Quæ res argumento est, non nisi peractis finitísque orationibus dandum esse quieti locum. Ibid.

QVIDAM à Martino Bituricensi monacho vocatus, vti die Dominico concioni interesset: nondum finita, ne tardius negocio tunc vrgenti occurreret, abire voluit. Sed ascenso equo, frustráque calcaribus fatigato, vbi bestiam, vt inde se moueret, compellere nequiuit: semetipsum reprehendens desiliit, & concionem perfectè integréque audiuit. Atque eodem equo statim quo optabat est auectus. Et in tempore domum reuersus, gerendæ rei occasionem non amisit, sed promptiorem potioremque, quàm si præuenisset, habuit. Ibid.

Hac eadem in re IOANNIS patriarchæ Alexãdrini in primis laudãda est solertia, qui populum audito Euangelio, mox ab ecclesia dilabi solitum, curauit contineri. Et ipse enim intermissa celebratione sequi egredientes cœpit, dicens: Vbi oues, ibi & pastorẽ adesse oportere. Hoc modo redargutis pudorem iniecit, vt nunquam postea prius ab altari discederent, quàm sacerdos peracto sacrificio benedictionem daret. Ibid.

TEMPVS ORATIONIS.

EXEMPLA PIA.

Exempla ex præcedenti tit. pete.

CHRISTVS IESVS tempus orandi præscripsit, vespertinum, Vespere facto orans in monte: & nocturnum, Pernoctans in oratione: & antelucanum, Valde diluculo surgens, & in desertum locum secedens, vt ibi oraret: & penè continuum, dicens, Vigilate omni tempore orãtes. Marul. lib. 2. cap. 1.

Ne continenter orando defatigatus quandoque concidat animi vigor, & cogitationibus diffluat atque dilabatur: rectè MAIORES nostri horas diuiserunt, alias orationi, alias actioni, aliàs verò lectioni. Hinc quidã tradunt virginem beatam, postquam à parẽti in templo cultui diuino fuit dedicata, à mane ad horam tertiam precibus, à tertia ad nonam manuum labori, tum sumpto cibo à nona ad vesperum Scripturarum meditationi operam dare consueuisse. His vicissitudinum successionibus Deo seruiens, in tantum se à vitio alienam, & virtutibus refertam præstitit, vt sola eligi mereretur quæ Deum & hominem pareret, & virgo permaneret. Sic illa igitur sacris virginibus, sicuti est humilitatis integritatisque, & cæterarũ virtutum, ita & bene dispensandi temporis exemplum, vt scilicet nec semper orent, nec semper operentur, nec semper legant, & tamen semper hęc omnia, ne quis vnquam sit ocio locus. Quoniam multam maliciam (vt Ecclesiasticus inquit) docuit ociositas. Marul. lib. 2. cap. 1. & Sabellicus lib. 2. cap. 4.

ALEXANDER I. Pontifex Rom. cùm vngulis ferreis & igne vreretur, tacuit. Interrogatus ab Aureliano, Ecquid taceret? respondit: Habere se quod cum Deo loqueretur, nec cum hominibus loqui sibi modò licere. Orare se significans. Honorius & Nauclerus testes.

ETHNICA.

P. SCIPIO, qui primus tulit Africani cognomen, noctu Capitolium solus ascendebat adoraturus deos: vt verò quidam autumant, Iouem consulturus. In quo subit illa reputatio admiratione digna, nunquam eũ, tametsi antelucanus locum adiret, à canibus arcis custodibus allatratũ. Sabellicus lib. 2. cap. 4.

MAGORVM & Persarum exemplo qui manè sacrificia & preces absoluerunt: matutinum tempus sacrificiis idoneum existimantes, cùm deos tunc assidere tẽplis, & matutinis salutationibus adesse opinio esset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

INDI & Gymnosophistæ in meridie, & vbi multum diei processerat, immolare diis consueuerunt. Ibid.

APOLLONII Tyanæi opinio fuit, summo diluculo cum diis versari: procedente mox die, de diis loqui oportere. Ibid.

LOCVS ORATIONIS.

Exempla pete ex tit. Quantum sit orandum, Item ex tit. Eremitarum, & eorum qui contemplationi dediti fuerunt: vt scilicet liberius orationi vacare possent.

HELISEVS, cùm attentè orare vellet pro mortuo filio Sunamitis, non fecit hoc coram aliis, sed ostium clausit. 4. Regum. 4.

SARA filia Raguelis, audita ab ancilla sua grandi contumelia, perrexit superius in cubiculum domus suæ: & tribus diebus in oratione persistens, cum lachrymis deprecabatur Dominũ, vt ab illo improperio liberaret eam: quod factum est. Tob. 3.

TOBIAS ibat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi orabat Dominum Tob. 1.

Locum orantibus aptũ CHRISTVS designauit, dicens: Domus mea domus orationis vocabitur. Item monens: Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito. Idem faciens, quando dimissa turba ascendit in montem solus orare. Marul. lib. secundo cap. primo.

Ascendit PETRVS in superiora domus, vt oraret circa horam sextã, vt scilicet posset orare, deuotione à familia inferius existente remotus. Petrus seruabatur in carcere Herodis, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia, ad Deum, pro eo. Act. 12.

Commendatur EVNVCHVS ille Condacis reginæ Æthiopum, qui ex Æthiopia venit adorare in Hierusalem. Sed nota, quòd etiam sedens in curru, legebat Esaiam prophetam. Quod est contra multos, qui euntes ad loca sancta, non legunt, vel referunt sacra documenta, sed multiplicant vana verba. Acto. octauo.

ETHNICA.

PERSÆ cùm nec deorum aras haberent, nec templa erigerent (erãt enim ædium sacrarum & simulachrorum euersores) in loco mundo & excelso, cum precatione diis victimas immolabãt. Alex. ab Alex. lib. quarto, capite decimoseptimo.

ORAT-

ORATIONIS EFFECTVS. PRECES *exauditæ.*

ABRAHAM orante, Abimelech Geraræ regis vxor atque ancillæ, cùm antè sterilescerent, prolem diu optatam susceperunt, & matrum nomine lætatæ sunt. Et nos, si dignè deprecati fuerimus Dominum, gratia eius repleti, exuberabimus prole virtutum. Marul. libro secundo capite secundo.

Plagæ Ægypti MOYSÆ intercedente cessabant: multiplicabantur autem & ingrauescebant, quoties Pharao ad cordis sui duritiam peruersitatémq; redibat, vt & ratione auerti mala intelligas, & obstinatione augeri. Ibidem.

IDEM, dum populus Israeliticus Iesu duce contra Amalechitas decertaret, stans in vertice collis orabat. Cúmque manus in cœlum tolleret, vincebant Israelitæ; cum remitteret, superabantur. Perseuerandum enim est vt vincas. Ipse deinde non lassatis manibus vsque ad occubitum solis orãs suorum gladiis terga præbuit hostium. Ad hæc Dei iram, quoties ille populi flagitiis ac scelere prouocatus excandescebat, deprecando placauit, Mariam sororem lepra perfusam mundauit, pestilentiam in diffidentes grassaturam inhibuit. In seditionem versos omnes pariter cum Datan & Abiron repentinus terræ hiatus absorbuisset, nisi ipse reliquæ multitudini veniam orando impetrasset. Ibid. ex 17. Exod.

Rursus cum in ILLVM & Aaron, turbæ insurgentes incendio diuinitùs excitato disperirent, eius monitu Aaron obtulit thymiama, processit in medium, & cum orasset, flamma substitit, internecio cessauit. Ibidem.

Postremò cùm in deserto in Deum murmurantes, passim serpentium ictibus sternerentur, supplicante pro eis MOYSE, Deus placatus, æneum serpentem in ligno suspendi præcipit: quem percussi dum aspicerent sanabantur. Percussum quippe erat humanum genus antiqui serpentis mortifera seductione: sed Deo miserante Christum in ligno pendentem vidit, & remedium accepit salutis. Ibidem, & Sabbel. libro secundo cap. quinto.

Ad orationem HELIÆ prophetæ annos tres & menses sex non pluerat super terram, donec rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra fructum suum. Sareptanæ viduæ, quæ illum famis tempore hospitio susceperat, sydria farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit imminutus: & quæ fame moritura erat, hospitis beneficio vixit. Insuper filium suum defunctum ipsius precatione vitæ restitutum accepit. Eodem propheta inuocante, ignis de cœlo lapsus quinquaginta & quinquaginta viros, alios post alios, ab Ochozia rege ad ipsum comprehendendum missos consumpsit. Inuocauit autem ille non vt se vindicaret, sed vt Dei veri immensam expauescendámque potentiam contra præuaricatores, qui eo relicto Beelzebub Deum Acharon adorabant, ostenderet. Post hæc Iordanem transiturus, comitante Helisæo pallio percussit flumen: & diuisis aquis, per siccum aluei tramitem, ambo ad ripam vlteriorem peruenẽre. Eodémque rursum pallio Helisæus, cùm solus reuerteretur, eandem expertus est virtutem. Quòd tanta vis in prophetæ pallio erat, quanto maior in oratione eius? Qua etiam rimatus est secreta cœli, & præuidit futura, & viuens atque sentiens è mortaliũ consortio ad paradisi loca trãsferri meruit. Ibidem.

HELISÆVS propheta apud Hiericũtem aquas potantibus noxias, cũ orasset, salubres fecit, terræ sterilitatem fœcunditate mutauit. Ascẽdens in Bethel, pueris sibi illudentibus malè imprecatus est, non vt suam, sed Dei iniuriam vlcisceretur: qui statim ab vrsis laniati, pœnas dederunt. In Samaria mulieris viduæ inopiam miseratus, modico oleo non modica vasa impleuit, ita vt illa, eo vendito, & à creditore se redimeret, & victum qui satis esset, sibi filiisque pararet. In ciuitate Sunã mulieri hospitę infœcundę ac sterili, vt viro suo filium pareret, à Domino impetrauit. Et eundem puerum postea exanimum ad vitam reuocauit. Reuersus in Galgala, pulmentum amarissimum in dulce conuertit. Panibus viginti hordeacis viros centum satiauit, & superfuit. Naaman Syrum à lepra curauit. Securis ferrum in Iordanem delapsum enatare fecit. Obsessus in Dothaim, aduersarils subita cæcitate percussis, liberatus est. Super ossa eius defuncti proiectum cadauer statim reuixit, vt vel hinc facilè disci possit, quantæ ille virtutis fuerit viuens, qui mortuus alteri mortuo vitam dedit. Iidem.

IOSVE orante, Sol & Luna immoti steterunt, donec ipse vlcisceretur se de inimicis suis. Non fuit (inquit Scriptura) ante & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. Iidem.

IOACHIM rex Israel, cùm suos, eo quòd se idolorum cultura polluerant, in ditionem Syriorum redactos vidisset, ad Dominum cõuersus, pro ipsis deprecatus est & à seruitutis iugo misericorditer ereptos recepit.

EZECHIA rege Iuda depracante, cùm in extremo rerum periculo esset constitutus, nocte vna angelus Domini percussit in castris Sennacheribi centum octogintaquinque millia Assyriorum. Sicque eum, quem arma nequiuerant, oratio seruauit. Hinc nos, quoties siue occultis siue manifestis dæmonum oppugnationibus infestabimur, à Domino auxilium imploremus: & tunc cadent à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris, ad nos autem non appropinquabunt. Iidem.

IDEM aduersa valetudine grauiter affectus: cùm Esaia prophetante se iamiam decessurum audisset, facie ad parietem versa multis cum lachrymis Deum rogando, & vitæ longius spacium, & corporis impetrauit sanitatem. Nonne magnum hoc & admirabile, vt pœnitẽtis oratio mutet Dei sententiam: & quem Deus ipse morti iam addixerat, cum rursus ne ægrotare quidem permittat? Marul. lib. 2. cap. 2.

Non paruam orationis vim & in ASA rege Iudæ belli euentus ostendit. Cùm exigua enim manu obuiam procedens Zare Æthiopum regi, cuius exercitus decies centum millium hominum armatorum, & trecentorum curruum erat, inuocauit Dominum: & repentè lymphatico quodã pauore conterriti, Æthiopes terga verterunt: Persequente eos Asa, à Maresa vsque Gerara, ad internecionem cæsi sunt. Quia Domino cædente, sicut in secundo Paralipomenon libro scriptum legimus, contriti sunt ab exercitu illius prœliante. Ibidem.

Aliquanto mirabilius IOSAPHAT regi diuinus propitiatus est fauor. Nam cùm innumera penè multitudo Moab & Ammon, & Idumæorum venissent contra Iudam, proximéque Hierosolymam castrametati fuissẽt, Iosaphat metu perculsus, nihil aliud nisi Deũ deprecatus est, indictóque ieiunio se & sua illi impensius cõmendauit. Denique vrbem egressus gladium non eduxit, nec pugnam iniit, & hostes mutuis inter se vulneribus ante eum conciderunt: Iudæorúmque tunc labor non in vincendo, sed in spoliando fuit, cum prædam prope mœnia iacentem vix per triduum præ magnitudine auferre quiuerint. Ibidem.

IVDÆ Machabæi orationes magis quàm arma de hostibus triumpharunt. Sæpe enim peracta prece solius Dei auxilio fretus, ad bellum egrediens, parua manu ingentes copias vicit. Cum tribus millibus virorum penè inermium Gorgiæ exercitum quinque millium peditum & mille equitum, nec minus armis quàm viris munitũ, ad Amaũ fudit, fugauítque: & tribus millibus eorum cæsis, victor est reuersus. Iterum cũ decem millium manu profectus in Bethoron, Lysiam superauit: cuius copiæ erant sexaginta millia peditum electorum, & quinque millia equitum. Rursum in Bethoron non plus quàm tria millia bellatorum secum habens, cum validissimo Nicanoris exercitu, sicuti confidenter, ita & fœliciter cõflixit. Eã siquidem pugna aduersariorum castra fuêre euersa, Nicanor interfectus, reliqui fugientes à persequentibus cæsi. Has tãtas victorias Hebræis olim attulêre, non Iudę pauci milites, sed Iudæ Deo gratæ preces. Marul. lib. 2. cap. 2. & Sab. lib. 2. capite quinto.

SI ADEO magnificum esse existimatur, hostes vincere, spolijs inimicorũ ditari: quanto magnificentius præstabiliúsq; est animi magis quàm corporis bonis excellere? Sed & hæc quidem petentibus dari, Sapientiæ liber testatur, vbi scriptum est: Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius. Iacobus verò apostolus idẽ astruens, etiam qualiter petere debeamus docet, cùm ait: Si quis vestrũm indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter: & non improperat, & dabitur ei. Postulet aũt in fide, nihil hæsitans. Cuius rei exempla quædam petes ex tit. Diuinitùs edocti. Ibidem.

Alijs prophetis Christi ventura reuelata fuêre mysteria: DANIELI verò etiam annorum numerus vsque in diem ipsum quo nasci debuit, indicatus est: fortasse quia solicitior cæteris ac submissior ad orandum processerat. Posui, inquit, faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere. Demũ oranti apparens Gabriel angelus, egressum se dixit vt doceret illum. Ab exordio precum tuarum inquit, egressus est sermo: ego autem veni vt indicarem tibi. Is igitur gratiam recipiet cumulatiorem, qui deuotius rogarit. Ibidem.

IONAM prophetam de vẽtre ceti ad Dominum Deum suum clamasse legimus, & die tertia Domini iussu à pisce in aridam vomitu effusum. Grande profectò miraculum: tum quòd deglutitus tamdiu intra aluum vixerit, tum quòd eiectus nusquam vt læderetur impegerit. Vtrumque tamen hominibus, precibus ab eo qui omnia potest, datum. Ibidem: & Sabel. lib. 2. cap. 5.

Etsi his qui sub seruitute legis erant, tanta ac talia concessa sunt: quid eorum precibus non concessum dicemus, quibus sub Euangelio dies illuxit libertatis, & de quibus in Psalmo dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione & generationẽ. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi. Ibidem.

Apostolus PETRVS (cui regni cœlorum claues datæ sunt, ligandi atque soluendi ius tributũ, cura commissa Ecclesiæ Dei) claudo eleemosynam petenti, sanitatem dedit. Æneam paralysi laborantem curauit. Dorcam mortuam vitæ restituit. Denique vmbram illius contigisse ægrotantibus saluti fuit. Idem in carcere positus, catenis duabus vinctus, à militibus custoditus, orante pro eo ecclesia, ab angelo de cœlo misso liberatus est. Ibidem.

ANDREAM fratrem eius ferunt, cuidam cui Nicolao nomen fuit, qui toto vitæ tempore libidinibus deditus, ab his discedere, cùm etiam vellet, non poterat, deprecando continentiam à Domino impetrasse, & illũ pœnitentia ductum castitatem deinceps perpetuò custodisse. Plerique elata corpora oratione ad vitam reuocarunt: Andreas animam diu in peccatis mortuam suscitauit. Ibidem.

BARTHOLOMÆI apostoli oratio obsessos à dæmonibus liberauit. Polemi Indiæ regis filiam lunaticam, mentis compotem fecit. Ibidem.

IACOBVS Zebedæi filius, dum Herodis Agrippæ iussu decollandus duceretur, paralyticum in via iacentem saluti restituit. Et cùm speculatoris gladius ceruici suæ immineret, necis propriæ oblitus, pro alterius sanitate orauit. Vtrumque autem vera charitas faciebat, vt & proximi misereretur, & pro Christo mori nõ timeret. Ibidem.

IOANNES frater eius (quem Iesus amasse plurimum dicitur) cùm à

Pathmo Ephesum reuerteretur, Drusianam defunctam ab ipso pheretro quo ad sepeliendum portabatur, sanam surgere, ac domum redire fecit. Virgulta in aurum, litorales lapillos in gemmas mutauit. Ac ne diuitiis illi opus fuisse putes, eadem rursum pristinæ naturæ formęque restituit. Dianæ Ephesiæ templum funditus euertit, præsentaneum venenum inoffensè hausit, eodémque haustu enectos ad vitam reuocauit. Ibidem.

THOMÆ Didymi deprecatio, Sinticæ oculis captæ visum redintegrauit. Idola lapsu præcipiti in puluerem redegit: vt ostenderet, simulachra gentium opera esse manuum hominum. Ibidem.

Ad MATTHÆI apostoli inuocationem, Egippi Æthiopum regis filius, qui fuerat mortuus, surrexit viuus: mortuque pariter & diabolo ereptus, Christo viuere cœpit, contemptis idolis baptismum suscipiens, ac Deo credens. Ibidem.

IVDAS Thadeæus, Abagarum Medorum regem ab elephantiæ morbo liberauit, credentem baptizauit, corpus vitio, animum erroribus expians atque emundans. Ibidem.

PAVLVS vas Spiritu sancto plenum, Elimam magum fideles ludificantem, cæcitate damnauit ad tempus: vt quandiu mentis oculos non haberet, nec corporis habere posset. Claudum à natiuitate sanauit. Spiritum pythonicum à muliere expulit. Euthycum vitæ, Publij patrem sanitati restituit. Sudaria & semicinctia à corpore eius ad ægrotos delata morbo liberabant, immūdósque spiritus ab obsessis expellebant. Ipse à vipera percussus nihil sensit læsionis. Et cum Philippis in carcere vnà cum Syla discipulo compedibus vincti tenerentur, noctéque intempesta Deo laudes concinerent: terra quatitur, carceris ostia aperiuntur, vincula soluuntur. Postremò à magistratu, cuius iussu in carcerem coniecti fuerant, liberi dimittuntur. Ibidem.

BARNABAS apostolus Cypri aliquandiu commoratus, morbo affectos Euangelio Matthæi manu scripto tangens curauit, cum precatus cuius religionem astruebat curando. Ibidem.

Hæc & alia huiusce modi multa operandi facultatem discipulis suis cōcesserat Dominus. Sed ne miraculorum auctor ignoraretur, à Deo ea petere credentes voluit. Quodcūmque petieritis, inquit, patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Et iterum: Quodcūque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et quid mirum, quòd sic ad nos filius, sic etiam ad filium pater? Postula à me, inquit, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hinc illum in Euangelio non semel orantem legimus, quandoque tamen propria potestate vtentem: vt nec solum hominem, nec solum Deum credas, sed Deum & hominem vnum Christum Iesum, doctorem ac saluatorem nostrum. Ibidem.

AMMONIS Ægyptij abbatis oratio immanem atque terribilem draconem, & qui iumenta hominésque enecaret, per medium crepare compulit. Puerúmque pestifero illius afflatu interemptum suscitauit: alteri vitam, alteri mortem dedit. Quoniam, qui nocet, morte dignus est: cui nocetur, miseratione. Ibidem.

ROPHILVS Popiliensis, & Mercurialis Liuensis, ambo episcopi, draconem æquè pecori atque hominibus infestum, stolis suis non repugnātem, sed quasi mansuefactum ligauerunt: ac post se trahentes in puteum altitudinis immensæ, nunquam inde exiturum deiecēre. Literæ ibidem in lapide incisæ factum hoc indicant, & adhuc extantes legentibus fidem faciunt. Ibidem.

SEVERINVS in Pannoniæ finibus abbas, cùm Phanianum oppidum Danubio adiacens fame laboraret, eo quòd cōcreto frigoribus fluuio frumentariæ naues iter agere nequibant, oratione glaciem soluit: & vectoribus nauigationem aperiens, periclitanti oppido incunctanter subuenit, ita vt repente ingentem inopiam ingens copia secuta sit. Ibidem.

IDEM quoniam Cucullı castelli agrum locustarum agmina deuastabant, iussit omnes loci incolas vnà secum ad ecclesiam pergerendumque ibi simul orarent, omnis illa locustarum tempestas inde sublata fugam fecit. Ac ne casu aliquo discessisse viderentur, pars earum non minima in cuiusdam agro resedit, qui cum aliis ad orandum non venerat. Tantumque homini illi obfuit non orasse, quantum cæteros orasse iuuit. Ibidem.

ROMVALDVS abbas (qui ordinis Camalduensis fuit author) cùm à Parentio Liburniæ oppido soluens nauigaret, & nauis magnis fluctibus iactaretur, omnesque qui cum eo erant, de salute desperarent: pelagi vētorúmque sæuitiam oratione placauit, illum vtique deprecatus, qui vētis & mari imperat, & obediunt ei. Ibidem.

GERMANVS Antisiodorensis episcopus, Britanniam versus ad hæreses extirpandas contendens, vnà cum Lupo episcopo Trecasino, dum nauis, quà vehebantur, vndis impetu ruentibus illisa tantùm non operiretur, manus ambas in cœlum sustulit, atque orauit. Et continuò ponentibus ventis æquatum salum tranquillum illis præbuit iter, cursúque quò volebant satis prospero peruenēre. Ibidem.

FANTINVS Syracusan⁹, cùm Messanę à Stradicone præfecto ad martyrium quæreretur, angelique monitu solus nauiculam ascendens fugeret, iam propè erat vt ab insequentibus caperetur, quando Deum precatus myoparonem illorum stare fecit, ita vt neque velo, neque remis vltrà impelli posset. Sicque aduersariis post se relictis, Dei quem inuocauit ope periculum euadens, Rhegium vsque delatus est. Ibidem.

IDEM Tabritanam Calabriæ ciuitatem accedens, cùm Balzanio diuiti quidem viro, sed gentili pro seruo se locasset, vt haberet quo aliorum inopiæ subueniret. Et superbus dominus equos quos illi pascendos commiserat, strigosiores cernens furore concitatus ipsum persequi cœpisset, nec ei vsque ad fugam iter pateret: Deum rogauit, & Motabrum flumen quo intercludebatur, virga percutiens diuisit: atque per siccum alueum transiens, persequentis iram rursum iungentibus se aquis euasit. Persecutor autem præ stupore iam placatus obsecrauit hominē, vt se quoque eodem modo transire faceret: percussóque iterum fluuio, idem secutum est miraculum. Tunc cognita Christi virtute Balzanius credidit, & simul cum multis baptisma suscepit. Sicque Fantinus orando mortis periculum effugit: & iis quos effugerat, vitam quam non habebant, dedit. Moysen nobis Ægyptios fugientem exhibens, nisi quòd tunc Pharao iustè submersus periit: Balzanius verò misericorditer seruatus vixit. Iam enim filius hominis venerat vt saluet, non vt iudicet mundum, Ibidem.

Æquè admirandum facinus PHARAONIS Maldensis episcopi fuit. Ei enim submersam in flumine simul cum vectoribus nauim miseratus, cùm in ripa se prosternens Deum orasset, ab imo fundo in summas aquas enatare fecit, saluis omnibus qui in ea erant. Tale quid & APOSTOLO euenisse credimus, qui ad Corinthios scribens, ait: Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. Ibidem.

STEPHANVS abbas, ordinis Grandimontensis institutor, dum montis Moreti (qui est in Aquitania) solitudinem incoleret, pro milite quodam, vt flagitium in quo obstinacior videbatur dimitteret, orauit. Hinc ille qui neque iam ab eo desistere se posse, neque si posset velle dixerat, repentè mutatus peccatum suum fleuit, vitámque correxit. Ibidem.

LVPI Senonum archiepiscopi oratio quosdam ex clericis mulierum libidinibus deditos ad continentiam adduxit: quosque dudum meretricius amor graui odio inter se dissidere fecerat, eos illo orante conscientiæ stimulus ad pœnitentiam, pœnitentia ad castitatis studium egit. Conuersis igitur veniamque petentibus tam facilè præsulis pietas indulsit, quàm ardenter vt conuerterentur orauerat. Ibidem.

Econtrà GERALDVS castitatis cultor præcipuus ab ea desciuisset, si tentatus ad orationem non confugisset. Cùm enim & generis nobilitate & diuitiis polleret, atque in cuiusdam villici serui sui filiam oculos coniecisset, forma eius captus an se illi Venereo amore iungeret deliberare secum cœpit: diu voluptas cum honestate contendit, & tandem vicit. Decreuit puellam domi suæ conuenire, sed prius quàm id fecisset, orauit. Vt verò peracta oratione illam adijt, vsqueadeò deformis illi apparuit, vt parētibus eius, hanc ipsam esse quàm adamauerat, vix crederet. Itaque intactā relinquens ad se redijt, & turpis propositi pœnitens, filiam dote, patrem libertate donauit, ac deinceps vixit cautius. Postremò monachus factus, meruit in catalogum redigi sanctorum. At si tūc non orasset, si cecidisset, fortasse nec monachus nec sanctus fuisset. Ibidem.

ANSELMVS episcopus, cùm fratrem quendam ex languore, morti iam proximum pauere, atque horrore concuti animaduertisset, causam rogauit. At ille respondens, duos ibi lupos adesse dixit, rabida toruitate terribiles, minacitérque ringentes: & inde se timere, ne dilaniaretur ab eis. Tunc episcopus pro ipso Dominum orauit, ac post orationem eodem fratre referente audiuit, feras illas bestias discessisse, fugatas flamma ex ore orantis in fulguris morem promicante. Hoc demum remedio frater pauoris molestia liberatus, ac securior factus ad Dominum migrauit. Quæ res documento est, tunc maximè nobis opus esse precibus sanctorum, cū è vita decedimus, nullo tempore acrius in nos insurgente dæmonum pugna. Ibidem.

SAVINIANAM martyrem multos ad fidem Christi à gentilitatis errore miraculorum operationibus conuertentem, Aurelianus imperator comprehendi iusserat. Sed qui missi fuerant, orantem inuenientes, timuerunt ei manus inferre. Alij deinde missi, cùm similiter orantem offendissent, & ipsi animis concidentes, nec vim irrogare ausi, deprecari hominē cœperunt, vti secum ad Cæsarem pergeret. Exoratus perrexit, & martyriū passus. Profectò etiam imperatorem, sicuti & imperatoris ministros, sola oratione terrere poterat miles Christi: sed pro Christo martyrium pati, gloriosius existimauit, quam terrori esse inimicis. Ibidem.

ALBINVS Andegauensis episcopus, quosdam tenebricosi carceris tristi squalore oblitos cernēs, cùm præsidem, vt dimitterentur, exorare nullo modo potuisset, Deum pro illis precatus est: fatiscentéque carceris muro, omnes euaserūt Deo deique seruo gratias agentes, cuius precibus homo restitit, & lapides paruerunt. Ibidem.

MAGNIBONVS eiusdem loci episcopus, & ipse similiter iis qui in ergastulis & vinculis detinebantur, liberationem à magistratu frustra contēditā Deo autem facilè impetrauit. Nam dum ipse ante aram supplíciter prouolutus deprecatur, claustra laxantur, compedes ferrei franguntur: & qui vincti erant, liberi euadunt. Itaque quos durus magis quàm iustus iudex perdere cogitabat, misericordis hominis oratio seruauit. Ibidem.

LVPVS Trecasinus episcopus, Attila ciuitatem obsidente, Deum precatus, portas aperiri, hostem admitti iussit. Ingressi, omnia extemplò euersuri putabantur. Rectà pertransierunt, ac veluti per solitudinem iter facientes, nihil prorsus hostiliter egēre: nunquam armata manus minus nocuit suis, quàm tunc isti alienis. Quid multa? Lupus lupis omnibus rapaciorē tyrannum, non bellando, sed Deo supplicando à se repulit procul, & spe prædæ frustratus est, Ibidem.

ANIANVS Aurelianfis episcopus, Gothis Aurelios obsidentibus, vnà cum suis clericis de muro ipso letanias decantabat. Sacerdos autem vnus ex captiuis, quem ne captiuitatis quidem iugum à procacitate oris coercere poterat, cùm fortè in acie vbi proxima versaretur, vocem intendēs, vt ab omnibus audiri posset: Cassa, inquit, spe duceris ô Aniane, si verbis abigi posse aduersarios credis: eædem precationes validioribus etiam verbibus nihil profuerunt. His dictis corruit exanimis, nec vltrà quicquam est prolocutus. Post hæc Barbaris oppidum inuadentibus, tanta vis aquæ de cælo cecidit, vt coacti sint dimissa oppugnatione in castra se recipere. Mox superueniens Ætius, Attilam memorabili prælio fudit, Gregorius Turon. lib. 2. cap 7.

Labora-

Laborabat mortalitate olim Gregorij sanctissimi pontificis ætas, nec id malum sisti vlla ope humana posse videretur. Quem nam igitur GREGORIVS ipse sanctitate præcipuus ad auertendam tam grauem calamitatem authorem peteret, nisi trinum & vnum Deum? Placuit igitur illi, vt supplicationes publicè omnibus indicerentur: quod secuta vniuersa vrbs, quum ad omnes aras templáque frequens supplicaret ex intimis cordis penetralibus, facilè non multo post salutem impetrauit. Et quis quæso, nesciat Deum ipsum optimum maximum cognomento esse dictum, qui & omnia possit, & pręsens piè sanctéque inuocanti præsto semper adsit? Quod igitur institutum à Gregorio summo pont. est, nos iure in hunc vsque diem retinemus: si quidem annuæ supplicationes apud nos, perennesque vigent. Egnat. lib. 2. cap. 1.

ANNA Helcanæ coniunx, diuturnę sterilitatis opprobrium, cùm Deū orasset, fœcunditate compensauit. Genuit primo Samuelem, genuit deinde filios tres, duasque filias. Fenenna verò altera Helcanæ vxor, consorti suæ semper infensa, post susceptos liberos parere desijt, & in idem vitiū quod illi petulanter objicere consueuerat, ipsa incidit. Denique sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Vltio enim superbiam, orationem sequitur gratia. Marul. lib. 2. cap. 2.

IVDITH in humilitate cordis Deum precata, tantum audaciæ concepit, vt à Bethulia ad hostes qui eam obsederāt, egressa, inter tot millia militum armatorum Holophernem ducem, qui iam Ciliciam, Mesopotamiam Syriámque deuicerat, ipsa & sola & inermis, & mulier, interimeret, interempti caput abscinderet, abscissum secum in vrbem ad suos referret. Iam seruitutis iugum Israelitarum imminebat ceruicibus, omnes simul vno die vna Iudith liberauit. Nunquam tantum facinus perpetrare potuisset, nisi prius perpetrandi facultatem à Domino precibus obtinuisset. Ibidem.

SVSANNA iudicum sententia morti iam addicta, exclamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit vocem ipsius. Spiritum quippe Danielis pueri suscitauit, qui malignos accusatores falsitatis conuictos talionem subire compulit, plebe illos iisdem ipsis lapidibus obruente, quos in Susannam apprehenderat. Duo erant, senes erant: presbyteri erāt, numerus, ætas, dignitas verbis fecerat fidem. Nisi inuocatus præsto affuisset, qui manifestat occulta cordium, pudicitia infamiam, innocentia necem passa fuisset. Ibidem.

In BARBARA virgine, vt constans sanctæ Trinitatis confessio, ita efficax fuit pro necessitate deprecatio. Dum enim infidelem & iratum fugeret patrem, & fugam prærupti montis crepido inhiberet, orauit Dominum: ac protinus illo in quo hæserat saxo in aduersam partis altitudinis partem se inclinante euasit: neque tamen tanto miraculo inclinatus est impius pater, vt vel sic elapsam quærere cessaret. Proh nefas. Pater persequitur, saxa miserantur, & ad inuocationem Christi montes mollescunt, hominis infidelitas obduratur. Ibidem.

Ad RADEGVNDIS, Clotarij Gallorum regis vxoris, sed magis Christi ancillæ, orationem, ferreæ pedicæ eorum qui in vinculis publicis erāt, contritæ sunt, illi absoluti. Sic & nos orare oportet, vt peccatorum nostrorum nexibus liberemur, & liberati Deo gratias agamus, dicētes: Dirupisti Domine vincula nostra, tibi sacrificabimus hostiam laudis. Ibidem.

ELIZABET vidua, & ipsa quidem regia progenies, sed melius regnās cum Christo, pro iuuene quodam seculi vanitatibus dedito orasse dicitur: qui cōtinuo nouū induens hominē, seculi huius amorē in amorē cōuertit Christi: religionisq; suscepto voto, ordinem fratrum Minorum subijt. Et ingenuè confessus est, se illa orante ita intimis flagrasse præcordijs, vt ardori remedium nullum inuenerit, donec vitam mutare decreuit. Ad eius ergo orationem Dominus ignem misit in terram, & quid voluit nisi vt accendatur? Ibidem.

THEODORA Romana, Sisinij coniunx, à Clemente pōtifice conuersa, & ob hoc à viro infideli odio habita, pro conuersione eius orauit, & exaudita est. Petrus apostolus oranti apparens, Sisinium precibus eius à Domino cōcessum nunciauit. Hinc demùm deposito errore, Sisinius Christianitatem accepit: & vir infidelis per mulierem fidelē saluatus fuit. Non illum suasionibus, non argumentis est aggressa, ne peruicacis animi hominem, dum lenire nititur grauius irritaret. Tacita Dominum rogauit, & lupus in agnum mutatus est: factáque sunt praua in directa, & aspera in vias planas. Ibidem.

CHRISTIANIS qui in Perside circa Tauris erant, Ismaelita Calipha Christianæ doctrinæ falsitatem obiicebat, quòd Christus dixisset, fore vt si quis fidem haberet, montes suo moueret loco. Itaque cogebat illos vt vel fide & oratione dogma hoc verum esse ostenderent, vel Mahumetis perfidiam reciperent, vel omnes simul perirent. Illi ad preces conuersi, diuinū implorabant auxilium. Inde quidem fide & spe plenus confortatis cæteris dixit: TVRO Zel Men Hosso Bʼemo dIesua Mſicho Moram: hoc est, Abi mons hinc in nomine Iesu Christi Domini nostri. Et statim ita motus est mons, vt permulti Ismaelitæ tunc facti sint Christiani. Guil. Postellus in compendio Cosmographiæ, & M. Paulus Venetus lib. 1. cap. 18. de regionib. Oriental.

In Hyrcaniæ vrbe SAMARCANDA Christiani (qui opera regis Armeniæ Haytoni fuerant ad fidem conuersi) volebant templum augustissimum D. Ioanni Babtistæ extruere, cuius fornix vnica columna in medio posita sustentaretur. Coacti ergo sunt Ismaelitæ (quia tunc inferiores erant Christianis) columnā quam ad manus habebant, Christianis concedere. Paulo pòst cùm res Christianorum attritæ essent, Ismaelitæ à Christianis columnā suā repetiuerunt, spe destruendi & euertendi tēpli. Christiani ergo ad preces conuersi sunt. Nec mora fornix in sublime eleuata, columnā secum plusquam pedali altitudine à sua basi traxit: atque ita suspensam retinuit, vt hoc miraculo plurimi ad fidem Christi conuerterentur. Guil. Postellus in compendio Cosmog. ex M. Pauli Veneti li. 1. cap. 39. de regionib. Oriental.

IVLIANVS eremita circa Edessam Syriæ, cùm Deum pro ecclesia contra Iulianum rogaret, subito mentis gaudio perfusus, vultu ad hilaritatem composito consedit, Causam rogantibus familiaribus, respondit: Aprum Dei vineam vastantem debitas pœnas luisse. Deprehensum tandem, eadem hora Iulianum interfectum fuisse. Theodoretus libro tertio cap. 24.

GREGORIVS Nazianzenus adolescens, Alexandria Athenas nauigans in summo periculo Dei opt. max. implorauit opem: eámq; impetrauit, quamuis nondum baptizatus esset. Omnibus ergo præsenti miraculo attonitis, Christum prædicare incipit, eósque conuertit. Gregorius Nyssenus testis.

ALEXANDRI episcopi preces contra Arium à Deo exauditæ. Vide tit. Fugere improborum commercium.

D. MARTINVS, cùm media hyeme in visitatione noctu in cuiusdam templi sacrario subiectis paleis ad quietem se composuisset, procul accenso foco, diabolus ignem paleis iniecit. Periclitabatur Martinus, neque egredi poterat, & iam vestes quoque adurebantur. Ad preces ergo cōfugit, & subitò restinctum est incendium, dum fratres effractis foribus ipsum eriperent. Seuerus Sulpitius in præliminari epistola vitæ beati Martini.

IACOBVS Nisibensis episcopus (Nisibis autem ab Assyriis Antiochia Mygdoniæ dicitur) cùm Sapor Persarum rex Nisibin obsideret, precibus à Deo ex turre quadam innumerabilem multitudinem crabronum & culicum impetrauit, quibus elephanti & iumenta in furorē acta & totus exercitus hostium in turpem fugam coniectus est. Theodoretus lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 30.

FRIDOLINVS precibus ad Deum Rheni alueum mutat. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

EXEMPLA ETHNICA.

CROESVS Lydorum rex, à Cyro victus, & rogo vt cremaretur impositus, cùm Solonem ter alta voce inclamasset, & Cyrus causam intellexisset, pyram extingui iussit. Verùm cùm ignis iam præualuisset, Crœsus Apollinem inuocauit, vt si vnquam ab eo donum illi gratum fuisset oblatū, ipsum præsenti malo liberaret. Repentè igitur nubesè sereno & tranquillo aere coacta, copiosissimam aquam effudit, rogúmque extinxit. Herod. lib. 1.

ROMVLVS Sabino bello, quod circa Capitolinum Palatiúmque gestū est, cum turpem suorum fugam quodam prælio sistere non posset, Statori Ioui ædem voto nuncupauit: si fugientibus suis metum ademisset, sisteretque Romanum aduersus hostem, qui à tergo victor instabat. Vix bene preces effuderat, atque illico factus est voti compos: restituta enim acie, non tantum æquata est pugna, sed ad Curtium vsque lacum Sabinus, qui victoria exultabat, est cum cæde & strage repulsus. Sab. lib. 2. cap. 5.

Quid NVMA Pompilius (successit Romulo ex Curibus Sabinis in regnum accersitus) quam efficax illius precatio aut quàm audax, quæ è cœlo Iouem elicuit, vel certè elici posse arbitrata est: Res (quod satis constat) non solùm credita, sed ab aliis etiam tentata: Tullus Hostilius, qui post illum regno potitus est, quia parum ritè id sacrum obisset, cum tota domo fulminis est igne concrematus. Ibidem.

Potuit TVLLVS Hostilius mitiore precatione contentus esse, vel quali Fidenati bello fuit vsus: qui cùm ad Tyberis & Anienis confluentem in Fidenates & Veientes aciem direxisset, cognita Albanorum ad hostes defectione, 12 Salios vouit Marti: extititque confestim victor exercitus, qui pro victo iure habebatur, iam spe & viribus impar hostibus factus. Ibidem.

In nulla magis parte precationum vis euidentius apparuit, quàm in Deciorum deuotione, quorum vterque patriæ victoriam occasu suo peperit. Pater siquidem ad Veserim Cipaniæ, Latinum hostem iam victoriæ imminentem vincendum mirabiliter præbuit suis. filius in Sentinati Gallum & Samnitem, Ethruscis additis, occidione occidendum collegæ Fabio reliquit. Cæterùm aut nihil, aut perquam parum patris filijque ad victoriā contulisse videri poterat, ni Pontificum solennes precationes adiectæ essent: secundum quas formido & fuga est hostibus iniecta, Romano victoria parta. Ibidem.

Magis adhuc pietatis imitamentum (nam pietatem quis dixerit malorum dæmonum cultum?) in TVCCIA, & ipsa quidem vestali, extitit: dubium, maior fœminæ in eo fiducia, an dæmonum obsequium. Iussa dicere causam criménque diluere, quod ab accusatore intendebatur: Vestā precata est, vt si castè sanctéque eius sacris ad id tēpus operam dedisset, propositum teneret. Hæc tantùm precata est: simulque ad ripam fluminis progressa, multis comitantibus, vt rei euentum cognoscerent, cribrum fluuiali aqua plenum ad Pontificum conspectum (quorum ea cognitio erat) detulit. Adiiciunt huic miraculo, accusatorem attentè requisitum, nusquā apparuisse amplius. Ibidem.

Pari miraculo illustrata CLAVDIA, eiusdem cæremonię cultrix: cuius liberior vita cùm calumniam incurrisset, vt eam hominum animis opinionem magno aliquo testimonio eximeret, facinus adorta est, plus admirationis quàm fidei ad posteros habiturum: nauem qua deorum mater vehebatur, Tiberino vado hærentem, Vestam prius suppliciter precata, cingulo alligat: mox eam remolita est, traxitque aduerso flumine, quod pars Rom. ciuitatis post multos & varios conatus nequiuerat. Ibidem.

GRATIAS DEO PRO ACCEPTIS BENEficijs quibuſcũque agere.

EXEMPLA PIA.

Solicitè gratias agebat Deo IACOB, dicens: Domine minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Gen.32.

Voluit Dominus, vt liberatio FILIORVM Iſrael de Ægypto nunquã excideret ab eorum memoria. Erit quaſi ſignum, ait, in manu tua, & quaſi monumentum ante oculos tuos, vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Exod.13.

Cecinit MOYSES & filij Iſrael carmen Deo, & dixerunt: Cantemus Domino. Poſtquàm ſcilicet tam mirabiliter tranſierant mare rubrum. Exod.20.

Poſt victoriam de Siſari habitam per BARACH & Debbora, Domino cecinerunt. Iudic.5.

Orauit Dominum, & laudauit HANNA pro filio ſibi dato. 1.Reg.2.

Audiens DAVID reuelationem, quam Deus fecerat Nathan prophetæ de regni ſui duratione, gratias egit valde humiliter & deuotè. 2.Reg.7.

DAVID rex Iudæorum fortiſsimus, qui & Goliath ſingulari certamine ſuperauit, & finitimas gẽtes Iudæis infeſtas domuit, nunquam cum hoſte congreſſus eſt, niſi Deo prius ſacrificaſſet: & parta deinde victoria hymnos & pſalmos cãtauit, ei gratias agens, cuius ſola virtute victor euaſiſſet. Platina lib.1.de Optimo ciue.

RAGVEL, & Anna vxor eius, benedixerunt Dominum, quia fecerat cũ eis miſericordiam ſuam, & excluſerat ab eis inimicum perſequẽtem eos. Tob.8.

Cùm TOBIAS recuperaſſet viſum, vxor eius, & omnes qui ſciebant eum prius cæcum, glorificabant Deum. Tob.11.

IVDITH, poſteaquam Holoferni caput amputaſſet, intellexit beneficia Domini: ideòque ne ingrata Domino videretur, cuius auxilio quicquid egerat, perfecerat tacentib. vniuerſis: Laudate Dominum Deum noſtrum inquit, qui non deſeruit ſperantes in ſe, & interfecit manu ſua hoſtẽ populi ſui. Iud.tertio.

Omnis POPVLVS, poſt victoriam de exercitu Holofernis habitam, venit in Ieruſalem adorare Dominum. Iudith.16.

Reuelata Danieli viſione Nabuchodonoſor regis Babylonis, benedixit Deo cæli, & ait: Sit nomen Domini benedictum, quia ſapientia & fortitudo eius ſunt. Dan.2.

Deuotè & pulchrè exoluerunt laudes Deo tres PVERI, de fornacis incendio liberati. Et non ſolum illi hac de cauſa gratias egerunt Deo, ſed & Nabuchodonoſor fecit prædicari mirabilia Dei in toto regno. Dan.3.

Mundato templo & erecto ſub IVDA Machabæo, adorauerunt & benedixerunt in cœlo eum qui proſperauit eis. 1.Mach.4.

IVDAS Machabæus & populus Hieroſolymorum, ſcripſerunt Ariſtobulo dicentes: De magnis periculis à Deo liberati, gratias magnificè ei agimus. 2.Machab.1.

Deuicto Timotheo per IVDAM Machabæum, & capto quodam forti præſidio, in hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum, qui magna facit in Iſrael. 2.Mach.10.

Beata VIRGO, audita laude ſua, qua dixit Eliſabeth: Benedicta tu, &c. in vocem laudis prorupit, pro beneficiis ſibi & toto mundo collatis. Lucæ primo.

Nato Ioanne baptiſta, ZACHARIAS recuperando loquendi officiũ, Dominum prophetando laudauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael. Lucæ.1.

Accepit puerum Ieſum SIMON in vlnas ſuas, & benedixit Dominum. Lucæ.2.

Quando volebat DOMINVS in Euangelio aliquod grande opus facere, frequenter legitur in cœlum ſuſpexiſſe, & gratias egiſſe. Sicut patet in panum multiplicatione, in Lazari ſuſcitatione, in Euchariſtiæ inſtitutione. Mat.14.26. Mar.6. Lucæ 9. Ioan.6.11.

Videntes TVRBÆ paralyticum à Domino curatum, glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Matth.9.

Item viduæ filio ſuſcitato, accepit omnes timor, & magnificabant Deũ, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit. Lucæ 7.

VNVS illorum decem leproſorum ad mandatum Domini mundatorũ regreſſus eſt: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Lucæ 17.

Poſtquam cœnauit DOMINVS cum diſcipulis ſuis, ſubdit: Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum, Matth.26.

CLAVDVS à Petro ſanatus, intrauit cum Apoſtolis in templum, ambulans & exiliens, & laudans Deum. Sequitur: Omnes glorificabant Deũ, per id quod factum fuit. Erat enim homo ille annorum pluſquam quadraginta. Act.3.4.

Gratias agebat PAVLVS pro beneficiis ſibi & aliis à Deo collatis. Sibi quidem in ſua conuerſione: Gratias ago Deo meo, qui me confortauit in Chriſto, qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum. 1. Tim.1. Item in ſua conuerſatione: Deo gratias, qui ſemper triumphat per nos in Chriſto Ieſu. 2.Cor.2. Et pro beneficiis fratrib. collatis gratias deuotè agebat. Primùm quidẽ gratias ago pro omnibus, quia fides veſtra annunciatur vniuerſo mundo. Rom.1. Ad Theſſal. Gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere, pro vobis in omni gaudio, quo audemus. 1.Theſſal.3. Item gratias agere in omnibus admonebat. Epheſ. Et ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate, &c. Eph.5.1.Theſſ.5.

Retinuit iam inde à ſui primordio perpetuo quodam tenore hãc grati animi laudem SENATVS Venetus, adeò conſtanter, vt ne minimi quidem in ſeſe beneficij vllo vnquam tempore ſit oblitus. Et ne alia vetuſtiora nunc repetam, recentioribus explicandis multò ſanè libentius inſiſtam: ab ipſa ſacrorum commemoratione ducatur exordium. Cauit igitur Senatus ſanctiſſimo iure, poſtquam Teupulana coniuratio penitus ſublata eſt, vt eius diei æternam memoriam, ſacrámque pio conſtantique amore retineret. Inuiſitur igitur ab omnibus ordinibus D. Viti phanum, 15 Iunij menſis die: inuiſit Dux, vniuerſuſque Senatus & populus, magna cum pompa, & gaudio, perſolutiſque gratiis ritè Deo opt.max. patres ipſos ſecũ redeuntes, intra palatinas ſuas ædes Princeps publicis excipit epulis. Egnat. lib.5.cap.2.

VENETIIS vbi primùm in demortui locum Principis nouus dux ſit, & à quadraginta viris dictus eſt: is ſtatim D.Marci ſacram ædem inuiſere, ſacráque ibi obire, populúmque ipſum pro concione de ſuperiore loco alloqui conſueuit: tunc accepto Sacramento, perſolutóque ſacerdotibus ipſis de more munere, ſalutatáque D. Marci ara, hinc ad ducarias ædes, ſacriſque omnibus ritè peractis, priuatis ſuis negociis incumbit. Egnatius lib.5.cap.2.

ALPHONSVS Deo optimo max. pro omnibus ſemper beneficiis meritò gratias cùm ageret: ob tria tamen beneficia in primis ſe gratum Deo animum exhibere, dicere ſolebat: primùm, quòd ipſum hominem, non belluam creaſſet: alterum, quod Chriſtianum: tertium, quòd tot & tantorũ regnorum regem & dominum. Cuius rei teſtis eſt ipſe Alphonſus in oratione contra Turcas.

ETHNICA.

STOICI philoſophi impia opinione diis gratias agebant, non quòd oratione flecti potuiſſent, ſed quòd fatum benignum conſtituiſſent. Nam quòd ſemel decretum eſſet, nullis nec precib. nec ſacrificiis immutari poſſe impij exiſtimabant.

ROMANI, ſi quando fœliciter contra hoſtes atrociſſimos pugnaſſent, viri ſimul ac mulieres egregiè veſtiti, deorum templa ingredientes, diis gratias ob rem tam bene geſtam agebant. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

EORVNDEM imperatores compotes victoriarum facti, ſuſcepta vota Peſſinuntem profecti, Matri deûm ſæpenumero ſoluerunt. Val. Max.lib.1.cap.1.

C. IVLIO Cæſari expeditione Gallica, contra quos multiplici clade dimicatum eſt, ob claras pugnas quindecim dierum ſupplicatio decreta eſt. Alex.ab Alex.libro quinto, capite vigeſimo ſexto.

D. BRVTVS ob profligatum Antonium, bello Mutinenſi quinquaginta dierum (quòd antea nulli contigit) ſupplicationes meruit. Ibidem.

CICERO in ſenatu, C. Octauio, ob res fœliciter geſtas, per omnia templa fanáque pariter quinquaginta dierũ ſupplicationes decreuit. Ibi.

CICERONI togato & præſenti, quòd rempublicam è coniuratorum manibus eripuiſſet, & ciues conſeruaſſet, ſupplicationẽ decretam legimus cùm aliàs abſentibus tantùm ſupplicationes decernerentur. Ibidem.

SACRIFICIORVM CVLTVS, AD IMPETRANDVM ALIQVID à diis, & ſupplicandum, tam veteris quàm nouæ legis.

CAIN obtulit de fructibus terræ munera Deo. Item Abel quoque obtulit de gregibus ſuis. Geneſ.4.

ABRAHAM filium ſuum Iſaac, iubente Domino, ſacrificare voluit: dediſſetque eum ſine dubio holocauſti loco, niſi oraculo diuino admonitus fuiſſet. Geneſis 22.

HELCANA pater Samuelis, aſcendebat de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret & ſacrificaret Domino Deo exercituum in Silo. 1.Reg.1.

Cùm SAMVEL offerret Domino holocauſtum pro populo, Philiſtiim inierunt prælium contra Iſrael. Intonuit autem Dominus fragore magno ſuper Philiſtijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſrael. 1.Reg. ſeptimo.

DAVID rex, qui Goliath ſingulari certamine ſuperauit, & finitimas gentes

gentes Iudæis infeſtas domuit, nunquam bella ſuſcepit, niſi prius ſacrificia Deo maximo exhibuiſſet: parta autem victoria hymnos ſtatim cecinit, eidem gratias agens: vt oſtenderet, Dei benignitate & gratia, non ſuis meritis, tantam fœlicitatem ſe conſecutum fuiſſe. Platina lib.1.de Optimo ciue.

Abiit SALOMON, vt immolaret Domino in Gabaon: Mille hoſtias in holocauſtum obtulit, apparuitque ei Dominus per ſomnium. 3.Reg.3.

HELIODORVS volens ærarium ſpoliare, & depoſita de templo auferre, virtute diuina grauiter flagellatus, hoſtias Deo offerens, per Oniæ orationem ſanatus eſt. 2.Mach.3.

Exempla ſacrificij MISSÆ varia (ſacrificium enim Romana vocat Eccleſia) pete ex Marul.lib.4.cap.12.

EXEMPLA ETHNICA.

Apud INDOS erat patrius mos, vt cùm dies primùm augeri incipit, rex cum regio apparatu & comitatu ad flumen lauaturus accedat, equóſque & nigros tauros diis immolent. Alex.ab Alex.lib.4.cap.20.

PAVSANIAS, cùm extra militum ſtationem ſacra faceret, à Lydis hoſtibus circumuentus eſt, qui omnem ſacrificij apparatum diſiecerunt. Ipſe tamen diis ducibus, cùm inermis eſſet, loris Lydos in fugam vertiſſe, & multos occidiſſe dicitur. Alex.ab Alex.lib.1.cap.14.

ALEXANDER Macedo, manè poſtquam ſurrexiſſet, antè omnia diis ſacrificabat. Quo factum eſt, vt breui tempore totum ferè terrarum orbẽ ſubegerit. Volat. teſtis eſt in eius vita, lib.13. Anthrop.cap.

CAMBYSES Cyro filio ad auum Aſtyagem ituro, hæc in primis mãdata dedit, vt eſt apud Xenophontem ſcriptum. Hæc à me dicis fili, quæ habentur maxima. Nihil à te vel publicis, vel priuatis rebus agendum, niſi ſacris peractis, deorúmque voluntate augurijs perſpecta & cognita. Humanum enim genus erroribus plenum eſt. At dij cùm ſemper fuerint, cũque omnia norint, præſentia, præterita & futura, inuocati adſunt conſultationibus hominum, quibus propitij ob pietatem fuerint: ſignificque oſtẽdunt quid agere, quibus ve abſtinere oporteat. Platina lib.1. de Optimo ciue.

CYRVS ex patris mandato nil vnquam priuatim vel publicè egit, quod ad regem pertineret, quin prius litaret, comparatáque victoria ſacrificando diis gratias ageret. Xenophon: & Platina libro 1. de Optimo ciue.

CYANE Syracuſani Cyanippi filia, iubente oraculo patrem, ob cuius cum filia congreſſum peſtis immiſſa vrbi erat, mactauit diis, & ſe quoque diis obtulit. Doſitheus lib.3. rerum Sicularum & Plut.cap.38.Para.

BOEOTIIS & Locris nihil erat in ſponſalibus firmum, niſi prius ſponſus & ſponſa in ara Eucliæ virgini dicata, libarent. Alex.ab Alex.lib.1.capite 24.

DION Syracuſanus à Platone impulſus, vt Syracuſanos liberaret: facto Apollini ſacrificio contra Dionyſium bellum mouet, quem Speuſippi auxilio in arcem confugere coegit, cœpit, captúmque in exilium miſit. Plut.in Dione.

GABINI religionis cuſtodes ſtudioſiſſimi, cùm pro more ſacris operarentur, repẽtino hoſtium incurſu, vt erant incincti zonis, ab aris ad prælium vocati ſunt. Cùm hoſtibus igitur manum conferentes, inſignem retulere victoriam. Alex.ab Alex.lib.1.cap.14.

ROMANI imperatores ad bellum exituri, priuſquam in prouinciam proficiſcerentur, Lauinij ſacrificabant. Quem morem à maioribus acceptum nunquam illi tam accuratè & religioſè ſeruaſſent, niſi opinio quædam hominum animis inſediſſet, omnia humana deorum nutu & voluntate gubernari. Sab.lib.5.cap.4.

METELLVS pont.max. Poſthumium conſulem, eundémque flaminẽ Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à ſacris diſcederet, mulcta indicta, vrbem egredi paſſus non eſt: religioníque ſummũ imperium ceſſit: quòd tutò ſe Poſthumius Martio certamini cõmiſſurus non videbatur, cæremoniis Martis deſertis. Valerius Maximus, libro primo, capite primo.

BESTIA Appia mulier Atellana, Capuæ habitans, quotidie ſacrificauit pro populi Romani ſalute, Hannibale Capuam tenente. Quapropter à populo Romano libertati ac bonis poſtea reſtituta eſt. Liuius lib.26.

TITVS Veſpaſianus, cùm peſte vrbs grauiter laboraret, nullúmque humanæ opis remedium iuuaret, omnibus Romanis ſacris operatus, placare diuinam iram ſtudioſe curauit. Fulgoſ.lib.1.cap.1.

Ne AVRELIANO quidem, Romano principi, egregia militaris virtus aduerſus Marcomannos, cùm Mediolanum vſque ad Placentiam veniſſent, ſufficere ſine cœleſti ope viſa eſt. Quippe is ad ſenatum ſcripſit: Vt inſpectis Sibyllinis libris, quæ neceſſaria eſſent ſacra, ad impetrandam deorum opem conficerent. Quæ cùm ſenatus egiſſet, ac diuino nutu magis quàm humanis viribus atque cõſiliis, barbari vltrà progredi grauibus oſtentis territi non auderent, Aureliano ad victoriam via patuit. Is autem, ne parum gratè cœlo dimiſſam agnoſcere opem videretur, præter munera huius victoriæ gratia per vrbem Romam multis templis data, ſoli Capitolino Ioui quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dedit. Fulgoſus libro primo, capite primo.

SACRIFICIA PRO EXPIANDO, PVRGANDO, *impetrando & placando.*

Apud Ægyptios inſtitutum erat, vt ſacerdotes ad aram hoſtiis deductis, aſtante rege, magna voce, audiente populo, valetudinem proſperam, omniaque bona optarent: narrarent inſuper peculiares regis virtutes, in deos pietatem & religionem, &c. Demùm cùm rex tauro diis ſacra feciſſet, ſacerdos quædam ex libris ſacris clariſſimorum virorum conſilia actaque proferret, quibus rex monitus, imperio piè & iuſtè aliorum exemplo vteretur. Diodor.Sic.lib.2.cap.2.de Rebus antiquis.

ÆGYPTII in æſtate ſpicas Iſidi offerebant, inuocantes & implorãtes deam, vt fruges proſperaret: illa enim tritici & hordei inuentrix fuiſſe dicitur. Diodorus Sic.lib.1.cap.2.de Rebus antiquis.

ÆGYPTII pecude (quæ terra ſigillari anulo impreſſa, cornibúſque affixa cum cannabe, munda eſſe denotatur) ad aram adducta, pyram incẽdunt. Deinde ſupra pecudem libato contra templum vino, deoque inuocato, eam mactant: mactatæ caput amputant, illudque diris execratum verbis (vt ſi quid vel immolantibus, vel vniuerſæ Ægypto malum ſaturũ ſit, id in caput iſtud conuertatur) vel Græcis mercatoribus, ſi qui adſint, vendunt, vel in flumen abijciunt. Herod.libro ſecundo.

Iupiter, cùm ab Hercule, cernere omnino eum volente, cerni nollet: tandem exoratus, id commentus eſt, vt amputato arietis capite, pelléque villoſa, quam illi detraxerat, induta ſibi, ita ſeſe Herculi oſtenderet. Ex hoc Ægyptij inſtituerunt, Iouis ſimulachrum facere arietina facie: & ab Ægyptiis Ammonij acceperunt, qui ſunt Ægyptiarum atque Æthiopum coloni, & linguam inter vtroſque vſurpantes. Qui etiam mihi videntur ea de re ſe Ammonios cognominaſſe, quòd Ægyptij Iouem Ammonem appellant. Ob hanc etiam rem oues & arietes non mactantur à Thebanis, ſed ſacroſancti ſunt. Certo autem die tantum quotannis, in feſto Iouis, vnum demum arietem mactant, cuius pelle detracta, hunc in modum Iouis ſimulachrum induunt: ad illúdque deinde aliud ducũt Herculis ſimulachrum. Quo peracto, cuncti qui circa templum ſunt arietem verberant, deinde ſacra eundem vrna ſepeliunt. Herod.lib.2.

Apud SCYTHAS ſoli Marti (cæteris diis nec aras nec ſimulachra faciunt) priſco ritu tale extruitur templum. Sarmentorum faſces aggerunt trium in longum latumque ſtadiorum, minoris tamen ſublimitatis: deſuper quadrata planicies efficitur: tria latera prærupta ſunt, quarum accliue, per quod aſcenditur. Eò quotannis comparant centum quinquaginta plauſtra ſarmẽtorum, nam ſemper propter cœli tempeſtatem illa marceſcunt. Sub hoc aggeſtu ferreus acinacis, qui ſingulis vetuſtus eſt, ſtatuitur. Idque eſt Martis ſimulachrum, cui annuas hoſtias offerunt, cùm aliorum pecorum, tum equorum: & plus huic acinaci, quàm cæteris diis. Ex captiuis centeſimum quemque immolant, non eodem quo pecora modo, ſed diuerſo. Nam vbi eorum capitibus vinum libauerunt, ipſos ad quoddam vas mactant: dehinc eidem in congeriem ſarmentorum ſublatis, acinacem cruore perfundunt. Hæc quidem ſuprà conferunt: inferius autem ad templum illa faciunt. Virorum interemptorum omnes humeros dextros præcidunt, quos vnà cùm manibus in aerem iaciunt: quocunque deciderit manus, ibi iacet, & ſeorſum mortuus. Cæteris deinde ſolemnibus confectis, abeunt. Herod.lib.4.

Apud SCYTHAS ſacrificium in omnibus templis eodem modo eſt inſtitutum. Nam victima primoribus implicita pedibus ſiſtitur, cuius à tergo ſtans immolator, amota in primis infula, pecudem ferit: eáque concidente deum inuocat, cui illam mactat: deinde circundat laqueum collo, tum iniecto baculo circunducit, hoſtiámque ſtrangulat non incenſo igne non votis nuncupatis, non ſumptis libamentis: ſed vbi pecudem ſtrangulauit, eique pellem detraxit, ad coctúram ſe conuertit. Verùm cum Scythica regio lignorum ſit admodum inops, hoc ab illis ad carnem coquẽdam excogitatum eſt. Vbi victimam pelle denudarunt, denudant quoque oſſa carnibus: dehinc illas in lebetes eius gentis Leſbeiis crateribus aſſimiles (niſi quòd ſunt multo capaciores) injiciunt, & ſubiectis atque ſuccẽſis oſſibus hoſtiarum coquunt. Si autem non adfuerit lebes, omnes carnes hoſtiarum in aluos illatum conijciunt, & cum aqua commiſcent, atque oſſa ſuccendunt. Quibus pulcherrimè ardentibus, & aluis facilè capientibus carnes oſſibus ſeparatas: ita fit, vt bos ſe ipſe coquat, & item cætera pecora immolata, per ſemetipſum quodque elixum fit. Coctis carnibus, is qui immolauit, earum atque inteſtinorum libamẽta ante ſe proiicit. Immolant autem cùm alia pecora, tùm præcipuè equos. Herod.lib.4.

Apud paſtoritios AFROS talia ſunt ſacrificia: vbi pro primitiis aurem pecudis præciderunt, eam ſupra domum abijciunt: hoc acto, ceruicem eius auertunt. Herod.lib.4.

Athenis in arce, in Polici Iouis ara ordeum tritico permiſtum apponũt neque cuſtodes adhibent. Bos ad ſacrum comparata, dum ad aram accedit, fruges eas attingit. Ex ſacerdotibus, is quem Buphonum, id eſt bouis percuſſorem nominãt, ſecurim in illum iaculatus (hic enim ſacri ritus eſt) fugiens abit. Qui aſtiterunt, tanquam eum qui bouem percuſſerit, non viderint, ſecurim in iudicium ream citant, Pauſanias in Atticis.

THEBANI in compitalibus non humano ſanguine ſacra polluebãt, ſed pilas & effigies viriles & muliebres ex lana in compitis ſuſpendebãt: Laribúſque tot pilas, quot eſſent ſeruorum capita, & tot effigies, quot eſſẽt liberi, noctu pro victimis dabant: vt ſi quod periculum familiæ imminerer, aut triſte fatum, hoc ſacrificij genere expiarent. Alex.ab Alex. libro 2 cap.22.

OETHÆI ne prouinciam infestam culicibus (quos conopas vocant) experirentur, Herculem Conopionem venerati sunt multis sacrificijs & festis institutis. Alex.ab Alex.lib.1.cap.13.

In ATTICA multis ceremonijs colebatur Apollo Culiciarius, vt infestas agris culices propulsaret, segetésque à vermibus tueretur. Ibidem.

BOEOTII Apollini Pornopioni multa instituisse sacra dicuntur, ne muribus prouinciam redderet obnoxiam. Apud eos enim mus Pornopius nuncupatur. Ibidem.

LARI familiari, Calendis, Idibus & Nonis, corona in foco posita, pro aris focisq́; proq; familia, non sanguine victimarum sacrificabatur: sed ex ordeacea pulte, libo, farre, vino & thure, cum sale & salitio hæc sacra confecta. Alex.ab Alex.lib.2.cap.22.

MEDITRINALIA sacra erant deæ Meditrinæ, in quibus nouum vinum primùm gustabant, clamantes alta voce, boni ominis gratia, Vetus nouum vinum bibo, veteri nouo morbo medeor. Hæc sacra à medẽdo dicta esse, Varro de lingua Latina libro secundo, existimant, quòd, vt ait Flaccus, Flamen Martialis dicebat, Hoc die solitum vinum nouum & vetus libari & degustari, medicamenti causa. Cuius rei author est Festus, & ex eo repetit. Alex.ab Alex.lib.6.cap.18.

CANARIA sacrificia erant, ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum: in quibus mactabantur canes, & præsertim rufæ. Alex.ab Alex. libro 6.capite 18.

AMBARVALE sacrificiũ erat, cùm arua & segetes solenni victima lustrabantur. Eam autẽ victimã maturis frugibus ter circũ arua ducere conuenit, omnésque post eam clamantes sequi: ex quibus vnus querna ornatus fronde, cũ solenni saltu composito carmine Cereri decantabat laudes & postquã lacte, vino & fauo libassent, antequam fruges meterent, porcã Cereri immolabant, quæ præcidanea dicta est. Ibidem.

Apud Romanos, agna coronata, messis, ager, fundus, terra, grex vel pecus ter circũlustrabatur: prosequente agrestiũ turba cũ fistulis, solenníque psaltu & clamoribus, Deum deámque cui sacra fiebant, inuocãte, vti morbos, calamitates & omnem intemperiem prohiberẽt, fructum agrorum, pastores, pecoráque seruarent. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

Quando OVES lustrabantur, pastor summo diluculo aqua illas inspergebat & sulphure, herbaque sabina & lauro igne succẽsis circa ouilia fumigabant: cumque sacro carmine, milio & libo, cum lacte & sapa Pali sacra faciebat: quo lustru pecora expiari, & morbos depelli, ac diras tabes exterminari putabant. Ibidem.

Si ager lustrandus foret, Iunoni & Iano vino libabant prius: mox Martem patrem, vt sciens volensque propitius adesset, inuocabant. Ibidem.

Apud GRÆCOS vrbs exemplo Epimedinis lustrabatur, vt binas oues nigri & candidi velleris ex vrbe pagóue, quò ire vellent, liberas dimitterent: subsequutis custodibus, qui illas vbicũque accubuissent, benefaciẽti Deo immolarent. Ibidem.

Apud ATHENIENSES si semimares, aut insoliti animalium partus, aut alia monstra informia edita essent, fœtus in mare vel flumen proijciebatur, & carmen à virginibus per vrbem canebatur, & deinde donum ferebatur Iunoni. Ibidem.

Apud EOSDEM Lydos sacrum piaculare sit, vt conciones, theatra & populum minutis porcellis lustrent per Peristiarchos, & ita calamitates auerterent. Ibidem.

ATHENIENSES, si quando enunciarentur monstra, quæ expiatione egerent, Agyis, hoc est vestibularijs dijs in semitis viarum sacra exhibuerunt. Ibidem.

ATHENIENSES cùm oraculo moniti Delum expiarent, hoc expiationis genus inuenẽre, vt cadauera sepulchris condita inde eruerent: atq; edicerent, ne quis in Delo, vbi Apollinis oracula dabãtur, moreretur, vel sepeliretur: & hoc pacto pestem omnem se prohibere putabant. Alex.ab Alex.lib.6.cap.2.

ROMANI si bouem locutum, aliudue animal, intelligerent, aut hoc genus portenta nunciata forent, sub diuo senatum & patrum concilium habebant, quod expiationis genus esse putarunt. Alexand. ab Alexand. libro quinto capite 26.

IIDEM, si quando lapidibus pluisset, vel si cœlestes minæ terroresue aut tetra prodigia enunciarentur, his auertendis terroribus, piacularibus sacrificijs factis, ad placandas deorum iras, Nouendiali semper sacro vtebantur. Ibidem.

AMBVRBIALIS victima erat, cùm propter dira prodigia (vt si bubo vel lupus cellam Iouis vel Capitolium intrasset) tędæ aut victimæ sulphuris & aquæ lustratione, vrbs aut Capitolium purgaretur. Ibidem.

CVRIAS & populum purgari accepimus, cùm excerptum ex bouis vtero vitulum comburerent, & ex illius cinere, addito equi sanguine & fabarum stipulis, suffimen facerent. Ibidem.

GALLIS lustrandi vrbem vsus erat, vt hominem purioribus cibis anno saginarent, ac festo die vrbe tota circunductum, extra pomerium educerent, cumque mox lapidibus obruerent. Ibidem.

MACEDONIBVS inter diuisam hostiam, priorem ad dextram, posteriorem ad læuam viæ, aut discissæ canis viscera, armatas copias & exercitum traducere, instructo paratóque milite præcedere, & simulachrum pugnæ edere, cúmque cohorte regia & omni belli apparatu arma ab vltima origine regum proferre, & sacrum piaculare facere, lustrandi mos fuit. Ibidem.

XERXES milite detrectante militiam, in quas partes dissecto, exercitum traduxit, & humana victima execrabili milites lustrauit, crimináque expiauit. Ibidem.

Exercitus apud ROMANOS si lustrandus esset, is instructus, præcedẽte sue aut hirco, oue & tauro in campo Martio lustrabatur: armatósque milites, pedites, equitésque lauro coronatos, rem diuinam & lustrale sacrificium facere oportebat sub diuo. Ibidem.

Equestris ordinis ROMANA iuuentus, omnibus annis bis vrbem spectaculo sui, sub magnis authoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione. Lupercalium enim mos à Romulo & Remo inchoatus est tunc, cùm lætitia exultantes, quòd his auus Numitor rex Albanorum, eo loco vbi educati erant, vrbem condere permiserat, sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui: quem Euander Argiuus consecrauerat, facto sacrificio, cæsísque capris, epularum hilaritate ac vino largiore prouecti, diuisa pastorali turba, cincti omnes pellibus immolatarum hostiarium, iocantes obuios petiuerunt: cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Trabeatos verò equites Idibus Iulij Q. Fab. transuehi instituit. Val.Max.lib.2.cap.1.

NAVALES copiæ si lustrarentur, disposita classe in litore, aram mari abluebant, & cæsam victimam atque exta per classem circumferebant cum solenni carmine & precatione. Quo facto, hostię partem in mare proijciebãt, partem etiam flammis comburebant: & eo modo classem lustrari & calamitates depelli putabant. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

ROGVS, cùm lustraretur militari more, instructas armatásq; acies ter circum incensam pyram (vbi defunctos acie cremabant) arma quatientes cum luctu & lamentabili carmine, arma & spolia in ignem mittebant, & hostijs immolatis inferias occisorum manibus dabant. Ibidem.

SELEVCVS Asiæ rex, de hæreditatibus suis, tempore Oniæ summi pontificis, præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 2.Mach.3.

IVLIANVS Imperator aras multo victimarum sanguine perfundebat, & tauros quandoque immolabat centenos, & innumeros varij pecoris greges. Rauis.

SACRIFICIA PRO GRATIARVM ACTIONE.

ISIS, cùm in Ægipto primũ omnium triticũ & hordeum inuenisset, Ægyptij ne ob tãtum beneficium ingrati viderentur, voluerũt vt semper in æstate messores spicas maturas ad manipulum excerperent, & Isidem inuocantes, deæ afferrent. Diodorus Sicu.lib.1.cap.2.de Rebus antiquis.

OSIRIS, cùm totum terrarum orbem perambulans, homines vites plantare ac curare pecora edocuisset: non prisci tantum, sed posteri quoque beneficij memores, pro vno ex maximis dijs Osiridem habuêre. Idem.capite tertio.

AGAMEMNON cùm deuouisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat natum eo anno pulchrius. Cicero libro 3.Offic.

IDOMENEVS Cretensium rex, Deucalionis filius, Minois nepos, in reditu à Troia cùm naufragus ex voto scelero filium sibi obuiam factum immolare dijs vellet, à Cretensibus pulsus, & patria eiectus est. Alex. ab Alex.lib.3 cap.22.& Volat.lib.16.Anthrop.

PERSIS ad habendas dijs gratias, viuentes iuuenes, eósque spirantes sub terra defodere consuetum fuit. Alexand. ab Alexand. libro sexto capite 26.

CYRVS rex Persarum nil vnquam priuatim vel publicè egit, quod ad regem pertineret, quin prius dijs immortalib. litaret: comparatáque victoria, sacrificando dijs gratias ageret. vt est apud Xenophontem, & Platinam lib.1.de Optimo ciue.

DIOMEDON vnus ex decem ducibus, qui eadem pugna Atheniensibus victoriam, sibi verò damnationem repererunt, cùm iam ad supplicium duceretur, nihil aliud locutus est, quàm vt vota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata soluerentur. Valerius Maximus libro primo, capite secundo.

AGESILAVS rex Lacedæmoniorum, rebus fœliciter gestis, biennio supra centum talenta quasi decimam quandam Delphis Apollini consecrauit: benefacti semper se memorem esse ostendens. Pontanus cap.33. de Liberalitate: & cap.19.de Magnificentia.

HERODES Atticus, cui diuitiarum initium ex thesauro prope domum inuento fuit, centũ boues vno Mineruæ die sacrificare solitus erat. Philostratus in eius vita.

Aduersus THVRIOS nauigabat Dionysius, contráque ipsos triginta naues agebat. Boreas verò ex aduerso reluctans, nauigia confringebat, & vniuersas nauales eius copias delebat. Ex eo rem diuinam Boreæ faciẽdam Thurij instituerunt, & publicis decretis ciuem suum renunciarunt: singulisque annis sacrificia obtulerunt. Ælianus libro 12. de Varia histor. Pausanias etiam idem Megapolitas fecisse refert.

M. CÆLIVS Balbinus, & M.Clodius Pupienus imperatores, aduersus Maximinorum sæuitiã Augustorum nomine à Senatu ornati, præter alia quæ ad suam patriæque defensionem parauerant, cùm sine cœlesti numine, quæ de victoria proponebantur, vana putarent: Hecatomben, si victoria potirentur, vouerunt. Id autem sacrum centum aris conficiebatur, centúmque in eis insignia animalia, veluti leones, tauri atque aquilæ, sacrificabãtur. Neq; verò audita Maximinorum morte in peragẽdo sacro minor fuit fides, quàm dum victoria expetebatur, ad vouẽdum promptitudo. Fulg. libro 1.capite.1.

P. VAL. Publicola, cùm ciuitatem à peste liberasset, nuncupatis votis,

cæsisque atris bobus Diti & Proserpinæ, sacra ludósque instituit. Val.Max.lib.2.cap.1.

VALESIVS, cùm in credulissima Romanorum peste duos filios, vnãque filiam epidemia labe laborantes, Ditis & Proserpinæ auxilio ab omni periculo liberasset: statim diuinum agnoscens beneficium, hostias nigras, quæ antiquitùs furuæ dicebantur, immolauit, ludósque & lectisternia tribus continuis noctibus fecit. Ibidem.

TEMPLA RELIGIOSE EXTRVCTA, DICATA, RESTAVRATA,

siue pro placando Deo, siue pro gratiis agendis.

Exempla hæc ad Magnificentiam pertinent, si sumptum spectes externum: sin verò internam pietatem, huius erunt loci.

FILII Israel mente propensissima atque deuota obtulerunt ad faciẽdum opes tabernaculi, & quicquid ad cultum & vestes sacras erat necessarium. Exod.15.& 36.

Magnificum templum, anno regni sui quarto ædificare cœpit SALOMON Dauidis filius. Triginta in primis hominum millia cædendis arboribus, vt cedris & cupressis, sunt in Libanum destinata. Lapicidarum verò extiterunt octoginta millia. Latitudo templi fuit vicenûm cubitorum, sexagenûm longitudo: altitudo fornice distincta centenûm & vicenûm. Inferioris structuræ materia erat ex candenti saxo. Amplitudo vestibuli denũ cubitorũ. Cellæ erant vicenæ peruio inter se vsu, & aliæ his suppositæ. Trabes erant cedrinæ, cedrina cõcameratio auro illita, vt parietes omnes. Sãctior locus à reliquo tẽpli corpore distinguebatur muro, in quo erant ianuæ sculptæ, vela ductilia, variis mæandris & floribus intexta. Duo Cherubini ex puro auro. Pauimentum petalis aureis instructum. Ianuæ vicenûm cubitũm altitudine, auro coruscantes. Ante vestibulum erant duæ columnæ æneę, XVIII cubitorum altitudine, ambituque duodenûm. Erat & vas æneum tantę magnitudinis, vt ab re nominatum sit mare, quòd vituli duodecim diuersas mundi plagas terni singulas prospectantes circumstabant. Fuit vas illud trium millium batorum capax. Erant & alię figuræ, quas longum esset recensere. Altare fuit æreum denûm pedum altitudine, longitudine duplo maiore. Item mensa vna aurea, phialæ & pateræ aureę decem millia. Argenteæ quadruplo maiore numero. Candelabra decem millia ex auro & argento fabricata: circa templum aula capacissima, in qua profanus populus consisteret. Hoc autem opus septem annorum spacio ad finem perductum est. Rauis.

IVDÆI reuersi ex Babylonica captiuitate, cœperunt ædificare templum Dei.1.Esdræ.3.

CYRVS rex Persarum fecit clamari per omnia regna terræ: Dedit mihi Deus cœli omnia regna terræ: & pręcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus cum ipso, descendat in Ierusalem. Et hoc per Esaiam per ducentos annos antè prædictum fuerat.1 Esd.1.Esa.45.

Reuersi de Babylonica captiuitate IVDÆI prius cœperunt ædificare templum, quàm muros ciuitatis. Licet multos haberẽt iniquos, de quibus die ac nocte timebant.1.Esd.3.

DARIVS rex pręcepit vt ædificaretur domus Domini in Ierusalem, & darentur sumptus de arca regis, ne opus impediretur.1.Esd.6.

Iustinianus Imperator Rom. cùm Persas, qui Romanos limites prætergressi fuerant, pacasset, Africam à Vandalis, Italiam à Gothis liberasset, pro his gestis nobile Sophiæ templum Constantinopoli extruxit. Sigebertus in Chron.

SYMMACHVS Sardus & pontifex summus, Theodorico regnante tẽpla ędificauit, primùm Andreę, prope Petri basilicam, deinde Agathæ in fundo Lardario, diui Pancratij: Syluestri quoque & Martini, iuxta Traiani thermas. Volat.lib.22.Anthrop.

FELIX IIII. Romanus pontifex, templum Cosmæ & Damiani apud Romanum forum, quod carmen adhuc in eo scriptum indicat, ædificauit & Saturnini basilicam via Salaria restituit. Ibidem.

PASCHALIS Romanus pontifex Ludouico Pio imperante, ædẽ Praxedis extruxit iuxta veterem, templáque Cęciliæ ac S. Mariæ ad pręsepe restituit. Anno 820. Ibidem.

Benedictus patria Nursinus, Casinum veniens, templum Apollinis Ioanni Baptistæ dedicauit. Volater.libro 21. Anthropologię.

BONIFACIVS pont.max. 65. Panthæon Romę à Phoca imperatore impetratum vertit in Ecclesiam sanctę Mariæ, & omnium martyrum: & Calendis Nouembris ibi instituit solennitatem omnium martyrum, quę postea crescente religione Christiana decreta est fieri in honorẽ omniũ sanctorum, Anno Domini 609. Sigebertus in Chronicis.& Sab.lib.10.capite 14.

Mira fuit templi eius dedicatio, quòd prope Parisiorũ vrbem Dionysio est sacratum, dum in Gallia Dagobertus primus regnaret. Pontificibus enim, qui ad dedicationem conuenerant, leprosus quidam, qui in eo templo nocte illa excubuerat, narrauit, Christum à se visum: aliósque sanctos templum dedicantes, iubente Christo, vt quod viderat pontificibus ad dedicationem profectis referret: eiúsque rei, ne fortè fides desideraretur, signum ostenderet illud, quòd esset à lepra mundatus, cutísque ex facie, quę tuberculis eius morbi vlcerosa esset, tota esset sublata. Ei igitur non fides tantùm est habita, sed etiam à dedicatione pontifices abstinuerunt. In rei autem memoriam, nunc quoque detracta ex leprosi vultu cutis, aurea pyxide cõdita ostenditur, & dies quotannis intersolẽnes celebratur. Fulgos. lib.1.cap.6.

MAGNVS antistes Heracliensis, de Veneta prouincia optimè meritus, vitæ sanctitate tantum apud Venetos valuit, vt diuinitùs monitus existimetur, ad templorum varia fundamenta iacienda, quæ Venetiis hodie etiam visuntur. Diuo igitur Petro Oliuolensi templi primo ab eo fundamẽta iacta: mox suo studio & impensa, D. Mariæ extructa est ædes, cui Formosę cognomento sit. Nec Seruatori nostro in oculatissima vrbis parte, extruendi templi cura studiúmque illi defuit. Par quoque alacritas in excolendis templis D. Ioanni baptistæ, Raphaelique archangelo, & duodenis Apostolis illi affuit, donec in summo paupertatis ardore moriens, cum summo totius prouincię dolore & fletu, Venetias tandem translatus est: illiúsque ossa in D. Hieremiæ templo hodie iacent. Egnat.libri.4.capite 4.

Accesserant Veneti Sebastiani Ciani ducis auspicio, cùm ex aliis orbis partib. extruendis nouis ædificiis insignes præfectos, tum ex Constantinopolitana vrbe vnum, amplissimis præmiis inuitarant, qui omnium iudicio omnibus aliis ea tempestate præferebatur, vt AVREAM DIVI MARCI ÆDEM, omnium quęcunque extarent celeberrimam, ab ipsis fundamentis extruerent. Quod quum Gręcus homo præstiturum sese polliceretur, ea tamen conditione, vt absoluto ab se opere, ad æternam sui memoriam, pateretur dux ipse senatúsque in oculatissima templi parte statuam marmoream sibi poni: non dubitauit Cianus dux ipse, & patres id pro certo polliceri. Inchoato igitur ab se opere, quum iam præcipuam templi partem absoluisset, quum dux & reliqui patres adessent, nimia quadam ingenij leuitate elabi sibi ex ore passus est, se quidem multo celebrius templum ipsum fuisse extructurum, nisi inter ipsum opus occurrissent plura, quæ illum prudentiorem fecissent. Ad quem subridens dux: Nec nos, inquit, contra omnia, quę de statua petieras, integra tibi dabimus. Quare illi in vestibuli fronte marmoream statuam collocarunt, manu ad os obiecta quasi illum dicti sui pœniteret. Illud interim hoc in loco preterire minimè possum, templi ipsius apparatum tantum, talémque hodie extare, vt nemo sit, qui quum omnia diligentius perlustrarit, non fateatur omnibus antiquissimis operibus, & recentioribus cum ipsa Tarpeia arce esse anteferendam. Quod etsi parergon videri multis possit, non dubitem tamen plures fore, quibus quàm gratissima templi ipsius sit futura explicatio. Est igitur templum ipsum, non tam magnitudine & vastitate sua, vt pleraque alia, quàm ornatu insigne, & in primis augustum. Quod si primùm ingrediare, crucis figuram præferre videatur: cuius anguli in altissimas consurgunt testudines. Quarum fastigia, vt reliqua templi facies, plũbeis tegulis operta, ad centum viginti stadia ex alto ad vrbem nauigantibus inter eminentissima vrbis ædificia occurrant. Superbissimi ad id fornices, mira inter se arte coeuntes totam molem fulciunt. Illud non possum non vehementer admirari, vnde tanta vis auri Venetis ipsis affluerit, quod tanto operi impenderent. Nam quicquid operis est, à media templi parte purissimo fulget auro, quod musiuo opere ita variatum est, vt quocunque oculos vertas, insignè in primis occurrat. Recedunt tantùm in ipso testudinum connexu Græcanici operis vetustissimæ imagines, mœsta quadam venerabilique præsentia, horrorem cum religione mixtum spectantium animis inferentes. Quòd si ad alias spectandas templi partes animum conuertas, marmoreæ vndique tabulæ, ad pauimentum vsque ipsum, varij marmoris ocurrent. Quæ tanto artificio sunt sibi adinuicem compositæ, vt eædem inter se similes videri possint. Sedilia quoque ipsa circum ædem marmorea, ita distincta, vt defatigato iam tibi cuncta perlustranti, quietem & ocium parent. Hic tibi pauimentum liceat intueri vermiculato opere, marmoreis frustis ita distinctum, vt tantum extruendi templi studium in cœlum meritò tollas. Columnæ verò complures Parij lapidis, vel Tapsici aut Numidici tibi interim, adsurgant iure optimo admirabiles, cum duplici suggestu marmoreo, vnde sacerdotes sæpe emineant. Sic enim cautum publico decreto fuerat, vt quicquid egregij operis Veneti ipsi nauigantes quecunque terrarum ambirent, non dubitarẽt idipsum Venetias deferre, ad æternam templi aurei memoriam, vtque nulli impensæ omnino parcerent. Quòd si ex templo egrediare, vestibulúmque ipsum subeas, quis per immortalem deum stupor non te inuadat? Cuius aurei fornices trecentis & amplius fulciuntur columnis, non magnitudine sua magis, quàm colorum varietate conspicuis: intercolumnia, & quicquid in area ipsa operis est, cum ipso pauimento marmoreis tabulis pro tectorio renitet. Quòd si superiorem vestibuli partem ex area ipsa conspicias, ecce tibi equi quatuor ænei, diuerso statuarióque occurrũt: qui veteris operis insignia planè referentes, studium insigne ciuitatis ipsius secum præseferant. His operosum templi supercilium incubat seruis sese pinnaculis explicans: quorum singula in tabernaculi speciem structa, singulis habent ex candido lapide statuas, nudi genij: aliáque verò splendidissimi aspectus simulachra, suo quæque statu operibus inserta, miro quodam modo, ipsam pinnarum exornãt intercapedinem. Idem opus excellentissimum, eandémque speciosissimam materiam, tam dextrum, quàm læuum latus habet. Egnat.libro sexto, capite quinto.

Constantinvs Magn⁹, ex Gallijs, vnde oriundus erat, aduersus Maxentium vbi dominantem, Italiam ingressus, admonitus (vt credere par est) oraculo, crucis illi signum in aere ostendente, & per illud signum victoriam pollicente, Deo plenus, crucem pro aquilis præferens, incruentam victoriam Maxentio ipso Tyberini ex pontis fractura vorticibus absorpto retulit. Vnde ille tanti beneficij non immemor, Deum ipsum publicè adorandum omnibus præcepit, arásque & ipsi Deo opt. max. & Petro & Paulo diuis erexit, tanto pietatis ardore, vt satis constet, ex templi fundamentis, quòd in Lateranensium parte extruxit, 12 illum terrę cophinos propriis humeris exportasse. Tantum sæpe sese religio, ac Dei cultus, hominum pectoribus iucundus & facilis insinuat. Egnat. lib. 1. cap. 1.

In ciuitate Veneta sexaginta & duo diuorum spectantur templa insignia, quas Plebanias nominant: virginum Vestalium, septem & viginti. Cœnobia fratrum (quos dicimus) totidem præclara in primis habentur: ne Oliuolense interim diuo Petro sacrum numerem, aureámque Marcianam ędem à Iustiniano Particiaco duce institutam. Egnat. lib. 1. cap. 1.

Durat adhuc Venetiis in occultissima vrbis parte, ad numularias scilicet mensas, ædes D. Iacobo extructa, vel recenti miraculo maximè memorabilis, quum superioribus annis, quum hęc ipsi commentaremur, ignis Riualtinam insulam totam temporis momento, præter hanc vnam ædem, consumpserit. Primi Venetæ vrbis nostrę conditores (quos Patauinos fuisse haud ambigam) quum casas quasdam extruxissent, nec adhuc templum alicui numini dicassent, & dicandum tamen in primis ab omnibus constaret: sed interim neque de loco, neque de sumptus ratione conuenirent: fortè, an Dei prouidentia potius, factum est, vt repentè ignis ex architecti domo noctu erumpens, continuato incendio quatuor & viginti domos absumpserit, vento & materia passim disiecta flammas alentibus. Quúmque humana ope obsisti non posse videretur, versa in preces multitudo, memórque subinde facta pietatis quam Deo deberet, ædem D. Iacobo inter ipsas incendij crepitantis flammas vouit. Vix nuncupatum votum erat, & mox præsens affuit precantibus Deus, ignis enim ille paulò antè minax, eodem momento desedit, & ædes ex voto D. Iacobo erecta, dicatáque. Præsules, qui eam dedicarunt, Seuerianus Patauinus, Hilarius Altinas, Iocundus Trauisinus, & Epodion Opiterginus tradũtur. Atque adeò diligens vetustas in hoc vna facto memoriæ mandando fuit, vt diem quoque natalicium vrbis prodiderit, octauum videlicet Cal. April. Ibidem.

Veneti Narseti in Gothos exercitum difficili admodum & perplexo itinere Rauennam versus ductanti, non solùm ipsi præsto fuere: sed vt facilior ductus Graio Imperatori per æstuaria, & fluuiorum tot ostia esset, nauibus datis, & fluuijs ponte constratis, fecere. Vnde ille facilè expeditus collaudata populi tum primùm nascentis industria, & opera, in facti memoriam sacella duo, si res bellicæ ex sententia cederẽt, vouit, & votis parta victoria dicauit: alterum Theodoro intra ædem auream subinde comprehensum, alterum cum vestigio vetustatis Geminiano & Menæ cœlitibus, in areæ Martianę fronte. Egnat. lib. 1. cap. 1.

Dagobertvs Francorum rex, diui Dionisij templum condidit: in eóque cineres ipsius Dionysij, sociorúmque eius Rustici & Eleutherij, cum magna religione & ornamento posuit. Michael Ritius libro 1. de Regibus Francorum.

Christiani in Samarcanda Hyrcaniæ vrbe, templum D. Ioanni baptistæ magnificum extruunt, & miraculosè illud idem conseruatur. Vide tit. Orationis effectus.

Sixtvs Tertius Rom. pont. Ecclesiarum ditator cognominatus, 42. ordine pontifex, anno imperij Theodosij iunioris nono, primus extruxit basilicam sanctæ Mariæ matris domini, iuxta macellum Libyæ, quæ postea Maria maior dicta est: item & D. Laurentio, & pręclaris donis ornauit. Testis Platina.

EXEMPLA ETHNICA.

Persæ nec statuas, nec templa, nec aras extruunt: neque enim Deos ex hominibus ortos esse credunt, vt Græci: & propterea nullam Dei imaginem fingi posse existimant. Montes editissimos conscendunt, ibíque Ioui immolant. Herod. lib. 1. præterea cùm solem potissimùm venerentur, mundum vniuersum templum illius esse dicunt. Alexand. libro secundo capite 22.

Scythæ nulli deorum simulachra & aras & delubra faciunt, præterquam Marti. Herod. lib. 4.

Sesostris, vel, vt alij vocant, Sesosis Ægyptiorum rex, cùm multos & diuersos populos suo imperio, bellica virtute adiecisset, ex præda hostili singulis Ægypti ciuitatibus templum ei Deo constituit, quem pręcipuè colebant: ad quorum structuram non Ægyptiorum, sed quæ cęperat seruitiorum opera vsus est. Diodor. Sic. libro 2. capite secundo, de Rebus antiq.

Timoleon Corinthius, qui Dionisij regnum euertit in Sicilia, tantum abfuit vt post clarissimam victoriam sit aliquo modo religionis oblitus, vt paternam domũ in templi vsum verterit. Dignus qui non solùm feliciter cõsenuerit, sed etiam defuncto perpetuos honores decreuerit Syracusana ciuitas, & sepulchrũ in foro constituerit. Sabellicus lib. quarto, capite secundo.

Milesii, Didymęi Apollinis templum à Xerxe planè deuastatum vberiori impensa restaurarunt, ita vt ob magnitudinem fastigio extruẽdo nullæ contignationes sufficerent. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2.

Avrvnvs in Vetulonia lucum sacrauit Crano: & inter Isos, id est deos annumerauit. Iano quoque Vertumno templum & statuam non procul ab vrbe dedicauit, & deo Razenuo in Vetulonia sacellum condidit. Berosus Chaldęus de VII Assyriorum rege.

Romvlvs ædem Vulcani primùm extra pomerium construxit, quæ diu in vrbem admissa non fuit: hanc nimirum ob causam, quòd Vulcanus procul incendia arceret, néue confinio & quasi contagio vrbi, quæ incendiis exposita erat, discrimini aut noxæ foret. Alexand. ab Alexand. libro secundo capite 4.

Idem victo Acrone Ceninensium duce, Ioui Feretrio templum primò dicauit, & eidem Ioui spolia opima obtulit. Ibidem Marlianus lib. 2. cap. 5 de Antiquitat. vrbis.

Nvma Pompilius Termino templum sacrauit, incruentúmque sacrũ instituit: ac lege sanxit, vt qui Terminum exarasset, ipse & boues Deo sacrificerent: cuius tamẽ sacra sine sanguine esse voluit, quia eum Deum veluti pacis custodem à cæde immunem esse existimauit. Templum illius semper fuit apertum, & sine tecto: quia nefas duxerunt Terminum deum, pacis & iustitiæ custodem, sub tecto conspici. Alex. ab Alex. libro secundo cap. 22. & Plut. in Numa.

Ancvs Martius Fortunam virili cognomento primus omnium dedicauit, quod fuit extra vrbem ad Tyberis ripam, in quo mulieres, quæ nuptui dabantur, exutis vestimentis omnibus conspiciebantur, ne labe corporis vel morbo spõsus futurus deciperetur. Alexand. ab Alexand. libro primo cap. 13.

Servivs Tullius sextus Romanorum rex, ex serua captiua natus, cùm magno & singulari fortunæ beneficio ad regiam dignitatem prouectus esset, diuersa fortunæ templa in diuersis quoque vrbis partibus dedicauit. Paruæ Fortunæ ædem, Fortis fortunæ, Primogenitæ, Masculæ, Prosperæ & Virilis. Fortvnæ Seiæ ædem à Seruio Tullio antea erectam ex phengite lapide, mirifico opere Nero princeps instaurauit, ita vt foribus apertis ita diurna lux videretur: in quo Seruij Tulij simulachrum tecto vultu, toga superiniecta diu mansisse dicitur; quasi vt lateret fortunæ dedecus, quòd à serua natus imperaret. Alexand. ab Alex. libro primo cap. 13.

Marcivs Coriolanus à trib. pleb. Decio die dicta ad Volscos concessit, eósque duce T. Tatio aduersus Romanos concitauit, & ad quartum ab vrbe lapidem via Latina ad fossas Chuuillas castra posuit. Tres missos ad se legatos spreuit. Tandem à Veturia matre & Volumina vxore castra petentibus, motum bellum omisit. Inde templum Fortvnæ muliebris erectum, ob recuperatam à matronis Rempublicam. Hęc ex Cecilio & Plutarc. & Alex. lib. 2. cap. 4.

Æscvlapii fanum in insula Tiberis ædificarunt Rom. cùm ægra valetudine vrbs oppressa esset: seu quòd feruente morbo foris habitare salubrius esset: seu quòd deus ipse hanc sibi sedem elegisset. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 4.

Bellonæ & Martis templa extra Capenam portam ideo constructa à Romanis ferunt, vt à ciuium mentibus intestinas clades, ardorémque conserendæ manus, à ciuili cruore ad hostiles pugnas auocarent, vtque domi iugi concordia quietè viuerent. Ibidem.

Honoris ædem cum ara extra portam Carmentalem ædificauit Q. Fab. Max. quam & collapsam deinde restituit Marcus Marcellus: vt nimirum non tantum in vrbe, sed foris quoque honorem dignis hominibus exiberent. Ibidem.

Q. Fabivs Gurges, cùm Fabij Maximi perentis sui auxilio & consilio cæsis Samnitib⁹ triumphasset, C. Pontium Herennium ducem Samnitum in triumphum ductum securi percussisset, aliquod matronas ad populum strupi damnatas pecunia mulctauit, ex quo ęre Veneris ædem, quę prope Circum est, faciundam curauit. Liuius in Epitome.

Marcellvs Veneris Herciniæ templum extra portam Collinam magna mole construxit, cum porticu insigni, ne libido inualesceret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap 4.

Cùm Marcellvs quintũ consulatum gerens, templum Honori & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis debitũ votis consecrare vellet, à collegio pontificũ impeditus est: negante vnã cellam duobus dijs rectè dicari: futurũ enim, si quid prodigij accidisset in ea, ne dignosceretur vtri rẽ diuinã fieri oporteret: nec duob⁹ nisi certis dijs vnã sacrificare solere. Ea pontificũ admonitione effectũ est, vt Marcell. separatis ædibus, Honoris ac Virtutis simulacra statueret: neque aut collegio pontificum autoritas amplissimi viri, aut Marcello adiecto impensæ impedimento, fuit quo minus religionibus suus tenor, suáque obseruatio redderetur. Val. lib. 1. cap. 1.

Redicvli templum extra portam Capenam post secundum bellũ Punicum construxerũt Rom. eo quòd propitij dij Hannibalem ab expugnanda vrbe auertissent, & inde parum fœliciter ad suos peruenisset. Ideo autem Rediculi nomen templo inditum, quòd visis quibusdam & ostentis inde deterritus, nullo edito negocio Hanibal ad suos redijsset. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 4.

Carvilivs consul, cùm de Veientibus triumphasset, ærísque grauis 390 millia in ærariũ detulisset, de reliquo quod ex manubijs & omni pręda exactum fuit, fortis fortunæ ædem prope illam, quæ à Seruio Tullio dedicata fuerat, dedicauit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.

Pvb. Sempronius Primogeniæ fortunæ ædiculam secundo bello Punico vouit, & voti reus dedicauit. Ibidem.

C. Dvillivs Iani templum nouum ad forum Olitorum Romæ cõstruxit: ad quod bellum suscepturus consul frequenti senatu, primoribus patrum ac militibus comitatus, accedebat, ac solenni more templi fores recludebat. Ibidem.

Romani malæ Fortunæ, Febris, Postuertæ, Prosæ, templa & aras erexerunt: item Pallori & Timori, quasi dijs, ne quid obessent, neue aliquid

aliquid incommodi adferrent, quos cane & oue placarunt. Ibidem.

Cæsar Augustus Cantabrico bello, cùm noctu lectica veheretur, ad subitum casum fulminis, quo vnus ex comitibus exanimatus est, tonãti Ioui ædem vouit. Sal. libro 5. capite quarto.

Idem condendis & instaurandis templis: exornanda vrbe omni genere magnificentiæ, adeò excelluit, vt iure gloriatus fuerit, vrbem se marmoream relicturum, quam latericiam accepisset. Pontanus cap 12. de Magnificentia.

Nero imperator, licet crudelissimus tyrannus in suo esset imperio, religionem tamen & deorum immortalium cultum magni faciens, vt in Sicilia Ericinæ Veneris templum vetustate collapsum instauraretur operã dedit. Fulgos. libro 1. capite 1.

Vespasianvs ex Oriente reuersus, cùm ciuilibus bellis deformatam vrbem offendisset, à sacris ædificiis Capitoliníque ipsius Iouis templo eius instaurationem orsus, ante alios ipse operi se accinxit, sublatis in de collo suo primis ruderibus, iactísque manu sua fundamentis: minimè arbitratus Cæsareæ maiestati se labem illaturum, si operam sacræ rei manu sua nauasset. Ibidem.

Titvs Vespasianus, qui templorum aliorúmque publicorum ædificiorum, quæ incendio & ciuili furore correpta erant, instaurationi villarum suarum ornamenta designauit: atque huic operi ex equestri ordine insignes viros præfecit: idem quoque cùm peste ciuitas grauiter laboraret, ne minus ciuium salutem quàm vrbis ornatum curare videretur, quanquam nullum humanæ opis remedium prætermissum esset, plus in cœlesti numine repositum putans, omnibus Romanis sacris operatus, placare diuinam iram studiosè curauit. Ibidem.

Hadrianvs Imp. & patrem Traianum, & omnes qui vnquam fuere, præclaris ædificiis longissimè antecessit: cuius operibus cùm orbis terrarum illustratus esset, ipse in vno tantum Traiani patris templo nomeñ suum inscribi voluit. Pontan. cap. 12. de Magnif.

Avrelianvs Imp. sacrarum rerum conseruandarum studiosissimus est habitus. Nam quamquam post captam Zenobiam in Europa bello distineretur: tamen vt in Oriente Palmyram, locáque alia quæ Zenobiæ parebant, rebellasse audiuit, eò conuersus Palmyram cœpit, accolásque occidit: atque vrbe incensa, in qua Solis templum erat apprimè ornatum, religione motus, A. Ceionio Basso scripsit, vt nobilissimis marmoribus illud ornatius quàm antea esset, reficeret, auróque & gemmis in hunc vsum assignatis exornaret. Fulgos. lib. 1. cap. 1.

Apvd Gaderam in Hispania, duas aras, alteram Anno, alteram Mensi, vt longiori & breuiori tempori, dicatam esse ferunt: præterea templum Senectuti, quòd maximè ætatem, vtpote magistram rerum, venerentur. Alterum item Morti, vt communi quieti & portui miseriarum, post exãtlatos labores: sed & Paupertati & fortunæ sacra cõstituere, vt per hæc altera placetur, altera remediũ paupertati obueniat. Ælianus de Varia hist.

TEMPLA VENERARI.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Facies labium æneum ad lauandum, & missa aqua lauabunt in eo Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij. Exod. 30 & 40.

Non licebat, nisi paucis, intrare tabernaculum, nec vasa ipsius tangere. Num. 4.

Audiens Heli mortem filiorum suorum in prælio, non visus est multum curare: sed cùm nuncius ille dixisset arcam Dei esse captam, cecidit de sella, & mortuus est. 1. Reg. 4.

Magnam fecit Salomon solennitatem, in dedicatione tẽpli, quòd Dominus sanctificauit, 3. Reg. 8. & 9.

Præcepit Ioiada pontifex, vt Athalia educeretur extra templum, & non occideretur in templo Domini. 4. Regum. 11.

Obtenta victoria de inimicis, qui contaminauerunt templum, dixit Ivdas Machabæus ad fratres suos, antequam de domibus propriis aliquã facerent mentionem: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, & renouare. 1. Machab. 4.

Rex Demetrivs statuit, quòd quicúnque confugerit in templum quod est Hierosolymis, & in omnibus finibus eius obnoxiis regi, in omni negocio dimitteretur. 1. Mac. 10.

Euntibus Ivdæis ab bellum, contra Nicanoris exercitum, erat pro vxoribus & filiis, item pro fratribus & cognatis minor solicitudo: maximus verò & primus timor erat templi. 1. Machab. 15.

Quadragesimo die voluit Dominus in templum deferri & offerri. Lucæ 2. Item duodecim annorum factus, disputans in templo fuit inuentus. Eodem. Postea de templo vendẽtes & ementes plures eiecit. Matth. 21. Mar. 11. Luc 19. Ioannis 2. Idem in templo frequenter docuit, & miracula quædam fecit. Matth. 21. Marc. 11. & 12. Lucæ 19. & 21. Ioan. 7.

Arguit Dominus Pharisæos, qui dicebant, aurum templi sanctius esse templo. Mat. 25.

Recepto sancto Spiritu Petrvs & Ioannes ascenderunt in templũ, ad horam orationis nonam. Et tunc factum est primum sanitatis miraculum, quod factum legitur post ascensionem Domini. Act. 3.

Angelvs Domini per noctem aperiens ianuam carceris, & abducẽs Apostolos, dixit: Ite, & stantes loquimini, in templo plebi, omnia verba vitæ huius. Act. 5.

Quamuis Ivdæi graui odio persequerentur Paulum, tamen in templo noluerunt occidere: sed traxerunt eum extra templum, vt foris occiderent. Act. 21.

ARAS AEDIFICARE, VENERARI, RESTAVRARE.

Ædificauit Noe altare Domino: Et tollens de cunctis pecoribus mũdis & volucribus, obtulit holocaustum: odoratusque est Dominus odorẽ suauitatis. Gen. 8.

Apparuit Dominus Abraham in terra Chanaan, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. qui ædificauit igitur altare Domino, qui apparuit ei. Gen. 12.

Apparuit Dominus in Bersabee Isaac, dicens: Noli timere, quia ego sum tecum. Itaque ædificauit altare Domino, & inuocato nomine Domini erexit tabernaculum. Gen. 26.

Locutus est Deus Iacob dicens: Surge & ascende Bethel, & habita ibi: facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrẽ tuũ. Gen. 35.

Præcepit Dominvs sibi fieri tabernaculum, variis vtensilibus, & ministeria ordinari, ad cultum ipsius, vt patet in multis, capitibus Exodi. Exod. 25.

Dixit Dominus ad Moysen: Ascende in montem tu & Aaron, Nadab & Abihu, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul. Moyses ergo manè consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim vitulos per duodecim tribus Israel. Et post pauca sequitur: Obtulerúntque victimas pacificas Domino, vitulos. Exod. 24.

STATVAS, OBELISCOS, COLOSSOS IMAGINES, *simulachra diis erigere.*

Consule titulum, Magnificentiæ in Imaginibus, &c.

Præcepit Dominus, vt post transitum Iordanis miraculosum, ponerentur duodecim lapides in perpetuum monumentum. Iosue 4.

Sesostris Ægyptiorum regis Filivs diu oculis orbatus, cùm ex Dei responso audiuisset, quo pacto visum recipere posset: voti compos factus, Deo Heliopolis gratias secundum oraculum acceptum reddens, duos erexit vnius lapidis obeliscos, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. de rebus Antiquis.

Sesostris nauem ex cedro ducenûm octoginta cubitorum longitudine, forinsecus etiam aureis bracteis vestitam, intus verò deargentatam fecit, quã dono liberaliter obtulit deo qui Thebis colitur. Diodorus.

Semiramis regina post Babylonis ædificationem Ioui statuam erexit longitudine pedum quadraginta, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis quoque erexit statuam simili pondere, ad cuius genua duo astabant leones, iuxtáque serpentes argentei ingentis magnitudinis, quilibet ponderis talentorum triginta. Diod. Sicul. lib. 3. de rebus Antiq.

Fuit Romæ in Capitolio colossus Apollinis, translatus à Lucullo ex Apollonia Ponti vrbe, XXX cubitorum, factus talentis CL. Plinius.

Fuit & Colossus Apollinis Tuscanicus quinquaginta pedum à pollice, dubium ære mirabilior, an pulchritudine. Idem.

DEORVM SIMVLACHRA, SANCTORVM CORPORA *& imagines venerari.*

Hic quoque locus, vt plerique alij, Iusticiæ religiosæ pars est, si non reipsa, at certè opinione. Iam enim à nobis in superioribus ostensum fuit, non de religionis veritate vel falsitate nos disputaturos: sed supposita aliqua religione, quid in ea iustum, quidque iniustum sit, declarare velle.

Cùm Helena Constantini Magni mater, à Hierosolymis clauos tulisset, quibus saluator Christus pro humana redemptione cruci affixus fuit: CONSTANTINVS Magnus religionis plenus, ex eis cono galeæ vnum infixit, siue (vt Ambrosius refert) regium diadema insigniuit: ex altero frenum equo suo confecit, quod nunc Mediolani cernitur: fretus, id quod vere ei contigit, horum adiumento non pericula solum in bello se euasurum, verùm de hostibus victoriam quoque reportaturum: Tertium aiunt Helenam in Attalico sinu cùm de salute periclitaretur, ad sedandam vim tempestatis in profundum demersisse, quanquam de hoc Ambrosius nihil scriptum reliquerit: qui ex ijs, à militari principe frenum equo fabrefactum, alijs verò diadema insignitum fuisse dicit. Fulg. libro primo, capite primo.

GREGORIVS pontifex 89. anno 733. synodum nongentorum trium episcoporum Romæ congregauit, & venerationem sanctarum imaginū confirmauit, earumque violatores generali sentētia damnauit. Anno domini 731. Sigebertus.

STEPHANVS III, Pipino regnante, instituit, vt imagines restituerentur, contra concilium Constantinopolitanum. Quibus peractis supplicationes egit, à Laterano ad Petri basilicam nudis pedibus. Volat. lib. 22. Anthrop.

LVITHPRANDVS Longobardorum rex, post multa ædificata templa, monasteriaque, & magnis opibus locupleta, cùm ex Aphrica in Sardiniam accepisset Aurelij Augustini Hipponensis episcopi corpus fuisse translatum, Ticinum, vbi regia sedes erat, illuc magno studio comportari iussit: atque ipse honoris causa, pedibus à Genua Ticinum vsque prosequutus, templo monasterijsque cum amplissima dote, sancti doctoris reliquias, veneranter excoluit. Fulg. lib. 1. cap. 4.

PERSÆ nec statuas, nec aras erigebant: deos verò putabant, Cœlum, quem Iouem existimabant: Solem colebant, quem Mithran vocabant. Item Lunam, Venerem, Ignem & Tellurem: præterea Ventos & Aquam.

ÆGYPTIIS licet templa marmore & auro essent elaborata luxu ingenti, & mira arte, tamen deorum imago erat illis deridicula. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 22.

LYCVRGVS Lacedemoniorum legislator sanctissimus, etiamsi multarum ceremoniarum apud Gentiles institutor esset, nulla tamen apud eū ficta deorum Imago fuit: quippe hominum aut animaliū species dijs tribui, semper vetuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22.

GERMANI prisco tempore (vt Tacitus scribit) nec deos cohibere parietibus, neq; in vllam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium fas arbitrabantur.

Cùm iam captum esset Ilium, Achiui miserati captiuorum ærumnas, Græcè hoc per præconem denūciarunt, vt singuli ex liberis ciuibus, quod vellent, vnum aliquod secum auferrent. Æneas igitur cæteris neglectis, Deos penates exportabat. Græci pietatem viri summo cum gaudio suspicientes permiserunt insuper vnum ex suis possessionibus accipere. Ille patrem annis & senio confectum, sublatum in humeros portabat. Obstupescentes etiam hoc facto non mediocriter, vniuersas possessiones ei reliquerunt: confitentes, eos qui pietatem in homines & deos exercēt, quique parentes reuerenter colunt, etiam natura inimicos non posse non æquos & placatos se præbere. Ælian. lib. 3. de Varia hist.

METELLVS Palladium ex medijs flammis eripit. Vide tit. Præmia religionis humana Ethnica.

MVNERIBVS DEOS PLACARE, GRATIASVE AGERE.

SVMPTVS *præstare sacrorum.*

Exempla pete ex tit. Liberalitatis *&* Magnificentiæ religiosæ.

Obtenta de inimicis mirabili victoria, venerunt ad Moysem principes exercitus ISRAEL dicentes, quòd nullus fuerat de filijs Israel in bello occisus: & tamen hominum & animalium rapuerunt magnam prædam, & ob hanc causam dona magna obtulerunt. Num. 31.

FILII ISRAEL & Iuda obtulerunt Domino decimas, quas vouerunt Domino. 2. Paralip. 31.

ASA rex Iuda, ea quæ vouerat pater suus, obtulit in domum Domini, argentum, aurum, vasorumque diuersam supellectilem. 2. Paral. 15.

ARTAXERXES rex præcepit Esdræ & populo, vt ferrēt munera Domino Deo Israhel, quæ vouerant, &c. 1. Esdræ 7.

SELEVCVS Asiæ rex, de hæreditatibus suis, tempore Oniæ summi pontificis, præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 2. Machab. 2.

ALEXANDER Magnus inter sacrificandum, cùm vtraque manu thura ad euaporandum assumpsisset, à Leonida ob id reprehensus est. Dicebat enim Leonidas: Quum ferentibus aromata terris imperaueris, copiosè tunc thura adolebis: nunc verò vtere parcius. Victa autem Saba, Alexander Leonidę scripsit: Ad te thus myrrhámque abundè transmisimus, vt cum deis parcus esse desinas. Brusonius Contursinus libro 5. cap. 29.

ANTIOCHVS Syriæ rex, cùm Hierosolymarum vrbem eo tempore obsideret, quo tabernaculorum festa celebrantur, atque à populo Hierosolymitano rogatus esset, septem dierum inducias ad ea sacra colenda dare: non solùm postulata concessit ac seruauit, verùm etiam vt non minus à se quàm à Iudæis religionem coli ostenderet, taurum auratis cornibus, ac multa aurea vasa cum thure, ad vrbis portas sacerdotibus ferri iussit atque eos rogari, vt illa Deo offerrent. Fulg. lib. 1. cap. 1.

LVGARD matrona castissima, totum matrimonium ecclesiæ obtulit, vt eorum cultus & ceremoniæ inde promouerentur, Testis est Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 41.

CAROLVS Magnus Christianam religionem sanctè & piè colens, ecclesias Dei ornabat sacris vasis & vestibus, edicens vt ne ianitoribus quidem liceret communi habitu in ecclesia ministrare. Extruxit etiam Aquisgrani basilicam, ad cuius structuram à Roma & Rauenna columnas & marmora deuehi fecit. Sigebertus in Chron.

AVRELIANVS imperator, cùm bellum aduersus Marcomannos gereret, diuino auxilio victoriam nactus, ne parum gratè cœlo demissam agnoscere opem videretur, præter munera per vrbem Romam multis templis data, soli Capitolino Ioui quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dedit. Fulg. libro 1. cap. de Religionis cultu.

HVNGARI tributum à Saxonibus repetentes, ab exercitu regis Hērici occisi sunt, aut capti: ijsq; vsque ad internecionem deletis, tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarum actione in ecclesijs pauperibus exoluerunt. Sigebertus in Chron.

DAGOBERTVS Galliæ rex, templum D. Dionysij martyris solido argento texit, ac corpora sanctorum ibi collocauit, pheretro aureo, multisque muneribus, eo quòd illic olim tanquam in asylo latuisset contra irā patris. Nam cùm eum satellites inde extrahere vellent, ante sacellum fixis pedibus, stupentes intrare non potuerunt. Regino in Chronico, & Nauclerus in secundo volumine.

ALFONSVS Castus, rex Hispanorum, ex manubijs Maurorum quorum 70 millia cecidit, duas erexit ecclesias, Orientenensem & Asturinensem. Ritius lib. 2. Reg. Hispaniarum.

CAROLVS Magnus Compostellæ ędem D. Iacobi multis dotauit muneribus, & Episcopum & Canonicos ad regulam Isidori instituit. Hen. Erfurd. cap. 68.

CAROLVS Imperator, rerum suarum hæredem Christum testamento fecit, & quicquid in re mancipij habebat, in tres partes diuiso, tertiam eorum partem pauperibus & famulantibus palatio delegauit: duas verò partes, in partes viginti vnam subdiuisit: & Metropolitanis episcopis, qui totidem sibi suberant, distribuit: vt metropolis Ecclesia tertiam assignatæ sibi partis haberet, & duas inter suffragantes episcopos diuideret. Sigebert⁹ in Chronicis, qui nomina Archiepiscopalium ciuitatum, quę sub Carolo erant, nominat.

ALFONSVS rex suis temporibus vicit omnes ætatis illius reges, cùm in ijs comparandis atque exhibendis, quę ad sacrificiorum apparatum & sacerdotum spectarent ornatum, tum in sanctorum statuis. Nil ætas illa aut sacris solennibus, aut publicis ludis ab eo editis, vidit magnificentius. Pontanus capite 13 de Magnificentia.

MONACHI ET EREMITAE.

Solitudinem honestam alij quidem contemplationis causa expetunt, alij verò pœnitentiæ ergò. Vtraque religionis studium amplectitur. Et de priore quidem illa iampridem à nobis actum est, sub tit. Eorum *qui contemplationi theoricæ dediti fuerunt. De posteriore sub* Διορ[illegible] *Instiria agetur, tit.* Religiosæ *pœnitentiæ. Hic paucis exempla eorum qui solitariam vitam religionis causa persecuti sunt, exequemur, siue contemplationis siue pœnitentiæ ergò, non laboramus: satis nobis est, religionem Iubesse, Primùm autem in genere* Ordines *Monasticos proferemus: deinde eos qui hos* Ordines *amplexi sunt, non tenuis tantùm, sed etiam præclaræ fortunæ homines,* Imperatores, Reges, *Duces enumerabimus*

MONACHORVM ORDINES VARII.

ANACHORETÆ primi omnium syluas & solitudines inhabitarunt, omne hominum commercium fugientes. Postea verò gregatim viuētes, Monachi dicti sunt. Tandem ex solitudine in vrbes migrare cœperunt, & cum loco sanctitatis quoque regulam sensim mutarunt.

AVGVSTINIANI habent originem ab Augustino Afro, patria Tagastano, qui in Manichæorum secta diu Carthagine moratus, tandem Romam venit admodum adolescens, Theodosio imperāte, vbi annos sex Rhetoricæ præceptor fuit. Inde Mediolanum profectus, clam matre Monica, annos natus 30, eius lachrymis & Ambrosij sermonibus ad veram fidem conuersus est. Migrauit è vita anno Salutis. CCCCXXXVII. Vol. lib. 21. Anthrop.

BASILII ordo, ex incerto inæqualique Eremitarum ordine, ad certam

tam æqualémque ac minorem viuendi formulam primùm per Basilium redacta est, ac tribus confirmata votis, quæ prius non fuerant. Ibid.

BENEDICTINI habent originem à Benedicto patria Nursino, qui primū Sublacum secessit, vbi ordinem monachorum cœptauit in Italiā, quem antea Basilius in Oriente constituerat. Discessit anno DXVIII, imperante Iustino seniore. Monachos autem à principio atros instituit: qui tanta fœlicitate coaluerunt, vt plurimæ ex eis postea familiæ cum variis institutis amictibus emanauerint. Ibid.

BRIGIDA vidua, in Suetia nata, principis viri filia ditissima, Romā venit, sub Vrbano V, anno 1360. vbi quotidie loca religiosa pedibus obibat, ritum ab se institutum probari obtinuit, vt cœnobium commune vtrique sexui foret: murorum tamen ac spectus separatione, vt virgines superiora habitarent monachi inferiora: templum verò commune. Omnibus autem abbatissa præesset. Ibid.

CAMALDVLENSES initium à diuo Romualdo habere, anno MXXXIII, sub Benedicto IX. Hic enim Rauennæ honestis ortus parentibus, & studiis liberalibus legitimè imbutus, nihil potius habuit, quàm vitam in secessu solitariam ducere. Et quando Benedicti ritus laxos nimiū viderat, in Apennino locum instituit, in quo actiore monachi disciplina exercerentur, montis frigore ac asperitate coerciti. Vocauitque Camaldulensium eremum. Ibid.

CANONICVS ordo non tam ab Augustino institutus, quàm renouatus. Ab Apostolis enim in monte Sion exordium sumpsit, qui post Ascensionem, vt prodidit D. Thomas 2. quæst. 88. de instituendo vitæ genere deliberantes, communia inter se omnia, ac tria vota coram Deo statuēre: qui ritus à successoribus clericisque omnibus diu diligētissimè seruatus est. Amictus est, linea tunica tantùm. vesti cuiuscunque superaddita. Cuius cœnobia olim in Europa ad IIII. millia DLV. fuēre: in Italia DCC. Ibidem.

CARMELITÆ, in monte Carmelo, mora Heliæ & Helisei nobilitato, ab Alberto patriarcha Hierosolymitano, Anno MCCLXXXVI. primum instituti fuēre, diuerso quo nunc vtuntur amictu. Honorius 4. illos à Sultano eiectos excepit, eúmque interpolauit ordine comprobato, ac diuæ virginis nomini dedicato. Catalogum eorum qui hunc ordinem secuti sunt, pete ex eodem.

CARTHVSIENSES, vt Vincentius ait, ex authoritate Sigilberti, anno MLXXXVI. à Brunone, patria Coloniensi, canonico Carnotensi, initium habuere. Hic enim cùm cathedræ Parisiensis scholæ præsideret, familiarémque suū doctorem quendam ex mortuis clamantem vidisset, IustoDei iudicio damnatus sum: è vestigio relictis omnibus, cum VII. sociis in locum desertum secessit, Qui Carthusia vocabatur: vbi primum cœnobium fundauit, cum his quibus nunc vtuntur vitæ institutis. Ibidem.

CISTERTIENSES, anno MXCVIII (vt ait Vincentius) à quodā Andingo Anglico prouenere, qui monachus in cœnobio Molismēsi Lingoniensis agri cùm animaduerteret in eo minimè maiorum instituta seruari, Robertum abbatem impulit, vt Cistertium, locum in Burgundia desertum, Cambilonensis diœceseos, migraret, ibique sic viueret. Ibidem.

BERNO Gallicus, anno DCCCCXII, sub Conrado primo Imperator, & Anastasio 3. sedente, author fuit CLVNIACENSIVM. Est enim Cluniacum locus in parte Galliæ, quò suos monachos traduxit. Ibidem.

COELESTINOS anno 1097. olim Cœlestinus V cœptauit, postquā se pontificatu abdicauit, sub ordine S. Benedicti. Ibidem.

DOMINICANI, à Dominico natione Hispano, patria Calagurritano, primò instituti. Ille enim adolescens Philosophiæ Theologiæque studiis Valentiæ cùm operam dedisset, humi cubitasse, ac decennio vino abstinuisse dicitur. Receptus deinde ob indolem à Didaco præsule Oxoniensi, inter Canonicos regulares: deinde Romam veniens, ab Honorio 3. sacri Palatij primus magister creatus, Bononiæ discessit, Anno MCCXXI Ibidem.

EREMITÆ Hieronymi sub Augustini, ritu, non quidem authorem Hieronymum, sed Redonem quendam Momilgrauelli comitem, optimum virum, apud Fesulas habuere, Gregorio XIII probante. Verum à Lupo Hispalensi eiusdem ordinis generali postea, Eugenij 4. authoritate interpolati, denuóque instituti sunt, amictu quem hodie gestant. Ibidem.

EREMITÆ S. Honofrij in vrbe, minimè profitentur exordium apud Vrbinum: ab hinc annis verò centum habuere, à quodam Petro Pisano Ibidem.

FRANCISCANI habent originem à Francisco Assisiate, humili loco orto, patre Petro Bernardino mercatore, ille natus 18. annos pastoralē sumens habitum, nudis pedibus ambulauit: Romam veniens, ad fores basilicæ Petri inter mendicantes sedebat, & vlcerosos exosculabatur: quadrienniòque cùm in eremo, saltibúsque ferarum modo vitam trāsegisset, sibi comitibus electis ad nouum ordinē vitæq; abstinentiam multos prouocauit. Discessit quadragenarius Assisij, anno MCCXXII. Ibidem.

GRADIMONTENSES, teste Vicētio libro vigesimo septimo emersere anno MLXXVI, per Stephanum Stephani, hominem Gallicum & nobilem, ex Aruerniæ partibus. Ille descendens in Aquitaniam prope Molenicos, ad montem qui Muretum dicitur, paruum tugurium ibi fecit: vbi pane & aqua tantum contentus, loricam supra nudum corpus gestabat, vili supernè amictu opertam. Ibid.

GVILERMITÆ initia sumpsere à Gulielmo Aquitaniæ duce vt quidā volunt, anno ferè MCLVIII. sub Eugenio 3. D. Bernardi præceptis eruditus Romā venit, ibique tolerantiæ gratia loricam cum triplici indutus catena, Hierosolymam petiit: deinde à Sarracenis captus, ac dimissus insulam proximā Hetruriæ applicuit, apud quam in loco deserto aliquādiu substitit eremitarum modo in saltibus proximis durissimè victitando. Ibidem

HVMILIATI, anno MXVII. Mediolanenses extitēre quidam ab Henrico 3. imperatore exilio mulctati: quos calamitas Deo propinquos, iustitia & vitæ abstinentia, simul cum eorum vxoribus fecit, labore manuum victitando, ac lanarium factitando, ex eáque pauperes iuuando, tum reliquo tempore diuinis laudibus inuigilando Reuersi demum ab exilio, pristinam tenuerunt vitæ formulam, separato coniugio, & amictu alio sumpto, quo nunc vtuntur, semimonachos quodammodo agentes, Innocentio 3. probante. Ibid.

IESVATI, sub Vrbano V cœperunt, apud Senam in Hetruria. Ab initio namque inter se societate coniuncti, diuinis præceptis priuatim & in propriis domibus inuigilabant, certa vitæ formula. Mox eidem Pontifici probati fuerunt, addito, amictu quem nunc gestant. Ibid.

MINORVM ordo satis est arduus, quem Franciscus abhinc XXX. annis instituit, Francisci humilitatem & decreta simul cum amictu æmulatus: sed aliquantulum durius, à carnibus & coctis cibariis abstinent. Sunt qui asperius vitam cœptauēre eodem ferè tempore, crasso ac ignobili lino tantùm corpora contecti, capite & pedibus nudis, vt rectè Linochlæni appellari queant, sicuti de quibusdam Indiæ populis traditur. Ibidem.

PRÆMONSTRATENSES anno MCXX. in Lugdunensi diœcesi, in loco quem Præmonstratum vocant, apparuerunt, authore Norberto quodam presbytero, natione Lotharingo, qui hoc arctissimum vitæ genus ex Augustini ordine quæritans, à Calisto secundo impetrauit. Ibidem.

SERVOS Mariæ anno MCCLXXXV. Martini quarti tempore, VII, Florentini mercatores ediderunt, beatique omnes putati sunt. Ibid.

VALLIS Vmbrosæ author Ioannes Gualbertus Florentinus, anno MLXX: quem Gregorius 7. simul cum ordine probauit, & in Cathologū retulit. Ille in eum locum, vbi Vallis vmbrosa dicitur, iuxta Apenninum, secessit: vitæque disciplinam sub norma sancti Benedicti, & amictum Veneto colore, quibus nunc vtuntur, instituit Alexandro secundo probante Ibidem.

QVI EREMITICAM VEL MONASTICAM VITAM *religionis ergò amplexi sunt.*

Solitaria Religiosorum vita duplex est. Aut enim soli omnino viuunt in locis desertis, non tantùm secularium commercium, verumetiam religiosorum congressum fugientes & auersantes, quos Eremitas *vocant: aut solos seculares fugiunt, cum suæ interim professionis hominibus pariter viuunt, quos* Monachos *appellamus.* Exempla *promiscua afferamus, solius solitudinis religiosæ ratione habita. Nam si finem vniuscuiusque intueri velis, & perpendere, ad varios virtutum titulos ea ipsa referre poteris, Qui volet, facili negocio à se inuicem distinguere poterit.* Exempla *pleraque ex* Marul. *libro primo, capite nono, & decimo:* Petrarchæ *libro secundo de vita solitaria, & libro primo de* Rebus *memorandis: ex* Rauisio, *&* Valaterrano *libro vigesimo primo* Anthrop. *desumentur. Consule etiam titulum, contemplationis* Theoricæ, *& tit.* Honores *oblatos non suscipere, vel susceptos deponere.*

HELYAS propheta, prope Iordanem ad torrētem Carith, solitarius vixit.

HELISEVS, eius exemplum imitatus, in monte Carmelo cum prophetis habitauit.

IOANNES Baptista in Ennon iuxta Salim Domini vias [illegible]rexit: & Euāgelij symbolo, sacrosancto scilicet baptismate, auditores regenerauit.

Fuisse quoddam MONACHORVM genus legimus, qui per diuersa solitudinum loca errantes ac vagi, sedibus semper incertis, ne ab hominibus conueniri possent, peregrinabātur. Hos, quia procul secedebant, ANACHORETAS appellatos: alios ex illis pane & sale ad deserta secum delato victitasse: alios verò herbas tantum & radices pro cibis habuisse. Tanta vitæ asperitas intolerabilis prorsus videretur, nisi etiā intolerabilia fecisset Dei amor, & Dei timor. Marulus libro primo capite nono.

PAVLVS Thebeus primus eremita apud inferiorem Thebaidam, cùm Decij & Valeriani persecutionem fugeret) metuens ne à sororio proderetur (sedecim annorum adolescens solus deserta petiit. Et inuêta in mõtis radicibus saxea spelunca, quam iuxtà molliter fluens riuulus terram irrigabat, & effusis desuper ramorum vmbraculis palma solis arcebat ardores, captus amœnitate loci, vbi latere concupierat, habitare cœpit. In tantum, vt cùm centum & tredecim vixisset annos, nusquam inde discesserit, hominem nunquam viderit: præterquam die vitæ supremo Antoniũ, à quo & humatus fuit. Palmæ primò fructibus nutritus est, deinde per annos 60 dimidiati panis fragmentum singulis diebus comedit, coruo alite homini ministrante. Neque aliud quàm aquam bibit. Indumento de palmarum foliis contexto nuditatem operuit. Hoc tenore vitæ in Dei seruitio tamdiu perdurans, non effugisse mihi videtur martyrium, sed protraxisse: & qui diei vnius mortem non tulerit, mortem annorum septem & nonaginta tulisse. Tanto quippe tempore hic perpetuus eremi cultor, humanis aspectibus semper inuisus, quotidianis corporis mortificationibus sese allicere, vt in æternum cum Christo viueret, non cessauit, Marul. lib. 1. cap. 9. & Sab. libro 2. capite 2.

MACEDONIVS in montibus Antiochiæ vicinis eremita fuit. Cũ autem Theodosius Imp. tributũ extraordinarium Antiochenis imperasset, illi ira conciti, statuam æream Placillæ reginæ demoliti fuerant. Itaque Theodosius & libertatẽ ciuitati eripuit, & cædes magnas cogitabat, missis eò qui id exequerentur præfectis. Macedonius fama rei excitus, in media vrbe præfectos ab equis descendere iussit, & Imp. suo nunciare, Meminisset se hominem esse, & à Dei opt. max. nutu pendere, eius benignitatem imitaretur: neque propter æream statuam, Dei imaginem hominem crudelissimè interfici curaret: maximè cùm statuæ multę pro vna reponi possẽt, at ne pilum quidem Imperator interfecto homine restituere posset. Præfecti Theodosio rem indicant. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. Theodoretus lib. 5. cap. 20.

ANTONIVS Ægyptius, nobilibus ortus parentibus & Christianis, literarum imperitus, Scripturas memoriter tenebat. Parentibus defunctis anno ætatis 20. vendidit quæ habebat, partem sorori cõcessit, reliqua pauperibus distribuit: & monasticam vitam primus in Ægypto sectari cœpit, omnib. virtutibus clarissimus, celebris & medendi dono, & prophetiis. Sæpe eum de rebus magnis Constantinus consuluit: sæpe etiam ad componendas controuersias vrbes petiit. Contra hæreticos Arianos & Meletianos acriter disputauit pro Athanasio. Cùm 35. annorum esset, eremum adiit, multas dæmonum insidias, insuper & verbera passus, à proposito eũ deterrentium: cum scirent se in solitudine vincendos, qui in frequentia solerent esse victores. Superatis igitur eorum machinationibus, montẽ conscendens, in quodam castello ab hominibus deserto se inclusit: vbi pane tantum & aqua sustentatus, cùm iam 20. peregisset annos, vi eductus, & abbas ordinatus, obstructis monasterij forib⁹ manere cœpit, ita vt mutasse latebram videretur, non deseruisse. Cùm autem multi varijs morbis laborantes eò ventitarent, & sani reuerterentur, cresceretque indies confluentium numerus, gloriam fugiens, procul in vlterius desertum solus abijt, iam nonagenarius: & in loco ab angelo sibi monstrato consedit, Paulum Thebæum tumulauit, sementem fecit, & olufcula coluit, fratrum labori parcens, ne sibi necessaria deferendo fatigarentur, cùm tridui iter ab eis distaret. Ibidem vltimum Deo spiritum reddidit, cùm centum & quinque vixisset annos, miraculis ac virtutibus clarus anno Christi 361. Constantij 21. De eius habitaculo Hieronymus in Hilarionis abbatis vita sic scribit: Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt. Super quem ex vtraque ripa palmæ innumerabiles multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. De Hilarione deinde loquens, cùm post obitum Antonij discipulos eius visendi gratia adisset: Videres, inquit, senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij Isaac & Pelusiano discurrere. Hic, aiebant, psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat: has vites, hæc arbuscula ipse plantauit: illam areolam manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est: istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit. Iacebat in strato eius Hilarion, & quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, & arduo valde, duæ eiusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens moratus est. Verùm hę in viuo excisæ saxo, ostia tantùm addita habebãt. Marul. lib. 1. capite 9. & Sab. libro secundo capite 2.

HILARION in vico Thabatha, vicino Gazæ Palestinorum, parentibus natus ethnicis, cum 15 annorum esset, ad eremum est profectus. Vt autem eum vidit, repentè mutato habitu non antè discessit, quam vitæ eius ordinem morúmque præstantiam edidisset. Deinde frequentiam ventitantium non ferens, cum quibusdam monachis ad patriam redijt: & postquam defunctis parentibus omnem hæreditatem partim fratribus, partim pauperibus distribuisset, solitudinem quæ in septimo milliario à Maionia Gazæ emporio per littus euntibus Ægyptum ad læuam flectitur, ingressus est, sacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens empeditem, quem beatus Antonius proficiscenti dederat, sagúmque rusticum. Vasta & terribili eremo fruebatur: numquam in eodem loco mansitans, ne latronum pateret iniuriæ. Sed & dæmonum ibi multas variásque terrificationes constanter tolerauit. Multas tentationes, multas eorundem euasit insidias. A sextodecimo vsque ad vicesimum suæ ætatis annum, æstus & pluuias iunco & carice texto tuguriunculo declinauit. A vicesimo vsque ad tricesimum primum cellula vsus dicitur, cuius latitudo pedum quatuor erat, altitudo quinque, longitudo paululo protensior quàm eius corpusculum patiebatur, vt sicut Hieronymus ait, sepulchrum potius quàm domum crederes. Profectò qui talibus delectãtur habitaculis, etiam si tacuerint, clamare cum Apostolo mihi videntur: Non habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. Marulus libro primo, capite nono.

EVTYCHIANVS monachus in Bithynia circa Olympum, religione Nouatianus, clarus miraculis & dono medendi: charus in primis Constãtino Magno. Sozom. lib. 1. capite 14.

IVLIANVS Sabba circa Edessem Syriæ sub Constantio vixit, miraculis clarus, expellendo dæmones, & sola oratione morbos curando. Iuliano apostata Ecclesiam Dei persequente, orationi intentus, paulo pòst hilaris concedit: & causam rogatus, aprum Dei vineam vastantem pœnas dedisse condignas respondit. Euentus ostendit, ea hora interfectum fuisse Iulianum apostatam Imper. Orthodoxis contra Arianos maximè fauit. Theodoretus lib. 4. capite 27.

BARSES Syrus monachus & episcopus, in suo monasterio morbos sola oratione curauit. Eapropter à Valente sæpe in exilium relegatus est. Theodoretus lib. 4. cap. 16.

VITVS monachus & episcopus ecclesiæ Carris, quem cùm Constantinus Imp. vidisset, frequẽter cum sibi in visionibus apparuisse dixit, & vt eius dictis obsequeretur commonitum esse. Sozomenus libro sexto, capite trigesimotertio.

MALCHVS ex vico Maronia Antiochiæ, propinquo oriundus, nuptias fugiens, in solicitudinem Chalcidensium venit, & cum monachis vixit sub Valentiniano Imperatore & Gratiano. Mortuo tandem patre, ad suos redire volens, à Saracenis capitur, & pascendis ouibus præficitur. Cũ autem domino suo liberaliter seruiuisset, seruam matrimonio sibi iungere coactus, mortem sibijpsi consciuisset, nisi ab illa voto communi castigatis suscepto seruatus fuisset. Postea subreptis duobus biricis eximiis ex pellibus vtres confecit, & fluuium tranauit. In sequente domino, in specũ leænæ sese immisit, quæ & Malchum seruauit, & dominum occidit. Inde ad monachos, a quibus abierat, reuersus, reliquum cum illis vitæ spacium exegit. Hæc Hieronym. in eius vita.

PAVLVS Simplex discipulus Antonij magni illius, eremum ea occasione secutus est, quod vxorẽ cum adultero deprehendisset. Ab Antonio institutus, deinde, seorsum habitans, miraculis claruit, magistro non inferior.

APOLLONIVS ab annos 15. vsque ad 40. in solitudine Thebaidis versatus, tandem ad homines rediit: philosophiam docuit & miraculis clarus fuit per orationes. Sozomenus li. 3. cap. 15.

ANVB sub Decio confessor, precando adeò potens, vt quicquid à Deo peteret, consequeretur. Sozomenus libro tertio capite decimo quarto.

MACARIVS Ægyptius monachus sub Constantio & Valente, à Lucio episcopo Alexandrino Ariano nequissimo in exilium pulsus, tantæ grauitatis, vt etiamnum puer à monachis παιδαριογέρων diceretur. Vixit annis 90. in solitudine 60. exegit. Alter Macarius Alexandrinus fuit, eiusdem professionis, claritatis & fortunæ. Secuti sunt illos clarissimi monachi, Isidorus, Heraclides, Pambus. Relegati primùm in insulam intra paludes Nili sitam ex qua dæmones omnes & idola miraculis suis expulerunt. Id ægrè ferens Lucius episcopus, & gloriæ illorum inuidens, in eremum ex insula eos reuocauit. In precando posterior iste Macarius adeò fuit assiduus, vt pilos genubus innasci prohibuerit, reliquo corpore piloso existente, Sozomenus lib. 3. cap. 14. Est & tertius Macarius, qui cùm puer oues pasceret iuxta lacum Maria, ioco interfecit vnũ ex sodalibus, & metu pœnæ in solitudinem profugit: & in ea mansit, beatam eam calamitatem vocans, quæ ad hanc vitam eum compulisset. Sozomenus libro sexto capite 29.

SERAPION Magnus à Sozomeno dictus, Macariis & Antonio contemporaneus, circa Arsenoitem in Ægypto vixit: habuit sub se monachorum circiter decem millia, quos omnes propriis manibus victum sibi suppeditare coegit. Nihil præter tunicam & pallium, & Euangeliorum librum possedit, quæ & ipsa pauperibus distribuit. Sozon. libro tertio capite decimo quarto.

BENVS præfuit in Ægypto monasticis ordinibus, celebris dono prophetiæ qui nunquam à quo quã visus est irasci, iurare, mentiri, animóve deiici. Sozomenus, lib. 6. cap. 28.

BONOSVS cùm D. Hieronymo à puero simul educatus in literis Romæ, tandem relicta patria in insulam quandam desertam solus secessit, quo tempore in Syria agebat Hieronym. Anno Christi 381. Hieronym. in Chron.

EVLAIVS presbyter & monachus Ægyptius doni illud habuit, quod ad sacra mysteria accedentium cogitationes nouit, eorumque delicta redarguit & reprehendit. Sozomenus libro sexto capite vigesimo octauo.

HELLES monachus in Ægypto ignẽ in sinu, vestimento illæso, gestauit. Sozom. li. 6. cap. 28.

MELANES monachus & Episcopus Rhinocururæ Ægypti, cùm ab Arianis missi eò essent percussores, & illũ in ecclesia offendissent lychnos præparantem, neque agnouissent, peterent tamen vbi Melanes esset: ille domum suam deductos, cibóque refectos, cùm lautè tractasset, tandem se Melanem esse fassus, vt id ad quod missi essent, sedulò exequerentur iussit: neque fugam qu[illegible] amicis orantibus illis, capere voluit. Sozomenus lib. 6. cap. 21.

MOSES latro ægyptius, deinde eremita in Scethi, per diem quinquagies orabat. Per sexennium integrum stans sine somno noctu orasse dicitur:

attulisse etiam aquam monachis noctu remotis inter se spaciis distantibus. Tandem presbyter factus monachorum, moritur anno ætatis 75. præstantissimis discipulis post se relictis. Sozomenus lib. sexto cap. vigesimo nono.

MOSES alius Saracenicus, sub Valentis imperio, in finibus Palæstinæ & Alexandriæ oberrabat. Quo tempore Mauuia regina Saracenorũ post mariti mortem rupto cum Romanis fœdere, plurima damna illis intulit: nec prius pacem se admissuram minatã, nisi Moses monachus gentis suæ Episcopus daretur. Quæsitus ergo Moses, & Alexandriam deductus, à Lucio episcopo Ariano nequissimo manus sibi imponi noluit, sed ab episcopis orthodoxis exulibus qui in montano confugerant. Ab iis ergo episcopus factus, Christi fidem apud Saracenos felicissimè propagauit Theodoretus libro quarto, capite vigesimo tertio Sozomenus libro sexto capite 38.

ARSENIVS diaconus Romanæ ecclesiæ à Zonara dicitur, cuius disciplinæ Theodosius duos filios Impp. Honorium & Arcadium commisit, non vt Imperatores, sed vt vulgares, vt plagis etiam coercerentur. Aliquando cùm Arsenium stantem, filios sedentes Imperator vidisset, grauissimè eam rem tulit. Fortè plagas Arcadio Arsenius inflixerat: Arcadius eũ occidere cogitabat, subornato percussore. Arsenius re cognita clàm in solitudinem Scethim confugit. Quem cùm illic solitariam vitam sanctè profiteri Arcadius audiuisset, delicti veniam petiit, & multos libros muneri misit. Vixit in ea eremo Arsenius, aliorum monachorum præceptor. Nicephorus lib. duodecimo cap. 23. Alij tamen senatorij ordinis sub Honorio fuisse aiunt, cúmque Deum rogasset qua potissimùm ratione saluare posset? responsum accepisse, vti consortia hominum, præcipuè seculariũ, declinaret. Factus verò monachus, inter precandum rursus vocem audiuit dicentis: Arseni, fuge, tace, quiesce. Vt scilicet deuitaret fuga frequentiam, taciturnitate iactantiam, quiete fluxarum atq; fragilium rerum sollicitudinem. Proinde secedens in partes Syriæ, eo loci qui Troen dicitur, sedit solitarius anno 40. Deinde in deserto vastiore vltra Babylonẽ, Memphin versus annos decem. Postea ad Canopum Alexandriæ annos tres. Rursum in Troe annos duos. Sicque peracto vitæ cursu nonagenarius terram reliquit, & ad Dominum migrauit, bonis cælestibus semper fruiturus. Marul. li. 9. ca. 1. & Volat. li. 13. cap. 4. Autrop.

ISAAC monachus in tugurio circa Constantinopolim habitans, Valenti Ariano contra Scythas expiditionem paranti cladẽ prædixit, propterea quòd Deo bellum indixisset, & orthodoxos episcopos in exilium relegasset. Valens ad reditum vsque suum eum in [illegible] asseruari iussit: verum à barbaris victus, in casa viuus [illegible] in carcere exclamante, Iamiam incendio perire Valentem [illegible].

NILVS Constantinopolitanus [illegible] vir nobilis, [illegible] iunioris Theodosij temporibus, maritus quoque [illegible] amplexus est. Multa quoque scripsit.

EVTHYMIVS celebris monachus in Palæstina sub Theodosio iuniore, qui Eudociam Imperatricem ab [illegible] liberauit.

SABAS octauo ætatis anno mona[illegible] Cappadocia. Inde anno decimo octauo Hiero[illegible] petens [illegible], cum Euthymio se coniunxit. Post eius obitum solitudinem [illegible] petiit, curationum & miraculorum donis clarus. Anno ætatis [illegible] reconciliauit Imp. Anastasium Ecclesiæ episcopo [illegible], Synodum Chalcedonẽsem contra Imp. Anastasium acriter [illegible]. Obiit anno ætatis 94. Iustiniani Imp. 4.

QVATVOR monachi fratres à temporibus Arcacadij & Honorij Imp. fuerunt in partibus Ægypti, in Scethi, qui ob corporis proceritatem Longi dicti fuerunt: Ammonius, Dioscorus, Eusebius & Euthymus, vita & doctrina celebres: inter quos Ammonius præcipuus fuit, qui ad Ecclesiasticam dignitatẽ vocatus, auriculã sibi præscidit: & nisi vrgere desisterent, etiã linguã sibi amputaturũ minatus est. Dioscorus inuitus Hermopoleos episcopus à Theophilo episcopo Alex. constituitur: qui tamen mox in solitudinẽ rediit. Antropomorph. acriter restiterunt, & Epiphanio Cypri episc. qui Origenis scripta dãnabat in synodo Cõstantinopolytana repugnarunt Theophil. episc. propter auariciã & simoniã reprehendebant. Id ægrè ferẽs Theophilus, cùm prius summus eorum amicus esset, Anthopomorph. monachos contra eos instruit, quòd Origenistæ essent, & Deum humana habere membra negarent: quum tamen Theophilus ipse non multo antè Antropomorphitas condemnasset. Monachi ergo (qui maiori ex parte idiotæ erant) exciti, montem Nitriæ obsident, monasteria occupant, & incendunt. Fratres longi in puteo necem effugere. Abeunt inde Constantinopolim ad Ioan. Chrysost. episcopum, Theophilum in synodo accusaturi. Verùm antequàm synodus cogeretur, Dioscorus Constantinopoli obiit: Ammonius verò in Quercu suburbio Chalcedonis, vbi synodus coacta erat.

ISIDORVS Pelusiota monachus in Pelusio monte præfuit, sub posteriore Theodosio, Chrisostomi olim discipulus, vitæ monasticæ idea: decem prope Epistolarum chiliades scripsit, in quibus scripturam explicat. Chrysostomi contra Theophilum & Cyrillum Alexand. episcopos acerrimus fuit defensor.

Ipse aliquando vastæ solitudinis, nunc paradisi incola HIERONIMVS, dum Heliodorum inuitat, sic illam laudibus effert, dicens: O desertum Christi vernans. O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis construitur. O eremus, familiarius Deo gaudens. Quid agis frater in seculo, qui maior es mundo? quàm diu te tectorũ vmbræ premunt? quã diu fumosarum vrbiũ carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet sarcina corporis abiecta ad purum ætheris volare fulgorem. Paupertatem times? sed beatos pauperes Christus appellat. Labore terreris? nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Supra nudam metuis humũ exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squalida capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas terret? sed tu paradisum mente deambula. Quotiescunque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non habet necesse iterum lauare. Et breuiter, ad cuncta audias Apostolum respondẽtem: Non sunt condignę passiones huius seculi ad superuẽturam gloriã, quæ reuelabitur nobis. Delicatus es frater, si & hic vis gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Beatus seruus, quem Dominus inuenerit vigilantem. Ipse itaque Hieronymus in illa, in qua hæc scripsit, eremo, in illa inquam (vt ipse ait) vasta solitudine, quæ solis exusta ardoribus horridum monachis præstabat habitaculũ, annos quatuor moratus est scorpionum tãtum & ferarum socius, sacco vestitus, humi cubans, aquam frigidam bibens, & cibis crudis vtens, coctúmque comedere luxuriæ deputans, carnis lasciuientis pugnas hebdomadarum interdum inedia vincens. Et tamen inter has tantas corporis fatigationes, adeò spiritu exultabat, vt diceret: Oppidum mihi carcer, solitudo paradisus est. Post hæc cum ad Bethleem accessisset, & constructo monasterio cum fratribus habitaret, flens fateri solebat, se iam non esse eum qui fuerat: adeò in solitudine sibi melius fuisse existimauit. Post labores, inquit, & lachrymas, & cœlo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar agminibus interesse angelorum. Et lætus gaudénsque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Marul. lib. 1. cap. 10. & Sab. li. 2. cap. 2.

MARINVS (quem Gregorius in Massico Campaniæ monte vitam duxisse tradit) tanti solitudinem fecit, vt ne quando vlla vel rerum difficultate, vel dæmonum molestia superatus inde recederet, ad ferream catenam, quam saxo affixerat, vix solubili compede ipse se deuinxerit. Attamen beatus Benedictus abbas vbi id resciuit, volens vt iugis in deserto cõmoratio constãtiæ potius viri quàm ferreis nexibus ascribi posset, protinus nuncium ad eum misit, inquiens: Si seruus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. Quamobrem ille vincula quidẽ deposuit. sed tamen speluncam ingressus, aditu obstruso habitare cœpit. Deinde etiã discipulos aliquot secũ coniunxit: multisque præterea miraculis nobilitatus est, atque inter sanctos habitus. Nunc spacia metitur paradisi, qui tam angustè habitauit in terris. *Marulus libro primo capite nono.*

HELIAS monachus in finibus ciuitatis Athineos (quæ quondam Thebaidis metropolis fuit, annos 70. in vastissima solitudine perdurauit. Erat desertum horroris plenũ, semita quæ ad ipsum ducebat, angusta scrupeáque, & inuentu etiam difficilis. Antrum quoque quod inhabitabat, tetrum atque horrens, ac statim propius accedentibus nescio quid terroris incutiens. Hunc se ibi vidisse diuus Hieronymus testatur, iam centum & decem annorum senem. Ferebatur autem interdum etiam futura prædicere, euentu haud incerto, vt super eo quoque Heliæ prophetæ spiritum requieuisse dicerent: cuius & nomen sortitus fuerat, & secutus propositum, Deo in solitudine seruiendo. Marulus libro primo, capite nono.

ONOPHRIVS monachus, cùm Hermopoli in monasterio sese aliquandiu exercuisset, quasi è ludo ad certamen progredi cupiens, ad quãdam vastissimam eremum solus abiit, & in ea annos 60. hominibus prorsus incognitus permansit. Consumptis autem quæ secum tulerat indumẽtis, *superiorem corporis partem* barba & capillis, *inferiorẽ*, vbi plus pudoris in est, arborum foliis virgultisque contexerat. Annos 10. non alio pabulo vsus est, quàm quod arbores herbęque syluestres dabant. Totidem pane se aqua frigida sustentauit. Hunc tandem humaniorem victum sibi ab angelo, & à quo etiam eucharistiam Dominico quoque die accipere solitus erat, suppeditatum ferunt. Panusius abbas, qui vitam eius Græco sermone scriptam edidit, dum desertum illud peragraret, eodem die quo in eum incidit, cum viuo collocutus est, defunctũ sepeliuit. Non est enim passus Dominus serui sui, tantæ sanctitatis viri, corpusculum dimitti inhumatum, neque conuersationem posteros latere. Illi prouidit tumultum nobis virtutis exemplum. Marul. libro 1. cap. decimo, & Sab. lib. secundo, cap. 2. & Volat. libro 17.

IOANNES ægyptius anachoretha, cuius responsis Theodosiũ principem in suis aduersus barbaros expeditionibus vsum accepimus (victoriã enim Theodosio contra Eugenium, & mortem post reditum prædixit) dono etiam medendi clarus, habitauit in ea Thebaidis eremo, quæ adiacet oppido Lyco. *Spelunca eius in prærupti montis vertice*, *ascensu difficili* adituque obstructo erat, ita vt nemo ad eum ingressus sit à quadragesimo, vsque ad nonagesimum ætatis suę annum. Per fenestram aduenientibus *præcepta salutis* dabat, eísque extrinsecus, vbi commodè requiescerent, hospitiolum fecerat. Ipse intus solus (si tamen solus dici potest, cum quo Deus est) morabatur, finem expectans vitæ, vt vitam, quę finem non habet, inchoaret. Rarissimum est quod de eo relatum legimus. Dicitur enim, cùm primum ad eremum successisset. trib. continuis annis sub cuiusdam saxi rupe stans semper orasse, nunquam resedisse: tantum somni cepisse, quantum rectus capere potuit: cibum quoque non alium gustasse, quàm Dominicis duntaxat diebus eucharistiæ sacramentum à sacerdote sibi delatum. Denique de pedibus, quod tam diu immobiles perstiterint, fluxisse saniem aiunt Ibidem angelũ Domini vlcera eius tactu curasse, labia sapientiæ spiritalis fonte persũ disse: & vt deinceps cæteros fratres per eremum visitando instituere ac docere pergeret, simul iussisse. Ibid. & Sozomenus li. 6. cap. 28.

SIMON Susotionis filius annũ tantùm cum fratribus in monasterio Antiochiæ conuersatus, in desertum abiit, annos tres in spelunca clausus permansit. Sed hoc ei commune cũ multis. Illud autem propriũ & peculiare, quõd deinde super colũnis dicitur habitasse: quarũ altissimam cu-

bitorum triginta fuisse ferunt. In vna cum perstitisse annos quatuor, in alia duodecim, in alia rursum 12. In alia iterum 4. & in illa postremò quę procerissima erat, vsque ad obitum vitæ 16. Eas pro pulpitis habuisse, satis probabiliter videri potest: quandoquidem multi ex gentibus rei nouitate exciti ad videndum illum confluebant, & ab idolis ad Christum prædicationibus ipsius conuertebantur. Vtcunque tamen sit, proculdubio durum atque difficile: & quod nemo vel ante eum fecerit, vel postea imitatus sit. Marul.li.1.cap.9.

THEONEM intra suam cellulam clausum habitasse apud Thebaidam, non procul ab vrbe, atque etiam porrectæ de fenestra manus tactu infirmos curasse: sed tamen noctibus ad eremum progredi solitum, tradunt. Ibidem.

FRIDOLINI, SEVERINI, IOANNIS Cassiani, LVPI, MARTINI, REMIGII, GERMANI vitas, pete ex tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

SYMONES in Emesa monachus, summus mundi contemptor, virtutibus excellentissimus, vaticinio clarissimus, vt qui Mauricio imperium prædixerit. Cùm terræmotus, qui Phœnicem maritimam concussit, instaret, plures columnas in foro flagellans inquiebat: State, saltandum vobis est. Quæ flagellatæ non erant, paulo pòst terræmotu corruerunt, reliquis saluis. Dæmones fugauit, omnem morbum curauit. Simulator insignis erat: nec quo modo Deum coleret, cuiquam indicabat. Accusatus de stupro ancillæ sui familiaris, suspicionem auxit ancillæ confessio, eiúsque vox quòd se hominem esse & carnis flammas sentire fateretur. Abiit postea in desertum, & cùm tempus pariendi instaret, parère illa non potuit. Cùm autem Symeon, qui dedita opera redierat, pro ea orare iuberetur: dixit: eam non parituram, nisi prius verum patrem ostendisset. Quod cùm illa fecisset, mox peperit, & Symeones suspicione liberatus est. Euagrius lib.6. cap.23.

HOR abbas, cùm solitudines incoleret, herbis, radicibus & aqua cōtentus, multos vixit annos. Tria præstitit admiratione digna: nunquam mentitus est, nunquam citra necessitatem locutus, nemini vnquam maledixit. Niceph.lib.11.cap.34.

CAPITON latro, scelerum pœnitentia ad eremiticam vitam cōuersus, antro latuit inclusus annis 80. Rauis.

EGIDIVS Atheniensis abbas, ad Rhodani ostia latebram sibi eligens, triennio non visus, à cerua lac præbente nutritus dicitur. Marul.lib. 4.capite 2.

TIMOTHEVS in ægypto speluncā montis intrauit, in qua durauit annos 30. nulli cognitus. Rauis.

PION, siue Pior, in eremo Scethica 30. annis solitariam egit vitam, sub Hilarione. Comedēs deambulabat, ne quam in cibo voluptatem persentisceret. Sororem morbo laborantem clausis adiit oculis. Socrates lib. 4. capite 2.

ZOZIMAS in regione Palæstinæ 53. annos absoluit in eremo cōtentus cibo tenuissimo. Mariam ægyptiacam, quæ iam 40. annis in deserto vixerat, orantem à solo subleuari vidit, & flumina siccis transire pedibus, eamque mortuam tumulauit. Rauis.

ARTEBIVS præsul Pamphiliensis, vitam solitariam in episcopatu nō deseruit. Idem.

AVGVSTINVS Afer, quum in quadam spelunca degeret, offensus multitudine populi eò confluentis, remotiore antro se inclusit vbi tugurium inter saxa sibi breuissimum fecit, vixitque magna sanctitate Idem.

PALÆMON monachus, cum Paconio contubernali in Thebaidis deserto habitauit, & nihil aliud quàm panem cum sale comedit, aquámque solitudinis bibit. Marul.lib.4.cap.2.

DOROTHEVS Ægyptius sex tantum panis vncias cum paucis oleribus quotidiè cibabat. Dicebat se nunquam dormiuisse, aut comedisse ad saturitatem. Congestis lapidibus quotannis extruebat habitaculum ad excipiendos peregrinos. Mansit in spelunca annis LX. Ibidem.

PAMBO Antonij monachi discipulus, à Lucio Ariano episcopo Alexandrino sub Valente in exilium actus, sed postea reuocatus fuit. Is cùm animam ageret, confessus est, quòd ab ea die, quo solitudinem ingressus fuerat, panem non gustasset, neque quicquam cuius ipsum pœniteret prolocutus fuisset: & se tamen sic è vita discedere, tanquam qui modò cœpisset, non tanquam qui profecisset. Marulus lib.4.cap.2.

PASTVMIVS abbas, solitudines nemorum petens crudis herbis vescebatur, arborúmque radicibus. Marulus lib.4.cap.2.

AMODEVS Hispanus, vnica opertus tunica nudis ambulabat pedibus. Semel tantum interdiu vescebatur, contentus aqua & pane. Cauernam montis incolebat. Idem.

DOROTHEVS inter duo millia virorum, qui apud Alexandriam & circa Marœotim degebāt, maximè effulsit. Ex vicino mari lapides interdiu colligebat, & casam construebat singulis, quam monachis qui ædificare non poterant, concedebat. Noctu ex palmarum virgultis corbes conficiebat, & vigiliis sese penitus macerabat, nec in lecto quiescebat. Sub Anastasio vixit.

MAXIMIANVS abbas monasterij, in quo Magnus Gregorius ante pontificatum vixit, postea episcopus Syracusanus: aliquando in mari Adriatico nauigans, naui ad supremas vsque tabulas vndis repleta, post octauum demum diem incolumis cum suis omnibus ad Crothonensis castri portum peruenit: & mox nauicula sola aquarum mole demersa est.

THEODOSIVS abbas S. Martini in Campania, cùm Anastasius Imp. contra Heliam episcopum Hierosolymitanum propter approbationem synodi Chalcedonensis synodum congregaret, & Sotericus & Philoxenus Theodosium in suam sentētiam pertrahere conarentur: Theodosius monachis omnibus conuocatis, ascenso suggestu, manu silentium indicens, alta voce pronunciauit: Si quis quatuor synodos, quatuor Euangeliis non exæquat, anathema sit. Mox Imperatori quoque sentētiam suam perscripsit: & propterea in exilium actus est.

CASSIODORVS Rauennas, nobili genere natus, Theodorico regi Gotthorum propter excellētem eruditionem præceptor datus est in philosophia: mox cancellarius, senator, sacri palatij quæstor, consul ordinarius, officiorum magister, & quod summæ dignitatis erat, patricius Romanvs creatus est. Verùm Gotthicam crudelitatem exosus, monachus & abbas monasterij Rauennatis factus, multos libros scripsit.

BENEDICTVS ex Nursia prouincia oriundus, Romæ studiis operam dedit. Relictis parentibus ad Sublacum fugit, & ibi in spelunca quadam mansit per tres annos. Inde vocatus ad vicini cœnobij præfecturam, cum monachos libidinibus assuetos nimis seuera disciplina coerceret, & veneno ab illis petitus esset, relicta abbatia in speluncam suam rediit: & cū ibi cepisset inclarescere, 12. monasteria construxit, quorum singulis vnum ex 12. suis discipulis præfecit, tanta fœcunditate, vt pater occidentalium monachorum vsque ad tempora Mendicantium dictus sit, anno 530. Ex eius familia prodierunt 24. Rom. pont. cardinales 200 archiepiscopi 1600 episcopi 4000. abbates eruditione & scriptis celebres 15700. teste Ioanne Trittenhemio, & Sabellico Enneadis 8.lib.2. Pulsus inde insidiis Florentij presbyteri, hominis nequissimi, in montem, vbi arx Casina fuit, peruenit: & ibi templum Apollinis in cœnobium conuertit. Multis claruit miraculis: prædixit Totilæ regi futura. Die ante mortem sexto sepulchrum aperiri iussit, & febre correptus ægrotare cœpit. Sexto die sumpto sacramento, sublatis in cœlum manibus, expirauit in vigilia Paschatis, 12. Calend. Aprilis, anno Mauricij Imp. vltimo, Christi 601. ætatis suæ plus minus 90.

PLACIDVS Romanus, Benedicti discipulus, miraculis insignis, cùm in Sicilia monasterium in honorem S. Ioānis baptistæ patris sumptib[us] erexisset, & ad eum visendum fratres & soror venissent, Manucha dux Saracenorum eos comprehensos Christum abnegare, & suum regem Abdelam pro deo colere iussit. Quod cùm illi constanter negarent, martyrium subierunt apud Messanam, 3. nonas Octobris, cùm Placidus 26. annorum esset.

MAVRVS Romanus Benedicti discipulus, in Gallias mittitur ad instituendos monachos, secundum regulam Benedicti. Miraculo claruit, super aquas gradiendo puero submerso opem laturus. Anno 70. moritur, & prope Luteriam sepelitur.

PATROCLVS Bituricēsis, ex ouium pastore studia sectari cœpit. Inde ab Arcadio Bituricensi episcopo diaconus factus, miraculis clarere cœpit. Abijt postea in eremum, & iuxta vicum Nercensem scholam aperuit, in qua pueros erudiendos suscepit.

CALVPPANES in monasterio Meletensi, in finibus Aruerni monachus, dono sanationis claruit. Postea in eremum abiit, & diaboli multas tentationes pertulit.

WLSILAICVS Longobardus, Treuerenses Dianam colentes cōuertit: eóque loco columnam erexit, supra quam habitauit, séque macerauit. Sed ab episcopis vicinis admonitus, vt relicta columna ad fratres suos trāsiret: paruit. Illi columnam demoliti sunt.

HOSPITIVS apud Niceam Galliæ turri inclusus, ac ferreis cathenis vinctus, miraculis & prophetijs clarus, Longobardorum irruptionem in Gallias prædixit. Longobardi cum Niceam quoque venissent, & ascensa turre eum vinctum ostendissent, causam quærentes: cùm ille se propter homicidium captum assereret, vnus stricto gladio eū decollare volebat. Manus obriguit. Tertius ille miraculo, crucisque signo sanatus ab Hospitio, Christianus factus est.

[redacted]

CONGELLVS Bannochorensis Britannus, nobile collegium philosophorum Christianorum Bannochorense, quod circiter 350 annos floruerat, in monasterium Apostolici ordinis mutauit: & circa annum 530, primus eius monasterij abbas factus est: ex quo prodijt Columbanus, qui Galliam, Germaniam & Italiam cœnobijs repleuit: & Brēdanus, qui Scotiam & Hiberniam. Itaque Bernardus hoc cœnobium caput præcipuorū monasteriorum in Europa appellare non veretur.

SECVLI SEPTIMI.

PAVLVS & Gregorius monachi & astronomi, Leontio prædicunt imperium. Postea Paulus in monasterio Callistrati inclusus ob hæresim, Philippico prædicit imperium: ac iuramēto eum astringit, de sexta synodo abolenda.

COLVMBANVS Scotus nobili genere natus Druidúmque magister & princeps, in Bannochorensi collegio à Congello abbate institutus, in Burgundia postea Luxouiense monasterium condidit. Cum Theoderici regis Austrasiorum stupra liberius reprehendisset, suasu Brunechildis in exilium pulsus fuit. Et Brunnechildi atque Theoderico exitium, Clothario regnum prædixit. Mortuus est in Italia anno 598, in Bebiensi monasterio, quod condiderat.

ATTACA Burgundus Columbano successit in Luxouiensi cœnobio. In disciplina adeò rigidus, vt à monachis fuerit desertus. Miraculis claruit. Cœlos apertos moriturus vidit.

EVSTA-

EVSTASIVS Columbani discipulus, abbas Luxouiensis, Varuscos & Boios partim idololatria, partim Photini hæresi fascinatos conuertit. Celebrem scholam habuit in suo monasterio, ex qua docti viri prodierunt, Chagnoaldus Lugdunensis, Acharius Viromāduorum, & Andemarus Bononiæ episcopi.

VVLMARVS Bononiensis patricius, primùm vxorem duxit Hostroholdam. Ea deserta, in monasterium Altimontis Neruiorum secessit. Denuò patriam petit, & in Mempisco vastam syluam ingressus, in caua arbore triduò absque cibo consedit. Extruxit postea ibidem monasterium, in quo reliquum vitæ exegit.

VVINNOCVS Iudacaildis regis minoris Britanniæ F. ex Anglia in Galliam profectus ad Bethinum abbatem in Sitthin, monasterium eius suasu condidit in finibus Flandrorum & Mempiscorum. Obiit anno 716.

GERIMARVS è Francorum gente nobili prope Beluacum, mortuis parentibus omnem substantiam pauperibus erogauit, monachus in Pentalli factus est.

SIGEBERTVS filius regis orientalium Saxonum, puer è patria pulsus à Rhedualdo, in Gallias fugit: post annos aliquot regno paterno potitus, extructis passim scholis & ecclesiis, Egrico cessit, & monasticam vitam elegit. Cùm Pendas Merciorum rex bellum inferret Egrico, in castra & ipse pertractus, baculo & precibus militans, inter hostes vitam amisit.

GALLVS Anglus, cum Columbano in galliam profectus, tandem ad Theodebertum, ad Brigantinum lacum, in loco Tuconia dicto, idola exussit. Inde pulsus, Arbonam venit. Columbano in Italiam proficiscēte, ipse in Suevia mansit. Cunzonus Sueuorum princeps, idololatra, cum terra sua excedere imperat: sed mox filia eius Fridberga à dæmonio correpta eam sanauit. Apud Heluetios postea monasterium condidit, quod in vrbem S. Galli excreuit. Annorum 95. febre obiit, anno 640. in castro Burguirio sepultus. Adeò piè vixit, vt etiamnū viuens Sancti cognomen meruit, teste Platina.

FIACRIVS Scotus, à Pharone episcopo Moldensi sacelli extruēdi locum impetrauit: sub Clothario vixit solitarius, neque unquam fœminam ad se intrare permisit. Vna aliquando ingressa, statim mente fuit capta.

VVENDELINVS monachus, primū in cœnobio Theologiensi, postea eremita in eo loco vbi nunc oppidū de nomine illius dictū extat: claruit multis miraculis in vita, & etiam post mortem.

IVDOCVS Iudacail regis minoris Britanniæ F. frater Vuinnoci, spreto regno, Romam peregrinatus est. Presbyter vndecimo pòst anno, in pago Pōtino post septem annos cum discipulo Mirmato ad fluuium Alzeum in eremum secessit, & mendicos aluit. Murmurante discipulo, quatuor naues onustæ alimento ad eius cellulam sine remige venerunt. Eduxit viuos latices ex arido loco. Obiit anno 653.

SECVLI OCTAVI.

IOANNES Damascenus (quem Chrysaoram Paulus Diaconus vocat) patre ortus prætore Damasci sub Saracenis, Christianorum patrono, & ab eodem Cosmæ monacho, quem à Saracenis redemerat cum Cosma adolescente Hierosol. tradit erudiendum. Sub quo & philosophiam & religionem hausit. Constantinopolim venit: sed inuidia expulsus, Damascum rediit, [redacted] Patre mortuo, à Saracenis prætor designatus, Leonis Imp. falsis criminationibus intimulatus, in monasterium Sabæ se cum Cosma abdidit, & postea presbyter ab Hierosolymorū patriarcha ordinatus, bona sua pauperibus distribuit. Floruit anno 730. sub Leone & Constantino Copronymo.

COSMAS Italus monachus, à Saracenis captus, & Damascum abductus, à Damasceni patre emptus, postquam Damascenū erudiit, & Cosmā. Secessit postea in monasterium quoddam.

STEPHANVS Megalopolitanus, Auxensis abbas in Thracia, cùm in Constantinum Copronymum Imp. acerbè inueheretur, & multos aulicorum ad vitam monasticā traduceret, 60. annos natus, ab Imp. interficitur anno Christi 770. Constantini. 25.

PETRONIVS Brixianus sub Gregorio 2. monasterium Benedicti in monte Cassino, quod circiter annos centum solo æquatū iacuerat, instaurauit, anno Christi 714 sub Anastasio Imp.

CAROLOMANNVS frater Pipini, cùm contra Saxones strenuè pugnasset, Romam profectus, à Zacharia pontifice venia impetrata, in cœnobium à se extructum in Sarapte monte ad ecclesiam Syluestri se abdidit anno 746. Vbi cùm assiduè à nobilibus eum visitantibus laudaretur, humilitatis ergò clàm ad Cassinense cœnobium venit, & se Francum genere, homicidam nefarium esse dixit, & pœnitentiæ ergò accedere. Suscipitur in nouitiorum numero, & primum pascere iussus oues, à prælotibus spoliatus nudus rediit. Postea horto præfectus, bene se gessit. Tertiò culinæ curam gerens ter à coquo alapis cæditur, quod indignè ferens comes eius, coquum pilo ferit: & accusatus, quis vir esset Carolomannus indicauit. Cùm Stephanus pontifex Pipinum regem contra Aistulphum Longobardum exarchum Rauennatem incitaret, iussu sui abbatis ad Pipinum pro Aistulpho missus fuit. Verùm Pipinus Carolomanni fratris oratione non persuasus, eum tanquam desertorem sui ordinis in Viennense cœnobiū deportauit, vbi non multo post febri indignabūdus interiit, anno 754. Blondus lib.1.Dec.2.

RACHIS Longobardorum rex, Aistulphi exarchi Rauennatis frater, à Zacharia pontifice Rom. cum quo bellū gerebat, persuasus, vitam monasticam cum coniuge & filia suscepit, & in cœnobium Cassinense se recepit. Mortuo Aistulpho, indignè ferens regnum Hetruriæ ad Desiderium peruenire, exuto habitu monastico, bellum tentauit gerere.

PAVLVS Diaconus Vuarnefridi & Theodelinde Longobardorum nobilium F. Desiderij regis notarius, aulæ pertæsus, Aquileiensis patriarchæ diaconus ordinatur. Cum Carolus Papiam expugnasset, & ipse fuit captus: sed propter eruditionem liberatus, in Galliam cum rege abducitur. Verùm cum de liberando Desiderio rege consilia iniisset, perduellionis reus damnandus erat. Proceres manus ei iubebant abscindi. Carolus contrà, Vbi tam elegantem scriptorem inueniemus? Iubebant oculos erui: At vbi talem historicum reperiemus? intulit Carolus. Tandē in exilium in insulam Diomedis deportatur. Sed cum seruo suo elapsus, Beneuentum ad Arichim, qui filiam Desiderij Adelbergam duxerat, confugit, & illic historiā scripsit. Ariche defuncto, vt tutior esset, in Cassinensi monasterio monachus est factus. Carolus ei versibus ea de re gratulatus est metuens scilicet, ne artes eius de occupandis imperij bonis cum Pontifice, historiæ suæ insereret. Vixit vsq; ad annum 807.

BAVDOLINVS iuxta Tanarum fl. in loco cui Forum nomen est, eremita miraculis & sanctitate clarus, futura sæpe prædixit, & absentia tāquam presentia nunciauit. Cùm Luithprandus pro filio suo in venatione vulnerato apud eum intercederet: respondit, mortuum esse filiū, neque se pro eo orare posse.

THELAPIVS, apud Veronem Baudolino similis fuit.

OVO puer suspensus, Vulfranni precibus incolumis euasit, & baptizatus, & presbyter ordinatus à Rhotomagensi episcopo, multos codices monasterio Fonatanellæ transcripsit.

VOLRADVS, seu Volcadus, abbas D. Dionysij Parisiis archicapellanus in aula Pipini & Caroli Magni, & ab iisdem ad res magnas contra Longobardos pro Rom. Pontifice gerendas missus.

FARDVLPHVS, seu Rhadulphus Longobardus, sacrificulus Reginoburgi, in templo dormiens, cognoscit coniurationem Pipini gibbosi contra Carolum Magnū: eáque prodita pro mercede abbas Dionysij constituitur. Auentinus 4. Annalium.

ISVARDVS Galllus, ordinis D. Benedicti, iussu Caroli Magni scripsit Martyrologium, post Eusebium, Hieronymum & Bedam, anno 770.

AEGIDIVS Atheniensis, venit in Gali anno 715, sub Theodosio, & in heremum secessit: vbi à Carolo Martello ceruam eius persequente inuentus, Carolo persuasit vt ad Nemausensem vrbē monasterium conderet, cui ægidium præfecit. Cùm pro Caroli Martelli occulto delicto Dominum oraret, scheda in altari fuit reperta: delicti expressè mentionem faciens, idque condonatum illi esse indicans. Vulneratus à venatore sagitta, noluit vulnus sanari, vt assiduo dolore exerceretur. Medicinam professus est, & de pulsib. librum vnum, item de venenis vnum scripsit.

STVRMIVS comes & socius Bonifacij Germanorū apostoli, in Thuringia & Hassia prædicauit, & primus abbas Fuldensis anno 750. consecratus est. Quadringentos habuit monachos, & præfuit annos 29. Obiit anno 780.

OTHMARVS Germanus per Balchramium in cella Galli abbas cōstituitur anno 720. Accusatus de adulterio, in insulā Rheni nomine Stein relegatur. Obiit ibi anno 760. Cadauer eius post annos decem incolume repertum, in basilicam Galli relatum signa facit, & inter alia quoque lagęna sæpius à monachis exhausta nunquam defecit.

SEBALDVS regis Daciæ F. Parisiis operam dedit literis. Nocte prima nuptiarum sponsam deserens, in eremum fugit, & ibi 15. annos mansit. Romam profectus, à Gregorio 2. in Germaniā prædicandi causa missus fuit, & prope Norimbergam in solitudine vixit. Tandem Norimbergæ in oratorio fratrum D. Martini mortuus est, cúmque boues indomiti ad locum sepulturæ duxerunt. Martinus tandem V. eum in numerum diuorum retulit, & 14. Sept. eius honorib[us] annuatim tribuit. Fuit coætaneus Bonifacij & Vuilibrodi.

BENEDICTVS Biscopius cum Osuio rege Britannorum Romam venit, & in Lirinensi cœnobio in monachum attonsus, biennio post in Britanniam reuersus, monasteria duo condidit, & 600. monachos sub ordine Benedicti aluit. Vitriarios, pictores, architectos primus in Angliā adduxit. Bibliothecam instituit. Vixit annos 78. & apoplecticus obiit anno 703.

IGLACVS Anglus, ab abbate Siguino Lindisfarnam vocatus, monachos erudiuit, & plurimos viros eruditos fecit. Anno 740.

FOELIX Crolandiensis Benedictinus, sub Vuilfrido abbate in Crolandia, rhetor & poëta non ignobilis suo tempore scripsit quædam prosa & carmine, eáque dedicauit Ealfualdo Anglorū regi. claruit anno 730. sub Ethebaldo Merciorum rege.

BEDA Anglosaxo in pago Giruuico natus humili genere, anno 660. vir doctissimus euasit, ita vt Gregorio magno prælatus fuerit. Natus annos 19. diaconus, & 30. presbyter ordinatus est à Ioanne episcopo Eboracensi, in Cantia ciuitate. Monachi & scholastici doctoris munere functus est in Giruuicensi & Vuermethensi cœnobio sub Ceolfrido abbate & Huerberto. Discipulos habuit doctissimos, Albinum, Claudium, Ioannē Rabanum. Futura prædixit, vt puta Saracenorum irruptionem in Gallias & Hispanias: hoc versu, Regna ruēt Rom. ferro, flāmaq; fameq;. Diē mortis septem hebdomadibus antè prædixit. Ob ieiunia & labores in asthma incidit, paulo ante Pascha, anno 734. Die Ascensionis contra oratorium suū cilicio subiecto decumbens, oransq; efflauit animam, ætatis suæ 72.

Hactenus pleraque ex octo Centuriis histor. Eccl. Magdeburg desumpsimus.

EVAGRIVS presbyter, qui sacras literis à Gregorio Nazianzeno didicit, eiúsque Constantinopoli diaconus fuit, annis XIIII. mansit in solitudine, contentus pane & oleo. Si quando Venereis titillaretur aculeis, demergebat se in puteum, vt aquæ frigiditas libidinis feruorem, cōpesceret. Macarijs fuit familiaris. [illegible] Hieronymus ait.

STEPHANVS anachoreta solitarius, mansit in eremo Mareotica annis LX. Familiaris fuit Antonio magno. Cùm membra medicis secanda præberet, fortissimo animo tulit.

BASOLVS abbas in finibus Rhemorum eremititiam egit vitam, habitauitque speluncam montis annos XL. Rauis.

BENIAMIN vixit in deserta solitudine Scethi sub Cōstantino iuniore, annos LXXX, dono medendi clarus. Obijt hydropicus. Sozomenus libro 6. capite 29.

ELPIDIVS Cappadox interrogatus à Ioanne anachoreta, quid tota vita egisset memorabile: Annis quadraginta, inquit, nunquam sol vidit me comedentem. Cum Ioannes: Nec me, ait, irascentē. Volat. lib. 21.

SISINNIVS monachus, discipulus Elpidij, sepulchro se inclusit, in quo pane & aqua vivit contentus, ad mortem vsq;. Heracl.

VENERIVS Othonis tertij & Gregorij primi tempore ex cœnobio S. Benedicti apud Tybur, vbi degebat, iniussu abb. in solitudinem proximā, in insulam Palmariam perrexit. Castigatus deinde à S. Romualdo abbate, missionem impetrauit, inuentus in horrido & alto saxo mortuus in genu cernuus. Volat. lib. 21. Anthrop.

PHYLLORRHOSIVS Galatiæ presbyter sibi cellā in solitudine construxit, in qua fortissimè conflixit aduersus voluptates & illecebras corporis. Nam annos XVIII catenis ferreis corpus macerauit, eóque tempore abstinuit pane cocto. Annos XXXII, nullo pomorum genere vsus est. Metu mortis per sex annos sepulchro se inclusit. Pauit pauperes, & affectos morbo, labore suarum manuum. Rauis.

THEREMON abbas centenarius, decessit in solitudine. Hic assiduis orationibus adeò incuruauit sibi humeros, vt in ætate decrepita repere magis videretur, quàm ambulare. Idem.

RAMIRVS monachus, cum fratris eius morte Arogonium regnum vacaret, petentibus Aragonijs, Pontifex monacho concessit, vt regnum religione solutus acciperet. Ducta igitur vxore, ex qua filiam Viricam suscepit, neque coniugalis charitas, neque regni cupido, validissima duo in humanis rebus vincula, eum retinuére, quo minus ad ecclesiasticam humilitatem, quam in monasterio expertus erat, reuerteretur. Quæ res causa fuit, vt à populis Raimūdo Barcinonis comiti nupta puella, duo regna Aragonium Catellonicumque simul iungerentur. Fulgos. libro primo, capite primo.

VEREMVNDVS primus Hispaniarum rex, præcipuus religionis cultor, posteaquam duos ex vxore filios suscepit: memor quòd ante connubium diaconatus dignitatē accepisset: ne parum diuinas leges obseruasse videretur (adeò penes eū religionis reuerentia valuit) consobrino regno cessit, & monastico ordini se dicauit. Ibidem.

Ob eandē religionem, LVDOVICVS Caroli II. Neapolitani regis filius, matrimonio se atque regno priuauit. Nā cùm in morte Caroli primi filius eius Carolus secundus, cui successio regni debebatur, in Catellanorū manu captiuus esset, Ludouicus pro patre obses pactione inita datus, septem annos in captiuitate mansit. Quo tēpore ob ægritudinē se ad Minores fratres transiturū vouit. Tandē liberatus, moriēte patre, Robertū fratrē natu minorē regnare permisit, & ipse Minorū religioni se dicauit. In qua ad Tolosanū episcopatū assumptus est, sicuti Ioannes 22. testatur, qui eum in numero sanctorum retulit. Ibidem.

VRSVS Patriciacus dux, Saracenico bello fœlicissimè defunctus, Narētanísque infestissimis hostibus domitis, conciliatoque sibi Vulperto Aquileiensi antistite, ne posthac vlla in Pontificem Gradensem contentionis causa superesset, Reque publica optimè composita, monasticam vitam est amplexus. Quo exemplo admoneri omnes possint, non opibus, non auri copia, sed paupertate, & vera, que sequitur ex ea, pietate ad superos promptum paratúmque gradum esse. Egna. lib. 4. cap. 4.

PETRVS Vrseoli dux Venetus, in summis opibus, fortunarúmque omnium fœlicitate, relicta vxore & filio propositum animi sui ignorante vnius paupertatis studio, Aquitaniam petens, duobus generis Mauroceno & Gradonico comitatus, Romualdumque & Guarinum duces tāti itineris secutus, cœnobio Diui Michaelis de Cusano sese addixit, suísque generis discedentibus, dum maiorem fortunam illi sibi quæruint, nunquam adduci potuit, vt opibus quamuis amplissimis, paupertatem non anteferret cœptam. Merito igitur post octauum, & decimum annum ibi peractum, miraculis clarus, cœlum vnde venerat repetiit, celeberrima sui nominis inter eas gentes fama. Ibid.

VITALIS Candianus Venetorum dux (cuius patrem populus crudeliter trucidauit) in Vrseoli locum subrogatus, Rep. alioqui in ocio & & summa pace relicta, diui Hilarij cœnobium præponere tantæ dignitati non dubitauit, vt quando morbus ingrauesceret, moriendumque sibi cognosceret, paupertatis à se adamatæ beneficio faciliorem reditum ad cœlestes sedes sibi fore probaret. Egnat. lib. 4. cap. 4.

TRIBVNO Athemo duci Veneto, non defuere in suo principatu variæ ciuium contentiones, ciuiliésque Caloprinorum & Maurocenorum discordiæ: quas tamen omni suo studio componendas curauit. Quibus cōpositis, quieti, otijque cupidus paupertatísque fouendæ studiosus, & ipse diui Zachariæ cœnobio sese ita inclusit, vt vbi supremum finierit diem Vt omnino fallantur ij mea sententia, qui coactū illum à populo, vt relinqueret ducis dignitatem, afferant. Ibid.

Tanta fuit in AVREO Mastropetro duce, post Sebastiani Ciani fatū (quem sibi præpositum esse voluit) pietas tantáque religio, & paupertatis retinendæ cura, vt post Rempub. domi forísque per multos annos administratam, non dubitauit monasticam vitam cunctis aliis institutis anteferre. Clàm igitur deposita Ducis dignitate, Sanctæ crucis cœnobium petiit, vbi hodie quoque sepulchrum eius visitur. Ibid.

MONACHAE CHRISTIANAE.

MARIA Magdalena omnia peccata sibi dimissa esse iam pridem audierat: optimam partem quæ non auferretur ab ea, Domino attestante, se elegisse cognouerat: resurgentem Dominum prima videre meruerat pro amore illius omnia contēpserat. Denique apud Massiliā Galliæ vrbē inanium Deorū simulachra Christi prædicatione iam prostrauerat, saluferæque crucis vexillum erexerat: nec dum tamen se fecisse satis putauit donec solitudinis angustiis carnem suam aliquando delicti ream non macerasset assiduéque. Annos itaque triginta nulli hominum visa, nulli cognita vixit in deserto non humano cibo, sed angelicis fomentis assiduè sustentata. Die verò obitus sui imminente, sacram communionē de manu Maximini episcopi accepit. Marulus libro primo cap. nono & Sab. libro secundo cap. 2.

MARIA Ægyptiaca, in Ægypto parentibus Christianis nata, æstu libidinum concita, Alexandriam veluti ad mercatum iuerat: & cum corpus suum vulgaret, viuens mortua erat. Sed qui venit quærere quod perierat, & non iustos, sed peccatores vocare ad pœnitentiam, ipse tandem cordis eius domum ingressus, ait: Puella tibi dico surge. Et confestim surrexit, quæ diu iacuerat impudicitiæ cœno. Surrexit vt Iesum quē in deliciis amiserat, in amaritudine animæ suæ quæreret. Cùm enim de Alexandria Hierosolymam venisset (sub Valentiniano & Valente Impp.) non potuit templum Dei ingredi, vique inuisibili inhibita substitit in limine. Miratur, stupet, erubescit, & pedem inuita refert. Vbi recognouit sacro aditu se indignam, quod prophanis vitæ obscenitatibus esset polluta, nequiter actæ ætatis pœnitudine grauiter angi animo cœpit, & lachrymas effudit, decernens ibi turpitudini finem imponere, vbi Dei erga se indignationem cœperat experiri. Rursúmque tentato ingressu, liberè absque impedimento introiuit. Mox ante crucem Domini suppliciter prostrata, tamdiu flere non destitit, donec audiuit, si saluti suæ consultum vellet, Iordanem transiret. Transmisso ergo Iordane, desertum penetrauit, iam aliam vitam, alios mores sequens, quàm quos ad eam vsque diem non deseruerat. Iam primum caput illud, quòd sæpe margaritis & auro ornauerat, cœli obiecit iniuriæ, nullo tecto contenta: crines, quos frequēter calamistro intortos crispauerat, cū descuisset, pedibus cōculcandos proiecit.

Faciem quam pluries cerussa & purpurisso fucauerat, lachrymis rigauit, & solis excoxit ardoribus. Pectus quod fasciolis papillarum tumorem cohibentibus astringere consueuerat, pugnis diu verberauit. Totum denique corpus, quod prius omni voluptatum genere diffluxerat, extenuauit ieiuniis vexauit vigiliis, fatigauit laboribus, sollicitauit assiduitate orationum deuenustauit nuditate, oppressit inopia. Sic penitùs immutatam post quadragesimum conuersionis suæ annum Zosimas abbas (dum fortè per desertum illud solus incederet) vidit, deprehenditque orantem procul à terra sublevari, trans flumen eandem super aquas siccis vestigiis ambulare. Ad tantam perfectionem eremi cultrix deuenit, tam dispendita vrbium cultrix. Iidem.

MELANIA, Marcelli Cos. filia, floruit anno Domini 377. quæ cùm marito non dum humato duos simul amisisset filios, incredibili fortitudine ab omni dolore ita sibi temperauit, vt ne lachrymarit quidem. sed deuoluta in pedes tantùm dixit: Expeditius tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Relicto igitur vnico filio tunc prætore vrbano, eidémque tota cōcessā possessione, Hierosolymam nauigauit, ibique tanto virtutum, præcipuè humilitatis, claruit miraculo, vt Tecla cognominata fuerit. Hieron. in Chronico.

MARCELLA Romæ decus, illustri familia nata fuit, matre Albina. Nupta post patris mortem, mensibus tantùm septem coniunx fuit. Marito igitur orba, nuptiis in perpetuum renunciauit, & monasticam professionem Romæ cœpit prima, & alias matronas ad eam induxit, vt Sophronium, Principiam. Familiaris Paulæ & Eustochio: D. quoque Hieronymo. itē Athanasio & Petro, Alexandrinis episcopis: qui cùm Romæ exules essent, eam circa vitam monasticam instituisse videntur. Origenistarum factionē inualescentem prima prodidit, & publicè confutauit. Vrbe à Gotthis capta, fustibus & flagellis cæsa, salua tamen cum suo consortio mansit: & tandem sano corpore in Domino obdormiuit. Hieronymus in eius epitaphio.

PAVLA nobiliss. Romana, patre Rogato Græco ex Agamemnonis genere, matre Blesilla Romana ex Scipionum familia, Toxotio viro clarissimo nupta, qui ex Iuliorum cognatione ortum suum trahebat, quinque ex eo sustulit liberos, Blesillam, Paulinam Pammachij vxorem, Eustochiū, Ruffinam, filias, & Toxotium filium. Marito defuncto, mundi contemptū Romæ profiteri cœpit per quinquēnium. Deinde cum Paulino Antiocheno, & Epiphanio Salaminæ Cypri episcopis omnia Iudeæ & Ægypti loca sacra peragrauit: quorum in sacris sæpe fit mentio. Venit inde Bethlehem, vbi per triennium angusto se continuit hospitio. Postea verò tria extruit virginum monasteria, quibus ipsa præfuit: & vnum virorum, cui D. Hieronymus, exquisita & aspera viuendi regula. Postquam 20. annos exegisset in hoc exercitio, obiit 7. Calend. Feb. cùm vixisset annos 56. M. VIII. D. XX. Anno Christi 408. Honorio Augusto & Arestino Coss.

EVSTOCHIVM Paulæ filia, vnicum nobilitatis & virginitatis exemplum, quæ matrem in Bethlehem secuta est, acumine ingenij & desiderio

Scripturarum à Hieronymo commendatur, vt quæ Commentarios in Esaiam ab eo sæpius efflagitarit.

EVPHRASIA sub Theodosio Alexandriæ claruit abstinentia & miraculis. Patrem habuit nobilem Antigonum, matrem Euphrasiam: quibus mortuis, in monasterium Thebaidis se contulit, a 18. ætatis anno vsque ad 30. quo mortua fuit. Bergomensis lib. 9. At Marulus li. 4. refert, eam à parētibus patricio cuidam iuueni desponsatam, castitatis ergò profugisse, ne Theodosio Imp. vrgente nubere cogeretur.

DEMETRIAS virgo, Iulianæ filia, Christo dicata, ad quàm D. Hieronymi extat epistola.

ASELLA post 12. annum ætatis à patre Christo dicata fuit. Hieronymi extat epistola de eius laudibus, ad Marcellam.

FABIOLA nobilis matrona, post lapsum ad Christum conuersa, sanctissimam egit vitam: teste Hieronymo.

Ad virgines HERMONENSES, in monte Hermon castitatem profitentes, à quibus D. Hieronymus aliquando se hospitio exceptum asserit, extat epistola D. Hieronymi.

PVBLIA Antiochena matrona nobilissima, Ioannis Antiocheni presbyteri mater, post mariti mortem, magistram se virginum sacrarum professa est Antiochiæ. Quæ cùm pro more sacris carminibus suas virgines exerceret, fortè transiens illac Imp. Iulianus apostata, audiuit versum illū: Simulachra gentium argentum & aurum, similes iis fiant qui faciunt ea. Id ægrè ferens Imp. vt tacerent iubet. Illa tyranni imperium contemnēs pergit, & animosè canit: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Quod Iulianus indignè ferens, contumeliæ causa per satellitem alapas in genas impingi iussit. Illa verò maximi honoris loco id ducens, in exercitiis suis strenuè perrexit. Theodoretus lib. 3. cap. 9.

PAPVLA inuitis parentibus, veste virili sumpta, capiteque raso, cœnobium Turonense ingressa, propter virtutes Abbas creata est. Quod tamen officium recusauit. Cùm autem tres annos in cœnobio vixisset, à nemine cognita, tertio die ante mortem monachis se fœminam esse reuelauit. Greg. Turon. in Gloria confessorum. cap. 16.

Radegundis regina Galliæ, ex Thuringia oriunda, patre Berengario rege, relicto Lothario marito, ad Medardum Nouiomi episcopum, vt sacris initiaretur, confugit. Deinde Pictauij extructo monasterio abbatissam egit. Miraculis etiam claruit. Vincentius lib. vigesimo primo, cap. 70.

BRIGIDA Scota. Vide tit. Magorum, ex Bekeo, qui omnia illius miracula magicæ arti tribuit. Nos [illegible] hic amplectimur [illegible], ne iudicando iudicemur. Magnus ille dies Domini omnia reuelabit.

SYLVIA virgo, filia Ruffini præfecti Alexandriæ, annos LX. absoluit in solitudine, quo tempore nullam corporis partem lauit, præter digitos. Non in lecto iacuit, sed humi tantum. Rauis.

SARA mulier, imperante Theodosio seniore, durauit ad ripam cuiusdam fluminis annos LX.

Amata limen cœnobij (quò se incluserat) annos XL. nunquam egressa est. Pane viuebat, & oleribus. Idem.

IRMINA Dagoberti regis F. prima abbatissa fuit in horreo Treuirensi, quod ipsa fundauerat.

PHARA soror Pharonis, episcopi Meldensis, cùm pater eam elocare vellet, in templo votum virginitatis fecit: & ad patrem rediens, malle se emori, quàm virginitatem amittere, obtestata: carceri inclusa, tandē tamen intercessione Eustasij abbatis Luxouiensis voti compos facta, secessit in monasterium Haugucricum.

EDILDREDA regina Angliæ, in coniugio 12. annis illibata virginitate vixit. Tandem abbatissa facta, & mortua: multos annos integro corpore mansit. Beda libro 4. Histor. eccles. cap. 20.

HYLDA neptis Eduini Northumbriorum regis, discipula Paulini & Aidani, Pharense monasterium extruxit. In sacris literis probè instituta, ad dissidia de Paschate celebrando tollenda in suo cœnobio synodum congregauit, anno 664. Scripsit cōtra Agilbertum Parisiensem & Visisaxonū episcopū, pro veterum rituum obseruatione librum vnum, & meditationum piarum librum vnum, vixit annos sexaginta sex, obijt anno 685.

Valdopyrga abbatissa Heydenhimensis, Aichstadij sepulta, oleum sudare ex sepulchro, scribitur à Trithemio.

CHVNILDA, cum filia Beragytha, bonis literis exculta, ex Anglia ad Bonifacium in Germaniam venerunt, & ab eo in Thuringia ad monasticā vitam tradendam constitutæ sunt.

OTILIA Vdalrici F. cæca à natiuitate, recepit visum vnà cum baptismo, ab Ethardo episcopo Treuerensi. vitamque professa monasticam, virgines centumtriginta in Alsatia collegit.

Eadburga Bugga, abbatissa Britanna, erudita & poetria, docuit versus scribere Leobgytham. Familiaris fuit Bonifacio Germanorum apostolo.

Gisla & Richtruda Anglæ moniales, ab Albino Latinis eruditæ literis, ad quas Albinus scripsit Comm. in Ioannem, Anno 770.

Gertrudis filia Pipini, ex Itta sorore Nedoaldi archiepiscopi Treuirorum nata, soror Caroli Magni, monialis anno 794. habitauit Carleburgi è regione Carlostadij: inde in Gallias profecta.

Intra ipsos venetiarum fines triginta & amplius virginum cœnobia visuntur longè celeberrima, quæ immortali Deo perpetuam virginitatem vouerunt: grauissima omnium pœna iis indicta, qui eam quoquo modo violare ausi essent. Quum verò tot numero sint, tantáque sanctitate imbuta, sanè constat Zachariæ & diui Laurentij antiquissima omnium esse, præcipuáque sanctitatis opinione planè augusta floruisse. Egnat. lib. 6. capite 1.

MONACHÆ ETHNICORVM. VESTALES VIRGINES.

Consule titulum, Incestus religiosi. Nos hic Vestalium virginum catalogum subnectimus, quorum apud Romanos olim summa fuit dignitas & authoritas, ita vt nullius diuini cultus crebrior fiat in Romanis historiis mentio, quàm Vestalium: qui ab Hur Chaldæorū à Saturno idololatra in Italiā traductus, sub nomine Deæ Vestæ (Esch enim Hebræorum lingua Ignem sonat) ignem vigilem stupido populo colendum & adorandum obiecit.

In POLIADIS Mineruæ templo multa religione inclyto virgines assiduè fuisse, & lychnum inextinctū luminis ac Palladium custodiuisse, legimus apud Alex. ab Alex. libro 5. capite 12.

Apud Delphos ignem peruigilem à mulieribus custoditi. quæ matrimonio solutæ erant, testatur idem. Quòd siquando extinguebatur, ex solis flamma peregrinum eliciebant. Ibidem.

Apud Assyrios Dianæ Ecbatanæ templum fuit, quam Anatim vocant, cuius sacerdotes procul à virili congressu in perpetua virginitate degunt. Ibidem.

Numa Pompilius VESTALES virgines ab Albanis ad Rom. translatas, primùm sacrauit Geganiam, ac Verenam siue Pereniam: deinde Canuleiam siue Camillam, & Tarpeiam. Duæ postea à Seruio superadditæ. Præscripsit autem Vestalibus rex 30. annorum virginitatem. primo decennio discunt ea quæ sunt officij sui: altero ea exercent: tertio alias eadē docent. Secundum hoc tempus permissum est illis quæ velint, deposito sacerdotio nubere, aut aliud vitæ genus deligere. Plut. in Numa, & Liuius lib. 1. Decadis primæ.

TERATIA virgo Vestalis, quæ primò in demortuæ locum accepta est. Vnde in posterum eas omnes Teratias appellabat pontifex max. quas in demortuorum locum reciperet. Alex. lib. 5. cap. 12.

FABIA Vestæ sacerdos, quæ cum incesti accusata esset, eo quòd soror Terentiæ Ciceronis esset, indicto crimine absoluta est. Ibidem.

CLAVDIÆ virgines Vestales duæ. Altera, cùm Hannibale Italiam vastante responso Sibyllinorum mater deûm è Pessinunte accerseretur, & aduerso Tyberi traheretur, repentè in alueolo stetit. Cum igitur casta manu trahendam esse vates assererent, Claudia incesti suspecta, eam zona iniecta mouit. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop. Altera verò Vestalis iudicium maiestatis ad populum subijt, quòd conferta multitudine, ægrè procedēte carpento, palàm optauerat, vt frater suus pulcher reuiuisceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret. Tranquillus & Volater. Ibidem.

FONTEIAM, Fonteij (qui cùm Galliæ exercitui præesset, accusatus est prouinciæ malè administratæ) soror, virgo Vestalis. Cicero pro Fonteio.

CAIÆ siue Suffetiæ Thraci statua posita est. Author Plinius.

LICINIA, vna è Vestalibus, Plut. in Gracchis.

VBIDIA Vestalis, quam Messalina misit ad placandum Claudiū maritum suum, quem iratum sibi intellexerat.

DIES FESTI CHRISTIANORVM.

IVBILEVM quinquagesimo anno Moses indicit, agrorum fructus & fœtus animaliū hospitibus & pauperibus impertitur, seruos manumittit.

PIVS Aquileiensis die Dominico pascha celebrari instituit, monitus à quodam Hermete diuino homine. Anno 144. Volat. lib. 22. Anthrop.

VICTOR Afer sub Commodo eos qui ob acceptam iniuriam, aut veteris odium recōciliari recusassent, sacris interdixit. Item ex Eleutherij sententia instituit Pascha die Dominico celebrari, videlicet à quarta luna mensis Martij, vsque ad XXI. eiusdem mensis, cum celebraretur in eadē luna more Hebraico: quæ res multos vel magnos viros in dissensionem prouocauit, vsque ad consilium Nicenum. Anno CXCIIII. Ibidem.

LEO. V. Anno 847. octauam Assumptionis D. Virginis celebrari instituit. Sigebertus.

Gregorius IIII. Ludouici Pij imperatoris hortatu omnium Sanctorū celebritatem instituit. Anno D. CCC. XXV. Volat. lib. 22. Anthrop.

Ludouicus Imperator Anno restitutæ salutis 832. statuit, vt in Gallia & Germania festiuitas omnium Sanctorum calendis Nouembris celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacij papæ celebrant. Sigebertus in Chronicis.

ODILIO Auernensis sub Benedicto X. & Othone III. dicitur diem pro Defunctis, post celebritatem omnium Sanctorum instituisse. Volater. lib. 21. Anthrop.

Histri, qui annum abhinc quingentesimum, & amplius, Veneti nominis hostes erant acerrimi, Februario mense in ædem D. Petro dicatam, quæ Oliuolensis olim dicta, nunc Castellana appellatur, clam piraticis nauibus superato portu irruentes, virgines non paucas, quæ in templum cōuenerant de veteri more ciuitatis, vt nuberent, abduxerunt, magnáque inde præda ac cæde edita, Caprulas petiere. Quos, re statim cognita, Petri Candiani ducis ductu, seu magis (vt aliis constare video) Badoarij principis auspiciis, VENETI, non sine tamen graui certamine, oppressere omnibus fermè aut captis, aut ad vnū cæsis. Recepta itaque omni

præda incolumi, vt memores tanti beneficij sese supremo numini exhiberent, ludos iussu publico, qui Mariarum sunt dicti, instituerunt. Erant autem in his ludis Virgines duodecim, omni ornatu instructæ: aderátque illis comes adolescens, sub angeli specie, qui secundo Februarij mensis die magnam vrbis partem lustrarent, præcipuo totius ciuitatis plausu tripudióque. Ea res per trecentos & amplius annos statis solennibúsque ceremonijs quum perseuerasset, tandem Genuensis belli tempore sublata penitus est: quòd manifesto deprehensum sit, multa religionis prætextu grauissima flagitia ab his committi. Mansit tamen inde facti tam celebris perennis memoria, quòd Dux Senatúsque ipse diuæ Mariæ Formosæ templum secunda Februarij luce celebri pompa inuisit. Egnat. libro primo, capite tertio.

IVLIÆ calendæ Venetis ob receptam Ligustico bello Clodiam, Andreæ Contareni ducis auspicijs, sacræ habentur. Egnat. libro octauo capite decimosexto.

VENETI diem D. Marinæ, ob receptum Patauium à Maximiano Imp. festum colunt. Egnat. lib.2.cap.1.

FESTI DIES ETHNICORVM.

AVSES Africæ populi sunt. Quorum virgines anniuersario Mineruæ festo in honorem ipsius deæ, inter se bifariam diuisæ præliantur lapidib' fustibusq́; dicentes se morem patrium seruare ei quam Mineruam nominauimus: & quæ virgines è vulneribus decedunt, eas falsas virgines appellant: sed priusquam à pugnando desistant, hoc faciunt. Quæ virgo in pugna optimā operam nauauit eam semper cōmuni consensu cæteræ virgines exornant cùm cætera armatura Græca, tū crista Corcynthia, & curru impositam circa paludem circunferunt. Herod. lib.4.

Frequenter quotannis conuentus agūt Ægyptij sed præcipuè ac studiosissimè in vrbe Bubasti, in honorē Dianæ: secundo loco in vrbe Busiri, in honorē Isidis (in qua vrbe maximū est templū Isidis) ipsa in medio Delta quæ tertiò in vrbe Sai, in honorem Mineruæ: quartò Heliopoli, in hono- Ægypti sita. Est autem Isis eadē rem Solis: quintò in vrbe Buto, in honorem Latonæ: sextò in vrbe Papremi, in honorem Martis. Cæterùm postea quam se cōferunt in vrbē Bubasti, hæc faciūt. Nauigant viri pariter & mulieres, & magna in singulis nauibus vtrorumq; multitudo. Inter nauigādum assiduè mulieres aliquot crepitacula tenentes plaudunt, viri tibijs canunt. Cæteri cæteræq; modulantur, manúsque cōplodunt. Ita nauigando, vt ad quamq; vrbē perueniunt, appulsa ad terram naui, mulierum quidē aliæ ea quæ dixi faciūt: aliæ verò cōpellātes eius vrbis fœminas vt ingerūt probra: aliæ saltant, aliæ surgentes retrahunt illas. Talia ad singulas ciuitates flumen accolentes agunt. Cùm ad vrbem Bubastum peruentum est, diem festum celebrant magnis hostijs offerendis. Quo in festo plus vini absumitur, quàm toto reliquo anni tempore. Commeant illuc (vt indigenæ aiunt) virorum ac mulierum, præter pueros, ad septingenta millia. At in vrbe Busiri, verberantur post sacrificium cuncti, multa sanè hominum millia: quo autem verberentur, non est mihi fas dicere. Sed ex omnibus præcipuè hoc faciunt Cares, qui Ægyptum incolunt: adeò quidem, vt gladijs quoque frontes concidant: atque inde datur intelligi, eos hospites esse, non Ægyptios. Vt verò in Saim vrbem sacrificatum conuenerunt noctu sub dio vniuersi circum mœnia frequentes lucernas accendunt, imbutas sale, & oleo plenas cum multo lychno, quod tota ardeat nocte. Cui festo nomen impositum est Λυχνοκαΐα, Accensio lucernarum. Ad hunc conuentum quicunque Ægyptiorum non ierint, obseruantes sacrificij noctem, & ipsi lucernas accendunt cunctimeque id in Sai modò, sed etiā per vniuersam Ægyptiorum non ierint, obseruantes sacrificij noctem, & ipsi lucernas accendunt cuncti: neque id in Sai modò, sed etiam per vniuersam Agyptum. Ad Heliopolim & Butum qui veniunt, tantum sacrificasse contenti sunt. In Papremi verò, quemadmodum in alia, & hostias & sacra operantur: sed quo ad sol incliner, pauculi sacerdotes circa simulachrum exercentur: plures autem eorum tenentes ligneas clauas, stant pro foribus templi: alij e regionè plus mille virorum, qui vota exequuntur, cū singulis fustibus frequentes consistunt: qui pridiè simulachrum ex ligneo sacello deaurato in aliud sacrum domicilium exportant, paucis illis qui ministerio simulachri delecti sunt, trahentibus plaustrum quatuor rotarum, quo vehitur & sacellum, & quod intus est simulachrum. Hos ingredi prohibent hi, qui in vestibulo stant. At hi qui vota exequuntur, opitulantes Deo, percutiunt hos, atque repellunt. Hic vehemens existit fustuaria pugna, mutuò capita ferientium: multique ex vulneribus (vt ego opinor) pereunt, etsi Ægyptij quemquam mori negant. Aiunt autem indigenæ, conuentum hunc ideo institutum, quòd id templum incolat mater Martis: & ad eam, Martem iam adultum, ac virilis ætatis venisse, gratia coeūdi cum matre: quem materni ministri, vt qui eum antea non cognossent, ingredi ad matrem non permiserunt, sed repulerunt. Hunc autem ex alia ciuitate adductis hominibus, custodes malè multasse. Et ob hanc rem aiunt solennem esse Marti die illo festo hanc rixam: & institutum, ne in templo cum fœminis coiretur, neúe à mulieribus nisi abluti templa adirent. Hi sunt, qui primi ceremonijs vacauerūt. nam cæteri ferè mortales, præter Ægyptios & Græcos, coeunt in templis: & à mulieribus surgentes, non abluti introeunt templum, putantes hominem esse vt cæteras animantes. Etenim videre licet & pecudes alias, & volucrum genera coire in deorum templis, atque in fanis: quod si non esset Deo gratum, neque illas vtique id esse facturas, allegant. Hero. lib.2.

FESTI dies dicati fuère dijs, in quibus forensibus negocijs omissis, sacrificia, ferias, ludos, epulasque solennes celebrare, ac inter vota & sacra faustáque omina versari, verbísque profanis abstinere conueniebat. Alex. libro sexto, capite vigesimo.

INTERCISI dies erant, in quibus deorum simul atque hominum res agere permissum erat. Nam mane & vespere fari inhibebatur, medio verò tempore inter cæsam hostiam & porrectam fari permittebatur. Alex. ab Alex. libro 4. cap.20.

FERIARVM quatuor apud Romanos genera erant, *Statiuæ*, Conceptiuæ, Imperatiuæ, aut Nundinæ. STATIVÆ, statis diebus aut mensibus seruantur, vt Saturnalia, Lupercalia, Agonalia, &c. Conceptiuæ, in diem certam à pontifice vel magistratu concipiuntur: vt Latinæ, Sementinæ, Paganalia, vel Compitalia, &c. Imperatiuæ, quas consul, Prætorúe, vel Pontifex maximus pro arbitrio indixit. Nundinæ semper paganorum habitæ sunt feriæ, quas Hortensius nefastas esse sanxit, vt rusticis qui nundinandi causa in vrbem venerant, lites componere, & leges accipere, facultas foret. Alexand. libro 5. capite 7.

ANTHISTERIA Atheniensium solennia erant, quæ ea ferè licentia peragebantur, vt apud Romanos Floralia. Alexand. ab Alexand. libro sexto, capite octauo.

PITHOEGIA Græcorum festa, in quibus dolia relinebantur, & vinū affatim hauriebatur: ad cuius potum non seruos modò, sed mercenarios, clientes, & rusticam turbam omnem aduocabant. Idem.

NVMA Pompilius secundus Romanorum rex, instituit vt in profestis & omnino in sacerdotum festis, per vrbem præcones præcederent, qui quiescere ciues & ab operibus desistere iuberent. Quemadmodum enim Pythagoras non permittebat homines per transitum adorare deos immortales, sed continuò ex ipsa domo mente ad id paratos pergere ita, & Numa decere ciues existimauit, neque audire quicquam rerum diuinarū, neque aspicere per desidiam atque negligentiam, sed vacare à cæteris oportere, mentémque adhibere, perinde vt rei ad pietatem maximè opportunæ: deniq; crepitibus, strepitibus gemitibusq́; & quæcūq; huiusmodi necessarios vulgarium artium labores consequuntur, vias vacuas cæremonijs præstare. Plutarch. in vita Numæ.

LATINÆ feriæ à Tarquino primùm apud Romanos institutæ sunt, in honorem Iouis Latialis, cui statuto tempore in monte Albano sacra faciebant Rom. ad quæ Latini populi numero 67. nonnunquam nocturno tempore frequenter veniebant, alij agnos, alij caseos, nonnulli lac plerique molam ad commune epulum adferentes. De cæremonijs harum feriarum, lege copiose. Alex. ab Alex. lib.5. cap.7.

GRÆCA festa vel sacra à Romanis ad quintum Calend. Aprilis annis singulis in honorem Cereris celebrabantur, quæ quòd è Græcia translata essent, & per Græcos curata, Græca dicta sunt. Fiebant autem luce obscura, sacerdotésque facibus discurrentes, cursu fanatico sacra peragebāt à quibus velut sanctissimis & impollutis, impij consceleratíque amouebātur voce præconis, ita vt templum velut omni religione sanctum, alicui' criminis aut noxæ conscio adire non liceret. De his copiosius leges. Alex. ab Alex. lib.6. cap.19.

FLORALIA festa à flora sumpserunt nomen: cui vt arbores affatim efflorescent, ad iustámque magnitudinem fructus accederent, 4. Calend. Maij, oraculo moniti, sacra constituerunt Romani. Alexand. ab Alexand. libro sexto capite 8. plurima de obscœnis Floralium cæremonijs scribit.

AGONALIA statiuæ apud Rom. erant feriæ, quibus Iano quinto Idus Ianuarias mactabatur aries. Dictíque Agonales dies, quòd sacerdos immolaturus à principe petit, Agóne id est, mactabóne. quod verbum in solennibus frequens vsurpatur. Propterea princeps gregis immolabatur ex Numæ instituto. Ibidem.

Quinquatria apud Romanos, quinque diebus Palladi fiebant: ita appellata, quòd quinque diebus post Idus celebrabantur. Nam dies post Idus ater erat. Inde quinquatria, quasi quinque ab atra die. Primo autem die fiebant sacrificia, tribus sequentibus gladiatores in theatro certabāt. Quinta die erat lustratio. Erāt præterea hæc festa 13. Cal. Apr. De ijs egregiè scribit Naso lib.3. Fastorum.

HÆC magnificè Domitianus Imp. celebrauit, in quibus certamina poetarum, oratorum, gladiatorúmque quotannis ferè exhibebat in Albano. Nam cum locum sub Albano mōte, ex quo ita cognominatus est, tanquam arcem aliquam elegerat. Xiphilinus in Domitiano.

RVBIGALIA festa à Numa Pompilio instituta sunt, ne rubigo, vredo aut grando segetes inuaderet: ideoq; sexto Calendis Maij agebantur. Alex. ab Alex. lib.6. cap.8.

RVSTICA VINARIA festa, quæ eo tempore instituta sunt, cùm Veneri ædes dedicarētur, cuius tutelæ olitores addicebantur. Quæ festa tempestatibus leniendis celebrabantur, in quibus vinum nouum in vrbē ferre, & in cellis vinarijs condere assueuerant. Vnde apud Tusculanos lege cautum erat, ne quis nouum vinum, antequam Vinalia calentur, in vrbem inueheret. Ibidem.

VINALIA festa bis apud Rom. celebrata sunt in anno. Primò ad 11. Calend. Martias, cùm vina pura sunt, quo die Ioui nouum vinum libare mos erat, quod ex dolio haustum Calpare eximebant. Deinde ijs quoque diebus, quibus flamen Dialis vindemiam auspicatus, maturis vuis vinum legere, & vindemiam fieri iubebat, quibus festis agnum Ioui immolant, intérque cæsa & porrecta vinum legit. Ibidem.

VERTVMNALIA festa erant, Vertumno, qui Deus mercaturæ & vertendarum rerum habitus est, dicata: quæ mense Octobri in vico Turario sacellóque Vertumni celebrabantur. Ibidem.

SABBA

SABBATHI DIERVMQVE FESTORVM *obseruatio.*

OBSERVATIO Sabbathi originem trahit ex eo, quòd dicitur: Benedixit Dominus diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauit ab omni opere suo. Genesis secundo.

Sexto die FILII Israel in deserto colligebant manna, in duplici quātitate, vt die Sabbathi vacarent ab omni opere. Exod.16.

Item in præceptis Decalogi, solius mandati de obseruatione Sabbathi, ratio redditur. Exod.20.

Præceptum de obseruatione Sabbathi, frequenter in lege repetitur: vt homo id diligenter obseruet, & vt veram requiem adipisci laboret. Exodi 31. decimonono, vigesimo quarto, vigesimo sexto.

HOMO deprehensus colligere ligna in Sabbatho, fuit præcepto Domini à toto populo lapidatus. Deuteronomij 5. Num.15.

Die Sabbathi offerebantur duo agni, vltra illos qui quotidie in iugi sacrificio offerebantur: diebus aliis vnus tantum, nisi in solennitatibus & Calendis: ad designandum, quòd in festis abundantius Deum laudare debemus. Num.28.

Videns NEHEMIAS homines torcularia calcantes, & onera portantes venalia in Sabbathis, obiurgauit eos, tāquam diem Sabbathi prophanantes. 2. Esd.13.

IVDÆI contra Antiochum pugnantes, die Sabbathi feriebantur, quāuis vrgente hoste: Moriamur, inquiunt, in simplicitate nostra. Sed tandē prudentiores facti, quia legem Dei & vitam defendebant, die Sabbathi pugnare, Deo gratum officium esse putarunt. primo Machabæorum secundo.

MACHABÆVS Iudas & socij sui pugnantes contra Nicanorem, & exercitum eius, interfecerunt nouem millia hominum: cæteros autem fugere compulerunt. sed non perseuerauerunt insequētes, eo quòd erat ante Sabbathum. 2. Machab.9.

Nicanor cogitauit omni impetu die Sabbathi bellum committere: sed IVDÆI qui eum per necessitatem sequebantur, dixerunt ei: Ne ita ferociter ac barbarè feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis. 2. Machab.15.

SALVATOR noster legitur in Sabbathis, multa fecisse miracula, vt patet per omnia Euangelia. Cuius ratio triplex assignari potest. Vna, vt se Dominum ostenderet, vt suprà Matt.12. Secunda, vt veram intelligentiam præcepti daret: quia non ab omni opere cessandum, Matt.12. Luc.6. An licet Sabbatho benefacere, an malè (animam saluam facere, an perdere? Tertia, vt plures homines, audientes eum & videntes, ædificaret, vt Matt. 12. Lucæ 6. & 13. Cùm curasset incuruam mulierem, archisynagogus indignatus est, quòd curasset Sabbatho. Iesus autem dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die Sabbathi. Respondens Dominus Iesus archisynagogo, dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrûm Sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, nū oportuit solui à vinculo isto die Sabbathi? Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè à Christo Iesu fiebāt. Eodem.

MVLIERES sanctæ, quæ parauerant aromata ad vnguēdum corpus Domini: ita districtè seruabant Sabbatum, vt tali die noluerint tam sanctum corpus inungere. Vnde Sabbato quidem siluerunt, secundum præceptum. Luc. vigesimotertio.

SABBATO requieuit DOMINVS in sepulchro. Ioannis decimonono.

RES SACRAS NON ATTINGERE, NEC IN PROFANOS *Vsus conuertere. Non surripere, restituere.*

Exempla plurima ex tit. Sacrilegorum & pœnarum sacrilegij desumi possunt.

VALERIANVS episcopus octogenarius (cùm in Africa Vuandali libros diuinos exurerent, ac de sacris pallijs ac vestibus vestes facerent) nolens diuina Sacramenta profanis tradere, à rege Genserico omni vrbe & domo exclusus, reliquum vitæ vsque ad mortem nudus, sub nudo aere exigere maluit, quàm quicquam profanare sacrarum rerum. Sigebertus in Chronicis.

PIVS Aquileiensis pont. max. Anno 144. notauit sacrilegij crimine eos, qui fundos aut homines attingerent, religioni dicatos.

ALARICVS Gothorum rex sæuissimus, cùm in Italiam cum ingentibus copiis Honorio imperante venisset, ob Stiliconis perfidiam: conuersus ad vrbem Romam, atque eam ingressus, priusquam militi vrbis populationem permitteret, canere tibicines, atque edicere iussit, eorum corpora bonaque, qui in Apostolorum templa se recepissent, salua fore. Ostēdit ferus ille animus & inuictus, qui rerum dominam vrbem Romam superatam populabatur, & qui prædæ gratia nullis se periculis, nullis laboribus subtrahebat, pluris se, quàm alia omnia, religionem facere. Fulgos. lib.1. capite 1.

Longè etiam magis mirandum est, ALARICI copias, in domitam gētem, rapacémque, ob religionem à præda potuisse contineri. Nam cùm inter eas adhuc cædem sanguinéque spirantes, aliquot sacræ virgines aurea vasa capitibus in tecta ferrent, vt accepēre ea Apostolis sacrata esse, ne manum quidem ad ipsa contingenda extenderunt. Ibidem.

ALPHONSVS Aragonum & Siciliæ rex, capta Massilia, cùm matronæ cum filiis in templum beati Augustini confugissent, tanquam ad sacra deorum asyla, & quicquid preciosarum haberent rerum in idem templū portassent, rex pietatis studiosissimus cultor, eas obseruari diligenter iussit. Cumque illæ vim & contumeliam eorum qui captam iam vrbem deprædarent, pertimescerent, apud regem demum per internuncium supplicarunt, vt intactas abire permitteret, & ipse preciosa quæ habebant omnia retineret. Alphonsus autem eas cùm ad deorum opem confugissēt in extremo vitæ periculo, cum omnibus ornamentis & thesauris illæsas impunè abire permisit. Franciscus Panormita de reb. gestis Alphon.

EXEMPLA ETHNICA.

PERSÆ cùm innumerabilibus copiis bellum aduersus Græcos parassent, omniaque belli iure vastassent: tamen templum Apollinis in Delio intactum reliquerunt, ne spreta religione deorum iram irritarent. Alex. ab Alex. lib.6. cap.2. & Val. lib.1. capite 2. & Cic. in 3. Verrina.

SELEVCVM regem iustitia & pietate reges omnes antecelluisse aiūt: quippe qui Apollinis colossum Milesiis à Xerxe ademptum, & Ecbatana asportatum, in Branchidas reportādum curauit. Et cùm condita Seleucea ad Tigrim fluuium, in eam Babylonios inquilinos deduceret, neque muros Babylonis demolitus est, neque Beli templum euertit: & Chaldæis, vt proxima templo loca inhabitarent, permisit. Pausanias in Atticis.

Cœli prouidentia, non hominum consilio accidit, quòd in Iudæa duo, qui Magni cognomen habuêre, ALEXANDER Macedo, & mox CN. POMPEIVS, Hebraicæ religionis cultum non modò non aspernati sūt, sed inoffensum etiam ab omni iniuria præstiterunt. Hic Hierosolymis captis à direptione templi militem prohibuit: ille summum sacerdotum sibi obuiam venientem venerabundus excepit, ac velut numen quoddam adorauit. Sab. lib.4. cap.2.

CORN. Sylla dimidium Thebani agri Ioui Olympio & Apollini Pythio consecrauit, vt ex eius fructibus, pecuniæ quas ex ipsorum templis ad alendum exercitum abstulerat, ipsorum templis restituerentur: non ignarus, sacrilegium sæpius vniuersi exercitus & imperatoris exitio expiatum: atque eo grauius, quo tardior pœna secuta esset. Ibidem.

MASINISSA Numidarum rex, cùm à præfecto suo eburneos dentes miræ magnitudinis accepisset dono: vbi compertit ex templo Iunonis surreptos esse, quinqueremi reportandos, & Iunoni restituendos curauit insculptos Libycis literis, significantibus regem ignorantem eos accepisse, & libenter deæ restituisse. Val. Max. lib.1. cap.2.

Timasitheus Liparitanorum princeps, excepta in freto à ciuibus suis pyraticam exercentib. magni ponderis aurea cratera, vbi comperit à Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, eam Delphos perferendam curauit. Ibidem.

SVPERSTITIONI ET FALSÆ PERSVASIONI FIDEM NON ADHIBERE

Explorate Spiritus, vtrum ex Deo sint monet Apostolus. Temerè enim cuiuis credere, inconstantis est animi, & nimium creduli. Huius loci sunt omnes ij, qui suspectis visionibus oraculis, miraculis fidem nullam dederunt.

EXEMPLA ETHNICA.

Consule titulum, Auguria neglecta.

STILPO vanæ superstitionis somnium sequi noluit. Vide tit. Somnia præsaga diuitiarum, lucri vel damni.

SABACVS Æthiopum rex, 50 annis Ægypti regnum occupauit: quibus exactis, visus est ei deus, qui Thebis colitur, dicere, regnum suum in Ægyptios neque fœlix neque diuturnum fore, nisi sacerdotibus Ægypti omnib. occisis, per media ipsorum cadauera cum suis transiret. Hoc somnio sæpius oblato, omnes vndique sacerdotes cōuocauit, narratisque quæ per somnium acceperat: Nolle se, inquit, in Ægypto manentem alicui perniciem struere, sed malle purum, omníque scelere solutum ab Ægypti regno abstinere. Diodor. Sic lib.2. cap.2. de Rebus antiquis, & Herod. lib.1.

Pelopidas humana victima litare noluit, quamuis id iubente somnio. Vide tit. Victoriæ somnia.

Athenienses cum hortarentur DIOGENEM Cynicum, vt mysteriis initiaretur: addentes, quòd apud inferos principatum tenerent hi qui sacris initiati essent. ad ea Diogenes: Perquàm ridiculum est, ait, si Agesilaus & Epaminondas, fortissimi duces, in cœno degunt: & Pateción fur & vilissimi quique homines, quòd initiati sint, in summo apud inferos gaudio sunt. Taxauit autem nefandam vulgi superstitionem, qui putat initiationē conferre hominibus ad salutem, post hanc vitam. Laert. libro sexto.

Leontychidas Aristonis filius, quum portæ illi proximæ clauem draco circumvolutus esset complexus, idque augures affirmarent esse portentū: Mihi, inquit, nequaquam videtur: sed si clauis fuisset complexa draconem portentum erat. Lepidè hominum superstitionem irrisit, qui sæpe numero terrentur his quæ casu aut fortè fortuna eueniūt. Plutarchus in Laconicis apoph.

Nonius cum plurimum auguriorum superstitionem obseruaret, & certum euentum ex his rimari putaret, ad Ciceronem ait, Septem aquilas in castris Pompeii captas esse. Cuius superstitionem deridēs Cicero, ait: Rectè moneres, si aduersus picas nobis pugnandum esset. Blondus lib. primo de Roma triumphante.

ROMANI quamuis religioni suæ pertinacissimè addicti essent, sæpe tamen vrgentibus hostibus auguria & dies nefastos neglexerunt, imitati Homericum Hectorem, vbi inquit: οἰωνὸς μὲν ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης
Exempla plurima ex tit. Auguriorum neglectorum peti possunt.

LVCVLLVS, quum in Armenia cum decem millibus armatorum & mille equitibus aduersus Tigranem tenderet, centum quinquaginta hominum millia habentem in exercitu pridie nonas Octobreis, quo die prius Scipionis copiæ deletæ fuerant, quodam admonente, quòd Romani diem illum vt nefastum & inauspicatum metuerent: Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, vt hunc quoque diem ex nefasto funestoque Romanis, hilarem & auspicatum reddamus. Plut. in Rom. apoph.

DOCTORES EVANGELICI.

Horum catalogum sub loco Metaphisices superius tractauimus. Hîc repeti posset ea ratione, quatenus Religionem docent. Non quatenus vitia aliorum reprehendunt, pœnis coercent, hæreses extirpant. idolatras conuertunt, ad Iusticiam διορθωτικὴν *referendi sunt. Itaque qui volet, vel ex Metaphysicis eos qui Docent tantùm, vel ex sequentibus titulis eos qui Conuertunt & reprehendunt alios, huc referre poterit.*

FRIDOLINVS regis Scotiæ & Hyberniæ filius, Viator dictus, propterea quòd 130 annis peregrinatus sit, & Christum prædicarit. Vide eius vitam sub tit. Doctorum Ecclesiast.

EXEMPLA ETHNICA EORVM, *qui alios in religione instruunt.*

HETRVSCI, Romanæ superstitionis magistri fuerunt, ad quos sex patriciorum filij singulis annis religionis addiscendæ ergò mittebantur. Valerius Maximus, lib. primo, capite primo.

DVINI VERBI AVDITORES

Frustra doctores erunt, nisi sint discipuli, qui audiant & discant ea quæ docentur. Discunt autem, si credant. Fides enim est ex auditu, teste Apostolo. Quòd si in humanis disciplinis oportet discentem credere (vt in primo Poster. docet Philosophus) multo magis in rebus diuinis, quarum sola authoritas, nulla afferri potest ratio. Vt autem Doctoris Euangelici varium est officium, Docere, Reprehendere, Conuertere pro diuersitate auditorum: ita quoque auditores ex hac varietate sunt distinguendi. Hoc autem in loco de ijs tantùm agimus, qui verbum Dei suscipiunt, & libenter audiunt. Ipsa Conuersio & emendatio vitæ ad διορθωτικὴν *Iustitiam pertinet. Pleraque ex Hanapo mutuati sumus.*

Aaron locutus fuit omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen, & credidit POPVLVS. Audieruntque quòd visitasset Domin⁹ filios Israel, & proni adorauerunt. Exod. 4.

Cunctus POPVLVS dixit Moysi vna voce: Omnia verba Domini, quę locutus est, faciemus. Et paulo post assumens Moyses volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ locutus est, faciemus. Exod. 24.

EGLON rex Moab, sedebat in æstiuo cœnaculo: dixit ad eum Ehud, siue Aiod: Verbũ Dei habeo ad te. Qui statim surrexerit de throno, quasi reuerentiam exhibens verbo Dei: Iudic. 3.

Docuit SAMVEL Heli, vt diceret Domino loquenti sibi: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 1. Reg. 3.

Esdras attulit librum legis: & legit in eo apertè, de mane vsque ad medium diẽ: & aures totius POPVLI erant arrectæ ad librum. Flebat omnis populus, cùm audiret verba legis. Esdr. 8.

Respondens IOB Domino dixit: Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te: idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Iob. 42.

Factum est verbum Domini ad HIEREMIAM: Noli subtrahere verbum Dei, si fortè audiant, & auertatur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter maliciam studiorum eorum. Hierem. 26.

Verbum Ionæ peruenit ad REGEM Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Ionæ 3.

In fine sermonis in monte, dixit DOMINVS: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domũ suam super petram. Matt. 7.

HERODES Tetrarcha metuebat Iohãnem baptistam, & custodiebat. & audito eo multa faciebat, & eum libenter audiebat. Marc 6.

Cùm TVRBÆ irruerent in Dominum Iesum, vt audirent verbũ Dei, sedens docebat de nauicula turbas. Petrus cum socijs, deductis ad terram nauibus, ijsq; relictis, secuti sunt Dominum. Lucæ 5.

MARIA soror Marthæ, sedens, iuxta pedes Domini, audiebat verbum illius: & audiuit tandem Dominum dicentem: Maria optimam partem elegit, &c. Lucæ 10.

Extollenti vocem MVLIERI, & dicenti, Beatus venter qui te portauit: respondit Dominus, Quinimò beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Lucæ 11.

Instante Dominica passione, legitur: Erat docens quotidie in templo. & post pauca: Omnis populus suspensus erat, audiens illum. Luc. 19.

Duo discipuli Domini Iesu, euntes in castellum nomine Emaus, loquẽtes ad inuicem de ijs quæ tempore Dominicæ passionis acciderant, comitem habuerunt eum de quo loquebantur. Lucæ. 24.

FACTO sermone ad plebem in die Pentecostes post aduentum Spiritus sancti, dicitur: His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ, & ad reliquos apostolos: Quid faciemus viri fratres? Et baptizati sunt circiter tria millia hominum. Act. 2.

Per sanationem claudi, & sermonem Petri, MVLTI qui audierant verbum, crediderunt. Et factus est numerus virorum circiter quinq; millia hominum. Act. 3. & 4.

Philippus descendens in ciuitatem Samariæ prædicabat ILLIS Christum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes. Actor. 8.

Aperiens Phillippus os suum, euangelizauit EVNVCHO Iesum: & venientes ad quandam aquam, confessus est Eunuchus se credere, & baptizauit eum. Act. 8.

De SAVLO quem Domin⁹ Iesus excæcauerat corporaliter, & illuminauerat spiritualiter, dixit ipse Dominus in visu Ananiæ: Vade, quoniã vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus. Act. 9.

Noluit Dominus instruere Cornelium per angelum, sed mandare ei vt accersiret Simonem Petrum, & ille doceret eum, & diceret, quid eum facere oporteret. Act. 10.

Loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super OMNES qui audiebãt verbum illius. Eodem.

Audientes GENTES quòd Iudæi repellebant verbum Dei, & quòd Paulus & Barnabas volebant prædicare eis, gauisi sunt, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Act. 13.

Factum est Iconij, vt Paulus & Barnabas ingrederentur synagogam, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo. Actor. 14.

Quædam mulier nomine LYDIA purpuraria audiuit Paulum loquentem: cuius cor Dominus aperuit, & baptizata est cum domo sua. Actor. decimosexto.

Cùm audissent ATHENIENSES Paulum loquentem de resurrectione mortuorum, quidam irridebant. quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam verò adhærẽtes ei crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damari, & alij cum eis. Act. 17.

ILLIS libentissimè docendi operam debemus exhibere, à quibus vltrò inuitamur. Iam enim se institutionibus nostris pro sua virili obsecuturos polliceri videntur, dum inuitant. Hinc est quòd Paulus transire maturauit in Macedoniam, cùm vir Macedo in visu apparens ei, suppliciter poposcisset, vt eò veniens ipsos adiuuaret. Non petit auxilium, qui non agnoscit periculum. Quis autem petit, nisi is qui periculo liberari cupit? Marul. lib. 3. capite 4.

Veniens Paulus Berrhœam, intrauit synagogam IVDEORVM, & quidam susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi crediderunt ex eis. Act. 17.

Mansit Paulus Ephesi per biennium, quotidie disputans in schola TYRANNI cuiusdam, ita vt omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Dei. Act. 19.

Postquam rex AGRIPPA audierat Paulum, dixit ei: Parum abest quin Christianus fiam.

OBEDIENTIA RELIGIOSA, IVSSA, MONITA, REPREHENSIONES *pœnas sacerdotum diuinorúmque hominum ferre.*

MAGISTRATVI RELIGIOSO OBEDIRE, IN GENERE.

Exempla pete ex tit. Reprehensiones ferre. item. Libertas in reprehendendo.

Cùm

Cum ad mandatum Elisei, NAAMAN indignatus abiret, dixerunt ei serui sui: Pater, etiamsi rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras. fecit ergo, & mundatus est. quarto Reg. quinto.

Etiam malis prælatis obediendum esse, præcepit Dominus: Super cathedram Moysi, & c. omnia quæcunque iusserint facere, facite. Matt. 23.

CORNELIVS dixit beato Petro: Omnes nos in conspectu tuo sumus, parati audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino. Act. 10.

Paulus electo sibi Sila in socium, perambulabat Syriam & Ciliciam, cõfirmans ecclesias, & præcipiẽs custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Act. 15. & 16.

THEODOSIVS Augustus, quoniam iratus in Thessalonicenses & Pãnonas, supra quàm quòd iustum æquumque esset, animaduerti fecerat: Mediolani ab Ambrosio episcopo ecclesiæ aditu prohibitus, palãque reprehensus, patienti animo pertulit, & commissum confitens pœnitentiam egit. Vide quanta est sacerdotis autoritas, qui tanto principi publicè insultare non dubitauit, & cui tantus princeps populo inspectante cedere non erubuit. Marulus lib. tertio, capite quinto: & Fulgos. lib. 1. capite primo.

IDEM cùm Paschali quodam die ecclesiam ingressus, intra chorũ consedisset, audiuit, non eum locum purpuratorum esse, sed sacerdotum: iubentique Ambrosio vt inde suscitatus recederet, obediuit. Post hæc Cõstãtinopoli ad ecclesiam veniens, vt in choro sessum accederet, à patriarcha inuitatus, nequaquam acquieuit: magis Ambrosij sententiam sequens atque approbans, qui ne imperatores quidem sacerdotum sessione satis dignos iudicauit. Marul. ibidem.

EDGARVS Britanniæ rex, cùm virginem deperiret, quam in Vincestrensi monasterio viderat educari: quæ vt virginitatẽ à regis iniuria tueretur, velo vnius ipsius monasterij monacharum se texerat: neque ob id ab iniuria rex destitisset: profectus ad eum Dunstanus Cantuariẽsis archiepiscopus, ceu Nathan ad Dauid Regem reprehendendum, porrigentẽ in congressu dextram suam honoris gratia, regem à contactu repulit, tãquam propter incestum indignus esset qui sacerdotem contingeret. Quã notam non solùm patienter Edgarus tulit: verùm agnito errore, in quem nimia libidine victus inciderat, ad sancti sacerdotis pedes prostratus, lachrymabundúsque crimini veniam petiit: & cùm pœnæ loco ei vt à gestando diademate septem annos abstineret, & sacris quoque virginibus monasterium conderet iniunctum esset, obedienter ea peregit. Fulgos. lib. 1. capite 1.

Longobardorum rex Desiderius, cùm multas ditionis Romanæ vrbes iam cæpisset, nouissetque ab Adriano primo Romano pontifice ad ferendam opem Carolum magnum vocari: cupiens astu ante Carolum vrbem Romam inire, simulatiie voto se ad salutanda principis Apostolorum limina proficisci velle. Quod cùm prudens Pontifex animaduertisset, reseratis prius templi atque vrbis portis, misit qui Desiderio sub anathematis pœna imperarent, ne propius ad vrbem accederet. Incredibile forsan videatur, & tamen vero ipso verius est, barbarum regem, superbiæ atque immanitatis plenum, quem arma non mouerant, simplici anathematis denuntiatione territũ, sentẽtia mutata, retrò exercitum cõuertisse. Ibidẽ.

M. IVL. Philippus Imp. Christianorum eo nomine primus, ob scelus patratæ in Gordianum proditionis, sacra communione à Fabiano Rom. pontifice prohibitus, nisi antè in Christiana ecclesia cum cæteris qui scelerum pœnitẽtia agebantur, crimen emendasset. Humiliter Pontifici paruit, nihil de Imperij maiestate deperire arbitratus, vbi religionis habita ratio videretur. Ibidem.

Ludouicus Gallorum rex, vxorem quam habebat, propter religionem dimisit: Philippus autem primus eius nominis rex, ipsius religionis gratia, quam dimiserat, recepit. Qui siue veneficio, siue alio malo captus, cùm eiecta Bertha coniuge Bertrandam, quam deperibat, Folcheti, alias, Foci, Andegauensis comitis coniugem, apud se haberet, nec à vetita consuetudine abduci posset, extra communem Christi gregem anathemate Vrbani secundi pontificis factus, vt ecclesię restitueretur: coniugem quam eiecerat, resumpsit, vt vbi de religionis cultu agebatur, interdictæ veneri, regiæque licentiæ locus nullus daretur. Ibidem.

PHILIPPVS Deodatus, cognomento Augustus, Gallorum rex, cùm Honorij tertij pontificis legati ab eo poscerent, vt Ingerbergam, siue (vt alij dicunt) Viceburgen coniugem in coniugalem thalamum reciperet: quam quia non satis grata erat, ficto propinquitatis gradu, ceu non iustã vxorem dimiserat, atque in eius locum Mariam Bohemiæ ducis filiam duxerat: etsi ægrè vt id ageret adducebatur, legatis tamẽ de Ingepberga reducenda paruit. Ibidem.

MATHILDA fœmina religione magnísque aliis virtutibus insignis, quanquam Hẽrici Imperatoris esset neptis, atque in Italia multis populis latè imperaret: obedienter tamen passa est à Gregorio septimo Rom. pontifice separari se Actij Estensis marchionis connubio, quòd in quarto gradu affinitatem cum eo habuisse inuẽta erat, pudicitia in posterum diligenter custodita. Quia penes eam plus religionis cultus valuit, quàm vel maritalis charitas, vel procreandorum liberorum cupido atque ardor. Ibidem.

VENETA ciuitas Rauennam Longobardorum armis oppressam, pulso inde Hexarcho, valida continuò classe, ad vrbis vicinæ liberationem transmissa, facilè tenuit: vt pulsis inde hostibus receperint, receptam Græco principi restituerint. in quo aliquid etiam Pont. Gregorij gratiæ datũ videri potest, qui per epistolam, quæ adhuc extat, id à Venetis petierit. Egnat. lib. 1. cap. 1.

EXEMPLA ETHNICA.

ÆTHIOPVM reges quanti religionem deorúmque cultum fecerint, ex eo maximè liquet, quòd sibi ipsis mortem propter religionem consciuerint ad Ptolemæi vsque tempora. Nam cùm eis à sacerdotibus Iouis, qui apud Meroen colitur, denunciatum esset, Deo inuisam esse eorum vitam: inter eos omnes nullus inuentus est, apud quem pluris vita quàm religio haberetur: vsque ad Erganem regem, qui ne per sacerdotes mors ei denunciaretur, omnes interimi iussit. Fulgos. libro primo, capite primo: ex Diodori Siculi libro quarto, cap. primo, de rebus antiquis.

Apud Romanos sacris imperia seruiebant. existimabant enim summã felicitatem sequuturam, si deos sibi propitios facerent. Valerius Maximus libro primo de Cultu deorum.

L. FVRIVS Bibaculus circa secundum bellum Punicum prætor, à patre suo collegij Saliorum magistro iussus, sex lictoribus præcedentibus arma ancilia tulit: quamuis vacationẽ huius officij, honoris beneficio haberet. Omnia namque post religionem ponenda semper Romana ciuitas duxit, etiam in quib. summæ maiestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitauerũt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinæ potẽtiæ bene atque constanter fuissent famulata. Val. lib. 1. cap. 1.

Apud ALEXANDRVM Seuerum Imp. tantum religionis autoritas ac reuerentia valuit, vt iudicatas à se causas à Pontificibus atque auguribus retractari, atque aliter quàm ipse iudicasset terminari pateretur: minimè dedecori sibi arbitratus, in iis quæ ad religionem pertinerent, imperatoriam maiestatem sacerdotum autoritati cedere. Fulgosus libro primo, capite primo.

MONACHORVM ERGA SVOS ABBATES OBEDIENTIA.

Quod episcoporum abbatúmque & aliorum qui præsunt, iussa mandatáque sine cũctatione capessenda sint, etiam cum nobis minus rationis habere videbuntur, Petri apostoli exemplo patet. Non lauabis mihi pedes in æternum, inquit: indecens & indignum ratus, vt Dominus officio fungatur serui, & seruorum quasi dominorum suorum lauet pedes. Sed quod indecens esse non poterat, quicquid ille iuberet, mox intellexit: cũ audiuit, se nõ habiturum partem cum ipso, nisi se lauari permitteret. Ideo protinus obediens exclamat: Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput. Nos igitur quicquid præpositi nostri nobis iniunxerint, prius idipsum exequi, quàm causas quamobrem, inquirere curemus. Præposterum enim videtur, vt cuius officium est obedire, is de seniorum sententia iudicet. Marul. lib. 4. capite 3.

PAVLVS monachus cognomento Simplex, Antonij discipulus, cùm primò mysteriorum ignarus quæsisset, essetne prophetis prior Christus? ineptam interrogationem silentio diluere iussus, triennio tacuit. Post hęc cùm multa illi absurda & superuacua experiundæ tantum obedientiæ causa imperarentur, veluti necessaria perficere nunquam distulit: sicuti aquam haurire, & haustam effundere, vestes dissuere, & easdem dissutas iterum consuere, & alia huiusmodi, quæ ille non quòd friuola furiliáque essent, sed quòd iussa perpendens, libenter exequebatur, diligenterque implebat. Ibidem.

IOANNES abbas in Scythi, quem sol iratum non vidit, ex hac vita ad meliorem migraturus, præcipuum discipulis suis documentum relinquere volens, nunquam quicquam se ex sententia sua egisse dixit, sed seniorum: nunquam aliquid docuisse, quòd prior ipse nõ fecisset: hoc erat propriæ renunciare voluntati, & in docẽdo nihil præsumere. In hoc ille summam penè virtutum putauit: qui dum decederet, fratres suos plura monere necessarium non esse censuit. Ibidem.

IOANNEM alterum apud Lycum Thebaidis oppidum commorantẽ, obedientiæ virtus eò prouexit, vt futurorum præscium faceret. Huic obsequij experiundi causa abbas præcepit, vt palum aridum in terra defixũ, aqua quæ duo millia passuum à monasterio distabat, bis per diem aduecta, totidem vicibus irrigaret. Cùm vidisset neque labore illum defatigari, neque ligni nunquam ad viriditatem redituri desperatione commoueri, post annum illud in tali opere consumptum interrogat, an lignum illud iam radices egisset. & se nescire respondentem, euerso ligno, vt ab irrigatione desisteret, iussit. Ibidem.

Aliud deinde obedientiæ EIVS periculum facere volens, cum multi adessent promptitudinis eius in obsequendo fama exciti, mandauit vt de cellario lenticulam, quæ oleo plena erat, proferens, per fenestram proiiceret: tãtillum illis olei erit, & quidem in deserto, vbi is liquor neque mutuò sumi neque emi poterat: concitus tamẽ ipse, non inopiæ, non loci rationem ducens, quod iubebatur perfecit. Ibidem.

Aliàs quoque saxum ingens, & quod multi simul mouere non valerent, Soli vt aduolueret, abbas præcepit. Tunc ille quidem toto conatu frustra nitens, vires experiri non cessauit: donec multo sudore madentem, iam quiescere idem abbas iussit. Hac obsequiorum simplicitate Ioannes prophetandi donum consecutus, in magnis bellorum difficultatibus Theodosium principem, ne cum hoste congredi timeret, suis animauit oraculis certissimo victoriæ euentu: ita vt ille deinceps certamen nullum iniret, nisi ipso consulto. Igitur qui olim omnibus abbatis sui iussis fuerat obsecutus, eius deinde responsis obediuit imperator. Ibidem.

ALBINVM Andegauensem episcopum, dum adhuc adolescens in monasterio degeret, & ad perficiendum abbatis mandatum pergens, effusum repentè imbrem sub tecto declinasset: eo procellæ vi diuulso ac perpluente, cæteris qui illuc conuenerant, haud parum madefactis,

ipsum solum aqua non aspersit. Mirabantur omnes: & cum audissent, cum ab abbate missum iter facere, miraculum obedientiæ merito imputarunt. O prægrandis virtus, quam inanimatum elemẽtum ita reueritum est, vt attingere non auderet. Ibidem.

GVILIELMVS Aquitaniæ quondam & Prouinciæ dominus, postea verò ita humilis monachus, vt nihil tam paruum, neque tam infimum esset, quod se indignum indicaret, dum id sibi faciendum abbatis authoritas iniunxisset. Iussus aliquando panes coquere, cùm iam cœnæ tempus instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumuertit: sed scopam, qua prunas euerteret, locumque ponendis panibus aptaret, non habuit. Insiliens ergo in fornacem, melote pro scopa est vsus. Tum demũ coctos panes fratribus nihilo tardius quàm res poscebat attulit: nulla corporis aut indumentorum parte læsa: vt propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem. Factus erat hic quidem de Aquitaniæ Prouinciæq; domino, monachorum furnarius, sed de monachorum furnario factus est regni cœlestis perpetuus possessor, terræ regibus maior, Dei angelis par. Ibidem.

BERCHARIVS Luxouiensis monasterij abbas, antequam præesse cœpisset, singularem apud omnes obedientiæ suæ commendationem miraculo auxit, dum vinum de cado in vrnam traheret: ab abbate vocatus, relicta vrna festinus cucurrit. Vinum verò sicuti fluebat, repleta vrna non est effusum: sed sic stetit, ac si gelu concretum esset, donec ille reuersus cadi foramen tereti in mucronem ligneolo obturauit. Tunc qui aderant, haud dubitarunt, quin hoc illi alacris admodum atque impigræ obedientiæ merito contigisset: vt qui se totum abbatis voluntati libenter tradiderat, ad eius votum fluentis naturæ liquor pro tempore suspensus præstiterit. Ibidem.

Diuus HIERONYMVS ad virgines scribens: Hoc vnum, inquit, apud omnes obseruationis præcipuum est, & celebre per Ægyptum, vt neminem nisi obedientem & humilem ad omnes labores perficiendos, & opera suscipiant. Quatenus domita caro ex grauedine: cogitationibus vanis & voluptatibus non vacet ex ocio. Teneatis firmissimè, quòd omnis concupiscentiæ & immundiciæ atque peccati mater est ociositas. Marul. libro 3. capite 9.

LAMBERTVS Traiectensis episcopus, cùm inuidorum malignitate episcopatu motus, ad monasterium Scabolanense confugisset, monachalem seruans vitæ modum, & nocte quadam ad orandum à lectulo desiliens, percusso pedibus pauimento strepitum fecisset: Abbas eo quòd silẽtij ea hora erat, quasi subindignè id ferens, voce sublata ait: vt quisquis illud culpæ commisisset continuò ad crucem exiret, non antè quàm diei crepusculum esset reuersus. Crux autem ipsa extra monasterij septa sub dio erecta stabat. Repentè itaque Lambertus, sicut nudis pedibus adhuc & cilicio tantùm indutus erat, abijt, & hoc quidẽ brumę tempore: vt multi mirarentur, quomodo algore contractus non expirasset. Manè seminium reduxerunt, & abbas veniam petijt, affirmans nunquam se putasse hoc monachorum aliquem facturum, nedum episcopum. Ideóque ioco magis quàm serio verbum protulisse. Hac tamen obedientię subiectione Lãbertus meruit & in episcopatus sui sedem restitui, & tandem martyrio coronari. Marul. lib. 4. capite 3.

MARIANVS monasterij Bituricensis monachus, Mamertino abbati ita se subiecit, vt bubulci seruitio fungi iussus, non grauatim obediret: nihil vile aut contemptibile arbitratus, quod sibi agendum ille iniunxisset. Ibidem.

FRATREM quendam refert Cassianus, non obscuro loco natum, cùm relictis mundanæ conuersationis rebus religioni sese tradidisset, sportulas venales abbatis iussu publicè circumtulisse, vnamquamque singulatim distrahendo: ea tantùm de causa, vt diutius in foro esset, & an illum tam abiectæ negociationis depuderet, longiore experientia plenius nosceretur, omnia summa animi constantia curâque peregisse, postposita generis nobilitate sanctæ obedientiæ humilitati: ne stiuam manu tenens & aspiciens retrò, ineptum se faceret regno Dei. Ibidem.

Idem author MVTII abbatis miram obedientiam, ac nisi veteris instrumenti par exemplum ei astipularetur, penè incredibilem enarrat, dicens eum vnico filio suo non pepercisse, vt abbati obediret. Vna enim cũ illo paruulo adhuc monasterium ingressus, vt cellulis dispararentur sustinuit: & cùm puer de industria in conspectu eius increpitaretur, verberaretur, miseris acciperetur modis, neque lachrymis neque clamoribus eius moueri potuit, vt verbum vnum proferret. Denique simulata in puerum indignatione abbas, patientiam pariter obedientiáque Mutij quàm maximo probaturus argumento, iussit vt arreptum filium efferret, & in proximum flumen suffocandum iactaret. Nihil moratus ille, vnicum vt mergeret tulit. Sed quibus negocium datum erat, cùm ad ripam fluminis ventũ esset, sese opponentes inhibuerunt. Post hæc abbati reuelatur. Mutium Abrahæ patriarchæ obedientiæ merito comparãdum, dignumq; cui post se monasterij cura committeretur. Ibidem.

VENERIVS monachus, solitariæ vitæ cupiditate ardens, inscio abbate discesserat, tuguriolumque sibi posuerat in deserto. Cæterùm à sancto Romualdo reprehensus, quòd absque præpositi sui permissu monasterium reliquisset, ideóque casso & infructuoso labore ipsum cœlum versus niti, quamdiu inobedientiæ premeretur grauitate, nõ distulit, quin statim ad abbatem suum rediens, & culpæ veniam rogaret, & in solitudine viuendi copiam. Vtroque impetrato, iã certiore promerendi spe Christo solitarius seruiuit. Ibidem.

EVFROSYNA virgo, Pafnutij Alexandrini filia, Smaragdus monachus dicta & credita, quoniam illi multus in vultu decor inerat, quocunque se verteret, omnium in se oculos conuertebat. Hanc ob rem ne fratrum mentes Deo intentas præsentia sua labefactaret, iussa est cellulæ suę ianuam vltra non egredi, sed ibi humanis pariter diuinísque defungi officijs. Paruit non libenter, minus quàm constanter, octo & triginta annos carcerem passa perpetuum. Tunc tandem quòd fœmina fuisset deprehensum est, cùm defunctæ corpusculum de more lauarent. O patientiam animi incredibilem, qua sustinuit tanto tempore sexum vestibus, se cellula tegere, vt & Christo seruiret & abbati obtemperaret. Quanti autem meriti esset apud Deum, miraculo patuit. Frater quidam cadauer osculatus, oculum quem olim amiserat, integrum recepit. Illa igitur quæ obediendo oculis omnium se subtraxerat, dum viueret, mortua postea solo tactu reparare erutos poterat.
Ibidem.

BRVTA QVAE RELIGIOSIS VIRIS PARVERVNT.

Non hæc ad hunc locum propriè pertinent (quia solius hominis virtutem prosequimur) sed tantùm ἐλέγχου causa: vt cùm belluas viris sanctis obedire videmus, pudore & rubore suffusi, officij nostri memores simus. Exempla pete ex tit. Benignitatis hominum erga bruta.

GALLVS Columbani abbatis discipulus, & Hildeboldus diaconus, pisciculos quos de flumine reticulo traxerant, in solitudine assaturi, ignem parabant: cùm interim vrsus miræ magnitudinis propius accedens, diaconum quidem terruit, sed Gallo iubente vt ligna igni inferret, obediuit. Hoc ideo sanè hic referendum duximus, vt qui præpositis suis reniti audent, tali exemplo magis confundantur, quando & syluestres feræ iussa sanctorum reuereantur & obseruent. Marul. lib. 4. cap. 3.

Diuo Hieronymo leo obsequium præstitisse dicitur: asellum monasterij ad pascua educere, pascentémque comitari suetus, agasonis fungebatur officio. Sed asello amisso, iussus ipse ligna dorso deferre, onera ista multa cum mansuetudine patiebatur, donec postea inuentum ante se ad monasterium agens reduxit. Ecce bruta animalia seniorum iussis obsequuntur, & homo rationis capax audet refragari? Certè quisquis eorum restiterit imperio, ijs iam dictis exemplis feris belluis asperior irrationabiliórque conuincetur. Ibidem.

SACERDOTES ET QVOSVIS ALIOS DIVINOS HOMINES colere ac reuereri.

Primus in Scripturis diuinis Melchisedech sacerdos memoratur, qui panem & vinum obtulerit Deo, & cui ABRAHAM patriarcha decimas dederit, quique etiam rex Salem extiterit. Sed dum rex tantùm erat, nõ illi licuit sacrificium ministrare, non decimas exigere. Sacerdos ergo factus est, vt potestate præcederet reges, & sanctitate Deo proximior fieret. Marul. libro tertio capite quinto.

SIQVIS vestes & ornamenta Aaron pontificis & filiorum eius sacerdotum in Exodo consideret, inueniet in eis creaturarum omnium typum: & hoc quidem quantum ad allegoriam pertinet, quantum verò ad tropologicum sensum, virtutum cunctarum imaginem. Et si anagogem contemplari voluerit, figuram Christi. In fronte nomen Dei ineffabile sculptum in auro rutilat, quia caput Christus Deus est, & caput ecclesiæ Christus. Oleo sanctificationis consecrantur, vt eundem significent, de quo & prædictum est: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et tanta pontifici & sacerdotibus Dei tribuuntur, vt mundum totum, virtutésque omnes contineant, & simul mundi virtutúmque Dominum nobis exhibeant: quis non eos ante cunctos mortales qui in terra sunt, ponendos arbitretur? quis vel sola officij authoritate nõ omnib. magis reuerendos existimet? Soli pontifici Sanctasanctorum ingredi licet: solis sacerdotibus in altari Deo ministrare: solis panes propositionis sumere, & pro populo supplicare. Cedat omnis terrena potestas, nihil in sacerdotis potestate conspicimus, quod non cœlo dignum sit. Ibidem.

EMISSARII Saulis regis, iussi interimere sacerdotes Nobe, eo quòd Dauidem (quem ipse rex persequebatur) suscepissent, non sunt ausi manũ eis inferre. Aderat rex, in facinus vrgebat: cunctantibus iratus minabatur. At illi immoti fixíque stetêre, adeò ipsimet occidi, si sors ita ferret, quàm occidere Dei ministros malebant. Serui denique morte contempta, prætulerunt furentis Domini iussioni reuerentiam sacerdotum. Doech verò Idumeus, cui nulla religio, nullus Dei metus erat, nec sacerdotum quidẽ eius cruore manus suas fœdare timuit, nec distulit pios coram impio rege iugulare, vt illi morem gereret. Doech interpretatur mortuus, ne nescias morte æterna damnandum esse, quisquis tam excellentis ordinis viris iniuriam irrogare nõ perhorret. Ac ne tam immane flagitium vel Sauli vel ipsi Doech impunè cessisse existimes, ambo simul, cùm in Gelboe Philistinos fugerent, iusto dei iudicio proprijs mucronibus incubuerunt, semet interficientes, qui sacerdotes interfecerant. Ibidem. Rex

Rex DAVID sollicitè Dei cultum in cantoribus & sacerdotibus studuit ampliare primo Paralip. decimo quinto, vsque ad 25.

ABDIAS dispensator domus Achab timebat Dominum Israel valde: nam cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, ille centum prophetas in antro abscondit, pauit. 3. Reg. 8.

SACERDOTIBVS à Christo seruatore ligandi soluendíque potestas tribuitur, eis prædicationis officium gubernandǽque ecclesiæ regimen committitur, & vt credentes expiationis lauacro, cæterísque diuini instituti sacramentis, ad cœlestem beatitudinem adipiscẽdam idoneos reddant mandatur. Ipsi sunt sal terræ, ipsi lux mundi, ipsi ciuitas supra mõtem ædificata: ipsi lucerna super candelabrum posita, & lucens omnib. qui in domo Dei sunt: ipsi ab Apostolo dicuntur genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Denique stellarum angelorúmque vocabula in Apocalypsi, promerentur: Et in Psalmo audiunt: Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabũt. Hæc sunt igitur quæ sanctos propheta Dauid suspiciens & admirans clamat: Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Hæc & nos certè mouere debent, vt illos præcipua & singulari quadam veneratione afficientes, quicquid honoris, quicquid officij in eos contulerimus, in Deum contulisse arbitremur, Deo præstitisse. Marul. lib. 3. cap. 5.

ANTONIVS Ægyptius abbas, virtutibus & miraculis vbiq; clarus, ipsos presbyteros ac sacerdotes in summa veneratione dicitur habuisse: solitúque eisdem caput submittere, benedictionem captare, & pro magno beneficio ducere, si accepisset. Profectò tam sanctus vir haud quaquam tanti sacerdotalem benedictionem fecisset, nisi per eam sanctiorem se fore cognouisset. Benedici à sacerdote voluit vt benedici mereretur à Deo, non in sola vitæ suæ integritate confidens, verumetiam aliunde spiritalia sibi subsidia comparans. Nam & palmes ille in Euangelio, quamuis fructuosus atque fœcundus: adhuc tamẽ purgatur, vt fructus plus afferat, & prouentu indicis lætiore copiosius exuberet. Ibid.

IOANNES primus, qui Hormisdæ in summo pontificatu successit, Cõstantinopolim versus pergens, cùm Corinthum diuertisset, equum ei à quo commodatum acceperat restituit. Hoc equo quòd inter alios mansuetior esset, vti solebat vxor eius qui commodauerat. Post hæc verò cũ ille inscendere vellet, ferocire equus, ac velut effrenis & inde mirus circũagere sese: nec omnino pati, vt cuius dorso pontifex iam sederet, mulier sederet. Cuius rei non mediocris admiratio, tum ipsam, tum virum cœpit: séque illo equo deinceps indignos iudicantes, cum pontifici, cui prius cõmodato concesserant, muneri obtulerunt. Docuit immensũ, quod homo ignorabat, non solùm ecclesiæ antistitis personam esse honorandam: sed etiam locũ in quo constitisset, atq; adeò sedem ipsam in qua se aliquando collocarat. Ibid.

MARCELLINVS Anconæ vrbis episcopus, cùm podagræ morbo fractus ac debilitatus incedere pedes non posset, gestari se iussit, & contra incendium quo vrbs ipsa conflagrabat deponi. Mira res ád illum vsque flamma perueniens retrocedere cœpit: paulatimque vanescẽs, sæuire desiit, & sopita defecit. Quòd si ignis, id est inanimale elementum sacerdotij virtutem sensit atque refugit: quis tam impudens est, vt eandem reuereri, eidémque sese inclinare subijceréque contemnat? Ibid.

Fratrum minorũ institutor ac pater FRANCISCVS, maximo semper honore sacerdotes prosecutus est. Dicere solitũ tradunt, si cui sanctorum è cœlo in terram lapso, & cũ illo simul sacerdoti fortè occurrisset, prius se sacerdotis manibus osculũ daturum, deinde reuerentiam facturũ sancto. Plus se debere illi significans qui Christi & Apostolorum vices in terris gereret, quàm illi quẽ iam cum Christo regnare nosset. Quanta autẽ res esset sacerdotium, in eo ostẽdit, quòd se indignũ illo iudicans nunquã promoueri passus sit, solóque diaconatus officio contentus, quoad vixit, fuit: cogitent nunc sacerdotes qualis eos deceat perfectio si Franciscus suam non sufficere credidit. Ibid.

MARIAM Ægyptiacam Zozimas abbas in deserto orantem, corpore supra terram attolli vidit, supra aquas Iordanis ambulantẽ non mergi, & stupefactus genua ante illã flectere reuerentiæ gratia voluit. At mulier sacerdotalem in ipso dignitatẽ animaduertens, non permisit. Sed econtrà honorẽ quo se indignã censuit, ei detulit. Maius quiddam existimans, sacerdotem esse, quàm miracula facere. Ibid.

M. FLAVIVS Valerius Constantinus Max. Imperator, Chalcedonensi concilio cùm vltimus inter sacerdotes sederet, auditis accusationibus, quibus inuicem sacerdotes criminabantur, delatas ex scripto ad se in gremium cõclusit, omnésque illectas combussit, dicens: Sacerdotes ceu numina ad hominem regendũ constitutos esse, & propterea intactum se Deo eorum iudicium reseruare velle. Fulgos. libro primo, cap. 1. & Egnat. lib. 1. capite 1.

A CONSTANTINO Imperatore legem editam tradunt, qua decernit, plus honoris deberi homini in sacerdotali dignitate cõstituto, quã vlli alij vel domino vel regi: certum enim esse in illis honorari Christũ qui vicem Christi in terra gererent, non in illis qui imperarent terræ. Solis autem Apostolis, quorum locum sacerdotes tenent, à Domino dictum esse: Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Marulus libro tertio, cap. 5.

LVDOVICVS Crassus, Francorum rex, sacerdoti Eucharistiam offerenti obuiam proficisci voluit, quamuis grauissimo affectus morbo. Rauis.

Illud idem de RODOLFO Hapsburgensi comite narratur, qui cùm in itinere sacerdotem cum ęditio sacra ferentes inuenisset, sacerdotẽ suo, æditũ serui equo impositos, pedes comitatus est. Qua quidem humilitate non sibi tantùm, verùm & posteris suis ad amplissimos in Rep. Christiana honores aditum fecisse, à multis creditur.

MARTINVS Turonensis episcopus, à Valentiniano imperatore inuitatus, cum multis principibus viris vnà recumbentibus primus poculũ accepisset, in quo circumferendo (sicuti tunc mos erat) honoris ratio ducebatur, eo gustato, presbytero suo post se hauriendum porrexit: neminẽ ex omni illo conuiuarum numero digniorem decernens, cui secũdum honoris locum daret, ne ipsum quidem Valentinianum Augustum. Marulus lib. 3. cap. 5.

HILDERICVS Vuandalorum rex, sui patris Thrasimundi iussu nũquam catholicis consulere ausus est, iuramento astrictus. Quo defuncto, antequam regnum hæreditario iure susciperet, omnes catholicos ab exilijs iussit reuocari, & ab episcopis ecclesias reformari. Sigebertus in Chronicis.

GVNTHAMVNDVS rex in Africa, Ecclesias catholicorũ à patruo suo Hunerico, vel auo Genserico clausas aperuit, & omnes Dei sacerdotes petẽte Eugenio Carthaginensi episcopo ab exilio reuocauit. Siger. in Chronicis.

EXEMPLA ETHNICA.

TRALLIBVS regia regibus destinata, illis quoque qui summũ gerebant sacerdotium, priuilegio honoris concedebatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8.

PANTHEI sacerdotes omnium duces sunt, quibus causarum iudicia, & publicarum rerum arbitria tribuuntur. Ibid.

ALBANIS ceremoniarum antistes ea fulgebat dignitate, vt post regem haberetur secundus. Ibid.

In ARITIA Arcemisiæ Dianæ sacerdos: regis nomine salutatur. Ibidem.

In COMANIS Ponticis tantæ dignationis erat sacerdos, vt annis singulis bis diadema gestaret. Ibidem.

Apud MEROEN Iouis sacerdotes adeò superstitione impleuerunt hominum animos, vt nonnunquam misso nuncio, necem regi Æthiopiæ demandarent, nullo detrectante, aut mandatum iussionémue abnegante: donec ad Erganem regem peruentum est, qui omnes occidit, & sacerdotium sustulit. Idem ex Diodoro Siculo libro quarto, capite 1. de Rebus antiquis.

Apud GERMANOS priscos nulli verberare aut vincire, vel animaduertere in alios nisi sacerdoti permissum erat. Ibid.

ALEXANDER Macedo, cùm cepisset vrbem Thebanorum, occidit ciuium nonaginta millia: triginta millia sub hastam captiui: atemque redegit omnésque liberos homines, exceptis sacerdotibus, vendidit. Ælianus lib. 13. de Varia hist.

SABACVS Æthiopum rex, cùm ægyptum pulso rege Anysi occupasset, 50. anno visus est sibi videre quendam astantem, qui suaderet ipsi, vt congregatos cunctos ægypti sacerdotes incideret medios. Hac visione conspecta, existimauit sibi deos demonstrare causam, vt piaculo in sacra commisso, aliquid cladis aut à diis, aut ab hominibus acciperet. Maluit ergo fugere, quàm facinus illud patrare: præsertim cùm elapsi essent quinquaginta anni, quibus eum in ægypto regnaturum prædixerunt vates. Herod. lib. 2.

Vrbe à Gallis capta, cùm flamen Quirinalis, virginésque Vestales, sacra onere partito ferrent, easque pontem Sublicium trãsgressas, & cliuum qui ducit ad Ianiculum descendere incipientes, L. Albinus plaustro coniugem & liberos vehens aspexisset, propior publicæ religioni, quam priuatæ charitati, suis vt plaustro descenderent imperauit, atque in id virgines & sacra imposita, omisso, cœpto itinere, Cerete oppidum prouexit: vbi cum summa veneratione recepta, grata memoria, ad hoc vsque tempus hospitalem humanitatem testantur. Inde enim institutum est, sacra ceremonias vocari: quia Ceretani ea infracto Reipublicæ statu, perinde ac florente coluerunt. Quare agreste illud & sordidum plaustrum, tempestiuè capax, cuiuslibet fulgentissimi triumphalis currus vel æquauerit gloriam, vel antecesserit. Valerius libro primo capite primo & Plutarc. in vita Camilli.

TIBERIVS Imperator sæpissimè veniebat ad sacrificia, non solum vt esset inanis sacrarum rerũ atque cultus diuini spectator: sed vt honoraret eos qui ea facerent, tanquam deorum ministros. Dion Nicæus in ius vita.

AVR. Alex. Seuerus Rom. Imper. tanti religionem eiúsque ministros fecit vt causas à põtificibus atque auguribus tractatas, oratus mutare noluerit: in iis quæ ad religionem pertinerent, imperatoriam maiestatem cedere sacerdotum authoritati dignum arbitratus. Fulg. lib. 1. ca. 1.

ELEEMOSYNIS, ET QVOCVNQVE BENEFICIORVM GENERE fratres siue proximos suos religionis ergò prosequi.

Exempla pete ex titul. Liberalitatis religiosæ.

SEPHORA & PHVA, Hebræorum obstetrices, noluerunt obedire Ægyptiorum regi imperanti vt omnem masculum partu iam editum interficerent, fœminas seruarent: timentes Deum, qui omne homicidium sua lege prohibuit. Exod. 2.

COENOBIA ET MONASTERIA EXTRVERE.

PAVLA, Romana matrona, cum D. Hieronymo in Syriam profecta, quatuor illic monasteria extruxit. Virginum tria, quibus ipsa præfuit: vnum virorum, cui Hieronymus. sic per 20. annos orando, psallendo, conciones audiendo, deorum vitam imitata fuit.

ROBERTVS Hugonis Capeti filius, Francorum rex, plurima religiosa loca excitauit. apud Aureliam cœnobium sancti Anniani, in sylua Aquiliana. S. Medardi, & sancti Leodegarij, in Viteraco castro. S. Regalis, in ciuitate Syluanectensi: apud Augustodunum sancti Cassi. Rauis.

LVDOVICVS Crassus, Francorum rex, fecit cœnobium S. Victoris in suburbiis Lutetiæ Idem.

THEOLINDA Longobardorum regina, multas sacras ædes erexit, multas ruinæ iam proximas reparauit. Idem.

GREGORIVS Magnus, qui prius senator, dein Romanus fuit pontifex, non populari auræ, sed pietati & sanctimoniæ addictus, sex in Sicilia extruxit monasteria: vnum Romæ, in quem vsum vertit paternam domum. Visitur hodie locus in Cœlio, cum vestigio vetustatis: hoc ille sibi fabrefecit gymnasium, ad exercēdam pietatem: hic sacris operatus est, omnia quæ habuit pauperibus impēdit: calcauit terrena, vt cœlum teneret: multa quidem multis dilargitus, sed plura omnino & meliora adeptus. Sab. lib. 2. cap. 1. & Marul. lib. 1. cap. 1.

ALFREDVS rex Anglorum, permulta construxit cœnobia. Rauis.

BATILDIS, seu Clotildis, Francorum regina, duo cœnobia construxit. Idem.

THEODERICVS, filius Clodouei, ædem sancti Modesti Atrebatensis. Idem.

OTHO tertius Imper. diuendito patrimonio, Germaniam multis ornauit cœnobiis. Idem.

CLOTHARIVS rex Francorum, condidit templum sancti Medardi Suessionense. Idem.

CONTO Anglorum rex, cœnobia quatuor erexit. Tria ordinis sancti Benedicti: quartum in honorem diui Eduardi regis. Idem.

EDGARVS rex Angliæ, singula erexit monasteria, singulis quibus regnauit annis. Idem.

PHILIPPVS Augustus, cœnobium apud Syluanectum excitauit, & ciuitatem Andegauensem dirutam restituit. Idem.

ANDOENVS episcopus, qui floruit regnante apud Francos Lothario, cœnobium patrimonio suo erexit. Idem.

LOCA PRO PAVPERIBVS EXCIPIENDIS atque fouendis extruere.

Si sumptum spectes, Liberalitatis hæc erunt, & Magnificentiæ: sin studium erga pauperes, Religiosæ Iustitiæ pars erunt.

Laudatur HYRCANI summa liberalitas, qui (vt refert Egesippus) primus xenodochia, id est peregrinorum receptacula, nosocomeia ægrotorum, orphanothropheia puerorum parentibus orbatorū, ptochotropheia pauperum, gerontocomeia senum & infirmorum, cœnotropheia promiscuorum, prædotropheia infantum & imbecillorū magnificenter instituit. Guido Bitur.

ALEXIVS Comnenus orphanotropheion erexit, in quo puellas & pueros parentibus orbatos sua pecunia resouebat. Fecit & Museium, in quo alios iubebat erudiri, pecunia ex regio vectigali data. Rauis.

CONSTANTINVS monachus Imp. templū instituit, in quo grauati senio, & ad laborem inutiles fouerentur. Idem

INNOCENTIVS tertius xenodochium S. Spiritus fecit in Saxia. Altare S. Petri Romæ exornauit. Sixti templum restituit. Turrim maximam erexit. Idem.

PETRVS Vrseolus dux Venetorum, templum diui Marci incendio absumptum restituit, & pauperum xenodochium extruxit. Idem.

BASILIVS Magnus episcopus Cæsariensis, pauperum hospitia & xenodochia extruxit: vnum nobilissimum, Basiliada de suo nomine dictum. Sozomenus libro 6. cap. 33.

D. IOAN. Chrysostomus episcopus Constantinopolitanus, nosocomeium Constantinopoli suis ædificauit sumptibus. Georgius in eius vita.

LOCA PRO SEPELIENDIS MORTVIS. COEMITERIA *extruere.*

IVLIVS pontifex Romanus, sub Constantino Imperatore extruxit tria cœmiteria in totidem vijs, Flaminia, Aurelia, & Portuensi. Basilicas duas: alteram iuxta forum Romanum, trans Tyberim alteram. Volat. lib. 22. Anthrop.

MAXIMIANVS monachus indoctus, & idiota, ob eam rem solam pietatis laudem adeptus, quòd proprijs sumptibus monumenta, in quibus defuncti reconderentur, extruxerat, Nestorio hæretico ab episcopatu Constantinopolitano deiecto substitutus fuit, anno Christi 434. Nicephorus libro 14. cap. 37.

RELIGIONIS OBSERVATAE PRAEMIA.

Exempla pete ex tit. Liberalitatis religiosæ. Item, Orationis effectus. Item, Sacrificia pro re aliqua impetranda. Item, Bella diuino numine confecta.

PRAEMIA DIVINA, CHRISTIANIS *vel Iudæis data,*

Cum orbem terrarum Deus optim. maxim. propter peccata diluuio delere statuisset, solum NOACHVM iustitiæ & pietatis ergò cum suis filiis & nurubus in Arca incolumen seruauit. Geneseos capite 7.

Siue propria religionis virtus, siue gratia ea fuit, per quam MOYSES Deum alloquutus est, & vidit, quantū humanitas diuinitatem, quę infinita atque incomprehensibilis est, potest intueri: profectò digna est quæ maximi fiat, non modò vt rares, quæ rarissimè contingit, mortalitatē supereminent, verumetiam quæ fortasse alteri nemini accidit. Fulgosius libro 8. capite 16.

Si Scipio atque Pompeius, ante legitimum tempus, propter ingentem virtutis opinionem à populo Romano consules creati fuerunt, id tamen non nisi hominum iudicio factum fuit, qui multis rationibus errare possunt: sed diuinū, quo AARON electi populi Pontifex primus creatus fuit longè magis faciendum est, cùm prodigium electionem confirmauerit. egit enim, vt virgulta iam desecta florerent, atque vna & eadem nocte fructum proferrent. ibid.

Præclarum fuit Dei iudicium de IOSVE & CALEPH, Iephoni filio ambobus Iudæis: quos solos ob virtutem, de sexcentis Iudæorū milibus, qui Ægyptum egressi sunt, Deus dignos duxit, vt in terram à se promissam ingrederentur. Ibid.

IEHV rex Israel, cùm omnes qui de domo Achab regis erant, iussu Domini interfecisset, continuò audire meruit: Filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Itaque obediētiæ eius meritum filiis etiam, posterisque eorum vsui fuit, quartæ enim generationis huius extitit finis in Zacharia filio Hieroboam, Sellū filio Iabes regnum occupāte. Marul. lib. 4. cap. 3.

AMASIAS rex Iuda, cùm aduersum Syros expeditionem parasset, viro Dei obediendo, exautoratis atque dimissis centum millibus militum quos conduxerat de Israel, cum triginta millibus suorum copias hostium inuadens superauit, cùm vtraque multitudine simul vincendus, nisi paruisset. Cæterùm hac elatus victoria, cùm eiusdem prophetę monita contempsisset, à rege Israel Ioas victus captúsque, cognouit quantum sibi prius profuerit obedisse, cùm tantum postea non obedisse nocuerit. Ibidem.

Quanquam magnifica putari debeant eorum præconia, de quibus dictum est: superat tamen alia, mea quidē sententia, IESV CHRISTI, de Ioanne Baptista iudiciū, quanto ipse viuentes omnes dignitate excelluit, & quanto creaturam is qui creauit vincere solet. de eo enim dixit: Inter natos mulierum, neminem Ioanne Baptista maiorem surrexisse. Persica regna atque Asiatica, item cōsulares Cęsareósque triumphos diuino ac tertio iudicio, Ioannis Baptistæ virtuti postposuit. Fulgosius lib. octauo capite decimo sexto.

Post ascensionem Domini Discipuli statuerunt duos scilicet Ioseph & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius Apostolatus. Ductis ergo sortibus prodiit Matthias. Actor. primo.

Ministrantibus DISCIPVLIS Domino, & ieiunantibus, dixit illis

Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Actor. 13.

Ingentem perfectæ virtutis prærogatiuam, atque minimè dubium argumentum, FRANCISCVS Asisio vrbe natus, à Deo tulit. Nec verò id dico, quia in sanctorum numerum relatus fuit (id enim etiam ad alios pertinere videmus) sed quod præcipuo Dei munere dignus & factus & iudicatus est, qui viuens in corpore suo veram certamque vulnerum pertulerit formam, vnde humani generis abstersa labe vita prodiit mortalibus, quos primi parentis error in ęternum peremerat. Ita autem fuisse, præterquam quòd res ipsa inspiciebatur, Alexander quoque quartus, Gregorius nonus, Nicolaus tertius, Apostolica autoritate testati sunt. Fulgos. lib. 8. cap. 16.

OTTONIS II. Cæsaris vxor, erga pauperes valde liberalis erat. Die quodam Dominico Cæsar mendici habitu eleemosynam ab ea petit, manicam vestis preciosissimæ qua induta erat. Paret illa, eámque largitur. Domum reuersa, vestem mutat. Habitus mutati causam Imperator quærit, & vt preciosam vestem in medium proferri curet, impetat. Affertur, & miraculosè aliam manicam in eius locum, quam pauperi liberaliter concesserat, suffectam esse, obstupescit Imperator: qui eam, quam dono incognitus acceperat, sub veste occultabat: manifesto argumento, centuplum nos accepturos ea quæ in pauperes erogauerimus.

ETHNICIS DATA.

AGAMEDES & Trophonius, cùm Delphis templum condidissent, & mercedem ab Apolline petiissent: septima die se eis redditurum promisit, atque vt interea epularentur præcepit. Cùm paruissent, septima demùm nocte dum quiescerēt, interierunt. Plutarchus in Consolatoria oratione ad Apollonium. Pausanias tamen mortis illorum aliam causam affert. Vide sub tit. Astuti fures.

RELIGIONIS OBSERVATAE PRAEMIA HVMANA.

MAGISTRATVS sacri pijs hominibus concessi.

Sermo, quem dixerunt Apostoli, placuit omni MVLTITVDINI: & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, &c. Act. 6.

IACOBVS minor, primus Hierosolymorum episcopus frater Domini, atque eiusdem Apostolus, à Iudæis Christianisque simul eodem Iusti cognomine honestatus fuit. Fulgosius libro octauo capite decimo sexto.

Fuit ille Christianæ pietatis nascentis mos maxima laude dignus in primitiua ECCLESIA, quem ex rerum euentu optimus quisque sanè comprobet. Episcopi enim, vrbiumque ipsarum antistites populi, ipsius iudicio deligebantur hi, qui inter suos à primis annis cogniti, virtutis opinione quadam certa præcellerent, quósque vitæ sanctitate & doctrina aliis anteflare certum exploratúmque esset: ad quod Romani pont. plerique, & in his Gregorius, & Leo, & Augustinus ipse & Ambrosius innumerique alij facilè probent. Paulatim verò mos inoleuit ille, vt vnius aut alterius principis suffragio præficerentur illi, qui grati charique regibus per sua scelera & flagitia forent: vnde paulatim fluxit, vt iam nunc lucerna illa ardens sub modiis lateat, & in tenebris omnia confusa iaceant. Quis igitur rectum vitæ iter capere sibi posset, qui ducem ipsum tantùm aberrare animaduerterit? Egnat. libro secundo capite primo, & Fulg. eodem.

ZENONIS Imp. in episc. Constantinopolitano eligendo pietatem, pete ex tit. Fraus in dignitate acquiranda.

Cum schismate discissa esset Christi tunica, ad diuersos pontifices inclināte variis studiis ecclesia, in constantiensi concilio, vbi Cardinalium numerus duos & triginta superabat: abdicatis pontificatu Ioanne Gregorio, atque Benedicto, miro omnium consensu pontifex creatus fuit Odo, gente Columna ortus, & MARTINVS V. appellatus: vnum illum ob singularem virtutem, bonitatem atque doctrinam, tanto honore dignum duxerunt: neque ipsorum suffragiis, sed à Deo electum ferebant. Fulgos. lib. 8. capite decimo sexto.

CLODOARDVS, Clodomiri filius, cùm elapsus è manibus Theoderici qui Metensibus, & Clotharij qui Suessionibus imperabant, fugisset, ne, vt duo fratres, neci quoque traderetur: ad aram confugiens inspoliatis fani, ibi quoad vixit, præcipuo studio, sanctissiméque nomen loci coluit. Vnde post obitum inter diuos relatus est. Michael Ritius Neapolitanus lib. 1. de Reg. Francorum.

DOMINICVS author sectæ Prædicatorum, ob vitæ suæ sanctitatem relatus est in diuos, Anno quinquagesimo tertio imperij Alphonsi, Sanctij tertij filij, vt est apud Ritium Neapolitanum lib. tertio Regum Hispanorum.

PAVLVS Thebæus, eremitarum primus, vita defunctus in Pannoniam translatus, extra Budam in templo ei dicato, ac à religiosis eius ordinis. Oliuetensiū modo amictis custodito requiescit. Volater. libro 21. Antrop.

Inter raros honores is annumerandus est, qui CLARÆ in monasterio prope vrbem Asisium mortuæ habitus est. Nam cùm in ea vrbe Innocentius quartus pontifex esset, statim cum toto vrbis illius populo, totáque aula, vbi mortuæ corpus erat, profectus, canentibus tubicinibus, intra vrbem, non vt mortuā, sed in triumphantis speciem, eam detulit, atq; ipse omne funeris officium executus est. Inopi enim, quæ ciuilem statum egressa non erat, tantus princeps, & cum eo populus totus, hunc honorē præstitit, quem fortasse alicui rei negasset: honorem inquam, omni ex parte non minus excellentem, quàm cùm Macedones legati Romæ Scipionis feretrum subiuerunt. Fulgosius libro octauo capite decimo sexto.

Ætate nostra Satranensis ciuis THOMAS, qui postea sub Nicolai quinti nomine pontifex maximus fuit, cuius mater oua pulósque vēdebat: & FRANCISCVS Ruuerus Minorum fratrum ordinem professus, Sauonensis ciuis, qui & ipse Pontificatum sub Sixti quarti nuncupatione adeptus est patre ortus, qui semper nauticam exercuit: multis in sacro senatu præteritis, qui in magnis opibus principum sanguine nati erant, ambo sola virtute doctrináque adiuti, ad Apostolatus apicem per temporis interualla ascenderunt: magnáque laude ac fama claues tenuerunt, vrbe Roma ita ædificiis exornata, vt eorum temporibus deposito senio ad iuuentæ honorem restitui videretur. Neque vlla in parte vel Nicolai maternorum auorum, vel Sixti patris remorum non modò subpudere, sed longè magis tam obscuræ originis vilitate, cui ingens coniuncta fuit virtus, quàm multorum aliorum Pontificum magnis natalib⁹, sine virtute videatur gloriari debere. Fulgosius libro tertio, capite quarto.

HVMANA ETHNICA.

Cùm captum esset Ilium, ACHIVI miserati captiuorum ærumnas, omnino Græcè hoc per præconem denunciarunt, vt singuli ex liberis ciuibus, quod vellent, vnum aliquod secum auferrent. Æneas igitur cæteris neglectis, cùm deos penates exportaret, Græci pietate viri permoti, permiserunt insuper vt patrem quasi senio confectum etiam acciperet: confitentes eos qui in deos pij essent, etiam natura inimicos, non irreuerenter tractandos esse, Ælian. lib. 3. de Var. hist.

METELLVS pontifex, Vestali æde fortuitò igni flagrante, per medias flammas Palladium incendio subtraxit. Cessit illi audax conatus prosperè. nam deæ simulachrum seruauit: sed res felicius cessisset, si visum nō amisisset. Fuit tamen clades illa religiosæ mentis, & immodicæ charitatis in deam testis locupletissima: fuit & ornamento. datum est enim, vt curru veheretur in curiam: qui honor nulli eius ordinis ad id tempus contigerat. Sab. lib. 5. cap. 1. & lib. 5. cap. 4.

CERITES Romana ciuitate donati sunt, quòd Senonico bello Romana tutati essent sacra. Non potuit populi omni virtutum genere præstantissimi maius vllum charitatis exemplum in deos extare, quàm quòd omne solenne sacrorum institutum ceremoniam dixerit ab ea vrbe, per quam sacra ipsa seruari contigisset, illiúsque homines in ciuiū Romanorum numerum & dignationem asciuerit. Sab. Ibid.

Non tribunicia potestas, non autoritas senatus, consensusve optimatum potuit pop. Rom. impellere, vt MANLIVM Capitolinum perduellionis reum suffragiis damnaret, quoad Capitolium ab illo olim seruatum conspici potuit. Tanta tunc fuit Rom. ciuitatis in deos (quorum illa sedes) charitas. Ibid.

Cùm Lacedæmonii vellent ciuitatem Atheniensium funditùs extirpare, consulto oraculo, responsum eiusmodi tulerunt: Communem arā Græciæ ne moueatis. Ælian. lib. 4. de Var. hist.

RELIGIONIS CORRECTIO. DISSIDIA IN RELIgione, & Errores tollere inter suos.

Religionis correctio & restitutio non priuati alicuius est, sed eius qui publicam personam sustineat. Is ergo vel authoritate sua religionem mutet, vel aliorum quoque adhibito consilio: Cuius generis sunt Concilia & Synodi. Nos vtriusque modi exēpla afferamus [illegible]

EZECHIAS rex Iuda, fecit ſerpentem æneum confringi, eo quòd eſſet populo idololatrandi occaſio. 2. Paralip. 24.

CONCILIA ET SYNODI ECCLESIASTICAE.

Exempla ex Veteri Teſtamento depromi quædam poſſunt. Quæ poſt Chriſti aduentum congregatæ fuerunt ſynodi [redacted] *breuiter nobis deſcribitur.*

IVDÆI Eſdræ opera, Xerxe rege permittente, in patriam reuerſi, dũ diuinum cultum, longa in aliena terra mora, in peregrinos mores dilapſum, reformare nituntur, multis ex alia gente (id quod ipſorum lege ne fieret cauebatur) vxores duxiſſe inuentis, omnes ad eas coniugio, etſi iam liberos nepotéſque ſuſceperant, pellendas conuenerunt: pluris in eo religionem, quàm alia quæ in vita chara eſſe debent facientes, Fulgoſius lib. 1. cap. 1.

HIEROSOLYMITANVM primum, anno Chriſti 48. Claudij 6. poſt Pauli conuerſionem 18. inter Apoſtolos habitum eſt, propter quoſdam pſeudoapoſtolos, qui Antiochiæ docebant, fidem abſque operibus legis non iuſtificare. Conſtitutum ergo, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſaluari homines abſque operibus legis, neque eſſe gentibus iugum legis Iudaicæ imponendum. Act. 15.

ROMANA ſynodus, ſub Commodo Imp. à Victore pontifice inter Romanos inſtituta paſtores, qua cautum, vt quia in Paſchatis obſeruatione diuerſitas eſſet: Paſcha non niſi Dominico die celebraretur, quo Dominus reſurrexiſſet.

CÆSARIENSIS ſynodus in Palæſtina, à Theophilo Cæſarienſi epiſcopo inſtituta: qui Romam à Victore accerſitus, rediens eandem de Paſchatis celebratione die Dominico obſeruationem Palæſtinis eccleſiis communicauit.

GALLICANA ſynodus eodem tempore eandem ob cauſam acta: cui præfuit Irenæus.

PONTICA ſynodus à Palmate epiſc. eandem fortè ob cauſam eodem tempore celebrata.

ACHAICÆ ſynodo præfuit Bacchylus, Corinthi epiſc. & controuerſia de Paſchate celebrando ſublata.

Apud OSTROENAM quoque eandem ob cauſam ſynodus congregata.

ASIANA ſynodus à Polycrate epiſcopo congregata, ad quẽ Victor imperioſius ſcripſerat, vt Paſcha Dominico die tantùm celebrari curaret. Conuocatis ergo Aſiaticis epiſcopis plurimis, ſtatutum vt Paſcha recepto in Aſia more decima quarta lunæ ab Æquinoctio verno primæ, nulla diei Dominicæ habita ratione, celebraretur: cùm id nõ ſit contra Scripturã, [redacted]

ARABIANA prima ſynodus Philadelphiæ in Arabia à Beryllo congregata fuit, qui Chriſtum ante incarnationem extitiſſe negabat. Origenes Beryllum veris rationibus redarguit, & ad meliorem vitam reduxit. Sub Gordiano Imp.

ARABIANA altera ſub Philippo. In qua origenes eos confutauit, qui animas cum corporibus ſimul interire aſſerebant: cum iiſdem tamẽ in reſurrectione in vitam iterum reſtituendas.

AFRICANA prima ſynodus ſub Decio, à Cypriano epiſcopo congregata, contra Nouati errores, qui pœnitentes recipi debere negabat.

AFRICANA ſecunda, Feliciſſimum presbyterum factioſum, inobediẽtem & ſceleratum condemnauit, & ab eccleſia expulit.

ROMANA prima, anno Chriſti 255. à Cornelio epiſcopo conuocata, contra Nouati ſchiſma, qui Cornelij electionem vt illegitimam criminabatur.

ROMANA altera, poſt mortem Cornelij, contra Nouatum de pœnitentib. recipiendis, vel ſaltem de cauſa ſuſpendenda.

Antiochena ſynodus contra Nouatum.

Carthaginenſis ſynodus ab Agrippino ante Cyprianum congregatum de hæreticis pœnitentibus recipiendis [redacted]. Calendis Septẽbrib. imperante Gallo.

Apud ICONIVM Lycaoniæ, & SYNNADA Phrygiæ oppida, celebrata ſynodus: & decretum, ne ab hæreticis venientes in eccleſiam intromittantur, niſi prius omnia quæ ab hæreticis audiuerunt, publicè coram eccleſia expoſuerint.

AFRICANA ſynodus ſub Cypriano, 66 epiſcoporum, cùm Fidus epiſcopus Numidiæ infantes intra octauum diem ad imitationem circumciſionis baptizari non oportere, ad Cyprianum ſcripſiſſet, conſilium ab eo petens. Statutum ergo, vt non expectato tempore, etiam modò natis baptiſmus conferri poſſit.

Alterius ſynodi (loco & tempore incerto) meminit Cyprianus, in qua vnà cum Cornelio & omnibus totius mundi epiſcopis decreuerit, epiſcopos aut presbyteros idololatria pollutos & pœnitentes admittendos quidem, ſed ab ordine ſacerdotali deiiciendos.

AFRICANA ſub Stephano Romano, à Cypriano congregata, contra Baſilidem & Martialem epiſcopos, quòd epiſcopatu rectè deiecti eſſent propter vitam ſceleratam: quamuis illi Romam ad Stephanum confugiſſent, & falſo ſeſe excuſarent.

Antiochenæ ſynodi plures contra Paulum Samoſatenum, epiſcopũ Antiochiæ celebratæ, qui Chriſtum putum hominem dicebat. Prima celebrata anno Galieni 10, aut 11, Chriſti 256: in qua Paulus iuramento interpoſito, ſe cum Apoſtolis ſentire dixit. Tamen cùm non acquieſceret, anno 269. poſtrema & celeberrima ſynodus fuit congregata, præſidente Malchione Antiocheno presbytero, qui Pauli blaſphemias obſcuras detexit, & confutauit. Itaque de eccleſia eiectus, & in eius locum ſuffectus eſt Domnus, Demetriani eius cui ante Samoſatenũ epiſcopatui Antiochiæ præfuerat, filius Eccleſiæ iudicium Aurelianus Imperator ſua confirmauit authoritate.

Romana ſub Aureliano contra Dionyſium Alexandrinum epiſcopum, à Dionyſio Romano epiſcopo celebrata, quòd ille filium quaſi opus, nec patri conſubſtantialem aſſereret. At Dionyſius Alexandrinus apologiam exhibuit ſcripto, qua patri filium conſubſtantialem eſſe demonſtrauit.

Sinueſſana, octauo Diocletiani anno, Domini 31. Marcellinum epiſcopum Romanum cum tribus presbyteris & duobus diaconis cõdemnauit, quòd in perſecutione Diocletiana idolis ſacrificaſſent. Pœnitentes tamen recepti denuò ſunt, Marcellinus Diocletianum adiit: & Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, capite plexus eſt.

ANCYRANA anno Chriſti 308. & NEOCÆSARIENSIS, ſynodi, de Politia eccleſiæ pleraq; tractarunt.

NICÆNA Oecumenica ſynodus, apud Nicæam Bithyniæ vrbem à Conſtantino Magno indicta, anno Chriſti 320, Conſtantini 17, die viceſima Maij. Conuenerunt ex toto terrarum orbe epiſcopi plus minus 318. pro componenda diſceptatione Arij presbyteri & Alexandri epiſcopi Alexandrini. Quamuis aliqui Arianam hæreſim eo iam mortuo à concilio damnatam aſſerant. Durauit autem ſynodus per triennium, multæ epiſcoporum factæ ſunt diſputationes, ſed præcipua die 20 Maij. Illic confutata eſt Arij blaſphema opinio, qui Chriſtum non conſubſtantialem Deo patri Deum, ſed factum eſſe aſſerebat. Arius, eiuſq; aſſeclæ, Secundus à Ptolemaide, Theogonius, in exilium acti: cùm Euſebius Nicomedienſis epiſcopus, quo Arius ſummo vtebatur patrono, palàm recantaſſet, & Nicænæ fidei ſubſcripſiſſet. Sublata etiam controuerſia de Paſchate, cùm Orientales Chriſtiani eodem tempore cùm Iudæis Paſcha celebrarent, Occidentales verò die Dominico. Statutum ergo, vt poſthac die Dominico, vbíque celebraretur. Tertiò Meletij quoque (qui Lyci in Thebaide epiſcopus, à Petro Alexandrino epiſcopo depoſitus fuerat, quia in perſecutione præ timore dijs ſacrificaſſet: cuius infamiæ impatiens, Ario contra Alexandrum inſurgenti opem tulerat) cauſa cognita, & decretum, vt cùm iuſta cauſa fuerit illum ab officio deponendi, in loco tamen ſuo patrum clementia relinqueretur, adempto ſolo iure adminiſtrationis & ordinationis in eccleſijs alijs. Illi tamen qui ab eo hactenus ordinati fuiſſent, rectè quidem ordinati viderentur: poſteriores tamen ordine omnibus alijs in quibuſuis eccleſijs legitimè ordinatis. Multa alia in eadem ſynodo acta, ſed prædicta præcipua. Quamuis autem Arij perfidia planè damnata ſit, non tamen penitùs extincta. nam poſt mortẽ Conſtantini vſque adeò afflixit eccleſiam, cùm etiam patronos inuenerit Imp. Conſtantium & Valentem. Huius deinde fidei formulam vbiq; vt orthodoxam & catholicã, in omnibus eccleſijs habitam fuiſſe conſtat.

SYNODVS in Tyro metropoli Phœniciæ, 60 epiſcoporum Orientalium congregata, Conſtantini Magni iuſſu. Occaſio talis fuit: Conſtantia Imper. ſoror perſuaſa fuit à ſacerdote quodam, Ario in conſilio Nicæno iniuriam factam: neque enim Arium aliter quàm ſymbolum Nicænum credere. Illa moriens rem fratri communicat, & vt Arij innocentia protegatur exorat. Imp. ergo ad ſe Arium Conſtantinopolim euocat, cúmque is ſymbolo Nicænæ ne aſſentiri iureiurando affirmaſſet, Alexandriam redire iubetur, vbi presbyter fuerat. Reuerſum Magnus Athanaſius poſt Alexandrum epiſcopus recipere noluit. Hanc nacti inobedientiæ occaſionem Euſebiani plurimi, qui in Ægypto erant, & metu per ſimulationem conſilio Nicæno ſubſcripſerant, Athanaſium apud Imp. grauibus calumnijs onerant, maximè quòd Arſenium Meleatinorum epiſcopum quendam occidiſſet, & clàm eius manum, qua ad veneficia vteretur, reſecuiſſet: item quòd virgini ſtuprum intuliſſet. Hæc crimina cùm diluiſſet, multa alia in eum ijdem indices & accuſatores confingunt. Qua re adductus Athanaſius, Conſtantinopolim profugit. Imp. epiſcopus eò euocat, & cur eum damnaſſent, cauſam rogat. Illi pluribus adhuc falſis calumnijs, vt hominem ſeditioſum criminantes, tantùm apud pium alioqui Imp. potuerunt, vt Athanaſius in Gallias Treuerim exulatum mitteretur, quòd ita ſe Imp. ſperaret diſſidia Orthodoxorum & Arianorum (quos Athanaſius nullo modo recipere volebat) componere poſſe. Anno tamen & paucis menſibus elapſis, Imp. graui morbo implicatus, vt Athanaſius rediret, quamuis acriter reluctante Euſebio Nicomedienſe epiſcopo Ariano, decreto ſanxit. Quod & per iuniorem Conſtantinum poſtea factum eſt.

HIEROSOLYMITANA, anno Conſtantini Magni 30. ab ipſo Imp. Tyro euocata fuit, ad conſecrationẽ martyrij Saluatoris, quod regali magnificentia Imp. Hieroſolymis ædificauerat.

ANTIOCHENA ſynodus ab Arianis conuocata fuit. In qua Euſtathius Antiochenus epiſcopus orthodoxus condemnatus fuit, ob falſam calumniam ſtupri cum meretrice commiſſi.

ROMANÆ

ROMANÆ aliquot ſub Syluestro, Arij hæreſim condemnarunt.

ELIBERINA, in Eliberide Hiſpaniæ ciuitate, circa Nicæni conſilij tempora, ex epiſcopis 19. presbyteris 36. & diaconis incerto numero, varia de Politia eccleſiæ conſtituit.

ARELATENSIS prima, à Conſtantino indicta, pro componendo diſſidio inter Cecilianum epiſcopum Carthaginenſem, & epiſcopos Africæ. Secunda, anno Chriſti 326. celebratur. Cuius canones varij fuerunt.

ANTIOCHENA quinto anno poſt mortem Conſtantini Magni, à Conſtantino iuniore habita. Nam cùm Athanaſius ab Impp. ab exilio reuocatus, Alexandiam remiſſus eſſet: Euſebiani eam rem indignè ferentes, nouis calumniis Athanaſium circumuenire, & orthodoxam Nicæni concilii ſententiam conuellere cœperunt, Imperatore ad omnia obſequente Euſebianis & Arianis. Athanaſius Romam ad Iulium fugit. Quã ſynodum ſecutæ ſunt terribiles terræmotus per totum Orientem, anno Chriſti 344.

AGRIPPINENSIS ſub Iulio epiſcopo Romano, anno Chriſti 347. octauo conſtantini, in qua Euphrates epiſc. Chriſti diuinitatẽ negans cõdemnatus fuit.

ROMANA ſub Conſtantio & Conſtante, à Iulio Romano epiſcopo congregata, ad quem Athanaſius condemnatus ab Arianis in Antiochena ſynodo confugerat. Conuenerunt illic 316. epiſc. exceptis Arianis Orientalibus, qui Athanaſium condemnarant. Illic ergo Ariani condemnati ſunt, Athanaſius abſolutus.

SARDICENSIS XI. anno poſt obitum Conſtantini, Chriſti 351. cõgregata in Sardica vrbe Illyriæ, eo quod nec poſt Romanam ſynodũ Euſebiani contra Athanaſium quieſcerent: ſed omnia, in Oriente, præſertim Alexandriæ turbarent. Itaque Conſtans qui in Occidente imperabat, ad fratrem Conſtantium Orientis regem ſcripſit, & vtroumque Imp. cõſenſu indicta eſt ſynodus. Occidentalium epiſcoporum conuenere 300. Orientalium 77. tantùm, quia cauſæ ſuæ metuebant: atque etiam illi qui venerant, cùm Athanaſium præſentem viderent, & liberum concilium, non armis ſeptum conſpicerent, clàm abierunt Philippopolim Thraciæ vrbem: & illic Antiſynodo collecta, Homouſios damnarũt apertè, & dogma Arianum confirmarunt. Damnarunt quoque Iulium epiſcopum Romanum, & multos alios, quòd Arianis infeſti eſſent. Sardicenſis ſynodus Athanaſium, literis Conſtantij & Iulij epiſcopi inſtructum, Alexandriam remittit: qui Hieroſolymis conuocatis epiſcopis ſynodi acta exponit. Ariani itaque damnantur: fides Nicæna approbatur: Athanaſius dignitati ſuæ reſtituitur.

ALEXANDRINA ex 100. epiſcopis congregata, poſtquã Athanaſius Alexand. reuerſus eſſet: in ea innocentia Athanaſij publicè detecta, & ad omnes vbique eccleſias perſcripta fuit.

SYRMIENSIS à Conſtantio indicta, anno Chriſti 356. propter Photinum Syrmij epiſcopum, qui Chriſtum, initium à Maria cæpiſſe & nudũ eſſe hominem, errore Sabellij & Samoſateni aſſerebat. Conueniunt eo Ariani epiſcopi: qui vt Photinum damnant, ita impiæ ſuæ fidei varias formulas exhibent.

MEDIOLANENSIS, mortuo Conſtante, & denuò eiecto Athanaſio, à Conſtantio indicta eſt, qui Arianam hæreſim prouehere tentabat. Petebant Ariani, vt Athanaſius communi ſententia damnaretur, ne quis ei locus amplius Alex. daretur. Sed cùm Occidẽtales quidam huic iniuriæ reclamarent, ſynodus re infecta dimiſſa eſt.

Cùm in hac nihil eſſet actum Imp. Conſtantius anno imperij 22. Arimini concilium indicit. Conuenerunt Orientales & Occidentales circiter 400. Ariani diſſimulato veneno ab Orthodoxis impetrarunt, vt relicto ὁμοούσιος vocabulo ὅμοιον patri filium faterentur. Illi concordiæ gratia aſſenſerunt, [redacted] Abierunt omnes læti in ſuas prouincias. Sed tãdem Ariani fraudem ſuam detexerunt, neque ſe filium creaturam negaſſe, ſed ſimilem tantùm reliquis creaturis aſſeruerunt, ὁμοίως vocabulo abolito. Ingemuit totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.

ROMANA ſynodus ſub Damaſo, fidei formulã in Ariminenſi, ſeu Nicæna Traciæ ſynodo, ab Arianis dictatam condemnauit. Nonaginta epiſc. ex Gallia & Italia congregati fuêre.

SELEVCIANA in Iſauria à Conſtantio indicta, eandem ob cauſam Nec quicquam tamen actum, quòd occulti Ariani (quorum princeps erat Acacius) inter ſe diuiſi, alij quidem totam fidei Nicenæ formulam abrogandam eſſe aſſererent, alij verò ſolam ὁμοούσιος vocem abhorrerent. In duas ergo diuiſi partes, alij alios excommunicant & deponunt.

Conſtantinopolitana ex priore ortũ habuit, cùm depulſi ab Acacianis ad imperatorem Conſtantinopolim tenderent, præuenerunt eos Acaciani anno Chriſti 364. Conſtantij 24. & euocatis 50. epiſcopis ex Bithynia, fidem Arimini lectam confirmant, nonnullis adiectis, ne ſcilicet in poſterum vel eſſentia vel ſubſtãtia de patre, filio & Sancto Spiritu diceretur.

ANTIOCHENA ab Acacianis cogitur, in qua pœnitentia ducti, quòd filium patri omnino ſimilem eſſe dixiſſent, Homouſij vocabulum ex fide Arimini & conſtantinopoli promulgata eradendum eſſe cenſebant. Veruntamen poſt multa vltro citroque dicta, nihil mutatum fuit. Conſtãtius tum ad bellum Perſicum proficiſcebatur.

ANTIOCH. altera non multo ante mortem Conſtantii, confecto bello Perſico, ab ipſo Conſtantio Ariano inducta, cùm dictiones Coeſſentialitatem & Diuerſieſſentialitatem Epiſcopos abiurare cuperet, Meletius Antioch. epiſc. cõſtituitur. Qui cùm orthodoxè ſe ſentire aſſeruiſſet non multo pòſt à perfido Imp. in exilium actus eſt.

Poſt mortem Conſtantis ſub Iuliano ALEXANDRINA cogitur ab Athanaſio, poſtquam Lucifer Catalenſis & Euſebius Vercelenſis epiſcopi ab exilio rediiſſent. Illic Nicæna fides confirmata eſt, contra Arianos.

ANTIOCH. ſub initium imperij Iouiniani, anno Chriſti 368. Acaciani Meletio Antiocheno ſeſe coniungunt, & Homouſij vocem amplectuntur, eo quòd Meletium in gratia apud Imp. eſſe videbant. Communi etiam ſententia Nicæna fides approbatur.

ALEXANDRINA à Iouiniano coacta eſt ad tranquillitatem Eccleſiæ ſtabiliẽdam. Athanaſius itaque ea de re ſynodicam epiſtolam Imp. tranſmiſit, cúmque in vera fide erudit. Qua lecta, confirmauit Imp. Conſtantini Magni edictum de frumento Eccleſiis largiendo, quod à Iuliano ſublatum fuerat. Antiochia dedit ad Boſphorum tendens, Dadaſtanæ (qui vicus eſt in finibus Bithyniæ & Galatarum) finiuit vitam, ſummum ſui deſiderium orthodoxis relinquens.

LAODICENA poſt mortem Iouiniani, de fide nihil, ſed tantùm de politia Eccleſiæ conſtituit canones 59. quorum author fuit Theodoſius epiſcopus.

ILLYRICA anno Chriſti 370. à Valentiniano optimo Imp. & fratre eius Valente nondum Ariana labe infecto coacta fuit, ad tollendas diſſenſiones in Aſia & Phrygia ortas ex labe Ariana. Confirmata ergo eſt fides Nicæna.

Sub iiſdem Impp. LAMPSACENA Macedonianorum, Sicula, Tarſenſis, Antiochena Cariæ, Tyanenſis in Sicilia, Nicomedienſis Arianorum, in qua Valens Eleuſium Cyzicenum epiſc. Macedonianum ad ſe euocatum, Arianis ſubſcibere coegit, metu exilij. Qui Cyzicum reuerſus, & pœnitentia ductus, ſemetipſum epiſcopatu abdicauit. PAZENSIS in Phrygia Nouatianorum paucorum, qui paſcha cum Iudæis celebrandum eſſe conſtituerunt.

ROMANA, Chriſti anno 370. ſub Damaſo pontifice, mortuo Liberio, ex 90. epiſcopis Auxentium epiſcopum Mediolanenſem Arianum damnauit.

Romana altera à Damaſo habita anno CCCLXXIX. re communicata cum Petro Alexandrino epiſcopo, in qua Apolinarij hæreſis damnata fuit.

CONSTANTINOPOLITANA, à Theodoſio (qui Gratiano ſucceſſit) tertio ſui imperij anno Chriſti CCCLXXXIII. congregata, ex epiſcopis 150. orthodoxis, & Macedonianis XXXVI. Macedoniani cùm fidem Nicænam approbare nollent, abierunt. Orthodoxi eam confirmarunt, & Conſtantinopolitanam eccleſiam poſt Rom. primatum obtinere debere ſtatuerunt.

Romana, paulo pòſt à Theodoſio indicta eſt, vrgente Damaſo papa: in qua Nicæna fides approbata, hæreſes Apollinarij, Macedonij & Photini damnatæ ſunt. Venerunt quoque eò legati ab Orientalibus miſſi tres: Cyriacus, Euſeb. & Priſcianus.

Conſtantinopolitana, Chriſti anno CCCLXXXVI. Theodoſij quinto, poſtquam Arcadium Auguſtum declarauit. In qua Theodoſius ipſe Homouſianæ, Arianæ, Eunomianæ, & Macedonianæ fidei formulis perlectis, ſolam Homouſianorum probat & amplectitur, reliquas lacerat.

AQVILEIENSIS tertio anno Theodoſij, ex 32. epiſcopis Occidẽtalibus: in qua Palladius & Secundianus epiſcopi Ariani condemnati fuerunt.

Carthaginenſis ſub Syricio papa, anno Chriſti 394. Theoſij 12. fidem confirmat Nicænam, & ordinem Eccleſiaſticum inſtituit. Iudem Carthaginenſis altera anno CCCLXXXIX. de politia eccleſiæ habita alia quoque anno CCCCI. vltimo Syricij papæ, ex epiſcopis CCXIIII. de eadem re.

Sub Arcadio Imp. variæ ſynodi habitæ, inſtigante Theophilo Alexãdrino epiſcopo, qui Dioſcurum monachum & Ioannem Chryſoſtomum epiſcopum Conſtantinopolitanum oderat: & vt eos commodè damnare poſſet, quia ſciebat eos delectari lectione Origenis, libros damnari curauit ab Epiphanio primùm in Cypro deinde Alexandriæ, mox CONSTANTINOPOLI. Tandem apertè Calcedone, ad inſtigationem Eudoxiæ Honorij vxoris, quam Iezabelem Ioannes in publica cõcione vocauerat: Ioannes depoſitus à Theophilo, & in exilium relegatus eſt, maxima populi indignatione. Ea nocte qua abiit, maxim. terræ motus vrbẽ concuſſit. Perterritus ergo Arcadius, & Innocentij etiam Rom. epiſc. literis monitus, Ioan. ab exilio reduci curauit.

Conſtantinopolitana poſt reuocationem Ioannis, cùm vix ante duos menſes reuocatus fuiſſet, ab Eudoxia Auguſta conuocata, eo quòd Ioannes ludos publicos & pueriles, qui ad ſtatuam Auguſtæ templo vicinam fiebant, reprehẽderat. Vario euẽtu Ioannes miſerè tractatus ab inimicis, inſtructis à Theophilo Alexandrino abſente, ita vt poſt multas cædes fidelium, qui à Ioanne circa feſtum Paſchatis baptizari volebant, Ioannes tandem in Bithyniam exulatum miſſus ſit. ciues indignatione moti templum in quo docuerat incenderunt: ex quo incendio domus ſenatoria & multa alia ſplendida ædificia deflagrarunt.

Alexandrina à cyrillo Alexandriæ epiſcopo coacta, in qua Ioannes iam mortuus in exilio, innocens fuit declaratus. coegit ille idem aliam ſynodum prouincialem, in qua Meſtorium hæreticum damnauit.

CARTHAGINENSIS, anno chriſti 420. Pelagij & cœleſtij errores damnauit, ex 70. & amplius epiſcopis congregata.

Toletana 1. ex vigeſimo nono epiſcopis anno chriſti CCCCXX. ſub Arcadio & Honorio, pro confirmanda ſynodo Nicæna, & contra Priſcilianiſtas.

MILEVITANA cui præfuit Auguſtinus, contra Pelagium, anno quinto arcadij, Innocentia epiſcopo Romano ſedente. Eandem ob cau-

sam PALÆSTINA synodus coacta est, in qua præsens fuit Pelagius, & errores suos ore, non autem scripto damnauit: vt synodo imposuisse videatur, ambiguo Gratiæ vocabulo.

TELENSIS, contra Iouinianum & socios, anno Christi 419, vel 421, Zozymo Romæ episcopatum tenente.

CARTHAGINENSIS VI. sub Honorio & Theodosio, anno Christi 419, Honorii 10, durauit vltra sexennium, ex 217 episcopis, præsidente Aurelio episcopo Carthaginense. Occasio talis. Apiarius presbyter ecclesiæ Siccensis facinorosus, à frequenti episcoporum synodo condemnatus, ad Zozymum papam Rom. confugerat. Zozymus [redacted], cum absoluerat, & ad communionem admiserat. Cúmque Africanos episcopos in synodum coire audiuisset, ablegat eò Faustinum episcoporum Potentinum, vt Apiarij causam agat: Vrbanum episcopum Siccensem excommunicari curet, aut Romam euocari: [redacted].

CARTHAGINENSIS, contra Donatistas, vt & CIRTHENSIS.

EPHESINA prior, anno Christi 432, Theodosij 8, & ex 200 episcopis. Augustinus morte præuentus, adesse non potuit. Contra Nestorium celebrata, qui & præsens affuit: & tandem (quia simulatè tantùm pœnitentiam agere deprehendebatur) in Oasiam, sterilem Arabiæ regionem, deportatus est.

ARMENIA contra Dioscurum Tarsensem, & Theodorū Mopsuestenum episcopū, qui Nestorij dogma alia forma spargere conati, libros à se compositos in Armenam, Syram & Persicam linguam traduxerant.

CONSTANTINOPOLITANA anno Theodosij 25, Christi 449, cōtra Eutychis hæresim, qui illic damnatus est, sub Flauiano episcopo Constantinopolitano. Alia rursus anno 455 propter eundē Eutychen, qui acta prioris synodi à notariis deprauata asserebat.

EPHESINA secunda (Prædatoria dicta) sub Theodosio coacta à Dioscuro Alexandrino episcopo, Eutychis patrono, in qua Flauianus damnatus & Eutyches approbatus consentiente etiam Theodosio Imp. seductus à Chrysaphio palatij præside, qui Eutychi fauebat.

ROMANA sub Leone pontifice, in qua secundæ synodi Ephesinæ prophanæ decreta damnantur.

AGATHENSIS, in Narbonensi Gallia, de quibusdam ad politiam ecclesiæ pertinentibus egit, quo tempore apud Gotthos rex Alaricus regnauit.

CHALCEDONENSIS synodus magna, anno tertio imperij Marciani, Christi 455, ex 630 episcopis. In qua Ephesina secunda synodus cum Eutychis doctrina damnatur, Dioscurus Alexandrinus episcopus in exilium mittitur: [redacted].

ARELATENSIS, tertia, anno Christi 454. Marciani 3. de seruandis canonibus Ecclesiasticis.

TVRONENSIS, sub Leone Imperatore castitatem sacerdotibus præcepit.

ROMANA anno Christi 469, sedente Hilario episcopo Rom. Nicenā fidem confirmat, & quędam ad politiā Ecclesiasticā necessaria cōstituit.

Vt & TARACONENSIS sub Zenone, anno Christi 480. Theoderici regis Gotthorum 6.

CARTHAGINENSIS anno Domini 476. ab Honorico rege Vandalorum coacta Cyrilla Arianorum (quibus Honoricus fauebat) episcopo incitante, quamuis intercedente Eugenio episcopo Carthaginense orthodoxo, & Vltramarinos etiam episcopos ad eam synodum conuocari petente. Sed rex Arianus non obtemperat. Carthaginem venire coactos orthodoxos primùm alios alia de causa iniustè accusatos interfici, mox cùm reliqui fidem suam contra Arianos scripto explicassent, à crudeli tyranno plures 350. in exilium acti fuerunt, anno Domini 490.

Aurelianensis, anno 22. Anastasij, congregata à Clodoueo Gallorum rege, pro correctione status Ecclesiastici valde corrupti propter assiduos bellorum motus.

Romana Theodorici regis iussu ab Hormisda Rom. pont. congregata, in qua Euthyches dānatus est, & Seuerus qui contra Calcedonense cōcilium duas in Christo naturas esse negabat.

Constantinopolitana, à Ioanne Cappadoce episcopo Constantinopolitano congregata, imperante Iustino, contra eundem Seuerum episcopum Antiochenum. Item Petrum Apamearum episc. hominem impium, excommunicant.

TOLETANA secunda, anno quinto regis Almarici, in qua veteres Canones renouati, & noui ad disciplinam Ecclesiasticam vtiles & necessarij sunt instituti.

CONSTANTINOPOLITANA sub Iustiniano, in qua Agapetus Romanus episcopus, Antimum episcopum Constantinopolitanum (iussu regis Theodati) deiecit, quòd Euthychis errorem defenderet.

Constantinopolitana quinta Œcumenica seu vniuersalis synodus, anno Christi 551. Iustiniani 24. contra eos qui quatuor synodorū vniuersaliū dogmata reprehendebant (nempe Nicenæ contra Arium, sub Constantino: Constantinopolitanæ contra Macedonium, sub Theodosio seniore: Ephesinæ contra Nestorium, sub Theodosio iuniore: & Chalcedonensis contra Euthichen, sub Marciano) item contra Theodorum ascidam Cæsareæ Cappadocum episcopum, qui Origenis errores defendebat, vrgēte Eustochio episcopo Hierosolymorum. Item contra scripta Theodori Mopsuesteni episc. Nestoriani.

Brenniacensis, à Chilperico indicta apud villam Brenniacum, propterea quòd Leudastes comes Gregorium Turonensem episcopū detulerat quasi dixisset, reginam Fredegundam adulterium cum episcopo Burdegalensi Bertranno commisisse. Bertrannus causam proponit, & Gregorium accusat. Gregorius factum negat. Rex testib. opus esse inquit, si modò contra episcopum testes afferri possint. Patres mirantur regis patiētiam: & respondent, non posse inferiori contra episcopum testanti fidem adhiberi. Debere potius Gregorium testandæ innocentiæ causa in trib' altaribus missas dicere séque iuramēto purgare. Quod cùm Gregorius fecisset, synodus Leudastem excommunicauit.

Toletana, ex 62. episc. in qua Recaredus rex Arianam hæresim abdicauit, & orthodoxam fidem cum tota gente. Visigothorum complexus est, anno Christi 545. Mauricij. 12.

ROMANA anno Christi 595. Mauricij decimo tertio à Gregorio Romano episcopo indicta, in qua 4. concilia generalia approbata sunt.

MATISCONENSIS, sub Chilperico & Gunthrano, orta ex Palladij Santonici & Burthranni Burdegalensis episcoporum rixa, quorum alter alterum in conuiuio regis de adulterio accusarat. In ea etiam inter cætera quæstio discussa est, An mulier homo dici deberet: quidam enim episcopus negabat. Tandem hominem dici debere Patres asseruerūt, authoritate Scripturæ. Nam masculū & fœminā creauit eos Deus. Et Christus filius hominis, id est virginis appellatur.

ANGLICA, anno Mauricij 19. in qua Augustinus episcopus Anglorū petiit à Britonibus & Scotis, vt sibi se subiicerent. Quod cùm illi recusarent, iratus prædixit eis cladem, quam per Edelbertum regem Canciorū paulo pòst acceperunt, qui mille ducentos monachos & eremitas Britonū interfecit.

METENSIS, iussu Childeberti congregata, contra Sumnigilum sicarium, à Fredegunda regina ad regem interficiēdum subornatum: qui quęstionibus examinatus, confessus erat, Ægidium Remensem insidiarū participem fuisse. Conuictus Ægidius, & episcopatu deiectus, Argentoratum in exilium mittitur.

ROMANA, sub Bonifacio III. anno Christi 607. ex episcopis 61. vel, 72. in qua priuilegium Phocæ de principatu Rom. ecclesiæ promulgatur, & authoritate pontificia confirmatur.

ROMANA sub Bonifacio IIII. octauo anno Phocæ: in qua monachi sacerdotibus pares facti sunt, vt ius haberent prædicandi, baptizandi & absoluendi.

Hispalensis, anno Christi 634. imperij Heraclij 24, in Hispali contra Acephalos celebrata.

Toletana IIII. anno Christi 659. regnante Heracleona, sub rege Sisenando congregata, propter diuersitatem ceremoniarum, & disciplinæ ecclesiasticæ & politicæ in regno Hispaniæ.

Toletana V. anno primo Chintillæ regis Gotthorum, sub Heracleona, eadem occasione.

ROMANA sub Constante Imp. contra Pyrrhum, Constantinopoli pulsum propter Monothelitarū hæresin. Pyrrhus Theodoro episcopo Rom. de duabus naturis in Christo confessus erat Romæ. Mox Rauennam discedens, ad ingenium redierat. Ergo in synodo excommunicatur, scriptis literis atramento madefacto vino ex calice diuino. Paulus Diaconus lib. 18. rerum Rom.

Africana, eodem tempore, contra Monothelitarum hæresin.

ROMANA, anno Christi 652. Constantis nono, sub Martino pontifice, contra Monothelitas.

Hispana, contra Constantis Heraclij nepotis persecutionem qui eos ad Monothelitarum hæresim cogere conabatur.

Hetudfordiana in Anglia, anno Domini 673. diem Paschæ Dominico die post 14. lunam primi mensis obseruare præcepit.

Toletana VI. anno Chintillæ 3. Domini 653. contra hæreticos quosdam.

Toletana VII. anno sexto Chindasuuindi, Domini 680, vel 661. contra Theosdiclum Græcum archiepiscopum Hispalensem, qui corruperat libros Isidori, & multos errores sparserat in Ecclesia.

ROMANA, sub Agathone, iussu Constantini Pogonati, contra Monothelitas.

Britannica Heidelfeldensis, contra Monothelitas.

Toletana VIII. anno Recesuuindi regis Gotthorum quinto, Domini 671. Constantini Pogonati secundo. sacerdotes vxoribus priuantur, ieiunium Quadragesimale confirmatur, & contra Iudęos quędam decernūtur.

Toletana IX. & X. quædam politica habent. XI. contra hęreses, anno Bambæ regis 4.

Constantinopolitana VI. vniuersalis synodus, anno Constantini Pogonati duodecimo, Christi 681. contra Macarium Antiochenum episcopum & Stephanum eius presbyterum, Monothelitas. Iidem patres post annos quinque à Iustiniano conuocati fuēre, eandem ob causam.

Toletana XII. sub Eurigio rege, politica quædam, sic etiam XIII.

Aquileiensis VII. sub Sergio, vbi cùm Quinti vniuersalis concilij statutum, quòd Maria esset, in dubium reuocaretur: Sergius illud explicauit, & patres ad saniorem mentem reduxit.

Londinensis in Anglia, sub Iustiniano Imperatore, & Cōstantino pontifice, de imaginibus in ecclesia collocandis, anno Christi 712.

Constantinopolitana sub Philippico, authore Paulo monacho, qui Monothelita erat, & Philippico imperium prædixerat ea conditione, vt sexta synodus Constantinopolitana abrogaretur. Id quod factum est, & Monothelitarum hæresis asserta.

ROMANA sub Constantino Imp. contra Philippicum Imp. Monothelitam.

ROMANA sub Gregorio II. anno Christi 714. de matrimonij gradibus.

Germanica, à Bonifacio Moguntiensi episcopo indicta, in qua Ethilbaldum regem reprehenderunt, quòd legitimam vxorem non duceret.

ORIENTALIS, nono imperij Leonis, à Ioanne Damasceno in Syria celebrata: in qua Leo Imp. qui imagines damnarat, excommunicatus fuit.

Constantinopolitana à Leone Imp. indicta contra Gregorium III. pontificem, Germanum Constantinopolitanum patriarcham, & cæteros iconolatras, [redacted].

ROMANA, sub Gregorio III. contra Leonem Imp. anno Christi 733. in qua imaginum cultus fuit approbatus.

AVGVSTANA, à Bonifacio Moguntinensi episcopo indicta, sub Gregorio III. in qua politica quædam in ecclesia fuēre constituta.

ROMANA, anno Luithprandi 32. Domini 742. sub Zacharia pontifice, de matrimonij gradibus.

[redacted].

GENTILIACA apud Parisios, anno 766. sub Carolomanno, in qua cultus imaginum approbatus fuit.

ROMANA sub Stephano III, anno Christi 768. in qua Constantinus papa, qui cultum imaginum damnarat, excommunicatus fuit, & scripta eius exusta: deinde imaginum cultus palàm fuit approbatus.

ROMANA, sub Adriano pontifice, anno 773. in qua Carolus Magnus, qui Desiderium regem Lōgobardorum Ticini obsederat, Imperator designatur, [redacted].

[redacted].

NICENA, II. quàm Græci Septimam vniuersalem vocant, anno 788, sub Constantino & Irene: ea iconomachi damnantur, & cultus imaginū astruitur.

Ratisponensis, anno 742. contra Felicem Orgellorum episcopum, qui Christum in diuina natura verum Deum, in humana nūcupatiuum: item in diuina natura verum esse filium Dei, in humana adoptiuum asserebat. Felix errorem suum fatetur, & Romam ad Adrianum cum Angelberto abbate mittitur.

Francfordiana, anno 794. à Carolo Magno conuocata, in qua Felix qui ad vomitum redierat damnatur, [redacted].

[redacted]oriæ [redacted].

EXEMPLA ETHNICA.

ROMANVS Senatus adeò semper magni religionem fecit, vt (quemadmodum M. Varro ad CN. Pompeium scribit, in libro, vbi ratio locúsque habendi Senatus ostenditur) quotiescúnque senatum magistratus coegisset, idipsum quod primò proponebatur, ad religionem pertineret: nullaque, quanquam grauior causa, vel quæ celeritatem requireret, hūc morem anteuertebat: vt publicorum consiliorum, quemadmodum etiam aliarum rerum, diuino cultui primæ partes darentur. Fulgos. lib. 1. cap. 1.

RELIGIONEM PEREGRINAM TOLLERE, PROfligare, euertere.

Huc refer tit. Punire & castigare impios, maléque de religione sentientes.

IDOLOLATRIAM TOLLERE, ET SVPERSTITIONEM.

Consule tit. Certaminum religionis.

GREGORIVS pontifex maximus Mauricio imperante, fertur præcipuas Romæ statuas, & quicquid erat mirandi operis, in Tyberium præcipitari iussisse, ne mortales à religione nuper instituta, sua specie distraherent. Volaterran. lib. 22. Anthrop.

THEODOSII Imperatoris iussu Alexandriæ Anno à nato Christo 394. templa idolorum à Theophilo episcopo destruuntur. Sigebertus in Chronicis.

Carcombertus Albadi Anglorum regis filius, in Anglia post patrem 25 annis regnans, primus idola deorum destruxit, & fidem Christi dilatauit. Anno Christi 640. Idem.

D. MARTINVS episcopus Turonensis, cùm non procul à suo monasterio martyris cuiusdam incerti ossa colerentur, ne temerè authoritate sua superstitionem aliquam confirmaret, quodam die acceptis secum aliquot fratribus, ad locum illum pergit: Deique numine inuocato, orat vt rei veritatem sibi patefaceret. Assistit ergo ad ad læuam sordida vmbra, quæ nomen suum edit, & de crimine confitetur, latronem se fuisse, & ob scelera necatū: vulgi errore celebratum, pro martyre. Ocyus igitur Martinus aram tolli iubet, hocque modo populum superstitione liberauit. Seuerus Sulpitius in eius vita.

EXEMPLA ETHNICA.

CAVNII, populi Cariæ, sacra principio sibi constituerant æterna. Quibus postea pertæsi, cùm patriis duntaxat videretur vtendum dijs, omnis ætatis sumptis armis, sacerdotem ad Calyndicos vsque montes persequebantur, fustibus cædentes, exclamantesque, externos se exigere deos. Herod. libro primo.

SCYTHÆ bacchandi consuetudinem apud Græcos in Dionysij sacris vehementer reprehendunt, & insanorum hominum sacra ista esse aiunt. Quæ cùm Scyles rex apud Borysthenitas clàm celebrare deprehensus fuisset, regno vitaque fuit exutus. Herod. lib. 4.

GELO Siciliæ tyrannus, debellatis apud Imeram Carthaginensibus, in pacis fœdere compulit illos & hoc acceptis conditionibus ascribere, ne posthac filios suos Saturno immolarēt. Solebat enim ea gens infantes suos æneæ Saturni statuæ cauæ, & intus incensæ, in sinum ponere qui velut in Dei complexu enecabantur. Id vt Saturno gratum putarent: effecit fabula, quæ narrat illum omnes vxoris filios deuorare solitum. Nam & Iouem deuoraturus erat, nisi pro puero saxum supposuissent. Plut. in Regum apoph.

ÆDILIBVS apud Romanos præcipua cura fuit, vt Iudæorum Ægyptiorumque sacra ritus & cæremonias ex vrbe pellerent & eiicerēt. Alex.

Luctatius, qui primum bellum Punicum confecit, à SENATV prohibitus est sortes Fortunæ Prænestinæ audire. Auspiciis enim patriis, non alienis Rempub. administrare oportere iudicabant. Liuius lib. 31. Oros. lib. 4. cap. 8. Val. Max. lib. 1. cap. 4.

Magna conseruandæ religionis P. CORN. Cethego & M. Bebio Pamphilo Coss. apud Romanos acta cura est. Siquidem in agro L. Petilij (Plinius Cn. Terentij habet) scribæ sub Ianiculo cultoribus terram altius versantibus, duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numæ, Pomponij filij, fuisse 535 annis antè defuncti: in altera libri reconditi erant Latini septem de iure pontificum, totidemque Græci de disciplina sapientiæ: Latinos magna diligētia asseruandos curauerunt: Græcos, quia aliqua ex parte ad soluēdam religionem pertinere existimabantur, Petilius prætor vrbanus ex autoritate Senatus per victimarios, facto igne in conspectu populi cremauit. Noluerunt enim prisci viri quicquam in ciuitate asseruari, quo animi hominum à deorum cultu auocarentur. Valerius libro primo, capite primo, & Plinius libro 13. capite 13. Historiæ huius authores multos citat.

C. CORNELIVS Hispalus prætor peregrinus, M. Pompilio Lenate, L. Calphurnio Coss. edicto Chaldæos circa decimum diem abire ex vrbe atque Italia iussit: leuibus & ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem iniicientes. Valerius libro primo, capite quarto.

IDEM, qui Sabazij Iouis cultu sublato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit. Ibid.

L. ÆMILIVS Paulus consul, cum senatus Isidis & Serapidis phana diruenda censuisset, eáque nemo opificum attingere auderet: posita prætexta securim arripuit, templique eius foribus inflixit. Ibid.

Bacchanalium sacrorum mos nouus institutus, cùm ad perniciosam vesaniam iretur, Romæ sublatus est. Val. lib. 1. cap. 3.

ROMÆ, cùm Gracchi cæde Cereris templum pollutum esset, Romani Sibyllinis libris moniti, vt vetustissimam Cererem placarent, Ennam vel Ætnam Siciliæ ciuitatem (quoniam eius sacra inde orta credebant) quindecim viros ad deam propitiandam miserunt. Strabo libro 16. Val. Max. lib. 1. cap. 1. Lactant. de Falsa religione.

NERO, cùm Romanos deos alienos colere vidisset, nequi nisi Romani

dij patrio more colerentur, néue à vetustis cæremonijs decederent, edixit. Alex. ab Alex. lib. 4 cap. 5.

CHALDEI (sub Constantino Magno) totum terrarum orbem circuibant, vt deum suum, quem sub ignis specie colebāt, omnibus dijs prǽstantiorem esse reipsa conuincerent. Et quidem omnes deorum statuæ ignis vi dissoluebantur. Ventum erat in Ægyptum, & certamen propositum. ÆGYPTII itaque sacerdotes Nili ingentem statuam producunt, quæ intus concaua, magnam aquæ copiam continebat: vndique autem foraminibus plena, quæ subtili artificio cera oblinebantur, ita vt aquam cōtinerent, ignis tamen vim minimè sustinere possent. Chaldæi exultabundi certamen ineunt, igni Nilum circumdant: cum repentè reseratis obliquefactam ceram foraminibus maxima vis aquæ profundi cœpit, quæ ignem extinxit, & Chaldæorum Deum omnium ludibrio exposuit. Rufinus libro 2. historiæ Ecclesiasticæ.

REPREHENDERE IMPIOS ET IDOLOLATRAS, *& ad pœnitentiam vocare.*

Exempla plurima ex tit. Libertatis in reprehendendo: item, Qui reprehensiones iustas ferre non potuerunt? peti possunt, Officium hoc potissimum ad Prophetas & Ecclesiastas pertinet. Consule quoque titulum Pœnitentiæ religiosæ. Vbi enim patiens est, illic & agens.

Spiritus Domini induit Zachariam filium Ioiadæ, & stetit in conspectu populi sculptilibus seruientis, & dixit: Quare transgredimini præceptum Domini? quod vobis nō proderit: & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos? 2. Par. 24.

Audiens ESDRAS sacerdos, Iudæos cum gentilibus matrimonia copulasse, miro modo doluit: & gemens ac eiulans, signa doloris ostendit. 1. Esdr. 9.

AZARIAS sacerdos Oziæ regi super altare thymiamatis incensum adolenti, reclamauit, restititque intrepidè. & quasi sacrilegio pollutum eijcere de templo Domini non dubitauit. Tam ergo hi sanctissimi viri ab omni simulatione dissimulationéque alieni fuerunt, quàm reges illi ab æquo honestóque. Quorum quidem potentiam, si accusandi esse viderentur, haud formidabant. Perinde ac si & ipsi cum apostolis audissent, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Marul. lib. 3. cap. 4.

Miro feruebat zelo IOANNES Baptista, quando dicebat: Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere vēturam iram? Simul & quādo Herodem increpabat. Matth. 3. & 14.

Durè increpabat Dominus Scribas & Pharisæos, & hypocritas, & specialiter vbi dixit eis septies: Væ vobis, &c. Matth. 23.

Sciens Dominus IESVS, Pharisæos ipsum nequiter obseruare, circūspiciens eos cum ira, cōtristatus est super cęcitatem cordis ipsorū: dixitq́; Vos ex patre diabolo estis. Ioan. 8.

Grandi zelo succensus est PETRVS in Ananiam & Saphyram, quando vidit quòd fraudauerant precium agri. Act. 5.

Ex ardenti zelo proueniebat sermo, quē dixit STEPHANVS Iudęis: Dura ceruice, & incircumcisi corde & auribus, semper resistitis Spiritui sancto. Act. 7.

Resistēre Paulo & Barnaba, Barrieu pseudoprophetæ, dixit PAVLVS: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis iustiCię, nō desinis subuertere vias Domini rectas. Act. 13.

Cùm PAVLVS prædicaret Athenis, incitabatur spiritus eius, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Act. 17.

Apparet feruens zelus PAVLI in epistola ad Galatas 5. vbi arguebat, increpabat, obsecrabat. Similiter ad Romanos 9. & 2. Corinth. 11. & ad Hebr. 1.

Summus pontifex AGAPETVS, Cōstantinopolim profectus, cùm Iustinianum Augustum adisset, verbis aliquot vltro citróque habitis, deprehendit illum in Eutychis hæresim incidisse: atque ait, Putaram me cum Iustiniano loqui, non cum Diocletiano, apertè ostendens, quāta esset erroris huius malignitas, ob quam solam mitissimum principem sæuissimo Christianorum persecutori duxit comparandum. Veruntamen cùm aliquandiu inter eos fuisset disputatum, Augustus tandem Pontificis sententiæ cedens, catholicum se fecit. Porrò Antonium episcopum de eadem prauitate publicè conuictum, improbè tamen in flagitio persistentem, & ab Agapeto depositum, in exilium egit, suffecto in locum eius sancto ac fideli viro Menna. Sicque sapientissimus princeps cùm fidei nostræ syncęritatem paulo plenius didicisset, vsqueadeò approbauit, vt & ipse correctus crederet, & credere renuentem puniret. Marul. lib. 2. cap. 11.

Illos qui plus nimio duri videntur, & delinquendi assuetudine iam occalluerunt, acrius increpandos esse, cùm IOANNIS baptistæ, tum SALVATORIS nostri exemplo edocemur. Dum enim pharisæos palàm arguerent, alter illos viperarum progeniem appellauit, alter hypocritas generationemque peruersam & adulteram dixit. Et cum in flagitiis obstinatiores esse vidisset, diabolos, non Abrahæ filios nuncupauit. Ferrum enim ferreis malleis proceditur, cera autem (quoniam tenellæ naturæ est) manibus formatur, Hinc Paulus Corinthios per epistolam interrogans: Quid, inquit, vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Denotare vtique volens, quòd si adhuc in errore perseuerarent, quo subuersos fuisse resciuerat, virga iam, non mansuetudine opus esse in castigando. Marulus lib. tertio, cap. 4.

Sic etiam HELIAS propheta, Achab regi irato ac dicenti, Túne es ille qui conturbas Israel? audacter respondit: Non ego turbaui Israel, sed tu & domus patris tui, qui reliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Idem quoque Ochoziam regem, qui ipsum comprehendere quæsierat, vltrò adiit, & eo morbo quo affectus iacebat, eo quòd recuperandæ valetudine Deum Acharon cōsultum miserat, periturū prædixit. Ibidem.

BASILIVS episcopus verè columna ignis (vt cuidam visum fuit) calore æstuans charitatis, non est veritus Valentem imperatorem increpitare, q ecclesiam quandam, quæ Christianorum iuris erat, tradidisset Arrianis. Cœptis iurgiis eò deducta res est, vt fidei periculum facerent. Clauserunt ecclesiæ fores, decernentes vt ad quorum precationem per se patefierent, illis eius possessio cederet. Arriani dies tres perpetuis supplicationibus incassum orarunt. Basilius verò postquam precatus est, leui bacillo portas tetigit dicens, Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ: & statim, ac si vocem iubentis sensu aurium, quas non habebant, percepissent, sic obsecundanter patuerunt. Iccircò nemine refragante ecclesia adiudicatur Christianis, & plerique etiam Arrianorum relicta hæresi fidelibus sese iunxêre: quòd solis illis apertum esse cœli aditum dicerent, ad quorum inuocationem sic aperiri ecclesiæ aditum viderant. Marul. lib. 2. cap. 11. & Sab. lib. 5. capite 4. qui hoc Eusebio episcopo tribuit.

PLACILLA Theodosij Romanorum Imperatoris vxor, cùm videret maritum à pietatis veræque religionis studio alienū magis esse, quàm Imperatorem deceret, subinde ad eum dixisse fertur, Considerare te oportet, suauissime coniunx, quis antea fueris, & in quem locū te euexerit vniuersitatis huius Deus. Si enim perpetuam eius rei obtinueris memoriam, non prorsus te ob accepta beneficia erga eum ingratum præstabis sed ex præscripto legum Dei, quòd ab eo accepisti, gubernabis imperium: & ita eum qui tibi vt fideli ministro, commisit, ritè coles. Niceph. Callist. lib. 12. capite. 42.

EVPHEMII episcopi Constantinopolitani constantiam in Anastasio Manichęo & Mago ab imperio arcendo, nec prius nisi chirographo se nihil innouaturum in Ecclesia promisisset, recipiendo, pete ex eius vita, sub titulo Doctorum Ecclesiasticorum.

INIVRIOSVS episcopus Turonensis 15 à Martino, cùm Clotharius rex edicto mandasset, vt omnes Ecclesiæ tertiam fructuum partem fisco penderent: & plerique episcopi licet inuiti edicto subscripsissent, solus restitit Iniuriosus: pœnas etiam grauissimas minatus, si bona Ecclesiastica attrectare pergeret. Rex territus hac libertate, edictum antiquauit, & veniam culpæ deprecatus est. Geor. Turon. libro quarto, capite primo.

RELIGIONIS PRAVAE MORES IN BONAE RE- *ligionis mores conuertere.*

BONIF. IIII. pont. quum animaduerteret Nouembres calendas sacras, celebrésque Rom. populo esse, propter insignem pręclarámque Lucij Cornelij victoriam de socijs, qua die celebres gladiatorij ludi, multáque alia id genus spectacula ederentur ad totius ciuitatis Rom. manifestam vesaniam, quum Martem Iouémque, aliáque numina vetera subinde inuocarent, multis frustra tentatis remedijs, vt nec penitùs lasciuiendi memoria tolleretur, festum omnium Sanctorum diem celebrandum nobis instituit. Quo die etiam id institutum, retentúmque pertinacissimè est, vt quemadmodū populus Romanus gladiatores ipsos vulnerari interficique lætabundus inspiceret: sic quisq; christianus, martyrū cicatrices, & sanctorum omnium virtutes gaudēs exultánsque dona Dei agnosceret: & imitari conaretur. Egnat. lib. 2. cap. 1.

BONIFACIVS VIII. Anagninus, annum Iubileū primus instituit ac celebrauit, Anno M. CCC. quem ritum posteris mandauit, centesimo quoque anno seruari, antiquæ legis imitatione: licet illa quinquagesimo coleret, vti testatur Iosephus, simul & Leuiticus cap. 25 longè religiosius. Nam & seruos manumittebant, & debita relaxabant. Basilicam Petri tintinnabulis æreis, quib⁹ nihil dulcius auditur, exornauit. Vol. lib. 22. Anth.

EXEMPLA PROFANA.

Apud ROM. cū moris esset, vt magicis sacris homo immolaretur, anno tandē Vrbis 657 Cn. Corn. Lentulo, & P. Licinio Crasso. Coss. senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur, Plin. lib. 30 cap.

TIBERIVS Cæsar Gallorum sacerdotes Druidas, qui humanis vetebantur sacrificijs, è medio penitùs sustulit. Ibid.

BLASPHEMIARVM ET CONVICIORVM CONTRA *deos, diuinæ Maiestatis læsæ pœna.*

BLAS-

BLASPHEMVS in eremo lapidatus est, filius mulieris Israhelitidis, de viro Ægyptio generatus: Leuitici capite vigesimo quarto.

Iuliani Imp. THESAVRARIVS, cum in gratiam Imp. à fide defecisset, sanguine ex toto corpore per os emisso (conspicatus enim vasa in tēplo, En qualibus vasis, dixit, ministratur Mariæ filio?) miserrimè periit. Theodoretus lib. 3. capite decimo tertio: Sozomenus libro quinto, capite octauo: Nicephorus lib. 10. cap. 29.

ELPIDIVS Iuliani Imp. domus præfectus, ob blasphemiam in Christum, affectatæ tyrannidis suspicione bonis exutus, & carceri inclusus, periit. Nicephorus lib. 10. cap. 29.

PERSA quidam regulus in obsidione Theodosiopolis blasphemiarum pœnas dat. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum, sub nomine Eunomij episcopi.

OLYMPIVS episcopus Arrianus, Carthagine in Elyanensium balneo lauans, cum Trinitatem publicè blasphemaret, tribus ictus fulminibus consumptus est: Anno Christi 510. Paulus Diaconus in Anastasij historia, & Sabellicus Enneade 8. lib. 2. & Marul. lib. 2. capite vndecimo: & Matthæus Palmerius in Chronico.

Alphonsus Aragonum & Siciliæ rex potentissimus, cum post Africanā victoriam in Ænariam insulam venisset, audiens Antoninum Picentem, ordinis eremitarum magnum hypocritam, iactando plurima in Christum & virginem eius matrem, vermiculis acerbissimo morbi genere absumptum, animam expuisse, dixisse fertur: Propterea Deum tantoperè in hypocritas sæuire, quòd dum homines decipiunt, interponant Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem. Ideoque vt plurimùm viuētes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent: vt intelligāt mortales, à talibus monstris maximè cauendum esse, quòd Deum ipsum non tantum post mortem, sed etiam in ipsa vita haberent indubitatum vltorē. Antonius Panorm. de rebus gestis Alphonsi, & Æneas Syluius de eius edictis.

EXEMPLA ETHNICA.

PHERON Sesostris Ægyptiorum regis F. cum Nilus supra decem & octo cubitos rura transcendisset, spiculum in medios vertices contorsit, statímque oculis captus est. Vndecimo pòst anno ex oraculo visūm sibi restitutum iri audiuit, si vrina mulieris, quæ ad suum solum maritum accessisset, oculos lauaret. Inuenta est vxor cuiusdam olitoris sola, cuius vrina id præstitit. rex eam in vxorem duxit: suam cum cæteris vrbi Erythrebolo inclusas, viuas concremauit. Herod. lib. 2.

SACRORVM ET RITVVM RELIGIONIS NON *obseruatorum, neglectorum, contemptorum pœna.*

POENA *Atheismi.*

ARABES, qui Mahumedicam religionem profitentur, Doneb sua lingua vocant & peccatum, & caudam vulpinam, quoniam eos, qui tribus diebus Veneris, sacris non interfuerint, excommunicant, & in eius rei signum caudam vulpinam illis affigunt. Guil. Postellus.

Cùm MINOS rex, Neptunum minoribus quàm decebat honoribus affecisset, taurum Cretensibus Neptunus immisit. Vide tit. Domitores mōstrorum.

DIAGORAS lyricus Melius, propter Atheismum, & quia alios quoque in eandem traheret impietatem, mysteria irrideret, & à sacris, ne initiarentur, plerosque auocaret, ab Atheniensibus proscriptus fuit, & talentum interfectori ascriptum, viuum afferenti duo: idque notatum in ærea columna. Gyraldus Dialogo 9. Hist. poet.

MELOS insula vna ex Cycladib. Diagoræ patria, quia omnes incolæ athei essent, ab Atheniensibus excisa fuit, atque perdita. Captus ibi Diagoras, & Athenas perductus. Vide tit. Impiorum erga deos.

PHERECYDES Syrus miserrimè omnium hominum vitam exegit, toto suo corpore à pediculis exeso atque consumpto. Et cùm fœda turpisque facies euasisset, abstinuit à consortio familiarium, & eos fugiebat: si verò quis accederet, & interrogaret quomodo haberet? per foramen ianuæ digito, qui prorsus emarcuerat extenso respondit, ita totum corpus suum habere. Dicunt autem Delienses, Deum in Delo ira commotum, & indignatione, hunc ei morbum iniecisse. Nam cùm quodam tempore sederet cum discipulis suis, atque alia multa de propria sapientia iactitaret, tum præcipuè illud, quòd etiamsi nulli Deo rem sacram faceret, nihilo in iucundius neque tristius vitam ageret, quàm qui Hecatombas sacrificarent. Huius igitur vani sermonis grauissimas pœnas dedit. Ælian. de Var. hist. lib. 4.

PETILIVS prætor vrbanus, cùm sub Ianiculo à terræ fossoribus arca lapidea inuenta esset, plena libris, qui aliqua ex parte quæ ad religionis contemptum spectabant, continebant: ex authoritate senatus in conspectu populi cremauit, ne quicquam asseruaretur, quo animi hominum à deorum cultu auocarentur. Liuius libro decimo, de bello Macedonico: Plin. lib. 14. cap. 13. Lactant. lib. Valer. 1. Max. lib. 1. cap. 1.

P. Licinius pont. max. virginem Vestalem flagris dignam existimabat, quòd parum diligens æterni ignis custos fuisset: qui si extingueretur aliquando, inter dira auspicia numeratum est. Liuius lib. 8. Dec. 3. Florus lib. 28. Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

METELLVS pontifex max. Posthumium consulem, eundémque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à sacris discederet, mulcta indicta, vrbem egredi passus non est: religionique summum imperium cessit, quòd tutò se Posthumius Martio certamini commissurus non videbatur, ceremoniis Martis desertis. Valer. Max. libro 1. cap. 1.

VITELLIVS pontificatum maximum amisit, quòd ad 15. Calend. Sextiles, cæremoniis publicis sacram diem concilium edixisset. Alex. ab Alex.

DEFECTORVM IN RELIGIONE, ET *apostatarum pœna.*

AVDIENS Moyses voces cantantium circa aureum vitulum, & choros, iratus est valde: & proiiciens tabulas, confregit eas. Et nota, quàm grauiter puniuit populum, pro quo tam fideliter & instāter orauerat ante Deum. Exod. 32.

Cùm audissent FILII Israel, filios Ruben & Gad ædificasse sibi altare, conuenerunt omnes contra eos, & dimicare voluerunt. Iosuę 22.

SALOMON Iudæorum rex, cùm septuaginta vxores duxisset, atque insuper trecentas concubinas addidisset, vt earum nonnullis morem gereret, spreto veri numinis cultu, ad idololatriam, plus libidini quàm Deo tribuens, transiuit. Eapropter ereptum est filio eius Roboam regnum, & datum Hieroboam seruo suo. 3. Reg. 12.

IOAS Iudæorum rex, puer non minus indole commendatus, quàm quòd à Dauid esset procreatus, omnium fauore regnum recuperauit. Cæterùm ætate adultus, multum à seipso diuersus abiit. enimuerò patriam pietatem aspernatus, Ethnicos coluit deos: Zachariam Ioadæ filium, per quem puer fuerat in regnum restitutus, occidit. Nec lento deinceps gradu vltrix ira numinis secuta est. hostilium armorum terrore subactus, pacem suppliciter à Syro petitam, sacris thesauris, omnique regia gaza sibi ignominiosè redemit: accessit huic ignominiæ, cladique publicæ diuturnus morbus, demùm domesticorum fraude periit. Sabellicus libro octauo, capite octauo.

Quamuis rex Israel IEHV simpliciter fuerit malus, tamen multum commendatur, eo quòd semen domus Achab deleuit, & prophetas Baal occidit, & ædem ipsius Baal destruxit 4. Reg. 10.

Surrexit Matathias, & dixit: Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei? Sequitur postea de illius zelo feruentissimo, & mirabili probitate, quando trucidauit hominem super aram idolis immolantem. 1. Machab. 2.

SERVATIVM Traiectensem presbyterum quidam cogere volens, vt idolothytis vesceretur, sibiipsi manus intulit. Vide tit. Doctoris Euangelici officium.

Pergamenses obsessi à Saracenis, à mago quodam persuadentur, quòd potituri sint victoria, si mulierem grauidam inciderent, & fœtum eius coquerent in olla, dexterásque suas illo cruore tingerent. Sed illi cùm id fecissent, iusto Dei iudicio pœnas dederūt, & ab hostibus victi & interfecti sunt. Paulus Diaconus vigesimo rerum Romanarum, sub Theodosio.

In Anglia successores Heduini, OSVICVS apud Northanimbros, & Eanfridus Berniciorum rex statim, postquam à doctrina Euangelij defecerunt, & ad pristinam idololatriam reuoluti sunt, sperantes se eo modo persecutiones posse effugere, & incolumitatem regni tueri, regnum simul & vitam amiserunt, vterque enim à Penda Merciorum rege trucidatus est. Beda lib. 4. Hist. cap. 1.

HAERESEOS POENAE.

VETERES catholicæ fidei sectatores diligentem curam semper adhibuerunt, vt continuis Conciliis, ingentique studio à sordibus religionem tuerentur, seuerè extirpatis à Dominica vinea noxiis herbis. nam quáquā Christiano nomine cēserentur Basilides, Cerinthus & Montanus, præterea Nouatus, Arrius, Marcio atque Valentinianus, compluresque alij, tamen à reliquorum fidelium communione eos separarunt, arbitrati à catholica fide eorum dogmata aberrare: item Nepotem, Paulum Samosatenum & Appollinarem (etsi episcopali dignitate fulgebant) pari modo damnarunt.

LETOIVS Melitinensis episcopus, Basilio Magno familiaris & orthodoxus, hoc solo nomine celebris, quòd cùm Valentis temporibus Messalianorum hæresim in monasteria quoque irrepsisse videret, monasteria ipsa exusserit. Theodoretus lib. 4. capite 11.

VALENTINVS quidam Mediolanensis ecclesiæ episcopus, Arianorū defensor, homo valde leuis, cum in ecclesia B. martyris Syri sepultus esset, noctu ibi exauditi sunt horrendi clamores. Duo custodes exciti, accurrunt, & duos cacodæmones vident Valentinum pedibus ligatum

& vociferantem ex templo trahere. Manè cadauer Valentini extra templum in alio loco conditum inuenerunt. Greg.Turon.lib.4.Dialog.capite.53.Vixit sub Iustino Imp.

Alexander episcopus Constantinopolitanus, Constantij Augusti temporibus, cùm ARRIVM hæresiarcham publicè argueret, ac proinde orta plurimorum vtriusque partis contentione sedari tumultus non posset: Dominum orauit, ne ecclesiæ suæ catholicæ fidem impijs ludibrio esse pateretur. Vix ipse preces finierat, cùm Arrius dysenteriæ morbo laborare cœpit. Et dum etiam torminib⁹ aluum exonerare vellet, intestinis profluentibus expirauit. Reliquos obmutescere fecit timor, atque illum quē prima Nicæna synodus damnauerat, etiam Dei iudicio damnatum esse omnibus palàm fuit. Marul.lib.2.cap.11.

CONSTANTIVS Imp. Arianus, infelix in bellis fuit. Nicephorus lib. nono, capite 28. In vitæ exitu conquestus est de innouata religione, & in ijs gemitibus expirauit. Theodoretus libro 2. cap. trigesimo secundo: & libro tertio, capite primo.

Post diui Hieronymi obitum, hæresiarcha quidam SABINIANVS opusculum execrandi dogmatis à se confectum, quo errori suo adsciceret authoritatem, à Hieronymo editum asseuerabat. Eum autem falsitatis palàm arguens Syluanus Nazarensis episcopus, proposuit conditionem, vt nisi librum illum die crastino ipse Hieronymus ostento manifesto reprobasset, tum se pœnam capitalem subiturum: sin è contrà, idem supplicij pro mendacio Sabinianus referret. Qui cùm tale miraculum nunquam euenturum timeret, sed magis speraret Syluani exitio suam sententiam firmam fore, accepit conditionem. Dies præstituta venit, ad ecclesiam Hierosolymis frequentes conueniunt, signum nullum apparet. Syluanus ex pacto supplicium poscitur, præbet ceruicem, mori pro veritate paratus. Sed præsto illi fuit Hieronymus, cunctisque cernentibus tenuit spiculatoris manum iam ad feriendum erectam. Mox ad hæreticum conuersus, acerrimè illum increpuit, doli & fallaciæ accusans, Abijt visio, & maius secutum est miraculum. Sabiniani caput nemine percutiente, ab humeris auulsum in terram procidit. Denique qui aderant orthodoxi, pro victoria, quam paulo antè desperauerant, Deo & diuo Hieronymo gratias egerunt. Reliqui ad Syluanum confugientes, illius fidei sese dedidere. Et perniciosissimus error (qui tam latè manare cœperat) vnà cum suo authore extinctus defecit. Marul.lib.2. cap.11. & Sab.lib.5.cap.4. Cyrillus coram se Hierosolymis actam scribit.

ANTIOCHIA quia sedes plerumque fuit & receptaculum hæreticorum, ideo sæpe diuinitùs punita fuit. Anno Iustini 7. partim cœlesti conflagratione, partim terræmotu cum suo episcopo Euphrasio perijt. Quam cladem Zosimas monachus prædixerat. Paulus Diacon. libro 15. Euagrius libro quarto cap.6.

CABADES rex Persarum, multa millia Manichæorum, eo quòd filiū suum Phamasan Manichæum patre adhuc superstite, regni successorem petierant, ferro in Christianorum cōspectu cecidit. Paulus Diaconus lib. 15. in Iustino Imp.

IVSTINIANVS Imp. cùm extrema ætate in Aphthartodocitarū hæresim incidisset, & Anastasium Antiochenū episcopum aliósque ministros sibi aduersantes loco mouere conaretur, in furorē versus expirauit. Euagrius libro 4. capite 39. & libro 5. capite 1. Zonoras tomo 3. & Nicephorus libro 17. capite 29.

FL. Val. IVSTINVS II. quia Pelagianus fuit, magnam à Persis cladē accepit. Quam cùm acerbè ferret, in phrenesim lapsus, mox ad sanitatem reuersus, substituto Tiberio, obijt. Euagrius libro quinto, capite nono: & Diaconus lib.3.cap.5.

GISVLPHVS Longobardorum rex, pacis studio in suo regno & Arianis & orthodoxis ecclesias permittebat. Ob id Cacanus dux Auarum Foroiulium obsidet, Gisulphum interficit. Romilda Cacani nuptias Foroiulij mercede pacta, post primam noctem militibus stupranda obijcitur: tandem palus per sinum muliebrem adigitur. Viri & adolescentes interficiūtur: pueri & puellæ venduntur. Paulus Diaconus lib.4.cap.12. Sabellicus Enneadis 8.lib.6.

HERACLIVS Imperator, eo quòd Monothelitarum hæresim in Ecclesiam Dei primus inuexerit, pios doctores turbarit, & insuper moribus adeò degenerarit, vt incestum connubium neptis peteret, séque superstitiosis obseruationibus astrorum & auium, & id genus impietatis dederet: horrendam quoque sensit pœnam, quæ in hodiernum vsque diem totum orbem terrarum infestat. Excitauit enim is sua temeritate furores Arabum & Saracenorum, qui & religionem & imperium miserè dilacerarūt, & ipse in proprio corpore tormenta non exigua est expertus. Tradunt enim Scriptores, quòd aqua intercute perierit: & insuper aliquot annis ante diem suum, in monumentum sui incestus hoc vitij habuerit, vt inguine conuerso faciem suam perminxerit, nisi per tabellam infimo ventri oppositam auerteretur. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus lib.18. & Sabellicus Enneadis octauæ lib.6.

CONSTANS Imper. Monothelitarum patronus, & orthodoxorum persecutor, omnibus Constantinopolitanis factus est inuisus atque exosus: & cùm Romam trāsferre imperij sedem studeret, ingressus iter, incidit in Saracenorum manus: cum quibus infeliciter dimicans, vix fuga est elapsus. Narrat Paulus Diaconus, cum tunc temporis, antequam nauale prælium iniretur, somnium habuisse, quasi apud Thessalonicenses degeret: idque ipsum, interpretem somniorum de amissione imperij intellexisse: quasi diuinitùs esset significatum, τῆς ἄλλῳ νίκην regnum ab eo auferendum esse. Etsi autem hostium manus effugit, iudicium tamen Dei non potuit effugere. Nam in Siciliam reuersus, à satellite quodam, dum sapone Gallico deliniretur, situla interficitur. Paulus Diaconus libro decimonono.

Aspares & Ardaburius, Orientalis imperij duces sub Leone Imperatore, Vandali & Ariani, cum Genserico regi Ariano fauerent, & se Leoni imperium, quod dedissent, erepturos minarentur: tandem à Zenone, iussu Leonis, trucidati sunt, qui Zeno Leoni postea successit. Nicephorus libro 15.cap.27.

ZENO Imperator scholam Edessenam, quam Persicam vocabant, quia Nestorij hæresim doceret, funditùs euertit. Theodorus lector libro secundo.

Constantinus pontifex PHILIPPICVM Imperatorē, qui Bardianus dicebatur, non contentus per literas reprehendisse, quòd de catholica fide malè sentiret: posteaquam monitus redire ad sanitatem neglexit, nulla in eo imperatoriæ maiestatis ratione habita, ceu schismaticum extra catholicæ ecclesiæ gremium esse declarauit, noménque eius omnibus publicis rebus detrahi iussit, vt eius qui propter hæresim indignum se fecisset, qui alijs imperatoribus annumeraretur, nomen quoque in obliuione sepeliret: æquè enim in eum inuectus est, ac si nullo vnquam insignitus imperatorio honore, priuati hominis statum non euasisset. Fulg. libro 6. capite 3. Itaque ab Anastasio Anthemio, erutis prius oculis, imperio deijcitur. Volat.lib.23.Anthrop.

EVNDEM ob hæresim Monothelitarum & persecutionem orthodoxorum, breuitate imperij, & cæcitate punitum esse, referunt Paulus Diac. lib.20.rerum Rom.& Zonaras tomo 3.

CLODOVEVS Rex Francorum, Alarico Vestgotthorum regi, Theodorici genero, propter Arianismū bellū intulit. In Pictauis igitur cōserto prælio, Clodoueus victor extitit. Sabellicus.

DVNAAS Pseudomoyses Negram Arabiæ oppidum cum Christianis omnibus deleuit. Sed mox ELESBAAS Æthiopū rex, ope Iustini Imp. cum bello vicit, & cecidit. Niceph.lib.16.cap.6.

BONIFACIVS VIII. Hermanni Pongilupi eremitæ corpus, Ferrariæ honorifica sepultura decoratum, post viginti annos erui, cremari, cinerésque in profluentem amnem proijci iussit: quoniam quibusdam indicijs post mortem eius detectum fuerat, ipsum in Fratricellorum hæresi fuisse.

INNOCENTIVS tertius per parisiensem episcopum egit, vt ex sepulchro erueretur Almaricus Parisiensis doctor, & cremaretur: quoniam, quanquam eum pœnituisse visum esset hæresis, qua aliàs laborarat (hæc autem simplicis Spiritus nomine ab eo appellabatur) hæresis ipsa adhuc repululare putabatur.

Mediolani regnante Mattheo Vicecomite, postremis eius imperij diebus, detecti sunt Andreas Seramita & Gulielma post vndecimum cœpti sceleris annum, principes fuisse, mares ac fœminas occulto in loco sub Barilotti nomine, ad Bacchanalem exercendam licentiam congregandi. nā peractis sacris quæ Guilielma in sacerdotali veste obibat, cùm cæteri in clericorum habitu ministrarent, extincto lumine promiscuæ libidinis genus omne permittebatur. Iraque Andreas viuens cum aliquot huius sectę hominibus cōbustus fuit: additúmque Gulielmæ cadauer, quæ ante mortua erat, & vsque ad id tempus in Claræuallis monasterio sepulta, sanctarum honore colebatur. Fulg.lib.1.cap.1.

CLEMENS V. Templariorum ordinem iustis de causis destruxit, eorum bonis, Rhodijs militibus concessis, Anno M.CCCV. Volater. libro 23. Anthrop.

Aragonius Ferdinandus Castulonensis rex, detecto magno Christianorum numero, qui per eius regna passim sparsi erant, potentia atque opibus insignes, quorum genus ab Hebræis manârat, cum palàm in Christianam fidem recepti essent, secretò Iudaicam legem ac ritum seruare: non solùm permultos ex eis comburi, qui pertinaces in scelere manebant verumetiam ex sepulchris eorum corpora erui iussit: qui quanquam mortui essent, in eius sceleris reorum numero nominati fuerant: etsi per id tempus in Hispania Iudæorum multitudo ingens, sub publica fide incolumis manebat, quia Iudaicos ritus palàm inuiolata Christi religione seruabant. Fulg.lib.1.cap.1.

SIMONIAE POENA, ET AMBITIONIS.

GREGORIVS VII. pontifex, Henricum III non contentus anathemate mulctare, tandem Imper. quoque honoris dignitate priuauit substituto ei Rodulpho Saxone, quia ecclesiastica sacerdotia venalia habebat: & admonitum vt corrigi se pateretur, durum inuenit. neque verò antè anathematis vinculo liberauit, aut ad pristinum honorem admisit, quàm per hyemem nudis pedibus, in niue, collo indutus zonam, multas horas ad Canusij oppidi portas in Rhegiensi agro, vbi tunc pontifex agebat, erroris sui veniam petijt: vbi vix tandem Mathildis comitis, fœminæ clarissimę, quæ in ea regione latè imperitabat, & Adelini Allobrogū comitis, victus precibus, vt deosculari pedes posset, eum admisit. Fulg. lib.6.cap.3. & lib.1.cap.1. & Volat. libro 23. Anthrop.

Extra communem fidelium gregem, Innocentius primus Pontifex, Archadium Augustum, atque eius coniugem Eudoxiā fecit: atq; id palàm declarauit, quòd Ioan. Chrysost. patriarchat⁹ suo honore depulso, Theophilum Alexandrinū patriarchā suffecerant. Fulg.lib.6.cap.3.

ARCHIDIACONVS episcopatum Canusinum ambiens, diuinitus punitur. Vide tit. Doctorum ecclesiasticorum, sub nomine Sabini episcopi Canusini.

Imperante

Imperante Henrico primo, cùm propter seditiosos pontifices inter Christianos schisma ortum esset, CONCILII decreto in vrbe Roma pontificatus honore priuati fuēre Gregorius sextus, ac Syluester tertius, vnà cum Benedicto nono: Clemens autem secundus canonicè ad pontificiam dignitatem electus. Postremò autem auorum nostrorum memoria in Constantiensi concilio, cui imperator Sigismundus interfuit, cùm scissa Christi tunica tres pontifices Christianus orbis haberet, quoniam parū Christiani reges vnionem quærebant, & propterea scandali materiā præbebant, quòd inter eos discerni verum nequiret, pontificio honore aut catholicorum suasione impulsi per se discessere, aut contumaciter agentes priuati sunt. Nam cùm Gregorius duodecimus vltrò pontificatus titulo cessisset, Ioannes vigesimus tertius idem agere coactus fuit. Benedictū autem tertium decimum tanquam schismaticum, & in errore pertinacē, communi decreto ab eo honore deiectum, extra fidelium gregem esse declarauerunt. Fulgos.lib.1.cap.1.

Euidenti prodigio damnatus symoniaco crimine fuit Archiepiscopus Ambrunensis, ab Hildebrando apostolico legato. Nam cùm symoniacū crimen factum negaret Archiepiscopus, Legatus autem affirmaret, quia Spiritus sancti episcopalis dignitas munus esset: illi ipsi se hoc iudicium remissurum esse: & propterea ab Archiepiscopo peteret, vt clara voce versiculum recitaret, qui ab Ecclesia in omnium Psalmorum fine dici solet. Archiepiscopus conditionem accepit. Cùm autem recitando ad Spiritus sancti nomen venisset, implicata ad dentes lingua, illud verbum enunciare numquam potuit. Itaque ob eam rem damnatus est: & quod ante damnationem exprimere non potuit, post damnationem ab episcopatu deiectus, planè pronunciauit. Fulgos.lib.8.cap.1.

Memoranda est damnationis causa PETRI *Papiensis archiepiscopi* Florentini. Hic ob symoniæ notam à Iohanne Gualbertho, viro morum sanctitate insigni, qui primus Vallisumbrosæ monachalem congregationem instituit, cùm esset grauiter increpatus, re ad populum, vt dijudicaretur, deducta: Ioannes post peracta missæ solennia, cùm ita conuentum esset, itinere habito inter duas lignorum succensas pyras, inter quas vni tantùm peruius limes erat relictus, viuus, atque nulla in parte læsus euasit. Itaque & prodigij magnitudine, & simul vt populi impetus compesceretur, Petrus ab Alexandro pontifice à Florētina ecclesia deiectus est. Fulgos.lib.8.cap.1.

PRESBYTERI duo, qui Episcopatum Auernensem affectabant, & Sidonium eijcere conabantur, diuino iudicio puniri. Consule vitam Sidonij, sub tit: Doctorum ecclesiasticorum.

IMPIETATIS CONTRA IMAGINES, STATVAS QVOrumcúnque deorum, pœna.

Etiam hic ἐποχὴν amplectimur. Multa sunt mendacia signa, quibus cacodæmon iconolatriam persuadere conatus est. Verùm prudens Lector hæc à se inuicem, veræ religionis regula non ita difficulter separabit.

Gennadius episcopus Constantinopolitanus, precibus manum restituit PICTORI cuidam, cui manus exaruerat, quòd Christum Iouis habitu pingere ausus fuisset. Theodorus Lector lib.1.Collectaneorum.

LEO III. imperator iconomachus, suæ crudelitatis contra imaginum defensores pœnas dedit. Nam bellis & rerum infelici successu vexatus, tādem dysenteria periit. Iacobus de Strada, in Thesauro antiquitatum: & Vernerus in Fasciculo temporum. Beser patricius, qui eum inflammauerat, vtadeò sæuiret contra imaginum defensores, ab Artabasdi exercitu hasta traijcitur. Paulus Diaconus lib.22. rerum Roman. A Gregorio II. pō. Rom. sacris interdictus est. Volat.lib.23.Anthrop.

Plerique historici ea quæ à Constantino Copronymo contra imaginū patronos gesta sunt, persecutionem piorum æstimant: ideo etiam omnes calamitates, vt sunt pestis, fames, terræmotus, & eius mortem, pœnam faciunt oppugnatarum imaginum. Nam carbūculus pedem eius corripuit, & ardentes febres eum è medio sustulerunt, cùm annos trigintaquatuor & tres menses rerum potitus esset. Zonaras tomo tertio, & Paulus Diaconus lib.22. Iuo in Chronico. Blondus Decad.2.lib.1. elephantiæ morbo eū correptum, & adusti spumātisque sanguinis vitio putridam carnem neruos & ossa destituisse, eúmque vlceribus repleuisse scribit.

ALEATOR quidam Budæ diuino damnatus iudicio. Vide tit. In deorū imagines sæuire.

RELIGIONIS, SACRORVM, TEMPLORVM, ASYLORVM, VEL ATTActu, vel Quacunque alia ratione pollutorum, profanatorum, pœna.

IVLIANVS, Iuliani Imp. auunculus, Antiochiæ sacram mensam Christianorum lotio profanauerat: & Euzoi episcopo, qui eum obiurgabat, alapam impegerat. Periit inde voluulo. Theodoretus libro 3. capite 13. Sozomenus libro quinto, capite octauo, eum quoque phthiriasi cruciatū fuisse testatur.

THEODECTES Phaselites, quòd quædam Hebræorum sacra in tragœdia prodere voluisset, luminibus capitur. Vide tit. Tragicorū poetarū.

SYLLA Dictator victis Atheniensibus, qui Mithridatis partes fouebāt, Aristionem Mithridatis legatum, ex Mineruæ templo extractum, interfecit. Hanc ob causam phthiriasi cōsumptus putatur. Pausanias in Atticis.

SACRILEGII POENA.

Exempla plurima huius loci pete ex titulo Sacrilegorum: ne eadem bis repetendo, moles libri crescat.

EXEMPLA SACRA.

Expertus est HELIODORVS diuinam virtutem, quando voluit spoliare templum, fuitque à duobus iuuenibus grauissimè verberatus. 2. Machab.3.

Theodorici Gotthorum regis Milites, ipso adhuc viuente, cùm Iuliani martyris templum in Aruernensi vrbe spoliassent: mox ab immundis spiritibus correpti, infestis dentibus se mutuò lacerarunt. Gregor. Turon. libro tertio, capite ~~decimo~~. 12.

CAROLVM Martellum, propterea quòd tempore belli ecclesias spoliarit, & decimas militibus distribuerit, in infernum cum corpore & anima descendisse aiunt: & aperto sepulchro eius per Aurelianensem episcopum, serpentem inuentum esse miræ magnitudinis, in Chronico de ducibus Bauariæ annotatur, & in Chronico Martini.

LEO Imper. coronam iaspidibus & aliis gemmis confectam, ex ecclesia abstulit, dicens: Eum cuius sit templum, pauperiē, & non gemmas probasse, & suo capiti imposuit. Sed paulo pòst febre correptus interiit, Paulus Diaconus lib.23. Blondus Decad.2.lib.1.

Longobardorum quidem Episcopus Arianus, cùm Spoleti locum nō haberet sacra faciendi, & Episcopus locum dare negaret, Arianus D. Pauli sacellum in vicinia situm altero die se occupaturum professus est. Templi custos sacellum clausit, & lampades extinxit. Adest manè cum turba Arianus episcopus, portas effringere conatur. Interea magno cum fragore sponte sua portæ aperiuntur, & desuper effuso lumine lampades omnes accenduntur. Arianus episcopus subitò excæcatur, aliorúmque manibus domum reducitur. Longobardi in posterum à sacris locis abstinuerūt. Gregorius papa lib.3. Dialog. cap.29.

Guntranni regis Francorum exercitus post spoliatam & incensam Vincentij martyris basilicam, alij à dæmonibus correpti, & in rabiem versi, bacchari cœperūt: alij in seditione dispersi, proprijs vulneribus sese confecerunt. Reliqui non sine ingenti formidine Conuenas vsque progressi, castrametati sunt: ex quibus qui prædandi gratia vagabantur, ab incolis interempti fuere, Turonensis lib.7.cap.trigesimoquinto.

EBERVLPHVS, Chilperici regis cubicularius, spoliauit ecclesias, pulsauit ministros, occidit insontes, pecudibus suis agros & vineas subditorū publicauit. At mortuo Chilperico, omnibus possessionibus exutus, ac iussu Guntranni regis Parisiis in basilica Martini à sicario occisus est. Turonensis lib.7.cap.21.

CELSVS patricius & Iureconsultus, ex ecclesiarum bonis ditari volebat. Audiens verò aliquando Esaiæ illud, Væ his qui iungunt domum domui, & c. consternatus animo, obiit. Filius quoque eius absque *filiis* moriens, magnam partem facultatum, quas pater spoliauerat, Ecclesiis reliquit. Turonensis lib.4.cap.14.

MILITES Pipini sacra Austrogisili spoliantes, alij sese in vicem dentibus discerpserūt, alij membra sibi amputarunt, vnus incēdio periit. Vincentius lib.23.cap.26.

LEVIGILDVS Vestgotthorum rex, cùm filium bello prosequeretur, & milites eius monasterium inter Saguntum & Carthaginem Sipartharīā inuaserunt: miles quidam abbati eius cœnobij seni gladio caput præcisurus, resupinus concidit, & obiit. Reliqui fugere, & regi renūciata, omnia cœnobio restituere iussi sunt. Greg.Turon.lib.10.

Anno secundo & tertio Tiberij Constantini, bella ciuilia inter Reges Francorum Sigebertum, Chilpericum & Guntranum fratres orta sunt, eo quòd tam turpiter à paterna pietate degenerarunt, & bona Ecclesiæ, quæ maiores ipsorum legauerant, diripuerunt. Turonensis lib.4 cap.48.

RVCCOLENVS Chilperici regis Francorum legatus, qui Turonensem ecclesiam miserè vastauit, regio morbo correptus, anno sequenti Pictauium profectus, vt contra ciues inquireret, periit. Idem lib 5.cap.4.

GVNDERICVS, Crosci successor, in regno Vandalorum, cùm capta Hispali in Ecclesiam quoque Dei impias manus extenderet, à dæmone correptus periit, anno secundo Theodosij iunioris & Valentiniani.

PROCVLVS à Genserico rege Vandalorum in Eugitanam prouinciā missus, cùm Ecclesias diriperet, & sacra volumina igni cremaret (id enim præcipuè in mādatis habebat) non multo pòst sibijpsi frustulatim linguā dentibus præcidit, & interiit. Sigebertus.

Chumeid Ammireus missus ab Aarone ad excindendam Lichiā, cū ve-

nisset Smyrnam, visus sancti Nicolai conterere arcam, pro ea contriuit aliam: & pro temeritate incurrens Dei vindictam, subsequente ineuitabili tempestate classem totam amisit. Sigeber. in Chron.

VNGARI cùm Germaniã deuastassent, & iam Hamburgum incendio fœdarent, incensis ecclesijs, sacerdotes ad aras trucidabant. Cuius furoris vltio mox subsecuta est. Nam subita orta tempestas, à semicremis ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in ora paganorum rotans, dum fugæ præsidium quærunt, aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manibus includi armatorum ciuium, à quibus trucidati sunt. Facta sunt hæc post natum Christum Anno 913. Cranzius libro tertio, capite secundo Metropoleos.

EXEMPLA ETHNICA.

Apud GRÆCOS pœna in sacrilegos statuta fuit seuerissima, vt præcipitati, vel immersi, aut combusti pœnas darent. Alexand. ab Alexand. lib. quinto, capite quinto.

Apud Athenienses cùm PVER laminam auream, quæ ex deæ corona deciderat, furto sustulisset, vocatus in iudicium, ingenij atque naturæ suæ specimen dare iussus est. Iudices quippe cùm crepundia, iamiam ipsam, ac alia etiam puerilia proponerent, iusserũt vt quod vellet acciperet. Verùm puer cùm iterum ad aurum inclinaret, plexus est vt fur atque sacrilegus. Neque ætati veniam dederunt, sed flagitium & scelus vindicarunt. Ælianus lib. 5. de Varia histo.

Cabirorum Thebanorum (qui Cererem colebant) religiones qui violassent, inexpiabilis sceleris pœnam effugere non potuisse, certissimis rerum euentis compertum est. Nam quæ Thebis fierent sacra, cum essent, Naupacti prophani homines ausi vsurpare, non multo pòst fraudem luerũt. Ex illis etiam de Xerxis copijs, qui duce Mardonio in Bœotia statiua habuerunt, quæ pars in Cabirorum fanum introire non dubitauit, vel ingẽtis prædæ allecti cupiditate: vel potius, vti ego arbitror, ad numinis cõtemptum, insania omnes correpti, partim se in mare abiecêre, partim de præruptis rupibus præcipites dedêre. Cùm Alexander superatis prælio Thebanis, vrbem & agrum igni ferróque peruastasset, qui è Macedonibus intra fanum Cabirorum irruperunt, omnes aut fulminibus, aut è cœlo missis ignibus exanimati sunt. Tãta fuit iam tum ab initio eius templi religio. Pausanias in Bœoticis.

SCYTHÆ finibus suis egressi, cùm Ascalone in Palæstina Veneris Vraniæ templum essent deprædati (erat autem phanum vetustissimum) dea & ipsis & eorum liberis immisit mulierum morbum: quem illi, quos Scythæ vocant Enareas, curare tantùm possunt. Asiæ imperio 28 annis potiti, tandem à Cyaxare Medorum rege conuiuio excepti, inter pocula ex composito trucidati fuerunt. Herod. lib. 1.

Hominem quendam aiunt sacram pecuniam, quam in phano Delphici Apollinis compilasset, abdidisse in ea Parnassi parte, quæ maximè esset syluestribus arboribus condensa. Lupum verò in dormientem impetu facto, illum occidisse: ac deinde quotidie cum vlulatu solitum intra vrbem penetrare. Id cùm non nisi diuinitùs fieri existimare Delphi cœpissent, feram secuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriã lupum ex ære dedicarunt Apollini. Pausanias lib. 10.

CAMBYSES Persarum rex, cùm ad Thebas Ægyptias vsque peruenisset, quinquaginta millia ad Ammonios diripiendos misit, & vt oraculum Iouis Ammonij incenderent præcepit. Cùm igitur septem dierum itinere per arenas processissent, & inter Dasim vrbem & Ammonios prãderent, validus auster ingestis arenæ cumulis totum oppressit exercitũ. Ipse cum reliquo exercitu contra Æthiopes Macrobios profectus, cùm vix quintam itineris partem confecisset, commeatu destitutus, Memphim rediit. Vbi cùm propter Apis apparitionem festum diem agerent Ægyptij, ratus id fieri in suam contumeliam, quasi pro rebus malè gestis ei insultarent: sacerdotes & Ægyptios feriantes interfecit, Apim vulnerauit, ex quo vulnere postea contabuit. Mox fratrem Smerdem, & sorores germanas interfecit, dignas scelerum suorum pœnas luens. Herod. lib. 3.

ALEXANDER Macedo, cùm Miletum Ioniæ vrbem munitissimã oppugnasset, eius milites in Cereris templum spoliantes irruerunt. Sed Milesia Ceres factum vlciscens flammas obiecit, quę spoliantium priuaret oculos. Val. Max. lib. 1. capite secundo & Lactantius libro secundo, de Origine erroris, cap. 8.

PYRRHVS rex Epirotarum sublata è thesauro Proserpinæ Locrẽsi pecunia, naufragium fecit, vt nihil præter eam pecuniam incolume reperiretur. Lactantius lib. 2. de Orig. error. cap. 8.

CLAVDIVS Censor, cùm aduersus responsum ad seruos publicos sacra Herculis transtulisset, lumine orbatus est. Ibidem.

P. Scipio Africanus minor, cùm Carthaginem militibus diripiendam concessisset, QVIDAM Apollinis templum ingressus, eius simulachrum aurea veste indutum spoliare tentauit. Quare indignatus Apollo id egit, vt sacrilegæ manus inter fragmenta vestis & fimbrias à corpore abscissæ reperirentur. Val. Max. de Relig. contempta.

TARQVINIVS rex, M. Tullium duumuirum, quòd librum secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum, in mare abijci iussit: idq; supplicij genus non multo pòst parricidis lege irrogatum est. Iustissimè quidem, quia pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda est. Val. Max. lib. 1. cap. 1.

PLEMMINIVS legatus à Scipione Locris cum præsidio pop. Rom. præfectus, præter multa alia facinora, templum quoque Proserpinæ, quod ibi nobilissimum & opulentissimum fuerat, nimia auaricia tactus diripuit. Quod vbi senatus resciuit, vinctum Romam deduci in carcerem iussit, in quo pediculari morbo, ante causæ dictionem miserè perijt. Liuius libro nono Secundi belli Punici, Flor. abbre. 29. Val. Max. libro primo capite secundo.

FVLVIVS Censor, cùm ex Iunonis templo marmoreas tegulas sustulisset, & Romæ ædem Fortunæ equestris tegeret, mente captus est. Lactantius lib. 2. cap. 8. de Origine erroris.

TVRVLIVS Antonij præfectus, cùm arbores ad fabricandas naues in luco Æsculapio sacrato accepisset, inter ipsum ministerium deuictis partibus Antonij imperio Cæsaris morti destinatus Turulius, in eo loco quẽ violarat, à militibus Cæsarianis occisus est, vt eodem exitio & euersis iam arboribus pœnas lueret. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

GALBÆ, qui Fortunam Tusculanum torque fraudarat, illúmque Capitolinæ Veneri dedicarat, in somnis Fortuna queri visa est, quòd promisso eam fraudasset: breui quoque se erepturam quod dederat, interminata est. Quod mox fuit sua morte subsequutum. Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 13.

In Elephantia ÆTHIOPIA sacrilegos hac pœna multabant, vt ophiusam herbam bibere cogerentur. Qua pota, ita terroribus & falsis imaginibus afficiebantur, vt mortem sibi ipsis consciscerent. Alexand. ab Alex. libro 3. capite. 5.

ARTAXERXES, qui Ochus cognominatus est, cùm alia multa sacrilegia, tum prę sertim in Ægygto commisit. Verùm dedit mox suæ impietatis pœnas condignas. Bagoas enim Ægyptius eunuchus, cùm hominem miserè trucidasset, cadauer eius felibus proiecit, ac ex femoribus eius manubria gladiorum fecit. Ælianus lib. 6. de Varia historia.

BRENNVS Gallorum dux, Apollinis templum cùm spoliasset, seipsum gladio mox transfixit. Iustinus. & Valer. Max. lib. 1. de Neglecta relig. Sabell. lib. 8. Enn 4. Rhaps.

Cùm oppidum Tolosanum Q. CEPIO consul diripuisset, multúmque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero exitu perijt. Gell. lib. 3. cap. 9. Strabo lib. Geographiæ quarto, admonet hanc pecuniam Tolosanam Delphicæ pecuniæ partem fuisse. Brennus enim Prausus natione, Tectosagis auxiliantibus, Delphos incursauerat: deinde, quemadmodum refert Iustinus libro vigesimosecundo, cùm Tectosagi se in antiquam patriam Tolosam recepissent, pestilentia laborare cœperunt: à qua non prius sunt liberati, quàm haruspicum responsis moniti, aurum argentúmque sacrilegio quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent, quod omne multo pòst tempore Cepio Romanus cõsul abstulit. Quod quidem sacrilegium, exitium attulit tum ipsi Cepioni, tum illius copijs. Erant autem auri pondo CX milia, argenti pondo quinquies decies centum milia. Scribit enim Strabo, Tolosanos ex priuatis fortunis auxisse sacram pecuniam, vt magis deum reconciliarét. Erasmus Chiliadis primæ centuria decima.

INOBEDIENTIAE RELIGIOSAE POENA, SIVE ERGA DEVM, *siue erga homines diuinos.*

PRIMI parentes, quòd de arbore vitæ comedissent contra mandatum Domini, æterna morte damnati sunt: nõ quidem quòd noxium esset vesci de ligno (nullam enim nocentem stirpem Dominus creauerat) sed quòd rerum Domino & creatori inobedientes fuissent.

LOTH admonitus fuit ab angelo, vt de Sodomitis cum suis fugeret. Generi eius nolentes obedire, perierunt cum Sodomitis. Loth verò cum ijs qui eum sequebantur periculum euasit, excepta vxore, quæ etiam inobediens, retrò viderat contra mandatum: versa itaque in salis statuã. Historiam pete ex Genes. 19.

MOSES eo quòd ducatum populi non reciperet, iubente Domino, & multoties recusaret, iratus factus est Dominus in Moysen. Exod. 4.

FILII Israel parantes expeditionem cõtra Amalecitas & Chananços, vincuntur: quia contra præceptum ascenderunt, occisi sunt. Num. 14.

HOMO qui contra præceptum Domini in die Sabbathi collegit ligna, lapidatus est. Num. 15.

ACHAN quia de manubijs Hiericuntinis contra Iosue præceptũ aliquid surripuerat, populus in prælio fuit superatus, & ipse postea à populo lapidatus. Iosue 7.

SAVL offerens holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus est. Similiter quia pepercit Agag regi Amalech, & gregibus ouium, & cæteris rebus preciosis, tunc dixit ei Samuel: Melior est obedientia, quàm victimæ. 1. Reg. 13. & 15.

VIR Dei qui venit de Iuda, & nunciauit Hieroboano successionẽ officiorũ sacerdotũ eius, occisus fuit à leone: eo quòd cõtra imperiũ Domini comedisset panẽ in domo cuiusdam falsi prophetæ. 3. Reg. 13.

Prædixit Dominus SALOMONI, quòd si faceret omnia quæ præceperat ei, poneret & thronum regni eius in Hierusalem in sempiternũ: si autem auerteretur, & non custodiret eius mandata, auferret Israel de superficie terræ. 1. Reg. 9. 2. Par. 7.

IONAS propheta à Domino ad prædicandum Niniuitis missus, quòd inobediens Domino esset, commoto mari è naui proiectus est à nautis, & à pisce deuoratus. Ionæ 1. 2. & 3.

QVI

QVI vsqueadeò inueterata animi peruicacia obdurantur, vt piis hortatibus molescere prorsus nequeãt, eos Dominus anathemate videtur execrare, dicens: Quicunque non receperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Minis quoque horrendis exterret, subiungens. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Inexcusabilior proculdubio erit, quisquis prædicationes audiens, emendari corrigíque neglexerit: quam qui omnino non audierit, casu aliquo impeditus. Seruus enim qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit, digna plagis, vapulabit paucis. Marulus lib. tertio capite quarto.

Eutychianæ prauitatis error, quem Chalcedonensis Synodus damnauerat, etiam tunc manifestò apparuit, cùm ANASTASIVS Augustus vt ab eo discederet, summi pontificis Hormisdæ denunciationibus monitus sed obtemperare negligens atque contemnens, fulmine ictus pœnas dedit. Reliqui ne idem paterentur, catholicæ fidei adhærentes, ab eodem pontifice in ecclesia recepti sunt. Non enim dubitarunt eã religionem esse verissimã, pro qua Deus ipse sic depugnaret, vt neque imperatoribus aduersus eam niti impunè esset. Marulus lib. 2. capite 11. & Sab. lib. 5. capite 4.

Cùm DVO in vna domo Vualaricum Columbani abbatis discipulũ de pœnitentia concionantem irrisissent, Dei iusto iudicio alter oculis captus, alter genitalibus putrescentibus mortuus est. Vincentius libri 23. capite 23.

GALLI conciones Hospitij monachi de pœnitentia contemnentes, à Longobardis sexto anno Tiberij grauiter afflicti sunt. Paulus Diaconus lib. 5. de Longob. cap. 1.

Cùm MILLES episcopus, qui in persecutione sub Sapore in Persia martyrium passus est, in ciuitatem quandam Persiæ ingressus, ciues vt Christo nomina darent hortaretur, neque illi parerent, maledixit illi ciuitati. Paulò post cùm magistratus ciuitatis illius regem læsisset, missus eò exercitus vrbem deleuit. Sozomenus libro secundo capite decimo quarto.

FRATER quidam ægrotans in monasterio Scythi, cùm adire ciuitatem pararet curationis gratia, & Moyses abbas à proposito illum deterreret: simúlque prædiceret, si discessisset, fornicatione polluendum: iniussu eius abiit, & mulierem quæ languenti ministrabat, cùm conualuisset, vitiauit. Quanto illi melius erat morbo perisse, quàm peccato? Mori timuit: & multo grauiorem mortem incurrit, dum obedire negligit. Marul. lib. 4. cap. 3.

LEO 4. pont. maxim. cardinalatus honore Anastasium tituli sancti Marcelli priuauit, quia contra Canones quinquennium à parrochia sua abfuerat. Fulg. lib. 6. cap. 3.

LVDOVICVS Bauarus Imp. Rom. cùm animo temerario se imperatorem spreto Pontificis consensu appellaret, & diadema primo ferreum Mediolani à Guidone Petramala, deinde Romæ aureum à Stephano Columna, apud Lateranũ clero & pop. Rom. consentiente de more sumpsisset: à Ioanne primùm XXII. & deinde à Benedicto XII, & clemente VI. pontiff. sacris interdictus est. Volat libro 23. Anthrop.

Comes quidam propter illicitũ coniugium à Cedd episcopo Orientalium Saxonum, in Anglia excommunicatus fuit. At SIGBERECHTVS rex neglecto excommunicationis fulmine, cum comite lætus conuiuium agitauit. Illum ergo deprehendens episcopus, prædixit fore, vt in ipsa domo interficeretur: quod etiam contigit. Comes enim, regem nil tale metuentem inter epulas obtruncauit. Beda lib. tertio capite vigesimosecundo.

INCESTVS RELIGIOSI POENA.

Incestus religiosus non modò propter libidinem vituperio & pœna dignus est, sed multo magis propter contemptum religionis. Huius igitur loci erunt, qui vel cum personis virginitati religiosè addictis rem habuerunt: vel certè qui diuersæ religionis hominibus, à quibus ex religionis suæ præscripto abstinere debebant, se commiscuerunt.

Multum placuit Deo zelus PHINEES Eleazari, quando perfodit virum cum muliere Madianita licet essent magni & nobiles. Num. vigesimoquinto.

Videns NEHEMIAS Iudæos ducentes vxores alienigenas, obiurgauit eos, & maledixit & verberauit aliquos. Nehemiæ decimo tertio.

IMPIETATIS eorum pœnas, qui pios viros ad peccandum inducere voluerunt, exempla pete ex tit. Occasiones libidinis fugere & cunctare, sub exemplo Martini, Carilephi Ægyptij eremitæ, Apellis monachi, Christophori, Eusebij episc. &c.

Illusit IOANNES septimus Apostolicæ sedi verius, quàm clero: qui cùm mulier natura esset, sexum mentita, pontificiam dignitatem inuasit. Sed fœdus ille lusus, & fraus omnis in eum conuersa est. Etenim domestici hominis familiarissimique concubitu prægnans facta, cùm fortè Lateranensem basilicam inuiseret, inter Amphitheatrum & Clementis ædẽ doloribus subitò obortis, repẽtè partu soluta est, medioque nixu extincta. Tenuit mos, & hodie durat, vt pontifices ibi loci viã deflectant, tam fœdæ rei admoniti. Sab. lib. 4. cap. 4.

Christi anno quadragesimo supra noningentos, imperante Ottone tertio, in Parthenopoli vrbe Germanica, quæ in Saxonibus est, & alio quoque nomine Martinopolis dicta, Saxonem lingua Magdeburgum appellatur: Episcopus olim fuit, VDO nomine, vir libidinosus, & sacrarum virginum corruptor, qui prodigio ad eum gradum conscenderat: neque signis ac diuinis vocibus commonitus, ab impudicitia sibi temperabat. Quare viri religiosi, qui in ea regione rectè viuendi studio tenebãtur, Deum, vt Episcopum aut corrigeret aut tolleret, rogare cogebantur. Itaque cùm noctu in cathedrali ecclesia quæ sub sancti Mauricij nomine in Parthenopoli est Federicus canonicus eiusmodi precibus operã daret, non sine ingenti formidine, vehementioris venti afflatu, omnia quæ in templo erant lumina extingui perspexit: nec multo post duos iuuenes venire, duo candelabra accensis cereis ferentes, & Christum cum parente eius atque Apostolis subsequi: à quibus cùm essent vocati sancti homines quorũ corpora in eo templo quiescant, visus est inter eos Mauricius venire; qui longa atque graui oratione Vdonem episcopũ accusauit: quem haud multo post Christus nudum afferri à duobus iussit, atque damnauit. Is autem pugno ab ipsorum altero, qui eum portarant in mediis renibus grauiter ictus, Christianam hostiam, quam in communione pridie eius diei sumpserat, reuomuit in calicem, qui altari impositus fuit: atque securi percusso Vdone, rerum illarum omnium imago euanuit. Qua re vehementer perterritus Federicus, cùm ad altare accessisset calicémque in eo esse cum Christiana hostia inspexisset, & simul episcopum mortuũ humi iacentem: alios religiosos viros excitauit, qui ablatum inde episcopi corpus in agro sepeliuerũt. Cuius sanguine cùm respersum templi pauimentum esset, sacerdotes ferrea crate cruorem cooperuerunt: quem nouis Episcopis ostendere moris habent, vt eo sanguine à scelerate viuẽdo deterreantur. Hæc autem quæ Federicus inspexerat, confirmauit postea Bruno, episcopi in diuinorum celebratione minister: nonnullis enarratis, quæ ea ipsa nocte, qua hæc gesta fuerunt, iter in equo faciens vidit. Fulgosius libro 9. capite. 12.

EXEMPLA ETHNICA.

Apud ROMANOS qui virginem Vestalem corrupisset, capitali supplicio mulctabatur. Virgo verò humi viua defodiebatur in campo, qui ob id Sceleratus dicebatur. Inter quas defossa fuit Cornelia virgo Vestalis, authore Suetonio.

POPILIA & Symea virgines Vestales, viuæ defossæ sunt, eo quòd virginitatem corruperant.

CAPRONIA virgo Vestalis, suspensa fuit ob incestum, cum his qui eam corruperant. Suspensa est etiam Septilia. Demum Æmilia, quã corrupit L. Septilius, & Minutia, Vestales virgines ob incestum viuæ defossæ fuerunt: vt testatur Augustinus in lib. de Ciuit. Dei.

SENATVS Sp. Posthumio Albino, & Q. Mattio Philippo consulibus mandauit, vt de iis quæ sacris Bacchanalium incestu vsæ fuerant, inquirerent. A quibus cùm multæ essent damnatæ, in omnes cognatas intra domos animaduerterunt: latéque patens opprobrij deformitas, seueritate supplicij emendata est: quia quantum ruboris ciuitati Rom. mulieres turpiter se gerendo incusserant, tantum laudis grauiter punitæ attulerunt. Val. lib. 6. cap. 2.

CRVDELITATIS IMPIETATIS, PERFIDIAE PERSECVTIONIS. *contra sacros homines, tam priuatim quàm publicè, pœna.*

Exempla pleraque ex historia Ecclesiastica Magdeburgum desumpta sunt. qui ista ante nos diligenter congesserunt.

Cùm extenderet IEROBOAM brachium, vt virum Dei capi faceret, exaruit manus, & altare scissum est. primo Regum decimotertio.

HERODES, Antipatri F. qui pueros innocentes occidit, pœnam impietatis suæ dedit. Nam lento calore viscera torrebantur: bulimus aderat insignis: colico colore cruciabatur. Pedes tumebant, ex pudendis vermiculi scaturiebant, cum tentigine molestissima, & fœdore grauissimo, neruorum contractione, & difficultate anhelitus. Ad Iordanẽ trans-

greſſus,in aquis calidis Callirrhoes lauabatur, quæ in lacum Aſphaltiten effluit.Ibi oleo calidiore fotus,& ſolio immerſus,in lipothymiam incidit. Recepto ſpiritu,Hiericuntem rediit,vinctos Iudæorum primates in Hippodromo concludi præcepit,vt omnes interficerentur,ſi contingeret eũ vita excedere,vt cùm Iudæa eius morte lætaretur,priuato luctu gaudium publicum obſcuraretur.Salome tamen ſoror, & Alexa maritus,eo mortuo omnes liberarunt.Malo ſumpto,cultellum popoſcit, quo illud diuideret:& elata manu,ſeſe interfeciſſet,niſi Achiabus conſobrinus eius manum continuiſſet.Ibi clamore,ſublato tanquam rex mortuus eſſet, Antipater filius qui in vinculis erat animum recepit, & cuſtodes promiſſa pecunia rogare cœpit vt ſe ſoluerent. Herodes eum ſtatim interfici curauit. Quinque pòſt diebus moritur,34. anno poſt interfectum Antigonum, & 37.poſtquam rex à Romanis declaratus eſt. Poſt eius mortẽ regnum eius in Tetrarchias diuiſum eſt,&magis magiſque debilitatum. Ioſephus lib. 17. Antiq.cap.8.& de Bello Iudaico lib.1 cap.21.

HERODES Antipas (frater Archelai, quem pater Herodes ſuperior teſtamento regem declararat, Antipam verò tetrarcham) præſtantiſſimũ virum ac peculiarem Meſſiæ præconem Ioannem Baptiſtam, præter fas & æquum,in gratiam ſuæ meretriculæ,indicta cauſa,capite truncauerat. Deinde & ipſi Chriſto inſidias tetenderat, & poſtea à Pilato ſibi exhibitum aulicè irriſerat,& cum contumelia à ſe dimiſerat. Etſi autem ipſe, omni timore Dei vacans,nullos inde conſcientiæ terrores aliquãdiu ſenſerit:tamen poſtea vltio diuina eum corripuit.Nam cùm anno C. Caligulæ,Domini verò 40. Herodiadis frater Agrippa,Roma rediret, dignitate regia ornatus,à meretricula excitatus eſt,vt & ipſe regium titulum ab Imperatore flagitaret:eámque ob cauſam Herodes vnà cum Herodiade Romam iter faciunt.Agrippa factus ea de re certior,Caio ſcribit, ne fidẽ Herodi habeat,quem conſtaret arma ad bellum præparare, fœdere inito cũ Parthorum rege:eáſque literas celerrimè perferri curat ad Cæſarem, ita vt vnà cum Herode ad Cæſarem peruenirent.Caius cum nulla alia re magis quàm ſeditionis ſuſpicione moueri poſſet,Herodem initiò blandè ſuſcipit:ac deinde percõtatur,nunquid armorum in promptu haberet? Herodes reſpondit, ſe regio apparatu inſtructum eſſe. His auditis, putauit Caius,ſatis inſidias eſſe probatas: ac Herodem in perpetuum exilium, Lugdunum in Galliam,condemnauit, donatis omnibus eius bonis Agrippæ per literas.Herodiadi verò,propter Agrippam fratrem, quaſdam poſſeſſiones decreuit relinquere, vnde ſe vitę ſuę tempore ſuſtentaret. ſed mulier ſignificauit,ſe pro coniugali amore,maritum in hac ſua calamitate deſerere honeſtè non poſſe,cum quo antea rebus ſecundioribus vixiſſet.Caius magnanimitate mulieris cognita, ſimul eam in exilium abire pręcipit. Hac ratione arrogantis meretriculæ inſtigationibus obtemperans Herodes,cum ipſa,bonis,gloria ac patria exutus,miſerrimè in Gallia vitam finiit.Ioſephus Antiquitatum libro 18.capite 9. Euſebius libro ſecundo,capite quarto.

PILATVS Chriſtum innocentem in gratiam Iudæorum, iram Cęſaris ei minitantium,condemnauit.Fecit præterea alia multa tyrannicè in Iudęos:& ad quęlibet mandata Cæſaris,quantumuis impia, expedienda promptus ac paratus, etiam Caij Caligulę idolum molitus eſt in templũ Hieroſolymitanum collocare.Vltio igitur diuina tandem eum, ſub annum Domini 42. Caij verò tertium,inuaſit. Nam de iniuſta crudelitate à Iudęis accuſatus,Romam ire à L.Vitellio Syrię prę́ſide iuſſus eſt, reſponſurus ad obiecta:dũm que eſt in itinere,Tiberius expirat, vt narrat Ioſephus Antiquitatum libro decimooctauo, capite quinto. Scribit porrò Eutropius libro ſeptimo,tantis eum, irrogante Caio, angoribus coartatum eſſe,vt ſua ſe tranſuerberans manu,maiorum tormentorum compendium mortis celeritate quęſierit.De his Gręcos quoque in hiſtoriis teſtari,Euſebius dicit libro ſecundo, capite ſeptimo. Narrat inſuper Nicephorus libro ſecundo, capite decimo, Pilatum ideo maximis Romę affectum eſſe contumelijs, quòd Maria Magdalena Romam adierit, & Seruatoris res ibi retulerit. Verùm hæc non habent alium certiorem autorem.

HERODES Agrippa, qui Iacobum fratrem Iohannis euangeliſtæ, Hieroſolymis occidit, iam tertium Iudeæ totius regni annum exegerat, cùm peruenit in vrbem Cæſaream,quę prius Stratonis turris dicta eſt: vbi ſolennes ludos celebrauit pro ſalute Cæſaris. Ad quam feſtiuitatẽ magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia. Ei⁹ celebritatis die ſecunda proceſſit manè in theatrum, amictus veſte tota ex argento mirabili opere contexta: quæ radijs orientis ſolis illuſtrata, diuinum quendam fulgorem emittebat, & venerationem cum horrore incutiebat ſpectantibus: móxque adulatores pernicioſi alius aliunde acclamantes,Deum conſalutant, rogantes vt faueret propitius.hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoſcere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec caſtigauit, nec repulit:paulóque poſt ſuſpiciens, vidit ſupra caput ſuum bubonem funi extento inſidentem:móxque vt ſenſit hunc eſſe calamitatis nuncium, qui olim fœlicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit. Secuta ſunt ventris tormina,ſtatim à principio vehementia. Conuerſis igitur in amicos oculis:En,inquit,ego ille veſtra appellatione Deus,vitam relinquere iubeor, fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium: & quem immortalem ſalutaſtis,mox efferetis. Sed ferenda eſt voluntas cœleſtis numinis,neque enim malè viximus,imò tanta fœlicitate,vt omnes me beatum prædicent.Hæc locutus, creſcente dolore diſcruciabatur. Properè igitur relato in regiam,rumor ſparſus eſt, breui eſſe moriturum.quamobrem confeſtim totus populus,vnà cum vxoribus atque liberis, ſaccum indutus more patrio, ſupplicabat Deo pro ſalute regis, omnia miſcens lamentis & eiulatibus.Rex autem in celſiore decumbens cubiculo,& in faciem ſtratos humi proſpiciens,non temperabat ſibi à lachrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil ſe remittente, confectus vitam finijt,annum natum quartum ſupra quinquageſimum, poſtquam regnaſſet per ſeptennium. Quatuor enim annos ſub Caio Cæſare obtinuit regnum:primùm in Philippi tetrarchia: tribus deinde annis ſub Claudio Cæſare,præter iam dictam ditionem: in Iudæa quoque regnauit, & Samaria, ſimúlque Cæſarea. Eadem ex Ioſepho commemorat Euſebius libro ſecundo,capite decimo. Facta ſunt hæc anno Chriſti quadrageſimo quinto,Claudij tertio.

Anno Chriſti 66, Neronis 19. (vt in Chronicis aſſignauit Euſebius) HIERAPOLIS,interfectrix Philippi apoſtoli,terræ motu concidit,vnà cùm vicinis ciuitatibus Laodicea & Coloſſis.

HANNAM, Caypham,cęteróſq; Pontifices, Scribas & Phariſęos,qui perſecutionem contra Chriſtum,& credentes in eum,vel mouerant, vel adiuuerant,graues variáſque pœnas Deo dediſſe,Nicephorus libro ſecũdo,capite decimo aſſeuerat.Fuerũt autem priuatę calamitates, quòd ſubinde Pontifices ab impijs regibus dignitate deiecti, ac facultatibus ſpoliati ſunt. Deinde publicæ,quòd crudelitate Ethnicorum præfectorum & bellis vehementer oppreſſi ſunt. Tandẽ miſerabiliter & funditùs ſunt per Veſpaſianum ac Titum deleti.

In Apologia aduerſus Demetrianum præfectum Cyprianus ait:Nunquã impiorum crudelitas in nomen Chriſtianũ exurgit,vt nõ ſtatim diuinitùs vindicta comitetur.Puniri enim calamitatib⁹ tũ publ. tum priuatis, perſecutiones,hiſtoriæ omnium ætatum teſtantur:& vel mors ſola perſecutorum fatetur. Exempla aliquot vtriuſque generis Tertullianus commemorat in ſcripto ad Scapulam:vt,ſterilitates: & poſt ſementes, meſſes amiſſas: inundationes ex imbribus, tempeſtates, horrenda prodigia, & ſolis obſcurationem, ſignum ſcilicet imminentis iræ DEI. Recitat & priuatas aliquot perſecutorum pœnas: VIGELLIVS, inquit,Saturninus, qui primus hinc gladium in nos egit, lumina amiſit, CLAVDIVS Herminianus in Capadocia,cũ indignè ferens vxorẽ ſuam ad hanc ſectã tranſiſſe, Chriſtianos crudeliter tractaſſet, ſolus q; prætorio ſuo vaſtatus peſte,viuus vermibus ebulliſſet:Nemo ſciat,inquit, ne gaudeant Chriſtiani. Hac voce ſatis teſtat⁹ ſe crudelitatis ſuæ in Chriſtianos,tam tetras pœnas dare.Iam quid de ipſis primis perſecutionum auctoribus,Imperatoribus ſcilicet,dicemus? quorum nullus eſt, qui non aut in Imperij infœlicitate & breuitate, aut in turpi & probroſo exitu vindictam diuinam ſenſerit. SEVERVS Imperator,cùm regnum feliciter primùm adminiſtraſſet, ſtatim poſteaquam perſecutionem mouit, ſucceſſibus deſtitui cœpit, ac continuis variiſque periculis & bellis diſtrahi, vt Platina inquit.Exitus verò eius, tametſi cruentus & tragicus non fuit: tamen eiuſmodi fuit, vt in vehementi membrorum omnium, quemadmodum de eo victor ſcripſit,maximè verò pedum dolore venenum petierit.

Maximo deinde Imperatore,cum Eccleſiarum doctores & gubernatores vexari & fugari præcepiſſet, quid eſſe potuit infelicius? Odio eius SenatusRom ipſo viuo,alios Imperatores deſignauit.Exercitus proprij ab eo in Africa defecerunt.Tandẽ verò vix triennio in imperio completo,cũ filio adhuc puero à militibus ſuis diſcerpitur, conclamãtibus cunctis militari ioco:Ex peſſimo genere, ne catulum quidem relinquendum.Poſtea omnes qui quoquo modo ei amici fuiſſe videbãtur,capti occiſi tracti, & in cloacas abiecti ſunt.Aurelius Victor,& Capitolinus.

De DECIO Euſebius ait lib.7.cap.1.Decius cùm ne biennium quidem integrum imperaſſet, mox vnà cum liberis occiditur. Pomponius ſcribit,eum in prælio infelici aduerſus Gotthos, voragine abſorptum eſſe: in quam ipſe inſilierat, ne in hoſtium manus perueniret. De pœnis verò perſecutionis Decianæ, etiam hæc ad Demetrianum ſcripſiſſe Cyprianus videtur: Certi ſumus, & fidentes, quod multum nõ remaneat, quodcunque perpetimur:quantóque maior fuerit perſecutionis iniuria,tanto & illuſtrior ſiet & grauior pro perſecutione vindicta. Vt memorias nõ teneamus antiquas, documentum recentis rei ſatis eſt: quòd ſic celeriter, quodque in tanta celeritate ſic granditer nuper ſecuta defenſio, eſt, ruinis regum, iacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum.

GALLI Imp. res initio ſatis bene ac feliciter habuerunt, ſicut Dionyſius ſcribit. At poſteaquam perſecutionem per manus quaſi acceptam continuauit,pulſis piis doctoribus qui pro ſalute eius orauerant,nec proſperè deinde,nec diu regnauit.Siquidem biennio nondum exacto,& ipſe & Voluſianus filius, in regiam ſocietatem nuper aſcitus, in bello aduerſus Æmilianum, à militibus deſerti trucidantur: teterrima prius populo Romano ignominia conciliata,quem ſcythis Gallus tributarium fecerat, per fœdus ea cum gente percuſſum, vt Eutropius & Lætus prodiderunt. Sed quæ potuit eſſe horribilior Chriſtiani ſanguinis expiatio, atque illa immanis vaſtitas,quam lues peſtifera in prouinciis populi Romani, præcipuè vero in Ægypto fecit, orta ſub Gallo, vt Lætus ſcribit: ac deinceps per integrum decenniũ, aut quindecim totos annos graſſata? Meminit eius Dionyſius in epiſtola ad Hieracem Ægypti epiſcopum: cuius verba ab Euſeb.lib. ſeptimo, cap.vigeſimoprimo & vigeſimoſecundo referuntur. Meminerunt eius & Romani ſcriptores, vt Lætus in vita Galli. Pernicioſa,inquit. peſtis vndique viguit. Tabis initium fuit ab Æthiopia fortè ex nimio ſolis ardore: peſtilitas primo conſumptis meridianis, per Orientem diuagata eſt: inde cæteras orbis partes inuaſit:vbique maximã partem incolentium exhauſit, pleraque loca inhabitata reliquit.Ea labes vix intra decem annos finem inuẽnit. Prouenisse ex infelicibus Galli auſpiciis viſa eſt,vt qui proditione imperium arripuit, Chriſtiani etiam dogmatis hoſtis.

De VALERIANI Imp. ſupplicio & vindicta hæc prodiderunt Romani ſcriptores, Eutropius, Pollio, Sabellicus, Volaterranus. Quo minus diuturnum fuerit illi decus, ipſius credo impia in Chriſtianos animaduerſio

effecit. Nam haud multo poſt quàm Chriſtianum nomen inſectari eſt adortus, ad Perſicum bellum profectus, ſiue aliena fraude id acciderit, ſiue ſua ipſius temeritate (nam vtrumque traditur) in hoſtium poteſtatem viuus venit. Ferunt Saporem Perſarum regem,à quo captus eſt,adeò inſolenter & barbarè captiuo ſeni (erat enim Valerianus ſeptuagenarius) illuſiſſe,vt pro ſcabello eius tergo vteretur equum aſcenſurus.In tam turpi captiuitate eum tandem conſenuiſſe, ſcribũt Lætus & Aurelius Victor. Euſebius in ſermone ad conuentum Sanctorum, excoriari eum iuſſum à rege, ſcripſit. Eius præſidem Claudium à diabolo arreptũ,& poſt inciſam minutatim linguam ſuffocatum,ſcripſit Heinricus de Erfordia libro ſexto, capite 27.

GALIENVS, patre in perpetuam captiuitatem & infelicitatem abducto, tametſi cùm ſolus imperare cœpiſſet, perſecutionem contra Chriſtianos motã edictis, remouerit, paterno fortaſſe fato, quemadmodũ Oroſius ait, territus (quanquam lætatum eum alij ſcripſerint) tamen & publicas atroces calamitates & priuatam vindictam, quia perſecutionis ſocius antea cum patre fuerat, expertus eſt.Plurimæ enim & mirabiles defectiones, rebelliones & mutationes regno pernicioſiſſimæ ſub eo acciderunt. Nulla pars fuit reipublicæ, nulla prouincia, vna duntaxat Italia excepta, in qua non ſit tumultuatum: tótque eo principe rebelliones extitẽre, tot tyranni, qui Imperatoris nomina tulerunt, quot à Cæſare dictatore ad id tempus, in tam longa Imperatorum ſerie, ferè vnquam. Triginta numero à Trebellio ponuntur, qui vno tempore, alij aliis in terris exercuẽre imperium: in quibus fœminæ etiam quædam Romano nomini illuſtre. Narrant Vopiſcus, Eutropius & Sabellicus. Euſebius hoc addidit:Sub Galieno, Ciliciam, Syriam & Capadociam à Perſis, Saporis ductu, fœda populatione vaſtatas: Alemanos, Gallis hoſtiliter vexatis,in Italiam trãſgreſſos: Gothos Pontum, Aſiam, Macedoniam & Græciam populatos: Quados & Sarmatos Pannonias occupaſſe. Tarraconẽ in Hiſpania à Germanis oppugnatam, &c. Sabellicus porrò & hæc de tempore infelici ſub Galieno prodidit, libro ſeptimo, Enneade ſeptima: Triſtis, inquit, & terrorum plenus huius principatus fuit. Dira naturæ portenta illo imperante ſunt omnibus terris facta: plures dies velut tenebris iacuit terra obuoluta:auditumque tonitruum terra mugiente,non cœlo tonante ſecutúſque, vt ſolet, motus terræ ingens, quo plura ædificia cum habitatoribus ſubito terræ hiatu abſorpta ſunt, multique mortales nimio terrore exanimati. Sed id malum Aſiam præcipuè habuit obnoxiam. Mota eſt Roma, mota & Libya, terræque hiatus vaſtuli in pluribus extiterunt locis. Maritimas vrbes ſubitum mare obruit. Galienum tandem ipſum Aureoli tyranni fraude,apud Mediolanũ cum filio,ſeu (vt Eutropius vult) cum fratre Valeriano interfectum, ſcripſit Victor Sabellicus & Volaterranus.

AVRELIANVS poſtquam meditari perſecutionem cœpiſſet,fulmine repentino territus eſt: ſed eò nihil ad meliora flexus, à ſuis inter Byzantium & Heraclam occiſus eſt, de quo Euſebius libro ſeptimo, capite tricesimo hæc prodidit: Cùm iam nos,inquit,perſecuturus eſſet,& edicto contra nos vulgando propè ſubſcripſiſſet, diuina eũ vltio corripuit,quæ conatum eum tantùm non religatis cubitis prohibuit. Quod ipſum clarius Ruffini verſio explicat, hoc modo: Dictatis iam literis & ſcriptis, cũ ſupereſſet ſola ſubſcriptio, diuina dextera interueniens, ſubſcriptionem nefandæ dextræ deturbauit. Morte enim ſubita condemnatur, qui de piorum morte cenſebat. Vopiſcus tamen, Victor & Eutropius,alia eum ratione interiiſſe memorarunt,quanquã de hoc illis cũ aliis cõuenit,quod cruenta morte perierit. Mneſtei,inquiunt,notarij ſui fraude,qui ad quoſdam militares amicos eius, nomina eorum annotata pertulit, falſo manum illius imitatus, perinde atque aurelianus eos interficere conſtituiſſet,occiſus eſt.

Aureliani præſes ANTIOCHVS, inter tormenta Agapiti martyris ſubitò de tribunali decidens, ſe totum in interioribus ardere clamauit, & expirauit. Narrat Heinricus de Erfordia libro ſexto capite vigeſimonono.

DIOCLETIANVS imperio ſponte ſe abdicauit, eo quòd Chriſti nomen propter conſtantiam martyrum penitùs abolere non poſſet. Priuatus vixit Nicomediæ, vbi morbo miſerabili extinctus eſt. Primùm hydrope intumuit: quo diſrupto,lente emarcuit,ita vt lingua illius blaſphema vermibus corrumperetur, & grauiſſimo fœtore aſtantes læderet. Poſtremò canis more latrãs, ſceleratam euomuit animam. Nicephorus lib. 7. capite 20. Euſebius lib. 8. capite 13. eum in ecſtaſim incidiſſe, & ſic periiſſe ſcribit. Ruffinus variis prius morbis confectum, ſibiipſi manus intuliſſe: cùm ſe prius, fulminis ictum metuens, abſcondiſſet. Gelaſius Cæſareæ Cappadocum epiſcopus refert, eum cum Maximino imperium recuperare voluiſſe,& S.C.interfectum fuiſſe. Aur. Victor & Põponius Lætus eum,cùm à Cõſtantino & Licinio ad nuptias vocatus fuiſſet ſatis imperioſè, metu venenum hauſiſſe tradunt. Domum etiam eius fulmine conſumptam, Euſebius teſtatur. Perſecutionem Diocletiani terræmotus grauiſſimi ſunt ſecuti, qui Tyrum & Sidonem concuſſerunt. Eutropius libro decimo, Oroſius libro ſeptimo. Romæ Pyrrhopogon præfectus cum 40. miniſtris lapſu cameræ oppreſſus. Spoleti regia 350. viros idolis ſeruientes extinxit. Vincentius lib. 12.capite 41.& 54. FLACCVS præſes poſt martyrium Gręgorij epiſcopi Spoletani ab angelo percuſſus, interiora ſua euomuit. Dioſcorus cùm filiam ſuam Barbaram occidiſſet, igne cœleſti abſumptus eſt. Vincentius lib.12. cap. 67. APROFRASIVS cùm apud Mendulas Chriſtianos perſequeretur, à dæmone equo deiectus eſt.Idem lib.12.cap. 42.

Diocletiani collega in imperio fuit MAXIMINVS,ſiue Maximianus, qui & ipſe abdicato imperio priuatus vixit Mediolani. Qui & ipſe cùm contra Chriſtianos crudeliter ſæuiret,diuinæ vindictæ locum tandem dedit. De eius ſupplicio hæc narrat Euſebius libro octauo, cap. decimo ſexto: Corripuit, inquit, eum ſupplicium diuinitus illatum, initio ex ipſa illius carne ſumpto, & progreſſu ad animam vſque facto. Etenim ſubitò illi accidit in mediis corporis arcanis ſuppuratio, deinde in imis illorum vlcus fiſtuloſum, & ex his vis quædam mali interiora viſcera depaſcens, & indicibilis multitudo vermium ebulliens:& lethiferum fœtorem exhalãs: toto alioqui corporis tumore, ex abundantia cibi, etiam ante morbum, in nimiam pinguedinem mutato:quæ tum ſuppurata,intolerabile & horrendiſſimum appropinquantibus ſpectaculum præbuit. Itaque medicorũ alij incredibilem fœtorem ferre non valẽtes, occidebantur:alij,quia toto corpore tumefacto, nulla ſupererat ſpes ſalutis,ideóque medendo nihil efficere poterant,crudeliter interimebãtur & ipſi. Additur in Ruffini exẽplari, quendam ex iis, quem iugulari præceperat Maximinus,inſpiratum à Deo, Imperatori hæc obiecisse: Cur Imperator erras, & quod Deus infert,ab hominibus putas poſſe reuocari? Nec humanus eſt iſte morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare, quanta in ſeruos Dei egeris, quámque in religionem diuinã impius & profanus extiteris: & intelliges, vnde tibi ſint poſcenda remedia. Nam & ego quidẽ mori cum cæteris potero, tu tamen à medicis non curaberis.

Poſt eum, ſeu Maximianum, ſub Galerium Maximinũ, Maximinus alter tyrannus Orientalis (qui ſe in literis ad Sabinum, apud Euſebium libro nono, capite nono, Iouium Maximinũ nominat) in bello primùm turpi fuga euaſit: deinde cùm bellum denuò mouere conaretur, in morbum & cruciatus horribiles incidit: de quibus hæc Euſebius libro nono, capite decimo: Poſt legem pro Chriſtianis latam, inquit, ſubita plaga Dei percuſſus, in altero belli conflictu moritur, non eo modo quo duces belli, pro virtute & amicis viriliter in bello decertantes, glorioſam mortem magnanimiter ſuſtinent: ſed ſicut impius ac Deo rebellis, acie adhuc in campo ſtante, domi manens & abditus, cõpetens ſuppliciũ ſuſtinet, ſubita plaga Dei per totũ corpus percuſſus: ita vt grauibus cruciatibus ac doloribus exagitatus, & inedia conſumptus, pronus lecto deciderit, ac carnibus illius,inuiſibili ac diuinitùs immiſſo igne prorſus labefactatis ita defluxerit,vt omnem priſcæ formæ ſpeciem amiſerit, & ſola illi arida oſſa, inſtar ſimulachri longo tempore exiccati, reliqua fuerint: nec aliud ab adſtantibus corpus eius eſſe iudicatum ſit, quàm ſepulchrum animæ, in mortuo iam & prorſus deciduo corpore defoſſæ. Cùm autem vehementius adhuc, & magis quàm thermæ ſoleant, ex ipſis medullarum penetralibus conflagraret, proſilierunt illi oculi, ac limites ſuos excedentes cæcum reddiderunt. Spirans autem adhuc in iſtis cruciatibus, cõfeſſione Domino facta mortem aduocabat: ac tandem hæc ſe propter inſaniam contra Chriſtum præſumptam meritò & vltionis vice perpeti, confeſſus, animam reddidit. Hæc Euſebius. Sed alij, vt Zonaras indicauit, in fugam eum à Licinio verſum, ſeipſum interemiſſe ſcripſerunt. Ad hunc igitur modum è medio Maximinus ſublatus, omnium Imperatorum impiiſſimus, ignominioſiſſimus, ac Deo ſupra modum inuiſus tyrannus, publicis eſt edictis declaratus. Tum quæcunque literarum monumenta in illius liberorúmque eius honorem in ſingulis ciuitatibus cõſtituta erant, è ſublimi partim ad pauimentum deiecta, protritáque ſunt: partim ita ſunt obſcuro colore obducta & denigrata, vt aſpici non potuerint.Præterea & ſtatuæ, quæcunque in honorem illius erectæ fuerant, ad eundem modum deiectæ & conculcatæ, omniúmque riſui & illuſionibus expoſitæ ſunt. Deinde & aliorum pietatis hoſtium inſignia omnia ſublata ſunt:& occiſi, quotquot Maximino fauerant: illi præſertim, qui primariis dignitatibus ab illo affecti fuerant, vt ipſi aſſentarentur, & doctrinam ac religionem Chriſtianã acerbius infeſtarent. Inter quos PEVCETIVS erat,quem præ omnibus amicorum intimum habuerat, biſque ac tertiò conſulem, & omnium rerum præfectum ſupremum conſtituerat. Et Culcianus, qui omnis generis poteſtate ſub eo potitus,fuſóque innumerorum Chriſtianorum ſanguine, per Ægyptum celebris factus fuerat. Quin & THEOTECNVM vltio aſſecuta diuina eſt, ob ea quæ cõtra Chriſtianos crudeliter perpetrauerat. Nam is propter ſtatuam quam Antiochiæ erexerat, glorioſus factus, etiam præſes fuerat à Maximino conſtitutus. Licinius autem cùm Antiochiam veniſſet, vt incantatores comprehenderet, ſtatuæ nuper à Theotecno erectæ prophetas & ſacerdotes tormentis ſubiecit, & qua ratione ſeductionem illam palliaſſent, inquiſiuit. Illi igitur cruciatibus adacti, Theotecnum impoſturæ illius autorem eſſe confeſſi ſunt. Ita Licinius Theotecnum ipſum primùm, deinde & cæteros incantationis ſocios ſuppliciis affectos necari iuſſit. Quibus omnibus effectis, etiam liberi Maximini, quos iam ipſe Imperialis honoris, tabularúmque & inſignium publicorũ ſocios reddiderat: deinde & cognati, qui per inſolentiam antea omnes oppreſſerant, eadem ſupplicia ſunt perpeſſi. Euſebius libro eodem, capite vlt. Sed & Præfectus caſtrorum Maximini, qui Damaſci Phœnicię mulierculas infames à foro rapuerat, & falſa in Chriſtianos cõminiſci tormentis coegerat, paulo pòſt mortem ipſe ſibi propria manu conſciuit: vt Euſebius teſtatur lib. eodẽ, cap. quinto & ſexto.

LICINIVS cum in pietate, quam initiò profeſſus erat, non perſtitiſſet,& Chriſtianos perſequeretur, a Conſtantino victus primùm deinde iterum repugnans, Conſtantini mandato interfectus eſt. Euſebius libro ſecundo. Socrates libro primo, capite quarto. Sozomenus libro primo, cap. ſeptimo.

MERETRIX quædam ab Arianis mercede conducta, ſub Conſtãtio,vt Euſtathium Antiochenum epiſcopum orthodoxum adulterij falſò accuſaret,grauiſſimo paulo poſt morbo correpta, Arianorum inſidias detexit.Theodoretus.lib.1.cap.21.

Cùm sub Constantio Athanasius à synodo ANTIOCHENA damnatus esset, ingens terræmotus Orientem, ac præsertim Antiochiā quassauit. Sozomenus lib.3.cap.6.

Cùm D. Athanasius primo anno Constantij, exul in subterraneo specu lateret, Ancilla quædam spe mercedis illi facta eum Arianis prodidit. Athanasius diuinitùs insidias euasit: ancilla verò quasi contra Dominos suos mentita esset, qui & ipsi aufugerāt, pœnas dedit. Sozomenus libro 4. cap. decimo.

IVLIANVS Imp. apostata, mortuo Constantio, bellum Christianis iurauerat, si victor è Persis rediret. Sed in bello Persico exercitus primùm annonę penuria laborauit. Ipse Persæ cuiusdā dolo in deserta duct9 conto traiectus periit. Alij sagitta cœlitùs de missa confixū, in hæc verba cōtra Christū prorupisse aiunt: Vicisti Galilæe, propriíque cruoris pugillum in aerem proiecisse. Theodoretus libro 4. cap. 2. Nazianzenus eum horribiliter mortuū, mox à terra commota absorptum, & flammis emicantibus absumptum scribit. Terræmotus grauissimi totum orbem afflixerunt, & fames ingens. Theodoretus lib.4.ca.4. & Sozomenus lib.6.capite secundo.

TERIDATES Armeniæ princeps Gregorium Magnum post multa tormenta in antrum cœnosum & obscurum per annos quatuordecim inclusit, tempore Constantini. Tandem cum suis optimatibus in porcos mutati, se mutuò deuorarunt. Nicephorus libro octauo, capite trigesimoquinto.

VALENS Imperator Arianus ortodoxos multos, eo quód Eudoxio communicare nolent, in exilium egit. Vnde grando lapidum instar Constantinopoli cecidit. Terræmotus Nicæam & Germam Hellesponti ciuitatem deiecit. Fames in Phrygia propter combustos in naui 80 presbyteros, orthodoxos, adeò magna, vt incolæ sedes mutare cogerentur. Cùm D. Basilio persuadere non posset, vt alteri parti Arianorum subscriberet, exilij libellum contra eum subscripturus, manus ita concussa est, & contritus calamus, vt nullam literam exarare posset. Tandē bello contra Gothos suscepto, cùm sagitta vulneratus esset, in tugurium quoddam se recepit, ibique à Gotthis circumiecto igni exustus est. Socrates libro quarto, capite trigesimooctauo. Theodoretus libro quarto capite trigesimo sexto. Sozomenus libro septimo, capite quadragesimo.

Valentis Imperatoris Cubicularius, quia Aphraatæ monacho Imperatori liberius monenti, acrius comminatus fuerat, Imperatori balneum paraturus, mente captus in solium feruentissimum insiliens periit. Theod. lib.4. cap.26.

Sub Arcadio Imperatore cùm D. Ioan. Chrysostomus in exilium eiectus esset, ea ipsa nocte ingens terræmotus Constantinopolim, præsertim verò aulam Imperatoris concussit. Itaque statim per legatos reuocatus est. Iterum deinde in exilium pulsus est. Authores variis affecti calamitatibus. Inter quos primus fuit Cyrinus episcopus Chalcedonensis. Hic cùm Chalcedone contra Chrysostomum episcopum coiuissent, Chrisostomum falsis conuiciis plurimis proscidit. Factum est non multo pòst, vt Maruthas Mesopotamiæ episcopus imprudens pedem illius calcando læderet, ita vt ad synodum, quæ Constantinopoli congregabatur, proficisci non posset. Malo deinde augescente, crus ei abscissum fuit. Verùm altero quoque pede, eo malo correpto, etiam & is resectus fuit. Corripuit deinde vniuersum corpus tabes. Socrates libro sexto, capite vigesimo septimo. *Sozomenus libro octauo, capite vigesimo septimo.* Nicephorus hāc calamitatem suis in Chrysost. contumeliis, acceptam tulisse Cyrinum, refert lib.13.cap.14.

THEOPHILVS Alexandrinus episcopus, inimicus Chrysostomi acerrimus, pleuritide paulo pòst periit. Arsacius Chrysostomi successor non diu vixit. DVO sicarij à conciliabulo Chalcedonensi in Chrysostomum subornati, ad supplicium rapti sunt. quorum alterum Chrysostomus sua intercessione liberauit. Nicephorus libro 13. capite 14. 21. & 36 Cùm in exilium abiret Chrysostomus, in templo incendium exortum est grauissimum, sumpto initio è suggestu, vnde concionari Chrysostomus consueuerat: quod à crepusculo vespertino ad aurorā vsque durauit. Nicephorus libro decimo tertio, capite vigesimo primo: Sozomenus libro octauo, capite vigesimo secundo. Secuta est paulo pòst grando maxima. Socrates libro sexto, capite decimonono. Zonoras tomo tertio. Imperatrix Eudoxia quarto pòst die obiit. Sozomenus libro quarto, capite vigesimo septimo. Vrna eius, in qua posita fuerat, continuò quodam motu agitari statim cœpit, & ad annos 35 durauit. Nicephorus *libro decimotertio*, cap.36. item libro decimoquarto, capite quadragesimo tertio. Pestis & fames, & terræmotus, inundationes, siccitates, & grandines orbem afflixerunt Romanum. *Sozomenus libro decimo tertio, capite tricesimoquinto.* Arcadius non multo pòst viuis excessit. Socrates lib.6.cap.vlt.

EVCHERIVS Stiliconis, Vandalicæ gentis primarij ducis apud Honorium Imp. F. iam inde à puero imperium affectans, Ethnicis fauebat, Christianos persequebatur, vt sic fundamenta regni iaceret contra Honorium. At detecta coniuratione, filius cum patre Stilicone Imp. socero interfectus est. Paulus Diaconus libro decimo tertio. Orosius libro 7. capite 38. Sozomenus lib.9.cap.4.

RHADAGAISVS Gotthorum rex, Christiano sanguine ebrius, & orbis terror, cùm de nomine Christiano penitùs abolendo cogitaret, tandē panico quodam terrore cum exercitu perculsus, in asperrimo Fesulani montis iugo conclusus, fame & siti pressus capitur: & aliquandiu vinctus, supplicio afficitur. Exercitus maxima pars capta, tanta vilitate, vt singulis aureis singuli greges venderentur. Paulus Diaconus libro decimo tertio: Orosius libro septimo, capite trigesimoseptimo.

CROSCVS Vandalorum rex, Christianorum hostis post Stiliconem, in obsidione Arelatensi captus, & cathenis vinctus, per omnes vrbes, quas miserè vastauerat, ductus, post grauissima tormenta necatus est. Bergomēsis in vita Constantini Magni.

Sub Genserici persecutione in Africa, VANDALVS quidam ex iis qui Millenarij vocantur, duos seruos & vnam ancillam Christianos habebat, quos iussu Genserici indies singulari genere torturæ exercebat, ita vt viscera nuda apparerent. Verùm illi Christi beneficio altero die mox sanitati restituti fuerunt. Quod cùm tyrannum non permoueret, ipse cū filialibus & optimis animalib. moritur. Sola vidua superstes, seruos donat Sersaoni, cognato Genserici. Qui postquam eos accepit, cum tota familia à demone fuit agitatus. Victor.

IVDÆI Alexandriæ nocturnam cædem Christianorum fecerant, & puerum in crucem egerant, sub Theodosio posteriore. Cyrillus itaque episcopus Iudæos tota Alexandria expulit, in qua iam inde ab Alexandri Magni temporibus vixerant. Socrates libro septimo, capite decimotertio.

Maruthas Mesopotamiæ episcopus, legatus ab Imp. Theodosio ad Isdigerdem regem Persarum, pietatis nomine regi charus erat. MAGI metuentes suæ religioni, in eo templi loco vbi ignis colitur, sub terra occultè condunt hominem: qui introeunti regi ex adyto acclamaret: Exeat rex impius, & impium Christianæ superstitionis doctorem fouens. Ea voce rex perturbatus, suasu Maruthæ, effodit locum: & inuento homine, Magorum familias propter imposturam decimauit. Nicephorus libro 14. capite 18.

VARANES Isdigerdis F. patris vestigiis minimè insistens, cùm Christianorum Ecclesias in Perside triginta annis grauiter afflixisset, tandem à Theodosio iuniore victus, & regno exutus est: casis etiam Persarum immortalibus. *Socrates libro 7. capite 18. & 20. Nicephorus* lib.14.cap.21.

CHRYSAPHIVS eunuchus, cum contra Flauianum episcopum Cōstantinopolitanum multa grauia machinatus esset, eo quòd Eutychetis hæresi consentire nollet: re tandem detecta, Theodosius iunior eum dignitate priuat, bonis exuit, & in exilium pellit. Quò tamen priusquā veniret, diuina vltione in mari oppressus interijt. Nicephorus libr.14. capite quadragesimonono.

ATTILA Hunnorum rex, orbis terror, Dei flagellum, à quo Theodosius Imp. Oriētale regnum mercede redemit, annuum tributum pendit, post multa mala Christianis illata, sexto anno suæ tyrannidis in ipsis nuptijs apoplecticus corruit, & proprio sanguine suffocatus est, quia alienum sitiuerat. Martianus Imp. Constantinopoli eadem nocte in somnis vidit Attilæ arcū fractū esse. Sigeb. anno Martiani 4.

HVNERICVS Genserici F. rex Vandalorū *crudelissimus*, expertus est primùm siccitatem ingentem, ita vt magnorum fluuiorum aluei exiccarentur. Fames secuta maxima. Hanc secuta est pestis. Quam vt cum suis effugeret, magnam multitudinem hominum Carthagine eiecit. Verùm ipse quoque venenato vlcere correptus vermibus toto corpore scatens, miseranda morte interijt: ita vt non cadauer, sed cadaueris partes viderentur sepultæ. Vict. libro tertio histor. Vandalicæ. Sigebertus. Turonēsis libro secūdo cap.3. scribit, ipsum à dæmone correptum, proprijs se manibus dilaniasse.

ANASTASIVS Imp. Manichæus, cùm Christianos orthodoxos infestaretur, Hunni & Bulgares Thraciam, Illyriam & præcipuas Orientis partes vastarunt. Constantinopoli multa incendia orta. Imperatori in somnis oblatus est vir terribilis, librum manu tenens, & inquiens: Ob κακοδοξίαν tuam 14 annos vitæ tuæ prorogandos deleo. *Proximo anno ante eius interitum* plurimi mortales Alexandriæ à dæmonibus obessi, canum latratus ediderunt, propter Chalcedonensis synodi condemnationem. Paulus diaconus libro decimo quinto: & *Nicephorus libro decimosexto*, capite vigesimosexto. Cùm aliquando tonitrua horrendum in modum creparent, Anastasius è cœnaculo in cœnaculum territus fugiebat: & tandem *in quodam cubiculo mortuus inuentus est*, anno ætatis suæ supra octuagesimum, regni 28. Zonaras tomo 3. Iornandes in libro de Regnorum successione.

THRASYMVNDVS Vandalorum rex, cùm Christianorum templa iumentis prophanaret, à Maurusijs magna strage victus occubuit. Procopius lib.3. de bello Vandalico. Euagrius libro 4. capite 15.

THEODORICVS Vestgotthorum rex (quem vulgò Dietrichum de Berna vocant) Arrianus ex eo tempore, quo Symmachū, Boetium & Ioannem Thuscum episcopum Romanum iniustè interfecit in summum animi mœrorem incidit, ita vt oblatos in mensa pisces interfectorum capita esse arbitraretur: & tandem 90. die à morte Ioannis, *subitanea morte periit*. Paulus Diaconus lib.15. & Procopius lib.1. de bello Gothico.

AMALARICVS Vestgotthorum rex, Arianus, quia Clotildim vxorem suam ob Christianismum acerbè infectabatur, à Childeberto rege Francorum, vxoris fratre, victus & occisus est. Procopius libros. Turonensis libro 3. cap.9.

IVLIANVS *Iudæorum dux crudelissimus*, Christianorum hostis, à Iustiniani exercitu cæsus est. Eius sectator SYLVANVS Scythopoli captus & viuus exustus fuit, quemadmodum ei Sabas monachus Hierosolymitanus predixerat Nicephorus libro. 17. capite vigesimoquarto.

LEVTHÆRIVS Alemanorum princeps, in Italia pro Gotthis contra Romanos, cùm Christianos miserè afflixisset, in rabiem tandem versus, suis semetipsum dentibus laniauit, suóque sanguine satiatus periit. BVTINVS eius frater cum 30 millib9 in Campania à Rom. deletus est, quique ex eo numero fuga elapsis. Reliqui Alemanni à Rom. & Hunnis, qui ad Pisaurum stationem habebant, ferro cæsi, & de rupib9 præcipitati fuerunt. Qui hanc cladem euitarunt, in vrbe Veneda *peste* absumpti sunt. Agathius lib.2. de bellis Gotthicis.

HVNNI, qui Thraciæ & Græciæ ecclesias populabantur, primū à Belisario, deinde à Germano Iustiniani Imp. populari in Chersonneso victi: tandem Zaberga & Sandichlo eorum ducibus in contrarias partes distracti, mutuis cædibus se ipsos confecerunt, ad internecionem vsque. Agathius lib.5.

CHRANNVS Clotharij Francorum Regis F. homo impius & crudelis in Christianos, quas pœnas dederit, pet. ex tit. Sortium.

LEO *Chranni aulicus, & impietatis magister*, cùm aliquando a... commate Ecclesiarum ministros peteret, illico surdus & mutus factus, in rabiem versus, expirauit. Turonensis libro quarto capite decimosexto.

ALBOINVS Rex Longobardorum, Christianorum hostis acerrimus, Gundamundum Gepidarum regem vicerat, & filiam illius Rosimūdam duxerat. Cui cùm aliquando Veronæ è Cranio Gundamundi patris propinasset, illa Helmichildem iuuenem in concubitum sui pellectum, eò impellit, vt Alboinum interficiat. Quo facto, Rauennam cum eo fugit. Verùm iuuene adulterio satiato, Longini exarchi nuptias expetit: & Helmichildi è balneo egredienti venenum propinat. Ille hausto veneno, eam quoque vt residuum biberet stricto gladio coegit. Sic vno eodémque tempore & homicidij & libidinis pœnas dedere. Paulus Diaconus libro secundo, de Long. cap. decimoquarto. Antoninus titulo duodecimo cap.6.

MAMVCHA Agarenorum princeps sub Iustino iuniore, Pharaoni simillimus, direpto Cassinensi & Messano cœnobio, paulo pòst cum toto suo exercitu & centum nauibus in mari periit. Antoninus lib. decimo quinto, cap. 15.

NANTINVS comes sub Childeberto Rege Francorum, cùm ob incertam homicidij suspicionem Heracliū episcopum acerbè insectaretur, & collegam eius interficeret, bonaque ecclesiæ diriperet, excommunicatus ab episcopo, sed ab aliis episcopis pecunia corruptis absolutus, mortuo Heraclio, grauissima febri correptus, sese ab Heraclio episcopo cruci, & ad diuinum iudicium vocari, horrendis clamoribus testatus, expirauit. Cadauer eius nigredinem contraxit, ac si vitulatum fuisset. Greg. Turonensis libro quinto, capite 35. Annonius lib. 3. cap.31. de Gestis Francorum.

GOISVINTHA Hispaniæ regina, cùm Christianos vehementissimè persequeretur, alterum oculum perdidit. Turonensis libro quinto, capite 38.

CHILPERICVS Franc. Rex, hæreticus & persecutor Ecclesiæ, à Fredegundi vxore ad villam Calensem per sicarium necatus fuit. Turonensis lib. 4. cap.27.

ANTHARIS, seu Autharis, Long. Rex XII. homo nefandissimus, quia Longobard. filios pro Christi institutione in festo paschatis baptizari prohibuerat, Ticini accepto veneno periit. Diaconus lib. 3. de Gestis Longobard. cap.18.

RATHARIVS Childeberti Regis Francorum legatus, cùm contra domini sui voluntatem Theodorum episcopum Massiliensem persequeretur, & ecclesiam spoliaret, protinus filius & serui eius morbo perierunt: & totus comitatus ita afflictus fuit: vt Massilia egressus, vix in patriam rediturus videretur: Anno Mauricij imperatoris quinto. Guntranni Regis Francorum vigesimoquarto Turonensis libro octauo cap. duodecimo.

GVNTHRANNVS Rex Francorum, *cum plurimos Episcopos in exilium agere conaretur iniustè*, in grauissimum incidit morbum: & exercitus eius in Hispaniam missus, ad quinque millia amisit. Turonensis lib. 8. cap. 20. & trigesimo.

MAVRICIVS Imp. Constantinopolitanus, cùm Gregorium papā infectari non cessaret, & auariciæ causa multa hominum millia à Cagano Hunnorum rege trucidari pateretur, à Phoca cum tota sua familia trucidatus est. Ortho Phrisingensis lib.5. cap.7.

IVDÆI Antiochiæ plurimos Christianos interfecerāt: qui omnes tormentis subiecti, & in exilium acti sunt. Nicephorus libro decimo octauo, cap.44.

CHOSROES Rex Persarum, post Phocam Imp. crudelissimè interfectum, & Christianos pessimè tractatos ab Heraclio, per sex annos bello exagitatus: tandem cùm filium natu minorem regem designasset, à Syroe filio maiore natu captus manibus pedibusque victus, à collo etiam ferreo pondere suspenso, in altissimam turrim, vbi thesaurum suum recondiderat, demissus, solo pane & aqua vixit: additis probrosis verbis, vt de auro comederet, quod ex immani vastatione orbis collegisset. Tandem extractus, cùm filium natu minorem, quoniam regem fecerat, necari prius vidisset, ipse cum filiis omnibus trucidatus fuit. Tandem per dies quinque omnium ludibrio expositus, & arcubus ad extremum confixus fuit. Paulus Diaconus libro 18. rerum Romanarum & Regino libro primo.

NODDO quidam, homo Epicureus, & contemptor Arnulphi Metensium episcopi, cum in symposio ei maledixisset, domum reuersus, flāma cum sociis cœpit ardere inextinguibili: sed precibus episcopi curatus, cùm nec postea vitam emendasset, vnà cum filio in scelere quodam comprehensus, pœnas capitis luit. Vincentius libro vigesimo secundo, capite 76.

GREGORIVS Agrigentinus episcopus à SABINO & CRESCENTINO falsò accusatus coram synodo 150 patrum, de stupro cum Eudoxia puella adductis 110. testibus, psalmum alta voce ingeminauit: ... contra me testes iniqui, quæ ignorabam obiecerunt mihi: ... hi mala pro bonis rependebant. Statim igitur puella à dæmone correpta, ad pedes eius concidit. Gregorius satanam è puella egredi, & verum fateri iussit. Manu eam comprehensam erexit. Illa fassa est, muneribus se corruptam à Sabino & Crescentino Grægorium falsò accusasse. Grægorius coram synodo pro testibus quoque & actoribus intercessit, & pacem illis impetrauit. Qua concessa, statim tenebræ magnæ obortæ sunt: & actorū alij vtraque, alij altera gena nigri apparuerunt. Sabino verò verò & Crescentino labia atro colore, infecta sunt, qui nunquam postea elui potuit. Metaphastes in vitis.

De LICTORE, qui Leodegarium iussu Ebroini in Galliis interficere conabatur, Vincentius, quòd ille post patratam cædem, statim à dæmone sit correptus, & ardore interno quasi igni in corpore succenso cōsumptus Vincentius lib.23. cap.125.

EBROINVS maior domus Francorum sub Lothario, qui D. Leodegarium, aliosque innumeros doctores Ecclesiæ partim interfecit, partim in exilium eiecit tandem exosus suis, ab Hermēfrido quodam nobili dolo est necatus: & visus à à diabolis in infernum deportari: vt scribunt Hartumanus Schedel ætate sexta, Trittenhemius de Regibus Francorum.

DODO frater Alpiadis, qui propter sororem Alpiadem, pellicem Pipini, D. Lambertum interemit, atrocissimo morbi genere, quod Græci phthiriasin nominant, periit. *Sabellicus Enneadis octauæ libro* septimo.

In Aruernensi ciuitate, OCCISORES Proiecti episcopi grauiter puniti sunt. Quidam enim eorum Radbertus nomine, viuus est à vermibus corrosus, & consumptus: alius brachium fregit: alij multam pecuniariam templo eius contulerunt. Vincentius libro vigesimo tertio, cap.119

PENDA Merciorum Rex in Anglia multis cædibus Christianorum nobilitatus, tandem suæ etiam impietatis & persecutionis pœnas persoluit, & ab Osuuio filio Osuualdi est interemptus: neque id accidit sine iudicio Dei. Cùm enim Penda numeroso & maximè valido exercitu piētissimum regem Osuuium esset adortus, isque numero & viribus longè esset inferior, inuocatus Deus suppetias tulit: & facto conflictu, à parua manu fusæ sunt & prostratæ ingentes copiæ Pendæ, inter quas ipse tyrannus cecidit. Beda lib.4. historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, capite vigesimoquarto.

Apud OSTROFRANCOS *D. Chiliani, ciúsque sociorum* martyrium mirabiliter innotuit. Cùm enim clàm essent interfecti, & vnà cū libris ac vestibus sepulti, ne quid suspicionis relinqueretur: contigit iustissimo Dei iudicio, vt vnus ex interfectoribus in rabiē versus, proprijs dentibus se laniaret: alter sibi præ timore & desperatione cruentas manus inferret: Geilana verò dæmonibus multis obsessa, miserrimè torquetur: & sic sponte singuli factum proderent: vt scribit Sigebertus in Chronico.

In Boiaria diuum Heimeranum Landobertus, propter suspicionem stupri cum Vta sorore, crudeli morte necarat. At patefacta innocentia eius Theodo dux Bauariæ filiam Vtam in Italiam relegauit: & fugit Landobertus ad Auares & Hunnos vbi exul etiā obiit. Exinde omnis soboles eius à ducatu & fastigio Boiariæ deturbata, & in equestrē ordinē redacta est. Auentinus in annalibus Boiorum libro tertio, pag. CCLXXX. & CCLXXXI.

Iustinianus Imp. Rom. magnam tragœdiam suis sceleribus, tyrannide & persecutione *in imperio excitauit. Ab initio ad imperiū euectus*, cùm non faceret quæ Deo placerent, in pœnam imperio exutus est: & insuper naso abscisso, in exilium relegatus. Suntque simul faces illæ, quæ ipsum ad omnis generis facinora accendebant. Theodotus & Stephanus, in æneo tauro à populo combusti. Postea cùm restitutus in imperium, prioribus malis nihil emendatus, in immensum sæuire pergeret, & optimos quosque ex Ecclesia & Republica tolleret, per Eliam suum spatharium est interemptus, & imperium translatum ad Philippicum. Paulus Diaconus libro vigesimo, rerum Romanarum & Iuo in Chronico.

SARACENI ob Constantinopolim obsessam, & Thraciam vicinasque regiones vastatas, fame (quæ tanta erat, vt camelos & asinos, & cadauera hominum & stercus suum in clibano tostum comederent) & peste (quæ trecenta hominum millia absorpsit) puniuntur, & à Bulgaribus viginti duo millia cæduntur: & grandine ignea cœlitùs in mare demissa, naues piceæ liquefactę ac dissolutæ, pessum iuerunt, solis decem saluis: quarum quinque in Syriam venerunt, quinque à Romanis captæ, Dei omnipotentis vindicem *manum annunciauerunt Paulus Diaconus* lib. 21. rerum Romanarum: anno Domini 719. & 10.1. & 2. Imp. Leonis. Sigebertus in Chronico.

HAVMAR Christianorum hostem Saracenum Amiram vix alterum annum in regno agentem Christus è medio sustulit, & suis pacem concessit. Paulus Diaconus libro vigesimo primo rerum Romanorum.

SARACENI in Gallias ab Eudone, & postea à Maruntio ex Hispanis asciti, à Carolo Martello & aliis propemodum deleti sunt, ob suam in Christianos crudelitatē. Et Eudo & Maruntius vterque regnis & vita priuati sunt. Sigebertus in Chronico.

PEMMO dux Foroiulianus, à Luitprando ob suam in episcopum Calistum iniuriam, ducatu suo priuatur: reliquis Longobardis, sociis istius sceleris, præter vnum, in vincula coniectis. Paulus Diaconus lib. 6. c... de Gestis Long.

...BAS Saracenus pro sua in Christianos crudelitate dignam mercedē ... Æthiops quidam à Marua subornatus, impleuit follem viua cal... atque in os & nates eius efflauit: vnde ille suffocatus interiit. Paulus

Diaconus lib.22.rerum Romanarum.

ABDALLAS Saracenorum Amiras, pro sua in Christianos tyrannide, iusto Dei iudicio irruente, in ipsa turri perijt: anno Domini 778. Constãtini 26. Diaconus lib.22.

AISTVLPHVS Longobardorum dux, apoplexia perijt, iuxta Blondũ Decad.2. libro primo, aut de equo lapsus ceruicem fregit, iuxta Gaguinum libro tertio de gestis Francorum: quod ei propter afflictum Romanum pontificem euenisse plerique volunt, anno Domini 756, iuxta Sigebertum.

[redacted]

[redacted]

INNOCENTII III. decreto, Otho quartus ab imperio deiect⁹ fuit, quòd catholicæ Ecclesiæ subditos vexabat, atque ei Federicus secundus suffectus est. Fulgosus libro primo, capite primo.

VICTOR Afer pontifex max. sub Commodo eos qui ob acceptam iniuriam aut vetus odium reconciliari recusassent, sacris interdixit, anno 194. Volat. lib.22. Anthrop.

BOSO rex Arelatensium vltimus, ab Otthone 1. Imp. capite damnatus est, eo quòd episcopo suo inter sacrificandum alapam impegisset. Vide tit. Seueritatis in iudicando.

POENITENTIBVS IGNOSCERE, AVT ILLIS SALTEM *veniam ab alijs impetrare.*

Exempla plurima ex tit. Moderationis iræ, & Benignitatis tum diuinæ, tum humanæ & religiosæ, mutuari possunt. Item ex tit. Orationis effectus.

SYRICIVS Romanæ ecclesiæ 36. Pont. max. constituit, hæreticum pœnitentem per impositionem manus sacerdotalis, ab ecclesia esse recipiendum. Sigebertus in Chron.

Stephanus Romanus sub Valeriano sententiam Cornelij põtificis probauit: vt videlicet desertores fidei, postea pœnitentes, baptismo non iterarentur. Quæ quæstio plures agitabat. Anno 257.

ODONIS Cluniacensis abbatis monitis, quidam ex prædone monachus factus, dum vita decederet, angelum sibi apparuisse dixit, iubentem ne timeret: eo quòd Odonis precibus ipsi peccata omnia remissa essent.

Fecit itaque magistri sanctitas, vt discipulus diem suum securior obiret. Marul. lib.4. capite decimo.

EGIDIVS Arelatensis abbas, dum pro quodam regis Caroli delicto quod nulli confiteri ausus fuerat, precaretur: schedulam super altari reperit, in qua reuelabatur peccatũ, & abbatis merito venia concedebatur regi, si modò ille se peccasse doluisset. Hinc patet, quantum proficit peccatoribus iustus precator, vt penè desperantibus eius oratio saluti sit. Idem.

AD VERAM RELIGIONEM, CONVERSI.

Exempla aliquot pete ex tit. Martyrum. Item, pœnitentiæ religiosæ.

HELIAS propheta, cum prophetis idoli Baal contendens coram Achab rege, in monte Carmeli, vt eos qui auersi erant reuocaret: ita conuenit, vti duos boues in frusta concisos super geminam lignorum struem separatim componerent, offerentes holocausta pro se quisque Deo suo, Et cuius Deus ignem mitteret ad perficiendum sacrificium, is esset omniũ Deus, aliis diis repudiatis. Sacerdotibus ergo Baal & prophetis nomen dei sui à mane vsque ad meridiem frustra inuocantibus, vbi ad Heliam inuocandi sors peruenit, struxit altare de lapidibus, fossa circumdedit, ligna cum carnibus superposuit, omnia aquis perfundi donec fossa impleretur iussit. Et cùm Deum Abrahã & Isaac & Israel inuocasset, illicò ignis è cœlo delapsus, carnes, ligna, lapides, aquámque, & omnem fossæ limũ hausit, atque absumpsit. Quo miraculo commotus populus, & in Deum verum credidit, & Heliæ seruo eius obediuit, mactans prophetas Baal: Deo volente, vt qui mortiferum idolorum cultum aliis persuaserant, impietatis crimen morte luerent. Et quoniam propter illorum flagitium atque scelus diutina siccitate (annos enim tres & menses sex non pluerat) omnia in agris exaruerant, orante Helia, Dominus dedit pluuiam, & terra protulit fructum. Fides restaurauit, quod vastauerat perfidia. Marul. li. 2. cap.6. & Sab. lib.5. cap.4.

PETRO Hierosolymis Christum euangelizante, die vno tria millia hominum baptizata sunt: & quidem in tanta fidei vnitate, vt omnia inter eos communia haberentur. Altero etiam die eorum qui Christo credidere, quinque millium numerus fuit. Indies præterea crescente multitudine, de synagoga ad ecclesiam, de circuncisione ad baptisma salutis confluentium. Idem.

Sed quis præterea desperet, quamuis impius & crudelis omni immanitate præditus, si PAVLVS Christiani nominis persecutor, factus est Christi apostolus? si vas iræ, conuersum est in vas electionis? si is qui infensissimus fuerat ecclesiæ hostis, repentè euasit constantissimus eiusdem ecclesiæ propugnator? Sed dices: Ille in via vocatus est, & vt se corrigeret penè coactus. Quid tu, quoties peccatorum conscientia compungeris, non vocaris? quoties aduersitate aliqua solicitaris, nónne cogeris? Quid ergo auerteris? quid reluctaris? Ille increpitus statim obediuit: & tu quæso ne obdurescas. Ille cum in terram cecidisset, iussus est surgere, & ciuitatem ingredi, vt ibi audiat quid se oporteat facere: & tu terrenarum cupiditatũ malignitate subuersus, iam tandem surge, & ingredere ciuitatem mandatorum Dei, vt ibi discas quid te facere, quid fugere oporteat, vt salutem tibi parare possis. Illi Ananias manum imponens, visum quem cadendo amiserat, restituit. Ananias interpretatur donum gratiæ Domini. Hoc donum tibi manum imponet, conferens virtutem: vt in spe confirmeris, & visum recipias, quem peccando perdidisti. Non visum carnis, neque oculorum: sed quo Deus videtur, mentis & intellectus: vt demùm cũ ipso Paulo gloriari queas dicens, Gratia Dei sum id quod sum. & : Gratia eius in me vacua non fuit, sed gratia eius in me manet semper. Marul. lib. 2. cap.12. & 7. & Sab. lib.5. cap.4.

Quidam Cyprij & Cyrenæi, cùm introissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum, multúsque numerus conuersus est ad Dominum. Act.11.

Proconsul PAVLVS, videns quomodo ad verbum Pauli apostoli Elymas magus, qui resistebat ei, excæcatus fuit: credidit, admiratus doctrinã Domini. Act.13.

CVSTOS carceris, in quo detinebantur Paulus & Silas, videns terræmotum fieri, & carcerem aperiri, tremefactus procidit ad pedes eorũ dicens: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris. Cùm Paulus & Barnabas dicerent Iudæis, Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei: sed quoniam repellitis illum, ecce conuertimur ad gentes: audientes Gentes, gauisæ sunt & glorificabant nomen Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Factum est Iconij, vt Paulus & Barnabas simul introirent in synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo. Act.14.

Quidam vir de ciuitate Lystris, qui nũquam ambulauerat, audiuit Paulum loquentem. Paulus autem videns quòd fidem haberet, vt saluus fieret dixit ei: Surge super pedes tuos rectus. Exiluit, & ambulabat.

Quædam mulier nomine LYDIA purpuraria audiuit prædicationẽ Pauli, cuius Dominus aperuit cor, & baptizata est, & domus eius. Act.16.

BARTHOLOMÆO apostolo in partibus Indiæ templũ ingresso, idolum Astaroth desiit responsa dare, atque obmutuit. Demum iussu apostoli se non Deum, sed diabolicum esse seductorem hominum confiteri cœpit vt cum sibi cultum diuinum exhibuerint, secum simul ad inferna corruant. Tunc rursum iubente apostolo, simulachrum in puluerem redigitur: tetertimus dæmon cathenis igneis circumligatus, visibiliter apparet: omnibusque palàm fit, quàm peruersa hactenus fuerit eorum religio. Ille magno & horrenti edito vlulatu, è medio abiit: populus conuertitur, templum Deo vero dedicatur. Polemus rex baptizatur, relicto regno apostolum sequitur: vt in paupertate Christum adoret, qui in diuitiis & potentatu adorauerat diabolum. Marul. lib.2. cap.8. & Sabel. libro 5. cap.4.

EPHESII fidem à Ioanne apostolo prædicatam recepturi, vt eam signis approbaret petierunt. Qui Christi nomine inuocato, verustum Dianæ templum ruere fecit, vt in qua illi plus cõfidebant, minus propriis valere intelligerent, quandoquidem semetipsam dea defendere nequiuisset. Aristodemus verò templi antistes adhuc incredulus, aliud etiam experimenti genus perquisiuit. Venenum propinat, quo dudum capitis reos necauerat. Id acceptum apostolus hausit inoffensè. Et impletum est quòd Dominus noster de credentibus prædixerat: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Ipsos insuper qui necati fuerant, ad vitam reuocauit. Tunc demum Aristodemus, & qui spectaculo aderat consul, reliquúsque vulgus, derelicta idolorum superstitione, ad salutis lauacrum confugerunt. Et apostoli iussu per omnem Asiam euersis deorum simulachris, crucis vexillum erexere, cùm iam compertum haberent, verbum crucis pereuntibus quidem stultitiam: his autem qui salui fiunt, Dei virtutem esse. Ibidem.

DIONYSIVS Areopagita, cùm apostoli Pauli prædicationes audisset, & ea quæ sibi iam similia veri videbantur, credere adhuc dubitaret, verbis fidem se habiturum dixit, si Paulus cæco, qui fortè aderat, Christi inuocatione visum restituisset. Tunc ille: Ne me, inquit, magico carmine visum Dionysi suspicari possis, tu tu ipse accedens, cæco illi iube vt videat in nomine Domini Iesu Christi. Id vbi peregisset prospero euẽtu, protin⁹ Areopagum reliquit: atque apostolum secutus, & ipse Christum prædicaregentibus cœpit: tanta constantia, vt sæuientes tyrannos nihil timeret, & mori pro Christo cuperet: quando quidem illi ratio iam cõstabat, beatos esse mortuos qui in Domino moriuntur. Marul. lib.2. cap.10.

BASILIVS ille magnus, cùm esset gentilis, & bonarum artium apprimè eruditus, inter confligantes philosophorum sententias nihil certi asserentium nutabat: donec ab Athenis transiens in Ægyptum, explorato philosophiæ nostræ sensu Christo credere cœpit. Inde reuersus, Eubolum præceptorem suum de ratione veræ sapientiæ disputando superauit, & ad Domini Dei nostri cultum conuertit. Reperit ergo Basilius in ecclesia, quod in Academia non poterat reperire: & discipulos docuit, quod non didicerat à magistro. Dum autem vterque Hierosolymis à Maximino episcopo baptizarentur, circumfusos lumine viderunt qui aderant: eáque res indicio fuit, eos antehac veri ignoratione in tenebris fuisse. Ibidem.

CONSTANTINVS imperator, ob Christi cultum, quoniam nouam religionem in rempublicam Romanam inducere piaculare videbatur, à philosophis redargutus diem constituit, quo cum Christianis ad rem inter se contentione discutiendam conuenirent, vt hi qui probabiliora in medium attulissent, cæteris sequendi authores fierẽt. Id agebatur Byzantij. Aderat Alexander episcopus, mundanæ quidem sapientiæ non satis gnarus, sed morum sanctitate præstans. Is, cùm disputarent, vni ex philosophis dicere paranti, in nomine Christi silentium imperauit. Cumque ille veluti elinguis, ne verbum quidem proloqui potuisset: manum Alexãdro dedit, victum se confitens. Reliqui miraculo conuersi, sepositis altercationibus, volentes fidem recepernt, ac si & ipsi Dominum audissent dicentem: Si mihi non creditis, operibus credite. Ibidem.

D. Augustinus quomodo conuersus, pete ex eius vita, sub tit. Doctorũ ecclesiasticorum.

SECVNDIANVS vir togatus atque grauis, & Verianus pictor, cùm Marcellianum virum eloquẽtissimum conuenissent, omnes à Christi pietate alieni, & Sibyllina Vergilij carmina ex Bucolicis attentius perscrutarentur, Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna: nihil aliud ibi rectè intelligi statuerunt: nisi Christum de virgine natum. Itaque Christiani facti, à Xysto pontifice baptizati, tandem sub Valeriano Imp. martyres facti sunt. Iisdem quoque carminibus P. Papinus Statius iunior poeta ad Christum conuersus scribitur à Danthe Aligero. Gyraldus Dialog. 4. historiæ poeticæ.

MAVVIA Saracenorum regina, ruptis post mariti obitum cum Valẽte Imp. Rom. fœderibus, Palæstinam & Syriam infestare cœpit, Rom. duces sæpius fudit: neque pacem facere voluit, nisi Moyses Saracenicus eremita (qui ab Arianis proscriptus, circa Alexandrum & Palæstinam solitarius degebat) gentis suæ episcopus crearetur. Valens ergo summo studio Mosem quæri iussit, & inuentum ab exulibus Orthodoxis episcopis episcopum creatum ad Saracenos misit, vbi Christi fidem felicissimè propagauit. Ruffinus lib.2. cap.6. Socrates libro quarto, capite tricesimosexto. Theodoretus lib.4. cap.23. Sozomenus lib.6. cap.38.

CYPRIANVS Damascenus primum quidem magus & gentilis, deinde verò episcopus, Christique martyr. Cùm enim totis maleficorũ viribus Iustinam virginem in amorem Aglai iuuenis, qui eam deperibat, pellicere molitus fuisset, & dæmones re infecta reuersi, nullum sibi in ipsam peccandi locum relictum dixissent, eo quòd crucis munimine Christiana fœmina castitatem suam protegeret, continuò relictis dæmoniis Christianorum religionem sequi decreuit. Baptizatus ergo tantum fide & sanctitate profecit, vt ad episcopatum promoueri meruerit, & martyrio coronari. Idem igitur qui magus fœminam vincere nullo modo potuit, Christianus factus, tyrannorum tormenta facilè superauit. Marul. li. 2. cap. 9.

PETRVS Constantinopolitanus, cognomento Telonarius, ad pietatẽ conuersus per ecstasin. Vide tit. Liberalitatis religiosæ.

GALLICANVS ad Christum conuertitur. Vide tit. Diuitias proprias relinquere.

MVTIO Ægyptius, natura ferox, & latrociniis deditus, ita vt etiam sanctorum delubra expoliando prophanaret: vidit tandem in quiete virum forma habitúque augustiore quàm humano, comminantem sibi necem, nisi protinus à flagitiis sacrilegiisque se submoueret. Cũque pauore perculsus repentè euigilasset, nihil moratus ad ecclesiam confugit: & baptismate suscepto eremum petiit, vbi & abbatis dignitatem sustinuit. Tantáque sanctitatis fama breui illustratus est, vt aliquando iter faciens, solem stare (sicuti de Iosue & Ezechia legimus) fecisse feratur. Iactent se gentiles Romani orbem subegisse terrarum, virtute ac robore ante omnes sæpe stetisse. Sideribus imperare, non nisi fideliũ fuit. Marul. lib.2. cap.8. & Fulgos. lib.6. cap.9.

AVGVSTINVS, ab initio Manichæa hæresi pollutus, cùm Ambrosiũ prædicantem audisset, perspexit errorem in quo erat, atque abiecit: & tãdem omnis expers ambiguitatis, Christi suscepit fidem, iuxta traditionẽ catholicæ religionis: non signa requisiuit, non experimenta tentauit: audiendo tantùm agnouit veritatem, & de tenebris venit ad lucem. Denique eãdem sectam illam quam reliquit, nemo postea fortius impugnauit, nemo acrius est persecutus. Peruersissima impietas, cuius assertione tutam se putabat, eius confutationum telis confossa periit. Marul. lib. 2. cap.11.

CLODOVEVS huius nominis primus, Francorum rex, nec Remigij sanctissimi viri monitis, nec Clotildis vxoris precibus, atque obtestatione adduci vnquam potuit, vt perfidiam, quàm à maioribus imbiberat, exueret. Cœli prouidentia arbitror factum, vt euidentiore merito fidem semel amplexus, genti colendam perpetuò autor ipse per manus traderet: mox alemanis congressus, qui Galliam ingentibus copiis inuaserant, quũ se ab iis vinci cerneret: Deus, inquit, quem Clotildis vxor colit, si hodie victor ex hostibus redeo, caput hoc meum, ac gentem tibi omnem trado dicóque: nec defuit precationi tam piæ fœlix euentus. Victi statim hostes terga vertunt, vt duplex orbi miraculũ esset, & victos eos qui paulo ante victores erant, & regem Christianum factum, qui ab eo nomine tantùm prius abhorrebat. Egnat. lib.1. cap.1.

IOANNES Damascenus, Mesuæ, Iudęi filius, Iudæorum omnium doctissimus, Hebraicis Græcisque literis æquè eruditus, nemine cogente contulit sese ad Christianitatem. Nunquid nesciuit legem? ignorauit Prophetas? non intellexit Psalmos? immo, quia omnia ista percalluit, ideo credidit in eum quem in iis scriptum reperit. Ipso dicente: Scrutamini scripturas, illæ sunt quę testimonium perhibent de me. Et iterum: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Signãter (vt mihi videtur) dixit forsitan. Sciebat enim quosdam ex illis futuros, qui etiam Moysi credentes, magis eligent obstinatione sua perire, quàm Christum à Moyse & Prophetis præmonstratum confitendo suscipere, & per eum saluari. Neque enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus (vt Petrus apostolus ait) in quo oporteat nos saluos fieri. Ma. li.2. ca.7.

Berillus Bostrenæ Arabiæ vrbis præsul, conseruatorem nostrũ ante humanitatem non extitisse, nec propriam diuinitatis substantiam, sed tantũ patris in se habuisse: cuius errorem Origenes repulit, vt tandem eum ad meliorem mentem reuocaret. Eusebius lib.6.

Prudentissimum, valdeque consideratum fuit, Edilberti Cantuariensis regis verbum. Nam cũ adhuc gentilia numina coleret, audito sacro Augustini hominis Christiani præconio, quem ad eum Gregorius pontifex miserat, dixit: Etsi agendæ ei gratiæ essent, quòd à tam longinqua regione venisset, vt Britannorum bono consuleret, eosque illa doceret, quę profutura eis arbitraretur: eum tamen religionis cultum, quem Britanni à maioribus acceptum vsque ad id tempus seruassent, temerè relinqui nõ debere, nisi antè, quæ proponebantur, diligẽtius essent inspecta. Id quòd postea cùm egisset, temporis interiectu ad Christianam fidem transiuit. Fulgos. lib.1. cap.7.

POENITENTIA RELIGIOSA ET PIA. POENITENTIAM *agere.* PECCATA *sua confiteri,* ALIORVM *reprehensiones boni consulere.*

De Reprehendẽte, & ad pœnitentiam exhortante alios, superiore loco, egimus per se: hic per accidens tantùm. Vbi enim patiens, illic & agens: vbi conuersus, illic & conuertentem esse oportet. Exempla plurima pete ex tit. Eremitarum. Nos hic ea potissimùm, quæ à Marulo lib. 4. cap. 9. & 10. recitantur afferemus, ne nomen authoris toties repetere cogamur. Cæteris authores suos subnectemus.

Legimus ISRAELITAS, quoties legem sanctam præuaricati sunt, Deo vindicante, ærumnis vastationibúsque affectos. Rursum cùm pœnitendo sese correxissent, eodem miserante liberatos: vt & iustum in puniẽdo agnoscas, & facilem in remittendo. ex Num.14. & Iudicum 2. & 10.

Cum IOSVE duce iam defuncto, alienigenas cõnubio sibi iunxissent, & (quod execrabilius est) immolassent eorum diis Baalim & Astaroth, obliti Dei sui, à quo multa magnaque acceperãt beneficia: bellis oppressi, Cusanrasathaim Mesopotamiæ regi annos octo seruierunt. Tandem errorem suum incusantes, & ad pœnitẽtiam conuersi, Dei quem abiecerant, opem implorarunt: & Othoniele duce victis hostibus, recuperauẽre libertatem, rerumque potiti sunt. Percutit ergo Dominus, vt sanet, occidit, vt viuificet: sed neque sanat neq; viuificat, nisi pœnitẽtes. ex 1. Reg. 4.

OTHONIELE mortuo, cum iterum iisdem flagitiis se polluissent, Eglon Moabitarum regi decem & octo annos tributa pensitauẽre. Postremò pœnitentes Aioth ambidexter vindicauit in libertatem, rege ipso interempto, & decem millibus hostium cæsis. Deinde annos 80. nemo illos armis lacessiuit: vt hinc intelligas, cum pœnitentibus diabolum congredi minus audere: & si audeat, nocere non posse.

MORTVO Aioth peccauerunt, & traditi sunt Iabin regi Chanaan. Sed post annos 20. cum eos sceleris pœnituisset, clamassentque ad Dominum, Delbora prophetante, Barach tantummodo cum decem millibus armatorum, Sizaram regij exercitus ducem cum nongentis falcatis curribus, & ingenti militum copia in prælium descendentem fudit fugauitque. In decem millibus Decalogi numerus habetur: quo si pœnitens se munierit, vitiorum multitudinem contra insurgentem facilè superabit.

IAHEL vxor Aber, Sizaram adacto in tempore clauo interfecit. Iahel interpretatur incipiens, Aber, lucidus. Iahel ergo vxor est Aber: quia illũ quem pœnitere incipit, lux recti prauique dignoscendi comitatur. Sizara exclusionem gaudij designat, id est diabolum, qui nos à paradisi gaudiis maligna suggestione nititur excludere: quem clauo in tempore transfodimus, cùm in tempore pœnitentiam agimus, compunctionis clauo vitiũ expungentes. Hoc tempus si elabi sine pœnitudine dimiserimus, frustra postea nos pœnitebit. Incassum enim tunc lugetur, cum iam actorum ratio exigitur.

POST annos quadraginta in pace peractos, rursum ad impietatem prolapsi, à Madianitis deuastantur annos septem. Et cùm tandem illos delicti pœnituisset, per Gedeonem opitulatus est eis Deus. Qui diuino fretus auxilio, cum trecentis armatis, vix numerabiles hostium copias fudit atque concidit. OREB & ZEB principum MADIAN capita victor abscidit. OREB dicitur tentatio, ZEB lupus, Madian contradictio, siue iniquitas. Igitur verè pœnitens incipit cum tentationibus colluctari, nec se vltra spiritalis lupi rapinis exponit: sed vt primùm se impugnari animaduertit, ita primùm resistit. & hoc est capita principum cõtradictionis vel iniquitatis trũcare, peruersarũ cogitationũ initia recidere: ne si moram fecerint, crescant, & tacitum viuat sub pectore vulnus.

GEDEONE vita defuncto, auersi sunt post gentilium ritum colentes Baalim & Astaroth. Et cùm Philistinorum inuasionib⁹ per 18 annos attriti essent, pœnitentiam quidem egerunt, sed non exaudiuit eos Dominus. At cum etiam idola de finibus eiecissent, per Iepte ducem tutatus est eos, vlciscens aduersarios, à quibus assiduè vexabantur. Ex quo patet, pœnitẽtiam non verbo tantùm, sed etiam facto agendam esse, vt veniam promereri possis.

RVRSVM ob idololatriæ crimen annos 40. sub iugo Philistinorum fuêre. Postea verò pœnitentes, per Samsonem liberati sunt. Qui ligatus fregit vincula, & maxilla asini interfecit inimicos, & de molari maxillæ egressis aquis sitim sedauit. Per pœnitentiam quippe diuelluntur nexus peccatorum. In maxilla oratio, in asino humilitas intelligitur, quibus prosternũtur nequitiæ spiritales: quia humiliãtis se oratio nubes penetrat. De molari autem maxillæ fluunt aquæ cũ inter orandũ conscientiæ morsus elicit lachrymas, quib⁹ deinde parta beatitudo restinguit desiderij sitim.

Sub HELI sacerdote à Philistinis angustias cladésque passi, Samuelis admonitione atque hortatu ad pœnitentiam inclinantur. Ipsóque pro eis deprecante, hostiásque offerente, fleuerunt ieiunauerúntque, palàm confitentes quòd Baalim & Astaroth idola coluissent, Dei sui cultu derelicto. Hac pœnitentium afflictione placatus Dominus, Philistinorum multitudinem in illos irruere paratam, tonitru ac fragore ita exterruit, vt repentè auersi terga darent. Filij verò Israel eos fugientes persecuti, ad internecionem conciderunt: vrbes quas amiserant, recuperarunt: nec postea ab inimicis infestati sunt, quamdiu vixit Samuel. Hinc percipitur, quantum deprecatio, quantum lachrymæ, quantum ieiunia prosint pœnitẽti. Quid est enim aliud vrbes amissas recuperare, nisi pristinæ virtutis meritum, quod peccando deperditum fuerat, instaurare?

PECCAVI, inquit DAVID, Domino: cùm adulterio homicidium iũxisset, & statim meretur audire: Dominus quoque transtulit peccatum tuũ, non morieris. Magnum peccatum, magna remissum est misericordia. Haud dubium quin & magnus pœnitentis dolor extiterit, qui tam repẽtè venia dignus fuit. Quomodo enim minante propheta tanti delicti cõfessus non vehementer doluisset, qui paruulo ægrotante, quem de illicito genuerat coitu, fleuit, ieiunauit, in terra iacuit? Qui Absalonem filium fugiens, nudis pedibus & operto capite, & lachrymantibus oculis incessit? Multum ergo dolendum est, cum multum peccatum est. Nec te moueat, si aduersis casibus concutitur, cui venia indulgetur. Sæpius excoctum aurum purius nitet. ex 2. Reg. 12.

AT IDEM iam omnium inimicorum suorum victoria potitus, cùm describere regni populos iussisset, quorum numerus fuit virorum fortium de Israel octingenta millia, de Iuda quingenta millia: videns præesse se tantæ multitudini, mentis elatione peccauit, & continuò (vt discas non differendam esse pœnitentiam) Peccaui, inquit, valde in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis. Ecce mœret, & pœnitens se deliquisse confitetur: cur ergo non, vt antè, sequitur confessionem venia, cum præsertim illud quàm hoc peccatum grauius fuerit? Quia licet deinde quis leuius peccet, magis tamen efficitur ingratus, dum post remissam culpam in culpã relabi negligit. Proinde Dominus, cui prius facilè pepercerat, nunc eundem de tribus eximiis malis vnius optione onerat: hoc est, vel famis, vel cladis vel pestilentiæ, ne quis venia pro licentia vtendum putet.

ROBOAM rex Iudæ, & illi quibus præerat, lege Dei contempta, gentilium ritum sequebantur: cùm Sisac rex Ægypti de improuiso fines eorum irrumpens, oppida multa & loci natura & armis munita expugnauit illósque qui aduersum se in campum descenderant, in vrbẽ fugere compulit. Porrò cum per Semeiam prophetam audissent, Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sisac, dicit Dominus: ab errore conuersi, pœnitentiam egerunt. Inde rursum Dominus ad Semeiam ait: quia humiliati sunt, non disperdam eos, veruntamen seruient Sisac: vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. Ergo etiam per pœnitentiam placatus Dominus, non semper omnem angustiam aufert, cum scilicet hoc illi profuturum nouit cui placatus est. Nam virtus in infirmitate perficitur.

ACHAB Samariæ regum pessimus, qui vineam Naboth Iezraelite per ipsius cædem occupauerat, vt crudelior tunc, an auarior fuerit, non facilè dignosci possit. Minante sibi Domino per Heliam prophetam pertimuit & scissis vestibus texit se cilicio, ieiunauit, in sacco iacuit. Idcirco Dominus malũ quod illi interminatus fuerat, distulit post eum in diebus Ochoziæ & Ioram filiorum eius. Hinc per Ezechielem prophetam ait: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Marul. lib. 4. cap. 9. ex 3. Regum 21.

IOSAPHAT rex Iudæ irruentibus aduersum se Moabitis, & Ammonitis & Idumæis, indixit ieiunium atque orauit, omnésque de Iuda steterũt coram Domino cum vxoribus ac liberis, & in terram proni adorauerũt. Cantores præcedentes exercitum, Deo laudes personabãt: cum illi quos pertimuerant, in seipsos conuersi mutuis vulneribus concidêre. Iosaphat & Iuda diripuerunt spolia, & gratias Deo egerũt, quòd sic pro ipsis depugnasset. Cor enim contritum & humiliatum Deus nõ spernit. In tribulatione, inquit, inuocasti me, & liberaui te.

BENADAB Syriæ rege Samariam obsidente, oppidani fame laborabant, ita ut quædam mulieres à filiorum esu non abstinerent: quando pœnitentia & humiliatione Ioram Samariæ regis, qui cilicio se induerat, die vno summa inopia in summam versa est copiam. Syri enim horrendo armorum strepitu diuinitùs excitato, vehementer perterriti, relictis impedimentis, omníque supellectili dimissa, fugam fecêre. Samaritæ verò egressi direptis castris insperata præda ditati sunt, & modius similæ stetit statere vno, sicut prædixerat Helisæus & duo modij hordei statere vno.

Rex Israel IOACHIM cum suis, quos præuaricari fecerat, subditus Azacheli Syriæ regi, & Benadab filio eius, pœnitentiam egit: orauítque ad Dominum, & sicut Scriptura ait, Datus est illis saluator, cuius ope liberati sunt.

EZECHIAS fide & religione probatus, sed ob plebis & Achaz patris impietatem Hierosolymis obsessus, conscidisse vestimenta dicitur: saccóque se operuisse, ad templum venisse, ad Esaiam vt pro ipsis oraret, misisse. & continuò ab eodem, propheta meruit audire, ne timeret. Denique Dei ira in hostem conuersa, nocte vna cecidêre 185 milia Assyriorũ angelo cædente, & à pernicie liberante pœnitentem. Prophetauerat autem Esaias dicens: Cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij.

IDEM Ezechias, cum ægrotanti sibi diem extremum imminere per prophetam audisset, flendo atque orando impetrauit vitæ propagationẽ: vixitque vltra, quàm vixisset, si sic non egisset, quindecim annos. Argumento est, verè pœnitentes non esse morti obnoxios, sed vitæ destinatos æternæ, dicente Domino: Nolo mortem morientis, conuertimini & viuite.

At cùm gloriabundus, Merodach Babyloniæ regis legatis gazam suam omnem ostentasset, & illam ad Babylonios quoque transportandam Esaia prophetante didicisset, delicti conscientia cõsternatus, non est ausus mulctam hanc auferri poscere, sed differri. Bonus (inquit) sermo Domini, sit tantum pax diebus meis. Itaque in posteros dilatum est malum: fortè etiam ab ipsis differendum, si vel non deliquissent, vel continuò illos delicti pœnituisset.

MANASSES eius filius, cum in regnum successisset, patris virtutes vitijs suis æquauit. Coluit enim idola, somnia obseruauit, artes maleficas exercuit, Domini per os prophetarũ minas denunciationésque contempsit. Ob hoc ab Assyrijs captus & cathenis atque compedibus vinctus, abductus est in Babylonem. Et tamen postquam eum flagitiorum suorum pœnituisset, precatúsque esset Deum, quem precando irritauerat, exauditus est: reductusque Hierosolymam, & in regnum postliminiò restitutus. Tunc simulachra quæ posuerat, euertit, arásque destruxit: & restaurato altari Domini, victimas & pacifica immolauit: suísque præcepit, vt colant Dominum Deum Israel. In bonum denique ex pessimo mutatus est, in liberum ex seruo, in regem ex captiuo: quia pœnitẽs ac dolens ad Dominum clamitauit, eodem Domino per Esaiam dicente, In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui. ex Paral. 33.

IOSIÆ regi Iudæ, quoniam cùm legis librum perlegisset, patrum populísque transgressione vehementer tristatus est, Olda prophetes respondit: Hæc dicit Dominus, Ecce ego adducam mala super locum & habitatores eius, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt dijs alienis. Te autẽ, quoniam audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & fleuisti coram me: colligam te ad patres tuos in pace, ne videant oculi tui mala quæ inducturus sum super locum istum. Itaque propter vnius pœnitentiam, communis omnium calamitas, quoad ipse vixit, dilata est: vixit autem posthac 12 annos.

Sed pleriq; sanè peccatũ suũ doluerũt, Iosias verò, & post illum Esdras, etiam alienũ. Nam hic quoq; cũ intellexisset, ꝙ ipsi qui secũ à Babylone Hierosolimã remigrauerãt, miscuissent semẽ sanctũ cũ exteris nationib. connubiorũ copulatione, scidit palliũ & tunicã, vulsit capillos, barbã depilauit: seditque mœrens ante templũ, vsque ad sacrificiũ vespertinũ. Tũ demũ surgens curuauit genua, expandit manus ad cœlũ, & flens orauit. Ex eius mœrore cæteri suũ metientes crimen, & ipsi fleuerunt: magnóq; diuinæ vltionis metu expauefacti, in tantũ illi obedierunt, vt cõsenserint, & vxores repudiare, & qui de ipsis nati fuerant, filios abdicare. Igitur ipso Dei legẽ exponente, conuenisse dicuntur in ieiunio & in saccis, puluere conspersi, ab omni filio alienigena separati: confidẽtes peccata sua, & iniquitates patrum suorum quater in die, & quater in nocte, & adorantes Dominum Deum suum. Ideo in pace stabiliti, pristinæ libertatis statum sibi recuperarunt, dicente Domino: Si abstuleris offendicula tua, à facie mea non commoueberis. ex 1. Esdræ 10.

DANIEL propheta, non pro suis, sed populi peccatis angitur, dum ea veluti sibi communia confitetur: & perinde misericordiam Dei implorat, ac si & ipse deliquisset. In ieiuniis, in sacco, in cinere sponte affligitur, per tres hebdomadas luget: panem desiderabilem non comedit, neque carnem neque vinum gustat, neque vnguento perfunditur. Video illum pro delictis aliorum talia facientem, & intra me confusus conscientiæ metu concutior, quòd ego miser pro meis, quibus obrutus sum, nihil tale efficio. Contere Domine, contere duriciem viscerum meorum, & virga directionis tuæ percute cordis mei petram, vt saltem aquam effundat lachrymarum, & ipse plangere possim ea quibus te offendi, cum sancti tui sic lugeant etiam ea quibus te alij offenderunt.

Holoferne IVDÆOS inuadente, tutatus est eos Dominus, quoniam inuocauerunt nomen ipsius, & ieiunauerunt: & sacerdotes induti sunt cilicijs, cinereq; capita cõspersi, & infantes prostrati ante faciem templi, & altare

altare opertum cilicio. Illa quoque quæ interfecit inimicum, vidua erat quotidie ieiunabat, lumbos cilicio præcinxerat, cinere caput perfuderat, in secreto domus suæ cubiculo cum ancillis clausa morabatur. & tunc prostrata clamauit ad Dominum, cùm tam audax facinus esset aggressura. Huiuscemodi ergo pœnitentiæ afflictionibus atque angustiis conciliatur Deus, reprimitur diabolus, innocentiæ status reparatur, reparatus cõseruatur: conseruatus demum sortem capit æternitatis. ex 4. cap. Iudith.

NINIVITÆ, cùm vrbem suam post dies 40 euertendam audissent, indixerunt ieiunium, vestiti sunt saccis: rex ipse surrexit de solio, abiecit regia ornamẽta, & saccum induit, seditque in cinere: ac iussit ne homines iumenta, boues, pecora gustarent quicquam vsque mane: vtque vnusquisque conuerteretur à via sua mala. Id videns Deus auertit omnem perniciem illam, quam eis comminatus fuerat se illaturum. Quis ergo dubitet, quin à diebus Ioannis regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud, si etiam ante Ioannem hominum pœnitẽtia mutare potuit Dei sententiam? Marul. lib. 4. cap. 9. ex Ionæ 3.

MARDOCHEVS ad Susa abductus, cùm Aman per se odio in ipsum ac simultate factum esset, vt rex Persarum Assuerus edicto iuberet interfici Iudæos omnes, qui Susis atque alibi in regno eius erant, vestimenta scidit, saccum induit, aspersit cinere caput, cum clamore & eiulatu incessit. Illi etiam qui per prouincias erant Iudæi ieiunauerunt, cilicioque & cinere pro stratu vsi sunt: & Deo propitio, cædes quæ in ipsos paratura erat, versa est in Authorem Amam: quodque ipse Mardochæo ac cæteris Israelitis facere intenderat, hoc cũ affeclis atque assentatoribus suis passus est. Tam citò misericors & iustus Dominus, & eos liberat qui in conspectu suo se humiliant, & illos punit qui impiè superbiunt. Mardochæus verò ipse tam præsenti periculo erutus, primùm apud regem obtinuit dignitatis locum: & quantum pœnitentiæ humiliationibus se submiserat, tantũ fuit exaltatus.

IOB, quem diabolus omnium aduersitatum mole premens vincere non potuit: Saccum consui, inquit, super cutem meam, & operui cinere carnem meam: facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerũt, & confidenter ait: Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces. Ecce in cœlo testis meus, & conscius me⁹ in excelsis. Quod si sic corpus suum sponte atterebat vir innocens, & simplex, & timens Deum, ob hoc solùm vt humilitatem probaret, quid nos facere oportet, qui & in multis offendimus, & non in paucis adhuc offendere non cessamus. ex secundo Iob.

IDEM, quia ingentibus oppressus ærumnis Dei in se iram aliquantulũ suggillauerat, se iustum iactando, & cum Deo disputare concupiscendo, à Domino redargutus culpam confitetur, & ait: Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem: & alterum, quibus vltrà non addam. Et iterum, Insipienter locutus sum, ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Si iste in fauilla & cinere, qui tam æquo animo tantas tolerauit calamitates: in quo illi, qui multo leuioribus affecti mussitant, indignantur, cum Deo non disputare, sed pugnare videntur? Et vt sciamus quale propositum pœnitentis esse debeat, meminerimus dictum, Quibus vltrà non addam.

NABVCHODONOSOR regis efferatam superbiam confũdens Deus, regno illum mentéque excæcarat: ita vt procul ab hominum consuetudine annos 7. cum feris per deserta vagatus sit, fœnum quasi bos comederit, æstus, pluuias, ventos patiens absque tecto. Postquam tamen ille ad se reuersus, agnouit mundanam potentiam non suam, sed Dei esse arbitriũ ac proinde confiteretur neminem esse, qui virtuti eius possit resistere, aut dicere ei, Quare sic fecisti, veniam meruit: & sanitati regnóque restitutus, ampliorem honorem adeptus est pœnitendo, quàm fuit quem amiserat peccando. In quo impletum est illud quod per Esaiam dicitur: Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & ipsi reddidi consolationes.

In Zacharia legimus, sathanam accusatione aduersari parantem Iesu filio Iosedech sacerdotis, prohibitum fuisse à Deo, eo quòd ipse IESVS pœnitentiam egisset. Qui deinde sordidis tegumentis, in quibus iam se submiserat, exui, & cydari munda operiri iussus, desiderabilem illam Domini vocem audiuit: Ecce abstuli iniquitatem tuam, & induite mutatoriis. Quàm ergo magna pœnitentiæ virtus? diabolo os obstruit, ne accusare possit, & peccatorum sordes cum innocentiæ puritate commutat.

MARIA soror Aaron sacerdotis, & ipse etiam Aaron, Moysi, arrogãter detraxerant. Sed alter statim commissum doluit, & veniam accepit: altera, quia paulo peruicacior fuit, lepram incurrit. Orauit pro ea Aaron, orauit Moyses: & tamen Dei iudicio damnata, extra castra propellitur: nec nisi peracta septem dierum pœnitentia sanitatem recuperare, & in castra redire potuit. Non tardes igitur (vt Ecclesiasticus inquit) cõuertere ad Dominum & ne differas de die in diem. Subitò enim venit ira illius, & in tẽpore vindictę disperdet te.

PRIMA in Euangelio præcursoris vox est, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et vt qualiter agendum esset, in se ostenderet, de camelorum pilis textum habuit indumentum, zona pellicea præcinctus erat, locustis sylvestríque melle vescebatur, lugubris & asper vestitus peccatorum tristiciam indicat, zona pellicea carnis mortificationem testatur, ciborum vilitas ieiunium abstinentiámque commendat.

Post Ioannem eadem sanè vox Dominicæ prædicationis initium fuit, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sola peccati turpitudo ad pœnitendum mouere debuit peccatorem: quanto magis cùm etiam ea promittitur merces, qua maior nequit desiderari? Et certè, si regnum terrenum offerretur, nullum laborem refugerẽt mortales, nullum periculum deuitarẽt. Offertur autem cœleste, & à vitiis ad virtutem retrahi non possunt. Retraherentur saltem, quando præmij spe nolunt, pœnæ terrore, quæ manet obduratos, dicente Scriptura, Cor durum habebit malè in nouissimo. Aut si verbis non credunt, crederent saltem exemplo. Ecce enim serue peccator, innocens Dominus in deserto solus manere nõ dedignatur, quadraginta dierum inedia ieiunium protrahere nõ recusat: & vt hominis in Deo naturam agnoscas, postea esurit. Denique omnia illa quæ passus est, vt te redimeret, non inuitus sustinuit: tu vt illi (quem quotidie offendis) reconcilieris: exiguam pœnitentiæ fatigationẽ suscipere detrectas, & erga illum ingratus, & erga teipsum impius.

Respice pœnitentem Latronem, de cruce euolat ad paradisum: respice pœnitentem negatorem, princeps constituitur Apostolorum: respice pœnitentem persecutorem, vas efficitur electionis, respice pœnitentes. Publicanus Matthæus de teloneo ad apostolorum vocatur, Zachæus Iesum hospitio meretur accipere, Luc. 19. & Ille qui in templo lugens pectus pugnis planxerat, & flagitiorum conscientia cœlum suspicere non fuerat ausus, redit iustificatus. Nunquid tãtæ istorum gloriæ, quãtam assecuti sunt, te participem fore diffidis, si ipsorum imitatus fueris pœnitentiam?

PETRVS negationis culpam amarè fleuerat, & tamen idem impetrata venia, & clauibus regni acceptis & summi pontificatus officio sibi delato, post Domini ad cœlos ascensum, vix vllo die à lachrymis temperasse dicitur, atque ad eas identidem siccandas lineum linteolum de manibus nunquam dimisisse.

MATTHEVS de teloneo ad apostolatum vocatus est. Zachæus publicanorum princeps, & ipse diues, Saluatorem mundi hospitio suscipere meruit. Vterque igitur cum vsuras reliquissent, lucrati sunt regna cœlorũ. Talem quædam facere solent, qui conuersi, spem suam de terrenis diuitiis in Deum transferunt, cœlestium diuitiarum æternæque beatitudinis largitorem. Marul. lib. 2. cap. 12. & Sabellicus libro quinto, capite quinto.

IOANNES apostolus (vt quidam tradunt) peregre proficiscens, iuuenem conuersum apud episcopum reliquit, & vt grande quoddam depositum custodiendum commendauit. At cùm rediisset, illum discessisse comperit, & commeantium itinera subsidendo latrocinari. Statimque conscenso equo, perditam ouem solus quæsitum abiit. Sed ille venientem cõspicatus, præ pudore equum insiliens fugere cœpit. Insequi verò apostolus, & succlamare, vt patrem expectaret: qui pro filio rationem Deo reddere paratus esset, si secum modò reuerti vellet. Commotus tanta apostoli solicitudine iuuenis, atque erga se pietate, substitit, rediit, pœnitentiã egit: & de latrone tandem episcopus fieri meruit: magisque angeli in cœlis gauisi sunt super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

ANDREAS apostolus cuiusdam Nicolai iam senis fornicandi incontinentiam vehementer dolens, ab hora tertia ad nonam, Deum pro illo cum lachrymis obsecrasse dicitur: deinde cum etiam inedia se conficeret, die tandem quinto de cœlo sibi à Domino dictum audisse, Tua opera, ô Andrea, Nicolaum, quem amiseram, inueni. Quotusquisque est, qui sic suum lugeret delictum, vt apostolus alienum?

Bartholomeus non publicanus, sed regio stemmate fulgens, cùm diu aulicam expertus esset vitam impijssimam, diuinorum demum cupiditate captus, Christi Apostolus esse voluit.

SAVLVS Tharsensis, crudeliter in Christiani nominis homines sæuiit pro viribus suis, per totam Syriam, vsque adeò enixè, vt quãquam admodum adolescens, ad lapidandum Stephanum leuitam, cum eius persecutoribus conueniret. Mutatis postea moribus, mutato etiam nomine, eius fidei, cuius fuerat acerrimus persecutor, dux atque prædicator extitit: & qui martyrum sanguinem sparsit, dum Christianam fidem impugnaret: suum postea vt eam tueretur, effudit. Nec minus studiosum, se promptũque Christi discipulum, quàm antè sæuus fuisset hostis, ostendit. Fulgos. libro 6. cap. 9. & Egnat. eodem: & Sabel. lib. 8. cap. 8.

MVLIER illa in Euangelio peccatrix, in aliena domo quæsiuit Saluatorem, quoniam in sua non habebat. non enim habitat Deus in corpore subdito peccatis. Conscientiæ ergo stimulis acta, illuc vbi Iesus accubuerat, irrupit: accessit retro, & pedes eius lachrymis rigauit, capillis tersit, osculata est, vnguento perfudit. Condonantúrque ei peccata multa, quia dilexit multum. Aduenerat peccatrix, & pœnitudinis humiliatione abiit sancta. Denique dimittitur in pace, quam turbauerat dolor vitæ nequioris. Marul. lib. 4. cap. 10. & libro 2. cap. 12. ex Lucæ 7. cap.

Ploranti ad monumentum MARIÆ, Dominus prius quàm Apostolis apparuisse dicitur: quia illa prior consulari meruit, quæ lachrymas vberius fudit. Cùm fleret (vt Ioannes inquit) inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos: vnum ad caput, & vnum ad pedes. Paucis verbis tota pœnitentis ratio comprehensa est. Qui enim ad pœnitentiam conuertitur, primò se peccasse dolet, & compunctus lachrymas emittit: deinde inclinat se, dum humiliatur: & in monumentum prospicit, dum antè acta mente voluens, quid mali commiserit, quid boni omiserit, conscientiã examinat, & singula quæque diligenter perpendit. Tunc autem angelos videt, cum iam constanti animo angelicæ consentit inspirationi: & vnum quidem ad caput, alterum ad pedes, quia consentiens à principio vsque ad finem perseuerare debet. Postquam autẽ perseuerauerit, restat vt videat Iesum, nõ in terra sepultum, sed iam deuicta morte in cœlo triumphantem: quem sic videre, perfecta consummatáque beatitudo est.

CHANANEA mulier non mediocris pœnitentiæ nobis exemplum reliquit. Nam & ipsa post Iesum clamauit, misericordiam eius implorauit repulsa non recessit, despecta se submisit. Quamobrem filiæ, quæ malè à dæmonio vexabatur, salutem (vt voluit) impetrauit. Ita & tu, si animã tuã diabolicis infestatam suggestionibus, dolisque subuersam liberari cupis ad pœnitentiam conuersus orando clama, de misericordia DEI ne diffidas, humiliare in conspectu eius: & si te illa statim non audierit, tu

tamen persevera. Cumulatior gratia datur, cum differtur: si tamē interim nec supplicatio cessat, nec spes deficit, nec titubat fides. Vnde huic quæ prius veluti canis contemnebatur, postremò tanquam optimè de Deo merenti dicitur: Magna est fides tua, fiat tibi sicut tu vis. hoc est, non tantum sicut postulasti: sed, si vis, etiam melius quàm postulasti.

MARCELLINVS pontifex maximus, Diocletiano & maximiano persecutoribus, tormentorum immanitate perterrefactus, dijs thura adoleuerat. Postea in Campaniam discedens, coram 80 episcopis astitit, cilicio & cinere opertus, confitens peccatum suum, ac petens pro eo ab ipsis sibi pœnam indici atque decerni. Quibus arbitrium in præsidem recipere nolentibus, ipse in se sententiam tulit. Pontificatum deposuit, corpori sepulturam denegauit, execrans eos qui ipsum non siuissent super terram putrescere ac dissolui: & confestim Romam ad martyrium est reuersus, vltrò exponens se supplicijs quæ modò expauerat. Decollati cadauer in sepultum iacuit, timentibus Christianis violare pontificis interdictum. Sed Petrus apostolus noctu apparens Marcello presbytero, illud iuxta corpus suum sepeliri iussit: dignum esse asserens, vt qui secum peccauerit, secum fleuerat, secum recumbēs honoraretur. Marul. lib. 4. cap. 10. & Fulg. lib. 1. cap. 1.

IACOBVS martyr à præfectis membrorum nodis Denodatus dictus, cùm esset fidelis, fidelibúsque ortus parentibus, atque inter regis Persarū aulicos primo loco haberetur, gentili domino gratificari cupiēs, eò prolapsus est, vt idolum adoraret. Deinde à matre per literas increpatus, culpam agnouit, animo recipuit, pœnitentiam egit, honores quibus fruebatur contempsit. Regem nihil veritus, idola eius detestatus est, & se Christianum esse palàm asseruit tam constanter, vt articulatim dilaniatus non formidaret supplicia, sed appetere videretur. Æternæ denique felicitatis bona, quibus præuaricando se indignum fecerat, diuina clementia suffragante martyrio suo redemit. Bonum est ergo (vt propheta ait) confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonū est sperare in Domino, quā sperare in principibus. Mar. lib. 2. cap. 12.

Arsenium abbatem ob frequentes lachrymas fluxis cilijs, turgidulis ocellis, suffusisq; rubore genis fuisse ferunt.

Vincentium prædicatorem ad lachrymas promptissimum extitisse legimus: sed tūc præcipuè, cū corpori & sanguini Christi cōmunicaturus esset.

FRANCISCO Minorum patri plorandi assiduitas hebetauerat visum & cùm oculis parcere moneretur, respondebat: haud esse tanti ipsos corporis sensus, vt eorum causa languescere debeat deuotæ mentis vigor, qui certè suspirijs alitur, & per lachrymas ad Deum sibi accessum parat.

Diuus HIERONYMVS, præter cæteras pœnitentiæ suæ angustias, quas ad Eustochium scribens enumerat: Quotidie, inquit, lachrymę, quotidie gemitus. Quali autem illas consolatione terminare solitus sit, declarat dicens: Post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos nonnunquā videbar agminibus interesse angelorum, & lætus gaudensq; cātabā. Post te in odorem vnguentorum tuorū curremus.

Hierosolymis Porterij principis viri seruus PHANIAS filiæ eius amore captus, quoniam potiundæ spes nulla esset, magos consuluit. Exciti maligni spiritus, eam illi vxorem fore dixerunt, si ipse se diaboli seruum ascripsisset, contempto Christo. Conditioni assentiēs, chirographum dedit, & nuptias cum ea quam adamauerat inijt. Post hæc deprehendit mulier, nihil prorsus Christiani moris inesse viro, non orare, non ad ecclesiā ire, non crucis signum facere. Denique causam curiosus ab eo sciscitans, plenè didicit: & anxia remedium quærens, Basilio episcopo rem detulit. Tunc accersitum Phaniam Basilius hortatur, vt reuerti vellet, vnde per præuaricationem recesserat: & credere, & confidere in domino. Conuersum secum domi retinuit, ac pro illo orauit, & post 40 dierum ieiunium, multásque interea sathanæ insultationes eduxit, vt purgatum reconciliaret ecclesiæ. Ibi frequenti clero plebeq; vrbis astante, voces terribiles auditæ, frementium ac lamentantium dæmonum aduersus Basilium, quasi raptorem alieni serui. Sed eo iubēte, etiā chirographum inuiti restituūt. Quo disciso apparuit deletum esse Phaniæ crimen. Ita per mulierem fidelem vir infidelis saluatus est: & qui desperauerat, episcopi opera ad spē redijt salutis. Marul. lib. 2. cap. 12.

THEOPHILVS Ciliciæ archidiaconus, ab episcopo officio motus, chirographum confecerat, quo Deum abnegare se, & diaboli subiici seruituti dixit: promittente diabolo se facturum, vt ipse in locum suum gradúmque restitueretur. Restitutus demùm animaduertit, quantum sceleris flagitiique cōmisisset, & animo conflictatus lachrymas fudit, & veniā orauit. Die quadragesimo dormienti, virgo Dei mater apparens, dimissum illi peccatum nunciauit. Somno excitatus, chirographum suum iuxta iacentem reperit. Ea re lætus, & peccatū suum, & Dei erga se misericordiam cunctis audiētibus publicè enarrauit. Die tertio vita defunctus, etiam miraculis claruit. Quòd si tanti criminis reus ad tantam beatitudinem peruenit, profectò nemo perit nisi qui pœnitere non vult: nemo condemnatur, nisi qui desperat. Marul. lib. 2. cap. 12. & Sabel. lib. 5. cap. 5. & Marul. lib. 4. cap. 10.

MVTIVS abbas cuidam iam animam agenti, Deum precatus, trium annorum spacium ad pœnitendum impetrauit, sanúmque secum ad eremum duxit. Et ille cùm triennium, peccata sua luxisset, in vigiliis, ieiunijs obsecrationibus decessit securus. Et cuius ope vitæ terminum protelauerat, eius & manibus sepultus in Domino quieuit.

PACOMIVS abbas, cùm aliquem ex fratribus inimici supplantatione in nequitiam delectum accepisset, conquiescere omnino non poterat: tandiu pro illo preces offerens Deo, donec ad pœnitentiam conuersum esse certior fieret.

PLAMON in Scythiotico monasterio spectatæ sanctitatis presbyter, angelum Domini vidit, qui monachorum nomina in codice partim scriberet, partim scripta deleret. Visa ergo monachis explicans, eos peccato obnoxios comperit, quorum nomina subduci vidit. Ac tandiu cum illis lugens veniam orauit, donec iterum apparens angelus etiam illorum nomina conscriberet, quorum antè deleuerat. Illi itaque quantum mœroris prius conceperant, tantum deinde læati sunt, cū post pœnitentiam se quoque conscriptos in cœlis, ac in libro vitæ repositos agnouissent.

ORIGENES cum sub Decio ad aram ductus, potius thus dijs dare, quàm ab Aethiope stuprum pati vellet, ab Alexandrina ecclesia excommunicatus, in Iudæam abijt. Cum Hierosolymam venisset, ab ordine sacerdotali, vt verba in ecclesia faceret, quia presbyter esset, rogatus primò deinde etiam coactus fuit. Surgens igitur, verba illa Psalmi 49. recitauit: Peccatori uero dixit Deus, Vt quid tu annuncias iustificationes meas, & vsurpas testamētum meum in ore tuo? Et statim libro complicato, in maximum eiulatum erupit, omnibus vnà cum eo plorantibus. Nec quid postea de eo factum sit, vllus meminit: nisi quod Suidas eum Tyri sepultum ait. Euseb. lib. 7. cap. 1. sub Gallo, anno Christi 255. ætatis suæ 69. in summa miseria & paupertate obijsse scribit.

D. AVGVSTINVS in iuuentute libidinosissimus fuit, 16 ætatis anno Aluit inde concubinam, quæ illum ex Africa Mediolanum vsque secuta est, eiq; filium Adeodatum peperit. Mediolani nuptias contrahens cum virgine, quia nondum viro matura erat, per biennium expectare coactus, nouam interea concubinam sibi asciuit, cùm prior indignata eius nuptijs in Africam redijsset. Tandem ad Christianam fidem conuersus, sanctissimè vixit, ita vt omnium mulierum, etiam cognatarum, commerciū fugerit, ne suspicionem aliquam hominibus præberet. Vide eius vitam.

ALIPIVS Tagasta Africæ vrbe natus, popularis & amicus summus D. Augustini, ethnicus, & qui Christi nomen dignum non ducebat quod literis præfigeret: in primis adolescentiæ annis promiscuo concubitu sese polluit, & Circensibus ludis ad insaniam vsque deditus fuit. Sed postea cū Augustino Mediolani conuersus, voluptates omnes execratus, tanto feruore castitatem amplexus est, vt Augustino quoque author fuerit, ne vxorem duceret, vt eo liberius Domino seruire possent: ille Hipponensis, Alipius verò Tagastensis episcopus factus est. Augustinus libro 6. Confessionum, cap. 12.

NATALIVS ab Asclepiodoto, & Theodoto mensario (qui discipuli fuerunt Theodoti coriarij) persuasus, denarios 150 menstruo tempore accepit, vt hæresis huius vocaretur episcopus. Illis itaque coniunctus, per visiones à Domino ad pœnitentiam vocatur. Quibus cùm negligentius attenderet, tandem ab angelo quoque flagris cæsus est. Manè ergo cum multis lachrymis, cinere & cilicio ante Zephyrinum episcopum procidens, ostensis etiam vibicibus, vix tandem ab ecclesia receptus est. Eusebius libro 5. cap. 28.

ELEVSIVS Cyzicenus episcopus Macedonianus, à Valente Imp. Ariano ad Nicomediense Concilium euocatus, illic metu exilij ab Imp. Arianis communicare coactus est. Mox Cyzicum reuersus, & pœnitentia ductus, episcopatu semetipsum abdicauit. Socrates libro 4. cap. 6. Sozomenus libro 6. cap. 8.

Briccius pœnitentiā agit pro impietate erga D. Martinum præceptorē suū commissā. Vide tit. Impietatis erga præceptores pœna.

Iohannes Chrysostomus episcopus Byzantinus, quoniam Ganiæ militiæ magistro volenti in dioecesi ipsius ecclesiam ponere Arrianorum, obnixè restitit, ab illo capitali odio petitus, Dei beneficio protectus est. GANIAS enim iræ impatiens, quibusdam ex militibus suis negocium dederat, vt domum in qua Ioannes erat, noctu aggressi incenderent: atque ipsum, si fortè flammas euasisset, ferro perimerent. Qui vbi domui appropinquassent, visis circa eam angelorum copijs, territi fugam petierunt. Iterum nocte insequenti missi, eadem visione repelluntur, & re infecta ad Ganiam redeunt. Postremò ipse Ganias ratus episcopum conducticios habere, qui sibi præsidio essent, cum validiore militum manu ad eum inuadendum profectus est: sed & ipse simili modo perterrefactus celerius abijt quàm venerat. Et quoniam putauit ciuitatem cum Ioanne stare, furore percitus perrexit in Thraciam, coegit exercitum: & reuersus deuastabat Byzantinum agrum, etiam vrbi proxima incursans. Arcadius verò Imperator molestiam hanc absque hominum cæde auertere cupiēs, cùm ad illum placandum legationem destinare vellet, Ioannem vltrò se offerentem misit. Eius aduentu Ganias consternatus, humi procidit, & ab eo quem interempturus putabatur, veniam supplex petijt: tum præda restituta amouit exercitum, maturéque recessit, tam deinde fauens Christianis, quàm antè fuerat impietati perfidiæq; Arrianæ. Marul. libro secundo, capite vndecimo.

BONIFACIVS Aglaiæ Romanæ matronæ dispensator, diu cum illa inhonestè vixerat. At sub Diocletiani persecutione ad pœnitudinem ambo conuersi, finem perniciosæ voluptati statuerunt. atq; Roma Tarsum peruenientes, cum omnia quæ secum habuerant, in eleemosynas pauperum distraxissent, illa in monasterio degens, vitæ sanctimoniam miraculis probauit, ipse martyrio coronari dignus fuit.

Monachum, qui æger de Scythiotico cœnobio ad ciuitatem curationis gratia profectus, in multo grauiorem animæ suæ morbū inciderat, castitatem vertens in libidinem, cum puero quem meretrico coitu sustulerat reuersum, ac in omnium fratrum conspectu scelus publicè confitentem, miserabiliterq; lugentem, Moyses abbas & ipse flens excepit: atq; dies aliquot cellæ carcere castigatū, in statum pristinū ordinemq; redegit: & is qui mortuus fuerat peccando, pœnitendo reuixit. Potuit quidē crimine quod occultatum erat dissimulato, absq; rubore redire: sed maluit tūc manifestè fieri & mundari, quàm postea in die iudicij multo confusibilius detegi, multóque infelicius in igne illo inextinguibili sine fine cruciari.

VICTO-

VICTORINO episcopo, dum eremum incoleret, diaboli dolis, qui se fœminam effinxerat, capto, tanto dolori fuit semel perpetratæ fornicationis crimen, vt manibus in fissuram ligni impactis, herba cruda & aqua frigida per triennium se sustentarit. Post hæc miraculis insignis, episcopatū Amiternensem suscepit, magnificéque rexit, & Neruæ persecutione martyrij triumphum reportauit. magna pœnitentis angustia, magna post pœnitentiam episcopalis dignitas: sed vtrisque maius deuicto persecutore victoriæ præmium

DAVID Ægyptius in latrociniis exercendis in Thebaide superiori circa Hermopolim ætatem consumpserat, & tandem pœnitentia ductus monachum se fecit: & de lupo in agnum versus, ita vixit, vt angelo nunciante omnia peccata sibi à Deo condonata meruerit audire. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

LANDELINVS, alias Morosus, ex prædone in confessorem Christi conuersus est, per Ausbertum Cameracensem episcopum: & postea a Martino Pont. Rom. ad prædicandum missus, anno Christi 651. Sigebertus.

MOYSES Maurus, & ipse latrocinijs Ægyptum agitauerat: sed Anachoretarum inibi vitam contemplatus, monachum se fecit, & Isidori Abbatis apud Thebaidem factus est discipulus. Pœnitendo igitur mutauit Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas. Etenim quinque & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit, sex annos cella inclusus permansit: ad multam noctem stans orabat, pane tantum & aqua sustentabatur. Deinde charitatis operi se accingens, noctu peragrabat solitariorum tuguria, hydriásque eorum aqua replebat, vt procul haustum petentibus laborem eleuaret: peracto officio tacitus redibat. Sic faciendo, qui prius homicidiis infamis fuerat, factus est sanctitate clarus: & qui quondam rapinis terram infestauerat, regnum rapuit cœlorum. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

BANONEM in Gallia, ex prædone monachum factum accepimus: & qui in syluis viatores despoliare solitus fuerat, postea in monasterio cella inclusum vixisse, manus ac pedes vinculis ferreis onerasse, hordeaceum panem cinere mixtum esitasse, carne vinóque abstinuisse: cilicium prostratum, lapidem pro puluillo habuisse. sæpe dum laudes Deo diceret, eundem lapidem humero sublatum tenuisse. Quibus corporis fatigationibus, grauissimorū quorundam criminum reus, catalogo ascribi meruit sanctorum.

Albanum furore percitum patri necem intulisse constat, & peregrinationis perpetuæ labore parricidij crimen diluisse: & cum martyrio consūptus esset, corporis eius tactu leprosos mundatos fuisse. Nemo igitur dicat: Maius est peccatum meum, quàm vt veniam merear. Nullū tam grande flagitium est, quòd non deleat pœnitudo.

IVLIANVS cognomento Hospitator, errore magis quàm furore parentes interemit. Cum enim summo mane domum reuersus, in suo vxorisque cubili dormientes offendisset, putauit vxorem esse cum adultero: & educto repentè gladio, ambos transfixit. Vxor autem, antequam ille aduenisset, ad ecclesiam perrexerat. Re tandem cognita, vbertim fleuit: vtque commissi veniam promereri posset, relicta domo prope fluminis ripam, vbi multi vado transeuntes deperibant. Xenodochium posuit: & viatores tecto accipere, & nauicula transuectare gratuitò cœpit. Postremò diuinitùs dictum sibi audiuit, quòd culpam eluisset hospitalitatis merito. Parētum ergo interfector, per pœnitentiam factus est cœli habitator.

GENEBAVDVS Laudunensis episcopus, cùm vxorem cum qua religionis causa diuortium fecerat, cognouisset, septem annos in ecclesia clausus peregit. deflens peccatum suum: atque illud tandem sibi condonatum esse, angelo nunciante didicit. Et eiusdem angeli iussu à sancto Remigio Remensi episcopo in locum suum restitutus, cautius vixit: quique ante peccatum innocentior erat, post peccatum sanctior fuit.

ANTONIVS ordinis Fratrum minorum, magnæ virtutis, vir cuidam confitenti, quòd ira cōcitatus patrem calce feriisset, calcem illam abscidi dignam dixit. Ille id pro peccato apponi ratus, domum abiens, pedem sibi amputauit. Postea reuersus, cur claudicaret, cum ab eodem rogaretur: Impleui, inquit, quod dignum indicasti. Obstupuit hominis patientiam Antonius, ac simplicitatem: qui seruandum sibi duxisset, quod increpationis causa dictum fuerat. Et pro illo Deum precatus, membrum quod mutilatum erat, restituit: atque vtroque pede ambulans abiit, qui vno venerat. Profectò qui sic doluit se patri irrogasse iniuriam, dignus fuit & pro quo oraret Antonius, & cuius misereretur Deus. Nec tamē laudamus pœnitentis factum, sed ex facto pœnitentiam pensamus: cui quod simpliciter credidit, fœliciter cessit.

EVAGRIVM presbyterum, eximiæ sanctitudinis virum, cùm eremum incoleret, nescio quod detrectationis verbum semel protulisse tradunt: & pro eo ita se castigasse, vt dies quadraginta sub diuo permanserit: nec prius tectum subierit, quàm se satis pro delicto fecisse censuisset. Rectè igitur per prophetam dicitur: Iustus cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam, vt scilicet pœnitendo resurgat, & resurgendo iusti nomen non amittat.

MAVRILIVS Andegauensis episcopus, dum expectatur donec missale sacrificium peragat, interim quem baptizaturus erat, vita defunctum comperit. Suæque id negligentiæ imputans, vsque adeò doluit, vt relicta ecclesia nauim conscendens clam effugeret. Fortè sanctuarij claues secum tulerat, quibus de manu in mare elapsis existimauit eo indicio se prorsus episcopatu indignū: atque inde iam proposuit, nunquam se in sedem suā reuersum, nisi inuentas quis ad se retulisset. Transmisso mari, veste seculari indutus, cuidam principi viro operam seruilem locauit, olitor eius factus: Septennio sic peracto à clericis inuentus & cognitus, nolebat cum illis redire propter clauium illarum casum. Ipsi ergo (quas episcopus requirebat) claues in medium proferunt (eas autem in itinere capto pisce, & exenterato inuenerant) Itaque iam manifestè Dei voluntati contradicere non ausum, cum alacritate secum reducunt, quem paulo antè earūdem clauium argumēto in mari periisse suspicati fleuerant. Maurilium igitur ex episcopo culpa seruum fecerat: sed rursum ex seruo episcopum fecit culpæ pœnitudo, & post pœnitudinem vitæ sanctimonia extulit supra cœlum. Fama est, cum reductus esset, quamprimum ad pueri illius vrnam prostratum orasse, atque ipsum à morte suscitatum baptismo perfudisse. tantā iam virtutem diuina contulerat pietas pœnitētis humiliationi.

METRONEM confessorem (cuius corpus Veronæ positum venerationi habetur) cùm pœnitentiæ laborem subiret, compede ferrea se vinxisse traditum est: & clauem qua nexus dissoluebantur, in Athesim fluuiū proiecisse, atque orasse, vt tunc illam repertam conspiceret, cùm ipse omni culpæ labe purificatus esset. Inde non post multos annos, intra capti piscis ventriculum repertam, eique restitutam. Sic illum compedem deposuisse: vitaque defunctum, viuere in cœlesti beatitudine cœpisse. Optādas pedicas, per quas à vinculis expediri licuit peccatorum: gratāterque exclamare, Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiā laudis.

ARNOLPHVS Lotharingiæ dynastes, Caroli magni imperatoris auus cùm relicto dominatu Christo in solitudine seruiret, annulum suum in fluuium Mosellam iactauerat: tunc se pro delictis Deo satisfecisse crediturus, cum ille repertus sibi redderetur. Postea Metensis episcopus electus, cum diu ecclesiam optimè rexisset, allatus est ei piscis, in cuius intestinis inuento annulo Deo gratias egit: nec tamen pœnitentiæ rigorem remisit, quinimò dimisso episcopatu eremum repetiit: & ad solitudinis angustias reuersus, diem suum obiit, nunc amplitudine fruitur paradisi. O quàm bona pœnitentis piscatio, cuius hamo suffocatur Leuiathan, & trahitur thesaurus immortalitatis. Si quis autē miretur, quomodo aquatile animal vel claues illas, vel annulum hunc deglutierit, cùm eiusmodi cibis nōn vescatur: legat in Euangelio didrachmam quoque in ore piscis inuentam, & vtrumque diuino factum nutu nihil dubitet. quippe alterum procuratum est vt haberet Petrus, quo pro se & Domino tributum solueret: alterum, quo isti se solutos à peccatis cognoscerent.

ANTONIO abbati Alexandrino in spiritu visum legimus aliquando se ab angelis in cœlum ferri: & dum ferretur, malos dæmones iter impedire conatos, obiicientes ea quæ olim ipse in seculo viuens commiserat: sed ab angelis repulsos, asserētibus ea omnia monachali professione deleta esse: nec quicquam deinde superextare, quod ab ipso perperam factum argui posset. Hoc modo ipsum sathanæ molestia liberatum cœlos ascendisse, & rursum redisse ad terram. Si sic excutiuntur tātæ perfectionis homines, qualiter quæso iudicabitur, qui nullo pœnitentię genere illa quæ iure exprobrari possunt, destruere curat, & pœnitendi tempus peccando consumit? de quo dicitur: Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur ea in superbia.

GVLIELMVS Gienæ dux (ita enim in Aquitanis vrbs nunc dicitur) cum in prima ætate sæuus esset, & multipliciter catholicam impugnaret ecclesiam, tandem vitam morésque mutauit. Nam cùm seculo renunciasset, eremiticam egit vitam: thoracémque quem olim aduersus ecclesiam induerat, super nudo indutus, macerandi corporis apud se instrumentum esse voluit: congregationem quoque religiosorum hominum, Salutis anno centesimo ac quinquagesimo quinto supra mille, instituit: qui ab eo Gulielmitæ appellati sunt. Fulg. lib. 6. cap. 9.

MAXIMVS philosophus Platonicus, Epirota vel Bizantius, præceptor Iuliani principis, vario fuit ingenio: primo siquidem Christianus, deinde desertor, postremò ad sanitatem rediit. Quapropter à Gregorio Nazianzeno in eius scriptis primò vituperatur, deinde laudatur. Volater. libro decimoseptimo Anthrop.

Apollonium abbatem ferunt cuidam fratrum suorum humilitatis māsuetudinísque virtutem suis precibus à Domino impetrasse, ita vt ille cuius rigidæ mentis asperitatem nulla mitigare castigatio poterat, postea multis patientiæ ac lenitudinis exemplum fieret. Si quando igitur vllum animi morbum industria nostra leuare non poterimus, ad precationum remedia recurramus: quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Marul. lib. 4. cap. 5.

LVDOVICVS VII. Gallorum rex, Ludouici sexti cognomento Grossi filius, cùm Heleonora ipsius coniunx inuenta esset arcta eum propinquitate contingere, quanquam secum Guiennæ ducatum, aliarumque regionum hæreditatem traheret, atque ex ea Ludouicus filias duas iam suscepisset: repudium tamen ei misit, ne aduersus catholicæ fidei leges matrimonio vteretur. Itaque eius connubio soluta Heleonora, Hērico tertio nupsit, qui tunc Normandiæ ducatum obtinebat: vnde ad Britannorū regnum conscendit, ipsiúsque Heleonoræ gratia Guiennæ ducatu Britāni potiti sunt. At Ludouicus Constantiam, Hispaniarum regis filiam, vxorem duxit. Fulgos. lib. 1. capite 1.

In tertio gradu affinitatis cùm inuentus esset Agneti coniugi suæ coniunctus ALMARICVS Hierosolymorum rex: etsi iam duos ex ea filios susceperat, ei repudium misit: atque Mariam Emanuelis Imperatoris neptem duxit, Agnete Bellini principi nupta. Ibidem.

BALDVINVS Hierosolymorum rex, Gotofredi frater, graui morbo pressus, Rogerij Siciliæ regis matrem, quam iam tertium annum iustæ vxoris loco habebat, dimisit: & primam quam habebat genere Grçcam, in coniugalem thalamum reduxit. Nam quanquam impudicitiæ suspectā, postea manifestè meretriciam agere vitam deprehendisset: tamen quia nullo Ecclesiastico ante facto iudicio à se deiecerat, maluit grata à se dimissa, eam quæ haud iniuria propter impudicitiam odio digna erat, connubio suo restituere, quàm parum diuinas leges videri coluisse. Ibidem.

ALPHONSVS Legienis in Hispania rex, æquo animo tulit, vt ab ecclesia matrimonium ipsius, primùm cū Tiresia Portugalensis regis filia:

ac deinde aliud, quòd posteà cùm Berengaria Castulonensis regis filia cõtraxerat, dirimerentur, quanquam ex vtraque filios procreasset: quoniam cum vtraque in tertio gradu affinitatis coniunctus esse arguebatur. Ibidem.

OLAVS rex Christianæ religionis obseruantissimus, cùm in die Dominico cogitationibus grauatus obambularet, ac baculum quendam fortè fortuna cultro formaret: admonitus ab astante per iocum de violatione sabbati, non leuiter in se puniuit admissum. Scindalas enim collegit omnes, manuique suæ impositas iussit incendi, vt se vlcisceretur, quòd contra diuinum præceptum incautus admisisset. Cranzius lib. 4. capite 8. Metropoleos.

Quoniam maius peccatum, maiori indiget animaduersione, MARIA Ægyptiaca prostibuli voluptatem cum eremi asperitatibus commutauit: & Deum quæ carnis castigatione placauit, 40 annos in deserto vixit: quia fortasse tantundem temporis in obscœnitatibus vitę consumpserat. Antea se ornauerat, vt hominibus placeret: tunc nuda incessit, vt placeret Deo. Antea lasciuis cantibus, & delicatis epulis indulserat: tunc assiduis precationibus quotidianisque se fatigauit ieiunijs. Hoc itaque 40 annorum labore ad æternæ quietis peruenit fœlicitatem: tantúmque boni percepit pro pœnitentia, quantum perceptura erat mali pro obstinatione, si pœnitere noluisset. In ea impletum est illud per Hieremiam dictum: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Marul. ibid. & lib. 2. cap. 12. & Fulg. lib. 6. cap. 9.

Maria ABRAHAMI eremitæ ex fratre neptis, virginitatis seruandæ voto ipsum ad desertum secuta, eodem cum illo contubernio annos septem vbi, piè sanctéque vixerat, clausis semper ianuis, nusquam inde discedẽs. Sed quid tam clausum, quò diaboli non penetret insidia? Iam vigesimum ætatis agebat annum, cùm inimici dolis suggestionibúsque subuersa, iuueni cuidam eò venitanti consentiens, in turpis luxuriæ foueam corruit. Sceleris conscia, veniam desperauit: solitudinem reliquit, proximam ingressa ciuitatem, pristinas virtutes vitiis ęquauit: permisit libidini fræna, & quæ diu virginitatem accuratissimè seruauerat, prostibuli obruta est spurcitiis. Postquam verò ab ipso ABRAHAM sene, vehementer de eius perditione solicito, diu quæsita, & tandem inuenta, illo hortante ad montem rediit: sanctitatis meritum quod peccãdo amiserat, pœnitendo recuperauit. Sic perdita ouis boni pastoris humeris reportata, lupi fauces effugit. Et electo tandem Dominico gregi meruit computari. Nunquam in Deo vana spes pœnitentis fuit. Marul. lib. 2. cap. 12.

PELAGIA mima, quæ cunctas Antiochiæ fœminas diuitiis, luxuria, libidine superauerat, Nonij Heliopoleos episcopi prædicatione conuersa fleuit, peccata confiteri cœpit: & non Pelagiam se, sed pelagus omnium vitiorum vocitandam esse dixit. Denique seruos suos & ancillas manumisit, opes pauperibus distribuit: & relictis omnibus in monte Oliueti solitaria consedit, sexum veste nominéque occultans, dicta atque credita Pelagius monachus. Tantum itaque vitæ austeritate profecit, quantum antè effluxerat deliciis. Sic pœnas effugit inferni, & gaudia cõparauit paradisi: summúmque bonum summi mali declinatione inuenit, inuento sine fine fruitura. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Sab. lib. 5. cap. 5. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

THAIS Alexandrina, Pannucij abbatis industria atque exhortatione ad pœnitentiam conuersa, omnia quæ sibi meretricio quæstu parauerat, in foro congesta populo spectante combussit: eiusdémque abbatis consilio fœminarum monasterio ingressa, cella se inclusit, lugens peccatum suum, pane tantùm & aqua vitam sustentans, ipsúmque Dei nomen proferre non ausa, orabat dicens: Qui plasmasti me, miserere mei. In tali labore triennio exacto, Paulus Antonij discipulus in quiete vidit supra cœlum positum cubile auro gemmisque refulgens, arte ineffabili ac decore cõstructum: & cum rogasset, an illud Antonio esset paratum? accepit, non Antonio, sed Thaidi meretrici. Educta ergo de cellę carcere, quintodecimo die migrauit ad Dominum, & cœlestem thalamum fœliciter possedit, quia terrenum & impudicum aliquando possedisse dolenter tulit. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Sab. lib. 5. cap. 5.

THEODORA commissi adulterij conscia, virum reliquit, & inter monachos latuit Theodorus dicta, vbi multa diaboli tentamẽta vicit: & hoc postremò, quòd cùm insimularetur fœminam quandam de se grauidam p eperisse, patienti animo tulit: puerum educauit vt suum: annos septem ante monasterij fores permansit, veluti stupri rea. Recepta deinde cum puero cella se occlusit, atque ipsam viã perfectionis impensè docuit. Biennio pòst vita defungitur, & à Deo honoratur, quam homines infamauerant: fœminam autem fuisse, antequam decessisse sciretur, abbas reuelatione cognouit. Vidit enim nuptiarum pompam in cœlo parati, ipsamq; ab angelis in sponsi cubiculum ingenti cum exultatione induci, tripudiãte sanctorum choro, Deóque laudes concinente. O inæstimabile diuinæ largitatis donum pœnitentia, per quam meretricibus etiam, & adulteris, datur ad sanctarum virginum gloriam peruenire. Marul. lib. 4. cap. 10.

AVREA virgo Parisiensis monasterij præposita, quonia m inter missæ solennia diacono Euangelium ineptè admodum legenti stolam eripiens, ipsa sibi apponere, & eius officio defungi ausa fuerat, semet arrogantiæ accusans dignitatem deposuit, annósque septem à cella sua non discessit. Ibi etiam sedile sibi faciendum curauerat, cuius pars quæ humero tenus considentem hemicyclo amplexabatur, in summo clauorum cuspidibus ad psalmorum numerum dispositis horrescebat. In ea sedili illa cùm psallere vellet, sese collocabat: & dextra lateri innixa quinquaginta Psalmos perlegebat, sinistro totidem, & totidem in tergo resupinata pungentibus quaque versum ferreis aculeis. Dum ergo paulo insolentioris facti eam pœniteret, sponte passa est præsidentiæ depositionem, cellæ carcerem, legendi laborem, sedendi dolorem: ad hæc quotidiana ieiunia, noctésque peruigiles. Hinc saltem discant ij qui alijs præsunt, quali pœnitentia expiari debeant, si deliquerint. Quia multum quidem imputandum est illi etiam cum leuiter peccat, à quo reliqui viuendi exempla petunt. Marul. libro 4. capite decimo.

Ad concilium Constantiense Cardinales duo, magnifica pompa, pro more, vehebantur. Dum iter facerent, pastorem vident stantem, & flumen lachrymarum profundẽtem. Accedit alter, & causam rogat. Post longa suspiria tãdem in hæc verba prorupit pastor: Vides ne domine, fœdum illum buffonem in proximo? Hoc ipsum deploro, quòd Deus me ad imaginem & similitudinem suam creauerit, & forma & ratione longe excellentiorem misero illo buffone: ego verò ingratus adeò & impius, nunquã adhuc Deo & creatori meo pro tanto munere gratias egerim. Mouit ea res Cardinalem, ita quidem vt à mula, qua gestabatur, decideret, & portò coram patribus in synodo exclamaret: O diue Augustine, quàm verè à te dictum est, Indocti prodeunt, & cœlum præ nobis auferunt? nos verò cũ scientia nostra in carne & sanguine obambulamus, de nostra salute nimiũ securi. Testis Lutherus Tomo 5. super Magnificat.

RELIGIOSA ETHNICA.

VLYSSES cædem procorum igne & sulphure (quo præcipuè vsi sunt in expiationib9 veteres) purgari & expiari iussit. Homerus lib. 21. Odyssę.

ORESTES aqua, quæ septem fluminibus confundebatur, ablutus dimisit furorem. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26.

TROEZENII vt à materna cæde Orestẽ expiarent, ex Hippocrene aquam adhibuerunt. Ibidem.

PYTHAGORAS populum Crotonem inhabitantem, sua passim sanctitate & vitæ abstinentia mulieres eò adduxit, vt auratas vestes: ornamentáque lasciuiora in templo Iunonis consecrarent. Volater. libro 18. Anthrop.

FVGERE IMPIORVM QVALECVNQVE CONSORTIVM, VITAE SIMVL *& religionis.* PROFANOS *à religione excludere & arcere.* MYSTERIA *abscondere.*

Exempla pete quædam ex tit. Reprehendere impios. Item, Punire impios, maléque de religione sentientes.

Noluit IACOB ambulare cum malo fratre, licet placasset eũ muneribus, & ille satis instaret, & signa dilectionis ostenderet. Gen. 33.

Dixit MOYSES ad turbam filiorum Israel. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. Num. 16.

Dixit Dominus Moysi: Præcipe Filijs Israel, vt intrantes terram Chanaan, disperdant cunctos habitatores regionis illius. Si autem nolueritis interficere, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus. Gen. 33.

Dominus noster petenti discipulo, vt abiens parentaret patri, non permisit: ne infidelium cognatorum, quos affore funeri necesse erat, consortio macularetur: Sine, inquit, mortui sepeliant mortuos suos, tu me sequere. Quia scilicet ego vita sum, mecum viue: & dimitte mortuos, ne fortè & ipse simul moriaris. Marul. lib. 5. cap 7.

Cum eiusmodi hominibus ne cõmunicandum quidem, duorum exemplo docebimus, IOANNIS apostoli, & discipuli eius Polycarpi. Ioannem Eusebius Ecclesiasticæ historiæ scriptor tradit, dum Ephesi moram traheret, balnea ingressum, viso ibi Cerintho hæretico, statim retulisse pedem, & ad suos conuersum dixisse: Fugiamus hinc, ne balnea nos ruina opprimant, in quibus Cerinthus lauat, veritatis inimicus. Marulus libro secundo, cap. 11.

POLYCARPVS Marcioni aliquando obuiam factus: quærenti an se agnosceret? Agnosco, inquit, primogenitum sathanæ. Atque auersus ab eo pertransijt Marul. lib. 2. cap. 11.

PAVLVS apostolus ad Titum scribens, monet ac dicit, Hęreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est: & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Et ipse Ioannes epistola secunda: si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Et in Apocalypsi, Angelus, id est episcopus Pergami ecclesiæ arguitur, non quòd fidẽ negarit (fidelis enim erat) sed quòd prope se habeat tenentes doctrinam Balaam, doctrinam Nicolaitarum. Quòd si cohabitare cum illis crimini est datum, quanto grauius peccant, qui familiaritate & consuetudine cõrũ vtuntur? Facessant igitur à nobis in vestimentis ouium lupi rapaces, Dominico semper insidiantes gregi. Recedant spinæ & tribuli, de quibus nec ficus nec vua colligi possunt. Procul absit hæreticæ insaniæ fermentum, ne purissima orthodoxæ fidei massa corrumpatur. Caueantur vulpium foueæ, & volucrum nidi, in quibus Christus non habet vbi reclinet caput suum. Quos & Apostolus cauendos rursum præcipit dicẽs: Obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Ibidem.

Martyres

Martyres CAIVS & Alexander, cum capite damnati, ad suppliciũ vnà cum Marcionistis quidam Christiani ducerentur, muneris ingentis loco à carnificibus petierunt, vt separatim à Marcionistis occiderentur, ne eorum sanguis cum iis misceretur, qui parum rectè de catholica fide putabantur sentire. Fulg. lib. 1. cap. 1.

HILARION in monachum quendam, qui fructus hortuli auarè custodiebat, & aliquantulum etiam numorum habebat, à consuetudine sua repulit. Vide. tit. Paupertatis religiosæ.

ANTONIVM abbatem Alexandrinum dicere solitum ferunt, Non expedire Christi seruis, eorũ qui seculo seruiunt domos frequentare, aut consuetudine vti. Sicuti enim pisces de aqua eductos continuò languescere & emori solere: ita monachum extra cœnobij septa vagantem, sic quicquam confabulationi vacauerit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, & circa spiritalia exercenda effici tardiorem. Hinc sanè est, quod pleriq; cum feris bestiis in solitudine viuere sibi satius duxerunt, ne in cœtu hominum mentem, quam in sola Dei contemplatione fixam & locatam habere vellent, diuersis cogitationibus diffundere atque distrahere cogerentur. Ob hoc sanè Arsenius, cur tantopere accessum hominum denitaret, cum interrogaretur: non posse se cum Deo simul & hominibus esse aiebat. Capiton itidẽ rogatus respondit: vereri se, ne ex hoc imbecillior ad sustinẽdos inimici impetus redderetur, quo cũ adhuc sibi superesse certamen sciret: alterũ ergo contẽplandi amor, alterũ peccandi timor ab humano submouerat consortio, nunc vterque consortio fruitur angelorum.

PAVLVS primus inter Christianos eremi cultor annos septem & nonaginta, Onophrius septuaginta, hominibus inuisi, incogniti que fuére. At postremo ne incogniti essent, tunc visi sunt, cùm de solitudine terrena ad celebritatem cœlestem transferendi erant: Domino nobis prospiciente, vt eorum exemplo ad virtutes capessendas, viamque perfectionis confidenter aggrediendam magis accenderemur. Marulus libro tertio, cap. septimo.

BABYLAS episcopus Antiochiæ duodecimus Imperatorem Deciũ ad Antiochenam ecclesiam venientem repulit: quia perfidè hostes quosdam præter datum iusiurandum interfici curarat, & puerum regium obsidem crudeliter mactarat. Imperator ergo id indigne ferens, Babylam vinciri & interfici curauit. Chrysostomus, & Eusebius libro sexto Eccles. histor.

ORIGENES martyrium passo patre Leonide, cum quinque fratribus orphanus relictus à diuite quadam fœmina Alexandrina propter indolem præclaram alebatur. Habebat illa domi suæ Paulum quendam Antiochenum hæreticum, adoptatum in pueritia, ad quem quotidie magnus hæreticorum numerus confluebat. Origenes cùm iam inter veram & falsam religionem distinguere posset, cum Paulo nec colloqui, nec vllum ei honorem exibere voluit, execratus eius tum doctrinã, tum societatẽ. Euseb. lib. 6. cap. 19.

Constantinopoli cùm Eusebius Nicomediensis episcopus Arium per vim in ecclesiam introducere niteretur, Alexander episcopus Constantinopolitanus orthodoxus, comite Macario presbytero ardentissimis precibus & lachrymis Deum per noctem rogauit, vt si committere Deus vellet, vt Arius deinceps in communione ecclesiæ esset, dimitteret se seruũ suum, nec pium vna cum impio perderet. Sin parcere vellet ecclesiæ suæ, respiceret insolentiam Eusebij, neque daret in discrimen sortem suam: tolleret Arium, ne eo recepto hæresis simul videretur recipi. Postera die Arius comitatus turba Eusebianorum, in templum introire cupiens, vrgente vindicta diuina ad cloacam secessit, & ibi intestina cum stercore egessit. Theod. lib. 1. cap. 14.

MAXIMVS confessor episcopus Hierosolymitanus, in synodo Tyti congregata ab Arianis, per simplicitatem Athanasij quoque condemnationi subscripsit, cùm eius causam non satis cognouisset. Id cùm Paphnutius, qui tum & ipse synodo intererat, conspexisset, in medium consessum prodiens, Maximum (cum quo olim sub Maximino, ad metella damnatus fuerat) comprehendit & è malignantium concilio abduxit, atque Athanasij innocentiam ei exposuit. Ruffinus lib. 1. cap. 17. Sozomenus lib. 2. cap. 20.

D. HIERONYMVS dum in eremo inter Syros & Agarenos sacris literis operam dat, iuxtà tamen Ethnicorum quoque libros ardenter euoluit, periculosa febre correptus, visus sibi est ad tribunal quoddam rapi: & ibi quis esset interrogatus, cùm se Christianum esse respondisset, obiurgatum fuisse, quod Ciceronianus potius quàm Christianus videretur: & flagellis cæsum, interposito iureiurando, ne posthac Ethnicorum libros legeret. Hoc somnium verum esse simulat in Episto. ad Eustochium, de custodia virginitatis, vt ab immodico profanorum librorum studio virginẽ deterreat: vibices quoque se vigilantem percepisse asserens. At in Apologia contra Ruffinum, somnium, & noctis ludibrium id fuisse, apertè dicit. Theod. Gaza eum immeritò vapulasse scribit, neque enim satis Ciceronianum fuisse.

ANTIOCHVS nepos Eusebij, Samosateni episcopi celeberrimi, ex fratre, cùm post patrui mortem ei in episcopatu à synodo substitueretur, impositionem manuum episcoporum pertulit. Iolam Zouiani Pergensis ecclesię episcopi manum respuit, quòd negaret se eam manum ferre posse, quæ aliquando impietati Arianæ contra orthodoxam Nicænam fidem subscripsisset: quasi etiam post pœnitentiam blasphemiæ huius cicatrices quædam apparerent. Theodoretus libro quarto capite decimoquinto.

ASTERIVS Arabs, sub Athanasio, episcopus Petræ Arabum, cum Macario Palæstino episcopo EusebianumArianorum factionem adeò detestatus est, vt cùm in eius factionis aliquem in itinere ad Sardicensem synodum incidissent, à via deflexerint, ne quid casu etiam cũ illis commune habere viderentur. Athanasius tomo duodecimo, ad Antiochenses.

HABETDEVM episcopus Tamallumensis in Africa, in exilium ab Honorio Vandalorum rege Ariano actus, ab Antonio episcopo Ariano vinctus, & ore obturato anabaptismi vndis aspersus est, quod eum hac ratione vel nolentem impietati Arianæ assentiri cogere vellet. Sed constanter solutus restitit Haberdeum: neque se vllo modo violento baptismo assensisse testatus, Carthaginem profectus, Honorio scriptum suæ fidei obtulit acerrimum, & in solitudinem exulatum rediit. Victor libro 3. de persecutione Vandalica.

EXEMPLA ETHNICA.

PYTHIA Archilochi interfectorem templi aditu prohibet. Vide tit. Oraculorum.

NVMA Pompilius moriens duas arcas lapideas sub Ianiculo poni curauit, in quarum altera corpus illius, in altera verò sacrorum libros reponi voluit. Nam cùm mysteria sacrorum sacerdotes edocuisset, secum sepeliri libros eos iussit, ne profano vulgo innotescerent aliquando. Cùm autem post 400. annos vi imbrium sepulchrum Numæ detectum esset, P. Corn. & M. Bebio Coss. prætor Petilius libros eos perlegit: cumque nefas esse duceret populo eas res quæ illic continerentur innotescere, in comitium allati sunt, & authoritate Senatus combusti. Plut. in vita Numæ.

Pythagoræi nihil scriptis mandarunt, ne arcana profano vulgo communicarentur. Itaque acroamatica tantùm doctrina illorum fuit. Plut. in vita Numæ.

IMPROBORVM CONVERSATIONEM NON FVGERE.

Cogimur interdum malis & improbis conuersari, interdum spontè illorum conuersationem expetimus. Priore quidem modo necessitate compulsi illos sustinemus, ita tamen, ne in aliquam impietatem incidamus. Posteriore verò, illos vel verbo vel factis ad sanitatem reducere conamur: cuius loci exempla plurima ex tit. Conuertere improbos, & ex tit. Pœnitentiæ religiosæ peti possunt. Nisi medicus inter ægrotos versetur, nunquã finem suum assequetur. Nisi miles cum hoste congrediatur, nũquam fortitudinis suæ præmium victoriam obtinebit. Opus est hic tamen Christiana prudentia, quæ impietatis crimen simul, & inhumanitatis euitare doceat. Multi enim plus satis superstitiosi in fugiendo idololatrarum consortio, & charitatis fraternæ penitus obliuiscuntur, & superbè nimis de aliena salute desperant, se solos (si diis placet) electum Dei populum & cœlestis Hierosolymæ ciues esse falsò credentes. Exempla ex Hanapo collegimus.

Quamuis scriptum sit, Omnis caro corruperat viam suam: tamen dixit Dominus ad NOE, Te vidi iustum coram me in generatione hac. Gen. 6. 7.

LOTH iustus habitauit in medio Sodomorum. Gen. 13. 19.

Apparuit Dominus MOYSI in terra Madian, cum oues soceri sui Iethro pasceret in deserto. Exod. 1.

SAMVEL inter filios Heli pessimos, sanctus & innocens fuit. primo Reg. 2.

Sub Achab & Iezabel, ELIAS omnes se solo excepto, reputabat idololatras, sed dixit ei per responsum Dominus: Supersunt mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal. De quo etiam ad Romanos vndecimo. An nescitis, &cæt. tertio Reg. decimonono.

TOBIAS natus fuit ex tribu Neptalim sub regno Samariæ, in quo ferè omnes putabantur idololatria & vitiis diuersis infecti. Vnde iste in captiuitate positus, viam veritatis non deseruit. Tob. 1.

Cuncti serui regis Assueri, qui in foribus palatij versabantur, flectebãt genua, & adorabant Aman superbissimum. solus Mardochæus non flectebat genua. Esther 3. & 5.

Sanctus IOB gentilis fuit, & de Esau dicitur descendisse: quem tamen constat fide & moribus mirabiliter claruisse, qui de seipso dicebat: Frater fuit draconum, & socius struthionum. habitauit enim inter gentes. Iob. primo, & 30.

HIEREMIAS propheta erat cum populis qui remanserant in Iudæa post destructionem Ierusalem, qui pro ipsis orabat, & ipsis voluntatem Domini monstrabat. Illi verò dicebant: Mendacium tu loqueris, nõ

re misit Dominus, sed Baruch incitat te aduersus nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum: Hierem. 43.

Dixit Dominus Ezechieli: tu Fili hominis, ne timeas eos, quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Ezech. 2.

DANIEL, Ananias, Azarias, Mizael, habitauerunt cum Chaldæis idololatris, qui eos ad idololatriam inducere, & à cultu veri Dei retrahere laborauerunt. Danielis 3. 6. & 14.

SVSANNA fuit castissima in Babylone, vbi senes presbyteri erant impudici, & iudices iniqui. Dan. 13.

Tempore Antiochi Epiphanis multi Iudæi erant, ad ritum gentium translati: sed inuenti sunt Matathias, & filij eius, in lege Dei valde stabiles & firmi. 1. Mac. 1. 3.

Commendans DOMINVS fidem & deuotionem Centurionis habitãtis Capharnaum, dixit, quòd non inuenerat tantam fidẽ in Israel. Matthæi 8.

NICODEMVS princeps Iudæorum, venit ad Iesum nocte, & plenè confessus est: Rabi, scimus quia à Deo venisti magister. Ioan. 3. Postea crucifixo Domino, venit ad sepeliendum eum, portans centum libras vnguẽti preciosi. Ioan. 19.

IOSEPH nobilis decurio ab Arimathia, discipulus erat Iesu: occultus autem, propter metum Iudæorum, deposito tamen metu, audacter intrauit ad Pilatum, & deuotam petitionem fecit, petens corpus Iesu ab inde uoto tyranno. Mar. 15.

GAMALIEL pharisæus, dedit bonum consilium pro Apostolis, principibus sacerdotum. Act. 5.

Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas plebi, & deprecans Dominum semper. Act. 10.

Philippenses commendat Apostolus, dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ, lucetis sicut luminaria in mundo. Philip. 2.

AD VERAM RELIGIONEM IMPIOS, IDOLOlatras, hæreticos conuertere.

Consule tit. Charitatis erga proximum fraternæ.

Legimus, PETRO Hierosolymis primùm verba ad populum faciente, die vno tria hominum millia baptizata fuisse, indies quoque credentium creuisse numerum. Sed & alio deinde die quinque millia superioribus addita. Cùm autem Petrus gentiles quoque Domini iugo subiiciendos per visum cognouisset, Cornelium centurionem, & qui domi cum illo erant, credentes baptizauit. Qui ergo paulò antè vna tantum atque altera prædicatione tam multos conuerterat, idem etiam paucos non contempsit: ita vt neque itineris laborem ab Ioppe Cæsaream vsque euocatus recusaret. Illi igitur qui in magna etiam auditorum frequentia, non suam gloriam, sed alienũ profectum quærunt, tunc quoque cùm rariores conuenerint, docere non erubescunt. Marul. lib. 3. cap. 4. ex actis.

Conuocantes duodecim APOSTOLI multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mẽsis. Illæ autem mensæ erant pauperum viduarum. Per quod datur intelligi, quòd opus prædicationis verbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis. Act. 6.

PETRVS & PAVLVS postremò Romæ ad martyrium vsque prędicando perseuerarunt. Reliqui etiam apostoli dimissa Iudæa, in diuersas prouincias, idolorum cultores ad religionem Christi conuersuri disperguntur. Andreas Achaiam, Philippus Scythiam, Bartholomæus Lycaoniam, Iacobus Zebedæi Hispaniam, Ioannes Ephesum: Thomas Parthiam, Hyrcaniam & Indiam: Matthæus Macedoniam & Aethiopiam, Iacobus Alphæi Hierosolymam: Iudas Thaddæus Mediam, Mesopotamiam, Pontum, & cum Simone fratre Persidem, in sortẽ prædicationis accẽpere: nulli labori parcentes, nullũ vitę discrimen deuitantes, dum cõmuni omnium saluti consultum volunt. Neque tyrãnorum minis, neque suppliciis deterriti sunt, ne Christi nomen vbique circumferrent. Sic in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sic habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Meritò igitur illi sedebunt super thronos cum Christo iudicantes, qui nunquam conquieuerunt Christum annunciantes. Marul. lib. 3. cap. 4.

Maxentius imperator, cum esset Alexandriæ, & Christianos ad sacrificandum diis cogeret, CATHARINAM virginem, ne eximium formæ eius decorem sæuiendo deformaret, à fide Christi philosophorum suasionibus auerti cupiebat. Igitur ex omnibus prouinciæ oppidis quinquaginta SAPIENTISSIMOS deligi curauit, qui illam respondere paratam impugnarent. Ferunt ita tunc locutam, vt omnium animos in stuporem versos, tandem ad crudelitatem induxerit. Immanissimus tyrannus credentium ceruicibus cum gladio imminebat: illi verò maluerunt iugulum præbere ferienti, quàm cognitæ iam & perceptæ contradicere veritati: ea & certissima & saluberrima esse, quæ à virgine didicerãt, affirmantes. Vna ergo ancilla Christi illos disputando vicit, quos tota Platonis Academia vincere non potuisset. Marul. lib. 2. cap. 10.

SYLVESTER põtifex, primus Romanum imperium Christo subdidit, Constantino Cæsare in fidem recepto. Constantini verò mater Helena cùm esset in Bithynia, vt conuersionem filij audiuit, eidem scripsit: se quidem gaudere, quòd idola vana reliquerit: sed molestè ferre, quòd hominem crucifixum adorare maluerit, quàm Deum Iudæorum. Postremò cùm vtra eorum vera esset opinio, disceptatione dirimi placuisset, Helena Romam rediens, pharisæorum scribas in lege peritos secum aduexit, ex his duodecim præstãtissimos delegit vni Syluestro aduersaturos. Causæ cognitio alienæ sectæ viris defertur, ne iudicium suspectum foret, id est gẽtilibus philosophis, Cratoni, Zenophilóque. Quibus tandem Syluestri rationes approbantibus, ventum est ad experiẽtiam miraculorum. Iudæus Zambri magicis incantationibus taurum ferocissimum repentè corrui mortuum fecit: sed eundem Syluester Christum suum precatus, & viuum & mansuetum reddidit: quod ille efficere nequibat, vtpote mortis non vitæ scientiam tenens. Omnes, ergo se victos fatentes, ipsi Syluestro consensere, & Iesum, quem modò calumniati fuerant, sanctè colere atque adorare cœperunt. Impletum est illud Esaiæ vaticinium, dicentis: Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum qui detrahebant tibi. Constantinus prẹterea Christiano nomini tẽpla posuit, dona contulit, vrbem, oppida, agros cessit. Quod idẽ propheta prẹuiderat futurũ, sic olim ad nostrã hanc nouã Hierusalẽ loquens: ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Et iterum: Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Tunc primũ quidem Romanæ ipsi ecclesiæ iugum vltro suscepit: multo fœlicius iam Christo seruiens, quàm quõdam orbi terrarum imperitans. Marul. lib. secundo cap. septimo.

BASILIVS magnus, eo quidem maior, quòd iam desperatæ pertinaciæ virum, euidentissimi tandem experimenti argumento ad credulitatem egit. Cùm enim morbo grauiter affectum Ioseph Iudæus medicus adiens, deprehensis mortis signis, cum vesperi illius diei decessurũ dixisset: Quid, inquit, si & alterum diem superuixero? Se ille tunc Christianũ fore, cùm id contigisset, respondit. Igitur Basilius non vitæ suæ in terris producendæ, sed salutis proximi cupidus, orando à Domino impetrauit exitus dilationem. Manéque hora tertia sanus de lectulo consurgens, ad ecclesiam venit, ac Iudæum tanto miraculo stupentem baptizauit quem sæpe antehac testimoniis conuictum Scripturarum flectere nequiuerat, fidei tandem virtute molliuit. Mox deinde ad stratum suum rediens, extemplo expirauit. Ita vt dubium non sit, quin hora illa, qua prædictum erat, fuerit moriturus, nisi mortis suæ mora vitam medico fuisset allatura. Idem.

Inter Apostolicos viros AMBROSIVS episcopus, eruditione, ingenio ac diligentia in prædicando ita prẹstitit, vt facilè persuasum sit, nõ commentum fuisse, quod de illo quondam iactatum constat: ob os scilicet eius in cunis iacentis volitasse apum examen, stridulo tinnitu eloquij futuri suauitatem portendens. Hic Aurelium Augustinum Manichæa hæresi tabescentem, suis prædicationibus purgauit, sanumque reddidit. Qui iam Catholicæ fidei disciplinæ eruditus, omnium tandem hæreticorum dogmata certissimis destruxit argumentis, nostráque confirmauit, obscura quæque in Scripturis declarauit, & ab iis quæ dubia erant ambiguitatem sustulit. Religiosis viuendi præcepta dedit: nemo in differendo acutius vidit, melius explicauit. Quid multa? vnum tunc hominem conuertit Ambrosius, sed in vno homine totum penè terrarum orbem doctrinæ illius radiis illustrandum recepit. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Marulus libro tertio capite quarto.

Abbatem ANTONIVM aliquando ad hæreticos conuincendos, relicta solitudine Alexandriam venisse legimus. Intermisit ergo eremi quietem, dum ad bellum egreditur: cõtra illos pugnaturus, à quibus catholicæ fidei murus quatiebatur. Accesserunt quidam philosophi, quasi rusticano homini & literaturæ ignaro illusuri. Verùm vbi loquentem audissent, demirati verborum vim, sententiarúmque grauitatem, veritati ab eo prædicatæ adhæserũt: & cuius corporis habitũ paulò antè subsannaturi erãt, eius scientiam amplexi sunt, Christo credentes. Nesciebant vtique sub terra latẽre aurum, & interdum sub vili panno habitare sapientiam. Ibidem.

PATRICIVS episcopus in partibus prouinciæ Scotiæ, Christi fidẽ euangelizasse primus dicitur. Qui cùm per Hyberniam iter faceret, & se prædicationibus nihil proficere videret, Deum precatus est, vt ostento aliquo hominum illorum duriciem commolliret, quo ab erroribus iam tandem resipiscerent, & ad religionem veram conuerterẽtur. Diuinitus admonitus, humi circulum designauit: atque inibi terra penitus subsidẽte, hiatus ingens apparuit, magnúmque omnib. incussit terrorem, ne in profundum acti pœnas iam incredulitatis darẽt. Hunc hiatum adhuc extare ferũt, & occulto quodam sinuosoq; meatu ad nescio quæ purgatorij loca deducere. Ibidem.

AVGVSTINVS Anglorum episcopus, à Gregorio pontifice (vt Beda tradit) in Britanniam missus, cùm Iesum Dei filium asseruisset, Ethelbertum regem, magnámque procerum eius partem credentes baptizauit. Cẹterùm multis adhuc religioni refragantibus, cum idolorũ pontificibus contendit. Qui quoniam satis firmam rationem, qua causam tueri posset, non habebant, miraculis certare decernunt: atque oculis captum, quendã in medium producunt, nescientes minus veri se videre, quàm ille lucis. Pro eo vt visum recideret, supplicarunt diis: quasi verò lapides preces possent audire, & non etiam ipsi cæci insuper & surdi & muti essent. Cùm ergo cura laborque eorum omnis incassum recidisset, Augustinus Christum suum deprecatus, sine cunctatione hominem sanum reddidit, & reliquam plebem eo signo conuertit, Britanniam totam eripiens diabolo, & subiiciens Christo. Tunc terra illa inculta (iuxta Ezechielem) facta vt hortus voluptatis, iam exuberans fructibus salutis. Marul. libro secundo, cap. 8.

Pij fletus quanta vis sit, MONICA Augustini mater testatur. Cui pro filio Manichæa hæresi implicato, multum lugenti atque oranti diuinitus dictum est, Vbi ipsa, ibi & illum futurum. Ab episcopo etiam, quem vt pro illo oraret cum fletu rogauerat, audiuit, Fieri non posse vt tantarũ lachrymarum filius periret. Qui tãdem Ambrosij episcopi prædicatione conuersus, non solum errorem omnem abiecit: sed etiam errantibus viã veritatis monstrauit, obscura quæque declarando dubia edisserendo, certa confirmando, praua falsáque omnia plenissimè confutando. Tantum profecit matris pro filio lugentis assidua solicitudo. Ibidem: & Fulgos. lib. 6. cap. 9. & Egnat. lib. 6. cap. 8.

Magna est Cyrilli gloria, Bulgaris ad Christi cultum miraculis & prędicatione tractis. Sed & Sclaui, gens Scythyca, cuius olim latè opes patuẽre, victi acie à Seurophilo Croatarum rege, fidem Christianam eius opera sunt amplexi. Hanc fidem antea Chrobati Constantij Thessalonicensis admonitu receperant: missóque eodem Constantio ad Stephanum pont. legato, regnum ipsum prouidus pontifex optimis institutis & legibus ordinauit, quod genti florens ad Belæ regis Vngarorum tempora firmissimum stetit. Eug. lib. 5. cap.

CÆSAREA Persarum regina, seu Parthorum, ad Constantium (alij Constantem malunt) vtcunque Heraclij nepotem, clàm marito Constantinopolim veniens, baptismi lauacro est admota: nec prius inde profecta quàm maritum in sententiam suam traxit. Ille enim pacato agmine cum quadraginta Persarum millibus ad vxorem veniens, cum omni comitatu sacris vndis admotus est. Nomen reginæ Cæsaræ faciunt qui hæc scribũt. Digna profectò fœmina, cuius nomen & virtutem nulla vnquã obscuret oblinio. Ibid.

Prædicatorem collegij vir nominatissimus TINCENTIVS, tantum prædicatione valuit, vt in Hispania quinque millia Iudæorum ad Christum dicatur conuertisse, in Mauritania octo millia Saracenorum in vrbe quoque Granata docuit infideles, donec à rege eiectus ad suos rediit inuitus. Italiam etiam, Galliámque prędicando peragrauit: nec labore victus, nec periculo deterritus, dum ad æternæ salutis beatitudinem adipiscendam omnes inuitat. Illud in Psalmo prophetæ promissum implens: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Marulus libro tertio, cap. 4.

GREGORIVS pont. primus gentis Longobardicæ prœliis & incursionibus assiduè vexatus, quæ Italiam ferè omnem genti quadam immanitate lacerabat, Theodelindæ reginæ opera, Bauarici sanguinis, & Christianæ pietatis obseruatissimæ fœminæ, quæ ad Agilulpho Longobardorum regi nupserat, tantum præstitit, vt præferocem in primis regem abiurare perfidiam traditam a maioribus coegerit: inde totam gentem à malorum dæmonum cultu, detestandáque hæresi vendicarit. Restituit inde omnia rex Agilulphus, quæ Longobardi prius diuorum templis ademerant, additis insuper donariis. Egnat. lib. 2. cap. 2.

Idem Pontifex, cùm hoc genere præcipuè laudis, tum singulari pietate & eruditione, ne per omnes orbis partes de fide non optimè mereretur, Visigothis, qui Hispaniam tenebant, author fuisse creditur, vt abdicata Arriana hæresi orthodoxam fidem amplecterentur. Hoc studium, hæc veterum Põt. pietas extabat: vt quantum nostra tempora ab hac pietate diuersa abierint, facilè quiuis existimet. Ibid.

EVGENIVS II. Quiritij vir sanguinis, Germanos, & eos in primis qui Rheni ripas incolerent, à dæmonum cultu auertit, misso eò ex vrbe Bonifacio viro sanctissimo atque eloquentissimo. Is verò tantum vitæ sanctitate & eruditione valuit, vt facilè populos eos ad Christi fidem amplectendam animarit. Quibus diligentius eruditis, quũ Maguntinis præesset, præsulis dignitate tantum præstitit, vt ad hæc tempora incertum sit, fortiórne illa gens, an fide clarior existimari debeat. Ibidem.

Vngari, quum diu in falso dæmonum cultu perseuerassent, tandem Stephani regis authoritate, qui neptem Henrici Imperatoris vxorem duxerat, Adalberto præsule adiuuante, Christiani sunt facti. Sed & Boemi, impium & ipsi dogma à parentibus acceptum secuti, aliquanto tamen tardius, Ludinellæ reginæ consilium complexi, nostræ fidei accessẽre: vt quantum Vngaris Adalbertus profuerit, non minus Methodius præsul à Boemis interim celebretur. Ibid.

DIDACVS Hispanus, Oxoniensis episcopus, duodecim abbatibus Cistertiensis ordinis, quos ecclesia Romana, vt ad Albigesios in fide erudiendos se conferrent, elegerat: suasit, si in demandata cura proficere, atque libenter à populis audiri cuperent, mollia indumenta, præterea argentũ deliciásque omnes abiicerent, atque Apostolos imitati, pedibus iter facerent, vt disciplinæ, quàm aliis prædicarent, congruere ipsorum vita inspiceretur. Idque ipse primus egit, fructúmque ingentem ex negocio demãdato peperit. Quod si plerique nostris tẽporib. Ecclesiastici præsules seruarent, non tanto risu sacerdotum monita exciperentur, cùm vitam eos à verbis diuersissimam agere constet. Fulgosius lib. septimò cap. secundo.

NARENTANI, qui Dalmatiæ littora, à Sclauis orti, & latrociniis infames, diu tenuẽre, quũ Venetis multo infestiores essent, quàm vt ferri diutius ex ciuitatis dignitate possent: toties bello à Venetis petiti sunt, vt non prius cum his sit bellari desitum, quàm inter pacis conditiones (petebant enim illam supplices) id præcipuè cautum sit, vt Christianam pietatem in primis susciperent. Cætera verò haud maiori studio exacta, nisi vt posthac à tam nefandis latrociniis abstinerent, à quibus Christiana pietas maximè abhorreat, restitutis interim omnibus quæ ad eam diem extorsissent. Egnat. lib. 2. cap. 1.

Præponenda his omnibus Britannia fuerat, siquidem admodum prima omniũ prouinciarum baptismũ receperat, Lucio rege cũ tota fermè gente, Pontificis Eleutherij opera, sacris vndis abluto, si in eo proposito per Saxones & Scotos perseuerare potuisset: qui feri & immanes populi, ab Arctoa plaga classib. insulã inuadentes, suo sibi post varias expeditiones & prœlia subiecerũt totam Imperio. Quo tempore alienata à fide gẽs, non prius veram pietatem recepit, quàm anno post quadringentesimo, & amplius Gregorij primi pontificis hortatu, missis eo Augustino & Melito Anglis, fidei orthodoxæ dogma susceperunt. Ibidem.

RELIGIONEM ARMIS TVERI.

Hostes religionis persequi.

ORDINES VARII CHRISTI. *militum, in genere.*

ALCANTARE milites, cum cruce viridi, apud Auisium oppidum, quorum caput in regno Castellæ apud Alcantaram oppidum iuxta Tagũ cœnobium amplissimum visitur. Volater. libro vigesimo primo, Anthropol.

MILITES de Calatraue ordini Cistertiensis, anno 1120. à Sanctio rege instituti in regione Toletana, loco & prouincia Calatraue nuncupatis, vbi cœnobium Templariorum fuerat. Qui cùm Saracenis minimè resistere valerent, nouis militibus cedere sunt iussi, nigrum amictum cum turba cruce gestantibus: quorum magister non minus aureorum 40. millium redditus habet. Ibid.

Milites S. IACOBI, primùm de Spatta ordinis sancti Augustini: in quo magister primus Petrus Ferdinandi, sub Alexandro 3. pont. qui rem probauit, cuius vectigal annuum 150. aureorum millia, regum Hispaniæ munere concessa. Ibid.

Milites IESV CHRISTI in Lusitania, anno 1326. apud Tomarium oppidum, nullius diœceseos, sub Dionysio rege per Ioann. 22. quibus & bona Templariorum in Lusitania cuncta concessa fuẽre, vt Saracenorum irruptionibus resisterent. Crucem gestabant rubram in atro amictus. Ibid.

Milites S. IOANNIS Baptistæ, vt alij volunt, à Ioanne Hyrcano Machabæo, qui primus xenodochium pauperum dicitur Hierosolymis constituisse: alij verò dicunt ab Ioanne Eleemosinario patriarcha Alexandrino, genere Cyprio, sub Phoca imperatore, qui ob eleemosynas frequentes ac in pauperes misericordiam ita dictus fuit, instituti sunt. Ibidem.

S. SEPVLCHRI ordo Motesiæ in regno Valentiæ à Iacobo, qui Baleares insulas subegit, anno 1214. diu stetit cum rubea ac gemina cruce, cuius caput Perusij, ab Innocentio 8. militiæ S. Ioannis agglutinatum. Ibidem.

MILITVM TEMPLARIORVM authores nouẽ viri extiterũt. quorum princeps Hugo de Paganis, & Gaufredus de S. Alexandro. Hi primùm sese, probãte ac præsente patriarcha, vouerunt peregrinos sepulchrum adeuntes, contra grassatores armis tueri, tum pro religione pugnare. Amictus ab initio nullum discrimen, donec anno 1121. Honorij pontificis ac Stephani patriarchæ authoritate, formula ordinis constituta, albúsque amictus assignatus est. Eugenij temporib. rubea crux addita. Ibidem.

TEVTONICORVM S. Mariæ ordo post ordines militum Ioannis, & Templariorum institutus est, vt ex vtroque mixtus. Initiũ verò fecit vir Teutonicus, qui post Hierosolymas receptas vnà cum plurimis gẽtis suæ de exercitu Christianorum in eo loco remanserat. Vxorem & facultates habebat, motus suorum popularium sepulchrum adeuntium misericordia, qui nequelinguam nossent, neque diuersorium haberent: domum suam xenodochium instituit. Ibidem.

IOANNES XXII. episcopus Portuensis, nouam militum religionẽ in Lusitania instituit, quorum caput est oppidum Syluensis diœceseos. Anno 1320. Ibidem.

EXEMPLA PARTICVLARIA.

Consule tit. Pœna crudelitatis erga sacros homines: item, Duces fortes: item Constantia religiosa.

Quis IVDITH viduæ dolos & mera mendacia audet accusare? quibus patriam obsidione, Iudæam omnem, hoc est Dei populum seruitutis periculo liberauit? Omnibus se ornamentis comit: & Dominus auget illi formæ decorem, orisque venustatem, vt trahere possit Leuiathan hamo. Egressa ergo occurrit exploratoribus. Et, filia sum Hebræorum, inquit, ideo ego fugi à facie eorum: quoniam futurum agnoui, quòd dabūtur vobis in deprædationem. Denique Holoferni se indicaturam pollicetur, quo aditu sine suorum pernicie capiat ciuitatem. Postremò cum ipso collocuta, sermone, promissis, vultu fallit: atque eundem quem adorauerat, cuius se ancillam dixerat, captata occasione incautū interimit. Nemo dolos illi vitio vertit, factum omnes laudibus extulerunt. Summus ipse sacerdos Ioachim, cū magno presbyterorū comitatu de Hierusalē Bethulia venit, vt faciē eius videret, cuius famam admirabatur. Quid multa? omnes vni fœminæ gratias agere & eius virtute salutē, quā iam desperauerant, se consecutos palā fateri, nihil laudis, nihil gloriæ omittere, quod magno fortique animo dignū esset. Tot igitur bono illo figmento cōparati sunt, quot sine illo mala secutura erant. Quis enim tot millibus Assyriorū, tantis armatorū copiis aperto marte resistere valuisset? Et ecce qui multas iam gentes vrbésq; vno impetu subiugauerāt, vnius mulieris fraude capti succubuerūt. Et cùm id Dei voluntate auxilióque factū nemo neget, certè sic imponere impio nō illicitū fuit. Marul. li. 4. ca. 4. ex Iudith. 11.

Erant in Germania, qui pertinacius in patrū suorū delirio perseuerarēt, quos Caroli Martelli, & latius demū Caroli Magni auspiciis Phrysij, Saxones, Vuestphali ad cultū veri Dei redacti sunt: & cū Saxonibus quidē tanta pertinacia bellatū est, vt vix post annos triginta propositū obtinuerit. Vuestphalos certè non aliter in officio continere demū potuit, quàm vt nouo iudicādi genere, quod vetitū à re est appellatū, in eos sæuire cœptū est. Scabini enim iudices, & hi patria lingua sic dicti, prout quéq; aut fidē abnegasse, aut iurisiurandi immemorē aduerterant, indicta causa vtcunque inquirentes, supremò laquei supplicio afficiebant. Adeò sæpe terror plus quàm amor in quibusdam valet. Egnat. lib. 1 cap. 1.

CAROLVS Magnus, magnam Europæ partem sibi obstrinxit. Aquitanos ad pietatem veri Dei retraxit. Longobardos in pontificem Rom. patriam, gentem inquietā, & Romæ maximè semper infestā, fustulit. Saxones continuato per triginta annos bello iugum fidei subire coegit. Sarracenos, qui totā Hispaniæ terram occuparant, intra angulum Bethicæ redegit. Leonem pont. per iniuriā aduersæ factionis vrbe pulsum in Bationæ sedē restituit. Cui gratus pont. Imp. dignitatē Italis per trecentos & amplius annos intermissam adstruxit. In Bohemos, Sclauos & Danos non tā Imperiū quàm fidē propagauit. Sarracenos inferū mare & eius insulas sæpius infestātes, & ipsi vrbi Romæ terribiles, ducū opera & classe sua crebro vicit: vt non tā imperij fines quā fidei Christianæ propagandæ studiosior videretur. Ibidem.

VENETI, quum in Sarracenos terram Italiam fœda clade vastantes, classem quadraginta nauium Gradonico principi ducendam comparassent, quæ Theodosio Græco duci iuncta rem gereret, tametsi Venetus à cerrimè in hostes fidei inuectus dimicarit, tamen à Græcis inter primum pugnæ ardorem destitutus, tantam cladem passus est, vt ne vna quidem nauis e tam numerosa classe incolumis euaserit. Non id terruit tamen Venetorum animos tam insignis accepta clades, vt quum primum nunciatum eis esset, Sarracenos è Creta insula in Adriaticum sinū, ad omnémque Italiam deuastandam classe ingenti comparata venturos, illi statim ad Gradum occurrerent atque ibidem inita viriliter pugna, hostes ingenti clade affectos, sic supero mari expulerunt, vt cladis accepta non facilè animis eorum exciderit. Quæ victoria vel eo lætior fuit, quòd Basilius Imperator Vrsum Particiacum ducem, quo autore res erat gesta, Protospatarium declarauit: quæ dignitas inter primarias penes Græcos principes habebatur. Ibidem.

IIDEM Sarracenos, qui Genuam cæperant, & Barrum obsidebant, quā vrbem prius commeatu iuuerant, tanta clade superarūt Petri Vrseoli ducis auspiciis, vt ab eo tempore nunquam Sarraceni classibus Italiam petere sint ausi. Ibidem.

ILLA verò maximè memorabilis expeditio, & æterna recordatione consecranda videtur. Galli principes & maior Europæ pars ad pontificis Vrbani II. adhortationem excitati, de recuperandis Hierosolymis, communi omnium sententia, parique alacritate consilium cæperant: & quòd plerisque constare video, ad trecenta millia peditum, centum equitum, expeditio illa sub signis Gotfredi Bolionij, atque auspiciis habuit. Sanè indicti belli famam secuta ciuitas, ducentarum nauium classem armasse traditur: quæ in Ioniæ oram inuecta, Smyrnam, & reliquam oram Turcis subiectam, vastauit: cui Henricus Contarenus Oliuolensis antistes, & Vitalis Michael ducis filius cum imperio præfuerunt, vt in re tam pia, tāque sacra meritò sacerdos præfuisse videri possit. Ibidem.

Nec minor nauium numero, clasis illa fuit, quippe quæ octoginta onerarias naues habuerit, quam Dominicus Michael dux comparauit in Calisti pont. gratiam: qui recepta obiter Dalmatia, vastatísque Græci imperij vrbibus (oderat enim Græcus Imperator Venetum nomen ex professo, quòd rem Christianam tam obnixè iuuarent) Sarracenicam classem, quæ Ioppem septingentarum nauium arctissima obsidione premebat, adeò disiecit improuiso insultu, vt ferè maior nauiū pars, mediis oppressa sit fluctibus, quædam captæ, paucæ fuga dilapsæ. Ex quo & vrbs obsidione leuata, & Tyrus mox oppugnata Venetorum armis, non sine labore recepta. Datum inde Venetis vtrobique, vt forum suum sibi haberent, certumque vicum, areámque primùmque templū perpetuò possiderent: id quod in omnibus quæ post expugnarentur oppidis Syriæ concessum inuenio, communicatúmque fermè cum illis regnum. Ibidem.

Ducta est & Ordelapho Faletro principe classis in Syriam: & ducta quidem illa, tam fœlices rerum successus habuit, vt expugnatæ Sydon & Berytus, vetustæ claræque olim Syriæ vrbes sint: Pharamia quoque ad Nili ostia posita, clarum tum oppidum, & pollens non expugnata solum, sed euersa: abductáque inde, in Sarracenorum inuidiam, mortales omnes, prædáque, quantam vrbs illa alioqui opulenta tum dare potuit. Ibidem.

VENETA ciuitas, Alexandrum pontificem fugitabundum Friderici Ænobarbi insidias, atque ideo intra cœnobium quod Charitatis appellāt, latentem, excepit: exceptum, nihil Imperatoriam verita maiestatem, dum Pontificiam multo augustiorem tuetur, fouit. Classeque ingēti comparata, quam Cianus princeps duceret, Othonem Friderici victum maritimo prælio, ad Pontificem duxit: inde mox fracta Imperatoris peruicacia, quū & ille ad Pontificem supplex Venetias in ædem diui Marci auream venisset, pax conciliata, & vtrumque mox abeuntem Cianus princeps deducēs, Imperatorem Rauennam vsque, Pontificem aliquanto vlterius, nauatæ operæ illustria monumenta ab optimo Pontifice retulerit: tubas argenteas, vmbellam, auratamque sellam, puluinum aureum, & vexilla sex versicoloria: Pontificum præterea, Imperatoriumq; tantum munus, plumbo signandi literas ius. Ibidem.

GOTOFREDVS Bolionius Lotharingorum dux, & comites eius, inter Christianos præmisso crucis signo, priuata pecunia, triennium integrum in barbara longinquáq; regione, inter mille pericula, rerúmque omniū egestatē, prouinciā eius magnitudinis sustinuēre, quā Hierosolyme atque Syria ipsa ex infidelium manu recepta restari potest. Quod ingens facinº meritò præ virtutis magnitudine ac religionis studio lectores admiratione replere debet. Cæterū horū gesta superasse videntur (commodius enim domi manebant, & maioribus regnis potiebātur) Conradus Imp. ac Ludouicus VI. Francorū rex, qui nō vt imperia augerent, sed vt catholicā religionē locis suis quæ Barbari occupauerant restituerēt: armis sumptis ingēti exercitu minimè veriti sunt, terrestri itinere Damascū vsque penetrare, diúque eam vrbem obsidere: quanquā eis in expeditionis fine non successerit, q̄ Gotofredus ac comites cōsequuti sunt. Fulg. lib. 1. cap. 1.

Pari religionis affectus Ludouicū VIII. Gallorū regem impulit, vt cum exercitu in Ægyptū traiiceret: vbi quanquā captiuus factus, deinde redēptus præter factam in exercitu impensam, muro circumdatas Christianorū aliquot vrbes, precióque recepta captiuorum ingenti multitudine: minimè aut fortunæ aduersæ casibus, aut impensa, aut etiam ipsius vitæ discriminibus territus, denuò in Africam reparatis copiis traiecit, vbi Tunete vrbe obsessa, peste vnà cum filio decessit. Ibidem.

Eadem causa moti trans mare in Syriam se contulēre FEDERICVS primus Imperator, cum ingenti exercitu: qui cùm in Armeniam peruenisset, illic mortuus est. Similiter Sueuiæ dux FEDERICVS, eius filius, Antiochiæ. Ac post eum Philippus Deodatus, Gallorum rex, vt terrā (quæ quoniam Christi redemptoris calcata est vestigijs, Sancta dicitur) quæ infideliū potestatem transierat, ad Christi fidem redigeret. Item Richardus Britannorum rex, qui Acri vrbe, nonnullísque alijs locis diuino cultui restitutis, in patriam se receperunt. Ibidem.

EXEMPLA ETHNICA.

Connibenses & Tentiritæ, dū suos vtriq; deos pertinacius tuentur, nō solùm se mutuò oderunt: sed deos ipsos, qui ab hostibus colerentur: sunt stáque inter se pugna congressi, ne à profusi quidem sanguinis lampsu, esuq; e hostilium carnium abstinuerunt. Sab. lib. 5. cap. 1.

ASSASINI populi Christianorum sicarij, religionis odio Vide tit. Obedientiæ erga principes.

In Syria Saracenus quidam, quo tempore Gotofredus Bolionius, ac comites eius, pro Christi fide in Syriam traiecerunt, in medio foro Tyriæ vrbis, principem Conradū Bonifacij Montisferrati Marchionis filiū occidit statímque ipse quoque eodē in loco occisus est. Nā cùm videret ob singularem Conradi virtutem magna Sarracenis inferri damna, voluit moriendo patriæ ac gentis suæ legi, tanto virtute præditū hostē adimere. In hoc Scæuolę Rom. tanto præferendus, quanto fœlicius rē, quam susceperat, transegit. Fulg. lib. 5. cap. 6.

Parentum nostrorum ætate missus à Sulthano SARRACENVS, vt sub prætextu ferēdarum literarū, Iacobū Lusignatū Cypri regem confoderet, arbitratus se eum interemisse, humerū gladio traiecit: captúsque atque acerbissimis tormentis discrutiatus, ingenti animo, quia id se patrię præstitisse dicebat, vitā egit. Fulg. lib. 5. cap. 6.

Alius Sarracenus eodē studio compulsus, Eduardū Britannicū regem qui Ptolemaide aduersus Christi hostes Christianis in presidio erat, secretum colloquiū ab eo petens, occidere tentauit. Sed Eduardus audacia periculū discussit. Nā etsi duo vulnera à Saraceno accepit, ei tamen manus iniecit, vitam suam perempto Sarraceno seruauit. Fulg. lib. 5. cap. 6.

MAVRVS quidam in Bethica Hispania, cùm Ferdinandus & Elizabet Castulonenses reges, Malacham vrbē à Mauris in Bethica possessam obsiderent, sperans se patriam eo bello liberaturū, si regem reginámque bellum inferētes interimere potuisset: finxit se conditiones ferre quibus finiri bellum posset atque ita ad Hispanorum castra venit. Qui dum postea ad reges deduceretur, in tentorium ornatissimum cuiusdam Hispani principis vocatus, cum vxore cubantis & audire quæ Maurus perferret cupientis: ornamentorum specie deceptus, regem & reginam putauit esse. Et veluti nouus Scæuola, in vtrunque impetu facto, quanquam vulneribus eos affecisset: tamen ministrorum interuentu prohibitus, quod decreuerat explere nequiuit. Fulg. lib. 5. cap. 6.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER DECIMVS TERTIVS.

DE IVSTICIA HVMANA, SIVE Ethica.

IVSTICIA humana merito vtriusque personæ, agentis scilicet iusta & patientis, sed potissimùm patientis, appellatur. Quemadmodum religiosa dicitur ea, in qua patiens persona, cui suum tribuitur, diuina siue Deus est. De hac ergo in præsentia disputaturi, cum Arist. in 5. Ethic. duas illius species assignabimus: prout etiā ὁ δίκαιος vel νόμιμος est vel ἴσος. Νόμιμον vocat, quatenus legibus paret. Leges autem omnem hominis vitam informāt. Ergo νόμιμος in omnibus rebus secundum leges viuet. Erit itaque Iustitia ista Vniuersalis, ad νόμον omnia referēs: quare νόμιμον δίκαιον ortu suo dicitur: κοινωνικὸν verò ratione sui effectus, quia societates & communitates hominum tuetur, ac bonos virtutis amore, malos formidine pœnæ in officio retinet. Iam verò ἴσον δίκαιον illud est, quod non secundum leges, sed secundum rationem rectam, quæ æqualitatem in omnibus actionibus seruat, inter homines versatur, liberum & homine philosopho dignum: vt quamuis nullæ sint positæ leges, iustè tamen & æquabiliter omnia administrentur. Quapropter Iusticia quædam particularis appellatur: quia non legum authoritatem sequitur, sed ex præscripto rationis æqualitatem metitur in omni actione: nec tantùm quid agatur, sed omnes circunstantias perpendit. Non ergo in vniuersalibus occupatur, sed ad particularia descendit. Ea propter sæpe vniuersale iustum, quòd secundum leges est, à particulari corrigitur. Lex enim de omnibus in genere præcipit: at philosophica ista iusticia rationis adminiculo ea supplet, quæ lex omisit. Hinc est, quòd Arist. τὸν δικαστὴν ἔμψυχον δίκαιον appellat, siue ἔμψυχον νόμον, viuam legem & animatam: quasi tacitè innuat, legem scriptam mortuam esse, nisi interpretem bonum & iustum habeat. Sic sæpè summum ius summa erit iniuria, quando τὸ νόμιμον vniuersale solum spectatur: τὸ ἴσον particulare tanquam ἐπανόρθωμα siue correctio legis, negligitur, & non adhibetur. Vniuersalis igitur iusticia legibus operam dat, & propterea non semper verè iusta, sed φανερῶς tantùm iusta erit. Neque enim leges semper sunt iustæ, sed videntur tantùm iustæ esse. At particularis iusticia non quid leges statuant, sed quid æquitas iubeat, perpendit, & æqualitatem in omnibus rebus tuetur. Hinc fit, vt princeps, qui legem posuit, supra legē esse dicatur: quemadmodum etiam philosophus, quem Plato Reip. suæ præficit: habent enim rationem, legis matrem, vt ita loquar, quæ malè positas leges antiquare, & nouas bonásque leges substituere potest. Particularis igitur Iusticia absque vniuersali esse potest, at vniuersalis absque particulari aut esse nequit, aut interdum ex summo iure summa redderur iniuria. Particularem autem intelligo, non quia sub vniuersali, tanquam sub genere contineatur (sic enim absque vniuersali nullo modo esse posset) sed quia actiones particulares perpendit, & de ijs quid æquum sit statuit: non autem in genere pronunciat, quemadmodum Iusticia vniuersalis legum æmula & ministra. Ex prædictis igitur constat, quantopere necessaria sit philosophiæ Ethicæ cognitio iis qui leges profitentur & interpretātur. Constat itidem, quòd tota Iurisprudentia Ethicæ philosophiæ propago sit, non secus ac Medicina philosophiæ naturalis. Et de his hactenus. Nunc ad titulos Humanæ iusticiæ accedamus, illorumque seriem artificiosè ex suis fundamentis deducamus. In exēplis recitandis obiter etiam Diuinæ mentionem faciemus, tanquam ideę quam homines sequi debeant.

Constitutionem. LEGISLATORES *iusti, siue leges sint* Affirmatiuæ, *quæ virtutes sequi iubent: siue* Negatiuæ, *quæ vitia fugere præcipiunt.*

νόμιμον, *quãdo ex legũ præscripto cuique id quod suũ est tribuitur. Legũtractatio Iureconsultorũ propria est. Nos explorum gratia in legibus duo ponim⁹: videlicet*

Obseruationem, *tũ in*

Genere. *Sic suum cuique pulchrum: & quot gentium differentiæ, totidem & legum. Quæ quidem varietas facit, vt ius & iniuria non natura, sed opinione hominum tantum constare videatur. Titulus hic esse posset,* MORES *gentium varij. Verum confusionis vitandæ causa ad suos titulos cuiusque gentis mores referendi erunt. Nisi quis breuiter hoc in loco contrarias gentium mores recensere vellet. Cui enim erit, id persequatur.*

Specie. *Iustitia legitima dividetur: quoniã aliæ leges sunt*

Politicæ, *In quibus Personarũ ratio habẽdæ est. Dividitur enim tota Respublica in*

Magistratus, *quos Arist. in tres classes diuidit, in libro Politicorum: videlicet in Consultantes, de iis quæ fieri debent: in Imperãtes, ea quæ visa sunt: & in Iudicantes, ea quæ facta sunt. Etsi autem hi respectu subditorum primas tenent, respectu tamen legum etiam ipsi parêre debent. Rex enim supra legem esse dicitur, non quòd in illius libidine sit positum leges antiquare: sed quia ea rationis perspicacia esse præsumitur, qua & malas tollere, & bonas substituere queat. Exempla igitur afferemus.* MAGISTRATVVM *& principum quorumlibet, qui vel suis legibus, & à se positis, vel certè aliorũ paruerunt.*

Subditos, *quorum munus est legibus in primis, deinde etiam magistratibus quam custodi legum obedire. Et exempla quidem* SVBDITORVM, *qui legibus paruerunt, huius sunt loci. Illorum verò* QVI *magistratui obtemperarunt, infrà sub iustitiæ Distributiuæ ex fide enumerabuntur.*

Oeconomicæ. *Et his quidem obedire, præsentis est loci. At quatenus obedientia ista ex dignitate personarũ desumitur, quarum est imperare, sic ad Iustitiæ distributiuæ ex fide pertinẽt, & hac ratione à nobis infrà explicabuntur. In œconomia enim alij sunt qui*

Imperant, *imperio vel*——— Patrio, *Pater.* Coniugali, *Maritus.* Herili, *Dominus.*

Parent *imperio* Patrio, *Liberi.* Coniugali, *Vxor.* Herili, *Serui.*

ἴσον, *quando nõ ratione habita legum, sed ipsi⁹ æquitatis, vnicuique id quod suũ est tribuitur. Exempla proferantur iustitiæ in*

Genere. IVSTI *in genere, qui omni genere iustitiæ excelluerunt.*

Specie. *Sic iustitia duplex est. Aut enim spectat*

Iusta *facere, dare scilicet dignis ea quæ iure illis danda sunt. Vide in seq. signum* A.

Æqualitatem, *quæ ex cuiusque dignitate atque merito desumitur.* Διορθωτικὴ *Iustitia dicitur, quæ κατ' ἀξίαν distribuit ea quæ tum politicè, tum œconomicè, quacunque tãdem de causa, distribuẽda sunt. Et hæc primariũ est Iustitiæ munus, vti etiam Medicinæ potior pars est* θεραπευτικὴ, *quàm* προφυλακτικὴ. *Iusti igitur est, tum*

Iniusta *nõ facere: hoc est, nõ dare æqualib⁹ inæqualia, vel inæqualibus æqualia: & vel*

Aliis, *tum in*

Genere. NIHIL *iniustè facere.*

Specie. *vt pote non dare*

Bona *malis*

Diuitias & munera quæcunque, quæ pœnia circumsistuntur.

Honores & magistratus. REPVSIA *iusta.*

Mala *bonis. Malum autem voco etiam minus bonum.*

Sibiipsi. *Non dare*

Bona, *cùm vel ea*

Non mutatur omnino.

Mercatus, sed minus.

Mala, *cùm iis vel*

Non sit dignus.

Sit dignus, sed minoribus tamen.

Inæqualitatem, *quam in contractibus quotidianis quibuslibet obortam, tollere nititur: & in ea corrigenda non primò & per se, sed per accidens tantum versatur, præstaret enim omnino non esse ortam: quàm postquam orta est, eam tollere.* Διορθωτικὴ *iustitia dicitur. Vide signum* G.

A.Damus

Interna *animi integritate, quæ fundamentum est iustitiæ, & absque externis signis esse potest: cùm vicissim externa signa absque interna integritate nullius sint momenti. Distinctioris doctrinæ* FIDES *interna, libera, non expressa appellatur.*

Simpliciter. PROMISSIO *simplex.*

Datæ. *Cõcurrunt hic duo, Fides media, & Personæ quas fides colligat. Fides constitutum in*

Verborum. *Promittimus aliquid alteri vel*

Essentiã: *Ad iurisdicendi essentiã pertinet tum*

Formula *ipsi, per quos deos & quibus verbis cõcipiatur de quacunque re.*

Mores & ritus. *Quomodo fiant.*

Accidentia *videlicet*

Vbi concipi solitũ.

Quando interpositum vel ex actum

Genere *enarrabimus*

Testibus *adhibitis iis, quorum authoritas aliqua sit.* IVSIVRANDVM *dicitur, affirmatio religiosa. Cuius quidem in*

Magistratus *subditis.*

Publicat, *quæ dant vel*

Extra bellum FIDES

Priuata, *in quibus contractibus.*

Specie *differẽtias recẽsebimus, habita ratione personarum & rei, propter quas fides præstatur. Aut enim est*

In bello. *Fides data*

Suis, *& vel*

Imperatori à militibus, SACRAMENTVM *militare.*

Militi *vel à*

Militi. Imperatore.

Aliis, *siue hostes sint, siue socij.* FOEDVS *dicitur. Ratio habẽda.*

Rei FOEDERIS *ritus & consuetudinis.*

Personarũ, QVIcũ quib. fœdus cõtraxerint.

Rerum, *quarum interuentu fides firmatur. vt*

DEXTRAE *coniunctio.*

Symbolũ *quodcũq; verbi gratia, Anul⁹, Pign⁹ quodlibet*

Externa *significatione intermediis quibusdam signis, quæ vel verbis, vel rebus, vel vtrisque simul constant. Ratio tamẽ in data datáve fide potissimùm habetur vel*

Ex pacto *& fide data, vel tacitè vel apertè, vt quamuis patiens indignus sit cui præstetur, dignus tamen sit agens qui seruet. Exempla igitur proferentur Fidei tum*

Diuersa *est, ita vt alius sit tribuens à tribuente. Et hæc Iustitia propriè est.* ὅτι ἀλλότριον ἀγαθὸν, *secundum Arist. Bona igitur quælibet tribuimus alteri vel*

A.Damus *dignis dignã, dupliciter. Aut enim personã agens & patiens*

Seruatæ, *cuius variæ sunt species, prout etiam fidei dandæ occasiones variæ existunt, & personarũ itidem insignis est varietas, siue iure naturali, siue gentium, siue ciuili data intelligatur. Vide in seq. signum* B.

Absque *pacto & fide, solo interueniente merito eius cui tribuitur, ob quod meritum dignus est hisce bonis. Vide in seq. signum* C.

Eadem *est, & sic erga seipsum quis iustus erit. Quæ tamen impropriè Iustitia dicitur, vt placet Arist. Vide signum* F.

i


B. Seruatæ fidei exempla proferuntur, tùm in
Genere. FIDEI exempla in genere.
Specie. Digerēda sunt autē partim ratione
Personarum FIDES seruata
Amicis vel quasi amicis: iisque vicissim vel
Nonis vel
Politicè, & vel nomine
Publico FIDES
Subditorum erga
Patriam. Exempla FIDEI erga patriam, in bonis promouendis, malisve impediendis, qualiacunque fuerint, animi, corporis, aut fortunæ.
Magistratum. Diuiditur in
Obedientiam
Ciuilem.
Bellicam.
Fidelitatem
Vrbanam.
Bellicam.
Se inuicem, tum
Extra bellum, erga ciues, in publicis negotiis.
In bello erga commilitones.
Magistratuum erga subditos
Vrbana vel
Extra iudicia, tum
Consultando. CONSILIARII & Senatores iusti.
Imperando, tum
Summi. REGES iusti.
Inferiores. QVILIBET alij magistratus iusti.
In iudiciis tum
Litium & controuersiarū. IVDICES iusti.
Morū CENSORES iusti.
Bellica.
Sociorum erga se iudicem, siue extra bellum, siue in bello.
Priuato, tum in
Quibuscunque contractibus.
Doctrina & institutione. FIDES erga
Discipulos.
Præceptores.
Oeconomicè. Fides tacitè hic intelligitur data, vnà cum imperio.
Parētis in filium. Et quidem requiritur in
Filiis erga
Patrem tum
OBEDIENTIA.
FIDELITAS.
Se inuicem, Fidelitas FIDES erga fratres.
Patre Fidelitas & pietas.
Mariti in vxorem. Ergo
Maritus fidem vxori datam seruet, castè viuendo, rem familiarem curando.
Vxor seruet tum
Obedientiam.
Fidelitatem.
Domini in seruum. Itaque
Dominus seruo inuestitu & alimentis & mercede prospiciat.
Seruus domino
Obediat.
Fidelis sit.
Peregrinis, qui sese fidei nostræ commiserunt, vel tanquā
Hospites. FIDES seruata hospitibus.
Supplices & exules, nostrum implorantes auxilium.
Inimicis, & vel
Bellica, tum nomine
Publico. In
Bello apertè & absque fraude
Inferendo, aperta denunciatione. BELLVM apertè indicere.
Gerendo, cùm iam iustè indictū.
Fœderibus & induciis seruandis.
Legatis hostium non violandis.
Priuato. Verbi gratia, Fides captiuo seruata.
Politica, vel
In iudiciis. Iustè & apertè, absque dolo malo lites persequi.
Extra iudicium.
Contractuum. voluntariorum. Nam inuoluntarij ad διόρθωσιν solùm spectant. Voluntariorum diuisio ex quinto Ethicorum petenda est: eorumque rationem hic habemus tantùm merito fidei. Nam respectu inæqualitatis, quæ in illis oboriri potest, ad διορθωτικὸν pertinent. Exempla igitur afferemus fidei seruatæ in
Testamentis. vt ea quæ ad se
Pertinent, bona fide administret.
Non pertinent, non perscrutetur, non corrumpat, &c.
Hęreditate tum
Adeunda.
Partienda.
Prædæ aut cuiusuis alterius rei communis diuisione.
Mutuo. Emptione & venditione.
Pactis connubialibus.
Depositum bona fide custodiat.
Non depositum non attingat.
Pignore. Depositō. Ita vt
Commissō. Tutela.
Fœnore & vsura.
Ære alieno persoluendo.
Locatione tum rerum, tum operæ.
Commodato & præcario Stipulatione.
Mandato. Ita vt ea quæ mandata
Sunt, bona fide exequatur.
Non sunt, non perscrutetur. sit. ALIENAS literas venerari.
Obligationibus & syngraphis.
Testimonio. Accusatione.
Fideiussione.
C. Meritum


Internis, Animi scilicet, virtutibus tum
Genere. DOCTI viri in magno habiti precio. Doctorum amatores.
Theoricis. Exempla in
In specie. HONORES & præmia exhibita iis qui artes
Discunt.
Grammaticis & Rhetoribus.
Poetis, & Histrionibus eorum famulis.
Philosophis.
Historicis.
Musicis.
Mathematicis.
Theologis,
Iureconsultis.
Medicis.
Profitentur. reputa
Practicis, iisq; vel
Mechanicis, siue fictiuis.
Ethicis HONOR et præmia data.
Prudentiæ, vt Senatoribus & consultoribus tum
Publicè.
Privatim.
Fortitudini tum
Vrbanæ in
Propulsando. vt TYRANNICIDIS; & patriæ liberatoribus.
Ferendo.
Bellicæ, tā militiæ quā Imperatorum. Dātur autem præmia vel
Ipsimet, Honores vel
Diuini. Templa, Aræ, Apotheoses.
Humani. reputa
Triumphi.
Ouationes.
Magistratus & dignitates.
Statuæ, imagines, tabellæ, monumenta.
Coronæ, Præda,
Agri, Regna.
Vxores, Concubinæ.
Præmia quæuis alia.
Præconia, laudationes, gratulationes.
Vacationes, munerum.
Eorum posteris, affinibus, amicis.
Temperantiæ in
Victu.
Venere.
Liberalitati & Magnificentiæ.
Veritati & Libertati in
Aliorum vel
Bonis confitendis & laudandis.
Malis
Deferendis.
Reprehendendis.
Suis
Bonis exprimendis.
Malis indicandis. PROBNITENTIBVS, & SVPPLICIBVS ignoscere.
Taciturnitati.
Popularitati & humanitati erga
Viuos.
Mortuos, quam Pietatem vocare possumus.
Affabilitati.
Iustitiæ. Vide signum D.
Per se, quatenus bonum est, & laude dignum, quamuis nulla inde ad nos nostrósue proueniat vtilitas.
PRÆMIVM appellatur, siue Remuneratio, siue Distributio simplex, quam Honestas ipsa præscribit. Videtur enim honestas ipsa dictare, vt illi obseruentur, colantur, præmiis afficiantur, qui quocunq; bonorū genere excellūt: videlicet vel
C. Meritum porrò istud cōsiderari vel
Externis, tum
Corporis. Præmia data
Robori, Athletis, Cursoribus, & c.
Fœcunditati & procreationi liberorum.
Senectuti. HONOR senectuti impensus.
Fortunæ, reputa
Diuitiis.
Nobilitati.
Primogenituræ.
Dignitati tū
Politicæ. HONOR delatus magistratui
Nostro,
Aliorū,
vt legatis.
Oeconomicæ, nempe HONOR delatus propter imperium
Patrium. FILII, qui parentes quouis genere cultus honorarunt.
Coniugale.
Herile.
Propter aliud, hoc est propter effectum bonum, qui in nos nostrosve redundauit. siue iucunditatem is solam pepererit, siue vtilitatem, siue vtrumque. Vide signum E.

- **D. Exempla *præmiorum Iustitiæ proponemus in***
  - Genere, *quæ collata fuerint.*
    - Viuis, *siue* Honores *&* Magistratus *siue* Quæuis *alia præmia.*
    - Mortuis.
  - Specie, *videlicet vel propter iustã*
    - Politicè. PRÆMIA *fidei.*
      - Subditorũ *erga magistratus, vi delicet.*
        - OBEdientia.
        - FIDElitatu.
      - Magistratus *erga subditos.*
      - Sociorum *inter se.*
    - Oeconomicè. PRÆMIA *fidei erga.*
      - FILIOS.
      - PARENTES
        - Obedientiæ.
        - Fidelitatu.
      - MARITVM, *tũ*
        - Obedientiæ.
        - Fidelitatu.
      - VXOREM.
      - SERVOS.
      - DOMINOS, *tũ*
        - Obedientiæ.
        - Fidelitatis.
    - Notis, *tum*
      - Amicis, *iisq; vel*
        - Fide, *data vel*
        - Peregrinis, *tum*
          - Hospitibus.
          - Supplicibus, *qui sese fidei nostræ commiserunt.*
      - Inimicis, *tum*
        - In *bello.*
        - Extra *bellum.*
    - Δίκαιον, *facta vel ex*
      - Merito, *tum*
        - Virtutis. PRÆMIA *iustæ remunerationis, siue distributionis, ob quamcunque virtutem factæ.*
        - Beneficij. PRÆMIA *gratitudinis cuiuslibet.*
      - Διόρθωτικὸν *in cõtractibus tum*
        - Voluntariis.
        - Inuoluntariis. PRÆMIA. *iustitiæ in*
          - Bonis
            - Defendendis.
            - Absoluendis.
          - Malis
            - Accusandis
            - Damnandis.

c. Διόρ-

Voluntariis, *in quibus vterque contrahentium consentit, inæqualitas oritur: Verbi gratia, quando quis propiorem accipit ab alio, accipiens enim plus habet, dans minus. Inæqualitas igitur oborta corrigitur ab ipsismet contrahentibus, vel certè ab amico aliquo, per æstimationem pecuniariam, qua is qui plus accepit, emens minùs, minus habenti tantum pecuniæ vel frumenti reddit: & qui minus habet, à plus habente tantũ accipit, quantum pro æqualitate arithmetica instituenda satis sit. Vt igitur volentes contrahunt, ita quoque volentes inæqualitatẽ corrigi patiũtur. Quod si verò in voluntario contractu fraus aliqua contigerit, specie quidem voluntarius, at reipsa non voluntarius erit contractus: atque propter non pecuniariam æstimationem, sed pœna aut mulcta corrigetur. Similiter si propter ignorantiam inæqualitas in contractu voluntario fuerit orta, eadem à scientibus proculdubio corrigetur, ita vt viros inter bonos bene agier oportet. Tantus igitur usus Διορθωτικῆ voluntariorum contractuum, in emptione, locatione, ære alieno, fœnore, depositi mutui, &c. respectu mutuarum inæqualitatis adæquandæ. Nam respectu fidei intercedentis ad Δικαιοπρακτικὴν pertinent, vti suprà monuimus.*

c. Διορθωτικὴ Iustitia omnẽ inæqualitatẽ tã inter volentes, quàm inter nolentes contractã tollit. Nã semper volentes & scientes iniũ videntur contrahere, quidquidẽ (vt vulgò dici solet) volenti non fit iniuria: & tamen tamen iniustus est contractus. Proinde iniustitia, quæ nõ personas solũ, sed multo magis res ipsas intuetur, iniustus esse contractus ex inæqualitate colligit, eandẽque corrigere studet. Vt autẽ varia est materia, ita quoque varius inæqualitatis corrigendæ modus. Namque in contractib.

Non *voluntarius, in quibus is qui iniuriam patitur, vel dolo circumuentus, vel vi à potentiore oppressus, non consentit: iniuriã inferens πλέον κερδήσας habet, ἔλαττον ζημίας: patiens verò, πλέον ζημίας, ἔλαττον κέρδους. Corrigetur igitur inæqualitas ista, quando τὸ πλέον, in ἔλαττον, in vtraq; persona commutabitur. Cæterum ratione personarum contrahentiũ διόρθωσις hæc distinguenda erit. Altera enim eius est personæ qui iniusta agit, & iniustus est: altera eius qui iniusta patitur, præter suũ meritum. Proinde διορθωτικῆς munus erit respectu*

- Iustorum, *& innocentium, vel*
  - Non *facere iniusta.* IVSTOS *& innocẽtes nõ*
    - Accusare.
    - Condemnare.
  - Facere *iusta.* Reputa IVSTOS *viros: q; bonos, etsi non absolutè, saltem in hac causa,*
    - Defendere, *vel*
      - Domi, *& vel*
        - Extra *iudicium* Defendere *vel*
          - Manu.
          - Asylis *& loco refugij.*
          - Precibus.
        - In *iudicio, patrocinio suo, & testimonio.*
      - Foris, *in bello, vi armata.*
    - Absoluere. EXEMPLA *eorum qui* ABSOLVTI *fuerunt iudicio*
      - Diuino.
      - Humano.
- Iniustorum, *atque nocentium, partim*
  - Non *facere iniusta.* Reputa
    - Homines *iniustos non*
      - Defendere.
      - Absoluere.
    - Pacta *iniusta vel non*
      - Inire.
      - Defendere.
  - Facere *iusta.* Iusti igitur est, Medicorũ imitatione, tum
    - Præcauere *vitia & iniustas actiones hominum, legibus, edictis, senatusconsultis, consuetudinibus* προφυλακὴ ἀδικίας, *tum*
      - Publicè.
      - Priuatim.
    - Curare *iniustitiã aliorum* θεραπεία ἀδικίας. *Et qui dẽ respectu*
      - Habitus *iniusti, sic à iij sunt qui curationem*
        - Respuunt *omnino, qui pro deplorati habendi sunt, & relinquendi.* FVGERE *conuersationem improborum.*
        - Non *penitus respuunt: & cũ his conuersari debemus, vt eos ad meliorẽ frugem reducamus.*
      - Actionis *siue facinoris iniusti.* Iusti hominis est, iniustos
        - Accusare. *sic accusatur quis vel à*
          - Seipso, *propria conscientia.*
          - Alijs. EXẽPLA *eorũ qui* ACCVSATI *sunt*
            - Diuinitùs.
            - Humanitùs.
            - A brutis.
        - Damnare. *Vide signum* H.

E. GRATITVDO *hæc species Distributiuæ Iustitiæ dicitur : cuius est, parem gratiã pro beneficijs in nos nostróve collatis referre reipsa, vel certè animo habere, verèque agere. Exempla afferemus in*

- Genere *eorum, QVI gratitudinẽ coluerunt, nõ expresso interim beneficij in alios collati genere, pro quo par gratia reponitur.*
- Specie, *ex diuersitate beneficiorum in nos collatorũ, pro quibus nos gratos quocunq; tandẽ modo ostendere studemus. Grati itaq; simus erga eos, quorum beneficio aucta, erecta, illustrata sunt ea quæ in nobis nostrísque fuerũt bona tum*
  - Interna, *Animi scilicet.* GRATIA *pro*
    - Instructione *præceptorum vel*
      - Theoria.
      - Mechanica.
      - Ethica.
        - Publica, *Legislatorum.*
        - Priuata
    - Admonitione *libera & amica.*
    - Felici *nuncio.*
    - Iudicio *periculi.*
    - Præsagio.
  - Externa.
    - Corporis. GRATI *pro*
      - Educatione.
      - Curatione *à morbis, & præseruatione.*
      - Vitæ *conseruatione.*
      - Alimentis *datis.*
    - Fortunæ. *Namque*
      - Mala *molientibus gratia refertur, vel pro*
        - Bello *prosligato*
          - Vi *& armis: vtpote pro*
            - Defensione *ab hostibus.*
            - Auxilio *lato contra hostes.*
          - Consilio *& prudentia, per compositionem & conciliationem.*
        - Absolutione *& defensione in iudicio.*
      - Bona *tribuentibus gratia refertur pro*
        - Honoribus, *dignitatibus, regnis, &c.*
        - Pecunia *in publicum collata, vel priuatim data.*
        - Ædificiis *tũ priuatis, quã publicis,*
        - Muneribus, *tum*
          - Quibuslibet
          - Literariis.
        - Hospitalitate.
        - Opera *fideli locata.*
        - Libertate *data, aut restituta.*

F. Iustitia *impropriè erga seipsum est, & easdem admittit diuisiones. Nãque sibiipsi tribuit, arrogat, vendicat ea quæ sua sunt, & quibus sese dignam nouit, non tã sui causa, quàm æqualitatis tuendæ & conseruandæ. Coincidit igitur cũ virtutibus Ethicis singulis reipsa : differt respectu sólo : quoniam in illis mediocritatis circa obiecta externa, hic verò dignitatis propriæ, cui externa bona debentur, ratio habetur. Et certè vt quisque in propriis rebus maximè cæcutit, ita operosissimum est, æqualitatem seruare, in arrogandis, expetendis iis quæ sibi debentur, vel in*

- Διανομῆ, *tum est*
  - Fide, *vel*
    - Publica. *Vtputa Honores, magistratus, Tributa, Alimenta, Præda.*
    - Priuata. *Vt Hæreditas, Lucrum ex societate.*
  - Merito
    - Virtutis, *propter quãcunque bonorũ excellentiã.*
    - Beneficii. *Exigere ea quæ nobis ab aliis gratitudinis ergõ debentur.*
- Διορθώσει, *in cõtractib.*
  - Voluntariis.
  - Non *volũtariis. Sic Iustus quis erga seipsum erit, si cũ iniuriam*
    - Passus *fuerit ab alio, ius suũ persequatur tum*
      - Accusando.
      - Mulctam exigendo.
    - Fecerit *alteri, Delictum suum tum*
      - Confiteatur.
      - Mulcta *adæquari libenter patiatur.*

H. Exem-

Diuino, *quod ideæ instar esse debet : cuius exempla passim sub* διορθωτικῆς *titulis afferentur, ne multitudine Titulorum lectorem obruamus.*

H. *Exempla eorum proferemus, qui damnati sunt iudicio.*

- Humano. *damnantur igitur vel*
  - Publici. *Vtputa*
    - IVDICIA, *edicta, Senatusconsulta iniusta vel*
      - Rescissa.
      - Prouocatione *suspensa, vel ad tribunal*
        - Diuinum.
        - Humanum.
    - LEGES *iniustæ abrogatæ.*
    - FOEDERA *iniusta non seruata.*
    - ASYLA *iniusta abrogata, vel non seruata.*
  - Priuati *verbi gratia*
    - PACTA *iniusta non præstita.*
    - TESTAMENTA *iniusta rescissa.*
  - Contractus *iniusti, qualescunque fuerint : quoniam corriguntur, emendantur, rescindũtur, abrogantur. Sive sint*
    - Impropriam, *in qua persona corrigens, & inæqualitatem tollens, cum patiente eadem est. sic seipsum quis corrigere potest per* POENITENTIAM *Ethicam (religiosa enim ad Iusticiam religiosam pertinet, quæ pietatis stimulis excitat errorem suum fatetur & emendat) æqualitatis videlicet studio, & inæqualitatis odio. Namcum virum bonum in primis seipsum accusatorem esse sciat, deinde aliorum correctorem : seipsum totum excutit, errores fatetur suos, veniam à seipsó petit & respicit. Pythagorica & Platonica hæc est,* μετάνοια : *quæ ad* φιλαλήθειαν *pertinet, ingenuæ confessionis respectu ea meritò inæqualitatis, quam in seipsó corrigit, Iusticiæ pars esse videatur impropriè tamen, quoniam Iusticia propriè alios tantum respicit.*
    - Homines *iniusti, in quibus scelera reperiuntur. Cùm autem hic duæ personæ necessariò sint, corrigẽs, & quæ corrigitur : idcirco eiũ diuidimus hãc* διόρθωσιν, *ex Aristot. sententia, in*
      - Propriam, *in qua diuersa est corrigens persona ab iis quæ corriguntur : quarum duæ sunt vt plurimum, iniuriam agens & patiens : sæpe vnica tantum, vt si quis erga seipsum iniurius extiterit.* Διορθωτικὴ *igitur Iusticia corrigit aliorum tum*
        - Vitia *& iniusta facta, pœnis & supplicijs conuenientibus ex honestatis præscripto. Cæterùm cùm contractus non voluntarij diuidantur in βίαια καὶ λαθραῖα σαφῶς ἀλλάγματα : & nullum viuj genus sit, quod non vel clàm, vel palàm admitti possit : hæc quoque diuisio hic esset instituenda : eóque maximè, quòd cum in iis quæ aperta vi fiunt, maior ad sit contemptus, quàm in clandestinis, seueriori quoque animaduersione corrigenda videãtur. Verùm ne lectori Titulorum copia fastidium pariat, vitiorum ordinem sequemur, quem in Iusticia* Διανεμητικῆ *obseruabimus. Nam cum vnicuique virtuti duo opponantur vitia,* διορθώσεις *eorundem ordine recensebimus. Vide in seq signa* I.
        - Lites, *rixas, contentiones, odia & dissidia, tam publica quàm priuata componit, ne iniusto aliquo facto interueniente (vt sæpè hominum ingenia) non compositione, sed seuera animaduersione, opus sit. Vt enim Medici præseruationem curationi præponunt, & plus gloriæ in præseruando quàm in curãdo ponunt : sic quoque præstabilius est, lites componere, quàm facta iniusta corrigere & castigare. Pertinet tamen ad Damnationem quoque pars illa cõpositio scilicet, siue à iudice, siue ab arbitro fiat, quia semper vel tacitè vel expressè ὁ ἄδικος condemnatur.*


Theoricorum. IGNORANTIAE & inscitiæ Theoricæ pœna.
Mechanicorum. POENA inscitiæ Mechanicæ.
I. POENA vitiorũ.
Practicorum, tum
Prudentiæ. POENA.
Calliditatis & astutiæ cuiuslibet.
Imprudentiæ, tum in
Consulendo.
Iudicando, tum
Extra iudicium: vt puta Eorum QVI bonis consilijs non paruerunt.
In iudicio.
Fortitudini. POENA
Temeritatis, tum
In bello.
Extra bellum,
Politicæ.
Ignauiæ & timiditatis
Bellicæ.
Temperantiæ. POENA tum
Intẽperantiæ in
Genere.
Cibo & potu. CRAPVLÆ & ebrietatis,
Venereis. Siue a
Ipsius.
Non intercedat, POENA impudicorum & lasciuorum morum.
Intercedat. POENA
Scortationis.
Stupri ill.ati
Adulterij.
Virginibus.
Matronis.
Incestus prof.ani.
Libidinis obscœnæ etiam cum vxore.
Sodomiæ.
Specie, tum
Propriæ, in
Impropriæ, LVXVS scilicet in
Supellectile.
Aediticiis.
Vestitu, ornatu & cultu corporis.
Nimiæ continentiæ & abstinentiæ
Liberalitati & Magnificentiæ. POENA
Prodigalitatis.
Auariciæ
λεύσῃ, ἐν
δαπάνῃ.
δόσῃ.
λιτήσῃ ἐν
λήψῃ. vt
Quæstus turpis et illiciti pœna
Fœneris pœna.
Captationis locupletum matrimoniorum, vel hereditatum pœna.
Exactionum iniustarum per tributa & vectigalia pœna.
φυλακεῖ.
Magnanimitati, siue Virtuti circa honores. POENA
Ambitionis, tum in
Genere.
Specie. TYRANNIDIS affectatæ pœna.
Pusillanimitatis.
Clementiæ, tum in
Excessu, POENA iræ, vltionis, vindictæ
Amicos, qui nos offenderunt, tum
Publice.
Priuatim
Inimicos
Extra bellum.
In bello
Defectu, POENA ἀοργησίας, indulgentiæ & clementiæ nimiæ erga quoslibet.
Veritatis studio, integritati, tum in
Excessu. POENA eorum qui
Aliorum
Virtutes nimium extollunt. Pœna Adulationis.
Vitia nimium reprehẽdunt. Nimiæ libertatis in reprehendendo pœna.
Sua nimium
Deffendunt. Pœna obstinationis et pertinaciæ.
Extollunt. Pœna superbiæ in dictis simul & factis.
Defectu, POENA
Mendacij, tum in
Specie, vt in
Iureiurando.
Accusationibus, & testimonijs
Genere. POENA mendacij in genere.
Inconstantiæ & leuitatis.
Popularitati & Vrbanitati, tum in
Excessu. POENA
Contentionis nimiæ. Loquacitatis
Nimij studij in rebus ludicris spectandis.
Scurrilitatis.
Defectu. tum erga
Vituos, Morositatis.
Mortuos, IMPIETATIS & crudelitatis erga mortuos pœna.
Iniusticiæ. Vide in seq. signum K.
Ethicorum, quæ quidem vel opposita sunt
K. POENA


Inobedientiæ.
Politicè, tum
Publicè. POENA perfidiæ
Subditorum erga
Magistratus, nimirũ
Perfidiæ, tum in bello, tum extra bellum, vt puta
Proditorum, patriæ vel principum.
Transfugarũm, & desertorum.
Seditiosorum.
Seinuicem, tum in bello, tum extra bellum.
Magistratus, erga subditos tum
Vrbana. POENA tyrannorum.
Bellica.
Sociorum erga socios, siue in bello siue extra bellum.
Priuatim, tum
In bello.
Extra bellum.
Notos, tum
Patrio,
Primariò. POENA tũ
Parentum erga liberos perfidiæ.
Liberorum erga parentes
Inobedientiæ.
Perfidiæ.
Secundariò. POENA perfidiæ & impietatis fratrum & sororum erga se inuicem, vel nepotum.
Amicos, & vel
Oeconomicè, in imperio
Coniug.ali, tum
Primario. POENA
Maritorum erga vxores perfidiæ, qui vel
Malè tractant, & zelotypi sunt.
Immeritò repudiant.
Vxorum erga maritos
Inobedientiæ.
Perfidiæ, & zelotypiæ.
Secũdariò. POENA perfidiæ erga cognatos & affines.
Herili. POENA
Dominorum erga seruos perfidiæ.
Seruorum erga dominos
Inobedientiæ.
Perfidiæ.
Contrahentium personarum qualitate PERFIDIÆ pœna cõmissæ erga
Peregrinos, tum
Hospites. POENA inhospitalitatis & perfidiæ erga hospites.
Supplices.
Inimicos vel
Extra bellum, Politica POENA perfidiæ erga inimicos
In iudicijs, Eorũ qui iudices præcio, præcibus, vi, malis artibus corrumpere tentant.
Extra iudicia.
In bello, tum
Publicæ, vel in
Bello,
Inferendo.
Gerendo.
Fœderibus & inducijs nõ seruandis.
Legatis violandis.
Priuatæ.
Fide. Distinctio sumenda est partim ex
Merito. Vide in seq. signum L.
Contractibus quibuscunque, quorũ hic mentio fit ratione fidei violatæ, quæ ad vitium ἐν Δικαιοσύνῃ pertinet. Non seruatur autem fides in contractibus vel
Voluntarijs, in quibus contrahẽtes consentiũt: neque per se ad διόρθωσιν pertinẽt, sed per accidens tãtùm, quia scilicet fraus ab alterutro sciente cõmissa est, quæ fraus per διόρθωσιν corrigenda est à iudice POENA fraudis in
Testamentis. Hæreditate.
Prædæ, aut cuiusuis alterius rei communis diuisione.
Mutuo. Emptione & venditione.
Pactis connubialibus. Pignore.
Depositо. Fœnore & vsura.
Aere alieno. Locatione.
Commodato & precario.
Obligationibus & syngraphis.
Fideiussione.
Testimonio & accusatione.
Non voluntarijs, qui primò et per se ad διόρθωσιν pertinẽt, quia patiens iniuriã non cõsentit. Distinguuntur ex noxæ varietate. Aut enim incõmodant bonis
Corporis, vt puta
Vitæ, tum
Sanitati.
Clàm, & vel
Veneno. POENA venefícij
Cæde. POENA latrocinij.
Palàm: HOMICIDII pœna.
Fortunæ: vt puta
Diuitijs.
Clàm. POENA
Furti
Peculatus.
Palàm. POENA rapinarum.
Honoribus.
K. POENA Iniustitiæ tum ἐν
Iustitiæ eorum ante adpositum ex
διορθώσῃ. Vide signum M.





LEGVM

LEGVM CONSTITVTIO, LEGISLATORES IVSTI

De his consule titulum Prudentiæ, in legibus ponendis. item tit. Legislatorum. item tit. Principum & legislatorum qui legibus suis paruerunt.

NVMA Pompilius Romanorum rex, cùm multa alia sacra instituisset: fidei quoque templum condidit, vt iusiurandum commendaret, & fidem in omnibus rebus nequaquam violandam esse demonstraret. Plutarch. in vita Numæ.

NICODORVS Mantinensiũ legislator iustissimus ex pugile in extrema ætate factus est. Ælian. lib. 2. Var. hist.

LEGVM OBSERVATORES.

PRINCIPES ET LEGISLATORES, QVI VEL A *se, vel ab alio latis legibus paruerunt.*

ZALEVCVS vrbe Locrensium à se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundum leges ab ipso constitutum vtroque oculo carere deberet: ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit: Ad vltimum precibus populi victus, suo prius deinde filij oculo eruto, vsum vtrique videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento se inter misericordẽ patrẽ, & iustum legislatorẽ partitus. Val Max. lib. 6. ca. 5.

CHARONDAS Tyrius, ad vim & cruorem vsque seditiosas ciuium pacauerat, lege cauendo, vt si quis eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur. Interiecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus, domum repetens, subitò indicta concione, sicut erat, in eam procellit: ab eoque qui proximè constiterat, solutæ à se legis auctor monitus: Idem ego illam (inquit) sanciam. ac protinus ferro, quod habebat, adstricto incubuit: cumque liceret vel culpam dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus iusticiæ fieret. Val. Max. lib. 6. cap. 5.

TENNES Tenediorum rex, ex maris periculo seruatus, in quod ob falsam adulterij suspicionem proiectus erat à patre: legem tulit, vt si quis adulterum deprehendisset, eum securi iugularet. Deprehenso vero filio ipsius, rogatus rex quid faciendum esset: respondit, Lege vteretur. Ob hanc causam in altera parte numismatum suorum securim sculpsit, in altera viri atque mulieris faciem ex vno colio dependentem. Hinc prouerbium, Tendia secum.

ÆGYPTIORVM reges, pro consuetudine recepta, nil agebant propriis affectibus, sed omnia iuxta legum decreta. His enim nec iudicandi, neque pecuniam congregandi, neque potiendi quenquam per superbiam, aut iram, aut aliam iniustã obcausam licentia permissa erat, sed veluti priuati legibus tenebantur: neque id ægrè ferebant, existimantes parendo legibus se beatos fore. Diodor. Sic. lib: 2. cap. 2. de rebus antiquis.

AVGVSTVS cùm lata lege, qua iudicandi de adulteriis forma statuebatur, apud eum adolescens perpetrati cum Iulia filia adulterij accusaretur, indignationis doloriſque magnitudine compulsus, manu sua cædere adolescentem cœpit. Cum autem is contra exclamaret, Violari ab Augusto legem quam de adulteriis sanxerat: repentè eius ira concidit, adolescentémque dimisit. Atque eo die pro dolore cibo abstinuit adeò grauiter à se erratum duxit, cùm legem quam condiderat, ipse violasset. Nam quanquam legibus præesset, æquum tamen ducebat, non minus se quàm alios legibus parere. Fulgosus lib. 4. cap. 1.

ARISTIDES Iustus cognomine, quendam reum egerat. at quum iudices post Aristidis accusationem nollent audire reum, sed protinus ad suffragia, quibus eum damnaturi erant, properarent: Aristides supplex pro eo interfessit apud iudices, vt eum iuxta legum præscripta diligenter audirent. Tanta erat in vtro legum æquique obseruatio. Plutarch. in vita Aristidis.

Cùm ALCAMENEM, Telecri filium quidam interrogasset, quàm ob rem numera à Messeniis oblata ita recusasset: Quoniã si recepissem, inquit, cum legibus pacem habere non poteram. O mentem rege dignam, quæ magno obuioque lucro legum autoritatem antepoſuit. Et vbi sunt interim qui clamant, Quod principi placuit, legis vigorem habet: & principem dare quidem leges, at non teneri legibus? Plutarchus.

AGESILAVS, quum maximam Asiæ partem armis sibi subegisset, constituerat ad ipsum regem persarum proficisci, vt eum compesceret: qui sic erat quietus á bello, vt interim Græcoru duces pecunia eorum peret. Cæterum reuocatus domum ab Ephoris, ob Spartam Græcorum obsidione cinctã (nam id rex Persarum pecuniis missis effecerat) paruit, dicés: Bonum Imperatorem legum imperatis parẽre oportere. citráque cunctationẽ soluit ex Asia, magno sui desiderio relicto Græcis Asiaticis Offerebatur rei bene gerendæ occasio: inuitabat illum Græcorum affectus, vt instituta perageret: sed rex à tyrannide abhorrentissimus, legum authoritatem existimabat omnibus anteponendam. Plutarchus in Lacon.

SVBDITI, QVI LEGIBVS PARVERVNT, ATQVE etiam magistratui, tanquam custodi legum.

Exempla Obedientiæ subditorum pete ex Distributiua iustitia, quæ ex fide tribuit cuique suum.

PAVSANIAS Plistonactis filius, cuidam roganti, Quam ob rem apud Spartanos nephas esset vllam priscarum mouare legũ: Quoniam inquit, legibus conuenit autoritas in homines, non hominibus in leges. Eras. lib. 1. Apoph.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, cuidam roganti, Qui nã essent Spartanæ ciuitatis præfectis Leges, inquit, ac legitimi magistratus. Gratiter censuit, in Repub. bene instituta, supremã authoritatem esse legibus defendendam: nec vlli magistratui fas esse, quicquam contra leges publicas tentare. Ibidem.

IVSTI IN GENERE

CHIRON fuit Centaurorum iustissimus. Germanicus in Arato:

Hic erit ille pius Chiron, iustissimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.

Herodotus ait, Glaucam Lacedæmonium, Epicydidis filium tam celebri & incorrupta fuisse iusticia, vt ad eum videndum multi alienigenæ Spartam conuenirent.

PERSARVM pueros iam loquendi peritos ad ludos mittebant, vt iusticiæ discendæ in primis darent operam. Aiuntque ita illos huic rei studere, quemadmodum apud nos qui eunt ad literas perdiscẽdas. Habent pueri inter se, quemadmodum viri causas, de furto, de rapina, de vi de fraude, de maledicentia, & de aliis criminibus, vt par est: itaque faciunt in conspectu magistrorum. Qui crimine cognito, reos plectunt. In illum quoque animaduertunt, quem minus iure accusantem inuenerint. Xenophon libro primo in Cyri pædia. Stobæus sermone 42. & Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 25.

Apud Indos hi qui Pedalij vocantur, inter vota precésque solam iusticiam à diis efflagitabant, quasi hoc deorum munere impetrato, nihil amplius deesset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. ex Nicolai Collectionemorum, & Stobæi sermon. 7.

INDI ante Liberum patrem Iusticiam tanto obseruarunt cultu, vt exteras gentes nunquam appetierint bello.

Apud Scythas montanos populi quidam calui sunt, quibus nemo iniuriam infert, quia sacri dicũtur esse: nihil Martiorum animorum possident, & finitimorum controuersias dirimunt. Ad quos quisquis confugit, is à nemine lædituR. Herodot. lib. 4.

De EMATHIONE Ouid lib. 8. Metam.

Emathion æqui cultor, timidusque deorum

MARIS philosophus, ex Laodicea fuit omnium ætatis suæ iustissimus. Rauis.

RIPHEVS Troianus quispiam, quem Vergil. lib. 2. Æn. iustissimum fuisse ait his verbis:

—Cadit & Riphæus iustissimus vnus,
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.

IVSTICIÆ SPECIES, ET PRIMVM de Distributiua.

DISTRIBVTIVAE PRIMA SPECIES, QVAE EX FIDE *vnicuique pro dignitate tribuit.*

FIDEI DATAE SPECIES.

AFFIRMATIO SIVE PROMISSIO SIMPLEX ET LIBERA *& interna, absque deorum appellatione.*

PHRYGES iuramentis non vtuntur, nec ipsi iurantes, nec alios adigẽtes: satius esse rati seruare sine iuramento fidem, quàm datam fallere, magna deorum (quorum testimonio vouissent) vltione. Stobæus serm. 42. ex Nicolai de gentium moribus historia: & Alex. lib. 5. cap. 10.

FLAMEN Dialis iuramẽtum prestare perpetua lege vetabatur: ideóque si quando in magistratu assumptus, per leges iurare tenebatur, alium, qui vicem illius ageret, sufficere: & ita in leges iurare cogebatur. Alex. lib. 5. cap. 10.

AFFIRMATIO RELIGIOSA, DIIS TESTIbus aduocatis

Si iuramentum consideres, ad iusticiam religiosam totus hic locus pertinebit: vti vicißim Periurium ad iniusticiam religiosam. Nam *qui iurat, eo ipso quod iurat, Deum metuere videtur periurus econtrà. Sin verò contractus ipsos, quorum gratia fides interposito iureiurando datur & exigitur, sic ad iusticiam humanam siue* Ethicam *referendus erit.*

IVRAMENTVM PER QVOS DEOS concipi solitum,

IVSIVRANDVM de rebus magnis præstabant Athenienses per Isidem, Thebani per Osiridem, Scythæ per solium regis, aut per ventum & acinacem. Vide tit. Vatum ethnicorum, Enaries.

Epidauri per Semelem, Ægyptij per allium, porrum & cepas. Thraces per Mercurium, Iones per crambẽ. Massagetes per Tanaim & Mæotidem paludem. Lampõ per anserem, Socrates per canem & platanum (ne per deos iuraret) aliquando per quercum & hircum. Capappadoces per montem, quem pro Deo colunt. Sophocles per lapersas, hoc est Castorem & Pollucem. Persæ per mitram, hoc est solem. Lacones per Spartanos & Argiuos deos. Aphri per viros insignes, qui virtutibus eminuère. Æthiopes per defunctos, quos colebant in vita, quorum corpóra vitro seruabant. Sic etiam Ægyptij per eosdem, quos in fictilibus circa templa condebant. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

GRÆCIS per terram, per amnes, fontes, amnes fluentes, sanctissimum iusiurandum fuit. Idem, Per regium quoque sceptrum, in quo iura dabant (quod præpotens iusiurandum regibus visum) Græcos fidem datam firmasse, testis est Homerus lib. 2. Iliad.

ZENO Stoicę sectæ conditor, per cipparim iurabat. Cælius lib. 27. cap. 28.

ORPHEVS, si quis diuinam iustitiam attestari vellet, per numina octo iurare permisit, ignem, aquam, terram, cælum, lunam, solem, phanem, & noctem. Alex. lib. 5. cap. 10.

PHILOSOPHI per Socratem, tanquam per numen sanctissimum, iurare soliti erant. Ibid.

PYTHAGOREI per quaternionem iurabant, siquidem hunc numerum ad animæ integritatem spectare dicunt: in his fuère Mens Scientia, Opinio & Sensus: siue, Mens, Spiritus, Animus & Anima. Ibid.

Apud ANANIVM iurisiurandi forma per crambem concipitur herbam, quod Ionico more fieri putat Cælius lib. 27. cap. 28.

PRIENENSES, cùm ad internecionem, ad locum qui dicitur Quercus, cum Milesiis graui bello decertassent, in eoque liberos amisissent, si quid sanctiore fœdere firmare vellẽt, per tenebras quæ apud Quercum deierabant. Alex. lib. 5. cap. 10.

AVGILLI qui circa Cyrenem sunt, & NASAMONES per manes defunctorum, quos veluti deos colebant, iurabant, illorum sepulchra contingentes. Ibid.

ROMANI per medium Fidium iurare olim solebant. Cuius hanc rationem affert P. Appianus in suis Antiquitatibus. Sabini domo migrantes in collem Quirinalem, deos suos Sanctum, Fidium & Semipatrem secum tulerunt, idque numen verbis trinum, re vnum dixerunt, Vnde licet tribus ipsis templum esset in Quirinali colle dicatum, vnius tamen Dei vocabulo appellabatur, cuius inuocatio in contractibus & quouis alio genere iurisiurandi magnam vim habere credebatur. Erat autem simulachrum Fidij tale. Tres simul imagines cernebantur: vmbilico tenus vestitæ: dextra viri, sinistra mulieris, dextras complicatas habentes: medius inter hos iuuenis, siue puer, tanquam filius. Et viro quidem HONOR, mulieri VERITAS, puero medio AMOR literis ascriptus erat. Quid hoc aliud, nisi quòd politica fides, atque adeò tota Reipublicæ constitutio, quæ fidei vinculo continetur, tribus his cõstet Virtuti enim operam dant vel per se, quia honesta est, honestas autem veritas quædam practica censeri debet, vel per accidens: atque id rursus vel respectu suipsius, gloriæ ergò: sic Honoris stimulo omnes accenduntur ad res præclarè gerendas: vel respectu aliorum, sic Amore & Beneuolentia ducti ciuibus suis bene faciunt, itaque Amor medius est inter vtrúmque.

ROMANIS frequens fuit iusiurandum, per deos & deorum numina perque terram, mare & sidera, firmare fidem. Imperatorum tẽpore, per salutem & genium principis deierare, præstantissimum iusiurandum erat. Tiberius tamen Cęsar de se præstari vetuit, & Nero collega suum Antistium in acta sua iurare inhibuit. Alex. lib. 5. cap. 10.

Apud EOSDEM diu mos seruatus est, vt neque viri per Castorem, neque mulieres per Herculem, iusiurandum darent. Per Pollucem verò vtrique iurare non vetitum. Sæpius tamen masculi per deos, mulieres per deas iurare vsurparunt. Ibidem.

PONTIFICI maximo per deos iurare licuit, per libertos autem non licuit. Alex. lib. 5. cap. 10.

Vestales si quando apud Rom. sacramento adigebantur, non nisi per suam Vestam iurabant. Ibid.

C. CALIGVLA maximum iuramentum, nec pro concione, nec ad milites, nisi per nomen Drusillæ præstitit, cui plus nimio addictus erat. Suetonius.

Apud SCYTHAS potissimum conuictus religiosissimus habetur, ac per conuictum iurare sacrum & sanctum habetur. Pont. in prologo libri de Conuiuentia.

POENI domi forisue semper per patrios deos iurabant Alexand. lib. 5. cap. 10.

IVRISIVRANDI RITVS ET CEREMONIAE.

Apud GRÆCOS, qui sanctam & inuiolabilem præstant fidem in Thesmophoræ, hoc est ligiferæ Cereris templum descendere, & quibusdam exhibitis sacris deæ purpuram induere: incensisque facibus, velut præsentibus numinibus, per quicquid est deorum deierare solebant. Alexand. lib. 4. cap. 10.

Græcos nonnunquam verre apprehenso, & stricto in iugulum gladio cœlum & terras, solem & vltrices furias aduocare, & testes facere: moxque verre immolato, & in mare deiecto, iusiurandum præbere, legimus apud eundem.

Apud eosdem iurantes mydrum tenebant (est autem eo nomine ignitum ferrum) fœdúsque tamdiu perseuerare comprecabantur, quamdiu latuisset mydrus, quem mox in mare deiiciebãt. Sophocles meminit in Antigone.

Apud ATHENIENSES in vsu fuit, vt iusiurandum quod publicè in fœderibus præstabatur, postquam per senatum exhibitum erat, quo sanctius foret, quæstores: apud Argos verò, Prætores cõfirment. Alex. lib. 5. cap. 10.

Apud SAMNITES præ cęteris maximum vinculum iuramenti vetusta religione fuisse traditum est, vt ara in mediò constituta, ac cæsis victimis, omni aditu septo, iurans introducatur, & furiali carmine, inter stragem victimarum dira execratione astringatur. Ibid.

Apud VETERES qui per Herculem, Dionysium, vel deum Phidium iuraturi essent, sub dio iurare cogebantur: sub tecto enim nequaquam decebat. Quia cùm illi assiduis periculis & laboribus in vita assueuissẽt in vmbra aut sub tecto eos inuocare turpe videbatur. Ibid.

ROMANI iuraturi per Iouem, modo ad deorum aras sacrificio perfecto, ignem, aram atque exta tangebant: modò super cæsis hostiis iurabant. Præ cæteris autem, ex omni memoria sanctissimum iusiurandum erat, vt iurans terram tenens, cœlum deósque contestans, conceptis verbis se & caput suum, ac stirpem & familiam, bona & fortunas quibusdam additis precationibus, deuoueret. Ibid,

Romani interdum iuraturi per Iouem, lapidem vel silicem in manibus tenebant, & eiusmodi verba enunciabant: Si scientes fallimus, salua vrbe arcéque bonis nos eiiciant, vt nos lapidem. Ad quam iuramenti formulam alludit Cicero lib. 7. epist. fam. De more iurandi per Iouem lapidem, vide Philelphum Epit. 1. lib. 17. & epist. 5. lib. 33. Extat & apud Gell. lib. 11. cap. 6. & lib. 7. cap 18.

IIDEM, cùm firma fide aliquid promitterent, agnum læua manu, dextra

silicem tenebant: & si fallerent, Iouem cæterósque deos precabãtur, vt ita eos mactarent, quemadmodum ipsi agnum mactassent, & sic secundum precationem caput pecudis saxo elidebant. Hanc formulam leges apud Liuium libro primo, & vigesimo ab Vrbe condita, & Polybium.

Apud Romanos Fœcialis sumpto lapide, postquam de fœdere inter partes conueniebat hæc verba efferebat: Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus atque hoc iusiurandum facio, dij mihi cuncta præstent fœlicia: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus saluis, solus ipse peream, vti lapis hic è manibus meis decidet. Nec plura dicens, manu lapidem abiiciebat. Cælius libro 20. capite 5.

POENORVM mos traditur, vt aram & sacra tangens, vel agnum læua, dextra silicem tenens, deos hominésque contestetur: vt si sciens falleret, ita se Iupiter feriret, quemadmodum ipse agnum percuteret. Alex. lib. 5. cap. 10.

PHOCENSIVM iurisiurandi de non repetenda patria, modum, pete ex tit. Epulum.

IVSIVRANDVM VBI CONCIPI SOLITVM.

GRÆCI libantes diis, in ædibus sacris iurare, magnum vinculum iuramenti existimabant. Alex. lib. 5. cap. 10.

ARCADIBVS mos erat inter cædes victimarum solennem fidem & iusiurandum dare. Ibidem.

ARMENII iusiurandum de rebus magnis in templo Anaitidis deæ, quam maximi numinis instar habebant, præstare consueuerant. Ibidem.

IVSIVRANDVM QVANDO EXIGI SOleat, vel debeat.

FIDES A SVBDITIS MAGISTRATVI DATA *quamcumque ob causam.*

Iuramentum quod ephebi Athenis præstare solebant, recitat Aristoxenus Pythagoricus, in libro Apophthegmatum: Non ignominia afficiã arma sacra, neque deseram meum astitem: quo cum victus fuero, dimicabo pro sacris & prophanis, siue solus, siue cum multis, patriam non derelinquam in deteriori statu, sed ampliori melioríque, quàm acceperim. Semper magistratus præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo: atque aliis quibuscunque plebis consensu decretis. Quòd si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare voluerit, non concedã sed vlciscar tam solus, quàm cum pluribus. Sacra quoque patria colã. Horum dij mihi testes & conscij sunto.

GRÆCI in sedandis discordiis verbo hoc vtebantur, μὴ μνησικακεῖν. Non autem, vt multi opinantur, ἀμνηστία. Triplex fuit iusiurandum, quod le Athenienses compositis rebus obstrinxerunt. Vnum commune, quod in hæc verba conceptum est: οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενί, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. Alterum Senatus: οὐδ' ἐνδείξομαι ἐνδεῖξιν, οὐδ' ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων. Tertium eorum qui res iudicabant: οὐ μνησικακήσω, οὐδ' ἄλλο πείσομαι. ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. M. Ant. Muretus lib. 2. Var. lect.

CONSTANTINVS Ducas Imp. Rom. cùm ex Eudocia vxore tres mares accepisset, moriens à populo sigillatim iuramentum exegit, nullũ imp. quàm filios facturum. Volat. lib. 23. Anthrop.

FIDES A MAGISTRATV SVBDITIS DATA.

Consule tit. Electionis magistratuum.

Apud LACEDAEMONIOS rex ante susceptum imperium iurat, imperaturum se iuxta ciuitatis leges. Nicolaus de moribus Gentium: & Stobęus sermone 42.

FIDES INTER PRIVATOS, QVAMCVMQVE *ob causam data.*

MANLIVS filius, iusiurandum à M. Pompeio trib. plebis exigit, quòd à patris accusatione cessaturus esset. Vide tit. Fides erga inimicos politica.

PELAGIVS Rom. ecclesiæ 58. pont. max. insimulatus de morte Vigilij papæ, tenens sancta Euangelia, & crucem, iureiurando publicè satisfecit. Sigebert. in Chron.

FIDES A MILITIBVS IMPERATORI DATA.

SACRAMENTVM *militare.*

Apud MACEDONES nisi militari sacramento miles adstrictus foret, hostẽ gladio percutere, aut militare minimè fas erat: perindéque in eum militaris animaduersio fuit, qui hostem militiæ sacramento non ascriptus occideret, aut qui classico reuocatus tardius parêret, vt qui ciuem aut socium iniuria occidisset. Alexander ab Alexandro lib. primo, cap. vigesimo.

ROMANIS mos erat, neminem suorum permittere aduersus hostem pugnare (quemadmodum senior Cato ad filium scribit) nisi prius sacramento addiceretur. Id autem agebatur, vt non nisi coactus ad alios perdendos ire videretur: & vt ducibus, quibus addicti erant, si ex acie fugissent, morte eos, quia contra iusiurandum erant, multandi ius esset. Fulgos. lib. 2. cap. 1.

L. FLACCO & C. Varrone coss. milites primò iureiurando facti sunt: antea enim sacramento tantummodò à tribunis rogabantur. Cæterùm ipsi inter se coniurabant, se fuge atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi ferendive hostis, aut ciuis seruandi causa. Front. lib. 4. cap. 1.

Bello hostibus per fœcialem indicto, militibus scriptis dies præfiniebatur à ROMANIS, quo die adessent, & vt citati Coss. responderent. Deinde ita concipiebatur iusiurandum, vt adessent: his additis exceptionibus, nisi harunce aliqua causa erit: Funus familiare, feriæ vindemiales, calendæque, quæ non eius rei causa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset: morbus sonticus: auspiciúmve, quod sine piaculo præterire non liceat: sacrificiúmve anniuersarium, quod rectè fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit: ius, hostisve status condictúsve dies cum hoste: si cui eorum harunce quæ causa erit, eum se postridiè quàm per eas causas licebit, eo die venturum, aditurúmque eum, qui eum pagum, vicum, oppidúmve delegerit. Gellius lib. 16. cap. 4. ex Cincij lib. 3. de re Militari.

Item in libro eiusdem Cincij de re militari quinto, ita scriptum est: Cùm delectus antiquitùs fieret, & milites scriberentur in iusiurandum eos tribunus militaris adigebat, in verba hæc: In magistratu, C. Lælij, C. filij coss. L. Cornelij P. filij coss. in exercitu, decémque millia passuũ propè, furtũ non facies dolo malo, solus, neque cũ pluribus pluris numi argentei, in dies singulos. Extráque hastam, hastile, ligna, pabulum, vtrem, follẽ, faculam, si quid ibi inueneris, sustulerisve, quod tuum non erit, quod pluris numi argentei erit, vti tu ad C. Lælium, C. filium coss. Læliúmve Cornelium P. filiũ coss. siue ad quem eorum iusserit, proferas: aut profitebere, in triduo proximo, quicquid inueneris, sustulerisve dolo malo, aut Domino suo, cuium id censebis esse, reddes, vti quod rectè factũ esse voles. Gell. lib. 16. cap. 4.

FIDES A MILITE MILITI DATA.

AFRICANVS Maior, cùm nobiles quidam adolescentes ex acie elapsi, de Italia relinquenda consilia agitarent, post Cannensem cladem ad eos stricto ferro repente ingressus, adeò terruit minaciter instans, vt non solùm eos à proposito auerterit: sed passi sint etiam à se iusiurandum exigi, de patria non relinquenda. Sabellicus de insigni adolescentia, lib. 2. cap. 4. & Plut. in eius vita.

FOEDERIS SANCIENDI CONSVEtudines.

In omni fœdere iuramentum est, sed non vicissim. Nostra nihil interest, de his distincte agere. Satis est, quædam exempla in medium nos posse proferre, illustrandæ fidei causa.

GRÆCI, in Iouis Olympij templo, & in arce Athenis testata, tanquam in adyto quodam, plerumque tabulis ex antiquo ære confectis sancta & sacra habuêre. Alex. libro quinto, capite tertio.

IDEM in fœdere percutiendo mittebant vates Hieceteri, hoc est oleæ ramo coronatos, cum vitta lanea quo prætenso, ab omni sæuitia hostili & violenta incursione tuti erant. Ibidem.

Athenienses nonnunquam in Isthmo, aut ludis Pythiis, fœdera icta, & leges dictas, pactionésque erectis titulis perpetuo tempore duraturis publicabant. Alex. lib. 5. cap. 3.

Aristides, vt ictum fœdus cum omni Græcia firmaret, post diras execrationes, accensos ferreos orbes in mare deiecisse ferunt: adiurans, vt ita extinguerêtur, cum omni stirpe & gente, qui contra fœdus irent, velut ignitum illud ferrum aqua. Ibidem.

Lacedæmonij Amyclis societatem & fœderum tabulas, fidei custodia diligentissimè semper seruabant. Ibidem.

CLEARCHVM Lacedæmoniorum ducem, cum barbaris quibusdam fœdus sanxisse ferunt, vt cæso Ioui tauro, lupo, apro & ariete, Græci gladios, barbari lanceas in sanguine victimarum intingerent. Ibid.

Apud Romanos constitutum erat, vt nunquam cum hoste armato conditionem fœderis acciperent, neque citra senatus aut populi iussum societates aut fœdera inirent, ni prius omnia diuina & humana tradidissent, & præsidium accepissent. Ibidem.

FOECIALES apud Romanos quidam à Tullo Hostilio, quidam ab Anco Marcio, alij verò à Numa Pompilio creati sunt, qui fœderibus sanciendis præerant: de quorum in fœdere sanciendo cæremoniis, lege Alex. ab Alex. libro 5. cap. 3.

ROMANI postquam cum exteris gentibus fœdera inita erant, ea in templo Capitolini Iouis columna aut æneis tabulis insculpi curabant, vt perpetua monimenta extarent: nonnunquam in fastos & annales referebant. Ibidem.

THRACES & Ægyptij è carnib. boum vina libare alterna vice, conciliari amorem & mutuæ fidei certissima pignora confuerêre: quippe veteribus cornua bona poculorum præstabant vicem. Ibid.

PERSÆ, inter vinum & epulas, frequêtique conuiuio, vxores filios amicósque omnes habent, & tanquam fidei pignora adhibent: ubique inter sacra mensæ, velut apud hospitales deos, fœdera & pacta ineunt: & sic fidè sociadem tatam, & mansuræ pacis pignus inuiolabile esse putarunt. Ibidem.

MACRONI (quæ gens Persica est) cùm hastam more suo Barbaricâ tradunt, aliaque more gentis eius cum qua fœdere iunguntur, accipiunt, se maxima & firmissima pactione teneri, & pari vinculo astringi putant. Ibidem.

INDIS maxima societas erat, de Tantali aqua potare: de qua si qui vnà bibissent, ea obtestatione tenebantur, vt eiusdem fati & fortunæ fœdus misse censerentur. Ibid.

Homoloctos populos dissecto in minimas partes boue sacta fecisse, & inde fœdera iunxisse legimus. Alex. lib. 5. cap. 7.

Apud Armenios & Iberos præualuit mos, vt pollices manus inuicè coiurantes necterent: mox acutissimo modo perstrictis, collectum sanguine leui ictu percuterent, manentémque inde cruorem lamberent. Alex. libro quinto, capite tertio.

ARABES seruant fidem inter homines, vt qui maximè: quam in hunc modum dant. Quoties fœdus inire volunt, alius quidam medius inter vtrunque stans, acuto lapide ferit volam iuxta maiores digitos eorum qui fœdus ineunt. Deinde sumpto flocco ex vtriúsque vestimento, imungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum inuocans Dionysium & Vraniam. Hoc acto, idem qui fuit sequester fœderis inter amicos contrahendi, vadatur hospitem, aut fortè ciuem, si cum ciue res agitur. Quod fœdus & ipsi qui amicitiam contraxerunt, seruare iustum cêsent. Herod. lib. 3.

MEDI atque Lydi fœdera ineúnt cùm alia Græcorum ritu, tum brachia incidendo, ac mutuum sanguinem delingendo Herod. lib. 1.

SCYTHÆ fœdera hoc modo ineunt: infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem qui feriunt fœdus, cultello aut gladio aliquantulum corporis incidentes. Deinde in calice tinguntur acinacem, sagittas, securim, gladium. Hæc vbi fecerunt, sese multis verbis deuouent: postea vinum epotant, non modo ij qui fœdus fecerunt, sed etiam comites hi qui sunt maximæ dignitatis. Herodotus libro quarto.

Apud eosdem constitutum erat, vt qui opis egeret, insigni calamitate pressus, immolato boue & carnibus decoctis, supra tergus victimæ stratus humi expectaret, donec quispiam opem laturus adueniret, carne delibata, dextro pede tergori appositò. Quo facto, eo adstringebatur fœdere, quo nil sanctius dici aut æstimari poterat. Lucianus.

Hircanos Medósque iunctis manibus dextris inire fœdera, & firmare fidem solitos, legimus apud Alex. ab Alexan. lib. 5. cap. 3.

Parthi apud altaria complexi dextras, tanquam diis testibus & arbitris, postquam sacra libassent, pacem inire, fœderaque pureuere solebant, & ita se æquissimo iure confociatos putabant. Ibidem.

Carmani in percutiendo fœdere, faciei venas percutiebant, profluctémque cruorem vino miscebant, inuicémque propinabant, summum amicitiæ fœdus mutuum sanguinem gustasse rati. Ibid.

GALLI cum quibus fide & iureiurándo iunguntur, omnes collatis militaribus signis adesse iubent. Ibidem.

Britanni in cœtibus & sacrificiis conspirationem fidémque sanciebant, atque ita communi consilio & vna mente, pia & æterna pax inita censebatur. Alex. libro quinto, capite tertio.

Fidei dandæ consuetudo hæc est apud Nasamones Pœnos. De manu alterius vterque sumpto inuicem poculo bibit. Quod si nihil humoris hauerint, sumptum è terra cinerem lingunt. Herod. lib. 4.

QVI CVM QVIBVS FOEDERA INIERINT, SIVE HOSTES prius fuerint, siue non fuerint hostes.

Consule titulum. Pacis studium.

Cùm Abrahamus in Palæstina moraretur, & opibus plurimùm auctus esset, Abimelechus rex Gerarorum cum Phicole archistratego suo videns illius prosperitatem, fœdus cum illo iunxit, iureiurando interposito. Et quia ob depressum puteum contentio inciderat, septem agnas Abimelecho dedit Abrahamus in testimonium, hunc puteum ab Abrahamo fuisse depressum. Eapropter locus ille Bersaba dictus est, id est puteus iurisiurandi, quoniam illic duo iurauerant. Genes. 21.

IDEM Abimelechus postea cum Isaaco Abrahami filio eandē ob causam fœdus percussit, cum ad Bersabam, cum eum Isaacus hospitio prius fuscepisset, manè iureinrando vtrinque se obstrinxerunt. Genes. 26.

LABAN Bathuelis F. cùm Iacobum generum fugientem in monte Galaado assecutus esset, à Deo prohibitus, ne illi nocere posset, fœdus cū eo percussit, & cippum ex lapidibus erexit. Quem tumulum Laban Iegarsahaduthā, hoc est, tumulum testimonij (item Masepha, quòd speculaturus esset Iouā quid ab vtroque illorum fieret) Iacobus Galaadum appellauit, quod idem est. Genesis trigesimoprimo.

DEXTRÆ MANVS CONIVNCTIO, FIDEI SYMBOLVM.

APUD PERSAS si quid firmum illibatúmque volebant, illud dextrę & fidei pignore sanciebant. Itaque nihil apud eos fide antiquius fuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

NVMA Pompilius fidem in ipsa dextra sacratam esse voluit: sacrunque Fidei instituit, ad quod flamines curru arcuato, manu in digitos inuoluta, solenni pompa vehi iussit: magno argumento, illam in dextris sanctā sacratámque, & propterea minimè violandam residere. Ibid.

Apud Romanos, principum & bene de Repub. meritorum statuas pedestres & equestres, ita effictas videmus, vt dextra porrecta, fidem in Rēpublicam ostendant. Ibid.

Romani milites Imperatorum victrices dextras deosculabantur, quód fideli illius imperio hostes vicissent. Ibidem.

C. MARIVS, cùm in Romanos maxima clade sæuiret, quos seruare voluit, dextra porrecta, aut salute data, incolumes fecit. Ibid.

Apud Lingones dextræ effigies hospitij symbolum præsentabat. Ibid.

Apud Aphros & Numidas in dextra magnam viro inesse autoritatem maiestatémque omnes putarunt. Dextra quippe manu pacem imperabāt, & silentium indicabant. Ibid.

Hircanos & Medos dextram dextræ iungentes conuentiones facere, pactáque sancire solitos, legimus apud. Alex. lib. 5. cap. 3.

Parthi apud altaria complexis dextris, tanquam diis testibus & arbitris pacta faciebant. Ibid.

FIDEI EXEMPLA IN GENERE.

ARABES & Persæ tanti fidem fecêre, vt humanam societatem cum fide tolli crederent: contráque vtilitatem fides illis semper antiquior fuit. Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 10. ex Herod. lib. 3.

T. Pomponius Atticus eques Rom. & amicus Ciceronis (quem ab vrbe pulsum sesterriis CCXL milibus iuuit) vir grauissimus, quę religiosè pollicebatur, præstare omni diligentia nitebatur. Quapropter ei res suas amici curandas certatim dabant, consiliúmque ab eo de Rep. deque rebus magnis petebant. Nepos.

FIDEI EXEMPLA IN SPECIE.

Ex loco

Ex loco Amicitiæ plurima, qui volet, mutuabitur. Illic quidem Amoris, hic verò Debiti officij habetur ratio. Est enim Amor comes indiuiduus tum aliarum virtutum, tum præsertim Iustitiæ.

FIDES ET PIETAS ERGA PATRIAM IN QVIBVSLIBET *bonis promouendis, malis ve amoliendis & auertendis.*

IN BONIS ANIMI.

Legibus & constitutioni Reip. consulere.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, patria excedens, iureiurando ciues suos adegit, ne prius leges suas mutarent, quàm ipse reuerteretur. Voluntario igitur exilio in Cretam abiens, illic mortuus, cineres sui in mare proiici iussit: ne forte illis in patriam relatis, ciues sacramento solutos arbitrati, salubertimas leges abrogare vellent.

IN BONIS ET MALIS corporis.

Famem & charitatem annonæ auertere.

Plurimùm laudatur PRAXITHEÆ, THEOPÆ & EVBVLÆ, pectorum in patriam insignis pietas, quas apud Athenienses, pro salute & incolumitate ciuitatis in summa annonæ caritate Mineruæ occisas esse, fama est, populo eas tradente oraculo Delphico. Dicebat enim, aliter urbē seruari nō posse, nisi illę mactarentur: quod & factum est. In quarum honorē Leocorium, hoc est filiarū vel puellarū templum Athenis ædificatū est. Ælian. lib. 12. de Var. hist. Alij Leon Orphei filium harum puellarum parentem fuisse aiunt.

HALYATTIS cuiusdam amorem erga patriam, qui siccitatis amoliendæ causa filium suum ex oraculo interfecit, vide sub tit. Satis memorabilis.

Quum ingens rei frumentariæ Romæ esset penuria, POMPEIVS tum quidem annonæ procurator, re autem vera maris terræque dominus declaratus, in Africam, Sardiniam ac Siciliam nauigauit: multáque frumenti vi collecta, properabat ire Romam. Verùm cùm ingenti tempestate obortā nauicleri detrectarent nauigationem, ipse primus nauem ingressus, iussit anchoras tolli, clamans: Vt nauigemus viget necessitas, vt viuamus non viget. Significans, patriæ periclitantis habendam rationem potius, quàm priuatæ incolumitatis. Si quidem reipub. subleuandæ causa immori pulchrum est: ad patriam in extremo discrimine nostra cessatione deferi, turpissimum est. Hic monemur, non animalia bruta tantum omissa libertate venire in seruitutem, verumetiam homines indomitos fame domari. Docemur item, publicæ saluti priuatam incolumitatem postponendam esse. Roterodamus lib. 4. Apoph.

Pestilentiam coercere.

ANCHVRVS Midæ regis filius, cùm audiret ex oraculi responso terræ hiatum nequaquam coituru, qui multos homines quotidie absorbere circa Celænem Phrygiæ oppidum solebat, nisi res eo pretiosissimas conicerent, nihil in vita humana pretiosius anima existimās, datis gemmis auroque complexibus, & Timotheæ vxori, equum ascendit, inque hiatū terræ pro salute patriæ se præcipitem dedit. Testis est Callisthenes lib. 2. Metamorphoseon, & Plut. cap. 9. Parall. Similem historiam legimus de Curtio, generoso adolescente, apud Val. Max. lib. 5. cap. 6. apud Aristidem lib 11. Rerum Italicarum: & Plutarch. capite decimo. Parall. & Fulgosius libro quinto, cap. 6.

Cum Lacedæmonij Xerxis caduceatorem interemissent, grauique pestilentia laborantes, ob eam cædem morbo ill o se affectos arbitrarentur: existimantes ipsorum malorum se finem nunquam habituros, nisi prius pro cæde violatóque iure gentium Xerxi satisfecissent. Itaque edixerunt, Si quis pro patria mori vellet, is ad Ephoros (ita eorum magistratum vocabant) se conferret SPARTIVS, BVLIDESQVE (alij Bulē & Sperchē vocant) Lacedæmonij oblati se morituros, in Persidē vsque ad Xerxē profecturos: & rem ordine narrantes, propter quam ad ipsum fuerant, ad corrigēdam caduceatoris cædem, violatúmque ius gentium morituros se obtulerunt. Eam rem plurimum miratus Xerxes non solùm inuitat satisfactionem cum vita dono eis dedit, verum ingentibus quoque promissis apud se eos retinere contendit. Cui vterque respondit in hæc verba: Quā rem arbitraris, ô rex, tanti apud nos esse posse, vt à patria nos separi et cuingratia tam longū iter emensi, vitā ipsam effundere volumus. Fulgos. libro 5. capite 6.

Pyrcus insula, quū maxima laboraret peste, propter interfectum ibidē ab Athenien sibus aprum Dianæ sacrū, consultum oraculum respōdit: Finem mali futurum, si quis filiam immolasset numini. Vnus autem reperius est ENDRAVS, qui filiam solenni ritu ornatam sacrificauerit. Eras. in Chiliadibus.

Romæ, cùm in mediam partem fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsúmque esset, ea re illum tantummodo cōpleri posse, quo populus Romanus plurimum valeret: M. Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens, interpretatus vrbem Rom. virtute armisque, præsse excellere, militaribus insignibus ornatus, equū conscendit, eumq; vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit: sueper quem vniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, continuoque terra pristinum habitū recuperauit. Val. Max. lib. 5. cap. 6. & Aristides lib. 11. rerum Ital.

IN BONIS ET MALIS FORTVNÆ.

Felicitati consulere.

ARISTIDES, cùm multa pro patria gessisset, & ex ea tamen in exilium per inuidiam missus esset: precatus est deos, vt Athenien sibus, quæcunque cuperent, sic bene fauste que euenirent. Plutarchus in eius vita.

AFRICANI posterioris prudentē pietatē in pop. Rom. salute à dis roganda, pete ex tit. Vota *nuncupata*.

PAVLVS Æmilius ex quatuor liberis masculis, quos susceperat, duos antè dederat in adoptionem. Ex duobus autem qui remanserant in familia, alter V. ante triumphū diebus interiit, annos natus XIII: alter quinto post actum triumphum die, annos natus XII. Obid populo luctum ac mœrorem cum illo iungente, ipse prodiens ad multitudinem, dixit: Se post tam felices rerum successus, aliquid magni à fortuna expectasse nēque verò de patriæ incolumitate securum esse factum, nihilque timere pericu li, postea quam fortuna prosperè gestarum rerum inuidiam in suam domum impingere, ipse pro omnibus dependisset. Rot. lib. 3. Apoph.

FVRIVS Camillus cùm Romanos, Veios post captam & euersam vrbem migrare deliberantes, luculentissima oratione retinuisset, ad cœlum tollens oculos, deos precatos est vt si cui hominum deorumque nimia sua fortuna populique Romani videretur, vt eam inuidiam lenire suo priuato incommodo, quam minimo publico populique Romani, liceret. Quo dicto illico concidit, & paucos post annos pro salute pop. Rō. oppressus est. *sic patriæ bona auxit, & omnia Reip. mala volens in se trāstulit.* Liuius lib. 1. Dec. 1. Val. Max. lib. 1. de Omnibus.

Patriam restaurare.

ESDRAS propheta diuinarum rerum scientia, & sanctitatis opinione Xerxi Persarum regi insinuatus, primum illud nouitiumque à rege petiit, ac tenuit, vt ad vrbem & templū instaurandū cum suis popularibus ex Assyria liceret in Iudæam reuerti. Maiore fortassis pietate censendus, quàm qui vrbem ipsam condidit. Ille suorū commodū secutus videri potest, hic solius patriæ: ille vt esset effecit, hic vt extincta reuiuiscceret. Sab. lib. 8. capite 1.

ARISTOTELES, supremæ vitæ reliquias senilibus ac tugosis mēbris in summo literarū otio vix custodiens, adeò valenter pro salute patriæ incubuit, vt eam à Philippi armis solo æquatam, in lectulo Athenēsi iacens, & quidem Macedonum manibus, a quibus dissecta erat, eriperet. Ita vrbs non tam strata atque euersa Alexandri, quā restituta Aristotelis notum est opus. Patet ergo quàm benignæ quámq; profuſæ pietatis erga patriam omnium ordinum, omnis ætatis homines extiterint, sanctissimisque naturæ legibus nutricorum etiam exemplorum clara mundo suscripserit vbertas. Valer. Maximus libro quinto, capite sexto, & Ælian. libro duodecimo.

Bonæ administrationi politicæ consulere. Qui reip. causa priuatas inimicitias deposuerunt.

STASIPPVS Tegeates, hortantibus amicis vt grauem in administratione Reipub. æmulum, sed alioqui probum & ornatum virum, qualibet ratione vel tolleret, vel summoueret negauit se facturum, ne quem in tutela patriæ bonus ciuis locum obtineret, malus & improbus occuparet, sēque potius vehementi aduersario vrgeri, quàm patriā egregio adiuocato carere præoptauit. Val. lib. 4. cap. 1.

P. SERVILIVS & M. Lucullus priuata odia reliquerunt in administratione Reip. Rauiſ.

M. LEPIDVS pont. maximus, & M. Fuluius in censura collegæ, priuatas inimicitias ad patriæ vtilitatem posuerunt. Ibid.

Cùm aduersus Hannibalem Senatus CLAVDIVM Neronem, & L. Salinatorem Consules mitteret, cósque vt virtutibus pares, ita inimicitiis acerrimè inter se dissidentes videret, summo studio in gratiam reduxit, ne propter priuatas dissensiones Rempub. parum vtiliter administrarent. Quia consimili imperio, vbi concordia non inest, maior aliena opera interpellandi, quàm sua edendi cupiditas nascitur: vbi verò pertinax intercedit odiū, aliter alteri, quam vterque contrariis castris certior hostis proficiscitur. Val. lib. 7. cap. 2.

CRETINVS Magnesius bello Mithridatico aduersus ipsum Mithridatem delegit imperatorem Hermiam, quo cum tamē priuatas gerebat inimicitias: professus se interim iterum in exilium, ne quis tumultus ob duorum factionem subsequeretur. Quod si patria mallet Cretinum imperatorem quàm Hermiā, orauit vt interim exularet Hermias. Aduersarij modestia permotus Hermias, sponte exulauit.

M. Crassus & Pompeius quia Capitolini Iouis oraculo persuasum habuerunt, ad Rempublicam pertinere, vt eo consulatu abeuntes, quem discordi animo gesserant, cum fascibus odium & simultatem deponerent: in conspectu Romani populi inter se pacificati sunt. Sab. lib. 8. cap. 1.

Augere fines, & imperij terminos.

Cùm inter Carthaginem & Cyrenas de agri terminis pertinacissima contentio esset, ad vltimum placuit vtrinque eodem tẽpore iuuenes mitti: & locum in quem ij conuenissent, finem ambobus haberi populis. Verùm hoc pactum duo fratres Carthaginenses nomine Phileni perfidia præcurrere, ante constitutam horam maturato gressu longius promotis terminis. Quod cùm intellexissent Cyrenensium iuuenes, diu de fallacia eorum questi, postremò acerbitate conditionis iniuriam discutere conati sunt. Dixerunt nanque, sic eum finem ratum fore, si Phileni viuos se ibi obrui passi essent. Sed consilio euentus non respondit. Illi enim nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt. Qui quoniã patriæ, quam vitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, bene iacent, manibus & ossibus suis Punico dilatato imperio. Vbi sũt superbæ Carthaginis alta mœnia? vbi maritima gloria inclyti portus? vbi cunctis littoribus terribilis classis? vbi tot exercitus? vbi tantus equitatus? vbi immẽso Africæ spacio non contenti spiritus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philenorum egregij facti memoriã, ne patriæ quidem interitus extinxit. Nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali animo, ac manu, immortale quæri possit. Val. Max. lib. 5. cap. 6.

TRIGEMINI Romanorum Horatij, totidemque Albanorum Curiatij, quàm fortiter paucorũ sanguine pacem inter Romanos Albanosque, & patriæ imperium, suo tamen sanguine & vita reconciliarint, pete tum ex aliis omnibus qui de Romanorum historia scripserunt, tum ex Liuio lib. 1. Dec. 1.

Amicitiam & societatem exterarum gentium cum patriæ vtilitate contrahere.

AGESILAVS Lacedæmonius, quo nullus Græcorum ducum maiorẽ ex re bellica laudem reportauit, quicquid sibi gratiæ ab externis gẽtibus aut à ciuibus deferebatur, id omne in patriæ, quæ illi charissima fuit, vsum & ornamentum vertisse dicitur. Sab. lib. 8. cap. 1. Itaque cum rex Persarũ de contrahenda amicitia legatos ad eum misisset, respondit, fieri non posse vt sua priuati amicitia frueretur. Sin Lacedæmoniis cõmuniter omnibus amicus fieret, se quoque in amicitiæ ius venturum, inquit, quandoquidem in omnibus etiam ipse locum haberet. Ælianus de Varia historia libro 10. & Plutarch. in Laconicis.

Paupertati consulere.

Rom. fœminæ non vulgarem in patriam amorem & pietatem ostenderunt. Captis enim Veiis, cùm aurum mittendum esset Delphico Apollini propter decimas, quas in bello Camillus nouerat, nec facultas in publico esset: ornamenta sua in ærarium detulere, patriæ magis quàm suis commodis consulentes. Idem quoque fecerunt, cùm vrbs à Gallis redimenda esset. Platina lib. 1. de Optimo ciue: & Alex. lib. 4. cap. 8.

Romanæ matronæ secundo bello Punico, cùm Respub. Rom. infestis hostibus affligeretur, scirentque ærarium populi Romani bello exhaustum, sponte aurum & argentum aliáque ornamenta sua in ærarium contulerunt. Cuius rei gratia, vt festis profestisque diebus, dum ad sacra & ludos irent, carpento veherentur, à senatu datum est. Alex. ab Alex. libro 4. capite octauo.

Cùm secundo Punico bello exhaustum ærarium, ne deorum quidem cultui sufficeret, Publicani vltrò aditos censores hortati sunt, vt omnia sic locarent, tanquam Respub. pecunia abundaret: seque præstituros cuncta, nec vllum assem nisi bello confecto petituros polliciti sunt. Val lib. 5. cap. 6

DOMINI quoque eorum seruorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneuenti manumiserat, precia ab imperatore exigere supersederunt. In castris etiam non eques, non centurio stipendium sibi dari desiderauit. Viri ac fœminæ, quicquid auri argentive habuerunt, item Pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt: ac neque beneficio Senatus, qui muneribus his fũctos tributi onere liberauerat, quisquam vti voluit, sed insuper id omnes promptissimis animis præstiterunt. Non ignorabant enim captis Veiis, cùm decimarum nomine, quas Camillus vouerat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret, neque emendi eius facultas esset, matronas ornamenta sua in ærarium retulisse. Similitérque audierant, mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione Capitolij promissa debebantur, carũ cultu expleta. Itaque & proprio ingenio & exemplo vetustatis admoniti, nulla sibi in re cessandum existimauerunt. Ibidem.

In vrbe Genua, duce Ioanne Morta, cùm instruere classem necesse esset, neque ad instruẽdam classem è publico pecunia vlla in promptu esset, edictum propositum est: Si quis tunc priuata pecunia onus instruendæ classis subire vellet, intra breue tempus ei pro impensa, quæ facta foret, ciuitatem satisfacturam. Ea re moti nouem & viginti CIVES plebeij, quorum primarius Simon Vignosus fuit, singuli singulas triremes priuata pecunia instruxerunt. Cùm autem postea per Cycladas nauigarent, in publicam expeditionem, propter quam instructæ fuerant, non amplius necessariæ, quia ea tempestate Chius insula à Græcis tenebatur, petere eam, atque in eius imperium redire decreuerunt. Eo quoque tempore, in orientem Viennensis Delphinus tendebat: qui cùm Genuensem classẽ Chium petere velle intelligeret: Simoni dena aureorum milia annua, & aliis triremium dominis triginta milia, semel tantùm obtulit, ad resarciẽdam impensam, quam in classem fecerant, si ei vt insulã illam peteret permisissent. Quanquam omnib. ipsis integrum esset (neque enim amplius ciuitatis nomine classis tenebatur) conditionem quæ offerebatur accipere, tamen propter patriæ vtilitatem, Delphini postulata abnuerunt: & Chium profecti, ipsi insula vrbis Genuæ auspicio potiti sunt, Salutis anno trecentesimo quadragesimo sexto supra mille: atque insulæ prouentus sibi, ad impensam quam fecerant resarciendã, retinuerunt. Fulg. lib. 5. cap. 6

MICHAEL Maurocenus, qui postea dux in Andreæ Contareni locũ creatus est, omnibus exemplo esse poterit, quanta iusticiæ vis insit eorum animis, qui patriæ ipsi omni studio atque ope rectè semper consuluere: nihilque illi negatum vnquam esse voluere, quod necesse esset ad eius retinendam dignitatem. Is nanque ex Syria rediens, quum amplissimas opes ibi comparasset, Rhodum insulam cum iis appulsus incolumis, ibi accepit patriam ipsam, ex Genuensi bello, ipsa Clodia amissa, in summo posito esse discrimine, neque vllam eius seruandæ spem superesse. Quum igitur illum multi adhortarentur, vt diuenditis mercibus, ingentíque thesauro conflato, aliò se reciperet: Egóne, inquit, tam graue facinus & scelus hoc tempore ausim, vt laboranti tam grauiter patriæ desim? Diuendam igitur perlibenter omnia, & quicquid inde conflauero pecuniæ, id totum in patriæ salutem impendam. Mox celerrimè comparata naui, aurique & argenti copia succinctus, Venetias appulit: nec ducem patresque passus est celare consilium suum. Pecuniis igitur omnibus profusis, quæ magna ex parte summo vsui publicè fuere, meritò Contareno duci subrogatus est: vtinámque diu frui ea dignitate licuisset, siquidem intra menses quatuor obiit. Egnat. lib. 6. cap. 5.

Dedecus à patria auertere: Honorem patriæ tueri.

Tyrannide patriam liberare, vel non opprimere.

Huc refer Tyrannicidas.

THESEVS quamuis Ægei Athenarum regis (aut, vt placet Ciceroni & Plutarcho, Neptuni) esset filius, non grauatus est tamen deuouere se Minotauro, vt patriam seruitute eximeret. Catullus.

Ipse suum Theseus pro charis corpus Athenis
Proijcere optauit, potius quàm talia Cretam
Funera Cecropiæ, ne funera portarentur.

Thrasybulus, cùm Atheniensium vrbem triginta tyrannorum teterrima dominatione liberare cuperet, paruáque manu maximæ rei molem aggrederetur, & quidam è conscijs dixisset: Quantas tandem tibi Athenæ per te libertatem consecutæ gratias debebunt? Respondit: Dij faciant, vt quantas ipse illis debeo, videar retulisse. Quem affectum inclytum destructæ tyrannidis opus laude cumulauit. Val. Max. lib. 5. cap. 6. & Platina lib. 1. de Optimo ciue.

Aratus Sicyonius, vir admodum potens in patria, cùm vidisset patriam suam miserè à Nicocle tyranno affligi: motus pietate suorum conciuium, coactisque omnibus quos Nicocles in exiliũ egerat, noctu in vrbem per scalas mœnibus appositas ingressus, tyrannum metu spõtè profugere coegit, & patriam liberauit. Volater lib. 13. cap. 4. Anthrop.

Agesilaus filium suum Pausaniam inedia consumpsit, quòd quinquaginta auri talenta accepisset à Xerxe, vt Spartam proderet.

MÆANDRIVS, MÆANDRI F. scriba Polycratis Samiorum tyranni à Polycrate, ad Orœtem præfectum Sardium proficiscente spe auri potiundi, custos domi relictus, per insidias interfecto Polycrate ab Orœte, regnum iustissimè administrauit. Atque vbi de Polycratis interitu allatus est nuncius, ante omnia Ioui liberatori statuit aram, eique fanum in circuitu designauit. Deinde aduocata omnium ciuiũ concione, suasit illis, vt Democraticum Reip. statum amplecterentur, liberati iam à tyranno. At populus tumultuari, & interceptæ pecuniæ accusare Mæandrium cœpit. Itaque reputans fore, vt si imperium ipse deponeret, alius quispiam in eius locum tyrannus constitueretur, non deponendum sibi dominatum statuit: sed in arcem regressus, accitum vnumquenque eorum, tanquam rationem pecuniarum redditurus, comprehendit, alligauitque. Post hæc, dum hi in vinculis sunt, Mæãdrius morbo corripitur: quem decessurum credens frater suus, nomine Lycaretus, quo facilius Samiorum potiretur, omnes vinctos interemit. Neque enim videbantur velle liberi esse. Sic igitur coactus Mæandrius tyrannidem retinuit. Paulo pòst à Persis qui Sylosontẽ fratrem Polycratis reducebant, regno fuit pulsus. Herod. lib. 3.

Brutus, primus consul post exactos reges neque filiis in coniuratione deprehensis, neque sibiipsi pepercit, dum studio tuendæ patriæ, quàm è Tarquinij manibus vindicauerat, collatis hastis cum Arunte Superbi filio congressus est: vbi ambo mutuis vulneribus cecidére, sed diuerso nomine. Laudatus enim est Brutus, vt optimus ciuis, & bene de patria meritus ille, vt fortis hostis. Plinius recitat historiam lib. de Viris illustribus, & Platina lib. 1. de Optimo ciue, & Val. libro 5. capite sexto.

Genitio Cippo prætori paludato portam egredienti, noui & inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite eius subitò veluti cornua emerserunt. Responsúmque est, eum regem fore, si in vrbem reuertisset. Quod

Quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum sibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus præferatur, cuius testandæ rei capitis effigies ærea, portæ qua excesserat, inclusa est: dictáque Raudusculana, quòd olim Rauda ara dicebatur. Val. Max. lib. 5. cap. 6.

Genitius laudis huius successionem ÆLIO prætori tradidit: cuius dicenti, cùm in capite picus consedisset, arulpéxq; affirmasset, conseruato eo fore domus ipsius statum felicissimum, Reipub. miserrimum: occiso, in cõtrarium vtrumque cessurum: euestigiò picum morsu suo in conspectu senatus necauit: decem & septem militum familiam eximiæ fortitudinis viros Cannensi prælio amisit: Respub procedente tempore ad summum imperij fastigium excessit. Hæc nimirum exempla, Sylla & Marius & Cinna nunquam stulta irriserunt. Ibidem.

Patriam armis suis defendere

Consule tit. Fortitudinis bellicæ Imperatorum & Militum.

Qualehoc sit, aut quantum, quod patriæ debetur, vidit sagaciter fortis & sapiens DAVID: & quod magis miretur aliquis, nondum ex ephebis egressus: qui non solum pro patria, sed vniuersa gente, etsi amicis dissuadentibus, imò deterrentibus, Philistæo immanis staturæ viro sese obtulit, cũ quo Iudæorum nemo audebat ex prouocatione congredi. Subiit in certamen adolescens certo consilio, vt pro suorum salute, aut caderet, aut pestem illam immanem tolleret. Stetit pro tanta pietate in eo non tã robur corporis, quàm cœli prouidentia: vicit, qui alioqui vincendus fuit: & qui casurus descendit in certamen, victor ad regium est fastigium seruatus. Sab. lib. 8. cap. 1. & Egnat. lib. 5. cap. 6.

AIOTHVS Ægelonem Moabitarum regem solus adortus non esset, nisi patria illi fuisset charior vita: edidit itaque cædem tam insignẽ, quàm ad libertatem vindicandam vtilem. Virtus hominis fiducia ingens sed pietas multo fortius id facinus peregit. Sab. lib. 8. cap. 1.

Leonides rex Lacedæmonius, cùm trecentis aliis ad Thermopylas mortem vaticinio sibi denunciatam obierunt: & pro defensione Græciæ strenuè pugnantes contra Persas, perpetuam gloriã sibi pararunt. Ælian. lib. 3. de Var. hist.

EPAMINONDAS Thebanus, primus patriæ lumen noménque inter Græcos attulit. (Siquidem cum Lacedæmoniis congressus, multas victorias ex eis tulit) incertum an vir melior, an dux. Imperium enim nõ sibi, vt plerique duces, sed patriæ semper quæsiuit. Itaque cum mortiferum vulnus in Mantinensi pugna accepisset, delatus in castra viuus adhuc, Deiphantum accersi iussit, vt ipsum ducem declararet. Quem cùm occubuisse dicerent, rursus iussit Iolaidam vocari. Cùm verò ipsum etiam interfectum dicerent, suasit suis vt pacem cum hostibus & amicitiam facerent, eo quod nullum amplius ducem Thebæ haberent. Plurimum amauit suos Epaminondas, quorum curam in ipso quasi mortis agone habuit, consilium dans, etiam post fata sua Reipub. saluberrimum futurum. Ælian. lib. 12. de Varia historia, & Trogus lib. 6.

LACÆNA quædam filios, quos habebat quinque, postea quàm in bellum emiserat, ante suburbium stabat expectans, quis esset belli exitus Vt accessit quispiam nuncians, filios illius omnes occubuisse: Non istuc ait percontabar, ignauum mancipium, sed quid ageret patria? Is quũ respondisset, à patria stetisse victoriam: Libentur igitur, inquit, accipio filiorum interitum. Egregia mulier, priuatum in liberos affectum publicæ in patriam pietati posthabuit. Plut. in Lacon.

LACÆNA, cum filium in prælium misisset, & interfectum audiuisset: Idcirco, inquit, genueram, vt esset qui pro patria morte non dubitaret occumbere. Cicero lib. 1. Tusc. quæst.

QVÆDAM alia filium ad se venientẽ conspicata, percontata est quid ageret patria? is quum respondisset, Periere omnes: laterem coniecit in illum, occiditque dicens: Te igitur non misere mali nuncium? Vita putauit indignum, qui cum suis perire non sustinuisset. Plutarchus Apoph. Lacænarum.

Quis vnquam patria tantum ausus est, quantum Mutius Scæuola? qui sine spe vlla fallendi hostem, Porsenam Hetruscorum regẽ ferro petiit, vt Romam seruitutis periculo eximeret. Quid quod consilio destitutus, atrociter in semetipsum sæuiit? vt rex illi iure iratus, sæuire desierit, supplicij atrocitate motus. Sab. lib. 8. cap. 1.

Non est extinctus pro Repub. superior SCIPIO Africanus: sed admirabili virtute, ne Respub. extingueretur, prouidit. Siquidem cùm afflicta Cannensi clade vrbs Rom. nihil aliud quam præda victoris esse Hannibalis videretur, ideóque reliquiæ prostrati exercitus deserendæ Italiæ, auctore Lucio Metello consilium agitarent, tribunus militum admodum iuuenis, stricto gladio mortem vnicuique minirando, iurare omnes, nunquam se relicturos patriam, coegit: pietatemque non solùm ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem reuocauit. Val. lib. 5. cap. 6. & Sab. lib. 1. cap. 4. ex Liuio & Plut.

TER. Varronem Patres collaudarunt, quod post Cannensem cladem, de salute patriæ non desperasset, sed rebus adhuc strenuè gerendis adesset, ducem se præbiturus acerrimũ, vsurúsque legibus & ciuibus, qui hus patriam se defendere confideret. Plut. in vita Fab. Max.

Cum Syllano bello Pompeius Mutinæ M. Bruti patrem occidisset, & bello, quod postea inter Cæsarem Pompeiumq; ortũ est, videret Brutus Cæsarem eniti, vt patriã opprimeret, pluris patriæ quàm suam fecit iniuriam. Itaque patriæ, quod à Pompeio acceperat, iniuriam cõdonauit: atque in ipsius partes, quem nunquã ad id tempus alloquio dignatus erat se contulit. Fulg. lib. 5. cap. 6.

ORDELAPHVS Faletrus dux Venetorum, non defuerat principatus sui initio, Christianis rebus in Syria laborantibus. Patauinos memorabili prælio vicerat ad Bebiam turrim, sed & ipsum Illyrium omne Veneto imperio sua virtute adiecerat: cũ postremò, ne patriæ suæ vnquã deesset. in ipsa acie fortiter pugnans, pro Iaderæ mœnibus aduersus Pannonas mortem oppetiit. Qua pietate sic omnia vitæ officia in eo enituère, vt nihil Ordelapho Faletro duce laudabilius, nihil gloriosius hodie viuat Egnat. lib. 5. cap. 6.

ANDREAS Contarenus dux, iam octuagenarius, Glodiam à Liguribus captam media hyeme obsedit, & tandem expugnauit. Nec ætas, nec temporis difficultas animum illius à patriæ defensione auertere potuerunt. Egnat. lib. 5. cap. 6.

VICTOR Pisanus Ligustico bello, à Genuensibus ad Polam superatus, interfecto tamen eorum Imperatore Luciano Auria, domum reuersus & carceri inclusus, toto biennio, vix tandem populi concursu liberatus, in Caroli Zeni absentia rei maritimæ præficitur: in qua tam strenuũ se præbuit, vt Clodiam receperit. Mox Ligurus ad Iaderam insequens, & duodecim frumentarias naues magna contentione persequens, in litore Sipontino summo omnium mœrore diem suum clausit. Venetias relatus ad D. Antonij ædem, iuxta aram maximam, marmoreo auréóque monumento & statua quoque ornatus reponitur. Egnat. lib. 5. cap. 6.

Bellum patriæ non inferre, patriam non vlcisci.

Consule tit. Clementiæ erga patriam.

Themistocles (quem virtus sua victorem, iniuria patriæ Imperatorẽ Persarum fecerat) vt se ab oppugnanda patria abstineret, & Xerxi quoque, ad quem confugerat, fidem seruaret: instituto sacrificio exceptũ patera sanguinem hausit, & ante ipsam aram quasi quædam pietatis clara victima concidit. Quo quidem tam memorabili eius excessu, ne Græciæ altero Themistocle opus esset, effectum est. Valer. Maxim. libro 5. cap. 6. & Suidas.

PHOCION Atheniensis Phoci filius, non tantum sæpe multúmque suam operam in bellis patriæ præstitit: sed cùm ab ingrata patria morti adiudicatus, cicutam iam biberet, filio nunciari dixit, ne ob eius mortem patriam odio haberet, sed ab omni vltione desisteret. Ælian. lib. 12. de Varia historia.

Clarè Rutilius, quanta ipsius in patriã charitas esset, ostendit. Nam cùm exulem ipsum amicus moneret, parari ciuile bellum, vnde reditum in patriam breui sperare posset: respondit ei, Quibus te incommodis vnquam affeci, quod mihi maiori acerbitate reditum in patriam quam inde profectus sim exoptare ostendis? Ciuium enim meorum quietem pluris, quàm reditum meũ facio: malóque vt exilij mei eos pudeat quàm vt propter reditum meum patria defleat. O verè Romano homine dignum verbum. Fulg. lib. 5. cap 6.

A patria non deficere.

C. Fabricius, missus ad Pyrrhum legatus de redimendis captiuis, vt patriam desereret, magnis pollicitationibus ab eo frustra inuitatus est. Liuius libro 14. & Palatina lib. secundo, de Opt. ciue.

Ad bellum patriam non excitare.

FL. VAL. Zeno, Constantinopolitanus Imperator, cùm apud Chalcedonem bellum gereret, vt accepit ab Verina socru, fratrem Basiliscum Imperatorem esse creatum, etsi permulti Constantinopolim redire hortarentur, spe data armis in imperiũ redituri (quia ea res permultis in vrbe molesta acciderat, sumpturos se pro eo arma pollicebantur) patriæ charitate motus, cuius quietẽ imperio potiorẽ ducebat, respondit: Nolle vt suã gratia inter ciues arma mouerentur. Atque vt omnes suspicione liberaret, in Isauriam se recepit. Vnde haud multo pòst depulso Basilisco populus eum reuocauit, atque imperio restituit. Rarum profecto exemplum, & cuius memoria celebretur dignum: pluris patriæ quietem, quàm imperium facere, quod à multis etiam vitæ præpositum fuit. Fulgosius libro quinto, capite sexto, & Egnat. lib. 5. cap. 6.

Intercessione, Compositione patriam à bello liberare.

Inhabitantes Miletum Iones, commota seditione aduersus Nelei posteros, discesserunt in Myuntem, atque inde bellum inferebant. Non tamen inexpiabile bellum hoc fuit, sed in festorum solennitatibus coibant. Pythi viri clarissimi filia Pieria, cũ festũ apud Milesios celebraretur, quod Meleidẽ appellant, Miletũ profecta est. Ex Nilei posteris vnus nomine Phrygus, amore Pieriæ captus, rogabat quídnam potissimũ ei gratũ accidere posset: Mihi, inquit illa gratissimũ fuerit, effici vt quàm sæpissimè & cum quãplurimis in hunc locũ venire liceat. Intellexit Phrygius, eã pacem & concordiam ciuium velle, bellúmque sustulit. Celebris igitur erat Phrygij & Pieriæ amor, qui pacẽ pro bello præbuisset. Polyæn. lib. 8.

Fœdus cũ Ptolemeo Ægyptio rege Cleomenes Spartanus rex aduersus Antigonum Asiæ regem atque Achæos iniuerat, Matrémque ac filiũ mẽsuræ cum eo fidei, id est, ipsum sine eo pacem cum hoste non facturum,

obsides dederat. Cùm autem mater eius resciuisset, Cleomeni pacem Achæos honestissimis cōditionibus offerre: scripsit, ne propter vetulæ corpus eam pacem omitteret, quam patriæ honestam salutaremque duceret. Maiore animo, quàm pro fœmine captu, vitam pro patria obtulit. Fulgos. lib. 5. cap. 6.

VETVRIA & Volumnia pro patria apud Coriolanum intercedunt. Vide tit. Obedientiæ filiorum.

Mamertinos, quòd hostium partibus adhæsissent, vniuersos intersicere statuerat Cneus Pompeius. At Sthenius, eius ciuitatis princeps, Pompeiū adiit his verbis: Non æquum facis Pompei, qui propter vnum noxium, multos innoxios occidere pares: atqui ego ipse sum ille, qui & amicis persuasi, & inimicos coegi Marianas sequi partes. Hic Pompeius viri fortis animum admiratus, dixit: se ignoscere Mamertinis à tali persuasis viro, qui patriam suæ ipsius vitæ antetulerit, simul & ciuitatem & Sthenium liberauit. Eras. lib. 4. Apoph.

Capta Tyana vrbe Asiæ, quæ rebellauerat, Aurelianus Imperator, dum solus in tentorio irarum plenus de ea euertenda cogitaret, coram oblatū sibi non sine magno horrore Apollonium Tyaneum philosophum vidit, qui diu antè mortuus erat, ceu crudelia quæ agitabat damnātem: & nisi ea omitteret, mala interminantem. Cuius rei miraculo motus Aurelianus, euertendæ vrbis propositum omisit. Fulg. lib. 1. capite sexto.

Imminebat Athaulphus Gothorum rex, excidio vrbis Romæ, à se captæ, vt ea direpta & euersa aliam alio loco conderet, quam Gothiam pro Roma: Athaulphos, qui in ea imperitarent, pro Cæsaribus appellaret, vt per hæc omnis Romani nominis memoria intercideret. Cæterùm precibus tempestiuàque Placidiæ coniugis (erat hæc Honorij principis soror) dissuasione, proposito auersus, tantum absuit vt dirum id consilium sit executus, vt instaurator vrbis dici voluerit, non euersor. Sab. lib. 8. cap. 1. & Egnat. lib. 5. cap. 6.

Extat Frācisci Danduli exemplū ad posteros memorabile: quippe qui vt patriā ab ignominiosa Pōtificis cēsura vindicaret, diu humiliter prostratus iacuit ad Clemētis Rom. pōtificis mensā, cathenis vinctus. Sed patria cum eo mutua pietate certauit, suumque ciuem tanto sublimius extulit, quanto ille abiectius se, & contemptibilius gessit. Sab. lib. 8. cap. 1.

Sacrificiis & deuotione suiipsius saorūmue patriam à bello liberare.

Cùm Erechtheus graui bello cum Eumolpo contenderet, aleorum responsis monitus est, victoria de hoste potiturum, si propriam filiam immolasset. Patriæ igitur charitate incensus, vxori Praxitheæ rem communicauit, peractoque sacrificio victor euasit, se prius quàm hoste superato: paternum enim in filiam animum, charitatis in patriam magnitudine vicit. Fulg. lib. 5. cap. 6. ex Plut. cap. 40. Paral.

Protogenia & Pandora filiæ Erechthei Athenarum regis, ingruente Bœotio bello, se pro patriæ salute vltrò iugulandas obtulerunt, & immolandas. Quod factum est in pago Hyacintho, vnde & virgines Hyacinthides sunt cognominatæ. Rauis.

Aristodemi regis Messeniorum pietatem erga patriam, qui propriam filiam deuouit, pete ex tit. Oraculorum clarorum victoriæ.

Arguis Thebas obsidentibus, MENOECEVS Thebanus pro patriæ salute se è muris præcipitem dedit, gladio iam perfossus. Statius libro decimo sexto.

—Insignémque animam mucrone corusco
Dedignantem artus pridem, mæstámque teneri
Arripit, atque vno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, & mœnia lustrat,
Séque super medias acies nondum ense remisso
Iecit, & in sæuos cadere est conatus Achiuos.

Atheniensibus bellum intercedebat cum Peloponnesiis. Oraculum victoriam Atheniensibus pronunciarat, si regi ipsorum à Pelopōnesio mors afferretur. CODRVS erat Atheniensium rex. Hostes cùm resciuissent oraculum, commune edictum proposuerunt, vt in prælio omnes à Codro manus abstinerent. At ille (nam erat vespera) sarmentarij habitu progressus à fossa, ligna secabat. Venerant autem etiam Peloponnesij lignatum. Cum his Codrus pugnam incipit, ita vt extenta falce vulneribus eos afficeret. Illi superantes, falcibus eum confecerunt: atque cum gaudio discesserunt, quasi strenuo facto facinore. At Athenienses clamore sublato (quid enim moram traherent impleto vaticinio?) ita & robore maiori in prælium procedunt: & ante pugnam misso præcone, corpus regis ad sepeliendum repetebant. Pelopōnesij re cognita, in fugam versi sunt. Athenienses parta victoria, Codro decreuerūt heroices honores, quòd hostes propria morte expugnasset. Polyæn. lib. 1. & Val. lib. 5. cap. 6. & Socrates lib. 2. de Thracibus: qui non cum Peloponnensibus, sed cum Thracibus hoc bellum fuisse asserit, & Plut. cap. 36. Parall.

RHEACES equiso, vt Saccas conciues suos liberaret quomodo Darij exercitum, in desertas solitudines deductum, fame & siti confecerit, leges in Stratagematis, Fame & siti hostem conficere. Ex Polyæni lib. 7.

P. DECIVS Mus, qui consulatum in familiam suam primus intulit, cùm Latino bello Romanam aciem inclinatam penè iam & prostratam videret, caput suum pro salute Reipub. deuouit: ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit: factáque ingenti strage, plurimis telis obrutus super corruit. Ex cuius vulneribus & sanguine, insperata victoria emersit. Val. lib. 5. cap. 6. & Plut. cap. 37. Parall.

Vnicum talis imperatoris specimen esset, nisi animo suo nominique respondentem filium genuisset. Is namque in quarto consulatu Q. Fabij collega aduersus Gallos & Samnites, patris exemplum secutus, deuotione simili, æque strenua pugna, consentaneo exitu labentes perditásque vires vrbis correxit. Itaque dignosci arduum est, vtrum Romana ciuitas vtilius habuerit Decios, an amiserit: quoniam vita eorum ne vinceretur, obstitit: mors fecit, vt vinceret. Val. lib. 5. cap. 6.

Cùm C. MARIO cōsuli aduersus Cymbros prouincia esset designata, in somnis monitus est, de hostibus victoriam reportaturum, si filiam Calphurniam sacrificasset. Id egisse eum, Dorotheus Græcus libro tertio Italicarum rerum tradit. Cymbrorum quidem victorem euasisse, nulli qui eius gesta legerit, dubiū est. Fulgos. lib. 5. cap. 6. ex Plutarchi cap. 41. Paral.

Bono consilio & admonitione patriam in bello iuuare.

Quo tempore contra Naxios Milesij cum auxiliaribus copiis profecti sunt, vallóque ante ciuitatem extructo regionem exciderunt, prohibitis insuper Naxiis ne custodias egrederentur: eo tempore virgo nomine Polycrita, circa numen quoddam in Delio templo, quod prope ciuitatem erat, relicta, Erythræorum ducem Diognetum in amorem sui traxit, qui sanè domestica facultate potens auxiliarius erat Milesiorum. Is itaque multo eius desiderio captus, legationem misit ad illam: non enim fas erat, supplicem puellam, maximè in templo, vi cogere. Illa autem aliquādiu legatos non admittebat. Quum verò plurimùm instaret, dixit se non persuaderi posse, nisi iuramento præstito effecturum se polliceretur, quicquid tandem ipsa vellet. Diognetus autem nihil tale suspicatus, valde promptè iurauit per Dianam, se præbiturum quicquid tandem cuperet. Facto itaque iuramento, apprehendit eum manu Polycrita, ac meminit de prodenda regione: suppliciter planè precata, quo eius misereretur, imò calamitatum totius ciuitatis. Diognetus audito sermone obstupuit, ac quasi extra se positus fuit: extractáque machæra, puellam penetrare parabat. Verùm æstimata apud se eius benignitate, quum simul vinceretur ab amore, oportebat etiam, vt verisimile est, Naxios à præsentibus malis liberari: tunc quidem nihil respondit, consultans quid faciēdum esset. Sequēti autem die despondit se proditurum. Et quum post triduum Milesiis festus instaret dies Targœdiorum, in quo multum meri insumunt, ac maximos sumptus faciunt, eo sanè tempore apparabat prodere regionem. Et statim opera Polycrites impositam in panem plumbeam epistolam fratribus puellæ transmittit (erant enim hi vrbis præfecti) vt illa ipsa nocte parati veniant. Signum eius fore ardentem faculam, quam seipsum erecturum promisit. Polycrita autem eum cui panem deferendum dabat, fratribus dicere iussit, ne quid dubitarent: futurum vt res ad exitum perducatur, modò ipsi nihil cunctarentur. Nuncius ergo quum confestim in ciuitatem venisset, Polycles Polycritæ frater multa sollicitudine angebatur, fidem ne præstaret epistolæ, an non: postremum verò, quum omnes obsequendum esse censerent, & instaret nox, in qua iussi erant venire, supplices antea diis facti, suscipientibus eos his quorum præfectus erat Diognetus, irruunt in præsidium Milesiorum: aliqui quidem per apertam portā, aliqui autem transgredientes vallum. Sicque aceruatim intra propugnaculum existentes, Milesios occiderunt. Vbi sanè & per ignorantiam occisus est Diognetus. Porrò sequēti die omnes Naxij magno desiderio puellam certatim honorare cupientes: alij vittis, alij cingulis eam circundederunt, ita vt puella pondere eorum quæ iniiciebantur, oppressa suffocaretur. Quare ipsam publicè in campo sepelierunt, quum antea ei singulis victimarum omnium centenariis parentassent. Aiunt autem aliqui, Diognetum esse in eodem loco cum puella, apparatu scilicet Naxiorum. Parthen. de Amat. ex Andrisco de Rebus Naxiis.

Demaratus Lacedæmonius dux, cùm exularet apud Athenienses, bellique contra patriam apparatum videret, clàm Lacedæmonios suos certiores fecit. Volat. lib. 15. Anthrop.

M. Attilius Regulus, captus à Carthaginensibus, iurauit eis, si dimitteretur, se persuasurum senatui, vt bellum componeret: sin persuadere non posset, reuersurum. Cùm Romam venisset, contrarium senatui suasit. Tū verò magis etiam, quòd Carthaginensium occultam imbellicitatem, & modum quo capi facilius possent, ostendit. Senatu eum hortante, vt maneret, & necessarium iuramentum, iniuratum existimaret, complectentibus liberis, coniuge, amicis, cognatis: noluit fidem iurisiurandi transgredi. Sed nauigans ad Carthaginenses, suum eis stratagema, & Romanorū consilium pariter indicauit: qui eum in carcerem coniectum, verberibus affecerunt, & longo tempore cruciatum necarunt. Polyænus lib. 8.

PINDARVS Melanis filius, Halyattis Lydi ex filia nepos, suscepta Ephesiorum tyrannide, in suppliciis sumendis asperum & inexorabilem se præbuit, in reliquis benignus ac sapiens visus est: magnámque curam adhibuit, ne in Barbarorum seruitutē patria redigeretur. Hæc ita sese habere, illo facto declarauit. Cùm enim Crœsus ipsius auunculus ex matre totam Ioniam subegisset, legationem ad Pindarum misit, Ephesios in suā potestatem tradi postulans. At cùm non permitteret, Crœsus vrbem obsidione cinxit. Cùm autem turris quædam subuersa cecidisset, quæ in posterum Proditrix appellata est, & præ oculis damnum cerneret: consilium dedit Ephesiis Pindarus, vt ex portis & turribus funes ad columnas templi Veneris alligarent, ac vrbem quasi anathema Veneri esse finerent: per hæc securitatem Epheso præstans, & suasit, vt ipsi Lydum adirent, ac pacem expeterent. Exponentibus igitur preces Ephesiis, risisse Crœsum aiunt:

neque molestè hoc industrium factum accepisse, & Ephesiis concessisse libertatem: sed ea conditione atque lege, vt Pindarus ciuitate excederet. Qui nihil contradixit: amicis, qui secum discedere vellent, assumptis, filium & vniuersas substantias ciuitati commisit: & vni ex familiaribus Pasicli tum filij tutela, tum bonorum cura delegata, discessit in Poloponnesum, regium viuendi splendorem cum spontaneo exilio commutans, ne patria sub iugum Lydorum mitteretur. Ælian. de Varia historia lib. 3.

MAGISTRATIBVS OBEDIRE.

Consule titulum Authoritatis in obediendo, sub loco Bonorum *fortunæ.*

EXTRA BELLVM.

Iudæi CHRISTVM opt. max. vt in responso caperent, de numismate consuluerunt: rogantes an liceret dare censum Cæsari? tum ille Cuius est numismatis huius inscriptio? Cæsaris, aiunt. Ite igitur, & quę Cæsaris sunt, reddite Cæsari: & quæ Dei, Deo. Docuit cœlestis illa & æterna sapientia, iustitiam esse scientiam quandam, quæ quod suum sit, reddat vnicuique. Sab. lib. 4. cap. 4.

Apud PERSAS regi gratias agit, qui flagellari ab eo iussus fuerit, tanquam bene secum sit actum, quòd rex sui memor fuerit. Stob. serm. 42.

PERSÆ filijs suis tradebant, in primis præcepta parendi magistratibus: ad quæ discenda multum conducebat, quòd seniores intuerentur parere magistratibus magno studio. Xenophon in Cyripædia, & Stob. serm. 42.

Cùm Lacedæmoniorum regi dictum esset, eo tempore bene Lacedæmonijs esse, quòd bene regere reges didicissent: prudentissimè is respōdit, Id potius accidere, quòd populi parere didicissent. Eo enim verbo ostendit, bonam popularium vrbium administrationem, non tam in principum regimine, quàm in populorum obedientia consistere. Nam si populi in diuersum à principibus traherentur, difficillimum arbitrabatur esse, vt principes bene regere possent. Fulg. lib. 7. cap. 2.

ASSASINI gens Persica in Syria, ad montem Antilibanum ad 60 millia, nihil antiquius habebant quàm regi, quem sua lingua Senem vocabant (teste Egnat. libro quinto capite sexto. Fulgosus veterem appellatum scribit) obedire. Itaque cùm illuc publica fide accepta profectus esset Henricus, Campaniæ comes, & ab Antiochia Tyrum versus iter haberet, horum populorum princeps vt hunc obediendi morē Henrico præsente declararet, ostensis in altæ turris summitate aliquot hominibus, vnum nominatim euocauit: & is nulla mora facta, in ipsorum conspectu à turri se demisit, qui ex casu detritus statim vitam finiuit. Et cùm alios etiam vocare vellet, Comitis precibus, qui totus admiratione simul atque horrore obstupuerat, vix retentus fuit. Adeò populi illi sola religione moti, vitæ suæ prodigi sunt. Fulg. lib. 1. cap. 1.

VITOLDVS, qui patrum memoria latè regnauit in Lituania (fuit is Vladislai frater, qui in Turcos memorabile bellum gessit) tanta inter suos fuit autoritate, vt multi mortales ab eo iussi, sine carnifice vitam finiuerint. Sed metus hic fuisse videri potest, non officium. Mira sunt, quæ de eius crudelitate memoriæ prodita sunt. nam & sontes vrsinis pellibus inuolutos canibus laniandos obiecisse dicitur, & in expeditionibus arcum semper intentum habuisse: vt si quis ordine aberrasset, eum sagitta configeret. Sab. lib. 6. cap. 8.

IN BELLO IMPERATORI OBEDIRE.

Quidam CYRI militum in acie, cùm strictum iam ensem in hostem esset infixurus, dum interim signum datum est, receptui canens, non infixit. Roganti verò cuidam, cur hostem, quem in potestate habebat, non occidisset: Quoniam, inquit, melius est parere imperatori, quàm occidere. Exemplum disciplinæ militaris, à qua, immane, quantum recesserunt, qui sub belli titulo mera exercent latrocinia, Olim nō licebat ferire hostem, nisi tuba dedisset signum: eadem simul atque cecinerat receptui, homicidij crimen erat, hostem interemisse. Eras. lib. 2. Apoph.

CLEARCHVS Lacedæmoniorum dux dicebat, Imperatorem magis, quàm hostem à militibus metui debere. Significans, eos qui in prælio dubiam mortem timuissent, certum (si deseruissent) manere turpissimum supplicium. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Front. lib. 4. cap. 1.

Cùm VETERANI tumultuosius missionem ab Alexandro Magno efflagitarent, sensissentq; ob eum tumultum alienatum à se regis animum: etsi satis honorificè dimittebantur, multum diu ambiuere ante eius tabernaculum cum mœrore & luctu prostrati, vt in ordinem restituerētur. Sabel lib. 6. cap. 8.

Habuit sub signis suis Hannibal, cùm bellum in Italia gessit, Aphros, Numidas, Mauros, Hispanos, Baleares, Gallos, Ligures, & Italici nominis numerum ingentem: tanta tamen horum omnium fuit in ducem pietas, vt nullus in tanta hominum colluuie, tam longo bello, tam varijs euentibus, contra Hannibalem insurrexerit. Sabellicus libro sexto, capite octauo. Exemp.

MANLIVS filius, exercitu pro se aduersus patrem seditionem parante, negauit tanti esse quenquam, vt propter illum disciplina corrumperetur: & obtinuit vt ipsum puniri permitterent. Front. lib. 4. cap. 1.

SCÆVOLÆ, qui miles fuit C. Iulij Cæsaris, fortitudinem & obedientiam, vide sub tit. Fortitudo bellica militum.

SCIPIO Maior in Sicilia percontanti cuidam, qua re fretus classem educere pararet in Africam: ostendit viros armatos trecentos, sese exercentes: præterea turrim excelsam mari imminentem, & ait: Nullus horū est qui non conscensa turri semel in mare præcipitaturus sit, si iussero. Sentiens, non perinde referre, quàm numerosam educas multitudinem, modò fortis dux educat exercitatos, & dicto audientes. Plutarc. in Rom. Apoph.

FIDEM MAGISTRATVI DATAM SERVARE.

EXTRA BELLVM.

Non tulit seruitij nomen ANVS illa Ebronita, fuit tamen nihilo secius serua, quia sub Saulo superbissimo viuebat: oraculo tamen edocta, fore vt postridie illius diei Saulus rex, cum filijs eo prælio caderet, quod cum Philistæis instabat, iacentem & afflictum regem consolata est: saginatúmque illi vitulum apposuit, vt non solùm animum, sed affectum etiam corpus reficeret, magis pristinæ quàm præsentis fortunæ memor. Sab. lib. 3. cap. 8.

SPVRIVS Carbilius, cùm vxorem duceret, Censoribus iurare coactus est, vxorem se liberorum habendorum gratia habiturum. Verùm cum postea ex sterili vxore liberos procreare nequiret, primus fuit qui vxorem sibi charissimam apud Romanos repudiauit, ne iuramento non satisfacere diceretur. Dionys. Hal. lib. 2. Gell. libro 4. cap. 3. Plut. in Numæ vita. Val. Max. lib. 2. de Instit. antiq.

Reginus à triumuiris proscriptus, atque hostis iudicatus. (capitale autem sine nulla veniæ spe habebatur, si quis proscriptum hospitio iuuaret, aut cùm posset non caperet: & contra, proscriptorum percussori ingens præmium propositum) fugam adornans, asinum frondosis fascibus onustum agebat: iámque ad vrbis portas vt egrederetur peruenerat, cùm illic à MILITE cognitus est, qui aliàs sub eo militauerat. In eum non modò militem puduit manus inijcere: verùm vt ducem suum sicuti olim fuerat, salutauit, fugiendíque inde viam dedit. Plus enim apud militem sanctus pudor, quàm mortis metus aut præmiorum spes valuit. Fulgosus libro quarto capite quinto.

Cùm L. Atracino (sub quo duce aciem Rom. apud Ferruginem à Volscis inclinatam cum cæteris equitibus trib. pleb quatuor correxerant) diē ad populum L. Hortensius collega tribunorum dixisset: pro rostris tres Tribuni iurauerunt, in squalore se esse, quoad Imperator ipsorum reus esset futurus. Non sustinuerunt enim egregij iuuenes, cuius armati periculum vulneribus & sanguine suo defenderant, eius togati vltimum discrimen potestatis insignia retinentes intueri: qua iustitia mota concio, actione Hortensium desistere coegit. Val. lib. 6. cap. 5.

PARTINAX Romanorum imperator, cùm à seditioso milite ab alijs instigatus militibus interficeretur, solus electus, qui nunquam Pertinacem deseruit, quo ad potuit, opem tulit, ac plerosque milites vulnerauit: ac cum Imperatore trucidari, quàm in conspiratorum sententiā ire maluit. Xiphilinus in Pertinace.

ALPHONSVS Aragonū rex, cùm argueretur, quòd pro more nullis stipatus armatis, solus obambularet, regiæ maiestatis immemor, respondit: Non opus esse vt is sibi timeat, qui ciuium suorum beneuolentiam satis perspectam habeat. Panorm. libro secundo de Alphonsi rebus gestis.

Alphonsus Aragonius rex, cùm Viracam Alphonsi sexti Castulonensis regis filiam vxorem duxisset: cum ea, quod parum pudicè viueret, diuortium fecit. Ad eam Castulonensis regni, per patris mortem, hæreditas obuenerat, & communi nomine eam cum viro possederat. Cæterùm cum dimissa in paternum regnum se recepisset, præfectos munitorum locorū, qui Castulonensi regno fidem obstrictam habebant, sibi soli, tanquam patris hæredi, in posterum parēre voluit. PETRVS Aleres comes Castulonensis, qui Aragonio Alphonso multo antè fidem dederat, rationem iniuit, qua vtrique fidem datam seruaret. Loca enim munita, & alia quæ in manu sua habebat, Viracæ dedit, cùm iure ei quæ patris erat hæres, deberentur. At verò Aragonio quoque Alphonso pro fide, quam ei dederat, satisfaceret: insigni Comitum veste amictus, mane ad eum profectus est, cùm omnis purpuratorum numerus adesset: & reste in collum accepta, regi dixit: Loca omnia quæ fidei meæ credita erant, quia in Castulonensi regno posita, reginæ Viracæ, vt pote quæ mihi domina est, hæreditario iure debebantur, ab ea iussus tradidi. Verùm vt nosti, cùm eam duxisti vxorem, tibi quoque fidem pro eis locis sacramento obstrinxi. Itaque pro ea tibi fide corpus meum, manúsque illas quæ iurauerunt, præsens assigno, vt pro æquitate ac iusticia tua de me statuas. Quam rem cùm rex omnésque qui astabant non sine ingenti admiratione audiuissent, Petrus iuramento solutus est quoniam eum omnes, pro vtriusque fidei nexu, satisfecisse indicarunt. Fulgosus lib. 6. cap. 6.

IOANNIS Altauillæ fidem erga regem suum Ferdinandum, pete ex tit. Pudoris.

IN BELLO.

Exempla pete ex tit. Fidei bellicæ præmia.

Separatus omnis Israel à Dauid, secutúsque est Sebam filium Bochri Viri autem IVDA adhæserunt regi suo constanter. 2. Reg. 20.

Erat DAVIDI adeò infensus rex Saulus, vt nullus in tota Iudæa esset locus ab regis infectatione, non illi infestus. Cæterùm cùm sæpe regem iniuriæ obnoxium habuisset, maluit regiæ vestis laciniam rescindere, quàm ceruicem: & dormienti vrceum potius adimere voluit, quàm caput. Sab. lib. 3. cap. 8. ex 1. Reg. 20.

Noluerunt VIRI Dauid, vt ipse exiret cum eis ad prælium, dicentes: Tu vnus domine pro decem milibus computaris, non autem egredieris nobiscum ad prælium, ne extinguas lucernam in Israel. 2. Reg. 18. & cap. 21.

VRIAS Ethæus nolebat esse in delicijs, quandiu Ioab dominus suus laborabat in exercitu. 2. Reg. 11.

Cùm fugeret Dauid à facie Absalon, dixit illi ETHAI: Viuit Dominus, quoniam in quocúnque loco fueris, domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus. 2. Reg. 15.

Scythæ, cùm Darius illorum regionem inuasisset, & omni cõmeatu destitueretur, cupientes eum ad internecionem cædere: cum IONVM principibus, qui pontem in Istro custodiebant, colloquuti, persuadere illis conabantur, vt pontem soluerent, ne Dario fuga pateret: quòd hac ratione & ipsi seruitutis iugum, quo à Dario premebantur, excutere possent. De hac re consultantibus Ionibus, Miltiadis quidē Atheniensium ducis, & Chersonensium qui sunt in Hellesponto tyranni sententia erat, Scythis obtemperandum esse, & Ioniam seruitute liberandam. At Histiæi Milesij diuersa, quòd diceret, nunc quidem eos suæ quenque vrbis tyrannos esse, ob Darium: potentia verò Darij sublata neque se Milesiis, neque alium quēquam vsquam præesse posse. Fore enim, vt singulæ ciuitates popularem statum, quàm tyrannicum, mallent. Hanc sententiam cùm dixisset Histiæus, omnes cõfestim, qui Miltiadi assensi fuerant, in eam transierunt. Itaque hoc sibi agendum censuerunt, vt pontem quidem ab vlteriore ripa eatenus soluerent, vt extra sagittæ iactum essent, ne nihil facere viderentur cùm tamen nihil facerent, ne ve Scythæ vim afferre tentarent. Cùm igitur Darius ad Istrum venisset, Histiæus ponte refecto, Darium cum suis incolumen traduxit. Herod. lib. 4.

Post duorum in Hispania Scipionum, totidémque Romani sanguinis exercituum miserabilem stragem, SAGVNTINI victricibus Hannibalis armis intra mœnia vrbis suę compulsi cùm vim Punicam vlterius nequirent arcere, collatis in forum, quæ vnicuique erant charissima, atque vndique circundatis accensis ignis nutrimentis, ne à societate Romana deficerent, publico & communi rogo semetipsos super iecerunt. Crediderim tunc ipsam fidē humana negocia speculantem, mœstum gessisse vultum, perseuerantissimum sui cultum iniquæ fortunæ iudicio tam acerbo exitu damnatum cernentem. Val. lib. sexto capite sexto.

Idem præstando, PETILINI eundem laudis honorem meruerunt. Ab Hannibale, quia deficere à Romanis noluerunt, obsessi legatos ad Senatum auxilium implorantes miserunt, quibus propter recentem cladem Cannensem succurri non potuit. Cæterùm permissum est eis, vt facerent quod vtilissimum incolumitati eorum videretur. Liberum ergo erat Carthaginensium gratiam amplecti. Illi tamen fœminis, omnique ætate imbelli vrbe egesta, quo tutius armati famem traherent, pertinacissimè in muris constiterunt: exspirauítque prius eorum tota ciuitas, quàm vlla ex parte Romanæ societatis respectum deposuerit. Itaque Hannibali non Petilian, sed fidum Petiliæ sepulchrum capere contigit. Ibidem.

Parem Saguntinis erga Romanos fidem, ABYDENI erga regem Attalum Rhodiósque fœderatos suos, seruauerunt. Nam cùm ab eis triremen & aliquot milites in vrbe præsidij gratia accepissent, oppressi à Philippo Macedonico rege Abydeni, ita vt vltra se tuendi spes iam nō superesset, oratores ad Philippum de vrbe tradenda miserunt, petentes vt incolumes seruarentur, quos à fœderatis subsidio missos in vrbe habebāt. Hoc cùm eis Philippus negaret, statuerūt potius seruata amicis fide emori, quàm eos qui auxilio venerant fefellisse videri. Quamobrem omni auro, quòd habebant, nauibus imposito, reliquas opes in medium forum contulerunt, & profecti ad eam muri partem, quæ hostium vi diruta, plus periculi habebat, illic iuuentus se hosti opposuit eo ordine, vt si succubuissent, hostísque vrbe potiturus videretur, seniores incensis iis quę in foro posita erant, ac nauibus quę in portu aurum continebant demersis, reliquos omnes occiderent, vrbémque inanem hosti relinquerent. Inito igitur prælio, seniores vt acceperunt iuuentutem maiori ex parte cæsam, ad Philippum dedendæ vrbis gratia miserunt. Quod cùm pauci iuuenes, qui prælio superfuerant, intellexissent, occisis primò sacerdotibus, qui iurisiurandi principes fuerant, ne vrbs dederetur, deinde senioribus, cum omni alio sexu, demersis nauibus in portu, vrbem quoque totam succēderunt. Eam rem ob furoris magnitudinem Philippus vehementer miratus, ab oppugnatione abstinuit: edixitque triduum Abydenis concedi, vt ex commodo suo se interimerent. Fides profecto hæc & rara, & cuius perpetuo memoria seruetur digna. Fulgosus lib. 6. cap. 6.

LVCILIVS miles Bruti domesticus atque fidus, apud Philippos inclinatam iam aciem videns, se pro Bruto obtulit, vt spatium ei fugiendi daret: ductúsque ad M. Antonium pro Bruto, vt apparuit fraus, collaudatum eum Antonius ob fidem apud se retinuit: eumque non minus postea sibi fidelem sensit, atque Bruto fuerat. Plutarchus in Bruto.

TITINII centurionis fides erga C. Cassium ducem suum, ex tit. Iudicii præcipitis in bello poterit colligi.

CORBVLO insignis ille Romanus, qui à Nerone imperatore dux contra Barbaros factus, Vologesum Parthorum regem atque Teridatem Armeniæ principem suo aduētu perterruit, reliquos Romanos ob hanc vnam causam excelluit, quòd Neroni fidem seruarit. Xiphilinus in Nerone.

CELTIBERI nefas esse ducebant, prælio superesse, cùm dux cęsus esset, pro cuius salute spiritum deuouerant. Quorum animi præstantia laudanda, quòd & patriæ incolumitatem fortiter tuebantur, & fidem duci constanter præstabant. Val. Max. lib. 2. de Inst. antiq. Tacitus lib. 44.

Cum in Hispania inter se bello decertarent Ferdinandus Legionensis, atque Garsias Nauarrensis, reges, Garsias quòd superbus audaxque nimium seuè regni sui proceres habebat, in magno eorum odio versabatur: idque cum animaduerteret VNVS militum eius, qui puerū Garsiam aluerat, arbitratus si prælium committeretur, Garsiam à suis desertum iri, vt qui ex fide eum diligeret, re detecta, quum intellexerat, Garsiæ suasit, vt prælio abstineret. Cęterùm Garsias immodici spiritus, amicorum atque inimicorum contemptor, decertare prælio cum hoste decreuit. Quam rem conspicatus is, qui, vt dictum est, contrà suaserat, in hęc verba prorupit: Quantum aduertere possum, tibi statutum esse video, vt omnino moriaris. Cui rei posteaquam aliud afferre opis nequeo, id saltem enitar, ne te vel mortuum vel victum videam. Itaque galeam atque thoracē exutus, ac solo gladio hastaque armatus, in hostium aciem ingenti animo irrupit. Vbi ipse haud multo pòst cęsus, & Garsias à suis, vt ipse monuerat, desertus fuit. Fulg. lib. 4. cap. 7.

TODESCHINI satellitis fidem erga Nic. Picinū, vide tit. Stratag. Fugam tutam adornare.

ALPHONSVS Petrus Gusmanus, cùm Tarissę vrbi, Sanctij quarti Castulonensis regis nomine pręfectus esset, atque in ea arcta Maurorū, Ioannisque Sanctij, domini sui fratris hostisque obsidione premeretur, nunquam aut pretio aut precibus ad deditionem faciendam flecti potuit. Cùm autem Ioannes eius filium, quo in obsequio vtebatur ad muros deduxisset, fretus filii periculo, patrem motum iri, nō modò id pater neglexit, verumetiam à muris gladium porrexit, dixitque: Nolle vt ei modus ad occidendum filium deesset. Quo autem vultu de muris ensem deiecit, eodem occidi filium, nihil ab eo mutatus inspexit. Rarum fidei exemplum. Ibidem.

Cùm graui longóque bello Alphonsus nonus Legionensis rex, cum Vireca nouerca, & fratre eius Didaco Harro decertaret, pulsis è regno ambobus, arcem Giuarram longa obsidione pressit. Arci pręerat Didaci nomine MARCVS Guterius, qui aut mortuis, aut profugis comitibus, quos in arce habebat, solus ad eam tuendam remanserat, loci munimento adiutus. Cęterùm cùm superatis aliis malis, fames hominem ita confecisset, vt consistere amplius non posset, appensis collo suo arcis clauibus in ipsa porta, vt illic incolumi fide moreretur, se prostrauerat. Hostes mirati, ab arce strepitum nullum exaudiri, appositis scalis in arcem ascenderunt, vbi penè exanimem Marcum iacentem inuenerunt. Quem cùm ad Alphonsum tulissent, illic vt in vita maneret, impensè laboratum est. Posteaquam autem Marcus ad sese rediit, vt loqui posset, indoluit plurimùm, quòd emori ipsum in ea arce nō permisissent, vt prorsus fidem quam promiserat pręstitisse videretur. Dimissus igitur ab Alphonso, post paucos dies ad Didacum principem suum perrexit, qui tunc in Africam abierat. Cùm in eum, vt in singularis fidei virum, laudes ab omnibus congestę essent, quia Didacus dixerat, quanquam Marcus egregiam fidem pręstitisset, tamen arcem se suam optare: in eo Marcus aliquid desiderari putabat, quod pręstare vltra debuisset, abiecta igitur omni viuendi spe, in extremę fortunę habitu, ad Alphonsum reuersus est: atque vbi eius canes stabulabantur habitatum se contulit. Alphonsus intellecta reditus causa, & quam ob rem ingratam habere se vitam Marcus ostenderet, precibus lachrymísque ipsius motus, Giuarrę arcem ei restituit. Marcus receptam paulo pòst cōfecto prius instrumento illius necessitatis in quam erat coniectus, Didacum monuit, ne fidei eius vltra obiici aliquid posset, Alphonso, quia retinendi modum nullum esse instrumento declaratum erat, eam reddidit: longè plus perfidiæ suspicione, quàm ipsius mortis periculo motus. Quo facto triplicis rei iudicium in ambiguo relictum est: fuerit ne hîc maior Marci fides, an Didaci erga eum ingratitudo, aut insignis in Alphonso animi nobilitas? Idem.

Digna est BRIXIA, Cisalpinæ Galliæ vrbs pręcipua, quæ seruatæ fidei nomine multum laudis & glorię pręter cęteras dotes mereatur. Nam quum à Philippo Mediolanensi principe diutius obsideretur, fameque & peste intus etiam laboraretur, pręto re Francisco Barbaro, & prefecto Christophoro Donato, constantissimè sese & vrbem tuentibus: tantum abfuit, vt de vrbe dedenda Brixienses ipsi vnquam cogitarint, vt omnibus obsessi malis vrbem tamen tutati sint, donec Catta Melita imperator cum summa rerū omnium difficultate obsidionem soluerit. Visitur adhuc in aurea diui Marci ęde oblatum vexillum à Brixiensibus, tantę fidei testimonium. Egnat. libro sexto, capite sexto.

FIDES CIVIVM INTER SE, IN PVBLI-
cis negotiis,

FIDES COMMILITONVM MVTVA.

Consule locum Fortitudinis bellicæ militum.

Cùm Alexander Græcos, qui Dario stipendia fecerant, in Persidis vrbes diuidere statuisset, LEOSTHENES Atheniēsis eos, antequam id fieret, classe in Europam reportauit, suæq; patriæ restituit. Hic Leosthenes mortuo Alexandro contra Aridæum Macedoniæ regem dux electus, libertatem suis restituit. Eo mortuo, denuò à Cassandro subacti fuerunt. Pausanias libro primo.

PETRONIVS Granius, centurio octauæ legionis, sub Cæsare Gallico bello militans, Gorgoniæ portus tantisper ab hostili protexit impetu, dū socijs ad fugam tempus dederit. Reuertentibus demum ijsdem ad subsidium, vulneribus deficiens: Ite nunc, ait, incolumes. Rauis.

FIDES PRINCIPIS ERGA SVBDITOS, EXTRA BELLVM

MAGISTRATVS IVSTI.

Arist. in Politicorum libris τὰς ἀρχὰς triplices facit, ἐκκλησίαν, ἀρχὴν propriè dictam, & ἰκέλιον. ἐκκλησία quidē de ijs quæ agenda sint cōsultat: ἀρχὴ ea quæ fieri debēt, vt fiant, imperat: ἰκέλιοις ea quæ facta sunt examinat, & iudicat. In vniuersum ergo triplex erat magistratus, vt hoc vocabulo τὴν ἀρχὴν cōmuniter dictam exprimamus. Primus Senatorum & consultorum, siue deliberantium: secundus Imperantium tum in sacris, sacerdotes scilicet, & Ecclesiastæ: de quibus sub Religiosa Iusticia actum est, & sub loco Metaphysicæ: tum in Politicis, Reges, Imperatores, Reguli, quos nunc Duces, Comites, Barones, Marchiones appellant. Tertius est Iudicum. Exempla Iustitiæ cuiuslibet gradus afferamus: & quamuis nil prohibeat, in vnum eundémque hominē tres istos magistratus cadere, ratione tamen distinguendi sunt.

SENATORES, CONSVLTORES, IVSTI.

De illis primo loco agimus, qui quid agendum sit siue in concione, siue extra concionem (pro Reipub. varia consuetudine) deliberant, consultant atque monent. Quorum consilia si scriptis concepta publicè approbentur, & recipiantur, legis vim obtinent.

MARIVS Maximus, meliorem esse Rempub. & propè tutiorem referebat, in qua princeps malus esset, quàm in qua amici principis praui existerent. Quandoquidem vnus malus possit à pluribus bonis corrigi, multi autem ab vno nequaquam. Cuspinianus in Consulibus.

HOMVLIVS senator Romanus, optare solebat potius malum principem, qui bonos haberet consiliarios ac amicos: quàm bonum qui malos haberet, quibus rerum administrationem committeret. Putabat enim facilius fore, vt à multis bonis vnus malus ad famora duceretur, quàm ab vno bono multi à malicia auerterentur. Fulg. lib. 7. cap. 2.

IDEM, cùm à Traiano Romanorum imperatore audiuisset, Domitianum pessimum fuisse imperatorem, amicos tamen optimos habuisse: dixisse fertur, Melius erat vnum malum pati, quàm multos. Multi enim mali non possunt ab vno, quamuis bono, vlla ratione superari. Ælius Lampr. in Alexandro.

SIGISMVNDVS Imperator beatos esse in terris dicebat reges, si exclusis superbis, viros mansuetudinis & misericordiæ cultores, in curia assessores & consiliarios haberent. Æneas Syluius de gestis Sigismundi Imperatoris.

ALFONSVS Aragonum rex, interrogatus, quibus consiliarijs maximè delectaretur: Libris, respondit: à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. Panormit. libro tertio, de Rebus gestis Alphonsi.

CATALANIS optimum factu fore censentibus, si Alphonso Aragonum regi adhuc adolescentulo septem viri ad gubernandas Respublicas adiungerentur, qui Deum timerent, iusticiam colerent, cupiditates tenerent sub freno, neque donis neque muneribus tangerentur. Alphonsum laudasse consilium, atque ita respondisse ferunt: Si horum non dico septem, sed vnum tantum dederitis, continuò illi & regimen & regnum ipse facilè concessero. Pulchrè autem innuit, paucos bonos regum esse consiliarios. Ibidem.

REGES ET IMPERATORES IVSTI ET BONI. REGVM

fides erga subditos.

Vopiscus in Aurelio refert apophthegma scurræ cuiusdam, qui dixerat, in vno anulo bonos PRINCIPES omneis sculpi posse: sentiēs, esse magnum Imperatorum numerum, sed in ijs perpaucos bonos.

DAVIDIS regis probitas & iusticia eo maior visa est, quòd crudelitatem & impietatem Sauli secuta est. Illius erga populum charitas cum in multis, tum in eo præcipuè apparuit, quòd postquam ob illegitimam simul & arrogantem plebis enumerationem puniendus, de tribus malis vnum optare cogeretur, neque famem in terram suam, neque cædem suorum ab inimicis inferendam elegerit, cùm sibi & frumenti satis suppetere posset vt regi, & multorum armis tectus necem minus ipse timeret. Elegit autem communem tam sibi quàm reliquis omnibus metum, pestilentiam: imò quàm in se potius, qui deliquerat, quàm in alijs desæuiturā speraret. At vbi vidit se prætermisso, populum vastari, cædiq; angelo percutiente, exclamat: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Qua pietate diuinam placauit iram, sibique & ijs qui superfuerant veniam impetrauit, tam iustus in pœna eligenda, quàm promptus in perferenda. Sed cùm neque populus à culpa credatur alienus, hic corporis, ille animi dolorem passus est: minus doliturus, si soli pati contigisset. Marul. lib. 3. cap. 2. & Sab. 5. cap. 2.

SALOMON vt sapientissimus, ita quoque iustissimus inter suos est habitus. Vt cætera taceam, iudicium de infante mortuo, & altero viuo, ab illo etiamnum adolescente latum, iusticiam cum prudentia iunctam satis testatur. 3. Reg. 3.

IOAS rex Iuda iustus fuit, quandiu Ioiada sacerdos vixit. 2. Reg. 20.

IOSIÆ regis Iuda pietatem, veluti ideam boni principis, ex Biblijs pete.

IOSAPHAT rex Iuda, cùm ipse iustus fuit, tum iustos iudices populo dedit. 4. Reg. 19. & 2. Paral. 19.

IORAS Iudæorum rex, in dira obscœnaq; fame cùm ne à suis quidem partubus mulieres abstinerent, fame adactæ, rei atrocitate domesticaq; suorum clade perculsus, scidit sibi vestes à pectore, regium nomen pertesus: publicè testatus, multo impensius se dolere, quòd ciuitas hostibus circumsessa inedia conficeretur, quàm quòd ipse cum suo regno periclitaretur. Sab. lib. 8. cap. 2.

EZECHIAS rex erga Deum & homines iustus cum populus errans serpentem æneum tanquam Idolum colere cepisset religiosa potestate rex Deo seruiens, cum magna pietatis laude contriuit. August. 10. de ciuit. cap. 8. 4. Reg. 18.

HESTER, cùm Artaxerxis edicto, in cuius pellicatum fuerat recepta, omnes vno die Iudæi, toto ipsius regno, ex composito interficiēdi essent, suæ gentis periculo commota, non leges, non regis edictum reuerita, quę prohibebatur adire, nisi accersita: adijt tamen, suorúmque excidium deprecata, non solùm pij voti compos facta est: sed Amanum etiam, cuius suasu & impulsu fuerat id periculum Iudæis conflatum, in eam sublatum crucem vidit, quam dirus satelles Mardochęo parauerat, puellæ auunculo. Sab. lib. 8. cap. 2.

PRINCIPIO rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Iustin. lib. 1. in Trogi Pompeij historias.

Homerus AGAMEMNONE ποιμένα λαῶν, id est Pastorem populorum appellat: quòd quemadmodum pastorem oportet curare vt saluæ sint oues, ac habeant vnde viuant: sic etiam imperatorem curare necesse est, vt exercitus saluus sit, illudq; perficiat cuius rei gratia militat. Militant verò, vt hostibus superatis feliciores ipsi sint. Cur namque ita laudasset Agamemnonem (ἀμφότερον, βασιλῆα τ' ἀγαθὸν κρατερόν τ' αἰχμητήν) nisi quòd probet illum esse militem fortem, qui non solùm aduersus hostes fortiter luctetur, sed omni etiam exercitui huius causa sit: regémque bonum, qui non solùm bene regat se, sed etiam illis quos regat, felicitatis causa sit. Rex namque eligitur, non vt suijpsius causa agat, & curam habeat: sed vt per ipsum illi qui eum elegerunt, in felicitate degant. Similiter militant omnes homines, vt quàm optima vita fruantur: imperatores præficiunt, vt ad hoc eos ducant. Oportet igitur imperatorē prospicere, vt hoc idem eligentibus conferat: nec etiam aliud melius isto facile est reperire, nec contrario turpius. Xenophon de Dictis & factis Socratis.

Ouid. libro sexto. Metamor. de ERICHTHEO Atheniensium rege sic meminit:

Sceptra loci, rerúmque capit moderamen Erichtheus,
Iusticia dubium est, validis ne potentior armis.

Quum Satibarzanes ARTAXERXIS à cubiculis, quiddam minus iustum ab ipso peteret, sentirétque rex illum hoc facere sollicitatũ triginta Daricorum milibus, quæstori ærarii sui mandauit, vt Daricorum triginta milia ad se deferret: eáque dans Satibarzani, Accipe, inquit ô Satibarzanes: nam hæc tibi quum dedero, non ero pauperior: iniustior futurus, si illa quæ petebas fecissem. Commentus est rex egregius vt nec amicum contristaret, nec à iusto deflecteret. Plut.

Plistarchus Leonidæ filius, cuidam roganti, quam ob causam REGES Lacedæmoniorum non à priscis regibus cognomen sortirentur? Quoniam, inquit, illi ducere quàm regnare maluerunt: posteriores illis nequaquam. Primus omnium regum Lacedæmoniorum Agis dictus est: & hoc nomẽ in aliquot posteriores demanauit. Agidis autem nomen dictum est à ducendo, quoniam clementer imperabat: & regum est, imperare potius, quàm persuadere. Plistarchus autem sonat, plurimis imperantem. Plutarch.

AGIDEM vltimum regem Laconũ huius nominis, cùm rogassent parentes, vt sibi in re quapiam iniusta adesset, recusauit illis aliquandiu, verum cum instarent, hunc in modum respondit: Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam iustitiæ scientiam: verùm vbi me patrię tradidistis patriæque legibus, conabor huic magis obtemperare quàm vobis. Plutarch. in Lacon. apophtheg.

AGASICLES Lacedæmoniorum rex, cùm interrogaretur, quo pacto quis tutò imperare posset? Nullo stipatus satellitio, respondit: si sic imperet suis, quemadmodum imperat pater filiis. Quo docuit imperatoris esse, beneuolentia & benefactis adiungere sibi ciuium animos, nec tum opus esse barbarico conducticióque satellitio. Plutarch. in Apoph. Lacon.

ÆTHIOPVM reges religionis tam studiosi & obseruantes sunt, vt iussi à sacerdotibus sua sponte mortem oppetant. Nefas enim planè existimant esse, immortalium voluntatem à mortali homine contemni. Diodor. Sic. libro 4 cap. 1. de Rebus antiquis.

ANTIOCHVS & ALPHONSVS, reges iusti. Vide tit. Leges aut pacta iniusta non defendere.

ARSACES latro, propter iustitiam in regem Parthorum eligitur. Fulg. libro tertio capite quarto. Vide tit. Qui ex insima fortuna reges sunt creati.

PROTEVS Ægypti rex, Helenam, cum opibus ab Alexandro raptam, apud se retinuit, & Menelao restituit. Vide tit. Raptorum.

VEXORES rex Ægypti, & TANAIS rex Scythiæ, Nini primi Assyriorum regis temporibus (quorum alter in Pontũ, alter in Ægyptum vsque excessit) longinqua, non finitima bella gerebant: nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant, contentique victoria imperio abstinebant. Iustinus lib. 1.

Apud Ægyptios SESOSTRIS & RHAMPSINITVS reges iustissimi fuerunt. Post eos centum & sex annis sub Cheope & Chephrene regibus, miseris afflicti fuerunt modis. Post Chephrenem successit MYCERINVS Cheopis F. qui paterna perosus facta, & templa reserauit, & populo ad vltimum calamitatis afflicto fecit potestatem res agendi & sacrificandi: quinetiam super omnes reges iusticiam exercuit. Quo nomine ex vniuersis regibus hunc Ægyptij maximè prædicant, tum ob alia quæ bene iudicabat: tum verò quòd conquerenti de ipsius sententia, de suo donabat, vt indignationi hominis satisfaceret. Herod. lib. 2.

Sub AMASI rege dicitur Ægyptus fuisse maximè beata, in his quæ regioni ex flumine, vel hominibus ex regione proueniunt: & vrbes quæ incolerentur tunc, fuisse numero illic viginti mille. Herodotus lib. 2.

Darius SCYTHEN Zancleorum regem censuit omnium quos vidisset, iustissimum. Herod. lib. 5.

CYRVS Persarum rex, non iusticiæ solùm, sed omnium etiam regiarum virtutum exemplum fuit. Pontanus libro de Principe.

NVMA Pompilius secundus Romanorum rex, omnes delicias & magnificos sumptus negligens, omnibus ciuibus & peregrinis integerrimum iudicem & consultorem se prę̄stitit. Per ocium autem non ad voluptates, non ad quæstus, sed ad deorum immortalium cultum, & suorum salutem se conuertebat. Plutarch. in eius vita.

Tranquillus ait, AVGVSTVM tanta fuisse æquitate, vt nulli nunquam genti sine iustis & necessariis causis bellum intulerit.

TITVS Vespasianus Romanorum imperator, non modò senatorem, quàmdiu principatum tenuit, nullum (vt sui antecessores omnes) interfici iussit: sed nec alius quisquam sub eius imperio morte affectus est. De crimine læsæ maiestatis nunquam cognouit, neque permisit aliis vt cognoscerent. Nemo enim, inquit, iniuria me afficere, aut insequi contumelia potest: propterea quòd nihil ago quod reprehendi mereatur. Ea verò quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo. Xiphilinus in eius vita.

NERVA Cocceius Romanorum imperator, vsque adeò bonus princeps fuit, vt aliquando dicere ausus sit, se nihil omnino fecisse in sua imperii administratione, quo minus posset deposito iam imperio, priuatus tutò viuere. Ciuibus autem Romanis, qui in summa forent egestate, non tantùm agros ad subleuandam penuriam distribuit: sed vestes suas proprias vasa argentea atque aurea, reliquámque supellectilem omnem diuendidit, atque aliis summa beneuolentia erogauit. Xiphilinus in eius vita.

IDEM Nerua, cum sibi strui insidias animaduerteret, ab iis qui fortassis de inuadendo imperio cogitabant: eos tamen nulla siue pœna siue contumelia affecit: sed in Capitolium ascẽdẽs, M. Vlpium, Neruam, Traianum principem fecit, eundémque postea in senatu Cæsarem designauit. Neque enim coniunctionem sanguinis (non enim propinqui deerãt) anteposuit publicæ vtilitati: neque rursum eum deterruit, quòd Traianus homo Hispanus erat, quódque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanum obtinuerat. Censebat enim (vt vir erat bonus, atque iusticiæ amantissimus) virtutem cuiúsque, non patriã ponderari in eiusmodi rebus oportere. Ibidem.

TRAIANVS Romanorum imperator, multa sua manu scripsit ad senatum: atque illud in primis, se nullum vnquam virum bonum interfecturum, aut notaturum ignominia, iureiurando confirmauit. Post quam Romam venit, multa fecit ad emendandum corrigendúmque statum Reipub. in gratiam bonorum, quorum in primis curam gessit. Ciuitatibus Italiæ multa largitus est ad educationem liberorũ. Nulli inuidebat, bonos omnes ornabat honoribus & dignitatibus: nullam fidem habebat calumniatoribus, nulla ira tenebatur: abstinebat ab aliena pecunia non minus, quàm ab iniquis cædibus. Amari à ciuibus cupiebat magis, quàm honore affici. Cum populo humaniter, cum senatu honorificè versabatur. In summa, cuncta in eo viro optima atque præstantissima erant: cuius virtutes copiosius Dion Nicęus, Xiphilinus, atque alii in eius vita describunt.

ADRIANVS Cæsar in senatu frequenter dicere solebat, se sic gesturum principatum, vt sciret rem populi esse, non suam priuatam: nimirum attigit hoc, quod vnum distinguit regem à tyranno. Eras. lib. 6. Apoph.

M. ANTONIVS Romanorum imperator, fuit verè vir bonus in quo nihil fictùm, nihil simulatum fuit: eruditione ac disciplinis variis cùm animum excoluisset, doctos vbique viros amauit: ex subditis temerè lęsit neminem: insidiatores vitę exornauit præmiis atque honoribus. Vide Dionem Nicæum, & Xiphilinum in eius vita.

ALEXANDER Seuerus Imp. tanta fuit æquitate, vt nullas vnquã sanciret leges, nullam constitutionem sacraret sine viginti iurisperitis & doctissimis ac sapientibus viris: nec vlla in re iudicium ferret, quin prius iret per sententias singulorum, & scriberetur quid quisque dixisset. Quum de iure aut negociis tractabat solos adhibebat doctos & disertos. Si de re militari, milites veteres & senes. Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret. Tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi choleram stomacho euomeret toto vultu inardescente. autor Lamprid.

FRIDERICVS III. Rom. Imp. interrogatus, quinam sibi charissimi essent? Qui, inquit, me non magis quàm Deum ipsum timent. De prompta sanè ex Christiano pectore sententia. in primis enim timendus Deus, rex regum, & dominus dominantium, qui moderatur cœlum, & totum terrarum orbem: in suáque habet potestate, perdere vel seruare quemcunque vult. Æneas Syl. libro quarto Com. in res gestas Alphonsi.

ALPHONSVS Aragonum rex potentissimus, cùm omnibus virtutibus sui temporis principes superaret, vix tamen dici potest, quantum iustitiam vbique apud suos incolumen esse voluerit: quam cùm labefactari cerneret, ipse quoque die Veneris pauperibus tantùm ius dixit, vt tantæ maiestatis præsentia (quam pauperrimo cuique adire facilè diceret) abstinerent potentiores à tenuiorum iniuriis, ac ius suum cuique & habere & possidere liceret. Panormita libro primo de Rebus gestis Alphonsi.

QVIVIS ALII MAGISTRATVS IN SVO OFFICIO *iusti & fidi erga subditos.*

MOSES, diuino iudicio populi Israelitici dux factus veri regis atque ducis ideam continet. Imperium non nisi coactus à Deo suscepit. Populum à seruitute Pharaonis liberat. Pro populi peccatis precatur. Pugnante Iosue contra Amalechitas, orando victoriam suis parit. Exod. 15. Moriturus Deum pro nouo duce compellat.

IOSVE ἀγαθός τι (vir probus & timens Deum) κρατερός τ' αἰχμητής (victoriis clarus) quandiu vixit, Israelitas in Domini timore continuit Iosue 24.

SAMVEL iudex siue princeps Israelitarum, circumibat Bethel, Galgala & Masphat, vt facilem omnibus ad se veniendi potestatem faceret. Pro populo assiduè Deum precabatur primo Reg. 7. & decimo secundo.

ESDRAS dux populi à Babylonica captiuitate reuersi, pro populo orat, & eum ad pœnitentiam hortatur. 1. Esdræ 10.

ARISTIDES Atheniensis, ob insignem iusticiæ opinionem Iustus cognominatus, vniuersæ Græciæ populis censum descripsit, tanta æquitate & iusticia, vt Græcorum felicitas sit dictus: & quæ eum tulit aurea sit ætas appellata, ac ea quæ Saturno quondam rege fuerat. Sab. lib. 4. cap. 4.

IVDICES IVSTI.

IVDICES ea quæ controuersa sunt dijudicant, lites componunt, mulctas irrogant. His affines sunt Censores, qui morum rationem habent, ne quid præter honestatem fiat, bonásque leges, quamuis nulla intercedente priuati iniuria. De vtrisque hic separatim agemus: in genere tamen, qui scilicet vel Iudices, vel Censores iusti fuerint. Nam priuata iudicia & censuras infrà ex Correctiuæ Iusticiæ varijs titulis desumi possunt, item ex tit. Prudentiæ in iudicando: item seueritatis in iudicando.

ISRAELITICVS populus post Mosem Iudices habuit, Iosue, Samuelem, Sampsonem. Hoc enim nomine duces populi vocabantur, quòd lites & rixas componerent suis sententijs.

SALOMON regum sapientissimus, in re dubia sententiam laturus, simulatione inuestigauit veritatem: Afferte mihi gladium, inquit, & diuidite infantem viuum in duas partes: & date dimidiam partẽ vni dimidiã alteri. Tunc inter altercantes prodidit pietas matrem, impietas alienam: & non fuit diuisus puer, vt rex callidè simulatéque iusserat, sed integer ac viuus datus matri, vt in animo proposuerat. Hoc sapientia, non mendaciũ fuit, Sic enim dicitur: Et audiuit omnis Israel iudiciũ quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciẽdum iudicium. Marul. lib. 4. cap. 4.

IOSAPHAT rex Iuda, constituit iudices terræ, præcipiens eis: Videte quid faciatis, non enim hominis excercetis iudicium, sed Dei. Quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. 2. Paralip. 19.

Apud ÆGYPTIOS Iudices quondam fuerunt, qui & sacerdotes. In his princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat. Eum omnium hominum esse iustissimum & sincerissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphiro gemma cõfectam gestabat, quæ vocabatur Veritas. Ælian. lib. 14. de Var. histor.

BOCCHYRIS rex fuit Ægyptiorum, adeò incorruptæ in iudicandis litibus iusticiæ, vt si quem magnoperè iustum significare vellent, Bocchyrim appellarent author Suidas, & Erasm. in Chiliadibus.

POLTYS Thraciæ rex, Troiani belli tempore, quum Troiani pariter & Græci legationem ad ipsum misissent, auditis vtrisque pronunciauit: vt Alexander redderet Helenam, & à se pro vna duas formosas abduceret vxores. Sapuisset Paris, si hoc fecisset. Nam vna satis fruitus, habuisset duas nouas, & patriæ consuluisset. Quis autem non miretur Græcorum humanitatem, quibus sat erat futurum, si tantum redderetur, quæ cum adulterorum diu dormierat? Plut. in Reg. apoph.

DEIOCES iudex iustissimus, propter æquitatem rex Medorum constituitur. Vide tit. Prudentiæ in regno comparando.

AGESILAVS rex, cùm in causa quadam sederet iudex, & is quidem qui accusabat rectè dixisset, patronus contrà male, subinde tamen repeteret inter dicẽdum, Agesilae, decet regem opitulari legibus: perinde quasi bonam haberet causam, & ab ipso starent leges, hominis improbitatem interpellans Agesilaus: Si quis, inquit, tibi domum perfoderit, aut vestem abstulerit, num expectaturus esses, vt architectus, aut qui vestem cõtexuit, tibi sit auxilio futurus? Subindicabat, regem esse veluti legum architectũ: nec conuenire vt opituletur ei, qui contra leges aliquid admiserit. Plut. in Lac. apoph.

Quibusdam ELEOS hoc nomine prædicantibus, quòd in certaminibus Olympiacis essent iustissimi: Quid, inquit, Agis, magni miri-ve faciunt, si intra quinque annos vno tantùm die se iustos præstant? Nõ putabat vir sapientissimus, in eum competere iusticiæ laudem, nisi qui per omnem vitam in omnibus actionibus iusticiam coleret. nam ludi Olympiaci semel tantum intra quinquennium celebrabantur. Plutarch. in Laconicis. Brus. libro 3. cap. 8.

LACEDEMONII, eos quos mortis supplicio dignos putarent, noctu, non die plectere consueuerunt. Causas verò iudices occlusi, neminemq; videntes, iudicabant, ne obiecta sanum iudicium impedirent. Alexãd. ab Alexand. lib. 3. cap. 5.

Anaxandridas cuidam ab eo sciscitanti, quamobrem seniores apud Lacedæmonios plures dies sumerent ad cognoscendum in causis capitalibus, & si quis fuerit absolutus, nihil minus sit obnoxius legi: Ideo, inquit, pluribus diebus cognoscunt, quoniam si in capitis discrimine errauerint, non est corrigendi consilij potestas. Oportet autem à causa liberatum, obnoxium manere legibus: quòd fieri potest, vt secundum eandem legẽ liceat aliquid rectius de reo statuere. Hoc temperamento prouisum est, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens: qui quamuis errore iudicum sit absolutus, potest eadem lege denuò conueniri, pœnasque dare legibus. Plut. in Lacon. apoph.

AREOPAGITÆ, litium cõtrouersias nõ interdiu, sed noctu & obscura luce iudicabant: vt procul ab omni affectu, qui animos in diuersum agit, ferre possent iudicium. Non enim ignorabant hominis aspectu, cultu, vestitu, gestibus ita moueri interdũ iudicem, vt à iusticiæ & æquitatis tramite decedere cogatur Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

Lege apud Eosdem cautum fuit, vt qui causam diceret, nec prooemio vteretur, nec ad miserationem aut inuidiam iudices adduceret, ne cui plus in misericordia quàm in causa spei esset. Ibidem.

Apud Athenienses nouem principes erant, quibus Respublica concredita erat: qui cùm eligerentur, religiosè iurabãt, se iustè iudicaturos esse, neque munera accepturos, aut auream statuam erecturos publicè. Heraclides de Polit.

ARISTIDES ab incorrupta æquitate Iusti cognomen apud Athenienses meruit. Idem interrogatus, quid esset Iusticia? Nihil, inquit, alienum desiderare.

BITHYNI, è conspectu solis tribunal ponebant, quòd illum tanquã sacrosanctum causæ dijudicandæ præesse dicerent. Alexand. ab Alexand. libro 3. cap. 5.

THEBIS iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculi conniuent: eo quòd iusticia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Stobæus serm. 43. & Alexand. libro tertio, capite quinto.

PHILIPPVS Macedo, cum in tribunali dormitans, aduersus Machetam quendam pronunciasset: vbi vigilantior factus, cognouit factam Machetæ iniuriam, non rescidit quidem iudicium, sed iniustam ipse exoluit mulctam.

IDEM rogatus ab Harpalo, vt Cratetam eius familiarem iudicio liberaret: Eum, inquit, rectius est, quàm nos ob ipsum malè audire. Eras. in Apoph.

ALEXANDER Magnus, cùm initiò in causis capitalibus sederet iudex, accusatori alteram aurem occludebat. Rogatus quur id faceret: Alteram, inquit, integram seruo reo.

BIANTIS Prienæi integritas in iudicandis causis, sequenti prouerbio locum fecit: Prienensi pollere iusticia. Πριηνέων δίκη.

BIAS damnaturus quempiam ad mortem, lachrymatus est miseriam hominis, & meritò deplorandam fortunam. Verùm quum dixisset quidã, Quid est quòd defleas, quum in tuo sit arbitrio, condemnare aut liberare hominem? respondit Bias: Necessarium quidem esse, naturæ condolere: à lege autem & iusticiæ regula discedere, magis perniciosum est. Stobæus sermone 44.

Frater Antigoni Marsyas litem habebat: sed à rege postulabat, vt causa domi cognosceretur. Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter ius agimus, melius fieri in foro, cunctisque audientibus. Non impetrauit hoc à rege fraternus affectus, vt vel tantillum de iure concederet. Ipsum autem hoc dilemmate constrinxit: Si iniustam causam habere te scis, cur litigas? sin iustam, cur fugis hominum conscientiam, & ad domesticas latebras rem fori pertrahis? non cariturus sinistra ciuium suspicione, etiam si bonam causam viceris. Plutarch. in Reg. apoph.

Prodicus fuit quispiam apud Græcos, in iudicãdis litibus & arbitrijs inter dissentientes amicos acerrimi iudicij. Rauis.

EPHIALTIS in iudicando integritatem, pete ex tit. Constantiæ Ethicæ.

VENETORVM in iudicando integritatem hinc cognoscas. Quum passim inter Christianos principes, eisque subditos vulgatum esset, quicquid apud eos non facilè solui posset, seu publicè, siue priuatim, id statim communi consensu remitti oportere Venetias, vt bonorum Venetorum iudicio (sic enim appellabant) dissolueretur. Huius rei innumera subijceremus monumenta. Egnat. lib. 6. cap. 6.

Ducentesimus & quadragesimus agitur annus, ex quo decemuiralis magistratus pro Reipub. salute præcipua Venetijs creatus est: cui tria præcipuè vindicanda scelera sunt commissa. Primùm quidem illud fuit, vt ne quis contra libertatem patriásque leges noui consilij moliri possit. Alterum, ne falsam monetam quispiam vllo modo excuderet. Tertium ac supremum, vt cauerent decemviri, ne quis temerario incepto masculã venerem attentaret, vt ipsa pudicitia omnibus mortalibus constaret: quæ sanè crimina capitalia forent hisce, qui conuicti decemuirali sententia forent. Egnat. lib. 6 cap. 1.

HELVETIORVM in ferendis sententiis æquitatem & iusticiam summi sæpè principes admirati sunt, ita vt non rarò grauissimæ controuersiæ iustissimo Heluetiorum arbitrio committerentur. Vtinam verò aureis asellis Regum & Imperatorum Alpes suas non patefecissent.

CENSORES IVSTI.

Exemplum censuræ morum defuncti, pete ex tit. Iniustos accusare & examinare.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, cùm intelligeret obedientiam maximum esse bonum, cùm in Repub. tum etiam militiæ & foris, Ephororum potestatem constituit: quibus eam dedit potestatem, vt quẽcunque velint, etiam regem, pœnis afficiãt, exemplò transfigant, in magistratu constitutos intra tempus abrogent, in carceres conijciant, & in vitæ periculum adducant. Xenophon in Repub. Lacenum. Stob. serm. 42. de Legibus.

AREOPAGITÆ Athenis omnium mores summa seueritate inspiciebant, ne quis turpi ocio sibi dedecori, alijs damno esset. Gel. lib. 12. cap. 7. Val. lib. 2. cap. 1.

Fuit Romæ à patribus primum illata mentio noui creandi magistratus CENSORVM, qui populi censum rectè peragerent, cui muneri consules ipsi non sufficerent, nec tribuni plebis. Primi igitur creati duo L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Atracinus: qui à parua origine magistratū exorti, paulatim ad summū imperium dignitatemeam promulere, prout qui præesset ingenio operáque magis præstitisset. Census igitur populi primus habitus: tū morū disciplinæque publicę & priuatæ ratio seueritimè acta: hinc vectigalia procurationi eorum subiecta statutumque, vt Senatus equitum centuriæ eius magistratus ditioni obtemperaret: mox publicorum priuatorúmque locorum omnium cura habita: postremo scribarum publicarúmque tabularum obseruatio in primis retenta: nihil denique noui vel publicè vel priuatim, quod ad religionem pręcipuè pertineret, quisquam innouare audebat, nisi prius arbitrio censorum res cognita foret. At postquam publicę res in vnius arbitrium cesserunt, huius officij parte vt multorum aliorum ab imperatoribus occupata, et si tantum vt cęlores rebus modum non adhibuerunt, quædam tamen memoratu non indigna egerunt. Fulg. lib. 2. cap. 4. & Egnat.

CLNERO, & Liuius Salinator, secundi Punici belli temporibus firmissima Reipub. latera, quàm districtam simul egerunt censuram? Nam cùm equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum è numero essent, vt est ad Polliam ventum tribum, pręco lecto nomine Salinatoris, citandum neene sibi esset, hęsitauit. Quod vt intellexisset Nero, & citari collegam, & arma & equum vendere iussit, quia populi iudicio damnatus esset. Salinator quoque eadem animaduersione Neronem persecutus est: adiecta causa, quod non sincera fide secum in gratiam rediisset. Valerius libro secundo cap. 4.

CLAVDIVS Cæsar censuram agens, nullum nisi sua voce & sine patrocinio, vitæ rationem reddere passus est. Alexand. ab Alexandro, libro 3 cap. 13.

Cùm olim LICINIVS Valerianus Senatus authoritate censor crearetur, in Senatuconsulto hę fuerunt voces: Valeriani vita, censura est: ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior: ille de Senatu iudicet qui nullum habet crimen: ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici. Valerianus à prima pueritia censor fuit, Valerianus in tota vita censor fuit, prudens senator, modestus senator, grauis senator, amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc censorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus: primus genere, nobilis sanguine, emendatus vitâ, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Postea imperator creatus, omnia hęc ornamenta tyrannide & crudelitate sua erga Christianos contaminauit. Trebellius author.

VENETI Censorum loco treis aduocatores creant, quorum censura leges in primis obseruari præcipiuntur: vt si quid contra eas ab aliquo vel tantillum attentatum fuerit, ipsi simul tres, vel singuli, ius habeant summum intercedendi, deducendíque crimen ad se delatum vel ad Quadraginta virale consilium: vel, si quid grauius contra leges admissum fuerit, ad Senatum referant: vt tamen, si eis etiam id videatur, in maiori consilio totius ciuitatis interim agant: vt cum ipsis aduocatoribus intercedendi potestas summa concessa traditáque sit de capite reque aliena referendi, nihil tamen per se statuere ipsi valeant ad extremum, sed consiliorum arbitrio suffragationéque reus aut condemnetur, aut absoluatur. Egnat. lib. 2. cap. 4.

LEONARDVS Lauretanus, princeps Venetorum clarissimus (qui ducis dignitati per viginti annos ita præfuit, quatuor liberis iam adultis, vt eius prudentiam ac bonitatem singularem, dum vixit, nemo vnquam desideraret: præsertim verò temporibus illis Reip. maximè infestis, quum accepta ab Abduam clade, de totius imperij Veneti incolumitate diu dimicatum sit contra Iulium pont. reliquósque Christianos omnes principes) cùm obiisset, vitam illius examinare cœperunt TRIVMVIRI, qui mortuo principe creari solent, vt inquirant accuratius, ecquid contra leges ab eodem principe sit quandoque gestum. Quod quùm illi acerbius aliquanto indagarent, nullúmque omnino superesset vestigium principatus non sanctè ab eo ac liberis administrati, vix ab instituto decedere potuerunt, non sine totius ciuitatis postea querela, quòd in memoriam tanti principis, tam acres, tamque vehementes videri vellent. Egnat. lib. 5. cap. 3.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm equitem luxuriosum, & bonorum suorum concoctorem punire vellet quibusdam à rege magnoperè petentibus, ne in corpus lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinémque contraxerat, respondit: Equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum ære alieno suscepto, tam grande patrimonium profudille, sed omnem suam substantiam corpori indulsisse. In corpus igitur luere æquius esse, vt pœna malefactis ex æquo respondeat. Panormita lib. 1. de rebus ab Alphonso rege gestis.

FIDES MAGISTRATVVM CASTRENSIVM IMPERATORIS scilicet, & Ducum, erga milites.

Consule tit. Fortitudinis bellicæ Imperatorum & Ducum.

NICIAS Athenienſis Corinthiis prælio victis, cùm moris esset eorum qui vicissent, trophæum, vbi victoria parta esset, sibi erigere (qui honor his adimebatur, qui precariò aliquid ab hoste petiissent) aspernatus est id decus, vt duorum ciuium cadauera, quibus hostes potiti fuerant, sepulturæ mandarentur. Sab. libro quinto capite secundo.

PELOPIDAS vxori, quæ ipsum ad bellum proficiscentem rogabat muliebriter, vt seruaret seipsum: Alii, inquit, vt isthuc faciant, monendi sunt. Nam princeps ac dux hortandus est potius, vt seruet ciues. Vox imperatore digna: cuius est, ciuium multorum salutem suæ vnius incolumitati anteponere. Plut. in Græcorum apoph. Brusón. libro secundo capite quadragesimo tertio.

POTVIT ÆMILIVS Paulus Cannensi acie tametsi vulneratus, viuus tamen, & omnis culpæ expers, in tutum euadere, sed legionibus cæsis noluit: repudiato equo, qui illi ad fugam à Lentulo deferebatur. Quinimò saxo sedens: Macte, inquit, virtute ista, C. Corneli, abi, nuncia publicè patribus vt vrbem Romam muniant firmentque præsidiis ante hostis aduentum: méque vt decet, finito inter meos milites expicare. Mira imperatoris charitas, qui non potuit patriæ, quæ superstes erat, non esse memor, paulo pòst expiraturus. Commilitones certè relinquere noluit. Sab. lib. 5. cap. 2. ex Liuio lib. 2. Dec. 3.

SCIPIO Aphricanus maior, tam pius in suos milites fuit, quorum imperator electus esset, vt libere semper dixerit: Se male vnicum seruare ciuem ex suis, quàm mille hostes perdere. Sabellicus lib. 5. cap. 2.

Cùm SCIPIO Africanus maior, in Africam traiecisset: & Carthaginenses bello defessi, aliquot legatos ad eum de pace misissent, dimisit eos ita, ne amplius redirent, nisi Terentium senatorem Romanum, quem captiuum habebant, secum adduxissent. Deductum igitur ab eis Terentium, lateri suo assidere iussit: atque ita Carthaginensium legatos audiuit, ac pacem quam petebant dedit. Vsus enim, quæ virum Romanum decebat, grauitate, egit, vt Terentius eodem die Carthaginensium captiuus, atque pro tribunali sedens, parcæ à Carthaginensibus pacis arbiter esset. Fulg. lib. 6. cap. 4.

Q. FAB. MINVTIVS, hortante filio, vt locum idoneum paucorum iactura caperet: Vis ne, inquit, tu ex illis paucis esse? Admonens, non esse boni ducis, vllius militis incolumitatem contemnere. Eras. 6. Apoph.

L. LVCVLLVS imperator, ad direptionem incitantibus dixit: se male vnum militem Romanum ex hostium manibus eripere quàm vniuersas hostium fortunas sibi vendicare. Plut. in Lucullo.

CATO senior, quum cuidam militum argenti libram distribuisset, ait: Satius esse multos habentes argentum, quàm paucos habentes aurum, è militia domum redire. Nam duces non alia re quàm gloria auctos, è prouinciis redire oportere. Sensit, rem sat feliciter gestam, si tanta militum multitudo redeat incolumis, vt ex distributis manubiis exigua portio ad singulos redeat: potius quàm si multis desideratis, pauci redeant ex præda locupletiores. Quoniam autem rerum gestarum gloria redit ad duces, hac portione par est illos esse contentos, siue multum sit prædæ, siue parum. Plutarch. in Rom. apoph.

FIDES ERGA SOCIOS, SIVE EXTRA bellum, siue in bello.

Consule tit. Amicitiæ priuatorum inter se.

Relictus in Græcia à Xerxe Mardonius, 30. myradibus, vt Græcos, ad imperata facienda cogeret: optimum in ea re duxit, si ferere inter Græcos discordiam posset. Itaque ad ATHENIENSES scripsit: Si discedere ab aliorum Græcorum societate vellent, offerre se, eorum vrbem, quam Xerxes incenderat, pecunia sua restituturum, Græciæque administrationem, posteaquam subacta fuisset, Athenienſibus relicturum. Ea re audita Lacedæmonii, quia graui inopia pressos Athenienses videbant, quòd eorum vrbem Xerxes direptam incenderat: veriti ne rerum necessitate magis quàm iudicio compulsi, conditionem acciperent, legatos Athenas miserunt, qui populo offerrent: Si Spartam coniuges liberósque mittere Athenienses vellent, eis Lacedæmonios rerū omnium ad ducendam vitam libenter gratis copiam facturos. Quibus Athenienses responderunt: Non miratos se, si Persæ puratissent auro Athenienses adduci posse, vt aliquid præter dignitatem facerent: quia pluris aurum, quàm membra sua, atque ipsam vitam Persæ facerent: sed mirari, nec mediocriter commoueri, cùm à Lacedæmonis ea audiant, quibus ostenderent, ipsos præsentem Athenienſium necessitatem intueri, sed nihil prorsus eorum animi magnitudinis metiri. Itaque respondere Lacedæmoniis legatos iusserunt Athenienses: Quicquid auri intra terræ viscera conditum est, & supra humum per totum

per totum terrarum orbem conspici potest, eos Græciæ saluti non coluisse. Mox Persarum literis, respondérunt: Dum eum cursum sol tenebit, quem tenuisse hactenus Persæ viderunt, Athenienses bello persequi Persas non desituros: donec violata Athenarum templa, incensásque domos, pro vrbis dignitate vlti fuerint. Herod. lib. 7.

PLATÆENTIVM fidem erga Græciam, pete ex tit. Liberalitatis, sua relinquere.

Cùm saluberrimo consilio Themistocles migrare ATHENIENSES in classem coegisset: Xerxéque rege & copiis eius Græcia pulsis, ruinas patriæ in pristinum habitū reformaret, & opes eius clandestinis molitionib. ad principatum Græciæ capessendum nutriret: in concione dixit, habere se rem deliberatione sua prouisam: quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil maius aut potentius Athenienſi populo futurum, sed eam vulgari non oportere, postulauitque vt aliquis sibi, cui illam tacitè exponeret, daretur. Datus est Aristides Is postquam cognouit eum classem illam Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum subducta erat, velle incendere, vt ea consumpta, dominatio maris ipsis cederet, processit ad ciues, & ipsis retulit: Themistoclem, vt vtile consilium, ita minimè iustum animo voluere. Eu estigiò vniuersa concio, quod æquum non videretur, nec expedire quidem proclamauit: ac protinus Themistoclem inceptо iussit desistere. Val. Max lib. 6. cap. 5.

BESTIA Appia, mulier Attellana Capuæ habitans, & Faucula Cluuia quæ quondam quæstum corpore fecisset, Annibale Capuam tenente, altera quotidie sacrificauit pro salute pop. Rom. altera verò Faucula captiuis egentib. alimenta clàm suppeditauit, cæteris Campanis inimicè se habentibus. Liuius lib. 26.

AQVILEIENSES tanta fide contra Maximinum pro senatu Romano steterunt, vt funes de mulierum capillis necterent, quibus sagittas excuterent, penuria neruorum.

CYZICENI adeò fideles Romanis extitere, vt bello Mithridatico diuersimè obsessi, neque fama, neque tormentis vllis ad deditionem cogi potuerint: authore Plut.

Obsidebatur terra marique Ioppe Syriæ vrbs, magna contentione in continenti præerant Gallorum duces, Hierosolymitanusque Varimundus pont. Veneti verò Dominico Michaele duce suo, omni opera mati adnitebantur, vt eam expugnarent. Verum quum Galli trepidi in castris agerent, quod cum ingenti exercitu nunciaretur Sultanum Ægyptiū aduenturum: tum verò multitudo palàm voces in castris iactare cœpit, esse sibi inde abeundum, soluendámque obsidionem, quando ipsi soli grauissimo discrimini obiicerentur: Venetos enim facilè inde in pacatum abituros, quibus mare ad fugam pateret. Id quod quum Michaeli duci annunciatum esset, tametsi primò commotus animo, mox tamen solertius cogitans, consilium id iniit, vt nauium remi omnes in Gallorum castra deferrentur (non desunt tamen, qui reuulsas trabes ex singulis nauibus prodant) id quod Varimundus aspiciens, & reliqui duces, maximoperè sunt admirati. Ad quos conuersus dux ipse: Audiui, inquit, frequenter penes vos iactatum esse, Venetos, vbi hostes aduentassent à continenti, statim obsidionem soluturos siue vllo periculo: me igitur de fide nostra, & constantia in posterum aliquid vereamini, quum ad vos hæc fugæ instrumēta sint à me delata. Agite igitur, vt decet viros fortes, & posthac Venetam fidem prædicate. Quo dicto exclamantibus cunctis, Venetósque summis laudibus extollentibus, intrepidè cūcti ad obsidendam vrbem redierе. Quæ non solum à nostris capta, expugnatáque est: sed & quanta semper ab initio Venetorum fides esset, memorabili declarauit exemplo. Egnat. lib. 6. cap. 6.

Retinuit semper hoc studium Resp. VENETA, sanctè puréque retinendæ amicitiæ, cum principibus præcipuè Constantinopolitanis, quos perpetuo bello pacéque fouit, omnibúsque officiis semper prosecuta est: donec variante imperatorio stemmate, rebúsque Imperij illius ad pessimum quemque delatis, sanctum illud amicitiæ nomen erga illos, deserere sit coacta. Ita tamen, vt quandoque memores ipsi Veneti veteris suæ in Græcanicum imperium pietatis, non deserint etiam in vltimo Graiæ gentis excidio suffragari. Egnat. lib. 4. cap. 7.

ALFONSVS rex Aragonum, cum in bello contra Caietanos, quib. Philippus dux Mediolanensis auxilio fuerat, victo sibi pacis conditiones offerrentur, non prius illas recepit, quàm sociorum causa cum hostibus pactus esset, nullam omnino vitæ aut salutis suæ mentionem faciens: præclare secum agi existimans, si sua ipsius morte reliqui vel à morte seruarentur, vel à captiuitate redimerentur. Panor. libro tertio, de Alph. rebus gestis.

FIDES INTER PRIVATOS. FIDES CIVIBVS SERVATA priuatis de causis.

Huc ferè exempla omnium contractuum referri possunt, quatenus inter ciues contrahuntur. Conside etiam tit. Amicitiæ priuatorum.

TRES adolescentes eiusdem ciuitatis, iter Delphos ad consulendum oraculum facientes, in latrones incidunt. Vnus correpta fuga, declinat latrones: alius verò, cum reliquis interfectis, impetum faceret in superstitem fratrum, à latrone aberrauit, in socium verò ensem impulit. Et igitur qui fugerat, tale responsum ab oraculo datum est.

Occidi socium præsens es passis amicum.

Nam tibi vaticinor, sacro te proripe templo.
Et alteri consulenti, talia respondit Pythia:
Defendens socium, versò mucrone necasti:
Purior es manibus nunc, quàm prius esse solebas.
Ælianus de Var. hist. lib. 3.

FIDES PRAECEPTORVM ERGA discipulos.

Consule titulum, Amor discipulorum. item, Præceptores boni in Theoricis, Mechanicis, Ethicis.

ARISTOTELES, quàm pius in Alexandrum discipulum fuerit, vel ex eo maximè liquet, cùm ad Antipatrum scribens, hominem obnixè rogat, vt Alexand. iam Macedoniæ regem moneat, ne tot victoriis elatus, quòd in Asia adeptus fuerat, Deum contemnat, cuius nutu omnia mouentur. Qui fortassis diutius in regno tot laboribus parto vixisset, si præcepto tā sapientissimi monitis obtemperauisset, nec coli pro Hammonis filio & more Persarum adorari voluisset. Platina libro primo de Optimo ciue.

APOLLONIVS Alabandensis dicendi magister, cum mercede doceret, tam pius erat in suos discipulos, vt neminem, quem iudicabat non posse oratorē euadere, operam apud se perdere sineret: sed dimittebat ad quamcunque artem putaret esse aptum. Cic. lib. 1. de Orat. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

ANNEVS Cornutus Leptites, tanta pietate & humanitate in discipulos, in Rhetorica eruditēdos, quos susceperat, fuit, vt ex ea causa plurimos ad se discipulos non minus quàm doctrina allicueret. Suidas.

FIDES DISCIPVLORVM ERGA PRAECEPTORES.

Fides ista mera gratitudo est, coniuncto amore: proinde Titulos illos consule.

XENOCRATIS fidem & pietatem erga Platonem præceptorem, pete ex tit. Discipulorum odium erga præceptores.

FIDES OECONOMICA.

FIDES LIBERORVM ERGA PARENTES IN OBEDIENDO.

PARENTIBVS OBEDIRE.

ISAACVS in montem ab Abrahamo patre perductus, cum pro hostia mactandus ante aram staret, non contumax senem fortis & validus asperuit, sed in agnæ speciem se patri immolandum præbuit. Vt dubitari possit, paternáne pietas magis Deo placuerit, an filij obsequium. Sab. lib. 3 cap. 1. ex Genes. 22.

Promptè obediuit IOSEPH patri ad fratres eum mittenti, quamuis prius eos accusasset, ob quod merito timere debuerat. Et Deus exaltauit eum. Genes. 47. & 48.

Obsequenter Israelem DECEM filij sunt veriti: qui in Ægypto ad regij præfecti pedes cum lachrymis & precibus prouoluti, nihil obscurè testati sunt, quàm sanctum esset apud se patris imperiū: professi, aut sibi perpetuò exulandum, aut fratrem, cuius supplicium deprecabantur, se restituendum. Sab. lib. 3. cap. 1. ex Genes.

DAVID, licet per Samuelem esset vnctus in regem, tamen obediebat patri, mittenti cum vt portaret cibū fratribus, quibus tunc fuerat præfatus. 1. Reg. 15. & 17.

Expertus est Dauid rex in filiis contumaciam:sed vltio fuit illa numinis,non domesticæ disciplinæ vitium. Cæterùm extremo vitæ tempore Solomonem puerum adhuc ex adulterio conceptum, regem declarauit, cùm plures FILII adessent grãdes natu,& prudentia non vulgari: verũ HI non modò non patri inierunt obuiam,sed eius voluntatem ceu oraculum secuti,nihil etiam post senis interitum mutare sunt ausi. Sab. lib.3. cap.1.

Rechabitæ patris Ionadab institutionem secuti,vinum non bibũt, domos non ædificant,non serunt,non plantant: sed in tabernaculis semper vagi peregrinantesque habitãt,Et si illi tam difficilia patris præcepta impensè coluerunt:quàm iniquus est qui multo faciliora leuioráque Dei mandata seruare contemnit? Hinc proposita eorum obedientia, Iudæorum inobedientiam per Prophetam increpans Dominus,alteros captiuitatis iugo affligendos minatur: alteros autem semper suo fruituros conspectu repromittit.Et si sic remunerantur qui obtemperant patri,quanto magis qui parent Deo? Marulus libro quarto,cap.tertio:ex Hieremiæ trigesimo quinto.

TOBIAS iunior auditis exhortationibus patris, in omnibus obedientem se exhibuit, cùm diceret: Pater, omnia quæcunque præcepisti mihi, faciam.Tob.cap.5.

Quicquid præcipiebat Mardochæus, obseruabat Esther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore solita erat,quo eam paruulam nutriebat. Vnde in reginam assumpta est.Esthr.2.

CHRISTVS saluator noster, ab omni inobediẽtia se alienum esse declarans:E cœlo,inquit,descendi,non vt meam ipse volũtatem faciam, sed eius qui misit me,patris.

IDEM, vt nobis obedientiæ præberet documentum, parentum obsequio subdi voluit.Et erat(inquit Euangelista) subiectus illis:& hoc quidẽ, cùm iam sapientia & ætate & gratia proficeret apud Deum & homines. Et ne puerorum more blanditiis aut metu subiectum fuisse putes, non fuit infirmitatis, sed pietatis & liberi gratuitique obsequij ista subiectio. Marul.lib.4.cap.3.

Cùm Artaxerxes interfecisset maximum natu filium Darium,ob insidias quas patri intenderat:secundus ab illo,iubente patre, stricto acinace, sibi ipsi vim ante regiam intulit. Ælian.de Var.hist.lib.9.

METELLI filij Romæ à patre hæreditate exculsi,testamentum irritũ esse noluerunt.Satius arbitrati,bonorum extorres fieri,quàm qualemcũque patris voluntatem non tueri.Alex.lib.6.cap.10.

Q.METELLVS Balearici filius,& Macedonici nepos, filium iureiurãdo adegit,vt Curionem accusaret sui accusatorem.Vide titulum de Accusatis.

Aphronia matris Ebutiæ testamentum rescindi vetat.Vide tit.Testamẽtorum quæ rata manserunt.

Cùm C. Flaminius trib.pleb.legem de Gallico agro viritim diuidendo,inuito & repugnante Senatu promulgasset, precibus minisque eius acerrimè resistens:ac ne exercitu quidem aduersus se conscripto, si in sententia perseueraret,absterritus, postquam pro rostris ei legem iam referenti pater manum iniecit,priuato fractus imperio,descẽdit è rostris, minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.Val.lib.5.capite 4.

MARTIVS Coriolanus maximi vir animi,& altissimi consilij,optiméque de Repub.meritus,iniquissimæ damnationis ruina prostratus,ad Volscos infestos tunc Romanis cõfugit.Magno vbique precio virtus æstimatur.Itaque quò latebras quæsitum venerat, ibi breuissimè summum adeptus est imperium:euenitque,vt quem pro se salutarem imperatorem ciues habere noluerant,penè pestiferum aduersus se ducem experirentur. Frequenter enim fusis exercitibus Rom.victoriarum suarum gradibus aditum iuxta mœnia vrbis Volsco militi struxit.Quapropter fastidiosus ille in æstimãdis bonis suis populus,qui reo non pepercerat, exuli coactus est supplicare. Missi ad eum deprecandum legati,nihil profecerunt: missi deinde sacerdotes cùm infulis, æquè sine effectu redierunt. Stupebat Senatus,trepidabat populus:viri pariter & mulieres exitium imminens lamentabantur.Tunc Veturia Coriolani mater, Volumniam vxorem eius & liberos secum trahens,castra Volscorum petiit. Quam vbi filius aspexit,properè vt amens matris complexum petiit. illa ex precibus in iram versa,ait:Sine,vt prius quàm complexum accipiam, sciam an ad hostem, an ad filium venerim: captiuáne,an mater in castris tuis sim? In hoc me longa vita & infelix senecta traxit,vt exulem,deinde hostem te viderem? Potuisti populari hanc terram,quæ te genuit atque aluit? Nisi te pepperissem,Roma non oppugnaretur. Multáque insuper addidit complorando,quibus & vxoris ac paruulorum fletibus motus, matrem complexus: Expugnasti (inquit)& vicisti iram meam patria, precibus huius admonitus,cuius vtero conceptus,te venia dono.Continuóque agrum Romanũ hostilibus armis liberauit.Ergo pectus acceptæ dolôre iniuriæ, spe potiundæ victoriæ, verecundia detractandi ministerij, metu mortis refertum,totum sibi pietas vacuefecit:vniúsque parẽtis aspectu,bellum atrox, salutari pace mutauit.Val.Max.lib.5.cap.4.& Liu.lib.2. Dec. 1. & Polyæn. lib.8.

Alexander Seuerus summa charitate & reuerentia erga matrem Mamæam vsus est,cùm nihil questus tulit, vt propter muliebres contentiones ambitiosa mater exulatum eius vxorem mitteret in Africam, quam paulo ante ipse ab ea acceperat,maiúsque penè matris in regendo imperio quàm ipsius arbitrium esset.Fulg.lib.5.cap.4.

Childebertus & Clotarius Francorum reges,cum de regni possessione inter se armis disceptarent,essentque acie dimicaturi, Crotochildis matris interuentu,primò ferrũ inhibuere,maternis precib.& lachrymis moti:inde non solùm prælio abstinuerunt,sed concordes facti mutuò se cõplexi sunt.Sab lib.3.cap.6.& Egnat.lib.5.cap.4.

Ferdinandum Neapolitanorum regem dicere solitum ferunt,nullam se patre viuo neque maiorem illis,neque parem cæpisse voluptatibus, quas ipse caperet,cùm patris consilium cogitatione præuisum opera anticiparet.Contrà nihil sibi neque grauius,neque existimatione sua indignius solitum accidere,quàm cum maiorum rerum occupatione impeditus,patri adesse non posset.Pont.lib.2.cap.3.de Obedient.

FIDELITAS ATQVE PIETAS LIBERORVM erga parentes.

Exempla quædam pete ex tit. Amoris liberorum erga parentes.

IVDAS supplicans Iosephum,vt Beniamin ad patrem remitteret: ad patrem redire noluit,absente puero,ne calamitatis, quæ oppressura erat patrem suum,testis assisteret.Gen.44.

DAVID fugiens conspectum Saulis,licet in maxima rerum afflictione: curam suorum tamen parentum semper habuit, & diligenter eos apud regem Moab recommendauit.1.Reg.22.

TOBIAS, Tobiæ filius,vt paternæ cæcitati remedium quæreret, puer adhuc,omniúmque rerum ignarus,domo peregrè profectus, cœlestem meruit ducem sortiri:cuius ductu felix exitu puer,felicior reditu,præsentissimum attulit patri remedium.Sab.lib.3.cap.6.

ÆNEÆ pietatem erga patrem Anchisem,pete ex tit. Præmia pietatis erga parentes.

Antigona patri suo Oedipo exoculato ducem se præbuit.

CLEOBIS & Bion,Cydippes Cereris sacerdotis filij,cùm parẽtes summa semper obseruantia & pietate coluissent,matrem grauiter decumbentem,iugati veluti boues ad Iunonium duxerunt, gentili more, sacrum, vt pristinæ sanitati mater restitueretur. verùm ipso die quo matrem adduxerant,vterque mortem obiit,Isaacius Zezes de Var.historia. Chiliade 1. hist.1.At Val.Max.lib.5.cap.4. Argiam matrem sacerdotem currui insidẽtem,eos ab oppido ad fanum traxisse asserit: quòd nefas esset, sacerdotẽ pedibus ad sacrificium proficisci. Cic.in primo Tusc.quæst. meminit: & Herod.lib.1.

Amphinomus & Anapius Siculi fratres,cùm haberent parentes vltima senectute confectos,eos ceruicibus impositos ex Catana vrbe Siciliæ,per medios sæuientis AEtnæ ignes tulerunt adolescentuli, non vtilitatis spe aliqua:verùm cum maximo vitæ discrimine, & summi in parentes ipsos amoris, pietatisque testimonio.Pont.lib.2.cap.4.de Obedientia: & Val. lib.5.cap.4.

Harpalice regina Thracum,equum ascendens,captum ab hostibus patrem,citius quàm credi posset,liberauit.

ATYS Crœsi filius,mutus à prima ætate,cùm Cyrus Persarum rex Sardas Asiæ oppidum intrasset,vt omnes quotquot adessent interficeret:alta voce(pietate in patrem vnicè motus)acclamasse dicitur: Parce patri meo Cyre,& te hominem esse vel casibus nostris disce. Solinus cap. septimo. Gellius libro quinto,cap.9.Herod lib.1.Valer.libro 5. cap. 4. Iustinus libro primo.

PERSÆ, neminem vnquam suum aut patrem aut matrem sponte occidisse aiunt:verùm si quæ talia accidissent, deprehẽsum tradunt, aut subditicios aut spurios eos fuisse liberos.Herod.lib.1.

CIMON Atheniensis, vt Miltiadem patrem publicè damnatum vinculis eximeret,vltrò sese carceribus obtulit: mortem lubens opetiturus, modò patrem à periculo seruaret.Val.Max.lib.5.cap.4.& Sab.lib.3.cap.6.

IDEM, cùm patrem defunctum esse intelligeret, vt corpus eius sepulturæ traderet:non tãtùm multis se periculis exposuit,sed pietatem in patrem captiuitati quoque proposuit.Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.& lib. 6. capite 14.

FILIA quædam patrem suum Cimona custodiæ traditum, iam vltimæ senectutis velut infantem pectori suo admotum aluit.Hærent ac stupent hominum oculi,cùm huius facti pictam imaginem vident: casúsque antiqui conditionem,præsentis spectaculi admiratione renouant,in illis mutis membrorum lineamentis viua ac spirantia corpora intueri credentes:quod necesse est animo quoque euenire,aliquanto efficaciore pictura literarum,vetera pro recentibus amonito recordari. Val.Max.lib.5. capite quarto.

DVO quidam fratres patrem habebant senem, & extrema inopia laborantem. Fortè autem accidit, vt Epastus tyrannus Hispaniæ Pacietem quendam Hispanum iniustè occideret. Filij ergo huius Pacietis iniustam patris mortem ægrè ferentes, vltionem quærebant. Conuenerunt igitur cum adolescentibus istis in XII millia numum,si Epastum tyrannũ occiderent.Illi conditionem hac acceperunt lege, vt pecuniam patri suo extrema inopia laboranti, post peractum opus soluerent. Quod & factum est,nam tyrannum occiderunt,patrem inopia liberarunt: & qui pecuniã exhibuerunt,iniustam patris mortem vindicarunt. Hoc modo duplex filiorum in parentes pietas exhibita est.Val.Max.lib.5.cap.4.

Lausus Mezentij Tyrrheni filius, patrem in bello aduersus Æneam seruauit,eóque liberato ipse ab Ænea interfectus est.Vergil.lib.10.Æn.

HYRCANI

HYRCANI pietatatem erga matrem, pete ex tit.Tolerantia ethica tormentorum.

Numa Pompilius Tatij Rom. regis filiam in vxorem duxit: neque tamen migrauit ad socerum,sed patrem Pomponium iam seniorem fouens & nutriens in Sabinis mansit:simúlque Tatia priuati viri quietem, quàm Romæ honorem gloriamq; maluit. Plut.in eius vita.

CLAVDIA virgo Vestalis cùm patrem triumphantem è curru, violenta tribunorum plebis manu detrahi animaduertisset, mira celeritate vtrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit.Igitur alterum triumphũ pater in Capitolium, alterũ filia in ædẽ Vestæ duxit:nec discerni potuit,vtri plus laudis tribueretur,cui victoria, an cui pietas comes aderat.Ibid.

PLVTO Pinensis iuuenis, cùm obsessæ vrbis suæ claustris præsideret in Italico bello, & Rom. imperator patrem eius captiuum in conspectu ipsius constitutũ districtis militũ gladiis circumdedisset,occisurũ se minitans,nisi irruptioni suæ iter præbuisset, solus è manibus eorum senẽ rapuit:duplici pietate memorandus,quòd & patris seruator,nec patriæ fuit proditor.Ibid.

Romæ C. Quintio,M.& Acilio coss.sanguinis ingenui mulierẽ prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, triumuiro in carcere necandam tradidit. Quam receptã is qui custodiæ præerat, misericordia motus non protinus strangulauit:aditum quoque ad eam filiæ,sed diligenter excussæ,ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum vt inedia consumeretur. Cùm autem iam dies intercederent, secum ipse quærens, quídnam esset, quod tandiu sustentaretur, curiosius obseruata filia quæ paulo antè pepererat, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem.Quæ tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad triumuirũ,à triumuiro ad Prætorem,à Prætore ad Consulũ iudicium perlata, remissionem pœnæ mulieri impetrauit. Alimenta ambabus constituta:& ne tantæ rei memoria intercideret, vbi carcer fuit, Pietatis ara extructa est. Val. lib 5. capite quarto, Sab. lib.3. capite 6.& Plin. lib.7.cap.36.

AFRICANVS superior, vixdum annos pubertatis ingressus, patrẽ consulem apud Ticinũ fluuium aduersis auspiciis cum Hannibale pugnãtem,saucium grauiter,intercessu seruauit suo: neque illum aut ætatis infirmitas,aut militiæ tyrocinium, aut infeliciis prælij etiam veterano bellatori pertimescendus exitus interpellare valuit: quo minus duplici gloria conspicuus, coronam,imperatore simul & patre ex ipsa morte rapto,meretur. Valer.lib. quinto cap. 4.& Polyb.libro 10.

ÆMILIVS Lepidus adolescentulus,captũ patrem ab Hannibale liberauit,& hostem interfecit. Qua pietate statuam meruit.

CORNELIVS Scipionis cognomen apud Romanos meruit, quod patrem decrepitum & cæcum pro baculo regere sit solitus. Macrobius author.

L. Manlio Torquato diem ad populum Pomponius tribun. plebis dixerat, quòd occasione benefaciendi belli ductus,obtinendi legitimum imperij tempus excessisset:quódque filium optimæ indolis iuuenẽ rustico opere grauatum publicis vsibus subtraheret. Id postquam MANLIVS adolescens cognouit, protinus vrbem petiit, & se in Pompeij domũ prima luce direxit. Qui æstimans in hoc eum venisse, vt patris crimina, à quo plus iusto asperè tractabatur, deferret, excedere omnes iussit cubiculo, quo licentius remotis arbitris indicium perageret. Nactus occasionem opportunã proposito suo iuuenis, gladium, quem tectum attulerat, distrinxit, tribunúmque minis ac terrore compulsum iurare coegit à patris eius accusatione recessurũ: eóque effectum est, ne Torquatus causam diceret.Commendabilis est pietas,quæ mansuetis parentibus præstatur:sed Manlius quo horridiorem patrem habuit, hoc periculo eius laudabilius subuenit, quia ad eum diligendum, præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat. Val.lib quinto, cap.4.& Sab.lib.3.cap.6.

Hanc pietatem æmulatus M. COTTA, eo ipso die quo togam sumpsit virilem,protinus vt è Capitolio descendit, Cn. Carbonem,à quo pater eius dãnatus fuerat, postulauit, protractúmque reũ iudicio afflixit, & ingenium & adolescentiam præclaro opere auspicatus.Val.lib.quinto, capite 4.

Opius ciuis Romanus, à triumuiris proscriptus, cũ nimio senio debilitatus esset, & Filium haberet qui domi manere poterat, maluit filius cum vitæ suæ periculo patrem debilitatum morti, quæ domi parata fuisset, eripere.Sublatum igitur in collum magno labore, ab vrbe tulit, sub mendici specie latentẽ:atq; cũ eo in Siciliam peruenit, vbi Sex. Põpeius proscriptos omnes recipiebat.Tandem hac singulari in parentem charitate à populo Romano patriæ restitutus, ædilis quoque factus est. In eo magistratu cùm bonis spoliato,ad festos ludos edẽdos,opes nullæ essent: ne is consueto honore careret, theatrales artifices dono ei operas suas dederunt. Ludorum apparatui necessaria populus quoque Romanus vniuersus priuatim in theatro tantum ei contulit, vt non modo agendis excellenter ludis sufficeret,verũ ex eo quoq; quod superfuit,vehementer ditaretur,à populo Romano mirũ in modum laudata ipsius in Opium patrẽ charitate.Fulg.lib.5.cap. 4.

CÆCILIVS METELLVS, Numidici filius,eo quòd patrem assiduis precibus ac lachrymis ab exilio liberasset, Pius dictus est. Volat. libro 17.Sabell.libro tertio, capite sexto, paragrapho 4. & Plin. capite 63. de Vir.illust.

Arriani, qui proscriptus erat, FILIVS, cùm minimè eius proscriptionis pœnæ addictus esset, & rem & pericula omnia spreuit, cùm arte patrem carcere eripuit, & cum eo profugit. Fulgosius libro quinto capite 4.

In ciuilibus bellis, quibus inter se Antonius atque Octauius decertauerunt,contigit vt fratres cum fratribus, & cum filiis parentes diuersa acie concurrerẽt.Itaque postremò prælio,quo apud Actium Octauius Antoniũ deuicit,cùm captiui recenserentur (sicuti mos erat) Metellus ad Octauium deductus est: cuius quanquam facies propter anxietatem carcerémque à consueta videretur mutata esse,à filio tamẽ METELLO, qui cum Octauio militabat,agnitus fuit.Itaque lachrymabundus statim in patris amplexum cucurrit, deinde lachrymarum plenus ad Octauiũ conuersus dixit: *Hic tuus hostis mortem meritus est*: ego autem præmio sum dignus, quia tibi inseruiui. Oro igitur te, vt pro eo munere quod mihi à te debetur, hunc serues incolumem,& me pro eo occidas.Ea pietate motus Octauius,filio Metellũ *patrem*, quanquam *infensissimus hostis* esset, dono dedit.Ibid.

In illa proscriptione, quæ sub Augusto Cæsare in Iulij Cæsaris interfectores, eiúsque necis conscios facta est, cùm ab Antonij & Lepidi militibus infiniti crudeliter interficerentur,in quorum numero & parens omnis eloquentiæ Cicero inuentus est, Quintum Ciceronem, Marci Tulij Cic.fratrẽ clàm à Filio conseruatum legimus.Cùm enim filius verberibus ac tormentis afficeretur, vt indicaret vbinam parẽs latitaret, nullis cruciatibus eò potuit impelli,vt patrem à se clam absconditum ostẽderet. Quintus autem posteaquã hæc audiuisset, filij admiratus constantiam atque eius misericordia permotus, vltrò se prodidit,inimicorúmque potestati se permisit. Xiph.Dionis abbreuiator in Augusto.

VESPASIANVS, cùm in Britannia obsideretur à Barbaris, atque in extremum periculum venisset: TITVS filius eius, patris saluti metuens incredibili audacia eum obsidione liberauit:fudítq; Barbaros, eósque lõgius insecutus occidit.Xiph.in Claudio.

Scribit Iouianus Pon.lib.2. cap.4.de Obed.de IVVENE quodã,qui Lyparis Neapolim profectus,vt patrem à prædone redimeret,sponte se in seruitutẽ dedit:patréque in libertatẽ restituto,qui iã erat senior,ipse remo addictus in prædonis potestate remansit.

Alphonsi secundi Legionensis regis,qui cognomento Castus dicebatur, Vermena soror,cum clam fratre comiti Sanctio Santillanensi,nupsisset,atque ex eo filium peperisset nomine BERNHARDVM Carpiũ:rex sororis matrimonio vehementer perturbatus, eam inter virgines monasterio inclusit: comitem autẽ,cui illa nupserat, perpetuo carceri dãnauit, natum autem ex eis filium amanter aluit. Qui cum in virum magna præditum virtute euasisset,meritis atque obsequio primùm liberare patrem enixus:vt id non succedere conspexit, Mauris coniunctus, quid armis efficere posset tentauit: neque vnquam viuente Alphonso destitit, neque intermissa vnquam post eum ea opera,cum Veremundo primo,Ramyro primo & Ordonio primo, qui omnes eo ordine in Legionensi regno successerunt: tandem regnante Alphonso tertio, armis patrem recepit, iam non decrepitum modò,sed cæcum quoque. Tantum enim penes filium paterna valuit charitas, vt neque temporis longitudo eius vinceret animum:neque aduersa religio,quam Mauri colebant,ab incœpto eum absterreret: sed aduersus tam multorũ regum potentiam, viribus longè inferior, indefesso animo semper contẽdit, donec voto potiretur.Quæ res quanto rarior inter mortales inuenitur, tanto plus laudis Bernhardo cõparauit.Fulg.lib.5.cap.4.

Inter tam multa insignium virorum charitis erga parentes exempla, vnum TOLETANI hominis annectemus:in quo quod fortunæ defuerat, id rei magnitudo æquauit.Huius pater aurarius faber à Petro primo Castulonis rege, ob falsas suspiciones morti damnatus erat. Filius amore erga patrem compulsus,lachrymis precibúsque agere non destitit vt seruato patre, ipse pro eo occideretur. Quod assecutus, vitam amisit: vt in vita eum seruaret, à quo ipse per genituram acceperat vitam: tanto omnibus aliis in hac charitatis laude præferendus, quanto aliis omnibus rebus vita charior est.Ibid.

CICONIA parentes senio confectos (vt author est Aristoteles) alere existimatur, infantiæ suæ vices rependens. Quã pietatem ἀντιπελάργωσιν vocant, vulgato etiam prouerbio notam.

RAYMIRI pietatem,erga priuignam Geloriam,pete ex tit. Perfidiæ erga parentes.

Vixerat Antonius Grimanus fama opibúsque Venetiis insignis, cum primùm rei maritimæ imperator,prouincia satis fœliciter administrata, domum reuersus,procuratoria dignitate donatur:iterúmq; Turcico bello ad vniuersam Græciam liberandam classi Imperator datur. Non multo pòst abrogato illi imperio Venetias reuocatus: quo tempore sanè licuit spectare,cum summa omniũ qui intererant admiratione, filiorũ in eum pietatem,&præcipuè CARDINALIS eius filij:qui illi iuxta carcerem occurrens, patrem amplexatus, lachrymabundúsque: Ego inquit,pater pro te tuáque salute *in publica vincula me coniiciam nec* prius inde discedam quàm audiero te publico absolutum iudicio. Cæterùm à patre publicorum ministrorum opera diuulsus,petebat ab illis, vt se filium in carcere patri adiungerent, cui inseruire ipse posset. Sed quum non multo post maioris consilij iudicio in exilium relegatus esset, ipséque pater Romam aduolasset: relegationis suæ finibus non contentus, sic à Cardinali filio excipitur, sic in summo gaudio summã pietatem præ se tulit, vt beatum ac fœlicem patrem esse dicerent: qui talem filium sortitus esset. Qui mox in patriam restitutus incredibili omnium gaudio, procuratórque diui Marci iterum creatus, quod nulli vnquam antè contigerat, denique in Lauretani principis clarissimi locum ipse dux eligitur.Egn.lib.5.ca.4.

FIDELITAS ATQVE PIETAS PARENTVM
ergà liberos.

ARISTIDES Locrensis filiam suam ita amauit, vt Dionysio, qui sibi vxorem depoposcerat, dare noluerit, etiãsi omnium ditissimo: se potius filiam malle perditam, quàm tyranni matrimonio locatam, videre dixerit. Sabel.lib.8.capite 9.Exempl.

CESETVS eques Romanus, Cæsare omniũ iã & externorũ & domesticorum hostiũ victore, cùm abdicare filium suũ iuberetur, quòd is trib. plebis cum Marullo collega inuidiam ei tanquam regnum affectanti fecerat, in hunc modum respondere sustinuit: Celerius tu mihi, Cæsar omnes filios meos eripies, quàm ex his ego vnum nota pellam mea. Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios, quibus Cæsar se incremẽta benignitatis largiturum pollicebatur. Val.lib.5.cap.7.

OCTAVIVS Balbus proscriptus à triumuiris, cum domo, postico clã esset gressus, iamque fugæ expeditum initium haberet: postquam intus filium trucidari falso clamore viciniæ accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit, occidendúmque militibus tradidit. Pluris nimirum illud momẽtum, quo illi præter spem videre filium incolumẽ contigerat, quàm salutem suam æstimans. Miseros adolescentis oculos, quibus amantissimum sui patrem, ipsius opera sic expirantem, intueri necesse fuit. Ibid.

Q. Ciceronis pietatẽ erga filium, pete ex tit. Fidei liberorum erga parentes.

FIDES ERGA FRATRES.

MOSES Iudaicæ rei summam partitus cum Arone fratre, eum tabernaculo præfecit, omni sacrorum potestate in vnum collata. Quam postea dignitatem ne ille amitteret, oratione & miraculis certauit cum populo: nec prius destitit assertæ dignitatis satagere, quàm id sacerdotium fratri in omne vitæ tempus stabiliuit. Sab.lib.3.cap.7.

Pari pietatis affectu VIRILLE summus sorori veniam è cœlo impetrauit, cùm iam lepra contacta esset, quòd immodicæ linguæ fœmina fratrem libertatis autorem, seruatorémque populi, probrosis verbis incessere esset ausa. Ibid.

Ingentem fratri Timoleon Corinthius amorem ostẽdit, cùm inito aduersus Argiuos prælio fratrem, qui vulneribus confectus in terram ceciderat, saltu transgressus, clypeo suo protexit. Et quanquam illic ipse quoque permulta accepisset vulnera, nunquam se in tutum locum, nisi fratre recepto, vestigia mouit, plurisque illius quàm suam se facere salutem ostẽdit. Fulgos.lib.5.cap.5.

Æschylus tragœdus in quodam dramate impietatis damnatus erat. Cũ Athenienses iam parati essent cũ lapidibus obruere, Amyntas iunior frater, detecta veste, cubitum ostendit manu vacuum. Fuerat autem Amyntas in Salamine, vnus ex primoribus, vbi manum amisit, & primam palmã ex omnibus Atheniensib. consecutus est. Vbi ergo iudices hominis incõmodum & damnum aspexerunt, repetentes facinorum eius memoriam, Æschylum absoluerunt. AElian.de Var.hist.

Melampus vates & medicus clarissimus, cùm frater eius Bias filiam Nelei, Pero nomine, deperiret, neque eam Neleus alicui dare vellet, nisi qui prius Iphicli boues abegisset: Melampus hoc facinus aggressus, ab Iphiclo captus est. Sed postquam Iphiclo imminentem ruinam tecti prædixit ab eo vnà cum bobus dimissus, ad Neleum venit, & fratri Bianti vxorem Pero impetrauit. Theocritus, & Diodorus.

Orta falsa fama, Asiæ regem Eumenem, Persei insidiis mortuum esse: ATTALVS frater sumpto diademate, vxorem eius in matrimoniũ duxit. Sed cùm postea Eumenes rediret, Attalus autem obuiam profectus, vt venientem exciperet, timoris expers non esset, ob ea quæ falsa inductus fama egerat, Eumenes minimè se commotum ostendens, summissa voce Attalo in aurem dixit. Nolito aliàs vxorem ducere, nisi antè certò sciueris, qui mortuus fuerit. Cæterùm cum haud diu pòst moreretur, etsi ex vxore filium procrearat, fratri tamen Attalo vxorem regnúmque reliquit. Attalus autẽ ne fraterna charitate vinceretur, etsi ex vxore multos postea procreauit liberos, vnum tamen ab Eumene relictum in spem regni aluit & vt aptum regendo vidit, regno ei cessit, diúque post hoc priuatam egit vitam. Horum fratrum pietas apertè, fraterna beneuolentia maius nihil esse, ostẽdit, cùm postpositis propriis filiis, regno inuicem liberaliter cesserint. Fulg.lib.5.cap.5.

SCIPIO Africanus temetsi arctissima familiaritate Lælio iũctus erat: attamen senatum supplex orauit, ne prouinciæ sors fratri suo erepta, ad eum transferretur, legatúmque se L. Scipioni in Asiam iturum promisit, & maior natu minori, & fortissimus & belli gloria excellens laudis inopi & quod super omnia est, nondum Asiatico, iam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit: triumphique prætextam huius excepit, illius tradidit: ministerio aliquanto maior, quã frater imperio. Valerius libro quinto, capite 5.

FVLVIVS Flaccus cùm multa ope Capuam obsideret, magna virtutis fama ob Pœnum à castris multa vi repulsum à senatu per literas petiit, vt liceret sibi Romam occurrere ad Fuluij fratris salutem tuendam: cui à tribuno plebis dicta erat dies, quòd ipsius temeritate ad Herdoniam cæsus esset Romanus exercitus. Sab.libro tertio, capite septimo: & Egnat.lib. quinto.cap.5.

¶ M. Marcellus fratrem Otacilium ab se in Sicilia protectum, ab imminenti periculo liberauit, eos qui acri in eum impetu ferebantur, trucidãs. Plut.in eius vita.

CLAVDIA, Vestalium vna, quia frater à tribuno plebis triumphare prohiberetur, cum eo currum ascendit, sacerdotio freta. Cessit sacrosanctus magistratus religioni, quæ eo die verius quã imperatoris virtus triũphauit. Sab.libro 3. capite 7.

Cùm in Asia esset iunior CATO, & fratrem Cepionem in Asiam venientem accepisset, Thessalonicæ graui affectum valetudine substitisse: etsi hyems sæuiebat, neque satis idoneam haberet nauem, tamen vrgente fraterna pietate, cùm duobus solis comitibus, mari hyberno se tempore credidit, & ad visendum fratrem perrexit. Quem cùm mortuum offendisset, non satis duxit ingentibus lachrymis (fortasse plusquàm philosopho homini æquum esset) prosequi funus, ingenti apparatu atque impensa procurauit, neque eam impensam cum nepte in diuidenda hæreditate computauit. Fulg lib.5.cap.5.

C. Marcellus pro salute & restitutione fratris M. Marcelli se ad Iulij Cæsaris pedes adiecit, ac supplex accessit, vt restitueretur frater in pristinum suum statum. Cicero in oratione pro M. Marcello: & lib.4. Epistolarum fam.ad Seruium Sulpitium.

Quantum valeat sub eodem tecto fratres esse genitos, in eodem domicilio simul educatos, eosdem sæpius appellasse parentes, in eodem cubiculo & lecto non paucos annos iacuisse, eosdẽ affines & cognatos agnouisse: si quis Tiberij Cæsaris ingenium diligentius æstimarit, hoc facilimè dixerit. Qui sanè Tiberius ad fratris Drusi nuncium, quòd aduersa valetudine laboraret, ex Ticino, vbi tunc erat, adeò præceps in Germaniam delatus est, Alpibus ipsis, non sine ingenti periculo, Rhenóque amne, vno tantùm comite, superato, vt Drusum adhuc viuentem amplecti potuerit. Quem tamen paulo pòst mortuum, pedes ipse incredibili squalore Romam vsque comitatus sit, sepulturæque mandarit. Egnat.lib.5. cap.5. ex Val.lib.5.cap.5.

Isacius Angelus ea in fratrem Alexium pietate fuit, vt captum à Turcis magno redemerit. A quo postea vt ingratissimo, per dolum captus, luminibúsque priuatus, & in custodiam cõiectus est. Volat.lib.23. Anthrop.

Ingens Cichi Ordelaphi Foroliuiensis fraternus amor fuit erga fratrem suum Scampettam, qui captiuus in regis Roberti manu in Castricari arce custodiebatur, cùm Forumliuij quoque vrbem idem rex obtineret. Itaque vinario vase latens Cichus, curru in vrbem bubulco rem ignorante deductus, amicorúmque ope adiutus, per hunc modum vrbe potitus, magno auri pondere fratrem redemit, atque ei statim vrbis principatum restituit. Quantum ei Pinus frater dissimilis fuit? qui Salutis anno quadringentesimo septuagesimo sexto, post mille, Cicho fratre principatu deiecto causa fuit, vt Foroliuiensis res in externorum manus perueniret. Fulg. lib.5.cap.5.

OBEDIENTIA CONIVGALIS.
Vxor obedire debet viro, lege naturali: non econtrà. Quòd si verò imperet, iniusticia committetur: de qua sub loco Iniusticiæ.

Quòd vxor debeat esse viro suo socia æqualis, quo ad multa, non domina, vel ancilla, patet per hoc, quòd Euam formauit Dominus de costa Adæ, nõ de capite vel de pede. Item patet, quòd vir est caput vxoris, quia fuit ei quadammodo principium essendi: & facta est mulier de viro suo, non vir de muliere. Debet esse vir magister & doctor: vnde præceptum à Deo fuit datum Adæ, & per Adam Euæ. Genes.2.

SARA vxor Abrahæ, obediebat marito, & Dominum eum vocabat. Gen.18.

' Parentes Saræ monuerunt eam, honorare Tobiam socerum, & Annam socrum diligere maritũ, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere. Tob.10.

FIDES CONIVGALIS MVTVA.

Consule locum Castitatis coniugalis: item Amoris coniugalis.

Quærentibus Pharisæis, si liceret homini dimittere vxorem, quacũque de causa, dixit Dominus: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Mar. 16. Mar.9. Mar.10.

Nullus tam mutuæ charitatis maior vnquam extitit, affectus connubio aliquo, quàm Iob patientissimi hominum. Enimuerò VXOR capillis, magno in fœmina ornamento, sese priuauit, vt in summa egestate, languenti viro, ac grauiter affecto panem mercaretur: & illum, quem non fortunarum

fortunarum amissio, non cohors filiorum ruina domus obtrita, non vis vlla morbi infringere potuerat, pars vna capillorum coniugi adempta adeò affecit, vt diem quo genitus esset, homo alioqui patientissimus, sit demùm execratus. Sab.lib.3.cap.5.

Apud priscos GERMANOS semel cum nupta transigitur cum qua senescendum erat, neque à viro diuertere, neque post obitum alteri nubere permittebatur. Id tamen memoriæ proditum est, vxori concepto, necdum edito partu, post diuortium alteri nubere non licere. Alex.lib. quarto, cap.8.

Quum Belides omnes facta coniuratione maritos interfecissent, sola HYPERMNESTRA pepercit marito Lino, seu Lynceo. Vide tit. Odium erga consanguineos.

ALCESTIS maritum suum Admetum Thessaliæ regem tanto amore dilexit, vt quum Admetus ipse morbo laboraret, consultáque oracula respondissent: futurum eum incolumem, si quis amicorum pro eo mori vellet, sola vxor recusantibus pietatem illam cæteris amicis, pro viri salute morti se deuouerit. Vnde poetæ fabulati sunt, reuiuiscendi munus ei à diis concessum. Sab.lib.3.cap.5.

Minyæ quorum origo ex inclyto sociorum Iasonis numero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabilis in sede manserat, è Pelasgicis expulsi armis, alienæ opis indigentes, excelsa Taygetorum montium iuga supplices occuparunt. Quos Spartana ciuitas, respectu Tyndaridarum (nanque in illo nobilis famæ nauigio destinatum sideribus par fratrum fulserat) deductos inde, legibus cõmodisque suis immisit. Sed hoc tantum beneficium in iniuriam bene meritæ vrbis regnum affectantes verterunt. Igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali seruabantur supplicio. Quod cùm vetere instituto Lacedæmoniorum nocturno tempore passuri essent, CONIVGES eorum illustris sanguinis, ibi velut allocuturæ perituros viros, impetrato à custodibus aditu, carcerẽ intrarũt, commutatáque veste per simulationem doloris, velatis capitib. eos abire passæ sunt. Hoc loco quid aliud adiecerim, quàm dignas fuisse, quibus Minyæ nuberent? Val.lib.4. cap.6. ex Herod.

Tyrrheni, qui Lemnum & Imbrum inhabitabant, expulsi ab Atheniensibus, in Tænarum appellentes, Spartiatis ad bellum Eiloticum auxilium tulerunt. Itaque ciuitate donati, coniugiorumque participes facti, cùm non ad imperia, neque in senatum admitterentur, in suspicionem nouarum rerum venerunt, & comprehensi à Lacedæmoniis custodiebantur. Victorum VXORES ad carcerem venientes, petunt à custodibus, vt sibi tantisper adire viros liceat, donec viderent, & cum eis coirent. Quæ cùm introissent, statim vestes permutarunt, virique vxorum vestibus induti & occultati, ingruente vespera exierunt. Mulieres virorũ sumptis indumentis intus remanserunt, quodcunque periculũ subire paratæ, ad maritorum salutẽ vindicandam. Neque verò mariti vxorũ obliti sunt, aut eas reliquerunt. Sed & ipsi Tynetũ occuparunt, & Eilotas ad defectionem pertraxerunt, ita vt Lacedæmonij metuentes de pace legatos mitterent, compositáque controuersia vxores eis redderent. Pecuniis itẽ, nauibúsque suppeditatis, quasi colonos Lacedæmoniorum ablegarunt. Poly.lib.8.

CHILONIS Cleandri filia, vxor Theopompi, cùm maritum suum captiuum asseruari ab Arcadibus didicisset, vltrò ad hostes venit. Arcades eius humanitatem admirati, potestatem ei in carcerem introeundi fecerunt. Illa suam vestem marito circundedit, eiúsque ipsa sumpsit, & illum clàm egredi iussit. Ipsa verò pro eo apud hostes remansit. Theopompus vxoris stratagemate seruatus, etiam ipse sacerdotẽ quandã Dianæ in Pheneum pompam ducentem rapuit. Tegeatæ vt hanc reciperent, Chilonidẽ ei restituerunt. Ibid.

CHILONIA Cleombroti Spartani regis vxor, ac Leonidæ filia, qui Spartanus rex fuerat, cùm ciuilibus discordiis Cleombrotus vir Leonidã eius patrem in exilium misisset, à viro patris restitutionẽ impetrauit. Cùm autem mutata fortuna Cleombrotum postea Leonides ab vrbe depulisset Chiloni pari opera apud parentẽ pro viro vsa, cũ nihil proficere animaduertisset, etsi feliciter apud parentẽ in patria agere poterat, maluit cũ viro eius exilij comes esse. Fulg.lib.6. cap.7.

ANAXANDRIDES, Leontiæ F. sororis filiam in matrimoniũ duxerat, eámque summoperè amabat. Verùm quia sterilis erat, Ephori eum coegerunt, vt eam repudiaret. Quòd cum ille facere renueret, alteram dederunt optionem: vt vxorem aliam duceret, quæ fœcunda esset, ne genus Eurysthei interiret. Duxit ille igitur Perinetaden Demarmeni F. quæ ei Cleomenẽ peperit. Neque longo pòst tempore vxor prior, sterilis antea, peperit primo Dorieum, mox Leonidem, tandẽ Cleombrotum. In regno tum Cleomenes, vtpote natu maximus, successit patri. Herod.lib.5.

Pulso Cleomene Spartarum rege, ab Antigono Macedonũ rege, cùm is in Ægyptum ad Ptolemæum regem se recepisset, ac Pantheũ sequi VXOR vellet, à parentibus prohibita magno studio seruabatur. Cæterùm ipsa astu ingenti adinuento, equo ad mare noctu se contulit: atque incognita, nauem conscendẽs, in Ægyptum ad virum peruenit, ambóque illic vitam peregerunt. Fulg.lib.6.cap.7.

THESCA Dionysij soror, nupta Polyxeno, posteaquam maritus metu tyranni profugerat, & rex sororem accusaret, quòd conscia fugæ mariti non indicasset: Adeóne, inquit, Dionysi, me vilem abiectíque animi fœminam iudicas, vt si sensissẽ illum moliri fugam, non me illi nauigationis & omnium fortunarum comitem aditura fuerim? Eras.lib.5.Apoph.

Q. Lucretium proscriptũ à triumuiris, vxor TVRIA inter camerũ & tectum cubiculi abditum, vna conscia ancillula, ab imminente exitio non sine magno periculo suo tutum præstitit: singularíque fide id egit, vt cum cæteri proscripti in alienis & hostilibus regionibus per summos animi & corporis cruciatus vix euaderent, ille in cubiculo & in coniugis sinu salutem retineret. Val.li.6.cap.7.

Durante triumuirorum lege, qua par pœna proscriptis proposita erat, atque iis qui proscriptos recepissent (cuius metu permultæ viros, alij fratres, parentes & filios prodiderunt) Ligarius proscriptorum vnus fuit, quẽ diu CONIVNX eius, ac serua secretum Romæ tenuerunt. Verùm tandem à serua proditus, ab iis qui eiusmodi curam gerebant interemptus fuit. Vxor autem amore stimulata: virum, cùm abduceretur, obseruatis vestigiis secuta, cædis eius ministros orabat, vt se quoque perderẽt, quod ipsa etiam per legẽ mori deberet, quia proscriptum virũ domi tenuisset. Inter has voces vsque ad triumuiros peruenit. Cæterùm cùm audire eam nemo vellet, domum reuersa, cibo abstinuit: atque in magno mœrore, fame & lachrymis simul confecta est. Fulgos. libro 4. capite 6. & Egnat. lib. 4. capite 6.

Ingentem fidem HERODIAS viro Herodi Tetrarchæ ostendit, cùm ad vrbem Romam cum eo profecta, vt Agrippam fratrem accusaret, rẽ in contrariũ cedere vidit. Viro enim Lugdunũ exulatum in Galliã misso, etsi multum à fratre, ac fratris causa à Caligula Augusto rogata fuerat, vt redire in patriam vellet, principatus parte, quam vir obtinebat, oblata: maluit relicta patria, in Gallia cum viro inopem vitam degere, quàm sine eo ingentes opes in patria possidere. Fulgosius libro sexto, capite septimo.

C. CALIGVLA Herodem Tetrarcham Galilææ & Pereæ conspirationis cum Arthabano Partho reum pecunia magna multauit, eámque Agrippæ regi indici donauit: perpetuo quoque damnauit exilio apud Lugdunum vrbem Galliæ. Cognito deinde, sororem Agrippæ, regis Iudææ esse HERODIADEM vxorem Herodis, pecuniam ei propriã concessit: & ratus non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Ad hæc illa: Tu quidem, Imperator, vt tua maiestate dignum est loqueris: sed mihi coniugalis amor impedimento est, quo minus fruar hac indulgentia. Non enim æquum censeo, vt cui secundæ fortunæ fui socia, eũ nunc in aduersa deseram. Imperator verò indignè ferens tam excelsum animum in fœmina, ipsam quoque cum Herode expulit, & bona eius Agrippæ largitus est. Iosephus in Antiquitatibus.

IVGVLDIS soror Childeberti, Hermogillum Lemigildi Gothorũ regis filium, & maritum suum, ad Christianam conuertit pietatem. Volaterranus.

CLOTILDIS regina Franciæ, Clodoueum regem maritum suum Childerici filium, eodem modo ad cultum sacræ religionis induxit. Idem.

Singulare fidei exemplum Gisberti Corregiensis Vxor ostendit, cum propinquorum conspiratione & eorum quidem qui ipsius factionis erant ab vrbis Parmæ imperio Gisbertus eiectus fuit. Inter conspiratos autem cùm vxoris frater Rolandus Roscius esset, & sororem in tumultu rogaret, vt populi impetum in domos suas declinare vellet, qui eiusmodi erat, vt etiam fortem virum terrere posset: ipsa torua facie ad fratrem conuersa, proditorem eum compellans, respondit: Dij faxint, ne me prophanẽ eius domus ingressũ, quæ in propinquum suum adeò perfida fuit: neque eo pane vescar, quem canes quoque ob perfidiæ labem, etiã in ingenti fame, deuitarent: quin potius ad virum meum profectura sum, quem nuptiarum mearum pignore fefellisti, & coram eo me constituam, vt hanc tuam iniuriam in meipsa vlciscatur. Hæc cùm dixisset, nudis pedibus, passísque capillis, ad Castrum nouũ, vbi vir erat, profecta, eius pedibus obuolui cœpit. & flens rogare, vt ipsius morte, acceptã à Rolando fratre iniuriam vlcisceretur. Fulg.li.6.cap.7. & Egnat.lib.6.cap.7.

AGRICOLA *Lentiscolensis in* Neapolitano regno, cùm iuxta mare agrum coleret, vxoréque ab eo aliquantisper disiuncta, à piratis Mauris, qui in littus prædatum descenderant, capta esset: statim vt vxorem nõ apparere, triremémque piraticam haud longè *anchoras iecisse cõspexit:* arbitratus id quod erat, in ea vxorem esse, ad triremem statim adnatauit. atque eius gubernatore vocato, dixit: Se idcirco venisse, quòd sequi vxorem statuerat. Minimè barbarie illa territus, nationis fideique Christianæ inimica: neque ingenti miseria, qua remigio addicti laborant, omnium horum immemorem coniugalis amor eum fecerat. Quam rem cũ Mauri non sine ingenti admiratione audiuissent (permultos enim eius regionis accolas viderant: prius perpeti mortem, quàm illam miseriam malle) atque eam postea per ordinem Tunetensi regi narrassent: tanta hominis charitate motus rex, & virum & vxorem liberos esse iussit, atque inter regiæ custodiæ milites virum adoptauit. Fulgosius libro quarto, capite 6.

BLANCA Rubea Patauina, vxor Baptistæ à Porta, in præsidium *Bassiani municipij Patauini cum viro profecta, anno Christi* 1253. cùm Acciolinus tyrannus Patauio amisso, omnẽ belli vim in Bassianum conuertisset, & proditione etiam cœpisset, atque in ipsis portis Baptistam obtrũcasset: Blanca quoq; armis induta fortiter pugnans, à militibus circũuenta captiua ad tyrannũ ducitur. Is forma eius (quã augebãt arma) motus, primò blanditiis, mox etiã vi adortus, eã corrũpere tẽtauit. Illa cũ alia ratione nõ posset, per fenestrã se dedit præcipitẽ, semianimis ex casu vix tandẽ curatur. Curatã tyrãnus denuò aggreditur: & quia consentire nolebat, seruorũ opera ligatã constuprauit. Illa dolorẽ dissimulans impetrauit ab amicis, vt ad leuandũ mœrorẽ & desideriũ aperto sepulchro mariti fœtidum cadauer semel tantũ aspicere posset. Morẽ illi gerunt. Aperto itaque sepulcho, vbi iacebat, illa magno emisso eiulatu, in sepulchrũ sese præcipitauit: simúlque tãta violentia lapidẽ impulit, vt vnà rueret, & Blancæ ceruicẽ frangeret. Sic pudicitiã suã vlta, ex voto suo commune cum marito sepulchrum obtinuit. Bernard. Scardeonus lib.3. hist. Patauinæ.

OBEDIENTIA SERVORVM.

Cùm Thebani irrupissent in Laconicam,& inter captiuos captiuásque multos etiam abduxissent HILOTAS, iusserunt illos Terpandri, Alchmanis ac Spendonis Laconica carmina canere. illi recusarunt, dicentes: Id nolle filias heriles. adeò plus apud illos valuit concaptiuarum puellarum autoritas, quàm iussa victoris. Hinc probarunt quidam esse verum, quod vulgò diceretur: liberum Spartæ maximè liberum esse, contrà seruum maximè seruum. Ita Plut. in vita Lycurgi.

FIDES SERVORVM ERGA DOMINOS.

Consule titulum, Amor seruorum erga dominos.

SERVVS Abrahæ omnibus præerat, quæ habebat dominus. Eius studium, operam & pietatem in quærenda vxore pro filio domini sui, pete ex cap. 24. Geneseos.

Famulatus est annos quatuordecim ISRAEL Labani auunculo suo, spe connubij: cum septem debuisset, si Lya, quæ dabatur, placuisset. Pertulit itaque lõgum seruitium, vt Rachele potiretur: fuitque famulatus ille voluntarius, non coactus, & ob eam rem fortasse minus grauis. Sed nihil habuit seruitus illa pulchrius tolerantia, quæ vtiliter omnibus vitę partibus accomodatur: huic verò de qua nunc sermo est, vtilissimè. Sabellicus libro tertio, capite octauo, ex Genes. capite 30.

Iosephus Israelis filius in Putipharem, apud quem seruiuit, fidelis fuit. A quo in Ægypto emptus, stuprique ab eius vxore sæpius appellatus, in carcere & vinculis esse maluit, quàm herilem domũ adulterio polluere. Sab. lib. 3. cap. 8. ex Genes. 39.

Eo prælio quo victus Saul interiit, cum ab hostibus circundatum se Saul videret, vulneribusque confectum: ne viuus in eorum potestatem veniret, MINISTRVM qui propè astabat, magnis precibus orauit, vt eum interimeret. Quod cùm minister ob pietatem in dominum recusasset, Saul vt id ipse ageret, tentauit: sed propter vulnera deficientibus viribus, cùm ipse nõ posset, id ab alio petere coactus est. Quod cùm impetrasset, idque minister, qui operam suam in eo negarat, vidisset, in seipsum manum conuertit, quàm domino prestare noluerat: & qui domino mortem inferre noluit, vt amorem fidémque suam testaretur, mortis eius comes vltrò esse voluit. Fulg. lib. 4. cap. 7. ex 1. Reg. 31.

Menelaus reuersus ab Ægypto, ducens Helenam, ad Rhodum appulit. Cùm autem Tlepolemus ad Troiam occubuisset, vxor Philoxo versans in luctu ac squalore, postquam nuncium est allatum, Menelaum cũ Helena venire, mariti vicem vlcisci volens, cum Rhodiis vniuersis, viris & mulieribus, ferentibus ignem ac lapides, ad naues impetum fecit. Menelaus cùm ob ventorum asperitatem soluere non posset, Helenen in cauã nauem abscondit. Ornamentis verò eius & diademate famulam omnium formosissimam amiciuit. At illi planè credentes Helenam esse, lapidibus & igni in famulam coniecto, quasi satis magno supplicio ob Tlepolemi mortem sumpto, si interfecissent Helenam, discesserunt. At Menelaus cũ Helena abnauigauit. Polyænus, lib. 1.

Quum esset emptus DIOGENES, perinde quasi ipse Xeniadem emisset, dixit illi: Vide vt iussis meis pareas. Cũque ille diceret ἄνω ποταμῶν: significans rem præposterè agi, si seruus imperet hero: Si medicũ, inquit Diogenes, emisses æger, non illi præscribenti obtemperares? an diceres, ἄνω ποταμῶν? Si herus corpore malè affectus auscultat seruo rei medicæ perito: multo magis decet animo ægrum, auscultare seruo philosophiæ perito. quod enim ars medica præstat corpori, hoc philosophia præstat animo: illa medetur febri, hæc prauis cupiditatibus. Quanto autẽ animus præstat corpori, hoc illius morbi sunt quàm huius grauiores. Laertius addit, quum à præcone rogaretur, quo titulo vellet prædicari? isque respõdisset, se scire imperare liberis: vbi vidisset prætereuntem quendam bene cultum, Huic, inquit, me vende. nam is eget Domino. Dicebat enim: Inter seruos ac dominos malos præter vocabula nihil aliud interesse, nisi quòd mancipia seruirent dominis, domini cupiditatibus: significans, vtrosque esse seruos. miseriorem tamen seruire seruitutem dominos, quàm mancipia, si sint improbi Nam qui ducitur affectuum arbitrio, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes. Laertius lib. 6.

MYCITHVS seruus Anaxilai Messenij, acceptum à domino regnum, eiusdem liberis, vbi adoleuerunt, restituit: sumptóque exili viatico cum summa tranquillitate consenuit Olympiæ.

Arsinoe Lysimacho marito suo vita defũcto, cùm maximus Ephesi motus oriretur, & qui Seleuci partibus fauebant, muros deiicerẽt, portásque aperirent: in cubili regio Famulam regia stola amictam collocauit, multísque satellitibus eam muniuit. Ipsa verò laceros induta pannos, & sordidatum vultum, per aliam ianuam egressa, cucurrit ad naues, & soluit. Menecrates, vnus è ducibus impetu in cubile facto, confodit famulam, Arsinoen eam esse existimans. Polyęn. lib. 8.

AESOPO liberto Demosthenis, non detraxit captiuitas & seruitus aut animi firmitatem in neruo apud iudices, aut fidelitatem aduersus herum periclitantem: cuius constantia eo fuit admirabilior, quòd ab ipso nullis extorqueri tormentis adulterium domini potuit, quòd tamen postea dominus ipsimet cõfessus est. Pont. lib. 2. cap. 7. de Fortitudine domestica.

NICETO seruitus non extorsit fidem, non integritatem, non regendi prudentiam: qui Reginorum tyranno, cui seruiebat, mortuo, liberorum illius cura ex testamento domini sibi tradita, ea imperium authoritate administrauit, vti Reginus populus seruo parêre non indignè ferret. Post adultis liberis, ea fide domesticas opes atque imperium gubernandum pupillis reddidit, vt vix exiguum viaticum secũ detulerit, quo redire Olympiam in patriam posset. Mihi quidem videtur Niceto seruitus ornamento ac gloriæ, non opprobio fuisse. Pontanus.

Qualis fuerit Diogenis Cynici seruitus, Xeniadis Corinthij, qui tã nobile mancipium emit, publicè vox testata est, qui rogatus (vt fertur) quem hominem domi emptum haberet? Non hominem (inquit) habeo, sed bonum Genium, qui domum meam ingressus, sanctè & iustè seruit apud me seruitutem. Sab. lib. 3. cap. 8.

Cùm Sardiani Smyrnæos debellarent, nec belli finem fore dicerent, donec Smyrnæi vxores ad coitum mitterent hostibus: honesta quædam ANCILLA consilium dedit ciuibus, vt ancillas ornatu liberali mitterẽt, & hostes Veneri operam dantes opprimerent. Quod factũ cùm pro voto successisset, apud Smyrnæos festum Dioni instituerunt, quem Liberalem vocant: in quo festo ancillæ dominarum ornamenta gestant, ad perpetuã huius facti memoriam. Dositheus libro tertio rerum Lydicarum, & Plutarchus cap. vigesimo sexto Parall.

Atepomarus Gallorum regulus, cùm Romanos debellaret, non antè cessurum se affirmauit, quàm coniuges suas ad coitum exposuissent. Ancillarum itaque consilio seruas miserunt. Retana autem, quæ consiliũ dederat, per caprificum muros ascendens, consulibus signum dedit, tempus inuadendi hostes adesse. Irruentes igitur Romani, partim lassos Venere barbaros, partim somno sepultos, trucidarũt omnes, & victores sine puluere euaserunt. Vnde ad rei memoriam institutus dies festus, quem diem Ancillarum appellarunt. Aristides Milesius libro 1. rerum Italicarum: & Plutarchus capite 57. Parall.

Latini populi, cùm vrbem Romam Gallico incendio adhuc fumantem inspicerent nondum pristinas vires recuperasse, à populo Rom. aliquot virgines petierunt. Quæ res, quamquam acerbitatis plurimum haberet, tamen cùm propter recentem cladem debilitati, palàm negare eam non auderent, in magni animi molestia versabantur. Id cùm Titula accepisset, etsi serua erat, egit tamen, vt eius consilio ipsa & nonnullæ eiusdem ordinis mulieres matronarum vestitu exornarentur, atque pro matronis eas ad Latinos Romani mitterent. Latini igitur cùm diem inter festos ludos poculáque peregissent, ac nocte cibo vinóque grauati, magno somno premerentur, Titula in caprificum conscendit: tectáque veste, ne Latini eam agnoscerent, ter lumine sublato Romanis innuit, nullas excubias ab hoste agi. Itaque Romani magno clamore in eos impetu facto, Latinos omnes fuderunt: cædendique hostes tunc finis impositus, cũ defessos cædis magnitudine Romanos satietas cœpit. Ne autẽ Titulæ fides præmio careret, Romani statuerunt, vt quotãnis seruæ eo die matronali cultu exornarentur, atque eis matronæ ministrarent, illiúsque diei festa à caprifico nominarentur. Fulgos. lib. 7. cap. 4. Polyb. lib. 8. hoc factum Philotidi seruæ adscribit.

Consulem C. Marium, Prænestinæ obsidionis miserabilem exitum fortitum, cuniculi latebras frustra euadere conatum, leuique vulnere à Telesino, cum quo mori destinauerat, perstrictum: seruus suus, vt Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio traiectum interemit: cùm magna præmia sibi preposita videret, si eum victoribus tradidisset. Cuius dextræ tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, à quibus salus dominorum protecta est: quia eo tempore Mario non vita, sed mors in beneficio reposita erat. Val. Max. lib. 6. cap. 8.

Marcus Antonius clariss. orator, incesti reus agebatur. Cuius in iudicio accusatores seruum in quæstione perseuerãtissimè postulabant, quòd ab eo, cùm ad stuprum iret, laternam prælatam contẽderent. Erat autem is etiam tum imberbis, & stabat coràm, videbátque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille verò vt domum ventum est, Antonium hoc nomine vehementius confusum & sollicitum vltrò est hortatus, vt se iudicibus torquendum traderet, affirmans nullum ex ore suo verbum exiturum, quo causa eius læderetur, ac promissi fidem mira patientia præstitit. Plurimis laceratus verberibus, eculeóque impositus, candentibúsque etiam laminis vstus, omnem vim accusatoris, custodita rei salute, subuertit. Argui fortuna meritò potest, quòd tam pium & tam fortem spiritum seruili nomine inclusit. Val. Max. lib. 6. cap. 8.

Antius Restio proscriptus à triumuiris, cùm omnes domesticos circa rapinam & prædam occupatos videret, quàm maximè poterat dissimulata fuga, se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cuius furtiuũ egressum seruus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, atque vestigia huc atque illuc errantia beneuolo studio subsecutus, lateri voluntarius comes arrepsit. Quo quidẽ tã exquisito tãque ancipiti officio perfectissimũ expectatę pietatis cumulũ expleuerat. His enim, quorũ felicior in domo status fuerat, lucro intentis, ipse cùm nihil aliud quàm vmbra & imago suppliciorum suorum maximum sibi esset emolumentũ eius à quo tam grauiter punitus erat, salutem vindicauit: cũque abundè foret iram remittere, adiecit etiam charitatem: nec hactenus beneuolentia processit, sed in eo cõseruando mira quoque arte vsus est. Nam vt sensit cupidos sanguinis milites superuenire, amoto domino rogũ extruxit

eique egentem à se comprehensum & occisum senem superiecit. Interrogantibus deinde militibus, vbi nam esset Antius? manum rogo intendẽs, ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis vri respõdit. Quia verisimilia loquebatur, habita est voci fides. Quo euenit, vt ANTIUS statim quærendæ incolumitatis occasionem assequeretur. Ibidem, & Dion in Augusto.

LINÆVS, Pompeij Magni libertus, & penè omnium expeditionum comes, defuncto eo scholæ magistrum egit: ac tanto amore erga patroni memoriam extitit, vt Salustium historicum, quòd eum oris improbi, animo inuerecundo scripsisset, acerbissima satyra lacerauerit. Suetonius de Illust. grammaticis, cap. 14.

Cluentium Pelignum Italicensem, comprehensum ab inimicis Seruus occidit, ne traderetur Pompeio hosti: ac se, ne domino superstes fieret, interemit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 11

CIPIONEM morti adiudicatum, quòd insidias parasset Augusto, Seruus ad Tyberim in cista detulit, peruectumque Hostiam in agrum Laurentem ad villam patris nocturno itinere perduxit. Cuius deinde nauigationis naufragio vnà expulsum dominum Neapoli dissimulanter occuluit, exceptúsque à centurione nec precio nec minis potuit adduci, vt dominum proderet. Macrob. lib. 1. Saturn cap. 11.

ANTONIVS & Lepidus cum Octauio confederati, cùm plurimum in proscriptos sæuirent, & totam vrbem occisorum cadaueribus implerent in tanta hominum seueritate SERVVS quidam in speluncam dominum inclusit. Qui cùm non multo post cuiusdam proditione indicatus esset, ita vt mors ei haud dubia impendêret: seruus veste cum domino commutata, ingredientibus properauit obuiam: & quasi ipse dominus esset, occidi se passus est. Xiphilinus Dionis abbreuiator.

ROMÆ cùm regnante Augusto multi proscriptorũ in vrbe interficerentur, SERVVS quidam mutatis cum domino vestibus, in opertam lecticam ingressus, domino persuasit, vt eam deferret. Post vbi ambo deprehẽsi sunt, seruus ne conspectus quidem necatus est: dominus verò quasi lecticarius euasit. Dion Nicæus in Augusto.

Triumuirali conspiratione proscriptorum quendam fidelissimus SERVVS sepulchro texit, quoad ipse ad mare curreret, vt nauigium ad fugam expediret. Mox inde reuersus, herum interfectum inuenit, sed adhuc paululum spirantem. Tum ille: Sustine (inquit) here, & hoc vide. vibratóque ferro, turmarum ducem, qui ad cędem venerat, e vestigiò obtruncat. Mox suum hausit pectus, inclamans: Et hoc solamen mortis accipe. Sab. libro tertio capite 8.

PINDARVS C. Cassium Philippensi prælio victum, nuper ab eo manumissus, iussu ipsius obtruncatum, insultationibus hostium subtraxit, seque è conspectu hominum volũtaria morte abstulit: ita vt ne corpus quidem eius assumpti inueniretur. Val. Max. lib. 6. cap 8.

C. Plotinus Plancus, Munacij Planci consularis & censorij frater, cùm à triumuiris proscriptus in regione Salernitana latêret, delicatiore vitæ genere, & odore vnguenti, occultam salutis custodiam detexit. Istis enim vestigijs, eorum qui miserum persequebantur sagax inducta cura, abditũ fugæ eius cubile odorata est. A quibus comprehensi SERVI latentes multúmque ac diu torti, negabant se scire vbi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamq; boni exempli seruos vlterius cruciari: sed processit in medium iugulúmque gladijs militum obiecit. Quod certamen mutuæ beneuolentiæ, arduum dignosci facit, vtrum dignior dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur: an serui, qui tam iusta domini misericordia quæstionis sæuitia liberarentur. Ibidem.

Vrbani Panopionis SERVVS, cùm ad dominum proscriptum occidẽdum, domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosceret, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clàm emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & vt Panopionem occidi se passus est. Breuis huius facti narratio, sed non parua materia laudationis. Nam si quis ante oculos ponere velit subitum militum accursum, conuulsa ianuæ claustra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma, rem vera æstimatione prosequetur: nec quàm citò dicitur aliquem pro aliquo mori voluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panopion autem quantum seruo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo, confessus est. Ibidem.

Asinius Pollio proconsul, in Illyricum transiens Patauio, cogebat PATAVINOS, vt pecuniam & arma conferrent. Dominis autem ob id latẽtibus, nec præmio nec libertate serui potuerunt adduci, vt dominos suos proderent. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 11.

NERO Romanorum Imperator, cùm insidias Octauiæ suæ, quam propter Sabinam pellicem repudiauerat, strueret, & iam omnes famuli ipsam inuaderent, multisque contumelijs eam afficerent, PYTHIAS sola, quæ ex ancillis vna erat, ne tormentis quidem à Tigellino eò adduci potuit, vt in dominam mendacium diceret. Atq; cũ Tigellinus fortius instaret, inspuens in faciem impudentissimi hominis, dixisse fertur: Mũdior est Tigelline vulua dominæ meæ, quàm os tuum. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Nerone.

FIDES BRVTORVM ERGA DOMINOS.

AVGEAS molossus canis, ab Augea Eleusinio dono datus Eupolidi poetæ veteris comœdiæ, domino suo fidelissimus fuit: adeò vt cùm Ephialtes Eupolidis seruus quasdam eius fabulas surripuisset, illum mordicùs arreptum vsqueadeò traxit, vt demum interemerit. Porrò in Ægina cùm Eupolis obijsset, canis ad tumulum primùm quidem diu luxit, demum mœrore & tabe extinctus est: vnde & loco nomen inditum, Canis luctus. Ælianus.

Niciæ venatori in foueam lapso, CANES multis latratibus dolorem testati, subsidium ferre voluerunt, eúmque apprehensa mordicùs veste illinc extrahere.

Quum Pyrrhus vrbem Agros irrupisset ELEPHAS inter alios vnus, Victoriæ cognomento, in vrbis porta magistrum, à quo regebatur, mortuum præsensit: cuius rei dolore percitus, sine discrimine amicos hostesque vrgendo, inter hostes progressus, prius non destitit, quàm magistri corpus adinuenit: captum autem proboscide retrò in tutum ab hoste locũ retulit. Et militem non pudebit in hostium potestate interdum domini corpus deserere? cum bellua ingenio fera, tanto labore, periculoq; suo magistrum redimere voluerit. Fulg. lib. 5. cap. 2.

TITI Sabini canis dominum in carcere nunquam deseruit: eoque postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem, latrãdo semper domino astitit. Mirantibus hominibus panem qui oblatus erat, non manducans, ori domino admouebat. Qui posteaquam in Tiberim proiectus fuit, in amnem secutus dominum, vt poterat, ex aqua caput eius alleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur. Quibus enim potuit modis gratias referre enixus est, quòd ab eo enutritus & dilectus esset. Ibidem.

IASONIS Lycij canis, postquam Dominum suum conspexit mortuum esse, omni cibo abstinuit, vt ei non superuiueret. Canes alij, alter Lysimachij regis, alter Hieronis, in rogos se coniecerunt. Ibidem.

Ambrosius in ijs libris, quibus senum dierum opus complectitur scribit, fuisse Antiochiæ CANEM, qui domini sui cadauer asseruans, vlulatu & gemitu dolorem noctu testaretur suum. Cæterùm superueniente luce, quum magna hominum multitudo conuenisset ad tantę rei spectaculum, ab eodem cane latratu assiduo petitum esse cædis autorem. Qua re deprehensa captus cædis patrator à multitudine, ad iudicémque deductus, non potuit non fateri à sese interemptum canis dominum. Quare illo, supremo supplicio affecto, facilè nobis canis probauerit fidi animi vim sibi præcipuam adesse, beneficijque memoriam nunquam interire. Qui verò plura scire desiderat, C. Plinium diligentius euoluat, qui veterum scriptorum vnus, multa & magna fidei gratíque animi canum exempla prodidit. Egnat. lib. 5. cap. 2. Fulg. eodem.

FIDES DOMINORVM ERGA SERVOS.

Consule tit. Amor dominorum erga seruos.

FIDES SERVATA HOSPITIBVS. HOSPITALITAS FIDA ATQVE IVSTA.

In hospitalitate hic rationem habemus solius fidei Sumptus ad Liberalitatem, Humanitas ad Popularitatem spectat. Quorum respectu, de Hospitalitate in ijs locis egimus.

THEMISON hospitalitatis fidem erga Phronymem seruat. Vide tit. Impietatis parentum erga liberos.

Cùm PYRRHVS Epirotarum rex, vouisset Palladi in Atheniensi arcerem sacram facere: Athenienses liberè eum in vrbem atque arcem receperunt. Verùm posteaquam vrbe egressus fuit, Pyrrhus dixit, mirum in modum gratam extitisse fidem, quam sibi Athenienses habuissent: cæterùm si saperent, in posterum nulli regi portas aperturos esse. Eo verbo ostendit, non esse ex re liberæ ciuitatis, in cuiusquam principis manu libertatem suam credere. Cuius consilium non secuti Athenienses, cum postea Cassandrum quoque in vrbem accepissent, magna atque innumerabilia mala ex eo tulerunt: re ipsa experti, à Pyrrho sapientissimè monitos fuisse. Fulgos. lib. 7. cap. 2.

FIDES ERGA SVPPLICES ET EXVLES.

LACEDÆMONII Minyas à Pelasgis eiectos, ciuitate donant. Vide tit. Exules, populi è suis sedibus eiecti.

ARISTODICVS Cumæus Pactyam supplicem Persis tradere recusat. Vide tit. Prudentiæ in aliorum sententia refellenda.

ALMENON Arabs Toleti rex, Alfonso regi fidem præclarè seruauit. Vide tit. Insontes siue iustos defendere.

Rebellauerat Thrasymundus Longobardus, dux Spoletanus, à Luitprando Longobardorum rege. Luitprandus igitur coacto ingenti exercitu, paucis diebus omnia Thrasymundo ademit. Is cùm iam in vltimum discrimen se deductum vidisset, fide à Gregorio pôtifice ac Stephano patricio Rom. popul. R. nomine accepta, fore ipsum apud eos incolumem: Galesi arcem, quæ iuxta Tyberim posita est, populo tradidit: Luitprandus autem minis ingentibus Thrasymundum dari, y mun- sibi subditum ac rebellẽ, deposcebat. ROMANI obstare Thras virum do datam fidem aiebant. Indignatus igitur Luitprandus, vasta to agro vrbem obsedit, diripuítque oppida quædam agri Romani, quæ ademerat: omnia tamen ferre Romani, quàm datam violare fidem maluerũt. Ful. lib. 6. cap. 5. & Egnat. eodem.

FIDES BELLICA ERGA HOSTES.

BELLVM APERTE INDICERE. BELLI INDICENDI *consuetudo.*

GRÆCIS in vsu fuit, vt fœciales post res repetitas, si ad constitutam diem non darentur, arietem hostium agris statim immitterent: eóque modo bellum indictum, & armis vti licere arbitrabantur. Alexan. lib. 5. cap. 3.

CORINTHIIS & plerisque aliis gentibus per caduceatorem bellũ indicebatur: qui in pacis argumẽtum, caduceum circundata effigie anguium inuicem connexorum, deferebat. Ibidem.

A LACEDÆMONIIS per præcones sæpe bellum indictum est, apud quos mittere legatos cum lana, comminatio censebatur, nisi pariturum fuisset, se mandata exequuturos. Ibidem.

ROMANI bellum suscepturi, Iani portas recludebant, variis adhibitis cæremoniis. Ad Iani enim templum, bellum suscepturus consul, frequenti senatu, primoribus patrum ac militibus comitatus accedebat. Ipse cinctus ritu Gabino, solenni more fores templi recludebat. Is verò amictus erat, toga super tergum sic reiecta, vt lacinia reuocata hominem cingeret. Qui habitus & vestitus ex eo sumpsit ortum, quòd Gabini cùm operarentur sacris, repentino hostium incursu vt erant accincti zonis, ab aris ad prælium profecti, insignem de hoste reportarunt victoriam. Alexander ab Alexandro libro primo capite decimoquarto.

IIDEM si quando gentibus nationibúsque iustum piúmque bellum per fœciales indicerent, ancilia in Martis sacrario, aut in curia Saliorum mouebant prius, quasi eo motu Martem è sua sede excitum: eóque propitio & volente arma expediri, legiones conscribi, exercitus parari, atque omnia hostilia esse designarent. Alexander ab Alexandro libro pumo capite vigesimo sexto.

IIDEM cùm bellum indicendum foret, fœciales (quos Oratores nuncupant) verbena coronatos mittebant, vt deos fœderum vltores testes facerent. Ex quibus verbenarius gramen cum terra auulsum ferebat ex arce, legatúsque filo lanæ capite velato, res sibi dari clara voce poscebat. Quæ si præstituta non darentur, post dies tres & triginta Patrem patratum, qui fœcialium princeps erat pariter coronatus, vt bellum indiceret, mittebant. Alexand. libro 5. cap. 3.

Cincius in libro tertio De re militari, fœcialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telúmque in agrum eorum iacientem, hisce verbis vti scripsit: Quod populus Hermundulus, hominésque populi Hermunduli, aduersus populum Romanum bellum fecere, deliquereque: quodque populus Rom. cum populo Hemundulo, hominibus Hermundulis bellum iussit: ob eam rem ego populúsque Romanus, populo Hermundulo hominibúsque Hermundulis bellum indico, facióque. Gell. lib. 16. cap. 4.

Apud CARTHAGINENSES hastam mittere, vel caduceum, belli pacísque signum erat. Alex. lib. 5. cap. 3.

GALLORVM mos fuit, vt Druidis iubentibus, cùm bellum indicendum foret, armatum concilium indicerent, penes quos arbitrium bellorum & pacis erat: & qui nouissimus accederet, nouis exemplorum modis afficeretur. Hæc principium bellorum esse, & arma legitimè indicta putabant.
Ibidem.

FIDES ERGA HOSTES BELLICA, BELLO IAM INDICTO FIDEM *hosti seruare siue ex pacto, siue ex honestate. Fraude nulla hostes circumuenire, fœdera non rumpere.*

Cùm Iesus Naue filius (alio nomine Iosue nuncupatus) Mosi in Israelis principatu successisset, atque in terram à Deo promissam Hebræos induxisset, & iuxta diuinum imperium Cananæos omnes, quos capere contingebat occidisset: Gabaonitæ ipsi quoque Cananei, qui loca prope Hierosolymas incolebant, territi, ad eum legatos miserunt, dicentes: Quanquam longè à Cananæis abessent, ad eum se ceu ad amicum missos, vt cum ipso pacem ac fœdus inirent. & vt regionis suæ longinquitatem verisimilem facerent, tritis vestibus venerant. Ea Iosue arbitratus vera esse, pacem cum eis composuit, ac fœdus percussit, atque vtramque rem iureiurando sanxit. Detectum postea fuit, eos longinquitatem mentitos, & Cananæos esse. Itaque etsi sciret Iosue, sibi à Deo imperatum, ne cuiquam Cananæorum parceret: tamen cùm ad iurisiurandi vim animum adiecisset, atque fidei iam datæ honorem pensitaret, eam cæteris rebus præposuit: persuadens sibi, Deo ante ômnia cordi esse, vt illæsa seruetur fides, sicuti experimento deprçhensum est. Siquidem nihil plus de ea re, quàm de cæteris, à Deo reprehensus fuit. Fulgos. lib. 6. cap. 6. ex Iosue cap. 8. & 10.

RAHAB meretrix exploratores, quos miserat Iosue, recepit & seruauit. Iosue postea expugnata Hiericunte, eam cum suis liberam esse voluit. Iosue 26.

CALLICRATIDAS classis præfectus, à Lysandri amicis solicitatus vt quendam ex inimicorum numero permitteret ipsis interimere, & acciperet talenta quinquaginta: tametsi vehementer opus haberet pecuniis ad soluendum nautis stipendium, plus tamen maluit in hostem pietas, quem saluum esse cupiebat, quàm pecunia in summa etiam rerũ penuria. Plut. recitat hoc factum in Lacon. apoph.

Cùm Lacedæmonij Atheniensium ingratitudine moti (eos enim à tyrannide Pisistratidarum liberauerant) Hippiam Pisistrati F. Athenas reducere vellent, & sociis quoque finitimis idem persuadere conarentur SOSICLES Corinthiorum nomine nũquam se id piaculi commissurum dixit, vt tyrannidem maximam Rerumpub. pestem in vrbes introduceret. Herod. lib. 5.

Inita pace à POPVLO Rom. cum Porsenna Ethruscorum rege, solutáque obsidione: Porsenna, initę pacis pignus obsidésque decem patriciorum filios, vtriúsque sexus, accepit. Facta autem virginibus lauandi copia, quia custodes honoris gratia secesserant, ipsæ traiecto amne, penè omnes Romam abierunt. In eis P. VAL. Publicolæ consulis filia Virginia erat. At is superato paternæ charitatis affectu, senatui persuasit, vt virgines ad Porsennam remitterentur, & publica fides illæsa maneret. Fulgos. lib. 6. cap. 6.

Timochares Ambraciensis C. Fabricio Cos. pollicitus est, se Pyrrhũ veneno per filium suum, qui potionibus eius præerat, necaturum. Ea res cùm ad SENATVM Rom. delata esset, missis legatis Pyrrhum monuit, vt aduersus huius generis insidias cautius se gereret, memor vrbem à filio Martis conditam, armis bella, non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, vtroque modo æquitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere, nec eum qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit. Val Maxim. libro sexto, capite quinto.

Q. FAB. Maximus, cùm de redemptione captiuorum cum hostibus pepegisset, & factum à Senatu improbaretur, proprium suum fundum ducentis milibus vendidit, & fidei satisfecit. Liuius lib. 2. Dec. 1. Plinius cap. 43. de Viris illust. & Volater lib. 16. Anthrop.

Camillo consule Phaliscos circumsedente, magister ludi plurimos & nobilissimos inde pueros, veluti ambulandi gratia eductos, in castra ROMANORVM perduxit. Quibus interceptis, non erat dubium, quin Phalisci deposita belligerandi pertinacia, traditur i se Romano imperatori essent. Ea re cognita Senatus censuit, vt pueri vinctum magistrum virgis cædentes, in Patriam reducerent: qua iusticia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari non poterant. namque Phalisci beneficio magis quàm armis victi, portas Romanis aperuerunt. Ibidem.

PHALISCORVM ciuitas aliquoties rebellando, sempérque aduersis contusa præliis, tandem se Q. Luctatio Cos. dedere coacta est. Aduersus quam sæuire cupiens POP. ROM. postquã à Papyrio, cuius manu iubente Cos. verba deditionis scripta erant, doctus est, Phaliscos non potestati, sed fidei se Romanorum commisisse, omnem iram placida mente deposuit, paritérque & viribus odij non sanè facilè vinci assuetis, & victoriæ obsequio, quæ promptissimè licentiam subministrat, ne iusticiæ suæ deesset, obstitit. Ibidem.

POP. Rom. cùm P. Claudius Camerinos ductu atque auspiciis suis captos, sub hasta vendidisset, etsi ærarium pecunia, fines agris auctos animaduertebat: tamen quia non parum liquida fide id gestum ab imperatore videbatur, maxima cura conquisitos redemit, hisque habitandi gratia locum in Auentino assignauit, & prędam restituit: pecuniam etiam non ad curiam, sed ad sacraria ædificanda, sacrificiáque facienda tribuit: iusticiæque promptissimo tenore effecit, vt exitio suo lætati possent, quia sic renati erant. Ibidem.

DECEM illi (quos post Cannensem pugnam iuratos ad Senatum misit Hannibal) maximè ob fidem seruatam laudandi sunt. Ex decem enim nobilibus qui tum erant missi, nouem reuersi sunt, à Senatu re non impetrata. Vnus vero ex decem, quasi aliquid esset oblitus, in castra reuersus, & postea discedens iuramento se satisfecisse putabat. Sed fraude à Romanis intellecta, veteratorẽ callidum vinctúmque ad Han-
nibalem

nibalem duci, vt pœnas perfidię daret, voluerunt. Polybius, & Cicero, libro tertio Officiorum.

M. ATTILIVS Regulus ex victore speciosissimo, insidijs Hasdrubalis, & Xanthippi Lacedæmonij ducis, ad miserabilem captiui fortunam deductus, ac missus ad S.P.Q.R. legatus, vt ex se vno, & sene, complures Pœnorum iuuenes pensarentur: in contrarium dato consilio, Carthaginem petit, non ignarus ad quàm crudeles, quamq́ue etiam meritò sibi infestos deos reuerteretur. verùm quia his iurauerat, si captiui eorum redditi non forent, ad eos sese rediturum. Potuerunt profectò dij immortales efferatam mitigare sæuitiam: cæterùm quo clarior esset Attilij gloria, Carthaginenses moribus suis vti passi sunt, tertio Punico bello religiosissimi spiritus tam crudeliter vexati, vrbis eorum interitu, iusta exacturi piacula. Valerius Maximus libro primo capite primo: Sillius libro sexto. Cic. in 3. Offic.

Memoranda SEX. Pompeij, qui magni filius erat, fides fuit. Nam diu post patris mórtem, cùm Siciliæ Sardiniæque & aliarum insularum possessor esset factus, & propter Cæsaris mortem Triumuiris videretur ex quiete publica esse, pacem cum eo inire, data acceptáque fide per legatos apud Puteolos ad cænam se mutuò inuitarunt: & cùm cœnarum sors prima Sexto obtigisset, Octauius & Antoni9 apud eum in ipsius triremi cœnauerunt. Dum autem epulis intenderent, Menodorus Pompeianæ classis præfectus, qui olim seruus eius fuerat, misit qui in aurem Sexto diceret, Meminisset in triremi sua habere eos, per quos paternam fratrisq; mortem vlcisci, atque insuper imperio orbis potiri posset. Itaque nisi ipse id fieri nollet, se ita classem ordinaturum, vt ne vnus quidem eorum quos in triremi haberet, euadere posset. Cui Pompeius respondit: Re non communicata Menodorum potuisse id efficere, qui nec promiserat, nec iurarat: verùm posteaquam illud ei significasset, nullo modo fidem quam dederat, violari velle. Hoc responso, fidem hosti datam, sanguinis sui vltioni atque imperio populi Romani anteposuit. Fulg. lib. 6. cap. 6.

Ingenti Pœnorum classe circa Siciliam deducta, duces eius fractis animis, consilia petendæ pacis agitabant. Quorum dux Amilcar ire se ad cõsules Romanos negabat audere, ne eodem modo cathenæ sibi inijcerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ consuli fuerant iniectæ. Hanno autem certior Romani animi æstimator, nihil tale timendum ratus, maxima cũ fiducia ad colloquium eorum tetendit. Apud quos cùm de belli fine ageret, & tribunus militum ei dixisset, posse illi meritò euenire quod Cornelio accidisset, vterque Consul tribuno tacere iusso: *Isto te (inquit) metu* Hanno fides ciuitatis nostræ liberat. Claros illos fecisset, tantum hostium ducem vincire potuisse: sed multo clariores fecit, noluisse. Valerius libro sexto, capite sexto.

SALADINVS Maurorum rex, qui Hierosolymitanum regnum Christiano nomini tandem vniuersum abstulit, multis animi dotibus excelluit. Id quod scriptores fermè omnes nostri testari studuerunt. In hoc verò principe fides maxima excelluit: quippe qui quum munitissimum castellum à Christiano homine eius præside recepisset, qui diu ab eo obsessus, multáque pericula passus, tandémque ingenti fame coactus deditionem fecerat, ea conditione accepit, vt ipse cum suis omnibus inde abiret. Saladinus ipse sic amplexus eum est, sic vniuersos etiam fouit (tametsi sciret necessitate coactum esse) vt non solum incolumem cum reliquis omnibus esse voluerit, sed & castelli præfectum inter familiares asciuerit, eumq́ue semper inter præcipuos amicos habuerit. Quinetiam abiurare Christianæ fidei sacramenta nolentem, magnis tamen præmijs & amplissimis ornatũ munerib. dimiserit, ad suósque redire sit passus, cum ijs omnibus qui salui euaserant. Egnat. lib. 6. cap. 6.

GESSERANT Veneti diuturnum grauéque cum Genuensibus bellum in Græcia. Ceterùm pace tandem inita, idque Allobrogum ducis opera, ite tamen vt Veneti ipsi præsidium ex Tenedi arce reuocarent, eámque insulam omnino liberam relinquerẽt: datæ fidei memor VENETVS senatus, quamprimùm iussit Ioannem Mutatium, arcis præfectum, inde cum omni præsidio Venetias redire. Quod quum obstinatus ille minimè fecisset, & Genuenses ipsi Venetã fidem in dubium vocarent, Florentinos que pro hac re fideiussores appellarent: non dubitauit senatus Venetus validam classem instruere, Fantino Georgio duce, qui omni opera astudio pulso inde Mutatio, arcem eam euerteret, integrámque insulam eam Græcis restitueret. Cuius præcepti memor Fantinus Georgius, non prius inde cum classe discessit, quàm dura obsidione plurimum melium ad deditionem Mutatium ipsum premente etiam fame compulerit. Quæ res & Genuensibus ipsis, & reliquis omnibus memorabile fidei Venetæ exemplum esse posset. Egnat. libro 6. cap. 6.

Non est est illa prætereunda fides, quam diligentissimè GENVENSES seruauerunt, quo tempore Gibellina factio in vrbe rerum potita, Obertũ Auriam & alterum Obertum Spinulam capitaneos habebat. Nam cùm missi essent in exilium permulti Guelfæ factionis ciues: hi (vt mos exulum est, quibus in patriam reditus semper cordi est) Ottoboni Flisci cardinalis opera (qui sub Adriani nomine ad Pontificatum euectus fuit) Carolo primo Neapolitano regi proposita magnorum commodorum spe, persuaserunt, se breui Genuense imperium ei daturos, si vnà cum ipsis bellũ Genuensibus intulisset. Carolus igitur imperij spem atque auri cupiditatem secutus, nulla fœderis, quod cum Genuensibus habebat, habita ratione, nullo prius indicto bello, vt belli mala aduersus Genuenses maiore suo commodo auspicaretur: Genuenses mercatores cum mercibus, quotquot in Sicilia atque Neopolitano regno erant, comprehendi iussit. Siculi autem mercatores, ac Neapolitani regni, item Narbonensis prouinciæ incolæ, veriti ne idem ipsi Genuæ paterentur, vndique vt poterant latebras quæritabant. Quam rem cùm Genuensis pupulus intellexisset, statim edictum proposuit, vt quicunque in vrbe sua, qui regi Carolo parẽrent, inuenirentur, quadraginta dies in vrbe Genua inuiolati manerent: atque intra id tempus rebus quas in vrbe Genua habebant, ac corporibus suis tutò consulerent. Voluerunt enim hosti qui fidem violarat, ipsi eam incolumen præstare. Fulg. lib. 6. cap. 6. & Egnat. Ibidem.

Eo tempore, quo inter Genuenses Venetósque bellum gerebatur, atq; inducijs factis, belli mala suspensa manebant, in quatuor Genuensium triremes haud longè à Gręciæ littoribus quatuor Venetæ irruerunt: Genuenses virtute suas tutati triremes, Venetas cæperunt: & cũ calente adhuc prælij ardore, simulq́ue indignatione, quòd in inducijs illata essent arma, præterea vulnerum quæ acceperant dolore compulsi, sæuire haud iniuria in captos possent, ipsorum iram induciarum fides lenijt. Itaque solum triremium præfectum retinuerunt, alios cũ trimeribus dimiserunt. Cùm autem Messanam in Siciliam peruenissent, triremium præfectum, quem captiuum habebant, consuli Veneto tradiderunt, vt is Venetias eũ mitteret, vbi erroris sui pœnas dare cogeretur. Ibidem.

GENVENSES post longum ac graue bellum, quo inter ipsos & Venetos tertiò decertatũ fuerat, vbi auri atque sanguinis vis immensa effusa est, cùm occasio se obtulisset, magno suo commodo, rei feliciter aduersus Venetos gerendæ fidem, inita paulo antè pace, Venetis datam, commodis doloríque acceptorum in bello malorum antepostuerunt. Nã Cretenses, Venetíque, qui Cretam incolebant, conspiratione facta, à Venetis defecerant, ac Genuam legatos viros grauissimos miserant, qui insulæ deditionem facerent. Ea autem expeditio, etsi nullius periculi, magníque commodi futura videbatur, minorémque ob causam, finitum paulo antè bellum, aduersus Venetos susceptum fuerat, tamen legatis responderunt: Vehementer dolere, quòd integra fide, ob pacem cum Venetis factam, ea quæ Cretenses offerebant, accipere non possent: quanquam adeò recens ea pax confecta esset, vt multi vulnera, quæ ab illo acceperant, nondum ad cicatricem perduxissent. Fulgosus libro sexto capite sexto.

M. Attilij Rom. religionem, seruata à GVIDONE Flandriæ comite, eiusq́ue filio fides superauit. Nam carcere liberati à Philippo, cui cognomentum Pulcher erat, Gallorum rege: data fide si Flandriæ populos qui rebellarant, & cum Britannis Philippum vexabant, ad officium restituere non possent, se ad carcerem redituros: quia de componendis rebus non successerat, fidem carcere repetito seruarunt, in quo intra breue tempus *Guido decessit. Fulgos. lib. 1. cap. 1.*

Gallorum rex IOANNES primus prælio victus, captusq́ue apud Pictones ab Edouardi tertij Britãnorum regis filio Galliæ principe, posteaquam magna vi auri atque locis quibusdam redemptionem suam pactus data fide ad ea paranda, quæ ex pactione debebat, redire in Galliam permissus est: cùm domi inuenisset nimium hac re regnum grauari, neque ea adesse quibus seruare promissa posset, in Britanniam reuerti decreuit, vt fidem seruaret: & si fieri posset, summam pactam cum Britannis minueret. Itaque in Britanniam reuersus, breui in aduersam valetudinem incidit, atque decessit. Ibid.

Renatus Barri ac Lotharingiæ dux, cùm bellum ei esset cum Antonio Valdemontis comite, in prælio à militibus Philippi Burgundionum ducis captus, dimissus est: data fide, quoties vocaretur rediturum se. Mox à Philippo vt fidem seruaret requisitus est, eo tempore quo frater ipsius Ludouico Neapoli tanto rege defuncto ad regni successionem vocabatur. Etsi autem norat Alphõsi Aragonij opera à Philippo se vocari, quòd is quoque trahere ad se Neapolitanum regnum quærebat, & ab Eugenio quarto pont. propter aditam regni dignitatem, fide quam Philippo dederat, solutus esse videretur: præposita rebus omnibus fide ad Burgũdionum ducem reuersus est: vbi custoditus, quanquam post aliquod tempus postea liberatus fuit: quia ob eius tarditatem aduersariorum res inualuerant, regnum amisit. Ibidem.

Ad RODOLPHVM imperatorem cum quidam venisset, qui Othocarum Bohemię regem, atrocem hostem, in venatione se occisurum promitteret, si facto præmiũ esset: Rodolphus, Etsi noster hostis est Othocarus, inquit, non tamen id efficiet vt iusticiæ & moderationis fines transeamus. Æneas Syluius lib. 3. de reb. gestis Alphonsi.

CONRADVS in imperio Henrico successit, à quo Vincessaus Poloniæ dux olim prælio victus, & imperio tributarius factus, postea rebellauerat, & regem se dixerat. Huic cùm Misias in regno atq; contumacia erga imperium successisset, Conradus fratris opera coegerat eum deserta Polonia ad Vlricum Boemiæ ducem confugere, qui ea tempestate erga imperium hostilem animum gerebat. Vlricus igitur spreta hospitali fide, Conrado, si ipsius res componere vellet, obtulit se Misiam captiuum ei in potestatem daturum. A quo scelere ita abhorruit iustus imperator, vt statim Misiam periculi, in quo versabatur, moneret. Ea re, in qua iusticiæ cultus insignis apparebat, motus Misias, qui antè Conradi armis nunquam cesserat, ad Conradum profectus, diadema deposuit, & consuetum tributum confirmauit. Fulg. lib. 6. cap. 5.

Inter IOANNEM Caroli 4. patrem, & Henricum Catinthiæ ducem, de regno Bohemiæ longa & difficilis fuit contentio. Verùm quum quidã ad Ioannem veniens, veneno se hostem occisurum promitteret, si præmium speraret: Ioannes iusticiæ & integritatis amator, Si me nescio Henricum, inquit, interemisses, & ad me fugam adornasses, crux tibi præmiũ futurum erat, qui te regio sanguine commaculasses: & tu me modò autorem tanti sceleris petis? Æneas Syluius lib. 3. de Alphonsi gestis.

ALFONSVS Aragonum rex, quum quidã se offerrent, qui Renati Andegauensium ducis, & hostis sui atrocissimi, mortem promitterent, insidijs parandam: non tantũ hoc fieri noluit, sed, vt in parricidas, se in eosdẽ

animaduerſurum dixit, ſi hoc tentarent: dicens, ſe nequaquam inſidiis cum hoſte de regno, ſed manu tantum & virtute dimicaturum. Panor in eius vita.

IDEM Alphonſus, his qui ſe in mortem Franciſci Sforti æ paratos eſſe ſignificaſſent, reſpondit: Nunquam ſibi victoriam placuiſſe, cuius poſtea pigendum pudendumve eſſet. Igitur ni ab huiuſcemodi conſiliis abſtineant, talia ſe exempla in illos editurum, vt eiuſmodi conſilia ſibi admodum moleſta eſſe omnes intelligant. Anton. Panor. & Syluius, vt ſuprà.

Rogerius Pallantiæ comes ampliſſimo atque ornatiſſimo genere natus, inpiger vir, & manu promptus, cùm ALPHONSVM adiens diceret, in animo ſibi eſſe Ioannem Caſtellæ regem, ipſius hoſtem, contempto omni periculo cõfodere, foréque id ſibi (ſi modò annuat) factu perfacile: Non per ſcelus, ſed virtute gloriam quærendam eſſe, reſpondit Alphonſus. Se enim non ſolum pro Caſtellæ atque Hiſpaniæ dominatu, ſed ne pro totius quidem orbis imperio adipiſcendo, tam crudele atque deteſtabile facinus permiſſurum. Panor. libro ſecundo de rebus geſtis Alphonſi.

Simili quodam modo reſpondiſſe dicitur exuli Florentino, Coſimam Medicen occiſurum pollicenti, ſi XXX militum manu à rege iuuaretur: longè quidem acriores atque ampliores hoſtes ſeiè & habuiſſe, & habere, quàm Coſimas eſſet, quorum morte vel regna conſequi ſe quidem potuiſſe, ſed abſtinuiſſe à ſcelere. Idem Panorm.

IDEM quum renunciatum eſſet, à Ludouico Podio, quendam in Venetorum naualibus eſſe, qui illa vna cum armamẽtario quod in hiberat, exurere pollicitaretur, ſi ſibi duo millia aureorum à rege promitterentur, conatusque illius facilè ceſſuros affirmanti, reſpondit: Nequaquam inſidiis, ſed aut virtute vincendum eſſe, aut nunquã. Ex hac enim re non aliam ſibi laudem ſperandam eſſe, quàm eius qui Dianæ Ephe ſiæ templum incendiſſet, cuius nomen totius Aſiæ decreto è memoria hominum obliteratum traditur. Panor. lib. 3. de rebus geſtis Alphonſi.

IDEM quum eſſet Valentiæ, appulerunt eò loci Caroli Francorum regis legati, magnopere eum rogãtes, ne per id tempus, quo rex eorum bello Britannico implicatus eſſet, contra ſe bellum aliquod ſuſcitaret (quàm maximè enim verebatur Carolus, ne Alphonſus captato tempore & occaſione, eum armis laceſſeret: propterea quòd ius aut titulũ prætenderet in eam partem Galliæ Narbonenſis, quam incolæ ſua lingua Hoccitanam vocant) reſpondit rex: Etſi certo ſcio, plures Narbonenſis Galliæ ciuitates ad Aragoniæ regnum pertinere, quas Carolus rex iampridem occupatas detinet: nihilominus tamen hoc tẽpore, quo illum intelligo bello ſuperatum, & à Britannis prorſus eſſe, nequaquam me arma cõtra proſtigatum regem moturum eſſe vobis affirmo: neque eo animo eſſe, vt quod maiores mei in Caroli proſperitate non petierunt, ego in eius repetam calamitate. Anton. Panorm. de reb. geſt. Alphonſi: & Æn. Syl. de eius dictis.

LEGATOS HOSTIVM NON VIOLARE.

Honor legatis exhibitus, ad diſtributionem ex virtute pertinet.

P. SCIPIO Africanus Maior, cum onuſtam multis & illuſtribus Carthaginenſium viris nauem in ſuam poteſtatem redegiſſet, inuiolatam dimiſit, quia ſe legatos ad eum miſſos dicebant: tametſi manifeſtũ erat, illos vitandi præſentis periculi gratia falſum legationis nomen amplecti, vt Romani Imperatoris potius decepta fides quàm fruſtra imploratа iudicaretur. Val. lib. 6. cap. 6.

FIDES ERGA HOSTES BELLICA PRIVATA.

FIDES ERGA INIMICOS POLITICA, SIVE IN IVDICIO,

ſiue extra iudicium.

Conſule tit. Perfidiæ punitæ.

CN. DOMITIVS tribunus plebis, M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi deuocauit, vt ſi fortuna aſpiraſſet, ruinam: ſi minus, certè ipſa obtrectationem ampliſſimi viri incrementum claritatis apprehenderet. Cuius opprimendi cùm ſummo ſtudio flagraret, ſeruus Scauri ad eum nocte peruenit inſtructurum ſe eius accuſationem multis & grauibus domini criminibus promittens. Erat in eodem pectore inimicus Domitius, & dominus, diuerſa æſtimatione nefarium iudicium perpendens: iuſticia tamen vicit odium. continuò enim & ſuis auribus obſeratis, & iudicis ore clauſo, duci eum ad Scaurum iuſſit. Accuſatorem etiam reo ſuo, ne dicam diligendum, certè laudandum, quem populus tum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius, & coſ. & cenſorem, & pont. max. fecit. Valerius lib. ſexto capite quinto.

L. CRASSVS Cn. Carbonis nomen infeſto animo, vt pote inimiciſſimum, ſibi detulerat: ſed tamen ſerinium eius à ſeruo allatum ad ſe complura continens, quibus facilè opprimi poſſet, vt erat ſignatum cum ſeruo cathenato ad eum remiſit. Quo pacto igitur inter amicos viguiſſe tunc iuſticiam credimus, cùm inter accuſatores quoque & reos tantum virium obtinuiſſe videamus? Ibidem.

L. Manlio Auli filio, cùm dictator fuiſſet, MARC. POMPONIVS tribunus plebis diem dixit, quòd is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet. Criminabatur etiam, quod Titum filium ab hominibus relegaſſet, & rure habitare iuſſiſſet. Quod cùm audiuiſſet, adoleſcens filius negocium exhiberi patri, accurriſſe Romam, & prima luce Pomponij domum veniſſe dicitur. Cui cùm id eſſet nunciatum quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra patrem arbitrarentur ſurrexit è lectulo: remotiſque arbitris ad ſe adoleſcentem iuſſit venire. At ille, vt ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit: iurauitque ſe illum ſtatim interfecturum, niſi iuſiurandum ſibi dediſſet, ſe patrẽ eſſe miſſum facturum. Iurauit hoc terrore coactus Pomponius: rem ad populum detulit: docuit cur ſibi à cauſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manlium miſſum fecit. Tantum temporibus illis iuſiurandum valebat. Cicero lib. 3. Off. de Fortitudine.

FIDES IN TESTAMENTO.

Teſtamenta quæ rata manſerunt. Fides in vltimis voluntatibus exequendis, tam priuata quàm publica.

Tam certæ, quàm etiam noxę inſaniæ TVDITANVS (vt pote qui populo numos ſparſerit, rogamque velut tragicam veſtem in foro trahens maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit) teſtamento filium inſtituit hæredem. Quod T. Longus, ſanguine ei proximus, haſtæ iudicio ſubuertere fruſtra conatus eſt. Magis enim centumuiri, quod ſcriptum eſſet in tabulis, quàm quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimauerunt. Valer. libro ſeptimo capite octauo.

EBVTIÆ, quæ L. Menenij Agrippæ vxor fuerat, tabulæ teſtamenti, plenæ furoris. Nam cùm haberet duas ſimillimę probitatis filias, Pletoniam & Aphroniam, animi ſui potius inclinatione prouecta, quàm vllis alterius iniuriis aut officiis cõmota, Pletoniam tantummodo hæredem inſtituit: filiis etiam Aphroniæ ex admodum amplo patrimonio viginti numos legauit. Aphronia tum cum ſorore ſacramẽto contendere noluit: teſtamentúmque matris patientia honorare, quàm iudicio conuellere, ſanctius eſſe duxit: eo ſeipſam indigniorem iniuria oſtendens, quo eam æquiore animo ſuſtinebat. Ibidem.

Minus mirandum errorem muliebrem Q. METELLVS fecit. Is nanque plurimis & celeberrimis eiuſdem nominis viris in vrbe noſtra vigentibus, Claudiorum etiam familia, quam arctiſſimo ſanguinis vinculo contingebat, florente, Carbatem ſolum hæredem reliquit: nec hoc teſtamentum eius quiſquam attentauit. Ibidem.

POMPEIVS Rheginus, vir Tranſalpinæ regionis, cum teſtamento fratris præteritus eſſet, ad coarguendam iniquitatem eius binas tabulas teſtamentorum ſuorum in comitio inciſas, habita verſusque ordinis maxima frequentia, recitauit: in quibus magna ex parte hęres frater erat ſcriptus, prælegabatúrque ei centies & quinquagies ſeſtertium. Multùm ac diu inter aſſentientes indignationi ſuæ amicos queſtus, quod ad haſtę iudicium attinuit, cineres fratris quietos eſſe paſſus eſt: & erant ab eo inſtituti hæredes, neque ſanguini Rhegino pares, neque proximi, ſed & alieni & humiles: vt non ſolum flagitioſum ſilentium, ſed etiam prælatio contumelioſa videri poſſet. Ibidem.

Inter dubia teſtamenta, quæ firma tamen manſerunt, id quod SABINA Romana egit, commemoratione dignum eſt. Nam cùm in teſtamento ſcripſiſſet: Modeſto ſeruo meo, cui vt liberras daretur ordinaui, talem rem lego: & cùm ea mortua ſcriptum nihil eſſet inuentum, neque teſtes apparerent, qui liberationis Modeſti fidem aliquam facerẽt, PLINIVS ſecundus inter præcipuos hęredes, volnit vt modeſtus libertate donaretur, legatumque à Sabina relictum acciperet. Sabinæ enim voluntatem, quàm expreſſa ipſius voluntatis verba, quæ non inueniebantur, ſequi ſatius duxit. Fulgoſ. lib. 7. cap. 8.

Pomponia Galla, Romana fœmina, exhæredato filio Auſidio Cariano hæredem PLINIVM ſecundum inſtituit. Qui diu ab Auſidio rogatus, vt hæreditatem maternam ei relaxaret, contentus fuit cauſas ab eo audire, propter quas malè de ſe meritum filium exhæredare mallet, non ſecum aſportaſſe, quòd nauigatio celeriret abeundi neceſſitatem imponeret, atq; ibi nemini commendatum reliquiſſe: longeq; poſt alteris nundinis cum reuerſus eſſet, intactum reperiſſe. Heraclides.

Aiunt BIBLIVM fuiſſe virum tantæ integritatis & abſtinentiæ, vt quum inter eundum reperiſſet aliquid alienum, omnino intactum præteriret. Rauiſ.

ci vidiſſet, ipſo excluſo, hæreditatem retinuit. Ibidem.

In teſtamento LVDOVICI Corteſij, hæres iubebatur ipſius exequias, omnium muſicorum qui in vrbe erant, cantu celebrare: qui illic inſtrumentis ſuis canere, per totum exequiarum tempus, honeſto ſtipendio cõducti, non deſinerent. Longa diſputatione re tractata, vt neceſſaria iudicata eſt, atque eam exequutus eſt hæres. Quod apertè oſtendit, niſi grauibus de cauſis, teſtatorum voluntatem, qualiſcunque ſit, ab hærede prætermittendam non eſſe. Fulgoſus libro primo, capite octauo, & Egnat. libro 7. capite octauo.

SILIÆ ducis teſtamentum, de canibus ſenio confectis alendis, ratũ manſit. Vide tit. Honor ſenectuti exhibitus.

Extant hodie Diui Marci Procuratores, ſupremæ dignitatis penes Rẽpubl. Venetam: qui ferè duces, vbi contigerit principem ipſum diem ſuũ obire, declarari ſoleant. Horum præcipuũ eſt munus, vt ciuium teſtamenta ſumma fide tueantur, ac colant, exequendáque in primis curent, quæ teſtamentis ſuis ad ſcribenda vita functi mandarint. Quorum fides tantum breui eluxit, vt etiam apud exteras gentes plerique principes viri & familiæ tutores eos eſſe inſerint. Egnat lib. 6. cap. 6.

VIRIDIS è Scaligerorum illuſtri familia orta, quum ſupremum vitæ diem obiret, non parentis in ſe voluntatem, non mariti principis erga ſe amore ſecuta, procuratoriam fidem & Veneti nominis autoritatem & patri & marito præpoſuit. Siquidem teſtamenti tabulis immenſam auri vim procuratoribus ipſis annumerari iuſſit, quæ ſingulis annis pauperibus ab his diſtribuenda eſſet. Id quod hodie quoque ab eiſdem ſumma fide ſeruatur. Ibidem.

ANTONIVS Leoninus Genuenſis ciuis, graui valetudine iam ſenex laborans, familiam omnem ſuam ſeruilem ad ſeſe euocans, ita allocutus eſt (quando nemo domi eſſet, qui conſanguinitatis vinculo illum colere ſtudioſus poſſet:) Adeſte huc omnes, & erectis animis attendite, quæ dicam. Ego iam ſenex, morbo etiam grauiore oppreſſus, vos omnes admoneo, vt mihi diligentem operam adhibeatis omnes. Nã ſi morbi vim euaſero incolumis, vos omnes liberos eſſe iubeo. Quod ſi aliter contigerit, vt mihi moriendum omnino ſit, vos omnes eidem ſeruituti iugo obnoxios eſſe velim. Ibidem.

DOMINICVS Malateſta Ariminenſis princeps, ſupremis ſuis tabulis non paruam fundorum & agrorum manum Diui Marci procuratoribus teſtamento moriens legauit: ex quibus diuenditis, quicquid pecuniæ cogi poſſet (quę ſanè immenſa fuit) id totum partim ſacris viris, qui Istatorium ſacrum obirent, partim reliquæ egentium turbæ numeraretur: id quod procuratores ipſi præcipua pietate & fide, quoad per pontificem Iulium licuit, præſtitere. Egnat. lib. 6. cap. 6.

FIDES IN HAEREDITATE ADEVNDA, VEL DIVIDENDA.

Conſule tit. Teſtamenta iniuſta reſciſſa.

FIDES IN BONORVM DIVISIONE, EXTRA HAEREDITATEM,

quacunque ratione acquiſitorum: vt in bellica præda, vel ſocietate.

ABRAHAM volens ſeparari à Loth nepote ſuo dedit ei optionem, vt eligeret partem quam vellet. Pulchrè partitio fit, vt maior diuidat, & minor eligat. Gen. 13.

ISAACVS filium Eſau maiorem natu hæreditate relinquere in animo habuit ac deceptus Iſraelem reliquit. Noluit mutare, quod imprudens fecerat, aut certè non potuit. Deceſſit igitur altero orbatus filio, altero non libero, quia in fratris mancipio: multo lætius vita exiturus prole integra, aut meliore parte non adempta. Sabell. lib. 1. c. cap. 13.

LYCVRGVS ita ciuibus ſuis Spartanum agrum partitus eſt, vt cùm aliquando peregrè domum reuerterentur, demeſſam ſegetem in agris & aceruos ſegetum contemplatus paribus inter ſe ſpacijs diſpoſitos ex campeſtrium prædiorum metatione, conuerſus ad ſuos ſubridens: Videtis, inquit, quàm multorum frarrum Laconicus ager eſſe videatur, qui ex æquo ſint inter ſe hæc partiti. Sab. 4. cap. 4.

ALEXANDER Seuerus imperator, aurum & argentum rarò cuiquã niſi militi diuiſit: nefas eſſe dicens, vt diſpenſator publicus in delectationes ſuas, ſuorúmque conuerteret, id quod prouinciales dediſſent. Bruſon. Conturſ. lib. 3. cap. 13.

MOSYNI populi frumenta omnia æqualiter diſtribuebant, partem tantùm aliquam communiter pro hoſpitibus aduenientibus ſeponentes. Stobæus ſermon. quadrageſimoſecundo ex Nicolai de Gentium moribus hiſtoria.

FIDES IN MVTVO.

FIDES IN EMPTIONE ET VENDITIONE.

AIVNT Carthaginenſes, locum eſſe Africæ extra columnas Herculis, habitatum hominibus: eò quoties ipſi appliciere, ſe merces è nauibus exponere, easque in crepidine terræ deinceps collocare: tũ conſcenſis nauibus ſummum excitare: fumo autem conſpecto, indigenas ad mare conuenire: dehinc auro pro mercibus depoſito, rurſus illinc è nauibus egreſſos precium conſiderare, & ſi dignum mercibus videatur, eo ſumpto abire: ſin minus, conſcenſis iterum nauibus conſpicere. Illos verò accedentes, plus auri ad id quod depoſuerunt addere, donec perſuadeant. Neutros autem alteris iniuriam inferre: neque enim ſe contingere merces prius, quàm ipſi ſumpſerint aurum. Herod. lib. 4.

THVRIACI mercaturam exercentes, abſque omni dolo vendunt omnia. Apud quos ſi quis domum emerit, ſacra facere in Apollinis Epicomxi, fano: ſi verùm prędium, in vico quem inhabitat, & iurare coram magiſtratu ſolet, quòd reuera iuſtè emat, nec fraudulenter agat, nec arte dolóue vtatur vllo. Eodem modo & magiſtratus vendentem quoque iurare iubet, quòd ſine malo dolo vendat. Stob. ſerm. 42. ex Theophraſti ſcriptis.

PYTHAGORICVS quidam philoſophus cœmens ſibi à ſutore calceos, non promptam habens pecuniam, orat vt in craſtinum expectet diem: quò cum veniſſet, ſatisfacturus, audit ſutorem iamiam defunctum eſſe. Non faciens igitur mentionem pecuniæ, numos nõ inuita manu domum, gratulabundus de facto iam lucro, retulit. Verùm cum ſceleris cõſcientia ſubinde torqueretur, arrepta pecunia ad ſutoris tabernam regreditur, & pecuniam in ſutoris domum proijciens, ait: Tibi vnde, alijs qui defunctus eſt: ac ſic animum à conſcientia ſacti liberauit. Recitat Eraſmus lib. 6. Apophthegmatum.

Q. MVTIVS Scævola Pont. max. eloquentium iuriſperitiſſimus, & iuriſperitorum eloquentiſſimus, cùm aliquãdo poſtulaſſet, vt ſibi fundus, cuius emptor erat, ſemel indicaretur, idque venditor feciſſet: dixit ſe pluris æſtimare, addidiſſque cum millia. Vſqueadeò ab officio boni viri non diſcedebat. Rutilius in eius vita.

FIDES IN PACTIS CONVVBIALIBVS.

FIDES IN PIGNORE.

FIDES IN DEPOSITO ET CVSTODIENDO ET REDDENDO.

ONIAS ſummus pontifex, & alij ſacerdotes, fideliter viduarum & pupillorum depoſita cuſtodiebant. 2. Machab. 3.

ARNALDVS Gerardus Cathalanus, cùm in naue ſua oneraria Guliel mum Autiam ferret, quo tempore Piſani Gennenſeſque grani inter ſe bello diſſidebant: à Piſanorum nauibus captus, quæ Gennenſium tantum merces ac bona quærebant, nec minis nec promiſſis adduci vnquã potuit, vt duo milia & quadringentos aureos numos, qui Duplices appellantur, deregere vellet: quam pecuniam dum ab hoſtibus oppugnaretur Guliel mus Auria, ei commendauerat: quia norat Piſanos nõ in Cathalanorum, ſed ſolùm in Genuenſium bona inuehi, Arnaldus igitur, poſteaquam eũ Piſani dimiſerunt, ſecum eam pecuniam ad Genuenſes ſimul deferens, vt primùm in Balearides peruenit, pecuniam tanto labore ſeruatam, Conſulì Genuenſium in Balearibus obtulit, vt ipſe eam Gulielmo reſtitueret. Pro eo autem facto Genuenſes erga Arnaldum grati, ciuitate, multiſque alijs commodis, ſcripto honorificis verbis diplomate, eum donarũt. Fulg. libro 6. cap. 5.

VENETÆ fidei & integritati atteſtatur, principum virorum ac fœminarum teſtamenta penes Diui Marci procuratores recondita, quibus illi ſupremas voluntates ſuas commendarunt. Regina quoq; Daciæ, quę Barrum in Apulia præclarum oppidum dotis nomine poſſidebat, ingentem pecuniæ vim Venetias tranſmitti voluit, quæ à ſacris viris patricijſq; diligentius aſſeruaretur. Egnat. lib. 6. cap. 6.

FIDES IN NON DEPOSITO NON ATTINGENDO.

STAGYRITARVM lex eſt eiuſmodi, vt Græcam agnoſcere poſſis: Quod non depoſuiſti, inquit, ne tollas. Ælian. lib. 3. de Varia hiſtoria.

APHYTENSES integram piamq; vitam traducunt, neq; attingũt alienas iamnas patentes. Memorant aliquãdo peregrinum, cùm ibi vinum emiſſet, non ſecum aſportaſſe, quòd nauigatio celeriret abeundi neceſſita-

FIDES IN COMMISSO.

Exempla quædam petenda ex tit. Honores & dignitates, quas honestè retinere nequeas, restituere.

PITTACVS cuius aut meritis tantum ciues debuerunt, aut moribus crediderunt, vt suis suffragiis tyrannidem ei deferrent, tandiu illud imperium sustinuit, quàm diu bellum de Sigæo, cum Atheniensibus gerendũ fuit. Postquam autẽ pax victoria parta est, continuò reclamantibus Mitylenæis deposuit, ne dominus ciuium vltra quàm Reipublicæ necessitas exigeret, permaneret. Atque etiam cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, auertit animum ab eo munere: deforme iudicans, virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere. Val. Max. lib. 6. cap. 5.

Cùm Parthi ciuilibus discordiis regno Artabanum regem deiecissent, & is Izatis Adiabenorum regis armis adiutus, redire in regnum fatageret, Parthi non modò propter imminens bellum, verumetiam aliis rationibus moti, cùm depulsi Artabani eos pœniteret, ad ipsum atque Izatem legatos miserunt, monentes, libenter se imperata facturos. Sed cùm depulso Artabano ei CYNNAMVM in regno suffecissent, eíque fideles se fore iurassent, à iureiurando discedere, religio erat. Quam rem cùm Cynnamus intellexisset Artabano atque Izati scripsit, vt venirẽt, quoniam Parthico regno Artabano cessurus esset. Hi autem cùm venirent, Cynnamus regia veste diadematéque ornatus, obuiam profectus est: & cùm primùm Artabano appropinquauit, ab equo descendens, ita loquutus est: Cùm Parthi te regno expulissent, Artabane, atque ad aliũ transferre ademptum tibi vellent, eorum rogatu illud accepi: sed posteaquam cognoui eis cordi esse, vt te verum propriúmque ipsorum regem in regnum restituerant: vnúmque illud obstare, ne id inuito me ab eis agatur, non modo eis non obstiti: verùm, quemadmodum vides, sponte mea, neque ob aliam rem vllam regnum tibi restituo. Et cùm hæc dixisset, detractam capiti suo tiaram Artabani capiti manu sua imposuit. In eo iustum se præbuit, propter quod mortales non modò iusticiam deserunt, verùm omni quoque scelere manus nonénque maculare non reformidant. Fulgosius lib. 6. cap. 5.

Abdicauerat sese ducatu in Venetis IOANNES Particiatius: cóstituta dein ciuitate Cãdiani ducis casu, qui in Naretanis cum tota classe victus mortem occubuit, populi rogatu, tantisper dum nouus princeps crearetur, honoris insignia recepit, ne quam interim clademadiret res publica: rexítque hortatu & præsentia sua ciues mœrore affectos. Mox verò vbi nouus est dux in demortui locum suffectus, vltrò sese in ordinem redegit: docuítque præclarè, vt prodesse possis tuis, non præesse, publicos honores expeti oportere. Sabel. lib. 8. cap. 2.

BALDVINVS Burgẽsis tertius Hierosolymorum rex, mortuo Rogerio (propter puerilem ætatem Boemundi iunioris, qui Rogerij nepos Boemundo seniore patre natus erat, & ea tempestate in Apulia agebat) ab Antiochenis ciuibus datam Antiocheni principatus administrationẽ suscepit, ingẽti impendio periculóque principatum defendit, à Turcis captus, biénio pòst magno auri pondere se redemit. Cùm autem ad eum Boemundus iunior, repetendi principatus gratia venisset liberè statim illum ei restituit, quem à Rogerio patruo antea impetrare nequiuerat Fulgos. lib. 6 cap. 5. & Egnat. lib. 6. cap. 5.

TANCREDVS Normandus cùm apud Boemundum patruum Antiochiæ principem in Syria esset. Boemundo in prælio ab infidelibus capto, tres annos principatum rexit: auctíque finibus, auctóque thesauro, grandi precio patruum redemit, eíque omnia restituit. Fulgos. lib. 6. cap. 5. & Egnat. lib. 6. cap. 5.

FIDES IN TVTELA ERGA PVPILLOS.

Cùm Polydectes LYCVRGI frater diem suum obiisset, ad Lycurgum Spartæ regnum peruenit. Verum cùm fratris sui vxorem relictam in vtero habere comperisset ad fœtum conceptum, siquidem masculus esset, regnum pertinere existimans, ipse tutoris loco (horum autem parentes regum procuratores πρόδικοι Spartanis appellantur) regnum administrauit. Submisit autem ea mulier clàm, qui Lycurgo indicaret, paratam se ad abo'endum fœtum, vt ipse Spartæ regnum teneuti nuberet: Lycurgus mulieris consilium se probare simulauit: nolle tamen se ipsius matris periculo id fieri, in procurando abortu, affirmauit: quin potius pareret: vt partus confestim è medio tolleretur, sibi curæ fore. Hac ratione fœminam vsque ad diem partus ducens, misit qui enitenti adessent: pueróque ad se inter cœnam allato: Rex vobis, ô Spartani, natus est, clara voce exclamauit: eúmque in loco regio deposuit, & Charilao nomen imposuit: propterea quòd omnes magnitudinem animi & iusticiam Lycurgi admirarentur. Plutar. in vita eius.

Cùm Ptolemæus rex tutorem pop. Rom. filio reliquisset, Senatus M. ÆMYLIVM Lepidum pont. max. bis cos. ad pueri tutelam gerẽdam Alexandriam misit, amplissimúque & integerrimi viri sanctitatem Reipublicæ vsibus & sacris comparatam, externæ procurationi vacare voluit, ne fides ciuitatis Romanæ frustra petita existimaretur. Cuius beneficio regia incunabula conseruata patiter ac decorata, incertum Ptolemęum reddiderunt, patris ne fortuna magis, aut tutoris maiestate gloriari deberet. Val. Max. lib. 6. cap. 6.

FERDINANDVM, qui postea per creationem ad Aragonium regnum conscendit, Henricus frater Castulonensis rex tutorem filio puero reliquit. Is autem regnum tanta iusticia rexit, quòd in magno Castulonensium conuentu actum est, vt ad ipsum Hispaniensis regni titulus deferretur. Quem honorem cùm se acceptrũ ostendisset omnesque in locum rei agendæ designatum contenissent, ipse ingentem chlamydem regio more amictus, in qua nepotem puerum occultabat, cum omnium sententiam postulasset, quæ eiusmodi fuit, vt ad ipsum Hispaniarum regnum deferretur: repentè nepotem paruum è chlamyde extulit, & cum collo suo imposuisset, exclamauit: En Castulonẽses regem vestrum: humique procumbens, regem saluauit, & nepoti regnum: sibi iustitiæ famam illæsam seruauit. Fulgos. lib. 6. cap. 5. & Egnat. lib. 6. cap. 5.

ACCEPERAT Franciscus Sfortia, à Philippo Mediolanensiũ duce Blancam eius filiam vxorem, illegitimo thoro natam: Cremonámque vrbem, Cremonensémque agrum omnem in dotem acceperat. Igitur celebratis nuptiis profecturus in Vmbriam atque Hetruriam, cum exercitu, Cremonam ipsam VENETÆ fidei commendauit. Illi verò perlibenter curam eam suscepere: nec dubitarunt bellum etiam cum Philippo gerere, qui iniquissimo ferebat animo, se socerum à genero suo contemptum esse, Venetósque ipsos intra suos etiam fines sibi esse celebri tutela præpositos. Egnat. lib. 6. cap. 6.

FIDES IN FOENORE, VSVRA, AERE ALIENO.

INDI ad vsuram pecuniam non locant, neque accipiunt. Sed neque fas est, hominem Indum aut iniuriam inferre, aut pati: proinde neque syngraphaṁ, aut depositum faciunt. Ælianus libro quarto de Varia historia.

FIDES IN ÆRE ALIENO PERSOLVENDO.

Quum Athenienses olim sacrificia instituissent, peterentque à ciuibus, vt vnusquisque aliquid de suo ad complenda sacrificia adderet, PHOCION Atheniensis essagitatori respondisse dicitur: Puderet, si vobis adderem: ac huic, cui debeo, iure, nihil redderem: Sunt qui putent se Deo facere rem gratam, si adeulum idolorum multos conferant numos. At Phocion vir sapientissimus, sensit Deo multo gratius esse, si satisfacias iis quibus debes. Eiusautem dictorium leges apud Plutarchum in Græcorum apoph.

FIDES IN LOCATIONE QVACVNQVE VEL RERVM VEL OPERAE.

ARCHITECTVS quidam Venetiis geminas columnas ex Oriente aduectas, quæ diu iacuerant, nemine eas erigendi & stabiliendi prouinciam suscipiente, attollere se velle promisit, annuum salarium & splendidas ædes præmium pactus insuper vt omnibus impunè in earum basibus ludere liceret. Erexit: erectas alteram D. Marco, alteram D. Theodoro dedicarunt VENETI. annuum salarium decreuerunt: ludendi quoque impunitatem, non nisi longo pòst tẽpore sustulerunt. Egnat. lib. 8. cap. decimotertio.

FIDES IN COMMODATO ET PRECARIO.

FIDES IN STIPVLATIONE.

FIDES IN MANDATO DANDO SVSCIPIENDO, exequendo.

FIDES IN NON MANDATO NON PERSCRVTANDO.

Literas alienas non resignare.

CN. Pompeius Magnus, cum Sertorij literas in Hispaniis intercepisset, in quibus erant inclusæ complurium ducum epistolæ, Sertorium ad nouandas res, statúmque ciuitatis immutandum Romam inuitantium: easdem omnes, deferens silentiũ hostium literis: quo docuit, quantum sit crimen, alienas resignare literas: aut quod tibi per literas obsignatas creditum est, sub dium efferre. Plut. in Rom. Apoph.

FRIDERICVS Imperator, cum Casparis Schlichij literas ex Norimberga missas accepisset, quæ nonnullis Hungaris inscribebantur, fuerunt qui eas aperiendas dicerent, quòd in iis aliquid proditionis scriptum esse putarent, quod sciri oporteret. Quibus Fridericus: Casparem ego & probum virum, & mei amantem existimo: si autem fallor, malo per se error pareat, quàm mea diligentia inuestigetur. Maluit autem imperator magnum subire periculum, quàm amici aperire literas, ad se non spectantes. Æneas Syluius lib. 4. in res gestas Alphonsi regis.

FIDES IN OBLIGATIONE, ET SYNGRAPHA.

FIDES IN FIDEIVBENDO.

FIDES IN TESTIMONIO DANDO.

Fidei hic ratio habetur. At veritatis respectu ad φιλαλήθειαν hic tit. pertinet.

XENOCRATI tanta fides habita est, vt eum nullius iniurati testimonium admitteretur, Athenienses sine iuramenti religione ei assentirentur: eumque iniuratum, quod minimè suspectæ fidei esset, in fidem atque officium admitterent. Alexander ab Alexandro libro quinto, capite decimo.

Apud LYCIOS in iudiciis testimonia nõ statim, sed post mensem demum proferebantur: ne quis diceret, rei festinatione permotum fuisse, vt non præmeditatus testimonium parum iustum proferret. Stobæus sermone quadragesimo secundo ex Nicolai de Gentium moribus historia.

DISTRIBVTIVÆ IVSTITIÆ ALTERA SPECIES.

Quæ ex VIRTVTE cuilibet id quod suum est tribuit. DISTRIBVTIO simplex ex Virtute.

ET PRIMVM IN BONIS SIVE VIRTVTIBVS ANIMI.

DOCTI VIRI IN MAGNO PRECIO HABITI, IN GENERE.

Doctorum virorum amatores.

Huc refer titulum Liberalitatis erga doctos. Exempla quoque ex titulis Gammaticorum, Rhetorum, Medicorum, &c. peti poterunt. Nos primum in genere eos referamus, qui doctos coluerunt: mox in specie eos, à quibus docti homines beneficia & honores acceperint, exponemus,

HIPPARCHVS Pisistrati F. omnem operam nauauit eruditis doctísque viris, & voluit suo ipsius exemplo præire Atheniensibus ad studia literarum: & præstantioribus atque melioribus ipsis imperare conabatur. Nemini enim sapientissimi inuideri, par esse censebat, cùm esset vir bonus & integer. Hæc commemorat Plato in Hipparcho, cuius reuera discipulus erat Hipparchus. Ælian. de Var. hist. lib. 8.

PHILIPPVS Macedo non solum bellicis virtutib. claruit, sed etiã doctos viros in precio habuit Aristotelem in primis, filij sui pædagogum deinde etiam Platonem & Theophrastum muneribus honorauit. Ælian. de Var. hist. lib. 4.

ALEXANDER Macedo duxit secum non vnum, aut paucos quosdam, sed quasi cohortes doctissimorum hominum, quos semper pro dignitate & summa liberalitate ornauit. Pontanus libro de Liberalit. cap. vigesimo nono.

Hieronem Syracusiorum aiunt Græcæ literaturæ fuisse perstudiosum, & plurimi doctrinam fecisse, item ad largienda beneficia propẽtissimum fuisse: multóque promptiorem in dandis, quam petentes in accipiendis. Erat autem laudabili animi magnitudine præditus, & sine omni iurgio fratribus tribus numero conuersatus est: mirúmque in modum tum ipsos amauit, tum ab iisdem mutuo amore habitus est. Eadem ratione cum Simonide vixit, & Pindaro: neque Simonidem impediuit senectus profunda quo minus ad eum veniret. Erat enim Cæus auiditis. pecuniæ: magisque ipse commouit Hieronis munificentia, vt fama est. Ælianus de Var. hist. libro nono.

PTOLEMÆVS rex Aegypti, doctissimos quosque ad se vocatos sanctis, donisque prosequutus est. Pontanus de Liberalitate capite vigesimo nono.

DAMIANVS Ephesius sophista, semper viros doctos summa liberalitate tractasse dicitur. Philostratus in Sophistis: & Volater. lib. 15. cap. 1. Anthrop.

C. Marius Rusticanus, licet ad studia tardior esset, literatos tamen homines amabat: præsertim poetas: L. Plotium, & A. Licinium Archiam, quorum spectaret ingenio suarum rerum gestarum gloriã celebrati posse. Cic. pro Archia.

CN. Pompeius Magnus, qui cum maior Augusti auunculus C. Iul. Cæsar de summa rei armis disceptauit, cùm clarissimam ex Oriente victoriam reportaret, omnes liberalium artium professores Rhodi audiuit: audítos amplis muneribus donauit. Possidonij ædibus, Stoicæ disciplinæ viri, tum forte ægrotantis, eos submisit fasces, quibus se totus Orient submiserat. Sab. lib. 7. cap. 5.

Cæsar AVGVSTVS grauissimis bellorum studiis obsessus, nullũ tempus inutiliter labi sinebat. Hoc singulare vnũ habuit: quia cùm omnium principum mos sit præcipuus, præsentia contemnere, vetusta mirari, iste vnus ætatis suæ ingenijs fauit. Amauit itaque M. Varronem, M. Cic. Crispũ Sallust. T. Liuium, Annei Senec. Asinium Polionẽ, Vergil. Maronẽ. Hor. Flaccũ. Ouid. Nason. aliósque innumeros vno tẽpore: fuis licet viuẽdi gradibus distantes, qui se inuicẽ viderint, aut videre potuerint. Petratcha.

C. Mecœnas, Ethrusco de sanguine regum, *Augusti summus amicus*, tanto literatus amore prosecutus est, vt ab eius etiamnũ nomine omnes literarum patroni Mecœnates dicantur.

VESPASIANVS Imperator, ingenia & artes maximè primúsque è fisco Latinis Græcísque rhetoribus annua centena constituit: præstantes poetas muneribus ornauit: & bibliothecas incẽdio absumptas reparauit. Suetonius, & Blond. lib. 4.

AEL. HADRIANVS cùm intelligeret quosdam, qui Romæ docuissent, propter ingrauescentem ætatem muneri amplius satisfacere nõ posse, ætatis & diuturnæ professionis ratione habita, eos diuitiis honoribúsque honestauit, ac vacare vitæ reliquum iussit. Pontanus lib. de Liberalitate, cap. 11.

M. Antoninus Pius, rhetoribus & philosophis non solum salaria, verũ etiam honores ac prouincias decreuit. Ibid.

ALEXANDER Seuerus non modò literatorum genus omne, verùm haruspices, architectos, & in quocunque ingenij aliquid eluescenet, stipẽdiis prosequutus est. Ibid.

CAROLVS Magnus Paulum Diaconum ob eruditionem libertũ dimittit. Vide tit. Monachorum octaui seculi.

Sigismundus Imp. Rom. cũ à principibus qui literas oderant, reprehẽderetur, quòd homines obscuro genere natos ob literarum commendationẽ foueret: Quid ni, inquit, amem eos, quos natura cæteris antecellere voluit? Alij plurimum tribuunt generis nobilitati. At Cæsar, vir studiis intellexit, in eruditis esse quiddam stomatis præstantius. Illi habent ædium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animũ optimis disciplinis exornatũ. Porrò vt natura animus præstantior est corpore, ita ornamẽta ingenij longè pulchriora sunt externis bonis. Iac. Spieg. in Aeneã Syluium.

Fuit CAROLO Crasso Gallorum regi singularis beneuolentia in literatos homines, quos ad scribendum solebat adhortari. Egnatius, & Rauis.

ALPHONSVS Aragonum & Siciliæ Rex, non tantùm doctos in omni scientiarum genere viros amauit: sed ipse etiam tam impensè bonorum autorum lectioni operam dedit, vt à grauissimis etiam morbis,

lectionis assiduitate se liberatum sæpenumero pronunciarit. Hispanos etiam quingentis atque eo amplius annis à studiis humanitatis vsque adeò abhorrentes, vt qui literis operam impenderent, ignominia propemodũ notarentur, ad literarum cultum sic reuocauit, vt rudes propéque efferatos homines, doctrina & eruditione reformauerit. Panormita de rebus gestis Alphonsi lib. 1.

IDEM statim post prandium, vel Antonium Panormitam (qui deinde de dictis & factis eius libros scripsit) vel è doctis aliquem audiebat, vt qui dignum iudicaret, animum quoque cibo suo post pastum corporis reficiendum esse. Pontanus de Continentia.

IDEM quotidie poetas, philosophos, theologos, aut legentes, aut disputantes, aut orantes, magna attentione audire solebat. Panormita in Procœmio libri 3. de reb. gestis Alphonsi.

FERDINANDVS rex, grandem pecuniæ summam quotannis ex ærario pendẽdam statuit rhetoribus, medicis, philosophis, theologis, qui publicè Neapoli docerent. Egregium sanè factum, ac perpetua commẽdatione dignum, ingenia prosequi, virtutes ornare, & ad excolendos animos excitare iuuentutem. Pont. de liberal. cap. 29.

NICOLAI V. Pontificis aula semper doctis viris abundauit: quos nõ tantùm cibo & potu aliisque necessariis ad victum sustentare voluit, sed amplissimis quoque donis cumulauit. Pont. cap. 29. de Liberal. Itaque eo mortuo, cum ei successisset Callistus, timereturque ne à Iocobo Picinino bellum moueretur: atque ad eum accessisset magnus quidam vir, nouo tamen quod immineret bello perterritus, Non esse, inquit, quòd Picininum vereretur. Habere enim ecclesiam Christi tria millia & amplius literatorum hominum, quorum consiliis sapientiáque omnes omnium simul Europæ ducum conatus facilè reprimi atque contundi possent. Pontanus libro de Principe.

IACOBVS Carrariensis V. dux Patauinorum, doctos mirificè amauit, cùm ipse mediocriter doctus esset: & Fr. Petrarcham Patauium euocatũ, canonicatu multisque auxit sacerdotiis. Cuius necem, vt veri Mecœnatis, miserabiliter Petrarcha in quadam epistola deflet. Scardeonus libro tertio hist. Pat.

PIVS II. pontifex bello regio parci Arpinatibus iussit, ob C. Marij & M. Tullij memoriam: quodque multi oppidanorum iis nominibus vocarentur. Testis Campanus in eius vita.

PRAEMIA EORVM QVI IN THEORICIS ADDI- *scendis seduli sunt.*

Apud Persas in publico puerorum ludo præmia erãt proposita. In qua autem tribu plurimi essent peritissimi, fortissimique, ac maximè fideles, horum laudabatur à ciuibus non præsens princeps duntaxat, verùm etiã ille qui eos à pueritia erudiuerat. Xenophon in Cyri pædia: Stobæus sermone quadragesimo secundo.

GRAMMATICIS ET RHETORIBVS HONOR *exhibitus.*

GORGIÆ Leontino (qui de omni re, quæcunque in disceptationem veniret, se copiosissimè dicturum dicebat) tantus honor habitus est à Græcia soli, vt Delphis non inaurata (vt cæteris) statua, sed aurea planè concessa sit. Cæl. Rhod. lib. decimonono, cap. vigesimo: Philostratus in Sophistis, orationi Pythicæ excellentissimæ hoc datum esse scribit.

Athenienses Demetrio Phaleræo CCCLX statuas erexerunt. Laertius in eius vita. Nam & Remp. cum laude gesserat.

M. Tullium Ciceronem, nouum hominem & inquilinum ad consulatum euexit, præteritis primariis ciuitatis viris, non Arpinum aut veterum imagines, sed insignes literarum tituli, & adducta è rhetorum scholis in forum senatúmque eloquentia. Pontanus lib. de Principe.

Grammaticis tantus fuit honor Romæ, vt constet Luctatium Daphnidẽ grammaticum ducentis milibus numũm Q. Catulo emptũ, ac breui manumissum. Item L. Apuleium ab ERICIO Caluino equite Rom. prædiuite quadragenis annuis conductum, multos edocuisse. Suetonius de illust. Grammaticis.

Orbilio Pupillo Beneuentano, insigni grammatico, statua est erecta: quæ ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus, marmoreo habitu sedentis, ac palliati, appositis duobus scriniis. Tranquillus de illust. Grammaticis, cap. 8.

Potamon Mitylenæus rhetor, Romæ, tempore Tiberij Cæsaris maximo in precio fuit: quem redeuntem in patriam Imperator eiusmodi syngrapha prosequutus est: Si quis Potamoni Mitylenæo iniuriam fecerit, cogitet *an mihi* quoque bellum indicere possit. Suidas.

T. Castritius, Rhetoricæ professor insignis, & A. Gellij præceptor, ab Hadriano Augusto propter eruditionis rarum thesaurum, morumque integritatem, plurimùm dilectus est. Gell. lib. 13. cap. 20.

Victorino vrbis Romæ præfecto, viro sua tempestate virtute animi & sermonis elegantia nemini secundo, commodi Romanorum imperatoris tempore statua posita est. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Commodo: & Fulgos. lib. 8. cap. 16.

Verrius Flaccus libertinus, propter insignem eruditionem & studium, quod in instituenda iuuentute Romanorum adhibebat, statuam promeruit: quæ posita fuit PRÆNESTE in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos à se ordinatos, & marmoreo parieti incisos publicari curauit. Suetonius cap. 16. de Gram. Illust. & Volat. lib. 18. Anthrop. Alij Valerium vocant.

Numeriano adolescenti, Aurelij Cari Romanorum Imperatoris filio, ac inter omnes sui seculi eruditissimo, per statuam in bibliotheca hac inscriptione statuit, Numeriano oratori potentissimo. Vopiscus.

L. Cæcilius Epirota, qui primus Romæ Grammaticæ ludum aperuit, primusque Vergilium & alios poetas nouos prælegere cœpit, tam familiaris ac charus C. Iulio Cæsari fuit, vt cum eo pila lusitarit: vt author est Macrobius, cuius scomma in Cęsarem habes sub tit. Vrbanitatis.

CLAVDIVS Licinius historicus consularis, Iulium Phrygium à Cæsare Romam aduectum aluit, propter ingenium & studium assiduum: eumque admodum pauperem sua liberalitate, quoad vixit, sustentauit. Tranquillus apud Volater. lib. 10. Anthrop.

Quintilianus ex Hispania veniens, stipendium à fisco accepit ab Eusebio, sub Domitiano. Budæus libro 2. de Asse.

DOMITIVS Calderinus Veronẽsis, vir acri ingenio, cùm primus sua ætate poetas grauissimos enarrare cœpisset, in principum virorum dignationem maximam venit, & ditissimus factus est. Volater. lib. 21. Anthrop.

Nicolaus Perottus è Saxoferrato, Bessarioni card. Niceno contubernalis, ab eo ob ingenium & honoribus & diuitiis auctus est. Volat. lib. 21

CAROLVS Zenus, finito Ligustico bello, quod pro Galeatio Mediolanensium principe gesserat in Petrum Paulum Vergerium Iustinopolitanum, literarum & eloquentiæ studiis florentissimum ea tempestate, faces sui amoris sic intorsit, vt vnum præcipuè coleret, vni omnia tribueret domique semper & studiorum socium, & amicum charissimum haberet: qui cum ita denique vixit, vt nisi patriæ pietas illum distraheret, nunquã à se ne transuersum quidem vnguem seiungi pateretur. Egnat. lib. 4. capite septimo.

Laurentius Medices Pacciana coniuratione detecta, quamuis fratre Iuliano amisso, sapienter se gessit. Bellum à Sixto pontifice & Ferdinando rege illatum discussit, cùm non dubitasset solus se Ferdinandi fidei committere. Pace parta, Demetrium Chalcondylam Græcę linguæ professorem publico Florentię aluit stipendio. Doctos omnes mirificè amplexus est: Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, Angelum Politianum. Bibliothecam quoque locupletissimam instituit. Egnat. lib. 7. cap. 1.

Audiuit Vicentina ciuitas ex rhetoribus nostræ ætatis Sabellicum, obscuri adhuc nominis, peregrè transeuntem. Cæterùm dicendi facultatem in eo admirata, argentea patera magni ponderis, & quòd plus fuit, ciuitate donauit. Sabel. lib. 7. cap. 5.

Ioanne Campegio Bononiensi, publico decreto in Patauinum gymnasium accersito, posteaquam eius accessus appropinquare dictus est, ob excellentem eruditionem, nominisque celebritatem, à Magistratibus vrbis (quod non nisi regibus, aut summis principibus dari consueuerat) à gymnasiarchis, & omnifariam professoribus, ingentique officiorum frequentia itum est obuiam, vt nulla hominum memoria professorem honorificentius acceptum viderit Patauina ciuitas. Sab. lib. 7. cap. 5.

Io. Bapt. Egnatius, ob singularem eruditionem ducentis aureis numis, quoad viueret, à Venetis fuit donatus: omniáque eius bona ex edicto Decemuiralis consilij publico censu exempta sunt. Moriens, tanti beneficij memor, tres amplissimas patricij sanguinis familias, per quas profecerat, Molinam, Bragadenam & Lauretanam, hæredes instituit.

POETIS HONORES EXHIBITI.

Exempla quædam pete ex tit. Certamina literaria, eorúmque præmia. Item ex tit. Præmia data Historicis.

Arcesilaus Pitanæus ex omnib. Homerum ita complectebatur, vt secũ semper haberet, & ante somnum semper aliquid ex eo legeret: vocitãs eum amasium suum. Floruit circa Olymp. CXX, vt scribit Appollodorus in Chron. Volat. lib. 13. Anthrop.

ARGIVI Poeticæ totius primam Homero palmam tribuebant, ab eo reliquos omnes secundos ponebant. Et si quando rem diuinam facerent in hospitalitiis, inuocabant Apollinem & Homerum. Fertur præter hęc etiam illud de Homero, cùm incertus esset, quomodo cui ve filiam elocaret, dotem ei Cypria carmina dedisse. Pindarus apud Ælianum lib. 9. de Varia histor.

Hipparchus filius Pisistrati, cùm esset maximus natu inter suos fratres, omnium Atheniensium erat sapientissimus: cumque diuinum Homeri poema maximè probaret, eius carmina primus Athenas attulit, coegitque rhapsodos ea in communi Græcorum conuentu canere. Simonidem

nidem Cæum maximi fecit. Anachreontem Teium missa pentecontoro ad se inuitauit. Ælianus libro octauo, de Varia historia, ex Platonis Hipparcho.

PTOLEMÆVS Philopater Homeri poemata plurimi semper fecit cúmque Homero templum extrueret, ipsum pulcherrimè & commodissimè sedentem collocauit: circum circa verò iuxta simulachrum eas ciuitates posuit, quæ Homerum ciuem suum esse iactant. Ælianus libro 13. de Var. hist.

Indi vernacula lingua descripta Homeri poemata cantare solebant, itẽ Persarum reges, Ibidem.

Phrynichũ ATHENIENSES belli ducem creauerunt, neque propter facta neque propter generis claritudinẽ: neque verò quòd diues locuplésque esset (sæpe enim ad hæc animos Athenienses, oculósque retulerunt, & eos aliis in eligẽdo præposuerũt.) sed cùm Pyrrhichistis in quadã tragœdia cõuenientes & bellicos modulos fecisset, adeò tenuit vniuersum theatrum & præsentium animos cœpit, vt confestim eum ducem eligerent: arbitrantes eum bellicis rebus cum vtilitate præfuturum esse, qui à viris armatis non abhorrentia carmina poematáque in dramate confecisset. Aelian. de Var. hist. lib. 3.

HIERO Syracusanus Græcæ literaturæ studiosissimus, sæpenumero ad se vocauit Simonidem ac Pindarum, poetas omniũ clarissimos, cum quibus nũc confabulando nũc disserendo, ac de variis rebus disputando, animum oblectabat: à quibus cum indies multa audiret, quæ ad vitã bene instituendam ritéque gubernandum imperium conducerent, non irremuneratos abire permisit. Aelian. lib. 9. de Var. hist.

ALEXANDER Macedo, cùm vrbem Thebanorum cæpisset, omnes liberos homines vendidit, ciuium nonaginta millia occidit, triginta millia sub hastam captiuitatemque redegit: solam Pindari poetæ familiam honorauit eiúsque domum intactam & integram consistere passus est, vt ostenderet quàm magni poetam tam præclarum faceret. Aelian. lib. 13. de Var. hist. & Plin. lib. 7. cap. 29.

Cùm nuncius quidam gaudio gestiens, porrectáque manu ad Alexandrum Magnum accurreret, rem prosperè gestam narraturus: Quid mihi bone vir, magni nunciabis, nisi nuncies Homerum reuixisse? Significans, omniũ præclarè gestorum gloriã abolendam, nisi contigeret talis præco, qualis fuit Homerus. Eras. lib. 4. Apoph.

IDEM, pòst Darium prælio victum, adeptus scrinium in regia præda ex auro & gemmis fabrefactum, sciscitatus ab iis qui Persicæ erant luxuriæ non ignari, Ecquisnam esset tam preciosi operis vsus? Vbi regia audiuit in eo vnguenta seruari solita: Quin, inquit, rei magis preciosæ sit posthac custos. Homerúmque in loculo clausit. Dignus ipse qui præconem, quem Aeacidæ inuidit, esset aliquando sortitus. Sab. lib. 7. cap. 5. ex Plin. lib. 7. ca. 29.

CROESVS Halyattis filius, & Lydorum rex ditissimus, Pindarũ quantum capere posset auri, accipere iussit. Testis est ipse Pindarus, & Zezes à principio Chiliadum de Var. hist.

Euripides tragœdiographus ARCHELAO Macedonũ regi sola virtutis admiratione fuit familiaris: adeò vt frequentibus conuiuiis ab eo exceptus fuerit, & aureo donatus poculo. Cæl. lib. decimo tertio capite septimo.

Dederunt SYRACVSANI non parum Euripidi poetæ, in cuius grãtiam plerósque Atheniensium, qui apud se seruitutem seruiebant, libertate donatos, domum incolumes dimisere, quod aliqua ipsius poetæ carmina memoria tenerent: quanto plus ipsi carminum autori demum daturi, si iis, quibus curæ fuit illa discere, tantum tribuêre? Sab. lib. 7. cap. 5. & Cæl. lib. 13. cap. 7.

Lysander Archilocho poetæ pileum argento impleuit, ob paucos versus. Pontanus. de Liber. cap. 29.

APOLLO Delphicus Archilochi interfectorẽ è templo eiicit. Cons. tit. Oraculorum, & Plin. lib. 7. cap. 29.

Archelai regis liberalitatem erga Chœrilum poetã, pete ex tit. Poetarum, sub nomine Chœrili.

Eubœus Parius, parodiarum poeta excellentissimus, cùm ATHENIENSIBVS maledixisset, & in eum idcirco essent animaduersuri, quatuor suarum Parodiarum libris fuit liberatus: vixit sub Philippo Macedone. Gyrald. Dial. 9. Hist. poet.

Stesichorus poeta à PHALARIDE tyranno Agrigentino captus, quamuis in occupando Himera patria diu restitisset: tamen propter eruditionem non modò liber dimissus, sed maximis etiam donis ornatus fuit. Gyraldus Dialogo nono, Historiæ poet. Eidem mortuo templum ædificandum curauit, suasitque diuinos illi honores in vrbe patria habendos.

Sophocles tragicorum princeps, Athenis mortuus est, cum à Lysandro Spartano obsiderentur. Itaque in somniis sæpius Lysandrum BACCHVS monuit, vt delicias suas sepeliri pateretur. Ea re Lysander motus cùm quæreret, qui tunc Athenis decessisset, inuenissetque Sophoclẽ mortuum esse: permisit vt extra vrbem ad sepulturã efferretur. Magni profecta facienda res, vt ab his quos gentilitas deos rebatur esse, tale de Sophocle atque Euthymo testimonium prodiret. Fulgosius lib. octauo cap. decimosexto.

Euthymus poeta Locris oriundus ORACVLI iussu viuens consecratus, & in diuos relatus est. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4.

Mesomedes poeta, qui de laudibus Antinoi liberti Adriani Imp. scripsit, Adriano charissimus fuit. Suidas.

Aratus, poeta & insignis grammaticus, qui Olymp. CXXIIII. regnante Antigono claruit in Macedonia, apud Demetrij Poliorcetis FILIVM, ad extremum vsque maximo in honore fuit. Suid. & Volat. libro decimo tertio.

Anacreon Teius, poeta lyricus, maximo in honore apud POLYCRATEM Samiorum regem fuit. Aelianus & Herodotus lib. 3.

DIONYSIVS Siciliæ tyrannus tragœdiam laudibus vehementer euehebat: à comœdia verò prorsus animo abhorrebat, eo quòd ad risum parum accommoda esset. Aelianus libro decimo tertio, de Varia historia.

SCIPIO Africanus statuam Annij poetæ (quem in suis expeditionibus comitẽ semper habuerat) sepulchro suo imponi iussit, cui viuẽti hortos suis proximos donauerat. Ouid. lib. 3. de Arte: Politianus in Nutricia: & Cic. pro Archia.

LVCIVS SYLLA in concione cùm ei libellum Malus poeta de populo subiecisset, quòd Epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis: statim ex iis rebus quas tunc vendebat, iussit ei prçmium tribui, sub ea conditione ne quid postea scriberet. Cicero pro Archia.

PVBLIVS OVIDIVS, quum septem annis apud GETAS in exilio durasset, diis iubentibus in fata concessit. Cui mortuo gens illa quamuis barbara, & à mansuetioribus Musis prorsus aliena, solennes exequias celebrauit, & sepulchrum erexit magnificum. Pontanus de Magnificentia.

AVGVSTVS carmina Vergilij cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit. Eidem in theatro recitanti vniuersus pop. Rom. perinde ac Imperatori assurrexit. Eiusdem Vergilij diem natalem (qui fuit idib. Octob.) quotannis celebrabat, & quibusdam velut ceremoniis venerabatur.

CORNELIVS GALLVS elegiographus, fauore AVGVSTI ad prçfecturæ gradum conscendit, tribunúsque cohortium effectus est. Crinitus.

Iulius Calidius poeta, quum à Publio Volusio in proscriptorum numerum relatus esset, ab ATTICO propter ingenium & elegantem eruditionem absolutus est. Cor. Nepos in vita Attici.

VESPASIANVS tantum concessit Saleio Basso poetæ lyrico, vt propter ingenium singularémque eruditionem auri quinquaginta sestertia eidem sit elargitus. Tacit. in Dialogo de Oratoribus.

Statium DOMITIANVS magnifico atque apparatissimo donauit conuiuio, coronáque insigni & aliis muneribus honestauit. Crinitus de Latinis poetis.

EIVSDEM Imp. beneficio Syllius ad tertium consulatum prouectus est. Vnde Martial.

Augusto pia thura, victimásque
Pro nostro date Syllio Camœnæ:
Bissenos iubet en redire fasces, &c.

SERTINIVS, vir clarissimus, tantum concessit Martialis ingenio, & doctrinæ, vt ei adhuc viuenti imaginem more veterum in sua bibliotheca posuerit. Crinitus.

OPPIANO poetæ sub Marco Antonino Imper. statua sumptuosa est erecta, cum huiusmodi elogio: Oppianus suaui loquens vates, Quem crudelis atque inhumani inuidia fati ante diem eripuit. Quod si longius in luce moras dedisset, Nullus mihi par gloria mortalium in terris foret. Volat. lib. 17. Anthrop.

Claudiano inter cæteras artes præclarissimo poetarum, ad memoriam sempiternam, ARCADIVS & Honorius fœlicissimi & doctissimi imperatores. Senatu petente statuam in foro diui Traiani erigi, collocarique iusserunt. Volat. lib. 14. capite 2. Anthrop. & nos in libro Epitaphiorum.

Aurelius Prudentius beneficio Theodosij Imp. ad præfecturam militarem profectus est.

Lenæus ludimagister in vrbe Roma ob ingenium à Pompeio manumissus est. Plin. de Illustrib. grammat.

Cyrus Panopolyta poeta, beneficio Theodosij iunioris, & Eudoxiæ eius vxoris, præsul factus est. Suidas apud Volat.

Ausonius Cæs. Gratiani (cuius filium Gratianum iuniorem erudierat) beneficio & honestissimis suffragiis dignitatem adeptus est consularem. Crinitus.

LVDOVICVS rex Gallorum, Theodulphum episcopum Aurelianẽsem è carcere liberari iubet, propterea quòd in die Palmarum carmen, quod composuerat, rege illac transeunte, concinuisset.

Gloria, laus & honor tibi sit rex Christe redemptor.

Gyraldus Dialogo 5, Hist. poet.

ALFONSVS senior, Calabriæ dux, victo captóque Antonio Caldora, cum exercitu in Pelignos profectus, cùm peruenisset in locum vnde Sulmo poterat despici: percunctatus, an ea, vt ferretur, Ouidij esset patria? & qui aderant affirmassent, vrbem salutauit: gratiásque Genio loci egit, in quo tãtus olim poeta genitus esset de cuius laudibus cũ non pauca disseruisset, tãdem famæ eius magnitudine commotus: Ego, inquit, huic regioni, quæ non parua regni Neapolitani, nec contemnenda pars est libenter cesserim, si temporibus meis datum esset, hunc poetam vt haberẽt: quem mortuum pluris ipse faciam, quàm omnem Brutiorum ditionem. Pontanus de Princi.

Dantes Florentinus, in sua lingua poeta ingeniosissimus, apud Canemgrandem, Veronæ principem, & Guidonem Spoletanum, maximo semper (cùm Florentia pulsus esset) in precio fuit. Volater. libro vigesimo primo. Anthrop.

Franciscus Petrarcha, profectus Neapolim ad Robertum regem Siciliæ apud eum magno in honore fuit. Volat.lib.21.

Celeberrimum est apud Venetos Andreæ Danduli ducis nomen, vel quòd tertium & trigesimum vitæ annum natus, dux est creatus (quæ dignitas veteri Venetæ gentis instituto senibus ferè demandari solita sit) vel quòd renascētibus, tum primum in terra Italia Latinis literis, eas ita excoluit iuuenis, vt plurimum laudis & gloriæ inde sit consecutus: quare Franciscum Petrarcham etiam absentem maximè dilexit, Venetiásque aduentantem summo cum honore semper suscepit, ædibus illi publicè assignatis in vrbis parte oculatissima: primóque loco illi semper attributo, quotiescunque in publicum prodiret, post oratores regios, principúmque qui in comitatu adessent. Adhæc inter Palatinas ædes sæpe illum conuiuiis excipiēs, sic illum complecti visus est, vt summi in illum amoris testimonium, gratique in eum animi indicium maximè præferret: quod & Petrarchæ scripta hodie quoque facilè declarant. Egnat.lib.4.cap.7.

Albertino Mussato Patauino, poetæ sua ætate celeberrimo, & Latinæ linguæ primo restauratori, tantus est honos habitus, vt publicè lauream poeticam à Pagano Turriano antistite & Alberto Saxoniæ duce, tunc Patauini gymnasij moderatore, acciperet, & pro Mussato Musatus (à Musis scilicet) diceretur: quod nomen familiæ adhuc manet. Præterea singulis annis in Natali Domini tota Academia solenni pompa tubis præcinentibus, ad pontem Molarem in Cunio medio inter duos pontes vico, vbi ædes eius erant, poetam ipsum cereis funalibus honoris ergò donabant: qui honos nulli alteri exhibitus legitur. Bernard. Scardeonus in hist. Patauina.

Fr. Petrarcha Florentinus, propter eruditionem in tāta seculo suo fuit admiratione, vt vno eodémque die à Romana & Parisiensi academia ad lauream poeticam suscipiendam inuitatus fuerit. Quam postea Romæ anno Christi 1342. Idib. Aprilis honorificè assecutus est. Testatur hoc tabella, quæ in collibus Euganeis in oppido Arcuato apud eius sepulchrū legitur. Vide etiam Iacobi Canariensis liberalitatem erga eundem, sub titulo, Amatores doctorum.

HISTRIONIBVS ET MIMIS, TANQVAM FAMVLIS *Poetarum, honores exhibiti.*

Roscio actori theatrico anulum aureum cum censu equestri donauit L. Sylla. Eundem quoque ferūt mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus accepisse. Cicero pariter elegantissima oratione populum Rom. obiurgauit, quòd Roscio gestum agente, tumultum mouisset. Macrob. libro tertio, capite septimo.

D. Laberius quum in spectaculis mimos suos egisset palàm, donatus est quingentis sestertiis, cum annulo aureo, qui erat insigne census equestris. Suetonius. Vide tit. Comicorum Latinorum.

PHILOSOPHI IN PRECIO ET HONORE HABITI.

Reges ex sacerdotibus vel bellicosis viris, apud Ægyptios creabantur. Nam generis nobilitas & honor huic ex fortitudine, illi propter sapientiam accedebat. Qui verò ex bellicosis eligebatur, statim sacerdos fiebat, & particeps philosophiæ, quæ magna ex parte fabulis, & rationibus obscura, veritatis vestigia præ se ferentibus, inuoluitur: quod etiam ipsi indicant, Sphinges ante templa meritò constituentes, vtpote ænigmaticā sapienti in theologia ipsorum continente. Quin & Mineruæ, quam Isidē cognominant, quod in Sai est simulachrum, talem inscriptionem habebat: Ego sum omne quod fuit, quod est, quodque erit, & peplum meū nemo mortalium reuelauit. Authore Seruio. Stob serm.42.

Anaxagoras Clazomenius philosophus, Anaximenis discipulus, quòd in Olympia, cùm alia, tum in siccitate maxima pluuiam prædixisset, pro deo à suis habitus est. Philostratus in vita Apollonij, cuius locum citat Volaterranus lib.13.cap.3. Anthrop.

Pythagoras, cùm post multa commoda, quibus eos qui Crotonem inhabitabant affecerat, Metapontum migrasset, ibique extremam diē clausisset, tanta fuit eius admiratio, vt ex domo eius templum facerent, cumque pro deo colerent. Ex Trogi lib.20. Iustinus.

Agatho philosophus Pythagoricus disertissimus, maximo in precio apud Arcesilaum regem Macedoniæ fuit, à quo semper hospitio familiarissimè susceptus est. Ælian de Var.hist.& Volat.lib.11. Anthrop.

Aristippum philosophum Rhodum profectum, publicéque ibi in Gymnasio doctè & acutè disputantem, pluribus munerib. donatum ferūt. Platina lib.2. de Falso & vero bono.

Platoni in Siciliam venienti, Dionysius tyrannus, quamuis ad superbiam sæuitiámque natus, vittatam nauem misit obuiam, & egredientem in littore quadrigis albis excepit. Plutarchus in vita Dionis. Quinimo Dionysius iuuenis in currum eum imposuit, & ipse aurigam egit, Platonem verum sessorem fecit. Tunc aiunt Syracusium virum gratiosum & vrbanum, Homerique poematum non ignarum, delectatum spectaculo, paulum remisso curru, hæc ex Iliade recitasse:

---μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
βριθοσύνῃ δ' εἰνὸν γὰρ ἄγε βροτὸν, ἀνδ' ἐράτ' ἄειτον.

Dionysius igitur, quum in omnes reliquos suspiciosus existeret, tamen ita reuerenter habuit Platonem, vt eum solum sine inquisitione ad se admitteret, tametsi sciret eum intimum Dionis amicum esse. Aelian. de Var. histor.lib.4.

Aniceris Cyrenæus captum ab Æginetis Platonem pecunia sua redemit, & liberum cum honesto commeatu remisit in patriā. Laert lib.3.

Idem, cum remissam sibi à Platone, qua eum redemerat, pecuniam sensisset, ea repudiata inquit: Peccatum à me profectò in hoc est, quòd maiore summa in Platonem liberalis non fuerim, quam reddere non possit. Pontanus de Liberal.cap. 24.

Platonem & Agesilaū in cœlestium cœtum receptos, & in vita diuinos illis honores decretos, legimus apud Alexand.lib.6.cap.4.

Philippus Macedo Amyntæ filius, quamuis omni fermè tempore negociis belli esset implicitus, nunquam tamen à liberali musa, studiisque humanitatis recessit. Propterea scribens ad Aristotelem, gloriabatur natum sibi Alexandrum tanti philosophi tempore, à quo doctrinam imbiberet cum virtute. Epistola extat apud Gellium lib.9.& Ælianum lib.4. de Varia historia.

Alexander Magnus, cum dispensatori mandasset, vt Anaxarcho philosopho daret quantum poposcisset (petiisset autem centum talenta) veritus dispensator tantam summam dare, nisi id antè regi significasset, respōdit Alexander: Anaxarchum nosse eum se habere amicum, qui hanc summā, & longè etiam maiorem dare & posset & vellet. Fulgos.lib.4.cap.8.

Alexander Magnus cùm ex Gymnosophistis, qui Sabbæ deficiēdi, autores fuerant, & plurima mala Macedonibus parauerant, decem cæpisset, qui arguti in respondendo, succinctéque explicanda quæstione essent: quæstiones eis ambiguas proposuit: qui primus nō rectè dissoluisset, quod interrogabatur, eum se & reliquos ita deinceps ordine interfecturum minitans, iudiciumque ea de re vni de natu maximis committens. Primus, plurés ne viuos esse an mortuos putaret, interrogatus? Viuos respondit: mortuos enim nō amplius esse. Alter, marene an terra maiores aleret bestias? Terra, inquit: eius enim pars est mare. Tertius, quod animantiū esset calidissimum, Id, ait, quod ab homine est cognitum. Quartus, qua ratione Sabbæ defectionem persuasisset? Vt, inquit, aut bene viueret, aut malè moreretur. Quintus, diem ne an noctem prius extitisse arbitraretur? Dies, ait, vno die prior fuit. & mirante responsionem rege, addidit: necessariò quæstionibus ambiguis propositis, obscuras etiam fieri respōsiones. Sextus, qua ratione aliquis efficere posset, vt maximè diligeretur? Si, inquit, optimus sit, neque tamen terribilis. Septimus, quo nam pacto aliquis ex homine fieri posset Deus? respondit: Si quid faciat, quod homo facere nequeat. Octauus, mors ne an vita sit robustior? vitam dixit: vt quæ tot mala perferat. Vltimi, cùm percontaretur Alexander, quousque homini viuendum putaret? responsio fuit, Tantisper dum mortem non putaret vita potiorem. Conuersus inde rex ad iudicem, sententiam ferre iussit. Cumque is vnum alio deterius respondisse pronunciaret: Ergo, inquit tibi primò moriendum est, ita iudicanti. Nequaquam, ait ille: si quidem ô rex, tibi consteς, qui eum te interfecturum primo loco dixeris, qui omnium pessimè respondisset: omnes igitur donatos dimisit. Plut. in Alex.

Athenienses de Zenone Cittiæo tale fecerunt decretum: Arrenida principe Acamantidis tribus, quinto magistratu, Augusti decima, magistratus decimatertia præsidentiū concio rata decreuit, Hippio, Cratistoles, Xympeteon & cæteri primarij, Thraso Thrasonis filius Anaæensis dixit: Quoniam Zeno Mnasæi filius, Cittiæus, complures annos in ciuitate philosophicè versatus est, atque in omnibus vir bonus esse perstitit, ac iuuenes qui ad illum disciplinæ causa conuenerunt, ad virtutem & frugalitatem exhortando, ad ea quæ sunt optima conuertit, vitam suam verbis ac doctrinæ suæ consentaneam exemplar omnib. proponens, bona fortuna visum est plebi laudare Zenonem Mnasæi filium Cittiæum, & aurea corona itē ac legitimè ornare, propter singularem eius virtutem & temperantiā. Prçterea construxēre illi etiam sepulturam in Ceramico publicè. Coronæ autem faciendæ exædificandique tumuli plebem iam quinque viros ex Atheniensibus eligere, qui curam habeant. Decretúmque hoc scribam plebis inscribere columnis duabus: licereque sibi alteram in Academia, alteram in Lyceo ponere. Sumptus verò columnarum distribuere eum, qui negociis prçest: vt omnes intelligant, Athenienses plebem viros bonos & viuos & defunctos honorare. Ad huiusmodi autem structuram electi sunt Thraso Anacæus, Philocles Piræus, Phçdras Anaphlystius, Melon Acarneus, & Mycithus Sympalleteus. Laert.lib.7.

Dion Syracusanus apud suos magna potentia, apud Dionysium maximo in honore semper fuit propter eruditionē: à quo etiam magnis honoribus affectus primò est, antequam in suspicionem incideret affectati regni. Volat.lib.15. Anthrop.

Demetrius Phalereus auditor Theophrasti, eo quòd Atheniensibus annos 10 præfuisset, æreis statuis plurimis ab eis honoratus est. Volat. lib.15. Anthrop.

P. Scipio in mediis difficillimi belli appararibus, bonarum artium studia non prætermisit, philosophorum scholas trepidatus frequentans, ac post tot victorias, ne animum tantarum rerum conscium, sibique præsidentem insolescere pateretur, in eruditorum hominum familiaritatibus, multáque librorum lectione versatus est. Pontanus lib.1.cap. 44. de Fortitudine heroica.

Cn. Pompeius Magnus, Posidonij philosophi domū ingressurus, fores virga percuti vetuit, & fasces submisit: vt ostenderet, quanti virum doctum faceret. Illud enim apud Romanos obseruatum fuit semper, vt cùm lictores iussu consulis aliquem è domo euocarent, fores ædium virga percuterent, quasi eo signo publicam adesse personam innotesceret. Alex.ab Alex.lib.1.cap.27.ex Strab.lib.11.

Non dedignatus est C. Ivl. Cæsar, Aristonis frequentare ianuā: neque Pompeivs Cratippi. Non enim eos potentia ad contemptum rapiebat earum rerum, quæ maximè ipsis profuturæ putarentur. Imò rogabant etiam illos, quamuis tanta essent dignitate. Non enim imperare, sed rectè imperarchorum institutione ac præceptis cupiebant. Ælian.lib. 7. de Varia historia.

Arrivs philosophus Alexand. tanto in honore apud Augustū fuit, vt Augustus palàm sit fassus, Alexandrinos tribus de causis ab se conseruatos esse, ob Alexandri primùm memoriam, deinde ob vrbis pulchritudinem, postremò propter Arrium philosophum. Plut. in vita Antonij, & Dion in Augusto.

Xinarchvs è Saleucia Ciliciæ, Peripateticus, Cæsaris Augusti vsus amicitia, vsque in senectutem maximo in honore habitus est Stra. lib. 14.

Apollonivs Tyanæus (cuius vitam copiosissimè discripsit Philostratus octo voluminibus) magno in precio apud Bardosanē Babyloniæ regē fuit. Volat.li.13.ca.4. Anthr. Post mortem omniū sermonibus tanquā Deus cultus est, & à sacra Tyana regiis honoribus prosequutus.

Dion Prusieus sophista apud Traianum imperatorem, cuius familiaris fuit, magno in precio habitus est, & ab eodem in curru triumphali Romā vectus. Scripsit pro Homero cōtra Platonem, & alia. Suidas.

Adrianvs Heliodorum philosophum in summa dignitate habuit. Testis est ex Spartiano Volat. loco citato.

Phil. Favorinvs Gallus philosophus, statuam promeruerat: quæ tamen Athenis, eò quòd imperatorem Adrianum odio habebat, disiecta est. Philostratus, apud Volaterranum libro decimo sexto Anthrop.

Corn. *Fronto philosophiæ simul & eloquentiæ* præceptor M. Antonini principis, adeò ab eo dilectus, vt ille statuam ei à senatu impetrarit. Capitolinus, & Volat.lib.23. Anthop.

Sextvs Bœotus philosophus in magna apud M. Antoninum philosophum atque imperatorem dignatione fuisse dicitur, quem etiam in Rhetoricis totáque philosophia probè instituit. Dion. Nicæus, & Xiphilinus in Antonino.

Ivnivs Rusticus philosophus Stoicus, Familiarissimus M. Antonino, cui imperator omnia consilia publica priuatáque communicare solebat. Quem etiam antea cum esset præfectus prætorij osculatus est, consulem iterum designauit. Denique defuncto statuā à Senatu impetrauit. Capitolinus.

Sopater sophista Iamblichi discipulus, in magna fuit apud Constantinum Magnum dignatione. Eunapius.

In Hermete, siue Mercvrio (quem Eupolemus Græcus Moysem dicit fuisse, à Græcis Musæum appellatum, à quo Orpheus permulta *didicit) tria quæ plurimum excellerent inuenta fuerunt, propter quæ di*ctus est Trismegistus (quod Latinè ter maximum sonat: id quod Alexandro Pompeióque semel tantum attributum est) nam & rex maximus in Ægypto fuit, itē philosophus mira prçditus doctrina: præterea sacerdotali honore, qui maximus erat, insignis: quibus de rebus ab Ægyptiis post mortē inter numina cultus est: primúmque anni mensem ei sacrarūt, vrbémque in ægypto clarissimam ab eius nomine Hermopolim nuncuparūt. Fulg.lib.8.cap.16.

Constantinvs Imp. Ablabium ægyptium philosophum prætorij sui præfectum, & vnà cum Constantio filio Imperij rectorem constituit. Eunapius apud Volat.

HISTORICIS HONORES EXHIBITI.

Athenienses Thucydidem imperatorem in exilium egēre, rerum suarum scriptorem reuocauēre, eloquentiam mirati, cuius virtutem damnauerant. Plin.lib.7.cap.30.

Magna res ea fuit, quæ M. Varroni contigit, cuius viuentis imago in bibliotheca publica ab Asinio Pollione posita fuit: qui honos doctissimis post mortem solùm habebatur. Tantum enim & magnæ existimationis & reuerentiæ per doctrinā Varro sibi pepererat, vt viuens quoque mereretur eo honore perfrui, quem cæteri, docti etiam ancipiti spe, post mortem assequi cupiebant. Fulgotius libro octauo, capite decimo sexto.

L. Lvcvllvs vsque eò de suis rebus scribi cupiebat, vt etiā Cordubæ natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamē aures suas dederit. Cic. pro Archia.

C. Marivs Rusticanus, quamuis in studiis literarum non esset versatus, literatos tamē homines dilexit: poetas præsertim, à quibus res suas gestas immortalitate donandas esse sperabat. Itaque L. Plotium eximiè dilexit, & A. Licinium Archiam familiarem habuit. Cicero in oratione pro Archia.

Cn. Pompeius Magnus Theophanem Mityleneum rerum suarum scriptorem in concione militum ciuitate donauit, omnibus illud factum approbantibus. Cic. pro Archia.

Nicolavs Damascenus philosophus Platonicus, & historicus insignis, apud Augustum Cæsarem tanto in honore ac dignitate fuit, vt placentas, & quæuis alia suauia, item palmarum fructus maximos, quæ ab aliis ei mittitarentur, Nicolaos vocaret: vt est apud Suidam, & Volateran. lib.17. Anthrop.

Iosephvs Matathiæ filius, Hierosolymitanus sacerdos & captiuus, Tito principi adeò ob ingenium dilectus, vt eius libri bibliothecæ publicæ traderentur, ipse liber sit factus. Volaterranus libro decimo sexto, Anthrop.

Dionysivs Milesius historicus & sophista, ob mirabiles ingenij dotes Hadrino principi tam acceptus fuit, vt inter satrapas equitésque nō vulgares numeratus sit, & particeps mensæ, quæ omnes in toto terrarum orbe præclaros viros continebat: vt refert Philostratus in Sophistis.

Arrianvs historicus, qui historiam Alexandri Magni scripsit, ab Hadriano & M. Antonino principibus, ob literas honoribus consularibus affectus est. Author Heliconius apud Volat.

Anastasivs, vir vtraque lingua doctissimus (quod eius scripta satis probant) ob insignem eruditionem Carolo secundo, cuius instinctu historiam Ecclesiasticam scripsit ad sua tempora, in primis charus fuit Volat.lib.13. Anthrop.

Pavlvs Diaconus, quia historiographus excellens erat, à Carolo Magno liber dimissus est. Vide tit. Monachorum octaui seculi.

Petrvs Lauretanus fuit semper clari nominis & gloriæ apud omnes, in primísque patriæ suæ charus. Námque Turcicam classem rei maritimæ Imperator primus ad Callipolim vinci posse docuit: & postea ad Rapalum Genuensem classem ita fugit, profligauítque, vt Franciscum Spinulam Imperatorem, illustrésque aliquot Genuenses cæperit. Cæterùm ille Gallico bello, quod aduersus Philippum Mediolanensem ducem Veneti gerebant, virtutis suæ specimen, Brixiæ præfectus, in castrísque legatus exhibuit tale, vt obliuisci eius nominis Veneti nunquā possint. Illud verò nūc tantū à me reperetur, quod ad præsentē rē attinet. Audierat Blondi Flauij celebre per omnem Italiam nomen, cum sua summa laude à multis commemorari: quare tantæ virtutis literarum admiratione captus omnem operam adhibuit, & studium, vt eum ad se Brixiæ traxerit: eumque inter familiares suos ita habuit, vt summo opere eum diligere videretur. Nec vicissim Blondus ipse minus virtutē tam egregij viri admiratus, summámque in sese beneuolentiam contemplatus, suo omni studio & cura vnquam illi defuit. Cui à secretis inseruiens, sic denique probatus est, vt & illum Veneta ciuitate donandum curauit, & Venetis ipsis charū perpetuò reddiderit. Egnat.lib.4.cap.7.

MVSICIS.

Arioni musico celeberrimo, statua cum eiusmodi epigrammate facta est:

Cernis amatorem qui vexit Ariona Delphin.
A Siculo subiens pondera grata mari. Extat apud Volat.

Anaxenori cytharœdo è Tyana ciuitate M. Antonius tributa quatuor ciuitatum legenda præbuit. Strabo lib.14.

MATHEMATICIS.

Beroso astronomo, qui multa prædixerat, quæ tempus vera fuisse declarauit, Athenienses in gymnasio suo statuam æneam posuerunt, cuius lingua tota aurea erat Fulgos.lib.8.cap.16. Plin. inauratam statuam. Alex.lib.1.cap.30. statuam lingua inauratam Beroso Chaldæo positā asserit.

Dionysius Syracusanus Heliconem Cyzicenum talento donauit, quòd solis deliquium prædixisset. Pontanus cap.29. de Liberalit.

Captis Syracusis, M. Arcellus Archimedi philosopho parci iussit, cuius tamen machinationibus victoriam suam multum ac diu inhibitā senserat. Plin.lib.7.cap.37.

Matthias Rex Pannoniæ, Ioannem Monteregium, hominem Germanum, & Ephemeridum scriptorem auxit honoribus & diuitiis. Volaterranus.

THEOLOGIS.

Daniel propheta Cyro rege (quem Theologiæ mysteria perdocuit) familiarissimè vtebatur. Thedoretus Cyrenensis.

Accivs Navivs augur, statuam meruit, ob perpetuam suorum actorum memoriam. Plin.lib.34.cap.5.

Ioannem patriarcham Constantinopolitanum, ob doctrinæ magnitudinem, atque singularē eloquentiam Græci Chrysostomon cognominauerunt, quod os aureum Latinè significat. Fulg.lib.8.cap.16.

Acacius patriarcha Constantinopolitanus, propter ingenij acumen & admirabilem rerū omniū scientiam, apud Leonem imperatorē maximo in honore habitus est. Suidas, & Volat.lib.13.cap.3. Anthrop.

IVRECONSVLTIS.

DOMITIVM Vlpianum, ac Iulium Paulum, præstantissimos Iurisconsultos, prætorij sui præfectos Alexander habuit: ipsum Vlpianum autem tantopere veneratus est, vt sine illo maius aliquid vix decreuerit: cœnis etiam ac conuiuiis suis testem vbique adhibuit. Denique maioribus tractandis rebus, siue publicis, siue priuatis, doctos semper viros adesse voluit: eos qui aberant, per epistolam consulebat. Pontanus lib.1.cap.vlt.de Magnanimitate.

MEDICIS.

Consule tit. Gratitudinis erga Medicos.

Artaxerxes rex Persarum Hiscani præfecto Hellesponti literas scripsit, vt Hippocratem medicum quibuscunque fieri posset præmijs in familiã suam inuitaret. Epistola ad hunc ferè modum se habebat. Rex regũ Magnus Artaxerxes Hiscani S. Hippocratis medici, æsculapio prognati, ad me fama peruenit. Da igitur operam vt aurum illi tribuas, quantum cupit aliáque item quorum indiget, & ad me mitte. Erit enim par honore summis in Perside viris. Et si quis alius fuerit in Europa vir clarus, hunc amicũ nostræ domui redde: nec parce pecuniis. Eidem Hippocrati ab Illyriis redeunti eosdem honores, quos Herculi, decreuit Græcia, ob prædictam pestilentiam. Suidas.

Democedes Crotoniensis. cùm à patre iracundo Crotone cohiberetur, nec eum tolerare posset, illo relicto abiit in Aeginam. Vbi commoratus vnum annum. primos medicos transcendit, etsi imparatus erat, & nihil instrumentorum habens, quæ ad artem medicinæ pertineret. Ex quo factum est, vt sequenti anno Aeginetæ conduxerint eum talento, Athenienses tertio anno centum mnis. Polycrates Samiorũ tyrannus quarto anno talentis duobus. Ita in Samum profectus est. A quo viro factũ est, vt medici Crotonienses primi numerarentur, secundi Cyrenæi. Captus fuit postea cum Polycrate, ab Orœte Sardium præfecto: & in Persiã missus ad Darium, Orœte interfecto. Herod.lib.3.

C. Iulius Cæsar (vt est apud Suetonium) omnes medicinæ & liberalium artium professores ciuitate donauit, vt libentius vrbem incolerent. Rauis.

MECHANICIS ARTIBVS HONOR EXHIBITVS.

Exempla plurima suprà ex titulis Mechanicarum artium petere potes. item, Picturæ amor.

Tribuit ALEXANDER Magnus suo edicto tribus diuersarum artiũ principibus viris, præclarum laudis testimonium, suum cuique in suo genere, quo vetuit, ne se quis alius pingeret quàm Apelles, quàm Lysippus ex ære duceret, quam Pyrgoteles sculperet. Sab.lib.10.cap.8.

Attalus rex vnicam tabulam Aristachi pictoris centum talentis emisse dicitur.

APELLES Alexandro Magno adeò charus extitit, vt Campaspem amasiam suam liberali forma puellam eidem dederit. Plinius ibidem.

Zeusis tantas opes arte picturæ sibi comparauit, vt in ostentatione earũ Olympiæ aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostẽtaret Plinius lib.35.cap.10.

DARIVS rex Persarum, Mandroclem Samium, eo quòd ponte sublicio iunxisset Thracium Bosphorum, deculpo donauit. Herod.lib.4.

CÆSAR Dictator duas Timomachi tabulas LXXX talentis emit, in templo Veneris dicaturus. Plin.35.capite 11.

Alexander Seuerus non modò literatorum genus omne, verùm aruspices & architectos (in quo quisque elucesceret) prosecutus est summo honore. Pont.de Liberal.

Miles Artaxerxi Persarum regi malum punicum cum in vanno obtulisset, rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit, è quónam horto depromptum hoc donum afferret? Illo verò respondente, Domo sua, & ex suis agris: gauisus rex supra modum, missis regiis muneribus virũ ornauit &: Per solem, inquit (ita enim Persæ iurare solebant) iste homo tali curatione & agriculturę diligentia, poterit etiam ciuitatem, meo quidem iudicio, ex parua ampliorem reddere. Videtur autem innuere, non tantũ agros, sed omnes res, cura & sufficienti opera, & indefesso labore, contra naturam etiam, meliores & præstantiores effici posse. Ael.li.1.de Var.hist.

Mamurius insignis ille faber, conductus à Numa Popilio, vt peltas æneas, ad similitudinem eius quæ de cœlo ceciderat, in qua populi Romani fata signata erant, alias etiam fabrefaceret, eadem facie & mensura. Cũ iam confecisset, Numa dedit optionem, vt quicquid vellet peteret, id certo se daturum repromittens. Ille neque pecuniã, nec aliud quicquam petiit, quàm vt à Saliis sacerdotibus Martis, cùm iam saltantes canerent, in fine carminis Mamurij artificis nomẽ etiã pronunciarent. Historiã habes apud Dionys. libro 2. Fenestellam cap.7.de Roman.sacerdot. Ouid.lib.3. Fastor. sabel.lib.3. Ennead.2. Rhapsod.in fine. Pomp. Lęt. cap. 8. de sacer. Rom. Alex.ab Alex.lib.1.cap.17. Lil. Gyrald. lib.17. histor. Deorum.

PRACTICARVM VIRTVTVM HONORES, PRVdentiæ in primis.

SENATORES ET CONSILIARII IN PREcio habiti.

Apud Romanos, si qui senatores 65 annum ætatis excessissent, eos cogi inuitos aut contumaces, pignore vel pecunia plecti non decebat. Senatori enim sexagenario, ad eam ætatem in senatũ non venisse, nulli fraudi fuit, Semper tamen in senatum frequentem venisse, & fortem sententiã dixisse, boni senatoris est habitum. Alexand. libro quarto, capite vndecimo.

OCTAVIVS Augustus tanti senatores fecit, vt singulos nominatim sedentes in curia salutaret & discedens, nullo se mouente, Vale diceret. Ibidem.

TIBERIVS Cæsar illis quandoque assurgebat & de via decedebat. Ibidem.

CLAVDIVS imperator tanti senatores fecit, vt de maiore negocio acturus in senatu, medius inter consulum sellas tribunitio subsellio sederet. Ibidem.

Vespasianus, non oportere maledici senatori, remaledici autem ius esse, respondit. Ibidem.

ALEXANER Seuerus imperator, nullum in senatum admisit, neque laticlauum ademit, aut pœna affici passus fuit, nisi de consilio senatus. Ibidem.

NERVA imperator iurauerat, se nunquam senatorem, nisi ex consulto senatus puniturum. Ibidem.

PRVDENTIAE PRÆMIA ET HONOR, SIVE IN consulendo, siue in iudicando.

CYRVS Persarum rex, cùm Crœsum Lydorum regem regno exuisset, cum tamen ob prudentiam in consulendo, summo honore coluit, maximis etiam muneribus affecit. Heerod. libro primo.

DARIVS Coem Mitylenæum, pro eo quòd consilium dederat ratis in Istro non soluendæ (quę res vnica Dario salutem peperit, ne à Scythis circumuentus trucidaretur) in Persiam reuersus, Mitylenæorum tyrannum constituit. Herod.lib.5.

FORTITVDINIS POLITICÆ, SIVE VRBANÆ PRÆMIA.

IN PROPVLSANDO. TYRANNICIDARVM.

Libertatis vindices, tyrãnorum interfectores, olim diuinis honoribus, & viui & mortui afficiebantur. Alexan.ab Alex.lib.6.cap.4.

Aristogitoni & Harmodio statuæ ab Atheniensibus erectæ sunt, quòd Athenas tyrannide Pysistrati liberassent. Plin.lib.34.

BRVTVS & Cassius, cùm à Cæsare Augusto, & M. Antonio insectarẽtur, in Græciam vnà profecti sunt: vbi in summa admiratione habiti, & multis honoribus exornati sunt: ab Atheniensibus etiam publico decreto illis statuæ ex ære positæ sunt, iuxta statuam Harmodij & Aristogitonis. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Augusto.

Otanes, qui primus contra Magos cum sex aliis coniurauit, à Dario rege postea electo cùm omni alio magnificentię genere, tum Medica quotannis veste ex decreto donatus fuit, quòd author euerrendæ tyrannidis fuisset. Herod.lib.3.

ARATO Sicyonio, quum patriam à Nicocle tyranno liberasset, & apud Ptolemæũ insuper 150 talenta patriæ pro dono impetrasset, exules quos reduxerat, priuatim ei æream columnam posuerunt, his elegis inscriptam, quos Plutar. in eius vita recenset:

Gloria ad Herculeas innotuit vsque columnas,
Inclyta virtutis maxime Arate tuæ.
Et tibi pro patria certamina gesta salute,
Factáque prudenti maxima consilio.
At nos in patriam te seruatore reducti,
Cernentes opera sana, larésque tua:
Hanc statuam grata memores tibi mente dicamus,
Virtutis signum, iustitiæque tuæ:
Atque salutiferos inter te diue fatemur,
Insignem superos emeruisse locum.
Nam libertatem genius, legésque salubres,
Ociáque alma tuus restituit patriæ.

IN FERRENDO.

T. IVN. Coruncanum, quum Tenta Illyricorum regina occidisset, liberius locutum, mortuum senatus statua decorauit. Plin.lib.34. cap.6.& Volat.lib.14.cap.2. Anthrop.

PORVS rex ab Alexandro deuictus, quum ab eo post pugnam rogaretur, dicente: Quomodo te tractabo? Regaliter, ait. Rursus subijcienti Alexandro: Num quid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc verbum, Regaliter. Alexander & prudentiam & fortitudinem viri admiratus, latiorem ditionem illi addidit, ea quam prius obtinuerat. Supplici, & ad pedes abiecto minus concessisset. Adeò diligebat animosus iuuenis impauidos animos. Q. Curtius aliquando secus narrat. Interrogatus Porus, quid ipse victorem statuere debere censeret? Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es quàm esset caduca felicitas. Submonuit regẽ, vt modestè sua fortuna vteretur, memor ipsi posse accidere, quod acciderat Poro. Historiam recitat Plutarc. in Apoph. regum & imperat.

LEÆNA meretricula, cum nullis tormentis adduci potuisset, vt cõsilia Harmodij & Aristogitonis tyrannicidarum detegeret, statuam apud Athenienses æneam, Iphicratis opus leænam scilicet, cui ob taciturnitatem lingua adempta esset, ostendit. Alexand.ab Alexand.libro 1.capite 30. ex Plin.libro 34.capite 8.

FORTITVDINIS BELLICAE IN EXPVGNANDO AVT propugnando præmia, siue imperatoribus, siue militibus data.

In enumeratione bonorum fortunæ, honoris varia genera, quæ huic titulo inseruire queant, recensebuntur, quatenus externa bona sunt. At in præsentia propter iustam διανομὴν *quia scilicet dignis tribuuntur, tanquam virtutis testimonia, in considerationem veniunt. Sunt quædam præmia, quæ imperatoribus tantùm conueniunt, vt triumphi, ouationes, trophæa: quædam quæ militibus, vt dona militaria: quædam quæ vtrisque, vt statuæ, coronæ, & similia. Itaque ne ratione personarum eadem præmia in varios titulos distinguere cogamur, ex honoris genere præmiorum titulos assignabimus.*

APOTHEOSES, TEMPLA, ARAE, honores diuini.

Apud GADERAM Hispaniç est templum Herculis notissimum, cui & Hannibal, antequam Alpes transcẽderet, profectionem vouit, & L. Lucullus decimas rerum suarum dedit. Vol.lib.2. Geographiæ.

LACONES eximijs & præclaris viris, ob egregia facinora ciuibus & patriæ exhibita, diuinos honores decernebant. Alexand. ab Alexand. libro 6. capite 4.

In Marathonia pugna TÆSEI spectrum Medos inuadere multi viderunt. Ex eo postea tanquam heroem colere Athenienses cœperunt. Plut. in eius vita.

CODRVS Atheniẽsis rex, propter miram in patriam suam pietatem in numerum deorum ab Atheniensibus relatus est. Iust. & Val.Max.

ROMANI Romulo templum primo parenti, vrbis in Quirinali condiderunt, cùm raptum & in numerum deorum iam relatum esse quidam affirmassent. Quod templum perpetuò clausum erat, quasi arcanum haberi vellent, an humo tectus, an inter diuos relatus esset. Alexand.ab Alexand.libro 1.cap.14.

IIDEM suos Cæsares, quorum opera & virtute res Romana creuit, post funera immortali memoria consecrarunt, & in deos receperunt, qui ob æternam gloriam dij indigetes dicti sunt. Alexand.ab Alexand.libro sexto, capite quarto.

Miram Constantinus Maximus virtute sua gloriam assecutus est. Nam primus solusq; inter Romanos principes atque Imperatores, à gentilibus in numerum deorum relatus, à Christiana quoque ecclesia in sanctorum cathalogo receptus fuit: diesq; vigesimus primus mensis Martij in ipsius nominis honorem celebratus est. Nam ei ob virtutem, magna ipsius laude, maiore omnium mortalium admiratione, contigit, vt duarum inter se plurimum aduersantium religionum populi atq; ecclesiæ, ipsum ad tantũ adeóque rarum honoris culmen reciperent: id quod nulli antea vnquam contigisse, visum fuerat, Fulg.lib.8.cap.16.& Alex.lib.6.cap.4.

TRIVMPHI.

Ex loco Bonorum fortunæ, perfectam triumphi historiam petes.

L. PAPIRIVS Crassus, cùm Priuernates intra mœnia fugasset, ac pro rebus bene gestis triumphus ei negaretur, in monte Albano triumphauit, & pro laurea myrtea corona vsus est. Volat.lib.18. Anthrop.

L. ÆMYLIVS REGILLVS classe Hannibalem tunc præfectum Antiochi regis vicit. Cui reuertenti in ęde Apollinis cùm senatus datus esset, auditis rebus gestis eius, quanta cum classe hostium dimicasset, quot inde naues mersisset, quot cæpisset, consensu patrum triumphus ei decretus. Liuius lib.8.de bello Macedon.& Volat.lib.13.cap.3 Anthrop.

GN. DVILLIO, eo quòd hostes nauali prælio vicisset, & cæpisset apud Siciliam, congressum est honoris gratia, vt prælucente funali, & pręcinẽte tubicine à cœna publicè rediret, eo quòd primus de nauali victoria triũphasset. Plin.de Viris illustribus.

L. CORN. Lentulus proconsul in Hispania Hannibalis tempore, cùm in fine belli rediret, ac in senatu de rebus ab se multos iam annos feliciter gestis dissereret, triumphumq́ue peteret, res quidẽ triumpho dignas senatus cẽsebat: sed exemplum se à maioribus accepisse, vt qui neq; dictator, neque consul prætor res gessisset, minimè triumpharet. Cõcessum tamen, quanquam T. Sempronio Longo intercedente, vt ouans vrbem ingrederetur. Liuius libro 41.

M. ATTILIVS GLABRIO cùm bello Macedonico Antiochum & Ætolos auxiliares insigni clade apud Thermopylas, auxiliante Philippo bello nauali vicisset, reuersus triumphum petit. Publius Sempronius Gracchus & Rutilius trib.plebis diem dixêre, ob prædã regiam interuersam, neque in ærarium relatam. Testimonio grauissimi viri Catonis (qui cum eo legatus fuerat) absolutus est, & triumphus ei decretus. Liuius de bello Macedonico, & Volat.lib.13. Anthrop.cap.3.

AVR. ALEX. Imperator, cùm contra Persas pugnasset, Artaxerxem, qui apud Herodianum Artaxaces dicitur, vicisset, triumphus à senatu ei (post orationem de rebus à se gestis habitam) decretus est. Volaterranus libro 23. Anthrop.

OVATIONES.

De his, inter Fortunæ bona.

DIGNITATES ET MAGISTRATVS.

Post mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos, & erit dux belli? dixitq; Dominus: IVDAS ascendet, &c. Iudic. primo.

Videntes filij Israel, quòd GEDEON strenuè pro eis pugnauerat, dixerunt omnes ad eum: Dominare nostri, &c. Iudicum 9.

MAIORES natu de Galaad, perrexerunt ad Iephthe, dixerúntque ad eum: Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Iudic. 11.

Erat vir de Beniamin, nomine Cis, & ei filius SAVL, quo non erat vir in Israel melior: hunc reuelauit Dominus Samueli eligendum, & inungendum super populum Israel. 1. Reg. 9. & 16.

Congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt IONATHÆ: Ex quo frater tuus defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te eligimus esse pro eo, nobis in principem & ducẽ ad bellandum. 1. Mach. 9.

Cùm Tusculanorum consul esset L. FVLVIVS: atque pro eis multa præclarè gessisset, Romam transiuit atque eo ipso anno Romæ consul factus, Tusculanos prælio deuicit, ac de eis triumphauit. Solus Romæ, ac primus, qui ciuitate donatus, & consul factus esset, ac triumpharet, eo ipso anno quo hostium dux fuisset. Fulg.lib.8.cap.16.

Tanta Senatus ac populi Romani de T. QVINTIO Flaminio fuit opinio, vt quanquam tribuni pleb. omnes concordi animo aduersarentur, tamen ante legitimam ætatem, consulem vnanimes eum creauerint, atq; in Macedoniam aduersus Philippum miserint. Ibidem.

Non leue singularis virtutis argumentum testimoniúmque, quod ab omnibus magni debeat fieri, FL. VAL. Valentiniano primo Aug. contigit, cùm à Romano exercitu concordibus omnium animis, absens, & quem ea res prorsus latebat, ad imperium vocatus est: ac decem dies, vt veniret expectatus (eo enim tempore ipse in priuata fortuna fuit, gente Pannonia, atque humili satis fortuna) & quod penè maius est, in interregno (defunctus enim erat Iouinianus) nemo alius augustale sceptrum inuadere ausus est. Quæ res etiam satis ostendit, quæ de ipsius virtute opinio haberetur. Fulg.lib.8.cap.16.

ANASTASIVS Rom. Imp. Clodoueo Francorum regi munera patriciatusque honorem decreuit, quòd Gothos in Gallia superasset, Burdigalémque oppidum recepisset, Volaterran. lib. 23. Anthrop.

Tanta Magni CAROLI in Romanam sedem benignitas excelluit, vt meritò & Christianissimi cognomen retulerit primus, & imperatoria dignitate à Leone III. pont. max. exornatus sit. Nam magnam Italiæ partem à longobardis tot annos oppressam, in Pont. maximorum gratiam ita restituit, vt illum tamen pœnitere impensæ, tributæque gratiæ nunquam potuerit. Contrà verò Leo pont. accepti beneficij memor, eas illi gratias retulit, vt maiores certè referri non possent. Egnat. lib. 5. cap. 2.

VICTOR Pisanus Venetus, cùm in carcere esset, & capta à Genuensibus vrbe Clodia, inter patricios Venetos nullus iam petere auderet, vt clasli præficeretur: plebs nimio incensa ardore, tota magnis clamoribus petiit, vt Victor Pisanus eligeretur, sine quo victoriam se assecuturá desperabat. Ea re motus senatus Venetus, vnà cum principe à palatio ad carcerē, vbi Victor erat, fallò accusatus, ob acceptā antea apud vrbē polam cladem, defendit, eductúmque è carcere eius belli ducem creauit, populique ac senatus iudicium, res à Victore fœliciter gesta approbauit. Fulgos. lib. 8. cap. 16.

IACOBI Caballi Veronensis industria in re militari, summáque illius in Venetum nomen Clodiensi in primis bello fides fuit. Siquidem militari vniuersæ rei præfectus, littoráque ipsa contra Ligurem infestissimum hostem obseruare iussus, strenuè hoc ipsum præstitit, multáque alia facinora in eo bello edidit: vt illum (cōtrarenus dux, senatúsque Venetus primum patricio ordine donarit, cum suis omnibus hæredibus, qui etiam hac ipsa tempestate hodie floreant: illo etiam insuper addito munere, vt quodcunque ille pro domestico vsu suo in vrbem inferret, neque ipse, neque eius hæredes quicquam in publicum cēsum referre cogerentur: quod nulli Venetias incolenti, hodie sit concessum. Egnatius libro 5. cap. 2. & libro sexto, cap. 9.

IACOBVS Parisotus, obscuro loco natus, dum puer adhuc nauticæ rei vacaret, paulatim per omnes dignitatis gradus in maritimis rebus euectus, à Petro Mocenico clarissimo rei maritimæ imperatore in summum principemque locum aduocatus, quē Arabico verbo Armiratum appellamus, ita se gessit, vt nullius post imperatorem ipsum clarius illustriusque nomen in tota classe haberetur. Huius igitur foro fœlicique opera Mocenicus imperator semper vsus, Caramanica expeditione contra turcas sic excelluit, vt huius potissimùm ductu, Corycos vrbs Ciliciæ primùm, mox Selencia ab Turcarum manibus erepta sit, cum ipsa Sichino, aliisque aliquot castellis. Præterea morum huiusce facilitatem, animique præstantiam, insignémque munificentiā, celebrémque in primis moderationem, vt nulla non laude dignus apud posteros habeatur. Vtinam superessent ex eadem familia, qui testes huiusce tantæ virtutis hodie viuerent. Egnat. lib. 3. cap. 4.

PETRVS Fulgosius classis præfectus, in Cyprum insulam publico nomine missus, eam prouinciam adeò diligētet & fœliciter administrauit, vt inde recedens, magna abacta præda, Famagustam quoque vrbem Genuensium imperio addiderit (præcipuum eius insulæ oppidum Quod adeò gratanter, lætique Genuenses accepere, vt ipsum ducem magna præde parte donarint, publicóque decreto decem aureorum milibus honestarint, tāeáque victoriæ diem æterna memoria consecrarint. Vt tamen Fulgosio ipsi, quotiescunque annuo ipso die ad Minoritanam ædem publicè proficiscerentur, omnes præirent in eo comitatu vrbis duce excepto. Egnat. lib. 5. cap. 2.

STATVAE, IMAGINES MONVMENTA, *Tabellæ, Anathemata.*

Apud LACEDÆMONIOS his qui in re militari facinora gesserant sortia statuas & columnas pariter, cum elogiis post obitum erigebant. Rege verò defuncto ipsius simulachrum ita vt viuus adpareret in toro purpura & auro instrato effinxere. Alexander ab alexandro libro tertio capite septimo.

MILTIADES ob pugnam Marathoniam, in qua vltra centum milia Persarum vna acie vicit, ab Athenieńsibus consequutus est, vt in Pœcile porticu sua imago in prætorum numero exculpereturinter primores. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 18.

LEOCRITES Athenienſis, Protarchi F. cùm Athenienſes duce Olympiodoro Piræeū (quem demetrius Antigoni F. præsidio tenebat) oppugnarent, primus muros ascendit, primusque intra Musæum (propugnaculi nomen erat) irrupit. Ei in pugna cæso & alii honores habiti sunt, & clypeum illius Ioui liberatori dedicarunt, cum inscriptione nominis & præclari facinoris indice. Pausanias libro primo.

ALEXANDER Macedo cētum viginti equites, qui in campis Adrastæis ceciderant, propter multa belli decora, equestribus statuis donauit, illorúmque filios patrum stipendia ferre iussit. Alexander libro quarto cap. 18.

ROMANI iis qui domi vel foris egregiè se gessissent, post mortem in Rostris imagines in memoriam posteritatis, plerunque æreas aut marmoreas, vel æneas columnas cum trophæis & titulis publico concilio erigebant, & res gestas monumentis insculpebant leuandi desiderii causa. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. Blondus lib. 6.

HORATIVS Cocles, quòd pro ponte Sublicio stetisset, & hostiū aciem (dum rex Hetruscorum Porsenna Tarquinios in vrbem restituere tentaret) sustentasset, donec pons à tergo interrumperetur, statua ei in Vulcanali posita est. Plin. de Viris illustribus cap. 11.

MVTIO SCÆVOLÆ eo quòd audacia sua Porsenæ metū incussisset, ita vt obsidionem soluerit, prata trans Tiberim honoris gratia data: & statua erecta, quòd eius facinore pacem cum populo Romano Porsenna fecisset. Liuius.

T. SEMPRONIVS Gracchus consul, cùm domi tum foris ita sese gessit, vt ei senatus consulto statua consularis in templo sit collocata, cum inscriptione, Restitutos ab eo mores testante. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

Q. MARTIVS Tremulus cum P. Cornelio Aruina consul, de Hernicis triumphauit: statuáque ei equestris decreta, quæ ante templum Castoris in foro posita est. Liuius lib. 9.

C. IVLIVS Cæsar, cùm ferocissimos quosque populos Romano imperio subditos fecisset, statuam æream promeruit, ac pro deo à suis cultus est. Eum enim super æream statuam orbis terrarum collocatum, apud Xiphilinum legimus.

EIDEM statua eburnea iuxta statuam Bruti, eius qui reges exègerat, est collocata. Qua ex re euentum rerum admirari licet. Futurum enim erat, vt à M. Bruto, qui ex illo superiore genus duceret ipse ex insidiis necaretur. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Cæsare.

M. ÆLIO Aurelio Antonino statua pacificationis equestris erecta est, quæ etiam hodie videtur apud basilicam Lateranensem: quo loco natus & educatus est: vt testatur Capitolinus. Volater. libro vigesimo tertio, Anthrop.

Cui quęsō Venetias venienti, spectatissima Gemellorum ædes Ioannis & Pauli non occurrat? In quorum area marmoreus colossus cum equestri statua BARTHOLOMÆI Coleonis erecta, perinde spectatur: vt vel operis ipsius admiratione, vel memoria tanti viri non statim capiatur? Qui Bergomi natus satis clara familia, militarique laude in signis, Venetorū imperator hinc creatus, tanta cum fide tantáque constantia & gloria militaris disciplinę perpetuò excelluit, vt usquam vllum parem illi ferè inueneris. Qui etiam moriens Senatum Venetum hæredem instituit. Quare gratissimi patres ipsi statuam eam erectam esse voluere, quæ præter alia persuadere cuiuis possit, à gratissimo Senatu omnia semper expectanda esse. Egnat. lib. 6. cap. 5.

Extat hodie Venetiis Minoritanæ familiæ templum insigne, multos iam ante annos erectum: quod planè me admonuit, ne & pauli Sabelli, Romani sanguinis viri, & gratissimi in illum Veneti Senatus iudicij obliuisceret. Hic enim virtute sua, & animi robore, & constantia in Venetum Senatum fide sic excelluit, vt & Carrarij principes huius opera præcipuè sint Patauina vrbe deiecti: & Patauina vrbs diu antea Veneto nomini infesta, sit recepta. Quare Veneti illum variis & amplis beneficiis sunt complexi, vt morienti in eodem templo equestris statua suprà sacelli ianuam erecta, celebris in hunc vsque diem habeatur. Egnat. lib. 5. cap. 2.

CATTÆ Mellitæ (quem propter eius egregias virtutes, summúmq; eius in VENETVM Senatum studium, vniuersæ rei militari Veneti præfecere Imperatorem) quis nesciat primùm viuenti illi maximas amplissimasque gratias persolutas? Qui vnus mox Brixiam ipsam sua diligentia seruarit, hostium copias sæpe fuderit, tantamque fidem, tamque constantem semper exhibuerit, vt meritò mortuo illi & publicę exequię sint habitę & equestris statua Patauij ad D. Antonij sit posita, quę hodie quoque non sine omnium admiratione spectetur. Ibidem.

NICOLAI Vrsim Veneti Senatus imperatoris publicum monimentum Venetiis aspicies, quod illi Laurentanus dux, patrēsque posuere: posteris futurum exemplum rerum ab eo præclarè gestarum. Siquidem ille pluribus pontificibus & regibus Italicis, & rebus publicis egregiam operam semper nauauit. Nouissimè Venetis ipsis per quindecim annos, clarissimis partis victoriis, adeò charus fuit, vt recepta vrbe Patauio, mox etiam à durissima omnium obsidione liberata, moriens non multo pòst, summum sui desiderium posteris reliquerit. Egnat. lib. 6. cap. 5.

Nemini obscurum esse reor, Carolum octauum Gallorum regem, post receptum propria virtute Neapolitanum regnum, redeuntem in Gallias, Tarensi apud Parmam acie superatum à Venetis, ductu auspiciisque Mantuani imperatoris. In quo prælio desideratis præclaris aliquot ducibus & viris fortibus, omnes eorum hæredes, Senatus Veneti decreto esse donatos, cum ipso Mātuano duce, perpetuis amplisque quoad viuerent, muneribus. Sed & NICOLAVM Petilianum nos ipsi vidimus, qui magnis præclarisque rebus gestis, postremò vrbe Patauio recepta, seruatáque mox à grauissima omnis obsidione Maximiliani imperatoris, Christianorúmque regum & principum, quum nō multo pòst fatis concederet, publico Venetiis funere elatus est, Duce Senatū pòst fatis concederet, publico Venetiis funere elatus est, Duce Senatū-que & vniuersa ciuitate præeunte. Quem nos funebri oratione publicè prosequuti sumus. Quinetiam equestris statua in Gemellorum ædē illi posita est, eregionē altetius clari ducis LEONARDI à Prato, cuius ob virtutem in Patauina oppugnatione præstitam, equestribus quoque statua visitur. Quæ res adhortari iam vnumquemque posset ad benemerendum de Veneto nomine certissima spe, benefactorum in Venetos memoriam nunquam interituram. Egnat. libro quinto capite secundo.

CORONÆ.

ATHENIENSIS ciuitas bonos ciues corona decorādi, primò consuetudinem introduxit duobus oleæ connexis ramulis, clarum Pericles cingendo caput. Probabile institutum, siue rem, siue personam intueri velis. Nam & virtutis vberrimum alimentum est honos: & Pericles dignus, à quo talis muneris dandi posteritas potissimū initium caperet, Val. Max. lib. 2. cap. 1.

ALEXANDER Macedo, cùm quotidiana experientia edoctus esset, quantam vim honorum præmia haberent, primus apud suos è persa arbore coronas proposuit, quibus virtutum præmia daret. Alexand. libro quinto, capite 8.

DIONEM Syracusanum parta victoria, à militibus aurea, & THEMISTOCLEM quòd Græciam liberasset, ab Athenienſibus corona oleaginea, & curru eximio donatos laudatósque, asserit. Alexand. libro sexto, capite 18.

Apud ROMANOS qui ciuem in bello seruauerat, eodémque tempore hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat, ciuica corona donabatur: eui cedebant aureæ, murales, castrenses atque rostratæ. Illa namque donatus, perpetuò eam gestare poterat: & ad ludos eunti, à populo & senatu vniuerso assurgebatur. Massurius Sabinus lib. 11. Rerū memorabilium: Gell. lib. 5. cap. 6.

M. VALERIVS Consul contra Samnites, P. Decium tribunum militum, quòd eius consilio & ministerio exercitus ex saltu angusto & arctissimis faucibus euaserat, præter gramineam, qua ab vniuerso exercitu & loo præsidio donatus fuit, etiam aurea corona, & centum bobus, eximióque tauro albo auratis cornibus donauit. Alexand. ab Alexand. libro quarto, capite 18.

MANLIVS Capitolinus, qui vix decimo & septimo ætatis anno bina ex hostibus, spolia tulit, primus murali corona donatus est, ciuicas sex, mi litaria dona 6. & 20. ob singularem virtutem meruit. Ibid.

P. DECIVS pater, quòd in bello Samnitico sub Valerio & Cornelio tribunus militum, exercitu angustijs Gauri montis insidijs hostium clauso, in superiorem locum transijsset, intempestaque nocte per medias custodias somno oppressas incolumis euasisset, ab exercitu ciuica corona de quercu, quæ dabatur ei qui obsidione ciues liberasset, donatus est. Plin. de Viris illustr.

PAPYRIVS, quia Sardos in campis myrteis fortiter superauit, corona myrthea ornatus vrbem ingressus est. Blond. lib. 6.

L. FVRIVS Argentarius secundo bello Punico rosacea corona, ob ē bene gestam, coronatus dicitur. Ibidem.

M. CORIOLANVS, à Coriolis Volscorum oppido capto adpellatus, contra Tarquinium militans, ob ciuem seruatum corona quercea donatus est. Plutarchus.

A. POSTHVMIVS dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis, ei cuius opera capta essent, coronam auream dedit. Blōd. lib. sexto. Rom. triumph.

L. Q. CINCINNATVS dictator, eo quòd Q. Minutium consulem contra Volscos & Sabinos bellum gerentem, & iam in Algido obsessum, liberasset, à Minutio & ab eius exercitu corona obsidionali donatus est. Liuius.

IDEM cùm exercitum ab omni periculo liberasset, coronam auream à consule libræ pondo accepit. Liuius libro tertio. Blond. libro 6. Rom. triumph.

P. SCIPIO Masinissam regem in concione populi primum adpellatum, eximijsque ornatum laudibus, aurea corona donat. Liuius libro 30. Blond. lib. 6. Rom. triumph.

SCIPIO Æmilianus apud Africam seruatis ciuibus, obsidionali corona in perpetuum virtutis testimonium donatus est. Blond. libro sexto. Rom. triumph.

A. CORN. Cossus, Sampitibus superatis, aduocata concione P. Decij tribuni militaris laudes peragit, & præter militaria dona aurea corona eū donat. Liuius lib. 7. Blond. Ibidem.

TITVS Vespasianus, captis Hierosolymis, omnia circūm loca cadaueribus compleuerat, coronam auream propter victoriam à finitimis gētibus oblatam recusauit. Philostratus in vita Apollonij: & Volater. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

Q. FABIVS Maximus Imperator gramineam coronam seu obsidionalem ab exercitu liberato datam à senatu populóque Romano accepit, & cuncta belli liberatus est. Quæ claritate nihil in rebus humanis sublimius fuit. Blondus libro sexto. Rom. triumph. & Alexand. libro 4. capite 18. & Gell. libro 5. cap. 6.

M. FLAMMÆ tribuno militum in Sicilia, & Cneo Petrcio Atinati in bello Cymbrico corona graminea ob egregia in bello facinora data est. Blond. lib. 6. Rom. triumph.

M. VARRO, quòd in bello piratico in conflictu nauali pugnæ primus in hostium nomen insiliisset, à Cn. Pompeio primus rostratam coronam accepit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 18.

CÆSAR in expeditione Mitylenę, corona ciuica ob rem fœliciter gestam donatus est. Blond. lib. 6. Rom. triumph.

M. AGRIPPA, Marco Lepido apud Siciliam superato, corona rostrata à Cæsare Octauio donatus est. Liu. & Blondus. Ibidem.

AVGVSTVS, M. Cicerone filio consule, ibidus Septembris obsidionali & ciuica à senatu ornatus est. Blond. lib. 6.

AVRELIVS Augustus, apud Byzantium à Valeriano coronis muratibus quatuor, vallaribus quinque, naualibus duabus, & ciuicis duabus in perpetuum virtutis bellicæ testimonium donatus est. Flauius Vopiscus, & Blondus libro sexto. Rom. triumph.

PRÆDA.

Consule tit. Liberalitatis, Non exigere ea quæ honestè possis, sub Paragrapho, Prædam & bellica munera non exigere

Crudele fuit veterum INDORVM institutum, etsi forsitan ad victoriam non inutile erat. Nulli enim in exercitu prædam impartiebātur, qui occisi hostis caput non retulisset. Fulg. lib. 2. cap. 1.

IPHICRATES post pugnam, de prædā cuilibet dignam laboribus partem distribuit. Sin munera à ciuitatibus adferrentur, ab his etiam dispertiuit vnicuique non sigillatim tantūm, verumetiam secundum exercitus atque manipulos, & secundum armaturas equitibus, alia armatis, alia læuis armaturæ militibus. Ante pugnam, facto silentio, promittebat ei qui ex armatis se fortissimè gessisset, præmiū: & iterum ei qui ex equitibus siue scutatis, & sic deinceps in singulis ordinibus. In festis autem & publicis comitijs eos qui cæteris strenuiores extitissent, primis sedib. honorabat. Hęc omnia ex cogitabat, vt alacriores & promptiores ad pericula milites redderet. Polyæn. lib. 3.

PORSENNA Ethruscorum rex, cùm inita cum Romanis pace, castra ab vrbe Roma moueret, militibus imperauit, ne præter arma aliquid secū ferrent: verūm omnia alia in tabernaculis relinquerent, quòd ea Romanis dono dabat. Fulg. lib. 4. cap. 8.

CARVILIVS consul, collega Papyrij, militibus ex præda centenos binos asses, & alterum tantum centurionibus & equitibus dedit. Blondus lib. 6 Rom. triumph.

L. QVINTIVS Cincinnatus dictator, militibus suis strenuè aduersus hostes pugnantibus, omnem hostium prædam dedit. Ibidem.

L. PAVLVS Æmilius, septuaginta Epiri ciuitates, quæ hosti consenserant, cùm fortiter pugnantibus militibus cœpisset, prædam inde factam mihi concessit. Idem.

ALEXANDER seuerus fuso fugatóque Artaxerxe potentissimo rege (qui cum septingentis elephantis, falcatisque curribus mille & octingentis, ad bellum venerant, equitum multis milib⁹) statim Antiochiam redijt: & de præda quam Persis abstulit, suum ditauit exercitum.

AGRI, POSSESSIONES, REGNA.

PRISCIS temporibus militaria dona, quæ militibus fortiter in bello se gerentibus à ducibus dabantur, heminæ vel quatarij fartis fuēre, binaq; ingera: aut tantum agri, quantum vno die circumarassent. Alexand libro quarto capite 10.

ALEXANDER Macedo Phareensium ciuitatem sua pecunia mœnib⁹ cinxit, quòd bello Persico agros Athenienſib. adiecissent, paratissimique ad mortem animis corpora sua pro communi Græciæ salute obtulissent. Pont. cap. 14. de Liberal.

ÆGYPTII militibus suis (quos Calasiries vocant, & Hermotybios) hoc eximij honoris solis, præter sacerdotes, habent, quod singulorum duodecim agri sint immunes, singuli agri centum cubitorum Ægyptiorum quoquò versus. Præterea Calasirium milleni & Hermotybium circa regem singuntur annuo satellitium munere. Quibus præter prædia dantur viritim panis tosti pondo quinæ minæ, carnis bubulæ binæ, vini sextarij quaterni. Herod. lib. 2.

HORATIO Cocliti ob insignem fortitudinem bellicam, quantum agri vno die circumatare potuit, datum est. Liuius libro secundo & Plin. de Vitis illustr.

MVTIO Scævolæ prata trans Tiberim, quæ Mutia dicta sunt, ob virtutem data sunt. Plin. de Viris illust.

Capti Veijs, senatus Rom. decreuit, vt agri Veientani septena iugera plebi diuiderentur, & militibus. Blond. lib. 6.

ROMANI, cùm aduersus Campanos fortiter pugnassent, Latinus ager Priuernati additus, & Falernus qui populi Campani fuerat, vsque ad Vulturnum amnem plebi Romanæ diuiditur: & bina in Latio iugera, terna verò in Falerno militi data sunt. Blondus libro sexto. Liuius libro octauo.

P. SCIPIO ob fidelem fortémque Masinissæ in populum Romanum operam, quoniam parum videretur, regnum ei patrium restituisse, opulentissimam partem regni Siphacis adiecit. Pontanus capite 32. de Liberalitate.

CONIVGIA, VXORES, CONCVBINÆ.

Apud CARMANOS nemini licebat vxorem ducere, nisi prius caput occiſi hostis ad regem detulisset. Rex autem interfectorū cadauribus in regia locabat. Linguas verò hostibus exertas, & minutatim concisas, paneque permixtas illis porrigebat degustandas, qui attulissent. Rauis.

Cùm Megareus rex Magarensium in finibus Atticæ, amisisset filiū Timalcum in bello, Euippum leo Cithæronius interfecisset, vt filium vlciscetur, filiam ei promisit in vxorem, qui leonem interfecisset. Alcathous ergo Pelopis F. leone interfecto, Megarei gener facti⁹, ei in regno successit, & arcem Apollinis ope extruxit. Pausanias in Atticis.

SEVERVS imperator bellicosis militibus non tantūm in virtutis testimonium aureos annulos, sed etiam domesticas concubinas largitus est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Apud Samnomatas nulla virgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit. Ideóque nonnullæ earum decedunt iam vetulæ, antequam nubant, quòd legi satisfacere nequeant. Herod. lib. 4.

HASTAE, ARMILLAE, VEXILLA, CHLAMYDES, *patere quæcunque tandem alia dona, & privilegia.*

Apud GRÆCOS,duces in bello coeuntes, in concilio agitant,& sententiis decernunt, quis primùm, quis secundum depulsas hostium copias longius egerit,& quo præmio & honore dignus sit:dignósque amplissimis virtutum præmiis ornant. Alex. lib. 4. cap. 18.

Apud ARGIVOS ex militia reuersi duces, cum militum agmine totóque exercitu in Charado extra vrbem consilium aduocabant,ibíque de militaribus donis,quæ cuique deberentur, optimatum consensu decernebant. Alex. lib. 6. cap. 6.

AGAMEMNON Aiacem, quòd cum Hectore pugnasset bouis immolati tergore & cornibus: Achillem verò præter septem tripodes, & viginti lebetes, & decem auri talenta, equorum duodecim,& septem Lesbidum fœminarum munere donauit. Homerus lib.7.& 19. Iliados.

SCYTHIS mos erat,his qui hostem superassent,semel annis singulis cratere regio vinum bibere, quod victoribus circunferebatur: qui verò pluribus cæsis victor fuisset, duobus calicibus potare. Herodotus libro quarto.

ALEXANDER Macedo, militibus post emerita stipendia, priores sedes in theatro, vtque coronati spectarent, pro munere largitus fuit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 16.

IDEM, offerenti militi caput ab se truncati in pugna hostis, aureum poculum vino plenum propinauit, vt intelligeret dantis hilaritatem, & promptum benefaciendi animum. Pontanus cap. 15. de Liberal.

ROMANI, milites bene meritos hastis puris, aureis pateris, sellis curulib. eburneis,scipione eburneo,tunicis palmatis & pictis, vexillis cæruleis in bello nauali, aureis torquibus, duplici annona, duplici stipendio, interdum etiam militiæ vacatione, & dignitatis aliquo gradu donabant. Alex. lib. 4. cap. 18.

Ex lege CALPHVRNIA, æra multiplicia, sagáque & tunicæ singulis militibus,qui rebus fortiter gestis interfuerant,& ius ciuitatis dabatur. Ibidem.

SERTORIA lege, fungi dignitate inter patres, aut diebus solennibus coronatum incedere, velut præmia victoriæ militibus dabatur. Ibidem.

IMPERATORES Romanorum,centuriones legatósque legionum pro magnis officiis in Rempublicam, consularibus ornamentis, aut equo publico, nonnunquam triumphali statua donauêre. Ibidem.

L. SICINIVS Dentatus, cùm centies vicies prælio victor fuisset, & 45 cicatrices aduerso corpore habuisset,digna tantæ virtutis præmia accepit. Cepit enim spolia 34, donatus est hastis puris 18, phaleris 25, torquibus tribus & octoginta, armillis 160, coronis 26, videlicet ciuicis 14 aureis 8. muralibus 3. obsidionali vna,&c. Plinius de Viris illustrib. Blond. lib. 6.Rom.triump.Alex.lib.4.cap.18.

CN. TEIO (alij Petreium vocant) primipilo Atinati, quòd in bello Cimbrico cunctantem primipilum interfecerat,ipséque arrepto vexillo per castra hostium eruperat, exercitúmque incolumen eduxerat,præter gramineam,vt prætextatus ad tibicinem immolaret,foculo accenso concessum fuit. Alex. ab Alex.lib.4.cap.18.

CALPHVRNIVS Piso, cùm bello fugitiuorum prouinciam Siciliam obtineret, quam sexaginta seruorum milia occupauerant,re bene gesta,ac liberata prouincia,milites omnes qui operam suam in eo bello nauassent,militarib.donis imperatorio more donauit. Val. Max. lib. 4. cap. 3.

QVINTIVS prætori deuictis Hispanis, equites nouo genere honoris, catellis & fistulis donauit. Alex. lib. 4. cap. 18.

SCIPIO Æmylianus, regum & sociorum munera oblata pro tribunali accipiens,in publicas tabulas reponebat,& postmodū fortibus viris pro meritis tradebat. Ibidem.

L. PAPYRIVS Cursor consul, Papyrium filium,& quatuor centuriones, manipulúmque hastatorum armillis aureisque coronis donauit. Liuius lib. 10. Blondus. lib. 6. Rom. triumph.

L. SICINIVS cùm fortem operam in bello nauasset,armillis cētum & sexaginta donatus est. Blond. Ibidem.

SERTORIVS suis militibus ob res præclarè gestas, pictas chlamydes in virtutis præmium dono impertiuit. Alex. ab Alexand. lib. 2. cap. 29.

OCTAVIVS Augustus suis militibus phaleras,torques, aliáque ex auro fabrefacta, ob res bene gestas, munera obtulit Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 18.

AVRELIANVS imperator gregariis suis militibus, qui forti animo omnem expugnarant hostem, vt per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, priuilegio dedit. Alexand. ab Alexand. lib.2. cap. 29.

PROBVS, qui postea ad imperium Romanum euectus est, cùm bello Sarmatico iam tribunus multa fortiter fecisset hastis puris quatuor coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque vno, patera sacrificali aurea quinque libris, vnà pro concione donatus fuisse memoratur. Alexand. libro 4. cap.18.

PRAECONIA, LAVDATIONES *acclamationes, gratulationes,*

Cùm APOLLO serpentem Pythonem sagittis aggrederetur Latona mater supra saxum confugiens, filium hortabatur, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ, id est, cæde fili. Eam vocem Delphi quoque iterabant, vt puero animum adderent & hinc primum carmen hexametrum ex sex spondeis factum, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν ἰὴ παιὰν, Nā syllaba αν ad imitationem vocis è longinquo factæ adiecta videtur. Victo dein serpente, iidem præ lætitia canere cœperunt ἰὼ παιὰν ἰὼ παιὰν ἰὼ παιὰν. Testis est Terentianus & Clearchus Solensis apud Gyraldum in secundo Dialogo, de Poetarum historia.

Apud LACEDÆMONIOS, qui se in bello strenuos præbuissent, & occubuissent, oliua & aliis ramis redimiti, laudibus vehebātur: qui verò perfectam & absolutam virtutem præstitissent, ij etiam amicti purpura gloriosè sepulchris mandabantur. Ælianus libro sexto de Varia historia.

THEMISTOCLES post Salaminiam pugnam, cuius author fuit, Olympico conuentu totius Græciæ oculos in se vertit: tanta in vno fuit authoritas, aut virtutis opinio. Sab. lib. 6. cap. 8.

Inter eos, quibus in vita magnæ res ac memoratu dignæ contigerunt, PYRRHVM haud iniuria ante alios commemorabimus: Antigonus enim Asiæ atque Syriæ rex, militaris artis peritissimus, hac eum laude extulit: affirmauit enim, si consenesceret, primum ætatis suæ belligerendi ac militarium rerum ducem fore. Hannibal quoque cum Scipione de militaribus ducibus, qui vnquam virtute insignes fuissent minimè obscurè primum esse Pyrrhum nominauit, Scipione idem affirmante. Itaque ingens laus ducenda fuit, à tribus tantis viris, bello tam excellentem ducem, atque tot tantísque Græcis ac Romanis ducibus præponi, qui ante eum rerum præclarè gestarum magnitudine plurimùm excelluerunt. Fulg. lib. 8. cap. 16.

LATINORVM vetus fuit consuetudo, vt eos qui virtutes suas variis certaminibus ostendissent, non simpliciter corona ornarent: sed illorum quoque patriam per præconem coronari magna voce pronunciarent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

Q. FABIVS Maximus, qui cunctando restituit rem, cùm magistrum equitum seruasset, ab exercitu adpellatus est pater, & pariter ab Italicis, Hannibale Italia pulso. Blond. lib. 6. Rom. triumph.

ALEXANDER Seuerus, vbi quem de Republica benemeritum prosequuturus esset, antè illi gratias agebat & suo & Reipublicæ nomine: quòd ita quidem Rempub. gessisset, vt bene de ea meritus iudicaretur. Non enim ignorabat vir integerrimus, illud liberalitatis proprium esse, vt dona ipsa gratis verbis exornentur, Pontanus cap. 24. de Liberal.

DOMINICVS Michael dux, Calisti pontificis max. adhortationem secutus, ingenti comparata classe ducentarum & amplius nauium, Hierosolymitana re in maximum discrimen redacta, victo præsertim acie Balduino rege, & capto à Turcis: festinabundus eo profectus, primùm Sarracenicam classem Ioppem vrbem obsidētem, non sine graui certamine oppressit omnem: mox onerarias naues decem preciosissimis rebus onustas ad vnam cæpit vnde dictati omnes ad Tyrum obsidendam terra maríque ducis ipsius præcipuè consilio à Gallis Venetísque concursum est. Cumque vrbis obsidio difficilior indies fieret, iactari voces in Gallorum castris cœptæ, frustra sese Tyrum oppugnare, cùm interim Turcę magno cum exercitu aduentare dicerentur: Venetos verò ab omni discrimine tutos, in nauibus esse. Ea calumnia Dominico duci nunciata, statim nauiū ex carinis tabulas reuulsas deferri in Gallorum castra iussit, vt iam nunc Venetæ constantiæ & fidei exemplum caperent. Capta igitur non multo pòst Tyro Venetorum in primis opera, Syriæque rebus fœliciter compositis, domum cum incolumi classe reuertitur: cui vniuersa ciuitas ingenti cum plausu occurrens, illúmque in auream diui Marci ædem deducens rebus sacris ritè antè procuratis, auditóque mox Principe qui ex suggestu rerum à se gestarum ordinem singillatim explicaret, statim audiri clamor, vocésque cœptæ, clamantis populi, dignum æterna memoria colendum esse hunc ducem, qui Christianę rei in Syria iam labanti præsentem opem tulerit, qui diuino quodam consilio Gallorum animos firmarit, victoriam ex Sarraceno hoste tam insignem sit adeptus: denique aucto Veneto imperio, suo ductu & auspicio, constantię, fidei Venetæ omnibus futuris sæculis monimentum tam insigne reliquerit. Quas tu igitur Romanæ ciuitatis triumphantium laureas, quos auratos mihi quadriiuges imperatorum currus, quæ captiuorum currum præeuntium agmina, quem sequentis exercitus clamorem & voces nūc obiicies? quum audies Sarracenicam debellatam classem quum Syriam ipsam ab immani hoste receptam, Hierosolymáque ipsa à Veneto duce seruata, pietatíque verę restituta, redeuntemque ducem in aureum diui Marci templum deductum sacris ritè procuratis, tam piis acclamationibus exceptum? Egnat. lib. 2. cap. 3.

ORDELAPHVS Falętrus dux, primùm recepta magna Syrię parte, instructissima classe, quam parauerat in Balduini regis Hierosolymitani gratiam, mox vendicata vniuersa Dalmatia, additáque Croacia Veneto nomini, aliísque mediterraneis prouinciis, cum domum rediisset, captiuis multis eminentioris fortunæ adductis, tanta lætitia, tantóque totius ciuitatis gaudio exceptus est, vt non Romani triumphi amplitudinem adæquarit modò, verumetiam vicerit. Is vero, quum non multo post Iaderenses ad Pannorum regem desciuisset, qui non multo post valido præsidio vrbem muniere cum reliqua Dalmatia, classe ingenti comparata, Iaderam ipsam oppugnare aggressus, dum suos ad fortiter pugnandum hortatur, in prima pugnans acie, ictus ab hoste periit. Cuius cadauer Venetias relatum, summáque funeris pompa elatum, in aurea diui Marci æde sepultum conditur, quod hodie plerique visendi studio repetunt. Ibidem.

QVALEM verò, quantúmque fuisse SEBASTIANI Ciani ducis triumphum

triumphū diximus, qui recepto Alexand. 3. pont. max. cuius per aliquot dies fuerant insignes penes nos latebræ, statuit cum vniuersæ ciuitatis cōsensu, eius dignitatem aduersus quęcunque hostem constantissimè tueri. Quod cùm Fridericus Ænobarbus Imperator rescisset, statim ingenti cōparata classe sexaginta nauium, & amplius, præfecto illi Othone filio in Histricum vsque sinum penetrauit. Contra quem Cianus princeps nauiū numero aliquanto inferior, sed animi præstantia, & suorum virtute multo superior, iuxta Salborion Histriæ promontorium congressus, vario quamuis interdum marte victor euasit: disiecta vniuersa classe, triremiq; regia cum ipso Othone capta. Quare Venetias rediens triumphantium more, siquidem vniuersa ciuitas gratulabūda ad portum vsque illi occurrit. Omitto nunc, Othonis à principe liberaliter dimissi gratia, Fridericū patrem Alex. pontifici & Venetis reconciliatū, Fridericū ipsum Venetias appulisse ab Alex. & principe Venetisq; omnibus benignissimè exceptū: atque aurea diui Marci æde sacris ritè procuratis, non multo pòst pace cū Pontifice & Venetis inita, in Germaniam lętum rediisse. Extat adhuc marmor perpetuus in eo loco vbi pugnatum est, cum elogio rei tam præclarè gestæ monimentum: ne vmbellam, ne candidum cereum, ne reliqua principi in publicum prodeunti ornamenta ab Alexandro tradita, cum tubis argenteis, ne ius aurei annuli in mare certo die proijciendi, ne publicas literas plumbo signando: aliáque multa ad hanc rem facientia commemorem. Ibidem.

ANDREAS Contarenus præsagio admonitus, futurum vt in suo principatu Respublica in summo versaretur discrimine, defuncto Marco Cornelio duce, cùm omnium studia in eum inclinarent, ille in Patauinum agrum secessit: obscuréque ibi agens quoad eius fieri potuit, delitescere studuit. Cæterùm absens creatus est dux: cum nullis precib. flecti posset, vt suscipere rempub. vellet. Cæterùm cognatorum & affinium interuentu, qui publicè ad eum sunt missi, minabundi illi perpetuum exilium, & bonorum omnium publicationem, nisi annueret, venit tādem animi dubius. Quúmque in medijs aquis vniuersa ciuitas illi occurrisset, faustus in primis acclamationibus motus, tanto omnium ardore ad autores patres accessit, veniáque petita suæ contumaciæ, vel erroris, ducis dignitatem suscepit: quam postea tam constanter tutatus est, vt quamuis Pannorum rex, & Cararienſis princeps Patauinus, & Aquileiensis antistes, Ligurq; in primis ipse, Venetam libertatem, noménque penitus opprimendum suscepissent, ipse tamen constantissimè ad extremum defenderit. Nam victo Pisano imperatore maritimæ rei ab ipsis Genuensibus ad Polam, amissa non multo post Clodia, prouisisq; ante omnibus domi prudentissimè, ac penè diuinitùs, quæ in rem præsentem facerent, ipse iam senio confectus non dubitauit classi præesse, quæ instructissima iam parata erat ad ipsam recipiendam Clodiam. Nauim igitur conscendens sæuiente hyeme, comitatus Thadeo Iustiniano, & ipso Victore Pisano, Ioāne Barbadico, alijsq; ex patricio ordine, qui strenuā in eo bello nauarunt operam (nam Carolus Zenus aberat, qui paulo pòst cum sua classe admonitus periculi aduenit) sic Clodiam vrbem obsedit, vt quamuis Ligur hostis classem suam sępe ostentaret, & Cararius princeps in medijs stagnis non deesset, reliquis socijs eos in primis adiuuantibus, quum preterea decem armatorum ferè millia ipsam tuerentur vrbem, septimo tādem pòst mense eam expugnauit, ipseq; præsens omnibus, nulli vnquam se periculo subtraxerit: in patriam calendis Iulijs reuersus, memorabilem triumphum egit, tanta omnium ordinum gratulatione, tantóque omnium studio, vt parum abesset, quin numinis pręcipui loco vniuersa ciuitas coleret, intérque medias aras & sacra supremam eius diem venerabundi exciperent. Ibidem.

CAROLVS Zenus, Petro Zeno patre natus, qui inter clarissimos suæ tempestatis rei maritimæ Imperatores maximè floruerat, quasi hæreditarium decus paternæ laudis asserens, exacta iuuenta maritimis rebus præcipuam nauauit operam. Quare seruata Tenedo insula, mox aliquot nauibus præfectus, magnis grauibusq; incommodis Genuensem hostem in primis affecit: cùm præsertim Bichioniam cœteam nauium Genuensium, quam vnam populus ille maximam ad eam diem extruxerat, plurimísque bellatoribus ornarat, ipse Carolus suis triremibus aggredi non dubitauit: pręsertim quum sciret eam ita preciosa merce onustā, vt quingentorum aureorum milium numero superaret. Ea igitur non sine magno certamine capta, in quo graui etiam vulnere affectus ille esset, captiuis inde Genuensibus abductis magno numero (nam Florentini mercatores statim sunt omnes dimissi, qui in eadem naui erant) omnem pecuniæ vim ad Principem, ad Clodiam tunc agentem, idoneo maximè tempore numerauit: nec sibi suísque præter Bichioniæ nauis cognomentum vendicatum voluit. Cæterùm aliquot inde post annos rei maritimæ præfectus, Imperator Omnibucialidum Francisci sanguinis Imperatorem, qui Genuensi classe tūc præerat, iuxta Methonem adortus sic debellauit, ac vicit, vt duplici vulnere in pene & manu confectus, non prius destiterit quàm victum in fugam verterit, plurimásque naues cæperit. Lætus igitur & triumphans domum reūersus, magno totius ciuitatis gaudio exceptus est à Principe, Senatúque omni: mox ab vniuersa ciuitate domum deductus, procuratoria etiam dignitate, quæ apud nos vna amplissima, donatus est. Ibidem.

PETRVS Lauretanus duplici triumpho maximè insignis, & prior ille quidem ad Callipolim oppidum Turcarum classe memorabili prælio victa, disiectáque, calendis Iulij mensis, vt nobis triplici de causa festus sit dies victoria scilicet celebri eo die de Patauinis parta, & Andreæ Contareni clarissimi ducis reditu, & ipsius Petri Lauretani tam præclaro facinore. Alter verò triumphus non minus clarus illustrísque, quàm ipsius Petri Lauretani auspicijs, & ductu Genuensis classis in Rapalitano sinu victa superatáque omnis est, capto Francisco Spinula duce, qui domi suæ nobili stirpe natus, egregijsq; factis illustris, cum aliquot consiliarijs suis Venetias captiuus est ductus. Qua victoria nihil opportunius Venetis accidere hoc tempore potuit, quando insolescēs Ligur, victo nauali prælio Alphōso Aragonū rege prope Caietam, captóque, ferri iam æquo animo à nemine posset. Ibidem.

Quid ANDREÆ Gritti, nondum principis dignitate insigniti triumphum memorem? qui sua industria suáque virtute vrbe Patauio recepta, Venetias reuersus, ea est omnium ordinum gratulatione exceptus, vt cuiusuis Romani principis triumphum facilè vicerit? Ibidem.

VACATIONEM MVNERIS.

LACEDÆMONII ciues habebant ἀγαθοεργοὺς dictos, quasi tu dicas Bene meritos: qui cùm semper equestri militia perfuncti essent, tandem quini quotannis vacationem muneris consequebantur. Vide tit. Ocij fuga.

FORTIVM VIRORVM AFFINES, LIBEROS, *hæredes, præmijs afficere.*

SOLONIS legibus apud Athenienses cauebatur, vt præter ea dona quæ militibus duces impartiti fuerant, illorum filij qui bello occubuissent, publicè alerentur, & bonis disciplinis instruerentur. Alexand. libro quarto, capite 18.

ALEXANDER Magnus militum qui cecidissent liberos paterna capere stipendia voluit. Pont. cap. 33. de Liberal.

LYSIMACHO Aristio, Aristidis Iusti filio, poetæ melopœo, sed tenui & simplici, ob parentis memoriam populus Atheniensis minas argenti centum dedit, totidémque agri iugera, & simul quotidie drachmas quatuor: id quod Alcibiade persuadente, lege sanxerant. Filiam Polycritam habuit, cui post patris interitum tantundem alimenti, quantum olympionicis dare consueuerant, idem Atheniensis populus suo decreto constituit. Plutarch. testis, & Callisthenes.

CN. SCIPIO, post res prosperè gestas in Hispania, in summa paupertate decessit: nec ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publicè dotauit Senatus. Front. libro quarto, capite tertio.

ANTONIVS Siculus, iuuenis Othomanico bello à Petro Mocœnico maritimę tunc rei imperatore missus est Callipolim, vt Turcicum nauale, domúmque in eo oppido plenam omni apparatu nautico incēderet. Res tamen ipsa non omnino successit, quando Turcæ ad subitum incendium extinguendum, quod latè iam diffusum erat, aduolarunt. Quare iuuenis territus, suámque nauiculam repetens, quæ inter nauigandum improuiso igne conflagrarat: captus denique à Turcis suis cū socijs, Othomani iussu interfectus est. Non possum equidem silētio inuoluere iuuenis ipsius captiui ad Othomanum deducti summæ constantiæ, nescio an dicam audaciæ plenum respōsum: qui interrogatus ab Othomano, cur id ausus esset: an ego, respōdit, Christianus non tui nominis odio Turcicæque superstitionis tuæ contemptu hoc aggrederer? qui scirem, principes omnes ac reges Christianos illi præcipuo odio esse, ipsámque Christianam pietatē adeò te persequi, vt extinctam illam, penitúsque abolitam abs te præcipuè studeas? Venetijs igitur re tam memorabili nunciata, quàm primùm Antonij fratrem, adolescentem adhuc, & eius sororem amplissimis donarunt muneribus, salario videlicet annuo fratri præscripto: & sorori, quotiescunque nuberet, dote assignata non medioeri. Egnat. libro quarto, capite 8. & libro 5. capite 4.

TEMPERANTIAE DATA PRAEMIA.

IN HIS QVÆ AD VICTVM. *pertinent.*

RVTH Moabitis spicas legens, post messores in agro Booz cum tenui victu inter messores contenta esset, eius frugalitate victus Booz, eam in vxorem duxit. Nō dubitabat enim vir de eius pudicitia, cuius frugalitatē & sobrietatem expertus fuerat. Ruth. 2. 3 & 4. cap.

IN VENEREIS.

Pudicitiæ præmia, & castitatis.

Moses sicut omnes ferè qui sub legis iugo seruierunt, vxorem habuisse describitur. Sed IESVS Naue (qui Euāgelij libertatem figurabat) nec vxorem habuit, nec filios. At hic cœlebs terram promissionis ingreditur: quā ille maritus tantum vidit, ingredi non potuit. Marul. lib. 4. cap. 7.

Neq; HELIAM neq; HELISEVM vxores habuisse, aut liberos genuisse, vsquam legimus: & à nemine ante Euangelij tempora, preterquam ab ijs mortuos ad vitam excitatos, vt miraculi raritas ac magnitudo seruatę castimoniæ testetur meritum. Ibidem: & Sab. lib. 5. cap. 6.

MADIANITAS ab Israelitis duce Phinee superatos, Moyses occidi ad vnum iussit, preter virgines, puellásque: vt vel hinc intelligas matrimonia morte dissolui, virginitatem verò vita æterna esse dignam. Marul. lib. quarto, cap. 7. ex Num. 31.

OLITORIS Ægyptij vxor propter pudicitiam regio thalamo dignata fuit. Vide tit. Coniugalis castitas.

ASPASIA Hermotimi filia Phocensis, propter pudicitiam à Cyro pro vxore habita fuit. Vide tit. Virginitatis Ethnicæ.

Captis ab Alexandro Thebis, atque eius vrbis præda exercitui concessa, quidam eius milites Thraces, TIMOCLEÆ nobilis fœminæ domum ingressi, bona omnia diripuerunt. Ipsorum autem militum præfectus, ea nocte mulierem, ad augendum maiore iniuria eius cladem, vt secum misceretur, coegit. Arbitratus autem ea re factam amicam, petiit an conditum domi aurum haberet. Ad quam rem illa, tantæ iniuriæ minimè obliterata memoria, respondit: In sicco puteo auri vim magnam deposuisse. In eum auarus hostis dum diligenter intueretur, sine vllo arbitrio, ne alius in lucri partem veniret: Timoclea pedibus sublatum, in caput ad fundum putei deiecit, atque saxis illum obruit. Cùm rem comites resciuissent, ac Timocleam ad Alexandrũ deduxissent, Alexander vt rem sicut gesta erat, atque eius causam intellexit, non modò pro homicidio in mulierem non animaduertit: sed restitutis etiam bonis, vnà cum liberis (quia motam iusto dolore arbitrabatur) immunitate donauit. Fulgos. lib. 6. cap. 1.

Cùm Otho quartus Imperator Florentiæ esset, & inter multas forma atque ætatis flore insignes fœminas GALDRATAM BERTHAM ipse plurimum laudaret, puellæ pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit, facturum se, si ita eius ferret animus, vt deosculandæ puellæ copiam haberet. Quod cùm puella audisset, respondissetque Nullius vnquam nisi eius vir suus foret, suauium accepturam: adeò modesto principi ea res placuit, vt indignum duceret, sine præmio puellam dimittere. Itaque eam in matrimonium Guidoni Germano locauit, viro non armis solùm atque virtute, verùm generis quoque nobilitate insigni: & totam eam vallem quæ sub Casentini nomine in Aretino agro censetur, cum Comitatus honore dono vtrisque dedit. A quibus postea familia manauit, quæ comitum Guidorum nuncupata est. Ibidem.

EVBATÆ Cyrenensi vxor maximam statuam Cyrenæ erexit, quia Laidis meretricis commercium euitasset. Historiam vide sub tit. Scortationem fugere.

Lusius, C. Marij ex sorore nepos, quum Marius iterum consul esset vim admouit militi cuidam adolescẽti, nomine Trebonio: at is Lusium interfecit. Id factum multis incusantibus, non inficiatus est adolescẽs, se ducem suum interfecisse: sed causam addidit, ac probauit. MARIVS itaque quum iussisset adferri coronam, pro facinore in bello præclarè gesto dari solitam, Trebonio imposuit: graui exemplo monens ceteros ne simili modò tentarent adolescentium pudicitiam: quando nõ solum absoluit, verumetiam coronauit eum, qui & imperatoris cognatum & ducem suum ferro necasset. Plut. in Rom. apoph.

LIBERALITATIS PRAEMIA.

Persico bello, cùm in Attico agro cum hostibus confligendum esse, delphicum oraculum monuisset, neque tamen loci ea videretur opportunitas, vt feliciter contra Persas pugnare possent, sed Platæensis ager commodior esset: PLATÆENSES vt publicè totius Græciæ saluti suo etiam damno cõsulerent, agrum suum Eleusinæ Cereri dono concesserunt, vt hac donatione Atticus efficeretur, & oraculi authoritati nihil derogaretur. Quod factum multis pòst annis ita laudauit ALEXANDER Magnus, vt præter multa Platæensibus collata beneficia, etiam muros eorum dirutos suis sumptib. refici curarit. Pontanus cap. 34. de Liberal.

LYCINIO Suræ, qui populo Romano gymnasium suis sumptibus ædificauerat, Traianus Romanorum imperator statuam collocari iussit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Traiano.

VERITATIS ET LIBERTATIS PRAEMIA.

IN REPREHENDENDO

PHILIPPVS Diogenem ob dicendi libertatem, liberum dimittit. Vide tit. Libertas in reprehendendis vitiis Ethica.

HERODES Samæum pharisæum ob libertatem dicendi solum ex iudicibus seruauit. Vide tit. Libertatis in reprehendendo.

AMASIS rex Ægypti, oracula vera magnis affecit honoribus. Vide tit. Furum.

Philippum Macedoniæ regem, cùm ANVS accessisset, vt causam ipsius cognosceret: respondit, sibi nequaquam esse ocium. Cúmque anus inclamasset, Proinde nec rex quidem esse velis: Philippus admiratus aniculæ liberam vocem, non illi solùm præbuit aures, verùm & aliis quoque. Plut. in Regum & Imp. apoph.

IN CONFITENDO, ET VENIAM PETENDO, *pœnitentibus & supplicibus ignoscere.*

APVD ATHENIENSES lege olim sancitum fuit, vt qui maximis criminibus reus ageretur, si fateretur admissum, nullo addito mendacio, impunitate donaretur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

Ferrariam vrbem, Veneti olim suis armis, suóque sanguine, ab immani hoste planè receperant, suóque iure tuendam susceperant. Quod Clemens pontifex, qui tum in Galliis agebat, ferre satis æquo animo non poterat: quippe qui sui eam aucupii esse contendebat. Missis igitur oratoribus multis frustra ad leniẽdam Maximi pontificis iram, qui Venetum nomen diris suis & graui anathemate insectabatur, profectus est ad eum publico nomine orator Franciscus Dandulus: qui obstinatissimum illum aliquot dies expertus, quum etiam interdum ab ipsius conspectu reiiceretur, in eam sententiam flexit animum: vt noua arte, nouique pudoris ratione seruata, ad prandentem Pont. in palatio quadrupes accesserit, ferrea colo iniecta cathena, flexo quantum potuit in terram capite supplexque petens, vt Veneto senatui Pont. ipse parceret, veniámque daret. neque enim se corporis habitum mutaturum, nisi prius Clemens ignouisset ipse. Quare admiratus Pont. captúsque tanti pudoris & reuerentiæ nouitate illum assurgere iussit, complexúsque hominem: Cape, inquit, exhibiti pudoris à me veniam: Ducique tuo, & Senatui scribito meo nomine, solutos eos mea omni post hac execratione, charissimósque mihi semper ab hoc die futuros. Quæ res tam grata Senatui Veneto fuit, vt quamuis Canis cognomento diceretur, ob commenti nouitatem Princeps statim sit declaratus. Egnat. libro 4. cap. 5.

Susceperat Patrum nostrorum ætate Dux, Senatúsque Venetus bellum aduersus Herculem Ferrariensem ducem, Sixto pont. max. id annuente & approbante. Susceperátque bellum hoc ipsum, honestissimis causis in Herculem adductus. Quod cùm gereretur ea spe, vt Veneti Ferraria breui potiri crederentur, Sixtus pont. mutata sententia, Veneto nomini iratior factus est, vt cum infestissimis etiam hostibus aduersus Venetos conspirarit, anathematísque spiculum in eos intorserit. Nõ dubitauère igitur Veneti, veteri sua in Romanam sedem obseruatione, & oratores ad eum mittere, & facti veniam ab eo petere. Quod postea SIXTVS etiam facilè concessit, animo secum reputans, quãti hæc ipsa Venetorum verecundia facienda esset. Ibidem.

Imitatus IVLIVS secundus pontifex duorum exemplum, adeò Veneto nomini iratus infestúsque extitit, vt consuetis diris Venetos petẽs Christianos omnes reges ac principes ad bellum in eos suscipiendum concitarit, quando Veneti nec Fauentiam, nec Ariminum illi reddere parati essent. Quod consilium, quum parum læto euentu illis constiterit, non neglexère tamen: suorum etiam maiorum minimè obliti, oratores ad Pont. ipsum, Dominicum Triuisanum procuratorem, & Hieronymum Donatum, & alios mittere, qui vix iratissimi Pontificis animos flexerunt. Ibidem.

TACITVRNITATIS PRAEMIA.

PAPYRVS ob taciturnitatem, puer etiamnum prætexta donatus est. Vide tit. Prudentiæ in taciturnitate seruanda.

LEÆNÆ meretrici ob fidum silentium statua decreta. Vide titul. Præmia fortitudinis in ferendo.

HVMANITATIS ET POPVLARITATIS ERGA *viuos præmia.*

GELON cùm in Himerensi pugna deuicisset Carthaginenses, vniuersam Siciliam sub suum imperium coegit. Pòst nudus in forum progressus, affirmauit se ciuibus imperium restituere velle. Qui renuebant experti eius humanitatem, quòd videlicet popularior esset, quàm pro potestate monarchæ. Propter hanc causam in Sicilia simulachrũ ipsius in delubro Iunonis nudum positum est. Ælianus libro sexto de Varia historia.

Sub tit. Leprosorum miro modo sanatorum, vide exemplum CONSTANTINI Magni.

HVMANITATIS ERGA MORTVOS PRAEMIA

Consule tit. Sepulturæ. Mortuis enim suus deferendus est honor, communi quodam naturæ instinctu: quæ, vt ille inquit, sepelit relictos.

APPA

AFFABILITATIS PRAEMIA.

Imperante Tiberio Cæsare, pop. Romanus coruum sepeliuit, ferentibus feretrum duobus Æthiopibus seruis, præcinente tibicine ac muficis: cum prius eum qui coruum occiderat, lapidibus obruisset. Hoc autem egit, quia hæc auis nominatim manè Drusum ac Germanicum Cæsares, ac multos prætorea alios, postremóque totum populum salutabat. Huius igitur honoris vltionísque exemplo patet, quantum laudis gratitudo mereatur, quæ in homines exercetur: cùm erga irrationale animal, victor gentium populus ea vti voluerint Fulgosius libro quinto, capite 2.

IVSTICIÆ IN GENERE PRÆMIA, QVÆ VIVENTIBVS *tribuuntur.*

Imperia & magistratus.

Iusticia virtus maximè politica est: ἀλλότριον ἀγαθὸν, vt inquit Arist. & veluti περιοχὴ omnium virtutum: siquidem veteri testimonio, ἐν δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι. Opinione itaque virtutis omnium maximæ, maximos quoque honores & dignitates tribuunt iis qui iustißimi esse videntur. Eapropter nos hic de iis, quibus honores iusticiæ ergò dati sunt, agemus. Ipsa electio magistratuum sub Bonis fortunæ expedietur.

PRINCIPIO rerum, gentium nationúmque imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatiò prouehebat. Iustinus à principio libri primi.

Consilio Iethro sacerdotis Madiam Moyses vsus, elegit iudices, viros potentes & timentes Dominum, in quibus erat veritas & qui oderant auariciam. Exod. 18.

Scripsit IEHV literas, & misit in Samariam ad optimates ciuitatis: Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini nostri: & ponite eum super solium patris sui, & pugnate pro domo domini nostri. 4. Reg. 10.

MEDI Deiocem propter regem eligunt. Vide tit. Prudentiæ in regno comparando.

ROMANI prisci in dandis magistratibus & conferendis honoribus non largitione & ambitu, sed vera virtute nitebantur, propterque res egregiè gestas domi militiæque meritos ciues prætura, ædilitate & consulatu amplissimísque honoribus honestabant. Alexand. ab Alexand. lib. 3. capite 17.

Nerua Rom. imp. cùm intellexisset sibi insidias maximas ob imperiũ strui, in Capitolium conscendit, ibíque M. Vlpium Neruam Traianum principem fecit, eundémque postea in senatu Cæsarem designauit. Licet enim propinqui non defuerint, non tamen coniunctionem sanguinis publicæ vtilitati antepofuit. Neque rursum eum deterruit, quòd Traianus homo Hispanus, nec Italus esset, quódque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanum obtinuerat. Censebat enim, virtutem cuiusque, non patriam existimari & ponderari oportere. Xiphilinus in vita Neruæ: & Fulg. lib. 8. cap. 16.

AVR. Alexander ex Arcena Syriæ ciuitate ob affinitatem Seueri principis ratione Iuliæ vxoris, puer à senatu cùm Cæsar factus esset, honores ambitiosis aut quærentibus minimè dabat, sed modestis, quos potius rogare oporteret. Volat. lib. 23. Anthrop.

QVÆVIS ALIA PRÆMIA.

ALITEMII Libyes celerrimum inter se regem eligunt: ex reliquis honorem deferunt iustissimo. Nicolaus de Moribus gent. Stobæus serm. quadragesimo secundo.

Apud Sunitas quotannis & adolescentes & virgines publicè iudicantur: & qui optimus iudicatus fuerit, virginem quã voluerit ducit: deinde post eum secundus, & sic deinceps. Stob. serm. 42. ex Nicolai scriptis de Gentiũ moribus.

Græci omnes Aristidis Atheniensis virtuti tantum tribuerunt, vt concordes ob insignem virtutem Aristidem Iustum cognominauerint. Fulg. lib. 8. cap. 16.

IVSTITIAE PRAEMIA, IAM MORtuis *data.*

Atheniensis populus non tantùm Aristidem insignem iusticia virum maximo in precio habuit: sed post eius mortem Lysimacho eius filio argenti centum minas, totidémque consiti agri iugera dedit: adiectis etiam quatuor drachmis, quæ de publico diebus singulis penderentur. Pontanus de Liber. cap. 33.

Quid magnificentius alicui potest contingere, quàm id quod Traiano imperatori euenit? eius enim bonitas, successoribus, inter fœlices acclamationes, quæ à senatu Romano fiebant, commemorabatur: Traiani bonitate in aliis æquè atque Augusti fœlicitate desiderata. Fulgosius libro octauo capite decimo sexto.

IVSTICIAE IN SPECIE PRAEMIA.

FIDEI SVBDITORVM ERGA MAGISTRATVS PRAEMIA.

Exempla quædam pete ex loco Gratitudinis, pro auxilio contra hostes lato.

DARIVS Histiæum Milesium tyrannum, qui ratem in Istro tam diu custodiuerat, donec Darius fugiens exercitum traduxisset, Sardis reuersus, optione data quiduis eligendi, donauit Myrcino, loco Thraciæ ac Strymonem fluuium, vt illic ciuitatem conderet. Herodotus lib. quinto.

Cùm à Fuluio Capua obsideretur, ac duæ Campanæ mulieres beneuolentiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, VESTIA Oppidia materfamilias, & CLVVIA Facula meretrix: quarum altera quotidie pro salute Rom. exercitus sacrificauit, altera captiuis militibus Romanorum alimenta subministrare non destitit: vrbe illa oppressa, Senatus iis, & libertatem & bona restituit, & si quid amplius præmij petiissent libenter se daturum asseuerauit. Vacasse in tanto gaudio P. C. duabus humilibus fœminis, referre gratiam, ne dum præ se tulisse, mirandum. Val. lib. 5. cap. 2.

SCODRENSES Epirotici à Turcis iterum atque iterum graui obsidione circumuenti, quum fortissimè resisterent, Antonium Lauretanum eorum præfectum, qui illis assiduè adesset secuti, virum alioqui omni virtute celebrem, nulli non periculo sese obiecerunt: vt eorum quoque vxores & fœminæ pro mœnibus starent: secunda tandem oppugnatione, quum Turca hostis acriter instaret, neque vlla iam euadendi spes Scodrensibus superesset, Turcis octauum iam mensem vrbem obsidione prementibus, quum ferro flammísque hostilibus fortissimè restitissent, vrbẽ ipsam Veneti Othomano principi dedere coacti sunt: inuitis (quod in se esset) ciuibus qui mori etiam fame mallent, quàm Venetis non parère. In hos omnes Venetus Senatus longè gratissimus, qui quadringenti & quinquaginta superfuerant, præter vxores & liberos, Venetias aduenientes ita excepit, vt alios perpetuis salariis donarent, alios oppidorum suorum arcibus præficerent, reliquos ad vnũ nullo non beneficij genere persequerentur. Id quod antea etiã Chalcidensibus publicè datũ erat, quicũque huc incolumes appulissent. Egnat. lib. 4. cap. 8.

VENETVS Senatus triginta familias plebeij sanguinis optimè de Rep. Venetóque nomine meritas, difficillimo tempore Clodiensis belli patricio ordine omnes cum suis hæredibus donauit: quarum hæredes in hunc vsque diem insignes opibus & dignitate, atque autoritate florent. Egnat lib. 5. cap. 2. & lib. 6. cap. 5.

OBEDIENTIAE POLITICAE PRAEMIA.

CYRVS militem (qui cùm hostem interfecturus gladium eduxisset, & classico audito, ictus cohibuisset, hostémque dimisisset) laudasse dicitur, eo quòd militarem legem pluris quàm hostem fecisset. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

FIDEI MAGISTRATVS ERGA SVBDITOS PRAEMIA.

IVSTITIAE SIVE FIDEI OECONOMICAE PRAEMIA.

CONIVGVM AMORIS.

M. Antonino philosopho imperatori, & Faustinæ coniugi Senatus decreuit statuas argenteas in templo Veneris dedicari, arámque extrui, in qua virgines omnes quę nuberent in vrbe, vnà cum sponsis sacrificarent. Præterea vt in theatro statua Faustinæ aurea in sella esset sẽper, quæ, quoties Marcus spectaret, in eminentiore loco, vnde ipsa spectare consueuerat viuens, poneretur, eique omnes præstantissimæ fœminæ assiderent. Dion & Xiphilinus in vita M. Antonini.

PARENTVM ET LIBERORVM MVTVÆ *pietatis & officij præmia, & obedientiæ.*

IACOBVS cùm matri Rebeccæ obediuisset, & ius primogenituræ, & patris benedictionem abstulit. Eiusdem iussu in Mesopotamiam ad Labanem auunculum profectus, 20 anno pòst, vxoribus liberis & opibus auctus domum rediit. Genes. 27. & seq.

ACHIVI cùm Ilium proditione iam in potestatem Græcorum accepissent, miserati tamen captiuorum ærumnas, per præconem edixerunt, vt singuli ex liberis ciuibus, quòd vellent, vnum aliquod secum auferent. Æneas igitur cùm post deos penates patrem etiam senio confectum sublatum in humeros exportasset, obstupescentes hoc facto Græci, vniuersas etiam possessiones ei reliquerunt: confitentes, eos qui tantam in deos & parentes pietatem exercerent, etiam natura inimicos, humaniter tamẽ & dignis modis tractandos esse. Ælianus lib. 3. de Varia historia: & Sab. libro tertio cap. 6.

ROMÆ inter alia pietatis exempla hoc quoque extitit, cui comparari cætera vix possunt. Humilis enim & ignobilis ex plebe puerpera, supplicij causa carcere inclusam matrem, cùm impetrasset aditum, à ianitore semper excussa, ne quid cibi adferret, deprehensa est vberibus suis alens eam. Quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis remuneratæ. Plin. lib. 6. cap. 36. Sabel. lib. 4. cap. 6. Val. Max. lib. 5. cap. 4.

DOMINORVM ET SERVORVM.

Quia Berzellai astitit Dauid, quando fugiebat Absalon filium suum DAVID parta victoria recepit Chimeam filium illius inter familiares suos. 2. Reg. 19.

Pop. Rom. iusticiæ causa motus à triumuiris petiit, vt is seruus libertate donatus præmium acciperet, qui in spelunca, in qua eius latebat dominus, ipsius loco se constituit, vt pro ipso moreretur. Et mortuus esset, seruato domino, nisi à conseruo detecta res fuisset. Qui ob eam rem muneris loco, quod ei triumuirali decreto debebatur, cruci affixus fuit. Fulg. lib. 6. cap. 5.

Etsi in triumuiratu durus admodũ habitus est Augustus, tamen in proscriptione, cùm eorum notaret nomina, quos proscribere volebat, equestri dignitate ornauit Titum Iuuium Philippomenem, quòd non sine periculo patronum suum occultauerat, quanquam per triumuirales leges grauem incurrisset pœnam. Magis enim honestatem quàm leges inspiciendas duxit. Fulgos. lib. 6. cap. 5.

Erga canem suum Xanthippus Atheniẽsis gratus extitit, qui maria pernatans, vsque in Salaminam eum sequutus fuerat: quo tẽpore, adueniente in Græciam Xerxe, maior Græciæ pars in eam se insulam recepit. Nã ne tanto amori ingratus foret, mortuo cane, in Salaminæ arce sepulchrum ei condidit, quod Cynotaphium appellatum est. Fulg. lib. 5. cap. 2.

PRAEMIA FIDEI HOSPITIBVS VEL SVPPLICIBVS *seruatæ.*

PRAEMIA FIDEI HOSTIBVS SERVATAE, IN BELLO, *siue extra bellum.*

CN. Pompeius Phraati Parthorum regi bellum fortè illaturus, cùm audiret multa eius in populum Romanum extare beneficia, non tantùm ab eo bello destitit, sed neque Tigrani etiam, cui Parthi bellum intulerant, auxiliatus est: sed ambobus arbitros dedit, à quibus eorum dissidia componerentur. Quibus vtrinque admissis, omnem inter se controuersiam diremerunt. Dion Nicæus in Pompeio.

Insignis Foroliuiensis populi erga Franciscum Sfortiam gratitudo fuit, cùm Eugenij quarti pontificis copiarum dux, in insidias, quas Sigismundo Malatestæ Foroliuienses tetenderant, ipse incautus incidit. Nam cùm in ipsius populi manu esset, vt sine ipsorum discrimine caperetur, non vt hostilium copiarum ducem toruè conspexerunt: sed ceu amico dextera data, omnia amoris signa cum eo ediderunt. Cuius rei causa fuit, quòd iussus arma Foroliuiensibus inferre, id quanquam Apostolici legati repugnarent, nisi indicto antè bello agere noluit, villarúmque incendio abstinuit. Quod magno documento esse potest, etiam hosti fidem seruandam esse, & damna, nisi necessariò, populis inferri non debere. Fulgos. lib. 5. capite secundo.

ROBORIS CORPOREI PRAEMIA, ATHLETIS, *Pugilibus, Cursoribus, Luctatoribus, Saltatoribus data præmia.*

Consule titulum Certaminum bonorum corporis.

GRAECI lege sanxerunt, vt his qui ter Olympia vicissent, statuæ, quas Iconas vocant, similitudine membrorum expressè dicarentur: nonnunquam etiam cum quadrigis triumphantium more veherentur in patriam, vt pro ampliori munere, coronis vittisque exornarentur, reuersique disiecta parte muri vrbes ingrederentur, statuáque in foro & perpetua immunitate fruerentur. Alex. lib. 5. cap. 8.

IIS qui in Olympia vicissent, quingentas drachmas cum statua & alimento offerebant veteres. Ibidem.

Olympiæ victorem coronis aureis, aut æneis vulgò donari memoriæ proditum est: cùm antea eos, quorum virtus præcipua esset, oleastro coronari, vel calistephano (oleæ id genus erat) mos esset. Ibidem.

Theagenes Thasius, cùm cursu, lucta & pugillatu vicisset in Olympiis, mille & ducentis coronis donatus est. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Pausanias apud Volat. libro 20. Anthrop. eum 140 coronas è certaminibus retulisse ait.

Autolyco athletæ & nobili pancratiastæ, cuius Plinius meminit lib. 34. cap. 8. statua in Prytaneo fuit erecta. Strabo.

LYGDAMVS tertia & tricesima Olympiade primus ex Olympico certamine pancratij coronã reportauit. Erat autem certaminis genus, quod aduocatis omnibus corporis viribus, omnium que neruorum contentione transigebatur, vt elegantissimè in Pandectis Budæus exponit, & Beroaldus apud Propertium. Solinus cap. 4.

LYSIMACHVS adhuc priuatus ab Alexandro Magno in conclaui, vnà cùm leone feritatis immanis inclusus, minimè vt plerique, quanquam sciret morti se expositum, animo concidit. Cæterùm chlamyde in caput belluę coniecta, statimque gutture ea veste circumuoluto, feram tam diu tenuit, quoad eam oppressit. Quod facinus quanquam necessitas expressisse videtur, magnæ tamẽ audaciæ magnarúmque virium fuisse putatur. Quam rem Alexander ne irremuneratã omitteret, Lysimachum vita donauit: effecitque, vt seruatus in Macedonico regno succedere posset. Fulgos. lib. 3. cap. 2.

Athenienses, si quem athletarum victorem designabant, statuam illi obnixo genu cum scuto, porrecta hasta impetum excipiente effinxerunt, pro eo quòd Cabrias miles Agesilai hoc statu impetum excipere docuisset, & victor fuisset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 12.

A Theseo certamen in Delo institutum est, in quo nouo exemplo palmæ victoribus dabantur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

In deliacis certaminibus qui egregiam nauassent pugnando operam, bouem in virtutis exhibitæ testimonium accipiebant. Ibidem.

SOLON, quum in Isthmo victores apij coronam præmium ferrent, pinea coronari ob rem bene gestam voluit: item vt qui vicisset, centum drachmas acciperet, lege statuit. Ibidem.

APVD Nemæam obscura quadam ambage Hipposelinum victoribus dabatur donum, cum præfatione virtutum. Ibidem.

In Panathenæis olei ceramum velut amplum præmium victor, in perpetuum rei bene gestæ testimonium, accipiebat. Ibidem.

In Marathoniis ludis, qui ob taurum à Theseo interfectum statuto tẽpore fieri solebant, phialam argenteam accipiebat, qui fortiter pugnãdo se virum ostendisset. Ibid.

In via quæ Olympiam ducit cis Alpheum, Scillunte venienti, celsa crepidine præruptus mons occurrit, Tipæum illum appellant. Hinc de saxo fœminas deijcere deorum lex iubet, quæ ad Olympicos ludos penetrasse deprehensæ fuerint, vel quæ omnino Alpheum trãsmiserint, quibus est eis interdictum diebus: non tamen deprehensam esse vllam perhibẽt, præter vnam Callipateram, quam alij Pherenicem nominant. Hæc viro mortuo, cum virili ornatu, exercitationum se magistrum simulans, Pisidorum filium in certamen deduxit. Iamque eo vincente, sepimentum id, quo magistros seclusos habent, transiliuit, veste posita: fœminam tamẽ agnitam omni crimine liberarunt. datum hoc ex iudicum æquitate patris, fratrum, & filij gloriæ, qui omnes ex Olympicis ludis victores abierant. Ex eo lege sancitum, vt nudati adessent ad ludicrum ipsi etiam magistri. Pausanias lib. 5.

PHILIPPVS Butacides, Crotoniata, desponsa sibi filia Telyes Sybaritæ, Crotone profugit, abnegatóque matrimonio trãsmisit Cyrenen. Ex hac

discedens, sectatus est familiarem triremem, ac familiarium virorum sumptum, quòd esset Olympionices, & omnium illinc Græcorum speciosissimus. Ob quam corporis speciem ab Ægestanis ea, quæ nemo alius, reportauit. Nam sepulturæ eius heroico monumẽto extructo, Ægestani hostias offerunt. Herod. lib. 5.

Apud Pellenem erat Apollinis Agon, vbi ex argento proposita præmia certantibus erant, vt ad virtutis studia incitentur homines. Ibid.

Apud PLATÆAS certamen erat gymnicum, in quo ij qui animi fortitudinem eximiam ostendissent, aureis coronis donabantur. Ibidem.

Adhuc viuens Delphici oraculi atque Iouis responso consecratus est EVTHYMVS Pycta, locris in Italia natus: cũ semper aliàs Olympicis ludis victor declaratus, semel tãtùm præteritus esset. Fulgosius lib. octauo capite decimo sexto.

MINOS in iis certaminibus quæ in honorem Androgæi instituit, præmium victori pueros proposuit. Alex. lib. 5. cap. 8.

ROMANIS in vsu fuit, vt athletas, qui sacris certaminibus coronam meruissent, vacatione munerum, curæ tutelæque & perpetua immunitate donarent. Ibid.

M. CATO vt ad res præclarè gerendas Romanam incitaret iuuentutem, Romam à Græcis Olympicos ludos transtulit, & virtutem suã ostẽdentibus coronas ex oleastro proposuit. Ibid.

AVGVSTVS cùm præmiis ad virtutem incitari homines intelligeret, post pugnam Actiacam Olimpicorum imaginem, & ludos illis æmulos apud Actium in sinu Ambracio Apollini consecrauit, & fortiter pugnantibus amplissima præmia proposuit. Ibid.

NERO Romanorum imperator, cùm in primis cursu & equorum certaminibus delectaretur, insignes equos victores, & iam senio confectos stola forensi, non secus quàm homines, ornauit, eósque honestauit pecunia stipendij locoi. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Nerone.

ALITEMII Libyes celerrimũ inter se regem eligunt. Stob. serm. 42.

PROCREATIONI LIBERORVM ET FOECVNDITATI DATA PRAEMIA.

Consule tit. Certaminum fœcunditatis.

Apud SPARTANOS lex erat, vt qui tres filios suppeditaret Reipub. is ab excubiis liber esset: qui verò quinque, ab omnibus publicis officiis immunitatem haberet. Ælianus libro sexto de Varia historia.

Apud Persas secundum bellicam fortitudinem præcipuè digna censetur viro, numerosæ sobolis procreatio ex vxoribus iustis & pellicibus: & qui plurimos ediderit liberos, ei rex quotannis munera mittit. Herodotus lib. 1.

HONOR SENIBVS A IVVENTVTE IMPENSVS *publicè & priuatim.*

Apud Arabes, fratres filios honore anteeunt, quia maiores natu. Cõsanguinei omnia habent communia. Maximus tamen ætate in omni re præcedit cæteros.

ÆGYPTII cum solis Græcorum Lacedæmoniis in hoc conueniunt quòd minores maioribus natu obuij de via cedunt, aduenientibúsque assurgunt. Herod. lib. 2.

LACEDÆMONII ex Lycurgi instituto senes non minus quàm patres reuerentur. Nicolaus de Moribus gentium, apud Stobæum sermone 14. & Xenophon in Repub. Laconum, & Iustinus lib. 3. & Gell lib. secundo capite 14.

Athenis quidam vltimæ senectutis, cùm spectatum ludos in theatrum venisset, cùmque nemo è ciuibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos fortè peruenit: qui hominis ætate moti, canos eius & annos, assurgendi officio venerati sunt, sedémque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod vbi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ vrbis verecundiam comprobauit. Ferunt tunc vnum è Lacedæmoniis dixisse: Ergo Athenienses quid rectum sit sciunt, sed id facere negligunt. Val. libro 4. cap. 5.

Apud Chalcidenses lex erat, ne qui annos natus esset infra quinquaginta, vel magistratum gereret, vel legationem obiret. Heraclides in Polit.

Apud Rom. senectuti iuuentus ita cumulatum & circunspectum honorem reddebat, tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent. Quocirca iuuenes, Senatus die, vtique aliquem ax Patrib. Cõ. aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixiq; valuis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur. Qua quidem voluntaria statione, & corpora & animos ad publica officia sustinẽda impigrè roborabant: breuíque processu morarũ clarã in lucem virtutum suarum verecunda laboris meditatione ipsi doctores erant. Valer. Maxim. libro 2. capite 1. & Gell. lib. 2. cap 15. & Blondus libro 8. Rom. triumph.

Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quínam ei conuiuio essent interfuturi, ne senioris aduentum discubitu præcurrerẽt: sublatáque mẽsa, priores consurge & abire patiebantur. E quibus apparet, cœnæ quoque tempore quàm parco, & quàm modesto sermone his presentibus soliti sint vti. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Apud Albanos senectutem plurimum honoratam esse, legimus apud Cœlium Rhodigium lib. 18. cap 27.

QVAS tu mihi Athenas, aut quam Spartam, aut ipsam vrbem Romam in honorandis senibus iure Venetiis ipsis anteferas? Nec verò vnquam inficias ierim, Athenienses ipsos, & præcipuè Spartanos, ciuitatẽ deniqueRomanam, hoc genere laudis maximè claruisse. Sed si quis Venetias ipsas adeat, aliquótque moratus dies, accuratius cuncta exploret, aut monumenta vrbis diligentius euoluat: facilè animaduertet, in aliis ciuitatibus accersitum, legibúsque præceptum genus hoc honorandæ senectutis fuisse: hic verò ab ipsius vrbis natalibus morem hunc natum, adultúmque cum ea in hunc vsque diem, per mille & amplius annos perseuerare. Atque vt à primo exordiar Principe, qui primus Heracliæ dictus est, & ad nostra vsque tempora veniam: quis quæso non videat, matura iam ætate, præter, vnum aut alterũ, principes fuisse creatos? Iam verò quotquot procuratoria dignitate insignitos esse animo voluas (qui quidẽ honos Venetiis supremus à Principe semper est habitus) qui non intelligat, præmaturo iam senio viros huic dignitati semper esse præfectos? Nõ possum non hac in parte recens exemplum commemorasse, qui Ioanni Molino centum & quinque annos nato, non aliam ob causam consiliatij dignitas demandata maioribus comitiis sit, quàm vt vniuersæ ciuitatis iudicio testatum perpetuò foret, quãtum honoris huic ætati impensum esse vellet. Ad hæc sic in gerendis obeũdisque magistratibus hic mos hodie retinetur, vt senilis ætatis præcipua ratio semper habeatur. In cœnis verò atque cõuiuiis, quę priuatim publicéq; adeas, hoc obseruatũ inprimis spectes, vt suus senibus semper sit locus. Nec illud etiam omiserim, in ipso ingressu priuato, in ipso publico concessu, in ipsísque ludis spectandis hoc obseruatum constantissimè esse: vt in pueris etiam, si quãdo domo exeãt, alisque maiori natu (vt ferè fit) occurrant, hunc morem retineri animaduertas. Id quod in matronis quoque, reliquóque fœminarũ sexu coli videas. Egnat. lib. 2. cap. 1.

ATHENIENSIS populus publica alimenta ad extremum vitæ diem mulis decreuit, quorum labore in Hecatompylo ædificando vsus esset. Vnde discendum, multo plus liberalitatem in homines transferẽdam esse. Pontanus cap. 36. dè Liberalit.

SILESIÆ dux testamentum cùm conderet, domum ædificari mandauit, in qua canes qui vtiles venationi fuissent, ob sectam & corporis debilitatem à suis relicti dominis vsque ad mortem alerentur: designatis in eam rem nonnullis agris, ex quorum prouentu sumptus suppeditaretur. Nec voluntas irrita fuit. Docuit autem senes & decrepitos eo facto alendos esse, ne ætate & annis grauati, post multos exantlatos labores penuria & fame perire cogantur. Æneas. Syluius lib. 4. Commentariorum in res gestas Alphonsi.

Apud Tartesios minori contra maiorem testimoniũ dicere non fas est. Nicol. de Moribus gentium: Stob. serm. 42.

BONIS FORTVNAE DATA PRAEMIA.

DIVITIIS

NOBILITATI GENERIS.

Cùm ALEXANDER Amyntæ Macedonum regis F. certandi gratia ad Olympia descendisset, à concursoribus prohibebatur: quod negarent barbarorum id esse certamen, sed Græcorum. At vbi palàm fecit sese Argiuum, & Persarum legatos in conuiuio interfecisse, Græcus esse iudicatus est: & stadium currens, proximus primo extitit. Herod. lib. 5.

PRIMOGENITVRÆ.

Apud Lacedæmonios regnum hæreditarium erat, & primogenitis dabatur, deinde ordine sequentibus fratribus. Sic Anaxandriæ Leontiæ F. successit Cleomenes, quamuis Doricus & prudentior & fortior illo esset. Herod. libro quinto.

MAGISRATIBVS SVIS HONOREM EXHIBERE, QVACVNQVE *tandem ratione.*

Magistratibus, parentibus, coniugibus, dominis, quatenus cum imperio sunt, honorem exhibere conuenit. Causa *honoris est dignitas ipsa, & excellentia quæ in ipsis conspicitur: & propterea ad hunc locum pertinet. At obedientia, quæ ex fide & tacito pacto illis*

debetur, ad primam speciem Distributionis pertinere visa est. Consule tit. Prudentiæ in authoritate conciliandæ. Item tit. Sepulturæ.

VIRI IADES Galaad, Saul dominum suum, licet malum, reuerenter sepeliuerunt. 1. Reg. 31.

IOAB Dauidis regis copijs præfectus, cùm Rabbath Ammonitarum metropolim ad deditionē compulisset, præproperè Regi nuncios misit: aduolaret ocyssimè, vt eius auspiciis vrbs capta videretur. Regi potius, quàm sibi, hunc honorem tribui cupiens. 2. Reg. 12.

Apud Persas, Medos & Indos, reges adorari, & salutando homines toto corpore procidere, legimus apud Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Persis lex erat, vt à morte Regis, legum & iuris intermissio per quinque dies fieret: nimirum vt intelligerent subditi, in quanto precio regem ac legem haberi deceat. Authore Seruio. Stob. ser. 42.

Legem habent Persæ, quę vna ex omnibus obseruantissimè ab illis colitur. Cùm rex in Persiam equitat, omnes ei Persæ, singuli pro suis facultatibus, munera offerunt. Qui agriculturæ operam nauant, & qui sua manu laborant opifices, neque nimis attrita & praua, neque nimis preciosa & magnifica donant: sed aut boues aut oues, nonnulli etiam frumentum siue vinum. Exeūti autem ipsi & prætere quitanti, hæc à singulis apponūtur, & munerum nomine vocantur, qua appellatione etiam ipse recipit. Qui verò sunt his pauperiores, lac, palmas, & caseum ferunt, maturáque bellaria, & alias primitias de suis fructibus. Ælian. de Var. hist. lib. 1.

Ægyptij in obitu regis singuli capita luto deturpant, & nudatis mammillis mulieres virique pectoribus plangunt, atque in deformi illuuie 72 dies, cibis animantiū, vino & omni apparatu abstinent: ac recensentes regis virtutes, crebris eiulatibus luctum renouant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. ex Herod. lib. 2.

Aprie extincto, regnauit apud ægyptios Amasis è tribu Saitana, & vrbe cui nomen est Siuph. Eum inter initia ægyptij contemnebant, quòd plebeius fuisset, nec insigni familia ortus. Sed hos Amasis ad se solertia, non asperitate perduxit. Erant ei cùm alia bona infinita, tum verò peluis aurea, in qua tam ipse quàm omnes conuiuæ semper pedes abluebant. Hanc ille confregit, ex eáque dæmonis statuam fecit, & in appositissimo vrbis loco statuit. Ægyptij simulachrum adeuntes, magnopere venerabantur. Amasis igitur, conuocatis ægyptiis, indicat, ex illa pelui, in qua primo ægyptij euomere immingeréque, & in qua pedes abluere consueuissent, factū esse simulachrū, quod tunc tantopere venerarentur. Itaque se aiebat perinde atque peluim esse factum: qui si ante hac fuisset plebeius, in præsentiarum tamen esset rex, eoque iubere, vt sibi honor haberetur, atque reuerentia. Hunc in modum ad se traduxit ægyptios, ita vt æquum censerent ei seruire. Herodotus lib. 2.

Ptolemæus eunuchus Mithridatem ab omnibus desertum in suum equum sustulit, & manibus L. Luculli eripuit. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Apud Romanos lictorum erat, vt comitantes magistratus, populum de via discedere iuberent, ne quisquam magistratuum pedes offenderet, vel vlla ex parte impediret: si eques obuiam veniret, ab equo descendere iuberet, quod magni honoris loco habebatur. Val. Max. lib. 2. cap. 1. & Alex. lib. 1. cap. 27.

Maxima diligentia Romani hunc morem retinuerunt, ne quis se inter Cos. & proximum lictorem, quamuis officij causa vnà progrederetur, interponeret: filio duntaxat, & ei puero, ante patrem Cos. ambulandi ius erat. Qui mos adeò pertinaciter retentus est, vt Q. Fabius Maximus quinquies Cos. vir etiam pridem summæ autoritatis, & tunc vltimæ senectutis à filio Cos. inuitatus vt inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitum turba, ad quorum colloquium descendebant, elideretur, id facere noluerit. Val. lib. 2. cap. 1.

IDEM à Senatu legatus missus ad filium Cos. Suessam, postquam animaduertit eum ad officium suum extra mœnia oppidi processisse, indignatus quoque quòd ex lictoribus nemo se equo descēdere iussisset, plenus iræ sedere perseuerauit. Quod cum filius sensisset, proximo lictori, vt sibi appareret, imperauit. Cuius voci Fabius continuò obsecutus: Non ego, inquit, fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires Cos. agere. nec ignoro quid patriæ venerationi debeatur: verùm publica instituta, priuata pietate potiora iudico. Ibidem.

A condita Vrbe vsque ad Africanum & Tiberium Longum consules, promiscuus senatui & populo spectandorum ludorum locus erat: nunquā tamen quisquam ex plebe in theatro ante P.C. spectare sustinuit. Adeò circumspecta Rom. ciuitatis verecundia fuit. Val. Max. lib. 4. cap. 5.

EADEM certissimum sui documentum etiam illo die exhibuit, quo L. Flaminius extrema in parte theatri cōstitit, qui à M. Catone & L. Flacco censoribus senatu motus fuerat, consulatus iam honore defunctus: frater etiam T. Flaminij, Macedoniæ, Philippíque victoris: omnes enim eū transire in locum dignitati suæ debitum coegerunt. Ibidem.

Q. Mutius prætor Siciliæ, ante Verrem suis semper gratissimus fuit: cui Siculi ob merita, Mutia festum diem dicauerunt. Cicero in Verrem.

M. Catone de prouincia digrediente, milites manum reuerenter esse osculatos, legimus apud Plutarchum: quod genus honoris imperatoribus modò, idque perpaucis id temporis tribuebatur.

TIBERIVS Cæsar magistratus habebat in honore non aliter atque stante repub. assurgebátque Consulibus: &, quoties eis cœnam dabat, ingredientibus ad fores procedebat obuiam, & comitabatur abeuntes. Cūque sella veheretur, neminem senatorij aut equestris ordinis consequi patiebatur. Dion Nicæus in eius vita.

PERTINACI Romanorum imperatori à militibus iam interfecto Seuerus non tantùm monumentum fecit, eiúsque nomen in votis atque sacramentis omnibus iussit vsurpari: sed vt statua quoque eius aurea curru ab elephantis veheretur in circum, præcepit. Xiphilinus in Seuero.

MAGISTRATIBVS ALIORVM HONOREM EXHIBERE.

Huc refer Honores legatis impensos.

PARENTES COLERE, QVOCVNQVE MODO.

Non tantum lege naturali, verumetiam diuina tenentur filij suos venerari parentes, quum Deus præceperit eis, dicens: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Cui præcepto præmium addidit: *Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Matth. 15. Marc. 8. Exod. 20 Deut. 15.

Licet Esau esset homo malus, reprobatus à Deo, & odio haberet fratrē suum Iacob: nolebat tamen ipsum occidere, viuente patre suo Isaac. Vnde dicebat: Venient dies luctus patris mei. In hoc deferens patri honorē & timens offensam eius. Genes. 9.

Semus & Iaphetus cùm patrem ebrium detectis pudēdis inuenissent, indice Chamo fratre, retrò gradientes auersis oculis pallium ei miecerunt: eamque ob causam à patre benedictionem, Chamus verò maledictionem retulére. Gen. 9.

DAVID à facie Saul fugiens, & in magna necessitate existens, habuit curam parentum suorum, & commendauit eos diligenter Moabitarum regi. 1. Reg. 22.

Venienti Bersabeæ matri Salomonis, assurrexit rex, adorauitque eam: & positus est thronus matri regis. 3. Reg. 2.

TOBIAS senior instruens filium suum, inter cætera dixit: Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meū sepeli, & honorem habeas matri tuæ, omnibus diebus vitæ tuæ. Tob. 4.

Eiiciens Dominus de templo cum flagello vendentes & ementes boues, & numularios, dixit: Nolite facere domum patris mei domum negociationis: in hoc & aliis multis honorem patris quærens. Ioan. 3.

CHRISTVS pendens in cruce, matrem suam dilecto discipulo Ioanni commendauit. In quo apparet, quàm solicitudinem gesserit de ipsa, qui nec in mortis quidem articulo eius oblitus fuerit. Ioan. 19.

ANTIGONVS adolescens, cùm Demetrius pater in Chersoneso Syriæ, (vbi Seleuci iussu ad extremum vitæ tempus custoditus est) mortem obiisset, intenderat cursum in Syriam, audito patris obitu, vt eius cineres in Græciam deportaret. Eratque iam multum eius nauigationis emēsus, cùm illos obuiam habuit. Quos magna veneratione cōplexus, vrna clausit aurea: purpuráque & diademate instrata, regia naui sublimiter collocat. circumstabant hastati iuuenes, armorum fulgore conspicui: sacrū canebat carmen Xenophantes, modulator ætate illa insignis, tanta vocum suauitate, vt remorum pulsum, nautæ præsertim, modulationi accommodarent. Et Antigonus per insulas & vrbes Græciæ paternum funus tā piè extulit. Sab. lib. 1. cap. 4.

ARCHEBII pietatem erga matrem in ære alieno, quod illa cōtraxerat, dissoluendo, pete ex tit. Oci j fuga religiosa.

Telecrus ipsi nuncianti, patrem de eo malè loqui: Nisi, inquit, illi dicēdum esset, haudquaquam diceret. Maluit in se transferre culpam, quàm committere vt pater quicquam temerè loqui videretur. Habes & pietatis simul & modestiæ exemplum. Plut. in Laconicis.

Epaminondas ex omnibus quæ præclarè & honestè gessisset in vita, illud sibi dicebat esse iucundissimum, quòd vtroque parente viuo Leuctrica pugna vicisset Lacedæmonios. Vir pius non tam sibi gratulatus est eā obtigisse gloriam, quàm hanc voluptatem ex se contigisse his, quibus vitam suam acceptam ferebat. Plut. in Græc. apoph.

Adolescens quidam patris vita defuncti inimicum mox in ius vocauit, vltúsque est. quem Cato obuium comiter amplexus: Sic oportet, inquit, non agris hædisve, sed è malorum lachrymis ac damnationibus parentū exequias celebrare. Eras. lib. 5. Apoph.

DARIVS, cùm contra Scythas bellum gereret, atque illi pugnam subinde subterfugerent: misit ad Indathyrsum Scytharum regem equitem, qui ab eo peteret, vt vel Dario sese submitteret, aquam & terram muneris loco afferens: vel certè cursum sisteret, & prælio congrederetur secum. Ad hæc autē Indathyrsus sic respondit: Sic res meæ habent, ô Persa, vt neque vllū mortalium ego metuens antè fugerim, neque nūc fugiāre, neque

quicquam faciam diuersum ad eo quod in pace facere consueueram. Quòd tamen non protinus tecum in eo prælium, huius rei te certiorem faciam: Nobis neque oppida sunt, neque agri culti, quorum vel amittendorum vel vastandorum metu properemus vobiscum conserere pugnam, ad quam si opus est continuò deuenire, sunt paterna sepulchra: quæ age dum inueneritis, tentate labefactare: & tunc intelligetis, pugnaturi vobiscum simus pro sepulchris, nécne, prius autem (*nisi nos ratio traxerit*) tecum prælium non conseremus. Herodotus libro quarto.

POMPONIVS Atticus, eques Rom. nobilissimus, & familiaris Ciceronis, tam pius in matrem fuisse dicitur, vt iurauerit cum matre nonagenaria se nunquam in gratiam rediisse. Testis est nepos apud Volaterranum, lib. 18. Anthrop.

ALPHONSVS Rex Aragonū, cùm peregrè aduenienti Ferdinando patri obuiā progressus, animaduertisset illum lectica vectari valetudine affectum, statim equo desiliit, vt patrem pedibus comitaretur: & si opus esset, humeris aut ceruice etiam sustolleret. Cúmque è lectica pater identidem cohortaretur, vt exemplo multorum procerum iuxtà adequitantium, & ipse quoque equum ascenderet: Alij, inquit, ô pater, quid ad se attineat, ipsi viderint: ego quidem adduci ipse neutiquam potero, quin regem, quin patrem, & eundem ægrotum pedibus sequar. Panormita lib. 2. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM patrem suum Ferdinandum decem ac septem aureorum millibus funerauit, magno pietatis argumento.

DISTRIBVTIVAE IVSTITIAE TERTIA SPECIES, GRATITVDO.

Exempla ex distributione simplici, siue secundum virtutem, peti possunt. Nam in vna eadémque actione considerari potest & habitus bonus, Virtus scilicet, à quo bona actio proficiscitur, propter quem præmiis aliquem afficimus. & effectus bonus, qui nobis nostrísve vtilitatem aut iucūditatem aliquam peperit. nósque ad par pari referendam incitat. Exempla igitur eadem vtrique loco, diuerso tantùm respectu, inseruire possunt.

GRATITVDO IN GENERE.

ÆGYPTIOS, prodit Diodorus Siculus, credi, extrà quàm sit gentiū aliarum captus, erga benemeritos, præcipuè gratos, quòd magnum vitæ subsidium opinētur gratiæ retributionem. Itaque non diis tantum, non hominibus, sed brutis quoque animalibus gratitudinem pro beneficiis acceptis ostendere voluerunt. Cœl. libro septimo, capite vigesimo octauo.

Apud Lacedæmonios traduntur duæ Gratiæ ab Homero, quarum ædem in foro medio veteres statuebant, vt gratia meriti cuiuis in promptu foret, atque ad promerendum quisque esset facilis & expeditus. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 1.

CHILONIS sapientissimi philosophi grauissima de grati animi significatione sententia vulgo celebratur: Beneficij dati obliuisci decet, accepti meminisse. Laertius.

GRATIAS tres deas, vnam auersam, duásque nos aspicientes, ideò finxerunt veteres, vt geminatam gratiam & cumulatiorem ad nos redire oportere docerent. Alex. lib. 5. cap. 1.

GRATITVDINIS SPECIES.

PRO INSTITVTIONE ET ERVDITIONE præceptorum. *Gratitudo discipulorum erga præceptores.*

Gratitudo ista & fide & amore nititur. Proinde ad vtrunque locum, præter hunc tertium, referri non ineptè potest.

REGINA Saba dedit regi Salomoni centum vinginti talenta auri, aromata multa, & gemmas præciosas. Rex autem Salomon dedit ei omnia quæ voluit & quæ petiuit ab illo, exceptis his quæ vltrò obtulerat ei munere regio. tertio Reg. decimo.

CLODOVÆVS rex, ad Christi fidem à D. Remigio episcopo Remēsi conuersus, tantum agri Remensis ei concessit, quantū interdiu dormiente rege circumire posset. Eius autem agri vsum fructum pauperibus distribuebat. Hincmarus in vita Remigij.

CARNEADES Stoicorum & Chrysippi libris perlectis, modicè & verecundè illis reluctabatur, adeò vt sæpius diceret: Nisi Chrysippus esset, ego non essem. Laert. lib. 4.

Chrysippus in plerisque dissentiebat à Cleanthe præceptore, & à Zenone. Quoties verò in Cleanthem disserendo inueheretur, molestissimè id faciebat, adeò vt crebrè diceret,

ἐγὼ δὲ τ' ἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνήρ,
πλὴν εἰς Κλεάνθην, τοῦτο δ' οὐκ εὐδαιμονῶ.

Præceptori plurimum tribuebat: & tamen veritate coactus ab eo interdū dissentire cogebatur. Laert. lib. 7.

ÆSCHINES philosophus à Socratis latere nunquam discedebat: tantáque obseruantia eum coluit, vt Socrates dicere soleret, Solus nos colere nouit Æschines. Laert. lib. 2.

CRITO philosophus Atheniensis, ita Socratem amauit, vt nunquam aliquid ex his quæ sunt ad vitam necessaria, ipsi deesse passus fuerit. Guido Bitur.

Platonem tanti fecit Aristoteles discipulus, vt nomini eius aram in tēplo construxerit, statuamque consecrauerit: in qua scriptum erat, hunc esse illum, quem probi omnes meritò debeāt imitari, & commēdare. Vnde extant Criniti versus in Parthenicis.

Hæc illa est ara floribus redimita suaue olentibus,
Quam gratus bene merenti statuit discipulus seni:
Tituloque hoc testatus animum suum, atque officium.
Platonem probandum probè à probis.

Dionysius, cùm Platoni diceret, Aliquis auferet tibi caput: Xenocrates, qui tum præceptori aderat, Non prius (inquit) quàm hoc: suum ostendens caput. Laertius lib. 4. cap. 2.

ALEXANDER rex, cùm interrogaretur, Vtrum magis desideraret patrem Philippum, an Aristotelem præceptorem? Magistrum, inquit. ille enim vt essem, hic autem vt præclarè institutus essem, author fuit. Antonius in Melissa, par. 2. ser. 11. & Max. ser. 23.

Quum Zenoni Talentagori filio quidam dialecticus septem species dialecticas ostendisset, quantum mercedis postularet, interrogauit. Poscenti cētum, dedit ducentos. Laert. lib. 7. cap. 1.

Anaxagoras philosophus Periclis præceptor, fuisse legitur, cui in administranda republica magno fuit vsui. Verùm cum Pericles negociis intentus desiisset agere curā Anaxagoræ, iam ad decrepitam prouecti senectutem, constituit inedia finire vitam. Id simul vt renunciatum est Pericli, anxius accurrit, & argumentis, precibus & lachrymis conatus est hominem à spontaneæ mortis proposito reuocare: idque magis sua ipsius causa, quàm philosophi. Cui Anaxagoras, retecta facie iam moribundus, nihil aliud respondit quàm hæc: O Pericles, & quibus lucerna est opus, infundunt oleum. exprobrans illi neglectum amici, vnde tantam capere poterat vtilitatem. Lucerna curatur ob vsum vulgarem, & talis consiliarius neglectus periit. Laer. lib. 2. cap. 3.

Q. FVL. Nobilior, M. Fuluij F. vt animi grati specimen ederet, Ennium præceptorem ciuitate donauit. Volat. lib. 16. Anthrop.

Metellus cum Diodoro, quo Rhetorices magistro fuerat vsus, defuncto, sepulchro eius coruum lapideū imposuisset: Iustum, inquit Cicero, præmium retulit. nam volare ipsum docuit, non dicere. notans Metelli leuitatem & inconstantiam. Coruus auis est ἄφωνος. Plutar. in Rom. Apoph.

M. TVL. Cicero quàm pius erga A. Licinium Archiam poetam Antiochenum præceptorem suum fuerit, colliges ex oratione quam pro eo habuit, vt ciuem Heracliensem atque adeò Romanum quoque esse ostēderet: & quamuis ciuis non esset, dignum tamen, qui propter virtutes suas ciuitate donaretur.

Verrius Flaccus, libertus Verrij Flacci iuris Pont. peritissimi, dicendi genere cū claruisset, & præceptor Augusti nepotum fuisset, statua ei Præneste erecta est: vt est apud Tranquillum, de claris Grammaticis.

DIONYSIVS Areopagita, in Hierotheum magistrum suum librum composuit, περὶ τοῦ μακαρίου Ἱεροθέου. Gyraldus Dialogo quinto historiæ Poet.

OCTAVIANVS Augustus, cùm post victum Antonium cum Cleopatra multas hostium vrbes expugnasset, Alexandrinis tamen pepercit partim propter Alexandrum eius vrbis conditorem: partim propter Arrium philosophum, cuius opera in philosophiæ studio plurimum est vsus: partim etiam, ne damnum inferret tantæ hominum multitudini, quæ antea sæpe seruierat vtilitatibus & commodis populi Romani. Dion Nicæus in Augusto.

M. AELIVS Aur. Antoninus, tanto Frontonem suum præceptorem amore prosequutus est, vt ei statuam à senatu impetrauit. Volat. lib. 23. Anthrop.

THEODOSIVS Imp. quem honorem voluerit à filiis suis Arsenio præceptori eorum impendi, pete ex tit. Eremitarum, sub nomine Arsenij.

Gratianus Cæsar Ausonium *Gallum* præceptorem consulem fecit, & multis aliis beneficiis liberalissimè affecit. Vide Ausonij orationem, qua ei gratias agit.

IOANNES *Quirinus* defunctum Benedictum Prunulum præceptorẽ suum, & meum, cuius per aliquot annos frequens auditor fuerat, natu etiam grandior, sepeliendum curauit, monumentúmque marmoreũ mox insigne in Minoritana æde posuit: memor nimirum & egregiæ illius bonitatis, & singularis quam sub eo imbibisset eruditionis. Inuitant igitur lo cum studiosi iuuenes frequenter, vt hoc exemplo edocti, quantum discipuli ipsi præceptoribus suis debeant, perpetuò meminisse velint. Egnat. libro 5. cap. 2.

PRO CONSILIO PRVDENTI.

PHINEVS ob prudens consilium Argonautis datum à fœdis liberatur harpyis. Vide tit. Pœna parricidarum parentum.

PRO ADMONITIONE LIBERA. *& amica.*

Macedonum rex Philippus, cùm subhastationis quorundam captiuorum spectator esset, veste supra genua collecta sedebat. Cùm autem captiuorum vnus rogaret, vt eum liberare Philippus vellet, quia amici eius fuerat filius: petiit Philippus, vt nomen exprimeret. Cui cùm captiuus ipsi soli id se dicturum respondisset, vicinior factus hoc vnum dixit: Vestem rex quam supra genua collegisti, demitte: neque enim ita sedendo decorem seruas. Quo verbo audito, Philippus statim vestem demisit: & vt amicæ admonitionis gratus esset, captiuum statim vt amicum liberauit. Fulg. lib. 5. cap. 2.

PRO INDICIO PRODITIONIS, VEL *cuiusuis alterius periculi.*

CERES Triptolemo & Eubuleo, D. [illegible] Atheniensis filiis, eo quòd ex illis [illegible] frumenta serendi rationem tradidit Pausanias in Atticis.

Carolus Magnus [illegible] ob [illegible] detectam, donat abbatia S. Dionysij. Vide tit. Monachorum [illegible].

Fuit Marini Faletri principatu Beltrandus nomine, vir plebeij sanguinis, sed tamen ipsi duci Faletro non mediocri familiaritate coniunctus. Quum igitur dux ipse nefario scelere in patricium ordinẽ (causas autem tanti sceleris nunc repetere, nec temporis, nec loci fuerit) coniurasset, vt ipse solus regno potiretur, Beltrandum hunc ipsum conspirationis conscium, comitemque asciuerat, sexagintaque plebeiis hominibus præfecerat, qui præscripta die in curiam venientes, campani æris sonitu coacti, in patricios omneis ferrum stringerent, omnesque necarẽt. Hoc tam immane facinus Beltrandus, pridie quàm res patraretur, ad Nicolaum Leonem patricium & compatrem suum detulit, siue pœnitentia ductus tam immanis ausi, siue spe maioris præmij illectus. Ad hunc nuncium consternatus Leo, diligentius Beltrãdo domi asseruato, aliquot sanguinis patricij viros in priuatam ædem cogit: reque planè patefacta per indicem, decemuirũ consilium vocat noctu: quorum authoritate statim innumera manus coacta, qui rei conscij fuerant, supplicio statim affecti. Tum summa luce dux ipse conuictus sceleris, dignitate ipsa primùm est priuatus, mox & ceruices illi meritò publicè abscissę. Quibus omnibus ritè confectis, conuenientes ipsi patres Beltrando indici primùm veniam tribuunt: inde donec vixerit millenis aureis annuis donant, ædésque illi Marini Faletri ducis ad Apostolorum phanum dono dant, & (quod amplissimum erat) cum suis hæredibus in patricium ordinem est ascitus. Cæterùm dum quadam animi peruicacia, fastuque, patres vt ingratos passim accusaret, sæpe admonitus, nec ab incœpto desisteret, in exilium relegatur. Qui dum locum non seruat præscriptum, Illyriúmque frequentius oberrat, tandem interfectus obiit. Egnat. lib. 3. cap. 4.

PRO FELICI NVNCIO.

ÆSCHINES Atheniensis orator, mirum in modum fauens Philippo contra regem Persarum, incredibili celeritate victoriam Atheniensium contra Bœotos nuncians, coronam publicè meruit. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthropol. ex Philostrati Sophistis.

Rodolphus comes Habspurgensis, anno Christi 1273 Basileam Rauracorum obsidebat, vt Stelliferorum factionem (qui à Psittacis vrbe eiecti erant) reduceret. Eum Germani principes nihil minus cogitantem Francofurti Calend. Octobris vnanimi consensu, propter insignem virtutem ac pietatem (vrgente id maximè Moguntino episcopo, quem olim Romã proficiscentem in itinere comitatus, incolumem duxerat ac reduxerat) in regem Romanorum elegerunt. Electionis literas Basilienses Moguntini episcopi opera adepti, Rodolpho offerunt. *Is* felicis nuncij ergò vrbem obsidione liberat. Eius rei fidem facit statua lapidea, quæ adhuc Basileæ extat prope interiorem portam D. Ioannis, in Bursa Leonina olim dicta: Rodolphi chlamydati imago sedentis, sinistra sceptrum, dextra literas tenentis.

PRO PRÆSAGIO.

CYRVS maior, quòd in Esaiæ libris, CC antè & decem annis editis, nomen [illegible] diserté positum inuenit (Prophetæ carmen hoc habuit: Volo Cyrum quem [illegible] & magnarum gentium regem constitui, populum meum ad propria remittere, ibique mihi templum iterum suscitari) prophetica prælectione lætatus, edicto testatus est, se Iudæos in patriã remittere, vt Deo templum restituerent, cuius prouidentia multo prius quàm nasceretur fuisset rex constitutus. Sab lib. 7. cap. 1. ex. 1. Esdræ 1. & 3. [illegible] oræ 2. & Iosepho libro vndecimo, capite primo.

ALEXANDER Macedo, cùm Hierosolymis esset, Danielis prophetæ oraculo instructus, fore vt rex Græciæ Persarum olim opes euerteret, certa spe victoriæ ex ea re percepta, Iadduam & cæteros sacerdotes, per quos fatidicum carmen cognouit, amplissimis donauit muneribus: ipsi ciuitati permisit, vt suis vteretur legibus, tributúmque in septem annos remisit. Ibidem.

GRATITVDO PRO BENEFICIIS COLLATIS, QVAE *corpori profuerunt.*

PRO EDVCATIONE.

Ciuitas est in Achaia, nomine Patræ: in ea puer DRACONEM partulum emebat, magnáque eum cura educabat: cum[que] creuisset, loquebatur quasi cum intelligente, ludens ac dormiens cum ipso. Cùm verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à ciuibus est dimissus. Postea verò cùm puer adolescens factus, reuersus è spectaculo quodam cum aliquibus æqualibus in latrones incidisset, & clamores extulisset, ecce draco præstò est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsũ verò saluum conseruat. Ælianus lib. 13. de Varia historia.

In vrbe Sexto, nutrita à virgine Aquila, vt educationis gratiam referret, aues quas captabat, ad virginem deferebat: & cùm postea virgo decessisset, eodem rogo quo illa ardebat, vltrò in eum deuolãs, cum virgine cõbusta est. Fulgos. lib. 5. cap. 2.

PRO CVRATIONE CORPORIS ET *seruatione à morbis.* PRÆMIA *Medicis data.*

NAAMAN Syrus mundatus à lepra, ad verbum Elisei septies in Iordane lotæ obtulit ei munera, dicens: Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo. 4. Reg. 5.

VNVS ex decem leprosis, de quibus historiam scribit beat⁹ Lucas cap. 17. à Domino mundatus, regressus est: & procumbens in terram, Saluatori gratias egit. Cuius gratitudo, Domino fuit acceptissima. Coarguit enim aliorum ingratitudinem: Nonne decem, inquiens, mundati sunt, nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? erat enim Samaritanus.

MVLIER hæmorrhoissa Cæsariensis fuit, & à Christo curata, eius fimbriæ attactu. Itaque gratitudinis ergò præ foribus domus suę columnam erexisse dicitur, in qua æreæ duæ statuæ sublimes stabant: Fœmina supplicãti similis, genubus flexis, manibúsque protensis, viri diploidem tangebat: Vir ipse manum supplici porrigebat. Ex basi virilis statuæ herbam ἀλεξιφάρμακον enatei asseruerunt, quæ cùm ad sacram fimbriam pertigisset, crescere desineret. Ea ad desperatissimos morbos vtebantur, de causa incerti, aut cuius ea esset statua: donec effossa terra, literę historiæ fidem facientes apparuerunt: & deinceps herba ea euanuit. Statua ipsa vsque ad Iulianum apostatam durauit, qui eius loco suam erexit: quæ tamé fulmine disiecta fuit. Statuam autem Christi in Ecclesiæ Diaconicum transtulerunt pij homines, quam panico furore perciti quidam funibus reuincientes per mediam retraxere viam, omnique genere contumeliæ affecerunt, ita vt totam comminuerint. Fragmenta à religiosis viris collecta, & maximi thesauri instar reposita. Nicephorus libro sexto, capite decimoquinto, & lib. 10. cap. 30.

HIPPOCRATES medicus, cùm pestis ex Illyrico appropinquare diceretur, ex discipulis quosdam in diuersas Græciæ ciuitates dimisit, qui in illis laborare incipientibus opitularentur. Quapropter eosdem, quos & Herculi, Græcia illi honores decreuit. Sab. li. 7. cap. 1. ex Plin. lib. 7. cap. 37.

Aristarchus poeta Tegeates, cùm ab Æsculapio morbo grauissimo liberatus esset, ne ingratitudinis vitio laborare videretur, pro recepta sanitate Æsculapio fabulam vouit. Volaterranus libro decimotertio, capite decimoquarto Anthrop.

Phalaris tyrannus, licet crudelitate insigni semper notatus sit, gratitudinis tamen specimen non vulgare edidit. Polycleti enim medico, qui gratissimo eum morbo liberarat, ex puro auro misit phialas quatuor, crateres argenteos duos, poculorum item thericliorum paria decem, puellas quoque intactas viginti: cum his etiam Atticarum argẽtearum quinquaginta millia. Pontanus lib. de Liberal. cap. 25.

DEMOCEDES *Crotoniensis* Darium curauit, cùm pedem luxasset. Ob quam

Ob quam curationem, cùm eum rex duobus aurearum compedum paribus donasset, interrogauit Democedes, Nunquid ideo se duplici malo remunerandum putaret, quòd ab eo sanatus esset? Hoc dicto Darius delectatus, ad suas vxores hominem misit. Eunuchi, qui eum deduxerunt ad fœminas dicebant, hunc esse qui restituisset animam regi. Tũc earum singulæ auream phialæ thecam suffringentes, Democedem donauerũt tam amplo munere, vt excidentes ex percussione phialarum stateres, famulus qui sequebatur, nomine Sciton, aduertens, collegerit non paruam auri summam. Herod. lib. 3.

Cleombrotum Ceum *medicum* Ptolemæus rex centum donauit talẽtis, seruato Antiocho rege patre suo. Hoc Plin. lib. 7. cap. 37. de Cleombroto scribit: lib. verò 29 cap. 1. de Erasistrato.

Statuit POP. ROM. Antonio Musæ medico signum Æsculapio proximum, ob Augustum periculoso morbo seruatum monumentum publicæ gratitudinis haud vulgare, præcipuumque artis decus: quòd potentissimi populi, omniumque gẽtium victoris iudicio, vnus aliquis hominum medicinæ Deo æquari debuerit, quòd caput vnum, etsi ciuitati grauissimum, maiore felicitate quàm artis peritia, seruasset. Sabellicus libro septimo, capite primo.

Eidem quoque Cæsari ipse magnam pecuniam dedit, concessitque ius annulorum: nec solum ei, sed etiam cæteris omnibus qui eamdem artem profiterentur, vel essent in posterum professuri. Sed tum is medicus beneficio fortunæ, vel diuino, vt ego arbitror, vsus est. Marcellus enim cum nõ multo pòst ægrotaret, atque eodem modo frigidis quibusdam potionib⁹ & lauacris à Musa curaretur, mortuus est. Xiphilinus, Dionis Nicæi abbreuiator, in *Augusto*.

Appion polyhistor Grecus, vir doctissimus, scribit, quemadmodum A. Gellius in Noctibus suis refert, mirum in modum LEONEM quendam gratum extitisse erga seruum, nomine Androdum, quem ipse ad bestias damnatum se vidisse affirmat. Is Androdus cum leone in theatro positus, quia morti damnatus erat, præ timore penè exanimis iacebat. Cui leo appropinquans, magna totius populi admiratione manus & crura lambere, & cauda, quantum poterat, blandiri cœpit. Quare miser Androdus resumpto animo, cùm ex hoc leonẽ agnouisset, ipse quoque leoni cœpit blandiri. Itaque cùm admiratione capti omnes essent, à Cęsare, vt Androdo ignosceretur, petierunt. Annuit Cæsar, deductúmque ad se Androdum rogauit, quæ huius rei causa fuisset? Cui Androdus in hæc verba respondit: Gubernante Africam domino meo, nimijs verberibus ab eo profugere coactus, in Africæ deserta me contuli, ibique fortè in quoddam antrum me recepi. Haud multo pòst leo quoque in eandem speluncam venit, qui querula voce pede se debilitatum ostendebat, vnde perterritus penè concidi. Sed tandem à leone *conspectus*, qui pede sublato, querulus ad me venit, etsi vehementer terrore mouebar, cùm alia mihi consulere ratione non possem, necessitatem in qua constitutus eram, in virtutem audaciámque conuerti. Manu feræ pedem apprehendi: atque conspicatus in eo confixam grandem spinam, vt melius potui, à pede euulsi. Itaque ab eo die fera ex venatione sua partem meliorem mihi semper impartita est. Ego autem triennium cum ea moratus, non alio cibo, nisi quem leo afferebat, vixi, cum in sole, quia ignis copia nulla erat, decoquens. Sed cùm hæc vita grauis mihi videretur, profecto in venationẽ leone, spelunca egressus, haud longè abij, cum captus ad dominum quem antè habebam perductus sui, qui me ad bestias damnauit: & nunc ab hoc leone agnitus, ex signis cum ipsum esse aduerto, quo cum in antro triennium vixi. His auditis, populus Romanus à Cæsare serui liberationem impetrauit, & simul vt cum libertate leo quoq; ei munus daretur. Quem seruus dum per vrbem ductaret, lucri ad vitam sustinendam adiutorẽ habuit. Huius leonis exemplum adducere nos facilius in sententiam potest, vt credamus sanctum Hieronymum ad onera ferẽda parentem habuisse leonem, quem pede debilitatum, veluti hic, de quo diximus, ipse curauerat. Item vt Macario Ægyptio eremitæ, leæna, cuius catulos oculis captos, cæcitatis damno liberarat, (*quemadmodum Ruffinus scripsit*) pecudũ ferarúmque aliarum, vt inde indumenta conficeret, pelles detulisse. Fulg. lib. 5. cap. 2. & Egnat. lib. 5. cap. 2.

D. LEONARDVS Cenomanensis, episcopus Lemonicẽsis, cùm Clodouei regis vxorem in partu periclitantem seruasset, multa munera rege offerente, id tantum petijt, vt sibi de sylua, in qua regina peperisset, tantũ concederet, quantum vna nocte asino circuire posset. Ibidem monasteriũ construxit, & duos monachos apud se habuit. Deinde venerunt septem familiæ eius generis, quas omnes distributis nemoribus apud se retinuit. Vincentius lib. 21. cap. 11.

THADEVS Florentinus medicus, tanta fuit nominis celebritate, vt ad curam ægrotorum extra vrbem vocatus, non vilius quàm quinquaginta aureorum mercede in singulos dies peregrinaretur, vocatúsque ab Honorio Quarto, centum sibi statui voluit, præter mercedem. A quo curato decem millia reportauit. Volater.

CAVTERIVS Gallus, Ludouici XI. Gallorum regis medicus, menstrua mercęde coronatorum aureorum decem millia accipiebat: teste Argentonio.

PRO VITAE CONSERVATIONE, ET *periculorum depulsione.*

RAAB meretricem Hiericuntiam, in Hiericuntis excidio solam cum tota domo Iosue pręstitit incolumem, quòd suos hæc exploratores in vrbe deprehensos per diem texisset, cùm ad supplicium quærerentur, noctúque tutos in castra dimisisset. Sab. lib. 7. cap. 1.

DAVID rex, Ionathæ opera sæpius seruatus (erat filius Ionathas Sauli regis, quo nullus vnquam hominum fuit Dauidi infestior) posteaquam regno potitus est, Ionatham complexus, cùm omnem alioqui progeniem Sauli hostiliter insectaretur, vnum ob patris memoriam clementer fouit, regióque conuiuio ascripsit. Ibidem.

DARIVS è Scythia fugiens, transmisso rapidissimè Hellesponto, postquam Sardis venit, recordatus est beneficij in se ab Histiæo Milesio collati, qui ratem in Istro custodiuerat, & consilij Cois Mitylenæi, qui ratem non soluendam suaserat. Quibus accersitis Sardis, obtulit electionem, Histiæus, vt qui esset Mileti tyrannus, nullam sibi tyrannidem poposcit: sed locum in Thracia ad Strymonem fl. Myrcinum Hedonidem dictum, animo vrbis in ea condendæ. Coes autem cùm non tyrannus, sed priuatus esset, optauit Mitylenes tyrannidem. Impetrato vterque quod optauerat, eò se contulit. Herod. lib. 5.

MINA rex, cùm à proprijs fugatus canibus, casu & necessitate pellente in Myridis paludem incidisset perniciosissimam, à crocodilo præter omnem expectationem liberatus, beneficij tanti memor, ciuitatẽ eo loco condidit, quam Crocodillam ob perpetuam beneficij memoriam nominari voluit. Diod. Sic. lib. 2. cap. 2. de rebus Antiquis.

Feritate insigni inter bruta omnes PANTHERAM putant: & tamen à Demetrio physico traditum est, cùm in fossam panthetæ catuli cecidissent matrem in celebrem viam profectam, cùm hominem cõspicata esset, qui Philenis philosophi parens fuit, leniter, vt poterat, mordicùs apprehensa eius veste, ad locum in quem catuli conciderant deduxisse. Et quanquam vir ille haud leui timore tenebatur, tamen qui aliter non poterat, ad locũ peruenisse: vbi statim causam agnouit, quę feram, vt eum illuc deduceret, impulerat. Itaq; ei catulos à fossa eduxit: cuius meriti vt gratiam referret, per totum illud iter hominum prosecuta, ab alijs cum feris hostibúsque defendit. Fulg. lib. 5. cap. 3.

Cùm LARGIVS ciuis Romanus, in triumuirali proscriptione nominatus esset, fortè inuentus à militibus, qui eam prouinciam obeuntes, aliũ insequebantur, præ misericordia ab eis dimissus est. Qui cùm nondum ab eis longè abijsset, animaduertit ab alijs militibus, qui proscriptos ipsi quoque disquirebant, se detectum. Cùm autem videret se nullo modo eorum posse manus euadere, in ea animi perturbatione, in qua de salutis periculo torquebatur, memor accepti à prioribus militibus officij, qui eum dimiserant, sanguine suo, posteaquàm aliter non poterat, gratum se eis præstare voluit. Itaque ad eos reuersus, dixit. Velle se, vt ad ipsos poti⁹ capitis sui præmium perueniret, quia quantum in eis fuerat, eum liberarant, quàm ad illos qui sine vlla misericordiæ specie ipsum insectabantur. Ibidem.

FVRNIVS quidam, qui vixit Augusti temporibus (cuius pater quandoquidem sub Antonio stipendium fecerat, ob id iure belli hostiliter Augusto erat inuisus) adijt imperatorem, patris ab eo vitam deprecatur. Ignoscit ille. Tunc Furnius: Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam, effecisti vt viuerem & morerer ingratus. O festo plausu excipiendam vocem, ó insignem animi sublimitatem. Effecisti (inquit) vt viuam & moriar ingratus. Quod esse potest tam amplum gratitudinis indicium, quàm nulla ratione sibi satisfacere, & dantis beneficentię imparem se perpetuò fateri? Cælius lib. 7. cap. 28.

PYRRHVS Epirotarum rex, cum contra Romanorum ducem C. Fabricium pugnaret, regis medicus ad Fabricium scribit, se regem veneno interempturum: quod cùm intellexisset Romanus, statim Pyrrhum hostẽ admonuit, vt sibi caueret. Verùm Pyrrhus rex posteaquam medicum insidiatorem deprehendisset, & in crucem egisset, omnes Fabricij captiuos gratis dimisit: ne ei ingratus esse videretur, cuius admonitu à mortis periculo liberatus erat. Plut. in Rom. apop.

ALFONSVS in mare prolapsus è nauicula, beneficio remigis liberatus est. Hinc meriti gratia quotannis, dum viueret, duodecim vncias pendendas ex ærario statuit. Pont. de Liberalitate cap. 12.

PRO ALIMENTIS. PRO CIBI ATQVE *potus subministratione* PIETAS *erga altores & nutrices.*

ÆGYPTII cùm in summa annonæ penuria ab Erichtheo peregrino homine frumenta accepissent, ob hoc tam magnum beneficium in regẽ Ægyptiorum elegerunt. Diodorus. Sic. lib. 1 de rebus Antiquis, cap. 2.

CYRVS quamuis se Cambysis Persæ & Mandanes filiæ Astyagis regis Medorum filium esse resciuisset, suam tamen altricem Spaco (Græci Cyno vocant: vnde fabulæ initium, quòd à cane fuerit nutritus,) Mithridatis regij bubulci vxorem in tanto honore semper habuit, vt omnia in eius sermone esset Cyno. Herod. lib. 1.

ARTAXERXES Xerxis filius, rex Persarum, qui Mnemon cognominabatur, cùm à Sinæta rustico volam aquæ ex Cyro flumine haustæ dono accepisset (nec enim aliud habebat infimæ sortis homo, quo patrio more regem honorare posset) ea re delectatus rex: Ego inquit, ô homo, grato animo munus tuũ accipio, & in preciosissimis numero. Hæc locutus mandauit spadonibus, vt munus in auream phialam reciperent. Mox cùm in diuersorium venit, misit homini stolam Persicam, & phialam auream, & mille Daricos, simúlque ferentem ea dicere iussit: Visum est regi, vt hoc auro tuum animum oblectes & exhilares, quoniam ipsius quoque mentẽ voluptate affecisti, qui non indonatum neque inhonoratum præterire passus sis: sed, quemadmodum necessitas patiebatur, ita sis veneratus. Ælianus lib. 1. de Var. histor.

IDEM inopem militem CAVNIVM nomine ditauit, quòd ei ex aquæ vtre potum præbuerat, quo die aduersus Cyrum fratrem decertauit, & prælio defessus, magno animi corporísque æstu torquebatur Ful. lib. 5. cap. 2. & Pont. cap. 32 de Liberalitate.

ROMVLVS & Remus, cùm expositi ad Tiberim essent, & à lupa victum accepissent, eius beneficij memores Lupę simulachrum Romæ po suerunt. De quo Plinius, Marlianus, & alij.

AGRIPPA Magnus rex Iudæorum, cùm in priuata fortuna Romæ esset, & cum propter falsas suspiciones Tiberius cathenis ante palatiũ ad arborem vinciri iussisset, vt inde in carcerem duceretur: in eo loco propter solis ardorem, animíque molestiam magna siti torquebatur. Eá cum prætereuntem Thaumastum vidisset, Caij seruum, aquæ prægelidę vas ferentem, orauit vt bibere se fineret. Quod ille cùm amanter fecisset, dixit Agrippa, se pro ipsa re gratiam aliquãdo ei relaturum Haud multo pòst igitur Tiberio Caius in principatu successit: à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus, atque in Iudæa rex constitutus fuit: qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Thaumastus liberaretur. Itaque postea suorum numero acceptum regni procuratorem fecit: moriénsque testamento cauit, vt vxor ac liberi eodem apud se loco Thaumastum retinerent. Fulgos. lib. 5. cap. 2. ex Iosephi lib. 18. Antiq.

ATHENIENSIS populus publica alimenta ad extremũ vitæ diem MVLIS decreuit, quorum laboriosis operis in Hecatompylo ædificando vsus esset. Qui tametsi ob annositatem libertate donati, vacuíque incederent, tamen ne ipsi quoque minus grati aut officiosi viderentur, duces sese præbebant, & exhortatores itineris ac laboris iumentis aliis ad onera vehenda. Pontanus cap. 36. de Liberalitate.

MANIVS Martius, & TREBIVS, ædiles, quòd in summa caritate frumentum populo in modios assibus dedêre, commeatúsque inuêxere, statuas in Capitolio & palatio cum titulis honorum meruêre. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

GRATITVDO PRO BENEFICIIS, QVAE BONIS FORTVnæ nostris nostrorumue contulerunt.

PRO DEFENSIONE CONTRA HOSTIlem vim, atque etiam belluarum impetum.

Exempla plurima ex tit. Fortitudinis bellicæ præmia, peti possunt. Illic enim virtutis per se remunerationem spectamus: hic verò quatenus erga nos nostrósue benefica fuit, gratiam referimus.

IETHRO sacerdos Madiam, gratus fuit pro eo quòd Moyses filias eius defenderat, quando ad gregem adaquandum iuerant. Vnde fecit eum vocari ad conuiuium, & dedit ei filiam suam in vxorem. Exod. 2.

Cùm liberasset Gedeon ab inimicis ISRAELITAS, dixerunt omnes ad eum: Dominare nostri tu & filius tuus, quia liberasti nos de manibus Madiam. Iudic. 8.

ATHENIENSIVM ciuitas, eorum memor, quæ Aristides pro Atheniensium salute Persarum bello egerat, honestè dotatas è publico Aristidis filias, ex publico palatio ad maritorum ædes deduxit: Lysimachoque filio centum argenti minas, & totidem agri iugera, quadragintáque drachmas in singulos dies, vnde viueret, contulit. Fulgos. lib. 5. cap. 2.

Platæenses in agro suo, quòd in eo commissum à Græcis aduersus Persas prælium fuerat, quotannis in Gręcorum memoriam, qui illic pro communi libertate occubuerãt, solenni pompa sacra peragebant. Fulgos. lib. 5. cap. 2.

In ÆGYPTO, cùm serpentum multitudo plurimum detrimẽti hominibus & pecori adferret: feles quòd aduersus serpentum & aliorum reptilium morsus plurimum conferrent non tantum in precio habuerunt, sed etiam pro diis coluerunt. Diordor. Sic. lib. 2. cap. 2. de rebus Antiquis.

Ichneumonem, quòd crocodilos obseruaret, ouáque eorum contereret ita, ne multitudine infestum Nilum redderent, IIDEM etiam pro deo coluerunt. Ibidem.

Accipitrem quoque IIDEM pro deo coluerunt, quòd scorpiones ceratásque, & similia animalia fugaret & occideret. Ibidem.

Ferunt ex Arabia serpentes alatos ineunte statim vere in Ægyptum volare: sed eis ad ingressum planiciei occurrentes aues ibides, ipsos interimere. Ob id factum, ibin magno honore Ægyptij colunt. Herod. libro secundo.

Horatius Cocles, cùm vnus irruentibus ad vrbem Ethruscis, Porsennæque ipsi obstitisset, dum sublicius pons rescinderetur, pontéque effracto incolumis postea, armatúsque ad suos Tyberim tranasset: Senatus decreto, ROMANI omnes vnius diei cibaria domum Heratio pertulerunt: & insuper dono ei Senatus dedit, quantum agri vno die circumarare posset. Fulg. lib. 5. cap. 2.

Populum ROMANVM non puduit, perpetuo gratitudinis honore anseres prosequi, quòd dormientibus vigilibus, cùm Galli iam in summum Capitolium perrepsissent, clãgore Romanos milites excitarunt. Statuit enim vt in eo loco in posterum, magnus anserum numerus publica impensa aleretur: ad eámque rem Censores inter tot publica onera publicanos primò obligarent. Ne autem minus se seuerum quàm gratum populus idem præberet, ipso die quo hoc contigerat, in loco designato, quotannis aliquot viuos canes suspendebant. Quòd ipsi, quibus maximè inuigilandum fuerat, anseribus vigilantibus dormiuerant. Fulgos. lib. 5. cap. 2.

MINVTIVS magister equitum (cui secundo bello Punico æquatũ est cum Dictatore imperium) temerè in Pœnorum insidias præcipitatus est, circumuentúsque ab hoste cum dimidio copiarũ. Erat haud dubiè locum ipsum Ro. clade ante Cannas nobilitaturus. Cęterùm Fabii maximi Dictatoris, à quo dissentiebat in administrando bello, celeri oc cursu imminẽti periculo subtractus, haud ineptè ad infamiam diluendam gratitudinem temeritati prętexuit, vltróque Dictatori imperium restituit; Patrémque appellauit: fuit prętereà suis author, vt patronum militari clamore salutatum aurea corona donarent. Sab. lib. 7. cap. 1. ex Val. lib. 5. cap. 2.

Magnum grati POP. ROM. specimẽ in Q. Fabio Max. enituit. Nam cùm quinque consulatibus salubriter Reipublicæ administratis decessisset, certatim æs contulit, quo maior ac speciosior eius funeris pompa duceretur. Eleuet aliquis præmia virtutis, cùm animaduertat fortes viros felicius sepeliri, quàm viuere ignauos. Val. lib. 5. cap. 2.

C. DVELLIO, quòd nauali prælio Carthaginensium classem fudit, præter curulem sellam, vt quoties à cœna rediret, funale præferretur, & tibicen præcineret, concessum fuit. Alex. ab Alex. lib 4. capite vndecimo.

M. Cornuto prætore funus Hircij & Pansæ iussu Senatus locâte, QVI TVNC libitinam exercebant, tum rerum suarum vsum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia ij pro Repub. dimicantes occiderant: perseuerantíque postulatione excuderũt, vt exequiarum apparatus sextertio nummo, ipsis præbẽtibus, addiceretur. quorum laudem adiecta lege conditio auget magis, quàm extenuat: quoniam quidem quæstum contempserunt, nulli alii rei quàm quæstui viuentes. Val. Max. lib. 5. cap. 2.

Prætereunda non est ingens gratitudo, qua GENVENSES Petrum Fulgosum prosequuti fuerũt, cùm Genuensis classis Admiratus, aduersus Cyprios inde parta victoria, atque in potestatem redacta vrbe famaugusta, in patriam rediit. Nam præter prædæ partem, quæ ei ceu Admirato publico, decreto obuenerat, decem quoque aureorum numûm milia ciuitas addidit: cum immunitate, qua ipse ac liberi fruerentur. Decreto quoque edito, vt in posterum quotannis, omnes vrbani magistratus, in gratam victoriæ memoriam, religioni Minorum pallium perferrent: & qui ex Petri recta linea perferendo muneri interessent, omnes post principem ciuitatis, eo die anteirent. Fulgos. libro 5. cap. 2.

EPISCOPI Moguntini gratitudinem erga Rodolfum comitem Habspurgensem, quòd eum saluum Romam duxerat & reduxerat, pete ex tit. Præmium felicis nuncij.

PRO AVXILIO CONTRA HOSTES lato.

Consule titulum, Fortitudinis bellicæ præmia. Illic virtutis, hic beneficentiæ remuneratio spectatur.

HERCVLES Cleonensibus illis trecentis & sexaginta gratiam reddidit, qui cùm eum in expugnandis latronibus adiuuissent, & fortiter honestéque cecidissent, in ipsos honorem transtulit, quem sibi Nec mensès deferebant, cùm leonem in illorum regione versantem, & omnium opera disperdentem debellassent. Ælianus libro quarto de Varia historia.

Iuuentus ROMANA Quintio & Minutio Coss. vltrò nomina sua militari sacramento obtulit, vt Tusculanis, quorum fines Equicoli occupauerant, præsidium ferrent: quia paucis antè mensibus constantissimè & fortissimè imperiũ Romani populi defenderant. Ergo quod auditu nouum est, ne patriæ grata voluntas cessasse videretur, exercitus se ipse conscripsit. Val. lib. 5. cap. 2.

P. SCIPIO ob fidelem fortémque Masinissæ in populum Romanum operam, quoniam parum videretur regnum ei patrium restituisse, opulentissimam partem regni Siphacis adiecit, quo maius grati animi specimen esset. Pontanus capite 32. de Liberal.

Punico ardente bello, Murina Syracusanus, quód in Siciliam cum equitatu transiisset ad ROMANOS, ex authoritate Senatus & rogatione populi ciuitate donatus est. Alexand. ab Alexan. libro quarto capite decimo.

L. SYLLA Dictator priuato Pompeio & caput adoperuit, & sella assurrexit, & equo descendit: eáque se libenter facere, in concione prædicauit: memor, ab eo duodeuiginti annis nato, partes suas exercitu paterno adiutas. Multa insignia Pompeio, sed nescio an hoc quicquam admitabilius contigerit, quod magnitudine beneficii sui Syllam obliuisci coegit. Val. Max. lib. 5. cap. 2.

C. MARIVS duas Camertium cohortes mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie aduersus conditionem fœderis ciuitate donauit. Quod quidem factum & verè & egregiè excusauit, dicendo: Inter armorum strepitum, verba se iuris ciuilis exaudire nõ potuisse. Et sanè id tempus tunc erat, quo magis defendere, quàm audire leges oportebat. Ibidem.

CN. Pompeius Magnus Phraati Parthorum regi, qui antea amicitiam per literas confirmarat, bellum indixit. Verùm posteaquam Phraatis responso intellexit, quàm multa sua in populum Rom. extarent beneficia, ingratitudinis pudore affectus, destitit: ac neque Tigrani, cui Parthi bellum inferebant, auxiliatus est, nec amplius contra Phraatem quicquam hostiliter egit: ambobus tamen arbitros dedit, à quibus eorum dissidia componerentur. Quibus vtrinque admissis, ipsi omnem inter se controuersiam diremerunt. Dion Nicæus, seu eius abbreuiator Xiphilinus in Pompeio.

GREGORIVS V. Saxo, patre Otthone, Bruno antea vocatus, authoritate Otthonis III. propter affinitatem Pontifex vocatur. Verùm abeunte in Germaniam Otthone, à Crescentio consule Romanorum pellitur, & in Germaniam redit. Ottho cum exercitu eum restituit, Crescentio interfecto: & Ioanne XVII. Antipapa Græco, episcopo Placẽtino effossis oculis sublato. Gregorius tanti beneficij memor, Imperij titulũ à Gallis (deficiente Caroli Magni stirpe in Lodouico Lotharij filio) ad Germanos transtulit. Platina.

PRO CONCILIATIONE PACIS, ET bellorum compositione.

ROMVLVS, quia matronarum interuẽtu Sabino bello ciuitas defensa esset, indubitato gratitudinis argumento statuit, vt præter alia ornamẽta, ob id meritum mulieribus vno decreto congesta, ad omnẽ occursum via illis decederetur. Sab. lib. 7. cap. 1.

Martium Coriolanum patriam oppugnare conantem, admotóque portis vrbis ingenti Volscorum exercitu, funus ac tenebras Romano imperio minitantem. Veturia mater, ac Volumnia vxor, nefarium opus exequi precibus suis passæ non sunt. In quarũ honorem, SENATVS Rom. matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit. Sanxit namq; vt fœminis semita viri cederent: confessus plus salutis Reipub. in stola, quàm in armis fuisse: vetustisque aurium insignibus nouum vittæ discrimen adiecit: permisit quoque his, purpurea veste & aureis vti segmentis. Super hoc ædem & aram Fortunæ muliebri eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendam curauit, memorem beneficij animum suum exquisitæ religionis cultu testando. Val. Max. lib 5. cap. 2.

Non minus etiam se gratos præstiterunt ROMANI aduersus Latinos, quos cùm paulo antè hostes essent, in amicitiam ac societatem receperũt. Nam cùm Volscorum legatos ad se missos, vt à Romanorum societate auerterentur, Latini cæpissent, ac cathenis victos Romam misissent, opem in eo bello, etsi minimè requisiti fuerant, offerentes, Romani sex hominum milia Latini nominis, quos captiuos habebant, carcere liberarunt, omnésque nouis amictos vestibus domum, ope, quæ offerebatur, ad grauiores casus reseruata, remiserunt. Fulgos. lib. 5. cap 2.

CELTÆ, qui in Hispania degunt, se erga gentis suæ fœminas gratos ostenderunt ciuili bello, quo inter se decertabãt. Memores enim, earum oratione lachrymísque se depositis simultatibus in gratiam rediisse: statuerunt, vt in posterum omnibus consiliis suis fœminę interessent, & quicquid inter eos contentionis oriretur, fœminarum iudicio dirimeretur. Inter fœdera quoque, quæ cum Hannibale inierunt, scribi voluerunt, Vt si Celtæ cuipiam Carthaginenses iniuriam in Hispania fecissent, ea res à Carthaginensibus dijudicaretur: contrà autem si Carthaginensem Celta læsisset, iudicium penes Celticas fœminas foret. Hoc enim honore fœminarum suarum prudentiam prosequi voluerunt. Ibidem.

FRANCISCVS Dandulus Venetorum legatus, quia ad publicam ignominiam deprecandam diu ad clementis Romani pontificis mensam humiliter stratus iacuisset, ad quod ipsum fuerat publicè in Galliam missus, ex ea legatione reuersus, magno omnium ordinum fauore princeps est ciuitatis factus, vt qui nuper in squalore & sordibus pro patria censpectus esset, sublimi loco conspiceretur, auro & purpura conspicuus. Sabinus libro septimo, capite primo.

PRO ABSOLVTIONE IN IVDICIO.

M. LIVIVS Salinator, cùm ab omnibus Romanorum tribubus iniustè, excepta Metia, damnatus esset: reuocatus ad dignitates, in censura sua cùm cæteras tribus ærarias fecisset, quòd se vt nocentem condemnassent, & postea consulem censoremque fecissent, solam Metiam tribum mulcta exemit: & sine noxa, beneficij magni accepti memor, reliquit. Plin. cap. 50. de Viris illustr. Alexand. libro 1. cap. 17.

FANNIÆ gratitudo erga C. Marium, qui eam adulterij ream ne dote spoliaretur, præcauerat, pete ex tit. Iustitia in litibus componendis.

PRO HONORVM, DIGNITATVM & regnorum largitione.

MENESTHEVS Peteoi filius non ingratũ se præbuit aduersus Tyndaridas, qui eiecto Theseo, matréque eius Æthra captiua ducta, regnum Menestheo tradiderunt. Primus enim eos Menestheus regum & saluatorum nomine salutauit. Ælianus libro 4. de Varia historia.

EPHESTION Macedo, vnus è ducibus Alexandri, defuncto Alexandro, à quo multis beneficijs ornatus erat, ne ingratus videretur, ei tumulum XII milium talentorum extruxit, ac eum vti deum coli mandauit. Iustin. & Volat. lib. 15. Anthrop.

Liberalis populus Romanus magnitudine muneris, quod Attalo regi Asiam dedit dono: sed ATTALVS etiam testamenti æquitate gratus, qui eandem Asiam populo Romano legauit. Itaque nec huius munificẽtia, nec illius tam memor beneficij animus tot verbis laudari potest, quot amplissimæ ciuitates vel amicè datæ, vel piè redditæ sunt. Valerius Max. libro 5. capite 2.

MASINISSA Numidarum rex, beneficio Scipionis & persuasu regni modò liberius auctus, memoriam inclyti muneris ad vltimum vitæ finẽ, longa etiam à dijs immortalibus senectute donatus, constantissima fide perduxit, adeò vt eum non solùm Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent amiciorem Corneliæ familiæ, atque vrbi Romanę, quàm sibimet semper fuisse. Ille cùm graui Carthaginensium bello premeretur, ac vix tutelæ suæ imperij sufficeret: tamen Scipioni Æmyliano, quia nepos Africani erat, bonam magnámque partem Numidici exercitus, quam Lucullo cõsuli, à quo ad auxilia petenda missus fuerat, in Hispaniam duceret, promptissima mente tradidit, respectum pristini beneficij anteposuit. Ille cùm iam ætate deficiente, magnas regni opes quatuor & quinquaginta filiorum numero relinquens, in lectulo laberetur: Marcum Manilium, qui proconsul Africam obtinebat, literis obsecrauit, vt ad se Scipionem Æmylianum, sub eo tunc militantem, mitteret, feliciorem mortem suam futuram ratus, si in complexu dextræ eius supremum spiritum ac mandata posuisset. Ille aduentum Scipionis fatis suis præcurrentibus, hæc vxori liberisque præceperat, vnum in terris Popul. Rom. & vnam in Pop. Roman. Scipionis domum nosse: integrè omnia Æmyliano reseruare, cum diuidendi regni arbitrum haberent: quod is statuisset, perinde vt testamento cautum immutabile ac sanctum obtinerent. Tot támque varijs rebus se Masinissa infatigabili pietatis serie ad centesimum extendit annum. Ibidem.

L. SEPT. Seuerus pertinax, cùm M. Antonium ex omnibus maximè coluisset in vita, à quo honoribus ac dignitatibus auctus fuerat, vt gratum memorémque beneficiorum animum declararet, Bassiano & Getæ filijs relictis Antoninorum nomina indidit. Volaterranus libro vigesimo tertio. Anthropologiæ.

PRO ÆDIFICIIS TAM PVBLICIS quàm priuatis.

MARTINVS V. pont. max. è Columnensium familia natus, eo quòd ex operibus publicis ærarium basilicæ Petri restituerit, pauimentúmque basilicæ Lateranensis extruxerit, defunctus in medio templo sepultus est, cum ænea statua. Volaterranus libro 22. Anthrop.

PRO PECVNIA IN PVBLICVM collata.

Secundo bello Punico cùm Respublica infestis hostibus afflictaretur, & populi Romani ærarium exhaustum iam esset, cùm matronæ suæ spõte aurum & ornamenta in ærarium contulissent, non immemores beneficiorum ROMANOS fuisse constat. Cùm eius rei causa à Senatu concessum sit matronis, vt posthac festis profestisque diebus, dum ad sacra & ludos irent, carpento veherentur. Alexand. ab Alexand. libro quarto, capite octauo.

Matronis publico decreto à Rom. datum, quia Senonico bello aurum in medium contulissent ad Capitolium obsidione soluendum, vt mulieres vita defunctæ pro concione laudarentur: cum is honos ad id tempus virilis esset, & non alterius sexus Sab. libro septimo, capite 1.

PRO QVIBVSVIS ALIIS MVNERIbus priuatis.

Piè recognoscebat PAVLVS beneficia sibi collata. Vnde ad Galat. ait: Sicut angelũ Dei recepistis me, & si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Galat. 4. Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suauitatis. Philip. 4. Et alio loco: Det Dominus misericordiam Onesiphori familiæ, quæ sæpe me refrigerauit, & catenam meã non erubuit. 2. Tim. 1. Item pro Onesimo seruo Philemonis, qui ministrauerat in carcere, scribit eidem Philemoni efficaces literas.

PAMPHAES Pryenensis, cùm Crœso Lydo, superstite adhuc ipsius patre, triginta minas dono dedisset, CROESVS ad regnum euectus, eius beneficij non immemor, statim currum argento plenum ei remisit. Æl. libro 4. de Var histor.

Facetè se in eum ALCIBIADES gratum ostẽdit, qui eius amore captus, omnibus quæ habebat diuenditis, munus ei centum stateres tulerat. Nam postea quam simul cœnarunt, Alcibiades restituto munere monuit, vt postridie manè eum in foro conueniret. Vbi cùm Atheniensium vectigalia sub hasta auctionarentur, quæ societas quędam conducere quotannis consueuerat, ea conditione vt præsentis anni vectiga-

lis solutio in sequẽtem transiret annum, amicum monuit, vt summam quæ oblata erat augeret. Quod cùm esset actum, publicanorúmque societas id ægrè ferens à magistratu peteret, vt qui summam auxerat, ad satisdandum cogeretur, audita re, qui auxerat, fugam meditabatur. Sed Alcibiades eum retinuit, atque pro eo spopondit. Publicani autem ne in maius summa augeretur, hũc Alcibiadis opera retraxerunt, datóque talento, vt ab auctione desineret, impetrarunt. Alcibiades igitur pulchrè erga amicum & amatorem gratus, plus quàm ipse daturus fuisset, vt per se assequerentur, effecit: atque vt gratus esset in amicum, plus ingenio vsus est, quàm pro se ipso fecisset. Fulgos. lib. 5. cap 2.

D A R I V S priuatæ adhuc fortunæ amiculo Sylosontis Samij delectatus, curiosa contemplatione fecit, vt vltrò sibi, & quidem à cupido daretur. Cuius muneris quàm grata æstimatio animo eius esset allapsa, regno potitus ostendit. Totam namque vrbem & insulam Samiorum Sylosonti fruendam tradidit. Non enim pretium rei æstimatum, sed occasio liberalitatis est honorata: magísque à quo donum proficisceretur, quàm ad quem perueniret, prouisum. Val. Max. libro quinto capite secũdo & Ael. lib. quarto de Var. hist. Vide tit. Liberalitatis in dandis vestimentis.

Miles A R T A X E R X I per Persidem equitanti malum punicum maximum obtulit dono. Rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit, Equo nam horto depromptum hoc donum mihi adfers? Illo verò respondente, domo sua & ex suis agris: gauisus rex supra modũ, missis regiis muneribus virum ornauit, & Per solem, inquit, iste homo tali curatione & diligentia poterit etiam ciuitatẽ, meo quidem iudicio, ex parua ampliorem reddere. Videtur autem hic sermo innuere, omnes res cura & sufficienti opera & indefesso labore, contra naturam etiam meliores & præstantiores effici posse. Ælian. libro primo de Varia historia.

Portitor quidam Ithacensis, P A R I A S nomine, latrones transmisit, atque senem quendam captiuum cum pice, quem, rogante sene, de latronibus emit. Erat autem in pice absconditum & occultatum aurum. Quo reperto, cùm diues euasisset, seni bouem immolasse dicitur. Quare in prouerbium abiit, Nemo vnquam benefactori bouem immolauit præter Pariam. Heraclides.

D I O G E N E S, acceptis paucis numis à Diotymo Carysio, dixit: Dij tibi largiantur tantum, quantum animo tuo cogitas, & cupis: virum scilicet, & donum. Videbatur autem animo delicatiore esse Diotimus. Ælian. de Var. hist. lib. 4.

ÆL. H A D R I A N V S Saturnalia & Sigillaritia, etiam in opinantibus mittere solitus est: quæ ipse libenter accepit, vt iis magis ac magis ad par reddendum inuitaretur. Pontanus capite quadragesimo de Liberalitate.

A L F O N S V S rex Calabriæ, cum Aconitanus Cyriacus succino eum donasset, quo pansis alis musca includebatur, (parua, imò pusilla sanè res) raritas autem apud principem, qui non tam precium quàm raritatem ipsam metiebatur, maximam fecit. Ignorabat enim, quo remunerationis genere respondendum tam rara donãti esset. Pontanus cap. 19. de Magnificentia.

B E R T Æ Henrici 4. Imp. vxori (quæ tunc Patauij degebat) rustica quædã ex vico Montagnano, berta nomine, filum tenuissimũ, quod sua pte manu elegantissimè duxerat, & in vrbem delatũ iusto precio vendere non potuerat, dono obtulit. Illa & doni elegantiam, & rusticæ animum admirata, præfecto suo imperat, Montagnanũ subitò proficiscatur, tot terræ iugera ex publico agro Bertæ attribuat, quot filo honorario per longitudinem extenso circumdari possent. Sic rustica illa ex inopi ditissima euasit, ita vt ab ea patriciorum familia (qui de Montagnano dicti sunt) clarissima fluxerit. Vicinæ mulieres Bertæ exẽplum imitatæ, cùm filo reginam obruerent, acutè singulis respondit: Si non arte, at certè tempore Berta fuit prior. Itaque laudo animum vestrum sed benedictionem Berta abstulit. Quod apophthegma in Patauino agro prouerbij adhuc vim obtinet, quando disparem tẽporis cõditionem expressuri aiunt, Non è piu quel tempo, che Berta filaua. Bernar. Scardeonus lib. 3. hist. Patauinæ.

P R O L I T E R A R I I S M V N E R I B V S *doctorum.*

Ex tit. Liberalitatis in bibliothecis aut libris excudendis, exempla quædam pete.

L Y S A N D E R ob pauculos versiculos Antilocho poetæ pileum argento impleuit. Pontanus cap. 29. de Liberal.

P T O L E M Æ V S Philadelphus, cùm Iudæorum legem in Græcam ex Hæbraica lingua transferri per Eleazarum sacerdotum principem curasset, vt huius operæ, gratiam interpreti referret vltra ingẽtem vim auri dono Hierosolymorum templo datam, Iudęorum quoque gentis captiuos omnes per totam Ægyptum conquisitos, sub prioribus regibus bello captos (quanquam centum millium numerum æquarent) pecunia suà à dominis omnes redemit, ac libertate donauit, vt sine populorum iactura (quod ab omnibus regibus fit) ipsius liberalitas exerceretur. Magnum profectò liberalitatis argumentum, & Ptolemæo rege dignum, si tanta res in longe quoque potentiore plus quàm ingens videri debuit. Fulg. lib. 4. cap. 8.

A L E X A N D E R Macedo Pyrrhonem Eliensem philosophum & poetam præclarum, à quo secta Pyrrhoniorum, decem aureorum millibus donauit pro oblato poemate. Sextus Empiricus testis.

H I E R O N tyrannus Syracusanus, Archimolo poetæ mille medimnos tritici in Pyręum vsque misit pro Epigrammate vno, quo ille nauem Hieronis (de qua & Archimedes opus cõposuerat) celebrarat. Athenæus testis.

L. S Y L L A, cùm ei in concione libellum malus poeta de populo subiecisset, quòd Epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis: statim ex iis rebus quas tunc vendebat, iussit ei pręmium tribui, sub ea conditione, ne quid postea scriberet. C. pro Archia.

S A L E I V S Bassus epicus clarus, à Vespasiano quinquaginta sestertiis donatus, & inter illustria monumenta positus. Gyral. de Hist. poet.

M. A N T O N I V S triumuir Boetho Tarsensi poetæ pro gratulatione victoriæ Philippicæ, patriæ gubernationem concessit. Item Anseri poetæ indocto, propter carmina quædam agrum Phalernum dono dedit. Vide sub tit. Poetarum nomina, Boethi boni, & Anseris mali poetæ.

V E R G I L I V S Maro ab Octauia denis sestertiis donatus est, cùm illos versus recitasset,

——Tu Marcellus eris.

Gyraldus Dialogo 4. hist. Poet.

D I O N Y S I V S Syracusanus Heliconem Cyzicenum talẽto donauit, quod solis deliquium prædixisset. Pontanus capite vigesimo nono de Liberalitate.

O P P I A N V S poeta, quum Antonino Imperatori Seueri principis filio, poema de Piscibus nuncupásset, ab eo totidem aureis donatus est numis, quot illic erant versus. Volater.

B E S S A R I O cardinalis, cùm in Bacchanalibus à Ioan. Ant. Campano (qui postea Aretinus episcopus factus est) sub persona laruati ephebi Latinis versibus ad lyram decantatis laudatus esset, lyristæ tot aureos numos, quot erant carmina (erant autem 20. numero) largitus est. Campanum mox aduentantem, factúmque dissimulantem complexus: Campane, inquit, vbi sunt illi digiti, qui tot de me mẽdacia scripserunt? Anulum cum gemma adamantina precii 70. aureorum eidem donauit: addiditque pelles mustellinas (quas varias Itali vocant) dono sibi olim à rege Polonorum missas in cumulati muneris testimonium. Epigramma autem Campani tale fuisse perhibet Michael Fernus Mediolanensis in Campani vita:

Bessario, totum cui se concessit Apollo,
Et quo nil maius secula nostra vident.
Per te priscorum laudes excessimus, ire
In trutinam victor cum Cicerone potes.
Victa etiam per te magni Demosthenis ora,
Vberior per te Græcia facta tua est.
Pectoris at tanti minimas facundia partes
Obtinet, exiguum splendida verba putas.
Terra patet pelagus notum, mens alta deorum
Cognita, scis cœlum, scísque quid astra ferant,
Quicquid te latuit, non est in rebus: ad omnes
Ingenium latebras it penetrátque tuum.
Imperio ac rerum sceptris, & ad omnia natus,
Vnus mille geris pectora, mille sapis,
Ipsáque cùm tantum fecit natura, videtur
In vires quanta est incubuisse suas.
Corpore in excelso maiestas cana fatetur
Plus homine: heroum frons tibi Bessario est
Et data cùm fuerit talis præstantia membris,
Dij animam membris inseruere parem.

D E S. E R A S M V S Roterodamus, Germaniç nostræ, nedicam Europæ, phœnix, vt eruditione omnes ferè sui seculi literatos homines superauit: ita quoque summam principum & quorumuis aliorum illustrium hominum, quibus lucubrationes suas dedicauit, gratitudinem & liberalitatem expertus est. Itaque cùm moriens eas reliquisset facultates, quæ homini non auaro neque prodigo ad honestè viuendũ satis esse poterant: vt honestè partas opes ad virtutis studia conferret, vsum fructum annuum studiosis iuuenibus in omni scientiarum genere erogandum testamento cauit: eámque prouinciam Bonif. Amerbachio Iureconsulto doctissimo delegauit. Vasa aurea & argentea, monumẽta scilicet liberalitatis Principum, suorumque laborum præmia, hæredibus tribus, Bonif. Amerbachio, Hier. Frobenio, & Nicolao Episcopio, testamento reliquit. Ferũt Erasmum, vt natura vrbanus erat, si argenteum poculum muneris loco accepisset à quoquam, quod argenteis aureísue numis plenum esset, pecunia exempta, honorario vino plenum nuncio propinasse: sin minus, famulo suo, vt illud custodiret, tradere solitum fuisse.

A N T. Panormita, ob vitam Alfonsi regis descriptam, quibus sit donatus præmijs, pete ex tit. Historicis honores exhibiti.

M. Antonius Sabellicus, cùm apud Venetos diu professus esset, animum tandem adhibuit ad Decadas scribendas: quibus libris res à Venetis gestas, & ab vrbis primordio ad suam vsque ætatem, ornatè in primis, & elegãter est complexus. Quare nõ dubitauit Senatus ducentis aureis numis eum quotannis, dum viueret, pro egregio hoc eius munere donare. Non possum hoc in loco & illud silentio inuoluere, me quoque eiusdem Senatus decreto, post trigesimum meæ professionis annum, pari munere, quoad superstes fuero, insignitum. Egnat. libro quinto & Sab. libro septimo, capite quinto.

P R O L I B E R T A T E D A T A, A V T *recuperata, sibi, suis-ue.*

Cùm Ædoneus rex Molossorum, Thesꝫum in vincula coniecisset, quãdo venerat cum Pirithoo ad rapiendam regis coniugem, non vt sibi nuptias pararet, sed in gratiam Pirithoi illud faciens, Hercules profectus ad Molossos, eum liberauit. Ob quam rem T H E S E V S gratus, aram in illius honorem erexit. Ælian. lib. 4. de Var. hist.

Grati S I C Y O N I I erga Aratum fuerunt, qui eos tyrannide liberarat. Defunctum enim extra Sicyonis fines, coronatus populus ingenti pompa decantatis in eius laudem carminibus, Sicyonem intulit, mirique operis & impensæ sepulchro ab ipsius appellato nomine eum honorauit: quotannísque illic diem Arati natalem sacrificijs ludísque apparatis celebrauit. Et si quem eius gentis illic esse contingeret, eo die, vt honoris gratia alios anteiret, cogebat. Fulg. lib. 5. cap. 2.

Non minor Syracusanorum erga Timoleontem Corinthium gratitudo fuit, cuius opera Dionysij secundi tyrannide liberati fuerunt. Nam cũ posteà Syracusis quod supererat ætatis peregisset (etenim vsque ad vltimam decrepitam viuere ei contigit) nihil quod publicam rem attingeret, per id tempus Syracusani decreuerunt, nisi prius in consilium adducto Timoleonte, eius sententiam perquisiuissent: à qua discedere, nefas erat. Cùm autem Timoleon decessit, candidatus populus Syracusanus, coronatúsque eum extulit, laudes eius magna lachrymarum vi decantãs, publico edicto declarata funeris impensa, vt quanti ea constitisset omnes intelligerent, in medio foro sepultus est: sepulchri area magna porticu circumsepta, quæ à Timoleontis nomine vocata est, in quo loco quotannis ludi in Timoleontis memoriam edebantur. Fulg. lib. 5. cap. 2.

S Y R A C V S A N I postquam audiuissent Dionem, à quo liberati erant, à Calippo Atheniensi familiari suo interfectum esse, ne beneficij accepti parum grati viderentur, in vltionem facti conspirarunt: & cùm Callippũ inuenire nequirent, eius filias interfecerunt. Plut. in Dione.

Gratis se animis esse mutuò D E M E T R I V S Asiæ atque Ptolemæus, Ægypti reges ostenderunt, etsi inter se bella gererent. Nam cùm Demetriũ Ptolemæus prælio victum, etiam impedimentis spoliasset, regium tentorium cum alijs opibus captiuísque charioribus Demetrio remisit, dicens: Inter ipsos de gloria, non de opib. certamen esse. Et Demetrius cum gratias egisset, dixit: Deum se magnoperè orare, vt citò parem ei referre gratiam pro accepto munere posset. Nec multo pòst, cùm aduersus Demetrium Ptolemæus Cilem copiarum suarum ducem misisset, Demetrius prælio victum, atque captum, Ptolemæo cum omni aliorum captiuorum manu dono remisit. Ful. lib. 5. cap. 2.

L. T E R E N T I V S Romanus, prætoria familia natus, vir probus & humanus, in bello à Pœnis captus, cùm à Carthaginensibus pacem à Romanis petentibus ad Scipionem quoque cum alijs missus esset, ac Scipio Africanus eundem mox ad se collocasset, omne bellum dissoluens: Terentius tanti beneficij memor, triumphantem Scipionem pileatus sequutus est, veluti libertus. Quin & Scipione iã mortuo, ad exequias mulsum exhibuit, aliáque ad funeris celebritatem pertinentia studiosè procurauit. Valerius lib. 5. cap. 2. Q. Terentium Culeonem vocat.

Cùm Isthmiaco conuentu T. Flaminius, post Philippum regem victum omnibus G R Æ C I Æ populis, quorum libertatem Macedo oppresserat, in pristinæ fortunæ statum præconis voce restituisset, tantus fauor audiẽtium secutus, vt aues supernè volantes ad terram deciderint. Quin maiora etiam gratitudinis argumenta extiterunt. C H A L C I D E N S E S diu in eo perseuerarunt, vt nulli deorum templum, nisi Flaminij nomine apposito dedicarent: vt Herculi, Mineruæ, Neptunóue & Flaminio sacrum inscriberent. Sab. lib. 7. cap. 1.

At Flaminij de Philippo rege triumphantis currum non vnus, sed duo millia ciuiũ R O M A N O R V M pileata comitata sunt, quæ is Punicis bellis interecepta, & in Græcia seruientia, cura sua collecta in pristinum gradũ restituerat. Geminum ex ea re decus Imperatoris, à quo simul & deuicti hostes, & conseruati ciues spectaculum patriæ præbuerũt. Illorum quoq; salus dupliciter omnibus accepta fuit: & quia tam multi, & quia tam grati exoptatum libertatis statum recuperauerant. Val lib. 5. cap. 2.

R O M A N Æ mulieres Iunium Brutum, ob læsam Lucretiæ pudicitiam Tarquiniorum insectatione insigniter vindicatam, annũ integrum luxère. Sabell. lib. 7. cap. 1.

M E T E L L V S Pius pertinaci erga patrem exulem amore tam clarum lachrymis, quàm alij victorijs cognomen assecutus, non dubitauit consul pro Quinto Callidio prætore candidato supplicare populo, quòd tribunus plebis legem, qua pater in ciuitatem restitueretur, tulerat: quin etiam patronum cum domus & familiæ suæ semper dictitauit. Nec hac re principatui, quem proculdubiò obtinebat, quicquam decerpsit: quia non humili, sed grato animo longè inferioris hominis maximo merito eximiã submittebat dignitatem. Val. lib. 5. cap. 2.

Non minor gratitudo fuit A D M I R A T I Turcarum Arabis. Nam cùm Balduinus Hierosolymorum rex eum in Arabia prælio fudisset, & captam coniugem cum alijs multis (quia vicino partu grauiter habentem, ne læderetur, vir in itinere reliquerat) in optimo lecto tentorijs circumclusit, seruis quoque atque omni alia re necessaria adiuta: insuper pro stragula veste, cuius eo in loco copia nulla erat, chlamyde sua cooperuit, atque Admirato eam illæso pudore restituit. Itaque contigit postea Balduino, vt à Turcis acie victus, in vrbem Rhamam immunitam se reciperet. Ad eũ ergo idem Admiratus noctu profectus, plus accepti beneficij, quam ob religionis aduersitatem odij, aut etiam prædæ quam sperare posset, memor, periculi magnitudinem quæ imminebat, apetuit. Ostendit enim postridie manè Turcas impetum facere in eum constituisse. A quo periculo, si se sequeretur, incolumem seruaturum eum obtulit. Cui cùm oblatis vsurum se Balduinus respondisset, fidem gratitudinémque simul pro ijs quę antè ipse præstiterat. in Turca expertus est. Fulg. lib. 5. cap. 2. & Egnat. libro 5. capite 2.

A L E X A N D E R I I I. Romanus pontifex, nouitate suorum temporum Federico I I. imperatori per Venetos reconciliatus, restitutúsque in pristinam dignitatem, grato animo vmbella, & alijs insignibus Veneti principis maiestatem excoluit. Sab. lib. 7. cap. 1.

P R O O P E R A F I D E L I L O C A T A.

I S I D I S canes cum eo tempore quo Osiris quæsitus est, non tantùm fera, sed eos omnes qui obuiam venerant, amouissent, & Osiridis corpus inuestigassent: ne ingrati feris esse viderentur Ægyptij, edicto statuerunt vt semper in festo Isidis pompam omnem præirẽt. Diodorus Sic. libro 2. cap. 2. de rebus antiquis.

P H A O N portitor Lesbius, cùm Venerem incognitam gratis transuexisset, ab ea vnguentum accepit: quo delibutus, omnium euasit formosissimus, ita vt non Sappho tantùm, sed omnes alias puellas in sui amorẽ pertraheret.

P O L Y C R A T E S Samiorum tyrannus, matres militum qui in bello perijssent, opulentioribus ciuibus dabat nutriendas. Rauis.

I D E M, si milites in clade strenuos amisisset, ne horum benefactorum immemor esse videretur, interfectorum liberos paternis stipendijs donauit. Pont. de Liberalitate, cap. 33.

A L E X A N D E R Magnus erga Bucephalum equum suum gratus fuit. nam ipsius nominis vrbe eo in loco condita, vbi sub eo confossus fuit, eũ conspicuo quoque sepulchro decorauit. Quod non leuitate conpulsus egit, sicuti permulti principes, qui peruersè omnia agentes, in aues atque alia animalia hac pietate vtuntur, præterita sine vllo honore amicorum memoria. Nam vt hic in equum gratus fuit: ita erga amicorum permultos, inter eos qui grati fuerunt, primos honores primásque partes voluit. Fulg. lib. 5. cap. 2.

A T H E N I E N S E S mulis, qui magno labore ad Hecatompylon ferenda materia opus fecerant, ab eo tempore omni labore immunes fecerũt: permittentes, vt soluti passim vbi vellent, pascerentur. Ibidem ex Plin. libro 8. capite 44.

C I M O N Atheniensis equabus, quibus tertium vicerat in certamine, sepulchrum statuendum prope suum monumentum curauit. Põt. cap. 26. de Liberalitate, ex Plut. in Catone.

Erga canem quoque suum X A N T H I P P V S Atheniensis gratus extitit: quia maria peruatans, vsque in Salaminem eum secutus fuerat. quo tẽpore aduenientein Græciam Xerxe, maior Græciæ pars in eam se insulã recepit. Nam ne tanto amori ingratus foret, mortuo cane, in promontorio Salaminæ sepulchrum ei condidit, quod Cynotaphium appellatur. Fulg. lib. 5. cap. 2. ex Plut. Catone.

M I T H R I D A T E S rex, pro Leonico acerrimo defensore salutis suæ à Rhodijs nauali pugna excepto, omnes hostium captiuos permutauit: sanctius esse existimans, ab inuisissimis circumueniri, quàm bene merito gratiam non referre. Val. Max. libr. 5. cap. 2.

A L P H O N S V S Aragonum & Siciliæ rex, cùm Lupi Symenij, magnanimi ac generosissimi hominis opera, viginti iam annis foris, bello & domi in serijs ac arduis negocijs plurimùm vsus esset, gratus ob tanta beneficia rex, nouos & amplissimos honores & magistratus homini contulit, & proregem, ac quod magis est, Siciliæ præsidem, totiúsque regni Neapolitani appellari voluit. Tanta enim Alphonsus in referenda hominibꝰ gratia semper excellere voluit alios, vt gratitudine & officio à nemine vnquam se vinci passus sit. Antonius Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi: & Æneas Syluius de eius Dictis.

I D E M Ioannem Vigintimilium, ob egregiè nauatam in bello operã, multis donauit oppidis, vt non solùm gratè, verumetiam liberaliter cum illo egisse, ab omnibus iudicaretur. Pontanus capite trigesimosecundo de Liberalitate.

F E R D I N A N D V S rex, equũ, quo egregiè vsus aduersus insidiantes fuerat, freno liberauit, vacuúmque labore omni esse voluit, stabulario cuidã data pascendi eius cura. Quis igitur tam inhumanus, & ab omni pietate tam alienus, vt hominem bene de se meritum non summa beneficentia complectatur? Pontan. cap. 36. de Liberal.

R A P H A E L Caresinus, magnus Cancellarius, siue Scribarum princeps apud Venetos, quamuis humili plebeióque loco natus, pro egregia tamen sua virtute & studio patribus impenso, per id tempus quo Clodia Venetis à Genuensibus erepta erat, in patriciorum ordinem cum suis hæredibus legitimo loco natis ascitus est. Egnat. libro sexto, capite nono, & libro tertio, capite quarto.

PRO HOSPITALITATE.

ABRAHAMVS cùm tres angelos benignè hospitio suscepisset, vaticinium de conceptione Saræ, quamuis vetulæ, ab illis audire meruit: præterea etiam Sodomæ excidium. Genes. 18.

LOTHVS, cùm angelos duos Sodomę hospitio suscepisset, & contra ciuium suorum iniuriam, quantum in se erat, fuisset tutatus: & ne hospitibus iniuria fieret, filias suas ciuium libidini expositurus esset, solus cum suis è Sodomitano incendio conseruatus fuit. Genes. decimo nono.

Cùm Iosue Iudæorum iudex (ea enim suprema dignitas erat) vrbem Hiericontem in potestatem redegisset, & ita à Deo iussus, non vrbem solùm euertisset, sed accolas quoque omnes peremisset: nõ RAAB Cananęam fœminam solam, verùm omnes quoque alios, quos ipsa domi receperat, incolumes seruauit. Missos enim à Iosue exploratores, quos Hiericontis rex, vt perderet, insectabatur, domi Cananæa texerat, ita vt regis iram euaderent. Neque verò Iosue satis duxit Cananæam seruare, & Salomoni, vni ex principibus Iuda (ex cuius deinde semine Christus ortus est) matrimonio iungere, agros quoque vnde viueret, ac pecuniam largè dedit: quanquam à Deo iussus erat, omnes quos in Hiericonte inuenisse, occidere. Neque enim crimen à se admitti arbitratus est si vt in tali re gratus esset, diuinũ imperium transgressus videretur, in quo non peccasse eum, res ipsa ostendit. Siquidem Deus qui voluntatis suę transgressores grauiter castigare solebat, in Iosue nihil animaduertit. Fulgos. lib. 5. cap. 2. ex Iosue 6.

HELIAS Sareptanæ viduæ hospitalitatem præclarè remuneratus est ita vt nec farina nec oleum eam deficeret: filium quoque illius Ionam (qui prophetiis postea claruit) à mortuis excitauit. Epiphanius in vita Ionæ: & 3. Reg. 17.

Mulieri Sunamitæ hospitæ Elisei, ipse ELISEVS benignè obtulit, vt loqueretur pro ea regi, si apud ipsum haberet negocium. Item filium eidem impetrauit, & postea mortuum suscitauit. 4. Reg. 4.

Neleus, cùm Herculem hospitio recipere nollet, omnésque cæteri filij pedibus in parentis sententiam irent, solus NESTOR non consensit. Hercules autem, cùm capta iam ciuitate, Neleum vnà cum reliquis filiis interfecisset, tanti beneficii memor, Nestori non solùm pepercit, verumetiam auitum ei regnum gubernandum tradidit. Vnde etiam Athenienses publicè gratiam Herculis posteris retulerunt (quoniam stirpis illorum autor de Theseo bene meritus fuerat) cùm deducerent eos in Peloponnesum. Ælian. libro quarto, de Varia historia.

Alexandrinorum regum fuit non minus nobile quàm liberale institutum, vt QVI capitis damnati essent pridie quàm securi percuterentur, eis munuscula quædam mitterentur regis nomine: quibus videlicet erga carceris custodes, aut à quibus beneficii aliquid in carcere accepissent, gratos sese ostenderent. Pontan. capite quadragesimo primo de Liberalitate.

Ciuitas est in Achaia, nomine Patræ. In ea puer DRACONEM paruulum magna cura educabat: cumque creuisset, loquebatur, quasi cum inteligente ludẽs, ac dormiẽs cum ipso. Cùm verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à ciuibus est dimissus. Post, cùm puer adolescens factus, reuersus à spectaculo quodam cum æqualibus in latrones incidisset, & clamorem extulisset ecce draco præstò est, & alios in fugam vertit, alios interemit: ipsum verò saluum cõseruauit. Ælian. de Var. hist. lib. 13.

PHILIPPVS Maced. rex cum Thebis obses esset, Philonis Thebani hospitio vsus est, multisque insuper ab eo beneficiis affectus. Is quum vicissim à Philippo nihil muneris vellet accipere, Ne me, inquit Philippus, beneficentia superatum hac laude spolies, quòd hactenus à nemine beneficiis victus fuerim. O animum imperio dignum. Pulchrius existimauit, benefaciendo, quàm potentia vincere. Plutarch. in Apophthegmatibus regum & impp.

ALEXANDER captis Thebis, hospites patris sui Philippi (apud eos enim obses adhuc puer egerat) eorúmque cognatos incolumes seruauit, reliquis captis aut trucidatis. Ælian. lib. 13.

ROMANOS, memoriæ proditum est, aduersum Acarnanes liberalitate non mediocri vsos in referenda gratia, post multa etiam secula: quòd illi Æneam auctorem & vrbis & generis, extorrem patria, profugúmque ad Acarnaniæ oras diuertentem cum classe, portubus hospitióque benignè excepissent. Itaque eam ob causam donati sunt Acarnanes Leucade & Anactorio, quę oppida Romanus exercitus Corinthiis ademerat. Pont. cap. 34. de liberal.

FLA. Val. Martianus, cum adhuc in priuata fortuna eques, in Lycia à Tatiano & Iulio fratribus, apud quos hospitio susceptus erat, grauiter laborans, ingentia beneficia accepisset, & inde profecturus, mutua quoque pecunia adiutus esset (hæc enim reuerentia in eum moti præstiterant, quòd dormienti per æstatem in agro, aquilam in ære leniter se mouentem, patentibus alis solem auertere viderant) vt ad imperium euectus est, omnibus postpositis, Lycios ipsos fratres vocari iussit: alteróque Illirico, altero Constantinopoli præfecto, datis aliis quoque muneribus, in tam sublimem euectus gradum, beneficiorum quæ in parua fortuna acceperat, non se oblitum esse ostendit. Fulgos. lib. 5. cap. 2. & Egnat. lib. 5. cap. 2.

L. SYLLA, cùm prænestẽ oppidũ armis cæpisset, decreuissetque quicquid erat ciuium trucidare, hospitem suum iussit excipi: hoc beneficio pensare volens hospitii communicati gratiam. Ac ille contrà liberè: Nolo, inquit, patriæ meæ extinctori debere vitam. Simulque turbæ ad finem ciuium sese admiscuit, & cum illis trucidatus est. Erasmus libro sexto Apophtheg.

IVSTICIA ΔΙΑΝΕΜΗΤΙΚΗ ERGA SEIPSVM, IN iis quæ sibi conueniunt ratione iuste διανομῆς.

Consule titulos Virtutum Ethicarum singularum. Nam liberalitas ἐν λήψει & φυλακῇ: item Magnificentia: præterea Seueritas in vlciscendo: denique Veritas in bonis suis explicandis, huius erunt loci, quatenus dignitatis propriæ rationem habent. Alioqui, si obiecta spectes, distinctæ erunt virtutes à iustitia.

ΔΙΑΝΟΜΗ IVSTA, IN NON DANDO, VEL NON faciendo, ea quæ iustè dare facerèue nequeas.

Non concedere, διανεμητικῆς est: at Rescindere vel Adimere, διορθωτικῆς.

NIHIL INIVSTI FACERE.

PHILIPPVS rogatus ab Harpalo, vt Crateta eius familiarem iudicio liberaret: Eum, inquit, rectius est, quàm nos ob ipsum, malè audire. Rauis.

ARTAXERXES Lõgimanus, Persarum rex semel rem iustissimam, & omnibus exemplo futuram peregit. Nam cùm Sathybarses, à cubiculo pergratus eius minister, rem ab eo enixè peteret, quã Artaxerxes iniustam esse perspiciebat, scirétque inde ad Sathybarsem Daricorum triginta milium munus peruenturum: perferre coram totidem quæstorem suum iussit, eáque Sathybarsi dono dedit: monens, hac summa data nihilo se pauperiorem fore: cæterùm si quod Sathybarses petebat egisset, minus se iustum habitum iri. Re & verbo verè regio, reges principésque alios monens, quanto pluris iusticiam quàm amicos aut thesauros facere debeant: neque eum largum ac liberalem dici posse, qui alienum largiatur. Fulg. lib. 6. cap. 5.

ARISTIDES cognomento Iustus semper suo vnius præsidio fretus rempublicam administrauit: à sodalitatibus & amicorum potentia abhorrebat, quæ ad iniuriam aliis inferendam adderet animum. Abhorruit autẽ ab omni factione & amicitia ideo, ne adigeretur ad aliquid faciendum, quod iustum non esset: aut cogeretur abstinere ab eo, quod iudicasset reipublicæ conducere. Plutarchus in Apophtheg. Græcorum Impp.

Antipater cum à PHOCIONE Atheniense petiisset, vt nescio quid iniusti suo nomine faceret: Non sum, inquit, tibi simul adulator & amicus. Amicus enim, quę iusta sunt, efflagitat ab amico: & is qui reuera amicus est, non obsecundat amico, nisi in his quæ cum iusticia & æquitate coniuncta sunt. Phocionis dictum leges apud Plutarchum in Grę-corum & Apoph. & Bruson. lib. 1. cap. 3.

PERICLES Atheniensis ab amico rogatus, vt pro re causáque eius falsum deieraret. Oportet me, inquit, amicus accommodare, sed vsque ad aras. Plut. in Gręcorum apophtheg. Gel. lib. 1. cap. 3. Bruson. lib. 1. cap. 3. Eras. Rot. in Prouerb. Vsque ad aras.

Simonides poeta, cùm pretoris THEMISTOCLIS operã pro amico in re iniqua peteret, respondit Themistocles: Nec Simonidem fore bonum poetam, si mensuram modúmque in scribendis carminibus non obseruaret: nec se bonum esse prætorem, si alicuius gratiam legibus aut iusticię præponeret. Fulgos. lib. 6. cap. 4.

DEMOSTHENES iussus ab Atheniensibus vt quendam accusaret, recusauit: sed facta in eum populi reclamatione, surrexit, ac dixit: Vos me, viri Athenienses, consultorem habebitis etiam inuiti: calumniatorem verò, ne si velitis quidem. Brusonius lib. 1. cap. 16.

NICOSTRATVS Argiuorum imperator, cùm ab Archidamo multis prę miis pollicitationibusque ad proditionem tentaretur: respondit. Archidame, te ab Hercule genus non ducere, satis intelligo. Hercules enim malos pœna affecit: Archidamus verò, eos qui probi sunt, malis afficere solet. Notat autem Archidami fraudes, qui proditionem hostibus imponere tentabat. Bruson. lib. 5. cap. 6.

P. RVTILIVS amico cuidam rem iniustam petenti, pernegabat. Cúmque is cõmotus per summam indignationem diceret: Quid ergo, inquit,

mihi opus est tua amicitia, si quæ rogo non facis? Imò, inquit Rutilius, Quid mihi opus est tua, si quid inhonestæ rei propter te factus sum? Val. Max. lib. 6. cap. 4. Brusonius lib. 1. cap. 3.

Catulus censor Catonem sibi arctissima iunctum necessitudine rogauit vt quendã ipsius iudicio obnoxiũ (erat enim quæstor) missum faceret. Ille hunc in modũ respondit: Turpe est nos, qui iuuentuti rectè instituendæ authores esse debemus, à lictoribus irrideri nostris. Negauit asperius, quod iniustè petebatur. Plut. in Catonis vita.

INDIGNIS NON DARE MVNERA.

MOSES distribuit Leuit. 12. boues, & sex plaustra obtulerant principes filiorũ Israel: sed nullũ dedit filiis Caath, licet essent ei magis propinqui. Num. 7.

Distribuens Iosue terram filiis Israel, adeò paruã portionem dedit illis qui erant de tribu sua, vt de hoc specialem querelã facerent. Sed nota responsionem, quam fecit eis. Ios. 17.

Epaminondas, cum hominem nequã ob mediocre scelus invincula cõiecisset, Pelopidæ efflagitanti, non dimisit, sed amicæ supplicanti concessit, dicens: Scorta decere, non Imp. eiusmodi dona accipere. Bruson. lib. 2. cap. 11. Facet. & exemplorum.

Mendicus quidã petiit aliquid à Lacone. at ille: Si quid, inquit, dedero, magis es futurus mendicus. Verũ istius probrosæ vitæ tuæ fuit author, qui tibi primus dedit, teque fecit inertẽ. Apud Lacedæmonios probro dabatur mendicitas: quòd & ociũ odissent, & minimo essent contenti. Benignitas autẽ in mendicos speciẽ habet magnæ virtutis: sed ea piorũ hominũ bonitas, alit plurimorum malorum luxuriosam ignauiam. Idem.

ANTIGONVS rex, Thrasillo Cynico petenti drachmam: Non est, inquit, munus regiũ. Cynico subiiciente, Talentũ igitur da: At non est, inquit, Cynicum, tale munus accipere. Vtroque cornu repulit postulatoris improbitatem, quem existimabat nullo dignum beneficio. Plut. in Reg. & Impp. Apoph.

Ab ARCHELAO in conuiuio quodam, familiaris quidam, sed parum humanus, petiit sibi dari poculum. Archelaus autem illico mandauit puero, vt hoc poculum daret Euripidi. Id factum admiranti postulatori: Tu quidem, inquit, dignus eras qui peteres nec acciperes: at hic dignus erat qui acciperet, vel non petens. Significans, alteri hoc tribuisse regiã familiaritatem, vt auderet quiduis petere: at Euripidis boni viri pudorem mereri, vt vltrò donaretur aliquid. Plut. in Reg. Apoph.

ORSINES satrapes, quum Alexandrũ & huius amicos muneribus amplissimis honorasset, Bagoæ eunucho nihil dedit: sed admonitus ab amicis, quòd is Alex. cũ primis esset charus: respondit, se regis amicis honorem habere, non scortis: nec apud Persas esse moris, vt viri mares ducant. Agnoscas in hoc satrape mentẽ Cyro generis autore dignã. Honorare nouerat, adulari non poterat: quũ hodie quoq; cernãtur in aulis, qui scortis, morionibus ac lenonibus Principum plus deferãt honoris quam genere ac virtute præcellentibus viris. Eras. lib. 8. Apoph.

Quũ Galli donassent Augusto torquẽ aureũ, centum pondo, ac Dolabella per iocũ tentans illũ, tandem huc produceret iocũ, vt diceret, Imp. torque me dona: Malo te, inquit, ciuica donare. Festiuiter submouit postulatoris impudentiã, qui nunquã in bello fuisset: eóque magis illi conueniebat corona ciuica, quæ ex quernis illignísque frondibus fieri consueuit, quemadmodũ triũphalis ex auro. Quanquã & castrensis, & muralis, & naualis ex auro fieri solebat. Qua de re vide A. Gelliũ lib. 5. cap. 6. Ciuicam autẽ Augustus, vt honorificentiorẽ, per iocũ obtulit. Nã Suetonius refert, cũ inter dona militaria aliquãdo facilius phaleras & torques, & quicquid auro argentóque cõstaret, dare solitũ, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent. Eras. lib. 4. Apoph.

HONORES DENEGATI, REPVLSA IVSTA.

Apud Rom. contra ciues bello victos: quia lugubris victoria erat, neque dux imp. censebatur, neque ouare, aut triũphare, vel supplicationes cuiquam decernere, dum Resp. stetit, vnquã apud Rom. permissum fuit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

VAL. consuli victori contra Gallos, ob cladem exercitus negatus est triumphus: cùm magis dolor ciuib. amissis, quàm victoria fusis hostibus præualuisset. Ibid.

L. CORN. Lentulo post magnas res gestas negatus est triumphus eo quòd proconsul Hispaniam prouinciam non consul obtinuisset. Ibidem.

M. MANLIVS cum Valerio Potitio consul, posteaquam contra Æquos in Algido prosperè rem egisset: tamen cum collega fortius dimicasset, Valerio triumphus concessus, Manlio segniori denegatus est. Ibidem.

CL. Nero cum Liuio Salinatore consul, cùm ad Metaurum Hannibalem vicisset, ouans tantum vrbem ingressus est, licet potior victoriæ causa fuisset. Cui ideo triumphus denegatus est, quòd aliena in prouincia suppetias collegæ dedisset: Liuius autem in sua prouincia rem gessisset. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 22. ex Liuio, Plin. de Vir. illust. & aliis.

ALTERA IVSTICIAE PARS, QVAE ἐν διορθώσει versatur,

IVSTICIA, ΔΙΟΡΘΩΤΙΚΗ IN VOLVNTARIIS Contractibus.

Διόρθωσις τῶν ἑκουσίων pecunia & commutatione fit inter viros bonos, volentes & consentientes, absque vlla fraude, dolóve malo. Quòd si perfidia aliqua intercedat, fit ἀκούσιον συνάλλαγμα, vtpote fœnus iniustum, mutuum non redditum, testamenta iniusta, & correctio illorum, pœna atque mulcta erit. Porrò superius sub loco Fidei multa huius generis exempla in medium attulimus, quatenus in hac ipsa διορθώσει Fides veluti basis existit & fundamentum. Neque enim absurdum est διανομὴν τῇ διορθώσει inseruire, & prius ex fide alicui aliquid deberi, quod postea per διόρθωσιν in opus progrediatur. Proinde exempla eius loci hic quoque commodè poterunt transferri.

Dauid noluit accipere gratis ab Areuna Iebusæo aream, quam habere volebat: sed iusto precio mediante. 2. Reg. 24. 1. Par. 21.

Hermes philosophus Ægyptius auditor Syriani sophistæ, condiscipulus Procli, sub Hadriano principe, vir non minus iusticia quam doctrina præditus, si quid empturus minus iusto precio addiceretur, ipse nihilominus iustum promebat: si quid verò contrà, non vltra appetebat. Suidas.

ROMÆ in Virilis fortunæ templo quod erat extra vrbem ad Tyberis ripam, mulieres quæ dabantur nuptui, frequentes ventitabant: & corpore inuelato, singula membra, ne quo morbo vitióque affectæ forent, aut labe aliqua tenerentur, detegebant. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 13.

Tiberius, cùm populus vellet seruum saltatorem donare libertate, nõ ante comprobauit, quàm dominus eius consentiret, & precium constitutum numeratum acciperet teste Dione.

Vrsus Nolanus tanta fuit iusticia, vt ne lapis quidem vnus in Nolanas ædes (quas inchoauerat) nisi soluta mercede conuectus fuerit. Rauisius.

ΔΙΟΡΘΩΤΙΚΗ IVSTICIA, IN INVOLVNTARIIS.

IVSTOS ET INSONTES NON ACCVSARE.

IVSTOS ET INSONTES NON CONDEMNARE, *vel perdere.*

Themison mercator Theræus, Etearchi filiam Phronimen, quam iussu ab Etheareho iussus, non interficit. Vide tit. Impietatis parentum erga liberos.

Cùm Lacedæmonij duce Cleomene Hippiam tyrannum Athenas reducere conarentur, Bœtij interim & Chalcidenses Atticum agrum populabantur. Athenienses etsi ancipiti bello districti, Bœotiorum & Chalcidensium vltione dilata, arma contra Peloponnenses in Eleusine ferunt. Dúmque ambo exercitus conserturi prælium essent, Corinthij primi omnium secum reputantes iniustè à se agi, qui tyrannum Athenis imponere vellent, discesserunt. Idem fecit Demaratus Aristonis filius, qui & ipse e-

rat rex Spartarum,& è Lacedæmone copias contraxerat,necâ Cleomene superiori tempore dissenserat. Ob quam regum dissensionem lex apud Spartam lata est,non licere vtrique regi cum exercitu prodire(nam prius prodibant)& alterum quoque è Tyndaribus relinqui. nam & isti antehac ab eis euocati,exercitum ambo comitabantur. Tunc cæteri socij, qui erãt in Eleusine,cernentes non cõuenire inter reges,& Corinthios aciem deseruisse,& ipsi dilapsi abierunt.Herod.lib.5.

INSONTES DEFENDERE DOMI ET IN pace,manu.

Consule tit.Alienæ pudicitiæ protectores & defensores,sub loco Temperantiæ: & quo consilio titulum hunc ibi explicauerimus,videbis.

ASYLA INSONTIBVS PATEFACTA

Exempla pete ex loco Bonorum corporis.

REOS IN IVDICIIS DEFENDERE, PATRONI & clientes.

Consule titulum Causidicorum.

Susannam Ioachimi coniugem,in Babylone Hebræorum iudicis,à falso adulterij iudicio ac pœna,nónne DANIELIS pueri verba liberarũt, cùm exclamasset, ad se nolle falsi iudicij culpam atque innocẽtis sanguinis,quem spargere Susanna perempta volebãt,vltionem pertinere? Ful. lib 8.cap.5.& Sab.lib.4.cap.4.

Orator quidam Aristippum reum defendit in iudicio,vicitque litem. Is cùm velut artem suam præferens philosophiæ,diceret: Quid tibi profuit Socrates,Aristippe? Hoc,inquit, quòd oratio quam pro me dixisti, vera fuit. Defenderat vt virum bonum & innocentem. Vt autem talis esset,qualis ab oratore prædicabatur,Socrates præstiterat,à quo philosophiam didicit. Orator non id efficit,vt quis sit vir bonus: sed vt talis videatur iudicibus,etiamsi non sit. Præstantius igitur est quod præstat philosophus,quã quod orator. Laert lib.2.cap.8.

IDEM,cuidam opprobranti,quòd in propria causa oratore conducticio fuisset vsus: Nil mirum, inquit: & cœnam apparaturus, coquum conduco. Alter videri volebat,ob hoc oratorem præstantiorem philosopho,quòd eius operam conduceret. Ille retorsit in diuersum,innuens,inferiorem esse qui conducitur. Oratoris enim munus inferius est, quàm vt philosopho conueniat. Ibidem.

Accusatus M. Aquilius repetũdarum, id est parum sincerè pecuniã publicam tractasse,cùm iam in eo esset vt damnaretur: M. Antonius orator, qui eius causam defendebat,aperta ipsius tunica,iudicibus ac populo cicatrices ostendit,eorum vulnerum quæ in pectore pro patria exceperat. Quibus moti iudices,statim eum absoluerunt. Fulg.lib.8. cap. 1. ex Liuij lib.69.& 70.

L. Varguntcius defensus est ambitus ab Hortensio oratore insigni, vt apparet ex Ciceronis oratione habita pro Sylla.

DEIOTARVS Galatiæ rex,accusatus est apud Cæsarem,quòd ei apud regem diuertenti in Asia insidias parauisset,quas ipse Cæsar fortunæ beneficio euasit: Cicero eum defendit luculenta oratione,dicens inter alia, Philippum à nepote Deiotari adolescente aui inimicissimo corruptum, in hanc perfidiam & calumniam venisse. Asconius Pedianus.

Q. Roscius Amerinus in causa parricidij accusatus est. Patrem enim, hominem locupletem,quidam interfecerant clàm. Filius per occasionem discordiæ cuiusdam,quæ inter eos interuenerat, paternæ cædis author accusatur. Defenditur à Cicerone. Volat.

M. Æmilius Scaurus iunior,Romam reuersus ad petendum cõsulatum accusatus est à Sardis repetundarum,& à Cicerone vnà cum quinque aliis defensus. Ascon. Pedianus.

Q. Ligarius à Q. Ælio apud Cæsarem accusatus est,quòd legatus in Africa tempore Belli ciuilis contra eum fuisset: quodque ipsum cum patre suo ea prouincia,quam sorte fuerant consecuti, prohibuisset. Defenditur à Cicerone luculenta oratione. Asconius Pedianus,& Volat.lib.13. capite 3. Anthrop.

M. Cælius orator ab Atratino quodam ad iudicium capitis accersitus, quòd in coniuratione Catilinæ malè de Repub.cogitasset, quodque aurũ à Clodia Clodij sorore infame extorsisset, eique demùm venenum propinasset,à Cicerone defensus est,vt testatur eius oratio quæ extat.

A. Cluentius à matre Sassia accusatus, quòd Oppianicum vitricum interfecisset: defensus est à Cicerone. Vt eius oratio, quæ extat, clarè indicat:& Volat.lib.14.capite 2. Anthrop.

M. Fonteius,cùm Galliæ præesset cum exercitu,accusatus malè administratæ prouinciæ, à Cicerone defenditur. vbi multa contra Gallorum testium irreligionem dicta Volat.lib.16.Anthrop.

L. Flaccus,vnus ex auditoribus Ciceronis,& patriæ defensoribus in cõiuratione Catilinæ à D.Lælio suggestione Asianorum & Græcorum accusatus, quòd prouinciam & prouinciales iniusto grauasset onere & remigum & pecuniæ, defensus à Cicerone, absolutus est à iud. Asconius Pedianus.

Q. Mutius tribunus plebis,cùm intercessisset,ne lex ambitꝰ à Calphurnio Pisone ferretur,accusatus à L.Caleno furti, à Cicerone defensus est. Idem.

C. RABIRIVS eques Romanus, perduellionis, id est crimine læsæ maiestatis accusatus à T.Labieno trib. pleb. quòd Saturninum virum sceleratum & hostem patriæ in tumultu occidisset: defensus à Cicerone, in semihoræ curriculo. Oratio imperfecta reperitur. Volat.lib.19. Anthrop.

Populis & nationibus,item bonis & fidelibus sociis, patronos publicè fuisse Romæ homines honestissimos & summo loco natos legimus, qui fortunarum propugnatores erant, & ciuitatum defensores non pœnitendi: quorum studio & fide, singula negocia in senatu, promouerentur. Siquidem Syracusani in clientela Marcellorũ fuêre, Lacedæmonij in Claudiorum, Puteolani Brutorum. Neapolitani Liciniorum, Bononienses Antoniorum, Allobroges patrono Fabio Sanga vsi sunt. Marius Herenniis, Cæsar quoque Græcorum patrocinio plerunque affuit. Plebs denique ipsa sub patriciorum equitúmque Romanorum tutela per clientelas diuisa erat. Alex. ab Alex.lib.5.cap.24.

INSONTES, SIVE IVSTOS DEFENdere belli.

Laudanda SANCTII III. Castulonensis regis,cognomine Desiderati,iusticia fuit. Nam cùm delatorũ impulsu,qui ceu præsentaneũ venenũ amicitias principúmque aulas ac regna euertere solent, Ferdinandus secundus Legionensis rex,Pontio comiti Minerbæ, veteri paterno amico, bellum intulisset,multáque iam ademisset: Sanctius re audita,statim comparato ingenti exercitu,aduersus fratrem profectus est. Is autem minimè talem casum veritus, repentinóque ac inexpectato hoste perterritus, in equum conscendens,paucis comitantibus in fratris castra perrexit,séque supremum ipsius ius agnoscere velle obtulit: arbitratus alia nulla ratione in tali casu,suum se regnum seruare posse. Sanctius autem, vt iustus rex, ac minimè impius frater,spretis omnibus quæ obtulerat,dixit: Non idcirco se arma mouisse,vt vel regni eius possessionem cuperet,vel eum ditioni suæ subigeret: sed id solum spectasse, vt comiti Pontio ablata restituerentur,cùm is communi parenti verus amicus fuisset, fortémque ei operam aduersus Mauros præstitisset. Quo facto,retrò vnde venerat,in fines suos se recepit. Fulg.lib.6.cap.5.& Egnat.lib.6.cap.5.

Erat Andronicus senior Byzantinus imperator (qui à Michaele filio pulsus,Venetis id præcipuè satagentibus,quòd senex,certúsque imperator,inops egénsque terras omnes oberraret) solicitus in primis, vt fasces imperatorios toties instè repetitos tandem reciperet. Id quòd Veneti animaduertentes primi illum suscepêre:& quamuis Ligusticis opibus Michael filius obsisteret,ne deserti quidem ab ipso Andronico, qui Liguribus ipsis adhæserat,ab illius tutela discessere, donec septuagenario maior Andronicus ipse decesserit. Egnat.lib.6.cap.5.

Cum Sanctius II. Castulonensis Nauarrensísque rex, fratrem suum Alphonsum, Legionis Lusitaniæque regem cæpisset, & inuitum monasticã religionem profiteri coegisset, clàm prius fide accepta, ad ALMENONEM Arabem, Toletanum regem, Alphonsus à monasterio profugit. Ab eo benignè exceptus, cùm ceu filius haberetur, Magi quibusdã notis Almenoni ostẽderunt,se deprehendere, hunc Alphonsum aliquãdo Maurorũ imperij euersorẽ fore:& ob eam rẽ,vt eũ interimeret, hortabãtur. Assentiti illa suadẽtibus Maurus nunquã voluit: sed iusiurãdũ modò ab Alphonso cæpit, dum viueret, vim Toleto non illaturum. Cùm haud multo pòst, defuncto Sanctio, ad Alphonsum ipsum, non regna modò, quæ antè habebat, occupatore mortuo, verumetiam quæ fratris erant, hæreditario iure peruenirent, Almenoni denuò suasum est, vt Alphonsum retineret: quia

ipsa tantorum regnorum Dominus, maximi auri pondere redimi poterit. Sed Maurus in fide perstitit, dimissúmque in Castulonense regnum, comitatu ingenti ac muneribus prosecutus est: quia norat, Alphonsum à suis clàm de fratris morte monitum (etsi non deerant qui contra suaderent) abire ipso inconsulto noluisse. Qui igitur quatuor ingentia regna secum considerauerit cum magnis thesauris ad Alphonsum peruenisse, & præterea à natura insitum Mauris aduersus Hispanos odium (quæ duo non Maurum modò hostem, sed quemuis alium ab officio deducere potuissent) Almenonem fidei maximum cultorem fuisse iudicabit: nec minus Alphonsum,quod ob easdem causas non modò clàm profugere non tentasset,sed datam fidem præstiterit: atque vt Almenonem aduersus Cortubensem regem iuuaret, Toletum se in eius potestatem contulerit. Sed nec cessit Almenon,cũ Alphonsi fidem secutus, postea in eius castra profectus est. Fulg.lib.6.cap.6.& Egnat.lib.6.cap 6.

Alphonsum 12. Hispaniarum regem, magnis delatorum artibus, Sanctius 4. eius filius regno expulerat: atque ita eius fortunam attenuauerat, vt diadema pro magna auri summa Abenyuzæ, Mauro Marrochi regi pignus dare cogeretur. Abenyuza autem, vt iustus atque ingẽtis animi rex, audita Alphonsi necessitate, non solum pecunia iuuit: verùm magno quoque exercitu ei opem tulit, magnáque in parte regni pecunia sua eum restituit. Aiebat enim, Regibus indecorum esse, vbi possent, alios reges opera sua non subleuare, præsertim qui filiorum impietate regno pulsi inuenirentur: cùm in his quæ ad parentes pertinent, filij ad eos insequendos iustam habere causam nequeant. Verbum verè regium, & quod iusticiæ cultorẽ summopere deceat. Abenyuzę igitur factum quis satis ex merito laudauerit? quem nec religionis diuersitas, nec bellorũ odia (quæ diu inter ipsum Alphonsúmque acerbè fuerant gesta) retinuerũt, quo minus eum pecunia militibúsque iuuaret: ac corpus etiam ipsum, dum mare traiicit, atque in exteras gentes se confert, periculis ingentibus obiiceret, vnde commodum nullum expectabat. In quo illud etiam non parua laude dignum est, quòd antequam arma moueret, per legatos conciliare patri Sanctium filium non omisit. Id quod magis etiam Mauri bonitatẽ testatur. Fulg.lib.6.cap.5.

SEBASTIANVS Cianus dux Alexadrũ 3. pont.max. Venetijs latentem, propter metum Friderici imperatoris lætum alacrémque accepit, vt non dubitarit cum ipso Friderico graues inimicitias suscipere, bellúmque cum eo periculi & aleæ plenum gerere: vt Alex. ipse retenta maiestate sua, omnésque mortales agnoscerent, quantum verecũdiæ, pudorisque, maiestati pontificiæ Veneti semper detulissent. Bello igitur fœliciter confecto, pacéque cum Friderico inita, vidit spectauítque Veneta omnis ciuitas cũ ingenti gaudio, in aurea diui Marci æde prostratum imperatorem ad Alex. pedes, reconciliatúmque inter vtrũque gratiam. Qua ex re Alex. pont. ab vrbe discedens Romãque petens, variis amplísque insignibus & muneribus. Principem ipsum ornauit: quæ in hunc vsque diẽ, exeunti Principi tubarum etiam clangore, & vexillorum varietate apparent Egnat.lib.4.cap.9. & Sab. lib. 7. cap. 1.

INSONTES DIVINO ET MIRACVLOSO ABsoluti iudicio.

Exempla pete ex tit. Pœnitentiæ religiosæ.

SALVATOREM adduxerant Iudæi ad mulierem in adulterio deprehensam, quærentes, essétne manifesti criminis comperta lapidibus obruenda? Quisquis vestrûm (inquit lux illa veritatis, quin potius ipsa veritas) est criminis expers, in eam lapides primus iaciat. Ad quam vocem aliis alio dilabentibus, soluta est multitudo: mulier verò periculo seruata iussáque non amplius delinquere: vt palàm esset, non vindictam, sed vindictæ autores repudiatos. Sab. lib. 4. cap. 4.

Apud Iudæos per aquam redargutionis falsò accusati de adulterio absoluebantur. Vide tit. Adulterij pœna.

Theodosius imperator, falsò suspectu habuit Ioannem Damascenum monachum, ne ad Persas scriberet, apud quos captiuus fuerat. Itaque abscissa manu eum mulctauit: quæ Saluatoris nostri Matris virginis ope, nulla remanente offensa, palàm restituta est vt antè erat: etsi ecclesiæ valuis affixa, multos manserat dies. Quæ res etiam Damasceni innocentiam testata est. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Miraculo à falso crimine liberatus Damascenus, propter rei similitudinem secum trahit, quòd Spiridioni Salaminio episcopo in insula Cypro contigit, à quo cùm pecunia reposceretur, quæ penes eius filiam Irenem virginem deposita dicebatur, cuius moriens virgo nullam fecerat mentionem: cùm episcopo inopia soluendi modum non daret, & alia ratio inueniendæ veritatis non offerretur, creditorem episcopus secum ad sepulturæ locum, vbi filia Irene erat sita, perduxit. Filiæ igitur tumulo incumbens, ac Deum orans, ab ea petiit, vt de petita pecunia veritatem detegeret. Itaque Irenæ vox palàm audita est, respondentis, Vbi eam pecuniam condidisset. quæsitáque eo ipso in loco quem dixerat, inuenta est. Ibidem.

Donatus, qui tum erat sacerdos, sed postea Aretinorum factus fuit episcopus, impulit Euphrosynam Eustachij Aretini fisci exactoris cõiugem, vt quanquam ante mortua & sepulta, loqueretur, ac detegeret vbi pecunia esset, quã ante mortẽ condiderat, & nemini reuelarat, vt falsa suspicione alios liberaret. Ibid.

Macharius Ægyptius monachus, abbatis Antonij discipulus, cùm ad eius antrum quidam profugisset, opis petendæ gratia, quia magistratus tanquam reum patratæ tunc cædis insectabatur, is autem insontẽ se affirmabat: nominis sui reuerẽtia magistratuũ vim repressit: & quia suspicio tantum, non testes hominẽ vrgebant, vt veritas palàm fieret, egit: vt qui occisus fuerat, è tumulo, omnibus qui aderant audientibus, loqueretur. Qui quoniam affirmauit, nihil cædem suam ad eum pertinere, cui tunc criminis res dabatur, magistratus hominẽ, quem insectabatur, Macario auctore absoluit. Ibidem.

IOANNES Constantinopolitanus antistes, ob auream loquendi vim Chrysostomus cognomento dictus, conuocata Synodo Constãtinopolim principis etiam authoritate, Theophilum Alexandrinum antistitem euocarat, quem grauissimorum criminum in Christianam pietatem reum Synodi iudicio damnandum exhiberet. Ille verò quum Constantinopolim venisset, magna suorum manu comitatus, tantæ fuit audaciæ, vt & ipse intra vrbem concilium celebrarit, ad quod ipsum Ioannem citare non dubitarit. Cæterùm quum nihil superesset, vnde Chrysostomo negociũ facesseret, vt inuidiam illi apud principem conflaret, quasi Augustam vxorem eius Iezabelem in publica concione nuncupasset, iussu principis in exilium actus est. Sed quum grauis terræmotus vi bem ipsam statim concussisset, vniuersæ ciuitatis studio vir innocentissimus suæ sedi restituitur. Quod tamen diu obtinere non potuit, prægrauante inuidia: quòd populi consensu non principis autoritate, non synodi sententia, in suam sedem redisset. Quare vita functus exul Chrysostomus, diem supremum obiit. Egnat. lib. 8. cap. 1.

Daniel Ægyptius abbas, cum rogatus rustici cuiusdam domum adiisset, vxori eius diu infœcundæ ac sterili sobolem oratione à Domino impetrauit. Vicini verò tumescenti ventre mulierem cernentes, quam olim de marito nunquam grauidã factam nouerant, de abbate concepisse putauerunt. Postquam ergo peperit, Daniel omnibus ad spectaculum conuocatis, infantulum per Deum obsecrat, vt quis pater eius esset, palàm diceret: & statim ab osculo illo, à quo nihil aliud adhuc nisi vagitus audiebatur, verba prorupperunt: quibus cognitum est, mulieris maritum esse pueri patrem. Mutata igitur sententia, omnes Danielis sanctitatem laudibus extulerunt, cuius precatione factum esset, vt & sterilis generaret, & puer mox vt natus est loqueretur. Itaq; tota criminis suspicio in admirationem versa est virtutis Marulus libro quinto, capite primo & Sab. lib. 10. cap. 2.

Mulier professione, non opere religiosa, quæ indumenta & linteamina lauare consueuerat, illicito cum quodam coitu prolem edit. Briccius Turonensis episcopus, qui D. Martino successerat, commissi reus agitur. afferri puer nondum menstruus iubetur. qui Briccio in nomine Christi interroganti respondit, ipsum non esse patrem suum: quis autem esset, nõ indicauit. Itaque ne sic quidem conquieuit aduersum episcopum concitata plebis indignatio: magicæque arti deputantes, quod virtute fiebat diuina, in illum inclementius fremebant. Ipse verò vt se altero quoque signo (quando vnum non erat satis) innocentem probaret, prunas in sinum congestas per vrbem tulit, dicẽs: Quòd sicut vestimentum suũ non vrebatur, ita se à libidinis flagitio alienum esse. Illi tamen prorsus increduli, suspectum ab episcopatus officio vi deponunt, & alium in locum eius constituunt. Cæterùm tãtam in sontis infamiam Deus non tulit, duobus iam successoribus eius paucorum dierum spacio vita defunctis, ipsum septennio pòst in sedem suam per summum pontificem restitui fecit: ne plus potuisse videretur malorum obstinata suspicio, quàm iusti manifesta miracula. Marul. libro quinto, capite 1. & Sab. lib. 10. cap. 2. & Fulg. lib. 8. capite 1.

Diabolus cùm Syluani Nazarethensis episcopi integritatem peruertere nequisset, infamia dehonestare decreuit: & formam eius, habitúmque assimulatus, matronam quandam noctu abiit, atque ad concubitũ vrgere cœpit. Pudica mulier vim timens, domesticorum opem protinus inclamat. ille latebrã sub lecto petiit: sed vt volebat, à concurrente familia inuentus, verberibúsque & contumeliis affectus, extra ædes eiicitur. Interim rerum inscius Syluanus, vbi manè tãdem percepit se à vulgo diffamari, & pro scelere, quod ne cogitarat quidem, iam ad vindictam expeti: furori cedere satius ducens, properè Bethleem se contulit. Sed cùm ibi quoque vitæ suæ insidiarentur, quidam ipsum ferire volentes, versis mucronibus ipsi sibi mortem consciuêre. Post hæc cùm ad tumulum D. Hieronymi, mulier dæmoniaca curationis gratia adducta esset, plurimique eo simul cõfluxissent, apparuit Hieronymus: & dæmoni, vt ab ea exiens, quibus præstigiis Nazarethanos aduersus Syluanum ludificasset, palàm faceret, imperauit. Illicò mulier sanatur: & præsente Syluano, Syluanus alter iuxta illã cernitur: qui rem ordine cõfessus disparuit, & vulgato miraculo cessauit innocentis infamia, versipellisque impostoris astus magno omnibus tunc stupori fuêre. Marul. lib. 4. cap. 1.

Quantum iudex prudentia præstare debeat, vel hoc vno exemplo admoneri poterit, quòd à D. Hieronymo relatũ mox acciperet. Testatur enim ille, VERCELLIS maritum fuisse, qui innocentem vxorem adulterij ream fecerit. Quæ constantissimè huiusmodi crimen nunquam confessa in carcere tamen sic asseruata est, vt non facilè illi crederetur: & præcipuè quũ tortus iuuenis, criminis huiusce reus tormentorum vim non sustinens, sese criminis obnoxium fateretur. Quare damnato à iudicibus iuuene, fœmináque, vt capite plecteretur, ductus in publicum iuuenis, statim primo illato vulnere interfectus est. Quum verò ad fœ-

minam ventum esset, cuius collum tortor peteret, omnes illius conatus irriti fuêre. Postremò verò vulnere affecta, quum mortua crederetur, cadauérque eius efferretur, viua domum deducta est: curatóque breui vulnere, pudicitiæ innocentiæque suæ superstes, quoad vixit, testis fuit, cui omnes crederent. Egnat. lib. 8. capite 4. & Fulgosus libro octauo. capite quarto.

Kunegunda Augusta, Henrici primi coniunx, falsò adulterij insimulata, innocentiam suam purgauit: quin se etiam Veneris nesciam probauit, cũ quindecim passus super cãdens ferrum, nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset. Fulg. lib. lib. 8. cap. 1.

Impia ac sceleris plena fuit causa, propter quam Narcissus Hierosolymitanus episcopus, fuit damnatus: miranda quoque illa, qua absolutus. Imperante enim Septimio Seuero, tribus falsis testibus conuictus, iudicio cessit: & ad deserta se contulit loca, atque ei in episcopatu alter fuit suffectus. Cùm trium testium primus dum testaretur adiurasset, nisi vera essent quæ testabatur, vt comburi posset incendio, cum omnibus quæ habebat absumptus est. reliquorum duorum, cùm alter imprecatus esset vt lepra corripi posset, alter autem vt luminibus caperetur, nisi vera testarentur: intra paucos dies vterque iis malis, quibus se adiurauerat, affectus est. Quibus prodigiis, ceu crimine, liberatus Narcissus, absolutus iudicio fuit, & in locum suum restitutus Ibidem.

Iuvenis Arrassensis clericus, cuius in deterius ibant mores, cùm domi suæ hominem occidisset, vnà cum sorore eum sepeliuit. Re detecta, ad supplicium deducebantur damnati, vt ambo viui cremarentur: qui in eo consternati, Christiano more fateri crimina sua, & à Deo veniam petere noluerant. Soror, quæ innocens eius criminis erat, cum fratre collachrymabatur, quòd innocens comburi deberet. Itaque cùm iam supplicium instaret, & diuinitus monita lustrare animam confessione decreuisset, fratri vt idem faceret suadebat: sed frater prorsus rem abnuebat. Ipsa igitur sola confessa est. Cùm autem intra pyram vnà ducti essent, vt comburerentur, quia iustiora Dei iudicia sunt quàm hominum: Deo ita agente, succensa pyra, clericum solum, incolumi atque omni ex parte illæsa sorore, combussit. Ididem.

In Germania Erchernbaldus Burbathus, cùm æger sacram peteret communionem, & interrogatus, Si eum manifestæ cædis, quæ in nepotem perpetrata erat, pœniteret? isque, quia iustam putaret, pœnitere negaret: Episcopus cum Christiana hostia, ad templum reuertebatur: nec verò ad templi valuas peruenerat, cum ab ægro reuocatus, rogatus est vt tabernaculum, in quo hostiam ipsam ferebat, recluderet. Vbi cùm non inueniretur hostia, æger in ore se eam habere ostẽdit. Quo miraculo ostensum est, Deum, qui falli non potest, de illa cæde aliter quàm episcopus fecerat, iudicasse. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Tvtia virgo Vestalis incesti criminis rea, spem salutis ancipiti argumento petere ausa est. Arrepto enim cribro: Vesta (inquit) si sacris tuis castas semper admoui manus, effice, vt hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audacter & temerè iactatis votis, sacerdoti rerum ipse natura cessit. Val. Max. lib. 8. cap. 1.

Virginis Æmyliæ discipulam extincto igne, tutam ab omni reprehẽsione Vestæ numen præstitit: qua adorante, cùm carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit. Valerius lib. 1. capite primo.

Clavdia virgo Vestalis, vt author est Hieronymus, cùm in stupri suspicionem venisset, & simulachrum Ideæ matris ex Pessinunte adductũ in vado Tyberis hæreret: ad comprobandam suam pudicitiam, cingulo nauem duxisse fertur, quam hominum multa millia trahere nequiuerant. Guido.

Clearchi cadauer, cùm ob criminis suspicionem canibus pro more expositum esset, magna vis venti exoriens illud puluere texit: tanquã diis significãtibus, immeritum pœnas dedisse. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14.

INSONTES HVMANO ABSOLVTI *iudicio.*

Qui Susannam accusauerant, falsitatis conuicti per Danielem puerum, lapidib. obruti sunt, ipsa post mortis quoque sententiam absoluta. Quisquis igitur insontem sceleris alicuius insimulauerit, ab ipso iudice, quem nihil omnino latère potest, tantidem condemnabitur, quanti damnari accusatus debuit si deliquisset. Vnde mendacem testem *talione punit lex*, vt quantum pœnę quis in proximum praua delatione molitus fuerit, tantum pro impietate ferat. Nõ misereberis eius, inquit: sed animam pro anima, *oculum* pro oculo, dentem pro dente, *manum* pro manu, pedem pro pede exiges. Marul. lib. 5. cap. 1.

Pherenice absoluta. Vide tit. Pœna inobedientiæ erga leges.

Apud Æginetas lex erat, vt si quis Atheniensis æginam venisset, capitale esset. Huc quum esset deductus Plato, vt venundaretur, capitis postulatus est à Carmendio, qui legem eam tulerat: sed tempestiuo cuiusdam ioco liberatus est. Ait enim, legem habere, Si quis homo: at hunc esse philosophum. Laert. lib. 3.

Aristophontem, Æschines tradit, apud Athenienses gloriari solitum: quòd quum nonagies quinquies esset vocatus in ius, semper fuerit absolutus. At Cephalus homo popularis, iustius gloriabatur, quòd quum plura decreta scripsisset, quàm alius suorum temporum quisquam orator, tamen numquam coactus sit causam dicere. Certius innocentiæ signum est ita rem gerere, vt nemo *velit accusare*, quàm *si postulatus elabaris* è iudicio. Elabuntur interdum & nocentes. At qui absoluitur, licet pœnam effugiat, cicatricem tamen criminis circumfert, Erasmus libro octauo Apoph.

Romam profecti erant ciuitatum Græciæ legati, vt iniurias quererentur, quas Phillippus Macedonum rex inferebat, & cùm in Senatu de ea re ageretur inter Philippi filium Demetrium, atque oratores, quia Demetrius non modò argumenta defensionis aduersus tam multa crimina, quæ verè patri obiiciebantur, amisisse videbatur: verumetiam præ pudore vehementer erubuerat. Demetrij honestate motus senatus, ab accusationibus ipsum patremque liberauit. Plus enim iniquæ patris causæ, filij silentium pudorque profuit, quàm cuiusuis ingens eloquentia potuisset. Fulg lib. 8. cap. 1.

Mithridates Eupater Ponticus rex, cùm bellum aduersus Romanos gereret, Atilius Romanus senator exilio mulctatus, ad Mithridatem se contulerat, tanquam illic tutò futurus: re autem vera sperabat, si eum occidisset, reditum se in patriam consecuturum. *Sed re detecta, Mithridates* Atilium consciósque morte cùm affecisset, solis seruis ignouit: arbitratus, vt regem æquum decuit, seruitutis nexu coactos, fortasse studio etiã ac beneuolentia *in dominum, omnibus in casibus fidem præstare* voluisse. Fulgos. lib. 6. cap. 5.

CN. Manlius contradicentibus decem legatis, in crimen negligentiæ adductus, acta per se causa in senatu, crimine absolutus, de Gallogræcis magnificè triumphauit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

P. Scipio Africanus post fortia sua facta, quibus patriam partim defenderat, partim etiam ampliarat, à Petilio Atteio trib. pleb. quòd prædam Asiaticam non totam in ærarium retulisset, accusatur: & populi suffragiis liberatus, Linternũ in villam suam secedens, ibi defunctus est: iussítque ob ingratitudinẽ patriæ, ossa sua Romã nequaquã transferri. Liuius & Plut.

Q. Metellus repetundarum accusatus, causam dixit, & tabulæ administrationis inspiciendæ iudicibus traditæ. Omnes qui tum aderant, auertére oculos: indignũ rati, chartæ, & non integritati eius fidem præstari, cui pop. Rom. tantã prouinciã cõmisisset. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

M. Sillanus consul aduersus Cimbros malè rem gerens, à Domitio tribuno pleb. accusatus est. Dicebat enim, eum iniussũ populi cum Cimbris bellum gessisse, idque fuisse principium calamitatum, quæ postea euenissent. Sed plenissimè absolutus est, licet duæ cum tribus Sergia & Quirina damnassent. Asconius Pedianus.

Q. Flauius à C. Valerio ædile apud populum reus actus, cùm quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, proclamauit se innocẽtem opprimi. Cui Valerius æquè clara voce respondit: Nihil sua interesse, nocẽsne an innoxius periret, dummodo periret. Qua violentia dicti reliquas tribus aduersario donauit. Abiecerat inimicum: eundem, dum procerto pessundatum credidit, erexit, victor iamque in ipsa victoria perdidit. Val. Max. lib. 8. cap. 1.

Cùm parricidij causam duo Fratres cœlij dicerent, splendido Tarracinæ loco nati, quorum pater Titus Cœlius in cubiculo quiescens, filiis altero cubantibus lecto erat interemptus: neque aut seruus quisquam, aut liber inueniretur, ad quem suspicio cædis pertineret: hoc vno nomine absoluti sunt, quia iudicibus planum factum est, illos aperto ostio inuentos esse dormientes. Somnus innoxiæ securitatis certissimus index, miseris opem tulit. Iudicatum est enim, rerum naturam non recipere, vt occiso patre, supra vulnera & cruorem eius quietem capere potuerint. Ibid.

Cùm ædilis curulis Cæsar à senatu dissentiret, ac quosdam impulisset vt C. Rabirio diem dicerent, qui olim cum senatu Saturnini seditiosi ciuis vim compescuerat, in iudicum numero Cæsarem esse contigit. Itaque is Rabirium adeò acerbè ac properè damnauit, vt cùm Rabirius postea populum appellasset, nulla re ad obtinẽdam absolutionem magis quàm ob Cæsaris acerbitatem adiutus fuit. censuit enim populus, in iudicio plus acerbitatis quàm iusticiæ fuisse. Fulg. lib. 8. cap. 1.

M. Attilius Glabrio, cùm Antiochum & Ætolos eius auxiliares insigni clade apud Thermopylas bello naualiuicisset, & reuersus triumphum peteret: ei Pub. Sempronius Gracchus & Rutilius trib. pleb. diem dixêre, ob prædam regiam interuersam, neque in ærarium relatam. Sed testimonio grauissimi viri Catonis absolutus est. Liuius de bello Macedonico: & Volat. lib. 3. cap. 3. Anthrop.

M. Cato princeps Portiæ gentis, senator optimus, optimus Imperator, *orator optimus*: causam tamen quadragies & quater dixit: diuersis odiorũ simultatibus appetitus, semper absolutus est. Plin. lib. 7. cap. 27. Gell. lib. 13. cap. 9. Cælius Antiquit. lib. 6. cap. 36. Solinus cap. 7. Polyhist.

Seiano apud Romanos ob insignem insolentiam & crudelitatem fraude Tiberij occiso, omnes qui apud eum in dignatione fuerant, hinc inde à plebe Tiberij permissu interficiebantur. Ex quibus Terentius quoque reus factus, propter Seiani amicitiam, non solùm eam non negauit, sed etiam se studiosum eius fuisse dixit: & eam quidem ob causam, quòd apud Tiberium in magno honore habitus esset. Nam si Tiberius, inquit, rectè fecit, vtens eo familiariter, ego certè nihil peccaui. Quòd si errauit Imperator, omnium rerum peritus: quid mirum, si ego vnà cum eo errore ductus sum. Quandoquidem nos decet eos amare, qui plurimi à superioribus fiunt. Quod cùm audiuisset Senatus, non solùm liberauit Terentium: sed etiam accusatores acerbè increpauit. Dion Nicæus in Tiberio.

Tiberivs Cæsar, equitem Romanum, iuramento absoluit, quo, cùm

cum ei vxor desponderetur, nũquam se deserturum eam promiserat: quia vir eam cum genero se commiscentem deprehenderat. Fulgosus libro 8. cap. primo.

Archelavm regem Capadociæ accersitum Tiberius quasi res nouas moliretur, tradidit Senatui, vt de eo cognosceret: hominem non solùm summa senectute, sed etiam podagræ doloribus confectum. Fuisset autem Archelaus vltimo affectus supplicio, nisi testis, qui contra ipsum productus fuerat, asseruisset eum dixisse, se Tiberio ostensurum, postquã domum rediisset, quales sibi nerui essent. Qua ex re tam magnus risus est excitatus, eo quòd ille non solùm stare non poterat: sed ne sedere quidem, vt Tiberius eum amplius occidi noluerit. Dion Nicæus in Tiberio.

Cl. Nero Imp. inter multa quæ ineptè in censura, & propterea reticenda gessit, vtcunque rem vnam memoratu dignam egit. Nam cùm apud eum accusatus esset iuuenis Rom. tanquam ob dissolutos mores notà dignus, & is citatus cum patre ad eum profectus esset, qui principi filiũ bonum ac virtute præditum affirmabat: nulla alia expectata re eũ Claudius iudicio liberauit, affirmans illum domi suum habere censorem. Prudenter enim ostendit, nulli maiorem quàm patri curã de filio esse debere: posséque vrbem publica carere censura, si omnes domi suæ censores esse vellent. Fulg. lib. 2. cap. 4.

Didium Iulianum Commodvs imperator, in Italia annonæ præfectum, qui Saluianæ coniurationis conscius esse accusabatur, liberauit. Nam cùm permultos iam Senatores Commodus peremisset, noluit occiso Didio inuidiam magis augere. Fulgosus libro octauo capite primo.

Insignis & admodum iusta fuit absolutionis causa, qua Fabricianus iudicium euasit. Nam cùm adhuc in cunis esset, per sororem à matris crudelitate seruatus fuit, quæ cum Petronio adulterabat: & ob eam rem cũ Valentinum virum sustulisset, filium quoque occidere quærebat. Sed cùm is postea adoleuisset, matrem cum adultero se miscentem occidit: criminéque occisæ matris accusatus, Senatus decreto absolutus est, quòd iustus dolor & causa ad perdendam matrem impulisse videbatur. Ibidem.

Belisarius, cùm quidam Constantinopoli Imp. extinguere conarentur, accusatus hanc ipsam quoque ob causam iniquè, ab imperatore absolutus est. Sigeb. in Chron.

Pelagius pontifex max. accusatus de morte Vigilij papæ, tenens sancta Euangelia & crucem, iureiurando publicè satisfecit. Sigebertus in Chron.

Sixtvs iii. pont. Rom. qui vixit Valentiniani iii. Imp. temporibus, accusatus à Basso quodam in synodo quinquaginta septem episcoporum: ita causam dixit, vt protinus absolueretur, & accusator pro calumnia damnaretur exilio. Cranzius in Metropoli libro secundo, capite secundo.

Geloria regina, adulterij crimine liberata, falsa accusatione per confessionem detecta. Vide tit. Perfidiæ erga parentes.

Evgenia falsò de alienæ pudicitiæ insidiis accusata, liberatur. Vide tit. Charitatis erga inimicos.

Macedonius episcopus Constantinopolitanus orthodoxus, cùm ab adolescentulis quibusdam (Anastasio Imperat. Manichæo eos subornante) de stupro accusatus esset, sublatis in iudicio vestibus, se virilibus carere ostendit, & absolutus est. Euagrius libro tertio, capite trigesimo primo.

Eques quidam post suppliciũ tandem innocens ab Otthone 4. Imp. iudicatus. Vide tit. Pœna falsæ accusationis.

Isacivs Comnenus Romanorum imperator, qui bellóne fortior, an mente religiosior, corporéque castior fuerit, dubitari consueuit: accusatus quod tyrannide in Michaelem imperatorem vsus esset, sese Reipublicæ causa fecisse iussum, excusauit. Volater. libro vigesimo tertio Anthrop.

Damasvs papa inuidiosè de adulterio accusatus, purgatur à 44. Episcopis: accusatores verò eius de ecclesia expelluntur. Sigebertus in Chron.

LEGES, IVDICIA AVT PACTA INIVSTA NON DEFENDERE.

Antiochvs iii. *Asiæ rex, omnibus regni sui vrbib. scripsit:* Si quod in literis, quæ eius nomine scriberentur, esset, quod legibus aduersum videretur: crederent, ignaro se eiusmodi literas scriptas fuisse, & propterea eis non parêrent. Sanctissimum profectò verbum, & quod iusto regi maximè conueniat, vt quemadmodum ipse populis præest, ita ipsi leges atque æquitatem præesse intelligatur. Fulgosius libro sexto, capite quinto.

Alphonsus præsides prouinciarum ac iudices omnes admonuit, ne quod decretum aut rescriptum à se factum seruarẽt, nisi quod iure tãtùm & honestate niteretur. Interdum enim importunitate postulantium, aut ignoratione rei fieri, vt quippiam contra iuris sanctimoniam emanet, propterea quòd illud custodiendo ciues suos offendant non intelligentes ita seipsos pariter offendere, atque in semet impios ac crudeles esse. Panormita lib. 2. de Rebus gestis Alphonsi.

HOMINES INIVSTOS, SEV FACTA INIVSTA *non defendere.*

Papinianvs Iurisconsultus, ne defenderet parricidium Antonini Caracallæ, interfici se permisit: dignus profectò qui ius doceret, cũ tanta constantia magnitudinéque animi fuerit, vt ne quidem metu mortis adductus sit, vt contra iusticiam faceret. Historiam habes apud Roterodamum lib. 8. Apophthegmatum. ex Spartiano, cuius verba repetit Volat. lib 18. Anthrop.

ΠΡΟΦΥΛΑΚΗ ΑΔΙΚΙΑΣ.

VITIA ET INIVSTOS CONTRACTVS ALIORVM LEGIBVS, Senatusconsultis, edictis, consuetudinibus præcauere.

Huc omnes leges referri possunt, & legislatores etiam ipsi, quatenus iniustos contractus rescindunt, & nihili reddunt. Quorum superiore loco in genere, vt iusti erant, mentio facta est.

Contra crapvlam et ebrietatem.

Lycurgus conuiuiorum apparatus, & menses lautiores, velut cupiditatum inuitamenta sanctionibus inhibuit, & ad frugalitatem suos reuocauit. Alex. ab Alex lib. 3. cap. 11.

Dionysivs Syracusanus, etsi tyrannus, tamen id præcipuum habuit, quod ei semper displicuerit ebrietas. Vnde cùm reliquos sontes grauissimis plecteret suppliciis, vestium furibus ignoscebat: vt Syracusani eæ nis & ebrietatibus quibus frequenter vtebantur, abstinerent. Plut. in Apologia ad Traianum.

Contra scortationem.

Apud Romanos, mulieres castris interesse, aut cum militibus turpi consuetudine versari, aut castra sequi, extremæ turpitudinis erat, & seuerissimæ animaduersionis. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

Contra incestvm.

Græci inter priuatas necessitudines cum sororibus commisceri interdictum habuêre, nefandúmque putauêre eodem parente genitos, inuicem incestis nuptiis detineri. Alexander ab Alexandro, libro 1. cap. 24.

Contra lvxvm in vestitv.

Solon plus tribus vestibus quenquam vti, lege prohibuit Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Apud Athenienses seruatum est, vt Atticæ fœminæ Doridam vestem, quam prius induebant, simillimam Corinthiæ (ne fibulis necterent) in lineam commutarent. Ibidem.

Apud Lacedæmonios in luxum vestimentorum non tantùm leges latæ erant: sed Ephoris etiam mandatum, vt quotidie inspectiones obirent vestimentorum: & si quid in illis fortè à decenti iustóque ornatu alienum inueniretur, delinquentem iuxta legis rigorem punirent. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

A Syrracvsanis lege sancitum est, ne viri aut mulieres maiori sumptu ornarentur, ni prius se constupratas, & omni nequitia impudicas docerent. Quod propè cum Ephesiis par fuit: qui cùm vitiis inquinatissimi essent, neminem frugi viuere passi sunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Dionysivs Syracusanus iunior, cùm singulos malefactores grauissimis afficeret suppliciis, his tamen præsertim ignoscebat, qui vestiũ & ornamentorum fures essent: quo facilius Syracusani à luxu abstinerent. Guido Bitur.

Oppia lege interdictum erat, ne mulieres versicoloribus vestimentis induerentur, néve pileatis veherẽtur, néve in auribus plus vncia sumptus darent. Lata à M. Oppio trib. Alex. ab Alex. lib. cap. 18.

Tiberivs Cæsar Statilio & L. Libone consulib. vsum sericarum vestium interdixit, vetuítque ne quis ad sacra portanda vasis aureis vteretur. Cúmque postea dubitaretur à quibusdam, an ea quoque quæ haberent emblemata, interdicta essent? de hoc etiam edixit. Dion Nicæus in eius vita.

Domitianus Cæsar edicto statuit, vt probrosis fœminis lecticæ vsus, & apparatus vestimentorum adimeretur. Alex. lib. 5. cap. 18.

Tacitvs Cæſar, auro clauatis veſtibus vti prohibuit. Ibidem.

CONTRA LVXVM IN ÆDIFICIIS.

Auguſtus Cæſar, cùm videret Romanos ciues maximis impenſis ædificare domos, edixit ne quis ſupra ſeptuaginta pedes ſublimius ædificaret. Alex. lib. 5. cap. 24.

CONTRA PRODIGALITATEM.

Apud Lucanos, ſi quis homini luxurioſo mutuaſſe aliquid conuincitur, mutuo dato à iudice priuatur. Stob. ſerm. 42. ex Nicolai ſcriptis de Moribus gentium.

Romæ, cùm Præſidum licentia in edendis ſpectaculis multum damni prouincialib. inferret, eóſque quotidie nouis collationibus exhauriret: Nero vetuit, ne gladiatorum munus, aut ferarum ſpectaculum Præſides in prouinciis ederent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 6.

Excogitata theatra cultus deorum & hominum delectationis cauſa, nõ ſine aliquo pacis rubore, voluptatem & religionem ciuili ſanguine, ſcenicorum portentorum gratia, macularunt: quæ inchoata quidem ſunt à Meſſala & Caſsio Cenſ. Cæterùm autore P. Scipione Naſica omnem apparatum operis eorum ſubiectum haſtæ venire placuit. Atque etiam S. C. cautum eſt, ne quis in vrbe propius ve paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ſedéns ve ludos ſpectare vellet: vt ſcilicet remiſſioni animorum iniuncta ſtandi virilitas, propria Romanæ gentis nota eſſet. Volat. lib. 2. cap. 1.

CONTRA FOENERATORES.

Solonis extat lex aduerſus fœneratores, qua cautum fuit: Patre viuente, filio qui ſub patris iure eſt, credi pecuniam non licere: & qui crediſſet, petitionem non habere, ne filius familias ære nexus alieno, vt creditum redderet, vel necem patria machinaretur, aut aliunde eam inhoneſtius quæreret. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 7.

Ægyptios & Athenienſes ferunt, cùm fœnoris contagio latius ſerperet, plurimis decretis cauiſſe, ne ob fœnus corpora addicari vel addici poſſent, néve ſuper corporibus fœnerari fas foret, nec citra debitori facultatem ſcire. Quæ lex Siſachthia & Chreocopia dicta eſt. Ibidem.

Cùm omnis Ægyptus fœnore obruta eſſet, lege ſancitum fuit, vt ita demum mutuam pecuniam accipere liceret, ſi cadauer patris fœneratori pignori daretur, penes quem eſſet poteſtas paterni ſepulchri debitoris oppignorandi. Ibidem.

S. C. vetitum olim fuit, Ne quis filiofamiliàs mutuam pecuniam daret, etiam poſt mortem parentis, cuius in poteſtate fuiſſet: néve ſi dediſſet, ei actio petitióque daretur. Vt ſcirent, qui peſsimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filijfamiliàs bonum nomen, inde expectata ſui patris morte, fieri. Recitantur hæc verba ex legum Commentariis, ex naufragio olim ereptis, apud Alex. lib. 1. cap. 7.

Cùm fœneratores magna licentia pro arbitrio fœnerarent, cautum fuit primò XII Tabulis, de modo credẽdi, ne quis plus vnciario fœnore fœneraret. Mox tribunitia apud Romanos rogatione ad ſemiuncias fœnus redactum, deinde ad ſemiſſem, poſtea ad trientem. Demum L. Genutius tribunus plebis, tulit ad populum, ne vllo modo fœnerari liceret. Ibid.

Conſumpſerat omneis Aſiæ populos fœneratorum inexpleta ferocitas, iam inde, ex quo Sylla ingens ipſi genti tributum imperauit: imperatúmque crudeliter exegit, omnia publica & priuata in fœnus abierant. Iam & capita hominum ob alieni æris magnitudinem libertate priuari, cùm L. Lucullus iuſtiſsimo decreto fœneratoriam licẽtiam cohibuit, ac & fœnus ipſum ita moderatum, vt breui ſit prouincia in meliorem ſtatum reſtituta. Sab. lib. 4. cap. 4. & Alex. lib. 1. cap. 4.

Tiberius Cæſar, vt fœnus omnino tolleretur, diſpoſito per menſes millies ſeſtertio, cauit, vt ſingulis facultas creditum accipiendi fieret: in triẽnium ſine vſuris, ſi debitor in duplum populo cauiſſet. Poſtremò pluribus plebiſcitis, non modò fœnus, ſed vetita quoque verſura fuit: cautúmque perpetuo Senatuſconſulto, ne filiofamiliàs credere liceret. Alex. ibid.

Claudius Cæſar, veterum Senatuſconſultum longo abuſu obliteratum, fœneratorum licentiam coercens, ne filiisfamiliàs pecuniam fœnori darent, ſeuero edicto ſeruari mandauit.

Veſpaſianus, cùm Cenſuram ageret, ſaluti parentum & liberorum conſulens, illud denuò ex longo interuallo reuocauit.

M. Antoninus Pius, & Alexander Seuerus, Romæ fœnus trientariũ conſtituerunt, cùm nonnullos fœnoris cauſa agro paterno auitóque exutos comperiſſent, ſemiſſem verò abrogarent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 7.

CONTRA AMBITIONEM ET NIMIAM *magiſtratuum licentiam.*

Athenienſibvs tanta fuit cura, tantáque ſolicitudo contra magiſtratuum inſolentiam, vt nullum omnino magiſtratum admitterent, niſi ſortitione publica & ſuffragiis populi creati eſſet. Alex. ab Alex. lib. 4. capite ſexto.

Romæ prima lex contra ambitum illorum qui magiſtratus appeterent, per tribunos plebis lata fuit: quo tempore poſt decemuiros tribuni militum conſulari poteſtate præfuere, qua ne cui album veſtimentũ petitionis cauſa induto quenquam adire liceret cauebatur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 17.

Apud eoſdem lege cautum erat, vt in petendis honoribus candidati ſine toga ad comitia deſcenderent, ne pecuniis in ſinu reconditis, tribuum ſuffragia mercarentur. Ibidem.

Apud eoſdem in tãtum ambitus honorum inhibitus fuit, vt Licinia lex & Ebutia non modò illi qui de nouo creando magiſtratu ad populũ ferret, ſed nec ipſius collegæ & affini curationem poteſtatemúe demandari, graui documento ſancirent. Ibidem.

Fabia lege præfinitur numerus ſectatorum, proſequentium in comitiis candidatos: pœna adiecta, ſi quis plures aduocaret. Ibidem.

Pavlvs Æmilius legem tulit ad populum qua ne cui ſuffragij cauſa munus dare liceret, multiplici pœna interdixit. Ibidem.

M. Cato, cùm quorundam animos efferatis cupiditatibus ferri videret, ſe quibuſcunque, qui honores mercarentur, & pecunia aut pollicitationibus ambirent, diem ad populum dicturum iureiurando firmauit. Ibidem.

C. Marivs in conſulatu ambitum tanto odio proſequutus eſt, vt aduerſus Cottam collegam, & Metellum tribunum plebis legem promulgarit, ne quis largitione aut donis magiſtratum honorés ve aſſequeretur. Idem.

Cn. Pompeius Magnus, cùm vnicus conſul eſſet, legem tulit, qua illos qui magiſtratus appeterẽt, graui cenſura multauit. Ibidem.

M. Tvllivs, C. Iulius, & mox Auguſtus, ne qua occaſio fraudis pateret, inter cæteras, quas tulerunt, leges, ſeuera correctione ambitus illorum qui largitionibus ſuffragia captabant, inhibuêre. Ibidem.

C. Petilius tribunus plebis legem tulit ad populum, qua largitiones illorum qui honores pecunia mercarentur, graui damno & pœna multauit. Ibidem.

C. Gracchus legem tulit, qua cauebatur, ne ij qui ob licentiam vel moroſitatem ab imperio vel magiſtratu ante finiti honoris tempus deiecti eſſent, in alterius dignitatis locum reciperentur. Alex. ab Alex. lib. 4. capite ſexto.

Multa extant plebiſcita apud Romanos, quibus ne duos magiſtratus, præſertim Curules, vno anno habere, néue plebeium magiſtratum patricio genere liceret, cauebatur. Quinetiam pro magiſtratu aliquid gerere inhibitum erat, niſi prius ſacramento adactus fuiſſet. Quod ideo cautum eſſe conſtat, ne ſpe & cupiditate improba imperia & honores allumerent, & in magiſtratum licentia ſumma in cæteros dominarentur. Ibidem.

Apud Romanos, quãuis tot legibus aduocatio maioris poteſtatis (quæ ab iniuria tenuiores vindicaret) permiſſa foret: nondum tamen ſatis petulantiæ & effrenatæ licentiæ prouiſum erat, niſi caueretur ne ſæpius etiã eadem imperia gerendo, nimis aliquorum potentia inſoleſceret.

Ideóque Q. Martius Cenſor legem tulit ad populum, ne quis eundem honorem bis ambiret. Nullam aliam ob cauſam, quã vt ſi qua ineſſet magiſtratibus licentia, citius frangerentur. Ibidem.

Q. Fabius Maximus lege promulgata prohibuit, ne intra annos decẽ eandem poteſtatem gerere cuiquam liceret. Ibidem.

Annaria lex, magiſtratus & honores geri vltra annum non ſinebat.

C. Ivlivs Cæſar legem ſanxit, ne Prætoriæ prouinciæ vltra annum, néve conſulares plus biennio obtinerentur: vt abiecta omni licentia, ea humanius erga ſubditos ſe gererent præſides. Ibidem.

L. Svlla, arbitratus frequentes honorum viciſsitudines nimiæ poteſtatis eſſe, & potentiæ non ferendæ, lege edita, prius aliquem Prætorem quàm Quæſtorem, aut Conſulem quàm Prætorem fieri voluit. Ibidem.

CONTRA PARENTVM ERGA *liberos perfidiam.*

Lex hæc Thebanorum rectiſſimè & humaniſſimè poſita eſt: Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in ſolitudinem abiicere, capitis ſupplicio deuincta. Verùm ſi in extrema mendicitate pater ſit conſtitutus, ſiue mas ſit, ſiue fœmina infans, cogitur eum ſtatim à materno partu ad magiſtratum cum ipſis faſciis adferre: qui acceptum, alicui tradit leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, vt per ſuam fidẽ, infantem alat, &, adultum ſerui vel ſeruæ loco habeat, ſic vt alimentum & educatio ſeruitute compenſetur. Ælianus, libro ſecundo, de Varia hiſtoria.

CONTRA DOMINORVM ERGA SERVOS *licentiam nimiam.*

Avgvstvs noluit, vt domini plus æquo in ſuos ſeruos ſæuirẽt: ideóque ſuper dominorum poteſtate in ſeruos ſalubriter conſuluit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

Antonini principes ſuper dominorum poteſtate in ſeruos ſalubriter conſuluerunt, ne dominus plus æquo ſæuire poſſet, néue iniuſta imperia dominorum noxæ forent, néue domini ſeruos quotidianis verberibus afficerent, ſed loris cæderent. Quibus conſtitutionibus cauebatur, quoque vt in eum qui ſuum occidiſſet ſeruum, haud ſecus pœna diceretur, quàm ſi alienum necaſſet. Ibidem.

ACCV-

ACCVSATIO SVIIPSIVS CONSCIENTIA *maleſactorum.*

Iuſtus in primis eſt accuſator ſuiipſius, vt vulgò dici conſueuit. Cùm enim ex Platonis ſententia nemo iniuriam alteri inferre poſsit, niſi ergà ſeipſum prius iniurius extiterit (etenim affectibus rationem, quæ tamen imperare debebat, ſubijcit) nemo quoque ex iniuſto iuſtus redditur per pœnitentiam, niſi prius accuſator ſuiipſius fuerit. Differt tamen Accuſatio à pœnitentia: quoniam accuſatio præcedit omnem pœnitentiam, at non ſemper ſubſequitur pœnitentia. Exempla tamen ex tit. Pœnitentiæ poſſunt mutuari: hîc ſolius accuſationis, ibi correctionis ratio habetur. Conueniũ autem huic loco eorum exempla potiſsimùm, quos conſcientia ſua vexauit, & quamuis tacentibus ac ignorantibus alijs ſcelerum reos egit. Conſcientia quippe mille teſtis eſt, ex vulgato prouerbio: Bona nihil præſtantius, mala (quam Dirarum vltricum & Erinnyum nomine veteres expreſſerunt) nihil calamitoſius.

Filii Iacobi patriarchæ, decem numero, in Ægyptum profecti, cùm pro exploratoribus in vincula coniecti eſſent à Ioſepho Ægypti præfecto fratre ipſorum, quoniam vendiderant, neque eum cognoſcebãt: cœperunt inter ſe dicere, in eas anguſtias ſeſe redactos ob impietatem erga fratrem Ioſephum commiſſam: atque adeò Ruben teſtabatur, eos à ſe monitos, ne id ſcelus in puerum committerent, ſibi non obtemperaſſe: nunc ſanguinis illius pœnas expeti. Sic ſemper conſcientia improbos vrget. Geneſ. 42.

ΘΕΡΑΠΕΙΑ ΑΔΙΚΙΑΣ.

Latiſsimus hic ſeſe campus offert, id quod ex ſeq. titulis cognoſci poteſt. Vt enim vitia ſunt varia, ita etiam ſupplicia. Cæterùm ea quæ ſub προφυλακῇ ἀδικίας paulo antè attulimus, ad θεραπείαν quoque referri poſſunt, quatenus per eadem & præcauere & curare morbos interdum datur.

IMPROBORVM CONSVETVDINEM FVGERE, ETHICE.

Exempla quædam, pete ex tit. Imitationis Ethicæ vitioſæ.

Periclem Athenienſem, ita hominum conuictum & conuerſationem fugiſſe legimus, vt nunquam etiam apud ſummos amicos conuiuia celebraret. Nimirum nullam aliam ob cauſam, quàm ne malorum hominum conuerſatione ſuos mores in peius mutaret: Pontano teſte libro de Conuiuentia, poſt prologum.

Epidavrii, cùm cernerent fœneratorum conſuetudinem plurium bonis moribus officere, ferréntque, Illyrios multorum vitiorum labe infectos, mercatoribus ſuis commeandi ad eos facultatem interdixerunt. Ne autem ijs commodis deſtruerẽtur, quæ Illyriorum regio afferre poterat: ætate grauem virum inter Epidaurios deligebant, cuius fama moréſque probarentur. illum ſolum penetrare ad Illyrios ſinebant: iſque ſolus in emendis vendendiſque rebus aliorum ciuium deſideria explebat. Fulg. libro 2. cap. 1.

Persæ, cùm circa Mycalem Samios & Mileſios ſuſpectos haberent, iuſſerunt eos montes & iuga Mycalæ occupare: verbo quidem, quod regionis peritiam haberent: re autem, ne ſua præſentia reliquos etiã Græcos corrumperent. Polyænus, lib. 1.

Scythæ adeò omnes peregrinos mores deuitarunt, ceu qui inſitam genti illi frugalitatem corrumperent, vt non ob aliam cauſam Anacharſim occiderint, niſi quòd Græco more Cybelis ſacra coleret. Fulgoſus libro ſecundo capite primo.

IMPROBORVM CONSVETVDINEM NON FVGARE, VT *eos ad meliorem mentem reducas.*

Antisthenes philoſophus approbanti, quòd interdum cũ improbis haberet conſuetudinem: Et medici, inquit, cùm ægrotis verſantur: nec tamen ægrotant ipſi. Sentiens, philoſophum ideo verſari cum improbis, vt eos reddat meliores. Laert. lib. 6. cap. 1.

Demosthenes, quũ ſibi probro daretur, quòd improborum vteretur contubernio: Optimus, inquit, is eſt medicus, qui ſanos relinquit, & bene habentes: ægrotos & penitùs deploratos ſuſcipit curandos. Stob. & Max. ſermone ſexto.

Romvlvs, cum ei crimini verteretur, quòd cũ improbis verſaretur: Et medici, inquit, cũ ægrotis: non tamen morbo inficiũtur. Max. ſerm. 6.

DIVINITVS ET MIRACVLOSE ACCVSATI.

Gangolphi Burgundionis vxor, adulterio commaculata, cùm probare vellet innoxiam ſe eſſe, in frigido fonte demerſa manu adiurauit, ne eam ſine prodigij ſpecie, ſi culpã ferret, inde poſſet leuare. Mira, & à Deo res facta fuit, cùm à fonte manum tolleret, deſiccatam extraxit, nõ aliter, quàm ſi in medijs eam ignibus tenuiſſet. Itaq; ob prodigium à viro ſeparata fuit. Fulg. libro 8. cap. 1.

AB HOMINIBVS IVRE ACCVSATI, TAM PRIVATIM quàm publicè.

Conſule tit. Libertatis in reprehendendo.

Iosephvs annorum 17. ad patrem Iacobum turpitudinem fœdam fratrum ſuorum, cum quibus pecuariam exercebat, deferebat, quam ob rem fratribus inuiſus fuit. Gen. 37.

Apud Ægyptios fuit in vſu, rege defuncto, antequam iuſta dentur, per ſacerdotem, qui proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ ſeriem & ipſius dicta factáque, & an fuerit fortiſſimè præliatus, an ſegnis & deſes, ex alto ſuggeſtu in maximo omnium conuentu perlegi & recenſeri: & ſi vitia præualeant, honore funeris priuari, atque inſepultum cadauer abijci. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & Diodorus lib. 2. cap. 2.

Rhacones Perſa, cùm quatuor haberet filios, Cartonem natu minorem, eo quòd omnis diſciplinæ impatientiſſimus, monita paterna reſpueret, coram iudice, ac deinde apud Artaxerxem etiam regem accuſauit, vt hominem parentibus rebellem mortis ſupplicio damnarent, obnixè orauit. Verùm rex, cùm parentis ſeueri quidem, ſed probi ac iuſti accuſationem æquis auribus audiuiſſet, interrogauit Rhaconem: num ferre poſſet, vt filius in ſuo conſpectu iam trucidaretur? & reſpondiſſet, Se poſſe non tantùm, verumetiam percupere. Artaxerxes tantam hominis iuſticiam laudauit, & eundem in regiorum iudicum collegium cooptauit: ſperans, eum qui tam ſeueriter & iuſtè de proprijs liberis ſententiam auderet proferre, omnino etiam in alienis criminibus integrum, ſincerum & incorruptum iudicem fore. Ælian. lib. 1. de Varia hiſtor.

C. Norbanus ſeditioſus & inutilis ciuis, à P. Svlpitio in iudicium vocatus eſt. Cicero lib. 2. Officiorum.

Q. Scævola excellentiſſimus vir, teſtis in reum productus, cùm id reſpondiſſet, quod ſalutem periclitantis magnoperè læſurum videbatur, diſcedẽs adiecit: Ita ſibi credi oportere, ſi & alij idem aſſeueraſſent: quoniam vnius teſtimonio aliquem credere, peſſimi eſſet exempli. Et religioni igitur ſuæ debitam fidem, & communi vtilitati ſalubre conſilium reddidit. Val. lib. 4. cap. 1.

C. Verres perfunctus quæſtura, & prætura vrbana, ſucceſſit in Sicilia prætor C. Sacerdoti, atque in ea libidinosè atque auarè verſatus eſt. Diſcedens tandem ſuccedente Metello, repetundarum reus à Sicvlis poſtulatus eſt. Qui M. Tul. Ciceronem ad accuſandum deſcendere compulerunt, iampridem ipſis neceſſitudine copulatum, cùm quæſtor in Sicilia fuiſſet. Pedianus.

L. Sergius Catilina, cùm prætor in Africam profectus eſſet, adeò prouinciam expilauit, vt reuertens Torquato & Cotta conſulibus, ſit ab Afris repetundarum accuſatus, agente Pub. Clodio cauſam. Saluſtius in bello Catilinario.

Sigiſmundum Malateſtam virum facinoroſiſſimum, bello ac edita vulgò accuſatione, Pivs II. pont. max. inſectatus eſt. Volaterranus libro 22. Anthrop.

Veneti Ægyptiorum conſuetudinem imitati, defunctorum ducum vitam cenſent. Si quid deliquiſſe deprehendantur, multam hæredes perſoluere coguntur. Sic Leonardus Lauretanus dux clariſſimus, quòd præter Venetã frugalitatem nimis ſplendidè vixiſſet, poſt mortem accuſatus & condemnatus traditur. Egnat.

A BRVTIS VEL QVIBVS VIS ALIIS RATIONE *carentibus, accuſati. Conſule tit. Fidei brutorum erga dominos.*

IBYCI poetæ interfectores, grues indicant. Conſule tit. Melopœorum poetarum.
AVGEAS canis moloſſus, Ephialtem furem fabularum Eupolidis comici prodit, & interfecit. Vide tit. Fidei brutorum erga dominos.
MILES quidam à cane eius, quem clàm noctu Antiochiæ occiderat dentibus comprehenſus, & cædis hac ratione conuictus fuit. Vide tit. Fides brutorum erga dominos.

DIVINO DAMNATI IVDICIO.

Exempla varia ſub locis Pœnæ quorumlibet delictorum continentur.

INIVSTOS CONTRACTVS RESCINDERE, *abrogare, non præſtare.*

LEGES.

FOEDERA.

IVDICIA, EDICTA, SENATVSCONſulta reſciſſa.

ASSVERVS Perſarum rex, malignis inuidi Amani delationibus plus æquo credulus, Iudæos qui in regno ſuo erãt, veluti pacis turbatores edicto perdere omnes iuſſerat: mox innocẽtia eorũ cognita, ſẽtentiam vertit in accuſatorẽ. Quos autem neci iam addixerat, honore affecit. Laudabilius egiſſet, ſi nõ præcipitaſſet iudicium. Sed neque in eo laude ſua fraudandus, quòd iniuſtè decretum iuſtè reuocare non tardarit, in illum animaduertens, cuius ſuggeſtione deceptus fuerat: tam æquus inique hominis vltor factus, quàm ſæuus innocẽtum fuiſſet inter emptor, ſi ante dictam internecioni diem id quod erat, non reſciuiſſet. Quàm itaque rectè Iob: Cauſam, inquit, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Marul. lib. 5. cap. 1.
Quum PHILIPPVS in tribunali dormitans, aduerſus Machetam quendam pronunciaſſet, vbi vigilantior factus cognouit factam Machetæ iniuriam: non reſcidit quidem iudicium, ſed iniuſtam ipſe exoluit mulctam. Rauiſ.
Apud ROM. trib. plebis intrare curiam non licebat: ante valuas autem poſitis ſubſellis decreta patrum attentiſſima cura examinabãt, vt ſi qua ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatuſconſultis T. litera ſubſcribi ſolebat: eáque nota ſignificabatur, illa tribunos quoque cenſuiſſe. Qui quamuis pro commodis plebis excubabant, inque imperiis compeſcendis occupati erant, inſtrui tamen ea argenteis vaſis, & annulis aureis publicè præbitis, patiebantur, quo talium rerum vſu, autoritas magiſtratuum eſſe ornatior. Val. Max. lib. 2. cap. 1.
OTTHO IIII. Imp. iniuſtum iudicium reſcindit, quantum poteſt. Vide tit. Pœna iniuſtæ accuſationis.

IVDICIA INIVSTA PROVOCATIONE SVSPENSA.

PROVOCATIO AD DIVINVM *iudicium.*

Cum Philippi regis cognomento Pulchri opera & ſuaſu, Clemens v. pont. Templariorum equitum religionem damnaſſet, atque eorum multos variis in locis ſupplicio affeciſſet: poſtremò ad eum vnus eſt deductus, natione ITALVS, patria Neapolitanus, qui minimè intrepido ſe animo gerebat. Damnatus enim vt viuus, ſicuti antè alij, cremaretur, dum in Vaſconibus in Burdegala vrbe ad ſupplicium deducitur, conſpectis in feneſtra pontifice ac Rege, magna voce in hæc verba prorupit: Sæuiſſime Clemens tyranne, poſteaquam mihi inter mortales nullus iam ſupereſt, ad quem appellem pro graui morte, qua me per iniuriam afficis, ad iuſtum iudicem Chriſtum, qui nos redemit appello: ante cuius tribunal te voco, vnà cum Philippo rege tanti mali ſuaſore, vt ante eum intra annum diemque ambo appareatis, vbi cauſam meam exponam, & *ius ſine prauo* vllo affectu miniſtrabitur. Mirum profectò, neque enim tempus quod dictum ab equite fuerat, abiit, quod Clemens repentè morte eſt correptus: nec multo pòſt Philippus quoque interiit. Neque enim pauciores huius equitis verba vires, quàm Calani ad Alexandrum, cùm mori conſtituiſſet, habuere. Ful. lib. 1. cap. 6.
Ex toto ſimile hoc fuit, quod ſequitur, niſi quòd citationis tẽpus breuius fuit, celeriúſque vires ſuas exercuit aduerſus Ferdinandum quartum Caſtulonenſem regem, cùm falſis criminibus proditionis duos EQVITES Hiſpanos morti damnaſſet. Nam cùm ab ingenti ſaxo pręcipitarentur, fruſtráque de innocentibus ſumi ſupplicium exclamarẽt: tandem cùm nihil proficerent, ad Ieſum Chriſtum appellarunt, qui viuorum & mortuorum iudex eſt: atque vt intra triginta dies coram eo appareret, regem citauerunt, qui intra id tempus repentè deceſſit. Ibidem.
Cum Genuenſium triremes, aduerſus piratas inſtructæ, biremem Cathelanam cæpiſſent, extra Drepanum vrbem, in Cathelanorum atque Siciliæ inſulæ contemptum, Genuenſes biremis rectorem furcis noctu appenderunt. At cum miſer iniquè ſe id pati à Genuenſibus quereretur cum nunquam eos violaſſet, poſteaquam perſpexit fruſtra à ſe ea dici apud eos, qui plus odio gentis, quàm hominis cauſa mouerentur: pro iniuria ad Deum appellauit, citato patrono Genuenſiũ eo, penes quem grauior mortis ſuæ culpa videbatur, vt intra ſextum menſem coram Deo compareret: intra quod tempus is patronus quem citauerat, mortuus eſt. Ad hæc exempla quid aliud dici poteſt, niſi: Vbi humanum deeſt ſubſidium, pro iuſticia diuinum à Deo mitti. Et quia permulti inueniuntur penes quos nulla futuri iudicij fides eſt, aliqua eius ſigna Deum in præſenti oſtendere vita, vt hac ſpe impotentium oppreſſio recreationem habeat, & inſolentium poteſtas atque malignitas cõfundatur. Quòd ſi etiam eiuſmodi mortes caſu contigerunt, tamen quia intra deſignata tempora euenêre, vt miræ res viderentur effectum eſt: ſicuti fortaſſe nonnullæ, quia tempora prædicta præterierunt, & propterea pro miraculo habitæ non fuerunt, earum obſeruatio neglecta eſt. Quæcunque verò huiuſmodi rerum cauſa fuerit, negari non debet, quin quod ita contigit, obſeruatione dignæ videantur. Ibidem.
GVALTERIVS Burgenſis, miniſter Turoniæ, cùm inuitus præſul Pictauenſis crearetur, venit in litem pro iure Eccleſiæ ſuæ, cùm præſule Burdegalenſi, qui paulò pòſt Pontifex creatus nomine Clementis v. hunc aduerſarium ſuum præſulatu deiecit. Quare Gualterius cùm hác iniuriam æquo animo tuliſſet, moriens huiuſmodi Chirographum ſarcophago imponi iuſſit: Ad iuſtum Dei iudicium appello. Volater. lib. 21. Anthrop.
SIDONIVS epiſcopus Auernenſis presbyterum ante tribunal Dei comparere miraculoſè cogit. Vide Sidonij vitam, ſub tit. Doctorum Eccleſiaſticorum.

PROVOCATIO AD ALIVD TRIBVNAL.

MACHÆTAS quidam à Philippo ad Philippum prouocat. Vide tit. Condemnationem prudenter effugere.
MVLIER quædam à Philippo ebrio ad ſobrium prouocat. Vide tit. Libertatis in reprehendendo.
P. VAL. qui cum L. Bruto poſt reges exactos conſul factus eſt, ad terrorem increſcentis audaciæ legem promulgauit: qua cauebatur, vt à quocunque magiſtratu ad populum prouocandi cuiuis poteſtas foret: *exiſtimans* nimirum maioris imperii aduocatione, nimiam magiſtratuum licentiam coartari. Alexander ab Alexandro libro quarto capite ſexto.
Cùm opes apud Romanos plurimùm præualere inciperent, humilioréſque à ditioribus aſſiduè premerentur, hiſque ſuperbè auaréque imperitarent: iterum VALERIA lex, tanquam vnicum libertatis præſidium, ante primum bellum Punicum lata eſt, qua inter cętera eum qui prouocaſſet à quouis magiſtratu, *virgis cędi*, & ſecuri percuti vetabatur: pœna tamen, ſi ſecus feciſſet, non adiiciebatur, nihil improbè factum videretur. Ibidem.
MARTIVS Valerius *conſul*, legem de prouocatione ad populum, ab eadem familia ſæpius latam, tanquam patronam & vindicem libertatis tertio promulgauit, grauiſſimiſque pœnis affecit eum qui ſprero more patrio ad maius tribunal prouocare inhiberet, in tantum vt etiam de vi & maieſtate damnatis ius prouocandi ad populum dederit. Ibidem.
POPVLVS Romanus exacto decemuirorum imperio, vt licentiæ temeritatíque magiſtratuum obuiam iret, *præter* auxilium tribunitium, nouam ſanciendo legem, conſtituit: ne quis vllum magiſtratum ſublata interceſſione, crearet: eum qui creaſſet, ius fáſque eſſet occidi. Ibidem.
DVILLVS poſtea conſul alia conſtitutione innouauit, vt qui magiſtratum ſublata prouocatione creaſſet, tergo & capite lueret. Ibidem.
CALIGVLA, ne longo circuitu ducerentur lites, nimias prouocationes legibus hactenus diuerſis conceſſas inhibuit. Ibidem.

NERONIS apud Romanos tempore ſtatutum eſt, vt qui perperam ad principem vel ſenatum prouocaſſet, pecuniam pœnæ nomine in ærarium ferre, & mulctam exoluere cogeretur. Ibidem.

ASYLA IVSTE NON SERVATA, AVT ABROGATA.

LACEDÆMONII Pauſaniam, patriæ proditorem, in æde Palladis fame mori cogunt. Vide tit. Pœna proditorum patriæ.
AVGVSTVS aſyla à veteribus conſtituta abrogauit, ne propoſita impunitatis ſpes facinoribus cauſam daret. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.
TIBERIVS Cæſar, cùm propter aſylorum impunitates indigna facinora admitti intelligeret, aſylorum immunitates abrogauit, & exoletũ *morem antiquauit*, & *Samiæ* Iunoni & Æſculapij delubro ius veteris immunitatis ob religionem reſtituit tantùm. Ibidem.

PACTA, PROMISSA INIVSTA NON SERVATA, IN BELLO, *vel extra bellum, publicè vel priuatim.*

HIPPODAMIA Œnomai regis Elidis & Piſatum filia, cùm multi eam proci peterent ea conditione, vt curuli certamine victi ab Oenomao (qui equos habebat perniciſſimos, vtpote ventorum flatu creatos) interficerentur, victores verò Hippodamia potirentur: illa cùm Pelopem amaret, Myrtylum aurigam patris primi coitus pactione corrupit, vt factis ceris axibus in medio curſu Oenomaum curtus concideret. Paruit ille. Sic Hippodamia potitus eſt Pelops. Cùm autem Myrtilus promiſſum à puella poſceret præmium, à ſponſo in mare præcipitatus eſt: cui & nomen fecit, vt poſtea Myrtoum appellaretur. Seruius in principio tertij Georgicon.
AGESILAVS, cùm à quodam ei diceretur: Ageſilae, ſcito te eam mihi rem promiſiſſe: ad regiam autem fidem pertinet non verba modò, verùm capitis quoque nutus ſeruare, atque huiuſmodi verbis Ageſilaum vrgeret, vt promiſſa præſtaret, quia res parum honeſta videbatur: reſpondit, ſcito tu quoque neminem à rege iniuſtam rem petere debere. Acuto reſponſo oſtendit, rem inhoneſtam, quæ importunitate promiſſa aut cõceſſa videatur, laudabilius reuocari, quàm vt conſtantiæ fama paretur præſtari. Plut. in Lacon.
AVRELIANVS, Imperator, quum Tyanam veniſſet, eámque occluſam repetiſſet, iratus dixit: Canem in hoc oppido non relinquam. Qua voce milites erecti in ſpem prædæ, cum Heradamon vrbem prodidiſſet, noluit tamen vt vrbs diriperetur. Attamen ne mendacium dixiſſe videretur: Agite, inquit ad milites, canem negaui me relicturum: canes omnes igitur occidite. Vopiſcus in Aureliano.
Lais meretrix inſignis, cum EVBATAM Cyrenenſem aſpexiſſet, ardentiſſimo in eum amore cœpit flagrare, & de contrahendis inter ſe nuptijs mutuò, ſermonem ei detulit. At ille metuens eius inſidias, dixit ſe id facturum. Non tamen rem cum ea habuit Eubatas, ſed caſtè ſe geſſit. Spõſio verò his conditionibus facta eſt, vt poſt ludos certaménque rata deberet eſſe. Cùm igitur victor abiret è certamine, ne conuentis non ſtetiſſe videretur erga feminam, pictam Laidis imaginem deportauit ſecum Cyrenam: inquiens ſe Laidem ducere, & pacta non præterire. Quam ob cauſam mulier, quæ ipſi nupſerat, maximam ſtatuam Cyrenæ ponendam curauit, ſic remunerari volens ipſius caſtitatem & modeſtiam. Ælianus lib. decimo de Varia hiſtoria.
VENETI architecto Conſtantinopolitano pactum de ſtatua ponenda non ſeruarunt. Vide titulum Magnificentiæ in templis ædificandis.

TESTAMENTA IVSTE RESCISSA.

ACTILIA (alij Attiliam legunt) Variola Romana, ab octogenario patre exhæredata, vndecimo die, poſtquam is nouercam ei ſuperinduxerat, centumuirali iudicio in paternis bonis reſtituta eſt: reſciſſo teſtamento, quod libidinoſus ſenex feciſſe putabatur, nouæ vxoris illecebris à recto ſenſu abalienatus. Fulg. lib. 7. cap. 7.
AVGVSTVS non ſine magna ratione, Virgilij teſtamentum in ea parte ſeruandum non duxit, qua mandabat, vt Æneis, quòd eam ex ſententia ſua nondum correxerat, combureretur. Longè enim pluris putauit, ſtudium quem poſteritas ex lectione conſecutura erat, illius poematis, quo eruditionis magnitudine ac ſtili excellentia nullus vſque ad eam diem carmen maius ediderat, quàm poetæ infamiam, ſi quid in eo carmine ſuperſtitioſi caſtigatores in melius mutandum inueniſſent. Ibidẽ: & Egnat. libro ſeptimo capite 7.
DOMITIANVS Imperator, teſtamenti Ruſci Cepionis eam partem reuocauit, qua hæredes obligabantur, quotannis certam pecuniam ſenatoribus dare, qui ſenatum frequentarent. Eam enim donationem ambitioſam, atq; parum vtilem iudicauit eſſe. Ibidem.
Ianuarius, cum religioni initiaretur, apud AVGVSTINVM Hipponẽſem epiſcopum duos filios marem ac fœminam in diuerſis habebat monaſterijs. Itaque cùm bona ſua in pauperum vſum diuideret, partem eius pecuniæ ſub filij nomine retinuit, vt eam vſque in maturum ætatis tempus illi reſeruaret. Contigit autem vt is mortem obiret. Itaque antè teſtamẽtum condidit, detexítque, pecuniam quam habebat ſuam eſſe, & vt ſuam monaſterio relinquere. Auguſtinus, in cuius manu monaſterij adminiſtratio erat, eam pecuniam ceu *fraudulentam accipere* recuſauit, ſed filijs teſtatoris tradi iuſſit: affirmans, quòd non rectè ei poſſet credi, qui contra religionis profeſſionem pecuniam priuatam poſſederat: atq; in re dubia ſatius eſſe, filijs teſtatoris eam dari, qui grauiora propter eam pecuniam quàm eccleſia pati poterant, cùm eccleſiæ longè pluris bonũ nomen, quàm pecunia cum auariciæ nota, faciendum eſſet. Hoc Auguſtini iudicio, quis non videat, quæ modeſtiæ formula religioſis viris, in parandis per legata à ſecularibus viris opibus proponatur? Ibidem.
Illa quoque AVRELIANI Carthaginenſis epiſcopi ſanctio, quanta laude digna fuit? cùm per eam Carthaginenſis ciuis teſtamẽtum recidit, cui nati ſunt filij, poſteaquam is reſeruato ſibi vſufructu dum viueret, eccleſiæ omnia bona ſua dono dederat. Ibidem.
PAVLVS ſecundus pontifex, Ludouico Parauino cardinali ac patriarchæ, ius teſtandi permiſerat: & tamen quòd is bona non in impios vſus diſtribui iubebat, ſed ob turpem cauſam, vnde & illi ſcandalum, & eccleſiæ ſiniſtra fama manabat, ea relinqueret, teſtamenti partem illam irritam fecit. Ibidem.

[redacted]

Idem quoque in Syria PRINCIPES Chriſtiani, qui Hieroſolymas incolebant, in Gotofredi Bolionij teſtamento fecerunt. Nam cùm is imperio patriarchæ Hieroſolymitani, Dauidis turrem, & maiorẽ vrbis partem relinqueret, quippe qui ea Hieroſolymitanæ eccleſię iuris putabat eſſe, quæ tamen cùm ipſe rectè valeret, petita concedere nunquam voluerat, poſteri exequi partem eam, ceu regno Hieroſolymitano damnoſam, recuſarunt. Ibidem.
Militantis cuiuſdam pater, cùm de morte filij falſum è caſtris nuncium accepiſſet, alijs hæredibus ſcriptis deceſſit: peractis deinde ſtipendijs adoleſcens domum petit, errore patris, imprudentia amicorum, domum ſibi clauſam reperit. Quid enim illis inuerecundius? *florem iuuentæ* pro Repub. abſumpſerat, maximos labores & plurima pericula tolerauerat, aduerſo corpore exceptas oſtendebat cicatrices: & poſtulabat, ne auitos eius lares otioſa ipſi vrbis onera poſſiderent. Itaque depoſitis armis, coactus eſt in foro togatam ingredi militiam: acerbè enim cum improbiſſimis hæredibus de paternis bonis apud centumuiros contendit, omnibúſque non ſolùm conſilijs, ſed etiam ſententijs ſuperior diſceſſit. Val. Max. lib. 7. cap. 7.
M. Anci Carſeolani ſplendidiſſimi equitis Romani FILIVS, à Suffenate auunculo ſuo adoptatus, teſtamentum naturalis patris, quo præteritus erat, apud centum viros reſcidit, cùm in eo Tullianus Pompeij Magni familiaris, ipſo quidem Pompeio ſignatore, hæres ſcriptus eſſet. Itaque illi in iudicio plus cum excellentiſſimi viri gratia, quàm cum parentis cineribus negocij fuit. Cęterùm quamuis vtraque hæc *aduerſus ſe nitebantur*, tamen paterna bona obtinuit. Nam L. quidem Sextilius, & P. Popilius, quos M. Ancus ſanguine ſibi coniunctos eadem ex parte qua Tullianum, hæredes fecerat, ſacramento cum adoleſcentulo contendere *auſi nõ ſunt*, tametſi præcipuis eo tempore Magni viribus ad defendendas tabulas teſtamenti inuitari poterant, & ſi aliquantulum adiuuabat hæredes quòd M. Anci filius in Suffenatis familiam ac ſacra tranſierat. Sed arctiſſimum inter homines procreationis vinculum patris ſimul voluntatem, & principis autoritatem ſuperauit. Idem.
CAIVM Tectium infantem à patre exhæredatum, Petronia matre, quam Tectius quoad vixit in matrimonio habuerat, natum, diuus Auguſtus in bona paterna ire decreto ſuo iuſſit patris patriæ animo vſus: quoniam Tectius in proprio iure procreato filio, ſumma cum iniquitate paternum nomen abrogauerat. Idem.
Septicia mater Thrachalorum Ariminenſium, filijs irata, in contumeliam eorum, cùm iam parere nõ poſſet, Publio ſeni admodum nupſit: teſtamento etiam vtroque prærerito. A quibus aditus diuus AVGVSTVS, & nuptias mulieris, & ſuprema iudicia improbauit. nam hęreditatem maternam filios habere iuſſit: dotem, quia non creandorum liberũm cauſa coniugium interceſſerat, virum retinere vetuit. Si ipſa æquitas hac de re cognoſcere potuiſſet, iuſtius-ne aut grauius pronunciaret? Spernis quos genuiſti, nubis effœta, teſtamenti ordinem violento animo confundis: neque erubeſcis ei totum patrimonium addicere, cuius pulluto iam corpori marcidem ſenectutem tuam ſubtrauiſti. Ergo dum ſic te geris, ad inferos vſque Imperatorio fulmine afflata es. Ibidem.

Egregia C. CALPVRNII Pisonis præfecti vrbis constitutio. Cùm enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, ab vno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere passus non est. Monuit profectò Pisonem patria maiestas: donum vitæ beneficium educationis: sed aliud etiam ipsum flexit, circumstantium liberorum numerus, quòd cum patre septem fratres impiè exhęredatos videbat Ibidem.

Quid MAMERCI Æmilij Lepidi consulis, quàm graue decretum? Genutius quidam Matris Magnæ Gallus, à Cn. Oreste prætore vrbis impetrauerat, vt restitui se in bona Neniani iuberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus à Surdinio (cuius libertus Genutium hæredem fecerat) prętoriã iurisdictionem abrogauit, quòd diceret Genutium amputatis suis ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum neque mulierum numero haberi debere. Conueniens Mamerco, cõueniens principi Senatus decretum: quo prouisum est, ne obscœna Genutij præsentia, inquinata voce tribunalia magistratuum sub specie petiti iuris pollueretur. Idem.

Multo Q. METELLVS prætorem vrbanum seueriorem egit, quàm Orestes gesserat, qui Vetilio lenoni iuueni bonorum possessionem secundum tabulas testamenti non dedit, quia vir nobilissimus & grauissimus fori ac lupanaris separandam conditionem existimauit. Nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas suas in stabulũ contaminatum proiecerat: aut huic, tanquam integro ciui iura reddere, qui se ab omni honesto vitæ genere abruperat. Ibidem.

POENITENTIA ET RESIPISCENTIA ETHICA. ITEM MORES *in melius mutati.*

Pœnitentia & Humilitatem & libertatem in confitendo complectitur, Vide ea quæ suprà sub titulo Liberæ confessionis à nobis dicta sunt. Huc quoque pertinet titulus, Castitatis amissæ & violatæ dolor. Cæterùm feræ Pœnitentiæ exempla aliquot, sub tit. Bonis consiliis non parere, reperies: illic imprudentiæ, hic pœnitentiæ ratio habetur,

CHILO Lacedęmonius senex dixit, se sibi in tota vita ingatitudinis non esse conscium: vna tamen re se modicè moueri, quòd cùm semel inter amicos iudex esset, neque contra ius pro amico agere vellet, amico persuaserit, vt iudicium à se prouocaret. quo facto, & amicum seruasse, & contra legem non peccasse visus est. Tamen quia viri boni nõ erat iusticiam dissimulare, idcirco meritò id factũ ægrè tulit in senecta. Laertius.

ATHENIENSES viuum Themistoclem in exilium eiecerunt. At mortui ossa ex Magnesia repetenda curarunt, eiúsque liberis reditum in patriam honorificum concesserunt. Sepulchrũ illi in Piræeo erectum. Pausanias in Atticis.

THEMISTOCLES adolescens in compotationibus ac mulierum amoribus volutabatur, adeò vt pater eum abdicauerit, mater propter filij turpitudinem suspendio vitam finierit, teste Val. Max. libro sexto cap. 11. At postea quàm Miltiades factus imperator, apud Marathonem deuicisset barbaros, iam nullus offendit illum quicquam agentem pręter decorum. Percontantibus autem, Cur mores tam repentè mutasset? Miltia (ait) nunc me non patitur cessare, atque dormire. Plutarch. in Græcorum apoph.

IDEM, quoniam adolescens feroci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores, dicere solebat: Asperos & indomitos pullos in optimos equos euadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectamque institutionem. Plu. in eius vita.

Historici narrant, AGIDEM puerum in summis deliciis fuisse educatum: sed simulatque adolescens etiamnum ad Reipub. gubernacula admotus est, incredibili mutatione reiectis pristinæ vitæ voluptatibus, huc totum animum adiecit, vt Spartã barbarorum ac Græcorum moribus corruptissimam, ad pristinam frugalitatem reuocaret. quę res illi fuit exitii causa. Vtinam autem cæteri Principes, quorum primas etas ferè luxu deliciísque corrumpitur, saltem cum Agide tum animum vertant ad bonam frugem, quum regni habenas accipiunt. Plutarch. in Lacon.

ANTIGONVS Macedoniæ rex, cùm ab initio regni durior esset, senex iam factus, clemẽter & placidè regnum administrauit. Verùm cum morum mutationem mirarentur subditi, respondit: Prius opus erat regno, nunc gloria & beneuolentia, qua regnum recuperatum seruatur. Plut. in Apoph. Regum & imper.

ISÆVS sophista Assyrius, cùm primam ætatem dicasset voluptatibus simul vt ad virilem peruenit, velut alius subitò factus, miram induit morum seueritatem. Itaque percontanti cuidã, Num illa (fœminam ostendens) videretur formosa? πέπαυμαι, inquit, ὀφθαλμῶν: id est, Desij laborare ab oculis. Ab altero quopiam interrogatus: Quis piscis, aut quæ auis esset ad vescendum suauissima? πέπαυμαι, inquit, ταῦτα σπουδάζων: id est, Ista curare desij. Et adiecit, ξυνῆκα γὰρ τοὺς ταντάλου κήπους τρυγῶν, id est, Sensi enim me è tantali hortis fructus colligere. Subindicans, omnes eiusmodi voluptates, quibus iuuentus capitur, nihil aliud esse quàm vmbras ac somnia, qualia de Tantalo fabulantur poetæ. Philostratus.

In CIMONE puero nihil simulati aut ficti fuit. Stultus & insolens à primis annis fuisse traditur, creuit ætas, infamiámque pueritiæ in laudem vertit: Atheniensiúmque longè princeps liberalitate, omnibúsque ciuilibus disciplinis factus, adeò vt in in ea parte vitæ sit Themistocli, qui Græciam seruauit, omnium iudicio prælatus. Sab. lib. 8. cap. 8. & Val. lib. 6. cap. 11.

ALCIBIADES Atheniensis ad luxum & voluptates fuit in iuuentute satis inclinatus: traductus est tamen à Socrate ad bonam disciplinam. Nam discendi studio & amore sapientiæ pellectus, cunctis amoribus repulsis, ad Socraticam disciplinam animum vertit, nusquam recedens à latere philosophi sapientissimi. Habuitque tandem in se misogyniam quãdam, id est, maximum odium mulierum, quare fuit in Euripide tragœdiarum scriptore. Guido.

SOCRATES philosophiæ pater, ac veræ sapientiæ fons saluberrimus, cùm publicè à iudicibus accusatus, & veneno è medio sublatus iam esset: tum demum supplicij (nimis tamẽ sera) pœnitentia secuta est. Verùm vt interim ATHENIENSES viderẽtur eius morte moueri, supplicium ab accusatoribus sumptum, & statua Socrati publicè decreta est. Sabel. lib. 1. cap. 5.

PLATO Aristonis filius, cùm ab omni studio bonarum artium alienus in militiam profectus esset: deprehensus à Socrate, eius suasu arma vendidit: animúmque mutans sub Socrate præceptore tãto studio, tantáque industria philosophiæ operam dedit, vt postea princeps philosophiæ, aliorúmque philosophorum Deus vocatus sit. Ælianus lib. 3. de Va. histor..

ARISTOTELES abliguritis omnibus pecuniis, quæ ex hæreditate parentis ad ipsum deuenerant, in militiam profectus est. Deinde cùm sinistrè malísque auibus, hoc ei procederet, pharmacopolam egit. Frequentans autem demum peripatum, cùm philosophiam docentes audiuisset, philosophiæ sacratissimo studio operam dedit, ac in eodem magno cum fructu consenuit. Ælian. lib. 5. de Varia hist.

Perditæ luxuriæ Athenis adolescens POLEMON, neque illecebris eius tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens: cùm è cõuiuio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domúmque rediens Xenocratis philosophi patentem ianuam vidisset, vino grauis, vnguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit: nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, vt clarissimum eloquium & prudentissima præcepta temulẽtię lasciuiis eleuaret. Orta deinde, vt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit: omissáque re quam disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemon, primum coronam capite detractam proiecit: paulo pòst brachium intra pallium reduxit: procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit: ad vltimum totam luxuriam exuit: vniúsque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus euasit. Peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitauit. Val. Maximus lib. 6. cap. 11.

Non minor quoque ea fuit morum mutatio, quam DIOGENES Cynicus philosophus fecit: qui Synope ortus, vrbe Põtica, adulterinę monetę infamia notatus, à patria pulsus fuit. Is postea Athenis data philosophiæ opera, in tanto opes odio habuit, vt nudus degeret, atque nautico dolio pro domo vsus, à nullo vel pecuniã, vel aliam rem acciperet. Fulgos. lib. 6. cap. 9.

PHILIPPVS Macedonum rex, aiebat se his qui in Republica Atheniensium administranda primores essent, plurimam habere gratiam, quòd suis conuiciis efficerent, vt ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior: Dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. O verè philosophicum principis animũ, qui nouit etiam ex inimicis capere vtilitatem: nec quod vulgus solet, hoc tantùm spectare, vt maledicos afficeret malo: sed vt ipse minus malus redderetur, illorum maledictis admonitus. Erasmus libro quarto Apophthegmatum.

IDEM Hipparcho Euboico vita defuncto, illius mortem acerbè ferebat. Itaque cuidam volenti dolorem ipsius mitigare, dicentíque, Attamen ille tempestiuè decessit, iam natu grandis: Sibi quidem ipsi, inquit Philippus, tempestiuè decessit, sed mihi præproperè. Mors enim illum anticipauit, priusquam à me beneficium acceperit nostra dignum amicitia. Eras. Rot. lib. 4. Apoph.

PYRRHVM Epirotarum regem, Æsopi mortem permolestè tulisse memoriæ proditum est: & quamuis cum illo bene actum diceret, mirificè tamen se cruciari dicebat, quod dum prosequi illum beneficiis differt, gratiam viuenti non retulisset. Credita quidem pecunia, post mortem creditoris hæredibus solui honestè potest: at gratia viuenti referẽda est. Pont. cap. 37. de Liberal.

Sæuus & immanis in regno iunior Dionysius, multumque paternæ crudelitatis referens: regio tamen solio deiectus, Corinthumque ablegatus, omnem prioris vitæ fastum adeò exuit, ciuilem & remissiorem vitam

vitam complexus, vt tam subita in homine mutatio non immerito esset hominibus suspecta, tanquam ad tempus simulata. Sed verissimmũ illud, quod est in ore multorum, omnium malorum nullum esse efficacius remedium obliuione. Sab. lib. 8. cap. 8.

VOLSCI, cùm Marcium Coriolanum ducem suum (qui à Romanis defecerat, & Romanos sæpius vicerat) Actij Tullij collegæ artibus persuasi occidissent, pœnitentia ducti, publica impensa funus eius celebrarunt. Fulg. lib. 9 cap 7.

MANLIVS Torquatus adeò hebetis atque obtusi cordis inter initia iuuentæ existimatus est, vt à patre Manlio amplissimo viro, quia & domesticis & Reipublicæ vsibus inutilis videbatur, rus relegatus, agresti opera fatigaretur, postmodum patrem reum iudiciali periculo liberauit: filium victorem, quòd aduersus imperium suum cum hoste manum conseruerat, securi percussit: patriã Latino tumultu fessam, speciosissimo triũpho recreauit. Valer. lib. 6. cap. 9.

M. TER. Varro consul, post acceptam cladem Cannensem, barbã & capillum submisit, stãs tantùm cœnauit, honores quoslibet oblatos respuit. Frontinus libro 4. cap. 5.

SCIPIO Africanus superior, quem dij immortales nasci voluerunt, vt esset in quo virtus se per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet solutioris vitæ primos adolescentiæ annos egisse fertur, remotos quidem à luxuriæ crimine, sed tamen Punicis tropheis, deuictæ Carthaginis ceruicibus imposito iugo, teneriores. Valerius Maximus libro sexto, capite 9.

CAIVS Valerius Flaccus, secundi Punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoauit. Cæterùm à P. Licinio pont. max. flamen factus, quo facilius à vitijs recederet, ad curam sacrorum & ceremoniarũ conuerso animo, vsus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum postea modestiæ ac sanctitatis specimen euasit. Ibidem.

Nihil Q. FABIO Maximo, qui Gallica victoria cognomen Allobrogi sibimet ac posteris peperit, adolescente magis infame, nihil eodem sene ornatius aut speciosius illo seculo Rom. ciuitas habuit. Ibid.

FABIVS, in vrbe Roma nobilissimo genere ortus, à prima ætate, quã multis infecerat notis, absumptis perditè paternis opibus, Gurgitis cognomentum sibi comparauit. Cæterùm postea relictis primæ ætatis libidinibus, in eam temperantiam peruenit, vt dignus haberetur, cui populus Rom. morum censuram crederet. Senex enim insigne se virtutis ac modestiæ exemplũ patriæ præstitit, cui iuuenis, in Venere gulaq; nimius, atrã nubem obtenderat. Fulg. lib. 6. cap. 9.

L. LENTVLVS repetundarum accusatus, haud multo pòst censor sanctissimus euasit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 13.

M. VAL. Messala censoria nota perstrictus, censoria postmodũ potestate imperauit. Ignominiæ virtutem acuit: rubore enim excitatus, omnibus viribus incubuit, vt dignus ciuibus videretur, cui dari potius quàm abijci censura deberet. Val. Max. lib. 2. cap. 4.

GETA, cùm L. Metello & Cn. Domitio cẽsoribus senatu motus esset, postea censor factus est. Ibidem.

Quis ignorat Q. CATVLI autoritatem in maximo clarissimorum virorum prouẽtu excelsum gradum obtinuisse? cuius si superior ætas reuoluatur, multi luxus, multæ deliciæ reperientur: quæ quidem ei impedimẽto non fuerunt, quo minus patriæ princeps existeret, noménque eius in Capitolino fastigio fulgeret, ac virtute ciuile bellum ingenti motu Oriẽs sepeliret. Val. Max. lib. 6. cap. 9.

L. SYLLA vsque ad quæsturæ suæ comitia vitam libidine, vino, ludicrę artis amore perinquinatam perduxit. Quapropter C. Marium cos. molestè tulisse traditur, quòd sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus quæstor sorte obuenisset. Eiusdem virtus quasi perruptis & disiectis nequitiæ, qua obsidebatur, claustris, cathenas Iugurthę manibus iniecit, Mithridatem compescuit, socialis belli fluctus repressit, Cinnæ dominationem fregit, eumque in Africa, qui se quæstorem fastidierat, ipsam illam prouinciam proscriptum & exulem petere coegit. Quæ tam diuersa, támque inter se contraria, si quis animum suum attentiore comparatione expendere velit, duos in vno homine Syllas fuisse crediderit, turpem adolescentulum, & virum dicerem fortem, nisi ipse Felicem appellari maluisset. Ibidem.

Nemo nescit ipsum OCTAVIVM, qui postea iure optimo Augustus est dictus, à primis adolescentiæ annis, postquam ab Apollonia, interfecto Cæsare redijt, bellis ciuilibus per viginti annos crudelissimè esse versatũ. Non illum pietas in patriam, non Senatus, non populi Romani autoritas continere potuit: nullæ illum leges, nulla iura tam sancta, nulla hominum in sese merita, nulla religio inhibere potuit, quo minus sæuissimus, maximéque immanis haberetur. Omitto nunc D. Bruti cos. insectationem, omitto Hyrcium & Pansam coss. pari fato cæsos, Antonium in fugam conuersum, non pessimè de se meritum. Quis triumuiratum eius cum M. Lepido, eodémque Antonio ictum, non in primis hoc nomine execretur, quòd centum & quadraginta senatorum proscriptionem scelestissimam fieri passus est? & in hac vnum Ciceronem optimè de se meritum, vel, vt verius dicam, alterum parentem adscribi non dubitarit? Sed quó nam loco Philippensem aciem, aut Sex. Pompeium in Cilicia, aut M. Antoniũ ad Actium promontorium reposuero? in quem mouens, quum in Asiniũ Pollionem incidisset Brundusij, adhortaretúrque, vt secum aduersus Antonium pugnare vellet, planè ita respondit Asinius, maiora esse Antonij in sese beneficia, quàm vt eum pro hoste habere posset: interea daret Augustus sibi ocium, ne ingratissimi hominis subiret nomen. Cæterùm finitis postmodum bellis ciuilibus, attendamus quæso, quanta in illa morũ secuta sit mutatio. Sepulta etiam externa, reuocata vndique pax, sopitus vbiq; armorum furor, restituta vis legibus, iudicijs autoritas, senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum, prisca illa & antiqua reipub. forma reuocata, redijt cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, leges emendatæ vtiliter, latæ salubriter, senatus sine asperitate, nec sine seueritate lectus, principes viri triumphis & amplissimis honoribus functi, hortatu principis ad ornandum vrbem delecti sunt, consulatus supra undenos nullus vnquam illi placuit, domini nomen ne à familiaribus quidem audire vnquam potuit, nec dictaturam oblatam sibi à populo sæpius admittere vnquam voluit, vt vnum planè sese ciuem esse, perpetuò meminisset. Bella verò quæcunque aut Oriens, aut Septentrio in Germanijs mouissent, nec non Hispanias præsens interdum ipse sic sedauit, vt quæ per ducentos & amplius annos Scipiones aliósque duces Romanos fatigarẽt, quæ tot cõsules, tot prætores fugarant, vt iam de summa imperij cum Romanis cõtendere viderentur, sic pacauit, vt nulla in hominum animis feritas iam superesset. Egnatius libro sexto, capite octauo, & Fulgosus libro sexto, capite nono.

AVGVSTVS legem tulerat de adulteris, quomodo iudicandi essent de hoc crimine delati, & quomodo puniendi eo conuicti. Pòst iræ impotentia irruit in adolescentem, delatum quòd cum Iulia Augusti filia commercium habuisset, eúmque manibus verberauit. At cùm adolescens exclamasset: Legem tulisti, ô Cæsar, adeò facti pœnituit Cæsarem, vt eo die recusaret cœnam capere. Crimen per se graue erat, tum admissum in Cęsaris filiam. Quis princeps ibi dolori suo temperasset? aut quis ibi legum iudiciorúmque moras expectasset? At tantus princeps sibi adeò displicuit, vt à seipso pœnas sumeret, quòd legi, quam alijs prodiderat, non per omnia paruisset.

ROM. milites, cùm Aur. Val. Probum Imp. in Sirmio Pannoniæ occidissent, eius postea facinoris pœnitentia ducti magnificum Probo sepulchrum instituerunt, hac inscriptione: Hîc Probus Imperator iacet verè probus, omnium Barbararũ gentium atque tyrannorum victor. Fulg. lib. nono, capite septimo.

IVL. Mansuetus ex Hispania, rapaci legioni additus, impuberem filiũ domi reliquerat. Is mox inter septimanos à Galba conscriptus, oblatum fortè patrem, & vulnere stratum dum semianimem scrutatur, agnoscens, cognoscénsque, & exanguem amplexus, voce flebili precabatur placatos patris manes, ne se vt parricidam insectarentur. Cor. Tacitus.

ADRIANVS Cæsar Commodum Æliam Verum iterum consulem fecerat, eúmque imperio destinauerat: quem cùm cerneret nec corpore, nec animo satis validum, dicere solebat: In caducum parietem inclinauimus, ac perdidimus quater milies sestertium, quod populo pro adoptione dedimus.

SIGISMVNDVS Imperator, conuicianti Baioratio creditori colaphum incussit: sed mox pœnitentia ductus, debitũ omne persoluit, Æneas Syuius lib. 1. de rebus gestis Alponsi.

RODOLPHVS Imperator, cùm post morum mutationem clementior suis fuisset, quàm ab initio imperij, obiurgatus ob id: Seuerum, inquit, & immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem & placabilem nunquam. Æneas libro secundo, Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

STARCATERVS rex Danorum pœnitentia ductus, quòd Lennum quendam per nefas occidisset, eius filio Hathero se præbuit occidendum. Saxo Gram.

In MICHAELE Steno (qui postea fuit dux) adolescẽtẽ vita aliquanto liberior, atque in luxum & nimiam libertatem propensior fuit. Sed mox mutatis moribus & fortuna cum ipsa iuuentute, ita nimiam licentiam castigauit, vt summis honoribus grandi iã ætate functus, Verona & Patauio Veneto imperio adiectis, maritimísque etiam reb^9 auctis, principatu suo tertium decimum pòst annum ita functus est, vt Antonij Venerij ducis in eo iusticiam non desiderares: nec Thomæ Mocenici prudentiam ac bonitatem, quem præcessit, requireres. Egnat. lib. 6. cap. 8.

IASO Maynus Mediolanensis, ex concubina natus, missus Papiam vt iuri ciuili operam daret, vitijs omnibus, & alęę in primis ita fuit deditus, vt cum hospite decoqueret: & iuris Codicem in membranis scriptum, magno emptum precio, fœneratori tradere cogeretur. Ipsi verò demum sordida in toga, capite tonso & turpi tinea deformis, omnibus ridiculus erat. Sed maturè & peracerbè castigatus, seipsum collegit: tantáque contentione in studijs sese exercuit, vt omnibus mirabilis euaderet. Exin suggestu dignus, Institutiones enarrauit. Cõcessit deinde Patauium: sed euocante Ludouico Sfortia Ticinum reuersus, cum laude vsque ad extremam senectam professus est. Iouius in Elogijs.

LITES TAM PVBLICAS QVAM PRIVATAS COMPONERE. IVDICIA PRÆCLARA.

Consule tit. Prudentiæ in iudicando.

ARCHIDAMVS Lacædemonius Zeusippi filius, inter duos collitigantes arbiter electus, cùm ambos in Chalciœcæ Mineruæ templum deduxisset, eos iureiurando adegit, vt quod ipse iudicasset obseruarēt. Quibus post præstitum iuramentum imperauit, ne eo templo excederent, priusquam positis discordiis mutuam beneuolentiam redintegrassent. Hac sacramenti religione ambos, vt lite discederent, perduxit. Fulg. lib. 8. cap. 2.

SALOMON, cùm mulieres duæ, vtráque puerpera, ancipitē partum sibi vendicarent, pro tribunali interfatus, ceu res æquius decerni non posset: Dimidiatum, inquit, puerum habete. Assensa est quæ calumniam de puero alteri intenderat, contrà, quæ conscia sibi erat sui partus Quin viuat, inquit, potius puer, & illa totum habeto. Quem mulieris affectum secutus Solomon, puerum huic, cuius erat, restituit. Sab. lib. 4. cap. 4. ex 3. Reg. 3.

Conuiuium solenne maiores Rom. instituerunt, idque Charistia appellauerunt: cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Claudius Centumalus ab auguribus iussus altitudinem domus suæ, quam in cœlio monte habebat, summittere, quia his ex arce augurium capientibus officiebat, vendidit eam Calpurnio Lanario: nec indicauit quod imperatum à collegio augurum erat. A quibus Calpurnius demoliri domum coactus, M. PORTIVM CATONEM, inclyti Catonis patrem, arbitrum cum Claudio adduxit, vt formulam daret quid sibi de ea re facere oporteret ex fide bona. Cato, vt est doctus, de industria Claudium edictum sacerdotum suppressisse, continuo illum Calpurnio damnauit, summa quidem cum æquitate: quia bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incōmodorum cognitionem obscurare oportet. Val. Max. lib. 8. cap. 2.

C. Visellius Varro, graui morbo correptus, trecenta milia numûm ab Octacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est: eo cōsilio, vt si discessisset, ab hæredibus eam summam peteret, quam legati genus esse voluit, libidinosam liberalitatem debiti nomine colorādo. Euasit deinde ex illa tempestate aduersus vota Octaciliæ, quæ offensa, quòd spem prædæ suæ morte nō maturasset, ex amica obsequenti subitò districtam fœneratricem agere cœpit, numos petendo: quos vt fronte inuerecunda, ira inani stipulatione captauerat. De qua re C. AQVILIVS, vir magnæ autoritatis, & scientia iuris ciuilis excellens, iudex adductus, adhibitis in consilium principibus ciuitatis, prudentia & religione sua mulierem repulit. Quòd si eadem formula & Varro damnari, & aduersaria absolui potuisset, eius quoque non dubito quin turpem & inconcessum errorem libenter castigaturus fuerit. Nunc priuatæ actionis calumniam ipse compescuit, adulterij crimen publicæ quæstioni iudicandum reliquit. Ibidem.

Multo animosius, & vt militari spiritu dignum erat, se in consimili genere iudicii C. MARIVS gessit. Nam cùm Caius Ticinius Minturnensis Fanniam vxorem, quam impudicam de industria duxerat, eo crimine repudiatam dote spoliare conaretur: sumptus inter eos iudex, in conspectu habita quæstione, subductum Ticinium monuit, vt in cœpto desisteret, ac mulieri dotem redderet. Quod cùm sæpius frustra fecisset, coactus ab eo sententiam pronunciare, mulierem impudicitiæ sestertio numo, Ticinium summa totius dotis damnauit: præfatus, ideò se hunc iudicandi modum secutum, quòd liqueret sibi Ticinium patrimonio Fanniç insidias struentem, impudicę coniugium expetisse. Fannia autem hęc est, quæ postea Marium hostem à Senatu iudicatum, cœnóque paludis, qua extractus erat, oblitum, etiam in domum suam custodiendum Minturnis deductum, ope quantacumque potuit, adiuuit: memor, quòd impudica iudicata, suis moribus quòd dotem seruasset, illius religioni acceptum fieri deberet. Ibidem.

Cùm Nonius, homo Augusto principi pernecessarius, veneficij causam diceret, dubitasse dicitur OCTAVIVS, quæ essent suę partes: veritus, ne si reo superesset sua auctoritas, legibus reum eriperet: contrà, ne à se destitutum prædamnare videretur, amicis ita consentientibus, sedit in subselliis aliquot horas: erùm vtacitus, ne iudiciali quidem laudatione vsus: ne princeps plus velle videretur, quàm ciuitatis iura postularent. Sab. lib. 4. cap. 4. & Fulg. lib. 6. cap. 5.

Memorandum Vespasiani Augusti verbum fuit, apud quem tanquā censorem, quidam Senatori in verborum contentione accusabatur maledixisse. Respondit ergo, Senatori non debere maledici: cæterùm pro maledicto referre maledictum licere. Sapienter enim declarauit, non minus indecenter Senatorem maledicēdo aliorum proteruam loquacitatem irritare, quàm alios non lacessitos senatoriam despectu dignitatem habere. Fulg. lib. 2. cap. 4.

M. SYL. Otto, qui postea imperauit, cùm adhuc priuatam ageret vitam, à duobus de finibus arbiter electus, agrum emit, de quo orta erat controuersia: & alteri contendentium dono dedit, atque ita inter ipsos litem sustulit. Fulgosus lib. 8. cap. 2.

Cùm mutuis odiis inter se contenderent Emanuel atque Andronicus fratres, Caloiannis Constantinopolitani Imperatoris filij, quòd vterque patri in imperio succedere volebat: Andronicus Tenedon insulam populo Genuensi, Emanuel autem Venetis qui eam ædificata arce munierant, tradidit, ea de re graue inter Venetos atque Genuenses bellum exortum est. Cùm autem in aliquot annos vtrique decertassent, similendi belli arbitrum AIMONEM fecerunt. Sabaudiæ, quæ Allobrogum pars fuit, comitem. Is autem prudentiæ minimè expers, ita iudicauit, vt dirutis locis quę in insula Veneti munierant, neutra partium eam insulam possideret. Ibidē & Egnat. libro octauo capite secundo.

Inter recentiora tempora, GEORGII Neocæsariensis episcopi insigne iudicium fuit. Nam cùm de piscoso lacu, qui admodum fructuosus erat, duo inter se contendentes fratres digladiarentur, multíque iam in ea contentione homines essent interempti, fratrum ipsorum voluntate iudex creatus, ad lacum, de quo erat contentio, cùm ambæ partes adessent, profectus est: & extensis in orantis morem ad deum manibus rogauit, vt eum lacum exiccaret, qui inter fratres tantarum contentionum materiam præberet. Nondum autem huius precationis verba ex toto protulerat, cùm vtraque inspiciente parte, exiccatus lacus, & aquę & liti simul finem imposuit. Iidem.

POENA, MVLCTAE, SVPPLICIA IVSTA.

Exempla plurima ex tit. Seueritatis iustæque vindictæ peti possunt, sub loco πραότητος. *Illic enim iræ ratio habetur, quatenus in vlciscendo & puniendo seruat mediocritatem: hic verò non iram, sed inæqualitatem obseruamus, quæ per pœnam ad æqualitatem redigenda est. Diuersò igitur respectu eadem exempla vtrique loco inseruire possunt. Præterea pœnam iustam intelligimus, non publicam tantùm, quæ à magistratu nocentibus irrogatur, sed etiam priuatam, vt quando priuati priuatos iustè puniunt. Nunc ad exempla accedamus, in quibus modò* τὸ νόμιμον, *modò* τὸ ἴσον δίκαιον *spectabimus.*

IGNORANTIAE ET INSCITIAE THEORICAE POENA.

ARISTO poeta, quòd Atheniensium laudes inepto carmine prosecutus esset, fame ab iisdem fuit necatus.

CHOERILVS propter ignorantiam ab Alexandro Magno inedia necatus dicitur.

MANES hęreticus (qui diuinam solum in Christo naturam ponebat) à rege Persarum cute direpta interfectus est, quòd eius filium morbo laborantem interfecisset, quem tamen sanaturum se promiserat. Suidas apud Volaterranum. Vide tit. Hæreticorum.

GLAVCVS Ephestionis medicus, eo mortuo, ab Alexandro magno cruci affixus est. Plut. in Alexandro.

L. SYLLA poetę indocto interdicit, ne quid amplius scribat. Vide tit. Præmia poetarum.

IGNORANTIÆ MECHANICÆ POENA.

Cùm XERXES Persarum rex, pontis supra Hellespontum septem stadiorum conficiendi curam Phœnicibus & Ægyptiis commisisset, quorum illi quidem albo lino, hi scirpo vtebantur: tempestas maxima pontem disiecit. Xerxes ergo architectos capite mulctauit, & aliis hoc opus demandauit. Herod. lib. 7.

POENA MALAE INSTITVTIONIS ETHICAE.

Icarus pater Erigones, quum ATTICOS vsum vini docuisset, ab eis in ebrietatem lapsis interfectus est. Ouidius in Ibin:

Muneribúsque tuis læderis vt Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.

Seueri fuerunt erga Archilochum poetam LACEDÆMONII, cum enim, quanquam genere Spartanus esset, vrbe expulerunt, quòd carmen scripserat, in quo ostendi videbatur. Satius esse in prælio arma, quàm vitam amittere: nam eo doctrinæ genere arbitrati sunt, homines ignauiæ atque timiditatis plus habituros. Fulgos. libro sexto capite tertio.

IIDEM eiusdem libros è ciuitate sua exportari iusserunt, quòd eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt

enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret quàm ingeniis prodesset. Itaque maximum poetā, aut certè summo proximum, quia domum sibi inuisam obscœnis maledictis lacerauerat, carminum auxilio mulctarunt. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

ROMANI Alceum & Philiscum Epicureos ex vrbe eiecerunt, quòd multarum flagitiosarúmque libidinum authores essent adolescētibus. Indignos enim iudicarunt qui in bonorum cœtus admitterentur, quorum libido naturæ præscriptas leges excederet. Ælianus lib. 9. de Varia hist.

IMPRVDENTIÆ POENA IN CONSVLENDO SIMVL ET IVDICANDO.

Vide tit. Bonis consiliis non acquiescere periculosum est. Item, Malum consilium in authoris caput redundat.

RVBEN consuluit fratribus, vt Iosephum redderent patri: qui cùm nō acquiescerent, multis malis se subiecerunt. Genes. 37. & 42.

Roboam filius Salomonis, cùm magis iuniorib. quàm senibus obediret, magnam populi sui partem amisit. 3. Reg. 12.

Holofernes cùm consilium Achioris contemneret, cum exercitu cæsus est. Iudith. 6.

Nabuchodonosor cùm precibus Danielis non flecteretur, qui tam obnixè, vt peccata eleemosynis redimeret, orauerat, in bestiam mutatus est. Dan. 4.

Iudas Machabæus vadens in Galaad, cùm reliquisset Iosephum & Azariam duces populi, præcepissetque ne bellum aduersus gentes committerent, donec reuerteretur: illi inobedientes, & nomen sibi facere volentes, congressi cum hostibus, & res & nomen perdiderunt. 1. Machab. 5.

Iudas Machabæus habebat octingentos viros secum, aduersariorum verò viginti duo milia erant. Monebant autem eum socij, ne temerè sine vlla opportunitate pugnaret, sed prius omnem exercitum colligeret. At ille cùm eorum consilio acquiescere nollet, grauiter vulneratus cecidit: sui verò turpissimè fugam adornarunt. 1. Machab. 9.

THASII ob iudicium imperitum diuino damnati iudicio. Vide tit. Iræ & vindictæ immodicæ erga ratione carentia.

OTTHO IIII. Imp. ex imprudentia falsum iudicasse coarguitur. Vide tit. Pœna iniustæ accusationis.

TEMERITATIS POENA.

ROMANI duces, qui temeritate vel inscitia exercitus amisissent, aut fugæ aut pauoris insimulati essent, pecunia & exilio sæpe multati sunt. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 6.

Seruilius Cepio consul, cùm contra Cimbros in Italiam ruentes, temerariè pugnās, de exercitu LXXX millia hominum amisisset: ex iussu populi Romani, bona eius publicata, eique imperium primo post Tarquiniū abrogatum, ipse in publicis vinculis extinctus est. Inde tractus est & discerptus ad scalas Gemonias. Liuius lib. 67.

CARTHAGINENSES, duces suos prauo consilio cum hostibus pugnantes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen affigebāt: quod bene gessissent, deorum immortalium beneficio ascribebant: quòd malè, ipsorum culpæ. Valerius Maximus, lib. 2. cap. 2. Alex. lib. 4. cap. 7. Genial. dierum.

IGNAVIÆ POLITICÆ POENA. OCII POENA.

Grauiter reprehendit Paulus Thessalonicenses ociosos, licet ipsos aliàs commendaret: Si quis non vult operari, nec manducet. 2. Thess. 3.

Draconis lege cauebatur ocium: quo qui damnatus esset, capite pœnas luebat. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 13.

Legem hanc apud Ægyptios Amasis rex condidit, vt singuli eorū singulis annis apud prouinciarum præsides demonstrarent vnde viuerent. Et qui aut hoc non faceret, aut non demonstraret se legitimè viuere, is morte afficeretur. Quam legem Solon ab Ægyptiis mutuatus, Atheniensibus tulit: quàm illi, quòd sit castissima, assiduè vsurpant. Herod. libro secundo, & Plutarchus in Solone.

Areopagitarum sanctissimum apud Athenienses erat consilium, in quo quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissimè inquirebatur, vt homines honestatem sequerentur, ac laborum totiúsque vitæ rationem reddere cogerentur. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Gell. lib. 12. cap. 7. Ouid. de tristib. & Stobæus serm. 42. Plato in Timæo.

Themistocles Hieronem cum equitatu venientem ad ludos Olympicos, vetuit certamen spectare, dicens: Eum qui maximi periculi se socium non præbuisset, non æquum esse vt communis conuentus particeps fieret: & ob eam rem laudem est assecutus Themistocles. Ælianus lib. 9. de Varia historia.

PISISTRATVS cùm in regnū esset cuectus, accersiri iussit eos qui in foro deambulando atque ociando tempus tererent: & interrogauit, num quæ causa esset ipsis in foro oberrandi: simulque dixit: Si tibi boues aratores mortui sunt, de meo cape rursus alios, atque ad labores te confer: sin egenus & inops es seminum, de meo dentur tibi. Veritus, ne horum ocium insidias aliquas pareret. ælianus lib. 9. de Var. histor.

Herondas quum esset ATHENIS, audissetque quendam iudicū sententia damnatū de crimine ocij, qui in ædus incederet, & ab amicis mæstis deduceretur: iussit sibi commonstrari eum qui in causa liberali reus perageretur. Lacedæmonij, quicquid erat sordidarum artium, non per ciues, sed per Helotas mancipia exerceri volebant: eoque mirabatur Herondas, ob id quenquam vocari in ius, quò illiberalia non exerceret: ibique pro crimine haberi, quod Lacedæmone iudicaretur honestum ac liberale. Plut. in Laconicis.

Lacedæmonij adeò crassiora hominum corpora damnarunt, vt in homines obæsioris corporis leges scriberent. Adscriptum etiam hoc erat in lege, vt decimo quoque die ephebi ad vnum omnes publicè nudos Ephoris se exhiberent. Quòd si essent bona corporis habitudine, valentésque, & quasi concisi ex certaminibus, atque perforati, laudib. vehebātur. Sin aliquod membrum inueniretur delicatius & mollius, ob suppositam aut succrescentem oscitantia pinguedinem, verberabantur, & in ius trahebantur. ælian. lib. 14. de Var. histor. & Alex. lib. 2. cap. 25.

Lacedæmonij Nauclidem, filium Polybiadis, nimium corpore pinguescentem, atque ingrauescentem crassitie, propter luxuriam & ocium è concione, spectantibus vniuersis, deduxerunt: & exilij mulctam ei minati sunt, nisi viuendi rationem istam, iudiciis obnoxiam, magisque Ioni cam quàm Lacedæmoniam, in posterum commutasset. Etenim ipsius formam & corporis habitudinem, dedecus afferre Lacedæmoni, & legibus. ælian. de Var. hist. lib 14.

Cùm nunciatum esset Ephoris Lacedæmoniorum, eos qui Deceleiam tenebant, deambulationibus vti pomeridianis, cum mādato miserunt ad eos, qui dicerent: Ne deambuletis, vt genio indulgeatis potius quàm vt, corpus exerceatis. Nam oportere Lacedæmonios nō deambulationibus, sed exercitiis bonā valetudinē parare, & tueri. ælia. de Var. hi. lib. 2.

Apud Gallos & Iberos zonæ mensuram habēt magistratus: quam si mulier, quæ grauida non esset, capere non posset succi plena, aut puer obæsus, magno afficiebantur probro. Alex. ab. Alex. lib. 2. cap 25.

ARGIS si quis in re quærenda negligens foret, & remissus, aut si desidiosum aut ignauum vidissent censores, rationem vnde victum quæreret reddere cogebant. Ibidem.

Gymnosophistæ sapientes Indiæ, ocium tantopere detestati sunt (Apuleio teste, primo Floridorum) vt cùm edulia mensis apponerentur, prius adolescentes interrogent: Quid à lucis ortu didicissent, vel fecissent. Qui nihil respondebat, impransus foras extrudebatur. Habebant odio quàm maximo desides, quos omnes quia nihil egissent in hac vita, tanquam nō vixissent, bestiarū sepultura sepeliebant. Guido Bitur. & Alex. lib. 5. cap. 21.

Massilienses, vates & sacrificulos, qui quæstus gratia sacra circumferebant, suis oppidis exegêre: ne religionis prætextu ocium sectarentur, & luxum. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13. ex Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Anabathris seruatum legimus, vt negligens, remissus & ociosus, qui opes paternas ignauia minuisset, pœna multaretur. Ibidem.

SARDOA lex in ociosos constituta est, quæ pœnas ignauiæ & socordiæ infligebat: & vnumquemque laborum, victus, totiusque vitæ rationē reddere cogebat. Ael. lib. 4. de Var. hist.

LVCANI, vt aliorum criminum, sic etiam ocij causas agunt: & si quis homini ocioso ac voluptatibus dedito mutuasse aliquid conuincatur, priuatur apud eosdem mutuo dato. Stobæus sermone 42. recitat ex Nicolai scriptis de Morib. gentium.

Apud Romanos qui agrum sordescere patiebatur, & eum negligenter curabat: qui demum arborem vineámque suam negligebat, eum ærarium censores faciebant.

M. Militius, Cn. Lolius, L. Sextilius triumuiri, quòd ad incendium in sacra via ortum extinguendum tardius venerāt, a trib. pleb. die dicta ad populum, damnati sunt. Val. lib. octauo, cap. 1.

P. Bilius triumuir nocturnus à P. Aquilio trib. pleb accusatus, populi iudicio concidit quia vigilias negligentius circumierat. Ibidem.

M. Antoninus Pius, eos quos prouinciis præfecisset, ditauit & locupletauit, ornamentisque consularibus donauit. Rhetoribus ac Philosophis non solùm salaria, verùm etiā honores & prouincias decreuit. Eius verò quātum in delectu studium fuerit, illud declarat, quòd quos ocio abuti cerneret, salaria è publico præberi vetuerit: Nihil iniquius esse dicens, quàm in eos Rempublicam beneficam esse, qui nihil ipsi in Rempublicam conferrent laboris & beneficij. Pont. cap. 11. de Liberal.

Florētiæ in Hetruria patrio instituto animaduertitur in eos, qui ociose & ignauiter in ea ciuitate agunt. Ex his expostulatus aliquis, vnde victum sibi quærat, & vestitum: si expedire non possit, nec vitæ innocentiā probare, vt sceleris conuictus plectitur: aut tanquam ciuitati perniciosus, vrbe eiicitur. Sab. lib. 6. cap. 1.

In auctione Aphronius quidam, vir prætorius, dormitans capitis motu nutabat. Id animaduertens Caligula, præconē admonuit ne illū sibi nutantem præteriret: nec hoc monere desiit, donec ignoranti tredecim gladiatores sestertiûm nonagies addicerentur. Eras. lib. 6. Apoph.

IGNAVIAE BELLICAE POENA.

Apud Græcos militari lege cautum erat, vt qui miles scutum in acie amisisset, capite pœnas lueret: qui verò gladium, leuiori pœna notaretur. Maioris enim disciplinæ esse, se ab hoste tueri & præstare incolumem quàm cum sua pernicie hostem perdere, summi duces putauêre. Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 3.

Athenienses cùm bellica virtute plurimum valerent, grauissimas pœnas desertoribus constituerunt. Lata enim lege statuerũt, vt defectoribus partim pollices è manu dextra (vt posthac hastam ferre non possent, remos verò commodè agere nihilominus possent) rescinderentur: partim punctis in facie (quæ noctuam referrent) notarentur, in perpetuam tanti facinoris ignominiam. Ælianus lib. 2. de Varia histor.

Spartanis tam seuera militiæ disciplina fuit, vt miles qui in acie scutum amisisset, capite lueret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

Cuidam percontanti, quam ob causam apud Spartanos, qui scutum abiecissent, notarentur ignominia, & infami vocabulo Rhipsaspides appellarentur: qui galeas aut thoraces, non item: Quoniam, inquit Demaratus hæc sua ipsorum causa gerunt, scutum verò communis exercitus gratia: significans, vnicuique pluris esse faciendam communem vtilitatem, quã propriam. Qui galeam aut thoracem abiecit, seipsum prodit tantum, & exarmat: qui scutum abiecit, prodit vniuersam phalãgem. Nam obtentu clypeorum tota acies tuta est aduersus hostium iacula. Plut. in Laconicis.

Megabates à Dario ad Cyclades subigendas missus, in circumeundis nauium excubiis offendit nauem Myndiam à nemine custodiri. Quam rem indignè ferens, iussit eius nauis principem, nomine Scylacem, vinciri traiectum per thalamiam, id est, per foramen per quod remus extat: ita vt caput extaret, corpus intus esset, Herod. lib. 5.

Euristhenes, quum malè in bello pugnasset, ac propterea domui suæ ignominiam peperisset, inedia consumptus est à matre. Rauis.

Agesilavs, cùm in bello Peloponnesiaco quosdam Asiaticos in veste munda & nitida, corpore verò desides videret, & ignauos, ea affecit ignominia, vt vestibus nudatos per castra incedere cogeret: illorúmque amicula fortibus viris, quorum in bello virtus enituit, dono daret. Alex. ab Alex. lib. 2. capite 13.

Clearchvs dux Lacedæmoniorum dicebat, imperatorem potius quàm hostem metui debere. Significans, eos qui in prælio dubiam mortẽ timuissent, certum (si deseruissent) manere supplicium. Frontin. lib. 4. capite primo.

Epaminondas fertur, cùm custodias stationésque circumiret, vt disciplinam exemplis stabiliret, sopitum militem gladio transfixisse: asserens qualem inuenisset, talem reliquisse. Alex. lib. 1 cap. 12. Hoc tamẽ Fulg. lib. 2. cap. 2. Pisistrato Atheniensium tyranno tribuit.

Macedonum lex erat, vt qui miles hostem non occidisset, non militari cingulo, sed capistro tantùm cingeretur. Alex. ibid.

Alexander Macedo, instructa iam ad prælium acie, quùm cerneret militem quendam id temporis amentum telo adaptantem, vt inutilem submouit ab exercitu: qui tum demum appararet arma, quum his vtendi tẽpus adesset. Hoc inter Stratagemata magis commemorandum erat, quàm inter Apophthegmata: quemadmodum & hoc quod subijciam. Plutarch. in Apohtheg.

Alexander Macedo quendam castelli custodiæ præpositum, ob desertã stationem nece multauit: & alterum desciscentem sagitta confixit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

Apud Syracusanos moris fuit, vt Hipparchi, hoc est equitum præfecti, militum nomina in tabulis scriberent, vt qui in acie ordines deseruissent, post prælium pœna notarentur. Ibidem.

Apud Ægyptios, qui milites ordines reliquissent, aut dicto non parerent, vel iniussi in castra rediissent, de gradu deiecti, ad inferiorem redibant statum. Si verò ducis consilium hostibus palàm fecissent, lingua multabantur. Ibidem.

Romani manipulos aut cohortes, quæ timore vel negligentia ordines reliquissent, aut in exercitu seditiosæ fuissent, sorte ex eis delecto decimo quoque, capitali pœna multabant. Sic omnium timore, quibus illud imminebat supplicium, & paucorum morte militarem disciplinã seruabant. Fulg. lib. 2. cap. 1. & Alex. lib. 2. cap. 13.

Apud eosdem illa inter militares animaduersiones minima habebatur, cùm ex ignauorum brachio sanguis hauriebatur. Nam per hunc modum sparso sanguine, quem pugnando effundere metuerant, manifesta fieri eorum ignauia putabantur. Fulg. ibidem.

Iidem, milites ignauos & desertores in primam sæpe ducebant aciẽ, & districtis gladiis distinctos destituebant, variisque ignominiis afficere solebant: vt his contumeliis coerciti, intentius mandata in posterum exequerentur, & ad subeunda pericula paratiores forent. Eos qui pugnam detrectassent, aut secessionem fecissent, qui erant fugæ & pauoris insimulati, iureiurãdo adigebant, vt non aliter quàm stantes ad perpetuam ignominiam facti, cibum potumque caperent. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

Iidem sæpissimè ignauos milites fustuario plexerunt, aut in exilium miserunt, & relegarunt, vt procul à Lare senescerent, & ita ignominiam finirent. Ibidem. Sæpe etiam eos qui timidi fugam adornassent, pro hoste habuisse, & circumuentos transfixisse, legimus apud Alex. ab Alex. libro quarto, cap. 7.

P. Valerio consuli Senatus præcepit, exercitum ad Sirim victum ducere Serinum, ibique castra munire, & hyemem sub tentoriis exigere. Frontin. lib. 4. cap. 1.

P. Salpitius equitum tribunus, dum Galli Capitolium obsiderent, somno captum vigilem ab eo loco præcipitauit, per quem Galli (eos enim non sentiebat) ad arcem conscendebant, quos inde M. Manlius postea reiecit. Fulg. lib. 2. cap. 2.

Romani eo die, quo seruati Capitolij, clangore anserum, memoria celebratur, vt anseribus publica alimenta præmij loco obtulerunt, ita viuos aliquot canes eo in loco suspenderunt: quòd cùm vigilare debuissent maximè, sua inertia Gallis Capitolium ferè prodidissent. Fulg. libro 5. capite secundo.

Appivs Claudius, ex his quos loco cessisse nouerat, decimum quemque exercitus fuste percuti iussit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

In bello Tarẽtino, cùm attrita ferè Respublica esset diutino bello, ex Appij Claudij sententia decreuerunt Romani, post receptos à Pyrrho captiuos, vt ex iis qui equo meruerant, peditum posthàc numero militarẽt: qui verò pedites, in funditorum auxilia transcriberentur: néue quis eorũ intra castra tenderet, néue locum extrà assignatum vallo aut fossa cingeret, néue tentorium ex pellibus haberet, recursum autem iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerũt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. Quibus suppliciis compressi milites, ex deformibus Pyrrhi munusculis, acerrimi hostes extiterunt. Val. Max. lib. 2. cap. 2. & Frontinus lib. quarto, capite primo.

Q. Metellus, cùm apud Trebiam res gereretur, collocatas à se in quadam statione quinque cohortes, atque ex ea viribus hostium depulsas, repetere eandem stationem iussit: non quidem vt amissum locum recuperarent, sed vt culpam præteritæ pugnæ, insequentis certaminis periculo puniret. Edixit etiam, vt si quis fugam adornans castra peteret, pro hoste statim interficeretur. Qui disciplina milites edocti, multitudinem hostium superarunt. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Frontinus lib. 4.

Idem in eodem bello ab hostibus penè circumuentus, testamentum facere milites iussit, eósque ad locum recuperandum remisit: minatus, non nisi post victoriam recepturum. Quibus minis intellexerunt milites, nisi vincerent, se morti destinatos esse. Pulsis igitur magna animi fortitudine hostibus, locum amissum recuperarunt, hostésque planè fugarunt. Frontinus lib. 4. cap. 1. Plin. cap. 61. de Viris illust.

Ful. Flac. cos. Fuluium fratrem suum, quia legionem, in qua tribunus militum erat, iniussu consulis dimiserat, à senatu mouit. Frontinus lib. 4. capite primo.

M. Marcellus milites à quibus orta esset fuga, quique pauore signa reliquissent, sequenti pugna inter primas acies frequentes induxit, vt quod ignominiæ acceperant, in aliis præliis periculo suo expiarent. Alex. ab Alex. lib. 2 cap. 13.

Otacilivs Crassus consul, eos qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra vallum iussit, vt imminuti assuescerent periculis & aduersus hostem audentiores fierent. Frontinus lib. 4. cap. 1.

P. Cornelio Nasica & Decimo Iunio coss. qui exercitum deseruerãt, dãnati, virgisque cæsi publicè venierunt. Front. lib. 4. cap. 1.

Senatvs Romanus magnam iram aduersus illos distrinxit, qui apud Cannas Rempub. deseruerunt. Nam cùm eos Q. Fuluio & Appio Claudio coss. vltra mortalium conditionem in Siciliam relegasset, acceptis à M. Marcello cos. literis, vt eorum sibi opera ad expugnationem Syracusanorum vti liceret: rescripsit, indignos esse qui in castra reciperentur. Cæterùm se ei permittere, vt faceret quod expedire Reipub. iudicasset, dum ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiã, donec hostes in ea essent, accederet. Sic enerues animos odisse virtus solet. Val. Max. lib. 2. cap. 2. & Liuius lib. 5. secundi belli Punicj & Fron. lib. 4. cap. 1.

Consimili animo, cum senatui Rom. Hannibal sex millium Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimẽdorum potestatem fecisset, cõditionem spreuit: memor, tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honestè mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Quorum nescio verũ maius dedecus fuerit, quod patria spei, an quòd hostis metus nihil in his reposuerit: hæc pro se, ille ne aduersus se dimicarent, parui ducendo. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Attilivs Regulus cùm ex Samnio in Luceriam transgrederetur, exercitúsque eius obuiis hostibus auersus esset, opposita cohorte iussit fugientes pro defectoribus cædi. Frontinus lib. 4. cap. 1.

M. Attilius Regulus, & L. Furius Philippus, M. Metellum quæstorem, compluresque equites Romanos, qui post infeliciter commissam Cannẽsem pugnam cum eo abituros se Italia iurauerant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curauerunt. Val. lib. 2. cap. 4.

Seuera M. Attilij Reguli & P. Curij Philonis censura fuit, cùm duo milia iuuenum Romanorum inter ærarios retulerunt, iureque suffragij in publicis rebus priuarunt: quia Hannibale bello Italiam premente, quadriennium sine legitima causa non militarũt. Indignos enim in suffragiis publico honore duxerunt eos, quibus sanguis suus quàm patria charior fuisset, Fulg. lib. 2. cap. 4.

M. Clodium Senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: quem ab hostibus non acceptum, in publica custodia necari iussit. Semel læsa maiestate imperij, quot modis iræ pertinax vindex, factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus cõtumelia carceris & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdauit. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

L. Pavlvs Æmylius, eos qui non fortiter pugnando hostibus se opposuissent, aut turpiter fugam adornassent, elephantis dilaniandos obiecit. Alex. ab Alex. lib. 2. capite decimotertio: & Val. Max. libro secundo, capite secundo.

Q. Petilius cos. cùm à Liguribus in prælio interfectus esset, decreuit senatus Romanus, vt ea legio, in cuius acie consul erat occisus, tota infre-

quens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æráque rescinderentur. Valer. Maxim. lib. 2. capite 2. Front. lib. quarto. capite primo, in fine.

P. Rvtilivs consul, in eo bello quod in Sicilia cum fugitiuis gessit, Qu. Fabium generum suum, quòd negligentia Tauromitanã arcem amiserat, prouincia decedere iussit Valer. Maxim. libro secundo, capite secundo.

Ne in C. quidem Vatieno, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat, seueritas Senatus cessauit. Publicatis enim bonis eius, ipsum æternis vinculis puniendum censuit: effecitque, vt quem honestè spiritũ profundere in acie noluerat, turpiter in cathenis cõsumeret. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

C. Cotta Pub. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iunctũ (quem obsidioni Liparitanæ in Sicilia ad auspicia repetenda, Messanam trãsiturus præfecerat) virgis cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coegit, quòd eius culpa ager incensus, & castra ferè capta essent. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Front. lib. 4. cap. 1. Similiter quoque in Val. nobilẽ trib. militũ virgis animaduertit.

L. Qu. Cincinnatus dictator, in eo bello, quo Equiculos sub iugũ misit, L. Minutium consulatum nullam aliã ob causam deponere iussit, quàm quòd castra eius hostes iidem obsedissent. Val. Max. lib. 2. ca. 2. Liuius lib. 3. ab Vrb condita.

M. Scaurus filium quòd in saltu Tridentino loco hostibus cesserat, in conspectum suum venire vetuit. Adolescens verecundia ignominię pressus, mortem sibi consciuit.

L. Calphvrnivs Piso consul, cum in Sicilia bellum aduersus fugitiuos gereret, & Titius equitum præfectus fugitiuorũ multitudine hostium circumuentus arma his tradidisset, his ignominiæ notis affici iussit: cum toga laciniis abscissis amictũ, distinctáque tunica indutum, nudis pedibus à mane nocte vsque ad principia per omne tempus militiæ adesse coegit. Interdixit etiam ei conuictum hominum vsumq; balnearum, turmásque equitum quibus præfuerat, ademptis equis in funditorum alas transcripsit. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Alex. ab Alex. libro secundo, capite decimotertio.

Fabivs Rullus consul, ex duabus legionibus quæ loco cesserãt, sorte ductos in conspectu militum securi percussit. Fronti. lib. quarto, capite primo.

Aqvirivs ternos ex centuriis, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit. Front. lib. 4. cap. 1.

Genvtivs consul, Romanos milites nimia licentia effœminatos in præsidio Regii, quatuor hominum millia exauthorauit & in foro percussit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

M. Cato ab hostili littore, in quo per aliquot dies manserat, cùm tradito profectionis signo classem soluisset, & relictus è militibus quidã alta voce expostularet, vti tolleretur: circumacta ad littus vniuersa classe, cõprehensum supplicio affici iussit: & quem occisuri per ignominiam hostes fuerant exemplo potius impendit. Frontinus libro quarto, capite primo.

L. Sylla cohortem & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & distinctos perstare in principiis iussit. Frontinus lib. 4. capite 1.

Domitius Corbulo in Armenia, Æmilio Ruso præfecto equitum, quia hostibus cesserat, & parum instructam turmam armis habebat, vestimenta per lectorem scidit: eidémque, vt erat fœdato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperauit: Ibid.

Idem in Armeniam à Nerone missus, duas alas & tres cohortes, quæ ad castellũ initio hostibus cesserant, extra vallum iussit tendere, donec assiduo labore & prosperis excursionibus redimerent ignominiã. Ibidem & Alex. lib. 2. cap 13.

Cùm triennio continuo multi Romani exercitus à Spartaco fugitiuorum duce pulsi superatíque essent, ad eam expeditionem missus à populo Rom. Licinius Crassus, antequam manum cum hoste cõsereret, exercitũ priscæ disciplinæ atque seueritati restituit. Iunctis enim legionibus, quæ antè sæpius victæ fuerant, cùm iis quas ipse ducebat, decimum quenque sorte ex eis delectum occidit. Cæterùm quanquã occisorũ in ea animaduersione numerus ad quatuor millia conscenderet, cùm postea hostem semper vinceret, docuit plus virium ea animaduersione exercitui additum, quam occiso tanto numero esse detractum. Fulgosus libro secundo, cap. secundo.

M. Antonius, cum agger ab hostibus incensus esset, ex his qui in opere fuerant, duarum cohortium militem decimauit, & in singulos ex his centuriones animaduertit, legatum cùm ignominia dimisit, reliquis ex legione hordeum ignominiæ loco dari iussit. Frontinus libro quarto, capite primo.

Octavivs Augustus voluit, vt ignaui milites fossam foderent distincti, vt eo habitu & specie deformi in omnium conspectu præ se ferrẽt insignem ignominiæ & flagitij memoriam. Alexand. ab Alexandro lib. 2. capite 13.

Idem manipulares milites statione deserta, & centuriones quoque morte mulctauit, eò quòd minus quàm par esset strenui fuissent. Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 12. Neque tamen eos interficiebat omnes, sed pecunia sæpe mulctabat. Interdũ etiam eos qui in exercitu deliquissent, iussit ante ducem flexis genibus stare: nõnunquam lateres totum diem ferre. Polyæn. lib. 8.

Idem militaris disciplinæ diligens obseruator, equitem Romanum, qui pollices duobus filiis in manibus secuerat, vt hoc modo militari munere excusarentur, ipsum bonáque eius hastæ subiecit. Fulgosus libro secundo cap. secundo.

Idem, si cohors aliqua turma in acie locum deseruisset, aut quæ mãdabantur transgressa esset, decimum quenque mulctabat: reliquos, adempto frumento hordeo pascebat: in nonnullos quoque centuriones, haud secus quàm gregarios milites, capitali pœna animaduertebat. Fulg. li. 2. cap. 2. & Polyæn. lib. 8.

Titus Vespasianus, cùm equos quibusdam Romanis equitibus à Iudæis ereptos intellexisset, quia præsidio præfecti iis qui lignatum in operum obsessæ vrbis vsum iuerant, vt suo equorúmque labori parcerent, ademptis frenis pastum ire passim equos permiserant: & propterea facto repentè à Iudæis impetu, recipere equos nequiuerant: vno ex eis morte mulctato, alios admonitionis rigiditate ab eiusmodi negligentia deterruit. Fulg. lib. 2. cap. 2.

Idem tam seueræ disciplinæ fuit, vt militem ab hostibus captum, qui solutis vinculis ad castra refugerat, vltra militare non permisit, nec illi arma crediderit, quod viuus se ab hostibus capi permisisset. Alex. ab Alex. lib. 2. capite 13.

Ivlianvs Augustus cum bellum aduersus Persas gereret & tres cohortes à paruulo hostium numero in fugam compulsæ essent, decem, à quibus primò fuga cœpta erat, militia exauctoratos capite mulctauit. Fulg. lib 2. cap. 2.

Ivba rex seuerissimus in delinquentes milites, desertores, qui loco amisso in castra aufugerant, cruce affixit. Alexand. ab Alexandro libro 2. capite 13.

Apud Germanos, qui scutum amisisset in bello à publico concilio & sacris arcebatur. In transfugas verò, velut maiori crimini obnoxios, & patriæ ac ciuium proditores, capitali pœna plerunque sæuitum est. Alexander ab Alexand. libro secundo, capite decimotertio: & Fulg. lib. 2. capite primo.

Galli bella suscepturi, armatam iuuentutem edicto ad consiliũ vocant, & vltimum ad consilium profectum diuersis cruciatibus perdunt. Fulg. lib. 2. cap. 1.

Daci, cùm malè pugnassent, hac fuêre ignominia notati, vt cubantes capita loco pedum ponere, & ministeria vxoribus præbere cogerentur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

Scythis, qui nullum hostem interfecisset in acie, in solẽnibus libare non poterat: reliqui initiati adesse non vetantur. Herod. lib. 4.

Veneti, militaris disciplinæ studiosissimi, cùm Mahumethus Eubœam insulam oppugnaret, Nicolaum Canalem Venetæ classis ducem, quòd præ ignauia obsessis opem non tulisset, Perpetuo exilio damnarũt: inutilem cum ciuem ducentes, qui pluris vitam, quàm Christi religionẽ, patriæ honorem, & tam multorum ciuium salutem fecisset. Fulgos. lib. 2. capite 2.

Fuit Antonius Grimanus clarissimus vir, qui in ciuitate diu inter principes habitus, procuratoria etiam dignitate insignis, maritimæ rei iterum Imperatorio nomine præfectus bello Turcico, quod cum Pazaite gerebatur, rem non sanè fœliciter administrasse visus est. Qua ex re Aduocatores tres, viri illustres, Nicolaus Michael, Paulus Pisanus, Marcus Sanctus, ad Patres retulêre, vt abrogato illi imperio, domum ille in publica custodia interim habitus rediret, publicóque carceri includeretur, quoad re ipsa cognita planéque perspecta per maius consilium, de eius capite statueretur. Quare publico iudicio damnatus, & procuratoria dignitate perpetuò priuatus, in insulam Cretam relegatus est: graui etiã indicta pœna, si finibus excessisset. Qui tamen Romam ad cardinalem filium clàm profectus, & non multo pòst patriæ restitutus, procurator primùm tandem verò in Lauretani clarissimi principis locũ subrogatus est, memorabile planè exemplum posteritati futurus. Egnatius libro secundo, cap. 4.

Thomas Viardus, patricij vir sanguinis, ducentesimum & amplius abhinc annum, quum ad sinum Dalmatiæ tuendum præfectus cum decem triremibus missus esset, nec ex Reip. dignitate rem administrasset: quippe qui sex triremes à Genuensib. capi passus, per summam ignominiã fugerat, Aduocatorũ intercessione de consilij sentẽtia in carcerem primũ coniectus, mox maximi consilij sententia condẽnatus est, vt per annum in carcere ageret: quo peracto, in exilio vitam duceret, extra Veneti imperij fines: id quod si quandoque violasset, deprehensus, in carcere publico vitam finiret. Ibid.

Poterat fortasse Victori Pisano, rei maritimæ Imperatori infœliciter cum Genuensibus ad Polam congresso, venia tribui, nisi Reipub. dignitas & salus omnibus aliis rebus anteponenda visa esset Aduocatoribus, qui tunc erant. Illi igitur accepta clade, cùm statim intercessissent, nomẽque illius ad magnum consilium detulissent, autores fuêre, vt abrogato illi imperio (tametsi partim hostium insidiis, partim præfectorum quorũdam segnitie, qui tempore non adfuerant, superatus) carceri manciparetur: qui tamen non multo pòst republica ita exposcente, carcere solutus veteríque dignitati restitutus, præclarã operã Andreæ Contareno duci inter alios præstitit, vt fuso fugatóque Genuensi sæpius hoste, Clodiáq; vrbe recepta, dux ipse triũphans in patriã redierit, Venetũq; nomen in hũc vsque diem florentissimè vigeat. Ibidem.

Benedictvs Pisaurus Venetus, quum rei maritimæ vniuersæ preesset Imperatoris nomine, non dubitauit animaduertere suo priuo iudicio priuáque sententia, in virum patricij sanguinis, quòd relicto Iuco oppido, cui Pylo veteres fecêre nomẽ, Nestoris olim patria, non expectatis Turcis, qui eò aduentare dicebantur, neque expetito subsidio ab imperatore ipso, inde metu abierit. Quo ipso & filius eius Hieronymus, Turcico bello imperator, imitari patrem studuit: qui triremis præfectum, patricij sanguinis virum, capitali supplicio affecerit, propter ingentia man-

nifestáque scelera perpetrata: quæ qualia fuerint, aliis æstimãda relinquimus. Nec verò idem ipse contentus in rebus maritimis hanc seruasse seueritatem, quam præsentia tempora in primis postularent, præfectum quoque peditum inter suos Veronenses nobilem, in Iadrensi agro autorem turpissimæ fugæ, supremo supplicio affecit. Quæ sanè duo exempla in patre filióque spectata, incredibile dictu est, quantum omnium animos incẽderint, ne quid ignauè aut segniter hi gererent, qui Reip. nomine foris præessent. Egnat. lib. 2. cap. 2.

Genvenses (quo tempore vrbes eorũ ciuilibus armis inter Guelfos Gibellinosque diuisa contendebat, & Guelfi rerum potiebantur) septem viros, qui Phaream turrim totam penè à fundamẽtis subuersam Gibellinis dediderant, ab vrbe ceu saxa, per hæc tormenta, quibus sub Mãganorum nomine prior ætas vtebatur, in hostes emiserunt. Fulgosus lib. 2. capite 2.

Iidem diligentissimi militaris disciplinæ custodes, Lanfrancum Barbarinum maritimarum copiarum ducem (qui Admiralis vulgò dicitur) cùm septem & viginti triremium præfectis, euersis antè domibus, magno auri pondere, ac præterea exilio multarũt, quòd in Sicilia à Venetis quatuor ac viginti triremibus, cum ipse septem & viginti haberet, nullo antè tentato prælio in terram descendens, fuerit superatus. Persuasum enim habuerunt, Genuensium virtutem propter solam Admiralis præfectorũque ignauiam Venetæ classi cessisse. Adeò illa ætate etiam minima criminis suspicio, magni apud Genuenses habebatur. Fulgosus libro secundo, capite secundo.

Anno Salutis 1290. cùm è duabus turribus, quibus Labronẽsem portum Pisani tuebantur, Genuenses alteram à fundamentis euersam in mare præcipitassent, alteram euertere aggrederẽtur: milites qui in præsidio erant, similem casum veriti, Genuensibus se dediderunt. Quod simulac Pisani resciuerunt, bona eorum in fiscum redegerunt, vxores atque liberos carceri manciparunt, quosdam etiam ipsorum domum reuersos suspendio necarunt. Fulg. lib. 2. cap. 2.

LVXVRIAE POENA IN GENERE, IN IIS QVAE AD VI-*ctum simul & venerem pertinent.*

Baccheiadum Corinthiorum magistratus, cùm ad summum potentiæ gradum peruenisset, tandem per immoderatam luxuriam dissolutus est. Ælian. lib. 1. de Var. hist.

Colophonii ferunt intolerandam luxuriam, perniciem & interitum attulisse: splendidis enim vestibus superbierunt: & intemperantia mensæ supra modum abutentes iniqua fecerunt. Ælian. libro primo de Var. historia.

Lvcani vt aliorum criminum, sic etiam luxuriæ causas agunt. Et si quis homini luxurioso mutuasse aliquid conuincatur, priuatur mutuo dato. Stobæus sermon. XLII. ex Nicolai scriptis de Moribus gentium recitat.

Campana luxuria perquàm vtilis ciuitati Romanæ fuit. Inuictum enim armis Hannibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu lasciuiore, ad somnum & delicias euocauit: ac tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cùm Seplasia ei & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius? quid etiam damnosius? Quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animíque pariter & corporis vires extinguuntur: adeò vt nescias ab hostibúsne, an ab illis capi perniciosius habendum sit. Valerius Maximus libro nono, capite primo.

Volsiniensium vrbs erat opulenta, erat moribus & legibus ornata, Hetruriæ caput habebatur: sed postquam luxuria prolapsa est, in profundum iniuriarum & turpitudinis decidit, vt seruorum se insolẽtissimæ dominationi subiiceret. Qui primùm admodum pauci, senatorium ordinem intrare ausi, mox vniuersam Remp. occupauerunt, testamenta ad arbitrium suum scribi iubebant, conuiuia cœtúsque ingenuorum fieri vetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant: postremò lege sanxerunt, vt stupra sua in viduis pariter atque nuptis impunita essent: ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non antè ex numero ipsorũ aliquis delibasset. Ibidem.

CRAPVLAE ET EBRIETATIS POENA.

Exempla quædam pete ex tit. Ocij pœnæ: quatenus scilicet ocio iungitur vt plurimùm crapula.

Indi nisi sacrorum causa, vinum non bibebant: apud quos constitutum erat, vt si qua mulier regẽ occidisset, hoc donaretur munere vt successori nuberet. Alex. lib. 3. cap. 11.

Athenienses cùm ebrietatis vitium in omnibus improbarent, ex Solonis instituto ebrium principẽ morte mulctabant. Cælius Rhod. lib. 28. cap. 31. ex Laer. in Solone.

Pittacvs Mitylenæus temulentos, si quid deliquissent, duplici pœna puniri curauit: vt fortitudine supplicij, à vino promptius abstinerẽt. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. & Laert. lib. 1. cap. 5.

Phocion filiũ suũ, qui plura solito obsonia coemerat, obiurgans, ita cõminatus est ei: Si plura quàm secundum naturam vesceretur, vel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum. Docuit filium vir sapientissimus, frugaliter esse viuendum, cum natura paucis contenta esse soleat: quæ si obsonio obruitur nimio, pœna statim in promptu est, quæ in varijs morbis illicò se ostendit. Phocionis dictum extat apud Stobæum, serm. 20. & 15.

Antigonvs milites quosdam videns thoracibus & galeis indutos sphæra ludere, delectatus est hoc spectaculo: ac duces illos accersiri iubet vt eos coram illis laudaret: verùm vbi nunciatum esset, duces bibere, præfecturas illorum militibus dedit, qui sphæra luserant armati: simul & ducum ignauiam puniens, & militum strenuitatem honorans. Plutarch. in Apoph.

Romanæ frugalitatis & abstinentiæ multa & magna nobis documenta sunt: apud quos vini vsus adeò mulierib. interdictus fuit, vt vinum bibisse perinde esset, ac si in adulterio aut graui crimine deprehensa capitali supplicio plectenda foret. Inoleuítque vsus, vt cognati affinésque mulieribus osculum ferrent, vt an vinum bibissent ore explorarẽt. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

Apud eosdem matronam ex maxima natam familia, eo quòd signa cellæ vinariæ resignasset, inedia mori coactam memorant. Alex. ab Alex lib. 3. cap. 11.

Iidem creatis ædilibus, voluerunt vt popinæ & ganeata obsonia inhiberentur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

Gn. Domitius mulierem quæ visa est plus vini bibisse, quàm valetudininis causa deceret, dote multauit. Alexander ab Alexandro libro tertio, cap. 11.

Egnat. Metellus vxorem, quòd vinum bibisset, fuste percussam interẽmit. Idque factum non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit: vnoquoque existimante, optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas pependisse. Et sanè, quæcunque fœmina vini vsum immoderatè appetit, & virtutibus omnibus ianuam claudit, & delictis aperit. Val. lib. 6. cap. 3.

Romani equitibus obesi vastique corporis, vt eos ignominia notarẽt, equos adimebãt. Nam cùm se per crapulam patriæ inutiles fecissent, publico quoque patriæ voluerunt honore carere. Fulg. lib. 2. cap. 1.

Fabricivs Lucinus, & Qu. Æmilius Pappus censores, pub. Corn. Rufinum, qui bis consul & dictator fuerat senatu mouerunt: nullam aliã ob causam, quàm quòd comperissent eum cœnæ gratia decem pondo argenti habuisse. Liuius, & Brus. lib. 1.

C. Marius magno labore præturam assecutus, cùm accusaretur largitione eam obtinuisse: atque inter coniecturas illud adduceretur, quòd Sabaconus minister Cassium intra sedilia consilij adire visus erat: Sabaconus de eo interrogatus, excusauit à se Cassium accersitum, vt ex cãtarulo, quem secũ habebat, biberet quẽ ei postea statim remisit. Is igitur à Censoribus fuit notatus. Nam siue largitione vsus id negaret ob prætorem, siue verum esse eum ob id solum vt biberet Cassium vocasse, ob intemperantiã nota dignũ censuerũt, quod publico in loco, vbi munus publicum gereretur, bibere non erubuisset. Fulg. lib. 2. cap. 4.

M. Antonius & L. Flaccus Censores, Duroniũ senatu mouerunt, quòd legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latã trib. plebis abrogauerat mirifica notæ causa. Quàm enim imprudenter Duronius rostra cõscendit, illa dicturus: Freni sunt iniecti nobis, Quirites, nullo modo perpetiendi: alligati & constricti estis amaro vinculo seruitutis. Lex enim lata est, quæ vos esse frugi iubet. Abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitũ imperium. Etenim quid opus est libertate, si volentibus luxu perire non licet? Val. lib. 2. cap. 4.

Non supprimenda Illius damnatio, qui puerili sui nimio amore corruptus, rogatus ab eo ruri vt omasum in cœnã fieri iuberet, cùm bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset, boue occiso, desiderium eius expleuit, eóque nomine publica quæstione afflictus est: innocens, nisi tam prisco seculo natus esset. Val. lib. 8. cap. 1.

Quum ad Augustũ delatum esset, Erotẽ, siue Erotheum Ægypti procuratorem emisse coturnicem, in pugna superantem omnes, ac prorsus inuictam, eamque assam deuorasse: iussit acciri hominem, & discussa causa, confessum malo nauis affigi iussit: vita iudicans indignum, qui ob tantillã gulæ voluptatem non pepercisset aui, quæ pugnando diu multisque potuisset esse voluptati: præterea quæ læto quondam omine, Cæsari perpetuam in bellis prosperitatem portenderat. Plut. in Rom. Apoph.

Tiberivs Claudius Rom. imp. nimias delicias, quæ fuerant C. Caligulæ temporibus, sustulit: latis legibus, quæ eã ad rem spectare videbãtur. Cauponas enim, in quibus compotare solebant, euertit: vetuítque ne caro cocta, aut aqua calida vsquam venderetur. Xiphilinus in eius vita, fol. 107.

Nero dum munere ædilitio fungeretur, ne quid cocti in popinis veniret, præter legumina & olera, interdixisse fertur. Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

Vibivs Crispus ex assiduis compotationibus cum Vitellio in grauissimum incidit morbum. Vide tit. Vinolentorum.

Eques quidam ingens patrimonium per luxum ac libidinem absorbuerat, atque insuper magnam æris alieni vim contraxerat. Pro hoc intercedentibus quibusdam apud Alphonsum Aragoniæ regem, ne saltẽ quæ debebat, corpore luere cogeretur, Alphonsus respondit: Si tantam pecuniam vel in sui regis obsequium, vel patriæ commodis, vel sublenandis propinquis impendisset, audirem. Nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par est vt luat corpore. Eras. 8. Apoph.

IMPVDICITIÆ ET LASCIVIÆ CVIVSCVNQVE, *absque vsu tamen Veneris pœna.*

Pharao, cùm Saraim vxorem Abrahami (sororem eam esse illius credens) matrimonio sibi copulasset, magnis cladibus à Deo fuit affectus, donec eam Abrahamo reddidit, vbi absit, vt credamus alieno concubitu fuisse pollutam, quia multo est credibilius hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permissum. August. to. 5. lib. 16. cap. 19. de ciuit. Dei. Genesis duodecimo.

Abimelechvs Gerarorum rex, cùm Saram Abrahami vxorem rapuisset, à Domino punitus fuit: ita vt tota eius familia sterilis fuerit reddita, quoad Saram Abrahamo cum muneribus restituit. Genes. 20.

Duo Senes Susannam fortè intuiti se lauantem (erat hæc Tobiæ coniunx, mulier præstanti forma, sed pudicitia adhuc præstantiore) subiit vtrunque mala libido mulieris vitiandæ. Hi vbi omnia turpitudini obsepta viderunt, calumniam mulieri intendunt, ceu adulterij compertam, ad populum ream producunt. Sed dedecus & supplicium quod insonti parabatur, in accusatorum perniciem vertit cœli prouidentia. Sab. lib. 4. cap. 11.

Vidit Anianus, Alexandriæ antistes, fœminam quandam. Quia tamen (vt credere est) visam concupiuit, oculum sibi eruit, erutum à se proiecit: inde corpus gelidis immergens aquis, immersum inedia & labore macerauit: per quæ adeò profecit, vt in Christiana fide asserenda sit mons ab eo ex Numidia (vt fertur) Babylonem translatus. Sabellicus libro 5. capite sexto.

Leo pontifex, qui primus id nomen tulit, cùm Dominicæ resurrectionis die eucharistiam daret populo, & eius manus matronæ osculo contacta, tacitam quandam libidinis appetentiam excitasset: manum sibi vltrò abscidit, vt pars illa vnde lues irrepserat, à toto corpore contagiosa abscinderetur. Sab. lib. 5. cap. 6.

Democritus, authore Tertulliano, cum non posset videre mulierem aliquam quin eam concupisceret, sibi cõfestim oculos eruit. Guido Bitur.

Persæ temulenti, cùm impudicè attrectarent Macedonum concubinas, in conuiuio interfecti sunt. Vide tit. Perfidiæ erga legatos.

Aristophanes Messenius tanta fuit æquitate, vt quosdam ex sociis interfecerit, quòd puellas virgines stuprare voluissent. Rauis.

Hieron Syracusanus Epicharmum comicum poetã multauit, quòd coniuge sua præsente, lasciuos versus recitauerat. Voluit enim, vt domi suæ, non cæteræ tantùm corporis partes, ab impudicitia custodirentur: sed ne aures quidem immodestam rem vllam audirent. Fulg. lib. 6. cap. 1. & Alex. lib. 2. cap. 25.

Romani non in facta modò, sed in voces etiam petulantiores sæuiebant. P. nanque Appij cæci filiam mulctauerunt pecunia, quòd petulantius fuisset loquuta vt author est Atteius Capito glossographus, in commentario de Iudiciis publicis. Guid. Bitur.

Iidem Bacchanalia & nocturna sacra damnarunt, cùm sub nomine religionis stupra plurima committerentur, & omnis generis corruptelæ fieri cœpissent. Eadem apud Græcos lege perpetua summouit Diagõdas Thebanus. Guido Bitur.

T. Veturius, filius eius Veturij, qui in consulatu suo Samnitibus ob turpiter ictum fœdus deditus fuerat, cùm propter domesticam ruinam, & graue æs alienum Cælio Plotio nexum se dare adolescentulus admodũ coactus esset: seruilibus ab eo verberibus, quia stuprum ab eo pati noluerat, affectus, querelam ad consules detulit: à quibus hac de re certior factus Senatus, Plotium in carcerem duci iussit. In qualicunque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse voluit. Val. lib. 6. capite 1.

M. Claudius Marcellus ædilis curulis, C. Scãtinio Capitolino trib. pleb. diem ad populum dixit, quòd filium suum de stupro appellasset: eóque asseuerante se cogi non posse, vt adesset, quia sacrosanctam potestatem haberet, & ob id tribunitium auxilium implorante totum collegium tribunorum negauit se intercedere, quo minus pudicitiæ quæstio perageretur. Citatus itaque Scantinius reus, vno teste, qui tentatus erat, damnatus est. Constat iuuenem productum in rostra, defixo in terram vultu perseueranter tacuisse, verecundóque silentio plurimum in vltionem suam valuisse. Ibidem.

Metellvs Celer, stuprosæ mentis acer punitor extitit. Cn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ numorum gratia, diem ad populum dicendo, eúmque hoc vno crimine damnando: non enim factum tunc, sed animus in quæstione deductus est: plusque voluisse peccare nocuit, quàm non peccasse profuit. Ibidem.

P. Meuius in libertum gratum admodum sibi animaduertit, quia eum nubilis iam ætatis filiæ suæ osculum dedisse cognouerat, præsertim cùm non libidine, sed errore lapsus videri posset. Cæterùm amaritudine pœnę teneris adhuc puellæ sensibus, castitatis disciplinam ingenerari magni æstimauit. Eique tam tristi exemplo præcepit, vt non solùm virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferret. Ibidem.

C. Marius Imperator Clusium sororis suæ filium, tribunum militum à Cælio Plotio manipulario milite iure cæsum pronunciauit, quia eum de stupro compellare ausus fuerat. Ibidem.

M. Lectorio Mergo, tribuno militari, Cominius trib. pleb. diem ad populum dixit, quòd Cornicularium suum stupri causa appellasset. Nec sustinuit eius rei sententiam Lectorius, sed ipse ante iudicij tempus se fuga prius subtraxit, deinde etiam morte puniuit. Naturæ modum expleuerat fato tamen functus vniuersæ plebis sententia crimine impudicitiæ damnatus est. Signa illum militaria, sacratæ aquilæ: & certissima Romani imperij custos seuera castrorũ disciplina, vsque ad inferos prosecuta est. Quoniam cuius virtutis magister esse debuerat, sanctitatis corruptor tentabat existere. Ibidem.

Senior Cato Manilium, virum nobilissimum, senatu mouit, quia interdiu vxorem præsente filia deosculatus erat. Hoc enim verbo vsus est, dũ eum reprehenderet: Se à sua nunquam nisi cùm tonaret, præ timore complexum esse. Quàm exacultos ciuium mores per ea tempora fuisse credere debemus, cùm hæc tam parua, animaduersione tamen digna censerẽt. Fulg. lib. 2. cap. 4.

C. Sulpitius Gallus vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat: abscissa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. Lex enim (inquit) tibi meos tantùm præfiniuit oculos, quibus & formã tuam approbes, & placere desideres: his decora instrumẽta compara, his esto speciosa: horum te certiori crede notitiæ, vlterior tui conspectus superuacua irritatione accersitus, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Val. lib. 6. cap. 3.

Q. Antistius Vetus repudiauit vxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari secretò loquentem viderat. Nam (vt ita dicam) incunabilis culpæ & nutrimentis non ipsa commotus culpa, certiorem delicto præbuit vltionem, vt potius caueret iniuriam, quàm vindicaret. Ibi.

P. Sempronius Sophus, coniugem repudij nota affecit, nihil aliud quã se ignorante ludos ausam spectare. Ergo dum sic olim fœminis occurrit, mens earum à delictis aberat. Ibidem.

Octavianvs Augustus Iuliam, quam in foro atque adeò in rostris nocturnis comessationibus operam dare deprehenderat, iratus in Pandateriam insulam Campaniæ finitimam relegauit: quam Scribonia mater mox sua sponte secuta est. Dion in Augusto.

Domitianus Augustus (vt principibus plerunque mos est, in alios ob ea crimina sæuius animaduertere, quæ ipsi frequentius admittunt) cùm censuræ munus suscepisset, ciuem Romanum quæsturæ functum honore, Senatu mouit, quòd choreis ac mimicis gesticulationibus nimium daret operam. Impudicas quoque palàm mulieres succedendi in legatis iure atque in publicum lecticæ vsu priuauit. Arbitratus eas quæ gẽtis ipsius vnde essent ortæ, ac priuatum suum publicúmque honorem cõtempsissent, non debere vllius publici honoris aut priuati commodi partem habere. Fulg. lib. 2. cap. 4.

Filius Antonii Venetij, ducis Veneti amatæ à se ardentius puellæ ianuis cornua bubula fixit, illique occurrenti in via publica osculum inuitæ ferre voluit. Qua ex re & illum perpetuo carceri includendum curauit pater: nec vnquam dimissum esse voluit, quamuis grauiter ægrotaret, ita vt peste grassante in carcere tandẽ obierit. Egnatius libro sexto, capite primo.

SCORTATIONIS POENA.

Ivdæis exitialis fuit intempestiua & vetita illa libido, qui ducis imperium & leges aspernati, cum Moabitarum fœminis concubuere. nec multi se piaculo obstrinxerunt: cæterùm cœlestis vltio, quę breui secuta est innumeros afflixit. Sab. lib. 4. cap. 11.

Philippvs cum Thebanis bellum gerebat. Æropus & Damasippus duces è lupanari conductam mercede psaltriam in castra duxerunt. Philippus re cognita, duces ambos è sui regni finibus exterminauit. Polyæn. libro quarto.

Athenienses Spvrios parentum iuuandorum obligatione liberarunt: quòd non vt filios procrearet, verùm vt voluptati

operam daret, ſe cum huiuſmodi filiorum matre miſcuiſſe, pater putari poterat.Fulg.lib.2.cap.1.

Cùm A.Hoſtilius Mancinus ædilis curulis, Maniliam meretricem ad populum accuſaſſet,quòd nocte,prætereunti eius ædes, ſaxum in ipſius caput demiſiſſet,vulnúſque ad faciendam acceptæ iniuriæ fidem oſtendiſſet:Manilia autem tribunos appellaſſet, dicens: Mancinum poſt cœnæ tempus ſuas plus æquo potum,ad ædes acceſſiſſe,vt ingrederetur.& quia non admittebatur,fores euertere molientem,ſaxis à foribus eſſe repulſū: TRIBVNI, maiori iuſticiæ quàm dignitatis ac magiſtratus Mancini, aut etiam quàm Maniliæ turpis vitæ habita ratione, iudicarunt ædilem iure ab eo loco depulſum fuiſſe,quem adire ipſi honeſtè non licebat: & propterea prohibuerunt Mancinum,Maniliam ad populum in iudicium trahere.Fulg.lib.6.cap.5.

Q.Sertorius,qui bellis ciuilibus vnus Marianarum partium erat, cùm in caſtris tabernaculum ſuum ſatis propinquum ſeruis haberet,qui à Mario liberati militabant:quia nimis licenter,opibus,Romaniſque mulieribus abutebātur,imperatos eos,vtpote qui vim non vererentur,adortus, quatuor ex eis milia occidit:affirmās,malle ſe illis militibus,& ſi magnopere neceſſarij erant,carere,quàm Romanis illatas iniurias non vleiſci. Fulg.lib.6.cap.5.

Chilpericus,quartus rex Francorum, diutius inter lenones & meretriculas,in obſcœnis fornicibus,ſemper verſatus eſt. Quapropter Franci expulerunt eum è regno.Tandem nouenum paſſus exilium reſipuit.Guido Bitur.

In GERMANIA tanta parentum pudicitiæ ratio habetur, vt nec mechanici artifices nothum aliquem quamcunque artem per ſe exercere ſinant,ſed aliis tantùm ſeruire cogant,neque in Academiis ad gradum (vt vocant) illegitimo thoro nati admittantur.Quamuis ſeuero contra innocentes liberos iudicio,iuſto tamen,vt liberorum cauſa ab illicita Venere parentes abſtineant.

Manes Florentinus cum meretrice deprehenſus cum pro more in perpetuam facti ignominiam(nam in Anglia,qui extra matrimonium mulieribus commiſcentur,in conſpectu populi,retentis tantùm fœmoralibus nudi eccleſiam circumire cogebantur)exueretur à ſacerdotibus, fœmorali tantum conceſſo, omni parte nudus eſſe voluit. verùm cum interrogaretur,an non puderet coram virginibus, mulierib. omnique populo virilia oſtentare? Minimè,inquit,gentium. Nam pudenda hæc, quæ peccauerunt,ea potiſsimum dare pœnas decet. Æneas Syluius libro primo de dictis & factis Alphonſi.

STVPRI POENA VIRGINIBVS ILLATI.

OPHINIVS & PHINEES,Heli ſacerdotis *filij,non ſolùm populariū* ſuorum ſacra adeuntium pudicitiam petulāter inceſſauere, ſed ne à ſacra quidem pecunia violanda ſacrilegas manus abſtinuere.Graue ſcelus:ſed pœna non minus grauis,quàm *ipſi* & pater, qui ſacrilegos ferre potuit filios,cum tota gente expendit,ſiquidem Iudæi magna clade occiſi ſunt,& in his Heliani fratres diræ illius culpæ autores.Arca fœderis amiſſa,ſenex Helius impar dolori è ſolio præcipitatus mortem obiit.Sab.lib. 4. capite vndecimo.

Apud Ægyptios ei qui mulierem liberam violaſſet, virilia execabantur,quoniam vno crimine tria haud parua ſcelera complexus eſſet: iniuriam,corruptelam,& liberorum confuſionem.Diodor.Sic.libro ſecundo, capite 2.de Rebus antiquis.

MARS Halirrhothium Neptuni F.Athenas ad fontem interfecit, eo quòd filiæ Alcippæ vitium obtuliſſet.Déque ea cæde primum capitis iudicium factum eſt.Pauſanias lib.1.

Ariſtocles Orchomeni tyrannus,adamauit virginem Stymphalidē.Cuius patre per Ariſtoclem occiſo,confugit ad templum Dianæ, & ſimulachrum eius tenuit,donec in eodem loco cōfoderetur.Ob eius verò mortem tota Arcadia tanto dolore commota eſt , vt ſumptis armis virginem fuerit vlta.Guido Bitur.

PONTIVS Auſidianus eques Romanus,poſtquam comperit filiæ ſuæ virginitatem à pædagogo proditam Faunio Saturnino , non contentus ſceleratum ſeruum affeciſſe ſupplicio,etiam ipſam puellam necauit.Ita ne turpes eius nuptias celebraret,acerbas exequias duxit.Valer.libro ſexto, capite primo.

P.Attilius Philiſcus,in pueritia corpore quæſtum à domino facere coactus,ſeuerus poſtea pater fuit.Filiam enim ſuam,eò quòd ſtupri ſe crimine coinquinauerat,interemit.Quàm ſanctam igitur in ciuitate Rom.pudicitiam fuiſſe exiſtimare debemus,in qua etiam inſtitores libidinis, tam ſeueros eius iudices euaſiſſe animaduertimus? Valer.libro ſexto, capite primo.

Appius Claudius Regillanus decemuir,legibus ſcribendis ſumma inter collegas authoritate, Virginiam Virginij cēturionis *filiam* in Algido militantis ita amauit, vt clientem ſubornaret, qui eam coram ſe ſeruitium depoſceret:facilè victurus, quum ipſe accuſator & iudex foret. Pater itaque virginis re cognita, quum in rem iudicij ſuperueniſſet, & filiam iam addictam videret, vltimo colloquio eius impetrato, quum eam paulo remotius à turba ſeduxiſſet, occidit:atque corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit,& milites ad facinus vindicandum accendit.Teſtis eſt Liuius,& Vol.lib.14.cap.2.Anthrop.

Q.Fabius Seruilianus,quum ſuſpectam haberet filiæ pudicitiam, eam morti dedit:demum voluntario ſeceſſu conſpectum patriæ vitans exulauit.Val.Max.

STVPRI MATRONIS ILLATI POENA.

MAGNA ſeueritate vndecim tribus Iſrael,violatæ pudicitiæ , in Leuitæ cuiuſdam vxore,iniuriam vindicarunt.Nam cùm is iter faceret cum vxore,nox eum comprehendit,ita vt in vrbe Gabaa ſubſiſtere cogeretur. Ea autem vna vrbium erat ex tribu Beniamin.Illic violata eius vxor, dolore pudoréque ſimul tanti dedecoris oppreſſa eſt, atque ea ipſa nocte vitam egit:vir autem corpus eius in duodecim diuiſit partes, & ad ſingulas tribus,ſingulis miſſis partibus,orauit, vt illatum dedecus vlciſcerentur.Congregatæ vndecim tribus,ad Gabaonitas miſerunt,vt autores ſceleris pœna afficerent.Qui neglecta vndecim tribuum legatione, vltrò vndecim ipſis tribubus arma intulerunt, atque haud multo pòſt manus conſeruerunt.Bis vndecim tribus à Beniamitis acie ſuperatæ, de ſuorum numero ſex & triginta milia deſiderarunt:& tamen tanta eos vlciſcendæ contribulis ſuæ cupido accenderat,vt denuò maioribus viribus bellum repararent.Itaque cùm in fugam Beniamitas vertiſſent, occidione eam totam tribum deleuerunt,cùm nulli ſexui,nulli ætati pepercíſſent, ita vt è ſex & viginti milibus(ad quem numerum Beniamitæ aſcendebant)ſoli ſexcenti fuga ſalutem ſibi pepererint. Direptam autē Gabaam vrbem poſtea ſuccenderunt,decreto edito, Ne vndecim tribus in poſterum cum eorum aliquo qui ex acie effugerant,affinitatem iungerent. Hæc autem cùm aduerſus Gabaam egiſſent,arma in Galatidem tranſtulerunt, atque illic Iabitas peremerunt,quòd iuſſi cum ipſis tribubus arma capere recuſarant: morte dignos eos cenſentes,qui violatam contribulis ſuæ pudicitiam neglexiſſent. Fulgoſ.lib.6.cap.1.&Sab.lib.4.cap.4.ex Iudicum 20.

TITYVS Terræ filius,cùm Latonam violare vellet,ab Apolline ſagittis necatus,& ad inferos truſus eſt, cuius iecur à vulture exedi perhibetur, & quotidie renaſci in pœnam.Vergiliū ea de re leges lib.6. qui ſub Tityi perſona inquietam nobis conſcientiam depingere voluit,quæ etiāſi interdum minuatur,cōtinuò tamen magis magiſque accreſcit, & perpetuum malè ſibi conſcium hominem rodit.

PARIS rapta Helena totius Europæ & Aſiæ vires decennali bello inter ſe confligere author fuit,Priamum regno exuit,Troiam deleuit.

Timoclea matrona Thebana,& Theagenis ſoror,qui dux exercitus in Cheronæa aduerſus Philippum occubuit,cùm in direptione per vim à tribuno opprimeretur,illum haud multo pòſt arte quadam vſa præcipitem in puteum dedit,deuolutis eueſtigio plurimis in caput eius ſaxis,quo illū omnino conficeret, amiſſámque vi pudicitiam vindicaret. Pontanus lib. 1.cap.vlt.de Magnanimitate:& Fulgoſ.lib.6.cap.1.

HYETTVS Argiuorum rex,cùm Molurum Ariſbantis F. cum vxore ſua deprehendiſſet,eum interfecit , & primus adeò de adulterio pœnas ſumpſit.Argis profugus ab Orchomeno rege *Orchomeniorum* agri magna parte donatus fuit.Pauſanias lib.9.in Bœoticis.

SEX. Tarquinius propter illatum Lucretiæ ſtuprum, cum patre rege Roma pulſus eſt.felix ſtuprum, quod Romanis libertatem peperit. Sab. lib.4.cap.11.

IVLIVS Antonius eò quod in nocturnis compotationibus rem multoties habuiſſet cum Iulia Octauij filia, cum quibuſdam aliis viris illuſtribus,qui propter id ſuſpecti Auguſto erant,occiſus eſt.Dion in Auguſto.

Victorinus tyrannus (qui Galeni temporibus Gallias rexit)cauſa libidinum in matronas interfectus eſt apud Agrippinam.Tribellius Pollio.

Exercitu & copiis Gallogræcorum à Cn. Manlio conſule in Olympo monte ex parte deletis,ex parte captis, Origontis reguli vxor miræ pulchritudinis à centurione,cui cuſtodienda tradita erat, ſtuprum pati coacta:poſtquam ventum eſt in eum locum,in quem conſulis iuſſu centurio miſſo nūcio,neceſſarios mulieris preciū,quo eam redimerent,afferre iuſſerat:aurum expendente centurione,& in eius pondus animo oculiſque intento,Gallogræcis lingua gentis ſuæ imperauit, vt eum occiderent:interfecti deinde caput abſciſſum manibus retinens, ad coniugem venit, abiecto ante pedes eius,& iniuriæ & vltionis ſuæ ordinem expoſuit. Huius fœminæ quid aliud quiſquam, quàm corpus, in poteſtatem hoſtiū veniſſe dicat? Namque animus neque vinci,nec pudicitia capi potuit. Val. Max.lib.6.cap.1.

Gallorum ſæua libidine, quam in Siculas mulieres exercebant, perciti Siculi,in vnum conuenére,vt ad campanarum pulſum, quibus decantandas eſſe veſpertinas orationes ſignificari ſolet, per omnem Siciliam,Gallos quicunque in ea erāt,obtruncarent.Tanta edita in eos ſæuitia, vt matrum vtero vi diuulſos liberos,humi allideren. duabúſque horis conſtat eo tempore, octo Gallorum milia occiſa fuiſſe. Regni illius poſſeſſione Carolo primo adempta,in cuius locum Petrum Aragonium regem Siculi ad ſe vocarunt.Hodie adhuc in Italia inſignis vltionis loco prouerbium circumfertur,Veſperas Siculas,Fulgoſius ibidem.

ADVLTERII POENA.

Adulterium olim igni puniebatur. Id quod ex hiſtoria THAMARIS colligi poteſt: quam Iudas ſocer grauidam eſſe audiens, igni cremaſſet, niſi ex ipſo ſe concepiſſe manifeſtis oſtendiſſet indicijs.Geneſ.38.

IVDÆI cùm adulterij ſuſpectam haberent coniugem,ad ſacerdotem eam perducebant. Qui oblato iureiurando, membranam ſacris verbis conſcriptam aqua lauabat,adeò vt inde SACRA verba delerentur: conſperſaque muliere,pauimenti aut parietum templi puluere,præſente viro huiuſmodi aquam (quam redargutionis vocabant)ea potabat.Mira profectò res, nam ſi adulterij crimine carebat, validior inde mulier abibat: quòd ſi peccaſſet, hydropiſi corripiebatur, ventérque eius marceſcebat. Fulg.lib.2.cap.1.

DAVID regem *adulterij perpetratio* cum Bathiſaba vxore Vriæ , ad innocentis,& quidem de ſe bene meriti Vriç indignam compulit necem: vt intelligas, illicitos concubitus cauſam eſſe plurimorum malorum. Et licet peccatum *hoc mox per* pœnitentiam tranſlatum dicatur, ipſa tamē peccati labes non niſi multarum maximarúmque patientia calamitatum elui purgaríque potuit.Marul.lib.4.cap.8.ex 2. Reg.11.

Apud ÆGYPTIOS in adulterio ſpontaneo deprehenſus virgis cædebatur ad mille plagas, mulier naſo mutilabatur , vt dedecore vultus alios ab adulterio deterreret.Diodo.Sic.libro 2.cap.2. de Reb.antiquis:& Cœlius libro 21.cap.45.

SOLON ſuis legibus voluit fas eſſe deprehendenti mœchum, interficere in ipſo adulterio.Rauiſ.

ATHENIS adulteri mugile plectebantur. Ceſtreus eſt piſcis , quem Latini mugilem vocant:ita nuncupatus,quia teli modo publica Atheniēſium pœna intret adulteros.Cælius Rhod.lib. 27.cap.4. Aut ſedes expilabatur,cui ſupplicio Paratilmos nomen. In Iudæa lapidibus obruūtur. In Attide,apud Laciadas ſiue Placiadas *populos*,qui alterius viciaſſet vxorē, raphanis per obſcœna afficitur: vt ea ignominia notatus,à contagio alienæ vxoris abſtineat.Ibidem.

PLATO in libro de Legibus *nono* , non modò eum qui cum puero, ſed etiam qui cum muliere innupta ſe miſcuerit, mortis ſupplicio condēnatur.Adulterium etiam impunè à viro occidi poſſe aſſerit. Ibidem.

LEMNII Venerem adeò contempſerunt , vt nemo illi ſacra faceret: nulla alia re moti, quàm quòd ſerrent, Venerem adulterium cum Marte commiſiſſe.Alex.ab Alex.lib.2.cap.14.

LEPREI, quos in adulterio deprehendunt, per triduum vinctos per ciuitatem ducunt:mox toto vitæ tempore contemptibiles habent.Quod mulieribus itidem fit, niſi quòd hæ diebus vndecim in foro ſtare coguntur diſtinctæ, & tunica circumueſtitæ pellucida. Cæl.Rhod.lib.21.cap.48. ex Heraclidæ politijs:& Alex.lib.4.cap.1.

Adulter GORTYNÆ in ciuitate Cretę deprehenſus,& in iudicium adductus,crimíniſque conuictus,lana coronabatur.Ipſa verò coronatio redarguebat eius mollitiem,timiditatem,mulieroſitatem:& æſtimata eſt ei publicè quinquaginta ſtaterum ſumma : atque ad turpiſſimam infamiam redacto, omnes ad gerendam in repub. dignitatem viæ ſunt interclusæ. Ælianus libro duodecimo, de Varia hiſtoria:& Cælius Rhodiginus libro 21.capite 45.

Apud PISIDAS adulterij conuictus per vrbem vnà cum muliere circumducebatur ſuper aſino,ad dies aliquot. Stob. ſerm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus hiſtoria.

Apud ARABES aliáſque nationes adulteris ſemper capitis pœna fuit: quod pleríque philoſophi prodidêre, qui adulterium periurio grauius crimen cenſuerunt. Alexander ab Alexandro libro quarto capite primo.

PARTHI nullum delictum adulterio grauius vindicant. Alex. libro quarto capite primo.

GNIDANI, qui iuxta Lothophagos ſunt, pelliceas ſimbrias ferre cogebant adulteras.Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

TROGLODYTARVM lex erat, vt qui tyranni vxorem corrumperet, oue mulctaretur.Alex.lib.4.cap.1.

CVMÆI in adulterio deprehenſam, omnibus exhibent ſubigendam. Ibidem.

THRACIBVS in vſu eſt,non aſſeruare virgines: ſed cum quibus libitum eſt,commiſceri licet.in nuptas autem ſi quid eſſet offenſum,grauiſſimæ animaduerſionis pœna conſtituta eſt.Ibidem.

Apud GERMANOS adulteram exciſis crinib⁹ maritus expellit domo, & per omnem pagum nudam verbere afficit.Ibidem.

TENNES Tenediorum rex , ob falſam de adulterio commiſſo ſuſpicionem in mare proiectus, ac deorum benignitate ſeruatus , cùm Tenediorum imperio præficeretur,ſtatim legem tulit,vt ſi quis adulterum deprehendiſſet,eum ſecuri trucidaret. Deprehenſo verò filio ipſius,cùm is qui deprehenderat, regem quid faciendum rogaſſet: reſpondit, lege vtetur. Ob hanc cauſam in altera parte nomiſmatum ſuorum ſecurim inſculpſit, in altera viri atque mulieris faciem ex vno colle dependentem. Heraclides in Polit.

ZALEVCHVS legiſlator Locrenſis, vir iuſtiſſimus, cùm filius adulterij crimine damnatus, ſecundum ius ab eo conſtitutum vtroque oculo carere deberet,ac tota ciuitas virtuti ac meritis patris crimē condonaret: ipſe ſibi non pepercit,ſed ſuo prius,deinde filij oculo eruto,viſum vtrique reliquit:vt eſt apud Valerium Maximum, libro ſexto,capite quinto, & Volaterranus libro 20. Valerius tamen vocat eum Seleucum , ſed malè: vt ait Volater.

Quum quidam DIOGENI referrent, Didymonem mœchum comprehenſum: Dignus eſt, inquit, ex ipſo nomine ſuſpendi. Porrò didymi Græcis teſticuli dicuntur:ab his igitur, vnde nomen habebat, & quibus peccauerat, vult eum ſuſpendi. Laert.lib.6.

HIPPOMENES Athenienſis, dum vnus ex Codridis eſſet, *ac filiam* Limonem in adulterio deprehendiſſet, hūc quidem vnà cum filia ad currum alligatum interfecit:illam verò cum equo ſub iugum conſtrinxit, donec mortem obiret,Herac.in Polit.

MOLVRVM quendam Hyettus,vir Argiuus,in adulterio cum vxore deprehenſum interfecit. Cælius.

DAPHNIM bubulcum alii perhibent in deliciis Mercurio fuiſſe, alij *filium*, noménque ex cuctis inueniſſe:dicitur enim *natus* ex nympha. & poſtquam in lucem eſſet editus,ſub lauro expoſitus.Boues verò quas pauit,aiunt ſorores fuiſſe Solis: quarum in Odyſſea mentionem facit Homerus. Cùm autem in *Sicilia paſceret Daphnis* , vna ex nymphis eum amare cœpit, venuſtum pulchrúmque,& cum ipſo rem habuit, cùm eſſet in ætatis flore: quo tempore ſolet pulchrorum adoleſcentum pubes eſſe ſpecioſiſſima , vt alibi dicit Homerus. Pactúmque iniuerūt, vt ad nullam aliam accederet, alioquin enim in fatis eſſe minata eſt,vt oculis caperetur, ſi fuiſſet ea tranſgreſſus. Aliquibus diebus pòſt,cùm regis filia deperiret eum, vino inebriatus, violauit fidem, & cum puella commercium agitauit. Hinc Bucolica primùm cantari cœpta ſunt , quibus hoc oculorum Daphnidis incommodum materiam dedit. Primus id genus carmina Steſichorus Himeræus ſcripſiſſe traditur. Ælian. de Var. hiſt. lib. 10.

ROMÆ in publicum egredi togatæ cogebantur mœchæ. Cælius Rhodiginus lib. 21. cap. 48.

Apud ROMANOS licebat marito adulteram impunè occidere: quod de Graccho legimus apud Iureconſultos, qui cùm adulteraretur cum vxore Mumij , deprehenſus per Mumium, fuit interemptus. Sempronius Muſca, C. Gallium deprehenſum in adulterio, flagellis tātum cecidit. C.Mæuius, L. Octauium neruis taurū contudit. Bibienus Carbonem Actienum,ſicuti P. Seruius (Val. Cernium vocat) Pontium caſtrauit. Salluſtius deprehenſus in adulterio Fauſtæ , Syllæ Fœlicis vxoris,ab Annio Milone (vt ſcribit M. Varro) loris cæſus eſt:& cum dediſſet pecuniam, dimiſſus:quod Aſconius etiam Pedianus in eius vita ſignificat, & Horatius primo Sermonum. Cn. etiam Furius Broccum, quem deprehenderat , *familiæ ſtuprandum* obiecit. Val. Max.lib.6. capite primo.

Inter reliqua legis IVLIÆ conſtituta, ſeuera animaduerſione coërcita ſunt adulterij *crimina* , & *maieſtatis. His enim criminibus* obnoxios ita lex punit,& proſequitur, vt leui ſuſpicione aſtrictos , tanquam reos deputet & conuincat. Ea autem lege cautum fuiſſe legimus , vt ſi qua mulier cum aliquo mœcharetur,eumque poſtea coniugali copia virū duxiſſet,ſiue veteris conſuetudinis inhoneſtæ, ſiue criminis pertæſa , non propterea adulterij crimen,aut ſi quid eſſet offenſum, dilui vel extingui,ſiue palàm,ſiue clàm mœchata fuiſſet:imò tanquā confeſſam, adulterij pœna lege exerceatur. Alex.ab Alex.lib.4.cap.1.

C. IVLIVS Cæſar vxori repudium miſerat,quia domi eius P. Clodi⁹ fœmineo habitu deprehenſus erat : & tamen poſtea citatus , vt aduerſus Clodium ob violatas Cereris ceremonias (quæ eius domi celebrantur) teſtimoniū diceret:negauit aliquid apud ſe de ea re compertum eſſe. Cū autem peteretur,quamobrem vxorem dimiſiſſet: reſpondit: Vxorem Cæſaris *non crimine ſolùm* , verùm etiam *criminis ſuſpicione* carere oportere.Fulg.lib.6.cap.1.

AVGVSTVS nulla tanta cura filiam Iuliam, neptéſq; obſeruare potuit: vt eas ab adulterio *compeſceret: & quanquam ab earum viris rogaretur* vt crimen condonaret, in inſula Pandateria eas incluſit , mox in oppido Rheginorum: nullo eos vnquam alio dignatus nomine , quàm vt vomicas & carcinomata appellaret:morienſq; teſtamento prohibuit, eas ſepulchro ſuo inferri, tanquā illarum oſſa piaculum corpori ſuo illatura eſſent, Fulg.lib.6.cap.1.ex Corn.Tacito.

OPILIVS Macrinus adulteros tam perniciali odio proſecutus eſt, vt deprehenſos ignibus cremaret. Alexand. ab Alexand. libro quarto, capite primo.

TIBERIVS Cæſar pœnam grauiorem adulteris ſanxit,quòd amicitiæ fœdus ab his corrumpi putaret:adeò vt etiā propinquis adulterę vltra ducenteſimum lapidem exilium indixerit.Ibidem.

DOMITIANVS, & poſt illum multi Cæſares, Iuliam legem nouis editionibus innouarunt , ita vt Seuerus non ſolùm pœna teneri illum qui in nuptam adulterium admiſiſſet,edicto cauerit,ſed etiam qui in ſpōſam; quia nec qualemcunque ſpeciem matrimonij violare fas eſt.Ibidem.

PHILIPPVS *Gallorum rex, cognomento Pulcher* , ſe in nurus ſuas ſeuerum valde geſſit. Huic tres filij erant,Ludouicus Nauarrēſis rex, Carolus Marchiæ , & Philippus Pictonum comites. Maioris natu vxor fuit Margarita Borbonenſis ducis filia:ſecundi Blanca, Burgundiæ comite patre orta:cuius etiam filia fuit Iohanna , quæ poſtremo filiorum nupſerat. Cùm igitur Philippus Pulcher has minus publicè agere, quàm regias, id eſt pudicas nurus æquum erat, in cuſtodia obſeruari iuſſit : ac criminum diſquiſitione habita,Pictonúmque comitis vxore,crimine,quia innocens erat,facto iudicio, liberata , alias duas perpetuo carceri addixit , vt in eo miſerè vitam agerent : Philippum autem atque Galterum Andegauenſes fratres,qui adulteri erant , adempto ab eorum tergore corio , ſuſpendit. Fulg.lib.6.cap.1.& Egnat.eodem.

LVDOVICVS Normandiæ Seneſchalus (id in Gallia honoris nomē eſt) vt accepit,cum Ioanne Lauerno, domus ſuæ gubernatore, Carolottā vxorem eodem in lecto ſimul miſceri , ſtricto gladio locum ingreſſus in quo iacebant, primo impetu adulterum , deinde vxorem occidit : nihil prorſus motus, quòd illa communes complexa liberos, inter lachrymas errori veniam peteret , nec quòd Ludouici vndecimi Gallorum regis ſo-

ror esset:quoniam rex ipse,qui frater erat,non minus quàm vir, Carolottę pro crimine infensus,ne minimam quidem pro eius nece offensionem se accepisse ostendit.Fulg.lib.6.cap.1.& Egnat.eodem.

FRANCISCVS Gonzaga coniugi Agneti, Bernabonis vicecomitis filiæ,qui Mediolani rerum potiebatur, caput adimi iussit, quia eam manifestè in adulterio deprehenderat. Fulgosus libro sexto, capite primo, & Egnat.eodem.

RODVLFVS Gonzaga,Friderici Mantuani Marchionis frater,cùm esset in castris, vxorem parum pudicè agere certior factus est : itaque inde profectus,ad ea loca,in quibus vxor cum adultero erat, ambos manu sua occidit, cùm ante vxoris faciem adulteri sanguine respersisset, non sine graui verborum contumelia:nulla,quòd nobilissima gente orta esset, habita ratione.Ibidem.

CAROLVS Imp.vxorem suam repudiauit,eo quòd plus iusto familiariter ageret cū Luituualdo Vercellensi episcopo. Illa itaq; accepto repudio,monasterium petijt.Sigeb.in Chron.

LVCHINVS Italiæ comes, mouit bellum in Vgolinum Gonzagam, propter Isabellam vxorem suam, ab ipso Vgolino viciatam.Volat.

Ludouicum Gonsagam in adulterio deprehensum, MANTVANI capite punierunt.Rauis.

NICOLAVS primus pont.regem Lotharium, Ludouici secundi imperatoris fratrem,excommunicauit, quòd repudiata vxore Therberga, Gualdradam iustæ vxoris loco palàm haberet.Pręterea Regnaldum Treuirensis, & Guntramum Coloniensis ecclesiarum archiepiscopos, quòd operam suam in ea re præstiterant, dignitate qua fungebantur, priuauit. Fulg.lib.6.cap.3.

In ANGLIA, quæ quondam Britannia dicta est, qui extra matrimonium mulieribus commiscentur, deprehensi sacerdotis imperio, die festo in processu cleri ac populi adesse iubentur : & retentis femoralibus, nudi ecclesiam circumeunt, ardentem cereum manu gestantes. Si quem pœnæ pudet, is auro noxam redimit. Æneas Syluius libro 1. de dictis & factis Alphonsi.

De matrimonio SAXONVM hæc Bonifacius(teste Vilhelmo libro primo,capite sexagesimoquarto,de Anglis) scribit,in epistola ad Ethibaldū regem:Pagani verum deum ignorātes,naturaliter quæ legis sunt,& quòd ad initio Deus constituit, custodiunt : quia proprijs vxoribus matrimonij fœdera seruantes,fornicatores & adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, si virgo paternam domum adulterio maculauerit, vel si mulier maritata adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam, vitam finire, & super bustum illius incensæ & concrematæ corruptorem eius suspendunt. Aliquando congregato cœtu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cædentes:& vestimenta eius abscindentes iuxta cingulum, & cultellis totum corpus eius secantes, & pungentes minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villa ad villam mittunt: & occurrunt semper nouæ flagellatrices,zelo pudicitiæ adductæ,vsquequò eam aut mortuam aut vix viuam derelinquant, vt cæteræ timorem adulterandi & luxuriandi habeant.

INCESTVS POENA.

Incestus alius profanus,alius religiosus. Prioris tantùm ratio habetur:posterior ad Iusticiam religiosam pertinet.

IACOB benedicens filios, dixit contra Ruben : Effusus es sicut aqua, non crescas. Quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Genes. 49.

Detestabilem luxuriam commisit ABSALON cum concubina patris sui,& citò postea occisus est.2.Reg.16.& 18.

CYANE Syracusa Cyamppi filia, cùm in tenebris à patre nescio violata esset per vim, pestis in facti vltionem vrbi à dijs immortalibus immissa est.Verùm cùm desituram tabem ex oraculo intellexisset,si patrem virginitatis insidiatorem mactaret : patrem tractum capillis ad aram mactauit,& se quoque,cum qua congressus erat,per vim licet,super eandem aram cum patre necandam iniecit.Dositheus libro 3.rerum Sicularum.& Fulg.lib.6.cap.1.

MEDVLLINA virgo Romana,in Bacchanalib. ab ebrio patre,obscuro in loco vim passa,vt stupri autorem agnosceret, digito eius annulum detraxit. Quem aliquandiu seruauit,quoad maiuscula facta, ex annuli signo patrem iniuriæ autorem cognouit. Itaq; tunc denuò deprehensum ebrium,capite sertis, vt erat,redimito, ad Iouis fulgurantis aram traxit: atque illic multis conspersum lachrymis,tanquam pudicitiæ suæ violatorem sacrificauit.Fulg.lib.6.cap.1.

PAPYRIVS Volucer.cùm filiam Camillam,à Romano fratre grauidā esse factam inuenisset,misso ad filiam gladio,quo se perimeret : filio alterum,vt idem faceret,tradidit.Fulg.lib.6.cap.1.

L. M. F. VAL. Constantinus Maximus Imperator filium Crispum spurium,iam virum,ac militari virtute multis experimentis insignem, à nouerca Fausta accusatum,tanquam eam stupri compellasset, statim fide accusationi habita,Polæ(quæ in Histria est)capite mulctari iussit.Cæterùm post aliquod tempus, cùm re detecta cognouisset, non à Crispo nouercā compellatam,sed à nouerca Crispum:& ab ea,non præstiti assensus dolore,accusatum:Faustam quoque capite multauit. In his, quæ duo in humanis affectibus plurimum possunt,seuerissimum se ostendit.Fulgosus libro sexto.cap.1

HERACLIVS pro incestis nuptijs pœnas dat. Vide tit. Incestus cum cognatis.

NICOLAVS Estensis,Ferrariensis Marchio,cùm accepisset Hugonem filium suum,iuuenem forma virtutéque eximium,parum pudicè Parisinę nouercæ,quæ gente Malatesta erat, consuescere:ne temerè in tanta re fidem habuisse videretur, noua arte operam dedit, vt rem ipse inspiceret. Itaque posteaquam ita certior factus est, vt iam non falli se credendo sciret, adeò pro tanto facinore excanduit, vt abiecto viri patrísque affectu (quo maximè mortales mouentur) coniectos in vincula ambos, capite haud multo pòst, cum omnibus conscijs mulctauerit. Fulgos. libro sexto capite primo.

Minus in vxore impudica vltionem IOANNES Malatesta distulit, quæ Francisca nomine, Polenta gente orta erat. Eam enim in complexu Pauli Malatestæ fratris sui deprehensam, gladio, eo ipso momento, vnà cum adultero transfixit.Ibidem.

Pragæ in Bohemia anno Christi 1530. IVDÆVS, qui cum Christiana rem habuerat, dolio picato per foramen virile pudendum indere iussus, serrato & obtuso cultro iuxtà apposito,cùm vi caloris torqueretur,sibijpsi partes per quas peccauerat amputauit:cumq; cruentus fugeret, immissis atrocissimis canibus laceratus est.

MASCVLAE VENERIS ET SODOMIAE.

nefandæ pœna.

SODOMITÆ & Gomorrhæi,cū aduenas turpiter appetissent,cæcitate primùm lucem amisere,deinde etiam vitam, cùm ipsis vrbibus funditùs euersi:& qui igne libidinis exarserant, cœlesti igne super eos pluente cōsumpti sunt.Marul.lib.4.cap.8.

PAVSANIAS Macedo per vim stuprum passus ab Attalo, prouocauit ad Philippum, iniuriámque nō sine magna querimonia ad eum detulit. Quem quum ridentem facinus, idque risu probantem conspiceret, iram in eum conuertit:exegitq; vltionem ab iniquo iudice, quam à stupratore non poterat.Trogus lib.9.

DAMON Peripolta,insigni forma adolescens,à Romano, qui Chæroneæ præerat,ardenter amabatur, à quo cùm persæpe in venerem inuitatus,minimè assentiri voluisset,certior factus præfectum velle,quia blandiendo non profecisset, vim inferre, adhibitis secum aliquot adolescentibus,vt armis pudicitiam tuerentur, ora fuligine tincti, ne facilè agnoscerentur,perfectum in foro sacrificantem obtruncarunt, atque peracta cęde vrbe excesserunt.Chæronei ciues, Romanorum iram veriti, adolescētes illos morti damnarunt. Cùm postea sub id tempus consul Lucullus in Asiam tenderet, Chæroneæ eius rei gratia substitit: réq; vt erat intellecta, adolescentes iudicauit,iustè ob turpem iniuriam motos, præfectum occidisse.Fulg.lib.6.cap.1.

C. Fescennius triumuir C. Cornelium fortissimæ militiæ stipendia emeritum, virtutísque nomine quater honore primipili ab Imperatoribus donatum,quòd cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis onerauit. A quo appellati tribuni, cùm de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum diceret, quòd adolescēs ille palàm atque apertè corpore quæstum factitasset, intercessionem suā interponere noluerunt.Itaque Cornelius in carcere mori coactus est.Nō putarunt trib.plebis Rempub.nostram cum fortibus viris pacisci oportere,vt externis periculis domesticas delicias emerent. Valer. libro sexto, capite primo.

Q. Fabius maximus Seruilianus, honoribus quos splendidissimè gesserat,censuræ grauitate consummatis,exegit pœnas à filio dubiæ castitatis, & punito pependit, voluntario secessu conspectum patriæ vitando. Ibidem.

LIBIDINIS OBSCOENAE CVIVSLIBET CVM

quibuslibet, pœna.

ER Iudæ ex Sua primogenitus, cùm illegitimè cum vxore Sua cōgrederetur,à Domino interfectus est.Similiter & ONAN Eris frater,cui cum Iudas pater Thamarum Eris vxorem in matrimonium collocasset, vt ex ea liberos fratri demortuo excitaret, quia sciebat non suam futuram esse prolem,cùm Thamare rem habens,semen in terram effundebat:ob quod facinus à Ioua necatus fuit.Genes.38.

LVXVS

LVXVS IN VESTITV, ORNATV ET CVLTV CORporis pœna & animaduersio.

LACONES scutiferum militem interemere, quòd scuto nonnihil purpurei panni intexuisset. In tantum horrebant exemplū peregrinæ luxuriæ: non ignari, ex minimis initiis immedicabilem vitiorum colluuiem inundare : eòque tutissimum esse iudicantes,principiis obstare. Ob id in primos auctores seuerissimè animaduertebant. Plurimum nocuit reipublicæ, quisquis fenestram vitiis aperuit. Plut. in Lac.

Ex Antipatri amicis quendam PHILIPPVS Macedoniæ rex in iudicum numerum ascripserat.Verùm pòst,vbi cognouit illum tingere barbam & capillum, submouit eum, dicens : Qui in capillis fidus non esset, eum muneribus gerendis non videri dignum cui fideretur.Fuco vtebatur in tingendis capillis, vbi non multum erat lucri: multo magis vsurus erat fuco in publicis negotiis, vbi dolus interdum ingens adfert emolumentum. Plutarch. in reg. & imperatorum Apoph.

PHILIPPVS Macedo in exercitu nobilem quendam Tarentinum quòd calidis balneis fuisset vsus,imperatorio munere ac dignitate priuauit, inquiens: Nescire mihi videris Macedonum consuetudinem ac mores, apud quos ne mulierem quidem puerperam aqua calida lauari videas. Polyęn lib. 4.

VESPASIANVS imperator Romanum iuuenem ad eum profectum, vt pro data præfectura gratias ageret, quia vnguenta olebat, non contentus manu reiecisse,contumeliam hoc verbo antè præfatus (Mallem alium oboluisses) literas quoque datæ præfecturæ reuocauit. Seuero exemplo ostēdens,quòd quemadmodum nobili genere ortum iuuenem, lauticia & tersi corporis cultúsque mundicia decet, ita fœmineos cultus atque odoramēta viro dedecori esse,præsertim ei qui aliorum regendorum curam sustineat. Muliebres enim mundicias in viro, leuitatis atque impudicæ vitæ indicia esse aiebat. Fulgos. libro sexto capite tertio.

Luxus in vestimentis quæ damna afferat, pete ex tit. Astutiæ ad reddendos ignauos eos quibus malè cupimus, sub exemplo EVTRAPELI.

LVXVS IN SVPELLECTILI ET ÆDIFICIIS, POENA

Seueræ notæ illud populi ROMANI iudicium, cùm M. Æmylium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine nimis sublimè extractæ villæ in Alsiensi agro, graui mulcta affecit. Valer. lib.8.cap.1.

Quid de FABRICII Lucini censura loquar? narrauit enim omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo P. Corn. Rufinum duobus consulatibus & dictatura speciosissimè functum, quòd decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum,in ordine senatorio retentum non esse. Ipsæ medius fidius mihi literæ seculi nostri obstupescere videntur, cùm ad tantam seueritatem referendam ministerium accommodare coguntur : ac veteri, ne non Romanos vrbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomœrium decem pondo argenti,& inuidiosum fuisse censum & inopiam haberi contemptissimam. Valer. libro secundo,cap.4.

PRODIGALITATIS POENA.

GRÆCIS lege cautum erat, vt qui patrimonium prodegerat sepulchro patrio non humaretur, sed externo. Alex. libro sexto capite decimo quarto.

LEGE Iulia damnantur non tantum ij, qui neque modo, neque iure legibus tradito, ab vxore diuertunt : sed qui dotem nolente vxore turpiter amittunt. Alexander ab Alexandro libro quarto capite octauo.

Q. Fabij filius, cùm perditam luxuria vitam ageret, Q. Pompeius prætor vrbanus, ei bonis paternis interdixit : & quem nimia patris indulgentia reliquerat hęredem,publica seueritas exhæredauit.Guido.

AVARITIAE EN ΧΡΗΣΕΙ POENA.

NON DARE QVIBVS DEBEBAT.

CAINVS Adami filius, cùm de terræ frugibus Deo munus libauisset,vt puta decimas, non autem primitias frugum : Abel autem frater,qui opilio erat,de pecorum suorum primigenis, & maximè opimis Domino obtulisset : Deus respexit Abelis pietatem, at Caini auarum munus non respexit. Genes. 4.

POSTHVMIVS Regilensis tribunus militum, & authoritate consulari ad bellum contra Equos missus, cùm Volas oppugnaret, nec militibus prædam (prout promiserat) concederet, à suis obrutus est lapidibus. Liuius lib. 4.

LIVIVS Salinator vir consularis, damnatus est à populo,quod prædam non æqualiter militibus diuisisset. Frontin. lib. 4. cap. 1. Plin. de Vir. illust.

Bellisarij Milites, qui Romam vrbem eo imperante obsidebant aduersus Gothos,relictum Canonem præfectum ab eodem (qui in Siciliam necessitate cogente profectus erat)interemerunt : quia stipendia interciperet,& frumenta coemeret,quę quotidie aucto precio illis venderet. Quod cùm sæpius faceret, re ab his explorata,iure quodam suo auaritiam nimis grauē in præfecto vlti sunt, eius acerbiore fato.Egna. lib. 9. cap. 10.

AVARITIAE EN ΑΙΤΗΣΕΙ POENA.

QVAESTVS TVRPIS ET ILLICITI.

HELISÆVS propheta, cùm Naamam Syrum à lepra curasset,nullis precibus moueri potuit vt dona acciperet. At Giezi minister eius,cupiditatis stimulo percitus, currens ad Naamam, & munera efflagitans à Domino se missum falsò affirmans, lepra percussus est, quam antea Naamam habuerat. 4. Reg. 5.& Marul. lib. 1. cap. 7.

SOLON eos qui malis artibus quæstum quærerent, pœna grauissima multandos putauit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12.

Apud SPARTANOS ii qui dotis & rei quęrendę causa locupletum affinitates quærerent,pœna grauissima multabantur. Alex. ab Alex.lib. 4.cap.8.ex Ælia. lib.6.de Var. hist.

Apud ÆGYPTIOS, si quis iniusto quæstu viueret, incidebat in mortis pœnam : ideóque cogebantur omnes apud eosdem scripta sua nomina ad pręsides regionum,& simul quo exercitio viuerent,deferre. Quæ lex à Solone ad Athenienses quoque postea traducta est. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

AMASIS Ægyptiorum rex inter cętera instituta, præcipua lege cauit, vt vitæ rationem prætor à quocunque exquireret, vt si quis turpi quæstu viueret, velut facinorosus noxam lueret. Alexand. ab Alexan. lib. 3. cap. 13.

MASSILIENSES, vates & sacrificulos,qui quęstus causa sacra circumferebant, suis oppidis exegêre,ne religionis prætextu otium sectarentur,& luxum.Ibidem.

EPAMINONDAS scutatum militem senserat à captiuo quodam magnam pecuniarum vim accepisse. Huic Epaminondas:Mihi, inquit, redde clypeum:tibi verò cauponam emito, in qua vitam degas. Posthac enim noles eodem modo subire periculum, quippe iam vnus de numero diuitum ac beatorum. rectè iudicauit,timidum (vt est in prouerbiis)esse Plutum. Magis enim metuit mortem,qui domi habet vnde possit suauiter viuere. Plut. in Græc. Apoph.

CALPHVRNIA lege his qui mercede corrupti,aut munere deliniti candidatis obuiam issent,quique precio illos sectarentur,aut si prandiū ad captādos animos,aut quid muneris exhibitū foret,pręter pœnas legibus constituas,etiā pecuniaria multa dicta fuit. Alex.lib.3.cap.17.

CINTIVS legem tulit muneralē, qua grauissimis pœnis affecit eos qui à quouis candidato munus suffragij causa donumve acciperent. Alex. lib. 3. cap. 17.

PISCENNIVS Niger,cùm Galliam regeret,imperante Septimio tribunū lapidari iussit,quia militū stipēdia decimarat. Ful. lib. 6. cap. 3.

ALEXANDER Seuerus Vetronium Thurinum familiarem, quòd his qui petebant aliquid à Cæsare, vendidisset suum patrocinium, mētiens interim multa, vinciendum curauit:& conuictum damnarúmque in stipite alligari iussit,supposito igni ex humida materia,præcone clamāte: Fumo punitur,qui fumos vendidit. Ælius Lampridius.

IDEM in ipsa via,qua eius serui à Palatio in villam migrare solebāt, vnum ex ipsis cruci iussit affigi:quia cētum aureos numos, propter nauatam cuidam in aula sua operam,acceperat.

Adeò autem in EO seuera fuêre facta,sicuti etiam nomen erat, vt palàm edici iusserit, ne vllus qui in magistratu munera acciperet, aut aliter aliena raperet, coram eo appareret : conuictos enim huius sceleris capite multaturum se, nulla hominis alicuius habita ratione, denunciauit. Quàm longè ab huius tēporis moribus hic princeps? Nunc enim eorum qui rerum potiuntur, permulti inueniuntur operam dare vt per huiusmodi largitiones aut rapinas, ministri opes congerant, quia lucri partem ab eis accipiunt. Fulg. lib. 6. cap 3.

VICTORINVS legatum muneribus accipiendis abstinere nolentē magistratu abdicare coegit. Vide tit.Munera inhonesta non accipere.

Zeliobes rex Hunnorum,veniens cum 20 millibus, vt ferret auxiliū CHAVDI Persarum regi,bello orto inter Romanos & Persas,Chaudas rex Zeliobē occidit penè cum toto exercitu,quòd vtrinque munera accepisset,& à se contra Rom. & a Rom.cōtra se. Sigebertus in Chron.

Cùm Henricus III. Imp. inter Simoniacos numeraretur, Germani principes Rodolphum primum Saxonię ducem ei subrogarunt. Fulgosus libro primo capite primo & libro sexto, capite tertio.

ALPHONSVS Aragonum rex cùm accepiſſet Gallum medicum, acutiſſimi quidem, ſed auariſſimi ingenij ſophiſtam, relicta medicina ad cauſas agendas ſeſe conuertiſſe, Forúmque omne ſophiſmatibus inuoluere, illum foro prohibuit: decreto edicto, vt omnis lis quam Gallus patronus ſuſciperet, ipſo iure haberetur iniqua & iniuſta. Panor. lib. 4.

FOENORIS INIVSTI POENÆ.

LYCVRGVS Spartanorum legiſlator, è tota Sparta fœnus & vſuras adeò extermina ſſe dicitur, vt ne vmbra quidem harum rerum appareret amplius. Alex. lib. 1. cap. 7.

AGIS Athenienſium dux, adeò fœnus exoſum habuit, vt omnium fœneratorum tabulas igne ſuppoſito in foro concremarit, quo igne nullum clarius lumen vidiſſe ſe Ageſilaus dixit. Ibidem.

THEBANIS lex data eſt, vt ad publica munera nemo accederet, niſi qui annis decem à mercimoniis deſtitiſſet. Adeò exoſam habuerūt vſuram, quam Reipublicæ peſtem eſſe putabant. Alex. ab Alex. lib. 4. capite 6.

INDIS ET GERMANIS priſcis fœnus olim ignotum fuit, & exoſum: & pleræque gentes odio illud inexpiabili proſequutæ ſunt, adeò vt cùm furem dupli, fœneratorem quadrupli damnarent. Alexand.

ÆDILIVM apud Romanos munus erat, vt eos qui plus quàm lege definitum erat, agri poſſiderent, accuſarent, & fœneratores omnes coercerent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

M. CATO in fœnore coercendo duriſſimus, ex tota Sicilia fœneratores exegit: illámque ære alieno obrutam, in priſtinum decus reſtituit. Alex. lib. 1. cap. 7.

AVARICIAE IN CAPTANDIS MATRIMONIIS POENA.

Apud LACEDÆMONES grauis pœna iis conſtituta erat, qui nunquam vxorem duxiſſent, aut qui vltra communem morem ducere diſtuliſſent. Grauiore etiam mulctabantur, ſi qui maiorem ſequuti dotem, ex aliena tribu duxiſſent, quando in ſua probatis moribus inueniſſent. Fulgoſ. lib. 2, cap. 1.

DOMITIANVS equitem Romanum iudicij honore priuauit: quia vxorem, quam vt adulteram repudiauerat, in coniugalem thalamum recepiſſet. Fulgoſ. lib. 1. cap. 2.

AVARICIAE IN CAPTANDIS HAEREDITATIBVS POENA.

EXACTIONVM INIVSTARVM POENA.

Hic immoderatio τῆς ἀπαιτήσεως ſpectatur: at infrà perfidiæ ratio habetur, in contractu alioqui iuſto.

AVARICIAE EN ΦΥΛΑΚῊ POENA.

Cùm Tigranem Armeniæ regem CN. Pompeius deuiciſſet, & is ab eodem Pompeio in regnis, quæ antè poſſidebat, reſtitutus, in Romana caſtra ad ſalutandum Pompeium veniſſet, maiore natu filio cum proſequente, à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus: poſt epulas Pompeio, totíque exercitui ingentia munera contulit. Cùm poſtea filius quoque inuitatus eſſet: reſpondente eo, tanti ſe cœnam emere nolle: indignatus Pompeius, cuſtodiri eum iuſſit, ac Romam in triumphum duxit: nam patre eius ob liberalitatem in regnis relicto, auarum filium, qui abiecto erat animo vnà cum regno, libertate quoque priuauit. Fulgoſus libro nono cap. quarto.

AMBITIONIS POENA IN GENERE.

Pertinet hic locus aliquo modo ad Magnanimitatem. Vt enim iuſti eſt iuſta facere, & iniuſtè agentes coercere: ita etiam Magnanimi vel honores negligere, vel moderatè appetere, vel ambitionem aliorum refrænare. Verùm quia corrigit aliena vitia pœnis & ſuppliciis, ideo ad διορθωτικὴν Iuſticiam pertinet. Ad hunc autem locum exempla quædam ex tit. Nimiam magiſtratuum licentiam cohibere, referenda erunt.

LVCIFER angelorum omnium ſupremus, cùm nimium ſibiipſi tribueret, nec contentus quòd angelorum princeps eſſet, Deo quoque opt. max. par eſſe vellet, è ſummo cælo in ima præcipitatus tartara, æternas impiæ ambitionis pœnas luit. Sabel. libro ſeptimo cap. 2.

ADAM ET EVA ſerpentis ſuaſu de arbore ſcientiæ boni & mali comederunt: & dum diis ſimiles euadere cupiunt, dæmonum damnationem ſubiuere. Ibidem.

Non ſine magna ratione apud Athenienſes ea conſuetudo fuit, quàm ipſi oſtraciſmum appellabant. Quotannis enim ſtato tempore omnibus ciuibus coctilis quadratæ formæ terrā (quam Græci oſtracum nominant) dari mos erat: in ea terra is cui dabatur nomen, cuiuſcunque ei videretur, deſcribebat. Collectis autem cum hac nominū inſcriptione coctilibus formis, ſi numerus earum ſex milia trāſcenderet, is cuius nomen frequentius in ipſis oſtracis notatum inueniebatur, decem annos exulatum abibat. Hoc modo in vrbe libera potentium ciuium ambitio, effrenatíque animi continebantur. Fulgoſ. libro ſecundo capite primo.

Apud THEBANOS, qui ambitioſè vltra præſcriptum honores geſſerat, conſpirationis reus capite luebat. Alexander libro quarto capite ſexto.

MINYÆ propter affectatum regnum à Lacedæmoniis capti. Vide tit. Exulum, Populi è ſuis ſedibus eiecti.

ARYANDES Ægypti præfectus, ob ambitionem interfectus. Vide tit. Æmulationis nimiæ.

ERATOSTHENES ſpe immortalis famæ Dianæ Epheſiæ tēplum incēderat. In eo facinore deprehēſus, cùm cauſam criminis faſſus eſſet, Epheſij publico edicto cauerūt, ne quis nomē illius in hiſtorias referret. Et extincta planè memoria nominis illius fuiſſet, niſi Theopompus id vulgaſſet: aut certè nouitate rei allectus, vt plus cæteris ſapere videretur, nomen tale finxiſſet.

THEBANI eos omnes qui vltra præſcriptum honores gererent, & ſua licentia noxij ciuib. eſſent, capite truncabant. Alexand. lib. 4. cap. 6.

ROMANI eos qui finito magiſtratu prouinciam ſucceſſori tradere negarent, & ad opprimendos ſubditos vltra iuſtum tempus faſces retinerent, veluti maieſtatis reos agebāt. Alexand. lib. 4. cap. 6.

P. VAL. Publicola, vt magiſtratuum licentia aliquo pacto coerceretur, primùm legem tulit, vt qui imperium magiſtratúmve à populo non accepiſſet, capite plecteretur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 6.

Apud ROMANOS, ſi qui finito magiſtratu prouinciam ſucceſſori, ob ambitionem vel proprij lucri ſtudium tradere negaret, vel vltra iuſtum tempus faſces retineret, is velut maieſtatis reus in principem & rempublicam agebatur. Alex. lib. 4. cap. 6.

L. Martius trib. militum, cùm reliquias duorum exercituum Publij & Cneij Scipionū, quos arma Punica in Hiſpania abſumpſerāt, diſperſas mira virtute collegiſſet, earumque ſuffragiis dux eſſet creatus, SENATVI de rebus actis à ſe ſcribens, in hunc modum orſus eſt: L. Martius proprætore. Cuius honoris vſurpatione vti eum, quamuis optimè meritum, patribus conſcriptis non placuit: quia duces à populo, non à militibus ſolerent creari. Val. lib. 2. cap. 2.

Q. Coponius, quòd vini amphoram ei, cuius ſuffragio magiſtratum petebat, dono dederat, ambitus condemnatus pœnas dedit. Alex. li. 5. cap. 17.

A LVCRONE tribuno plebis edicto cautum eſt, vt qui nummos in tribus pronunciaſſet, & dediſſet, quoad viueret annua ſeſtertia pœnæ nomine ſingulis tribubus pendere cogeretur. Ibidem.

HERODIAS, cùm Herode tetrarcha marito, ad Lugdunum Galliæ perpetuo relegantur exilio. Vide tit. Dominandi libido.

ALEXANDER Seuerus imperator Romanus, quendam ex ſuis qui popularem auram tanto ſtudio captabat, vt in ea bonorum fines poneret, palo affigi iuſſit: excitatóque mox igni ex materia minimè arida, faucibus ſumo concluſis extingui: affirmans, iure illum fumo perire, quòd fumum & vendere & emere ſolitus eſſet. Pontanus de Principe: Eraſ. Rot. in Prouerb. Fumos vendere.

TYRANNIDIS AFFECTATAE POENA.

CALIPPVS Athenienſis philoſophus, Platonis auditor, à Syracuſanis interfectus eſt, quod tyrannidem poſt Dionyſium aggrederetur. Plutarchus in Dione.

CYLON ob affectatā tyrānidem interficitur. Vide tit. Aſyla violata.

M. MANLIVS Capitolinus, vnde Gallos depulerat, ipſe præcipitatus eſt: quia fortiter defenſam libertatem nefariè opprimere conatus fuerat. Cuius iuſtæ vltionis nimirum hæc præfatio fuit: Manlius eras mihi, cùm præcipites agebas Senones: poſtquā imitari cœpiſti, vnus factus es ex Senonibus. Huius ſupplicio æternę memoriæ nota inſerta eſt: propter illum enim lege ſanciri placuit, ne quis patricius in arce, aut in Capitolio habitaret: qui domum eo loci habuerat, vbi nūc ædem Monetæ videmus. Valer. Max. libro ſexto, capite tertio, & Sab. libro quarto, cap. 4.

Par indignatio CIVITATIS aduerſus Sp. Caſſium erupit, cui plus ſuſpicio concupitæ dominationis nocuit, quàm tres magnifici conſulatus, ac duo ſpecioſiſſimi triumphi profuerunt. Senatus enim populúſque Romanus non contentus capitali eum ſupplicio afficere, interempto domū ſuperiecit, vt penatum quoque ſtrage puniretur: in ſolo autem ædem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium potentiſſimi viri fuerat, nunc religioſæ ſeueritatis monimentum eſt. Ibidem.

Eadem auſum SPVRIVM Melium, conſimili exitu patria mulctauit. Area verò domus eius, quo iuſtitia ſupplicij notior ad poſteros perueniret, Æquimelij appellationem traxit. Valerius Maximus, libro ſexto, capite tertio.

Quantum ergo odij aduerſus hoſtes libertatis inſitum animis ANTIQVI haberent, parietum ac tectorum, in quibus verſati fuerant, ruinis teſtabantur. Ideoq; & M. Flacci, & L. Saturnini ſeditioſiſſimorum ciuium corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti ſunt. Cæterùm Flacciana area, cùm diu penatibus vacua manſiſſet, à Q. Catulo Cimbricis ſpolijs adornata eſt. Ibidem.

Viguit in ROM. ciuitate Tiberij & Caij Gracchorum ſumma nobilitas, ac ſpes ampliſſima. Sed quia ſtatum ciuitatis conati erant conuellere, inſepulta cadauera iacuerunt, ſupremúſque humanæ conditionis honos filijs Gracchi & nepotibus Africani defuit. Quinetiam familiares eorum, ne quis Reipub. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt. Ibidem.

P. MVTIVS trib. pleb. omnes collegas ſuos, qui duce Spurio Caſſio id egerant, vt magiſtratibus non ſubrogatis communis libertas in dubium vocaretur, viuos cremauit. Nihil profectò hac ſeueritate fidentius: vnus enim tribunus eam pœnam nouem collegis inferre auſus eſt, quam nouē tribuni ab vno collega exigere exhorruiſſent. Ibidem.

PROCOPIVS tyrannus Conſtantinopoli, inſurgens contra Valentem principem, apud Natoliam Phrygiæ ciuitatem, in eius poteſtatem cum exercitu venit, proditus à duobus militibus: alligatúſque deinde duobus per vim reflexis arboribus diſcerptus eſt: vt eſt in hiſtoria Tripartita.

Marinus Faletrus, Venetæ vrbis dux, deprehenſus cum quibuſdam plebeijs conſpiraſſe, vt ex duce, cuius poteſtas moderamine finita eſt, tyrannidem inuaderet, coniectus in vincula, à SENATV capite mulctatus eſt ad Palatij ſcalas: dirutíſque ædibus, inuſta eius nomini perpetua ignominia fuit. Siquidem in eo conclaui, in quo omnium Venetorum ducum effigies pinguntur, Marini thronum ſedemq; atro colore operuerunt: inſcriptione addita, eum eſſe Marinum Faletrum, cui propter crimen caput fuit ademptum. Fulgoſus libro ſexto cap. 3. & Egnatius. lib. 3. cap. 4.

FRANCISCVS Balduinus, patricius Venetus, ciuium opulentiſſimus, iuris vim æquíque, in tanta ciuitate ferre non valens, animum adiecit ad libertatem, ſi fieri poſſet, opprimendam. Rege igitur varijs artibus & conſilijs ſæpe ab illo fruſtra tentata, quum DVX ac Patres id reſciſſent, captus in Minoritana æde, etiam ſacratiſſimo die Ioui ſancto, tātæ audaciæ pœnas meritò luit. Iure enim eo ſtatim mortuo, bona eius omnia publicata ſunt. Quinetiam & illud additum, ne quis in Balduina familia nobilitatis munere perfungi poſſet: ianuáque domus illius perpetuo die, noctúque patéret, ac diui Simeonis cognomento Parui, diuíque Marci effigies ſupra ianuam ſemper aſtaret. Egnat. lib. 6. cap. 5.

POENA IMMODERATAE IRAE, ET VINDICTAE ERGA AMICOS qui nos offenderunt, tam publicè in Repub. quàm priuatim.

Conſule tit. Immoderatæ vindictæ erga ſubditos.

ASTYAGES Medorum rex, ægrè ferens quòd Harpagus procurator ſuus Cyrum nepotem (quem exponi iuſſerat) non interfeciſſet, diſſimulata iracundia, Harpagum ad epulas inuitauit, eiúſque filium tredecim annorum ei inſcio epulandū appoſuit. Qua iniuria affectus Harpagus, Cyro author fuit, vt Aſtyagem regno exueret. Herod. lib. 1.

THEODOSIVS Imp. cum inſignem cædem Theſſalonicæ patraſſet (vide tit. Seditionum vrbanarum) ab Ambroſio epiſcopo Mediolanenſi ſacris interdictus eſt, nec prius admiſſus, quàm ſemeſtri pœnitentia ſeſe maceraſſet: & publicè errorem ſuū faſſus, lege ſanciret in poſterum, vt publica iudicia & capitalium cauſarum pœnę ad trigeſimū vſq; diem differrentur: hocque modo rectum & pacatum rationis iudicium expectetur. Diebus his elapſis, iudices ſententiam latam per diſquiſitionem perpendant, iuſtāne an iniuſta. Si iniuſta, libellum conſcindant: ſi iuſta, eum confirment. Nicephorus lib. 12. cap. 41.

POENA NIMIÆ VINDICTAE ERGA HOSPITES, EXTRA BELLVM:

POENA NIMIAE VINDICTAE ERGA HOSTES IN BELLO.

Conſule tit. Crudelis vindictæ erga hoſtes.

Rex Adoni Bezec comprehenſus à FILIIS Iſrael, dixit: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Iudic. 1.

Adducto AGAG rege Amalehc coram Samuele, ait ei Samuel: Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. 1. Reg. 15.

IASON impius & crudelis homo, cùm multos homines inſepultos abieciſſet, ipſe demum diuinam vltionem ſentiens, ſine ſepultura quoque abiectus eſt. 2. Machab. 5.

GVLIELMVS Normandiæ dux, qui Normandorum primus Britaniæ regnum adeptus eſt, cùm in eam inſulam aduerſus Heraldum traieciſſet: conſpicatus Normādum militem, in Heraldum adhuc ſæuire, poſteaquā ſagitta ictus ad terram conciderat, eum ignominiæ nota exauctorauit: vir enim bello clarus atque virtute inſignis, æquè indecorum exiſtimauit, vincenti hoſti terga dare, & iam mortuum aut ad terram delapſum ferire. Fulg. libro 6. capite 3.

POENA NIMIAE INDVLGENTIAE ERGA QVOSVIS.

ADVLATIONIS POENA.

ATHENIENSES Timagoram inter officium ſalutationis Darium regem, more gentis illius, adorantem, capitali ſupplicio affecerunt. Vnius ciuis humilibus blanditijs, totius vrbis ſuæ decus Perſicæ dominationi ſummiſſum grauiter ferentes. Val. Max. libro 6. cap. 3.

Conuocata Athenienſium concione, DEMADES ſurgens, decreto iuſſit, vt Alexander ſcriberetur deus decimuſtertius. At populus impietatis magnitudinem non ferendam ducens, Demadi irrogauit mulctam centū talentorum, quòd Alexandrum mortalem & hominem aſcripſiſſet Olympicis dijs. Ælian. de Var. hiſtor. lib. 5.

P. AFRANIVS Potitus videns magnam Caligulæ imperatoris inſolētiam ac crudelitatem, ſtulta quadam aſſentatione, non modò volens, ſed etiam adhibito iureiurando promiſit, ſi C. Caligula, qui tam grauiter decumbebat, conualeſceret, ſe libenter moriturum. Cæſar priſtinæ ſanitati reſtitutus, hominem ea pecunia, quam ſe ſperauerat inde accepturum, puniuit, ne turpiter peieraſſet. Dion in Caligula.

AFRANIVS ſecundus, vir equeſtris ordinis, cùm dixiſſet ſe eandem ob cauſam in ſingulare certamen deſcenſurum, atque iuramento hoc etiam confirmaſſet, eadem pecunia, quam ſe ſperauerat accepturum, quòd vitam pro Caio profundere voluiſſet, mulctauit eum Caligula: poſteaquā conualuiſſet & occidit, ne peieraſſe Afranius diceretur. Idem.

ATHENIENSES M. Antonio obuiam profecti, adulandi gratia, Mineruam ſibi nubilem eſſe dixerunt, quam Libero patri (M. Antonio ſcilicet) deſpondere vellent. Is arrepta occaſione, mille talenta dotis nomine ab adulatoribus exegit.

LIBERTATIS NIMIAE IN REPREHENDENDO POENA.

MICHOL Saüli filia, Dauidis regis vxor, quia Dauidem regem coram arca Domini, quæ à Philiſtæis reducebatur, ſaltantem irriſerat, ſcurrilitatis ſuæ pœnas, perpetuæ ſterilitatis damno, luit. Marul. lib. 3. cap. 1.

MEMNON pugnans contra Alexandrum pro Dario rege, quendā ex ſuis militibus, qui multa petulanter in Alexandrum maledicéque fuerat loquutus, lancea percuſſit: Ego te, inquiens, alo, vt pugnes, non vt maledicas. Plutarchus in Imp. Apoph.

In prælio captum THEOCRITVM Chium, atque ad Antigonū hoſtē deductum, cùm qui deducebāt hortari, vt bono eſſet animo, ſcilicet dicebāt, fore vt cùm ante Antigoni oculos conſtitueretur, veniam impetraret. In tanto is periculo poſitus, à dicterijs abſtinere non potuit. Itaque ſi ita eſſet, de ſe actum eſſe, dixit: ſiquidem alterum Antigonus tantùm haberet oculum. Cuius verbi acrimonia motus Antigonus, ſtatim eum interimi iuſſit: qui ſi linguæ temperaſſet, incolumitatem aſſecutus videbatur.

Fulgosus libro 8. capite 1.

SOTADES Cretensis poeta, Cynædologus fœdissimus, cùm de rege Lysimacho & Ptolemæo Philadelpho multa impudenter scripsisset, à Patroclo Ptolemæi milite plumbeo vasi inclusus, in mare demersus est. Testis Athenæus. Pluth. in carcere obijsse scribit, quòd Philadelphum monuisset ne in sanctam rimam sororis Arsinoes aculeum truderet: id est, ne incestum committeret. Gyraldus Dialogo 9. hist. Poet.

PANTALEON in Arsinoen Lysimachi vxorem vomere solitam, hûc torsit versiculum: κακὸν κατάρχεις τλὐδ' ἱμονσαν εἰσάγων. Id est:

Dominare prauus, qui hanc vomentem induxeris.

Quod vbi resciuit Lysimachus, in mustelæ cauea inclusit hominem, & tanquã feram circumferri iussit, quoad viueret. Plut.

ZOILVS Homeromastix, librum in Homeri vituperationem Ptolemæo Philadelpho dicauit: cumque diu præmium frustra expectasset, petere cœpit. At, inquit Ptolemæus, egere potes, qui maior sis Homero, ac viuus: quum ille te inferior, ac mortuus, tot hominũ millia diu pascat. Erasmus in Apoph.

CN. Næuius comicus, cùm ob assiduam maledicentiam in principes ciuitatis Romæ à triumuiris in carcerem coniectus esset, fabulas Ariolum & Leontem composuit, quibus delicta sua & dictorum petulantias, quibus plerósque ante læserat, diluit. Vnde postea à tribuno plebis, vinculis exemptus est. Gellio teste. Eusebius tamen, cum exulem eam ob causam, Vticæ mortuum scribit, Olymp. 144. Gellius lib. 3. cap. 3.

ALEXANDRINI propter nimiam in dicẽdo libertatem, à Vespasiano puniti. Vide tit. Exactiones iniustæ.

VENETIIS animaduersum erat de consilij sententia in Andream Boldunum patricium, vt publicè laqueo vitam finiret. Quem eo ipso die nobiles aliquot, grauiter illi insultantes, impudentérque sæpe appellãtes, ad columnas vsque geminas deduxêre. Quod ab Aduocatoribus cognitum, ad consilium statim delatum, sic animos omnium incendit, vt patricios eos, quotquot fuerant, grauiter sanè mulctarint: & alioqui factum id vsque adeò impudentiæ insolentiæq; plenum videri poterat, cùm morituro patricio tã infami letho, satis ea pœna irrogata videri posset. Egnat. libro secundo capite 4.

SVPERBIAE POENA IN DICTIS ET FACTIS.

Exempla pete ex tit. Ambitionis pœna.

Superbia volentium ædificare turrim BABEL vsque ad cœlum, damnata fuit per confusionem linguarum. Gen. 11.

NIOBE Assaonis filia, Philotti vxor (plerique alij Tantali filiam & vxorem Amphionis fuisse asserunt) cum Latona ob filiorum pulchritudinem certans, hanc tulit pœnam. Maritus eius Philottus in venatione dilaniatur. Assaon filiæ stuprum inferre conatur. Niobe recusante, filios eius in conuiuium vocatos combussit. Niobe ex rupe altissima sese præcipitauit, Assaon seipsum interemit Parthen. de amat. ca. 33. ex Xantho in Lydiacis, Neantha lib. 2. & Simmia Rhodio.

HADRIANVS Imp. quodam tempore, quum seruum suum videret inter duos Senatores ambulantem, misit qui illi colaphum impingeret, diceréque: Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes esse seruus: simul senatoriæ dignitati consulens, & serui castigans insolentiam, quam de Cæsare hero sumpserat. Dion Cassius.

THEODORICVS Francorum rex, cùm ignauiæ deditus esset, nec adeundi salutandique sui copiam plebi faceret, nisi Calendis Maijs, eóque tempore muneribus vltrò citróque missitandis occuparetur, regnumque per alios administraret, in claustra collegij monachorum se recipere coactus est à subditis. Michael Ritius lib. 1 de Regibus Francorum.

MENDACII POENA IN GENERE.

Vide plura exempla sub tit. Eorum qui sese in claras familias inserere conati sunt.

Mendacium GABAONITIS attulit salutem, sed abstulit libertatem. Dederat illis Iosue in castris Galgalæ iusiurandum, quòd vitæ illorum parceret: ratus eos (quemadmodum ipsi referebant) gentẽ magis longinquam esse, quàm quæ terræ promissionis finibus concluderetur. Mox falsos fuisse deprehendens, viuere quidem permisit: sed calones lixásque cõstituit, redactos in seruitutem. Quòd si seruari promissum debuit, ne illi cum alijs perderentur, nõ frustra composito pellacique sermone vsi sunt. Quòd autem seruari debuerit, ex secundo Regum volumine apparet, vbi dicitur: Ideo iam trium annorum fame laborare populum Israel, quia rex Saül Gabaonitas contra fidem, quam à Iosue acceperãt, interfecisset. Sed si præceperat iampridem Dominus, omnes gentes illas internecione deleri, cur solis deinde mendacibus parci voluit? Quòd scilicet nulli obesse, sed tantùm sibi prodesse mendacio quæsierant: ac ne omnino impunè mentitos crederes, mancipiorum more seruierunt. Marul. lib. 4. cap. 4. ex cap. 9. Iosuæ.

Veteres SCYTHÆ astronomos sagósque, qui falsa apud eos prædixissent, accenso carro impositos occidebãt. Vide tit. Vates ethnici, sub nomine Enarium.

AMASIS rex Ægypti, oracula mendacia nullo honore afficit. Vide tit. Furum.

Apud PERSAS Indósque, qui ter mendacio abusus fuisset, illi per omnem vitam silentium imponebatur, nullóque magistratu aut honore dignus habebatur. Alex. lib. 6. cap. 10.

Apud ÆGYPTIOS cùm moris esset, vt singulis annis omnes incolæ ad regionis præsides nomina sua deferrent, & simul indicarent vnde viuerent, vel qua arte vel disciplina se familiámque suam alerent: qui ea in re mentiebatur, mortis pœnam subibat. Diodorus Sicul. libro secundo, capite 2. de Rebus antiquis.

ARTAXERXES adeò mendacium auersatus est, vt mendacis hominis linguam triplici clauo affigi iusserit. Alex. lib. 6. cap. 10.

DVO quidam pauperes Epiphanium foras progressum animaduertentes, spe amplioris eleemosynæ alter in terram prostratus se repentè mortuum fingebat: alter iuxtà adstans, plorans eleemosynam pro tumulando socio petebat. Epiphanius iacenti requiem precatur, alteri sumptus funeris largitur, his verbis: Sepulturam cura, & à lachrymis cessa, ô fili. non enim in præsenti resurget. His dictis abijt. Ille socium iacentem de egregia simulatione collaudãs, vt surgeret hortatus est. At digna simulationis impiæ pœna, mortuus erat reuera. Itaque ad Epiphanium concito cursu alter ille currens, vt socium excitaret, rogat. Epiphanius vero irreparabile Dei iudicium esse asserens, vt id quod acciderat, æquo animo ferret, cõsuluit. Sozomenus libro septimo, capite 26.

PERIVRII POENA.

Ad religionem violatam titulus iste referri potest, quatenus Deos contemnunt: at quia falsum dicunt, vel simulando vel dissimulando, ad Mendacium pertinent. Consule tit. Periurij. item Perfidiæ erga hostes.

INDI per aquam Sandaracinem, quæ apud Magos è fonte manabat, maximum iusiurandum æstimarunt, ita vt deierantes graui nexu & certissimo exitio tenerentur. Alexand. lib. 5 cap. 10.

Apud EOSDEM de periurio conuictus, manuum pedumq; digitis, & extremis membris decurtabatur. Ibidem.

In SARDINIA quasdam aquarum scaturigines esse legimus, in quibus si periuri immergerentur, cæcitate admissum facinus luerent: hi autem qui bene iurassent, incolumi fama clarius cernerent. Ibidem.

Iuxta TYANAM fons erat Ioui sacer frigidissimus: qui cùm cæteris foret innoxius, periuris solùm, pustulas liuentes & fomicas faciebat calamitosissimas. Ibidem, ex Philost.

In BITHYNIA iuxta Brieti templum fons ceremonijs sacer manare feruentis naturę dicitur, vbi periuri velut vrgente flamma necabantur, ita vt magno malo periurium luerent.

In ARCADIA apud aquam Stygem (quæ è petra manabat, præsentissimi veneni) ad Onacrim, fraus & perfidia deierantium extremi discriminis erat. Alex. lib. 5. cap. 10.

Ad PALÆMONIS speluncam in Corintho, nemo ducebatur, qui non grauissimas inde sui periurij pœnas reportaret. Ibidem.

POLEMARCHVM, quòd periurio Corinthiorũ classem euasisset, fingunt, quoties noctu somnum carperet, à mustelis morsum: ac tãdem despondentem animum, sibi mortem consciuisse. Herac.

Mira erant PALICI stagna in Sicilia, iuxta Symethum amnem, vbi miro quodam modo iuramentorum experimenta edebantur. Nam tabellæ iuramenti veri innatabant, falsi mergebantur. Illis morientibus semper, qui falsum iurantes, in eis se lauissent: contrà autẽ vera iurantes, nulla in parte lædebantur. Fulg. lib. 1. cap. 6. & Alex. lib. 5. cap. 10. ex Aristotele, qui fontem hunc Acadinum vocat.

SCYTHÆ, per solium regium peierantes morte mulctant. Vide tit. Vatum ethnicorum, Enaries.

Apud ÆGYPTIOS periurij pœna erat maxima. Qui enim eo crimine deprehensi erant, capite mulctabantur, eo quod duplici tenerentur scelere, vt qui & pietatem in deos violassent, & fidem in homines. Diod. Sic lib. 2. cap. 2. de Reb. antiquis: & Alex. lib. 6. cap. 10.

CENSORVM

CENSORVM apud Romanos licet tãta fuerit potestas, vt quæuis hominum vitia durissimè reprehenderent: animaduersum tamen est, de nulla re magis & seuerius, quàm de iureiurando, iudicare consueuisse. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 13.

VENETA ciuitas Petrum Candianum, Candiani tertij ducis filium, arrogantiam atque insolẽs hominis ingenium pertæsa, exegerat: obstrinxeratque se patri id enixè petenti sanctissimo iureiurando, & cum tota ciuitate clerus, nunquam passuros, vt aut patriæ, de qua tam malè meritus erat, aut principali dignitati, qua se indignum exibuerat, restitueretur. Sed vix pater ex animi ægritudine vita functus erat, quando filius statim audita patris morte, ex Rauentini portu piraticam in Venetos exercere cœpit. Quo tamen tempore populus vniuersus, vt sunt leuia vulgi studia duci defuncto filium ab exilio reuocatum subrogauit. Sed neglecti iusiurandi & ciuitas, mox tyrannica ducis administratione, publicóque trecẽtarum ædium, & cum his diui Marci templi incendio: & Petrus suæ in patrem ac patriam temeritatis, à ciuibus cum paruo filio necatus, meritas pœnas luerunt, vt etiam eius cadauer in publico per triduum sit spectatum. Egnat. lib. 1.

FALSÆ ACCVSATIONIS POENA.

Præcepto regis ASSVERI, superbus & iniquus Aman suspensus est in eodem patibulo, quod parauerat Mardochæo: & hostes Iudæorum eodem die ab ipsis Iudæis occisi sunt, quos Iudæos illi occidere voluerunt. Esth. 7. 8.

POPVLVS duos presbyteros senes, qui iniquè accusauerant Susannam, lapidauit. Dan. 13.

Iubente DARIO rege viri qui accusauerunt Danielem, missi sunt in lacũ leonum: & non peruenerunt vsque ad pauimentum, cùm arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerent. Danielis sexto, & decimoquarto.

Apud ÆGYPTIOS falsò quempiam accusans, si postmodum ad iudicium delatus foret, pœnam calumniatoriis statutam subibat. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

GREGORIVS Antiochenus episcopus de adulterio & annonæ caritate accusatus est corã synodo Constantinopolitana, sub Mauricio Imp. Verùm cùm sese purgasset: ASTERIVS Orientis princeps, qui eum accusauerat, neruis cæsus, & in vrbe circũductus, in exilium pellitur. Euag. lib. 6. cap. 7.

Cyrinus sub Arcadio ecclesiæ Chalcedonensis episcopus, homo arrogans & iniurius contra Ioannem Chrysostomum fuit. Cùm autem episcopi plurimi, instigante Theophilo Alexandrino Episcopo contra Ioannem Chrysostomum ad concilium Constantinopolitanum pergerent, & Chalcedone prius de rebus consultarent: accidit casu, vt Maruthas episcopus Mesopotamiæ pedem Cyrini alterum calcando læderet: leuiter sanè in speciem: sed tantum postea serpsit malum, vt non illum pedem tantum, sed & alterum secandum præbere coactus sit: neque tamen lues sic quoque cessauit, sed totum corpus lento quasi igne consumpsit: sic impietatis suæ, vt & plerique alij accusatores D. Chrysostomi, pœnas dedit. Sozomen. lib. octauo, capite vigesimo. Nicepho. libro decimotertio, cap. 14.

FALSI TESTIMONII POENA.

Ratione perfidiæ titulus iste, & præcedens, ad pœnam iniustitiæ politicæ erga priuatos pertinet at respectu mendacij, sic huius erit loci.

Tenedus insula principiò Leucophrys vocabatur: deinde Tennes ante bellum Troianum controuersia cum parente orta, eam habitauit atque ædificauit. Dicitur autem à nouerca, testante Tibicine quodam, falsò apud patrem insimulatus incestus, & à patre Cycno in cistam inclusus, atque in mare proiectus, in hanc insulam saluus appulisse. Quamobrẽ, quòd falsum testimonium tibicen dixisset, statutũ est, vt nulli tibicini in templũ ingredi liceret. Heraclides.

Lycij vendunt eos omnes qui testimonium falsum dixerunt, eorũque facultates publicant. Heraclides in Polit.

Apud Pisidas qui falsum testimonium dixissent, de saxo præcipitabantur. Alex. lib. 6. cap. 10.

TRES falsi testes diuino iudicio puniti. Vide tit. Insontes diuino absoluti iudicio.

INCONSTANTIÆ ET LEVITATIS POENA.

SCIPIO Maior, quum traiecisset in Africam, ac terra potitus hostiũ castra concremasset, Carthaginenses missis legatis fœdus cum Scipione pepigere: pollicentes, se & elephantes camelósque, & naues & pecunias daturos. Cæterum posteaquam Annibal abnauigasset ex Italia Carthaginem, cœpit illos conuentorum pœnitere, eo quòd iam animam recepissent. Id audiens Scipio, negauit se, etiam si ipsi vellent, pacta seruaturum: nisi prius imperatis adderent talentorum quinque millia, hoc nomine, quod Annibalem accersissent. Plutarchus in Romanorum Apoph.

LOQVACITATIS POENA.

Tantalus Iouis ex Plote nympha filius, rex Phrygiæ, eo quòd secreta deorum hominibus indicasset, apud inferos ad amœnum fluuium stare cogitur, & arborem dulcib. pomis onustam ante se videre, semper tamẽ esuriens & sitiens. Vnde Ouidius:

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hæc illi garrula lingua dedit, &c.

ÆGYPTII eos qui secreta in vulgus spargerent, aut belli consilia hostibus indicarent, lingua priuabant, ne posthac nociua licentia Reipublicæ obessent. Diodorus Sic. libro secundo, capite secundo, de Rebus antiquis.

LACONES Ctesiphontem eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totum diem posse dicere, dicentes: Boni oratoris esse, sermonem habere rebus parem. Nulla in re iustius putarũt adhibendam frugalitatem, quàm in oratione, quam Hesiodus non aliter quàm preciosum thesaurum parcissimè censet esse depromendam ad vsum, non ad ostentationem. Plutarch. in Laconicis Apoph.

VALERIVS Soranus poeta antiquissimus, quòd arcanum nomen Romæ pronunciasset, cruci affixus fuit. Alij, vt & Plinius, cum subita morte corruisse affirmant. Hinc Angerona silentij præses coli cœpta, cui ante 12. Calendas Ianuarij, Romani sacra faciebant. Gyraldus Dial. quarto, Histor. poet.

QV. Fabius Maximus, cum per imprudentiam de tertio bello Punico indicendo (quod secreto in curia erat actum) P. Crasso in itinere narrasset, tanquam senatori, eo deceptus, quòd eum triennio antè quæstorem fuisse sciret, vehementer à consulibus obiurgatus est, quòd ea quæ in secreto acta essent, homini nondum in senatum accepto reuelasset. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Seuerus Sulpitius Posthumianus monachus, cùm in senectute sua à Pelagianis hæreticis deceptus esset, ad vitæ vsque finem silentium tenuit vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo rursus emendaret. Gẽnadius testis.

Architectus Constantinopolitanus, loquacitatis suæ pœnas dat. Vide tit. Magnificentiæ in templis.

NIMIÆ CONTENTIONIS ET ACERBITATIS IN LITIGANDO.

Apud Cyrenenses lex erat, vt litigiosos & pestiferos ciues ad tribunal Ephori traherent, & mulctam atque infamiam ipsis imponerent. Heraclides de Polit. Namque, vt poeta inquit, Grex totus in agris Vnius scabie cadit & porrigine porci.

INHVMANITATIS ET IMPIETATIS ERGA MORTVOS POENA.

Apud GRÆCOS detestabili crimine obnoxius erat, capitis pœna dignus, qui insepultum cadauer reliquisset. Alexand. libro sexto, capite decimoquarto.

Athenienses decem prætores, quòd bello nauali apud Arginusas vi tempestatis acti, defunctos in acie non sepelissent, ab Atheniensibus capitis accersiti, & vltimo supplicio affecti sint. Alexand. libro sexto, cap. decimoquarto.

Achillas, cùm caluariam mortui saxo petisset, resiliens lapis Achillæ frontem petiit. Sic de eo Ausonius:

Abiecta in triuiis inhumati glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute caluicium.
Fleuerunt alij: fletu non motus Achillas,
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo icto rediit lapis vltor ab osse,
Auctorísque sui frontem oculósque petit.
Sic vtinam certos manus impia dirigat ictus,
In proprium vt redeant tela retorta caput.

GVILIELMVS Normandus, militem quendam, qui in Heraldi cadauer sæuiebat, exauctorauit. Vide titulũ, Pœna crudelitatis erga hostes.

NIMII STVDII IN REBVS LVDICRIS AVDIENDIS. *vel spectandis pœna.*

Ab Olympicis ludis ELEORVM lege arcebantur fœminæ. Vide tit. Roboris corporei præmia, sub exemplo Callipateræ.

SCVRRILITATIS POENA.

HIERO Siciliæ tyrannus, Epicharmo comico poetæ, quòd præsente ipsius vxore dixisset quiddam inhonestum, mulctam dixit. Epicharmus Siculus erat, iuxta regionis naturam plurimi ioci. At rex tantum iudicauit esse tribuendum reuerentiæ coniugio, vt crimen existimaret, audiente vxore iocari lasciuius. Plut. in Rom. apoph.

P. Scipio Nasica, & M. Pompilius, Censores, cùm equites atque eorũ equos recenserent, à quodam EQVITE petierunt, Quamobrem cùm ipse pingui nitidóque corpore esset, equum haberet macilentum atque strigosum. Qui cùm respondisset, Equum à Statio seruo curari: se autem ipsum sui ipsius curam habere. Intemperantis verbi insolentia magis quã facto ipso censores moti, inter ærarios eum retulerunt: atque adempto equo suffragij iure in publicis rebus priuarunt. Indignum enim aliquo populi Romani honore putarunt, qui tam impudenter censoribus respondisset. Gell. lib. 4. cap. 20. ex Sabini Massurij lib. 7. Memorabilium refert.

P. SCIPIO Africanus, ex nimia iocandi licentia ædilitatis repulsam tulit. Vide tit. de Repulsa, sub loco Honoris denegati.

INOBEDIENTIÆ POLITICÆ POENA, QVI VEL LEGIBVS *non parent, vel magistratui & principibus.*

Exempla quædam ex tit. Obseruantiæ legum, præterea etiam ex tit. de Magistratuum licentia coercenda, item de pœna Ambitionis, *peti possunt.*

SEMEI exiuit de Hierusalem contra mandatum Salomonis, ad requiendũ seruos suos, qui aufugerant: & ob hanc causam à Salomone occidi iussus est. 3. Reg. 6.

Lacedæmonij Isadam puerum adhuc, quem lex nondum ad pugnam vocabat, quoniam exiliẽs gymnasio strenuum se præstiterat, corona donauerunt. Quoniam verò nondum ætate postulante, & insolitis etiam armis in hostes irruerat, pœna affecerunt. Ælianus libro sexto, de Varia historia.

Agis rex victis Atheniensibus domum reuersus, quia ad Phyditia (erat id publicum conuiuium) non accessisset, EPHORI portionem cœnæ petenti regi mitti prohibuerunt. Cæterùm postridie quia iratus Agis sacrificium non obiisset, publicè damnatus est. Ciuitas sanctè instituta, & ob id digna quæ interitu careret debuisset (si quid in humanis esset, quòd perpetuò stare posset) in qua non licuit regi lautius cœnare, quàm priuatis. Sab. lib. 4. cap. 4.

Draconem tam seueræ disciplinæ fuisse legimus, vt pro leuissimis etiam causis mortis pœnam inferret. Quare Demades dixit: Draconem nõ atramento scripsisse leges Lacedæmoniis, sed sanguine. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

Athenienses olim damnabant reos, non quidem si totam tantùm legẽ, sed si vnicam syllabam transgressi fuissent. Ibidem.

IIDEM missos in Arcadiam legatos, quoniam alia via quàm à magistratu imperatum erat, profecti fuerant, tametsi summo studio mandata perfecerant, tamen morte crudelissima mulctarunt. Ælianus lib. 6. de Var. hist.

THEBANI seueritatis exemplum meritò esse possunt: apud quos qui vltra præscriptum honores gesserant, conspirationis rei capite luebant. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 6.

ZALEVCI Locrensis cùm multæ leges extant, aliæ rectè commodéque positæ, tum illa non in postremis est habenda: Si quis Locrensium Epizephyriorum ægrotans vinum intemperatum bibisset, nisi iubente medico, etiamsi ad pristinam valetudinem rediisset, mortis ei supplicium erat constitutum, quoniam non iussus biberat. Ælianus lib. 2. de Varia hist.

Romanorum veterum in rebus agendis seueritas ex eo liquet, quòd eũ morte dignum putarint, qui finito magistratu non statim successori cederet, & fasces per vnum saltem atque alterum diem retineret. Alex. lib. 4 cap. 6.

CN. Corn. Scipio, Haspali filius, priusquàm mereri posset, cùm ei Hispania prouincia sorte obuenisset, ne illuc iret, decreuit: adiecta causa, quòd rectè facere nesciret. Itaque Cornelius propter vitæ inhonestum actum sine vllo prouinciali ministerio, tamen repetundarum lege damnatus est. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

C. Licinius Stolo, cùm lege sanxisset, ne quis vltra quingenta agri iugera possideret: ipse verò postmodum mille sibi comparasset, accusatus & damnatus est. Liuius lib. 7.

L. Domitius, cùm Siciliam prætor regeret, & ad eum eximiæ magnitudinis aper allatus esset, adduci ad se pastorem, cuius manu occisus erat, iussit: interrogatúmque quomodo eam bestiam confecisset: postquam comperit vsum venabulo, crucifixit: quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia vastabatur, ne quis telum haberet, edixerat. Hoc aliquis in finem seueritatis & sæuitiæ ponẽdum dixerit: disputatione enim vtroque flecti potest. Cæterùm ratio publici imperij Prætorem nimis asperum existimari non patitur. Val. lib. 6. cap. 3.

Agebatur vrbis Venetæ annus millesimus ducẽtesimus septuagesimus quartus, quum Patricij ordinis Bertucius Bochasius domum in agro Mestrino emit. Quòd sanè factum cõtra publicam legem, Aduocatores adeò iniquo animo tulêre, vt delato statim ipso Bertutio ad consilium, illum omnibus sententiis damnarint, domumque ipsam in publicum redegerint. Quo sanè exemplo omnes qui hodie Venetiis viuunt, admoneri possunt, sic Venetorum animos in maritimam rem fuisse propensos, vt domunculam emptam in continenti ab Bertucio ferre æquo animo non potuerint. Egnat. lib. 2. cap. 4.

INOBEDIENTIÆ MILITARIS POENA.

IONATHAS, quòd gustauerat parum mellis contra iussa patris Sauli, morti à patre adiudicatus est. 1. Reg. 14.

Apud Thurios lex erat militaris, vt contumax miles, desertor vel transfuga, muliebri veste amictus, ob ignominiam vinctus teneretur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

IVDÆI, cùm de mandato Machabæi obsiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles, accepta pecunia quosdam effugere dimiserũt. Quos Machabæus tanquam proditores, & fratrum venditores interfecit. 2. Machab. 10.

LYSANDER Lacedæmonius, egressum via quendam castigabat. Cui dicẽti, ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse: respondit, Ne speciẽ quidem rapturi præbeas volo. Front. lib. 4. cap. 1.

Epaminondas, cùm Thebani exercitus aduersus Lacedæmonios dux esset, simulque prætor, Thebas ad eligendos magistratus profectus, Sthesimbroto filio omnem exercitum commisit, præcepitque ne cum hoste manum consereret. Verùm filius contumeliis hostium lacessitus pugnauit, & hostes fudit. Reuerso patre, ab eo primùm vt victor coronatus deinde quòd eius mandata neglexisset, morte multatus est. Fulgosus lib. 2. cap. 2. ex Plut.

Apud Macedones iniussu ducis vel imperatoris arma capere, in ordines ire, aut hostes demũ inuadere, lege militari cauebatur. Alex. ab Alex. lib. 1 cap. 20.

Philippus rex Archidamum morte mulctauit, quòd cùm eum perseuerare cum armis iussisset, ille deposuisset. Ælianus lib. 14. de Var. hist.

IDEM Aphthonetum flagris cecidit, quòd cùm sitiuisset, aciẽ deserta, digressus ab itinere, ad publicum hospitium diuertisset. Ibidem.

CYRVS Persarum rex, militem, si extra ordinem pugnantem vidisset, vel qui proditionis causa terga dedisset, capite puniuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

In Romana militia extra ordinem etiam aduersus prouocatorem cõtra imperium pugnare nemini licuit. Alex. lib. 1. cap. 20.

M. Curius consul, cùm delectum subitò educere coactus esset, & iuniorum nemo respondisset, cõiectis in sortem omnibus tribubus: Pollię, quæ proxima exierat, primùm nomen vrna extractum citari iussit, neque eo respondente: bona adolescentis hastæ subiecit. Quod vt illi nunciatũ est, ad consulum tribunal cucurrit, collegiúmque tribunorum appellauit. Tunc M. Curius præfatus, non opus esse eo ciue Reipub. qui parêre nesciret, & bona eius & ipsum vendidit. Val. lib. 6. cap. 3.

Equestris ordinis bona magnâque pars, Quadringenti iuuenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt: quos M. Valerius & P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire iussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos in numerum ærariorum retulerunt. Val. lib. 2. cap. 4.

A. POSTHVMIVS Tiburtus dictator, Posthumium filium, quem ad generis penetraliúmque sacrorum successionem propagandam genuerat, & quem iuuenem armis instruxerat, quòd non suo iussu præsidio progressus hostes fuderat, victorem securi feriri iussit: satius iudicans patrem forti filio, quàm patriam militari disciplina carere. Liuius lib. 4.

lib. 4. Dec. 1. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Manlius Torquatus Latino bello Cos. filium, quòd prouocatus à Geminio Metio duce Tusculanorum, ad dimicandum pace ignaro descenderat, gloriosam victoriam & speciosa spolia referentem, abripi à lictore, & in modum hostiæ mactari iussit. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Front. libro 4. cap. primo.

L. PAPYRIVS Cursor dictator, cùm aduersus imperium eius Qu. Fab. Rutilianus, magister equitum, exercitum in aciem eduxisset, quanquam fusis Samnitibus in castra redierat: tamen neque virtute eius, neque successu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eúmque nudari iussit. O spectaculum admirabile: & Rutilianus, & magister equitum, & victor, scissa veste, spoliatoque corpore, lictorum se verberib⁹ lacerandũ præbuit, vt in acie exceptorum vulnerũ nodosis ictibus cruore renouato, victoriarum quas modò speciosissimas adeptus erat, titulos respergeret. Precibus deinde sui exercitus occasionẽ Fabio confugiendi in vrbẽ dedit vbi frustra senatus auxiliũ implorauit. nihilo minus enim Papyrius in exigenda pœna perseuerauit. Itaque coactus est pater eius post dictaturam, tertiúmque consulatũ, rem ad populũ deuocare, auxiliũque trib. pl. supplex pro filio petere. Neque hac re seueritas Papyrij refrenari potuit. Cæterum cùm ab vniuersis ciuibus, & trib. pl. rogaretur, testatus est, non pœnam illã se Fab. sed pop. Rom. & trib. concedere potestati. Val. Max. lib. 2. cap. 2. & Liuius lib. 8. Dec. 1. Oros. lib. 3. cap. 22. Plin. ca. 31. de Vir. Illust. Sab. lib. 5. Ennead. 4. Antonin. tom. 1. tit. 4. cap. quinto, Frontinus lib. 4. cap. 1. Eutrop. lib. 2. Petrarcha cap. 12. epit. Volat. lib. 28. cap. 1. Vrb. con.

Q. Fuluius Flaccus censor, Fuluium fratrem cohortem legionis, in qua trib. militum erat, iniussu consulis domũ dimittere ausum, senatu amouit. Val. lib. 2. cap. 2. & Front. lib. 4. cap. 1.

AVR. Cotta consul, cùm ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, questus apud censores, effecit vt notarẽtur. A patribus deinde obtinuit, ne eis præterita æra procederent. Front. lib. 4. cap. 1.

CAIVS præceptum dederat iis qui in castris erant, vt in armis manerent. Sub tempus autem æstuantis solis filius eius equum sitientẽ deduxit ad fluuium præterlabentem. Eius caput abscindi iussit, quòd edicto non paruisset. Hoc facto milites docuit, ne mandatum vnquam negligerent. Polyænus libro octauo.

SCIPIO Æmilianus, si quem militem extra ordinem deprehendisset, fustuario plectebat: cúmque vulgato ad rem militarem exemplo, si Romanus ciuis esset, viribus: si verò externus, fustibus cędebat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

C. IVLIVS Cæsar, si indulgentia milites ad contumaciam descendisse animaduertisset, militare imperium sibi vendicans, nocentes exauctorabat: neque antè pristino honori restituebat, quã de sontibus pœnas sumpsisset. Fulgos. lib. 2. cap. 2.

TIBERIVS Cæsar, antequàm ad Augustale solium conscendisset, cùm in Germania exercitum ductaret, præfecto legionis legato ignominiæ notam intulit, ob id solum, quòd cum liberto suo paucos quosdam equites venarum trans Rhenum, non petito commeatu, miserat: quia vt ab hoste intercipi possent, periculum adierat. Fulgosus libro secundo capite secundo.

MACHRINVS imperator in militari disciplina parendi studium ab omnibus exegit. Tribunum, quòd eo modo quo mandarat exploratores non misisset, curru pedibus alligauit, ac per tota castra trahi iussit, donec in frusta lacerum corpus prorsus discerperetur. Fulgosus libro secundo, capite secundo.

Receperant Veneti Tenedum, illique insulæ Ioannem Mutatiũ præfecerant: qui dum sibi, suísque insulanis nimium placet, statuerat nec Venetis ipsis repetentibus, neque aliis principibus vllo modo restituere, etsi arx ipsa dirueretur. Quod ipsum inter Genuenses & Venetos composita pace Allobrogici ducis opera conuenerat. Quare grauissimo in eũ decreto patres decreuêre, & illũ perpetuo exilio damnandum, & ordine patricio penitùs eiiciendum. Quinetiam Fantinum Georgium paratæ classi prefecêre, qui Mutatium ipsum per septem & amplius mẽses obsedit, intra arcem, quã fame victus nunciis Allobrogici ducis tandem restituit, cũ summa admiratione Genuensium ipsorum, qui tantam iusticiæ vim in Venetis ipsis, summis postea laudibus extollerent. Egnatius libro sexto capite quinto.

Bernardonus Vasco Florentinarum copiarum aduersus Pisanos dux, edixerat, ne incertam Pisani agri partẽ pabulatũ populatũq; iretur. Verũ cùm intellexisset Bartholomæum Pratensem ordinũ ductorem imperiũ neglexisse, cõprehendi eum & securi pecuti iussit, nulla habita fortitudinis & virtutum omnium ratione. Fulg. lib. 2. cap. 2.

PERFIDIÆ PVBLICÆ ERGA PATRIAM, REMPVB. *principes suos pœna.* POENA *publicæ proditionis.*

Consule tit. Stratagematum, proditores & transfugas astu punire, & circumuenire.

Fertur de Achille, eum, quum instructis nauibus insulas depopularetur, accessisse ad Lesbon, atque in singulis vrbibus captis omnia diripuisse ac trucidasse. Quum autem Methymnæ incolæ potenti manu ei resisterent, in magna consilij inopia positus fuit, quòd putaret impossibile esse vrbem capere. Tum sanè puellam Methymnæam, Pisidicem nomine, regis filiam, Achillem à muro conspexisse, ac mox amore illius correptam, nutricem ad eum misisse, quæ polliceretur traditurã se illi vrbem, si quidem vellet ipsam habere pro vxore. Achilles itaque statim promisit. Postquam autem ciuitatem obtinuisset, indignatus ob factum, exhortatus est milites, vt puellam lapidibus obruerentur. Parthen. cap. 21.

Athenienses, proditores nequaquam dignos putarunt, vt defuncti Athenis sepelirentur. Alex. lib. 6. cap. 14.

ATHENIENSES Chiorum amicitia & societate vsi, cùm eos fœdifragos esse cognouissent, ius omne amicitiæ illis renunciarunt, & numismata eorundem pro adulterino iudicarunt, & χ litera notarunt: vt innuerẽt, vti numi adulterini essent, sic & animos Chiorũ fallaces esse. Inde fluxit, vt omnia adulterina, pecuniæ præsertim, κίβδηλα dicerentur, quasi χίδηλα, hoc est, χ litera notata. Eustach. in Hom.

CILLICON quidam, siue Achæus, Miletum patriã prodiderat Prienensibus. Quo nomine meritò habebatur omnibus exosus: cuius perfidiã lanius quidam Theagenes sic vltus est. Cillicon adiit Theagenem, in macello empturus carnes. Lanius dissimulato odio, porrigit carnium partẽ, veluti resecturus quod superesset. Cillicon profert dextram, ex aduerso retenturus carnes: Theagenes machæra sublata, proditoris manum amputauit: ac ne id videretur errore factum, addidit: Ista saltem manu posthac non proditurus es vllam ciuitatẽ. Applaudebatur lanio, quòd impiũ pro dignitate tractasset. Hinc adagium, Cillicontis exitium: quod in Chil. recitat Eras. & Bruson. lib. 5. cap. 6.

Antigonus se proditores dum produnt amare, dum prodiderint odisse dicebat Plut. in Romulo.

Cæsar dixit in Thracem Rhumitaleum, proditionem sibi placere, proditorem autem odio esse. Et certè sic omnes in improbos animati sunt, qui eorum operam requirunt, velut cùm felle ac veneno quorundam ferarum indigent, dum ea sibi vsui sunt, illis delectantur: vbi verò nihil indigent, oderunt. Plut. in Romulo.

Cùm legatos Xerxes ad Græciæ ciuitates misisset, eas ad imperata facienda hortantes: contigit, vt vnà cum eis esset Græcus interpres. Themistocles ergo, qui eo tempore Athenis præturam gerebat, interimi eum curauit: indignam rem arbitratus, quòd ad Barbarorum arbitrium, in Græciæ detrimentum Græca vteretur lingua. Fulgosus libro sexto, cap. tertio.

THEANO Pausaniæ mater, cùm Pausanias Medorum partibus studere deprehensus (quinquaginta enim auri talenta à Dario acceperat, vt Spartam proderet) supplex in templum Mineruæ Chalciœcæ confugisset vnde supplicem abstrahere non licebat (hoc ius præ cæteris obseruabatur) eò profecta, laterem ad ostium applicauit, assentiente etiã patre Agesilao. Lacones admirati fortitudinem & sapientiam, quilibet ianuis laterem aptabat. Sic vt vtrunque fieret, neque supplicem abstraherent, & proditorem inclusum fame occiderent. Polyæn. lib. 8. Cadauer illius extra fines eiecerunt. Ælian. lib. 4. Var. hist. ex Epitimide.

BRENNVS Gallorum rex, Asiam diripiens, quum Ephesum venisset Demonicã plebeiam virginẽ adamauit: quæ & cõcubitum & Ephesi proditionem pollicita est, si mũdum sibi muliebrem & manuum ornamenta traderet. Milites igitur, auarissimæ virginis sinum auro quod gestabant implẽtes, magna vi auri viuam obruerunt. Clitophon lib. 1. rerũ Gallicarũ & Plut. in Parall. ca. 30.

Oppugnabat FVRIVS CAMILLVS Phaliscorum vrbem Falerios, trahebatúrque bellum, cùm oppidanorum virtute, tum loci natura, quæ erat munitissima. Interea ludimagister per speciem deambulationis traxit principum filios ad Rom. castra, ipsi duci gratificaturus, attulit secum proditor certam spem victoriæ. Nulli dubium erat, quin parentes charitate filiorum suis autores essent ciuibus deditionis faciundæ. Sed tantũ abfuit vt Rom. eo modo vincere voluerit, vt proditorem auersatus, qui id persuasum habuisset Rom. dolo & astu potius quàm virtute bellare, vinctum nudatúmq; terga adolescentibus dederit in vrbẽ verberibus agendum. Mouit Rom. ducis virtus Phaliscos, & qui nuper omnia pati maluissent, quã assidentibus cedere, voluntaria deditione cessere. Sab. lib. 10. ca. 4. Plut. in Camillo.

Iunius Brutus duos filios adolescentes, quòd post assertam libertatem cõperti sunt consilium cũ paucis cœpisse, de vrbe regibus tradenda, in cõspectu populi virgis cæsos, capitali affecit supplicio. Spectaculũ memorabile, si hominum affectus, vt corpora, oculis cernerẽtur. Stabat hinc liberûm charitas, inde patria: accusabat hæc, illa excusat. Expedit hæc fasces, illa impedit: trahit vna sontes ad suppliciũ, altera retrahit: vicit demũ, quę vincere debuit: cessit humanitas rationi, charitas iusticiæ, priuatus luctus publicæ saluti: secutúsque est Brutus, quòd debuit, iusticia duce. Sab. lib. 1. cap. 5. Liuius, Dionys. Halicar. Florus lib. 1. cap. 9. Val. Max. lib. 5. cap. 8. Aug. de Ciuit. lib. 3. cap. 16. Plut. cap. 20. 21. & 22. Parall. & Cleonymus lib. 9. rerum Ital.

Vitellus, in Germania à militibus imperator creatus (aduersus Galbã Romæ imperantẽ, qui per id tempus ab Othone interfectus fuerat) cùm postea Othonem in Bebriacis cãpis superasset, inter Othonis scripta commentarium inuenit, centum viginti virorum, ab Othone præmia poscentium, quod Galbæ morti ad eam procurandam interfuissent. Quanquam autem ipse inimicus Galbæ fuisset, iniquum tamen arbitratus est nõ modò eiusmodi hominibus præmia dare: sed ne perpeti quidem vt viuerent, cùm principẽ suum precio occidissent. Quæsitos igitur diligenter, omnes quos nactus est, interemit. Fulg. lib. 6. cap. 5.

AVRELIANVS Romanorum imperator, quum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit: Ne canem quidem hic relinquã. Verùm quum hoc intellexisset Heracleon Tyanensis, metu ne cum cæteris occideretur, patriam Aureliano prodidit. Verùm is cùm ciuibus omnibus parceret, capta iam ciuitate, proditorem solum occidit, quòd patriæ suæ pietatẽ vitæ postposuisset: & ne auaritia id egisse putaretur, quia vir ditissimus Heracleon erat, eius fortunas omnes liberis incolumes seruauit. Cùm autem ad Manlium Chilonem rem, vt gesta erat, scriberet, ostendit, à se proditores diligi non posse: neque illis eum fidem vnquam seruaturum, qui patriæ non seruassent. Fulg. lib. 6. cap. 5. Vopiscus Heradamonem vocat.

IVLIVS Philippus imperator, cùm ob scelus patratæ in Gordianum proditionis, sacra communione à Fabiano Romano pontifice prohiberetur, nisi antè in Christiana ecclesia cum cæteris, qui scelerum pœnitentia agebantur, crimen emendasset, humiliter Pontifici paruit: nihil de imperij maiestate deperire arbitratus, vbi religionis haberetur ratio. Fulg. lib. 1. cap. 1.

PHOCAS Mauricium Imp. è medio sustulit. Verùm diuinam vltionẽ sensit. Chosroes Persarum rex Orientem, Auares Europam igni & cædibus ita vastarunt, vt tandem exusto Phoca, cùm Heraclius exercitum lustraret, duo tantùm ex immensis Phocæ copiis, quæ Mauricij sanguine manus suas contaminarant, superstites fuerint. Nicephorus lib. decimooctauo, cap. 41.

Defuncto Heracleo Constantinopolitano Imperatore, imperij successore relicto filio Constantino, Martina nouerca, Heracleónque frater, Pyrrhi olim patriarchæ consilio Constantinum veneno sustulerunt. Qua re palàm facta, Senatus populúsque Constantinopolitanus id grauiter ferentes, seuerissimè vlti sunt: nam præcisa Martinæ Augustæ lingua, atque desecto Heraclioni naso, ambos in exilium miserunt: Pyrrhum autem, facto in eum impetu à populo, peremerunt, creato imperatore Constantini filio. In ea autem re non minus perpetrati sceleris, quàm eorũ in quos admissum erat crimen honoris, quo olim potiebantur, rationem habuerunt. Fulg. lib. 6. cap. 3.

VRBANVS sextus pontifex maximus, ductos mari à Nuceria ad vrbẽ Genuam septem cardinales, qui clàm cum Clemente conspirârant, cum ipso de pontificatu contendente, nulla mitiore pœna dignatus est, quàm vt saccis seorsum inclusos, in mari demergeret. Ibidem.

BERNARDVS Italiæ rex, conspirationis contra Imperatorem factæ accusatus, & reus maiestatis adiudicatus, primò oculis & regno, deinde vita quoque priuatus est. Sigebertus in Chron.

~~[illegible] Sigebertus in Chron~~.

Guntramus Burgundionum rex, cùm bellum gereret aduersus Gondoaldum, qui sub falso, tanquam eius frater esset, nomine, occupata Burgũdiæ partæ, regni titulum inuaserat, cum Sagittario atque Monnialo episcopis, quibus Gondoaldus ceu amicis plurimùm vtebatur, Guntramus rationem iniuit, qua Gõdoaldus occideretur. Quòd cum fieret, ipsos quoque episcopos, quia ministri fuerant, interimi iussit: ne pessimum exemplum maneret, vt aliquis prodere eum auderet, quem semel dominum agnouisset. Fulg. lib. 6. cap. 5.

Ioannes Dinus, Ioannem Costanum Burgundionem accusauit, compellatum se ab eo dicens: vt accepta grandi pecunia venenum perferret, quo CAROLVS Carolois comes de medio tolleretur. Is comes posteaquam Costanum securi percussit, Dinum quoque ad se vocatum interrogauit: Si Costanus pecuniam quam promiserat non præstitisset, eum ne accusaturus fuisset? Cui Dinus, ne mẽtiretur, fretus quoque indultum iri, palàm fassus est: Se eum nõ detecturum. Quamobrem Comes iussum Dinum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri, eadem hora ipsum quoque securi percussit. Iusta, neque tarda mercede ei data, duarum proditionum, quas & amico & domino suo simul patrarat: Fulgosus ibidem.

MICHAEL Attẽdulus præerat Gallico bello, quòd Venetis cum Mediolanensibus gerebatur, vniuersis copiis Imperatorio nomine. Qui cum exercitu toto profectus, vt Carauagium Sfortiæ obsidione solueret, infœlicissimo ad eam diem rerum euentu rem gessit. Nam fusus fugatúsque à Sfortia ipse, & siue dolo, siue fortuna semel inclinante, rem nullo modo sisti seruarique posse ratus, Brixiæ mœnibus fugiẽs cum paucis sese inclusit. Qua tanta clade Venetus Senatus penè consternatus, illi Imperium abrogauit, Taruisiúmque in exilium misit: suspicatus non immeritò Attendulus Sfortiæ fauisse rebus, quòd vtrique eadem foret patria, etiam quòd ipse Attendulus Sfortianæ factionis esset, quæ tota res per aduocatorum censuram in decemuirali consilio planè peracta sit. Egnat. libro secundo cap. 4.

RASTRIX Sclauorum princeps, ob fidem violatam à Ludouico Germanorum Imp. oculis priuatus est. Sigebertus in Cron.

Mahometus, cùm obsideret Constantinopolim, quidam Constantinopolitanorum ciuium Constantino 8. Imp. infensus, proditionẽ vrbis magna vi auri, & vnius filiarum Imperatoris nuptiis pactus est. Potitus vrbe Mahometus anno Salutis 1453, 4. Cal. Iunij (qui Christianis omnibus semper funestus esse debet) magnum auri pondus in medium afferri iussit, & ad proditorem conuersus: Qui, inquit, filiam meam tibi vxorem cum dote (quæ præsens est) poscis, cùm Christianus sis, cutem hanc exuas oportet, vt dignus Mahomedica sponsa fias. Adest carnifex, & excoriat hominem: inde cineres cum sale calidos vulneribus inserit, mox lecto cooperit, quasi noua cutis ei hac ratione succrescere posset. Sic proditor nequissimus dignas perfidiæ pœnas à truculentissimo tyranno tulit. Cuspinianus in vita Constantini 8. Imp.

TRANSFVGARVM ET DEFECTIONIS POENA.

ATHENIENSES, cùm legem contra desertores constituissent, Æginetarum vnicuique pollicem è manu dextra resciderunt, vt in posterum ad hastam ferendam inutiles, ad remos verò tractandos adhuc apti essent. Mitylenensium iuuentutem occiderunt, captiuos Samiorum punctis in facie notarunt, quæ noctuam referrent, quòd & ipsum erat Atticum psephisma. Ælian lib. 2. de Var. histor.

Cùm maris imperium tenerent Mitylenenses, sociis qui desciuerant, hanc pœnam imposuerunt, vt liberos suos non docerẽt literas, neque artes liberales: omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes, in inscitia & ignorantia artium liberalium uitam transigere. ælian. de Var. historia lib. 7.

Artaxerxes Medum, qui transfugerat, & rursus rebellarat, pro insigni ignominia iussit scortum capite circumferre nudum. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

Psammenitus ægypti rex, defectionis à Cambyse pœnas dat. Vide tit. Clementiæ erga hostes.

PTOLEMÆVS Lagi F. cùm ad sustinendum Magæ fratris impetum (qui ab eo desciuerat, & Cyrenẽ occuparat) & alios mercenarios milites, & Gallorum fermè quatuor milia conducta haberet, & eam manum cõperisset de Ægypto occupanda cõsilia inire: eos in desertam insulam per Nilum deduxit, Eo in loco ad vnum omnes, cùm mutuis confossi vulneribus, tum fame enecti periêre. Pausanias in Atticis.

ARISTAGORAS Milesius, cùm Ionas ad deficiendum à rege Dario incitasset, & eos victos esse comperisset, mentis non erat compos amplius eo quòd & Miletum & Ioniam totam perdidisset. Videns igitur Darium regem superari non posse, de fugiendo deliberabat: conuocatisque suæ factionis hominibus, consulebat satius fore eis, si Mileto expellerentur, in Septentrionalia loca aliqua profugere, ducentes coloniam vel in Sardiniam vel Myrcinum Hedonum in Thracia, quam Histiæus à Dario donatus mœnibus cinxerat: verùm Hecatæus Hegesandri, vir logopœos, negabat coloniam alterutro deducendam: sed si Mileto eijcerentur, mœnia in Lero insula ædificãda, atque illic quiescendum. Deinde illinc Miletum esse remeandum: sed Aristagoras, cuius sententia præcipua erat abeundi in Myrcinum, demandata Mileto Pythagoræ, viro inter populares probato, procuratore Mileti, ipse sumptis secũ omnibus voluntariis in Thraciam nauigauit, regionemque obtinuit, ad quem concesserat. Ex ea profectus, cùm vrbem Myrcinum obsideret, tam ipse quàm eius exercitus à Thracibus, tametsi illic accepta fide excedere volẽtibus, interemptus est. Et Aristagoras quidem, qui Ioniam ad defectionem induxerat, ita oppetiit. Herodotus libro quinto.

HISTIÆVS Milesius, cùm à rege Dario defecisset, in crucem ab Artapherne Sardis actus fuit. Vide tit. Cupiditatis vitæ.

ROMANI transfugas detractis armis, ne quid insidiarum simulata trãsitione moliti possent, in postremam aciem ducebant, nec illis quicquam credebant amplius. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

Q. Fabius, in bello Carthaginensi, iis omnibus qui à Romanis defecissent, ac ad hostes fugissent, manus amputari iussit: vt trũca præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis iniicerent. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Frontin. lib. 4. cap. 1. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

AFRICANVS superior deuicta Carthagine, cùm omnes qui ex Romano exercitu ad Pœnos transierant, in suam potestatem redegisset, grauius in Romanos, quàm in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos socios securi percussit. Ibidem.

IDEM posterior euerso Punico imperio exterarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis obiecit laniandos. Ibidem.

L. Paulus Æmylius, Persa rege deuicto, transfugas & delinquentes omnes elephantis obiecit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13. & Val. Max. lib. 2. capite secundo.

Calphurnius Piso consul transfugas milites, tunicatos discinctósque per totum diem, cùm decempedis cespitem portantes, ante Prætorium stare, vel obsoleta toga & tunica discincta, nudis pedibus ante principia adesse præcepit, vt hunc in modum maximam ignominiæ notam abolerent, Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

AVIDIVS Cassius, nouo exemplo multis desertoribus manus detruncasse, & pedes dicitur: asserens maioris disciplinæ fore, miserabiliter criminosum viuere, quàm occidere. Ibidem.

SENATVS Romanus milites, qui Rhegium iniusto bello occupauerant, mortuóque duce Bubelio M. Cæsium scribam eius sua sponte imperatorem delegerant, carcere inclusit: ac M. Furio Flacco trib. plebis denunciante, ne in ciues Romanos aduersus morem maiorum animaduerteret, nihilominus propositum executus est. Cęterùm minore cum inuidia vt id perageretur, quinquagenos per singulos dies virgis cæsos, securi percuti iussit: eorumque nullum sepulturæ mandari, mortémque lugeri vetuit. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

SEVERVS Imperator vrbanos cohortes, quòd neci Pertinacis consenserant, militaribus insignibus exutos, nudos destituit, & ita in ignominiæ exemplum dimisit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

GERMANI transfugis dextras amputant. Ibidem.

SEDITIO-

SEDITIOSORVM POENA, IN PACE, *bellóve.*

KORAH filius Aminadab, è tribu Leuitica, cum aliis quibusdam seditionem contra Mosem Dei seruum mouit, & terra absorptus est. Historia habetur Num. 16.

ROMANI vbi multitudo militum obnoxia criminibus foret, autores turbarum ad palum deligabant, & securi percutiebãt: reliquæ multitudinis decimum quemque sorte ductum ad suppliciũ ducebant. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

C. CVRIO Cos. bello Cardanico, circa Dyrachium, cùm ex quinq; legionibus vna seditione facta, militiam detrectasset: secuturúmque se temeritatem ducis, in expeditionem asperam & insidiosam negasset: quatuor legiones eduxit armatas, & consistere ordinib⁹, detectis armis, velut in acie, iussit: posthæc seditiosam legionem inermem procedere, discinctamque in conspectu armati exercitus, stramenta coegit secare: postero autem die, similiter fossam discinctos milites facere nullísque precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne signa eis submitteret, noménque aboleret, milites autem in supplementum cæterarum legionũ distribueret. Front. lib. 4. cap. 1.

TIBERIVS Gracchus, cùm legem Agrariam turbulentissimam, inuisam patribus, contra Senatus decreta tulisset, vt nulli plusquam iugera D. agri possidere liceret, non aliq; alias haud minus perniciosas leges ferre contenderet, duce Scipione Nasica concursu hominum facto interfectus est. Licinius, Plut. Florus, & alij.

C. Gracchus trib. pleb. dum improbis concionibus Remp. vexat, mosque grauissima seditione acta sua tueri vult, neq; abrogari, patitur, duce Opimio Consule, serui manu cæsus occubuit. Plut. in vita Gracchi. Plin. de Vir. illust.

C. CARBO orator celeberrimus, propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus accesserat ab ipsa Repub. interfectus est. De quo Cicero de Oratore his verbis: Vtinam. C. Carboni & T. Graccho talis mens ad Remp. bene gerendam, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profectò nemo his viris gloria præstitisset, &c.

IVL. CÆSAR, Decumanos Romæ temerè missionem & præmia poscentes, cùm ignominia dimisit. Verùm quos erroris pœnituisset, & qui in Africa fortiter se gessissent, admisit iterum: omni tamen præda, & prædiorum tertia parte priuauit. Fulgosius libro secundo, capite secundo.

Apud Constantium accusatus fuerat Amphilotius tribunus, quòd in eius vitam conspirasset. Accusatoribus autem responderat Constantius, ne molesti ei essent, posteaquam res non constabat, sed sinerent vt conscientia sua tribunus torqueretur: se enim præsente, si in eo culpa esset, ipsos signa aperta visuros esse. Postero igitur die cum ludos spectaret, & præ lætitia inter spectantes motus fieret, suggestum, in quo eregionè Cõstantij tribunus erat, ad terram proruit: læsisque leuiter qui in eo erant, solus tribunus in ea ruina periisse inuentus est. Fulgosus libro primo, capite sexto.

DIOGENES patricius, & Rom. Diogenis Rom. imp. pater, eo quod seditionem mouisset, in Sardiniam insulam exulatũ missus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

Apud Austrasios, seu in Franconia, Hardericus, & alij nobiles indignè ferentes, quòd rex externos sibi præferret, & nimium suæ vxori imperiosæ permitteret, seditionem contra Carolum Magnum moliũtur: sed ea detecta, coniurati illi partim suppliciis, partim exiliis afficiuntur, anno 788. Sigeb. Auent. lib. 4. Annalium.

Idem postea Pipinus gibbosus, Caroli nothus, & natu maximus filius, facit, anno Domini 792. nimirum coniurat cum quibusdam proceribus Francorum contra patrem suum. Sed ea coniuratione à Fardulpho monacho prodita, ille quidem in monasterium relegatur: sed autores istius sceleris suppliciis afficiuntur. Sigebertus, & Auentinus libro quarto Annalium.

Magna seueritate vsus est Florentinus populus, Salutis anno quadringentesimo septuagesimooctauo supra mille, in eos qui turbare ciuitatis statum tentarunt. Inter quos cùm Frãciscus Saluiatus esset, Pisanæ Ecclesiæ archiepiscopus, quòd per fraudem occupare palatium voluisse inuentus erat, ipsum ad eius palatij fenestras suspenderunt. Iacobúmque Paccium, equestri honore, magnísque opibus insignem, ei ad easdem fenestras addiderunt, quia in coniuratorum numero esse deprehẽsus erat: nec infami eius mortis genere contenti, mortuum pueris, vt per vrbem ab asino traheretur, tradiderunt: ac postea longo ludibrio affectum, in profluentem Arnum proiecerunt: publicatis quoque bonis, ignominiæ grauiorem notam apposuêre, sanctione facta, vt ea gens ex Florentina vrbe deleretur: item vt vicus, qui à Saluiata gente dictus erat, in posterum alio nomine appellaretur. Honorem etiam, recenter excussi ignis sabbato sancto, quẽ magno apparatu ea familia per vrbem circũferebat, vt volẽtibus impartiretur, ad Priores (is magistratus est) lanificio præfectos trãstulerunt. Vt autem huius acerbæ seueritatis perpetua memoria extaret, ad fenestras, vbi appensi fuerunt illi in quos animaduerterunt, effigies eorum, in eo statu, in quo suspensi manserant, pingi iusserunt. Fulgos. lib. 6. cap. 3. & Egnat. lib. 6. cap. 5.

PERFIDIAE, INHVMANITATIS ET CRVDELITATIS CIVIVM *erga ciues, vel commilitonum erga commilitones pœna.*

Perillus Atheniensis execrabilem illam machinam ex ære fabrefecit, vt Phalaridis tyranni aures delectaret humano cruciatu. Sed tantæ diritatis vltio breui secuta est. primus omnium ipse à Phalari tauro inclusus, tam detestabile opus sui imbuit supplicio. Sabel. libro decimo, capite quarto.

Ægesta Siciliæ fuit oppidum, in quo imperauit Æmilius Censorinus, qui noui tormenti inuentores muneribus cumulabat. Cui quum Aruntius Paterculus, equum ex ære factum ad fontes perimendos excogitasset eiusdem iussu primus eò coniectus est, & ibidem enecatus. Autor Aristides Milesius, apud Plut.

CLAVDIAM Appij Cæci F. insontem crimine quo accusabatur, votum impium subuertit: quia cum à ludis domum rediens turba elideretur, optauerat, vt frater suus Appius Claudius maritimarum virũ Rom. præcipua iactura reuiuisceret, sæpiúsque cõsul factus infelici ductu nimis magnam vrbis frequentiam minueret. Val. lib. 8. cap. 1.

L. Fuluium argentarium Romanus Senatus, quòd secundo bello Punico à fenestris, per meridiem in forum roseo serto coronatus, spectare visus erat, carceri per omne tempus eius belli damnauit: vt intempestiuũ gaudium, quo laborante patria vsus erat, carceris molestia corrigeretur Fulgosus libro sexto, capite tertio, ex Plinij libro vigesimoprimo, capite tertio.

CRVDELITATIS TYRANNICÆ ERGA SVBDITOS POENA.

Exempla pete ex tit. Fortitudinis in libertate asserenda, tyrannisque tollendis, Tyrannicidæ. Item ex tit. Pœna crudelitatis erga sacros homines. Verè enim qui in religione tyranni sunt, etiam in politicis crudeles existunt.

Ex præcepto Domini, IEHV interfecit Achab & Iezabel homicidas, quorum sanguinem linxerunt canes. 4. Reg 9.

THEMISTO fuit Critonis Oeanthij filia. Hanc deperibat Phricodemi tyranni filius Philo. Tyrannus postulauit in matrimonium virginẽ. Pater contradicebat. Tyrãnus filios Critonis abstractos, in cõspectu patris ac matris feris esurientib. obiecit: virginéq; abrepta, nuptias perfecit. Themisto necessitate cõpulsa, dissimulans ensem sub tunica importauit, & sponsum dormientem in thalamo collum petens facilè interemit, vt ne vox quidem occisi audiretur. His omnibus per noctem clàm patratis ad mare progressa, nauiculam inuenit: ventúmque nacta, eam ab terra abstraxit: & sola soluens nauigauit in Græcam quandam Achaiæ ciuitatem, in qua factum erat Neptuni templum: in illud supplex confugit. Phricodemus alterum filium occisi fratrem Heracontem misit, vt ab Elicensibus puellam reposceret, qui eam tradiderunt. Cùm autem soluissent, ingens coorta tempestas nauigium depulit ad Rhium Achaiæ: vbi appellentibus superuenerunt biremes duæ Acarnanorum, summas inimicitias cum tyranno exercentium: qui abreptam nauem deduxerunt in Acarnaniam. Vulgus Acarnanorum re cognita vinctum Heracontem puellæ potestati permiserunt. Tyrannus legationem ad eam pro filio mittit. Illa se, si parentes receperit, filium reddituram recepit. Phricodemus his promissis transmisit ei parentes: at Acarnani Heracontem nihilominus acerbissimis verberibus confectum occiderunt. Phricodemo post nõ multos dies sui ciues mortem intulerunt. Qui verò Elicen incolebant, non longè pòst demersi sunt tum ipsi, tum eorum ciuitas facto terræmotu, pelagóque procellis exundante. Visúmque est hoc Neptuni indignatione accidisse, quod sibi supplicem virginem hostibus tradidissent. Polyæn. lib. 8.

Timocrates Cyrenensiũ tyrannus, cũ aliis multis magnísque calamitatibus ciues afflixit: tũ sacerdote Apollinis Melanippo sua manu interfecto, vxorẽ eius Aretaphilam egregia facie præditã duxit. Illa pro patria, maritoq; suo pœnas à tyranno repetere conabatur. Primùm igitur per venena insidias struxit. Tyrannus Aretaphilam cõprehendere iussit. Quæ longis acerbísque tormentis examinata, fortissimè restitit, neq; aliud quicquã nisi de philtro cõfessã est. Tyrannus quasi nullius iniuriæ reã absoluit eãq; in matrimonio habuit, & maiori studio ac beneuolentia prosequebatur, quasi iniustè tortã & examinatã. Illa cũ filiã haberet ætate & forma præstãtissimam, eam summisit fratri tyranni, adolescenti Leãdro. Qui eius amore captus, rogat tyrannũ vt sibi eam ducere liceat. Quo impetrato duxit: & matri puellæ morẽ gerens, inducitur ab ea ad vindicandã ciuitatis li-

cubiculariam tyranni mulieribus corrupit, eiúsque opera Timocratem de medio sustulit. Ibidem.

Learchus Cyrenensium rex declaratus, vt Batto Arcesilai filio imperiũ seruaret, pro rege tyrannus euasit, omni scelere vsus in suos ciues. Battus autem ex Eryxo natus erat, fœmina modesta, omniũ atque mitissima. Hãc amans Learchus, in matrimoniũ petebat. Illa cum fratribus suis eum colloqui iussit. Quibus dedita opera cunctantibus, misit Eryxo famulam nũciantem, iam quidem fratres contradicere. Quòd si conuentus eorum & colloquium haberetur, fore ut hoc fratres concederent. Initio facto cõiugij, facilè conditionem suscipit, & per noctem absque satellitibus ad Eryxo venit: & in domicilium quoddam ingressus, incidit in Polyarchum maximum natu inter Eryxûs fratres, qui intus in insidiis latebant, duosque adolescentes ensibus armatos habentem, à quibus cõfossus obiit. Illi Battum productum regem designarunt, & Cyrenensibus auitam Reipub. gerendæ rationem restituerunt. Ibidem.

Alcetas Arybbæ F. Æacidæ frater natu grandior, cùm impotentis esset iracundiæ, & more ingenij sui fureret ab Epirotis, quibus præerat, noctu interfectus est: & in illius locũ Pyrrhus Æacidæ F. qui cum Romanis bellum gessit, surrogatus. Pausanias in Atticis.

APRIES rex, propter crudelitatem ab Ægyptiis deseritur. Vide tit. Odij subditorum erga Principes.

LYCARETVS Mæandri tyranni Samiorum frater, cùm à Persis Lemno præfectus, omnes in captiuitatem redigeret, atque euerteret: alios insimulans desertores Scythicæ expeditionis, alios vexatores copiarũ Darij à Scythis reuertentium, à Lemniis interemptus est. Herod. lib. 5.

TIMOLEON Corinthius, quum nullis precibus fratrem posset inducere ad exuendam tyrannidem, eius interfectoribus adiutorem se præbuit. Rauis.

Phalaris tyrannus tauro Perillæo inclusus, & crematus est, quo alios prius suffocauerat. Ouid. in Ibin:

Vtque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
More bouis Paphio clausus in ære gemis.

REMVS & Romulus Martis & Syluiæ filij, Amulium per insidias aggrediebantur. Tam illus ab arce in vrbem perferebatur. Numitor conscius quid fieret, ad ciues dicebat hostem aggredi ocem esse, Amulium vrbe prodita fugisse. Sed in pit armati in forum conuenamnus. Quibus se armantibus & congregantibus, Remus & Romulus Amulio sublato, ex arce exilierunt: & congregatis ciuibus renunciarunt, qui nam & quo dam no affecti, ac iniuri is perfecuti essent. Populus factum collaudans, Numitori regnum tradidit. Polyæn. lib. 8.

Solebat Appius Claudius decemuir carcerẽ, qui vnus in vrbe fuit, Romanæ plebis domicilium vocare: sed ipse in ordinem redactus, tribunique plebis iussu in eum locum coniectus, inter sicarios & latrones infeliciter expirauit. Sab. lib. 10. cap. 4.

ROMANI, Consules & Prætores functos honoribus, quòd mente improba, auarè & crudeliter in prouincia se gessissẽt, partim damnarunt, partim exarios fecerunt, iuxta legem Iuliam, quæ administrati muneris rationem exigebat. Alex ab Alex. lib. 4. cap. 6.

M. Portius Cato L. Flaminium è numero Senatorũ sustulit, quia in prouincia quendam damnatum securi percusserat, tempore supplicij ad arbitrium & spectaculum mulierculæ, cuius amore tenebatur, electo: & poterat inhiberi respectu consulatus, quem is gesserat, at pro authoritate fratris eius T. Flaminij. Sed & Censor & Cato, duplex seueritatis exemplum eo magis illum notandum putauit, quòd amplissimi honoris maiestatem tam tetro flagitio inquinauerat, nec indignum putauit eiusdem imaginibus ascribi, meretricis oculos humano sanguine delectatos, & regis Philippi supplices manus. Val. lib. 2. cap. 4.

C. Caligula Romanorum imperator, homo nefarius, crudelisque, qui nunquam humano sanguine satiari potuit: qui post multa horrenda facinora dicere solebat, Vtinam Romani omnes vnam haberent ceruicem, vt vno ictu conscinderem omnes: tandem sensit populo plures manus, sibi autem vnam ceruicem esse. Cùm enim ludos magnificis impensis celebraret, festósque dies in Palatio ageret, in locum angustum à Cassio Cherea ductus, atque interfectus est. Quo facto, nemo eorum qui aderant præsentes, manus ab illo abstinuit, sed mortuum confecerunt vulneribus. Nõ nulli etiam carnem eius degustauerunt, eiusque vxorem ac filiam subitò occiderunt. Verùm Prætoriani milites, cùm interfectores armata quærerent manu, hos Valerius Asiaticus vir consularis præter opinionem sedauit. Ascendens enim in locum excelsum, magna voce clamauit: Vtinam ego interfecissem tantum tyrannum. Quibus verbis obstupefacti, tumultuari desierunt. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula. Cadauer eius clàm est in hortos Lamianos asportatum, & semiambustum leui cespite obrutum Suetonius.

Claudius Imp. veneno interiit, quod ipsa cõiunx Agrippina, fratris Germanici filia, præbuerat. Eutrop. lib. 8.

NERONIS turpitudinem & scelera, populus Romanus tolerare diutius non potuit, & exercitus Galbam in Hispania imperatorem creauit. De exitu eius sic Eutropius lib. 8. scriptum reliquit: Sentẽtia senatus constitutum est, vt nudus per publicum ductus, vnco collo eius inserto, virgis vsque ad mortem cæderetur, atque inde è saxo præcipitaretur. Igitur desertus vndique è palatio fugit, noctis medio vrbem egressus, sequentibus eum Phaone, Epaphrodito, Neophytoque, & spadone Sporo, quem quõdam exectum formare in mulierem tentauerat: & in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariam & Nomentanam viam, ad quartum vrbis miliarium, ictu gladij transfegit, adiuuante trepidantem manum impuro eunucho: quum prius nullo reperto, à quo feriretur, exclamaret. Ita ne nec amicum nec inimicum habeo? Turpissimè vixi, turpius pereã. Suetonius, Eutropius.

DOMITIANVS Imp. non sine sanguine occubuit. Nam in cubiculo à suis propris ministris, conscia etiam vxore Domitia, multis vulneribus trucidatus est. Senatus Romanus cadauer eius populari sandapila per vespillones, contumeliosè, more gladiatoris, efferri iussit. Suetonius, Eutropius.

Commodus Romanorum imperator, cùm post interfectam vxorem Crispinam multos in vrbe atque extra vrbem crudeliter occidisset, neque mulieribus etiam atque sanguine coniũctis pepercisset: post longam demum crudelitatem Læti atque Electi coniuratorum insidiis, à Narcisso in balneo dum lauaret, miserè suffocatus est, atque condignas suæ crudelitatis atque tyrannidis pœnas dedit. Dion Nicæus & Xiphilinus in Commodi vita.

Plautianus, cuius apud Seuerum Romanorum imperatorem maxima erat authoritas, posteaquam morte affecisset magnum numerum Romanorum, nullam ciuitatem reliquisset, quàm non prædaretur, proque suo arbitrio in quoscunque sine discretione sæuiret, expilaret omnes: demum turpiter occisus est, atque statuæ eius in perpetuam hominis ignominiam deiectæ sunt. Dion & Xiphilinus in Seuero.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator, omnium crudelissimus, qui nec Romanorum nec barbarorum sanguine vnquam satiari potuit, omnia diripiens: demum à tribuno Martiale pugione confossus, suæ impietatis pœnas dedit. Spartianus, Dion Nicæus, atque Xiphilinus.

Iulius Maximinus proditione Militum interfectus est, vnà cum filio Diadumenao etiamnum puero. quo tempore conclamatum est à militibus: Ex pessimo genere ne catulum quidem esse relinquendum. Allusisse videntur ad Græcam parœmiam: νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. Eras. Apoph.

Andronicus Emanuele Constantinopolitanorum Imperatore mortuo, Alexium Emanuelis filium impositum sacco, mari mergendum præcepit. Quare factus imperator vir ille facinorosus, flagitiosorum hominum cateruis stipatus, blanditiis, muneribus minisque pudicas matronarum mẽtes in libidinem suam flectere adortus est: inde monialium claustra confringere, virgines violare, adulteriis incestare thoros, viduarum pudicitiam maculare, & suis turpitudinibus cuncta fœdare cœpit: & quod turpius est, vbi conatus erat aliquantisper sua libidine, quas violauerat ser uis dehonestandas tradebat. Demum efferatam mentis rabiem in rapinã conuertit. Quibus omnibus irritati ciues, Isacium ad imperium euexerũt Andronicum autem obiecêre. Nec multo pòst, cum Isacio tradidêre: qui quidem quòd in singulos ciues peccasse videbatur: excogitauit suppliciũ, per quod singulis satis fieret. Andronicum enim regalibus exutum, alteróque oculo priuatum, asinæ dorso præcepit imponi, versa in caudam facie, sertum vnum capiti circumligari. Igitur asinæ caudam manu tenens, per vrbem circumductus est, hac lege, vt vnicuique liceret quod luberet, in eum verbo & opere complere, vita tamen seruata. Sic ergo ductus Andronicus, concurrente vndique plebe, clamoribus vbique suscipitur, nũc luto, nunc sputis & stercoribus, nũc à mulieribus vrinis desuper obruitur. Tandem ad patibulum tractus, laqueo vitam miserrimè finiuit. Guido Bituricensis.

PHOCAS Mauritium Imp. crudeliter occidit, & imperium inuasit. Quod cùm pari impotentia & crudelitate administraret: tandem facta coniuratio in ipsum à Prisco eius genero: & quotquot Senatorij ordinis superarent, secretò per literas ab Heraclio (Heraclij, ad quem postea imperium deuenit, patre) tunc in occidentali Aphrica & Libya cum exercitu validissimo Rempublicam administrante, petierunt, vt populũ Romanum ab impia Phocæ tyrannide liberaret. Heraclius itaque filium Heraclium cum pedestri naualique apparatu contra tyrannum misit: & victoria potitus, tyranno Phocæ primùm manus ac pedes resecari: deinde, quia honestissimis matronis vim intulerat, quasi in publicam pœnam luxuriæ, pudibunda excindi, tandem caput amputari, & postremò corpus eius in boue æneo comburi iussit, omni eius stirpe cum ipso extincta. Hic tyrannidis & scelerum Phocæ finis fuit. Niceph. lib. 18. cap. 56.

Childericus Francorum rex, cùm barbarè sæuiret in suos, & quendam illustri loco natum, palo religatum fustibus cædi iussisset: adeò omnium animos rei mouit atrocitas, vt is in quem animaduerterat, haud parum multos inueniret, qui secum contra salutem tyranni coniurarent. A quibus à venatione rediens vnà cum vxore grauida obtruncatus est. Mich. Ritius Neap. lib. 1. de Fran. reg.

PETRVS Candianus Venetorum dux, donec partem & auos respexit, potuit meritò ab exilio reuocari, duxque in patris mortui locum substitui, magno totius ciuitatis gaudio. Dum verò suorum oblitus, Vualdradæ vxoris mores & ingenium sequi mauult, quæ paternam Guidonis mollitiem libidinémque intulisset, ipséque luxuriæ (& quod consequi necesse erat) tyrannidi vacaret: ita quidem in populi odium incidit, vt ab eo cum paruulo filio interficeretur, cadauérque ipsius in macellum proijceretur direptis, incensisque prius principis ædibus: quo incendio aurea ædes D. Marci etiam conflagrarit. Egnat. lib. 9. cap. 1.

IVSTINVS III. cùm contra Philippicum Bardanium malè pugnasset, Heliæ (qui dux fuerat exercitus) filios in sinu matris interfici iussit: eamque matrimonio iunxit seruo ipsius coquo, qui erat Indus. Qua ignominia accepta Helias ad Philippicum defecit, & manibus suis caput Iustino amputauit: filium eius Tiberium ex sacra æde, in quam cõfugerat Blachernis, extractum, crudeliter interfici curauit. Cuspinianus, in eius vita.

IOHANNES Maria, dux Mediolanensis, ferocibus molossis ciues dilaniandos obijciebat. Qua feritate fecit, vt dum in templum Gothardi sacrorum causa descendit, trucidaretur, funeris expers: nisi quòd meretrix quædam ignobilis, ad tegendam vulnerum fœditatem, recentium rosarum aceruo eum operuit. Iouius in eius vita.

PERFIDIÆ ET PRODITIONIS ERGA SOCIOS POENA.

MAXIMINVS (à quo Osdroeni rebellauerant, & Titum sue, vt Herodianus ait, Quarcinum, imperatorem elegerant) Macedonio, qui Titũ ipsum occidit, & in castra Maximino caput eius tulit, posteaquam longa oratione gratias egit, quòd hostem Romani imperij occidisset: eum postea, quia socium suum proditione interemerat, securi percuti iussit. Fulgosus libro 6. cap. 5.

Redibat Marinus Bonus Venetias, triremis vnius præfectus, ex Cypro insula, ad quam publico nomine missus fuerat: quum fortè incidit in alteram Venetam triremim, quæ naufragio facto magnam nautarum partem amiserat: quum tamen plerique ex ijs in euersæ nauis carina seruati consisterent, auxilium sibi, opemq; ferri ab eodem Marino magna voce exposcentes. Qui quidẽ facilè seruari potuissent, si propius accessisset: quòd penitùs ille neglexit, omnibus non multo pòst naufragio consumptis. Ea res ad ADVOCATORES delata, id effecit, vt quum primùm Venetias ille appulit, eum sua intercessione reum fecerint: qui de consilij sententia ita damnatus est, vt quoad vixit, ab omni maritima præfectura publicè reijceretur, ita vt neque bello neque pace idoneum illum esse censuerint. Egnat. libro secundo, capite quarto.

FRAVDIS ET PERFIDIAE PRIVATORVM IN *iudicijs pœna.*

Huc referatur tit. Falsi testimonij & accusationis pœna respectu perfidiæ. Nam ratione mendacij, superius à nobis tractatus fuit.

Insitata, iusta tamen, fuit EQVITIS Romani damnatio, dum coram Claudio Augusto litigaret. Nam reprehẽsus fecũ gestare serpentis ouum, superstitione motus, quòd eo litigantes iuuari putaret, tanquam veneficus interfici iussus est. Inde comparata sibi morte, vnde ad parandam victoriam opem expectabat. Fulg. lib. 8. cap. 1.

OTTO III, equitem quendam (qui cùm Imperatricis libidini obsequi nollet, tentatæ pudicitiæ nomine apud Imperatorem falsò accusatus fuerat) capite mulctarat. Equitis vxor caput mariti gremio gestans, Imperatorem adit, & qua pœna iniustus iudex dignus esset, eum interrogat. Morte, inquit ille. Tu ergo, Imperator, qui innocentem maritum meũ occidisti, morere. Innocentem esse, ferro ignito, quod innoxiè manibus meis tracto, probabo. Miraculo territus Imperator, caput honorificè sepeliri curauit: & re diligenter cognita, vxorem suam Imperatricem viuã comburi fecit: viduæ quatuor arces dono dedit: eiusq; filium, quãuis spurium: Comitem designauit, à quo gens Comitum in Bononiensi agro defluxit. Bernard. Corius in vita Ottonis.

IMPIETATIS PARENTVM ERGA LIBEROS, CVM CAEDE, *pœna. Quod & ipsum parricidium dici consueuit.*

Apud Ægyptios, cùm illi qui seruos vel propria mancipia occidissent, morte damnarentur: attamen patribus, qui filios occiderent, nõ erat pœna mortis indicta, sed tribus diebus noctibúsque continuis circa defuncti corpus assistere cogebantur, publica astante custodia. Non enim iustum putabant, eum priuari vita, qui vitæ filijs autor fuisset: sed potius continuo dolore, factíque pœnitentia affligi oportere, vt cæteri à simili facto abstinerent. Diodorus Siculus libro secundo, capite secundo de Rebus antiquis & Fulg. lib. 2. cap. 1.

PHINEVS rex Bithyniæ, ex Cleopatra Boreæ F. sustulit, eáque repudiata aliam superinduxit, cuius consilio filios interfecit. Iupiter iratus, optionem ei dedit, vt vel moreretur, vel excæcaretur: cæcitatem ille elegit. Solis iratus, quòd minus malum luminis sui orbitatem morte indicasset, harpyias aues rapacissimas ei immisit, quæ cibos illius fœdarent atque raperent, has postea ex Argonautarum numero Calais & Zethus Boreæ filij abegerunt, eo quòd Phineus Argonautis rationem ostendisset, Symplegadum euitandarum. Nam cùm interrogasset Argonautas, quanta celeritate Argo nauis ferretur: & illi respondissent, quanta columba volat: iussit in medias Symplegades columbam immitti: quòd si illa non comprehenderetur à coeuntibus scopulis, neq; Argo periclitaturam. Colũba immissa, cauda sola fuit læsa. Sic & Argo subsecuta, extrema puppi tãtùm confracta euasit. Eustathius Odysseæ μ.

IDOMENEVS rex Cretæ, qui cum Græcis ad Troiam militauit, in reditu tempestate vexatus, promisit, si sospes in regnum rediret, se hoc immolaturum, quod exeunti sibi de naue primum occurrisset. Itaque cùm filiam suam, quæ prima occurrerat, immolasset, aut vt alij dicunt, immolare voluisset, e regno pulsus est. Historia alibi extat apud Homerũ, cuius quoq; mentionem facit. Volat. lib. 16. Anthrop.

CONSTANTINVS Imperator, Constantij & Helenæ filius, vxorem Faustam (cuius suasu Crispum filium innocẽtem prius interfecerat) in balneas ardentes coniectam interemit. Autor Sext. Aur.

PERFIDIAE PARENTVM ERGA LIBEROS, *absque cæde, pœna.*

Huc Incestus pœna referri potest.

INOBEDIENTIAE FILIORVM ERGA *parentes.*

MOSES in veteri Testamento legem promulgauit, vt filij obstrepentes vel inobedientes suis parentibus, lapidibus à populo prosternerentur: vt ostenderet, inobedientiam erga parentes, non simplici mortis genere puniendam esse. Hanc legem declarat Pontanus lib. 1. de Obedientia, capite 5. ex cap. 29. Deuteron.

FILII HELI, quòd non audiuissent patrem ipsos corripientem, diuinam vltionem experti sunt. 1. Reg. 2.

Homo quidam genere Mardus, nomine Rhacones, septem habebat liberos. Sed ex his omnium minimus natu, nomine CARTONES, magos & sapientes multis damnis affligebat. Primum igitur eum pater instituere, erudire, & verbis reducere in viam tentabat. Verùm cùm ille non admitteret disciplinam, & quodam tempore vicini iudices eò venirent, vbi sedes suas habebat adolescentis pater: ille comprehensum filium, & manibus in tergum reuinctis, ad iudices adduxit. Ibi quęcunque vnquam per audaciam deliquisset, cum accusatione commemorauit: & à iudicibus postulauit, vt adolescentem ad mortem raperent. At illi animis consternati, suis sententijs eum condemnare noluerunt, sed vtrunque ad regem Persarum Artaxerxem adduxerunt. Mardo verò semper instante, & eadem contendente, excipiens rex ait: Potis ne es etiam ferre, vt filius in tuo cõspectu vita priuetur? Qui respondit, Maximè. Quoniam cùm in horto nascentium lactucarum surculos amaros defringo & amputo, tantum abest vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, vt etiam magis efflorescat, item magnitudine & dulcedine plus augeatur. Ad eundem modum ego, ô rex, cùm videro eum qui meam familiam lædit, & vitæ fratrum officit, obstatque, vitam amittere, & à suis in ipsos iniurijs prohiberi, etiam ipse amplificabor, & reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere conspiciam. Quibus auditis Artaxerxes Rhaconem collaudauit, & in collegium regiorum iudicum cooptauit, his verbis præsentes allocutus: Qui tã seuerẽ & iustè de proprijs liberis sententiam audet pronunciare, omnino etiam in alienis criminibus incorruptum & sincerum iudicem se præstabit. Adolescentem verò præsenti culpa liberauit: grauissimam mortem interminatus, si præter antecedentia peccata in posterum simili in crimine deprehensus fuisset. Ælian. de Var. histor. libro 1.

HIERONYMVS Siciliæ tyrannus, patri Geloni successit admodum puer. Cui pater metuens, relictis tutoribus sedecim, mandauit moriens, vt fidem erga pop. Rom. annos 50. ab se cultam inuiolatam seruaret. Hic verò patri inobediens abiecta tutela, cõtemptaq; patris disciplina ac moderatione, luxuriosius ac arrogantius agendo à Romanis desciuit: cúmque superbè nimis in ciues sese haberet, ab eisdem interfectus est. Liuius lib. 4. secundi belli Punici.

REX Thracum (nomen alius dicat) cùm Xerxes Græciæ bellum inferret, aufugit in montem Rhodopen. Sex verò suis filijs consulebat, ne contra Græciam arma caperent. Verùm cum illi patri morem non gessissent, reuersis omnibus oculos eruit. Ælianus de Varia historia libro quinto.

IMPIETATIS LIBERORVM ERGA PARENTES POENA, *videlicet* PARRICIDII *propriè dicti.*

FILII duo Senacharib occiderunt patrem, sed tamen neuter eorũ regnauit post eum. 4. Reg. 19.

SOLON nullam in parricidas statuit pœnam: quòd neminem tam nefarium & sceleratum æstimaret, qui tantum facinoris admitteret. Alex. lib. 3. cap. 5.

ROMVLVS, cum nullam parricidæ pœnam statuisset, homicidium omne parricidium nuncupari voluit: quod hoc impium ac nefarium, illud autem impossibile esse duceret. Plut. in Romulo.

M. MALLEOLVS matre interempta, primus Romanorum parricidij damnatus, & insutus culeo, in mare præcipitatus est. Erat enim hæc parricidij pœna, vt culeo insutus, addito gallo gallinaceo, cum simia & vipera, in mare vel flumen detruderetur, vt rixa infensorum animalium &, fœda laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatem diro cruciatus vulnere interimeretur. Alexand. ab Alexan. lib. 3. cap. 5.

C. IVLIVS Cæsar præter præscriptas legibus pœnas, parricidas bonorum omnium damno mulctauit. Ibidem.

NERO Romanorum imperator, cùm Agrippinam matrem clàm atque fraude ab Anicete occidi fecisset, nocturno tempore mali conscientia tactus, tanto metu conturbabatur, vt de lecto repentè prosiliret. Interdiu perterrefaciebant eum tubicines auditi bellicum canere, cum maximo tumultu, quo in loco Agrippinæ ossa sepulta erant. Quamobrem alio migrabat: cumque ibi idipsum ei accideret, perterritus, aliò proficiscebatur, nullibi se ab insidiis aliorum tutum putãs. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Nerone.

MACEDONES parricidas, & maiestatis reos saxis obruunt: nec modò facinoris reos, sed illos quoque qui illos quouis gradu contigissent. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

ÆGYPTII adeò parricidas insectati sunt, vt eos per singula membra acutis calamis impeterent: & mox minutissimis ictibus consauciatos, super spinarum aceruos comburerent. Diodor. Sic lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

LVSITANI parricidas finibus eiectos saxis opprimebant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

PERFIDIAE ERGA PARENTES POENA *absque cæde.*

ABSOLON, quod impius erga parentem esset, à Domino punitus, & in trunco arboris suspensus crinibus, vitam amisit: vt legimus in libro Regum 2. cap. 18. & 1. Reg. 15.

SOLON Salaminius videtur prçclare statuisse, vt si quis parentes suos iam senes & exangues non enutriuisset, ignobilis & obscurus haberetur. Laert. lib 1. cap. 3.

DARIVS rex Persarum Ariobarzanem filium interfecit, quòd is Alexandro promisisset, se patri insidiaturum, & mortem intentaturum. Plutarch. in Paral.

MICHAEL Constantinopolitanus Imperator, Nicephori filius, Constantinopolitani principis: cum Alexio in patrem cõiuratione inita, si victores ex prælio redijssent, deiecto patre imperium ipsi obtinerent, fortè ita planè accidit, vt ad Dyrrachium à Guiscardo duce ipse interficeretur cum Alexio, sicque cogitati sceleris iustissimas pœnas lueret. Egnat. lib. 9. cap. 11.

CAROLVS iunior Ludouici Germanorum regis filius, à dæmonio grauiter in præsentia patris & optimatum eius vexatus est: & in ipsa vexatione confessus est, hoc sibi ideò contigisse, quòd contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. Sigebertus in Chron.

Petri Cãdiani ducis filius, ascitus à patre in principatum comes, multum in illum tentauit, vt eum imperio deiiceret, solúsque rebus præesset. Qod cùm sæpius Venetus populus animaduertisset, iure optimo filium in exilium egit: vt pater incolumis domi ageret, filiúsque sui sceleris pœnas absens penderet. Egnat. lib. 9. cap. 11.

IMPIETATIS ERGA CONSANGVINEOS, FRATRES, AFFINES, *cum cæde, pœna. Quod & ipsum* Parricidium *dicitur.*

CAINVS primus Protoplasti filius, primus quoque parricida, & ob idipsum primus fuit exul. Agitabant illum scelerum suorum furiæ, ita vt per orbem terrarum solus vagaretur, metuens ne à quopiam interficeretur: cùm tamen nulli adhuc essent homines, præter Adami liberos. Tanta est conscientiæ vis, vt cùm omnia sint tuta, ipsa seipsam persequatur. Genes. 4.

Abimelech filius Ierobaal ex concubina, interfecit septuaginta fratres super vnum lapidem, vt solus posset dominari. Postea quædam MVLIER cerebrum eius fregit, fragmen molæ iaciens super ipsum dum obsideret turrim Sychem. Reddidit illi Dominus malũ, &c. Iud. 9.

PTOLEMÆVS Ceraunus crudelissimus erga sororem Arsinoen, & nepotes, crudelissimè punitur. Vide tit. Parricidij erga fratres.

MARTINA secunda Heraclij vxor, eiúsque ex fratre neptis, Constantinum, qui patri successerat, opera Pyrrhi patriarchæ veneno tollit, metuens ne vnquam filius suus Heraclonas in imperio succederet: quandoquidem Constantinus ex Gregoria Nicetæ patricij filia Constantem & Theodosium filios suscepisset. Eo mortuo, arripit imperium Sed vixdum exacto biennio, Martinæ lingua Senatus imperio exsecatur, ne eloquentia sua populos cõmoueret: Heraclonas naso abscisso defœdatur, ne forma sua ad commiserationem populos induceret: ambo in exilium Cappadociam missi sunt. Cuspinianus in vita Heraclitj.

BARNABAS Vicecomes, princeps Mediolanensis, cùm propter multitudinem liberorum filios prætenui, atque ob id infirma ditionis conditione regnaturos prospiceret, Ioanni Galeacio, fratris filio, qui multo opulentiore fruebatur imperio, insidias struere cœpit. At ille simulata religione è Ticino Mediolanum profectus, obuium honoris causa prodeuntem Barnabam inermem capit, captum in Tritianam atcem à se ædificatam deducit, in qua post septimum mensem obiit. Iouius in eius vita.

THEODORICVS rex in Galliis, qui consilio Brunichildis sese sanguine proprij fratris, aliórumque Christianorum permultorum onerarat: ab ipsa sua consultrice, vita est priuatus. Cùm enim pacatis rebus, neptem ex fratre occiso reliquam, in matrimonium ducere vellet, speciosa eius forma illectus, obstitit Brunichildis, dictitans: Incestũ esse connubium, quod cum fratris filia contraheretur. Illud ægrè ferens Theodericus, cùm antea sibi ab eadem persuasum esset, Theodebertum non suum germanum, sed ex adulterino concubitu prognatum fuisse: cum impetu in eam irruit, gladio volens traiicere. Verùm illa aulicorum ope, qui fortè aderant, tunc ex ipsius manibus elapsa, non multo pòst veneno eum sustulit. Trittenhemius de regibus Francorum: item Robertus Gaguinus lib. 2. Sunt tamen qui scribant, eum profluuio alui, interiisse, postquam regnasset annos decem & octo. Auentinus asserit eum fulmine ictum, cùm post parricidium fratris Matricum vrbem sit ingressus. Annales Boiorum libro tertio. Bestia verò illa immanis Brunichildis, cùm iam præter infinitam vulgi multitudinem, decem etiam reges morti tradidisset: infelici tandem bello moto contra Lotharium, cui regnum cedere nolebat, capta est, & ad horrendum supplicium ex sententia omnium procerum totiúsque exercitus damnata. Quater enim fustibus cæsa traditur, antequã ad Clotharium est deducta: deinde coram omni exercitu scelera eius sunt proclamata: & tandem pedibus & brachiis alligata ad caudam indomiti equi, membratim est discerpta, anno Domini 618. Sigebertus, Trittenhemius, Gaguinus, & Auentinus.

POENA PERFIDIAE MARITORVM, QVI VXORES QVOQVO modo malè tractant, Pœna zelotyporum maritorum.

Huc referri potest tit. pœna adulterij, ratione habita perfidiæ. Nam respectu intemperantiæ superius à nobis explicatus est.

Lege IVLIA damnantur, qui vxoris dotem dilapidassent. Alex. lib. 4. cap. 8.

ROMANI non tantùm eos qui sanctissima deorum tẽpla violassent, impios sceleratósque duxerunt: sed eos quoque, qui in vxorem aut liberos violentas manus intulissent. Tanta in existimatione coniugalis amor, & liberorum procreatio fuit. Alex. lib. 4. cap. 8.

ALMARICVS, cum vxorem suam, Chilberti Parisiorum regis sororem, veræ religionis obseruantissimam, eo quòd Arrianam sectam contemneret, cõtumeliosè tractasset, à Chilberto eius fratre bello vexatus est cruentissimo. Michael Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

POENA INIVSTI REPVDII.

TIRGATAO Mæotis nupsit Hecatæo regi Indorum, qui paulo supra Bosphorum incolunt. Hunc Hecatæum eiectum regno, reduxit Satyrus Bosphori tyrannus: suámque ei filiam in matrimonium dedit, priorem iubens interficere. Ille, cùm plurimùm amaret Mæotim, occi-

dere quidem eam non potuit, sed in munitissimum castellum inclusam, iussit in custodia vitam agere. Tirgatao clàm custodib⁹ aufugit. Cùm Hecatæus & Satyrus eam magno studio conquirerent (metuebant enim ne Mæotas ad bellum incitaret) neque inuenire possent: Mæotis desertis & asperis vijs superatis, per diem in syluis delitescens, noctúque iter faciens, ad extremum peruenit ad populos qui Ixomatæ dicebãtur. Ibi regia erat amicorum eius, & cognatorum. Patrem mortuum reperit, eique qui in regnum successerat nubens, Ixomatas ad bellum commouit, multásque bellicosissimas circa Mæotim gentes euocauit: in primis autem Hecatæi regionem incursionibus infestabat, Satyríque regnum vastabat: sic vt vtrique missis, qui suppliciter rogarent, obsidem Satyri filium Metrodorũ darent, ac pacem peterent. Illa consensit. At illi iuramentum non seruarunt. Satyrus enim duos ex amicis adduxit, vt supplices ad eam transfugerent, eíque insidias collocarent. Qui cùm transfugissent, Satyrus eos sibi tradi postulabat. Illa supplicum legem colens, sæpenumerò rescripsit, & de salute supplicibus impetranda egit. At isti eam adoriebantur, alter quasi de magnis rebus cum ea sermonem habiturus: alter stricto gladio aberrauit, cingulo ictum recipiente. Satellites verò concursu facto, ambos quæstionibus examinarunt. Qui insidias autore tyranno paratas cõfitebantur. Rursus Tirgatao obside interfecto, bellum eis intulit: omnibúsque calamitatibus, rapinis ac cæde regionem impleuit: donec ipse Satyrus mœrore confectus, vitam cũm morte commutauit. Gorgippus autẽ filius eius imperio suscepto, supplex ad eam venit: amplissimísq; muneribus ei tributis, bellum composuit. Poly. lib. 8.

Lege IVLIA damnãtur non ij tantùm qui absque causa vxores repudiant, verumetiam qui dotem vxoris prodigè dilapidant. Alex. ab Alex. libro 4. capite 8.

M. VAL. MAX. & C. Iunius Brutus Bubulcus, censores, L. Antonium senatu mouerunt: quòd quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito. Valerius Max. libro 2. capite 4.

TIBERIVS Cæsar, quendam Romanum quæstura priuauit: quia vxorem decimo die, posteaquam eam duxerat, repudiauit: sine fide atque constantia esse eum arbitratus, qui in re tanti momenti, tam paruo tempore, vanum se variúmque ostendisset. Fulgosus lib. 6. capite 3. & Alexand. libro quarto, cap. 8.

RODVLPHVS Veromandorum comes, vxorem suam dimisit, & sororem reginæ Petronillam duxit. Propter quod, autore Theobaldo, mittitur Romanæ sedis Iuo legatus, qui Rodulphum comitem excommunicauit: & episcopos Laudunensem, Bartholomæũ Nouiocomẽsem, Simonem & Petrum Syluanectensem, qui diuortium illud fecerant, suspendit. Robertus Abbas in Chronicis.

VXORVM ERGA MARITOS INOBEDIENTIAE POENA.

PERFIDIAE ET ZELOTYPIAE VXORVM ERGA maritos pœna.

Consule titulum, pœna adulterij.

LEVCONOE à canibus dilaniatur, post vepres Cyanyppi mariti amores exploratura. Parthenius in Eroticis, cap. 10.

PROCRIS Cephali mariti amores exploratura, in syluas profecta, vbi venationẽ exercebat Cephalus: post dumeta latens, à marito, qui ferã esse suspicabatur, iaculo fuit interempta. Vide Ouid. Metamorph.

Ardens CYANIPPI Thessali & ÆMYLII Sybaritani amor fuit. vterque enim venationis studiosus, quanquam diuersis locis, temporibúsq;, eundem tamen incurrit casum, fatúmque: atque ex eo argumentum ingens mutui amoris ostenditur. Nam cùm eos nimium suspiciosæ coniuges, vsque in ipsas syluas secutæ essent, atque illic inter prunos dumetaq;: laterent, ad eásque propter frondium motum ceu ad feras excitati canes accurissent: prius canum dentibus dilaniatæ occisæq; fuerunt, quam earũ mulieres, atque multo minus coniuges esse vidissent. Cùm autem amborum erga vxores mutuus esset amor, doloris vterque impatiens, sibijpsi manu sua mortem consciuit. Fulgosus libro 4. capite sexto, ex Plutharchi capite 42. Parall.

PVBLICIA, quæ Posthumium Albinum consulem: item LICINIA, quæ Claudium Asellum, viros suos veneno necauerant, propinquorum decreto strangulatæ sunt. Non enim putauerunt, seuerissimi viri in tam euidenti scelere longum publicæ quæstionis tempus expectandum. Itaq; quarum innocentium defensores fuissent, sontium maturi vindices extiterunt: magno scelere horum seueritas ad exigendam vindictam concitata est. Valerius lib. 6. cap. 3.

ROMANÆ mulieres, cùm olim maritos suos clandestinis insidijs ac veneficio, in vrbe adhuc incognito, perimerent, vnius ancillæ indicio indicatæ, & capitali iudicio damnatæ sunt, cùm centum & septuaginta veneficiæ inuentæ essent. Valerius Max. lib. 2. capite de Institut. antiq. Liuius libro octauo, Dec. 1.

PERFIDIAE ET CRVDELITATIS DOMINORVM *erga seruos, pœna.*

Cùm LACEDÆMONII contra seruos Tænarenses, qui ex Eilotarũ genere erant, per vim atque perfidiam insurrexissent, ac crudelissimè eos interfecissent, diuinam ob tantam immanitatem experti sunt vltionem. Mox enim tantus terræ motus vrbem concussit, vt quatuor tantum ædificia relinquerentur, quæ non prosternerentur. Ælian. lib. 6. de Var. hist.

Apud ÆGYPTIOS si quis sponte aut liberum aut seruum occidisset, morte damnari leges iubebant: quæ non fortunæ conditionem, sed consilium facti pendentes, homines à sceleribus deterrebant, & simul vindicata serui morte reddebantur liberi securiores. Diodorus Sic. libro 2. capite secundo, de Rebus antiquis.

DARIVS rex Intaphernẽ cum tota familia ob crudelitatẽ erga seruos suos occidi curat. Vide tit. Crudelitatis dominorũ erga seruos.

VMBRITIA nobilis Romana matrona, quòd in ancillas suas supra modum sæuiret, à diuo Hadriano Augusto in quinquẽnium relegata est. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

ANGELOTTVS cardinalis, cùm asperiorem & crudeliorem se erga suos exhibuisset, à famulo, quem cubili curam habere iusserat, iugulatus est. Pontan. de Principe.

PERFIDIAE, PRODITIONIS, IMPIETATIS ET *inobedientiæ seruorum erga dominos, pœna.*

BABYLONIIS facinorosi serui & contumaces per crines trahebantur. Alex. libro 3. cap. 20.

Apud PERSAS consuetum erat, vt si seruus ære coemptus aufugisset à domino, vinctus compedibus opus faceret: si autem sponte reuersus esset, & fateretur admissum, flagellis cæderetur. Ibidem.

LYCVRGVS apud Spartanos seruorum petulantiam tam seuerè cohibuit, vt facinorosos seruos dominis interficiendi ius daret.

HILOTAS à Spartanis bello subactos, cũ rebellassent, ab Agide perpetua seruitute damnatos legimus. Ibidem.

Ab ATHENIENSIBVS cautum erat, vt contumax ingratúsque seruus libertate donatus, sub mãcipio in posterum esse & seruire cogeretur: quoniam liber esse nescisset, & domino ingrat⁹ fuisset, Supersedeo te (inquit) habere ciuem, tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, vt credam vrbi vtilem, quem domi scelestũ cerno. Abi igitur, & esto seruus, quoniã liber esse nescisti. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Cum Diogenes patriam relinqueret, vnus ex seruis eum secutus est, nomine MANES: qui non ferens eius conuersationem, aufugit. Cúmque Diogenem hortarentur aliqui, vt eum quæreret: An non, inquit, turpe esset, cum Manes Diogenis non egeat, Diogenem Manis indigere? Verũ seruus ille, captus deinde, Delphósque abductus, à canibus dilaniatus est, fugæ pœnam hero persoluens. Ælianus de Var. hist. lib. 13.

MASSILIENSIBVS libertus ter doli admissi reus aduersus patronũ, velut mancipium seruire cogebatur, per singulas vices libertate rescissa. Siquam verò offensam quartò admisisset, domino imputabatur: & inultus ibat, quòd toties deceptus dominus, quartò se ei credidisset. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 20.

Apud ROMANOS si serui leuiter offendissent, aut contumeliam conuiciúmque fecissent, vel dicto minus audientes forent, vltra vigesimum lapidem, in terram orámue Campaniæ eos relegandi, domini arbitrium erat. Ibidem.

Apud EOSDEM nequam & contumax seruus, plaustri lignum, cui affigitur temo, quę furca dicta est, in collo fert: & eo quasi iugo subactus, manibus post terga reuinctis, per ora omnium circũfertur, & à singulis Furcifer appellatur. Nonnunquam pausicape, qua ori manus admouere prohibentur, vt opus facerent, mali serui apud Romanos cogebantur: aut candenti lamina, vel literis frontem & ora inurere, neruo & compedibus coercere mos fuit: vt hac deformi nota affecti, maior illis verecũdia esset ad liberaliter inseruiendum. Pistrino quoque detrudi seruos, & damnati mancipia infida, vel notis Barbaricis inuri, vt ob improbitatem insignes essent, more apud eosdem receptum erat. Item, post multa quoque verbera & cruciatus, vinculis, nuditate, fame, siti & compedibus, numellisq;, cathenis, boijs, & si crimen exposceret, cruce & lamina seruilem in modũ affici, vetus & peruulgata pœna fuit. Ibid.

Apud EOSDEM si libertus delatorẽ submisisset, vel domini sui nomen detulisset, vel manifesti criminis reus esset, domino ius reuocandæ libertatis, & vniuersa promerita abrogandi, lege donabatur. Ibid.

L. SYLLA non se tam incolumen, quàm Sulpitium Ruphum perditũ voluit, tribunitio furore eius sine vllo fine vexatus. Cæterùm cùm eum

proſcriptum,& in villa latentem, à ſeruo proditum comperiſſet, manumiſſum parricidam, vt fides edicti ſui extaret, præcipitari protinus è ſaxo Tarpeio, cum illo ſcelere parto pileo, iuſſit: victor alioqui inſolens, hoc imperio iuſtiſſimus. Val. lib. 6. cap. 5.

Proſcriptus Atherius, à ſeruo ſuo accuſatus eſt: qui triumuirali lege liberatus, fortunas etiam patroni eadem lege conſequebatur. Seruus igitur, cũ patroni filios deſpectu haberet, & ipſi rei atrocitate, præſertim cùm adhuc tenella ætas eſſet, territi, lachrymantes ſilẽteſque eum ſequerentur, veluti ſæuam nimis illam rem omnis POPVLVS abominatus eſt: atque ea triũuiris declarata, voluit, vt ingratus ſeruus denuò apud Atherij filios in ſeruitutẽ rediret, eiſque patris bona reſtituerẽtur. Inter tam multa proſcriptionis infanda facinora, in quibus crudelitas quoq; ingẽs vndiq; oboriebatur, aliqua iuſticiæ imago eiuſmodi in rebus ſugientis peruiuere adhuc oſtẽdebat: ſiquidẽ veteri prouerbio non inſipiẽter dicitur, Fieri non poſſe, vt illic homines diutius viuant, vbi omni ex parte iuſticiæ reſpectus ſit extinctus. Fulg. lib. 6. cap. 5. & Alex. lib. 3. cap. 20. vocat Aretium.

CLAVDIVS Cæſar libertinos, qui ſe pro ciuibus gererent, publicauit: illos verò qui dominos ignominia notarent, in ſeruitutem reuocauit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

NERONE imperante, frequenti ſenatu obtentum eſt, vt manumiſſi ob notam ingratitudinis in ſeruitutem reuocarentur. Ibid.

HADRIANVS Imperator ſeruos à dominis occidi vetuit: ſed ſi quid deliquiſſent, prætoris iudicio pœna affici præcæpit. Ibidem.

NERVA Cocceius Domitiano occiſo ad imperij ſucceſſionem vocatus, ſeruos omnes, à quibus ipſorum dominos accuſatos inuenit, ceu ingratos perfidóſque iuſſit occidi. Vt exemplum omnibus illius ordinis conſtitueret, ne ingratè eos accuſarent, quorum ſeruitutis iure, acerrimi propugnatores eſſe debebant. Fulg. lib. 6. cap. 5.

SEVERVS imperator cauit edicto, ne ſerui delatores dominorum audiantur, ſed pœna multentur ſeueriore. Alexander ad Alexandro libro tertio, cap. 20.

INHOSPITALITATIS, SIVE PERFIDIAE ERGA *hoſpites pœna.*

Apponebat ſuis equabus hoſpites laniandos DIOMEDES, rex Thraciæ: eſt & ipſe ab Hercule (ſi vera ſunt, quæ Tragici ſcribunt) illis laniatui datus: & ſupplicium, quod in alios fuerat commentus, multo iuſtius ipſe eſt demùm expertus. Sab. lib. 10. ca. 4.

THRASIVS ſeu Thraſillus, quum ad exorandas à Ioue pluuias, Buſirim docuiſſet hoſpites immolare, interfectus eſt omnium primus. Ouid. in Ibin,

Vt qui poſt annos ſacri monſtrator iniqui,
Elicuit pluuias victima cæſus aquas.

SCYRON latro in Attica, à Theſeo in mare præcipitatus eſt, quò prius hoſpites ipſe deturbabat: cuius oſſa mutata dicuntur in ſcopulos qui Scyronia ſaxa etiamnum hodie dicuntur, nautis infeſta.

PYGMALION frater Anthęi, quum immolationem hoſpitum docuiſſet, deorum aras ſub ſanguine inſtar cæterorum imbuit. Ouid. in Ibin:

Frater vt Anthæi, quo ſanguine debuit, aras
Tinxit, & exemplis occidit ipſe ſuis.

LEVCANORVM lex in ingratos lata eſt, quæ minatur iis qui peregrinos poſt ſolis occaſum hoſpitium petentes, nõ exciperent. Ælian. lib. 4. de Var. hiſt.

MACAREVS Mitylenẽſis, ſacrificulus Bacchi, vultu quidem ſingularem præ ſe ferebat manſuetudinem & æquitatem: cæterùm omnium hominum erat impiiſſimus. Accidit autem quodam tempore, vt hoſpes ad eum veniret, & in eius fidem aliquantum auri deponeret. Macareus in receſſu templi eruta terra, aurum defodit. Interiecto deinde tempore reuerſus hoſpes, aurum repoſcebat. Quem cum ille tanquam reſtituturus depoſitum in templum introduxiſſet, morte affecit: atque effoſſo auro, hoſpitem in eius locum impoſuit: ac quemadmodum homines, ſic etiam Deum clàm eſſe arbitrabatur. Verùm euentus longè ſecus declarauit. Quare paucis diebus exactis, triennalis diei ſolennitas aderat. Tum, cum ille magna celebritate diuinam rem obiret, duo filij eius domi relicti, patris immolationem imitabantur. Accedentéſque ad aram paternam, ardentibus adhuc holocauſtis, iunior collum præbebat, adultior verò gladio æruginoſo inuento fratrem ad ſimilitudinem victimę mactauit. Familia cõſpecto facinore, vociferata eſt. Mater audito clamore exiliit, vidénſque, trucidatum alterum, alterum etiam eodem mucrone interfecit. Allatum eſt cædis domeſticæ nuncium ad Macareum: qui relicto ſacrificio, quàm potuit furentiſſimo impetu in ædes inſilijt, atque tæda, quam habebat, vxorem interemit. Deinde re comperta Macareus comprehenſus, & tormentis examinatus, cõfeſſus eſt, quæ in templo perpetrarat: in ipſis verò quæſtionibus vitam amiſit. Et ſic Macareus vltione diuina, ſuo ipſius, vxoris & liberorum capitibus dignam pœnam luit: Ælian. lib. 13. de Var. hiſt.

ASPIS in Ægypto, in domo pauperis enutrita, illic peperit: & cùm vnius catulorum ſuorum morſu interemptum hoſpitis filium vidiſſet, catulos ſuos omnes occidit, neque vltrà in ea domo conſpecta eſt. O admiranda Dei virtus. Aſpis fera erga hoſpitem ſuum gratam ſe, etiam filiorum morte, oſtendere voluit. & homo, qui rationale animal eſt, aſpide perſæpè, longè crudelior, hominem & hoſpitem perdet. Ful. lib. 5. cap. 2.

CELTÆ grauius in illum animaduertunt, qui peregrinum, quàm qui ciuem occiderit. Huic enim exilium, illi mors pœna ſtatuitur. Stobæus ſermone quadrageſimo ſecundo ex Nicolai de moribus Gentium hiſtoria.

Theodorus Chius, præceptor vltimi Ptolemæi in Rhetorica, decertantibus in regis conſilio, an Pompeius profugus eſſet recipiendus ſolus: conſuluit, interfici debere. Quod & factum eſt. Hunc poſtea BRVTVS iam Auguſto inimicus: in Aſia ad ſe adductum, interfici iuſſit. Plutarch.

AVR. Alexander Seuerus imperator. militem, qui anum hoſpitam ſuam pulſauerat, non cõtentus militia exauctoraſſe, ſeruum atque aurigam ipſius mulieris eſſe iuſſit: vt qui iniuriæ in eam autor fuerat, ipſius commodis atque neceſſitatibus in poſterum operam ſuam addictam haberet. Ful. lib. cap. 3.

Militis, qui hoſpitam violarat, AVRELIANVS imperator, duabus magnis arboribus ad terram deflexis, alligari crura iuſſit; qui, redeuntibus vi ſua in conſuetum ſtatum arboribus, in duas partes diſcerptus eſt. Ibidem.

POENA PERFIDIAE POLITICAE ERGA INIMICOS *tam in iudicio, quàm extra iudicium.*

INIMICVS Theagenis ab eius ſtatua, quam flagellabat oppreſſus. Vide tit. Iræ immodicę erga inimicos extra bellum.

PERFIDIAE PVBLICAE ERGA HOSTES IN BELLO *inferendo vel gerendo pœna.*

C. CIVILIVS dux Albanorum (vel Caluilius, vt eſt apud Liuium) cùm bellum primò omnium contra Romanos iniuſtum mouiſſet, neque morbo, neque veneno, neque alia iniuria ſiue ſuorum, ſiue aliorum affectus, ſed numinis ira miſere interiit: vt eſt apud Anton. Sabellicum libro quarto, Enneadis ſecundæ.

PERFIDIAE PVBLICAE IN FOEDERIBVS ET INDVCIJS *cum hoſte pactis ſeruandis, pœna.*

BARBAROS, qui iuriſiurandi religionem violaſſent, laudare ſolebat Ageſilaus, eo quòd peierando ſibiipſis deos infeſtos redderent, ipſi verò ſocios & amicos. Ælian. lib. 14. de Var. hiſt.

SALADINVS Sultanus Ægyptius, captos in prælio Guidonem Luſignanum Hieroſolymatum regem, & cum eo multos alios principes, omnes humaniſſimè habuit, excepto RAYNALDO Caſtiliono, qui Anthiochiæ principatum obtinebat: cui manu ſua caput ademit, quòd contra induciarum fidem bellum ei intulerat. Fulgoſ. libro ſexto capite quinto.

Datam fidem, quæ iureiurando vallata ſit, etiam hoſti aduerſæ religionis, religioſè ſeruari debere, VLADISLAI Hungariæ & Polonię regis infœlix exitus, vnà cum cladibus, quas IOANNES Huniades Vaiuoda (id dignitatis nomen eſt) Tranſyluanus tulit, apertè declarant. Nam vt antè ſæpius fœliciter aduerſus Catholicæ fidei hoſtes pugnârant, poſteaquam impulſu IVLIANI Cæſariani cardinalis, atque Eugenij IIII, pontificis legati inducias violarunt, cum Amurathe Turcarum rege iuratas, ſoluente eos ſacramenti nexu Pontifice, aduerſus Turcas cum exercitu, profecti, iuxta Varnam, occiſo rege vnâ cum legato, Ioannes in turpem fugam coniectus, non ſolùm viri fortis laudem amiſit, verumetiam cum Amurathe conſerta manu haud longè à Bulgaria (hęc Scythiæ pars eſt) iterum cum Pannoniis quibus preærat, prælio victus, & in fuga ſubſiſtere à Georgio Seruiæ Deſpoto (id etiam poteſtatis nomen eſt) coactus, haud paruo labore, non ſine magna vi auri, ab eo ſe explicuit. Qua re ſatis apertè oſtenſum fuit, parum probaſſe immortalem Deum, vt iureiurando data fides violaretur. Fulgoſ. lib. cap. 2.

FIDEI

FIDEI NON SERVATAE LEGATIS, SEV PERFIDIAE ERGA LEGATOS *pœna.* VIOLATIONIS *legatorum pœna.*

ORŒTES præfectus Sardiũ, cùm quendam è nuncijs, qui à rege Dario ad ipſum venerat, & parum iucunda nunciarat, trucidandum curaſſet in itinere, & cum ipſo equo occultandum, ſubmiſſo Bagæo interfectus fuit. Herod. libro 3.

M. Æmyllio Lepido, L. Flaminio coſſ. ROMANI L. Minutium & L. Manilium Carthaginẽſium legatis, quia manus his intulerant, per fœciales dedendos curauerunt. Valer. lib. 6. cap. 6.

Legatos ab vrbe Appollonia Romam miſſos, Q. Fabius, Cn. Apronitis ædiles, orta contentione pulſauerunt. Quod vbi SENATVS comperit, continuò eos per fœciales legatis dedidit: quæſtorémque cum his Brundiſium ire iuſſit, ne quam in itinere à cognatis deditorum iniuriam acciperent. Ibidem.

PERFIDIAE BELLICAE PRIVATAE ERGA HOSTES POENA.

ROMANI cenſores eos graui nota affecerunt, qui cùm in poteſtatem Hannibalis veniſſent prælio Cannenſi, legati ab eo miſſi ad ſenatum de permutandis captiuis, neque impetraſſent quod petebant, in vrbe manſerunt: quia & Romano ſanguini fidem. præſtare conueniens erat: & M. Attilius Regulus cenſor perfidiam notabat, cuius pater per ſummos cruciatus expirare, quàm fallere Carthaginenſes, ſatius duxerat. Valerius Maximus libro ſecundo capite quarto.

PERFIDIÆ ERGA CREDITORES VEL DEBITORES. *Æris alieni contracti & non diſſoluti pœna.*

A SERVO nequam, qui noluit dimittere conſeruo ſuo centum denarios, meritò repetijt Dominus vniuerſum debitum, quod liberaliter priꝰ dimiſerat illi. Matth. 18.

ATHENIS magiſtratus fuit, cui Zeteta nomen: apud quem ſi quis integrum æs debitum non ſoluiſſet, conueniri lege poterat. Alexand. ab Alexand. libro 1. capite 7.

CORBIS ignominia apud Bœotos inſtituta erat, in eos qui æs alienum non diſſoluerent. Ducebatur enim in forum, ſederéque iubebatur: ſuper ſedentem corbem inijciebant. Hac notatus ignominia, infamis cenſebatur. Hanc paſſus eſt Mneſarchus, Euripidis tragici pater. Gyraldus Dialogo 7. Hiſt. poet. & Stob. ſerm. 42.

Apud INDOS qui creditum moratur, à creditore reꝰ agitur. mox præſtita die, ſi non ſoluit, manu trunca, & oculo effoſſo, morte afficitur. Alex. ab Alex. libro 6. capite 10.

Apud TYRHENOS ſi quis æs alienũ, quod conflauerit, non perſoluat, ſequuntur eum pueri vacuum geſtantes marſupium, ignominiæ cauſa. Heraclides in Polit.

ÆGYPTII ijs qui monetam circumciderent, aut adulterinam cuderent, aut pondus vel ſigna immutarent, aut literis inſcriberent, aut deſcripto demerent, aut falſas ſyngraphas aſſerrent, ambabus priuabant manibus, quòd ea corporis parte peccaſſent. Diodorus Sic. libro 2. capite 2. de Rebus antiquis.

Magnam laudem collegium TRIBVNORVM tulit, quòd cùm vnus ex eo L. Cotta fiducia ſacroſanctæ poteſtatis creditoribus ſuis ſatisfacere nollet, decreuit, vt ſi neque ſolueret pecuniam, neque daret, cũ quo ſpõſio fieret, appellantibus ſe creditoribus, auxilio futurum: iniquum ratum, maieſtatem publicam priuatæ perfidiæ obtentui eſſe. Itaque Cottam in tribunatu, quaſi in aliquo ſacrario latentem, tribunicia inde iuſticia extraxit. Valer. lib. 6. cap. 5.

Apud ROMANOS ſi ob æs alienum creditori debitor addictus foret, poſt diſtractum patrimoniũ, re familiari deſtitutus, poſt vincula & cathenas membra eius breuiſſimo laniatu, ad creditorũ libidinem diuidi, duodecim Tabularum leges iubebant. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10.

L. COTTA tribunus plebis, cùm æs alienum abnegaret, in magnam apud cunctos incidit ignominiam: adeò quidem, vt collegæ illum cogerent, vt fateretur debitum, niſi creditoribus ſuis pro rapina dari vellet. Alexand. lib. 5. cap. 1.

GALBA, qui poſtea imperauit, cùm in Hiſpania proconſul eſſet, quibuſdam menſarijs præcidi manus iuſſit, & menſæ eorum affigi, quia fraudulenter pecuniam tractare comperti erant. Fulg. lib. 6. cap. 3.

CASTRVTIVS Caſtracanis Lucenſium dominus, cùm ſciret menſarium prædiuitem ſolum vertiſſe, nec multo pòſt, parua pecunia cum creditoribus pacta, menſam repetijſſe, atque magnificas ædes ædificare cœpiſſe, in vincula coniecit: atque vocatis edicto creditoribus, pro tota ſumma ſatisfieri iuſſit: & quod vltra menſario ſuperfuit, in publicum redegit.

Appenſo autem menſario iuxta menſam, in qua aduerſus eos qui eius fidem ſecuti erant, fraus commiſſa erat, ceruices fregit. Neque enim minꝰ ſupplicio dignum eſſe arbitratus eſt, quàm illos qui in viatores graſſantur. Siquidem fallaces menſarij fraude eos circumueniunt, qui eorum fide ducti, pecuniam ſuam menſæ crediderunt: at graſſatores non ſine vitæ ſuæ diſcrimine, diſpoliare eos nitũtur, qui nullam eis fidem habẽt. Quòd ſi hac ſeueritate, in noſtri temporis fallaces mercatores, animaduerteretur, quanquam fortaſſe carnifices ſupplicio non ſufficerent: rapacium tamen hominum ſcelus compeſceretur: & boni mercatores, iuſtiq; homines, tutius negotiationes ſuas, ac maiore omnium vrbium commodo atque honore tractarent: ſicuti nunc contrà, cum dedecore atque iactura, quotidie multorum fortunas, impudentium ſcelere, qui ablato alieno, vertere ſolum non erubeſcunt, euerti videmus. Fulgoſus libro ſexto, cap. 3.

PERFIDIAE IN PACTIS CONNVBIALIBVS POENA.

Deſponderat ſibi SAMSON Iudæorum fortiſſimus Tamneam cõnubio puellam: fuerunt Tamnei in Philiſteis. Nupſit inde hæc haud inuitis parentibus procorum cuidam. Ea vir fortis & iracundus contumelia accenſus, varijs Tamneos affecit cladibus. Quibus malis irata ciuitas, parentes & puellam publicè cremauit. hanc, quia nouo connubio indulſiſſet: illos, quòd nouis nuptijs non interceſſiſſent. Sab. lib. 8. cap. 4.

LACEDEM. duo, qui Lyſandro ſuperſtite, illius filias ſe ducturos vxores promiſerant, & eo morte ſublato, ducere recuſarent: Ephoris pœnas dedere, quòd ſpe dotis & prœmiorum, locupletum affinitatẽ affectaſſent. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8. Ælian. lib. 6. de Var. hiſt.

IIDEM eos qui diuitiarum cauſa alias quàm è ſua tribu duxiſſent, probitate neglecta, mulctare conſueuerant ex lege. Fulg. lib. 2. cap. 1.

CRATEVAS Arceſilaum Macedoniæ regem, à quo in delicijs habebatur, interfecit, quòd promiſſam ſibi filiam alteri dediſſet. Ælian.

LYCAMBES, cùm Neobulen filiam Archilocho Pario iambographo deſponſatam dare abnueret, ab eodem cum tribus filiabus ad laqueum compulſus fuit. Gyraldus Dialogo 9. Hiſt. poet.

In claſſe quam Petrus Siciliæ rex, Liparitanis auxilio aduerſus Robertum Neapolitanum regem miſit, cum alijs principib. magniſque viris ROLANDVS erat, Petri regis frater ſpurius: qui deuicta à Roberto rege ea claſſe, in captiuorum numero fuit. Cum autem, vt in eiuſmodi reb. contingere ſolet, captiuorum propinqui ſatagerent, vt captiuitate ſuos liberarent: eius cladis indignatione motus rex Petrus, quia Siculorum ignauia, paruoq; eorum animo amiſſa claſſis videbatur, Rolandũ fratrẽ redimere negligebat. Itaq; miſer carceris pedore tenebriſque macerabatur. Cõtigit ea tempeſtate, Meſſanæ adoleſcentẽ adhuc fœminã viduam eſſe, Senenſem, in magnis relictam opibus, Comiolam nomine Toringam, quæ Rolandi audita calamitate viſa ſibi eſt videre à fortuna viam parari, vt regij ſanguinis virum ſperare poſſet, cùm ipſa ſatis fortunarum haberet. Itaque ſecretò miſſis, qui Rolandi mentem explorarent, an ſi huius puellæ pecunia è manibus hoſtium redemptus foret, eam ducturus eſſet vxorem? vt compertum eſt, eum tãquam cœlitùs miſſi muneris loco rem hanc accepturum, matrimonio ritè per procuratores ſtabilito, ipſum duabus auri vnciarum milibus mulier redemit. Reuerſus in hunc modum Meſſanam Rolandus, non modò deſponſationem abnegauit: ſed ne liberationis quidem officio mulieri gratias agere voluit, præ ſe qui regio ſanguine ortus erat, ceu humili ortam loco ciuem deſpiciens: cuius ſi charitas defuiſſet, in carcere vitam erat acturus. Comiola iuſto compulſa dolore (nam & ingentem pecuniam impenderat, & ſparſa de matrimonio fama, ſi id infectum maneret, eius nomini notam afferebat) ad Eccleſiaſticũ tribunal Rolandum conuicit. Itaque rem propinquis & amicis Rolandi improperantibus, tandem is perſuaderi ſibi paſſus eſt, vt Comiolam duceret. In publico igitur conuentu, ſicuti in eiuſmodi rebus mos eſt cùm Rolandus arbitraretur ſe cum Comiola de nuptijs tranſacturum: Comiola, vt Rolandi ingratitudini atque ignauiæ par erat, commemoratis ſuis in eum meritis, illiúſque in ſe, quòd tam impudenter fidem violaſſet, ingenti ingratitudine, palàm dixit: Se pactioni de nuptijs cum eo renunciare, neque vt tam ignauo homini nuberet, æquum ducere: ſed ſe pro nuptijs virginitatem opéſque ſuas Dei ſeruitio dicare. Animus profectò ingenua virgine dignus, vt Siculis, tanto animo, Rolandi ingratitudinem ac ſimul cum pudica mente generoſum etiam cor ſuum, oſtenderet. Fulgoſus libro 5. capite 3.

PERFIDIÆ IN MVTVO, LOCATO, COMMODATO, TVTELA, *depoſito, pignore, &c. pœna.*

Apud INDOS ſi quis mutuo depoſitóue fraudetur, non venit in iudicium, ſed ſeipſum accuſat is qui credidit. Stob. ſerm. 42.

Apud PISIDAS grauiſſima ſemper depoſiti cauſa agebatur: apud quos ſi inuentus eſſet qui defraudaſſet, mortis crudeliſſimo ſupplicio

afficiebatur. Stobæus sermone quadragesimo secundo, ex Nicolai de Gentium moribus historia.

DRACO Atheniensium legislator, censuit furto eum teneri, qui iumentum aliorsum quam quo vtendum acceperat, deduxisset. Alex. lib. 6. cap. 10.

MACAREVS Mytilenensis sacrificulus. Vide tit. Pœnæ perfidiæ erga hospites.

MINERVA Erichthonium in cistam abditum, tribus sororibus, filiabus regis Atheniensium, commisit, admonens, ne quid intus esset curiosè inspiceret. Pandrosos quidem paruit. Aglauros verò & Herse cistam resignarunt: visóque Erichthonio, furiis agitatæ, se de arcis maximè prærupto loco præcipites miserunt. Pausanias in Atticis.

GLAVCVS Spartanus, quia depositum reddere negauit, cùm tota progenie periit. Vide tit. Oraculorum intellectorum.

Multus sermo eo iudicio ROM. manauit, in quo quidam furti damnatus est, quòd equo, cuius vsus illiúsque Ariciam commodatus fuerat, vlteriore eius municipij cliuo vectus esset. Quid aliud hoc loci, quàm verecundiam illius seculi laudemus, in quo tam minuti à pudore excessus puniebantur? Val. lib. 8. cap. 2.

ROMANVS Diogenes Imperator, cùm victoria contra Turcas esset potitus, ac rempub. metu liberasset: à senatu, quòd iniuriam pupillis facere videretur, captus, oculísque priuatus, inque exilium, vbi obijt, missus est. Volater. lib. 23. Anthrop.

PERFIDIAE IN TESTIMONIO ET ACCVSATIONE.

Vide tit. Falsi testimonij pœna.

VENEFICII POENA.

Consule tit. Veneficij.

Iudices AREOPAGITÆ, cùm veneficam mulierem deprehẽdissent, & eam morti tradere vellent, non prius ipsam interemerunt, quàm partu liberaretur. Postquam verò peperit, comprehenderunt ipsam: & soluentes à damnatione innocentem infantem, eam quæ commeruerat supplicium, solam morte mulctarunt. Ælian. de Var. hist. libro quinto.

VENEFICI apud Persas hac pœna legibus puniebantur: Ampla erat petra, in qua capita eorũ imposita alia petra, feriebant, quoad faciem & caput infrigissent. Quo mortis genere Gyge, Parisatidis Cyri matris famula, interiit. Plutarch. in Artaxere.

PVBLICIA & LICINIA, item septuaginta Romanæ matronæ veneficæ strangulatæ. Vide tit. Perfidiæ vxorum erga maritos pœna.

CAROLVS septimus Gallorum rex, principem Egidium de Raxa, Gallici regni mariscallum furcis appẽsum, atque igne assum, fœda morte affecit: quòd magicæ arti deditus, centum ac viginti, tum pregnantiũ mulierum, tum infantium corpora occiderat. Mulier quoque rusticana Abeuillensis viua combusta fuit, quia infantes peremerat, & sale conditos in cibum adhibebat: omnes crudelitatis transgressa terminos, dum in eam sæuiret ætatem, quæ etiam feras interdum mites experitur. Fulg. lib. 9. cap. 2.

LATROCINII POENA.

LATRONES qui Ibycum interfecerant, à gruibus accusati necantur. Consule tit. Melopœorum.

MACAREI latrocinium grauissimè punitur. Consule tit. Pœna in hospitalitatis.

Philippus Adeoratus Francorum rex, acceptis à patre regiis insignibus adhuc adolescens, omnibus exemplis vsus est in Iudæos iudicio conuictos, Christianum puerum quotannis immolare solitos. In eos etiam qui conuicia faciunt in deos, edicto pœnam statuit. Ritius Neapolitanus libro 2. francorum regum.

CARRNIFEX latro crudeli genere supplicij afficitur. Vide tit. Iniustè damnanti.

HOMICIDII POENA.

Quamuis IOAB fuerit miles probus in armis, & Domino suo valde fidelis: quia tamen occidit duos viros proditoriè, omnes eius gratiæ quasi pro nihilo computatæ fuerunt. Vnde fecit eum occidi SALAMON licet teneret cornu altaris. 3. Reg. 2.

In eodem loco, in quo ANDRONICVS iniustè occiderat Oniam summum sacerdotem, fecit eum vita priuari, purpura prius exutum, Antiochus. 2. Mach. 4.

Apud MEMPHITAS homicidij reus ab oppidis & commercio hominum exterminabatur: donec à Gymnosophistis expiatus, in patrium solum & lares proprios restitueretur. Diodorus Sic. lib. 2. de Reb. antiquis.

GRÆCI homicidio pollutos, aut sanguine infectos humano, hominésque turpissimarum sordium, sacris arcebant: néue aras contingerent, aut sacrificio interessent, lege interdicebant. Alexan. ab Alexand. lib. 4. cap. 17.

L. BALIENVS, quòd Lucretium Asellam consulatum contra Sullæ voluntatem petentem occidisset, accusatus & dãnatus est. Ascon. Pedianus.

L. LVSCIVS Syllanarum partium centurio damnatur, quòd tres cædes proscriptorum Sullæ fecisset, diues propterea factus: nam amplius sexcenties possedit. Asconius Pedianus.

FVRTI PRIVATI CVIVSLIBET POENA.

DRACO legislator Atheniensium, vt ab alieno omnes manum abstinerent, voluit: furtáque: tam morosissimè pensitauit, vt eum qui stercorandi causa stercus bubulum abstulisset, aut olera, capitis supplicio afficeret. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10. ex Gell. lib. 11. cap. 18.

SOLON apud Athenienses furta magnoperè vetuit: cauens, vt si quis quod non posuisset tolleret, tanquam improbus pœnas daret. Ibidem.

Si quis in furto sit deprehensus, apud LOCROS, oculis priuatur. Cùm autem Zaleuci filius reus ageretur, & eum Locri absoluerent, non permisit: sed sibi vnum, & filio alterum effodit. Heraclides in Polit.

Apud ÆGYPTIOS lex in fures erat, quæ iubebat eos qui furari volebant, nomen suum apud principem sacerdotum scribere, atque euestigiò furtum ad eum deferre: similiter quibus res furto erepta erat apud eundem rei sublatæ tempus, diem & horam scribere. Hoc modò facilè inuento furto, qui rem amisisset, quarta mulctabatur parte, quæ daretur furi. Diodor. Sic. libro secundo, capite 2. de Rebus antiquis. & Fulg. lib. 2. cap. 1.

Apud Scythas nihil erat furto grauius: seuerissima enim plectebantur pœna, qui turbato gentium iure, de possessione dominos euerterẽt. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10.

INDI à furtis & rapinis velut contra hominum societatem, contráque diuinum humanúmque ius magnoperè abstinuère: adeò vt si quis vectigal furatus esset, capite lueret. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10. & lib. 3. cap. 5.

BACTRIANI, eos qui pauca furantur, sputis dehonestare solent. Rauis.

Apud ATRIOS populos qui vel minima furantur, lapidibus obruuntur. Rauis.

Apud PHRYGES, si quis instrumentum quodpiam rusticum & ad agriculturam aptum furto sustulerit, morte punitur. Stobæus sermone quadragesimo secundo ex Nicolai de gentium moribus historia: & Alex. lib. 3. cap. 5.

Apud VACCÆOS, si quis vel minimum ex alterius agro eripuisset, cap. luebat. Alex. lib. 3. cap. 5.

Apud LYCIOS, si liber furti coarguatur, seruire cogitur: teste Stobæo sermone 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia: & Alex. lib. 6. cap. 10.

ZENO Citticus seruum in furto deprehensum cædi iussit: quúmque is se sic excusaret, vt diceret, sibi fuisse in fatis vt furaretur: Et cædi, inquit. Seruus allegabat fatorum necessitatem, ad excusationem commissi. Eam necessitatem retorsit & ad supplicium, quod ipsum etiã erat in fatis. Laert. lib. 7. capite 1.

FVRTI noxialis actio lege duodecim tabularum constituta erat, vt si seruus quadrupésue furtum damnúmue admisisset, vel fraude aut perfidia quid patrasset, dedendo seruum aut quadrupem, liberaretur dominus. Item furem nocte deprehensum quoquo modo, die verò si se telo defenderet, & demùm cum clamore occidi, duodecim tabularum leges permiserunt. Alexand. libro sexto capite decimo Vide Gell. lib. 11. cap. 18.

M. FABIVS censor seuerissimus, Fabium Buteonem filium furti insimulatum, capitis reum egit, & vltimo supplicio affecit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 13.

ALEXANDER Seuerus adeò vindex furtorum fuit, vt præter seuerissimas

pœnas, nullum raptorem aut furẽ salutationi admiserit, illósque velut nequissimos è cõspectu submouerit. Itaq; quũ Septimius Arabinus quifamosus crimine furtorũ sub Heliogabalo fuerat liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamauit: O numina, ô Iupiter, ô dij immortales: *Arabinus non solum viuit, sed etiam in senatum venit?* fortassis de me sperat: tam fatuum, tam stultum me esse iudicat. Lampridius.

FVRTI PRIVATI LITERARIJ POENA.

EPHIALTES ob furtũ literarium à cane molosso Eupolidis interficitur. Vide tit. Fidei brutorum erga dominos.

FVRTI PVBLICI, REPETVNDARVM, PECVLATVS POENA.

T. MANLIVS Iuris pontificialis peritissimus, iudex inter Macedonas accusatores & filium constitutus, audita causa ita pronunciauit: Cùm probatum sit, Syllanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum Repub. & prole mea indignum iudico, protinúsque conspectu meo abire iubeo. Valer. de Seueritate.

M. PRISCVS proconsul Africæ, tempore Domitiani damnatus repetundarum, quòd Africam expilasset, in exilium actus est. Vnde ait Iuuenalis:

Cùm tenues nuper Marius distinxerit Afros, &c.

Volat. lib. 19. Anthrop.

DOLABELLÆ duo eodem tempore extiterunt, præter illum, in quẽ sunt Ciceronis orationes. Horum alterum Cæsar repetundarum accusauit, nec damnauit: alterũ M. Scaurus accusauit, & damnauit. Pedianus.

RAPINÆ BELLICÆ POENA.

M. CATO memoriæ tradidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas: aut si lentius animaduertere voluissent, sanguinem missum. Front. lib. 4. cap. 1.

Sertorius, vt militarem disciplinam exemplis stabiliret, cohortem propter obscœnitatem morum & immodicas rapinas ad vnũ interfecit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

MITHRIDATES Ponti rex, cùm Marcum (siue Manium) Attilium, Romanum legatum, cuius auaricia bellum in Mithridatem pop. Romanus mouisse putabatur, astu cæpisset: inaurato ore, vt eius auaricia detegeretur, per regnum, auersum asino insidentem, duci iussit Fulgos. lib. 9. cap. 10.

TIBERIVS prætorianum militem ob subtractum pauonem capite puniuit, furtum à bono milite planè alienũ debere existimans. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

SERGIVS Galba, priusquam ad principatum eueheretur, cùm sub Claudio Africæ præesset, & parcè ob penuriam militibus frumentum diuideret: intellexit militem quendam diuendito tritici modio centum denariis, frumentum à Quæstore, vt ali posset, postulare, cui neque ipse dedit, nec vendi ab aliis est passus. Itaque miles fame consumptus, aliis exẽplo fuit. Fulg. lib. 2. cap. 2.

AVR. Alexand. Seuerus imp. vix annos viginti natus, se egregium militaris disciplinæ exactorem esse ostendit. Si quis enim, dum agmen incederet, in priuatorũ possessiones se immisisset, plagis mulctabatur. Fulg. libro 2. cap. 2.

PESCENNIVS Niger, cùm audiret à milite suo gallinam rustico cuidam per vim esse ereptam, vix retentus est, quin omnes qui ad gallinæ conuiuium venissent, capitali pœna plecteret: effecit tamen, vt denæ per singulos gallinæ, ei cui erepta erat, persolueretur. Fulg. lib. 2. cap. de Militari discip.

Idem, nil magis alienum quàm furtum, à bono milite putauit: ideóque commanipulones, quòd gallinaceum gallũ subtraxissent, hac ignominia affecit, ne focum facerent, néve cocti quid obsonij sumerent, sed pane & frigidis vescerentur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

Otho 4. Saxoniæ dux, de sententia procerum Germanorum Philippo Imp. surrogatus, ab Innocentio 3. diadema suscepit. Paulo pòst, quod cum comperisset Pontifex Fridericum Secundum, puerum adhuc, regno Siciliæ deturbare velle, sacris interdixit. Imperióque per sententiam deiecit. Volat. lib 33. Anthrop.

Grauem se & seuerum in militari disciplina Tamburlanus gessit: id quod inter cætera semel, cùm exercitum per minorem Asiam duceret (quæ nunc Turchia dicitur) ostendit. Nam cùm ei lachrymabunda mulier occurrisset, & conquereretur ab eius milite, nullo dato precio, lac, parúmque casei sibi erepta esse, statim consistere iussit exercitum: atque inde agmẽ ordinatim incedere, vt mulieri facultas esset eũ agnoscendi, qui vim fecerat. Eo igitur agnito, rex per pectus se præsente aperiri corpus iussit: in cuius stomacho lac, quod mulieri eripuerat, fuit inuentum. Cui supplicio mulier designata erat, nisi eius rei, qua se spoliatam quæsta erat, signa fuissent inuenta. Hac seueritate assequebatur, vt copiæ, quas habebat immensas, cùm tutus ad castra omnibus esset accessus, omni commeatu semper abundarent. Fulg. lib. 2. cap. 1.

POENA EORVM QVI DOCTOS HOMINES VEL IGNOMINIA, *vel quauis alia iniuria affecerunt.*

POLIS Lacedæmonius, Platonem philosophum iussu Dionysij tyranni è Sicilia sublatum, Æginæ vendidit. Verùm quia capitale erat Atheniensem Æginam adire, à Charmandro mortis reus accusatus fuit. Sed necessitatis ratione habita, Aniceri Cyrenaico viginti minis venditus est, & ab eo manu missus. Polis postea à Chabria superatus, in Helice submersus fuit: dæmonio illi indicante, hæc ei philosophi gratia malè tractati euenire. Laert. lib. 3.

POENA EORVM QVI MECHANICOS AR- *tifices læserunt.*

Apud INDOS qui artificem aliquem manu aut oculo priuauerit, morte damnatur. Stobæus sermone 42.

POENA EORVM QVI VIROS QVACVNQVE ETHICA VIR- *tute celebres contempserunt, vel iniuria affecerunt.*

POENA SPRETÆ PVLCHRITVDINIS.

POENA NEGLECTÆ ET CONTEMPTÆ SENECTVTIS.

POENA CONTEMPTARVM DIVITIARVM VLTRA QVAM *recta ratio postulat.*

MAIESTATIS LÆSÆ POENA, QVANDO SCILICET HONOR *debitus magistratui non exhibetur.*

Rechab & Banaa Iudæi, cùm occiso Isboseth Saulis filio, ad regnum aduersus Dauidem aspirante, facinus Dauidi veluti rem pergratam nunciassent, & grauiter eum casum indoluit, & statim percussores ipsos interimi iussit, manúsque ac pedes eorum supra piscinã Hebron affixit. Fulg. lib. 6. cap. 5.

ALEXANDER Magnus postremo prælio, quo Persarum regem euerit, cùm Bessum cæpisset, qui fugientem regem (quanquam ei arcta affinitate propinquus) occiderat, ab eo petiit: Quamobrem facinus perpetrasset: respondentẽ autẽ, Id se, vt ipsi rem gratã faceret, egisse: pedibus eũ deflexis ad terram duabus arboribus alligauit, indéque in pristinũ statũ redeuntibus arboribus, in duas partes eũ diuisit, illius perfidiæ ac sceleri munere ex rei qualitate adinuento. Ibid.

P. Seruilius consularis, censorius, triũphalis, qui maiorũ suorũ titulis Isaurici cognomen adiecit: cùm forum præteriens, testes in reũ dari vidisset, loco testis constitit, ac per summã inter patronorũ pariter, atque accusatorũ admirationem sic est orsus: Hunc ego iudices, qui causam dicit, cuiâs sit, aut quã vitã egerit, quamq́ue meritò vel iniuria accusetur, ignoro: illud tantũ scio, cũ occurrisset mihi Laurentina via iter facienti, admodũ angusto loco, equo descendere noluisse. Quod an aliquid ad religionẽ nostram pertineat, ipsi æstimabitis: ego id supprimendum non putaui. Iudices reum, vix auditis cæteris testibus, damnauerunt. Valuit enim apud eos, tùm amplitudo viri, tum grauis neglectæ dignitatis eius indignatio

r

cúmque qui venerari principes nesciret, in quodlibet facinus procursurũ crediderunt. Val. Max. lib. 8. cap. 5.

M. Vectium in capitis dimicationem venisse, & vltimo supplicio affectũ esse, legimus, quòd transeunti tribuno non de via decederet. Alex. lib. 5. cap. 1.

Cn. Tremelio tribuno plebis, quòd M. Æmylium Lepidum pontificem maximum conuiciis aspersisset, à populo mulcta grauissima dicta est. Alex. lib. 5. cap. 1.

Profecto in Africam Septimio legato, obtulit se amicus: & vt antè consueuerat, præ lætitia eum amplexus est. Ea re indignatus Septimius, palã cædi eum grauiter iussit: præcone magna voce eum monente, ne ipse homo plebeius, in posterum tam stultè, dignitatis non habita ratione, legatum Romanum complecteretur. Illius enim principij seueritate, iam indicabat, qualis futurus esset imperator. Fulgos. lib. 6. cap. 3.

Adeò quodam tempore Romani veteres in bonis moribus retinendis seueros se gesserunt, vt aduocatum quendam nimis altè coram cẽsoribus oscitantem, parum abfuerit quin graui mulcta damnarent: nisi iureiurando affirmasset, se eiusmodi grauiori oscitandi morbo laborare. Fulg. lib. 2. capite 4.

Pannonii equites, cùm Sigismundum Marchionum Brandeburgensem pro rege agnoscere nollent, interfecti sunt. Vide tit. Pœna honoris magistratui non exhibiti.

INGRATITVDINIS HVMANÆ, SEV ETHICÆ *pœna in genere.*

Persæ vix vllum vitium magis damnarunt, quàm Ingratitudinem. Quem enim cognorint posse referre gratiam, nec referre, in hunc seuerissime animaduerterunt: quippe qui arbitrãtur eos qui sunt ingrati, & deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem enim potissimum impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem dux est. Xenophon in Cyri Pædia lib. 1. & Stobæus sermon. 42. & Alex. lib. 5. cap 1. & Cælius lib. 7 cap. 28.

Apud Athenienses & Macedones lege cauebatur, vt haud secus aduersus malè meritos ingrati actio detur, iudiciúmque dicatur, ac si ære alieno, aut graui crimine nexi forent. Alex. ab Alex. libro quinto capite 1. Quod significat, opinor, in declamationibus Libanius, & Pollux Onomastici octauo, item Cæl. lib. 7. cap. 28 & Lucian. in Abdicato.

Pythagoras ablegandos reijciẽdósque ingratos, ex Plutarchi interpretatione, symbolicè videtur monuisse: vbi præcipit, Sub idem tectum non admittendas hirundines, quoniam ingrati symbolũ auis ea credatur habere. In Rhetoricis ad Herennium, amicitiæ minus firmæ similitudo ab hirũdinibus duci docetur. Cælius libro septimo, capite vigesimo octauo.

Ptolemæus Euergetes Zebennam ingratum pro regno Syriæ tradito, regno deijci curat. Vide tit. Qui ex humili fortuna euecti, denuò deiecti sunt.

Briccius D. Martini discipulus, bonum senem contumeliosius tractare, & monita eius ægrè ferre cœperat. Prædixit ergo ei D. Martinus multas calamitates. Nam mortuo Martino, in episcopatu Turonensi quidem ei successit: verùm falsa stupri infamia eiectus est. Crimen ergo suum contra Martinum commissum fassus, profectus Romam, integro septennio pœnitentiam egit. Parans inde reditum ad suam Ecclesiam, cùm ad sextum à Turono lapidem venisset, in somnis Turonum properare monetur. Armẽtium enim episcopum (qui ei substitutus fuerat) obiisse. Ocyus surgit, & mortuo episcopo sufficitur. Mortuus sub finem Theodosij iunioris, anno Domini 451. episcopatus 47.

Scriptum in quodam comentario reperi (inquit Gell. lib. 7. cap. 29.) versus istos à Vergilio ita primùm esse recitatos atque editos.

Talem diues arat Capua, & vicina Veseuo Nola iugo.---

Postea Vergilium petisse à Nolanis aquam, vti duceret in propinquum rus: Nolanos beneficium petitum negasse: poetam offensum, nomen vrbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, Oráque pro nola mutasse, atque ita reliquisse:

--- *Et vicina Veseuo Ora iugo.* ---

INIVSTI IVDICII, ET INIQVÆ DAMNATIONIS TAM PRIuatæ quàm publicæ, pœna. INIVSTORVM *iudicum pœna.*

Præcepit Dominus Moysi dicens: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Num. 25.

Tenes, rex Tenediorum, legem edixit, vt à tergo iudicis astaret spiculator, securim tenens: vt qui perperam aliquid in iudicio dixisset, cum protinus securi percuteret. Hinc orta parœmia, Tenedius homo. Eras. in Adagiis.

Otanis, quem Darius rex oræ maritimæ præfecerat, patrem Sisamnem, virum è regiis iudicibus, quòd iniustè ob pecuniam iudicasset, rex Cambyses antè Darium interemit, interemptóque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicarat, intendit: ibidémque eius filium Otanem sedere iudicem iussit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret. Herod. lib. 5. Val. lib. 6. cap. 3.

Darius Sandacem Æolidis præfectum, quòd pecunia corruptus iniustè iudicasset, cruci affixisse fertur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

Socrates philosophus omnium sapientissimus, publicè damnatus, venenóque sublatus cùm esset, supplicij tanta secuta est pœnitentia Athenienses, vt accusatoribus insigniter mulctatis, statua sit illi publicè decreta. Sabellicus lib. 1. cap. 5. & lib. 1. cap. 6.

Livius Salinator, quatuor atque triginta tribus inter ærarios referre non dubitauit, quòd cum se damnassent, postea cos. & censorem fecissent. prætexuitque causam, quia necesse esset, eas alterutro facto, crimine temeritatis vel periurij teneri. Tantummodo tribum Metiam vacuam nota reliquit, quæ eum suffragiis suis, vt non damnatione, ita nec honore quidem dignum iudicauerat. Quàm putemus constantis & præualidi illũ ingenij fuisse, qui neque tristi iudiciorum exitu compelli, neque honorũ magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem administratione Reipublicæ gereret? Val. lib. 2. cap. 4.

Metello censori, quòd minus iustè cuidam pœnam irrogasset, aqua & igni interdictum fuit. Ibidem.

C. Iulij Cæsaris in Cleopatram amor incredibilis, cruentę Ægyptiorum seditioni causam dedit. Cùm enim in eo dissidio, quòd Cleopatra contra fratres habuerat, Cæsar iudex constitutus esset, & victus propriis affectibus, pro Cleopatra contra fratres sententiam pronunciasset, tantus Ægyptiorum est tumultus subortus, vt Cæsar flumen pernatãs, nudus vitæ suæ consulere sit coactus. Cuius tamen vestimenta mox ab Ægyptiis inuenta, per ludibrium & contemptum trophæorum instar erecta sunt. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Cæsare.

POENA EORVM QVI INIVSTICIAM ALIORVM EX *officio non corrigunt.*

Pausanias Macedo adolescens, in quo ætatis florem egregia decoris species commendabat, cùm ei fœdè Attalus vim intulisset, atque primæ iniuriæ, maiori alia addita, deductum in conuiuium, iis qui cuperent abutendum permisisset: ipse pro eo scelere apud Philippum Macedoniæ regem questus, non modò remedium iniuriæ suæ nullum retulisset, sed cum risu dimissus contemptui haberetur: ira simul, pudoréque succensus, abiecta salutis ratione, Philippum occidit, eius sanguine arbitratus se stupri notam abstersisse. Fulg. lib. 6. cap. 1.

Apud Aegyptios, si quis iter faciens, aut homines à latronibus cædi cõperiret, aut quamlibet iniuriam perpeti, neque subueniret auxilio, si posset, mortis erat reus: si auxilium ferre non posset, lege adigebatur vt accusaret latrones coram magistratu. Qui hoc negligeret, plagis ad certũ numerum plectebatur, triduóque carebat cibo. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 3. de Rebus antiquis.

Apud Lacones, cùm duo fratres inter se dissidium haberent, Lacedæmonij mulctam dixêre patri, quòd filiorum discordiam dissimulasset. Iuuenibus ignoscendum putarunt: sed quicquid illi per calorem ætatis peccassent, parenti imputabãt, cuius authoritas prouidere debuerat, ne quid inter filios oriretur simultatis. Plutarchus in Laconicis.

POENA EORVM QVI MORTEM SIBIIPsis consciuerunt.

POENA EORVM QVI MVLCTAM INDICTAM SVBTERfugere, eludere, impedire voluerunt, quacunque tandem ratione.

Huius sunt loci, Qui carceres perfregerunt, & denuò comprehensi sunt. Consule titulum, Capti à magistratibus.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER DECIMVSQVARTVS.

DE INIVSTICIA, IN GENERE.

Contrariorvm eadem est scientia, Qui ergo naturam Iusticiæ probè cognouerit, ille idem Iniusticiam quoque facili negocio assequetur. nos clarioris doctrinæ gratia causas ipsas breuiter deducemus. Iniusticia igitur in rerum & personarum respectu mutuo consistit. In rebus materiam atque formam consideramus: in personis, efficientem interdum, & finem. Materia duplex est, In qua & Ex qua. In qua, res comprehendit, in quibus vel circa quas Iniustus occupatur. Sic ergo Iniustus quis esse potest vel in διανομῇ, quoniam æqualitatem non obseruat, cum æqualibus inæqualia, aut inæqualibus æqualia tribuat: vel in διορθώσει, quoniam inæqualitatem obortam in quocunque genere contractus non corrigit, siue per pecuniariam æstimationem, siue per mulctam & lucrum. Ex qua verò iniustus quis existit, eas res continet, per quarũ additionem ablationémve iniustè quis agere, & alter iniusta pati dicitur. Quarum rerum qualitatem si consideres, in vniuersum vel Bonæ sunt, vel Malæ. Sin verò quantitatem, vel Plus, vel Minus quàm oportet, adduntur aut detrahuntur. Quo in loco illud est obseruandum, quòd ex lege contrariorum vno posito vel ablato, alterum ponitur vel aufertur. Ergo qui bonum aliquod ponet, malum illius contrarium auferre videbitur: qui verò bonum aliquod auferet, ille idem malum illius contrarium ponet. Distinctionem igitur scholasticam hic amplectamur, barbaram quidem, eruditam tamen: & Bona alia Positiua statuamus, quæ per se talia sunt & subsistunt: alia Priuatiua, quæ ad alterius positionem sequuntur. Verbi gratia, Muneribus affici, Positiuum bonum est. Huius positionem sequitur Paupertatis ablatio, quæ priuatiuum bonum est: hoc est, bonũ ex mali priuatione perueniens. Illud idem de malis esto iudicium. Positiuum malum est paupertas: priuatiuum, diuitiarum ablatio. In iis igitur quæ mala sunt vel bona, consideratur illud, positiua sint, an priuatiua. Deinde etiam illius ratio habetur, quòd boni positiui additio, & mali positiui ablatio concurrunt. Sic sol lumen suum mundo largitur, & tenebras simul pellit: illud bonum, hoc malum positiuum est. Ergo eadem iniusta actio (verbi gratia, raptus, quando Paris Helenam rapit) ad boni positiui ablationem, & mali priuatiui additionem referri poterit. Præterea cùm Helenæ præsentia Menelao bonum fuerit, ea per Paridem rapta, in locum boni succedit malum, absentia videlicet Helenæ. Hæc eò monere volui, vt constaret, quomodo respectu qualitatis materiæ ad diuersos locos vna eadémque actio posset referri. A potiori tamen & præstantiori vt plurimùm fit denominatio: & ratio habetur personæ patientis, cui vel bonum aufertur, vel malum infertur: bonum inquam siue malum positiuum potius, quàm priuatiuum. Sic in raptu Bryseidos Achilli id bonum positiuum, quod habebat, eripitur: & hoc primò & per se consideratur. Secundariò deinde malum positiuum sequitur, absentia Bryseidos, in Achille. In Agamemnone verò, bonum positiuum, Bryseis: & malum priuatiuum, absentiæ Bryseidis ablatio. Par erit ratio in quantitate materiæ explicanda. Nam qui τὸ πλέον addit, illic idem τὸ ἔλαττον aufert: & econtrà. de qua re postea in tractatione personarum fusius dicetur. Iam verò Forma iniusticiæ duplex est τὸ ἄδικον aliud est: παράνομον, aliud ἄνισον. Ergo etiam ἀδικία alia erit παρανομία, alia ἀνισότης. παρανομία contra leges peccat, qualescunque illæ fuerint, in qualicunque Repub. ἀνισότης verò non legum neglectum, sed inæqualitatem quamcunque, etiam si legibus excusetur, comprehendit. Proinde in mala Repub. potest quis νόμιμος esse, καὶ μὴ παράνομος, qui tamen ἄνισος erit. In bona verò Repub. semper ὁ παράνομος etiam ἄνισος erit. Porrò ἀνισότης committitur partim in eo, quòd æqualitas pro dignitate cuiusque non seruatur, siue ea dignitas ex fide dependeat, siue ex merito tã virtutis quàm beneficij: partim in eo, quòd inæqualitas oborta non corrigitur. Prior quidem illa ἀνισότης διανεμητική dicetur, suíque ambitu comprehendet Perfidiam, quæ Fidei opponitur: Iniustam distributionem, quæ distributioni simplici secundum virtutem contraria est: & Ingratitudinem, quæ cum Gratitudine pugnat. Posterior verò ἀνισότης διορθωτική erit, siue in voluntariis contractibus inæqualitatem committat (qualis est eorum qui in emendo iusticiam negligunt, vtputa maioris addicendo, vel minoris licitando quàm par sit, absque fraude tamen alterutrius contrahentium. Nam si fraus aliqua intercedat, contractus non amplius erit voluntarius) siue in non voluntariis. Ad efficientem nunc accedimus, in quo Agentium & Patientium personarum ratio habetur. Agentes quidem voco eos qui iniusticiam committunt. Et sic Iustus esse dicebatur vel Deus, vel Homo. At Iniustus Deus non erit (neque enim iniusticia in Deum cadit, nisi quis deorum gentilium iniusticiam hic recensere velit. quos ipsos, tamen quatenus mala faciunt, deos non esse, vel Ethnici norunt. Est enim notum illud: Si mala dij faciant, non sunt dij) sed homo tantum. Agens homo rursus vel erga seipsum iniustus est, & concurrit persona agens atque patiens in vnum idémque subiectum: vel erga alios, ita vt persona agens à patiente & ratione & subiecto distinguatur. Prior illa ab Aristot. Iusticia impropriè dicitur: posterior verò propriè. Est enim Iniusticia ἀλλότριον κακόν: vti econtrà Iusticia, ἀλλότριον ἀγαθόν. Patientes personas appello eas, quæ iniuria afficiuntur: vel quibus præter meritum suum bona maláve tribuuntur. Pati autem iniusta quis dicitur vel per se, vel respectu alterius. Per se quidem, quando vel plus, vel minus quàm deceat, bonorum malorúmve obtinet. Quo in loco distinctio illa superius allata de positiuis & priuatiuis, item de contrariorum natura, quæ sibi inuicem succedere apta nata sunt, repetenda erit. Nam qui πλέον eius quod non meretur accipit, ille idem ἔλαττον eius quod meretur assequitur. Et qui πλέον boni habet, ille etiam ἔλαττον mali obtinet. Respectu verò alterius pati quis dicitur iniusta, quoniam bonum alteri ereptum obtinet. In qua quidem iniusta actione duæ sunt personæ patientes, altera cui aufertur, altera cui tribuitur. Cui aufertur bonum, ἔλαττον habet κέρδους, & πλέον ζημίας: cui tribuitur bonum, πλέον habet κέρδους, ἔλαττον ζημίας. Constet igitur, in qualibet iniusta actione τὸ πλέον simul, & τὸ ἔλαττον reperiri, siue respectu rerum (πλέον enim boni, ἔλαττον mali complectitur) siue respectu personarum (nam cui aufertur, ἔλαττον habet κέρδους: cui additur πλέον habet κέρδους) Necessaria est autem Iniusticiæ consideratio vel per se, vel respe-

ctu alterius. Sunt enim quædam eiuscemodi delicta, in quibus simpliciter tantum quid alteri præter dignitatem tribuatur, consideratur: vt si quis lenoni vel prodigo homini ampla offerat munera. Sunt alia quædam, in quibus non tantum quid alteri præter dignitatem tribuatur, spectari consueuit, sed insuper etiam quid alteri præter meritum auferatur. Quæ quidem delicta eò sunt grauiora, quòd de hominibus indignis eo.u aliorum damno bene mereri studeant. Verbi gratia, si quis peculatum committat, vt meretricibus munera dare possit, dignis aufert, & dat indignis. Et hæc quidem de personis dicta sint, iniusta patientibus, quatenus cuiusque dignitas & meritum vel simpliciter & per se consideratur, vel respectu alterius. Iam verò persona patiens vel homo est, & patitur humana quadam de causa: vel Deus est, homóue religionis causa iniusta patiens. Prior illa Ethica iniusticia appellatur, posterior Religiosa. His sic constitutis, manifestum est, Iniusticiam iusticiæ opponi, nempe τὸ θρησκευτὸν νομίμῳ, ἀνίσον ἴσῳ. Quoniam autem τὸ ἴσον τῷ ἀρίθμῳ ἴσον est, & econtrà: τὸ ἄνισον verò sub se πλέον & ἔλαττον continet: videbitur certè τὸ ἴσον medium obtinere inter duo ἄνισα, πλέον nimirum & ἔλαττον. Et si iam ἀνισότης, quæ formalem Iniusticiæ rationem continet, in excessum & defectum diuidetur. Proinde Iniusticia alia in excessu erit, alia in defectu. In excessu, quæ plus in defectu, quæ minus quàm decebat, tribuit. Verùm enimuerò cùm respectu rerum simul & personarum vtrumque extremum in vna eadémque actione iniusta reperiatur, hinc fit, vt iusticiæ vnica Iniusticia opponatur, quèadmodum æqualitati inæqualitas: quę tamen inæqualitas cùm plus & minus comprehendat, efficit vt æqualitas in medio videatur consistere. Hanc ob causam Aristoteles Iniusticiam μεσότητα, hoc est ἰσότητα esse definiuit: & Iniusticiam ἀνισότητα, comprehendentem sub se τὸ ἄκρον, ἔλαττον scilicet atque πλέον. Hoc ipso differt Iusticia à reliquis virtutibus, quæ exquisitę sunt μεσότητες inter τὸ ἄκρον, in excessu & defectu quæ quidem ἄκρα cum medio in primis, deinde etiam inter se pugnant, ita vt in vna eadémque actione non considerentur. At Iusticia cùm non sit pura μεσότης, sed ἰσότης, rationem habens μεσότητος: eapropter quoque Iniusticia ἀνισότης est, τὸ πλέον & ἔλαττον non respectu actionum diuersarum, sed personarum complectens. Et hęc hactenus de Iniusticia in genere dicta sint. Nunc ad species accedamus, quæ ex superioribus deduci possunt. Diuidemus autem in Religiosam & Ethicam. Hanc rursus in Distributiuam & Correctiuam. Quamliber harum in propriam erga alios, & impropriam erga se, subdiuidemus. Neque actiones tantum iniustas, verumetiam voluntates, in Exemplorum enarratione complectemur.

DE INIVSTICIA IN SPECIE, ET PRIMÙM de Religiosa.

PErsonæ patientis meritò Iniusticiam diuisimus in Religiosam & Ethicam. Religiosa est, quę vel erga deos, vel erga homines, deorum & diuini cultus causa, impietatem exercet. Humana verò, quę erga homines, ob humanas quaspiam causas, inæqualis existit. Et religiosam quidem iniusticiam in genere, Impietatem possimus appellare. In specie diuiditur in θρησκείαν & ἀνισότητα. θρησκεία religiosa complectitur omnes omnium gentium religiones, siue Deum verum, siue dæmones coluerint. Nam quá quisque religionem dilexit, eam opinione & persuasione veram esse putat: eiúsque cultum Pietatem, neglectum verò & contemptú Impietatem esse credit. Qui igitur religionem suam, cùm meliorem nesciat, negligit, profanat, contemnit: θρησκος erit, apud Ethnicos, non minus quàm apud Christianos. ἀνισοθὴς verò religiosa, contra religionem non quamuis, sed eam tantum quæ vera est, quáque nos Deo opt. max. munere cœlitùs demissam per Christum seruatorem hausimus, delinquit. Quicunque igitur contra veram religionem (cuius rudimenta olim Iudæi in lege habuerunt, nos perfectionem in Messia obtinuimus) peccat, is ἄνισος primùm erit reipsa, quia contra veritatem delinquit: erit deinde etiam θρησκος, quoniam legi & Euangelio non paret. At qui contra falsam religionem, meliori non cognita, iniurius existit, ille θρησκος est, non tamen ἄνισος. Qui verò cõtra falsam religionem, meliori perspecta, inuehitur, is θρησκος quidem erit respectu falsæ, non tamen ἄνισος: respectu autem veræ, iustus omnino censebitur. In exemplis enarrãdis, θρησκείας simul & ἀνισότητος rationem habebimus: neque veræ tantũ religionis contemptæ aut neglectæ, sed falsę quoque exempla proferemus. Nam cùm præstabilius sit, falsam religionem sequi, & deos esse credere, atque adeò in specie peccare, quàm deos omnino negare, & genus ipsum tollere: exempla certè ethnica huius quoque loci erunt, quatenus θρησκεια sunt, non autem quatenus ἄνισα. Sacrilegia olim diuina pœna coercebantur. non quòd verus ille Dei cultus esset neglectus, & dæmones contempti (quos non modò spoliare, sed funditùs quoque euertere, apud Christianos vera est pietas) sed quia cùm Ethnici essent, non cognitione veræ pietatis, sed manifesta impietate & atheismo ducti, contra diuinum numen iniurij extitissent. Hæc monere volui, ne quis nos reprehenderet, quòd Ethnicam religionem (quæ reuerà summa Impietas existit, & vicissim illius neglectus summa Pietas apud Christianos habetur) cum vera Religione commiscuerimus. De Impietate igitur (sub qua Religio neglecta, contempta, simulata, corrupta, comprehenditur) nunc acturi, prius titulorũ seriem typo describemus. Exempla ex titulis Iusticiæ religiosæ peti possunt plurima. Nam sub Sacrilegij pœna, Sacrilegorum exempla continentur. Et sic de cæteris. Nos hic Impietatis tantùm rationem habemus, illic pœnæ quæ Impietati infligitur.



A. Διόρθωσις est, quando vel.

- Religionem
  - Suam, *quam vel sciunt vel opinantur tantùm esse*
    - Malam, *acriter defendunt, non corrigunt, & in errore perstant.* Incredulitas.
    - Bonam, *vel*
      - Non *defendunt.*
      - Abnegant, *& deficiunt.* Apostatæ.
      - Corrumpunt. Hæretici.
  - Alienam, *vel*
    - Bonam,
      - Impugnant, *& insectantur vel*
        - Scientes.
        - Ignorantes. *Zelus indiscretus, absque scientia.*
      - Imminuunt, *& alios ab ea auertunt.* Seductores.
    - Malam, *vel*
      - Non *impugnat, vel etiam defendit.*
      - Non *fugit, sed cum impiis subinde versatur.* Conuersationem impiorum *non fugere.*
- Facta *impia vel*
  - Sua *non agnoscunt, neque pœnitentiam agunt: vel nimium agnoscunt, & desperant.*
  - Aliorum, *vel*
    - Defendunt, *& excusant.*
    - Corrigendo *peccant in*
      - Excessu, *quia maioribus quàm mereantur, suppliciis afficiunt impios.*
      - Defectu: *quia impietatem aliorum vel.*
        - Non *corrigunt omnino.*
        - Corrigunt, *sed minoribus quàm deceat pœnis.*

IMPII, ΑΘΕΟΙ, QVI DEOS ESSE NEGANT, *& sacra nulla.*

MYRRHA Cynaræ filia, eo quòd spreuisset Venerem, patris incesto amore capta est. Plutarch. cap. 44. Paral. & Ouid. in Metam.

GLAVCVS Sisyphi filius, qui apud Potniam regnauit, sacra Veneris spernens, ab equabus suis, quibus ad currum vtebatur, dilaceratus est. Seruius apud Vergil. lib. 3. Georgic.

PROETIDES, filiæ Prœti Argiuorum regis, Iunoni se præferentes, ab eadem mutatæ feruntur in vaccas. Alij fabulantur hoc factum, quòd Venerem spreuissent. Rauis.

LYCVRGVS rex Thracum, contemptor fuit Bacchi. Propterea vlciscente numine, cruribus suis asciam illisit, dum vellet amputare vites. Propert lib. 3.

Vesanúmque noua nequicquam in vite Lycurgum.

A poetis Bipennifer & Securiger appellatur, quòd securi seipsum offenderit. Ouid. lib. 4. Metam.

ALCITHOE fuit contemptrix Bacchi. Ouid. lib 4. Metam.

CAPANEVM scalarum repertorem (quem poetæ fulminatum fuisse dicunt) deorum contemptorem vocat Statius lib. 1. Theb. vbi ait:

—Sed enim ipse manu prægressus auorum
Facta, diu tuto superûm contemptor, & æqui
Impatiens.—

PENTHEVS, Echionis & Agaues filius, dum sacra Bacchi despicit, à matre, cæterísque Mænadibus discerptus est.

Inter contemptores diuûm numeratur Mezentius à Virgilio. libro septimo, vbi ait:

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris,
Contemptor diuûm Mezentius.

Fuit enim impius in homines, sine deorum respectu: inquit Macrobius.

CAMBYSES rex Persarum, templa & leges ludibrio habuisse fertur. Potitus Ægypto, Vulcani templum ingressus, risu & conuiciis insectari cœpit. Alia etiam simulachra per summam iocorum licentiam cauillatus exussit, Apertis item conditoriis mortuorum, cadauera introspicere maximæ duxit voluptati.

EVHEMERVS Messenius poeta, ἄθεος dictus, quia primus res gestas Iouis & cæterorum deorum collegit, mortésque & sepulturas eorum ostendit. testis Lactantius, & Eusebius lib. 2. Præpar. Euang. Vide tit. Poetarum.

MELOS insula vna ex Cycladibus, propter Atheismum deleta ab Atheniensibus. In cuius excidio DIAGORAS poeta Lyricus seruatus, Athenas ductus, & Democrito philosopho decem millibus drachmarum venditus, philosohus præclarus euasit. Hic pariter ἄθεος fuit, vel patriæ vitio, vel suopte ingenio. Nam cùm adolescentem quempiam accusasset, à quo liber, quem ipse composuerat, surreptus esset, idque adolescens à se factum peierasset, deinde librum pro suo edens, magnum ex eo nomen sibi comparasset: Diagoras quia impunè adolescentem in tanto fortunæ successu peierasse videret, deos esse negauit. Cùm fortè amicus quidam deos esse argumentaretur, quòd diis ipsis votiuæ essent tabulæ affixæ: Ita fit, Diagoras inquit, illi enim nusquam picti sunt qui naufragium fecerût. Cùm autem aliquando esset in mari, & nautæ vi tempestatis laborarent, atque ei dicerent, id sibi illius causa contingere: tum ille in eodem nauigationis cursu alias multas laborantes ostendit, quæsiuitque cum in iis omnibus Diagoram vehi crederent? Itaque eos elusit. Hinc prouerbium in impios, Diagoras Melius. SOCRATES quoque ab Aristophane Melius nuncupatus est, quòd vel impius fuerit, vt Diagoras Melius, vel quòd Aristagoræ dithyramborum poetæ Melij discipulus esset. Omnes enim, vt dictum est, Melij, quòd parum erga deos pij essent malè audiebant. Gyraldus Dialogo 9. hist. Poetarum.

THEODORVS cognomento Atheos, ex Aristippi & Pyrrhonis schola, nouam condidit sectam Theodoreorum, qua adiaphoriam, sicut Pyrrho, tenebat: nullam videlicet differentiam inter bonum & malum, iustum vel iniustum ponendo, legéque tantum, non natura illa fuisse diuisa. Nullos præterea probabat esse deos, edito ea de re libro. Vnde plura Epicurum mutuatum esse constat: ideóque Athei nomen est adeptus. Suidas & Diogenes.

EPICVRVS Atheniensis, deos, & prouidentiam, & officium in vita tollebat, sibíque tantum consulebat, omnia fato agi existimans. Volaterr. libro 15. Anthrop.

LVCIANVS sophista, Christianorum hostis summus, quòd impius in Deum esset, cúmque quotidie vt vanum irrideret (vt dignus fuit) à canib' miserè laceratus est. Suidas.

ARVNTIVS Hydropota, cùm Romæ Bacchanalia fierent, Dei vires floccifaciens, illius ira ebrietate captus, Medulinam filiam obscuro loco corrupit. Ea verò dempto uiolatori annulo, parentem agnouit. Quē inebriatum & coronatum ad fulguris aram ducit, & vt deos iratos placaret, eum mactauit. Historiæ huius author est Aristides Milesius lib. 3. Rerum Italicarum: & Plut. cap. 39. Parall.

VALERIA Tusculana, cùm contemnere videretur Venerem, ob iram deæ patrem deperibat, ex quo demum Syluanum peperit: teste Aristide Milesio libro 3. Rerū Italicarū, & Plut. cap. 45. Parall.

CYANIPPVS Syracusanus, quòd Baccho sacra facere neglexisset, irato Deo in tantam ebrietatem incurrit, vt occurrentem in tenebris filiam Cyanem, quanquam reluctantem, violarit. Ea verò anulum scortatori surripiens, nutrici commendauit, vt violatoris indicium esset. Postmodùm verò quum grauis pestilentia vrbem inuasisset, ob tam crudele perpetratum facinus, ex Pythio delatum est oraculum, vt impietatis author liberatoribus dijs immolaretur. Conscia igitur rerum Cyane, tractum capillis patrem mactauit, vt deos iratos placaret. Historiæ author est Dositheus lib. 3. Rerum Siculatum, & Plut. cap. 38. Parall.

DEMONAX philosophus Adriani tempore, adduci nunquam potuit, vt ad Eleusinia mysteria accederet. Propterea accusatus à populo, vt religionis contemptor, factum excusauit: testatus, ea sacra meritò esse sibi suspecta, que in occulto fierent. Nam si bona essent, dicebat, ea manifestari oportere: si mala, debere refugi.

IDEM, percontanti, qualia putaret esse apud inferos? Expecta, inquit: & simulátq; illuc venero, per literas tibi significabo omnia. impiè sentiēs, nullos esse inferos. Nec enim credebat animarum immortalitatem. Eras. libro 8. Apoph.

Scelestum Brachij senioris (etsi faceto sale aspersum videatur) verbum fuit, conquerente cum eo quodam Martini quinti pontificis nomine, quòd dixisset, Se pontificem ad tam grauem fortunam redacturum, vt Missam numo, qui grossus dicitur, cantaturus esset: respondit Brachius, Mirari se, quòd id de se pontifex crederet, qui non modò numum grossum pro vna Missa, sed ne minutum quidem assem pro decem Missis daturus esset. Impia vox, ~~[illegible]~~ Fulgos. libro 9. cap. 11.

BLASPHEMI ERGA DEVM. DEOS CONVICIIS PROSCINDERE, & irridere. Diuinam maiestatem lædere. Ex cap. 23. Hanapi pleraque.

Consule tit. Pœna blasphemiæ.

FILIVS mulieris Israelitidis, præcepto Domini lapidat' fuit in deserto, eo quod nomen Domini blasphemasset. Leuit. 24.

NATHAN propheta multum exaggerauit peccatum DAVIDIS, eo quòd blasphemare fecerat inimicos nomen Domini. 2. Reg. 12.

Vir Dei dixit ad Regem Israel: Quia dixerunt Syri, Deus montium est dominus eorum, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua. 3. Reg. 20.

Multum displicuerunt Deo blasphemiæ, quas dixerūt Serui Sennacheribregis Assyriorum: vnde percussit angelus Domini 185. millia hominum de exercitu eius. 4. Reg. 19.

HOLOFERNES indignatus, quòd Achior potentiam Dei cœli commendasset, dixit ad eum: Quoniam prophetasti, quòd gens Israel defendatur à Deo suo, ostendam tibi quòd nō est Deus nisi Nabuchodonosor, quum percusserimus eos omnes quasi hominem vnum. Verum postea per fœminæ manum victus fuit. Iudith. 12.

Cùm argueret Hieremias Populum, pro eo quòd sacrificaret dijs alienis, responderunt: Sermonem Domini non audiemus, sed sacrificabimus reginæ cœli, sicut fecimus nos, & patres nostri, & bene nobis fuit, quia malum non vidimus. Sed gladio & fame consumpti sunt. Hierem. quadragesimoquarto.

NABVCHODONOSOR rex Babylonis, dixit socijs Danielis, qui statuam auream noluerunt adorare: Quis Deus, qui eripiat vos de manu mea? Sed postea viso miraculo, benedixit. Dan. 3.

Quidam improbi Israelitæ sub Antiocho dixerunt: Eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. Sed postea peiora secuta sunt. 1. Mach. 11.

Blasphemus & superbus ANTIOCHVS insanabili & inuisibili plaga percussus est. 2. Mach. 9.

Obsidente Iuda Machabæo quoddam præsidium, quidam Gentiles intus existentes, verba blasphemiæ nephanda iactabant. Tamē citò postea concremati fuerunt. 2. Machab. 10.

Dicentibus Iudæis NICANORI, Est Dominus potens in cœlo, qui iussit agi septimam diem solennem: ille infœlix respondit, Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negocium regis impleri. Sed ruit cum armis suis. 2. Mach. 15.

Cum eiecisset dæmonium Dominus cæcum & mutum, stupentibus turbis, PHARISEI blasphemabant dicentes: Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmonum, &c. Matthæi duodecimo. Lucæ vndecimo.

Pendente Domino in cruce, Prætereuntes blasphemabant eum, mouētes capita sua. Matth. 27. Lucæ 23.

Contradicebant IVDÆI his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes ac contradicentes. Act. 13. & 18.

OLYMPIVS episcopus Arrianus regnante Theodorico, dum Carthagine in balneis sanctam Trinitatem, quam non credebat, blasphemaret, omnibus qui aderant videntibus, ignitis tribus punctis, quæ coniuncta erant, ambustus, totus consumptus fuit: Trinitatis vim, quam contemnebat, in perniciem suam expertus. Fulgosus libro primo, capite sexto, ex Sigeberti Chron.

GLAVCVS Lacedæmonius, Pythium Apollinem tentat. Vide tit. Perfidiæ in deposito.

SALMONEVS Æoli filius, Iouis fulmina in aere simulabat, vt Deus in Elide crederetur. Verg. lib. 6. Æneid.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur olympi.

Cùm quodam tempore sederet cum suis discipulis PHERECYDES Syrus, atque alia multa de propria sapientia iactitaret: tum præcipuè illud, quòd etiamsi nulli Deo rem sacram faceret, nihilo iucundius neque tristius vitam ageret, quam qui Hecatombas sacrificarent. Huius igitur tam impij & in deos contumeliosi sermonis grauissimas mox pœnas dedit: toto namque corpore à pediculis exeso atque consumpto, cum fœda turpísque facies euasisset, consortium familiarium fugit. Primùm emisit sudorem calidum, viscosum, & mucori similem, postea prorsus belluinum, tandem pediculi creuerunt: cumq; carnes in pediculos dissoluerentur, liquefactio sequuta est, atque ita animam exhalauit, dans dignas suæ impietatis pœnas. Ælian. lib. 4. de Varia hist.

DAPHIDA sophista, cùm Apollinem Delphis irridendi causa consuleret, An equum inuenire posset, cùm omnino nullum habuisset: ex oraculo reddita vox est, Inuenturum equum, sed vt eo turbatus periret. Inde cùm iocabūdus, quasi delusa sortium fide, reuerteretur, incidit in regem Attalum, sæpenumero à se contumeliosis dictis absentē lacessitum: eiusq; iussu è saxo, cui nomen erat Equi, præcipitatus est. Cuius rei meminit Cicero de Fato: Val. Max. libro 1. cap. de Miraculis.

COMMODVS Imperator, cùm Isidis sacrificia perageret, illius imagine, quam ipse gestabat, sacerdotum percutiebat capita: impellebatque vt pineis nucibus, quas secundum religionis ritum manu gestabant, adeò se diuerberarent, vt ex eis aliqui interdum morerentur. Quam ob rem & hoc religionis contemptu, & alijs infandis sceleribus nulli non inuisus, dum in lecto iaceret, à suis oppressus, vitam amisit, magna popul. Rom. lætitia: corpúsque eius, cùm insepultum aliquantisper mansisset, post omnia quæ fieri poterant ludibria, in Tyberim proiectum est. Fulgosus libro primo, capite secundo.

M. AVR. Antonius Bassianus, Heliogabalus, Vestalem virginem secū nubere coegit, ac loco suo Palladium dimouit, perpetuos Vestæ ignes extinguere tentauit: & ceu cum dijs ipsis bellum gereret, Romanorum religiones omnes, quæ eius temporibus colebantur, sine discrimine violauit. Quibus sceleribus deos hominésq; ita irritauit, vt ab equitib' suis impetu in eū facto occideretur. Quanto autem eos qui antea principatum gesserant, violata religione superauit: tanto ipse alijs despectior fuit, in latrinis interemptus, ac per vrbem primò, inde in lupanar pedibus tractus, in Tyberim deiectus est. Ibidem.

VOTA ET IVSIVRANDVM NEGLIGERE.

Votum dijs promissum non persoluere: iusiurandum quoque hominibus datum, deorum authoritate interposita, fallere: iniustum est. Votum igitur neglectum, & iusiurandum non præstitum, violatæ religionis species est. Nam qui dijs testibus aduocatis peierat, tacitè fatetur, deorum potentiam à se contemni, & pro nihilo haberi. At respectu mendacij, sic pertinet ad Iniustitiam ethicam.

Consule tit. Periurij, & Pœnæ periurij.

ARATVS Sicyonius, cùm 600 hominum capita, ne ab aduersariis voto vinceretur, se Deo immolaturum vouisset, non compos factus exoluere votum Thessalico dolo recusauit Alex. lib. 3. cap. 22.

AMASIS periurus in furto. Vide tit. Furum.

DEI IVSSA, PRAECEPTA, MONITA SPERNERE, NEGLIGERE, contemnere, vel de iis dubitare. INOBEDIENTIA erga Deum.

Consule tit. Pœna inobedientiæ religiosæ.

Vsque ad aquas contradictionis fideliter credidit MOYSES cunctis verbis Domini: sed ibi aliqualiter hæsitauit. Numer. 20.

SAVL iussus perdere Amalechitas, bello superatos neci dedit: Agag autem regi eorum pepercit: Deóque inobedientiæ crimen vlciscente, sublatum est ab eo regnum, & traditum alteri. Non enim lex impletur nisi tota seruetur. Cui autem ille pepercerat, eum Samuel propheta coràm adductum, frustatim concidit, vt crudelitatem pietatem esse doceret, dum obsequium præstatur Deo. Marul. lib, 4. cap. 3.

ACHAB rex per prophetam à Domino arguitur, quòd deuictis Syris regem eorum Benadab dimiserit illæsum, cum morte dignus esset. & dicitur illi: Erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Ibidem.

ILLE quoque, qui prophetæ imperium, vt ei vulnus infligeret, neglexit, à leone laceratus, inobedientiæ pœnas dedit. Alter verò obediendo percutiens, seruatus est. Hinc apparet, quàm grande nefas sit, vt alicui mortalium parcas, Deo omnium conditori ac Domino obsequi nolle. Marul. lib. 4. cap. 3.

Conquerendo dicit DOMINVS: præualuerunt sermones Ionadab, filij Rechab, quos præcepit filiis suis, vt non biberent vinum, qui obedierunt præcepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos, & nō obedistis mihi. Hiere. 35.

ISRAELITAE non patrio ritu, non religione inhiberi potuerunt à Moabitarum mulierum congressu, cōcubitúque nefario. Itaque ipsorum autorum morte prius id scelus expiatum, dein & cognatorum, bis denis millibus paucorum dierum spacio pestilentia consumptis: insigni documento, nullam domum oportere priuata charitate scelus admittere, ne quod in paucis peccatum sit, in multis vindicetur. Sabel. lib. quarto, capite tertio.

ZACHARIÆ patri Ioannis Baptistæ, dixit Angelus: Ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant, eo quòd non credidisti verbis meis. Luc. 1.

Non fecit Dominus Iesus virtutes multas in PATRIA sua propter incredulitatem illorum. Matth. 13.

Quando Petrus ambulans super aquas cæpit mergi, arguit eum Dominus de defectu fidei, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Matth. 14.

MACEDONIVS Aquileiensis antistes, cum Honorato Mediolanensi, & Ioanne Rauennate episcopis, ausus est capita tria Chalcedonensis concilij per se respuere, neque illis omnino assentiri velle. Quod Pelagius Romanus pont. adeò grauiter tulit, vt adhuc extent eius literæ ad Narsetem, in Venetia tunc agentem, scriptæ, quibus principem virum adhortetur & moneat, vt in ipsum Macedonium grauiter animaduertat, nec patiens hanc tantam dissimulationem æquo animo ferat. Ecquis non iure Macedonium ipsum accuset, qui Pelagij Pontificis Romani autoritatem negligeret: aut tot sanctissimorum patrum sententias, quot in Chalcedonensi concilio tunc fuerant (sexcenti enim affuerant) dissimulanter vnus arguere vellet? Egnat. libro primo capite tertio.

ETHNICA.

TIBERIVS Attinius Accius, cùm in somno à Ioue admonitus esset vt ludos Circenses diu iam neglectos instauraret, idque senatui & consulibus indicaret, non fecit. Ideóque eodem die filius eius mortuus est, ipse quoque graui correptus morbo. Rursúsque querentem per quietem imaginem cùm audiuisset, satis ne pœnarum pro neglecta religione pependisset? Lectica ad consules delatus, & re omni in senatu exposita, corporis pristinam sanitatem recepit pedibúsque domum rediit. Historiam copiosè recitat Lactantius libro secundo de Origine error. capite octauo.

Cùm maritima Atticæ vastarent Bœoti, & ATHENIENSES aduersus Æginam expeditionem inirent, aduenit è Delphis oraculum, vt ab Æginetis lædendis triginta annos abstinerent: tricesimo anno cùm fanum Æaco dicassent, bellum cum Æginetis inchoarent, ad votum eis re successura. Sin Bellum continuò inferrent, fore vt inter ea multa detrimenta acciperent & inferrent, sed ad extremum illos subigerent. Hoc oraculum Athenienses vbi audiere, Æaco fanum dicarunt, quod nunc in foro extructum visitur: sed triginta annis non esse abstinendum censuerunt, quòd videlicet audissent esse fatale, multa se passuros indigna ab Æginetis, si bello abstinerent, Herod. libro quinto.

AVSPICIA NEGLECTA ET CONTEMPTA *felici successu.*

ALEXANDER Macedo ducturus contra Darium exercitum, cùm luna eclipsim pateretur, & ob id milites trepidarent, nihilominus tamen fœliciter pugnauit. Alexander ab Alexandro libro quarto capite vigesimo.

IDEM, cùm contra Persas dimicaturus, Iunio mense exercitum duceret, quod apud Macedones luctuosum erat, contempta religione fœliciter dimicauit: asserens, mensem Iunium secundum Maium se appellari iussisse. Ibidem.

PELOPIDAS, aduersus Alexandrum Pheræum ducens exercitum, apparentibus multis prodigiis, non potuit deterreri, quin manus cum hoste consereret: victoriámque ad suos reportauit. Ibidem.

DION Syracusanus, cùm contra Dionysium bella moturo, luna eclipsim & pateretur, tota delitesceret: nullo prodigio aut ostento deterritus, eiecto tyranno, crudeli dominatu Syracusas liberauit. Ibidem.

L. TARQVINIVS rex, centuriis equitum, quas Romulus auspicatò conscripserat, alias adiicere cupiens, cùm ab Decio Accio Nauio augure prohiberetur, offensus interrogauit, Posset ne fieri quod ipse mente concepetat? Posse fieri, dicente: iussit nouacula cotem discindi. Qua Decius allata, administrato incredibili facto, effectum suæ perfectionis oculis regis subiecit. Val. lib. 1. cap. 4.

L. Papyrius, à velocitate Cursor, cùm consulem se aduersis omnibus contra Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus, edixit FABIO Rutiliano magistro equitum, quem exercitui præfecerat, ne manus cum hoste consereret. Sed cum ille opportunitate ductus pugnasset & vicisset, reuersus eum securi ferire voluit. Sueton. de Viris illust.

FLAMINIVS consul moturus aduersus hostes bellum, contemptis auspiciis fortiter pugnauit, & vicit. Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 29.

L. LVCVLLVS, cùm contra Tigranem duceret legiones, nulla fati religione motus, pridie nonis Octobris (quæ dies atra fortè inciderat) contra innumerabiles Parthorum copias prælio decertauit: asserens, se ex atro & lugubri fœlicissimum illum diem facturum, nec custus defuit. Nam prælium ingressus, parua manu ingentes hostium copias incredibili fœlicitate superauit. Alexander libro quarto capite vigesimo.

C. CÆSAR, cùm admoneretur, ne ante brumam copias in Aphricam trasmitteret, nulla omnis cura fœliciter transmisit. Ibidem.

Hebræus eques, quem Misonianum Eusebius appellat, cùm moratam equitum turmam inspiceret, in qua ipse cum Rom. militibus erat: & morę causam inteligeret esse, quòd augur prius inspicere vellet, quid augurij capiendum esset ab aue, quam fortè in via offenderent: Misonianus aliud à se agi fingens, arcum tetendit, primáque sagitta cōfossam auem in terram deiecit atque ridens, ad comites conuersus dixit: Parum consilij atque opis ab irrationalibus animatis posse quenquam sperare, posteaquam pateat ea nescire, quæ ad se ipsa pertineant. Et re & verbo, auguria vana esse, stultéque eis credi, ostendens, Fulgos. lib. 7. cap. 2.

INFELICI SVCCESSV.

C. FLAMINIVS, quòd secundo bello Punico consul Latinas ferias non indixisset, neque sacrum in Albano fecisset, sed lixæ modo sine more, sine auspiciis ad exercitum profectus esset, cùm apud lacū Thrasymenum cùm Hannibale conflicturus conuelli signa iussisset, lapso equo super caput prostratus, quindecim Romanorum milia amisit, viginti fugata, sex millia capta. Val. Max. libro primo cap. de Prodigiis. Plin. cap. 42 & 51 de viris illust. Liuius lib. 2. de 2 bello Pun. & Cic. lib. 1. de Diuinatione: & Alex. lib. 5. cap. 7.

TIBERIVS Gracchus, cùm res nouas aggrederetur, auspicia domi prima luce petiit, quę illi perquam tristia responderunt. Ianua enim egressus, ita pedem offendit, vt digitus deciderit. Tres deinde corui in eum auersum occinentes, partem regulæ decussam ante ipsum protulerunt. Quibus omnibus contemptis, à Scipione Nasica pōtifice maximo ducussus Capitolio, fragmento subsellij ictus procubuit. Plut. in vita Gracchorum. Plin. cap. 64. de Viris illust. Eutrop. lib. 4. cap. 7. Val. Max. lib. 13. cap. 4. Sabell. lib. 9. En. 5. Rhaps. Alex. ab Alex. libro 1. cap. 26. Genialium dierum.

APPIVS Claud. Pulcher, primo bello Punico apud Siciliam, cùm prælium nauale committere vellet, auspiciáque more maiorum petijsset, & pullarius non exire pullos cauea nunciasset, abijci eos in mare iussit, inquiens: Siquidem esse nolunt, bibant. Prælio itaque inito, turpiter fugatus est. Florus lib. 2. cap. 2. & lib. 19. Epi. Cic. lib. 2. de Nat. deor. Val. Max. lib. 1. cap. 4. Sueton. in Tib. & Alex. lib. 1. cap 29.

LIVNIVS, Claudij collega, neglectis auspicijs, classem tempestate amisit, damnationisq; ignominiam voluntaria morte præuenit. Cic. lib. 2. de Diuinat. Val. Max. lib. 1. cap. 4.

SERVILIVS Maluginensis, Q. Sulpitius Longus tribuni militum consulari potestate contra Gallos Senones missi, non deorum memores, si non hominum, nec auspicatò, nec litatò instruunt aciem. Turpiter itaq; profligati cum toto exercitu, nobilem illam cladem Alliensem inter nefastos dies relatam acceperunt. Liuius.

M. CRASSO conflicturo cum Parthis, exta è manibus deciderūt. hoc tum cæteris vt inauspicatum interpretantibus ac prælium dissuadētibus: Huiusmodi, inquit, incōmoda multa nobis senectus adfert: at arma tamen nunquam è manibus mihi ceciderunt. Plutarch. in vita Crassi.

DEI BENEFICIORVM IMMEMORES, INGRATI *erga Deum.*

LVCIFER perfectionis suæ excellentiam conspiciens, creatori suo, beneficij sui immemor, æquiparari voluit: vnde ob ingratitudinem & superbiam, è cœlo præcipitatus est.

ADAM & EVA beneficij à Deo accepti immemores, Domini præceptum, fructum scilicet vitæ comedendo, transgressi sunt.

POPVLVS Israel beneficiorum Dei immemor, ad Aaron dicebat, vt deos faceret, qui præcederent eos, cùm moram faceret Moyses discedens à monte. Exod. 32.

FILII Israel, cùm in deserto nihil haberent quod ederent, sine labore cibus optimus de cœlo datus est. Illi verò ingrati flebant, dicentes: Quis dabit nobis carnes? Num. 11.

Angelus Domini improperauit beneficia populo à Deo collata, q̄ illis abutentes, rupissent fœdus, & transgressi essent Dei mandata. Iud. 2.

AMASIAS, diuino fretus auxilio, vicerat Idumęos, & filios Seir: & auferēs deos eorum, adorauit illos. Missus autem ad eū Propheta, dixit: Cur adorasti deos qui non liberauerunt te. 2. Paral. 25.

Conquerendo dicit Dominus de POPVLO Iudæorum: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Et conuicit eos esse bestijs mingratos. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini: Israel autem me non cognouit. Esaiæ 1.

HIEROBOAMVM Dominus exaltauit super decem tribus. Ille verò libidine dominandi elatus, populum auertit à cultu Dei. 3. Reg. 12.

EZECHIAS beneficia acceperat à Domino, & eleuatum est cor eius. 2. Paral. 32.

LEPROSOS decem mundarat Christus saluator noster, quorum nouem non agnoscentes diuinum beneficium, insalutato Domino abierunt: decimus tamen in faciem ante pedes eius procumbens, gratias egit. Lucæ 17.

IVDAS à Christo saluatore nostro in Apostolum susceptus, modica pecunia & villissimo pretio suum & omnium mortalium simul redemptorē falso osculo in manus inimicorum tradidit.

TIMOTHEVS Atheniensis, Cononis filius, quòd fortunæ successus sibi ascriberet, neque Deæ gratiam, vt par erat, referret, infœlici pugna victus, & in exilium actus est. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.

SACRA VETITA ATTINGERE.

OZIAS rex Iuda, cùm sacerdotale munus vsurpare vellet, apprehenso manu thuribulo, repentè lepra percussus est. 2. Paralip. 25. Nadab quoq; & Abiud sacerdotes, cùm partes suas parum castè obirent, ac thuribulum manu tenerent, ignibus inde prodigiosè egressis combusti fuerunt. Item Oza, cùm cadentem fœderis arcam (quam solis sacerdotibus contingere fas erat) sustinere vellet, subita morte correptus est. Fulgosus libro primo, capite 2. ex 2. Reg. 6.

BETHSAMITÆ eleuantes oculos, viderūt arcā Domini, & gauisi sunt, obtuleruntq; Domino holocaustum. Quamuis autem bonū opus facere viderētur, percussit eos Dominus graui plaga, eo quòd vidissent arcam, quam vidisse non debebant. 2. Regum. 6.

DEMARCHVS Parrhasius genere, eo quòd in sacrificio (quod Arcades Ioui Lycæo humana hostia faciebant) immolati pueri exta degustasset, in lupum conuersus est, ac demum decimo anno humanæ figuræ restitutus. Plin. libro 8. capite 22. vbi eum Dementum, non Demarchum vocat, nisi menda sit.

ILVS, cùm Mineruæ templum ardere videret, cursu concitus, demissum cœlo Palladium eripuit, & statim oculis captus est. Postmodum verò placata ira deæ, pristinum recuperauit visum Dercyllus in lib. Ædificiorum: & Plut. cap. 34. Parall.

Q. Cæcilius METELLVS pont. max. Romanorum, simili modo Palladium ex Vestę templo incenso eripuit, & statim oculis captus est. Placata mox dea visum recepit. Aristides Milesius de Rebus in Italia gestis: & Plut. cap. 35. Parall.

SACRA NON REVERERI.

Cùm Clementis summi pontificis tempore in vrbe TRAIECTO iuuenes, puellæ, viri, fœminæ, choreas ducerent in ponte frequentes, venerabile Christi sacramentum deferebatur. Verùm cùm intenti vanitatibus, contemnerent sacra, ac in furore pergentes saltarent, repentè fracto ponte ferè 200. homines perierunt. Cranzius libro octauo capite 39. Metropoleos.

SACRA NEGLIGERE AVT INTERMITTERE.

HOMINES, quos misit rex Babylonis ad habitandum Samariam non timebant Dominum: & immisit eis Dominus leones, qui interficiebant eos. 4. Reg. 17.

Hercules Iolao nepoti templum magnificū erexit, & in eo sacra multa instituit. Quòd si à solitis deficerēt sacris INCOLÆ, mutescebāt prorsus: rursus verò si ex more perficerent, in pristinam sanitatem restituebātur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 14.

DEMONAX philosophus, eo quòd ad sacra Eleusina mysteria nunquam accessisset, à populo tanquam religionis contemptor, accusatus est. Volat. libro 15. Antrop.

ALPHONSVS IIII. Legionis in Hispania rex, cū quinto anno post sumpta imperij insignia regno abijsset, & monasterio inclusus, fratri suo Ramiro secundo regno cessisset: abiecto postea religioso habitu, resumere regnum tentauit. Itaque à fratre captus, oculis erutis, in monasterium, vnde abierat, reiectus fuit, vbi mortē obiuit. Fulgosus libro primo, capite secundo.

SACRA TRANSFERRE, AVT IMMVTARE.

Mira res, neque ea parua, sub VALENTE Augusto contigit, cùm transferre Constantinopolim Ioannis Baptistæ caput vellet. Currus enim, cui impositum erat, moueri loco nunquam potuit. Itaque omittere coactus est opus, quod susceperat. Hoc autem ipsum caput postea facillimè à Theodosio perlatum fuit. in eo enim diuinum numen ostendit, quantum Valentem propter Arrianam perfidiam abominaretur, & quantum propter fidei sinceritatem ac bonitatem Theodosium diligeret. Fulgosus libro 1. capite 6.

Othonis & Philippi imperatorum bello, Coloniam visa sunt redire in templum vndecim millia virginum, trium Regum corpora, ab abbatia Fuldensi ex Thuringia, quò à Colonia fuerant translata. Mane enim dum nocturni psalmi cantarentur, abbas monachíque eius monasterij egredi templo corpora ipsorum trium perspexēre Regum: quę haud multo pòst Coloniæ in templo, vbi antea erant, fuerunt inuenta. Fulgosus libro primo, capite 6.

Præsens se diuinum ostendit numen Hierosolymis, ingenti hominum formidine, cùm IVLIANVS Imperator apostata in Christianæ religionis contemptum, Iudæos instaurare dirutum sub Tito templum eorum permisit, demandata eius cura Antiocheno Philippo. Nam post iactos in fundamentis primos lapides, terra edito ingenti mugitu, vehementer tremuit: cœptumq; iam murum à fundamentis, mixta flamma, cùm ingēti fabrorum strage, reuomuit, omnibus quæ illic erant vsque ad ferramēta ipsa consumptis. Quæ res vt opus intermitterent effecit: proximáque nocte multis cruces in vestibus, quæ deleri non poterant, apparuēre. Fulgos. libro 1. capite 6.

Referam nunc, quod suo seculo cognitum manauit ad posteros: penates deos ÆNEAM Troia aductos Lauinij collocasse. Inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, translatos, pristinum sacrarium repetisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu significasse. Nec me præterit de motu & voce deorum immortalium humanis oculis, auribúsque percepto, quam ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non noua dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem authores vendicent: & nostrum sit, inclytis literarum monumentis consecrata, perinde ac vana non refugisse. Valerius Maximus, libro primo capite octauo.

Hercules detractæ religionis ſuæ & grauem & manifeſtam pœnam exegiſſe traditur. Nam cùm POTITII ſacrorum eius ritum, quem pro dono genti eorum ab ipſo aſſignatum, velut hæreditarium obtinuerāt autore Appio cenſore, ad humile ſeruorum miniſterium tranſtuliſſent: omnes qui erant numero ſuper triginta puberes, intra annum extincti ſunt: noménque Potitium in duodecim familias diuiſum, propè interiit. Appius verò luminibus captus eſt. Val Max. libro primo capite ſecundo Liuius libro 2. Dec. tertiæ Plinius libro nono capite primo Macrob. libro tertio Satur. Feneſtella cap. 2. de Rom. ſacerd.

TEMPLA, ET QVAEVIS ALIA LOCA SACRA (GRAECIS *τεμένη vocantur*) *vaſtare & incendere.*

PHLEGYAS rex Lapitharum, & Ixionis pater, templum Delphici Apollinis incendit. Hinc ad inferos detruſus, ibidem grauiſſimè punitur. Verg. lib. 6. Æneid.

ERISICHTON Theſſalus, Cereris (quàm aſpernabatur) lucum abſcidit, vlciſcente dea ad tantam redactus eſt famem, vt ſua ipſe membra corroſerit. Ouid. lib. 8. Metam.

... Pater huius erat, qui numina diuûm
Sperneret, & nullos aris adoleret honores, &c.

EROSTRATVS templum Epheſiæ Dianæ toto orbe nominatiſſimum, & inter ſeptem orbis miracula nominatum, incendio dedit, vt immortalitatem nominis ſibi compararet.

THERON rex citerioris Hiſpaniæ, furore correptus templum Herculis apud Gades expugnare voluit, & incendio dare. Iratus deus fecit, vt eius naues improuiſo igne corriperentur. Autor Macrobius.

PHILIPPVS rex Macedonum, apud Athenienſes Cynoſarges templum Herculis, gymnaſium, & maximi nominis lucum, incendiis conſumpſit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 14.

XERXES, dum innumerabilibus copiis Græciæ bellum parat, templum Didymæi Apollinis magnificè extructum, & multis ornamentis egregiè inſtructum euertit. Alex. libro 6. cap. 2.

NERO Romanorum imperator, Apollini ſiue iratus, quòd ei moleſtum & graue reſponſum dediſſet, ſiue alio pacto inſaniens, Cerrheã regionem abſtulit, eámque militibus dedit: & locum, vnde oracula perebantur, quod *μαντεῖον* dicitur, deleuit, hominibus ad os ipſum, ex quo ſpiritus Dei mittebatur, interfectis. Xiphilinus in Nerone.

TEMPLA SPOLIARE, ET DIRIPERE SACRILEGIA.

Conſule tit. Pœna ſacrilegij.

Fuerat in Hiericuntis excidio edictum, priuſquam vrbs caperetur, vt omne aurū, & argentum, & quicquid precioſæ veſtis ex præda cogeretur, ad ſacrorū vſum intelligeretur coactum. Sed ACHAMVS Charmi filius, chlamydem auro intextam adeptus, contra edictū & religionem in occulto habuit, rem ſacram in prophanum vertit vſum. Mutatus fauor numinis indicio fuit. Achamus ſceleris conuictus, cum vxore & liberis ab vniuerſo eſt exercitu lapidibus obrutus. Sab. lib. 4. cap. 3. ex Ioſue.

MANASSE ac filius Amon, Iudæorum regis, quia Hieroſolymarum templum ſpoliarant, opibus regnóque priuati ſunt. Manaſſe ab Aſſyriis diu Babylone in cuſtodia habitus eſt: Amon autem cùm æquè in impietate, ſicuti in regno patri ſucceſſiſſet, ne impunè abiret, à ſuis in palatio obtruncatus fuit. Fulg. lib. 1. cap. 2.

SELEVCVS Aſſyriorum rex, ingentium opum fama accenſus, quæ in Hieroſolymitano templo ferebantur eſſe nulla religionis habita ratione, Heliodorum ad ſpoliandum templum miſit. Eum autem cùm Onias pontifex in ſacrarium induxiſſet, duos ingentes equites, qui aurei videbantur, adorti, grauiter verberauêre. Cæterum cùm ita malè mulctatus Pontificis precibus priſtinas vires recepiſſet, ad regem ſuum rediit monuítque ſi quem in regnis ſuis inuiſum haberet, eum ad ſpoliandum Iudæorum phanum mitteret. damnata enim iis verbis ſacrilegij grauitate, diuinam quoque potentiam, quanta eſſet, teſtari voluit. Fulg. lib. 1. cap. 2. ex 2. Machab. 3.

Nabuchodonoſor Chaldæorum rex, quoniam deuictis Ioachim & & Sedechia Hieroſolymarum regibus templum ſpoliauit, ingenium ſenſúmque communem amiſit: adeóque delirauit, vt ſimilis iumentis factus, tanquam extra humanam effigiem, in nulla parte hominum mores agnoſceret. Ibidem.

BALTHASAR Chaldæorum rex, alio nomine Naboar appellatus cùm præter multa alia infanda facinora, adhibere menſis ſacra Hiroſolymitani templi vaſa, in eiſque veſci auſus eſſet (quæ Nabuchodonoſor proauus Babylonem tranſtulerat (cœleſtem iram in ſe conuertit: & quo tempore fœlicior ſibi viſus eſt, ei Cyrus Perſarum rex, cum regno vitam quoque ademit. Ibidem.

ANTIOCHVS Epiphanes Aſiæ ac Syriæ rex, cùm Iaſonis ac Menelai Hebræorum opera Hieroſolymam cæpiſſet, parum ducens theſauris atque ornamentis omnibus templum ſpoliaſſe, ſanxiſſétque ne in poſterum in eo veteri cultu ſacra fierent: Olympio Ioui templum dicauit. & vt Iudæorum legem ceremoniáſque penitus deleret, perquiſitas omni cura ſacras Iudæorum ſcripturas omnes combuſſit. Quamobrem concitata in ſe diuina iuſticia, in ſæuum incidit morbum, ex putrida eius carne ſubinde naſcentibus, ceu in aquarum ſcaturigine, vermibus. Vnde cùm in omnium odium faſtidiúmque ſimul veniſſet, ac poſt longos grauéſque cruciatus à chariorib. quoque relinqueretur, rabie atque ira plenus mortem obiit: cùm ante obitum & agnouiſſet, & faſſus eſſet, propter violatum Iudæorum templum id ſe perpeſſum fuiſſe. Ibidem.

LEO quartus, filius Conſtantini Copronymi auaricia impellente per ioci ſpeciem, ceu alter Dionyſius, ex ſanctæ Sophiæ capite diadema ſuſtulit, à ſuperioribus principibus, præſertim à Mauricio, magnis opibus in eius honorem factum. Itaque cùm illud ipſe poſtea geſtaret. eam Deus impietatem vltus eſt. Nam pro gemmis veneuati carbunculi atque anthraces Leonis caput obſederunt: coactuſque diadema deponere, viuendi quoque finem fecit. Ibidem.

AFRICANI exardeſcentibus Vuandalis, libros diuinos igni tradiderunt, ac de ſacris palliis ac veſtibus habitus ſibi fecerunt. Quibus Valerianus epiſcopus cùm non conſentiret, à Genſerico rege omni vrbe & domo excluſus eſt. Sigebertus in Chron.

GENSERICVS princeps Vandalorum quum Carthaginem cępiſſet, omnéſque opes interfectis ciuibus in ius ſuum vertiſſet, animum ad eccleſiarum ſpoliationem adiecit: quas ſacris vaſis exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione priuatas, equorum ſuorum fecit ſtabula. Rauiſ.

STAMATVS homo Cretenſis, ſancti Marci theſaurum Venetiis expilauit. Volater.

ISACIVS exarchus, & Mauricius, ſub Heraclij imperio Lateranenſem eccleſiam Romę ſpoliarunt, in qua ingens theſaurus gemmatum auri & argenti, cum omni ſuppellectile ſacra, per multa ſecula à pontificibus, imperatoribus & regibus congeſtus erat. Blondus decadis primæ lib. 9. & Platina.

Eo bello, quod Carolus VIII. Gallorum rex geſſit aduerſus Annam, eius Galliæ partis quæ Britannia dicitur, ducem, quam poſtea in matrimonio coniunctam habuit, Britannus quidam cum ea militabat qui Remenſi vrbe egreſſus cum aliis ex hoſtili terra prædatum, pagum ingreſſus, vbi templum erat in quod meliorem rerum ſuarum partem agreſtes detulerant, capſam confregit: arbitratus ſecularium hominum eſſe, repletóque ſinu his rebus quas auferre ſecum poterat, poſteaquam domum rediit, dum res raptas agnoſcit, in eis particulas quaſdā lineas vidit, haud abſimiles his quæ ad naſi purgationem conficiuntur: niméque arbitratus ex eo genere eſſe, quibus ſacerdotes pro mappa ad ſuſtinendam hoſtiam vtuntur (neque enim in Gallia ita hæc, vt ab Italis, inſtruuntur) fœminæ in ea domo, in qua hoſpitio accipiebatur, eas dono dedit. Cùm autem ſanguine infectas cerneret, primum manus ſuas inſpexit: quas cùm illæſas cerneret, neque inde ſanguinem manaſſe videret, in ſinum ſuum oculos deflexit: vbi integra pectoris cute, diploidem quoque interiore tunica ſanguine illitum animaduertit. Quanquam vehementer miraretur, tamen eius rei cauſam intelligere non poterat. fœmina quoque quæ munus acceperat, cùm ad amnem lotura hos pannos tuliſſet, non modò ex pannis huius ſanguinis maculæ non abibant, ſed aqua quoque cruenta fluebat. Itaque vehementer territa, cùm rem narraſſet, ſuſpicata ſacram eſſe telam eius ſacrilegij error innentus eſt: & pro comperto miraculum inuentum, & palàm omnibus factum. Quod haud diſſimile eſt ei rei, quæ Leoni pontifici contigit, qui petentibus à ſe ſanctas reliquias, eius mappæ, quæ corporale dicitur, partem ſecabat & dabat. Cæterùm cùm ſemel quidam eam rem deſpiceret, Leo illo præſente mappam pupugit: claréque illi oſtendit, ſanguinem ex ea manare. Fulgoſ. libro 1. cap. 6.

GVNDERICVS rex Vuandalorum, capta Hiſpali, cùm impiè elatus manus in Eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio à dæmone correptus interiit. Sigebertus in Chronicis.

BONIFACIVS ſeptimus pontifex Romanus, vir ſacrilegus, bonorum conſpiratione relinquere vrbem coactus, omnia ſacra precioſa ſecum Conſtantinopolim fugiens abſtulit. Quibus diuenditis paulo pòſt audacior factus rediit. Anno. D. CCCC. LXXII. Volat. lib. 22. Anthrop.

VEREMVNDVS ſecundus Hiſpaniorum rex, aggreſſus Galatiæ prouinciam, Compoſtellanam diripuit Eccleſiam: abſtinuit tamen

men à corpore Diui Iacobi, perterritus obuijs, vt aiunt, fulminibus: ex eóque metu ſoluta aluo cùm incidiſſet in morbum dyſenteriæ, ægrè conualuit, multíque eius milites internecino genere mortis abſumpti ſunt. Ritius lib. 2. de Regibus Hiſpanorum in fine.

Pœna quæ VRRACHÆ reginæ in Hiſpania ſacrilegium ſequuta eſt, admiranda prorſus, ac celeritatis plena fuit. Nam cùm in bello quod aduerſus filium Alphonſum gerebat, pecunia ei deeſſet, & ſancti Iſidori in Legione vrbe Hiſpaniæ fanum ſpoliare decreuiſſet, cæteris cōtingere ſacros theſauros reformidantibus, ipſa manu ſua multa auferens, dum templo egreditur, mortua concidit. Fulg. lib. 1. cap. 2.

Quàm manifeſtè in Pauli Græci pœna cœleſtis vltio apparuit? qui cùm à Bamba Gothorum rege deſciuiſſet, Hiſpaniarúmque regis nomen vſurparet, ac præter multa alia impiè facta coronam quoque in vrbe Gerūda à Bamba, rege ſancto Felici dono datam de templo tuliſſet, haud diu pòſt perpetrati ſceleris pœnam tulit. Captus enim à Bamba, à quo rebellarat, Nemauſi vrbe Gallica, atque Toletum in Hiſpaniam perductus, piceo diademate coronatus, luminibúſque orbatus, non ſine magno corū qui hominem viderant ludibrio, camelo cum ſerenti auerſus inſedit. Ibidem.

ETHNICA.

DIOMEDES & Vlyſſes in Troiana obſidione clàm vrbem ingreſſi, ipſum Palladium, ornamentum & ſolatium vnicum vrbis, ex Mineruæ templo rapuerunt: nec ita ſacrilegium veriti ſunt, cui cædem quoque adiunxerunt. Auguſt. lib. 1. cap. 2. de Ciuit. Dei.

THEOPOLEMVS & Hiero fratres, Apollinis fanum expilarunt. Quo facto pœnam iudicij reformidantes domo profugerunt. Cicero in quinta Verrina.

Quoniam ex Homeri carminibus fama ad Delphos peruenerat, Apollinis templum ditiſſimum antiquitus eſſe, his verſibus,

Οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει,
Φοίβου Ἀπόλλωνος Πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

DELPHOS, aiunt circa aram & tripodem ſuffodere cœpiſſe: cumque terræmotus horribiles orirentur, monitos ab incœpto deſtitiſſe. Ælian. ad lib. 6. de Var. hiſt.

Phayllus tyrannus, Ariſtonis Octæorum præfecti VXOREM amauit. Itaque per internuncium auri & argenti vim magnam ſe daturum pollicebatur, iuſſitque dicere, quacunque ſaltem indigeret re: nihil enim fruſtra à ſe eam petituram eſſe. Illa ergo multo deſiderio monilis tenebatur illius, quod in templo Mineruæ prouidę ſuſpenſum erat, quod Eriphyles fuiſſe ferebatur: vehementerque ſe dignam videri cupiebat, quæ hoc munus ab eo acciperet. Quare Phayllus detractis reliquis ex Delphis oblationibus, aufert etiam monile: idq; in domum Ariſtonis delatum, aliquādiu quidem geſtabat eius vxor valde gloriabunda. non longe verò poſtea caſus accidit, conſimilis planè illis quæ de Eriphyle narrantur. Minor enim natu filius eius furore correptus, domum incendit, matremq; ſimul cum plurimis opibus exuſſit. Parthen. de Amat. 25.

Fuit pariter ceu diuinitùs caſtigatum ſcelus Philomeli & Onomarchi & Phaylli, quod ſpoliato Delphici Apollinis templo putati ſunt perpetraſſe. Nam cùm ſacrilegis ſtatuta eſſet pœna, vt præcipitati, aut ſubmerſi, vel combuſti vitam finirent: haud multo poſt raptos ſacros theſauros, vnus eorum viuus combuſtus, ſubmerſus alius, tertius autem ex alto præceps demiſſus. His mortis generibus Grecam legem in ſacrilegos moriēdo ſeruarunt. Fulgoſ. lib. 1. cap. 2.

Miſit CAMBYSES maioris Cyri filius, quinquaginta hominum millia, qui templum Ammonis Iouis diriperent, contemptu religionis, directumque incendio fœdarent: ſed ingens illa hominum manus cum inter Oaſim Ammonios pranſa eſſet, ſubita ventorum tempeſtate, priuſquam ad locum veniretur, arenarum cumulis obruta eſt, vt nemo ex tanto agmine ſit nuncius repertus. Ex proximis tamen arenarum accolis eius rei fama ad poſteros manauit. Sabinus libro quarto capite tertio ex Herod. libro ſecundo.

PHILIPPVS Macedo (velut immanis prædo) omni rapinarum genere Apollinis templum, auro, argento, alijſque precioſiſſimis rebus magnificè ornatum, vaſtauit, incendit, atq; omnia immiſſo exercitu diripuit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2.

ALEX. Macedo ex templo Iouis ſolidū ex auro Victoriæ ſignum tolli iuſſit, cùm pecuniæ ad ſatisfaciendum militibus deeſſent.

Mileſia Ceres, Mileto ab ALEXANDRO Magno capta, milites qui templum ſpoliaturi irruperant, flamma obiecta, priuauit oculis. Val. Max. libro 1. capite 2.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm Sicilia rediens Locros claſſe præteruecheretur, inter alia fœda quæ in Locrenſes facinora edidit, theſauros quoque Proſerpinæ intactos ad eam diem ſpoliauit: atque ita pecunia in naues impoſita, ip ſe terra eſt profectus. Claſſis autem cùm poſtero die fœdiſſima tempeſtate laceraretur, naues pecunia onuſtas Locrenſes receperunt. Liuius lib. 9. de ſecundo bello Pun. Val. Max. lib. 1. cap. 2. Plin. cap. 35. de Viris illuſtribus.

SAMBICVS latro templum Dianæ expilauit in Elide. Quod flagitium quū fateri nollet, annum perpetuū exquiſitiſſimis cruciatibus ad mortem vſq; tortus eſt. Hinc adagium, Sambico grauiora pati. Eraſ. in Chil.

XERXES rex Perſarum templa omnia in Græcia incendit, hoc ioco, quòd impiè facerent, qui Deum, cuius templum mundus vniuerſus eſſet, parietibus includerent. Cic. in 2. de legibus.

IDEM quatuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum miſit: quaſi non cum Græcis tantùm, ſed cum dijs immortalib⁹ bellum gereret. Quæ manus tota imbribus ac fulminibus deleta eſt: vt intelligeret, quanto offenſio deorum grauior eſſet, tanto nullas eſſe aduerſus deos vires. Iuſtin. lib. 1. circa finem.

BRENNVS Gallorum dux, qui bello plurimùm Romanos vexauit, cū Delphici Apollinis templum ſpoliare vellet, Apollo irreuerenter tractatę religionis vltor, tanta eum crudelitate percuſſit, vt ſibi ipſi turpiter man⁹ inferret. Valer. Max. lib. 1. cap. 2. Iuſtin. lib. 2. Sabell. lib. 8. Ennead. 4. Rhapſ. & lib. 4. Exempl. cap. 3.

ANTIOCHVS cùm graui tributo pacis à Romanis premeretur, inopia pecuniæ nocte Iouis Dyndimæi cū exercitu templum intrauit, vt prędam faceret. Vbi cum multis ſuorū ab agricolis interemptus eſt.

ANTIOCHVS Syriæ rex, cognomento Magnus, Beli templum ſpoliare conatus, à finitimis Barbaris interemptus eſt. Strab. lib. 15.

Syracuſis genitus DIONYSIVS tot ſacrilegia ſua, quot iam recognoſcimus, iocoſis dictis proſequi voluptatis loco duxit. Fano enim proſerpinæ ſpoliato Locris, cum per altum ſecundo vento claſſe veheretur, ridēs: Amici videtis ne (ait) quàm bona nauigatio ab ipſis dijs immortalibus ſacrilegis tribuatur? Val. lib. 1. cap. 2.

Detracto etiam Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eū tyrannus Hiero è manubijs Carthaginenſium ornauerat, iniectóque ei laneo pallio, dixit: æſtate grauem eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum, laneum autem ad vtrunque tempus anni aptius. Idem, & Ælianus libro primo.

IDEM Epidauri Æſculapio barbam auream demi iuſſit: quòd affirmaret, non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipſum verò barbatum conſpici. Ibidem.

IDEM menſas argenteas atque aureas è fanis ſuſtulit: quodq; in his more Græciæ ſcriptum erat, Bonorum deorum eas eſſe, vti ſe bonitate eorū prædicauit. Ibidem.

IDEM victorias aureas, & pateras, & coronas, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, tollebat: & eas ſe accipere, non auferre dicebat. perquam ſtultum eſſe, argumentando, à quibus bona precamur, ab ijs porrigentibus nolle ſumere. Qui tametſi debita ſupplicia non exoluit, dedecore tamen filij mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat. Lēto enim gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat. Ibidem.

Q. FVL. Flaccus impunè non tulit, quòd in cenſura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunę equeſtris, quam Romę faciebat, tranſtulit. Negatur enim poſt hoc factum mente conſtitiſſe, quin etiam per ſummam ægritudinem animi expirauit, cùm ex duobus filijs in Illyrico militantibus, alterum deceſſiſſe, alterum grauiter audiſſet affectum. Cuius caſu motus Senatus, tegulas Locros reportandas curauit, decretique circumſpectiſſima ſanctitate impium opus cēſoris retexuit. Ibidem, & Liuius libro 42.

Senatus Rom. PLEMINII legati Scipionis in theſauro Proſerpinæ apud Locros ſpoliando, ſceleratam auaritiam iuſta animaduerſione vindicauit. Cùm enim eum vinctum Romam protrahi iuſſiſſet, ante cauſæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi conſumptus eſt. Pecuniam dea, eiuſdem ſenatus imperio, & quidem ſummam duplicando, recuperauit. Val. lib. 1. cap. 2.

M. Craſſus dux Romanus, cùm ad Parthicum bellum proficiſceretur, iter per Iudæam faciens, impellente auaricia, ſacris theſauris templū ſpoliauit. Itaq; cùm perpetrati ſacrilegij diræ eum inſectarentur, haud multo pòſt, conſerto cum Parthis prælio, ſuperatus, cum malè partis opibus & nomen & vitam, cum filio cæſus, amiſit. inuentóque ab hoſtibus capiti ei⁹ infuſum, quod liqueſecerant, aurum, auaricitiam ſcelúſque ſimul exprobrauit. Fulg. lib. 1. cap. 2.

ROMANI, cùm Carthaginē expugnaſſent, Apollinem deprædātes aurea veſte nudarunt. Verùm deus ſcelerū vindex id egit, vt ſacrilegæ man⁹ inter fragmenta eius abſciſſæ inuenirentur. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

Q. CEPIO conſul cùm oppidum Toloſanū in Gallia diripuiſſet, multumq; auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſq; qui ex ea direptione aurum attigiſſet, miſero cruciabiliq; exitu perijt. Cepio conſul cum 80 millibus Cimbrico bello ad Rhodanum cæſus. Hiſtoriam pete ex Auli Gelij libro tertio cap. 9. Strab. lib. 9. Geograph. Cic. lib. 3. de Nat. deor. Iuſtino libro 22. Volat. libro 19. & Roterod. in prouerb. Aurum habet Toloſanū. Sabinus libro 4. cap. 3.

ÆSCVLAPIVS conſecratum templo ſuo lucum apud Coos, à Turulio præfecto Antonij, ad naues ei faciendas, magna ex parte ſucciſum dolens, inter ipſum nefarium miniſterium deuictis partibus Antonij, imperio Cæſaris morti deſtinatum Turulium, manifeſtis numinis ſui viribus, in eum locum quem violauerat, traxit: effecítque, vt ibi potiſſimùm à militibus Cæſarianis occiſus, eodem exitio, & euerſis iam arboribus, pœnas lueret: & adhuc ſuperantibus, impunitatem conſimilis iniuriæ pareret: ſuamque venerationem, quam apud colentes maximam ſemper habuerat, Deus multiplicauit. Valer. libro 1. cap. 2. & Lactant. libro 2. de Origine errotis, capite 8.

Quum L. SYLLA defectus neceſſarijs, cogeretur etiā dijs dicata tāgere, Caphim amicum Delphos miſerat, vt pecunias ac donaria ad ſe perferret. Quibuſdam verò dicentibus, intra templum auditum citharæ ſonitum: quod oſtentum interpretabantur, quaſi Apollo citharœdus indignaretur: Caphis audita perſcripſit Syllæ. cui facetè reſcripſit Sylla:

Quin tu Caphi potius interpretaris istud esse signum gaudentis & exultantis Dei, quàm indignantis? Itaque perinde vt Deo hilariter tribuente, tu quoque bono animo pecunias accipe. Eras. libro quinto Apoph.

TITIVS quidam studiosè pila ludere solebat, sed idem noctu signa sacra frangere putabatur. Hunc quum gregales in campo desiderarent, Vespa Terentius hoc colore excusauit, vt diceret illum fregisse brachium. Nam diuorum imagines brachiis gestabant donaria. Huc allusit Vespas. Eras. lib. 6. Apop.

TEMPLA VEL SANGVINE, VEL STVPRO, VEL vinculis profanere. ASYLA violata.

Consule tit. In templis vel ad aras occisorum.

ATALANTA & Hippomenes Venereo concubitu templum Cybeles profanarunt. Demum leones facti sunt vlciscente numine. Ouid. lib. 10. Metam.

AIAX Oilei filius, Cassandram in templo Mineruæ stuprauit: dea facinus vlciscente, fulminatus est in mari, dum euerso Ilio redire vellet in patriam. Rauis.

Non erubuit PYRRHVS, Achillis filius, Priamum senio confectum ad aram Iouis Hercæi intersicere. Vergil. lib. 2. Æneid.

—Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati
Implicuítque comam læua dextráque coruscum
Extulit, & lateri capulo tenus abdidit ensem.

ALCIBIADES Atheniensis, non solùm dux inclytus, sed in dicendo eloquentissimus, quum Cererem & arcana mysteria violasset, in iudicio accusatus & condemnatus est. Volat. libro decimotertio cap. tertio Anthrop.

CYLON quidam Atheniensis, Olympionices, affectauit tyrannidem Athenis. Simulato namque æqualium sodalitio, arcem occupare conatus fuit. Id cùm efficere non potuisset, assedit simulachro dei supplex ipse ac socij. Hos illinc summouerunt magistratus Naucratiorū, qui tunc Athenas incolebant, data fide puniendi eos citra mortem. Sed culpa horum mox interfectorū fuit penes Alcmæonidas, qui propterea, ἐναγεῖς dicti sunt, id est piaculo obstricti. Herod. libro quinto Heraclides Cylonis interfectorem Megaclem fuisse testatur, in Politiis.

Cum Sybare citharœdus caneret in certamine, quod in honorem Iunonis erat institutum, inter SYBARITAS propter eum est orta contentio: cùmque mutuò ad arma venirent, citharœdus cum ipsa stola ad aram Iunonis confugit. At illi ne in isto loco quidem manus à citharœdo abstinuerunt. Paulo verò post videbatur in Iunonis templo scaturire sanguis, non secus quàm ex perenni fonte. Sybaritæ autem cùm oraculum Delphicum consultum misissent, tale responsum acceperunt:

Cede meis mensis, manibus nam sanguis adhærens,
Distillánsque recens, prohibet tibi limina templi,
Non tibi fata canam: Magnæ Iunonis ad aram,
Musarum innocuum strauisti cæde ministrum.
Non immortales hoc dij patientur inultum.
Si quis enim prudens, scelerata è mente profectum
Committat facinus, grauis hunc propè pœna sequetur.
Non exorabit, neque si genus ab Ioue summo
Ducere t: ipsesiio collo, collísque nepotum
Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.

Neque vltio tardata est. Cùm enim aduersum Crotoniatas bellum gererent, subacti sunt ab illis, ciuitas eorum euersa est, Ælianus lib. 3. de Varia hist.

C. TERENTIVS Varro ædilis, cùm ludos Circenses in Iouis optimi max. templo faceret, eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuit. Quod factum multos post annos memoriæ tum repetitum, tum expiatum est. Consul enim longe post factus, apud Cannas ob iras Iunonis tam infœliciter pugnauit, vt ferè quinquaginta Romanorū milia cæsa sint. Val. Max. libro primo capite secundo Lactantius lib. 2. cap. 17.

PVB. Clodius Pompeiam, Q. Pompeij filiam, & Syllæ neptem, inter publicas Bonæ deæ ceremonias adulterauit. Rauis.

RANIGARIVS, Rabodi Frisonum ducis satelles, Grimoaldum maiorem domus, Leodij ante altare sancti Lamperti orantem interfecit. Sigebertus in Chronicis.

SYLLA asylum Mineruæ violat. Vide tit. Crudelitatis in hostes.

FABRIANENSIS pop. principes suos in templo occidit. vide tit. Odium erga principes.

IN DEOS IPSOS, AVT IN DEORVM SIMVLACRA, *statuas, imagines sæuire.*

PHILIPPICVS Bardianus, Imperator Cōstantinopolitanus, non ob aliam causam ad hanc peruenisse miseriam creditur, vt per Anastasium Arthemium oculis captus etiam imperium amitteret: nisi quòd in imaginum hæresim se demisit: & pulso Cyro patriarcha viro catholico, Ioannem abbatem hominem hæreticum ei suffecerit, quem ob eam rem Constantinus pontifex maximus extra catholicam fidem illato anathemate fecerat. Fulg. lib. 1. cap. 2.

LEO III. Imp. Constantinopolitanus, Armenius dictus, parta de Bulgaris victoria, sanctorum imagines comburendas curauit. Eam ob rem à Stephano pontifice excommunicatus est, & non multo post à Michaele Traulo iugulatus. Contra eum Gregorius papa scripsit. Sigebertus.

CONSTANTINVS V. idem fecit, similiter & VI. qui Irenes matris suæ institutis abrogatis, imagines templis eiecit. Verùm à Pontifice captus, oculis orbatus est. Sunt tamen qui hoc zelo religioso tribuant.

THEOPHILVS imperator post Michaelem Traulum, quum sanctorum imagines odio haberet, multos earum cultores cædi iussit. Rauis.

Imperantibus Ottone & Philippo, in eo bello quod pro Germanico imperio inter se gesserunt, cùm permulti se cum rebus suis in fanum sancti Gouari, haud longè à Treuiris recepissent, quia & natura & arte satis munitus videbatur is locus, eóque oppugnaturus templum Vuernherus Bolanus venisset: qui intus obsidebantur, cùm suspectā haberet fenestram, ne ea hostes aditum sibi in templum facerent, posita in eo loco crucifixi Christi imagine, quæ lignea erat, satis cauisse rebantur, ne inde hostes venirent. Sed cùm auaricia pro Deo aurum colat, Sagittarius quidam populationis spe sagittam in eum ipsum locum direxit, vbi in Christi imagine confixa fuit, & mox tanquam ex viuente corpore à lignea Christi effigie sanguis manauit. Ea re territus Vuernherus, cruce sumpta, mare ad bellum contra Christi hostes gerendū traiecit: imago autem sagittáque sanguine conspersæ, in hunc vsque diē asseruantur. Fulg. lib. 1. cap. 6.

PETRVS Sermonetanus, qui minorum ordinem profitebatur, asini ori Christianam hostiam manducandā inseruit, vt dæmones in magica arte sibi fauentiores faceret. Tandem Romæ sub Innocentio VIII, viuus exustus est, Fulgos. lib. 9. cap. 11.

Anno Salutis quadringētesimo nonagesimo supra mille, in valle Camonica, Brixiensis agri, complures Sacerdotes, freti se facilius magicā artem consecuturos, spe ita eis ab humani generis hoste facta, quem in vno montium illius vallis palàm alloquebantur: in eam impietatem præcipites ruerunt, vt in hostiam, quam ipsi immolarant, alij vrerent lauarent, alij pedibus eam proculcarent: nonnulli, quod nihilo leuius est, comburerent. Fulg lib. 9. cap. 11.

Salutis anno ducentesimo nonagesimo supra mille, in Parisiorū vrbe quidam Iudæus, per inopem mulierculam, cui vestem quam ab ea oppignoratam habebat, se gratis restituturū promiserat, Christianam hostiam in paschate assecutus, cùm accenso igne in sartagine vellet assare: vt perspexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confestim sanguis manauit. Re autem detecta, superuenientibus Christianis, hostia in loco ei dicato restituta, Iudæi domus in templū conuersa est, quæ etiam nunc Saluatoris Bullientis nomine compellatur, vbi hostia gladiúsque etiam nunc ostenduntur. Fulg. lib. primo, cap. 6.

IVDÆVS quidam sub Pelagio pontifice imaginem Saluatoris de ecclesia furtim sublatam, telo transfixit. eámque clam domum deferens cùm eam vellet flammis exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit. Quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis sanguinolentam receperunt, Iudæúmque lapidarunt. Sigebertus in Chronicis.

Imperante Constantino Manuelis filio, quum Turcæ Constantinopolim cæpissent, nullæ scelerum facies defuerunt: nulla dignitatis, sexus, aut ætatis habita est ratio: stupra cædibus, cædes stupris additæ. Templa sanctorum diruta sunt: ossa martyrum canibus & suibus obiecta. Redemptor ipse iterum cruci affixus, luto limóque deformatus est. nullum omissum est ludibrium, quod prius exercuissent Iudæi. Princeps tantę feritatis O. homanus, vbi satis in sanctorum reliquias & simulachra sæuitum est, feritatem conuertit in vtriusque sexus homines, quos

omnes more porcorum gregatim occidit, præter nonnullas liberaliforma fœminas, quas ad maiorem libidinis ignominiam reseruauit. Hoc autem factum est anno Salutis 1453.

BVDÆ, Pannoniæ vrbe, duo aleatores ita conuenerant, vt alter in Dei nomine, alter in nomine diaboli luderet. Qui Deum nequitiæ fautorem faciebat, pecunias omnes, ipsas quoque vestes amisit: intempesta nocte desperabundus domum rediens per cœmiterium iter facit. Ibi Saluatoris crucifixi imaginem conspicatus, ira & furore plenus, saxum arreptū violenter fronti illisit. Miraculosè igitur saxum in vulnere hæsit, & copiosus sanguis profluxit. Cœmiterio vicinus habitabat lanius senex podagricus, is per quietem vocem incertam audit: Surgeret, & cultro proximum quemuis sibi obuiam factum confoderet. Quam vocem cùm tertiò iteratā, multis cū minis instantem audiuisset, parere decreuit. Itaq; cū prius ne mouere quidē sese lecto posset, impigrè surgens, laniario cultro arrepto, in cœmiterium descendens, aleatorem infelicem furibundum sibi obuiam factum cultro confixit. Hoc patrato facinore, iudicis ædes accedens, aditum & colloquium postulat. Iudex non credere, sed phantasma dæmonis arbitrari. Tandem admissus, somnium & cædē indicat. Cùm iam illuxisset, ad cœmiterium conueniunt, cadauer circumstāt. Interim dæmones cum terribili vlulatu in sublime raptum cadauer, ex hominum conspectu abstulerunt. Ea res, præter vulnus crucifixo illatum, aleatoris perfidiam arguit, & laniū à periculo liberauit. Author M. Fritschius in suis Meteoris.

EXEMPLA ETHNICA.

CELMIS vnus fuit ex Idæis Dactylis, qui matrem deorum Rheam violauit stupro. Rauis.

TANTALI perfidiam erga deos, quos hospitio susceperat, pete ex tit. Parentum parricidarum.

LYCAON Rex Arcadiæ, quū Ioui pararet insidias, ab eodem mutatus est in lupum: vt fabulantur poetæ. Idem.

Diomedes Tydei filius, Venerem in bello Troiano læsisse fertur. Idem.

Teuthis fuit quispiam princeps, qui ad expeditionem Troianam cū Græcis nauigare volens, dum in Aulidis rupes impegisset, indignatus Palladē vulnerauit hasta. Vnde exitiali morbo correptus est. Idem.

XERXES Rex Persarum, Neptuno maris deo compedes, & Soli tenebras minabatur. Proinde cùm vi fluctuum pons sublicius in Hellespōto disiectus esset, trecenta verbera mari inflixit, alapas incuti curauit, & compedes in illud demisit. Herod. lib. 6.

PHERON Rex Ægypti, iaculum in Nilum fluuiū iaculatur. Vide tit. Pœna impietatis erga deos.

Idem statuam Iouis auream Babylone è templo abstulit, sacrifico interempto. Eam Chaldæi octingentorum talentorum auri æstimabant. Herod. lib. 1.

Getæ Thraciæ populi, dum tonat fulguratque, in cœlum sagittas excutiunt, Deo minitātes, quòd nullum alium præter suū Zamolxim esse arbitrantur. Herod. lib.

CAMBYSES Persarum Rex, post deuictam Ægyptum, cùm videret bouem Api consecratum, tanquā omnium religionū hostis, percussa bouis coxa eum interemit: in eo impius, quòd quanquam belluā solùm & idolum peremisset, tamen verò Deo vim se fecisse arbitrabatur. Itaque cùm ab eo falsus Smerdes haud multo pòst rebellasset, qui penè Persidē omnem occupauerat: dum equum conscendit, lapso vagina ense, quo bouem antè occiderat, in coxa vulnus accepit, qua parte ipse Apis bouē vulnerārat, atque ex eo vulnere breui decessit. Fulgos. lib. 1. cap. 2. & Sab. lib. 4. cap. 2.

PHERON Rex Ægypti, vetusti nominis, cùm præter religionē, hastam in Nilū contorsisset, visu priuatus est. Cæterùm quàm pudendo dæmonum astu lucē amiserat, tā ridiculo recuperauit, instructus oraculo, fore vt lucem reciperet, si eius mulieris vrina, quæ viri duntaxat sui concubitu vteretur, perfunderentur oculi. Habuit ille oraculum in occulto. Inde remediū in propria coniuge, & in multis frustra expertus, in humilis fortunæ fœmina inuenit. hanc igitur sibi in matrimonio iunxit Pherō, cæteras ad vnam cum coniuge & tota vrbe iratus combussit. Sabel. lib. 4. capite 3.

Nero nullo discrimine tēplis atque altaribus spoliatis, nō solùm sperni à se religionē, verumetiā graui odio haberi ostendit. Nam ne à Syriaca quidē dea, quam colebat, abstinuit, quin vrina quoque eā aspergeret. Itaque cùm his rebus diis atque hominibus inuisus esset factus, omnes ab eo defecerunt: vnde in trepidā miserámque fugam cōpulsus, cùm vereretur ne grauiora ei in morte contingerent, sibiipsi mortem consciuit. Fulg. lib. 1. cap. 2.

SACRIS HOMINIBVS NON OBEDIRE. INOBEDIENTIA *religiosa.*

COLVMBANVS abbas Gallo discipulo (cuius paulo antè mentionem fecimus) inobedientiæ crimen obiecisse dicitur, quòd ad Ligonem fluuium piscationem fecisset, quam ad flumium Bruscam facere iussus fuerat. Gallus autem vtrum in hoc an in illo fluuio piscaret, Nihil referre arbitratus, dummodo opus quod iubebatur peregisset: tum demum aduertere animum cœpit, secúmque cogitare, quòd ideò fortasse sine piscibus redisset, quia cuncta quæ iussa fuerant, non plenè fuisset executus. Itaque iterum tentata piscatione, multisque in illo quod sibi assignatum fuerat flumine captis piscibus, didicit mandati non rem solùm, sed etiam verba singula diligentius esse perpendenda. Marulus libro 4. cap. 3.

ELIZABET Regis filia, Conradum mendicum & religiosum senem sibi magistrum adsciuerat, cuius imperio ac nutu in viam Domini dirigeretur. Igitur die quadam illo iubente, vt ad audiendum Dei verbum ecclesiam peteret, Marchionissæ Misnensis improuiso superuentu præpedita, ire omisit: ne sit antam fœminam modò domi exceptam tam citò reliquisset, parum honori habuisse videretur. Non accepit excusationem Conradus, & vt inobedientiæ culpam flagellis dilueret mandauit. Continuò illa positis vestibus, linea tantùm tunica, quæ nuditatem tegeret, derelicta, ipso spectante tandiu se loris diuerberauit, donec idem vt cessaret præcepit. Minus obsequiosi animi argumentū edidisset, si tunc ad ecclesiam, cùm iussum fuerat, accessisset. Leui in re nō obediuit, vt in multo difficiliore se obedientem probaret. Marul. lib. 4. cap. 3.

Constans, Constantini filius, dum Arrium iactat, & trecentorum ac duo de viginti patrum decreta contemnit, in tantum insaniæ incidit, vt Romanum pont. Liberium, Athanasium, Alexandrum, Hilarium Pictauiensem, multósque alios nostræ fidei lumina relegarit plerósque etiam *iniecto vitę metu impio Arrij dogmati subscribere coegerit.* Quare & Persicis bellis implicitus, & ciuilibus exercitus, nec relicto etiam successore, quem vellet, quinimmò & professo eius hoste Iuliano, decessit. Egnat. lib. 1. cap. 2.

SACRIS HOMINIBVS HONOREM NON EXHIBERE.

Valentianus cùm aliquando adeunti se Martino non assurrexisset, atque etiam rem quandam petenti subiratus repulsam daret, statim flāma à solo sursum versus emicante, assurrexit inuitus: & miraculo perterritus petita concessit, multoque deinde honore afficere episcopos pariter & presbyteros cœpit. Liquido iam perspiciēs, terrenam dignitatem diuinæ cedere debere: & sacerdotio præditos, æquum esse etiam ab imperatoribus honorari. Marulus libro tertio, cap. quinto.

SACROS HOMINES ET PIOS PERSEQVI ET odisse. PERSECVTORES Ecclesiæ.

Consule tit. Pœna persecutorum

DIOCLETIANVS in Oriente, Maximianus in Occidente crudeliter Ecclesias affligi, interficíque Christianos decimo post Neronē loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus ferè actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Eutropius lib. 10. Rerum Rom. cap. 29.

TRAIANVM Imp. licet mitem & humanum, inter tyrannos quoq; ideo numerandū censeo, quòd nonnulli sub eo Christiani miserè cruciati sint. De his Plinius, cùm esset procurator in Hispania, eum per literas admonuit, & consuluit, quid agendum, cùm nihil mali eos facere cōperisset, tantúmque quibusdam hymnis antelucanis vacare. Respondit Traianus: Minimè quidem inquirendos esse, verum oblatos punire oportere. Volat. lib. 23. Anthrop.

Imp. Decius multa Christianorū millia dedit morti, Quod etiam fecerunt Maximus, Valerianus, & Galienus filius.

CONSTANT. Imp. misso Exarcho in Italiam impugnauit Dei Ecclesiam mirum in modum. Sigeb. in Chron.

In Veneta gente, quàm grauiter Deus violatum religionis vinculum vltus sit, Ioannes & Mauricius dux indicio fuerint, Ioanne Gradenti antistite contra omne ius fásque ex altissima turri præcipitato. Quod immane facinus pia ciuitas paulo pòst auersata, vtrunque dignitate priuatū in exilium egit. Egnat. lib. 1. cap. 2.

ATHANARICVS Gothorum Rex, multos Christianos variis tormentorum generibus enecauit. Alios obtruncauit gladio, quosdā in exilium pepulit, & ibidem fame & siti languere ad mortem coegit. Hinc iusta numinis ira miserum exhalauit spiritum, sanguinis fluxu toto corpore erumpentis. Rauis.

HONORICVS Vandalorum Rex, in Africa cùm Arriana hæresi laboraret, cōplures catholicos episc. numero 444. aut ab Africa exilio multauit, aut morte affecit. Itaque non multo pòst in phthiriasim morbum incidit: scaturientibusq; ab corpore eius vndique pediculis, hoc supplicij genere sceleris sui pœnas luit. Fulg. lib. 1. cap. 2. ex Sigeb.

THRASYMVNDVS rex Vandalorum, in Africa clausis catholicorum ecclesiis, ducentos viginti episcopos in exilium misit, erga quos Symmachus papa manum suæ liberalitatis exercuit. Sigebertus in Chron.

ROMANI, S. Gregorij libros, ob nimiam liberalitatem erga pauperes, exurere conantur. Vide titulum Auaritiæ ἐν φυλακῇ.

Sub Iustiniano secundo apud Longobardos, Alachis tyrannus sæuiit, qui Chunibertum regem profligauit, & plurimos Christianos interfecit: & sacerdotibus adeò fuisse infensus scribitur, vt dixerit, si regno potiretur se puteum testiculis clericorum impleturum. Occasionem autem ei præbuit clericorum impuritas, quos dixit immunda habere fœmoralia. Verùm à Chuniberto tandem post aliquot prælia est deuictus & trucidatus: vt Paulus Diaconus lib.5. cap.14. de gestis Longobardorum testatur.

Discipuli S. Galli in monasterio Sangallensi magnam persecutionem passi sunt ab impio Alemannorum duce Otuuino, eiúsque præfecto Erchonaldo: qui oratorium ac sepulchrum S. Galli fregerunt: ac sanctos patres ibi studiis pietatis operam dantes, miserè & indignis modis tractarunt. Bruschius lib. de Monasteriis Germaniæ.

Carolomannus legatus pro Aistulpho missus ad Pipinum fratrem, ab eodem carceri includitur. Vide tit. Monachorum octaui seculi.

Normanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi, vrbem Nannetam inuaserunt, & episcopum sabbato sancto Paschæ baptismum celebrantem trucidarunt, clerúmque totum peremerunt. Inde etiam Andegauenses & Turonenses occuparunt: ac templum sancti Martini incenderunt. Sigebertus in Chronicis.

SACROS HOMINES MALOS ET IMPIOS,
odio prosequi, irridere, persequi,

TREMELIVS tribunus plebis, cùm M. Æmilium Lepidum, pontificẽ maximum, conuiciis aspersisset, multisque probris affecisset, vt contemptor religionis à populo damnatus est. Alex. ab Alex. lib.5. cap.1.

Fridericus II. Barbarossa, cùm Alexandrum tertium infestis armis opprimere tentaret, contra Venetos, qui eius patrocinium susceperant, mouens, ab illis nauali prælio superatus, Venetiis Pontificis pedes supplex osculari fuit coactus. Mox sumptis contra Turcas armis, in medio belli ardore Cydni fluminis vndis absorptus est. Eius filius Fridericus, Pontificum quoque inimicus, cùm miseram Italiam Guelforum & Gibellinorũ factionibus infecisset, miserabiliter à filio strãgulatus interiit: sublata mox à Carolo primo Siciliæ rege, omni eius sobole. Egnat. lib.1. cap.2.

Philippus Francorum rex, cognomento Pulcher, iratus Bonifacio octauo (qui certè plus quã Pontificẽ decuit, inimicitias cũ eo exercuit) quod ipsum regno indignum pronunciasset, & Alberto, cui pertinaciter antea regi Romanorum, vt iam loquimur, coronam Imperij denegarat, insuper & Francorum regnum astruxerat, Sarræ Columnij, & Nogareti Galli equitis opera Pontificem incautum, & nihil tale timentem intra Anagninos muros oppressit. Quo facto Flammingorum, vt nunc appellamus, graui bello petitus, & suos ad Curtiacum cæsos ab iis audiuit: & Parisiensium seditione fatigatus, magnáque auaritiæ nota sublatis templariis, & Iudæis è regno pari cupiditate eiectis, regnum nepotibus reliquit, tribus eius liberis alio super alium sine filiis decedentibus. Quæ res in primis Gallos ad internecinum cum Anglis bellum excitauit, Philippo Valesio regnum sibi, & Edouardo Anglo certatim vindicantibus. Egnat. lib.1. capite secundo.

[redacted]

Vicecomitum familia Pontificibus semper fuit infesta. Philippus vltimus eius gentis, etiam ex professo hostis, Eugenium vrbe eiecit, eiectum bello exercuit, Felicem Allobrogem Basiliensi concilio eidem opposuit. Tandem victus & fugatus, nepotibus diuturnum imperium relinquere non potuit. Ibidem.

Ferdinandus Neapolitanus Aragonius, Pium pontificem neglexit, Paulum II. strangulari curauit, Sixtum bello exercuit, Innocentium vexauit. Itaque & sibi exitium, & familiæ dedecus peperit. Ibidem.

Henricus IIII. imperator, cùm Romæ ante sancti Petri aram, Paschali secundo Pontifici iureiurando adactus, promisisset, se in posterum ab Ecclesiæ locis temperaturum, simoniámque vltra non commissurum, duodecimque Germani principes pro eo ita facturum spopondissent: cùm denuò iurisiurãdi fidem ab eo Paschalis exigeret, vt periurium sacrilegio cumularet, Pontificem atque vniuersos cardinales cœpit, omniáque eorũ bona diripuit: neque antè eos carcere emisit, quàm omnia quæ volebat ab eis impetrasset. Fulg. lib.9. cap.6.

Addetur meritò & hoc ipsum ad Veneta exempla, quando Veneti vel præcipui adiutores ad vindicandam Pont. iniuriam fuerint. Ludouicus Francorum rex duodecimus, qui Venetas opes & Imperium tam graui vulnere nuper afflixerat, dum irritatum in se Põtificem aut non timet, aut negligit, nónne & ipse tertio vix anno exacto, Pont. authoritate Venetorum armis Italia expulsus ita est, vt nihil intra annum ex tanto paulo antè imperio in eadem terra possederit? Egnat. lib.1. cap.2.

Pontificiæ maiestatis neglectus, Carolum regem Neapolitanum Ladislai patrem afflixit. Idem Ladislao filio non aduersario solùm Ecclesiæ, sed hosti, vitam & imperium ademit. Pater ab Vngaris, à quibus ad regnum euocatus fuerat, crudeliter necatus: filius veneno sublatus, relicta Ioanna sorore, quam nescias impudicior ne fuerit, an inconstantior, vnde tot malorum series regno illi deducta deriuatáque sit. Ibidem.

Florentini à Gregorij vndecimi legatis iniuriis affecti (qui terram Italiã per ipsius in Galliis moram administrabant) bellum tam graue ipsi Pontifici intulerunt, vt quod antea fando auditum non erat, Italicum imperiũ intra paucissimos dies amissum sit, Florentinorum consilio & opera. Quæ res quanti populo illi steterit, immensa vis auri (supra enim decies centena millia numûm expensa feruntur) plebis infimæ seditio, & quasi tyrannis ab ea exercita, nobilitas partim cæsa, partim relegata, sacra vrbi interdicta, ingẽs lues secuta: & quod omnium grauissimum ac periculosissimũ fuit, bellum à Galeacio contra ciuitatem gestum, indicio sunt. Ibidem.

Potens Pisana ciuitas olim, ac clara maritimis rebus, post captos in Friderici gratiam Pontifices, qui ex Galliis ad Innocentium Romam nauigabant, vt in dicto cõsilio adessent, nihil vnquam postea fœliciter aggressa est: quin potius à Genuensibus petitę Pisanorum res, vno nauali admodum memorabili prælio, nunquam ad pristinam fortunam opésque redierunt, donec clade alia super aliam à Florentinis affecti, postquam multiplicem multorum tyrannidem passi sunt, nomen & Imperium cum libertate penitùs amiserunt. Ibidem.

PROXIMVM NON DILIGERE.

Consule titulum, Illiberalitatis religiosæ erga pauperes.

HATTO archiepiscopus Moguntinus, tempore famis magna pauperũ manu in horreo cõclusa, quibus se eleemosynam daturum simulabat, ibi fecit viuos cremari. Tandem ipse à muribus in Rheno deuoratus est. Rauis.

IDOLOLATRIA.

Huius duæ sunt species. Alia quidem κατ' ἀπόφασιν, eorum scilicet qui veræ religionis ignari, idola colunt, qui Superstitiosi impropriè vocitur: alia verò κατὰ διάθεσιν, eorum qui scientes & volentes veram pietatem relinquunt, dæmones colunt: quos Apostatas vocant. Peccatũ lõgè maximum, & in spiritum sanctum, quod nec in hoc, nec in illo seculo remittetur. De priore illa hic agimus, quæ omnem gentilium deorum cultum continet, & Superstitio verius quàm Religio dici debet. Vide ea quæ de Gentilium deorum cultu à multis, sed præsertim à Gyraldo Ferrariense copiosissimè scripta sunt. Exempla quædam pete ex tit. Sacrificiorum. Nos hic tantùm absurdissimum & ridiculosissimum cultum attingemus, simul etiam crudelissimum. Exempla Idololatriæ pete ex tit. Apostatarum.

RIDICVLVS CVLTVS.

ÆGYPTII diuinarum rerum peritissimi fuerunt: vnde Macrobius Ægyptum vocat artium matrem. Cæpas & allium inter deos habent.

Herodotus libro 2. scribit, feles mortuas, magno luctu defleri ab Ægyptiis: demum ad sacra tecta deferri, vbi salsæ sepeliuntur in vrbe Bubasti. Canes quoque ichneumonas, accipitres in sua quisque vrbe tumulant sacratis in loculis. Vrsos qui sacri sunt, & lupos non multo vulpibus grandiores, eo sepeliunt loco vbi iacentes inueniunt. Crocodilum (vbi mortẽ obiit) sale conditum sacris in vrnis sepeliunt. Viuenti gemmas & inaures appendunt. Diodor. Sic. lib.2. cap 2.

ROMANVS quidam, cùm eo tempore quo Ptolemæus rex à Romanis in societatem admissus esset, felem forte fortuna in ægypto occidisset, ad domum eius concursu facto, trucidatus est, licet principes statim interfuissent. Diodorus Sic. libro secundo. capite secundo. de Rebus antiq. Apud

Apud Memphim Apis bos, apud Midetam hircus, crocodilus apud Meroem paludem, leo apud Leontem ciuitatem coluntur mirũ in modum: nutriuntur magna cura & impensa in templorum ambitu, à viris nequaquã contemnendis. Diodorus Sic. lib.2. capite 2. de Rebus antiq.

ÆGYPTII cùm capras, tum verò capros hircósve omnes venerantur. Et inter Mendesios caprarij præcipuo honore afficiuntur, & ex his vnus maximè: qui cum decessit ingens toti Mendesiæ plagæ luctus extitit. Vocatur autem & hircus & Pan, Ægyptiacè Mendes. Porrò in hac regione contigit hoc mea memoria prodigium. Hircus cum muliere coiit propalã, quod in ostentationem hominum peruenit. Herodot. lib.2.

ROMANA ciuitas, quæ arx fuit, & caput humanarum gentium, Soricis occentũ tam religiose obseruauit, vt auditus dictaturã & magisterium equitum summis viris ademerit. Sab. lib.4. cap.1.

Apud eodem simulachrũ Idææ matris probrosis verbis, cùm propitiatum numen voluerunt, prosequebantur sacerdotes ad Almonẽ vsque fluuiũ, & quę ne impudica quidã fœmina æquis aurib. audiuisset, alta claraq; voce in hymnis, qui illic canebantur, audiente populo, in deorum matrẽ iactabantur. Ibidem.

Lyndio ita Herculi sacrificari solitũ, vt qui secanti extra adstarẽt, diras in illos imprecationes emitterent, probrosisq; vocibus incesserent. Fuisset sanè multo satius Herculi, omni sacro & cultu priuari, quã tã ignominiose obsecrari. Ibidem.

FEBRIS & PALLOR inter deos recepti, suum in eadem vrbe cultũ tenuere. Quod verò nudo corpore Luperci vagarentur, obuiámque turbam cæderent loris, insanientium, non religionẽ colentium erat. Cæterũ quòd serpens ex Epidauro aduectus, salutaris fuerit ciuitati, malorũ dæmonum præstigiis iure imputatur: quibus præpotens alioqui populus tam perditè seruiuit, quàm humanis gentibus fortiter imperauit. Ibidem.

Ad hoc illud pertinet, quòd religiosa CIVITAS ex Pessinunte informem sibi lapidem petiuit: gratificari se credens deorum matri. Cæterùm quia in eius inuectu magna oculorum ludibria obuersata sunt ciuiũ oculis, aucta est cum ceremonia hominum fides. Sabel. libro quinto, cap. quarto.

L. SYLLA quoties prælium committere destinabat, paruum Apollinis signum Delphis sublatum in conspectu militum complexus orabat, vti promissa maturaret. Plutarchus in Sylla: Oros. lib.5. Valer. Maxim. lib.1. cap.3.

Apud Turonenses Gallos latronis cuiusdam ossa summa veneratione culta fuerunt. Vide tit. Iudicij stulti publici in rebus aliorũ extra forũ.

CRVDELIS CVLTVS. HVMANÆ VICTIMÆ.

Fabulantur Græci, HERCVLEM, cùm in ægyptum peruenisset, ab ægyptiis redimitum, tãquam Ioui immolandum, sub pompa fuisse eductum: ac tantisper quietem tenuisse, dum illi ante aram eum stitissent: ibi ad vim conuersum, omnes interemisse. Quæ cùm dicunt Græci, vidẽtur mihi se & naturæ ægyptiorum, & morum ignaros prorsus ostẽdere. Quibus enim nullam pecudẽ fas est immolare, præter sues prætérque boues, mares & vitulos, dũmodo mũdos, & anseres: ij qua ratione immolarẽt homines? Aut quomodo Hercules, qui vnus esset, & adhuc (vt aiunt) homo, tot millia virorum interemisset? Herod. lib.2.

Apud Græcos in anniuersaria celebritate Baccho viuos homines sacrificare mos erat: apud quos qui ita fuisset immolatus, maximam inter suos probitatis laudem ferebat. Alexander libro sexto, capite vigesimosexto.

LACEDÆMONII eò vesaniæ processerunt, vt Marti humana victima litarent. Ibidem.

ARISTOMENES Messenius, Ioui, quem Ithometẽ appellant, ccc. simul homines, in quibus Theopompus fuit, vno sacrificio mactasse proditur. Ibidem.

In PANTHEO statis diebus in sacris Herculis, mactabatur homo fœdo facinore & perniciali exemplo. Alexander ab Alexandro, lib.2. capite 14.

ARISTODEMVS Messenius, filiam suã mactat pro patriæ salute. Vide tit. Oraculorum clarorum victoriæ.

Cùm ad Salaminem Græci cum Themistocle contra Xerxem pugnaturi essent, ad Themistoclem iuxta prætoriam triremẽ sacris operantem tres adducti sunt captiui, forma & vestitu insignes: natique ferebantur Sandauca regis sorore, & Autarcto. Eos cùm Euphrantidas aruspex immolari iussisset Baccho Omestæ, id est crudiuoro, renuente Themistocle Græci omnes vno ore deum inuocarunt, & captiuos crudeliter mactarũt. Plut. in vita Themistoclis, ex Phania Lesbio.

RHODII & Cretenses hominem epulis grauatũ ac pueros impuberes festis diebus Saturno mactarunt. Alexander libro sexto capite vigesimosexto.

LEVCADII in Apollinis sacro, auertendæ deorum iræ, hominem de montis specula deiiciebant, diis rem gratam hac re facturos existimãtes. Ibidem.

Apud PHOENICES & CARTHAGINENSES infantes patriciorum regio ornatu Saturno homines immolabant. Victi postmodum ab Agathocle, cùm hæc sacra desiissent, vt numen placarent, ducentes nobilium filios diis mactarunt ad aras. Ibid.

ROMANI Saturnum, & Latialem Iouem humana placabant hostia eorúmque simulachrum humano sanguine proluebant: donec Cn. Cornelio Lentulo & P. Licinio Crasso coss. senatusconsulto cautum fuit, ne hominem immolare, aut humano sanguine litare liceret. Ibid.

IIDEM extraordinaria sacra ex fatalib. libris facere coacti, Græcũ & Græcam, totidémque Gallos in foro Boario ad placandas deorum iras sub terras viuos defodere solebant. Ibidem, & ex Plinio libro 28. capite secundo.

THRACES Zamolxim, quem maximum deum putant, non aliter fieri propitium æstimarunt, quàm si ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam & diis gratissimam victimam opinati. Ibidem.

BRITANNIS longo tempore mos inoleuit, vt in supplicationib' captiuorum sanguine diis litarent. Ibid.

GALATAE & Massagetæ non aliter deos ritè consuli arbitrati sunt, quàm iugulato homine apud aras deorum, ex cuius casu, tum ex membrorum laniatu & fluxu sanguinis, futura diuinabant. Ibidem.

GALLI præter Hessum & Theutatẽ Mercuriũ, quos humano cruore placabant, grauioribus moris ac periculis affecti ad placãdas deorũ aras aut homines immolabãt, aut immolaturos vouebãt, ad cuius aram etiam grandæuos ætate pro victimis prosecabant. Ibidem.

SENONES cæso publicè homine infanda sacra statis diebus anni celebrant, his portentis delicta expiari opinati. Ibid.

Germani ritu barbarico, Mercurio humano cruore litare, religiosissimum putabant. Ibidem.

CIMBRI noxios homines seruatos, sudibus affixos diis pro hostiis dabant. Ibidem.

Apud Albanos vsurpatum est, vt hominem sacris initiatum, qui sanctitate polleret, diu seruatum & oppiparè saginatum ad aras sisterent, cumque furiali carmine excantatum, quibusdam additis precationibus, cum alis hostiis immolarent. Ibid.

Voces licet non delirium solum, sed dirum etiam, quòd in parte APHRICÆ quadam, Mineruæ sacro, indigenæ puellæ fustibus inter se certabant, cum corporum pernicie. Graue & infestum numen, quod magis colentium supplicio gaudeat, quàm pietate & officio. Consule tit. Dierum festorum.

SACRA PVBLICARE PRROFANIS
hominibus.

DIAGORAS Melius, siue Milesius, Atheniensium sacrorum mysteria & ceremonias adeò neglexit, vt permultos auerterit à religione. Idẽ arcana mysteria (quæ non licebat profanis inuulgare) omnibus derexit. Propterea Athenienses eum in exilium pepulerunt, talento proposito, si quis hominem compertum occidisset.

Valerius Soranus mortis supplicio pœnas dedit, quód numinis nomẽ, in cuius præsidio vrbs esset, efferre in publicum contra legem ausus esset. Alex. ab Alex. lib.2. cap.22.

C. Flauius Libertino patre genitus, & scriba, cùm ius ciuile vulgaret, dies fastos quoque penè toto foro exposuit. Liuius lib.9. Dec. I. Val. Max. lib.2 cap.1.

THEOPOMPVS & Theudectes Phaselites comicus, cùm sacris Moysis historiis gentiles fabulas inserere conaretur: ille quidem ad insaniam deuenit, hic verò oculis captus est. Posteaquam tamen eos cœpti pœnituit, numinis clementia conualuêre. Fulgosus libro primo, capite sexto Vide tit. Poetarum.

SIMONIA.

Qui vel sibiipsi vel aliis sacras dignitates & magistratus acquirunt largitionibus, fauore, gratia, Simoniaci dicuntur: quia Simonem magum imitantur, qui Spiritum sanctum ab Apostolis data mercede emere voluit. Interdum auaritiæ, interdum ambitionis fomitem habet. Huius loci est, quatenus alteri id quod non meretur, tribuit: idque in sacris dignitatibus, honoribus & magistratu. Exempla pete ex tit. Simoniæ pœna.

FLAVITÆ simoniam in episcopatu Constantinopolitano acquirẽdo, pete ex tit. Fraus in dignitate acquirenda.

Alfonsus Rex Siciliæ, cùm audiret, Harpyias rapacissimas aues (quas Vergil. Æneid. eleganter describit) nescio quas inhabitare insulas: ad suos conuersus, ait: Ex his insulis in curiam Romanam commigrasse Harpyas compertum est, ibique domicilium constituisse. Notauit autem tacitè Romanæ curiæ ingluuiem, auariciam, & detestandam rapacitatem. Alphonsi dictum recitat Panormitanus lib.1. de Rebus gestis Alph. cap.8.

RELIGIONEM SIMVLARE.

Est hæc taciti deorum contemptus species. Nam qui religionem simulat, lucri spe id agit. Intelligit ergo vires habere religionem: verùm non re ipsa, sed hominum opinione. Nam quod aliis in religione notanda, ad continendos in officio homines, profuisse videt, ipse quoque aggreditur, vt hoc veluti vinculo vinctos nexósque homines ad omne facinus obsequētiores habeat. Cæterū quia religionis maxima est vis in vtranque partē, tū virtutis, tum scelerum: idcirco exempla quædam simulatæ religionis, sed cum probitate & pietate, ex tit. Deorum monitis, oraculis, & c. obedire: item ex tit. Legibus authoritatem conciliare, petenda erunt. In præsentia deis tantùm agemus, qui impietate & scelere moti, vt libidini suæ satisfacerent, religionem simularunt. Exempla pete ex tit. Milites suos ad pugnam animare: Item, Fraus in tributo exigendo. Item, Hostes simulato habitu securos reddere. Item, Astu tyrannidem occupare. Item tit. Seditionum.

ALEXANDER Macedo superstitionem laudare solebat, tāquam per eam in plebis animos rectores illaberentur. Pontanus lib. de Principe.

PISISTRATVS vt tyrannidem, quā amiserat, recuperaret, in arcem Mineruæ se recepit: & per ostentationem ignotæ mulieris, quæ Phila vocabatur, formatæ ad habitum deæ, Athenienses decepit. Iustinus lib. 2. Herodot. lib. 1. Val. Max. lib. 1. cap. 3. Sabel. lib. 6. Enneadis 2. Rhapsod.

Massilienses, eos omnes qui per religionis simulationem alimenta inertiæ quærebant, suóque ocio cæteris oneri erant, è finib. suis abigebant. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Instantia: & Alex. lib. 3. cap. 15.

Q. Sertorius præter artem rei militaris religiosissimus habitus est. Nā ceruam quandam secum in expeditionibus habebat sequentem, quam Dianæ numen dicebat esse: ex éaque responsa accipere, résque gerendas sese auspicari simulabat. Volat. lib. 19. Anthrop.

Maior ne impietas, an ambitio fuerit in Rom. Imperatoribus, qui se diuorum nomine salutari voluerunt, ambiguum est. Illud certè dubium esse nequit, cùm tam sceleratis & tyrannicis moribus præditi diuinos honores sibi arrogarint, ex animo suo omnem planè religionem & pietatem eiecisse: interim tamen, vt subditos in officio continerent, simulato deorū metu eosdem maiorum instituta religiosè obseruare voluisse.

DECIVS Mundus equestris ordinis iuuenis sub Tiberio principe, cū impotenti amore Paulinam Saturnini Romani patricij prosequeretur, nec quamuis 200000 drachmarum polliceretur, pudicitiam illius expugnare posset: re communicata cum Sacerdotibus Isidis, quibus religionis nomine plurimum Paulina fauebat, & per Idam nutricē 50000 drachmarum oblatis, Paulina potitus est: cùm vnus sacerdotē Anubidem eius nuptias expetere, etiam conscio marito, assereret. Credidit stulta muliercula, & stultior adhuc maritus. Itaque in fano Isidis intempesta nocte ad Anubidem suum Paulina proficiscitur, & totam noctem cum deo se oblectat. Mane ab eo digreditur, doli planè ignara. Postero die Mūdus obuiam Paulinam salutat, & Anubidis mentitos concubitos ei exprobrat. Paulina rei indignitate mota, per maritum Tiberio omnia patefecit. Ille sacerdotes cum Ida cruci affigi, & Isidis simulachrum in Tiberim demergi iubet. Mundus exilio dānatur. Iosephus lib. 18. Antiquitatū Iudaicarū.

IOANNES pontifex Romanus, huius nominis xxiij. supplicationes cum capite Ioannis Baptistæ fieri mandauit. Romani verò fraudem timentes, quòd Florentinis vendere statuisset, omnino prohibuerunt. Vol. lib. 22. Anthrop.

Cùm Carolus IIII. Imp. Papiensis vrbis administrationē Ioanni Mōtisferrati Marchioni credidisset, & is Iacobum Bussularium ordini Eremitarum sancti Augustini, vrbi præfecisset: Iacobus tum fictis ad bonitatem moribus, tum facundiæ magnitudine rem Papiensem ita in potestatem suam redegit, vt ceu propheta paténsque omnium, & verus Dominus à ciuibus coleretur. Cuius potentiæ adeò magna iecerat fundamenta, vt vix quarto anno, fame Galeacius Vicecomes (anno supra milesimum à Virginis partu, trecentesimo quinquagesimo quarto) eum domuerit. Ciuium enim pecunia, & armis fideque adiutus, semel Galeacium nō sine magna clade repulit. Qui postea reparatis viribus tādem Iacobum ipsum cæpit, Vercellisque in ferrea cauea captiuum tenuit: qui solet exitus eos plerūque manere, qui sub hypocrisi populorum administrationem inuadunt. Fulg. lib. 1. cap. 1.

Anno supra millesimum à salutifero partu, trecentesimo, nonagesimo nono, qui annum illum præcedebat, quo sub Iubilæi nomine catholicæ ecclesiæ thesauri ad præstandam salutem Romæ aperiuntur, ex Gallia in Italiam descendit Religiosus vir cum magna manu, quorum indumenta informia linteis constabant, misericordiam à Deo ingētibus clamoribus poscentes. Huius exemplum sequutæ multæ Italicæ vrbes, in supplicantium morem vltrò citroque inter se commeabant, depositisque odiis cibaria gratuita vltrò offerebant. Cæterùm Bonifacius nonus pontifex hūc motum veritus, Gallum huius rei authorem Viterbij noctu iussit cōprehendi, ac postea ceu hæreticum Romæ comburi: cum alij prauæ religionis authorem, alij iustum virum eum appellarent. Ab hoc homine Cādidatorum dictus est annus, quem alij Misericordiæ appellarunt. Ibidem.

SVPERSTITIOSI.

Omne nimium in quauis religione, vel vera vel falsa, quæ tamen vera esse videatur, Superstitio propriè dicitur, siue erga Deos, siue erga homines sit. Minus propriè vero superstitionis nomen falsa religio meretur, vt quæ non tam in quanto, quàm in ipso subiecto peccet. Hæc tamen ipsa quando in quanto peccat (quantum autem intelligo, legibus & consuetudine præscriptum) tunc propriè in superstitionis vitium incidit. Nos ergo hoc in loco de superstitione propriè dicta, exempla afferemus: impropriè dictam sub tit. Idololatriæ explicauimus.

EXEMPLA IVDAICA ET CHRISTIANA.

Iephte, cùm in Israel iudex esset, vouissétque, si victoria aduersus Ammonitas potiretur, quod primum in patriam reuertens obuium habuisset se sacrificaturum: in filiam, quàm vnicam habebat, primùm incidit: lachrymarúmque ac mœstitiæ plenus, maiore parum prudentis votis, quàm paternæ pietatis habita ratione: neque illud respiciens, quòd parum gratæ Deo eiusmodi victimæ forent, post aliquot dies filiam in holocaustum obtulit. Fulgos. lib. 1. cap. 1.

Antiochus rex, cùm IVDÆOS, qui Matathiam Machabæum sequebantur, à Iudaicæ religionis ritu ad gentilitatem cogere vellet, in deserta loca fugerunt. In quos cùm in ipso sabbato impetum fecisset (quo die opus vllum facere nefas erat apud Iudæos) maluerunt oppetere mortem, quàm se tuendo religionis suæ violare ritum.

CN. Pompeius Magnus, quum Hierosolymam, vrbem Palestinæ omnium munitissimam, graui obsidione cingeret, & videret vrbem difficulter expugnari posse: obseruauit diem sabbathi, quem sanctissimè iuxta legem obseruabant Iudæi. Itaque semel iterumque eo die aggressus est. Quod quamuis intelligebant Iudæi fuco hostis fieri, vrbem direptam hosti tradere, quàm sabbathū negligere, ac in Dei legem peccare repugnādo, maluerunt. Dion Nicæus in Pompeio: & Iosephus lib. 14. cap. 8. Antiquit. Vide tit. Vrbes prudenter capere.

Superstitiosè vrgebant Pharisæi obseruationem sabbathi, quando videbant Dominum die illo curantem infirmos: Luc. 6. & 13. Item quando videbant discipulos eius spicas vellentes, & manibus confricantes. Lucæ 6. Matth. 12. Marci 2.

IIDEM plus traditionibus suis, quàm diuinis mandatis tribuebant. Matth. 15. Marci 13. Item pro auro templi plus quàm pro ipso templo solliciti erant: & pro dono altaris, quam pro ipso altari Mat. 29.

Ioannes abbas, eremíque Scythi œconomus, ficus de Mareote Lybiæ sibi muneri missas, duobus Adolescentulis ad senem quendam procul in vlteriore deserto manentem deferendas dedit. Quos dum iter agerent, nubilosa circum fudit caligo, ita vt quo pergerent, nescirent. Per vastam igitur errando solitudinem, diem noctémque consumpsere, senis cellula nusquam inuenta. Cumque diu expectati non redirent, reperti sunt positis genibus animas efflasse, illibatis ficubus quas secum tulerant. Siquidem inedia perire, quàm abbatis præuaricari mandatum, maluerunt. Quòd si id rectè, nescio: cùm mandantis voluntas non eò tenderet, vt innocentes discipulos fame confici vellet, & escam quam in manibus habebant non gustare: illi tamen stupendæ cuiusdam constantiæ præbuerunt exemplū. Marul. lib. 4. cap. 1.

IOANNES abbas superstitione motus, soli contemplationi se absque cibo vacare posse confidens, pulchrè redarguitur. Vide tit. Ocij fuga religiosa.

[redacted]

APOLLO abbas (vt Cassianus refert) cùm à fratre seculari euocaretur, vt sibi auxilio ventret, quòd ipse bouem, qui pedibus alto cœno immersis hæserat, euellere solus non posset: & nisi protinus euelleretur, ibidem eum amissurus erat: Cur, inquit, alterius fratris domum tibi proximiorem præteriens, huc me rogatum venisti? Qúmque ille responderet, annos iam 15 esse, ex quo alter frater diem suum obiisset. Et mihi, inquit, 20 iam anni sunt, ex quo mortuus mundo sum. Tantum autem temporis exegerat in religione. Itaque nihil mūdanum ad se pertinere arbitratus, egredi de cella noluit, ne rogatus quidem, & rogatus à fratre, atque in tam præsenti talis iacturæ eius periculo. Marul. Ibidem.

EXEMPLA ETHNICA.

Tantam superstitionem Athenienses animis conceperant, vt si quis scobem excuteret ex Heroo, eum morte mulctarent. Sed & Atarbem, quoniam Asclepij sacrum passerem vsque ad necem verberasset, non impunè ferre siuerunt: sed Atarbem morti adiudicarunt, neque impudentiæ neque insaniæ rationē ducētes, sed vtrisque his antiquiora habentes sacra Dei. Dicebatur enim inuitus id factum designasse. Alij verò furore percitum id fecisse commemorant. Ælianus libro quinto, de Varia hist.

Anaxagoram Clazomenium Athenienses in vincula coniecerūt, quòd solem ignitum dixisset esse lapidem, non Deum: quem tamen illi pro Deo habebant. Laert.

IIDEM optimum & sanctissimum virum Socratem cicutam bibere coegerunt: quòd non sculptiles deos suos, sed sublatis in cœlum oculis Deum adoraret, quasi nubes colere videretur. Valerius Maximus, libro 1. capite 1.

Prudens & argutum Diagoræ Poilosophi verbū fuit, in EVM qui deos esse arguebat esse, quòd miranda quæ fecerant, in ipsorum templis picta conspicerentur. An nescis, inquit, pictos eos non esse, qui quamuis a diis opem petiissent, tamen perierunt? Carpsit eorum leues animos, qui facilè omnia credentes, persæpe in magnos incidunt errores. Fulgosus lib. 7. cap. 2.

Quum vidisset Diogenes Cynicus Fœminam diis procumbentem, incuruato corpore, vt à tergo quædam apparerent quæ nudari non decet oculis hominum, adiit illam dicens. Non vereris mulier, ne stante post tergum tuum deo (nam illius plena sunt omnia) parum decenter te geras? Idem Æsculapio percussorem consecrasse dicitur, qui accurrens procidentes in faciem contereret: hoc figmento deterrens homines à superstitione, qui credunt deos non audituros, nisi ipsis indecoro corporis gestu supplicent. Laert. lib. 6.

ÆGYPTII cùm fame olim ita premerentur, vt humanis carnibus etiam post multa animalia consumpta, vescerentur: in summa tamen rerum penuria & extrema necessitate, ea animalia, vtpote feles, canes, lupos, accipitres & alia huius notæ occidere noluerint, eo quòd diis diuersis sacrata essēt. Magna profectò pietas in deos, quos adeò offendere noluerunt, vt vitā religioni longè postposuerint. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

ÆTHIOPVM reges, cùm eis à sacerdotibus Iouis, qui apud Meroen colitur, denunciatū esset, Deo inuisam esse eorum vitā: nullus est inuētus apud quē pluris salus quàm religio haberetur, vsq; ad Erganē regem (qui in Ptolemæi Ægyptij regis tēpora incidit) qui ne per sacerdotes ei mors denunciaretur, omnes ipsos interemit, primúsque morem illum sustulit. Fulg. lib. 1. cap. 1.

Tempore bellorum L. CORN. SYLLA Apollinis imagunculam ferebat in sinu, quā imminente discrimine osculabatur, & velut adiutricem inuocabat, authore Plut.

GALLIS mutuam inuicem pecuniam dare, quam apud inferos post obitum redderent, in vsu erat. Alex. ab Alex. lib 3. cap 7.

PROPHETAS ET ECCLESIASTAS DIVINOS NOLLE *audire nec veritatem suscipere.* INCREDVLITAS.

Dixit Moyses coram Domino: Ecce filij Israel non me audiunt, & quomodo audiet Pharao? Exod. 6.

Moysi signa & miracula diuinitùs operanti cùm diu restitissent Pharaonis malefici incantatores, & victi tandem confiterentur, dicentes, Digitus Dei est hic: Pharao quia credere noluit, periit. Fidelibus verò mare ipsum discissis aquis, vt illæsi euaderent, siccum præbuit iter: fideique virtutē etiam insensibilia senserunt, Pharaonis duritia non admisit. In aquis maris Pharao, in aquis baptismi diabolus interiit, credentes verò salui sunt. Marul. lib. 2. cap. 6. & Sab. lib. 5. cap. 4.

ACHAB Rex Israel, nolebat audire Michæam propheram Domini: quia non prophetabat bonum, sed malum, Vocatus tamē Michæas dixit ei: Audi sermonem Domini. 3. Reg. 22.

Dixit Dominus Ezechieli: Vade ad domum Israel, & loquaris verba mea ad eos. Sequitur: Domus Israel noluit audire te: quia nolunt audire me. Ezech. 3.

Primus religionis nostræ propugnator Stephanus, cùm signa & prodigia faceret in populo Infidelium, in se inuidiam concitauit. Conspirāt omnes de synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexand. Ciliciū & Asiaticorū, vt inita cum illo disputatione fidem ab eo prædicatam quoquo modo possint sugillent. Nec tamen resistere potuerunt sapientiæ & spiritui, qui in sancto loquebatur: & dum pudet tā multos ab vno superatos, innocentem blasphemiæ aduersus Moysen insimulant. Postremò quē argumentis vincere non poterant, vi opprimunt, & lapidibus obruentes enecant. Tantū autē profecerunt, vt nisi sic egissent, minus patuisset eos de fide disceptandō succubuisse. Obstinatorum enim est, cùm ratione nequeunt, malignitate contendere. Sed si fidelis cœlos ad se suscipiendum apertos vidit, quis dubitat quin infidelibus ad eos deglutiendos apertur infernus? Marul. libro secundo, cap. septimo, & Sab. lib. 5. cap. 4.

Magorum princeps SIMON Samaritanos præstigiis dementabat, & eò temeritatis proruperat, vt se Dei virtutem magnam diceret. At cū Philippus diaconus illò accessisset, & Euangelium Christi miraculorum operationibus confirmasset, Samaria uerbum Dei accepisse dicitur, & ad baptismum simul venisse. Nónne ideo, quia maiora quædam certioráq; in discipulo Domini deprehendit, quàm deprehenderat in mago? Qui ubi se Philippo longè inferiorem vidit, & ipse credere se dixit, baptizarique voluit: non fidei ardore, sed operum quæ ipse facere nequibat, cupiditate, ratus recepto baptismate se etiam æquè grandia admirandáq; facturum. Marul. lib. 2. cap. 9. & Sab. lib. 5. cap. 4.

Venit deinde Petrus, & cùm baptizatis manum imposuisset, acceperunt Spiritum sanctum. Hinc SIMON offerre pecuniam cœpit, petens sibi potestatem dari Spiritum sanctum conferendi cui vellet. Nunquid igitur magus apostolos, cui Simon supplicat, & se quidem non habere quod ille habebat, auidius poscendo manifestat? Pecuniam autem offert, sperans si petita obtineat, multum se inde lucrifacturum. Sed qui spiritalia credentibus gratuitò erogabat, maledixit procacis hominis peruersam nequitiam, qua ille donum Dei pecunia parandum putauit. Qualis ergo arbor, talis & fructus eius. In malefico infirmitas & auaritia, in Christi seruo virtus & pecuniarum contemptio. Ibid.

Post hæc SIMON (vt quidam scriptores asseruerunt) de Samaria, Romam vnà cum suis maleficiis se transtulit: & cùm eodem loci Petrus & Paulus aduenissent, cum ipsis coram Nerone miraculis certauit. Denique se relictis terris cœlum petiturum dicens, à spiritibus immundis in aera ferebatur, iámque ferè omnes Simonē verè Deū esse acclamabant. Tunc in tanto errantium periculo Apostoli minimè cunctandum rati, spiritibus in nomine Christi præceperunt, vt illum dimitterent. Itaque dæmonū auxilio destitutus, præceps ad terram corruit: ac repentino elisu extinctus, qualis ipse deus esset ostendit. Dignus certè qui sic interiret, ne illi quos maleficiis incantationib. deluserat, perniciosa credulitate perirent. Ibidem.

Paulus segregatus in Euangelium Dei cū collega suo Barnaba, peragrant oppida Iudææ, in synagogis prædicantes. Inuidentibus verò Iudæis, & ad conuicia furenti rabie prorumpentibus, dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Relinquendi ergo sunt qui peruersa obstinatione durant, à peccandi proposito diuelli nullo modo possunt: ne dū in sterili solo sementē iacimus, fœcūdæ interim glebæ nullo subactæ aratro fructu vberiore fraudentur. In summa quicunque ecclesiam audire noluerit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Nemo saluatur inuitus. Marul. lib. 3. cap. 4.

Iidem (vt Lucas inquit) prohibiti sunt à Spiritusancto loqui verbum in ASIA. Quæ res documento est, nō passim omnib. euangelizare nos debere: & iis præsertim, quos Euangeliū ipsum contēptui habituros nō ambigimus. Ne & hi exinde grauioribus pœnis obnoxij sint, & nos sanctū dedisse canibus arguamur. Vnde & Salomon in Prouerbiis ait, Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculā generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te. Ibidem.

Paulus Apostolus, cùm Paphum applicuisset, Barricum Elymam magum, qui Paulum Cypri proconsulem à fide auertere moliebatur, cæcitate damnauit, vt nec solem hunc super iustos & super iniustos orientem posset aspicere, qui tam auersus abibat à sole iusticiæ. Proconsul autē apostolum secutus, magum contēpsit: nec in illo veritatis lumen esse iudicauit, qui oculorum lumē amittere dignus fuit: sed in illo qui dū veritatē doceret, eū qui veritati repugnabat, in tenebris reliquit. Marul. lib. 2. cap. 9. & Sab. lib. 5. cap. 4.

Ad Taurinum Aurelianensem epis. magos Cambysem & Zamrim cū discipulis irruisse legimus, vt eum interimerent, quoniam cum viuente contendere neque dictis neque factis poterant. Illo autem sese signo crucis muniente, diuinitùs inhibitos ne propius accederent, & ob id magis furore concitatos, sibimetipsis mortem consciuisse. Confer nunc cū magorum vanitate, crucis virtutem. Illa sibi seruientes occidit, hæc à cædis periculo liberauit. Quam rem etiam maleficorum, discipuli considerātes, Christiani facti sunt. Et sanctū, quem capitali odio persecuti fuerāt, reuereri cœperunt. Marul. lib. 2. cap. 9.

Aretij Tiburtius præfectus, Pergentinū & Laurentinū fratres, ne Christum prædicarent, suasionibus primum blanditiisque lactat. Vbi id parū successit, comprehensos fustibus verberari iubet, verberantium brachia aruerunt. In carcere conclusis cibum denegat, ab angelo aliti sunt. Eductos super candentes prunas ambulare nudis pedibus cogit, & super arenam iuerunt illæsi. Allato Iouis simulachro vt adorarent, minaciter hortatur. Illis autem Iesum inuocantibus, æneus Iupiter in puluerē solutus periit. Parum nempe fuerat Tiburtij sæuitiam immanitatemque calcasse, nisi & deos eius contriuissent. Multi gentiles cùm illos diis suis fortiores vidissent, ad Christum conuersi sunt. At impiissimus tyrannus capite eos postremò cædi iussit, nullo tamen manifestiore iudicio victum se ostendens viuere permissurus, quos occidit, si vicisset. Marulus libro 2. cap. octauo.

Copres presbyter, eremi Thebaidis cultor, cùm QVENDAM de grege Manichæorū prauitatis suæ contagione alios corrumpentē cohibere nullo modo posset: aduocata populi concione pyram extrui iussit, proponens, vt qui ipsorum duorum ignem ingressus aduri nequiret, eius fidem omnes probatam haberēt. Manichæus timidum animal Copretem prius rem experiri petiit. Copres autem in Domino confidens, sine cunctatione in flammas irrupit: ac qualis intrauerat, talis exiit, non nidoris non caloris molestiam sensit. Dubitantem post hæc Manichæum, auertéremque sese, hi qui spectaculo aderant, vi corripientes in ignem impegerunt. Ardoris impatiens Copretis opem implorauit, & ab illo exemptus periculū euasit. Sed tamen cuius virtutem & tentādo cognouit, & inuocando confessus est, & euadendo sensit, eius crudelitatem sequi noluit: tanta iam mētem illius præoccupauerat insania, tantus furor. Itaque in malo perseuerans, thesaurizauit sibi iram in die iræ Marul. lib. 1. cap. 11.

Aldebertus Pragæ episcopus, cùm effrenem & indomitam Plebem nul-

lis prædicationum solicitationibus ad modestiorem viuendi rationem redigere potuisset, episcopatum reliquit: & summi pontificis permissu ad cœnobium Casini montis perueniens, monachum se fecit. Pertimuit eo fungi officio, postquam sibi commissos meliores efficere nequiuisset: ne quæsisse videretur quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi est, suum honorem, non aliorum profectum. Marulus libro 3. cap. 4.

QVI RELIGIONEM SVAM NON DEFENDVNT, QVAM *bonam esse vel sciunt, vel saltem opinantur.*

QVI RELIGIONEM SVAM NEGANT, ET AB EA deficiunt. APOSTATÆ.

Apostatas vocamus Defectores, qui à vera religione deficiunt, non solum per errorem & ignorantiam (quales sunt Hæretici*) sed etiam per nequitiam & prauitatem: vt qui vero Dei cultu relicto, idola & dæmones & hæreses sequuntur. Ad quem locum Venefici quoque, & Magi, apud Christianos possent referri, qui diabolum numinis loco adorant.* Exempla plurima ex tit. Idololatriæ & pænitentiæ religiosæ peti possunt. Hæc enim quatenus desciscant pertinent: illuc verò, quatenus vel idola colunt, vel post defectionem ad idola rursus pænitentiam agunt. Item ex tit. Pœna apostatarum.*

Videns populus Israel, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit: Fac nobis deos, qui nos præcedant. At ille fecit vitulum conflatilem. Exod. 32.

Fornicatus est populus filiorum Israel cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt deos earum. Num 25.

Mortuo Iosue filio Nun, Filij Israel fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim & Astaroth, ac dimiserunt Dominum Deum patrem suorum Iud 2.

Fornicatus est Israel in ephod, quòd fecerat Gedeon. Et factum est Gedeoni & omni domui eius, in ruinam. Iudic. 8.

IEROBOAM fecit duos vitulos aureos, & dixit: Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. 3. Reg. 12.

Ædificauerunt viri de IVDA aras, statuas, & lucos, super omnem collẽ excelsum, & subtus omnem arborem frondosam. 3. Reg. 4.

Iratus est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Azaelis regis [illegible] propter peccatum idololatriæ: quia adorabant vitulos, quos fecerat Ieroboam. 4. Reg. 13.

SOLOMON mortalium alioqui sapientissimus, vxoris ductus illecebris, à maiorum pietate deflexit: [illegible] Dei cultum diræ superstitioni posthabuit, lucos coluit, & malos dæmones. Ei itaque ob eam noxã magnus bellorum fluctibus iactatus: filióque opulentissimi regni hæres relictus, confestim à morte patris ex huius parte multo maxima cecidit, quod [illegible] prophetæ vox prædixerat. Sabel. lib. 4. cap. 3. ex 3. Reg. 11.

ACHAZ rex Iuda, ambulauit in via regum Iuda & Israel. Insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem. 4. Reg. 16.

FILII Israel translati Samariam in Assyrios, fecerunt sibi statuas & lucos, duos vitulos, & adorauerunt vniuersam militiam cœli. Vnde iratus Dominus abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda. 4 Reg. 17.

MANASSES rex Iuda, erexit aras Baali, & adorauit omnem militiam cœli. 4. Reg. 21.

ACHAB Samariæ rex, cùm ceu apertus veræ religionis hostis, non cõtentus idola [illegible] templa condidisse, eis sacra etiã [illegible], cùm in Ramoth pugnaret, haud [illegible] putatur. Fulgos. lib. 1. cap. 2.

Hierosolymitanum rex IORAM cùm idola coleret, ob hoc ipsum bello ab Æthiopibus & Palæstinis superatus, regnum vitamque cum stirpe sua amisit, vno Ochozia, qui infans erat, superstite. Ibidem.

Ob idem scelus Ochozias Samariæ rex de palatij fenestris cecidisse creditur, atque ex eo casu sacrilegam animam effudisse. Ibidem.

Luit & IOAS Ochoziæ filius suæ impietatis pœnas: qui cùm vnus super fuisset ex omni Dauidis progenie, crudelissimo Athaliæ imperio, quo omnis stirps virilis vno die consumpta est ferro, infansque furto subtractus, occultéque seruatus, magno populi fauore, sacerdotúmque prærogatiua in paternum regnum restitutus, pro insigni pietate quam Deo optimo præstari oportuit, cuius prouidentia regnum recepisset, maiorum religionem aspernatus, externã complexus est: additúmque scelus sceleri. Zachariam, virum iustum, medio templo interfecit, quia peregrinum cultũ non probaret. Nec segnior pœna secuta est. Difficili bello in vrbem compulsus, ignominiosam sibi redemit pacem, omni regia gaza hostibus tradita. Morbo deinde atrociter conflictatus, domestica fraude dignum sua impietate inuenit exitum. Sabellicus lib. 4. cap. 3. ex 2. Paralip. 15.

Pari fastigio OZIAS constitutus, cùm regiæ opes affluerent, floreretque, vt si quando aliàs Iudæorum quisquam, ocio & regali opulẽtia, maiorum sese dæmonum præstigiis addixit, pio sacrorum ritu tam stultè quã impiè neglecto. Afflit breui cœlestis vitio, infectus lepra regnum deponere coactus est, & se in ordinem redigere: vt qui ex summo loco diuina fastidisset, idem in sordido & humili ab omnibus fastidiretur. Sab. lib. 4. c. 3

OZEAS Samariæ rex, à Salmanazare Assyriorum rege prælio victus fuisse, ac demum tributarius factus, ob ipsum existimatur, quòd spreta vera religione idololatriam colebat. Fulg. lib. 1 cap. 2.

AMASIAS rex Iuda, cùm diuino fretus auxilio Idumæos bello superasset, deósque eorum adorandos attulisset, Domini iram in se mouit. 2. Paralip. 15.

IVDÆI cùm sculptilibus inseruirent, contra Domini mandatum, à Zacharia filio Ioiadæ increpati sunt. Qui in omnium conspectu proclamabat: Quare transgredimini præceptum Domini? Cur dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos? Paralip. 24.

Arguente Hieremia propheta POPVLVM, pro eo quòd sacrificabat diis alienis, responderunt: Ex eo quòd cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus. Hierem. 44.

Violentum necis genus FL. CL. Iuliani Imp. ipsiúsque propria confessio palàm testantur, non solùm eum ob spretam Christi religionẽ mortuum esse, sed ipsum quoque antequam moreretur illud agnouisse. Nam cùm se Christianum fingeret, & vt nonnulli affirmant, sacris initiatus vsque ad diaconatum conscendisset, ex Christi cultore persecutor factus, adeò impiè egit, vt ad vltionem Deum impelleret. Suscepto igitur aduersus Persas bello, cùm in ipso prælio ab incognito inter costas lætale vulnus accepisset, sanguine suo manum repleuit, atque in cœlum iaculatus, in hæc verba prorupit: Exple iram tuam Galilæe (ita enim Christum appellare consueuerat) fateor enim me à te superari. Eo verbo religionis neglectu repetito, eius causa se mori cõfessus est. Fulg. lib. 1. cap. 2 & Sab. lib. 3. cap. 3. & Egnat. lib. 1. cap. 2.

Taro [illegible] presbyter in Cilicia ab officio archidiaconatus per iniuriã eiectus, diabolo chirographum confecerat, quo se illi tradebat, Christo repudiato, si modò per illam dignitatem amissam recuperasset. Cùmque pristino honoris loco restitutus esset, ad se rediens, vehementer animo conflictari cœpit: & ad Dei filium conuersus, auxilium cum lachrymis implorare. Igitur diebus quadraginta in luctu iugíque supplicatione peractis, publicè in ecclesia peccatum suum confessus, deinceps ita sanctè vixit, vt miraculis nobilitatus sit. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Sab. lib. 5. cap. 5.

ECEBOLIVS Constantinopolitanus sophista, cùm imperatorum se ingeniis accommodaret, vehemẽter Christianum esse se simulauerat: sub Iuliano verò apostata truculentus gentilis apparuit, ac rursus post Iulianum Christianus esse voluit. Etenim ante portam oratorij se ipse pronum in terram projiciens, clamauit: CALCATE ME, salem insipidum. Ad hunc modum leuis & mobilis, Ecebolius & ante & post Iulianum fuit. Socrates lib. 3. hist. Eccles. cap. 13.

Nicomachus apud Troadem à proconsule sub Decio Imp. acerbè tortus, cùm se ille Christianum non esse fateretur, dimissus est. Mox autẽ cùm ad aram sacrificasset, à dæmone correptus, linguam sibi dentibus amputans expirauit. Henricus de Erfodia.

AQVILA Ponticus 12. anno Hadriani claruit, vanitatib. astrologicis deditus: à quibus ne Christianus quidem factus abstinuit. Ab ecclesia itaque proscriptus, proselytus factus est, & circumcisus. Hebraicæ linguæ operam dedit, & post 72. Interpretes Biblia in Græcam linguam traduxit: id maximè studens, vt omnia Prophetarum de Christo testimonia deprauaret. Epiphanius in lib. de Mensuris & ponderibus.

VLPHILAS, post Theophilum Gothorum episcopus orthodoxus, magnam eorum partem conuertit. Postea tamen cùm Gotthi ab Hunnis expulsi, ad Valẽtem Imp. pro sedibus impetrandis legationem misissent, Vlphilas cum cæteris missus Constantinopolim, illic Arrianis communicauit: & postea ad suos reuersus, totam eam gentem Ariana labe infecit. Socrates lib. 4. cap. 33.

PORPHYRIVS sophista, cùm à Christianis quibusdam Cæsareæ Palæstinæ vapulasset, atra bile percitus, & Christianismum abiurauit: & eorum odio, qui plagis illum affecerant, contra sacras Scripturas blasphemias effundere cœpit. Niceph. lib. 10. cap. 36.

In Hispanijs, sub Iustiniani secundi imperio VITIZA rex Gotthorum, ætate iuuenili Christianam religionem vnà cum episcopis suis diligenter promouit. Verùm posteaquam ex ephebis excessit, & togam virilem induit, animũ mutauit, & episcopos & sacerdotes grauiter afflixit. Sacras denique constitutiones, & omnem ecclesiæ authoritatem, quæ eius facinoribus aduersabatur, sustulit. Ioannes Magnus Gotthicæ historiæ libro 16. capite 25.

IOANNES Damascenus præfectus Damasci, qui postea monachus factus est, cùm adhuc esset apud Saracenorum regem in precio, simulauit se à Mahumedi religione non admodum abhorrere. Nam vnà cum eo ad sepulchrum Mahumedi profectus est, & ex regis iussu metu perculsus cũ adorauit, & ad laudem illius sese inclinauit, & cum publicè prædicauit. Quamobrem honorem & munera à rege accepit, Damascum reuersus. Conatur quidem author sermonis de eius conuersatione, ista excusare, quasi ideo fecerit, vt superstitiones illas posset alijs indicare, & refutare apertius. Sed non sunt facienda mala, vt eueniãt bona. Veruntamen posteaquam in cœnobium sese contulit, contra Saracenos & Mahomedi delyria pugnauit. Spanheimensis,

QVI RELIGIONEM SANAM CORRVMPVNT. HÆRETICI.

De his abundè sub loco Metaphysicæ disputauimus. Exempla inde petantur.

RELIGIONEM ALIENAM, QVAM BONAM ESSE VEL scit, vel opinatur, impugnare & insectari.

Exempla pete ex tit. Διωγματικῆς *Eorum qui homines pios persequuntur, & ecclesiam Dei opprimere tentant.*

RELIGIONEM ALIENAM BONAM, QVAM TAMEN MALAM ESSE *arbitratur, insectari.* ZELVS *religionis, sed non secundum scientiam.*

Æmulator erat paternarum traditionũ PAVLVS, contra multos coætaneos suos, quando deuastabat ecclesiam: per domos intrans, & trahens viros & mulieres, tradebat in custodiam. Vnde accepit literas à principe sacerdotum ad synagogam, quæ erat Damasci, vt si quos inueniret ibi, qui inuocarent nomen Christi, vinctos perduceret in Hierusalem. Actor. 8. 9. & 22. Galat. 1.

A RELIGIONE VERA ALIOS SEDVCERE, ET AVERTERE.

Quales in Repub. principes, tales & reliqui principes. Itaque religionis mutatio potissimùm principis authoritate & exemplo fit.

Erat peccatum FILIORVM Heli grãde nimis coram Domino, quod detrahebant homines à sacrificijs Domini. ideo Dominus malè perdidit eos. primi Regum 1.

IEROBOAM à Deo ad regnum Israelitarum decem tribuum euectus, populum à cultu veri Dei auertit: & duos aureos vitulos in Dan & in Bethel erexit, vt hoc religionis dissidio suos à Iudæorum commercio prohiberet, & sibijpsi regnum stabiliret. 3. Reg. 12. & 13.

ACHAB rex Israel, seruiuit Baal, & adorauit eum: & posuit arã Baal in templo Baal, quod ædificauit in Samaria, & plantauit lucũ. 3. Reg. 16.

Cùm debellasset AMASIAS Idumæos, & filios Seir, & misisset deos eorum, adorauit eos: & illis adolebat incẽsum. Propter quod Dominus eum arguit per prophetam, dicentem sibi: Cur adorasti deos, qui nõ liberauerunt populũ suum, de manu tua? Quarto Reg. 21. 2. Paral. 25. 33.

ACHAZ rex Iuda, immolauit victimas dijs Damasci, percussorib. suis, & dixit: Dij regũ Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostijs, & aderũt mihi. Quũ econtrà ipsi fuerint ruina ei, & vniuerso Israel. 2. Paral. 28.

IASON, frater Oniæ, qui summum sacerdotium emit ab Antiocho, statim vt obtinuit principatum, ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit. 2. Mach. 24.

GENSERICVS, Hilderici wandalorum regis auus, statum ecclesiæ Catholicæ mirum in modum in Africa prophanauit. Sigeb. in Chron.

EVARIX rex Gothorum, templorum aditus spinis obserabat & sepiebat, vt introeundi raritas obliuionem religionis induceret. Clericos carceribus includebat. Nullum omittebat tormenti genus, in quo feritatem suam non exerceret. Rauis.

CHEOPES Ægypti rex templa omnia obserauit, ne populus sacrificaret dijs. Herod. lib. 2.

DIAGORAS Melius, philosophus & poeta, qui olymp. 88. emicuit, vocatus est Atheos, quòd nullos putaret esse deos: mysteriáque adeò cõtemneret, vt etiam ea sectantes auerteret. Quare ab Atheniensibus pulsus est, qui talentum polliciti sunt interficientibus eum. Suidas.

EPICVRVS Neoclis filius, Atheniensis philosophus, ex animis hominum extraxit radicitùs religionem, quum dijs immortalibus & opem & gratiam sustulisset. Cicero de Finibus bonorum & malorum.

MALAM RELIGIONEM NON IMPVGNARE, VEL ETIAM CONTRA *conscientiam suam defendere.*

MALAM RELIGIONEM NON FVGERE. CONVERSATIONEM IMPIORVM AMPLECTI.

APOLLINARIS Laodiciæ episcopus, cum exerceretur cũ Epiphanio sophista, homine minimè Christiano: eius consuetudine à Theodoro piæ sedis Laodicensi iussus abstinere, nequaquam obtemperauit. Quapropter à Georgio Theodori successore commercio Christianorum repulsus, ob indignationem statim in hæresim lapsus est, cuius ipse princeps fuit. Vide tit. Hæreticorum.

PECCATA SVA NON AGNOSCERE, NEC POENITENTIAM AGERE.

Consule locum εἰρωνείας, *de ijs qui minora sua peccata esse arbitrantur, quàm quæ correctionem merentur: aut etiam omnino nulla esse credunt.*

PECCATA SVA MAIORA FACERE, QVAM REVERA SINT, *& desperare.* DESPERATIO.

Vide titulum Desperationis, sub loco Vitij in excessu veritatis.

Impius CAIN, inuidia stimulante, fraternæ cædis cruore sceleratas polluit manus. Credimus tamen cũ maledictionis pœnã vitare potuisse, si pœnitens Dei misericordiã implorasset. Execrabilior fact⁹ est post reatũ fratricidij dicens: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Marul. libro secundo capite 12.

IVDAS de culmine apostolatus in baratrum inferni infeliciter corruit. Non vtiq; quia Dominum vendidit: sed quia eo vendito, magis de flagitio doluit, quàm de venia sperauit. Peccaui, inquit, tradens sanguinem iustum. Conueniens pœnitentia, si sibi humiliter ignosci postulasset: & non sceleri scelus addens, ad laqueum prius quàm ad Dominum confugisset. Nunquid proditori suo non dimisisset, qui dimitti crucifixoribus suis rogauit? nunquid se vendenti non pepercisset, qui lancea latus suum fodienti sic pepercit, vt coronam indulgeret martyrij? Marul. libro 2 capite 12.

SERAPION monachus in Scethi Ægypti, errore Anthropomorphitarum ita desipiebat, simplicitate quadam, non malicia, vt ne à Paphnutio quidem pastore suo conuerti posset. Cùm autem aliquando Photinum diaconum Cappadocem, ad visendos eius loci eremitas profectum, disputantem audiuisset de imagine Dei, ad quam homo conditus esset: reliquit suam de corporali Dei forma opinionem. Verùm cùm paulo pòst in gratiarum actionem exurrexisset, sentit inter precandum ex mente sua elabi eam, quam oraturus, Dei Anthropomorphin sibi proponere consueuerat. Consternatus igitur animo, prorupit in amarissimos fletus, & humi deuolutus clamauit: Heu me miserum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo vel quem adorem aut interpellem iam nescio. Cassianus cap. 3. Decimæ collationis.

Anno Christi 1390. IVDÆVS quidam Constantiæ consulem Conradum Schellenbergerum adit, & se viuum ignibus tradi importunè efflagitat, quod Iudaicam religionem repudiasset, & Christi baptismũ suscepisset. Primò insanire visus est consuli. Veruntamen cùm in proposito perstaret, carceri ad portam Rumpeltanem inclusus, tandem 26. Septemb. viuus exustus est, duplicis perfidiæ meritas pœnas persoluens, tum quòd Iudæus, tum quòd apostata esset.

ALIORVM IMPIETATEM EXCVSARE, PROTEGERE, NON PVNIRE.

Exempla pete ex loco εἰρωνείας, *Aliorum peccata dissimulare.*

ALIORVM IMPIETATEM GRAVIVS QVAM DECEAT PVNIRE.

Consule tit. Nimiæ vindictæ, vitium est in excessu puniendi, quod vel personarum rationem habet, vt qui puniunt cùm punire non deberent: vel certè quantitatis ipsius supplicij, quòd pro portione maius est quàm quod impietati tali conueniat.

AGAVE Pentheum F. ob contempta Bacchanalia, cum Mænadibus cæteris lacerauit. Ouid. lib. 3. Metam.

Quondam apud PTOLEMÆVM, cui Dionysio cognomen fuit, quispiam Demetrium Platonicum accusauerat, quòd in Bacchanalibus aquam biberet, solúsque omnium muliebribus non vestiretur: de quo, nisi accersitus ad regẽ manè palàm vino libasset, & vestitu muliebri amictus ad numeros Dithyrãbicos, cymbalorúmque modos saltasset planè actum erat: quòd & regium exẽplar non esset imitatus, & aspernaretur Dionysiorum mollitiem.

ALIORVM IMPIETATEM MINVS QVAM DECEAT PVNIRE.

FINIS LIBRI XIIII.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER DECIMVSQVINTVS.
DE INIVSTICIA ETHICA.

INIVSTICIA Ethica, erga homines tyrannidem suam exercet. De qua Arist. 5. Ethic. 2. abundè disputat, & duas conditiones iniusto adscribit : altera, quòd sit τὸ παρὰνομον, contra leges peccet, altera, quòd sit πλεονέκτης καὶ ἄνισος. τὸ παρὰνομον Νομίμῳ opponitur. Quare sicuti in iusticia τὸ νόμιμον vniuersale & generale erat iustum : ita hîc τὸ παρὰνομον erit iniustum generale, legibus & præceptis certis tam priuatim quàm publicè contrarium. in quo non tam inæqualitas, quàm legum neglectus & contemptus obseruatur, siue is sit in sola voluntate, vt qui leges contemnerent, nisi formidine pœnæ coercerentur : siue in actione, vt qui ipso facto contra leges peccant. Quemadmodũ enim iusti erat, iusta velle primùm, deinde etiã operari: quorũ vtrumque ad perfectã iusticiæ actionem requiritur, prius ad iustam tantùm voluntatem, nondum in opus progredientem: ita iniusti est vel iniusta velle agere, si liceret & posset, vel iniusta facere. Iam verò τὸ ἄνισον τῷ ἴσῳ opponitur, particularis scilicet Iniusticia particulari Iusticiæ. Est autem τὸ ἄνισον generale vocabulum, cõprehendẽs τὸ ἔλαττον καὶ πλέον, quæ non subiecto, sed relatione tantùm inter se diuersa sunt in vna eadémque actione, vt in superioribus docuimus. A potiori tamen bono vel malo denominatio fit, vt vel κατ' πλέον, vel κατ' ἔλαττον iniustus esse dicatur. Cùm autem materia subiecta τῷ πλέονος καὶ ἐλάττονος sint bona vel mala externa, quorum mala ζημίαι, bona verò λέρδος Arist. vocat : fit ferè, vt iniustus sibiipsi ἔλαττον ζημίας καὶ πλέον λέρδος cupiat, iniusta patiens contraria obtineat. Hinc Iniustus non modò παρὰνομος (respectu Iniusticiæ vniuersalis) aut ἄνισος (respectu particularis Iniusticiæ) sed etiam πλεονέκτης dicitur, quasi plus habere desiderãs, vel etiam plus obtinens, quàm sibi conueniat. Quod quidem habendi studium si ad solum agentem referatur, quatenus sibiipsi plus, quàm meretur tribuit, & à cupiditate externorum bonorum se vinci patitur, ad ea vitia quæ particularibus virtutibus, Liberalitati scilicet & Magnanimitati opponuntur, referri debet. Sin verò non tam agentis quàm patientis respectu consideretur, (iusticia enim πρὸς ἕτερον est propriè, pariter & iniusticia) quatenus non modò agens sibi plus quàm conueniat tribuit, sed etiam quatenus patiens ἔλαττον habet, quàm mereatur, sic ad Iniusticiam pertinet. τὸ πλεονεκτεῖν igitur nihil aliud est, quàm τὸ πλέον ἀγαθῶν αἱρεῖσθαι. Ἀγαθὰν autem voco non id tantùm quod reuera bonum est, sed etiam id quod inter mala minus malũ est. Bona verè ea sunt, quæ alteri ab alio auferri possunt, non ergo bona quæuis, sed fortunæ potissimum, honores, diuitiæ, dignitates, & similia. Quamuis etiam corporis bona in hunc ordinem redigi possunt, vt quando *vel sanitas per veneficia, vel vita per cædes* aufertur. Bona animi per se quidẽ alterius iniusticiæ non sunt subiecta, quia incorporea : per accidens tamen subiici possunt, vt quando patres erga filios iniurij sunt, quòd eos liberalibus disciplinis imbui non sinant. Non enim id quod est auferunt, sed bonum quod habere poterant impediunt: neque bonum ipsum per se, sed adiumenta quæ ad boni acquisitionem pertinent, filiis non largiuntur. Duplex igitur est Iniusticia, vniuersalis & particularis. Quarum subdiuisiones ex typo Iusticiæ facili negotio deduci possunt, & tituli inter se artificiosè connecti. Porrò in exemplis id notandum est, quòd exempla Iusticiæ correctiuæ ad Iniusticiam referri possunt, ratione iniusticiæ, quæ à Iustitia corrigitur : & vicissim exempla Iniustitiæ ad locos Iusticiæ correctiuæ commodè transferentur, quatenus in exemplis istis pœna quoque interdum adiungitur. Hæc monere volui, ne eadem sæpius sub diuersis locis repetere opus sit.

τὸ ἄδικον



A. Damus indignis ea q̃ nõ merentur, & in Δ/g-γομῆ pecc.mus vel erga
- Alios, quæ Iniuſticia propriè dicitur et ἀλλοτρίον κακὸν eſt. Damus indignis ea quæ non merentur, vel
  - Ex fide. Non merentur autem, quoniam vel nulla fides interceſſit, quæ nos illis ad hoc ſeruandum cogat, præſertim ſi illud inhoneſtum eſſe videatur: vel certè, quamuis fides aliqua interceſſerit, eam tamen non ſeruandam honeſtas iubet. Exempla igitur afferuntur fidei in rebus inhoneſtis, vel
    - Datæ atque ſeruatæ. PACTA iniuſta ſeruata, & non reſciſſa.
    - Non datæ, & tamen tanquam ſi data eſſet ſeruata
  - Abſque fide. Damus indignis ea quæ non merentur, vel ex
    - Virtute. Huius generis ſunt PRÆMIA data maiis, aut præmia maiora quàm conueniat data bonis vel
      - Internis, tum
        - Theoricis.
        - Practicis
          - Mechanicis.
          - Ethicis, quibuſlibet vitiis. PRÆMIA data vitiis variis.
      - Externis
        - Corporis.
        - Fortunæ.
    - Beneficio, quando beneficium tantum & tale non præceſſit, quod tantam gratitudinem mereatur. NIMIA gratitudo.
- Noſipſos, quis nobis maiora quàm mereamur tribuimus, quæ quidem Meremur vel ex
  - Fide.
    - Virtutis,
    - Beneficij
  - Merito

B. Non damus dignis ea quæ merentur, et vel
- Alios, ea quæ illis debemus vel ex
  - Fide. PERFIDIA proprie. Exempla perfidiæ afferemus tum in
    - Genere. PERFIDI in genere
      - Subditorum erga
        - Patriam. Vt puta PRODITORES patriæ vel QVI patriæ infeſta arma intulerunt: vel QVI patriam tyrannide opprimere conati ſunt.
        - Magiſtratum
          - Inobedientiæ.
          - Perfidiæ
            - Prodendo.
            - Tranſfugiendo, aut deficiendo.
            - Deferendo.
            - Seditiones excitando tam vrbanas quàm caſtrenſes.
        - Se inuicem, in bello, vel extra.
      - Publico. Exemplatum
        - Politicè nomine
          - Nobis, tum
            - Occonomice. Vide ſignum C.
            - Peregrinis. PERFIDIA
              - Hoſpites, vel in
                - Non ſuſcipendo.
                - Malè tractando.
              - Suplices & exules.
          - Priuato, in quibuſlibet contractibus. Vt puta PERFIDIA præceptorum erga diſcipulos. & econtrà.
        - Sociorum perfidiæ erga ſe inuicem, extra bellum & in bello.
      - Magiſtratuum
        - Subditos, tum
          - Extra iudicia, tum
            - Conſultando. CONSILIARII iniuſti.
            - Impe rando tum
              - Reges.
              - Extra bellum
                - Magiſtratus quilibet alij.
              - In bello. DVCES perfidi.
          - In iudiciis, INIVSTI.
            - Iudices.
            - Cenſores.
        - Se inuicem.
    - Specie, eáque digeremus tum reſpectu
      - Perſonarum. Fides nõ ſeruata
        - Amicis, vel tanquam amicis: iiſque vel
        - Inimicis. Vide ſignum D.
      - Cõtractuum. Vide ſignum E.
  - Merito. Vide ſignum F.
- Nobiſipſis: non tribuimus ea quæ nobis conueniunt, vel ex
  - Fide
    - Publica, propter magiſtratum.
    - Priuata, ex pacto.
  - Merito
    - Virtutis, propter quamcunque bonorum excellentiam
    - Beneficij.

C. PER

(PERFIDIA Oeconomica complectitur, tum erga
- Parentes
  - Inobedientiam.
  - Perfidiam quãcunque, & Impietatem. vtputa
    - Patricidæ parentum.
    - Proditores parentum.
    - Perfidi erga parentes quacunque tandem ratione.
- Liberos. Perfidiam, crudelitatem & impietatem vel
  - Cum cæde. PARRICIDAE parentes.
  - Abſque cæde.
- Fratres
  - Patricidæ fratrum.
  - Perfidi
- Conſanguineos & affines quoſcunque.
- Maritos
  - Inobedientiam.
  - Perfidiam.
- Vxores. Perfidiam.
- Dominos
  - Inobedientiam.
  - Perfidiam.
- Seruos. Perfidiam.

DPERFIDIA erga inimicos, tum
- Bellica. tum nomine
  - Publico in
    - Bello, vel fraudulenter
      - Inferendo.
      - Gerendo.
    - Fœderibus & induciis non ſeruandis
    - Legatis hoſtium violandis.
  - Priuato.
- Politica vel
  - In iudicijs. DOLO malo lites perſequi.
  - Extra iudicium.

E. Perfidiæ variæ ſunt ſpecies, reſpectu contractuum variorum. Adeo enim perfidia eſt in contractibus,
- Voluntarijs, in quibus vterque contrahentium conſentit: & tamẽ aliquando aliter dolam malũ intermiſcet, ita vt ex voluntarijs contractibus inuoluntarij reddantur, quorum correctio non pecuniaria eſtimatione inſtituenda eſt, ſed pœna & mulcta. Perfidia igitur admittitur tum in
  - Teſtamentis vel
    - Falſis & iniuſtis conficiendis. Teſtamenta iniuſta. Exhæredatio iniuſta.
    - Veris, corrumpendis & adulterandis.
  - Hæreditate
    - Adeunda.
    - Partienda.
  - Præda, aut qualibet alia re communi diuidenda.
  - Mutuo. Emptione & venditione.
  - Pactis connubialibus.
  - Pignore. Commiſſo. Tutela.
  - Depoſito, quoniam
    - Depoſitum vel
      - Non cuſtoditur.
      - Non redditur.
    - Non depoſitum rapitur.
  - Fœnore & vſura.
  - Aere alieno
    - Suſcipiendo, aut diſſoluendo. DEBITORES perfidi.
    - Credendo. CREDITORES perfidi.
  - Locatione tam rerum, quàm operæ.
  - Commodato & precario.
  - Stipulatione.
  - Obligationibus & ſingraphis.
  - Mandato. Ea quæ mandata
    - Sunt, mala fide exequi.
    - Non ſunt, perferuari. ALIENAS literas reſignare.
  - Teſtimonio & Accuſatione. Perfidia hic reperitur partim reſpectu
    - Rerum. QVI falſo teſtimonio, falſis ne accuſatione inſontes opprimere conantur.
    - Perſonarum. QVI vero teſtimonio, veráque accuſatione ſontes produnt, quos tamen per ſe prodere nõ debebant.
  - Fideiuſſione.
- Non voluntarijs, in quibus alter contrahentium, is ſcilicet qui iniuriam patitur, non conſentit: contrahere tamen cogitur, vel dolo, vel vi circũuentus & oppreſſus. Huc pertinet igitur omnis iniuria alteri illata, vel in bonis
  - Interni animi. Vt qui quacunque ratione obſtant aliorũ bonis
    - Theoricis, Eruditioni ſcilicet, & doctrinæ,
    - Practicis, tum
      - Mechanicis.
      - Ethicis virtutibus quibuslibet.
  - Externis, tum
    - Corporis, vtputa
      - Sanitati.
      - Vitæ, tum
        - Clàm
          - Veneno. VENEFICI,
          - Cæde
            - LATRONES.
            - SICARII,
        - Palàm, HOMICIDAE.
    - Fortunæ. Vide ſignum *,



Initi-

Voluntariis, *in quibus vterque contrahentium consentit. Huc pertinent contractus omnes voluntarij, quorum paulo antè sub Perfidiæ loco rationem habuimus, diuerso tamen respectu. Nam quatenus fides in contractibus istis necessariò requiritur: sic ad iniustitiã* Δι᾽ ἐναντιώσεως *pertinent, quandocunque fraus aliqua dolusque malus in illis oritur, alterutro cõtrahentium nesciente vt in specie quidem contractus voluntarius esse videatur, reuerà tamen non voluntarius sit, cuius correctio quoque non pecunia, sed mulcta & pœna fieri debet. In præsentia vero iniusticiam in voluntariis contractibus consideramus, non respectu fidei datæ, sed quatenus vltra datam fidem in equalitas aliqua obortæ est, quam primò quidem neuter contrahentium animaduertit: poste a verò quidam eorum reprehendit, deprehensam tamen corrigere satis dando negligit. Verbi gratia, cõuenit inter nos bonæ fidei, vt tu dominum meã millè aureis redimeres, quæ tamen me inscio alteri pro quingentis oblata fuit. Contractu inito, tu mihi mille aureos numeras bona fide: interea ego de quingentis certior redditus, non quidem ex data fide, sed tamen ex æqualitatis præscripto cogor tibi quingentos remittere. Quod nisi fecero, iniustus ero* ὁ διορθώσει *voluntarij contractus.*

G. Iniustitia Διορθώσεως inæqualitatē ibidē non emigit, tũ in contractibus.

Non voluntariis. Διόρθωσις iniusta erga
Iustos & innocentes, vel
Non *facit iniustos enim vel*
Non *defendit, vel*
Domi
Extra *iudicium.*
In *iudicio.*
Foris, *in bello.*
Non *absoluit.*
Facit *iniusta, tum*
Accusando.
Condemnando.
Iniustos & nocentes vel
Homines, *iniustos non*
Accusat.
Condemnat.
Non *facit iusta. Namq; vel*
Pacta *iniusta, non*
Redarguit.
Rescindit.
Facit iusta. Malè cui vel
Non dum *orta non præcauet ne oriantur, vel etiam iis vt oriantur occasionem dat.*
Orta in
Seipso.
Non *corrigit.* IMPOENITENTIA, *qui malefactorum nulla ducuntur pœnitentia: vel qui ducuntur quidem, verum tarda, quæ ad stultitiam quoque referri potest.*
Corrigit, *sed grauius quàm oporteat, vt* DESPERATI, *qui sibi ipsis mortem intulerint.*
Aliis
Litibus & rixis, odiis & dissidiis aliorum non componit, cùm eorum compositio ad ipsum pertineat.
Fuit. Igitur iniustè agit, quoniã in
Vitiis & iniustis factis, ad quæ cunq; vitij speciẽ referantur, peccat tum in
Defendendo. INIVSTOS *defendere.*
Corrigendo. Ea enim vel
Omnino *non corrigit, sed iniustos crimine liberat & absoluit.*
Corrigit quidem, sed vel
Magis *quàm oporteat. Excessus iste partim ad personã, partim ad pœnæ ipsius proportionẽ refertur.*
SVPPLICIA *iniusta.*
Imprudentiæ.
Calliditatis.
Ignauiæ.
Stupri, *Incestus, Adulterij.*
Auariciæ.
Ambitionis.
Iracundiæ *nimiæ.*
Superbiæ.
Perfidiæ *cuiuscunque erga quoscunque.*
Ingratitudinis.
Furti, *Homicidij.*
Minus *quàm oporteat.* INIVSTOS *remissius quàm par sit punire.*

ΠΑΡΑΝΟΜΙΑ.

LEGISLATORES INIVSTI, QVI LEGES PERNIciosas ferunt.

QVI ABSQVE LEGIBVS OMNINO VIVVNT. *vel semper, vel nunc.*

ANTHROPOPHAGI Scythiæ populi, agrestissimos omnium hominum mores habent: non iudiciis, non legibus vtentes, pecuariam exercentes, vestem Scythicæ similem gestantes, propriam linguam habentes. Herod. lib. 4.

MAGISTRATVS ΠΑΡΑΝΟΜΟΙ. QVI LEGIBVS non paruerunt.

Consule tit. Eorum QVI *quæ in alijs vindicarunt, ipsi commiserunt.* QVI *proprias leges neglexerunt.*

APPIVS Claudius decemuir, Romanarum legum lator, mala libidine stuprandæ Virginiæ virginis, Romano populo astante, contra legis præscriptum, quam ipse priore anno tulerat, vindictas dedit à seruitute contra libertatem. Fuit tam iniquum decretum, autori ipsi exitio, quod collegas omnes postmodum inuoluit. Sab. lib 4. cap. 5.

SVLPITIVS tribunus plebis, vt credendi modum præfiniret, legem tulit, ne quis ordinis senatorij vltra M M. drachmarum æs alienum cōflaret: qui postea decedens, contra legem à se latam c c c. myriades æris alieni conflasse inuentus est. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 7.

TIBERIVS, contra Libonem per seruorum quæstiones vt inquireret, fraudem legi fecit, quòd illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri iussit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

SVBDITI, QVI LEGIBVS NON PARVERVNT.

Quum è senioribus quidam, videns priscas leges & instituta vetera aboleri, & alia praua succedere, atque ob id res Spartanorum inuerti, quæ summa fuerant in imum deiici, & conteri: id, inquam, cùm apud Agidem iam senem deploraret, ioco respondit: Si sit, inquit, quod narras, recto ordine res procedunt. Siquidem ego puer à patre audiui, quòd iam tum illis temporibus res inuerterentur. Itaque si rursus inuertuntur, redierunt in locum pristinum. Hoc quidem ille ludens, cæterùm seriò dicebat, se puerum hoc quoque accepisse à patre, nihil esse mirum si præsentibus succedant deteriora: sed mirādum, si succedant meliora, aut similia. Notauit peculiarem senibus querelam, de rebus in deterius prolapsis: simúlque rerum humanarum hanc esse naturam, vt vsque in peius degenerent. Plut. in Lac.

Aristoteles crebrò taxabat Athenienses, quòd cum duas res, frumenta ac leges, inuenissent, frumentis vterentur, legibus nequaquam. Laertius libro quinto, capite primo.

LEGIBVS NIMIVM ET IMPRVDENTER PARERE: NVLLAM ÆQVI boníque rationem admittere. IVS summum, summa iniuria.

ὁ νόμος ἄψυχον δίκαιόν est, & vniuersalis præceptio, quæ τῷ ἐπιεικῇ, id est, equitate moderanda venit. τὸ ἐπιεικὲς autem in viro bono reperitur, atque adeò in iudice iusto, qui veluti ἔμψυχος νόμος; leges obscuras interpretatur, ambiguas distinguit, genus in species suas diducit, circunstantias perpendit: denique id agit, quod ratio iusta dictat. Qui ergo Æquitatem hanc repudiant, & legem seuerè vrgent, videntur quidem legum rigidi custodes esse: reuera tamen iniusti sunt, non quidem νομικῶς, ἀλλὰ λογικῶς, seruant enim leges: sed quia rationem interim, qua leges explicari debebant, negligunt, summum ius in summam conuertunt iniuriam. Exempla quædam pete ex tit. Eorum qui in proprias leges commiserunt.

ΑΝΙΣΟΤΗΣ.

INIVSTI IN GENERE. QVI VARIIS INIVSTICIÆ *speciebus fuerunt obnoxij.*

INIVSTICIÆ PRIMA PARS, QVAE IN DISTRIBVtione versatur. Et primùm.

INIVSTITIÆ DISTRIBVTIVÆ PRIMA SPECIES, QVÆ in tribuendis ijs quæ ex fide alteri debentur, inæqualitatem committit.

PACTA INIVSTA SERVATA. FIDES SERuata indignis.

Vtrum Fides indignis seruata ad Iniusticiam referri debeat, dubium est. Cic. in Officijs, fidem latronibus datam non modò non esse seruandam ait: sed eum quoque qui seruet, iniusticiam committere asserit, ea potißimùm de causa, quòd latrones omnium sint hostes. Verùm si rem ipsam ex sui natura deducere & examinare volumus, distinctio hic est adhibenda. Nam si constante ratione aliquid promiseris, siue latroni, siue piratæ, illud sine iniusticiæ crimine inficiari non potes. vt enim dignus sit latro, cui fides non seruetur: at certè tu dignus non es, qui fidem frangas. Maius enim est, & deterius, iniusta agere, & fidem fallere, quàm iniusta pati & decipi ab alio. Sin verò affectu potius quàm ratione coactus, aliquid promiseris, vt metu, vel amore, vel iræ stimulatus, quia non cum ratione promisisti, ne secundum rationem quidem præstare cogêris. Virtus enim cum recta & constante ratione est: vitium verò à recta ratione exorbitat, eandémque peruertit. Itaque promissum mente cōstante obseruare, iusti est: negligere, iniusti, siue latroni siue piratæ data sit fides. Fides enim in eo cui fiditur, ipsa iusticia est: at in eo qui fidit, iusticiæ præcōcepta opinio, quam opinionem qui perfidia sua tollit, erga alios iniustus est: deinde etiam erga seipsum iniurius, vt Plato volebat. Ex hu ergo constat, Fidem seruare improbis hominibus interdum iusti, interdum iniusti hominis esse. Cęterùm hoc in loco illud est obseruandū, quòd Pacta iniusta quatenus seruantur, sic ad præsentem locum pertinent, & inter Perfidiæ species numerari poßint: at quatenus eadem præ ïusta iniusta non rescinduntur, quæ tamen per διορθωτικὴν rescindenda erant. sic ad Iniusticiam distributiuam referenda erunt.

HERODES Iudæorum rex, tetrarcha Galileæ, cùm in solenni conuiuio puellæ, Herodiadis filiæ saltatrici iurasset, sese daturū ei quodcūque petiisset: cūq; illa caput Ioānis Baptistæ flagitasset, stultus rex promissum retractare non ausus, viri sanctissimi sanguine sese contaminauit. Mar. 6.

NEPTVNVS, cum Theseo F. tria optanda proposuisset: & is filij Hippolyti interitum, falsis Phædræ criminationibus impulsus optasset, stultus deus, quamuis inuitus, voluntati eius paruit, & Theseum cum tota domo in grauissimas coniecit calamitates.

PHOEBVS, cum filio Phaetonti promissum solis currum regendum dedisset, conflagrationis vniuersi author fuit. Ouid. 2. Metam.

PRÆ

PRAEMIA DATA INDIGNIS.

IN THEORICIS.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, quem magicæ artis inuentorem Iustinus facit lib. 1. ab ipso dæmone, quem frequenter visitabat, successus est: cui postmodo diuinos honores, tanquam amico Dei, vehiculo fulminis ad cœlum leuato, decreuerunt. Vnde & Zoroastres, hoc est viuens astrum dictus est. Vide Itinerarium Clementis, & Antoninum Tomo 1. titu. 2. cap. 1.

NERO imperator, cùm in scenam habitu citharœdi prodiisset, coronam citharœdorum obtinuit: quos ipse sanè nequaquam vicerat, cæteris omnibus vt indignis victoria iudicatis. Itaq; reliquæ citharœdorum coronæ ad eum ex omnibus certaminibus, quasi solus victoria dignus esset, postea mittebantur. Xiphilinus in Nerone.

IN MECHANICIS.

IN ETHICIS.

Consule tit. Adulationis, Maiores quàm mereantur honores tribuere.

Calliditati.

PSAPHON despectissimus & vltimæ notæ homo, quòd vocales aues hæc verba eloqui docuisset, Magnus deus Psaphon, apud rudes populos in deorum numerum relatus est. Alexan. ab Alex. lib. 6. cap. 4.

Fortitudini, sed nimia.

C. MARIVS mille Camerinos, qui se in bello aduersus Cimbros, strenuos viros præstitissent, honore Romanis æquauit, idque prçter omne ius. Ad eos verò qui factum hoc reprehendebant, respondit, se ob armorum strepitum, legum vocem non potuisse exaudire. Nihil aliud nimirum innuit, quàm leges semper silere inter arma. Recitat Plutarch. in Rom. Apoph.

M. FVLVIVS Nobilior coronis donauerat milites, quòd vallum curassent, & puteum strenuè fodissent. Vnde grauissimè à M. Catone notatus est, quasi milites per ambitionem coronis leuissimis de causis donasset. Cuius verba leges apud Gell. lib. 5. cap. 6. in fine.

Ignauiæ.

DOMITIANO Romanorum imperatori, licet ignauus atq; ad belligerandum planè inutilis esset, cùm contra Getas vel Dacos pugnās per duces suos, literas de victoria (quæ tamen parta non erat) scripsisset, in omni ferè terrarum orbe, qui sub ditione eius erat, statuæ sunt aureæ atque argenteæ erectæ. Xiphilinus in eius vita.

Crapulæ & ebrietati.

In BACCHI festo, ei qui plus bibisset, aurea corona dabatur: quam meritus est Xenocrates Chalcedonius, qui sumpta corona, cùm à cœna reuerteretur, Mercurio (qui stabat ante fores) eā imposuit, iuxta priscam consuetudinem. Nam & florida, & myrrhina, & hederacea, & laurea serta, solebant hîc reponere & relinquere. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

XERXES edicto præmium ei proposuit, qui nouum voluptatis genus reperisset. Quanta, dum deliciis nimiis capitur, amplissimi imperij ruina euasit? Val. Max. lib. 9. cap. 1.

ALEXANDER Macedonum rex, cùm in honorem Calani Brachmanis Indici sophistę (qui seipsum combusserat) certamina musica, equestria & pugillatoria constituisset: volens gratificari Indis, vsitatam etiam domesticámque concertationem in honorem Calani superioribus certaminibus adiecit, & potandi vini certamen instituit. Atq; primas obtinenti, præmium constituit talentum: proximo triginta minas, tertio decem, in quibus victoriam consecutus est Promachus. Ælian. lib. 2. Variæ histor.

Impudicitiæ.

PHRYNE meretrix ita adamata est à Gręca iuuentute, vt aurea ei statua Delphis erecta sit. Ælian. de Var. histor.

ANTINOVS natione Bithynicus, Hadriani libertus, mira pulchritudine adolescens fuit: cui templum apud Mantinæam ab Hadriano constitutum est. Pausanias apud Vola. lib. 13. ca. 3. Anthrop. Eum cùm in peregrinatione in Ægyptum, non sine dolore amisisset, Hierosolymis templum dicauit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Tyrannidi.

SEIANO viuenti adhuc statuam æneam in theatro collocauit Tiberius, eiusdémq; statuę multæ postea à multis factæ sunt. Dion in Tiberio.

C. CALIGVLA Romanorum imp. à multis heros, & deus à quibusdā vocatus, omni humana cōditione superiorem se esse putauit. Igitur cum Luna coiisse, & à Victoria se coronatum esse dixit: Iouem se esse fingens. Fiebat sæpenumero Iuno, Diana, Venus, ac prçter mutationem nominum vestes induit diis proprias & accommodatas. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula.

COMMODO Romanorum imperatori ambitiosissimo, statua aurea mille librarum cum tauro & vacca Romę erecta est: teste Dione Nicęo, & Xiphilino in eius vita. Pleræque etiam statuæ eidem Herculis habitu collocatæ sunt. Dion.

PLAVTIANO, militum Seueri Romanorum imperatoris præfecto crudelissimo, statuæ multò plures & maiores quàm aliis positæ sunt, tū aliis in ciuitatibus, tum potissimùm Romæ: quę tamen deinde post mortem in magnam hominis ignominiam deiectæ, penitúsque excisæ sunt. Xiphilinus, in Seuero.

Proditioni.

SAMVS, sola ex omnibus Ioniæ ciuitatibus, quæ à Dario rebellauerunt, ea fuit, cuius neque vrbs, neque templa incenderentur, quòd in pugna nauali ad Miletum gesta, à sociis defecisset, suasu Æacis Sylosontis F. Herod. lib. 6.

IN CORPORIS BONIS AVT MALIS.

NERO in Olympiis currum agitauit: cumq; ex eo decidisset, ita vt ferè eo casu attereretur, attamen corona donatus est. Vnde Hellanodicis (hi iudices erant Olympiorum) aureorum decem millia dedit, quam tamen summam postea Galba repetiuit. Xiphilinus.

IN FORTVNAE BONIS, AVT MALIS.

NIMIVM GRATI.

Consule tit. Superstitionis, item Adulationis.

Cùm lupi Æthiopes, in Ægyptiorum agros incursionem facientes, ad ciuitatem vsque Elephantinam fugassent, lupi simulachrum erexerunt: & beneficij memores, pro deo semper AEGYPTII coluerunt. Diodorus Siculus.

MAIORIBVS SESE PRAEMIIS DIGNVM IVDICARE, QVAM QVAE vel ex fide, vel ex merito sibi conueniant.

Consule titulos Auariciæ, Ambitionis, Superbiæ, quatenus præter dignitatem sibi bona qualiacunque arrogant. Vide etiam tit. Calliditatis eorum, qui obscuro loco orti, claris familiis se inseruerunt.

EX FIDE.

EX VIRTVTE.

AVGVSTVS Cæsar, cùm per milites suos consulatum petiisset, & ei à patribus iam denegatus esset, quidam ex militibus gladium tangens, ait: Nisi vos patres conscripti Cęsarem consulem facietis, hic est facturus. Cui Cicero respondit: Siquidem ita consulatum petitis, obtinebit. Xiphilinus, Dionis abbreuiator, in Augusto.

EX BENEFICIO.

BELTRANDVS Venetus, plebeius homo, suo indicio Marini Faletri ducis facinus detexit: veniaq; impetrata, cùm cōsilij particeps fuisset, donatus est in singulos annos millenis aureis, & ædibus ad Apostolorum ædē Ducis ipsius magnificentissimis. Insuper (quod maius fuit) in Patriciū ordinem ascitus est. Quod quum ingrato planè animo accepisset, palāq; vt ingratissimos mortaliū patres accusaret, sæpe admonitus vti incœpto desisteret, tandem sui propositi pertinacissimum, in exiliū ad decē annos Ragusium reiecêre. Quod quum ille minus seruasset, in Pannoniam iter intendens, interfectus esse dicitur. Huius exemplo facilè admoneri quiuis potest, multis sæpe mortalibus id accidere solere, & præcipuè iis qui obscuro loco nati sunt, vt fortunam sibi nimium arridentem ferre nequeant. Egnat. lib. 3. capite 5.

PERFIDI IN GENERE.

Consule tit. Fraudulentorum, Astutorum & Mendacium.

SPARTANOS velut inuidos damnosósq;, quibus nec ara, nec fides, nec fidendum foret, taxat Euripides & Aristophanes. Alexan. ab Alexan. libro 5. cap. 10.

APHRODISIVM iuramentum pro vano haberi veteres voluerunt. Namque veteri adagio amantibus verum ludificare permissum est. Ibidem.

DIONYSII tyranni dictum celebratur, sicut pueros talis, ita iuramentis homines frustrari oportere. Ibidem.

GALLOS & Pœnos nulla iurisiurandi religione teneri ferũt, quin vbi visum fuerit, deſæuiant, nullo rapinis modo aut ſæuitiæ præfinito. Ibidē.

PARTHIS fides nulla, nisi quantum expedit, quibus vtilitas ſemper eſt fide ſanctior. Ibidem.

PERFIDI ERGA PATRIAM.

Patriam hîc appello potiſsimùm locum ipſum, qui eiuſdem Reipub. ciues ſinu ſuo fouet. Nam ſi perſonas conſideres, ſic Perfidiæ variæ dabuntur ſpecies, erga principes & magiſtratus, erga ciues, erga ſocios, &c. Perfidia rurſus erga patriam multiplex: vtpote eorum qui Patriam hoſtibus prodiderunt: item, Qui contra patriam arma tulerunt: tandem, Qui tyrannide patriam opprimere conati ſunt. Denique quot ſunt ſpecies fidei erga patriam, totidem & perfidiæ. Nos tamen præcipuas ſpecies nunc perſequamur.

PRODITORES PATRIÆ. QVI PATRIAM HOſtibus prodiderunt.

Vide titulum, Pœna perfidiæ & proditionis erga patriam tum iuſta, tum iniuſta. Præterea tit. Loquacitatis, quatenus conſilia publica hoſtibus produntur.

PISIDICE amoris æſtu, patriam Mothymnum Achilli prodit. Vide tit. Impietatis erga patriam.

ANTIOPE patriam Herculi prodidit, Theſei amore capta. Vide tit. Mulierum bellicoſarum.

POLYDAMAS, Panthoi filius, æqualis Hectoris, ad caſtra Græcorum (cùm ipſe Troianus eſſet) profectus, Troiam prodidit. Dares Phrygius.

ÆNEAS & ANTENOR, Ilium prodidiſſe Græcis à Dicty Cretenſi narrantur, quorum domos in direptione incolumes fuiſſe ſcribit, & poſtremò ambos in Italiam nauigaſſe. Dares item Phrygius Polydamanta, Hectorem, Dolonem & Æneam inter proditores numerat. Volat. libro 13. cap. 3. Anthrop.

Relatum eſt ab aliquibus, Sardiorum arcem à Cyro Perſarum rege captam eſſe, prodẽte illam Crœſi filia Nanide. Quum enim Sardios obſideret Cyrus, neque vlla ſpes capiendæ vrbis adfulgeret, vehementérq; timeret, ne ab auxiliaribus Crœſi copiis exercitus ſuus diſſolueretur: tũc ſanè puellam hanc curioſè adeò cum Cyro de proditione pepigiſſe, vt ſiquidem iuxta Perſarum ritum ſe vellet vxorem, cuſtode nullo in ſuprema arcis parte præſente, per ipſam loci munitionem hoſtes intromitteret, vnà cum quibuſdam aliis, quarum opera in hac re vellet vti. Verùm Cyrum pactis non ſtetiſſe. Parth. in Erot. cap. 22. ex Lycimnio Chio lyrico, & Hermeſianacte.

LASTHENES Olynthum prodidit Philippo Macedoni.

CILLICON Mileſius prodita Prienenſibus Mileto patria, inhoneſtè ditatus eſt.

PAVSANIAS Lacedæmoniorum imperator, Perſis Græciam infeſtãtibus, quinquaginta auri talenta accepit à Xerxe, vt Spartam proderet. Quod vbi deprehenſum eſt, pater Ageſilaus vſque ad Chalciœcæ Palladis templum filium inſectatus, cocto latere ita templi fores obſtruxit, vt cum inedia cõſumpſerit, mater autem inſepultum eiecit. Chryſermus lib. 2. Hiſt. & Plut. cap. 21. Paral.

TARPEIA, Tarpeij Capitolij Romani præſidis filia, arcem Sabinis prodidit, capta ſpe armillarum aureарũ, quas Sabini magni ponderis læuo brachio gerebãt. Itaque petiiſſe eam ferunt mercedem proditionis, quod in ſiniſtris manibus haberent. Eáque inita cum Tatio conditione, noctu aperta porta, Sabinos in arcem accepit: quę deinde ſcutis Sabinorum obruta (quæ in ſiniſtra gerebant manu) interiit, digno proditionis præmio. Hiſtoriam pete ex Liuio, Plutarcho in vita Romuli, Floro lib. 1. & aliis qui de Romanorum hiſtoria ſcripſerunt.

MILO Epirotarum vrbem Papyrio Curſori ſpe mercedis prodidit.

HERADAMON Tyanenſis, cùm audiuiſſet Aurelianũ imperatorem adeò iratũ eſſe patriæ Tyanæ, vt ne canẽ quidẽ in vrbe relicturũ eſſe diceret: ne cũ cæteris occideretur, ciuitatẽ Aureliano prodidit. Sed ab eodẽ deinde ob proditionẽ patriæ iuſtè occiſus eſt. Vopiſcus in Aureliano.

QVI CONTRA PATRIAM ARMA INFESTA TVLERVNT, bello aperto, non ſeditionibus.

THEMISTOCLES, cùm ad Xerxem Perſarum regem confugiſſet, contra Græciam arma ferre coactus fuit. Verùm ne vel Xerxi parum fidus, vel patriæ hoſtis eſſet, taurino cruore epoto iuxta aram ſplendidiſſima concidit victima.

THEAGENES Samius, cùm ob prodigalitatem & ſcelera nefandiſſima patria eiectus eſſet, ad Athenienſes ſtatim profectus, eos in Samios concitauit quibus potuit modis. Cum duobus igitur milibus Athenienſes, cum Euripidis & Theagene contra Samios profecti, magnam ſtragem ediderunt. Heraclides in Politiis.

Q. MARTIVS Coriolanus Roma pulſus, Volſcis ſe coniunxit, multiſque præliis Romanos aſſlixit, ita vt Veturiam matrem & Volumniam vxorem, ſtipante matronarum caterua, ad deprecandum miſerint: alioqui de vrbe actum erat.

L. Sergius CATILINA, ſceleratiſſimus patriæ ciuis, ob auaritiam & imperandi cupiditatem, dicente Cicerone, incendium ab eo excitatum: Sentio, inquit, & illud quidem, ſi aqua non potero, ruina ſaltem extinguam. Sed hunc idem exitus manſit, qui L. Saturninum, Sp. Melium, duos Gracchos tyrannidem ad exitium patriæ appetentes. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

C. IVL. CÆSAR, cùm magnis in Gallia per decennium rebus geſtis floruiſſet, & à Senatu exercitum dimittere iuberetur, id Pompeij imputans inuidiæ: cùm ex conditione impetrare non poſſet, vti ille exercitum, quem per Italiam dominationis cauſa tenebat, etiam dimitteret, contra Pompeium & patriam vnà venit: captóque Piceno, in vrbem, vnde ille aufugerat, contendit, ſeſe excuſans ſenatui ac populo, cùm quietis ciuibus, nulliúſque partis, impunè eſſe licere pollicitus eſt. Volat. lib. 23. Anthrop.

QVI PATRIAM TYRANNIDE OPPRESSERVNT, vel opprimere conati ſunt.

Conſule tit. Tyrannorum. Item, Aſtus in tyrannide occupanda. Item, Pœna affectatæ tyrannidis.

CYLON Athenienſis Olympionices, patriam tyrannide opprimere conatur: verùm ab Alcmæonidis occiſus fuit. Vide tit. Aſyla violata.

Mortuo Ioanne Mediolanenſi duce, CAVALCABOVI Cremonenſes ciues, id egerunt, quod à permultis aliis ciuibus, in Tranſpadana regione, ob eandem mortem, in vrbibus ſuis actum fuit. Vrbis enim Cremonæ imperium inuaſerunt: & cùm Gabrinum Fundulum, virum poſtea perfidia inſigni notum, conduxiſſent, inter militares viros clarum, præcipua in ſe eum fide eſſe arbitrabantur. is autem cùm eos ad Machaſturmam oppidum inuitaſſet, diſcumbentes decem ex eis occidit, fraudéque munitis in poteſtatem ſuam redactis locis vrbis Cremonæ, imperium inuaſit. Sed poſtea dux Philippus Ioãnis frater eam vrbem recepit. Nam Gabrinus, ab Oldrato Lampugnano, quo cum ſacra baptiſmatis neceſſitudine coniunctus erat, per inſidias captus, ac Mediolani capite mulctatus, diſcerptúſque, mercedem quæ tantæ perfidiæ debebatur tulit. Fulg. lib. 9. cap. 6.

MARINVS Faletrus, abſens dux creatus in Andreæ Danduli locum, dum legati munere apud Pont. fungeretur, Venetias rediens, ſummo omnium gaudio exceptus eſt. Inito igitur principatu, non multo pòſt leuibus ſanè de cauſis nefarium conſilium iniit, ſui muneris oblitus: ſimul & memoriæ clariſſimorum Vitalis & Ordelaphi antea Faletrorum ducum, vt patriam libertatem opprimeret, ſolúſque ipſe cæſis patribus regno potiretur. Quæ res diu occulta, tandem per Beltrandum, plebeium alioqui hominem, coniurationis vnum & ipſum conſcium & autorem, ad Nicolaum Leonem patricium primis tenebris defertur. Qui ſtatim rem tantæ atrocitatis audiens, & Marco Cornario, & Iacobo Contareno ad ſe vocatis, omnia pandit: quorum conſilio, & decemuiris quàm primùm adhibitis, & magiſtratibus non paucis in priuatam domum conuocatis, coniurationis capita ex plebeiis quàmprimùm non pauca capiuntur: ſupremóque ſupplicio his affectis, ad Principis ædes conuolant, quem & ipſum capitali pœna damnarunt. Nec multò pòſt patricij ordinis aliquot, & reliquis multis rei conſciis, partim exilio, partim morte damnatis, tantum patriæ ocium quietémque reſtituunt, Marco Cornario Rempub. ducis nomine ex publico decreto gerente.

BAIAMONTII Teupoli Veneti non poſſum non ſine ingenti ſummáque animi moleſtia meminiſſe, viri patricij ſanguinis, ducéq; patre orti, ad tantum facinus animum adieciſſe, vt libertatem patriæ opprimeret, tyrannidéque eam ſibi vni vindicaret: cæſo clariſſimo omnium duce

cæſiſque Senatorij ordinis viris ferè omnibus, qui ſibi obſiſtere auderent: vt meritò hunc alterum Catilinam dixeris, qui tam claris maioribus editus, ab eorum nobilitate degenerarit: & (quod magis quis miretur) non defuerint multi patricij ordinis, qui Baiamontem ipſum autorem tanti ſceleris ſecuti ſint. Is igitur certa die aream Marcianã magna manu ingreſſus, principem ipſum & reliquos patres obuiam habuit, qui rem totam antea reſcierant. Qui conſtantiſſimè illi occurrentes, adiuti etiam Vgolini Iuſtiniani Clodiæ prætoris opera, qui cum multis Venetias aduolarat, fortiſſimè pugnarunt. Eò igitur fuſo fugatóque, cæſiſque hõ paucis nobilibus, libertas in ſuo gradu cõſtitit. Qui poſtea ſupplex, facti tam nefarij petita venia, reliquique omnes qui conſcij fuerant, partim ſecuri ſubiecti, partim perpetuo exilio damnati ſunt. Egnatius libro tertio, capite quinto.

PERFIDIA CONTRA PRINCIPES. PRODITORES PRINCIPVM.

Conſpirationes in Principum & magiſtratuum capita.

DIODORI Tryphonis res geſtæ, vitáque omnis, nihil allud quam proditio atque perfidia fuerunt. Nam cum is Demetrij Syriæ regis copiarum dux eſſet, ab eo, cùm aduerſus Parthos bellum gereret, rebellauit: atque Antiocho, qui Deus cognominabatur, ſe coniunxit, eúmque Syriæ regem conſtituit. Non multo autem poſt, cùm Demetrius à Parthis occiſus diceretur, idem manu ſua Antiochum interemit. Paruo temporis interuallo, duobus inter ſe cõtrariis regibus, manifeſtus hoſtis ac proditor fuit. Fulg. lib. 9. cap. 6.

DARIVS Rex Perſarum ab Alexandro Macedone ſuperatus, à ſuis MILITIBVS, regiis indutus ornamentis, trucidatus: deos precabatur, vti Alexandrum ſecundarent, quem hoſtem clementiorem quàm ſuos inueniſſet. Volater. in Alexandri vita, libro decimotertio capite tertio Anthrop.

L. Poſthumius tribunus militaris conſulari poteſtate, cum diripiendam Æquorum oppidum Nolam Exercitui ſuo, vt promiſerat, non concederet, item ob ea quę ſuperbè in plebem dixerat, concitato in vrbe Roma tumultu, propter illatum eius ſcribæ vulnus, ab exercitu ſuo lapidatus eſt. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Ille quoque Exercitus nefariè violentus, qui C. Carbonem, fratrem Carbonis ter Conſulis, propter bella ciuilia diſſolutam diſciplinam militarem præfractius & rigidius aſtringere conatum, priuauit vita ſatiúſq; duxit maximo ſcelere coinquinari, quam prauos ac tetros mores mutare. Val. Max. lib. 9. cap. 7.

Cùm C. Mario lege Sulpitia, prouincia Aſia, vt aduerſus Mithridatem bellum gereret, priuato decreta eſſet, miſſum ab eo Gratidium legatum ad L. Syllam conſulem accipiendarum legionum cauſa Milites trucidarunt: proculdubio indignati, quod à ſummo imperio, ad eum qui nullo in honore verſaretur, tranſire cogerentur. Sed quis ferat militem, ſcita plebis exitio legati corrigentem? Valerius Maximus, libro nono, capite ſeptimo.

Q. Pompeium Syllæ collegam, Senatus iuſſu ad exercitum Cn. Pompeij, quem aliquandiu inuita ciuitate obtinebat, contendere auſum, ambitioſi ducis illecebris corrupti Milites, ſacrificare incipientem adorti in modum hoſtiæ mactauerunt: tantúmque ſcelus curia, caſtris cedere ſe cõfeſſa inultum habuit. Ibidem.

TVLLIVS Cimber, primus in coniuratione Brutiana manus in Cæſarem intulit. Volat. lib. 20. Antrop.

VESPASIANI exercitus, aduerſus Titellium in Italiam cum Antonio miſſus cùm apud Veronem caſtra haberet, Pontius Saturninus armis arreptis, in Mœſici exercitus legatum impetum fecit: & niſi ſe in balneũ is abdidiſſet, atque inde clàm profugiſſet, nulla imperij habita ratione eũ intercemiſſet. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Perſimilis ſeditio in Vitellij Germanico exercitu fuit, cum in Rheno à Germanis, vnius tantũ nauis detrimento ſuperatus eſſet. Nam cùm milites culpam ſuam in Herennium Gallum legatum reiicerent, per tumultum eum cœperunt: ſpoliatumque ac verberibus affectum, turpiter interemiſſent, niſi Voculæ, qui eius collega erat, interuentu, ab eorum manu liberatus eſſet. Ibidem.

Galbam qui per omnes honorum gradus ad imperij culmen aſcenderat, & quem Senatus ac Rom. milites ex Hiſpania, vt à Neronis tyrannide liberarentur, acciuerant: Prætoriani milites ſui interemerunt: cùm eius rei nulla alia eſſet cauſa, niſi militum ipſorum ingens auaricia. nam ad ſeditionem compulſi, quòd dicerent, Eum ſeueriorem parcioremque quam opus eſſet videri: verborum rerumque contumelia affectum, nulla auguſtalis dignitatis, nulla fidei habita ratione, in medio foro crudeliter occiderunt. Ibidem.

Quanta etiam in Macrini Imperatoris exercitu ſeditio fuit? Nam cũ aduerſus M. Aurelium Antoninum Varium Heliogabalum, quatuordecim natum annos, cùm Iuliano præfectus miſſus eſſet, quòd Heliogabalus quorundam paucorum militum ſeditione ac ſtudio imperator creatus erat (eum enim Antonini Baſſiani filium arbitrabantur) auia eius Męſa, quæ Iuliæ, Seueri principis coniugis ſoror erat, affirmante, filiam ſuam Semiamiren ſe cum Baſſiano nepote miſcuiſſe, atque ex eo hunc genuiſſe, & à parentis nomine Heliogabalum nominaſſe. In eum igitur Iuliano arma mouente, cùm Heliogabalus imparem ſe, qui aperto cãpo cum eo certaret, arbitraretur, intra vrbis muros obſidionem expectabat. Vt autem vrbi Iulianus appropinquauit, repentè in eam ſeditionem motus eſt exercitus: vt neglecto imperio ac fide, Iulianum præfectum occideret, atque ad Heliogabalum tranſiret: quem ſecutus, conuerſis in Macrinum armis, ei cum imperio vitam quoque ademit. Ibidem.

A Maximinis patre filióque Auguſtis, quanquam Senatus, & per eum imperium penè totum, ſingulari conſenſu defeciſſet: tamen Orientis Exercitus, qui eo tempore in Germania cum ipſis erat, conſtanter in fide perſeuerauit. Eo exercitu, cùm Maximini ad vrbem Romam tenderent, atq; in via vrbem Aquileiam obſediſſent, quo tẽpore arctius obſeſſi premebãtur, tumultuari exercitus cœpit: ſpretiſque omnibus, armatus ad Maximinorũ tentoria profectus, cum nec minas nec preces audire vellet, patrem filióſque Auguſtos ſimul interemit, præfixáque in haſtis eorum capita obſeſſo populo oſtendit. Ibid.

Raró euenit, vt qui in ſeditionem ſemel incidit exercitus, veluti equus, qui ſpretis frenis in curſum agitur, in multa alia infanda facinora præceps non ruat. Id Galieni exercitus ita eſſe oſtẽdit: qui ei indignatus, ſpreto imperij iure, Cenſorinum imperatorem creauit: is per omnes honorum gradus cucurrerat: & tunc vulnere, quod in prælio acceperat, debilitatus, in agro ſuo latebat. Ad imperium igitur euectus, quia milites, vt diſciplinam ſeruarent, cogebat: inſolentiæ autem aſſueti, ferre eius ſeueritatem non poterant: ab eis Cenſorinus cæſus fuit. Ibid.

AVR. Val. Probi Imperatoris, ſeueri hominis, ac magna virtute præditi exercitus, eadem de cauſa in Sirmio (Pannoniæ is locus erat) dum paludem excicaret concitato tumultu, Probum ipſum in turrem propinquã fugientem occidit: nec multo poſt, cùm criminis magnitudinem agnoſceret, extructo ei ingenti ſpecioſóque ſepulchro, culpam corrigere contendit, ſepulchróque inſcripſit: Hic Probus imperator iacet, verè probus, qui omnium Barbararum gentiũ atque tyrannorum victor fuit. Quo titulo quantum Probi virtus teſtata manſit, tantundẽ militum perfidia in eum damnata eſt. Ibid.

Non minus contumacem Galerij Auguſti Exercitus ſe oſtendit, quo tempore, cum Seuero Cæſare, aduerſus Maxentium, vrbem Romam tyrannide prementem, miſſus fuit: qui vt ſe hoſti propinquum vidit, concitato tumultu ſigna militaria cæpit, atque ad Maxentium tranſiuit. Quãobrem deſertus ab exercitu Seuerus, cum inde profugeret, apud Rauennam capite mulctatus eſt. Ibid.

ANNIVS Tacitus, cùm poſt Aurelij mortem inuitus in imperatorem electus eſſet, menſe ſeptimo à ſuis militibus oppreſſus eſt. Ibidem.

Exhauſti pudoris perſidia atque proditio M. IVL. Philippi fuit: qui cùm iunioris Gordiani præfectus eſſet, cum eo ad Perſicum bellum profectus, non id ſolùm egit quòd Miſithæũ eius ſocerum, qui alio nomine Meſocles appellabatur, veneno ſuſtulit: verũetiam perfidia, atq; ingenti aſtu, in loca arida atque ſterilia, vbi omniũ rerũ inopia premebatur, exercitũ deduxit: Et cùm naues, quibus ad exercitũ frumenta comportabãtur demerſiſſet, ſubornauit qui ad tumultuandũ impellerẽt exercitum, & dicerent, in ea mala eum eſſe deductũ iunioris Gordiani inſcitia. Ab exercitu igitur Gothorum æquatus, imperij ſocietate ſpreta, crudeliter Gordiano caput adimi iuſſit: atque Senatui ſcripſit, Gordianum febre correptum interiiſſe: & vt perfidiam occultius tegeret, in deorũ numerum, vt alios Romanos principes, retulit: neque alio vnquam nomine quàm Diuum appellabat. quanquam ſecretò haud pauci eſſent, qui rem vt geſta erat non ignorarent. Igitur non puduit tam inſigni proditione tantóque ſcelere principem ſuum atque eundẽ innocentem, cuius ſtipẽdio militabat, & cui officij iure atque inſuper ſacramento erat obſtrictus tollere: ſed ita ferente Deo, qui iuſtus eſt vltor, haud multò pòſt M. Qu. Traiani Decij opera, Philippus vnà cum filio à militib. interfectus, perfidiæ ſuæ munus tulit. Quemadmodum Decius quoque, ſimul cum filio egit. in Thracia enim, cùm aduerſus Scythas bellũ gereret, à C. VIB. Gallio Treboniano, qui Mœſiæ fines cum exercitu cuſtodiebat, proditus, ac poſtea occiſus fuit. Id enim perſępè contigit, vt proditor de alterius proditione pœnas ſumat. Fulg. lib. 9. cap. 6.

VAL. Aurelianus, cùm poſt infinita fortia facta contra Perſas demum in Orientem proficiſceretur, in itinere, inter Heracleam & Byzantiũ, notarij ſecretorum inſidijs à ſuis interficitur. vt eſt apud Flauium Vopiſcum.

MAXIMVS & Balbinus viri conſulares, & qui multas adminiſtrauerunt prouincias, ingenti vterque virtute interfectis in Africa Gordianis imperatores à Senatu lecti ſunt. Verùm cùm annum ſimul imperaſſent, à militibus ſuis è Palatio tracti, omnibus contumeliis adfecti, in via excarnificati ſunt. Herodianus & Dexippus.

FLORIANVS, Taciti Romanorum imperatoris frater, cui in imperio ſucceſſit, menſe ſecundo à militibus ſuis interfectus eſt. Volater. lib. 23. Anthrop.

ARBOGASTES comes, iunioris Valentiniani Imperatoris dux, cùm Viennæ in Allobrogibus eſſet, ſtrangulari Valentinianum iuſſit: & vt ſcelus ſuum tegeret, cùm in eius cubiculo ipſum ſuſpendiſſet, diuulgauit, quod atrocibus nunciis perculſus, moleſtiæque impatiens, ſibiipſi mortem conſciuiſſet. eo autẽ ſcelere vſus eſt, vt ad Eugenium hominem ignauũ deferret imperium, & ſub eo ipſe arbitratu ſuo imperij habenas moderaretur. Fulg. lib. 9. cap. 6.

VISIGOTHI seditione mota, per impetum Ataulphum, quòd pacem cum Honorio imperatore iniuerat, occiderunt: quanquam regnum ingenti animo, Italia atque vrbe Roma direpta, administrasset. Fulgosus libro 9. cap. 7.

Quo nomine ALTINERII RAINBALDIQVE Taruisinorum factum, erga Rizardum Caminum principem suum appellabimus? Nam cùm vxori atque filiæ eius vim attulissent, magnis promissis, vnum ex Rizardi militibus impulerunt, vt eum occideret. Quem cùm miles præsentibus Altinerio atque Reinbaldo lethali vulnere confodisset, ambo, ceu Rizardo fidelem præstare operam vellent, arreptis armis, statim militem ipsum obtruncarunt: non modò ne res detegeretur, verùm etiam, vt qua mercede dignus erat miles, cùm dominum suum occidisset, pro pacto præmio, pœna eum afficerent. Fulg. lib. 7. cap. 3.

TRANSFVGÆ, DEFECTORES.

A proditore transfuga differt: quia proditor hostis est, amicum tamen se esse simulat: Transfuga verò apertè se inimicum esse ostendit, quoniam ad inimicos domini sui transit. Consule tit. Pœna transfugarum.

Cùm aduersus Cyrenęos Apries rex Ægyptiorum exercitu misso, magnam cladem accepisset, id ei imputantes Ægyptij rebellauerunt: opinati, se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos, vt his internecione deletis, ipse cæteris Ægyptiis imperitaret securius. Hæc perquàm grauiter ferentes tum ij qui redierant, tum eorum qui interierant amici, apertè desciuerunt. Id vbi resciuit Apries, mittit ad eos verbis sedandos Amasim. Qui cùm ad eos peruenisset, reprehendénsque dissuaderet ne talia facerent: quidam Ægyptiorum ei à tergo stans galeam circundat, eáque circundata inquit, se illam ei ob regnū imposuisse. Neque hoc quod fiebat, eo inuito fiebat, vt ostendebat. Nam simulátque ab his qui defecerant Ægyptiis declaratus est rex, sese apparabat tanquam aduersus Apriem moturus. His cognitis, Apries mittit ad Amasim ex his qui secum erant Ægyptiis, spectatum quendam hominem nomine Patarbemem, & iubet vt ad se viuum Amasim perduceret. Is vbi eò peruenit, Amasim ad se vocat. Amasis (sedebat autem in equo ad suos cohortandos insolenter) iubet vicissim hunc ad se adducere Apriem. Et cùm Patarbemis eum rogaret, vt regem adiret: respondit, se iamdudum dare operam, vt id ageret, nec de seipso Apriem esse questurum: se enim illi præsto futurum, & alios adducturum. Patarbemis non ignarus propositi illius, tum ex oratione, tum ex apparatu quem videbat, quàm celerrimè regem rerum (quæ agerentur) fecit certiorem. Huic redeunti, quòd Amasim non adduceret, nullo verbo edito Apries ira percitus, præcidi aures iussit, nasúmque. Id intuentes cæteri Ægyptij, qui cum Aprie hactenus senserant, virum inter eos probatissimum ita fœdè indignéque affectum, ad Amasim omnes defecerunt. Pugna commissa, Apries ab Amasi superatus fuit, & in Saim ciuitatem ductus, quamuis repugnante Amasi, ab ipsis Ægyptiis fuit strangulatus. Herod. lib. 2.

Erat quidam auxiliariorum Amasis regis Ægypti, nomine Phanes, genere Halicarnasseus, vir consilio prætlās & in re bellica strenuus. Hic Phanes nescio quid Amasi succensus, nauigio profugit ex Ægypto, volēs in colloquium venire Cambysis. Eum Amasis, quòd inter auxiliares non parui momenti esset, quódque de rebus Ægypti nonnihil compertissimum haberet, insequitur cum triremi eunuchorum fidissimorum. Phanem igitur assecutus in Lycia cœpit: sed non retulit in Ægyptum, ab illo prudentia superatus. Nam Phanes mactatis custodibus, abiit in Persas: Cambysémque molientem aduersus Ægyptum expeditionem, & quo pacto carentia aquis loca transmitteret ambigentem, adiit. Herodotus libro tertio.

PATIZITHES magus, à Cambyse rege curator rei domesticæ in Perside relictus, cùm ipse in Ægyptum expeditionem pararet, cum fratre suo Smerde contra Cambysem rebellauit. Simulabāt enim Smerdem Cyri esse, cui facie simillimus erat. Herod. lib. 3.

PACTYAS Lydus, à Cyro Persarum rege thesaurum (quem Crœso eripuerat) custodiendum suscepit. Cyro autem Ecbatana profecto, à Tabalo (quem Cyrus Sardis præfecerat) deficit. Tandem à Chiis viuus Tabalo traditus, & ad Cyrum perductus est. Herod. lib. 1.

EVRYBATVS missus à Crœso, cum multa pecuniarum vi, vt contraheret exercitum, ad Cyrum Crœsi hostem defecit.

M. Lepidus triumuir, cùm in Sicilia duodecim legionum, & quinque millium equitum, præter auxiliares copias Exercitum haberet, per seditionem ab eo desertus est: quem neque lachrymis, neque minis vnquam retinere, atque ad officium reuocare potuit, quin ad Octauiū, qui cum sex cohortibus tantùm venerat, transiret: cui, si conditionem accepisset, obtulit, se eius arbitratu Lepidum interfecturum. Quamobrem cū alia salutis ratio nulla esset, Lepidus inermis ad Octauium, ipsius munere victurus, se contulit. Fulg. lib. 9. cap. 7.

AVLVS Posthumius Albinus, missus ad debellandum Iugurthā, pecunia ab eodem corruptus, fœdissimam contraxit pacem.

L. MAGIVS, & L. Fannius, legati à Mithridate ad Sertorium missi, defecerunt ad populum Romanum.

LABIENVS Cęsaris in Gallia legatus, qui magnas sub eo res gesserat, demum bello ciuili transfugit ad Pompeium. Cui Cæsar eius bona, quæ habebat in potestate, remisit. Vnde Lucanus canit: Dux fortis in armis Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis.

RAGNARES Gothus, qui Tarēti præfecturam gerebat, à Totila Gothorum rege ad Narsetem, qui eo tempore imperij auspiciis aduersus Gothos bellum gerebat, transiuit. Cum autem postea Totilam obiisse mortem audisset, eíque Teiam in regno successisse: atque Burgundiones ac Gallos, iuncto cum Teia fœdere, in Narsetem arma mouere: mutato cum fortuna etiam animo, & fide, ad Paccurium, qui Hydrunti Narsetis nomine pręsidebat, misit, qui nunciaret, A se Gothorum expectari exercitum: & propterea petere, vt è suis militib. subsidio sibi aliquot mitteret. His verbis Paccurius motus, cùm equites quinquaginta ad Ragnarim misisset, eos in custodia Ragnaris posuit, atq; Machurio scripsit: Si recipere equites suos vellet, antè obsides, quos ab eo acceperat, incolumes restituere oportere. Qua re indignatus vehementer Paccurius, cū Tarētum cū magna manu, vt rē vlcisceretur, profectus esset, Ragnares equites quos cœperat occidit: nec multo pòst gratiam, quę pro tanto scelere debebatur, vt æquum erat accepit. Tarento enim in certamen cum Paccurio egressus, prælio fusus est: & cùm se effusa fuga Tarentum reciperet, à Tarentinis exclusus fuit. Fulg. lib. 9. cap. 6.

Fuerunt olim Cretenses infames, poetæ sui testimonio, tanquam mendaces forent. Atque vtinam intra mendacij fines constitissent, nec perfidiam ipsam, quæ tamen in mendaciis hæret, amplexi in Venetos essent. Qui ipsam insulam iampridem adepti, floridamq; vndique illam reddētes: vt etiam nobiles suos, & reliquos ciues in ipsam insulam transcribi sint passi, in summa pace & ocio eam regebant. Quum statim Cretenses ipsi in Venetum nomen perfidi, ab eo desciscunt: Venetosq; aliquot patricios partim interficiunt, partim in suum scelus asciscunt. Quibus tamē postea (quantum in ipsis fuit) minimè postea pepercerunt. Quinetiā duodecim oratores Genuam miserunt, qui Ligures ipsos adhortarentur, ad insulæ imperium recipiendum. Donec tandem Venetis armis victi, satis fœlice rerum cursu in hunc vsque diem conquiescunt, obliuiscentibus penitùs Venetis eorum iniuriam atque perfidiam. Egnat. lib. 9. cap. 6.

Est Iadera hodie Dalmatiæ vrbs vna princeps eius prouinciæ habita, priscis quoque temporibus Romano florente Imperio satis florens: quæ tamen postea Pannoniæ regibus seruiens, satis celebris haberetur, commutato imperio, Venetísque parens, non oblita veteris sceptri, septies tamen vsa ingenti perfidia, Venetæ insignis bonitatis immemor rebellarit. Qua tum in re sic cum illis Veneti semper egerunt, vt abolita tādem veteri perfidia, multos iam annos ipsi summa fide & charitate inseruiāt. Egnat. lib. 9. cap. 6.

Regnante Neapoli Manfredo, cùm Gibellina factio, vrbe Florentia ab aduersariis pulsa, Manfredi atq; Senensium ope subnixa, redire in patriam contenderet, ingentibus copiis ad amnem Arbiam aduersus Florentinum populum vrbe egressum acriter dimicabat. Eo ipso tēpore Gibellini, qui in castris Florentinis erant, facta ad hostes transitione, auctis exulū viribus, Florentinum populum terga dare coegerunt. In quo prælio Bucca Abbas (id gēris nomē est) gladio Spadę Florentini populi signifero, qui è Pacia gente erat, manū abscidit. Florētinorum igitur ac fœderatorum multa hominum milia desiderata fuerunt. Adeò Gibellinorum pectoribus odium in Guelfum nomen insederat, vt nulla honoris aut patriæ charitatis habita ratione, suos euertere, & gloriam hostibus tradere non erubuerint. Fulg. lib. octauo, cap. 5.

DESERTORES, QVI VEL QVANDO PVGNANDVM EST fugiunt, vel arma abiiciunt.

Consule tit. Timiditatis in propulsando bellicæ.

Sethon Vulcani sacerdos, & Ægyptiorum rex, cùm Aegyptios tanquā imbelles sperneret, & externo tantùm milite vteretur, eis quinetiam agros, quos à superioribus regibus dono acceperant, adimeret, ita in eum concitati sunt Ægyptij, vt cùm paulo pòst Senacharibus Arabum & Assyriorum rex contra Sethonem arma caperet, nullus Aegyptiorum Sethoni auxiliari voluerit. Herod. lib. 2.

Mithridatis Exercitus, cùm in eum L. Lucullus arma mouisset: & in Armeniorum castris esset nunciatum, Menandrum, Menemachum atque Mironem, Mithridatis duces, qui pabulatoribus præsidio iuerant, à Lucullianis militibus fusos fuisse, adeò territus est exercitus, vt omnibus sua extra castra ferentibus, ob strepitum Mithridates excitaretur: tentorioque egressus, vt quidnam id esset inspiceret, à suis solus & pedes desertus est. Cùm autem ita omnia ob eam rem in castris perturbarētur, vt sublata imperij reuerentia, cui plus virium erat, is ex alieno plura rapere: atq; prædandi initio à Mithridatis rebus facto, omnis eius preciosa suppellex diriperetur: eò militaris temeritas progressa est, vt Dorylaus militaris præfectus ob id solum occideretur, vt ei insignem vestē, quam habebat, milites adimerent. Ea militum perturbatio, quæ ipsorum duntaxat culpa orta erat, Lucullo vincendi rationem auxit. In qua clade non minus Mitridates, quàm reliquus exercitus, cum omni castrentium rerū copia quibus Armenij aut stultè timebant, aut eas in prædam vertebant, captus fuisset, nisi cum Ptolomęus eunuchus in equum suum statim sustulisset. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Grauius odium eo tempore in patricios ostendit POP. ROM. cùm per noctem occupato Capitolio ab Appio Herdonio cum quatuor Samnitiū milibus, consules Val. Publicola & C. Claudius populum ad recipiendam arcem vocarunt. Immobilis enim populus mansit, ceu nihil hostes curarent captámque patriam perpeti à latronibus diripi, atque incendi, quàm patriciis morem gerere malebat: neque ante de sententia deduci potuit, quàm petitam legem ei Senatus concessit. Fulg. lib. 9. cap. 3.

Scipionis consulis EXERCITVS, cùm aduersus Syllam proficisceretur, & Syllæ iam appropinquasset, adeò ducis imperium spreuit, vt cū neque arma capere, neque tueri castra vellet, à L. Sylla, qui non vltra viginti cohortes secum habebat, Scipionis autem exercitus sexaginta milium numerum excederet, in tētoriis suis Scipionem capi passus sit. Fulg. lib. 9. cap. 7.

STILICO patricius, qui Honorij Augusti copiarum dux erat, atque eiusdem socer, ac sororis vir: præterea quoque Honorij patris testamento scriptus tutor, vt Eucherium filium in imperio constitueret, cùm Gothos vincere, & ab imperio ingentia sæpe mala posset auertere, occasiones eas, cum hostibus sentiens, omisit: cuius perfidiam, cùm Romanus exercitus deprehendisset, eum interemit. Fulg. lib. 9. cap. 6.

SEDITIONES CONTRA PRINCIPES, DVCES, CIVES, TAM castrenses quàm vrbanæ. Bella ciuilia.

Vide tit. Astu tyrannidem occupare: Item, Affectatio tyrannidis.

Videntes Ægyptios FILII Israel, dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo eduxisti nos, vt moreremur in solitudine. Exod. 14.

Prima murmuratio FILIORVM Israel in deserto, fuit pro defectu potus. Murmurauit populus cōtra Moysen dicēs: Quid bibemus? &c. Exod. 15. Deinde pro cibo, murmurauit omnis congregatio filiorum Israel dicens: Cur induxistis nos in desertum, vt occideretis omnem multitudinē fame. Iterū murmurauit, postquam miserat Dominus coturnices & manna, præ sitis angustia. Exod. 16. & 17.

Videns populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, ait: Surge, & fac nobis deos, qui nos præcedant. Exod. 32. Ortum est murmur populi, quasi dolentium præ labore contra Dominum, & accensus est in eos ignis Domini, & deuorauit extremam castrorum partem. Et nota peruersitatem illorum, dicentium: Recordamur pisciū, quos cōmedebamus in Ægypto gratis, quos tamen magno emerant. Num. 11. Cum murmure & impatientia recordabatur carnium, quas comederat in Ægypto: sed durissimæ seruitutis non faciebat aliquam mentionem. Eodem. Post terribilem mortem Chore & cōplicum suorum, multitudo murmurauit contra Moysen & Aaron, dicēs: Vos interfecistis populum Domini. Num. 16. Rursus propter defectum potus & fructuum, murmurauerunt & iurgati sunt filij Israel contra Moysen ad aquas contradictionis. Num. 20.

SCYTAS aiunt pecuarios, qui Asiam incolunt, cùm à Massagetis bello vexarentur, Araxe transmisso, in Cimmeriam abisse. Nam regio quam nunc Scythæ incolunt, ea fertur olim fuisse Cimmeriorum. CIMMERII, cùm magno inuaderentur exercitu, populus sentiebat abstinendū bello, nec oportere cum multis adire periculum: reges autem, pro regione cum inuasoribus dimicandum. Ita cùm neutris alteri obtemperare vellent, & populares censerent sine prælio demigrandum, tradita inuasoribus regione, reges in sua potius patria occumbendum, nec vnà cū plebe fugiendum reputantes, quòd bona habuissent, & quòd mala euidentia habituri essent patria profugi, inter se decertarunt vtrique numero pares: & omnes qui mutuis ictibus concidissent, à plebe Cimmeriorum sepulti fuerunt ad flumen Tyram, quorum adhuc sepulchrum extat. His humatis, cæteri è regione migrarunt: quam desertam superuenientes Scythæ occupauēre. Herod. lib. 2.

CLISTHENES Alcmæonides, & Isagoras Tisandri F. post liberatas Athenas Pisistratidarum tyrannide, contrariis factionibus ciuitatē exercuerunt. Et Clisthenes quidem cùm superior esset, Isagoras Cleomenem Lacedæmoniorum regem euocauit, qui Clisthenem eiecit. Clisthenes postea reuocatus, cum rege Persarum societatem iniit. Herodot. libro quinto.

Cū in bello, quod Romani contra piratas gesserunt, POPVLVS Romanus classem comparasset, huícque Pompeium præfecisset contra Senatus voluntatem repugnantibus Patribus, plebs seditionem mouit, atq; in Senatores adhuc sedentes impetū fecit: quos & ad vnū omnes interfecisset, nisi de loco vitæ consulentes, abiissent. Historiam latè describit Dion Nicæus, & eius abbreuiator Xiphilinus, in Pompeio.

L. Equitium, qui se Gracchi filium simulabat, tribunatúmque aduersus leges cum L. Saturnino petebat, à Mario quintum consulatum gerente, in publicam custodiam ductum, POPVLVS Rom. claustris carceris cōuulsis, raptum humeris suis, per summam animorum alacritatem portauit. Idémque Q. Metellum censorem, quòd ab eo tanquam Gracchi filio censum recipere nolebat, lapidibus prosternere conatus est: affirmātem, tantummodo tres filios Tib. Graccho fuisse, è quibus vnum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Præneste, tertium post patris mortem natum Romæ decessisse: nec oportere clarissimæ familiæ ignotas sordes inseri: cùm interim improuida concitatæ multitudinis temeritas, pro imprudentia & audacia aduersus consulatum & censuram tetendit, principésque suos omni petulantiæ genere vexauit. Vesana hęc tantummodo: illa etiam cruenta seditio. Populus enim Mumium competitorem Saturnini, nouem iam creatis tribunis, vnóque loco candidatis duobus restante, vi prius in ædes priuatas compulit extractum, deinde interemit, vt cæde integerrimi ciuis facultas adipiscēdę potestatis teterrimo ciui daretur. Valerius Max. lib. 9. cap. 7.

COR. SYLLA post Gracchos L. annos cum nouo dominatu dictaturæ Rempublicam inuasisset, maximam seditionem mouit: cuius cum Mario inimicitiæ Iulium Cæsarem postremò inuitauerunt eius vestigia sequi. Volat. lib. 23 Anthrop.

M. Æmylius Lepidus pontifex max. consul cum Catulo, partium Marianarum, aduersus collegam Catulum Syllanum ducem insurgens, rediuiuos bellorum ciuilium tumultus excitauit: quúmque vellet exules reuocare, ex vrbe pellitur: Florus lib. 3. cap. 23. & 9. abbreuiationum, Plutarchus in vita Pompeij: Appianus lib. 1. bellorum ciuil. Valer. lib. 2. cap. 3. Eutrop. in fine lib. 5. Orosius in fine lib. 5. Plin. Secundus cap. 77. de Viris illustribus.

Diuiso inter se Romano imperio, LEPIDVS, ANTONIVS, atque OCTAVIVS, triduum continuum, eorum notandis nominibus quos morti designarant, consumpserunt, morem sibi inuicem de iis quos odio habebant, gerentes: in eorum numero fuit Lepidi frater, item Antonij auunculus, & Octauij quidam amici, quos alij odio insequebātur. Proscriptorum igitur numerus, quorum capita ad triumuiros deferebantur, fuit trecentorum senatorum, ac duūm millium equestris ordinis, qui inter epulas, aut cum vxoribus cubantes, vt fortè deprehensi erant, occidebantur: quorum corpora quia sepeliendi facultas sublata erat, cùm passim inhumata iacerent, in macelli speciem vniuersam vrbem reddiderāt. Ful. lib. 9. cap. 2. ex Dione & Xiphilino.

Interfecto. C. Iulio Cæsare Romę, ex Augusti & Antonij dissensione omnia in vrbe erant confusa & conturbata. Etenim iura ciuibus minimè reddebantur: propterea quòd illi simulata causa libertatis, cuncta ad dominandi cupiditatem trahebant. Antonius apertè amplissimam potentiam vsurpabat. Multitudo autem in Cæsarem accendebatur Augustum, non solum permota patris autoritate: sed etiam adducta spe, quam de eo conceperat. Xiphilin. Dionis abbreuiator, in Augusto.

Produnt historię Romanorum, histriones pulsos Italia à Nerone, quū propter eos varię factiones ortę essent: & adeò vehementes, vt ad compescendam fautorum contentionem milites theatro assidere iuberentur. Vnde & Tranquillus: *Pantomimorum, inquit, factiones simul cum ipsis relegatę.* Restituti sunt demum per Neruam, sed iterum postea sublati à Traiano.

Cùm Cumanus sub Claudio Cęsare Iudęę prefectus esset, & solennibus Paschatis diebus Hierosolymam vndique homines confluerent, aliquot Romanorum militum cohortes ad templum pręsidij gratia excubabant: è quibus cùm milles vnus fortasse ioci gratia, populo pudibunda ostendisset, Iudęi arbitrati idololatram incircumcisum, id in Iudaicę gentis contumeliam fecisse, adeò in milites exarserunt, vt cum saxis fustibúsque aduersus milites res gereretur: contrà autem armis se milites defenderent, Iudęorum tum vulneribus, tum multitudinis oppressione circiter viginti millia desiderata fuerint. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Post Herodis Antipæ mortem, dum Archelaus Romę esset, Simon Herodis seruus, & pastor Androgęus, satis opulentus, cùm eos plebs sequeretur, ausi sunt ambo Iudæorum se reges compellare, totámque eam regionem incendiis populationibúsque fœdare. Cuius rei breui vtrumque pœnituit, cum miserabilem in modum occiderentur. Id quod plerisque euenit, qui nouarum rerum autores esse voluerint. Fulgos. lib. 9. cap. 7. ex Iosephi lib. 18.

Pontius Pilatus, cùm anno XII. Imperij Tiberij missus procurator ad regendam Iudæam fuisset, & Caligulæ principis iussu statuam imperatoris in templo ponere vellet, tantus IVDÆORVM tumultus excitatus est, vt res non procul à defectione fuerit. Iosephus.

Imperante Galieno, viro admodum ignauo, à milite vapulauit Alexandrię in Ægypto magistratus cuiusdam seruus: quòd ei dixerat, se calceos pulchriores habere. Itaque cùm ad clamantis vocem multi accurrissent, ita inualuit tumultus, vt Alexandrini aduersus Æmilianum proconsulē sedandi tumultus gratia egressum, saxis ignéque irruerent: tantáque illa populi vis fuit, vt Æmyliano necesse fuerit, eius leniendi gratia, Imperatorem se aduersus Galienū dicere, ducémque se seditioso populo præbere. Vnde postea magni bellorum motus secuti sunt, ex quibus tota Ægyptus ingentia mala pertulit. Fulg. lib. 9. cap. 7.

CONSTANTINOPOLI sub Constantio Imp. maxima orta est seditio, propterea quòd Macedonius episcopus Arianus corpus Cōstantini Magni ex templo Apostolorum (quod ruinam minabatur) in templum aliud, in quo Acacius martyr repositus erat, transtulisset. Nam cùm ei propter Arianismum infensi essent, hanc occasionem arripuerunt contra eum debacchandi, quasi sepulchrum Constantini ipsa trāslatione profanare videretur. Nicephorus lib. 9. cap. quadragesimo secundo.

Theodosius Imp. cùm exhausto frequentibus bellis fisco tributum nouum vrbibus imposuisset, solus Antiochenus pop. nouum vectigal non tulit: sed seditione mota, Placillæ quoque Imperatricis statuam (quāuis iā mortuę) fune pedibus adaptato per vrbē cōtumeliosè traxit. Quod flagitium tam grauiter Imp. tulit, vt nisi D. Flauiani episcopi eorum precibus & D. Ambrosij authoritate (qui nihil eum in sontes statuere, priusquā trigesimus dies exactus esset, iureiurando adegerat) motus fuisset, cædem quoque ibi magnam, sicuti Thessalonicæ, perpetrasset. Nicephorus lib. 12. cap. 42. Ferunt ea nocte, quæ diem seditionis præcessit, fœminam sublimen in aere cōspectam, magnitudine ingenti, aspectu horrendo: quæ per vrbis plateas in aere currens, flagello aerē diuerberauit, similem sonitum edens, qualem edere consueuerunt qui in caueis ad furorem bestias excitant. Ibidem.

AVRIGA quidam Thessalonicæ, princernam Butherichi præfecti militarium copiarum in Illirico, Theodosij Imp. de pudicitia tentarat, & eam ob causam in vincula coniectus erat. Veniens Thessalonicam Theodosius, curule certamen exhibuit: supplicauit ergo plebs, vt auriga (qui in eo certamine omnes superabat) solueretur. Quòd cū non impetrasset, seditione mota plerosque ex Imperatoris principibus, & ipsum quoque Buthericum interfecerunt. Iratus ergo Theodosius, immissis in circum militibus, promiscuè quosuis vsque ad septem millia interfici præcepit. In eo tumultu mercator quidam cùm duos haberet filios, pro eis apud milites intercessit. At illi alterū sese seruaturos certa mercede numerata, polliciti sunt. Hic cùm infelix pater anxius, quémnā duorum seruari mallet, cunctatur, vtrunque amisit. Nicephorus libro duodecimo, cap. 40.

Cùm ORESTES Alexandriæ præfectus ægrè ferret, quòd à Cyrillo episcopo Iudæi ex vrbe eiecti essent, nec vllo pacto reconciliari vellet: quingenti Monachi Alexandriam venerunt, & præfectum in publicum progressum conuiciis & lapidibus impetūt, vt facies eius sanguine manaret. Tandem populus eum manibus monachorum eripuit. Socrates lib. 7. cap. 13.

Scelesta prorsus atque impia seditio fuit, qua ROMANI, suasorib. Paschali primicerio & Campulo sacerdote, in Leonem tertium pontificem, cùm is vrbem religiosa processione perambularet, irruerūt. Nulla enim vel rei ipsius, quàm Pontifex magna religione peragebat, neque Apostolicæ dignitatis, quam sustinebat, habita ratione, non longè à sancti Syluestri fano, armis in eum impetu facto, calcibus pugnísque malè multarūt, ita vt linguæ atq; oculorū vsum se amisisse putaret. Scelerato facto, apud sancti Erasmi sacellum, carcerem addiderunt: vndè antè emissus non est Pontifex, quàm Vinigisius Spoletinus dux armis eum liberauit. Fulgos. libro nono capite septimo, & Egnatius libro nono capite septimo.

Non minus quoque sceleratus is motus fuit, quo Cincius atque Leo Frangepanes, quibuscum POPVLI Rom. magna pars sentiebat, in Gelasium secundum pontificem irruerunt, eo ipso die quo Pontifex creatus fuit: indignati, quòd alteri eorum Pontificia sors non contigisset. Impetu facto, conclaue illud, in quo de creatione actum erat, ingressi calcibus pugnísque in Gelasium sæuierunt: ac calcaribus insuper, quibus calciati erant, dilaniatum, per conclaue traxerunt, ita vt penè exanimem relinquerent. Neque verò in Cardinalium collegium mitiores se præbuerunt, cum plerósque verberibus affectos dispoliarent. Fulgosus libro nono, capite septimo: & Egnatius libro nono, capite septimo.

In Clementis Sexti pontificatu, cùm POPVLO Rom. mos esset duos ex proceribus Romanis Senatores ad vrbis administrationem eligere, qui à Pontifice confirmabantur. Nicolaus Rentij, qui Romæ tabellionatum exercebat, in eum sui amorem populum traxit, vt arreptis armis omnes impetu facto (cùm procerum nullus obsistere auderet) nulla de pontifice mentione facta, Nicolaum ipsum tribunum facerent: qui hunc titulum vsurpabat: Nicolaus Seuerus ac Clemens, libertatis, pacis atque iusticiæ tribunus, ac illustris sacræ Rom. reipublicæ liberator. Sed cum hic populi fauor postea refrixisset, sexto mense ab vrbe incognitus profugit. Ful. lib. 9. cap. 7.

In Pontificatu quoque Innocentij Sexti Populus Rom. Petrum columnam, atque Ioannem Vrsinum, per id tempus à Pontificè senatores creatos, armis ab vrbe expulit, atque eis Franciscum Baroncellum suffecit: qui nihil grauior quàm tribunus, nec fœlicior, hoc titulo in his quę suo nomine scribere contingebat, vtebatur: Franciscus Baroncellus, Senatus scriba, atque Dei gratia almæ vrbis tribunus secundus, ac Consul. Fulgos. lib. 9. cap. 7.

THEODATVS Methamaucensis, concordi omnium ordinum consensu dux Venetorum apud Methamaucum dictus, tredecim annos cùm innocenter in primis imperasset: dum Brundulum oppidum munire summopere studet, à Galla circumuentus, viro primarij nominis, ea tempestate principatu extruditur, vtroque lumine ab eodem captus Egnat. lib. 9. cap. 7.

GALLA dux Venetorum debuerat interfecto Theodato, huiusmodi euentum, quem & passus est, expectare. Siquidem anno expleto & mensibus duobus tyrannidis suæ, vnanimi Venetorum omnium consensu deiectus imperio, captúsque, & ipse oculis priuatur. Ibid.

Inualuerat iam in ipsis Heracliæ Methamaucique principibus mos pessimus, vt ipsos principes tanquam nimis violentos principatu extruderent. Nec hoc facinore contenti, iam vnum ex his trucidauerant, duos reliquos oculis priuarant: cùm suffecto illis DOMINICO Monegario, duobus tribunis additis, qui illi perpetuò assisterent, quinto eū pòst anno excæcarunt. Vt mirum propè ac incredibile dictu sit, superfuisse homines, qui talem dignitatem appeterent. Ibidem.

Veneti populari impetu Vitalem Michaelē ducem suum interemerūt, quòd vrbem pestis, classe in patriam reuersa, corripuisset. Eius enim rei culpam Vitali, qui rem ignorabat, ceu parum considerato, in exitiabile crimen verterunt. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Salutis anno trecentesimo ac nonagesimonono supra mille, cùm vrbi Genuæ prefecti essent Raphael Auria, & Galeottus Spinula: & quidam Genuenses triremes, aduersus Britannos cum Gallorum rege stipendia facerent. Aitono Auria duce, ortáque inter Aitonum ac socios nauales de stipendiis controuersia esset, adeò inter ipsos ira exarsit, vt nauales socij, occupatis triremibus, Petrum Capurrum ducem suum crearent. Sed tandem ea contentione Gallorum regis arbitrio remissa, Petrus Capurrus, atque ex eorum numero alij quidam capti fuerunt. Quam ob rem, tum indignatione, tum pauore socij nauales inde domum profugerunt: & cùm eorum plerique Sauonenses essent, Sauonæ primùm arma cæperunt: atque Capurrij nomine inuocato, ab vrbe depulsis magistratibus, palatium atque arces occupauerunt: & cùm eius motus contagio breui in vrbem quoque Genuam serpsisset, populus Genuensis arma cæpit: voluítque vt popularis magistratus eligeretur, qui populo ius ministraret, cui rei cū vrbis præfecti operā darent, ac propterea aliquantisper secessissent, vt in ea re consiliū explicaretur, tumultuari plebs ac nautæ cœperunt: & dum in palatio atque in foro restractantur, Symonē Buccanigram popularem virū, primùm Genuensium ducem constituerunt, atque ab vrbis administratione nobiles depulerunt. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Quàm delirent atque insaniant plerique eorum populorum qui semel tumultuari cœperūt, quàm graues atque perniciosi bonis magnísque ciuibus esse soleāt, id in Ioannis vigesimitertij pontificatu BONONIENSIS populus apertè ostendit. Nam septimo idus Maias, anno Salutis quadringentesimo atque vndecimo post mille, cùm nihil minus homines quàm id vererentur, Petrus Cossulinus, lanij cuiusdam famulus, vectigalem equum insidens, ac strictum ensem tenens in forum se contulit, exclamans, vt artes ac populus viuerent, atque eorum supremum esset imperium: & cū ei minuta plebs se adiunxisset, palatiū occupauit. Neapolione cardinale, qui legatus vrbi præerat, inde omnibus amissis fortunis profugiēte: arcem quoque Galeræ portæ cæpit, atque in eo tumultu subuertit. Is igitur Petrus & vnà cum eo Iacobus Mangiolinus, lanius, in palatio agentes, vrbem Bononiam supra annum rexerunt, atque nobilium quosdam capite mulctarūt. Post quod tempus cùm populi impetus resedisset, atque honestæ fortunæ ciues propriæ miseriæ commonerentur, tenuior plebs armis ab vrbe depulsa est, ac Petrus aufugit: Mangiolinus autem interfectus, eum exitum tulit, quem seditionum authores plerunque nanciscuntur. Fulg. lib. 9. cap. 7. & Egnat. lib. 9. cap. 7.

Nona, neque ea contemnenda seditionis causa in Gallia fuit anno salutis ducentesimo quinquagesimo atque altero supra mille, ab ÆGYPTIO mago excitata, qui à Pānonia venerat, vbi haud dissimilibus ludibriis hominum mentes fefellerat. Is apud agrestes pastores concionabatur, & veluti propheta prædicebat, Syriæ partem, quam Christus viuens peragrauit, & in qua passus est, per eos recuperatum iri. Quibus verbis, cùm ad hoc etiam accederet bonitatis existimatio, quæ de eo apud omnes erat, manum circiter sexaginta millium hominū coegerat, quæ eum vbique sequebatur, atque in omnibus parebat: mitra pontificióque habitu vtebatur, atque in matrimoniis dispēsabat. Cùm autem permolestè id sacerdotes ferrent, eorum permultos à suis occidi curauit. Quæ manus cùm permulta alia prædando ac sceleratè agendo nefanda ederet facinora, in duas diuisa partes, cùm pars Massiliā abiisset, alij autem in Biturigibus constitissent, vtrobique oppressi interierunt, & ita scelus illud extinctum est. Fulgosus libro nono, capite septimo.

Nec meliorem finem sortitus est, nec meliora habuit initia is motus qui in GALLIA quoque, salutis anno trecentesimo ac vigesimo supra mille, Philippo cognomento Longo regnāte, exarsit. Nam in Parisiorū agro ingens pastorū atque agrestium manus coacta est, quemadmodū olim imperantibus Diocletiano atq; Herculeio, qui Mendaces cognominati, aiebant, Statutū esse, vt ipsorū manu Hierosolymæ Christianæ religioni restituerentur. Itaque cùm Parisiis multísque aliis in vrbibus magistratus occidissent, prędámque inde egissent, septem ex eis millia in Auxitanos profecta, Genuam vsque contenderunt, affirmantes, vt in Syriam se conferrent, nullis sibi nauibus opus esse, sed sicco vestigio se mare traiecturos. Pars alia in Gallia mansit, quæ cùm rapinis omnia sibi infesta fecisset, partim fame, partim aliarum rerum inopia defecit. Sed postea etiam capto Ioanne rege, dum Normandiæ dux, eius maior natu filius, Galliam administraret, agrestium hominum colluuies, ex Bellouacensi atque propinquarum regionum agro conuenit: & ferro atque igne nobilitatem insecuta, ingenuarum fœminarum pudicitię non parcebat: quæ cùm postremò ad vrbem Meldensem profecta, nobiles fœminas, quæ illic erant, rapere conata esset, à comite Fuxensi, atque aliis Gallis nobilibus illic oppressa periit, mortuísque sunt eorum circiter sex millia. Hunc exitum incondita illa agrestis multitudo ad scelus coacta habuit. Ibidem.

Regnante

Regnante Carolo sexto adhuc impubere sub tutoribus, Parisiorum populus, addita esse noua onera molestè ferens, arma arripuit: & quibusdam regiorum magistratuum occisis, per tumultum carceres effregit. Rotomagensis quoque minor plebs, cùm armata ad mercatoris pannos vendentis, qui cognomento Crassus nūcupabatur, ædes accurrisset, Crassum ipsum currui impositum, per vrbem deduxit, ac Gallorum regem salutauit. Cuius nomine edici iussit, vt onera quæ imposita erant, delerentur, idque, vt tumultus sedari posset, confirmatum fuit. Cùm postea Carolus magis adoleuisset, atque in amentiam incidisset, occulto Burgundiæ ducis impulsu, lanij, quorum permagnus in Parisiorum vrbe numerus erat, arreptis armis Simonetum Cabochum Parisiēsem, sordidæ fortunæ hominem, item Iacobi villæ dominum, præterea Ioannem Troianum physicum, huius multitudinis duces creauerunt. His ducibus armati, cùm ad Aquitanici ducis, atque eiusdem Delphini (maior enim natu Caroli filius erat) palatium iuissent, dedi sibi quosdam ex magistratibus eius, atque in primis Bariensem Bauariensémque duces, ambos reginæ fratres, postularunt. Hos cùm in carcere condidissent, haud multo pòst nonnullos ex eis capite mulctarunt: idque in nonnullas etiam ex numero feminarum, quæ in reginæ obsequio erant, factum fuit. Cùm autem tumultus continuaretur, onera quædam sacerdotibus atque magistratibus iniunxerunt. Cæterùm cùm grauiora quoque molirentur, Parisienses ciues communi consilio, communibúsque viribus impetu facto, seditiosam plebem cum ducibus suis vrbe expulerunt. Qui igitur sapere volet, nunquam initia huiusmodi motuum negliget: quòd quanquam vt flumina, postea quam exundando desæuierunt, sponte ad pristinam quietem, veluti in consuetos alueos, redeunt: tamen interdum etiam experiendo deprehensum est, huiusmodi motus, nisi statim opprimantur, ita augeri, vt rerum omnium summam in vltimum discrimen adducant. Ibidem.

Magnas vires, insita penè à natura inter vicinas nationes odia, ad concitandos tumultus habere solent: quemadmodum BVDÆ, vrbi Pannonicæ, contigit. Nam cum illic Albertus esset, idem imperij honore atque Austriæ ducatu insignis, & iudex Germanus, vt iudicium exequeretur, hominem Pannonium in Danubium præcipitari iussisset: Budensis populus, cui Germanica natio, vt aliis Pannoniis, inuisa erat, spreta augustali reuerentia, adeò se propter eam rem commotum ostēdit, vt arreptis armis in omnes Germanos, quos obuios habebat, sæuiret: & direptis eorū ædibus, domi inuentos crudeliter haberet. Imperator autem, qui in arce erat, cùm egredi, vt populi motum sedaret, vereretur, Ioānem Capistranum minorum ordinem profitentem, qui in ea regione propter virtutē ac religionem, vt vir sanctus colebatur, ad tumultuantem populum misit, fretus, per eum sedari tumultum posse. Cæterùm populus arreptum in humeros Ioannem, cum cruce, quam manu gestabat, ad omnes ædes, ad quas diripiendi gratia proficiscebatur, eum tulit: neque ante prædæ finem fecit, quàm quod diripi posset, esse desiuit: in eo solo homini sancto habita reuerentia, quòd ipso præsente, ab effundendo humano sanguine abstinuit. Ibidem.

FRIDERICVS secundus Imp. in Italiam seditiosissimas factiones Guelforum & Gibellinorum intulit, cùm Guelfi Pontificias, Gibellini verò Cæsareas partes sequerentur. Egnat. lib. 5. cap. 3.

Apud PANNONIOS Sigismundo regnante, qui idem etiam Imperator fuit, in ea Mœsiæ parte, quæ recentiori nomine Transyluania appellatur: aggrestis, cui Antonio nomen erat, item in alia regione, quam Nyrium & Zamoskenium dicunt, alius Martinus nomine, cùm magnam agrestium manum coegissent, ipsi quoque se Reges appellarunt, & pro viribus Pannoniam nobilitatem armis insequebātur. Sed haud multo post Vngaris principibus ad propulsandum cōmune periculum ad arma excitis, incondita agrestis multitudo prælio fusa, cum in Vngaricæ nobilitatis potestatem venisset, in contumeliam admissi facinoris hæc mala tulit, quòd eorum non nullis effossi oculi, quibusdam defectus nasus, alia autem aliis membra detruncata fuerunt. Ibidem.

BVLGARI gens Scythica atque fera, Zeletim regem suum, populari tumultu occidit, cùm Græcorum bello victus domum reuerteretur. Ibidem.

Haud minus grauis seditio fuit, quæ in BRVGIENSI vrbe mota est quo tempore Philippus cognomento Pulcher, Gallorum rex, in Flādria (quæ Belgicæ portio est) rerum potiebatur. Contentione enim inter minutam plebem, cum qua artifices atque mercatores sentiebāt, orta, cùm prętereà nimium grauibus se oneribus premi quererentur, plebs arreptis armis, carcere liberauit Petrum cognomento regem lanarium textorē, & Gianbridam lanium, qui ambo propter seditionem in carcere erant. Illos duos multitudinis duces constituit, atque ipsum in primis Petrum: quòd quāquam statura pusillus esset, tamen ob senium experiendo prudentiam ingentem comparauerat, & quòd cætera in seditiosis hominibus condire solet, altero captus erat oculo. His Ducibus Brugiēsis plebs non vrbe modò sua, verùm à tota quoque Flandria Gallos expulit: delctísque eorum copiis, multos ipsorum occidit: & cùm post lōgum ac graue bellum cum Gallorum rege pacem iniuissent, Flandrenses liberi sub comitibus, iuxta veterem Flandriæ morem remanserunt. Ibidem.

Furoris plena Londinensium seditio fuit, cùm regnante Henrico sexto, in Britannia, & cum ab urbe Londina abesse contingeret, populus, armis arreptis, Clocestrensem episcopum, cui minoris regij sigilli custodia demandata erat, occidit: atque Marchionem Suffocensem captum in Turri, ita enim dicitur munitus in ea vrbe locus, custodiri iussit: à qua cū profugeret, in via deprehensus est, atque eius caput confestim Londinū missum. Cùm autem iratæ plebis rabiei id non sufficeret, à rege quidam ipsius consiliarij plebis arbitrio permissi sunt: quibus occisis, populus demum quieuit. Ibidem.

In Britannia regnante Richardo, Eduardi tertij nepote ex filio, Salutis anno trecentesimo octuagesimoseptimo supra mille, PLEBS in Cantiana regione excitata, nobilitatis iugum detrectare cœpit, omnes ab eodē parente Adamo ortos esse, nulli parēre debere, sed pares esse omnes, dictitans. Itaque cùm arreptis armis Lōdinum tenderet, Cantuariensis archiepiscopi palatium diripuit. Cum hac turba Londinensis quoque plebs conspirauit: & cùm in itinere Gallatensem principem, primariam fœminam offendissent, magnis eam contumeliis affecerunt. His commotus Richardus rex, in arcem se cum magno nobilium numero recepit. Auxit tumultum etiam Cantuariensis plebs, quæ direptis magistratuum ædibus, duces habebat Gualterum Tilerim, qui tegere domos, ac sarcire tecta consueuerat: item Iacobum Straum, atque Ioānem Balæum sacerdotem: hi ausi sunt à rege petere, vt publici beneficij gratia, ad eos in montem Blakhethum extra Londinum veniret, vbi vnà omnes conuenerāt. Quibus cùm rex respondisset, Æquius esse, vt ipsi ad amnis ripam descenderent: idque ipsi egissent, neque propter id rex ab arce descendere vellet, inde vtrinque discordes, nullo habito colloquio, discesserūt. Propter eam rem indignata plebs, auxit animos, atque Londinum ingressa, Lancastri ducis, atque nonnullorum aliorum palatia diripuit, & euertit: direptis quoque Italicæ atque Belgicæ nationis hominum fortunis, arcē obsidere cœpit. Cæterùm rex, vt ab incœpto plebem dimoueret, ostēdit, Se eam æquo campo allocuturum. Interim autē, dum hoc motu eximere se nobilium seruitio plebs quærit, eius par arcem ingressa, Cantuariensem episcopum, atque hospitalis sancti Ioannis magistrum interemit, corúmque capita vt conspici possent, in ponte constituit. Quamobrem arbitratus rex, rectè fieri, si huic plebis impetui cederet (iam enim sexaginta millium numerum explebat) dum rationem inire incipit, vt ei satisfaceret, literásque de his quæ petebant, iam confici iussisset: huius plebeæ multitudinis pars domum abierat, pacatúsque in vrbe Londina rex videbatur, quando cum his qui remanserant, circiter quadraginta millia aliorum populorum se coniunxerunt: qui cùm ea via venirent, quæ ad vrbem Vorduicum ducit, neque Roberto Sali illius vrbis præfecto persuadere potuissent, vt eorum dux esse vellet, eum interemerunt. Itaque videbatur in deterius is motus augeri, sed tamen res ipsa secus habebat: eiusmodi enim populorum motus, quanquam ab initio grauiter sæuiūt, tamen temporis spacio resident, atque dissoluuntur, quemadmodum tūc contigit. Nam Londino egressus rex, non amplius quàm sexaginta comitatus equitibus, fortè in Gualtherum ipsum Tilerim incidit, qui cum magna plebeæ turbæ manu ad vrbem tendebat. Illic Gualtherus minacibus verbis cùm Londinensem Merim (id magistratus nomen est) qui tūc in equo penes regem erat, obiurgare cœpisset, superbéque regium armigerum ense poposcisset, in eo tumultu occisus est: ac superueniente, quæ regi auxilio erat, multitudine, is tumultus adeò euanuit, vt regiis restitutis literis, quibus immodica plebi concedebantur, principibus eius furoris aut suspensis, aut alio mortis genere affectis, reliqui dissiparentur. Fulg. li. 9. cap. 7.

PERFIDIA SVBDITORVM, VEL CIVIVM ERGA SE *innicem, siue extra bellum, siue in bello.*

Consule tit. Veneficorum.

EPHIALTES Trachinius, Lacedęmonios 300 ad Thermopylas Xerxi prodidit. Vide tit. Locum pugnæ opportunum eligere,

PHARNEVS Cyrrestes, Ventidij exercitum contra Parthos prodere tentat. Vide tit. Stratagem. Consilia sua occultare.

Sęuus Perillus ille ęnei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus, lōgo & abdito cruciatu, mugitus resonantem spiritum edere cogebantur, ne eiulatus eorum humanę sono vocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent. Quam quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suę opus primus artifex inclusus, meritò auspicatus est. Val. lib. 9. cap. 2.

ARVNTII Paterculi fabri, ferum atque immane fuit ingenium. Æneū enim taurum tanta conflauit arte, vt damnati, qui in eo includerentur, adhibito igne, cùm præ dolore gemerent, taurinos mugitus edere viderentur. Cùm autem Censorino Ægestę tyranno in Sicilia munus dedisset, iustè vt is primus inuenti sui periculum faceret, à Censorino coactus est. Fulg. lib. 9. cap. 2.

CONSILIARII INIVSTI.

Consule tit. Mala & fraudulenta consilia consultori pessima.

REGES INIVSTI, TYRANNI, MAGISTRATVS ET PRINCIPES quiuis crudeles & inhumani:

Consule tit. Vindictæ immoderatæ erga subditos, Item, Tyrannidis pœna.

PHARAO rex Ægypti omnibus Hebræorum obstetricibus mandauit, vt pueros virilis sexus nuper editos interficerent, & in flumina proiicerent, Exod.1.

SAVLI tyrannidem passim ex 1.Reg.libro colliges.

ROBOAM filius Salomonis, rex Iuda, vitulos aureos erexit, cósque adorari voluit: quæ causa fuit, vt Ieroboam seruus eius à populo eligeretur.3.Reg.12.

ACHABO regi Israel Elias restitit, inquiens: Tu conturbas Israel, & domus patris tui.3.Reg.18.

Nullus vnquam regum fuit Dauid sanctior, nullus Solomone sapientior: omnis tamen eorum progenies Athaliç impulsu, sæuóque imperio, est ferro dedita à Iudæis. Potuit mulier execrabilis vi & armis regnum occupare, sanctissimum gentis stemma abolere non potuit: vt non solũ peremptorum manibus, sed & Iohæ puero, qui solus superfuit, patrati sceleris debitas exoluerit pœnas. Sab.lib.8.cap.9.

MANASSES rex seduxit Iudam, & ciues Hierosolymorum.2. Paralipp.33.

NABVCHODONOSOR rex Assyriorum pessimus, de quo dicitur: Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Esaiæ 14.

SEDECHIAS rex Iuda, principibus Hieremiam occidere volentibus non grauatè morem gessit. Hieremiæ 38.

BVSYRIS Ægyptius tyrãnus, hospites immolare solitus erat, propter quam crudelitatem ab Hercule Ægyptiorum rege interfectus est: vt copiose scribit Diodorus Siculus lib.5.

Centum & sex annis sub CHEOPE & CHEPHRENE regib. Ægyptij in omni calamitate versati sunt, nec templa aperta, sed semper fuerunt occlusa. Hos reges Ægyptij præ odio ne nominare quidem volunt, sed eorum pyramides vocant pastoris Philitonis, qui ea tempestate pecudes per ea loca pascebat Herod.lib.2.

Ad Rhampsinitum regem aiunt in Ægypto viguisse ius omne. Post hunc autem qui in regno successit, CHEOPEM in omne flagitium fuisse prolapsum. Omnibus nãque templis obseratis, ante omnia Ægyptiis, ne sacrificarẽt, interdixit. Deinde iussit, vt in suis ipsius operibus exercerentur. Alij, vt ex lapicidinis Arabici montis saxa exciperent, & illinc ad Nilum vsque protraherent. Alij, vt transmisso flumine, illa acciperent: & ad montem qui dicitur Africus, traherent. Faciebant autem opus circiter decem myriades, id est, centum millia hominum, ternis semper mensibus singulæ. Herod.lib.2.

APRIES rex, Patarbemen crudeliter tractat. Vide tit. Transfugarum & Defectorum.

AMASIS Ægyptiorum rex, violentius multò regnauit, quàm sui antecessores: multos enim præter æquum pœna affecit, alios fortunis spoliauit, in omnes impotens ac superbus fuit. Sed tolerata est eius crudelitas, quum vlciscendi locus non esset, quoad Actisanes Æthiopum rex in Ægyptum contra eum descendit: tunc odia occulta erupere, & quum multi ab eo desciissent, rege capto Ægyptus in ditionem Æthiopum cessit. Actisanes fortunam adepti regni humaniter ferens, summa æquitate Ægyptiis imperauit. Diod.Sic.lib.2.cap.2.de Rebus antiq.

CAMBYSES templa & leges ludibrio habuit, deorum simulachris illusit, reclusis conditoriis, mortuorum inspexit cadauera. Amasis cadauer è monumento reuulsum verberibus cædi iussit, & omnibus probris affici, demum cremari. Duodecim Persarum primores nulla penitus causa interfecit, viuos in caput defodiens. Sab.lib.8.cap.3.

DARIVS, vbi omnia ei in expedito fuere ad expeditionem contra Scythas, copias eduxit ex vrbe Susis. Ibi cum Oeobazus quidam Persa, cui tres filij erant, omnes in militiã eũtes, obsecrabat, vt vnum sibi ex illis relinqueret. Cui Darius tanquam amico & modesta obsecranti, respõdit, se omnes eius liberos relicturum. Eo responso Oeobazus magnopere letabatur, sperans liberos suos missionem habere militiæ. At ille præpositis filiis Oeobazi iussit, vt omnes eos interimerent. Ita filij Oeobazi obtruncati, illic sunt relicti. Herod.lib.4.

ARTAXERXES Persarum rex, Xerxis filius, viuentes homines duabus thecis includebat: vt cùm capite manus pedésque eminerent, adhibitis in hoc statu cibis, eos vitam protrahere cogebat. Quæ vt grauior esset, lacte ac melle ipsos pascebat: atque melle perũctos ora in sole versabat, vt calore muscarúmque morsu validius torquerentur. Cùm autem in thecis ipsis ventrem leuarent, & non modò à sorde illa se purgare, sed ne mouere quidem corpora possent, innascentibus paruo temporis spacio vermibus, viuorum corpora absumebantur. Fulg.lib.9.cap.2.

PARISATIS minoris Cyri mater, præter cætera suppliciorum mõstra, commenta est rationem, qua humana corpora gignerẽt sibi vermes, quos paulatim suis carnibus alerent, adultos & validius in se grassantes ingenti cruciatu ferrent, quoad corpus miserabiliter consumptum, mortem lentius admitteret. Sab.lib.8.cap.3.

NVMYLISINTHIS (alij Cysenida vocant) Diogiridis filiæ, Thraciæ regis, etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamẽ rabies sæuitiæ facit: cui neque viuos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci corporibus, nefas fuit. Valer.Max. libr.9.cap.2.

TRYZVS insignis tyrannus, adeò vexauit suos, vt legem etiam ferret, vt nemo cum altero neque priuatim, neque publicè sermones misceret. Quod subditis fuit grauissimum: qui cùm oculorum manuúmque gestibus, & nutu, animi sensa mutuò significarent, etiam hoc prohibuit. Quidam igitur desolationem illam ægrè molestéque ferens, in forum progressus est, ibíque stans cùm multas lachrymas effunderet, reliquam etiã multitudinem ad fletum permouit. Verùm tyrannus cùm & hoc intellexisset, festinans in forum, vt & oculis ac lachrymis hanc naturæ libertatẽ eriperet, ciues arma regiis satellitibus extorquentes, tyrannum interfecerunt, eiúsque sanguine loquendi facultatem sibijpsis fecerunt. Ælian. lib.14.de Varia hist.

APOLLODORVS rempub. gerens apud Cassandrenses, omnia dicta factáque sic gubernauit, vt ex iis infestissimus tyrannus haberetur. Nam & contra Lacharem tyrannum decretum scripsit, vt ei terra Cassandrensium interdiceretur: eum enim cum Antiocho rege amicitiam societatẽque facere, eique Rempublicam prodere. Etiam Theodoto referenti, vt præsidium corporis ipsi daretur, restitit: Eurydicémque, quæ libertatem Cassandrensibus restituerat, adiuuit, eámque Eurydicem appellauit: & milites arcem relinquentes ciuitate donauit, sortésque in Pallena dedit, vt ibi permanerent, vindicésque libertatis se præberent. In conuiuiis prę cæteris omnib. rem grauem ac perniciosam esse tyrãnidem prædicabat. His plebem decipiens, cùm maximè omnium popularis haberetur, seruos atque operas concitauit, & correptum adolescentem Callimelẽ mactauit, cúmque coquo Leontomeni coquendum dedit: is viscera hominis cocta coniuratoribus epulanda apposuit. Quibus vescentibus, & sanguinem vino permiscendo atrum efficientibus, corpus eis ostendit, sceleris communione fidem coniurationis firmans, & his vsus sociis, tyrannidem occupauit, tyrannúsque truculentissimus euasit, & crudelissimus omnium quotquot vnquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros tyrannidem exercuerant. Polyæn.lib.6.

PINDARVS Melanis filius, & Haliattis Lydi ex filia nepos, suscepta Ephesiorum tyrannide, cùm in reliquis benignus & sapiens esset, in suppliciis tamen sumendis asperrimus & inexorabilis fuit. Ælian.libr.3.de Var.hist.

CLEARCHVS Heracleæ tyrannus, rumores sparsit, se dimissurum satellites, & consilio trecentorum Rempub. traditurum. Qui conuenerũt in curiam, ad laudibus afficiendum Clearchum & libertatem recipiendam. At ille positis ad curiam militibus, trecentos per præconem euocauit: & singillatim cõprehensos, iussit omnes in arcem ducere. Poly.lib.2.

IDEM multos ciues de medio tollere volens, cùm occasionẽ & causam non haberet, delegit eos qui essent ab anno 16 vsque ad 12, ad expeditionem sub Caniculæ ardoribus, quasi vrbem Astacum oppugnaturus. Postquam verò appropinquauit Astaco, ciues quidem in palustri loco & quieto, atque pleno stantium aquarum iussit castra ponere: & animaduertere, ne Thraces eregione apparerent. Ipse verò quasi summam molestiam oppugnationis toleraturus, cum mercenariis excelsa loca & vmbrosa, aquis affluentia capit, & in iis castrametatur. Et eò vsque oppugnationem extendit, donec suos ciues perdidisset. Æstiuo tempore palustria & morbosa castra esse necessarium erat. Postquam autem omnes perierunt, tunc cum mercenariis etiam mouit, pestique causam ciuium interitus assignauit. Polyæn.lib.2.

CYPSELVS Eetionis F. Corinthi tyrannide potitus, Corinthiorum multos insecutus est, multos pecunia, lõgè plurimos anima priuauit Cui cùm triginta regnasset annos, bene vita defuncto, successit in tyrannide filius PERIANDER, Olymp.38. qui inter initia mitius agebat, quã pater sed vbi per nuncios consuetudinem habuit cum Thrasybulo, Myleti tyranno, patre cruentior effectus est. Misso enim præcone, Thrasybulum interrogauit, qua ratione ipse rebus tutius constitutis ciuitatem pulcherrimè gubernaret. Thrasybulus, eo qui à Periandro missus erat, extra oppidum educto, ingressus est rus quoddam satum: & vnà cum nuncio segetem interambulans, sciscitabatur hominem de suo aduentu è Corintho, detruncans atque abiiciens, vt quanque videbat spicam inter alias extãtem, donec segetem formosissimam atque densissimam hunc in modum corrupit: prædiúmque illud peruagatus, nullo verbo reddito, præconem remisit. Reuersus Corinthum præco, auido præceptionis audiendæ Periandro, negauit sibi quippiam respondisse Thrasybulum: mirari quòd se ad virum vesanum, Periander misisset, & exponit quæ ex Thrasybulo viderat. Periander id quod à Thrasybulo actum erat, intelligens, atque interpretans sibi ab illo prçceptum, vti eminentissimos quosque popularitt interimeret, omnem in ciues sæuitiam exercuit, interficiendo ac persequendo optimos quosque: consummans id quod à Cypselo fuerat omissum. Herod.lib.5.

POLYCRATES Aeacis F. Samum vi occupauit, eámque inter initia cum fratrib. Panthagnoto & Sylosonte partiturus erat. Quorum deinde altero necato, iuniore eiecto, totam solus obtinuit: inito fœdere cum Amasi rege Ægypti. Centum biremes habebat, mille sagittarios, & omnes sine vllo discrimine inuadebat: dicens, se magis gratificari amico, si ei ea quæ abstulisset redderet, quàm si nihil adhuc auferret. Tandem post, lõgam felicitatẽ ab Orœte Darij præfecto captus, & in crucem actus fuit. Herod.lib.3.

DEMETRIVS Phanostrati F. sapientiæ laude præstans, à Cassan-

dro Macedone Atheniensiũ tyrannus constitutus. Quem postea Demetrius Antigoni F. eiecit. Sed rursus Cassander LACHARIM plebeiorũ principem in fidem suam recepit, vtque tyrannidem inuaderet persuasit. Qui omnes tyrannos acerbitate in homines, in deos impietate superauit. Quem itidem Demetrius subuertit. Pausanias in Atticis.

PANTALEON Eleorũ tyrannus, iniuriosus & immanis, legatos qui ad se venissent, castrans, proprios testiculos edere coegit. vt testis est Heraclides in Politiis.

Arcesilaus Macedoniæ rex, potius tyrannus quàm rex à Platone appellatur, qui interfectus est ab adolescẽte nomine Crateua, quem in deliciis habebat, quòd sibi promissam filiam alteri dedisset. Ælianus de Varia historia.

Alexander Pheræus viuos obuersis inter se faciebus sepeliebat homines, vrsorum cæterorúmque terribilium ferarum pellibus contectos, & in quadrupedes feras transfiguratos, venatoribus confodiendos, laniendósque canibus obiiciebat. Hastam, qua Polyphranem auunculum peremit, sacrauit: festáque præcinxit corona, ac tanquam Deo cuidam sacrificauit: dignus eo cruciatu, quo vixit, qui omnia sibi infesta putaret, quia omnibus esset infestissimus. Sab.lib.8.cap.3.& Fulg.lib.9.cap.2.

IDEM, cùm vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem vt scriptum est, compunctum notis Thraciis, districto gladio iubebat anteire: præmittebátque de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimẽtis occultaretur telum exquireret. Nec eum fefellit opinio, ab ea enim est ipse propter pellicatus suspicionem interfectus. Cic. lib.2.Officiorum.

DIONYSIVS Syracusanus, cùm duas haberet vxores, Aristomadem & Dorida, neutrius vnquam complexum petiisse dicitur, nisi vestibus prius excussis. In cubiculum quoque quod lata cinxerat fossa, ligneo põte sese recipiebat. Quin & filias, à quibus ante tondebatur, vbi adultas vidit, veritus cultrum illis committere, candente carbone capillum sibi aduri faciebat. Cúmque in suos sæuiret mirum in modum, tandem à Carthaginensibus victus, insidiis suorum interficitur. Trogus lib.21. qui plura de eo facinore narrat. Valer.lib 9.cap.14.& Cic.lib.2.Offic.

Dionysius filius natu maior inter fratres, patri militum fauore successit. Initio tyrannidis populum sibi liberalitate conciliauit. Tria millia nexorum ex carcere dimittit: tributa insuper populo per triennium remittit sublatisque fratribus & propinquis, quos metuebat, paulatim in cæteros grassatur. Itaque propter crudelitatem inuisus, à Syracusanis expugnari coeptus in arcem se recepit. Legatos etiam Syracusanos de pace ab eo prius petitos contra ius gentium retinuit. Tãdem vi pulsus ex arce clàm in Italiam profugit, Locros concessit. Ab illis verò ignaris quòd exul exceptus, solitam in eos quoque exercuit sæuitiam, sex annis rapinis stupróque omnia complendo. Tandem verò in sordidissimũ vitę genus descendit, in publico vagari, potare, in ganeis & popinis versari, pannosus & squalidus incedere visus est. Postremò ludimagistrum Corinthi agens pueros in triuio docebat. Hæc Trogus, & alia multa, loco citato.

AGATHOCLES tyrannus Agrigentinus, qui annis ferè L. post Alexandrum vixit, dux electus contra Carthaginenses, sepe pugnauit. Ad extremum regnandi cupidus, dum ab Tarentinis accersitur, in Italiam veniens, miserè excessit. Volat.lib.13.cap.3.Anthrop.

HIERONYMVS Syciliæ tyrannus, cùm patris Gelonis disciplinam contempsisset, & superbè nimis in ciues sese haberet, à suis ciuib. interfectus est Historiam pete ex Liuij lib.4.Dec.1.

Ptolemæus Physcon ciues in Gymnasio viuos combussit. Vide tit. patrum Parricidarum.

PTOLEMÆVS rex Ægypti, cum Ægyptij contra eum rebellassent, quod vi magis quàm iure imperaret, Romam perfugit, vbi muneribus corrupit potentissimos quosque, vt à populo Romano in regnum suum restitueretur. Xiphilinus Dionis Nicæi abbreuiator in Pompeio.

Vltimus regum Romanorum TARQVINIVS, vir fuit iniustus. Ouid.lib. Fast.

Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen.

ALEXANDER Hierosolymorum rex, pressus ægritudine, scelerum suorum cõscius, & auarè crudelitérque in populos grassatus, cùm timeret ne suum post obitum liberi regno à popularibus pellerentur, vocatã ille Alexandram vxorem monuit, vt quamprimùm animam efflasset, cadauer in publicum efferendum curaret: conuocatísque illicò ciuibus, in eum prius inuecta, quod iniustus, rapax, impius, nefarius, perditissimúsq; fuisset moribus, inde quasi illorum faueret vindictæ, palàm diceret, tradere se Alexãdri corpus dilaniandum ciuibus, vt quam in viuum nequissent, in mortuum saltem iram exercerent, parcerent tamen insontibus liberis. Hoc stratagema secuta vxor, filiis regnum stabiliuit. Põtan. lib.5.de Prudentia, cap.1.

HERODES Ascalonita Antipatri F. à C. Iulio Cæsare rex Iudææ constitutus, multa crudelissima in suo regno perpetrauit facinora. Multa puerorum millia occidit, vt innocentem & sanctum interciperet partum. Aquilam auream in honore Cęsaris supra fores templi, maximis sumptibus collocauit. Eam templi prophanationem quadraginta scholastici iuuenes, è clarissimis familiis orti, & duo ipsorum præceptores Iudas, & Matthias, pio zelo indignè ferentes, structuram ipsam clara meridie demoliti sunt. Hoc facto tanta exarsit ira Herodes, vt semiuiuus in concionem prodiret, vindictã de cunctis Iudęis sumpturus, nisi populi precibus nõnihil mitigatus fuisset. Autores ipsos viuos crudelissimè cremauit, terrorémque summum omnibus incussit. Recitat Philo Iudęus, eum tricesimo sui regni anno Sãnhedrin, id est ordinarios iudices ex domo Dauid occidisse, & alios ex proselytis in lege peritos ipsis substitisse. Proprias cõiuges & liberos occidit. Sed omnium maximum fuit scelus, quod perpetrauit in Christum: quem vt in cunis occideret, plurimos pueros horribiliter mactauit. Moriturus primores Iudęorum in Hippodromo Hiericuntis inclusit, vt illic trucidati, Iudæorum gaudium, quod ex Herodis morte percepturi erant, corrumperetur. Filium Antipatrum quinto ante obitum die interfici curauit. Vide Iosephum.

L.Q.FLAMINIVS vir consularis, libidinosissimus, posteaquam scortum hospitio suscepisset, inter epulandum, vt scorto satisfaceret & gratificaretur, vnum ex suis coràm crudeliter intefecit. Liuius.

PHALARIS tyrannus Agrigentinorũ, non cõtentus exquisitissimis cruciatibus, æneo vsus est tauro, quo miseri mortales inclusi boum mugitus effingerent. Ouid.

Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, & bouis ore queri.

Dionysius tyrannus Marsiam quẽdam interfecit, ea tantùm causa, quòd is per quietem iugulare se Dionysium existimauerat.

ETHRVSCI viuorum corpora, saniosis & tabidis mortuorum cadaueribus alligabant, ora oribus, manibus manus, & pedes pedibus componẽtes. Feritatem hanc in Mezentio notat Verg.lib.8.dicens:

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibúsque manus, atque oribus ora.
Tormenti genus, & sanie tabóque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

ÆMILIVS Censorinus, Ægestæ vrbis Siciliç tyrannus, multis muneribus eos prosequebatur, qui inauditum aliquod tormenti genus excogitassent. Spe igitur lucri commotus quidam Aruntius Paterculus, equũ ex ęre fabricatum ei dono dedit: ille autem muneris autorem primùm ibidem conclusit, & emori fecit.

Volesum Asiç proconsulem sub Diuo Augusto, proditum est memoriç, cùm trecentos vno die securi percuti iussisset, inambulantem inter ipsa cadauera, prospectantémque vultu quàm maximè elato, ęquè ac dignũ admiratione facinus peregisset, ad astantes proclamasse: O rem prorsus regiam. Pont.cap.22.de Imman.

AVIDIVS Cassius, non seuerus modò, verumetiam sæuus (quare meritò alter Catilina vocatus est) trabi octuaginta pedes prælongę, atque à terra vbi validè figebatur in altum erectę, ab imo vsque ad summum viuentes alligabat homines. Atque circum ipsam, succenso igne, eorũ partẽ ignis vi, partem fumo, nõnullos quoque rei ipsius formidine atque horrore necabat. Fulgos.lib.9.cap.2.

TIBERIVS tertius Romanorum imperator, testamẽtum matris pro irrito habuit. Tres ex Germanico nepotes Neronem, Drusum & Caium variis modis afflixit. Neronem ad mortem compulit, quum ei laqueos & vncos ostentaret carnifex. Drusum in ima Palatij parte sublatis alimentis adeò macerauit, vt ille tomentum è culcitra tẽntauerit, mandere. Ex viginti viris patriciis (quos elegerat consilij causa) vix duos aut tres incolumes reliquit, cęteros diuersis causis necauit. Seleucum grammaticum ad mortem compulit. Piscatori, qui sibi secretum aliquid agẽti mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit, & os locusta lacerari. Militem prętorianum ob surreptum è viridario pauonem capite puniuit. Nullus à pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem ac sacer. Multos accusauit & damnauit cum vxoribus ac liberis suis. Interdixit ne capite damnatos propinqui lugerent. Nemini delatorum fidem abrogauit. Plerique citati ab eo ad dicẽdam causam, partim se domi vulnerauerunt, partim in media curia venenum hauserunt: quos tamẽ colligatis vulneribus & semianimes in carcerem rapi imperabat. Puniti omnes in Gemonias vnco tracti sunt. Viginti vno die abiecti tractíque nulla ętatis aut sexus habita ratione. Virgines pleręque prius à carnifice vitiatę, demum strangulatę sunt. Mori volentibus vim adhibebat viuendi. Mortem adeò leue supplicium putabat, vt quum audisset quendã Carmilium eam anticipasse, exclamauerit: Carmilius me euasit. Furiatus dolore quem ex morte filij sui Drusi conceperat, multos nulla causa interfecit. Rhodiensem hospitem, quem benignis literis Romam euocauerat, vbi aduenit, torqueri iussit, & occidi coegit. Eum qui in aurem Augustũ defuncti aliquid susurrauerat, & dixisse ferebatur, legata quæ populo Rom. testamento eius relicta erant nondum data esse, statim occidi iussit, vti ipse de iisdem rebus nuncium ferret Augusto, de quibus mordere se atque reprehendere videbatur. Singulari quorundam equitum certamini cum interesse nollet, altero occiso, vetuit alteri, ne eo certaminis genere in reliquum tempus vteretur. Multos etiam interfici iussit, explorata die & hora qua nati fuissent, atque inde animaduersa eorum natura & moribus. Quem enim excellere videbat, aut sperare principatum, eum funditùs perdebat. Gallum, qui vxorem eius duxerat, quíque fuerat liberè de principatu locutus, cum ad eum esset missus legatus, in custodia diu condemnatum retineri voluit, quo diutius cruciaretur. Adiecit captiuo custodes, qui animaduerterent, ne sibi ipsi manus inferret. Tantùm cibi

dedit, ne fame periret. Atque cùm iam de eius ſupplicio fieret ab aliis mentio, Tiberius nondum hominem ſibi reconciliatum dicebat: ſed grauiorem accepiſſe iniuriam, quàm vt bene beatéque viuere poſſet. Syrianum nullam aliam ob cauſam occidi fecit, hominem ſanè doctum & eruditum, quàm quòd dixiſſet ſe eius Galli amicum eſſe, qui tãto odio à Cæſare proſequeretur. Tam magna multitudo ſenatorum eius crudelitate & inſania interiit, & reliquorum hominum, vt magiſtratus prouincias, quas ſortiti fuerant, prætorij quidem viri triennium, conſulares autem ſex annos penuria ſucceſſorum obtinerent. M. Æmylius Scaurus, nullo ſcelere admiſſo, captus ſub eodem ob tragœdiam, quam compoſuerat, cui nomen erat Scaurus, in eundem caſum incidit. Gladiatores qui peracutis mucronibus decertabãt, auidè iugulari perſpiciebat, attẽtius ora morientium intuitus: beſtiis quoque damnatos, nõ ſine voluptate dilaniari cernebat, paruiſque de rebus homines feris ipſis obiiciebat. In theatro ad ſpectandum commoratus, etiam cum populus pranſum abiret, feris ipſis crudelior, niſi pudor obſtitiſſet, ab humana carne dentes non cohibuiſſet. Quamobrem cum Tyburi ſecundum veterem morem, ſecuri quendam feriri ad palum ligatum cuperet videre, atque abeſſet carnifex, eo ſe loco, vbi res agenda erat, nõ dimouit, quoad carnifex ab vrbe Roma venit. Dion & Sueton.

SEIANVS canes ſanguine humano paſcebat, vt aduerſus hoſtes in bello ſeueriores eſſent.

C. CALIGVLA auiæ Antoniæ defunctæ nullum exhibuit honorem, proſpexítque ſiccis oculis è triclinio ardentem rogum. Syllanum ſocerũ ad ſecandas nouacula fauces compulit. Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit: eáſque (quod eſt omnium longè turpiſſimum) exoletis ſuis proſtrauit. Ptolemæum regis Iubæ filium, conſobrinum ſuum, item Macronem & Ennium (quos habuerat imperij adiutores) pro meritorum gratia penſauit morte. Multos ex ſenatoribus interfecit. Quæſtorem ſuum in coniuratione nominatum flagellauit veſte detracta. Multos honeſti ordinis prius ſtigmate deformatos, ad munitiones viarum, ad metalla, aut ad beſtias condemnauit, aut beſtiarum more quadrupedes cauea coercuit, aut medios ſerra diſſecuit, idque ob leuiſſimam culpam, aut nullam potius. Parentes ſupplicio filiorum cogebat intereſſe, quorum vni valetudinem excuſanti, lecticam miſit. Curatorem munerum & venationum, per continuos dies in conſpectu ſuo catenis verberatum, non prius occidit, quàm offenſus putrefacti cerebri odore. Comœdiographum quendam ob ambigui ioci verſiculum igni cremauit in ipſo ſtatim amphitheatro. Equitem Rom. obiectum feris, quum ſe innocentem proclamaſſet, reduxit: abſciſſaque lingua, induxit rurſus. Quendam ab exilio reuocatum, quum interrogaſſet, Quidnam ibi facere conſueſſet? quum per adulationem reſpondiſſet, Semper oraui vt periret Tiberius, & tu imperares: capta ex eo verbo coniectura exules ſuos mortem ſibi imprecari, miſit qui vniuerſos contrucidarent. Præter facta, verbis vtebatur feritatem immanem ſpirantibus. Dicebat omnia ſibi in omnes licere. Gallis Græcíſque aliquot vno tempore condemnatis gloriabatur Gallogræciam ſe ſubegiſſe. Quos torquebat, minutis ictibus plecti iubebat, quo diutius languerent: addito etiam præcepto, Gurate vt ſe mori ſentiant. Iactabat & illud tragicum: Oderint dum metuant. Optauit plerunque, vt populus Rom. vnicam haberet ceruicem. Querebatur & dolebat, ſua tempora nullis calamitatibus publicis inſigniri. Optabat exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, & hiatum aliquem terræ Puteolis dedicatione pontis multos è littore ad ſe inuitatos omnes præcipitauit. Quoſdam gubernacula apprehendentes, contis detruſit in mare. Publico epulo ſeruum ob detractam lectis argẽteam laminam, carnifici confeſtim dedit, vt manibus abſciſſis, & ante pectus è collo pendentibus per cœtus epulantium circunduceretur: præcedente titulo, qui cauſam pœnæ indicaret. Mirmillonem ſecum rudibus certantem, ſponte proſtratum, confodit ferrea ſica. Admota altaribus victima, elato malleo cultrarium mactauit. Inſiſtens Iouis ſimulachro, quũ Apellem tragœdum interrogaſſet, Vter illi maior videretur? cunctantem flagellis diſcidit. Vxorem aut amiculam quum oſculabatur, addebat: Tã bona ceruix, ſimul ac iuſſero, demetur. Hæc omnia ex Tranquillo. Tiberium nepotem interfici iuſſit, quòd diceret, ab eo mortem ſuam optatam & expectatam fuiſſe: qua de re & quamplurimos alios occidit. Dion. Cũ ſanguine nullo pacto impleri poſſet, curabat vt quãplurimi inter ſe dimicarent, eóſque nonnunquam binos, interdum etiam confertos tanquã in acie congredi iubebat, ita vt ſex & viginti equites vno die cæſi ſint. Tanta enim eius fuit crudelitas, vt cùm defeciſſent damnati ad beſtias, nonnullos ex ea turba quæ in tabulis conſederat, corripi iuſſerit, & beſtiis obijci, iíſque quo minus loqui poſſent, aut quenquam accuſare, linguas præcidi curauit. Coegit etiam illuſtrem equitem deſcẽdere in certamen gladiatorum, quaſi Agrippinæ matri ſuæ iniuriam feciſſet: cúmq; poſtea, cùm victor fuiſſet, accuſari & interfici iuſſit. patrémque eius qui nihil commiſerat, cõiectum in caueam, ſicut alios permultos, interfecit. Macronem immemor priſtinæ beneuolentiæ, & amoris coniugis ipſius, acceptíque ab eo beneficij, coegit mortem voluntariam oppetere cùm maximo dedecore ac turpitudine, cuius ipſius met imperatoris vita plena erat. Eum enim præter cætera accuſauit lenocinij, occiditque quamplurimos accuſatos de variis criminibus. Verè autem id fecit, vt eorum facultates conſequeretur. Nam ei pecunia opus erat, cùm theſauros ſuos exhauſiſſet, & nihil ei ſatis eſſet. Cùm magnum in Galliis exercitum collegiſſet, in quo erant militum ducenta quinquaginta millia, eorum magnam partem ſua crudelitate conſumpſit. Nam eos ſigillatim, nonnunquam etiam confertos occidit. Cúmque aliquando conſpexiſſet magnã hominum multitudinem, ſiue eorum qui erant in vinculis, ſiue aliorum quorundam, eos omnes à caluo ad caluum, vt dici ſolet, occidi iuſſit.

Congregato populo magnam vim auri argentíque profudit de ſuperiore loco. quam plerique dum colligerent, vulnerati grauiter, mortem obierunt eo quòd ferramẽta quædam cum iis commixta fuerant. In Galliis, cùm diuites ad ſe vocaſſet, variis modis eos occidi iuſſit, vt ipſorum bona occuparet. Quo nomine etiam Iulius ſacerdos Gallus homo locuples indicatus, turpiter eſt interfectus. Caſſium Melinum occidi iuſſit, coegitque Capitonem patrem eius, virum bonũ, nullius accuſatum delicti, ſupplicio filij intereſſe: qui cũ à Caio peteret, vt ſibi oculos claudere liceret, iuſſus eſt pariter occidi. Xiphilinus & Dion.

CLAVDIVS Cæſar (qui interfecto Caligulæ ſucceſſit in imperio) tormenta quæſtionum, pœnáſque parricidarum repræſentabat, & exigebat palàm. Gladiatores retiarios iubebat interfici, vt expirantium faciem videret. Beſtiariis meridianiſque gladiatoribus adeò delectabatur, vt à prima luce ad ſpectaculũ deſcẽderet, & meridie dimiſſo ad prandiũ populo perſederet. Suet. Curiã ingredientẽ ſenatorẽ graphiis primò cõfoſſũ, pòſt etiam dilaceratum, inde in membra & artus ac viſcera diſcerptum per vrbis vicos trahi iuſſit: denique ante ſe ipſum collecta ea cõgeri, quo & animus cum primis & oculi ſatiarentur aſpectu tam fœdo, ac voluptate tam nefaria & perdita. Papinium conſularis viri filium, & Baſſum quæſtorem ſuum, procuratoríſque ſui filium, alióſque tum Senatores, tum equites Romanos, eodem ſimul die & flagellis cecidit & torſit, non quæſtionis, ſed (vt Seneca ait) animi tantùm & voluptatis gratia. Quinetiam ſanguinariæ huius voluptatis differendæ, moræque eius impatiens, cum inambularet in xyſto maternorum hortorum, lucémque inſequẽtem ſumendis ſuppliciis expectare neutiquam poſſet, Senatores quoſdam cum matronis quoque decollari ad lucernam iuſſit. Ne verò ſæuitiam ſuam non ex omni occaſione notam faceret, votum exegit ab eo qui pro ſalute ſua gladiatoriam promiſerat operam, vt Suetonius meminit: ſpectauit ipſe ferro dimicantem, nec dimiſit niſi victorem, ac poſt multas preces, alterum qui ſe periturum eadem de cauſa vouerat, cunctantem pueris tradidit verberatum, infulatúmque, votum repoſcentes per vicos vt agerent, quoad præcipitarent ex aggere. Pont. de Immanitate, cap. 9.

Domitius NERO, Domitij Ænobarbi & Agrippinæ filius, matrem interemit. Antoniam filiam Claudij, recuſantem ſibi nubere poſt Poppææ mortem, occidit. Item Aulum Plautium iuuenem quem ante mortem per vim ſtuprauerat. Ruſſum Criſpinum priuignum Poppeæ natum, impuberem adhuc ſubmerſit. Tuſcum nutricis filium relegauit. Senecam præceptorem ad necem compulit. Pleroſque libertos diuites & ſenes (quos ſemper fautores inuenerat) occidit. Caſſio Longino iuriſconſulto oculos effodit. Polyphago cuidam Ægyptij generis, crudam carnẽ mandere aſſueto, viuos homines laniãdos obijciebat, & abſumẽdos. Iuſſit etiam ſuffocari veneno Britannicũ fratrem, ſola tractus inuidia, quòd Britannicus vocem ad cantandum eo iucundiorem haberet. Domitiam amitam ſuam veneno ſuſtulit: ac bonis eius, quæ Baiis & in mari Rauennati erant, ablatis, in iis magnifica trophea ſtatuit. Octauiam Auguſtam propter Sabinam pellicem repudiauit, & poſtea interfecit. Burũ, eo quòd liberius ab eo reprehenderetur, veneno ſuſtulit. Pluto interfecto, poſtquàm vidit caput eius ad ſe perlatum: Neſciebam, inquit, hunc hominẽ magnum naſum habuiſſe. quaſi ei pepercíſſet, ſi id cognouiſſet antea. Pallantem interfecit, quòd magnas opes peperiſſet. Sabinam Poppæam à ſe imprægnatam, ſeu volens, ſeu per impudentiam calcibus oppreſſit. Vrbem Romanam multis in locis incẽdit, eóſque omnes qui ignem extinguere conabantur, in flammas præcipitari iuſſit. Deinde in turrim Mecœnatis, in ſummum palatij, vnde magna pars incendiorum videri poterat, aſcendens, cæteris in grauiſſimo luctu ob amiſſas diuitias verſantibus, excidium Troiæ cecinit. Ab eo homines duo, quod alter eorum habitaret in foro, & tabernas conduceret, amicóſque in eas reciperet: alter, quòd ſtatuam Caſſij haberet, eius qui Cæſarem interfecerat, damnati atque interfecti ſunt. Corbulonem, quem præter cætera patrem & beneficum appellabat, ad ſe vocatum, abſque vlla legitima cauſa occidi iuſſit. Paridem ſaltatorem nullam aliam ob rem occidit, quã quòd eius ſaltationes imitari nequiret. Cinnam Tuſcam mulctauit exilio, quòd in Ægypto balneum ſibi paratum ingreſſus eſſet. Sulpitium Camerinum vnà cum filio trucidauit, quòd Pythici cognominarentur, quaſi in Pythicas ſuas victorias impij forent.

AVLVS Vitellius nobiles viros & condiſcipulos omnibus blanditiis ad ſocietatem imperij allectos, vario genere fraudis occidit: & in his vnũ veneno manu ſua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is febre affectus popoſcerat. Portitorem quendam nulla penitus culpa interfici iuſſit, velle ſe dicens oculos paſcere. Duos item iuuenes patri ſupplicium auertere conantes. Quendam equitem Rom. iugulari mandauit cũ liberto. Item plebeios quoſdam, qui Venetæ factioni maledixerãt. Venit & in ſuſpicionem matri venenũ porrexiſſe, quòd audiuiſſet à Cata muliere vaticinia diutiſſimè ſe imperaturũ, ſi ſuperſtes parẽti extitiſſet. Prætorio viro, qui in Anticyrã ſeceſſiſſet inſulã valetudinis gratia, necem cũ machinaretur, iuſſiſſetq; illum interemi, iocabundus inquit: Quando tã diu nihil profeciſſent ellebori, ſanguinem ei mittendum eſſe.

Cùm ex Germania Romam rediret, atq; haud longè à Bebriaco iter faceret (illic enim cum Othone certamen ei fuerat) & multi iam multorum cadauerum fœtorem abhorrerent, dixit: Olere hoſtem mortuũ, præſertim ciuem, & vt magis eo ſpectaculo frueretur, mortuos ſpectans, lætus largè perpotauit. Statim vt imperator creatus fuit, dicens, Paſcere ſe oculos velle: præſente ſe interimi publicanum quendam iuſſit: quòd cùm ipſe priuatus eſſet, parum modeſtè, imò contumelioſè quædam erga eum egerat. Fulgoſ. lib. 9. cap. 10.

ADRIANVS Romanorum imperator, propter cædes quorundã bonorum

norum ciuium, adeò ciuibus odio fuit, vt in heroũ numerum poſt mortẽ non fuerit relatus. Turpiter autem interfecit Palmam, Celſum, Nigrinũ, & Luſium, quòd inſidias in venatione feciſſe falſo dicerentur. Paulo autẽ antè quàm diſcederet è vita, Seuerianum, Fuſcúmque nepotem eius necari iuſſit. Fauorinum Gallum ac Dionyſium Mileſium ſophiſtas tollere conatus eſt, eo quòd ſe doctiores eſſent. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Adriani vita.

Domitianus multa crudelitatis exempla exercuit. Diſcipulum Pantomimi puberem occidit, nullam aliã ob cauſam, quàm quòd magiſtro ſimilis eſſet forma. Interemit & multos ſenatores, in his aliquot conſulares vt Ciuicã Cerealẽ Aſiæ proconſulem, Saluidienum, Orſitum, Aciliũ Glabrionem, Ælium Lamiam ob ſuſpicioſos iocos. Hermogenem Tharſenſem, ob quaſdam in hiſtoria figuras, librariis qui eã deſcripſerãt crucifixis occidit. Occidit & Saluium Coccianum, quòd Othonis imperatoris patrui ſui diem natalem celebrauerat. Salluſtium Lucullum Britãniæ legatum, quòd lanceas nouæ formæ Luculleas appellari paſſus eſſet. Cuius fuit torquendi modus, ignem per obſcœna ſupponere. Denique abſque literis animum induxit ad cædes faciendas, ne quot homines interfeci iuſſiſſet, dici poſſet. Vnde Iulius Caluaſter, inſignis adoleſcens, & militum tribunus, contra opinionem eius crudelitatem euaſit. Multos leuiſſimas ob cauſas crudeliſſimè occidit. Mulierem quidem, quòd ante ſtatuam Cæſaris ſe exuiſſet, Metium Pompuſianum, quòd Imperatoriam geneſim habere diceretur, aut quòd orbis vniuerſi picturam in tabula haberet, Liuianáſque hiſtorias euolueret. Maternum ſophiſtam, quòd exercitij cauſa in tyrannos aliquid dixiſſet, Ruſticum Arulenum, quòd philoſopharetur, & Thraſeum diuinum hominem dixiſſet. Herennium Senecionem, quòd poſt cenſoriam dignitatem, nullum magiſtratum petiuiſſet, quódque Heluidij priſci vitam deſcripſiſſet, compluréſque alios nullam aliam ob cauſam, quàm quòd Philoſophiæ operam darent, Philoſophos omnes vrbe, Italiáque ſummouit. Aretinum Clementem conſulatem capitis condemnauit. Occidit & Heluidium filium, quòd ſub perſona Paridis & Oenones diuortium ſuum cum vxore tractaſſet. Flauiũ Sabinum, quòd conſularium comitiorum die preco illum non cõſulem, ſed per lapſum vel errorem ad populum imperatorẽ declarauiſſet, morte affecit. Suet. Dion, & Xiphilinus.

ANTONINVS Commodus, gladiatoriis cædibus adeò Romanum atriuit imperium, vt nomen gladiatoris vulgò meruerit. Idem, teſte Lampridio, homines qui pedibus debiles forent, ſagittis ſolebat conficere. Claua multos etiam afflixit, Herculem ſe fingens. Sacra Mithriaca homicidio polluit. Irridentes ſe feris obiecit. Eum qui tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiecit. Si quis ſe mori velle prædixiſſet, hunc inuitum iubebat præcipitari. Obœſi corporis hominẽ medio ventre diſſecuit, vt eius inteſtina ſubitò funderẽtur. Balneatorem conijci in ardentem fornacem iuſſit, quòd lauaturus balneum tepidius inueniſſet. Magnum numerum virorum & mulierum partim palàm interfecit, partim clàm veneno ſuſtulit: & eos omnes ferè, qui & patris tẽporibus & ſuis florentes erant. Occidit autem præcipuè vxorem Criſpinam, quam adulterij inſimulabat Martiam, Quadrati cubicularij vxorem item Seruium Iulianum & Paternum: quorum ille præerat magno exercitui, hic verò præfectus erat prætorio. Occidi præterea iuſſit Cardianũ & Maximum Quintilios, qui & doctrina & ſcientia rei militaris, concordiáque & opibus percelebres erant. Vbi expleuerat animum voluptatibus ludiſque variis, ſtatim cædes meditabatur: interficiebátque viros nobiles, in quorum numero fuit Iulianus etiam præfectus, quem publicè amplecti atque oſculari, patrémque appellare cõſueuerat. Cùm deeſſe ſibi pecuniam ad varij generis certamina atque ſpeculata edenda animaduerteret, inferebat nõ ſolùm crimina viris, ſed etiam mulieribus: quibus partim mortẽ afferebat, partim ſeruabat incolumes, acceptis eorum facultatibus. Cũ in theatro ſpectaculis variis intereſſet, & deeſſent animalia quæ telis transfigerentur, tela in aliquot plebeios cõiecit, vt Hercules olim in Stymphalidas fecit. Dedit autem ſpectatoribus ſpongias, vt in ſpectaculis iacerent, pro lapidibus: eoſdem deinde ligatos omnes claua, ac ſi Gigantes eſſent, percuſſit, atque interfecit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

PLAVTIANVS, militum Seueri Romanorũ imperatoris præfectus, cuius magna autoritas & potentia apud Cæſarem erat, non tantum priuatos & optimates pecunia temere exhauſit: ſed nullam gentem, nullam ciuitatem reliquit, quam non prædaretur. Equos furatus eſt centurionibus, centum ciues Romanos clàm domi ſuæ interfecit: excidit nõ ſolùm pueros & adoleſcentes, ſed etiã viros, quorum nõnullis vxores erant. Xiphilin. Dionis Nicæi abbreuiator, in Seuero.

ANTONINVS Caracalla in omnem crudelitatem à natura propenſus, ab ipſo ſtatim imperij ſui principio, partim domeſticos ſuos ignominia affecit, partim penitus occidi iuſſit: ex quibus fuit Euodus educator etiam ipſius, Caſtor, vxórque Plautilla, cum Plauto fratre eius. Fratrem ſuum Getam vel patre viuo voluit interficere. Mortuo patre, in lecto matris, ad quam confugerat, occidit eum. Lege ſua omnes reuocauit exules, & eoſdem interfecit turpiſſimè, nec mulieribus parcens. Ex viris illuſtribus occidi fecit Papinianum Iurecoſ. & prætorio præfectum, eo quòd parricidium excuſare nollet: & Cilonem educatorem ſuum, à quo multa beneficia acceperat. Ex cædibus autem optimorum atque innocentiſſimorum virorum, animum ad ludos applicauit, in quibus etiam multas cædes fecit. Gladiatorum ſanguine cùm plurimum delectaretur, Batauen præclarum athletam coegit, vt eodem die cum tribus ad mortis periculum certaret: quem occiſum à poſteriore ſepultura affecit. Quàm diu principatum Romanum tenuit, adeò omnis orbis terrarum, qui erat ſub eius imperio, crudeliter vaſtatus atque direptus eſt, vt ludis Circenſibus populus Romanus ita cõclamauerit: Nos viuos perdimus, vt mortuos ſepeliamus. Crebrò enim dicebat, pecuniam ſibi ſoli eſſe oportere, præterea nemini, vt eã largiretur iniquiſſimis hominibus. Cúmque Iulia mater ipſum argueret, quòd nimios ſumptus faceret, dicerétque iam ſibi nullos redditus iure aut iniuria partos reliquos eſſe: gladium oſtentans euaginatum, reſpondit, Bono ſis animo mater, nam nobis, quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit. Dion Nicæus, & Xiphilin. in Antonino.

Profectus Alexandriam Antoninus Caracalla, & Alexandrino populo indignatus, quia editis ludis, de eo carmina recitauerant, quæ ipſe grata non habebat: delectu eorum habito qui militiæ idonei viderentur, cùm eos inſpicere velle dixiſſet, omnes interemit. Militibúſque Romanis, quos in eam vrbem ſecum adduxerat, ordinauit, vt per noctem hoſpites ſuos interficerent: & cùm alia ſæuiendi materia deeſſet, eos interfici curabat, qui carminibus aut alia ſuperſtitione remedia quartanæ quæſiuiſſent. Tantam autem Alexandriæ cædem fecit, vt nõ ſit auſus numerũ interfectorum proferre: ſed ſcripſerit ad ſenatum, Non referre qui & quot eſſent occiſi, propterea quòd digni fuiſſent omnes qui interficerentur. Mortuo item eo cognitum eſt, eum magnum numerum veneni cuiuſuis generis, ex iis qui ſuperiorem Aſiam incolunt, aſportari iuſſiſſe, emiſſéq; ad aureorum millia cccxx. vt quamplurimos, quos collibitum fuiſſet, variis modis venenis tolleret: eáque omnia reperta, igni exuſta ſunt. Xiphilinus & Dion Nicæus in eius vita.

ANTONINVS Heliogabalus, Antonini Caracallæ Romanorum imperatoris filius, crudelis in omnes, omnibúſque inuiſus fuit. adoleſcentulos innoxios, quorum ambo adhuc parentes viuerent, interficiebat, vt eorum mors ad plures dolorem extenderet. Spart.

Antonino Caracalla iam à ſuis interfecto, milites pecunia corrupti, MACRINVM natione Maurum imperatorem ſalutabant, hominem ex obſcuris parentibus natum: qui etſi polleret quibuſdam virtutibus, attamen ſtatim licentius ſua poteſtate vſus eſt, ratus ſe hoc modo contegere poſſe ignobilitatem generis: atque ob hãc cauſam eos quos moleſtè ferre ſuſpicabatur, aut ignobilitatem eius, aut inopinatam adeptionem imperij, de medio tollebat. Dion Nicæus, & Xiphil. in Macrino.

MAXIMINVS Imp. tam crudelis fuit animi, vt Cyclops, Buſyris, Gyges, & Typhon diceretur. Vnde ſequentib. verſibus eiuſdem ſæuitiæ illuſum eſt: Et qui ab vno non poteſt occidi, à multis occiditur. Tygris acerrimus eſt, & tamen occiditur. Caue multos, ſi ſingulos non times. Vt humano ſanguine feritatem ſuam expleret, contra ſalutem ſuam initas eſſe conſpirationes multas finxit, atque ob id quatuor hominum millia occidit. Vt autem noua tormentorum ac mortis genera inueniret, viuos homines exẽteratis bobus includebat, ita vt caput extaret, atque ita mori ſinebat. Fulg. lib. 9. cap. 2.

MACRINVS, quem ob crudelitatis magnitudinem Macellinum nũcupauerunt, viuentes homines mortuis alligabat, donec vermibus fœtoréque conficerentur. Fulg. lib. 9. cap. 2.

DIOCLETIANI ſæuitia in Chriſtianæ religionis homines, tanto aliorum Romanorum principum crudelitatem ſupereminet, quanto agnos feritate leo anteit. paucis diebus XVII millia Chriſtianorum variis ſuppliciis affecit. In Thebaide, quæ Ægypti pars eſt, nudas fœminas ſuſpendebat: alias deuexis arboribus alligatis pedibus, cùm in contrarium redire arbores permitteret, in duas partes dilaniabat. Quibuſdam, cùm adhuc viueret, pellem coriúmque detrahebat: alios ferreis vnguibus, non profundis, ſed oblõgis vulneribus dilaniatos, carceribus vinctos reſtituebat, ac regularum fragmenta pro ſtrato eis ſubijciebat, vt quieturi, quàm ante in martyrio, deterius haberent. Alexandriæ nonnullis ademptæ manus ac pedum digiti, item naſus, labra & aures: atque ita affectos viuere (ſi hæc vita, & non longior mors eſſe poſſet) permittebat. Quoſdam veluti hœdos ignibus aſſabat. Verùm in Ponto atque Cappadocia, in Chriſtianos arte aucta fuit crudelitas: peracuta enim cannarũ fruſta, inter vngues carnémque digitorum figebat: alios liquefacto plũbo totos inſtillabat, aut per anum eis corpora replebat. Fœminis quoque per ſexum candentia ferramenta adigebat. Fulg. lib. 9. cap. 2.

TRIGINTA tyrannos, qui tempore Galieni Imperatoris ſurrexerũt, Pollio perſequitur: diuina factum prouidẽtia, vt in ignauia principis Romani non defuerint, qui Romanum tuerentur imperium. Sunt autem ij, Cyriades, Poſthumius, Poſthumius iunior, Lollianus, Victorinus, Victorinus iunior, Marius, Ingenuus, Regillanus, Aurelius, Macrianus, Macrianus iunior, Quietus, Odenatus, Herodes, Mæonius, Balliſta, Valens, Piſo frugi, Æmylianus, Saturninus, Tetricus, Tetricus iunior, Trebellianus, Herennianus, Timolaus, Celſus, Zenobia, Victoria, Titus Cenſorinus. Pollio apud Volat. lib. 17. Vrb. com.

MAXIMVS tyrannus Orientalis, qui inter alia facinora Eudoxiam quoque relictam Valentiniano Imperatori vi rapuit, à populo membratim diſcerptus eſt. Sigisbertus in Chron.

CHILDERICVS Francorum rex, cùm barbarè ſæuiret in ſuos, & quendam illuſtri loco natum palo religatum fuſtibus cædi iuſſiſſet, adeò omnium animos rei mouit atrocitas, vt is in quem animaduerterat, haud parum multos inueniret, qui ſecum contra ſalutem tyranni coniurarent. Itaque redeuntem à venatione excipiunt inſidiis, & ſimul cum Vlcide vxore grauida obtruncant. Michael Ritius Neapolitanus, libr. 1. de Francorum regib.

ROMANVS Iunior appellatus, ſenioris Romani Lacapeni ex filia nepos, qui cum Conſtantino patre rexerat Imperium, vir fuit non tantùm ignauus, vino & ocio deditus, verùm etiam omnium crudeliſſimus. Volat. lib. 23. Anthrop.

GALLVS, quem Conſtantinus Imperator Cæſarẽ fecit, & in Oriẽtem

misit, apud Antiochiam crudelitatis & libidinis omne genus exercuit: noctu per popinas ambulabat, clàm sciscitabundus, qui de eo malè loquerentur, quos omnes postea conuictos necabat. Quod & Galienum principem antea fecisse legimus. Volat.lib.23.Anthrop.

Leo Armeniacus Pardi patricij filius, qui exercitui orientis præfuit, Imperator Romanorum factus, vir fuit omnium crudelissimus: quo vitio, res multas bene gestas obscurauit. Volat.lib.23.Anthrop.

Gilemer post Hildericum regem à se interfectum, quinque annis regnans super Vandalos, tantæ crudelitatis fuit, vt nec parentibus parceret. Sigebert.in Chron.

Honoricvs Vandalorum rex, in Africa in Ecclesiam Dei grauius solito efferatus, omnes Africæ episcopos, quasi ad synodum conuocauit: & fugatis, in exiliúmque pulsis 444. episcopis catholicis, ecclesias clausit, aut Arianis dedit, plebémque variis suppliciis afflixit. Lethum episcopum incendio concremauit. Eugenium quoque Carthaginis episcopum cum sacerdotibus suis plus quàm quingētis, multis modis cruciatos in exilium misit: teste Sigeberto in Chronicis.

Riccivs Monterlarius crudelissimus, si quem decreuisset enecare, blandè admodum salutatum inuitabat ad pocula: percontabatúrq; quot secum aut placentulæ bucellas, aut sorbillationes assumpturus esset: repentéque in iis nugis totidem vulneribus illum conficiebat. Pont.cap.23. de Immanitate.

Nicolavs Fortibrachius, à latere suo vbique mutum quendam hominem ducebat, oneratum funibus ac capistris. Itaque vt quem suspendio destinasset, siue meritum siue immeritum, pro odio & libidine, factū illum obuiam nutu indicabat: conuersúsque ipse pòst ad mutum, proclinato in vncū digito, nasum sibi cōtingebat. Quo signo accepto, cōfestim mutus iniecto in illum capistro, proximo cuique vel trunco eum, vel arbusculæ exanimandum suspendebat: iudicabatúrque ignauus dies, qui sine suspendio preteriisset. Pont.cap.23.de Immanitate.

Ecelinvs Romanensis (Romanum autem in Patauino agro oppidum est) latè in Italia tyrannidem exercebat: tertio Mantuanę obsidionis anno, cùm Pataüium vrbem rebellasse audisset, vndecim Patauinorum millia, quos secum habebat, diuersis inclusos carceribus, variis tormētis, atque insuper fame quoque confecit. In Italiam inducto crudelitatis insueto genere, multorum damnatorum ciuium filios castrauit, tam multis quoque eodem tempore erui oculos iussit, vt ingentem patinam oculis non repleret modò, sed etiam spectare vellet. Syllam enim, vt in peremptorum numero, ita etiam in necis modo superare voluit. Fulgos. libro 9. cap.2.& Egnat.lib.9.cap.2.

Idem victus prælio, vulnus quod in pugna acceperat, rescidit, vt tam crudeliter quàm vixit moreretur. Sab.lib.8.cap.3.

Mahvmetes Ottomanus, si quos iratus ad mortem damnaret, altiori palo infigendos curabat: vt tamen, si quis ex his non statim moreretur, cibo potúque alendum vellet: vt quo longiore vitæ spacio frueretur, grauiore supplicio vitam amitteret. Egnat.lib.9.cap.2.

Ioannes Maria, dux Mediolanensis, quotidie nouo tormenti genere ciues opprimebat. Idem matrem (à qua interim corripiebatur) in carcerē detrusit, & ibidem mori coegit. Rauis.

Vitoldvs Lituaniæ dux (fuit olim hæc Taurica Chersonesus, nisi multùm opinione fallor) homo truci sæuóque ingenio, si quem morti destinasset, vrsinis inuolutum pellibus, canibus laniandum obiiciebat. nunquam bellicis expeditionibus non intentum habuit arcum, vt ordine aberrantem sagitta trāsfigeret. Hanc in principe intemperiem adeò expauit gens alioqui ferox, & mortis contemptrix, vt multi eius imperium secuti, vltrò sine carnifice vitam finiuerint veneno aut laqueo. Sab.lib.8. cap.3.& Fulgos.lib.9.cap.2.& Æneas Syluius lib.2.de gestis Alfonsi. Vixit temporibus Sigismundi Imperatoris.

Ferdinandvs rex Neapolitanorum, præclaros viros conclusos in carcere benè & abundè pascebat: eandem ex iis voluptatem capiens, quàm pueri ex conclusis in cauea auiculis. Qua de re sæpenumero sibijpsi inter intimos suos diu multúmque gratulatus, sublāditúsque, in risum tandem ac cachinnos profundebatur. Pont.de Immanitate, cap.9.

Idem durissimè & crudelissimè quoque animaduertit in Franciscum de Petruciis, Antonelli filium: quem comitem Calenum vocabant, eiúsq; fratrem Ioānem Antonium Policrasti comitem. nec simplici morte contentus, in frusta fœdissimè secari iussit. Ritius Neapolitanus lib.4. Regum Siciliæ.

Ecelinus Romanus, Patauinorum tyrannus, castrabat pueros, violabat virgines, matronis mammas adimebat, secabat vteros prægnantium, & partus exectos in ignem proiiciebat: bissena Patauinorum millia, qui secum militabant, quòd Patauium vrbem defecisse audiret, occidit.

Vitoldvs Lituaniæ dux, cùm plebem legi, legem autem principi subiectam esse pronunciaret, adeò differentem moribus & habitu à suis popularibus sese præbuit, vt illos tonderi edicto iusserit, sibi tanquā maiestatis insigne barbam intonsam retinens. At cùm id non succederet (nā Lituani vitam potius quàm barbam parati erant amittere) caput ipse genásque rasit: capitalem pœnam in eos comminatus, qui suo exēplo barbā aut comam deponerent. Æneas Syluius lib.4. Commentariorum in res gestas Alphonsi Aragonum regis. Notādum tamen obiter, hunc ab aliis Vitandum dici.

DVCES PERFIDI, PRODITORES EXERCITVS.

Consule tit. Perfidiæ erga patriam.

Diognetvs Milesios prodit. Vide tit. Fidei erga patriam. Bono consilio patriam iuuare.

IVDICES INIVSTI.

Consule tit. Stulti iudicij. Item, Nimiæ seueritatis in iudicando.

Ivdices Israel Esaias reprehendit, cùm ait, principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Esa.1.

Malos & iniquos iudices habuit Paulus, Felicem & Festvm, qui volebāt gratiā Iudęis prestare: & idcirco cōpulsus est Cęsarē appellare. Act.25.

Atheniensibus fato datum est, vt abusi ingenio, si quid publico concilio decernendum foret, in deteriorem partem plerúmque statuant: sempérque quod in discrimen adducit, consilium sequantur. Quare verbum Anacharsis fuit, Sapientes in concionibus sententiam dicere apud Græcos, stultos verò iudicare. Alex.ab Alex.lib.4.cap.11.

Themistocles monitus, à quodam, vt æqualem se præstaret in iudicio: Absit, inquit, vt ego dum potero, non magis amicis faueam cunctis in rebus. Rauis.

Sisamnes, iudex ob iniquam sententiam à Cābyse excoriatus fertur. Eius fili⁹ vocabatur Othanes, patris corio insidere coactus. Herod.lib.4.

Thasiorvm nimiam seueritatem in Theogenis statua, pete ex tit. Vltionis nimiæ erga ratione carentia.

Popvlvs Romanus, Tarquinio Capitolino, & A. Furio Agrippa cos. inter Ardeates atque Aricinos de finibus contendentes arbiter electus haud satis ex tanti populi pudore atque modestia, agrum de quo cōtendebatur, non Aricinorum aut Ardeatium esse, sed ad se pertinere adiudicauit. Ex arbitro, & communi amico, præ auaricia prædo atque hostis factus. Fulg.lib.8.cap.2.& Sab.lib.4.

Fabivs Neapolitanis ex vrbe, Nolanísque de finibus inter se disceptantibus iudex datus, cum vtrísque seorsum egit: ac tenuit, vt paululum suos fines contraherent. Tum verò quicquid agri in medio relictum est, Romano populo adiudicauit. Fuit hoc, quis non videt, decipere, non decernere: non iudicatio, sed præuaricatio. Sab.lib.4.cap.5.

C. Ivlivs Cæsar, deuicto iam Pompeio, cùm hostem in Ægyptum vsque persequeretur magno exercitu, eo iam interfecto, venit ad Cleopatram, omnium quæ in Ægypto tum temporis erant, formosissimam. Quę cùm intellexit se plurimùm à Cæsare, & turpiter etiā amari: voluit, vt Cæsar eam contentionem, quam iam diu cum fratribus habuisset, dirimeret. Egit igitur suam causam primùm per amicos, deinde verò ipsa (quandoquidem omnium erat facundissima) apud Cæsarem sola verba contra fratres fecit. At Cæsar captus amore Cleopatræ, cùm indulgens affectibus in ea causa pro Cleopatra stare contra fratres, iniustam sententiam pronuncians, deprehenderetur, Ægyptiorum facto tumulto, periclitari de vita cœpit. Itaque aufugiens, vestémque exuens, pernatando flumen vitæ consuluit suæ. Cuius vestimēta deinde ab Ægyptiis inuenta, suspensa sunt in trophæo quod statuerant, atque omnium irrisionibus exposita. Plura ea de re leges apud Xiphilinum, Dionis Nicæi abbreuiatorem, in Cęsare.

Pvblio Clodio violatarum religionum ac manifesti adulterij reo, dati iudices, quia de criminibus constabat, sententiā pronunciaturi, pręsidium à Senatu petierūt: tum demùm peti solitum, cùm aliquis reus potens condemnandus esset. Interim P. Clodius ad artes suas in extremis casibus sese vertens, aliquos ex Ivdicibvs illustrium fœminarum (apud quas consuetudine & muneribus & suarum interuentu precum potens erat) promisso concubitu, & pręscito, adulteriorum stuprorúmque participes, & ob hoc sibi propitios fecit, alios magnis pecuniis corrupit. Quid multa? vbi condemnatio sperabatur, summa cum P.R. & illius seculi infamia absolutus, nocentior absolutione quàm crimine. Quoniam, vt elegāter ait Seneca, Plus est distribuere adulteria, quàm facere. Itaque prius adulter, pòst leno, propter primum accusatus, propter secundum liberatus est. Mira res, & vix credibilis, nisi eam clarissimi auctores literis mādassent. Hos iudices, absoluto Clodio, mordaciter ludens Catulus, Senatum his percontatus est verbis: Quid à nobis pręsidiū poscebatis? an fortè, ne pecunia perfidiæ vestræ preciū vobis eriperetur? Petrar.de Ironia.

Natellvs, è Ceuæ Marchionum numero vnus, inter duos Ceuenses arbiter elect⁹, ambos iurare coegit, ei se daturos quod ipse iudicasset. Iudicij autē ipsius fuit summa: Quicquid illud erat, de quo inter collitigātes

controuersia esset, non ipsorum collitigantium, sed Natelli esse. Fulgosus libro octauo, capite secundo.

CENSORES INIVSTI.

PERFIDIA MAGISTRATVVM ET PRINCIPVM EIVSDEM *Reip. vel militiæ, erga se inuicem.*

Consule tit. Socium in imperio ferre non posse. Item exempla plurima ex tit. Perfidiæ erga parentes, fratres, consanguineos, peti poterunt.

Volsci, Actii Tullij artibus impulsi, populari impetu & consilio Marcium Coriolanum, Actij collegam, lapidibus obruerunt. Cuius rei postea pœnitentia ducti, cùm victoriarum in mentem veniret, quas eo duce aduersus Romanos Volsci obtinuerant, vt crimen corrigerent, ingenti atque publica impensa funus eius celebrarunt. Fulg.lib.9.cap.7.

Perpenna consul Marianarum partium, Quintum Sertorium, quo cum prius magna amicitia dimicauerat, inter epulas nihil sibi timētem interfecit, vt solus imperio potiretur in Hispania.

PERFIDIA ERGA SOCIOS REGES, VEL *populos.*

Benadab rex Syriæ, fœdus habebat cum Basaa, rege Israel. Sed propter munera quæ misit ei Asa rex Iuda rupto fœdere cum Basaa, grauiter impugnauit eum. 3.Reg.15.

Abner filium Ner (qui, vt in secundo Regum libro legimus, principibus Israel persuaserat, vt eiecto Isboseth Saulis filio, regem sibi acciperent Dauid in Hebron regnantem) cùm ob hoc ipsum negocium illuc venisset, séque Dauidi fœdere iunxisset, & re peracta iā discederet, Ioab Dauidici ductor exercitus, ad colloquium reuocatum interemit. Quid hac perfidia nequius? vt regis seruus amicum amicitiæ simulatione supplantet, atque occidat? & duplicis criminis reum se constituat, capitalis fraudis in Abner, summæ ingratitudinis in Dauid? Marul.lib.3.cap.6.

Idem Amasæ collegæ suo cùm obuiam occurrisset, Salue mi frater, inquiens, faciem ad osculum applicuit, sicam ad latus. vnóque ictu miserum nihil timentem confecit, ob hoc solùm, ne militaris gloriæ secum particeps esset. Illi inuidit laudem, sibi perpetuam perfidiæ comparauit notam: minus in hostem, quàm in socium ferox. Meritò postea & ipse à Salomone rege occidi iussus, malignæ impietatis pœnas dedit. Marul. li. 3.cap.6.

Ahvd obtulit munera Eglon regi Moab: & postea secretò loquens cum eo, occidit eum. Iud.3.

Alcimvs sacerdos, cùm pessimis ex Israel ad Demetrium Asiæ regem defecerat: & coacto exercitu cum Baccide regis præfecto, venerat contra Iudam. Tunc Assydeis, qui de stirpe Israel erant, amicum se ostēdens, iurauit nihil se mali illis illaturum. Sic deceptos atque euocatos cū comprehendisset, 60 ex ipsis die vna neci dedit. Nescio infelicius, an inconsultius confisos dixerim. Non enim erat cur crederent etiam sacerdoti, etiam iuranti, quem aduersariorum partes secutum non ignorabāt. Quomodo enim periurare homini timeret, qui apostatare à Deo nō per timuit? Marul.lib.3.cap.6.

Cùm Iones trecentis nauibus contra sexcentas Persicas ante Miletum pugnaturi essent, Samii ab Æace, Sylosontis F. qui è Samo pulsus Darij partes sequebatur, clàm persuasi, immunitate sacrorum & vrbis promissa, contra fidem sociis datam, sublatis velis ex mari excesserunt, cum 50. nauibus, Samúmque abierunt: præter decem naues, in quibus trierarchi permanserunt, nolentes dicto audientes esse suis ducibus. Quo ex facto commune Samiorum concilium eis donauit, vt ipsorum nomina à maioribus repetita, tanquam egregiorum virorum, in lapide scriberentur. estque is lapis adhuc in foro. Lesbii viuentes Samios fugere, idem fecerunt cum 70. nauibus. Pauci admodum cum Chiorum centum nauib. perstitēre, & contra hostem fortiter dimicarunt: victi tamen sunt hostium multitudine. Herod.lib.6.

Lysander Lacedæmoniorum dux, cùm sub amicitiæ specie octingentos ad se Milesios vocasset, à militibus suis omnes interfici iussit: eodem facto, perfidiam immanem atque crudelitatem ostendens. Fulg.lib. 9.cap.6.

Therycion è Delphis rediens, quum videret, in Isthmo angustias à Philippi copiis occupatas: Malos, inquit, ô Corinthii, portarum custodes non habet Peloponnesus. Allusit eò quòd grauiter animaduerti soletin ciues, quib. vrbis portæ commissæ sunt, si eas indiligenter custodierint. Multo magis accusari merebantur Corinthij, qui totius Peloponnesi portas Philippo prodidissent. Plut.in Lacon.

Sybaritæ Mileto à Persis direpta, nullum ediderunt luctum: cùm tamen Milesij prius Sybari à Crotoniatis excisa, puberes capita raserint, & ingentis doloris signa ostenderint. Herod.lib.6.

Zanclæi, cùm vrbem quandam in Sicilia obsiderent, & interea vrbem suam à Samiis occupatam cognouissent, vrbi suæ suppetias tulēre, aduocato Hippocrate Gelæ tyranno, socio suo. Qui posteaquam ad illos iuuandos cum exercitu venit, Scythæ Zanclæorum monarcho, tanquam vrbis desertori, & fratri eius Pythogeni, vincula indidit, eósque in oppidum Inycum relegauit, ac cæteros Zanclæos Samiis (cum quibus publicè locutus fuerat) dato & accepto iureiurando, prodidit: pacta mercede, vt dimidium omnis prædæ vrbicæ atque captiuorum ipse haberet: item omnia quæ in agris essent, quanquam plerosque Zanclæorum titulo captiuorum in vinculis habebat, quorum summos quosque trecentos Samiis occidendos tradidit: quod tamen illi facere noluerunt. Herod.lib.6.

Agathocles, qui in Sicilia regnauit, cùm in Aphricam aduersus Carthaginenses traiecisset, Offellam Cyrenarum regem occidit: eum enim, vt exercitu quem habebat spoliaret, filij loco adoptauit: atque per hunc modum fidem apud eum nactus, occidit. Fulg.lib.9. cap.6.

Calippvs, siue Callicrates Atheniensis, Dionem Syracusanum familiarem sibi cum paucis aliis coniuratis interfecisse dicitur. Plut. in Dione.

Thessalis ex fortuna fidem pendere, poetæ scribunt: cùm bello Peloponnesiaco fœderum & deorum obliti, in ipsa acie ab Atheniēsibus ad Lacedæmonios, mutatis ordinibus, transfugerint. Quare Thessala fides, velut vana & fluxa, in prouerbium venit. Alex.ab Alex.lib.5.cap.10.

Metivs Suffetius Albanorum dux, quoniam pactum atque condictum cum Tullio Hostilio populi Romani rege perfidè ruperat, binis quadrigis vinctus, atque immaniter laceratus est: vt habes apud Liuium libr.1.Dec.1. Plutarch.cap.14.Patal.Alexarchum tertio rerum Italicarum lib.Plin.ca.4.de viris Illust.Gell.lib.20.cap.1.Volat.li.17. Anthro. Eutrop. lib.1.cap.6.Dionys.lib.3.

Mandovivs & Indibilis duces Hispani, partes Romanorum cum Scipione Africano in Hispania iuuēre. Deinde Scipione ægrotante, seditionem agitauēre, in Romanósque insurgere cœperunt. Quos cùm Scipio morbo liberatus comprehendisset, veteris officij memor, tantùm castigatos verbis dimisit. Liuius 29.

Servivs Galba summæ perfidiæ, trium Lusitaniç ciuitatum conuocato populo, tanquam de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, electa & armis exuta, partim trucidauit, partim vēdidit. Quo facinore maximam cladem Barbarorum magnitudine criminis antecessit. Val.lib.9.cap.6.& Volat.lib.16.

Quum in conuiuio Rhymitalces Thracum rex, qui ab Antonio ad Augustum desciuerat, insolentius iactaret sua erga Cæsarem merita, ac sine fine exprobrans belli societatem, molestus esset: Cæsar dissimulata illius petulantia, alteri cuidam regum propinans dixit: Proditionem amo, proditores non laudo: significans, his qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ: licet enim officium quod præstant pro tempore gratum est, ipsi tamen habentur pro malis ac fœdifragis. Plut.in Romanorū Apoph.

Perfidè nimis ac crudeliter egit Emanvel secundus in vrbe Constantinopoli, aduersus Conradum imperatorem, atque alios Christianos, qui per Thraciam aduersus Christi hostes iter habebant. Nam cùm fœdere inito, eis commeatum dare deberet, gypso farinæ immixto, maiorē exercitus partem interemit, vt his qui superfuerant, necesse esset eā expeditionem omittere. Fulg.lib.9.cap.6.& Egnat.lib.9.cap.6.

Petrus natione Gallus, tertius Latinus imperator in vrbe Constantinopoli, cùm Henrico in eo imperio successisset, atque eodem tempore Theodorvs Cominius Græcus, veluti imperator, eam Macedoniæ partem obtineret, cui vulgo Albaniæ nomen est, ambo in colloquium venerunt, atque colloquio fœdus addiderunt, & cùm prior Cominius in Gallicis castris cum Petro, vt palàm inita pax omnibus declararetur, prādisset, postridie ad epulas in castris suis Petrum excepit, vbi eum pro prandio cæpit, atque in carcere occidit. Fulg.lib.9.cap.5.

Pari perfidia Theodebertvs Gallorum rex, in Gothos atque Iustinianum Augustum vsus est, cum vtrisque fœdere coniunctus, dum inter Vitigim atque Belisarium, Iustiniani in Italica expeditione ducem de Italiæ regno decertaretur. Nam cùm in Italiam cum centum pugnatorum milibus ab initio tanquam amicum venisse se ostendisset, posteaquam copias Padum traiecit, apud vrbem Papiam, in Gothorum castra impetu facto, ea deleuit. Cuius rei cùm nullam adhuc haberet noticiam, Martinus illic propinquus, qui imperatoriis copiis præfectus erat, Belisario per id tempus vrbem Auximum obsidente, vltrò Gothis occurrens, vt repentinæ eorum fugæ causam cognosceret, in Gallos victores incidit, à quib. prælio superatus est. Galli autem tam fœlici successu, quem perfidia assecuti erant, insolentiores facti, cùm commeatibus abuterētur, neque in posterum prospicerent, ad tantam rerum inopiam atque necessitatem redacti sunt, vt carne atque aqua tantùm vitam ducere coacti, fluente stomacho vulgo omnes in morbos difficillimarum curationum inciderint: quibus magna eorum parte in Italia morte capta, qui superfuerunt, prædæ inanes, atque dedecoris pleni, perpusillo numero in Galliam redierunt. Fulg lib.9.cap.6.

Quo nomine id nūcupare poterimus, quòd Carolvs Septimus Del-

phinus,aduersus Ioannem Burgundiæ ducem egit? quo tempore Carolus Sextus,ob ægritudinem à recto sensu aberrauit,& de regni administratione orta contentione,idem Burgundiæ dux,per noctem in Parisiorum vrbe, Aurelianensem ducem interimi curauit? Nam cùm ob eam rem magni motus in regno orti essent,etsi postea Burgundus dux,atque Delphinus affinitate se deuinxerunt,inducta iniuriarum obliuione, quã iureiurando supra Christianam hostiam confirmarunt: tamen cùm in colloquium ad vrbem Monsteriolum conuenissent, in ponte ipso fluuij Ionæ, Carolus Burgundiæ ducem occidi iussit, atque sine vllo honore tumulauit. Fulgos.lib.9.cap.6.

Cùm Vortigerius per fraudem Constantium interemisset, quem abiecto monachali habitu,Britanniæ regem constituerat,veritus Constantij fratres,Aurelium,Ambrosium,atque Vterpendragonem,qui in Galliç partem,Britanniam Armoricam nuncupatam,profugerant: O R S V M ac E N G I S T V M fratres,Saxones,Anglos,& Ambrones, Christum nõdum

agnoscentes,vt opem ferrent in Britanniam acciuit. Cæterùm cum in ea insula Saxones insolenter nimis agerent, Vortigerius à Vortimere filio, ac populis Britãnicis,vnà cum Saxonibus eiectus fuit. Sed post Vortimeris filij mortem restitutus Vortigerius, denuò eosdem Saxones ad se vocauit.Qui cùm maiore quàm antea numero venissent,ac vererentur Britannici populi tantam Saxonum multitudinem, vltrò citróque data fide, in colloquium ventum est. In quo Vortigerius à Saxonibus Anglis captus fuit,atque vniuersa Britannica nobilitas occisa. Demùm autem ipse dimissus,eam Britanniæ partem Saxonibus habitandam, quam ipsi voluerunt,concessit:atque ab eo tempore non Britãniæ amplius,sed à proprio Saxonum nomine Angliæ nomen,& populi Angli, cognomentum habuerunt.Cæterùm quanquam ex ea insula Angli postea pellerentur, tamen in eam Chadoualdæ temporibus, ingentibus copiis reuersi, illic sedes ac regnum Gregorij pontificis tempestate stabiliuerunt. Fulgos. lib.9.cap.6.

PERFIDIA ERGA DISCIPVLOS.

Consule tit.Mali præceptores in Theoricis, Mechanicis, Ethicis.

L V D I L I T E R A R V M magister,(cùm Furius Camillus Phaliscos obsideret)posteaquam principum filios ad Camillum adduxisset, per quos vrbem obsessam recuperare posset: Camillus iussit hominis vestimenta scindi,& manus post terga vinciri:pueris autem virgas flagelláque dari, vt proditorem verberibus afficientes in vrbem agerent. Historia extat apud Liuium lib.1.Dec.1.Florum libro 1.cap.13.Plut.in vita Camilli,Plin. cap.23 de Viris illust.Sabell.lib.9.Ennead.3.Rhapsodiæ,Volat.li.14.cap.2. Anthrop.Val.Max.lib.6.cap.5.

C O L Æ Montani odium aduersus Galeacium Sfortiam discipulum, vide sub tit.Odij discip.erga præcep.

PERFIDIA ERGA PRÆCEPTORES.

Ad ingratitudinem perfidia ista referenda est:nisi quòd hìc fidei læsæ simpliciter ratio habetur,illic verò respectu præcedentis meriti.

I V D A S Ischariotes,quem magistrum & regem sibi delegit, quẽ eundem è cœlo esse miraculorum magnitudine scire potuit & debuit,à quo Apostolatu insignitus cœlo admouebatur, modica pecuniarum iactura, quæ in mystica vnctione sacri corporis fuit adeunda, vilissimo vendidit precio:quin seipsum potius homo infeliciter natus vendidit, vel verius perdidit,prius consilio,mox pręcipiti desperatione,vt qui omnẽ Israelis progeniem sedens iudicaturus fuit, sit perfidia & impietate iudicatus. Sab.lib.7.cap 2.ex Matth.26.Marci 14.Lucæ 22.Ioan.18.

H E R C V L E S puer adhuc in Musica præceptorem habuit Linũ.à quo cùm reprehenderetur, quòd Musicum instrumentum imperitius quàm conueniret tangeret:accensus ira, plectro Linum præceptorem fidissimum percussum interfecit.Ælianus lib.3.de Varia historia.

Primum dissidium Aristotelis aduersus Platonem ex his ferunt initiũ cæpisse.Non probabat eius vitam Plato,neque corporis habitum & ornatum.Nam Aristoteles vestibus & calceamentis magnificis vtebatur, & contra Platonis morem crines abradebat, annulísque ferendis se exornabat,vultu cauillationem & irrisionem quandam præ se ferebat:& intẽpestiua loquacitas in sermone, ingenium eius morésque redarguebat. Quæ cùm videret Plato,non admittebat hominem: sed ei proponebat Xenocratem,Speusippum,Amyclam, & alios, quos tum aliis honoribus prosequebatur, tum disputationum suarum participes esse patiebatur. Cùm verò quodam tempore Xenocrates in patriam iter suscepisset, Aristoteles cum suorum discipulorum caterua,inter quos erat Mnason Phocẽsis,& alij,Platonem impugnabat de industria.Laborabat tunc ex morbo Speusippus:quamobrem Platoni adesse non poterat. Plato octuagesimum annum agebat, ita vt iam propter ætatem destitueretur memoriæ viribus.Intendens igitur in eum ex insidiis Aristoteles, magnáque cum ambitione quæstiones nectens,ac sophisticè eum redarguens, iniurium simul & ingratum sese præbebat. Proinde desistens exteriore deambulatione,domi cum familiaribus priuatim ibat.Exactis tribus mensibus,Xenocrates à peregrinatione reuersus,inuenit Aristotelem deambulãtẽ,& docentẽ,vbi reliquerat abiens Platonẽ. Videns autem eũ cũ familiaribus suis nõ ad Platonem cõmeare ex Peripato,sed aliò in ciuitatem seorsim ex auditorio vestigia ferre,interrogabat quendam in Peripato, vbinam esset Plato?existimans eum decumbere.At ille respondit: Non malè habet,sed Aristoteles ei molestiam facessens effecit,vt è Peripato discesserit,& in horto domi philosophiam tractet.His auditis, Xenocrates repẽtè se ad Platonem contulit, & offendit eum disserentem cum his qui simul aderant.Erant autem frequentissimi, & summæ existimationis viri, & adolescentes aliqui illustrissimæ famæ.Qui cùm loquendi finem fecisset,perhumaniter pro more solito Xenocratem salutauit, rursúmque illum similiter Xenocrates. Deinde conuersatione dimissa, Xenocrates nullum verbum hac de re cum Platone locutus, collectis suis commilitonibus vehementer obiurgauit Speusippum,quòd Aristoteli cessisset ex Peripato, & ipse quàm potuit instructissimis viribus contra Aristotelem pugnauit:eóque contentionis progressus est,vt eum eiiceret, & in consuetum locum Platonem restitueret.Ælian de Var.hist.

L Y S I A S, siue E V A T H L V S, perfidus erga præceptorem, Consule tit.Perfidiæ in locatione.

P H I L O L O G V S,cùm fideliter & summa cura à Cicerone omnis eloquentiæ parente institutus esset,præceptorem tamen summis in periculis versantem,& in loco secreto latitãtem hostibus prodidit. Vnde captus Cicero,amputata manu dextra,neci traditus est.Plut.in vita Ciceronis.

N E R O quàm impius in Senecam præceptorem suum fuerit, petes ex eius vita,incerto autore descripta.

Ioannes Scotus,qui scholam Parisiensem anno Mccc.magnopere illustrauit,stylis graphicis discipulorum suorum confossus, obiuit mortem. Volat.lib.21.Anthrop.

G A L E A C I V S Sfortia dux Mediolanensis, cùm à Cola Montano pædagogo sæpe virgis esset cæsus, postquam ad principatum euectus fuit,seuero præceptori acceptas olim plagas nudatis clunibus loro palàm rependi iussit.Ea iniuria accensus Montanus, Hier. Olgiatum gloriæ immortalis præmio proposito,ad tyrãni cædem inflammauit.Iouius in vita Galeacij.

FILII INOBEDIENTES.

Consule tit. Pœna inobedientiæ liberorum.

FILII PARRICIDÆ, QVI PARENTES INTERFECERVNT.

Consule tit. Pœna parricidij.

O Z I A S Amos prophetam patrem suum vecte per tempora transfixit, quòd contra Mandatum Hieroboam regis verbum Domini prædicaret.

Manasses rex Iuda,feritatis insigne spectaculũ,auum suum maternum Isaiam,lignea serra,quo magis affligeretur,secari pręcepit.Hieronymus, Thomas,& Nicolaus de Lyra:& Fulg.lib.9.cap.2.

S E L E N S A R V S atque Adramelech fratres,patrem Senacherib, Assyriorum regem,In templo Misrach siue Iouis orantem, cùm ab expeditione aduersus Ezechiam suscepta reuersus esset, interemerunt.Fulg.lib.9.c.11. ex.4.Reg.11.

A P T E R A S patri testes eruit,& filios occidit:autor Annius in Berosum.

C A L L I R H O E Lyci regis filia,Diomedis amore capta, patrem, qui hospites Marti immolare cõsueuerat,Diomedi, vt periculum omne euitaret,prodidit.Testis huius rei est Iubas rerum Africanarũ lib. 3. & Plut. cap.26.Parall.

B Y S A L T I A regis filia,Calphurnij Crassi amore capta,qui in expeditionem Reguli socius in Massylos profectus erat,patrem amatori prodidit,ne immolandus Saturno destinaretur.Historiæ testis est Hesionax li. 3 rerum Libycarum,& Plut.cap.37.Parall.

Euander Pallantis Arcadum regis nepos, suasu Nicostratę matris occidit patrem suum.Tortellius.

L E V C I P P V S patricida ex incestu sororis. Parthenius in Eroticis ca.5. Vide tit.de incestu.

Ouidius lib.5.Metam.ait A G Y R T E M fuisse quendam,qui patrem interfecerit:

—Regísque Thoactes
Armiger,& cæsò genitore infamis Agyrtes,

T L E S I M A C H V S,Pisistratum patrem,Orchomeniorum regem, iuuante Senatu,occidit,ac corpus eius in frusta discerptum, sub veste tectum abstulit:dicens,In cœlum à diis raptum esse: quemadmodum de Romulo Romani dixerunt. Fulg.lib.9.cap.11.

Eucratides,qui Bactris imperium tenuit,dum post fugatum Demetriũ Indósque subactos Bactras peteret,à F I L I O impuro & flagitioso,quem socium regni asciuerat,ex insidiis trucidatus est.Cæde patris non contentus filius impiissimus,per defuncti corpus currum egit,& insepultum abiecit.Alex.ab Alex.lib.2.cap.6.& Fulg.lib.9.cap.11.

A N T I P A T E R Cassandri Macedonum regis filius, matri Thessalonicæ Aridei filiæ succẽsens,quòd in regni diuisione mortuo Cassandro, ad minorem natu filium Alexandrum visa esset inclinare. Quanquam ergo effusis lachrymis ipsa eum oraret,& aperto pectore vbera ostenderet,quibus eum aluerat:in memoriam ei reuocans, à se genitum esse ipsum,atque enutritum,ita vt ad commiserationem omnes moueret(heu nimium sæua impietas)ipse tygride truculẽtior,nullis emissis lachrymis, nullo ne suspirio quidem edito,surda aure maternas preces præteriens, eam interfici iussit.Fulg.lib.9.cap.11.ex Iustini lib.16.

N I C O M E D E S Prusiam patrem, Bithyniæ regem,dominandi libidine vita spoliauit.

A L E X A N D E R Ægypti rex, Cleopatram matrem interficit.Vide tit. Impietatis parentum erga liberos.

D I O N Y S I V S tyrannus,matrem per venenum necauit.Ælian.lib.13. de Varia histor.

Ptolemæus Euergetes à P T O L E M Æ O filio interfectus est, qui propterea (inquit Iustinus) Philopator, id est, patris interfector vocari cœpit.

P T O L E M Æ V S filius Epiphanis, matrem Cleopatram dedit morti. Vnde & Philometor eadem ratione dictus est,qua præcedens Philopator.Alex.lib.1.cap.2.

A T T A L V S,Philometor ex scelere, per antiphrasin cognominatus est,quòd matrem interfecerit.Liuius lib.58.

P H R A A T E S Orodis Parthorum regis filius,parentem (qui Pacorũ filium,quem in bello contra Ventidium amiserat,lugens, præ dolore in furorem versus,filij conatibus obsistere non poterat)cum triginta filiis, quãquam ab ipso regni successor designatus esset,occidit:grauiter paucitemporis moram,in vicino iam morti patre,ferens.Quamobrem cùm is inuisum se omnibus animaduerteret, ne quenquam regiæ stirpis viuere pateretur,filium suum iam grandiusculum interemit: præ nimia suspicione atque cupiditate in seipsum id molitus,quod ne maius quidẽ aliud ab hoste in eum statui poterat,scelus atque crudelitas amentem eũ atque vesanum fecerat.Fulg.lib.9.cap.11.

A R I S T O B O L V S Iudæorum non solùm rex,verumetiam Pontifex, matrem cum tribus filiis,qui ipsi fratres erant in carcere, propter falsas regni suspiciones,interfici iussit.Fulg.lib.9.cap.11.

L. O S T I V S(cùm nemo sexcentis post annis Romæ tale facinus perpetrasset,post Hannibalis bellum)fertur primus patrem occidisse. Plut. in Romulo:& Alex.ab Alex.lib.3.cap.5.

N E R O,quum Agrippina matre facta sua exquirente acerbius, & corrigente grauaretur,eam variis modis tẽtauit perdere,primò veneno: sed quum sentiret eam antidotis præmunitam,solutilem nauem (cuius vel naufragio,vel cameræ ruina periret)commentus est:simulatáque amicitia,Baias euocauit.Quam nando euasisse vt comperit,inops consilij eam interfici iussit,quam prius stupro contaminauerat. Mortuæ corpus spectare voluit: spectauítque adeò lachrymarum expers, tantáque animi quiete,vt spectando voluptatis gratia biberet.Non minus quoque idem in patriam,quæ alia parens est,sceleratus fuit, in qua à septem partibus succẽso igne,ab eminẽte loco incendium spectauit,decantatis de Troiæ incendio scriptis ab Homero carminibus.In hæc duo,quæ primaria sũt, quibus mortales naturæ iure affici magis debeant,cum tam sæuus atque immanis fuerit,quid aliud est,quod vltrà de ipsius immanitate homines expectare possint?Fulg.lib.9.cap.11.

A N T O N I N V S Seueri Romanorum imperatoris filius,parentem palàm sua manu occidere est conatus.Nam cùm fortè equitaret vnà cũ patre,reliquóque exercitu,equo refrenato magno silentio percommodè gladium distrinxit,vt tergum patris percuteret.Quod vbi animaduerterunt ij qui simul equitabant,exclamauerunt protinus.Quorum clamore percitus filius,à parentis nece abstinuit.Dion Nicæus & Xiphilinus in Seuero.

H E R A C L I V S Imp.Phocam patrem multis prius contumeliis affectum,postremò interfecit,dominandi(vt credibile est)libidine. Volaterranus.

Cùm Cosdroa Persarum rex,graue bellum cum Heraclio Imperatore gereret,Siroes filius ei regnum vitámque ademit,quòd Medrosem natum minorem filium hæredem instituere vellet, quemadmodum ante Cosdroa Hormisdæ patri fecerat.Persæpè enim diuinitùs fieri videtur, vt quæ homines in parentes suos egerunt,eadem à liberis suis patiãtur. Fulg.lib.9.cap.11.

M I C H A E L Nicephori Imperatoris filius, conspiratione facta cum Alexio paterni exercitus duce,vt cum exercitu aduersus Robertum Guiscardum missus,à Nicephoro rebellaret,& ambo imperij honorem inuaderent,quod scelerata pactione pepigerãt assecuti, aduersus Guiscardum profecti,ambo ad Dyrrachiũ prælio superati sunt. In quo Michael filius interremptus,breui malè partum amisit imperium,dum maluit per scelus proditoris comes esse,quàm patris expectata morte, vnicus esse successor.Fulg.lib.9.cap.11.

A L B A N V S parricida,postea in diuorum numerum relatus. Vide tit. Pœnitentiæ religiosæ.

I V L I A N V S vtrunque parentem in lecto confodit,ex errore. Vide tit. Pœnitentiæ religiosæ.

S I M E N E S patrem Alardum,Dacarum regem,regno expulit, ac demùm occidit,Otthone primo imperante.Fulg.lib.9.cap.11.

Etsi ferro abstinuit,aliis tamen modis patrem Henricum tertium Imperatorem,scelestus filius H E N R I C V S quartus perdidit.Nam non cõtentus captum coegisse,vt imperio cederet:posteaquã pater manus eius effugit,armis Leodij inclusum adeò pressit,vt præ dolore,cùm alia spes adempta esset,perierit.Fulg.lib.9.cap.11.& Egnat.eodem.

Recentiores omnes scelere superauit M A N F R E D V S, qui Friderici secundi naturalis tantùm filius, & ab eo Tarentini principatus honore decoratus(quemadmodum à nonnullis traditum est) puluino senem ægrum,& patrem oppressit,dum Panormum proficisceretur,& 32 ãnis imperasset,vt Neapolitanum regnum,sicuti fecit,occuparet. Fulg.li.9.c.11.

L V D O V I C V S Bauarus,cùm ducem Ludouicum patrem suum obsideret,ei mortem,quæ ætatis cursu haud longè aberat,arcta obsidione premendo magis accelerauit.Fulg.lib.9.cap.11.& Egnat.lib.9.cap.11.

I A T V S Scotiæ regis filius,patrem,qui eodem erat nomine, regnãdi cupiditate oppugnare cæpit:cúmque à patre cum multis aliis defecisset, magno edito prælio,pater in eo interfectus est.Fulg.lib.9.cap.11.

Sceleratus atque immanis A C T I V S tertius Estensis, cui vt paternas opes ac principatum occuparet, Opizum secundum, patrem in lecto iacentem,oppressit:deinde fratres pepulit,vt filio Flisco,qui naturalis tantùm erat,principatum relinqueret.Ibidem.

I O A N N E S M A R I A,Ioannis Galeatij filius,dux Mediolani, Catharinam matrem,facta sua acerbius obiurgantem,in turri conclusit, & ibidem emori fecit.Volat.

Non minus in matrem Catharinam impius, I O A N N E S vicecomes Mediolanensis dux fuit.Nam cùm vita functo parente eius, ipse tenera adhuc ætate,à vidua matre regeretur,aliquantisper ætas adoleuit,in carcerem eam in Moguntiaca arce coniecit,atque illic præ mœrore eam ad mortem compulit.Fulg.lib.9.cap.11.

G V I L L E R M V S Iacobini Carrariensis filius,patrem occidit,quòd ab eo spurius fuisset appellatus.

FILII PRODITORES PARENTVM.

N I S V S rex Megarensium, à filia Scilla ob amorem Minois proditus, capillo illius purpureo detonso,à Minoe occisus,& Athenis iuxta Lyceũ sepultus.Pausan.lib.1.

N A N I S filia Crœsi,Sardos Cyro prodere conatur,illius sperans nuptias.Parthenius in Eroticis,cap.22.

P O L Y D I C E Pterelam patrem Thebarum regem, Creonti prodidit, & occidi fecit.

Diomedem Troia diruta,vẽtis in Libyam pulsum,quum Lycus rex immolare vellet,C A L L V C E puella patrem Lycum prodidit, vt Diomedẽ (cuius forma conflagrabat)eximeret à morte.Plut.

P H A R N A C E S,cùm patrem Mithridatem Ponti regem magnis cladibus videret eò à Romanis deductum,vt vltrà parum resistere posset: nequaquam misericordia motus est,vt debebat, præsertim cùm in patrem conspirasse deprehensus atque ob id captus, impunitatem sceleris obtinuisset.Sed cùm pater de traiiciendo in Italiam ageret,& ob id exercitus eius animo perturbatus esset,seditiosorum quorundam opera adiutus,à patre rebellauit:petitóque à militibus paterno capite,in eam desperationem ipsum coniecit,vt veritus, ne à filio Romanis dederetur, veluti minus calamitosam rem,sibijpsi consciscendæ mortis casum deligeret.Fulg.lib.9.cap.11.& Val.lib.9.cap.11.

L.Tullius Annalis,cùm in campum ad quæstoria comitia filij descendens proscriptum se cognosceret,ad clientem suum confugit.Sed ne fide eius tutus esse posset,scelere nefarij I V V E N I S effectum est:siquidem per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidẽdum eum in cõspectu suo obiecit.Bis parricida:consilio prius,iterum spectaculo.Ibidem.

C.T V R A N I V S triumuirum partes secutus,proscripti patris sui Prætorij & ornati viri latebras,ætatem notásque corporis, quibus agnosci posset,centurionibus edidit,qui eum persecuti sunt.Senex de filij magis vita & incrementis,quàm de reliquo spiritu suo sollicitus, an incolumis esset,& imperatoribus satisfaceret,interrogare eos cœpit.E quibus vnus Ab illo(inquit)quem tantopere diligis, demõstratus,nostro ministerio, filij indicio occidêris.protinúsque pectus eius gladio traiecit.Collapsus itaque est infelix,autore cædis,quàm ipsa cæde miserior.Val.libro nono cap.11.

FILII PERFIDI ERGA PARENTES, QVACVNQVE

alia ratione.

Immane scelus DARII, fratrúmque in patrem Artaxerxem Persarum regem, fuit. Nam quanquam eis viuens Artaxerxes regno cessisset, quia Dario postea Aspasiam concubinam negarat, & ne eam daret, religioni eam dicarat: adeò eam rem Darius permolestè tulit, vt occidere eum statueret. Ex magno autem naturalium fratrum numero, quinquaginta in sententiam suam, ad patrandam paternam cædem, traxit. Cęterùm quanquam, qui in ea conspiratione deprehensi fuerant, omnes occiderētur: tamen quod re fortuna eos patrare prohibuit, animo impij filij peregerunt. O inauditum scelus facinúsque. Nam si monstri simile ducitur, vt vnus in patrem conspiret, atque ei vim inferat: quid de quinquaginta, qui tam impium scelus tentarunt, dicere poterimus? Fulg.lib.9.cap.11.

ALEXANDER Macedo, tot regum & nationum victor, dum è deorum vult se natum semine, matrem Olympiadem vt impudicam accusat: Philippi patris, veluti abiecti homuncionis pudet, & Iouem libidine captum de nitidissimo cœli loco in immundissimas terrarum sordes trahit. Port. cap.12.lib.1.de Obedientia.

BABYLONII, cùm à Dario rege defecissent, vt obsidionem eo facilius tolerarent, matres omnes expulerunt: è domesticis mulieribus elegit sibi quisque vnam quam voluit, ad panem faciendum: cæteras omnes in vnum contractas strangularunt. Herod.lib.3.

ANTIPATER fraudis plenus, Herodis Iudæorum regis filius, cùm falsis criminibus patrem impulisset, vt liberorum duos occideret, postremò in in ipsum quoque patrem, vt eum perderet, conspirauit. Sed deprehenso scelere, vt dignus erat, pater interemptus fuit. Fulg.lib.9.cap.11.

Quidam accusatus quòd patrem pulsasset, hoc modo defendit impiū facinus: Et ille, inquit, patrem suum verberauit: & hic (ostenso filio) me verberabit, posteaquam adoleuerit: adeò nobis hoc gentilicium est. Videmus hoc ferè vulgò euenire, vt qualis quisque fuerit in parentes, talis experiatur in se liberos. Arist.lib.5.Ethicorum.

Quidam, quum à filio pertraheretur, ventúmque esset ad domus limē: Desine (inquit) fili, nam & ego patrem hucusque. Agnouit, se commeruisse, qui sic à filio tractaretur: tantum postulauit, vt esset æqua retaliatio. Ibidem.

Tarquinius Superbus Seruium Tullium sextum Romanorum regem, vt regno succederet, morti dedit, cuius filiam, nomine TVLLIAM, in vxorem prius duxerat. Scelerata mulier eadem regnandi libidine, qua maritus pruriens, vbi intellexit patrem interfectum, vehiculo se propere ferri iussit, vt interfectori gratularetur. Quum autem inter eundū, comperto cadauere, equi & auriga constitissent, erubescerēntque mortuum conculcare, mulier nefaria currum super faciem mortui parētis duci iussit. Ouid.lib.6.Fastorum.

Filia carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feróxque vias.
Corpus vt aspexit, lachrymis auriga profusis,
Restitit, hunc tali corripit illa sono:
Vadis, an expectas precium pietatis amarum?
Duc, inquam, inuitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Vicus & æterna res ea pressa nota est.

Val.lib.9.cap.11.& Sab.lib.3.cap.10.

MACHARIDES Mithridatis Ponti regis filius, cùm à parente omnia quæ communiter à parentibus liberi solent, beneficia accepisset, & insuper Bosphori regno ab eodem honestatus esset, bello quod Romani aduersus Mithridatem gesserunt, non modò patri auxilio non fuit: sed omnibus in reb. vt hostem prosecutus est. Verùm cùm postea Mithridates Macharidem vlcisci coactus esset, manu sibiipsi illata Macharides ingratitudinem, qua in patrem peccarat, vltus est. Fulg.lib.5. cap.3.

Sariaster aduersus patrem suum Tigranem Armeniæ regem, ita cum amicis consensit, vt omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum inuicem sorberent, pro salute parentis tam cruenta conspiratione fœdus facientem. Val.Max.lib 9.cap.11.

TIBERIVS Cæsar Liuiam matrem post Augusti mortem semper depressit, quanquam præterea quæ communi naturæ iure matribus à filiis debētur, ipse illi⁹ innumera sustineret officia. Liuię enim gratia Augustus Tiberiū adoptarat, & eiusdē opera ad imperiū Tiberius conscenderat. Toto triennio quo viuente matre abfuit ab vrbe Roma, & moram traxit in secessū Caprearum, semel omnino matrem, nec amplius quā vno die paucissimis vidit horis. Mortuam demum quum intellexit, non prius accessit ad exequias, quàm corrupto & tabido corpore. Funeratam prohibuit consecrari, & honores ei à Senatu decretos aperte sustulit: eiúsque testamentum pro irrito habuit atque vnum ex his interfecit, quibus illa moriens funeris sui curam demandauerat. Fulg.lib.9.cap.11.

STEPHANVS & Constantinus imperatores, filij Romani Imperatoris, ægreferentes se iusta patris seueritate à iuuenili leuitate coerceri: dispositis in palatio insidiis, ignorante altero Constantino, Leonis imperatoris filio, patrem de palatij solio deponunt: & tonso ei (vt moris est) capite, ad vicinam insulam, in qua cœnobitæ philosophantur, transmittunt. Sigebertus in Chron.& Fulg.lib.9.cap.11.

Constantinus VI. cum Irene matre imperauit annos decem. Quam tamen libidine regnandi (licet omnia magna & virili prudentia administraret) reiecit. Volat.lib.23. Anthrop.

HENRICVS tertius Imperator Agnetem matrem, fœminam prudētem, ac eius facta minimè probantem, à rerum administratione amouit, ex quo illa relictis omnibus Romam secessit. Ibidem.

SANTIVS IIII. Castulonensium rex, erga Alphonsum decimum Castulonensem regem patrem suum impius fuit. Nam cùm mortuo Ferdinando, qui Alphonsi maior natu filius erat, successionis ius non aliis modò rationibus, verùm populorum quoque consensu, in Ferdinandi filium, & ipsum Alphonsum cognomine de Cerda nuncupatum transiret: Alphonsus senior, quòd Sanctium filium nimis diligeret, à nepote, in eum qui minor natu filius erat, successionem transtulit. Cùm autem postea seniorem ipsum Alphonsum electores, etsi prorsus non concordes, imperatorem creassent, & ipse ob eam rem Auinionem ad Pontificem proficisceretur: satius duxit imperatorio titulo cedere, quàm de eo armis cum aduersariis decertare. Inde postea in Hispaniam reuertens, à Sanctio, cui abiens regnum commendauerat, exclusus est: & regno imperióque simul carens, apud Hispalensem vrbem decessit. Fulg. lib.9.cap.11.

GARSIAS apud patrem Sanctium (qui maior Auarca dictus est) Castulonensem atque Nauarrēsem regem, falsò adulterij Geloriam matrē accusauit, quòd ei commodare equum recusasset, quem vxori magnoperè Sanctius vir commendauerat. Impius profectò, sceleratúsque, qui tam leui de causa eam accusauit, quam tueri debebat. Id quod mulieris ipsius priuignus, ac naturalis tantùm Sanctij filius, Raymirus nomine egit, qui armis eam aduersus omnium accusatorum calumnias defensurum se obtulit. Sed tandem re, vt erat, patefacta, monachi cuiusdam opera, cui Garsias in Christiana confessione vera fassus erat, diremptum est certamen, & regina crimine liberata. Quæ vt in priuignum grata esset, præteritis liberis, moriens Raymirum, Nauarriensis regni, quòd ipsi dotale erat, hæredem fecit. Fulgos.lib.9.cap.11.

Scelestus GARSIAS fuit, cùm patrem Alphonsum tertium regno priuauit, etsi id matris ac fratrum impulsu fecisse videatur. Ibidem.

ALPHONSVS primus rex Lusitaniæ, Tiresiam matrem coniecit in vincula, quòd post mariti mortem secundas tentasset nuptias.

Thrasimundus Pharoaldo patri suo, Spoletanorum duci, caput in modum presbyteri rasit, vt principatum arriperet. Paulus Diaconus.

FRISCVS Actium Ferrariæ principem, patrem suum, in carcerē coniecit, atque ibidem fecit emori, cùm ob inductam nouercam, tum libidine dominandi. Volater.

CAROLVS Ioannis Aragoniæ regis filius, patrem peruersis suis consiliis, & ambitione penè è regno eiecit. Pont.lib.2.cap. 9. de Fortitudine domestica.

LOTHARIVS, Pipinus & Ludouicus, Ludouici Pij Francorum regis filij, nequaquam probitati ac iusticiæ parentis responderunt. Nam impulsu quorundam perditorum, patrem insimulantium, quasi nimio plus indulgeret Bernardo, qui cum Iuditha Augusta rem haberet, impia arma arripuere in Ludouicum patrem iustissimum, ita sæuientes vt ne Gregorij quidem pontificis authoritate adduci potuerint, vt ad bonam mētem redirent. Victum patrem monasterio includunt, ipsi regnum arripiunt. Quę res tantum omnium animos incendit, vt restituto imperio pater rerum omnium iterum potiretur. Qui tandem moriens Lotharium filium, & reliquos fratres æquis inter se portionibus hæredes reliquit. Egnat. lib.5.cap.9. Ritius li.1.de Regib. Francorum: & Cranzius lib.1.cap.27. Metropoleos.

Fuit Carolo Francorum regi, qui propter res domi forisque semper egregiè gestas, Magnus ad nostram vsque ætatem vnus dici meruit, PIPINVS Gibbosus filius, iusto coniugio nequaquam genitus, quem plurimum semper amasse visus est. Is verò immemor paterni in se amoris, adeò rebelles spiritus in patrem gessit, vt quamuis illi veniam pater dedisset, quòd in eum coniurasse primùm deprehēsus pro certo esset, quippe qui patrem se in filium, non regem meminisse vellet, leuitate tamen ingenij in patrem iterum conspirauit. Quod quum resciuisset Carolus, diu animi anceps, dubiúsque quónam modo filium castigaret, eum postremò monasticæ vitæ addixit, memor adhuc paterni in filium potius animi quàm regij. Egnat.lib.5.cap.9.

LVDOVICVS Caroli septimi Gallorum regis filius, bis desciuit à patre. Primò quidem per menses quatuor cuius errori indulgétior pater facilè veniā tribuit. Iterū per quadrienniū, & eò amplius, vt etiā ad Burgūdionū ducem Franciscum infestissimum hostem transfugerit. Quem tamen pater ipse moriens cum aliqua veneni hausti suspicione, testamento hæredem regni reliquit. Tametsi domi minor natu filius superesset, qui fratri meritò anteferri potuerit. Egnat.lib.5.cap.9.

Ludouicus Gallię regis filius, fuit in patrem tam impius, vt de eo in carcerem coniiciendo pater quotidie cogitaret: quem non effugisset, nisi fugam longè adornasset. Pont. lib.2.cap.9.de Fortitud.

Ingens ingratitudo ac scelus PETRI Candiani aduersus patrem Candianum Venetum ducem fuit. Nam cum posthabito maiore natu filio, Candianus Petrum ducatus comitem adoptasset, Petrus paternæ necessitudinis atque huius meriti immemor, proditione parentem depellere eo honore tentauit, vt solus ipse dux remaneret. Propter quam rem à Venetis in exilium pulsus, tamen nunquam destitit bello patrem lacessere, donec senio molestiáque confectus decederet. Fulg.lib.9.cap.11.

Francisci Foscari Venetorum principis, quem sua ætas iure sapientem credidit, flagitiosus filius fœlicitatem infecit: quem sæpius tortū ob parricidij suspicionem, tandem in exilium vt coniiceret coactus est. Pontan. lib.2.cap.9.de Fortitudine domestica.

PAREN-

PARENTES PERFIDI ERGA LIBEROS.

Consule tit. Infantes exposititi. Item sub tit. Testamenta iniusta rescissa, exempla quædam perfidiæ parentum erga liberos inuenies.

PATER Atalantæ crudelis, cùm nullis fœminis se opus habere diceret, filiam exponi curauit. Quæ tamen ab vrsa suscepta & enutrita fuit. Ælian.lib.13. Variæ hist.

CADMVS AGENORIS filius, ad Europam sororem quærendam ea est conditione à patre missus, vt nisi illa reperta, exularet. Diu proinde multúmque terra maríque euagatus, paterni magis imperij quā patriæ memor, in Bœotia exul consedit. Sab.lib.3.cap.1.

Teucer & Aiax à Telamone patre ea lege dicuntur ad Troiam missi, vt ambo aut neuter domum redirent. Nec decennale bellum eorum desiderij plenum, quæ mortalibus charissima esse solent, patris legem antiquare potuit: quin capto Ilio Teucer, qui fratrem amiserat, natale solū exilio vertit, Cyprúmque prætulit patriæ, cuius finibus domestica lege excludebatur. Sab.lib.3.cap.1.

THRACES, liberos in mercatu venundant. Herod.lib.5.

PTOLEMÆVS Ægypti rex, appellatus Philometor, octauus à Ptolemæo Lagi filio, id cognominis per illusionem nactus est. neque enim regum quisquam fuit vnquā ex omnibus, quē maiori odio mater Cleopatra prosecuta fuerit. Hunc enim, maiorem quamuis natu, regem salutari non est passa, & vt in Cyprum viuente patre ablegaretur effecit. Cuius in filiū acerbitatis cùm alias fuisse causas Cleopatræ memorant, tum quòd Alexandrum natu minorem sibi obsequētiorem fore sperabat: ob eámque rem, primum vt eum Ægyptij regem crearent, suadebat. Deinde, cùm repugnante plebe id assequi nequisset, in Cyprum Alexandrum misit, imperatoris quidem nomine: re verò, vt per eum Ptolemæo formidolosior esset ipsa. Postremò ex omni eunuchorum numero, quos amantissimos esse sui putabat, saucios in concionem produxit, Ptolemæū insimulans & insidias sibi fecisse, & eunuchos vulneribus fœdasse. Qua re Alexandrini commoti, non multum abfuit quin Ptolemæum impetu facto opprimerent. Sed cùm ille naui se è periculo eripuisset, haud ita multo pòst è Cypro reuersum Alexandrum, regem appellant. Digna autem facinore pœna Cleopatram consecuta est. Eam enim ALEXANDER filius, quem suis ipsa consiliis ad regnum euexerat, peremit. Quo scelere detecto, cùm ciuium metu aufugisset Alexander, Ptolemæus in Ægyptum rediit: atque iterum regno potitus, Thebanis, quòd ab ipso defecerant, bellum intulit: ac tertio à defectione anno in potestatem suam redactos, tam grauiter mulctauit, vt qui ante Græciæ ditissimas quasque ciuitates, Delphos etiam ipsos, penes quos erat sacrata deo pecunia, & Orchomenios opibus superarant, nullum pristinæ fortunæ vestigium retinuerint. Paus.in Atticis.

Crudelis & scelerata Attilij proscripti mater, in ipsum filium fuit. Nam cùm ad eam profugisset, vt ipsius opera absconderetur, reiectum à se, ad certam immanémque mortem ablegauit. Impia enim mater filio id negauit, quod multi serui amicíque maiore suo periculo heris & amicis præstiterunt Fulgos.lib.9.cap.11.

PARENTES PARRICIDÆ SVORVM LIBERORVM.

Consule tit. Pœna parricidij erga liberos. Item, infantes expositicii.

VLYSSES proprium filium Euryalum interfecit, suasu Penelopes. Vide tit. Hospitalitatis violatæ, sub exemplo Vlyssis. Ex Eroticis Parthenij, capite tertio.

Pelops Tantali filius, ex Hippodamia duos suscepit liberos, Atreum & Thyestem. Ex Danaide puella Chrysippum, patri cæteris chariorem. Quem quum nouerca Hippodamia odio persequeretur, eius cruore manus impias contaminauit. Dositheus apud Plutar.

ARPIAGES filium comedit. Ouid.in Ibin:

Vt puer Arpiagæ, referas exempla Thyestæ,
Inque tui cęsus viscera patris eas.

APTERAS vetustissimus Gręcorum, Saturnus, patrem castrauit, filios interemit, fratribus bella & ferrum intulit. Annius in Berosum.

TANTALVS (qui in Phrygia regnauit) deis hospitio susceptis, Pelopem filium coctum membratim comedendum apposuit, vt eorum diuinitatem experiretur. Seneca in Thyeste:

Exceptus gladio paruulus impio,
Dum currit patrium natus ad osculum,
Immatura focis victima concidit:
Diuisúsque tua est Tantale dextera,
Mensas vt strueres hospitibus.

PROGNE Pandionis filia, ægrè ferens sororem suam Philomelam à Tereo marito fuisse stupratam, Itym filium eidem comedendum apposuit. Ouid.6.Metam.

Tendentémque manus, & iam sua fata videntem,
Et mater mater clamantem, & colla petentem,
Ense ferit Progne, lateri quà pectus adhæret.

ATHAMAS rex Thebarum, furore correptus Learchum & Euryclea liberos pro leonibus occidit. Ouid.lib.4.Metam.

Déque sinu matris ridentem, & parua Learchum
Brachia tendentem rapit, & bis térque per auras
More rotat fundæ, rigidóque infantia ferro
Discutit ora ferox.---

ALTHEA ægrè ferens fratres suos à Meleagro filio interfectos, fatalem combussit stipitem, de quo Parcę prędixerant, Meleagrum nō prius periturum, quàm stipes ipse igni fuisset absumptus. Hoc itaque modo natum emori fecit. Ouid.lib.1.Tristium:

Vtque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, & melior matre fuisse soror.

MEDEA ab Iasone (quam hospitio susceperat, & modum rapiendi velleris docuerat) repudiata, filios ex eo susceptos Dyndimum & Thessandrum interfecit. Vergil. Ecloga 8.

Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus.---

AGAVE, Thebana mulier, Pentheum filium Bacchanalia despicantem, cum cæteris Mænadibus interfecit. lib.3.Metam.

PENELOPES zelotypiam contra Euryalum filium Vlyssis ex Euippe, vide in tit. Hospitalitatis violatæ, sub exemplo Vlyssis. ex Parthenio, capite tertio.

OLYMPIAS Philippi vx. filiæ Eurydicæ, quæ nata erat Philippo ex Illyride quadam vxore, misit cicutam, laqueū & ensem. Illa verò laqueū delegit. Ælian.de Var.hist.lib.13.

CAMBYSES Cyri filius, Persarum rex, filium sagitta occidisse fertur, furore correptus, quo prius fratrem & grauidam sororē dederat morti. Sabellicus.

MITHRIDATES sanguinolentus ac crudelis in omnes fuit. nam matrem, fratrem, & filios tres impuberes, ac totidem filias interfecit. Cælius.

LAODICE regina Cappadociæ cùm viro Ariarthe vnà cum sex liberis infantibus superstes fuisset: verita, ne adulti eam regno filij pellerēt, scelesta mulier, quinque veneno sustulit: contra ipsius sententiam, sexto incolumi seruato: qui postea in regno successit, cū ipsa populari tumultu interiisset. Fulg.lib.9.cap.11.

CLEOPATRA, quæ Antiocho nupsit, filium occidit, quòd non autor ab eo facta esset recepti diadematis: alteri venenum miscuit. Sed exitium, quod alteri parauerat, in eius caput vertit, id à filio bibere coacta. Sab.lib.3.cap.10.

PTOLEMÆVS Physcon, filium suum nomine Memphitem, quem ex Cleopatra eadem sorore & vxore sustulerat, liberalis formæ, optimæ spei puerum, in conspectu suo occidi iussit: pedes eius præcisos, & caput & manus in cistam chlamyde opertos, pro munere natalitio matri misit: perinde quasi ipse cladis, quam illi inferebat, expers: ac non infelicior, quòd in communi orbitate Cleopatram miserabilem, cunctis se inuisum redderet. Adeò cæco furore summa quæque efferuescit crudelitas, cui monumentum ex se ipsa reperit. Nam cùm animaduerteret, quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere petiuit: quóque tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuuentute gymnasium armis & igni circumdedit: omnésque qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necauit. Val.Max.lib.9.cap.2.& Liuius lib.56.

PTOLEMÆVS Auletes regno suo restitutus, (quo ob flagitia fuerat eiectus) Cleopatram filiam & Archelaum eius maritum (quos Ægyptij in regnum asciuerant) occidit. Strabo lib.17.

LYSIMACHVS Macedoniæ rex, cùm natu iam grandior esset, & cū ipse susceptis liberis fortunatus haberetur: tum verò Agathocli filio ex Lysandra liberi geniti essent: Arsinoen tamen Lysandræ sororem sibi matrimonio adiunxit. Eam, cùm timere, sui ne filij, mortuo Lysimacho, in Agathoclis potestate essent, de Agathoclis cæde consilia iniisse ferūt. Sunt qui scriptum reliquerint, Arsinoen Agathoclis amore captam: cúmque ad obsequium adolescens pellici non potuisset, ab ea per insidias de medio sublatum: Lysimachum, vbi tam audax facinus vxorem ausam cognouit, quo nihil tamen vehementius optasset, suprà quàm dici possit gauisum. Eius itaque permissu interēpto Agathocle, Lysandra ad Seleucum profugit. Seleucus è Babylone contra Lysimachum mouens, eum in prælio occidit. Pausan.in Atticis.

Est in Creta oppidum Oaxus, in quo fuit Etearchus rex. Hic amissa vxore, induxit filiæ, nomine Phronimę, nouercam: quę domum ingressa, vt erat, ita re ipsa se nouercam præstitit, cùm lædēdo, atque omne genus iniuriarum excogitando, tum ad extremum impudicitiam impingendo: ídque ita rem habere viro persuasit. Iste ab vxore deceptus, rem de filia nefariam commētus est. Erat in Oaxo negociator quidam Theræus, nomine Themison: hunc in familiaritatem acceptum Etearchus adiurat, vt quam rem oraretur, in ea se ministrum præberet. Vbi hominem iureiurando adegit, adductam ei tradidit filiam suam: iubēs, vt eam abductam in mari demergeret. Themison ancipiti animo inter nefas operis, &

hospitij perfidiam, ita sibi faciendum putauit. Accepta puella mare ingressus, cùm in alto fuit, vt iure iurando Etearchi satisfaceret, reuinctam funibus puellam demisit in pelagus: ea denique retracta, Theram peruenit. Ibi Polymnestus, vir inter Theræos spectatus, in concubinatũ Phronimam accepit: ex qua interiecto tempore natus est ei filius, sono vocis exili, ac balbutienti, cui nomen impositum est Batto, vt Theræi & Cyrenæi aiunt. At alij referunt, eum cùm ex iussu Delphici Apollinis in Africam coloniam Theræorum duxisset, & Cyrenæorũ rex esset factus, Battum fuisse dictum: & prius sic ab oraculo appellatum, quoniam Battus lingua Punica regem significat. Herod. lib. 4.

NVCERIA vxor Hebij, quum Firmum priuignum maligno prosequeretur odio, filios suos ad inferendam ei mortem incendebat. Quod quum illi facere per pietatem abnuerent, dormientem gladio adorta est. Autor Dositheus apud Plutarchum.

CATILINA vesano amore Aureliæ Orestillæ correptus, cùm vnum impedimentum videret, quo minus nuptiis inter se iungerentur, filium suum, quèm & solũ & ætate iam puberem habebat, veneno sustulit: protinúsque ex rogo eius maritalem facem accendit, ac nouæ maritæ orbitatem suam loco muneris erogauit. Eodem deinde animo ciuem, quo patrem, agens, filij pariter manibus, & nefariè attentatæ patriæ pœnas dedit. Val. Max. lib. 9. cap. 1.

HERODES primus Iudæorum rex, falsis suspicionibus criminatos Aristobulum atque Alexandrum filios, crudeliter in carcere enecari iussit: vt ob eam rem nõ immeritò Augustus diceret: Ma'le se Herodis porcum quàm filium esse. Nam propter Iudæorum legem sue non vescebatur: filios autem crudeliter occiderat. Fulgos. lib. 5. cap. 8. & Sab. lib. 3. ca. 3. Macrobius lib. 2.

Scribit beatus Augustinus in libro de Ciuitate Dei, quòd in obsidione Hierosolymorum nobilis quædam matrona, vocitata Maria, proprium filium assauit, quem comedere coacta est præ nimia fame.

DIOSCORVS pater beatæ Barbaræ: filiam multis prius tormentis affectam, ad extremum supplicio capitis affecit, quòd ad idololatriã flecti non posset. Rauis.

LAMISSII Longobardorum regis Mater, septem vno partu edens filios, eos in piscinam quandam proiecit. Quos cùm Agelmundus primus Longobardorum rex post Ibor & Agion, iter faciens hasta reuolueret, Lamissius hastam eius firmiter tenuit. Ab eo igitur nutritus postmodum, & regni hæres factus est. Sigebertus in Chron.

CONSTANTINVS Magnus Crispum filium, cum Licinio sororis suæ marito, incerta causa, morti dedit. Sextus Aurelius prodit, hoc eum fecisse suasu Faustæ coniugis.

LENOGILDVS rex Hispaniæ, filium Hermogildum, quòd à secta parentum abhorreret, ac Childeberti Francorum regis orthodoxi filiam duxisset in vxorem, morte affecit. Volaterranus.

SIGISMVNDVS Burgundiæ rex, qui monasterium Agaunensium construxit, filium suum Sigericum peremit, malo nouercæ consilio. Sigebertus in Chronicis.

Constantinus Heraclij filius, quum annum vnum imperasset, Martinæ nouercæ, quæ filium imperare cupiebat, veneno interfectus est. Bapt. Egnatius.

Eduardus secundus rex Anglorum, venatu rediens, ab Alfrida nouerca venenato poculo interfectus est. Volebat enim scelerata mulier, Eceldredum filium suum septennem imperare. Volaterranus.

FRATRES PARRICIDAE.

Omne scelus & flagitium protinus cum homine ortum videri potest: sed hominis culpa, non naturæ: contemptus numinis, ambitio, liuor & æmulatio, inuidiæ alumni, ipsum terræ Genium recentem & sanctũ continuò fœdauêre: nihil erat adhuc homini, ad quod inuidia liuentes oculos attolleret, nec tamen defuit illi materia committendi in se fratres: vt cùm duo Protoplasto filij essent, Cainum æmulatio armauerit in perniciem Abelis: ortaque est nefaria cædes ex inuidia. Quod scelus non tantùm obfuit penatibus recenti adhuc mundo constitutis, expiabili cæde imbutis, sed omnem posteritatem vsque ad cataclysmum in perniciem traxit. Siquidem intempestiuo vnius exilio, oblita est vita suæ originis, arcanique mysterij expers facta, quoad aquarum inundatio autores culpæ, & qui autoribus accessêre, cum vniuersa terra obruit. Sab. lib. 3. ca. 10. ex Genesi 14.

Gedeonis filius Abimelechus, dira regnandi cupidine septuaginta fratres crudeliter peremit, vno duntaxat Ionatha ex phalange tam numerosa ægrè fuga subtracto, prouidentia (credo) id factum, vt mẽtem tot furiis agitatam vnus etiam viuentis metus sollicitam haberet: vt per noctẽ furiarum faces, interdiu vltricem formidaret fratris dexteram. Sab. lib. 8. cap. 3. & Fulg. lib. 9. cap. 2. ex Iudicum 9.

IORAM rex Iudææ, suasu Athaliæ vxoris, fratres interfecit, nullum sceleris genus omisit, à nullo abstinuit flagitio.

IOANNES Iudæ pontificis filius, quintus Hebræorum pontifex, fratrem Iesum nomine (quem affectatæ dignitatis habebat suspectum) morti dedit.

ARISTOBVLVS rex Iudææ, Antigonum fratrem (quem prius regni cõsortem fecerat) falsò postea insimulatum interfici iussit. Qui dum inter se de regno hostiliter disceptant, regnum & vrbem, in qua nati erãt, perdiderunt: & quod malorum cumulo accessit, augustissimum templũ, quod in vrbe fuit, bello prophanatum est, magnáque ex parte dirutum. Sab. lib. 3. cap. 10.

Orta inter Dardanum & Iasium contentione, DARDANVS superior fratrem peremit. Adeò consortem nescit potestas, adeò rara est inter necessarios charitas, vbi dominandi libido mentes hominum titillat.

MEDEA cum Iasone fugiens, Ægyaleum siue Absyrtum fratrem mẽbratim discerpsit, discerptum per agros passim proiecit, vt Æetem patrẽ se persequentem in colligendis filij ossibus remoraretur.

Osyris cùm in Ægypto iustè regnaret, à TYPHONE fratre impio atque nefario interemptus est. Qui cùm fratrem in viginti partes secasset, cuilibet eorum qui secum tanti sceleris participes fuissent, partem dedit, vt ipsos defensores custodésque regni haberet fidos. Diodorus Sic. lib. 1. cap. 2. de rebus Antiquis.

CRITOLAVS Tegeates sororem interfecit, quòd sibi è victoria redeunti non gratularetur, quum tamen cæteri omnes ei applauderent. Demaratus apud Plutar.

RHESVS Maximi & Ameriæ filius, fratrem Simulum in venatione volens interfecit, ac propterea ei paterna domo interdictum est. Aristides apud Plutarchum.

TROPHONIVS Agamedem fratrem interficit. Vide titu. Oraculorum clarorum de liberis.

CAMBYSES Cyri filius, Persarum rex, cùm in somnis vocem audisset, Smerdem fratrem solio sedere regio: Prexaspem ad eum interimendum misit: & sororem quoque è medio sustulit, quòd mortem fratris impensè lugeret. Mox tamen ipse etiam à seruis nequissimis interficitur. Sab. libro 3. ca. 10. ex Trogo & Herodoto.

CAMBYSES rex Persarum, fratrem Smerdim, somnio inductus, interfici curat. Vide tit. Ambitionis in conseruando imperio.

IDEM Cambyses sororem quoque natu minorem, quæ illum contra Ægyptum vxoris loco comitata fuit, interemit. Causa mortis varia traditur. Nam Græci quidem aiunt, dum Cambyses duos catulos, alterum leonis, alterum canis, cõmittit, hanc interfuisse spectaculo: & cùm à leunculo catulus superaretur, alterum catulum, huius canis fratrem, abrupto loro superuenisse: & cùm duo essent, ita superiores leunculo extitisse. Cambyse igitur capiente voluptatem, soror ei assidens illacrymauit. Ea re animaduersa, Cambyses interrogauit, quid nam lacrymaretur? Respõdit illa, se viso catulo suppetias fratri ferente, ideo flere, quòd subierit memoria Smerdis, cuius sciret neminem fore vltorem. Ob hoc dictum Græci illam à Cambyse fuisse interemptam memorant, Ægypti verò ob id, quòd cum ad mensam discumberetur, mulier lactucam sumpsit: eiúsque decerptis foliis virum Cambysem interrogauit, vtrum discerpta lactuca, an densa pulchrior foret? cùm is respondisset, Densa: Hanc, inquit, lactucam aliquando imitatus es, qui Cyri domum denudasti. Ibi Cambysem indignatione percitum, insiliisse calcibus in prægnãtem, eamq; abortu edito decessisse referunt. Herod. lib. 3.

ALIARCHVS Arcesilaũ, regem Cyrenæorum, Batti F. fratrem suum ægrotantem pharmaco interfecit. Sed eum non multo pòst Eryxo Arcesilai vxor dolo interemit. Herod. lib. 4.

ORODES Phraatis filius, Parthorum rex, Mithridatem secundũ fratrem suum Babyloniæ obsedit: factaque deditione, in conspectu omnium quamuis supplicem interfecit.

OCHVS cognomine Artaxerxes, Ocham sororem, atque eandem socrum, viuam capite defodit: & patruum cum centum & amplius filiis ac nepotibus, vacua area destitutum iaculis cõfixit, nulla iniuria lacessitus, sed quòd in his maximam apud Persas probitatis & fortitudinis laudẽ consistere videbat. Val. li. 9. ca. 2.

ARSINOE Lysimacho Macedoniæ regi connubio iuncta fuit. Orta tamen inter Lysimachum Seleucum Syriæ regem controuersia, cæsus est Lysimachus. Quod cùm extra modum ægreferret Arsinoe, talem ægritudinem spes alia molliebat, nam quod summum mulierum desideriũ est, ex viro duos filios, Lysimachum videlicet & Philippum susceperat, forma & eloquentia ita conspicuos, vt præter originis insignia, omnium Macedonum animos & oculos in se conuerterẽt. Porrò cùm regnum Antigonus inuasisset, Arsinoe in Cassandrã munitissimam vrbem cum prole gemina secessit. Inter hæc Ptolemæus Ceraunus, Arsinoes frater, sumptis aduersus Antigonum armis, illũ Macedonia statim expulit: & sorori primum de victoria congratulatus, se non sibi, sed nepotibus quæsiisse regnum asseruit, & Arsinoes nuptias expetit. Lysimachus decimum & sextum annum, & Philippus tredecim agentes, Ptolemæo cœperunt occurrere. Quos ille ficto vultu amplexatus, in osculis diu fatigauit: verũ vbi portam vrbis cum stipatoribus ingressus est, illicò iubet arcẽ capi, & pueros occidi. Qui cùm in gremium matris confugissent, illa pro viribus sacros tellitum manus, gladiosq; retinens, & sæpius natorum corpora nunc veste regia, nunc corpore toto protegens, eos inter brachia sæuissimè trucidari vidit: & cum proditor iam vrbem occupasset, & festum omne verſum esset in luctum, eiecta est adhuc Arsinoe extra vrbẽ, fratris imperio: demùm ad Samothraciam in exilium fuit deducta, vbi plena calamitatibus, querelis, lachrymis & mœrore continuò vixit, quamdiu potuêre fœminææ vires tam sæuum tolerare dolorem. Ptolemæus autem Ceraunus, cùm post hæc à Gallis obsideretur, primo exercituum concursu non solùm victus est: sed vndique circumuentus, plurimis confossus est vulneribus: eius caput abscissum, paloque fixum, per omnem aciem in victoriæ signum delatum est. Guido Bitur.

DIONYSIVS Leptinem fratrem, cùm in prælio nauali seruare posset, interfici passus est. Ælian. lib. 13. Var. hist.

Anacharsis philosophus, Scytha genere, dum Atheniensium leges apud suos introducere conaretur, vt patriæ consuleret, à Caduido fratre, eius loci rege, per liuorem sagitta confossus est. Laert.

ARDIEVS Pamphyliæ tyrannus, patrem senio confectum, & fratrem natu maiorem interfecit. Plato lib. 10. de Rep.

Tanta in MITHRIDATE rege Ponti fuit feritas, vt matrem, fratrẽ, & sex liberos interfecerit. Cæl. lib. 16. Lectionum antiq.

Conuulsa sunt duo finitima regna, ac grauiter affecta domestico hoc veneno Ptolemæorum regia in Ægypto, & Antiochi successorum in Syria, fœdissimis vtraque domus cædibus tragicísque exemplis ob intestinam discordiam sugillata. Et in his reginarum scelera, quæ sæuitia & omnimonstrorum genere ne viris quidem posthabendæ sint: sed Cleopatra omnium teterrima. Fuit hæc vna ex iis quæ vetustiore memoria in Ægypto reginæ nomen tulerunt. Matrem toro expulit, filias viduas fecit, alterno fratrum matrimonio virilis stirpis liberos vnum in exilium egit, alterum interficere conata est, cui postea suorum scelerum debitas exoluit pœnas. Sab. lib. 3. cap. 10.

Huius filia SELEVCE Cleopatram sororem in Syria occidit, inuitò renitentéque marito: & quod omnium maximè fuit detestabile, quia à simulachro deæ, ad quam confugerat, non poterat regia mulier abstrahi, brachia iussit amputari. Ibidem.

Dupliciter Ptolemæus Philopator Ægypti rex, sceleratum se ostendit. Fratrem enim coniugémque, & vt scelus magis augeret, sororem quoque crudelissimè occidit: cæterùm tanquam id parum esset, vt in scelere patratum nihil omitteret, atque sceleratè agendo eò progrederetur, vt in præcipiti staret (ô scelus immane, horrendúmque) parentes quoque ambos impiè nimis sustulit. Fulg. lib. 9. cap. 11.

PTOLEMÆVS Philadelphus, Argeum fratrem (à quo insidias parari sibi intellexerat) interfecit: & alteri fratri Magæ nomine (qui Cirenis imperabat) bellum intulit. Paus. apud Volater.

ANTIOCHVS Magnus, Seleuci filius, mortuo patre fratrem vita exuit, vt solus regno frueretur. Rauis.

DIONYSIVS homo crudelis & sanguinolentus, non tantùm matrem suam veneno necauit: sed Leptinem etiam fratrem, quem in prælio nauali facilè seruare potuisset, interfici passus est. Ælianus libro 13. de Varia historia.

ROMVLVS, quum ad extruendos vrbis muros, vallum aratro duxisset, vetuissétque, ne quis illud transiliret, Remus in ludibrium fratris ausus est transilire. Quod iniquo ferens animo Romulus, eidem eripuit vitam. Vnde Lucanus:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Ouid. in Ibin:

Vtique Remo muros ausus transire recentes,
Noxia sint capiti rustica tela tuo.

Primus apud Romanos Horatius, ob sororem interfectam, perduellionis reus factus est, dein absolutus. Autor Liuius.

Maxima fuit inter Antoninum Caracallam & Getam fratres, super imperio Romano discordia: tanta quidem (sicuti refert Herodianus Græcus) vt alter alterum veneno nonnunquam intercipere tentauerit: nihil insidiarum intermittebant. Non eos mater Iulia potuit vnquam in gratiam restituere. Ad extremum impatiens Antoninus, atque totius imperij cupiditate motus, ferrum & cædem molitur. Irruens ergo fratris cubiculum, eum nihil tale præstolantem, supra matris pectus obtruncat. Herodianus & Dion.

MAXIMIANVS Diocletiani filius, Artemiam sororem gladio percussit, quòd relicta idololatriæ hæresi, ad fidem se conuertisset.

CONSTANTINVS Imperator Theodosium fratrem suum occidit. Sigebertus in Chron.

SI QVIS Græcorum annales recentiores diligentius euoluerit, in nullo hominum genere frequentiora, aut grauiora ingratitudinis vitia inuenerit, quàm in Constantinopolitanis principibus, qui Constantino principi successere. Videas enim & filios in parentes, & fratres in fratres adeò sæuos impiósque fuisse, vt nihil detestabilius, nihil scelestius cogitanti tibi occurrat. Nemo enim nescit, ab Ysacio Cõstantinopolis imperatore, Alexium fratrem summopere dilectum esse, quem etiam à Turcis captum magno auri pondere redemerit, quem secum in summa gratia semper habuerit. Sed ô nefarium planè hominem, qui mox fratrem deiectum imperij fascibus, excæcari iusserit, sæuissimóque carceri incluserit, donec Venetis, Gallicísq; armis adiutus Alexius puer, Ysacij filius, ipsum Alexium patruum deiecerit, & cæco patri Imperij sceptrum restituerit. Egnat. lib. 5. cap. 3.

Theodericus rex, frater Lotharij, ab ERMENFRIDO rege Thuringorum, ad perimendum fratrem illius Baldericum pactione medietatis regni illius inuitatus, Baldericum regem occidit. Sigeber. in Chron.

ATTILA Hunnorum rex Bledam fratrem occidit, qui Pannoniæ regnum, eo in Galliis absente, occuparat. Quo recuperato, in orbis excidium animum conuertit. Sigebertus in Chron. Alij Budam vocant.

MAHOMETVS fratrem suum gladio confecit, vt solus ipse succederet Amuratho patri in Asiæ & Græciæ imperio. Pontanus libro de Immanitate, cap. 4.

BOLESLAVS Vratislai Bohemorum regis filius, fratrem Vuencéslaũ æquitatis & religionis obseruantissimum, & Abeli iusto persimilem, interfecit, Draomitia matre sceleris conscia. Volat. & Sigebertus.

THEODERICVS Vuisigothorũ rex, vnà cùm Friderico fratre, Thurismundum fratrem decimo imperij anno interfecerũt, quo natu maior regni eo citius hæres esset. Filij fuerũt Theoderici primi regis in Hispania. Sigisbertus, & Ritius lib. 1. Regum Hispanorum.

SIGISBERTVS Clotharij Francorum regis filius, fratrem Chilpericum subito bello oppressit, incautúmque crudelissimè occidit. Ritius li. 1. de Francorum regibus.

Friola Alphonsi Catholici filius, rex Hispaniæ, ab Aurelio fratre interfectus est, quum annos duodecim regnasset. Volater.

FERNANDVS rex Castellæ, Sanctij filius, Carsiam fratrem regem Nauarræ peremit, vt Nauarram ipsam suo adiiceret regno.

MEMPRICVS filius Maddam, rex Britanniæ, Malym fratrem exuit vita, vt eo mortuo principaretur. CVNEDAGIVS quoque non alia ratione fratrem Morganum occidit, quo tempore Roma condita est: vt supputat Volaterranus.

HENRICVS, cognomento Clericus, Anglorum rex, Robertum fratrem hostem habuit, quem in bello captum, oculis primùm euulsis in carcerem detrusit, ac demum pedore & inedia ibidem emori fecit. Volaterranus.

FEVGO Horuendilium Danorum regem, fratrem suum insidiis circumuenit: atque vbi parricidio datus est locus, cruenta manu funestam mentis libidinem satiauit, vt eo mortuo regnaret.

Frotho Danorum rex, tres habuit liberos, Haldanum, Roem & Scatonem. Quibus mortuo patre æqua incessit regnandi cupiditas. Quo factum est, vt Haldanus natu maximus duos iuniores interfecerit, & regnum parricidio susceperit. Saxo Grammat.

BELA rex Pannoniæ, Polonorum copiis instructus, Andream fratrem bello aggressus est: partáque victoria interfecit victum.

PINVS Ordelaphus Foroliuiensis, vt solus regnaret, Franciscum fratrem trucidauit, eius liberis in exilium missis. Volater.

Cansignotus Veronensium princeps moriens, Antonium & Bartholomæum filios reliquit hæredes. Quorum Antonius Bartholomæum fratrem de medio sustulit, quem in principatu cõsortem, aut parem ferre non poterat. Volater.

FRANCISCVS & LVDOVICVS Gonzagæ Vgolinum fratrem, simulata amicitia ad cœnam inuitatum adorti sunt, & interfecerunt: sola ad facinus inuidia moti, quòd Guido Gonzaga pater, Mãtuanorum dux ei soli principatum reliquisset. Volater.

ALPHONSVS Ordonij filius, cognomento Magnus, eo nomine tertius, à morte patris, qui imperium Gothorum suscepit, cùm fratres suos suspectos haberet, ac si necem per insidias sibi molirentur, omnes oculis priuauit. Ritius Neapolitanus lib. 2. Regum Hispaniæ.

PERFIDI ERGA FRATRES, QVACVNQVE ALIA RATIONE.

Consule tit. Incestus. Item, Dominandi libido.

Illud iniustè impiéque credi potest factũ, quòd Filij Iacobi Iosephum fratrem insontem, ac Deo patríque gratum, primò interficere cogitarunt: sed admoniti ab eorum vno, præcipitarunt in profundum puteum, inde exemptum Ismaelitis vendidêre, manifesta cœli prouidentia, vt per eum quem perdiderant, perditi seruarentur. Sab. lib. 4. cap. 5.

ONANIS impietatem erga fratrem Erem, pete ex tit. Pœna obscœnæ libidinis cum vxore propria.

AMMON filius Dauid, vocauerat sororem Thamar, quasi de manu illius cibum sumere deberet, & postea oppressit eam 2. Reg. 13.

ONESILVS Gorgi Salaminiorum regis frater, natu minor, Chersis filius, Siromi nepos, Euelthontis pronepos: hic cum sæpenumero antea Gorgum solicitasset ad rebellandum ab rege Dario, audiens Ionas duce Aristagora Mileti tyranno rebellasse, vehementius vrgere Gorgum institit. In quo quia nihil proficiebat, obseruato tẽpore, cùm Gorgus oppidum egrederetur, vnà cum suis militibus eum portis exclusit. Gorgus oppido exutus, ad Medos transfugit. Eo potitus Onesilus, omnibus Cypriis vt rebellarẽt suadebat: persuasis cæteris, Amathusios rebellare abnuentes obsidione circumdedit. Herod. lib. 5.

Proca rex Albanorum, duos filios habuit, Amulium & Numitorem, quibus regnum alternis annis dimisit regendum. Quum autem prior Amulius regnasset, peracto anno fratri cedere noluit: quinetiam Lausum eius filium interemit: & Iliam eius sororem (ne qua inde manaret proles, quæ facinus vlcisceretur) inter Vestales inclusit. Ouidius libro 4. Fastorum.

M. ÆMYLIVS LEPIDVS triumuir, Paulum Æmylium fratrem suum ante omnes proscripsit, quòd ab eodem prius ipse hostis iudicatus fuerat. Appianus apud Volaterranum libro decimotertio, capite tertio Anthrop.

C. CALIGVLA post Tiberium factus imperator, non tantum auiam suam crudeliter tractauit (quam, eo quòd fuerat aliquando ab ea increpatus, eò deduxit, vt mortem sibi voluntariam afferret) sed sorores proprias stuprauit, atque easdem relegauit in insulas remotissimas. Dion in eius vita.

LVCILLA Commodi Romanorum imperatoris soror, Pompeiano viro suo persuasit, vt Commodo insidias faceret. Quæ tamen mox scelere patefacto, occisa est. Xiphilinus in Commodo.

CONSTANTINVS IIII. Pogonatus, duos fratres adhuc pueros, naribus ablatis dehonestauit, ne ad Imperium quandoque aspirarent. Volater.lib.23. Anthrop.

ALEXIVS Angelus, cùm à Turcis captus ab Isacio fratre magno auri pondere redemptus esset, ingratissimus per dolum eum cæpit, excæcauit, ac in carcerem coniecit. Ibidem.

PERFIDIA ERGA CONSANGVINEOS ET AFFINES.

TYDEVS Oenei filius, Alcatum & Lycothæum nepotes apud Calydonem interfecit, ac demum Argos aufugit.

ACRISIVS Abantis filius, quum ab oraculo accepisset, se eius manu periturum, qui ex Danae filia nasceretur, natũ postea ex ea Perseũ iussit exponi & submergi. Cõpertus tamen in littore Perseus, à piscatore quodam nutritus est. Inde vbi adoleuit, suamq; resciuit originem, Acrisium ipsum interfecit. Volaterranus.

POLYMNESTOR rex Thraciæ, Polydorum Priami soceri sui filium iugulauit. Verg.lib.3. Æneid.

PYGMALION rex Tyri & frater Didonis, quum esset auri cupidissimus. Sichæum sororis suæ maritum, agri inter Phœnicas ditissimũ interfecit, vt mortui diuitias arriperet. Verg.lib.1. Æn.

---ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ.------

MAMERTES Corinthus, filios fratris sui Sisaphonis regnandi libidine interfecit, maximo suo malo. Nam vbi Sisapho factum resciuit, eum membratim discerpsit. Autor Ouidius in Ibin.

DANAVS & Ægyptus fratres, Beli filij, fuerunt Danao quinquaginta filiæ, filij totidem Ægypto erant. Cùm autem accepisset oraculo Danaus, quòd manu nepotis occideretur, nesciretque ex tam ingenti multitudine, cuius suspectas haberet manus: contigit, vt iam pubescentibus vtriusque filiis, peteret Aegyptus, vt Danai filiæ omnes filij suis iungerentur coniugio. Quod Danaus excogitato facinore pessimo cõcessit vltrò: desponsatisq; filiabus nepotibus, cùm nuptiale sacrum pararetur, eas omnes monuit, vt si salutem suam vellent, vnaquæq; virum suum nocte prima, dum vino epulisque madẽtem, somnoque ligatum graui cognosceret, ferro perimeret. Quæ omnes cultris clàm cubiculis suis illatis, crapula oppressos iuuenes, iussu interfecêre parentis. Hypermnestra sola abstinuit: cœperat etenim iam virum suum Linum nomine (vt moris est puellarum) euestigiò diligere: quamobrem illi suasit fugam. Tandẽ Danaus à Lino occisus occubuit, & pro eo Linus regnauit Argis, eductamq; è carcere Hypermnestram regni sociam fecit. Guido Bitur.

PTOLEMÆVS rex Aegypti, quærebat obtinere regnum Alexandi generi sui dolo. Et cùm intrasset ciuitates Alexandri cum magno exercitu, & reciperetur in eis honorificè ex mandato Alexandri, ponebat custodias militum in eis. 1. Mach. 11.

Cruenta prorsus perfidia fuit, qua Ptolemæus Macedonum rex, in Arsinoem reginam, quæ ipsius soror erat, vsus est. Nam cùm eius regnum appeteret, de matrimonio cum ea egit. Quæ quanquam cognitam fratris crudelitatem suspectam haberet, tamen vt filios periculo liberaret, matrimonio assensa est. Itaque cùm misisset, qui fratris fidem iuramento confirmatam acciperent: priusquam ei desponderetur, tandem vtriusque assensu firmato matrimonio, deductus Cassandriam Ptolemæus, eo ipso die quo vrbem iniuit, Lysimachum ac Philippum paruulos in matris Arsinoe gremio confodi iussit, atque eam regno ac filiis simul orbatam, Samothraciam in exilium emisit. Huius exemplo satis homines monẽtur, neque affinitatem, neq; iusiurandum, ad cohibendum proditorem sufficere: neq; feram vllam adeò repente, vt hominem, in speciem suam sæuire: prius enim quàm sæuiant, ferarum voces exaudiri solent. Naufragia quoque anteire tempestates, & ruinas aliquo modo strepitus quispiam præcedit: ante quoque quàm incendia appareant, fumus plerunque præuidetur: sed in contrarium proditionis ratio tendit: blandis enim verbis atq; signis, futura atq; parata damna tegere consueuit. Fulg.lib.9.cap.9.

PTOLEMÆVS Auletes à Romanis regno Ægypti donatus, quo propter flagitia eiectus fuerat, Archelai Cappadociæ regis filium, filiæ suæ Cleopatræ maritum (quem Ægyptij regem sibi delegerant) vnà cum sorore interfecit. Strabo lib.17.

PTOLEMÆI crudelitatem erga socrum suam, pete ex tit. Tolerentia Ethica tormentorum.

AMVLIVS Numitorem fratrem regno expulit, & paruulos nepotes in Tyberim proiiciendos mandauit. Liuius, Plinius cap.1. de Viris illustr. Ouid.lib.3. Fastorum.

Spoliante Campanos Annibale, L. Imbricus filium Ruscium cum magno auri pondere Valerio Bestio genero suo seruandum commisit: quem tamen Valerius auaricia stimulante obtruncauit, vt auro potiretur. Plutarchus.

CATILINA Catulum, sororis suæ maritum, & equitem Romanum, partium nullarum, tantumq; quieti studentem, iussu Sullæ interfecit. Asconius Pedianus.

IVGVRTHA Manastabalis filius nothus, fratres suos Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ patrui sui filios, interfecit, vt solus Numidis imperaret. Sallust.

Tiberius Nero Caligulæ nepotis, imperandi libidine conflagrantis, astu & dolo periit, anno ætatis LXXVIII. Imperij verò XXIII. Egnatius.

DOMITIANVS, autore Tranquillo, Flauium Clementem patruelẽ suũ (cuius filios etiã paruulos successores palàm destinauerat) interfecit.

Sextus Aurelius scribit, Aurelianum Imperatorem sæuum fuisse & sanguinarium, vt qui sororis suæ filium interfecerit.

ARIVS Aper, Numerianum Augustum, cuius præfectus & socer erat, propter oculorum aduersam valetudinẽ lectica vtentem, occultè necari iussit: neque antè detecta fraus ac prodigium fuit, quàm clausa lectica putrescentis cadaueris fœtorem emisit. Sed breuis apud autores necis eorũ voluptas mansit, quam sibi per proditionem parauerat, quia ab aliis ipsi vel occisi vel proditi fuerunt. Fulg.lib.9.cap.6.

RADAMISTVS Pharasmanis Hyberiæ regis filius (quę regio his tẽporibus Georgiana appellatur) ficta cum patre discordia, quòd ei nouercam superinduxerat, ad auunculum Mithridatem, Armeniæ regem profugit. Ab eo benignè exceptus, filiæ quoque matrimonio dignus est factus. Dum ita apud Mithridatem agit, ingratitudine beneficij quod acceperat, fœdare memoriam non contentus, perfidiam atque proditionẽ addidit. Clàm enim Mithridatis populos subornauit, ac fingens se cum patre in gratiam rediisse, ad eum profectus, omnia quæ egerat detexit. Itaq; paratis ingentibus copiis, sub eo prætextu, vt in Albanos arma moueret, in Armeniam aduersus auunculum signa ferri iussit, eumq; ab omnibus suis destitutum, in arce Gorneas obsedit. Sed cùm prorsus omnia, vt designarat, Radamisto non successissent, nouâ proditione primam cumulare adortus est. Nam cùm res cum auunculo componere velle simularet, atque data fide eum ad colloquium traxisset, cum illius gẽtis more amborum pollices colligandi essent: & haustum ex eis sanguinem vtrũq; gustare oportet: is cui vinciendi munus erat iniunctum, fingens ad terrã funes concidisse, illis Mithridatis pedes implicuit, atque ita eum cum vxore ac liberis cępit, & quoniam neq; ferro, neq; veneno eos se læsurũ promiserat, culcitris oppressos, præclusa anima necauit: arbitratus, quòd neq; ferro, neq; veneno eos necasset, perfidię suę crimen latere. Ibidem.

Insigni perfidia Richimeres patricius, aduersus Anthemium imperatorem vsus est. Nam cùm ei Cisalpinę Gallię prefecturam Anthemius dedisset, & vt eum affinitatis quoq; vinculo deuinciret, generum adsciuisset, arma in socerum ac dominum mouit: violataque pace, quam per Epiphanium Papiensem episcopũ iurauerat, vrbem Romam ingressus, eũ cæpit, ac variis cruciatibus affectum occidit. Ibidem.

IO. GALEATIVS dux insubrum, Barnabam socerum suum, quem simulabat se salutare velle, obuiam prodeuntem in itinere per proditionem cæpit, coniecitque in carcerem.

Postrema in parte eorum quos proditio insignes fecit, dignus erat qui cõmemoraretur, Paulus Fulgosus, cardinalis Genuẽsis, patruus meus (inquit Fulgosus) sicuti etiã scelere atq; perfidia grauiora quàm alij admisit, Nã cùm opera mea cardinalatũ accepisset, à quo imperitia atq; vitę turpitudine prohibebatur, quemadmodũ patris quoq; mei ope ad Genuensem archiepiscopatũ cõscẽderat, haud incongruũ erat, vt posteritas intelligeret, eum illũ esse, qui patris mei meisq; stipendiis enutritus, dignitate honestatus, ac parentis loco à me cultus, mihi nepoti, atq; eius honorũ bonorumq; autori, item quo ad seculare imperiũ pertinet, domino, proditione ac scelere in patria principatũ ademit. Quę tamẽ cùm ipse malè administrando, ac nimia illegitimi filij in ciues superbia retinere nõ posset, emendationi tanti sceleris proximum erat, vt quod impiè ademerat, mihi, agnito tandem errore, restitueret. Sed sceleri assueto, in mentẽ nihil venire poterat, quod vel virtutem saperet, vel vitæ emendationẽ aliquam polliceretur. Itaq; ita actum est, vt penes eum, ex principatu, prętet eius mihi per scelus adempti infamiam, nihil remaneret. Ibidem.

CHILDEBERTVS Clodouei primi filius, fratris sui Clodomyri filios, pupillos & clientes suos, ad se venire iussos, interfecit, vt eorum patrimonio potiretur. Rauis.

SIGIBERTVS Clotarij filius, bellum cum Chilperico gessit, in quo Theodebertum eius filium post alia multa crudelitatis exempla interfecit. Gaguinus.

Albertus Imper. dux Austriæ, & filius Rodulphi imperatoris, dum suasu Bonifacij pont. exercitum pararet in Gallos, à Ioanne fratris sui filio interfectus est.

Orcanes rex Turcarum, Celapini filius, à Mose patruo (cuius fidei se pupillum commiserat) interfectus est, & regno spoliatus. Rauis.

EGBERTVS Sicoberti filius, rex Anglorum fratris filios (quos patre mortuo educabat) impuberes occidit. Volaterranus.

DRAOMITIA Bohemorum regina, Ludimillam socrum religionis obseruantissimam interfici iussit. Cuius suasu Boleslaus filius Vuenceslaũ fratrem iam interfecerat. Autor Volaterranus.

VXORES MARITIS INOBEDIENTES, VEL ETIAM IMPERANTES. MARITI *præter decorum vxoribus obedientes.* Γυναικοκρατούμενοι.

Arist. in Politicorũ primo, τὸ ἄρρεν καὶ τὸ θῆλυ natura distincta esse ostendit, vt mas quidem imperet, fœmina verò obediat, colat, veneretur. Quòd si ordo nunc inuertatur, vel vi, vel voluntate, iniustitia naturalis erit. Vt enim Appetitus in homine nihil ferè recti agit, nisi Rationis ductũ sequatur: ita quoque fieri vix potest, vt fœmina, quatenus fœmina καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ (dari enim Heroinas, quis negaret?) aliquid laude dignum præstet, quando eò processerit temeritatis, vt marito contra naturæ legem imperare contenderit: nisi fortè ea sit virorum ignauia, vt à fœminis viros gubernari præstet. Exempla ergo partim eorum qui voluntate fœminis parent, cùm publicè, tum priuatim, partim earum quæ virorum imperium violenter detrectant, non obediunt, debito denique honore non afficiunt, referemus.

IORAM rex Iuda, fecit malum coram Domino, & ambulauit in viis Achab. & subditur causa huius: Filia enim Achab erat vxor eius. 4. Reg. 2. Paral. 21.

Non fuit alter talis sicut ACHAB, vt faceret malum in conspectu Domini. Concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est in tantum vt sequeretur idola. 3. Reg. 21.

Ad illos qui ad cœnam magnam vocati fuerunt, & non iuerunt, Ille qui vxorem duxit, non rogauit se excusatum haberi, sed ait: Non possum venire. Quia status ille hominem vehementer allicit, & sæpe retrahit à diuinis. Luc. 14.

SPARTANÆ mulieres, minimè muliebris animi, viris imperant, domesticisque negociis solæ pręsunt: curáque omnis & procuratio ad ipsas pertinet. Alex. ab Alex. lib.4.cap.8.

GORGO vxor Leonidæ, cùm ab hospite argueretur, quòd solæ Spartanæ viris imperitarent: Haud immeritò, inquit, nam solæ viros parturiunt. Alex. ab Alex. lib.4.cap.8.

ÆGYPTII vt cœlo & flumine, ita omni viuendi ritu à cæteris mortalibus diuersi sunt: in quibus mulieres cauponari, institoriáque obire munia consueuêre: viri intra domorum parietes texere, & muliebriter operati: hi onera capitibus ferre, mulieres humeris: hi sedentes micturire, illæ stantes: fœminæ ad hæc in viis comessari, viri in priuato. Vsqueadeò peruerse omnia gens vna aut instituit, aut ab aliis instituta seruauit. Sab. lib.6.cap.1.

PANDÆ, seu Pandæi, Indorum populi, soliś regnantur fœminis.

In ASSYRIA Lunæ templum apud Carras fuisse, memoriæ proditũ est, in quo qui Lunæ supplicaret, vxoris imperio subigi: qui verò Luno deo sacrum faceret, vxori dominari ferebatur. Quibus etiam mos à Semiramide traditus diu mansit, vt viris vxores dominentur. Alex. ab Alex. lib.4.cap.8.

LYCII mulieres magis quàm viros honoribus afficiunt, & nomina à matribus accipiunt: item hæreditates filiabus, non filiis relinquunt. Stobæus serm.42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

Apud SACAS nupturæ cum sponso certamen prius ineunt. In quo cũ sponsa superior est, per omne vitæ tempus viro imperat: si inferior, sub mariti imperio esse cogitur. Ælian. lib.12 de Var. hist.

SAROMATAS hoc præcipuum habere ferunt, vt viri sub imperio vxoris & famulatu sint. Alexander ab Alexandro libro quarto, capite octauo.

Cato ROMANIS hoc præcipuè exprobrare solebat, eos omnibus gẽtibus armis imperitare, ipsis verò vxores. Alex. ab Alex. lib.4 cap.8.

MESSALINA Claudij Cæsaris vxor, in causa fuit vt multi à Cæsare occiderentur. Illa enim cùm aliquem interfectum cuperet, maritũ perterrefacere solebat, insidiatorem incusans. Harũ autem cædium initium fuit à Caio Appio Syluano, quem Claudius occidi iussit, propterea quòd Messalinam offenderat libidinosam fœminam, cum qua coire noluerat. Xiphilinus in Claudio.

PERFIDIA ERGA MARITOS.

CVM CÆDE.

Consule tit. Pœna Perfidiæ erga maritos. Item tit. Veneficij.

DALIDA Samsonis fortissimi herois vxor, quàm impia in maritum suum fuerit, cuius crines fatales manifestauit, sacræ testantur literæ, Iudicum 16.

ERIPPES perfidiam erga maritum Xanthum, vide sub tit. Hospitalitatis, de Celta quodam. Ex Parthenij Eroticis cap.8.

Redeuntem ab expeditione Agamemnonem, CLYTÆMNESTRA vxor interfecit, auxiliante Ægystho, quo cum stupri consuetudinem habebat.

SEMIRAMIS quum à marito Nino impetrasset, vt diem modò vnum in regio sederet tribunali, obirétque regium munus iuri dicundo, sanciendóque quæ videretur: exploratis satellitum animis, Ninum ipsum apprehendi iussit, & in vincula conijci, ac postremò interimi. autor Cælius.

Danaus Beli filius, quinquaginta habuit Filias, quæ totidem Ægypti filiis nupserunt: factáque simul coniuratione omnes, maritos nocte vna interfecerunt, præter Hypermnestram quæ Lynceo viro pepercit.

CIRCE venefica mulier, Sarmatarum regem (cui nupserat) veneno eidem fertur occidisse, arreptóque regno subditos multum oppressisse. Sabellicus.

Deiphobus insidiis Helenæ (quam post mortem Paridis coniugem duxerat) occisus est, toto corpore inhonestis plagis deformato.

Amphiaraus vates, quum præuidisset se periturum Thebis si eò ad bellum proficisceretur, coniecit se in latebras, & occuluit. Eum tamen prodidit vxor ERYPHILE, spe habendi monilis aurei, quod gerebat Polynices. Itaque vxoris fraude coactus ire Thebas, hiatu terræ absorptus dicitur. Idem.

CANDAVLIS regis Lydorum vxor, cum Gyge satellite contra regem conspirat. Vide tit. Nimium sua bona ostentare.

Alexander Pheræus Thessaliæ tyrannus, quum vxorem Thebem cuidam barbaro nudam plerunque ostendisset, ab eadem factum ægreferẽte, dormiens iugulatus est. Ouid. in Ibin:

Inque tuo thalamo iuguleris more Pheræi,
Qui datus est letho coniugis ense suæ.

Curtius lib.7. ait Barbarum quendam Spitamenem somno & vino sepultum, ab Vxore in castris Alexandri fuisse interfectum.

Veneficij quæstio & moribus & legibus Romanis ignota, complurium Matronarum patefacto scelere orta est, quæ cùm viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, vnius ancillæ iudicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centum septuaginta numerum compleuerunt. Val. lib.2. cap.1.

Zelotypa Fuluij Vxor, in virum proscriptum crudelis atque ingrata fuit. Nam cùm ad eam Fuluius, tanquam ad coniugem, & propterea, vt arbitratur, sui amantem & fidelem (seruam enim liberauerat, & coniugio dignatus erat) vt aliquo modo occultaretur, se recepisset, mutatam animo, atque indignatam, quòd alterius fœminæ captum amore suspicabatur, pro coniuge hostem inuenit. Ab ea enim Triumuiris accusatus, miserandum in modum perijt. Hinc quantæ sint zelotypiæ vires, deprehẽdi potest, cùm tantorum meritorum, quanta hæc à Fuluio, de serua vxor facta, acceperat, extincta recordatione, ad huius ingratitudinis scelus impietatémque progressa est. Fulg. lib.5. cap.3.

LOCVSTA venefica Claudium imperatorem instinctu Agrippinæ, eo quòd Neronem successorem imperij facere nollet, in boleto sustulit veneno, cui nullum remedium adhiberi potuit. Xiphilinus in Claudio.

Vitium Sallassium proscriptum & latentem Vxor interficiendum, quid dicam tradidit? an ipsa iugulauit? Quanto enim leuius est scelus, cui tantummodo manus abest? Val. lib.9. cap.11.

FABIA mulier Fabium Fabricianum interfecit, vt liberius posset lasciuire cum Petronio Valentiniano, liberali forma adolescentulo, quo cum adulterij consuetudinem habebat. Plut. in Paral.

LIVIA Augusti Cæsaris vxor, verita ne Agrippam filium Agrippæ in vrbem reuocaret Augustus, ad imperium ei relinquendum (is enim tum exulabat in quadam insula) ficus pendentes adhuc in arbore, quas Octauius manu sua decerpere consueuerat, illiuit veneno: cúmque ipsa comederet eas quæ illitæ nõ erant, ei venenatas offerebat. Vnde cùm profectus im Campaniam ludos apud Neapolim faceret, Nolæ mortuus est. Dion Nicæus in Augusto.

LIVILLA Drusi (qui Tiberij Cæsaris frater fuit) vxor, posteaquã cum Seiano adulterium commisisset, cum eadem in mariti mortem conspirauit, suámque operam adhibuit, vt maritus veneno interficeretur. Dion Nicæus in Tiberio.

AGRIPPINA Tiberium Claudium principem, maritum suum, veneno sustulit. Plin. lib.32. cap.22.

LVCILLA vxor Veri Antonini imperatoris, ob Fabiæ consuetudinem, maritum veneno interfecisse dicitur. Volaterranus lib. vigesimotertio Anthrop.

LVCILLA Commodi Romanorum imperatoris soror. Pompeiano viro suo infensa, persuasit vt Commodo insidias faceret, cúmque ipsa interfecit: quæ etiam patefacto scelere interfecta est. Xiphilinus in vita Commodi, fol.211.

Scribit Volaterranus, Albinam quandam Syriæ regis filiam duas & triginta habuisse Sorores, quæ totidem maritos interfecerunt: expulsæque propterea à patre venisse in Britanniam, & à nomine Albinæ insulam vocasse Albionem.

Grandulphus (qui in Burgundia pro fide martyrium passus est) dum Vxorem adulterij insimularet, eiusdem opera ab adultero interfectus est. Rauis.

Alboinus rex Longobardorum, à Cosimunda vxore interficitur. Vide tit. Pœna persecutorum religionis.

Galeotus Foroliuij princeps, Ioannis Bentiuoli Filiam duxit in vxorem: à quo dum sperneretur puella, simulata ægritudine, sicarios subornauit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt. Volat.

Andreas filius Caroli Pannoniæ regis, à IOANNA vxore, regina Siciliæ, interfectus est, quòd ignauus & regno inutilis videretur. Volaterranus.

Eduardus Anglorum rex & martyr, VXORIS suæ fraude occisus est.

Chilpericus Clotharij filius, opera FRIDEGVNDIS vxoris, dum venatu rediret, interfectus est.

IOANNA prima Neapolitanorũ regina, Roberti ex Carolo Septimo neptis, Andream Vngarum sobrinum & maritum, cui viuente adhuc

Roberto nupserat,apud Atellam(quæ nunc vrbs Auersa dicitur) suspendio tollendum curauit:ac Ludouico Tarentino principi, Philippi filio, regis Roberti fratri,nupsit.Ritius Neapolitanus libro 3. Regum Siciliæ: & Fulg.lib.9.cap.11.

ELISABELLA Britannorum regina,in Galliam ad Carolum fratrẽ, cognomento Pulchrum,visendum profecta,posteaquàm Eduardum tertium peperit,ortis inter virum ac fratrem discordiis, in Britanniã à viro reuocata,cùm sciret ei dedecora sua non ignota esse, à fratre Britannísque seditiosis adiuta,partim vi,partim dolo virum Eduardum secundum adorta cæpit,atque in carcere iussit occidi:ipsáque sub filij nomine regnum administrauit.Verùm post aliquot annos deprehensa, cũ Rogerio Mortimero adultero,à filio in vinculis posita est.Fulg.lib.9.cap.11.

ELISABELLA Flisca, Lucæ filia, in virum Lucinum Vicecomitem impia fuit,qui rerum Mediolani cum archiepiscopo Ioãne fratre potiebatur,ac Stephani fratris mortui filios in exilium egerat.Nam deprehẽsa cum Vgolino Gonzaga,Ludouici Mantuani principis filio, ne vir pœnas sumeret,nõ ipsum modò virum veneno sustulit: verùm palàm etiam testata est,Lucinum iuniorem,atque Vrsinam, quos ipsa pepererat, non ex viro,sed ex nepote eius Galeatio conceptos esse.Itaque ambobus Papiæ in carcere conditis, Galeatius ac Bernabos, Stephani filij,ab exilio reuocati,in rerum Mediolanensium administratione successerunt. Per hũc enim modum,scelerata mulier,cùm turpis vitæ pœnas dare metueret, virum vlta,filios imperio,& se boni nominis honore priuauit. Fulgos.lib.9 cap.11.

PREFIDIA ERGA VXORES.

CVM CAEDE.

Mirantur multi,Periandrum Corinthium inter eos numeratum, quos Græcia Sapientes appellauit,qui Lysidem vxorẽ(alij Melissam scribunt) in pellicis gratiam interfecerit,sciens volensq; cum Cratea matre cõcubuerit,filium relegarit,& Corcyrensium natos Haliatti castrandos miserit.Herodotus.

C. CALIGVLA,post multa crudelia facinora, Lolliam Paulinã vxorem duxit:cuius virum Memmium Regulum coegit eam sibi despondere,ne eam quæ desponsa non esset,contra ius fásque duceret, eandémq; paulo pòst repudiauit.Xiphilinus Dionis abbreuiator.

M.Cæcilius apud Plinium li.27.accusat Calphurniũ Bestiam,quòd dormientes vxores veneno peremerit.

NERO Romanorum imperator,Octauiam Augustam primò propter Sabinam pellicem repudiauit,postea verò interfecit: cui tamen Burus in ea re obstiterat, prohibueratque quo minus eam repudiaret. Xiphilinus in Nerone.

IDEM quoque in Sabinam Poppeam vxorem crudelissimus fuit,quam prægnantem nulla impellente causa calcis ictu interfecit.Cornelius Tacitus lib.6.

Iustina nobilissima Romana virgo , ætatis suæ puellas forma supergressa,quum locupleti quidem , sed stolido & furenti Viro in matrimonium esset tradita,de excellenti illa specie in suspicionem marito venit: qui candidissimæ vxoris ceruicem conspicatus,inclinantis se ad exuendũ calceum,furore ex zelotypia correptus,teneram puellam & nouam coniugem obtruncauit:de quo facinore est illud Epigramma,ex Lud. Viuis lib.1.de Institu.fœm.Christ.

Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero niuei soluere vincla pedis.
Durus,& ante thorum,quo nuper nupta coiui,
Quo cecidit nostræ virginitatis honos.
Nec culpa meruisse necem,bona numina testor:
Sed iaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo Iustinæ,discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

DACIANVS præses Alexandram vxorem à beato Georgio ad fidẽ conuersam,suspendi fecit,& interfici.

CHILPERICVS Clotharij filius, Glosindam vxorem , Athanagildi Gothorum regis filiam , suasu Fredegundæ pellicis, noctu iugulauit. Volaterranus.

PHILIPPVS dux Mediolanensis, cùm adolescens esset, & propter Ioannis fratris immanitatem,magna paterni imperij parte amissa, pars quæ supererat,magno in discrimine versaretur,omnium egens,Beatricẽ Facini Canis militarium copiarum suarum ducis vxorem , ipsius Facini hortatu,qui paulo pòst decessit,in matrimonium duxit: quia & militum animos,qui ei assueuerant,& pecuniam,qua Facinus abundabat, cũ nuptiis secum trahebat.Eius igitur ope compositis rebus , quia ætas longè dispar erat, neque Philippo coniunx,sed auia superinducta videbatur, vt se graui matrimonio liberaret,Philippus turpitudinis insimulatã, clàm, vt aiunt,iudicio tamen antè facto,interimi iussit. Fulgosus libro quinto capite tertio.

FRIDERICI Celeiæ comitis crudele facinus quis non abominaretur,qui ob amorem concubinæ(cui Veronicę nomen fuit)& quam pater eius in profluentem demergi curauerat, vxorem legitimam ex Croatiæ comitibus natam,misere interfecit:atque deinde inter scorta vitam turpissimam agens,ignominiosè vitam morte cõmutauit? Æneas Sylnius in Europa, capite 21. & libro primo Commentariorum in res gestas Alphonsi regis.

ABSQVE CAEDE: VT REPVDIO *iniusto,*

Consule tit.Perfidiæ in pactis connubialibus.

De perfidia Thesei in Ariadnam,Iasonis in Medeam,Demophoontis in Phyllidem, Æneæ in Didonem,consule poëtas.

M. ANTONIVS triumuir, cùm Fuluiam vxorem inito triumuiratu statim repudiasset,& Octauiam Augusti sororem duxisset: vtramque tamen ob Cleopatram,cuius amore flagrabat,contempsit.Hinc causa belli ciuilis,vt testantur omnes historiæ:& Volaterranus libro 13.capite tertio Anthrop.

Magna Cn.Pompeij erga vxorem Antistiam ingratitudo fuit. Nã cùm Syllano bello,eius pater,quòd Pompeianus haberetur,interemptus fuisset,eius filiæ Antistiæ sine legitima causa repudium misit , vt Æmyliam Syllæ priuignam duceret.Syllę fauorem,virtuti & charitati Antistię, atq; soceri pro se sparso sanguini , antepofuit : Antistiæ mater sibiipsi manus intulit.Alex.lib.4.cap.8.Fulg.lib 5.cap.3.

DOMITIANVS Romanorum imperator, Domitiam vxorem suam repudiauit propter admissum adulterium, capto consilio de sentẽtia Vrsi.Verùm mox cum nepte sua Iulia tanquam cum vxore coire deprehẽsus est,propter quam potissimùm legitimam vxorem repudiasse dicitur. Xiphilinus in Domitiano.

LOTHARIVS rex Lotharingiæ Tetbergã vxorem,Hugberti abbatis sororem, repudiauit : Vualdradam pellicem superducens.Sigebertus in Chron.

PERFIDIA ERGA DOMINOS.

Consule tit.Veneficorum:quandoquidem illic exempla habentur Medicorum,qui dominos suos (erant enim olim plerique serui, præter Asclepiadas) veneno sustulerunt.Item tit.Perfidiæ erga principes,quatenus subditi seruiunt principibus.

CVM CAEDE.

ZAMBRI dux mediæ partis equitum, occidit Hela dominum suum, & regnauit post eum septem diebus.3.Reg.10.

SELLVM filius Iabes , coniurauit contra Zachariam regem Israhel dominum suum,& interfecit eum,regnauitq; post eum vno mense tantũ, per Manahen Gaddi filium in Samaria occisus.4. Reg.15

TRYPHON cum rege Antiocho adolescente & domino suo deambulans,occidit eum,regnauitque eius loco.1.Machabæorum 13.

IANITORES duo regis Ahasueri,coniura runt,vt regem in primo limine palatij residentem interficerent.Esther 2.

AMASIS seruus Apriis Aegyptiorum regis , à rebellibus rex creatus, Apriem vicit, & illius strangulandi potestatem populo insano in vrbe Sai dedit.Herod.lib.2.

GYGES regius pastor in Lydia, cùm inuenisset annulum , cuius beneficio à nullo videbatur , ipse autem cuncta videbat : trucidato rege Candaule , reginæ stuprum intulit : eámque postquam compressisset , ea adiutrice regem suum occidit , & ipse ex pastore rex factus est.Historiam pete ex Platonis libro secundo de Repub.Ciceronis libro tertio Offic. Volaterranus libro 16.Anthrop.Herodotus lib.1.

IOLAS Alexandri pincerna,dominum suum veneno suffocauit.

Archelaum Macedonię tyrannum (sic enim eum Plato nominat, non regem)amasius ipsius Crateuas,qui non minus imperiũ deperibat,quàm tyrannus amasium,interfecit ea spe,quòd credebat se tyrãnum beatũmque in posterum fore.Atqui cum vix tres aut quatuor dies imperium tenuisset amasius , ipse rursus ab aliis per insidias circumuentus & occisus est.Aptissimè sanè quadrat versus ille:

Qui struit insidias alij,sibi damna dat ipsi.

Nam perhibent Archelaum ei despondisse vnam ex filiabus: quam cũ alij elocasset:indignatione commotus Archelaum occidit. Aelianus de Var.histor.lib.8.

CYNEAS(aliis Timochares dicitur) medicus Pyrrhi, clàm literas ad senatum Romanum scripserat,quibus pecunias petebat, & pollicebatur se Pyrrhum pharmacis interempturum.At illi promissionem hanc repudiarunt.Etenim Romani virtute fortes esse didicerunt,non technis, calliditate , vel insidiis hostem debellare. Sed & Cyneæ consilium sententiámque Pyrrho regi aperuerunt.Aelianus libro 12.de Varia historia.

Sedechias

SEDECHIAS Iudæus,Carolum Caluum Francorum regem, cuius medicus erat,veneno sustulit.Ritius lib.1.de Regibus Francorum.

Ludouicus Arcimboldus,ciuis Mediolanensis, bis aduersa valetudine correptus,testamento trecentos aureos numos Tonsori,qui ei ministrabat,reliquit.Sed cum liberatus esset,& post aliquod tempus in valetudinem quoque incidisset,tonsor longioris moræ,ad consequendum legatum,impatiens,veneno vitam eius petiit:atque vt munus impensa opera sua dignum acciperet,in foro fracta ceruice vitam amisit. Fulgosus libro 7.capite 8.

ABSQVE CAEDE.

Huc serui fugitiui referendi sunt.

HAGAR Aegyptia ancilla Abrahami,cùm permittente Sara ex Abrahamo Ismaelem concepisset, cæpit heram suam contemnere. At Sara vicissim eam tanquam seruam domo expulit. Genius tamen Domini Hagarem consolatus,ad dominam redire iussit. Genes.16.

MYRTILVS Hippodamiam, Oenomai filiam , curuli certamine dimicantem prodidit,pacta mercede corruptus à Pelope.

Scythæ in Asia bellum gerebant.Interea temporis Scythiades ex seruis liberos procreauerant. Serui reuersos dominos recipere noluerunt, bellumque conflatum est.Serui instructa acie dominis obuiam progrediebantur armati.Scytha quidam metuens ne ex desperatione prælium committerent,suis consilium dedit,vt arma & arcus deponerent , flagellísque protensis obuiam seruis irent . Qui cùm extensis flagellis impetum facerent , illi conscientia seruitutis stimulati , repentè se fugæ mandarunt.Polyæn.lib.7.Vide Herod.lib.4.

DEMOCEDES medicus à Dario fugitiuus.Vide tit.Prudentiæ in reditu ab exilio.

DIOGENES cùm patriam relinqueret , vnus ex seruis eum secutus est,nomine Manes,qui non ferens eius seueritatem,aufugit.Verùm non longè postea deprehensus,& Delphos abductus,à canibus distractus est, fugæ condignam pœnam hero persoluens.Aelianus libro decimotertio, de Varia historia.

PERFIDIA ERGA SERVOS.

CVM CAEDE.

OVIDIVS Pollio seruos suos delinquentes,murænis, quas in piscina sua habebat,obiiciebat.Vnde cùm Augustum Cęsarem inuitasset, & pincerna poculum cristallinum fregisset,eundem muręnis dandum curauit. Cuius crudelitatem admiratus Cęsar, eius pocula omnia perfregit,ne tãtæ crudelitatis porrò haberet occasionem.Dion in Augusto.

ABSQVE CÆDE.

INTAPHERNES statim post oppressos Magos regiam ingressus, volebat admitti ad colloquiũ regis.Etenim hac lege conuentum erat inter Magi oppressores,vt eis ad regem foret aditus sine internuncio , nisi cubaret cum vxore.Intaphernes,quia foret vnus è septem, introire vtiq; volebat.Sed cùm ianitor & qui à responsis erat , introire non sinerent, quòd regem dicerent rei vxoriæ dare operam,eos mentiri ratus,educto acinace,aures vtrique narésque præcidit,ac loro freni equini ad ceruices ipsorum alligauit,hominésq; dimisit.Qui cùm sese regi exhibuissent, & cur id passi fuerant exposuissent, Darius sigillatim quinq; Persas accersiuit,veritus ne id communi sex Persarum consilio factum esset , explorauitq; nunquid id quod actum foret comprobarẽt. Vbi comperit sine horum consensu Intaphernem hæc fecisse,hominem comprehendit, eiúsq; liberos atque omnem familiam , multis de causis credens illos cum suis cognatis rebellionem fuisse molituros,ad necem vinciri iussit. Tũc vxor Intaphernis ad regios fores accedens,plorabat atq; lamentabatur. Id assiduè faciendo,ad sui misericordiam Darium cùm adduxisset,misso ad eã nuncio,rex inquit:Mulier,offert tibi Darius vnius electionem,ex vinctis domesticis tuis,quem velis liberari.Illa postquam secum deliberauit, ita respondit:Si omnino vnius animam rex mihi gratificatur, eligo ex omnibus fratrem.Hæc audiens rex,miratus huius orationem, misso nũcio, inquit:Percontatur te rex,qua de causa viro filiisque prætermissis, fratrẽ delegisti vt superesset, qui & remotiori abs te est gradu quam filij, & minus iucundus quàm maritus.Cui illa respondẽs: Rex,inquit,maritus mihi alius,si dæmõ voluerit,atq; alij liberi,si hos amisero,esse possunt:alius frater , parentibus meis iam vita defunctis , nulla ratione potest esse. Hanc secuta causam,ita locuta est,visáque est Dario probè dixisse.Itaque ea re delectatus rex,& eum quem mulier optauerat missum fecit,& filiorum natu maximum,cæteris omnibus interfici iussis.Herod.lib.3.

ROMANI cùm seruos ægrotos & languidos exponerent , tanquam ad labores inutiles,& cibo indignos ac potu:Claudius Cæsar vt impietati dominorum occurreret, legem sanxit , vt ægra & affecta mancipia si exponerentur,ab omni famulatu & seruitio immunia forent. Alexan ab Alex.lib.3.cap.20.

ROMANI edendis gladiatorum muneribus, haud mediocris sæuitiæ nomen subiuerunt.Seruos enim coemebant,quos gladiatoria instructos arte producebant, vt acutis inter se gladiorum mucronibus dimicarent: alios etiam feris in harena obiiciebant,vt plerosque miserabiliter à feris dilaniari,atque semiuiuos deuorari,non sine voluptate cõspicerent,precio enim humanam sanguinem parabant , quem sine vllo necessario vsu effundi spectarent.Ad ea autem spectacula,cùm non viri modò, sed fœminę quoque ac pueri magno studio concurrerent : quis negauerit , in grauem crudelitatis notam,sub voluptatis specie eos incurrisse? Fulgosus lib.9.capite secundo.

T. SEMPRONIVS seruos iam senio debilitatos , tanquam animalia bruta eiicere & vendere solebat:quasi commoditate sublata , nihil ipsis hominibus humanitatis debeamus.Volat.lib.14.cap.2.Anthrop.

M. PORCIVS Cato accusatus est publicè , quòd qui domi consenuerant serui , eos vt parum iam vtiles venales faceret. Iure quidẽm nam quanquam serui,tamen quòd homines,& quòd operas suas in nos libérósque,remque nostram familiarem diuturnius contulerint,liberalitate & gratitudine complectendi sunt . Pontanus capite trigesimosexto,de Liberalitate.

DOMINII cuiusdam perfidiam erga seruam,quam compresserat,pete ex tit.Prudentes iudices,sub exemplo Alfonsi regis.

PERFIDI ERGA HOSTES. FIDES HOSTIBVS NON SERVATA.

Consule tit. Astus in fœdere seruando.Item,Pœna perfidiæ erga hostes.Item,Monomachiæ occultæ,de Assasinis.Item,vindictæ nimiæ.

ANTIOCHVS Eupator(vt in primo Machab.quinto & sexto traditũ est) cùm Sylon arcem loci natura munitam vi expugnare non potuisset, dolo aggressus est.Obsessis pacem iurat,obsidionẽ soluit.Sed intra mœnia receptus,omnia funditùs euerti iubet : non minus hostiliter agens, quàm si iratus repentè cum armis irrupisset. Quos igitur obsidio domare non poterat,simulata pax vicit.Marul.libro 3.cap.6.& Fulgos. libro 9. capite 6.

TRYPHONI centum argenti talenta misit Simon, & duos filios Ionathæ,pro liberatione ipsius: quia promiserat Thryphon remittere Ionatham,si hoc fieret.Sed non seruauit fidem:argentum enim retinuit, & patrem cum filiis interfecit.1.Machabæorum 13.

DEMETRIVS promisit Ionathæ,quòd redderet arcem ei. Sed cùm liberatus fuisset per Iudæos,quos misit Ionathas,mẽtitus est Demetrius omnia quęcunque dixit,& alienauit se à Ionatha.1.Machab.11.

TISSAPHERNES Persarum dux, cum Agesilao fœdus non ex animo,sed metu percusserat: hac lege , vt Græcas ciuitates sineret liberè, suísque viuere legibus,mox ingentibus copiis à rege suò accersitis, bellum illi denunciauit,ni Asia decederet. Hoc fœdus violatum libenter arripuit Agesilaus,legatis hilari vultu respondens:Se magnam habere gratiam Tissapherni,quòd periurio suo & deos & homines sibi infensos reddidisset,aduersæ verò parti propitios . Rectè sensit,absque prouidentia Dei nihil geri in rebus mortalium ; magísque fidendum diuino fauori, quàm humanis consiliis aut viribus.Plutarch.in Lacon.

AGNON Atticam coloniam deduxit , ad inhabitandum eum locum ad Strymonem,qui nouem viarum nomen habet. Erat enim oraculum apud Athenienses huiusmodi:

Multiuiam nouiter quid vultis condere terram,
Palladij ciues,sine diis res ardua vobis
Est:nec id antè licet quàm Troia ex vrbe feratis
Inuentam Rhesi stipulam,terræque paternæ
Mandetis sanctè,tum tum decus inde legetis.

Cùm hæc deus prodidisset,dux Agnon viros aliquot Troiam misit, qui Rhesi monumento per noctem effosso,eius ossa sustulerunt , & in chlamydem purpuream ossa coniecta,ad Strymonem deportarunt. Barbari terram eam tenentes,flumen transire prohibebant . Agnon factis trium dierum induciis,Barbaros dimisit : noctúque Strymonem cum exercitu traiecit & ossa Rhesi ad flumen defodit: eumq; locum fossa ac vallo muniuit ad lunam.Interdiu autem ab opere cessabant,totaque munitio tribus noctibus perfecta est.Barbari post triduum reuersi,cùm murum ædificatum cernerent, Agnonem violati fœderis accusarunt . At ille : Non, inquit , se iniuriam facere . Conuenisse enim inter ipsos de tribus diebus , se verò tribus noctibus murum erexisse . Hoc pacto Agnon nouem vias condidit, vrbémque Amphipolin appellauit. Polyænus lib.6.

Deidameia Pyrrhi filia,cùm Ambraciam occupasset, vt Ptolemæi per dolum occisi mortem vlcisceretur,Epirotis legationem ad bellum componendum mittentibus,permisit ea conditione , vt hæreditatem & honores maiorum retinerẽt,acceptaque fides eam fefellit . Nam Epirotarum quidam clàm inito consilio , Nestorem vnũ ex Alexandri stipatori-

bus, ad eam interficiendam immiserunt. Qui humum spectantem reueritus & perterritus, re infecta discessit. Illa in templum Dianæ Hegemones cõfugit. Milo verò reus parricidij, occisa matre Philotera, impetum in eam fecit armatus. Illa exclamauit: Matricida cæde cædem cumulat. Hanc vocem solùm cum emisisset, Milo eam in deæ templo interfecit. Polyæn.lib.8.

AGATHOCLES datum hostibus iusiurandum transgressus est: occisisque captiuis, ridens ad amicos dixit: Cœnati, iuramenti religionem euomamus. Polyæn.lib.5.

ARYANDES Barcæorum vrbem oppugnans, nocte fossam duxit, lignis imbecillibus transuersim positis, exiguáque terra iniecta. Interdiu Barcæos ad fœdus ineundum vocat, stánsque cum iis qui fœdus percuteret, super latentem fossam iurauit: Quam diu terra permaneret, se conuenta seruaturum, Barcæi acceptis iuramentis, portas aperuerunt. Aryandæ milites effracta fossa ciuitatem occuparunt, cùm non amplius terra maneret, in qua iurauerant. Polyæn.lib.7.

CLEOMENES Spartanus Argiuos induciarum fiducia consopitos noctu inuasit, aliósque contrucidauit, alios duxit captiuos.

PHILENORVM fratrum Carthaginensium perfidiam erga Cyrenenses, in promouendis agri terminis, pete ex tit. Amor patriæ.

CARTHAGINENSIS senatus Saguntum contra fœdus, quod Hasdrubal publico consensu cum populo Romano icerat, expugnatum & excisum ab Annibale, non solùm probauit: sed tanquam iure id fecisset, etiam aduersus Romanos in curia factum defendit. Sed cauillum quo tum illi vsi sunt, in ipsius demum ciuitatis conuersum est excidium. Sab. lib.4.cap.5.

HANNIBAL Asdrubalis filius, quum primo bello Punico totam Italiam vastaret, Cornelium Asinam consulem spe pacis vocatum ad colloquium Punica fraude interfecit.

IDEM Nucerinos hortatu suo cum binis vestimentis vrbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos, vapore & fumo balnearum strangulando, & Aceranorum Senatum eadem ratione extra mœnia euocatum, in profundum puteorum abiiciendo, nónne bellum aduersus pop. Rom. & Italiam professus, aduersus ipsam fidem acrius gessit? mendaciis & fallacia quasi præclaris artibus gaudens. Quo euenit, vt alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus, in dubio, maiórne, an peior vir haberi deberet, poneret. Val.Max.lib.9.cap.6.

ROMANI tertio & vltimo bello Punico, quod cum Carthaginẽsibus gessere, nulla ab ea ciuitate iniuria lacessiti, bellum intulerũt: idque non prius ostenderunt, quàm ciuitatem ipsam, obsidibus prius impetratis, & acceptis armis etiam spoliassent. Sab.lib.4.cap.5.

Romulo regnante, Spurius Tarpeius arci præerat, cuius filiam virginem aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, vt armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus, quę in sinistris manibus gerebant. Erant autem his armillæ & annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necauit, perinde quasi promissum, quòd ea quæ læuis gestauerant, dedisset solui. Val.lib.9.cap.6.

CN. DOMITIVM summi generis & magni animi virum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidũ existere coegit. Iratus námque Bituito regi Aruernorũ, quòd tũ suam, tũ etiam Allobrogum gentem, se etiam tum in prouincia morante, ad Qu. Fabij successoris sui dexteram confugere hortatus esset: per colloquij simulationẽ accersitum, hospitióque exceptũ vinxit, ac Romam naue deportandũ curauit. Cuius factũ Senatus neq; probare potuit, neq; rescindere voluit, ne remissus in patriã Bituitus bellũ renouaret. Igitur eum Albam custodiæ causa relegauit. Val.lib.9. cap.6.

L. DOMITIVS Pompeianarum partium, ter victus in potestatẽ Cæsaris venit, toties dimissus: contra iusiurandum tamen præstitum aduentu suo Massilienses postea confirmauit: sed repentè destituit, & postremò in acie Pharsalica occubuit. Volaterranus libro decimoquinto Anthropologiæ.

Viriati cædes duplicem perfidiæ accusationem recepit: in amicis, quòd eorum manibus interemptus est: in Q. SERVILIO Cepione consule, quòd is sceleris huius autor, impunitate promissa, fuit, victoriámque non meruit, sed emit. Val.lib.9.cap.6.

SYPHAX, cùm fœderi minimè stetisset, à Scipione Africano & Masinissa captus, & in triumphum ductus est. Liuius & Plutarchus in vita Scipionis Africani.

M. FLAVIVS Valerius Constantinus Maximus imperator, apud Nicomediam Licinium Augustum, sororis suæ virum, atque imperij consortem, prælio superatum, cùm se eius fidei credidisset, capite mulctauit. Fulg.lib.9.cap.6.

IVSTINIANVS Imperator pacem cum Saracenis factã soluẽs, multa eis mala intulit. Sed peiora tamẽ ab eis pertulit. Pacem quoq; cũ Bulgaris factam soluit, & cum eis congressus vix euasit. Sigeber. in Chron.

NICEPHORVS Imperator fœdere cum Saracenis soluto, multa imperio suo incommoda intulit. Sigeber. in Chron.

GENSERICVS Vandalorum rex, immani crudelitate notus, cùm pacem cum Honorio Augusto iniuisset, qua ei ab Honorio Aphricæ pars concedebatur, vt accepit, in Gallia Honorium nouo implicari bello, proditione Carthaginem occupauit, atque diripuit. Fulg. libro nono, capite sexto.

THEODERICVS Ostrogothorum rex, cum Odoacrum Herulorum regem Rauennæ obsideret & factis induciis, armis agẽdi ius suspensum esset, vt de ineunda pace ageretur, multa Odoacri horrea, contra induciarum fidem, incendit: nec multò pòst insidiosa inita pace, qua Italicum regnum vtrique commune fiebat, Rauennam ingressus, Odoacrum occidit, atque Italia Herulos expulit. Fulg.lib.9.cap.6.

Pari modo Theodericus Gallorum rex, post graue bellum inita pace, cum Hermefredo Thuringorum rege, eum data fide in Tolbiacensem arcẽ acciuit: atque cùm in eius muris ambo colloquerentur, Theodericus Hermefredum, ceu casu impulsum, de muris, ita vt collum frangeret, deiecit, liberósque eius infantes enecuit, perfidia sęuitiáq; simul in eos vsus, quos ætas, vt salui apud omnes haberẽtur, agebat: & inter feras quoque vt misericordiam sperare possent, efficiebat. Fulg.lib.9.cap.6.

BOLESLAVS tertius rex Bohemorum, Moschonem regem Polonię simulatione colloquij exoculauit.

CACANVS Romildæ fidẽ non seruat. Vide tit. Pœna iniusta proditionis.

BVLGARI cum Imperatore Constantino pacem fecerunt, fœdúsque inierunt satis æquis cõditionibus. Sed non multo pòst rupto pacto, sumptísque aduersus imperatorẽ armis, ab eo victi sunt. Sigeber. in Chron.

SAXONES, rupto pacis fœdere, Francorum fines vastarunt igne & cæde. Sigebertus in Chron.

LVDOVICVS Bosoni filius, Burgundiæ rex, cùm in Italiam aduersus Berengarium secundum imperatorẽ descendisset, ab eo prælio superatus ac captus, vt insigne Berengarij humanitatis testimonium extaret, liberatus est: neque enim aliud ab eo Berengarius exegit, nisi vt iureiurando promitteret, se Berengario viuo, in Italiam amplius non rediturũ. Sed cùm ipse pro accepto beneficio ingratus, haud multo pòst cũ ingẽtibus copiis Italiã repeteret (sic enim Deo visum est) prope vrbẽ Veronam denuò à Berẽgario superatus, captúsque, quia se ipse fide priuarat, oculis à victore erutis, lumine quoque priuatus est. Fulg.lib.9.cap.6.

ARNOLDVS Flandriæ comes, in Gulielmum Longaspatam cognomento, Normandiæ ducem perfidus fuit. Nam cùm post longum bellũ, inter ipsos de pace agi cœptum esset, data vltrò citróque fide, vt tutò in Sequanæ insula in colloquium descenderent: cum eò, vt constitutum fuerat, ambo venissent, Arnoldus perfidè agẽs, operam dedit vt illic Gulielmus interficeretur. Fulg lib.9.cap.6.

Antonius Spinula à Genuensibus Corsicæ præfectus, cùm data fide, in consilium, ac simul in conuiuium multos Corsorum principum vocasset, contra datam fidem caput omnibus ademit. Cuius perfidiam etsi Genuenses nequaquam probarunt, minimè tamen vlti sunt: quoniam veneno à Corsis sublatus, nunquam in patriam reuersus est. Fulg. libro nono, capite sexto.

MAHVMETES Christiano cuidam Constantinopoleos proditori fidem non seruat. Vide tit. Pœna iniusta proditionis.

PERFIDI ERGA LEGATOS. LEGATI VIOLATI.

Consule tit. Legatorum violatorum pœna.

Reddiderunt Filij Ammon pro beneficio & honore, contumeliam, quando vituperauerunt nuncios Dauid, quos miserat ad consolandum regem eorum, super patris interitu. 2. Reg. 10.

LACEDÆMONII duo, Buris & Spartis, Xerxis caduceatorem occiderunt. Secuta mox pestis. Vide tit. Amor erga patriam.

PANTALEON Eleorum tyrannus, legatos castrabat, & proprios testiculos eos deuorare cogebat. Heraclides in Polit.

DIONYSIVS Syracusanus iunior, à ciuibus obsessus, missos ad se legatos loco obsidum retinuit. Iustinus.

Caduceator quidam in Samũ ab Orœte prefecto Sardiũ missus cuiusdã rei rogandæ causa, Polycratem Sami tyrannũ fortè in conclaui cubantẽ inuenit, assistente ei Anacreonte Teio. Ad quem accedens Orœtis caduceator, cùm mandata exponeret, Polycrates neque se ad hominem conuertit (erat enim ad parietem versus) neq; quicquã respõdit. Ea re offensus Orœtes, Polycratem insidiis circumuentum cruci affixit. Herodot. libro tertio.

ÆGYPTII cum Cambyse rege Persarum signis collatis, nullo ordine fugam dederunt. Ad quas, cum se recepissent Memphim, misit Cambyses aduerso flumine nauim Mytelenæam, cum caduceatore viro Persa, qui illos ad deditionem hortaretur. Illi vbi nauim aduentare Memphim vident, frequentes ex vrbe effusi nauim corrumpũt, virósque frustatim dilaniatos in oppidum ferunt. Herod.lib.3.

Cùm Megabyzi ductu, quem Darius Hellesponto præfecerat, Thraces à Persis superati essent, in macedoniam legati Persæ venerunt, petitum ab Amynta rege aquam & terram: Amyntas eos liberali hospitio excipit, & se regi dedens, in conuiuium tandem, petentibus id ex suo more Persis, concubinas introduxit. Quas cùm illi attrectarent & oscularẽtur, indignè eam rem ferens Amyntæ F. Alexander, patrem dormitum ablegauit. Ipse postea data optione Persis cum quacunque liberet concumbendi, iuuenculas dimisit lotum: & mox sub earum specie introduxit adolescentes ephebos, iisdem amictos vestimentis, & pugionibus clã instructos. Quos simulac Persæ attrectarunt, ipsi pugionibus eductis eos interfecerunt. Hanc cædem postea Alexãder partim pecunia, partim sorore sua Gygæa Bubari Persæ, qui vnus erat ex inquisitoribus cædis, in matrimonium data, redemit. Herod.lib.4.

T. CORVNCANVM liberius in legatione ad Teucam Illyricorum reginam locutum, regina ipsa interfici iussit, violato gẽtium iure. Liuius & Florus.

EMANVEL Imp. Constantinopolitanus, cùm à Venetis petiisset, vt ad se magnarum rerum gratia, quas cum eis tractare cupiebat, oratorẽ mitterent, & Veneti Henricum Dandulum misissent, immerenti oculos effodit. Quo facto, ipse quoque fidem sibi ademit. Fulgosius libro nono, capite sexto.

IVLIANVS apostata Imp. cùm rabie nefanda contra Christianos sęuiret, oratores quoque Persarum, qui ad eum Chalcedone venerant, Manuelem, Sabelem & Ismaelem, violare contra ius gentium non est veritus, propterea quòd Christiani essent. Nicephorus libro decimo, capite vndecimo.

PERFIDIA ERGA HOSTES POLITICA IN IVDICIIS.

DOLO malo lites persequi.

EQVES Rom. è Vocontiis ouo serpentis in iudiciis victoriæ causa vtebatur. Vide tit. Pœna perfidiæ erga hostes in iudiciis.

PERFIDIA ERGA HOSTES POLITICA EXTRA IVDICIVM. PERFIDIA ERGA HOSPITES.

Inhospitalitatem triplicem statuimus in præcedentibus, videlicet Auaram, Inhumanam, & Iniustam, de quarum vltima hoc in loco agimus. Priores ex tit Auaricię & Inhumanitatis petendæ erunt. Exempla quædam ex tit. Violentæ exactionis per cædes & latrocinia, petantur.

Godolias per Nabuchodonosor regem (sicut in Hieremia habetur) reliquiis terræ Iudææ præfectus, ISMAELEM Nathaniæ filium à Babali Ammonitarum rege ad se in Masphat missum, cum multis qui cum illo venerant, vt socium & amicum domi lautè acceperat, pro charissimo habuerat, ab iis quibus suspectus erat, lædi prohibuerat. Illi tamen contra tot beneficia (sicuti iam in animo propositum habebat) incautum cum omnibus ferè qui in Masphat erant, Iudæis ac Babyloniis simul trucidauit, vrbeque potitus est. Quod bellum quæso hac pace plus habuit crudelitatis, si par dici debeat, qua nihil aliud nisi nocẽdi quæsita occasio. Marul. libro 3. cap.6. & 4. Reg. vltimo.

Nondum fama tam nefandi facinoris percrebuerat: & idem ISMAEL inde egressus, 80 viros de Sychem, Sylo & Samaria, Hierosolymam versus ad offerenda in templo dona petentes, vt ad Godoliam diuerterent, blandè amiceq; hortatus est. Nota erat Godoliæ hospitalitas. Quamobrẽ facilè quod volebat persuadet, in vrbemq; perductos interimit. Sicq; nequissimus hic impostor, ore pacem præferebat, corde meditabatur carnificinam. Nihil nocere potuisset, si quicquam se interim nociturum ostẽdisset. Non difficulter cauetur periculum, si patet: neque inimicus, si minatur. Marul. libro 3. capite 6.

PTOLEMÆVS Abobi filius, præfectus Hierico, Simonem Machabæum, filiósque eius Matathiam & Iudam hospitio suscepit, honore affecit, multóque luxu apparatum conuiuium dedit. Cæterùm cùm pasti potique essent, crapula grauatos ac semisomnes cum armatis subsessoribus repentè inuasit, oppressit, occidit, mensas cruore illorum fœdans, quos tã benignè inuitauerat. Haud alia pax villici esse solet cum porcis, quos ideo saginat vt mactet. Nostra interest, talium hominum & cauere dolos, & mores execrari, ac prorsus neque decipi neque decipere velle: aut si alterum necesse fuerit, pati mala quàm inferre satius iudicemus. Sustinẽdo, non vindicando iniuriam, pax paratur. Marul. libr.3. capite 6. ex 1. Machabæorum cap.16.

TRYPHON Antiochi adolescentis Syriæ regis præpositus, dominandi cupidine incensus, Ionathæ Israel duci, socioque & amico regis, quem sibi impedimento fore sperabat, quàm primùm imponere deliberat. Ad ipsum venit iñ Bethsan, dona offert, Ptolemaidam ei se traditurum, promittitvrq; eò secum pergere maturet persuadet, cùm nõ aliam ob causam se illum adisse diceret. Ingressus vnà cum eo vrbẽ, claudi portas, ipsum comprehendi, reliquos qui cum illo venerant, ad vnum cædi fecit. Acceptis deinde centum talentis & duobus Ionathæ filiis (quæ, vt ipsum dimitteret, poposcerat) nequaquam dimisit, sed simul cum filiis interimi iussit. Antiochum deinde dominum suum, dum confabulando cũ illo iũctis lateribus incederet, transfigit, ac regnum occupat. Habeatur sanè cũ talibus pax, si vlli vnquam plus obfuit Tryphon, quàm iis qui sese illi crediderẽ. Marul. lib.3. capite sexto & Fulgosius libro nono capite sexto ex primo Mach. 12.

LYCAON Arcadiæ rex, eo quòd hospites trucidaret, & Ioui mortalis peregrini specie membra humana epulanda daret, ab eodem in lupum mutatus est, & à suis canibus in venatione discerptus. Volaterra. libr.16. Anthrop.

FAVNVS rex ex Mercurio natus, patri hospites immolabat. A quo cũ Hercules, dum Geryonis boues per Italiam duceret, hospitio susceptus esset, Herculem quoque pro more inuasit. Sed Hercules viribus magis valens, eum confodit. Ex Dercyllo libro 3. rerum Italicarum, & Plutarcho cap.73. Parallel.

POLYZO vxor Tlepolemi, cùm Helenam ab Orestis filiis fugatam hospitio suscepisset, ob viri zelotypiam, eam ab arbore suspendi iussit. Pausanias.

GERYON Mercurio natus, patri hospites immolabat. Plutarchus.

ERYX filius Veneris & Butæ, solebat hospites crudeliter necare. Hũc Hercules occidit. Martialis lib.5.

Et grauis in Siculo puluere fusus Eryx.

LYCVS Libyæ rex, hospites Marti patri immolare solitus erat. Vnde Diomedes cùm in Libyã tempestate deiectus esset, ab eo hospitio susceptus, à Callirhoe regis filia, quæ Diomedis amore capta erat, admonitus est. Qui vt vitæ euitaret periculum, enauigauit clàm. Testis est Iubas, libro tertio rerum Africanarum: & Plutarchus cap.46 Parall.

Theseus ad Deucalionem in Creta nauigaturus, tempestate in Scyron insulam delatus est. Scyrij eum ob generis nobilitatem, & rerum gestarum gloriam benignè exceperunt. LYCOMEDES rex eum per insidias de medio tollendum curauit. Post pugnam Marathoniam Cimon Miltiadis F. Scyron deleuit, & Thesei ossa Athenas reportauit. Pausanias in Atticis.

VLYSSES non solùm apud Aeolum deliquit: sed & post errorem, quum procos peremisset, in Epirum oraculorum quorundam sciscitandorum gratia profectus, Tyrimmæ filiam corrupit Euippen, qui eum familiariter exceptum, cum omni beneuolentia hospitio dignatus erat. Porrò filius ei nascitur ex ea Euryalus. Hunc mater quum ad pubertatem accessisset, dimittit in Ithacam, signis quibusdã ei exhibitis in tabula expressis, ex quibus cognosceretur. Vlysses autem quum fortè fortuna adesset, Penelope ea cognoscens, quum aliàs etiam de Euippes amore antea audiuisset: Vlyssem redeuntem, antequam quid de hac re cognosceret, persuadet occidere Euryalum, tanquam qui insidias ei struxisset. Et Vlysses quidem præ iræ impotentia, atq; aliàs feroci natura existens, sua manu filium occidit: & non multò post vbi hoc facinus perpetrasset, ipse quoq; à Telegono filio marinæ turturis spina sauciatus interiit. Parthen. de Ama.cap.3.

BVSYRIS ex Neptuno & Anippa creatus, aduenas ficta quadam hospitalitate mactatos immolabat. Sed occisorum tandem vitio ob deorũ iram in authorem rediit. Hercules enim claua eum interemit, vt Agathõ Samius tradit: & Plutarch.cap.72. Parall.

Qua perfidia PARIS Menelaum hospitem eluserit, rapta eiusdem vxore, notum est. Horat. Pastor quum traheret per freta nauibus Idæis Helenam perfidus hospitam.

POLYMNESTOR rex Thraciæ, Polydorum interfecit hospitẽ, Priami filium.

COCALVS rex Siciliæ, Minoem regem Cretæ, qui Dædalum persequebatur, ad colloquium inuitatum in thermis suffocauit.

Apud Eleos regnauit PANTALEON, *iniuriosus & immanis.* Is legatos qui ad se venissent, castrans, proprios testiculos edere coegit. Heraclides.

Apud Tauros Scythicum genus hominum, tenuit vetus mos, hospites ad se quoquo modo venientes, ad Dianæ aram immolare. Testatur durum morem religionis, Orestis ad ea loca accessus, qui cũ Iphigenia sorore inde deæ simulachrum asportauit: si vera sunt, quæ de eo historiarũ conditores quidam prodiderunt. Sabellicus libro sexto, cap.1. & Alexan. lib.4.cap.10.

EVÆPHNVS pastor, hospitis sui Polycharis Messenij filium interfecit. Vide tit. Latronum.

Cleomenes dux Spartanorum, fugatus ab Antigono, ad Ptolemæum se recepit. A quo benignè primùm exceptus, mox Nicagoræ cuiusdam calumnia insidiarum suspectus, se interfecit. Interfectum rex pelle nudauit, crucique affixit. Plutarch.

MACAREVS Mitylenensis, Bacchi sacerdos, homo auarissimus, cùm à quodam pecuniam depositam accepisset, & in recessu templi eruta terra effodisset, aurum suum depositum reposcẽtem in templo clàm interfecit, eundémque in eius locum imposuit. At non defuit pœna diuinitùs inflicta. Dum enim paulo pòst rem diuinam faceret, & duos filios domi reliquisset, senior iuniorem subito furore correptus interfecit: mater crudeli facto viso, eodem gladio seniorem confodit e uestigiò. Quæ fama cùm ad Macareum venisset, sacra relinquens, & furibundus in domũ irruens, tæda, quam in manibus habebat, vxorem interemit. Macareus ob id deprehensus, & tormentis examinatus crudelissimis, fatetur se auaricia victum, virum bonum in templo occidisse, quo depositam seruaret pecuniam, & in ipsis tormentis vitam amisit. Sic nefanda Macarei auaricia, suo, vxoris & filiorum sanguine vindicata fuit. Aelianus libro 13. de Varia hist.

CARTHAGINENSES adeò peregrinos exosos habebant, vt qui

Sardiniam aut Herculis columnas adnauigarent, eos mari demergerēt. Alex. ab Alex. lib.4. cap.10.

M. L. DRVSVS Magulsam Mauritaniæ principem, quem hospitio susceperat, Boccho prodidit, pecunia corruptus.

Pompeius Magnus post prælium in Pharsalicis campis habitum, in Ægyptum profugit: cúmque è triremi descensurus esset in scalmum piscatorium, ab Ægypti rege Ptolemæo missum, conuersus ad vxorem ac filium, nihil aliud dixit quàm illud Sophocleum:

ϖρὸς τὸν τύραννον ὅϛις ἐμπορεύεται,
κείνȣ' ϛὶ δȣ̃λος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ. id est.
Quisquis tyranni ad tecta demigrauerit,
Fit seruus illi, liber etsi venerit.

Præsagisse videtur imminens exitium. Vbi enim descēderat in scapham, ictus gladio, semel tantùm emisit suspirium: & obuoluto capite, præbuit se occidendum. Plutar. in Rom. apoph.

QVINTILIVS Tarquiniensis, cùm C. Cæsarem hospitio suscepisset, insidiis eum prodidit, & necari iussit. Pedianus & Volat. lib.14. capite 2. Anthrop.

M. LIVIVS Drusus Magulsam Mauritaniæ principē ob regis simultatem, accepta pecunia Boccho prodidit. Volaterranus libro decimosexto Vrb. Commentariorum, ex Cæcilio.

GN. DOMITIVS Bituitum Auernorum regem, ad successorem Q. Fabium confugere paratum, specie colloquij comiter hospitio inuitatum vinxit, ac Romam deportandum curauit. Cuius factum Senatus neque probauit, neque rescindere voluit. Volaterranus libro decimoquinto Anthrop.

Insigni perfidia in Maraboduum, qui in Germania, & Rhascipolim, qui in Thracia regnabant, TIBERIVS Cæsar vsus est. blandis enim verbis atque promissis allectos, vt ad se venirent, nunquam dimisit. Archelaum quoque Cappadociæ regem, cùm simili arte inductus ad eum iuisset, cœpit. Fulg. lib.9. cap.6.

ANTONINVS Caracalla, Romanorum imperator, cùm ad se tanquā ad amicum Augarus rex Osroenorum venisset, ei fidem fregit, comprehensúmque in carcerem coniecit, & Osroenem rege iam destitutam cœpit. Regem quoque Armeniarum, qui cum filiis dissentiebat, ad se vocauit amicè per literas, vt eos in concordiam reduceret: iisque eodem modo, quo Augaro, vsus est: Armenij tamē arma capere, quàm ad ipsum deficere maluerunt. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Antonino.

Proditio sæuitiæ atque stulticiæ coniuncta illa fuit, qua Bela tertius Vngariæ rex, in Kutem Comanorum regem vsus est: cum is se in Vngariam, accepta à Bela fide, cum quatuor equitum millibus recepisset, à Comania Tartarorum armis pulsus, Salutis anno ducentesimo atque vno ac quadragesimo supra mille. Nam cùm Bela Kutem suspectū habere cœpisset, quòd excursionibus Vngariam Tartari infestā reddiderāt: vocatum ad se in vrbem Pestum, quo Kutis, propter datam fidem nihil verendū ratus, solus iuerat, tulit vt ab irato populo occideretur. Qua perfidia attoniti Comani, in rerum suarum desperatione Tartaris se coniunxerunt, atque cum eis se in Bulgariam receperunt. Fulg. lib.9. cap.6.

CAIANVS rex Auarorum, pecunia corruptus à Leone Imperatore, Iustinianum prodidisset, ni ab eo ad Therbellem Bulgarorum regem Iustinianus admonitus confugisset. Sigebertus in Chron.

PETRVS Castulonensis rex, cùm Mahumetes Granatæ rex ad eum opis petendæ gratia aduersus alios Mauros venisset, omne aurum quod secum attulerat, rapacissimus rex Petrus ei ademit: & cùm palam iaculari cum suis eum iussisset, primus fuit qui eum manu sua iaculo peteret. hūc ne auarum, an crudelem, aut ignauum nuncupabimus? aut eo solo contenti erimus, quòd infœlix Maurus rex tūc coràm ei obiecit? dixit enim, Petrum regem turpem nimis triumphum ducere de rege, qui opis salutisque gratia in eius fidem se recepisset, violata fide, violato naturæ fœdere, atque omni humano neglecto more, spoliato atque occiso. Fulg. lib.9. cap.4. & Egnat. lib.9. cap.4.

VLRICVS Boemiæ dux, Misiam hospitem prodere conatur Imperatori Conrado. Vide tit. Fides bellica publica erga hostes.

PERFIDIA IN CONTRACTIBVS VOLVNTARIIS.

PERFIDIA IN HÆREDITATE SVA RELINQVENDA, ET IN SVIS Testamentis. TESTAMENTA iniusta. EXHAEREDATIO iniusta.

Exempla quædam pete ex tit. Testamenta quæ rata manserunt.

EPHIALTES ephorus Lacedæmoniis legem tulit, vt liceret patri, filiis omissis, extraneos scribere successores: hoc agens, vt filium, quem odio prosequebatur, exhæredaret. Alex. lib.16. cap.10.

QVINTVS CÆLIVS, siue Cæcilius, L. Luculli promptissimo studio, maximáque liberalitate, & honestum dignitatis gradum, & amplissimū patrimonium consecutus, cùm præ se semper tulisset, vnum illum sibi esse hæredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset: Pomponium Atticum testamēto adoptauit, omniúmque bonorum reliquit hęredem. Sed fallacis & insidiosi cadauer pop. Rom ceruicibus reste circundatum per viam traxit. Itaque nefarius homo filium quidem & hæredē habuit, quem voluit: funus autem & exequias, quales meruit. Autor Val. Max. lib.7. cap.9.

Neque aliis dignus fuit T. MARIVS Vrinas, qui ab infimo militiæ loco beneficiis Augusti imperatoris ad summos castrenses honores perductus, eorúmque vberrimis quæstibus locuples factus: non solùm cæteris vitæ temporibus ei se fortunas suas relinquere, à quo acceperat, prędicauit: sed etiā pridie quàm expiraret, idē illud ipsi Augusto dixit, cùm interim ne nomen quidem eius tabulis testamenti adiecerit. Ibidem.

L. VALERIVS, cui cognomen Heptachordo fuit, togatum hostem Cornelium Balbum expertus, vtpote opera eius & consilio compluribus priuatis vexatus litibus: ad vltimúmque subiecto accusatore capitali crimine accusatus, præteritis aduocatis & patronis suis, solum hæredem reliquit. Nimirum consternatio animum eius transuersum egit. amauit enim sordes suas, & dilexit pericula, & damnationem votis expetiuit, autorem harum rerum beneuolentia, propulsatorem odio insecutus. Ibidem.

T. BARRVLVS Lentulo Spinteri, cuius amantissimū animum, liberalissimámque senserat amicitiam, decedens, suos annulos perinde atq; vnico hæredi tradidit, quem nulla ex parte hæredem relinquebat. Quātum illo momento temporis conscientia, si modò vires, quas habere creditur, possidet, à teterrimo homine supplicium exegit. Inter ipsam enim fallacis & ingratæ culpæ cogitationem, spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem eius interius cruciāte: quòd animaduertebat è vita mortem transitum suum, & superis diis inuisum esse, & inferis detestabilem futurum. Ibidem.

MARCVS Popilius senatorij ordinis, Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi, moriens, pro vetusto iure amicitiæ, & vultu benigno respexit, & verbis magnum præ se amorem ferentibus prosecutus est: vnum etiam de multis, qui assidebant, vltimo complexu & osculo dignum iudicauit: annulos quoque suos ei tradidit, videlicet ne quid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos Oppius, vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos, & à præsentibus assignatos, diligentissimè hæredibus illius exhæres ipse reddidit. Quid hoc loco inhonestius? aut quid intēpestiuius? Senator populi Romani, curia egressus, homo vitæ fructibus continuò cariturus, sanctissima iura familiaritatis, morte pressis oculis, & spiritu supremos anhelitus reddente, scurrili lusu sugillanda sibi desumpsit. Ibidem.

BERCHTHOLDI ducis Zeringiæ, in hæreditate quæ ad propinquos eius peruentura erat, perfidiam, pete ex titulo Odij erga propinquos & affines.

TESTAMENTORVM CORRVPTORES ET SVBIECTORES LEGItimorum. *Aut illegitimorum approbatores.*

CAIVS Caligula factus post Tiberium imperator, statim tabulas testamenti Tiberij misit ad Senatum, eásque irritas fecit, quòd Tiberius eo tempore sanæ mentis non fuisset, cùm Tiberium nepotem suum puerum adhuc, cui ne ius quidem erat introire in senatum, imperatorem vnà cum Caio designasset. Eundémque Tiberium mox sustulit. Dion in Caligula.

Claudij Imperatoris testamentum Nero adoptatus non tantùm violauit, vt imperij successor esset: sed Britannicum filium Claudij, & sorores etiam eius interfecit. Xiphilinus in Nerone.

Cùm admodum locupleti L. Minutio Basilio falsum testamētum quidam in Græcia subiecisset: eiusdémque confirmandi gratia potentissimos ciuitatis Romanæ viros M. CRASSVM &. Q. HORTENSIVM, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset: quanquam euidens fraus erat, tamen vterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiauit. Quantam culpam quàm leuiter retuli? Lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura inuitati, autoritatibus suis texerunt. Valerius Maximus.

PERFIDI IN PRÆDÆ DIVISIONE.

M. POSTHVMIVS Regillensis, tribunus militum, authoritate consulari ad bellum contra Equos missus, exercitu conscripto, & ad Volas ducto, in oppidum irrupit: & cùm inter oppugnationem prædam militis fore edixisset, capto oppido, fidem mutauit. A suis igitur hanc ob caussam lapidibus obrutus est. Liuius libro quarto.

PERFIDIA

PERFIDIA IN PACTIS CONNVBIALIBVS.

Consule tit. Pœna perfidiæ in pactis connubialibus.

IVDAS Thamari pacta connubialia non seruat. Vide tit. Pœna perfidiæ erga coniuges iniusta.

Lysandro Lacedæmonio sub Haliarti mœnibus interfecto, PROCVS qui superstitis adhuc filiæ fidem dederat coniugij puella orbata parente (cùm Lysander post obitum pauper repertus esset) sponsionem antea factam reuocauit, & se nolle eam ducere dixit. Ob eam caussam punierunt eum Ephori communi decreto. Aelian. lib.6. Var. hist.

Aristidis filias, ipso adhuc superstite, matrimonio sibi desponderant Græcorum præstantissimi. Non autem Aristidis vitam respexerunt, neq; iustitiam eius suspexerunt: quoniam si horum æmulatores extitissent, in posterum etiam sponsione non destitissent. Iam verò cum ipse excessisset è vita, nullam rem amplius neque familiaritatem cum puellis habuerunt. Posteaquam enim vita defunctus esset filius ille Lysimachi, paupertas eius cognita est. Quę res illos etiā infortunatos homines à splēdidissimis clarissimísq;, vt mea fert opinio, nuptiis deterruit. Ael. li.10. de Var. hi.

EVBATAS Cyrenensis, cùm de contrahendis cum Laide nuptiis pactus esset, sponsio his conditionibus facta est, vt post ludos certaménque rata deberet esse. Eubatas autem cùm iam victor abiret è certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga fœminam: pictam Laidis imaginē deportauit secum Cyrenam, inquiens, se Laidem ducere, & pacta nō pręterire. Aelian. lib.10. de Varia historia.

ROMILDA, Sisulphi Foroiuliensis ducis vxor, prodidit Iulium oppidum cum liberis & fortunis omnibus, Cancano Bauarûm regi, quem semel intuita perditè amare cœperat. Pollicitus erat, vbi in vrbem reciperetur, Bauarus ille nuptias. Cæterùm ne fidem prodere videretur, noctē vnam habuit Romildam pro legitima coniuge: inde robustissimis militib. assiduo congressu vexandam dedit, & malè affectam palo affixit. Sab. lib.10. cap.4.

GALEOTI Manfredi in pactis connubialibus fraus petatur ex tit. Pœna iniusta perfidiæ erga coniuges.

PERFIDIA IN EMENDO ET VENDENDO, AVT IN PECVNIA,

qua emptio fit: vt NVMOS adulterinos vel cudere, vel pro veris & legitimis subiicere.

HYPERBOLVS fuit quispiam Chremidis filius, versutia in fallendo prægnis. Nam quum lucernas factitaret, plumbum immiscebat æri, vt ponderosiores factæ maius demererentur precium.

DIOGENES Cynicus oraculo consulto, Quanam ratione inter homines excellere posset? Responsum accepit, si monetam adulterinam cuderet. Id consilium secutus, patria pulsus, Athenas venit, & nouo philosophiæ genere nomen sibi immortale peperit. Fulgos. lib.6. cap.9.

Itaque cuidam obiicienti, quòd falso signasset monetam (nam hāc ob rem iussus est exulare) Fateor, inquit, fuisse tempus, quo talis eram, qualis tu nunc es: qualis autem ego nunc sum, tu nunquam futurus es. Notabat eos qui iuuentutis errores in aliis reprehendunt, quum ipsi ne in senectute quidem corrigant suos. Laert. lib.6.

TORONII mangonis fraudem in pueris eiusdem formæ vendendis, pete ex tit. Formæ similitudo.

PERFIDIA IN DEPOSITO.

MACAREI in deposito fraudē, pete ex tit. Pœna perfidiæ erga hospites.

GLAVCVS Delphos se consulit ad oraculum petendum: vtrum iureiurando interposito pecuniam depositam retineret? Ibi Pythia respondit his versibus:

Γλαῦκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον οὕτω
ὅρκῳ νικῆσαι καὶ χρήματα ληίσσασθαι.
ὄμνυ, ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
ἀλλ' ὅρκου παῖς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἐπὶ χεῖρες,
οὐδὲ πόδες, κραιπνῶς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων. Id est.

Glauce Epicydides, equidem expedit ad breue tempus
Iurando superesse, interuertisséque numos
Deiera, & Euorcum quoniam manet exitus idem.
Ast Horci natus sine nomine, qui manibus, qui
Nullis est pedibus, rapidè aduenit vsque adeò, dum
Corripiens omnem perdat prolémque domúmque:
Cum sobole Euorci melius sed postea agetur.

His auditis, Glaucus veniam sibi eorum quæ dixisset, vt daret, Deum obsecrabat. Cui Pythia inquit, idem pollere, tentare Deū, & facere. Glaucus deinde accitis Milesiis hospitib. pecunias reddidit: sed eius soboles & familia ex Sparta radicitùs extrutæ sunt. Herodot. li.6.

VAL. Bestij perfidiam in deposito, pete ex tit. Parricidij erga affines & cognatos.

PERFIDIA IN TVTELA.

DEMOSTHENES septem annorum pupillus à patre relictus, ampla re familiari (haud multo minus quindecim talentis) à tutoribus iniuriis affectus est, bona ipsius partim subripientibus, partim negligentibus adeò: vt præceptores quoque eius mercede defraudarent. Plutarchus in Demosthene.

GRIMOALDVS Pipini filius, Dagobertum, Sigisberti secundi filiū, fidei suæ post mortem patris eius commissum, interfecit, vt Austrasiæ regnum, cui præerat pupillus, sibi vendicaret.

Reliquerat Theodericus rex Gothorum, Amalesuintam filiam, quæ in regno succederet cum Alarico filio superstite. Quo puero mortuo, nō dubitauit regina in Theodato studium omne suum reponere, Gothicique regni fastigium vni illi credere. At Theodatus tanti beneficij immemor, reginam Volsiniensi lacu statim inclusit, mox suo iussu strāgulatam abiiciendam curauit. Quo sanè facto verbum illud vetus verissimum esse ostendit: Quo maius beneficium in aliquem contuleris, ab eodem graue maleficium expecta. Egnat. lib.5. capite 3.

PERFIDIA IN COMMISSO.

EVÆPHNVS pastor, boues suæ commissos fidei malè tractat. Vide tit. Latronum.

PERFIDI IN AERE ALIENO SVSCIPIENDO, VEL dissoluendo. DEBITORES perfidi.

Consule tit. *Prodigorum. item Eorum qui ex diuitibus pauperes facti sunt, quatenus perfidiam aliquam in ære committunt alieno, dolóque malo agunt. Alioqui oppreßi ære alieno absque fraude, non huius sunt loci, sed inter Fortunæ malorum locos connumerandi sunt.*

PYTHON Atheniensis, orator audacissimus, captus ob æs alienum, è custodia in Macedoniam aufugit. Suidas apud Volaterranum lib.18 Anthrop.

PERIFIDI IN CREDENDO. CREDITORES PERFIDI.

Huc pertinet turpe & illegitimum fœnus, sub tit. Fœneratorum, ex loco Auaritiæ, ἐν λήψει.

CREDITORVM consternatio aduersum Sempronij Asellionis prætoris vrbani caput, intolerabili modo exarsit. Quem, quia caussam debitorum susceperat, concitati à L. Cassio trib. pleb. pro æde Concordiæ sacrificium facientem, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum, inq; tabernula latitantem, prætextatum discerpserunt. Valer. Max. lib. cap.7.

COELIVS Plotius fœnerator T. Veturium, C. Veturij F. nexum & addictum, ob reliquum fœnoris non redditi, stuprare voluit, & verberibus affecit: qua patefacta re, fœnus simul & versura omnis additis pœnis sublata est. Valer. Max. de Pudicitia.

PAPYRIVS C. Publium nexum ad libidinem pellexit, cùm deesset quod cum fœnore accipere deberet. Quæ caussa traditur fuisse, vt nexi soluerentur, néue in posterum quisquam necteretur. Ibidem.

PERFIDIA IN CONDVCTIONE AVT LOCATIONE *rerum, operæue.*

LAOMEDON Neptuno & Apollini, murorum Troiæ conditoribus, pactam denegauit mercedem. Vergil. lib. 4.

Laomedonteæ sentis periuria gentis.

AVGEAS Elei Epeorum regis (qui postea Elei dicti sunt) filius, adeò diues fuit armentis & gregibus, vt fimo obducta agri pars maxima, ociosa & inculta iaceret. Hercules vel mercedem vel agri partem pactus, immisso in cãpos Minycio flumine, eos purgauit. Augeas Herculi mercedem abnegauit, vt qui magis arte quàm labore opus perfecisset. Hercules contra Augeam expeditionem instituit. Verùm cùm à filiis Actoris ætate & audacia vigentibus Hercules facilè repelleretur, cùm illi ad Isthmicos ludos proficiscerẽtur, eos Hercules ex insidiis ad Cleonas occidit. Quod cum Molione Actoris vxor resciuisset, neq; alia ratione vel Argiuos (quorũ ciuis erat Hercules) vel Corinthios (qui Argiuos Isthmicorum celebritate interdicere nolebant) vlcisci posset, diris Eleos ciues suos deuouit, quotcunque in posterũ Isthmicis ludis non abstinuissent. Quod edictum Elei religiosissimè obseruarunt. Illis ergo occisis, facilè Augeam Hercules domuit. Eius tamen filio Phyleo (qui cùm patri non consensisset in fraudendo Hercule, ab eo abdicatus fuerat) pœnam patris remisit, & Eleæ regnum concessit. Pausan. lib. 5.

CLEOMENES Lacon, assumpto vno ex familiaribus suis Archonide, eum consortem & adiutorem sui propositi fecit. Iurauit igitur ei, si voti compos fieret, se omnia cum ipsius capite transacturum esse. Cum verò potitus rerum esset, occiso Archonide caput eius exectũ vasi pleno mellis imposuit: & quotiescunque aliquid agere instituisset, oculos in vrnam deflexit, atque sic omnia peregit, dicens se pactum non violare, neque iusiurandum fallere. etenim cõsilium se cum Archonidis capite capere Ælian. lib. 12. de Var. hist.

Corax primus apud Syracusas, mortuo Hierone, Rhetoricen instituit mercede profiteri. Lysias autem adolescens pactus est cum eo, vt tum solueret, quum optimè Rhetoricen calleret. Verùm vbi artifex iam factus, præmium cunctaretur, neque causas reciperet, à præceptore in ius vocatur. Sed quũ quæreretur, qui finis litis esset futurus? Lysias ait: Si persuasero iudicibus, me nihil debere, non tradam præceptori quicquam, quia iam vici: sin non persuasero, etiã non dabo, quia artem persuadendi à te non didici. Tum Corax: Imò, inquit, si persuaseris, dabis, quia artem calles: sin minus, dabis etiam, quia non vicisti. Et tum iudices subiecerunt, κακȣ̃ κόρακος κακὸν ὠόν: id est, mali corui malum esse ouum. Vide Prolegomena in Hermogenis rhetoricen: Gellium lib. 5. ca. 10. qui simile quiddam de Protagora sophista, & huius discipulo Euathlo, narrat: Brusonium lib. 5. cap. 2. L. Apuleium in Floridorum libris: Erasmum Roterodamum in prouerbio, Mali corui malum ouum.

Citharœdus quidam, cùm apud Quempiam caneret, pollicitúsque esset is apud quem cantabat, quanto melius cantaret, tanto se plura daturum, quũ promissa postridie reposceret: Voluptatem tibi reddo (inquit) pro voluptate. Arist. lib. 9. Ethicor. cap. 1.

Dionysius senior, cùm peritum quendam musicum magnificis promissis ad se pellexisset, vt quàm optimè canentem audiret, & musicus per aliquot dies egregiè cecinisset, nec quicquam daret rex, cœpit efflagitare mercedem. Tum Dionysius asseuerabat, se iamdudum mercedem dedisse, voluptatem videlicet pro voluptate. Non enim minus delectauit musicum spe, quàm musicus illum cantu. Eras. in prouer. Par pari referre. Plutarch. libro secundo de fort. Alexand. Brusonius lib. 9. cap. 11.

PERFIDI IN TESTIMONIO FALSO DICENDO, aut accusatione falsa.

Respectu fidei violatæ huius sunt loci. At si inæqualitatem spectes, quæ per mulctam irrogatam non corrigitur, ad διορθωτικὴν *iniustam pertinebunt, eorum qui insontes accusant. Vide tit. Pœna periurij & falsi testimonij. Item, Falsò accusati. Consule etiam locum Mendacij.*

Contra Nabothum Iezraelensem DVO falsi testes producti fuerunt, Iezabelis reginæ instinctu. 3. Reg. 21.

Daniel examinauit duos Senes, qui contra Susannam iniquum testimonium tulerant. Daniel. 13.

IVDÆI in resurrectione Domini subornarũt falsos testes, qui sanctè affirmarent, Christum à discipulis suis surreptum esse. Matth. 28.

IVDÆI statuerunt duos falsos testes contra beatum Stephanum, dicentes, eum non cessare loqui verba aduersus sanctum locum, & legem. Actorum sexto.

ROMANORVM quidam subornatis falsis testibus, accusantibus Symmachum papam, clàm Laurentium in papatum subintroduxerunt, pro quo schismate dirimendo rex Theodericus episcopum Petrum contra Canones visitatorem sedis Apostolicæ instituit. Sigebertus in Chronicis.

TRES falsi testes Narcissum Hierosolymorum episcopum accusant, & malè puniuntur diuinitùs. Vide tit. Insontes diuino absoluti iudicio.

PERFIDI IN TESTIMONIO VERO QVIDEM, AVT ACCVSAtione vera, non tamen erga eos, erga quos oportebat. ACCVSARI aut damnari ab iis, à quibus non conueniebat.

[illegible]

PERFIDIA IN CONTRACTIBVS NON *voluntariis.*

PERFIDI IN BONIS THEORICIS ALIORVM impediendis, vel malis promouendis.

Consule tit. Astus in animi bonis impediendis. Item tit. Mali præceptores in Theoricis.

IN MECHANICIS.

IN ETHICIS VIRTVTIBVS QVIBVSLIBET.

Consule tit. Mali præceptores in Ethicis.

VENEFICI ET VENEFICÆ.

Comprehendimus hîc omnes eos, qui vel magicis artibus, vel naturalibus venenis aliorum vitæ insidiantur: quamuis priores illi ad tit. Magorum quoque referri possent, non tamen quatenus homines interficiunt (sic enim præsentis propriè sunt loci) sed quatenus cum dæmonibus commercium habent. Exempla ergo veneficiorum plura pete ex tit. Magorum. Item, Commeatum hostium corrumpere. Item, Veneno mortui. Item, Perfidiæ vxorum erga maritos. Item, Veneficii pœna.

Prouerbium Pindarus in Nemæis habet hymno 4. Lynge trahor. De iis qui vehementi & impotenti desiderio trahuntur ad aliquid. Tradunt autem LYNCEM fuisse filiam Echus, quæ Iouem venenis amatoriis in sui amorem cùm incitasset, à Iunone versa sit in auem lyngem, quæ motacilla vocatur: qua postea mulieres vti consueuerunt in amatoriis veneficiis.

Populi sunt in Tribalis & Illyriis, qui visu effascinant & interimunt, quos diutius intuentur, iratis præcipuè oculis. Huius generis sunt fœminæ in Scythia, quæ vocantur Vitiæ.

GYGE famula Parisatidis Cyri matris fuit, veneficiorum perita, & propterea tandem morte affecta.

ERICHTHO maga fuit Thessala, multis veneficiis famosa, de qua Lucanus lib. 6. Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis, effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho, &c. Si quis appetit videre graphicam veneficæ artis narrationem, videat apud eũdem Lucanum. Nemo Latinorum poetarum melius rem aperuit.

ERIPHILA venefica fuit, & fascinatrix, quæ cùm aliquod animal aspiciebat, illi accidebat mali quidpiam. Hinc adagium, Anus Eriphus: in mulierem excantatricem.

MYCALE nomẽ est veneficæ mulieris apud Ouid. lib. 12. scribentem: Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo: Sæpe reluctantis constabat cornua Lunæ.

DIPSAS nomen est vetulæ veneficæ apud eundem lib. 1. Elegiarum scribentem: Est quædam (quicunque volet cognoscere lenam, Audiat) est quædam nomine Dipsas anus.

CANIDIA Neapolitana fuit vnguentaria, fascinatrix & venefica. Horatius in Epod. Canidia breuibus implicata viperis, Crines & incomptum caput, Iubet sepulchris caprificos erutas, Iubet cupressos funebres, &c.

Apud eundem SAGANA, VEIA, & FOLIA, nomina sunt veneficarum, quę Varum puerum prætextatum suis veneficiis incantarunt. De Sagana sic inquit: At expedita Sagana per totam domum Spargens auernales aquas, horret capillis. De Veia: Abacta nulla Veia cõscientia, Ligonib. duris humum exhauriebat, ingemens laboribus. De Folia: Non defuisse masculæ libidinis Ariminensem Foliam, & ociosa credidit Neapolis.

GAMMA Galla Erasinorigem mariti interfectorem veneno interfecit. Vide tit. Amor vxorum erga coniuges.

Venefici quidam sub Commodo pestem Romæ disseminant. Vde tit. Pestilentiæ memorabiles.

M. IVL. Philippus, qui proditione ad imperium ascendit, Misitheum veneno sustulit. Vide tit. Proditorum.

Guthrune fuit venefica, quæ suis incantamentis plerosque excæcauit, nulla morbi causa apparente.

EGIDIVS de Raxa, Galliæ marescalcus, veneficus, item mulier quædam Abbe Villensis. Vide tit. Veneficij pœna.

ARCHIDIACONVS quidam Sabinum episcopum Canusinum veneno per puerum tollere conatur. Vide Sabini vitam, sub tit. Doctorum ecclesiasticorum.

Quidam prouincię Narbonensis accolæ, lepra correpti, regnante Philippo Gallorum rege eius filio, qui Pulcher cognominatus est, deprehẽsi sunt, sanie è corporibus suis manante, aliáque tabe, clàm puteos inficerent: ad vniuersum populum, qua ipsi laborabant, lepra transiret. Quorũ scelus cum aliorum valetudini infestum esset, omnes viui in domib. suis combusti fuerunt. Scelus profectò ingens, ad quod Iudæi eos impulerãt, vt alienæ valetudini inuidendo, similes sibi facere alios bene valentes quærerent. Fulg. lib. 9. cap. 11.

LATRONES.

DISMAS fuit latro, qui ad Christi dextram in cruce pependit, & scelerum veniam impetrauit.

BARRABAM fuisse latronem, docent sacrosancta Euangelistarum verba.

SISYPHVS Æoli filius, latro fuit in Isthmo, quem Theseus occidit.

CERCYON Atticam regionem latrociniis infestauit. Ouid. Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleusis.

SCYRON latro in Attica in scopulo sedens, hospites cogebat sibi pedes lauare, aut se adorare. Quod cùm facerent, eos in mare præcipitabat. Quem Theseus occidit. Postmodum eius ossa in saxa mutata dicuntur. Fabula extat apud Ouidium lib. 7. Transmut.

ATTABAS & NVMENIVS latrones fuerunt famosissimi, qui sequenti adagio locum fecerunt: Conuenerunt Attabas & Numenius: quoties improbus aggregatur cum improbo. Author Diogenianus apud Erasmum.

Procustes latro fuit insignis in Attica, qui hospites interimebat. Tandem & ipse interfectus est ab Hercule. Ouid. lib. 7. Vidit & imminentem Cephesias ora Procustem.

Scinis latro fuit in Isthmo Corinthiaco, qui homines arboribus alligatos, discerpebat in frusta. Hunc Theseus victum, eodem modo interimi curauit.

Marclydam Tortelius ait fuisse latronem in sylua Dodonæa.

Macareus latro. Vide tit. Perfidiæ erga hospites.

Ammianus Marcellinus scribit, ARSACEM Parthorum regem inter adolescentiæ rudimenta ductorem fuisse latronum: verùm mutato postea in melius proposito, multa gloriosè & fortiter egisse, superato etiam Nicanore Seleuco Alexandri successore. Alex. lib. 1. cap. 2.

Polychares quidam Messenius fuit, cùm cætera minimè obscurus, tum verò Olympica palma nobilitatus: (quarta enim Olympiade, cùm apud Eleos vnicum esset de stadio certamen, victor renunciatus est) boues habuit multas, quib. alendis cum propria non suppeditarent pascua, locauit eas Spartano homini EVAEPHNO, in ipsius agro pascendas, ea mercede, vt esset foeturæ particeps. Erat eiusmodi vir ille, vt perfacilè quæstui fidem posthaberet. Is in Laconiam nauibus veniens, pecus mercatoribus venundedit: atque inde quasi inopinatæ rei nuncius vltrò ad Polycharem venit: prędones excursione in eum agrum compascuum facta, boues sibi illas per vim, & simul bubulcos abegisse. Quæ cùm propè iam Polycharę persuasisset, interuenit his sermonibus de bubulcis vnus, qui à mercatoribus aufugerat. Hic apud Polycharen venit, Euæphnum dominũ acerbè expostulans, redarguit. At ille cùm pernegare non posset, ad preces confugit: suppléxque id sibi vt ignosceret, cùm Polycharen ipsum, tum eius filios rogabat. Indicauit Euæphnus, quanti boues vẽditę essent: ac se precium repositurum, si Polycharis filius secum isset, repromisit. Cum eo itaque à patre iuuenis missus est. In Laconiam vbi vẽtum est, fœdius multo addidit illi scelus. Adolescentem enim interfecit. Eius rei immanitate grauiter (vti par fuit) commotus Polychares, Lacedæmonem veniens, ad reges & Ephoros de filij cæde assiduè, multísque cum lachrymis quæritatur: exponebat insuper quas ab eo homine, quem sibi hospitem asciuerat, cuique præ cunctis Lacedæmoniis fidem habuerat, iniurias accepisset. Verùm cùm eadem apud omnes magistratus iterãdo, nihil omnino ad rei pœnam profecisset, iam mẽtis parum compos, furoríque suo nimio plus indulgens, in quemcunque incidisset Lacedęmoniorum, eũ tanquam hostẽ morte multabat. Fuit hæc non minima causa belli inter Spartanos & Messenios. Pausanias lib. 4.

CORACOTA latro insignis in Hispania fuit. Eum qui cępisset viuum, decem aureorum millia ab Augusto accepturus videbatur. Ac postquam is vltrò Augusti fidei se commisit, immunitatem ei concessit, & muneribus insuper affecit. Dion in Augusto.

Viriatus Lusitanus, latro insignis fuit, cui exercitus imperatorésq; Romanorum cesserunt: quẽ C. Lęlius, is qui sapiens vsurpatur, prætor fregit, & comminuit: ferocitatémque eius ita repressit, vt facilè bellum reliquis traderet. Cicer. lib. 2. Offic. & Front. lib. 2. cap. 5.

BARGVLVS Illyricus latro, de quo est apud Theopompum, magnas & amplissimas collegit ex latrocinio opes. Cuius rei mentionem facit Cic. lib. Offic. 2.

BVLAS famosissimus latro, qui sub Seuero imperatore per totam Italiam, comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prędas fecit: posteaquam Centurionem vitę insidiatorem cępisset, raso capite ad Seuerum imperatorem remisit: cúmque interrogaretur, quid imperatori vellet nunciari? Nuncia, inquit, dominis tuis, ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur. Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo certo stipendio. Xiphilinus, in vita Seueri.

IDEM cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano pręfecto prętorio interrogatus, Cur latrocinium fecisset? respondit: Et tu dic, cur pręfectus sis. Erat nimirum Papinianus homo prędiues, & magnę apud Cęsarem existimationis, & propter opum suarum splendorem in aulam admissus: Bulas verò penuria rerúmq; egestate vexatus, latrocinio victum quęrere cogebatur. Idem.

Probus quum multa barbarorum loca purgasset latrociniis, vbi peruenisset ad ISAVROS, dixit: ab illis locis facilius arceri latrocinia, quàm tolli. Sentiens, esse dandam operam, ne latronibus illuc esset aditus, nève iuuenes latrocinari discerent. Itaque loca omnia quæ angustum haberẽt aditum, veteranis concessit: addens, vt eorum filij ab anno 18. ad militiam mitterentur, ne antè latrocinari discerent, quàm militare. Hoc tum rectè Probus, quum multum interesset inter militiam & latrocinium: nunc friuolum est. Vopiscus.

Balista ludimagister quispiam, ob infamiam latrociniorum lapidibus coopertus est, in quem Vergil. hoc disticho lusit: Mõte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus, Nocte diéque tuum carpe viator iter.

TETRINIVS, teste Suetonio, fuit latro: qui quum postularetur, eos qui postularent Tetrinios esse ait Caligula Imp. hoc est, ipsos accusatores latrones esse, & tales, qualis dicebatur Tetrinius.

SPARTACVS latro, & gladiatorum princeps, collecta fugitiuorum & perditorum hominum manu, bellum Romanis intulit. Hunc vicit P. Crassus.

CAPITON latro, quum aliquandiu latrociniis vacasset, pertęsus vitę illius, transiuit ad heremum, vbi annis quinquaginta durauit in quodam antro.

DAVID latro fuit in Thebaide superiore apud Hermopolim, qui cũ aliis triginta prędonibus quęstum solo parabat furto. Tandem meliore ductus spiritu, inclusit se monasterio vbi ad mortem vsque sanctissimè vixit. Fulg. lib. 6. cap. 9.

MOSES Æthiops natione, pręsul antea Saracenorum, captus deinde ab Ægyptiis, ob vitia à dominio repulsus, in latrociniis aliquandiu vixit. Conuersus deinde ad frugem peruenit, & monasticam vitam amplexus est. Ex historia Tripartita.

Garamantes in Libyo locorum natura freti, latrocinio victitant, in nautas, vi tempestatis in breuia Syrtium delatos, vadatim grassantes. Sabellicus lib. 6. cap. 1.

Carnificis latrocinium horrendum, pete ex tit. Iniustè damnati.

Othomanus primus Turcarum Imp. agricola fuit, & in Bithynia latrocinia exercuit. Egnat. lib. 3. cap. 4.

TAMBVRLANVS pastor, latronum princeps, regnum Persarum inuasit. Vide tit. Ex humili loco reges facti.

SICARII.

Consule tit. Monomachiæ occultæ.

Opilivs Macrinus(vt scribit Aurelius Victor,& Capitolinus)libertini generis,venali fide,Caracallam imperatorem suum, dum ex equo mingendi causa descendisset, in secessu interfecit.Volaterranus libr. 23. Anthrop.

HOMICIDÆ INIVSTI.

Latissimè patet locus iste,& respectu personarum diuidi etiam potest,vt qui reges bonos interficiunt,qui parentes,qui præceptores,&c.Nos pauca tantùm in medium afferemus.

Quia sacerdos Abimelech confortauit Dauidem,Savl occidit eum cum alijs sacerdotibus,mulieribus & paruulis.1.Reg.22.

David Iudæorum rex,Vriam militari virtute ac fide insignem virũ (Bersabe Vriȩ coniugis amore inflammatus,qua viuente Vria potiri desperabat)vt explere libidinem posset,qua nimium stimulabatur,aduersus Philistȩos,quib.cum bellum gerebat,Vriam misit:atque ad militares duces suos in castra perscripsit,vt Vriam in eas expeditiones mitterent(eũ enim aduersum se conspirasse criminabatur)vnde regredi non posset.Simul cum mendacio cædem atque adulterium insigni proditione perpetrauit.Fulg.lib.9.cap.6.

Ioab,Amasam quasi osculari eum vellet,occidit.2.Reg.20.

Alexander Macedo violentus,per ebrietatem præcipuos amicos interfecit:Clitum,qui in mensa Philippum Alexandro prætulit,Philotam,Parmenionem & Callisthonem, Aristotelis propinquum, quem inter charissimos habuerat.

Cassander Antipatri filius,post mortem patris, vti succederet, Olympiadem cum Arideo priuigno,& Herculem interfecit.Volat.libr. 13.cap.3.Anthrop.

Prexaspes iussu regis Cambysis,Smerdem eius fratrem interfecit Susis in venatione,aut(vt alij volunt)in mari rubro incautum submersit.Herod.lib.3.

Nelevs Codri filius,cùm regno pulsus Athenas relinqueret, propterea quòd oraculum Apollinis Medonti(qui in coloniam ex vrbe migrauerat)imperiũ destinaret,ad Naxũ non voluntate,sed tẽpestate delatus appulit.Soluere verò inde volentem,contrarij vẽti exorti prohibuerunt.Qui quũ quid factu opus esset ãbigeret,vates responderunt.oportere expiari,& purgari exercitũ,eo quòd multi simul nauigarẽt,qui pollutis & contaminatis essent manibus.Itaque simulauit etiam ipse se puerum trucidasse,& purgationis indigere.Sic aliis quoque qui sibi cȩdis cõscij essent,persuasit.Quod cùm factum esset,patefactis iam qui se contaminassent,eos reliquit.Illi verò Naxum inhabitarunt. Neleus autẽ peruenit in Ioniam.Ælian.lib.8.de Varia hist.

Sybaritæ citharœdum in templo occiderũt.Vide tit.Templa sanguine polluta.

Appivs Claudius decemuir,non sine collegarum consensu,scelerata proditione vsus est,cùm L.Siccium cum exercitu aduersus Crustumerorum populum legatum misit:ordinauit enim, vt qui eum in castra sequebantur,cum eo per noctem ad explorandum castrorum locum profecti,se in hostium insidias incidisse fingerent,atque ita eum occiderent. Perfidus enim Claudius nullam Siccij virtutis,qua sæpe patriam defenderat:neque publici officij,neque quòd propter ciuiles contentiones tãto ciue patriam priuaret,rationem habere voluit.Fulg.lib.9.cap.6.

Cinna,& C.Marivs,post bellum in vrbem recepti,cædibus omnia compleuêre.Inter quos Cn.Octauium consulem,M.Antonium oratorem,L.Cȩsarem iugularunt,eorúmque capita in rostris posuerunt.Testis est Volat.lib.14.cap.2.Anthrop.

Dolabella partium Cæsarianorum,Trebonium,vnum ex Cæsaris percussoribus,Smyrnȩ crudeliter interfecit,ex quo hostis à senatu iudicatus est. Volat.lib.15.Anthrop.

L.Ballienvs centurio, Catilinæ auunculus ,Lucretium Asellam consulatum contra volũtatem L.Syllæ petentem occidit in medio foro. Pedianus.

Tiberivs princeps Asinium Gallum insignem oratorem,nulla manifesta de causa interfecit. Volat.lib.13.Anthrop.cap.4.

Constantinvs iunior Ablabium,quem parens illi Imperij rectorem adiunxerat,vt solus imperaret, interfecit. Author est Ennapius in vita Ædesij,& Volat.libro 13.cap.3.Anthrop.

Theodorvs Lascaris Petrum Altisiodorensem comitem,Gallum, & Imperatorem iam electum,in conuiuio gladio interfecit.Volat.lib.23. Anthrop.

Grimoaldvs dux Taurinatium , Godobertum filium Aripertbi regis Longobardorum dolo interfecit Sigebertus in Chronicis.

Landericvs Chilpericum noctu à venatione domum redeuntẽ in saltu quodam obtruncat.Michael Ritius Neapolitanus lib.1.de Regibus Francorum.

Vvinemarvs satelles Balduini Flandrensium comitis, Fulconem Remorum archiepiscopum(eo quòd abbatiam Vedasti Attrebatis à Carolo in beneficium acceperat,quam Balduinus iam per aliquot annos, quamuis nullo concedente,inuaserat)interfecit. Sigebert.in Chronicis.

FVRTA LITERARIA.

Pertinet titulus iste ad Ambitionem ἐν λήψει,quatenus labores aliorum in Theoricis ambitiose in seipsum deriuat. Huius verò loci est, quatenus alteri id quod illius est surripit.Vide tit.Famam nominis ex aliorum sudoribus in se transferendis aucupari.

Evgamnvs Cyrenȩus poeta,eo tempore Theogoniam scripsit,quo Panathenæa ab Atheniensibus celebrari cœpta sunt.Hic integrum volumen de Thesprotiis à Musæo furto sustulit.Gyrald.Dial.3.histor.Poet.ex Clementis lib.6.contra Gentiles.

Eriphvs in fabula Melibœa integros versus Antiphanis ab Athenæo dicitur surripuisse.Gyrald.in hist Poet.

Chrysippvs Solensis alienis plumis opera sua exornare sólebat, ita vt in quodam opusculo totam Euripidis Medeam inseruerit. Vnde cũ quidam in manibus habens librum , interrogaretur , quídnam inesset? Chrysippi Medea,respondit.Apollodorus certè de eo sic scribit: Si quis tollat de Chrysippi libris quæ aliena sunt,vacua illa charta relinquetur. Laert.lib.7.& Volat.lib.14.cap.2.Anthrop.

Carneades eum furem & parasitum appellabat, quòd scripta Epicuri iisdem verbis & numeris furaretur.

Menander nouæ comœdiæ princeps,antiquorum poetarum fur fuisse dicitur ab Eusebio & Porphyrio.Qua de re Aristophanes grammaticus eum amicè sæpe monuit.Cratinus de Menandri furtis sex libros edidit.Clemens quoque in quinto libro Stromatωn,eũ multa ab Hebrȩorum poetis desumpsisse ostendit.Testatur idipsum Euseb.Pamphili. Gyrald.Dialogo 7.hist.Poet.

Cn.Flavivs,libertinus & scriba Appij Claudij , librum Actionum ciuilium formulas continentem,patrono surreptum populo exposuit:eáque re populũ sibi ita deuinxit,vt & ædilis & tribunus fuerit factus.Vide tit.Legislatorum.

Vergilivs,cùm sibi exprobratum esset,quòd versus Homericos abstulisset, & in Operis sui congeriem redegisset:respondisse traditur, magnarum esse virium,auferre clauam de manu Herculis.Non dissimulans,se illis versibus non precariò,sed pro suis vti.Petrarcha de Iocis.

Demetrivs Latinus poeta,ab Horatio ridetur,quòd aliena carmina surriperet,& pro suis cantaret,vnde & Simius dicitur ab eo,cùm ait:

Simius iste nil præter Caluum & doctus cantare Catullum.

Celsvs ex cohorte Tiberij Cæsaris , aliena pro suis edere solebat. De quo sic Horatius in Epistolis:

Quid mihi Celsus agit,monitus,multúmque monendus
Priuatas vt quærat opes,& tangere vitet
Scripta,Palatinus quæcunque recepit Apollo:
Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas,moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus. ----

FVRES.

Exempla aliquot ex tit.Charitatis erga inimicos,depromes.

Mercvrivm furem poetæ faciunt,atque etiam Deum furum. Lactátius:Fur ac nebulo Mercurius,quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum?Mantuanus:

---Thetidósque cubile
Peleus incestat,rector Neptunus aquarum
Phorcida, Deucalidem fraudis furúmque magister
Mercurius.

Avtolycvs Mercurij & Telanges Luciferi filiæ F.pater Anticleæ matris Vlysis,à patre Mercurio donum accepit, furandi artem , & ea quæ furto sustulisset peregrino colore obducendi,ne deprehenderetur.Eustathius Iliad.x.

Prometheus Deucalionis pater,& Iapeti filius , post factos homines, auxilio Mineruæ ascendit in cœlum,& ignem ferula de rota solis, surripuit,quem hominibus indicauit.Quapropter irati dij , febres & morbos terris immiserunt:Prometheum autem per Mercurium Caucaso alligauerunt,adhibita aquila, quæ eius cor exederet.

Amasis Ægyptiorum rex,cùm adhuc priuatus ageret,potandi iocãdique cum dicacitate studiosus fuit, & neutiquam rerum agendarũ anxius.Quotiesautem eum potantem ac se oblectantem,necessaria defecissent,solebat circumeundo furari.Ac cùm reposceretur ab his , qui dicerent eum ipsorum habere pecuniam, ac negaret, adducebatur ad oraculum quodcunque eo in loco esset : & frequenter ab oraculis conuictus, frequenter absolutus fuit.Postquam assecutus est regnum, quicunque dij eum furti absoluerant,illorum templa neque curæ habuit, neque vlla re donauit,tanquam nil mererentur , quòd redderent falsa responsa. Qui autem eum pronunciauerant furem, hos tanquam verè deos , nec mendacia reddentes oracula,maximè coluit. Herod.lib.2.

Apud Persas fuêre Cardaces, quibus nullus erat rapinis modus. nam per occasionem & licẽtiam rapto viuere permittitur. Alex.ab Alex. lib.6.cap.10.

Argivi antiquitùs furacitatis infamia laborarunt : vnde adagium, Argiui fures.

Lycurgi legibus cùm furta permitterentur , solúsque qui deprehenderetur,pœnas negligentiæ daret:Pver quidam vulpeculam furatus, aduenientibus qui amiserant ad quærendum, vestibus occuluit.Feram verò fæuientem,ac pueri ipsius latus ad intestina vsque lacerantem , tantisper tolerauit. Dum autem quærentes abirent , reprehensus à pueris quibusdam,dicẽtibus melius fuisse,manifestare vulpeculam , quàm vsque ad mortem occulere:Minimè,inquit puer:sed multo satius est mori , quàm in furto deprehendi.Plut.in Lacon.Bruson.lib.2.cap 1.

Cum in balneis vidisset λωποδύτην Diogenes,id est Fvrem vestium, dixit illi:Num ad vnctiunculam, an ad aliud vestimentum ? Rursum lusit affinitate vocum,quæ Latinè reddi non potest,Græcè est ἐπ' ἀλειμμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον? dictiones minimo discrimine soni inter se differunt. ἄλειμμα ab ἀλείφω, vnguentum est, vnde & aliptæ dicti : inde ἀλειμμάτιον diminutiuum.ἄλλ' ἱμάτιον duæ dictiones,sed ob συναλοιφὴν propemodum vna videtur:quam si remoueas,est ἄλλο ἱμάτιον , id est, aliam vesticulam. In balneis enim olim vngebantur,& ibidem fures suum agebant negocium,quòd positis vestibus lauare mos est.Notabat itaque furem , quòd alibi furatus vestem,eò venisset alteram furaturus. Laert.lib.6.& Bruson. lib.2.cap.40.

Idem conspiciens Fvrem purpuræ comprehensum,Homericũ carmen in eum detorsit:ἔλλαβε,inquit, πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή : id est, Te mors purpurea apprehendit, violentáque Parca.Laert lib.6.

Tauroscythas furandi licentia victum sibi quærere , apud Herodotum legimus.

Germani prisci & Ægyptij,furta legibus inulta reliquere: testante Alex. ab Alex.lib 6.cap.10.

Dionysivs senior,cùm sceleris conuictos grauius puniret , illos tamen qui vestes in conuiuiis furabantur, impunè abire permisisse fertur,vt Syracusanos à compotationibus retraheret.Ibidem.

Evrybatvs latro fuit astutia singulari,quem deprehensum quum custodes vellent cogere,vt ostenderet quibũsnam modis consuesset domos conscendere:ille aptatis spongiis & stimulis , ferreísque retinaculis irrepsit in parietem:& spectantibus illis, artificiíque nouitatem mirantibus , prehenso laqueari per tegulas effugit , eóque modo periculum euasit.Hinc Eurybatissare verbum,id est malis moribus vti.

Cacvs Vulcani filius , boues & armenta suffurabatur in Auentino monte : quæ versis vestigiis cauda trahebat in suam speluncam, vt furtũ non agnosceretur.Hunc Hercules dedit morti.

Voranvs fuit Q.Luctatij Catuli furacissimus libertus,quem numularius numos de mensa subtrahentem,& in calceos infarcientem,deprehendit.

Martialis li.12.incessit Hermogenem et Massam fures:hunc numorum,illum mapparum,vbi ait:

Hermogenes tantus mapparum Pontice fur est,
Quantus numorum vix puto Massa fuit,&c.

Martialis lib.6.Epigrammatum,arguit furti Cilicem quendam,his verbis:

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum.

Qvidam horologium Carolo v.Cæsari abstulit.Vide tit.Clementiȩ erga eos qui damno nos afficiunt.

ABIGEI.

PLAGIARII.

Tyttigias fuit plagiarius in Arcadia,qui res alienas(quas furto abstulerat)vendebat: eóque quæstu diues factus est.Rauisius.

PECVLATVS.

Consule tit.Astuti fures.

Trophonivs & Agamedes fratres, peculatum committunt. Vide tit.Oraculorum clarorum de liberis.

Diogenes conspicatus duci Qvendam, qui phialam ex ærario furtiuus sustulerat(ducebatur autem à magistratibus , quos illi ἱερομνήμονας appelant)Magni,inquit Diogenes,fures paruum ducunt.Vtinam hoc nõ possit verè dici in magistratus aliquot Christianos,à quibus ad laqueum adigitur interdum,qui decem drachmas sustulit:ipsi impunè magnis furtis,vel peculatu potius ditescunt.Laert.lib.6.

Pamphilvs veteris comœdiæ conuiciis notatus est , quòd ærariũ expilasset.

L.Tvbvlvs homo flagitiosus,quòd multis sacrilegiis & peculatibus vitam infamasset,multámque pecuniam malo cœpisset dolo,Lucillij satyris notatus est.Asconius Pedianus ait,virum fuisse prȩtorium ætate patrũ Ciceronis,qui propter multa flagitia de exilio accersitus , ne in carcere necaretur,venenum hauserit.

RAPINÆ, EXACTIONES, TRIBVTA, vectigalia iniusta.

Consule tit.Auaricia ἐν λήψει.Illic enim nimij accumulandarum opum studij ratio habetur:hîc verò iniustitiæ in iis accumulandis.Item tytulum Tyrannorum.

C.Verres Siciliam compilauit, sublatis deorum simulacris , ornamentísque fanorum.Eum propterea Cicero comparauit Dionysio.

C.Caligvla Romanorum Imp.in Galliam magno cum exercitu profectus,iniquas ibi exactiones instituit:& cùm aliquando alea luderet , sibique pecuniam deesse intelligeret , eam ob causam Gallos iterum censuit,atque eorũ locupletissimos interfici iussit.Ad collusores suos dicens, Vos de paruo quidem drachmarum numero contenditis, at ego collegi aureorum sexagies centena millia.Xiphilinus,Dionis abbreuiator.

Idem ex gerulis octauam partem,ex prostitutis quantum vnaquȩque vno concubitu mereret,à suis tributi nomine exegit. Alex.ab Alexand. lib.4.cap.10.

Nero expilauit prouincias , spoliatis etiam in vrbe templis , quod triumphis & religioni vniuersus populus Romanus in metu sacrauerat. Per Asiam & Achaiam,non dona tantùm,sed ipsa etiam numinum simulachra quantuliscunque ornata diuitiis abripuit.author Cor.Tacitus.

Idem nunquam cuiquam officium delegauit,nisi hæc adiiceret : Scis quibus mihi est opus:& hoc agamus,ne quis quid habeat. Vox prædone,quàm principe,dignior.Eras.6.Apoph.

Idem cùm thesauros suos omnes exhausisset turpissimè,noua exegit vectigalia:imposuit exactiones ciuibus,& inhiauit locupletum facultatibus,quas per iniuriam abstulit à multis , eorúmque nonnullos turpiter occidit.Xiphilinus,Dionis abbreuiator in eius vita.

Vespasianus Romanorũ imperator,post expugnatam vrbem Hierosolymitanam:cùm Alexandriam ingressus esset,magnã ab incolis pecuniam exegit:atque tam multã collegit,nullo genere tributi prȩtermisso, vt ne mendicis quidem pepercerit,ac de diuinis humanísque rebus pecuniam fecerit.Multa enim vectigalia,quæ iam solui desierant, renouauit, auxítque multa ex iis quæ obtinebant : ídque in cæteris prouinciis subditis

imperio Romano, ac postea in vrbe fecit. Quam ob causam Alexandrini multa conuicia in eum iactabant: dicebántque præter cætera, eum sex obolos exigere. Vnde Vespasianus, vir alioqui mitissimus, tanta ira commotus est, vt viritim sex obolos persolui iusserit, statueritq; suppliciũ de iis capere. Quorum pœnam cùm Titus deprecaretur, eis nihilo magis pepercit. Neque verò Alexãdrini eam ob causam desistebant, sed publicè exclamabant: Ignoscimus Vespasiano regnandi imperito. Quæ cùm temerè effutirent, eadem petulantia, qua discedebant è vita, inferos explebant. Xiphil. in vita Vespasiani.

IDEM, quoniam rapacissimum quemque promouere solebat, vt mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est officiarios suos habere pro spongiis: quòd veluti spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Sueton.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator, cùm multa præter dignitatem suam faceret, ciues omni pecunia exhausit. & supra alias pecuniæ exactiones, quæ erãt innumerabiles, senatores coegit, vt propriis expensis complures domos, & sumptuosissima diuersoria in mediis itineribus ædificarent: in quibus non modò habitauit nunquam, sed neque magnam eorum partem vidit vnquam. Præterea Amphitheatra, & circos in omnibus locis, in quibus hyemaret, aut se sperauit hyematurum, extrui alienis sumptibus curauit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

IDEM præficiebat certaminib. vnum ex libertis cæterísque locupletibus, vt in ea magnos sumptus facerent, eósque colebat sub flagello, atque aureos ab iis quasi homo abiectissimus petebat. Igitur quamdiu principatum tenuit, adeò omnis orbis terrarum, qui erat sub eius imperio, vastatus atque direptus est, vt ludis circensibus populus Romanus ita conclamauerit: Nos viuos perdimus, vt mortuos sepeliamus. Crebrò enim dicebat, pecuniam sibi soli esse oportere, præterea nemini, vt eam daret militibus. Cúmque Iulia ipsum argueret, quòd nimios sumptus faceret in milites, diceretque nõ sibi multos redditus iure aut iniuria partos reliquos esse: gladiũ ostentans respondit, Bono sis animo, inquit, mater. nã nobis, quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit. Dion & Xiphil.

COMMODVS Romanorum imperator in natali suo die, vxoribus senatorum, eorúmque liberis singulis binos aureos, tanquam aliquas primitias imperauit, ídque tributum pendere coegit. Itémque ex senatoribus, qui in reliquis ciuitatibus erant, quinque drachmas exegit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Commodi.

ALEXANDER Seuerus brachariorum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & aliarum artium tributa instituit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap 10.

AISTVLPHVS Longobardorũ rex, cõtra Romanos adeò exardescebat, vt ab vniuscuiusque capite tributum exigeret. Sigebertus in Chronicis.

CONSTANS tertius Phocæ Imperatoris ex Constantio imperatore maiore natu filio nepos, ex Græcia ad vrbem Romam profectus, omnibus sacris profanísque locis spoliatis, quinque diebus, quibus in ea vrbe mansit, tantum statuarum ac reliquorum ornamentorum inde abstulit, quantum antea ex magno numero omnes Barbari, qui vrbem Romam diripuerant, non abstulerunt, adeóque acerbè populos Imperio parentes, atque non in postremis Siculos grauibus tributis pressit, vt multi filios vẽdere cogerẽtur: adeò à primis principib. degenerauit, qui non solum ornare studebant vrbem Romam, verùm etiam victui necessaria populo, atque insuper pecuniam largè præbebant: id gloriæ ex donationibus quærentes, quod in rapiendo Constans sibi proposuerat. Cæterùm cum in Sicilia à militibus suis interfectus esset, Saraceni, qui per id tempus in Sicilia Panormum vrbem occuparant, in Africam omnes Constãtis rapinas deuexerunt. Cui id contigit, quo plerunque auaris solet, vt opum, quas rapinis congesserunt, hi possessores fiant, quos minimè arbitrabantur, ac penes raptorem auarúmque infamia ac crimen maneat, cũ alij recto Dei iudicio rapinarum commodo ac voluptate perfruantur. Fulgos. lib. 9. cap. 4.

PIRATÆ, PRÆDONES MARINI.

BASILVS prædo apud Lucanum. Rauisius testis, vt & sequentes.

CILICES hircos habent villo tonsili, vnde vestes conficiunt, quas Cilicia & Cilicina dicimus. Mar. lib. 7. Qualem forpicibus mittit supinis Tonsor Cinyphio Cilix marito. Infames fuerũt immanitatis & crudelitatis nomine, ob assiduas hospitum deprædationes, & piraticã quam exercebant.

CERPALVM Tortellius inter piratas numerat.

ICARION, nomen fuit sæuissimi piratæ.

MNAS pirata, qui sub Sexto Pompeio oras Italiæ, & omne circùm pelagus prædatoria classe infestabat.

HARPALVS fuit insignis & felix prædo, qui authore Tullio libro 3. de Natura deor. diis illudebat, quòd in illa fortuna tamdiu viueret.

SCIRPALVS piratarum princeps, à quibus Diogenes Cynicus in Æginam nauigans comprehensus, & in Creta Xeniadi Corinthio venditus fuit. Laert. lib. 6.

SAMII craterem ęreum trecentarum amphorarum capacem, à Lacedęmoniis Crœso Lydorum regi dono missam interceperunt: item thoracem lineum, frequentibus animalium figuris ex auro & lana versicolore à ligno intertextum, in quo cùm exiles sint venationes, tamen singulæ in se habebant tricenas & sexagenas bestiolas: quẽ Amasis rex Ægypti Lacedæmoniis dono miserat. Eam ob causam à Lacedæmoniis postea bello impetiti fuerunt. Herod. lib. 3.

PIRATA quidam populabundus discurrebat per agros Lacedæmoniorum. Is vt captus est, rogatus cur id ausus esset? Quoniam, inquit, deerat mihi commeatus, quem militibus præberem, ad eos veni, qui & habebant, nec sponte dabant, vi erepturus. Ad id Cleomenes: Cõpendiosa, inquit, malicia. Detestatus prædonis nefarium scelus, probauit tamen orationis expeditam breuitatem. Plut. in Lacon. apoph.

DIONYSIVS Phocensis, dux fortissimus, commissa apud Miletum nauali pugna contra Persas, cùm Iones, quibus ipse auxilio venerat cum tribus nauibus, victos esse videret, captis tribus hostium nauibus, rectà contendit in Phœnicem: vbi nauibus onerariis spoliatis, raptáque ingẽti pecunia, in Siciliam nauigauit, & latrocinia exercuit, in nullum quidẽ Græcorum, sed in Carthaginenses ac Tyrrhenos. Herod. lib. 6.

BAVO, vel Bano, vel Allouinus, prædo fuit: sed postea ab Amato episcopo Senonense conuersus, clericus factus est in monasterio Gandauẽsi. Cùm in eum incidisset quem olim captum vendiderat, ad pedes eius prouolutus, se vinciri, publicæque custodiæ tradi imperauit. In vinculis illis mortuus est, anno 630. Vincentius lib. 24. cap. 6. Vide tit. Pœnitentiæ religiosæ.

SEXTVS Pompeius, Pompeij Magni filius, piraticam itidem exercuit. Idem Lucanus: Sextus erat magno proles indigna parẽte, Qui mox Scyllæis exul grassatus in vndis, Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.

ROTHONEM quendam Saxo Grammat. inter piratas numerat: Ea tempestate (inquit) Rotho Rutenorum pirata, patriam nostram rapinæ & crudelitatis iniuriis profligabat.

THORIAS & Bero eodem teste piraticum munus exercuerunt.

HONORES DIGNIS ADIMERE. REPVLSA INIVSTA.

Exempla pete passim ex titulis præcedentibus Vt plurimùm enim qui honorem debitum non exhibet, eodem animo si quos habet quoque adimit.

ISRAELITA populus in deserto Deo seruatori, & suo duci sæpe ingratus, paucorum impulsu de imperio Mosi abrogando, & Aharoni sacerdotio cogitauit, beneficiorum immemor: abrogassétque hauddubiè omnibus suffragiis, nisi diuinum oraculum, ad quod res delata est, Aharoni sacerdotium stabilisset, reddidissétque Mosi imperium adhuc augustius: Abyro, Datan & Chore, seditionis autoribus, manifesta numinis ira, subito terræ hiatu absorptis. Sab. lib. 5. cap. 5.

LEONTIVS sacerdotio nedum repulsus, verumetiam cùm eo fungeretur priuatus, haud multo pòst Antiochenę ecclesię patriarchatum obtinuit. Fulg. lib. 7. cap. 5.

[redacted]

THEODOSIVS sacerdotio ab Eugenio pontifice priuatus, ab eius successore Gregorio quarto, nõ modò adempti sacerdotij honorem recepit, verùm Saguntinæ quoque ecclesiæ antistes designatur. Fulgos. li. 7. cap. 5.

GABRIEL Condelmarius, patricius Venetus, qui à Gregorio duodecimo pont. Senensi ecclesiæ præfectus, à Senẽsibus ciuibus reiectus fuit, Martino quarto, sub Eugenij quarti nomine, in pontificatu successit: vniuersæque ecclesiæ omnium consensu præfectus fuit, qui vnius creatus episcopus, ab eius populo repulsam tulerat. Ibidem.

C. MARIVS, cùm à spe consulatus longè abesset, & iam septimum annum post præturam iaceret, neque petiturus vnquam consulatum videretur: Quintum Metellum, cuius legatus erat, summum virum, & ciuem, cùm ab eo imperatore suo Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est bellum illud ducere: si se consulem fecissent, breui tempore aut viuum, aut mortuum Iugurtham se in potestatẽ pop. Rom. reducturum. Itaque factus est ille quidem cõsul: sed à fide iustitiaque discessit, qui optimum & grauissimum ciuem, cuius legatus, & à quo missus erat, in inuidiam falso crimine adduxerit. Cicero lib. 3. Offic.

INIV-

INIVSTICIÆ DISTRIBVTIVÆ SECVNDA species: quæ alteri, ea quæ meretur ex virtute, non tribuit.

LITERARVM ET DOCTORVM HOMINVM CONTEMPTORES.

DOCTI viri in nullo habiti precio.

Consule tit. Docti homines, qui præceptorum loco colendi erant, contempti. Item, Odium Dialectices, Rhetorices, Matheseos, &c. Iis enim in locis ignorantiæ, quam comitatur odium scientiarum, ratio habetur: hic verò ipsorum hominum doctorum, quibus id quod ex merito debebatur, non tribuitur.

LACEDÆMONII literarum omnium rudes erant. Ipsis enim curæ erant exercitia corporum, & arma. Si quando verò doctrinarum auxilio opéque vel ægrotantes, vel perperam sentientes, aut alioquin publica calamitate affecti indigerent, consulebant homines peregrinos, vt medicos, aut vaticinium Apollinis. Accersiuerunt autem Terpandrum, Thaletem, Tyrtæum, Cedoniatam, Nymphæum, & Alcmanam, qui fistulicen erat. Et Thucydides refert, imperitos fuisse doctrinæ & literarũ: de Brasida inquiens, eum dicendi imperitum fuisse, vt Lacedæmonium, non aliter quàm idiotam quendam. Ælia. lib. 12. de Varia historia.

Ex veteribus THRACIBVS neminẽ aiunt literas nouisse. Turpissimũ enim putarunt, & summum dedecus, inhabitantes Europam Barbari, literis vti. Asiatici verò (vt fama est) magis sunt eis vsi. Vnde affirmare etiã audent, ne Orpheũ quidem sapientem fuisse, quòd ex Thracia sit oriundus: sed eius carmina vanis mendaciis esse referta. Hæc Androtion memoriæ prodidit, apud Ælianum lib. 8. de Varia hist.

C. MARIVS neque didicit literas Græcas, neque sermone Græco vlla in re vsus est seria: ridiculum ratus ea discere, quorum magistri aliis seruirent. Plut. in Mario.

C. CALIGVLA cogitauit de Homeri carminibus abolendis, & parum abfuit quin Vergilij & Titi Liuij scripta, simul & imagines ex omnibus Bibliothecis amoueret: quorũ alterum vt nullius ingenij, minimęq́; doctrinæ, alterũ vt verbosum in historia, negligentémq́; carpebat. Senecam etiã tunc maximè placentem, arenam esse sine calce dicebat. De iuriscõsultis, quasi eorum scientiæ omnem vsum aboliturus, sæpe iactauit, effecturum sese, ne quid præter æquum respondere possint. Sueton.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator, philosophos omnes Aristoteleos tanto est odio prosequutus, vt voluerit libros Aristotelis comburere. sodalitates, & cætera commoda quæ habebant in Alexãdria, sustulit: criminatus eos potissimùm, quòd Aristoteles causa mortis Alexandri visus esset. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Antonino.

LICINIVS Imperator, fuit literis adeò infestus, vt virus ac pestẽ publicam eas appellaret. Sed cur, inquit Bapt. Egnat. eas non odisset, quarum adeò expers erat, vt ne decretis quidem subscribere posset?

VALENTIANVS imperator, Gratiani filius, magno literarum odio conflagrauit.

Hispani ad annos quingentos & amplius, adeò à studiis humanitatis abhorruerunt, vt qui literis operam impenderent, apud eos ignominia propemodum notarentur. Panormita de rebus gestis Alphonsi lib. 1. ca. 5.

PAVLVS secundus pontifex illustres Romanæ Academiæ sodales tyrannico odio prosequebatur, qui veterum ingeniorum præclara nomina sibiipsis indiderant, quasi id esset occulta coniurationis tessera ad obeundum insigne facinus. Itaque Platinam diu in tormentis habuit. Philippũ è Geminiano Ethruriæ oppido oriundũ, qui Callimachi nomen in Academia sumptum postea retinuit, ad Casimirum Sarmatię regem profugere coegit. Alios aliis afficit pœnis, [redacted]

MECHANICARVM ARTIVM CONTEMPTVS.

Consule titulum, Ignaui in artibus Mechanicis addiscendis, earúmve magistris fouendis & amplectendis.

PRVDENTIÆ CONTEMPTVS.

Vide tit. Ingratitudinis erga legislatores. Item, Exempla eorum qui bonis consiliis non paruerunt, atque adeò prudentibus non obedierunt, huc referri possunt.

Quo tempore cum Eumolpo Athenienses bellum gerebant, omnibus sequentem annum annonæ caritatem occupatarum arbitrantibus, Periander, qui Athenis quæsturam gerebat, vt longius annona extenderetur, parcè populo frumenta diuidebat. Quare cum plebs irata, proditionis accusauit, cùm tamen prudenter publico bono consuleret. Cùm autẽ in iudicio staret, illic impetu facto, lapidatus est. Fulg. lib. 9. cap. 7.

FORTITVDINIS BELLICÆ CONTEMPTVS. VIRIS FORTIBUS honores non exhibiti.

MARCIVS Coriolanus in vrbe Roma nobilitate insignis, rerum quas gesserat magnitudine fretus, cùm consulatum peteret, satis fauentẽ populum habuit. Sed cùm eodem die peragi quæ ad comitij atque suffragiorum rationem pertinebant, non possent, postridie mane in forũ magno patriciorum numero prosequente descendit. Itaque mutata populi voluntate, qui maiorem odij sui in patricios, quàm Coriolani virtutis rationem habuit, repulsam ab vniuerso populo tulit. Ademptus est igitur ei cõsulatus, quem Volsci populi Rom. hostes, vt exercitui suo pręficerẽt, ob virtutem dignum duxerunt. Vnde haud multo pòst, in ingentem calamitatem coniectus populus Rom. ei coactus est supplicare, cuius antea preces audire noluerat. Fulg. lib. 7. cap. 5.

Caius Marius septies consul, qui Iugurtham, qui Cymbros, qui Teutones deuicit, Romæque quodam tempore omnia arbitratu suo gessit, tamẽ in iuuenta ambarum ædilitatum vno die repulsam tulit. Fulgosus libr. 7. capite quinto.

Laudent IVSTINIANVM principem quicũque voluerint, quòd vetera legum monimenta ad nos qualiacunque transmiserit, eorum opera qui clari ea tempestate literarum huiusmodi studio florebant (quamuis non desint, qui illum ipsum literarum omnium expertem prodiderint) quomodo autem eius in Bellisarum ingratitudinem placido vlli animo ferre poterunt? quum pro certo habeant, in Bellisarium ipsum ingratissimum omnium mortalium extitisse. Qui in Italiam ab eo missus, vt Gothos Vandalósque omni Italia pelleret, eum se Imperatorem gessit, vt quem illi conferre possis habeas neminem. Nam & vrbem Romam recepit, & Gothos Italiæ finibus expulit, vt Vitigem Gothorum regem captũ Constantinopolim duxerit, & militarem omnem rem summa fœlicitate administrauerit, vt nulla par oratio eius laudi excogitari queat. Hunc tamen redeuntem Constantinopolim, ingratissimus princeps eò redegit, vt captus etiam luminibus eiusdem principis iussu, quotidianum panem mẽdicare coactus sit, id semper repetens: Bellisarius qui Persas vicit, qui Gothos Italia expulit, qui vrbem Romam liberam esse curauit, diurnam stipem à vobis repetit. Egnat. lib. 5. cap. 3.

Par propè laus eunuchi Narsetis esse poterat, sed fœlicior aliquanto quàm Bellisarij exitus, si non ille fastum fœmineum in primis exosus, Longobardos in Italiam euocasset. Meruit ille quidem Italia erepta à Barbaris, assertáque in veterem libertatem, præclarum æternúmque nomen, sed cùm imperatrix Sophia illum redire in Græciam iussisset, vt eunuchus lanæ pensa expleret: Vide, inquit, & dicito reditutum me statim, ídque pensum exorsurum (quando tanta ingratitudine mecum agit) cuius illa nec principium nec finem inuenerit. Egnat. lib. 5 cap. 3.

Carolus Zenus (qui virtute sua animíque magnitudine Clodiam vrbẽ recepit, Ligurem hostem naualibus prælijs toties vicit, Bucicaldũ Francici sanguinis virum fudit, nauímque Bichinioniã omnium ea tempestate opulentissimam expugnauit: senéxque postremò Cyprium regnum, pulso Ligure ex ea insula tota suo regi asseruit) insanictis populi Veneti peruerso iudicio Procuratoria dignitate priuatus, carceri quoque, quamuis non satis perspecta etiamnũm causa, aliquandiu fuit inclusus, nulla virtutis eius ratione habita. Egnat. lib. 5. cap. 3.

VICTOR Pisanus fuit Pisana familia, Venetiis longè clarissima, ortus animi magnitudine, & multarum rerum experientia Senator illustris: quíque ob egregiam virtutem suam, Ligustico bello imminente, Imperator rei maritimæ totius declaratus sit. Is cùm Polæ ageret, Luciani Auriæ Genuensium ducis insidiis partim, partim præfectorum suorum quorundam ignauia, victus prælio est. Id quod Venetus senatus & dux adeò ęgrè tulit, vt innocentem ipsum Victorem in carcerem truserit vinculísque etiam ingrata ciuitas vinxerit: quẽ tamen nõ multo pòst, ex-

poscente id ipsum assiduè vniuersa ciuitate, inde exemerit: paucorúmque Senatorum inuidia, ingratóque in illum animo factum excusans, pristinæ suæ dignitati restituerit, omnium tanto gaudio & lætitia tantáque frequentia domum deductus, vt meritò non multo pòst, ex Senatus sententia, vniuersæ rei maritimæ præfectus sit. Qui nisi immaturo fato apud Sypontem decessisset, instructissima quidem classe, magna certáque omnium spe, pręclara facinora edidisset. Non possum silentio inuoluere pręclarum in primis huiusce viri facinus, simul & dictum illustrius. Cùm enim solutus carcere domum tanta cum frequentia rediret, quantam suprà diximus, tum nauarchus quidam ex plebe rei maritimæ peritia celebris, illique proximus, adhortatus eum esse dicitur, vt tanto populi fauore vsus, illatam in Patres vlcisceretur iniuriam. Conuersus statim in illum pugno genam percussit: illud insuper addens, An ego patriæ decreta vnquam contempserim? illius, vlliúsque in me iniuriæ meminerim? Egnat. lib. 5. cap. 3.

VERITAS REPVDIATA. TESTES VERI REIECTI.

Q. METELLVS Pius, L. Marcus Lucullus, Q. Hortensius, M. Lepidus, Cn. Cornelium maiestatis reum, non modò testes onerarunt, sed etiam salutem, negantes illo incolumi stare Remp. posse, depoposcerunt. Quæ decora ciuita is (pudet referre) vmbone iudiciali repulsa sunt. Val. Max. lib. 8. cap. 5.

CN. ET Q. Seruiliis Cepionibus, iisdem parentibus natis, & per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem prouectis: item fratribus Metellis Quinto & Lucio consularibus & censoriis, altero etiam triumphali, in Q. Pompeium Ausidium repetundarum reum acerrimè dicentibus testimonium, non abrogata fides, absoluto Pompeio: sed ne potentia inimicum oppressisse viderentur, occursum est. Val. Max. libr. 8. cap 5.

MARCVS Æmylius Scaurus, princeps senatus, C. Memmium repetundarum reum districto testimonio insecutus est. Item C. Flauium eadē lege accusatum testis proscidit, C. Norbanum maiestatis crimine publicę subiectum quæstioni, ex professo opprimere conatus est. Nec tamen aut autoritate, qua plurimùm pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quenquam illorum affligere potuit. Ibidem.

LVCIVS Crassus tantus apud iudices, quantus apud P. C. Æmylius Scaurus (nanque eorum suffragia robustissimis & felicissimis eloquentiæ stipendiis regebat: erátque sic fori, vt ille curiæ princeps) cum vehementissimum testimonij fulmen in M. Marcellum reum iniecisset, impetu grauis, exitu vanus apparuit. Ibidem.

M. Cicero forensi militia summos honores amplissimúmque dignitatis locum adeptus, in ipsis eloquentiæ suæ castris testis abiectus est, dum P. Clodium Romæ apud se fuisse iurauit: illo sacrilegium & flagitium vno argumento absentiæ tuente. Siquidem indices Clodium incesti crimine, quàm Ciceronem infamia periurij liberare maluerunt. Val. Max. lib. 8. cap 5. & Egnat. lib. 8. cap. 5.

IVSTITIA NVLLIS HONORIBVS AFFECTA.

Vt à ciuitate ATHENIENSIVM ordiar, quæ omnium sapientissima diu iudicata est, quid magis alienum à iustitia fieri potuit, quàm ciuem optimum totius ciuitatis suffragio vrbe eiicere? Non imprudenter, aut quia patriæ ciuiúmue cuiquam obfuisset: sed quòd ferre non potuit ciuitas, vt ipsa testata est, vnius virtutes viri passim prædicari. Sabellic. libro 4. cap. 5.

TIMESIAS Clazomenius bene iustéque Clazomeniis præerat. Etenim vir erat omni virtutis genere ornatissimus. Inuidia igitur quæ eiusmodi viris vim adhibere consueuit, etiam in illum suam acerbitatem atque stimulum contulit. Et primùm quidem parum cum inuidia vulgi cōmouebat. Verùm hoc in causa fuisse, quamobrem patriam reliquerit, aiunt. Transibat quodam tempore per scholam. Pueri verò dimissi à pręceptore, ludis operam dabant: cúmque duobus de linea incidisset contētio, alter iurabat, Sic ego Timesij cerebrum discusserim. Hoc audito ille, putans se in communi omnium hominum inuidia positum esse, & vehementer à suis ciuibus odio haberi, siquidem & pueri odissent, nedum viri, spontè atque vltrò è patria concessit. Ælian. de Var. hist. lib 12.

Iunior CATO, qui Romanæ virtutis atque iustitiæ specimen & exemplum fuit, cōsulatus repulsam tulit: atque ei Sulpitius præpositus est. nullam ob aliam rem, nisi quòd eum ad reprimēdam C. Cæsaris potentiam honorem illum petere populus putabat. Neque enim vidit ignara plebs à se, cùm Catonem repelleret, verum gregis custodem depelli, atque eo depulso ad lacerandum gregem lupum admitti. In eo, quemadmodum in cæteris rebus, Cæsarianas blanditias: quibus venenum suberat, potius quàm veram salutis suæ rationem secutus. Fulgos. lib. 7. cap. 5.

FRANCISCVS Foscarus, dux in Thomæ Mocenici locum suffectus, cùm quinque & XXX. annos summa sua cum dignitate, & Veneti imperij amplitudine rebus præfuisset, quasi ingrauescente ætate par tanto honori esse non posset: paucorum certè inuidia, publico tamen decreto, superstes adhuc summa dignitate priuatus est. Qui cùm ex Palatinis ędibus purpurea veste succinctus, magna ciuium multitudine astāte, decretúmque publicum improbante, in priuatas ædes suas rediisset, dolore animi intra triduum obiit. Cuius mortem vniuersa ciuitas ægerrimè tulit: vt illum Paschalis Maltripetrus dux, vniuersúsque patricius ordo ad Minoritanam ædem summa cum funeris pompa extulerit. Quem Bernardus Iustinianus funebri oratione longè celeberrima laudarit, quæ hodie quoque excusa extet: monumento etiam ad Minoritanæ ædis aram maximam, ex Pario marmore, auróque purissimo illi extructo. Egnat. libro quinto, capite tertio.

SENES IRREVERENTER TRACTATI.

Exempla quædam ex loco Sepulturæ colligi poterunt.

INDI parentes senio confectos gentili more interfectos, solennibus epulis permixtos esitant. Sabellicus lib. 6. cap. 1. Cicero lib. 1. Tusc. quæ. t. Val. lib. 2. cap. 1.

HYPERBOREOS, qui in extimo orbis tractu siti sunt, homines rigentis Barbariæ, & omni humano generi insociales, legimus eos qui lōgo æuo vixerunt, post epulas & familiare conuiuium sertis redimitos, ex rupe abrupta in mare dare præcipites. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

In COO insula ad Hellespontum, legem fuisse memoriæ proditum est, vt supra LX annos nati aconito vitam finire cogerentur: ne ipsi desides & ignaui virorum fortium cibaria absumerent, locúmque & partes aliorū occuparent. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

Consuetudo est apud CEOS, vt ij qui senio planè confecti sunt, tanquā ad conuiuium se mutuò inuitent, aut ad quoddam solenne sacrificium conueniant, & coronati cicutam bibant, cùm sibi ipsis conscij sint, se ad promouenda commoda patriæ inutiles amplius esse, animo iam ob ætatem delirare incipiente. Ælian. de Var. hist. lib. 3.

CASPII parentes inclusos fame necant, qui in annum LXX ætatis excesserunt. Si quem autem aduolantes aues vngnib. ac rostris concerpserint, felicitatis argumentum suspicantur. Si à feris aut canibus conuellatur, non ita suspicantur. Quòd si à nullo attingatur, deflent perinde ac infelicissimum. Alex. lib. 3. cap. 2.

BERBICCÆ omnes septuagesimum annum egressos interficiūt: viros mactando, mulieres verò strangulando. Ælian. libr. 4. de Var. hist. & Alex. lib. 3. cap. 2. Derbiccas vocat.

MASSAGETÆ senio confectos homines, iam languidos præ ætate, crudeliter interficiunt: eorúmque carnibus coctis, latrantem famę stomachum reconciliant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

SARDOA lex erat, vt filij patres iam senio confectos fustibus cæderent, & interemptos sepelirent: absurdum arbitrantes esse, si delirus senex vlterius in viuis ageret. Ælian. lib 4. de Varia hist.

TROGLODYTÆ senio confecti, nec armenta sequi valentes, gutture bouis cauda adstricto finiunt vitam. Qui mortem differunt, licet nolentes eodem modo, admonitos tamen antea, vita priuant: idque habent beneficij loco. Febricitantes item, aut morbo incurabili correptos, simili afficiunt morte. Maximum enim arbitrantur malorum, ab eo vitam diligi, qui nequeat aliquid agere dignum vita. Plerique corpore sunt integro, ætate valida: sed sexagesimum non excedunt annum. Diod. Sic. libro quarto, capite tertio, de Rebus antiquis.

MAGISTRATVI NVLLVS EXHIBITVS HONOS. CRIMEN læsæ maiestatis.

Consule titulum, Pœna maiestatu læsæ. Item, Pœna legatorum violatorum. Sunt enim legati cum magistratu. Consule etiam tit. Perfidiæ erga principes & magistratus, quatenus ignominia coniungitur.

PANNONII equites Sigismundo marchioni honorem deferre noluerunt. Vide tit. Odium gentium inter se.

PARENTES CONTEMPTI, ET IN NVLLO HABITI HONORE.

Consule tit. Senes irreuerenter tractati.

CHAMVS

CHAMVS Noachi filius, cùm patrem in medio tabernaculo ebrium iacentem detectis pudendis vidisset, id fratribus suis retulit, vt eo veluti spectaculo iucundo delectarentur. Illi verò retrò accedentes, pallium auersis oculis patri iniecerūt, eúmque texerunt. Noachus edormito vino, Chamo maledixit: Semo verò & Iapheto benedixit. Genes. 9.

TELEMACHVS Vlyssis filius, stolidus passim ab Homero introducitur, tum quia ætate minor, tum quia sub matre educatus. Itaque matrē non magnopere colens introducitur, primo Odysseæ. Penelope enim mater cùm Græcorum clades & errores à Musico decantari ægrè ferret, sic eam stultus increpat Telemachus:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι, μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει
πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί, τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ.

INIVSTITIÆ DISTRIBVTIVÆ TERTIA species, INGRATITVDO.

Exempla ex distributione simplici peti possunt. nam solo respectu differunt. In distributione enim simplici id tantùm consideratur, quòd virtuti promeritus honos aut præmium non datur: in Ingratitudine verò non modò quòd virtuti non tribuitur id quod dignum est, verumetiam quòd beneficium in nos nostróue collatum non agnoscimus, nec pari beneficio gratum animum declaramus. Propterea ingratitudo summum est vitium, siquidem duplici ratione peccat: tum per se, quatenus virtutem non agnoscit: tum per accidens, quatenus beneficium acceptum vilipendit. Iniustitiam igitur in simplici distributione vincit, & maius est vitium. Diuersa erat ratio in Gratitudine. Gratitudo enim minor est virtus, quàm sit distributio simplex iusta. nam cùm duplicem causam gratitudo habeat, propter quam benefacere debeat, magis cogitur ad agendum, quàm distributio simplex, quæ vnicam habet causam.

INGRATITVDO ERGA LEGISLATORES, AVT PRINCIPES, aut quosuis alios qui consilio suo prosunt.

Consule tit. Perfidiæ erga principes.

SOLON, qui tam præclaras, támque vtiles Atheniensibus leges tulit, vt si his perpetuò vti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperiū: qui Salamina velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum imminētem recuperauit, qui Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, & solus armis opprimi debere, palàm dictitare ausus est: senectutem Cypri profugus exegit: neque ei in patria, de qua optimè meruerat, humari cōtigit. Val. lib. 5. cap. 3.

Neminem LYCVRGO Eunomi filio aut maiorem aut vtiliorem virū Lacedęmon genuit, vtpote cui Apollo Pythius oraculum petenti, respōdisse fertur, nescire se vtrum illum hominum an deorum numero aggregaret. Huic tamen neque vitæ summa sinceritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salubriter excogitatæ, auxilio esse potuerūt, quo minus infestos ciues experiretur. Sepę enim lapidibus petitus, aliquando eiectus publico furore, etiam priuatus oculo ab Alcandro iuuene, ad vltimum ipsa patria pulsus est. Quid aliæ facient vrbes? vbi etiam illa quæ constantiæ, & moderationis & grauitatis sibi laudem eximiam vendicat, tam ingrata aduersus tam benemeritum extitit? Ibid. & Ælian. lib. 13.

Aristides Atheniensis Iustus cognomine, cùm multa pro patria gessisset, postremò ob inuidiam ab ATHENIENSIBVS in exilium actus: precatus est deos (non sicuti Achilles Græcis iratus) vt Atheniensibus quæcunque cuperent, bene faustéque euenirent. Plut. in eius vita.

PHOCION Atheniensis, Phoci filius, licet sæpe multúmque suam operam in militiis patriæ præstiterit: nihilominus tamē ab ATHENIENSIBVS morti adiudicatus, cicutam bibere coactus est. At cùm iam venenum hauriret, interrogatus quid nam filio suo nunciari vellet? respōdit, Ne mortem parentis sui vlcisceretur, eiúsque interfectores ne odio haberet. Ælian. lib. 12. de Var. hist.

SCIPIO Africanus, cùm post innumera fortia facta pro patria à Romanis publicè accusaretur, quòd prædam Asiaticam non totam in ærarium contulisset. Linternum in villam suam secessit: & anno ætatis LIIII moriens, ossa sua Romam transferri vetuit. Liuius & Plut. in eius vita.

C. FIGVLVS in petitione consulatus repulsam passus est: ídque eo grauius tulit, quòd patrem haberet bis consulem. Ad hunc cùm postridie comitiorum complures venissent consulendi gratia (erat enim iuris ciuilis peritissimus) omnes dimisit, ita præfatus: Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis. Roterod. lib. 6. Apoph.

INGRATI ERGA PRÆCEPTORES SVOS.

Ingratæ in Socratem ATHENÆ virum Apollinis iudicio omnium sapientissimum iudicatum, cui pro Attica iuuentute sanctè & sapienter instituta, venenum rependerunt. Sab. lib. 7. cap. 2.

Plato nominare solebat ARISTOTELEM mulum: quòd mulus cum saturatus est lacte materno, calcib petit matrem. Significabat igitur Plato, inuoluto quodam sermone, ingratitudinem Aristotelis. Etenim is cùm maxima philosophiæ semina & accessus à Platone accepisset, scholam contra Platonem aperuit, & in Peripato cum suis familiaribus & discipulis aduersus eum pugnauit. Ælian. lib. 4.

APOLLONIVS Rhodius, poeta clarissimus, erga Callimachum præceptorem suum ingratus, cùm contumelia quadam eum affecisset, occasionem dedit Callimacho, vt contra eum ibidem carmen virulentissimū componeret. Quod postea cōtra vxoris sollicitatorem imitatus est exul Ouidius. Gyral. Dialogo 3. Hist. poet.

MAXIMVS Alexandrinus, philosophus Cynicus, à Gregorio Naziāzeno episcopo Constantinopolitano conuersus, baptizatus, in clericorū etiam numerum ascriptus, & in contubernium receptus: insidias tandem episcopatui Gregorij struxit, correpto Petro Alexandrino episcopo, vt ab Ægyptiis quibusdam Constantinopoli in domo cuiusdam cantoris episcopus crearetur, depulso Gregorio, quam tamen electionem Theodosius ratam habere noluit. Gregorius presbyter in vita Nazianzeni.

ARCADII Imp. erga Arsenium præceptorem impietatem, pete ex tit. Eremitarum.

INGRATI ERGA EOS QVI PRÆDIXERVNT futura.

PRÆGVSTATORVM Pharaonis regis magister, cū Iosephus ei somnium deliberatione sua explicasset, triduo pòst à rege liberatus, Iosephi, qui in iisdem vinculis detinebatur, oblitus est: neq; pro eo statim apud Pharaonem intercessit, sed post biennium tantùm. Genes. 40.

INGRATI ERGA ALTORES EDVCATORES ET tutores suos.

Huc omnis impietas & crudelitas erga parentes, referri potest.

ALEXANDER Magnus immemor primæ nutricationis & lactis, quod ab Hellanice nutrice infans biberat, eius filium Clitum interfecit.

Non fuit ingratitudinis expers Augustus. Triumuir enim C. Toranniū proscripsit, qui patri eius in ædilitate collega, & ipsi pupillo optimus tutor fuerat. Fulg. lib. 5. cap. 3.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator factus, multos viros innocentissimè vexari atque occidi iussit: & inter alios Cilonem etiā, qui ipsum educauerat, à quo multa acceperat beneficia, quíque præfectus Vrbis patris temporibus fuerat, quem sępenumero patrem appellauerat. Dion Nicæus & Xiph. in vita Antonini.

GVNDVINVS Ansegisum patrem Pipini, à quo inuentus, nutritus, & ad maximos militiæ honores prouectus erat, ingratissimè occidit. Sigebertus in Chron.

Qui princeps vnquam, quíue inter Augustos numeratus, tantis & tam magnis à Rom. ecclesia meritis cumulatus fuit, quàm FRIDERICVS II? Huius pater Henricus quintus, Siciliæ regna à Celestino tertio assecutus est: deinde imperij diademate insignis factus, moriens hunc Fridericum filium, in prima ætate, sub Rom. ecclesiæ tutela reliquit. Eum Innocentius tertius amanter vt filium aluit, ac post Innocētium Honorius tertius, Rom. imperij titulo decorauit. Tātorum meritorum immemor, Honorium successorésque hostili odio prosecutus, eius omnium tēpo-

rum hostes crudelitatis acerbitate superauit. Hócque in Rom. ecclesiam animo vir ingratissimus animam egit, à Manfredo filio in Sicilia in lecto obtrũcatus. Alij tamen hoc odium zelo religionis tribuunt, quod Rom. curiæ optimè cognitas nequitias corrigere satageret. Fulgosus lib.5.cap.3.& Egnat.eodem.

INGRATITVDO PRO ALIMENTIS DATIS.

Ioseph prudentia sua conseruauit ÆGYPTIOS à peste famis. At illi cito tradiderunt obliuioni, opprimentes filios Ioseph, & cognationem eius, paruulos occidentes. Gene.41.Exod.1.2.

Filiis ISRAEL in deserto vertebatur in tędium cibus optimus, sine labore de cœlo datus:& flebant, dicentes: Quis dabit nobis ad vescendum carnes: Numeri 11.

INGRATI PRO CVRATIONE A MORBIS.

De DECEM viris leprosis à Saluatore mundatis, tantum regressus est vnus magnificans Deum,& gratias agens.

Ingrati fuerunt Paulo, DOMINI puellæ Pythonissæ, à qua spiritum malum Paulus eiecit. Magis enim doluerunt de quęstu amisso, quàm gauisi sunt de dæmone expulso. Acto.29.

INGRATI PRO VITA CONSERVATA.

Postquam Dauid reuocauit ABSALONEM filium suum, & pepercit ei super homicidio quod commiserat in fratrem suum, surrexit Absalon contra patrem suum.2.Reg.12.& 15.

Non fuit Dauid memor amicitiæ quam contraxerat cũ Ionatha, quando filium eius exhæredauit.2.Reg.16.

Quis nescit ADADI Syriæ regis ingratitudinẽ aduersus Achab Israelis regem: quo bis prælio captus, atque amice habitus ac liberatus, post initam pacem, cùm iniuriarum loco beneficia accepisset, iterum Iudæis bellum intulit, atque vt ostenderet quàm ingratè Achab regis meritorum memoriam seruaret, milites suos iussit aliis in prælio quantum possent parcere, vímque in vnum Achab ad eum perdendum, quemadmodum factum fuit, vertere: hac gratia pro acceptis beneficiis regi optimè merito relata. Fulgos.lib.5.cap.3.

LAOMEDON rex Troiæ, fidem Herculi non præstitit: sed magis adhuc *ingratus*, qui accepti beneficij & seruatæ vitæ immemor, non solùm præmio fraudauit, sed hospitio etiam exceptum, quantum in se fuit, perdidit. Sabel.lib.7.cap.2.

THESEVS Ariadnan Minois filiam, per quam Minotauri laniatum effugit, suos ciues seruauit, patriam seruitio exemit, in Naxo aut Chio insula reliquit, captus sororis Phædræ forma: à cuius connubio si abstinuisset, nec ipse filio orbatus esset, nec Ægæi penates incesti amoris sugillati fuissent affectu. Sab.lib.7.cap.2.

Nihil magis veteres poetæ mirati sunt, aut potius detestati, quàm Iasonis ingratitudinem, qui Medeam Æetæ Colchorum regis filiam, cuius opera aureum vellus ex Colchide abstulit, grauique est periculo seruatus ex qua pulchram extulit sobolem, noui cõnubij cupidus repudiauit. Sed mala libido malè illi vertit: quippe qui nouo veteríque thoro exutus, liberis amissis, exul patria, luctu & mœrore confectus, vitam cum morte commutauit. Sab.lib.7.cap.2.

DIOMEDES direpta Troia rediens in patriam, ventis delatus est in Libyam, vbi Lycus rex Marti hospites immolabat. Callirrhoe verò Lyci filia, Diomedẽ, cui⁹ amore flagrabat, liberauit ab insidiis paternis. At ille spreto salutis autore enauigauit, vnde puella dolore animi se suspendit.

CROESVS Lydorum rex, Cyrum Persarum regem, à quo primùm victus, & impunitatem & veniam acceperat, armis iterum lacessiuit.

Vt contentiones, quibus Lacedæmoniorum ciuitas laborabat, componerentur, vtile putauerũt ciues, vt LEONIDAS vnus Lacedæmoniorum regum (duo enim semper regnabant) in exilium mitteretur. Cùm autem Agesilaus in regno suffectus, vt Leonidas occideretur, operã daret, Agides alter rex obstitit, nec minus quàm pro salute sua totis animi ac corporis viribus in eo contendit. Verùm postea, vt nõnunquam fortuna fert quæ loco stare nescit, Leonidas in pristinam fortunam restitutus, omniũ ab Agide acceptorum meritorum ita se immemorem præstitit, vt non prima solùm suffragia de Agide regni honore deiiciendo tulerit, verùm crudelem quoque in modum vnà cum matre cum in carcere strangulari iusserit, vir prorsus ingratissimus nefandúsque, cum ei vitam ademit, per quem ipse suam seruauerat. Fulg.lib.5.cap.3.

Tam parum sobriè, quàm etiam ingratè fecisse videri potest Magnus ALEXANDER, qui Clitum nutricis suæ filium in conuiuio interfecit, quòd aliquanto liberius Philippi patris gesta extolleret. Sed quantum Macedo in patrem, cuius laudi inuidebat: tantum, nec minus in Clitum ingratus, per quem prælio ad Granicum amnem commisso morte seruatus, ingens nomen & imperium sibi comparauit. Sab.lib.7.cap.2.

L.Domitius Põpeianæ factionis, Cæsari inimicissimus, cùm ter à Cæsare captus,& pro singulari clemẽtia ab eo, in cuius manu eius vita erat, dimissus esset, tantum beneficium *ingratus* nunquam agnouit: sed potius iusiurandum Cęsari datori vitę violare non erubuit, aduentu suo Massilienses confirmans. Volat.lib.15.Anthrop.

L.CINNA, licet ab Octauio ex inimico amicus factus,& vsque ad iudicum dignitatem euectus esset, nihilominus tanti beneficij immemor, aduersus Octauium insidias molitus est. Octauius verò re cognita, cùm eum separatim in cubiculum vocasset, ingratitudinem exprobrare incæpit. Seneca de clementia.

Calphurnius Crassus Balsaciam puellam reliquit, cuius beneficio mortem euaserat in Massilia.

DECEBALVS rex Dacorum, victus à Traiano,& venia donatus, Imperatorem denuò solicitauit ad bellum.

INGRATI PRO HOSTIBVS DEVICTIS ET PROFLIGATIS.

PHARAO Ægyptius rex, Mosen post præclaram illam, quam de Æthiopibus victoriam reportauit, Meroéque ex hoste capta, haud dubiè *interfecisset, nisi matura* ille fuga sese periculo subtraxisset: numinis prouidentia, vt credere est, seruatus. Sab.lib.7.cap.2.

Dauid habitatores CEILÆ, ab exercitu Philistinorum oppugnãtium ciuitatem seruauit. Et tamen voluerunt eum tradere Sauli regi, ipsum persequenti.1.Reg.23.

Detrahe Atheniensibus Thesea: nullę, aut non tam clarę Athenę erunt. Siquidem ille vicatim dispersos ciues suos in vnam vrbem contraxit, separatímque & agresti more viuenti populo, amplissimæ ciuitatis formã atque imaginem imposuit. Idem sæua potentissimi regis Minois imperia, vixdum ętate pubescente, repulit. Idem effrenatam Thebanorum insolentiam domuit. Idem opem liberis Herculis tulit:& quicquid vbique monstri aut sceleris fuit, virtute animi ac robore dextrę comminuit. Huius tamen summoti ab Atheniensibus, Scyros exulis minor insula, ossa mortui cœpit. Val.5.cap.3.

Iidem non minus ingratè se in TIMOTHEUM habuerunt, cuius virtute atque opera Atheniensium imperio subactæ multę insulę fuerant: cedentibúsque Lacedęmoniis, maritimũ imperiũ populus Atheniẽsis pepererat. Nam cùm consiliarium Mnestheo socero Timotheum dedisset, quem aduersus Samios classi prefecerat, & is populo Mnestheum accusasset, quòd eius culpa Samo potitus esset, Mnestheus autem in generũ crimen reiiceret: ingratus credulúsque nimium populus, pro eo quod imperitiæ Mnesthei aut tempestati tribuendum erat, centum talentis Timotheum mulctauit:& cùm Timotheus soluendo nõ esset, in exilium ire oportuit, vbi haud multo pòst mortem obiit: Atheniensésque praui iudicij pœnitentia ducti, Cononi Timothei filio mulctę nouem partes remiserunt, decima ad vrbis muros instaurandos assignata, quos Timothei pater Conon ex hostium præda construxerat. Fulg.li.5.c.3.& Ælia.li.1.de Var.hist.

Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post trecenta millia Persarum Marathone deuicta in exilium protinus misissent, ac non in carcere & vinculis mori coegissent: vt puto, hactenus sęuire aduersus optimè meritum abundè duxerunt. Imò ne corpus quidem eius sic expirare coacti sepulturę prius mandare passi sunt, quàm filius eius Cimon eisdem vinculis se constringendum traderet. Hanc hęreditatem paternã maximi ducis filius,& futurus ipse ętatis suę dux *maximus*, solum se fortitum, cathenas scilicet & carcerem, gloriari potuit. Val.lib.5.cap.3.

Phocionem pręconium illud bonitatis & iusticię non eripuit, quo minus, cùm iam septuagesimum quintum annum ageret, neque vel minimã iniuriam Atheniensib. intulisset (quoniam ita visum esset Antipatro, qui Pirçum prodere vellet) capitis ab Atheniensibus damnaretur. Ælia.lib.3. de Var.hist.& lib.12. Val.Max.lib.5.cap.3.

Themistocles, cùm domi forísque Atheniensium Rempublicam plurimùm auxisset, à patria ingrata, non solùm ex Atheniensium vrbe, verùm etiam è tota Grecia eiectus est in exilium. Vide Ælian.lib.3.de Varia hist. in fine. Val.Max.lib.5.ca.3.Plut.in Themist. Itaque aiebat se similẽ plãtis, sub quarũ vmbrã accurrunt homines afflicti tempestate,& easdem simul vt rediit serenitas vellunt, cõuiciísque petunt. Sentiens, hunc esse populi morem, vt belli periculis implorẽt opem fortium virorum, in pace contemnant ac vexent eosdem. Roter.lib.5. Apoph.

Aristides, quo totius Grçcię iusticia censetur, continentię quoque eximium specimen, patria iussus excedere est. Felices ATHENAS, quę post illius exilium inuenire aliquem aut virum bonum aut amantem sui ciuẽ potuerunt, cum quo tunc ipsa sanctitas migrauit. Val.lib.5.cap.3.

ATHENIENSIVM ciuitas ad vesaniam vsque temeraria, quę decem imperatores suos,& quidem à pulcherrima victoria venientes, capitali iudicio exceptos, necauit: quòd militum corpora, sęuitia maris interpellante, sepulturę mandare non potuissent: necessitatem puniens, cùm

cùm honorare virtutem debere. Valer.Max.lib.9.cap.8.

Nulla Græciæ ciuitas habuit vnquam tam claros duces vno tempore, nec qui tam concordi animo rempublicam administrarent, quàm THEBÆ Epaminundam & Pelopidam: qui patria in libertatem asserta, Spartanis Græciæ dominatu deiectis, amplissimis rebus domi forísque gestis insignes paucorum ciuium obtrectatione maiestatis rei causam dixere. Adeò nulla vnquam virtus fuit tam aut suis vtilis, aut tam mitis, quam nõ domestica vellicarit inuidia. Sab.lib.7.cap.2.

Virium Romanarum incrementum latissimum,& tutela certissima Furius Camillus, in vrbe incolumitatem suam tueri non valuit, cuius ipse salutem stabilierat,& felicitatem auxerat. A LVCIO enim Apuleio trib. pleb. tanquam depeculator Veientanæ prædæ reus factus, duris atque (vt ita dicam) ferreis sententiis in exilium missus est:& quidem eo tempore, quo optimo iuuene filio spoliatus, solatiis magnis alleuandus, quàm cladibus onerandus erat. Sed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exequiis filij damnationem patris iunxit. At, inquit, ærario abesse tribus querebatur quindecim millia æris (tanti nanque pœna est) indignam summam, propter quam P.R. tali principe careret. Val.li.5.cap.3.

AFRICANVS superior, non solùm contusam & confractam belli Punici armis Remp. sed penè iam exanguem atque morientem, Carthaginis dominam reddidit. Cuius clarissima opera iniuriis pensando, ciuitas ignobilis eum ac deserte paludis accolam fecerunt: eiúsque voluntarij exilij acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribi iubendo: Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes. Quid ista aut necessitate indignius, aut querela iustius, aut vltione moderatius? Cineres ei suos negauit, quam in cineres collabi non fuerat passus. Igitur hanc vnã Scipionis vindictam ingrati animi vrbs Romana sensit, maiorẽ mehercle Coriolani violentia. Ille enim metu patriam pulsauit, hic verecũdia: de qua ne queri quidem (tanta veræ pietatis constantia) nisi post fata sustinuit. Val.lib.5.cap.3.

Talia passo credo, quæ fratri eius L.SCIPIONI Asiatico acciderunt, solatio esse potuerunt: cui rex Antiochus deuictus, & Asia Imperio populi Rom. adiecta, speciosissimúsque triumphus, vt peculatus reus fieret à Petilio trib. pleb & in carcerẽ duci iuberetur, causam præbuit. Valer. lib.5.cap.3.

Nihilo virtute minor posterior AFRICANVS, sed ne exitu quidem felicior, duabus enim vrbibus, Numantia atque Carthagine imperio Rom. imminentibus, ex rerum natura depulsis, raptorem spiritus domi inuenit, mortis punitorem in foro non reperit. Val.lib.5.cap.3.

CARTHAGINENSES Hannibalem, qui pro illorum incolumitate & victoria tot Imperatores, tótque exercitus nostros trucidauerat, quos gregarios milites hostium si occidisset, magnæ gloriæ foret, è conspectu suo submouere in animum induxerunt. Val.ibidem.

Quæ verba, cuiúsue eloquium satis vnquam, pro rei indignitate, IVSTINIANI primi imperatoris erga Belisariũ narrare ingratitudinem, atque pro merito scelus damnare possit? nullius profectò magis, quàm Belisarij ipsius. Nam cùm à Iustiniano per inuidiam falsáque crimina erutis oculis, omnibus spoliatus, in publica via victum mẽdicaret, aiebat: Nummum pusillum Belisario date, quem virtus extulit, *in imum inuidia* coniecit. His verbis prætergredientes omnes acerbè Iustiniani crudelitatis atque ingratitudinis commonebat. Tecum nunc Lector considera, & diligenter animo repensa: Hinc Belisarij virtutem, victos ab eo Persas, Gothos ac Vandalos, horum populorum reges bello captos, atque ad Iustinianum missos, præterea recuperatas Siciliam, Africam, atque Italiæ maiorem partem, paruo militum numero, minoréque impensa: item militarem disciplinam longo postliminio legib. suis restitutã, demúmq; animi ipsius integritatem, cùm oblato Italico regno abstinuit: atque ad hæc addas affinitatem, qua Iustiniano iunctus erat. Illinc autem ipsum luminibus captum, atque ad mendicitatem redactum, his malis ab eo affectum, cui ipse tam multa, quibus in humanis rebus maius nihil est, cõtulerat. Ira profectò, molestiáque nimia (neque hoc dubium) moueberis: & *longè magis* quã *Belisarius patiẽtia, vt aliis virtutibus insignis*, dẽtibus in Iustinianum fremes: ac iis quæ meritus est malis, si in manu tua foret, eum afficeres. Fulg.lib.5.cap.3.& Vol.lib.23.& Egnat.lib.5.cap.3.

INGRATI PRO AVXILIO CONTRA *hostes lato.*

Misit IONATHAS armatos, qui liberauerunt regem Demetrium de manibus Atiochenorum. Postea alienauit se Demetrius à Ionatha:& non retribuit ei secundum beneficia, sed vexabat eum valde.1.Mach.11.

Magna perfidia ac proditione, DIODORVS Tryphon in Ionatham Machabæum Iudæorum sacerdotum principem vsus est. Nam cùm is subsidio Tryphoni atque Antiocho Deo aduersus Demetrium profectus esset, vt pro lata ope gratiam referret, persuasit ei Tryphon, vt exercitum suum à se dimitteret. Quod cùm Ionathas egisset, eum Tryphon cepit, atque omnes qui cum eo erant occidit. Nec verò ea proditione contentus, perfidiam quoque addidit. Nam cùm iureiurando Simoni Ionathæ fratri promisisset, si Ionathæ filios & centum auri pondo, quæ poscebat, ad se misisset, Ionatham carcere emissurum: omnibus à Simone peractis, Tryphon postea Ionatham occidit. Sed haud longa tantorum scelerum penes eum voluptas fuit: quoniam ab Antiocho, qui Soter cognominatus est, Demetrij filio, in Asia apud vrbem Apamæam prælio victus atque interfectus fuit. Fulg.lib.9.cap.6.& Marul.lib.3.cap.6.

CASSANDER Antipatri F. cùm Antigoni regis opera regnum Macedonię conseruasset, contra Ptolemæum Ægypti regem, ingratissimum tamen sese erga Antiochum præbuit: neque dubitauit illi cum *Lysimacho* & Seleuco bellum inferre. Pausan.in Atticis.

CARTHAGINENSES Xantippum Lacedæmonium, cuius optima opera primo Punico bello vsi fuerant,& quo iuuante Atilium Regulum ceperant, simulantes sese domum reuehere, in alto merserunt. Quid tãto facinore petentes? anne victoriæ eorum socius superstitet? Extat nihilominus,& quidem cum opprobrio, quem sine vlla glorię iactura inuiolatum reliquissent. Val.lib.9.cap.6.

INGRATI PRO PATROCINIO, ET DAM*nationis depulsa.*

Quo nimbo, qua procella verborum, impium P.Sextilij caput obrui meretur? quòd C.Cæsarem, à quo tum studiosè, tum etiam feliciter grauissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanæ proscriptionis tempore profugum, presidium suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare, beneficij iura repetere coactum, à sacris perfidę mensæ, & altaribus nefandorum penatum auulsum, truculento victori iugulandum tradere non exhorruit. Finge, accusatorem eius fortuna publica in supplicis nomen conuersum, tam luctuosam illam opem genibus annixum orasse, crudeliter tamen repulsus videretur: quin etiam quos iniuriæ inuisos faciunt, gratiosos miseriæ reddant. Verùm Sextilius non accusatorem, sed patronum sæuissimæ inimici violentiæ suis manibus obiecit: si metu mortis, vita indignus: si præmij spe, morte dignissimus. Val. Max. lib.5.cap.3.

M.Cicero Cn.POPILIVM Lenatem, Picenæ regionis, rogatu Marci Cœlij, non minore cura quàm eloquentia defendit: eúmque causa admodum dubia fluctuantem, saluum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea nec re nec verbo à Cicerone læsus, vltrò M.Antonium rogauit, vt ad illum proscriptum persequendum & iugulãdum mitteretur: impetratísque detestabilis ministerij partibus, gaudio exultans, Caietam cucurrit:& virum, omitto quòd amplissimæ dignitatis, certè salutis eius authorem, studio præstantis officij priuatim sibi venerãdum, iugulum præbere iussit: ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & *pacis clarissimam* dexteram, per summum & securum ocium amputauit: eáque sarcina, tanquam opimis spoliis alacer in vrbem reuersus est. Neque ei scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat. Inualidæ ad hoc monstrum sugillandum literæ. Quoniam qui talem Ciceronis casum satis dignè deplorare possit, alius Cicero non extat. Val.Max.lib.5.cap.3.

Quo te nunc modo Magne POMPEI attingam, nescio. Nam & amplitudinem fortunæ tuæ, quæ quondam omnes terras, & omnia maria fulgore suo occupauerat, intueor:& ruinam eius maiorem esse, quàm vt manu mea attentari debeat, memini. Sed tamen nobis quoque tacentib⁹ Cn.Carbonis, à quo admodum adolescens de paternis bonis in foro dimicans protectus es, iussu tuo interempti mors, animis hominum obuersabitur, non sine aliqua reprehensione: quia tam *ingrato* facto, plus L. Syllæ viribus, quàm propriæ indulsisti verecundiæ. Ibidem.

INGRATI PRO HONORIBVS REGNO ET QVI*busuis dignitatibus, datis aut restitutis.*

Quum iam detecta esset Pompeij cum Cæsare simultas, ac MARCELLINVS, vnus ex eorum numero quos Pompeius euexisse putabatur, à Põpeio ad Cæsarem transtulisset animum, adeò vt non veritus sit in Senatu multa in Pompeium dicere: Nunc ita compescuit Pompeius: Non te pudet, inquit, Marcelline, ei maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facundus: ex famelico eò productus, vt vomitum non teneas? Grauiter obiecit ingratitudinem homini, qui hoc ipsum quod habebat dignitatis, authoritatis & eloquentiæ, abutebatur, in eum cui debebat acceptũ ferre. Nam hoc turpissimum ingratitudinis genus est, sed tamen heu nimium vulgare. Plut.in vita Pompeij.

TIBERIVS huius nominis tertius Rom.Imp. cognomento Apsimatus, Philippicum, cuius viribus fretus ad imperium peruenerat, quòd eum suspectum haberet, in Ponto exulare iussit. Volat.lib.23.Anthrop.

MICHAEL Thraulus Leonem Imp. de medio sustulit, cuius tamen beneficio multas dignitates fuerat assecutus.

IVSTINIANVS minor, siue Iustinus III. in exilium à Leontio pulsus,& mox à Trebellio Bulgarorũ rege in regnum restitutus, ingratissi-

mus Bulgaris bellum intulit, orta inter Thraces & Bulgaros de finibus contentione:in quo tamen magno ſuo cum dedecore,iugulatis omnib. equis, ne in hoſtium poteſtatem venirent, nauibus Byzantium reuerti coactus eſt.Cuſpinianus in eius vita.

BASILII Macedonis ingratitudinem quis non admiretur, qui cùm vir ſtrenuus eſſet, à Michaele Romanorum imperatore,qui iam per decem annos cum Theodora matre regno præfuerat, vt imperij conſors eſſet,adſcitus eſt.Ille verò beneficij immemor,vti ſolus eo potiretur,Michaelem interfecit.Volat.lib.23.Anthrop.

Alexius Imp.interfectus eſt à Murziphlo quodam ignobili, quem ad ſummum dignitatis gradum extulerat.

Theodatus Gothus,qui Ethruriæ regebat populos, regni particeps, & ſucceſſor ab Amalaſuntha, quæ in Italia Gothorum regina erat, Theodorico patre orta,cùm Athalaric⁹ eius filius deceſſiſſet,cooptatus: vt pro tãto beneficio inſignem bonitate reginam promereretur,inſula, in Vulſiniorum lacu,in carcere eam condidit,ac deinde ſtrangulauit:vt eã morte afficeret,per quam ipſe regnum acceperat.Fulgoſ.lib.5.cap.5.

TENDIVS Hiſpanorum rex,Amalaſuntham Almarici regis matrem à qua propter ſpem ſucceſſionis adoptatus erat, in balneo ſuffocandam curauit,vt citò imperij hæres eſſet.Ritius lib.1.Reg.Hiſpan.

Pauli Fulgoſi cardinalis ingratitudinem erga Io.Bapt.Campoſulgoſum cuius beneficio ad cardinalatum euectus fuerat, pete ex tit. Perfidiæ erga conſanguineos & affines.

INGRATI PRO DIVITIIS ET MVNERVM LARGITIONE.

OCTAVIVS Auguſtus æs alienum cuiuſdam SENATORIS, quem charum habebat,non rogatus diſſoluerat, ac pro eo quadragies nummũ diſſoluerat. Senator ea re cognita, pro gratiarũ actione nihil aliud ſcripſit Cęſari,quàm Mihi nihil:veluti expoſtulans etiam,quòd cùm numeraſſet omnibus creditoribus, ipſi nihil numeraſſet: ſummum ingratitudinis argumentum Roterod.lib.4.Apoph. ex Suetonio.

TIBERIVS Ruffum Geminium,à quo hæres factus erat, in Senatu accuſauit nullam aliam ob cauſam,quàm quòd mollis & effœminatus eſſe diceretur.Dion in Tiberio.

C.CALIGVLA, ſi cum quis in teſtamento hæredem nominaſſet, & poſtea feliciori fato ſuperuiuere contigiſſet, queſtus ſe ab eiuſmodi homine contemptui haberi, percuſſores immittere conſueuerat. Fulgoſus lib.5.cap.3.

FRANCISCVS Carmaniola,obſcuriſſimo loco natus inter Allobrogas,quamuis non malè meritus de Philippo Vicecomite Mediolanenſium duce,quum eum fugiens,vt ingratum principem,vitæque ſuæ inſidiantem expertus eſſet,vitabundus eius dolos,in Senatus Veneti tutelã, Venetias cum vxore & reliqua familia confugit. Qui tanta eum benignitate excepit,vt nihil iracundiam tanti principis veritus, ei ſummam totius Reipub.ſuæ,veluti mancipio crediderit. Is tandem poſt claram victoriam Maclodienſem ſuo ductu auſpiciiſque ex hoſte partam,Cremonam vrbem è manibus ſuis elabi paſſus eſt, claſſem Venetam in Pado agẽtem neglexit,& de tota re Veneta proditorem ſe fore Philippo principi promiſit. Id quod quum literis manu ſua ſcriptis cognitum perſpectũmque foret,ceruix ei publico decreto, inter geminas columnas abſciſſa eſt.Egnat.lib.5.cap.3.

Chriſtianæ ſalutis anno 99.poſt mille ac quadringentos,Septẽbri menſe,Bernhardinus Curtius:obſcuris ortus parentibus, cum duobus fratribus in aulam acceptus,ad ſummas opes ſummóſque honores à Ludouico Sfortia euectus erat.Quem cùm coniugio multis præfecturis, ac ſenatorio demum honore Ludouicus ita auxiſſet,ornaſſétque,vt quid ſuperadderetur nihil iam penè reſtaret: vidimus ipſi Iouis arci, quæ non Mediolanenſis tantum vrbis atque ducatus,ſed Italiæ totius propugnaculũ erat,ab eo præfectum fuiſſe:atque inſuper, quo tempore amiſſa Alexandria Ludouici Gallorum regis copiæ imminebant, Mediolanenſem ducatum,hæreditario iure armíſque repetentes,& Ludouicus Sfortia Germaniam,ad mouenda Maximiliani regis arma,petere vellet:hunc vnum, inquam,vidimus,poſtpoſito Aſcanio fratre, atque aliis fratribus nepotibúſque,ac proceribus & ciuibus permultis, quorum virtuti tutius arx Iouis credi videbatur poſſe à Ludouico,in arcis præfectura confirmatũ: impoſito duorum milium armatorum præſidio, tantis commeatibus, vt in biennium ali præſidium poſſet: tanta pecunia argentóque, vt in par tempus ſtipendium ſufficeret. Cùm præterea omnia etiam adhibuiſſet, quibus ſaucij ægríque in magna & pacata vrbe commodius curari nequeãt:& tormentorum omniúmque armorum tanta vis ineſſet, quanta toti vrbi,nedũ arci ſuffectura videretur.Et tamen in arce munitiſſima,in qua aduerſus totius Europæ vires & arma,nihil vltra pręter præfecti fidẽ atque virtutem deſiderari poterat,non populo modò Mediolanenſi,verùm Gallico quoque toto exercitu,ob perfidiæ magnitudinẽ admiratione captos:is Bernhardinus,cùm vix extremos fines dominus, qui rem ſuam ei crediderat,tráſgreſſus eſſet beneficiorum omnium quæ acceperat,& ipſius fidei quam promiſerat,oblitus calcata pręterea boni nominis exiſtimatione,intra quartumdecimum diem, nulla vi ab hoſte tentatus,Ludouici regis ducibus arcem prodidit.Neq; verò in eo vnius ipſius in Ludouicum ſcelus atque perfidia fuit,ſed cohortationes etiam acceſſerunt alterius,qui à Ludouico dum abiret,præfecto arcis comes, & ceu cõſiliarius additus fuerat,qui longè plus quàm Bernhardinus immemor, ab obſcuro loco in ſummum ſe dignitatis atque opum culmẽ penes Ludouicum euaſiſſe,non hortator modò verùm etiam adiutor atque miniſter prodendæ arcis fuit.Fulgoſ.lib.9.cap.6.

INGRATI PRO HOSPITALITATE.

Priami filius PARIS, ſiue Alexander, perfidi Lacomedontis nepos, ex hoſpite factus eſt prædo: Helenam regiam matronam regio toro abduxit: quo ſe flagitio, ſuóſque, cum ipſa Patria malè perdidit.Sabellius lib.7.cap.2.

VLYSSES quum erraret circa Siciliam, Tyrrheniámque & Siculum mare,peruenit ad Æolum, & inſulam Meligunidem: qui ipſum pro ſapientiæ fama veneratus,cum multa dignitate tractauit:& Troiæ excidia, & quomodo ipſis ab Ilio diſcedentibus naues diſperſæ fuerint, percunctabatur.Multo autem tempore eius hoſpitio vſus eſt. Huic vnica erat filia,vnicè dilecta,Polymela,quæ clàm cum Vlyſſe coibat. Is verò ventos ſecundos nactus, nauigauit. Puella deprehenditur Troiana quædam ſpolia habens apud ſe relicta, & ſuper his multis lachrymis prouoluta. Quare Æolus Vlyſſem etiam abſentem plurimis malis affecit,Polymelã verò in animo habuit occidere. At Diores frater eius amore captus, eam à parente impetrauit:ac perſuaſit, quo cõcederet eam ſecum cohabitare. Parthen.de Amat.cap.2.

Demophoon Theſei filius,Phyllidem Thraciæ reginam reliquit,& ad laqueum impulit:cuius tamen hoſpitio fuerat vſus,quum ab expeditione Troiana rediens,delatus eſſet in Thraciam.

Xerxes filium Pythij Bithinij medium diſcindi iuſſit, quum tamen pater regem ipſum cum toto exercitu hoſpitio ſuſcepiſſet.

Magna fuit ingratitudo, qua vſus eſt PTOLEMÆVS cognomento Ceraunus,erga Syriæ regem Seleucum, quem nullo pudore deterritus eſt manu ſua occidere:quanquam à patre pulſus(minorem enim natu filium,vt magis gubernando idoneum,in regno ſuffecerat) in Syria à Seleuco exceptus,diu non ſine magna impenſa, magno in honore habitus eſſet.Fulgoſ.lib.5.cap.3.

INGRATI PRO LIBERTATE DATA, VINDICATA, *aut recuperata.*

Minus damnabit Pharaonis factum,qui ISRAELITARVM in Moſem ducem ſuum non ignorat ingratitudinem. Populus ſeruitio exemptus, ſæpius deſideriis leuatus,manifeſtis rerũ miraculis per deſerta traduct⁹, ſeditioni magis quàm pietati indulgens, ſtultè impiéque ducem ipſum maledictis inceſſit,minaciter occurrit,imperium detrectauit:communis exitij authorem appellans,quem populi ſeruatorem multo verius dixiſſet.Eſt ingratitudo illa ſępius cœleſti vltione expiata: ſed non minus propterea immerito duci totius gentis vitio repręſentata. Sabelli. lib.7. cap.2.& Fulgoſ.lib.5.cap.3.

Non occiderunt quidem Demetrium regem ATHENIENSES,ipſius ope ſæua Caſſandri tyrannide liberati (nam integrum ipſis non erat, in eius vitam ſęuire)ſed contemptu contumelioſiſſimiſque verbis(quo tempore is à regibus hoſtibus ex eorum numero qui Alexandro ſucceſſerũt, ſuperatus eſt)apertè oſtenderunt,quanta eorum crudelitas, ſi data eſſet facultas,futura fuiſſet.Experimento vetus adagium confirmantes:Quòd, penes quos ingens doctrina eſt,apud eoſdem ingentia etiam vitia ęquè ac virtutes inueniri ſolent.Fulgoſ.lib.5.cap.3.

Athenienſes quotquot apud Cæroneã capti fuerant, cùm gratis à Philippo Macedonum rege dimiſſi eſſent,veſtes quoque ſtraguláque petierunt.Quę cùm pro voto accepiſſent,Macedones in ius vocarunt:non ſolùm gratias non agentes,quòd ipſi & incolumes & gratis eſſent dimiſſi, verumetiam benefactores criminantes.Eraſ.Rot.lib.4.Apoph.

SYRACVSANI Dionis opera non ſine ingentibus eius periculis, magnáque impenſa, Dionyſij tyrannide liberati, non multo pòſt vrbe eum expulerunt:mox reuocatum,obiecto proditionis falſo crimine,occiderunt:qui eis libertatem cum vitę ſuę diſcrimine pepererat. Fulgoſus lib.5.cap.3.

Quis ignorat,tantum laudis SCIPIONEM Naſicam toga, quantũ armis vtrunque Africanum meruiſſe:qui peſtifera Tiberij Gracchi manu faucibus oppreſſam Rempublicam ſtrangulari paſſus non eſt.Sed is quoque propter iniquiſſimam virtutum ſuarum apud ciues ęſtimationem,ſub titulo legationis Pergamum ſeceſſit.Et quod vitę ſuperfuit, ibi ſine vllo ingratę patrię deſiderio peregit.Valer.lib.5.cap.3.

P.CORN. Lentulus, clariſſimus & amantiſſimus Reipublicę ciuis cùm

in Auentino Caij Gracchi nefarios conatus & aciem pia ac forti pugna magnis vulneribus exceptis fugaſſet,prælij illius,quo leges,pacem, libertatémque in ſuo ſtatu retinuerat,hanc mercedem tulit,ne in patria moreretur. Siquidem inuidia & obtrectatione compulſus, legatione à Senatu libera impetrata:habitáque concione, qua à diis immortalibus petiit,ne vnquam ad ingratum populum reuerteretur,in Siciliam profectus eſt,ibíque perſeueranter morando, compotem ſe voti fecit. Quinque igitur deinde Cornelij,totidem ſunt notiſſima ingratæ patriæ exẽpla,atque horum quidem ſeceſſus voluntarij.Valer.Max.lib.5.cap.3.

SERVILIVS Hala,cùm magiſter equitum Spurium Melium regnũ affectantem occidiſſet,cuſtoditæ libertatis ciuium exilio ſuo pœnas pependit.Val.Max.lib.5.cap.3.

VXOR Fuluij erga maritum ingrata,qui tamen eam libertate & coniugio dignatus fuerat.Vide tit.Perfidiæ vxorum erga maritos.

Magna ingratitudine erga fratrem Iſaac imperatorem Conſtantinopolitanum,à quo vnicè diligebatur, ALEXIVS eſt vſus. Nam quãquam à Turcis culpa ſua captus,ab Iſaac fratre ſtatim magno auri pondere redemptus,dominum ſuum,nedum fratrẽ,nati muneris authorem,vir perfidus ingratúſque,oculis ac imperio ſimul priuauit.Fulg.lib.5.cap.3.

ROLANDI,Petri Siciliæ regis fratris ingratitudinem & perfidiam erga Comiolam,quæ illum ex carcere magno auri pondere redemerat, pete ex tit.Pœna coniugalis perfidiæ.

PHILIPPI ducis Mediolanenſis ingratitudinem erga Beatricem vxorem,cuius opibus grauiſſimo bello ſe liberarat,pete ex tit. Impietatis erga vxores.

INGRATI PRO FIDELITATE TAM PRIVATA *quàm publica.*

Fideliter ſeruiuit IACOB auunculo ſuo Laban, ille tamen multoties voluit eum fallere.Gen.29.30.31.

Ingratus magis an amens fuerit SAVLVS rex,non facilè dixerim,quẽ inſanientem toties Dauid recreauit:arcanis eò carminibus retraxit, vt mens & ratio homini conſtarent:cuius regnum Goliadis cęde ſtabiliuit: cuius corpore violando bis abſtinuit, cùm bis iniuriæ obnoxium habuiſſet:& cùm tot modis ille Saulum demeruiſſet, ingratus rex quoad vixit Dauidem capitaliter odit, atque ita pertinaciter, vt in eum ſæuire non niſi cum morte deſierit.Sabel.lib.7.cap.2.ex 1.Reg.17 & 18.

CLIOMENES Lacon aſſumpto vno ex familiarib. ſuis Archonide, eum conſortem & adiutorem ſui propoſiti fecit. Iurauit igitur ei,ſi voti compos fieret,ſe omnia cum ipſius capite tranſacturum eſſe. Cùm verò potitus rerum eſſet,occiſo ſocio,caput eius exectũ vaſi pleno mellis impoſuit:& quotieſcũque aliquid agere inſtituiſſet, oculos in vrnam deflexit.Atque ſic omnia peregit,dicens ſe pactum non violare, neque iuſiurandum fallere:etenim conſilium ſe cum Archonidis capite capere. Ælian.lib.12.de Var.hiſt.

Vt omnibus aliis in rebus immania, horroríſque plena C.CALIGVLÆ principis ſcelera fuerunt:ita ingratitudinis quoque crimine,non alios modò mortales,verùm feras quoque ipſas immanitate inſignes ſuperauit.Id in eo præcipuum erat,quòd omnes,à quibus amabatur, odio habebat.Magis hoc patuit,cùm pro eius valetudine, quæ in diſcrimine erat quidam ſe depugnaturum vouiſſet.Morbo enim liberatus,vt votum ſolueret exegit:neque abire campo niſi victorem paſſus eſt, omni arte enixus,vt qui pro eius ſeruanda ſalute diſcrimini vitam obtulerat, pro gratia mortem reportaret.Fulg.lib.5.cap.3.

Alium,qui vitam pro eo vouerat,cùm intelligeret,ad mortem,ſoluendi gratia voti,nequaquam properare,vinctum pueris tradidit: qui eum per vrbis vicos flagellatum,ab aggere demum præcipitarunt. Tanta ſæuitia meritus eſt,vt mortales omnes amore in odium conuerſo, & ipſi & ſtirpi eius vitam adimerent, atque ſepultura prohiberent.Fulgoſus libro 5.cap.3.

C. IVLIVS Agricola,cùm in bello Britannico egregiam pro Repub. Romana operam nauaſſet,primúſque omnium Romanorum fuiſſet, qui Britanniam circumfuſam etiam mari vndique cognouiſſet: Romam tamen veniens,imperante Tito Veſpaſiano,vitam ſuam ſumma paupertate & ignominia(eò quòd maiora,quàm prætori par eſſet,effecerat)tranſegit:& ob eaſdem etiam cauſas poſtea à Domitiano interfectus eſt.Xiph. in Veſpaſiani iunioris vita.

Illud quoque inter ægritudinis exempla commemorandum eſt, quod à Venetis erga Franciſcum Foſcarum ipſorum ducem patratum eſt. Nã cùm iuxta vrbis morem perpetuum ducem eum creaſſent: iſque & prudenter & iuſtè diu rem Venetam rexiſſet,paruóque tempore ipſius auſpiciis Brixia,Bergomum,Crema & Rauenna imperio Veneto adiectæ eſſent:quartum atque octuageſimum ætatis ſuæ annum,Ducatus autem quartum & trigeſimum agentem,cauſati eius decrepitam ætatem rerum adminiſtrationi magno eſſe impedimẽto,abire magiſtratus honore coegerunt.Quæ iniuria,præ doloris magnitudine,ita hominem concuſſit, vt vix pauciſſimos dies ſuperuiueret.Ita qui in tam longo ſenio diuturnitatem ſibi in vita ſpondere non poterat,erepta ob eam iniuriam pauci temporis vita,magnam nomini Veneto ingratitudinis atque inuidiæ notam inuſſit.Fulg.lib.5.cap.3.& Egnat.eodem.

INIVSTITIÆ ALTERA PARS, QVAE IN correctione inæqualitatis peccat.

INIVSTA CORRECTIO CONTRACTVVM voluntariorum.

Huc pertinent omnes illi qui inæqualitatem ortam non tollunt: vel certè inæqualitatem ortam eſſe ſimulant,eámque tollendo lucrum captant, Vt ſi quis ſimulet,rem venditam vilius veniſſe quàm decebat,& viro bono perſuadeat,vt inæqualitatis tollendæ cauſa maius precium numeret. Exẽpla petantur ex tit.Perfidiæ in contractibus voluntariis.Illic enim fidei non ſeruatæ ratio habetur,hîc verò fraudis commiſſæ in tollenda inæqualitate. Etſi enim contractus fraudulenti reuera voluntarij non ſunt,at certè tamen ſpeciem habent voluntariorum.

INIVSTA CORRECTIO CONTRACTVVM NON VOLVNtariorum, *ſiue dolo, ſiue per vim contrahant,*

IVSTOS NON DEFENDERE IN IVDICIO, *vel extra iudicium.*

HERODES tetrarcha,petente filia caput Ioannis baptiſtæ,ne periurus videretur,id ei conceſſit:neque virum ſanctum defendit.Marc.6.

IVSTOS NON ABSOLVERE.

PILATVS Barrabam Iudæis donauit:Chriſtum verò,qui in pari ſortitione erat,Iudæis gratificatus,liberare noluit.Matth.27.

FILIX præfectus Iudææ,licet Paulus apoſtolus ſe optimè excuſaſſet, voluit tamen gratiam pręſtare Iudæis,& Paulum vinctum ſucceſſori ſuo Feſto dare.Actor.23.

INIVSTE ACCVSATI, NON TAM TESTIMONIO (DE QVO *ſuprà) quàm actione,ſeu priuatim, ſeu publicè,ſiue in iudicio,ſiue extra iudicium.*

Conſule tit.Obtrectationis.Item,Abſoluti diuino iudicio.item tit.Perfidiæ erga liberos,aut dominos.

IOSEPHVS iniuſtè fuit à Putipharis vxore accuſatus, quòd eam de ſtupro compellaſſet,cùm ipſa tamen caſtiſſimum adoleſcentem vi cogere vellet.Geneſ.39.

PAVLVS apoſtolus,cùm eieciſſet dæmonium à puella Pythoniſſa,accuſatus eſt à dominis eius,quibus illa quæſtũ diuinando præſtabat. Magiſtratus itaq; fecerunt Paulum virgis cædi,& in carcerem mitti.Actor.16.

Quidam dicunt falſum eſſe rumorem,qui de MEDEA fertur. Non enim illam liberis ſuis mortem intuliſſe,ſed Corinthios. Fabulam verò,

& actum de Colchide inde natum esse. Euripidem, rogãtibus Corinthiis, confinxisse, & à mendacio veritatem superatam esse, propter poetæ ingenium & artem. Pro scelere verò in filios patrato, etiam nunc fama est Corinthios expiatoria sacrificia filiis offerre, & ea quasi tributum eis referre. Ælian. de Var. hist. lib. 5.

ARISTOGITON, cùm à lictoribus per tormenta vexaretur, vt conscios proderet, consciorum neminem significauit: omnes verò amicos Hippę, participes insidiarum fuisse dixit. Cùm hos morte mulctasset Hippias, tum Aristogiton amicorum stratagema ei exprobrauit. Polyæ. li. 1.

TVRNVM ab Ænea occisum fuisse, falsa calumnia videtur esse. Consule tit. Timoris.

PHRONIME falsò accusata à nouerca. Vide tit. Impietatis parentum erga liberos.

TENNES falsò à nouerca accusatus. Vide tit. Miro modo seruati.

SOCRATEM virum sanctissimum tres accusarunt: Anytus, qui politicus erat, & plebis partes tuebatur: Lyco orator, & Melitus poeta. Sententiam Polieuctus dixit: accusationem scripsit Polycrates sophista. Laertius libro secundo.

Cùm bello Siciliẽsi Athenis noctu omnes Mercurij statuæ, quæ Hermas vocant, in compitis facies & ora mutilatæ repertę essent; inimici Alcibiadis, in Alcibiadem hanc impietatem coniecerunt: & falsos testes subornarunt, quorum VNVS interrogatus, quo modo intempesta nocte facies eorum qui simulacra mutilassent cognouerit? Ad lunam, respõdit. manifesto mẽdacio, cùm actũ id fuerit die nouilunij. Plutar. in Alcibiade.

Demonax philosophus accusatus, eo quòd Cereris Eleusiniæ sacra contempsisset, seipsum excusauit, probans quòd iure ea sacra contemneret, quæ secreta essent, vtpote suspecta: omnino autem ea manifestari oportere, vt si bona essent, alios inducerent: si mala, vt cauerent. Volat. lib. 15. Anthrop.

ÆSCHINES orator insignis, à Demosthene æmulo suo accusatus, vt autor incommodi Phocensis, ab Atheniensibus absolutus est: vt testes sunt Philostrati sophistæ, quorum verba recitat Volat. li. 13. ca. 3. Anthrop. Accusationem pete ex secunda Olynthiaca Demosthenis.

DEMADES orator septies iniustè accusatus est: ideóque ex vrbe est eiectus, eo quo Demosthenes vixit tempore. Volat. lib. 15. Anthrop.

SCIPIO Asiaticus ob Asiam deuictam dictus: ex qua victoria luxuria primùm gemmarum Romam illata, sicuti ex Corintho ærea vasa ac tabulæ. Is postquam triumphasset, eadem de causa, qua & frater, accusatus de publica pecunia intercepta, in vincula & carcerẽ ductus est: ex Liuio.

P. SYLLA à Lucio Torquato, eo quòd patris competitor in Consulatu fuisset, accusatus est, & cum collegis damnatus. Rursus accusatus, quòd in coniuratione Catilinę fuisset, à Cicerone defensus est, cuius extat oratio. Asconius. Pedian.

Poppea, quæ prius adultera Neronis: mox repudiata OCTAVIA, mariti potens facta, subornauit quendam ex Octauiæ ministris, qui ei seruilem amorem obiiceret. Ancillis Octauiæ ad quæstiones pertractis, quædam cruciatu victæ falsis annuerunt, quędam persliterunt dominæ suæ sanctitatem prædicantes. Ex his vna instanti Tigillino respondit: castiora esse Octauiæ muliebria, quàm os eius. Significans, illum fellatoribus obsequentem, ac cunnilingum. Eras. lib. 6. Apoph.

Phauorinus philosophus, quum eunuchus foret, & Androgynus, adulterasse tamen viri Consularis vxorem creditus est ab Adriano.

LEO Imperator Ioannem Damascenum, Damasci pretorem, eo quòd imaginum cultum acriter defendebat, falsò accusat apud Saracenos, quòd *vrbem sibi perdere voluerit. Vide tit. Monachorum octaui seculi.*

SABINVS & CRESCENTINVS, Gregorij Agrigentini episcopi sanctissimi, diaconi, quòd grauius ab eo essent reprehensi ob facinora sua mala, inito fœdere, in eius perniciem conspirant: mulierem impudicam subornant, eámque pecunia corruptam in eius thalamum clàm ipsóque inscio, abdunt. At cùm ad eam esset ingressus episcopus, in cubile irruunt, omnia clamoribus ac tumultu implent, comprehensum per totam vrbem trahũt: ac tandem custodię, inclusis ligno pedibus, tradũt. Cùm autem per Eparchum, vrgentibus accusatoribus, causa non posset componi, Romam vinctus ad Pontificem deportatur, ibique similiter carcere in tertium vsque annum excruciatur. Sed in Synodo innocentiã eius Deus patefecit. Meretrix etenim à dæmone correpta, accusatorum improbitatem detexit. Gregorius igitur absolutus, illi in exiliũ acti sunt. Simeon Metaphrastes, in eius vita.

HEIMERANVS episcopus Reginoburgensis, fuit apud Theodonẽ, ducem Boiariæ: ducis filia Vta cùm esset compressa à Sigeberto quodam decurione equitum, honestioris patrocinij nomine in Heimeranum vitium contulit. Cùmque is tum fortè pietatis ergò Romam iter suscepisset, frater vitiatæ puellæ Landobertus eum insecutus in via comprehendit: ac nequicquam tantum scelus abnuentem, supra scalas arctissimè colligauit, & membratim dissecuit. Auentinus in Annalibus Boiorũ li. 3.

Geloria stupri falsò accusata. Vide tit. Perfidiæ erga parentes.

Alipius D. Augustini summus amicus (de quo vide titul. Doctorum Ecclesiasticorum) cùm Carthagine in foro obambularet cum tabulis & stylo, repetens quæ mox in schola redderet: interim alius ex scholasticis securi armatus, de cancellis argẽtariorum plumbum pręcidere ausus, cùm strepitu facto eos concurrere sensisset, relicta securi aufugit. Accedit interim ad cancellos propius Alipius, & inuentam securim intuetur. Adsunt illico ministri, eum tanquam furem comprehendunt. Superuenit architectus publicus: is agnito Alipio, rei gestæ ordinem sciscitatus, Alipium liberat, & verum furem cõprehendi iubet. August. li. 6. Confes. ca. 9.

Isidorus presbyter Alexandrinus falsò de Sodomia accusatus. Vide tit. Inuidiæ.

Sixtus III. Romanus pontifex, à Basso presbytero est accusatus. Cuius calumniam cùm in concilio episcoporum discussisset, Bassus à Valentiniano in exilium pulsus est. Volat. lib. 22. Antrop.

Plurima sunt in NARCISSO Hierosolymorum antistite, quæ nos admirari in primis debeamus: sed illud pręcipuum fuerit, quòd falsò accusatus, triúmque testium dictis falsis oppressus, iudicũ sententiæ quàm celerrimè obtemperauit. Relicta enim sede, quam per multos annos obtinuerat, in deserta ita concessit, vt non facilè ab vllo inueniri posset. Quo tempore diu delitescens, aliquot successores habuit. Cæterùm, conuictis mox testibus, grauibus suppliciis, vt primus ex his cum vniuersa domo conflagrarit, alter regio morbo correptus obierit, tertius luminibus sit captus. Quibus pœnis sese singuli antea obstrinxerant, si falsum testimonium coram iudicibus dixissent. Narcissus tandem inuentus pristinę dignitati restituitur: quã ita postea rexit, vt eius memoria apud posteros diutissimè floruerit, insigni etiam miraculo honestatus, qui aquam sanctissima paschatis die, quando oleum defecisset, infundi luminibus iussit. Quę quam primùm in oleum versa, sic est accensa, vt omnibus spectaculo esset. Eusebius in suis Chronicis testatur, reliquias nonnullas ad suam vsque ætatem perdurasse. Egnat. lib. 8. cap. 1.

CAROLVS Zenus post pręclaras res domi forísque gestas, accusatus quasi pecuniam à Francisco Carario accepisset, quam constabat ex illius libris, quos ipse Carolus exhibuerat, non esse persolutam, tametsi Carolus re ipsa probaret datam illi in exilium agenti ab se mutuò: non valuit tamen tantũ vel viri ipsius authoritas, vel innocentia, vel Patauiũ ipsum sua in primis virtute receptum, quin condemnaretur, & in carcere biennium ageret, procuratoriáque dignitate insuper priuaretur. Fuit igitur ea constantia vir, vt per annos illos duos nunquam supplex alicui fuerit, nihil sibi *remitti de carceris* pœna expetierit: totúmque illud biennij spacium in literis, doctorúmque hominum consuetudine, qui frequentissimi ad eum ventitabant, consumeret. Egnat. lib. 8. cap. 1.

Iacobo Foscaro dicta dies est, quòd frequentius amplissima oblata munera recepisset, quæ recipere principis familia nequaquam poterat. Quod quum negare non posset, in exilium est missus, Creteque insulę finibus inclusus. Verùm ille dissimulata aduersa valetudine, quum apud Tergeste diu substitisset, tandem domum reuocatus est. Idem postea etiã accusatus, quòd Hermolai Donati autor interficiendi fuisset, quamuis tortus, nunquam id fassus est. Quod certè etiam falsum postea deprehensum est: graui tamen exilio iterum damnatur. Egnat. lib. 8. cap. 1.

INIVSTE DAMNATI, DAMNATIO INIVSTA, SIVE priuata, siue publica.

Vide exempla aliquot sub tit. Astutia ad nocendum alteri. Item, Prouocatio ad diuinum tribunal. Item, Ingratitudo, siue perfidia erga principes.

IVDAS iniustè pręcepit Thamar nurum suam occidi, & comburi: vt legimus Genes. 38.

Procurante impia Iezabel, Naboth fuit crudeliter lapidatus: cuius vindictam fecit Dominus 3. Reg. 21.

Rex Iuda IOAS, iussit Zachariam filium Ioiadę sacerdotis à populo lapidari: cùm tamen pater illius restituisset ei regnum, & Athaliam occidisset. Sed vltio paulo pòst secuta est. 1. Paral. 24.

PTOLEMÆVS à Menelao accusato pecunia corruptus, ac muneribus, contra accusatores fecit ferri mortis sententiam. 2. Mach. 4.

DARIVS rex Persarum, licet innocentem sciret esse Danielem, tamen ad instantiam satraparum fecit eum mitti in lacum leonum. Dan. cap. 14.

Iniustus HERODES rex, vel potius impius, qui priuignæ gratificatus, Ioannẽ Zachariæ filium, quo post Christum nemo fuit sanctior, interfecit. Dignus qui cum incesta coniuge extremo affectus sit supplicio, & per exquisitissimas vterque pœnas discruciatus. Sabel. lib. 4. cap. 5.

Neque non iniustè fecisse dicam, cùm impiè etiam fecerit PILATVS Hierosolymorum præses, qui non iustum, sed ipsam damnauit iusticiam. Nec imprudens fecisse videri potest, qui nisi iniustè & impiè se facere sensisset, nunquam lotis manibus nefarij illius iudicij expers *credi* voluisset: ceu quisquam sibi sceleris conscius, aliqua sui parte mundus esset possit. Sed dum Cæsarem timet, iratũ numen expertus est. Sabel. libro 4. capite quinto.

Quidam Homines habentes puellam, à qua Paulus eiecit spiritum Pythonicum, accusauerunt eum, & Sylam eius socium, quòd ipsi ciuitatem turbabant. Magistratus autem sine aliqua probatione fecerunt Paulum & Sylam virgis cædi, & in carcerem durum mitti. Act. 16.

PAVLVS apostolus, à Felice Iudęę procuratore in vincula coniectus, & in manu Festi successoris relictus, cùm habita disquisitione, plusquam opus esset vereretur, Augusti tribunal compellauit. Itaque Festus etsi eum innocentem iudicarat, tamen coactus est ad illum mittere, cuius tribunal Paulus appellauerat. Nero autem, vt incensæ vrbis inuidiam in Christianos exoneraret, quanquam innocentem, post aliquot tempus capite mulctauit: cum appellatio, quam sibi fore Paulus saluti arbitrabatur, mortis causam ad vrbem Romam misso attulit. Fulgos. lib. 8. cap. 1.

Cùm

Cùm aliqui sacrificium Apollini offerrent, DELPHI per insidias eos circumuenerunt, & thuri placentísque clàm iniecerunt sanctas pecunias: atque sic comprehensos eos, tanquam sacrilegos, abductos in petram, iuxta legem Delphicam præcipites dederunt. Ælian. lib. vndecimo de Var. hist.

MAGNETES Phamis principis sui filios sacra facientes comprehẽderunt, & sacrilegij reos egerunt. Quod etiam Æsopo volunt accidisse, qui sacrilegij nomine præcipitatus est, aurea phiala in stragulis eius deprehensa. Heraclides.

ARISTIDES procurator fisci, quod munus sanctissimè gesserat, tamen à Themistocle delatus est, ac repetundarum damnatus. Sed optimatum fauore nõ solùm illi mulcta remissa est, verùm etiam eidem redditus est muneri: quod per simulationem sic administrauit, vt omissa pristina seueritate, lenem se facilémque præberet iis qui publico malo gauderent ditescere. Horum opera factum est, vt populus tertiò munus summis fauoribus idem deferret Aristidi. Tum ille: Ob integrè gestum munus damnastis: nũc quoniam præter æquum multa concessi ciuitatis expilatoribus, honore dignum iudicatis. Hoc igitur honore delato, plus mihi dedecoris afferri puto, quàm damnato ac mulctato. Plut. in Græcorum apoph.

Tandem decennij exilio mulctatus est, per inuidiam, multis ægrè ferentibus, cum ob morum excellentiam cognomento Iustum appellari. Fulg. lib. 8. cap. 1.

THEAGENIS statua iniustè damnata. Consule tit. Vltionis nimiæ erga ratione carentia.

ANAXAGORAS Clazomenius à Cleone impietatis accusatus est, quòd solem candentem *dixisset laminam*. Defensus tamen à Pericle discipulo, & quinque talentis mulctatus, in exilium eiectus fuit. Laertius ex Sotione.

SOCRATES philosophus, qui Delphico oraculo omnium sapientissimus iudicatus est, cùm publicè condemnatus esset, veneno sublatus, supplicij tanta secuta est pœnitentia, vt accusatoribus insigniter mulctatis, statua sit illi publicè decreta. Sabel. lib. 1. cap. 5. & Volat. libro decimotono Anthrop.

M. Agrij argentarij Seruus, Alexandrum Titi Fannij seruum occidisse insimulatus est: eóque nomine tortus à domino, admisisse id facinus constantissimè asseruit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est. Paruulo deinde tempore interiecto, ille cuius de nece creditum erat, domum rediit, & Agrij seruum iniustè damnatum sua præsentia ostendit. Val. Max. lib. 8. cap. 4.

PHILIPPVS & ALEXANDER serui iniustè damnati. Vide tit. Tolerantia tormentorum Ethica.

Sextus Titius erat *innocens*, Agraria lege lata gratiosus apud populũ: tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota cõcio oppressit. Val. lib. 8. cap. 1.

L. SCIPIO post speciosissimum triumphum de rege Antiocho ductum, perinde ac si pecuniam ab eo accepisset, damnatus est: non puto quòd precio corruptus fuerat, vt illum totius Asiæ dominum, & iam Europæ victrices manus inijcientem, vltra Taurum montem summoueret: sed alioqui vir sincerissimæ vitæ, & ab hac suspicione procul remotus, inuidiæ, quæ tunc in duorum fratrum inclytis cognominibus habitabat, resistere non potuit. Val. lib. 8. cap. 1.

LIVIVS Salinator ex inuidia peculatus reus, ab omnibus tribubus excepta Metia condemnatus, in voluntarium exilium abijt. Liuius, & Cæcilius.

C. DECIANVS spectatæ integritatis vir, cùm P. *Furium inquinatissimæ* vitæ pro rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte L. Saturnini queri ausus fuerat, nec reum damnauit, & insuper ei pœnas dilectas pependit. Val. lib. 8. cap. 1.

P. RVTILIVS, vir summæ innocentiæ, repetundarum damnatus, & in exilium missus est. Liuius lib. 70.

QVINTIVS Cæso, L. Quintij Cincinnati filius, à tribunis falsò accusatus, tanquam ab eo M. Volusius vir plebeius vapulasset, atque verberibus Lucium interemisset, etsi penè exploratum habebatur, accusationẽ illam calumniosam esse, tamen quia Cæso plebis iudicium spreuit, & citatus iudicio adesse nunquam voluit: ob eas contentiones, quibus inter Senatum ac plebem decertabatur, exilio atque ære mulctatus est. Fulgos. lib. 8. cap. 1.

C. RVFFVS Geminius, cùm esset impietatis in Tiberium accusatus, tabulas testamenti sui attulit in Senatum, in quibus filios suos & Tiberium hæredes faciebat ex æquis partibus. Attamen accusatus quòd mollis & effœminatus esset; *cum supplicium* protraheretur, ipse sibi, antequam pœnas luere cogeretur, mortem consciuit. Dion Nicæus in Tiberio.

ASIATICVS apud Claudium imperatorem accusatus, cùm negaret factum, séque neminem ex iis qui contra se testimonium dixerant, nosse confirmaret: miles qui se vnà cum eo dicebat fuisse, interrogatus, quis esset Asiaticus? caluum quendam, qui tum fortè aderat præsens, ostendit: nam id signum eius tantummodo didicerat. Quamobrem cùm magnus risus concitatus esset, Claudiúsque eum liberare statueret: Vitellius (quo Messalinæ rem gratam faceret) se ab Asiatico rogatum esse dixit, vt sibi mortis genus liceret eligere. Quod cùm Asiaticus audiuisset, conscius culpæ, ratúsque se iam condemnatum esse, mortem sibijpsi consciuit. Xiphilinus in Claudio.

C. CALIGVLA Romanorum imperator, multos Romæ leuissimas ob causas accusauit atque damnauit: nullam aliam ob causam, quàm vt ipsorum facultates consequeretur. Nam pecunia opus erat, posteaquam thesauros omnes suos exhausisset. Xiphilinus Dionis interpres, in eius vita.

IVNIVS Priscus, prætor, à Caligula de quibusdam rebus leuiusculis accusatus damnatus est, quòd locuples esset. Xiphilinus Dionis abbreuiator.

Cùm post conspirationem in Neronem imperatorem factam, multi Romæ trucidarentur, Soranus Senecæ philosophi frater, opibus atque dignitate in vrbe excellens cæteros, accusatus innocenter, atque P. Egnatij philosophi falso testimonio damnatus est. Xiphilinus in Nerone.

THRASEAS Senecæ philosophi frater, à Nerone imperatore post longam *accusationẽ, nullam aliam ob causam damnatus* atque *occisus est*, quàm quòd Senatus decreta non semper probauerit, nunquam Neronẽ audiuerit cithara canentem: neque voci eius sacræ, vt reliqui omnes, sacrificauerit, aut approbauerit. Xiphilinus in Nerone.

DOMITIANVS Romanorum imperator, Vestales virgines Romæ, quasi cum viris consuetudinem habuissent, falsò accusauit: quarum innocentiam cùm Heluius Agrippa ex Pontificibus vnus, defendere conatus esset, in senatu extinctus est. Xiphilinus in Domitiano.

CORNELIA Maximilla Vestalis virgo, cùm antè absoluta esset, postea à Domitiano non ob aliam rem putatur incesti damnata fuisse, nisi vt crudelitatem suam expleret: atque ex his iudiciis, quæ ipsius temporibus facta essent, fama & nomen compararetur. Fulgosus libro octauo, capite primo.

Graue atque absonum valde visum est iudicium de Valerio Liciniano senatore, cùm incesti cum Cornelia Vestali accusatus esset. Nam idcirco Domitianus cum Pontificum collegio eum damnauit, quòd fassus erat incestum, quem nunquam eum patrasse omnes arbitrabantur. Cæterùm ipse vir astutus, cùm Domitianum sciret non iure, sed sæuiendi rabie in eo iudicio moueri: maluit fatendo pœnæ partem abolere, quàm innocentem penitùs perire. Fulg. lib. 8. cap. 1.

METIVS Pompusianus nullam aliam ob causam à Domitiano imperatore accusatus, in Cyrnũ relegatus, atque interfectus est, quàm quòd orbem terræ pictum in parietibus cubiculi haberet, Liuianámque historiam studiosè euolueret. Xiphilinus in Domitiano.

MATERNVS sophista ab eodẽ accusatus atque damnatus est, quòd exercitij causa aliquid in tyrannos dixisset.

RVSTICVM Arulenum, quòd philosophatus esset, atque Thraseam diuinum hominem fuisse dixisset, idem sustulit.

HERENNIVM Senecionem, quòd cùm vixisset diutissimè post *Censoriam dignitatem, nullum magistratum petiuisset*, quódque Eluidij Prisci vitam conscripsisset. Hæc omnia Xiphilinus recitat in Domitiani vita.

SVB NERVA Romanorum imperatore, multi per calumniam accusabantur & damnabantur, in quorum numero Seras philosophus fuit: ob eámque rem ingens tumultus exortus est: omnes enim accusabãtur ab omnibus: vt ferant Frontonem consulem dixisse: Malum quidem esse, imperatorem habere sub quo nemini liceret quicquã facere: sed multò peius esse, si omnia licerent omnibus. Xiphilinus in vita Neruæ.

ATHANASIVM patriarcham Alexãdrinum, non vitæ sanctitas, non doctrina protexit, quin apud Constantium Augustum, à multis episcopis Arrianis ceu magus atque veneficus accusaretur. Nam cùm insuper adderetur, ab eo mutilatum brachio Arsenium, vt ex eo veneficia conflaret: conuocato Tyri concilio, ostensóque Arsenio incolumi, tamen non effugit quin iudicum odio atque iniquitate damnatus, per totum Oriẽtem persecutionem pateretur. Fulgosus libro octauo, capite primo & Egnat. eodem.

IOANNES Chrysostomus patriarcha Constantinopolitanus, cùm ad Synodum vocasset Theophilum Alexandrinum patriarcham, propter crimina quæ ei obiiciebantur, Constantinopolim cum alia impiorum episcoporum manu Theophilus venit, atque aliam Synodũ fecit, & Chrysostomum ipsum citauit. Cuius quanquam maior esset potestas, tamen quia citatus non iuerat ad Theophilum, ab eo damnatus est: quòd cum concionaretur, Augustam Iezabelã vocauerat, cuius causa Arcadius quoque exilio Chrysostomum mulctauerat. Postquam rem, cum grauis terræmotus vrbem atque propinquam regionem infestaret, populus religione motus, quia eius rei causam esse Chrysostomi exilium putabat, magnis honoribus eum in patriam reuocauit. Cæterùm cùm is etiam dãnaret, vt in foro pro æde diuæ Sophiæ statua Augustæ poneretur, denuò vocata in eum Synodo depulsus est: quòd redierat non à Synodo, sed à populo reuocatus. Adeò variæ fuerunt damnationum eius, & absolutionum causæ. Fulg. lib. 8. cap. 1.

Vehementer ad Hilarionis quoque damnationem aduertendum est, quemadmodum Ruffinus Aquilciensis scribit, etsi illud Hieronymus neget. Nam cùm hæreticorum fraude vitiatus ei liber esset, quem ipse catholicè scripserat, & in cella, in eo loco conditus, in quo primùm habebatur, cùm vitium nullum inesset: in concilio postea Hilario, dum per contumelias res ageretur, hęreticus appellatus, vt obiectum crimen re ipsa dilueret, librum quẽ catholicè scripserat, cùm proferre vellet, fraudis ignarus, vitiosum protulit. Quæ res & ipsum à recto sensu, prę admiratione doloréque simul abalienatum reliquit, & alienos vehementer in eum commouit. Itaque alieno scelere extra ecclesiæ gremium factus, à catholicorum communione, tanquam hæreticus, fuit depulsus. Fulg. lib. 8. cap. 1.

Qui non diuinam prouidentiam præesse in rebus humanis interdum non dubitet, quum tacitus secum admiretur Ericij Turonensis episcopi, qui diuo Marciano successerat, casum? Accusatus enim à perfidis scelestísque, quòd seruam suam violasset, quæ domi suæ pepererat: quum ille

constanter id negaret, neque illa tamen serua delictum inficiaretur, in exilium iudicum iniquissimorum sententia actus est: in quo septem annos ita vixit, vt tandẽ postea patefacta re, duobus successoribus intra hoc spacium vita functis, pristinæ dignitati etiam nolens sit restitutus, hodiéque ad hæc inter diuos colatur. Egnat. libr. 8. cap. 1. & Fulgosus. libr. 8. capite 1.

CONSTANTIA, Constantini Maximi Augusti filia, & Galli Cæsaris, qui Orientem regebat, coniunx, iussit Clematium Alexandrinum virum innocentem, indicta causa interfici, gemmato monili corrupta à Clematij socru, quæ inuisum generum habebat, quia stupri ab ea interpellatus tanta turpitudine abstinuerat. Fulgos. lib. 9. cap. 4.

CRISPVS Constantini Imperator nothus, falsò à Fausta nouerca de stupri interpellatione accusatus, iniustè à patre capite plectitur. Re tandem cognita, ipsam quoque Faustam capite multauit. Fulgosus libro sexto capite primo.

Venetiis interfectus fuerat ex decemuiris vnus, Hermolaus Barbarus, authoritatis summæ vir, dum domũ rediret noctu ex Senatu profectus. Qui quum seruum tantum à manu, qui lumen præferret, comitem secum duceret, mox extincto lumine, non procul ab ædibus suis interfectus est. Huius autor tanti facinoris ex plebe fuerat, qui ob adolescentem amatũ à se, in carcereque diu habitum, tormentísque grauiter affectum, ipsius Hermolai sententiam decemuiralis præfecti iniquo animo tulerat. Cæterùm quum latêret facinoris tam scelesti author, quumque in ciuitate tam pacis & quietis cupida permolestum nimis esset: tandem visum est, nonnullis etiam deferentibus, Iacobum Foscarum, Frãcisci ducis filium, authorem fuisse patrati criminis: quoniam vniuersæ ciuitati cognitum, perspectúmque erat, acerbas inimicitias, & pergraues inter ipsum Iacobum & Hermolaum ad eam diem extitisse. Ductus igitur in carcerem, grauissiméq; tortus, etiam aliquando sentiente patre, qui publicis negociis præerat, nunquam adduci potuit, vt ne crimen quidem vnquam cogitatum à se fateretur. Ille verò publico tandem iudicio in Cretam insulam relegatus est. Quo deniq; mortuo, patrati sceleris author moriendo confessus est, à se solùm tam audax facinus esse patratum, odij acerbitate in Hermolaum accenso. Egnat. lib. 8. cap. 4. & Fulg. lib. 8. cap. 4.

FERDINANDVS eius nominis quartus, Hispaniæ rex, Sanctij quarti filius, parentis in regno puer nonum tantum annum agens factus successor, per matrem fœminam prudentissimam omnia gerebat. Verùm cùm iam quindecim annis regnasset, duósque non obscuro loco natos, perduellionis reos ex altissima turri præcipites dari iussisset, iique constanter ab se crimen amolirentur, nec aliquid profecissent: eò confugerunt, vt dicerent se diuinum tribunal appellare, proindéque meminisset ad dies triginta iudicio sistere (mos enim est Gallis & Hispanis, vt qui sibi iniuriam fieri queritur, aduersarium moneat, vt ad certam diem coram iudice superiore compareat.) Itaque Ferdinandus aduenienṫe trigesimo die, cùm dormire crederetur, in fata corruit. Ritius libro tertio, de Regibus Hispaniæ.

[redacted]

VERCELLIS, iniustè mulier adulterij nomine damnata, & miraculosè absoluta. Vide tit. Tolerantia Ethica tormentorum.

Apud Saxones, anno M.D. mercator peregrè profectus, reliquit domi vxorem cùm filia & ancilla. Carnifex eius loci, viri absentia animaduersa, clàm per cellam vinariam ingressus, noctu ancillam, quæ vinum pro cœna allatura eò descenderat, trucidauit. Illius moram ægrè ferens filia, ipsa quoq; descendit, & à carnifice obtruncatur. Tandem & mater. Tria cadauera in cella vinaria sepelit, totamque domum compilat. Mercatore reuerso, cùm de latrone non constaret, carnifex ipsum mercatorem propter intestinas cum vxore rixas facinoris tam atrocis authorem asserit. Mercator in vincula coniectus tormentorum crudelitate victus, falsò latrocinium se commisisse fatetur, rotaq; plectitur innocens. Nõ multo pòst carnifex argentea pocula mercatoris symbolo notata vendit, & seipsum incautus prodit. Comprehensus, ignitis forcipibus à toto populo in foro dilaniatur.

Apud Basilienses quidam captus, & in carcerem coniectus, cùm confiteretur se vxorem suam (quæ post Vatinianum inter ipsos coortum odiũ nusquam videbatur) interfecisse, rotæ adiudicatus & damnatus est. At post aliquot septimanas vxor, quæ adhuc in viuis erat, curru in vrbem inuecta, sua præsentia ostendit, maritum iniustè (non tamen sine propria sceleris commissi confessione) damnatum esse.

IMPROBOS NON ACCVSARE, VEL ACCVSAtione vel testimonio.

Ptolemæus Ægypti rex, propter illatas suis ciuibus iniurias, cùm ad Romanos fugisset, pecunia eos sibi concilians, Ægyptij statim miserunt legatos centum Romam, vt ibi regem accusarẽt. Quod cùm Ptolemæus intellexisset, omnes veneno clàm necauit. Quod scelus licet crudele Populo Romano visum sit, nullas tamen pœnas ob Pompeij (qui ipsum defendebat) potentiam dedit. Xiphilinus, Dionis abbreuiator, in Pompeio.

Apud Indos Massagetes, barbarásq; nationes, impunita adulteria fuerunt. Alexan. lib. 4. cap. 1.

L. SVLLÆ filia duos simuladulteros habebat, Pompeium quendam cognomento Maculam, & Fuluium fullonis filium. Lusit in dedecore domestico Faustus sic: Miror, inquit, sororem meam, cùm fullonem habeat, maculam habere.

IMPROBOS NON PVNIRE.

LACEDÆMONII Euæphnum, ob commissum latrocinium, punire nolunt. Vide tit. Auaritiæ in acquirendo.

ÆGYPTII furta omnia impunè permittunt.

PACTA INIVSTA NON RESCISSA.

Consule tit. Pacta iniusta seruata. Nam diuerso respectu & ad διανομὴν & ad διόρθωσιν iniustam referri possunt.

LITES, CONTROVERSIAS, ET QVÆVIS ALIA MALA NON præcauere, ne oriantur, cùm tamen possis.

IMPOENITENTIA. QVI MALEFACTORVM NVLla ducuntur pœnitentia.

POENITENTIA SERA.

Pertinet tit. iste ad Imprudentiam, si tarditatem pœnitentiæ spectes, quæ stulticiæ iuncta est: at si moram pœnitendi consideres, ad Iniusticiam pertinebit. Nam cùm longo tempore impœnitentes permaneãt, quandiu tales sunt, Iniusti sunt. Exempla tamen ex tit. Pœnitentiæ ethicæ colligi possunt, quam sub Ethica iusticia collocauimus, non respectu moræ (cuius hîc habetur ratio) sed respectu pœnitentiæ superuenientis. Satius est enim serò, quàm nunquam.

CAMBYSES rex, cùm Smerdem magum contra se rebellasse audiret, pœnitentia sera ductus fuit, quòd fratremSmerdem interfecisset propter somnium, quo viderat Smerdem in solio regio sedentem, neq; enim hoc ad fratrem, sed ad magum pertinebat. Herod. lib. 3.

VOLSCI, serò tandem interfecti Coriolani pœnitentia ducuntur. Vide tit. Perfidiæ principum inter se.

QVI SIBIIPSIS MORTEM INTVLERVNT.

Consule tit. Desperationis, sub loco Timiditatis, quatenus metu maiorum malorum mortem eligunt. At in præsentia Desperatos adducimus eos, qui propter scelera sua seipsos interfecerunt. Quod ipsum iniusticiam summam continet. Neque enim iniussu Imperatoris opt. max. ex hac vita emigrandum est, vt inquit Pythagoras.

LITES, RIXAS, ODIA ET DISSIDIA ALIORVM orta non corrigere.

IMPROBOS DEFENDERE. DEFENSIO INIVSTA, vel actione, vel testimonio.

AVGVSTVS Cæsar, amicos suos magis quàm iusticiam ac æquitatem interdum amare visus est. Nam cùm Mecœnas & Apuleius, qui ei ex intimis erant, malè audirent in iudicio, eo quòd adulteri cuiusdam patroni & defensores essent, ipse in ius venit: & cùm sedisset in tribunali prætoris, nihil grauius admisit: sed accusatori interdixit, ne amicis suis propinquísque conuicium faceret, atque inde statim quasi defendẽs facinus admissum surrexit. Dion in Augusto.

PHOCION, quum à suis reprehenderetur, quòd hominem improbum in iudicio defendisset: At nemo bonus, inquit, patrocinio indiget. Brusonius lib. 5. cap. 18.

INIVSTE LIBERATI ET ABSOLVTI.

MENELAVS coram Antiocho accusatus, per pecuniam quam promisit absolutus est, & accusatores eius iniqua morte damnati. 2. Mach. 4.

CRITOLAVS Græcus, cùm duobus fratribus, aduersus alios tres fratres, ea conditione certamen iniuit, vt vtri eorum vicissent, ita vel Thegeates vel Pheneates controuersiarum ac belli, quibus antè diu inter se certarant, ius haberẽt. Occisis tribus aduersis fratribus, singulari Critolaus animo atque industria, cùm ipse duos in eo prælio amisisset fratres, victor euasit. Itaque cùm domum, gloriæ plenus, in triumphi speciem rediret, oblata est ei soror, magno planctu omnia perturbans, quòd inter excisos hostes vir eius erat. Indignatus Critolaus, plus à sorore virum, quàm patriam ac duos diligi fratres, qui amissi erant: illic vbi obuiam facta est, gladio illo quo accinctus erat, & quo eam pepererat victoriam, sororem interemit. Haud multo pòst, ad populum accusatus matris precibus, quæ iam duos pro patria filios amiserat, eo iudicio absolutus est, omni ex parte Romanis Horatiis persimilis. Fulg. lib. 8. cap. 1.

IPHICRATES proditionis reus citabatur, accusantibus Aristophõte & Charete, eam ob causam, quòd ad Embata, cùm hostes interficere posset, naualę prælium non iniuerat. Qui videns iudicium in contrariam sententiam ferri, desistens à dicendo, ensem quodammodo iudicibus ostendit. Ne verò tota conspiratione armata circundaret iudicium, absolutionem omnes ei decreuerunt. Post victoriam decernente quodã, eum iudicibus vim adhibuisse: Amens essem, inquit, si pro Atheniensibus belligeram, pro me verò non item. Polyæn. lib. 3.

IDEM capitis reus, iuuenes cum gladiis in iudicio collocauit: qui mõstrantes capula iudicibus, terrorem eis incusserunt, ita vt reum absoluerent. Ibidem.

IDEM ad procuratorem abiens, in domum ipsius, thoracem indutus, curatori dicebat: Vide caueas. Ibidem.

APOLLODORVS Cassandri filius, de affectata tyrannide in iudiciũ vocatus, pulla veste amictus progreditur, vxorémque & filias habitu simili inbutas produxit supplices: ad eámque pœnam quam statuissent, se iudicibus tradidit. Qui re intellecta, eum crimine suffragiis suis liberarunt. Dimissus Apollodorus, non ita multo pòst tyrannidem occupauit, in primísque iudices qui eum absoluerant, crudelissimis suppliciis affecit, salutem suæ industriæ acceptam referens, non illorum humanitati. Polyæn. lib. 6.

ÆSCHYLVS tragœdus, in quodam dramate impietatis damnatus erat. Cúmque Athenienses iam parati essent eum lapidibus obruere, Amyntas iunior frater, detecta veste, cubitum ostẽdit manu vacuum. Fuerat autem Amyntas in Salamine, vnus ex primoribus, vbi manum amisit, & primam palmam ex omnibus Atheniensibus consecutus erat. Vbi verò iudices hominis incommodum & damnum aspexerunt, repetentes facinorum eius memoriam, Æschylum absoluerunt. Ælian. libro quinto de Varia historia.

ARETAPHILE fuit vxor Nicocratis Cyrenensis tyranni, quæ iniquo animo ferens patriam à marito oppressam, consilium inierat eius de medio collẽdi. Quo crimine ad Caluiam matrem socrúmque Aretaphile delato, quum sæpe tormentis etiam socrus ipsa veritatem exquireret, tanquam tamen aliquid falsa est. Quare marito restituta, eóque veneno sublato, libertati patriæ tandem est cõsultum. Egnat. lib. 8. cap. 4 & Fulg. lib. 8. cap. 4.

M. HORATIVS interfectæ sororis crimine à Tullo rege damnatus, ad populum prouocato iudicio absolutus est: quorum alterum atrocitas necis mouit, alterum causa flexit, quia immaturum virginis amorem seuerè magis, quàm impiè punitum existimabat. Itaque forti punitione liberata fratris dextera, tantum consanguineo, quantum hostili cruore gloriæ haurire potuit. Val. lib. 8. cap. 1.

A. GABINIVS, in maximo infamiæ suæ ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subiectus, abruptæ esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plenè exhibebat, & defensionis præsidia inualida fide nitebantur: & qui iudicabant, ira perciti pœnam hominis cupidè expetebant. Igitur lictor & carcer ante oculos obuersabantur, cùm inter omnia ista propitiæ fortunæ interuẽtu depulsa sunt. Filios namque Gabinij Sisenna, consternationis impulsu, ad pedes se Memmij supplex prostrauit, inde aliquod fomentum procellæ petens, vnde totus impetus tẽpestatis eruperat. Quem truci vultu à se victor insolẽs repulsum, excussoé manu annulo, humi iacere aliquãdiu passus est. Quod spectaculum fecit, vt Lælius tribunus plebis, approbantibus cunctis, Gabinium dimitti iuberet: ac documentum daretur, neque secundarum rerum prouẽtu insolenter abuti, neque aduersis properè debilitari oportere. Idem.

APPIVS Claudius, nescio religionis maior, an patriæ iniuria (siquidem illius vetustissimum morem neglexit, huius pulcherrimam classem amisit) infesto populo obiectus, cùm effugere debitã pœnam nullo modo posse crederetur, subitò coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione. Discussa enim quæstione, aliam, velut diis interpellantibus, deintegrò instaurari nõ placuit. Itaque cui maritima tempestas causæ dictionem contraxerat, cœlestis salutem attulit. Ibidem.

LVCIVS Piso à L. Claudio Pulchro accusatus, quòd graues ac intolerabiles iniurias sociis intulisset, haud dubiæ ruinæ metum fortuito auxilio vitauit. Namque per id ipsum tempus, quo tristes de eo sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit: cúmque prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum cœno repleuit. Quod cõspectum totam quæstionem à seueritate ad clementiam & mansuetudinem transtulit, quia satis iam graues eum pœnas sociis dedisse arbitrati sunt, huc deductum necessitatis, vt abijcere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur. Ibidem.

CAIVM Cosconium Seruilia lege reum, propter plurima & euidentissima facinora, sine vlla dubitatione nocentem, Valerij Valentini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam virginem à se corruptam poetico ioco significauerat, contexit. Siquidem iudices iniquũ rati sunt, eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Magis ergo Valerius in Cosconij absolutione damnatus, quàm Cosconius in causa sua liberatus est. Ibidem.

ATTILIVM Calatinum Soranorum oppidi proditione reum, admodum infamem, imminentis damnationis periculo, Q. Maximi soceri pauca verba subtraxerunt: quibus affirmauit, si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, diremturum se fuisse affinitatem. Continuò enim populus penè iam exploratam sententiam suam vnius iudicio concessit: indignum ratus, eius testimonio non cedere, cui difficilis Reip. temporibus bene se exercitus credidisse meminerat. Idem.

MARCVS Æmylius Scaurus repetundarum reus, adeò perditam & comploratam defensionem in iudiciũ attulit, vt cùm accusator diceret, lege sibi centum atque viginti hominibus denunciare testimonium licere: séque nõ recusare quo minus absolueretur, si totidem nominasset, quibus in prouincia nihil abstulisset, tam bona conditione vti non potuerit: tamen propter vetustissimã nobilitatem, & recentem memoriam patris, absolutus est. Ibidem.

L. Scipio Æmylianus, L. COTTAM apud populum accusauit. Cuius causa quamuis grauissimis criminibus erat confossa, septies ampliata, & ad vltimum octauo iudicio absoluta est: quia homines verebantur, ne præcipuè accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur. Quos hæc secum locutos crediderim: Nolumus caput alterius petẽtem in iudicium, triumphos & tropheą, spoliáque ac deuictarum nauium rostra deferre: terribilisque sit is aduersus hostem, ciuis verò salutem tanto fulgore gloriæ subnixus ne insequatur. Ibidem.

Cùm à Libone tribun. pleb. Sergius Galba pro rostris vehementer incresparetur, quòd Lusitanorum magnam manum, interposita fide, prætor in Hispania interemisset, actioníque tribunitiæ M. Cato vltimæ senectutis, oratione sua quã in Originibus retulit, subscriberet, reus pro se iam nihil recusans, paruulos liberos suos, & Galli sanguine coniunctum filiũ, flens commendare cœpit: eóque facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, penè nullũ triste suffragium habuit. Misericordia ergo illam quæstionem, non æquitas rexit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequiuerat, absolutio respectui piorum data est. Idem: & Pedianus apud Volat. lib. 16.

CALLIDIVS Bononiensis, in cubiculo mariti nocte deprehensus, cùm ob id causam adulterij diceret, inter maximos & grauissimos infamiæ fluctus, emersit tanquam fragmentum naufragij, leue admodum genus defensionis amplexus. Affirmauit enim, se ob amorem pueri sui eò esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matris familię persona, suspecta etiam adolescentia ipsius: sed crimen libidinis, confessio intemperantiæ liberauit. Val. lib. 8. cap. 1.

DVOS equites Romanos, à capitali iudicio illud liberauit, quod alios opprimere in iudicio solet. Nam cùm in eorum numero fuisse accusarẽtur, qui contra Domitianum conspirauerant, nulla re Domitianus magis ad eos liberandos motus est, quàm quòd impudicos esse norat. Putauit enim fieri non posse, vt simul impudicitia, & animi vigor ac virtus manerent. Fulg. lib. 8. cap. 1.

SEPTIMIVS Seuerus, qui postea imperauit, accusatus Cõmodo imperante, quòd in Sicilia astronomos de imperio consuluisset: ea causa prætorij præfecto demandata, Septimium, quanquam eius criminis innoxium, præfectus odio in Commodum, neque aliam ob rem, liberauit. Idem.

Cicero Munatio reo patrocinatus fuerat: atque ille absolutus. Pòst, quum Munatius Sabinum Ciceronis amicum reum perageret, iratus Cicero, exprobrauit illi beneficium. An tu, inquit, Munati, illud iudicium tua opera effugisti: an potius mea, qui multum caliginis tribunalibus offudi? Eras. 4 Apoph.

SCELERVM ET FACINORVM INIVSTORVM

supplicia iniusta.

Scelera pœnam merentur. Sed in irrogando pœna peccari potest:primùm ratione efficientis personæ, vt quando Orestes Clytæmnestram matrem propter interfectum Agamemnonem maritum interficit. Digna enim est Clytæmnestra supplicio: verùm indignus Orestes, qui matrem interficiat. Secundò, ratione pœnæ, quæ sceleri proportione non respondet: quoniam vel maior est quàm deceat, vel minor. Maioris pœnæ exempla plurima ex tit. Immoderatæ vindictæ, peti possunt. Illic enim ratio habetur neglectæ moderationis in vltione: hic verò nimiæ pœnæ, quæ scelere aliquo obnoxiis irrogatur. Iniusticiam igitur in puniendis sceleribus, vel ratione personarum, vel respectu immoderatæ pœnæ, nos priore loco persequemur, & Titulos ex Scelerum speciebus diuidemus: secundo verò loco Scelerum minores pœnas, quàm mereantur, subnectemus.

IMPRVDENTIÆ.

IGNAVIÆ.

STVPRI VIRGINIBVS ILLATI.

Cùm Iacob patriarcha, secundum eorum temporum morem, cùm liberis in Cananæam prope vrbem Sichimam venisset, vbi tunc dies festus magno conuentu celebrabatur: Dina filia, quæ sola, vt quædam necessaria coemeret, vrbem ingressa erat, quia & forma insigni, perbenignóque ingenio erat, inuitæ Sichem filius Hemor, qui tunc Sichimæ regnabat, vim intulit. Quam rem cùm Hemor resciuisset, vehementer indoluit: egressusque ad Iacob, Dinam filio vxorem desponderi petiit. Cui rei Iacob assentiri veritus (neque enim Hebræorum legem Hemor colebat, & propterea affinitatem cum eo iungere lege prohibebatur) cùm propter illius vires apertè ei negare non auderet, ad deliberandum cum filiis tempus sumpsit. Eis igitur cùm rem, vt erat, aperuisset, Simeō & Leui, Dinæ ex eodem vtero fratres, iniuriam vlcisci decreuerunt. Itaque noctu arreptis armis, vnà cum magna seruorum manu Sichimæ muros transgressi, cùm vino epulísque grauatos arcto omnes somno dormire inuenissent, seruato muliebri sexu, in lecto regem, omnésque alios obtruncarunt. Fulg. lib. 6. cap. 1. ex Gen. 34.

ORCHAMVS Leucotheam filiam, ab Apolline per vim stupratam, viuam defodit. Ouid. lib. 4. Metam.

Perimele puella stuprum ab Acheloo per vim passa, ab Hippodamāte patre, detestante facinus, præcipitata est. Ouid. 8. Metam.

Quod pater Hippodamas ægrè tulit: inque profundum
Protulit è scopulo peritura corpora natæ.

Dionysius iunior in Locrensium vrbem veniens (Doris enim, ipsius mater, Locrensis erat) maximas ciuitatis domos occupauit: eásque rosis, serpillis, aliísque id genus floribus strauit: & filias Locrensium accersebat, atque rem cum eis habebat intemperantissimè. Cuius flagitij nefandam spurciciem non impunè tulit. Cùm enim regnum ipsius per Dionem esset sublatum, tum Locrenses vxorem Dionysij vnà cum filiabus prostituerunt, sinéque intermissione stuprum eis intulerunt: præsertim qui affinitate vel cognatione cum iis virginibus, quas Dionysius corruperat, erant coniuncti. Cùm verò libidinem in eis expleuissent, compūctas acubus intra digitorum vngues, interemerunt, ossáque in mortariis contuderunt: & carnes ab ossibus abstractas, si quis non comedisset, eum diris deuouerunt. Quod verò reliquum ex ipsis esset, mari demerserūt. At Dionysius Corinthi multas variásque vitæ vicissitudines expertus, ob extremam mendacitatem, tandem stipem ab hominibus cogendo, tympanáque pulsando, & modulando vitam exegit. Ælianus libro nono de Varia historia.

Neapoli Friderico Arragonio regnante, Raimundus Assa, in Græcia nobili ortus genere, etsi patria Turcarum armis pulsus, graui rerum inopia laborabat, quantum violatus pudicitiæ decor eum mouisset, ostendit. Nam publicè in regio cubiculo, Bernhardinum Sanseuerinum Bissignani principem, apud quem viuebat, stricto gladio inuasit, duóque aduerso eius pectori vulnera inflixit: quòd is sorori, quæ apud eum alebatur, vim intulerat. Cuius rei cùm ad supplicium duceretur, nulla vnquam ductus est pœnitentia. Quin affirmauit, cùm principi familiaritate coniunctus esset, tutò vlciscendę iniuriæ magnas occasiones habuisse: sed eis vsum non esse, quia nobilitati insigni viro occulta vltio sordida foret: & propterea palàm vlcisci hanc grauem iniuriam, quam acceperat, coram rege voluisse: neque iam cùm id egisset, acerbam sibi mortem putare. Fulg. lib. 6. cap. 1.

Cùm Rodericus Gothorum postremus, qui in Hispania regnarunt, Iacobæ Iuliani comitis Septensis filiæ, quam in aula penes reginam habebat, vim intulisset, puellæ pater adeò grauiter eam iniuriam tulit, vt clàm in Aphricam traiiceret: quo tempore, in ea Abenialiber Miramamolinus rerum potiebatur, quem vt in Hispaniam, ad delendam Gothorum gentem, traiiceret, inuitauit. Is verò inuitantis consiliū secutus, cùm duce Muza copias ingentes in Hispaniam misisset, salutis anno septingētesimo quartodecimo, crudelius in Gothos Iulianus ipse, quàm Mauri, desęuiit: omnibus in rebus filiæ pudicitia, cui vis illata fuerat, semper commemorata. Ibidem, & Egnat. eodem.

Magna crudelitate Socinum Vicestarinum, Reipublicæ Laudensis dominum, vltus est Petrus Temacoldus: neque eum mouit, quòd Socinus Ludouici Bauari Imperatoris vicarius esset. In carcere enim pedore faméque eum conficere non erubuit (quanquam à molendino ad honestā fortunam ab eo esset euectus) quòd propinquæ suę, tenuis fortunæ virgini, vitium intulisset. Ab hoc igitur initio, rem Laudensem inuasit: cuius imperio vti, simulque in Vicestarinam gentem sæuire non destitit, quoad ipse ab Actio Vicecomite, qui Mediolani rerum potiebatur, Laude Pompeia pulsus fuit. Fulg. lib. 6. cap. 1.

ERKEMBALDVS Burbaiensis, vir nobilitate insignis, ac præpotens in Germania, cùm graui valetudine laboraret, & à cubiculo strepitum exaudiuisset, quo resonare ædes videbātur, eius rei petiit causam: & cùm tandem accepisset, sororis suæ filium, vim cuidam domesticarum mulierum voluisse inferre, vehementer indignatus, ministris imperauit, vt nepotem suspenderent. Quod cùm ministri agere distulissent, dissimulauit dolorem, quoad iuuenis arbitratus auunculum rei immemorem factum, cubiculo cœpit obuersari. Itaque conspectum, in cubiculum ad se vocauit: lætúmque se simulans, assidere sibi iuuenem coegit, & altero brachio eum complexus, altero gladium, quem habebat, clàm eduxit, ac iugulauit. In eo enim pudicitiæ respectus ac studium, affinitatis iura atque affecti corporis vires superauit. Ibidem.

COMES Paganus Friderici I. Imp. nomine Patauio præfectus, Speronellam Dalesmaninam, virginem patriciam vi è domo paterna ereptam, & in arcem Pendisij tractam, pro scorto habuit. Speronellæ frater Dalesmaninus, qui comiti fuerat amicissimus, cum vicinis ciuitatibus egit, vt omnes eodem tempore ab Imperatore defecerint. Bernard. Scardeonus lib. 3. classe 13. hist. Pat.

GERARDVS Campisamperius Patauinus, Tisonis magni filius, Cæciliam Manfredi Baionij filiam locupletissima dote Acciolino monacho desponsatam, dum Bassanum ad coniugem duceretur, de via raptam stuprauit. Ea iniuria Acciolinus accensus, miserrimè Patauium, & totam ferè Transpadanam regionem tractauit. Ibidem.

INCESTVS.

ABSALON Ammonem fratrem crudeliter interemit, quia immodestè Thamar communem sororem deperibat, eique vim intulerat. Illius enim morte, violatam in sorore pudicitiam vltus est, quòd eadem matre secum nata erat. Fulg. lib. 6. cap. 1. ex 2. Reg. 13.

PROGNE incestum Terei mariti iniustè punit. Vide titu. Parentum parricidarum.

Leucon ab Oxylocho, fratre Pōti, interfectus est, quòd cum eius vxore adulterij & incestus consuetudinem haberet. Ouidius in Ibin:

Aut pia te cęso dicatur adultera: sicut
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Thyestes Pelopis & Hippodamiæ filius, Europam, seu Æropen, fratris sui Atrei vxorem, stuprauit: & ex ea duos suscepit liberos, Tantalum & Plysthenem, quos Atreus ipse interfecit, interfectos fratri comedendos apposuit. Seneca: Tantalus prima hostia est, &c.

Semiramidem à Nino filio interemptam produnt, quòd eius concubitū & congressum optasset, quæ prius equi amore conflagrauerat. Cæl. 37. lib. 12. & Iustinus lib. 1.

ADVLTERII.

HIPPOMENES Atheniensium princeps, filiam Limonem in adulterio deprehensam, vnà cum equo feroci cōclusit, nec huic nec illi cibū præbēs. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam deuorauit. Hinc ortum adagium, à Diogeniano positum: Magis impius Hippomene. Ouidius in Ibin:

Soláque Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente ferox viscera carpat equus.

In Esa (quæ in Terræ nouæ comitatu, non longè à Nicæa est, in Narbonensi prouincia) MVLIER quædam noctu dormienti viro genitales partes abscidit, factum excusans, quòd ipsa viro fidē præstaret, ipsi quoque æquum esset eandem à viro seruari: & quia is coniugalem fidem violarat, plecti debere ea corporis parte, qua peccauerat, arbitrabatur. Fulgos. libro sexto capite primo.

Conradinus

Conradinus Imperator, cùm vxorem formosissimā Comitis Casertani, eius fidelissimi ducis, adamasset, ac vti ea potiretur, virū honoris specie ablegasset, facinore comperto, mœstus ac furibundus clàm ad Carolum venit, & sese exercitum illi proditurū pollicetur: quòd & fecit. Vnde diuinam sentiens vltionem, captus, & securi percussus est. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

TISO de Campo sancti Petri, matrem Conizam, cùm in adulterio cum Aymo Burgundione deprehendisset, hortante matris fratre Marsilio Carrariensi (heu sæuum facinus) ambos occidit. Fulgosus libro sexto, capite primo.

IOANNES Rata, Casertæ comes, posteaquam resciuit violatam vxoris pudicitiam à Māfredo Siciliæ rege, iniuriam vltus est. Nam cùm Carolus primus, à pont. Rom. Neapolitani Siciliæque regnorum iure inuestitus, Manfredo arma inferret, Ioannes Rata, Manfredi copiarum dux, quem Manfredus rem prorsus, quam cum eius vxore habuerat, ignorare arbitrabatur, vt iniuriam vlcisceretur, non solùm ad hostes transiuit, verùm viam quoque intra regni fines eis aperuit. Cuius rei causa mortuus Manfredus, sceleris sui primùm violata Ioānis cōiuge, deinde quòd tota iniuria affecto rem suam credidisset, pœnas quas debuit luit. Ibidem: & Egnat. ibidem.

Actij auo Matthæo Vicecomiti, quia Galeatius eius filius, cùm Placentiam præfecturam gereret, Blanchinæ vxoris Opicij Landēsis, qui Vergusius cognominabatur, pudicitiam vitiare tentauerat, Opicius, non sine ingenti omnium Matthæi rerum periculo, aduersam factionem secutus, vrbem Placentiam ademit, diúque ea potitus est. Adeò acerbè tulit, eum, quem amicum putabat, vxori vitium inferre voluisse. Fulgos. lib. sexto, capite primo.

Nucerinæ arcis Præfectus, Nicolao & Bartholomæo Trinciis, Fulginatum dominis, seruiebat. Cùm autem animaduertisset, Nicolaum sæpe Nuceriam venientem, vxori suæ vim intulisse, ad edendam venationem eum cum fratribus inuitauit. nóctéque proxima, cùm labore defessi, graui somno capti essent, duos ipsorum fratrum in lecto peremit, atque ad libertatem populum vocauit. Verùm cùm Conradus tertius frater, re intellecta, Bracchij (qui Perusiæ rerū potiebatur) opem implorasset, atque illuc aduolasset, præfectus spe diutius retinendæ arcis adempta, à turri morem præcipitauit, cui ipse à Conradi militibus consossus haud diu superuixit. Ibidem.

AVARICIAE.

Orætes Sardium præfectus, cùm in animo haberet Polycratē Samiorum tyrannum capere, & auarum esse sciret, simulat se à rege Cambyse velle deficere, & Polycrati sese coniungere. Implet igitur octo scrinia lapidibus, superficietenus aurum insternit, & Mæandrio legato Polycratis ostendit. Polycrates re comperta, quamuis multis eum dehortantibus & oraculis & somniis, ad Orœtem spe auri potiundi profectus, captus, & in crucem suffixus fuit. Herod. libro tertio.

AMBITIONIS.

Consule tit. Affectatæ tyrannidis.

PERINVS Fregosus Genuensium princeps, Nicolaum fratrem, doctrina moribúsque insignem, ob suspicionem affectati principatus interfecit.

CANIS GRANDIS, Veronensium princeps, fratrem Eriganum (qui dum abesset, Veronam inuaserat) domum reuersus, obsedit: obsessum vicit, victum dedit morti.

IRACVNDIÆ NIMIAE.

SCYTHÆ Cyaxaris iracundiam nimiam iniustè vlciscuntur. Vide titulum. Iracundorum.

SVPERBIÆ ET CONTEMPTVS.

POLYCRATES ob caduceatorem Orœtis negligentius exceptum captus, & cruci affixus est ab Orœte. Vide tit. Legati violati.

Muro sepiebat ingentes fundos Galeacius Vicecomes, iuxta Papiensem arcem, vt eis ad venationem alere feras posset. Cùm autem eo muro possessiones Bartholini Sistri ciuis Papiensis incommodè diuiderentur, Bartholinus cum Galeatio questus, etsi optata non retulerat, tamen aliquot dies rem patienter tulit. Cæterùm cùm postea indies damnum grauius appareret, quod diuisa possessio secū ferebat, ad Galeatium redijt, qui in Papiensi foro equo insidens substiterat. Cùm autem speraret, si publicè rem ei narrasset, fore vt ad respicienda damna quæ inferebat, magis moueretur, ei appropinquauit, ac modestè inter cætera dixit: Si hoc ipsum incommodo afficeret, quid tādem tot filiabus, quas iam nubiles habebat, agendum foret? Periniquè autem ferens Galeatius, huius querelis voluptarium locum impediri, iracundiæ plenus respondit: Si nesciret, quo alio eis modo consuleret, illas ad prostiturarum cellas mitteret. Hoc dicto pudicus ciuis excanduit, & in furorem rabiémque versus, pugionem quem ferebat, strinxit: arbitratúsque Galeatij pectus se petere, in zonæ fibulam, gladij mucronem impegit: qui inde delapsus, suram perfodit, neque multo pòst Bartholinus occisus fuit. Fulgosus libro sexto, cap. 1.

TYRANNIDIS.

Consule tit. Immoderatæ vindictæ erga principes.

HARPAGVS Medus Cyro exercitum prodit, vt Astyagem vlciscatur. Vide tit. Mortes filiorum fortiter ferre.

Perrhebœorum rex Triopas, dum tyrannicè nimis imperaret, à Carnaba filio tantæ feritatis impatiente, occisus est. Cælius.

INOBEDIENTIÆ ERGA PRINCIPES.

CAMBYSES satellites suos morte afficit, quòd Crœsum non interfecissent. Vide tit. Superbiæ, in non ferendis reprehensionibus & admonitionibus.

LÆSÆ MAIESTATIS.

Cùm Fabia Eudocia Heraclij Imp. prima vxor efferretur, Puella quædam è fenestra super pheretrum expuit. Comprehensa, & rogo Fabiæ imposita, viua exusta est. Cuspinianus in Cæsaribus.

PRODITIONIS.

Cùm Cambyses Persarum rex, instinctu atque ductu Phanis Ægyptij perfugæ, Psammenito regi bellum intulisset, Ægyptij Calasiries, item Græci & Cares, qui in exercitu Psammeniti erant, Phani infensi ob proditionem, filios Phanis relictos in Ægypto, in castra perducunt, atque in conspectum patris, posito medio duorum exercituum cratere, dehinc productos singulos puerorum super craterem obtruncauerunt. Omnibus interfectis, vinum & aquam in craterem intulerunt. Quo sanguine epoto, auxiliares ita conflixerunt. Acri prælio commisso, perquàm multis vtrinque cadentibus, in fugam versi sunt Ægyptij. Herodotus libro tertio.

Romilda Gisulpho Foroiulianorum duci coniunx facta, quatuor ex eo filios, filias autem duas genuit: cum quo dum aliquantisper fortunata vixisset, versa statim fortuna turbines suos repentè circumagitauit. Nam Cacanus Auarum rex, Gisulphi fines hostiliter ingressus est. Cui cùm occurrisset Gisulphus, non solùm victus est, sed omnis ferè nobilitas cum eo cæsa succubuit. Qua tam ingenti strage perculsa Romilda, in Foroiulij arcem obsidionem passura sese recepit. Verùm Auari, cùm omnem prouinciam depopulassent, arcem obsidione cinxerunt. In cuius expugnatione cùm multa præparassent, circuirétque forsan Cacanus muros, contigit vt illum Romilda, clara iuuenture florentem, & splendidum rutilantibus armis equóque acriter insidentem, ex turri conspiceret. In quem illicò mulier exardescens, omissis Gisulphi lachrymis, mentem in austerum hostis aspectum conuertit: nil magis cupiens, quàm vt eius potiretur amplexibus. Capta igitur amore Romilda infœlix, vritur, mittítque nuncios aduersario regi, si suas vellet nuptias celebrare, castri dominium pollicetur. Rex autem Cacanus imperij cupidus, petitis annuit: & sic in castro recepti Auari, omnes viros interfecére, mulieribus in seruitium reseruatis. Demum Cacanus, ne posset violatæ fidei reprehendi, sese libidini & amplexibus ardentissimæ mulieris concessit: inde ne scelestum Romildæ facinus inultum remaneret, ex eius vlnis auulsus, vocatis duodecim ex Auaris, quos validiores arbitrabatur, ad mulieris malam pruriginem extinguendam, eis illam tradidit illudendam: demum surgente sole, mediis in castris pilum præacutum erigi iussit, cuius acies Romildæ genitalibus infixa est.

PERFIDIÆ ERGA LIBEROS.

CLEOPATRA, ob perfidiam erga filium Ptolemæum iniustè occisa. Vide tit. Perfidiæ parentum erga liberos.

PERFIDIÆ ERGA PARENTES.

ARTAXERXES Mnemon cognomento, Persarum rex, Darium filium cum quinquaginta filiis interfecit, quòd ab eis insidiis peteretur. Trogus libro 10. Vide tit. Impietatis erga parentes.

PERFIDIÆ ERGA FRATRES, CONsanguineos, affines.

ISIS Osiridis fratris mortem vlta, Typhonem alterum fratrem auxilio filij (qui Oros dicebatur) occidit. Annius in Berosum.

MAMERTES, quum Sisaphonis Corinthij fratris sui filios regnādi libidine peremisset, ab ipso SISAPHONE membratim laceratus est. Ouid. in Ibin:

Trunca geras sæuo mutilatis partibus ense,
Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.

ÆGYSTHVS Thyestæ filius, Atreum patruū suum adultus interfecit: mortémque Plysthenis & Tantali fratrum suorum ab ipso Atreo interfectorum vltus est.

POLYPHONTES rex, fratrem interfecit, quòd ab eo insidias & mortem parari sibi intellexisset. Gel. lib. 4. cap. 3.

ALTHÆA fratres suos, quos Meleager filius perfidè interfecerat, marè vlciscitur. Vide tit. Parentum parricidarum.

PERFIDIAE ERGA CONIVGES *qualiscunque.*

Cùm Thamar Erem & Onanim filios Iudæ maritos habuisset, eósque absq; prole amisisset, Iudas relegauit Thamarem in domum paternam, donec tertius frater Sela adoleuisset. Verũ cũ Selam iam adultum ex lege Iudaica sibi non traderet in matrimonium, habitu scorti Iudæ sese commiscuit Thamar, vltura socerum ob promissa non seruata: & ex eo gemellos concepit, Pharem & Zaram. Gen. 38.

MEDEA Iasonem, à quo repudiata fuerat, malè vlciscitur. Vide titu. Parentum parricidarum.

ALCMÆON Eriphylem matrem interfecit, quòd illa Amphiaraum patrem (qui in bello Thebano terræ hiatu absorptus est) Polynici prodidisset, accepto monili aureo. Verg. lib. 6.

----Mæstámque Eriphylem,
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.

Seruius & Diodorus lib. 5.

ORESTES Clytæmnestram matrem interemit, in vltionem patris Agamemnonis: quem à Troia redeũtem, illa cum Ægysto adultero interfecerat. Ouid. lib. 1. Eleg.

Et vindex in matre, patris malus vltor Orestes,
Ausus in arcanas poscere tela deas.

REGINA Sardium, cùm à Candaule marito nuda Gygi satelliti ostẽsa esset, prostituti pudoris iniuriam ægrè ferens, Gygem ad obtruncandum Candaulem impellit, & cum eo nuptias contrahit. Sic in Candaule Heraclidarum regnum apud Lydos desiit, in Gyge autem Mermiradum principatus cœpit, quorum postremus fuit Crœsus. Herod. lib. 1.

THEBE Alexandrum maritum, pudicitiæ prostitutæ ergò, malè vlciscitur. Vide tit. Perfidiæ erga maritos.

LAODICE regina Syriæ, Antiochum virum suum cognomento Deũ, simul cum alia coniuge Berenice, ac filio, veneno perdidit. Ful. li. 9. ca. 11.

FABRICIANVS matrem Fabiam interfecit, quòd illa Fabium Fabricianum maritum suum occidisset, vt liberius adulterium cum Petronio adolescente committeret. Dositheus apud Plutarchum.

ROMILDA, cùm Gisulphi mariti à Cacano occisi oblita, Cacano nupsisset, miserè ob eam perfidiam tractata fuit. Vide tit. Pœna iniusta proditionis.

Nupsit Rosimunda (quę fuit Alboini Longobardorum regis vxor) post viri cædem (cuius ipsa fuit conscia) Helmechildi iuueni eius gentis nobilissimo, conatáque est illi regnum astruere. Cæterùm sua spe decepta, ex Verona Rauennam secundo Athesi aufugit cum regia gaza, & nouo sponso. Hîc illa à Longini exarchi connubio pellecta, venenum priori sponso miscuit, obtulitque ex balneis egresso. Sensit ille confestim receptam pestem, toto poculo nondum epoto, placidéque in coniugem cõuersus: Tu, inquit, quod reliquum est bibe. Negat illa se potu egere: ac quo acrius recusare, eo iuuenis impensius id poscere, & iam minas hortatibus miscere, ac ferrum intentare. Tum illa metu subacta, etsi veneni conscia, hausit tamen, atque vnà cum eo extincta est. Sab. libr. 10. cap. 4.

Audax Franciscæ Bentiuolæ facinus, ob pudicitiæ studium fuit. Nam cùm duos adhibuisset, qui Galeotum Mãfredum virum suum principem Fauentinum necarent, intuita eum magnis viribus salutẽ defendere, stricto pugione, quo ipsa erat accincta, manu sua eum, virili magis quàm fœmineo animo, à duobus adiuta, interemit. Ad quod facinus eam læsæ pudicitiæ desperatio compulit. Nam in vrbe Fauentia, affirmabatur Galeotum, antequam ipsa ei nuberet, cum Fauentina ciue matrimoniũ contraxisse: & re occultata, honestiores postea nuptias cum ipsa secutum. Quos rumores cùm Galeotus nullo modo reprimeret, suspicionem rei veræ videbatur relinquere. Fulg. lib. 6. cap. 1.

INGRATITVDINIS.

Cùm Lacedæmonij falsis inducti oraculis Athenas seruitute Pisistratidarum tyrannorum liberassent, duce Cleomene rege, neque vlla sibi ex hoc facto gratia ab Atheniensibus haberetur, Hippiam Pisistrati f. è Sigæo Hellesponti, quò Pisistratidæ confugerant, reuocarunt, & Athenas reduxerunt. Herod. lib. 5.

HOMICIDII.

ADRASTVS Gordij Phrygum regis filius, cùm Atym filium Crœsi in venatione aprum petiturus imprudens occidisset, & Crœsus eius errori veniam dedisset: ipse tamen seipsum super Atyis bustum transfodit. Herod. libro primo.

FVRTI.

In Clagefurtino Carinthiorum, solent iis quos furti suspectos habent, haud diligenti inuestigatione prius facta, in furcis ceruices frangere. Triduo autem pòst inquisitare per iudicem, si verè furtum fecisse, quo arguebantur, inuenti sunt, furcis appensos relinquunt. Quòd si innoxij fuisse iudicentur, à furcis detracti, impensa publica cum honoris præfatione sepeliuntur. Fulg. lib. 2. cap. 1.

INIVSTOS REMISSIVS QVAM PAR SIT, PVNIRE.

Exempla ex loco ἀοργησίας peti possunt.

FINIS LIBRI DECIMIQVINTI.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER DECIMVSSEXTVS.

DE AFFECTIBVS.

NON minus arduam, quàm necessariam Theoriam aggredimur, De affectuum moderatione. Difficultatem facit, quòd nemo alius præter Arist. de affectibus aliquid memoriæ prodidit, & hic tamen ipse in secundo Rhetoricorum, probabiliter tantum: in quarto verò & secundo Ethicorum, imperfectè de illis disputat. Vtilitas maxima est ad perfectam virtutum & vitiorũ cognitionem. Nam virtus secundum rectam rationem dirigitur: recta autem ratio appetitui, qui per affectus varios in opus exit, imperare debet. Proinde affectus aliquis semper in omni virtute & vitio inest, vel manifestè, vel occultè: neque vllus est affectus, qui non ad aliquam virtutem, astipulante ratione, possit referri. Nam verbi gratia, Ira & Indignatio ad fortitudinẽ, Pudor ad temperantiam, Inuidia ad iniusticiam, AEmulatio ad magnificentiam, Beneficentia ad liberalitatem referri potest. Et hæc sanè est ratio, cur Arist. de affectuum moderatione ex professo non agat, sed in 2. Ethicorum obiter tantum mentionem faciat: in 4 autem, post Fortitudinem & Temperantiam, de Pudore & Indignatione moderãdis tractet: nempe vt ex specie genus insinuet, & artificiosè ostendat, νέμεσιν quidem ad Fortitudinem, Pudorem verò ad Temperantiam referri posse, & sic de cęteris. De affectibus igitur disputaturi, illud in primis supponere debemus, quòd in omni actione humana triplex, aut etiam quadruplex moderatio conspicitur. Alia enim est habitus, alia dispositio, alia affectus. Moderatio ex habitu proueniens, ἕξιν ἠθικὴν, quam nos Virtutem vocamus, cõstituit, & ἦθος longo studio & exercitatione producit: quod ἦθος Acquisitum dicitur, & in perfecta vita manere potest. Moderatio verò ex dispositione ortum suum ducens, διάθεσιν ἠθικὴν efficit, de qua Arist. libro septimo Ethicorum, sub nomine καρτερίας & ἐγκρατείας disputat: & ἦθος parit, quod in genere quidem cum priore conuenit, & Acquisitum appellari potest, tamen nec solidum est, nec diu durare consueuit. Moderatio denique affectus, διάθεσιν παθητικὴν, non ἠθικὴν generat, de qua nos nunc verba facturi sumus: & vt priores illę ἦθος producebant, ita hæc τῶν παθῶν causa est. Differt ergo Moderatio affectuum à moderatione ea quæ secundum virtutem est: & ab illa pariter quę dispositio tantum est, & ad solidam virtutem aditum facit. Differt denique à moribus naturalibus, in quibus quarta moderationis species consistit. proueniunt enim isti non à naturali affectu, non ab habitu, non à dispositione ἠθικῇ & acquisita, sed à dispositione naturali, siue ab inclinatione occulta, influxui cęlesti potius quàm temperaturæ corporis adscribenda: cuius beneficio fit, vt animus ipse, quamuis sic instar tabulæ rasæ, magis tamen ad hanc quàm ad illam virtutem propendeat & inclinet. Plato Igniculos naturales vocat, Aristoteles ἐπιτηδειότητάς τινας, quasi tu dicas procliuitates & inclinationes: quas nos sub Indolis appellatione in præcedentibus comprehendimus: causas illarum (vt poeta inquit) scit genius natale comes qui temperat astrum, Naturæ deus humanæ mortalis. Quadruplex igitur actionum humanarum moderatio est, quæ tamẽ ad duo summa capita reduci potest. Nam Arist. in lib. Rhet. passim vitam siue actiones vitæ duplices facit, quòd alij τῷ πάθει, ex affectu, alij κατὰ τὸν λόγον viuere dicantur. πάθει igitur viuunt, qui τὰ πάθη sequuntur: naturales impetus animi, brutorum instar, absque vllo rationis assensu, adimplent. κατὰ λόγον verò viuunt illi, in quibus ratio vel recta vel corrupta imperat: à recta bonæ actiones, à corrupta prauæ actiones proueniunt. Rectitudo & corruptio ista rationis vel φυσικὴ est, & hinc mores naturales oriuntur: vel ἠθικὴ, id est vsu & assuetudine acquisita, ita quidem vt si firma sit, ἕξις dicatur: si infirma & mobilis, διάθεσις. Et hæc hactenus de differenti moderatione actionum humanarum, satis clarè & perspicuè, vt opinor. Et de cæteris quidẽ moderationibus iamdudũ egimus. De affectuũ verò moderatione nunc disputare instituimus. Affectus græcis πάθη dicuntur, quoniam anima θυμοειδὴς (quam παθητικὴν alij vocant) ab externorũ obiectorum impressione pati videtur, & commoueri longè efficacius, quàm sensus à sensibilibus suis. Neque enim patitur tantum recipiendo, vt sensus: sed etiam postquam receperit, variis affectuum euripis fluctuat. Obiecta externa cùm recipiuntur, primos motus affectuum pariunt: qui inopinati sunt, rationem præueniunt, nec in nostra sunt potestate, sed à naturali temperie proueniunt, cùm alij facilius, alij difficilius ab iisdem moueantur. Qui medium seruant, laudabiles sunt, non propriè tamẽ: sed sicuti pulchritudo & sanitas, quæ sunt corporis bona. Quando autẽ primis istis motibus secundi motus à recta ratione proficiscentes copulantur, hoc est, quando affectus virtuti vel vitio famulatur, tũc merito illorũ bonus vel malus appellatur, & per consequens laude vel vituperio dignus. Moderationem ergo in affectibus intelligimus eam, quæ naturalis sit: nõ autem quæ acquisita, siue quæ à ratione pendeat. Etsi enim actu difficile est, appetitum à ratione separare, & ferè impossibile: nos tamen hoc in loco intellectione purum appetitum nobis imaginamur, neque exempla quę afferentur secundum rationis regulam expendemus (quamuis in illis omnibus reperiatur vel recta, vel corrupta) sed secundum affectus impetum maiorem, minorémue, quàm obiectum requirat. Quamuis enim in Rhet. Aristoteles ratione dignitatis personarum affectus diuidit & definit, dignitas autẽ ex ratiocinatione prouenit: tamen illic rethoricè tantũ de affectibus differit, qua scilicet ratione mouendi sint affectus. Nos verò hic ethicè singula persequimur. Moderatus igitur affectus erit, qui obiecto pari proportione respõdebit in primo motu. Immoderatus, qui vel excedet hanc proportionem, vel ab ea deficiet. Cæterùm vt hæc ipsa clarius, facilius & breuius à quouis comprehendi queant, typica demonstratione vtemur.

De affectibus animi agemus tum

In genere. Eius rei gratia titulum quoque generalem de affectuum moderatione, primo statim loco ponemus, in explorum enarratione. Causas habent

Internas: nimirum

Materiã. tum

In qua: Cor sedes animæ irascibilis, quæ huiusmodi affectibus obnoxia est.

Ex qua: sunt ipsa obiecta. In quibus duo sunt cõsiderãda: videlicet

Obiectũ ipsum, quod reipsa extra mẽtem est, at effectu & impressione in animum irruit. diuiditúrque ex

Qualitate sua: quia vel bonum est, vel malum. Arist. εὐπραγίαν & δυσπραγίαν vocat.

Tempore: quia vel præsens est, vel futurum.

Personæ, quæ ad obiecti generationẽ concurrunt, aliæ agũt, aliæ patiuntur. Agẽtes nihil ad nostrum propositum conferũt, Patientes conferunt. obiectum enim affectus, propter quod commouemur, vel est in

Nobisipsis.

Alijs, & ijs vel

Amicis.

Inimicis.

Formam, est παραχὴ sive commotio animi, contraria sedationi & remissioni. Quæ varia esse potest. Qualiscunque tamen sit, ad duas generales ideas reducetur. Quoniam parit in animo vel

Dolorem, mœrorem & tristiciam. Propterea Arist. Invidiã, Pudorem, Iràm, Æmulationẽ, Misericordiã, Indignationem definit per Dolorem, tanquam genus.

Voluptatem. vt Gaudiũ, Spes, φιλία, χάρις, &c. quæ per ἡδονὴν definiri possent.

Externas, videlicet

Principem. Anima irascibilis, quæ mouetur ab externis obiectis, modò ex rationis imperio, modò absque ratione. Motus autem iste vel est

Potentia tantum: vt Iracũdia, Pudentia, Timiditas & Iracundi, hoc est non albutales, sed proclines ad hos affectus.

Actu talis: vt Ira, Pudor, Timor: & Irati, qui actu irascuntur. Vocabulis tamen non semper hæc distincta reperiuntur.

Efficientem, tum

Non principem, sed coadiuuantem. Temperatura cordis vel nativa, vel acquisita, ex ætate aut morbo. Calor enim instrumentum est agentis animæ. Omnes ergo affectus ad vnam aliquam qualitatem primarum, vel simplicem, vel coniunctam referri poterunt. Quod nos in Tabulis nostris in Artem med. Galeni luculenter ostendimus.

Finalem. Data est homini facultas irascibilis, vt rationis imperium exequi posset. Ratio enim quid sugiendum sit, vel sequendum, dictat: θυμὸς verò, iam idipsum persequitur aut fugit. Vt ergo satelles domini imperio parère debet, nec per sè aliquid agere: ita quoque θυμὸς rationis nutum observabit. Quãdoquidem admodum autem interdum satelles domini imperium non expectat, sed præuenit: & tunc si bene agit, laude dignus est propter felicem euentum, vituperio autem propter inobedientiam: sin malè agat, & vituperium & pœnam meretur. Ita quoque affectus, quando rationis iussa anteuertunt, siquidem terminos decori non egrediantur, ex naturali & innata remissione, laudabiles sunt: tamen nec tuti, nec securi, sed nimis temerarij & inobedientes: sin verò eosdem egrediantur, reprehendi, & ignominiis notari debent. Ex quo ipso patet, Moderationem affectuum, quæ à virtute non prouenit, vt brutam, temerariam & inobedientem accusari debere, nec laudem mereri. Vera enim laus virtutis est, cum electione, & secundum veram rationem agentis.

In specie Vide in sequentibus A.

Per se, ex cõbinatione materiæ, formæ & efficientis ortis. affectus à perturbatione aliqua prouenit. Perturbatur autem animus, seu potius cõmouetur, ab iis quæ accidunt vel

Nobis, aut nostris, quos amamus. Amicus enim, ἕτερος est apud Græcos, quasi tu dicas, ἕτερος αὐτὸς. Proinde ea quæ amicis accidũt, aut saltem iis qui non sunt inimici, nostra esse credimus. Ea rursus vel

Absunt, sive sint

Desiderat, vt eueniant

Amico. φίλησις.

Sibiipsi, φιλαυτία in genere.

Bona. Ea ergo

Efficit. χάρις. Beneficentia.

Sperat futura. Spes.

Mala. Ea ergo vel

Desiderat & optat ne eueniant.

Non euentura confidit. εὐελπιστία & ἀφροντία quædam. Securitas.

Metuit. φόβος.

Auertit & amolitur, per Pudorẽ.

Adsunt, sive sint

Bona. Alacritas, Hilaritas, Gaudium, χαρὰ.

Sibiipsi.

Desiderat abesse tum

Aliis, indignis, sive amici sint, sive hostes. ἔλεος, Misericordia.

Mala. Ea ergo

Amolitur vel per

Vltionẽ, ὀργὴ, Ira.

Correctionem, Pudor. Quamuis hic etiam futura mala præuenit.

Compositionem. Pacis studium & Pacifici εἰρήνη.

Aliis quos non amamus. ἐχθρὸς in genere dicitur. Obiecta ergo vel

Absunt, & futura sunt, nondum præsentia. μῖσος, Odium. Bona semper abesse, mala semper adesse cupimus. Vide Arist. in 2. Rhet.

Adsunt, eáque vel

Illorum quibus ea bona accidunt, quia inimici nostri sunt, idcircò bona ista illis inuidemus simpliciter. φθόνος, Inuidia.

Bona. Duplex hic cõsiderãdi ratio. Tum respectu

Nostri, vel nostrorum, qui iis bonis caremus. Itaque vel

Indignamur illis hæc accidere, & non potius nostris. νέμεσις.

Imitamur. ζῆλος, Æmulatio.

Contemnimus, cùm minora sint nostris. καταφρόνησις, Despicientia.

Mala. Quia digna accidunt, vt nos opinamur, vel reuera, vel odio occæcati, oritur ἐπιχαιρεκακία, quæ tamen aliàs odij species est, seu potius Inimicitiæ.

Affectuum speciebus & differentiis tum

Respectu mutuo, Vide signum B.

Affectuum accidentiis, Vide signum C.

1. In specie de affectibus actum, theoriã in duas partes diuidemus. Quarum altera agit de

C. Affectus *vario modo inter se opponuntur. maximè apud Arist. in 2. Rhet. in vniuersum tamen inter se pugnant vel*

- Essentialiter, *tum ratione generis*
  - Eiusdem. *Sic ergo affectus alij sunt, qui medium*
    - Habent, *quod laudabile est: vt ira, Misericordia, Pudor, Indignatio. Extrema sunt vituperanda, defectus & excessus.*
    - Non *habent, sed absolutè damnandi sunt. Et quamuis medium habeant, illud tamen laudabile non est: sed tantùm minus vituperabile, quàm extremum in excessu. Ipsum vero extremum in defectu laudem meretur. Talis est inuidia & odium.*
  - Diuersi *sic inter se opponuntur secũdùm diuersam*
    - Materiam *obiectã: quia vel sũt*
      - εὐπραγίαι.
      - κακοπραγίαι.
    - Formam. *Quia vel sunt* πάθη
      - λυπηρά.
      - ἡδέα.
- Accidentaliter *nẽpe ratione*
  - Personarum, *quia homines vel sunt bonis aut malis*
    - ἄξιοι.
    - ἀνάξιοι.
  - Temporis, *quia bona maláque vel sunt*
    - Præsentia.
    - Futura.

D. *Affectibus accidunt signa externa, per quæ sese produnt. Intelligo autem accidens, quod reuera affectum suum comitatur, non illud quod fictum aut simulatum est. Nam V.G. Risus est Gaudij symbolũ, at risus sardonius contemptum sequitur. Sic fletus dolorem indicat, nisi per simulationem exprimatur, vt in crocodilo. Vt ergo varij sunt affectus, ita quoq; accidẽtia varia. Habet enim*

- φίλησις *osculationem, Commendationem, Salutationem & Votum.*
- Spes *Votum.*
- Timor
  - Pallorem.
  - Obmutescentiam.
  - Fugam.
  - Supplicationem, & Obtestationem.
- Gaudium *ex nostro vel aliorũ bono, quãuis cum aliorum damno fiat,*
  - εὐτολμίαν.
  - Risum.
  - Gratulationem.
- Dolor & *tristicia in genere,*
  - Fletum & *lachrymas.*
  - Suspiria.
  - ἀγελασίαν.
- Odium, *Diras & imprecationem.*
- Misericordia, *Consolationem.*
- Pudor
  - Ruborem.
  - Deiectionem *vultus.*

AFFE-

AFFECTVVM MODERATIO IN GENERE.

Ex titulo Constantiæ & Grauitatis in vtraque fortuna. Exempla quædam huic loco commoda peti possunt. Illic enim virtutis moderantis, hic verò affectuum, quos virtus moderatur (qui sub sensum nostrum maximè cadunt) ratio habetur.

VNIGENITVS Dei filius, qui vt hominem redimeret, homo & Deus esse voluit, nunquam risisse dicitur, idem infremuit spiritu, ingemuitque: fleuit autem nonnunquam, qui affectus etsi hominum sunt, nisi in verè sapientem non cadunt, sed cæteros homines aut ars, aut natura effinxit: ipse, qui Deus fuit, talis quidem esse voluit. Sabel. libro 7. cap. 4. & libro quarto, cap. 10.

SOCRATES, qui Delphico oraculo sapientissimus omnium iudicatus est, nec risit in tota vita, nec fleuit: qui vno semper eodémq; vultu visus, adeò vt mirum videri possit, quòd eximiam illam animi temperiem, neque nuptialis lætitia variare potuit, neq; tristicia illius diei quo venenũ hausit. Vsq; adeò natura illa omni perturbatione caruit: quod in eo maiore sit admirationẽ dignum, quo insolentior fuit illi coniunx, filiique stolidiores, quàm cæteris. Laert. lib. 2. ca. 5. Solinus lib. 4. Sabel. lib. 4. ca. 10. & lib. 1. cap. 1.

In Phocione Atheniensi idem oris habitus semper obseruatus est, nõ ridere, non flere quisquam eum temerè vidit: tanta in eo fuit obseruãtia decori. Sabell. lib. 4. capite 10.

HERACLITVS & Diogenes Cynicus nihil vnquã de rigore animi remiserunt, calcatísque turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorẽ & miseriam vniformi durauêre proposito. Solinus ca. 4. Polyhist. & Laertius in eorum vitis.

BENVS in Ægypto monasticis ordinibus præfuit, celebris prophetiæ dono: nunquam irasci, aut iurare, aut mentiri, vel leue aliquid, vel præfractum, vel deiectum dicere visus est. Sozomenus lib. 6. cap. 28.

AFFECTVVM IMPOTENTIA, IN GENERE.

HOMERVS poëta, cæcus fuisse traditur à Velleio, non corporis oculis, sed quòd suiipsius animi desideria parum vinceret: quæ quidem ex oculis præcipuè concipere animus solet. Alij, quòd cùm filiis orbatus esset, eorum desiderium orbitatemque haud facilè ferret. Gyraldus in secundo Dialogo de Poëtarum historia.

ΦΙΛΑΥΤΙΑ.

Generale sit hoc nomen illius affectus, quo nobis bona quæcunque euenire cupimus. Naturalis est iste affectus, & propterea sæpe in eo peccamus, in excessu magis quàm in defectu. Cupimus ergo bona ea nobis adesse, quæ absunt (nam si adessent, non amplius ea desideraremus) qualiacunque sint, animi, corporis, aut fortunæ. Exempla quædam huius cupiditatis afferamus, ratione materiæ, siue illius rei quæ appetitur. Plura enim ex titulis Virtutum & vitiorum petenda erunt. Sic, verbi gratia, ex Auaricia cupiditatem diuitiarum, ex Ambitione honorum, ex Intemperantia cibi, potus & venereorum. ex Amicitia, cupiditas prolis & liberorum: sicque de cæteris. Vt enim omnis anima habet suã ὄρεξιν, ita necesse est esse aliquid τὸ ὀρεκτόν. Cùm ergo vitium sit vel in excessu, vel in defectu à medio, medium autem rectam rationem imitetur, excessus profectò & defectus vitiosus ex ipso appetitu rectam rationem perturbante, & secum violenter abripiente proueniet. Est ergo appetitus moderatus cum virtute, immoderatus verò cum vitiis perpetuò iunctus, tanquam minister & satelles. Quando autem à virtutibus & vitiis separatis intelligitur, ad præsentem locum pertinet, & moderationem suam, suam quoque immoderationem habere potest.

CVPIDITAS VITÆ.

Consule titulum, Apostatarum. item, Mortis metus. item, Insidiarum metu quàm exquisita quidam sint vsi custodia.

PATRES in veteri Testamento mortem timebant, & longam vitam optabant, sciebant enim, se nondum posse in cœlũ ascendere, aut diuina perfrui visione, donec Saluator adueniret, qui aperuit ianuam paradisi. Sanctus itaq; Loth admonitus est ab angelo, vt saluũ faceret se in monte. Timuit ille ire, ne fortè apprehẽderet eũ malũ, & ibi moreretur. Gen. 19.

MOYSES libenter plus vixisset, si Dominus voluisset. Vnde ait: Iratus est Dominus contra me: ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem. Deut. 4.

EZECHIAS rex Iuda ambulauit coram Domino in veritate, & fuit bonus: tamẽ quando nunciatum fuit ei per Esaiam, quia mori deberet: orauit Dominum fletu magno, vt vitam prolongaret. 4. Reg. 29. Esa. 38.

Regem Sedechiam Hieremias rogauit, ne permitteret se reduci in carcerem, in quo prius fuerat, ne moreretur. Hieremiæ 37.

Dum Græci cum Persis, quibus præerat Harpagus, pugnarent apud Malenam regionis Atarnitidis, ac diu præstarent: mox equitatus emissus, in Græcos impetum dedit. Quo facto versis in fugam Græcis, Histiæus Milesius, qui à rege Dario defecerat, haud credens ob præsentem noxam se interfectum iri ab rege, ob quandam vitæ cupiditatem captus est. Qui vt fugiens capiebatur à quodam Persa, vtque ab eo erat transfodiendus, sese Milesium Histiæum esse, lingua Persica vtens, indicauit. Et Darius procul dubiò propter eius merita illi ignouisset. Ac ne id cõtingeret, néue fuga elapsus apud regem magnus existeret, Artaphernes Sardiũ prætor, & Harpagus qui cæperat, eum Sardis perductum, in crucem sustulerunt. Caput sale conditum, Susa ad regem Darium detulerunt. Ea re audita, Darius obiurgatis qui id fecerant, quòd hominem viuum in conspectum suum non duxissent, iussit Histiæi caput eos elotum atque obuolutum sepelire, tanquam viri de ipso ac de Persis bene meriti. Herod. libro sexto.

RHODIVS quidam ob intempestiuam libertatem à tyranno coniectus in caueam, in qua more nocentis bestiæ alebatur ad cruciatum & ignominiam, amputatis manibus, ac fœdata vulneribus facie, cùm ab amicis admoneretur, vt inedia sibi malorum finem quæreret: Cuncta, inquit, homini, quoad viuit, sperãda sunt. Citius illũ laudarim, quàm istos, qui ob causas non admodum graues confugiunt ad laqueum, aut præcipitium. Eras. lib. 8. Apoph.

Cum accepisset Diogenes ANTISTHENEM grauiter ex morbo decumbere, qui amore huius vitæ morbum molestius ferebat, cum sica ad decumbentem ingressus est, ad quem cum Antisthenes dixisset: Quis me his doloribus liberabit? Diogenes prolata sica: Hæc, inquit. Contrà Antisthenes: Doloribus, inquit, dixi, non vita. Laert. lib. 6.

XERXES rex Persarum, cùm totius Asiæ armatam iuuentutẽ in Græciæ campis explicuisset, de superiore loco vniuersum exercitum cõtemplans, ingemuisse & lachrymasse fertur, quòd seculi spacio nullis ex tanto hominum numero superfuturus esset. At is in specie aliena, reuera suã conditionem deplorasse videtur, opum magnitudine quàm altiore animi sensu felicior. Quis enim, etiam mediocriter prudẽs, mortalem se natum fleuerit? Val. lib. 9. cap. 13.

MYCERINVS Aegyptiorum rex, vitæ cupidissimus. Vide tit. Oracula clara mortis.

THEOPHRASTVS moriens accusasse Naturam dicitur, quòd ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus verò, quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitã dedisset: quorum si ætas esse potuisset longinquior, futurum fuisset, vt omnibus perfecta artibus, omnique doctrina hominum vita cultior redderetur. Querebatur igitur, se tunc, cùm illa videre cœpisset, extingui. Cicero Tusculan. quæst. lib. 3.

M. AQVILIVS, cum sibi gloriose mortem cõsciscere posset, Mithridati maluit turpiter seruire: quem quis immeritò dixerit Pontico supplicio, quàm Romano imperio digniorem: quoniam commisit, vt priuatũ opprobrium publicus rubor existeret. Val. lib. 9. cap. 13.

CN. CARBO magnæ verecundiæ est Latinis annalibus: tertio consulatu suo, iussu Pompeij in Siciliam ad supplicium ductus, petiit à militibus demisse & flebiliter, vt sibi aluũ leuare, priusquam expiraret, liceret: quò miserrimæ lucis vsu diutius frueretur, eousque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscinderetur. Ipsa verba tale flagitiũ narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari nõ merentur: neque relatione familiari, quia dictu fastidienda sunt. Ibidem.

BRVTVS exiguum & infœlix momentum vitæ, magno dedecore emit. Qui à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus: non solùm ceruicem gladio subtraxit, sed & constantius eã præbere admonitus, ipsis his verbis iurauit: Ita viuam, dabo cunctationẽ fati ærumnosam. O iurandi stolidam fidem! Sed hos tu furores immoderata retinendi spiritus dulcedo subiicis, sanæ rationis modum expugnando, quæ vitam diligere, mortem non timere præcipit. Ibidem.

C. MECOENAS, summus Augusti amicus, mollis & effeminatus adeò fuisse dicitur, vt vulgò Malacinus vocaretur. Crebrò illud, Seneca teste, in ore habebat: Omnia sustinenda, dum viuamus. Qua de re leguntur hi versiculi:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa.
Tuber astrue gibberum,
Lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est.

VESPASIANVS febre correptus, dimotis lecticæ plagulis cœlum suspexit: questúsque est, sibi immerenti vitam eripi, cùm nullum per omnem vitam extaret factum cuius pœniteret, vno duntaxat excepto. Id quale fuerit, non constat. Suetonius.

NVLLA VITÆ CVPIDITAS.

Vide tit. Desperatorum.

φίλησις, *Dilectio, Beneuolentia.* χάρις, *Beneficentia.*

Arist. in 2. Rhet. definit esse τὸ φιλεῖν, βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ *(quamuis interdum reuera non sint bona)* ἐκείνου ἕνεκα *(amici scilicet)* ἀλλὰ μὴ αὐτοῦ *(non priuati commodi causa)* καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων *(opus enim est volũtatis significatione) Est itaque* φίλησις *(sic enim in 8. Ethic.* τὸ πάθος *vocat.* φιλίαν *autem magis ad habitum referri, hoc est, ipsius habitus, virtutis scilicet aut vitij accidens esse, asserit) propensa quædam voluntas erga alium, bene de illo merendi: nec voluntas tantùm, sed etiam significatio volũtatis. Differt tamen ab Amicitia, de qua inter Virtutum accidentia inferius agemus, quoniam Amicitia cum ratione est vel recta vel corrupta. Beneuolentia autem, de qua hoc in loco, pro puro affectu sumitur, absque vlla ratione: qualis etiam in brutis reperitur, quæ naturali quodam instinctu alijs bene velle, alios odisse conspiciuntur. Oritur denique amicitia ex morum similitudine, secundùm virtutem primò, deinde etiam secundùm vitia: Beneuolentia autem etiam dispares moribus coniungit, & solam naturalem quandã inclinationem sequitur. Cæterùm quod Arist. in vltima definitionis particula addidit,* κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι, *videtur ad Beneficentiã referendũ esse: de qua tamẽ ille idẽ separatim egit, &* χάριν *vocat. Verùm cogitare debemus, rhetoricè eo in loco philosophum de affectibus disputasse, hoc est, quatenus ex illorum definitione locos mouendis affectibus idoneos desumere possumus. Itaque* φιλία *sit, velle alicui bona: at* χάρις, *beneficijs afficere aliquem. Proinde eodem in loco ab Arist. definitur* χάρις *esse,* καθ᾽ ἣν ὁ ἔχων *(qui aliquid bonũ habet, aut habere videtur)* λέγεται χάριν ὑπουργεῖν *(bene mereri, & gratiam sibi conciliare, seu rem gratam facere)* δεομένῳ μὴ ἀντί τινος *(sic enim gratias referret)* μηδ᾽ ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι *(sic enim non beneficium conferret, sed minore maius, aut æquali æquale fœneraretur)* ἀλλ᾽ ἵνα ἐκείνῳ τι. *Est ergo animi liberalis & generosi affectus. A Gratitudine tamen differt, quia Gratitudo Iusticiæ distributiuæ species est, quæ beneficijs afficit alios, quoniam ab illis prior affecta fuit. Sit ergo* χάρις *hoc in loco actiua, beneficijs afficere aliquem, & (quod Latini vocant) gratificari alicui. Est alia* χάρις *passiua, Gratitudo propriè, quæ ab alio beneficia prior accepit, & ea vel volũtate vel beneficio pari rependere studet.* φιλία *igitur &* χάρις *idem affectus est: differunt tantùm, quòd alter bene vult, alter bene facit. Opponit autem* τὸ μισεῖν τῷ φιλεῖν *Arist. ratione personarum & obiecti.* μῖσος *erga inimicos,* φιλία *erga amicos est: inuidia malum cupit, beneuolẽtia cupit & efficit bona. Medium ergo* φιλία *&* χάρις *occupent. In defectu est* ἀχαριστία, *amicis nolle gratificari, aut saltem ijs qui non sunt inimici. Nam si inimici essent, orir etur,* ἔχθρα. *In excessu est, nimium gratificandi studium, nimiáque beneuolentia.*

SPES.

Spes in genere apud Latinos pro quauis expectatione, tam mali quàm boni sumitur: ita quidem vt Dolorẽ quoque sperare Vergilius dixerit, hoc est, timere. In specie verò & proprie, pro expectatione boni imminentis ponitur: Græci in eadẽ sententia esse videntur. nam Arist. in 2. Rhet. τὸ θάρσος *definit, quòd sit* ἐλπὶς τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων. *Quo in loco* ἐλπίδα *loco generis ponit, pro expectatione scilicet futuri alicuius. vel boni vel mali. Nos autem in præsentia de spe boni agimus, quàm* θάρσος *vocat Arist. Est itaque affectus animi, ex opinione futuri boni proueniens: & proinde interdum virtuti, interdum vitio coniungi potest. Virtuti quidem, quãdo in rebus aduersis non desperat, sed spe seipsum sustentat, & persuasione consequendi ea quibus indiget tum à Deo, quæ Religiosa spes appellatur, tum ab homine, quæ spes humana est. Fortitudini igitur toleranti spes iungitur: iungitur quoque Iusticiæ correctiuæ religiosæ, quatenus seipsum homo per Pœnitentiam emendat, & à Deo veniam se consecuturum sperat. de qua Marulus libro 2. capite 12. copiose agit, quæ virtus potius Theologica, quàm affectus censeri debet. Exempla ea nos ad diuinam Clementiam transtulimus, & ad pœnitentiam religiosam, ex quibus locis petenda erunt. De spe enim nos hic absolutè agimus, vt affectus est, non vt cum virtute aut vitio iungitur. Proinde etiam diuersam statuimus spem à confidentia, de qua in Fortitudine & Veritate egimus: quia spes per se est boni futuri expectatio, quod aliunde prouenit. at Confidentia est boni præsentis in seipso præconcepta opinio, quæ in rebus aduersis nos fidere facit, & libertatem in dictis ac factis tueri. Conueniunt ergo in eo, quòd confidunt: differunt ratione temporis & personarum. Iam verò vitiosa quoque spes esse potest, quando vltra præscriptum confidit, nec rectæ rationis limites obseruat. Qui impoßibilia sperat, Impudens est: qui à dæmone opem implorat, Impius est. Coniungitur ergo vitijs, vitiosa spes: quemadmodum spes bona virtutes sequebatur. Cæterùm vt ad propositum veniamus, spem hic affectum animi absolutum, & ab omni animi habitu separatũ intelligimus, qui medium occupet. Inter extrema quæ à medio discedunt, Desperatio in defectu est spei: in excessu verò affectus quidam nomine carens, qui nimium sperat, quando, quomodo & vbi non oportet. Nunc ad exempla spei accedamus. Religiosa spes ex tit. Confidentiæ erga Deum in genere: item, Pœnitentiæ religiosæ: item, Clementiæ Dei erga homines, petenda erit. Humana in omnibus ijs dictis & factis locum habet, quæ futuri alicuius boni causa suscipiuntur.*

ARISTIPPVM philosophum Socraticum ferunt aliquãdo ad Rhodiensium littus graui naufragio eiectum fuisse: ibíque dum non sine magna solicitudine cogitaret, quãto in discrimine fuisset, vidisse in harena figuras quasdam Geometricas: atque ita ad comites, mœrore posthabito, hilari vultu exclamasse: Bene sperandum est: nam & hîc quoque hominum vestigia cernimus. Platina libro secundo, de Falso & vero bono.

ALEXANDER Macedo, posteaquam in expeditionem profectus, regias opes penè omnes in milites ac duces distribuisset, roganti Perdiccæ: Quid tibi nunc rex superest? Spes, inquit. Hic Perdicca: Hæc, inquit, nobis commilitonibus tuis futura communis est. & prædium quod ipsi designarat Alexander, recusauit. Tanta erat fiducia, bene successuram expeditionem. Plut. in Alexand. Brus. lib. 3. cap. 28.

C. MARIVS obscuro genere natus, facinorum militarium commẽdatione ad rempublicã accessit. Ac primùm maiorem petijt ædilitatem. Vbi sensit ea spe frustrari sese, eodem die minorem ambijt: & hac frustratus, haud tamen desperauit, se Romæ ciuitatis primatem fore: docens, quantum in rebus humanis valeat improbitas. Plutarch. in Rom. Apoph.

SPEI EXCESSVS. SPES NIMIA.

Spes nimia ea est, quæ in sperando nimium facilis existit, ea quæ non oportet, & à quibus, quomodo, quando & vbi non oportet sperans, vt quamuis voto suo interdum potiatur, fortuitum id tantùm, non tum ratione consentiens existimetur. Exempla plurima ex titulo. Temeritatis peti possunt.

RHODII cuiusdam spem nimiam, pete ex tit. Cupiditatis vitæ.

SPEI DEFECTVS.

Qui minus quàm oporteat sperant, siquidem primi tantùm motus considerentur, huius erunt tituli: si verò secundos etiam motus perpendas, ad Desperationis vitium redigerentur. Verùm quia in omni secundo motu primus quoque supponitur, non malè hac ratione Desperationis exempla huic loco inseruient.

OPTANDO AVERTERE MALA.

Consule tit. Votorum.

Εὐελπιστία. SECVRITAS.

Mala absentia non metuere, affectus quoque est, si primũ motum spectes: Vt igitur à spe futurorum bonorum differat, quæ ἐλπὶς *in genere dicitur, & propriè* θάρσος, εὐελπιστίαν *vocemus Latinè Securitatem, cùm nihil mali accidere posse sibi persuadeat, interdum quidem mediocritatem seruans interdum verò vel in excessu vel in defectu peccans. In excessu quidem, cuiusmodi exempla plurima ex tit. Securitatẽ hosti inimicis peti possunt. In defectu verò, ex tit. Eorum qui metu insidiarum arctißima sunt vsi custodia: item ex tit. Desperationis, quæ huius loci erit, quatenus mala minus absutura confidit, quàm oporteat, quatenus enim bona minus affutura sperat, quàm oporteat, eatenus spei defectum arguit. Possunt nanque eadem exempla diuerso respectu ad diuersos affectus reduci. Consule tit. Popularitatis principum.*

NVMA Pompilius Romanorum rex post Romulum designatus, omnium primum trecentorum illorum turmas, quibus ad corporis tutelam Romulus vsus erat, dimisit. Neque enim dignum putabat, aut credentibus minus credere, aut non credentibus imperare. Plutarchus in eius vita.

TIMOR.

Affectus hic Pusillanimitati, siue vitio in defectu fortitudinis, comes adiungitur. Interdum quoque desperationem iunctam habet. Sic enim affectus cum virtutibus, & inter se mutuò quoque copulari possunt. Est autem Timor, Pauor, Formido siue metus, nihil aliud quàm terror animi, ex malis impendentibus proueniens. Arist. in 2 Rhet. sic definit: φόβος, *est* λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος ἢ κακοῦ φθαρτικοῦ ἢ λυπηροῦ: *Terror est & consternatio intus in animo: quia sibi persuasissimum habet, mala ea esse, & naturæ suæ penitus contraria & inimica, siue reipsa mala sint, siue imaginatione tantum mala esse fingantur. Sic verbi gratia, qui verba facturi obmutescunt, imaginantur sibi ipsis suam infantiam. sic formidolosi nocturnos strepitus & spectra animo concipiunt, quæ reipsa nulla sunt. Proinde terror iste modò ex rebus malis prouenit, modò ex imaginatione mali falsa & inani. Exterius autem vel signis quibusdam innotescit, vt pallore & obmutescentia: Obstupui, riguere comæ, & faucibus hæsit: vel factis se prodit, quæ varia esse possunt, prout terror varius est, modò magnus, modò paruus. In genere tamẽ vel fuga salutẽ quærit, &* φόβος *à Græcis hãc ob causã dici videtur, nã sæpe* τὸ φοβεῖν *pro* φεύγειν *ponũt, vel si effugere nequeãt supplicando supplicium auertere tentant: Vicisti, & victũ victori tẽdere palmas Videre Ausonij. Variæ enim sunt supplicãtis timoris figuræ & species. Græci hoc fortaßis exprimere voluerunt, quando Timorem* τὸ δέος *vocarũt,* ἀπὸ τοῦ δέεσθαι, *quod precari & supplicare significat. Fugam autem intelligo non tantùm loci, sed etiam vitæ commutationem cum morte: vt in desperatis, qui non tam præsentia mala effugere tentant, quàm futura, & quia non nisi morte se saluos euadere posse credunt, inuisam abrumpunt vitam. Mala intelligo, quæcũque vel animo vel corpori vel fortunis nocere & officere possunt. Vir bonus mala animi tantùm formidat. Mortéque peius flagitium timet, vt inquit Lyricus. At vulgus corpori & fortunis metuit: sapiens non metuit: sed tamen declinare studet, si id honestè fieri poßit, vt suprà in fortitudine docuimus. Cæterùm impendentia ea mala oportet esse, nondum præsentia, paulo pòst tamen affutura, siue à nobisipsis ortum habitura sint, vt qui nequitiam suam norunt: siue ab aliis affutura, vt cædes, incendia: & similia. Materia igitur timoris, obiecta sunt mala quæuis impendentia. Forma est, terror animo ab illis impressus, qui exterius vel signis vel factis quibusdam se prodit. Efficiens est ipsa phantasia, quæ terrorẽ incutit ex opinione mali, siue reuera malum sit, siue imaginatione tantùm malum esse videatur. Finis autem, propter quem affectus iste homini datus est, bonus existit, quando rectæ rationi paret, & ea quæ timenda sunt, timet, quæ non timenda, non timet. Pertinet enim ad conseruationem indiuidui: malus verò, quando vel non timenda timet, vel timenda non timet: quorum alterum vitium est in excessu timoris, &* θράσος *dici posset: alterum in eiusdem defectu. Nos in exemplis periclitemur: quorum plurima ex tit. Pusillanimitatis peti poterunt. Illic enim ratione vitij à nobis descripta fuerunt, quatenus à fortitudine deficiunt: hic verò ratione affectus, timoris videlicet, quatenus à malis imminentibus terretur animus & expauescit. Exempla quædam Timoris præter naturam, pete ex tit. Melancholiæ, cui morbo timor semper iunctus esse consueuit.*

ORATORES TIMIDI. ITEM QVI PRÆ METV *obmutuerunt.*

Fortè incredibile videatur, attamẽ verum est: cùm DEMOSTHENEM in Macedonia verba ingeniúmque deficerent, Æschines Attromitę filius Cathocides magnus & illustris apud Macedones erat, multúmque reliquos legatos animo consilióque superabat. In causa fuit, quamobrem ita succederet Æschini, Philippi amicitia, & eius munera: & quòd Philippus placidè libentérque eum audiebat, beneuolis oculis aspiciens, suam beneuolentiam prodens: quæ vniuersa fuerunt Æschini quasi epholcia & incitamenta ad dicendi audaciam, & verborum profluentiam. Ælianus lib. 8. Var. hist.

Theophrastus Eresius, cùm in Areopago verba faceret, defecit: & hanc excusationem prætendit, se perterritum fuisse senatus autoritate. Amarulenter verò, & aptissimè ad hunc eius sermonem respondit his verbis Demochares: O Theophraste, Athenienses erant, non duodecim numina, qui iudicio prꝑerant. Idem.

Herodes Atticus, orator insignis, de cuius admirabili eloquentia in numero oratorum satis abundè diximus, cùm peroraret coram M. Antonio in Pæonia, & timore perculsus obmutesceret: ignominiæ tædio affectus, ad Istrum secessit, quasi moriturus. Vitam enim eloquentiæ gloriæ posthabuit. Huius rei testis est Philostratus in eius vita.

ISOCRATES, cùm intelligeret quantum sibi obesset animi timiditas sæpenumero dicere solitus est, se suos quidem discipulos docere decem minis: verùm qui ipsum docuisset extra omnem timiditatem, in concione loqui, ei se centum daturum.

Socrates Alcibiadem adolescentem, primùm ob imperitiam trepidantem, vt fit, apud tantam multitudinem verba facere, lepida εἰσαγωγῇ animauit: Annon putas, inquit, ô Alcibiades, contemnendum sutorem? Annuit. Annon prꝑconem? quum & hic annuisset: Annón contemneres, inquit, tabernaculorum opificem? Quum similia quędam proposuisset, & is fateretur hos esse contemnẽdos, tum Socrates: Atqui, inquit, ex his constat Atheniensium populus, quem tu vereris. Quorum si singulos putas contemnendos, quî minus etiam contemnas condensatos? Sensit, non referre apud quàm multos dicas, sed apud quàm cordatos. Fit enim hoc miro modo, vt quos singulos despicias, congregatos reuerearis. In conuiuio Platonis Socrates admiratur Agathonis audaciam, qui coram tot hominum milibus præsenti animo recitasset suam tragœdiam: cui quum Agathon respondisset, se citius velle coram multis hominum milibus dicere, quàm apud vnum Socratem: Atqui in illis, inquit, milibus & Socrates erat. Fit enim & illud miro modo, vt quem vnum reuereare, in turba mixtum contemnas. Eras. 8. Apoph.

Heraclitvs Lycius sophista coram Seuero principe verba facturus, præter spem obmutuit. Rauis.

Hipparchion veniens in certamen cum Ruffino citharœdo, spe omnium elusa conticuit. Hinc adagium, Mutus Hipparchion.

Bartholomævs Socinus, nomine suæ ciuitatis Alexandro pontifici maximo gratulaturus, in media propè oratione excidit. Sic Franciscvs Barbarus Venetus apud Philippum Insubrium ducem. Rauis.

Legatvs quidam Germanus coram Principe verba facturus, cùm maiestate illius territus repentè obmutuisset, ventris crepitum præ timore emisit. Verùm vt erat facetus, ad seipsum rediens, & ad Gynæceum conuersus: Hospitem, ô virgines, per vices vestro quoque applausu excipite. Eo verbo omnibus in risum conuersis, recepit tandem animum, & ea quorum causa venerat exposuit.

Io. Oporinvs de Repub. literaria inter nostri temporis Typographos meritissimus, cùm Græcarum literarum in Academia Basiliensi professor esset, contigit fortè vt Erasmus Roterodamus, Germaniæ nostræ phœnix, Basileam veniret. Eum cùm γερουσίῳ vino Academia honorare vellet, Oporinum huic muneri præficit. Is pulchrè meditata oratione, discipulis comitantibus, & dona ferentibus stipatus, Erasmum adit. Is primo congressu (vt facetissimus erat) porrecta dextera Oporino, ex improuiso: Hei quàm grauiter me læsisti, exclamat. chiragra enim digitos penè exolutos habebat. Ea re territus Oporinus, & rubore suffusus, prorsus obmutuit: nec prius animum recipere potuit, quàm ab Erasmo mensæ assidere iussus esset. Tunc honorario vino degustato, Academiæ munera oratione splendida & ornata doctissimo viro, qui tacitè lætabatur, & illius eloquentiam admirabatur, commendauit.

TIMOR QVORVMCVNQVE MALORVM EXtra bellum.

Aristippvs, cùm naui Corinthum vectus procellis impetentibus supra modum perturbaretur, quidam ex iis qui simul nauigabant: Númne, inquit, etiam tu metu percelleris, quemadmodū vulgus? At ille: Prorsus, ait: neque iniuria. Vobis enim de vita scelerosa infelicique labor est, & præsens periculum, mihi verò de felicitate atque beatitudine. Ælian. de Var. hist. lib. 9. & Laert. lib. 2. cap. 8.

Damodes philosophus, cùm Dionysij Siracusij tyranni potentiam & opes extolleret, beatámque diceret eius vitam, in tanta rerum opulētia: Dionysius eundem perendie vocauit ad cœnam, gladiúmque seta ligatum supra caput eius appendi iussit. Quo ille statim inter cœnandum conspecto, præ nimio supereminentis periculi metu, regalibus mensis abstinuit. Hoc pacto Dionysius, tyrannos viuere, ac inter magnificos apparatus, imminentibus periculis cruciari significauit. Guido Bitur.

Zeno, quum canem inuadentem repulisset, reprehensus à quodam ob id: Perdifficile est, inquit, prorsus hominem exuere. Voluit autem ostendere, hominem nonquam esse tam cautum, quin aliquando ostendat se quoque hominem esse, affectibus obnoxium. Laertius libro nono, capite 5.

TIMOR ZELOTYPVS.

Zelotypia latißimè patet: quandoquidem eius quod amant homines, possessionem vel fructum ad alios transferri, & sibi eripi modestißimè ferunt. Si de iniuria constet, ad iram, vltionem & vindictam accenduntur, modò iustè, modò iniustè. Si non constet, metu exanimantur, & suspicione siue vera siue falsa conficiuntur, vt Zelotypia ista nullum grauius tormentum sentiant. Nos in præsentia de Timore Zelotypo agimus, qui ferè inuidiam coniunctam habet. Zelotypiæ effectus, qui volet, ex tit. Odium Riualium. item, Perfidiæ erga vxores & maritos: item, Pœna perfidiæ coniugalis, petere poterit.

Sara cùm Abrahamum ad Hagarem ancillam cupiditate prolis introduxisset, & illa ex eo Ismaelem suscepisset: zelotypia tandem mota, domo illam eiecit. Genes. 16. & 21.

Mulierem quandam Persidem aiūt ad vxores Cyri regis introgressam, cùm liberos Cassandanes assistentes, forma ac statura egregiè cōspicaretur, supra modum admirabundam, felicem eam prædicasse tam præclara sobole. eíque Cassandanem (quæ Cyri esset vxor) ita dixisse: Me, quæ talium filiorum sum mater, Cyrus contemptui habet, præponens quandam ex Ægypto ancillam, Nitetim (quam Amasis rex pro filia ad Cyrum miserat, cùm reuera filia esset Apriis regis Ægyptiorum, ab Amasi interfecti.) Hæc matris verba cùm audisset maximus natu filiorum Cambyses, decem circiter annorum, subiecit: Ego verò tibi mater, cùm in virilem ætatem adoleuero, summa Ægypti reddam ima, & ima summa. Cùm igitur in virilem adoleuisset ætatem, & regnum obtinuisset, huius rei memor, Ægypto bellum intulit. Herod. tamen libr. 3. falsam esse historiam asserit. Namque Cābysi Nitetim pro filio in matrimoniū fuisse missam, non autem Cyro patri.

Parthorvm morem fuisse legimus, vt in secreto loco domus, à viris semotas vxores haberent: quippe cùm non solùm vxorum, sed pellicum pudicitiam ita suspectam habeāt, vt nisi capite velato in publicum prodire sinant, zelotypiæ morbo plus satis laborantes. Alexand. libro 5. cap. 24.

Persæ vsque adeò sunt zelotypi, vt vxores & concubinas in publicū prodire non sinant: in itinere autem faciendo curribus velatis vtantur. Eo commento Themistocles ad regem Persarum tutò profugit, cùm comites Græcam mulierculam ex Ionia se regis cuidam cubiculario adducere assererent. Plut. in Themistocle.

Thraces vxores asseruant vhementer, eásque magno ære à parētibus coemunt. Herod. lib. 5.

In Thessalia Cyanippvs filius Pharacis, in amorem puellæ Leucones venit, quam etiam à parentibus impetratam vxorem duxit. Erat autem plurimùm deditus venationi, ita vt per diem leones & apros insequeretur: noctu autem fatigatus penitùs, accederet puellam, adeò vt aliquando neque sermone cum ea habito in profundum somnum deferretur. Vnde illa præ mœsticia & doloribus consilij inops facta, diligentiam adhibebat, quo cognosceret, quid faceret tādem Cyanippus, qui ita perpetua delectaretur circa montes cōuersatione. Quare mox vsque in genua vestibus sublatis cincta, clàm ministris omnibus syluam ingreditur. Porrò Cyanippi canes fortè ceruum insequebantur: & quia ob longam venationem ex mansuetis feriores erant redditi, quum puellam olfecissent, eam inuaserunt, neminéque prohibēte totam dilaniarunt. Cyanippus verò superueniens, ac laniatam deprehendens Leuconem, magno dolore correptus est: vocatísque ad se ministris, illam in extructum rogum imponit. & primùm quidem canes suos ad rogum mactat, postea verò vehementer ob puellam lamētatus seipsum interfecit. Parthen. de Amat. & Plut. cap. 42. Parall.

Procris suspicata maritum Cephalum alterius fœminæ amore captum, eūdem in syluas secuta est, delituítque in dumis, vt obseruaret clāculum quid maritus faceret. Quum autem vepres (in quibus latebat) aliquantum mouisset, Cephalus arbitratus esse feram, eam iaculo confodit. Plut. in Parall. Ouid. 7. Metamor.

Æmylivs apud Sybarim Italiæ oppidum spectatæ venustatis adolescens, venandi studiosus, cùm vxorem haberet nouellam, quæ in alterius puellæ complexus virum ire opinaretur, in saltus egressa delituit. Motis autem arbusculis canes accursant, & feram arbitrati puellam discerpunt. Clitonymus libr. 2. rerum Sybariticarum, & Plutar. cap. 43. Parall.

Polycrates Samius frequentem operam Musis nauauit, & Polycratē Teiū fecit plurimi, sedulóq; ei adhæsit, & delectatus est eius carminibus. Anacreō Smerdiā Polycratis amasiū, feruētiore præconio in cœlū vsque euexerat. Qua laude plurimùm gaudens adolescens, colebat in primis & obseruabat Anacreōtem, qui magno amore solertiā & indolem eius, nō autem corpus prosequebatur. Polycrates verò cōmotus zelotypia, quòd Smerdiam amaret, & poetam à puero redamari videret, adolescentem rasit: & illi quidem turpitudinem, Anacreonti verò dolorem, vt ipse putabat, attulit. At ille dissimulans se Polycratem accusare, transtulit crimē in adolescentulum: obiecítque ei audaciam & inertiā, quòd contra suos ipsius crines arma sumpsisset. Æl. Var. hist. lib. 9.

Phanvs quum vxorem haberet adulterij suspectam, atrij fores sic occlusit, vt non nisi cum stridore sonitúque possent aperiri. Verùm quū illa per tegulas adulterum intromitteret, vicini per iocum dicebāt, Phani ostium, Quo prouerbio innuebant, aliquid seruatum frustra.

Gorgiæ Leontini vxorem zelotypia laborasse inde colligimus, quòd Leontinus cùm in Olympiis de communi Græcorum concordia insigniter peroraret, à Melantho ludibrio habitus sit: qui dicere solebat frustra Gorgiam de Græcorum concordia agitare, cùm se, vxorem & ancillam concordes habere nesciret, quæ ob zelotypiam irata quotidie dissidium faceret. Alex. lib. 5. cap. 18.

C. Svlpitivs Gallus vxorem suam repudiauit, quòd aperto capite ædes egressa esset: Lex, inquiens, tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciola, nō aliorum oculis placens. Eras. lib. 6. Apoph.

Æmylii vxor zelotypa. Vide tit. Amor maritorum erga coniuges.

Vxor Fuluij zelotypa. Vide tit. Perfidiæ vxorum erga maritos.

Henricvs imperator, licet cum sanctissima coniuge sua Connegunda, quam vnicè dilexit, coniunctissimè vixerit, demùm tamen Sathan iniecit illi zelotypiæ scrupulum. Verùm Connegunda castissima, vt maritum à falsa suspicione liberarent, pudicitiam coniugalem ferro ignito comprobauit. Cranzius lib. 4. cap. 5. Metropoleos. Consule tit. Castitas coniugalis.

NON ZELOTYPI.

Pisistratvs Atheniensiū tyrannus, cùm mater apud ipsum delata esset, quòd adolescentem quendam adamaret, furtimque cum eo congrederetur, & quidem frequenter præ metu Pisistrati, negante sui copiam, adolescentem vocauit ad cœnam. Peracta cœna, rogauit quomodo habitus esset? quum ille respondisset, Suauiter. Hæc, inquit, tibi contingent quotidiè, si matri meæ placueris. Admodum ciuiliter & maternis indulsit affectibus, & adolescentem omni terrore liberauit. Erasm. lib. 5. Apophtegm.

Aristippvs Æginæ in Neptunalibus cōsuetudinem habuit cum Phryne, quúmque quispiam illi obiecisset, quòd tantum pecuniæ daret meretrici, quæ Diogenem Cynicum, sordidissimum philosophū, gratis admitteret: Ego, inquit, illi multa suppedito, vt ipse ea fruar: non, ne quis alius. Laertius lib. 2. cap. 8.

Alexander cùm sensisset sororem suam cum eleganti forma iuuene habere consuetudinem, non ægrè hoc tulit, sed dixit: Concedendum esse, vt illa quoque aliqua ex parte regno frueretur. Plut. in regum & imperat. Apoph.

M. Antonini vxor Faustina malè audiebat vulgò. Itaque hortantibus amicis, vt eam repudiaret, si nollet occidere: Si vxorem, inquit, dimittimus, reddamus & dotem. Dotis nomine signans imperium, quod ab socero, volente Adriano adoptatus, acceperat. Iulius Capitolinus.

Otthacharus Bohemiæ rex, cùm de pudicitia coniugis sinistri ad se rumores delati essent: Lex, inquit, naturæ est, Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent. Æneas Syluius libro tertio, comment. de reb. gest. Alphonsi.

TIMOR HOSTIVM, IN BELLO VEL EXTRA BELLVM

Exempla plurima ex titul. Ignauiæ bellicæ peti possunt. Item ex tit. Desertorum.

Demosthenes clypeo suo literis aureis inscripserat, ἀγαθῇ τύχῃ. Attamē cùm ad pugnam ventum esset, illicò proiecto clypeo aufugit. Id quum illi probro daretur, quod ῥίψασπις esset, elusit vulgato versiculo:

ἀνὴρ δὲ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. id est.

Vir qui fugit, rursum integrabit prælium.

Indicās, vtilius esse patriæ fugere, quàm in prælio mori. Mortuus enim non pugnat: at qui fuga quæsiuit salutem, potest in multis præliis patriæ vsui esse. Plutarch. in vita Demosthenis.

Themistocles in Eretrienses ita cauillari solebat, vt diceret eos similes piscium qui gladioli vocantur: quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent: notans illorum ignauiam, quòd armatis non adesset animus. Plutarchus in Græcorum Apoph.

Pisander miles fuit quidam gloriosus, Thraso venalis, statura magnus, animo imbellis, cuius conum & supercilia irridet Aristophanes. Armis vtebatur insignib. triplicíque cono (τριλοφίαν Græci vocant.) A quo est id Græcorum prouerbium, Πεισάνδρου δειλότερος: in homines arrogātes, sed timidos. Gyraldus in 3. Dialogo Historiæ poetarum.

C. Cornificivs poeta Vergilij æmulus, à militibus destitutus interiit, quòd eos sæpe fugientes, Galeatos lepores appellasset. Eusebius in libro Temporum.

Post obsidionem Mutinensem fugiens Antonivs, creberrimè bibebat, subsistebátque per singulos passus, vbi bibendi facultas afforet, mox fugam præcipiti consternatione resumebat. Interrogatus vnus ex familiaribus eius, Quidnam Antonius ageret? Respondit: Quod canis in Ægypto, bibit & fugit: certum est enim, canes Ægyptiacos crocodilorum fugere & bibere.

L. Albinus, de plebe Romana non postremus, fugiēs Gallos, vt est apud Liuium lib. 5. ex rheda vxorem filiósque descēdere iussit: & Vestales (quæ cum sacris fugiebant) currui imposuit, quo citius fugam adornare possent. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthropologiæ.

Gn. Fvl. Flaccvs, Q. Fuluij frater, prætor in Apulia, ab Hannibale superatus xx. mil. de exercitu amissis, cum cc. equitibus aufugit. Ex quo Sempronius Blesus eum accusauit, quòd eius inscitia ac temeritate malè rem gesserit, pecunia deinde capite acquisiuit. Historiam pete ex Liuio, cuius verba recitat Volat. lib. 16 Anthrop.

C. Marivs, qui septies consul fuisse dicitur, cùm Sulpicia rogatione prouinciam ei Sylla eriperet, armis ab eo victus Minturnensium paludibus latuit: vbi inuentus, in carcerem coniectus est. Plin. cap. 61. de Viris illustri.

C. Marius iunior cùm à Sylla stragem pateretur, in oppidum Præneste fugit, vbi per Lucretium Asellam obsessus est: qui vrbe postremò potitus, ad xii. milia trucidauit. Maritus tentata per cuniculum fuga, cùm omnia clausa videret, se Pontio Telesino fugæ comiti iugulandum dedit. Liuius lib. 88.

Pactivs Varvs, quum Auximum cum præsidio teneret, aduenienté Cæsare aufugit.

Nero Romanorum imperator cùm post innumera facinora sua, quibus totam suam vitam atque maiestatem imperatoriam turpiter deformauit, à desertoribus atque vitæ insidiatoribus persequeretur, ex vrbe fugiens: posteaquàm in Phaonis prædio latitaret, statim suspectos etiam habere cœpit summos amicos, qui fugæ socij fuerant. Omnem humanam vocem perhorrescebat: si catulus paululum latraret, aut caneret gallina, aut si ramus arboris vento moueretur, grauiter concutiebatur, malè sibi conscius, quibus ex causis conquiescere nullo pacto poterat. Non audebat loqui cum iis qui aderant præsentes, ne ab alio intelligeretur. Xiphilinus in Nerone.

Maxentivs cùm certamen cum Constantino iniisset, propter repudiatam conditionem de Galliarum regno accipiendo, amisso ferè omni exercitu, vacuóque equo, quo insidebat, vti mortis fidem faceret, aufugit, misitque ad Cōstantinum de ineunda concordia: verùm coactus rursus pugnare, ac superatus, Lugdunum aufugit, vbi se demum necauit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Cosroes Persarum rex, cùm amisso exercitu nequaquàm tutus ab Heraclio Romanorum Imperatore esset, ad Ctesiphontem vsque fugit: vbi à Siroe filio interfectus est, quòd Medasi alteri filio, sed natu minori, regnum tradidisset. Volat. lib. 23. Anthrop.

Phocas dux, qui terrestrem exercitum contra Simeonem Bulgarorum regem duxit, nuncio perterritus, fugit à bello, & omnes quoque alios fugere fecit. Sigebertus in Chronicis.

Otho secundus, Othonis primi filius, cùm aduersus Basiliū & Constantinum Impp. qui Calabriam in Italia occupauerant, bellum suscepisset (vnde Saracenos eiecerat, sicuti scribit archiepiscopus Cusentinus) cū classe profectus ac superatus turpi fuga solus scapham conscendit: & à piratis pro ignoto captus, in Siciliámque ductus, cognitus à Siculis, & redemptus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

Apud Tvrcas Ioannis Huniadis, ducis fortissimi, nomen vsque adeò fuit terrificum, vt nutrices ad comprimendos infantulorum vagitus Huniadem adesse confingerent.

PVDOR.

Pvdoris vis in omni virtutum & vitiorum genere latißimè patet, nunc virtutis anteambulo, nunc vitij pedissequus. Virtutem enim præcedit, quando ne quid indecorè fiat præuidet: atque adeò ad virtutem stimulos addit, siue maiorum authoritate reuerentia incitatus, siue æmulatione æqualium. Vitia verò sequitur pudor, quando admissæ culpæ conscientia seipsum vrget animus, pœnas tacitè à seipso exigit, erroremque suum fatetur, & pro vitii correctione ad contrariam virtutem, à qua exciderat, reuertitur. Est ergo duplex pudoris natura, quia vel præseruat à vitio, vel vitia tacitè corrigit. Vt hac ratione non ineptè definiri poßit, affectus quidam animi, qui id quod indecorum est in seipso, vel impedit, vel tacitè reprehendit. Arist. in 2. Rhetoricorum rhetoricè definit, esse λύπην τινὰ καὶ ταραχὴν περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν ἢ παρόντων ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. Cōtrà verò ἀναισχυντία, est ὀλιγωρία τις καὶ ἀπάθεια περὶ αὐτὰ ταῦτα. Nos nostram definitionem persequamur. Affectus est animi, non habitus: propterea à pœnitentia ethica, quæ correctiuæ Iusticiæ species est, distinguitur. Indecorum autem intelligo omne id, quod honestati actionum quotidianarum contrarium est siue actu sit indecorum, quod correctione eget, & ea quæ correctionem præcedit reprehensione: siue potentia esse poßit, quod impediendum est, ne eueniat. Impediens itaque pudor id agit, ne quid reprehensione dignum comitatur, in quocunque virtutis genere, in quibusuis denique humanæ vitæ actionibus. Cassandra cùm iamiam immolanda esset ad Achillis tumulum, vestes curiosè composuit, ne qua in parte corporis nudaretur cadens. Pudor hic erat non virtutis, quæ nulla sequi poterat, sed tamen decori custos & anteambulo: atque adeò præseruatio quædam, ne adstantes corporis nudi aspectu offenderentur, seu dolore seu libidine moti. Impediens ergo pudor, respectu indecori, quod accidere poterat, appellatur, qui tamen modò ad virtutem viam parat: modò à vitio, quod committi & designari poterat, nisi pudor medius interueniret, homines tuetur & præseruat: ac propterea verè ingenuus dici debet, quia ingenuo homine dignus sit, & virtutis custos perpetuus. Corrigens verò & reprehendens pudor, vitium siue culpam ex vitiosa actione admissam tacitè fatetur: nec fatetur tantùm, sed etiam tacitè reprehendit. Nam si fateretur tantùm, non pudor, sed confeßio esset delicti, & ad veritatem referri deberet. Nunc etiam reprehendit, & quod

maius est, corrigit. Sed quia correctio per virtutem contrariam fit, idcirco virtutis anteambulo hic pudor censeri debet, simul & pedissequus vitij. At pudor impediens virtutis anteambulo est in promouendo, vitij in præseruando: pedissequus neutrius, nisi per accidens tantùm. Verumenimuero quia pudor oritur ex confessione indecori commissi, siue culpæ, necesse est vt cognitio erroris præcedat pudorem. Cognitio autem ista vel integra est & vera, quia culpa est admissa: vel imperfecta & falsa, quoniam stultè sibi persuadet in dicto factóue culpam inesse, in quo reuera non insit. Quare duplex iam pudor corrigens erit. Alter verus, qui secundum rectam rationem ea quæ verè digna sunt animaduersione, reprehendit. Alter non verus, intempestiuus, stultus & ineptus: qui propter ea, quæ pudorem non merentur, rubore suffūditur, & in culpa dijudicanda propter rationis imbecillitatem decipitur. Hinc est, quòd in pueris & virginibus pudor frequentissimè conspicitur, quia nondum per ætatem quid laude vel vituperio dignum sit dijudicare possunt, eáque de causa in omnibus dictis suis & factis vitiū inesse metuunt, & rubore suffunditur. Qui tamen pudor ingenuus quoque dicitur, & laudem meretur: quoniam etsi non à vera virtute proficiscitur, adumbratæ tamen virtutis testimonium est. Rectè enim Diogenes adolescenti cuidam erubescenti dicebat, Confide adolescens, color enim hic virtutis est: quandoquidem ad iusticiā pertinet suijpsius correctio non modò aperta, quam pœnitentiam vocamus, sed etiam occulta, pudor scilicet, cuius signum est rubor in facie efflorescens. Cæterùm ingenuo pudori in hoc genere opponitur Rusticus pudor, in quo nec ætas excusationem dat ruboris, nec causa talis est quæ pudorem mereatur: vt si quis vir bonus in extrema senecta constitutus, rustico pudore retinente, in grauissimorum virorum conspectum descendere vereatur. Ætate enim tali est, quæ rationis rectæ subsidio nititur: & id quod reuera malum est, ab eo quod opinione tantùm malum esse videtur, discernere nouit: quapropter senibus per ignorantiam peccare non licet, pueris licet. Deinde causa talis non est, in qua pudor locum habeat. Indecorè agere, pudēdum est: at cum viris probis conuersari, honorificum existit. Itaque in pueris, qui tacita quadam imperfectionis suæ conscientia accusantur, aut certè ignorantia & metu erroris peccant, pudor hic ingenuus est: at in senibus planè rusticus, & incompositus erit: quia senectuti non conuenit, puerilem ætatem decet. Pudor igitur corrigens ratione culpæ, cuius tacita est correctio, diuiditur: quòd alius pudor sit verus & decens, alius sit ineptus & indecens. Posterior rursus in pudorem rusticum & ingenuum subdiuiditur, merito ætatis: quarum altera perfectum rationis vsum habere debebat, & tamen non habet: altera nec habet nec habere debebat, & propterea veniam magis meretur, quia per ignorantiam peccat. At si vulgarem diuidendi normam sequamur, Pudoris ratione personarum duas species assignabimus: Ingenuum scilicet, & Rusticum. Ingenuus rursus vel impedit, vel corrigit. Corrigens itidem vel verus, vel falsus. Verus à virtute prouenit solida: falsus à virtutis vmbra quadam, quæ propter ætatis imperitiam nondum in perfectum actum exire potest. Quidam igitur pudor magis, quidam minus est ingenuus: omnes tamen ingenui, quia ingenuos decent, propter virtutem, aut virtutis vmbram. Rusticus verò pudor pudori ingenuo vero è diametro opponitur: ab ingenuo falso differt merito ætatis. Iam verò quia pudor ex culpa pendet, culpa autem ex vitio prouenit, quot vitiorum genera erunt, totidem quoque pudoris species. Deinde, quoniam vitium virtuti opponitur, idcirco pudor, qui vitium corrigit, ad virtutem vitio oppositam aditum faciet. Nam qui propter iniustitiam pudore suffunditur, vitium hoc iustitia emendare & corrigere studet. Et propterea vitiorum frenum est pudor, ac vicissim virtutum stimulus, non tantùm in propriis cuiusque dictis & factis, sed etiam amicorum. Vt enim pudor Impediens, à seipso omnem indecori notam remouet, (qua quidem ratione interdum ad virtutem vel sibi vel alijs aditum parat. Vt quod de Veteribus Romanis Cicero refert, patres cum filijs non solitos fuisse lauari. interdum à vitio, quod vel ipse vel alij designare poterant, reuocat: sic virgines Patauinæ olim velatæ omnes incedebant, vt & ipsæ pudori suo satisfacerent, & aliorum effrenatæ concupiscentiæ obuiam irent) itaque quo Corrigens pudor modò seipsum, modò amicos suos corrigit & reprehendit. Nam filij dedecus in patrem quoque redundat, & pudorem in eo excitat non sui causa, sed filij, quem veluti partem suijpsius esse censet. Sic flagitium ab Atheniense commissum, ad omnes Athenienses quodammodo pertinere videtur. quemadmodum vicissim ex Themistoclis rebus gestis tota vrbs magnum gloriæ suæ cumulum adiecit. Mirum ergo nemini videatur, quòd in desinitione mentio facta sit Indecori in seipso: quamuis enim causa pudoris, flagitium scilicet in alio sit, vtpote in amico, fratre, filio aut ciue, tamen pudor ipse in patre quoque & patria erit, non propter filium & ciuem, sed quia dedecus illorum in patrem aut patriam redundat: vt hac ratione non propter alienam, sed propter suam culpam, & indecorum in seipsis consistens rubore suffundi dicantur. Particula autem Tacitè, quæ in desinitione posita est, sic intelligi debet, quia non confitetur ore culpam suam, nec προφορικῷ λόγῳ, sed ἐνδιαθέτῳ vtitur, quatenus pudor est animi affectus internus. per accidens tamē pudori interdum accidit manifesta confessio coram aliis: at in sui essentia est interna tantùm, erga seipsum. Prodit enim seipsum exterius pudor partim verbis pudicis, partim signis, vt dimissione oculorum, rubore vultus, & similibus, propter hæc signa externa αἰδὼς Græcis ἀπὸ τοῦ α & ἰδεῖν, dictus est pudor, quasi δυσωπία quædam: quoniam pudore affecti nihil vident, vel vehementia affectus & sceleris conscientia perturbati: vel quòd oculis in terram submissis, eos quorum præsentiam & authoritatem verentur, intueri non sustineant. Qua ratione à Latinis propriè Verecundia appellatur. Est enim facies animi speculum: & in oculis sedem suam pudor habet, teste Aristotele. Sunt tamen alij, qui magis affectatam etymologiam pudori attribuunt, prout etiam duplex est pudoris species. Verus enim pudor, quia in omni virtutum genere reperitur αἰδὼς dicitur, ὡς ἀεὶ δεῖν ἔχειν αὐτήν. at pudor ineptus, ὡς ἀεὶ ἐνδείας αἴτια. Vtrunque expressit Hesiodus in primo ἔργων· αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει, αἰδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησιν· αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ, θάρσος δὲ πρὸς ὄλβῳ. Quo in loco duplicem facit pudorem, Bonus est, quo homines promouentur. nam à vitiis deterrentur, & ad virtutem incitantur: denique honestam æmulationem suscipiunt, quando alter ab altero se superari non patitur: & propterea θάρσος πρὸς ὄλβῳ, hoc est ad rem augendam pudor iste inseruit. Vocat autem θάρσος ab ipso effectu. pudor enim bonus ignauiam excutit, & promptitudinem ac diligentiam excitat, quam θάρσος & εὐτολμίαν Græci nominant. Malus verò pudor homines damno afficit, quia falsa persuasione à virtutibus abducit, ignauos reddit. & ad stipem homines redigit, αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ. Falsa etenim persuasione mentes hominum suspensas tenet, vt id quod bonum est, malum esse credant, hácque ratione à virtutis qualicunque operatione cessent. ἄνολβοι ergo redduntur, non modò in fortunæ bonis, sed etiam animi: quandoquidem vera felicitas ex virtute prouenit, virtus autem in actione consistit. Pudor itaque bonus αἰδὼς ἀγαθή, & ex effectu θάρσος cum Hesiodo appelletur: malus econtrà αἰδὼς οὐκ ἀγαθή, sed κακή. Latini generale habent nomen Pudorem. Verecundiam quoque ratione personarum quas pudibundi verentur, nominare consueuerunt. Personæ autem sunt honestæ vt plurimùm: nam coram inhonestis pudor locum non habet. Sic ergo coram hominibus magnæ authoritatis & existimationis turpe aliquid facere non licet, pudore prohibente. Sic quoque viri boni, quamuis nullo teste præsente, à turpi actione desistunt, quia seipsos reuerentur: quoniam indigni sint, qui inhonestè aliquid dicant aut faciant, atque etiam si cum impudicis versentur, tamen pudorem obseruant, non illorum causa sed suijpsius, ne maiorem impudicitiæ occasionem aliis malo suo exemplo præbeant. Denique Christianorum religio angelos præsentes nobis adesse perpetuos custodes & censores asserit, quorum maiestatem veriti, nihil à pietate nostra alienum committere debemus. Idipsum quoque Ascræus theologus symbolicè voluit, quando leges excernendi lotij præscribit inquiens: μηδ' ἄντ' ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν, αὐτὰρ ἐπεί κε δύῃ, μεμνημένος ἔς τ' ἀνιόντα, μήτ' ἐν ὁδῷ, μήτ' ἐκτὸς ὁδοῦ προβάδην οὐρήσῃς, μηδ' ἀπογυμνωθείς, μακάρων τοι νύκτες ἔασιν. ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνήρ, πεπνυμένα εἰδώς, ἢ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς. Quibus verbis Pudorem impedientem potius quàm corrigentem describit, & ne quid indecorè committatur magis quàm vt commissum pudore corrigatur, docet. Verumenimuero pudori valde affinis est Pudicitia, illi potissimùm, qui inhonestas actiones impedit, vt interdum alter alterius loco ponatur. Differunt tamen ea ratione, qua affectus animi ab eiusdem habitu. Est enim pudicitia temperantiæ species, quam Castitatem alioqui vocant, circa venereorum non facta tantùm, sed dicta quoque, & quæscunque alias occasiones. In his enim omnibus decorum obseruat, honesti causa. Luctum igitur habet pudorem impedientem (sicuti fortitudo propulsans iram comitem sibi adiungit) atque id vnicè studet, ne locus aliquis corrigenti pudori detur. Quemadmodum enim apud Medicos magis præclarum est, præseruare à morbo quàm curare: ita pudor impediens & præueniens, eo qui corrigit præstat. Pudicitia igitur virtus est, Pudor verò est affectus. Propter affinitatem tamen nominis, & mutuas operas, sæpe confundi solent: quemadmodum etiam aliæ virtutes cum affectibus, quorum ministerio vtuntur, commiscentur.

Neque

Neque tamen pudor soli pudicitiæ inseruit, sed aliis quoque virtutibus, vtpote Magnificentiæ & Magnanimitati, in quibus modestiam efficit, sicut in venereis pudicitię causa erat. Pudicitia ergo & Modestia ita inter se differunt, quòd Modestia in omni virtutum genere locum habet: at pudicitia in temperantia tantùm: conueniunt verò, quoniam vtraque pudorem impedientem comitem habet, qui ne quid indecori committatur prospicit. Et hæc hactenus de Pudoris natura & speciebus, ex desinitionis dissolutione, dicta sint. De cognatis vocabulis, quid αἰσχύνη, ἀσχημοσύνη, ἀσχήμονες, αἰσχυντηλοί significent, Grammatici viderint. Vnum tantùm monere volo, τὸ αἰδεῖσθαι apud Græcos non pro pudore tantùm, sed etiam pro cultu & honore qui maioribus dignitate aut ętate debetur, vsurpari solere: neque huius esse loci, sed ad bona fortunæ referri: aut si dignis exhibeatur, ipsam actionem Distributiuæ iusticiæ speciem esse. Quod superest, nunc ad pudoris exempla conuertamur. Medium statuemus pudorem bonum & ingenuum, tam impedientem quàm corrigentem, siue verus sit, siue falsus. Qui tamen bonus pudor in virum perfectè bonum non cadit: sed in eos tantùm, qui rudimenta quædam aut dispositiones virtutum habent. Vir enim perfectè bonus, cùm habitum virtutis difficulter mobilem contraxerit, nihil turpe vel aget vel cogitabit, propter quod pudore suffundi cogatur: omnis namque pudor turpem aliquam cogitationem actionémve comitatur. Turpem dico, vel reipsa, vel imaginatione. At in quibus rudimenta tantùm virtutis insunt, vt in pueris, propter ætatem: & in virginibus atque mulieribus, propter sexus debilitatem, in iis pudor laudatur, non quidē simpliciter & per se, sed quia virtutis scintillas subesse indicat. Hæc causa est, cur Arist in 4. Ethic. circa finem, pudorem in virum bonum cadere posse neget. Iam verò extremum, in defectu, ἀναισχυντίαν Græci vocant, Latinis Impudentia dicitur. Extremum in excessu, Pudor malus est, intempestiuus & ineptus: siue per ætatem venia dignus sit ingenuus scilicet, siue non sit, vt rusticus pudor. Impudentes decorum non obseruāt. nam vel non impediunt inhonestam actionem: vel cùm admissa fuerit culpa, eam tacita confessione non corrigunt. Nimium pudentes, crimen illic subesse verentur, vbi nullum est, falsa ratiocinatione seu per ætatem seu per imperitiam persuasi. Sed videamus exempla.

PVDOR BONVS ET INGENVVS.

Consule tit. Occasiones libidinis fugere.

PRIMI parentes sathanæ astutiis delusi, cùm de arbore scientię boni ac mali contra Domini præceptum fructus comedissent, nudi circumambulantes, folia ficus colligentes, perizomata sibi fecerunt, vt verenda tegerent, ne nudi turpiter conspicerentur. Gen. 3.

In conuiuiis PARTHI non vxores, sed concubinas adhibebant, ne si fortè largiore vino perfusi licentius egissent, coniuges, quarum pudicitię consulendum erat, exemplo suo ad indecora prouocari viderentur. Fulgosus lib. 2. cap. 1.

PERSARVM instituta maximè curarunt, ne iuuenes quid turpe in gestu, verbis aut facto admitterent. Itaque nudum conspicere hominem, ac si immane scelus admissum foret, capite luebatur. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25.

ÆGYPTIIS regibus domi nec serui, nec vili fortuna homines ministrabant: sed sacerdotum liberi, virtutéque insignes viri, qui vigesimum annum trascendissent, vt horum conspectu moti, à scelere atque intemperantia continerentur. Fulg. lib. 2. cap. 1.

MINERVAM tibias abiecisse poetæ scribunt, ob verecundiam, dum eas supra fontem inflaret, & genarum tumorem inspexisset, minimè deæ conuenientem: contra quorundam opinionem, qui neminem satis vrbanum putant, si fidibus vel tibiis aut fistula nesciat canere. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

Ægyptij ventrem domi exonerant, exterius in viis comedūt: quòd quę sunt turpia, sed necessaria, ea in occulto fieri debeant. Herod. lib. 2.

PERSÆ nefas & maximum ducunt probrum, aut vomuisse, aut egessisse corporis excrementa, aliquo spectante.

LYCVRGVS volens naturalem pueris conciliare pudorem impetrauit vt in viis manus intra pallium haberent, silētióque incederēt, ac nusquam circumspicerent, sed humi defixos oculos tenerent. Xenophon in Laconum Repub. Stobæus serm. 42. & Alex. lib. 2. cap. 25.

Apud Lacedæmonios, si quis in peccato deprehensus fuisset, is cogebatur aram quandam, quæ erat in vrbe, circumire, ac vituperationem in se ipsum compositam canere: quod nihil aliud erat, quàm seipsum sua voce obiurgare. Ingenui pudore & laudis amore melius ducuntur ad honesta: virgis aut flagris cædi, seruile est. Plut. in Laconicis.

Diogenes Cynicus philosophus, ADOLESCENTI cuidam erubescenti, atque ob id perturbato: Bono animo es, inquit, fili: istiusmodi est virtutis tinctura. Laert. in eius vita.

Hippocratidas deambulans, cùm vidisset ADOLESCENTEM quem amator sequebatur, erubescentem præ pudore: Cum his, inquit, oportet ambulare, cum quibus conspectus, non mutes colorem. Plut. in Lacon.

Olympia Alexandri Magni mater, cùm eam Cassander interimi iussisset, diligenter cauit, ne cadens in morte aliquam corporis partem detegeret, quæ celanda pro matronali pudore videretur. Fulg. lib. 4. cap. 5.

Quantę sint veri pudoris vires, PANTHITES Lacedæmonius ostendit. Is cùm in trecētorum numero esset, qui cum Leonida aduersus Persas Thermopylarum saltum insederant, à Leonida in Thessaliam cum literis missus, cum aliis qui in Thermopylis pro patria pugnādo occubuerunt, esse non potuit. Cùm postea eum cęteri ciues despectui haberent, arbitrati non in Thessaliam à Leonida missum, sed præ ignauia ex prælio fugisse, quanquam & verè & honestè excusari posset: tamen præ pudore, cùm dedecus sustinere non posset, vltro seipsum suspendit. Fulgosus libro 4. cap. 5.

Coluisse se pudorem, non sine magna laude ostendit Panthei Lacedæmonij VXOR. Nam virum secuta in Ægyptum, quò is cum Cleomene se receperat, post viri mortem, cùm Ptolemæus ipsam quoque cum cæteris Lacedæmoniis mulieribus quæ illic erant, occidi iussisset, prius quàm occideretur, vestem diligenter pedibus obuoluit, omnémque adeo corporis partem texit: nudo iugulo relicto, vt honestè cadens, pudorem, quem per omnem vitam seruauerat, inuiolatum relinqueret. Fulgosus lib. 4 cap. 5.

Leonides Spartanus ad Thermopylas Persarum expectans cōgressum, EVTYCHVM militem domum remisit, propter cæcitatem. Discedens Eutychus, pœnitentia & rubore cœpit affici, quòd sociis periculum expectantibus, solus subterfugium videretur quærere. Propterea seruo duce egressus in prælium, vtcunque poterat pugnando interiit.

Themistocles princeps ille Græciæ, quòd fides pulsare recusarit, indoctior habitus est. Abstinuit ob verecundiam vir ille clarissimus à cithara, quòd eam dignitati suæ nequaquam conuenire arbitraretur. Platina li. 2. de Optimo ciue, prope finem.

MILESIÆ virgines, cùm quotidie propter vitę contemptum laqueo vitam finirent, decreuerunt Milesij, vt virgines nudæ cum eodem laqueo quo essent suffocatę, efferrentur. Post id decretum virgines voluntariam mortem ne optarunt quidem propter pudorem & verecundiam tam inhonesti funeris. Historia extat apud Plutar de claris Mulieribus, cap. 11. & Gell. lib. 15. cap. 10.

Archytas cùm aliàs modestissimus fuit, tum etiam verborum obscœnitatem assiduè vitauit. Cùm verò necessitas aliquādo postularet absurdius aliquid dicere, non profatus est, sed ipsum quidem silentio prętериuit. Inscripsit autem in pariete, monstrans quod dicendum erat, neque cùm res exigeret dixit. Ælian. lib. 14. de Varia hist.

Dionysius in exilium è Sicilia Dionem expulit: vxorem verò eius Aristomacham & ipsius filium custodiuit. Pòst repugnātem fœminam satelliti suo, sui obseruantissimo, Polycrati in coniugem tradidit. is natione Syracusius erat. Dion verò, cùm fugato ad Locrenses Dionysio, Syracusas se recepisset, Arete soror ipsius eum affata est, & intercessit. ARISTOMACHE verò pudore prohibita, occultabat se neque maritum audebat alloqui: quoniam coacta per vim, connubij legem erga ipsum violarat. Postquam autem eius causam defendisset Arete, necessitatéque coactam à Dionysio diceret, Dion accessit vxorem & filium, misitque eos in domum suam. Ælian. lib. 12. Varię hist.

CLITOMACHVS athleta, & nobilis pancratiastes, tantę alioquin pudicitię fuit, vt canes si fortè coeuntes vidisset, statim vultum auerteret: in conuiuio si quis sermo lasciuus incideret, statim surgens abiret. Ælian. de Varia hist.

Tanta ROMANÆ verecundię obseruatio & morum exempla fuere, vt nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauaret, nudósque conspicere parentes ducerent nefas. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 25. & Val. lib. 2. cap. 1.

Appius Claudius Sabinus, acerbus atque perpetuus insolentiæ Rom. pop. hostis, cùm seipsum occidere maluisset, quàm à tribunis citatus adesse: à propinquis in forum delatus, vt iuxta veterem morem honoraretur funus, sepulturæ honore à tribunis prohibebatur. Cùm autem suppuderet Populū Rom. vt tāti ciuis corpus cui⁹ virtute atq; victoriis imperij fines aucti erāt, funeris honore fraudaretur: voluit vt contra tribunorum decretum, sicuti virtuti eius par erat, honorificè efferretur: frequénsque non minus promptè funus celebrauit, quàm antè dum viueret, accusationi eius affuerat. Fulg. lib. 4. cap. 5.

Deletis Cannensi prelio Romanis exercitibus, vbi plus quàm arma Romanos fuga defendit, inter eos qui prælio viui excessere, Cornelius Lentulus Æmylium consulem vulnere confectum, extra viam perspexit. Qui, quāquam hostes insequerentur, plus pudore quàm mortis metu motus, prope Æmylium Paulum ab equo descendit, atque eum Æmylio obtulit: obtestatus multis verbis, Ne morte sua grauiorem populo Rom. eam cladem facere vellet. Etenim se iuuenem aiebat corporis robore adiutum, pedib. salutē inuenturū. Quòd si alterutri moriendū esset, referre ad Reipub. salutē, vt ipse potius quàm Consul moreretur. O con-

tentionem verè Romanis animis dignam. puduit Æmylium alterius ciuis morte suam seruare vitam: prorsúsque recusans equum, iuuenem, vt in tutum se locum reciperet, hortatus, mandata magni momenti, quæ ad senatum populúmque Rom. perferret, dedit, nec multo pòst ab hostibus oppressus fuit. Ibidem.

Confregit Remp. TERENTIVS Varro, Cannensis pugnæ temerario ingressu. Idem delatam sibi ab vniuerso Senatu & populo dictaturã, recipere non sustinendo, pudore culpã maximę cladis redemit: effecítque, vt acies deorum iræ, modestia ipsius moribus imputarentur. Itaque titulo imaginis eius speciosius nõ recepta dictatura, quàm aliorum gesta, ascribi potest. Val. lib. 4. cap. 5.

ROMANOS tantum pudori tribuisse legimus, vt Philippo regi Macedoniæ pluribus criminibus accusato, nil æquè profuerit, quàm DEMETRII filij pudor in Senatu, obiecta minimè diluere valẽtis. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Cùm Romam Paulus Æmylius parta de Perse victoria rediisset, quia parum largè præmia militibus diuiserat, in comitiis, vbi de eius triumpho agebatur, ita aduersum habuit populum, vt à prima tribu, idque Sergij Galbæ opera, honor ille ei negaretur. Quam rem cùm M. Seruilius animaduertisset, virtutis Paulique amicus, in eminentem locum conscẽdit: atque inde cùm virtutem Pauli, résque ab eo gestas commemorasset, veluti indignabundus addidit, Velle se ex eminenti loco conspicere, cui tam à recto sensu mens auersa esset, vt suffragio suo Pauli virtuti atque victoriis debitum negaret honorẽ. Hac Seruilij oratione cùm totus POPVLVS pudore suffusus esset, nihil prorsus in contrarium luctatus, omnibus suffragiis triumphum, ira honesto pudori cedente, Paulo Æmylio decreuit. Fulg lib. 4. cap. 5.

M. CATO, Censorij filius, in acie decidente equo prolapsus, cùm se recollegisset, animaduertissétque gladium excidisse vagina, veritus ignominiam, rediit in hostem: ex eóque aliquot vulneribus recuperato gladio, demùm reuersus est ad suos. Front. lib. 4. cap. 5.

MARTIA Varronis filia, cùm virginitatis candorem illæsum seruaret, & sculpendi pingendíque arte insignis haberetur, quia ea ætate imagines statuǽque plerunque nudæ fingebantur: ipsa præ pudore, ne in viris pudibunda exprimeret, aut ob id imperfectum relinqueret, à fingenda virili figura semper abstinuit. Fulg. lib. 6. cap. 1.

M. ÆMYLII Scauri filius, cùm eo quòd in saltu Tridentino hostibus loco cessisset, in conspectum patris venire non auderet: verecundiæ ignominia pressus, mortem sibi consciuit. vt est apud Cæcilium, & Frontinum lib. 4.

Magna cum inuidia, fortuna prætoriis comitiis Africani superioris filium Cn. Scipionem, & scribam CICEREIVM in campum deduxerat: útque nimis impotẽs sermone vulgi carpebatur, quòd tanti viri sanguinem clientelámque comitiali certamine confuderat. Cæterùm crimen eius in suam laudem Cicereius conuertit. Nam vt vidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit: abiectáque candida toga cõpetitoris sui suffragatorem agere cœpit, vt scilicet Præturam melius Africani memoriæ concederet, quàm sibi vendicaret: nec non, etsi maximo verecundiæ precio Scipio tunc honorem adeptus est, Cicereio tamẽ magis gratulati sunt. Val. lib. 4. cap. 5.

Pudorem non sine magna laude, ciuili bello OCTAVIVS consul ostendit. Nam ei cùm suaderetur, vt seruos ad pileum vocaret, armarétq́;, quòd ciues, quibus seruiebant, eos liberaturi erãt, & illis in bello aduersus Marium vteretur, respondit: Nunquàm ipsius animum laturum esse, vt seruos ea ciuitate donaret, à qua C. Marium depulisset, qui à Teutonis Cimbrísque eam liberauerat. O pudorem sanctissimum, cui inter arma ciuiliáque bella locus patuit, vbi nec fidei nec pietati locus esse solet: sed in omne crudelitatis, perfidiæ, iræ atque auariciæ genus frena laxãtur. Quid enim præstare tibi magis potuit consul Romanus, cùm maiorẽ tui, quàm propriæ necessitatis rationem habere voluit? Fulg. lib. 4. cap. 5.

CN. POMPEIVS Magnus, Pharsalica in acie victus à Cæsare, cùm postero die Larissam intraret, oppidíque illius vniuersus populus obuiã ei processisset: Ite (inquit) & istud officium prętate victori. Dicerẽ, nõ dignus qui vinceretur, nisi à Cæsare esset superatus: certè modestus in calamitate. Nam quia dignitate sua vti iam non poterat, vsus est verecundia. Valer. libro 4. capite quinto.

L. CRASSVS, cùm omnium candidatorum more, circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, vt id præsente Q. Scæuola, grauissimo & sapientissimo viro, socero suo faceret. Itaque rogabat eum, vt à se, dum ineptæ rei inseruiret, discederet: maiorem verecundiam dignitatis eius, candidæ togæ suæ respectum agens. Ibidem.

CAIVS IVL. Cæsar compluribus parricidarum violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus, quo spiritus eius mortali secernebatur à corpore, ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit: siquidem vtraque togam manu demisit, vt inferior pars corporis tecta collaberetur. Ibidem.

C. Cæsar aduersus Germanos & regem Ariouistum pugnaturus, confusior animis pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis, vsurum. Quo assecutus est, vt & decumani tanquam pręcipuę fortitudinis testimonio concitarentur: & CÆTERI pudore, ne penes alios gloria virtutis esset. Front. lib. 4. cap. 5.

SPVRINA, egregius adolescens, quum sua forma complurium fœminarum solicitaret oculos, verecundia motus, oris decorem vulneribus deformauit.

P. VERG. Maro, poetarum deus, animo & ore adeò fuit verecundus, vt vulgò Parthenias diceretur. Gyrald. Dial. 4. poet. h.

COSCONIVS, poeta modestissimus sub Domitiano, nil nisi castum, & pudicum cecinit: eáque propter à Martiale ridetur, quòd carmina eius pueris tantùm & virginibus conueniant.

A. PERSIVS Satyricus, morib. lẽnissimus, ac virginali ferè quadam verecundia, formáque modesta ac pulchra. Gyrald. Dial. 4. Hist. poet.

MICHAEL Constantinopolitanus Imperator, cùm in bello victor semper extitisset, quia contigit vt semel prælio à Bulgaris (qui veteri nomine inter Scythas censentur esse) vinceretur, præ pudore imperium deposuit: & quòd vitæ superfuit, religiosè semper in solitudine transegit. Fulg. lib. 4. cap. 5. & Egnat. lib. 4. cap. 5.

Mirus ALMANSORIS pudor fuit, qui Arabum in Hispania rex erat. Nam cùm antè de Christianis victoriam semper reportasset, postremò à Garsia Castulonensi comite (nondum enim comitatus in regium nomen transierat) atque Veremundo Legionis Hispaniensis rege bello superatus: conspectu Arabum atque alloquio humano omníque cibo abstinuit, atque ita citò confectus est. Fulg. lib. 4. cap. 5.

GOTIFREDVS Bollionius, dum imperatoris iudicio, cum agnato quodam suo de Lotharingij ducatus parte, quam ille petebat, prælio decertaret, vsque ad capulum ensem confregerat. Quod conspicati principes qui astabant, cùm ne vinceretur metuerent, compositionis mentionẽ intulerunt. Cæterùm ipse obaudiens, omnibus viribus nixus, ita capulo hostem contudit, vt attonitum humi prosterneret. Itaque ipse ex equo delapsus, hosti ademit gladium, principésque compellans, à quib. ad res componendas fracto gladio inuitabantur, dixit: Tunc cum prælio hostẽ vicisset, posse se sine dedecore ad paciscendũ descendere. Ibidẽ, & Egnat. lib. 4. cap. 5.

Quibus eloquentiæ viribus satis ex merito pudor laudari potest, qui in IOANNE Altauilla perspectus est, cùm Ferdinãdus iunior rex Neapolitanus, apud Seminariam vicum, in Lucania, à Berardo Stuardo Albiniaci domino, qui Caroli octaui Gallorum regis vicarius, inferiorem illius regni partem regebat, prælio superatus est. Nam fugienti Ferdinãdo ita lasso equo, vt vltrà eum vix ferret, Ioannes Altauilla, vt eum conspexit, suũ integris viribus obtulit. Quẽ cũ Ferdinandus prę pudore recusaret, enixè monuit Ioãnes vt acciperet, quòd sibi similes permulti essẽt: cęterùm ipsi, qui cum eo essent, regem solum ipsum Ferdinandum haberent. Itaque Ferdinandus accepto equo, haud lõgè illinc profectus erat, cùm aduenientes Galli Ioannem interemerunt. O singularem virtutem, pudorémque silentio nunquam prætereundum. quibus enim laudibus Ioannes satis efferri poterit? quòd in ipso fugæ & quasi præsentis mortis terrore omnibus attonitis, pudor tãtum apud se locum reliquerit? Spernendus quoque is pudor non est, quem fugiens Ferdinandus ostendit, cũ tam periculoso tempore equum statim non accepit, sed aliquãtisper vitæ pudorem præposuit. Fulg. lib. 4. cap. 5.

IMPVDENTES.

Fuerunt OSCI, populi Italiæ, impudentes adeò, vt etiamnum hodie verba spurca vocentur oscena, non autem obscœna: vt autumat Priscian.

AVRELIVS pictor, Romanus insignis, meretrices tantum & scorta pingere delectabatur, authore Plinio. Cui neque fuit in hoc dissimilis PYREICVS pictor excellens, cognominatus Rhyparographus, id est, sordidarum rerum pictor. Guido Bitur.

VATINIVS, qui bis à Cicerone sibi reconciliato in iudiciis publicis, defensus est, impudentissimus fuit. assiduo enim, vt Seneca ait, conuicio depudere didicerat. Volat. lib. 20. Ant.

MASSAGETARVM æmulos Cynicos philosophos scripsit Ruffin. & Herod. quia more canum publicè coibant.

ARISTOGITON orator Atheniensis, homo tam impudens fuisse dicitur, vt ab Atheniensib. canis sit vocatus. Volat. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

Quintilianus vehementer probat dictum cuiusdam oratoris, qui apud Cæsarem accusabat Cossutianum Capitonem, hominem arrogantem, Cæsarem tiam vultu præ se ferentem confidentiam. Erubescit, inquit, Cæsarem timere. Cæsar erat ea potentia, vt meritò fuerit à quouis metuendus. At illi reo tantum aderat arrogantiæ, vt sibi turpe duceret, si videretur, timere Cæsarem. Hoc dictum Fabius adolescens audiuit: vt ipse refert lib. 6. ca. de Conclusione.

INDORVM quorundam coitus in propatulo est, sicut pecorum. Color similis atque proximus Æthiopico: genitura, quam in mulieres emittũt, non alba, quemadmodum cæterorum hominum: sed atra, vt color corporis: qualem Æthiopes quoque emittunt. Herod. lib. 3.

PVDOR NIMIVS ET RVSTICVS.

METROCLES Hipparchiæ frater, Theophrasti discipulus, cùm sæpe inter disputandum crepitum ventris emitteret, præ pudore domi se continuit: sed à Cratete Cynico partim verbis, partim libero & simulato crepitu animatus, qui plurimos lupinos deuorabat, vt ad crepitus facilis esset,

Cynicæ philosophiæ operam dare cœpit. Laert. in eius vita.

ANTIPHONIS poetæ socij, cùm ad supplicium raperentur, pudore capita velant. Antiphonis apophthegma pete ex tit. Comicorum.

CVIDAM ambienti à Diogene in philosophiæ disciplinam recipi, admisso, explorandi gratia pernam in via ferẽdam dedit. séque iussit sequi. Ille præ pudore, abiecto quod gestabat, furtim se subduxit. Aliquãto pòst forte fortuna illi factus obuius, ridens: Tuam (inquit) ac meam amicitiam perna diremit. indicans, illum non esse idoneum philosophiæ discipulũ, cui stultum pudorem non posset cõtemnere. Neque enim turpe est, gestare pernã: sed ab honesto recedere, turpe. ita Laert. libr. 6. Diocles hoc ipsum paulò secus narrat. Quum quidam ambiẽs esse Diogenis discipulus, dixisset illi, Impera mihi Diogenes: admisso in famulitium, casei frustum portandum dedit. Id quum ille ob pudorẽ recusaret: Nostram, inquit Diogenes, amicitiam paululum casei diremit. Bruson. lib. 5. cap. 21.

IO. BAPT. Lignamineus Patauinus, episcopus Concordiensis, à fratre Francisco episcopo Ferrariense Venetias missus, cùm conuiuio Ducali (quo totam nobilitatem singulis annis quater excipere solebat) interesset, & præ pudore ventris onus diutius retinuisset, in grauissimum morbum incidit. quo etiam periit, Ferrariæ sepultus. Bernard. Scardeonus li. 2. hist. Patauinæ.

PVDOREM RVSTICVM FVGERE.

STOICI crepitus ventris æquè liberos, ac ructus, esse oportere, vulgò dicere solebant. Cuius rei testis est Cicero in Epistolis familiaribus lib. 9.

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, cum apud Spartanos Palladi rẽ diuinam faceret, ac pediculus eum momordisset, rex nõ auersus, arreptũ coram omnibus occidere nõ erubuit, insidiatorem etiam in ipsa ara cõfodiendum esse dicens: ostendens, verecundiam, si res postulat, abijciendam esse, vt de manib. insidiantium effugiamus. Plut. in Lacon.

CLAVDIVS imperator edictum edidit, quo venia daretur crepitus ventris emittenti: quum periclitatum quendam præ pudore ex continẽtia, reperisset. Bruson. lib. Exempl. 1.

GAVDIVM χαρά.

Ex præsentia boni præsentis vel nobis vel nostris, oritur gaudium, siue bonum sit reuera, siue opinione tantùm. Opponitur τῇ ἐπιχαιρεκακίᾳ, quæ gaudium habet ex præsentia mali alicuius, quod inimicis nostris accidit. χαρὰ autem ἀπὸ τοῦ χέειν καὶ ῥεῖν deriuatur, quia est repentina effusio sanguinis & spiritus ad exteriora, siue per signa aliqua sese manifestum faciat, vt per risum aut gratulationem: siue intus in animo se cõtineat, quod tacitum gaudium vocatur. Ex nimia autem hac effusione fit interdum, vt homines moriantur. Exempla quædam inferius referentur, eorũ qui gaudio sunt mortui: quos tamen fortaßis non ineptè ad hunc locum quis posset transferre, quandoquidem modum in gaudio excedunt. His opponũtur tristes quidam & seueri, qui etiam oblata gaudij materia, frontem non exporrigunt: quales sunt ἀγέλαστοι, de quibus infrà agemus, quatenus ἀγελασία doloris & tristitiæ symptoma est: alioqui ratione principij, à quo oritur, ad hunc locum referenda esset, quoniam à gaudio deficit. Habet enim Gaudium moderationem suam naturalem, habet & immoderationem tam in excessu, quàm in defectu.

Vetusto apud GRÆCOS more receptum est, vt si quid faustè & fœliciter nuncij adferrent, coronati aduentarent: ipsíque ciues fœlici accepto nuncio, in communis signum lætitiæ coronati incẽderent orantes. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 27.

MISERICORDIA.

Ἔλεος & συμπάθεια respectu alterius dicuntur. Nemo enim erga seipsum misericordia cõmouetur, sed erga alium: nec sibiipsi compatitur, sed alteri. Affectus erga seipsum nomine caret, Mœroris ambitu cõprehenditur. erga aliũ, Misericordia dicitur, quæ nihil est aliud quàm συμπάθεια in alieno malo. Aristot. in 2. Rhet. ita dicitur ἔλεος ἐστὶ λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ, φθαρτικῷ καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειεν ἂν παθεῖν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινά, καὶ τοῦτο ὅταν πλησίον φαίνεται. συμπαθείας autem variæ sunt causæ, prout etiam variæ necessitudinis sunt species, Compatimur amico, fratri, parenti amicitiæ & consanguinitatis gratia: compatimur inimico, generali ratione, quòd scilicet homo sit. Quo autem propior est coniunctio, eo συμπάθεια arctior, & misericordia maior, nisi forte quis affectum hunc erga parentes aut liberos à misericordia diuersum statuere velit, quia erga seipsum quodammodo sit: hoc est, erga eos quos non minus quàm nosipsos diligimus: & propterea illorum non miseremur, sed tanquam nobis mala hæc euenerint, lugemus atque dolemus. Cæterùm differt misericordia à mãsuetudine & clementia, non tantùm quia affectus est, non virtus, sed etiam quia misericordia ab ira separata est per se, quamuis interdum per accidens iram sequatur: clementia autem erga eos est, quibus meritò irasci, & quos iure vlcisci poteramus. Virtuti igitur huic, quam Mansuetudinem vocant, famulatur Misericordia: & proinde etiam exempla quædam ex eo loco huc commodè transferentur. Medium autem obtinet Misericordia, quæ alienis malis condolet: quòd vel omnino malis indigni sint, vel non tantis sint digni. Extremum in defectu nullius miseretur: cuius exempla aliquot sub tit. Crudelitatis comprehendentur. Extremum in excessu miserationis est, quando indignis condolemus,

EXEMPLA VIRORVM.

Consule titulum Hospitalitatis, Moderationis iræ, Pœnitentiæ religiosæ, Ex cap. 45. Hanapi.

RVBEN & IVDAS resistebant cæteris fratribus, volentibus occidere Ioseph: & quamuis non reduxerint eum ad patrem, tamen minus malè actum est ei. Gen. 37.

Licet filij Beniamin filios ISRAEL grauissimè offendissent: propter illorum tamen excidium, omnes eleuata voce, vlulatu magno fleuerunt. Iud. 21.

Lugebat SAMVEL Saulum, licet sciret eum à Deo reiectum. 1. Reg. 15.

Compatiens DAVID lassis sociis, quia ad bellum ire non poterant, constituit, quòd æqua pars esset descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. 1. Reg. 30.

Doluit DAVID de occisione Absalõ, licet ille multum offendisset eũ. 2. Reg. 18.

Cõpassus populo DAVID, petiuit ab angelo percuti pro illis. 2. Reg. 24.

ELIAS benignè accepit verbum mulieris satis durum: & pro filio eius mortuo dolori illius compatiens, efficaciter orauit. 3. Reg. 17.

Cùm Iezabel occidisset prophetas Domini, ABDIAS abscondit centum ex eis, & pauit eos diebus multis. 3. Reg. 18.

Piè compassus fuit ELISEVS viduæ debitis obligatæ, & augmentauit ei modicum olei, quod habebat. 4. Reg. 4.

Non solùm pro præsentibus malis compatiendum est proximo: sed etiam pro futuris. Vnde ELISEVS videns Azahel, qui mala facturus erat filiis Israel, cœpit flere. 4. Reg. 8.

Cùm cepissent filij ISRAEL de viris Iuda ducenta millia mulierum & puerorum, pepercerunt eis: & vestitos atque refectos, ad propria remiserunt. 2. Par. 28.

Audiens NEHEMIAS miserabilem statum ciuitatis Ierusalem, fleuit diebus multis: tandem consilium adhibuit, & auxilium opportunum. Nehem. 1. 2.

Cùm regnaret Sennacherib, & filios Israel exosos haberet, TOBIAS pergebat quotidie per omnem cognationem suam, & cõsolabatur eos: esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat. Tob. 1.

AVDIENTES tres amici Iob, malum quod accidisset ei venerunt vt consolarentur eum: sed cùm non intelligerent causam afflictionis, fuerunt ei postea molesti. Iob. 2.

Magnam compassionem beatus IOB habebat ad proximos, qui dicebat: Auris audiens beatificauit me. Eo quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor, benedictio pupilli super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iob. 29.

Non solùm iustis in afflictione positis compatiendum est, sed etiam peccatoribus iniustis. Vnde dicebat ESAIAS: Propter destructionẽ Babylonis, repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis. Esaiæ 21.

Videns in spiritu IDEM calamitatem superuenturam populo suo, aiebat: Recedite à me, amarè flebo. Nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei. Hier. 38.

Dolens Abdemelech Æthiops, quòd Hieremias propheta missus erat in lacum leonum, in quo nõ erat aqua, sed lutum, procurauit apud regem vt extraheret illum. Hierem. 38.

Cùm scripsisset BARVCH verba comminationis ex ore Hieremię, dixit: Vę mihi misero, quoniã addidit Dominus dolorẽ dolori meo. Et ta-

men dicebat populus, quòd Baruch incitaret Hierem. aduersus eos, vt traderentur in manus Chaldæorum. Hierem. 43. & 45.

Cùm reuelasset Dominus EZECHIELI peccata, quæ populus Israel faciebat, & pœnas quas passurus erat, fuit tristis & gemebundus. Ezech. 3. & 9.

Rex Darius sciens Danielem positum in lacu leonum, præ dolore dormiuit incœnatus: cibíque non sunt allati coram eo insuper & somnus recessit ab eo. Daniel. 6.

Magnum dolorem habuit ONIAS sacerdos, quando vidit templum per Heliodorum debere spoliari, & deposita viduarum & pupillorũ auferri. 2. Mach. 3.

Anthiochus rex, qui Nobilis appellabatur, licet simpliciter esset malus, tamen audiens Oniam summum sacerdotem iniquè fuisse occisum, flexus ad misericordiam lachrymas fudit. 2. Machab. 4.

Misertus est DOMINVS turbæ indigenti, quia secuta eum fuerat in desertum. Matth. 14. Marc. 8.

Accedentes Discipuli ad Dominum, rogabant eum pro muliere Chananæa, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

Cùm vidisset Dominus flentem viduam, cuius filius efferebatur defunctus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere, & mortuum illius filium suscitauit. Luc. 7.

SAMARITANVS, super sauciato misericordia motus, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, & curam illius egit. Luc. 10.

Videns Dominus ciuitatem Ierusalem, & considerans mala quæ passura erat, fleuit super eam, dicens: Si cognouisses & tu, &c. Luc. 19.

Vt vidit IESVS Mariam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & lachrymatus est. Ioan. 11.

Pendens Saluator in cruce, habuit curam matris, quam sciebat in anima crucifigi: Mulier, dixit, ecce filius tuus, ostenso Ioanne. Ioan. 19.

Cùm venisset PETRVS Ioppen, vidit flentes viduas pro morte Thabithæ, quæ faciebat eis tunicas & vestes: & ponens genua sua orauit: & cùm vocasset eam, sanctis & viduis assignauit viuam. Act. 9.

PAVLVS, cùm esset Athenis, incitabatur spiritus eius, eo quòd videbat idololatriæ deditam ciuitatem. Act. 17.

Tanta anxietate spiritus compatiebatur PAVLVS fratribus & cognatis suis pereuntibus, quòd ipse dicebat: Tristicia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optarim enim ego anathema esse Christo, pro fratribus meis qui sunt cognati secundum carnem. Rom. 9.

Heraclitus Ephesius philosophus, ad omnem hominum occursum fleuisse dicitur. Dolebat ille, quòd nihil sani esset in vita, nihil in homine non caducum, fluxum, & deceptibile. Fleuit ille itaque hominum mala, meliore haud dubiè affectu, quàm Democritus, qui hæc eadem ridebat. Nam hic contemptum arguit, & stulticiam: ille iusticiam, & charitatem. Sab lib. 5. cap. 2.

XENOCRATES Carthaginensis, Platonis familiaris, tum aliàs misericordiam singularem declarauit, neque solùm hominum, sed persæpè etiam brutorum animantium misertus est: tum, cùm quodam tempore sederet in loco aprico, passer acriter instantem accipitrem fugiens, in sinum ipsius deuolauit. At ille cum voluptate receptam & occultatam auē custodiuit tantisper, donec hostis è conspectu recessisset. Vbi verò iam metu periculóque solutam esse arbitraretur, nudato sinu auem dimisit, inquiens, se supplicem hosti non prodidisse. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

Ptolemæus rex amasium habebat Galetam, pulcherrima forma præditum. Animus verò iuuenis longè formam superabat. Persæpe igitur etiã Ptolemæus testimonium ei perhibebat, inquiens: O lepidum caput, nullius vnquam autor incommodi extitisti, at multorum vtilitatem promouisti. Accidit aliquando, vt cum rege adolescens equitaret. Cùm verò procul quosdam ad supplicium trahi videret, non oscitanter in hæc verba regem affatus est: Sed ô rex, inquit ad Ptolemæum, quandoquidem prospera quadam sontium istorum fortuna equos conscendimus, age si tibi gratum est, calcaribus admotis, & velocius persequentes, appareamus miseris quasi Dioscuri saluatores, & aduocati salutem ferentes, quod communi prouerbio de his vulgatum est. Rex ergo maximam voluptatem capiens ex eius bonitate, & propensum ad misericordiam animum amplectens, nocentes seruauit: & amoris, quem erga puerum gerebat, intentionem multum confirmauit, & auxit. Ælianus libro primo de Varia historia.

ALEXANDER Pherensium tyrannus, maximè truculentus sęuúsque esse videbatur. Theodoro verò tragico poeta, acri animorum affectu & commiseratione Æropem agente, lachrymas profudit, surgénsque de theatro recessit. Verùm purgans & excusans se apud Theodorum, affirmauit se non idcirco abiisse, quòd illum aut aspernari, aut contumelia afficere voluisset: sed quòd puduisset ipsum, histrionis incommodis & affectionibus misericordem videri, suis verò ciuibus & subditis non item. Ælian. lib. 14. de Var hist.

XERXES, quum vidisset vniuersum Hellespontum nauibus suis constratum, omnia littora atque Abydenorum plana hominibus referta, iactauit se beatum, móxque fudit lachrymas. Tam subitam mutationem admiratus Artabanus, regis patruus, qui dissuaserat eam expeditionem, ausus est rogare causam. Tum Xerxes: Subiit, inquit, animum meum cogitatio, quàm breuis sit hominum vita, quando ex tam numerosa multitudine post annum centesimum nemo superfuturus est. Plutar. in Rom. Apoph. Bruson. lib. 7. cap. 14.

Sybari à Crotoniatis direpta, MILESII omnes puberes comas totonderunt, in signum luctus. Herod. lib. 6.

Decimo die quàm muros Memphis cæpit Cambyses, PSAMMENITVM Ægyptiorum regem, qui sex regnauerat annos, deposuit in suburbanis, ignominiæ gratia, cum Ægyptiis aliis, vt eius animum experiretur. Hoc facto, filiam illius vestitu seruili circũdatam, cum hydria ad aquam emisit: & cum ea similiter indutas alias, quas delegerat, primorum virorum filias virgines. Quæ vbi ad patres peruenerunt, cum eiulatu ploratúque cæteri quidem patres, conspectis filiabus fleuerunt. Psammenitus autem intuens humi, vultum demisit. Prætergressis puellis aquam ferentibus, secundo loco Cambyses ante oculos Psammeniti misit filium eius, cum duobus millibus Ægyptiorum, æqualis ætatis, vinctas fune ceruices & frenata ora habentibus. Ducebantur autem ad inferias Mitylenæorum, qui cum caduceatore fuerant ad Memphim ab Ægyptiis obtruncati. Censuerant enim regij iudices, pro singulis suorum interfectis denos primorum Ægyptiorum interficiendos. Psammenitus prætereuntes intuens, & filium animaduertens duci ad mortem, aliis Ægyptiis qui circunsedebant complorantibus, atque indignè ferentibus, ipse idem quod erga filiam fecit. His quoque prætergressis, accidit vt quidam compotorum eius natu grandior, pristinis bonis delapsus, ac nihil habens nisi quæ inops mendicabat, obiret exercitum, nec non Psammenitum, alióśque ægyptios in suburbanis considentes. Quem vt conspexit Psammenitus, erumpente ingenti fletu, compellans nomine amicum, caput suum cædebat. Aderant autem ei obseruatores, qui vt quicque ab illo fiebat, ex omni viarum exitu Cambysi renunciarent. Ea quæ fiebant admiratus Cambyses, misso nuncio Psammenitum percontatus est, quamobrem visa filia indignè affecta, viso filio ad mortem eunte, neque eiulasset, neque fleuisset, pauperem autem amicum videns lachrymasset? Psammenitus respondit: Domestica mala erant maiora, quàm vt possem ea deflere: at lamentatio amici digna lachrymis fuit, qui è multis ac fortunatis opibus ad inopiam recidit, in extremo limine senectutis. Hęc vbi responsa renunciata sunt, visus est illis Psammenitus rectè respondisse: Crœsúsque dicitur illachrymasse, item qui aderant Persæ: ipsíque Cambysi miserationem subisse, vt protinus iusserit & filium, ex his qui morte addicti erant, liberari, & patrem è suburbanis excitum ad se perduci. Sed filium quidem qui adierunt, non iam superstitem inuenerunt, sed primo loco truncatum: ipsum verò Psammenitum ad Cambysem perduxerunt, vbi reliquum vitæ degit, nihil violentum passurus, nisi denuò contra Cambysem res nouas fuisset molitus. Herod. lib. 3.

SAMII misericordia moti trecẽtos Corcyręorum liberos, ne castrentur, prohibent. Vide tit. Liberalitatis Ethicæ in redimendis captiuis.

ATHENIENSES, Mileti expugnationem à Persis se permoleste tulisse, cùm aliis multis rebus declararunt, tum verò hac, quòd Phrynicho docente actum, quem de Mileto direpta fecerat, theatrum illachrymauit: & Athenienses eum, quòd domestica mala refricuisset, mille drachmis mulctauerũt, adiecto interdicto, ne quis postea eo actu vteretur. Herod. libro sexto.

MILITES ad Dionysium interficiendum missi, squallorem eius intuiti, commiserationéque moti, incolumem dimiserunt. Vide tit. Prudentia in vitæ periculis euitandis.

Furius Camillus, cùm capta Veientium vrbe, ab arce conspicaretur, à Romano exercitu eam diripi, quanquàm sciret Veientes populo Rom. graues fuisse hostes: tamen ex his humanos repensans casus, lachrymas continere non potuit. Fulgos. lib. 5. cap. 1.

M. MARCELLVS captis à se Syracusis, in arce earum constitit, vt vrbis modò opulentissimæ, tunc afflictæ, fortunam ex alto cerneret. Cæterùm casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit: quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriã esse credidisset. Itaque Syracusana ciuitas maxima clade sua aliquid admixtum gratulationis habuit: quia si sibi incolumi stare fas non erat, leniter tamen sub tam mansueto victore cecidit. Val. lib. 5. cap. 1.

Q. METELLVS Celtibericum in Hispania gerens bellum, cùm vrbē Centobricam obsideret, & iam admota machina, partem muri, quæ sola conuelli poterat, disiecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cùm Rhetogenis filios, qui ad eum transierant, Centobricenses machinæ ictibus obiecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur (quanquam ipse Rhetogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clemẽti facto etsi non vnius ciuitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum vrbium animos cæpit, effecítque vt ad redigendas in ditionem populi Romani non multis sibi obsidionibus opus esset. Ibidem.

Alphonsus Aragonum rex, cùm amœnissimum Picentiæ agrum Surrentinum peruastaret, ingemuisse frequenter visus est: crebróque per caduceatorem oppidanos orasse, ne id ipsorum pertinacia committerent, quod postea eius lenitate & misericordia corrigi non posset. Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

EXEMPLA MVLIERVM.

Ex cap. 125. Hanapi.

Rebecca videns seruum Abrahæ, hominem peregrinum, & bibere petentem, sine mora respondit: Bibe domine mi: quin & camelis tuis hauriã aquam, donec cuncti bibant. Genes. 24.

Timuerunt OBSTETRICES Deum, & non fecerunt iuxta pręceptum regis Ægypti, sed conseruabant mares. Exod. 1.

Cernens Filia Pharaonis vagientem puerũ, miserta est, & ait: De infantibus Hebręorum est hic, & faciens eum nutriri, in filiũ adoptauit. Exod. 2.

RAAB meretrix audiens exploratores Iosuæ ad mortem quæri, cõpassa est eis, & ipsos abscondens liberauit, & sanos remisit. Iosuæ 2.

Nuncij euntes ad Dauid, absconditi fuerunt in puteo, & seruati per MVLIEREM, quæ posuit velamen super os putei, & eos qui quærebant delusit. 2. Reg. 17.

Duarum mulierum coram Salomone contendentium, ILLA pium cor habuit, quæ liti cedere voluit, cuius viscera super filium commota fuerunt. 3. Reg. 3.

VIDVA mulier Sareptana fuit hospita Eliæ prophetæ, & apud illam sustentabatur. 3. Reg. 17.

MVLIER Sunamitis induxit virum suum ad hoc, vt fieret in domo sua Elisæo locus aptus ad manendum. 4. Reg. 2.

Cùm occideret Athalia omne semen regium, IOSABA filia regis Ioram, tulit Ioas vnum de filiis regis, & abscondens saluauit eum. 4. Reg. 11.

Compatiens populi morti addicto ESTHER, magno se exposuit periculo, & apud Assuerum Iudæorum liberationem & sublimationem obtinuit. Esth. 4. 5.

MVLIERES ministrauerunt Domino prædicanti, & per castella & ciuitates eunti. Luc. 8.

Ambulans per mundum Saluator mundi, in domo MARTHÆ & Mariæ specialius hospitium legitur habuisse. Lucæ 10. Ioan. 12.

Blasphemantibus miracula Domini scribis & Pharisæis, MVLIER quædam deuotè audiens verba eius, extulit vocem, dicens: Beatus venter qui te portauit. Luc. 11.

MVLIER Chananæa, miseriam filiæ suæ propriam reputabat, dicẽs: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15.

MVLIERES Domino astiterunt patienti, & sequebantur, dum ad crucem duceretur, ab Apostolis derelictum. Luc 23. Ioan. 19. Item studiose obsequi voluerunt ei in sepulchro iacenti. Matth. 28. Lucæ 24.

VXOR Pilati magis conata fuit impedire Dominicam passionem, & iniustam afflictionem ipsius, quàm aliquis vir, de quo Scriptura testetur. Matth. 27. Mar. 16. Ioan. 20.

Propter opera pietatis & eleemosynas, quas TABITHA viduis faciebat, rogauerunt flentes Petrum, vt ad defunctam veniret. Motus ergo lachrymis eorum Petrus, ponens genua orauit, & eam suscitauit. Act. 9.

Exiens de carcere Herodis Petrus, venit ad domum MARIÆ matris Ioannis, qui cognominatur Marcus, vbi erant multi congregati orantes. Per hoc patet, piam fuisse & bonam mulierem, & hospitam discipulorum Domini. Act. 12.

Quædam mulier purpuraria nomine LYDIA, credens ad prædicationem Pauli, & baptizata cum domo sua, deprecata est dicens: Si existimastis me fidelem Domino meo esse, intrate domum meam, & manete: Et coegit nos, ait Lucas. Vbi etiam satis innuit, quòd mulieres promptè & deuotè audiunt verbum Dei. Act. 16.

IMMISERICORDES.

Vide titulum, Perfidiæ erga ciues, hospites, hostes. Item, Iræ immoderatæ. Item, Pœnitentibus non ignoscere. Item, Illiberalitatis religiosæ erga proximum.

CONTRA nolentes compati proximo, & ex corde remittere, inducit Dominus parabolam de seruo nequam, cui mille talenta fuerant remissa, & noluit dimittere conseruo suo centum denarios. Matth. 18.

NIMIVM MISERICORDES.

Exempla quædam pete ex tit. Iniustè absoluti. Item ex tit. ἀοργησίας, nimiæ clementiæ.

IRA,

Ira inter omnes affectus vehementissima est: & propterea huic animæ parti, in qua affectus positi sunt, nomen dedit, vt ὀργητικὴ & θυμοειδὴς dicatur à philosophis. Ab Arist. in 2 Rhetor. definitur esse ὄρεξις μετὰ λύπης, τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν ἢ εἰς αὐτοῦ τινὰ μὴ προσηκόντως. Rhetorica est definitio. Breuior esse poterat, Ira est appetitus vindictæ. Quòd appetitus sit, etymologia ipsum indicat, quia ὀργὴ ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι deducitur: sicuti θυμὸς ἀπὸ τοῦ θύειν, hoc est ὁρμᾶν, cum impetu ruere: & propterea remissior est ὀργὴ quàm θυμὸς, sicuti apud Latinos Ira & Furor. χολὴν quoque Græci vocant, materiali, vt ita loquar, appellatione: non quòd à bile ira proueniat, vt vulgus opinatur: sed quòd frequenter in magna commotione animi & iracundia cystis quoque fellis intumescit, & bilem in ventriculũ effundit, vnde vomitus biliosus prouenit. Quo argumento deinde vulgus persuasum, hanc ipsam materiam quæ per vomitum reiecta est, iræ causam fuisse credit. Potest quoque alia ratio assignari. Hepar & cor partes sunt principes. cor caloris, hepar humoris principium & officina. Hepar à cordis caliditate naturaliter immutari potest at non vicissim cor ab hepatis vel frigiditate vel caliditate alteratur. In hepate & ab hepate calido generatur bilis: à cordis caliditate oritur ira. Quando cor calidum est, hepar quoque calidum redditur: ergo in iram prompti erunt, simul & biliosi. At non vicissim, si hepar sit calidum cor quoque calidum, erit. sed hepar calore suo bilem generabit, & tamen cor frigidum ira carebit. Nõ igitur necesse est biliosos semper esse iracundos: sed ferè consentaneum est, vt iracundi sint quoque vt plurimum biliosi. Est autem vindictæ appetitus Ira, quacunque iniuria à quocunque fuerint affecti. Per vindictã enim id quod per iniuriam amiserunt, honorem scilicet, recuperare videntur, eáque ratione malum præsens siue iniuriam illatam amoliri. Fortitudinis propulsantis famula est Ira: in ea quoque virtute, quam περὶ ὀργὰς versari suprà diximus, ira subiectum est. At hic ira affectus est animi simpliciter, & vt ille ait, ζέσις αἵματος ἐν τῇ καρδίᾳ: in quo non animaduertimus, moderatè nec ne irascatur (hoc enim ad virtutem eam quæ περὶ τὰς ὀργὰς occupata est, pertinet) sed in vniuersum, an in primo motu propter iniuriam illatam irascatur, nec ne. Si irascatur, quantum oportet, medium obtinet affectus. nec in hominibus tantùm, sed in Deo quoque locum habere videtur. Sin vehementius irascatur absque vlla manifesta causa, & nullo vel certè exiguo præcedente contemptu, & iniuria aut vehementius quàm par sit irascatur, iam dicetur in excessu peccare & furere, de quo genere poeta, Ira furor breuis est. Ratione enim ex nimio impetu subuersa & præoccupata, nequit homo ab ira se continere. & propterea furit, hoc est præter omnem rationem irascitur. Ille verò qui præcedente causa legitima, contemptu scilicet aliquo & iniuria, non irascitur, in defectu peccat, ἀοργησία dicitur, & πρᾳότης. quamuis hoc nomine vitium in defectu Iræ appellari consueuerit. Nunc ad exempla accedamus, Iræ primùm moderatæ, tum in Deo, tum in hominibus (notum est enim illud, Irascimini, & nolite peccare: hoc est, Deũ opt. max. imitemini, qui etsi non verè irascitur, irascentis tamen speciem præbet, in iusta vindicta) Deinde iræ excedentis, tãdem etiam deficientis. In quibus exemplis illud obseruandum est, quòd etsi pleraque ad virtutem & ad vitium περὶ ὀργὰς referri possunt, meritò secundorum motuum, assentiente iam intellectu ipsis affectibus: nos tamen hic primorum tantùm motuum iracundiæ rationem habemus, per accidens etiam secundorum, vbicunque enim secundi sunt motus, etiam primos supponere oportet: at non econtrà. Hæc paucis hic in memoriam reuocasse sufficiat: quandoquidem copiosius à nobis superius, quando de virtute περὶ τὰς ὀργὰς disputauimus, declarata fuerunt.

IRA DEI ERGA HOMINES.

Ex capite vndecimo Hanapi.

Ira Dei, nõ perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato: cogitatio verò eius & recogitatio mutãdarum rerum, est immutabilis ratio. Neque enim, sicut hominem iratum, ita Deum facti sui pœnitet: cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Sed vtitur Scriptura talibus verbis, vt se familiariter insinuet omni generi hominum, quibus vult esse consultum: vt & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quęrẽtes, & alat intelligentes: quod non faceret, si non se prius inclinaret, & quodammodo descenderet ad iacentes. August. 15. de ciuit. Dei, cap. 25.

Moses ducatum populi recipere multoties recusauit. Iratus ergo est DOMINVS in Moysen. Exod. 4.

Iratus eſt DOMINVS in Ægyptios, qui detinuerunt & afflixerunt populum ſuum, & tandem voluerunt perſequi recedentes. Exod.14.& 15.

Moſes orabat DOMINVM, dicens: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum? videlicet propter vitulum conflatilem, cui obtulerat holocauſta. Exod.32.

Flagrauit populus deſiderio carnium ſedens & flens. ſequitur, Iratus eſt furor DOMINI valde. Num.11.

Occaſione ſeditionis Chore & complicum eius, dixerunt Moſes & Aaron ad DOMINVM: Fortiſſime Deus ſpirituum, num vno peccante, contra omnes ira tua deſæuiet? Num.16.

Deglutito Chore cum complicibus, ac ducentis quinquaginta viris qui incenſum offerebant, igne de cœlo conſumptis, murmurauit omnis multitudo filiorum Iſrael contra Moſen & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Sequitur: Egreſſa eſt ira à DOMINO, & plaga deſæuit. Nam quatuordecim millia hominum & ſeptingentos viros flamma percuſſit. Eodem.

Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab. Sequitur: Iratus DOMINVS dixit ad Moſen: Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende illos. Num.25.

Propter hæſitationē ad Aquas cōtradictionis, iratus eſt DOMINVS contra Moyſen, ſicut ipſe dicit: Mihi iratus eſt Dominus propter vos. dixit mihi: Nec tu ingredieris in terram promiſſionis. Num.20. Deut.1.

Cauete, dixit Moyſes, ne fortè decipiatur cor veſtrum, & ne recedatis à Domino, ſeruiatíſque diis alienis, & adoretis eos, iratúſque DOMINVS claudat cœlum. Deut.11.

Filij Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate. Sequitur: Iratúſque contra filios Iſrael DOMINVS, propter peccatum Achan. Ioſue 7.

Iratus eſt DOMINVS contra Ozam, & percuſſit eum, eo quòd tetigiſſet arcam Dei. 2.Reg.6.

Furor DOMINI, cùm Dauid populum numerari feciſſet, peſte puniuit ſeptuaginta millia virorum. 1.Par.13.

Iratus eſt DOMINVS Salomoni, eo quòd auerſa eſſet mens eius à Domino propter mulieres quas amauit, quarum gratia idolis immolauit. 3.Reg.11.

Iratus eſt furor DOMINI contra Iſrael, & tradidit eos in manu Hazaelis regis Syriæ, propter peccatum idololatriæ: quia adorabant vitulos quos fecerat Ieroboam. 4.Reg.13.

Poſt idololatriam & auguria & alia peccata diuerſa, irritauerunt DOMINVM filij Iſrael: iratúſque eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos de conſpectu ſuo. 4.Reg.17.

Propheta Iehu dixit Ioſaphat regi Iuda, qui venerat ad prælium cum Achab rege Iſrael: Impio præbes auxilium: & iis qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram DOMINI merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te. 2.Paral.19.

Ioas rex Iuda, & principes eius, ſeruierunt lucis & ſculptilibus: & facta eſt ira DOMINI contra Iudam, propter peccatum hoc 2.Paral.24.

Amaſias rex Iuda, diuino fretus auxilio, Idumæos ſuperauit in bello, & attulit deos eorum, & adorauit eos. Quamobrem iratus eſt DOMINVS contra eum. 2.Paral.25.

Ezechias non iuxta beneficia, quæ acceperat à DOMINO, retribuit, quia eleuatum eſt cor eius: & facta eſt ira contra eum, & contra Hieruſalem. 2.Paral.32.

Magnus furor DOMINI ſtillauit ſuper nos, eo quòd non cuſtodierunt patres noſtri verba Domini: dixit Ioſias rex Iuda, auditis verbis quæ ſcripta erant in libro legis. 2.Par.24.

Dixit DOMINVS ad Eliphat Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum. Iob.42.

De Babylone dicitur: Ecce erit nouiſſima in gentib. & deſerta, inuia & arens: ab ira DOMINI non habitabitur, ſed tota redigetur in ſolitudinē. Hier.50.

IRA HOMINVM.

Hanapus cap.96 Iram per zelum religionis nominat. Nos etiam alia exempla addamus. Plurima ex tit. Moderationis iræ poſſunt peti.

Cum loqueretur MOYSES Pharaoni, & ille nollet audire, exiuit à Pharaone iratus nimis. Exod.11.

Præcepit MOYSES filiis Iſrael, vt nullus de manna relinqueret vſque mane: Qui nō audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane: & ſcatere cœpit vermibus, & computruit. & iratus eſt Moyſes cōtra eos.

Reuertens MOSES, cùm appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum & choros: & iratus, proiecit de manibus tabulas, & confregit eas ad radices montis. Exod.32.

Cùm quæreret MOSES hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, exuſtum reperit: iratúſque contra Eleazar & Ithamar ait: Cur non comediſtis? &c. Leu.10.

Videns MOSES rebellionem Chore, & complicum ſuorum, iratus valde ait ad Dominum: Ne reſpicias ſacrificia eorum. Num.16.

Conſiderans IONATHAS filius Saul, nequitiam patris ſui contra Dauid, ſurrexit à menſa in ira furoris ſui, & non comedit panem illa die. 1.Reg.20.

Audita DAVID parabola Nathan prophetæ, iratus indignatione aduerſus hominem, dixit: Viuit Dominus, quia eſt mortis, qui fecit hoc. 1.Reg.12.

ELISEVS iratus fuit contra Ioas regem Iſrael, eo quòd non percuſſiſſent terram ſagitta quinquies aut ſexies, vt totā deſtruxiſſent Syriam. 4.Reg.13.

Audiens NEHEMIAS clamorem populi propter vſuras, quas exigebant optimates, iratus eſt nimis. Nehem.5.

Audita querimonia, quam dixit Eſther ne Aman, qui omnes Iudæos procurabat occidi, rex ASSVERVS ſurrexit iratus de loco communi. Eſther 7.

Circumſpiciens IESVS cum ira Iudæos qui obſeruabant eum, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum.

Petrus apoſtolus ira accenſus fuit in Ananiam & Saphyram, cùm videret de precio agri aliquid fraudatum eſſe. Actor.5.

ATHENODORO philoſopho cauſationem ſenectutis flagitanti, vt ſibi liceret redire domum, Auguſtus conceſſit. At cùm ille Cæſari dixiſſet Vale, volens aliquod philoſopho dignum monumentum apud illum deponere, adiecit: Cæſar, cùm fueris iratus, ne quid dixeris feceriſve, priuſquam Græcarum literarum 24. nomina apud te recenſueris. Cæſar autem philoſophi dexteram amplexus: Adhuc, inquit, te præſente mihi opus eſt. totúmque etiam annum apud ſe detinuit: dicens Græcorum illud prouerbium, Silētij ſunt tuta fidei præmia: ſiue approbans philoſophi dictum, quòd tutum eſſet iram premere, ne prorumpat in verba: ſiue ſenticus, philoſopho profuturum fuiſſe, ſi hoc dictum nō addidiſſet iam abiturus. Quanquam tam ſalubris admonitio magnificum aliquod præmiū merebatur. Eraſ.lib.4.Apoph.

ZENO Eleates, cùm maledictis laceſſitus incandeſceret, reprehenſus quòd philoſophus verbis improborum commoueretur: Si conuicia, inquit, æquo animo admiſero, ne laudes quidem ſentiam. Lapidis eſt, non ſentire diſcrimē inter laudantem & vituperantem: ſed philoſophi eſt, nō ita commoueri, vt ab honeſto recedat. Eraſ.in Apoph.

IRA NIMIA, IRA INIVSTA, ET FVROR.

Ex capite 97. Hanapi.

Iratus BALAAC contra Balaam, comploſis manibus ait: Ad maledicēdum inimicis meis vocaui te, quibus econtrà benedixiſti. Num.24.

Audiens SAVL poſt victoriam cōmendari Dauidem, iratus eſt nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo, &c. 1.Reg.18.

Cùm excuſaſſet Ionathas Dauid apud patrem ſuum SAVL, iratus aduerſus Ionatham, dixit: Fili mulieris vltro virum rapientis, nunquid ignoro, quia filium Iſai diligis in confuſionem tuam? &c. 1.Reg.20.

SAVLVS rex ira inflammatus, ob Dauidem quem infenſe oderat, quòd apud Abimelechum fugiens hoſpitio fuiſſet, non ſolùm hoſpitem ipſum, ſed Nobeam etiam hoſpitalem vrbem incendit, ciuibúſque omnis ſexus & ætatis cladem intulit. 1.Reg.22.

Idem ex nimia iracundia contorſit ſpicula nonnunquam medio affatu in Dauidem, vt eum in veſtigio transfigeret. 1.Reg.18.

Videns Achitophel, quòd non fuiſſet factum iuxta conſilium ſuum, receſſit ab Abſalone, & abiēs in domum ſuam ſuſpendio interiit. 2.Reg.17.

Venit Achab rex Iſrael in domum ſuam, indignatus & frendens ſuper verbum quos locutus fuerat ad eum Naboth Iſraelites. 3.Reg.21.

Poſt facile & ſalubre conſilium Eliſæi, iratus Naamam recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & inuocaret nomen Dei ſui, &c. 4.Reg.5.

Hanam propheta venit ad Aſa, & increpauit eum, quia confiſus erat in Benadab rege Syriæ. Iratúſque ASA, iuſſit eum mitti in neruum. 2.Para.16.

Separauit Amaſias exercitum qui venerat ad eum ex Ephraim, vt ſecū venirent ad bellum. At ILLI vehementer irati contra Iudam, reuerſi ſunt in regionem ſuam. 2.Paral.25.

Sacerdotes arguebant Oziam regem Iuda, volētem adolere incenſum: iratúſque Ozias, & tenens thuribulum, minabatur illis. 2.Paral.26.

Cùm audiſſet Sanaballat, quòd ædificaretur murus Hieruſalem, Iratus eſt valde, & ſubſannabat Iudæos. Nehem.4.

Cùm reuerſus eſſet Sennacherib, fugiens à Iudæa plagam, quam contra eum fecerat Deus, propter blaſphemiam ſuam, iratus multos occidit Iudæos. Tob.1.

Tobia dicente de hœdo balante, Vidente ne furtiuus ſit, &c. vxor eius irata reſpondit: Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua. Tob.2.

Nunciatum eſt HOLOFERNI, quòd filij Iſrael præpararent ſe ad reſiſtendum ei. Exarſit igitur in iracundiam magnam. Iudith.5.

Cùm dixiſſet Achior, magnam eſſe potētiam Dei Iſrael, irati ſunt DVCES Holofernis, & cogitabant interficere eum. Eodem.

Cùm audiſſet AMAN, & experimento probaſſet, quòd Mardochæus non ſibi flecteret genua, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, &c. Eſther.3.

Iratus indignatúſque eſt ELIV Buxites aduerſus Iob, eò quòd iuſtum ſe eſſe diceret coram Domino. Iob.32.

PRINCIPES Iuda putantes quòd Hieremias fugeret ad Chaldæos, irati ſunt contra eum, & cęſum miſerunt in carcerem. Hierem.37.

NABVCHODONOSOR rex Chaldæorum, in ira magna ſua præcepit, vt perirent omnes ſapientes Babyloniæ, eo quòd ſomnium ſuum nō poterant interpretari. Daniel.2.

IDEM poſtea in furore & ira præcepit, vt tres viri adducerentur in cōſpectum, &c. Daniel.3.

Arguit Dominus IONAM, quia iraſcebatur ſuper hederam. Ionæ 4.

Audiens ANTIOCHVS prælia Iudæ, & victoriam quam obtinuerat, iratus eſt animo, & congregauit exercitum. 1.Mach.3.

Factum eſt, vt audirēt GENTES quòd ędificatum eſt altare in ſanctuarium, ſicut prius, iratæ ſunt valde, &c. 1.Mach.5.

TORTORES Eleazari audientes verba cōſtantiæ ipſius, in iram verſi ſunt, qui paulo antè fuerant mitiores. 2.Mach.6.

Poſt ſeptimi fratris verba, rex ANTIOCHVS accenſus ira in illum, ſuper omnes deſæuit. 2.Machab.9.

Videns ANTIOCHVS, quòd non poterat ſpoliare Pentapolim ciuitatem, elatus in iram, arbitrabatur ſe iniuriam illorum qui fugauerant, poſſe in Iudæos retorquere. 2.Mach.9.

HERODES videns quòd illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, &c. Matth.2.

Cùm audiſſent CIVES Nazareth Dominum dicentem, Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua, &c. repleti ſunt omnes in ſynagoga ira. Lucæ 4.

CAIPHAS, tanquam blaſphemiā audiſſet, ita Chriſti opt. max. ſacroſanctam audiens vocem, ira excanduit, vt veſtem à pectore conſciderit.

HERCVLES ob nimiam bilem ſacro morbo fuit obnoxius.

COTYS Thraciæ rex, quum eſſet natura celer ad iram, ſæuus caſtigator eorum qui in miniſterio deliquiſſent: hoſpes quidam ad illum detulit vaſcula fragilia tenuiáque, ſed ſcitè curioſéque cælata, tornóque elaborata. At is hoſpiti quidem dedit munera, cæterùm vaſcula omnia confregit, Demirantibus cur id faceret: Ne, inquit, ſæuiam in eos qui ea fracturi erant. Prudentis enim eſt, naturæ ſuæ morbum agnoſcere, & vitio materiam præripere. Roter.li.5 Apoph. Cœl.Rhod.li.23.cap.20.

CYAXARES, Phraortis F. Deiocis nepos Medorum rex, in iraſcendo peracerbus erat. Scythas quoſdam è patria profugos ſuſcepit, eorúmque ſtudio venandi delectabatur. Accidit vt egreſſi Scythæ venatum inanes redirent. Eos Cyaxares probris inſequebatur. Illi iurgia non ferentes, quendam puerorum Medorum (quos equitare, & arcum tendere docebant) mactatum, feræque exuuiis tectum, loco ferinæ regi mittunt, & ipſi ſtatim ad Halyattem Lydorum regem deficiunt. Herod.lib.1.

CHEREPHON Athenienſis philoſophus, Socratis auditor, magnopere iracundus fuiſſe dicitur. Vnde etiam prouerb. Græcum emanauit, ἀπ᾽ Ἀθηνᾶς ἴχνεος οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος, id eſt, In Palladis veſtigiis nihil à Chærophonte differs. Volat.lib.14.cap.2. Anthrop.

SPEVSIPPVS Eurymedontis filius, ira aliquando percitus, catulum in puteum deiecit.

MALACHO poetæ Syracuſano immoderata bilis plerunque vſum rationis auferebat. Erátque tum præſtantior in abſoluendo carmine, dum erat alienatus mente.

EVRYLOCHVM (qui Elienſem Pyrrhonem audiuit) tam bilioſum & iracundum fuiſſe conſtat, vt quum in Elide variis quæſtionibus agitaretur, eſſétque reſpondendo fatigatus, abiecto pallio Alpheum flumen traiecerit. Interdum quoque ſumpto cum carnibus veru ad forum vſq; cucurrerit, coquum ſuum perſequens.

PHILAGRIVS Cilix, ſophiſta, auditor Lolliani, iracundus admodū fuit. Rogatus, quamobrem non delectaretur educādis pueris? Quoniam, inquit, nec meipſo delector. Agnoſcebat naturæ ſuæ vitium: erat enim iracundus & moroſus, eóque non aptus ad teneram ætatem inſtituendā. Quum hodie ſtulti *parentes nullis libentius committant liberos ſuos*, quàm huiuſmodi truculentis & aſperis hominibus. Roter. libr.8. Apoph. Dormitanti auditori pugnum impegit.

ANTIOCHVS ſophiſta, quum malè vulgo audiret, veluti formidoloſus, quòd nec prodiret in concionem, nec reipublicæ munia capeſſeret: Non vos, inquit, metui, ſed meipſum. agnoſcens bilem ſuam vehementiorem, quàm vt cohiberi poſſet. Senſit idem PLATO, qui ait: eos qui ſunt iracundioris ingenij, ad diſciplinas quidem eſſe idoneos, ad gerendam verò Rempub. non item. Ibidem.

ALEXANDRVM Magnum iracundia ſua propemodum cœlo diripuit. Nam quid obſtitit, quo minus illuc aſſurgeret, niſi Lyſimachus leoni obiectus, & Clitus haſta traiectus: & Calliſthenes mori iuſſus fuiſſet? Tres maximas victorias, totidem amicorum iniuſtis cædibus victor obſcurauit. Val.lib.9.cap.3. Itaque Ariſtoteles conſpicatus eum omnibus ac per omnia ſuccendentem, per epiſtolam ſic admonuit: Furor & ira non aduerſus æquales exercentur, ſed in meliores præſtantioréſque. At tibi ex æquo ſtat vtique prorſum nemo. Cælius Rhodiginus lib.21.cap.44.

PERSES rex à Paulo Æmylio victus, duos ex ſuis ſe conſolari adortos, vnum poſt alium interfecit, ira & dolore præcipitantibus. Tam atrox facinus in cauſa fuit, vt confeſtim ab his qui ad obſequium parati erant, ſit deſtitutus. Sab.libro 9.cap.3.

VEDIVS Pollio fuit vſque adeò iracundus & præceps, vt ſeruum qui vas cryſtallinum ruperat, ad ſupplicium rapi iuſſerit, & murænis dari prędam. Et iam actum erat de ſeruo, niſi ad Cæſaris Auguſti pedes ſe prouoluiſſet, non mortem deprecaturus, ſed mortis genus. Demiratus crudelitatem Cæſar, veniam exorauit puero, & omnia Pollionis vaſa confregit.

HORATIVS fatetur ſe ſuapte natura iracundum fuiſſe, facilè tamen placabilem. ait enim:

Iraſci facilem, tamen vt placabilis eſſem.

Fuit AVSONIVS poeta in iram propenſus, quod ſuo ipſe fatetur teſtimonio, dicens:

Iraſci promptus properaui condere motum,
Atque mihi pœnas pro leuitate dedi.

L. SYLLA, dum iræ obtemperat, multo alieno ſanguine profuſo, ad vltimum & ſuū erogauit. Puteolis enim ardens indignatione, quòd Granius princeps eius coloniæ pecuniam à decurionib. ad refectionem Capitolij promiſſam, cunctatius daret, animi concitatione nimia atque immoderatæ vocis impetu conuulſo pectore, ſpiritum cruore ac minis mixtum euomuit. Nec ſenio iam prolapſus, vtpote ſexageſimum ingrediens annum, ſed alita miſeriis Pop.Rom. impotentia furens. Igitur in dubio eſt, Syllàne prior, an iracundia Syllæ ſit extincta. Val.9.cap.3.

DRVSVM Tiberij filium adeò vincebat ira, vt inſigni equiti plagas impegerit. Qua de cauſa Caſtor eſt cognominatus. teſtis eſt Dion, apud Cæl.Rhod.lib.23.cap.20.

ANTONINVS Caracalla, Romanorum imperator, cùm poſt captum Augarum Oſroenorum regem, bellum cum Cennis gēte Celtica gereret: ſenſit eos tanta ira in Romanos irruiſſe incitatos, vt tela, quib. illi ab Oſroenis vulnerati erant, dentibus euellerent ex eorum corporibus, ne manus in illis cædendis defatigaretur. Dion Nicæus, & Xiph.in Anton.

NERO princeps nunciata Galliarum & exercituum defectione, cùm fortè diſcumberet, præ ira menſam ſubuertit, fregitque duo immēſi precij pocula, quibus in tam voluptuoſo principatu nihil fuit illi voluptuoſius. Sab.lib.8.cap.3.

COMMODVS Imp. ira percitus, balneatorem in fornacem ardentem coniecit, quòd balneum *intraturus, tepidiuſculum inueniſſet*. Rauiſ.

Eo bello, quod cum Beliſario Gothi geſſerunt, cùm vnus militum Cōſtantini tribuni, Romano iuueni inſignem ſpecie enſem ademiſſet, atque Conſtantinum Beliſarius reprehenderet, quòd tàm inſolenter agi à ſui ordinis milite pateretur, reprehenſioníque minas pro imperio adderet, niſi gladius reſtitueretur: adeò indignè eam rem CONSTANTINVS tulit, vt præ magnitudine iracundiæ, Beliſarij dignitatis ac vitæ ſuæ immemor, pugione, quo accinctus erat, Beliſarij pectus peteret. Propter quod facinus ſtatim comprehenſus, ac laqueo enectus fuit. Fulg.libr. 9. cap.3.

THEODOSIVS maior Imp. ſanctiſſimus, niſi quòd iracundus admodum fuit, neque iram refrenare potuit. Quod ſatis illud indicat, quòd Theſſalonicæ propter ſeditionem in theatro ortam, immiſſis militibus *ſeptem millia trucidari curauit*. Teod.lib.6.cap.18.

D. HIERONYMVS acerbus fuit, & acrius interdum quàm Chriſtianum doctorem deceret, excanduit. Eraſm.in eius vita, ex Auguſtino & Philelpho.

MEMNON Epheſinus, epiſcopus ſub Theodoſio & Valētiniano Imp. orthodoxus, inuidus tamen & iracundus adeò, vt Baſſianum eccleſię Epheſinæ peracceptum, remouere conatus ſit, honeſta tamen ſpecie, quia Vangenſium epiſcopum eum ordinauit. Verùm cùm Baſſianus recuſaret ad eam Eccleſiam abire, adeò ira inflammatus eſt, vt ad horas tres ante ipſam aram grauiter plagis eum afflixerit, ad ſanguinem vſque, vt cruore etiam altare & ſacri Euangelij codex aſpergeretur, ac inſuper eum excommunicarit. vt patet ex. x 1. actione Chalcedonenſis concilij.

Gothorum rex TOTILA, recepta vrbe Roma, quam ei Beliſarius à Iuſtiniano in Italiam miſſus ademerat, oratores ad Iuſtinianum Conſtātinopolim miſit, petitum, vt ipſius Iuſtiniani auſpicio ac nomine, obtinere ac regere vrbem ipſam liceret. Cùm autem accepiſſet, Iuſtinianum cōditionem repudiare, repentè immanem regem atrox ira impulit, vt vrbem quam mortales alij ſpectando admiratione capiebantur, quæ orbis terrarum erat caput, & cuius iam poſſeſſor erat, incendio ruiníſque totā deformaret, muris quoque nudatam quadraginta diebus feris, vt in ea ſtabularentur, donec denuò ipſa Beliſarius potiretur, permiſit. Fulg.libr. 9.cap.3.

MONS accola montis Silicei, in Patauino agro, proditionis inſimulatus, cùm Veronam ad ECELINVM tyrannum, honeſtè tamen, duceretur, fortaſſe animos ei faciente innocentia, magnis clamoribus vociferabatur: Neque ſe, neque ſuorum quenquam proditionis infamia ac crimine vnquam laboraſſe. Quæ verba cùm tyrannus à palatio audiret, eò deſcendit, vbi Mons erat, ſubitáque concitus ira atque toruo vultu Monti appropinquās, inquit: Proditor etiam hiſcere audes? Quo verbo tanta animi indignatio Montem perculit, vt nequaquam excuſare obiectum crimen cogitaret: verùm in tyranni collum inuaſit, adimeréque pugionem quo cinctus erat contendit. Quod cùm facere nequiuiſſet, in terram poſtratum vnguibus atque dentibus ira deformauit, vt vix multis diebus ſanari vulnera poſſent: tandémque oppreſſum enecuiſſet, niſi ab aſtantib. miniſtris Ecelinus adiutus, & Mons interfectus fuiſſet. Ibidem

IOANNES Andreas Lampugnanus Mediolanensis ciuis, in iudicio contendebat cum Branda Castilionense, Comensi episcopo. In qua re, vir qui patrimonium alea ac prodigalitate decoxerat, cùm litis detrimenta grauiter faceret, & vt fieri solet, in principem malorum suorum causas conferret: in tantam nõ iram, sed rabiem exarsit, vt neglectis quæ supererant fortunis, cùm sextum mensem in ea animi perturbatione perseuerasset, ingressum Mediolani principem Galeazium sancti Stephani fanũ, qua die illius memoria colitur, vt missarum solennia audiret, tribus comitibus adiutus, interemit. Neq; verò militaris cohors, quę armis tegere principis corpus solebat, tueri eũ potuit. Quia repentè Ioannes Andreas cùm nullus tam grande facinus ausurum quęquam putaret, ad patrandũ scelus apparuit. Qui dum posteà re peracta, apparitorum telis cõfoderetur sæpius: Ita mori volo, horrenda voce exclamauit. Ibidem.

ECELINVS tyrannus prælio victus ad Soncinum, vbi res suas sensit vna pugna accisas, vulnus quod in acie acceperat, fotum & circumligatum, frendens ira, in morem sæuientis feræ, dentibus & vnguibus conscidit. Sabel. lib. 9. cap. 3. Exemplorum.

IRÆ DEFECTVS.

Aristot. in Rhetoricis πραΰνσιν Iræ opponit, quia vel omnino non irascitur, vel debilius quàm par sit. Differt hæc ab ἀοργησίᾳ siue πραότητι (quæ vitium in defectu est Irę, vt superius disputauimus) quia illic secundorum motuum, hîc verò primorum tantùm ratio habetur. Possunt tamen exempla eadem vtrique loco inseruire. Diffinitur autẽ πραΰνσις esse κατάστασις καὶ ἠρέμια τῆς ὀργῆς: quasi tu dicas, frenum quoddam iræ naturale: à temperatura potius quàm à ratione proueniens. Virtus igitur quæ περὶ ὀργὰς versatur, ab habitu prouenit bono, & vicissim ἀοργησία ab habitu vitioso: πραΰνσις verò non ab habitu, sed ab affectu pendet.

PACIS STVDIVM, PACIFICI.

Qui mala quę euenire possent, vel etiam ea quæ iam adsunt, amicè per compositionem & reconciliationem tollere & amoliri conantur, pacifici appellantur. Quo nomine solos primos motus consideramus. Nam ratione astipulante, iam virtutis hoc erit eius, quæ in iræ moderatione versatur: de qua iampridem mentionem fecimus.

Dauid, quoniam in negociis militaribus assiduè versatus, hostiũ cruore manus fœdauerat, prohibitus est ædificare templum Domino. SALOMON autem iussus, vt qui semper pacificus & belli abstinens fuit. Nunquid igitur peccati arguitur Dauid, qui Deo fauente prostrauerit inimicos: Minimè quidem: sed tamen ideo ædificatio templi illi interdicitur, vt omnibus constet, quanti apud Deum momenti sit, perpetua in homine pacis obseruatio, imperturbatáque tranquillitas. Marul. lib. 3. cap. 6

EZECHIAS rex Iuda, cùm responsum accepisset, thesauros quos Babylonis gloriæ cupiditate ostentauerat, iisdem futuros prædam, delicti conscius: Bonus est, inquit, sermo Domini, sit tantùm pax & veritas in diebus meis. Non negauit, iustum esse Dei aduersum se iudiciũ, sed mala differri precatus est: non ob hoc, ne thesauris chariorem pacem amitteret. Et quoniam pro pace, non pro diuitiis orauit, quoad vixit, postea hostem non vidit, Deo in posteros calamitatem illam quam interminatus fuerat transferente, vt monstraret præponendam esse opibus quantumuis magnis pacem. Ibidem.

Ipse ęterni patris coæternus FILIVS, non prius de homine nasci voluit, quàm totus terrarum orbis positis bellis pacem ageret. Cur ita, nisi vt pacem & concordiam sibi gratissima esse significaret? Tunc & angeli lætantes cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Ipse insuper discipulis suis, cùm eos ad insinuandã gentibus veritatem mitteret, præcepit vt quamcunque domum ingrederentur, statim in primo aditu pacem offerrent, pacem domui illi, pacem habitantibus in ea. Et ad crucem iturus, hanc hęreditariò illis dimittere voluit, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Mundana enim pax vtilitatem respicit, diuina charitatem. Hanc etiam à Deo poscere nos instruit, dum pro omnibus in se credituris patri supplicat, vt sicut ipse cum patre vnum sunt, ita & hi in ipsis vnum sint. Non possunt vnum esse in Christo, qui non vnanimiter adhęrent vni Christo, vt vnius capitis membra esse mereantur. Non est pax impiis, ait Dominus. Et in Euangelio legimus, non alio erga discipulos salutationis genere eũ fuisse vsum, quàm vt diceret, Pax vobis. Tunc quoque cùm post resurrectionem insufflaret eis, Pax vobis, inquit: accipite Spiritum sanctum. Nimirum vt doceret, illum qui Spiritus sancti charismata vellet promereri, prius cum proximis suis concordem æquaniménque esse oportere. Vnde Apostolus: Idem sapite, inquit, pacem habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Et Dominus ipse ait: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacunque petierint, fiet illud à Patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. O inæstimabilis beatæ concordię merces. Quid enim maius dari potuit hominibus inter se cõsentientibus, quàm vt quicquid petunt impetrent, & Christus illis semper præsens, semper medius sit? Ibidem.

ŒNYCYNVS Scytha, Zanclæorum rex, cum ad Darium ascendisset in Asiam, omnium hominum qui ex Græcia venerant, existimatus est ab illo iustissimus esse, eo quòd in Siciliam ad regem profectus esset, pacis exposcendæ causa, rursúmque è Sicilia retrorsum ad regem iter fecisset, Sed id Democides Crotoniata non fecit: & ob hanc causam malo eum epitheto Darius affecit, versipellem, vafrum & pessimum hominem appellans. Scytha igitur in Persia summa cum fœlicitate vsque ad mortem ætatem egit. Ælian. de Var. hist. lib. 8.

NVMA Pompilius, secundus Romanorum rex, quàm pacis studiosus fuerit, tota eius vita à grauissimis authoribus descripta declarat, qui præter alia huius testimonia amplissima, hoc vnico demõstrare voluit quàm studiosus pacis esset, cùm Martium primum mensem à Romulo locatum è sede transtulerit, Ianuarium apponẽs, vt in omnibus pacem etiam iniquam iusto bello pręferre videretur. Ianus enim apud vetustissimos, siue genius siue rex fuerit, dicitur ferum & syluestrem cultum in vrbanũ ciuilémque mutasse: proindéque ipsum bifrontem fingunt, tanquam alteram ex altera formam dispositionémque reddiderit (Plutarch. in vita Numę.) Huius templum apertum significabat bellum, clausum verò pacem & tranquillitatem. At Numa rege nunquam apertum visum, sed tres & quadraginta annos continuos clausum mansit: vsque adeò bellicas res vndique prorsus abstulit, & amouit. Alex. lib. 1. cap. 14.

Cùm contra Cretenses bellum esset suscipiendum, & iam consules sortirentur, HORTENSIO, vt hoc bellum gereret, obuenit: sed is vrbe delectatus & foro, in quo primum locum post Ciceronem obtinebat, collegæ vltrò exercitum commisit, & pacis quàm belli studiosior in vrbe manere voluit. Dion Nicęus in Pompeio.

POMPONIVS Atticus nobilis eques Rom. & familiaris Ciceronis, erga domesticos tãta fuit facilitate, vt iurauerit, cum matre nonagenaria se nunquam in gratiam rediisse, cum sorore pariter nullam gessisse simultatem: dictitans, cum his quos diligas, minimè irasci oportere. Nepos apud Volat. lib. 18. Anthrop.

EDGARO Britannici regni diadema suscipiente, Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus sibi diuinitùs prędictum audiuit, pacem Britanniæ futuram quamdiù ille viueret. Igitur annos 16 quibus regnauit, omnia in summa quiete tranquillitatéque fuêre. Perpetuo quippe amicitiæ fœdere vicinos reges sibi deuinxerat, piratas mari, prędones terra submouerat. In feras etiam prędę auidas seuerus, à Guidualo Gualdensium rege tributum exegit, annis singulis lupos 30 venatione captos. Id seruatum, donec illud bestiarum genus assiduis cædibus defecit. Nihil esse in regni finibus passus est, quod à pacis quiete foret alienum. Tantus ergo pacifici status amor ipsum vsque ad quietem euexit sempiternam, & in cœlestis regni gloriam sublatum inter sanctos collocauit. Hunc imitentur terrarum principes, & illorum qui turbas cient, ferocitatem coerceant, bonos sibi concilient, malos persequantur, bello nihil aliud quàm pacem quærant: si Deo pacis placere, & ab eo pro talibus factis post terreni successum, supernę quoque fœlicitatis recipere mercedem exoptant. Marul. libro 3. cap. 6.

CONSTANTINVS Magnus in Synodo Nicæna libellos accusatorios & querelas sacerdotum vtriusque partis comburi curauit, & ad ἀμνησίαν mutuam exhortatus est: etiam hoc addens, suum non esse eiusmodi causarum cognitionem & iudicium sibi sumere: sed pertinere id ad eum iudicem, qui omnium corda scrutetur. Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 1. cap. 17.

D. Gregorius, cum intelligeret se ob successum felicem in Ecclesia, quorundam odio laborare, respondit: Absit vt mei causa, aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est illa tempestas, tollite & mittite me in mare. Eccles. hist. lib. 11. cap. 9.

ODIVM, ΜΙΣΟΣ.

Τῷ φιλεῖν Arist. opponit τὸ μῖσος. Vterque affectus futura desiderat. sed Beneuolentia, ea quæ bona sunt amicis: Odium, ea quæ mala sunt inimicis euenire optat. Est autẽ odiũ confirmata quadã inimicitia, non vlciscendi cupiditate, sed simpliciter nocendi. proinde difficulter mobilis est,

χρόνῳ ἀνίατος: nam quo diutius permanet, eo firmiores agit radices. Extrema mala imprecatur, & tacitè magis quàm palàm nocere studet. Plurimas conditiones Arist. in 2. Rhet. congerit, quæ ad constituendam odij naturam faciũt, & illud ab ira segregant. Porrò semper malum & vituperio dignum est odium, nec vnquam in præclara cadit ingenia, vt laudem mereatur: quemadmodũ nec inuidia. Proinde nec medium nec extrema habet, nisi secundum magis & minus: dedecoris tamen & ignominiæ plena sunt omnia, quoniam innata quadam malicia, quamuis nulla præcedente offensa, & bona semper abesse in vita, & mala semper adesse etiam post mortem cupiunt. Quòd si odio inuidia quoque comes accedat, in authoris caput, ita vt dignus est, redundant, vt seipsum mœrore & tristicia conficiat: quódque alteri optauit malum, in se suósque conuertat. Exempla pete ex loco Inimicitiæ: illic enim odij ratio habetur, quatenus virtutum aut vitiorum accidens est: hîc verò, quatenus est animi affectus.

INVIDIA.

φθόνος ἐστὶ λύπη τις ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν, περὶ τοὺς ὁμοίους, μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους, vt in 2. Rhet. Arist. inquit. Est igitur dolor ex aliena felicitate. Dolor est perpetuus, ita quidem vt seipsum mœrore, macie & squallore conficiat. Liuor idcirco à poetis dicitur: & vt pudor ab accidente suo rubor interdum appellatur, sic inuidia à perpetuo pallore liuor. Dolet autem, non quòd ex aliena felicitate sibi aliquid decedat (sic enim ζῆλος siue æmulatio esset) nec quod indignis hæc felicitas accidat (quæ νέμεσις propriè dicitur) sed quòd dignis quidem adest, inimicis tamen nostris, & quos omnino perditos esse cupimus. Valde ergo affines inter se sunt, Aemulatio, Indignatio & Inuidia: diuersi tamen affectus, quemadmodum ex tabella superius descripta colligi potest. Qualiacunque autem bona viris bonis & bene meritis accidant, animi, corporis aut fortunæ, ab inuido malignis siue obliquis oculis limantur, vt Lyricus ait: & quo sunt maiora ac præstantiora, eo crudelius in seipsam inuidia sæuit: vt non inepte dictum sit, Inuidia Siculos non inuenisse tyrannos Maius tormentum. In reliquis affectibus medium datur. quod laudabile est: dantur deinde extrema, vituperio digna: at Inuidia siue parua siue magna, non probro tantùm, verumetiam pœna digna est, quamuis ipsa seipsam satis superque occultis flagellis laceret & absumat. Nunc ad exempla veniamus, in quibus varia vitiorum vestigia apparebunt, prout modò ad hoc, modò ad illud flagitium miseros mortales execrabilis hæc pestis impellit, & ab omni virtute ac conuersatione humana abducit. De qua Sab. lib. 9. Exemp. cap. 2. in hunc modum: Omnium vitiorum Inuidia propemodum vetustissima, nec magis vetus, quàm homini perniciosa. Omne vitium in actu voluptatem aucupatur aliquam: sola hæc perpetuò est mœrori dedita. Quæ quo maior est, eo peius qui inuidet afficitur, minúsque sui compos est. Res dira, cæterùm felicitatis pedissequa, etsi diuersi affectus. Enimuerò quo plus læticiæ in illa est, eo tristior hæc, magísque luctu & mœrore conficitur, cæca, amens, liuore infecta: omnium rerum ignara, præterquam latratus & obtrectationis. Exempla plurima ex tit. Iniustè damnatorum & exulum, peti possunt. item, Eorum qui ex felicibus infelices sunt redditi.

Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. vidit enim diabolus hominem in statu fœlici esse, & eò illum posse ascendere, vnde ipse corruerat: tentauit igitur hominem, & vicit. Sap. 2. Gen. 3.

CAINVS fratrem suum Abelum rus seductum interfecit: inuidia cõtra eum motus, quòd Deus eius sacrificium acceptasset, suum autem repudiasset. Genes. 4.

ISAACVS, cùm Geraris in Palæstina habitaret, Deo benedicente annuas fruges cum centesimo percepit, & indies crescebat. Inuidia igitur in eum commoti Palęstini, puteos omnes ab Abrahami seruis fossos terra compleuerunt. Abimelechus Gerarorum rex iussit Isaacum ab ipsis discedere, quòd esset longè eis potentior. Genes. 26.

FRATRES Ioseph inuidebant ei animo pessimo & crudeli: videntes quòd à patre præ cunctis fratribus amaretur, & audientes somnia quæ narrabat. Genes. 30. & 37.

DATAN & Abyron inuidiæ face incensi, sacerdotium Aharoni adimere conati, se & suos subita numinis vltione perdiderunt. Sab. libro 9. cap. 2.

SAVL inuidens prosperitati Dauid, dixit de filia sua Michol, quã Dauid habere volebat: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalũ, & sit super eum manus Philistinorum. 1. Reg. 18.

Ædificantibus templum filiis Iuda, post reditum de Babylone, Gentesquæ erant in circuitu doluerunt, & eos multipliciter impedierunt. 1. Esd. 4.

Audierunt Sanaballath & Tobias, quòd venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel, contristati sunt afflictione magna. Nehem. 2.

Daniel superabat omnes principes & satrapas. Vnde omnes principes & satrapæ quærebant occasionem, vt pellerent Danielem à latere regis. Daniel. 6.

ALCIMVS videns Iudæ & Nicanoris amicitiam mutuam, Demetrio regi dicebat, Nicanorem rebus alienis assentire: Iudámq; regis insidiatorem, successorem sibi destinasse. 2. Mach. 14.

FRATER filij prodigi, audiens festum quod faciebat pater adolescẽtiori filio reuertenti, indignatus nolebat introire. Lucæ 15.

Quid illa HEBRÆORVM pontificum nefaria insectatio, Christi regis alta & vitam infamantiũ: an aliud fuit quàm inuidia, quæ cæcos & præcipites egit: vt quem colere, quem venerari debuerunt, cruci affixerint, Nec impunè vindicata est ea iniuria non solùm patriæ excidio, tantáque hominum iactura, quantam nulla vnquam vidit ætas, vnum in locum gente coacervata, sed perpetuo etiam posteritatis supplicio. Sab. libro 9. cap. secundo.

Petro & Ioanne loquentibus ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus populi, & Sadducæi, molestè ferentes quòd docerent populum. Exurgens Princeps sacerdotum & omnes qui cum illo erant, videntes signa quæ per Petrum fiebant, repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Act. 5.

Conuenit penè vniuersa ciuitas, audire verbum Dei, quod Paulus & Barnabas prædicabant. Videntes autem IVDÆI, repleti sunt zelo. Actorum 13.

Ex Thessalonicensibus, Iudæis & gentilibus, crediderunt multi viri, & mulieres nobiles non paucæ: zelantes autem Iudæi concitauerunt ciuitatem. Act. 17.

Palamedem Nauplij filium (si qua fides est poetis) nulla res alia circa Ilium magis afflixit, quàm Vlyssis inuidia: siquidem iniuria ab vno profecta est, sed vltio vniuersam gentem attigit. Sabell. libro nono, capite secundo.

Palamedes Nauplij filius, poeta fuit clarissimus, vt ex tit. Poetarum cognosces. Eius tamen poemata siue posterorum Agamemnonis, siue Homeri inuidia, suppressa & deleta fuerunt. Suidas testis.

SYAGRIVS & ZOILVS Amphipolites Homero infensissimi fuerũt: ille coæuus Homero, hic posterior. Hesiodo Cercops, Pindaro Amphimanes Cous, Simonidi Timocreon: Vergilio & Horatio Paro, Mæuius, Bauius, Suffenus, & similes.

XENOPHANES Colophonius, philosophus & poeta, contra Homerum & Hesiodum iambos & elegias scripsit. Cùm aliquando diceret, se vix duos famulos alere posse: Iurè, respondit Hieron. nam Homerus, cui tu detrahis, plures quàm decem millia etiam mortuus alit. testis Plutarchus. Quòd apophthegma tribuunt quidam Ptolemæo contra Zoilum. Vide tit. Libertatis in reprehendendo.

Occidit Cambyses rex Persarum, fratrem Smerdem, non regni æmulatione (quippe quæ nulla esse poterat, vno fratrum imperante, altero ad obsequium parato) sed inuidia. Attraxerat frater Æthiopicum arcum, ipso rege & regis comitatu aliquanto validius: peperit iuueni fortissimo lacertorum robur inuidiam, ea verò inuidia non multo pòst exitium: ademit ea vis vitam fratri, illi, cuius iussu interfectus est, regnum & vitam omni regno chariorem. Sab. libro 9. cap. 2. ex Herod. lib. 2. Vide tit. Robustorum.

Socrates mortalium sapientissimus est Delphico oraculo indicatus. Quòd nisi Athenæ longè aliter persuasum habuissent, nunquam vir iustissimus venenum hausisset, publicé damnatus. Sed quem viuum odit, defunctum desiderauit inconstans ciuitas. accusatores enim eius exilio damnauit, defuncto statuam in publico posuit. Adeò leuiter aut odit aut amat ciuilis multitudo. Sab. lib. 1. cap. 6.

ARTAPHERNES metuens ne Histiæus Milesius, quem cæperat, fuga elapsus apud regem Darium magnus existeret, Sardis eum in crucem egit. Vide tit. Cupiditatis vitæ.

MENO Phidiæ operarum socius, & eiusdem operum inuidia accensus (nam aureum Mineruæ simulachrum in arce sculpserat: & pugnam Amazonicam in scuto insculpens, suam imaginem effinxerat, senis videlicet calui, qui saxum vtraque manu efferret: & Periclis effigiem, pugnãtis contra Amazonas, eleganter expresserat: artificiosèque manum, qua is hastam intẽtabat, faciei obiecerat, quasi similitudinis, quæ ab vtroque

latere manus apparebat, obtegendæ gratia) ſupplex in foro ſedés, fidem publicam implorabat, indicium ac crimen de Phidia delaturus. Phidias in carcerem ducitur, ibique innocens ſumpto veneno necatur. Plutarc. in Pericle.

DEMETRIVS Phalereus, mortuo Caſſandro rege Macedoniæ, cuius amicitia & fauore potentiam aſſecutus fuerat, ob inuidiam accuſatus, abſenſque damnatus eſt. Diogenes Laert. & Volaterranus libro 15. Anthrop.

DRANCES Rutulus, Turni gloriæ ſemper inuidit. Vergil. lib. 11.

Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, ſtimuliſque agitabat amaris.

ATHENIENSIVM oſtraciſmus Democraticæ quidem æqualitatis trutina fuit, verùm inuidiæ popularis infeſtiſſimum telum. Itaq; præſtãtiſſimi viri poſt res feliciter geſtas exulare coacti ſunt: Ariſtides, Themiſtocles in Perſide, Iphicrates in Thracia, Conon in Corporo, Timotheus in Leſbo, Chabrias in Ægypto, Chares in Sigæo.

Inuiderunt P. Val. Publicolæ Propinqui Capitolini templi dedicationem, Puluillo conſule: cui præſenti ceremoniæ intento tam atrocem, quàm falſum, de morte filij nuncium incuſſerunt. Sed ille ſiue non credidit, ſiue religionem priuato luctui prætulit, reiecto omine, quod inchoauerat, peregit opus. Sab. lib. 9. cap. 2.

P. SEMPRONIVS Gracchus & Rutilius tribuni plebis Marco Attilio Glabrioni inuidioſiſſimi, diem dixêre nullam aliam ob cauſam, quàm quòd homo nouus tam citò creuiſſet. Liuius de bello Macedonico: & Volater. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

Fabij Ambuſti Filia triſtis, & lachrymis ſuffuſa ſeſe patri obtulit, cùm patricium ſplendorem, & conſulares faſces, quorum ſtrepitum expauit, ſorori inuidiſſet. Cuius intempeſtiuæ lachrymæ magnis Romanam ciuitatem impleuêre motibus: aſtruxerunt conſulatum plebi, curulis ſellæ & faſcium ad id tempus ignaræ, mixtúſque ordinum ſanguis miſcuit & honores. Sab. lib. 9. cap. 2.

Eſt Cato maior, Populi Romani iudicio, prudens appellatus (id enim eius nomen arguit.) Cæterùm nemo vnquam in ea ciuitate maioribus eſt odiis exercitus, quadragies ſexies reus cauſam dixit, eſtq́ue ſemper abſolutus. Valuit ſcilicet plus eloquentia, quæ humanis rebus dominatur, & innocentia, quàm omnes inimicorum validiſſimi conatus. Sab. libro 1. cap. 6.

CATO Vticenſis victoriam Cæſaris ægrè ferens, eiúſque principatui inuidens, ſe occidit. Itaque Cæſar eius morte audita, & illum ſuæ gloriæ, & ſe illius inuidere dixit. Scripſit etiam in eum librum, quem Anticatonẽ inſcripſit, vbi Catonis vitia commemorat. Cuius Apologiam Cicero poſtea edidit. Plutarch.

C. MARVLLVS trib. pleb. cum Flauio, propter inuidiam, Cæſaris dictatoris ſtatuis coronas detraxit: eoſque qui primi Cæſarem regem ſalutauerant, in vincula duci iuſſit. Volat. lib. 17. ex Plut. in Cæſaris vita.

Conſternatum Magij Chilonis amẽtia pectus, qui M. Marcello datum à Cæſare ſpiritum, ſua manu eripuit, vetus amicus, & Pompeianæ militię comes, indignatus aliquos ſibi amicorum ab eo præferri. Vrbem enim à Mitylenis, quò ſe contulerat, repetentem, in Athenienſium portu pugione confodit, protinúſque ad irritamenta veſaniæ ſuæ trucidanda tetendit. Amicitiæ hoſtis, diuini beneficij interceptor: publicæ religionis, quod ad ſalutem clariſſimi ciuis recuperandam attinuit, acerba labes. Val. lib. 9. cap. 11.

C. FVR. Creſinus è ſeruitute liberatus, quum in paruo admodum agello largiores multo fructus acciperet, quàm ex ampliſſimis agris Vicini, in inuidiam incidit hominum accuſantium, ceu veneficiis fruges pelliceret alienas. Quamobrem à Spurio Albino curuli die dicta, metuens damnationem, quum in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumẽtum ruſticum omne in forum attulit: adduxítque etiam filiam robuſtam, bene curatam & veſtitam: ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, & boues ſaturos, & dixit: Hæc ſunt, ô Quirites, mea veneficia, nec poſſum præterea vobis oſtendere labores manuum mearum, multáſque meas vigilias & ſudores. Quod vbi audiuiſſent, iudices, intellexerunt, ex ſola inuidia Furium accuſatum eſſe, quem dimiſerunt abſolutum. Bruſon. lib. 3. cap. 7.

M. CRASSVS, quum animo angeretur ob honores in Pompeium collatos, audiuit à quodam, mox Magnum aduenturum Pompeiũ. Arridens igitur inquit: Quantúſnam eſt? Inuidit Pompeio nomen, quod ob fœlicitatem, & egregiè rebus geſtis, ab aliis datum erat honoris gratia. Bruſon. lib. 3. cap. 7.

ASINIVS Pollio, Ciceronis gloriæ vehementiſſimè inuidebat. Quũ ergo Sextilius, poeta Cordubẽſis, in domo Meſſalæ Coruini recitaturus, Pollionem aduocaſſet, & principio poematis cœpiſſet,

Deflendus Cicero eſt, Latiæque ſilentia linguæ:

Statim conſurrexit Pollio: atque ait: Meſſala, Tu quid tibi liberum ſit, in domo tua videris: ego iſtum auditurus nõ ſum, cui ego mutus videor: atque ſic abiit. Offenſus eſt autẽ his verbis, Latiæq; ſilentia linguæ, &c. Bruſon. lib. 3. cap. 7.

C. CORNIFICIVS poeta Vergilium aſſiduè mordebat, quod eum gloriæ ſuæ obſtare videret. Gyral. in 4. Dial. hiſt. poet.

MVTIVS fuit quiſpiam apud Romanos maleuolus, & alienã proſperitatem adeò ægrè ferens, vt quum Publius eum ſolito triſtiorem aliquãdo vidiſſet, ſtatim dixerit: Aut Mutio neſcio quid incommodi acceſſit, aut neſcio cui aliquid boni. Suetonius.

CALIGVLA inuidia motus Torquato torquem, Cincinnato crinem, & Cn. Pompeio ſtirpis antiquæ Magni cognomentum abſtulit. Eſium quoque Proculum, formoſiſſimum adoleſcentem, iugulari fecit. Rauiſ.

ADRIANVS Traiani gloriam adeò iniquè tulit, vt Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam ab illo acquiſitas, Parthis conceſſerit, & pontem ſupra Danubium (quem ille magno conſtruxerat impendio) furioſus euerterit. Volat lib. 23.

CATVLLVS poeta inuidioſus fuit cuidam Siconio, quem his verſibus inſectatur:

Siconi, arbitrio populi tua cana ſenectus,
Spurcata impuris moribus intereat.
Non equidem dubito, quin primùm inimica bonorum
Lingua exerta auido ſit data vulturio.
Effoſſos oculos voret atro gutture coruus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

THEODOSII inuidiam contra Cyrum vrbis præfectum, pete ex tit. Doctorum Eccleſiaſticorum, ſub nomine Cyri.

THEOPHILVS Alexandrinus epiſcopus, homo ambitioſus, cùm reſciſſet, nobilem matronam Alexandrinam Iſidoro preſbytero mille aureos numeraſſe in pauperum vſus diſtribuendam ~~(cùm, ſi Theophilo ... ipſa dederat)~~ rem cã grauiter ferens, poſt duos menſes ſynodum cogit, & prolata charta fingit cam ſibi ab annis 18. à quodam contra Iſidorum oblatam: verùm ſe multitudine negociorum obrutum, actori iudicium dare neglexiſſe: nũc verò conſcientiæ ſtimulis adactum, de Sodomiæ vitio Iſidoro crimen intentare. Subornat quinetiam puerum 15. aureorum precio, qui corãm Iſidorum accuſaret. Qui tamen metu perculſus, aufugit. Iſidorus quamuis innocentiam ſuam declaraſſet, inuidia tamen Epiſcopi in exilium eiectus eſt, & in montem Nitriæ ad Longos fratres in Scethi habitantes ſe recepit. Antoninus tit. 10. ca. 9. & Palladius etiam.

DEMETRIVS epiſcopus Alexandrinus inuidia motus contra Origenem, alioqui amicum & catechiſten ſuum, quòd cùm in Achaiam pro ſedandis hæreſibus miſſus eſſet, in itinere ab Alexandro epiſcopo Hieroſolymorum, & Theoctiſto Cęſareæ Epiſcopo apprehenſus, in presbyterum ordinatus, omnibus admirationi eſſe cœpiſſet, Alexandrum & Theoctiſtum grauiter accuſare cœpit: hoc ſolum Origeni obiiciens, quòd ſe Origenes adoleſcens execuiſſet. Origenes ergo de hoſtili eius animo certior factus, manſit Cæſareæ. Euſeb. lib. 6.

TERTVLLIANVS, vir in Eccleſia Dei pręſtantiſſimus, inuidia Romani cleri (qui tantam virtutem ferre non poterat) exagitatus, ad Montani ſectam palàm defecit: & contra Catholicos ſcripſit quędam, longè plura tamen pro catholicis. Hieronymus lib. 4. cap. 34.

GREGORIVS Nazianzenus, apud Nazianzum oppidum Cappadocię, in patris locum præſul cùm ſubrogatus eſſet, maximéque Arrianorũ turbini reſtitiſſet, ſtatim inuidia gloriã ſubſequuta eſt. Obtrectare enim quidam cæperunt, palamque vociferari, Gregorium ſedem occupaſſe: ipſum priorem repetere, ac alium ſubrogari oportere. Quod ipſe animaduertens, cùm iam ſuperare poſſet, cedere maluit, ne cędes aliqua aut tumultus oriretur. Ruffinus XI Hiſtoriæ libro.

Gregorij Magni pont. Rom. ſcripta, magna ex parte ab Æmulis eius combuſta fuêre: pręter ea quę Petrus Diaconus ſeruauit, aſſerens ſe Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſupra Gregorij caput pendentem vidiſſe Io. Diaconus in eius vita.

SABINVS Diaconus Gregorij Agrigentini epiſcopi, gratitudinis loco quam Gregorio debebat, quòd filiam ſuam à diuturno morbo liberaſſet: eius glorię tantum cœpit inuidere, vt cum Creſcẽtio collega Gregorio inſidias ſtruxerit, de quibus vide ſub titulo Doctorum Eccleſiaſticorum Septimæ Centuriæ.

Moriente Ioanne Caſtulonenſi rege, eius nominis vltimo, ſuperſtites duo filij fuêre, Henricus atque Elizabetha, quę poſtea Ferdinando Ioannis Aragonij Sicilię regis filio nupſit. Cùm autem Henricus Elizabethę frater, procreationi impotens haberetur: atque, vt interdum contingit, verbis cum eo ſoror contendens dixit, Etiam inuito ipſo, ſe poſt eum regnaturam: tantum ex eo indignationis Henricus concepit, vt ſtatueret omnino operam dare, ne ſorori quod optabat ſuccederet. Itaque cùm Hiſpanum iuuenem conſpexiſſet, decora quidem facie, ſed humili fortuna natum, nomine Belthramum Cuenam: in regiam eum acceptum, ducem Alburchechenſem creauit, egitq́ue vt cum regina concumberet. Itaque filiam edidit, cui Elizabeth nomen inditum eſt, quæ magnorum Caſtulonenſi regno, poſt Henrici mortem, motuum cauſa extitit, aliis filiam, aliis ſororem ad capeſſendum regnum vocantibus. Quamobrem cùm ſoror viribus ſuperior fuiſſet, filia in Luſitaniam profugit, retẽto regio animo, nominéque: etſi eam, qui diuerſas partes fouebant, Beltramicam appellarent. Fulgoſ. lib. 9. cap. 3.

ΝΕΜΕΣΙΣ. INDIGNATIO.

Ἐλέῳ opponit Νέμεσιν Ariſt. non ratione generis, quia vtraque eſt λύπη: nec ratione differentiæ illius quæ ſumitur ex perſona, quoniam vtraque ἀναξίοις accidit: ſed merito obiecti, quandoquidem miſericordia in κακοπραγίαις, Νέμεσις verò in εὐπραγίαις conſpicitur. Definit ergo νέμεσιν eſſe λύπην ἐπὶ ἀναξίαις εὐπραγίαις, quando illi qui non ſunt digni, bona acquirunt, cùm alij interim, qui digni ſunt, illis careant. Veteres deam νέμεσιν fingebant, quæ improbos & nefarios homines vlciſceretur, & puniret. Ἀδράστειαν Homerus vocat, ab Adraſto (qui cùm ante Thebas ſolus ſeruatus eſſet, deorum ira ante eaſdem Thebas ſolus Amphiaraus Adraſti nepos terra abſorptus fuit, cùm Diomedes, Sthenelus & reliqui duces domum incolumes reuerterentur) ſed ἀπὸ τοῦ μηδὲν αὐτὴν ἀποδιδράσκειν. Nemo enim diuinam vltionem ſerius aut citius effugiet. Νέμεσις itaque ἀδράστεια nihil aliud eſt, quàm Iuſticia diuina: cui proportione reſpondet Iuſticia humana διορθωτική. Vtraque tamen ab affectu, de quo nunc agimus, differt: quoniam νέμεσις quatenus virtus eſt, hoc affectu tanquam organo vtitur ad punienda hominum ſcelera. Iniquè enim fert, indignos bona quæ non merentur conſequi: & propterea inæqualitatem hanc ſupplicio æquare conatur, quæ propria eſt correctiuæ Iuſticiæ nota. Affectus verò, ſiue Indignatio ipſa, in eo poſita eſt, quod indignè fert inæqualitatem hanc, & vehementer commouetur. Differt ab ira, quia Ira eſt vindictæ cupiditas: Indignatio autem non vlciſci deſiderat, ſed tantùm ex malorum & indignorum felicitate dolet. Quando mediocritatem ſeruat, laudabilis eſt affectus: at ſi vel in defectu vel in exceſſu peccet, vituperio dignus euadit. Nominibus caremus: res tamen non obſcura eſt.

AGIS Argiuus, cùm rex Alexander donaret quendam ridiculum hominem & ſcurram ingentibus muneribus: O rem abſurdam, exclamauit. Iratúſque rex, conuerſus ad eum: Quid ait? inquit. Tum ille reſpondit: Animo angor, quòd omnes vos Ioue natos, adulatoribus ridiculíſque hominibus & nefariis gaudere inſpiciam. Bruſonius libro tertio, capite ſeptimo.

ΖΗΛΟΣ. ÆMVLATIO

Ζῆλος dupliciter ſumitur. In genere quidem pro quauis animi commotione erga alterius vel malefacta vel benefacta, quatenus ex illis debitur aliquid aut nobis aut noſtris. Sic zelus religionis contra idololatras inſurgit, quoniam honorem deo debitum non præſtant. Sic zelus iuſticiæ Iſraelitas coegit, vt totam tribum Beniamin funditus delerent, propter ſtuprum vxori Leuitæ illatum. Hoc vocabuli ſignificato Hananias cap. 52. & 53. diſtinguit zelum in diſcretum ſiue bonum, & in indiſcretum ſiue malũ, qui non eſt ſecundum ſcientiam aut rationem, ſed ſecundum affectum tantum & falſam perſuaſionem, quo idololatræ in aſſerenda ac propaganda religione ſua vtuntur: quo denique id quod iniuſtum eſt, tanquam iuſtum ſit, homines imperiti defendunt. Prior ſecundum ſcientiam zelus eſt, poſterior ſecundum ignorantiam. Hac generali ſignificatione omnis animi impetus, à ratione vel recta vel peruerſa proueniens, ad adſtruendum aut deſtruendum aliquid continetur, & in primis ipſa ira: hoc denique impetu iuſticia potiſſimùm & fortitudo vtitur, tanquam inſtrumento. In ſpecie verò ζῆλος ab Ariſt. in 2. Rhet. definitur eſſe λύπη τις ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν, περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ' ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι. Latini propriè Æmulationem vocant, quæ ex aliena felicitate commouetur, non quòd alijs hoc bonum acciderit, qui hoc bono ſunt digni (nam ſi indigni eſſent, oriretur νέμεσις) ſed quòd nobis quoque idipſum communicari cuperemus. Quo quidem differt ab Inuidia. Inuidia enim dolet ex bono quod alijs accidit, quamuis ſibi accidere non cupiat: at Æmulatio dolet ex bono quod alijs accidit: non quia illis accidit, ſed quia non ſibi quoque. Proinde non ſemper mala eſt Æmulatio, ſed interdum bona: ſemper autem mala eſt inuidia. Habet ergo Æmulatio in ſe φιλαυτίαν quandam, qua ſibi bona cupit adeſſe, abſque inuidia tamen. Hæc autem generoſa eſt æmulatio, in præclara tantum ingenia cadens, omnis virtutis fons & perfectio, ἀγαθῆς ἔριδος (de qua Heſiodus in primo ἔργων) principiũ, honeſtæ imitationis parens. ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων εἰς ἄφενον σπεύδοντ', ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων, non tam lucri cauſa (illiberalis enim hæc eſſet æmulatio) ſed gloriæ ſtudio. Liberalis ergo & ingenuo homine digna eſt hæc æmulatio, quam Græci ζῆλον propriè appellarunt, ἀπὸ τοῦ ζηλόειν, quod μιμεῖσθαι ſignificat, vt nihil ſit aliud quàm τοῦ καλοῦ μίμησις. Eſt alia huic oppoſita, illiberalis, vitioſa & ſordida, ἔριδος κακοχάρτου mater, quæ cum philautia coniunctam habet inuidiam, & propterea non ab imitando ζῆλος dicitur: ſed ἀπὸ τοῦ ζηλεύειν, id eſt φθονεῖν deducitur, & ζηλοτυπία propriè nuncupatur, ſi Euſtathio credimus, in quocunque bonorum genere. Quamuis loquendi vſus obtinuit, vt amatoria æmulatio Zelotypia κατ' ἐξοχὴν dicatur. Heſiodus ambas ἔριδας ſorores facit, atræ Noctis filias. Proinde mirum non eſt, alteram in alteram degenerare poſſe. Plerunque enim contingere videmus, vt honeſtam æmulationem inuidia opprimens, in æmulationem vitioſam conuertat: quemadmodum ira, quando terminos ſuos excedit, in furorem mutatur. Noctis autem filias eſſe fingit, hoc eſt, obſcuritatis: oritur enim contentio ex æmulatione, æmulationis cauſa eſt, quia caremus ijs bonis, quę in æqualibus noſtris fulgere conſpiciuntur: dolemus itaque illos illuſtres eſſe, nos verò obſcuros. Ceterùm liberalis contentio prior edita eſt: quia ſi medium non eſſet, ne exceſſus quidem à medio. Omne enim vitium virtutem præſupponit. Cæterùm vt noſtrum negotium agamus: medium huius affectus Æmulatio & ζῆλος dicitur, quæ alijs malignè non inuidet: particeps tamen eorum bonorum, quæ in ijs refulgent, eſſe cupit, quare ad imitationem conuertitur. & contentionem honeſtam inſtituit. Exceſſus à medio ζηλοτυπία eſt, illiberalis & inhoneſta æmulatio, inuidiæ plena. Defectus à medio, nomine caret, quando non æmulatur eum quem æmulari debebat ex falſa perſuaſione, quòd bona illius ſuis minora ſint, & propterea imitatione non ſint digna. Porrò quia in omni bonorum genere æmulatio poteſt eſſe, idcirco nulla ferè virtus aut vitium erit, in quo non veſtigium aliquod huius affectus reperiatur, quatenus vel honeſtam vel pernicioſam litem homines inter ſe mutuò exercent.

ÆMVLATIO HONESTA ET LIBERALIS. ZELVS PROPRIE,

Ex loco Magnanimitatis & cupiditatis gloriæ plurima exempla peti poſſunt, maximè vbi de certaminibus literarijs agitur.

In nulla parte inſtituti operis maior exemplorum copia, vberiórque materia ſeſe nobis obtulit, quàm in his quæ ad æmulationem pertinẽt: vel quia res hæc multo plures illuſtrauit, quàm vllus alius hominis affectus: vel quòd pluribus ſit ingenitus, & quodammodo à natura datus, vt per eum vita exercitatior fiat, & ad laudem adipiſcendam cõcitatior. Sed in tam multis nobis modus tenendus eſt cum delectu, præſertim in Ethnicis, quæ hic ſubtexenda ſunt: quorum vetuſtiſſimum illud Theſei, qui Herculis propinqui ſui laborum æmulus aliquot in terra Græciæ confecit monſtra hominum: & ipſe grande nomen adeptus, niſi partum decus peregrinarum mulierum rapina turpiter fœdaſſet. Sab. libro ſexto, capite nono.

Poteſt & Hercules Alcmenæ filius videri Liberum patrem æmulari voluiſſe, terrarum orbe ab ortu ad occidentem ſolem & meridiem peragrato, columníſque in ipſo Oceani & terræ confinio conſtitutis. Ibidem.

ALEXANDER Philippi filius (quod ſatis conſtat) intra Hydaſpem fluuium, & Gangem, metas finxit portas Caſpias, rerum à ſe geſtarum terminos: indubitato æmulationis argumento, eorum quæ duo illi diu antea geſſerunt. Ibidem.

IDEM viſo Achillis ſepulchro, propemodum collacrymari cœpit, ſtudio gloriæ & æmulatione virtutis: eúmque felicem prædicare, cui contigiſſet habere laudum ſuarum præconem Homerum.

Fuit & Themiſtocles ambitioſus, atque in tantum illuſtrium virorum æmulus, vt planè fateretur Miltiadis trophæa ſibi ſomnũ adimere. Ibid.

THVCYDIDES etiamnum puer Herodotum æmulatur. vide tit. Indolis theoricæ.

Inter Xenophontem & Platonem tacitæ cuiusdam æmulationis liuor exitit, quum hic illius nusquam operum suorum meminerit: contrà verò Xenophon ipsius Platonis libros de optimo statu reipub. administrãdæ, multis scriptis impugnauerit.

Vidit Aristoteles Stagirites Xenocratem sibi prælatum, cuius cõdiscipulus fuit (nota est vox Platonis, cui illi ambo operã dederunt, Heu qualem asinum iunxi currenti equo) nec eam tulit ignominiam philosophus alioqui eminentissimus: sed procul Athenis, vbi id acciderat, reliquũ vitæ egit, Atticæ ciuitati haud dubiè iratus. Pari affectu ad Rhetoricen tractandam sese contulit Isocratis æmulatione, nota est eius vox: Turpe est Aristotelem silere, loquente Isocrate. Sab. lib. 6. cap. 9.

Est & Apelles æmulantium ambitione sæpe vulgi iudicio superatus. Pronocauit inde ad naturæ tribunal, estque ab ea victor iudicatus in equi figuratione. Ibidem.

572

Non minori propemodum iudicio Zeusidis & Parrhasij æmulatio decisa est: in quo certamine non natura, sed ars ipsa, quæ est naturæ æmula, iudicauit. Ibidem.

Sunt Romanorum in vtranque partem sua exempla, & multa, & magna. Fuit M. Crassus ex confesso Cnei Pompeij æmulus: sed vt diuitiis maior, ita rerum gestarum gloria longè inferior. Catonem, cui Vtica cognomen dedit, M. Fauonius æmularus est in vitæ sanctitate: Hortensius Ciceronem in eloquentia: sumpque multo facilius æmulorum nomen, quàm propositum adepti. Ibidem.

C. Ivlivs Cæsar, quum venisset Gades, animaduersa apud Herculis templum Alexandri Magni imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quòd nihil tum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, in hæc verba prorupit: Nos verò quid? Rauis.

AEMVLATIO INHONESTA, SORDIDA ET ILLIBERALIS.

Zelotypia propriè dicitur, impropriè etiam Inuidia.

Huc refer titulum Zelotypiæ amatoriæ.

Ponam (inquit malus Angelus) sedem meam ad Aquilonem, & ero Altissimo similis. Quæ verba arguunt æmulationem esse in cœlo ortã, non Creatoris vitio, qui summè bonus est: sed creaturæ eum æmulari cupiẽtis, qui omnia ex nihilo fecit. Mala & ingrata æmulatio, ipsique autori calamitosa. nam quo altius Lucifer ascendere conatus est, eo profundius corruit. Sab. lib. 6. cap. 9.

Nisi Protoplastus diuinam æmulari voluisset sapientiam, nunquam lege aberrasset, nam quid per Deum aliud fuit omnium scientiarum rerum affectare, quàm cœli numen, cuius id proprium est, velle æmulari? Ibid.

Rachel sterilis sorori fœcundæ inuidit. Gen. 30.

Magi Ægyptij cum Mose in certamen venêre, magis odio quàm contentione accensi. Nam quia prophetæ summus mystica vtebatur virga, quę cœli prouidentia nunc serpens fieri, nunc aliud diuersum vidi baturmagica illi arte freti, ne miraculum pro miraculo esset, nouum commenti sunt oculorum ludibrium, vt quibus ipsi virgis magicis vterentur, in colubros verterentur. Coarguit Magorum fraudem diuina vis, cui nemo nisi impius repugnat, vanásque hydrorum species non sine spectantium stupore verus mysticúsque Mosis deuorauit serpens. Sabel. libro tertio cap. 9.

Bethleei senis detestabilis fuit æmulatio, qui prophetam mentitus, Ladanem virum prophetici spiritus instituto auertit itinere. Sensit fatidicus senex Bethleem reuersus incurrisse iram numinis, quòd tãtum Roboæ impietatem iustus corripere, prophani hominis dicto temerè obtemperasset. Sensit, ac simul vaticinatus est, fore vt breui violento belluæ incursu laniaretur. Nec vaticinio defuit euentus. Sab. libro 6. cap. 9.

Effraimitæ Leptem tribulem suum, post clarissimam victoriam de Philistæis & Ammonitis partam, quia ad bellum vocati non essent, vt hostem armis persecuti sunt. Cæterum acie congressi, ad quadraginta hominum millia vno amiserunt prælio. Sab. lib. 9 cap. 2.

Maria soror Moysis & Aaron, locuti sunt contra Mosen dicentes: Non per solum Mosen locutus est Dominus. Ex quo apparet, quòd inuidus non parcit beneficis, vel propinquis. Numeri 12.

Percusso Philistæo cantabant mulieres: Saul percussit mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit ei sermo iste. primo Reg. 18.

Videns Achitophel quòd non factum fuerat secundum consilium suum, sed magis secundum Chusai, abiens in domum suam, suspendio interiit. 2. Reg. 17.

Herodes multa puerorum millia morti dedit, ad intercipiendum virginis partum, cuius futuræ gloriæ inuidebat.

Videntes Principes sacerdotum & scribæ miracula quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes, Hosanna filio Dauid, indignati sunt, &c. Matth. 21.

Ioannes apostolus prohibuit quendam eiicientem dæmonia in nomine Domini Iesu, eo quòd non sequebatur eos cum aliis discipulis, & ait ad illum Iesus: Nolite prohibere, qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. Luc. 9.

Frater filij prodigi, audiens festum quod faciebat pater adolescẽtioti filio reuertenti, indignatus est, & nolebat introire. Luc. 15.

Discipvli Ioannis baptistæ, zelabant cõtra Dominũ pro magistro suo, quando dixerunt ei: Rabbi, qui tecũ erat trans Iordanem, hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Ioannes autem optimè respondit eis. Ioan. 3.

Cùm afferrentur de ciuitatibus vicinis diuersi infirmi in Ierusalem, & à Petro curarentur, exurgens Princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, repleti sunt zelo. Actor. 3.

Factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, &c. Act. 6.

Audientes verba Stephani Iudæi, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, dolentes quòd non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Act. 7.

Videntes Iudæi, quòd penè vniuersa ciuitas conuenerat audire verbũ Dei, quod Paulus & Barnabas prædicabant: repleti sunt zelo, & contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur blasphemantes. Act 13.

Certamen illud memorabile Petro Barionę cum Simone Mago, à Simonis Samaritani inuidia ortum est, qui opera diuinitatis, malorum dæmonum prælusigiis æmulabatur, quæ sanctè imitari nõ poterat. Sed dum Romanam ciuitatem ludere contendit magico astu, diuina vi terræ affl ictus, eruręque debilitatus, lusus est. Sab. lib. 9. cap. 2. & lib. 6. cap. 9.

Hyacinthvm Poetæ fabulantur liberali forma iuuenem, quem disco luderet, à Borea interfectum: quòd Apollinem charius diligeret, quàm ipsum Boream.

Simili figmento aiunt fulminatum à Ioue Æsculapium, quòd Hippolytum reuocasset.

Circe venefica ægrè ferens, Scyllam nympham à Glauco amari, fontemsin quo se lauabat) infecit veneno, cuius virtute Scylla in monstrum marinum mutata est.

Paridis iudicium, & Ganymedis raptus, tantam Iunoni inuidiam cõflauerunt in Troianos, vt eosdem multis procellis naufragos semper agitauerit, & auerterit ab Italia: vt fabulatur Maro.

Aiax Telamonius inuidens arma Achillis interfecti data in præmiũ Vlyssi, versus in furias, se interemit.

Hyarbita Maurus, dum Timaginem philosophum inter pocula declamantem vellet imitari, & non posset, inuidia crepuit. Hor. li. 1. Epist.

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua.
Dum studet vrbanus tendítque disertus haberi.

Dædalvs Telon discipulum suum interemit ob inuidiam quòd figuli rotam & serram excogitasset.

Sunt qui dicant, Aristotelem præceptori suo Platoni adeò inuidisse, vt bonam eius Operum partem flammis & incendio dederit.

Laborans hoc morbo Zoilus, Homerum poetarum maximum conuiciis lacerare non destitit. Martial.

Ingenium magni liuor detraxit Homeri:
Quisquis es, exilio Zoile nomen habes.

Vetus est de Salmoneo & Alladio memoria, quorum Albæ hic in Latio, ille in Elide Arcadiæ, Iouis tonitrua fulguráque imitati, calamitoso æmulationis euentu, vterque suę pœnas luit impietatis, cœlestem ignem experti: quem non minus ftulcè, quàm impiè, vano strepitu imitabantur. Sabel. lib. 6. cap. 9.

Plato vir summus, & Xenophon, haud experres fuisse creduntur talis affectus. Id indicio est, quòd neuter alterius meminit vnquam, cùm multa vterque scripserit: ambo clari, & inter se alioqui noti, Socraticæq; sapientiæ ambo alumni. Ibidem.

Est ciuitatum peculiare malum æmulatio: vnde discordiæ, seditiones, intestina bella sępe orta. Assectatur inuidia felicitatem, nunc que effitis vestigio hęret, nunc ex obliquo assilit, occursatq; à fronte: nec patitur solitudum esse fructum, qui ex rerum successu percipiendus est. Idem sanè affectus, aut solus aut præcipuus, Cimonẽ tam infestum reddidit Pericli, Anytum Alcibiadi, Epaminundam Pelopidę, Hannonem Annibali, Fabiũ Maximum Scipioni, Marcellum Cæsari. Prętexuit (scio) alius aliam causam suo odio: sed dissidij origo aut ex odij fonte orta est, aut liuentibus fuit aquis respersa. Sab. lib. 9. cap. 2.

Alexander Macedoniæ rex potentissimus, Perdiccam oderat, eo quòd esset bellicosus: Lysimachum, quòd militandi peritus: Seleucum, quòd magni animi: Attalum, quòd imperatoria dignitate polleret: Ptolemęum, quòd ei prosperè omnia succederent. Ælian. libro 12. de Var. histo.

Maiorẽne iusticiæ affectu, an inuidiæ Papyrius dictator Fabium magistrum equitum in castris primò, mox ad populum Romanum fueritatrociter insectatus, nemo (vt arbitror) facilè dixerit. Occiderat ille occidione (quod satis constat) Dictatore absente ad viginti & amplius hostium millia vna acie, ex occasione eos adortus, cùm iussus esset à Dictatore nihil mouere, quamdiu ipse abesset. Aut igitur Papyrius nobilem illi victoriam inuidit, aut nimis contempsit Rom. legiones, maiestatémq; Rom.

populi: cuius precibus nunquam cessisset, nisi veritus esset, ne solutum imperio, illius suffragio, cui id obstinatus negabatur, reus absoluere-tur. Sab. lib. 9. cap. 2.

Nec mutua caruerunt inuidia Sallustius & Cicero, quum ille huic impingeret, quòd eloquentiam pudicitiæ iactura apud M. Pisonem perdidisset, vxoremque sacrilegam & filiam matris pellicem habuerit: hic vero illi, quòd impudicissimi corporis quęstu victum sibi parauerit, patrem non coegerit, quòd eo nondum mortuo pro hærede omnia decoxerit, filiorem ad iudicum subsellia tractus in extrema fleterit fortuna.

Asinius Pollio adeò fuit infensus nomini Ciceronis, vt eius laudes augere nequiuerit. Nam quum Sextilius poeta carmen hoc retulisset, Desinite Cicero, patriæque silentia linguæ: Asinius ea re permotus, audire noluit.

Cæsar ægrè ferens Catonem sibi inuisum à M. Tullio multis celebratum laudibus, duos libros in eundem scripsit, Anticatones inscripti sunt, in quibus omnia propè Catonis vitia collegit: & inter alia ebrietatem, vt maximum probrum, illi obiecit.

Didymvs Alexandrinus liuore motus sex libros in Marcum Tullium edidit, dictus propterea Ciceromastix.

Bavivs & Mevivs ineptiss. poetæ, Vergilio suam inuiderũt gloriam. De quibus ipse Verg. in Buc. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

M. Varroni (quem Maurus Terentianus virum vndecunque doctissimum appellauit) adeò inuidit Rhemnius Palæmõ grammaticus, vt eum porcum appellauerit.

Sergivs Galba, Galbæ oratoris nepos, ob repulsam consulatus infensissimus Iulio Cæsari fuit, cuius legatus in Gallia fuerat: teste Volat. lib. 16. Anthrop.

Hadrianvs Romanorum Imp. Traiano imperatori à quo adoptatus fuerat, & cui in regno successit, inuidisse videtur, quando & Armeniam & Mesopotamiam & Assyriam, ab illo acquisitas, Parthis concessit: pontem quoque ab eodem supra Danubium factum deleuit. Volat. lib. 23. Anthrop.

ÆMVLATIONIS DEFECTVS.

Exempla ex tit. Liberorum qui à parentibus degenerarunt, item inobedientiæ, peti possint. Differt à καταφρονήσει, vt ex seq. titulo patebit. Consule etiam tit. Ignauia in imitatione Theorica, Mechanica, Ethica.

Excæcato Tobia, Parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, quare eleemosynas & sepulturas faciebas? Tob. 2.

ΚΑΤΑΦΡΟΝΗΣΙΣ. DESPICIENTIA, CONTEMPTVS.

Καταφρόνησιν *Aristoteles* τῷ ζήλῳ *opponit, quemadmodum* τὴν φθόνησιν τῇ ὀργῇ. *Æmulatio medium habet, habet & καταφρόνησις. Differt autem* καταφρόνησις, *de qua hic nunc agimus, à defectu Æmulationis, quòd* καταφρόνησις *mediocritatem seruãs bonæ est affectus, καὶ τῇ φιλαληθείᾳ inseruiens, quoniam ea quæ contemnenda sunt contemnit: at Æmulationis defectus, ea quæ imitanda sunt & æmulanda, non æmulatur. Vt igitur ζῆλος æmulatur & imitatur, ita καταφρόνησις non imitatur, sed contemnit. Proinde rectè Arist. sibijuniciem opponit tanquam contrarios affectus, subiecto ipso, non autem ratione medy & defectus tantum differentes (vt Æmulatio Æmulationis defectus.)* καταφρόνησις φιλαληθείας *speciem quandam comitatur:* καταφρονήσεως *autem excessus, superbiam: eiusdem defectus, εἰρωνείαν. Ratione hæc distinguenda sunt, satis alioqui confusa, & à paucis diserte explicata. Quinetiam illud hic obiter monere possumus,* καταφρόνησιν *interdum cum Æmulatione coniungi, vt quando eius quem contemnimus (vt rationem cõemptus afferamus) mores, gestus, dicta factáque imitamur. Nimia quoque* καταφρόνησις *æmulatur & ipsa. Sic Aristophanes Socratem*
Ἐν νεφέλαις, & Salmoneus Iouis fulmina imitatur. Irriso igitur huic affectui famulatur, qui in pueris frequens admodum conspicitur.

Demonax Hadriani tempore philosophus insignis, miseros in calamitate positos assiduè deridebat, tanquam nescientes quòd breui temporis malorum oblitione ac libertate perpetua post mortem adficerẽtur. Volat. lib. 13. Anthrop.

Cassander Antipatri filius, Barbaros, contra naturam Macedonum, regem Alexandrum adorantes irrisit: propterea hunc continuò Alexander capite parieti illisit. Volaterranus libro decimotertio, capite 3. Anthrop.

NIMIVS CONTEMPTVS.

Abraham promissionem de filio ex Sara risit, risit & Sara. Risus autem Saræ fuit reprehensus à Domino: Abrahæ non. Genes. decimoseptimo & 18.

Viris Socoth & Phanuel deriserunt Gedeonem, Zebee & Salmana consequentem. Sed inde malè eis accidit, quia malè eos postea tractauit. Iudic. 8.

Michol videns regem Dauid saltantem ante aream Domini, despexit eum, quia nudum eum vidit. Et postmodũ insultando dixit: Quàm gloriosus fuit hodie rex? 2. Reg. 6.

Pveri illuserunt Eliseo, dicentes: Ascende calue. Duo vrsi ex sylua prodeuntes laceraucrunt quadraginta duos ex eis. 4 Reg. 2.

Sanaballath & Tobias audierunt quòd ædificabãtur muri Ierusalem, & irridebant Iudæos ædificantes. Neh. 4.

Percussum Iob vlcere pessimo derisit Vxor eius. Iob. 2.

Salmoneus apud Elidem Græciæ, & Alladius apud Albam Italiæ Iouis fulmen & tonitrua mentiri & effingere voluerunt.

Alcibiades, Socratem familiarissimum sibi, & senio iam confectum, arundine cruribus inserta cum infantibus equitantem, irrisisse fertur: vt est apud Petrarcham libro primo Tract. primo, capite octauo.

AFFECTVVM ACCIDENTIA.

OSCVLATIO.

Φιλήματος hoc signum est, sempérque fuit, & intimæ dilectionis indicium: quamuis hoc ipso multi abutantur. Sic Iudas Seruatorem nostrum osculo prodidit. Per accidens autem venerationis quoque symbolum esse potest, quatenus scilicet veneratio benevolentiam secum habet iunctam. Sic summo Pontifici, extremi honoris ergò, reges terræ pedes deosculari non erubescunt.

Isaacvs filium Iacobum prius osculatur, quàm benedicat. Esau, qui audiens venerat, prospera quædam precatur, verùm absque osculo. Gen. cap. 27.

Iacobvs patriarcha in Mesopotamiam profectus, cùm ad puteum Rachelis filiæ auunculi sui Labanis occurrisset, eam cum fletu osculatus est. Genes. 29.

Laban ictu fœdere cum Iacobo genero in monte Galaado, nepotes & filias suas deosculatus mane abiit. Genes. 31.

Esavs Iacobo fratri in Chananæam redeunti ex Mesopotamia obstantes, in collum eius insilijt: eúmque complexus, flens flentem osculatus est. Genes. 33.

Hebræi iuxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt. Cæl. lib. 4. cap. 3.

Olim in Christiana Ecclesia festa luce quicunque sacrorum Christianorum causa sacerdotibus assistebant, dum rem diuinam facerent, pio instituto osculo pacis mutuam inter se firmabant charitatem. Sab. libro 6. cap. 1.

Persæ si in via sibi inuicem occurrant, salutationis loco sese mutuò osculantur. Quòd si alter fuerit humilior paulò, genas osculantur duntaxat: sin autem fuerit alter multo ignobilior, prostratus adorat honoratiorem. Herod. lib. 1.

Chytra Polluci, vel Chytron Suidæ, modus osculandi apud antiquos, cùm apprehensis vtrinque auribus pueros puellásue exosculabantur. Hinc Tibullus:

Oscula comprensis auribus eripiet.

Plutarc.in eo qui De audiendo inscribitur, rationem affert, quòd puerorum aures bonis sint imbuendæ colloquiis. Gyraldus Dialogo sexto Histo.poet.

TROIANÆ mulieres, cùm vrbe incensa cum viris in diuersas regiones nauigassent, vt longis nauigationibus finem demum imponerent, & patriam tandem constituerent sibi, absentibus maritis naues omnes incenderunt. Viri verò iracundia maxima moti, cùm citato cursu ignem extinguere conarentur, vxorum osculis eò adacti sunt, vt præsentem casum æquo animo ferrent, & eodem in loco vrbem conderent: vnde apud Romanos consuetudo mansit, vt osculando non tãtùm vxores suos maritos salutarent, sed omnes quoque qui sibi aliquo affinitatis gradu coniuncti essent. Plutar.de Claris mulieribus, cap.1.

THRASYMEDES Philomelæ filiæ Pisistrati amore captus, eam in pompa ingredientem accurrens osculabatur. Fratribus virginis ægrè ferentibus, & non ferendam contumeliam existimantibus, Pisistratus: Si, inquit, amantes pœnis affecerimus, quid iis faciemus, qui nos odio prosequuntur? Polyæn.libr.5.

NVMIDÆ reges more gentis suæ nulli mortalium osculũ ferebant. Quicquid enim in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse conuenit. Val. Max.lib.2.cap.1.

A ROMANIS vsurpatum legimus, vt cognatis obuiam factis salutando frontes suauiarent. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

ROMANOS principes peregrè profecturos, & mox vrbem repetentes, condito more senatores osculo excipere solitos, legimus apud Rhodiginum lib.4.cap.3.

CATO Censorius tanti semper exempli fuit, vt Manlium senatu mouerit, quòd interdiu pręsente filia vxorem suauiasset: asserens, se nunquã, nisi cùm tonaret, à sua complexum. Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

IMPERATORIBVS Romanis milites dextras victrices deosculabãtur, seruatæ fidei gratia. Alex.ab Alexan.lib.cap.19.

COMMENDATIO.

Quidam petiit ab Agesilao, vt se scriptis ad hospites & amicos suos Asiaticos literis commendaret, quo apud illos ius suum consequeretur, respondit: Nihil esse opus literis commẽdaticiis, nam mei, inquit, hospites sua sponte quæ iusta sunt faciunt, etiam si illis non scripsero. Apud bonos in bona causa superuacua est cõmendatio, quum ipsa res impetret quod precibus exoraretur. Plut.in Laconicis apoph.

AVGVSTVS filios suos nunquam populo commendauit, nisi cum hac exceptione: Si merebuntur. Honorem non autoritati, sed meritis tribui volens. Erasmus lib.4.Apoph.ex Sueton.

ANTONINVS Pius rogatus, cui filium commendaret? Vobis, inquit, si promeretur, & diis immortalibus. Fauorem noluit suæ autoritati tribui, sed filij meritis. Iulius Capitolin.

SALVTATIO.

De Salutatione etiam sub loco Bonorum *fortuitorum agemus, quatenus honorem præ se fert. Hîc solius amoris & beneuolentiæ, cuius signum est, rationem habemus.*

GRÆCI non proprio, sed officij nomine, aut muneris, quod gerebãt, salutare, religiosius putarunt. Si qui tamen præcipua dignitate & honoribus fulgerent, illos propriis salutare nominibus decorum videbatur. Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

Apud Romanos id longè præstantissimum fuit, suis nominibus quenq; revereri & salutare, salutantibúsque reddere salutem. Ideo nomenclatorem, qui nomina suggereret habuere. Si autem nomen non succurreret, illum honoris causa dominum appellabant. Ibidem.

CRASSVS infimi ordinis homines singulos, nominibus semper propriis salutasse dicitur. Ibidem.

Quidam à Socrate salutatus, non resalutauit: sed hoc nequaquam molestè tulit Socrates. Amicis autem admirantibus, & ob hominis inciuilitatẽ indignantibus, dixit: Si quis nos præteriret, peius affectus corpore quàm nos sumus, nequaquam illi succenseremus: quur igitur illi succenseam, qui peius affectus est animo, quàm nos sumus? Eras.lib.3.Apoph.

ÆGYPTII loco compellandi se mutuò in viis adorant, genu tenus demissa manu. Herod.lib.2.

ἀσπασμὸν Gręci salutationẽ vocãt in genere. Propriè tamẽ videtur eũ salutãdi morẽ exprimere, quãdo dextris iũctis, amicũ ad nos trahimus, ἀπὸ τοῦ σπάσαι, quod trahere vel stringere significat. Quo salutãdi more Germani frequẽter vtũtur, *wann man einen zu sich zeucht, oder die hand truckt.*

VOTVM.

Inter accidentia affectuũ nullum generalius est Voto, *quoniã in malis simul & in bonis locũ habet.* Bona *enim adesse, augerique nobis ac nostris optamus: mala à nostris abesse, inimicis adesse precamur.* φιλία *igitur,* Spes, Timor & Odiũ, Voti *interdũ causæ esse possunt, tanquã particulares causæ generalis effectus: de quo nos in pręsentia, antequã ad accidentia, quæ vni tantũ affectui, aut certè paucioribus inseruiunt, perueniamus.* Est *itaq;* Votum, *nihil aliud quàm petitio boni vel mali absentis, quod in nostra potestate nõ est positũ.* Hinc *deuoti homines, qui vel cõcipiunt vel persoluunt vota, & res deuotæ, quibus vel in conceptione vel in persolutione votorũ vtimur:* Vt Petitio *est, sic à desiderio solo siue cupiditate boni mali-ue differt: quia desiderare quis potest, etiamsi à nemine petat:* Votũ *autẽ non desiderat tantũ, sed etiã petit.* Differt *quoque hoc ipso à re deuota.* Nã *spe boni consequẽdi, vota interdũ facimus diis, & nuncupamus: hoc est, vel promittimus nos aliquid facturos, si hoc nobis dederint: vel id facimus aliquid, quod illis gratũ esse credimus, vt eorũ gratiã promereamur.* Interdũ *vota soluimus, quando voti cõpotes facti, id quod promissum fuit præstamus.* Votũ *itaq; dupliciter sumitur, tũ pro ipsa petitione, quẽadmodum hoc in loco: tũ pro reipsa, quæ vel antequã id quod petimus consequamur, diis promittitur & offertur: vel, postquã consecuti sumus, grato animo persoluitur, siue semel tantũ, siue annuatim: quæ* Vota *solẽnia & annua dicuntur.* Petitionis *igitur est, vouere simpliciter: res autẽ ea est quæ deuouetur.* Est *ergo petitio ipsum* Votũ. In *omni petitione est is qui petit, minor, is à quo petitur, maior, petens eget: is à quo petit habet, & largiri potest id quod petitur, siue reipsa, siue opinione tantũ.* Petit *autẽ à superiore aliquo & maiore, siue à* Deo, *quod* Votum *religiosum dicitur, siue ab homine.* Et *hinc* Vota *definita dicũtur, in quibus is à quo petimus, definitus est: indefinita verò, cum personã certã, à qua petimus, non exprimimus: subintelligitur tamen vel* Deus *vel homo.* Modus *autẽ petendi varius est.* Nã *vel occultè petit, & tacitè in animo optat aliquid,* λόγῳ *tamen* ἐνδιαθέτῳ: *vel manifestè & apertè petitionẽ suã declarat, tũ verbis* καὶ λόγῳ προφορικῷ, *tũ opere ipso.* Verbis *rursus vel absolutè, nulla interposita aut annexa cõditione, pacto & promisso, vt qui simpliciter aliquid petit à* Deo *aut homine: quod genus magis ad* Preces *quàm ad* Votũ *pertinere videtur: vel cũ pacto & cõditione expressa:* Si *dederis hoc mihi, ego vicissim illud tibi, aut etiã,* Hoc *tibi nunc do & offero, vt tu mihi illud largiaris.* In *omnibus enim voti expreßi formulis cõditionales cõiũctiones vel actu vel potẽtia cõtinentur, & per optatiua aduerbia, vtinã, ô si, & similia, efferuntur.* Iã *verò opus ipsum voti quoq; indiciũ est, quamuis nulla intercedant verba: qualia sunt sacrificia, munera, dona, anathemata, quales fuerunt* Decij *pater & filius, qui se pro exercituũ salute deuouerunt, inq; suũ caput diras patriæ cõuerterunt.* Sequitur *in definitione,* Boni *vel mali absẽntis.* Bonũ *petimus vel nobis, vel nostris amicis, siue sit bonũ per se, siue per accidẽs, hoc est, per ablationẽ mali.* Huiusce*modi votũ elegãs ille versiculus cõtinet,* Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις ἄμμι δίδου· τὰ δὲ λυγρὰ καὶ εὐχομένων ἀπερύκοις. Da *bona siue petare* Deus, *seu nulla petare.* Et *mala siue petare nega, seu nulla petare.* Malũ *petimus nõ nobis, sed inimicis, quæ petitio propriè imprecatio dira appellatur: cuius exempla plurima apud veteres habentur, quẽadmodũ etiã* Voti *boni, nã* Benedictiones & Maledictiones *veteris* Testamenti, *ab hominibus conceptæ, nihil aliud sunt quàm* Vota. Absẽns *deniq; bonũ est vel malũ, alioqui nõ opus esset petere.* Votũ *ergo defectũ indicat.* Cùm *autẽ sit absẽns, vel poßibile est illud cõsequi, vel impoßibile.* Posterioris *generis sunt ea quæ iam præterierũt.* Petere *illa & optare possumus, cõsequi non possumus numero eadẽ, sed specie tantũ.* Sic *Augusti felicitatem,* Traiani *pietatem,* Imperatoribus *suis* Romani *imprecabantur.* Et *hæc hactenus de* Voti *natura, speciebus & differentiis, ex dissolutione definitionis, dicta sint.* Nunc *ad exempla accedamus, quorum bona pars ex* Religiosæ Iustitiæ *locis petenda erit, vbi de oratione & precibus agitur.* Illic *enim de* Votis *quoque egimus, quatenus à pio habitu proficiscuntur.* Hîc *verò vota tanquam accidens variorum animi affectuum consideramus, & proinde ne minutas quasque differentias persequi cogamur,* Vota *diuidemus in* Petitionem & Satisfactionem, *atque ea exemplis illustrabimus.*

Vota *duo in se habent:*
- Petitionem, *seu Cõceptionẽ voti, quæ vel*
  - Simplex *optatio, tacita aut manifesta, boni maliue absentis, siue à Deo, siue ab homine, tã indefinitè, quàm definitè.* Indefinita *autẽ optatio est ea, in qua certa persona, à qua petimus aliquid, non exprimitur, vt cùm* Darius *tot optauit Zopyros, quot grana in punico malo conspiciebat,* Definita *econtrà, quæ certam habet personam.*
  - Composita, *hoc est, in qua non verba tantùm tacita aut manifesta intercedunt, sed res quoque deuouetur.*
    - Nunc *aliquid offerunt, vt alterius gratiam, à quo id quod petunt, se consecuturos sperant, promereantur.* Voti*bent* (continued:) *sunt vt plurimum, nempe*
      - Nuncupare & *concipere vota dicũtur tum illi qui* — *appelletur nuncupatio.*
    - Futuro *tempore aliquid se facturos promittut, si compotes voti fuerint.* Voti *conceptio appelletur, si placet.*
- Satisfactionem. *Id quod voto promissum est, præstare, &* Votum *persoluere.*

VOTVM SIMPLEX.

Vide tit. Quæ à diis petenda sint.

IACOB ad Labanem auunculum suum profectus, post ostensam sibi à Domino visionem, vouit votum dicens: Si fuerit Dominus mecũ. Gen.28.

Græci olim consueuerant famem virgis ex ædibus eiicere, dicentes: foras famem, intrò diuitias & sanitatem. Rauis.

PEDALII Indorum populi, nihil in sacrificiis aliud à diis petebant, quàm iustitiam: arbitrati se omnium rerum compotes futuros, si eã consequerentur. Rauis.

SOL Phaethonti filio facturum se vouit, quicquid optasset: optauit, vt in currum patris tolleretur. Sublatus est, atque is antè quàm cõstitit, ictu fulminis deflagrauit. Cicero lib.3. Officiorum.

THESEVS exegit promissum à Neptuno, cui tres optiones Neptunus dedisset. Optauit ergo interitum Hippolyti filij sui, cùm is patri suspectus esset de nouerca. Quo impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus. Cicero lib.3. Offic.

MIDAS rex Phrygiæ, cùm à Baccho iussus esset petere quicquid vellet, mox accepturus: petiit, vt omnia quæ tangeret, in aurum verterentur. Ouidius lib.11. Metam.

DARIVS, cùm aduersus Alexandrum Macedonię regem inuictissimũ, infeliciter dimicasset, & à suis militibus interficeretur, moriẽs deos precabatur, vti Alexandrum secundarent, quem hostem clemẽtiorem quàm suos inuenisset. Volater.in vita Alexandri, lib.13.cap.3. Antroph.

IDEM oblato sibi malo punico, tot optasse fertur Zopyros, quot illic essent granorum. Dicebat quoque, se malle Zopyrum vnum incolumen habere, quàm viginti Babylones vincere. Herodotus autor lib.3.

CRATES Thebanus Demetrio Phalæreo indignatus est, quòd ipsi panes ac vinum misisset, dicens: Vtinam fontes etiam panes ferrent. Sentiens, vino philosopho nihil opus esse: atque hoc ipsum esse submolestũ, quòd panis non æquè parabilis esset, ac potus. Laert.lib.6.cap.5.

Scribit Plinius lib.7. L. METELLVM decẽ maximas res optasse: vtpote voluisse Primarium bellatorem esse, Optimum oratorem, Fortissimũ imperatorem, Auspicio suo maximas res geri, Maximo honore vti, Summa sapientia esse, Summum senatorem haberi, Pecuniam magnam bono modo inuenire, Multos liberos relinquere, & Clarissimum in ciuitate esse. Quæ omnia illi contigerunt.

Optabat HORATIVS Tyburi, aut prope Galesum Calabriæ fluuium consenescere, his verbis: Tybur Argeo positum colono, Sit meæ sedes vtinam senectæ, Sit modus lasso maris & viarum, Militiæque. Idem lib.1. Car. optat mentem sanam in corpore sano.

Cæsar AVGVSTVS, cùm Caium ex filia nepotem in Armeniam mitteret, optabat à diis, vt illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, sui ipsius autem fortuna comitaretur. Quòd in singulis erat præcipuum, id optabat vni contingere. Illud autem singularis cuiusdam erat modestiæ, quòd vir ingenio, doctrina, consilioque præstans, sua preclarè gesta fortunæ ascribebat. Plut.in Rom.Apoph.

IDEM, cùm quartum & quinquagesimum annum ageret, precatus à diis est, Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompeij, Cæsaris fortunam. Plutarchus lib.de Romanorum fortuna: & Crinitus lib.13. cap.1. de honesta disciplina.

ARISTIDES Atheniensis, quum iret exulatum, sublatis in cœlum manibus deos comprecatus est, sic prosperarent res Atheniẽsium, vt illis Aristides nunquam veniret in mentem. In rebus enim afflictis solet populus ad egregios viros confugere, id quod euenit. Siquidem tertio pòst anno, quum Xerxes Atticam adoriri statuisset, Aristides ab exilio reuocatus est. Plut.in eius vita.

CAIVS Cæsar optauit populum Romanum vnam tantùm habere ceruicem, vt vno ictu vniuersum conficeret. Põtanus de Immanitate, cap.9.

VOTA NVNCVPATA.

Rex ARAD pugnauit contra Israel: & victor existens, obtulit ex eo prędam. Num.27.

Lætatus est POPVLVS, cùm vota sponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino. Sed & Dauid rex lætatus est. 1. Paral. 29.

VIRI qui erant in naui, vbi fuit Ionas propheta, timuerunt timore magno, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota. Et Ionas ait: Quæcunq; voui, reddam pro salute mea Domino. Ionæ 1. & 2.

ATHENIENSES, cùm aureis & argenteis vasis diis libassent, & pæana cecinissent, tunc demum sanctissimis cæremoniis cœlum suspicientes vota nuncupabant. Alex.ab Alexan. lib.3.cap.22.

LACONES cum deos precantur, hoc votis addunt. Vt possint iniuriam pati, quòd neminem iudicarent ad gerendum imperium, aut alioqui magnas res obeundas idoneum, qui quãuis iniuria commoueretur. Plutarchus in Lacon.apoph.

DIONYSIVS senior, cùm intra regiã sacrum ex more perageretur, præcoque, sicuti assueuerat, precaretur, vt per multa tempora inconcussum duraret imperium: Non tu desines, inquit rex, abominanda nobis imprecari? Sentiens, potius optandam bonam mentem, quàm ea quæ nihil conferunt ad hominis fœlicitatem: quandoquidem animi bona fortunæ bonis semper præferenda sint. Eras.lib.5.Apoph.

PYRRHVM Epirotarum regem ferunt (vbi immolaturus templa inuiseret) non regni ampliorem modum, nõ de hoste victoriam, non gloriã illustrẽ aut diuitias, sed sanitatem modò à diis comprecari solitũ: ceu parte hac bene constituta, prosperius cessura viderentur omnia. Rauis.

P.VAL.Publicola, qui eiectis ex vrbe Tarquiniis primus Rom. consul fuit, in crudelissima vrbis peste, nũcupatis votis, cæsisq; atris bobus, Diti, Proserpinæq; sacra & ludos fecit. Val.Max.lib.2.cap.de Institut.antiq.

AFRICANVS posterior, censor, cũ lustrum cõderet, inq; solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solẽni eius precationis carmine pręiret, quo dij immortales vt P.R. res meliores amplioresq; facerent, rogabãtur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. Itaq; precor vt eas perpetuò incolumes seruent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modũ carmen emendari iussit. Qua votorũ verecundia deinceps Cẽsores in condendis lustris vsi sunt. Prudenter enim sensit, tunc incrementũ Romano imperio petendũ fuisse, cũ intra septimũ lapidẽ triumphi quærebãtur. Maiorẽ autẽ totius terrarũ orbis partẽ possidenti, vt auidum esset quicquã vltrà appetere: ita abundè fœlix, si nihil ex eo quod obtinebat, amitteret. Val.lib.4.cap.1.

Apud ROMANOS id obseruatũ erat, vt nõ nisi tertio die post Calẽdas Ianuarias pro salute principis votũ conciperetur, vtq; solenne iusiurandũ nuncupationibus votorũ præstaretur. Alex.ab Alex.lib.3.cap.22.

AVGVSTVS Cæsar Circio vento, ne Galliã rapidè infestaret, votũ exoluit, & sacrum fecit: cuius tanta plerunq; vis erat, vt tecta auferret. Ibidẽ.

CALABRI Iapygi, APVLI vẽto Apulo ATHENAE Scironi, PAMPHILII Gagneo, ne incolas tabe afficerent, néve arua depopularentur, vota fecerunt. Ibidem.

In AGRO Sicyonio ventis extructã aram legimus, cui quotannis noctẽ vnam vota effundunt, vt lenita vis venti desineret, cùm turbine ventorum villæ & arbusta & fruges passim deuastarentur. Ibidem.

TIBERIO imperante id seruatum est, vt in votorum nuncupatione Neronem Drusumque diis commendarent. Ibidem.

HERMODVRI inter solẽnia vota, belli duces sacrare diuersam aciẽ, illamque Marti & Mercurio deuouere voluerũt, quo voto equi, viri, spolia & machinæ, cunctaque bello quæsita occisioni dantur. Ibidem.

MYSI, nisi immolato prius equo, & litato, extisque depastis nullo modo vota concipiebant. Ibidem.

GALLI Aristonico duce cùm contra Romanos militarent, deque hostium præda aureum torquem Marti vouissent, Flaminius vt voto vinceret, de torquibus Gallorum Marti trophæum posuit. Ibidem.

PONTI & Persarum regum vouendi mos erat, vt in excelsis iugis, & summo vertice montium pyram construerent, alteramque desuper breuiorem: ipseque ad pyram ligna rex inferat primus, Iouique militari lac & mel inspergat: & posteaquam vinum, mel & odores infuderit, velut propitiato Deo, vota enunciet. Alex.ab Alex.lib.3.cap.22.

VOTA CONCEPTA, SIVE PROMISSA.

ARAD rex pugnans contra filios ISRAHEL, ducebat inde prædã. At illi voto se Domino obligantes, vicerunt eum, & vrbes hostium subuerterunt. Numeri 21.

Pugnaturus IEPHTE contra filios Ammon, votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunq; primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit, eum holocaustũ offeram Domino. Vnde postea flens, filiã, quæ prima ei occurrit, immolare coactus est. Iudic. 11.

Orauit Anna Dominũ flẽs largiter, & votũ vouit, dicẽs: Domine exercituum, si dederis mihi sexum virilem, dabo eum Domino. 2 Reg.25.

Postquam percussus fuit à Deo ANTIOCHVS grauissima & insanabili plaga, pollicitus est Iudæis, templo Hierosolymorum mirabilia se facturum. Sed nihil ei profuit: quia nõ ex deuotione, sed ex timore vouebat. 2.Machab.9.

Crudele votum & impium fecerunt illi IVDEI, qui accedẽtes ad principes sacerdotum dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Actor.23.

ARTAXERXES pro vxoris salute, terræ votum faciens, se illam attacta humo solenni prece adoraturum promisit. Alex. libr.3. cap.22.

AEGYPTII pro pueris morbo affectis vota concipiebãt, vt si deus voto adesset, desectum capillum diis dedicarent. Idem: & Diod.lib.2. cap.2.

GRAECI frequenter statuas longo æuo duraturas diis vouebant. Alex.ab Alex.lib.3.cap.22.

Apud GRAECOS decimum quéque hominem Apollini Delphico daturos voto firmarunt persæpe. Ibidem.

ARISTOTELES ægrotante Nicanore, pro incolumitate amici statuas se Ioui Seruatori vnam, alteram Iunoni Sospitæ dicaturum vouit. Ibidem.

LOCRENSES dijs vota facientes, se virgines prostituturos: Romani ferro se digladiaturos, & pro alterius salute se & caput suum deuoturos: Persæ viuos homines se defossuros, sæpe promiserunt dijs. Ibidem.

ELEORVM fœminæ Palladi votum nuncupant. Vide tit. Fœcundæ mulieres.

CROTONIATÆ, cùm aduersus Locrenses graues inimicitias haberent, bello dimicaturi, cùm decimam prædæ partem Apollini vouissent. Locrenses (vt voto vincerent) nonam deuouere. Idem.

Apud Methonem Palladi Anemotidi templum dicatum est, ne violentiores perflantes loca deuastarent. Idem.

ROMANI & cæteræ quoque gentes decimam prædæ & spoliorum partem diis deuouerunt, vt prosperum belli euentum sortirentur. Idem.

IIDEM decimam partem fructuum Herculi passim vouebant. Fuit quoque mos, vt qui compotes voti fuissent, quo potiora sumerent, veteribus persolutis, nouis se obligarent votis. Idem.

ROMVLVS Sabino bello, quod circa Capitolium & Palatinum montem gestum est, cùm turpem suorum fugam quodam prælio sistere non posset, Statori Ioui ædem voto nuncupauit, si fugiẽtibus suis metum ademisset, sisterétque Romanum aduersus hostem, qui à tergo victor instabat. Illicò ergo voti compos factus est. Restituta enim acie, non tantũ æquata est pugna, sed ad Curtium vsque locum Sabinus, qui victoria exultabat, est cũ cæde & strage repulsus: vt est apud Plutar. in Romulo, Liuium lib. 1. Dec. 1. Florum lib 1. cap. 2. Sab. lib. 2. cap. 5.

IDEM, cùm videret Acronem Ceninensium regem propter raptas virgines Sabinas Romanũ agrum occupasse, votis nuncupatis, si hostem fuderit fugarítque, se eius arma ferentem Ioui daturum: vbi in certamen collatis signis descendit, regem victor obtruncat, exercitúmque in fugam vertit. Quóque votum Ioui & ciuibus spectatu redderet iucũdum, trophæa erexit, & Ioui opima spolia obtulit: vt est apud Liuiũ lib. 1. Dec. 1. Plut. in vita Romuli, & alios.

TVLLVS Hostilius, cùm ad Tyberis & Anienis confluentem in Fidenates & Veientes aciem direxisset, cognita Albanorum ad hostes defectione, duodecim Salios Marti vouit: extitítque confestim victor exercitus, qui pro victo iure habebatur, iam spe & viribus impar hostibus factus. Liuius lib. 1. dec. 1. Plin. cap. 4 de Viris illust. Sab. lib. 2. cap. 5.

COELIVS Balbinus, & Pupienus, Rom. imperatores, cùm bellum aduersus Maximinorum sæuitiam iis decretum esset, vt victoria potirentur, Hecatomben diis vouerũt. Est autem sacrificij genus, quod centum aris, centúmque insignioribus animalibus conficiebatur. Fulg. lib. 1. cap. 1.

GALLORVM mos fuit, vt belli iure quæsita, plerunque Marti deuouerent. In quo id erat constitutum, vt diuina ope implorata, is plus spei ferret, & propitios facilius deos haberet, qui maiorem prędę partem diis deuouisset. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.

OSVVIVS rex Northanimbrorum, facto Deo cœli voto, Pãdæ Merciorum regi concurrit cum exercitu non multo, & inter magnam Merciorum stragem ipsum regem Pandam perimit. Sigebertus in Chron.

HENRICVS rex Romanorum, Hungaris Franciam, Alsatiam, Alemanniam, Saxoniámque depopulantibus, vouens Deo pro adipiscenda victoria se hæresim Simoniacam de regno suo eradicaturum, eos vsque ad internecionem penè deleuit. Sigebertus in Chron.

VOTA PRÆSTITA.

ASA rex Iuda, ea quæ vouerat pater suus, obtulit in domum Domini, argentum, aurum, vasorúmque diuersam supellectilem. 2. Paral. 15.

Filij Israel & Iuda obtulerũt decimas, quas vouerãt Domino. 2. Paral. 31.

HELIODORVS volens ærarium spoliare, & deposita de templo auferre, fuit virtute diuina grauiter flagellatus. Deinde sanatus per orationem Oniæ, hostia Deo oblata, & votis magnis promissis, redijt ad regem. 2. Machab. 3.

Rex Artaxerxes præcepit Esdræ & populo, vt ferrent munera Domino Deo Israel, quæ vouerat. 3. Esd. 8.

Omnis Populus post victoriam venit in Ierusalem, adorare Dominum, & obtulerunt omnes holocausta, vota & promissiones suas. Iudith 16.

SYMEON Hierosolymitanus, vir iustus ac pius, respõsum acceperat à Spiritu sancto, se non visurum mortem, nisi prius videret Christũ Dominum. In suas itaque vlnas voti compos, accepit infantem Iesum, & laudauit Dominum: Nunc dimittis, inquiens, seruum tuum Domine, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. 2.

DIOMEDON, vnus ex decem ducibus, qui eadem pugna Atheniensibus victoriam, sibi verò damnationem (contra præscriptum enim & Senatus sententiam pugnasse dicuntur) pepererunt, cùm iam ad dirum duceretur supplicium, nil aliud exclamauit, quàm vt vota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata soluerentur. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

AMESTRIS Xerxis vxor, vt gratiam diis referret, quòd diu vixisset, quatuordecim Persarum liberos sub terram viuos defodisse, & votum diis persoluisse dicitur, tanquam his votis & diris imprecationibus dij immortales & cœlestia numina placarentur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.

ÆGYPTII dijs quibusdam vota pro pueris faciunt, qui morbum euaserint: radentésque capillos, ac in auro argentóue ponentes, dant munus magis. Diodor. Sic. lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis: & Alex. lib. 3. cap. 22.

SESOSTRIS, siue Sesosis, Ægyptiorum rex, cùm ex incredibili flamma dormiens liberatus esset præter opinionem, tum cæteris dijs, tum Vulcano, vt liberatori, votũ persoluit. Diodor. Sic. lib. 2. cap. 2. de Reb. antiq.

BERENICE, vt Deo vota solueret, nudo pede & abraso capillo Hierosolymis ante tribunal supplicauit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.

THVRII Boreæ vti deo vota persoluerunt, quòd Dionysij classem, quam ad eorum excidium parauerat, funditùs euertisset. Ibidem.

CAMILLVS captis Veiis, magnam spoliorum & prædæ partem diis & numinibus pro more vouisse dicitur. Ibidem.

M. ACILIVS consul, in apparatu belli contra Antiochum ludos magnos votos, magno sumptu, per dies decem continuos celebrasse traditur. Ibidem.

SECVLARES ludi singulis C X. annis fiebant, licet alij nisi decurso trium æratum spacio fieri putarint. Quorum institutio fertur antiquissima. Cùm enim Valerius Publicola tres filios morbo laborantes ex voto recepisset incolumes, voti reus, hos instituit primus, & celebrauit magna pompa. Ibidem.

MAGNI ludi fuere, quos post pugnam ad Thrasymenum votos inuenimus, æris 333. millibus, bobus albis 300. multísque hostiis & aliis diuitiis clari. Ibidem.

ROMANI imperatores aduersus hostes dimicaturi, Matri deûm multa sæpenumero vota fecerunt, vt fœliciter dimicaturis adesset. Qui cùm victoriam nacti essent, in Pessinuntem Phrygię oppidum proficiscentes, summa deuotione deæ votum persoluerunt. Valerius. Maximus lib. primo, cap. 1.

L. LVCVLLVM nobilem Romanum, maximis opibus & honoribus auctum esse eam ob causam putarũt Rom. quòd votum Herculi factum persoluisset abundè. Alex. lib. 3. cap. 22.

GALIENVS Cæsar, deuictis in Asia Syris, decennalia vota celebrauit. Ibidem.

PALLOR.

OBMVTESCENTIA.

Exempla sub Timore.

FVGA.

Exempla sub Timore.

SVPPLICATIO. MODVS SVPPLICANDI. OBTESTATIO.

Consule tit. Modus orandi, sub loco Iusticiæ religiosæ.

CRATES Thebanus philosophus, quum pro quodam supplicaret gymnasij principi, procumbens attigit coxam illius pro genibus. nam supplices ex more genua cõtingebant. Indignanti gymnasiarcho: Quid, inquit, an non hæc æquè tua sunt, ac genua? Notans obiter vulgi superstitionem, qui certa membra certis rebus dedicauit: velut aurem memoriæ, nasum irrisioni, genua misericordiæ, quum hæc ad totum hominem pertineant. Laert. lib. 6. cap. 5.

CAMBYSES Persarum rex, iam moriturus ex vulnere, Persarum principes his verbis allocutus dicitur, cùm nunciaretur, Smerdem magum regnum occupasse: Per regios deos obtestor, cùm omnes vos, tum maximè Achæmenides qui adestis, ne per socordiam permittatis, vt imperium rursus redeat ad Medos. Sed si dolo occupatum est à Mago, illud dolo surripiatis? sin vi præreptum, vi recuperetis. Hęc vobis facientibus, contraria his quæ dixi imprecor: & præterea vnicuique Persarum eum finem, qualis mihi contigit. Herod. lib. 3.

RISVS.

Risus gaudij accidens est, siue gaudium ex nostro nostrorúmque prospero successu oriatur, siue ex inimicorum infortunio. Gaudij sedes cor est: & propterea etiam accidẽs gaudio Risus in septo transuerso prope cor habitat, oritúrque ex spirituum frequẽtia, qui confertim musculum diaphragmatis impetunt, & titillant. Quo musculo agitato vehementius, Risus συγχρόνιος & concutiens oritur, ita vt abdomen quoque ex nimio motu doleat. Risus species est irrisio, comes illius affectus quem Despicientiam vocauimus, & Aemulationi secundum defectum opposuimus. φιλομειδῆ ἀφροδίτην Homerus vocat, studiosam risus. nam in aßiduis voluptatibus versatur. Vt autem Risus gaudio accidit, ita ἀγελαστία inter mœroris accidentia infrà connumerabitur, Vide tit. Risu mortui.

ZOROASTES

ZOROASTES magiæ inuentor, Persarum rex, eadem hora qua natus est, risisse dicitur. Solinus cap. 4. Polyhist.

OSYRIN cupidissimum risus fuisse, testatur Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. de Rebus antiquis.

Homerus PROCOS Penelopes introducit φιλογέλωτας, Odyss. 5. vbi describit certamen Vlyssis cum Iro:

—ἀτὰρ μνηστῆρες ἀγανοὶ
χεῖρας ἀνασχόμενοι, γέλῳ ἔκθανον:

προπετὴς γέλως enim μανικὸν esse videtur, teste Isocrate.

TIRYNTHII cùm φιλογέλωτες essent, & ob id à vicinis malè audirẽt, Delphicum oraculum consuluerunt. Respondit Pythias: ita tandem eos hoc malo liberari posse, si Neptuno taurum immolarent, & ἀγέλαστοι in mare proiicerent. Illi re deliberata, pueros omnes à sacrificio isto excluserunt, ne quam occasionem ridendi haberent. Sed cùm fortè puer quidam sese cœtui intermiscuisset, & seriò absque risu omnia administrari videret, nouitate rei perterritus, vultum & ipse tetricum finxit. Quã prosopopœiam astãtes admirati, in maximum cachinnum effusi, reipsa ostẽderunt, ὡς ἄρα πολυχρόνιον ἦθος ἀμήχανον ἐστὶ θεραπευθῆναι. Hæc ex Atheneo Eustathius Odyss. 6.

DEMOCRITVS omnes deridebat, & aiebat homines insanire. Vnde etiam Gelasimum, id est risorem, eum ciues sui appellarunt. Ælian. lib. 4. de Varia historia.

PHILISTION Nicæus, poeta comicus, Socratis tempore præ nimio risu vitam amisit. Suidas.

PHILEMON Syracusanus, nouæ comœdiæ poeta, tempore Alexandri Magni, annos natus, X C. nimio risu periit. Videns enim asinum ficus edentem, mensæ paratas, pueros dixit, Da nunc ei bibere: & sic risu vitam amisit. Volat. libro decimooctauo Antrop.

Liuius lib. 21. scribit, SERVVM quendam barbarum, qui Hasdrubalẽ interfecit, comprehensum à circunstantibus, facti nequaquam pœnitentem, inter cruciatus & tormenta semper ridentis speciem præbuisse. Volat. lib. 13. cap. 4. Antrhop.

XENOPHANTVM risum nunquam cohibere potuisse, Arist. in 7. Ethic. testatur.

HIPPATENSES Thessali deum Risum colunt, cui quotannis in leticia sacrificant, teste Apuleio. Plutarchus similiter autumat Lacedęmonios risui aras extruxisse.

PLATO iuuenis tam compositus fuit, vt nunquam nisi modicè risisse deprehensus sit. Laert. libro tertio.

GRATVLATIO.

Virtutis hæc præmium est. Vide tit. Fortitudinis bellicæ præmia, gratulationes, &c.

FLETVS ET LACHRYMAE, SVSPIRIA.

Generalia hæc sunt mœroris atque doloris indicia, in quibusdam perpetua, in quibusdam momentanea: interdum ex vero affectu proueniunt, interdum simulata sunt, quales crocodili lachrymæ narrantur, & mæretricum suspiria. Nobis satis sit hoc in loco scire, quòd vel veri vel simulati doloris hæc sint accidentia, atque illius tam præteriti quàm præsentis aut futuri. Nam fletus qui gaudio interdum conspicitur, non à gaudio boni præsentis prouenit, sed ex recordatione malorum præteritorum. Lachrymæ etiam in iracundis ex dolore promanant. Et sic de cæteris. Nunc ad exempla, ex cap. 17. Hanapi. plurima ex tit. Pœnitentiæ Religiosæ peti possunt.

Fleuit AGAR longè ab Ismaele discedens, nec voluit videre puerum morientem. Gen. 21.

Venit ABRAHAM, vt plangeret Saram vxorem suam defunctã. Ge. 23.

Eiulatu magno fleuit ESAV, quòd benedictionem patris haberet Iacob. Gen. 27.

Eleuata voce fleuit IACOB, postquam recognouerat Rachel consobrinam suam. Gen. 29.

Stringens ESAV collum Iacob, & osculans eum fleuit. Gen. 33.

Scissis vestibus IACOB indutus est cilicio, lugens filium suum Iosephũ multo tempore. Gen. 37.

IOSEPHVS auertit se parũper, & fleuit, postquam audiuit fratres suos, dicẽtes: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrẽ nostrũ. Gen. 42.

Commota fuerunt viscera EIVSDEM super fratre suo Beniamin, & erumperunt lachrymæ: & introiens in cubiculum fleuit. Gen. 43.

Eleuauit vocem IOSEPH cũ fletu, & dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph. Item cùm amplexatus recidisset in collum Bẽiamin, fleuit, & osculatus plorauit super singulos fratres. Idem fleuit, cùm ascendisset obuiam patri, irruẽs super collum eius. Item super patre suo mortuo, iterũ fleuit.

Quem etiam fleuit Ægyptus septuaginta diebus. Gen. 45. 46. & 50.

VVLGVS promiscuum, quòd ascẽderat ex Ægypto, flagrauit desiderio carnium, sedensque & flens ait: Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Num. 11.

Vociferans OMNIS turba, fleuit, dicendo: Vtinam mortui essemus in Ægypto. Num. 14.

OMNIS multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus. Num. 20.

Filij Israel Moysen mortuum fleuerunt triginta diebus. Deut. 34.

Angelus Domini venit ad locum flentium, & improperauit FILIIS Israel beneficia quæ à Deo receperunt, & peccata quæ commiserunt. Leuauerunt itaque vocem suam, & fleuerunt. Iud. 2.

DALILA fundebat apud Sampsonem lachrymas, & conquerebatur, dicens: Odisti me, & non diligis, &c. Iud. 14.

Pugnaturi FILII Israel contra filios Beniamin, fleuerunt coram Domino. Iud. 20. Et postmodum obtenta victoria, fleuerunt propter destructionem fratrum suorum. Iud. 21.

Recedente Noemi, NVRVS eius flere cœperunt. Ruth. 1.

Orauit ANNA Dominum, flens largiter. 1. Reg. 1.

Audita obsidione Iabes Galaad, leuauerũt vocem FILII Israel, & fleuerunt. 1. Reg. 11.

Lugebat SAMVEL Saulem, quoniam Dominũ pœnitebat, quòd constituisset eum in regem. 1. Reg. 15. & 16.

DAVID & Ionathas osculantes se, fleuerunt pariter. 1. Reg. 20.

SAVL audiens vocem Dauid, qui pepercerat ei, eleuata voce fleuit. 1. Reg. 24.

Videns DAVID ciuitatem Siceleg esse succensam, & abductos homines in ea captiuos, plãxerunt ipse & populus qui erat cum eo, donec deficerent in eis lachrymæ. 1. Reg. 30.

Planxit DAVID super Saul & Ionathan, & alios interfectos. 2. Reg. 1.

DAVID & omnis populus fleuerunt super Abner, quem occiderat Ioab. 2. Reg. 13.

Noluit DAVID flere pro filio paruulo mortuo, & tamen fleuit pro infirmo. 2. Reg. 12.

Quamuis Absalon exhibuerit se pessimũ erga patrem, tamẽ DAVID fleuit eum miserabiliter mortuum. 2. Reg. 18.

ELISEVS videns Azaelem corã se, cœpit flere, propter mala quæ ille erat facturus filiis Israel, cùm esset futurus rex Syriæ. 4. Reg. 20.

Fleuit EZECHIAS fletu magno, orans Dominum pro morte, quam sibi imminere in proximo putabat. 4. Reg. 20.

Cùm audisset IOSIAS rex Iuda, comminationes scriptas in libro legis Domini, propter peccata, scidit vestimenta sua, & fleuit: & multum Deo placuit. 4. Reg. 22.

Cùm reædificaretur templum ab iis qui redierũt de Babylone, nõ poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi. 1. Esdr. 3.

Orante ESDRA, & flente, propter commixtionem populi Gentilis cum Iudæis, collectus est ad eum cœtus grandis virorum & mulierum: & fleuit populus multo fletu. 1. Esdr. 10.

Cùm audisset NEHEMIAS miserabilem statum ciuitatis Ierusalem, fleuit diebus multis, & ieiunabat & orabat ante faciẽ Dei cœli. Nehẽ. 1.

Flebat populus, cùm audiret verba legis. Nehem. 8.

TOBIAS manducauit panẽ cũ luctu & tremore, quia corpus iugulati proximi in domo habebat, quod nocte sepelire volebat. Tobiæ 2. Postea auditis sermonibus vxoris, ingemuit, & cæpit orare cũ lachrymis. Tob. 3.

SARA filia Raguelis, audita ab ancilla graui cõtumelia, orauit ad Dominum cum lachrymis, vt ab illo improperio eam liberaret. Eodem.

Cùm recessisset à parẽtibus suis Tobias iunior, cœpit flere MATER eius, & dixit: Baculum senectutis nostræ tulisti. Tob. 5.

RAGVEL cognoscens Tobiam iuniorem, cum lachrymis osculatus est eum, & plorauit super collum eius. Tobiæ. 7.

Veniens GABELVS ad domum Raguelis, videns Tobiam iuniorem discumbentem, fleuit, & benedixit eum. Tobiæ. 9.

Moram faciente Tobia, fleuit MATER eius irremediabilibus lachrymis atque dicebat: Heu mihi, vt quid misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum? &c. Tob. 10.

Exurgens cæcus TOBIAS, occurrit filio suo redeunti, & suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cœperunt flere præ gaudio. Tob. 11.

Cùm exposuisset Achior omnia quæ dixerat Holofernes, omnis POPVLVS communi lamentatione & fletu vnanimes preces Domino effuderunt. Iudith. 6.

Factus est fletus & vlulatus magnus in Ecclesia, per multas horas, vna nocte clamauerunt ad Dominum, dicentes: Peccauimus cum patribus nostris. Iudith. 7.

Stetit IVDITH ante lectũ Holofernis, orans cum lachrymis, vt Deus id quod cogitabat, perficere dignaretur. Iudith. 13.

Cùm audisset MARDOCHAEVS iniquã sententiam contra Iudæos prolatam, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti suo, & cum eiulatu clamans, animi sui amaritudinẽ ostendebat. In omnibus quoque prouinciis, ad quas crudele legis dogma peruenerat, plãctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus & fletus. Esth. 4.

Postquam AMAN vidit Mardochæum tam magnificè honoratum, festinauit ad domum suam, lugens operto capite. Esth. 6.

Sanctus IOB fleuit pro miseriis propriis: Versa est in luctũ cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Cuius fletus vehementia apparet per hoc, quòd dixerat: Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt. Iob 30.

Fleuit IDEM pro miseriis alienis: Flebam super quodam qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Iob. 30.

Rex DAVID inquit: Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis. Psal. 6. Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte. Potũ nobis dabas in lachrymis, in mensura. Poculum meũ cum fletu miscebã. Psal. 14 & 79. Psal. 101. Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. Psal. 55. Exaudi orationem meam Domine, & de-

precationem meam auribus percipe, & ad lachrymas meas ne sileas. Et alibi: Ploremus coram Domino, qui fecit nos. Psal. 94. Item cœlestis patriæ recordando: Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus. Psal. 126.

Videns E SAIAS destructionem populi sui, dicebat: Recedite à me amarè flebo. Nolite incumbere, vt consolemini me, super vastitate filiæ, populi mei. Esaiæ 22.

Dixit Hieremias: Audite, & auribus percipite. Nolite eleuari, quia Dominus locutus est. Sequitur. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea, à facie superbiæ, plorans plorabit, &c. Iere. 31. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Hiere. 9. Vide Threnos eiusdem.

Ego Daniel lugebam, trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi: & caro & vinum non introierunt in os meum. Dan. 10.

Flebant Amici Susannæ, cùm viderent presbyteros aduersus eam testimonium prolaturos, & ipsa etiam flens inspexit in cœlum: erat enim cor eius habens fiduciam. Dan. 13.

Antiochus fecit in Ierusalem cædem magnam hominum, & factus est planctus magnus in Israel: & omnis maritus sumpsit lamentum, & quæ sedebant in thoro mariti lugebant. 1. Mach. 1.

Planxit ISRAEL planctu magno, pro morte Marathiæ 1. Machab 2.

Fleuerunt omnes Israelitæ Iudam Machabæum planctu magno dies multos, dicentes: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat Israel? 1. Machab. 9.

Interfecto Ionatha & duobus filiis eius cum mille viris, quos retinuerat sibi, à Tryphone, luxit Israel luctu magno. 1. Machab. 12. & 13.

Contristatus est Antiochus, propter iniquam mortem Oniæ, & fletus ad misericordiã lachrymas fudit: & recordatus est defuncti sobrietatem & modestiam. 2. Mach. 4.

Occisis pueris per Herodem, impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam: Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, &c. Matth. 2.

PATER pueri lunatici exclamans cum lachrymis, aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Marci nono.

MARIA Magdalena legitur ter fleuisse. Primò, pro peccatis suis ad pedes Domini: secundò, pro morte fratris: tertiò, pro passione Domini. Ioan. 11. & 20.

Sed quid istos fleuisse tantopere miramur, qui flendi causas dum peccassent habuerunt, cum etiam Dominus noster IESVS CHRISTVS, agnus immaculatus, qui peccatum non fecit, nec dolus inuetus est in ore eius, lachrymas ter fudisse dicatur, risisse nunquam? Fleuit Hierosolymam vallo inimicorum circumdandam, funditúsque diruendam: id est, animam vitiorum septam multitudine, diaboli prædam futuram. Fleuit in monumento ferentem Lazarum, hoc est peccatorem longa delinquendi assuetudine mortuum, & scelerum putredine corruptum, de quo dicitur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Et flendi ergo nobis exemplum reliquit, & cur flere debeamus, simul mõstrauit. Fleuit etiam in cruce, quando seipsum pro mundi peccatis hostiam offerebat: vt ait Paulus, Preces cum lachrymis & clamore validè offerens, Heb. 5. Marul. lib. 4. cap. 1.

Post negationẽ tertiam Petrus egressus foràs, fleuit amarè. Sed nota quod Lucas præmisit, dicens: Respexit Dominus Petrum. Luc. 22.

Euntem Dominum ad crucem sequebatur multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Luc 22 & 23.

Cùm venisset Petrus Ioppen, circumsteterunt eum omnes Viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes quas faciebat illis Dorcas. Actorum 9.

PAVLVS apostolus cum lachrymis Domino seruiebat. Ait enim, cum valediceret fratribus: Vos scitis qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum humilitate & multis lachrymis. Actor. 20. Item cum lachrymis proximos monebat, & ipsos ad lachrymas prouocabat: Per triẽnium, ait, nocte & die non cessaui cum multis lachrymis, monens vnumquenque vestrûm. Sequitur: Magnus fletus factus est Act. 20. Item cum lachrymis scribebat epistolas suas, ait enim: Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas. Multi ambulabant, quos sæpe dicebam vobis: nunc autem flens dico. 2. Corinth. 2. Philip. 3. Et ad Romanos ait: Spiritus postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus. Tales autem gemitus, non solent esse sine fletu Rom. 8.

PSAMMENITVS Ægyptiorum rex, à Cambyse regno exutus est. Eius filiam ancillari veste indutam, cum aliquot nobilium virginibus, Cambyses mitti iusserat ad hauriendam aquam, vt hoc spectaculo parentum captiuorum animos discruciaret. Cæteris indignè ferentibus, solus Psammenitus demisit oculos. Mox iussit duci filium illius, cum aliis plurimis eiusdem ætatis, vinctis ceruicibus, & ore frenato. Atque hoc etiam spectaculo solus Psammenitus ad lachrymas commotus non est. Idem quum vidisset familiarem quẽdam exutum opibus, mendicãtem obambulare: hoc spectando adeò commotus est, vt ingenti fletu hominem amicum compellans, caput suum barbarico more cæderet. Ea re cognita, quum Cambyses per nũcium causam sciscitaretur, cur in liberorum calamitate tacitus, vnius seniculi calamitatem tam impotenter ferret: respondit: Fili Cyri, domestica mala grauiora sunt quàm vt lachrymas recipiant: at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad summam inopiam redactus est, idque in extremo senectutis limine. Herod. lib. 3.

HERACLITVS ad omnem hominum occursum fleuisse dicitur. Dolebat enim nihil sani esse in vita, nihil in homine non caducum, fluxum & deceptibile. Sabel. lib. 5. cap. 2

XERXES in Abydenis campis, cùm partem multo maximam Oriẽtis subiectam haberet oculis, sub signis stantem, lachrymas emisit: testatus, non se felicitatem flere suam quòd tot gentibus imperare contigisset: sed tot hominum sortem, qui cùm innumeri essent, ad breue tempus aut fato, aut alia vi essent omnino defuncturi. Herod. lib. 7. Sab. lib. 5. cap. Val. Max. lib 9. cap. 13.

M. CATO MINOR, Cæsare circa Dyrrhachium fuso, cum Pompeiani lætitia exultarent ob rem bene gestam, solus Cæsarianorum cadauera intuitus, temperare à lachrymis non potuit. Plutarch. in eius vita: & Sab. lib. 5. cap. 2.

L. CRASSVS, cùm piscinis maximè delectaretur, murenam mortuã vnicè deplorauit plures dies, nõ aliter ac si filia mortua esset. Quũmque ei à Domitio, cum quo censuram gerebat, probro daretur: Nimirum, Crassus respondit, fateor ita me pium esse, vt minima de causa plorem. At tu qui tres extulisti vxores, minimè ploras. Macrobius. Ælian. & Vol. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

VERGILIVS vates suspirabundus vbique obseruatus est. Vnde facetum illud Augusti responsum inter hunc ipsum sedentis, & Flaccum Horatium, qui ab oculorum lippitudine laborauit: rogatus à quodam amicorum, quid ageret: Sedeo, inquit, inter suspiria & lachrymas. Sab. l. 7. c. 4.

ΑΓΕΛΑΣΤΟΙ, QVI NVNQVAM RISERVNT.

AGELASTI reddebantur, quicunque in Trophonij specum oraculorum causã descenderãt apud Trœzenios Hinc adagium, In Trophonij antro vaticinatus est: in hominem tristem & seuerum.

ANAXAGORAS Clazomenius philosophus, & Anaximenis discipulus, tanta abstinentia fuisse dicitur, vt per totam vitam nunquam riserit. Volat. lib. 13. cap. 3. & Ælian. lib. 8.

ARISTOXENVM valdè à risu abhorruisse, scribit Ælian. lib. 8 de Var. hist.

Apud Athenienses in Academia ridere prohibitum erat, quia ab iniuria & ignauia purum & inaccessum hunc locum seruare conabantur. Ælianus lib. 3. de Var. hist.

M. CATO Censorius nunquam in vita risisse dicitur. Vol. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

CRASSVS auus eius, quem rapuerunt bella Parthica, nunquam in tota vita risisse fertur: ideóque etiam Agelastus nuncupatus est. Teste Solino, cap. 4. Polyhist. Alij verò semel tantùm risisse tradunt, cùm asinũ vidisset carduos comedentem. Vnde prouerb. Similes habẽt labra lactucas. De hoc Cicero quoque Tusc. 9. lib. 3. & lib. 5. de Finibus: & Fulg. lib. 4. cap. 6. & Sab. lib 7. cap 4.

Imperator Philippus, qui cum eiusdem nominis patre imperauit, nunquam in vita risisse dicitur. Fulg. lib. 1. cap. 6.

DIRÆ ET IMPRECATIONES.

Hæ diuidi possunt eadem ratione, qua & Vota. differunt enim voluntate tantum, quòd Vota bonorum sunt, vel nobis ipsis vel nostris: Imprecationes verò malorum, erga eos quibus male volunt.

Cùm Rebecca seruum Abrahami sequeretur, vt Isaaco desponsaretur, Laban frater eius fausta his verbis precabatur: Prolem tibi, nostra soror, optamus centies cẽtenariam millenariam, & eam quidem quæ hostium suorum portas obtineat. Genes. 24.

MOLIONE, vxor Actoris, diris deuouet ciues suos Eleos, quotquot ad Isthmicos ludos proficiscerentur. Vide tit. Perfidiæ in locatione.

C. Fabricius ad Pyrrhum legatus à Senatu, dum moram trahit apud regem, audiuit à Cynea, qui à rege legatus ad Senatum venit, Athenis esse quendam, qui sapiẽs haberetur, disputare solitum ac diffinire: Omnia quæ agimus in vita, ad voluptatem referri, illam finem esse ac præmium actionum laborúmque omnium. Eo audito, vir temperatissimus obstupuit. Quod cùm domi narraret, Titum Coruncanum & M. Curium sic optasse ferunt: Dent dij talem sapientiam hostibus pop. Rom.

Non absimiles C. Pontij, Samnitum imperatoris, preces: Vtinam, inquit, ad id tempus me fata reseruassent, quo Romani dona accipere cœpissent, non essem passus eos diutius regnare.

M. BRVTVS, rebus in summam desperationẽ adductis, quum è ducibus atque amicis paucos apud se haberet, sublatis oculis in cœlũ stellis plenum, dixit hunc versiculum Græcum è Tragœdia quapiam:

Ζεῦ μὴ λάθοι σε, τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν. id est:

Nec te laterit ô supreme Iupiter,

Horum malorum quisquis autor extitit.

Velut imprecans Cæsari vindictam à dijs. Volumnius narrat illum & alterum dixisse carmen, sed negat se meminisse. Erasmus libro quarto Apophtheg.

Hadrianus imperator Rom. Seuerianum, & Fuscum huius nepotem, eo quòd molestè ferre viderentur, L. Commodum imperij successorem designatum, iussit occidi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem & octo. Senex autem quum esset iugulandus, poposcit ignem: incensóque thure dixit, Vos dij testor, me nihil sceleris commisisse: nec aliud imprecor Hadriano, nisi vt quum volet, mori non possit. Idque euenit, adeò vt barbarus conductus, qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit. Suetonius in vita Hadriani.

CONSOLATIO.

Accidens est Misericordiæ ipsa Consolatio. Loquor autem de actiua: hoc est de ea qua aliquis alium, cuius miseretur consolari pergit. Nam passiua illa est, qua miseri rursus in spem eriguntur, & propterea ad Spei differentias pertinet. Actiuæ ergo Consolationis exempla proferamus, tam diuina, ex cap. 4. Hanapi, quàm humana. Possunt huc omnia exempla diuinæ benignitatis & auxilij reuocari.

ABRAHAMVM Dominus multis apparitionibus & reuelationibus consolatus est, cùm Domini præceptum secutus, Hur Chaldæorum relinqueret. Gen. 12. & seq.

IACOB cùm fratrem Esau fugeret, item cùm Labanis soceri insidias vitaret, Dominus eum consolatus dicitur. Gen. 28. & seq.

POPVLVS Israel tempore captiuitatis Babyloniæ plures habuit prophetas, quàm tempore Salomonis, quando fuit in maxima prosperitate, nam Hieremias fuit in Iuda, Ezechiel & Daniel in Chaldæa. 1. Reg. 24 & 25. Hieremiæ 26. 28 & 29. Ezech. 1.

IOB cùm variis calamitatibus affectus esset, tres eius amici consolandi gratia ad eum venerunt. Iob. 2.

APOSTOLI in die pentecostes à vero paracleto Spiritu sancto consolati fuerunt.

D. PAVLVS inquit: Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra, & repletus sum consolatione. 2. Cor. 1 & 7.

IDEM in Melitensi naufragio suos consolatus est, inquiẽs: Astitit mihi hac nocte angelus Dei, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari oportet te assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Actor. 27.

D. IOANNEM apostolum in Patmo insula relegatum, Deus opt. max. miris modis consolatus est: quod ex Apocalypsi patet.

ANAXANDRIDAS, Leontis filius, cuidam acerbè ferenti, quòd cogeretur vrbe exulare: Ne, inquit, vir optime exhorrescas exulare ciuitate, sed à iusticia exulare horrendum est. Sensit, non esse miseros, quibus præter meritum, incolumiq; innocentia accidit aliqua calamitas: sed eos verè deplorandos, qui sua sponte discesserunt ab honesto, etiamsi nulla sequatur calamitas. Plut. in Lacon. apoph.

LACÆNA quædam, quum illi filius redisset ex acie, atque ex vulnere pedis vehementer doleret: Si virtutis, inquit, memineris ô fili, non solùm non dolebis, verùm etiam bono futurus es animo. At vulgus matrem solet filiorum dolorem suis querimoniis & lachrymis exasperare: hæc animauit ad doloris tolerantiam. Plutarchus.

CRATIPPVS Mitylenæus Peripateticus, quem Athenis docentẽ audiuit Ciceronis filius (vt est in Officiorum procemio) Pompeiũ è Pharsalica clade aufugientẽ, apud Mitylenem occurrens, vltrò solatus est verbis philosophicis, ad spemq; hortatus, cũ quiddã de prouidentia disseruisset, reiq; Romanas tandem labi esse necesse adfirmaret. Plutar. in Pompeio.

ARISTIPPVS, cùm quidam ex necessariis eius vehementi & acerbo luctu seipsos conficerẽt, cùm alia multa ad sedandum mœsticiam in medium attulit, tum hæc exordij vice: At ego non venio vt ad vestros dolores meum adiũgam, sed vt vobis omnem mœrorem ex animis eximam. Ælian. lib. 7. de Varia hist.

AMASIS ad quendam filio priuatum dixit: Si non tristatus es, quum nondum filius esset, ne nunc quidem dolere debes, cum non amplius est. Stobæus serm. 121.

SOLON, cum ex amicis quendam grauiter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatúsque est, vt per omnes subiectorum ædificiorum partes oculos circumferret. quod vt factum animaduertit: Cogita nunc tecum, inquit, quàm multi luctus sub his tectis olim fuerint, hodiéq; versentur, insequẽtibúsque seculis sint habitaturi: & mitte mortaliũ incommoda, tanquam propria deflere. Qua consolatione demonstrauit, vrbes nihil esse aliud, quàm humanarum cladium consepta miseranda. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

SOLON Salaminius, cùm filij mortem lugeret, & quidam consolationis loco diceret: Atqui nihil proficis. Idipsum est, inquit, quod lugeo, quia nihil proficio. Laert. lib. 1. cap. 3.

Hipparcho Euboico vita defuncto, Philippus præ se ferebat, quàm illius mortem acerbè ferret. Itaque cuidam volenti dolorem ipsius mitigare, dicẽntique: Attamen ille tempestiuè decessit, iam natu grandis. Sibi quidem ipsi, inquit Philippus, tempestiuè decessit, sed mihi præproperè. Mors enim illum anticipauit, priusquam à me beneficiũ accepit, nostra dignum amicitia. Perquam rarum est, principem sentire gratiarum affectus: sed amicis plerique non aliter, quàm equis vtuntur. dum vsui sunt, curant: inutiles factos, abiiciunt: eósque spoliant citius, quàm beneficio iuuant Eras. lib. 4. Apoph.

Cùm Alexander in Olympiis præconio ius fecisset omnibus exulibus, in suam cuique patriam redeundi, præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit EVDAMIDES, præconium, sed vobis, ô Thebani, gloriosum. Solos enim vos metuit Alexander. Ad consolandos Thebanos sic interpretatus est vir animi solertis. Etenim qui permittit exulibus reditum in suam patriam, non metuit ne moliantur vindictam. A Thebanis igitur solis metuebat. Plut. in Lacon. apoph.

PLATO Antimachum, quòd in poetico certamine inferior fuisset, dolentem consolatur. Vide tit. Certamina literaria.

ANTIPHON poeta, artem leuandi mœroris & cõsolandi profitetur. Vide tit. Comicorum.

DIOGENES Sinopensis, desertus ab omnibus hominibus, solus relinquebatur, cum neque propter egestatem ipse quenquam reciperet, neq; ipsum hospitio quisquam acciperet. Omnib. enim inuisa erat eius in reprehendendo acrimonia, deinde in agendo loquendóque acerbitas. Proinde tristicia plenus, summas foliorum extremitates manducabat. Illa enim suppetebant, quo minus fame periret. Mus verò accedens, decidentibus frustulis vescebatur. Diogenes igitur, cum diligenter rem inspectasset, subridens, animo recepto: Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniensium lauticia. Et quid tu, ô Diogenes, ægrè fers, te cum Atheniensibus non cœnare? Ælian. lib. 13. de Var. hist.

IDEM, cùm Antisthenem morbo decumbentem inuiseret, dixit: Nũquid amico est opus: Significans, in rebus afflictis potissimùm fidis amicis vtendum, qui vel re opitulentur, vel consolando molestiam mitigent. Laert. lib. 6.

PHILOSOPHVS quidam priscus, sed ἀνώνυμος huiuscemodi sermone Arsinoes reginæ luctum compescuit: Quum Iupiter, inquit, inter dæmones rerum faceret partitionem, Luctus non aderat: sed distributione iam perfecta, venit. Huic igitur quum Iupiter aliquid honoris tribuere vellet, nec esset quod daret, quippe iam consumptis omnibus, tandẽ assignauit illi honorẽ in qui mortuis impenditur, veluti lachrymas & mœrores. Quemadmodũ igitur, inquit, cæteri dæmones bene volunt iis à quibus coluntur, itidem & Luctus. Quòd si fuerit abs te contemptus, ô mulier, haudquaquam venturus est ad te: contrà si diligenter abs te colatur honoribus illi designatis à Ioue, mœroribus ac lamentis, diliget te: semperq; tibi suppeditabit aliquid earum rerũ, quibus abs te perpetuò possit honorari. Refert Plutarchus in consolatione ad Apollonium.

Demetrius Phalereus, quum apud Thebanos exul inglorius & humilis viueret, & intellexisset Cratem philosophum se visendi gratia aduentasse, ad se vocauit, quem vt de fortiter & moderatè ferendo exilio disputãtem audiuisset: Malè sit, inquit, omnibus negociis & occupationibus, per quas hactenus talem virum non licuit cognoscere. Ostendit hoc dicto, multum ægritudinis ex philosophi disputatione ablatũ esse. Laert. li. 2. c. 5.

ASPASIA post mortem Cyri ab Artaxerxe capta fuit, & ab eo summè dilecta. Cùm autẽ Theridates eunuchus mortẽ obiit, formosissimus omnium in Asia iuuenum, atq; pulcherrimus: is iam è pueris excesserat, & in adolescentibus numerabatur. Hic regi potissimùm in deliciis fuisse dicebatur. Quamobrem grauissima lamentatione & acerbissimo mœrore eius morte affectus est, ac publicus per vniuersam Asiam squalor luctúsq; fuit, omnibus in hoc regi gratificãtibus: nemóq; ad regem accedere, vel consolatione aliqua dolorem eius leuare audebat. Etenim existimabant fieri non posse, vt ab hac acerbitate reuocaretur. Exacto demùm triduo, Aspasia vestem lugubrem induta, veniẽte rege ad balneum, stetit lachrymans, oculísq; in terrã despiciẽs. Qui cũ cõspexisset, cõsternatus est: causamq; quamobrẽ aduenisset, rogauit & illa: Te rex, inquit, lugentẽ mœrẽtemq; consolatũ veni, si tibi sic visum esset: sin minus, retrogrediar. Gauisus hac cura Persa, iussit vt in thalamũ rediens præstolaretur, donec veniret, atq; illa mandato paruit Qui reuersus, vestem eunuchi, supra pullam Aspasiæ circũdedit: & quodammodo cõueniebat ei vestis adolescẽtis, magísq; splẽdere forma venustásq; ipsius hac ratione videbatur. Cũq; semel his captus esset rex, rogauit eam, vt sic amicta semper ad se accederet, donec luctus viriditas & flos exaruisset, atque illa gratificans ei morem gessit: soláque ex omnibus Asiæ non modò fœminis, sed etiam filiis, cognatísque, regem Artaxerxem consolata est, & tristiciæ languorem sanauit, acquiescente rege sollicitudini ipsius, & consolationem libenter admittente. Ælianus de Var. hist. lib. 12.

ILIENSIVM legati ad Tiberium Imper. de morte Drusi questum & consolatum venerant, paulo tamen serius. Eorum ergo tarditatem reprehendens, Et se illorum vicem dolere dixit, quòd Hectorem præclarum ciuem amisissent. Petrarcha lib. 4 Epist. 60.

AMATRICIANA filium, qui ad supplicium ducebatur, quomodo consolata sit, pete ex tit. Mulierum quæ liberorũ mortẽ fortiter tulerũt.

ALFONSVS Aragonum rex, amisso Petro fratre, quod ab aliis expectare debuerat, ipse aliis præstitit, & Petri amicos literis consolatus est, exercitum verò oratione. Panorm. lib. 3. de Gestis Alfonsi.

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

DE VIRTVTVM ET VITIORVM ACCIDENTIBVS *in genere.*

POST animi habitus, tam practicos quã speculatiuos, succedit theoria accidentiũ, quæ vel omnibus, vel certè præcipuis cõiũcta sunt: Voluptas scilicet, & Amicitia. De quibus Arist. in 7. & 8. Ethicorũ disputat. Omnis certè virtus, o mnéq; vitiũ, vel ad seipsum refertur, vel ad alium. Erga seipsum quidem voluptatẽ parit, interdũ animi, interdũ corporis, quã bruta quoq; sectantur. Erga alios verò beneuolentiã conciliat, cuius perfectio & mutua quædam relatio, Amicitia dicitur. Voluptas igitur per omne genus humanarũ actionũ diffusa est, tanquã accidens inseparabile: cum virtute honesta est, cũ vitio inhonesta Natura enim substantię sequitur accidens. Quare non nimis absurdè Epicurus voluptatẽ summũ bonũ statuit, quatenus scilicet virtutis assecla est, vt rudi quadã cognitione ex ipso accidẽte substantiã nobis insinuaret: quandoquidẽ sensus noster accidẽtia sola comprehẽdere potest, quorũ occasione intellectus ad substantiæ inuestigationẽ, leuissimã tamen, & valde incertã, penetrat. Omnis igitur virtus quia per se expetẽda est, idcirco iucunda est, & bona, siue in voluptatibus animi moderãdis versetur (ἡδυπάθειαις ψυχικαῖς Arist. vocat li. 4. Ethic. eas quę ex pecuniis, honoribus, vindicta, veritate, affabilitate, vrbanitate percipiuntur) siue in voluptatibus corporis, circa quas Tẽperantia occupatur. Iucunditas autem virtutis in animo semper primò & per se consistit, iungitur interdũ voluptas corporis. Nam quanto animus corpore præstat, tanto etiam voluptas animi potior est voluptate corporea. Vitij iucunditas interdum primò & per se corporea est, interdum in animo tota requiescit. Verumenimuerò quæ voluptas in vnoquolibet animi habitu tam bono quàm malo locum habeat, ex præcedenti virtutum & vitiorum theoria colligi potest. De Amicitia nunc agamus, quæ alterum ex duobus accidens est, quatenus habitus isti ad alium referuntur. Cùm Iusticia ergo in hoc conuenit, quoniam vtraque in mutuo aliorum respectu pósita est. Iustus enim erga alium iustus est: sic quoque amicus, alterius est amicus. Non tamen solius Iusticiæ accidẽs est amicitia: vti nec reliquis virtutibus solùm addicta est, sed etiam in iusticia reperitur. Quemadmodum igitur voluptas in iucunditate posita est, siue animi, siue corporis, quæ ab habente percipitur: ita amicitia in beneuolentia consistit, quæ ad patientem refertur. Voluptas in seipsam definit, & ad conuersationem non confert nisi per accidens tantum, quatenus accidit voluptatem nostrã aliis quoque communicari: amicitia verò erga alios est, & ad conuersationem humanam summè necessaria, atque adeò vitæ practicæ vinculum existit, vt qui amicitiam tollit, solem è mundo tollere videatur.

DE AMICITIA.

AMicitia, virtutum & vitiorum accidens est, quatenus habitus sunt practici, & in quotidiana hominum vita versantur. Proinde quemadmodum iusticia in genere omnes virtutes comprehendit, & iniusticia omnia vitia: ita quoque Amicitia ambitu suo omnem beneuolentiam & beneficentiam complecti, ipsámque Iusticiam non comitari tantùm, sed etiam ęmulari videtur. Iusticia enim æqualitatem in omnibus actionibus obseruat, honesti gratia. Amicitia pariter æqualitatem respicit, non in omnibus tamen, sed in amicorum tantùm actionibus amoris & beneuolentiæ ergò. In genere itaque differt à Iusticia, quòd Iusticia habitus est animi, honestam æqualitatem respiciens: Amicitia autem non tam est habitus, quàm habitui similis, æqualitatem in amando obseruans, & proinde virtutum comes, quandoquidem vera virtus sui splendore mortales ad amandum & conuersandum allicit. In specie verò à singulis Iusticiæ Distributiuæ speciebus Amicitia differet. Nam fides, quamuis nullo præcedente merito, efficit vt alteri tribuamus ea quæ debemus, non illius causa, quod scilicet mereatur: sed causa nostri, *ne iniusti* videamur. Illa verò Iusticiæ pars, quæ pro merito vnicuique tribuit, si meritum illud in nos sit collatum, parem gratiam nos rependere cogit, ne ingrati, & proinde iniusti fuisse videamur: præsertim cùm ille dignus sit hoc præmio (propterea etiam Gratitudo dicitur.) Sin meritum illud ad nos non pertineat, Gratitudo non est, sed *simplex* distributio: quæ non tam suijpsius causa alteri tribuit, quàm illius, quia scilicet hoc præmio dignus est. Amicitia autem tribuit alteri quod tribuendum est, non suijpsius causa tantùm (hoc est, ne inæqualis aut iniusta esse videatur, non amando illum quem amare debebat) sed alterius causa, quoniam dignus ille est cui tribuantur omnia, non ex iusticia, sed ex amore: qui tamen amor æqualitatem obseruat. Et hoc ipso iam differt quoque à Virtute Popularitatis quam Amicitiæ similem esse diximus, reuera tamen differentem ostendimus suprà in procemio Libri decimi. Propterea definit Arist. in 2. Rhetor. φιλίαν (hoc est, εὔνοιαν, siue beneuolentiam) esse animi affectum, quo bene alteri volumus illius causa, quia scilicet dignus esse videtur hac beneuolentia. At in 8. Ethic. φιλίαν non vt affectum, sed vt habitum quendam nobis definit, quatenus scilicet habitus bonos malósue sequitur, hunc in modum: φιλία est ἕξις εὔνοια (qua alteri bene volumus, illius causa) ἀντιπεπονθυῖα (oportet enim ab amico vicissim diligi) μὴ λανθάνουσα (requiritur opus ipsum, non bene velle tantùm, sed etiam beneficiis afficere: quam partem Arist. in Rhet. χάριν vocat.) Amicitia itaque beneuolentia mutua est, & aperta. Beneuolentia genus est, multas sub se differentias comprehendens. Est enim interdum absque constanti ratione affectus quidam, cuius definitionem ex Arist. suprà attulimus: interdum constantem habet rationem, vel rectam, quando comes iungitur: vel peruersam, quando

quando vitium comitatur. Vult ergo bene alteri, quia dignus esse videtur hac beneuolentia, vel propter bona animi, virtutes scilicet: vel propter bona corporis, vtpote formam, robur, & similes dotes: vel propter bona fortunę, vt propter consanguinitatem, propter affinitatem (siue ethicam, siue religiosam, qua omnes homines sibi inuicem deuincti sunt, cùm ab vno principio, veluti parente, fratres spirituales dependeant, & proinde sese mutuò ex Christi opt. max. præcepto diligere debeant) propter societatem denique tam ciuilem quàm domesticam, inter dominum & seruum, inter maritum & vxorem. Iam verò ratione vtriusque personæ, tã agentis quàm patientis (Qui, & Cui benè vult) Beneuolentia distingui potest. Nã vel mutuum est in amore, quæ vera est amicitiæ ratio: vel mutuum non est, quæ nomine generis beneuolentia, amor, charitas, dilectio appellari debet. τῇ ἀντιφιλήσει igitur, siue mutuo amore, differt Amicitia à cæteris beneuolentiæ speciebus. Porrò mutuus iste amor vel cognitus est vtrique, vel incognitus. Si sit occultus, amicitia non erit perfecta, sed beneuolentia tantùm: quia cùm alter de alterius voluntate dubitet, amicè & familiariter conuersari non audent, cùm tamen in conuersatione amicitiæ vis tota ferè consistat. Si verò sit cognitus & apertus amor, in opus prodit, ad conuersationem eos hortatur, nõ voluntate tantùm, sed etiam officio dilectionem suam ostẽdit, siue in ἕξει sit, & iam actu beneuolẽtiam exerceat: siue in ἐνεργείᾳ (quam potentiam vocãt actiuã, differentem à potentia passiua, quę δύναμις à Gręcis dicitur) qualis est in absentibus aut dormientibus, qui vel locorum interuallo, vel corporis vinculo prohibentur, ne in opus prodeant, cùm tamen actu se mutuò diligant. Conuersationem autem intelligo non corpoream tantùm, sed eam quoque quæ per munera, literas, & quæuis alia symbola inter absentes amicos exerceri cõsueuit. Patet ergo, quomodo Amicitia à reliquis beneuolentiæ speciebus differat. Differt etiam ab Vnanimitate & Concordia, quia in his animorum coniunctio tantùm spectatur: at in Amicitia, ipsa in primis beneuolentia. Possunt vnanimes esse etiam improbi, quorum tamen nullus alteri bene vult. Differt denique ab ipsa Beneficentia, quoniam hæc ad seipsam refertur, & Liberalitatis species est: Amicitia verò ad alterum spectat. Valde tamen inter se sunt affines, quandoquidem Amicitiæ est, non bene velle tantùm, sed etiam bene facere: & vicissim Beneficentiæ est, vtplurimùm quoque bene alteri velle. Ratione hæc distinguenda sunt, quæ reipsa valde sunt affinia, & penitùs eadem esse videntur. Sed vt hæc omnia clarius appareant, typo, more nostro, vtemur.

***

φιλίας, quæ φίλων est ἀρετὴ quatenus inter se mutuò conuersantur, & suũ cuique ex benevolentia tribuunt, causæ sunt quatuor:

- **Materia**, *tum*
  - In *qua versatur, seu circa quam occupatur amicitia. Est autem duplex: tum id*
    - Quod *diligitur.* **Corpus** *est vel*
      - Inanimatum. *Aurum amamus non propter se, sed quia vtile est. Id eo non est amicitiæ subiectum.*
      - Animatum: *& vel*
        - Irrationale. *Non est amicitiæ subiectum.*
        - Rationale, *quod nos* ἀντιφιλεῖν *potest. Ad Amicitiam spectat.*
    - Propter *quod diligitur, bonum aliquod, quod expetendũ sit vel*
      - Per se, τὸ καλὸν, *honestum. Virtus perfecta est & bona per se, etiamsi nihil haberet commodi vel iucunditatis, Quare Amicitia quoque virtutis causa instituta, φιλία κυρίως, ἀγαθὴ, τελεία· ἡ τῶν ἀγαθῶν, καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων, & proinde ἀδιάλυτος appellatur ab Aristotele.*
      - Propter *aliud, videlicet*
        - Vtile.
          - Talis *est amicitia mercatorum & hospitum, qui lucri causa se mutuò diligũt: talis quoque senum & iuuenum. Propterea ἀτελὴς, φαύλη καὶ εὐδιάλυτος est, quia sublata lucri spe aut voluptatis fructu dissoluitur.*
        - Volupe & iucundum.
  - Ex *quaoritur Amicitia, fouetur, conseruatur, perficitur. Id quod amico tribuitur, est partim*
    - Interna *voluntas, sincera & solida fides inter amicos, non ficata aut simulata: vnum velle, & vnum nolle.*
    - Externa *significatio animi per signa & indicia quædam: qualia sunt beneficia, munera, commendationes, gratulationes, consolationes, inter præsentes simul & absentes, per literas aut nuncios, &c.*
  - Forma, *est quæ dat esse & nomen rei. φιλία ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, φιλότης, ergo forma in genere dicatur. Quæ quidem si cõsideretur*
    - Per se, *nihil est aliud quàm εὔνοια bene scilicet velle alteri illius causa, quia dignus est, propter aliquod bonum insigne. Bene autem vult alteri semper & vbique. Radices enim agit in animo vera amicitia, benevolẽtiã integrã seruat, atque etiam opere ipso confirmat: interdum ἐν*
      - ἕξει, *quãdo actu cum amico versatur, & benevolẽtiam suam verbis aut opere comprobat.*
      - ἐνεργείᾳ, *quando actu operari nõ potest, actuam tamen habet potentiã primo quoque tempore operãdi. Hæc potentia in amico absente aut dormiente est. Passiua verò potentia, quæ δύναμις propriè dicitur, non est in amico, sed in eo qui nondum est amicus, amicus tamen fieri potest.*
    - Respectu personarũ, in persona primò
      - Agente, *dicitur φίλησις.*
      - Patiente, *vocatur ἀντιφίλησις.*

      Quæ est proportio inter agentẽ & patientem, eadem etiam mutui amoris erit ratio. Ergo hic quoque ἰσότης spectatur, non tamen per se, vt in iustitia: sed per accidens tantùm, quatenus scilicet amor æqualitati iungitur. Præterea in iustitia æqualitas κατ' ἀξίαν prima est, ea scilicet quæ inter inæquales meritum vniuscuiusque considerat: secunda est κατὰ ποσὸν, quæ inter æquales eadem proportione vtitur: euidẽtior est iustitiæ æqualitas inter inæquales, quã inter æquales: At in amicitia euidentior est benevolentia, diuturnior & firmior inter æquales, quàm inter inæquales. Personæ igitur in amicitia vel sunt
        - Æquales, *etiã æqualis erit benevolẽtia: vt quantũ diligit, tantũ vicißim diligatur. Seruatur ergo τὸ ἴσον κατὰ ποσὸν, id est quantitate eadẽ, iuxta proportionẽ Arithmeticam. φιλία κατ' ἰσότητα, ab Arist. dicitur, quæ omniũ firmißima est, & præcipua.*
        - Inæquales, *etiam inæqualis erit benevolẽtia: verbi gratiã, inter patrẽ & filium, inter principem & subditos. Seruatur τὸ ἴσον κατ' ἀξίαν vniuscuiusque, pro dignitate & merito, iuxta proportionẽ Geometricam. φιλία καθ' ὑπεροχὴν appellatur, in qua quo maior est alterius personæ dignitas, eo minus firma est amicitia. Amicitia enim inter pares firmißimè coalescit.*

Efficiens. *Inseq. A.*

Finis. *Inseq. B.*

A. Efficiens

A. Efficiens

- In genere, *duplex est, agens & patiens: prior φιλεῖ, posterior ἀντιφιλεῖ, sicuti in iusticia persona erat agens iusta, & patiẽs iusta. Differt tamen: quia patiens iusticiæ persona non necessariò etiam reagit: at in amicitia necessarium est, vt patiẽdo reagat. In persona ergo tam patiente quàm agente requiritur, vt*
  - Diligat *alterum, hoc est, bene velit, & benevolentiam suã veipsa ostendat, data occasione. Sic amicitia in solos homines cadit, qui recta ratione nituntur, non solo appetitu reguntur.*
  - Cognoscat *se ab alio vicißim diligi. Nam si non cognosceret mutuum in amore, vera amicitia non esset, sed benevolentia tantùm. Ea de causa Arist. in definitione particulam vltimam addidit, μὴ λανθάνουσα.*
- In specie, *pro varia qualitate personarum, quæ mutuam benevolentiam exercẽt. Nam vel sunt inter se*
  - Æquales, *quia amicitiæ vinculum idem est in vtrisque, quantitate & dignitate par. Erit ergo par quoque benevolentiæ ratio, vt quantum alter diligit, tantundem ab altero vicißim diligi mereatur. Talis amicitia stabilißima est, siue sit inter eos qui iunguntur*
    - Sãguine, *vt inter fratres: quorũ ratione fraternitatis par est dilectio. at per accidens, quatenus vel ætate vel meritis maiores natu minores vincũt, inæqualitas aliqua κατ' ἀξίαν suboriri potest.*
    - Societate, *tã publica quàm priuata. Huius generis fuerũt paria illa amicorũ à veterib. decãtata.*
  - Inæquales, *alius maior, cui plus debetur: alius minor, cui minus. Sic amici esse possumus*
    - Dei, *cui omnia summa debemus: eũque, vt Moses præcipit, ex toto corde, anima & viribus diligere debemus. Mutuum in amore habemus magno cum fœnore. Est autẽ amicitia hæc Christiana, secundum quam angelis similes efficimur, atque adeò æterni patris filij nuncupamur. Proinde etsi inæqualitas hîc est summa, finiti scilicet ergà infinitum: id tamen quod nobis deest, infinita Dei sapientia, quæ carnẽ nostriam induit, supplet. Aristoteles, qui diuinam hanc coniunctionem ignorauit, nos diis amicos esse posse negauit: quia summa est inæqualitas, quæ non amicitiam, sed timorem parit. Quemadmodum subditi tyrannos non diligunt, sed præ timore illis obediunt, reges autem bonos amant. ita nos Deum, quia pater bonus est, diligimus, & amici illius euadimus: ethnici deos suos veluti tyrannos metuebant.*
    - Hominũ, *qui nobis vicißim bene volunt, siue participent & versentur in eadem*
      - Vrbe.
        - Amicitia politica
          - Magistratuum, *& subditorum mutua: quæ varia est, prout etiam varię sunt Rerumpub. species & differentiæ. De quibus Aristotelem consule, in Politicis.*
          - Subditorum, *siue ciuium, & popularium inter se.*
      - Domo. *Varij sunt gradus, qui proportione respondent politicæ amicitiæ speciebus magis minus. Amicitia œconomica appellatur: qualis est*
        - Patris *& filiorum.*
        - Mariti, *& vxoris.*
        - Domini *& serui.*

Ministrum

- Generalis, *est ipsa Felicitas ciuilis, tam publica quàm priuata, ad quam omnis virtus practica, cuius accidens est amicitia, refertur. Practica autem vita in conuersatione posita est mutua: eapropter amicitia inter eos est propriè, qui vnà viuunt, ἐν τῷ συζῆν, συνημερεύειν: minus propriè, inter absentes.*
- Particularis, *propter quem se mutuò diligunt. Hanc quoque materiam, in qua superius statuimus, quatenus scilicet in eo qui diligitur bona ista actu reperiũtur: quatenus verò ad nos bona ista peruenire possunt, sic finales causa censendæ erunt. Diligunt ergo se mutuò, & alter alteri bene vult, vel*
  - Amici *dilecti causa: quia dignum esse iudicat hac benevolentia, propter honestatem. Hæc vera est & solida amicitia, quæ virtutis causa instituitur. Per accidens deinde in diligentem redundat voluptas aliqua, aut vtilitas.*
  - Suiipsius *diligentis causa. Quæ non vera est amicitia. Alterum diligit, non quòd per se illi bene velit, sed quia videt in eo bonum aliquod, ex quo, si amicus sit, percipere possit vel*
    - Voluptatem.
    - Vtilitatem.

- **Ex** *hac causarum enarratione, differentias Amicitiæ colligere possimus: easque tum*
  - **Essentiales.** *Quòd alia sit*
    - **Vera,** *quam Arist. eo modo quo diximus definiuit, quòd sit benevolentia mutua & aperta. In qua definitione quatuor causæ reperiuntur.*
      - **Materia,** *sive in eo quod diligitur. Amicitia vera est inter homines ratione præditos, non vera est, quando amantur vel*
        - Inanimata, *aurum, argentum, &c. quorũ non amici, sed amatores tantùm sumus.*
        - Animata, *sed ratione carentia. Quæ amare possumus, sed absque mutuo amore: & ideo amicitia vera non est.*
      - **Forma.** *Nam dilectio, sive benevolentia, vel est*
        - Vera, *absque proportione tamen: quia in amore mutuo vel excedit terminos, vel deficit, & æqualitatem non servat, nec κατ' ἀξίαν nec κατὰ ποσόν,*
        - Falsa, *ficta & simulata.*
      - **Efficiente,** *vt quando in amore mutuum*
        - Non *est.* Ὑνus. φιλεῖ *alter non* ἀντιφιλεῖ.
        - Est *quidem, alter alterum mutuò diligit, sed neuter alterius voluntatem perspectam habet.* εὐνοια. λανθάνουσα: *& propterea amicitia dici non debet.*
      - **Fine.** *Quia diligit alterũ, nõ propter illum, quòd illi ex animo bene velit: sed vel*
        - Proprij *commodi causa. Sic bruta quoque animalia homines diligunt, propter escam.*
        - Alterius *incommodi causa, quem odio prosequitur, & cui nocere cupit. Hæc malorum Conspiratio est contra bonos.*
    - **Non** *vera, neque perfecta, in qua non omnes causæ concurrunt. Nam vitium est vel in*
  - **Accidentales,** *à motu ipso. Quia Amicitia tum*
    - **Oritur.** *In ortu habenda est ratio tum*
      - **Materiæ,** *sive* τοῦ φιλῶ μοῦ. *vel est*
        - **Honestas** *tum*
          - Interna, *Virtus.*
          - Externa, *Morum.*
        - Vtilitas *aut voluptas ex bonis tam corporis, quàm fortunæ.*
      - **Personarum.** *Non Amicum esse, et Inimicum esse differt. Amici igitur fiunt, qui prius vel erant*
        - Inimici. *Inimicitiam illam vel præcedebat*
          - Amicitia. *Nunc ergo Reconciliari propriè dicuntur.*
          - Non *amicitia. Conciliari simpliciter dicuntur.*
        - Non *amici, medij inter amicos & inimicos, apti ad vtrumque. Coniunctio animorum appelletur.*
    - **Conseruatur** τῷ φιλεῖν καὶ ἀντιφιλεῖν, *ita quidem vt omnis contentio & offensa vel*
      - Antequam *fiat, prohibeatur, veluti* προφύλαξις *quædam.*
      - Facta *tollatur per compositionem & reconciliationem.*
    - **Corrumpitur,** *ex contrariis causis. De quibus sub Inimicitia.*

Hæc de Amicitiæ theoria hactenus dicta sint: nunc ad exempla conuertamur. In quibus non exactam tantùm amicitiæ rationem sequemur: sed cæteras quoque beneuolentiæ species, quæ cum amicitia in genere conueniunt, comprehẽdemus. Huc ergo exempla Beneficentiæ, fidei, gratitudinis, pietatis cuiuslibet referenda erunt, quatenus beneuolentiam & amorem iunctum habent: exempla quoque Mansuetudinis, Clementiæ & Humanitatis huic loco eadem ratione accommodari possunt. Nobis satis erit, titulos paucis exemplis declarasse, iis potissimùm, quæ ad alios virtutum locos commodè referri nequeunt. Ex virtutum deinde locis reliquis augere eos, qui volet, poterit: quandoquidem virtutum comes est Amicitia. Sed iam Beneuolentiæ titulos, ex quibus & Amicitia habituum accidens nobis innotescet, ordine referamus. Beneuolentia enim propriè animi affectus est (de quo in superioribus legimus) sed hîc eam, quatenus perfectus animi habitus sequitur, intelligi volumus.

Beneuo-

- **Benevolentia,** *sive Amicitia habiturus quis exercenda est, amat, aliquis amatur. De situ amicitiæ vide.*
  - **Diuina,** *quando Deus hominem amat,* A DIIS *amati.*
  - **Humana,** *quando homo vel Deũ vel hominẽ amat. Et sic vel*
    - **Religiosa,** *cuius fomes est ipsa Religio. Oportet ergo benevolentiam exercere erga*
      - Deum, *cultu & obsequio: quę Pietas propriè dicitur. Hinc Dei amicos vocamus homines pios & religiosos, qui Dei munera agnoscunt,* φιλοῦμενοι ἀντιφιλοῦσι.
      - Homines, *qui nos vel*
        - Nunquam *offenderũt.* CHARITAS *fraterna erga proximum. Omnes enim in Christo fratres sumus.*
        - Offenderunt *aliquando, sive dictis sive factis.* CHARITAS *& pietas erga hostes. Diligite persequentes vos, & meliorem mentem illis precamini. Possunt etiam Ethnica quædam exempla in medium afferri.*
    - **Humana,** *quando homo vel Deũ vel hominẽ amat. Et sic vel*
      - **Personarum.** *Sic alia est Benevolentia*
        - **Publica,** *in qua vel vtraq; vel altera tantùm persona publica est, & publico sit nomine.* AMOR *& benevolentia.*
          - Patriæ, *sive Reipub.*
          - Collegarũ, *in Rep. administranda.*
          - Subditorũ, *ciuium, militum erga principes, magistratus, duces*
          - Principũ *erga subditos, ciues, amicos, milites.*
          - Conciuiũ, *populariũ, commilitonum inter se.*
          - Sociorũ, *regũ, populorũ, Reipub. ciuitatũ.*
        - **Priuata,** *quę vel inter priuatos, vel priuato nomine contrahitur, tum inter*
          - Notos, *vt puta erga*
            - Præceptores.
            - Discipulos.
            - Condiscipulos.
          - Vicinos.
          - Peregrinos *& hospites.*
        - Beneuolentiæ *arctissimæ.* AMICITIÆ *arctissimæ.*
      - **Politica:** *in qua ratio habetur tum*
        - **Reamant,** *in conversatione tum*
          - **Ethica,** *à ratione ortum sumẽs quæ ratio hominem homini conciliat, vel causa alicuius*
            - Boni, *honesti imprimis, deinde vtiles aut iucũdi. Hinc vera oritur benevolẽtia, tum erga eos qui nos vel*
              - Non *redamant, hostes scilicet. Hostes odimus: sunt tamen termini quidã huius odij, de quibus sub loco* προαόπτος *egimus. Minus odiũ, seu potius moderatum, respectu immoderati, amoris quandã speciẽ habet. Sic minus malum bonum dici potest, & id quod tepidũ est, respectu frigidi calidũ.*
            - Mali, *quod alteri eueniret cupimus. Mala hæc est amicitia, quia vel*
              - Illum *quem diligere se simulat, hac simulatione circumuenire & opprimere studet.* SIMVLATA *& fucata amicitia.*
              - Tertium *quandam iniustã conspiratione è medio tollere cupit.* MALORVM *conspiratio.*
        - **Oeconomica.** *Vide signum* A.

A. Alia est beneuolētia
- πατρικὴ. Erga
  - Parentes.
  - Liberos, *tum*
    - Antequam *nascantur.* CVPIDITAS *prolis.*
    - Postquam *nati fuerint.* AMOR *liberorum.*
- συγγενικὴ. Erga
  - Fratres.
  - Consanguineos, & *affines.*
- ἐρωτικὴ. & *vel*
  - γαμικὴ. Pro *varia gentiū consuetudine, alij quidem coniugium*
    - Admittunt *certum, & ducendā esse vxorem asserunt. Differunt autem partim in*
      - Numero. *Alij*
        - Plures: πολύγαμοι.
        - Vnicam *tantùm.* Huc *pertinent exēpla* Amo*ris coniugalis, tum*
          - Ante *matrimonium, vt sponsarum erga procos, vel econtrà.*
          - In *matrimonio, aut post.* Tum *erga*
            - Vxores.
            - Maritos.
      - Moribus *& ritu nuptiali, tum*
        - Ante *nuptias vtpote in*
          - Modo *ambiendi:* Qui, *quas & quomodo ambire debeant, aut ducere.*
          - Tempore.
          - Spōsalibus.
          - Dote, & *muneribus vel*
            - Neglectis.
            - Acceptis.
        - In *ipsis nuptiis. videlicet nuptialis*
          - Ornatus.
          - Pompa.
          - Sacra, *auguria & expiationes.*
          - Inuocationes & *hymni.*
          - Coena, & *cibi.*
        - Post *nuptias.* Coitus *nuptialis.*
    - Non *admittunt, non odio vxorum(sic enim ad inimicitiæ locum pertinent) sed libidinis. vt* QVI *promiscuas sequuntur nuptias.*
  - ἑταιρικὴ.
    - AMA*siorum dilectio.*
    - A multis *amati.*
- δεσποτικὴ. *Amor*
  - Dominorum *erga*
    - Seruos.
    - Bruta.
  - Erga *dominos tum*
    - Seruorum.
    - Brutorum.

A DEO AMATI.

Non de turpi amore hîc loquimur, cuius exempla sub tit. Amasiorum *reperies, quo poetarum referti sunt libri: sed de honesta verêque diuina beneuolentia* Dei *opt. max. siue (qui eius simiæ esse volunt) dæmonum atque deorum* Ethnicorum, *Exempla plurima ex tit.* Benignitatis & Mansuetudinis *deorum erga homines: item,* Diuino *absoluti iudicio peti possunt.* Huc *denique omnia* Oracula, Auguria, &c. *referri debent, per quæ homines de impendentibus malis bonisue à diis monentur.*

SACRA.

Nulli hominum contigit tam familiare numinis commercium, quàm MOSI: nullus maiore cœli fauore ductauit exercitum, cui sua sponte patuit mare, aquę pumicibus exiluerunt: quibus amaror inerat, dulces factæ. Idem cœlesti rore pauit populum ingentem, religione rexit, hostē precatione fudit. Nulli prima rerum origo fuit notior, & quæ proxima fuerunt originibus. Iuuenta exercita, exercitatior senecta: fama & celebritate magnus, sed maior propheta, ac nescio an omnium etiam qui omni memoria fuere maximus. Sab. lib. 1. cap. 6.

Meruit SIMEONIS sanctitas non parum, qui oraculo instructus, fore vt non prius humanis excederet, quàm Christum videret, consecutus est, vt viuens suis sit amplexus vlnis eum qui cœlum, & quæ cœlo continentur, vno fouet complexu. Ibidem.

Magnum quidem fuit, & ad posteros memorabile, vnius opera contigisse humanum genus reparari: sed maius illud & illustrius, viro admodum seni, iam ætatis exactæ, datum, vt regi regum & nutricius esset, & custos. Nulli vnquam sanctior alumnus contigit, nulli augustior nutricatus. IOSEPHVS enim primus omnium Deiparæ filium nuperrimè ortum vidit, primus adorauit, angelicos cantus audiuit, magos venientes excepit, infantem asportauit, puerum requisiuit: & quod felicissimi cumulo ministerij accessit, Christi pater & rector est dictus, qui omnium verus erat pater & moderator summus. Ibidem.

Omnium exemplorum magnitudinem superat CHRISTI regis optimi pientissimus affectus, qui adeò humanum dilexit genus (erat enim & ipse homo, licet Theanthropos) vt famem, sitim, æstus, frigora, peregrinandi, docendi, prædicandi labores tulerit, conuicia adhæc & probra: & demum ne crucis quidem patibulum expauit, acerbissimum genus mortis, vt per hæc infelix homo, qui sua culpa ruerat, in integrum restitueretur. Benigni & munifici principis est, aurum & argentum spargere populo: sed pro suis vitam effundere, non solum munifici est, sed beneuolentissimi. Sab. lib. 8. capite secundo.

ETHNICA.

ARCHILOCHVS Parius iambographus, à Calonda milite Naxio, qui Corax fuit cognominatus, occisus fuit in prælio. Cùm ergo Calondas Pythium templum ingrederetur, Pythia exclamauit, μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. Verùm quia ille prælij necessitatē obiiciebat, iussus est ad Tęnarum proficisci, & illic τέττιγα, id est Archilocho, qui se cicadam appellabat, simul & patri eius Telesicli parentare. Quod cùm fecisset Calōdas, à dei ira liberatus est. Plut. in lib. De iis qui à diis serò sunt puniti.

PINDARVS Thebanus lyricus, Apollini adeò charus, vt eorum munerum, quæ in ipsius Dei templo offerebantur, partem acciperet, indiésque à sacerdote vocaretur ad cœnam. Is enim antè apud Delphos Pythia prædixerat. Gyral. Dialog. 9. hist. Poet.

Ob THEAGENIS statuam in mare deiectam, Thasij graui sterilitate affliguntur. Vide tit. Vindictæ immodicæ erga inanimata.

Ob CITHAROEDVM in templo interfectum, Sybaritæ grauissimè puniuntur. Consule tit. Templa sanguine polluta.

CHARI-

CHARITAS RELIGIOSA, SIVE CHRISTIANA.

Hæc inter tres virtutes Theologicas, *si opus spectes, prima est, & quodammodo vinculum hominum inter se mutuò,* Deique *opt. max. cum hominibus.* Fides *sine charitate mortua est:* Spes *quoque sine charitate friuola erit, si modò verum illud est, quod æterna* Dei *sapientia sacrato ore protulit, ex operibus suis vnumquemque iudicandum esse.* Charitas *igitur omnia complet. fides erga* Deum *charitate perficitur.* Spes *nostra charitate fundatur.* Tota *denique conuersatio nostra cum hominibus, tam inimicis quàm amicis, charitatem iunctam habere debet, vt summi patris voluntas ita in terra fiat, quemadmodum in cœlo.* Quinimò *cùm corporeis exuti vinculis ad cœlestem patriam migrabimus, pro fide diuinam cognitionem, pro spe gaudia æterna adepti, nec sperabimus vltrà, nec credemus,* Charitas *sola manebit, & omnibus suis numeris absoluta, cum beatis mentibus indiuidua societate nos copulabit.* Interea *dum in hoc mortalitatis carcere versamur, charitatem sedulò exerceamus, &* Dei *opt. max. in primis, deinde fratrum nostrorum amicitiam colamus.* Cuius *charitatis necessitatem* Paulus *plenissimè declarat illa epistola, quam primam ad* Corinthios *scribit, affirmans vni charitati omnes inesse virtutes: & omnes prorsus virtutes nihili esse, si hæc vna defuerit.* Inquit *enim.* Si *linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniēs.* Et *si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas *patiens est, benigna est.* Charitas *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa: non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Omnia *suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Charitas *nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Ex *parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Cùm *autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Cùm *essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus.* Quando *autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Videmus *nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Nunc *cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Nunc *autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.* Marul. *lib. 3. cap. 1.* Cæterùm *Christiana charitas triplex est.* Prima *erga* Deum, *per omne genus diuini cultus, & obsequij, quod fide constat.* Hoc *est, quod vulgò iactatur, charitatem incipere à seipso.* Nam *qui* Deum *diligit, seipsum diligit vero & diuino amore: scit enim* Deum *bonum esse, & mutuum in amore magno cum fœnore aliquando rependiturum.* Secunda *est erga proximum.* Tertia *erga inimicum.* Proximo *debemus omnia naturali lege, sed multo magis* Christiana. Hostem *ethicè odimus:* Christianè *diligere cogimur, & à veritate aberrantem in viam reducere.* Nunc *ad exempla* Charitatis *erga* Deum, *quæ omnis amicitiæ basis est, & fundamentum.*

CHARITAS ERGA DEVM.

Deum toto corde, tota anima, totis viribus iubemur diligere, Quod *vtique ita fit, vt sola erga eum dilectio omnes alias superet dilectiones.* Super *omnia enim amandus est author ipse omnium, atque conseruator.* Nulla *res vnquam cordi nostro sic inhærere debet, vt eius causa ille qui est causarum causa, minus honoretur, minus colatur.* Despiciantur *opes, deserantur parentes, repudietur vxor, abijciantur liberi, perferantur supplicia, vita ista effundatur: nihil denique vel non agendum vel non sustinendum putetur, quod ab homine agi sustinerique possit, dummodo soli pareatur* Deo, *soli semper deseruiatur.* Charitatem Dei *habeat, quisquis ea quæ ab illo præcepta sunt, ante omnia exequi studet.* IOANNES *apostolus:* Hæc *est charitas* Dei, *inquit, vt mandata eius custodiamus.* Ac *ne quid excuses, subiungit:* Et *mandata eius grauia non sunt.* Idem *alibi:* Et *hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius.* Ipse *quoque* Dominus *in* Euangelio: Si *diligitis me, inquit, mandata mea seruate.* Et *iterum:* Qui *habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Qui *autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et *rursum:* Si *quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Charitas *igitur omnium perfectio est: vt mirum non sit, ad charitatem omnium virtutum* Theologicarum *exempla referri, fidei scilicet & spei in* Deum, *de quibus sub* Iustitia *egimus religiosa.* Illic *enim debitum obsequium & honorem, hic amorem consideramus.* Hæc Marulus *libro tertio, capite primo.*

ABRAHÆ vnicus filius erat Isaac: & cùm vnicè illū amaret, manibus propriis mactare voluit, vt obediret Deo. Pluris fecit mandatum Dei, quàm vnici vitam, neque se crudelē esse, si sanguinem filij effudisset, existimauit: sed pientissimū, si eo effuso iussioni paruisset diuinę. Promissionem acceperat de Isaac, dicente Domino: Dabo tibi filium, cui benedicturus sum: eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Et tamen de quo tanta sibi promittebantur, mox eundem impuberem adhuc iubetur immolare. Cuius hic non titubasset fides? quis non dubitasset, ne illo sublato irritum fieret oraculum? At verò Abraham & pollicēti credidit, & iubenti obediuit, & certissimo tandem euentu quod promissum fuerat, accepit. Marul. & Sab. lib. 5. cap. 1.

HELI sacerdos, nimia in filios indulgentia, malè agentes remissè molliterque corripiens, Deum offenderat: & tamē cùm illos tam tenera amplecteretur pietate, à Philistijm interfectos audiens, satis æquo animo tulit. Postquam autem & arcam Domini simul captam fuisse intellexit, impatiens doloris, de sede corruit. Et quia nonagenarius iam erat, eo lapsu collisus expirauit: ostendens, quanto sibi grauius erat præsentia Domini, quam arca exhibebat, quàm liberis (quamuis charissimis) orbari. Marul. & Sab. lib. 5. cap. 1.

Quantum de arcæ amissione doluit Heli, tantum de eius reductione à Philistinis restitutæ lętatus est DAVID. Nam cùm rex esset, & rerum gestarum gloria omnibus qui in Iudæa regnauerant præferretur, non erubuit dum arca à Leuitis portaretur, omni regiæ dignitatis ornatu deposito, & ephot lineo sumpto, pedes incedere, saltare, ludere, & quasi vnus è plebe iucundis gesticulationibus vti: donec illa in vrbem inuecta sub tabernaculo, quod ipse tetenderat, venerabiliter collocaretur. Ex quanta autem in Deum pietate, quantóque amore ea regis exultatio proueniret, Michol vxoris suæ pœna testatur: quæ quoniam scurrilis leuitatis illum arguerat, Deo vlciscente perpetuæ sterilitatis damnum tulit. Marul. & Sab. lib. 5. cap. 1.

IDEM post hæc anxiè secum queri cœpit, se in ædibus habitare cedrinis, arcam verò testamenti Dei manere sub pellibus, quibus tabernaculum tectum erat. Hinc iam in animum inducens constituere templum Domino, sacrísque illius magis decenter reponendis dedicare, regia cessisset, nisi multo magnificentius habitaculum iis quàm sibi faciendum decreuisset: & quidem tale, quale deinde à filio suo Salomone legimus ædificatum, cuius opulentiæ amplitudinísque gloria apud posteros vix fidem inuenisset, si eam humanæ tantum, non etiam diuinæ Scripturæ monumenta retulissent. Sed mirentur alij opus, nos animi Deo deuoti affectum pensemus, qui, mea quidem sententia, maior in Dauid quàm in Salomone fuit. Multa quippe postea populo, populíue principibus indulsit Dominus, & propter seruum suum Dauid ea se indulsisse protestatus est: vt quia ipse Deum plus cæteris dilexerat, plus etiam à Deo dilectus nosceretur. Quòd autem Salomon potius quàm ille, vt templū Domino construeret, electus sit, non tam meritum, quàm mysterium fuisse constat. Marul. ibidem.

Perfectæ charitatis cultum & in pueris illis in Babylonem abductis viguisse, quis negauerit? quando captiuitatis necessitatem, in qua erant, superare potuerunt, nunquam religionis suæ obseruationem deserentes. Leguminibus & frigida aqua nutriri, quàm dapibus regiis, ne cibo lege vetito incestarentur, maluêre: statuámque auream adorare iussi, mori præoptarunt, quàm fidem præuaricari. Hinc in fornacem septuplo magis quàm solitum erat, accensam missos, flamma non adussit. Illæsi inter igneos globos laudes Deo concinebant: & idem ardor qui illis intra fornacem ignouit, raptim exhalans eos qui foris aderant regis ministros corripuit atque consumpsit. Motus tanto miraculo rex, non iam statuam à se erectam, sed Deum Israel adorandum edicto iussit. Sic constans ac vera pietas captiuos rege ipso, à quo capti fuerant, fortiores reddidit: & in igne positos periculi expertes fecit, parcente illis incendio, & in suos sæuiente authores quos peremit. Ibidem.

ELEAZARVS scriba, Antiocho Epiphane fideles persequente, vt suillam carnem gustaret, compelli (quoniam illegitimum erat) nullo modo potuit: sed neque pro illa suppositam aliam, qua vesci licebat, vt

ſumeret exorari,volentibus amicis ea ſimulatione ipſum ſubtrahere neci.Vtque cæteris conſtantis animi perpetuæque in Deum obſeruantiæ exemplum fieret, extrema pati maluit, quàm quicquam prophanì aut agere,aut omnino egiſſe videri.Itaque corpus carnifici crudelibus pœnis conſiciendum tradidit, vt ſpiritum abſque labe commiſſi pariter ſuſpectique ſceleris conſeruatum Deo offerret.Ibidem.

MACHABÆI ſeptem fratres neque ingentibus regis promiſſis corrupti ſunt, neque minis territi.ad perferenda fortiter ſupplicia mater hortatrix aderat: & magis ipſa animo torquebatur, verens ne tormentis victi,contra Dei legem aliquid agere inclinarentur Sed & fœliciter conſumpti,plus Deum quàm ſemetipſos diligendum, documento fuêre: & mater ſic amandos filios, vt eos quocunque mortis genere affici maluerit, quàm peccare. Ac ne in ſe quàm in liberos indulgentiorem fuiſſe putes,quos ad necem præmiſerat,continuò ſequi voluit. Et id quidem tanto lubentius, quanto iam de eorum erga Deum fide magis fuit ſecura. Non ſupplicia reputabat: ſed an Deum amarent, glorioſam experientiam, multáque charitate ardens probari tam ſe quàm filios pœnis acerbioribus geſtiebat. O dignam talibus filiis parentem, ô dignos tali parente filios: vtrique pari animi conſtantia oſtenderunt,quàm omni morte fortior eſſet ſola Dei dilectio Ibidem.

Hic eſt ignis ille, quem Dominus noſter Ieſus venit mittere in terram: Et quid volo,inquit,niſi vt ardeat? Videamus ergo qualiter in illis arſerit,qui ipſum Ieſum Dei filium eſſe certa atque indubitata fide credidêre. SIMON Petrus in illius amorem ſemper propenſiſſimus, cùm totius noctis piſcationem caſſo labore peregiſſet, ipſo tandem in nauiculam ſuſcepto ac iubente,laxauit rete:& tantam vim piſcium traxit, vt attonitus indignum ſe talis Domini præſentia iudicaret.Et genibus ſimul prouolutus diceret:Exi à me Domine,quia homo peccator ſum.Profectò qui ſic humiliabatur,iam diligere cœperat. Hinc & ſubleuari meruit, ne timeret:quòd deinde non piſces,ſed homines eſſet capturus. Quibus verbis ita allectus eſt,vt quem modò exire à ſe volebat, mox exeuntem ſequi maturaret, & quidem relictis omnibus: vt iam palàm eſſet, nihil ſe præter Chriſtum appetere,nihil habere velle.Ibidem.

Iterum, cùm nauigantes diſcipuli Dominum ſuper mare gradientem conſpexiſſent,& an ipſe eſſet ambigerent, PETRVS reliquis feruentior: Domine,inquit, ſi tu es, iube me venire ſuper aquas. Non ambulare ſuper aquas petiit,ſed venire:quamprimùm amplecti illum, non miracula facere cupiens.Nauis velo remóque ſatis properè obuiam agebatur, ſed amantis cupiditate tardior erat Annuente Domino ſuccinctus proſiliit, ſuper vndas cucurrit: mox crebreſcentibus ventis, commotóque mare pauefactus,dubitauit:& cùm ob hanc animi hæſitationem mergi cœpiſſet,clamaſſe dicitur,Domine ſaluum me fac. Arguitur itaq;, quia timuit: ſed ſaluatur,quia eius ope etiam ſaluari poſſe credidit, cuius virtute ſuper mare inceſſit.vt dubitaret,fragilitas compulit:vt inuocaret,fides iuſſit:vt periculum euaderet,charitas impetrauit Ibidem.

IDEM (cùm quibuſdam ex diſcipulis durus ille ſermo Domini videretur,Niſi manducaueritis carnem filij hominis,& ſanguinem eius biberitis,non habebitis vitam in vobis: ideóque poſt ſenſum ſuum abeuntes, ab ipſo deſciuiſſent)reliquos duodecim interrogante Domino, An & ipſi abire vellent? pro omnibus reſpondit: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.Et nos credimus,& cognouimus,quia tu es Chriſtus, filius Dei.Sic conſiderabat etiam tum Petrus Dominum, vt nihil cum ſine ratione dicere,nihil facere arbitraretur:ſic eidem adhæſerat,vt ſi etiã reliqui omnes dilapſi fuiſſent,ipſe ſolus non receſſiſſet. Cæterùm & ſe illos non modò nuſquam receſſuros, verumetiam minimè dubios eſſe, quin ipſe filius Dei ſit,affirmat:vt ſcilicet diſcas,neminem poſſe perfectè diligere,qui non plenè crediderit.Ibidem.

Poſt hæc prædicente Domino ea quę propediē Hieroſolymis paſſurus eſſet,ait:Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. Vide quali amoris ardore flagrabat,quem in omnibus veriſſimum eſſe nequaquam dubitabat: ab eodem id ſolum patienter audire non poterat, quod ipſi valde indecens & abominabile eſſe,nondum myſterium intelligens, exiſtimabat Abſit à te Domine,imprudenter optat:ſed error hic ex affectu prouenit charitatis.Increpatur ergo vt ab errore reſipiſcat ,non vt à charitate diſcedat, immò vt correctus perfectius diligat. Ibidem.

Inde & in monte, cùm reliqui fulgentis Domini ſplendore ſtupefacti mutire non auderent,primus prorupit in vocem:Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Non attendebat loci ſolitudinem, non deſerti incommoditatem,non rupium aſperitatem:ibi ſibi optimum eſſe cenſuit,vbicũque cum illo vnà eſſe contigiſſet:Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Heliæ vnum. Cur etiam ſibi vnum non popoſcit? Quia eodem cum Ieſu contubernio vti, & nullo prorſus interſepto ab eo ſe iungi velle conſilium erat. Semper oculis illum coràm intueri cupiebat,quem ſemel animo complexus fuerat.Ibidem.

Tunc quoque ſeparari ab eo pertimuit, cùm ille diſcipulorum pedes lauaturus ſibi obnixè renitēti minaretur,ac diceret:Niſi lauero te, non habebis partem mecum.Hoc vt audiuit,protinus ſe totum eius exponẽs voluntati reſpondit:Domine, non tantùm pedes, ſed & manus & caput. Modò dixerat, Non lauabis mihi pedes in æternum. & tam citò mutauit ſententiam,quàm citò illam Domino minus placere intellexit. Vtrobiq; tamen ſummi amoris argumentum, cum & reuerentiam præ ſe tulerit renuendo,& permittẽdo obſequij ſollicitudinẽ:veritus ne quam ob cauſam conſuetudine eius, qua ſibi nihil dulcius neque ſuauius erat, carere cogeretur.Ibidem.

Quid illud,cùm audiſſet,quòd vnus ex diſcipulis cõſpiraturus eſſet aduerſus Dominum ſuum,& à Ioanne quæreret, quis ille eſſet? quo eum animo quæſiſſe crediderimus?nónne in ipſum protinus irruendi, ipſum membratim diſcerpendi,& in fruſta concidendi,laniandique, ſi cognouiſſet? quandoquidem nec armatorum cohortem timuit, vnum ex illis gladio feriens,dum pro Domino,cui iam manus iniecerant, furibundus contempto vitæ periculo decertat:plures inuaſurus, niſi Dominus inhibuiſſet.Tunc gladium vaginę reddidit,cùm is,cui etiam ligato parendum erat,iuſſit.Ibidem.

Illud etiam conſideremus, quantæ pietatis, quantæque teneritudinis fuit,cùm Dominum audiſſet dicentem: Quò ego vado,vos non poteſtis venire.Solus percunctatur & interrogat,Domine quo vadis?& quare non poſſum te modò ſequi?animam meam pro te ponã. Omnia quidem præſumere cogebat amor,ſed imbecillitas non omnia potuit præſtare. Iam ad ſupplicium raptum à longe ſequitur,nec in atrium ingredi audet, ſed foris ante oſtium præſtolatur, & ab aliis introductus accedit ad ignem, quoniam ſurrepente formidine frigeſcebat charitas.Deniq; interrogatus, ſe noſſe illum negat:pro quo paulo antè ne vitę quidem ſuæ parſurum, ſi res ita poſtulaſſet, dixerat.Ceſſit tunc ſanè timori amor,vt pateret quanta eſſet humana fragilitas, vbi auxilium ſubtrahitur diuinum.Sed & ſi ceſſit,non tamen receſſit. Rurſum ſe ille colligens, cum in ipſum reſpexiſſet Ieſus,vſque adeò timuiſſe doluit,vt dolore mors leuior fuiſſet. Haud igitur minoris dilectionis teſtimonium præbuit viuus,dum crimẽ luget, quàm præbuiſſet mortuus,ſi Dominum omnino non negaſſet. Proinde etiam poſt reatum, his quoque qui nihil tale commiſerant, præferri meruit: omnium princeps conſtitutus, quia omnibus plus dilexit. Ibidem.

Perſequamur & illa intimi amoris ſigna,quæ poſt reſurrectionem Saluatoris in eo apparuiſſe Euangelica veritas docet. Cùm igitur ſingulari cultu atque obſeruantia Dominum vſque ad crucem proſecutus fuiſſet, mortuum quoque ac ſepultum quęrere non ceſſauit. Cucurrit vnà cum Ioanne ad monumentum, vt citius cæteris videret illum, quem cæteris ardentius amabat. Pręcurrit quidem Ioannes, ſed antè introiuit in monumentum Petrus, corpore tardior, ſed amore aliquanto feruentior. Ibidem.

Ita & cùm piſcationem facerent,Dominum ipſos de littore alloquentem prior agnouit Ioannes, ſed ad eum prior venit Petrus. Sic quippe traditum eſt: Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt,tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare: alij autem diſcipuli nauigio venerunt, non enim longè erant à terra. Non patitur moras charitas, tametſi prope littus erant, haudquaquam diſtulit Petrus,quin ipſum nauiculæ curſum ſuo pręterueniret,dum ad Dominum properat.Non petiit nunc vt ſuper aquas ambularet:quia & id petere,tardatio videbatur: & cum miraculo velle agere aliquid quod ſine eo perfici poteſt,Deum tentare eſt. Itaque vado quò nolebat peruenit, reliqui deinde applicuêre. Tum demùm iubente Domino afferri de piſcibus quos cœperant,primus aſcendiſſe dicitur, & traxiſſe rete in terram magnis piſcibus plenum. Qui enim impenſius amat,ſollicitius paret:magniſque affluit virtutibus, qui perfectè Deum colit. Et cum tanti eſſent, inquit, non eſt ſciſſum rete.Non enim rumpi nexus poſſunt,quos verus innodauit amor: neque virtutum aceruus diſſipari poterit, ſi in ſinum congeſtus fuerit charitatis.Ibidem.

Illum ergo Dominus,qui plus ineſſe erga ſe pietatis nouerat, dignum iudicauit,quem ad eccleſiæ gubernacula ſedere faceret. Ter interrogato, & ter reſpondenti quòd ipſum amaret, oues ſuas vltrò committit. Quòd autem tertiò interrogatus Petrus contriſtatur,iam ne quid vt antè imprudenter temeréque præſumpſerit dubitat, & iccircò conſideratius reſpõdet:Domine tu omnia noſti,tu ſcis quia amo te. Aliàs multum pollicitus tam nihil pręſtitit, vt etiam veritatem abnegaret:modò nihil promittere auſus,tãtum exhibuit,vt poſt perſecutiones, verbera,carcerem, cathenas,quæ pertulit, etiam crucifigi pro nomine illius non recuſarit. Hinc apparet,nihil eo eſſe imbecillius qui in ſe confidit, neque fortius qui in Deo.In Deo confidens Neronem contempſit, qui in ſe confidens expauerat ancillam.Ibidem.

De PAVLO quoque apoſtolo in Actis legimus,cùm eſſet Tyri,ab Agabo propheta & à Spirituſancto fuiſſe prædictum, quòd vincula tribulationéſque paſſurus Hieroſolymis eſſet.Ipſe tamen eodem ſpiritu confirmatus,illò proficiſci nequaquam dubitauit:nihil ſupplicia veritus, dum prædicat Ieſum.Lugentibus diſcipulis, & magiſtrum indulgentiſſimum pariter ac doctiſſimum à propoſitio deterrentibus. Quid facitis,inquit, flentes? & affligentes cor meum, ego autem non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu. Iuit, in inſidias incidit, comprehenditur, ligatur, cæditur,torquetur. Et tamen cum ei fandi copiam feciſſent,tortores ſuos in viam ſalutis dirigere moliebatur:non pro ſe ſollicitus,vt vel ſic acceptus dimitteretur:ſed pro illis,ne errantes in æternum perirent, pro iniuria referentes beneficiũ, pro malo bonum. Non enim langueſcit odium ſuſtinens charitas, ſed accenditur,ſi vera fuerit.Ibidem.

Hinc IDEM ad Romanos à Corintho ſcribens clamat, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum,an perſecutio,an gladius?ſicut ſcriptum eſt:Quia propter te mortificamur tota die, & æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli,neque principatus,neq; virtutes,neque inſtantia,neque futura,neque fortitudo,neque altitudo,neque profundum, neque creatura alia potuit nos ſeparare à charitate Dei,quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.Ibidem.

Hinc etiam è Roma ad Philippenſes ſcribens:In omni fiducia, inquit, ſicut ſemper,& nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam,ſiue per mortem.Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Et rurſum:

Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtũ detrimenta.Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei,propter quem omnia detrimentum feci,& arbitror vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciam,vt & inueniar in illo,non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt,ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu.Ad hæc & Corinthios hortatur, dicens:Siue manducatis,ſiue bibitis,vel aliud quid facitis,omnia in gloriam Dei facite. Et de iis qui Deum amant, ad Romanos ait:Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.Et de iis qui negligunt,ad Corinthios:Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,ſit anathema maranatha: quod Syrum eſſe aiunt,& ſonare,Dominus venit.vt ſit ſenſus:Eum in aduentu iudicis à fidelium conſortio ſeparandum,qui à Chriſti charitate inuentus fuerit alienus.Ibidem.

Hæc charitas ſanctos tuos Domine,non modò diuitiarum, dignitatũque ſecularium atque honorum, verumetiam vitæ lucis huius contemptores fecit.Nullis tyrannorum minis ſuppliciiſue abſterreri potuerunt, ne nomen tuum vbique palàm prædicarent, atque extollerent. Petrus, Andreas, Philippus crucifigi non recuſarunt: Iacobus & Paulus capite truncari:Iacobus alter de pinna templi deijci,& fullonis fuſte mactari: Ioannes in bullientis olei dolium nudus demitti:Thomas & Matthæus lanceis confodi:Stephanus lapidibus obrui:Matthias ſecuri percuti: Simon & Iudas irruenti ſacrilegorum impetu elidi atque obteri: reliqui omnes diſcipuli diuerſis tormentorũ generibus abſumi ac perimi.Quid poſt illos de tot millibus martyrum dicam?Dulcia illis tormenta erant, per quæ ad te aſcendere,tecum iungi properabant Nihil illis formidini nihil timori eſſe poterat,quoniam perfecta charitas foras mittit timorẽ. Vehementiores pœnas expetierunt, vt maioris erga te amoris teſtimonium redderent. Sed nulla tam vehemens à perſecutoribus excogitari potuit,vt æquaret patientium affectum. grauiora tolerare parati erant, quàm nouerat inferre rabies inimici,in ipſos debacchãns. Ibidem.

Sed ne fœminarum in Deum pietatem omnino præteriiſſe videamur, vnius exemplo contenti erimus. Maria Magdalena mundi dilectione in dilectionem Domini commutata, ſoli illi placere cupiens, venit in domum phariſæi, vbi ipſe recubuerat:humíque proſtrata, pedes eius oſculari cœpit,lachrymis rigare,capillo tergere, vnguentis perfundere. & quoniam charitas operit multitudinem peccatorum, continuò de illa dictum eſt,Remittuntur ei peccata multa,quia dilexit multùm. Ibidem.

Iterum in domo Simonis leproſi eiuſdem Domini caput vnxiſſe refertur vnguento precioſo.Impetrata quippe delictorum venia, altius promouetur:& quę pedes vnxerat,iam digna fit quę vngat & caput.Sic paulatim progrediendo,ab infimis ad ſumma vſque peruenitur.Ibidem.

Immenſi amoris indicium & illud fuit,cùm Martha ſoror eius Dominum accipiens hoſpitio, parãdi conuiuij cura diſtringeretur:illa audiendi verbi dulcedine delinita,nullis eiuſdem germanæ cõpellationibus auelli potuit,vt ab eo parumper ſecedens, ipſam in miniſtrando iuuare vellet.Ideóque optimam partem elegiſſe dicitur,quæ non auferetur ab ea.charitas enim nunquam excidit.Ibidem.

Sed vt alia omittam,quis dignè explicare,nedum laudare queat, iam ſepulto Domino,animi eius ſollicitudinem,aſſiduúmque angorem:Cõparauit aromata,ante lucem ad monumentum venit, & non inuento corpore recurrit ad diſcipulos:Tulerunt, inquit, Dominum de monumento,& neſcimus vbi poſuerunt eum.Rurſum reuertitur, identidémque ſuper vacuum ſepulchrum inclinata proſpectat,perquirit,plorat:recedunt diſcipuli,permanet illa.Qua perſeuerantia atque inquietudine tandem obtinuit,vt Domini à morte reſurgentis gloriam prima videret, prima crederet,prima cæteris nunciaret.Ibidem.

CHARITAS ERGA PROXIMVM FRATERNA.

Huc Liberalitas Chriſtiana pertinet,in eleemoſynis erogandis.

Diligenter & ſolicitè orabat Dominum ABRAHAM,vt parceret Sodomitis.Geneſ.18.

Et mira & bonitatis plena Hebræorum conſuetudo erat,qui metendis frumentis relictas ſpicas nõ colligebant,neque vindemia vuas,quæ fortè vindemitorum diligentiam effugiſſent.hæc enim ad pauperum nutrimenta relinquebantur.Neque ex agro peregrinum aliquem, qui in eo eſſet,pellebant:ferentéſque ad torcularia vuas,nemini, qui in cibum dari ſibi peteret,negare fas putabant.Fulg.lib.2.cap.1.

Graſſabatur Iezabelis ira in prophetas,& iam plus nimio illa temporum diritas per innocentium euagabatur capita:cùm in tanto metu vnus extitit,qui innocentiam occultè,quando aperta vi nõ poterat, tueretur. ABDIAS vir iuſtus,neque impenſa grauatus,neque Iezabelis iram veritus,centum latitantes prophetas inſigni charitate protexit,& aluit.Sab.lib.5.cap.2.

HELIAS prophetico ſpiritu inter ſuos longè princeps,cum cœli inclementia omnia laborarent(totum enim triennium nihil è cœlo pluerat)ac iam propè eſſet, vt terra victum negante, fame & ſiti animalia interirẽt,impẽſiſſimè Deum precibus fatigauit,ſuorum calamitatis miſertus:tenuitque precando, vt ſua ſit temperies terris reddita.Sabelli.lib. 8. cap.2.ex 3.Reg.18.

ABDEMELECH Æthiops eunuchus,Sedechiæ regis ſeruus, Hieremiam ab iis qui vera audire non poterant,in cœnoſo lacu ignominioſe deiectũ miſeratus,cùm regem pro illo exoraſſet,ſolus eduxit. Inde qui prophetam malè habuerant,in hoſtium poteſtatem deuenerunt, è quibus alij interfecti,alij in Babylonem captiui ducti ſunt, Ad ipſum autem Abdemelech per Prophetã dicitur:Liberabo te in die illa,ait Dominus, & nõ tradêris in manus virorum quos tu formidas, ſed eruens liberabo te,& gladio nõ cædes,ſed erit tibi anima tua in ſalutem,quia in me habuiſti fiduciam,ait Dominus.O grãde charitatis meritum.Capitur, quatitur,vaſtatur,funditùs euertitur Hieruſalem, & inter tot gladios furentium inimicorum is qui proximum ab iniuria liberauerat,diuina virtute protectus liber,expérſque periculi fuit.Marul.lib.5.cap.2.

TOBIÆ charitatem Babylonica captiuitas probatiorem fecit. Quippe in eadem neceſſitate conſtitutis,quoquo modo potuit, opitulari non ceſſauit,nunc verbis conſolando,nunc rebus iuuando,& eos qui ab impiis hominibus cædebantur ſepeliendo. Hinc cùm & ipſe regis Sennacherib iuſſu necandus perquireretur,Deo fauente vnà cum ſuis periculum effugit.Poſtea rege filiorum manu interempto,reuerſus, omnia quæ ſibi ſublata fuerant recuperauit,ne benefaciendi materia deeſſet, cui nõ deerat animus.Pius ergo in medio inimicorum ſeruari meruit: crudelis autem nec inter filios tutus fuit.Marul.lib.3.cap.2.

Beati Iob pietatis opera percenſentur,dum ad eum dicitur, Ecce docuiſti multos,& manus laſſas roboraſti, vacillantes confirmauerunt ſermones tui,& genua trementia confortaſti. Cur ergo poſt hæc ærumnis concutitur,calamitatibus premitur, ad extremam redigitur miſeriam? Cur,niſi vt aurum igne probetur,ac is qui proſperis in rebus ſemper cõſtantiſſimus fuerat,etiam in aduerſis eiuſdem integritatis eſſe noſcatur? Poſt probationem à malis liberatus duplicia recipit,temporale vtique & æternum bonum:ne ignores multo maximam eſſe pietatis mercedem. Marul.lib.3.cap.2.

Multa quidem id genus exempla de veteri Teſtamento adduci in medium poſſent,niſi plura noui modò ſeſe ingererent referenda. Iam primùm CHRISTI erga nos charitas effecit, vt niſi proximos noſtros dilexerimus,non iniuſti ſolùm,ſed etiam ingrati ſimus. Si enim Dei filius pro hominibus homo factus eſt,ſi formam ſerui accepit, ſi mori voluit: quanta ingratitudo eſt,nos tantillum gratiæ illi referre nolle,vt eos diligamus quos ipſe ſic amauit?Profectò indignus eſt beneficio Redemptoris,qui communis redemptionis aſpernatur conſortem:& inter feras beluas computandus,dum ita exuit humanitatem,vt hominem contemnat,quem iuuare conditio,genus,natura,Deus hortantur.Ne malos quidem odiſſe debemus,ſed modis quibus commodius fieri poteſt, vt corrigantur curare.Ibidem:& Sab.lib.5.cap.2.

Propter dilectionem laudatur Samaritanus ille, qui appropians ſemiuiuo,miſericordia motus eſt,& eius vulnera alligauit, infundens oleum & vinum.Sic Chriſtus,de cœlo deſcendens, genus humanum à diabolo vulneratum ſanauit:pro eóque mortem ſæuiſſimam crucis paſſus,vt perfectiſſimæ charitatis exemplum daret,etiam pro crucifixoribus ſuis orauit. Lucæ 10.

Beatus STEPHANVS Dominum imitatus, & ipſe pro lapidatoribus ſuis deuotius quã pro ſe orauit.Nam pro illis genua poſuit, & voce magna clamauit.Pro ſe verò ſimpliciter dixit:Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritũ meum.Actorum 7.

APOSTOLORVM poſtremò omnium,& eorum qui illos ſecuti ſunt vnum hoc charitatis propoſitum fuit,neque rerum præſentium, neque quietis,neque vitæ mortalis vllam habere rationem,dum conſulitur ſpiritali ſaluti proximorum.Marul.lib.3.cap.2.

IOANNES apoſtolus,cùm iuuenem quem baptizatum peregrè proficiſcens,epiſcopi cuiuſdam fidei commiſerat cuſtodiendum,diſceſſiſſe, atque in ſolitudine cum multis latrocinia exercere audiſſet, vehementi dolore affectus eſt,incuſauítque epiſcopi negligentiam in eiuſmodi depoſito ſeruando:nec cunctatus,conſcenſo equo ad graſſatorum latibula abiit ſolus, periculi immemor, dum perditam ouem veſtigat inter lupos.Eo viſo,iuuenis commiſſi conſcientia verecundatus, fugere cœpit, Ioannes inſequi:conſecutúſque eum,blanditiis, promiſſiſque allicit, & ad ſpem veniæ animat,ſe pro illo rationem redditurum, modò pœnitere,ac ſecum redire ne detrectaret.Itaque reuerſum ſic inſtituit,vt lucraretur Chriſto.Nobis documento eſt,nullo labori parcendum, vt proximum pernicioſis vitæ erroribus implicatum expediamus ad ſalutem. Alioquin eum contempſiſſe arguemur, quem ſicut noſipſos diligere iuſſi fuimus.Marul.lib.3.cap.2.& Sab.lib.5.cap.2.

PAVLVS apoſtolus,qualem erga proximos charitatem haberet præter difficiles illas & periculoſas peregrinationes, oſtendit ad Romanos dicens:Optabã ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Et ad Corinthios:In cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & conuiuẽdum.Et ad Philippenſes: Teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos eſſe viſceribus Ieſu Chriſti.Et ad Theſſalonicenſes:Facti ſumus paruuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos,ita deſiderantes vos cupidè,volebamus tradere vobis non ſolum euangelium Dei,ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Rurſum ad Corinthios: Cùm liber eſſem, inquit, ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer:iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem,cùm ipſe non eſſem ſub lege,vt eos qui ſub erant lucrifacerẽ. Omnibus omnia factus,vt omnes facerem ſaluos. Idẽ denique ait:

Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Marul.lib.3.cap.2.

Sanctè CHRISTIANA instituit Ecclesia, vt stato & solenni die quotannis pro vniuersis gentibus vniuersa precaretur ecclesia: ne iis quidem exclusis, qui ex confesso essent hostes infestissimi. Sab.lib.6.cap.1.

CARPVS Pauli apostoli discipulus (sicuti de illo Dionysius ad Themophilum scribens testatus est) cum fidelem quendam ab infideli subuersum cerneret, præ dolore languere cœpit. Cúmque vt conuerterētur orare debuisset, vt ambo è vita decederent optauit: veritus ne alterius suasu, alterius exemplo alij corrumperentur. Vidit autem in quiete illos in fornacem ardentem à spiritibus immundis trahi, violentérque impelli: & cùm eo spectaculo delectari cœpisset, aspexit Christum cum angelis è cœlo delabi in terram, ipsósque ab ignis periculo ereptum accedere. A quo & audiuit, iterum paratum se pro peccatoribus pati. Hac visione admonitus, pro vtriusque conuersione Domino supplicauit: & quos antea mori concupierat, demum in fide viuificatos recepit. Hinc discimus, neminem appetere debere delinquentium pœnas, sed pœnitentiā, orādúmque esse etiam pro incredulis & iniquis. Sic est enim amplectēda religionis fides, vt non deseratur proximi charitas. Marul.lib.3.cap.2.

SERAPION abbas oppidum quoddam infidelium ingressus, cùm publicè prædicantem de medio pellerent, venundare sese illis cœpit in seruum, vt saltem cum dominis priuatim colloquendi potestatem haberet. Vbi verò frequenti assiduáque suasione illum cui seruiebat credentem de idolorum seruitute in fidei Christi libertatem vendicasset, reddito ei precio, ad alium transibat. Hoc gentiles erudiendi genere etiam Lacedæmone & Athenis vsum dicunt. Itaque non recusauit venalis mancipij vilitatem abbas, vt alios à pernicie liberaret erroris. Ibidem.

ANTIDIVS Turonensis episcopus, cacodæmonem lætum ac gestientem videns, quòd Zozimum summum pontificem septennio sollicitatum, tandem ad stuprum committendum se impulisse diceret, haud cunctandum ratus, illi præcepit, vti se eadem celeritate, qua venerat, Romā perferret. Die altero pontificem adiit, relatísque quę de illo dæmon iactarus fuerat, ruborem ei pauorémque iniecit, & confitentem protinus ad pœnitentiam conuertit: eodémque vectore vsus, diei spacio ad Turonum rediit. *Timuisset sese dæmon credere, nisi proximi charitas foras misisset timorem.* Cuius quidem charitatis merito effectum est, vt is qui papam corruere fecerat, episcopo obediret. Ibidem.

Magna & ABRAHAM eremitæ in neptim charitas, quam secum in solitudine commorantem, Deo seruire, & virginitatem custodire docebat assiduis monitis, quotidianáque adhortatione. Sed illa tandem à iuuene quodam sollicitata, cum sceleri consensisset, patrui sanctissimi viri conspectum ferre non valens, clàm discessit, & de venia desperans impudicitiæ se dedit. Quid ageret amissa oue, pastor iam senex nesciebat, & tamen quiescere præ dolore non poterat. Denique eremum relinquere, tegumentum ne agnosceretur mutare, vrbes quas fugerat intrare, nihil intentatū relinquere, donec illā inuenisset, decreuit. Hoc igitur consilio vsus, quæsitā inuenit, inuentā cōuertit, conuersam secum reduxit: & tanto labore recuperatam diligentius custodiuit, ita vt illa salutem, de cuius spe deciderat, pœnitendo acquisierit. Quòd si ipse delinquentem neglexisset, nunquam fortasse illa à delictis resipuisset. Sed nescit torpere charitas, quousque subleuet corruentem. Ibidem.

BERNHARDINVS, antequam Minorum religionem profiteretur, in omni charitatis negocio assiduus erat. Senæ pestilentia laborabāt plerique, contagiosam morbi vim timentes vrbe excesserant: & illi quoque qui mansissent, cum ea familia in qua æger erat commercium habere formidabant. Solus Bernhardinus sic destitutis necessarium præstare ministerium decreuit. Duodecim iuuenibus persuadet, vt secum infirmis seruiendo, Christo seruiant. Cum hoc comitatu domos laborantium ingredi, sanos consolari, ægrotis mederi, indigentibus victum, defunctis sepulturam prouidere: sed ante omnia curare, vt confessi, contritique, quicquid euentus ferret expectarent. Magis verebatur, ne quid decedentibus officeret ad beatitudinem consequendam, quàm ne sibi ad vitā propagandam. Cæterùm tantę pietatis vir in tam pręsenti periculo sanus atque incolumis meruit conseruari: dignúsque effici, qui multo magis postea prodesset hominibus prędicādo, quàm tunc profuerat ministrando. Marul.lib.3.cap.2 & Sab.lib.5.cap.2.

PANVFIVS abbas, Thaidem nobile scortum ab impudicitia auertere volens, cùm ab ea secretiorem congrediendi locum poposcisset, & in abditissimum postremo domus cubiculum ductus, ibi etiam ne ab aliquo conspiceretur vehementer se vereri diceret: Ne dubita, inquit illa; nemo hic iam te videre pręter Deum potest. Captata occasione abbas interrogauit, An Deum esse crederet, quem latere nihil possit, tum qui bonis præmia, & malis proponat pœnas? Annuenti subiunxit: Cùm hoc non ignores, nónne infœlicissima es, quę propter breuissimi temporis voluptatem, & te, & omnes quibus tui copiam facis, perditū eas, cruciatibúsque æternis depures? Scelerum conscia mulier, statim ad lachrymas prorupit: ac deinceps lasciuiam carnis frenans ieiuniis, orationúmque fatigationibus domans, pudicè sanctéque vixit. Ita neque ipse Panufius timuit in se suspicionis notam, dum in aliis timet criminis pœnam. Iidem.

PACOMIVS monachus, animaduertens proximi vici colonos à cultu abesse diuino, & tantummodo in pascendis pecoribus studium protrahere, vehementer indoluit: nihílque moratus, eremum dereliquit, & inter illos tuguriolum constituit. Neque prius ad solitudinis locum rediit, quàm illos edocuisset Deum honorare, Christo credere, piè atque innocenter viuere. Fugerat frequentiam, sed fugientem reuocauit charitas. Veluti qui maris periculum euadens, iam in portu atq; in tuto se recepit: tum si quos naufragari respexerit, rursum committit se fluctibus, vt in alto laborantibus opem ferat, suæ ipse quieti salutem præponens aliorum. Marul.lib.3.cap.2.

VITALIS monachi in vrbe Alexandria mira admodum charitatis opera extitère. Prostibula adibat fœminarum, & cum ea quæ impudentiore lasciuia diffluere videbatur, noctem pactus, precium offerebat. Admissus autem in aliquo fornicis angulo, procumbens deprecando, peruigilabat donec illucesceret dies. Factū admirans mulier, cogebatur interim tacita intra se cogitare, non iam quantum lucrifecisset, sed quantū turpiter viuendo Deum offendisset. Itaque multæ ab eo hoc modo conuersæ, vitam correxêre. Ipse verò peruersa hominum opinione iactatus, quoniam circa lupanaria frequens erat, palámque reprehensus patienter tolerabat: cum plus vtilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quam ex sua infamia damni. Ibidem.

PAVLINVS Nolæ vrbis episcopus viduę cuiusdam filium in Aphrica apud Vandalos captiuum, cùm pecunia non suppeteret, vicaria seruitute redemit, mulieris orbitatem miseratus: simul ne ille iuuenis, dum superbis dominis seruit, eorum ritus secutus seruire inciperet diabolo, maluit vitam suam quàm proximi animam periclitari. Marul.lib.3.cap.2.& Sabel. lib.5.cap.2.

SANCTVLVS Nursię prouincię abbas, cùm sibi pecunia non suppeteret, qua diaconum suum à Longobardis latronibus captum redimeret, aliam longè difficiliorem redimendi rationem iniit, & vt sibi cum illo colloqui, diésque aliquot vnà esse liceret, rogauit. Qui rogabantur, hac lege concesserunt, vt si diaconus effugisset, tunc abbas qui per ętatem effugere non poterat, capite puniretur. At ille pro diacono mori paratus, fugam persuadet, cúmque noctu emittit. Qua de causa ad necem petitus præbuit ceruicem. Cæterùm iam ad feriendum elatam videns spiculatoris manum, protinus exclamat, Summe Deus tene illam: immota mansit, & rigentibus neruis deflecti nequiuit. Reliqui miraculo territi, abbatem liberum fecère. Qui mox rogatus, malè affectam manum oratione curauit. Multiplicia dona certatim offerebant, venerantes iam quem dudum occidere voluerant. Nihil illi accipere libuit, pręter captiuos: qui omnes libertati redditi, cùm ei gratias egissent, abière. Itaque Sanctulus abbas cum se morti opponere pro vnius *salute nō dubitat*, vnà cum multis meruit seruari, Deo id tribuente hominis pietati. Marul.lib.3.cap.2. & Fulg. lib.4.cap.7.

CATHARINA virgo duodeuiginti annos nata, cum Maxentij Alexandrię præsidis edictum audisset, in quo referebatur gladio in illos animaduerti placere, qui die præstituta templum ingressi, deos non adorassent: in medium prorupit, & præsidem ipsum nomine compellans, atque insaniæ palàm arguens, Christum crucifixum adorandum esse asseuerauit, inanium autem deorum simulachra contemptui habenda simul cum iis qui adorant ea. Non est verita sæuissimo insultare tyranno, vbi proximorum periclitari vidit fidem. Corporis mortem contempsit, ne fideles suppliciorum metu perterriti, in mortem ruerent infidelitatis. Ibidem.

MARIA Decegnies cognomento dicta, de pago Niuella, episcopatus Leodij, ipsa vitæ sanctitate maritum pellexerat, vt castitatem seruaret. Ambo ergo Christo, non mundo seruientes, leprę morbo affectis ministerium impendisse dicuntur: non languoris deformitas, non tabes, non sanies feculenta, non morbi euiranda contagio obstitit. Miserabilior ægrotantium facies, ministrantium curam magis accendebat. Ibid.

ANASTASIA Romana infideli quidem viro tradita, sed tantum Christo iuncta, cùm patricij generis esset, prætulit nobilitatis altitudini charitatis humilitatem. Quippe vilibus vestibus induta, ne agnosceretur, martyrum carceres inuisebat, vincula exosculabatur, ad patientiā exhortationibus animabat. His officiis digna euasit, quę & ipsa coronam referret martyrij. Marul.lib.3.cap.2.& Sabell.lib.5.cap.2.

Charitate inter se contenderunt apud Antiochiam THEODORA virgo, & quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur: miles ignotus eam primus adiens, persuadet vt mutatis secum indumentis virili habitu euadens, virginitatem intactam conseruet. Cúmque ipse cum muliebri veste deprehēsus pro virgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, vt cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret: palàm proclamat se esse ei pœnæ addictam, non ipsum: econtrà ille, Immò se iudicis sententia damnatum, nō illam. Diu certarunt, vterque alterum sua morte redimere cupientes. At verò quoniam Christum confitentibus mori viuere erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione gloriosum martyrium peregerunt: ne eos tyranni gladius separaret, quos iunxerat amor Christi. Marul.libro 3. cap.2.

DILECTIO INIMICORVM. CHARITAS erga inimicos.

Charitas erga inimicos, differt à Clementia: quoniam aliud est ignoscere ei qui te offenderit quadā animi magnitudine & moderatione, atque in eundē beneficia conferre, non tā illius causa, quā vt virtutē tuam omnibus cōprobes: aliud est, verè & ex animo diligere, illi bene velle, & illius causa, beneficijs eum afficere. Clementia igitur etiam apud Ethnicos reperitur: Charitas apud solos pios homines & Christianos.

IACOB insidiantem fratrem Esau maluit fugere, etiam in longinquas regiones, quàm vicē odij compensare: cúmque reuersus multis muneribus honorauit, vt sibi placatum faceret. Genes.28.

IOSEPH ingentem fratrum inuidiam ingenti rependit beneficio. Occidere eum voluerunt, in cisternam deiecerunt, Ismaelitis vendiderunt. At ille cùm deinde Pharaonis præpositus esset, & fames septennis premere cæpisset terram, venientes in Ægyptum conuiuio excepit, frumento & pecunia iuuit, singulos exosculatus est, iniuriam omnem remisit. Ac ne sequentibus annis, qui quinque, donec septennium peragerentur, restabant, fame confecti perirent, vt ad se in Ægyptum cum patre, totáque familia transmigrarēt, curauit: permissúque regis terram, in qua commodè habitarent, dedit. Quid multa? qui sibi innocenti necem seruitutémque intentauerant, eos, cùm victus penuria laborarent, benignè suscepit, opiparè aluit, largè beneficiis affecit. Marul.lib.3.cap.3.& Sab.li.5.cap.3.ex Genes.37.& 45.

MOSES pro Maria sorore Deum orauit, & à lepra curatam reddidit, quam petulanter in se oblocutam nouerat, & ob hoc quidem lepra perfusam. Dimittere illam Dei iudicio voluntatíque licebat: sed ipse pietate victus, vt morbo eo liberaretur, precibus impetrauit. Marul.ibidem.

IDEM à populo, quem de seruitute Ægyptia liberatum, in terram lacte & melle manantem, id est bonis omnibus affluentem, perducere tanto labore, tantóque vitæ periculo moliebatur, sępe murmuratione lacessitus est, sæpe furore impetitus, & ad tabernaculum fugere coactus. Et tamen tali ac tanta ingratitudine nunquam sic commotus est, vt benefacere cessaret. Prostratus pro illis orauit, Deum placauit: manna de cœlo, aquam de petra, dum deserta peragrant, ad esum potúmque eis impetrauit, legem digito Dei scriptam dedit, de inimicis victoriam à Domino exorauit, ducem qui eos in terram promissionis inferret, reliquit. Si nihil in illum vnquam deliquissent, sed semper iussis omnibus fuissent obsecuti, magis pro ipsis solicitus esse non potuisset. Marul.ibidem.& Sab.lib.5.cap.3.ex cap.32.Exod.

DAVID Saulis regis capitale in se odium beneficiis æquauit. Saul enim virtuti eius laudibúsque inuidens, & lancea præsentem appetierat, & fugientem armis persequebatur. At ille persecutorem suum bis absq; sui periculo interimere potuit, si voluisset. Semel in spelunca, vbi ipse latebat, diuertentem, cùm chlamydis laciniam non sentienti abscidit. Iterū sub tentorio, cùm noctu iuxta caput dormientis scyphum hastamque sustulit, & nulli custodum visus ad suos rediit. His quidem argumentis ostendere volens, quantum deferret regi etiam iniquo: cùm ab illo declinare mallet, quàm hostiliter persequentem lædere. Denique à Philistæis cæsum luxit: & cædis eius nuncium, qui ex vulnere morientem, vt doloribus liberaret, ab ipso rogatus, insuper percusserat, occidi iussit, vt reliqui discerent manum continere à Christo Domini. Benedixit autem viris Iabes & Galaad, qui mortui cadauer mandauerant sepulturæ. Ad hæc, illos qui postea Isboseth Saulis filium dolose interfecerant, licet ipse de regni successione secum contendisset, vlcisci iussit: tam in aliorum offensores iustus, quàm in suos pius. Marul.lib.3.cap.3.& Sab.libr.5.cap.3.ex 1. Reg.1.& 2.Reg.1.& 16.

IDEM tam procul ab inimicorum suorum odio se abesse sciuit, vt securus in psalmo dixerit: Si reddidi tribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & cōprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meā in puluerem deducat, &c. Psal.7.

HELISEVS propheta inimicos ad capiendum eum missos, non tantùm amauit, sed mensam eis apponi præcepit, refectósque iam abire illæsos permisit. 4.Reg.6.

QVIDAM ex prophetis cùm venisset Bethel, Hieroboam Israel regem idolo sacrificantem increpuit, aduersa illi prophetans, familiæque eius. Iratus Hieroboam extendit manum, iubens apprehendi hominem, & continuò arefactam retrahere nequibat. Vir Dei autem misertus, pro illa manu, quam in sui iniuriam extensam nouerat, Dominum rogauit, pristinæque sanitati protinus restituit. Facillimè quippe diuina exoratur pietas, ab exercente pietatem. Marul.libro tertio, capite tertio, & Sab. lib.5.cap.3.

IOB fidelis Domini seruus, veram & perfectam charitatem etiam cū inimicis fideliter retinuit, vt gaudens & libera conscientia ad Deum diceret: Si gauisus sum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo quòd inuenisset eum malum, &c.

Diligite vestros inimicos, dixit DOCTOR ille summus, humanæque author salutis: atque his benefacite, qui vos oderunt. Sed quàm sancte id præcepit, tam integrè præceptor optimus seruauit. Nota vox eius, cùm ab impiis cruci affigeretur: Ignosce, inquit, his pater: non enim vident quid agant. Exemplum sanè vnicum, atque omnium præstantissimum, & quod si quis ritè obseruet, Deo multo similior quàm homini fit. Sab.lib. 5.cap.3.

STEPHANVS pro illis à quibus falso accusatus, iniquè damnatus, crudeliter lapidum ictibus impetebatur, genibus prouolutus orauit, ne ipsis hoc ad peccatum computaretur, quod sibi cedere sciebat ad gloriam. Marul.lib.3.cap.3.ex cap.7.Act.

IACOBVM apostolum Alphæi filium, tunc cùm de pinna templi lapidum ictibus deturbaretur, ac deturbatus insuper fullonis fuste cæderetur, orasse accepimus, illis ignosci postulantem, à quibus iniustè necabatur. Sæuiendo impij efficere nequiuerunt, vt pius in se sæuientibus bene optare desisteret. Marul.lib.3.cap.3.& Sab.lib.5.cap.3.

VENVSTIANVS Tusciæ præses, Sabinum Assisij episcopum, cum duobus diaconis Exuperantio & Marcello, ob Christianitatem comprehendi fecerat, & in carcerem trudi: hos ambos diuersis pœnis excruciatos interfecit, illi vtramque abscidit manum. Mox ipse graui oculorum dolore vexatus, ab eodem remedium poposcit, cui iam tot intulerat mala. Atque ille veluti beneficiis obstrictus, & nulla affectus iniuria, libēter accessit, diligenter orauit, efficaciter sanauit, sanando insuper hominem ex infideli Christianum fecit. Maius bonum pro malo reddere non potuit, quàm vt inimicum suum diligendo Deo amicum faceret, & cum pro Christo ad patientiam suppliciorum animaret, à quo ipse pertulerat supplicia. Iidem.

PERGENTIVS & LAVRENTINVS fratres, sub Decio Cæsare Aretij martyrium passi, cùm fustigarentur, & verberantium brachia repentè obriguissent, vt illi sanitatem recuperarent, orarunt, inimicorum potius quàm suæ pœnæ remedium exquirentes. Iidem.

IOANNES & PAVLVS, Iuliano apostata imperante, Romæ passi sunt: eorum corpora humi defossa, Terentiani militum præfecti (cuius manu cæsi erāt) filium, ad tumulum ipsorum adductum, à dæmoniaca vexatione liberum reddidère. Hinc patet, quales erga alios vixerint, qui hos à quibus necati sunt, etiam mortui dilexerunt. Marul. libro tertio, capite tertio.

CHRISTOPHORVS martyr à Dago Lyciæ rege passus, cùm post multa tormentorum genera stipiti alligatus, tandem sagittis appeteretur, atque earum vna reflexo mirabiliter ictu regis oculum confixisset, vulneris remedium monstrauit. Rex itaque decollati martyris cruore oculo illito sanatus est, & conuersus cadauer eius sepulturæ honore affecit, cuius vitam extinxerat: tum demum considerans Christi virtutem, cū expertus est erga se martyris charitatem. Ibidem.

NAZARIVM & CELSVM martyres ij qui in mare suffocandos de naui iactauerant, cùm orta statim tempestate periclitari cœpissent, eósq; super vndas ambulantes conspexissent, vt sibi subuenirent suppliciter petière. Illis ergo in nauim reuersis atque orātibus, resederunt fluctus, cessauerunt venti, periculum omne sublatum est. Sancti igitur tantum beneficij retulerunt, quantum iniuriæ acceperant, curantes ne illi mergerentur à quibus ipsi submersi fuerant. Accessit beneficio cumulus: quoniam sic à mortis periculo liberatos, etiam quomodo in æternum beati viuerent docuerunt. Ibidem.

SPIRIDION Cypri episcopus, fures nocturnos domi deprehensos, cùm multis vt eiusmodi scelere abstinerent, admonuisset: non solùm impunitos, sed etiam veruece, quem furatum venerant, donatos dimisit. Ibidem.

FELICIS monachi in furem benignitas, à Gregorio in primo Dialogi sui libro commendatur. Cùm enim hortum curam gereret, ac subinde illum explicari animaduertisset, serpenti præcepit, vt aditum custodiret, neminem læderet. Proh nephas, *serpentes famulos Christi reuerentur,* homines infestant. Fur adueniens, in primo statim ingressu viso serpente pauidus retulit pedem: quo vepribus ab è implicato, ipse in caput corruens pronus pependit, donec superuenit Felix. Qui pendentem miseratus, confestim deposuit: & oleribus abundè collatis, amice hortatus est, ne per scelus quæreret, quod innocenter se largiēte habere posset, quoties petitum venisset. Magis forsan impensè parceret Felix, si illum furari permisisset: sed à furandi peccato, rem copiosius impertiendo, auertere hominis animum, satius existimauit. Ibidem.

Talis in furem & ODDO Cluniacensis cœnobij abbas fuit. Illum enim, qui sibi equum noctu subducere attentauerat, eóq; conscenso neq; discedere cùm vellet, neque omnino descēdere quiuerat, manè compertum benignè ac perhumanè corripuit, & ad pœnitentiam criminis adduxit: data etiam stipe, veluti equi mercenarium custodem, non tanquam deprehensum abactorem, dimittendum curauit. Ibidem.

AMOS Ægyptius dum in eremo manenti panem, quo in diem vesci solebat, furto subtraherent homines impurissimi, duas serpentes cellæ custodiæ apposuit, quarum afflato illi cum furandi animo propius accessissent, semineces concidere. Eos tamen superueniens Christi seruus manu quenque prehensans erexit, & criminis blanditer arguens ad pœnitentiam inflammauit: atque ita amplexus est, vt ex furibus monachos faceret. Nunquid se suppilari doluit, qui suppilatoribus suis tam se benignum præstitit? Non vt vlcisceretur inimicos, custodiam serpentibus mādauerat: sed vt deprehensos à flagitiis auerteret, & iungeret Christo. Ibid.

Clodouco rege aduersus Gothos arma mouente, quidam ex militibus prædæ cupiditate MAXENTII abbatis Pictauiensis monasterium inuaserunt, & cùm vnus abbatem sacrilegio vt poterat renitentem, ferire vellet, manum cum gladio sublatā demittere nequiuit: reliqui nescio qua stupiditate mentis correpti, immobiles constitère. At Maxentius immanitatis violentiæque eorum oblitus, pœnam misereri cœpit, & precatione liberos ab ægritudine reddidit. Qui deinceps inferre illi iniuriam, & timuerunt castigati, & erubuerunt beneficio victi. Ibidem.

ELPHEGVS Cantuariensis archiepiscopus, Romam pergens, cùm in vrbem Ausoniam diuertisset, omnibus quæ secum habebat exutus, vrbéque eiectus fuisse dicitur. At cùm Deo vlciscente, sancti iniuriam, repentino tecta incendio conflagrare cœpissent, reuocatus oratione flammas extinxit. Quo miraculo malignitas hominum in munificentiam versa,

plurima offerebat dona:ipse verò nihil accepit, præter ea quæ sibi modò per vim erepta fuerant,vt gratuitò potius inimicos suos quàm mercede diligere videretur.Ibidem.

IDEM Deo supplicando,& panem benedictum morbo affectis porrigendo, pestilentiam sedauit, in ipsos tantùm Cantuariæ occupatores grassantem,qui ab Elthredo rege secedentes, cum piratis inita societate in vrbem hostiliter irruperant,magnam ciuium partem sustulerant,monachos interfecerant,templum incenderant, sibi graue vulnus inflixerant,& carcere teterrimo constrictum menses septem incarcerauerant. Omnes Dei vltione deleri fuissent , nisi Elphegus intercessisset : ipsis etiam benefacere cupiens, à quibus tot mala se, suósque passos sciret. Ibidem.

MAVRO abbati, qui beato Benedicto in gubernatione successerat, monasterium in agro Andegauensi construenti, quidam ex operariis inter se blatterantes detrahere licentius cœperunt : idipsum monasterij opus non pietati,religionique eius, sed hypocrisi, simulatæque sanctitati deputando.Proinde sathanæ tradiri, vnus qui criminis causa & caput fuerat,instãter expirauit,reliqui miserabiliter à dęmonio vexati sunt. Mauro autem pro illis cum lachrymis deprecante, & mortuus reuixit : & qui nequitiæ spiritu agitabantur, liberati sunt. Non enim solet ad indignationem moueri,quisquis etiam laudari contemnit.Ibidem.

Appollonius monachus & martyr, cùm in carcere detineretur,& Philemon Choraules omnibus eum opprobriis oneraret,suspirans : Fili,inquit,misereatur tui Deus:& nihil horum quæ modò in me obloquendo effudisti,reputet ad peccatum.His verbis ille corde compunctus,& fidem quam persequebatur suscepit,& non recusauit martyrium.Ibidem.

VITELLIVS Alexandrinus monachus,hominem à quo alapam acceperat,statim à dæmone arreptum, ac volutatim humi iactatum, dum pro illo orasset,omni prorsus molestia expediuit. Tam facilis exauditio nónne apertè declarat,quãti apud Deum momẽti sit erga inimicos charitas?Ibidem.

ISAAC abbas eum à quo alapa percussus fuerat,cùm ob hoc à dęmonio vexaretur,superincumbẽs pœna liberauit.Idem iis qui noctu in hortum suum furtim irrepserant,nec auferre quicquam, nec inde discedere potuerant,manè inuentos de proposito quidem corripuit, sed quasi hospites prandio excepit,& collectis hortuli fructibus quos furatum venerant,donauit atque abeuntes deduxit.Ibidem.

Memorabilis admodum & IOANNIS eleemosynarij episcopi, contra iniuriam gratia,Conquerenti nepoti de villico conuiciatore,respondit se ita in eum vindicaturum,vt nemo nõ miraturus sit : accersitúmque villicum,annuis pensionibus liberum fecit. Docens hoc exemplo nepotem, iniuriam hominum haud secus vindicandam esse, ab iis præsertim qui Deo non sibi placere student.Ibidem.

IDEM cùm à quodam mendico pro data eleemosyna cõtumeliam recepisset, clericos in eum insurgentes cohibuit : se in causa esse asserens, quòd petenti minus quàm indiguerat impendisset.Illóque accito, omnẽ quam habebat pecuniam coràm effudit, vt quanta sibi opus esset,suo arbitrio sublatam ferret.Alius ab ingrato data repetisset:ille contumeliam passus,datis etiam superaddendum existimauit.Ibidem.

IOANNES Damascenus pro eo,cuius occulta calliditate perfidiæ in Theodosium imperatorem innocens damnatus dexteram amiserat manum,diu intercessit,ne in dolo deprehensus capite puniretur.Imperator admiratus hominis patiẽtiam, ipsum pro quo rogabatur interfici vetuit: sed tamen ne tantum scelus omnino impunitum abiret, in exilium ablegari iussit,sanctum honore affecit,scribæ illi officium, in quo antea fuerat, restituens,cùm eidem manus quoque redintegrata diuino beneficio fuisset.Quis acceptam remittere iniuriam arduum putabit,si tantę offensionis odium tanta repensum est animi benignitate?Ibidem.

SAMSON Dolẽsis archiepiscopus,eum qui sibi veneni poculum propinauerat,spiritu immundo oppressum miseratus,Deo supplicando sanitati restituit,ad pœnitentiam hortatus est, veniam indulsit : viuere illum in æternum cupiens,qui sibi per insidias molitus fuerat necem . Sic neque venena incautè sumpta nocere ipsi potuerunt, qui sibi antidotũ iam præparauerat perfectæ charitatis.Ibidem.

CHRISTINA virgo & martyr, pro fide ac veritate horrendos constanter perpessa est cruciatus. Cùm autem etiam serpentes in eam missæ fuissent,sed mordere omnino nollent,veneficum à quo ad mordendum irritabantur inuadentes,rabidis ictibus,multáque veneni vi statim interimunt.At Christina sui ipsa carnificis vicem dolens, Christum precata, & serpentes in fugam conuertit, & ab eis peremptum ad vitam reuocauit, & eundem iam credentem ad certam beatitudinis spem erexit. Marul. lib.3.cap.3.& Sab.lib.5.cap.3.

ANATOLIAM virginem angusto carcere unà cum terribili serpente conclusam,nec tandem ab eo læsam, cùm tandem consumptam putarẽt, carcerísque ostium reserassent,serpens inde erumpens, Audacem à quo immissus fuerat morsu apprehẽsum,sinuosóque spirarum volumine colligatum,humi deiicit moribundum.Mox autem ipsius virginis oratione serpens procul effugatur, & Audax sanus erigitur. Christianorum enim conuenit pietati,eos à quibus offensi sunt, defendere pro viribus ac tueri,nec ab vno lædi permittere.Idem.

POTAMIENA virgo Alexandriæ passa,Basilidi præfecto, à quo omnia penè tormentorum genera in suo exceperat corpore pro Christi nomine,postquam ad Dominum cum palma migrasset martyrij, per visum apparuit:& coronam,quam ei à Domino impetrauerat,si credere vellet, ostendit Credidit ille,& per martyrium æternitatis gloriam consecutus est.Tantæ curæ fuit virgini, eum per quem torta interfectáque fuerat, saluum beatúmque facere.Ibidem.

Veneranda virgo, dum pro Christo multis magnísque afficeretur supplicijs,& nunc humi dispassis manibus, pedibúsque diuaricatis extenta neruis bubulis cæderetur,nunc sic resupinata grandi lapide ventri aduoluto premeretur,nũc in cacabum sulphure, pice, oleo plenum demersa, subiectis ignibus coqueretur,eius cuius iussu talia patiebatur, propius astantis oculum bulloris aspergine cæcatum,terra saliua diluta liniens reparauit, & ipsum tandem patientia sua superatum Christo credere compulit.Quis conuicium,contumeliam, maledictum non æquo animo ferret,si pro tam grauibus tormentis,tã magnum redditum est beneficium? Ibidem.

DARIÆ virginis integritatem ab infidelibus ad prostibulum tractæ, leo de cauea fugiens,atque illi adsistens,tutatus est.Qui eam vitandi animo adire ausi fuerant,ipsos inuadens, in primo statim limine strauit: nihilque præterea mali intulit,ipsa virgine sic iubente,vt essent quos ad fidem pœnitentiámque conuerteret, non qui in erroris tenebris vitæque nequitia disperirent.Parci igitur illis iussit, qui sibi ereptũ venerant rem omnibus diuitiis,atque etiam vita ipsa preciosiorem,virginitatẽ. Neque enim virginitas illi ad beatitudinem consequendam satis fuisset,si abfuisset pietas.Ibidem.

Paris exempli & AGNETIS virginis erga inimicũ dilectio.Eum quippe,qui ipsam stuprare moliebatur,à diabolo necatum vitę restituit. Vitę restitutus,Christum confiteri palàm cœpit.Illa ergo orante, is qui pudicitiam ipsius inquinare conatus fuerat,duo pręcipua retulit bona, vitam qua adhuc in terris viueret,& fidem qua supra cœlum ęternitatem consequi posset.Marul.lib.3 cap.3.& Sabell lib.5.cap.3.

EVGENIA virgo Philippi Alexandrię prefecti filia, sub virili habitu sexũ dissimulans,inter monachos religiosè versata,& iam digna cui monasterij gubernacula committerentur,Melancię tãdem matronę, quam ad illicitos amplexus prouocantem contempserat, accusatione capitis rea constituitur.Accusationis summa erat,Eugenium abbatem domi suę sibi vim inferre voluisse.At illa cùm se non iam Eugenium,sed Eugeniam esse, vt infamiam purgaret,prodere vellet,prius accusatrici suę ignosci petiit.Deinde coram patre(cuius iudicio neci iam addicta erat) pectus suũ detegendo, detexit fallacis mulieris impium commentum, simul cuius ipsa filia esset indicauit. Sic omni prorsus periculo probróque sese expediuit,antè tamen venia imperrata illi, cuius tam mendaci ac tam fœda delatione in tanta inciderat mala.Idem.

EVPHRAXIA Deo dicata virgo,ob humilitatem frequenter sese vilibus occupabat officiis.Quædam autem inter sorores non satis linguę temperans,illam carpere,& simulatę sanctitati facta dictáque eius ascribere palàm ausa,cùm ab abbatissa punienda decerneretur,eiusdem quam lacessierat intercessione liberatur.Euphraxia enim & ante ipsam se suppliciter prosternens,quasi quę læsisset,non quasi quę læsa fuisset,veniam sibi petiit,& ante abbatissam illi impetrauit.Ibidem.

OTILIAM virginem pater occidere in animo habebat, solo corporis vitio offensus,quia cęca nata fuerat. Mater autẽ periculo subtractam monasterio tradidit.Hinc ipsa virtutibus proficiens,defectúmque oculorum mentis perspicacitate supplens,pro eo patre quem sibi tam indignè capitali odio infensum nouerat, feruenter orando effecit, vt & viuens pœnitentiam delicti ageret,& defunctus purgatorij pœnas cum paradisi deliciis commutaret. Ipsa verò corporei quoque visus vsum à Deo accipere meruit,quem non acceperat à parentibus.Ibidem.

ETHNICA EXEMPLA.

LACEDÆMONII, victis Atheniensibus, vrbem ipsorum euersuri, consulto oraculo,responsum acceperunt : Communem Grecię aram ne moueatis.Flexit ergo Spartanos religio, vt hostibus infensissimis parcerent.

BVLAS famosissimus latro,qui sub Seuero imperatore per totam Italiam,comparata manu sexcentorum latronum,biennio maximas prędas fecit,posteaquam centurionem vitę insidiatorem cæpisset,raso capite ad Seuerum imperatorem remisit.Cúmque interrogaretur,quid imperatori vellet nunciari?Nuncia,inquit,dominis tuis,ipsos seruos suos alere,ne latrocinentur.Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos,partim nullo certo stipendio. Xiphilinus in vita Seueri.

Idem cuiusdam mulieris,cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano præfecto pretorio interrogatus, cur latrocinium fecisset? respondit:Et tu dic,cur prefectus sis.Erat nimirum Papinianus homo prædiues,& magnę apud Cæsarem existimationis,& propter opum suarum splendorem in aulam admissus.Bulas verò penuria rerúmque egestate vexatus,latrocinio victum quęrere cogebatur.Idem.

ARGIVI antiquitus furacitatis infamia laborarunt:vnde adagium,Argiui fures.

Lycurgi legibus cum furta permitterentur, solúsque qui deprehenderetur,pœnas negligentię daret:PVER quidam vulpeculam furatus, aduenientibus qui amiserant ad quęrendum, vestibus occuluit.Feram verò sæuientem,ac pueri ipsius latus ad intestina vsque lacerantem, tantisper tolerauit.Dum autem quęrentes abirent,reprehensus à pueris quibusdã, dicentibus,melius fuisse manifestare vulpeculam, quàm vsque ad mortẽ occulere:Minimè,inquit puer:sed multo satius est mori, quàm in furto deprehendi.Plutar.in Laconicis:Bruson.lib.2.cap.1.

CONSTANS tertius Phocę imperatoris ex Constantio imperatore maiore natu filio nepos, ex Grecia ad vrbem Romam profectus, omnibus

nibus sacris profanísque locis spoliatis,quinque diebus,quibus in ea vrbe mansit,tantum statuarum ac reliquorum ornamentorum inde abstulit,quantum antea ex magno numero omnes Barbari,qui vrbẽ Romam diripuerant, non abstulerunt: adeóque acerbè populos Imperio parentes,atque non in postremis Siculos grauibus tributis pressit,vt multi filios vendere cogerentur : adeò à primis principibus degenerauit, qui non solum ornare studebant vrbem Romam, verùm etiam victui necessaria populo,atque insuper pecuniam largè præbebant:id gloriæ ex donationibus quærẽtes,quòd in rapiendo Constans sibi proposuerat.Cæterùm cùm in Sicilia à militibus suis interfectus esset, Sarraceni,qui per id tempus in Sicilia Panormum vrbem occuparant, in Africam omnes Constantis rapinas deuexerunt.Cui id contigit, quod plerunque auaris solet,vt opum,quas rapinis congesserunt, hi possessores fiant,quos minimè arbitrabantur : ac penes raptorem auarúmque infamia ac crimen maneat,cum alij recto Dei iudicio rapinarum commodo ac voluptate perfruantur.Fulg.lib.9.cap.4.

IDEM præficiebat certaminibus vnum ex libertis, cæterísque locupletibus,vt in ea magnos sumptus facerẽt, eósque colebat sub flagello, atque aureos ab iis quasi homo abiectissimus petebat. Igitur quandiu principatum tenuit,adeò omnis orbis terrarum,qui erat sub eius imperio,vastatus atque direptus est, vt ludis Circensibus populus Romanus ita conclamauerit:Nos viuos perdimus,vt mortuos sepeliamus.Crebrò enim dicebat,pecuniam sibi soli esse oportere,præterea nemini,vt eam daret militibus. Cúmque Iulia ipsum argueret, quòd nimios sumptus faceret in milites, diceretque , iam sibi nullos redditus iure aut iniuria partos reliquos esse,gladium ostentans respondit : Bono sis animo, inquit,mater:nam nobis,quandiu hunc habebimus, pecunia non deerit. Dion & Xiphilinus.

PATRIÆ AMOR.

Consule tit. Fidei & pietatis erga patriam. Hic tantum simplicis beneuolentiæ rationem habemus.

PLATO vir summus,& veritatis amicissimus, nullam in terris maiorem esse charitatem arbitratus est, quàm quæ cum patria est vnicuique nostrûm.Hæc parens,hæc nutrix omnium,hæc artibus,opibus, disciplinis instruit,dignitatibus ampliat,omnia ad suorum ciuium commodum & ornamenta refert:amat hæc,& vult ipsa amari : tuetur suos, nec vult negligi:vt breuiter dicam,paria à ciuibus exigit officia: quod cuiq; nostrûm præstat,suo iure repetit.Sab.lib.8.cap.1.

VLYSSES vbique fermè apud Homerum suam patriam laudibus celebrasse, plurimúnque amasse scribitur:qui ad Ithacæ saxa, illa quidem parua & ignobilia,non secus redire festinat, atque Agamemnon nobiles Mycenas.Plat.lib.1.de Optimo ciue.

GILLVS Tarentinus exul, in patriam se reduci à Dario vnicè cupit. Vide tit.Liberalitatis in redimendis captiuis.

DEMOCEDES Crotoniensis medicus, quamuis beatus esset apud Darium regem, optabat tamen in Græciam redire. Atossæ igitur vxori Darij, quam ab vlcere mammillæ liberarat, persuadet, vt Dario author sit expeditionis contra Græcos suscipiendæ.Quo impetrato,Darius Democedem tanquam speculatorem in Græciam cum Persis aliquot mittit.Democedes cùm in Græciam venisset, Crotonem aufugit. Herodotus libro secundo.

HISTIÆVS Milesius Susis à Dario vi detentus,cupiẽs Aristagoram Milesium ad rebellandum à rege inducere, fidelissimo è seruis caput rasit,literásque impressit defectionem significantes, & hominem retinẽs, quoad capilli refrutificarent: vbi illi renati sunt, raptissimè dimisit Miletum:nihil aliud mandans,nisi vt cum Miletum peruenisset,iuberet Aristagoram eraso suo capite inspicere.Hoc ideo Histiæus faciebat,quòd magnam sibi iacturam ducebat,se Susis distineri:etiam atque etiam sperans fore,vt si ab Aristagora rebellaretur, ad mare proficisceretur. Sin Miletus nil noui moliretur,nullam sibi viam amplius esse ad eam reuertendi,intelligebat.Herod.lib.5.

Cùm iuniorem Marium ciuili bello Sylla superasset, in Prænestinos sæuire cœpit:& quo magis iram suam satiaret,interimi separatim singulos iubebat, ex quorum numero vnum tantùm familiarem suum seruauerat. Demùm mora & tam diu spectandi fastidio affectus imperauit, vt vnà omnes interimerẽtur.Imperio audito,Prænestinus, cuius vitæ parcebatur,cùm iam desperaret alium seruari posse, quod antè in diuturnitate perpetrandi supplicij fore non diffidebat,ira incensus,ad Syllam se conuertit:dixitque,Nullo modo per eum viuere velle,qui ex toto patriæ suæ euersor esset: séque in numerum morti destinatorum recepit. Fulg. lib.5.cap.6.& Eras.lib.6.Apoph.

SERTORIVS, quo res suæ in Hispania lætiores esse,maioribúsque prælijs vincere videbatur, eo impensius à Metello & Pompeio hostibus ducibus petebat, vt positis armis liceret sibi tutò Romam reuerti : priuatum dictitans,malle se iucundissimo patriæ aspectu frui,quàm multarum vrbium imperium obtinere.Sab.lib.8.cap.1.

SAGVNTINI Hispaniæ populi, videntes post diutina bella se in manus Hannibalis ducis Carthaginensium venturos,maluerunt in ipsa patria mori quàm extra patriam capti viuere. Pyra igitur grãdi in foro extructa,se morti tradiderunt.Liuius,Orosius,& alij.

NVMANTINI Hispaniæ populi,cùm post longam obsidionem viderent Romanos Scipione duce victores euadere, ne patriam deserere viderentur,iam victi seipsos in ipsa patria igni immiserunt.

FARINATA Vbertus eques Florentinus, vnà cum cæteris Gibellinæ factionis, vrbis recuperata administratione, de firmando ciuitatis statu, in cõsilio erat:missis ad fœderatas ciuitates legatis, quia imminere bellum putabatur,multi in eam sententiam ibant,vt deserta vrbe, quã propter Guelfi nominis multitudinem diu se retenturos diffidebant, ciues omnes qui tum in vrbe erãt,in propinquas eosdem, maioréque etiam honores,quàm Florentiæ habituri, migrarent. Surgens igitur Farinata magna voce,Se nunquam passurum dixit,vt se præsente patria desereretur,pro qua vitam effundere paratus erat. Atque in hæc verba cõcilium dimisit,plusquam se ipsum diligi à se patriam ostendens.Fulg. lib.5. cap. 6.& Egnat.lib.5.cap.6.

BONIFACII Amerbachij,Iurecos.clarissimi amorem erga patriam, pete ex tit.Iureconsultorum.

ROMANI ædendis gladiatorum muneribus,haud mediocris sæuitię nomen subiuerũt.Seruos enim coemebant, quos gladiatoria instructos arte producebant, vt acutis inter se gladiatorum mucronibus dimicarent:alios etiam feris in harena obijciebant, vt plerosque miserabiliter à feris dilaniari,atque semiuiuos deuorari,non sine voluptate conspicerent:precio enim humanum sanguinem parabant,quem sine vllo necessario vsu effundi spectarent. Ad ea autem spectacula, cùm non viri modò,sed fœminæ quoque ac pueri magno studio concurrerẽt, quis negauerit,in grauem crudelitatis notam sub voluptatis specie eos incurrisse? Fulg.lib.9.cap.2.

T. SEMPRONIVS seruos iam senio debilitatos tanquam animalia bruta eijcere & vendere solebat, quasi commoditate sublata, nihil ipsis hominibus humanitatis debeamus. Volaterranus libro 14. capite 2.Anthrop.

AMOR COLLEGARVM ET SOCIORVM, IN administranda Repub.

Consule tit. Pietatis erga patriam in Repub. administranda. Quo in loco exempla eorum reperies, qui cùm inimici essent, Reipub. causa conciliati fuerunt. Item tit. Socium in imperio ferre posse.

DIMITRIVS, quum aliquando à venatione rediret,ad patrem legationem iam audiẽtem,succinctus vt erat telis,accessit, eúmque osculatus consedit : Hæc, inquiens, concordia regni nostri tutissimum erit præsidium.Discedentibus itaque legatis:Renunciate,inquit Antigonus, ô viri talem amorem,animíque pietatem,qualem vidistis. Brusonius libro 1.capite quarto.

Adeò inter Epaminondam atque Pelopidam Thebanos arcta fuit amicitiæ necessitudo,vt cum ambo in eo prælio essent apud Mantineam, quod Lacedęmonij Thebani sociíque eorum aduersus Arcades commiserunt, & iam inclinante Thebana acie humi vulneribus confossus Pelopidas iaceret : quanquam omnes mortuum putarent esse, Epaminondas tamen,vt erat pectore brachióque saucius,deserere eum noluit:donecà Lacedæmonijs lata ope, vnà cùm Pelopida tutum se in locum recepit.Quantum igitur credendum est, Epaminondam adnixurum fuisse,si Pelopidam viuum credidisset,cùm pro defuncto corpore tanta fide amoréque non sine vitæ discrimine saucius depugnauit?Fulg.lib. quarto,capite septimo.

Cùm Tiberius Gracchus, & C. Claudius ob nimis seuerè gestam censuram, maiorem partem ciuitatis exasperassent, diem his M. Pompilius tribunus perduellionis ad populum dixit : præter communem consternationem priuata etiam ira accensus, quia necessarium eius Rutilium ex publico loco parietem demoliri iusserant.Quo in iudicio primę classis permultæ centuriæ Claudium apertè damnabant,de Gracchi absolutione vniuersæ consentire videbantur.Qui clara voce iurauit,si de collega suo grauius esset iudicatum,in factis paribus se eandem cum illo pœnam exilij subiturum: eáque iusticia tota illa tempestas ab vtriusque fortunis & capite depulsa est. Claudium enim populus absoluit, Graccho causæ dictionem M.Pompilius remisit.Valerius libro sexto,cap.5.

Experimenta non rara solum, verùm penè vnica veræ amicitiæ ea fuerunt,quæ inter se Diocletianus & Herculeius Cæsares ediderũt.Diocletianus enim solus in augustali solio Herculeium, neque eum nationis suæ virum,imperij participem elegit:ad quem locum eorum nullus, qui ante ipsum imperarunt,præter admodum paucos, neque fratres,neque filios vnquam vocarant : & ij quidem qui vocasse inueniuntur, ex toto vocatos sibi non æquarunt. Hi autem in eo concordes semper vixerunt,quod non modò in aliis hominum gradibus,sed in ipsis quoque filijs cum parẽtibus discordiam serere, ac cruentos edere effectus consueuit.Herculeius autem iam imperij dulcedinem expertus(ò inęstima-

biles amicitiæ vires) sola comitis admiratione motus, ex tanto fastigio ad priuatam fortunam reuersus, in eo comiti quieti assensus, in quo ne filio quidem postea, qui Romæ ei in parte, nec Constantino genero, qui similiter in Gallia successerant, ne cum vitæ quidem discrimine ac morte assentiri voluit. Plus enim Diocletianam amicitiam vir alioquin ferus, atq; armis assuetus, quàm Romanum imperium, aut imperandi cupidinem, rem in humanis rebus potentissimam, aut denique vitam ipsam fecit. Ex quibus rebus iudicari potest, hanc firmiorem earum omnium amicitiam fuisse, de quibus vnquã scriptum sciatur. Nam cũ propter priuatas opes, quæ interdum pusillæ quoque sunt, non lites solùm inter se serere inueniantur, etiam arctissimi propinquitatis gradus, verùm ad cædes quoque ipsas prorumpere: hi duo imperium, quod maiorem potioremque orbis terrarum partem continuit, per concordiam possederunt: in cuius primordiis ob vnam paruamque Romam, imperij cupidine gemini fratres fraterno se sanguine macularunt. Fulg. lib. 4. capite 7. & Egnatius libro quarto, capite septimo.

AMOR ERGA PRINCIPES, TVM IN BELLO, *tum extra bellum.*

Consule tit. *Fidei erga principes & magist atus. Item tit. Obedientiæ.*

AETHIOPIBVS moris fuisse asserunt, vt si quando rex aliqua corporis parte ex quauis causa debilitaretur, domestici omnes spõte sua eãdem partem debilitarent: turpe enim existimabant, rege claudo, non omnes amicos claudos esse: & quidem absurdum videbatur, cùm veræ sit amicitię, ex rebus aduersis amicorum dolere, letari secundis, non & corporis quoque doloris amicos participes esse. Diodor. Sic. lib. 4. cap. 1. de Rebus antiquis.

Ferunt quoque consuetudinis esse apud EOSDEM, vt in regis morte peculiares amici sibi ipsis quoque propè regis cadauer & funus mortem inferant: existimantes, cum interitum gloriosum esse, & amoris erga regem testimonium euidentissimum. Idem: & Fulgosus libro. 2. capite. 1. & Alexand. lib. 1. capite 26.

TAVRIS apud Scythas cum regibus precipuè gratos, & qui magno in honore fuissent, ex amicis sepelire in vsu fuit: cui rex, tanquam pignus amoris, aurem abscindere solebat. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 26.

Ex SOCIANIS Gallorum gente, apud Aquitanos, sexcenti ex primoribus Solduni vocati, vnà cum rege viuunt: & commoriuntur, nephas putantes superstitem principi suo esse. Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 26.

IBERORVM mos fuit, vt amici in familiaria iura assueti, principi se deuouerant, vitæ mortisque vltores: quique ita in cohorte amicorum deuoti erant, omnium consiliorum secretorumque participes fiebant: & si quid timendum accidisset, omnes casus & fortunæ minas, atq; vnà mortẽ oppetere cogebantur. Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 26.

Post primum prælium, quo apud Bebriacum Vitellij Ottonisque exercitus dimicauêre, cùm Ottonem milites eius, vt iterum certamen tentaret, hortarentur, neq; sibiipsi deesset, cùm magis non seruatis ordinibus, quàm virtutis paucitati tribuerent, quòd primò reiecti fuissent, EQVES Rom. vnus ante alios cõstitit, & dixit: Scito Cæsar, nos omnes vt te tueamur, ita facere paratos: hocque dum diceret, pectore pugione traiecto mortuus corruit. Fulgos. lib 3. cap. 2.

In grauissima illa contentione, quæ ob imperium Romanũ inter Ottonẽ & Vitellium exarsit, cùm iam Vitellius victor esset factus, VNVS ex equitibus Ottonianis cladem Ottoni nunciauit, qui cum exercitu nõ fuerat. cui postquam fidem non dedisset, atque fugitiuum militem iudicasset: Vtinã, inquit, hæc falsa essent, Cæsar: libenter enim te victore mortem occũberem: nunc autem vtcunque sit, moriar, ne videar salutis meæ causa fugisse. Tu verò cùm hostes huc non multo pòst venturi sint, statue quid tibi faciendum putes. Hæc cùm dixisset, manus sibi attulit. Xiphilinus in vita Ottonis imperatoris.

QVIDAM M. Ottonis milites, posteaquam Ottonem mortuum viderunt, facie eius, item manibus pedibusque deosculatis, seipsos supra illius corpus interemerunt. Fulg. lib. 3. cap. 2.

AMOR PRINCIPVM ET MAGIS TRATVVM ERGA *subditos, ciues, amicos, socios, milites.*

Consule tit. Clementiæ & popularitatis & fidei principum, erga subditos & ciues.

DARIVS vsque adeò amauit Megabyzum Persam, vt diducto malo punico, optauerit sibi tot Megabyzos, quot illic essent acinorum. Herodotus.

Fleuit XERXES in Abydenis campis, cùm partem multò maximam Orientis subiectam haberet oculis, sub signis stantem. Testatus, se non felicitatem suam flere, quòd tot gentibus imperare contigisset: sed tot hominum sortem, qui cùm innumeri essent, ad breue tempus aut fato, aut alia vi essent omnino defuncturi. Sabel. lib. 5. cap. 2.

PHILIPPVS Macedonum rex, Hipparchi Euboici mortem ægrè tulit. Dicente verò quodam: Attamen maturè ac tempestiuè mortuus est. Respondit: Mihi certè nimis properè. prius enim diem obiit, quàm à me dignam amicitia nostra gratiam receperit. Plutarchus.

Rex ALEXANDER, Darij castris, in quibus omnes necessarij eius erant, potitus, Ephæstione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos alloquendos venit. Cuius aduẽtu mater Darij recreata, humi prostratum caput erexit. Ephæstionémque, quia ei & statura & forma præstabat, more Persarum adulata, tanquam Alexandrum salutauit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quærebat. Cui Alexander: Nihil est (inquit) quòd hoc nomine confundaris mater. nam & hic Alexander est. Vtri prius gratulemur, qui hoc dicere voluit, an cui audire contigit? maximi enim animi rex, etiam totum terrarum orbem aut victoriis aut spe complexus, tam paucis verbis se cum comite suo partitus est. O donum inclytæ vocis, danti pariter atq; accipienti speciosum. Val. Max. lib. 4. cap. 7.

IDEM Achillis monumentum coronauit, & EPHÆSTION Patrocli: significans, se tanto amore Alexandrum prosequi, quanto Patroclus Achillem. Ælian. lib. 12. de Varia historia.

IDEM in illius obitu tanto mœrore confectus est, vt equos mulosque totonderit, vrbium pinnas diruerit, medicum cruci suffixerit: ad extremũ tibias & instrumenta quæuis musica diu in castris audiri vetuerit, ad exequias decem milia talentûm impenderit. Plutarchus & Arrianus.

PHOCION Atheniensis non modò quenque suorum nunquam læsit, sed ne odit quidem, cùm graues alioquin contentiones ab eo sępe susceptæ essent Reipub. causa. Sed is omnes humanos affectus suorum ciuium charitati censuit posthabendos. Sab. lib. 5. cap. 2.

CIMON Atheniensis non solùm solus dilexit ciues, sed humani generis beneuolentissimus fuit. is suos agros & pomaria ciuibus & peregrinis communia proposuit: si quem præterea grandem natu intuitus esset, trita aut sordida veste amictum, vnum aliquem ex suis assectatoribus, quos ad hoc ipsum honestè cultos circa se habere consueuit, iubebat cũ eo vestem commutare. Erant & quibus negotium iniunxerat, vt pauperibus & egenis occultè pecuniam subministrarent. Qua in suos beneficentia consecutus est, vt Comœdiæ testimonio, diuinus sit homo appellatus, omniumque Græcorum optimus. Sabel. lib. 8. cap. 2.

P. VALERIVS Publicola (qui ex ea re sibi cognomen inuenit) nocte vna domum demolitus est, quam in Velia parte vrbis paulo eminentiore ædificabat, quia ciuibus non placeret: suis orphanis & viduis tributum remisit. Consul fasces submisit Romano populo: leges tulit, quibus Romanorum est libertas stabilita. Facilè proinde consecutus, vt tam charus fuerit populo, quàm charissimorum alius: par decus cum Bruto adeptus in morte, cuius in libertate asserenda adiutor fuit: nomen verò omnino maius, quia populare. Sabel lib. 8. cap. 2. ex Plutarcho.

Potuit Æmilius Paulus Cannensi acie, tametsi vulneratus, vnius tamẽ & omnis culpæ expers in tutum euadere, sed legionibus cæsis noluit: repudiato equo, qui illi ad fugam à Lentulo deferebatur: quinimò saxo sedens, Macte, inquit, ista virtute C. Corneli: abi nũcia publicè Patribus, vt vrbem Romam muniant, firmentque præsidiis ante hostis aduẽtum: meque, vt decet, sinite inter meos milites expirare. Mirus imperatoris amor qui non potuit patriæ, quę superstes erat, non esse memor, paulo pòst expiraturus. Sabel lib. 5. capite secundo.

Q. FABIVS hortante filio, vt locum idoneum paucorum iactura caperet: Visne, inquit, tu ex illis paucis esse? Frontin. lib. 4. cap. 6.

SCIPIONIS, qui maior est Aphricanus appellatus, memorabilis vox illa meritò est à multis celebrata, qua is sæpe in imperio vsus dicitur: Malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes perdere. Sabel. lib. 8. capite secundo.

POMPEIVS Magnus, cùm post bellum cum piratis gestum, in Asia non tantùm Mitridatem Armeniæ regem potentissimum vicisset, sed fugasset etiam penitùs: vrbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificauit: in eaque saucios milites, & eos qui iam per ætatem bellum gerere non possent, habitare iussit. Dion Nicæus, vel eius abbreuiator. Xiphilinus, in Pompeio.

C. IVLIVS Cæsar (vt refert Suetonius Tranquillus libro primo) milites suos tam amanter coluit, vt non milites, sed blandiori nomine cõmilitones appellaret: auditaque multorum cæde, capillos & barbam non antè deposuit, quàm vindictam ex eis sumpsisset. Quibus rebus deuotissimos sibi, & strenuissimos reddebat, ita quòd plerique eorum capti, concessam sibi sub ea conditione vitam, si militare contra Cæsarem vellent, recusarint. Guido Bitur.

IDEM audiens in Gallia aliquot militum agmina concisa esse, iurauit se non antè capillos rasurum, quàm ab interfectoribus pœnas repetiuisset. Hæc res magnam ei beneuolentiam omnium conciliauit. Polyen. lib. octauo.

CÆSAR Caium Oppiũ amauit, authore Suetonio, cũ valetudine subita

ta correptum in itinere non derelinquit, sed humi ac sub dio, cum eodem accubuit.

AVGVSTVS, victo M. Antonio ad Actium nauali prælio, occupata mox etiam *Alexandria in publicum prodiens, magna voce*, vt exaudiri à corona circumstantium posset, parcere sese dixit Alexãdrinis: grauiorique etiam eorum culpæ veniam tribuere, tribus de causis: primùm propter vrbis conditorem Alexandrum, deinde propter vrbis pulchritudinem ipsius, postremò vel in primis Arij ipsius gratia, quem etiam manu sua astanti multitudini ostenderit. Cuius virtutis & bonitatis ergò, amicum eum sibi delegerit, qui cum semper coniunctissimè sit victurus. Otérque quatérque beatum principem, qui in tanta rerum fortuna, Imperiique tã augusti fœlicitate, non dubitarit veræ amicitiæ testimonium tam fidele præbere. Egnat. lib. 4. cap. 7.

TITVS Vespasiani filius, imperio potitus, tam mitis in omnes & clemens fuit, vt humani generis delicias, ciues & peregrini appellarent. Fertur, cum nihil cuiquam negaret, à quodam familiariter rogatum, Ecquid putarétne imperium tanti esse, vt omnia quæ promitteret, præstare possent, tantum dixisse ferunt, Non oportere quenquam à principis conspectu tristem abire. Sab. lib. 8. cap. 2.

OTHO *Syluius*, cùm *videret aut deponendum imperium*, aut *magna* ciuium strage tuẽdum, statuerat sponte mori: & amicis ac militibus hortantibus, ne tam citò de belli euentu desperaret: negauit sibi suam vitam esse tanti, vt hac de causa bellũ ciuile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in principe ethnico, eóque triginta tres annos nato? Erasmus Roterod. lib. 8. Apoph.

Quicunque diligenter veterum recentiúmque principum suspiciones, atque multorum in eo numero mortes inspexerit, quas aut propinqui, aut qui putabantur amici procurarunt: proculdubiò neque sine admiratione iudicabit, quàm altè, cùm adhuc priuatam vterque vitam ageret, inter M. Vlpium Traianum imperatorem, ac Licinium Surram amicitia radices iecerit. Nam cùm manè Traiano significatum esset, Surram in ipsum conspirare, vespere eius diei non inuitatus ad eum Traianus, cum duobus solis comitibus cœnatum se contulit, radíque ab eius tonsore voluit, atque oculos ab eius medico inspici. Eidem postea cùm denuò de conspiratione affirmaretur, ridens respondit: Se nullo modo vt crederet, adduci posse, quòd eo die *periculum ipsius rei fecerat*: ita vt Surra, si voluisset id quo insimulabatur agere, potuisset. Itaque in amicitia firmus perstitit, nec multo pòst tribunatum Surræ detulit: & cùm, vt mos erat, ei ensem traderet, eúmque non vagina tectum, sed strictum porrigeret, Surræ dixit: Vt acciperet ensem, si bene imperium regeret, tuendi gratia: occidendi autem, si malè imperaret. Fulg. lib. 4. cap. 7. & Egnat. libro 4. cap. 7. ex Dione.

TRAIANVS Romanorum imperator, licet multa bella cõtra diuersos gesserit, attamen tanta ratione imperauit suis militibus, vt nunquam feroces aut insolentes redderentur. Vnde Decebalus Dacorum rex, metu eum verebatur, contra quem cum fortiter sui pugnassent, atque deficerent, ea quibus sauciorum vulnera obligarentur, Traianus vesti suæ non pepercisse, sed eam discidisse, ad obliganda militum vulnera, dicitur. Xiphilinus, atque Dion Nicæus in eius vita: & Volaterranus libro 23. Anthrop.

PROBVS Augustus eum se erga tribunos, centuriones, milites gessit, vt in plurimis victoriis præter tela & arma, nihil sibi è præda retineret, quam inter milites partiebatur.

AVRELIVS Antoninus, exhausto ob bellum Marcomannicum ærario, ne prouinciales extraordinario tributo grauari viderentur, augustalium ornamentorum in foro diui Hadriani auctione facta, etiam pocula crystallina, quæque in delicijs habebat, vendidit, ne impietatem in suos exerceret aliquo saltem pacto. Pontanus cap. 44. de Liberal.

POMPEIA Plautina Iulianum Imp. maritum suum auertit ab extorquenda à populo pecunia, & colligendo fisco. Sextus Aurelius.

Extiterunt in longissima Romanorum pontificum serie Christi imitatores oppidò multi, & in his GELASIVS, cuius pontificatus incidit in Theodorici *regis* tempora: is omnium qui vnquam Barione sedem tenuerunt, impensissimè clerum dilexit, & ipse mutuo affectu ab omnibus dilectus est: quod eo magis est mirum, quo rarior innocentiæ & popularitati locus in summa administratione relinquitur. Sab. libro octauo, capite secundo.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm apud Iuliani templum iuxta Neapolim, militem grauiter in prælio vulneratum vidisset, circa se locari iussit, suóque sudario vulnus obligauit. Cùm verò nullam spem vitæ præsentis haberet, ad beatam & immortalem vehementer hortatus est: mortuúmque sepeliri diligentissimè curauit. Panormita libro tertio, de Alphonsi rebus gestis.

IDEM cùm aliquando nauali prælio desperatis rebus, posset ex onerariis nauibus in triremium suarum classem facilè euadere (etenim præfectus illarum Ioannes Esernitanus, vir strenuus, qui semper regis volũtatem & nutum obseruabat, voluit in triremes descẽdere) ex naui tamen sua primus in hostium nauem transilijt, séque dedidit. ratus id quod postea *effectu* probatum est, eius iam capti authoritatem ad suorum militum salutem & liberationem plurimùm valituram. Panormita lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.

IDEM Alphonsus cùm *traijceret* flumen Vulturnum *cum* exercitu, vidissétque equitem Butardum, ex acie Rodolphi Perusini aquæ vi pertractum in vitæ periculum, cùm nemo suppetias ferret, non perterritus tanto periculo, in rapidissimum flumen equo concitato se coniecit, hominémque semianimem in ripam pertraxit. Panormita libro tertio de Reb. gest. Alphonsi.

IDEM, cùm vidisset naufragos auxilium implorantes, suos adhortatus est, vt illicò subuenirent. qui dum pertimescerent periculum maris tam horrendum, dicentes, melius esse vnam quàm vniuersas triremes perditum iri, rex ipsemet soluit prætoriam nauem: Satius esse inquiẽs, vnà cum sociis viris fortissimis occumbere, quàm illos videre ante oculos extrema pati. Panormita libro secundo de Reb. gest. Alphonsi.

Neapolitani, cum in honorem & æternam Alphonsi regis clarissimi *memoriam arcum triumphalem* ædificare vellẽt, & quo satis spacij haberent, Nicolai Mariæ Buzuti magnanimi & strenui equitis domum diruere conarentur, rex stultum ciuium facinus incusauit: dicens, non tanti se facere ædificia vẽtis & *tempestatibus exposita*, vt ob id veteris amici (cuius operam strenuam non semel in bello expertus esset) domum destruere cupiat. Pluris autem fecit vir prudentissimus amicum, quàm nominis sui perpetuum monumentum. Panormita libro primo de Reb. gestis Alphonsi.

CAROLVS Zenus Venetus, dum iuuenis adhuc esset, patria in ocio agente, ad GALEACIVM Mediolani principem profectus est. A quo primùm benignè propter gentis nobilitatem, & Petri patris memoriam præclaram, ita excipitur, vt breui cognitus ab ipso duce, propter singularem eius virtutem, vniuerso principatui suo ab illo præficeretur: quem adeò constanter & iustè rexit, vt in hodiernum diem Caroli Zeni nomen inter eos populos viuat, ac floreat. Cæterùm Galeacius dux sic in eum conuertit animum, sic illum complexus est, vt illi omnia deferret, illum beneuolentissimè semper exciperet, vitam illius cùm priuatam, tum publicam, moréśque longè optimos maximè admiratus: vt quotiescunque daretur occasio, semper cum eo esse vellet, omniáque ex Caroli *consilio in tanta Imperij mole ageret*. Neque verò quicquam illi duci molestius, aut ipsi Carolo durius accidere vnquam potuit, quàm quum reuocante patria, natales solos reuisere coactus est: vt tamen alter alterius constantissimam & mutuam memoriam ad supremum vsque diem retinuerit. Egnat. lib. 4. cap. 7.

AMICITIA ET AMOR INTER REGES, NATIONES, *Respublicas, Ciuitates.*

Consule tit. Eorum qui fœdera simul inierunt.

SYBARITÆ & MILESII arctissima amicitia & hospitij iure inter se iungebantur. Eo factum, vt Sybari à Crotoniatis direpta, vniuersi Milesij puberes capita derasserint, & ingẽtem luctum ediderint. Herod. li. 6.

ATHENIENSES quàm ægrè Mileti direptionem tulerint, pete ex tit. Misericordiæ.

Cùm interseptis faucibus Chersonesi in Hellesponto, Miltiades Atheniensis, Cypseli F. quem Dolonci sedibus suis ab Absinthiis pulsi ducem elegerant, Doloncos Thraces in patriam suam restituisset, primùm omnium Lampsacenis intulit bellum. Illi dispositis insidiis eum viuum cepere. Ea re CROESVS Lydus audita (erat autem Crœso Miltiades charus) per nuncios Lampsacenis præcepit, vt hominem missum facerent: alioqui se illos in morem pini extriturum. Hac oratione nutantibus Lampsacenis, quid sibi vellet, quòd minabatur se illos in morem pini extriturum, vir tandem quidam è maioribus natu, quid illud esset exposuit: inquiẽs, pinum ex omnibus arboribus solam esse quæ excisa nullam sobolem remittat, sed prorsus emoriatur. Eapropter veriti Crœsum Lampsaceni solutum Miltiadem remiserunt. Ita Miltiades ob Crœsum euasit: qui postea sine liberis moriens, imperiũ atque opes tradidit Stesagoræ, Cimonis sui è matre germani filio. Herod. lib. 6. Gellius tamen lib. 8. cap. 3. hunc locum Herod. reprehendit.

AMOR ET AMICITIA PRIVATORVM.

ERGA DISCIPVLOS.

Consule tit. Fidei erga discipulos.

PHYDIAS statuarius Agorantum Parium discipulum suum adeò dilexit, vt nomen eius suis operibus inscripserit plerunque.

TABERIVS Hiera insignis grammaticus, tam pius in suos discipulos fuit, vt temporibus Syllanis proscriptorũ liberos gratis & sine mercede vlla in disciplinam receperit. Suetonius de Claris grammaticis cap. 12.

ERGA PRÆCEPTORES.

Consule tit. Fidei & gratitudinis erga discipulos.

ACHILLES, quo inter Græcos vix fuit vir & armis constantior, & consilio maior, Phœnicem suum præceptorem ab Agamemnone ad se

legatum missum, adeò honorificè tractabat, vt ei & dimidium regni sui deferret,& dimidio honoris sui frui vellet.Homerus lib.9.Iliad.

METRODORVS Lampsacenus Epicuri discipulus,& fidissimus amicus(Strabone Diogeneq; testibus)17 annis nunquam ab eo discessit.Discedens verò annorum 53.liberos suos Epicuro commendauit.

ERGA CONDISCIPVLOS

Epicurus Atheniensis, mirum in modum PYTHAGORÆ institutum improbabat:qui cùm doceret,amicorum omnia esse communia,iubebat vt discipuli,quod quisq; habebat,deponerent in commune: dicēs id esse diffidentium verius,quàm amicorum.Nam si quis verus est amicus,nihilo minus habeo pro meis quæ ille possidet,quàm si deposuisset.Qui diffidit autem,aut non est verus amicus,aut dubitat de animo alterius.Eras. lib.8.Apoph.

PHILOSTRATVS & Hippoclides philosophi, eodem die nati,eiusdem præceptoris Epicuri sectam secuti, patrimonij etiam possidendi, alendæq; scholę communione coniuncti,eodemque momento temporis vltima senectute extincti sunt.Tam ęqualem fortunę pariter atq; amicitiæ societatem ingenitam habuerũt.Val.Max.lib.1.cap.de Miraculis.

PROÆRESIVS è Cæsarea Cappadociæ sophista Athenas profectus, sub Iuliano ita profecit,vt primus omnium discipulorũ habitus sit.Ephæstionem condiscipulum comitem sibi adiunxit, tanta charitate, vt vnanimes perseuerarent,vna veste vterque contentus, breui & paupere supellectile.Eunapius in vita Proæresij.

GREGORIVS Nazianzenus,& Magnus BASILIVS,Athenis sub iisdem præceptoribus educati, tantam inter se contraxere familiaritatem, vt veteribus amicorũ paribus conferri possint, anteferri meritò debeāt, quia & eruditionis & religionis causa coniuncti fuêre. In Ponti solitudine simul per 13 annos vixêre.

D. AVGVSTINVS,& ALIPIVS eodem municipio Africæ nati,Tagasta videlicet:in iisdē quoq; studiis nutriti,eadem ferè ætate (nisi quòd minor natu fuit Alipius)hæreticus vterque,tandem Mediolani opera D. Ambrosij conuersi,baptismum suscepêre,& inde patriam repetētes. Augustinus Hipponensis,Alipius Tagastensis episcopus factus est,& à teneris cœptam amicitiam indissolubili charitatis vinculo conseruauerunt. Meminit eius passim Augustinus.

IOANNES Cassianus,& S.GERMANVS,monachi,indiuidua & peregrinationum & studiorum voluntate coniuncti fuerunt. Testis ipsemet Cassianus in primo lib.Collationum, cap.1.peragrarunt Scythiam, Palestinam,Mesopotamiam,Cappadociam,Ægyptum,Thebaidem,&c.Vitæ monasticæ & eruditionis ergò.

ERGA VICINOS.

ERGA HOSPITES.

Consule tit. Fidei & Humanitatis, & Liberalitatis erga hospites, hic solius beneuolentiæ ratio habenda est:in iis verò locis ipsius habitus,à quo beneuolentia ista prouenit.

AMICITIA MVTVA ARCTISSIMA QVORVMLIbet inter se.

IONATHÆ erga Dauid amicitiam, non imminuit Saulis patris indignatio,sed auxit.Pater sæpe vitæ Dauid insidiatus est, semper filius detexit insidias patris:frequenter iratum placauit, & à persecutione amici auertit.Cumque die festo neomeniæ in celebri conuiuio requireretur,excusauit eius absentiam,& patris odium in illum cõcitatum,in se penè excepit,lancea ab eo petitus,sed à Deo protectus.Exurgens ergo ne gustatis quidem solennibus epulis,latebras adiit Dauid,eumq; monuit, vt fuga sibi salutem quæreret.Denique(vt Scriptura testatur) diligebat Ionathas Dauid sicut animam suam,in tantum de salute eius sollicitus,vt potius patrem regem sibi infensum sustineret,quàm illum desereret. Documento est, non oportere parentum aliorumúe dissidiis aut insultationibus nos moueri: vt ab officio discedamus quod proximis debemus. Scriptum enim est.Noli fieri pro amico inimicus proximo. Marul.lib.3.cap. secundo,ex 1.Reg.18.

IDEM,cùm resciuisset iureiurando adactus, patri statutum esse Dauidem occidere,hasta in harena scripsit vt fugeret: & si norat non obscurè. Dauidem idcirco patri Saulo suspectum esse, quòd Dauid ad Iudæorum regnum aspirabat.Etenim regni respectus apud eum amicitiæ cessit. Fulgos.lib.4.cap.7.& Sab.lib.5.cap.2.

Inter paria amicorum numerantur HERCVLES & THESEVS: nã hic illius virtutem & facta semper imitatus est: & hunc in inferis captiuũ redimere conatus est ille. Ambo in Amazones armati sunt, in Scythiam Phrygiamque vnà profecti,eisdem armis instructi,eodem telorum genere muniti, similibus studiis paribusque exercitationibus vsi:ex geminis fratribus geniti,Hercules ex Ioue,Theseus ex Neptuno,secundum Plutarchum.

THESEVS cum PIRITHOO amicitiam iureiurando cõfirmauit, autore Plutar.quæ nunquam diuelli potuit.Propterea finguntur à poetis comitatu indissolubili ad inferos descendisse, ad rapiendam Proserpinam.

Fuit & mutuus amor inter HERCVLEM & NESTOREM.nam Hercules Messenem dedit Nestori, & Nestor primum instituit iuramentum per Herculem.

Constituerat ACHILLES nunquam redire ad bellum Troianum,propter ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem: vbi tamen intellexit PATROCLVM amicum ab Hectore fuisse peremptum, mutato proposito bellum adiit:nec prius quieuit ex animo,quàm socij mortē vindicauerit.

Quum ORESTES & PYLADES venissent in regionem Tauricam ad exuendas furias,quibus Orestes laborabat propter matrem occisam, essentque à rege Thoa comprehensi, quòd simulachrum Palladis inde auferre voluissent,rex Orestem (quem audiuerat esse autorē furti) damnauit capitis.Quum verò nesciret vter esset Orestes, Pylades cum se esse affirmabat:contendebatque vt pro socio interficeretur.Orestes verò volebat irrogari sibi supplicium, nomen suum accusans,& furtum. Cicero in Lælio.

ACHATES perpetuus Æneæ comes & socius fingitur à Virgilio, sic vt alter altero semper comitatus eat.

NISVS Hyrtaci filius, & EVRYALVS,amici fuerunt arctissimi, qui pro Ænea certauerũt in Turnum,quorum alterum Euryalum quum Rutuli interfecissent,Nisus qui periculum cursu euaserat, rediit ad vlciscendam socij mortem.Quod quum fecisset,super mortui corpus se exanimē proiecit.De his Virg.lib.9.Æn.

ÆGYPTIIS amicitiæ ac sodalitatis genus fuit, τῶν συναποθνησκόντων, quasi commorientium, qua nulla sanctior firmiorque amicitia fuit vnquam. Alex. ab Alex.lib.1.cap.26.

Apud ÆTHIOPES tanta est hominum tamque infucata amicitia, vt communis sit omnium fœlicitas & infœlicitas. Si quis aliqua corporis parte debilitatur quauis causa,amici & domestici omnes eãdem partem debilitant. Turpe enim existimant amico claudo,non omnes eius amicos claudos esse: & quidem absurdum videbatur, cùm verè sit amicitiæ, ex rebus aduersis amicorum dolere,lætari in secundis,non etiam corporis doloris amicos participes esse. Diodor. Sic.libro.4.capite.1.de rebus Antiquis.

SCYTHARVM mos fuit, vt filios suos ad bonorum amicitias ineundas plurimùm adhortarentur,velut firmissima vitæ præsidia. Apud quos is habebatur afflućs & beatus,qui pluribus familiaribus fultus foret: pro certo arbitrati, in rebus deploratis & afflictis nulli vnquam satis fuisse amicorum.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

In Galliæ populis qui SONTIATES dicuntur, quædam societates erant,atque amicitiæ vincula(eiusmodi homines illorum lingua. Solduni nominabãtur.)Inter hos mutuus amor adeò arctè colebatur,vt quicquid amico vel in fortunis, vel in corpore contigisset, ipsi in eodem amicitiæ iure etiam ad eadem simul ferenda præstò essent, vel si vita, quia amicus eam amisisset,effundenda foret.Fulg.lib.2.ca.1.& Alex.lib.1.cap.26.

CANTABRIS mos fuisse dicitur,vt pro amicis & fœderatis,sociali fide se immolare atque interire non dubitarent,insigni testimonio mutuę charitatis & perpetui amoris.Alex.ab Alex.lib.1.cap.26.

Parij æmulatores Pythagorearum disputationum, in regionibus circa Italiam degebant.Dionysius Siciliæ tyrannus legationem de amicitia facienda ad Metapõtios & cęteros Italos misit. EVEPHENVS iuuenibus, qui discendi causa ad eum commeabant, eorumque parentibus suadebat,nullo modo tyranni verbis adhibendam esse fidem. Quæ res ad irã vehementissimè Dionysium inflammabat.Itaque operam dabat, quemadmodum eum in suam potestatem redigere posset, & è Metapontio in Rhegium transportare.Quem posteaquam cœpit,in concilio accusationem in eum intendens demonstrauit, quantis rebus ob eum solum esset spoliatus.Ille confitens,rectè se fecisse prædicabat. Illos enim amicitia & discendi consuetudine sibi deuinctos esse, tyrãnum se ne aspicere quidem inter discipulos suos posse.Qui eum ob hoc morti adiudicauit.Euephenus nihil perterritus, ad Dionysium inquit: Decretis quidem pareo: verùm quia sororem adhuc innuptam habeo, eam prius in Pario collocare alicui in animum induxi.Itaque in patriam nauigabo, breuique reuersus mortem obibo. Cùm omnes hoc audito sermone in risum effunderentur,Dionysius admirabatur,& interrogabat: Quisnam igitur pro te sponsurus est?Ille:Vadem,inquit,mortis dabo.EVCRITVMQVE accersitum,vadem præbuit.Qui admodum lubens hãc pro morte sponsionem recepit, transigens, vt ille digressus intra sex mensium spacium reuerteretur.Se verò ibidem permanētem,interea temporis custodiri & asseruari iussit.Admirandũ quidē factũ erat: verùm longè mirabilius aliud consecutũ est.Etenim post sex mēses,is qui eũ vadem dederat, collocata sorore sua,reuersus in Sicilam, seipsum tyrãno reddidit, iussitq; vadē dimitti. Dionysius vtriusq; virtutē supra modum complexus & admiratus ambos liberos dimisit:petiitq;, vt data fide tertiũ ipsum in amicitiam suã ascriberent, & apud se manerent, præsentibusque bonis vnà fruerentur. Qui animum quidem tyranni, propositumq; comprobauerunt. At petebãt,si vitam sibi concedere vellet, reuerti se ad consuetas cũ adolescentibus exercitationes pateretur.Dionysius hoc facto,multos Italos adduxit, vt maiorem sibi fidem haberent.Polyen.lib.5.

DAMON & PYTHIAS Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati,tã fidelem inter sese amicitiã iunxerũt, vt cùm alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet,atque is tempus ab eo, quo priusquam periret,domum profectus res suas ordinaret,impetrauisset: alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitauit. Solutus erat periculo

mortis,qui modò gladio ceruices subiectas habuerat: eidémque caput suũ subiecerat,cui securo viuere licebat.Igitur omnes & in primis Dionysius,nouæ atque ancipitis rei exitum speculabantur.Appropinquante deinde definita die, nec illo redeunte, vnusquisque stulticiæ tam temerarium sponsorem damnabat:at is, nihil se de amici constantia metuere prædicabat.Eodem autem momento & hora à Dionysio constituta, qui eam acceperat,superuenit. Admiratus amborum animum tyrannus,supplicium fidei remisit:insupérque eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ, tertium sodalicij gradum vltima culturum beneuolentia reciperēt. Hæ sanè vires amicitiæ,mortis contemptum ingenerare, vitæ dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuefacere,odium in amorem cõuertere,pœnam beneficio pensare potuerunt: quibus penè tantum venerationis, quantum deorum immortalium cerimonijs debetur. Illis enim publica salus,iis priuata continetur:atque vt illarum ædes sacra domicilia,ita harum fida hominũ pectora, quasi quodam sancto Spiritu referta templa sunt.Val.Max.lib.4 cap.7.

ALCIBIADES eiusmodi probationem amicorum instituit. Simulachrum hominis in obscuro & tenebricoso loco conclusit, atque amicorum quemlibet introducens ostendebat tanquam hominem occisum: & rogabat, vt suam operam ad eam rem darent, vt facinus latêre posset. Reliqui sceleris communicationem refugerũt.Solus Callias, filius Hipponici, libenter simulacrum admisit,quod ostenderet ad probandos amicos factum. Itaque fidelem amicum indicauit Calliam, & in posterũ Alcibiadi Callias fuit charissimus.Polyæn.lib.1.

ANYTVS amicorum Alcibiadis vnus, eum ad cœnam rogarat. ille recusauit:sed domi bene potus,cum famulis comessabundus irrupit:stánsque ad ostium cœnaculi, iussit famulos vasa diripere, & ad suas ædes deferre: qui ferè dimidium asportarunt. alijs conuiuis Alcibiadis violentiam superbiam criminantibus, Anytus dixit, illum humaniter egisse, cui quum totum auferre licuerit, dimidium ipsi reliquisset. Erasmus sexto Apophthegmatum.

SOCRATES & CHÆREPHON amici intimi fuerunt.Chærephon oraculum consulit, An quis esset amico suo Socrate prudentior?respondit Apollo, Socratem esse sapientissimum. Plinius, Solinus, Laertius, & Plato.

MENANDER Demetrio Phalereo amicus summus. Vide titulum Comicorum.

NICOCLI petenti vt sibi ante Phocionem venenũ haurire liceret: Tametsi durum hoc,inquit Phocion, tamen concedendum est ei, cui nihil vnquam in vita negaui. Phocion Nicoclem inter amicos fidissimum vnicè adamarat,eóque molestum erat videre illum moriẽtem: eam molestiam vt vitaret Nicocles, petebat vt ipse prior biberet, & hac in re commodauit amico.Eras.3.Apoph.

DEMETRIVS Antigoni F. Mithridatis Ariobarzanis F. verus amicus.Vide tit.Mutationis imperij somnia.

EVDAMIDAS Corinthius pauperrimus, Aretæum Corinthium & Charixenum Sicyonium amicos suos,& eos quidem opulentos, hæredes scripsit hunc in modum:Lego Aretæo quidem matrem meam alendam, atque in senecta fouendam: Charixeno verò filiam meam elocandam cum dote,quanta ab illo maxima dari poterit.Si quid autem interim acciderit alterutri, huius quoque partem alter habeto. Illi ergo cùm rata esse iussissent ea quæ testamento fuerant ab amico legata, Charixenus quinque duntaxat diebus superuixit. Aretæus & matrem Aretæi aluit, & filiam eius duobus talentis è suo dotatam honestissimè elocauit. Lucianus in Toxari.

Acca Laurentia,vel,vt alij volunt, Romulus Romanæ conditor vrbis, duodecim fratres & sacerdotes Aruales Romæ instituit:quibus tanta vitæ fuit societas,vt nullo omnino successu vel casu, sed vita tantum finiretur.Alex.ab Alex.lib.1.cap.26.

Inimicus patriæ fuisse Tib. Gracchus existimatus est, nec immeritò, quia potentiam suam saluti eius prætulerat: quàm constãtis tamen fidei amicum etiam in hoc tam prauo proposito C. Blosium Cumanum habuerit,operæprecium est cognoscere.Hostis iudicatus, vltimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, beneuolentia tamen eius non caruit.Nam cùm Senatus Rutilio & Lemnati Coss. mandasset, vt in eos qui cum Graccho consenserant,more maiorum animaduerterent:& ad Lælium,cuius consilio pręcipuè Coss.vtebantur, pro se Blosius deprecatum venisset,familiaritatísque excusatione vteretur, atque is dixisset: Quid si te Gracchus templo Iouis opt.max.faces subdere iussisset, obsecuturúsne voluntati ipsius, propter istam quam iactas, familiaritatem fuisses? Nunquam istud(inquit)Gracchus imperasset. Satis, imò etiam nimium. Totius namque senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verùm quod sequitur multo audacius, multóque periculosius. Cõpressus enim perseueranti interrogationi Lælij, in eodem constantiæ gradu stetit,séque etiam hoc,si modò Gracchus annuisset,facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse,si tacuisset? Quis etiam nõ sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At Blosius nec silentio honesto,nec prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret,tueri voluit.Val. Maximus libro quarto, capite septimo.

In eadem domo æquè robusta constantis amicitiæ exempla oboriuntur.Prostratis enim iam & perditis C. Gracchi consilijs, rebúsque, cùm tota eius conspiratio latè quæreretur,desertum omni auxilio, duo tantummodo amici Pomponius & Lectorius ab infestis & vndique ruentibus telis oppositu corporum suorum texerunt. Quorum Pomponius, quo is facilius euaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit, nec viuus pelli potuit, sed multis confectus vulneribus trãsitum super cadauer suum eis(credo etiam post fata inuitus) dedit. Lectorius autem in ponte sublicio constitit: & cum, donec Gracchus transiret,ardore spiritus sui sepsit: ac vi iam multitudinis obrutus, conuerso in se gladio celeri saltu profundum Tyberis petijt:quámque in eo ponte charitatem totius patriæ Horatius Cocles exhibuerat, vni amicitiæ adiecta voluntaria morte, præstitit. Quàm bonos Gracchi,si aut patris,aut materni aui sectam vitæ ingredi voluissent, habere milites potuerant? Quo enim impetu,qua perseuerãtia animi Blosius & Pomponius & Lectorius trophæa ac triumphos eorũ adiuuissent, furiosi conatus tam strenui comites sinistris quidem auspiciis amicitiæ conditionem secuti: sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultæ nobilitatis exempla.Val.Max.lib.4.cap.7.

SCIPIO Africanus consulatum appetebat. Verùm vbi sensit Pompeium amicum aliis fauere candidatis, ipse à petitione destitit, dicens: Eum consulatum sibi non tam gloriæ futurũ si adipisceretur,quàm molestum & inauspicatum, si refragante Pompeio consequeretur. Maluit consulatum cadere,quàm amicum perdere.Plut.in Rom.Apoph.

C.LÆLIVS, & AFRICANVS Scipio, inter raros amicos numerati sunt.

ÆLIVS GRAMMATICVS tanta amicitia & familiaritate Metello Numidico coniunctus fuit, vt illum in exilium relegatum sequeretur. Volaterranus libro decimotertio, capite tertio Anthropologiæ, ex Tranquillo.

Quo tempore Triumuirorum proscriptio durabat,proposita ijs graui pœna,qui proscriptos re aliqua iuuissent,aut vt non accusassent: contráque propositis ijs qui accusassent,ingētibus præmiis: cùm inter proscriptos Varro philosophus esset,Caleni peramicus,eum domi suę Calenus aliquod tempus cælauit. In quam domum cùm persæpe Antonius spaciatum se conferret, nunquam territus est, aut animum mutauit Calenus: etsi assiduè vel animaduerti, vel præmia dari, prout edictum aut violassent homines, aut ei paruissent, cernebat. Fulgosus libro quarto, capite septimo.

Amicitiæ numen priuatim quoque meritò veneror (inquit de seipso Valerius) clarissimi ac disertissimi viri promptissimam erga me beneuolentiam expertus. Nec metuo, ne parum conueniat mihi, Pompeium meum instar esse Alexandri,cum illi Ephestion suus alter fuerit Alexander.Ego verò grauissimo crimini sim obnoxius, constantis & benignæ amicitiæ exempla sine vlla eius mentione transgressus, cuius in animo velut in parentum amantissimorum pectore, lætior vitæ meæ status viguit,tristior acquieuit: à quo omnium incrementa commodorum vltrò oblata cæpi: per quem tutior aduersus casus steti, qui studia mea ductu & auspiciis suis lucidiora & alacriora reddidit. Itaque paui inuidiã quorundam optimi amici iactura, videlicet quia fructu torseram: non quidem meo merito, gratiam meam, quantacunque cum iis fuit,qui ea vti voluerũt,partitus.Verùm nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit: & quo secessu quosdam fugeris,aut quibus insulis misericordiæ permulseris,non cohibebis, ne vt alienis malis perinde ac bonis suis lætentur ac gestiant?Diuites sunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: sed illi quatenus alienis incommodis, suorum adhuc expertes, insultent, optima vindex insolentiæ varietas humanæ conditionis viderit. Valerius Maximus libro quarto,capite septimo.

Hortensius à Catone petijt, vt Portiam filiam suam, Bibulo nuptam, sibi traderet in matrimonium,pollicens se marito redditurum, simulátque ex ea prolem suscepisset. Id cùm multis rationibus illi persuasisset, Cato respondit: Se, quod ad ipsum attineret, libenter gratificaturum amico,verùm hoc non audere à Bibulo petere.Tum Hortensius nudans animum suum, petijt Martiam, ipsius Catonis vxorem. Iam enim sibi Cato ademerat mariti prætextum.Assensus est Cato, vt id fieret volente patre coniugis.ipsóque Catone præsente facta sunt sponsalia.Erasmus libro 5.Apoph.

L.RHEGINVS, si ad debitam publico ministerio sinceritatem exigatur,posteritatis conuicio lacerandus:si amicitiæ fido pignore æstimetur,in optimo laudabilis conscientiæ portu relinquendus est. Tribus enim plebis Seruilium Cepionem in carcerem cõiectum,quòd illius culpa exercitus Rom. à Cimbris & Theutonicis videbatur deletus, veteris arctæque amicitiæ memor,publica custodia liberauit: nec eatenus amicum egisse contentus,etiam fugæ eius comes accessit. Proh magnum & inexpugnabile tuum numen amicitia, cùm ex altera parte Respub. manum iniiceret,ex altera tua illum dextra traheret:& illa vt sacrosanctus esse vellet, exigeret, tu exilium indiceres: adeò blando vteris imperio, quòd is supplicium honori prætulit. Admirabile est opus tuum:sed quod sequitur,aliquanto laudabilius.Val.Max.lib.4.cap.7.

L. PETRONIVS admodum humili loco natus, ad equestrem ordinem,& splendidæ militię stipendia,Pub.Cœlij beneficio peruenerat:cui gratum animũ,quia in materia læta exhibere non cõtigerat, in ea quam iniquam fortuna esse voluit, cum multa fide præstitit. Erat ab Octauio Cos.Placentiæ præpositus Cœlius, qua à Cinnano exercitu capta, & senior iam & graui valetudine affectus,ne in potestatem hostium veniret, ad auxilium dextræ Petronij confugit.Quem is ab incœpto cõsilio frustra conatus abstrahere, in ijsdem perseuerantem precibus interemit: cædíque eius suam iunxit,ne eo iacente, per quem omnia dignitatis incrementa assecutus fuerat,superesset. Ita alterius fato verecundia, alterius pietas causam præbuit.Ibidem.

Iungendus est Petronio Seruius Terentius:quanquam ei, sicut cupierat pro amico suo perire non contigit.Incœpto nanque egregio, nõ irrito euentu æstimari debet: quia quantum in illo fuit, & ipse extinctus

est, & D. Brutus periculum euasit mortis: qui fugiēs à Mutina, vt ad se interficiendum ab Antonio missos equites aduenisse cognouit, quodam in loco iustæ pœnæ debitum spiritum tenebris furari conabatur. eóque iam facta irruptione. Terentius fideli mendacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum se esse simulauit, & corpus suum trucidandum equitibus obiecit. Verùm cognitus à Furio, cui Brutianæ vltionis officium mandatum fuerat, vt nece sua amici supplicium discutere non potuit: sic inuitus, fortuna cogente, vixit. Ibidem.

LVCILIVS, vltimo prælio quod in Philippicis campis commissum fuit, Brutum fugientem barbari equites Antoniani grauiter insequebantur. Quod conspicatus Lucilius dum Brutum se fingit esse, insequentes tam diu remoratus est, vt Brutus ab eis longè abesset. Capto igitur Lucilio, Antonius, ad quem is perducebatur, obuiam se lætitiæ plenus Brutū esse arbitratus præbebat. Cùm autem Antonio Lucilius iam ita propinquus esset, vt inuicem audiri possent, magna voce exclamauit: Antoni ne vnquam Brutum viuum vinctum expecta. Ego cùm hos Brutum insequi equites cernerem, Brutum me finxi, vt is fugiendi tempus haberet: & ita ad te perductus sum, eo animo, vt quæcunque in me statueris perferam. Qua re attonitus Antonius, tantæ amicitiæ reuerentia Lucilium seruauit, atque in amicorum numero habuit. Fulg. lib. 4. cap. 7.

VOLVMNIVS ortus equestri loco, cùm M. Lucullum familiariter coluisset, cumque Marcus Antonius, quòd Bruti & Cassij partes secutus fuerat, interemisset: in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhæsit, huc vsq; in lachrymas & gemitus profusus, vt nimia pietate causam sibi mortis accerseret. Nam propter præcipuam & perseuerantem lamētationem ad Antonium pertractus est. Cuius postquam in conspectu stetit: Iube me (inquit) imperator protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Neque enim absumpto illo superesse debeo, cùm ei infelicis militiæ autor extiterim. Quid hac fidelius beneuolētia? mortem amici hostis odio leuauit, vitam suam consilij crimine astrinxit: quoq; illum mirabiliorem redderet, se fecit inuisiorem. Nec difficiles Antonij aures habuit: ductusq; quò voluerat, Luculli dexteram auidè osculatus, caput, quod abscissum iacebat, sublatum pectori suo applicauit, ac deinde demissam ceruicem victoris gladio præbuit. Loquatur nūc Græcia nefandis Thesea Pirithoi amoribus subscribentem, Ditis se patris regnis commisisse. Vani est illud narrare, stulti credere, mixtum cruorem amicorū, & vulneribus innexa vulnera, mortemque morti inhærentem videre. Hæc sunt vera Romanæ amicitiæ indicia, illa gentis ad fingendum paratæ monstro similia mendacia. Val. lib. 4. cap. 7.

ÆSOPVS tragœdus amicitia coniunctissimus Ciceroni fuit, sæpe cum eo ad videndum in curia pronunciantem Hortensium conuenêre. Volaterranus lib. 13. cap. 3. Antroph.

POMPONIVS Atticus tanta beneuolentia iunctus fuit Ciceroni, vt Ciceronis Atticus diceretur.

P. VERG. Maro Cn. Corn. Gallum ita dilexit, vt decimam Eclogam de Lycoride eius amica (quæ alioqui Cytheris dicebatur) scripserit. Item quarto Georgicorum libro, ferè vsque ad medium, laudes eius recitat. Quem tamen postea, iubente Augusto, in Aristæi fabulam commutauit, quando Gallus de insolentia & tyrannide, quam contra Ægyptios, quibus præfectus fuit, exercuerat, accusatus, sibiipsi manus intulit. Gyraldus Dialogo 4. Hist. poet.

Statius DIMANTA & HOPPIEVM amicitia insignes fuisse memorat. Syllius MARIVM & Casprum, libro nono dicens:

——Sacro iuuenes Prænestе creati,
Miscuerant studia, & iuncta tellure serebant:
Velle ac nolle ambobus idem, sociatáque toto
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus:
Occubuêre simul, votísque ex omnibus vnum
Id fortuna dedit, iunctam inter prælia mortem.

AVGVSTVS Cæsar C. MECOENATEM adeò amabat, vt συμβιώτης Augusti diceretur. Quin & post victoriā Actiacam ex Ægypto reuersus, de imperandi ratione cum Agrippa & Mecœnate agēs, cùm Agrippa priuatam vitam, Mecœnas monarchiam suaderet, Mecœnati paruit. Leuiter tamen aliquando Mecœnati iratus fuisse dicitur, quòd ægrè ferret, Terentiam vel vxorem vel puellam suam ab Augusto diligi. Plut. & Dion in eius vita: & Suetonius.

IDEM quoties irascebatur, Mecœnatis tantùm verbis facilè leniri poterat. Quod ex eo licet maximè animaduertere, quod cùm Cęsar aliquā do ius diceret, adesséque Mecœnas, videretque eum multos condemnaturum, cùm eum præ multitudine accedere nequaquam posset, ad eum scripsit in hæc verba: Tandem surge carnifex. Quæ verba posteaquam à Cæsare perlecta essent, à tanto amico admonitus, statim surrexit. Dion Cassius in Augusto.

EVSEBIVS Cæsariensis episcopus in Palæstina, tanto amore Pamphilum presbyterum suum, patria Laodicenum, fuit prosequutus, vt nomine ipsius cognominis sui loco vsus sit. De eius denique vita libros tres elegantissimos scripsit, qui tamen non extant.

D. HIERONYMO amicissimi fuerunt Pammachius & Oceanus: vt ex Hieronymi Epistolis colligere licet.

BONA virgo in finibus Ægypti sanctarum virginum cœnobio Deo seruiens, dum vnam inter illas, quam præcipuè dilexerat, ex graui valetudine iam morti proximam miseretur, orauit Dominum vt cum ea simul diem obiret, perpetuáque morientis fieret comes. Vt orauerat, impetrauit. Ambæ eodem die vita defunctę sunt, ambæ vno sepulchro conditæ. O inseparabile pij amoris vinculum: quod ne morti quidem soluere licuit. Simul cœlum petierunt, quæ simul in terra Christo seruierant, vt conuiuere, sic etiam commori exoptantes. Marul. lib. 3. cap. 2.

Memorabilis est amicitia duorum hominum, quos Saxo Grammaticus ASMVNDVM & ASVITVM vocat: quorum quum Asuitus morbo cōsumptus esset, alter Asmundus ob amicitiæ iusiurandum viuus cum eo tumulari voluit.

LONGOBARDI primam barbam apud amicissimos deponere solebant, futuræ etiam in posterum amicitiæ symbolum. Vide tit. Astu iusiurandum fallere. Gregorius Romanus.

Apud HVNNOS fœdus inexplicabili nexu & amicitia perpetua viginti generosi spiritus virorum contrahebatur, qui vnà comites cōsiliorum omnium & voluntatum erant, adeò amicitia mutua deuincti, vt prospera simul & incommoda mutuis officiis ad supremum vsque diem ferre nunquam renuerent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 16.

FILIORVM AMOR ERGA PARENTES.

Consule tit. Fidei & pietatis erga parentes. Nam pietati semper iunctus est amor: at non econtrà.

Icarum patrem ERIGONES quum agrestes Attici interfecissent, filia doloris impatiens laqueum implicuit collo. Ouid. in Ibin.

Quódque dolore necis patris pia filia fecit,
Vincula per laquei fac quoque guttur eat.

DARIO totis regni sui viribus in SCYTHARVM regionibus subinde impetum facienti, paulatim cedentes, ad vltimas iam solitudines peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quòd initium pugnandi facturi essent? responderunt, Se nec vrbes vllas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Cæterùm cùm ad parētum suorum monimenta venissent, sciturum quēadmodum Scythæ præliari solerent. Quo quidem vno tam pio dicto, immanis & barbara gens ab omni se feritatis crimine redemit. Prima igitur & optima rerum natura, pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo vsu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus, charitatem parentum liberorum pectoribus infundit. Quid ergo doctrina proficit? vt politiora, sed non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem solida virtus nascitur magis, quā fingitur. Val. Max. lib. 5. cap. 4.

Cùm prælio captus esset à Seleuco Syriæ rege Demetrius Asiæ atque Macedoniæ rex, ANTIGONVS secundus filius, regni quietus possessor, regiam purpuram lugubri veste mutauit, atq; inter continuas lachrymas ad vicinos reges legatos oratum misit, vt pro patris liberatione operam dare vellent. Ipse quoq; ad Seleucum misit, qui regnum, se quoque ipsum obsidem polliceretur, si carcere patrem liberaret. Qui posteaquam resciuit patrem mortuum esse, ingentem classem instruxit, vt ad accipiendum defuncti corpus proficisceretur. Cùm autem nauigans patris corpus obuium habuisset, à Seleuco in Macedoniam remissum, tanto apparatu lachrymisq; illud excepit, vt omnes in admirationem commiserationémque simul cōuerteret. Stabat Antigonus in puppi magnæ quinqueremis, eius adparatus gratia ædificatæ, atra veste indutus, mortuum parētem lachrymans, cuius in aurea vrna conditi inter vexilla ipse continuus spectator erat. Illi cantu aliisque musicis modis defuncti regis virtutes insigniaque facinora decantabāt: canentiū autem voces ad pietatem lamentabilesq; modos compositæ: remiges quoque remorum pulsum eo ordine ad dolorem exprimendum temperabant, vt Corintho classe appropinquante, ipsa quoq; saxa ad lachrymas mouerentur. Fulg. libro 5. cap. 4. & Sab. lib. 3. cap. 6. & Volat. lib. 13. cap. 3. Antrop.

ARTAXERXES rex Persarum, patris sui interfectorem dedit morti, mutata de industria cum eo lorica.

ARTAXERXES primus Persarum rex, Statyram coniugem ardenter diligebat: quam etsi norat matris Parisatidis fraude veneno extinctam esse, tamen penes eum maritalem amorem materna pietas vicit, adeoque matris iniuriam dissimulauit (quanquam persæpe contrà fieri videatur) vt non modò de vlciscēdo eius scelere nihil loqueretur, sed ne minimo quidem nutu offensæ voluntatis ei signum dederit. Fulg. lib. 5. cap. 4.

Periander Corinthius tyrannus, occisa Melissa coniuge, susceptos ex ea filios, ab Epidauro, vbi apud maternum auum alebātur, accersiuit. Aui nomen Procles erat, qui priusquam nepotes à se dimitteret, seorsum vocatos monuit his verbis: Ignorare vos nolo, Periandrum patrem vestrum, sine vllo iure, filiam meam parentē vestram Melissam occidisse. nulláque rem vltrà locutus, pueros ad patrē dimisit. Ea verba, quę maior natu filius paruifecit, altius in minoris natu pueri, qui iam sextumdecimum agebat annum, nomine LYCOPHRONIS, animo tantā indignationem mouerunt, vt posteaquā Corinthum peruenit, nec alloqueretur parentem, nec appellanti responderet. Quāobrem domo pulsus à Periādro patre, apud quosdam amicos alebatur. Cū nec ob id quidem sentētiam mutaret, Periander omnibus interdixit, ne eū exciperent. Itaq; cùm ipsum iam excipere nullus auderet, Lycophron in foro locisq; publicis diuersabatur: iis rebus tantū vitam agens, quę præ misericordia offerebātur. Cùm ne hoc quidē incommodo Lycophron à proposito discederet, tādem à Periandro edictū est, vt sub capitis pœna nemo eū alloqueretur, neq; re, vlla iuuaret. Itaq; triduum ieiunus Lycophron mansit: & cùm ad eū postea pater accessisset, & miseriæ, in qua erat, admonuisset, spe facta, si sententiam mutasset,

principatus se successorem eum relicturum, filius hæc pauca respondit: Pœnam pater incurristi, quia contra edictum tuum me allocutus es. Vnde magis indignatus Periāder, Lycophronem in Corcyram misit. & cùm iam annosus morti se viciniū putaret, accersiri Lycophronem iussit, vt ei Corinthium regnum dimitteret: arbitratus eum ingenio ac virtute alios anteire fratres. verùm à Corcyræis interemptus fuit. Herod.

Cyrus Persarum rex ab Amasi Ægyptiorum rege petiit, vt vnam filiarum sibi in matrimoniū collocaret: Ille NITETEN, filiam Apriæ regis quo deuicto ipse regnum inuaserat, ad eum misit. Nitetis ad multum tēpus Amasis filiam simulans, cum Cyro consuetudinem habebat. Cùm verò multorum liberorum mater euasisset, & mariti summam beneuolentiam sibi adiunxisset: confessa est, Apriam suum patrem fuisse, dominum Amasidis. Sed etiam cùm Amasis vitam obierit, filium eius Psammetichum vlcisci pulchrum esse. Morem ei gerit Cyrus. At etiam Cyrus antequam moreretur, in expeditione diem suum obiit, & Ægyptiorum imperium in Apriæ stirpem vindicauit. Polyæn. lib. 8. Herodotus libro 3. pro Cyro Cambysem habet.

HERODES ille qui Magni cognomen tulit, cùm hoste à tergo vrgē. te graui comitatu impeditus, noctu per abrupta & difficilia loca iter faceret, matérque anus & ægra animo, curru fortè excussa ac debilitata fugam remoraretur, de manu sibi inferenda sæpius cogitauit: satius ratus mortem occumbere, quàm matrem hostibus relinquere. Sabellicus libro tertio, capite 6.

RVSTICANA Romana mulier, vlta est patrem Symmachum, quem Theodoricus rex Gotthorū cum Boetio eius genero interfecit. Fuit hæc post regis interitum suis ciuibus autor, vt ad abolendam Barbari memoriam eius statuæ tollerentur è medio. Id postea facinus, maiestatis accersita apud Totilam eiusdem gentis regem, non solùm non inficiata est: sed tam constanter etiam confessa, vt nihil æquè illi profuerit ad salutem, ac constantia: quam Barbarus miratus, etsi causam improbaret, tantam tamen indolem venia dignam censuit. Sabel. lib. 3. cap. 6.

LEO imperator Constantinopolitanus, imperium à Leone auunculo per manus acceptum, cùm pacatè regeret, ocióque & opibus floreret, Zenoni Isaurico patri suo sponte tradidit habendum. Indignum (credo) ducens, ac nefarium, imperare, vbi pater priuatus ageret. Ibidem.

Cùm Isaac Constantinopolitanus imperator ab Alexio fratre imperio luminibúsq; simul priuatus esset, Isaac filius, & ipse ALEXIVS nomine, Balduini, atq; aliorum principum, qui ea tempestate ad Syriacam expeditionem pro Christi fide proficiscebantur, ope adiutus, armis imperium recuperauit. Et quanquam eum omnes imperatorem salutarent, eo nomine abstinuit: eductúmque è carcere patrem in consuetum honorem restituit: atque imperatoriam dignitatem paternę charitati postposuit. Fulgos. lib. 5. cap. 4. & Egnat. lib. 5. cap. 4.

Alboinus Longobardorum rex, qui primus in Italiam venit, cùm Veronæ iuxta immanem gentis morem in conuiuio solenni biberet, in calua Turismundi (alij Cunimundum vocant) Gepidarum regis filij, qui & ipse eodem vocabatur nomine, vtpote clarioris hostis, quem occidisset: quanquam sciret eum Rosimundæ coniugis patrem fuisse, tamen quòd fortasse vino incaluerat, caluam ad coniugem misit, monens vt cum patre biberet. ROSIMVNDA etsi antè patrem in prælio cecidisse norat, à Lōgobardis cæsum: eam tamen rem, vt communes casus homines solēt, per ferebat. Cęterùm ea propinatione certior facta, Alboini manu patrem interiisse, plus paterna charitate quàm coniugalis thalami facibus mota patrem vlcisci, & eius rei gratia virum regnúmque simul amittere decreuit. Cùm autem è puellarum numero, quas in obsequio habebat, vnam ab equite Longobardo Hilmichildo nomine diligi sciret, egit vt vocatus in obscurum cubiculum, tanquam cum amata puella cubiturus, secum is, re minimè detecta, commisceretur. Et vt postea quid perpetrasset eum non latêret, aperiri cubiculi fenestras iussit: interminatáque, nisi Alboinum virum suum occideret, se perpetrati flagitij eum accusaturum, adeò enixè institit, vt is verbis minísque victus, noctu in lecto iacentem Alboinum occideret. Facinore autem perpetrato, Rauēnam ambo, regno, honore, vitáque, paternæ necis vindictæ postposita, profugerunt. Fulg. lib. 5. cap. 4. & Sab. lib. 3. cap. 6. & Egnat lib. 5. cap. 4.

LVDOVICVS Pius Francorum rex, Caroli Magni filius, paterni regni & diadematis Imperatorij successor, bellicis artibus clarus, neque minus pacis gloria celebris: Pij cognomentum sibi asciuit optimo iure, quòd patri summo studio semper affuit, illius virtutem & laudem imitari studuit, eiúsque mortem acerbissimè tulit. In Christiana verò pietate tuenda adeò propenso animo, vt nihil illo studiosius esse potuerit. Quem regis ardorem, & Christianissimi imperatoris affectum vtinam & subsequentes reges, & præsentes, constantiùs retinerent. Egnat lib. 5. cap. 4.

CAROLVS Zenus, Petri filius, patre viro in primis insigni ad Smyrnam à Turcis interfecto (quando à sacris nullo hostili metu auerti auocarique potuit) puer VII ætatis annum agens deductus est ad Clementem pont. max. quintum huius nominis, Auenioni tunc in Galliis agentem: apud quem eam orationem habuit, deplorans patris interitum, suámque in illum pietatem obtestans, vt Pont. ipse admiratus tantam in puero indolem, penes se aliquot annos habere voluerit. Quo Pontifice tandem mortuo, ad suos domum reuersus, tanta pietate in patrem semper est vsus vt eius memoriam frequentissimè repeteret: singulisque diebus sacris operatus, manes patris Deo commendaret: & domi agens inter suos, nomen eius in ore semper haberet. Adhortatus liberos suos, vt infixam aui memoriam pectore gestarent, eiúsque virtutem patria id exigente referrent.
Egnatius libro quinto, capite quarto.

CVPIDITAS LIBERORVM ET SOBOLIS ACQVIRENDAE.

Consule tit. Oracula prolis suscipiendæ.

ABRAMVS apud Dominum conqueritur, quòd liberis careat: Et Eliezer Damascenus, seruus suus, hæres esset futurus. Promittit igitur Abramo sobolem Dominus. Gen. 15.

SARAI, Abrami vxor nonagenaria, de liberis desperans, marito Hagarem Ægyptiam ancillam supponit, quæ ex Abramo Ismaelem concepit. Gen. 16.

FILIÆ Lothi cum patre in montem euaserant è Sodomitano incendio. Cùm igitur omnes homines incendio periisse existimarent, humani generis reparandi desiderio accensæ, patrem senem vino inuitant, & ex eius concubitu prolem suscipiunt: maior quidem natu Moabum, minor verò Bennamin, à quo Ammonitæ. Gen. 19.

RACHEL Labanis F. Iacobo patriarchæ nupta, sterilitatem suam ægrè ferens, eóque magis quòd soror Lia fœcunda esset, à marito liberos per iurgium cœpit postulare. Atque adeò Balam ancillam suam ei subiecit, quæ peperit ei Danem primùm deinde Nephthalim, quos pro suis habuit & educauit. LIA similiter, cùm gignere desiisset, ancillam suam Zilpam Iacobo in coniugium dedit, quæ ei Gadum & Aserem peperit. Genes. 30.

THAMAR Iudæ socero sese prostituit, cupiditate liberorum. Vide tit. Incestus Ethici.

ANNA mater Samuelis, præ desiderio habendi liberos flebat, & non capiebat cibos.

Multum desiderabat habere filium ILLA, quæ rapuit alienum, tertio Reg. 3.

LYRCVS habendæ prolis cupidus. Vide tit. A multis amatorum, exemplum Lyrci.

Apud SPARTANOS lex erat, vt senes iam effœti, qui desperabant prolem, eligerēt aliquem ex adolescentibus, cúmque ad vxores suas admitterent, & natum inde partum vt suum & legitimum educarent.

SP. Carbilius liberorum desiderio vxorem, charissimam alioqui, verū sterilem, repudiauit. Vide tit. Repudij in specie.

HENRICVS rex Castulonensis, prolis desiderio vxorem suam Belthramo cuidam prostituit. Vide tit. Inuidiæ.

AMOR PARENTVM ERGA FILIOS.

Nullo arctiore vinculo homo homini iungitur, nullo minus solubili nexu, quàm eo quo parentes liberis. Multa volumus patriæ debere, multa parentibus, multa demum multis: sed filiorum causa omnia volumus. Per ferrum, per flammas itur intrepidè, si filiorum charitas postulet, nullius incolumitas homini suauior, nullum funus acerbius, magísque luctuosum. Vnum ex filiis amissum multos annos luxit ISRAEL, nec prius diuturnum luctum abstersit, quàm ex insperato repertus est: cuius videndi studio patriam & domesticos lares reliquit, migrauitque cum tota domo in Ægyptum, centum viginti annos & amplius natus. Sabellicus lib. tertio, cap. 4.

Hunc ipsum Israelem ætate florentem duas Labanis filias, quæ illi nupserant, partémque armentorum multo maximam clàm secum abducentem socer LABAN assecutus, affecisset haud dubiè extremo supplicio tam meritum, quàm vltioni obnoxium. Aderat seni cliētum & seruorum manus ingens ad vim & iniuriam parata, nisi filiarum lachrymæ intercessissent: quæ apud Labanem tanti fuêre, vt vbi pœna fuerat exigenda, ictum sit fœdus, vt qui inimicus & vltor venerat, pater inde & socer abscesserit. Sab. lib. 3. cap. 4.

Deiecit Absalon patrem DAVIDEM regio solio, deiectum hostiliter insectatus est: cæterùm prælio victum interfectúmque media fuga tam dolenter fleuit pater, efflictimque lamentatus est, vt fletus magnæ illi inuidiæ fuerit apud exercitum: maiori adhuc futurus, nisi amicorum admonitu lachrymis simulatum gaudium miscuisset. Sab. lib. 3. capite quarto, ex 2. Reg. 18.

TOBIAS iunior, cùm recessisset à parentibus suis, cœpit mater eius flere & dixit. Baculum senectutis nostræ tulisti. Tob. 5.

TOBIA moram faciente, flenit mater eius, atque dixit: Heu mihi, fili mi, vt quid misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum? Tob.10.

TOBIAS cæcus exurgens, occurrit filio suo redeunti, & suspiciens osculatus est eum cum vxore sua: & cœperunt flere cum gaudio magno. Tob.11.

Habet exempli instar & pondus ingẽs imaginarius ille Paterfamilias, quem Euangelica celebrat historia: qui prodigum filium peregrè reuersum, non modò non auersatus est (patrimonij enim partem vnam turpiter prodegerat) sed seminudum & inedia confectum nuptiali veste texit, festisque accepit epulis. Dignus qui aut meliorem illum genuisset, aut in melius (vt euenit) mutabilem. Sab.lib.3.cap.4.

Nisi CENTVRIO ille Itali generis (vt credi æquum est) diuina Christi opera vidisset, nunquam huius opem laboranti filiæ implorasset: pietatis tamen cultum non prius recepit, quàm puella periculo seruata est. Valuit in militari homine multum miraculorum claritas, sed plus omnino patrius affectus: illa veritatis admonuit, hic vt coleret effecit. Sab. lib.3.cap 4.

Est illud in primis memorabile, quòd Christi Mater, cum præfatione laudis semper ab omnibus nominanda, ab illius acerbissimo cruciatu nunquam temerè ab vllo visa est: in priuato egit, aut orationi intenta, aut diuina legens, sanctissimi filij tam pia quàm sedula cultrix. Sab.lib.3. capite quarto.

NIOBE in scopulum diriguit, propter liberos suos ab Apolline interfectos. Idem quoque dolor impulit Amphionem, Niobes maritum, mortem sibi consciscere.

AVCTOLIA Sinonis filia, & vxor Laertæ, quum falso nuncio intellexisset, Vlyssem filium apud Troiam in bello occubuisse, impatiẽtia mœroris vitam proiecit.

EVENVS Martis & Steropæ filius, quum stupratorem filiæ Marpissæ, Apharetum nomine, comprehendere non posset ad supplicium, coniecit se in Lycormam fluuium præ animi dolore. Plutarch.

Confectus senio Priamus vbi vidit filium suum Politen à Pyrrho Achillis filio interfectum, non potuit iræ aut voci parcere: quin homicidum insectaretur conuicijs: licet in eadem esset alea, vt docet Vergilius lib.2. Æneid.

HECVBA Polymnestori regi Thraciæ genero suo oculos eruit, quòd Polydorum eius filium interfecisset.

Nihil magis curabat Æneas quàm Ascanium suum. Vnde Vergilius libro 1. Æneid.

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

ÆGÆVS Atheniẽsium rex, procul intuitus nauim, qua filius Theseus ex Creta victor vehebatur, quia non candida essent illi vela, siue cerulea (vt alij memorant) quæ lætitiam & filij incolumitatem testarẽtur, sed funesta & atri coloris, quæ à principio abeunti fuere, Theseum perijsse ratus, ex alta specula in subiectum sese pelagus præcipitauit. Sab. libro tertio, capite quarto.

Hippo & Miletia, filiæ fuerunt cuiusdam Scedasi inter Bœotios ditissimi: quas quũ impudici adolescentes per vim constuprassent, ac demum occultandi sceleris causa in puteum demersissent, pater impatiens mœroris, ad earum tumulos seipsum confecit.

Erat Solonis nomen tota Græcia & Asia celebre, quia leges Atheniẽsibus dedisset. Cæterùm cùm Miletum peregrè venisset, frequentérque cum Thalete (qui & ipse vnus ex septem fuit Sapiẽtibus) congrederetur, ac fortè ambo ex consuetudine in publico deambularent, ex composito filij mors illi nunciata est. Ad quem atrocem nuncium, vir alioqui sapiẽtiæ fama nobilis, consternatus animo, repentè sese humo afflixit, capillum & barbam vtraque manu vellicans, fœdánsque iniectu pulueris ora, palliúmque cœpit laniare. Ad quod fœdum spectaculũ & indignũ persona quam gerebat, cùm ex toto foro ingens factus esset concursus, & ipse cum muliebri eiulatu ad satietatem spectatus indecorè iacuisset, tum Thales, cuius opera fuerat is nuncius allatus, Solonẽ leniter tangẽs: Bono, inquit, sis animo, filius tuus viuit: at experiri volui, an vxorem ducere, & filios procreare expediat sapienti viro: vt tibi persuasum est, & ipse magna assertione contendis. Sed iam (vt iam videre est) non modò non conducit, verùm maiorem in modum repugnat, quando ex sapientibus insani fiant filiorum causa. Sab.lib 3.cap.4.

OBABAZI Persæ amorem erga filios, pete ex tit. Crudelitatis erga subditos, sub exemplo Darij.

OLYMPIAS magni Alexandri mater, refossa Iollæ (qui filij pincerna fuit) ossa, quia in viuum sæuire non contigerat, dissipari iussit Sic vlta illa est filij mortem, cui venenum miscuisse Iollas ferebatur. Sab. libro tertio, capite quarto.

Sæuijt Olympias in mortuum: cæterũ minoris Cyri mater Parisatis, multo atrocius insectata est filij interfectores: quorum vnum Charetẽ, decem dies excruciatum à tortoribus, priuari luminibus iussit, auribus liquefactum plumbum infudit. Metroclatem ob eandem noxam duabus scaphis insertum, ficisque & melle pastum, vermibus, quos corporis excrementa pepererunt, erodendum reliquit. Metasabatem postremò ad supplicium raptum, pelle nudatum, diuaricatúmque atrociter tribus palis affixit. Sab.lib.3.cap.4.

ZALEVCVS legislator Locrensis (qui Tulli Hostilij ætate vixit) cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab eo constitutum vtroque oculo carere deberet, ne iusticiæ repugnaret, filij tamen pietatem non negligeret, ipse sibi non pepercit: sed suo prius deinde filij oculo eruto, visum vtrinque videndi reliquit. Historia extat apud Valerium Maximum, qui cum Seleucum vocat: sed malè, vt Volaterranus libro vigesimo ait.

ARIOBARZANES filio suo Cappadociæ regno cessit, in conspectu Cn.Pompeij: cuius cùm ipse tribunal conscendisset, inuitatúsque ab eo in curuli sella sedisset, postquam filium in cornu scribæ humiliorem fortuna sua locum obtinentem conspexit, non sustinuit infra se collocatum intueri, sed protinus sella descendit, & diadema in caput eius transtulit: hortaríque cœpit, vt eò transiret, vnde ipse surrexerat. Exciderũt lachrymæ iuueni, cohorruit corpus, delapsum diadema est, nec quo iussus erat progredi potuit: quódq; penè fidem veritatis excedit, lætus erat qui regnum deponebat, tristis cui dabatur. Nec vllum finẽ tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati autoritas Pompeij affuisset. Filium enim & regẽ appellauit, & diadema sumere iussit, & in curuli sella considere coegit. Val.lib.5.cap.7.

THEMISTOCLES Atheniensis, filium suum, quem mater adamabat, atque in delicijs habebat, plurimum omnium Græcorum posse, colligebat hunc in modum: Athenienses, inquit, dominantur Græcis, ego Atheniensibus, mihi mater, matri filius. Plut.in Græc.apoph.

PROCLVS Naucratites filium habebat intemperantem, gallis gallinaceis, coturnicibus, catellis, & equis alendis indulgentem: quem pater adeò non increpabat, vt vnà cum illo potius iuuenaretur. Quo nomine quum ab amicis obiurgaretur: Citius, inquit, desinet cum senibus colludens, quàm cum æqualibus. Plut. Philostrat.in Sophist. & Volat.libro 18. Comment.vrb.

Cùm Erasistratus, siue Leptines mathematicus DEMETRIO, Antiochi filij mẽtem, qua mori destinarat, indicasset, simúlque fassus esset, huius affectionis causam esse amorem: Demetrius, qui adolescentem vnicè adamabat, per omnia multis cum lachrymis cœpit obtestari, vt illius incolumitati consuleretur: cum Erasistratus addidisset, immedicabile malum esse, quòd in ipsius vxorem deperiret: hoc audito, Demetrius multo vehementius cœpit obtestari, vt ob salutem filij cederet illi suam coniugem. Ista, inquit, ô pater, tibi facilè dicuntur: sed aliud diceres, si tuam coniugem Stratonicem adamaret. Hic cùm rex deos comprecaretur, vt liceret amorem filij commutare, & à medici coniuge in suam transferre, nihil se non facturum, si modò liceret seruare filium: Erasistratus patris dextram amplexus, Nihil est (inquit) ô rex in quo iam Erasistrato indigeas. Etenim cum & pater sis, & maritus & rex optimus eris tuæ familię medicus. Non enim in coniugem meam, sed in Stratonicem tuam Antiochus deperit. Post hæc Demetrius edixit, vt Antiochus rex, Stratonice (quam filio cessit) regina nominaretur. Plutarchus: & Val. libro quinto, capite septimo.

Quum Demetrius Asiæ, & Macedoniæ rex, esset à Seleuco Syriæ rege captus, per amicum in hoc missum, filio Antigono mãdauit, ne curaret, si quid scriberet à Seleuco compulsus, neque ciuitates illi cederet: filius autem vltrò scripsit ad Saleucum, cedens illi totam ditionem, séque obsidem offerens, si Demetrius pater dimitteretur. Hîc pietas certabat cum pietate. Pater sui negligens, volebat parci filio, filiique regno: filius contrà, patris libertatem & regno & seipso priorem habuit. Plutarchus in Regum apoph.

PTOLEMÆVS primus Ægypti rex, cùm adhuc prospera valetudine vteretur, non solùm regno cessit minori natu filio, verùm tãquam cum eo stipendia faceret, inter vigiles eius fuit: maiori affectus gaudio quòd regis pater, quàm quòd ipse rex esset. Fulg.lib.5.cap.7.

ORODES Parthorum rex, cùm Pacorum filium in bello contra Ventidium amisisset, præ dolore in rabiem conuersus, filij Phraatis sceleri obsistere non potuit. Interfecit ergo Phraates parentem cum triginta filijs. Xiphilinus in Augusto.

TOMYRIS Massagetarum regina, filium suum Sargapisem adeò dilexit, vt non prius constiterit, quàm mortẽ eius vlta sit seuerissimè. Comprehensum enim interfectorem Cyrum, cruci affixit, teste Diodoro, & ablatum mortui caput demersit in vtrem sanguinis. Herod.lib.1.

PYTHIVS Bithynius animi dolore, quem conceperat ex morte filij, à Xerxe interfecti, relicto vxori regno, in mortui monumentum se coniecit: atque inibi, quod supererat vitæ, flebiliter compleuit.

ARTAXERXES Darium filium adhuc viuens regem constituit, contra morem Persarum.

MYCERINVS rex Ægypti, filiam quam habebat vnicam, adeò dilexit, vt mortuæ cadauer incluserit aureo bouis simulachro: quod in templis proximè deos posuit, floribúsque ornauit, quotidie admota noctu perpetua lucerna. Herod.lib.2.

ANIVS Thuscorum rex, filiam habuit Saliam nomine: quam quum rapuisset Catheus adolescens, iratus pater, in fluuium Anienem, inde cognominatum, sese proiecit. Plutarch.

VALESIVS rusticus Romanus, ditissimus agri & æris, filijs suis duobus & filia vsque ad desperationem medicorum peste laborantibus, orauit deos sibi familiares, vt puerorum periculum in suum caput verterent. Val.lib.2.cap.1.

FABIVS Rutilianus quinque consulatibus summa cum gloria peractis, omnibúsque & virtutibus & vitæ meritis stipẽdijs, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile & periculosum conficiendum grauatus non est: penè ipso per se duntaxat animo sine corpore militaturus, vtpote propter vltimam senectutem lectuli ocio, quàm labori prœliorum habilior. Idem triũphantis currum equo insidens sequi, quẽ ipse paruulum triumphis suis gestauerat, in maxima voluptate posuit: nec accessor gloriosæ illius pompæ, sed autor spectatus est. Val.Max.lib.5.cap.7.

Multi bello Punico 2.Rom.legionibus ad Thràsymenũ & Cannas cęsis, falsò crediti sunt perijsse: erántque nonnullorũ vita iam temerè deplorata, cùm repentè MATRIBVS oblati, tantam lætitiæ molem illarum animis effudère, vt velut subita ruina oppressæ inter oscula & cõplexus expirarint. Sabel.libro 3.capite 4.ex Liuij lib.2. Dec.3.

BLAVVS, filiusque, à triumuiris proscripti fuerunt. Itaque cùm abire in Siciliam decreuissent, ad maritimã vrbis partẽ seorsum profecti sunt, vt minus suspecta eorum profectio haberetur. Cùm autem falsò pater filium, qui antecesserat, accepisset in triumuirorum milites incidisse, & ab eis cæsum fuisse, ad ipsos milites vltrò se contulit, atque ab eis vt interficeretur impetrauit. Fulgos.lib.5.cap.7.

Proscriptus & ipse à triumuiris Arantius, cùm petere Siciliam constituisset, vxoris suasu filium ipsum quoque proscriptum pręmisit. Qui cùm nauem conscendisset, atque aduersa tempestate actus, neque procedere posset, neque retrò ad terram reuerti, ita eum fato vrgente, fame cõsumptus est. Quod cùm MATER intellexisset, magis eam premente dolore, quia eius consilij ipsa auctor fuerat, haud multo pòst se ipsam interemit. Fulgos.lib.5.cap.7.

M.CATONIS senioris nunquam tantæ, neque tam multæ fuerunt occupationes, vt cùm recens natus Cato filius lauandus esset, omnia non relinqueret, vt ipse lotioni semper interesset. Cui posteaquam ætas ad discendum idonea fuit, nunquam alium quàm se magistrum dare voluit: & cùm ab amicis moneretur, vt eam curam alicui erudito seruo traderet, respondit: Ferre se non posse, vt seruum inspiceret filio aures vellicantem: cum præterea illud quoq; spectaret, ne cuiquam seruo filius literariam institutionem deberet. Qua cura si nunc multi vterẽtur, quam stulte aucupio & venationibus intenti in aues aut canes conferunt, non tam sæpe contingeret, vt ex generosa arbore pro pruno arbutei fœtus legerentur. Ibidem.

Catone feruidiorem se in Antistia amanda MATRES ostendit: nã cùm vidisset à Pompeio repudiatam filiam, & pro ea Æmyliam ipsum duxisse, manu sua sibi mortem consciuit. Fulgos.lib.5.cap.7. & Sabel.lib.3.cap.4.

Carthaginensium MATRES cùm tertio bello Punico ex omni nobilitate lectissimi adolescentes obsides in Siciliam mitterentur, eos fletu & lamentatione querula sunt ad naues vsque comitatæ: tum ex his quędam à filiorum complexibus auulsæ, vbi oram solutam viderunt, nauimq; portu egredi, dolore stimulante in subiectos fluctus desilierunt. Sabel.libro tertio capite quarto.

AGRIPPINA Domitij Neronis mater, dum ambitiosè nimis imperiũ illi astruit, Chaldæos sciscitata, an imperaturus esset filius, futurum comperit, vt is demum imperaret, verùm ita vt matrem interficeret: Interficiat, inquit, modò imperet. Sabel.lib.3.cap.4.

GORDIANVS senior Aphricæ proconsul, à Pœnis atq; exercitu aduersus Maximinorum crudelitatem imperator creatus, cùm filium eodẽ quo ipso nomine, contra Capellianum Maximinorum ducem misisset, accepissetque victum eum atque cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine clàm se in cubiculo suspendit. Fulgosus libro quinto, capite septimo.

Multis præclarisque animi dotibus VRSVS Patriciacus dux excelluit, qui in Petri Tribuni ducis locũ subrogatus, propter egregiũ iustitiæ studiũ, summãque liberalitatẽ, præcipuè verò in pauperes, charus inprimis omnibus ciuitatis ordinibus fuit: cæterùm & ipse in filij amorem propensior. Capto filio à Narentanis hostibus, (quum à Constantinopolitano principe magnis muneribus, protospatariique dignitate ab eo donatus rediret) missis legatis operam præcipuè dedit, vt illũ reciperet. Quòd tandem consecutus est, hoste magna pecuniæ vi delinito, pluribusque alijs donis ornato. Tametsi non desint scriptores, qui rem aliter tradant. Egnat.lib.5.capite septimo.

ANGELVS Patriciacus, primus dux, relicta Methamauco vrbe, in Venetas insulas faustissimo auspicio immigrauit, omniúmq; consensu postea cauit, vt hæc perpetua æternáque ducum Venetorum sedes esset. Qua igitur pietate in hęc loca eius aduentus celebrari potest, sic eâdem etiam illius in liberos amor & indulgentia celebrabitur. Quum enim duo illi essent liberi, Iustinianus ætate maior, & Ioannes: Iustinianum ipsum ad Leonem imperatorem Constantinopoli legatum misit: Ioannem verò natu minorem, collegam sibi asciuit, tametsi non nesciret superiores in Methamauco duces aliquando à filijs graues tulisse iniurias. Rediens autem Iustinianus, ægréque ferens fratri imperium attributum, nec patrem inuisere voluit, nec paterni palatij fores adire. Quod Angelus pater animaduertens, Ioannem ipsum Constantinopolim nauigare iussit, Iustinianúmque cum Angelo filio principatus sibi socium asciuit. Vt tamen parente & fratre mortuo, reuersus Ioannes, ducatiam dignitatem recepẽrit, cui annos octo præfuit. Egnat.lib.5.cap.7.

Eodem animo, eadémque in filium pietate PETRVS Gradonicus dux in Ioannis Patriciaci locum subrogatus, filium Ioannem & collegam viuenti sibi, & post mortem successorem instituit. Sed mortuo prius filio pater diu principatu functus, dum à Zachariæ templo reuertitur, à coniuratis interficitur. Egnat.libro quinto, capite septimo.

AMOR ERGA FRATRES.

Magnum & efficax ad rem domesticam tuendam vinculum, mutuus fratrum amor & cõcordia. Nam quo illi inter se animo esse debeant, ipsa vox qua nominatur declarat. Habet itaque vita & in his exempla satis memoratu digna. Enimuerò quid est ESAV memorabilius, qui ab Israele fratre hæreditate illa, qua nulla fuit vnquam sanctior, fraude depulsus: hunc tamen postliminiò reuersum non modò non auersatus est, conatúsve patris finibus propulsare, sed suauissimè etiam complexum, charitate plusquàm fraterna venientem excepit: ingenitæ pietatis, non iniuriæ memor. Sabel.lib.3.cap.7.ex Gen.28.

IOSEPHVS, qui Israelis fuit filius, domesticum id exemplum imitatus, fratres qui se puerũ vendiderant, vel perdiderant potius, quantum in eis fuit, cùm in magna charitate annonæ Ægyptum petiissent, frumenti indecoemundi necessitate adacti, hospitaliter excepit, nondum agnitus: ad hibuitque domestico conuiuio, tritici precium ignaris restituit, rationem commeatus, accersendi ad se amantissimi fratris, qui vnus domi subsederat, vt de eius quoque incolumitate coram cognosceret. Sab.lib.3.cap.7. & lib.5.cap.3.ex Gen.45.

RVBEN & Iudas resistebant cæteris fratribus, volentibus occidere Ioseph, quamuis non reduxerint eum ad patrem. Genesis.37.

PETRVS Bariona, & ANDREAS eius frater, adeò vterque alterum dilexit, vt quod vni fuit cordi, fuerit & alteri. Piscatu ab ineunte ætate vterq; vixit: hic retibus relictis Christum secutus est, secutus est & ille: ambo Apostoli nomen tulère, ambo Christi nomen professi mortem oppetiere: & vt extrema primis responderent: cruci ambo affixi, vt quorum mens semper vna fuisset, vnus esset & exitus. Sab.lib.3.capite septimo.

Sorores Phaetontis, quæ HELIADES & PHÆTONTIADES appellantur, fratrem cœlo deturbatum tantis lachrymis deplorauerunt, vt deorum commiseratione in arbores commutatæ sint. Verg.in Culice.

At quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustos Phaeton luctu mutauerat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis,
Candida fundebant lentis velamina ramis.

Hyam à leone deuoratum, sorores HYADES lamentatione miserabili prosecutæ sunt, adeò vt mœrore vitam finiuerint. Deorum demùm commiseratione relatæ sunt in stellas. Pontanus.

Mox Hyadum chorus Eois emerget ab vndis:
Fratris Hyæ quas perpetuus dolor indidit astris.

ANTIGONE Oedipi filia, fratrem suum Eteoclem in bello peremptũ sepeliuit, inuito Creonte tyranno. Ouid.lib.3. Trist.

——Fratrem Thebana peremptum
Supposuit tumulo rege vetante soror.

CASTOR & Pollux fratres fuerunt, filij Lędæ hic ex Ioue, ille ex Tyndaro. Propterea poetæ fabulantur, Castorem fuisse mortalem, quem immortalis Pollux suo interitu fraterna redemerit pietate. Quod ideo fingitur, quia eorum stellæ sic se habẽt, vt vna occidente, oriatur altera, Seruio teste. Virg.lib.6.Æneid.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties.——

AGAMEMNON Menelaum fratrem tanto prosecutus est amore, vt vniuersam Græciam pro repetenda eius coniuge Helena à Paride rapta armarit, & decennali obsidione Ilium tandem expugnarit. Sabel.lib.tertio, cap. 7. & Egnatius libro 5. cap. 5.

CLEOMENES Lacedæmonius, fratrem Euclidam secum regnare permisit. Plutarchus.

Hipparchus ab HARMODIO & ARISTOGITONE interfectus est, eo quòd sororem Harmodij, fortassis dignam ad ferẽdum Deo canistrum more patrio, in Panathenaicis admittere noluerat. Ælian. de Var. histor.lib.11.

SCILVRVS octoginta liberos masculos habẽs, quum esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id quum singuli recusassent, eo quòd videretur impossibile: ipse singula iacula exemit, atque ita facilè confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique manebitis: contrà, si dissidiis & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis Scythicè rem ob oculos ponere. Plutarchus in Regum & imperatorum apoph. Stob.serm.82.

ACTORIDES fratres, à patre Actore, à matre Molione MOLIONIDÆ dicti, συμφυεῖς id est congeniti fuerunt aurigæ, & concordes: alter habenas & lora, alter scuticam & flagellum moderabatur. Duo vterq; capita, quatuor manus, & totidem pedes, vnum verò corpus habuisse dicuntur. Hos cùm Hercules vincere nequiret, insidiis intercepit, Elinque obtinuit. Pherecydes, Mnaseas, Pindarus, & alij.

ÆTHIOPES præcipuè sorores suas honorãt, & reges maximè relinquũt successiones non suis, sed sororũ filiis. Quòd si nullus successor sit,

pulcherrimum ex omnibus & bellicoſiſſimum creant regem. Pietati & iuſticię ſtudent. Ædes ipſorum ianuis carent: & cùm in vijs multa iaceāt, nemo furatur. Stobæus ſermone 42. ex Nicolai de moribus Gentium hiſtoria.

HIERO Syracuſanus laudabili animi magnitudine præditus, ſine omni iurgio fratribus tribus numero conuerſatus eſt, mirúmque in modum tum ipſos amauit, tum ab ijſdem mutuo amore habitus eſt. Ælian. lib.9. de Var. hiſt.

Intaphernes vnus ex Darij ſociis, qui Perſarum regnum à Magis fratribus furto occupatum armis vindicarunt, poſt ſummā rei Dario delatā, cum à cubiculi miniſtro regem adire prohiberetur, ira percitus, aures illi & naſum abſcidit, éſtque ob eam noxam Intaphernes cū omni virili ſtirpe ad ſupplicium arreptus. Iacuit eius Vxor plures dies ante regis ianuam miſerabiliter prouoluta, cum lachrymis & flebili lamentatione. Cuius afflictionē miſeratus Darius, miſit qui illi nunciarent, vt vnum ex his qui interficiendi eſſent, ſibi depoſceret futurum vt illius quem incolumem vellet, ipſius lachrymis vitam cōdonaret, vt vnus aliquis ſeruatus futuræ eſſet orbitatis leuamen. Nemo fuit, cui non perſuaſum eſſet, fore vt amantiſſimi coniugis aut vnius filiorum vitam ſibi optaret. Sed mulier fratrē depopoſcit. Cæterùm iuſſa à rege dicere, quid eſſet quòd fratrem tantùm viro & filiis prætuliſſet: Sim, inquit, ego (rex) iuuenis adhuc, poſſúmque proinde iterū & nubere & párere: frater parentibus ſenio confectis ſi adéptus ſit, reſtitui non poteſt. Qua voce rex vehementer commotus, nō fratrem ſolùm, ſed & filium natu maximum illi reſtituit. Sab. lib.3. cap.7. & Fulg. lib.5. cap.5.

ANTIOCHVS Hierax ſiue Accipiter, Syriæ rex, cùm de regno cum fratre Seleuco contenderet, atque à Gallogræcis prælio victum atque cæſum fuiſſe eum accepiſſet, plus fraterno amore, quàm bello quod cum fratre gerebat motus, abiecta purpura omnibúſque regijs ornamentis, atram inter lachrymas ſumpſit veſtem. Nec multo pòſt, cùm reſciuiſſet falſum ſe de eius morte nuncium accepiſſe, pro eius ſalute in vniuerſo regno ſacra fieri, & dijs immortalibus gratias agi, feſtóſque ludos fieri iuſſit. Plut. in regum Apoph.

PHARNACES Parthiæ rex, fratri Mithridati, etſi minimè liberis orbatus erat, moriens regnum reliquit. ex Plin. lib.7. cap.36.

SCIPIO NVMANTIVS integram Fabio fratri hæreditatem conceſſit, ſummi amoris ſymbolum. Pont. cap.11. de Liberal.

PVB. Rutilius leui morbo impeditus adeò de fratris dignitate ſollicitus fuit, vt in petitione conſulatus audita eius repulſa continuò animam efflauerit. Sab. lib.3. cap.7. & Fulg. lib.5. cap.5.

M. FABIVS conſul, inclita pugna Hetruſcis & Veientibus ſuperatis, delatum ſibi ſummo Senatus populíque ſtudio triumphum ducere non ſuſtinuit, quia eo prælio Q. Fabius frater eius conſularis fortiſſimè dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternæ charitatis habitaſſe exiſtimemus, propter quam tantus ampliſſimi honoris fulgor extingui potuit? Val. lib.5. cap.5.

DVO Ligarij fratres in triumuirali proſcriptione nominati, cùm ambo eodem in loco latérent, & ſomnus eos oppreſſiſſet, alter eorum mortuus eſt inuentus. Fugiens alter, vt alterum occiſum eſſe accepit, à ponte ſe in Tiberim præcipitauit: adiutúſque à piſcatoribus, qui propè cum locum erant, arbitrātes aut lapſum fortè, aut deiectum in amnem alterius opera fuiſſe, vehementer enixus eſt ne inde traheretur. Et cùm ita inter eum piſcatoréſque contenderetur, ſuperuenēre qui proſcriptorum diſquiſitionem procurabant, ab ipſiſque vt optabat occiſus fuit. Fulgoſus libro quinto, capite tertio.

Non minori Duos proſcriptos fratres inter ſe charitate fuiſſe, Appianus ſcribit: quorū alter cum à militibus captus eſſet, alter qui ſe proſcriptum ignorabat, ad eos profectus, magnis precibus orabat, vt dimiſſo fratre ſe pro eo occiderent. Verùm vt cognouerunt ipſum quoque proſcriptum eſſe, vtrunque interemerunt. Ibidem.

L. Lucullus ſenator Rom. quanquam natu maior quàm Marcus frater, fraterna charitate compulſus, præter conſuetum Romanorum morem, nūquam magiſtratum petere voluit, donec ad legitimam ætatem petendi frater perueniſſet. Propter quam rem abſentes ambos populus Rom. ædiles creauit. Ibidem.

In eo bello quod C. Cornelius Cinna tribus pleb. pulſus ex ciuitate cū Caio Mario, & alijs ex Africa exulibus Romanis intulit, Duo fratres, alter ex Pompeij, alter ex Cinnæ exercitu, ignorantes concurrerunt: & cùm victor mortuum ſpoliaret, cognito fratre, ingenti edita lamētatione, ac rogo extructo, ſe inſuper cremauit. Volat. lib.14. cap.2. Anthrop.

MILES quidam in caſtris Cn. Pompeij ſtipendia peragens, cùm Sertorianum militem acrius ſibi in acie inſtātem cominus interemiſſet, iacentémque ſpoliaret, vt fratrem Germanum eſſe cognouit, multum ac diu conuicio deos, ob donū impiæ victoriæ inſecutus, prope caſtra trāſtulit: & precioſa veſte opertum, rogo impoſuit: ac deinde ſubiecta face, protinus eodem gladio quo illum interemerat, pectus ſuum transuerberauit: ſéque ſuper corpus fratris proſtratum, communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti viuere: ſed vt ſua potius pietate quàm aliena venia vteretur, comes fraternæ neci non defuit. Val. Max. lib.5. cap.5.

POMPONIVS Atticus nobilis eques Romanus, & familiaris Ciceronis, tam pius in ſororem fuit, vt per totam vitam nullam cum ea ſimultatem geſſerit: dictitans, Cum his quos diligas, minimè iraſci oportere. Nepos apud Volat. lib.18. Anthrop.

TITVS Veſpaſianus imperator, quanquam ſciret Domitianum fratrem de ſe immodeſtè loqui, exercitúſque ad rebellionem ſollicitaſſe: eū tamē ob id in minore exiſtimatione non habuit, neq; ab alijs haberi voluit, conſortem eum ac ſucceſſorem imperij appellans: ſeorſim quoque ab alijs non ſine lachrymis ac magnis precibus obteſtatus, vt in ſe eo amore eſſe vellet, quo ipſe eum proſequebatur. O charitatem fraternam, ingentem: maiorem natu fratrem, qui rerum potiebatur, nō modò tanta in fratre perferre, verùm adeò quoque clementer atque humanè cum eo agere. Fulg. lib.5. cap.5.

M. AVR. Commodus ſororem ſuam adeò dilexit, vt ad paternum patrimonium cum ea diuidendum à matre vocatus, vniuerſum ſorori conceſſerit, auitis tantùm bonis contentus. Pontanus de Liberal. cap.11.

GETÆ fratri ſuo Seuerus Romanorum imperator ſtatuam auream in foro poſuit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Seueri.

IONÆ Hebræo cùm Agrippa Iudæorum rex Pontificatum max. daturus eſſet, accipere nunquam voluit: ſed magno ſtudio precibúſque ingentibus eum fratri, quem meliorem ſe aptioremque eſſe dicebat, impetrauit. Fulg. lib.5. cap.5.

Cùm Adiatorigem Cappadocem regulum cum vxore liberíſque Auguſtus bello cæpiſſet, Romámque in triumphū duxiſſet, decreuit, vt cum maiore natu filio pater occideretur. Quamobrem cùm miniſtri ad hanc rem deſignati peterent, quis ipſorum fratrum natu maior eſſet, vehemēter inter ſe contendebant, vtroque maiorem ſe eſſe aſſerente, vt alterum fratrem morte ſua ſeruaret. Et cùm diu in hunc modum pietate inter ſe contendiſſent, vix tandem Dyetentus matris precibus, quæ per eum facilius ſe ali poſſe videbat, ceſſit, tulítque vt pro ſe minor tanquam natu maior moreretur. Re poſtea ab Auguſto intellecta, non modò factum indoluit: verumetiam illum qui ſuperſtes fuerat, cum matre honeſtè habuit.

Tantum reuerentiæ & bonæ exiſtimationis, etiam inter ipſos hoſtes, hoc fraternæ charitatis ſanctum nomen comparare ſolet. Ibidem.

IAZATE Adiabenorum rex, quanquam quatuor & viginti filiorum pater eſſet, vni tamen moriens Monobazo fratri regnum reliquit. Ibidem.

LVIBA Gotthorum rex in Hiſpania, ſecundo regni ſui anno, Leogildum fratrem hæredem ac ſucceſſorem regni conſtituit, & aliquod tēpus ante obitum, ſeruata ſibi tantùm Narbonenſi prouincia, reliquis regni partibus ei ceſſit. Ibidem.

RAMIRVS primus (qui decimus in Hiſpania poſt Arabum aduentum regnauit) cùm in Hiſpaniæ regno iam ex parte de Arabum manibus recepto, quia primogenitus erat, antelatus fuiſſet, ſponte ſua fratrem Garſiam regni ſocium aſciuit, cùm plus apud eum in regni communicatione fraternus amor quàm ambitio poſſet, quæ non fratrum modò, ſed parentis quoque & filiorum extinguere charitatem ſolet. Ibidem.

HELIODORVS Britannus, qui Pij poſtea cognomentum adeptus eſt, aliquanto Iulij Cæſaris ætatem anteceſſit. Hic à Britannis fratri Archigallo ſuffectus, quem populi ob nimiam crudelitatem atque auariciā regno pellere coacti fuerāt, in ſylua venationi intētus, in ipſum fratrem incidit: cuius afflictam fortunam, lacera veſtis ſquallórque ſatis teſtabatur. Quem vt agnouit, quanquam ſciret auream, vi atque arte enixum, vt in regnum reſtitueretur: tamen amanter complexus, occultè in Aldeludum vrbem deduxit: vbi ſimulata ægritudine, tanquam teſtamento ſuas atque regni res ordinaturus, regni proceres ad ſe vocauit. Et cùm ſingulos priuatim ſe alloqui velle oſtendiſſet, vt in cubiculum ſinguli ingrederētur monuit: omnibus mortem interminatus, niſi fratri peperciſſent, & aſſentirentur, vt per ipſum in regno reſtitueretur. Et cùm omnes per hunc modum in ſententiam deduxiſſet, rem poſtea coram omnibus aperuit, atque Archigallum in regnum reſtituit: cui & iuſtè poſt paucos annos mortuo, & cum ingenti gloria ſucceſſit. Ibidem.

Non minus memoranda, rariórque etiam inter Vitellios fratres Ioannem, Camillum, Paulum & Vitelloziū, Nicolao Vitellio natos, in Tifernate vrbe primario viro, fraterna charitas fuit: nam patre mortuo, illi ex fratribus, qui inter eos natu maior erat, dicto ſemper audiētes fuerūt. Nā etſi inter eos qui in Italia arma ferrent, exercitúſque ductarent, ob virtutis magnitudinem inſignes habebantur, magníſque ſtipendijs conducebantur, tamen etiam ductis vxoribus, patrium nomen aſſecuti, ne minima quidem inter ſe ambitione laborarunt, neque prorſus vlla amoris offenſio cum eis interceſſit: maioréque natu inter ipſos moriente, in ætate proximiori imperandi maieſtas ferebatur. In cæteris nulla re inter ſe diſpares erant, adeò vt inter fratres par eis exemplum inueniri poſſe diffidam. Ibidem.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm in bello contra Caietanos, claſſem Philippi ducis Mediolanenſis aduentare hoſtibus in auxilium audiuiſſet, eſſétque iam de imperatore regiæ claſſis eligendo non parua diſſenſio (ſiquidem Ioannes rex Nauarræ, & Henricus infans, vtrique regis fratres, id pro ſe quiſque appetere videbatur) Alphonſus ne alteri curā & imperium claſſis demandando, alterū offenderet, ſtatuit ipſe claſſem cōſcendere: pacem & concordiā fratrum pluris faciēs quàm periculū, quod caſtris imminere videbatur. Panorm. lib.1. de Reb. geſt. Alphonſi.

IDEM cùm à Ferdinando parente iam moriente ob ætatis prærogatiuam ſibi regnum deferretur, ea tamen conditione vt Ioanni fratri regionem Hiſpaniæ, quam Caſtellam appellant, traderet, conditionem à parente oblatam non tātum æquo animo tulit, ſed ne fratrem offendere videretur, Ioanni totum parentis regnum obtulit. Panormita lib.1. de Alphonſi rebus geſtis.

IDEM Alphonſus in obſidione Neapolitana, cùm audiſſet, Petrū fratrem, quem propter ſingulares animi & corporis dotes, ſupra fraternum affectum diligebat, globo tormentario ictum occubuiſſe: vt viſeret maturauit, exanimē multis piíſque cum lachrymis exoſculatus: mox in arcē ſuam, quam Oui vocant, tantiſper efferendum curauit, donec iuſta apparatu regio, quod poſtea fecit, perſoluere liceret. Panormita lib.3. de Rebus geſtis Alphonſi.

IOVIANVS PONTANVS prædiorum fortunarumque auitarum, totiúſque paternæ rei vſum atque poſſeſſionem ſorori ſuæ permiſit, contentus iis bonis quæ Neapoli atque in Campania labore atque induſtria ſua comparaſſet. Pontanus lib. de Liberal. cap.11.

Fuēre Bernardo Iuſtiniano Veneto ſeniori, tres filij mares, qui mortuo patre domi ſub matre educati, tanta inter ſe charitate ſemper vixēre, vt nihil admirabilius in vniuerſa ciuitate foret. Mox verò quum Laurētius monaſticam vitam ſecutus eſſet, non potuit tamen diuerſa victus ratio, vt non ſemper eodem inter ſe animo mutuoque amore alter alterum coleret. Sic igitur Marcus ipſe quamuis Senator egregius, ſic Leonardus frater orator inſignis, Latiniſque & Græcis literis inſtructiſſimus, Caſtellani fratris Laurētij quotidie frequentabant, vt aut cum eo cœnarent, aut prandium ſumerent: aſſidui poſtea, quātum his licebat, familiaris ſermonis comites. Non poſſum autem pro tanta eorum pietate non plura de iis referre, quāto dolore, quámque graui ſuperſtes alter alterius mortem tulerit. Extat adhuc Leonardi Iuſtiniani epiſtola ad Franciſcum Barbarum ſcripta, cum ſumma animi doloris teſtificatione: quam ſi quis legerit, non poterit non ſummopere mirari. Egna. lib.5. cap.5.

MARCVS Barbadicus, & AVGVSTINVS (qui poſtea ambo duces fuēre) fuēre fratres duo, Frāciſco Barbadico diui Marci procuratore geniti: qui iam inde à pueris tanta inter ſe charitate ac pietate vixēre, vt vtrique ſemper ſub eodem tecto vixerit. Quibus etiam ciuitas ipſa illorū inter ſe mutuū amorem admirata, paribus ferè dignitatis gradibus vtrunque ſemper extulit: donec creato Marco procuratore duce, pacéque ſub eius imperio, quamuis breui, cum omnibus Italiæ principibus ſtabilita, ingentique peſtilentiæ vi leuata, à qua vrbs iamdiu laborauerat: annonáque opulentiſſima omnibus ordinibus reſtituta, non multò pòſt, nono principatus ſui menſe deceſſit, grauiſſimo cum totius ciuitatis dolore. Quem tamen ſtatim aliqua ex parte leuarit, ſuffecto in fratris locum Auguſtino ipſo, vt diuino quodam numine fratri florentiſſimus & ipſe adiūgeretur: qui ſub eodem tecto & cubiculo, dum ſuperſtes foret, vitā princeps ageret. Qui certè inter optimos duces & claros adnumerari queat, imperij finibus auctis. Nam & Cremonam in Gallia, & Apuliæ oppida nō pauca, & Cephaleniam denique inſulam Veneto imperio adiecit. Extat verò, quòd dicimus, præclarum Barbadicæ familiæ monumentum apud ædem Charitatis. Ibidem.

Admonuit me poſteritati hæc prodentem, ſuperiorum ducum memoria, ne penitùs duorum fratrum pietatem hoc in loco negligerem, videlicet FRANCISCI Foſcari clariſſimi ducis, & MARCI eius fratris, diui Marci procuratoris. Quorum mutua inter ſe charitas, ſingularíſque pietas ſua tempeſtate longè clariſſima ſemper fuerit: id quod etiam ſupremo ſuę vitæ tempore perſpici, cognoſcíque planè potuit. Nam, id quod ſuperius quoque repetiuimus, quum ageretur in decemuirali conſilio magno patrum attributorum numero, de principatu abrogando ipſi duci, ne qua ſuſpicio manare in vulgus poſſet, hoc ab ipſis agi, Marcum Foſcarum fratrem ſingulis diebus eò aduocari iubebant: quem tamen cubiculo incluſum diligentius aſſeruarent, adactum graui pœna, ne quid tale proderet: qua ex re memor ille fraternæ pietatis, non multùm poſt mortem fratris diem ſupremum obiit. Ibidem.

Nemo, vt opinor, mihi oculato teſti obiecerit, niſi idem & maleuolus, quum audiet Leonardo Lauretano duci QVATVOR mares liberos affuiſſe, quorum inter ſe ſtudium, & præcipuum amorem, qui familiarius domi agerent, non poſſent non in primis admirari. Cùm igitur domi parentem haberent omni virtute inſignem, bonitatéque ac prudentia ſingularem, ſummáque in primis in Deum atque in patriam pietate: quis non intelligat ab hoc patre tanquam à fonte liberos eos emanaſſe, qui ſuauiſſimis aquis longè latéque emanarent? Vtinam verò fraternę mutuæ charitatis omnes meminerint, quum illorum benefacta recordabuntur. Nam etiam poſt patris obitum, qui tres ſuperfuēre, clari illuſtréſque Venetiis floruere, dum ſemper in quacunque vitæ parte cùm alia extarent virtutis exempla in illis, tum verò fraterni amoris inſignia monumenta: donec ſub eodem tecto viuentes, ſub eadémque vita diſcedentes, auitæ nepotibus gloriæ, & ſuæ laudis relictis, nunquam morituri cœlos peterent. Ibidem.

DE AMORE CONIVGALI, SIVE DE Matrimonio.

VXOREM ESSE DVCENDAM CERTAM.

ALIA animalia in principio fecit Deus duplicia, ſcilicet maſculum & fœminam. Hominem autem fecit vnum, & ex illo ſunt omnes & ſinguli procreati: vt ſcilicet vnitatem pacis & cōcordiæ commendaret in homine. Gen.1.

In arca Noe tot viros, quot fœminas, iuſſit DOMINVS reſeruari, vt videlicet eſſet vnica vnici. Gen.7.

SALVATOR noſter conuiuio nuptiarum non dedignatus eſt intereſſe. Ioan.2.

PERICLES Athenienſis licet adeò ab hominum conuictu & conuerſatione abhorreret, vt amicorum etiam & neceſſariorum cōuiuia & cœnas fugeret: apud Euryptolemum tamen nuptiali conuiuio intereſſe voluit, nullam aliam ob cauſam, quàm vt nuptias mirum in modum probare videretur. Pontanus de Conuiuentia, poſt prologum.

PLATONIS legibus cauetur, vt qui ad quintum & trigeſimū annum manſiſſet cœlebs, nullo dignus honore, & omnium poſtremus haberetur. Alex. ab Alex. lib.4. cap.8.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legiſlator, legibus ad matrimonium ſuos aſtrinxit. Nam ſi qui in orbitate & ſolitudine cœlibes vixiſſent, ea afficiebantur ignominia, vt à ludis arcerentur: per hyemem verò forum nudi circumire cogerentur. Ibidem.

SPARTANORVM lex mulctam ſtatuit: primam, non ducenti vxorē: alteram, ſerò ducenti: & grauiſſimam illi qui malam duxiſſet: aut ex alienatribu. Stobæus ſermone 65. ex Ariſtonis commentariis: & Fulg. lib.2. cap.1. Quæ iudicia, Cacogamia & Opſigamia dicta ſunt. Alex. ab Alex. li. 4. cap.8.

Apud LACEDÆMONIOS tam laudabile fuit matrimonium, & liberorum procreatio, vt apud eos trium liberorum parens à cuſtodia & excubiis, quatuor verò ab omni onere immunis foret. Alex. ab Alex. l.4. c.8.

CRETENSES fœlici inſtituto vſurparunt, vt è grege iuuenum deligerent forma conſpicuos, quos ad vxores ducendas, propagandámque ſobolem vi & lege compellerent. Ibidem.

PERSÆ ingentia ſemper munera iis proponebant, qui plures genuerant filios: Reges quoque ſi quando vrbem adirent, ſingulis mulieribus ad ſobolis inuitamenta ſingulos aureos dare conſueuēre, prægnantibus etiam duplices. Ibidem.

THVRIORVM lex erat, vt iuuenes primo ætatis flore ad ducendas vxores muneribus honoribúſque inuitarentur: qui verò ea defuncta alteram ſuperduxiſſet, is inuiſus & execrabilis diis hominibuſque, & ab omni honoris aditu & magiſtratu arcebatur. Ibidem.

ROMVLI lege, mulieribus, quæ trium liberorum matres forent, etiam viuo patre teſtari, & ſine curatore de bonis diſponere, negociáq; alia gerere permiſſum erat: viróque decedente ſine liberis, omnium bonorum hæres vxor erat. Si verò cum liberis, æqualem bonorum partem cum liberis ferebat. Vtque non ſeuera & triſtis, ſed læta atque hilaris illorum pudicitia foret, vxoribus nec molere, nec coquere, aut alio ſeruili munere fungi permiſere: nuptiáſque pecuniarum & fortunarum viri, ſacrorúmque ſocias eſſe iuſſére Romani. Ibidem.

ROMANI Cenſores ad coniugium & prolem excitādam non ſolùm pœnis coercuerunt repugnantes, ſed & præmiis inuitarunt iuuentutem. Ibidem: & lib.3. cap.13.

Apud ROMANOS priſcos tam venerabile fuit coniugium & legitima liberorum procreatio, vt ſemper plurium liberorum parentes in omnibus negociis, pauciores liberos habentibus, aut ſine vxore degentibus, antelati fuerint. Alex. ab Alex. lib.4. cap.8.

Mos erat Romanis CONSVLIBVS, lictoribus ac faſcibus per vices vti: quiſq; menſe ſuo his vtebatur. Vtendi autem principium is faciebat, cui in bello mortuus eſſet filius: vel cui vxor eſſet, etiamſi iunior haberetur, ſi alter quanquam ſenior vxore careret. Fulgoſ. lib.2. cap.1.

ROMANI veteres, Præturas, Quæſturas, Conſulatus, alióſque honores in comitiis iis tantùm dedēre, qui matrimonij vinculo ligati, plurimorū filiorum parentes eſſent. Quare exemplis palàm factum nouimus plures candidatos, cum ad comitia & campum deſcenderent fictis adoptionibus, liberos ſibi peſſimo more ementitos fuiſſe. Alex. ab Alex. lib.4. cap.8.

FVRIVS Camillus, cùm cenſuram ageret, vt exhauſtæ ciuitati, propter aſſiduas bellorum clades ciues ſuppeterent, legem de maritandis ordinibus tulit. Qua inter cætera pœnis coercuit illos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, deuitarēt. Eos verò qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant, æra pœnæ nomine ad ærarium ferre iuſſit, iterum puniri dignos, ſi quo modo de tam iuſta conſtitutione queri ſunt auſi, cùm in hunc modum increparentur: Natura vobis, quemadmodum naſcendi, ita gignēdi legem ſcribit, parenteſque vos alendo nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligauerunt. Accedit etiam iis, quod in fortuna longam præſtandi huiuſce muneris vacationem eſtis aſſecuti, cū interim conſumpti ſunt anni veſtri, & mariti & patris nomine vacui. Ite igitur, & nodoſam exoluite ſtipem, vtilem poſteritati numeroſę. Val. Max lib.2. cap.4. & Alex. lib.3. cap.13. & lib.4. cap.8. & Plut. in Camillo.

Q. METELLVS Numidicus cenſor, & poſtea C. Iulius Cæſar deinde Auguſtus, liberorum gignendorum & ſobolis cauſa legem de maritandis ordinibus tulēre, eos ad progeniem propagādam præmiis & immunitatibus inuitantes. Siquidem cui tres erant liberi, vacatio muneris: cui plures, libertas donabatur. Nota eſt Metelli vox, cùm ad populum in cēſura verba faceret: Si ſine vxore poſſemus eſſe (inquit) Quirites, omnes ea moleſtia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuę potius quàm breui voluptati conſulendum. Gellius lib.1. cap. 6. vbi plura lectu digniſſima inuenies. Bruſon. lib.7. cap 22. & Alex. lib.4. cap.8.

IVLIA lege de maritandis ordinibus apud veteres cautum fuit, vt hi quibus vigor iuuenilis foret, primo flore ætatis ad vxores ducendas, liberoſque educandos, propagādamque ſobolem, non ſolùm præmiis inuitati, ſed pœna deterriti cogerentur. Alex. lib.4. cap.22.

TIBERIVS Cæſar equitem quæſtura priuauit, quia vxorē repudiauit triduo poſtea, quàm eam acceperat. Leuiſſimum enim putauit, & qui in republica nulla in parte vtilis eſſe poſſet. Fulg. lib. 8. cap. 1.

CLAVDIVS Cæſar abrogata lege Papia, ſexagenarios, & ætate multo ſeniores, liberos gignere, & prolis cauſa ad coniugium admitti voluit. Alex. lib. 4. cap. 22.

IDEM legem tulit, de Libertorum coniugio: qua edixit, ſi ad iuſiurandum libertū patronus adigeret, ne nuberet, neue vxorem duceret, cum ad ius patronatus lex pariter non admitteret. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

Cùm in Nicæno concilio quidam ex Epiſcopis nouam legem conſtituere vellent, vt epiſcopi, presbyteri, ſacerdotes, diaconi, vxores, quas dum laici eſſent duxerant, repudiarent. Paphnutius confeſſor, ipſe etiam ciuitatis cuiuſdam in ſuperiori Thebaide epiſcopus, ſolus diſſuaſit, cùm alioqui caſtitatis obſeruantiſſimus eſſet: & patres in ſuam pertraxit ſententiam, vt qui vxores haberent, eas ſeruarent: qui non haberent, ſi quidem per carnis ſtimulum integrum illis eſſet, cœlibes viuerent. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Sozomenus lib. 1. cap. 10. & 23. & lib. 2. cap. 25.

[redacted]

ΠΟΛΥΓΑΜΙΑ. QVI PLVRES VNA DVXERVNT VXOres, *vel quæ pluribus nupſerunt.*

Ante diluuium, ſolus LAMECH duas vxores legitur habuiſſe. Geneſæos quarto.

ABRAHAMVS præter legitimam vxorem Saram, ex qua Iſaacum ſuſtulit, aliam ſuperinduxit Ceturam, quæ ei ſex filios peperit. Iſaaco tamē dedit omnia ſua: concubinarum verò filios muneribus ornatos, Orientem verſus amandauit, qui Brachmanes poſtea dicti fuêre, quaſi Abrachmanes. Gen. cap. 25.

ESAVS Iſaaci F. vxores alienigenas contra parentum volūtatem duxit, Iuditham Beeris, & Baſematham Elonis, Hettæorum filias. Geneſ. 26. Rurſus cùm videret Hettæas patri ſuo non placere, Iſmaelis Abraham F. filiam Mahalatham, Nabaiothi ſororem, ſuperinduxit. Gen. 26.

LYCVRGI lex, binas vxores vnas ædes incolere, atque in eadem domo cum vno marito habitare, concedebat. Alexander ab Alexandro libro 1. cap. 24.

ATHENIENSES vt exhauſtā iuuentutem belli cladibus repararent, decreto ſanxerunt, vt vrbanam ciues vxorem ducerent, & ex altera liberos procrearent. Ibidem.

SOCRATEM tradunt ſimul moroſam illam Xanthippem & Myrtonem Ariſtidis neptem habuiſſe vxores. Proinde demirāti cuidā, in quem tādem vſum aleret duas mulieres, præſertim rixoſas, nec eas domo exigeret? Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam, qua in publico vtendum eſt: harum moribus exercitatus, commodior ero ad aliorum conſuetudinem. Hunc percontatorem A. Gellius facit Alcibiadem.

DEMETRIVS Antigoni filius, atque Euripides poeta, duobus ſimul coniugiis nihil veriti ſunt copulari. Ibidem.

DIONYSIVS vno die duas vxores in matrimonium ſibi aſſociauit, Doridem Locrenſem, & Ariſtænetam Hipponi filiam, ſororem Dionis: & cum vtriſque viciſſim dormiuit. Altera ſequebatur eum in bellis, altera reuerſum excipiebat. Ælianus libro decimotertio de Varia hiſtoria: & Alex. libro 1. cap. 24.

BRACHMANES, Numidæ & Mauri pro modo facultatum vxores habebant, ita quidem vt ex diuitibus multis denas, pleriſque vicenas habere vxores permiſſum ſit. Ibidem.

Apud PERSAS Medóſque mulieres quampluribus nubere licebat: quæ paucioribus quinque viris nupſiſſet, agreſtis habebatur, & ſordida. Ibidem.

PERSARVM reges plurēs habent vxores, quæ per vices in orbem noctes ſortiuntur regias. Herod. lib. 3.

DARIVS Perſarum rex factus, duas Cyri filias duxit, Atoſſam, quæ Cambyſi fratri, & rurſus Smerdi mago nupſerat, & Artyſſonam virginē. Pręterea alteram Smerdis Cyri filiam, nomine Parmin: item filiam Otanis Phædynam, quæ Smerdem magum prodiderat. Herod. lib. 3.

Apud Thraces quilibet tres aut quatuor vxores ſibi matrimonio iũgit, nonnulli etiam triginta, iiſque tanquam famulis vtuntur. Nuptiæ ex abundantia fiunt, pérque circuitum quaſi cum illis concumbunt, eáque lauat, & miniſterium obit. Plurimæ verò poſt coitum humi dormiunt. Quòd ſi quis indignetur, aut iraſcatur, parētes numerato quod acceperunt precio, filiam ad ſe recipiunt. Nam accepta mercede ſolent eas eloçare. Poſt mortem viri tum alia, tum vxores quoque ad ipſos hæreditate perueniunt. Heraclides in Polit. & Alex. lib. 1. cap. 24.

THRACES, qui ſupra Cræſtonæos incolunt, ſinguli plures habēt vxores. Vide tit. Amoris erga maritos.

PÆONES Praſiadem paludem incolentes, plures vxores ducunt. Vide tit. Habitationis incommodæ.

NASAMONES, vxores plures ſinguli è cōſuetudine habent, cum his in propatulo coeunt, eodem penè quo Maſſagetæ modo, prius ſcipione prætento. Herod. lib. 4.

C. IVLIVS Cæſar decreuit, vt liberorum quærendorum cauſa quot vellet quiſque vxores ducere poſſet. Id quod etiam apud Siculos & Athenienſes in vſu fuiſſe, legimus apud Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

MESSALINA Claudij Cæſaris *vxor*, nō ſatis habebat adulteria committere & ſcortari, ſed cupiuit etiam pluribus viris iuſtis & legitimis nubere. Itaque nupſit Caio Silio, harúmque nuptiarum conuiuium magnificum & ſumptuoſum fecit, eíque regiam donauit, in qua congeſſit omnes Claudij theſauros precioſiſſimos, eúmque extremum conſulem deſignauit. Xiphilinus in Claudio.

VALENTINIANVS Cæſar, vt ſoboles paſſim prorogaretur, gentéſque affatim redundarent, duas ſimul vxores ducere licere, duobúſque impunè coniugiis commiſcere, lege ſacrata ſanciuit. Alex. ab Alex. lib. 1. capite vigeſimoquarto.

GERMANI olim licet ſingulis vxoribus contenti eſſent, nobiliores tamen plures habuerunt vxores, pro decore familiæ, & maieſtate. Ibidem.

SAXONES duas ſimul vxores, aut plures olim ducebāt: id quod Gregorius ſecundus in epiſtola ad Bonifacium primum legatum Apoſtolicum in Germania, iubet abrogari.

AMOR PROCORVM ERGA SPONSAS, VEL ECONTRA.

Conſule tit. Procorum, ſub loco Temperantiæ

IACOBVS patriarcha, Labani auunculo pro filia Rachele ſeruiuit ſeptem annos. Quod ſpacium ei perinde viſum eſt ac ſi pauci dies fuiſſent: tantopere eam amabat. Exactis ſeptem annis, cùm noctu pro Rachele Liam lippam ei ſuppoſuiſſet, etſi eam iniuriam indignè ferebat, tamē altero ſeptennio pro Rachele ſeruiuit. Gen. 29.

HIPPARCHIA Metroclis ſoror, adamauit Cratetem apud parentes minitans ſe ſibi conſcituram necem, ni philoſopho nuberet. Ab hoc affectu quum nec parentum verbis, nec Cratetis adamati ſuaſu reuocari poſſet, Crates ſurgens, detracto pallio nudauit tergum gibbo deforma tum: Ne quis circumueniatur, inquit, hic eſt ſponſus: & proiecto baculo & pera, Hæc, inquit, dos eſt. Super his delibera: neque enim mihi coniunx eſſe poterit, niſi cui placeat idem inſtitutum. Quum accepiſſet conditionem puella, mox ſubſtrato pallio cum illa congreſſus eſt, parentibus adſtantibus. Itaque conſummatum eſt Cynicum matrimonium. Laertius libro ſexto, capite ſeptimo.

AMOR MARITORVM ERGA VXORES, VEL IN CONiugio, *vel poſt.*

Exempla pete ex loco Continentiæ ſeu Caſtitatis, in coniugio, vel poſt coniugium. Item ex tit. Fidei erga vxores.

Multa & illuſtria ſunt amoris exempla in coniugali copula, atque ex his quædam cum ipſo homine propemodum nata. Niſi enim plus æquo Protoplaſtus Euam adamaſſet, nunquam ſciens voléſque diuina lege aberraſſet. Nocuit autoribus dira prędricatio: nocuit & poſteritati. Eſſet pars vitæ longè optima mutua charitas, ſi homo ſemper ea vellet, quæ honeſta ſunt: aut ea darentur, quæ iure dari poſſunt, nihil obſequio pręter bonum & æquum tuente. Sab. lib. 3. cap. 5. ex Geneſi.

Fuit Samſonis viri fortiſſimi nihil obſcurum in Philiſtæam cōiugem obſequium. Cui niſi nimium indulſiſſet, nunquam illius proci ænigma illud de leone, & apū mellificatione, magna viri indignatione interpretari potuiſſent: vnde fremitus & vox illa æſtuantis animi, Nihil fallacius fœmina. Sab. lib. 3. cap. 5. ex 4. Iudicum.

Mirum videri poſſet, hominem ſuprema ſapientia, ac ſupra faſtigium humanitatis collocatum, adeò iugalibus illecebris ſuccubuiſſe, vt relicta luce tenebras ſit ſecutus. Sed homo fuit Solomon, etſi ſapiens: humanus tamen, cuius proprium eſt labi. Sab. lib. 3. cap. 5.

Niſi fabuloſa conſectari turpe eſſet, & fides ijs abrogaretur quæ ad vitam inſtruendam, non ad voluptatem ſcribuntur, ſpecioſum eſſet in hac relatione illud, quod de Orpheo canunt poetæ. Nam præterquam quòd ridiculum ſit prodere, inferna loca adijſſe, vt ſuam Eurydicem reciperet: quod reliquum eſt à fide non abhorret, coniuge amiſſa ſemper illius nomen in ore habuiſſe, omnémque muliebrem congreſſum eſſe iam inde auerſatum, ita vt ſoliuagus flebili cantu luctum & mœrorem ſolaretur. Sab. lib. 3. cap 5.

PROTI-

PROTESILAVS, ſub cuius imperio fuerunt Antron, Phylaca, & Lariſſa, vrbes Theſſaliæ, primus Græcorum interfectus eſt apud Troiam à Dardano quodam. Quod quum reſciuiſſet LAODAMIA, in ſolatium mœroris optauit, vt mortui vmbram videret. Quod quum impetraſſet, in illius amplexibus expirauit. Propertius:

Illic Phylacides iucundæ coniugis heros,
Non potuit cæcis immemor eſſe locis.
Sed cupidus falſis attingere gaudia palmis,
Theſſalis antiquam venerat vmbra domum.

PERICLES Aſpaſiam vxorem adeò dilexit, vt nunquam egrederetur domo, quin eam diſſuauiaretur. Vnde veteres comœdiographi Deianiram & Iunonem eam vocabant.

ANTIMACHVS poeta Græcus, Lyſidicem vxorem adeò dilexit, vt eius mortem lamentabili defleuerit Elegia, qua omnes heroum calamitates enumerabat.

DARIVS exiſtimans vxorem ſuam ab Alexandro victore fuiſſe interfectam, eiulatibus impleuit caſtra, atque in hæc verba prorupit: Quod ego tantum nefas commiſi, Alexander? quem tuorum propinquorum necaui, vt hanc vicem ſæuitiæ meæ reddas: Odiſti me, non quidem prouocatus: ſed finge iuſtum intuliſſe te bellum. Cum fœminis ergo agere debueras? Quibus verbis coniicere eſt, quantus fuerit Darij amor in vxorem. Sab. lib 3. cap. 5.

NINVS Aſſyriorum rex, cùm Semiramidis amore propter formam admirabilem teneretur, quæ Menoni coniugio tum copulata erat, rex perſuadere viro conatus eſt, vt illam ſponte ſibi vxorem donaret: pollicitus, filiam ſe matrimonio in eam gratiam daturum, nomine Soſanem. Renuenti autem cùm minatus eſſet, ei ſe oculos, ni parēret, eruturum: Menon partim timore perculſus, partim amore coniugis motus, laqueo vitam finire maluit, quàm viuere orbatus vxore ſua. Diodor. Sic. lib. 3. de Reb. antiq. & Sab. lib. 3. cap. 5.

PERIANDER Corinthiorum rex, qui Cypſelo patre Olympiad. XXXVIII ſucceſſit in regno, & ſapientum Græciæ nequaquam inter poſtremos numerandus, vxorem ſuam Meliſſam adeò dilexiſſe fertur, vt etiam cum mortua concubuerit. Suidas & Laertius lib. 1. & Herod. libro quinto.

T. GRACCHVS anguibus domi ſuæ, mare & fœmina apprehenſis, certior factus ab aruſpice, mare dimiſſo, vxori eius: fœmina, ſibi celerem obitum inſtare: ſalutarem coniugi potius, quàm ſibi, partem ſequutus augurij, marem necari, & fœminam dimitti iuſſit: ſuſtinuitque in conſpectu ſuo ſeipſum in interitu ſerpentis occidi, vt ſuperſtitem Corneliam vxorem chariſſimam poſt ſe relinqueret. Val. Max. lib. 4. cap. 6. Plin. lib. 7. cap. 36. & Plin. Nouocom. cap. 57. de Viris illuſtr. Sabell. lib. 3. cap. 6.

Fuit M. Lepidi charitas in vxorē nobilis apud maiores: qui cùm pòſt Syllę dictatoris interitum à Catulo diſſenſione ciuili vrbe eiectus in Sardiniam conceſſiſſet, audito Apuleiæ coniugis repudio, mortem obiit. Sab. lib. 3. cap. 5. ex Plin. lib. 7. cap. 36.

Senatorij vir ordinis C. PLAVTIVS Numida, morte vxoris audita, doloris *impotens*, pectus ſuum gladio percuſſit. Interuentu deinde domeſticorum incœptum exequi prohibitus, colligatúſque, vt primùm eſt occaſio data, ſciſſis faſciis, ac vulnere diuulſo, conſtanti dextera ſpiritum luctus acerbitate mixtum ex ipſis *præcordiis & viſceribus hauſit:* tam violenta morte teſtatus, quantum maritalis flammæ illo pectore clauſum habuiſſet. Valer. Max. lib. 4. cap. 6.

Eiuſdem vt nominis, ita amoris quoque M. PLAVTIVS. Nam cùm imperio ſenatus claſſem ſociorum ſexaginta nauium in Aſiam reduceret, Tarentúmque appuliſſet, atque ibi vxor eius Oreſtella, quæ illuc eum proſecuta fuerat, morbo preſſa deceſſiſſet: funerata ea, & in rogum impoſita, inter officium vngendi & oſculandi, diſtricto ferro incubuit. Quem amici, ſicut erat, togatum & calceatum, corpori coniugis iunxerunt: ac deinde ſubiectis facibus, vtrunque vnà cremauerūt. Quorum ibi factum ſepulchrum Tarenti etiamnum conſpicitur, quod vocatur τῶν φιλούντων. Val. Max. lib. 4. cap. 6. & Volater. lib. 18.

Albutius vixit in coniugio cum Terentiana Valentiniana annos XXV. ſine vllo iurgio.

Publius Rubrius Celer, vixit cum Caia Ennia vxore ſua annos XLIII. menſes VIII. ſine vlla querela.

Refert Seneca ſe cognouiſſe QVENDAM ornatum hominem, qui in publicum exiturus vxoris faſcia pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præſentia eius carere poterat, potionémque nullam niſi alternis tactu labris vir & vxor hauriebant. Guido.

L. SILLANVS Claudij principis gener, maritus Octauiæ, ea ſibi erepta, datáque poſtea Neroni, præ dolore gladio incubuit. Volater. lib. 19. Antrop.

M. ANTONINVS Pius, Romanorum Imperator, vxorem Fauſtinam ita dilexit, vt poſt mortem diuinis honoribus eam coli, à Senatu delatis Circenſibus, templo, flaminibus, & ſtatuis aureis, permiſerit. Volater. lib. 23. Anthrop.

Alexander Baſilij Macedonis Romanorúmque imperatoris filius, Imperator & ipſe, Theophaniam cōiugem ita amauit, vt eius nomine templum dicarit. Volater. lib. 23. Anthrop.

Singulari memoria dignus eſt amor, quē DOMINICVS Catalufius, qui Leſbi rerum potiebatur, erga vxorem oſtendit. Quæ cùm in lepram incidiſſet, vir minimè veritus à contagione ſe inſici poſſe, aut aſpectus horrore auerti (etenim illuuies magis quàm viuum corpus videri poterat) neque tetro odore quem vlcera mittebant, nunquam aut menſa aut lecto communi eam prohibuit. Coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrúmque conſpectum odorémque in ſecuritatē ac voluptatem verterat, quòd eam iuxta Dei verbum eandem carnem ſecum eſſe arbitrabatur. Fulgoſ. lib. 4. cap. 6.

AMOR VXORVM ERGA MARITOS, IN CONIVGIO, VEL POST.

Conſule tit. Caſtitatis coniugalis vel vidualis.

Miranda fides amor SARÆ erga maritum Abraham fuit: quæ, cùm ſe virúmque iam grādes natu orbos inſpiceret, viro perſuaſit, vt cum ipſius ancilla Agar concumberet, tentarétque, ſi ex ea filios procreare poſſet. Quod cùm Abraham feciſſet, natúſque eſſet Iſmael, non aliter ac filium ex ſe natum Sara eum ſuſtulit. Nam præter aliarum morem prudens atque viri ſui amans fœmina, zelotypiæ, graui in mulieribus malo, propagandæ viri ſui ſtirpis reſpectum antepoſuit. Fulgoſ. lib. 6. cap. 7. & Egnat. lib. 6. cap. 7.

Abigail Nabalem ſtolidum & peruicacem ſortita virum, coluit eum ingenti charitate. Cui cùm Dauidem iratum cognouiſſet, & ad illius exitiū cum armatorum cohorte appropinquare, obuiam prudens mulier cum magnis muneribus illi facta eſt: adeóque præferocis & irati iuuenis animum circumegit, vt ex inimico confeſtim Dauid amicus illi, & ex hoſte hoſpes factus ſit. 1. Reg. 25.

ŒNONE nympha cognita Paridis morte, ſeipſam interemit. Vide tit. de Iniuriæ remiſſione, ſub exemplo Œnones. Ex Parthenij Eroticis, cap. 4.

Penelope tanto amore Vlyſſem maritum proſequuta eſt, vt eo abſente per annos viginti caſtitatem ſeruauerit impollutam, nulliſque procorum blandimentis ſuccubuerit. Propert. lib. 2.

Fœlix Admeti coniunx, & lectus Vlyßis, &c.

Vide Homeri Odyſſeam.

Capanei apud Thebas mortui dum celebrarentur exequiæ, vxor EVADNE in rogum mariti ſe coniecit. Ouid. lib. 3. de Arte:

Accipe me Capneu, cineres miſcebimus, inquit
Iphias, in medios deſiluitque roges.

Demotionis Areopagitæ filia LEOSTHENE, ſponſo mortuo negauit ſe alteri nupturam, eo quòd adulterum acciperet, nō maritum. Illum enim eſſe defunctum, ſibi tamen adhuc viuum maritum eſſe. Diuus Hieronymus ad Iouianum.

CLITES amorem erga Cyzicum maritum, pete ex titul. Laqueo ſuffocati.

INDORVM fœminæ, cùm more patrio complures eidem nubant, mortuo marito, in certamen iudiciúmque veniunt, quam ex iis maximè dilexerit. Victrix gaudio exultans, deductâque à neceſſariis, lætum præferens vultum, cum marito fœliciſſima crematur: viuæ autem cum triſticia & mœrore in vita remanent. Cic. lib. 5. Tuſc. quæſt. Val. Max. lib. 2. c. 1. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. Genial. dierum. Æl. lib. 7. de Var. hiſt. Egnat. lib. 4. cap. 6. Quem morem etiamnum hodie durare, teſtatur Fulg. li. 2. cap. 1. Propertius lib 3.

Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos aurora ſuis rubra colorat equis.
Namque vbi mortifero iacta eſt fax vltima lecto,
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis:
Et certamen habet lethi, quæ viua ſequatur
Coniugium: pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponúntque ſuis ora peruſta viris.

THRACES, qui ſupra Creſtonæos incolunt, ſinguli plures vxores habent: quorum vbi quis deceſſit, diſceptatio magna fit inter vxores, quænam dilecta à marito præcipuè fuerit. Quę talis iudicata eſt, ea à viris ac mulieribus exornata, ad tumulum à ſuo propinquiſſimo mactatur, vnáq; cum viro humatur, cæteris vxoribus id ſibi pro ingenti calamitate ducētibus. nam id eis ſummo dedecori datur. Herod. lib. 5.

Apud GETAS vxores maximo cultu ornatæ, ad ſepulchra maritorum defunctorum ſeſe conferunt: & orbatę viris, ex vitæ tędio mactandas, & deinde cum mortuo concremandas ſe offerunt. Alex. ab Alex. lib. 3. ca. 7.

Catheorum dicunt proprium fuiſſe, vt ſponſa ſibi virum deligat: ſed eo fœdere, vt viro defuncto, eadē pyra comburatur viua. Alex. ab Al. l. 1. c. 25.

Immenſus PANTHEÆ erga Abradatam virum amor fuit. Nam cùm is in Cyri exercitu aduerſus Babylonios militaret, cęſus in prælio

ab hostibus, posteaquàm ab vxore iuxta gentis morem deploratus ornatúsque fuit, neque aliud iam funeri nisi vt sepeliretur superesset, supra mortui viri corpus se peremit. Fulg.lib.4.cap.6.& Egnat.lib.4.cap.6.

ARTEMISIA Cariæ regina, Mausolum virum defunctum tanto prosequuta est amore, vt eius cineres paulatim ebiberit: eíque sepulchrum inter septem orbis miracula connumeratum extruxerit, ad funus quoq; encomiis honestandum principes oratorum ex tota Græcia euocarit. Val.lib.4.cap.6.& Gell.lib.10.cap.18.& Sab.lib.3,cap.5.

PHILÆ erga Demetrium regem, maritum suum, insignis amor, animíque magnitudo fuit. Nam cùm accepisset eum prælio victum, in Cassandriam amissis regnis se recepisse, veneno seipsam extinxit. Ful. lib.4. cap.6.& Egnat.lib.4.cap.6.

HIPSICRATEA regina, Mithridatem coniugẽ suum effusis charitatis habenis amauit: propter quem, præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem cõuertere voluptatis loco habuit. Tonsis enim capillis, equo se & armis assuefecit, quo facilius laboribus & periculis eius interesset. Quinetiam victum à Cn.Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili sequuta est. Cuius tanta fides, asperarum ac difficilium rerum Mithridati maximum solatium & iucundissimum lenimentum fuit. Cum domo enim & penatibus vagari se credidit, vxore simul exulante. Val.lib.4.cap.6.

Erasinorix & Sinatus tetrarchias in Gallia obtinebant. Si nati vxor CAMMA corporis pulchritudine & animi virtute nobilis habebatur. erat enim sacerdos Dianæ, quam Galli summa religione colunt, & in põpis ac sacrificiis semper magnificentissimum ornatum gestabat. Hanc Erasinorix neque persuaderi, neque per vim cogi posse viuo marito arbitratus, Sinatum per dolum occidit. Non longo pòst tempore, Cammam ambiebat. Illa frequenter renuebat: familiaribus autem & amicis instantibus, & blandissimè rem administrantibus, simulauit se eis assentiri. Et quidem inter eos conuenit. Veniebat Erasinorix, & cum eo omnes Galli, perfecta ætate viri ac mulieres. Quem illa perhumaniter exceptum ad aram adducit, & ex aurea phiala bibit: partímque ipsa ebibit, partim illum bibere iussit. Qui tanquam sponsus à sponsa, cum voluptate acceptum bibit. Potus autem hic erat mulsum veneno mixtum. Illa cùm eum bibisse cerneret, magna voce exclamauit, deámque in genua procumbẽs adorauit, inquiens: Gratiam habeo tibi veneranda Diana, quòd mihi cõcesseris in tuo templo, pro marito mea causa interfecto supplicium exigere. His dictis confestim & ipsa mortem obiit, & sponsus cum ea simul ad aram deæ vitam reliquit. Polyænus libro octauo.& Alex.libro secundo, cap.5.

MINYARVM vxores viros suos è carcere liberant. Vide tit. Exulum, Populi è suis eiecti sedibus.

STRATONICA Deiotari Galatarum regis vxor, cum aduersante valetudine se concipere non posse videret, viro persuasit, vt cum alia coiret: ad eúmque deduxit Electram cubicularem suam ministram, moribus atque forma insignem: ex qua Deiotarus aliquot filios procreauit, quas Stratonica, post viri mortem, amanter, non secus ac suos aluit atque in regno succedere permisit. Fulg.lib.6.cap.7.

STRATONIS Sydoniæ principis vxor, cùm vrbe à Persis obsessa vereretur, ne in hostium potestatem vir veniret, id morte, si fieri posset, euitare decreuerat. Itaque cum iam accepisset, hostes vrbem ingressos esse: atque haud longè abesse, vt viro eius potirentur: adempto ei gladio, manu sua ipsum occidit: corpúsque eius, quantum pro tempore potuit, decenter exornauit. Cui postea superincumbens, ipsa gladio seipsam traiecit: vt eadem in morte viro, qua viuens, charitate comes esset. Fulg. lib. 4.cap.6.

Tertia ÆMYLIA Africani prioris vxor, mater Corneliæ matris C.& Tib.Gracchorum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, vt cùm sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem orbis Africanum fœmina magnum virum impatientiæ reum ageret: tantúmq; mens eius à vindicta abfuit, vt post mortem Africani manumissam ancillulam matrimonium liberto suo daret. Val.lib.6.cap.7.

SVLPITIA, cùm à matre Iulia diligentissimè custodiretur, ne Lentulum Crustellionem, virum suum, proscriptum à triumuiris in Siciliam prosequeretur: nihilominus familiari veste sumpta, cum duabus ancillis, totidémque seruis, ad eum clandestina fuga peruenit: nec recusauit seipsam proscribere, vt ei fides sua in coniuge proscripto constaret. Val. Max.lib.6.cap.7.

ANNIA Romana, hortante quodam vt vidua iuuenis, formosáque iterum nuberet: respondit, Nolle si enim bonum coniugem, vt primum, habere contigisset, perpetua, ne eum amitteret, molestia torqueri: quòd si contrà in malum incidisset virum, nimium graue semper habituram illud malum, quod nulla necessitate cogente sibi ipsa peperisset. Fulg. lib. 4.cap.6.& Egnat.eodem.

VALERIA maior, Messalarum fratrum soror, cùm vidua sollicitaretur vt viro nuberet: respondit, Seruium (qui eius maritus fuerat) apud se adhuc viuere, qui apud alios omnes mortuus videretur. Fulgos. libro 4. cap.6.

PORCIA filia Catonis, vxor Bruti, maritum suum Brutum suspicata insidias Cæsari struere, nouacula femur suum vulnerauit: ostendens corporis tolerantiam, & patientiam animi. Tum demum Brutus rem arcanam ei credidit. Illa verò tunicam viro attulit, & intra tunicã ensem. Brutus cum sociis coniurationis in Cæsarem impetu facto, eum occidit. Vbi verò cum Cassio aduersus Augustum prælio commisso victus esset, mortẽ ipse sibi consciuit. Porcia primùm quidem eandem fortunam subire conabatur: verùm domesticis & cognatis non sinentibus, ignes quasi vnctura sese iussit adferri, multósque candentes carbones manibus arreptos, in os iniecit, & antè deuorauit, quàm quispiam ex præsentibus succurrere posset. Polyæn.lib.8.& Val.lib.4.cap.6.

IVLIA C.Cæsaris filia, cùm ædilitiis comitiis Pompeij Magni coniugis sui vestem cruore respersam è campo domum relatam vidisset, territa metu, ne qua vis ei esset allata, exanimis concidit: partúmque quem vtero conceptum habebat, subita animi consternatione, & graui dolore corporis, eiicere coacta est: atque ita expirauit, magno orbis detrimẽto. Val.Max.lib.4.cap.6.Plut.in Pompeio.

Cùm Antonius OCTAVIAM vxorem Romam remisisset, frater Augustus Octauiæ suadebat, ne in Antonij domo habitaret. cœptum enim iam inter eos bellum erat. Ei igitur Octauia respondit: Se nunquam adduci posse, vt in alia domo habitaret. quamobrem eodem animo Antonij amicos, quo antea, vidit: & priuignos haud secus habuit, ac si ex ipsa procreati essent, conata, quantum permittebatur, fratrem ab armis in Antonium dimouere. Dedecere enim plurimum aiebat, vt duo terrarum orbis gubernatores: vnus, quòd alter sorori suæ amicam anteferret, alter autem nimio erga amicam amore captus, inter se bellum gererent. Fulg. lib.6.cap.7.& Egnat.lib.6.cap.7.

Antonium quum superasset Augustus, CLEOPATRA animi dolore mortem sibi consciuit.

Longè maior LIVIÆ erga Augustum virum fides atque indulgentia fuit: quæ cùm sciret Augustum puellis nondum maturis oblectari, clàm magna diligentia perquisitas, secretò ad eum deduci curabat: prænimia fide amoréque id marito concedens, cuius gratia nonnullæ, cùm pellicẽ ferre non possent, interdum viros peremerunt: atque idcirco tanto magis laudanda, quanto eius exempla rariora inueniuntur. Fulg.lib.6.cap.7. & Egnat.lib.6.cap.7.

Augusto Cæsare imperium Romanum administrante, cùm ad vlciscẽdam Iulij mortem, multi proscriptorum in vrbe trucidarentur, TANYSIA matrona nobilis, Titum Iunium maritum suum proscriptum in arcam coniecit, atque eum apud Philopœmenem libertũ reposuit: vt quæsitus in propriis ædibus, nec inuentus, incolumis in tanta hominum crudelitate euaderet. Xiph.Dion.Nicæi abbreuiator, in Augusto.

Cum Cæcinna Pætus Patauinus Furij Camilli Scriboniani Dalmatiæ legati partes secutus esset contra Claudium Imp. occiso Scriboniano, ipse Romam pertractus est. Arria vxor eum cum parua scapha secuta est, quandoquidem à militibus in eadem naui vehi prohibebatur. Mox cùm Cæcinna mori iussus esset à Claudio optione tamen necis data, Arria cũ marito mori voluit. Verùm prohibentibus amicis, filia & genero, capite parieti illiso cùm in deliquium animi cecidisset, postquam ad se rediit: Dixeram, inquit, vobis inuenturam quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis. Facta inde mortis copia, animosè præsente marito gladium arripuit, & se primam eo traiecit, his verbis, quæ Martialis eleganter expressit:

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Testis Plinius lib.3.Epist.ad Nepotem.

ARIÆ iunioris Patauinæ ex Thrasea Pæto viro sanctissimo filia fuit Fannia, Heluidij Prisci coniunx, quę maritum eius in exilium secuta fuit: eo demum iniustè occiso, ipsa tertium à Tib. Nerone relegata vsque ad Domitiani Cæsaris obitum. Plinius lib.9.Epist. ad Quadratum, & 7. ad Genitorem & Priscum, vbi vtranque Arriam & Fanniam miris effert laudibus.

TRIARIA L. Vitellij coniunx, Auli Vitellij imperatoris fratris, non secus atque Mithridatẽ Hipsicratea, virũ armata ciuili bello, quod aduersus Vespasianũ Vitelliani gesserũt, secuta est. Ac nocte quia vir Terracinã magno militum numero egressus est, ipsa inter strictos gladios audendo agendóque, dum hinc illíncque manu sua hostes obtruncat, nulli se cõmilitonum virtute inferiorem ostendit: adeò audaci animo muliebre pectus maritalis amoris flamma repleuerat. Ibidem.

Pisonianæ conspirationis conscius, apud Neronem accusatus Priscus, perpetuo exilio mulctatus est. Antonia (aliis Archona) Flacilla vxor cũ Romæ in magnis opibus manere posset, patriæ atque opibus exilium cũ viro prætulit. Fulg.lib.6.cap.7.

EGNATIA Maximilla, Flacillæ exemplum secuta, omnibus relictis virum Gallum sequi voluit, ob eãdem qua Priscus conspirationem damnatum. Ibidem.

Cùm Senecæ Nero generis mortis arbitrium obtulisset, ipséque apertis venis in balneo cum sanguine simul vitam effundere elegisset, Paulina eius vxor coniugali amore compulsa (quanquam Seneca repugnaret) mori decreuerat, vt non minus in morte quàm dum vixerat viro fidissima comes esset. Cæterũ cũ rẽ Nero præsciuisset, misit qui sanguinẽ sisterent, atque eam in vita retinerent. Itaque cùm iam multum esset sanguinis effusum, pallida semper mansit, atque in vultu pudici amoris sui signa semper retinuit. Fulgosus libro quarto, capite sexto: & Egnatius eodem.

Non minus magnum coniugalis amoris illud signum fuit, quod Plinius in epistolis narrat, in Piscatoris coniuge, quæ cum viro insulam Larij lacus incolebat. Nam cum piscator læsa haberet pudenda, quæ curari posse non videbantur, vxor cum diu à viro, quem ægritudinis subpudebat, hoc petiisset, tandem impetrauit, vt morbi locum inspicere posset: pollicita, se liberè quid de morbo sentiret postea detecturam. Perspectũ

Perspectum locum vt curari non posse animaduertit, amoris animíque simul plena, ex fide omnia quæ sentiebat viro narrauit: hortatáque eum est, ne semper in tãto cruciatu vitã ageret, sed cum vita morbi quoq; dolorem finire vellet. Cùm ipse ei annuisset, arctissimis vinculis se cũ viro simul colligauit, atque de rupe ambo in lacum præcipites missi simul interierunt. Fulgos.lib.4.cap.6.

A Iacobo Persarum rege, qui Vsson Cassani filius fuit, rebellauerat militarium ducum vnus, nomine Pandoerus. Hic formosissimam habebat CONIVGEM, quæ sextum decimum non excedebat annum, à qua ardenter diligebatur. Ab ea diu rogatus Pandoerus, ne cum hoste confligeret, cùm assentiri coniugi nollet, petiit vxor vt ante prælium saltem eam occideret, ne post eum viueret. Id quoque cum negasset, prælium initum in quo victus occisúsque fuit, & vxor eius ab hostibus capta, militarium ducum vni à rege data est. Cùm is eam in matrimoniũ ducere vellet, ipsa diu restitit: & cùm ad extremum vim parari cerneret, sumpto in ea ad deliberandum tempore, in parua schedula cùm scripsisset, Nunquam ferent homines Pandoeri vxorem diu post eum vixisse, gladio se traiecit, virum moriens secuta, posteaquam aduersante fato viuum non potuerat. Ibidem.

Saxo Grammaticus ait, GVNILDAM fuisse mulierem, quæ quum videret exequias Asimundi mariti sui, spiritum ferro sibi surripuerit.

Fœminæ Herulorum, qui sedes trans Danubium fixerant, iuxta maritorum sepulchra semper suspẽdio vitam finiebant. Quod eo magis mirum videtur, cùm earum viri adeò impudicè agerent, vt bestiis quoque commiscerentur: & senio confectas, si aduersa valetudine laborarent, ne eas alendi onere grauarentur, occiderent. Fulgos.lib.2.cap.1.

VVINEDI fœdissimum & deterrimum genus Saxonũ olim, tam magno zelo matrimonij amorem mutuum obseruarũt, vt mulier viro proprio mortuo viuere recuset: & laudabilis mulier inter illos esse iudicatur, quæ propria manu sibi mortem intulit, vt in vna strue pariter ardeat cum viro suo. Bonifacius in epistola ad Ethilbaldum regem, referente Vuilhelmo Malmesburiensi lib.1.cap.64.de Anglis.

VVALBERTAM duxerat secundo loco Petrus Candianus Venetorum dux, priore vxore vita functa, ex Vgone principe Italico genitam. Quæ maritali fœdere ita illi est iuncta, vt filio ex ea suscepto nunquam non summo amore, summáque charitate sit illum prosecuta: donec illo à Venetis interfecto miserabili clade cum paruulo filio, quem fugiens ipse populi furorem secum in sinu perferebat (nec verò nũc cædis causas tam horrendę longius persequar) superstes, ipsa quæ nunquam euadere tentauerat, mariti sui manes vlcisci studeret. Secuta igitur Vitalem priuignum, clamque Venetiis cum eo soluens, ad Adeletam Othonis Germanici imperatoris vxorem, quæ tum Placentię erat, transfugit: neque prius inde discedere voluit, quàm desperata auxilij spe ab ipso Othone principe, Venetias redierit. Vt tamen quod illi superfuit vitæ, in summo inprimis dolore, animíque mœrore, Petrum Candianum sæpe repetens, transegerit. Egnat.lib.4.cap.6.

Duxerat Franciscus Foscarus Venetus dux, VXOREM secundo loco, priore mortua, ex Nana familia, cum qua diu dux vixit, & ex qua sobolem quoque suscepit. Verùm abrogato illi principatu, publico patrum decreto satis constat, in Foscateas ædes reuersum illum, intra triduum diem suum obiisse. Quem quum patres publico funere efferri vellent ad Minoritanum templum, ipsa vxor nũquam adduci potuit, vt factum hoc probaret: sibi esse dicens & opes, & voluntatem optimam erga maritum, vt idipsum præstaret. Cæterùm quum patres ipsi constantes in proposito essent, minásque illi graues intenderent, nisi illa cadauer exhiberet, nunquàm flecti valuit, vt ab eo discederet. Cúmque exclamaret, sese graui admodum à Patribus atque Rep. iniuria affici, quòd viro suo, tam bene de patria ipsa merito, iusta soluere sibi vni non liceret: tandem per vim domi inclusa est, extractúmque cadauer summa pompa patres efferendum curarunt. Quo facto, tristis illa semper, & vehementius in dies plorans, nunquam, quoad vixit, quieuit: indignabunda semper viuentem illum, & sentientem, tam graui iniuria affectum, nec mortuum tamen sine publica nota sepultum. Ibidem.

BERNARDVS Iustinianus prior, ex Quirina familia vxorem longè pulcherrimam, animíque dotib. pręterea insignem, ita sibi iunxerat, vt fœlicissimum illud coniugium passim omnes ominarentur. Siquidem ex ea treis mares liberos suscepit, Leonardum videlicet, postea diui Marci procuratorem, & Marcum, qui primus Bergomo de Philippi Mediolanensis ducis manibus à Venetis extorto, prætor designatus præfuit, cum tanta sui nominis dignitate, vt hodie quoque eius memoria celebris sit: & Laurentium postremò, qui à primis annis religionem ingressus, qua iam tum puer imbutus erat, Venetiis postea Oliuolensis antistes declaratus, móxque etiam Patriarchę dignitate insignitus, moriens postremò inter diuos relatus est. Sed vt ad id quod est instituti operis redeamus, quum Bernardus ipse maritus, Quirináque vxor, admirabili charitate inter se agerent, læti admodum triplici hac prole, ita planè accidit, vt nescio quo numine Bernardus ipse iuuenis adhuc vita excesserit, relicta vxore, quę quartum & vigesimum vitæ annum nondum explesset: vt interea vitam sæpe despondere tentauerit, maritúmque sequi, nisi affines illam & cognati diligenter obseruassent. Quare conuersa ad filios tres, sub quorum specie eminebat pater, sic educare eos, & alere cœpit, vt Christiana pietate dignos eos redderet. Qua ex re vigiliis & ieiuniis quotidianis vacans, pauperúmque cultui assiduè inseruiens, spectantibus singula quotidie liberis, cilicia veste pro interula, tunica vtens, lumbósque suos catena ænea cingens, sic disciplina sua pignora instruxit, vt tria ciuitatis Venetę numina enixa videri potuerit. Et certè in Laurẽtio ipso, quis hoc vnquam contigisse neget? Quum ille Calendis Iuliis ortus editúsque sit, quo die clarissimus dux Contarenus recepta Clodia, cum magna totius vrbis lætitia & gaudio, triumphans vrbem est ingressus. Et quoniam Laurentij ipsius meminimus, haud sanè dubitarim testimonium Philippi ducis in Marcum ipsum attexere, donec Bergomensem præturam gessit. Dicere enim solitus erat Philippus ipse, plus negotij sibi ex lanea Marci Iustiniani veste exhiberi, quàm ex ducentis cataphractis equitibus Venetis capere quotidie soleret. Nec verò Leonardum ipsum vnquam neglexeris, qui primus ex Veneta nobilitate, Latinis Græcisque literis præcipuè claruit. Quare adolescens orationem pro Carolo Zeno funebrem publico mandato habuit. Mox vir factus, procuratoriam dignitatem ea tempestate longè amplissimam est adeptus: relicto Bernardo Iustiniano filio literarum & eiusdem dignitatis hærede dignissimo. Ibidem.

CECILIA Barbadica Veneta, mortuo viro Philippo Vendramino, nec monitis nec precibus propinquorum ad vescendum aliquo modo impelli potuit. Nullo igitur vnquam responso dato, mortua est. Fulgos. lib.4.cap.6.& Egnat.lib.4.cap.6.

AMBIENDI MODVS. QVÆ A QVIBVS ET QVOMODO *expeti debeant.*

De Coniugiis seruorum, titulum proprium reperies infrà sub loco Seruitutis.

ABRAHAMVS iam senex, seruum suum seniorem iuramento obstringit, ne Isaaco filio alienigenam vxorem det ex Chananæis: sed ex terra patria aliquam accersat, ex Mesopotamia videlicet. id quod & factum est. Nam Rebecca filia Bathuelis (quam ex Melcha Nachor frater Abrahami sustulerat) illi coniugio iuncta fuit. Genes.24.

Consensus exigitur ad matrimonium. Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem: dixerunt frater & mater Rebeccæ. Gen.24.

Blasphemus lapidatus in deserto fuit filius mulieris Israelitidis, de viro Ægyptio generatus. Neque enim expedit ex diuersis gentibus matrimonia copulare: quia liberi inde nati, malè imbuuntur. Leu.24.

Videns Nehemias Iudæos ducentes vxores alienigenas, obiurgauit eos, maledixit, & verberauit aliquos. Nehem.13.

Filij transmigrationis, qui duxerunt vxores alienigenas, secundũ mandatum ESDRÆ dimiserunt eas. Esd.10.

SARA filia Raguelis, dicebat in oratione sua: Virum Domine in timore tuo, non cum libidine mea, consensi suscipere. Tob.3.

Optimus IVDÆORVM mos ille erat, quo in tribu sua deligere mulieribus suis viros cogebantur: hísque in primis, quas bonorum hæreditas sequebatur. alienis enim opibus alienas locupletari tribus, iniquum docebant. At nunc infœlicia tempora nostra in hoc quoque, quantum à prudentibus degenerauêre? Sordent inter suos nuptiæ, & spretis contribulis suis, partas magno sudore atque sanguine opes à suis ad barbaras quoque gentes transferunt: nec ante malorum consiliorum pœnitentia subit, quàm exhausta gente sua tum, cùm pœnitentiæ locus non est, palàm perspiciunt, maritos non virtutem ac genus in huiusmodi nuptiis, sed opes spectauisse. Fulgos.lib.2.cap.1.

THEMISTOCLES Atheniensis interroganti amico, honesto inopi, an diuiti infami, vnicam filiam in matrimonium daret? Virum sine pecunia, quàm pecuniam sine viro se malle, respondit. virtutem in homine spectandam potius quàm fortunam, significans.

Romani ex descendentibus ad neptes vsque coniugia vetuere, id quod etiam plebiscito cautum fuit. Alex.ab Alex.lib.1.cap.24.

Virilis Fortunæ templum extra vrbem ad Tiberis ripam erat Romæ. in quod mulieres, quæ dabantur nuptui, frequentes ventitabant: & corpore nudo singula membra, ne quo morbo vitióque affecta forent, aut labe aliqua tenerentur, detegebãt. Ne quis in matrimonij vinculo indissolubili, fraude deciperetur. Alex.ab Alex.lib.1.cap.15.

Lex Iulia quamuis libertinarum coniugia priori constitutione admiserit, tamen postea eadem lex libertinas senatorio viro admisceri graui pœna interdixit. Alex.lib.4.cap.22.

CLAVDIVS Cæsar adeò libertarum mulierum, quæ seruis nubunt, coniugium odio prosequutus fuit, vt præter legem ingenuitatis, pręterque instituta maiorum, filios inde genitos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse, iuráque libertinorum nancisci, & ingenuitatem amittere lege sanciuerit. Ibidem.

Vespasianus statuit edicto, vt libera quę se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. Ibidem.

SAMNITVM institutio erat, non cuiuis homini nuptui locare filias: sed decem deligebãtur quotannis virgines ex omni turba, quę totidem magnę indolis iuuenibus darentur, compare voluntate: vt si à susceptę vitę institutione, aut à bono honestóque decederent, per ignominiã illi virgo adimeretur, alteríque locaretur.

Apud SYNITAS quotannis & adolescentes & virgines publicè iudican-

tur: & qui optimus esse indicatus fuerit, virginem quam voluerit ducit: deinde post eum secundus, & sic deinceps. Nicolaus de Morib. gent. & Stob. Serm. 42.

Apud SACAS, extimas Scythiæ gentes, solebãt cum riuali pugnis pro sponsa decernere: victúsque pudibundus & merens in latebra degebat, alterius aspectum lucémque vitans. Alexander.

Apud EOSDEM si quis puellam vxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: & si illa superior sit, captiuum abducit, atque imperium in eũ tenet: sin inferior, regitur ab ipso. Certant enim nõ de vita, sed de victoria & imperio domestico. Ælian. lib. 12. de Var. hist.

IALCHLEVENSES Libyes (siue, vt Alexander habet, Talchei) cùm multi vxorem vnam ambiunt, apud curatorem eius cœnant, & singulis varia dicteria narrantibus, cuicunque mulier arriserit, illi cohabitat. Sto. serm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus hist.

Apud TAXILOS Brachmanésque, si qua propter inopiam virum nãcisci non posset, in forum virgo producebatur: & classico euocata turba, pudibundísque ostensis & reuelatis, cui complacita erat, nuptui dabatur.

THRACES mulieres nupturæ non parentum arbitratu, sed præmiis nubunt. Virgines enim quæ forma præcellebant, à viris precio exhibito, & certa subtracta pecuniarum summa emebantur. Contrà verò deformes & minus decoræ preciis mercabantur viros, quibus nuberẽt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

Apud BABYLONIOS vbi virgines effectæ sunt nubiles, eas vniuersas vnum in locum conductas, circumsistente virorum frequentia, præco sigillatim vendit, se primùm pulcherrimam omnium, secundum hãc (vt quàm plurimo vendatur auro) aliam euocat, quæ post illam est speciosissima. Venduntur autem in contubernium: quarum pulcherrimas quasque Babylonij, qui locupletes & iidem cœlibes sunt, mercantur, vt quisque licitando alterum superat. At ex plebe qui sunt cœlibes, his non est opus pulchra forma, ideo pecunias ac turpiores accipiunt virgines. Nam præco, vbi virginum speciosissimarum peregit venditionem, excitat deformissimam, si quis illorum mercari volens existat: edicítque, quisquis velit quàm minimo auri sumpto eam in matrimonium habere, illi qui minimo contentus est, fœmina addicitur. Ita aurum ex speciosis virginibus conficitur, & per easdem cuicunque volenti deformes ac debiles collocantur. Emptori non nisi datis fideiussoribus, de contubernio vxoris licebat abducere: si de hoc non conueniebat, lex lata erat vt aurum illi redhiberet. Quinetiam ex alio pago venientibus licebat vxorem mercari, si vellent. Herod. lib. 1.

ASSYRII virgines suas coniugio maturas in vnam ciuitatem conducunt, atque venum proponunt. Quam quisque emerit, eam sponsam abducit Ælian lib. 4. de Var. hist.

CATHEORVM dicunt proprium fuisse, vt sponsa sibi virum deligat: sed eo fœdere, vt viro defuncto, eadem pyra mortem oppetere cogatur. Alex. lib. 1. cap. 24.

INDI maximum decus arbitrati sunt, si qua virgo eleganti munere aut insigni dono priscæ artis digna foret. Parentes nubiles filias in cœtu præstantissimorum iuuenum producunt, éxque illis virum sibi deligunt, qui fortitudine, cursu, pugna, aut specie corporis cæteris antestaret: nullàque dote exhibita, quem sibi illæ virum delegissent, sponsum esse patiebantur. Ibidem.

Apud SIGINNOS Persicam gentem, mulier augurandi perita, quemcunque vult virum sibi copulare poterat. Ibidem.

Haud malus GALLORVM is mos erat, quo in locandis matrimonio puellis vtebantur. Nam ne propter ingratum matrimonium puellæ parentes incusarent, parata magno inuitatorum numero cœna virgini permittebant, vt ex inuitatis maritum sibi deligeret. Electionis autem illud signum erat, cui ipsa ante alios aquam manib. dedisset. Fulg. libr. 2. cap. 1. Hoc Segoregiis tribuit Alexander.

VENETI (diu enim gens hæc tenuit Adriæ oram) antè humanæ salutis annos veteri instituto seruarunt, vt virgines iam maturæ viro publicè matrimonio locarentur: exigebatúrque pro iis quæ eleganti essent forma, grãdis pecunia à sponsis, ceu forma ipsa emeretur: mediocriter pulchræ, gratis nuptui dabantur: deformibus aspectu, & quas ne gratis quidem ducturus esset quisquam, dos ex ea pecunia, quæ ex venustarum locatione coacta fuisset, conflabatur. Sed vetus hoc, & in Ethnicis potius reponendum. Nunc quod ad præsentem attinet relationem, in florentissima ciuitate, quam hodie Veneti habent, veteri instituto eiecticiæ virgines publica cura honestè & scitè instituuntur, quæ vbi per ætatem adoleuêre, si gratis locari nequeãt, quia minus formosæ, ex publico accipiũt dotem. Sab. lib. 6. capite primo.

MATRIMONIA INTER AFFINES ABSQVE INCESTV MORE GENTIS.

Plurima huius generis exempla ex sacris afferri possent.

SATVRNVS Ægyptius, Chamesenus & Chimus in sacris, sororem Rheam duxit in vxorem, vt legimus apud Diodorum Sic. libr. 1. cap. 2. de Rebus antiquis, ex qua Osiridem & Isidem genuisse dicitur.

ÆATVS cum sorore Polyclea matrimonium contrahit. Vide tit. Prudentia in imperio confirmando.

SOLONIS legibus sancitum est, vt orbæ puellæ qui sunt genere proximi nubant, útque si maritus ad rationem Veneream minus potens foret, mariti propinquus illius vxorem nanciscatur. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

ALEXANDRIADES sororis filiam sponsam duxit, ex qua Doryeũ, Leonidem & Cleombrotum genuit. Ibid.

ATTALVS Asiæ rex, cùm falsus rumor increbuisset, Eumenem fratrem morte sublatum esse, protinus illius coniugem vnà cum regno sibi vendicauit. Deinde Eumene superstite, vxorem illi simul & regnum restituit. Ibidem.

Apud ARABAS, Nabathæos & Britannos, in vsu fuit, vt consanguinibus cognatísque omnibus vna vxor sit, ad quam per vices quisque suo ordine admittitur: ingressurúsque ad eam, baculum præ foribus ponit: alterius verò congressum pro adulterio luit. Ibidem.

APVD ROMANOS, licet cum affinibus, cum quibus summa erat necessitudo, coniugalem inire copulam esset lege vetitum, ea de causa, vt nouos affines agnationibus familiarum, multásque propinquitates & clientelas mutuis affinitatibus sibi asciscerẽt cognationis iure: tamen cũ sobrinis aut defunctæ vxoris sorore, vel mortui fratris vxore copulari nõ vetabatur. Ibidem.

CÆCILIVS Metellus, vxore sua defuncta, illius sororem in vxorem duxit. Ibidem.

BRVTVS Porciam consobrinam, nulla prohibente lege, sibi desponsauit.

L. CRASSVS ex defuncti fratris vxore, filios legitimo coniugio propagauit.

CLAVDIVS Cæsar Agrippinam fratris sui filiam, cuius amore flagrabat, in vxorem duxit. Ibidem.

HERACLIVS Imp. incestas nuptias cum consobrinis lege cõfirmat. Vide tit. Incestus cum cognatis.

TEMPVS NVPTIARVM. NVPTIARVM PRAELVDIA.

ADAMO Dominus Deus vxorem non prius creauit, quàm omnibus animantibus nomen imposuisset, eorúmque dominium & possessionem sibi hac ratione vindicasset. Naturale igitur simul & diuinum præceptum videtur esse Hesiodi, quando inquit:

οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Domus appellatione omnia ea quæ ad vitam tuendam necessaria sunt complectitur. Malè igitur illi, qui vxores ducunt, rei familiaris sustentãdæ nulla prius habita ratione. Gen. 2.

Apud ROM. mense Maio, quo Lemuria, vt occisi Remi vmbra placaretur, instituta sunt, & dum Feralia seu Parentalia fiunt, ac diebus impuris, & quibus Ancylia in templo Martis nondum condita sunt, vel festis diebus: & mense Iunio, nisi post Idus: quenquam nuptiis copulari, religiosum erat.

IIDEM in sponsalibus auguria & auspicia nequaquam neglexerunt: si aut terræmotum, aut cœlum turbidum sensissent, à nuptiis abstinebant: auspicatissimum signum esse cornicem putabant, maximæ fidei & inuiolati fœderis signum existimantes. Ea enim cornicum societas est, vt ex duab⁹ sociis altera extincta, vidua altera perperuò maneat. quòd de lyncib. quoque & turturibus proditur, vt post amissam coniugem alteri non iungantur. Alex. ab Alex lib. 2. cap. 5.

Apud EOSDEM, si virgines elocarentur, festis diebus nuptias facere non licebat: at si vidua duceretur, licebat, nulla tamen cæremoniarum solennitate. Causa eius rei, quoniam viduis nulla vis infertur, & proinde etiam festis diebus cum illis matrimonium contrahere licet. Iocosam aliam affert Verrius Flacc. apud Varronem, quoniam fossas veteres festis diebus liceret tergere, nouas facere non liceret.

PERSIS nuptias contrahere, aut maritale cõiugium inire, initio verni Æquinoctij tantummodo permittitur, reliquo anni tempore non licet. Ibidem.

DAPSOLIBYES congregati omnes vno die vxores vnà ducunt, post vergiliarum occasum. Nam post epulas mulieribus seorsim discumbentibus, extincta lucerna, viri ad ipsas ingrediuntur: & quilibet, quamcunque contigerit, ducit. Stobæus serm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

Ex CARMANIS nemo ducebat vxorem, nisi qui hostis prius caput, pro more, ad regem detulisset. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

Circa MÆOTIM gens est (Laxamatas vocant) apud quos virgo, nisi quæ hostem confecisset, nuptui dabatur nulli. Ibidem.

ARMENIIS lex est, vt virgines in fano vetustissimo & sanctissimo Anetidis deæ prostituantur, vbi ipsius statua ex solido auro posita erat, quam Antonius expilauit. Quibus emeritis, cuiusuis præcipui hominis coniugium sortiri fas erat, nemine abnuente, aut tale coniugium detrectante. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

APVD CYPRIOS virgines nupturæ ad littora maris descendunt, & cùm hospitibus miscentur: vulgatóque corpore quæstum faciunt, donec dotes, quibus virum nãciscantur, sibi comparauerint. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

PHOENICES virgines suas in lustris & lupanari vulgò quæstum facere cogunt in fano Veneris, in oppido Sica, exque eo quæstu meretricio dotem parare, de reliquo donum Veneri exhibere. Ibidem.

PVNICÆ fœminæ nupturæ Sicæ ad Veneris fanum se conferebant, atque inde procedentes quęstum dotis corporis prostitutione contrahebant. Val. Max. l. 2. cap. 1. de institut. antiq.

LYDIS mos erat, vt mulieres antequam cum maritis concumberẽt, corpus prostituerẽt. Cùm autem semel laxatę fuissent, deinde omni tempore continentes essent. Quæ verò postea cum alio rem habuisset, ea sine venia & misericordia plectebatur. Ælian. lib. 4. de Varia hist.

Lycurgus quum certum tempus præscripsisset, quo puellæ nubere, iuuenes ducere deberent: interrogatus, quur id statuendum putarit: vt inquit, soboles ex adultis perfectæque ætatis parentibus nata, valida sit, & vegeta. Ex coitu præ propero non solum læduntur corpora gignentiũ, verùm etiam proles nascitur imbecilla. Tum qui ante tempus dant operam liberis, carent apud illos autoritate, quam ætas conciliat: rursus qui vergente iam ætate, nec fruuntur liberis suis, nec eos possunt ad perfectam institutionem perducere, morte senióque præuenti. Plutar. in Laconicis.

SPONSALIA, ET MATRIMONII FOEDVS.

Apud GRÆCOS & Macedones panem gladio diuisum, sponsum & sponsam, cùm ineunt sponsalia, gustare solenne fuit. Alexand. ab Alexãd. lib. 2. cap. 5.

Romulus primus vrbis Romæ conditor, in communicatione panis & aquæ matrimonij fœdus inesse traditur. Ibid.

Stipulatione apud ROMANOS facta, & sponsione sequuta, ignem & aquam in limine appositam vterque tangere iubebatur, qua etiam noua nupta aspergitur, quasi eo fœdere inexpiabili vinculo & mutuo nexu forent copulati. Hæc enim elementa sunt prima naturę, quibus vita victúsque communis constat: & quibus qui extorres ab hominum cœtu futuri sunt, interdici legibus solet. Ibidem.

Apud Indos, nisi nubentes vnguento, quod ex arboribus Phasis fluminis destillat, delibuti forent, neq; matrimonij neque cognationis iura legitimè contrahi putabant.

PERSÆ & Assirij accepta inuicémque data dextra, fœdus matrimonij ineunt, quemadmodum & Germani. Nihil enim apud illos fide erat antiquius.

Apud GALATAS in sponsalibus ex eodem poculo vir & vxor simul bibebant: vt communi more ostenderent eas nuptias probè contractas esse, in quibus tanta esset coniugum concordia, vt perpetuo communis cibus & potus gratus sit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

DOS ET MVNERA NVPTIALIA NEGLECTA.

SOLON & LYCVRGVS, ne sponsæ magno coniugia inirent, viris dotes dare legibus vetuere. Salutaris sanè, & ad amorem coniugalem conseruandum lex longè vtilissima: qua accusatus & damnatus est is, qui Lysandri defuncti filiam (cui viuente patre coniugium promiserat) ducere noluit, eo quòd Lysander post mortem pauper repertus esset. Ælian. lib. 6. de Var. hist. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Apud Hetruscos in coniunctione nuptiali dona & munuscula virum ab vxore, vel contrà, accipere legib. & scripto iure erat vetitum: nefas existimantes, quos legitimus amor coniunxisset, donis videri potius allici, quã coniugali amore conciliari. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

ÆGYPTII adeò dotes auersati sunt, vt qui dotes acciperent, velut mancipia vxori addicerentur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8

DOS CONSTITVTA DATA ET ACCEPTA.

Rationem parandæ dotis apud gentes quasdam, pete ex tit. Coitus nuptialis.

Apud GRÆCOS consuetudine longa receptum erat, vt postera die à nuptiis, pater mittat sponsæ nuptiale munus, quæ ἐπαύλια δῶρα vocitabãt. Namque ingenuus puer specie liberali, candida amictus toga, cum ardenti face præibat: longo mox ordine succedebant, qui mundum muliebrem, qui aurum & gemmas, qui vasa & pelues, qui pectines & alabastros, qui sandalia, & reliquam suppellectilem ferebant. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

SOLON tres modò vestes, & quædam modici precij vasa non elaboratæ artis, sponsam ad virum ferre iussit, præter quæ fuere dona, quæ domestici conferebant, & amici, cùm primum sponsa reuelata facie visendam se præberet, ἀνακαλυπτήρια dicta. Ibid.

Sponsa apud Athenienses cum viro congressa, primùm tres ferebat asses, ex quibus vnum viro dabat, velut imaginaria emptione sibi sponsum precio quæsiuerit alterum, quem in pede haberet, in foco Larium ponebat, quem accensum pluribus ornabant coronis: tertium, quem in Saccipério, in compito vicinali paulo pòst resignabant.

IIDEM Aristidis filias, ob modicas facultates ære collato, connubio locarunt. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Virgo quædam paupercula, roganti quam sponsa dotem esset allatura? Pudicitiam, inquit, à maiorib. traditam. Generose professa est, eam esse pulchrè dotatam, quæ mores incorruptos adferret ad nuptias. Plutar. in apoph. Lacænarum.

Populus Romanus, C. Fabricij, Gn. Scipionis, ac Manij Curij filias, quod ob tenuem rem familiarem pro natalibus nubere non possent, de publico dotarunt. Alex. lib. 4. cap. 8.

Lege apud Romanos sancitum fuit, vt si mulier viro in manum conueniret, omnia quę mulieris fuissent, viro dotis nomine accederent. Ibid.

Apud EOSDEM, licet priscis seculis dos æs graue fuerit, mox decem millia ęris dotes non excessere. Postea corruptis moribus ad 40. millia supergressę sunt, in tantum, vt Megulia, quòd quingenta ęris millia dotem dederat, dotatę nomen tulerit. Ibidem. Vide etiam tit. Paupertatis voluntarię Ethicę.

Apud Romanos nuptialia munera soceri generis non mittunt (quia erat lege vetitum) sed vas artis eximię, quod Camillum dicunt.

LEGE Iulia damnãtur non tantum hi qui neque modo, neque iure legibus tradito ab vxore diuertunt, sed etiam qui dotale prędium inuita vxore alienant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 8.

Antiquitùs sponsę dono mittebatur à viro annulus, qui pronubus dictus est. Is autem erat ferreus, & sine gemma: antiqui victus parsimoniã & frugales mores designare volentes.

HOMERVS poetarum omnium princeps, cum incertus esset, quomodo cuive filiam suam elocaret, dotem ei Cypria carmina dedit. Pindarus, & Ælian. lib. 9. de Var. hist.

Carthaginenses non dotibus, sed nuptiarum impensis, quas immodicas faciunt, modum statuêre. Alex. lib. 4. cap. 8.

Punicę fœminę ad Veneris templũ, quod in Sica Numidię ciuitate est, se conferebant: atq; inde procedentes, quęstum dotis, corporis iniuria contrahebant. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Similia de Cypriis virginibus, Lact. lib 1. cap. 17. Iustin lib. 18. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Apud INDOS, à iugo boum sponsas mercari permittitur: ita tamen, vt ex sua quisque ea tribu vxorem ducat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Babyloniis & Assyriis peculiare fuit, nobiles virgines ad forum in vnũ cogere, circumstãtéque virorum turba per pręconem singulas auctionari, vt quę complacita foret, precio exhibito, aut datis vadibus, sponsa duceretur. Alex. ab Alex. & Fulg. lib 2. cap. 1.

ASSIRII virgines in foro vendunt cohabitare volentibus, primum quidem maximè ingenuas & formosas, deinde reliquas ordine: postquã ad deformissimas ventum est, per pręconem diuulgant, quantum quis accipere velit vt illas ducat, & precium ex pulchris collectum illis adiungunt. In primis autem grauitatis & mansuetudinis studiosi. Nicolaus de moribus Gentium. Stob. serm. 42.

LYDORVM filię omnes meretricantur, atque hoc quęstu dotem colligunt, dum nubiles ipsę se elocent. Herod. lib. 1. & Ælian. lib. 4. Var. hist.

Nasamonibus mos est, cùm quis primùm ducit vxorem, prima nocte vt sponsa singulos conuiuas obeat Veneris gratia, & vt quisque cum ea concubuit, donum det illi quod secum habet domo allatum. Herod. li. 4.

GALLI solebant cõtracto matrimonio agere, vt mariti tãtundẽ de fortunis suis acceptę doti cumularent. fructuum quoque qui inde percipiebantur, ratio à viro vxoréque simul quęrebatur, vt superstitis illud totum esset, quod simul cum cap. coactum inueniretur. Ita enim facta inter virũ vxorémque par conditio, plus amoris retentura in matrimoniis putabatur. Fulg. lib. 2. ca. 1. & Alex. lib. 4. cap. 8.

Massiliensibus vltra aureos centum dotem dare nulli permittitur: Cretensibus verò dimidia pars bonorum, quę fratri contingit, sorori dotis nomine accedit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Solebant apud Germanos qui mariti vellent fieri, vxores dotibus comparare: id quod temporibus quoque nostris veteres meminerunt, apud CELTIBEROS in Pirenorum parte, quam Biscaiam nunc dicunt, vsitatum fuisse. Fulg. li. 2. cap. 1. Dote autem exhibita, simul frenatum equũ, boues, scutum, gladium & arma, tanquam pignus amoris vxori mittebat Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. His non exhibitis, sponsalia nulla erant. Idem. lib. 4. cap. 8.

ORNATVS NVPTIALIS.

Apud GRÆCOS sisymbrio sponsa coronabatur, capútque hasta gladiatoris, quę in corpore mortui stetisset (quæ cælibatis dicta est) comam comebat, & frontem à coma secernebat. Opinari licet, quasi fortes ea de causa viros se genituram ominetur, aut quòd sponsi disciplinæ se subditam fateatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

In GRÆCIA flamine caput velabat sponsa, causa pudoris, quòd lutei

coloris erat,quo matronæ ſpectatæ pudicitiæ tegebantur.Ibidem.

Apud ATHENIENSES ſponſus ſuam ſponſam domi operiēs,in qua ſedes coniugij futura,paratu magno ianuam lana cingit & coronat,multáque lauro exornat,poſtéſque vittis laneis primùm à noua nupta attingi & ornari,oleóque & adipe ſuillo vel lupino inūgi iubet,ne quid perniciosæ peſtis in domum irrepat.Ibidem.

IBIDEM ſponſi caput caricis & palmarum fructibus, legumine & colybiis inſpergunt:quod & ſeruis nouitiis, cum primùm dominorum ædes introiſſent,fieri conſueuerat.Ibidem.

SPARTANIS, Lycurgi lege, ſponſam raſis crinibus in veſte virili, pronuba,patente cubiculo,conſtituit ſolam:cui ſponſus exoluens zonam in tenebris,primos congreſſus capit.Ibidem.

In BOEOTIA vſurpatum eſt,vt ſponſam aſparago coronent. Ibidem.

COIS in more fuit,vt ſponſi cùm ineunt ſponſalia,muliebri veſte induantur.Ibidem.

LOCRENSIBVS in vſu erat,vt matronæ ex lectis florib.nectant coronas:nam empta geſtare ſerta, vitio dabatur.Ibidem.

Apud LATINOS vſus erat, vt noua nupta ſponſúſque vitta purpurea candido diſtincta,aut veſte verſicolori amiciatur, aut iugum pariter ſubeant.Vnde & Iuno iugalis dicta eſt,quaſi æquiſſimo iure & concordibus animis inuicem necterentur,ſocietáſque & communicatio vitæ coita foret.Ibidem.

LVSITANIS in roſeis tantum ornamentis ſponſas locare permittitur,quibus omnes vtuntur pariter: alterius generis non permittitur. Ibidem.

CHELIDONIIS mulieres,quæ ſe alienis viris collocaſſent,dimidiū faciei inualere ius erat,vltrà reualere vetitum.Séque cingulo cingebat ex lana ouis contexto,quòd Herculeo nodo vinctum,nemini niſi in geniali thoro,& dum ſacrum nuptiale fit,ſoluere permittitur:ominis cauſa ſcilicet,vt in ſobole gignenda,educendíſque liberis,ſicut Hercules, fœcundus foret.Ibidem.

Apud GERMANOS,cùm ſponſa ad virum ire parat,in ipſo nuptiarum celebri officio rectam tunicam & puram togam veſtit:verbenáque, quæ Veneri dicata eſt,& floribus herbíſque à ſe lectis corollam texit, eámque ſub amiculo defert.Ibidem.

POMPA NVPTIALIS.

Apud GRÆCOS ſponſa media locatur in nuptiali curru, ſponſo & neceſſario aſſini iuxtà comitante,quem Parochum vocant:cuius axem pro foribus incendebant,vt ſignarent,illam ibi perpetuò manſuram, neque vlla tempeſtate inde receſſuram.Pauſan.

GRÆCORVM fuit mos, vt cùm ſponſa ad viri domum traducitur, puer ſpinis & glande querna obſitus, caniſtrum panibus onuſtum deferat,ſponſaque præcedens paſſim clamitet, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, Effugi malum,inueni bonum:quaſi poſt frugales mores,re & honorib. auctior ſit.Dúmque ad virum vadit,intranti domum nuces iuglandes flagitant,eáſque pueris iaciunt.

Apud RHODIOS noua nupta per præconem in mariti domum aduocatur,& eo proclamante,in thalamum admittitur.

ROMANI obſeruant hunc morem,ne ſponſa ſuper pauimentum pedibus incedat,ſed ſublimis in cubiculum deferatur:vt tunc quoque in eo raptu in cubiculum ſe latas dicant eſſe.Addunt præterea aliqui autores, quòd nubentis comam pilodiſcriminēt,ad illud ſpectare,primas nuptias prælio & hoſtiliter initas eſſe.Plut.

NVCES in nuptialibus diebus ſpargebant veteres,vel quòd iactu tripudium excitarent,vel quòd gemino protectæ operimento, fœtus ſuos multipliciter munirent:ſimilia in fœtibus nouæ nuptæ augurati.Alex.ab Alex.lib.2.cap.5.

Apud LVSITANOS, cùm ad virum profectura noua nupta egredi vult,ipſum limen tranſcendere ſua ſponte, aut veſtibulum tangere non permittitur,ſed quaſi raptam & inuitam è gremio & ſinu matris tranſcēdere limina volunt.Ipſa verò domum egreſſa, præcedente tibicine, & eo qui canit Hymenæum,officio frequenti affinium ſtipata,colum comptam ſecum defert,& fuſum cum flamine. duo verò patrimi & matrimi pueri eam tenentes deferunt:tertius anteit,qui facem accenſam præfert ex pino alba,qua prælucente ad virum nupta deducitur.

SACRA AVGVRIA, ET EXPIATIONES NVPTIALES.

Apud antiquos non ſolùm publicè,ſed etiam priuatim nihil gerebatur,niſi auſpicio prius ſumpto.Quo ex more nuptiis etiamnum auſpices interponuntur:qui quamuis auſpicia petere deſiuerunt,ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia vſurpantur.Fœminę cum viris cubāribus ſedentes cœnitabant,quæ conſuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit.Nam Iouis epulo ipſe in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabantur.Quod genus ſeueritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio,quàm in ſuis domibus ſeruat: videlicet quia magis ad rem pertinet dearum,quàm mulierum diſciplina contineri. Val. lib.2.cap.1.

ATHENIENSIBVS nulla omnino dabatur nuptui, niſi prius Dianæ ſacra obiiſſet.Nam veſtem induebat, cui Crocoton dixere nomen, neque initiari poterat decennio maior, vel quinquennio minor:Alex.ab Alex.lib.1.cap.24.

Magorum apud EOSDEM fuiſſe figmentum dicunt, vt felle nigri canis ſuffitas domus,& genitale ſub limine defoſſum in nuptiis habeant, contra mala medicamenta,& amatoria maleficia:in foribus verò villarū, lupi roſtrum, ne quid deperiret,néue mala faſcinatio in domum irreperet.Alij ſtellam marinam vulpino ſanguine illitam, ne quid periculo foret,aut noxæ,defixere.

CINXIA & Gamelia Iuno à nubentibus ſanctè colebatur:cui ſacrificantes obſeruabant,vt bilem à viſceribus hoſtium dimouerent,illámque iuxta aram defoderent,loco abdito & operto:vt ſignarent,ſine bile matrimonia eſſe oportere.Alex.lib.6.cap.4.

BOEOTIIS & Locris nihil erat in ſponſalibus firmum,niſi ſponſus & ſponſa in ara Eucliæ virgini dicata,prius libaſſent.ibidem.

ROMÆ inualuit olim mos, vt nuptura, antequam ſponſum accederet,in ſinu Futini dei aliquandiu ſederet, fœlicem nuptiarum euentum efflagitatura.Ibidem.

Apud HETRVSCOS,in coniunctione nuptiali viri ſublimes porcum immolant,quaſi diis teſtibus illud bene ceſſurum,& futurum inuiolabile,Quod quidem dirimere non licebat,niſi diuortio,morte,captiuitate, vel ſeruitute.Ibidem.

GENIALIS apud veteres Rom.lectus duabus culcitris in Genij honorē parabatur eximiè.ad quem noua nupta quinque facibus noctu admittebatur, quas ab Ædilibus accendi, & ex ſpino arbore fieri erat auſpicatiſſimum: quandoquidem ex hac arbore in raptu Sabinorum paſtores faces accendiſſe ferantur. Ibidem.

INVOCATIONES ET HYMNI NVPTIALES.

GRÆCIS Amœbæum carmen in nuptiis modulatis vocibus canere, ſolenne fuit,quod feſto nuptiarum die Thetidis & Pelei,deos decantaſſe olim ferunt.

GRÆCI in ſuis nuptiis, ὑμὴν ὦ ὑμέναι' ὦ ὑμήν, clamitant,vt author eſt Ariſtoph.in Auibus.

GRÆCIS nubentium matribus tenere faces in nuptiis negocium datur(quod δᾳδουχεῖν dixêre)ſimúlque carmina & Feſcenninos verſus, atq; ſacrum hymnum decantare mos erat.

ATHENIS inconditum carmen in nuptiis canebatur,Bonos ama,timidos repelle:ſcimus enim,timidorum vbique paruam eſſe gratiam.

PLATO in Gorgia, in nuptialibus conuiuiis cantilenam decantari hunc in modum,memoriæ prodidit:Formoſum eſſe ac diuitem,ac bene valere,ſummum exiſtimari bonum.

ROMANI in nuptiarum celebritate Thalaſſi nomen ad nauſeam vſq; clamitant,fœlices inde nuptias futuras ſperantes. Cuius conſuetudinis originem leges apud Liuium lib.1.Dec.1.Plin.cap.2.de Viris illuſtr.&c.

Nouæ nuptæ apud priſcos Romanos maritorum domus ingreſſuræ, in primo limine Caiam Cæciliam(alio nomine Tanaquilem nuncupatā) ſemper nominabant,quæ Tarquinij Priſci Romani regis vxor fuit pudicitia,atque omni virtutis genere inſignis,vt dum eam nominarent, imitari mores eius meminiſſent.Poſtpoſitis quoque aliis ornamentis, colus fuſúſque eis pręferebatur.His enim inſtitutis Martias,Portias atque Lucretias Romani pepererunt.Fulg.lib.2.cap.1.

COENAE SEV CIBI NVPTIALES.

SOLON,niſi malo Cydonio epulis adhibito,viri thalamum ſponſam ingredi,promulgata lege vetuit.

In nuptialibus cœnis NAVCRATITARVM diligenter ſemper obſeruatum eſt,ne quis ouum aut mellita inferret.

In HETRVRIA ſponſo bulbi cum nucleis pineis,erucæ ſucco, & pipere,in nuptiali cœna dantur obſonij loco.

Apud

Apud PERSAS, niſi adeſo malo,aut cameli medulla,ingredi ad nouā nuptam non licebat,neque alio veſci cibo illa die fas erat.

BABYLONIIS vir & vxor non miſcentur, niſi thymiamate prægustato,

CARTHAGINENSES in nuptialibus cœnis thynnorum conciſis carnibus veſcuntur.Alexand.ab Alex.

COITVS NVPTIALIS.

Apud TROGLODYTAS,fœminas viris deſponſatas primis noctibus cognati,affinéſque producunt,illáſque promiſcuis adulteriis patere ſinunt.Poſtea perpetuæ pudicitiæ aſcriptæ,ſeueriſſimis pœnis, vel minima coniectatione,ſi deliquiſſent, coercebantur. Quem morem etiam Gymneſiarum incolis,Balearibus & Lydis,inualuiſſe legimus.

ANDRIMACHIDES in Africa populi, virgines nupturas regi in primis offerunt, vt illarum pudicitiam ante ſolennia nuptiarum delibaret.Alex.ab Alex.lib.1.cap.24.

VOLSINIENSES ſeruili preſſi dominatu,filias ingenuas ſponſo iā deſtinatas,ſeruis prius delibandas dare cogebantur.Alex.ab Alex.libr.1. cap.24.

ADYRMACHIDÆ Pœni virgines nupturas regi exhibent.Quæ illi placita fuerit,eam deuirginat.Herod.lib.4.

Quoties cum vxoribus miſcentur BABYLONII,igni ſuffitum faciūt, foco aſſident cum mulieribus.Sub diluculum abluuntur ambo, nullum vas prius attingentes.Eadem & ARABES faciunt.Herod.libr.1. Eóque minus mirum videatur,TOBIAM iuniorem ipſa nuptiarum nocte iuſſum ab Angelo Raphaele,vt ſub pallam Saræ ſponſæ ſuffitum faceret ex iecore ceti,quem interfecerat,vt dæmonium abigeret.

Apud SPARTANOS ex inſtitutis Lycurgi,ſponſus noctu clàm accedebat ad ſponſam extincto lumine,& cum ea quadam velut religione timidus coibat,& verecundus.

NVPTIÆ PROMISCVAE, ET INCERTAE.

ÆTHIOPES ſolennes nuptias non norunt,ſed paſſim indiſcreto cōcubitu miſcentur.Alex.lib.1.cap.24.

EVBVLIBVS in inſulis rex imperare dicitur,qui ſine ſpe coniugij in quamcunque commotus fuerit,ſponſam vſurariam capiat.Idem.

In Britannia populis qui nunc SCOTI nuncupantur,Hieronymus ſcribit fœminarum communem fuiſſe vſum.Fulg.lib.2.cap.1.

GARAMANTES nuptias non nouere,ſed ferarum ritu in Venerem ibant.Alex.ab Alex.lib.1.cap.24.

LINYRNII vxores omnes habebant communes, filióſque ex æquo omnes communiter alebant,ad annum vſque quintum:quo tempore exacto,diſtribuebant iis parentibus alendos & educandos, quibus forma perſimiles eſſent.Stob.ſerm.42.De legibus,ex Nicolai de Gentium morib.hiſtoria.

AVSES Africæ populi promiſcuè cum mulieribus non vnà habitant, ſed pecudum more concumbunt.Herod.lib.4.

AGATHYRSI Scythiæ populi,excultiſſimi viri ſunt, & aurum plerunque geſtantes in commune cum mulieribus coeunt, vt inter ſe germani ſint ac domeſtici omnes:nihil neque liuoris neque odij mutuò exercentes, cætera ad Thracum conſuetudinem accedentes.Herod.lib. 4. & Stob.ſer.42.

MASSAGETÆ ſinguli vxorem ducunt,ſed ea communiter vtuntur. Quoties quis libidine capitur mulieris ſuſpenſa ad plauſtrum pharetra, ſine metu concumbit.Herod lib.1.

Apud ARABES communis vxor,imò verò vna omnibus. Ingreſſurus ad eam,baculum ante fores deponit. omnes enim baculum geſtant. Eo viſo, reliqui cōgreſſu parcunt.Illa tamen noctes agit cum ſeniore.Matri coire,non cenſetur impium.Congreſſus cum alterius ſanguinis fœmina, cenſetur adulterium,quod morte plectitur.

AMASIORVM DILECTIO.

Vide exempla aliquot ſub tit. Amoris æſtus & impotentia.

THESPIENSES Erotidia celebrabant,ſicuti Olympia Lacedæmonij.ante pugnam Amori ſacrificabant, veluti in amore certātium,vt certa amicitia victoria conſiſteret.CRETENSES in prelijs optimos ac pulcherrimos amore deuinctos ſecernebant,ac per eos annua ſacra fiebant. Apud ATHENIENSES ſacra cohors appellata,ex amatis ac amantibus conſiſtebat:vt tradit Alexis:in qua ſumma erat fiducia.Ex Athenæo recitat Vol.lib.32.Philologiæ.

SOCRATES frequenti in ore habere ſolebat,animorum formam magis amandam,quàm corporum:eámque voluptatem,quam in nobis cōſpecta formoſa facies ad longè pulchriorem,ſed latentem animi ſpeciē, eſſe transferendam:verùm vt hanc videamus,philoſophicis oculis opus eſſe. notabat Φιλεῖν Græcam vocem ancipitem eſſe, ad oſculandum, & ad amandum:quorum prius eſt corpus amantium,alterum mentē. Eraſ. in Apophtheg.

Pythē genere illuſtrem,tradit Polyænus vxorem duxiſſe Iapigiam: éxque eo matrimonio natam illi filiam,Pieriam nomine. Erat autem bellum vehemens Myuntiis aduerſus Mileſios,tantúmque rei diuinæ faciēdæ cauſa commeare licebat.Pythes igitur vxor cum filia Dianæ ſacra factura,progreſſa eſt Miletum,Ibi cum PHRYGIVS Nelei maximus natu filius,Pieriā conſpicatus,eiúſque forma incenſus amare vehementer cœpit:quíque eſt amantium affectus, cupiens illi gratificari, quídnam gratiſſimum ei à ſe præſtare poſſe,percontatur. Tum puella prudens & pia, id gratiſſimum fore innuit.ſi Miletum multis ſæpe comitibus ſecurè proficiſci facultas ab illo daretur. Quod Phrygius de pace,rectè, vt illa ſenſerat,intelligens,ſtatim aduocata concione,Mileſiis de ineunda cum Myuntiis amicitia,verba fecit.Quæ res cùm omnibus placuiſſet,compoſita eſt pax,támque iucundis exorſa initiis,apud vtrumque populum nomen Pieriæ tam celebre fuit, vt mulieribus abierit in adagium res, vt in votis illarum id eſſet antiquiſſimum: Sic ſe amari velle, veluti Pieriam Phrygius adamaſſet.Cæl.lib.12.cap.33.

IPHIS Anaxaretē,PHYLLIS Demophoontem, CALLYCE Diomedem,PHÆDRA Hippolytum, multæque aliæ alios ad laqueum vſq; amarunt.Vide tit.Laqueo ſuffocati.

HORIONIS amorem erga puellam Hæro, pete ex tit. Cæci & Excæcati.

TIMAGORAS amore Meletis ſeipſum præcipitauit, quòd amaſius ſciuberet:Meles paulo pòſt pœnitentia ductus.Timagoram ſecutus eſt. Cælius Calcog.teſtis.

ANTHIPPE & Chaonius quidam adoleſcēs,mutuò ſe feruidè amāt. Vide tit.Maniaci & furioſi.

ALEXANDER inſtinctu Thaidis meretriculæ,Perſepolim vrbem cōbuſſit.Curtius lib.5.Ebrio(inquit)ſcorto de tanta re ferente ſententiam, vnus & alter & ipſi mero onerati aſſentiuntur:rex quoque fuit auidior, quàm patientior.Quin igitur vlciſcimur Græciam, & vrbi faces ſubdimus?Omnes incaluerant mero.Itaque ſurgunt temulēti, ad incendendā vrbem,cui armati pepercerant,primus rex ignem regię iniecit,tum conuiuæ,& miniſtri,pellicéſque.Cælius cap.35.lib.8.

ALCIBIADES Socraticus,victis Athenienſibus,fugit Pharnabazum. Pharnabazus acceptis pecuniis à Lyſandro principe Lacedæmoniorum, iuſſit eum interfici.Cúmque ſuffocato caput eſſet ablatum, & Lyſandro miſſum,in teſtimonium cædis expletæ reliqua pars corporis iacebat inſepulta.Sola concubina,contra crudeliſſimi hoſtis imperium, inter extraneos & imminente diſcrimine,funeri iuſta perſoluit: mori parata pro mortuo,quem viuum dilexerat.

MELES Athenienſis à Timagora ardentius amatus fuit, adeò quidem,vt iubēte Mele Timagoras ex acropoli ſeſe præcipitem daret.Nec multo pòſt Meles,ſiue Melitus,etiam ipſe deorum inſtinctu ex eodem loco ſe præcipitem dedit.Quare in vrbe erecta eſt Anterotis ara, quàm ἀνάθημα μετοίκων, id eſt inquilinorum donarium, vel peregrinorum votum appellarunt.inquilinus enim erat Timagoras.Statuam illam fuiſſe,ait Suidas,nudi & formoſi pueri,qui duos in vulnis generoſos gallos contineret,ſéque ipſum in caput impelleret.Gyrald.dial.7. hiſt. Poet.

In Italiæ vrbe Heraclea excellentem forma puerum Hipparinum nomine,celebri familia ortum,ANTILEON amabat:& multa machinatus, nullo modo poterat eum ſibi conciliare.Circa gymnaſia autem verſanti vt plurimum puero ſe accommodans, tanto eius deſiderio ſe teneri adfirmauit, vt eius gratia omnem laborem ſubire vellet,& quicquid iuberet effectum dare.Puer ergo per ludibrium mandauit ei, vt ex munito quodam loco,qui magna cuſtodia ab Archelao Heracleotarum tyranno ſeruabatur,tintinnabula deturbaret:confiſus,nunquam ipſum hoc perfecturum.Antileon autem occultè præſidium aggreſſus, ex inſidiis cuſtodem tintinnabuli occidit:atque inde ad adoleſcentulum confecto opere reuerſus,in magna apud eum beneuolentia fuit, atque ab hoc tempore amor inter eos vehementer exercuit.Accidit autem vt aliquando tyrannus puerum de ſtupro ſollicitaret,qui quum potens eſſet vel vi cogere, moleſtiſſimè rem tulit Antileon:atque illum quidem propter periculum vitandum admonuit,vt nihil contrà diceret.Ipſe verò è domo exeuntem tyrannum inuadens occidit.Quo perpetrato, curſu abiit: & aufugiſſet ſanè,niſi in ouiculas colligatas obuiam ſibi factas incidens, captus fuiſſet.Quare ciuitate in priſtinum ſtatum & libertatem reſtituta, vtriſque apud Heracleotas imagines æreæ ſunt erectæ:ac lex ſcripta eſt, Ne quis colligatas in poſterum ouiculas exigeret.Parthen.de Ama.cap.7.ex Phania Ereſio.

In Creta LYCASTVS Cydonis filiam deperibat Eulimenem, iam tū Aptero Cretenſium principi à parente deſponſatam. Cum ea clàm rem habebat Lycaſtus.Quum autem quædam ex Cretenſibus vrbibus aduerſum Cydonem inſurgerent,ac eum vehementer vrgerent, mittit ad oraculum legatos, qui percunctantur quid faciendum eſſet, vt hoſtibus ſuperior euaderet.Et reſponſum accepit,Imolandam eſſe virginem Heroibus patriis.Accepto ergo oraculo,ſortiebatur Cydon de virginib.omnibus:& fortuna ſic ferente,obtingit filia.Lycaſtus autem illi timens, indicat eius corruptionem,&quòd multo iam tempore cum ea coiuerit.

Plurimus verò populi cœtus eo amplius iustum cẽsebat eam mori. Postquam ergo mactata est, iubet Cydon discindere eam circa vmbilicum, atque ita inuenta est prægnans. Quare Apterus Lycastum graue facinus in se commisisse ratus, ex insidiis adortus eum occidit, eámque ob causam ad Xanthum in Termera aufugit. Parthen. cap.35. ex Asclepiadis Myrleani 1. lib. Bithynicorum.

CHARITON erat quidam Agrigentinus, pulchritudinis amator, & circa formam iuuenum infeliciter versatus. Hic ardẽti desiderio MELANIPPVM amabat, qui etiam ipse Agrigentinus erat, animum gerens honestum, & elegantia formæ præstans. hunc Melanippum læserat quadam re Phalaris. Cùm enim iudicio cum amico Phalaridis cõtenderet, tyrannus mandauit, vt litibus desisteret. Qui cùm non obediret, extremũ periculum ei minitatus est, nisi morem gereret. At ille iudicio superauit eum, qui necessitatem imponere voluerat. Principes autem Phalaridis irritam iudicij sententiam fecerunt. Quod adolescens ægrè ferens, iniuriam sibi fieri dixit, & amico suam iram prodidit: atque confessus est Melanippus, rogauitque vt sibi adiumento esset ad insidias in tyrannum intendendas. Alios etiam adolescentes in societatem asciscere cogitauit, quos ad eiusmodi facinus commodissimos paratissimósque esse sciret. Chariton, cùm insaniam eius ac furorem cerneret, & ab ira incensum rapi: atque sciret neminem ciuium suam voluntatem in hanc rem daturum esse metu tyranni, se quoque dudum aiebat hoc agitasse, & omnem diligentiam semper adhibere, vt patriam à seruitute præsenti in libertatem vindicaret: sed periculosè hæc multis enunciari, & communicari. Quamobrem orare, vt sibi de his rebus penitius considerãdi curam permittat, & tempus idoneum ad obeundum facinus capere sinat. Concessit adolescẽs. Proinde Chariton omnem conatum apud animum suum agitans, amasium in societatem sceleris assumere nolebat: vt si deprehenderetur, ipse solus pœnas dependeret, non etiam amasium periculi faceret participem. Sumpto igitur gladio, ad tyrannum viam affectabat. Nec verò clam esse poterat: sed deprehensus est à satellitibus, qui in carcerem, & quæstionibus examinatus ad prodendos coniuratores, fortiter tolerauit & passus est tormentorum sæuitiam atque vim. Postquam verò longum id fuit, Melanippus ad Phalaridem accessit, & se non tantum socium huius consilii, sed etiam autorem insidiarum, Charitoni extitisse confessus est. Percontante rege, qua causa impulsus hoc fecisset: narrauit ei cuncta, quemadmodum suprà retulimus, & iudicij sublationem: atque hæc sibi molesta & indigna visa esse confirmauit. Igitur tyrannus vtrunq; liberum dimisit: sed ea lege atque cõditione, vt eodem die nõ solum ex Agrigentinensium vrbe, verùm etiam è Sicilia excederent. Nihilominus tamen eis permittebat, vt ex suis possessionibus & facultatibus debitum fructũ caperent. Hos postmodum & eorum amicitiam Pythia celebrauit, his carminibus:

Humano generi autores cœlestis amoris,
Ter felix Chariton, & Melanippus erant.

Oraculo horum amorem diuinum & cœlestem appellante. Ælianus de Varia historia.

Galetes puer vsque adeò amatus est à Ptolemęo, vt quum videret reos ad supplicium trahi, salutem eis & impunitatem exorauerit à rege. Vide tit. Misericordiæ.

ADOLESCENTVLA quædam Thoridoracis Galatæ à Mithridate interfecti corpus sepeliuit, amore compulsa. Vide tit. Mansuetudinis belliçę erga hostes mortuos.

ANTONIVS & Cleopatra, mutuo affectu adeò deuincti fuere: vt si fatale quidpiam, aut diri casus alteri contigisset, alter tanquam pœnæ socius, eundem fortunæ exitum esset laturus, sociique & comites essent fortunarum & calamitatum. Alex. ab Alex. lib.1. cap.26.

Galeacius Mantuæ dux, cùm Papiæ hybernaret, puella quam amabat imperante, per iocum in fluuium ex ponte cum equo insiliit: Pontano teste.

IOANNÆ secundæ Neapolitanę reginę amorem turpem erga Ioannem Carazolum Roseum, pete ex tit. Ex humili fortuna euecti, & denuò deiecti.

QVI A MVLTIS AMATI.

Consule tit. Pulchritudinis. item, Procorum.

VLYSSES id habuit, vt ab omnibus tam deabus quàm mulieribus amaretur. Sic Calypso & Circem amasse dicitur, sic filiam Alcinoi Nausicaam, filiam Æoli Polymelam, filiam Tyrimmæ Enippen. ex Parthenij Eroticis.

Quum rapta esset à prædonibus Io Argiua, pater eius Inachus inquisitores ac indagatores multos misit, in quibus LYRCVM quoque filiũ Phoronei, qui multam terram peragrans, maríaque plurima emensus, ad finem, vbi illam non reperiret renunciauit labori, & ad Argos redire ob timorem Inachi non valde festinabat. Quare profectus est in Caunum ad Æbialum, atque in vxorem duxit eius filiam, nomine Ilebiam. Prædictum enim antè fuerat, puellam mox vbi Lyrcum conspectura esset, in eius amorem venturam, ac plurimis precibus à parente impetraturam, quo eius matrimonio potiretur. Ille ergo parte regni non minima vnà cum reliquis bonis oblata, eum sibi generũ asciuit. Temporis verò progressu, quum Lyrco filij nulli nascerentur, adiit Didymæi templum, de sobolis generatione oraculum sciscitaturus. Cui numen respondit, Filios gigniturum cum ex ea, cui primum è templo digressus commisceretur. Ille gauisus ad vxorem festinabat, confisus ex animi sententia sibi oraculum processurum. Quum autem nauigio peruenisset Bubastum, diuertisséque ad Staphylum Dionysij filium, valde amicè ab eo exceptus est: ac multo vino repletus, posteaquam præ multa ebrietate decumberet, filiã suam ei adiunxit Hemitheam. Hoc autem faciebat, quoniam oraculum illi redditum sciebat: & quòd cuperet illi ex filia liberos nasci, adeò vt contenderent etiam Rhœo & Hemithea, vtraque eius filia, vtra tandem hospiti condormiret. Tantus amor vtramque noui hospitis cœperat. Lyrcus autem quum postera die factum resciret, Hemitheámque condormientem videret, valde grauiter ferebat: ac vehementer indignabatur Staphylo, qui has ei fraudes struxisset. Quum autem facti nullum remedium reperiret, arripit zonam, & dat puellæ, iubens eam pubescenti puero seruari, vt signum esset cognitionis eius, si quando ad parentẽ in Caunum proficisceretur. Quo facto rursus nauigauit. Æbialus autem quum & ipse oraculum cognouisset, & quę facta erãt cum Hemithea, expulit terra sua Lyrcum. Vnde sanè perpetuum bellum ortum est inter eos qui Lyrco adhęrebant, atque eos qui Æbali partibus fauebant. Vxori verò Ilebiæ familiariter conuixit. Ea enim Lyrco nihilo iniquior fuit. Post hęc autem vir iam factus is qui ex Hemithea & Lyrco natus est nomine Basilus, venit in Caunũ, quem agnitum senex iam Lyrcus, ducem populi sui constituit. Parthen. de Amat. cap.1.

AMOR DOMINORVM ERGA SERVOS.

DIOGENES Cynicus Manetem seruum suum, cùm aufugisset, non modò verberibus non affecit, sed liberum ire iussit, ac dimisit: turpe existimãs, Manetem sine Diogene viuere posse, non autem Diogenem sine Manete. Alex. ab Alex. lib.3. cap.20.

C. PLOTIVS Plancus, cùm à triumuiris proscripus in regione Salernitana latêret, odore vnguenti proditus, comprehẽsos seruos dominum celantes in tormentis esse diu minimè sustinuit, sed sese sponte manifestauit. Val. lib.6. cap.8. Plotinum vocat.

AMOR HOMINVM ERGA BRVTA.

Consule titulum, Monumenta brutorum, & sepulchra, item, Animalia mansueta reddita. Amorem hic honestum intelligimus: Venereus ad Intemperantiam pertinet.

MARTHES rex Ægypti cornicem habuit mitem, adeóque cicurem, vt quocunque fuisset imperatum, literas deferret: sciens quò transuolandum, vbi sidendum, quiescẽdúmve foret. Propter quod obsequium adeò mite, nulliúsque stipendij indignum, rex dignam putauit, cui erigeretur tumulus. Quod quoniam apud auditores ægrè capit fidem, si cui videor hoc finxisse, videat Cælium lib.13. cap.58. qui ex Græcorum monumentis hoc ipsum aduocat.

Xantippus dux Lacedæmoniorum, canes familiares ac domesticos curauit humandos. Vnum præcipuè in arce, cui loco Cynotaphium extitit cognomentum. Plut.

AVRAM Atalantę canem quum Calidonia sus peremisset, ei ab indigenis sepulchrum erectum est.

Geryonis canis GARGITIOS, Cerberi frater, ab Hercule cæsus, in Iberia monumentum habuit.

ALEXANDER equum habuit Bucephalum nomine, qui regio instratus ornatu, nullum alium ab Alexandro sessorem admisit, alios passim reiiciẽs. Propterea rex defuncto duxit exequias, vrbémque tumulo circundedit nomine eius. Pli. li.8. cap.42.

CIMON Atheniensis equabus (quibus in Olympico certamine tertium vicerat) sepulchra erigi prope suum monumentum iussit. Plutarchus.

Agrigenti complurium equorum tumulis superpositæ sunt pyramides. Plinius.

Apud PERSAS equi, apud MOLOSSOS canes sepulchra & exequias meruerunt. Vnde Stat. libro secundo Syl.

Gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidósque canes fleuêre Molossi:
Et volucres habere rogum, ceruúsque Maronis.

Item Stroza filius:

Suos de more, Molossa vetusto
Condit terra canes, cineres nec lædit opertos.

CÆSARIS dictatoris equus, neminem alium dorso recepit. Idem hominis similes pedes habuisse fertur, hac effigie locatus ante Veneris genitricis ædem. Autor Plin. Statuam eius graphicè describit Statius lib.1. Syluarum.

Equus AVGVSTI Cæsaris mortuus, tumulo honoratus est, de quo Germanici Cæsaris carmen est. Plin. lib.8. cap.42.

LETHARGVS Hippamonis equus, mortuus cum mortuo domino inhumatus est.

L. CRASSVS cùm piscinis maximè delectaretur, murænámque mortuam atratus plures dies tanquam filiam lugeret, probróque ei daretur à Domitio collega: Nimirum, respondit Crassus, fateor me ita pium esse, vt minima de causa plorem. At tu qui tres extulisti vxores minimè ploras. Historiam habes apud Macrobium & Ælianum. Mentionem facit Vol. lib.14. cap.2. Anthrop. Plut. in Politicis.

Romæ fuit CORVVS, qui humano sermoni assuefactus, omnibus matutinis euolans in rostra, Tyberium, Germanicum & Drusum Cęsares nominatim, mox transeuntem populum salutabat. Quem quum postea nescio quis ira percitus occidisset, à populo factum ęgrè ferente, saxis obrutus est, funúsque aliti innumeris celebratum exequiis. Plinius 43. capite libri decimi.

HORTENSIVS orator amauit murænam, quã atratus multos dies fleuit.

ANTONIA Drusi murænam adeò dilexit, vt ei inaures & monilia addiderit.

CYPARISSO tantus fuit in ceruam amor, vt ea mortua, præ dolore quoque expirauerit. Verg. in Æn.

Saxo lib.5. Danicarum historiarum scribit, ARSVITVM Biornonis filium cum cane & equo fuisse humatum.

AMOR SERVORVM ERGA DOMINOS.

NEÆRA, & CHARMIONE ancillæ fuerunt Cleopatre reginæ, quæ spontaneam dominæ mortem imitatæ sunt, ac semiuiuæ repertæ, dominæ iam iam mortuæ coronam capite delapsam reponentes.

SELEVCI seruus quum seruiret amico eius, à quo dominus fuerat interemptus, cœnantem in vltionem domini confodit. Macrob. libr.1. Saturn. cap.11.

C. Gracchus ex Auentino fugiens ne in potestatem inimicorum deueniret, PHILOCRATI seruo suo ceruices incidendas præbuit. Quas cũ celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini madentem per sua egit præcordia. Euporum alij hunc vocitatum existimant. ego de nomine nihil disputo: familiaris tantummodo fidei robur admiror, cuius si præstãtiam animi generosus iuuenis imitatus foret, suo, non serui beneficio imminentia supplicia vitasset: nunc commisit, vt Philocratis quàm Gracchi cadauer speciosius iaceret. Valer. Maxim. lib.6. cap.8. & Sab. lib.3. cap.8. & Macrob. lib.1. Satur. cap.11.

Et gratum, & amicum PVB. Catienus Philotimus erga patronum suũ se ostendit, à quo bonorum omnium hæres relictus erat. Viuum enim se rogo iniecit, in quo patroni corpus iuxta priscorum morem ardebat: cũ eóque ita emori voluit, vt quorum animos singulari amicitia vita coniũxerat, corpora in morte non disiungerentur. Fulg. lib.4. cap.7. & Sab. lib.3. cap.8. ex Plin.7. cap.36.

BARBARVS quidam seruus in Hispania, vt herum ab Asdrubale Pœnorum duce interfectum vlcisceretur, summum eius gentis imperatorẽ obtruncare non dubitauit. Cæterùm raptus ad supplicium, atque acerbissimè discruciatus, tantum absuit vt signum vllum tristiciæ aut doloris dederit, cùm variè torqueretur, vt post multos cruciatus lætitia gestiens, tanquam optatæ vltionis compos expirauerit. Sabel. lib.3. cap.8.

APVD Gallos tantus olim fuit seruorum erga dominos amor, tantáq; pietas, vt defunctis dominis, vnà cremarentur viuentes. Alex. ab Alexan. lib.3. cap.7.

AMOR BRVTORVM ERGA HOMINES.

Non hæc sunt propriè huius loci, sed tanquam stimuli hic annectuntur, vt quod in brutis esse conspicimus: in hominibus ratione præditis, absque summæ ingratitudinis & impietatis nota desiderari nullo modo posse videamus. cuius rei testimonium à nunquam satis laudato Aragonum & Siciliæ rege Alfonso habemus, referente Panormita. Cùm enim essent apud regem, qui causam bestiarum contra homines defenderent, & modò turturis castitatem, modò cornicis (quæ mortuo compare, nouem hominum ætates vidua perduraret) modò formicarum prouidentiam, modò canum sagacitatem, modò ciconiarum pietatem, modò apum in regem obseruantiam, & id genus multa pro brutis animalibus afferrent in medium: Alphonsus, Siue (inquit) id brutis inclinatione naturæ, siue Dei dono datum sit, certè non alia causa hoc concessum esse existimo, quàm vt homines turpiter nequitérque viuentes, erubescant à brutis & à rationis expertibus superari. Et sic Sacræ literæ non semel ignauiæ humanæ obijcere animalium promptitudinẽ & sedulitatem solent. Consule tit. Animalia mansueta reddita, quæ hominibus parêre didicerũt. item, Ab anim. lib. nutriti & educati.

Gratos se ostendere DVRIDIS canes in regem Lysimachum, & PYRRHVS in Hieronem. Nam cùm dominis perchari fuissent, vt eorũ amori responderent, in ipsorum dominorum rogos se iniecerunt: vt dominos in morte non desererent, à quibus cùm viuerent, nunquam discedebãt. Fulg. lib.5. cap.2. & Alex. lib.3. cap.7.

In equum Antiochi reges Centaretus Galata, cum regem in prælio occidisset, conscendit. Equus quasi sentire, tergo suo domini hostem insidere, dentibus apprehenso freno, ita vt nulla iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contendit: atque ab eo se, insidentémque simul hostem pręcipitauit, morte sua domini sui mortem vltus. Plin. lib.8. cap.42. ex Philarcho.

Iasonis Lycij CANIS, posteaquàm dominum suum conspexit mortuum esse, omni cibo abstinuit: ne ei superuiueret, à quo dum viueret singulariter amatus fuerat. Eo enim modo, quo natura permisit, gratum se in dominum pro illius in se beneuolentia testari voluit. Ibidem.

Cùm Pyrrhus vrbem Argos irrupisset, ELEPHAS inter alios vnus Victoris cognomẽto, in vrbis porta magistrum à quo regebatur, mortuũ persensit. Cuius rei dolore percitus, sine discrimine amicos hostésq; vrgẽdo, inter hostes progressus, prius non destitit, quã magistri corpus adinuenit. Captum autem proboscide ac dentibus retrò in tutum ab hoste locum retulit. Et militem non pudebit, in hostium potestate interdum domini corpus deserere, cùm bellua tanto labore periculóque suo magistrum redimere voluerit. Ibidem.

Egesidemus apud Plinium testis est, Hermiam puerum adamatum à DELPHINO, vectúmque per maria, cúmq; tempestate suborta periisset Hermias, amasij perditi dolore piscem in sicco expirasse.

Argis puer Olenus nomine, adamatus est ab ANSERE.

Lacydi philosopho ANSER adhæsit perpetuus comes, nusquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, nõ interdiu digressus. Pli. cap.22. lib.10.

Nicander apud Cælium testis est, GALLO gallinaceo esse amoris intellectũ in hominẽ. Quod ne cui videatur fabulosum, ait, Secũdum (qui pincerna regius in Bithynia) à gallo amatum eximiè, cui nomen foret Centaurus. Pueri nomen fuit Amphilochus, genere Olenius.

In Leucadia virginem in tantum adamauit PAVO, vt ea mortua commoreretur.

Educata à virgine apud Seston vrbem AQVILA, retulit gratiam, aues primò, mox deinde venatus aggerens. Quin dum mortuæ virginis cremarentur ossa, in defunctæ rogum se coniecit volucris, simúlque cõflagrauit. Plin. lib.10. cap.5.

T. Sabini CANIS, dominum in carcere nunquam deseruit: eóq; postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem latrando semper domino astitit: mirãtibúsque hominibus, panem, qui oblatus erat, non manducans, ori domini admouebat. Qui posteaquàm in Tyberim proiectus fuit, in amnem secutus dominum, vt poterat ex aqua caput eius eleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur. Quibus potuit modis gratias referre enixus est, quòd ab eo enutritus & dilectus esset. Fulgosius libro 5. cap.2.

Scribit Ambrosius in Hexamero, CANEM domini corpus, noctu à milite in Antiochia occisi, semper custodiuisse, iuxtà vt poterat gementem. Ad quem spectandum, quia res mira videbatur, cùm postridie multi conuenissent, atque in eis is esset qui eam cædem patrarat, quia ignotum se cæde noctu peracta arbitrabatur: à cane & dentibus comprehensus, cùm insuper latratu vrgeretur, & ipse præ animi conscientia plurimùm perturbaretur, suspicionem perpetratæ cædis fecit. Itaque captus à magistratu, confessione criminis extorta, mulctatus est. Fulg. lib.5. cap.2.

AMOR HOMINVM ERGA ARBORES, FLVVIOS, LACVS, ETC.

DARIVS quanti fecit Teari Thraciæ amnis aquam, pete ex tit. Iactantiæ.

AMOR ERGA HOSTES ETHICVS.

De religiosa charitate iampridem egimus. Nunc de Ethica, quæ non pietate siue religione, sed sola humanitate nititur. Cuius exempla plurima ex loco Moderationis iræ, item ex tit. Hostes amicos facere, peti poterunt.

INDI Bella gerentes, hostium agricolas inuiolatos seruabant. Stultum enim esse dicebant, eos lædere, qui vt frugifera humus esset, labore suo curabant: siquidem & in bello parti vtrique fruges necessariæ essent: & inclinante ad alterutrũ victoria, qui superessent, fructus cũ cęteris rebus in eius potestate futuri esset, qui victoria potiretur. Fulgos.lib.2.cap.1.

IVDÆI in vrbium obsidionibus, frugiferam arborem nullam violabant. Ibidem.

PHILIPPVS Mediolani dux, & Alphonsus Neapolitanorum rex, fuerũt diu inter se infestissimis animis, donec Philippus ipse Alphonsum regem cum fratribus suis ad Caietam victum, Blasij Asareti Genuensis ductu, captiuum Mediolani vidit, penésque se aliquandiu habuit. Quo dimisso, regnóque ab eo recepto, sic inter se concordes vixere, sic mutuò sese dilexêre, vt non desint autores, qui Alphonsum regem à Philippo institutũ hæredem tradant. Mediolanensísque principatus successorem scribant. Egnat.lib.4.cap.7.

AMICITIA SIMVLATA

Simulatio amicitiæ interdum cum virtute iuncta est, cum prudentia scilicet: interdum cum vitio, nimirum cum fraude & astutia. Exempla vtriusque plurima ex loco Prudentiæ bellicæ, item & Astutiæ, peti poterunt. Huius loci sunt, quatenus beneuolentiam præ se ferunt. Possunt etiam ex Tit. Iniusti hæredes instituti, eorum scilicet qui alios simularunt, alios hæredes reuera nominarunt, exempla quædam peti. Simulatio ipsa ad εἰρώνειαν referenda est, de qua iampridem egimus. Hic solius Beneuolentiæ ratio habetur.

DAVID secundum cor Dei electus, capitale Saulis odium declinans, cùm Nobem peruenisset, finxit se à rege missum: & decepto Achimelech sacerdote, panes ab eo accepit, ensémque Golię Gethei, quem ipse ex prouocatione interemerat. Inde pergens venit ad Achim Getheorum regem. & periculum veritus, insaniam simulauit, dimissúsq; abiit. Vtrumque dolum summa excusat necessitas. Sacerdoti illusit, ne inedia periret: regi, ne gladio. 1. Reg. 21.

Iterum ad Achim fugiens, cum suis benignè admodum est receptus: & cùm è Philistinorum pagis prædas ageret, viros ac mulieres internitione tollens, ne res ad regem deferri posset: ita illi verba dabat, vt crederet ipsum mala Israelitis inferre. Et hoc profectò dignum venia mendaciũ, quo se suósque tueri, & idololatras potius quàm fideles offendere fas erat: dicente Domino, Disperdite nomina eorum de locis illis. Marul.lib. 4.cap 4.

Dauid Absalone filio persequente, cùm ab Hierosolymis fugeret, negocium dedit CHVSI Arachitæ, vt Absaloni adhærens, Achitophelis ducis eius consilia suggillaret. Cùm ergo Achitophel sentẽtiam diceret, Chusi intercessit, & clandestino per internuncios egit, vt regem subtraheret periculo. Quantum autem Chusi simulata amicitia Absalonem fallendo peccarit, cùm aliter piissimum regem seruare non posset, Scriptura testatur, dicens: Domini nutu dissipatum est consilium Achitophelis vtile, vt induceret Dominus super Absalonem malum. Quis igitur Chusi factum accuset, si Dominus non reprehendit? Marul.lib.4.cap. 4 ex 1. Reg.16.

Absalon vocauit ad conuiuium fratrem suum Ammon, amicitiam & amorem simulans: & eum occidit, quòd paulo antè sororem Thamar violasset. 2. Reg. 13.

Ioab cùm salutasset Amasam, quasi osculari eum vellet, percussit eum in latere, & effudit intestina illius. 2. Reg. 20.

IEHV simulabat se honorare velle prophetas Baal, quos occidit, & altare Baal destruxit. 4. Reg. 10.

Ismael falso animo conuiuium Godaliæ, quem præfecerat rex Babylonis terræ Iuda, accessit, eúmque à prandio statim crudelissimè occidit. 4. Reg. vlt.

Antiochus rex misit principes tributorum in ciuitates Iuda, venit Ierusalem, locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei. Irruit ergo super ciuitatem repentè, & percussit eam plaga magna, perdidítque populum multum. 1. Machab. 1.

IVDAS Iscariotes osculo falso prodidit filium hominis. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

ATREVS simulata reconciliatione cum fratre Thyeste, qui eius vxorem incestasse dicebatur, ei filios epulando apposuit. Platina ad Stellam, de amoris vituperio.

Antistius Sosianus amicum se simulat Parmenis. Vide tit. Poetarum, sub nomine Antistij.

C. CÆSAR Gneo Pompeio fauere maximè simulabat: quem tamen non modò non diligebat, sed clàm quoque infestus erat, & propter honorum multitudinem in odium plebis trahebat. Dion Nicæus in Pompeio.

C. IVLIVS Cæsar Ciceroni, à quo multis conuiciis fuerat lacessitus, ne respondit quidem, ne ab eo aliqua parte offensus videretur: Clodium tamen in ipsum concitauit, ac per eum, vt Romæ exularet, fecit. Et id quidem semper in Cæsare fuit, vt qui ipsi negocium facerent, eos propter magnitudinem animi despicere simularet, sed per alios sine vlla suspicione inimicos vlcisceretur. Dion.

IDEM Cæsar cùm profligatum Pompeium, in Ægyptum fugisse deprehendisset, statim ipse quoque in Ægyptum profectus est: nullam sanè aliam ob causam, quàm si qua causa hominem consequi posset, conficeret. Attamen vbi videt sibi caput Pompeij adferri, collachrymauit, qui tamen huius inanis & fictæ simulationis causa ridiculus erat. Nam cum iã inde initio dominationem expeteret, eum se desiderare, eiúsque mortẽ grauiter ferre simulabat, quem olim nõ secus oderat, quàm aduersarium & hostem. Xiphil. Dionis abbreuiator, in Cæsare.

Tiberius Imperator Seianum collegam fraudulenter maximis honoribus ornatum sustulit. Vide tit. eorum qui ex summa felicitate deiecti sunt. Ex Dione in vita Tiberij.

HADRIANVS Romanorum imperator, natura crudelissimus fuisse dicitur, sed Domitiani finem veritum abstinuisse. Marius Maximus de vitis Imp.

COMMODVS Romanorum imperator, Iulianum vrbis Romæ præfectum, quem publicè amplecti atque osculari, patrémque appellare consueuerat, clàm interfecit miserè. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Commodo.

Antoninus Caracallus Cilonem, qui ipsum educauerat, & à quo multa beneficia acceperat, cùm vita priuare conaretur, misit milites qui hominem interficerent. Qui cùm eius faciem post bonorum omnium spoliationem lacerassent publicè, plebs indignitate rei permota, Cilonem defendit: pudore itaque adductus Antoninus, quasi eius rei autor nequaquam esset, Cilonem chlamyde contegit: Nolite, inquiens, patrem meum occidere, nolite educatorem meum ignominia aut quauis iniuria afficere. Et vt ex animo hanc in Cilonem pietatem defendisse putaretur, astutè eos qui hominem læserant interfici iussit: reuera tamen id fecit, quòd non sustulissent. Dion Nicæus & Xiphilinus in Antonino.

MANVEL Imperator Constantinopolitanus, Conradum Imperatorem illuc ad expeditionem Hierosolymitanam proficiscentem, commeatu se iuuare simulans, gypsum farinæ, admiscuit. Volaterranus lib. 23. Antrop.

Theodorus Lascaris Imperator à Gręcis electus, simulata pace, in Thessalia comiter inuitatus, Petrum Altisiodorensem comitem Gallum Imperatorem quoque nominatum, in conuiuio interfecit. Volateran. lib. 23. Anthrop.

CHRISTIANVS Lotharingus, post mortem Caroli Francorum regis, nolentibus Lotharingis Henrico rege subesse, simulata infirmitate Gibebertum ducem ad se dolo euocatũ cæpit regíque misit, vt per eum Lotharingiam sibi subiugaret. Sigebert. in Chron.

Alphonsus Aragonũ rex ex Sicilia nauigans, videns aues marinas circũuolantes triremem, & expectantes cibum à nauigantibus, escam in mare proiecit. Verùm cum videret, à volatilibus certatim rapi, quæ deinde cum præda auolabant, ad suos conuersus ait: Persimiles sunt his ganiis purpurati & curiales aliquot mei. Simulac enim aliquod officium aut beneficium hiantes & dimicantes inuicem à me acceperunt, aufugiunt, nec reuertuntur donec necessitate premantur. Panormita in eius vita.

CONSPIRATIO MALORVM.

Est pacis genus, quod Conspiratio siue coniuratio dicitur, mala hæc & detestanda: odiúmque potius eligendum, quàm cõsentiendum iis, à quibus in societatem sortémque flagitij vocamur. Talis pax filios Iacob in Ioseph fratris necem concordes fecerat, nisi quòd Ruben Deo inspirante, in cisternam deiiciendum censuit, & Iudas Ismaelitis vendendum. Vixit ille Dei beneficio, qui fratrum malignitate perierat. At quanto melius erat, talem inter se dirimere concordiam, quàm tanto sceleri cõsentire? Hæc est illa pax, de qua Saluator ait, Non veni pacem mittere in terram, sed gladium: quo scilicet talis pax scindi, distrahi, separaríque deberet. Marul.lib.3.cap.6.

Conuenerunt BALAAC & Balaam ad maledicendum filiis Israel. Iosue. Num. 22.

ADONISEDECH rex Ierusalem, & alij quatuor reges, fecerunt pacem, & conuenerunt aduersus Gabaonitas. Iof. 10.

Item IABIN rex Asor, & alij reges triginta contra Iosue & filios Israel. Iof. 11.

Item

Item quinque satrapæ Philistinorum, Chananæi, Sidonij & Euæi, &c. Iudic. 5.

Item MADIAN & Amalech, & cæteri orientalium nationum. Iudicum 6.

Sic intelligitur illud Esaiæ: Requieuit Syria super Ephraim, id est, decẽ tribus, & rex Syriæ, concordauerant in vnum, ad regem Iuda funditùs extirpandum. Esaiæ 7.

ISMAEL filius Nathaniæ, & multi cum eo coniurarunt aduersus Godoliam, quem præfecerat rex Babylonis terræ Iuda: surrexerúntque & interfecerunt eum. 4. Reg. vltimo.

HERODES & PILATVS cum inimici essent, facti sunt amici, vt Iesum perderent. Sic facinorosos homines par perpetrandi mali voluntas coniunxit, quos alienauerat odium. Minus nocentes fuissent, si in pristinis simultatibus perseuerassent. Non debet esse reconciliationis causa consensio mali, sed boni. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioan. 18.

ARVNS Tarquinius, Prisci filius, natura mitis, Tulliam natu minorẽ Seruij Tullij filiam, peruersissimæ mẽtis fœminã coniugẽ habuit. contrà verò Lucius Tarquinius alter filius Tarquinij Prisci, vir ferocis animi aliam Tulliam natu maiorem, mitem tamen, sortitus est vxorem. Diuersa iuuenum ingenia fuêre, & vxorum longè diuersi mores. Contigit autem vt Aruns & maior Tullia morerentur. Ex quo concordes Lucius Tarquinius & superstes Tullia minor iuncti sunt coniugio. Hæc autem (vt impatientis erat ingenij) ferocem iuuenem exasperans, ad id illum egit, vt Seruium Tullium trucidari curaret: móxque, carpento in curiã veniens, virum suum regem salutauit: domúmque repetens, cùm patrem interẽptum medio iacentem vidisset itinere, rotis vehiculi exanime corpus patris conculcauit.

Cùm Nerone imperatore M. Saluius OTHO tanta morum similitudine & societate scelerum coniunctus erat, vt Neroni aliquando diceret: Tu me quoque Cæsarem videbis. Quod dictum ei nihil obfuit, tantùm Nero respondit: Te verò, inquit, ne consulem quidem videbo. Xiphilin. Dionis abbreuiator in Nerone.

DE INIMICITIA.

Quemadmodum Iustitiæ iniustitia opponitur, ita amicitiæ inimicitia. Amicitiam beneuolentia circumscribit & definit. inimicitiam odium. Odium verò intelligo non affectum illum animi, de quo suprà: sed accidens quod animi habitus bonos aut malos sequi consueuit. Quẽadmodũ enim amicitia bonorum laudabilis est, malorum vituperabilis: ita quoque inimicitia siue odium modò laudem meretur, si cum recta ratione fiat, & virtutis sit comes: modò vituperium, si vitio accidat. Quòd si contrariorum eadem est ratio, Inimicitia erit odium, siue maleuolentia mutua & aperta. Maleuolentia primùm in animo consistit, deinde in opus progreditur. Oritur autem ex malo aliquo, quod in alio conspicimus. Odio habemus malum illud vel per se, quia inhonestum est simpliciter: vel per accidens, quoniam dolore aut damno nos nostróue afficere potest. Oportet autem vt non minus in inimicitia quàm in amicitia æqualitas seruetur, primò quidem κατ' ποσὸν, deinde verò κατ' ἀξίαν, alioqui vitiosa erit. Porrò mutua est maleuolentia, vt ad minimum duæ sint personæ: quarum prior μισεῖ, posterior ἀντιμισεῖ, vt ita loquar. Ergo requiritur, vt sibi mutuò ex animo malè velint: deinde vt cognoscant mutuam maleuolentiam, alioqui non esset aperta. Amicitia præcipua erat inter æquales, ita quoque inimicitia maxima erit inter æquales. Hinc illud, ---- Concurrunt animis & viribus æquis. Propterea amicitia dissuta acerbissimas parit inimicitias. Potest enim inimicus fieri ex amico, potest etiam ex non amico, qui aptitudinem habet ad vtrunque extremorum, vt scilicet modò amicus fiat, modò inimicus. Iam verò inter inæquales inimicitia quoque reperitur, quando alter maiore, alter minore odio dignus est. Virginiam Appius patri eripere studet. Maximum est Virginij odium erga Appium, quia meretur: minus est Appij erga Virginium, quia cùm iustam causam pater habeat, minore odio dignus est. Vt ergo causa odij in alterutra persona, tam agente quàm patiente, dispar est. ita quoque odium erit inæquale. Sed hæc ipsa qui volet, ex Amicitiæ theoria facili negocio deducet, cùm contrariorum eadem sit ratio. Nunc ad exemplorum seriem conuertamur: sub quibus omnis Impietas, Perfidia, Ingratitudo, Crudelitas, Immanitas, atque etiam Seueritas comprehendẽtur, quatenus ex odio & maleuolentia proueniunt. Quorum singula ad iustitiæ bilancem expendenda sunt. Nam si iusta sit odij causa, Inimicitia quoque iusta erit: sin minus, iniusta. Sic pater seuerè in filium inobedientem animaduertit, & catenus illum iusto prosequitur odio. Sic veritatem Antichristus iniusto bello persequitur. Cæterùm quod in Amicitiæ titulis fecimus, hic quoque obseruare constituimus. Nam non perfectæ tantùm inimicitiæ locos assignabimus, sed in vniuersum omnis odij, maleuolentiæ, atque etiam Non amicitiæ: quæ eo tantùm ab Inimicitia differt, quòd quamuis vtrobique fuga sit commertij, illic tamen etiam studium nocendi, hic verò nullum nec nocendi, nec gratum faciendi studium. Qui in his rebus exerceri volet, non difficulter veram inimicitiam à non vera distinguere poterit. Comitatur autem odium siue Inimicitia modò virtutes, modo vitia: eáque propter sub eodem titulo & honestum & inhonestum odium sæpe descriptum leges.



DIIS

DIIS INVISI.

Consule Titulum, Iræ diuinæ erga homines. item, Diuino iudicio damnati. Huc denique omnis Impietas referenda est, quam Deus opt. max. tanto prosequitur odio, vt æterna morte dignam esse clarissimis & Legis & Euangelij testimonijs asseruerit.

ODIVM DEORVM.

Consule tit. Blasphemiæ & Atheismi.

ODIVM PROXIMI.

Consule tit. Impietatis erga proximos.

ODIVM IMPROBORVM ET IMPIORVM, QVAMVIS NOS non offenderint, religionis ergò.

Exempla plurima ex tit. Eorum qui Improbos reprehenderunt, *& pœnis affecerunt, sub loco Religiosæ Iusticiæ, mutuari poterunt. Item ex tit. Conuersationem improborum fugere.*

IOANNES apostolus balnea cum discipulis ingrediens, vt eos qui ilc conuenirent, Euangelium doceret, vidit inter lauantes Cerinthum hæreticum: atque inde relato statim gradu ad suos conuersus, Fugiamus hinc, ait, ne balnea nos opprimant ruina, in quibus Cerinthus lautat, veritatis inimicus. Adeò non fidem solum, sed etiam vitam periclitari cum hæreticis conuersantium existimauit. Marul. lib. 3. cap. 7.

ODIVM EORVM QVI NOS RELIGIONIS CAVSA offenderunt.

Huius argumenti exempla ex loco Iusticiæ religiosæ mutuari possunt, sub tit. Religionem nostram armis defendere.

ODIVM PATRIÆ.

Consule tit. Perfidi erga patriam.

ROMANVS pop. captis Veijs, loci commoditate allectus, Romam relinquere cogitauit, & Veios imperij sedem transferre. Consule tit. Sedis imperij omina.

PRINCIPVM IN REPVB. REGENDA DISSENSIONES ET simultates. Socium in imperio ferre non posse.

Est scio, à multis quæsitum, dissensio animorum & velut simultas, quæ sæpe in his extitit, quibus domi foriśue summa est reipublicæ creditа, conducibilisne sit ciuitati, an calamitosa potius. Sunt non pauci reperti, qui ciuilem probent disceptationem, si extra ferrum id fiat, vt quæ sit in honesti & vtilis disquisitione posita: quod sæpe in senatu accidit, publicisque concilijs, cùm de summa rei consultatio incidit: vbi quo plures sententiæ dicuntur, magisque inter se diuersæ, eo accuratius omnia decernuntur, cùm quid verum sit, quid conducibile, magis liqueſcat. Sed vt contentio hæc sæpe vtilis domi, sic in re bellica, cùm duces inter se dissident, tristis & funesta regnis & ciuitatibus est, quarum res geruntur. Id experientia, rerum omnium magistra, non vno docuit euentu. Sab. libro septimo, capite tertio. Possunt exempla quædam ex tit. Reconciliatorum, mutuari.

GRÆCIS ad Troiam sedentibus nihil æquè obfuit, ac regum discordiæque multo sæuior Danais incubuit, quàm aut fames, aut pestilentia. Fuit enim hæc breuis, & paucorum dierum: sed cædes, quæ ob Achillis successionem est ipsi genti ab hostibus illata, fuit omni calamitate calamitosior. Sab. lib. 3. cap. 3.

Quàm ciuilis & senatoria dissensio sit non semper vtilis, sed obesse etiam possit vehementer reipub. memorabilis vox Aristidis Atheniensium equitis facilè declarat, cui quòd ea ciuili administratione parum conuenaret cum Themistocle (erant enim ingenio & moribus diuersi: cõstans hic & æquitatis amicus, ambitiosus ille & temerarius) solitus dicere est, reipub. Athenienſium nunquam incolumem futuram, nisi le & Themistocle in barathrum coniectis. Ibidem.

Nec Periclis & Cimonis æmulatio Atticę prosuit ciuitati: hinc sæuientis populi fœdæ illæ tempestates, Pericli viro summo, medio belli ardore aliensis stimulis concitæ: vt vel quæ vtiliter fierent, essent ipsi duci inuidiæ. Ibidem.

ÆSCHINES & DEMOSTHENES, insignes oratores, cùm populus Atheniensis in duas omnino partes dissectus esset, hic Persarum regi, ille verò Philippo fauebat, moribus diuerſissimis. nam Æschines porax erat, & dulcis, remissus, facetè pronuncians, in tragœdia quoque histrionibus grauè sonantibus subſtitutus, ille contrà sobrius, grauisque supercilio, insuper aquam potans, ac propterea vti difficilis & morosus tabbatur: quam morum famam auxit eorum contubernium. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop. ex Philostrati Sophistis.

Exercuit idem malum rem Thebanam aliquãdiu, Pelopida hinc remoto illinc Epaminonda ab initio trahentibus. Tulit eos patria dissentientes, quæ mox rempublicam concordi animo administrantes ferre non potuit. Sab. lib. 7. cap. 3.

Iam si quis ANNIBALIS fremitum indignantis attendat, nihil hinc dubium erit, quin HANNONIS cum eo duce & Barchina domo simultas, plus Romano pop. contulerit ad victoriam, quàm Metaurus & Adrumetum. Ibidem.

Si Fabio Maximo esset obtemperatum, Scipio nunquam exercitum in Africam deportasset. potuitque duorum dissidium Romanum populum nobili victoria priuare, quæ breui secuta est: ac nescio an etiam effecere, vt Italia Punicis armis diutius premeretur. Ibidem.

METELLVS cum vtraque Hispaniam, Consul prius, deinde Proconsul penè iam subegisset, postquam cognouit Q. Pomp. consulem, inimicum suum, succeſſorem sibi mitti, omnes qui modò militiam voluerunt finire, dimisit: commeatus petentibus, nec causis excussis, nec constituto tẽpore, dedit: horrea, custodibus remotis opportuna rapinæ præbuit. Arcus, sagittásque Cretensium frangi, atque in ammem abijci iussit, elephantis cibaria dari vetuit. Quibus factis, vt cupiditati suæ indulsit, ita magnificè gestarum rerum gloriam corrupit, meritúmque honorem triumphi, hostium, quàm iræ, fortior victor, amisit. Val. Max. lib. 9. cap. 3.

Cùm Æqui populo Romano arma intulisſent, atque ex toto Latio Fidenatéque agro prædã abegissent, Senatus decreuit, vt legiones aduersus Æquos conscriberentur. Cùm eam rem S. P. Licinius tribunus plebis impedire, atque eum quidam Senatores imminentis periculi atque detrimentorum monerent, quæ toti vrbi inferebantur, Spurius ira atque odio contra Senatum incensus, respondit: passurum se prius Ethruscos, aliósque hostes, non prædam modò ex Romano agro agere, verum ipsi quoque vrbi potius quàm patricios senatúmque dominari. Adeò iracundia atque odium ei bonam mentem ademerat, vt hostes dominos ferre, quàm ciues mallet. Fulg. lib. 9. cap. 3.

Nocuit Romano imperio, immo ipsi libertati, intempestiua Optimatium conspiratio, quæ Cn. Pompeium post clarissimam victoriam à se alienauit, quòd eius acta probare noluisset. Ex eo quidem fonte omnis reipublicæ labes redundauit: ac ciuilia bella, quæ deinceps secuta sunt, ex funesta illa contentione profecta videri possunt, quæ libertatem & imperium euerterunt. Sab. lib. 7. cap. 3.

Accessit his malis acerbus & exitialis M. Catonis stimulus. C. Cæsarem

hostiliter insectantis,viri alioqui iusti,& æquitatis amicissimi.Fuit tamen inexpiabile illud Catonis odium (iudicia & damnationes denunciantis armato duci) ciuilis belli classicum , vt meritò Cæsar credi possit magis huius & aliorum æmulatione percitus,quàm dominandi libidine,ex ciue hostis factus:& qui princeps esse voluisset, ne legibus cogi posset, sic tyrannus verius quàm Dictator factus.Ibidem.

ARISTOBVLVS & HYRCANVS fratres,dum domi forisque ad se trahunt Hierosolymitani regni summam , Nabatheis primò , mox Romanis paternum regnum prodidêre.Ibidem.

Nec eo bello , quo Hierosolyma Orientis olim clarissima excisa sunt, æquè aliud funestum ciuitati fuit,& exitiale,quàm ELEAZARI & cæterorum ducum discordia.Horum dissidium non minus obsessam multitudinem intus afflixit, quàm foris Romanus hostis.qui mœnibus hærebat. Ibidem.

Rem Venetam adolescere incipientem, OBELERIVS & BEATVS fratres,duces, dum diuerso viuunt ingenio , parúmque concordi animo in summa rei administranda,in apertum discrimen adduxerunt, ciuitate tam graui & ancipiti bello implicita,vt propiores fuerint periculo qui vicere.Ibidem.

Nobilitauit Varnam in ora Pontici maris Christianus cruor,patrum memoria , fuitque nostris hominibus pugna illa funesta & calamitosa , non magis hostium virtute quàm CHRISTIANORVM ducum discordia.nã dum quisque per se properat vincere , omnes vnà victi sunt,atque occidione occisi.Ibidem.

Cessisset GALLIS, Syriam Gotfredi Bolionij ductu & auspiciis inuadentibus post Antiochiam captam , multo diuturnior de Hierosolymis cæterisque eius terræ vrbibus victoria,nisi ducum discordia intercessisset quæ in causa fuit,vt si qua lætitia orta est ex iis quæ postea feliciter gesta sunt,plus nimio fuerit Christianis hominibus breuis,& victoria ad postremum irrita.Ibidem.

Superuacuum sit(credo) memorare,quoties & quibus locis validissimi exercitus in Italia sint aut deleti,aut malè habiti , suorum ducũ discordia. Sic circa Æmyliam patrum memoria pontificiæ & sociorum copiæ in Bononienses missæ,à Nicolao Picinino,ducibus inter se dissidentibus, per occasionem fusæ fugatæque sunt. Sic Veneta classis in Pado deleta, præfecto classis à Carmaniola discrepante.Sic Philippi Vicem comitis res haud vno loco periclitatæ sunt,tacita ducum æmulatione, aut parum feliciter administratæ.Ibidem.

ODIVM PRINCIPVM ET MAGISTRATVVM, SIVE IN bello,siue extra bellum.

Consule tit.Pœnæ tyrannidis.item,Perfidiæ erga principes.item,Seditionum.

Ex omnibus quæ in vniuersum sunt homini grata,post vitam ipsam nihil est illi libertate gratius:quo fit,vt qui de ea dimicant,putent se de vita dimicare. Hæc sæpe auro, sæpius sanguine , sæpissimè morte redempta est:hinc exitiale populorum & gentium in tyrannos odium, hinc crudelitatis exempla multa & magna,quæ omnis vidit ætas. Quid quòd & regum nomen,quia non multum fortuna à tyrannico differt,adeò nonunquam fuit populis inuisum, vt vel in optimorum regum progeniem sit à populis crudeliter sæuitum?Sab.lib.8.cap.9.

Pygmalionis tyranni odio TYRIORVM multi solum verterũt, si poetæ testimonium recipitur in hac exemplari relatione. nam quia & ipsa sibi nomen historiæ vendicat,custos est fidei tenacissima.Ibidem.

TIMESIAS Clazomeniis bene iustéque Clazomeniis præerat, vir omni virtutis genere ornatissimus.Transibat quodam tempore per scholam.Pueri verò dimissi à præceptore,ludis operam dabant.Cúmque duobus de linea incidisset cõtentio,alter iurabat: Sic ego Timesij cerebrum discusserim. Hoc audito, ille putans se in communi omnium hominum inuidia esse positum,& vehementer à suis ciuibus odio haberi,si quidem & pueri eum odissent,nedum senes, sponte atque vltrò é patria cõcessit. Aelianus lib.12.de Varia hist.

Odit ARISTIDES Locrensis insigniter tyranni nomen,cuius filiam cùm Dionysius maior sibi vxorem deposceret: Mallem, inquit ille,filiã malè perditam videre, quàm tyranni matrimonio locatam.Sabbellius libro 8.cap.9.

Dionisij vxorem & filias LOCRENSES in potestatem redactas,ad stuprum & libidinem multitudini obiecère in tyranni inuidiam, inde ad libidinis satietatem vexatas mediis merserunt fluctibus adhuc viuas.Ibidẽ.

Nullus tyrannorum in terra Græciæ minore flagrauit odio,quàm Hiero Syracusanus:nullius dominatus minus fuit inuidiæ obuius: eius tamen progenies post Hieronymi cædẽ à SYRACVSANIS vno die interfecta est,cui (vt videre licet)non tam sua maiorúmve sæuitia, quàm tyrãni nomen obfuit.Ibidem.

TIMOLEON Corinthius,Dionysij principatu euerso, euertit & arcẽ eo nomine,quia tyrãnorum fuisset sedes. Cæterùm in eo maius suum erga tyrannos odium testatus est,quòd & sepulchra,cæteráque ornamenta diruit.Ibidem.

Vrbis Rom.parentem Romulum SENATVS in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus in curia lacerauit:nec duxit nefas ei vitam adimere,qui æternum Romano imperio spiritum ingenuerat. Rude nimirum illud, & ferox seculum quod conditoris sui cruore fœdè maculatum , ne summa quidem posteritatis dissimulare pietas potest.Val.lib.5.cap.3.

Quantum tyrannos oderint ROMANI,ex eo potest intelligi,quod regium nomen ex vrbe sustulère,tyrannidis suspicione: atque ita sublatum voluit populus, vt de libertate etiam bene meritis,fraudi fuerit ferre Tarquinij nomen. Sab.lib.8.cap.9.

SP.Melio,& MANLIO Capitolino,non nomen,sed suspecta largitio fuit exitio in eadem ciuitate.Sed quid tyranno fecissent ij, qui viam quæ ad tyrannidem ducere visa est,suis obseptam ciuibus,atrocibus muniuêre suppliciis?Ibidem.

M.CATO Maior à populo Romano(vt nominis ratio demonstrat) prudens appellatus,maximis Romanorum odiis exercitus est.quadragies enim sexies reus causam dixit, sempérque absolutus est. Plus enim valuit eloquentia,vitæque innocentia, quàm acerrimum maleuolorum hominum odium.Sabel.lib.1.cap.6.

Fuit CALIGVLA imperatoris nomen,cæterà tyrannus fuit immanis, cruẽto exitu dignus,quem demùm sortitus est. Sed nec vnius sanguis explere potuit odium ciuitatis, Cæsonia eius vxor cum filia admodum paruula multitudinis incursu trucidata est,ne quid superesset, quod tyranni recordatione ciuitatis oculos violaret.Sab.lib.8.cap.9.

Eadem Quiritium ciuitas,omnes DOMITIANI imagines & titulos è publico sustulit, decreta per illum antiquauit, vt diræ illius tyrannidis veriùs quàm principatus memoria cum ipso crudeliter interfecto sepeliretur.Ibidem.

CONSTANTINVS Imperator,qui & Constans, omnibus suis exosus,Syracusis à suis balneo est occisus. Sigebertus in Chronicis.

PETRVS Candianus, Venetorum dux,qui legitimum magistratum in tyrannidem vertit, sibi & liberis superba regiminis forma exitium peperit.Populus suæ libertatis memor, domum eius iniecta flamma incendit, tyrannum inde deturbat , deturbatum trucidat:filium iugulat in nutricis gremio,amborum corpora ad macellum proiicit canibus lanianda.Adeò iuxtà tyrannos,& qui ex his sunt,libertatis studio infensè odit incondita multitudo.Sab.lib.8.cap.9.

Pari affectu, ac nescio an maiore etiam,RAVENNATES Lemigium oderunt exarchum:quem ob tyrannicos & fœdos mores,non contenti interfecisse,eius vxorem & pellices vulgauit ad stuprũ irata ciuitas. Ibidẽ.

Eadem vltio attigit EXARCHANOS iudices,quibus publicitùs cæsis, omnis eorum familia ludibrio fuit infensæ multitudini , quæ semper aut nimium odit,aut nimium amat.Ibidem.

Tyrannorum nullus fuit vnquam inuisior ECELINO,qui crudelitate & sæuitia cum Phalaride certauit.Puberes ab eo mutilati , pueri concisi, virgines viriatæ,matronis mammæ ademptæ,prægnantium vteri execti, partusque flammis deditus.Quæ scelerum diritas, eo extincto domesticis est & necessariis Taurisij repræsentata. Sex filij Alberti fratris subito populi incursu interfecti sunt:tyranni vxor & filiæ viuæ in ignem coniectæ.Ibidem.

Scelus FABRIANENSIS populi ingens fuit,cùm in principes suos, Clauella gentes ortos conspirauit.In templo enim cædem peragere cõiurati statuerunt,hora patrandi facinoris sumpta,cùm sacerdos,qui coniurationis conscius erat,sacra perageret, & decantando symbolo ad partem eam peruenisset, quæ incarnationis mentionem facit. Sceleste enim voluit,vt verbum,quo humanę salutis ortus ac memoria renouatur,proditionis atque alterius peragendæ mortis signum haberetur. Ful.l.8.c.1.

XISTVS IIII.Pontifex max. cùm in mitræ solennibus apud basilicam Lateranensem in magna populi frequentia lectica deportaretur, orto subito tumultu, maximum vitæ subiit periculum.Ita enim saxis salutabant ipsum,vt à lecticariis destitueretur. Res tamen Latini cardinalis autoritate est sedata. Volat.lib.22.Antroph.

ATHAVLFVS Gotthorum in Hispania rex, incertum nepos Alarici an necessarius fuerit, apud Barcinonam à militibus suis obtruncatus est. Ritius Neapolitanus libro primo,de regibus Hispaniæ.

ODIVM SVBDITORVM.

Consule tit,Tyrannorum.item, Astutiæ in tyrannide occupanda.

ODIVM CONCIVIVM INTER SE, AVT COMMILITONVM.

Consule tit. Seditionum & Bellorum ciuilium.item tit.Vindictæ immodicæ erga ciues.

TIMON

TIMON Phliasius,ex Pyrrhonis secta, floruit tẽpore Ptolemæi Philadelphi.Scripsit tragœdias & comœdias ad versuum xx. millia. Omnibus infensus, præterquàm Pyrrhoni, Democrito & Xenophani.Gyraldus in Hist.poet.

TIMON alius Atheniensis , μισάνθρωπος, qui bello Peloponnesiaco vixit,poeta & ipse, quod quidem versus eius sepulchro incisi indicant. Hic omnes mortales oderat,quin sibi quoque ipsi infensus erat.Is cùm Alcibiadem adhuc puerum obuium habuisset, & deosculatus ei plurimum blandiretur, rogantibus quibusdam, Quæ insuetarum blanditiarum causa esset?respondit:Amare se eum puerũ,quòd præuideret ipsum quandoque Atheniensibus magnorum malorum causam fore , qua spe sola fruebatur.Ei enim propter immanem naturam id placebat,quod alijiure omnes abominabantur.Fulg.lib.9.cap.11.

Non minus quoque graue ac sceleratum Eius dictum fuit,cùm Atheniensem senatum ingressus,quem adire nunquam solebat,silentio expectantibus omnibus,quid is dicturus esset,dixit:Se post ædes paruum habere hortum,in quo ficus in ingentem altitudinem creuerat, à qua arbore multi Athenienses se suspenderant:& quoniam eo in loco ædificaturus esset,visum ei fuerat, de re ipsa ciues monere , vt si quis ab ea ficu suspendere se vellet,id acceleraret, priusquam arbor succideretur.Sceleratum profectò verbum , quanquàm nonnulli faceto illud ingenio tribuere maluerint.Ibidem.

PROMERVS domesticus Archelai regis Macedoniæ, Euripidem vsque adeò insectatus est, vt eidem à regis cœna redeunti furtim canes immiserit,qui poetam ipsum dissiparunt.Rauis.

HIPPONAX poeta tanto odio Bubalum pictorem insectatus est, vt eum suis scriptis ad laqueum pepulerit.Rauis.

Cùm populus ROM. à Senatu videret Appium Claudium iuniorem consulem,cùm T.Quintio Capitolino creari,ingenti odio commotus, quo Appiam gẽtem prosequebatur:ac simul indignatus, comitio excessit,ne ad honores euehi quenquam ex ea gente conspiceret. Fulgosus libro 9.cap.3.

C.FIMBRIA curauit,vt Scæuola in funere C.Marij iugularetur.Quẽ postquàm ex vulnere recreatum comperit , accusare apud populum instituit.Interrogatus deinde quid de eo secus dicturus esset , cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset?respõdit, Obiecturum se illi,quod parcius corpore telum recepisset. Licentiam furoris ægrè Reipublicæ gemitu prosequendum.Val.lib.9.cap.11.

STRABONEM Pompeij Magni patrem tanto odio populus Romanus persecutus est,vt cùm viuentis potentiam in armis timuissent,fulmine extincti cadauer de pheretro inter efferendum detraxerint, ignominiosèque tractarint. Idem tamen populus filium eius maximo amore complexus est.Plut.in Pompeio.

ODIVM ERGA VICINOS REGES, POPVLOS, RESP. Ciuitates. ODIVM populorum.

GRÆCORVM odium erga Barbaros etsi naturale videri potest, propter linguæ vocisque diuersitatem, (similitudo namque amicitiam parit)tamen intercesserunt quoque variæ bellorum occasiones, quas Herod.lib.1.recitat.

Cùm Sigismundus Brandenburgensis marchio, vxoris gratia ad Pannonum regnum peruenisset,patuit quantas vires insitum à natura inter Bohemos Pannoniósque odium haberet. Nam cùm Sigismundus Stephanum Konth,Pannonium equitem, atque cum eo alios viginti equites,veluti parum dicto audientes,comprehẽdi iussisset, cathenisque vincti omnes ad eum deducti essent:nullus eorum vnquam regem,ne capite quidem conniuens,honore dignatus est,neque regem suum nominare voluit:maluerúntque, non ipsi modò, verùm ipsorum quoque ministri,prius capite mulctari, quàm sententiam mutare.Inter ministros autem Chiotza Stephani alumnus,cùm domini mortem grauiter quereretur: & eum , quia adhuc tenera ætate erat , Sigismundus multa promittens,solari vellet, offerrétque se suorum numero eum habiturum:is turbato vultu , plenísque animi indignatione verbis , respondit, Se nunquam scrofæ Bohemiæ subiturum seruitium.Atque in hac animi obstinatione interemptus est.Fulgosus lib.9.cap.3.

ODIVM PRÆCEPTORVM.

Vide tit.Perfidiæ & Ingratitudinis erga præceptores.

ODIVM DISCIPVLORVM.

Consule tit.Perfidiæ erga discipulos.

ODIVM CONDISCIPVLORVM.

Iisdem tutoribus vsi sunt Themistocles & Aristides , Lysimachi filius. Quare simul etiam sunt educati , & ab eodem præceptore instituti. Atque cùm adhuc essent pueri , frequentibus dissidijs inter se concertarunt:quæ controuersia , à primis annis vsque ad extremam senectutem inter illos perseuerauit.Ælian.de Var.hist.lib.13.

ODIVM VICINORVM.

ODIVM HOSPITVM ET PEREGRINORVM.

Consule tit.Illiberalitatis, Inhumanitatis, Perfidiæ erga hospites.

LACONIBVS peregrinari concessum non erat , ne morum peregrinorum vitæque incompositæ contagium attraherent. Quin & peregrinos vrbe exigebant , ne paulatim inundantes , mali cuiuspiam ciuibus existerẽt magistri. Quisquis autem ciuiũ non tulisset librorum suorum iuxta patrios ritus institutionem, iure ciuium priuabatur. Rursus narrant quidam quicunque peregrinus Spartanæ ciuitatis institutis sustineret exerceri,cum ex Lycurgi sententia admitti in eam ciuilitatis portionem, quæ fuerat à priscis ordinata.Cæterùm vẽdere ius ciuitatis, nulli fas erat.Prospexerat vir ille prudentissimus, commercijs exterorum ac negociatorum ciuitates quamuis bene institutas corrumpi: quòd ad nequitiam omnes sunt magis dociles, quàm ad virtutem.Sed nulla mixtura perniciosior, quàm quæ per imperij translationẽ prolationẽmue inuehitur. Sic influxu Græcarum nationum effœminata est Roma:sic barbarorum commercio tandem & Sparta ex sanctissima facta est corruptissima. Plutarch.in Lacon.

Lacones Adolescentulum ex eorum numero qui exercebantur, increpuerunt, quòd viam nosset quæ ducit in Pyleam. adeò studebant suos à peregrinationibus ac rerum exoticarum cognitione seruare alienos, ne per occasionem à patrijs institutis degenerarent : præsertim cùm Arcadia,cuius est Pylea, luxu deliciisque barbaricis esset corrupta. Plutarch. in Laconicis.

M.CICERO, M. Tullij pater , dicebat Italos similes esse Syrorum venalium,quorum vt quisque sciret optimè Græcè,ita esse nequissimum. Sentiens,vnà cum literis Græcorum mores ad Latinos demigrare. Vnde quòd M. Tullius fuit iniquior Græcæ nationi, propemodum videri possit illi fuisse hæreditarium.Eras.lib.6.Apoph.

ODIVM AMICORVM. AMICITIÆ DISSVTÆ.

Ex amicis vel inimici fieri possunt, vel non amici. Inimici quidem, quando præter conuersationis fugam etiam nocere cupiunt. Non amici vero, quando solam conuersationem auersantur: interim nec prodesse nec obesse volunt. Huc referri possunt Schismata: de quibus vide Hist. Ecclesiasticam Magdeburgensium.

CLEON cùm primùm statuisset Rempub. capessere , amicis in vnum locum conuocatis, eam quæ ei cum illis intercesserat amicitiam dirupit, tanquam quæ administratione ciuitatis rectum ac iustum institutum emolliat,& transuersum agat.Themistocles contra:qui, cum quidam moneret vt præclarè magistratu fungeretur:Nequaquam, inquit, in eo sessurus sum throno,in quo amici nõ meliore sint futuri cõditione,quàm non amici.Non enim ciuitas homines amicis & sodalibus carentes , sed commodos & temperantes requirit.Antonius in Melis.par.2.serm.1.

Philippus ARATO venenum dandum curarat,quod non repentè occideret,sed lenta tabe consumeret.Id vbi sensit Aratus, nec inueniretur

remedium, dissimulauit: & ingressus cubiculum, vni tantum ex familiaribus dixit: O Cephale, hæc sunt præmia regiæ amicitiæ. Non semper tutum, regibus optima dare consilia. Eras. lib. 6. Apoph.

ANTIPATER, quum audiuisset Parmenionē ab ALEXANDRO interfectum, dixit: Si Parmenio struxit insidias Alexandro, cui fidendum est? Si non struxit, quid agendum? Erat Parmenio velut alter Alexander, in rebus militaribus. Si tantus amicus fefellit, non est tutum cuiquam amico fidere: si Alexander nihil commeritum sustulit, præstat à regum negociis abstinere. Plut. in Apoph. regum & imp.

ORONTES Artaxerxis regis gener, quum ab irato rege reiectus, & condemnatus esset: Quemadmodum, inquit, supputatorū digiti nunc infinitum numerum, nunc vnum tantum possunt ponere: sic regum amici nunc quiduis pollent, nunc quàm minimum. Olim digitis subducebatur ratio, quemadmodum nunc calculis. Plut. in Apoph. regum.

AMASIS Ægyptiorum rex, cùm Policrati Samiorum tyranno omnia ex animi sententia succedere vidisset, ius amicitiæ renunciauit, ne aliquando ex graui illius infortunio, quod impendere verebatur, grauissimum dolorem accipere cogeretur. Sal. lib. 4. cap. 8.

SVBRIVS Flauius tribunus militatis, eo tempote quo conuictus est conscius Pisonianæ conspirationis esse, rogante Nerone, quamobrem eius viræ insidias tetendisset? Respondit: Nullus vnquam erga te fide maior me fuit, dum vt amari posses, dignum te præstitisti. Sed posteaquam matris parricida fuisti, vxoremque tuam occidisti, item auriga factus es, & mimicam artem exercuisti, vrbémque patriam communem incendisti, mortalium etiam omnium odio te dignum fecisti. Suet. in Nerone. Brusson. lib. 4.

Mutata fortuna, mutata fuit TYBERII Gracchi & QVINTI Taberonis amicitia. Gracchum enim Tubero turpiter deseruit: nisi forte maiorem patriæ quàm priuatæ amicitiæ rationem habendam esse censuit.

RVFFINVS Aquileiensis presbyter, cùm D. Hieronymo prius familiaris fuisset, & studiorum socius, tantis postea inter se mutuo flagrarunt odiis, vt inuectiuis alter alterum lacerarit. Causa dissidij videtur fuisse, quòd Origeni fauens Russinus, eiusque libros conuertens, in eadem hæresi esse videretur: quam tamē Hieronymus summè abominabatur. Hiero. tale quid indicat in epist. quæ antecedit Apologiam in Russinum, tom. tertio.

ODIVM PARENTVM.

Vide tit. Perfidiæ erga parentes.

LYCOPHRON Periandri F. patrem tanto prosecutus est odio, propter necatam matrem Melissam, Proclis tyranni Epidauriorum filiam, vt in Coreyram relegari maluerit, quàm vllum recōciliati animi signum erga patrem ostendere. Herodotus libro tertio.

ODIVM PROLIS ET LIBERORVM SVSCIPIENDORVM.

Vide tit. Perfidiæ parentum erga liberos.

ER & ONAN odio liberorum cum vxore Thamare illegitimè congrediuntur. Vide tit. Pæna libidinis nefandæ in coniugio.

ODIVM LIBERORVM.

Consule tit. Perfidiæ erga liberos. item, Infantes expositi. item, Pœna proditionis erga patriam: Pœna stupri: Pœna inobedientiæ bellicæ.

AVGVSTVS filias Carcinomata palàm appellebat: quas tandem cùm sustinere non posset, in Pandateriam insulam relegauit. Pontanus libro secundo, capite nono, de Fortitudine domestica.

ODIVM FRATRVM.

Consule tit. Perfidiæ erga fratres.

ESAVS (cùm Iacobus frater primùm in prærogatiua ætatis, quam ei pro edulio ex lentibus confecto vendidit, eū supplantasset: deinde etiam fraudem patris precationem Rebeccæ matris astu in se deriuasset) odio in fratrem concepto, cum occidisset, nisi Rebecca Iacobum ad Labanem fratrem in Mesoporamiam ablegasset. Genes. 27.

ISRAELIS filij Iosephum fratrem summo prosequebantur odio, eo quòd turpitudinem illorum ad patrem deferret, & à patre præ cæteris amaretur. Eapropter rus profectum capiunt, & Madianitis mercatoribus 20 argenteis numis vendunt. Gen. 37.

Sunt & aliarum gentium fœda in hac parte monumenta, atque eo fortassis fœdiora, quo minus in his religionis fuit: estq; PELOPIDARVM domus omnium atrocissimè intestinis odiis conuulsa, ATREO & THYESTE fratribus dissidentibus. Nihil vetus aut recens scena habuit detestabilius, quàm monstrifica exempla, quæ ex ea domo profecta sunt: si poetica fides recipiatur. Exiit fraternus ille furor in nepotes, vt regia cōiunx incesto amore saucia, non viro pepercerit, non filius matri. Sabbel. libro tertio, cap. 10.

Paribus propemodum monstris, sed euentu adhuc atrociore cecidit vetus Oedipodis regia. Armauit dira regni cupiditas ETEOCLEM & POLYNICEM fratres, vt alter alterum auito solo & patrio deturbaret: nec hactenus malum quieuit, de summa quoq; rei armis inter illos dimicatum. Verùm dum ambo vincunt, vterq; victus est: murais ambo vulneribus cōfossi, seipsos & regnum prius à patre perditum perdidēre. Ibidem. Eorum etiam mortuorum odium pete ex tit. Sepulchrorum.

ODIVM ERGA AFFINES ET CONSANGVINEOS *quoslibet.*

Inspice tit. Perfidiæ erga affines.

In LIBYA Lepta vsu receptum erat, vt postridie nuptias, ollam spōsa ad spōsi matrem petitum mittat, quam illa asperius abneget: & eo exemplo iurgiorum auspicium augurabantur. Alex. libro 2. cap. 5. & Fulgo. lib. 2. cap. 1. & Egnat. lib. 2. cap. 1.

CONSTANTINVS Magnus Licinium sororis suæ maritum, pugna sæpius oppressum, & tandem apud Nicomediam victum, interfici iussit. Eutropius.

CHILDEBERTVS Clodouei filius, in Almarichum Gotthorum regem sororis suæ Clotildis maritum, bellum mouit, victum victor obtrūcauit: Toletum vrbem diripuit, quòd Clotildem ipsam iurgiis & verberibus propter cultum orthodoxæ fidei quotidie incesseret. Volat.

IO. GALEATIVS Barnabam socerum Mediolani ducem per proditionem cæpit, coniectumque in carcerē mori coegit, vt eo mortuo principatum arriperet. Rauis.

BERCHTOLDVS Zeringiæ dux in Germania, cùm æger morti proximus statueret, vt thesaurus quem rapinis coegerat, id est vasa, pecuniāq; omnis signata, quam habebat, in massam vnam conflaretur: & nonnulli, Quamobrem id ageret? peterent: respondit, Minimè se latere, propinquos suos, cùm ipse vitam egisset, iis diuidendis quæ relinqueret, inter se contentionem habituros: ea autem haud difficulter diuisionem accepturā esse, si pecunia signata, aut vasis contineretur. Quòd si in massam vnā cogerentur, cùm omnes eā appeterēt, neq; in ea alteri fidem alter haberet, id actura hæc massa videbatur, vt singulis vi eam ad se trahēntibus, mutuis se super eam vulneribus confoderent. In morte ipsa cogitauit, quo modo pernitiosior suis mortuus esset, quàm antè viuens fuerat. Fulgos. lib. 9. cap. 11.

QVI VXORES DVCERE NOLVERVNT. VEL MVLIERES quæ nubere noluerunt.

Consule

Consule tit. Castitatis vidualis. item tit. Virginitatis.

ORPHEVS amissa Eurydice vxore, omnes mulieres odio habuisse: & tandem à Thracijs matronis, dum Orgia celebrant, discerptus fuisse dicitur.

THALES Milesius iuuenis adhuc, cùm vxorem non duceret: interrogatus, intempestiuum esse respondit. Iterum senex, cum ad coniugium vocaretur, rursus intempestiuum dixit. Qua verborum ambage, Sapienti quandam vxorem ducendam, demonstrare voluit. Alex. lib. 4. cap. 8.

M. T. CICERO, cùm Terentiam vxorem repudiasset, & ab Hircio, vt post repudium sororem suam duceret, rogaretur, negauit se facturum: dicens, se non vxori & philosophiæ pariter operam dare posse. vt est apud Hieronymum contra Iouianum.

VARVS GEMINVS, inter declamatores Augusti tēporibus nequaquam postremus, probè dixisse fertur: Qui non litigat, cœlebs est. Cui quidem adstipulatur illud, quod in sacris scribitur libris: Melius est habitare in loco deserto, quàm cum vxore litigosa. Eius dictum ex Hieronymo citatur apud Volat. lib. 20. Anthrop.

ODIVM *procorum.* PROCI *repudiati.* REPVLSA *coniugalis.*

CAMBYSES Persarum rex, cùm Amasis Ægyptiorum regis filiam in matrimonium petijsset, & Amasis Nitetim Aprijs filiam pro sua ei misisset, bellum Ægypto intulit. Herod. lib. 3.

ARISTIDES Locrensis, petente Dionysio tyranno Syracusanorum filiam ipsius in matrimonium, negauit se sub specie matrimonij filiam in teterrimam seruitutem emancipaturum: neque commissurum, vt ex filiq; suæ visceribus crudelis bellua, omnibus inuisos gigneret catulos.

HIPPOCLIDES Atheniensis, procus filiæ Clisthenis Sicyoniorum tyranni, reijcitur. Vide tit. Saltationis odium.

REPVDIVM, SEV DIVORTIVM, IN GENERE.

SOLON lege constituit, vt qui vxorem exturbasset, dotem illi restitueret, alioqui interfurium sesquidrachmate ob moram soluere cogeretur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

ATHENIENSIBVS libello repudij porrecto à viro vel vxore, an concedi debeat, magistratus decernit. Ibidem.

THYRIIS hac lege diuortium permittebatur, vt neutri cum iuniore fœmina aut viro coniugium postea inire liceret, ne libidine aut illecebra voluptatum magis, quàm causa legitima, diuertisse videantur. Ibidem.

ROMVLI legem, qua vxori virum relinquere non permittit, sed viro vxorem repudiare, pete ex Plutarchi Romulo. Nisi vxor in adulterio, aut veneficio, seu clanium adulteratione deprehensa foret, aut vinum bibisset, diuortium facere non licebat. Qui aliter fecisset, bona viri ad vxorem deuoluebantur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Apud Romanos cum coniugale fœdus magni semper æstimaretur, vxori virum relinquere, aut cum alio copulari nequaquam (nisi grauissima de causa) licebat. Ibidem.

Apud Quosdam his verbis diuortium concipiebatur, vt pari voto vir & vxor inuicem dicerent, Tuas res tibi habeto. Ibidem.

QVI VXORES SVAS REPVDIARVNT.

Exempla aliquot pete ex tit. Impudicitiæ & adulterij pœna. Item ex tit. Perfidiæ erga vxores. Item ex tit. Pœna perfidiæ erga vxores. Item, Pœnitentia religiosæ, eorum qui propter affinitatem vxores suas repudiarunt.

ABDI filius Elam, cum alijs Iudæis, post Babylonicam captiuitatem alienigenas suas vxores, repudiauit. Esdræ 10.

TAPYRI populi sunt in Parthia, qui vxores suas alijs viris concedūt, cum ex eis duos aut tres liberos susceperunt. Strabo lib. 11. Geogr.

PHILIPPVS Macedo repudiata ob stupri consuetudinem vxore Olympia, Cleopatram Attali sororem in vxorem duxit. Iustinus.

SCribilius cognomento Ruga, M. Attilio, P. Val. coss. vxorem suā primus apud Romanos repudiauit, quod ex corporis vitio sterilis esset: cū inter maritum & vxorem à condita vrbe ad annum vsque vicesimumtertium & quingentesimum, nullum repudium fuisset. Dionys. Halicar. li. 2. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Gell. lib. 4. cap. 3. & lib. 17. cap. 21. Plut. in Comparatione Numæ & Lycurgi: Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

PAVLO Æmylio vxor erat Papyria, Masonis viri consularis filia: quam cùm longo tempore domi habuisset, & quæ ea pulcherrimam sobolem sustulisset, inclytum illum ac maximum Scipionem Æmylianum, repudiauit: & amicis diuortium vehementer dissuadētibus, porrexit calcem, dicens: Hic calceus nónne nouus est? nónne pulcher est? at nemo vestrum nouit quā pedem meum torqueat. Repudiauit certas quasdam & causas vxorem suam, quam tamen adeò amauit, vt diuortij causam dicere noluerit. Plut. in eius vita.

P. SEMPRONIVS, quòd Iudos se inscio spectasset, vxori repudium remisit. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

C. SVLPITIVS, quòd inuelato capite foras prodijsset vxor, (quippe sese à capite deducta, matronas incedere, minimè fas erat) repudiauit, Ibidem.

QANTISTIVS vxorem suam nullam aliam ob causam repudiauit, quàm quòd cum libertina confabulari eam vidisset. Ibidem.

M. LEPIDVS, quòd Apuleiæ vxoris desiderium post diuortium ferre nequiret, morbo extabuit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

M. T. CICERO Terentiam vxorem abdicauit. De quo Hieronymus cōtra Iouianum sic ait: Cicero rogatus ab Hircio, vt post repudium Terentię, sororem suam duceret: negauit se id facturum, dicens se non posse vxori & philosophiæ pariter operam dare.

LVDOVICVS imperator vxorem suam Iudith, vt omniū malorum quæ enenerant causam, repudiauit. Sigeber. in Chron.

PHILIPPVS Adcodatus Francorum rex, matrimonio sibi iunxit Isabellam, Balduini comitis Annoniæ filiam. Qua iam fato functa, sororem Caym Dalmatarum regis Embergam duxit: eāque maturè dimissa, cum Maria Boemorum ducis filia nuptias celebrauit. Ritius Neapolit. lib. 2. Francorum regum.

LVDOVICVS rex Francorum zelotypiæ spiritu inflammatus, iurata consanguinitate vxorem suam repudiauit. Robertus abbas in Chron.

PAVLVS Simplex, eremita factus est, Antonij discipulus, propterea quòd vxorem in adulterio deprehendisset. Sozomenus lib. 1. cap. 13.

ORDONIVS eo nomine tertius Hispanorum rex, Raymiris filius, natu maximus, Viracam, Ferdinādi filiam, vxorem dimisit, aliāmque superinduxit. Ritius lib. 2. Regum Hispanorum.

HENRICVS eo nomine Quartus Hispanorum rex, inito principatu, Blācam regis Aragonum filiam matrimonio sibi iunxit: eāque dimissa, superinduxit Eduardi Portugalliæ regis filiam nomine Ioannam. Ritius Neapolitanus lib. 3. Regum Hispaniæ circa finem.

AVSBERTVS homo aulicus, cùm duxisset vxorem Andragasinam virginem, ob lepram eam reliquit, & cœnobium ipse ingressus est. Volat. lib. 21. Anthrop.

ODIVM ERGA VXORES, QVAVIS ALIA RATIONE, *præter repudium.*

Consule tit. Perfidiæ erga vxores.

HERODES Iudæorum rex, non tantùm in tot infantes puerósque suam crudelitatem exercuit, sed in vxorem etiam maximè amatam efferbuit. Pont. de Immanitate cap. 9.

MITHRIDATES rex Ponti, vxorem Laodicem (qua mortua Hypsicratem duxit) cum sorore, matre, fratribus ac liberis interfecit. Herod.

COTYS rex Thraciæ, fortunæ varietate in eam erudelitatem peruenit, vt vxorē (ex qua iam filios susceperat, & cum qua antea mitis & humanus viginti quatuor annis vixerat) mediam conficerit. Suidas.

HERODIS Sophistæ seueritatem erga vxorem Regillam pete ex tit. Nobilitas generis.

ODIVM ERGA MARITOS.

Consule tit. Perfidiæ erga maritos.

Ionesquidam, ex Athenienſium colonis, cùm in Cariam profecti, vxores omnes interfecissent, & mulieres ad concubitum violenter rapuissent: Caricæ illæ mulieres, vindictæ loco, iureiurando interposito legem inter se sanciuerunt, ne vnquam cum maritis cibum sumerent, neque eos proprijs nominibus compellarent. Herod. lib. 1.

ODIVM AMASIORVM, AVT AMATORVM.

Exstit. Zelotypia. item ex tit. Eorum qui ab amatoribus aut amasijs interfecti sunt, exempla quædam peti possunt.

VxorPutipharis, cùm Iosephum apprehensa veste ad concubitum sollicitaret, & ille relicta veste fugisset, amore in odium conuerso, clamore sublato, sese ab Hebræo seruo sollicitatam asseruit, eiúsque rei indicium vestē protulit. Eo indicio Putiphar cōmotus, innocentem carceri mancipauit. Ge.39.

Postquàm AMMON filius Dauid, oppresserat Thamar sororem Absalon, exosam eam habuit odio magno nimis: ita vt maius esset odium quo oderat eam, amore quo antè dilexerat. 2.Reg 13.

Dicitur amore CIRCES (ad quam Vlysses quoque peruenit) Daunium quendam Calchum nomine arsisse, adeò vt vniuersum regnum Dauniorum ei detulerit. Illam verò tum Vlyssis amore correptam (nam eo tempore cum illo erat) odio Daunium habuisse, ac ne insulam contingeret prohibuisse. Quum autem nō quiesceret ob oculos Circes venire, ac eam sæpe in ore habere: vehementer indignata, illum statim accersit, mēsámque omnis generis eduliorum refertam adponit. Erant autē omnia pharmacis infecta, vt mox vbi Calchus comedisset, mente percelleretur. Quare eum in porcorum haram detrusit. Postquam autem interiecto tempore exercitus Dauniorum ad insulam Circes peruenisset, inquisitionémq; Calchi faceret, dimisit illa ipsum, iuramento tamen priùs obligās, ne vnquam in insulam rediret, neque vt procus, neque vllius alterius rei gratia. Parthen. de Amat. cap.12.

Archelaus rex Macedoniæ interfectus est ab adolescente CRATEVA nomine, quem habebat in deliciis, quòd ei promissam filiā alteri dedisset. Vola.

IPHIS egregia forma adolescens, spretus ab Anaxaretæ puella, se suspendit.

ASTERIVS filius fuit Cereris, forma singulari, omnium tamen amores respuens. Vnde Ouid. in Ibin:

Filius vt Cereris frustra tibi semper ametur,
Destituátque tuas vsque petitus opes.

HESPERIÆ nympha, Æsacum Priami filium, à quo amabatur, fugiens, à colubro icta periit. Ouid. 11. Metam.

IOANNÆ II. Neapolitanæ reginæ odium erga Ioannem Carazolum Roseum, quem prius insanè deperierat, pete ex tit. Ex humili fortuna euecti, & denuò deiecti.

ODIVM RIVALIVM ET PELLICVM.

MEDEA, cùm Iason Chreusam, Corinthiorum regis filiam superinduxisset, liberos quos ex eo susceperat, mactauit: sponsæ verò coronam naphtha illitam misit. Quā cùm imprudens illa capiti imposuisset, & propius ad ignes sacros accessisset, à flamma correpta, se simul & regiam totam, in quam confugerat, combussit.

IDÆVS, APHAREI filius, seu Neptuni, Ætoliæ rex qui ex Marpissa Cleopatram Meleagri vxorē genuit, ob vxoris zelotypiam, Apollinem iaculo petiit. Homerus Iliad.9.

CIRCE filia Solis, venefica, ægrè ferens Scyllam nympham amatam à Glauco deo marino, fontem (quo illa se lauare consueuerat) infecit venenis. Quo factum est, vt Scylla in monstrum marinū sit conuersa. Ouid. 13. Metamor.

POLYZO Vxor Tlepolemi, posteaquam Helenam omnium formosissimam, quæ post mortem Menelai à Megapentho & Nicostrato filiis Orestis fugata erat, in Rhodo hospitio suscepisset eam ob viri zelotypiam in arbore suspendi iussit. Author Pausanias.

DIRCE Thebana mulier, vbi sensit Lycum maritum captum amore Antiopæ Nictei filiæ, puellam tauri ceruicibus alligauit, suspensis à cornibus tædis ardentibus: vt bos tormento furiosior, Antiopam ipsam per abrupta & scopulos tractam discerperet. Eras. in Adag.

Cùm Alcibiades magnam & pulcherrimè confectam placentā Socrati misisset (qualia munuscula solent ab amasiis, amatoribus, ad excitandum amorem dono dari) XANTHIPPE suo more irata, eam de canistro eiectam conculcauit pedibus. His Socrates cùm arrisisset, inquit: Nunquid non tu simul carebis ea? Aelianus libro 11. Variæ historiæ.

ODIVM DOMINORVM.

Consule tit. Perfidiæ erga dominos.

ODIVM SERVORVM.

Vide tit. Perfidiæ erga seruos.

ODIVM VITIORVM, ETHICVM.

Huc omne genus Iustitiæ correctiuæ quatenus in aliorum vitiis puniendis versatur, spectat. Consule titulum, Improborum commercium fugere, ethicè.

ALEXANDER Seuerus sapientissimè dicere solebat, Malum pupillū esse imperatorem, qui ex visceribus prouincialium, homines nec necessarios, nec reipublicæ vtiles, sua prodigalitate pasceret. Pontanus libro de Liberal. cap. 11.

ALFONSVS quanquam esset profusior, huiusmodi tamen homines cisternæ rimosæ persimiles dicebat, quas vt nullus impleret imber: sic hos nulli, quamuis magni prouentus, rerúmque compendia exatiarent: fieríque propterea, vt haud multo pòst dissipando exhausti egerēt. Pontanus de Liberalitate capite nono.

ODIVM ERGA HOSTES.

Consule tit. Immodicæ vindictæ erga hostes, tum in suscipiendis, tum in gerendis bellis. Item tit. Perfidiæ erga hostes.

Dixit DOMINVS ad Moysen: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite illos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & exceperunt insidiis per idolum Phegor. Num.25.

SAVL hospitem, à quo Dauid hospitio fuerat susceptus, & Nobeam vrbem, in qua erat hospitio, odio Dauidis incendit.

ATHENIENSIBVS quandoque lege cautum fuit, ne quis Atheniēsium Megaram pedē inferret, multa capitis indicta, quòd odio eos persequerentur exitiali. Si quis vi tempestatis, aut hostium impetu, ad corū littora applicuisset, intra quintum diem abire cogebatur. Alex. ab Alex. libro 4. capite 10.

ACCIVS Tullius Volscorum rex, qui Coriolanum profugum excepit déque commuui consilio Romam suos Volscos ad ludos ire suasit: clàm, Consules allocutus, monuit vt Volscos vrbe eiicerent. dubitare enim se, ne sicuti olim Sabini, in similibus ludis tumultum excirent. Consules ergo Accij consilium secuti, Volscos eo die vrbe exire iusserunt. Volsci perfidiæ regis sui ignari, indignabundi discedunt, ius hospitalitatis violatum vociferantes, quòd nulla causa eiicerentur. Accius suos magis contra Romanos accendit, donec ad manifestum bellum, quod odio Romani nominis cupiuerat, res peruenit. Liuius lib.2.

Vehemens aduersus pop. Rom. AMILCARIS odium fuit. Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, eiusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperij Rom. alere se prædicabat. digna nutrimēta, quæ in exitium patriæ suæ, vt euenit, conuerterentur. E quibus HANNIBAL maturè adeò patris vestigia subsecutus est, vt eo exercitum in Hispaniam traiecturō, & ob id sacrificante octo annorum natus, altaria tenens iuraret, se cùm primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem pop. Rom. futurum, vt pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret. IDEM significare cupiens quanto inter se odio Carthago & Roma dissiderent, inflicto in terrā pede, suscitatóq; puluere: tunc inter eas fore finē belli dicit, cùm alterutra pars in habitū pulueris esset redacta. Ibid.

Superauit auorum memoria cœteros mortales sæuitia TAMBERLANES Scytharum rex, nullus hominum auidius sitiuit cruorem, si vera sunt quæ de eo feruntur. Rogatus quandoque, quid tantum sæuitiæ indulgeret, & quòd nulli esset exorabilis, nullis precibus flecteretur: toruo aspectu, atq; excandescenti similis, respōdisse dicitur: An tu me hominem putas, & non Dei iram potius, ad hominum perniciem in terris agentem? Sab. lib.8. cap.3.

Perniciosi exitus exemplum, propter immodicam irā, GVALTERIVS Brennensis comes præbuit, cui Tancredi olim Siciliæ regis natu maior filia nupserat: & ipse tanquam soceri regnorum hæres, cum quadringentis tantùm militibus profectus mira fortunæ felicitate, ingentiq; animo penè omnia receperat. Mortuo enim Henrico imperatore, relicto Federico filio impubere, populorum discordiis agitatū regnum nutabat, atq; ad Gualterum pleriq; inclinabant. Sed postremò, cùm à Thebaldo Germano, apud vrbem Sarnum, Gualterius deuictus, in eius potestatem venisset: tanto odio atque vesania in Thebaldum exarsit, vt cùm tertio die, posteaquam captus fuerat, Thebaldus liberaturum se Tancredum offerret, atque in amissum penitus regnum restituturum, si loca, quę ipse in eo regno possidebat, confirmare vellet: Gualterius, vt fera amens rabidáque respondit: Neq; ea quæ Thebaldus offerebat, neq; longè maiora, tam vilis hominis manu accepta, vnquam grata esse habiturum. Quo responso indignatus Thebaldus, quòd tam insigni iniuria ab eo quem captiuum habebat afficeretur, interminatus est, Se facturum vt tantæ contumeliæ eum pœniteret. Sed hac re Gualterius furore etiam magis exarsit, ita vt laceratis vestibus, laceratis etiam fasciis quibus vulnera alligauerat, exclamaret: Viuere amplius nolle, posteaquā in eiusmodi hominis manu esset, qui minitanter in eum ageret. Itaque ipse vulnera atque intestina discerpsit: & cùm vltra neque cibo neque medendi aliqua arte curari vellet, iratum furibundúmque spiritum vi extra corpus suum exegit, vnica filia relicta. Fulgos. lib.9. capite 3.

LIBRI DECIMISEPTIMI FINIS.

THEATRI

THEATRI VITAE HVMANAE

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

DE BONIS ATQVE MALIS CORPORIS.

FELICITAS humana triplici bonorum genere circumscribitur. Alia enim sunt bona per se, animi videlicet & corporis: quia habentem perficiunt, & boni participem faciunt. Alia verò sunt bona per accidens: quatenus scilicet ad priora illa vel promouenda vel conseruanda pertinent: quæ idcirco Externa & fortuita vocantur, quoniam nec animo nec corpori mediatè applicari possunt. Et de bonis quidem animi hactenus egimus, in quibus vera felicitatis ratio posita est. Supersunt bona corporis & fortunæ, quæ cùm mutationi & corruptioni sint obnoxia, neque veram neque solidam felicitatem pariunt, sed fucatam tantùm & imaginariam. De bonis igitur corporis in præsentia acturi, illud meminisse debemus, quòd bonū illud appellamus, quod vel in sui natura perfectū est, vel alios bonos efficit, & perficit. Priore modo tria corporis bona Medici connumerant. Inter hæc primū & potissimum, Sanitas est, quæ ex optima temperiè partium similiarium, ex decenti compositione partium organicarum, denique ex vtrarumque partium apta vnione consurgit. Ab interno hoc fundamento extra corpus duplicia sese bona offerunt: Actionum videlicet bonitas, quæ temperaturam siue formam partium tam similiarium quàm organicarum immediatè sequitur: & Pulchritudo, quæ materialis (vt ita loquar) compositionis siue coniunctionis partium assecla existit. De qua re nos in Tabulis nostris in Artem medicinalem Galeni plura. Proinde tria sunt bona præcipua, Sanitas, Actio bona, & Pulchritudo, per quæ corpus perficitur, siue perfectum esse declaratur. Posteriore verò modo multa alia recenseri possunt inter corporis bona, quoniam priora illa in suo statu suáque perfectione conseruant. Hæc à medicis rerum non naturalium ambitu comprehenduntur, & per se nec salubres nec insalubres dicuntur, sed per accidens tantùm: quatenus scilicet sanitatem præsentem conseruant, absentem reuocant, morbum profligant: aut econtrà, sanitatem labefactant, & morbos accersunt. Illud idem de actionum integritate & pulchritudine dicēdum est, ad quarū vtramque eodem modo bona ista conferunt. Sint igitur priora illa tria bona Interna, hoc est, quæ in corpore actu maneant, & ab illo nunquā absque iniuria separari queant: posteriora verò Externa dicantur bona corporis, quoniam etsi à corpore omnino separari possunt (& tunc fortuita bona euadunt) tamen actu corpori adhibentur ad illius conseruationem atque perfectionem. Bona quoque fortunæ externa dicuntur: verùm in hoc differunt, quòd posteriora ista bona corporis quamuis externa sint, tamen priora corporis bona actu promouent, & immediatè conseruant: at bona fortunæ externa quoque sunt, non tamen vel animo vel corpori prodeunt immediatè, sed mediatè tantùm, quatenus scilicet ex potentia ad actum reducuntur, & corpori admouentur. Nam sic ex bonis fortunæ posteriora corporis bona frequenter emergere solent, subiecto quidem eadem, respectu tamen diuerso. Sit igitur hæc generalis diuisio bonorum corporis, in Interna & Externa. Subdiuisiones ex sequenti typo deprehendere licebit, & simul ordinem diuersorum titulorum, qui sub communi hoc loco Bonorum corporis continetur.

CORPORIS *bona vel mala, alia sunt tē pore*

Priora, *quæ conferentia superius (quando de animi bonis egimus) appellare voluimus. Ad illorum enim acquisitionem opus est*
- Natura.
- Arte, *siue educatione & institutione tum parentum, tum præceptorum, tum quorumuis aliorum, in ijs quæ ad corporis bona pertinent.*
- Exercitatione, *& usu quotidiano.*

Posteriora *ipsa scilicet corporis bona atque mala. Quorum ratio talis fuit*

Interna, *hoc est, in ipso corpore, ita quidem vt ab illo absque iniuria separari nequeant. vt autem bona ista, quæ tria superius constituimus, rectè intelligi possint, quia corpus humanum mixtum est, & animatū: idcirco in eo triplex motꝰ, perquē bona ista acquiruntur vel amittuntur, considerandus est: quædā enim in eo spectantur, quatenus corpus*

Generatur. *Generatio ipsa siue ortus inter bona connumeratur, quatenus ad ipsam essentiam perducit hominem, hoc est, ad triū bonorum acquisitionem. Porrò in ortu cōsiderandus tū*

Personas, *videlicet*

Generantes, *siue*
- Viri *concipiunt, & pariunt.*
- Fœminæ. *Et vel*
  - Absque *viri congressu.* VIRGINES, *quæ conceperunt.*
  - Reuera *concipiunt, & vel*
    - Extra *legitimum tempus, vt in pueritia aut extrema senectute.* VETVLÆ, *quæ conceperunt: aut* PVELLÆ *adhuc impuberes.*
    - Intra *legitimum tempus, pariūt tamen vel*
      - Mortuæ. PARTVS *editus mortua matre.*
      - Viuæ, *ratione habita*
        - Gestationis. QVÆ *citius, vel tardius pariunt.*
        - Doloris. QVÆ *cum dolore summo, vel sine dolore pariunt.*
  - Pallæ *viuum fœtum vel*
    - Simulant *se concepisse, aut peperisse.*
- Patiantur, *in concipiendo & pariēdo. Diuidantur ratione sexus. Nam vel*

Agant, *in seminando. Agens vel est*
- Deus, *aut dæmon aliquis. A dijs fati, vel dæmonibus. Deorum filij.*
- Homo, *vel*
  - Puer, *aut infans.*
  - Senex. SENES *qui genuerunt.*

Fœtum, *qui generatur. In hoc obseruamus*
- Naturalis, *habet tamen diuini quid & miraculosi iunctum.*
- Formam, *quæ vel est*
  - Omnino *præter naturam, naturales impediens actiones: vt* MONSTRA.
  - Non *naturalis (vt cum dētibus nati, vel digiti) naturales actiones non impediens.*
- Gestus *modò editi infantis.*
- Numerum. GEMINI, *& trigemini.*
- Curam *eius. Quoniam vel*
  - Seruatur, *fouetur & educatur.* CVRA *infantū recens editi.*
  - Exponitur. PVERI *expositiij.*

Motum *ipsum, siue partum. Quædam enim*
- Præcedunt. PARTVS *futuri præsagia, oracula, vaticinia.*
- Sequuntur. FESTA *& ceremoniæ celebrari solitæ.*

Subsistit, *& est non mixtum tantum, verumetiam animatum. Itaque suas obire functiones potest. Vide signum* A.

Corrumpitur. *Mors inter mala connumeratur, quoniam essentiam hominis cum omnibus bonis corporis tollit, estque (vt ille inquit) vltima linea rerum. Consule signum* C.

Externa, *hoc est quæ extra corpus subsistunt, quamuis actu eidem adhibeātur, & immediatè essentiam corporis atque tria illius bona fouent & conseruent. A medicis rerum non naturalium ambitu comprehenduntur. Consule signum* G.

A. Corpus

Natura, *& differentia. Alia namque sunt*

Integra, *quæ actionum integritate definitur. Siue sit*
- Naturalis *omnino, & in nulla re à naturæ præscripto recedat.* CORPORIS *sanitas inculpata.*
- Non *naturalis, quæ aliquid habet non naturale, quod tamen non faciat morbum, nec lædat semper actionem. Verbi gratia*
  - Figura, *numerūs ve partium immutatus. Medici propriè morbos vocant: nos verò cr.ssiē hīc Mineruam sequimur.* SANITAS *cum re aliqua non naturali coniuncta.*
  - Sexus *immutatus.*

A. Corpus viuens tria habet bonorum genera, quę sub Medici cōsiderationem cadunt proprii. Quorum perpēdenda est tum

Prima, *& interna, ex formæ atq; materiæ debita cōiunctione prouenientia, ipsa nimirum sanitas, tanq; fundamē tum reliquorum omnium. Hæc autē vel est*
- Naturale, *vt Caluities.* CALVI.
- Vniuersalis. *Medici vniuersales morbos vocant* FEBRES.

Labefactata, *quæ per actionum manifestā læsionem deprehenditur. Morbus appellatur. Morbum hīc intelligimus, omnem læsionem corporis, & ipsa quoq; symptomata complectimur. Exēpla ergo hīc afferemus eorum qui*
- Cum *morbo conflictātur. Morbus autem et symptoma vel est*
- Nō *naturale, sed præter naturam.* MORBVS *ergo vel est*

Particularis, *siue*
- Internus, *in partibus principibus aut nō principib⁹. Diuiditur enim morbi ex partibus corporis, quas occupant. Alij quidem*
  - Capitis, *partes*
    - In ternas. *Cognoscuntur per*
      - Actiones *læsas*
        - Rationis, *vt*
          - Phantasiæ.
          - Maniaci, *& Melancholici.*
          - Dæmoniaci.
          - Memoriæ.
      - Passiones. SOMNVS *aut Vigilia præter iram.*
    - Externas, *organa scilicet ipsius.*
      - Sēsus, *vtpote*
        - Oculos,
          - Cæci.
          - Monoculi.
          - Strabones, *& Lusci.*
          - Lippi.
        - Aures. *Surdi.*
        - Linguā,
          - Muti.
          - Balbi.
      - Motus, *neruos & musculos: vt*
        - Epilepsia.
        - Paralysis.
  - Pulmonis,
    - Phthisis.
    - Anthelitus *fœtidus.*
  - Cordis. *Syncope.*
  - Hepatis. *Hydropici.*
  - Stomachi.
  - Splenis.
- Externus, *vt*
  - Vulnera.
    - Naribus *mutilati.*
    - Auribus *mutilati.*
    - Testes *execti. Eunuchi.*
  - Tumores. *Podagrici.*
  - Vlcera,
    - Particularia, *tum*
      - Quamuis *alia.*
      - Mentagra.
    - Totius *corporis, vt Lepra.*
  - Fracturæ, *& luxationes.* CLAVDI.

Vtilitatem *ex morbo capiunt.*

Curantur. MIRO *modo sanati. Nam cæteræ curationes, quæ ex artis methodo fiunt, vt communissimæ sunt, ita minus obseruatu dignæ.*

Secunda, *& externa, quæ sub sensum vel mediate vel immediatè cadunt, & sequuntur ipsius sanitatis vel*

Formam, *hoc est temperaturam, ipsa nimirum* ACTIONVM *bonitas. Vide signum* B.

Materiam, *eiusque compositionem decentem, ipsa scilicet* PVLCRITVDO. *Quæ duplex est: alia vera, quæ ex optima corporis temperie, eiusque partium decenti compositione prouenit, qualis in Achille fuit, & Hectore: alia non vera, in qua nihil solidi subest, sed ficata omnia, vt in Paride & Nireo, quorū vterque imbellis erat. vera igitur pulchritudo virilis est, & cum bonitate actionum iungitur. Nō vera autem muliebris est, & debiles habet operationes. Sed hæc medica sunt. Pulchritudinem igitur & illius oppositum consideramus*
- Per *se.*
  - Pulchri, *vel*
    - Ex *toto*
      - For- *mosi.*
      - For- *mosæ.*
    - In *parte.*
  - Deformes,
    - Ex *toto.*
    - In *parte.*
- Per *spectu aliorū.* FORMAE.
  - Simi *litudo.*
  - Dissi *militudo.*

Mensura *motus, ipsum scilicet Tempus, quod vitam hominis metitur, &* AETAS *dicitur. Sic alij vitæ sunt*
- Longæ. LONGÆVI, *Senes.*
- Breuis, *tum*
  - IN *primis annis extincti.*
  - *Breuissimæ vitæ.*


Cerebro residet Animalis, tum
Interna,
Imaginandi.
Ratiocinandi.
Reminiscendi.
Memoria bona.
Memoria mala, inter morbos connumeratur.
Externa, vel
Sentiendi tum in
Visu. Visus acumen, aut debilitas.
Auditu. Auditus acumen, aut debilitas.
Tactu
Totius corporis. Labores atque dolores corporis perferre. ROBVR passiuũ.
Partis. vtputa caput
Robustum.
Debile.
Extra palæstram. Exempla
Roboris & robusterũ
Iuuenum.
Senum.
Agilitatis robustæ siue exerceatur in
Terra
Saltatione.
Cursu.
Pila.
Aqua. Natatores & Vrinatores.
Aere. Qui per aerẽ sunt velli.
Toto corpore, omnibus suis lacertis. Roboris huius specimen edunt vel
Genere tum
Ludorum & spectaculorum gymnicorum.
Eorum qui in istis exercentur: vtpote
Athletæ.
Pancratiastæ.
Olympionicæ.
In palæstra. Exempla
Specie, qui cũ antagonista pugnãt: nimirum vel cum
Mouẽdi, per neruos atque musculos. Robur appelletur in genere. Spectatur autem vel in
Hominibus & vel corporibus
Coniunctis
Immediatè. LVCTATORES.
Mediatè per
Cæstus. PVGILES.
Arma quæuis alia. GLADIATORES.
Disiunctis, & vel
Absque medio, vt qui certant
Cursu.
Agilitate.
Saltu.
Medio aliquo vel
Inanimato,
Arcu.
Balista.
Disco.
Animato, vt Cursu equorum.
Brutis. VENATORES theatrales.
B. Actionum bonitas, earundẽque læsio triplex est, prout etiam triplex est animæ facultas. Nã in
Corde residet Vitalis, quæ per suos affectus nobis innotescit. De quibus iamdudũ egimus, quando ex professo Aristotelem imitati, mediocritatem in affectibus reperire conati sumus.
Parte aliqua corporis vtpote
Manibus. AMBIDEXTRI.
Thorace. Thorax pro voluntatis imperio, cõcurrentibus reliquis organis, vocẽ efficit. In quaduo sũt obseruãda. Nimirum
Significatio ipsa in
Genere. SERMO animi index.
Specie, Vox
Clara.
Obscura.
Motus omnium membrorum voci inseruientium, tum secundum
Quantitatem vel
Continuã: vt pote vox
Longa, prolixa, Asiatica: vel Breuis & Laconica.
Magna, vel parua & exilis.
Discretam. Vox
Multa. LOQVACES & garruli.
Pauca. TACITVRNI
Qualitatem. VOCALES in genere, qui bona voce sunt præditi. Opponuntur his ij qui debilem habẽt vocem. Qui muti sunt, inter Ægros sunt referendi.
Hepate Naturalis facultas sedem suã habet. Quæ rursus in varias differẽtias diducitur. Aliæ enim sunt naturales potentiæ
Primæ, quæ pertinent ad conseruationẽ
Indiuidui, nempe
Nutrix.
Auctrix. Corpus augetur in
Longum.
Monstrosa corporis magnitudo.
Nani & pusilli.
Latum & profundum.
Pingues & obæsi.
Macilenti.
Speciei, Generatrix. QVI multos habuerunt liberos. vel QVI nullos. vel QVI impotentes sunt.
Secundæ, quæ primis illis famulantur, quatuor numero: videlicet
Attractrix. Sub hac comprehendimus Appetitricem. tit. FAMEM & sitim tolerare.
Retentrix.
Concoctrix. Expultrix.
C. De


Non sunt mortui. Quoniam vel
In vita miro modo seruati sunt, cùm morti viderentur esse proximi. Miro modo seruati.
Mentis ecstasim sunt passi, & ad se postea redierunt,
Disparuerunt, vel rapti sunt, nec postea amplius in terris sunt visi.
Transmutati sunt in alias formas.
Mortui sunt. In his ergo cõsiderandæ sunt.
Occultam. REPENTINA morte, absque vlla manifesta causa, intervempti.
Animi. MORTVI præ nimio
Gaudio.
Risu.
Dolore & mœrore.
Materia ea est, per quam, vel uti per instrumentũ mors infertur, siue fit affectus
Corporis, morbus videlicet in intemperie vitiata cõpositione aut solutione vnitatis. Iuxta sensum tamen alios dicimus interfectos esse à
Causa morbifica, quæ inter sex res non naturales reperitur. Est autem vel
Non cuitabilis. Oblata Medici vocant. Exempla eorum qui mortui sunt.
Aeris inclementia, æstu nimio, aut frigore.
Repletione cibi & potus.
Exinanitione
Cibi & potus, Fame scilicet aut siti.
Sanguinis.
Spirituum ex
Venere nimia.
Longo sœnio.
Cuitabilis vide in seq. signum D.
Morbo. Vide in seq. signum E.
Symptomate aliquo. vtpote MORTVI
Vomitu
Fluxu intestinorum & dysenteria
Colico dolore
Dolore partes.
Clamore nimio.
Causæ mortis alijs enim causam habent
Manifestam, iuxta quã varia mortis genera diuidi possunt. Causæ sũt quatuor:
Forma. Formã mortis intelligo eam, quę vitæ è diametro opposita est. Vita autem in calido & humido cõsistit. Ergo mors tunc inferetur (& hinc mortis differentiæ fieri poterunt) quando principia ista vitæ à materialib. causis ledentur vel
Immediatè, per qualitatem
Manifestam, quæ scilicet vel
Refrigeret, vel
Per se
Per accidens, quando aucto calore humidum cõsumitur, & mox quoque totus calor euanescit.
Exiccet humidum innatum.
Occultam. Sic venena deleteria necem inferunt.
Mediatè: vt per
Suffocationẽ & repletionẽ.
Exinanitionem spirituum & sanguinis.
Erosionẽ & exulcerationẽ
Nam verbi gratia, suffocatio per se mortem inferre non posset, nisi calor augeretur: quo auctо, principia vitæ labefactantur.
Efficiens. Efficientis quoque ratio est habenda, in mortis generibus assignandis. Aliis enim
Sibiipsis manum inferunt, quacunque tandem causa adducti.
Ab aliis interficiuntur vel
Volentes.
Nolentes. Sic ergo ab
Hominibus pœna
Angelis aut dæmonibus interfecti.
Magistratu. Reciten tur.
Tormentorum genera.
Supplitiorum species.
Carceres & loca supplitiorum.
Quibusuis aliis, iisque vel
Prudentibus & scientibus vt à
Parentibus, liberis, aut fratribus, &c.
Amatoribus & conjugibus.
Latronibus.
Captiuis.
Imprudentibus interfecti.
Accidentia. Vide in seq. signum F.


D. Euitabilis causa agit vel
Occultè. VENENO vel pharmaco necati.
Manifestè. Mors infertur per
Inanimata, vel
Naturalia per
Ignem
Cœlestem. FVLMINATI.
Elementarem. COMBVSTI.
Aeris ventique violentiam, aut fœtorem.
Aquam. NAVFRAGI, aut submersi.
Terram, vt
Terræ motu oppressi.
A terra absorpti.
Viui sepulti, aut arena suffocati.
Nõ naturalia, siue etiam Artificialia instrumẽta, verbi gratia,
Suffocati
Fumo & vaporibus.
Quouis alio instrumento, quod fauces impediat.
Laqueo. STRANGVLATI.
Crucifixi.
Lapidibus icti & obruti.
Tormentis & quæstionibus examinati.
Præcipitati.
Lapsu & offensione pedis mortui.
Ruina & casu mortui
Equorum.
Scalarum.
Ædificiorum, statuarum.
Armis, vt
Iugulati.
Securi percussi.
Sagittis & lanceis confecti.
Stylis graphiarijs interfecti.
Animata, nempe ab
Arboribus reflexis discerpti.
Animalibus occisi vel
Rationalibus. AB hominibus discerpti, excoriati, devorati.
Irrationalibus, vt à
Canibus.
Equis.
Apris.
Leonibus.
Muribus.
Feris quibuslibet aliis.
Piscibus.
Serpentibus.
E. Morbo vel
Epidemio, qualiscunque is sit: vt febris, angina, dysenteria, contagiosa.
Sporadico, tum
Interno, quarumcunque partium: & vel
Particulari, tum
Capitis
Apoplexia.
Epilepsia.
Paralysis.
Thoracis
Asthma.
Pleuritis.
Stomachi vitijs.
Hepatis. Hydrops.
Veficæ affectibus.
Vniuersali, febre scilicet.
Externo: vt sunt
Vulnera. VARIIS vulneribus interfecti.
Vlcera
Particularia. VLCERIBVS mortui.
Vniuersalia. MORTVI.
Phthiriasi.
Elephantiasi.
Tumores. Arthritide & podagra mortui.
Luxationes, fracturæ, contusiones capitis, pedum, &c.

F. Mortis


Ante mortem. Mortis præcognitio in loco Metaphysices explicata fuit.
1. Mortis accidentia vera sunt. Ab humanis euidenter cernuntur
In morte. Obseruandus est
Modus moriendi. Nam alij
Præclarè moriuntur. MORS placida.
Desperati obeunt. MORS horrenda.
Tempus. Alij
Intempestiua & immatura morte auferuntur.
Eodem die, quo olim nati erant, mortem obeunt.
Locus. Pereunt alij quocunq; tandem genere mortis, in
Bello.
Venere & adulterio.
Conuiuiis. Balneis.
Cloacis.
Carceribus.
Venationibus.
Sacris. Ad aras immolati.
Templis occisi.
Longinquis regionibus peregrè extra patriam, vel in exilio.
Legationibus.
Diuina vi. nempe
Miracula post mortem edita. MORS miraculis clara.
MORTVI qui disparuerunt, vel rapti sunt.
Corporis resuscitato. MORTVI qui reuixerunt.
Humana ope, & industria. De honore mortuis impenso, egit ex professo Lilius Gyraldus. Pertinet autẽ ad corporis bona (quamuis impropriè admodũ) ipsius cadaueris curæ reliquæ ceremoniæ inter fortunæ bona connumerari debẽt. Hoc ergo in loco de sepultura agamus, prout extremi est officij, quod corpori præstari potest. Ipse honor ad fortunæ bona pertinet. de quib. postea, quemadmodũ etiam, vtrum dignis an indignis tribuatur, ad Iusticiæ examẽ referri debet. In sepultura igitur quædã sunt, quæ referuntur potissimum ad
Viuentes, qui corpus siue cadaueri, vel
Non curant, sed negligunt, & ignominia afficiunt.
Curant, Exempla tum
In genere. QVI quos sepeliuerint.
In specie. Cadauer curant alii
Absque luctu.
Cũ luctu & fletu. In quo ratio habenda est
Personarũ
Qui lugendi sunt.
Qui lugere debeant.
Temporis. QVANDIV lugendum sit.
Modi QVOMODO lugendum sit.
Mortuos, in cura cadaueris. In qua quædã sunt
Necessaria. Quia cadauer mortuum diu seruari nequit, quam proximè. propterea considerari debet
Tempus humandi, vel comburendi.
Modus, vt vel
Absumatur ab
Animatis, more barbaro, vel ab
Hominibus.
Feris
Quibuslibet.
Volucribus.
Piscibus.
Quadrupedibus.
Inanimatis, & vel
Igni.
Aqua.
Terra.
Conseruetur vel cadauer, vel cineres aliquo tempore à corruptione. Obseruandus est igitur hic MODVS condiendi, & LOCVS in quo condiuntur.
Non necessaria. Hic locum habet magnificentia & prodigalitas, in faciendis sumptibus propter mortuos, vsurpata.
Ornatus cadaueris.
Munera mortuis dari solita.
Exequiæ. Quæ spectantur in
Personis, quæ funus
efferunt.
comitantur.
Ornatu & pompa reliqua.
Laudatio funebris.
Inferiæ. & parentationes.
Sepulchrorum & monumẽtorum sumptus, & inscriptiones.
ἀποθεώσεις & statuæ.
Epulæ, Visceraciones, Cœnæ funebres.
Ludi & spectacula.



AVe-



DE IIS QVAE AD CORPORIS BONA ACQVIrenda, conseruanda, promouenda facere possunt.

INDOLES BONORVM CORPORIS.

Sacrificulus Herculis, qui Thasi colitur, Timosthenes erat. Cum vxore eius spectrum quoddam Herculi persimile congressum aiunt: & puerum inde natum. THEAGENEM nomine, athletam fortissimum. Hunc cùm annum iam fermè nonum ageret, dum è ludo domum rediret, dei simulacrum aeneum signum, quod in foro fuerat erectum, eius pulchritudine allectum, è sede sua auulsum, & alteri humero impositum, ad suos deportasse ferunt. Incitata verò ob id factum in eum multitudine, virum quendam summa inter ciues existimatione, magno iam natu, sententia sua puerum minimè occidendum censuisse. Imperasse tantum, vt signum in pristinum locum reportaret. Id cùm ille fecisset, eius fortitudinem longè latéque per totam Græciam hominum sermo celebrauit. Pausanias in Eliacis, lib. 6.

INVENTORES QVORVNDAM CORPORIS BONORVM.

CARES tria inuenta habent. Galeis cristas primi imposuerunt: clypeis ligna adiunxēre: & lora scutorum excogitarunt, cùm antea baltheis duntaxat coriaceis fulcientes scuta, collo sinistróque humero sustinerent. Herod. lib. 1.

Palæstram POLLVX inuenit. ATHENIENSES, ex Æliano libro tertio.

ORCADMVS luctę & pugillationis fuit legislator, sua industria Siculorem pugillandi (quem vocant) excogitauit. Ælianus libro 11. de Varia historia.

IPHITVS, Olympiadem. Rauis.

PALAMEDES aleam reperit. ANAGALLIS puella, vel PICVS, ludum pilę.

GRÆCI trochum. Horat. lib. 3. Carminum:

Penarique timet, ludere doctior
Seu Græco iuberis trochо,
Seu malis vetita legibus alea.

Ludum tesserarum, LYDI.

Hercules primus corpora in bello cęsa funerare docuit. Rauisius.

IONES psallendi normam & molles saltus & gesticulationes primùm inuenisse, legimus apud Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

THESEVM in Delum insulam appulsum ex Creta, inibi saltationem iniisse cum pueris, quę Labyrinthi præferret errores, orbibus orbes impedentes: legimus apud Cęl. Rhod. lib. 5. cap. 3.

SYRACVSIS saltationem primò exortam, doctorum quidam memorię prodiderunt, à tyranni videlicet Hieronis sęuitia, qui inter alia dictu immitia, Syracusanos etiam mutuis vti colloquiis vetuerit: quę verò necessaria forent, pedum, manuum, oculorum nutibus indicissque iusserit petere. Vnde mox saltationi exortum peperit necessitas. Cęlius Rhod. lib. 5. cap. 3.

Saltationes & choreę primę ab ebriis videntur hominibus institutę, in quibus calor nimio accensus mero ad incompositos motus atque saltus eos incitauit. Caloris enim est mouere. Videtur huc alludere etymon Græcum. τὸ ὀρχεῖσθαι enim & ὀρχήσασθαι, ἀπὸ τῆν ὄρχυν, id est à vitium ordibus, inter quos choreas ducebāt, Baccho primitias offerētes, deriuari volūt. Est autem ὄρχος fouea, in qua seruntur vites, quasi ὀρυχός τις, ab ὀρύσσω. id est fodio.

Saltationem armatam CVRETES docuēre: Pyrrhicen PYRRHVS vterque in Creta. Plin. lib. 7. cap. 56

Ludos gymnicos in Arcadia LYCAON: funebres ACASTVS in Iolco: post eum THESEVS in Isthmo. HERCVLES Olympię athleticam. PYTHVS pilam lusoriam reperit. Plin. lib. 7. cap. 56.

EDVCATIO ET INSTITVTIO LIBERORVM. IN IIS QVÆ *ad corporis bona pertinent.*

SPARTIATÆ pueros suos ardentibus aris admouebant, verberibus virgisque semper cædebant, vt à primis statim annis assueti ferendis doloribus, discerent fortes esse: nec ærumnosum iudicarent, in quo ab incunte ætate consueuissent. Pont. lib. 2. cap. 7. de Fortitudine domestica.

Eosdē Lycurgi legibus institutos, infantes primū editos vt labore firmentur, rigidissima aqua fouere, nudos in patientia laboris enutrire, nihilque somni causa sternere, proditum est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum pueros, cùm priùm duodecimū annum attigissent, iussit discalceatos ambulare, cubitareque lectis storaceis, plausterique arundine. Ita demum robustiores fieri, ac Reipublicæ vtiliores, censuit. Volat. lib. 16. Vrban. com. ex Plutarcho & Trogo.

LACEDÆMONII ita liberos alunt, vt nunquam impleantur, sed famem discant: verberibus ac flagris afficiunt, vt hac exercitatione laboribus ac vigiliis in bello ac domi assuescant. Docent etiam statim à primis incunabulis breuiter & concisè omnia proloqui, præterea continuè scōmata dicere atque perpeti. Heraclides in Politiis.

IDEM iuuentutem teneram assiduè ad deorum aras ducebant, & nudatam multis virgis & verberibus afficiebant, ita vt plerisque sanguis manaret ad necem: vt eo ex cruciatu etiam grauiores dolores, si contingerent, æquanimiter ferre possent. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. & Pont. lib. 2. cap. 7.

AGESILAVS Lacedæmonius dux, vir maxima autoritate, iam senex, sæpè per brumam visus est discalceatus, & sine tunica: vt homo iam senectute grauatus, iuuenibus daret patientiæ exemplum. Ælian. apud Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

ACRETENSIBVS & GERMANIS vsurpatum fuit, vt pueri ab incunte adolescentia calores & frigora pati assuescerent: vtque vilibus tecti amiculis, hyeme pariter atque æstu eodem cultu incederent: vt postea quam satis virium assequuti essent, militiæ per ætatem patientes forēt. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

CRETENSES, LACONES, PHRYGES, & NABATHEI, filios suos etiam ingenuos, seruilia officia partim domi, partim foris præstare voluerunt, ne deliciis educati, ocio torpescerent, & libertate sua abuterētur. Ibidem.

CRETENSIVM pueri easdem epulas adeunt, vna veste tam per hyemem quàm per æstatem vtuntur, atque in greges seu cohortes distribuūtur. Harum singulis qui præest ἀγελάτης nominatur, qui eos quandocunque placitum est conuocat, & ad venatum educit, plurimúmque simul dormiunt. Heraclides in Polit.

THEBANORVM lex humanissimè posita est, ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abijcere, capitis supplicio. Verùm si in extrema mendicitate pater sit constitutus, siue mas sit, siue fœmina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum suis fasciis adferre: qui acceptum alicui tradit leui precio, cū quo pactū & conditiones intercedunt, vt bona fide infantem alat, & adultum serui vel seruæ loco habeat, sic vt alimentum & educatio seruitute compensetur. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

ÆGYPTII impuberes filios ita exercebant, vt nisi 180 stadia prius confecissent cursu, vesci cibo nullo modo sinerent: quos à prima pueritia nudis pedib. ingredi iubebant, ne delicatior cultus corpora emolliret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

LVCANI liberos suos à prima infantia sine veste aut ministerio seruili, in duritie & parsimonia educabant in syluis, quibus præda venatica erat cibus, potus verò fontium liquor. Ibidem.

Apud Gymnosophistas, paratis instructisque mensis, antequam cibus apponitur, adolescentes singuli ad mensam vocantur, à quibus exigitur quid eo die generi humano lucrifecerint, quid laborauerint, quídue sapienter dictum factúmue illa luce fuerit. Qui ocioſi inueniuntur, ab omni cibo & potu excluduntur, foràsque extruduntur. Alex. lib. 5. cap. 21.

PERSÆ, tria præcipuè liberos suos docebant: equitare, iaculari, & vera dicere. Vicissim tria vehementer damnabant: mentiri, inter ærarios esse, & in amnem rem immundam edere. Fulg. lib. 2. cap. 1.

Apud BALEARES insulas, matres infantes pueros ab ipsis vitæ incunabulis his disciplinis educabant, vt nisi oblatum cibum baculo aut funda peterent prius, cibo vesci prohiberentur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

Apud CADVRCOS, ACARNANES atque ÆTHIOPES, særa ingesta fundis intorquere, aut sagittas & iacula ingentis ponderis vibrare, à teneris discunt. Ibidem.

In HYBERNIA, quæ in penitissimo Oceano extra terras, insula sita est, cultu indomito & fero, pueri ita aliti educatique sunt, vt inter arma & cædes assiduè versentur: matréque natura imnites, ingenio barbato, primos cibos edito infanti gladio admouere ferantur. Ibidem.

LIMYRNI vxores habent communes, & liberos communiter alunt vsque ad annos quinque: deinde sexto anno omnibus pueris congregatis, similitudines ipsorum ad viros coniectant, & vnicuique similem tradunt puerum ceu parenti, quem ille acceptum pro filio educat. Ex Nicol. de Moribus gent. Stob. Serm. 42.

STVDIVM IN CONSERVANDIS AVT EXERcendis bonis corporis.

Consule tit. Exercitatio corporis.

SOCRATES ad famen ac sitim tolerandam exercuerat sese. post sudorem enim è palæstra collectum, quum alij potum vehementer appetunt, nunquam bibebat de primo cratere. rogatus quam ob rem id faceret: Ne consuescam, inquit, obsequi affectibus. Interdum enim licet sitias, noxium est bibere: hic quum ratio suadet abstinentiam, affectus hortatur vt bibas, magis obtemperandum est rationi. Laert. lib. 2.

Singulis mensibus triduò purgant se ÆGYPTII, vomendo, atque intestina diluendo, gratia sanitatis conseruandæ: existimantes, omnes languores hominbus creari ex cibis. sunt alioqui Ægyptij omnium hominum, post Afros, maximè salubri corpore, aeris (vt mihi videtur) beneficio, qui nunquam immutatur: cuius mutationibus præcipuè oriuntur morbi. Herod. lib. 2.

IMITATIO STVDII IN CORPORE EXERCENDO.

Cū Philippus Alexandri Magni pater expeditionem in Corinthum apparare diceretur, Corinthij rerum suarum satagentes, ad opera certatim incumbere cœperunt: hic arma comparabat, ille lapides cōgerebat, alius muros in altitudinem substruebat, nonnulli propugnacula firmabant, alij aliud agebant, quod ad munitiones pertineret. Eorum itaque studium DIOGENES cùm cerneret, nihil habens aliud commodius quod ageret, physico pallio succinctus, dolium illud suum subuoluere, deuoluere, vltrò citrò versare per vicinum vrbis collem cœpit. Admirante statim quodam eius amico, ac percunctante: Quidnam hic agis, ô Diogenes? Voluo (inquit ille) ego quoque dolium, ne vnus inter tot operi intentissimos cessator esse videar. Guido Bituricensis.

DE CORPORIS BONIS ATQVE MALIS.

VIRI QVI CONCOEPERVNT ET PEPERERVNT.

IVPITER cerebro prægnans, à Vulcano iussit sibi cranium securi aperiri. Eo ergo discisso, armata prosiliit Minerua, sapientiæ & armorū dea.

IDEM, cùm ad Semelem ex pacto & compromisso cum fulgure accessisset, misera illa maiestatem Dei ferre non potuit, sed vnà cum domo conflagrauit. Ne tamen fœtus quem vtero gestabat vnà periret, aperto Semeles vtero, embryon extractus est, & Iouis femori inditus, ad perfectum vsque maturitatis tempus. Tantisper ergo à Ioue gestatus, cùm tēpus natiuitatis instaret, fauente Lucina in lucem à Ioue editus est Bacchus, qui idcirco διμήτωρ, & bis genitus, à poetis appellatur.

Scribit Cælius BVDDAM, Gymnosophistarum principem, è latere suo virginem generasse.

VIRGINES QVAE CONCOEPERVNT.

Virginis sacrosanctæ MARIÆ puerperium, Propheticum carmen, Sibyllinæ voces, Ethnica oracula, tam manifesto prædixerunt euentu, vt in nouo & incredibili penè mysterio, cuius ne humana quidem mēs capax, nihil sit eorum quæ fide continentur, cui libentius accedat humana

pietas. Sab. lib. 1. cap. 1.

Fabulosum est, quod de PERICTIONE Platonis matre circumferūt, Apollinis compressu grauidam, cùm virgo esset, peperisse. Fabulosum inquam hoc est, atque etiam impium. Nemo de virgine nascitur verus homo, nisi qui vi diuinitatis corpus in omnem animę nutum obediens efficere potest.

VETVLÆ QVAE CONCOEPERVNT.

SARA iam nonagenaria Abrahamo centesimum annum agenti Isaac peperit. Gen. 21.

Intempestiuus ELIZABETHÆ matris vterus, faustum Ioannis Zachariæ filij, salutarémque terris despondit ortum. Nihil Deus non mirificè & vtiliter operatur. Mulier quæ dum per ætatem mater fieri potuit, sterilis fuerat: iā grandis natu & decrepita, prægnans facta est. Cæterùm quàm magnus futurus esset partus, ipse puer, quum in materno adhuc clausus esset vtero, declarauit, qui prius propheta extitit, quàm in lucem ederetur. Sab. lib. 1. cap. 1. ex Lucæ 1. cap.

Cornelia ex Scipionum gente, post sexagesimum secundum annum, ex L. Volusio Saturnino in prefectura vrbis extincto, genuit Volusium Saturninum, qui postea consul fuit. Plin. lib. 7. cap 14.

PARTVS EDITVS MORTVA MATRE. CAESARES ET *Cæsones qui excinduntur.*

GORGIAS Epirota, fortis & clarus vir, in funere matris suæ vtero elapsus, inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coegit, nouúmque spectaculum patriæ prębuit, non tantùm ex ipso genitricis rogo lucem, sed etiam cunas allecutus. Eodem enim momento temporis, altera iam fato functa parit, alter antè elatus quàm natus est. Val. libro primo. capite octauo.

SCIPIO AFRICANVS prior, defuncta parente excisus vtero, in diem venit. Ideóque etiam primus apud Romanos Cęsaris nomine salutatus est. Solinus capite 4. Polyhist. & Syllius Italicus lib. 13. Plin. lib. 7. cap. 9.

PARTVS IMMATVRVS.

PARTVS MATVRVS.

PARTVS SEROTINVS, ET TARDVS.

PARTVS DIFFICILIS, ET CVM DOLORE.

Consule tit. Mortuæ ex partu.

Stratonicus Musicus audiens, quàm difficulter TIMOTHEI regis mater parūs edidisset: Si, inquit, opificem peperisset, non deum, quales emisset inter pariendum voces? Irrisit vir sapientissimus, hominum stultitiam, qui regibus ac potentioribus diuinos asscribunt honores: cum ex communi illa natiuitate appareat, æquè homines esse, vt nos, qui infima sorte nitimur. Non minus enim (si non durius) ægrè pariunt regum & principum matres, quàm subulcorum: princeps equè vitam clamore & eiulatu auspicatur, vt alij qui eius imperio subiecti sunt. Stratonici dicta leges apud Athenæum.

AGRIPPÆ, veluti ægrè parti, à Rom. appellantur. Ita enim editi, minus prosperè viuunt, & de vita quo breuiori decedunt. Teste Solino, cap. 4. Polyhist. Quorum enim in nascendo non caput, sed pedes primùm exeunt (qui partus difficillimus egerrimúsque habetur) sic vocantur, ab ægritudine & pedibus, teste Gell. lib. 16. cap. 16. ex Varrone. In M. Agrippa fœlicitatis argumētum fuit, nec tamen vsque adeò inoffensę, vt non plura aduersa pertulerit, quàm secunda. Nam & misera pedum valetudine, & aperto coniugis adulterio, & aliquot infœlicitatis notis retrouersi ortus omen luit. Vergil. in fine lib. 8. Horat. lib. 1. Carm. Ode 6. Eutrop. lib. 7. cap. 2.

PARTVS SINE DOLORE.

MARIA virgo benedicta, cùm ante, in, & post partum intemerata virgo, illęsis pudicitię claustris permanserit, nemo sanę mentis eam in partu dolores perfensisse dixerit. Potuit enim diuinitas ipsa corpus per medias dimensiones absque labore traducere, quę eidem super aquas ambulanti pondus adimere potuit.

HELVIA mater, M. Tullij Cic. tertio non. Ian. absque dolore eum peperisse fertur. Plut. in Ciceron.

CONCEPTVS SIMVLATVS

Consule tit. Pueri suppositicij.

A DIIS SATI, SIVE DAEMONIBVS, DEORVM FILII.

Quis hominum ex Ethicis aut maior fuit aut augustior ROMVLO, qui vrbem condidit omnium quę vnquam in terris fuerunt, præstantissimam? Huius mater Rhea Ilia, siue dęmonis cuiusdam, vt ipsa videri voluit, siue hominis compressu grauis, se geminos concepisse affirmare ausa est. Quę res, quia euentus non defuit, plus illi in discrimen capitis adductę profuit, aut certè prodesse debuit ad salutem, quàm ceremonię sanctitas, quę ipsa Vestalem degruabat, aut regium stemma, in quo accusatorem inuenit. Sabel. lib. 1. cap. 1.

SELEVCI Mentoris mater, ab Apolline se comprimi somniat, & precium cō cubitus annulum anchora insignitum accepit. *Vide infrà sub tit.* Partus futuri præsagia.

Ferunt principem philosophorum PLATONEM, natum de virginis partu, Perictione eiusdem matre Apollinis oppressa phantasmate. Rauisius.

PVERI QVI GENVERVNT.

SENES QVI GENVERVNT.

Potest hic titulus ad Generatricis facultatis robur referri. Consule tit. Longæuorum.

ABRAHAMVS, cùm iam octogenarius esset, ex Agare ancilla Ægyptigeneris, filium tulit Ismaelem: vnde Ismaelitarum genus, qui demū Agareni dicti sunt, vt Eusebio placet, ad postremùm Saraceni. Mor centum tam natus annos, ex Sara nonagenaria coniuge, quæ fuerat sterilis, Isaacum genuit. Guido Bitur.

Seraginta regnauit annos Masinissa rex, populi Romani amicissimus: nonagenarius sine ephippiis equum ascendit, nudo capite pedibúsque insedit. Procreauit & filium Methymachum post 86 annum, extremo vitæ tempore: & quod in eo maximè fuit memorabile, suprema ætate confectus, cum opulentissimo Carthaginensium exercitu collatis signis, prospero marte dimicauit. Sab. lib. 1. cap. 7. & Solinus cap. 4. & Plin. lib. 7. capite quarto.

CATO Portius Censorius, Quiritum vnus, octogenarius filium genuit, tam viuida senecta, vt ne consenuisse quidem videretur. Mira certè fuit tam intempestiua procreatio: sed illud æquè mirum, ne maius dicā, quòd multis contrà tendentibus, validis latetibus, Voconiam legem populo suasit. Ingenioso ad hæc argumento in difficili consultatione vsus, autor fuit Carthaginis è medio collendæ: frequenti curia testatus, tam vicinam habere Romanum populum inimicam vrbem & hostilia meditantem, quàm pomarium illud esset, vnde decerpta erat sicus, quam recentem in medium protulit. Sab. lib. 1. cap. 7. ex Plin. lib. 7. cap. 14.

FORMA FOETVS NATVRALIS, QVAE TAMEN DIVINI *quid & miraculosi iunctum habet.*

GLYCETIVS ex vtero coronam clericalem secum tulit. Episcopus deinde Treuerensis factus est, Theodorico rege electionem probante. Hic suos ciues inguinaria peste laborantes, sanauit oratione. Catalogus episcoporum Treuerensium.

EPIPHANIVS Ticinensis, episcopus sanctissimus, cùm nuper natus esset, cunæ superno lumine fulserunt. Euodius in eius vita.

FORMA ET FIGVRA FOETVS MONSTROSA, ET PRAEter naturam. PARTVS præter naturam.

De his vide magnum opus Prodigiorum Conradi Lycosthenis, & Iulij Obsequentis Ostenta ab eodem integritati suæ restituta.

FORMA FOETVS NON NATVRALIS, QVAE TAMEN ACTIOnes naturales non semper impediat. PARTVS non naturalis.

SELEVCVS Mentor, rex Syriæ, postea etiam Asiæ, coxam anchoræ figura insignitam iam inde à partu habuit: nec ipse tantùm, sed omnes quoque illius posteri. Fulg. lib. 1. cap. 6.

M. CVRIVS & CN. PAPYRIVS Carbo, viri clarissimi cum dentibus nati sunt: Eam itaque ob causam Curius Dentati cognomen meruit. Pli. lib. 7. cap. 16.

L. SYLLA cum vnico teste natus est.

BERGOMI familia Coleonum est illustris (Bartholomæo Coleono, & fortitudine & apud Venetos clarissimo insignis, cuius equestrem statuam Venetiis in area D. Ioannis & Pauli videre licet) hoc peculiare habens, vt multi ex ea familia mares tres habeant testiculos. Cui rei attestatur etiam gentilitium familiæ symbolum, tres nigros continens testiculos. Hinc prouerbium Italis vsitatissimum, Coglionida Bergamo: de re monstrosa & inaudita: non autem, vt vulgus autumat, de homine stupido & obscœno.

DOROTHEVS præsul Antiochenus, vir eruditissimus, Græcè & Hebraicè doctus, Eunuchus ab ipsa genesi fuit: quo magnopere Aurelianum principem dicunt delectatum fuisse. Euseb.

FOETVS IAM EDITI MORES ET GESTVS.

ZOROASTRES ea hora qua natus erat, risisse dicitur. Vnde mox quoque optimarum artium peritissimus inuentus est. Solinus cap. 4. Polyhistorias.

PARTVS NVMEROSI, GEMINI ET TRIGEMINI.

REBECCA Isaaci vxor, cùm sterilis esset, concepit tandem gemellos, qui in eius vtero confligabantur, & matrem miserè cruciabant. Cōsulto Iouæ oraculo, responsum est, duas gentes in vtero illius esse: duósque populos inde orituros, minori tamen seruiturum maiorem. Peperit inde priorem Esaum, rufum totum, & villosi centonis instar: postea Esai calcem manu tenens, exiit Iacobus. Gen. 25.

THAMAR ex Iuda socero, habitu meretricio occultata, concepit: quoniam liberos omnino habere cupiebat. Exactis ad pariendum temporibus, geminos in vtero ferebat. Atq; in ipso partu alter manū protulit, quā prehensam obstetrix cocco alligauit, dicens priorem exiturū. Sed cū is manū reduxisset, & eius frater euergeret, obstetrix dixit: Quare obiectū tibi interstitium interrupisti? eóque Phares appellatus est. Deinde exiit alter, is qui coccū in manu habebat, qui Zara nominatus est. Ge. 28.

CASTOR & Pollux gemini fratres, filij Iouis & Ledæ, qui mare tueri solebant à piratis (vnde & dij maris dicūtur) Castor mortalis Pollux verò immortalis fuit. Plin. lib. 2. cap. 37. Relati sunt in cœlum, & positi inter duodecim signa cœlestia.

PROCONESIA è duplici adulterio geminos edidisse fertur, vtrumque patri suo similem. Solinus lib. Polyhist. cap. 4.

ROMVLVS & REMVS gemini fratres ex Rhea Syluia, à Marte compressa, nati sunt, teste Liuio à principio: & omnibus aliis astipulantibus, qui de Romanorum historia scripserunt.

TRIGEMINOS HORATIOS apud Romanos, totidémque Curiatios apud Albanos fuisse, quorum certamine Romani & Albani imperiū locarunt, testatur Liuius lib. 1. Dec. 1. & Plin. lib. 7. cap. 3.

VOPISCI à natiuitate nomen habent, & partu. E geminis enim, si remanente altero, alter abortiuo fluxu exciderit, alter qui legitimè natus est, Vopiscus nominatur. Solinus cap. 4. Polyhist. & Plin. lib. 7. cap. 10.

ANCILLA quædam Augusti Imp. vno partu quinque enixa est filios. Eam Augustus in via Laurentina honorificè sepeliri curauit. Gell. lib. 10. noct. Att.

LAMISSI Longobardorum regis mater, septem vno partu filios enixa, quos in piscinam proiecit. Sigebert. in Chron.

Albertus Magnus scribit, quandam fuisse MVLIEREM in Germania, quæ LX. filios peperit, quolibet partu quinque quorum nullus ad dimidium annum peruenerit.

ALTERIVS meminit Auicenna, quæ duos & viginti abortiuos ediderit. Rauis.

A virginis partu trecentesimo quartodecimo super mille, cum in Germania Lucenburgensis Henricus imperaret, MARGARITA Holandiæ comes, qua parte Rhenus Oceanum illabitur, trecentos ac sexaginta filios viuos, ita vt baptismi characterem acciperent, vno partu edidit. Ful. lib. 1. cap. 6.

ISENBERTVS comes de Altorf, vxorem habuit Irmentrudim. Hæc cùm pauperculam fœminam eodem partu tres liberos mares enixam vidisset, & tanquam impudicam reprehendisset, quòd ex eodem viro tres simul filios suscipere impossibile videretur: ipsa post annum (Deo sic eius superbum iudicium confutante) absente viro XII mares enixa est. Perterrita eo casu quòd iam de sua quoque pudicitia dubitari posse arbitraretur, obstetrici vndecim in proximo torrente mergendos committit, & vnicum illa seruat. Paret obstetrix. Obuius fit illi comes, & quid velatū gestet interrogat. Illa guelfos (sic enim lingua sua catulos vocabant) deformes submersuram sese asserit. Mox ille: At permitte, inquit, vt videam sintne aliqui qui venationi nobis inseruire possint. Repugnat illa. Tandē coacta, infantes XI ostendit, & negocium Comiti ita vt gestum erat narrat. Imperat ergo Comes, vt factum apud vxorem suam dissimulet, & filios educari præcipit. Exacto iam sexennio, cùm omnes viuerent, in arcē adduci iubet, atque illic coram omnibus amicis imprudentia vxoris detecta, veniam illi dedit, & filios porrò duodecim æquali iure suos esse voluit: statuitque vt non Comites de Altorf, sed ex vetulæ obstetricis ominosa voce, quæ vitam illis XI. dederat, Guelfi vocarentur. Hæc Atratinus Gebulus refert, vel reipsa miranda, vel inuentione speciosa.

INFANTVM CVRA STATIM A PARTV.

POENI pastorales, vbi filij ipsorum quadrimi effecti sunt, venas verticis illorum lana succida inurunt: nonnulli venas temporum, eam ob causam, ne vllo vnquam tempore phlegma, id est pituita defluens è capite, officiat, eáque de re se aiunt esse optima valetudine. Et sunt reuera Pœni inter omnes quos nouimus homines saluberrimo corpore: incertum an ob hanc causam. Quòd si pueris inurendis spasmos existat, inuenta est ab eis medicina. vrina enim hirci aspera eos liberant. Herod. libr. 4.

ÆTHIOPES, ab ipso natali die editos infantes in fronte inurunt, & stigmate notāt, quo capitis & oculorum humor exiccetur. Sic hodie quoque Ligures aiunt infantium syncipiti carbonem ignitum adhibere, eadem ratione. Ibidem: & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

BRACHMANES, editos infantes statim diiudicant publico in concilio, ex facie & corporis membris, cuius sint indolis. Cuius indoles probatur, bonis disciplinis formandum curabant: si improbaretur, statim occidebant. Ibidem.

LYCVRGVS Spartanorum legislator, lege sanxit, vt nato homine statim de futura indole iudicium feratur, si indoles improbaretur, puer statim in vltimas terrarum oras exponatur. Itaque pueros statim à partu vino abluebant. Si debilis esset fœtus, epilepsia corripiebatur, & exponebatur Si nihil lęderetur, educabatur, quòd ad omnes militię labores subeundos futurus esset idoneus. Ibidem. & Plut. in Lycurgo. & Cælius libr. 18. cap. 1. Antiq. lect.

IDEM, pueros infantes rigidissima aqua foueri, nudósque in labore enutriri voluit, vt si ad maturiorem ætatem peruenirēt, omnis laboris & doloris patientissimi forent. Ibidem.

PVERI

PVERI EXPOSITICII.

Vide tit. Eorum qui à feris brutísque animalibus nutriti sunt. Item tit. de Crudelitate parentum erga liberos.

THEBANORVM hæc lex rectissimè & sanctissimè posita est: Ne cui Thebano liceat infantē exponere, neque in solitudinem abijcere, capitis supplicio. Verùm si in extrema mendicitate sit constitutus pater, siue mas, siue fœmina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre, qui acceptum alicui tradit leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, vt per suā fidem infantem alat, & adultum serui vel seruę loco habeat, sic vt alimentum & educatio seruitute compensentur. Ælian. lib. 2. de Var. hist.

MOSES, à parentibus propter crudelissimum Pharaonis edictum in flumen proiectus est, quem aqua ex diuina prouidentia in sicco reliquit. Exodi cap. 2.

TELEPHVS Herculi filius, aui sui iussu in syluis expositus est. Alex ab Alex. lib. 2. cap. 31.

PARIS Priami Troianorum regis filius, cùm patrię fatum futurum esse crederetur, expositus à pastoribus nutritus est. Vnde maturus iam ætate, ignotus omnibus, in aulam paternam receptus, apud Idam iudiciū pulchritudinis pro Venere contra Palladem & Iunonem tulit, & ita fatis satisfecit: vt est apud Homerum & Vergil.

PHILONOMIA Nyctimi & Arcadiæ filia, à Marte compressa gemellos enixa est, quos metu patris in Erymanthum montem exposuit: quos deorum prouidentia illæsi delati sunt in caueam quandam, lupa vbera infantibus præbente. quod quidem Telephus pastor conspicatus, susceptos pueros educauit, alterum quidem Lycastum, alterum verò Parrhasium appellans. qui deinde Arcadiæ regnum successione consequuti sunt. Author est Zopyrus Byzantius, lib. 3. Hist.

CYRVS rex, à Mandanæ matris partu Harpago datus est, vt ferarum laniatui exponeretur. Sab. lib. 1. cap. 2.

HIERO, qui post profectionē Pyrrhi è Sicilia, creatus est dux aduersus Carthaginenses, & vltimò quoque Syracusiorum rex, genitus erat patre Hierodoto, nobili viro, cuius origo à Gelo antiquo Siciliæ tyranno manabat: sed maternum illi genus sordidum fuit. nam ex ancilla natus, ac propterea à patre expositus est. Sed paruulum & humanæ opis indigentem, apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluere. Hæc & alia plura, legere licet apud Iustinum lib. 23. in fine.

ROMVLVS & REMVS, ex Rhea Syluia virgine Vestali geniti, quæ à Marte, vel (vt alij volunt) à dæmone compressa fuit, quomodo in Tiberim proiecti sint, pete ex lib. 1. Dec. 1. Liuij, & aliis omnibus qui de Romanorum historia scripserunt. Sabell. lib. 1. cap. 2.

ANTONIVS Gnypho, ingenuus in Gallia natus, sed expositus, & à nutritore suo manumissus, Romæ docuit Rhetoricam: cuius etiam scholam Cicero & alij clari viri frequentasse dicuntur. Ex Tranquillo recitat Vol. li. 13. cap. 3. Antrop. Suet. cap. 6. de illust. Gram.

LAMISSII Secundi Longobardorum regis mater, cùm septem vno partu filios enixa esset, eos in piscinam quandam proiecit. Verùm rex Agelmundus iter faciens, eos hasta reuoluit. vbi cùm Lamussius hastam eius firmiter teneret, ab eo nutritus, eò virtutis processit, vt in regno ei succederet, & necem eius in Bulgares vltus sit. Sigebert. in Chron.

OTILIA à patre, quia cæca nata esset, exponitur: à matre tamen seruatur. Vide tit. Charitatis erga inimicos.

PARTVS FVTVRI PRÆSAGIA, ORACVLA, SOMNIA.

Sub loco Metaphysices, tit. Somniorum, Oraculorum, &c. Exempla plurima continentur,

MOSIS, mortalium omnium cœlo familiarissimi, salutaris ortus, diuino oraculo, an Memphitici alicuius vatis diuinatione Pharaoni prædictus, multo prius quàm puer nasceretur, & regem solicitum habuit, & Amrim patrem in spem certā erexit publicæ salutis. Enimuerò per quietem monitus is, talem ex se filium nasciturum percepit animo, qualis posteà ille fuit in suorum libertate vindicanda. Sab. lib. 1. cap. 1.

REMIGIVS episcopus Remensis, Gallorum Apostolus, antequam nasceretur, Montano cuidam monacho pro Ecclesiæ Gallicæ pace oranti, vox audita est, Remigium nasciturum vindicem Arianæ impietatis: eúmque in peccatis quidem conceptum, sed in vtero matris sanctificatū. Testis Hincmarus in eius vita. Hoc euentus ipse verum esse ostendit.

Calagoritani DOMINICI ignea vis illa, arcano lumine accensa, & ipsa nonnihil antea præuisa est: cuius mater prægnans, magno mentis præsagio per quietem vidisse fertur, parere se catulum, incensam facem ore circumferentem, quo omnes incendio terræ conflagrarent. Nec defuit nocturno visui euentus. Orta est ex illo ingens familia, quæ diuina prædictione terrarum partem multo maximam inflammauit. Sabel. libr. 1. cap. 1.

Syluij senis Hetrusci matrona nobilis, cui Victoriæ fuit nomen, quum proxima esset partui, in somnis sibi visa est, puerum se parere, mitrā capite gestantem. Fuitque id prę sagium humanę mentis verius quàm somnium. Infantem enixa est Æneam Picolhomineum, quem pontificē maximum, PII secundi appellatione, nostra vidit ætas. Ibidem.

Censenda est in hac relatione NICOLAI Tollentinatis genesis, cuius sanctitas, antequam conciperetur, & oraculo & nocturno visu est parentibus repræsentata. Hi de futura sobole oraculo quodam instructi, voti causa Barium profecti sunt: vbi quum ad diui (qui religiosè illic colitur) conditorium venerabundi diutius iacuissent, casu, an potius prouidētia, dubium, somno succubuēre. Hic inopinato monitu instructi, perceptam multo ante spem prolis augent, auctum votis & solenni precatione sibi natum despondent. Neque preces incassum missæ, omnia maiora sanctioráque secuta, quàm mens hominum sperare ausa esset, vt ex non sanctis sanctus nasceretur. Ibidem.

Vendicet & vetustas illa fabulosa sibi locum inter cætera: quę etsi poetarum figmentis magna sui parte tegitur, prodest tamen exemplo & eruditione. Nec enim (vt credere est) fabulari tantùm voluit, sed aliquid etiam docere, quum THETIDIS progeniem dixit à Ioue formidatam: quia futurum vereri poterat, vt is fortior esset patre, qui ex ea nasceretur. Ibidem.

Fax & fax illa Asiæ & Europæ infausta, Troiæ verò exitialis, quam Hecube Priami vxor, quū PARIDE grauidum ventrem ferret, sibi in somnis visa est eniti, & ipsa aliquanto antè præuisa. Itum est obuiam, quantum humana vis valuit, fatali necessitati: sed fatum mutari non potuit. Ibidem.

Vt religiosus draconis dissimuletur accubitus, qui Philippum Macedonum regem ab Olympiadis coniugis congressu perpetuò absterruit. Illud certè quod ad ALEXANDRI conceptum pertinet, magno præsagio fuit, quòd idem rex in somnis visus est sibi signum Olympiadis vtero imprimere, in quo expressa esset leonis forma. Per quæ Aristander vates coniectura haud inepta affirmare est ausus, Olympiadem concepisse: quoniam quæ vacua essent, impressionem non reciperent. Nec Alexāder nocturnam illam, quæ patri obuersata est, fefellit imaginem, qui tātum pugnandi ferocia cęteros mortales antecelluit, quantū feras omnes Libycus leo fortitudine præstat. Ibidem.

Sed in nullo vnquam fatorum vis tam ineluctabilis apparuit, quàm in maioris CYRI ortu & salute tuenda. Duplex in somnij species de Mandane filia adeò perculit Astyagem Medorum regem, vt illius progeniē veluti sibi & suo regno pestiferam horrere non destiterit, quàm vana interpretatione à seipso circumscriptus periit. Primò Mandane filia visa est illi, altè dormienti, Regiam vrbem, mox totam Asiam vrina perfundere: vitis dein eius genitalibus enata, magnam terrarum partem inumbrare. Vidit hæc Astyages: ignobilique filiæ matrimonio, & destinata nepotis nece, cauisse sibi & Medorum regno ratus est. Sed euenit nihilo secius, quod necesse fuit euenire. Ibidem.

Pariter inter miranda venit, quòd SELEVCVS, qui Syriæ regno postea etiam Asiæ iura addidit, ipse cum posteris, nasceretur coxa anchoræ imagine signata. Nec minus mirum, matrem eius somniasse, se ex Apolline grauidam factam, & præmium concubitus ab eo ānulum accepisse, cui anchora, sicut in filij coxa, erat insculpta: quem annulū postea ad bellum cū Alexandro eunti Seleuco mater dono dedit, & miraculum, quo annulum allecuta erat, narrauit. Fulg. lib. 1. cap. 6.

Pensatur in AVGVSTO principe maiestas Romani imperij, quæ quo maior fuit, eo plura maioráq; præsagia futuram vnius potentiam portenderunt. Nam vt Veliterni dissimulentur muri ante eius ortum prodigiosè è cœlo tacti, & quòd oraculo quodam senatus exterritus, haud multū abfuit quin omnes qui eo anno nascerentur extingui iusserit. nec repute tur in hac parte nocturnus ille serpens, solenni sacro Actiæ matri allapsus. Certè duplex somnij species parentibus per quietem oblata, magnitudinem futuri partus facilè portēdit. Mater, priusquam pareret, cernere sibi visa est, sublimiter sua ferri intestina, explicarique per omnem terrarum & cœli ambitum. Octauius pater, iubar solis ex vtero coniugis ortum, se per quietem videre imaginatus est. Ibidem.

TIBERII Cæsaris, qui huic successit, futuram magnitudinem, Liuia mater, antequam nasceretur, ostento & vatum prædictione cognouit. Prægnans hęc quum variis captaret ominibus, marem esset an fœminam editura, ouum gallinæ incubanti subductum nunc sua, nunc ancillæ manu tamdiu fouit, donec pullus sit inde exclusus insigniter cristatus. Quo inspecto, Scribonius mathematicus regnaturum infantem spopondit: verùm sine diademate, ignota scilicet adhuc Cæsarum potestate. Ibidem.

CEREMONIÆ POST EDITVM INFANTEM CELEBRARI SOLITÆ.

G

THRAVSI Thraciæ populi, edito puero, propinqui eum circumsidentes, cum ploratione prosequuntur, recensentes quascunque necesse sint illi, quòd vitam ingressus est, perpeti humanas calamitates. Hominē fato functum, per lusum atque læticiam terræ mandant, referentes, quod malis liberatus, in omni sit felicitate. Herod.lib.5.

CORPORIS SANITAS INCVLPATA.

Consule tit. Longæuorum.

Dixit CALEPH ad Iosue: Octogintaquinque annorum sum, hodie sic valēs, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo perseuerat. Iosue 14.

SOCRATES, adeò moderatè cibo potúque vsus est, vt absque medico valetudine inoffensa vixerit. Laertius in eius vita: & Ælianus lib.13. de Var.hist.

Pompeius poeta, vir consularis, tanta temperantia animíque moderatione fuisse dicitur, vt nunquam ructarit. Solinus cap.4. Polyhist.

Antonia Drusi vxor, nec spuisse quidem, ab eodem perhibetur.

MASINISSA rex Numidarum, nonaginta natus annos nudis pedibus incessit: nec imbre vllo aut frigore potuit adduci, vt operto esset capite. autor Cicero de Senectute.

ASCLEPIADES Prusiensis medicus, qui deploratum & pro extincto iacentem hominem è funere vitæ reddidit: cùm fortuna sponsionem fecit, ne medicus crederetur, si vnquam inualidus vllo modo fuisset. Estq; voti compos factus, subito scalarum lapsu suprema senecta exanimatus, Sa.lib.10.cap.8.

Ægyptij post AFROS maximè sunt salubri corpore: Vide tit. Studium in conseruanda sanitate.

POENI pastorales salubribus corporibus prædití. Vide tit. Infantum cura à partu.

SANITAS CVM RE ALIQVA NON NATVRALI, QVÆ ACTIOnem tamen non lædat: verbi gratia, figura aut numerus partium immutatus.

Ion Chius, prodit apud Cælium, HERCVLEM fuisse triplici dentium serie.

Euriphæus Cyrenæus habuit in superiore maxilla vnicum os continuū vice dentium. Rauis.

Timarchus, Nestoris Cyprij filius habuit vtrinque geminum dentium ordinem. Idem.

PRVSIÆ regis filius eodem nomine quo pater, pro superiori ordine dentiū vnum os æqualiter extētum habuit, nec ad speciem deforme, nec ad vsum vlla ex parte incommodum. Plin.lib.7.cap.16. Solin. cap.9. Val. Max.lib.1.cap.8.

Mithridatis regis filia DRYPETINE, Laodice regina nata, duplici ordine dentium, deformi admodum, comes fugæ patris à Pompeio deuicti, fuit. Val.Max.ibidem.

ARISTOMENES Messenius ab Atheniensibus ob calliditatem dissectus, repertus est hirsuto & piloso corde. Rauis.

Sylla & Cotta cum vnico testiculo nati sunt. Blondus.

CLEOMENIS Spartanorum regis (qui cum trecentis sese Xerxis myriadibus ad Thermopylas opposuit) cadauer aperiri Xerxes voluit, & pilosum cor reperit. Plut.cap.7. Paral. ex Aristide Milesio.

SEXVS IMMVTATVS.

Licinius Mutianus, vir grauissimus, dixit, ARESCONTEM Argiuum (Sabellicus Aristonem & Aristusam vocat) à se visum, cùm fœmina matrimonio cōiuncta esset, & Arescusa nominaretur: eundémque postea cum barba, prolatis etiam aliis virilibus signis, vxorē duxisse. Neque verò de Arescontе tantùm hæc dicit, sed etiam de alio qui Smyrnæ in Asia fuit. Id quod etiam antè consulibus Fabio Maximo quartò, & Claudio Marcello tertiò Spoleti in alio contigerat. Fulg.lib.1.cap.6. ex Plinio: & Sab.lib. nono, capite octauo.

Plinius affirmat à se visum in Africa L. COSSITIVM ciuem Tisdritanum, ea ipsa die qua ceu noua nupta ad virum ducebatur, esse in marem conuersum. Fulg.ibidem.

Miranda res ætate nostra contigit, Neapoli regnante Ferdinando primo. Nam cùm Ludouicus Guarna, Salernitanus ciuis, quinque filias suscepisset, quarum natu maioribus duabus alteri FRANCISCÆ, CAROLÆ alteri erat nomen: posteaquam ad quintumdecimū annum peruenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem erupêre: mutatóque habitu pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati. Fulg.lib.1.cap.6.

Item EBVLI sub eodem rege puellæ, quæ iam quatuor annos viro promissa sponsæ habuerat nomen, qua nocte primùm viro tradita cum eo cubuit, siue ex confricatione, siue ob aliam causam quæ ignota sit, effractis membranis, quæ vt mulier videretur efficiebant, virilia membra prodierunt: domúmque reuersa, in iudicio dotem repetiuit, in virorum numero postea habita. Ibidem.

Superat omnem admirationem ostentum, quod Licinio Crasso & C. Cassio Coss. vt in Romanis annalibus proditum est, CASSINI fieri cōtigit, vt ex virgine quadam sub parentibus puer factus sit. Hunc ætas illa adeò auersata est, vt aruspicum iussu in desertam sit insulam asportatus. Sab.lib.9.cap.8.

CALVI.

AGATHOCLEM Siciliæ tyrannum, aiunt perquàm ridiculo & turpissimo capite fuisse. Cùm enim paulatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductus myrtea corona crinem obtexit, quæ quasi velum erat, & tegmen caluiciæ. At crinium destitutio Syracusios non clàm erat, neque latere poterat: silentio tamen inuoluere cogebantur, propter impiam, & ad audendum proiectam tyranni mentem, Ælian.lib.11. de Varia historia.

In SCYTHIA, incolunt sub excelsorum montium radicibus homines quidam ab ipso natali calui, mares pariter & fœminæ: simis quoque naribus, & ingenti mento, proprio quodam oris sono, Scythicam gestantes vestem, ex arboribus victitantes. Herod.lib.4.

Arymphæi, prope Rhyphæos montes, capillos pro summo probro ducunt, & ab ipso natali sunt calui. Rauis.

C.IVL. Cæsar, cùm caluus esset, laurea corona vsus est. Milites certè in Gallico triumpho iocabundi vociferabantur: vxores vestras seruate ciues, vobis mœchum adduximus caluum.

FEBRIBVS OBNOXII.

ANTIPATER Sidonius poeta, omnibus annis, vno tantūmodò die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cúmque ad vltimam ætatem peruenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est. Val.Max.li.1.cap.8. & Plin.lib.7.cap.51.

Illud admiratione non caruit, C.Mœcenatem, dum vixit, febri laborasse, trienniόque suæ vitæ postremo nunquam sensisse se dormire. Fulgos. lib.1.cap.6. ex Plin.lib.7.cap.51.

MANIACI, INSANI, FVRIOSI, DELIRI, MELANCHOLICI.

MARSYAS dum Apollinem ad tibiæ certamen prouocasset, in furorem versus, ab ipso Deo excoriatus est. Ouidius in Ibin:

Mens quoque sic furiis væcors agitetur, vt illi,
Vnum qui toto corpore vulnus habet.

Agaue Cadmi & Hermiones filia, Bacchico furore correpta, Pentheum filium interfecit.

ATHAMAS Æoli filius, furiis à Iunone immissis vsque adeò correptus est & agitatus, vt Learchum filium interfecerit. Plinius libro 34. capite decimoquarto.

Pentheus dum sacra Bacchi despicaretur, vlciscente numine in furorem raptus est. Verg.lib.4. Æneid.

Eumenidem veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

ORESTES Agamemnonis & Clytæmnestræ filius, propter interfectam matrem furiosus factus est, donec ad aram Dianæ Tauricæ expiauerit scelus. Cælius scribit, Orestem vi furoris sibi digitū arrosisse & vorasse, eóque facto, Eumenidas illi albas se ingessisse, quum prius nigro colore occurrerēt formidolosæ. Adagium est apud Erasmum, Oresti pallium texere: in eum qui parat munus abusuro. Nam Orestes per insaniam vestes dilacerabat.

ALCHMÆON Amphiarai & Eryphiles filius, propter interfectam matrem furiis itidem agitatus est.

HERCVLES visa apud inferos Megæra, in furorem versus est, vnde regellus filios imprudens occidit. Lucan.lib.1.

---Aut qualem iussu Iunonis iniquæ,
Horruit Alcides viso iam Dite Megæram.

AIAX Telamonis filius, propter arma Achillis mortui data Vlyssi in virtutis præmium, dolore animi & inuidia in furorem versus, armenta loro cædebat, existimans se interficere Græcos.

LYCVRGVS Dryantis filius, rex Thraciæ, à Baccho (cuius numen aspernabatur) in furorem versus, vites excindere volens, crura sibi amputauit.

MILO Epirota, quum hastam in Laodamiam filiam Pyrrhi coniecisset, quæ ad aram Dianæ, velut ad asylum confugerat, dea vindicante, in furorem versus est, quo intra duodecimum diem periit.

PROETIDES, seu filiæ Prœti Argiuorum regis, dum Iunoni se præferunt, in furias versæ, ac postmodum mutatę in vaccas, finguntur à poetis. Verg. Prœtides implerunt falsis mugitibus agros. Vide Seruium. De iis sic Ælian.

ELEGAM & CELÆNAM filias Prœti; regina Cypri ad insaniam impulit, quæ in quibusdam Peloponnesi locis visæ sunt nudæ furentésque discurrere. Eruperunt etiam in alias regiones Græciæ, agitatæ impulsæque isto morbo. Audio etiam, Lacedęmoniorum fœminas œstro Bacchico percitas fuisse. Chiorum, item Bœotorum mulieres, quasi diuino furore concitatę insanierunt. Solas Minyades LEVCIPPEN, ARISTIPPEN & ALCITHOEN, aiūt hanc choream detrectasse, ob eam causam, quòd maritos ambirent. nam idcirco bacchari in honorem Dei noluerunt. Qui excanduit: & cùm illæ telis operam nauarent, atque opificio lanificio summo cum studio incumberent, confestim hederę racemíque in colis serpserunt, in calathis dracones nidos posuerunt, & à summis pensis lactis viníque stillæ demanarunt. Verùm cùm ne his quidem rebus ad cultum Dei adduci possent, tum inuasit eas furor extra Cithæronem, non leuior quàm in Cithærone. Nā Leucippæ filiū tenerum adhuc, & admodum iuuenem, Minyades furore imbutæ discerpserunt, hinnulum esse putantes, atque inde ad prius commemoratas Minyades pertraxerunt: quæ cum eas ob admissum scelus insequerentur, in aues sunt mutatæ: & vna assumpsit formam cornicis, altera vespertilionis, tertia noctuæ. Æliā. lib.3.

THRASYLLVM Æxoneum inauditus quidam ac nouus dementiæ morbus inuasit. Nam vrbe relicta, migrabat in Piræeum: cúmque ibi habitaret, omnes naues quæcunque in eo subducerentur, suas esse putabat, & in album suum referebat, sicque dimittebat eas. Quòd si quæ saluæ integræ in portum ingrederentur, supra modum gaudebat. Multum autem temporis hoc morbo tenebatur. Proinde frater eius profectus è Sicilia, tradidit eum medico vt sanaretur, atque sic eum reliquit væcordia. Sæpissimè igitur suæ vitæ mentionem faciebat, quam in amentia egisset: & se nunquam cumulatius gaudium percepisse dicebat, quàm cùm vidisset naues seruari, quæ tamen ad se nihil pertinerent. Ælian. libr. 4. de Varia historia.

SPARSVS fuit quispiam, quem Seneca scribit inter scholasticos insanum, inter insanos scholasticum fuisse. Vide Cælium.

CAMBYSES quum Apin (quem Ægyptij pro Deo colebant) violasset, vlciscente numine, lapsus est in furias. Quibus agitatus, vniuersam propè familiam deleuit. autor Herodot. in Thalia. Postremò furore victus seipsum interfecit.

ACCO mulier iam decrepita, quum faciem (quam ad speculum explorabat) senio deformatam conspiceret, animi ægritudine in insaniam lapsa est. Alij aliter sentiunt. Aiunt enim, ipsam cōsuesse alloqui suam imaginem in speculo, eíque subridere, comminari, promittere, subblandiri, & quicquid confabulantes solent dicere. Cælius.

CLEOMENES Astypalensis, prodigiosis homo viribus, quum Lachū Epidamnium athletam ictu pugni interfecisset, interfectique aperuisset latera, ac propterea iudices tantam perosi feritatem in eum vellent animaduertere: indignatus, & in furorem versus, columnam (qua ludi literarij domus fulciebatur) disiecit, eáque ruina pueros omnes obruit. Sunt qui dicant, hunc furorem eidem irrepsisse, quòd victoriæ præmio fuisset fraudatus. Plut. in Romulo.

CLEOMEDES, seu Cleomenes, fuit alter, quem Herodotus in Erato scribit, à Lacedæmoniis (quibus imperabat) primò expulsum, demùm pristinæ dignitati restitutum fuisse. Nec multo pòst in tantam insaniam incidisse, vt vnicuique obuio sceptrū in faciem impingeret. Quod cū facientē propinqui soleis ligneis illigauerunt, & in carcerem cōiecerunt. Vbi arrepto custodis & ergastularij gladio, ab ima corporis parte ad verticem capitis sese dissecuit.

TIMANTES Cleonæus athleta, quum senio confectus, arcum non posset complicare, quem intendebat iuuenis, dolore animi in furorem lapsus est, ac propterea se interfecit. Cæl.lib.6.cap.15.

Apud Chaones adolescens quidam primæ nobilitatis, Antippen amauit, quem omni arte circumueniens persuadere conatus est sibi commisceri. Neq; verò ipsa exors erat penitùs erga adolescentē amoris. Quare clàm parentibus concupiscentias suas simul expleuerunt. Festiuitatem autem aliquando publicam Chaonibus agentibus, omnibúsque conuiuantibus digressi, in syluam quandā peruenerunt. Et tū forte fortuna regis filius CICHYRVS pardalim fugientem in eam vsque syluam persequens, iaculum in eam immittit: atque ab ea quidem aberrat, impetit autem puellam. Opinatus verò se feram esse iaculatum, equum propius adigit: & quum videret adolescentem in vulnere puellę manus habentem amens factus est, ac vertigine affectus, ab equo in præruptum ac petrosum locum delapsus est. vbi interiit. Chaones autem in honorem regis eundem locum muro cinxerunt, & ciuitatem Cichyrum appellarūt. Quidam autem syluam hanc Echiones esse Epiri filiæ aiunt, quæ ex Bœotia digressa vnà cum Harmonia & Cadmo abierit, ac Penthei reliquias secum deferens iuxta syluam hanc expirarit ac sepulta sit, propterea terrā ipsam Epirum ab illa nominatam. Parthen. de Ama. cap.32.

TAMYRAS poeta, prouocans in musices certamen Musas, victus oculis & mente à Musis priuatus est. Volat.lib.20. Anthrop.

PISANDER poeta præclarus (Vide tit. Poetarum) eò venit insaniæ, vt sibi continuè timeret, ne suæ ipsius vmbræ, à qua destitutus esset, occurreret. Talem quoque Ferrariæ fuisse Gyraldus in primo Tomo hist. Poet. dialogo 3. testatur, qui nullo pacto à Nic. Leoniceno Medico persuaderi potuerit, id impossibile esse, vt quis absque anima vagaretur. & rationes quidem omnes propositas probabat: cùm verò argumentationis conclusio afferebatur, id totum ille pertinaciter negabat.

CHARILEVS Mæandrij (qui post Polycratem tyrannidem Sami occupauit) frater, stultus & amens, in loco subterraneo vinctus detinebatur. At cùm Persæ duce Otane Sylosontem exulem, fratrem Polycratis tyrāni, in insulam reduxissent, à Mæandrio solutus, acceptis militib. Persarū proceres plurimos specie deditionis interfecit, & mox ipse cum suis omnibus cæsus occubuit. Herod.lib.3.

PERIANDER insanus. Vide incestus exemplum Periandri. Ex Parthenij Eroticis cap.16.

MENEDEMVS Lampsacenus Cynicus, eò insaniæ venit, vt sub furiæ larua circuiret: dictitans se exploratorem ab inferis venisse, delaturum dæmonibus mortalium peccata. Laert.lib.2.cap.18.

EVAGORAM regem Cypriorum Cælius scribit repētino furore correptum fuisse.

CHAREM Plutarchus in vita artaxerxis scribit, fuisse quendam, qui in bello Cyrum vulnerauerit, succisa poplitis vena: quem ait insania postmodùm fuisse correptum, nimia illati Cyro vulneris arrogantia.

LIVIVS Drusus tribunus plebis, quum eo morbo laboraret, Anticyrā profectus, sumpto ibidem helleboro conualuit. autor Gellius cap.25. lib.17.

GALLVS Vibius vir fuit magnæ eloquentiæ, qui dum insaniam mentiretur, quod assimulabat, ad verum redegit. Cælius lib.6.cap.35.

T.LVCRETIVS poeta physicus, sumpto amatorio poculo, in furiam lapsus est, qua impellente mortem sibi consciuit. Statius: Et docti furor arduus Lucreti. Cælius cap.26.lib.9.

COR.GALLVM Ægypti præfectum sub Augusto philtrum, hoc est amatorium poculum insanum & furibundum reddit. Eusebius in Chronicis.

IVSTINVS minor Imperator Romanorum, ab initio liberalis visus: verùm à Sophia coniuge persuasus, auarissimus euasit, simul & Pelagianæ assertor hæreseos. Quapropter ferè insanus ad postremum habitus est. Volat.lib.23. Anthr.

MICHAEL Græcorum Imperator, adeò mente excedebat, vt familiares suos iuberet occidi: quos tamen ad se rediens, sibi præsentari exigebat. Sigeb. in Chron.

IVSTINIANVS Iustini ex sorore nepos, qui legum institutiones fecit, post diuersa facta egregia, stultus & amens factus interiit. Eius nepos ex sorore IVSTINVS, in insaniam incidit, & dolore pedum vitam finiuit. Guido Bitur.

AIO filius Arichis ducis Beneuenti, missus à patre ad Rhotharem Lōgobardorum regem, veneno hausto, cœpit insanire. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum.

HARTHBENVS fuit athleta quispiam ex Helsyngia, nouem cubitis procerus, quem Saxo grammaticus in tantas furias testatur cecidisse, vt summas clypei partes corroserit, igneos carbones vētri mandauerit, raptas ore prunas in viscerum ima transfuderit, crepitantia flammarum pericula percurrerit, & ad extremum in sex athletarum suorum præcordia furente manu ferrum conuerterit. Rauis.

Quum STEPHANVS eques Neapolitanus, poculo amatorio insanisset, tenerétque oppida & nonnulla regia officia ab Alphonso Aragonum rege tradita, fuerunt qui ab Alphonso illa bona postularent: absurdum esse dicentes, à demente huiuscemodi bona possideri. Quibus rex respondit: Sibi inhumanissimum videri, iis se etiam substantiam auferre, quibus sors mentem & cerebrum abstulisset. Innuit autem, calamitatē non esse adiungendā calamitati. Panormita lib.4. de Gestis Alfon.

Ferdinandus Castulonensis, item Siciliæ atque Aragoniæ rex, qui Beticæ partem (nunc Granatam nuncupatam) octingentos annos à Mauris possessam recepit, cùm Barchinonem, veluti in speciem triumphi venisset, fœlicissimus ab omnibus habebatur: & tamen illic variante res humanas fortuna, parum abfuit quin vitam regnúmque simul amitteret. Quidam enim CANEMAS nomine, Catheanus, qui iam diu atra bili laborare videbatur, gladio eum confodere conatus, collum ingenti vulnere petiit, neque eius facti per omne tormentorū genus alia elici causa patuit, nisi quod interempto Ferdinādo regē se futurū sperabat, id quod sibi sæpius ab Angelo nunciatum dicebat. Adeò paruo momēto regna

consistunt,vt sæpe in vesani hominis manu, eam posuisse fortuna videatur. Quod idcircò contigit, vt Fortunæ, aut potius Dei, cui hoc Fortunę nomen seruit, vires immensæ cognoscantur esse, & nihil humana superbia vanius atque incertius haberi.Fulgosus libro sexto, capite vndecimo.

DAEMONIACI. OBSESSI.

Consule tit. Dæmoniacorum sanatorum.

GVNDERICVS rex Vandalorum, capta Hispali,cùm impiè elatus, manus in Ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, mox Dei iudicio à dæmone correptus interiit.Sigeb.in Chron.

LATRO Longobardus,Mennæ eremitæ aluearia deprædatus, à dæmone corripitur.Vide tit.Paupertas voluntaria religiosa.

OBLIVIOSI.

Titulum istum Lib.primo inter vitia animi connumerauimus, quatenus obliuio Theoricorum habituum acquisitioni officere potest.Hoc verò in loco simpliciter Memoriæ amißionem,quæ vel à morbo aliquo, vel à senectute perueniat,consideramus.

Quidam Atheuis VIR eruditissimus, cùm ictum lapidis capite excepisset,cetera omnia tenacissima memoria retinens, literarum tãtummodo,quibus pręcipuè inseruierat,oblitus est.Dirum malignúmque vulnus in animo percussi,quasi de industria scrutatis sensibus,in eũ potissimùm locum, quo maximè lætabatur, acerbitate nocendi erupit, singularem doctrinam hominis pleno inuidiæ funere efferendo:cui si talibus studiis perfrui fas non erat, vtilius aliquanto fuit ad illa aditum non impetrasse, quàm iam percepta eorum dulcedine caruisse,Val.lib.1.cap.8.

MESSALA Coruinus orator, post ægritudinem quam pertulerat, proprij nominis oblitus est,quamlibet aliàs ei sensus vigerent. Solinus cap 6.Polyhist.& Crinitus lib.1.cap.10.Rot.in prouerb. Proprij nominis obliuisci.Plin lib.7.cap.24.& Sab.lib.10.cap.9.

Habebat Augustus NOMENCLATOREM obliuiosum,cum hoc genus hominum oporteat in primis valere memoria.Is ad forum iturus,rogat Cæsarem,nunquid eò mandaret:Accipe,inquit,commendatitias,nã illic neminem nosti. Atqui hoc est proprium nomenclatorum munus, omnium nomina,cognomina,titulósque dignitatum tenere, quo heris, cum opus est,suggerãt.Vnde illis etiam nomen est inditum, è Gręco Latinóque conflatum.Suetonius in Augusto,Brusonius lib.4. cap. 4.Erasm. Rot.lib.4.Apoph.

Orbilius Pupillus Beneuentanus grammaticus illustris, ætate Ciceronis,in senectute amisit memoriam.Vnde Bibaculi versus: Orbilius vbínam est literarum obliuio.Sueton.de illust.Gram.

BAMBA rex Gothorum, haustu veneni ab Heringio successore dati memoriam amisit.

GEORGIVS Trapezuntius,vir doctissimus nostro seculo,vt traditur, omnium literarum Gręcarum Latinarúmque in senio oblitus est. Volat. lib.21.Anthrop.

FRANCISCVS Barbarus Venetus, è schola Chrysoloræ vtraque in lingua eruditissimus,postremò senescens, vti Hermolaus ait, literarum Græcarum,quas probè tenebat,omnino oblitus est. Volaterranus lib.21. Anthrop.

CONR.Lycosthenes, anno Domini 1555. subita paralysi dextri lateris tactus, linguæ etiam officio sublato, ratione salua, memoriam aliquot diebus amisit:pristinæ tandem valetudini restitutus, septennium pòst incolumis,integra vixit memoria.

VIGILIÆ NIMIÆ.

ANACREON, cum dono accepisset à Polycrate quinque talenta, solicitúsque insomnes egisset propter illa duas noctes, ea reddidit,dicens: non se ea æstimare precio solicitudinis,qua ipsorum causa solicitaretur. Maximus serm.12.Antonius in Melissa,par.1.serm.29.

C.Mecœnas Augusti summus amicus,Terentiæ vxoris amores (nam & Augustus eam deperisse fertur,& vitandorum sermonum causa in Galliã profectus.Hoc certum est,eam de forma cum Liuia Augusta certare voluisse)ægrè ferens,& morosæ vxoris repudia deflens,cùm nec mero,nec aquarum fragoribus somnum allicere posset,toto triẽnio vigilauit:& vir tandem per symphoniarum cantum ex longinquo leuẽ resonantium sopitus est.Seneca in lib.de Prouidentia.

SIGISMVNDVS Imp.Anacreontem imitatus est in vigiliis abigendis.Vide tit.Largitiones pecuniariæ.

SOMNVS PRÆTER NATVRAM LETHARgus, Caros, Coma.

THEON Stoicus,dormiens passim ambulabat Quo etiam morbo laborauit SERVS Periclis, adeò vt dormiens in summa tecta reperet. Rauisius.

Epimenides Cretensis à patre missus vt ouem rure deduceret, æstu meridiano diuertit in specum:vbi somno captus 77.annos,vel 40,vt Pausanias voluit:vel 47,ut Eudemus:vel 57.vt Plinius, vel,vt alij, sex tantùm dormiuit.Experrectus ouem quærebat:qua non inuenta, domum rediit, & omnia immutata conspicatus,stupido similis domum paternam est ingressus:& vix tandem à fratre iuniore(qui iam consenuerat) agnitus est. Qua re per Gręciam vulgata,Epimenidem tanquam deorum amicum in precio habere cœperunt.Gyraldus in 2.Dial.histor.Poet.ex Plin.libro 7. cap.52.

Ephesij septem fratres Christiani,Decij Imp.persecutionem fugiẽtes, in specum secessere,& ibi per 200.ferè annos dormierunt.

Herculis nouem filij Thespij dicti,ex filiabus Thestij,cùm in Sardinia interiissent,vsque ad Aristotelis tempora corpora eorum integra permãserunt,tanquam dormirent.Ea propter domire dicti sunt. Meminit eorum Arist.in 4.Physic.& Heros in Sardo vocat. Simplicius,in eius loci explicatione.

Iuuenes quidam in Apaturiorum celebritate ebrij facti, per quatuor eius celebritatis dies dormiuisse dicuntur. Recitat ex Eudemo Simplicius.

ROMANI quinque in extrema Germania parte,in Oceani littore, in antro sub eminenti rupe excauato, longo sopiti somno dormire dicuntur,illæsi non corporibus solùm,sed & vestimentis. Quibus cùm Audax quidam eos exuere tentasset,mox ei brachia aruerunt.Paulus Diaconus, & Methodius.

M.Damascenus scribit,suo tempore in Germania defessum RVSTICVM sub fœni cumulo per totum autumnum sequentémque hyemem continuò dormiuisse,donec fœno depasto experrectus est, tanquã semimortuus,totúsque extra se positus inuentus est.

CÆ SI, ET EXCÆCATI.

Exempla plurima pete ex tit.Tolerantiæ religiosæ morborum.

SEDECHIAS rex Iuda,malus apud Deum & homines, comprehensus est fugiens.Coram eo rex Babylonis proprios filios fecit occidi. Erutis tandem oculis ductus in Babylonem,miserabiliter mortuus est.4. Reg.vlt.Hierem.39. & 52.

Bariesum ELYMAM magum,pseudoprophetam Iudæum,Paulus priuauit lumine oculorum,eo quòd Cypri proconsulem Sergium Paulum à fide auerteret, & Apostolis verbum Dei prædicantibus resisteret. Acto.13.

Inter Poetas cęci plurimi fuisse connumerantur. Artemidorus in somniis rationem affert,quòd cùm summo studio poetę nitãtur, in contemplando crebrò oculis conniueant atque claudant:aut etiam, quòd lucubrationibus assiduis oculorum aciem vehementer lędant. Somnium cæcitatis ingruentis,in poeta bonum esse omem asserit.Gyraldus in 2.Dial. hist.Poet.

Orta inter Iouem & Iunonem ludicra quęstione,vtri scilicet maior esset libido,viróne,an fœminę:Tyresias Thebanus iudex electus,quum pro Ioue sententiam tulisset,dixissétque mulierem esse lasciuiorem,ab irata Iunone excęcatus est.Indignatus Iupiter, cęcitatem vaticinio pensauit. Ouidius in Ibin:

Qualis.

Qualis erat,postquam iudex de lite iocosa
Sumptus Apollinea clarus in arte senex. Idem lib.3.Metam.

Politianus scribit eum ideo excæcatum fuisse, quòd nudam vidisset Mineruam, vbi in Ambra ait:

-- Baculum dat deinde potentem
Tyresiæ magni,qui quondam Pallada nudam
Vidit,& hoc raptam pensauit munere lucem.

THAMYRAS,Philemonis filius,Thrax poeta & musicus,cũ certaret cantu cum Musis hac conditione, vt victor earum complexu potiretur, victus verò quod eis luberet pateretur:superatus à Musis, oculis & lyra priuatus est.Ex quo prouerbium manauit, in eos qui præter ingenium proprium aliquid agunt, θάμυρις μαίνεται: id est, Thamyras insanit. Ex prouerbiorum Græcorum libro recitat Vola.120.

HOMERVS Troiani belli scriptor,cùm è Tyrrhenia rediret, ductus mercatore Mente nomine,apud Ithacam in oculorum morbum incidit,& Mentori hospiti familiari suo se curandum tradidit. Qui postea conualescens, Colophonem profectus, ibidem rursus in eundem incidẽs morbũ,cæcus effectus est.Herod.in eius vita:& Cicero lib.5.Tusc.quæst. Vnde autem cæcitatem illam contraxerit,non satis conuenit. Sunt qui dicant hoc ei ex morbo contigisse:alij ex longa senectute.Ouid.in Ibin, apum aculeis excæcatum scribit:& Pont.de stellis lib.5. confirmat.

LYCVRGVS à Thracibus(quibus principabatur)excęcatus est, quòd fœminas quasdam sequentes Bacchum simulata cum Deo amicitia interfecisset.Diodorus.

PHOENIX Amyntoris filius,oculis caruit.Vnde Ouidius in Ibin:

Id quod Amyntorides videas,trepidúsque minister
Prætentes baculo luminis orbus iter.

POLYPHEMVS quum prius esset monoculus,ab Vlysse planè excæcatus est.Ouid.in Ibin:

Pastor vt Ætnæus,cui casus ante futuros
Thelemus Eurymedes vaticinatus erat.

ANCHISEM Boccacius cæcum fuisse scribit,ex Seruij testimonio, ac propterea Troianorum consiliis non interfuisse.Cæcitatem autem contigisse ait,quòd gloriaretur se cum Venere concubuisse.

ILVS,quum in Troia Mineruę templum arderet, demissum cœlo Palladium eripuit,statimque oculis captus est.Postmodum placata ira deæ, pristinum recuperauit visum.Dercyllus apud Plut.

HYPSEA mulier fuit notæ cæcitatis.Vnde Horatius lib.1.Serm. Ne corporis optima lynceis Contemplere oculis,Hypsea cæcior.

OEDIPVS vbi agnouit se Iocastæ matri concubuisse, & patrem Laiũ dedisse morti,sceleris horrore oculos sibi eruit.Ouid. in Ibin.Seneca in Oedipo.

POLYMNESTOR rex Thraciæ, cum Polydorum Priami & Hecubæ filium,fidei suæ tempore belli Troiani creditum auri (quod illo habebat)cupiditate occidisset:indignata mater Hecuba,eidem per simulatam amicitiam conuocato oculos eruit. Ouid.in Ibin, Euripides apud Plut in Paral.

Aiunt Hero puellam fuisse,Oenopionis & nymphæ Helices filiam,eãque ipsam ab HORIONE Hyrei filio adamatam,petitámque à parente eius Oenopione:eiúsque gratia insulam cicurem factam esse, quæ tum feris multis erat referta, nimirum quum magnam prædam ipsarum à se captarum pro donis sponsę offerret.Verùm Oenopione semper nuptias differente,quòd eum sibi generum adsciscere dedignaretur,Horionem præ ebrietate amentem factum,thalamum confregisse in quo puella cubabat:atque ob id factum coactum esse ab Oenopione sibi oculos exui.Parthen.de Amat.cap.20.

In Sicilia DAPHNIS Mercurij filius,Bucolici carminis author, deformi specie præditus erat.Is in frequentiam hominum non veniebat, verùm circa Ætnam boum pastor & hyemis & æstatis tempore in agro pernoctabat.Huius amore aiunt Echenaidem nympham captam, iniunxisse ei,ne cuiquam mulieri se applicaret.Si enim non obediret,futurum vt oculis priuaretur.Aliquandiu fortiter restitit,quamuis à plurimis vehementer impeteretur.Postremùm autem vna ex Siculis reginis multo vino eum inficiens,in concupiscentiam induxit,vt cum ea commiscer etur:atque ab hoc tempore ille simili modo, quo Thrax Thamyras, per insipientiam oculis caruit.Idem cap.29.

PHINEVS ira numinum excæcatus est,quòd filios suasu Harpalices excæcasset.Sunt qui dicant Phineum Idæ filiæ Dardani Scytharum regis amore vsque adeò captum fuisse, vt eius suasu filiis ex Cleopatra susceptis oculos euulserit.Ouid.in Ibin.

Herodotus in Erato ait,ERIZELVM Atheniensem in bello incerta causa luminibus captum fuisse, neque saucium vlla corporis parte, neque ictum.

TIMOLEON Corinthius(qui expulso Dionysio Syracusas redemit seruitute)ætate iam prouectus,morbo cœpit laborare,quo cæcus factus est.Plut.in eius vit.

PHANVS fuit vsurarius quispiam cæcus,de quo Erasmus meminit in illo adagio,Phani ostium.

ASCLEPIADES nobilis philosophus, interroganti cuidam, Quid ei cæcitas attulisset?Respondit,vt puero vno essem comitatior.Rauisius.

DIODORVS Stoicus post visum amissum,vt Cicero alibi refert, multo etiam magis assiduè quàm antea in philosophia versatus est, cùm & fidibus Pythagoreorum more vteretur:& quod fieri posse vix videbatur, Geometræ munus tueretur.Pontan.lib.2.cap.8.de fortitud.domest.

DEMOCRITVS physicus luminibus se priuauit, vt intentus omnia contemplaretur.Dignus sanè qui plus vnus viderit quàm vniuersa Græcia.Nihil enim est in toto mundo,de quo scribere illi cura non fuerit. Sab.lib.2.cap.1.Cicero lib.5.Tusc.quæst.Gell.lib.10.cap.16.

POLYZELVS Atheniensium dux,aduersus Datem Persarum præfectum pugnans, cùm quendam humana specie augustiorem in ipsa acie vidisset,cæcus factus est.Plutar.cap.1.Parall.

ANTIPATER Cyrenaicus mulierculis quibusdam cæcitatem ipsius deplorantibus:Quid agitis,inquit?an vobis nulla videtur voluptas nocturna?Nocte omnes cæci sumus,nec tamen lamentamur. Habet animus quo se delectet,etiam occlusis sensibus.Responsum Antipatri conueniebat fœminis,omnia voluptate metientibus.Cic.lib.5.Tuscul.

XENARCHVS è Seleucia Ciliciæ Peripateticus, qui Alexandriæ docuit,Arrij primùm philosophi,deinde Cęsaris Augusti vsus amicitia, paulò ante mortem visu orbatus est.Strab.lib.14.

STESICHORVS poeta,quum Helenam suis carminib.infamasset, excæcatus est.Ibi tamen palinodiam cecinit,recepit visum. Politianus in nutricia:Et damnans Helenam,laudánsque vicissim,Amittit, recipítque oculos,tuus Himera ciuis Stesichorus.Suid.apud Volat,

OPHIONEM,Messeniorum vatem,Pausanias apud Cælium scribit, semper à natali statim die luminibus captum,& priuatim & publicè vaticinia peregisse,& post vehementem capitis dolorem videre cœpisse, ac mox relapsum ad cæcitatem denuò.

SESTORIS,vel(vt alij adpellant)Sesosis,Ægyptiorum rex potentissimus & bellicosissimus,post multas res egregiè gestas visum amisit.Diod. Sic.lib.2.cap.2 de Reb.antiq.

Huius filius PHERON cùm patri in regno successisset,eodem oculorum casu afflictatus est,siue propter communem patris naturam, siue ob impietatem in Nilum.Vide tit.Pœna impietatis erga deos.

ANYSIS rex Ægyptiorũ,cæcus fuit,ex vrbe Anysi.Expulsus in palustria à Sabaco Æthiopum rege,insulam cinere atque humo exaggerauit nam vt quisque Ægyptiorum iussus illuc ibat portans frumentũ, ei mãdabat,vt clam Æthiope ad se dono eti im cinerem ferret.Nomen insulæ indidit Elbo.Quam septingentis annis nullus regum ante Amyrtæum inuenire potuit. Est autem decem stadiorum magnitudine.Herod.lib.2.

APPIVS Claudius,cùm Potitiorum sacra(quæ in Herculis honorem fiebant)pacta mercede ad seruos transtulisset,ira numinis excæcatus est. Potitij,qui ex ea supererant familia, breui omnes periêre.Viguit nihilominus ingenio Appius.Rexit numerosam familiã senex & cæcus: rexit quoq;,quod maius est,Rempublicam Rom. & turpem pacem cum Pyrrho suis dissuasit Plut.in Pyrrho.

CN.AVFIDIVS prætorius,in cæcitate sententiam in senatu dicebat, nec amicis deliberantibus deerat: Gręcã scribebat historiam, & videbat in literis.Pont.lib.2.cap.8.de Fortitudine domestica.

L.METELLVS,cùm oculis orbem senectutem ageret, à Senatu pro munere ei datum est,vt curru in senatum veheretur Alex.ab Alex.libr.4. cap.11.

Q.CÆCILIVS Metellus eo quòd sacra ex incendio ædis Vestæ rapuit,oculis captus est.Liuius lib.19.& Volat.lib.17.Anthrop.

C.DRVSVS cæcus fuit,tamen domus eius implebatur consultoribus, qui in suis causis cæcum adhibebant ducem.Valerius de Studio.

VALERIVS Bestius,dum Ruscium L.Imbrici soceri sui filium, fidei suæ creditum cupiditate auri interfecisset,ab ipso postea Imbrico correptus & excæcatus est.Plut.

P.CORN.Ruffinus,M.Curij in consulatu collega,domiens oculorum visum amisit,quum id sibi accidere somniaret.Plin.lib.7.cap.50.

Q.ASCONIVS Pedianus Patauinus,vir doctiss.sub Nerone elegantissimos commentarios in Ciceronis orationes scripsit. Hic 7. ætatis anno cæcus factus,duodecim superuixit,quibus de pristino studio nihil remisit,quin imò historias eo tempore discipulis suis dictauit. Bernard. Scard.in hist.Patauina ex Eusebio.

CONSTANTINVS,Paulo pontifice mortuo,subitò ex laico sacerdos ordinatus,tyrannica ambitione pontificatum inuasit:vbi cùm Ecclesiæ Christi scandalo esset,tandem per zelum fidelium ab ecclesia deturbatus,oculísque priuatus est.Sigebert.in Chron.

Cõstantinus imperator,Leonis & Irenes filius,NICEPHORVM imperatorij stemmatis hominem(in quem suffragia multorum inclinabãt) oculorum & linguæ vsu priuauit.Egnat.

Irene postea imperatrix rerum potita,filium CONSTANTINVM iuniorem,huius nominis VI.in potestatem redactum excæcauit.Egnatius.

Constantinus Copronymus imperator,ARTABASDVM primæ nobilitatis hominem,imperatorem ab orthodoxis creatum, biennio pòst captum,oculorum visu cum liberis priuauit.Egnat.& Sigebert.

CEDONIVS vnus ex discipulis Christi,cæcus natus est.Rauis.

LVCILLA virgo,filia Nemesij tribuni,cæca fuit primò. Demum à Stephano pontifice recepit visum.Hæc sub Valeriano passa est.Volaterr.

SALABERGA puella ex agro Lugdunensi(quæ temporibus Dagoberti Francorum regis vita & sanctitate floruit)cæcitatem ab vtero ma-

·tris attulit.Rauis.

Fara virgo(quæ sub Heraclio imperatore floruit)dum ab Hagerico patre ad nuptias compelleretur,in tantas prorupit lacrymas, vt inde cæcitatem contraxerit.Idem.

Nautulphus puer natura cæcus,precibus sancti Senoch visum recepit. Gregorius Turone.

Belisarivs præfectus Iustiniani imperatoris, deletis Vandalis acto de Persis triumpho, Italia à Barbaris non semel liberata, propter prosperos successus imperatori formidolosus & suspectus factus est, ac propterea ab eodem oculis priuatus. Quo facto, tuguriolum in via frequenti sibi statuit, vbi victum à prætereuntibus mendicabat his verbis: Viator da obulum Belisario,quem virtus extulit,cæcauit inuidia.Procopius,& Crinitus lib.9.cap.6.Volat.lib.23.Anthrop.

Avdomarvs præ senio cæcus, dum precibus præsentium episcoporum & meritis Vedasti illuminatus esset,ægrè ferens se liberatum esse à cæcitate,quam pro salute sua sibi à Deo immissam esse gaudebat,rursus ad votum suum excæcatus est.Sigebertus in Chron.

Didymus Alexandrinus, vir doctissimus, puer cùm grammaticam disceret,suborta repentè inflammatione cæcus factus est.Studio tamen discendi oculorum cladem vicit,ita vt eruditissimus euaserit. Socrates lib. 4.cap.25.& Sozomenus lib.3.cap.15.

Beda Venerabilis Anglus, ob senectutem cæcus, cùm in templum ingrederetur,quidam irridendi causa frequentem populum adesse dixit, qui eius concionem auidè expectaret.Credidit bonus senex, & suggestũ ascendens,concionatus est tandem cùm peroraret, & pro recepto more diuinam Trinitatem implorasset, nemine præsente: Amen vel saxa, vel (quod credibilius est)angeli ipsi responderunt.Bernard.Coriusin vita Iustiniani Imp.

Hugo archiepiscopus Dolensis,cæcitate debilitatus est. Robertus Abbas in Chronicis.

Montanus monachus cæcus, de lacte Ciliniæ matris D. Remigij iam nati,oculos suos liniens,illuminatus est. Sigebertus in Chron.

Romanvs Diogenis, Imperator Romanus, eo quòd iniuriam pupillis facere videretur, captus, atque oculis priuatus est. Volater.lib.23. Anthrop.

Isacivs Angelus imperator, ab Alexio fratre (quem prius magna pecunia à Turcis redemerat) excæcatus est, & in carcerem coniectus. Egnat.Volat.lib.23.Anthrop.

Phocas dux, qui terrestrem exercitum contra Symeonem Bulgarorum regem duxit,cùm accepto nũcio perterritus,non tantùm à bello fugisset,sed etiam omnes alios ad fugam prouocasset, à Romano quodã captus,& oculis priuatus est.Sigeber.in Chron.

Callinicvs patriarcha, qui Iustinum quartum huius nominis Rom.Imperatorem cæpit,& in exilium in Pontum misit:mox deprehensus, ab eodem opera Therbellis Bulgarorum regis, effossis luminibus Romam relegatus est.Volat.lib.23.Anthrop.ex Sigeberto.

Bardas Silerus,cùm rebellaret Basilio Romanorum Imp. cuius filiam duxerat,in potestatem ab eo redactus,& oculis orbatus est. Volat. lib.23.Anthrop.

Bvlgarorvm xv. millia à Basilio Rom.Imp.(eo quòd semper tumultus excitassent) pluribus tandem præliis superati, ac oculis orbati sunt, vno tantùm relicto, qui excæcatos ad ducem Samuelem duceret. Volat.lib.23.Anthrop.

Michael Calaphates Romanorum Imperator, eo quòd Zoen, antecessoris sui & consanguinei vxorem, cum qua Imperium susceperat, ex ædibus eiecisset, à populo captus, excæcatus, & in exilium missus est. Volat.lib.23.Anthrop.

Lvdovicvs imper. Rom.dum Berengarium in Longobardia debellasset,aciéque vicisset,apud Veronam fisus victoria, securior esse cœpit: sed cùm minus circũspiceret,insidijs captus & excæcatus est.Cranzius lib. 2.cap.23.Metropoleos:& Sigebertus,& Volat.lib.23.

Philippicvm cognomento Bardianum, & Romanorum Imp. Constantinus pontifex,& Anastasius dictus Artemius,non tantùm sacris interdicunt,verùm etiam prius erutis oculis ab imperio deiecerunt, eo quòd sanctorum imagines colere prohibuisset. Volaterran.lib.23. ex Sigeberto.

Veremvndvs, Minius & Phronilla,Ordonij Gothorum regis filij, cùm in necem Alphonsi Magni fratris,qui imperium defuncto patre sibi arripuerat, conspirassent, ab eodem fratre oculis orbati sunt. Ritius Neapolit.lib.2.RegHispaniæ.

Leonem papam celebritatem lætaniæ maioris agentem,Romani ceperunt,& linguam oculósque euellerunt.Sigebert.in Chron.

Bernardus rex Italiæ,conspirationis contra Imperatorem factæ accusatus,reúsque maiestatis iudicatus:prius oculis,deinde regno,tertiò vita quoque priuatus est.Idem.

Rastrix Sclauorum princeps,cùm fidẽ violasset, à Ludouico Germanorum rege excæcatus est.Idem.

Harduinus,eo quòd illicito amore Maxelenden Dei virginem prosequeretur,excæcatus est.Ibidem.

Ioannes Zisca Bohemus, licet inter pueros ludens oculum in pueritia amiserit,in Hussitarum tamen ducem & imperatorem electus est.Altero etiam in obsidione cuiusdam castri priuatus, imperio tamẽ se nequaquam abdicauit,sed cæcus etiam cum suis militibus contra Bohemos & Theutones fœliciter sæpenumero pugnauit. Æneas Syluius lib.3. Commentariorum de gestis Alphonsi.

Ioannes x. Bohemorum rex, cæcus, aduersus Britannos pugnat. Vide tit.Fortitudo ducum bellica.

Colomanus rex Pannoniæ,post Ladislaum Almo fratri oculos eruit, & eundem occidit.Rauis.

Bela secundus Almi filius,rex Pannoniæ, à Boricho filio notho Colomani,itidem Pannoniæ regis,excæcatus est.Idem.

Aribertus rex Francorum, Sigibrandvm Asprandi filium oculis priuauit,omnéspue eius propinquos variis tormentis affecit.Paul. Diac. de gestis Long.

Kailla Pannoniæ regina,maritum suum Vazvlem exoculauit.

Endra filius Bazulis,Pannoniæ regis, Petro Pannoniæ regi oculos eruit.Volaterran.

Harædvm quendam principem fuisse scribit Saxo, qui præ senio amiserit visum.Quod etiam de Gormone testatur.lib.9.

Federicvs Vrbinas altero oculo captus,tam æquo animo cęcitatem tulit,vt in seipsum interdum iocatus sit.Ponta.lib.2.cap.8. de Domestica fortitudine.

Alphonsvs huius nominis quartus Hispanorum rex,cùm regnasset lustro, mensibúsque septem, iurauit in verba Christianæ religionis, Odonio filio,quem susceperat ex Imena,superstite, cui cognomentum Malo fuit: regnúmque Raymiri Germano dimisit. Sed cùm paulo pòst cum pœnitentia subiisset, abiectis insignibus eius sectæ quam professus erat,iterum regnum arripuit.Vnde captus à Raymiri fratre,effossis oculis luce priuatus est.Ritius Neapolit.lib.2.de Reg.Hispan.

Nicolavm quendam cæcum describit Pont.lib.2.cap.7.de Fort. domestica,qui festis diebus,Ethruscis numeris aut sacras historias, aut annales rerum antiquarum è suggestu decantare solitus erat,ad quem doctorum hominum,qui Florentiæ tum multi erant, concursus fiebat.

Lvpvs Florentinus licet oculis orbatus omnino fuerit,animo tamẽ & ingenio clarissimo accutissimè vidit, cùm assiduè Rhetorum & Philosophorum auditoria non paruo cum fructu frequentaret.Pont.lib.2.cap. 8.de Fort.de domest.

Ioannes Fernandus, & Nicasivs Vordanus,viri in re literaria excellentes,cæci tamen fuerunt à pueris.Vide tit. Morbos corporis sapientiæ studio negligere.

MONOCVLI. COCLITES.

Polyphemus Neptuni ex Thosa filius,cùm duos Vlyssis comites deuorasset,& ab ipso Vlysse simulata amicitia vino fortissimo inebriatus esset, vnico quem habebat in fronte oculo ignito sude priuatus est. Fabulam habes apud Homerum.lib.9.Odyss.Vergil.lib.3.Æneid.

Philippus Macedonum rex,in expugnatione Methonis Magnesiæ vrbis,ab Astere milite sagitta percussus, dextrum amisit oculum. Vnde & Aristides ipsum hoc scommate ridebat,Arimaspis cognatus es.Arimaspi enim,populi sunt monoculi.Plin.lib.7.cap.37.& Iustinus.

Antigonvs philippo patre natus, Philippi regis miles fortissimus fuit, altero captus oculo,quem olim in obsidione Perinthi catapulta transfixum amisit: nec prius eam auelli passus est, quàm hostem fugatum intra menia compulisset.Volat.lib.13.cap.3.Anth.Vide tit.Scurrilitatis pœna.

Hermippvs Atheniensis,poeta insignis,& frater Myrtili,altero captus oculo fuit.Suidas.

Acacius orator,socius Libanij sophistæ,vnico tantùm vidit oculo. Vnde μονοφθάλμον vocabant.Volat.lib.13.cap.3.

Horatiorum antiquissimus Cocles,id cognomentum assecutus, quòd in pręlio oculum amiserit.Ex quo Plautus seruum,qui altero captus erat oculo,nobilem,ac de Coclitum familia adpellauit.Volat.17.Anthrop.

Candace Æthiopum regina,altero capta oculo fuisse dicitur. Volat. lib.18.Anthroph.

STRABONES ET LVSCI.

Thersites omnium Græcorum qui ad Troiam nauigauerant, deformossissimus, altero oculo strabo fuisse dicitur ab Homero, libro 2. Iliad.

Dyocevs claudus & luscus,omníque ex parte corporis deformis describitur à Iustino lib.3.

Menander Atheniensis comicus nouę Comœdię,strabus fuit lumine, vt de Poetis ex Suida diximus.

Timon Nicęus,in quendam omnia mirantem,ita lusit: Quin & illud miraris,quòd quum tres simus,quatuor habemus oculos? Timon enim luscus erat,vnde & Cyclops dictus est:& discipulum habebat luscũ, Dioscoridem. Meminit huius & Socrates alicubi apud Platonem. Laertius lib.9.cap.12.

Roscivs Gallus obliquis oculis depingitur à Cicerone in libro de Oratore.

Sex. Clodivs rhetor è Sicilia,Latinæ & Grecæ eloquentiæ professor,malè oculatus fuisse dicitur, familiaris & præceptor M. Antonij triumuiri:cuius meminit Cicero in Philippicis,& Suetonius.

LIPPI.

Lia Labanis F.oculis lippa.Genes.29.

Evritvs & Aristodemvs Lacedæmonij, apud Thermopylas cõtra Xerxem pugnaturi, ob extremam lippitudinem à castris in patriam à Leonide remissi sunt.Herod.in Polym.

Evtychvs Spartanus,lippus,miræ fortitudinis.Vide tit. Fortitudo militum bellica.

Augustus Cæsar cum inter Vergilium Maronem, qui vbique suspirabundus obseruatus est,& Flaccum Horatium, qui oculorum lippitudine plurimùm laborauit,consedisset,rogatus à quodam amicorum, quid nam ageret?Sedeo,inquit,inter suspiria & lachrymas.Sab.

Horativs Flaccus varijs in locis lippum se fuisse docet, vt Satyra 5.Hic oculis ego nigra meis collyria lippus illinere.Item: Lusum it Mecœnas,dormitum ego, Vergiliúsque: Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

De Phileni lusca,Martialis lib.1.sic inquit:Oculo Philenis semper altero plorat:Quò fiat istud,quæritis.modo?Lusca est.

SVRDI.

M.Crassvm ferunt surdastrum fuisse.Cicero lib.5.Quæst.Tuscul.

MVTI.

Choromandæ sunt sine voce,stridoris horrendi, hirtis corporibus,oculis glaucis,dentibus caninis.Sic etiam Troglodytæ.

Zacharias cùm audiuisset ab angelo cœlitùs sibi misso, quòd vxor eius Elizabeth sterilis anus, paritura esset ei filium, ob incredulitatem ad verbum angeli mutus effectus est ad circumcisionem vsque pueri,& tunc demum loquela restituta est ei.Luc.1.

Navsimenis Atheniensis vxor, cùm filij ac filiæ suæ stupro interuenisset,inopinati monstri perculsa conspectu, & in præsens tempus ad indignandum,& in posterum ad loquendum obmutuit.Illi nefariũ concubitum voluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna sæuiens,huic vocem,ijs vitam ademit. Val.lib.1.cap.8.

L.Vervs Antoninus, cùm ex bello contra Marcomannos suscepto Romam peteret, in itinere apoplexia correptus, Altinum diuertens, triduo mutus fuit,& mox interijt.Volat.lib.23.Anthrop.

Zoe vxor Nicostrati martyris,septem annis muta fuit ex morbo.Demum à Beato Sebastiano curata.

Q. Pedivs nepos.Q.Pedij cõsularis,fuit natura mutus:quem propterea Messala orator pictura docendum censuit.Plin.lib.35.cap.4.

Cùm Constantino Magno iubente, Alexander episcopus Constantinopolitanus cum Philosophis disputaturus esset de religione,petijt Alexander,vt cum vno aliquo sibi agere liceret,tacentib.reliquis.Vno ergo delecto, Alexander sic eum affatus est:in nomine Domini Iesu Christi præcipio tibi,Philosophe,ne loquaris.At ille mutus illicò factus est. Sozomenus lib.1.cap.18.

BALBI.

Demosthenes orator, cùm non satis aptè omnia pronunciaret, sæpius à Satyro derisus est. Verùm cùm literam R difficile pronunciaret,lapides in os accipiens,habitum loquendi sibi fecit.Volat.& Alex. libro sexto,capite decimoquarto.

Alcibiadi decora fuit vocis balbuties, garrulitásque in persuadendo gratiosa.Vitium linguæ eius etiam Aristophanes notauit, Theolum vexans:

Tunc Alcibiades ad me ait balbutiens:
Celnin?Theolus habet Colacis caput.

Xanth. Bene Alcibiades profectò illud balbutijt.Plutar.

Herodotus in Melopomene ait,Battum Polymnesti inter Theræos opulenti,& Phronimæ filium,balbum fuisse, ac propterea consuluisse Apollinẽ.Vide tit.Impietatis parẽtum erga liberos, sub exẽplo Etearchi.

Cicero III. Philip.scribit,M.Fundum nescio quem, cognominatum Bambalionem,ab hæsitantia linguæ.

T.Manlivs Torquatus ob ingenij & linguæ tarditatẽ à patre rus religatus est.Liuius lib.9.Dec.1.Val.Max.lib.6.cap.9.Plin.lib.de Viris illust.cap.28.Sab.lib.5.Æunead.4.Rhaps.Volat.lib.17.cap.1.Anthrop.

Metellvm Pontificem balbum fuisse legimus, qui cùm ædem dedicaturus esset,balbutiens lingua multùm laborauit,vt verbum Opiferæ ritè exprimeret, & sine vlla offensione consecrationis verba articulatè proferret.Alex.ab Alex.lib.6.cap.14.

Lvdovicvs Caroli Calui Francorum regis frater,cui quoque & ipse in imperio successit, ab impedimento linguæ Balbus cognominatus est.Michael Ritius lib.1.de regibus Francorum.

Michael imperator(qui Leoni Armenio successit)lingua fuit balbus,dictus propterea Thraulus à Græcis.Egnat.& Volat.lib.23.

EPILEPTICI.

In caducum morbum (qui propterea dictus est Herculanus) incidit Hercules,vel propter immensos labores, aut imminente Iunone, adeò vt in ipsa animi dementia filios interficeret.Crinitus.

Fertur Cambyses Persarum rex, ab ipsis natalibus grandi laborasse morbo,quem quidam sacrum nominant:vt haud ab re fuerit,cuius corpus magna ægritudine inualidum esset, eius ne mentem quidem sanam fuisse.Herod.lib.3.

C.Ivl. Cæsar inter res agendas bis sacro morbo correptus est, Suetonio teste.

Plotinvs Philosophus Platonicus,Ægyptius natione,præceptor Porphyrij & aliorum doctissimorum,morbo sacro obnoxius fuit. Suidas & Eunapius apud Volat.lib.18.Anthropologiæ.

Mvhanmad Arabum siue Saracenorum princeps,hęresiarcha,cùm ad Chadigam cognatam prædiuitem primò vt mercenarius, deinde vt sponsus venisset,ægrè tulit epileptico, id est caduco illum morbo vexari.Ille verò dicebat,hoc non esse morbum:sed visionem archangeli Gabrielis se interim videre,& quia aspectum eius ferre non posset, mente defecta cadere.Sigebertus in Chron.

Amedevs secundus filius Ludouici Sabaudiæ ducis, morbo comitiali ad mortem vsque laborauit.

Spartani, infantes vino abluebant,vt epilepticos arguerent,deprehensos exponebant.

PARALYTICI.

Quum Speusippus paralysi resolutus,vehiculo deportaretur in Academiam,ac Diogeni fortè obuio dixisset χαίρειν:respondit,At non tu sane, qui quum ad istum sis affectus modum,sustineas viuere.Sentiens,esse veri philosophi,sponte mortem adsciscere, posteaquam desijt esse vsui ad vitam humanam.Idque fecit postea Speusippus.Eras.lib.3.Apoph.

Spevsippvm cruribus resolutum Diogenes hortabatur, vt seipsum vita priuaret.Cui ille:Non cruribus, inquit, viuimus, sed mente. Stobæus serm.116.

Pontanus scribit Matthæum Aquilanum pedibus & manibus captum fuisse: neque tamen à Theologiæ & Philosophiæ professione destitisse.

PHTHISIS.

Theopompvs phthisi laborans,ab Asclepiade medico sanatus est.

ANHELITVS FOETIDVS. ORIS GRAVEOLENTIA.

Evripides poeta graueolentem habuit anhelitum. Cùm Decamnichus hác στόματος δυσωδίαν ei apud Archelaum regem Macedoniæ obiecisset,colaphos ei permissu regis inflixit.At is qui vapularat, regem ex insidiis obtruncauit,Euripidem immissis canibus laniauit.Arist.in 5.Pol.referente Gyraldo Dial.7.hist.Poet.

Hieroni quidam exprobrabat oris graueolentiam.At ille cum vxore expostulauit,quòd id sibi nunquam indicasset. Tum illa: Putabam, inquit,viros omnes ad eundem olere modum.Eximium pudicitiæ argumentum,quæ nulli viro tam vicina fuerit,vt oris halitum sentire posset, præterquam vni marito.Plut.in Regum apoph.

Dvellivs,qui primus Romæ è nauali pugna triumphum obtinuit, iam senex, tremulóque corpore, in iurgio quodam audiuit exprobrari sibi graueolentiam oris: rediit domum tristis, & expostulauit cum Bilia vxore,quam virginem duxerat,quur huius vitij nunquam admonuisset, quo licuisset mederi? Admonuissem, inquit illa,nisi putassem omnibus viris ad eundem modum olere animum. Si Bilia verè sensit, quod dixit, argumẽtum est insignis pudicitiæ:sin finxit, magna est ciuilitas erga maritum:magna item tolerantia, quæ tandiu pertulerit hoc incommodum absque fastidio.Eras.lib.8.Apoph.Simile est ci quod paulo suprà de Hierone retulimus ex Plutarch.

SYNCOPE. ANIMI DEFECTVS.

Differt ab ecstasi, siue raptu mentis: quòd syncope morbi symptoma est, non autem ecstasis.

C. IVLIVS Cæsar extrema ætate animo linqui consueuit, atque etiam per somnium exterreri. Comitiali quoque morbo bis inter res gerendas correptus est, autore Tranquillo.

Prædicari audio IOANNEM Scotum, quo nemo subtilius diuinas tractauit literas, animo linqui solitum: ac velut exanimem eodem, quo deprehensus esset loco, per diem interdum, & amplius, immobilem sedisse mente, & sensibus sopitis, aut certè procul à corpore aberrātibus. Atque ita demū ab hominibus eius rei ignaris pro defuncto elatū. Sab.l.9.ca.4.

HYDROPICI.

HERACLITVS philosophus hydropisi quoque laborauit, neque tamen vti voluit medicis. Laertius.

METRODORVS philosophus, Epicuri socius, laborauit tympanite. Est autem tympanites species hydropiseos, vt iam diximus.

ARISTARCHVS grammaticus Alexandrinus (qui floruit sub Ptolemæo Philometore) hydropisi laborauit.

IVLIVS Viator eques Romanus, coætaneus Volaterrani, laborauit morbo intercutis.

BENIAMIN anachoreta (qui annis 80. durauit in eremo) fuit hydropicus.

STOMACHICI: STOMACHI DEBILITAS.

ARISTOTELES Stagirita cùm debili maximè ventriculo esset, vtrem calentis olei stomacho imponere consueuerat, pro concoctione adiuuanda. Laert.lib.5.

SPLENETICI.

SRRATON Corrhagi F. Vide tit. Morborum vtilitas.

AVRIBVS MVTILATI.

SMERDES magus, ambabus auribus mutilatus fuit à Cyro rege. Post ea cùm regnum inuasisset sub specie Smerdis Cyri F. hoc ipso signo à Phædyna concubina, Otanis F. deprehensus fuit. Herodotus libro tertio.

NARIBVS MVTILATI.

IVSTINIANVS imperator à Leone Patricio regno priuatur, & naso linguáque mutilus, in exilio obtruncatur. Sigebertus in Chronicis.

CONSTANTINVS IIII. cùm sextam Synodum Constantinopoli celebraret, duos fratres adhuc pueros, facie naribus sublatis dehonestauit, ne ad imperium quandoque aspirarent. Volater.lib.23. Antroph.

LEONTIVS Patricius Constantinopolitanus, pulso Iustino cùm tres imperasset annos, à Tiberio cognomento Apsimaro, viro Constātinopolitano, qui Africæ præerat exercitui, captus, & truncatis naribus in custodiam missus est. Ibidem. Sigebertus Leonem Vocat.

HERACLONAS Martinæ filius (quæ filio sublato veneno, sibi regnū arripuit) abscisso naso in exilium pulsus est. Sigebertus in Chronicis.

EVNVCHI, SPADONES, CASTRATI.

Qui natura sunt eunuchi, ad tit. Partus non naturalis *referendi sunt. Huius loci sunt ij tantùm, quibus testes amputantur.*

ABDEMELECH Æthiops, eunuchus regis Sedechiæ, amicus veritatis, pro captiuo Hieremia intercessit. Hierem.38. & saluatus à gladio regis Babyloniorum. Hierem.39.

ANANIAS, AZARIAS & MISAEL pueri nobiles, natione Iudæi fuerunt: quos Nabuchodonosor captos duxit Babylonem, & ibidem castrauit, deditque Aphanam eunuchorum præfecto.

ACAGINA eunuchus fuit Ahasueri regis Persarum. Hest.1.

CANDACES eunuchus reginæ Æthiopum, qui de Æthiopia orandi gratia Hierusalem venit. Actorum cap.8.

PARTHENIVS & GALOCERVS eunuchi Tryphoniæ vxoris Decij, martyres facti sunt sub eodem principe.

ANDRAMYTEM Lydorum regē ferunt omnium primùm fœminas eunuchas fecisse, eisque eunuchorum vice vsum.

HYACINTHVS & PROTVS, eunuchi Eugeniæ filiæ Philippi præfecti, sub Maximiano martyres. Volater.lib.16. Antropologiæ.

MATRIS DEVM sacerdotes testa sibi virilia amputare, atque illos qui maxima sacra obibant (vt casta religione manerent, & procul à mulierum contagio vitam agerent) herbis quibusdam emasculari, & virilitatem amittere, legimus apud Alex.ab Alex.lib.4.cap.17.

GENVTIVS Gallus matris deûm, ab hæreditate iniusta deiectus. Vide sub tit. Testamenta iurè rescissa.

HIEROPHANTAS Atheniensium, postquam in pontificatum euecti erant, vt castissimè sanctissiméque facerent, sacrū cicutę sorbitione castrari, legimus apud Alex.ab Alex.lib.4.c.17. Quod suo etiamnum tēpore fieri solitum, scribit Hieronym.

ATHENIENSES in Thesmophoriis matronæ vt Veneris ictus cohiberent, foliis vitilium cubilia substernebant, nonnullæ garo ex piscibus, qui squamam non habent (quod incendia libidinum reprimeret, & irritos conatus faceret) in sacris vsi sunt. Alex.lib.4.cap.17. ex Dioscoride.

DEMODOCVS & PARMIVS fratres, ἀοιδοὶ, custodes relicti, ille quidem Clytæmnestrę, hic verò Penelopę. Nec prius Clymtęmnestræ pudicitiam Aegisthus expugnare potuit, quàm Demodocum (alij Chariadē, alij Glaucum fuisse appellatum asserunt) è medio sustulit: ἀοιδοὶ autem ambigua significatione dicuntur, vel ἀπὸ τοῦ ἀείδειν, à canendo: vel ἀπὸ τοῦ τὰ αἰδοῖα μὴ ἔχειν. Vtraque fortassis significatio locum habet. Eunuchierant simul, & Musici. Eustathius in tertio Odysseæ.

BAGOAS fuit spado, qui Alexādrum obsequio corporis sibi deuinxit. Cælius.

HERMOTIMVS Xerxis. Herod.

TYREVS eunuchus & cubicularius vxoris Darij.

ARSACES eunuchus obses, per quem falsò metu Themistocls Xerxē fugere coegit. Vide tit. Terrere hostes. Themistocles.

SICINVS eunuchus, Themistoclis filiorum præceptor, ad Xerxem simulata proditione mittitur. Vide tit. Cogere milites ad pugnam.

Fuit MENOPHILVS Mithridatis Pontici regis eunuchus. Ammianus Marcellinus.

PHOTINVS fuit eunuchus Ptolemæi, qui in gratiam Cæsaris victoris Pompeium suasit interimendum. Lucanus: Ausus Pompeium leto damnare Photinus.

ARISTONICVS eunuchus Ptolemæi, animum supra eunuchum gerebat. Suidas.

BOCHIS eunuchus Statyræ & Rhoxanæ, sororum Mithridatis.

GANIMEDES eunuchus, & nutritius Arsinoes, de quo Lucanus libro 10. A famulo Ganymede dolis peruenit ad hostes Cæsaris Arsinoe.

HALOTVS eunuchus Agrippinæ, & prægustator Cæsaris Claudij, qui suasu imperatricis, boleto medicato dominum interfecit. Suetonius.

EARINVS fuit eunuchus, plurimùm à Domitiano imperatore adamatus: quem tamen mox repudiauit, cùm in Titi Vespasiani (qui Sporos amauerat) contumeliam, ne quis in posterum intra fines Romani imperij castraretur, edixit. Xiphilinus in vita Domitiani.

PHAVORINVS philosophus, Arelate oriundus, fuit eunuchus, Hadriano principi maximè infensus. Propterea tria de se mira prędicabat, Se Gallum Græcissare, Eunuchum mœchum putari, Inimicum imperatori viuere. Vol.lib.16. Antroph.

PARONETENVS fuit spado, quem Plinius ait ingenti precio fuisse emptum.

AMANTIVS fuit eunuchus Iustini imperatoris.

ORIGENES Adamantius, vt corpus ab omni venerea labe mundum seruaret, omniq́ue suspicione careret, sectis genitalibus membris eunuchum se fecit. Fulgos.lib.4.cap.3.

NARSES fuit eunuchus, Iustiniani principis cubicularius, è chartulario & bibliopola princeps copiarum factus post Belisarium: qui multis rebus præclarè gestis, tandem siue inuidia, siue fortuna, siue populi accusatione, in odium Iustiniani & vxoris eius deuenit, adeò vt imperator literas ad eum dederit plenas ignominiæ, quibus eum monebat, vt ad colum, pensum & lanas rediret. Tum ille iratus: Ducam (inquit) tale pensum, taléмque ordiar telam, quam non facilè sit vobis explicare. Itaque vt iniuriam vlcisceretur, Longobardos Romam iamdiu inuadere cupientes, euocauit. Paul. Diac.

IOANNIS & NICEPHORI eunuchorum, quibus imperij curam tradiderat Michael Parapinaceus imperator, mentionem facit Volat. lib.23. Anthrop.

EVTROPIVS, Ablabius, Eurythrius eunuchi. Vide tit. Ex humili loco ad magistratus euecti.

GVLIELMVS III. Neapolitanus rex, virilibus exectis castratur. Vide tit. Qui ex prospera fortuna ad summam peruenerunt miseriam.

THEOBALDVS, Camerinorum princeps, Græcos omnes in bello captos castrat. Vide tit. Prudentia in corporis mutilationibus prohibendis.

PODAGRICI.

AGESILAVS quum arderet podagræ doloribus, eúmque Carneades inuisisset, atque exiret tristis: Mane, inquit, Carneades: nihil enim illinc huc peruenit: ostensis pedibus & pectore. Sentiens, pedes quidem dolere, sed animum dolore vacuum esse. Plut.in Laconicis.

PTOLEMÆVS rex, Philadelphus, podagra discruciatus, conspiciebat Ægyptios aliquot plebeios temerè apud flumen discumbentes: Vtinam, inquit, saltem ex istis vnus essem. Eras. Rotero.lib.8. Apoph.

POLEMON sophista, quum laboraret morbo articulari, Pergami in templo obdormijt: cui apparuit Æsculapius, iubens vt à frigido potu abstineret, ad quem Polemon: O præclare, inquit: quid autem si bouem curares? subindicans, iam diu assuetum duris, frustra vocari ad delicias. Philostrat.in Sophistis.

POLEMON sophista, quum articuli morbo lapidescerent, medicos admonuit vt effoderēt, inciderēntque Polemonis lapidicinas. Dicebátque: Comedendum est, manus non habeo: ambulandum est, pedes non habeo: dolendum est, & manus & pedes habeo. Ex Philostrato.

ENNIVS poetarum vetustissimus, podagra vehementer laborans, poetices tamen studio semper maxima cum iucunditate operam dare potuit. Pont.lib.2.cap.8. de Fort.domest.

SERVIVS Clodius, eques Rom. podagra laborauit, cuius dolore coactus est veneno crura perungere. Quo facto, sensu protinus caruit. Suetonius.

VATINIVS, autore Macrobio, quamuis podagra laboraret, volebat tamen videri vitium discussisse, & mille passus ambulare se gloriabatur.

SEX. POMPEIVS Hispaniæ citerioris princeps, cùm horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagrę, mersit in triticum sese super genua: leuatúsque, siccatis pedibus mirabili modo, eo postea remedio vsus est. Plinius.

DIODORVM podagricum fuisse, docet Martialis dicens:

Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat.

SEPTIMIVS Seuerus imperator, cùm podagra laboraret, & ob id à quibusdam irreuerenter tractaretur, qui filium eius Antoninum imperatorem dixerant, lectica se in tribunal deferri iussit: citatísque contemptoribus securi percuti iussit. Lachrymis tamen cùm errati veniam procumbentes petijssent: Nunc demum intelligitis, inquit, non pedes, sed caput imperare. Fulg.lib.2.cap. de Militari discipl.

NICEPHORVS Botoniates cognomēto, qui originem à Nicephoro Phoca imperatore ducebat, imperator Romanus, cùm podagra vehementer laboraret, ac studijs bonarum artium vacaret, inutilis reipub. visus est. Volat.lib.23. Anthrop.

CONSTANTINVS Monomachus Romanorum imperator, mirum in modum podagrà laborasse fertur. Ibidem.

MARCELLINVS Anconitanus, episcopus podagricus, in lectica incēdio oblatus, solo attactu extinxit, quod nulla alia vi extingui potuerat. Greg.Turon.lib.1. Dialog.cap.6.

MATTHÆVS Aquilanus licet pedibus & manibus captus, mirum quantum Neapolitanis in studiis profuerit, philosophiam, theologiam, naturales res assiduè docens. Pont.lib.2.cap.8. de Fort.domest.

CAROLVS rex Pannoniæ, articulari morbo plerunque afficiebatur.

IOANNES Venetus, discipulus Theodori Gazæ podagra plerunque laborabat.

COSMO Florentino podagra non parum ad amplitudinem contulisse videtur. Nam cùm se domi contineret, non tantùm Florentinæ res, sed penè Italiæ totius, quæ tunc in magnis erat belli ardoribus, ad eum deferebantur. Cuius domus non priuati ciuis, sed curia potius iudicari poterat: cùm interea magnificentissima templa ædificanda curaret, & libros vndiq; in bibliothecas suas congereret, non minore diligētia quàm sumptu. Pont.lib.2.cap.8. de Fort.domest.

ANTONIVS à Leua, Caroli V. Imp. dux fortissimus, arthritide sæua confectus, lectica sæpe in aciem, succollantibus ministris, deportatus, victoriam reportauit. Iouius in eius vita.

VLCERIBVS LABORANTES.

GALLA vidua Romana, Symmachi viri patricij filia, sub Theoderico rege laborabat ex carcinomate in mammilla. Volat.lib.16. Anthrop.

MARIA filia Amodei, Sabaudiæ ducis, vomica laborauit: ac propterea Philippo Mariæ vicecomiti marito suo nunquam congressa est.

MENTAGRA.

MANILIVS Cornutus mentagra laborauit. Ad cuius remedium inueniendum ducenta sestertia elocauit. Plinius capite primo libro vigesimosexto.

FESTVS Domitiani amicus, dum mentagra vsque ad desperationem remedij laboraret, gladio se traiecit, prius tamen amicos consolatus. Quam eius mortem Martialis lib.1. describit.

LEPRA INFECTI.

MARIAM lepra percussit Dominus, quòd contra Moysen locuta esset. Numer.12.

NAAMAN Syrum leprosum sanauit Helisæus. 4. Reg.5.

OZIAS rex Iudæ cæpit thuribulum, & more sacerdotum voluit adolere incensum, statímque est ei orta lepra in fronte. 2. Paral.cap.25.

Apud Persas si quis è ciuibus psora aut lepra infectus sit, in ciuitatem non admittunt: quoniam dicunt, hunc morbum illi immissum, eo quòd contra solem aliquid deliquerit. Herod.lib.1.

ANDRAGASINA virgo, à patre desponsata Ausberto cuidam, qui domesticus erat Vandegisilli comitis Palatini, pro tutanda virginitate Deum orauit, atque hinc lepræ morbo deformatam exhorruit sponsus, qui sanam antè adamauerat, intactámque repudiauit. Neque illa quicquam pensi fecit tam acre malum, dum multo mallet castè viuere quàm sana. Ne autem morbi huius causa in ambiguo esset, vt primùm professa est religionem, sana euasit. Ita palàm factum est, ideo fuisse leprosam, ne esset corrupta. Marul.lib.5.cap.4.

GENOVEFAM Pariensium præsidem Volat. ait, ob vitæ abstinentiam multis annis ex lepra laborasse. Rauis.

FROILA secundus Asturum rex in Hispania, Alphonsi magni filius, lepra correptus, ærumnosa morte vitam clausit. Vol.

EVNOMIVS præsul Cyzicenus, Arrianæ hæreseos sectator (qui sub Valente imperatore floruit) lepra & morbo regio laborauit. Rauis.

MEDEIVS, vnus ex ijs qui Ioannam puellam Gallicam Anglorum domitricem flammis adiudicauerant, lepra infectus, miserè expirauit. Valerandus Varanius lib.4.

Medeius siquidem longo sermone profatus,
Astruit esse scelus flammis & morte piandum,
Multáque adulandi studio confingit, vt Anglos
Sic sibi conciliet: sed paucis inde diebus
Corpus tabificò respergitur vlcere lepræ.

CLAVDI. LVXATI. FRACTVRÆ.

IACOBVS patriarcha fuit claudus: quoniam femur eius angelus, cum quo luctatus fuerat per totam noctem, perstrinxerat. Genes.32.

VVLCANVS à Ioue in Lemnum præcipitatus ob deformitatem, vel quòd matri opem ferre vellet, incidit in clauditatem. Ad quod allusit Valerius Flaccus lib.2. Argon.

Accliuem scopulo inueniunt, miseréntque, fouéntque,
Alternos ægro cunctantem poplite gressus. Pont. in lib. Met.
Vulcanum fama est, cælo quum pulsus ab alto,
Sub terris sine honore diu, sine munere claudum
Vixisse, & Sicula exilium traxisse sub Aetna.

THERSITES omnium Græcorum qui ad Troiam nauigarunt deformissimus, altero pede claudus fingitur ab Homero lib.2. Iliad.

LABDA Amphionis Bacchiadarum apud Corinthios filia, clauda. Vide tit. Oraculorum intellectorum.

DARIVS rex in venatione ab equo desiliens, talum luxauit. Cúmque Ægyptij medici frustra remedia adhibuissent, Democedes tandem Crotoniata eum sanauit. Herod.lib.3.

ARISTOGITON atheniensis fuit sycophanta, cuius conciones nihil non Martium spirabant, adeò vt ventosa sua lingua populum in discrimina plerunque coniiceret. Proinde quum die quadam exercitum parari, & milites deligi intellexisset, innixo baculo claudicatem simulauit, ne ad bellum vocaretur. Vnde adagium fluxit in vulgus. Aristogiton claudicat. De his qui morbum simulant, ne militiam, aut aliud oneris genus subeant. Cælius lib.3.cap.49.

ARTEMON faber fuit machinarius tempore Periclis: qui quum claudus esset, suas passim machinas circumferebat. Eras. in Chiliad.

PHILIPPVS Macedo, accepto in coxa lanceæ ictu, incidit in claudicatem, quod laudi sibi vertebat aduersus calumniatores. Cælius lib.8.ca.5.

NICOMEDEM Cælius ait fuisse quendam claudum, alium à rege Bithyniæ.

ANDROCLIDEM Laconem, debilem crure, & inutilem fuisse, testatur Cælius.

EPICTETVS philosophus Hierapolitanus, claudus fuit. Vnde apud Macrobium hoc modo inducitur loquens:

Seruus Epictetus genitus sum corpore claudus,
Paupertate Irus, diis at amicus ego.

Lacæna quædam FILIVM claudum in aciem proficiscentem deducens: Fili, inquit, fac vt singulo quoq; gradu virtutis memineris. Aliis claudicationis vitium solet formidinem incutere. At hæc monuit, vt ex ipso vitio sumeret animos ad rem fortiter gerendam: ita cogitans, nihil esse in fuga præsidij claudo: aut vincendum, aut moriendum esse. Recitatur apud Plutarch. in Apoph. Lacænarum.

Antianira Amazonum regina, demirantibus quòd nupsisset VIRO claudo, satis cynicè respondit, ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ id est, Claudus optimè virum agit. Sensit, maritum adhibendum non ob oculorum oblectamenta, sed ad vsum coniugij. Feruntur autem claudi salaciores esse cæteris, & ob id ad gignendam prolem magis accommodi. Erasmus Rot.lib.8.Apoph.

Demonax in RVFFINVM quendam claudum, multo tempore familiarem Peripateticis, dixit, nihil esse turpius Peripatetico claudo. Allusit huc, quòd Peripatetici dicuntur ab inambulatione, quæ non conuenit claudo. Eras. Roterod.lib.8.Apoph.

ANDROCLIDAS quidam Lacon claudicans, cum se in ordinem bellantium coniecisset, malè audiuit à quibusdam quòd pede claudicans in aciem proruisset, pugnaturus contrà sanos ac agiles. quibus respõdit: Non fugientem, sed manentẽ cum hostibus, pugnare oportet. Et sic hoc quod vitio dabatur, ad animi fortitudinem retorsit. Plut. in Laconicis.

Alius quidam Lacon CLAVDVS ad bellum proficiscens, quum ab aliis militibus derideretur: Non opus est, inquit, fugientibus, sed qui subsistant, & ictus hostium fortiter propellant. Plutarchus in Laconicis.

DYOCEVS claudus & luscus, omnique ex parte deformissimus à Iustino describitur lib.3.

DEMONIDES pædotriba claudus: qui cùm crepidas furto amisisset, imprecatus est, vt furis pedibus maximè congruerent. Erant autem hæ non rectæ, nec accommodæ: illi tamen pro pedum deprauatorum ratione in primis aptæ. Plutarchus in lib. de audiendis Poetis.

COCLES accepto vulnere claudus factus est, cui quum cruris vitium obiectaretur: Per singulos, inquit, gradus admoneor triumphi mei. Plutarchus in Publicola.

PERDIX caupo prouerbio locum fecit: Perdicis crura: in loripedes & distortos. Aristophanes apud Erasmum.

MORBORVM VTILITAS.

Consule tit. Tolerantiæ religiosæ morborum.

MIPHIBOSETH Ionathæ filius, deleta Saulis domo solus superfuit, quia vtroque pede claudus non potuit interesse bello, quo ceciderunt fortes Israel. Insuper auitos agros solus possedit, & regis Dauid mensæ particeps fuit. Tantùm ergo illi pedum ægritudo contulit, vt & diutius & fœlicius viueret: fortasse vnà cum aliis occubiturus, si sanos pedes habuisset. Sed arguet aliquis hunc ipsum Miphiboseth, eo quod claudus erat, à Siba seruo contemptum ludibrióque habitum, quippe qui ipso relicto fugiens, falsa ad regem delatione possessionum eius partem intercepit. Respondebimus, multos etiam qui nunquam claudicauerant, dolis atque perfidia seruorum deperisse. Itaque neq; isti sua pedum imbecillitas detrimento fuit, sed nequitia serui: quem fugientem fortasse peremisset, si consequi potuisset. Innocentior fuit, quia ingredi nequiuit. Multo autem satius est debiles pedes habere, quàm manus cruentas. Marulus libro quinto, capite quinto.

Orandum esse pro infirmo, Dominus docuit, suspiciens in cœlum, cum surdum ac mutum hominem curare vellet. Nec solùm suspexit, sed etiã ingemuit, vt precaturi mentem simul cum oculis ad Deum dirigere discant. Paralytico priusquam sanitatem cõcederet, peccata dimisit, vt quia propter peccata in morbum inciderat, submota causa cessaret effectus. Ex quo sanè datur intelligi, ægritudinem quandoque delicti pœnam esse. Quod si per pœnitentiam & confessionem deletum fuerit, reliquum est vt æger conualescat. Itaque semper curandum, vt antè animæ nostræ remedia adhibeat sacerdos, quàm corpori medicus: vt etiam si alia de causa quàm ob delictum malè affecti fuerimus, & morbus curari nequiuerit, magis securę vitę huius finem expectemus. Ne mors quidem grauis erit, vitam meliorem sperantibus. Morbo autem liberatis, magnopere cauendum est, ne veluti canes ad vomitum reuertamur. Ait enim: Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Æquum quippe est, vt qui accepto sanitatis beneficio rursum delinquit, grauius puniatur. Ibidem.

PETRVS apostolus Tito discipulo interroganti, Cur Petronillam filiam suam diutius ægrotare pateretur, cùm aliis malè affectis repentè sanitatem induceret? ita illi expedire respondit. Ac ne dissimulare impossibilitatem videretur, iussit eam surgere, & ipsis discumbentibus ministrare. Exurrexit sana: & vt perfuncta est officio, rursum patris iussu ad lectulum pariter ac morbum rediit. Ægrotando igitur didicit virginitatis amare puritatem, ita vt postea sanata, mori præoptaret, quàm Flacco prætori nuberet. Quare non modò patienter ferenda ægritudo est, verum etiam appetenda, quoties intimis in medullis concitatus ardor iuuenilia occupat membra, venásque succendens ad turpem libidinem, illicitásque prouocat voluptates. Ibidem.

DVNSTANVS ante morbum ab Elphego Ventano episcopo, necessario suo, nullis hortatibus, vt monachum profiteretur, compelli poterat. At febre correptus, mox vt conualuit, vltrò ad monasterium properauit, & religioni se addixit: multáque vitæ sanctitudine pollere cœpit, breui presbyteratque ad Cantuariensem ecclesiam regendam accitus, pontificia quoque dignitate effulsit, multis denique miraculorum signis nobilitatus fuit. Itaque tantum illi aliquando ægrotasse profuit, quãtum si semper sanus perseueraret, fortasse nocuisset. Ibidem.

FRANCISCVS non antè cœpit esse perfectus, quàm grauissimam corporis ualetudinem incurrisset. Vigesimo ætatis suæ anno infirmatus, didicit terrena contemnere, quæ sanus dilexerat. Æger soli Deo seruiendũ esse intellexit, qui antè hac sanus auaritiæ seruierat, dum negotiationibus operam daret. Et quisquam infirmitatem incursare audet, quæ tantũ gignit boni? Quòd autem in plerisque non eundem sortiatur euentum, non hoc eius vitio fit: sed ipsorum qui sanati, sic vitam suam instituere negligunt, vt dum ægrotarent, promiserunt. Ibidem.

SERGIVS Senogalliæ princeps, elephantico morbo diuinitùs liberatus, omnia quæ habuit, partim ecclesiæ, partim pauperibus erogauit: & relictis omnibus, soli Deo humilis & egenus toto animi affectu seruire cœpit. Compulerat enim sua ipsum infirmitas humani generis conditionem altius considerare, & deprehendit, nihil prodesse homini terrenum dominatum: atque illum vbi conualuit, dereliquit, cœlestia tantum quærens, & æterna. Non ab re igitur in Ecclesiastico scriptum est: Infirmitas grauis sobriam facit animam. Ibidem.

HIERON Siciliæ tyrannus, primùm fuisse priuatus dicitur, & omnium hominũ à musica alienissimus ac rusticitate nihil inferior fratre Gelone. Verùm cùm aliquando in morbum incidisset, factus est literatissimus, cũ ocium, quod ei corporis imbecillitas imponebat, doctorum hominum sermonibus audiendis tribueret. Conualescens igitur ex aduersa valetudine, frequenter adibat Simonidem Coum, Pindarum Thebanum, & Bacchilidem Iulietam. Gelon verò indoctus homo permãsit. Aelian. de Var. hist.lib.4.

Doctissimum PTOLEMÆVM secundum aiunt euasisse, cùm ægrotaret.

Plato affirmat THEAGEM nulla alia occasione philosophiæ statuta cognouisse, quàm morbi ocio. Nam cùm is eum à ciuilibus rebus prohiberet, compulit ad sapientiæ studium & amorem. Ibidem.

STRATON filius Carthagi, vtiliter & commodè ægrotasse videtur: quoniam cùm esset ex illustri familia oriundus, & diuitiis abundaret, non antè corporis exercitia vsurpauit, quàm ex splene laborare cœpit. Tunc enim cùm remedium pellere ex palæstra, & corporis exercitiis oporteret, primùm quidem ad recuperandam valetudinem iis vsus est. Deinde verò cùm profectus in arte non pœnitendos fecisset, & iam specimen eius daret, in ludis Olympicis vna die vicit luctam & pãcratium, & sequẽti Olympiade & in Nemea, & in Isthmica, & in Pythica. Ibidem.

DEMOCRATES pugil, cùm laboraret ex pedibus ad certamina venit: & consistens in stadio, descripsit sibi circum: & iubebat aduersarios, vt se expellerent extra lineam. At illi victi sunt ab ægroto: & ipse cùm bene & fortiter in statione sua perstitisset, coronam secum deportauit. Ibidem.

ANTIGONVS rex Macedonum, à graui morbo posteaquam conualuerat: Nihilo peius est, inquit: siquidem hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, quum simus mortales. Quis docuerat Ethnicum regem, philosophiam Christiano dignam animo? Deplorabant amici ceu magnum malum, quòd tam grauiter ægrotasset: ille interpretatus est, ex morbo plus accessisse boni quàm mali. Corpus extenuarat, sed animo reddidit modestiorem: corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longè periculosissimum. Proinde nõ pessimè res habet, quum leuior morbus arcet, pellitúe maiorem. Recitat Plutarchus in Apophtegmat. regum, & Erasm. Verùm hoc idem dictum alij etiam Alexandro adscribunt.

ITAMVS miles Antigoni, cùm corporis aduersa valetudine laboraret, rogatus à rege palloris causam, ægritudinem incognitam causatus est.

Rex iubet remedia adhiberi ad eum sanandum. Restitutus sanitati miles, omnia mortis pericula vitabat. Rogatus igitur à rege mutationis causam, O, ait, rex, tu me minus audacem fecisti, quòd ijs malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemptui habetur. Sensit miles, ægritudinem hominibus in ea prodesse, vt omnia fortunę bona, & ipsam etiam vitam miseram & ærumnosam contemnant, qua, cùm sani sumus, in nostram perniciem abutimur. Brusonius libro quarto, capite decimoquinto.

MIRO MODO SANATI.

Sanitatem integram sequitur Sanitas restituta. Cuius cùm innumera exempla passim corrogari possent, nos tamen eorum tantùm referemus, qui miraculosè potius quàm naturali medicina seruati sunt, siue sanati.

CVRA INSANIÆ.

Vide tit. Prudentia in curando.

PROETI filiæ Melancholicæ, ità vt se vaccas esse putarent, à Melampo curatæ sunt. Vide tit. Medicorum, Melampus.

Et primo libro Epigrammatum ἄδηλον tale refertur:

κοινῇ πὰρ κλισίῃ ληθαργικὸς, ἠδὲ φρενοπλὴξ,
κείμενοι ἀλλήλων νοῦσον ἀπεσκέδασαν,
ἐξέθορε κλίνης γὰρ ὁ τολμήεις ὑπὸ λύσσης,
καὶ τὸν ἀναίσθητον παντὸς, ἔτυπτε μέλους.
πληγαὶ δ' ἀμφοτέροις ἐγένοντ' ἄκος, αἷς ὁ μὲν αὐτῶν
ἔγρετο, τὸν δ' ὕπνου πολὺς εἶλε κόπος.

DÆMONIACI.

Exempla plurima ex tit. Non accipere munera promerita.

TOBIÆ vxor iunioris, dæmonium habuit, quo eam angelus Domini liberauit. Tobiæ 5.

Dæmoniacos septem specialiter liberasse scribitur Christus saluator noster. De duobus legimus Mat. 8. quorum vnus, qui erat famosior, & nomen sibi Legionem esse dicebat. Tangitur & id Lucæ 8. De alio, qui erat cæcus & mutus, Matth. 12. De quodam lunatico, qui non potuit liberari nisi ieiunio & oratione, Mat.7. Marc. 9. & de quodam spiritu immundo ab homine in synagoga Iudæorum eiecto, scribitur Matth. 9. Lucæ 4. Item de filia mulieris Chananeæ ad instantiam matris sanata, Matth.15.

MARIA Magdalena septem dæmonibus diu multúmque vexata, liberatur per Christum, Marci 16.

De Puella spiritum Phytonem habente, & quomodo à Paulo liberata sit, habemus Act.cap.6.

D. MARTINVS cuiusdam Tetradij seruum manuum impositione à dæmone liberauit. Vnde Tetradius, qui prius gentilis fuerat, conuersus est. Sulpitius in eius vita.

FRIBERGA filia Gunzoni, Sueuorum principis, à dæmone correpta, à S. Gallo liberatur. Vide tit. Monachorum, sub exemplo Galli.

MEMORIÆ LÆSÆ.

Mirum proculdubiò illud fuit, quod Federici secũdi tempore, cuidam Germano clerico contigit, qui ex petra sancti Michaelis ortus erat. Is à vena hausto sanguine, seruata aliarum rerum memoria, literas tantùm oblitus fuit, nec plus aut legere aut scribere norat, quã si vtrunque nũquam didicisset: annúmque in hac obliuione mansit. Postea, eodem tempore, atque ex eodem loco iterum hausto sanguine (mira res est) ad eandem legendi scribendíque scientiam, quam antè habebat, restitutus est. Fulgosus libro primo, capite sexto.

EPILEPSIAE.

C. IVLIVS Cæsar Cordubæ primùm morbo comitiali correptus cecidit. Verùm ne amplius eo tentaretur, optima & exquisita victus ratione effecit.

POENI infantes suos hirci vrina à spasmo liberant. Vide tit. Infantum cura.

PARALYTICORVM.

ÆNEAM paralyticum ab annis septem iacentem in grabbato Petrus apostolus sanauit, dicendo: Ænea sanet te Dominus Iesus.

PETRVS apostolus videns hominem claudum iuxta portam Speciosam templi: In nomine Iesu, dixit, surge & ambula. & apprehensa eius manu dextra eleuauit eum, & consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Actorum 3.

IN ciuitate Lystris erat quidam vir claudus ex vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat: quem intuens Paulus ambulantem fecit. Actorum cap.14.

Duo clarissimi scriptores, minimè incertæ fidei, Tacitus ac Suetonius, affirmant, se ab ijs qui viderunt audiuisse: quòd dum Vespasianus Alexandriæ esset in Ægypto, initio imperij bellíque Vitelliani, Quendam manu ceu sidere debilitatum, pede ab Vespasiano tactum, valetudinem bonam recepisse, saliuáque eiusdem cæcum lumen recuperasse. Fulgos. lib.1.cap.6.

MENDICVS iniecto sibi ab Egidio Atheniensi amiculo, protinus conualuit. Vide tit. Religiosæ liberalitatis.

CAECITATIS, LIPPITVDINIS.

TOBIAS quatuor annis fuit cæcus, & deinde iuxta consilium angeli ad linitionem de felle piscis, lumen recepit. Tob.11.

CHRISTVS sex cæcos illuminasse legitur. De duobus simul, lege caput Matthæi 9. de alijs duobus, Matth.20. de alio, Mar.8. de cæco nato, Ioan.9.

OTILIA cæca à natiuitate, in baptismo recepit visum. Vide tit. Monacharum.

MONTANVS monachus cæcus, cum lacte Cælinæ matris D. Remigij episcopi Remensis oculos inunxisset, visum recepit. Hincmarus in eius vita.

EVGENIVS episcopus Carthaginensis sanctissimus, sub Honorico rege Vandalorum immanissimo, sanandi dono clarus fuit. Felix quidam Carthaginensis cæcus, sæpius in somnis monitus, ad Eugenium accessit, & visum sibi restitui petiit, cuius spes sibi in somnis à Deo facta esset. Detrectare id Eugenius, se peccatorem fateri, neque suarum id virium esse: importunè tandem instantem cæcum ad baptisterium duxit, ibíque ingenti cum gemitu ardentissimas effudit preces: mox ita compellauit cæcum: Iam tibi dixi frater Felix, peccator homo ego sum. Sed qui te dignatus est visitare, præstet tibi secundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos. Simul crucis vexilio oculos eius consignauit, & cæcus visum recipit. Victor lib.2. Vandalicarum persecutionum. Turonensis lib.2.cap.3. dicit, Cyrolam episcopum Arianum Dei vltione excæcatum, cùm pœnitentiam egisset, & facinus suum confessus esset, ab eodem curatum esse hac forma precationis: In nomine patris, & filij, & S.S. veri Dei, quem trinum in vna æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui.

OPHIONEVS Messenius poeta, à natiuitate cæcus, vehementi capitis dolore visum consecutus, denuò cæcus factus est. Pausanias testis.

STESICHORVS poeta lyricus ex Himera Siciliæ ciuitate, Olymp.38. dicitur scripsisse Helenæ vituperationem. Ex quo oculis priuatum fuisse, rursúsque ob palinodiam visum recuperasse. Suidas.

ILVS, quum in Ilio Mineruæ templum arderet, cursu concitus, demissum cœlo Palladium eripuit, statímque oculis captus est: haud enim mortalium lumine cerni licet. Postmodum placata ira deæ, pristinum recuperauit visum. Dercyllus in libro ædificiorum, & Plutarch. cap.34. Parall.

METELLVS homo patricius, suburbanum suum petens, vbi Vestæ templum incensum videret, accurrit, ac Palladium ex incendio eripuit, statímque oculis captus est. Sed postmodum deæ ira placata, visum recuperauit: referente Aristide Milesio de rebus in Italia gestis, & Plutarch. cap.35. Parall.

VARON rex Ægypti cæcus, mirabiliter curatus. Vide tit. Coniugalis castitas atque fides.

In primo Græcorum Epigrammatum:

πηρὸς ἄπαις, ἢ φέγγος ἰδεῖν, ἢ παῖδα τεκέσθαι
εὔξαμένη, δοιῆς ἔμμορεν εὐτυχίης.
τίκτε γὰρ εὐθὺς ἄελπτα μετ' οὐ πολὺ, καὶ τὸ ποθητὸν
αὐτῆμαρ γλυκερὸν φέγγος ἐσεῖδε φάους.
ἄρτεμις ἀμφοτέροισιν ὑπήκοος, ἥτε λοχείης
μαῖα, καὶ ἀργεννῶν φωσφόρος ἡ σελάων.

Adriano imperatori grauiter laboranti cùm mulier quædam diceret, per quietem à dijs se monitam, vt eum hortaretur, ne sicut morbi tædio videbatur constituisse, se occideret, quoniam breui valetudinem recepturus esset. Mulier ipsa, quia principis valetudo in tempore dictis non respondebat, se execęcauit. Denuò etiam monita, vt Adriani genua oscularetur, & aqua quæ in templo erat, oculos lauaret, monita per quietem secuta, statim visum recepit. Similiter Quidam à natiuitate cæcus è Pannonia profectus, tacto Adriano, oculorum lumen assecutus est, & Adrianus ad pristinam bonam valetudinem restitutus. Fulg.lib.1.cap.6.

M. SERVILIVS Nonianus princeps ciuitatis Rom. in metu lippitudinis, prius quàm ipse eam nominaret, aliúsue prædiceret, duabus literis Græcis P. & A. chartam inscriptam circumligatam lino, subnectebat collo: Mutianus ter consul, eadem obseruatione viuẽtem muscam in linteolo albo: his remedijs carere ipsos lippitudine prædicantes. Plinius 28. cap.2.

SVRDITATIS.

Surdum audire fecit, & mutum loqui, Christus. Marci 7.

SIGGO ferentarius regis Gallorum Sigberti, surdaster, cùm verba

facerer cum Gregorio Turonenſe,auditum recepit.Vincent.li.21.ca. 125.

MVTORVM.

Mutum fecit loqui,& ſurdum audire,ſaluator noſter Chriſtus. Mar.c.7.

EISCOPOS quoſdam Afros , quia rectè de catholica fide ſentiebant, Honoricus Vandalorum rex,Arriana impietate laborans,qui illic rerum potiebatur,lingua radicitùs , quantum fieri potuit,abſciſſa mulctauerat: & tamen loquendi facultatem non amiſerunt. Id enim experimēto conſpectum eſt epiſcoporum quibuſdam,imperante Iuſtiniano Conſtātinopolim profectus : aperto enim ore,cùm ſectæ vſque ad intimas gutturis fauces palàm linguæ viderentur, articulatè tamen,plenéque, vt alij homines loquebantur.Fulg.lib.1.cap.6.

ATYS Crœſi regis filius,cùm mutus ad id vſque temporis eſſet , cùm Cyrus Aſiæ oppidum Sardas,vbi tunc Crœſus latebat,intraſſet, in vocem erupit præ timore , & exclamaſſe dicitur:Parce patri meo Cyre,& te hominem eſſe vel caſibus diſce noſtris.Solinus cap.7. Polyhiſt. Gellius lib. 5.cap.9.Valerius lib.5.cap.4.Iuſtinus lib.1.Herod. lib.1.

ÆGLES Samius athleta mutus cùm ei victoriæ,quam adeptus erat,titulus & præmium eriperetur,indignatione accenſus,vocalis euaſit.Valer. lib.1.cap.8.& Gell. lib.5.cap.9.

D.MARTINVS in Carnotena ciuitate puellam ab vtero matris ad 12. vſque annum ætatis mutam,infuſo ſacro oleo,& oratione,vocalem fecit. Seuerus Sulpitius ab initio tertij Dialogi.

REMIGIVS Remenſis epiſcopus, in Synodo Aurelianenſi ſub Clodoueo Gallorum rege , Arianum quendam ſummum dialecticum,miraculosè mutum redditum, & ad Remigij pedes procidentem , ſic affatus eſt: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti , veri filij Dei viui,loquere:ſiquidem ita rectè de eo ſentis,& de illo,ſicut catholica eccleſia credit,crede & confitere.Hac voce ille vſum linguæ recepit,& damnato Arij errore catholicus factus eſt.Hincmarus in vita Remigij.

SPLENETICI.

Epirotarum rex.Pyrrhus,ſolo contactu pollicis dextri pedis, ſplene laborantes curabat:& cùm in funere eius corpus rogo cremaretur,combuſtis aliis partibus,ſolus is digitus incombuſtus remanſit. Fulg.lib.1.cap.6.

EMPYICORVM.

IASON Pheræus, deſperata ſalute in apoſtematis morbo, quo diu laborauit,quia in medicis opem nullam inueniebat , in prælium ad comparandam mortem,vt ita morbi moleſtiam finiret,deſcendit : vulneréq; in aduerſum pectus accepto,quo apoſtema vires ſuas effudit,ſalutē quam antea neque medici,neque eorum remedia prçſtare potuerant, ab hoſte reulit Fulg.lib.1.cap.6.& Val lib.1.cap.8.

PTOLEMÆVS Philadelphus rex Ægypti,podagrico morbo fuit obnoxius. Plin.lib.7.ait,& vomica laboraſſe, vulneratóque pectore (quum mortem in acie quæreret)medicinam inueniſſe.

AMORIS INSANI.

Crates Thebanus amore laborantibus oſtēdit remedia:Amori, inquit, medetur fames:ſin aliter, tempus:quòd ſi nec his vti poſſis,laqueus. Luxus ferè alit amorem:tempus omnia aut tollit,aut certè mitigat.Hęc remedia ſi nihil proſunt , ſupereſt laqueus , vt morbus finiatur ſuſpendio. Græca ſonant iucundius:λιμὸς,χρόνος,βρόχος.Laert.lib. 6.cap.5.

Prope LEVCADA promontorium ſcribit Strabo 10. Geographiæ libro, Apollinis templum eſſe,vbi ſaltus fiat ad ſedandos amoris æſtus.Ex eo DEVCALION primùm ſeſe præcipitem dedit, amore Pyrrhæ,teſte Ouidio.At Strabo CEPHALVM primùm eā rem tentaſſe,Pterelæ Deionei filię amore percitum,aſſerit.Menander primam Sappho fuiſſe dicit. At Chratō Lampſacenus Phobum Phocenſem primùm ex Codri genere cum ſaltum feciſſe,cum Plutarcho teſtatur, Ex eadem poſtea quoq; Calyce puella ſeſe præcipitauit,cùm Euathli adoleſcentis nuptias impetrare non poſſet.Et Cephalus quidem cum Deucalione ſeruatus eſt , & amore liberatus:at Sappho & Calyce perierunt,quia virilis ille ſaltus Leucadius erat,fœminis non conueniēs. Quamobrem quidam maſculam Sappho, id eſt audacem vocari voluerunt potius quàm à libidine nefanda. Gyraldus Dialogo 9.Hiſtoriæ poet.

STERILITATIS.

REBECCA Bathuelis F.Iſaaci vxor,ſterilis fuit per 20.annos. Sed Iſaacus precibus à Deo impetrauit,vt gemellos ſexagenaria pepererit. Geneſ.25.

IMPOTENTIÆ.

Vxorem quam duxit AMASIS rex Ægyptiorum , alij volunt filiam fuiſſe Batti,filij Arceſilai: alij Critobuli,inter ſuos populares viri ſpectati,nomine Ladice.Cum qua dum in thoro cubaret,concumbere non poterat,cùm tamen aliis mulieribus vteretur. Id cùm diu fieret,ad eam Amaſis:Tu verò,inquit,vxor veneficio me læſiſti : ideóque nullo machinamento vales effugere,quo minus inter omnes mulieres teterrima pereas morte.Ladice cum pernegando nihilo placatiorem redderet Amaſim, vouit intra ſe Veneri,ſi ea nocte ſecum coiret Amaſis (hoc enim ſibi eſſe machinamentum)ſtatuam Cyrenas ſe illi miſſuram. Cōcepto ſtatim voto,coiit cum ea Amaſis,ac deinceps quoties adiret,cum ea coibat: ac poſtmodum eam valde dilexit.Et Ladice votum deæ perſoluit, facta ſtatua,Cyrenáſque miſſa , quæ ad meam vſque memoriam incolumis erat, extra vrbem Cyrenenſem poſita:hanc Ladicem Cambyſes, poſteaquam Ægypto potitus eſt,cognito quæ nam eſſet,Cyrenas illæſam remiſit.Herod.lib.2.

CRASSICIEI ET PINGVEDINIS.

DIONYSIVS Heracleotes tyrannus fuit adeò ventroſus,& corpulentus , vt noctu dum quieſceret , cogeretur ſuis lateribus hirudines admouere,quæ humorem ſuperfluum paulatim exhaurirent:eóque modo aliquid adimerent de craſſitudine. Ælianus tamē libro nono, ſubtiles acus per abdomen iniici ſolitas ſcribit , vt humor ſuperfluus educeretur.

VENENI.

LADISLAVS veneno hauſto exenteratis mulis ſe includens,mortem euaſit. Volat.lib.22. Antroph.

PESTIS.

Apud Romanos cùm vis peſtilentiæ ita per omnium capita peruagata eſſet,vt nec ope diuina,nec humanis conſiliis leuari poſſet , quotidiéque variiſque morbis corpora affecta caderent, ex ſeniorum memoria repetitum,peſtem quondam fixo à Dictatore clauo deceſſiſſe.Ideóque C.Genutio & L. Aemylio Mamerco coſſ.& ſæpe aliâs,cùm graui morbo ciuitas affecta eſſet, Senatus L.Manlium Imperioſum dictatorem claui figendi cauſa dixit,qui clauum panxit,& peſtis continuò euanuit: iſque clauus dextro lateri ædis Iouis opt.max.in Capitolio fixus fuit.Alexan.ab Alex. lib.1.capite ſexto.

FEBRIS.

EZECHIAS rex morbo correptus , quum mortis ſuæ nuncium accepiſſet,orauit & fleuit:diuináque miſeratione additi fuêre vitæ eius 15.anni,dicente Domino:Audiui orationem tuam,& vidi lachrymam tuam, & ecce ſanaui te Die tertia aſcēdes templum Domini,& addam diebus tuis 15.annos.Ex quo inſtruimur,tunc maximè precibus & pœnitentiæ merore nobis opus eſſe, quum mortis inſtet dies, vt pleniore venia peccatorū impetrata, addantur nobis vitæ anni,non anni quandoque finiendi, ſed anni æternitatis.Marul.lib.5.cap.10.

SIMONIS ſocrus,cùm teneretur magnis febribus , à Domino ſaluatore noſtro morbo liberata eſt,& continuò ſurgens miniſtrauit eis.Mat. 8.Luc.4.

Patrem PVBLII febribus & dyſenteria laborantem, Paulus apoſtolus facta oratione & manuum impoſitione ſanauit.Acto.28.

EVRIPIDES cum Platone in Ægyptum profectus,cùm fortè ægrotaret,à ſacerdotibus aqua marina ablutus,ſanatus eſt.Vnde ipſe poſtea in fabulis:

θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Gyraldus Dialogo 7. Hiſt poet.Hoc tamen tribuit Laertius Platoni.

ALPHONSVS Aragonum rex, Capuæ laborans aduerſa valetudine, medicis multa medicamenta adhibentibus,in grauiſſimo morbo,Quinti Curtij hiſtorias de Alexandri Magni rebus geſtis deſcriptas legere cœpit:cuius lectione delectatus,cum omnem morbi improbitatem ſuperaſſet,ſanitati reſtitutus:Valeat,inquit, Auicenna,valeat Hippocrates,& alij medici:& viuat Curtius,reſtitutor ſanitatis meæ. Meminit Antonius Panormita de Reb. geſtis Alphonſi, & Aeneas Syl.de eius dictis.

MENSTRVI FLVXVS.

Fluxum ſanguinis in muliere hæmorrhoiſſa ceſſare fecit Chriſtus Saluator noſter,tactu fimbriæ. Matth.9.Marc.5.

TVMORVM PRÆTER NATVRAM.

ASPASIÆ Hermotimi filiæ Phocenſi elegantiſſimæ (quæ poſtea Cyri nuptias meruit) adhuc puellæ, enatus eſt tumor in ipſo mēto,aſpectu deterrimus , atque tum patri , tum ipſi puellæ ſummum dolorem afferens. Proinde pater eam ad medicum adduxit,qui ſe curaturum recepit:ſed ea lege,ſi tres ſibi ſtateres perſoluerentur.Cum ille ſe tantum non habere diceret,medicus neque ſe medicinam parare poſſe aiebat. Atque hæc ſummè triſtitiam,vt veriſimile eſt,Aſpaſiæ augebant,quæ diſcedens, in acerbiſſimo luctu verſata eſt : & ſpeculum in genibus tenens , ſeſéque in ipſo contemplata , vehementer doluit. Cum igitur præ dolore non cœnaſſet, planè opportunus eam ſomnus inuaſit , vnáque cum ſomno columba acceſſit,& in mulierem mutata.:Bonum animum,inquit,geras, valeántque medici cum ſuis pharmacis : tu verò roſea ſerta Veneris , quæ iam arueſcunt,cape,eáque cōtrita tuberi impone.Hæc vbi audiſſet,& executa eſſet, tuber euanuit: rurſúsq; Aſpaſia inter omnes puellas recepta , ſpecioſiſſima deæ beneficio, pulchritudine formoſiſſima fuit: atque in tantum gratiis ditata,vt illius ſeculi nullam puellam ſecundam haberet. Aelianus libro duodecimo.

PODAGRÆ

PODAGRÆ, CHIRAGRÆ, ISCHIADIS.

ISMENIAS Thebanus, Antigenis diſcipulus , tibicen peritiſſimus, multos arte ſua iſchiadicos ſanauit,ſeu(quod veriſimilius eſt)animis illorum delinitis,morbi dolorem mitigaſſe viſus eſt.

SEX.Pompeius,prætorij viri pater,Hiſpaniæ citerioris princeps , cùm horreis ſuis ventilandis præſideret,correptus dolore podagræ , merſit ſe in triticum ſupra genua: leuatúſque ſiccatis pedibus, eo remedio poſtea viſus eſt.Rutilius in Sex.Pompei j iureconſ.vita.

LANIVS Budenſis podagricus miro modo ſanatus.Vide tit. In deorum imagines ſæuire.

LEPRÆ. VITILIGINIS. ELEphantiaſis.

CHRISTVS leproſos vndecim mundauit. Ioan.11. Vnum , Matth.8. Luc.5.& alios decem ſimul, Luc.17.

In Eleorum agro,non longe à flumine Alcidante, grauiter olente,amnum eſt,Anigridum nympharum incolæ appellant. Huc,qui vitiata aliquo vitiliginis genere cute intrauit , vbi primum nymphis ritè imploratis,nuncupatiſque votis,deinde amnenando tranſmiſſo, laborantes corporis partes defricuerit,fœditatē eā oris in aquis relinquere creditur,atq; inde nitidus ac terſus diſcedere.Pauſanias in Eliacis priorib.lib.5.

CONSTANTINVS Magnus deuicto Maxentio , crucis ſibi cœlitùs oſtenſæ ſymbolo, cùm Maximinum quoque Chriſtianis infeſtum opprimere cogitaret, ſubitò elephantiaſi corripitur.Medicis omnibus deſperantibus tandem adſunt Grçci,qui in Capitolio lacum ex puerorum ſanguine fieri oportere aſſerunt:in quo ſi ſe Imperator ablueret , certò valetudinem priſtinam recuperaret.Conuocantur pueri,carnifices adſunt, edictum expectant.Non tulit matrum lachrymas humaniſſimus Imperator, & pueros ſuis matrib. ſaluos & incolumes donauit. Nocte proxima Petrum & Paulum diuos ad ſe venientes conſpicit, & vt Romanum antiſtitem Syluestrem adeat,atque ex ea piſcina(quam is ei monſtraturus eſſet)ſe lauaret,monetur.Paret,& ſeptem dierū ieiunio indicto,à Syluestro ſacro baptiſmate abluitur cum filio Criſpo, ſacro prius oleo vnctus. Lux interim clariſſima locum illuſtrat , & ſonus ſuauiſſimus exauditur. Conſtantinus ipſe diuinæ cuiuſdam manus attactum ſentiens , ex labro ſanus atque ſaluus egreditur.Nicephorus lib.7.cap.33.

D.MARCVS,diui Petri ſocius, quum Romæ ageret , miſſus fuit ab eo Aquileiam,celeberrimam Venetiæ vrbem,quam Romani multò antè coloniam deduxerant. Quò quum ille veniſſet, Chriſto præcipuo authore ſpei bonæ plenus , ſub ipſum ingreſſum vrbis Athaulpho cuidam adoleſcenti nobili lepra infecto occurrit: quem blande primùm appellatum interrogaſſe fertur,An eo morbo ſolui cuperet?Quod adoleſcens primò admiratus,mox pollicentis Marci conſtantiam complexus animo,ad patrem Vlphium omnem rem detulit.Is verò ſtatim ad Diuum Marcum aduolauit , vtpote ſalutis filij cupidus : à quo admonitus vnum tantum eſſe mali remedium,ſi Chriſtum ducem ſequeretur, relictóq; idolorum cultu ſacra baptiſmatis aqua luſtraretur:accepta conditione,continuò lepra ſolutus eſt. Quod miraculum per vniuerſam vrbem vulgatum effecit, vt omnis Aquileia in vnum Marcum oculos mentémque conuerteret. Eguat.lib.1 cap.6

VLCERVM.

ATOSSA Cyri F.Darij vxor , vlcere mammillæ laborabat,quod Democedes Crotonienſis medicus curauit.Herodotus libro tertio.

IMAGINATIO BONA.

Huc fortaſſe Inuentores rerum poſſent referri.

RATIONIS BONITAS.

Huc ſapientia Theorica,& Practica Prudentia,item induſtria Mechanica poterit tranſferri.

MEMORIA BONA.

De bonitate memoriæ libro primo egimus, quatenus ad Theoricorum habituum conſeruationem pertinet:at quia à corporis, ſeu potius cerebri proba temperiè prouenit,idcirco inter corporis bona connumerari debet.

Memoriæ ſecundùm rationem nil Deus dedit homini ſanctius,nil vtilius,& ad eruditionem aptius:eſt hæc theſaurus diſciplinarū omnium,artiúmque ſtudio & labore quæſitarum cuſtos fideliſſima. Aliquid certè vidit ſapiens poeta.qui Muſarum Memoriam dixit matrem:nec minus prudens,qui Lethen huic contrariam apud inferos ſtatuit.Conſtat id bonum naturæ beneficio,augetur tamen & excolitur arte.Sab.

ÆGYPTII cum per notas & figuras ſenſus effingant, ſi quem memorem ſignificabant , leporem aut vulpem auritis & arrectis auribus, quòd ſummi eſſent auditus & inſignis memoriæ,effingebant: ſi verò malum,crocodilum.Alex.ab Alex.lib.2.cap.19.

Nec illud in Eadem gente parum inſigne, quòd cùm nullus in his eſſet literarum vſus,omnis æui memoriam tenebant.Aſſidebant maioribus natu iuniores,ex his fabulantibus, vetuſtariúmque rerum memoriam repetentibus:totum vetuſtatis ſchema percipiebant animo, tradebántque per manus poſteris.Sab.lib.5.cap.1.

ESDRAS ſacerdos vniuerſas Hebræorum doctrinas habuit in memoria.

Aiunt THEODECTEM Ariſtotelis diſcipulum multæ fuiſſe memoriæ.

THEMISTOCLES tanta fuit memoria, vt Simonidi artem memoriç pollicēti,dixerit ſe malle artem obliuionis:quòd etiam meminiſſet,quæ nollet ; & obliuiſci non poſſet, quæ vellet.Cicero libro 2.de Finibus:& Volater.lib.20.Anthrop.

METRODORVS philoſophus,qui temporibus Diogenis Cynici fuit, artificiali memoria tantum valuit , vt à multis ſimul dicta,non modò ſenſuum,ſed etiam verborum ordinibus retineret.Plinius & Solinus.Cicero libro 1.Tuſcul.quæſt.

CARNEADES Cyrenæus,philoſophus inſignis,memoria naturali artificialique ſemper vſus eſt. Cicero de Oratore : & Volat.libro decimoſeptimo.Anthrop.

CHARMIDES in terra Grçcia,quæ quis volumina exegiſſet,in Bibliothecis legentis modò repreſentauit.Sab.lib.10.cap.9.ex Plinio.

ARCHIPPVS & LYSANDER Pythagoræ auditores, qui poſtmodū in Græcia Thebis ſcholas habuêre , memoriter doctoris præcepta tenētes,ingenio pro libris vtebantur.Ex Hieronymo apud Volat.lib.16. Anthrop.

Maiore admiratione dignus MITHRIDATES rex Ponti, quo nullus regum diutius grauiúſque exercuit Romana arma,fertur is duabus & viginti diuiſis nationibus,quibus imperabat,ſua cuiq; lingua ius dicere ſolitus,& pro concione ſingulas ſine interprete affari.Sab.lib.10.cap.9.Solin. capite ſeptimo.Plutarchus in Lucullo:Gellius libro 17.capite 17. Val.lib. 8.cap.7.Plin.lib 2.cap.25

CYRVS Perſarum rex,in exercitu numeroſiſſimo nominatim ſingulos alloqui bāt.Plinius lib.7.cap.24.Fab.lib.11.cap.2. Valer.Max lib.8.cap. 7.Solinus cap.7.& Sab.lib.10.cap.9.

L.SCIPIO Aſiaticus,Publij frater,hoc idem in populo Romano fecit. Solinus cap 7.

CYNEAS Theſſalus,Pyrrhi regis legatus, miſſus ad Romanos legatus de pace,tanta memoria valuit,vt vno die nomina omnium ſenatorum edidicerit.Plutarchus in Pyrrho Solinus cap.7 Cic.lib.1.Tuſc.quæſt. Seneca in Prologo declamat.& Sab.lib.10.cap 9.

Habuit L.LVCVLLVS diuinam quandam rerum memoriam , maiorē verborum Hortenſius.Cicero libro 4. Quæſt.Acad.

Hortenſius orationem iiſdem verbis ſcriptitabat & pronunciabat,quibus meditabatur.

PORCIVS Latro tam felici fuit memoria, vt nunquam illa quę dicturus erat,ediſcendi gratia relegeret. Edidicerat enim illa cùm ſcriberet. Erat illi hiſtoriarum omnium notitia ſumma.Iubebat aliquem nominari ducem,& ſtatim eius facta recenſebat.Seneca lib.1. Declam. cuius verba recitat Volater.lib.16.Anthrop.

Superfuit & C.IVL. Cæſari Dictatori id bonum,qui ſcribere & legere vno tempore , dictaréque & audire ſit ſolitus, epiſtolas magni ponderis quaternas pariter dictitabat:aut ſi non aliud egiſſet, ſeptenas.Sab.lib.10.c.9.

CLAVDIVS Cæſar, qui C.Caligulæ in imperio ſucceſſit , vir Latinis literis Græcéque literaturæ valde peritus , Homerum memoriter tenebat. Ex cuius diuino planè poemate verſus quamplurimos in vſu rerum ſæpiſſimè recitare ſolebat. Volat.lib.23.Anthrop.

Seneca ſcribit,memoriam in ſeipſo adeò excelluiſſe,vt nō ad vſum modò ſufficeret,ſed in miraculum vſque procederet.Nam duo millia nominum recitata,quo ordine erant dicta,referebat Ducentos verſus, ab vltimo incipiens,recitabat.Rauiſ.

ÆLIVS Adrianus tanta fuit memoria,vt locos,negotia,milites abſentes quoque nominibus recenſeret.Ibidem.

D.HIERONYMVS(vt ſcripſit Auguſtinus in epiſtola ad Cyrillum epiſcopum Hieroſolymitanum)ea fuit memoria, vt Hebraicorum,Grçcorum,Perſarum,Medorum,Arabicorum, & penè nationum omnium linguas ac literas calluerit,de quo ſic idem Auguſtinus inquit : Nullus hominum ſciuit, quod Hieronymus ignorauit. Guido Bitur.

Ætate Sabellici Antonius Rauennas multa millia rerum stans percipiebat animo:& eo quo accepta essent ordine, memoriter reddebat. Sabellicus libro decimo, capite nono.

MEMORIA DEBILIS.

Obliuio quatenus Theoricis vitijs famulatur, ita Libro primo à nobis explicata est. At si spectes læsam actionem, quæ à morbo in intemperie cerebri prouenit, sic paulo antè à nobis Exempla fuerunt allata.

VISVS ACVMEN.

Apollonides perhibet, in Scythia fœminas nasci, quæ Bythiæ vocãtur: hásque oculis pupillas binas habere,& perimere visu, si quem fortè iratæ aspexerint. Hæ sunt & in Sardinia. Solinus cap.6.Plin.lib.7.cap.2. Vide tit. Veneficorum.

Plinius lib.7.cap.2.scribit, Gymnosophistas Indorum philosophos, ab exortu ad occasum perstitisse contuentes solem immobilibus oculis, atque etiam feruentibus arenis toto die alternis pedibus institisse.

Ilias Homeri in membrana tam concise & minutim notata fuit, vt testa nucis includeretur, teste Cic.Plin.lib.7.cap.21.

STRABO quidam (id enim nomen reddidit illi M.Varro) in Lilybæo Siciliæ promontorio sedens, naues ex portu Carthaginis exeuntes numero prædicabat, oculorum acie in centum triginta quinque millia passiuum procul excurrente. Plinius libro septimo, cap. 21. Valerius Maximus tamen libro primo, capite octauo. Lynceum hunc vocat: vnde quoque prouerb. Lynceo perspicacior. Ælianus libro vndecimo de Varia historia, in fine.

Fuit & Callicrates acerrimi visus, qui formicas, & alia minuta animalia in ebore sculpsit, quorum partes quædam ab alijs cerni nequibant. Sab.lib.10.cap.9.Solinus cap.6. Plin.lib.7.cap.21.

AVGVSTVS Cæsar tam lucidos habuit oculos, vt in quos paulò attentius oculos defixisset, tanquam solis fulgorem ferre non possent, sed conniuere cogerentur.

TIBERIVS Cæsar media nocte experrectus, instar felium sine lumine omnia videbat. Suetonius.

AVDITVS ACVMEN.

Prælium quo Sybaris in Italia excisa est, ab ijs auditum est, qui Olympia in Græcia spectabant. Sab.lib.10.cap.9.ex Plin.lib.7.cap.22.

HISTIÆVS Milesius tyrannus, cùm ratem in Istro cum reliquis Ionibus contra Scythas in Darij gratiam tueretur, eam tamen soluisset, quantum scilicet, ne Scytharum sagittis socij infestarentur, satis erat: cùm Darius rex fugiens ad Istrum nocte venisset intempesta, & quendam alta voce Histiæum clamare iussisset, primam statim vocem exaudiuit Histiæus: siue, quia præ cæteris vigilabat: siue, quia auditus erat acutissimi. Rate igitur nauibus coniuncta, Darium cum exercitu è Scytharum eripuit manibus. Herod.lib.5.

VISVS DEBILITAS.

Exempla plurima ex oculorum morbis peti possunt. Illic enim morbi qui actionem lædit, ratio habetur: hic verò, ipsius actionis læsæ.

ALBANIÆ in vltima terra incolæ, propter debilem visum noctu tantùm cernunt: interdiu debile lumen à fulgore diei disijcitur. Gellius libro nono, capite quarto.

AVDITVS OBTVSVS.

ROBVR PASSIVVM, LABORES QVOSVIS CORPORIS in motu perferre.

Exempla aliquot ex tit. Tolerantiæ laborum, frigoris atque caloris, peti possunt. Ad fortitudinem enim spectant, quatenus cum ratione fiunt. At quia corpus illud est quod patitur, & perfert, ad robur paßiuum referenda sunt. Consule etiam tit. Exercitationum corporis, quatenus exercendo se laborem perfert, & agendo patitur.

EXERCITATIONIS.

Missus Mnesarchus ab Alexandro ad Gymnosophistas, in patentem campum perductus, nudos homines offendit, feruenti arena sese exercentes. Horum alij alio statu cœli & loci intemperiem ferre: hic vestigio nixus stabat, ille immotis oculis solem ex aduerso intueri: sedebãt nonnulli lapidibus & scopulis immoti: alij in arenis iacebant, hic in faciem, ille supinus: omnes tamen ad tolerantiam & labores perferendos, velut ad primariam quandam virtutem exerceri. Est enim fortitudinis mater, virtus hæc, continentiæ alumna: vt verè & sapienter sit dictum. Abstine & patere. Sab.lib.2.cap.10.

SPARTANIS virginibus magis palæstricus puluis, venaticus labor, & militia in studio fuit, quàm fertilitas filiorum. Cic.lib.2.Tusc.quæst.

PHORMIO dux fuit quispiam, in perferẽdis militiæ incommodis notæ patientiæ. Hinc natum adagium Erasmo positum, Phormionis thori. de stratis minimè delicatis.

SOCRATES, qui Ethicen induxit, perdius ac pernox à primo solis ortu ad solem alterum orientem immobilis stare solitus est, ijsdem vestigijs atque eodem obtutu defixus, vt ad fortuitas vices patientia assuesceret. Adeò hæc virtus præ cæteris fuit illi curæ. Sab.lib.2.cap 10.

ÆLIVS Hadrianus imperator, vt ex ipsius patientia ferendi laboris exemplum alij haberent, pedibus interdum viginti passuum milia peragebat. Fulg.lib.2.cap.de Militari disciplina.

Herodianus scribit, Seuerum imperatorem iter facere solitum sine vlla intermissione, neque labores vllos curasse: fuisse insuper frigoris & æstus patientissimum. media quandoque bruma, & agris omnibus gelu constrictis, aut niue & pruina albicantibus, in montes altissimos iuisse aperto capite, vt suo exẽplo milites ad laborẽ & alacritatem induceret.

ALANI Scythæ centum interdum millia vno cursu conficiunt: tam patientes sunt laboris. Rauis.

Apud Danos fœminæ pleræque formam suam in virilem habitũ cõmutantes, militiam adibant. Omnes perosæ delicias, corpus & animum patientia ac labore solebant durare, totámque fœmineæ leuitatis molliciem abdicantes, virilem exercere sæuitiã. Bella pro basijs intentabãt: manus telorum, non telarum obsequijs exhibebant. Saxo Grammaticus.

DOLORES ET TORMENTA.

SPARTIATÆ olim pueros suos aris ardentibus admouere soliti erant, donec multus è visceribus sanguis efflueret. Verberibus deinde & virgis cædebant, quo à primis statim annis discerent fortes esse in rebus aduersis. Pontan.lib.2.cap.7.de Fortitudine.

In Liguria & Illyrico mulieres tam patientes laborum sunt, vt post puerperium minimè decumbant: prægnãtésque inter opus enixas, pueros domum referre tradunt, quos non peperisse, sed inuenisse credas. Alex.lib.2.cap.25.

Idem de Thracibus, Scythis, Cantabris & Celtiberis legimus: apud quos puerperæ adeò dolore partus non mouentur, vt viris loco illarum decumbentibus ministrent & famulentur. Ibidem.

ÆSTVS ET FRIGORA.

GYMNOSOPHISTÆ nudi pedibus alternis feruentissimas arenas calcabant, & ab exortu ad occasum vsque solem immobilibus oculis contuebantur. Plin.8.cap.21.

Cum aliquando copiosa nix cecidisset, interrogauit rex Scytharum Quendam nudum perseuerantem, Anne frigeret, qui econtrariò regem interrogauit, Posśitne frigere frons? respondente ipso, Non posse. Quare igitur, inquit, ego frigus non tolerem, cùm totus sim nihil aliud præter frontem. Ælian.de Var.hist.lib.7.

PHOCION, præclarus ille Atheniensium dux, ruri aut militiæ nudus semper & absque calceis incedebat, nisi frigus intolerabile incidisset: ita vt per iocum, etiam milites intensum gelu significari amicto Phocione dicerent. Plut.in eius vita.

AGESILAVS Lacedæmonius iam senex, persæpe sine calceis & tunica prodibat in publicum, cũ lacera veste, idq; matutino tẽpore hyemis. Cum

Cum autem quidam eum obiurgaret, quòd puerilius ageret, quàm ætatem illam deceret, respondit. Verùm, inquit, iuniores ciuium, quasi muli, si vestem virilem induam, omnes oculos in me coniiciunt. Aelian.lib.7. de Var.hist.

Sinopæus DIOGENES, præter nuditatem corporis (solo enim pallio vsus est) nudis pedibus vixit, & capite adaperto, frigoris & caloris æquè patiens: abiecto prius ligneo vase alterius, cauis ad hæc manibus potare solitus. Extremis vitæ temporibus crudam carnem vesci conatus est, vt nihil esset in quo ministerio alterius egeret, sobrius naturæ cultor. Sabell. lib.2.cap.10.

ARISTODEMVS Cydathenæus, nudo pede semper visus est. Rauis.

M.POR.CATO Vticensis, tam patiens laboris & frigoris fuisse dicitur, vt nudis pedibus, aperto capite, breui toga, hyemis tempore in publicum prodiisse dicatur, vt seipsum ad labores facilè perferendos assuefaceret. Volat.lib.14.cap.2.Anthrop.

PESCENNIVS Niger, vir militaris, qui sua virtute ad imperium conscendit, militans neque sub tecto mansit, nec tentorium aut frondea tabernacula subiuit: sed sub diuo manens, alios exemplo suo ad laboris patientiam hortabatur. Fulg.lib.2.cap.4.

SEVERVS imperator hyeme sæua & gelida, aperto capite, iter per niues & pruinas, per montes syluásque pedes fecit, patientia laboris & victus abstinentia supra fidem assuetus. Alex.ab Alex.lib.1.cap. 20.

VVENCESLAVS Vratislai regis Bohemorum filius, per mediam brumam & medias niues discalceatus incedere non erubuit Rauisius de Teperan.

MOLLITIES PASSIVA.

Consule tit. Ignauiæ & timiditatis. Illic enim vitiosi habitus, hic molliciei corporis, quæ habitui ministrat, ratio habetur.

IONES nauticas exercitationes, solísque æstum perferre nequeunt. Vide tit. Ignaui in ethica exercitatione.

SYBARITA quispiam iter faciens per agros, quum videret quosdam fodientes, dixit, Se spectando illos fodientes rupturam capere. Ad hanc vocẽ auditam, quidam ita respondit: At mihi te audienti latus dolet. Tanta erat Sybaritarum mollicies, vt nullum opificium in ciuitatem admitteret, quod cum strepitu exerceretur: quod genus sunt fabrorum ferrariorum & lignariorum. Atque adeò ne gallum quidem gallinaceum in ciuitate fas erat alere, ne quid esset quod illis somnum interrumperet. Iocus autem in hoc erat, quòd agricola probabilius dixit, sibi ex tã stulta voce dolere latera: quàm Sybarita dixerat, se ex fossorum ligone sentire rupturam. Latera dolent loquenti, non audienti: & rupturam patitur grauiter laborãs, non spectator. Commemorat hoc Athenæus in duodecimo. Ex iis quidam, quum Spartam concessisset, Lacedæmoniorúmque exactos durósque mores aspexisset, quasi illorum vitam damnaret: Non admirandum est, inquit, si in bellis, ne ita viuerent, moriuntur. Brus. libro quarto, capite sexto.

CAPVT ROBVSTVM, VEL FRAGILE.

ÆGYPTII robustissima habent capita, PERSÆ fragilia valde. Vide tit. Vestitus diuersorum, in genere.

ROBVSTISSIMI. ROBVR ACTIVVM.

In genere hic de Robustis agemus, qui extra palæstram vel in bellis, vel in priuatis certaminibus, vel in venationibus, vel quouis alio ingenti facinore robur suum declarauerunt & illustrarunt. Consule tit. Domitores belluarum.

NEMBROD filius Chus, nepos Chami, primus fuit in terris fortissimus: adeò vt ab eo prouerbium manarit, vt Nembrodus fortis in Ioue conspectu venator. Rex fuit primus Babyloniorum. Gen.10.

IACOBI patriarchæ robur tantum fuit, vt solus saxum ab ore putei auoluere potuerit (quod alioqui non nisi coactis omnibus eius regionis pastoribus amoueri poterat) quando in Mesopotamiam ad auunculum Labanem profectus fuit. Gen.29.

SAMSON descendens cum patre & matre in Thamnatha, cùm venisset ad vineas oppidi, apparuit leonis catulus sęuus & rugiens, occurrẽs ei. Ille autem suis manibus, inermis lacerauit leonem, quasi hœdum, in frusta. Iudicum 14. Mãdibula asini interfecit mille viros. Iudicum 15. Contra multa millia hostium (quod satis constat) solus & inermis prosperè dimicauit. Idem hostili vrbe deprehensus, vbi sub noctem vim sensit aduersus se parari, demolitus est portas vrbis Gazæ, auulsásque postibus, in iugum montis detulit, quod hostili vrbi imminebat: statuitque in conspectu attonitæ ciuitatis, ludibrium verius quàm trophæum. Sab.lib.1.cap.5. Item captus, apprehendens ambas columnas, quibus tota domus innitebatur, domum ruina dissipauit, in qua circiter tria milia vtriusque sexus principum Palæstinorum erant. Mortalium deniq; omnium fuit fortissimus: & quod magis mireris, fuit robur illud homini in capillis, quibus desectis, vinctus est, & illusus ab iis quibus terrori fuerat, ac sæpius exitio. Sab.lib.7.cap.4.ex Iudicum quarto.

DAVID in pueritia sua fortiter superauit & interfecit leonem & vrsum, & Goliath Philistæum. 1.Reg.17.

PALLAS Alcidam beluam, flammas ore vomentem, interfecit.

Medusa Phorci fuit filia, quam Neptunus stuprauit in templo Palladis: vnde irata Pallas, eiusdem capillos mutauit in colubros: fecítque vt omnes in scopulos verterentur, qui eam prospicerent. Hanc obtruncauit PERSEVS, Iouis filius ex Danae. Ouid.lib.4.Metam. Gorgonis anguicomæ Persæus superator, & alis Aethereas ausus iactatis ire per auras.

BELLEROPHON filius Glauci regis Corinthiorum, falsò accusatus stupri à Stenobœa Prœti Argiuorum regis vxore, expositus est Chimæræ triformi: quam tamen domuit. Ouid.lib.2. Nam quid de terrico referam domitore Chimæræ, Quem letho fallax hospita pœna dedit?

MONYCHVS nomen est Cẽtauri, qui arbores & saxa pro telis iaculabatur Lucanus lib.6. Ouid.in Ibin.

Idem quoque fingitur de Rhœto centauro. Lucan.

Téque sub Oeteo torquentem vertice vulsas
Rhœte ferox, quas vix Boreas inuerteret, ornos.

TYDEVS Oenei Calydoniæ regis filius, quum Mycenis moraretur, neminem sibi viribus conferendum reperit. Missus ad Eteoclem legatus, Thebanos ad quodlibet certaminis genus prouocauit, omniúmque euasit victor. Quod quum ægrè ferrent, insidias in loco opportuno tetẽderunt. Constituerunt enim iuuenes omnium fortissimos, qui trãseuntem illac Tydeum interciperent, & obtruncarent. Quos omnes tamen interfecit. Tortellius lib.6.

Poetæ scribunt, CACVM immanem fuisse latronem, Vulcani filium, ignes & flammas ore vomentem, qui boues cauda raptos inuersis vestigiis, causa tegendi furti, in speluncam traxerit. Fabulantur quoque tam prodigiosis fuisse viribus, vt cauernam suam obice montis præstrui ret. Ouid.1.Fast.

Verg.lib.8.Æn.fingit HERILVM tres animas habuisse, ter letho sternendum fuisse. Nec aliam ob causam (vt coniicere est) quàm propter inusitatas & portentosas hominis vires. Sic autem loquitur Euander:

Et regem hac Herilum dextra sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat: terna arma mouenda,
Ter letho sternendus erat, cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.

PERICLIMENVS congressum Herculis sustinere ausus est.

Telamon propter insignem corporis fortitudinẽ Herculis amicus habitus est, & Hesionem possidere meruit.

CADMVS Agenoris filius, serpentem interfecit: cuius dentes quum seuisset, nati sunt protinus armati homines, qui mutuis vulneribus se confoderunt, vt fabulantur poetæ.

Si poetarum verba fidem capiũt, nemini dubium est quin omnium (qui prodigiosis viribus extitére) laudem multis interuallis excesserit fortissimus ille Iouis & Alcmenæ filius HERCVLES. Qui odio nouercæ Iunonis agitatus, multa passus est, & plerique naturæ portentis expositus: à quibus tamen semper rediit victor. In primis dum adhuc esset infans, duos angues ardentis gutturibus elisit. Prouectior factus in Lerna palude certamen suscepit cum hydra rediuiuis capitibus pullulante, dum vnicus amputabatur vertex. Leonem Nemæum toti populo formidolosum, precibus Molorchi pastoris (à quo susceptus fuerat hospitio) interfecit. Alterum item in Thessalia non minus terribilem. Aprum in Mænalo Arcadiæ monte, cuncta vastantem, itidem iugulauit. Ceruam æripedem, & aureis cornibus decoram, cursu arripuit. Harpyias volucres immundas, virgineum preferentes vultum, prope Stymphalum Arcadiæ lacum fa-

gittis confodit. Taurum furiosum, & flammas vomentem, distétis faucibus iugulauit in Attica. Acheloū in varias formas se cōmutantem vicit. Diomedem regem Thraciæ, equos hospitum cruore pascētem occidit. Busyrim regem, Neptuni & Lybiæ filium, hospites mactantem, & adiacentes Nilo regiones latrociniis deprędantem, itidē interfecit. Antæum Gigantem (cui terra mater suppeditabat vires) lucta superauit. Abylen & Calpen colūnis in Occidente posuit. Aurea mala sustulit Hesperidibus, interfecto (qui eorum custos erat) dracone. Geryona tricorporem vita spoliauit, & armento. Amazonum reginæ Baltheum abstulit. Cacum Vulcani filium, & latronem, flammas ore vomentem, de medio sustulit. Nessum centaurum, Deianiræ raptorem, confodi iaculis. Hesionem Laomedontis filiam liberauit à monstro. Troiam deleuit. Lacinium latronem in Italia peremit. Cœlum humeris (vt ad exprimendas vires fingitur) sustulit. Iunonem in papilla vulnerauit, velut laborum suorum autorem. Descendit ad inferos, ibíque Cerberum rapuit: raptum, & cathenis vinctum, in auras eduxit. Theseum liberauit. Lycum Thebarū regem (quòd Megaræ vxori suæ stuprum inferre voluisset) morti dedit. Vnicum fuit monstrum, cui non potuit superesse, Amor. Vnde Ouid.

Quem non mille feræ, quem non Stheleneius hostis,
Non potuit Iuno vincere, vicit Amor. Rauis.

THESEVS Ægei filius, Herculeæ virtutis æmulus, Scyronem & Procustem latrones, Scinin arbores complicantem, Creontem Thebarum tyrannum, Minotaurum monstrum biforme, Centaurósque plurimos interfecit: & (vt fabulantur poetæ) ad inferos descendit cum Pirithoo, vt Proserpinam raperent. Quæ omnia Phyllis apud Ouidium declarat his verbis:

Quum fuerit Scyron lectus, toruúsque Procustes,
Et Scinis, & tauri mixtáque forma viri.
Et domitæ bello Thebæ, fusíque bimembres,
Et pulsata nigri regia cæca dei.

Athenis Apollinis ædes erat, quam Delphinium appellant. Ea cùm ad fastigium perducta iam esset, aiunt incognitum adhuc Theseum vrbem introisse talari palla, & coma eleganter composita. Atque vt primùm ad Delphinij accessit, rogatum per illusionem ab iis qui fastigium erigebant, quid ita nubilis virgo sola erraret? eúmque nihil aliud respondisse: sed dimissis à plaustro, quod in proximo erat, bobus, culmen templi altius quàm fabri statuerant, proiecisse. Pausan. in Atticis.

THEAGENES robustissimus athleta, etiamnum puer æneam statuam deiecit, domúmque portauit. Vide tit. Roboris corporei indicia in tenera ætate.

GLAVCVS Demili filius, tam robustus fuit, vt arans excussum vomerem pugno indiderit, & in Olympia à parente ductus sæpe vicerit. Alex. lib. 5. cap. 8.

PELEVS feras omnes (ad quas discerpendas fuerat missus) viribus sustulit.

COROEBVS monstrum toti Peloponneso formidolosum occidit. Ouid. in Ibin:

Inque tuos ea pestis eat, quam dextra Corœbi
Vicit, opem miseris Argolicísque tulit.

SCINIS latro fuit prope Corinthum. Summas arbores in terram complicabat, hisque alligatos homines discerpebat, truncis cum magno impetu in aera laxatis. Ouid. in Metam.

Occidit ille Scinis magnis malè viribus vsus,
Qui poterat curuare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.

CYNEGIRVS Atheniensis, in bello Persico magna pertinacia in consectandis hostibus vsus est. Nam & nauem onustam dextera manu tenuit, ea amputata sinistram iniecit: quam & ipsam quum amisisset, nauem mordicus arripuit, morsúque retinuit furenti similis. Trogus & Herodotus.

BITHON taurum humeris gestabat. Qua admiratione statua quoq; apud Argos dignus est habitus. Pausanias apud Cælium lib. 11. cap. 13.

AGATHO Atheniensis, vir monstrosæ fortitudinis simul & magnitudinis, tempore Hadriani principis & Herodis Attici, de quo Philostratus in vita ipsius Herodis ait: Adolescens prima lanugine similis ingenti Gallo, magnitudine octonum pedum, vasta coma, hirsutis oculis ac iunctis, vt vnus videretur, læta facie, naso aquilino, ceruice torosa, pectore vasto, pulchréque cōpacto, cruribus breuibus, ac extrà incuruatis. Erat ei tegmen lupina pellis: certaménque cum apris, thois, lupis, tauris, quorū omnium vulnera ostentare solebat: vescebatúrque lacte asinino. Volat. li. 3. cap. 3. Anthrop. ex Philostrato recitat. Cratera sibi iussu Herodis oblatum respuit, dicens: Haud purū esse, quod odore muliebri offenderetur.

EVTHYMVS Locrensis, omniū Italiæ pugillatorū princeps, corporis robore incredibili & immēso admirabilis fuisse creditur. Locri enim lapidem ostendunt magnitudine maximum, quem portauit, & ante fores posuit atque Temesensi heroi, qui tributum ab accolis exigebat, hanc potestatem eripuit. Accedēs enim in delubrū eius (quod vulgo inaccessum erat) cum ipso, certamen iniuit, coegítque multò plura quàm prædatus fuerat rependere. Vnde etiam prouerbiū manauit, quod de iis qui inutiliter lucrantur, dicit, Venturum ad eos Temesensem heroa. Æl. lib. 8. de Var. hist. Paulò aliter de eo scribit Pausanias, inquiens: Euthymus post multas victorias in Italiam reuertens Olymp. LXXXVII. Temesum genium loci (quem comitem Vlyssis fuisse, ab oppidanísque, quia virginem stuprasset, interemptum ferebant, & ob id vagari laruas eius, & nisi placaretur quotannis oblata virgine grassari solitas) interfecit, & liberatam virginem in matrimonium duxit.

LYGDAMVS tantum viribus corporis valuit, vt tertia & tricesima Olympiade primus ex Olympico certamine Pancratij coronam reportarit, eiúsque ossa medullam non habentia deprehensa sint. Maximā virium substantiam neruos facere certissimum est: quantoque fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. Plin. lib. 7. cap. 20. & Solinus cap. 4. Polyhist.

Græcorum monumentis proditum est, leonem insolita magnitudine confectum in Olympo monte à Polydamante athleta, inermi. Eundem quoque scribunt, in armenta boum intrasse, vbi taurum magnitudine insignem, altero posteriorum pedum arripuerit, ferocientémque, & prærabido impetu prosilientem, non dimiserit prius quàm in eius manu vngulam reliquerit. Narratur etiam, quadrigas tota vi concitatas constantissimè retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Darius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò quū venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos (qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum) solus contrucidauit. Cui insitato robori confidens, dum fortè fortuna cum aliquot aliis in spelunca recumberet ad mensam, conuulsúsque supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit: fore sperans, vt saxum decidens facilè sustineret, quo tamen oppressus est. Cælius cap. 56. lib. 7. ex Pausania.

ARISTOMENES Messenius solus CCC. Lacedæmonas occidit. Tandem vulneratus & captus, pœnam per cuniculos subterraneásque cauernas effugit. Iterum captus, custodibus somno sepultis, accessit ad ignem, & lora combussit. Tertio captum quum Spartani dissecuissent, introspexissentque qualis esset, repertus est hirsuto corde. Plinius libro vndecimo, capite 37.

MILONEM Crotoniatam dum constitisset, nemo vestigio educebat, malum tenēti nemo digitis poterat extorquere. In Olympia bouem per stadium retento anhelitu portauit, quem ictu pugni interfecit, & vno die integrum deuorauit. Quum autem nimia neruorum fiducia arborem vellet diducere, brachiis hinc inde constrictis, & deficiente conatu retētus, lupis fuit præda. Plinius lib. 10. cap. 47. Solinus cap. 4. Polyhist. Pausanias: Herodotus lib. 3. Strab. lib. 6. Val. Max. lib. 9. cap. 12. Sabel. lib. 1. cap. 5. Gell. lib. 15. cap. 16. Ælian. lib. 2. de Var. hist. & Cælius lib. 13. cap. 6. Vide tit. Luctatorum.

TITORMVM bubulcum adeò corporis viribus præualuisse legimus, vt robore cum Milone Crotoniata certare ausus sit, quem viribus etiam vicit. Titormus enim cùm ad certamen descendisset, abiecta veste, ex Eueno maximæ molis lapidē primùm quidem ad se traxit, deinde remisit: & hoc bis aut ter, tum eum vsque ad genua sustulit, atq; postremò sublatum in humeros, vsque ad octo orgias portauit atque abiecit, quem Milo vix mouere loco potuit. Ad gregem deinde abiit, & stās in medio, maximum fortissimúmque taurum pede prehendit: qui cùm vellet effugere, non valebat, Alium item accedentem, attractum pede, similiter tenuit. Quo viso, Milo palmas ad cœlum extendit: O Iupiter, inquiens, nū hunc alterum Herculem nobis dedisti? Vnde prouerbium natum est, Alter Hercules. Ælian. lib. 12. de Var. hist. & Cæl. lib. 11. cap. 69.

CLEOMENES Astypalensis, genere, robore ac magnitudine eximia, cùm circum Epidaurum pugilem interfecisset, erepto victoriæ præmio, ludum puerorum ingressus, apprehensam manu columnam, quę tectum sustentabat, concutiens, mediam fregit, & rectum deiecit. Hæc partim ex Suida, partim è Plutarcho desumpta sunt. Sabell. lib. 1. cap. 6.

DIOXIPPVS miles Alexandri Magni, mira fortitudine prouocatus à Corrhago milite Macedone, claua eum occidit. Ælian. & Q. Curtius.

PERDICCAS Macedo, qui secutus est Alexandrum, in bellis vsque adeò fuit audax, vt aliquando in spelūcam leænæ solus introiret. Verùm leænam ipsam non deprehendit, sed catulos eius secum exportauit: & magnam hominum admirationem Perdiccas hoc facto meruit. Etenim non solùm apud Græcos robustissimum & bellicosissimum animal leæna putatur esse, verùm etiam apud Barbaros. Proinde dicunt, Semiramidem Assyriam, non, si quando leonem cœpisset, aut pardalim, similémue feram interfecisset: sed si leænam esset nacta, animum extulisse, sibíque in eo placuisse. Ælian. de Var. hist. lib. 12. & Volat. lib. 16.

LYSIMACHVS Agathoclis filius, eo quòd Callistheni ab Alexandro in carcere collocato, venenum remedium miserię optanti propinasset, ab eodem Alexandro leoni obiectus est. Ille tamen viribus fretus, manum amiculo conuolutam in os leonis inserens, arreptáque lingua, feram exanimauit. Trogus lib. 15. ex lib. 16. Vrb. com. Volaterrani: & Fulgosus lib. 3. cap. 2.

CYRVS apud Astyagem auum, puer equum agere, & conclusas horto feras frenare doctus est. Pont. lib. de Principe.

PORVS rex Indorum, viribus corporis fortissimus, statura quatuor cubitorum & palmæ fuit, authore Plutarcho. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop. Pugnans aduersus Alexandrum, cùm victus esset, & Alexander eum interrogasset, quid ita ausus fuisset belli secum fortunam experiri? respondit: Quòd neminem me fortiorem esse censebam.

SMERDES frater Cambysis, solus arcum ad duos digitos complicabat, quem nemo Persarum poterat incuruare. Herodotus lib. 3.

SELEVCVS Nicanor Syriæ rex, corpore fuit ingenti & robusto, adeò vt taurum syluestrem in Alexandri sacrificio elapsum, sese opponens, vtraque manu tenuerit.

MITHRIDATES rex Ponti, natus ex septem illis Persis, virtute & nobilitate

bilitate paribus, qui Magos interfecerūt (vt apud Herodotum lib. 3. & Iustinum libro 1. legimus) tāta vi animi & corporis fuisse scribitur, vt sexiuges equos regeret. Plinius lib. de Viris illustribus, cap. 76. & Viues lib. 5. capite 22. Ciuitatis Aurelij August.

Ferunt, ODENATVM Zenobiæ Palmyræorum reginæ (de qua Aurelius triumphauit) maritum, primam ætatem exercuisse in capiēdis leonibus, pardis, vrsis, cæterísque syluestribus feris: famem insuper, æstus, frigora, pluuias vbique pertulisse: quibus duratus, bellicas postea difficultates cum aduersus alios, tū maximè aduersus Persas tulerit. Pollio Trebell. & Pontanus de Fortitudine.

Quanta fuerint TVRNI vires, hoc licet arguere, quòd singulari certamine Saxum antiquum ingēs (campis quod forte iacebat Limes) in Æneam contorserit. Vergilius:

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

ATTILIVS Regulus apud Bragadam fluuium, serpentem CXX. pedū longitudine, balistis tormentísque expugnauit. Plin. lib. 8 cap. 14.

TAVREA Iubellius Campanus, vir fuit memorāda fortitudine, qui in castris Annibalis Claudium Asellium Romanum ingenti hominem robore ad duellum prouocauit. Idem capta à Fuluio Capua, vxorem, liberos & se postremò ante pedes Imperatoris gladio confodit. Liu. lib. 2.

M. SERVILIVS, vir consularis, tricies & vigesies in singulari certamine pugnauit, ac semper trucidauit hostem. Plut. in Æmylio.

ÆMYLIVS Lepidus puer adhuc in aciem progressus, hostem interemit, & ciuem seruauit: cui propter id in Capitolio facta est statua bullata.

M. CATO, qui Vticensis cognomen tulit, adolescens adhuc per integrum diem sermone nihil intermisso locutus est: calores & niues nudo capite tolerauit, iter pedibus facere, amicis equo sedentibus: quoties à febre laborauit, solus esse voluit, nec quenquam admisit nisi morbo leuatus. Per hęc virtus illa adoleuit, quam postea ciuili bello reipub. præstitit. Septem continuos dies per loca serpentibus infesta ductauit exercitum, non equo, non vehiculo vectus, sed pedibus, & in primo agmine iter faciens: nunquam sedēs, nisi cùm cibum aut quietem caperet. Sab. libro 2. cap. 10.

TRITANVS gladiator (quem patria Samnitem fuisse, Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis affirmat) tantum viribus potuit, vt rectis & transuersis neruis non modo crate pectoris, sed & manibus cancellatus, & brachiis, omnes aduersarios leui tactu, ac pene securis congressionibus vicerit. Solinus ca. 4. Polyhist. & Plin. lib. 7. cap. 20 & Volat. lib. 20. Anthro.

Eius FILIVM militem sub Gnei Pompeij patre meruisse aiunt: & hostem ita spreuisse, vt inermi dextra eum vno digito superarit, & captum in castra sui imperatoris reportarit. Solinus cap. 4. Polyhist. & Plin. libro 7. capite 20.

Admirationis plenum fuisse legimus robur in A. IVNIO Valente, qui sub Augusto centurionis locum tenuit. Viribus enim onustum plaustrum solus, dum deponeretur onus, sustinebat, currúmque magna equorum vi tractum manu vna retinebat. Quæ fortitudinis exēpla, cum multis, aliis illius monumento insculpta fuere. Plin. libr. 7. cap. 20. & Sab. libro 10. ca. 9. C. Iunium vocat.

P. SERVILIVS prætor trecentos visos Cæsaris Augusti temporibus, totidémque alias feras Libycas in quodam theatro occidit. Xiphilinus, Dionis Nicæi abbreuiator, in Augusto.

ATTILIVS, seu Acilius, Cæsaris miles, nauali apud Massiliam prælio hostilem ingressus puppim, abscissa dextra, vmbonem sinistra retinuit, eò vsque vultibus terrens, vt prostratis omnibus, nauem occuparit victor. Plutarch. in Cæsare.

CASSIVS Scæua, vnus è Cæsaris militibus, excusso oculo, trāsfixus temone, & humero centum ictibus & viginti læso, scuto deinde perforato, commissi castelli portæ custodiam retinuit. Sueto.

M. SERGIVS, dextra manu Punico bello amissa, sibi ferream fabrefecit: cum qua multis præliis non ociosus bellator interfuit. Petrarcha.

Fuit TIBERIVS Cæsar articulis ita firmis, vt recens & integrum pomum digito salutari terebraret: pueri subinde caput talitro, id est, ea percussione quæ fit digitis complicatis, vulneraret. Pugno sæpe equi dentes excussit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 26. ex Suetonio.

Commodus Romanorum imperator, magnum numerum belluarum publicè sæpe interfecit. Quinque enim equos fluuiatiles simul, & duos elephantes variis diebus solus ipse suis manibus confecit. Præterea rhinocerotes & camelopardalim occidit. Xiphilinus in Commodo.

SABINVS Syrus, vir fuit memorandæ fortitudinis, qui tempore Titi Vespasiani primus Hierosolymæ muros ascendit. Iosephus lib. 7.

Gratianum Valentiniani patrem, tanto corporis robore valuisse scribunt, vt venalitium funem portanti milites quinque extorquere nequirent. vnde Funarius est dictus. Paulus Diaconus, & Sextus Aurelius apud Cælium lib. 11. cap. 13.

MARIVM Septimum, qui ex fabro ferrario imperium tenuit, tam robustum fuisse ferunt, vt currus ex aduerso nitentes vno tantùm digito repulerit, & fortissimum quenque colliserit. Alex. lib. 4. cap. 26.

Plin. libr. 7. cap. 20. ait se vidisse ATHANATVM quendam prodigiosæ ostentationis, quinquagenario thorace indutum, cothurnísque quingentorum pondo calciatum, per scenam ingredi.

FVSIVS Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. Plin. lib. 7. cap. 20.

MAXIMINVS pater, qui Alexandro Mammeæ filio successit, & cum Maximino filio postea imperauit, cùm adhuc priuatus in adolescētia ludos spectaret, à Septimi Seuero Augusto natalitio Getæ die editos, à Seuero ludendi potestatem petiit. Cui, quòd priuatus erat, cùm ludendi cum equite negata esset facultas, permissum fuit, vt cum gregariis luctaretur. Ex horum numero, sexdecim ad terram prostratis, partóque præmio, quod victori paratum erat, cùm Seuerus etiam grauiori in re virtutem eius experiri vellet, adhibitū inter eos qui pedibus officium equo insidenti præstabant, longo cursu magnísque circuitionibus equum prius quàm Maximinum defatigauit. Ad cúmque non sine admiratione conuersus, petiit, An adhuc luctari vellet? Qui nulla lassitudine ostensa, cùm adhuc luctandi conditionem accepisset, septem equites validos viros prostrauit. Neque verò hęc sola fortitudinis exempla edidit. Nam sępius onustum plaustrum solus loco mouit, equóque dentes pugno elisit: propter quæ Milo à nonnullis, etiam Hercules aut Antæus appellabatur. Tophaceos lapides forabat digitis, diuidebat maiusculas arbores manibus. æquauit statura octenos pedes, & pollicem. Sab. libro 10. cap. 9. & Fulg. lib. 3. cap. 6.

FIRMVS Imp. (quem Aurelius latronem Ægyptium vocabat) statura fuit ingenti, oculis promicantibus, capillo crispo, fronte vulnerata, fusco vultu, reliquum corpus pilosus & hispidus, ita vt Cyclops vulgò diceretur. Robore autem adeò insignis, vt Triarium vinceret. Nam & incudem pectori superpositam tondentibus fabris constanter pertulit, quum resupinus, & in manus curuatus, pendere magis videretur, quàm iacere. Crinitus, & Cælius Rhod. libro 11. cap. 13.

Quàm ingens etiam animi corporísque robur in ABISAI Hebræo fuit: qui cum iter faciēs, leonis qui in fossam cōciderat, rugitum sentiret, solo fuste armatus, in fossam intrepidus descendit: statimque maioris audaciæ opus, quàm quod de Hercule perhibetur, aggressus, leonem occidit. Siquidem maius fuit Abisai in arcto aduersus valentem feram fortè inuentam fœliciter rem gerere, quàm Herculi spatioso in campo clauo vel vincere vel interimere. Fulg. lib. 3. cap. 2.

GEORGIVS martyr, genere Cappadox, tribunus militum, & postea martyr, sub Diocletiano merebat. Draconem maximum in Africa, exercitum terrentem, interemisse dicitur. Quæ tamen historia in Niceno concilio inter Apocrypha est habita. Volat. lib. 16. Antroph. & 22.

Fuit CAROLVS Magnus procero corpore, vastisque præter humanā consuetudinē viribus. Cuius rei haud dubia sanè reliquit argumenta tam præclaris, tamque multiplicibus victoriis.

SKYOLDVS Lotheri Danorum regis filius, quum ab adolescentia venandi studio flagraret, immanem (cui nemo audebat congredi) belluam subegit, quæ futuram in eo fortitudinem ominata est. Idem postea repertum miræ magnitudinis vrsum, cingulo deuinxit, sociisque præbuit occidendum. Complures quoque spectatæ fortitudinis athletæ ab eodem superati sunt. E quibus Attalus & Sarus illustres fuere. Saxo Grammat.

VFFO maiore erat corpore, quàm vt armis vti posset alienis. Oblatis compluribus gladiis, manu capulum stringens, frustillatim singulos agitando cōminuit. Nec erat tanti rigoris gladius, quem non ad primæ concussionis motum, in varias partes effringeret ac dissolueret. Saxo. lib. 4.

VBBO Fresicus, Haraldi regis miles, præter vndecim, quos in acie vulnerârat, viginti quinque delectorum pugilum interfecit. Idem nemine propius cum ipso congredi audente, sagittis impetitus, 144. ictibus prius perforatus est, quàm lapsis corporis viribus genua reclinaret.

STARCATHERVS iam senex, gemino cinctus ense, totidem baculis infirmam senectutem iuuabat. Cui quum popularium quidam illudens, inutilem & superuacuum dixisset gladiorum vsum, ac propterea alterum sibi donari per ludibrium petiisset, iussum accedere spe petitionis Starcatherus gladio trāsuerberauit. Ad cuius facti vltionem, quum duo Hatheri milites magno equorum concursu aduolassent, vtrumque occidit. Facti causam percontanti Hathero, respondit, se semper pœnas ab irrisoribus exigere solitum, nec vnquàm impunè sibi à procacibus insultatum.

Paulus Diaconus scribit, Amelongum Romualdi Longobardorum regis militem, quendam Græcum equitantem ictu baculi sella excussisse, & in aëra supra caput suum leuasse.

DEBILES ET IGNAVI.

SENES ROBVSTI.

Consule tit. Longæuorum. Hic solius roboris habetur ratio, quod in senili ætate conspicitur.

SENES DEBILES.

DEMONACTI seni crura intumuerant.id videns quidam:Quid isthuc,inquit,mali est,Demonax? Tum ille: Charon, inquit,me momordit.Pro cane dixit Charontem:innuens,senectutem morti vicinam.Eras. lib.8.Apoph.

ALEXIS poeta cuidam, videnti ipsum iam senio fessum, ægrè lentéque incedere,ac roganti quid ageret? Paulatim,inquit, morior: siue, pedetentim morior. Significans,senes non viuere,sed lentè mori.Erasmus lib.6.Apoph.Bruson.lib.6.cap.7.

SALTATIO.

In motu agilitas requiritur, quæ in saltatione primas obtinet:secundas, ipsum robur atque firmitas. Exercitium per se laudabile est: vsu interdum vituperio dignus,Diuidamus ergo locum hunc in suos titulos:Eorum scilicet,qui saltationem vel reprehenderunt, vituperarunt,neglexerunt:vel eandem laudarunt,approbarunt,exercuerunt tum in sacris, tum extra sacra,siue domi & in pace,siue foris & in bello.

VSVS SALTATIONIS.

IN SACRIS.

DAVID saltans ante arcam Domini,à Michol derisus & conuicijs aspersus est.2.Reg.6.

INDORVM gentem legimus plurimum semper saltasse. Hæc enim cùm solem orientem pro more adoraret, non tamen putabat plenam perfectámque esse numinis consalutationem,ni saltationem quoque adhiberet.Cæl.lib.5.cap.3.& Alex.lib.2.cap.25.

In Delo nullum sacrum obibant absque saltatione ac musica : prodibant autem puerorum chori, tibijs ac cithara præcinentibus , è quibus selecti peritissimi quique saltabant.Vnde eorum quoque cantilenæ à saltationis vsu dicebantur ὑπορχήματα.Cæl.Rhod.lib.5.cap.3.

ASCOLISMVS saltationis species erat,Baccho dicata.solet enim Bachus furibundos reddere homines , & ad saltationem pronos. (Alex. ab Alex.lib.2.cap.25.)saltabant autem in Bacchi honorem in theatro,super vtres obunctos vno pede.

BACCHICAM saltationem in Ponto & Ionia tantæ voluptati fuisse gentibus,Lucianus scribit, vt statutis temporibus obliti omnium aliorum,desiderent dies totos,spectantes Titonas corybãtas, satyros bubulcos. Quod verò mireris amplius, exercebant id genus nobilissimi quique,ac ciuitatum maximè principes, ad præcipuam id opinati gloriam spectare.Cælius lib.5.capite quarto.

DOMESTICA SALTATIO.

SALTATIO apud veteres non vbique & passim, sed in tempestiuo conuiuio,deliciarum causa,si quando præstabatur , laudi fuit. Quippe cantus & saltatio, Homero teste, conuiuij appendices sunt, modesta tamen,non impudens.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

Apud Laconas erat βίβασις saltatio,in qua non modò pueris,sed puellis quoque sese exercentibus præmia proponebantur. Cælius lib.quinto,capite quarto.

LACEDÆMONII Trichoriam habebant saltationem, à Tyrtæo Atheniense poeta institutam,qua per tres hominum ætates,puerorum,virorum & senum vtebantur. Senum chorus initiò canebat:Iuuenes eramus olim nos perstrenui.Iuuenũ:Ii nos sumus: fac,si lubet , periculum. Puerorum:Nos fortiores erimus olim plurimo.Iulius Pollux, & Plutarchus in Lycurgo.

SOCRATES dicebat , muliebrem sexum virili non minus esse docilem,& ad disciplinas , & ad omnem virtutem, etiam fortitudinem (quæ tanquam viris propria , Græcis à viro dicitur ἀνδρεία) si diligenter instituatur.Id collegit ex puella Saltatricula,quæ inducta in conuiuium,mira arte trochos duodecim in altum proiectos excipiebat, ita temperato altitudinis spacio, numerisque pedum , vt nunquam falleret:eadémque inter acutissimos gladios, non sine horrore spectantium , impauida saltaret.Eras.3.Apoph.

DEMADES orator facundissimus, quum vidisset Philippum regem largius potum,cum amicis saltasse per mediam captiuorum turbam, eisque petulanter exprobrasse suam calamitatem,liberè dixit:Quum ô rex fortuna tibi Agamemnonis personam imposuerit , non pudet te factis agere Thersiten?Ea vox totum regem in diuersum vitæ genus immutauit Eras.in Apoph.

Quum Dionysius in conuiuio iussisset, vt singuli in veste purpurea saltarent (purpura verò tum regum erat gestamen , nunc sutoribus etiam communis)id Plato facere recusauit his trimetris, è fabula quapiam:

οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
ἄρρην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄρρενος. Id est:

Muliebri ego haud quaquam indui queam stola,
Vir natus ipse,& ex virili germine.

ARISTIPPVS verò non recusauit , sed indutus purpura saltaturus, hos versus recitauit extemporè:

καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
ὅ γ' οὖς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται. Id est:

Nam in liberi patris sacris
Mens quæ pudica est,nesciet corrumpier. Laert.lib.2.cap.8.

APPIVS Claudius,vir triumphalis,Gabinius,M.Cæcilius,& Licinius Crassus,optimè saltare gloriæ duxerunt,sicut & fidibus sonare. Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

SEX. TITIVS orator , homo solutus & mollissimus in gestu fuit , vt saltatio quædam nasceretur , cui saltationi Titius nomen esset. Author est apud Volat.lib.20.Cicero.

PYLADES & BATHILLVS egregij fuerunt saltatores,qui Augusti Cæsaris temporibus sæpenumero populum concitarunt: de quibus leges Dionem Nicæum in Augusto.

C.CALIGVLA imperator,saltatores vrbe à Tiberio exactos non tantùm reuocauit,sed ipse etiam plurimum saltauit : & cùm aliquando de nocte accersiri diligenter principes senatus iussisset , tanquam de rebus necessariis ab iis esset consilium capturus,postquam conuenerunt,nihil aliud quàm saltationem instituit.Dion in eius vita.

In ludis à Nerone crudelissimo imperatore Romæ institutis,Ælia Catula, fœmina nobilissima atque ditissima, ac iam grandis natu (nata autem erat annos octoginta) saltauit : & cæteri quoque qui propter senectutem , & morbos præcipuè nihil poterant facere , choreas canebant. Se enim exercebat vnusquisque vt poterat : erántque ob eas res scholæ constitutæ,quas frequentabant clarissimi viri, mulieres, puellæ, adolescentuli, vetulæ, senes. Quòd si quis non posset aliter spectaculum præbere,ad choreas ibat : cúmque multi pudore adducti ea facerent personati,Nero petẽte populo,ab eis personas auferebat,eósque patefaciebat hominibus,apud quos ipsi paulò antè magistratus gesserant.Xiphilinus in vita Neronis.

BELLICA SALTATIO.

PERSÆ præcipuum semper habuerunt,egregiè saltare & equitare si quis posset. Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

ÆTHIOPES, cùm iam cecinére classicum,inferunt signa,saltant venerabundi, nec apud illos citra saltationem excuteret aliquis sagittam. Tela autem capiti,pro pharetra,instar radiorum circumponere, gẽtium illarum mos est. Eo nanque modo inijcere sese hosti formidinem opinantur,Cæl.lib.5.cap.3.

LACEDÆMONII saltationem bibasim dictam , tanquam ad bella vtilem,vt gressu composito incederẽt, inter quotidianas disciplinas habuerunt:& vt concinna fieret motio in aggrediẽdis hostibus, pueri nudi saltare didicerunt.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25. ex Quintil. lib. 1. Instit. orat.& Rhodig.lib 5.cap.4.

EPAMINVNDAS dux bellicosissimus, probè saltasse & cantasse sæpe dicitur : existimans nimirum, saltatione homines agiliores fieri, vt si quando seriò pugnandum esset,eo promptiores forent.Alex. ab Alex.li. 2.cap.25.

CRETENSIVM pueri simul congregantur, educantúrque duriter, venationes & cursus accliues pedibus nudis conficiunt , & Pyrricham in armis saltant,quam primus inuenit Pyrrichus quidam Cydoniates,Cretensis genere.Porrò viri commune conuiuium habent,eodémque omnes victu ex æquo vtuntur : arma autem , munera eis preciosissima sunt. Nicol.de Moribus gent.Stob.serm.42.

SALTATIONIS ODIVM ET VITVPERIVM.

MOYSES videns canentes & saltantes Iudæos prope vitulum,iratus proiecit tabulas, in quas Dominus præcepta & leges scripserat. Exod. trigesimoquarto.

MINYADES, Leucippe, Aristippe & Alcithoe(cùm aliæ omnes mulieres ac virgines furore quodam insano saltarent in Bacchi laudem) hæ solæ choream detrectasse dicuntur:eam nimirum ob causam,quòd maritos ambirent. Ælian.lib.3.de Var.hist.

DEMETRIVS Cynicus damnabat artem saltatoriam, velut inutilem gesticulationem ad tibiæ modos. Cui gesticulator quidam non imperitus , cupiens artis suæ vindicare gloriam , iussit vt submotis tibicinibus spectaret ipsum saltantem.Assensus est Demetrius.Ille saltauit Homericam fabulam , adulterium Veneris ac Martis, ambos Vulcani vinculis irretitos adamantinis ac sole prodente, dijs cæteris exhibitos: Venerem erubescentem, varios deorum astantium affectus,Mercurium optantem talia vincula,Martem damnatum vt penderet mœchagria , ac præterea quicquid ad eam fabellam pertinet.Ibi Cynicus artem admiratus, dixit: Audio homo quæ facis , non video tantùm , sed mihi manibus ipsis loqui videris. In huius artis laudem scripsit Lucianus. Plato non probat, & ta-

& tamen apud Christianos saltatur ineptius.Cælius Rhodigin.lib.5.cap.3. Eras.Roterod.lib.8.Apoph.

CLISTHENES Sycionius tyrannus , quum nubilem filiam haberet, per præconem edici iubebat in Olympiis,qui se dignum esse Clisthenis generum putasset,ad sexagesimum diem ad Sicyonem veniret.Quò quũ multi proci conuenissent, ex omnibus videbatur magis idoneus Hippoclides Atheniensis,Tisandri filius:sed cum supra mensam Laconicos Atticósque modos ad tibias saltasset,cruribúsq; ac brachiis modulatus esset stomacharus Clisthenes: Tisandri (inquit) fili , desaltasti matrimonium. Bruson.lib.3.

GABINIO viro Consulari Cicero saltandi studium, vt probrum obiectauit.Ibidem.

Tiberius imperator saltatores Roma expulit , vetuítque vt eam artem nusquam exercerent,quòd notarent & vituperarent mulieres , & quòd seditiones concitarent.Dion Nicæus in Tiberio.

Domitianus Romanorum imperator,licet in omnem crudelitatẽ pronus,atque in multa inhonesta facinora procliuissimus esset , homo pessimus & indignus Romano imperio,attamen saltationem honestis hominibus indecoram,atque chorearum studium optimo viro planè indignũ iudicauit:qui Cæcilium Rufum,aut Rufinũ ideo senatu mouit, quòd saltasse diceretur.Xiphil.in vita Domitiani,& Alex.lib.2.cap.25.

Cùm in TRAIECTO iuuenes viri & fœminæ choreas ducerent(sub Clemente pontifice max.)in ponte frequentes , intenti vanitatibus , nec corpus Domini à sacerdote gestatum venerarentur , mox ponte desidente , 200.propè mortales perierunt.Cranzius lib.8.cap.39.Metropoleos.

ALBERTVS imperator,Ladislai pater , dicere solebat , venationem esse exercitationem virilem,saltationem autem muliebrem.Notauit autẽ molliciem quorundam principum, qui cum se Hercule fortiores esse iactitent,& Hannibalis scientiam militarem sibiipsis ascribãt, maiorem tamen vitę partem,Sardanapalum imitantes,in conuersatione nobiliũ matronarum virginúmque aulicarum inueniuntur ludentes , mollitérque saltantes . Æneas Syluius lib.4.Commentariorum in res gestas Alphonsi regis.

Fridericum tertium Romanorum imperatorem sæpenumero dicere solitum accepimus,Malle se febri teneri,quàm saltationi operam dare. Æneas Syl.lib.1.Comment.de Rebus gestis Alphonsi.

Alphonsus Aragonum & Siciliæ rex potentissimus , GALLOS potissimùm leues esse dicebat,qui quo magis ætate profecti essent , eo magis saltatione & insania sese oblectarent. Antonius Panorm. lib.1.de reb.gestis Alphonsi,& Æn.Syl.de eius dictis.

Idem cùm fortè Mulierem quandam impudentius saltantem aspexisset:Expectate,inquit,mox Sibylla edet oraculum. Sentiens,saltationem insaniæ genus esse.Sibylla autem vates non edebat oraculum,nisi furore correpta.Panorm.lib.2.

CVRSORES.

Celeritatem hîc non eam tantùm quæ propriis fit pedibus,intelligimus:sed illam quoque quæ curru,equo,aut quouis alio instrumento paratur.Nam etsi qui equis velocißimis vtuntur,propria vi non nitantur in currendo:non exiguo tamen robore indigent,vt tantam agitationem perferre poßint.

Qui siderum motus & interualla,ac certos constitutósque cursus & recursus,illorúmque vires & qualitates,mensurásque solis ac terræ animo metati sunt,hoc quoque inter cætera adnotarũt:illos qui sub DELPHINI sidere in lucem editi fuissent,petaminarios esse,hoc est, pręcipua pedum pernicitate valere:quamuis alij,quòd,his splen deficiat , propterea cursu valere contendant.

HYLOPHAGI Æthiopes agillimi sunt. Vide titul. Gentium mores.

Marsi populi, pręcipua pedum leuitate cæteris pręstantiores sunt. Alex. ab Alex.lib.2.cap.21.

TROGLODYTÆ Æthiopes, omnium quos fando cognouimus, pernicissimis pedibus sunt:serpentibus,lacertísque & aliis id genus reptilib. vescentes:lingua nulli alteri simili vtentes,sed vespertilionum more stridentes.Herod.lib.4.& Iuba apud Plin.

MONOMERI populi sunt septentrionales,singulis crurib. saltuatim currentes,viuacissimæ pernicitatis.autor Gel.

In LIBYA ij qui cæteris cursitando præstantiores essent, reges eligebantur.Alex.lib.2.cap.23.

THALVS fuit quispiam, quem Iupiter æreis pedibus finxisse dicitur, custodémque Europæ adhibuisse,ac celeritate ter quotidie Cretam obiuisse. De quo nonnulli volunt Catullum intellexisse illo carmine: Non custos si ego fingar ille Cretum. Quamuis alij ad Dædalum referant.

IPHICLVS Philaci & Climenes filius , tanta fuit corporis agilitate, & pedum celeritate , vt curreret super triticeas aristas , nec oblæderet. Demaratus verò etiam per mare incessisse prodidit. Cælius capite 5.lib.5.

MERMEROS centaurus fuit pedum leuitate præstantissimus. Ouid. lib.12.Quíque pedum nuper certamine vicerat omnes Mermeros, accepto tum vulnere tardior ibat.

De PHÆDIMO & DIMANTE. Stat.lib.6.Theb.

Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena
Phedimus,alipedúmque fugam prægressus equorum
Antè Dimas.

ORION Neptuni filius ex Euryale Minois filia natus fuit, cui cõcessum est vt super fluctus curreret, perinde ac in terra super aristas ferretur neceas comminueret.Hygimus.

De ACHILLE, Catullus:

Nascetur nobis expers terroris Achilles,
Qui persępe vago victor certamine cursus
Flammea præuertet celeris vestigia ceruæ.

Claruit OPHELTES nauta cursu velocissimo.Sidonius:

Qui vigor in pedibus frustra tibi natus Ophelte,
Sicaniam tribuit palmam,plantásque superbas.

PHILIPPVS Lysimachi frater,Alexandrum regem per ducenta stadia vectum pedes comitatus est, quum etiam lorica indutus arma gestaret.Curtius lib.7.

ATALANTA puella castissima,hominum consortium fugiens,solitudine,montibus & syluis delectata,tanta prædita fuit celeritate , vt neque fera cursu euadere,neque homines insidiãtes,si se in fugam coniecisset, eam consequi possent.Ælian.lib.13.de Varia historia.

Clytoneus Phæacum velocissimus celebratur ab Homero lib.8. Odyss. & Alex.ab Alex.lib.5.cap.8.

LADAS cursor Alexandri velocissimus,à multis autoribus celebratur, vt qui longum itineris spacium cursu tam citatissimo emensus est, vt nulla pedum vestigia extarent,sæpéque visum falleret. Alex.ab Alex. lib.2. cap 21.Martialis sæpe eius meminit , lib.2. & 11. Iuuen.Satyra 13.& Solinus cap.6.

LASTHENES Thebanus pernicitatis tam eximiæ fuisse dicitur,vt ab Choromo Thebas vsque cum equo cursore contenderit,& victor fuerit. Alex.ab Alex.lib.2.cap.21.

PHILIPPIDES, ab Athenis Lacedæmonem vno die MCXL. stadia biduo cucurrit.Plinius lib.7.cap.20.

IDEM cum victoriam Atheniensium aduersus Medos in Marathone partam , senatui de pugnæ exitu solicito nunciaret : μέγα χαίρετε, inquit, νικῶμεν: id est , Multum valete , vicimus : móxque expirauit.Solinus cap.6.

ANISTIS Lacedæmonius, & PHILONIDES Zoti F. è Cretensio Cherroneso cursores Alexandri Magni,vno die 1200 stadia cucurrerunt, videlicet à Sicyone Elin vsque.vnde ἡμεροδρόμοι dicti fuerunt. Plinius lib. 7.cap.20.

Camilla,regina Volscorum,si Vergilio credimus,illęsis segetibus super spicas currebat , & mare superabat nullis corporis partibus aqua tactis, pręter plantam pedum.Æn.7.

ATAS puer,siue Addas (vt Martialis lib.4.) Romę Fonteio & Vipsano Coss.à meridie ad vesperum confecit XLV. M. passuum , perpetuo cursu, cùm vix nonum excessisset annum.Plin.lib.7.cap.20.

TIBERIVS Nero vrgentibus de Druso fratre grauiter ægrotante nunciis, tribus vehiculis ex vrbe in Germaniam festinans,nocte diéque ducenta millia passuum emensus,quantum vię nullus,quod proditum sit, quadrupedibus fecit vnquam.Ibid.

NATATORES. VRINATORES.

Eos qui sub piscis astro,certo cursu stationibúsque sideribus constitutis,editi essent,nando plurimum valuisse , naturalium rerum perscrutatores tradiderunt.Iisdem quoque lienis defectus plurimùm prodesse creditur.

GRÆCI, cùm suos adolescentes in omni disciplinarum genere liberaliter erudirent,non minore etiam studio primę adolescentię iuuenes imbuebant Gymnasticis disciplinis,iuxta Aristotelis pręceptum : quo ad reliqua munia firmiores essent,& etiam natare discerent. Alex.ab. Alex. lib.2.cap.25.

Theseus optimus vrinator,corona ab Amphitrite donatur.Vide tit.Honores ereptos asserere & vindicare.

Aristippus philosophus, cùm QVENDAM sibi vehementer placẽtem audiuisset,eo quòd egregiè sciret natare,irrisit hominem, dicens:Non te pudet,tam insolenter de his rebus iactare te , quę & delphinum & rana-

rum sunt propria: Laert.lib.2.cap.8.& Eras.lib.3.Apoph.

SCILLIS quidam Sicyonius, proditur apud Græcos omnium ea tempestate maximus vrinator, qui ex Aphetis Artemisium vsque 80 ferè stadia natatu breui spacio peregit. Alex. ab Alex.lib.2.cap.21.

IDEM Themistoclis ætate, naufragio ad Pelium facto, multam pecuniam Persis seruauit, plurimámque sibi lucratus est. Tanto etiam æstu claruit, vt quo tempore Xerxes imminebat Græciæ, Persarum nauium rudentes & anchoris natando & vrinando præscinderet. Herod.

ICHTHYOPHAGI Troglodytis proximi, ceu maris belluæ, immẽsos tractus natatu peragrant. Alex.ab Alex.lib.2.cap.21.

ROMANA iuuentus, quæ ad belli destinabatur munera, inter alias exercitationes bellicas, quibus aptiores & agiliores reddebãtur tyrones, nandi quoque studio summopere operam dedit, Alex.ab Alex. lib.1.cap. 20. Vide prouerbium, Neque natare, neque literas didicit.

HORATIVS COCLES armatus post multa egregia facta in Tiberim prosiliens, ad suos tranauit. Florus, Gellius, Plin.& alij.

C. CÆSAR nandi peritia plurimum valuisse legitur, qui apud Alexãdriam nauicula penè submersa, nando ad classem euasit. Plut.in eius vita. Æneas Syluius lib.2.commentar.de Reb.gestis Alphonsi. Vide tit. Pœna iniusti iudicij.

OCTAVIVS Augustus Caium & Lucium, quos sibi filios asciuerat, scientissimè post literas natare docuit. teste Alexandro ab Alexandro, libro secundo, capite vigesimoquinto.

PHOCEVM quendam vrinatorem adeò natandi peritum Lucanus commendat, vt mergeret sese: ac demùm emergeret, cùm vellet. Cuius hæc sunt verba libr.3. Pharsaliæ:

---Pugna fuit vnus in illa
Eximius Phoceus animam seruare sub vndis,
Scrutarique fretum ----

M. SCÆVA centurio quomodo prosiliens in mare ad suos natando duplici lorica peruenerit, pete ex tit. Fortitudinis bellicæ.

BATAVOS natandi artem adeò calluisse constat, vt Rhenum, qua apud eos latissimus est fluuius, armati tranarent. Quorum locum Traiectenses tenent, viri bellaces, & nandi peritiores quàm cæteri Rheni accolæ. Æneas Syluius lib.2. Commentariorum de Rebus gestis Alphon.

COLA cognomento piscis, haud secus quàm marina bellua, maxima pelagi interualla spaciáque, vt pote 500.& vltra stadia, fœda tempestate & reluctantibus aquis, excellenti vi & velocitate, natando confecit. Verũ cùm semel experiri vellet, quantum natando posset, dum pateram auream, munus natantibus in annuo festo tunc à rege in mare deiectam ab imo eripere conatur: dum fundum maris quærit, nunquam emersit, nec postea quoque inuentus apparuit. De quo multò plura leges apud Alex. ab Alex.lib.2.cap.21.

Legimus apud Alexandrum ab Alexand.lib.2.cap.21. de piscatore quodam, cuius nomen non exprimitur, qui sæpissimè ab Enaria (quæ inter Pythecusas è conspectu Neapolis insula sita est) Prochytam vsque, quod intermedij pelagi est stadiorum ferè L. fluctuante pelago, ac tempore anni difficillimo emensus sit, eodémque die reuersus.

QVI PER AEREM VECTI SVNT.

Admiratio, quæ meritò sequitur, vt viuens aliquis temporis momento in longinquum locum transferatur, nisi veræ historiæ testimonium haberet, phantasmatis potius quàm veri nomen nancisceretur. Huiuscemodi illud fuit, quod ABACVC prophetæ contigit: qui momento ex Iudæa in Babylonem translatus fuit, vt pulmento quod messoribus suis ferebat, Danielem in lacu leonum pasceret: in Iudæam ab eo loco pari celeritate relatus. Hoc PHILIPPO quoque apostolo euenit, qui posteaquam eunuchum Candacis Æthiopum reginæ baptizauit, in via quæ ab Hierosolymis in Gazam dúcit, subitò inuentus est in Azoto. Fulgosus libro 1. capite 6.

PERSEVS in Medusam certaturus, accepit à Mercurio talaria & ensem, quibus adminiculis ambo per aerem ferebantur. Propert.lib.2.

Non si Pegaseo vecteris in aere dorso.
Nec tibi si Persei mouerit ala pedes.

Poetæ fabulantur, DÆDALVM inclusum labyrintho, propter liberatum Theseum, quum iudicium capitis expauesceret, alas sibi cõfinxisse, eóque remigio vnà cum filio Icaro periculum euasisse. Vergilius libr.6. Æneidos:

Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna.
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

ECCLESIASTICVS quidam, Hesdinensis pagi incola, in Leodiensi agro, cùm religionis gratia Hierosolymam perrexisset, post comites Hierosolymis substitit, vt Paschatis die diuina illic celebrari, quæ alij omittebant, audiret. Veritus autem postea, ne traiiciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppen ad mare properabat. Itaque defessus in itinere, equitem offendit: qui misericordia se motũ ostendẽs, eum in equi tergum accepit, ab eóque eo ipso die, magna omnium suorũ admiratione, in pagũ suum Hesdinũ perductus fuit. Ibi re exposita, vt conrigerat, cũ accolæ aberrare eũ à recta mente putarent, in Hispaniam ad sancti Iacobi fanum profectus est: atque inde reuersus priusquam ab Hierosolymis comites in patriam regrederentur. Ab eis cùm esset affirmatum, post ipsos eum Hierosolymis substitisse, tunc quod ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit habere. Fulg.lib.1.cap.6.

Ægyptia MARIA Iordanem amnem sicco vestigio, neque semel tãtùm, transgressa est: qui fluuius, si sola naturæ vis inspiciatur: traiici sine naui non potest. Fulg. lib.1.cap.6.

ANTIDIVS Turonensis episcopus, vir pius, cacodæmone vectore vsus, vno die Romam Turono Galliæ oppido periit, atque rediit. Vide tit. Charitatis fraternæ erga proximum.

ABARIS Scytha αἰθροβάτης dictus, quòd emissa sagitta cum ea vnà ferretur. Vide tit. Poetæ vates.

MVSÆVS poeta, Boreæ dono volitasse perhibetur. Pausan.in Atticis.

PALÆSTRICA CERTAMINA.

Palæstram Græci, & eorundem imitatores Latini, vocant omne certamen, quod corporeis viribus, & agilitate in theatro, erga eos potissimùm à quibus nulla sis affectus iniuria, suscipi solet spe gloriæ præmijque. Quapropter athletæ ἀπὸ τοῦ ἄθλου, hoc est, à præmio dicti sunt: quoniã etiam nullo alio proposito munere, gloriam solam aucupantur, & in ea acquiescunt. Palæstritæ igitur ij sunt, qui certamina ista obeunt: ex fine, Athletæ appellantur, Varia autem apud antiquos huiuscemodi certamina fuerunt (ἀγῶνας Græci nuncupabant) non modò ratione institutionis (vt in honorem Archemori filij Lycurgi regis Thracum, Palæmonis, Iouis, Apollinis) aut loci (Olympia, Isthmia, Nemæa, Pythia) verumetiam ex apparatu vario. sic Gymnici agones erant, in quibus nudi exercebantur: quos in Arcadia primus Lycaon reperisse dicitur. A quibus deinde metaphoricè Gymnasia dicta sunt, loca ingeniorum cultui & exercitio dedicata. In istis autem certaminibus non roboris tantùm ratio habebatur, sed motus quoque decentis, & decoræ agilitatis. Quare magistros morum habebant palæstricos, qui omnes motus gestúsque formarent: vt brachia sint recta, nec indoctæ rusticæue manus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, nec caput oculíque ab alia corporis parte dissideant. Ars hæc Chironomia dicebatur, quam veteres ingenuis liberis necessariam putauerunt: ita quidem, vt Fabius libro 1. Institut. orat. non histrioni tantùm, sed oratori quoque futuro præcipiat, vt in palæstra exerceatur: hoc est, vt motus & gestus compositos discat, ne apalæstros esse videatur, flexu motúque corporis inuenusto & inepto. Nostro etiam tempore apud eos qui artem tractandi arma docent, similem quandam Chironomiam obseruare licet. Iam verò robur suum ostentabant vario exercitio, & antagonistas suos vincere conabantur. Robur ergo robori opponebant, vel corporum coniunctione, vel eorundem disiunctione. Coniunctionem voco eam, quando alter alterum vel lucta vel armis deijcere, prosternere, interficere conatur. In luctando coniunctio est corporum immediata, vt ita loquar, propterea liberalis admodum, & apud veteres vsitatißima fuit. Græci πάλην vocabant, & deinde ab hoc tanquam honestiore exercitio totam athleticam artem palæstricam nominarunt. Luctaturi autem cæromate inungebantur, oleo & cera mixtis: ministri Ceromatistæ appellati sunt, Mox puluere aspergebantur (quem ἁφὴν vocabant) vt corpora cæromate & sudore lubrica, mutuas luctantium prehensiones admitterent. Poetæ ex hoc more liquidam, madidam, vnctam, sordidámque palæstram dixere. Iã verò coniunctio mediata fit medius armis. Arma varia. Veteres habebant Cæstus suos in pugillatu. (πυκτή Græcis) apud Romanos erant gladiatores, vario armorum genere instructi: de quibus suo loco. Verumenimuerò disiunctione corporum palæstrica certamina instituuntur, in quibus non corpus aduersarij petitur, sed terminus quidam externus: ad quem cùm antagonista peruenerit, nos quoque ad eundem peruenire, aut, si fieri poßit, eundem superare desideramus. siue immediatè per corporis agilitatem, vt funambuli corporis robur: uel alieni, vt equorum, vel nostri, vt in cursu & saltu, siue

siue mediatè, medio aliquo instrumento. vtpote arcu, iaculo, bombarda, disco, à quo Discoboli dicuntur. Tot sunt igitur athletica certamina, in quibus omnibus qui simul victor euasisset Pancratiastes appellabatur: qui in vno tantùm, vel pluribus, non tamen omnibus, cum præfatione patriæ, loci & exercitij à præcone meritis laudibus extollebatur. Huc Olympionicæ pertinent. Sed iam ad exempla Palæstricæ exercitationis descendamus.

CERTAMINA VARIA ATHLETICA. LVDI ET spectacula Gymnica. ἀγῶνες

Varia sunt ludorum genera, & varius quoque finis. Qui vel religionis, vel exercitationis, vel gratitudinis, vel celebris memoriæ causâ sunt, reprehendẽdi non sunt, & sub titulo Magnificentiæ cõprehendi possunt. At in quibus sola voluptas spectatur, nulla præterea vtilitas, prodigalitatis germina censeri debent. Consule titulum sub loco Magnificentiæ, Ludi & spectacula publica. Illic enim magnificentiæ & liberalitatis eorum qui ludos istos instituunt atque fouent, ratio habetur: hîc verò certamina perpendimus, quatenus in iis vel corporis robur, vel agilitas exercetur. Exempla pleraque ex Alex.ab Alex.lib.5. cap.8. & lib.6.cap.19. desumpsimus. Hoc eò monemus, ne autorem toties repetere cogamur.

GRÆCORVM certaminum præcipua quatuor fuerunt genera, Olympia, Pythia, Nemæa, Isthmia: quorum prẽmia erant, oleaster, laurus, apiũ, pinus: fiebántque in honorem Pelopis, Apollinis, Archemori, & Palæmonis. Aliqui ad Iouem & Neptunum Olympia & Isthmia referunt.

Æginæ sacra certamina ab Æaco inuenta, magna hominum frequentia fiebant.

Apollinares ludi erant, in quibus decemuiri Apollini boue aurata, & duab. capris auratis, Latonæque boue aurata, sacra Græco ritu faciebant. Et hos quidam ex prædicto Martianorum carminum (quibus Cannensis clades scripta fuit, bello Punico secundo) victoriæ causa instituros: alij verò à Cornelio Sylla, ex responso Martianorum fratrum (à quibus fata Romanorum præscripta erant) inuentos esse dicunt. Alexand.ab Alexãd. lib.5.cap.26.

Augustales ludi apud Romanos non postremi nominis erant, quos Tiberij tempore tribuni plebis in Augusti honorem instituerunt. Alex. lib. 6.cap.19.

BVBETIÆ ludi fuerunt à bobus appellati, quoniam à veteribus gratia boum instituti sunt. Vocantur etiam Boalia.

Capitolini ludi in honorem Iouis optimi max. quòd sedem suam seruasset integram, à Rom. instituti sunt. Alex.ab Alexand.libro sexto, capite decimo.

CASTRENSES ludi, in castris Prætorianis plerunque cum venatione dabantur, quorum meminit idem.

Circenses ludi ab Argiuis apud Elidem (autore Œnomao) in honorem Iouis Olympici primũ inuenti & instituti sunt. In Elide enim iuxta fluminis ripam angusto tramite, altero latere vrgẽte flumine, altero positis gladiis, vt vtrinque præsens exitium esset, bigarum cursu certabatur, dimicatione perniciosa, adeò vt intra præscriptum illas coercere necesse foret: vnde & Circenses dicti. Horum duo genera apud Rom. erãt. Patricij per patres, Plebeij per plebem agebantur, stato die, mense Nouembri, quos Claudius imperator sæpe celebrauit.

C. Sulpitio Bærico, C. Licinio Stolone coss. intoleranda vis ortæ pestilentię ciuitatem Romanam à bellicosis operibus reuocatam, domestici atque intestini mali cura afflixerat. Iámq; plus in exquisito & nouo cultu religionis, quàm in vllo humano consilio positum opus videbatur. Itaque placandi cœlestis numinis gratia, cõpositis carminibus vacuas aures præbuit, ad id tempus CIRCENSI spectaculo contenta, quod primus Romulus raptis virginibus Sabinis CONSVALIVM nomine celebrauit. Verùm vt est mos hominum, paruula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga deos obsequiis iuuentus, rudi atque incomposito motu corporum iocabũda, gestus dedit. eáque res Ludum ex Hetruria accersendi causam præbuit: cui⁹ decora pernicitas vetusto ex more Curetum, Lydorúmque, à quibus Hetrusci originem traxerunt, nouitate grata Romanorũ oculos permulsit: & quia Ludius apud eos Histrio appellabatur, scenico nomen histrionis inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarum modos perrexit, à quibus primus omnium poeta Liuius, ad fabularum argumenta spectantium oculos & animos transtulit. Isque sui operis actor, cùm sæpius à populo reuocatus, vocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. Attellani autem ab Oscis acciti sunt, quod genus delectationis Italica seueritate temperatum, ideóque vacuum nota est: nam neque tribu mouetur, neque à militaribus stipendiis repellitur. Valer.lib.2.cap.1.

Compitalicij ludi Larib. instituti sunt à Rom. Cùm enim Prisco Tarquinio regnante, in foco genitale repentè apparuisset, quo in sinu admoto, mater Seruij Tulij Ocrestes, stupens miraculo, haud multo pòst Seruium Tullium enixa peperit, qui mox regno successit, Laris filius creditus est. Inde Compitalicij ludi primùm originem duxerunt, qui per vicorum magistros fieri, & in compitis celebrari solebant. Quidam existimant, primùm ab Atheniensibus inuentos esse, in quibus hircus victori offerri consueuerat. Alex.lib.6.cap.19.

Dionysia fiebant in honorem Bacchi, vbi maxima bibendi licentia permittebatur. His intererant populus & athletæ, passim coronati.

Eleutherij ludi ideo celebrati, quòd parua Gręcorum manus Mardonium cum 300. millibus Persarum deleuisset. Alex.lib.6.cap.19.

Equiria erant ludi in honorẽ Martis à Romulo instituti, quos ab equorum cursu Equiria nuncupauit. Idem.

Romani quoque ludos habuerunt FVNEBRES magnifico apparatu, continuis nouem diebus, inque his gladiatorum paria, qui venalem sanguinem habebant: ad quos Romanas mulieres intromitti, nefas habitum est. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

PERGAMI & Athenis fuit pugna GALLINACEORVM & coturnicum, tanti decoris, vt ad illud tanquam gladiatorum munus, vel magnifica spectacula, effusissimo studio omnes conuenirent.

GLADIATORII instituti sunt ad exercendam armis iuuentutẽ, vt iuuenes ipsi (si quando res postularet) assuescerent non expauescere congressum hostilem.

GYMNICA certamina, in honorem Androgei filij, Minos statuisse fertur, in quibus præmium victori pueros proposuit. Alex.lib.5.cap.8.

MILTIADI certamen equestre & gymnicum CVERSONITÆ fecerunt, in quo nulli Lampsaceno pugnare permittebatur. Ibidem. Apud PLATÆAS certamen erat gymnicum, in quo victoribus coronæ ex auro contextæ dabantur. Ibidem.

Ad certamina GYMNICA non admittebantur fœminæ. In ludis illis certabatur quinque generibus, disco, hasta, saltu, iaculatione, luctatione. Qui in omnibus vincebat, vocab. tur Pentathlus.

HEREI ludi erant, in quibus mulieres collecta tunica, solutis comis, dextro exerto humero currebant. Victrici, oleæ coronę prẽmium erat, & bouis portio Iunoni immolatę. Alex.ab Alex.lib.5.cap.8.

Honorarij ludi dicebantur, qui ab iis qui nouum magistratũ iniissent, ad populi fauorem conciliandum magnificis & propriis expensis edebãtur: de quibus Alex.lib.6 cap.19.

Isthmij ludi, in Isthmo Achaię iuxta Corinthum, in Megarensium sinu, delubro Neptuni, à cõuentu totius Achaiæ profusis sumptibus in honorem Melicertę seu Palæmonis, aut Portumni marini dei fiebant. Alex. ab Alex.lib.5.cap.8.

IVVENALES ludi, iuuenum causa instituti sunt apud Rom. in quibus pueri in primo ętatis flore, & generosi spiritus iuuenes, hinc inde dispositis turmis tanquam acie instructa, composito agmine in iustę modum pugnę cursitabant: speciémque pręlij, modò in occursum eundo, nunc à tergo & in gyrum occursando prębebãt. Iuuenalium vocabulo Cor. Tacitus scribit Neronem instituisse ludos, in quibus non nobilitas vlla, non ętas, aut acti honores erant impedimento. quo minus Græci Latiníque histriones artem exercerent vsque ad gestus modósque parum viriles. Quin & fœminæ illustres deformia meditabantur. Fieri quoque iussit cõuenticula & cauponas, vbi posita erant irritamenta luxus, vnde corruptis moribus accessit libidinum colluuies post natos homines longè maxima.

Ludi Magni, cùm in secundo bello Punico externis hostibus Italia afflictaretur, & cuncta bello arderent, magnificè apparatéque facti sunt, & in plures dies instaurati sunt: quos postea confectis bellis, & rebus contra Samnites gestis magnificè Romanos faciendos curasse, illósque coronatum populum spectasse, victoribúsque palmas, è Gręcia translato more, atque epulum ludorum causa ædiles dedisse, Liuius autor est.

MARTIALES ludi erant, in honorem Martis dicati. Alexand.lib. 6.cap.19.

Megalenses ludi eo tempore primùm à Romanis instituti sunt, cum Idęam deorum matrem ex Pessinunte aduocarunt, quorum curam ædiles gerebant variis ceremoniis & ritibus. Ibidem.

MISCELLANEI ludi erant, qui ex ludionum multiplici genere consuebantur: quorum mentionem facit ibidem.

Cùm ingenti pestilentia vrbs antiqua, agríque vastarentur, Valesius vir locuples, rusticę vitę, duobus filiis & filia ad desperationem vsque medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus innixus, Lares familiares, vt puerorum periculum in ipsius caput transferrent, orauit. orta deinde vox est: Habiturum eos saluos, si continuò flumine Tyberis deuectos Tarẽtum portasset: ibíque ex Ditis patris & Proserpinæ ara, petita aqua calida, quam illi desiderarent, recreasset. Eo prędicto magnoperè confusus, quod & longa & periculosa nauigatio imperabatur, spe tamen dubia pręsentem metum vincente, pueros ad ripam Tyberis protinus detulit: habitabat enim in villa sua prope vicum Sabinę regionis Heretum, ac lintere Hostiam petẽs, nocte concubia ad Martium campum appulit, sitientibúsq; ęgris succurrere cupiens, igne in nauigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere

fumum:& ab eo iussus egredi, Tarentum (id nomen ei loco est) cupidè arrepto calice aquam flumine haustam, eò vnde fumus erat obortus, iam lætior pertulit, diuinitùs dati remedij quasi vestigia quædam in propinquo se existimans nactum. Inque solo magis fumante, quàm vllas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis leuibus, & quæ sors obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu flammam euomuit, calefactámque aquam pueris bibendam dedit. Qua potata, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repentè sunt liberati: patrique indicauerūt, vidisse se in somniis nescio à quo deorum spongia corpora sua pertergi: & præcipi vt ad Ditis patris & Proserpinæ aram, à qua potio ipsis fuerat allata, furuæ hostiæ immolarentur, lectisterniáque & LVDI NOCTVRNI fierent. Is qui eo loci nullam aram viderat, desiderari credens vt à se construeretur, aram empturus in vrbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. ij domini imperium exequentes, cùm ad 20. pedum altitudinem humo egesta peruenissent, animaduerterunt aram Diti patri Proserpinæque inscriptam. Hoc postquam Valesius nunciante seruo accepit, omisso emendæ proposito, hostias nigras quæ antiquitùs furuæ dicebantur, Tarenti immolauit: ludósque & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit. Cuius exemplum P. Val. Publicola, qui primus Cos. fuit, studio succurrendi ciuibus, secutus, apud eandem aram publicè nūcupatis votis, cæsisque atris bobus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, lectisternióque ac ludis Trinoctio factis, aram terra, vt antè fuerat, obruit. Val. Max. lib. 2. cap. 1. & Alex. lib. 6. cap. 19.

NEMÆA fiebant in honorem Archemori, Lycurgi regis Thracum filij, quem ab Hypsiphile nutrice in herba relictum serpens interfecerat. In illis maiorum imagines, sicuti in funebri pompa, lōgo ordine repræsentari, atque equorum cursu, simul disco, cæstu & palæstra dimicari, victoréſque apio coronari mos erat.

OLYMPIÆ ludos in honorem Iouis constituit Hercules apud Elidem & Pisam, Græciæ oppida, vbi Gymnicum certamen fiebat quinto quoque anno. In his qui dimicabat, vocabatur Olympionices. Hic Hercules stadium fecit tanto cæteris maius, quanto mensura pedis eius cæteris præpollebat. Alij verò hos ludos ab Hercule in Pelopis honorem institutos fuisse aiunt, Anno mundi quadringentesimo super quatuor mille. At in LEONTINO agro Olympicos ludos Herculi palæstræ institutos memorant: qui si intermitterentur, sacerdotes muti fierēt: si sacra repeterēt, liberarentur à morbo: vt Diodorus Siculus testatur. LACEDÆMONII decertantium in Olympiis corpora oleo perfundi, & nudari, primi edocuêre. Vnde primus fuit qui corpus suum in certamine nudauit Acanthus Lacedæmonius, cùm antea pudor corpora nudari prohibuisset. De OLYMPIIS certaminib. Ægyptiorum iudiciū, pete ex tit. Prudentiæ in iudicando de rebus aliorum.

PANATHENÆA apud Athenienses singulis lustris fiebant, in quibus solenni carmine per tibicinem & præconem ludicrum indicebatur. Nudi ad certandum ingrediebantur athlætæ, neque quempiam cū quo certarent eligebant, sed cum primo prodeunte congrediebātur. Accensis autem facibus celebrabantur: olei ceramum velut amplum precium victor accipiebat. Ibidem.

PISCATORII ludi erant, qui ex quæstu piscantium instituebantur: quorum mentionem facit. Alex. lib. 6. cap. 19.

PLEBEII ludi exactis regib. pro plebis libertate primū Ro. dati sunt, quos nonnulli post secessionē ad sacrū montē institutos ferunt, ob consociatos patrum plebisque animos: quos postea L. Sylla perdomitis hostibus, magna plebis expectatione restituit: quorum æ liles plebis arbitri & moderatores erāt, in quorum celebritate seruarū meminimus, vt quoties instaurarentur, ab his ludorum causa epulum daretur. Ibidem.

PYTHII ludi à Pythone interempto dicti, in Apollinis honorem à Diomede primùm instituti sunt, magna religione sacri, in quibus victores lauro coronati triumphabant apud Delphos in Phocide, vbi templū Apollinis erat, PYTHII ludi magnopere celebrati sunt, in quibus comœdiæ & tragœdiæ, aliarúmque fabularum argumenta spectatoribus exhiberi, atque ad spectandum tibia & cantu inuitari solebant. Apud PELENEM erat Apollinis agon, vbi ex argento proposita præmia certantib. fuêre, quæ Theoxenia vocabant.

PROMETHEA erant ludi, in quibus currentes in palestra tædam ardentem gestabant. cámque defatigatus proximo, ísque postea defessus alteri, & deinceps alius alij tradebant, donec metam pertingerēt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

SCENICI ludi (anno ab Vrbe ferè 300. cùm vis morbi ingens vrbem peruasisset, tantáque tabes ingrueret, vt nullum pestis effugium foret: cùm ope diuina luem minimè leuari crederent, victis superstitione animis) primùm apparatu magnifico facti sunt: quos ludiones ex Hetruria, motibus non indecoris, versibus ridiculis, cum cantu & tibicine adhibitis histrionibus, saltantes celebrarunt. Alex. lib. 6. cap. 19.

SECVLARES ludi in honorem Apollinis & Dianæ instituti, fiebant centesimo quoque anno, præcone per compita clamante: Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est. Hos instituisse fertur Val. Publicola, propter exactos reges. Celebrauit Philippus Imp. anno post vrbem conditam millesimo. In quibus fuerunt elephāti 30. alces 10. tygres 10. leones mansueti 40. leopardi mansueti 30. hyenæ 10. gladiatorum fiscalium paria mille, hippopotamus quoque, rhinoceros, arcoleontes, camelopardi, onagri, & equi feri.

TAVRII ludi erant diis inferis consecrati, quorum origo fertur antiquissima. Cùm enim regnante Tarquinio Superbo, vis morbi & insanabilis pernicies per omnes vrbis regiones & compita peruagata esset, assiduísque funeribus exhausta ciuitas foret, atque ob esum carnium taurorū pestifer annus grauidas mulieres ita affecisset, vt fisti pestilētia nequiret: in deorum inferorum placamenta hos ludos celebrarunt, qui Taurij dicti sunt, quod ob Taurinæ carnis morbum inuenti primùm, concelebratíque sint. Alex. lib. 6. cap. 19.

THEATRALES ludi apud Romanos non stati erant: sed vt quisque ad honores, aut ædilitatem, præturam vel consulatū euectus erat, ad conciliandum populi fauorem maxima lætitia colebat & celebrabat, in quibus elephantorum & leonum pugnas, aliarúmque belluarum venationes erant. Ibidem.

Apud Nasamones, à virginibus quotannis ad TRITONIDIS paludem certamen edi, memoriæ proditum est. Quo, non cursu, sed pugnis & fustibus certabant. ex quibus si quæ ictu concidisset, falsa censebatur virgo: victrix verò armata vectabatur curru. Alex. lib. 5. cap. 8.

TROIA, equestris pugnæ nomen. Vide sub tit. Prodigalitatis in spectaculis, sub Iulio Cæsare. De his Tranquillus in Cæsare: Circēsibus, inquit, spacio circi ab vtraque parte producto in gyrum, Euripo addito, quadrigas, bigas & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit turma duplex maiorum & minorum puerorum. Troia autem erat equestre simulachrum, seu vmbratica equitum pugna, in qua equi in orbe se inuicem petebant. Huius ludi originem Verg. lib. 5. describit.

VENATIONES erant spectacula, in quibus positæ in theatro feræ, vt tygres, elephanti & leones, gladiatoribus congrediebantur vsque ad mortem & casum alterutrius partis. Suet. Venationes editæ per dies quinque, ac nouissimè pugna diuisa in duas acies, quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. In venationibus & gladiatoriis soli conducti, aut damnati, & ambitiosi ad ostentationem suarum virium adhibebantur, quoniam maximum vitæ discrimen imminebat.

VVLCANII Græcorum ludi erant, quos accensis facibus celebrare mos erat. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19.

ATHLETÆ, IN GENERE.

PHAILVS, impiger ac fortis athleta, cuius Alexander Macedo exuuias multas dono Crotoniatis misit, quas victoria magis quàm precium magnas & gratas faciebat. Pont. cap. 19. de Magnificentia.

BVTHVS athleta vicit in Pythiis ludis. Idem bouem integrum vno die deuorauit. Quod etiam de Milone Crotoniata dicitur.

ERGOLETI athletæ Cretensi, Pindarus hymnum consecrauit ob eximias vires. Cursu vicit in Olympia.

THEAGENES Thasius in certaminibus athleticis omnes sua ætate vicit, & coronas quadringentas tulit. Pauſ. lib. 6.

HYPENVS athleta primus diaulo vicit. Pauſ.

EVALEIDES Erethriorum dux, donatus laurea in certaminibus, & à Simonide Ceo maiorem in modum celebratus, à Persis Ephesi interfectus est, quando Iones à Dario defecerant. Herod. lib. 5.

DIOSIPPVS nobilis athleta, cuius meminit Plinius & Volat. lib. 15. Anthrop.

CROTONIATÆ erant egregij athletæ, adeò vt in palæstra victoriā sæpenumero reportarent.

MARVLLVS athleta, relicta postmodum palæstra ludum Romæ aperuit, fuitque Latini sermonis exactor diligentissimus. Rauiſ.

L. PRISCILLIANVS insignis athleta, cuius fuit percelebre nomē ob multas iniurias quas fecerat, & cædes belluarum. Hic aliquando cum vrso, pardali, leæna, & leone simul, pugnauit solus, aliásque bestias complures occidit. Claruit autem temporibus Antonini Caracallæ, & Macrini, imperatorum Rom. de quo Dion Nicæus, & Xiphilin. in Macrino.

STARCATHERVM Saxo Grammaticus prodit athletam fuisse, qui nulli mortalium suo tempore viribus & virtute cesserit. De cuius præclaris facinoribus multa cōmemorat.

HAMA apud Saxones gymnicis palmis clarissimus habitus est, adeò vt magno militaris pompæ tripudio ductus sit ad conflictum, & Starcathero inter Danos fortissimo, sed capulari oppositus. Quum ergo in cōflictum ambo descendissent, astaréntque hinc & inde numerosi spectatores, vt suæ partis victori gratularentur: Starcatherus primo quidem insultu propter inualidas vires peaè resupinatus est. Verùm vbi pudore sumpsit vires, & se sibi restituit, medium Hamæ corpus dissecuit. Sax. libr. 6.

PANCRATIASTÆ.

POLYDAMAS pancratiastes, æmulatus Herculem, leonem inermis amplexus superauit. Taurum ingentem apprehensis extremis pedibus retrò tenebat. Currum agitatum sese opponendo, altera manu apprehensum, ex cursu retrahebat: in equósque insiliebat, deiecto auriga. Ac-

cersitu

cersitus à Dario Artaxerxis Magni filio, ter apud eum ex prouocatione victor fuit. Postremò viribus suis confisus, interiit: post cœnam, in cauernam, cùm saxum ruinam à vertice minaretur, diffugiētibus conuiuis, confisus ipse manibus posse sustinere, oppressus est. Author Pausanias.

AVTOLYCVS nobilis fuit pancratiastes, cui statua posita est in Prytaneo: is erat locus Athenis in arce dignissimus, vbi iudices de negociis reipub. pertractabant. Pausanias.

Auenicon fuit pancratiastes ex Anthedone vrbe. Rauisius.

Phrynon dux Atheniensium, pancratiastes clarissimus, quem Pyttacus Mitylenæus singulari contendens certamine, reti sub clypeo latente inuoluit, atque hoc modo superauit. Rauisius.

STRATON Choragi filius, pancratiastes. Exemplum illustre, pete ex tit. Exercitatio corporis & animi Ethica.

Menegetes pancratiastes, qui cum Philippo luctari consueuerat. Consule titulum Stipendia militibus astu parare, &c.

OLYMPIONICÆ.

ARCHIAS Hyblæus fuit præco, qui tres ordine vicit Olympiadas, & Pythica statua cum Epigrammate ob virtutem illam decoratus. Rauisius.

AGESIDAMVS Locrensis Olypionica, quem ab inimico propè victum, quum vnxisset Ilas socius, acrior ad cōflictum rediēs euasit victor. In cuius laudem Pyndarus scripsit hymnum. Idem.

EPITHERSES Metrodori filius, vicit in quatuor certaminibus. Idem.

ASBILVS Olympionices Crotoniata, ter in Olympia continua fecit victor, quem perpetua virginitate fuisse præditum ferunt.

DIAGORAS Rhodius victor in Olympia, quum eodem die tres filios victores coronari vidisset, expirauit gaudio. Gellius autor est.

Fuit & ÆGESIAS Syracusanus, Sostrati filius, nobilis Olympionica. Rauisius.

CYLON Olympionices Atheniensis, affectatæ tyrannidis compertus. Idem.

ÆGLES Olympionica dum in sacro certamine sortitio inter ipsos & aduersarios non bona fide fieret, repentè (quum prius esset mutus) in eū qui id faciebat, sese videre quid faceret, magnum inclamauit: orísque vinculo solutus, rectè postea semper locutus est. Gellius.

Ferūt DEMARCHVM Parrhasium Olympionicam, gustatis pueri (qui immolabatur) extis, in lupum fuisse commutatum: decimo demum pòst anno pristinæ formæ restitutum. Rauisius.

LVCTATORES.

IACOBI patriarchæ robur quis inde colligat, quòd in Chananæam reuersus, per totam noctem cum angelo luctatus fuit: qui cùm videret eum à se non posse superari, eius femur perstrinxit, ita vt claudicarit postea semper. Genes. 32.

Spartanæ virgines nondum adultæ, palæstra exercebantur nudæ. Quod studium à Laconibus qui summi palæstritæ fuerunt, excolebatur: id quod & Plato nequaquam improbauit: censuítque vt non modò puellæ, sed & anus luctarentur cum viris, vt patientes laborum facilè res arduas subirent: quorum studio in posterū adeò affecti sunt, vt gymnasia & palæstras occupasse animos eorum tradant, vt pro fortibus milibus se bonos palæstritas & Athletas dici potius exoptarint. Alexand. ab Alexand. lib. 5. capite vigesimoquinto.

Antæus gigas Libycus, & egregius luctator, ausus est cum Hercule in certamen descendere. Cui quum Terra mater vires tactu augeret, con-[illegible] in aere membris & faucibus ab ipso Hercule iugulatus est. Hanc eorum luctam describit Politianus hoc modo:

Incaluere animis dura certare palæstra,
Neptuni quondam filius, atque Iouis.
Non certamen erat operoso ex ære lebetes:
Sed qui vel vitam, vel ferat interitum.
Occidit Antæus, Ioue natum vincere fas est:
Estque magistra Pales Græcia, non Libya.

ANDROGEVS Minois regis Cretæ filius, quū omnes palæstra superasset, ab Atheniensibus & Megarensibus, hanc ei gloriam inuidentibus, interfectus est. Cuius mortēm Minos pater vltus est bello. Tort.

CLITOMACHVM palæstritam non tam commendant vires, quàm pudicitia: quòd etiam coeuntes canes sine horrore non posset aspicere, & in conuiuiis aliquid impudicum permittere. Ælianus apud Volat.

PYTHODEMVS luctator fuit egregius, cuius statuam fecit Dynomedes. Plinius.

CORYCVS luctator, quum neminem reperiret priorem, aut parem, cuius viribus succumberet, etiam adagio sequenti fecit locum, Luctari cū Coryco: de his qui aliquid supra vires moliuntur.

Pyrechmen luctator fuit Ætolus, qui Degmenum Epeum singulari certamine vicit. Herod. lib. 6.

Topsius luctator egregius, Dionis Alexandrini frater. Rauiſ.

ICTVS Tarentinus nobilis palæstrita, toto vitæ tempore Veneris expers fuit, vt arti commodatior esset. Tanta illi gloriæ libido. Autor Ælian. de Var. hist. lib. 11. Alij Ichum appellant.

DEMOPHILVS & Gergasus, palæstrica arte insignes à Plinio cōmemorantur.

PATROBIVS libertus Neronis, tanto palæstræ studio tenebatur, vt arenam à Nilo vsque iuberet sibi afferri in theatrum, qua spargeretur. Plin. cap. 12. lib. 25.

GLYCON nomen est luctatoris fortissimi, apud Horat. in Epistolis scribentem:

Et quia desperes inuicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.

Democrates pugil etiam cum laboraret ex pedibus, ad certamina venit: & consistens in stadio, descripsit sibi circum, & iubebat aduersarios vt se expellerent extra lineam. At illi victi sunt ab ægroto: & ipse cùm bene & fortiter in statione sua perstitisset, coronam deportauit. Ælian. lib. 4. de Varia historia.

MAXIMINVS exercebat lucta milites suos, multos ad terram prosternens. Itaque cunctis inuidētibus, tribunus quidam vasti corporis, notæque virtutis, atque ob hoc ferocior, dixit: Quid magni facies, si tribunus tuos milites vincis? Tum Maximinus: Visne congrediamur? Quum prodiisset, palma pectori impacta supinum reiecit, cōtinuóque dixit: Date alium, sed tribunum. Capitolinus.

PVGILES. CERTAMEN CÆSTVVM.

Ex duobus Tyndaridis Castor fuit equitatu clarus, POLLVX pugilatu. Ouidius lib. 8.

Tyndaridæ gemini, præstantes cæstibus alter,
Alter equo. Idem alibi:
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.

Fuit AMYCVS Bebryciorum rex, filius Neptuni, cæstibus clarus. Hunc occidit Pollux. Sidonius:

Sparta Terapnæa pugilem cum Gymnade pinguem
Stratum Bebryciis Amycum suspexit arenis.

Valerius Flaccus lib. 4. Argon.

BVTES Amyci filius, & ERYX Butæ, illustres fuerunt pugiles. Butem Dares interfecit: Eryx magister fuit ENTELLI, cuius cæstus Entellus ipse in DARETA certaturus protulit. Fertur etiam Eryx in Herculem certasse, victúsque succubuisse. De vtroque Virg. lib. 5. Æn.

CLEOMEDES Astypalæus Iccum Epidaurium pugilem armatum vnico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, quum à iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, columnam (qua ludi literarij domus fulciebatur) disiecit, eáque ruina pueros omnes adobruit. Alij dicunt, fugientem in Mineruæ templo arcam ingressum, operculo se obtexisse, vbi nusquam repertus sit. Plut. in vita Romuli: & Crinitus cap. 3. lib. 15.

CLEOMACHVS fuit pugil Magnesius, de quo nihil reperitur, præterquam quòd in cuiusdam cinædi & ancillæ amorem incidens, corruptissimis euaserit moribus. Rauiſ.

EVRYDAMAS Cyrenæus insignis luctator, quum in cæstuum lucta victoriam adeptus esset: in ea ipsa pugna dentes ab aduersario decussos absorbuit, ne qui contrà luctaretur animaduerteret. Ælian. lib. 10. de Varia histor.

Fuit GLAVCVS Carystius Pyctes coronatus xxv. Olympiade, quē Pythia ter vicisse ferunt, Isthmia decies. Is in agro colendo vomerem (qui ab aratro casu exciderat) manu loco mallei in suum locum restituit. Ductus postea à patre in Olympiam, quum ab aduersario conficeretur plagis, & iam succumbens deficeret, inclamauit prosiliēs pater, Percute qua aratrum. Quo ille stimulo concitatus, irruénsque violentius, velut impetu capto, aduersarium vicit, statuámque meruit. Cælius cap. 28. lib. 6.

Ferunt HERACLIDEM fuisse pugilem, infiniti propè cibi potúsque capacem. Non reperiebatur illi par in potando. Alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, ad cœnam alios: postremos ad commessationem. Recedentibus primis iungebantur secundis, omnibúsque sufficiebat solus. Cælius lib. 16. cap. 16.

DARETEM Vergilius finxit fuisse nescio quem iactantiusculum, fuisquæ viribus immodicè fidentem, qui in ludis illis (quos ad Anchisę tumulum celebrabat Æneas) quum sibi nimium blandiretur, vt vnumquenque magnifico sermone lacesseret, ad extremum coegerit Entellum, quamuis capularem, & propè viribus effœtum, cæstus arripere. A quo magna nominis infamia superatus, propè semianimis in castra suorum relatus fit. Vnde natum adagium à D. Hieronymo positum, Dares Entellum provocat.

EVTHYMVS pugil patria Locrensis, ex Italia, robore ingenti fuit, saxúmque mirę magnitudinis allatum humeris ante portam Locrensium statuit, quod miraculi gratia visebatur. Temesæum quendam heroa ad reddendi quæ rapuerat omnibus, magno fœnore, compulit. Æl. de Varia hist. lib. 8. Plin. & Pausan.

DIOXIPPVS pugil Olympionices Athenien sis, cùm more pugilum Athenas introiret eques, magnáque hominum multitudo conflueret cũ in spectaculo mulierem formosissimam vidisset, subita pulchritudine victus est. Ælianus libr. 12. de Varia historia.

ORICADMVS luctæ & pugillationis fuit legislator, qui sua industria Siculum morem pugillandi excogitauit. Ælian. lib. 11. de Var. hist.

ICHVS Tarentinus luctas exercuit, sobriè per vniuersum pugillandi tempus viuendo, moderatè cibis vescendo, & à venere vitam abstinẽdo.

Ælian. lib. 11. de Var. hist. Alij vocant Ictym.

EPITHERSES Metrodori filius, ex Erythris Ioniæ, nobilis pugil, in quatuor certaminibus victor. Pausan.

NICODORVS Mantinæus pugil nobilis, simul & philosophus, quantum gloriæ in certaminibus patriæ attulit, tantum ætate iam prouecta certare desinens, legibus & institutis consuluit. Ælian. libr. 2. de Varia historia.

POMPONIVS Marullus grammaticus, pugil etiam fortissimus fuit, vt Asinij Galli in eum Epigramma ostendit: Qui caput ad Lenam didicit, glossemata nobis
Præcipitos nullum, vel potius pugilis. Tranquillus de illust. Gram.

Maximianus Imp. crudelissimus, cùm Thessalonicæ, capto Demetrio præfecto vrbis propter Christum, equestres ludos exhiberet, atque in iis lusionem feras iaculo ferire doctus, postquam adoleuit, aut aprum aut leonem in syluis petebat. Pont. de Principe.

ROMANI cùm inuentutem variis exercitiis ad bellicam disciplinam
exercerent, præcipuè tamen iaculandi peritia excellere voluerunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

TERIDATES insignis ille princeps Parthorũ, qui à Nerone imperatore deuictus fuit, in iis spectaculis quæ apud Puteolanos à Nerone in eius victoriæ gloriam facta sunt, de superiore loco, in quo sedebat, belluas iaculo traiecit, duósque tauros vno ictu (si tamen credibile est) confecit. Xiphilin. in vita Neronis.

COMMODVS imp. Faustinæ & M. Antonini filius, centum ictibus in arena totidem strauit leones: & tam validis fuit viribus, vt elephantem hasta & orygis cornu transfigeret, vt plures feras interdum vno conficeret ictu: adeò certa illi manus, vt quicquid oculo destinasset, iaculo & sagitta contingeret. Gladiatores, retiariósque circiter mille aut vicit, aut occidit. trecenties sexagies quinquies viuo adhuc patre in id certamen descendit. Sab. lib. 10. cap. 11.

GYMNETÆ æthiopiæ populi iaculatores optimi euadunt, vrgente fame. Impuberes enim pueros exercent ad certum signum iacere, solis cibum præbentes iis qui signum tetigere. Diod. Sic. li. 3. ca. 4. de Reb. ant.

Pontanus ASPAREM quendam Caramanta, à præstantia torquendorum missilium his verbis commendat: Hinc Aspar Garamas, quo nõ præstantior alter
Aut torquere manu iaculum, aut dare vulnera funda.

GLADIATORES.

GLADIATORVM genera sunt Retiarij, Secutores, Mirmillones Hoplomachi, Thraces. Horum magistri dicuntur Lanistæ: qui gladiatorum domi exercebant, instituebantque tyrones, quos vendebant muneratiis. Erant munerarij spectaculorum exhibitores, qui ludos gladiatorios populo exhibebãt, Græcis Agonotheræ. Retiarij pugnabant in Mirmillonem, vocabulo à rete deducto, quod sub scuto ferebant, vt inuolverent inimicum. Mirmillones nomen habuerunt à Mirmillonio gente armaturæ Galliæ quo vtebantur. Retiarij tunica vtebãtur, & fuscina. Suetonius Retiarij, inquit, tunicati quinque numero gregatim dimicantes sine certamine vllo, totidem secutoribus succubuerant: quum occidi iuberẽtur, vnus reliquis fuscina, omnes interemit. Secutor galeam ferebat, & clypeum falcémque supinam: Retiarius galerum tantum. De hoc luuen. Satyra octaua:

Nec galea frontem abscondit, monet ecce tridentem, &c.

P. RVTILIVS instituit, vt milites simulachra quædam pugnæ haberent, priusquam ad veram pugnandi cum hostibus certamen accederẽt. Discebant autem à magistris gladiatorum, artem vitandi ictus, atque inferendi. Qua de re Val. Max. lib. 2. cap 1. & Alex. lib. 1. cap. 20.

M. SCAVRVS tantæ munificentiæ homo fuit, vt Athletarum certamẽ suis impensis instituerit. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

M. BRVTVS Brutus munus gladiatorũ in honorem patris sui defuncti primus Romæ in FORO BOARIO edidit. Liuius: Val. Max. lib. 2. cap. 1.

ERSENIVS & Pacidianus gladiatores fuerũt nobilissimi. A quibus natum adagium, Ersenius cum Pacidiano. Cicero de perfecto Oratore: Ame; autem (quo maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Æschines tanquam Ersenius, non spurcus homo, sed doctus & acer, cum Pacidiano hic co. aponitur, optimus longè post homines natos.

Horat. facit VETANIVM gladiatorem, in principio Epistolarum, vbi ait:

---Vetanius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

SPARTACVS gladiator fuit, Thrax genere, magnis viribus præstans, qui vnà cum Chryso & Oenomao, effracto Lentuli ludo gladiatorio, Capua erupit cum LXX. gladiatoribus. Qui omnes collecto exulum & fugitiuorum non paruo exercitu, bellum ingens concitarunt: adeò vt mitti Crassium oportuerit, qui perditos eorum conatus reprimeret. Ruffius.

MARTIANVS nomen est gladiatoris apud Plutarchum in Galba.

Idem ait, SPICVLVM fuisse gladiatorẽ, quem Romani Neronis statuis subiectum in foro perdiderint.

Inter gladiatores præcipui habentur BITHVS & BACCHIVS, qui pares fuerunt arte, & pares audacia. Hinc natum adagium, Bithus contra Bacchium, quum duo æqualiter improbi contendunt inter sese. Nam quum multos interfecissent, tandem congressi mutuis vulneribus se confoderunt.

GRACCHVS nomen retiarij apud Iuuen. Saty. 8. scribentem:

Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina:
Damnat enim tales habitus, & damnat & odit.

TVRBO nomen est gladiatoris apud Horatium lib. 2. Serm.

Corpore maiorem rides Turbonis in armis.

BATO fuit vnus ex gladiatorum numero, qui Antonini Caracallæ temporibus vixerunt, adeò præclarus, vt cum tribus imperatoris iussu vno die congressus ferió, duos priores quidem gladio vicerit atque interfecerit, à posteriore verò occisus sit, cuius rei gratia Cæsaris iussu magnifica sepultura ornatus est. Dion Nicęus, & Xiphilinus in vita Antonini Caracallæ.

CVRSORES IN STADIO.

CVRSORVM alij Stadiodromi vocabantur, qui stadium percurrebãt, & quiescebant in limite. Alij Diaulodromi, qui peracta meta eò demum reuertebantur, vnde cursum inierant. Dolichodromi sexies stadium curriculo obibant. Ruiss.

ATALANTA venatrix Arcadica velocissima, cum procis cursu certabat, victos trucidabat. Astutè tandem ab Hippomene vincitur. Vide fabulam apud Ouidium x. Metamorph. & Statium libr. 6. Thebaid. & Sidonium.

In ludis exequialibus (quos in Sicilia ad Anchisæ tumulum celebrauit Æneas) stadiodromi, seu decursores in stadio fuerunt Euryalus, Nysus, Diores, Salius, Patron, Helymus & Panopes. Ruiss.

ISCHOMACHVS Crotoniates, victor fuit in stadio, quo tempore M. Valerius & P. Posthumius Tubertus consules Romæ creati sunt.

POLYMNESTOR Milesius puer, cùm à matre locatus esset, ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est: & ob id statim productus à gregis domino, Olymp. 6. & quadragesima, vt Boethius author est, in stadio meruit coronam. Solin. cap. 6.

ARCHIDAMI Spartanorum regis filia, velocitatis suæ præmia victrix in ludis Olympicis tulit. Alex. lib. 5. cap. 8.

THEOGENES cursu & lucta tam celebris famæ fuit, vt mille & ducentas coronas tulerit. Ibidem.

CHOROEBVS Eliensis athleta, primus cursu victor prima Olympiade fuit. Volat. lib. 14. cap. 2. Anth. Paul. & Euseb.

ASTYLVS Crotoniata, vt ait Paulanias, victor Olympiæ ter, continua serie. stadio ac diaulo. Huius Plato meminit, in lib. de Repub. qui esi cattitate perpetua ob cursus studium præditum commemorat.

HARALDVS quidam duobus equis in stadium admissis, vtroque metam prior tenuit. Geminis siquidem bacillis inter currendum innixus, crebris saltibus corpus concitabat. Saxo Gramm.

AGILES CORPORE TOTO, VEL MANIBVS AVT PEDIBVS.

Vt funambuli, cheirosophi.

ROMÆ sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productus est, qui per aduersum parietem felis modo reptando scanderet: & qui fabrefactis sibi alis, altiusculè à terra volans, per aerem auis modo veheretur. Sab. lib. 10. cap. 9.

IACVLATORES.

MAZAX populus prope Nasamones, peritissimus est iaculandi. Lucanus lib. 4.

---Æquaturúsque sagittas
Medorum, tremulum quod torsit missile Mazax.

ILERDES quispiam tam certis iaculabatur ictibus, vt etiam volucres in medio aere percuteret. Syllius:

Iam socius volucréque vagas deprendere nube
Assuetus iaculis idem & bellator Ilerdes,
Cui ludus nullam cursu non tollere damam.

LYCIA regio minoris Asiæ, populos habuit peritos iaculandi. Vnde Vergilius Lycias vocat sagittas, lib. 8. Æn.

CYRVS Persarum rex, apud Astyagem puer equum agere, & cõclusas bestias iaculo ferire doctus, postquam adoleuit, aut aprum aut leonem in syluis petebat. Pont. de Principe.

ROMANI cùm inuentutem variis exercitiis ad bellicam disciplinam exercerent, præcipuè tamen iaculandi peritia excellere voluerunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

SAGITTARII, QVI ARCV AVT BALISTA SAGITTAS *& tela iaciunt.*

ISMAEL Abrahami F. ex ancilla Ægyptia Hagare, syluestrem egit vitam, & sagittarius fuit in solitudine Maranę. Genes. 21.

Inter sagittarios principem locum obtinet APOLLO: quem ideo poetæ sagittiferum, & Sagittipotentem dicunt: Vnde Claudianus:

Mars clypeo melior, Phœbus præstantior arcu.

De GETIS Scythiæ populis, Ouidius lib. 5. de Trist.

Sarmaticæ maior, Geticæque frequentia gentis,
Permedias in equis itque reditque vias.
In quibus est nemo, qui non coryton & arcum,
Telaque vipereo lurida felle gerat.

De SCYTHIS Septentrionalibus populis, Claudianus:

De spoliis Scythicos arcus, aut rapta Gelonis
Cingula.---

PARTHIPERSÆ Orientales populi, sagittis adeò claruerunt, vt fugientes à tergo iacularentur, auersíque sequẽtes hostes lædrent, perinde ac aduersi, vt iam diximus. Lucanus:

Ocyor & missa Parthi post terga sagitta.

ITHERA seu Ithura, vrbs est in Tauro monte Parthiam versus, cuius habitatores Ithuræi, arcu & sagittis claruerunt, quod arguitur poetarum epitheto, quum arcum vocant Ithuræum, sagittas Parthicas, neruos Getticos, phareatras Sarmaticas, & ita in cæteris.

ARIMASPI, populi iuxta Riphæos in torquẽdis sagittis (quarũ sunt peritissimi) alterum inflectunt oculum, vt altero melius cernant. Hinc & nomẽ traxerunt. nam & Ari Scythicè vnum, & Maspos oculum significat.

SARMATIS Scythiæ populis doctissimis iaculorum arcus vocatur Sarmaticus. Ouid. lib. 1. de Ponto.

ERITRÆA, siue Erythræa, Asiæ ciuitas, arte sagittandi claruit. Sidonius:

Fortè sagittiferas Euan populatus Erythras.

Crinitus ait SCOTOS (qui vicini sunt Britannis) in dirigendis sagittis acres esse, & egregios.

De DICTÆIS Syllius lib. 13.

---Dictæi per auras
Trenat, & in medium perlabitur vrbis arundo.

ACYDONÆ Cretæ oppido, tela Cydonia dicuntur, quòd eius loci incolæ periti fuerint sagittarij. Vergilius:

Ire libet, Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tanquam hæc sit nostri medicina doloris.

De GNOSO & GORTYNA vrbibus Cretæ, Lucanus:

---Gnosóque agitare phareras
Docta, nec Eois peior Gortyna sagittis.

CATENES miles fuit, qui ictibus adeò certis destinata feriebat, vt aues quoq; ab ipsis nubibus excideret. Curtius lib. 6. de gestis Alexandri.

DEVCALION Hypereśij filius, ex Hypsó nympha, peritus sagittarius. Valerius Flac. lib. 1. Argon.

Deucalion certus iaculis.

EVRYTVS rex Œchaliæ, pater Ioles, Herculem sagittandi artem docuit.

Docuit HERCVLES, quanta sagittandi arte clarerer, dum centaurum Nessum, quamuis remotum, & ceruam æripedem cerco traiecit ictu, harpyiásque volucres in medio confecit aere.

Fuit PARIS adeò sagittandi peritus, vt Achillẽ solo pede vulnerabilem telo traiecerit. Ouidius in epist. Paridem sic loquentem inducit:

Néue putes, non me nisi comminus esse timendum,
Figitur in iusso nostra sagitta loco.

Statius lib. 3. Syluarum.

ACASTVS venator fuit sagittis clarus, qui cum Meleagro ad occidendum aprum (qui Calydona vastabat) profectus est. Ouidius libr. 8. Metamor.

ALCON Cretensis sagittarius, cuius filium quum rapuisset draco, tanta arte sagittam direxit, vt illæso filio, Draconem ipsum confecerit. Val. Flac. lib. 1. Argon.

---Vacua nam lapsus ab arbore, parvum
Ter quater ardenti tergo circumuenit anguis:
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

HIPPOCOON, Musetheus, Eurition, sagittarij fuerunt: qui, teste Vergilio, contenderunt de palma in ludis illis exequialibus, quos Æneas ad tumulum patris Anchisæ celebrauit, quum relicta Africa in Italiam nauigaturus rediit per Siciliam.

ASTER Olynthius, Philippo Methonem & Olynthium diripere cupienti, telum in oculum immisit, his verbis inscriptum: After Philippo mortiferum mittit telum. Plut. cap. 15. Paral.

SMERDES frater Cambytis, regis Persarum, solus ex omnibus Persis arcum ab Æthiopum rege missum ad duos vsque digitos trahere potuit. Eius roboti inuidens Cambyses, ex Ægypto in Persas remisit, nec multo post interfecit. Herod. lib. 3.

CAMBYSIS regis Persarum tanta fuit in iaculãdo dexteritas, vt quãdo temulentus, Prexaspis filium in vestibulo regia constitutum, per medium cor transfigere potuerit. Vide tit. Reprehensiones ægrè ferre.

Scribit Plutarchus de INDO quodam, sagittario tam perito, vt etiam sagittas per annulum mittere posset: qui dum arcus suæ specimen edere nollet, ab Alexandro Magno capitis damnatus est. De hoc Plutarchus in regum & imperatorum Apoph. & Erasm. lib. 4. Apoph. Alexandri.

Fuit DOMITIANVS Imp. doctus adeò sagittarum, vt inter distentos viri procul positi digitos tela transmitteret. autor Sextus Aurel. Tranquillus ait, centenas varij generis feras in Albano secessu, sagittis plerunque confossas multis videntibus. Ex industria ita quarundam capita nonnunquam figebat, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præsentísque pro scopo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per intervalla digitorum innocuè euaderent.

Saxo Grammaticus scribit, ENARVM fuisse sagittarium, magno corporis artísque robore præditum, qui tanto rigore arcum intendebat, vt excussum ab eo iaculum nulla rerum duricia sisteret, quo minus citato motu vniuersum penetraret obstaculum.

TOCO miles fuit quispiam, aurore Saxone, doctus adeò sagittator, vt sermone inter conuiuas remulentius habito, iactauerit tanto iaculandi vsu se præditum, vt exiguum quodlibet pomum, baculo procul & longissimè remoto superpositum, prima spiculi directione feriret. Ruiss.

Paulus Diaconus ait, GOTHORVM gentem nullo armorum genere magis quàm arcubus vti consuesse.

ALFONSVS senior Calabriæ dux, Alfonsi iunioris auus, homo suo tempore omnium bellicosissimus, meridianis horis arcu se cum iuuenibus exercuisse dicitur: vt si in bello necessitas exigeret, eius rei experientiam non vulgarem haberet. Pont. de Principe.

ALPHONSVS Aragonum rex, iaciebat interdum manu balistæ sagittas quatuor, passibus quadraginta: refixas in suum quanque foramen iterum iaciens remittebat: easdem confixas tertio iaciēs sigillatim in postremam partem feriendo distinguebat. Panor. lib. 4. de reb. gest. Alfonsi.

SAGITTARII IMPERITI.

Diogenes Cynicus animaduertens QVENDAM imperitè iaculantē, proximè scopum consedit. Cur id faceret, interrogantibus: Ne fortè, inquit, me feriat. Significans, illum quiduis percussurum citius, quàm scopum. At alij spectatores quàm possunt longissimè sese à scopo semouent, ne feriantur. Laert. lib. 6. Bruson. lib. 6. cap. 19.

TORMENTIS QVIBVSVIS ALIAS TELA AVT *saxa mittere.*

Apud CADVRCOS, ACARNANES, atque ÆTHIOPES vsum vetustissimum inualuisse legimus, vt saxa ingentia fundis intorquere, aut sagittas aut iacula ingentis ponderis vibrare à teneris edíscerent. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

In BALEARIBVS (quæ sunt insulæ maris Hispani) primùm repertus est vsus fundæ, & adeò celebratus, vt matres filios suos aliis auibus vesci non paterentur, nisi quas funda fuissent adepti. Verg. lib. 1. Georg.

Stuppea torquentur Balearis verbera fundæ,

Non sagittandi peritia in ANDREA Agidario (quando sagittarum vsus Italiæ non admodum frequens) sed tormento æneo vtendi, quem à sonitu (vt arbitror) Sclopetum appellant, commendari potest. nihil hic, quamuis exiguum, dummodò oculo consequi possit, non assequitur, vt quam Domitianus & Commodus imperatores iaculando industriam ostendêre, hic facilè præstare tormento hoc valeat. Sabellicus libro decimo, capite vndecimo.

QVI EQVORVM CVRSV, VEL QVADRIGIS, BIGIS'VE *victores fuerunt.* EQVORVM *domitores.* ARTE *aurigandi celebres.* AVRIGÆ.

ACTORIDES fratres, aurigæ. Vide tit. Amor fratrum.

ALEXANDER Magnus, adolescens adhuc, Bucephalum equum insignem à patre nuperrimè emptum, cum à nullo subigi posset, vt equitē pateretur, primus indomitæ peruicaciæ domandæ rationē ostendit. Mox prçter omnium opinionem, quadrupedem ascendit, & citrò vltróque effusis aperto campo habenis ad lassitudinem agitauit. Magnum profectò, ferum equum tam subita vi ab adolescente subigi potuisse, quum multi frustra operam nauari conati essent. Sabell. libro 1. cap. 4. de insigni adolescentia.

RISACES auriga, vt Saccas ciues suos à Persarum tyrannide liberaret, mutilata facie ad Darium profugit, ciúsque exercitum, spe facta quòd Saccas ex insidiis opprimere posset, septem dierum itinere in loca deserta ductum, fame & siti ferè confecit. Mox sublato cachinno, patriæ fidem suam se comprobasse dictitans, læto vultu à Persis interfectus est. Polyænus lib. 17.

PHÆTON Solis filius, dum currum patris regendum suscepisset, equis ignotum aurigam excutientibus, cecidit in Padum, cœlo passim conflagrante. Ouid. lib. 2. Meta.

PICVM equorum domitorem facit Vergilius:

Picus equûm domitor.

Idem de MESAPO lib. 7. Æneid.

At Mesapus equûm domitor, Neptunia proles.

Inter eos qui equitatu claruerunt, CASTOR principem locum obtinuit.

ERICHTHONIVS Atheniensis quadrigas primus iunxit. Pontanus lib. 3. de Stellis:

Qualis Erichthonius, currus, & quatuor ausus
Iungere equos, rapidísque rotis insistere victor.

ASTVR Memnonis fuit auriga, à cuius nomine Astures populi Gallæcis proximi sunt.

MAGNETES populi Thessaliæ, optimi sunt equorum domitores. Lucanus:

Et Magnetis equis, Minyæ gens cognita remis,

MASSYLI populi Libyæ, equos habent, quos virga, non freno gubernant. Lucanus lib. 4.

Et gens quæ nudo residens Massillia dorso,
Ora leui flectit, frenorum nescia, virga.

NVMIDÆ equos regunt non freno, sed virga. vnde Verg. infrenos vocat Numidas. Syllius:

Hic passim exultant Numidæ, gens inscia freni:
Queis inter geminas per ludum mobilis aures,
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

CIRNVS Melampodis, DVRIVS Pelori, ATHLAS Camphasi, IBERVS Panchatis, equorum fuerunt aurigę. De quibus Syllius lib. 16. Ferunt IOLAVM Herculis fuisse aurigam.

ARCEPTOLEMVS, ENIPEVS, CABRION, Hectoris aurigæ fuisse memorantur. Mortuo Arceptolemo, successit Cabrion eius frater.

Legitur in Trœceniorum historia, SPERVM fuisse Pelopis aurigam: quanquam alij Olympiæ fuisse Cyllam tradant.

In Illyria ciuitas fuit Harpia, prope Enchelias, in quam Amphiarai auriga BATON absorpto domino se contulit. Autor Cælius.

MYRTILVS auriga fuit Œnomai, cuius ruina mari Myrtoo nomen imposuit. Ouid. in Ibin:

Proditor vt sæui periit auriga tyranni,
Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ.

Tortellius ait, MENONEM fuisse aurigam Idomenei, MNESTHEVM Diomedis, MYDONEM Pylemonis ducis Paphlagonum.

AMPHITVS & TELCHIVS, Castoris & Pollucis aurigæ fuerunt, testimonio Plinij libro 6. scribentis: Sunt qui conditam eam ab Amphito & Telchio, Castoris & Pollucis aurigis, putant. Ammianus: Vbi (inquit) inter ciuitates alias Phasis est, nomine fluuij dictitata, & Dioscorias nunc visque nota, cuius autores Amphitus & Telchius Spartani traduntur, aurigę Castoris & Pollucis. Alij dicūt Castoris & Pollucis aurigas fuisse nominatos RHECAM, & AMPHISTRATVM. Strab. lib. 11.

IDÆVS fuit auriga Priami. Verg. lib. 7. Æneidos:

Idæúmque etiam currus, etiam arma tenentem.

METISCVS Turni. Idem lib. 12.

Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit. Ausonius:
Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.

NAVBOLVS, Laij regis Thebarum. Stat.

Naubolus Hippasides, tuus ô mitissime Lai,
Hospes, adhuc currus securáque lora tenebat.

Constat, Felicem Russatum fuisse aurigam, verbis Plinij lib. 7. scribētis: Inuenitur in actis Felicis Russati aurigæ, iam igne illato in rogum eius, vnum è fauentibus iecisse sese.

Patiramphis fuit Xerxis auriga. Herodotus.

Poëtæ BELLONAM Martis aurigam faciūt, flagello armatam sanguineo, vt docet Statius.

Automedon fuit Achillis auriga. Verg. lib. 12. Æn.

Vna ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon.

Ouid. lib. 5. de Tristib.

Nunquid Achillæos inter fera prælia fidi
Deseruit leuitas Automedontis equos,

CALLIAS Atheniensis, tyranni Pisistrati inimicus, in equorum cursu palmam obtinuit, in quadrigario fuit secūdus, in Pythiis primas meruit. Rauisius.

ANNICERIS Cyrenensis, ob artem equitandi, & curruum regendorum peritiam, superbum animū gerebat. Voluit igitur quodam tempore specimen artis suæ Platoni exhibere, & iuncto curru in Academia multos cursus circumequitauit, adeò intentè currus gressum seruans, vt ne digitum quidem latum discederet ab orbitis, sed semper in eodem spacio permaneret. Cæteri igitur omnes mirantes obstupuerunt. At Plato nimiam eius industriam reprehendit, inquiens, fieri non posse, vt qui rebus tam nullius precij operam nauaret adeò diligentem, posset magnis & preclaris negociis vacare. Cùm enim omnis cogitatio in ista conferatur, necessum esse vt ea negligentius agat, quæ reuera sunt admiratione digna. Ælianus lib. 2. de Var. hist.

A. Fabricius prætor, imperante apud Romanos Nerone, cùm in spectaculis atque equorum certaminibus equos conducere commodè nequiret, canes doctos currus agere pro equis introduxit, magna omnium spectatorum admiratione. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Nerone.

VENATORES THEATRALES.

Loquimur hic de Venationibus theatralibus & vrbanis: nam de venationibus rusticis, sub loco Arcium mechanicarum egimus.

CARPOPHORVS fuit Romanus quispiam, imperatori Domitiano charissimus, propter venandi peritiam. Nam imperator ipse eo studio delectabatur adeò, vt si quando esset ocium, nihil curaret ardētius, quā feras insequi. De carpophoro Martialis lib. 1.

Summa tuæ Maleagre fuit quæ gloria famæ,
Est quota Carpophori portio fusus aper.

AMBIDEXTRI.

Fortitudinis hoc, corporeíque roboris maximum est argumentum. Dexteræ manus robur hepati quidam tribuunt, quod calore suo dextram partem magis foueat. sed videtur profectò consuetudinis hoc esse. Sic qui sinistra vti assueuerunt, eadem non minus feliciter, quàm alij dextra vtuntur: præter id, quòd sinistra manu res quasuis firmissimè retineri, experimento constat. Quare agilitas ista manus, consuetudinis esse censenda est. At in ambidextris, qui ex æquo ad omnia munia vtraque manu possunt vti, consuetudo quidem plurimum potest: interim tamen robur plurimum adesse verisimile est, quod efficit, vt virtus motiua æquè in sinistra, atque in dextra manu vigeat. Exempla quædam ex tit. Robustissimorum, peti possunt.

AIOTH ambidexter Israelitarum dux, eos in libertatem vindicauit, cùm Eglon regi Moabitarum octodecim annis seruissent. Marulus libro quarto, capite nono.

DE VOCE, SIVE SERMONE.

Vox quoque, siue sermo hominis proprius, inter motus corporeos referri debet. Vt enim robur inter corporis bona connumeratur, dirigitur à ratione, seu potius à virtute secundum rectam rationem agente: ita quoque sermo per se à corporea vi prouenit, ex motu thoracis in aeris reciproco cursu motúque linguæ in dearticulanda voce. dirigitur verò ab anima intellectiua, quæ conceptus suos alioqui occultos per sermonem aliis aperit & denunciat. Quapropter antiqui Mercurium eloquentiæ præsidem, deorum nuncium & præconem finxerunt: sermo enim diuinæ particulæ, quæ in nobis est, nuncius existit. Nihil autem aliud est sermo, quàm vox articulata ex pacto significatiua. Concurrit igitur motus corporeus in dearticulatione & expiratione. concurrit etiam rationis iudicium in significatione. Itaque propter motum hic inter bona corporis Sermonem collocamus: at propter significationem vel bonam vel malam, ad locum Prudentiæ aut Imprudentiæ referri posset. Cæterùm de voce in tabulis nostris in Artem medicinalem Gal. accuratè disputauimus. Nunc quantum ad præsens negocium attinet, in memoriam reuocare satis est, quò in sermone, quatenus motus est, consideramus quantitatem, qualitatem & motum. Quantitatem intelligo partim continuam, vt quòd magna sit vel parua, longa vel breuis: partim discretam, vt quòd multa sit, & loquaces efficiat, vel pauca, & reddat taciturnos. Qualitas verò ea est, secundum quam vox Clara & Rauca, Aspera & Lenis, Acuta denique & Grauis esse dicitur. Motus vocem celerem facit, & tardam. Theoria istorum pulcherrima est: sed nos nunc ad exempla properamus.

SERMO ANIMI INDEX.

SOCRATES, cùm ad eum adolescens quidam à patre studiorum gratia deductus esset: Adolescens, inquit, loquere, vt te videam. Vir sapiens scitius erat iuuenis animum per sermonem inspecturus, quàm ex gestu & filo totius corporis. Ludo. Viues de Officio mariti.

DIOGENES dicebat, sibi videri mirum, quòd quum ollam aut operculum non emerent homines, nisi pulsu ac tinnitu exploratum, in emendo homine solo aspectu essent contenti: significans, hominem nulla ex re melius cognosci, quàm ex oratione. Roterod. lib. 3. Apoph.

ORATIO CLARA ET APERTA.

Huc refer, Oracula clara & intellecta, de quibus suprà.

ORATIO OBSCVRA, SIVE IN SCRIBENDO, SIVE *in loquendo.*

Obscuritatem significationis hic intelligimus. Verba quidem clarè audiuntur, ipse videlicet sonus: sed quæ verborum sit significatio, ambigitur. Huius generis sunt Oracula obscura, & non intellecta.

LYCOPHRON Chalcidensis, poeta obscurissimus, præsertim in ea tragœdia quam Alexandram inscripsit, quæ σκοτεινὸν ποίημα passim à Grammaticis dicitur: floruit ætate Ptolemæi Philadelphi, & inter septem poetas (qui tunc insignes vixêre) cōnumeratus fuit, quos à numero Pleiadas septem vocauêre: útque inter septem Pleiades vna vix cōspicitur, sic inter septem illos obscurissimus est Lycophron.

CARCINVS Atheniensis tragicus obscurus, ita vt eius poemata in prouerbium abierint. Vide tit. Tragicorum poetarum.

Euripides obtulit Socrati librum ab HERACLITO conscriptum. eo lecto, rogauit quid illi videretur? Per Iouem, inquit, quæ intellexi, mihi præclara videntur, qualia puto & ea quæ non intellexi: sed opus est Delio quopiam natatore. Notauit perquam salsè affectatam eius scriptoris obscuritatem, vnde & σκοτεινὸς cognomen inditum est. Laert.

Melanthus interrogatus, quid sentiret de tragœdia DIOGENIS? negauit se vidisse, quòd esset obtecta verborum copia rem obscurari. Refert Plut. περὶ τῶ ἀκούειν: & Erasm. Roterod. lib. 6. Apoph.

ARISTOTELES quoque à multis propter obscuritatem damnatur.

Verùm non intelligunt illi, aliam esse rei, aliam verborum obscuritatē: & aliud esse obscurè loqui, aliud artificium celare, cuius ignorātia densissimas tenebras intellectui offundere solet, vt ea quæ aperta alioqui & manifesta essent perplexa, omniúmque obscurissima esse videantur. De Deo certè non sine lumine loquendum esse, Pythagoras præcepit.

Demonax cùm QVENDAM nescio quid interrogasset, atque is obscuris planè verbis respondisset: Non intelligo, inquit, quid dicas. loqueris enim cum apertè tecum loquente, quasi Agamennon adhuc viueret. Erasm. lib. 8. Apoph.

Fauorinus philosophus audiens ADOLESCENTEM obscurioribus & inusitatis verbis loquentem: Curius (inquit) & Fabricius, dilucidè cum suis fabulati sunt, neque Aruncorum, Sicanorum aut Pelasgorum verbis quicquam sunt loquuti. Eras. lib. 6. Apoph. ex Gell.

P. NIGIDIVS, qui M. Varroni & Ciceroni contemporaneus fuit, vir in omni genere literarum doctissimus, multa scripsit, quæ tamen propter obscuritatem vt inutilia interciderunt. Gell. lib. 19. cap. 14.

SERMONIS AMPLIFICATIO ET PROLIXITAS.

Hoc titulo eos comprehendimus,qui id quod breuiter paucíſque verbis efferri poterat,longa orationis ſerie proſequuntur. Hoc vitio Aſiatici laborarunt. Differunt à loquacibus, quia loquaces id quod illis commiſſum eſt, continere nequeunt, ſed ſtatim effutiunt: at hi de quibus nunc agimus, prolixi admodum ſunt in diſſerendo & amplificando.

AGESILAVS, quum audiret amicum quendam laudantem rhetorem, eo quòd res exiguas miro ſermonis artificio ornaret: Ego inquit, non ſutorem probo, qui paruo pedi magnos inducit calceos. oſtendens, inanem loquacitatem & battologiam de rebus inutilibus laudandam non eſſe. Plut. in Apoph. Laconicis.

ABDERITARVM legatus apud Agidem, Archidami filium, multa loquutus, quum tandem dicendi finem feciſſet, rogarétque quid ciuibus ſuis eſſet renunciaturus? Agis, Illud, inquit, renuncia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me ſilentem audiſſe. Exprobrans ſtolido oratori inanem loquacitatem, reſponſo indignam. Peculiaris enim erat Lacedæmoniis verborum paucitas. Eraſm. Roterod. lib. 1. Apoph.

BREVILOQVENTIA.

Huc omne genus Apophtegmatum referri debet.

LACONES breuiſſimi erant in ſermone. Propterea vulgi verbũ erat: Facilius multo eſſe philoſophari, quàm Laconum ſermonem imitari. Rauiſius.

CHARILLVS interroganti, quam ob cauſam Lycurgus tam paucas leges tuliſſet Lacedæmoniis? Quoniam, inquit, pauca loquentibus, paucis legibus eſt opus: ſenſit nimirum, pleraque mala ex multiloquio naſci: Laconibus autem peculiaris erat breuiloquentia.

AGESILAVS quum audiret Rhetorem quendam laudari, quòd mirificè res exiguas verbis amplificaſſet: Ego, inquit, ne ſutorem quidem arbitrer bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Quo innuere dicto voluit, eam orationem eſſe optimam, quæ rebus congruit, ex quibus petenda eſt orationis qualitas potius, quàm ex ſermonis vel orationis artificio. Plutar. in apoph. Lacon.

LYSANDER cùm poſt multiplicia bella ad Ephoros ſcripſiſſet, Captæ ſunt Athenæ: Ephori ſuo more pauciſſimis reſponderunt, Sat eſt capi. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Philippo Macedonum regi iniqua poſtulanti, LACEDÆMONII reſcripſerunt his tantùm verbis, περὶ ὧν ἡμῖν ἔγραψας οὐκ: de eo quod ad nos ſcripſiſti, non.

Idem cùm SPARTANOS fines ingreſſus, quæſiuiſſet, vtrum vellent amicum an hoſtem ſe venire? Reſcripſerunt, οὐδέτερον: id eſt, Neutrum. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Leo byzantius, auditor Platonis, & ſophiſta nobilis, Philippo contra Byzantium venienti occurrens: Dic age, inquit, Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, qua vti potiar veni. Leo excipiens: Atqui, reſpondit, non inſtrumento Gallico, ſed Muſico amantibus eſt opus. Quo dicto ducem à bello Byzantio auertit, cùm Demoſthenes multa ſuper hoc apud Athenienſes, Leo verò pauca apud Philippum verba feciſſet. Philoſtratus.

Artaxerxes, cùm minacibus literis vrbium excidia, vaſtationes agrorũ, cædes & incendia Lacedæmoniis interminaretur, SPARTANOS Laconico more, vnico verbo reſpondiſſe legimus, ſcilicet Vt faceret. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

PHILOXENVS Dithyramborum poeta, cùm Dionyſij tyranni metu, quoniam contra eius amicam Galateam fabulam compoſuerat, Tarentum diuertiſſet, & à tyranno per literas reuocaretur, accepto libello, primam tantùm Græcorum literam in eo perſcripſit, A. qua particula Græci abnegando vtuntur. Alij tamen ὂ reſcripſiſſe aiunt. Hinc prouerbium, φιλοξένου γράμμάτιον, de iis qui quæ rogantur, non obtemperãt. Gyraldus Dialogo 9. Hiſt. poet.

CHILO Lacedæmonius, vnus è ſeptem, in loquẽdo breuiſſimus erat. Eam ob rem Ariſtagoras Mileſius hunc loquẽdi morem Chilonium appellat, teſte Laertio.

SAMII, à Polycrate tyranno exacti, Spartam venerũt: & adeuntes principes, multa ſanè, more ſupplicum commemorabant, Lacedæmonij illis primo cœtu reſponderunt, eorum quæ dixiſſent priorum quidem oblitos eſſe ſe, poſteriora verò non intelligere. Secundo congreſſu Samij nihil aliud dixerunt, niſi allato panario, illud Pane indigere: Lacedæmonij reſponderunt, panario ſuper futurum. Itaque opem ferendam eis cenſuerunt. Herod. lib. 3.

M. Brutus breuiloquentiæ Laconicæ ſtudioſiſſimus fuit. Plut. in Bruto, Cæſaris interfectore.

VOX MAGNA ET GRAVIS.

HOMERVS heroibus fortiſſimis epitheton hoc tribuit, quòd ſint βοὴν ἀγαθοί. Nam vbi magna eſt & clara vox, etiam thorax eſt magnus: ergo (vt medici docent) cor quoque callidum, vnde animoſitas: & cerebrum robuſtum, vnde robur corporis prouenit.

VOX EXILIS ET PARVA. ἰσχνόφωνοι

ISOCRATES inter familiares dicere ſolitus eſt, ſe quidem docere decem minis: cęterùm qui ipſum docuiſſet audaciam & vocalitatẽ, mercedis loco daturum decem millia. Nam vocis exilitas & animi timiditas reddebant Iſocratem ad dicẽdum inutilem. Hęc autem quoniam naturæ ſunt, non artis, à præceptoribus dari non poſſunt.

Quodam tempore vox DEMOSTHENEM inter concionandum defecit, ob multitudinis fremitum. Id obiicientibus, ita reſpondit: Hiſtriones è voce iudicare par eſt, oratorem è mente. Græca iucundius ſonant: ὑποκριτὰς δεῖ κρίνειν ἐκ τῆς φωνῆς, τοὺς δὲ ῥήτορας ἐκ τῆς γνώμης. Hiſtrio ſeruit populo, orator conſulit: ille delectat, hic prodeſt. Ad bene conſulendum non refert quàm ſis vocalis, ſed quàm opportuna ſuadeas. Actori voce opus eſt, quę vincat multitudinis fragorem: orator talis eſſe debet, vt populus ipſum vltrò tacitus & attentus auſcultet. Eraſm. lib. 8. Apoph.

Baſilius Magnus, Cęſarienſis epiſcopus, debili & exili voce fuit, atque difficili. Sed ad extremum priuſquam expiraret, vocalior eſt factus: & cygnorum inſtar, cum verbis obdormiuit veritatis, vt Nazianzenus in oratione de laudibus Baſilij teſtatur.

LOQVACES.

Conſule titulum Loquacitatis, quatenus vt vitium à nobis ſuperius explicata fuit.

CARBO loquaculus volebat ab Iſocrate oratore erudiri. Sed is: Duplicem mercedem mihi dari, inquit, poſco: alteram, vt loqui: alteram, vt tacere diſcas. Bruſ. lib. 6. cap. 6.

Archelaus TONSOR garrulo ſubinde roganti, Quomodo te rado ô rex? Silendo, inquit. Alter aliud reſponſum expectabat, & hinc dicti lepos. Quidam ſunt in curatione moroſi: Archelao ſatis erat, ſi ſileret. Nobis autem interdum etiam cum ebriis, paritérque loquacib. res eſt. Plut. in Regum Apoph.

Demades tibiis ATHENIENSES comparare ſolebat: ex quibus ſi linguam detrahas, reliquum inutile erit. Maximus ſerm. 60. Stobęus ſer. 2. de Imprudentia.

Timocrati philoſopho apud Polemonem dicenti, FAVORINVM eſſe loquacem. Et omnis, inquit ille, anus. Notãs in Fauorino corporis habitum, quòd eſſet eunuchus. Viſus eſt excuſare vitium, ſed reuera conduplicauit. Philoſtratus.

TACITVRNI.

Virtutem primã eſſe puta compeſcere linguã: ſapienter dixit, quiſquis ille fuit. Neque enim à ſapienti ſtultus differt, niſi quando loquitur. Propterea prudentiæ veluti indiuiduus comes taciturnitas & ſilentium eſſe videtur. Nos tamen hic non de taciturnitate, quatenus ab animi moderatione prouenit, loquimur: ſed quatenus ad corporis motum refertur: qui motus ſi rationi pareat, laudabilis eſt: ſin affectuũ impetũ ſequatur, vituperio dignus exiſtit. Illud idem de loquacitate intelligi volo, quæ contrarius eſt motus taciturnitati. Neq; tamen taciturnitas ſemper laudẽ meretur. nã qui præter rationẽ tacet, & libertatẽ ingenuã fugit, in vitium incidit, de quo in ſuperiorib⁹ egimus, quãdo de vitiis libertati oppoſitis diſputauimus, Nunc ad exempla taciturnitatis tam laudabilis quàm vitioſæ conuertimur, quatenus priuatio eſt corporei motus, & à Græcis ἐχεμυθία dicitur, ſiue natura ſit inſita, ſiue aſſuetudine contracta: quorum bona pars ex virtute taciturnitatis (de qua ſuprà) peti poterit.

IACOBVS apoſtolus: Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Et paulo pòſt. Si quis autem putat ſe religioſum, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Et Paulus ad Timotheum: Prophana & vaniloquia deuita. Salomon in Prouerbiis: Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt. Et idem alibi: Tempus tacendi, tempus loquendi. Et iterum in prouerbiis: Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. Sermo opportunus eſt optimus. Mala aurea in lectis argẽteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. Idem procacitatem garrulorum damnans: Os lubricum, inquit, operatur ruinas. Et vidiſti hominem velocem ad loquendum, ſtulticia magis ſperanda eſt quàm illius correctio. In Eccleſiaſte quoq; Stultus verba multiplicat. Et rurſum in Prouerbijs: Mors & vita in manibus linguæ. Poſtremò ipſe veritatis magiſter & vitæ, Dominus in Euangelio ait: De omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Ideo diuitem quoque in inferno poſitum, quoniam loquacitatis petulantia maximè deliquerat, linguę ardorem ſentire magis fecit: & ille linguã tantùm refrigerari petiit, qui ardebat totus. Marul. lib. 4. cap. 6.

Eadem hæc ſanctæ taciturnitatis moderandæque linguæ exempla atque præcepta, etiam fœminas reſpiciunt, & quidem magis quàm viros. Paulus apoſtolus: Mulieres, inquit, in eccleſiis taceãt. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri, loqui in eccleſiis. Ibidem.

Diuus HIERONYMVS ad Celantiam ſcribens: Sit intentus, ait, ac vigilans, & aduerſus peccata ſemper armatus animus tuus: ſermo in omnibus moderatus & parcus, & qui neceſſitatem magis loquendi indicet, quã voluntatem. Ibidem.

IDEM eas quæ in monaſterio ſacris initiatæ ſunt inſtruens, etiam ſilẽtij tempora obſeruare monet, ſic dicens: Volo, chariſſimæ, vt in conuentu veſtro ter aut pluries in hebdomada, exceptis feſtiuitatibus, loqui omnino, niſi vrgẽte cauſa perutili & neceſſaria, nullatenus liceat, nec ſimul, nec cum aliis extrà. Diebus verò omnibus, quibus & pro remedio & pro ſalute loqui conceditur, non ſingulis horis vacandum eſt verbis, quę vix proferri ſine peccato poſſunt: ſed hæc inuiolabilis obſeruatio vigeat, quòd ſingulis noctibus poſt peractam horam completorij vſque poſt miſſam, & à tertiis vſque ad nonam ſacra obſeruantur ſilentia. Quatenus & linguæ Deum laudandi concedatur opportunitas, & inutilia verba penitus abſcindantur. In choro verò eccleſiæ ad diuinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo, clauſtro ac capitulo, omni tempore loqui nõ deceat, niſi ea quæ ordinata ſunt in laudibus Dei, vt iam & tempus & locus religionis veſtræ prædicent ſanctitatem, & loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad ſocietatem veſtram ſancta deſideria incitent, & affectus ad cœleſtia moueantur. Ibidem.

XENOCRATES, cùm caſu inter maledicos quoſdam foret, atque illis ex more obtrectantibus abſentium famæ, ſolus conticeſceret, interrogatus Cur id faceret? Quia locutum, inquit, me aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. laudatum hoc à ſapientibus reſponſum, mihi plenius probaretur, ſi ſermonum ſæpè, taciturnitatis rarò pœnituiſſe dixiſſet.

EVRIPIDES, cuidam opprobranti graueolentiam oris: Multa nimirum, inquit, in illo occulta computruerunt. Significans, ſe poſſe continere arcana. Solent autem res in occulto congeſtæ computreſcere. Eraſm. libr. 8 Apoph. Idem Demoſtheni ab aliis attributum, paulo antè receſuimus.

Apud LACEDÆMONIOS, ad publica conuiuia ingredientibus, qui natu erat maximus, ſingulis oſtendebat fores, dicens: Per has nullus egreditur ſermo. Admonens, nihil effutiendum, ſi quid liberius dictum eſſet in conuiuio. Hunc morem inſtituit Lycurgus. Plut.

DEMARATHVS in conſeſſu quodam rogatus, vtrum ob ſtulticiam, an ob ſermonis inopiam ſileret? Atqui ſtultus, inquit, ne poſſit quidem ſilere. Quidam hoc præclarum exiſtimant, ſi nunquam ſileant, quum id ſit certiſſimum fatuitatis argumentum: vt contrà ſilentium, vbi loquendi tempus non eſt, prudentiæ ſignum eſt. Plut. in Lacon. apoph.

ANACHARSIS à Solone exceptus conuiuio, cum ſe cubitum recepiſſet, ſic compoſitus erat vt ſiniſtra manus ad pudenda appoſita eſſet, dextra autem ori. Interrogatus autem quam ob rem id faceret: Continẽtiori freno linguam indigere dixit, ne ſecreta proferret. Maximus ſermone 20.

Archidamus cuidam qui vitio vertebat HECATEO, rhetori omnium clariſſimo, quòd adhibitus ad ipſorum conuiuium nihil dixiſſet: Videris, inquit, mihi neſcire, quòd is qui dicendi nouit artem, etiam dicendi norit oportunitatem. In ſenatu, in foro, in concionibus, in legationibus, aliiſque reip. negociis locus eſt oratori: in conuiuiis temulentis maiore cum laude ſilet eruditus, quàm loquitur. Sic periti bellatoris eſt, non minus ſcire fugiendi artem, quàm pugnandi. Plut. in Lacon.

ANTIGONVS rex, filio Philippo multis præſentibus percontanti, ac dicenti: Quando caſtra mouebimus? Quid, inquit, num metuis, ne ſolus tubam non audias? Notans adoleſcentis imperitiam, qui hoc patrem multis audientibus percontaretur, quum in bello cælanda ſint conſilia principum: ſed quoties caſtra mouenda ſunt, tum omnibus tuba dat ſignum. Plut. in Apoph.

CÆCILIVS Metellus, Macedonicus à rebus bene geſtis nominatus quum in bello omnia proprio & ſubito conſilio ageret, amico cuidam interroganti, Quidnam iam acturus eſſet, poſt Arbachos in Macedonia ſubactos? Tunicam, inquit, meam exuerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. Quo dicto docuit, non temerè animi noſtri propoſitum effutiendũ eſſe omnibus, ſed ſilendũ ad ſuum vſque tempus. Plin. cap. 61. de Viris illuſt. Plut. in apoph. Rom. Cælius Rhodiginus lib. 13. cap. 5. Front. libro & cap. 1.

Quum CATONI, qui pòſt dictus eſt Vticenſis, etiamnum puero, vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec à quoquam audiri volebat) ait: Carpant taciturnitatem, modò vitam probent. Et addidit: Tum demum abrumpam hoc meum ſilentium, cum ea loqui potero, quæ ſunt indigna ſilentio. Plut. & Bruſ. lib. 6. cap. 6.

TIBERIVS Cæſar, cum quodam tempore percontaretur, cur ſua cõſilia non cum aliorum quoque, qui ei non male vellent, conſiliis communicaret? reſpondit: Principis animum aut nemini, aut paucis cognitũ eſſe oportere. Senſit autem, non omnia credenda iis qui ſe amicos eſſe venditant: quibus quum aliquid ſecreti commiſeris, temerè rimarũ pleni effutiunt: non cogitantes, principes loquaculorum garrulitate ſæpenumero aut periclitari, aut prodi prorſus. Dion.

VOCALES.

Exempla quædam argutæ vocis, pete ex tit. Muſicorum.

Vocaliſſimus omnium qui ad Troiã militarunt (ſi Homero credimus) fuit STENTOR.

Cùm Darius è Scythia profugeret, & ad pontem in Iſtro veniſſet, quẽ Iones propter Scythas interruperant, monte concidit, quòd ſe proditum ſuſpicabatur.

Erat apud Darium ÆGYPTIVS quidam, omnium hominum vocaliſſimus. Hunc Darius ſupra ripam Iſtri poſitum, iubet inclamare Hiſtięum Mileſium. Hiſtiæus eum ſæpius inclamantem, ad primam tamen inclamationem exaudiens, omnes naues admouit, & ad traiiciendum exercitum pontem iunxit. Atque hunc in modum Perſæ cum Dario profugerunt. Herod. lib. 4.

THRASYBVLVS omnes Athenienſes voce ſuperauit, vt Peſcẽnius Niger Romanos, qui adeò vocalis fuit, vt cùm in aperto verba faceret, ad mille paſſus vox eius audiretur. Sab. lib. 10. cap. 9.

CARNEADI Cyrenæo dialectico inſigni, vox erat maxima & ſonora adeò vt Gymnaſij princeps eum monere cogeretur, ne tantopere clamaret. At ille: Da ergo mihi vocis modum. Reſpondit Gymnaſiarcha: Modũ habes, auditores tuos. Laert. lib. 4.

DEMOSTHENES Athenienſis, ex cuius fonte, quicquid eloquij per Gręcorum fluxit alueos, proceſſit, multos verſus vno ſpiritus impetu cõplectebatur, quos per aduerſa loca ſceleri gradu ſcandens pronũciabat. Vndoſis præterea littoribus inſiſtens, declamationes fluctuum obluctãtibus fragoribus edebat. Guido Bitur.

Demoſthenes cùm audiret ORATOREM quendam immodicè vociferantem: Nõ, inquit, quod magnum eſt, bene eſt: ſed quod bene eſt, magnum eſt. Hoc & aliis aſcribitur. Sunt qui & conuiuia prolixa, ac plurimis inſtructa miſſibus, exiſtiment lauta. Eraſ. lib. 4. Apoph. in fine.

Quum M. CÆLIVS, qui credebatur à parentibus non liberis natus, epiſtolam apùd Senatum clara firmáque voce recitaſſet: Ne miremini, inquit Cicero: nam hic vnus ex his eſt qui proclamarunt: ſignificans, illũ fuiſſe præconem, & hoc vſu contigiſſe vt eſſet vocalis. Solent autem ſerui venales voce præconis commendari. Eraſ. lib. 4. Apoph.

Cicero ORATORES, qui inter dicendum vociferantur, dicebat claudis eſſe ſimiles, qui ſic ad clamorem, vt illi ad equos, confugerent. Hoc genus homines & hodie videre eſt, qui quum ſentiunt ſe cauſa inferiores, ad furioſa iurgia confugiunt: vt quoniam rationibus perſuadere non poſſunt, improbitate metúque extorqueant. Plut. in Rom. Apoph.

VOX CLARA.

ÆSCHINES Athenienſis, antagoniſta Demoſthenis, cùm eſſet, λαμπρόφωνος, iuuenis ſe ad agendas comœdias conuertit. Demum ſe oratoriæ arti & Reip. tradidit. Gyraldus Dialogo 7. Poeticæ hiſt.

VOX OBSCVRA.

Obscuritatem hic intelligimus non respectu significationis, de qua suprà egimus: sed respectu ipsius soni, qui obscurus est.

VOX VELOX.

VOX TARDA.

HERMOGENES rhetor, cùm in pronunciando nimium velox esset, Homeri imitator hoc ipso dictus est, qui ἐπιαπτερόεντα appellauit, quòd veluti pennas verba abiiceret. Philostr. in Sophistis, & Volater. lib. 1. Vrb. com.

MONSTROSA CORPORIS MAGNITVDO,
gigantes, proceri.

Berosus lib. 5. Antiquitatum, NOA reponit inter gigantes & astrologos. Facit Tuisconem gigantem, cuius filius Mannus apud Sarmatas regnarit ætate Semiramidis.

GOLIATH gigas fuit, quem Dauid fundæ verbere deiecit in terram, & interfecit. Politianus in Nutricia:

Psallentémque Deo regem, qui turbine fundæ
Icta Philistæo secuit puer ora giganti.

GIGANTES, vt rem fabulosam, maior hominum pars deridet. Quorum etsi in Sacris fit mentio, allegoricè tamen locum illum Theologi interpretari malūt. Suetonius in Augusti vita scribit, eum villas suas ossibus magnarum beluarum, quæ gigantum fuisse dicta sunt, exornasse. Non tamen inanem omnino historiam esse Gigantum, vulgatissima fabula cōuincit, atque etiamnum monumenta quædam inusitatæ magnitudinis ossibus referta. Poetæ Gigantomachiam describunt, & variis nominibus Titanas appellant, Titanis & Terræ filios.

Iapetus apud Syllium lib. 12. sub Inarine insula conditur.

TYPHOEVS sub eadem, apud Verg. Æn. 9. iacet in Campania fulminatus.

Enceladus quoque, in Sicilia fulminatus, ex 3. Æn. Porphyrion, Adamastus præterea, Ceus & Oromedon apud Propert. li. 3. Numas quoque sub Prochyta conclusus, Sillio lib. 12.

ASTRÆVS ex Aurora ventos genuisse dicitur.

Briareus, siue Ægæon centimanus, à Neptuno maris Ægæi scopulis fuit alligatus. Verg. 10. Æn.

TITYVS nouem iugerūm altitudine, Latonæ stuprum inferre tentās, ab Apolline sagittis interficitur. Ad inferos detrusus hepate & corde suo subinde renascentibus vulturem pascit. 6. Æneid.

ALOVS ex Iphimeride, à Neptuno violata, filios habuit Aloïdas dictos, Othum & Ephialten. Verg. 6. Æn. & in Culice. Othus in Creta fulminatus est.

GYGEM Hesiodus in Theogonia facit Cœli & Terræ filiū, & Briarei fratrem. Ouidius: Centimanúmque Gygem. Pont. lib. 3. de Stellis, quosdā enumerat.

AGATHO Atheniēsis (qui floruit ætate Adriani principis) adhuc adolescens fuisse dicitur altitudinis octo pedum.

ATLANTEM poetæ fabulantur gigantem omnium maximum, qui cœlum humeris sustinuerit. Quod fingitur propter eiusdem nominis montem in Mauritania tantæ altitudinis, vt nubes contingere videatur. Vergilius:

---Vbi cælifer Atlas
Axem humeris torquet, stellis ardentibus aptum.

Ouidius lib. 5. Fast.

ANTÆVS gigas fuit in Libya proceri corporis, cui in Herculem luctanti terra mater augebat vires, quotiescunque eam attigerat. Lucan. lib. 4.

Hoc quoque tam vastas cumulauit munere vires
Terra sui fœtus, quod quum tetigere parentem.
Iam defecta vigent renouato robore membra.

POLYPHEMVS cyclops, Neptuni filius ex Thoa, propter immanem corporis molem numeratur inter Gigantes.

ORESTIS corpus oraculi iussu refossum, septem cubitorum fuisse, monumentis proditur: Plin. lib. 7. cap. 16.

Inter gigantes quoque numeratur HERCVLES, quem fesso Atlante cœlum humeris subiisse ferunt.

ARTACHEES vir fuit inter Persas procerissimus, ætate Xerxis, vt cui quatuor omnino digiti deessent à longitudine quinque regiorum cubitorum. Herodotus.

ARANTHAS Bebrycius, octonis cubitis longus fuisse traditur. Rauis.

Fuit & PORVS rex in India quatuor cubitis & palmo procerus, quem Alexander bello vicit. Idem.

Romæ sub Claudio visus est nouem pedum, ac totidem vnciarium homo GABBARA nomine, ex Arabia aduectus. Plin. lib. 7. cap. 16.

Fuerunt semipede maiores sub Augusto PVSIO & Secundilla, quorū corpora miraculi gratia asseruata sunt in cōditorio Sallustianorum hortorum. Ibidem.

Fuit & GEMAGOG gigas cubitis duodecim procerus. Architrenius: Cubitis ter quatuor altum Gemagog Herculea suspendit in aera lucta. Rauis.

Cretensi bello exundantium fluuiorum impetu siue motu terrę, in imū discissa humo, inuentum est cadauer stans XVI. cubitorum longitudine, quam idem Plinius sex ac quadraginta cubitorum fuisse narrat: quod alij ORIONIS, alij OTI fuisse volunt. Ad quod spectandum, admiratione moti, Lucius Flaccus legatus ac Metellus ierunt. Plin. lib. 7. cap. 16.

In TINGE Mauritaniæ vrbe, Plutarchus scribit, à Sertorio apertum fuisse sepulchrum, quod Antei esse putabatur: in quo corpus humanum fuit inuentum, quod dimensum sexaginta cubitos impleuit. Hoc idem etiam Strabo affirmat. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Ab huius magnitudine haud longè discrepat, id quod in annalibus pro re certa scriptum est; scilicet, in vrbe Roma, PALLANTIS corpus inuētum fuisse, altitudine quæ vrbis muros excedebat: Henrico secundo, qui Conradi filius fuit, imperante imperij eius anno decimo quarto. Ibidem.

PHYA Atheniensis mulier, è tribu Pęanica, tribus digitis minus statura quatuor cubitorum, alioqui formosa. Hanc Pisistratus Mineruæ habitu instructam, exercitum pręcedere iussit. Eam vt viderunt Athenienses, Palladem Pisistrati partes fauere arbitrati, iugo colla supposuerunt. Herod. lib. 1.

Selenetidas mulieres Herodotus ait oua parere: indéque nascentes homines, quinquennes decies esse nobis ampliores. Rauis.

ÆTHIOPES Macrobij feruntur esse maximi omnium hominum, atque pulcherrimi: diuersisq; vti à cęterorum hominum, ritibus, cùm alius, tum verò hoc circa regnum: quòd quem è popularibus maximum pro magnitudine, validum iudicant, hunc regem deligendum censent. Herod. lib. 3.

Euthymenis filius triennio in 3. cubita adoleuit. Rauis.

Scythæ in Exampeo loco, medio inter Borysthenem & Hypanim, vestigium Herculis ostendunt, petræ impressum, virili vestigio simile, bicubitali magnitudine, iuxta fluuium Tyrem. Herod. lib. 4.

SORBOTÆ populi Æthiopię ex Africæ parte, dicuntur esse octonûm cubitorum. Rauis.

Maximinus Imp. octo pedum & semis procerus fuit. Calciamentū eius quidam in loco qui est inter Aquileiam & Ariciam posuerūt, quod constat pede maius fuisse hominis vestigio. Vnde etiam vulgò de longis & ineptis hominib. dici cœpit, Caliga Maximini. Fuit enim Thrax, alioqui barbarus, & crudelis, omnibúsque inuisus. Iul. Capitolinus. Quàm procerus denique extiterit, hoc satis argumento constat, quòd vxoris dextrocherio (id est ornamento brachiorum) pro anulo vteretur.

AMMONIVS, Dioscorus, Eusebius & Euthymius, monachi montis Nitrię in Ægypto, fratres Longi propter corporis proceritatem dicti. Consule titulum Monachorum.

Saxo Grammaticus ait HARTBENVM fuisse quendam ex Helsyngia, qui captas regum filias stupro fœdare glorię loco ducebat: illum perimere solitus, à quo peragendæ Veneris vsu prohiberetur. Atque tantam in eo corporis magnitudinem extitisse, vt IX cubitis proceritatis eius dimensio tenderetur.

Saxo Grammaticus ait, OFFOTVM fuisse gigantem & pastorem, cuius armenta tutabatur canis Biornonis cuiusdam.

VTICENSI in littore apud Africam, dens Gygantis inuentus est, tam ingens, vt si minutatim in modulos nostrorum dentium concideretur, centum dentes inde fieri possent. Sigebertus in Chron.

Ioannes Boccatius in deorum genealogia scribit, temporibus suis in Sicilia haud longè à Drepano vrbe, non sine eorum qui rem viderunt ingenti admiratione, GIGANTIS corpus inuentum: quod cùm attrectatum fuit, in puluerem est resolutum. Coniectura autem ex coxæ osse initā, quod integrum remanserat, longitudinis 200. cubitorum fuisse existimatum est. Tres autem illius dentes, qui soli inuenti fuēre, idem ponderis trium rotulorum (ita regia pondera nominat) fuisse ait: qui vt memoria rei seruaretur, ante aram Virginis (cuius titulus Annunciationis dicitur) positi fuerunt, plerisque existimantibus illud Erycis corpus fuisse.

Regnante Carolo septimo Gallorum rege, in montana Narbonensis Gallię parte, iuxta Valentiam vrbem, Rhodanus sepulchrum detexit, cuius magnitudo permultos ad eam rem visendam pertraxit. Aperto enim

tumulo, inuenta in eo sunt hominis ossa, cuius dimensio triginta pedes impleuit. Nos quoque cùm eò iter faceremus, sepulchrū vidimus, & ossium aliquam partem, quæ ab accolis tanquam res mira asseruatur. Fulg. lib. 1. cap. 6.

NANI, ET PVSILLI HOMINES.

PYGMÆORVM qui longissimi sunt, duos pedes & quadrantem non excedunt: hinc prouerbium, Pygmæo breuior. Mantuanus:

Inter Pygmæos non pudet esse breuem.

Habitant in extrema parte montium Indiæ: horum mulieres quinto anno pariunt, & senescunt octauo. Infestātur maximè à gruibus, in quas turmatim prodeunt. Insidentes arietum caprarúmque dorsis, & sagittis armati, veris tempore vniuerso agmine ad mare descendunt, & oua pullósque earum alitum consumunt. Ternis mensibus eam conficiunt expeditionem, aliter futuris gregibus non resisterent. Casas luto, pennísque & ouorum putaminibus construunt. Nonnulli in cauernis degunt. Plin. lib. 7. cap. 2.

In vulgus abijt horum virorum nimia tenuitas, Sannyzionis comici poetæ, Meliti tragici, Cinesiæ circularium saltationum poetæ. Ælianus lib. 10. de Var. hist.

ARCHESTRATVS vates, captus ab hostibus, & ad lancem appensus, inuentus est habere pondus vnius oboli. Ibidem.

PANARETVS leuissimo erat corpore, veruntamen sine omni morborum contagio vixit. Ibidem.

HIPPONACTEM poetam dicunt non solùm exigua breuíque statura, verùm etiam deformi exilíque specie fuisse. Ibidem.

PHILIPPIDES, de quo loquitur Hyperides, tenuissimus fuit. Vnde in prouerbium abijt, vt cùm attenuatū aliquem dicere volumus, eum πεφιλιππίδωσθαι, id est Philippum factum esse dicamus: vt testis est Alexis apud Ælianum lib. 10. de Var. hist.

PHILETAS Cous temporibus Philippi & Alexandri Macedonum, poeta Epicus, tam tenui fuit corpore, vt necesse fuerit plantis plumbum adhibere, ne à vento raperetur. Ælianus de Varia historia: & Cælius lib. 11. cap. 13.

L. Actius tragicus poeta, breuis staturæ fuit: nihilominus sibi in æde Camœnarum maxima forma statuam poni curauit. Plin. testis.

C. LICINIVS Caluus, orator summus, qui cum Cicerone de eloquentiæ primatu diu contendit, statura paruulus admodum erat. Cùm videret olim à clientibus Catonis rei sui Asinium Pollionem accusatorem suum circumuentum in foro Cæsaris, imponi se supra cippum iussit (propter quod eum Catullus in hēdecasyllabis Salicippium vocat, quasi salientem supra cippum) & iurauit, si quam iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum iuraturū calumniam. Nec vnquam postea Pollio à Catone, aduocatísque eius, aut re aut verbo violatus est. Gyraldus ex Seneca, Dialogo x. Hist. poet.

Duo fuerunt Molones, nota corporis breuitate, quorum alter histrionicam exercuit, alter latrocinijs famosus factus est. Inde natum adagiū: Pusillus, quantus Molon. Rauis.

M. ANTONIVS Sisyphum pumilionem habuisse fertur intra bipedalem staturam, ingenio tamen viuacem. Augustus exhibuit spectaculis Lucium adolescentulum honestè natum, bipedali minorem. Idem.

MANIVM Maximum & M. Tullium equites Romanos, binûm cubitorum fuisse, autor est Varro apud Plinium.

CONOPAS, in delicijs Iuliæ neptis Augusti, duos pedes & palmum longus, autore Plinio lib. 7. cap. 16. cuiusmodi etiam fuisse fertur Andromeda, liberta Iuliæ Augustæ.

PIPINVS, Childerico Francorum rege fugato, qui in prætorij præfectum ex Austria migrans creatus est, tam breuis corpore fuisse dicitur, vt Pusilli cognomen illi inditum sit. Michael Rit. li. 1. de Francorum reg.

PINGVES ET OBESI.

Luxuriæ alumnum est corpus pingue & crassum, nec sibi commodum, nec alijs vtile. Propterea Lacedæmones seueris legibus obæsitatem corrigebant. Vide sub Iusticia, de pœna Luxuriæ & Ocij.

HERACLIDES Ponticus propter obæsitatem tardè incedens, Pōpicus cognominabatur. Vide tit. Poetarum.

CRATES Thebanus conspicatus adolescentulum athleticum, vino, carne & exercitatione corpulentiorem fieri: O miser, inquit, desine aduersus temetipsum carcerem munire. Maximus monachus serm. 27.

Pythagoras videns quendam è discipulis attentiorem curando corpori, idque agere vt obæsus esset, ac nitida cute: Hic, inquit, non desinit sibi carcerem molestiorem struere. Sensit, hominem esse animum, corpori seu carceri inclusum: quod quo reddas habitius, hoc magis grauatur animi vis. Eras. 8 Apoph.

ANAXIMENES rhetor obæso aqualiculo erat onustus. hunc adiens Diogenes, ita loquutus est: Impartire & nobis tenuibus, & ventrem. nam & ipse leuaberis onere, & nobis commodabis. Laert. lib. 6.

EPAMINONDAS Thebanorum dux, cùm vehementer infensus esset obæsis, dicere solebat: militum quibus arma gerenda sunt, corpus exercitatum esse oportere non solùm athleticè, verùm etiam militariter. Vnde cum obæsum militem vidisset in suo exercitu, expulit è castris, dicens: Quod vix clypei tres quatuorúe tegerēt ipsius ventrem, per quem nunquam vidisset sua pudenda. Plut. in Græcor. Apoph. Brusonius lib. 7. capite quinto.

POLYEVCTVS Sphettius, quum longam haberet orationem de suscipiendo in Philippum bello, atque præ pinguitudine, præque æstatis æstu sæpius aquam biberet, vrbanè Phocion: Dignam, inquit, rem viri Athenienses, vt huic de gerendo bello credatur. Quantum enim illum in medio Marte sua galea & thorace facturum existimatis, quem ipse loquendi labor in animæ exhalandæ discrimen impulerit? Brusonius libro 7. cap. 5.

LEO BYZANTIVS, auditor Platonis, & sophista nobilis, cùm pręnguis esset, procedens in concionem ab omnibus derisus est. Ad quos conuersus: Quid ridetis, ait, Atheniēses, quòd vobis videar pinguis? Scitote mihi vxorem longè pinguissimam esse: talésque ac tantos, cùm simus concordes, breuis admodum lectulus capit, discordes ne tota quidem domus. Philostratus.

DIONYSIVM Heracleotam Clearchi filium, fama est ex quotidiana voracitate luxúque paulatim seipsum nimia carne & pinguedine impleuisse. Cuius tanta fuit corporis crassitudo, carnísque incrementum, vt spirandi facultatem ademerit. Medici autem cùm ob id vocati essent, ei hoc remedium præscripserunt, vt tenuissimis acubus latera transmitteret, eásque per ventrem expelleret, donec carnem agnatam & quasi alienam transfoderet. Hoc autem negotium cum alijs datum esset, Dionysius dormiens, non excitatus est, neque dolores vllos sensit, sed quasi lapis immotus iacuit. Quòd si quando negocia hominum audire, iuráque dare vellet, cistam corpori pretendit, vt reliquæ partes occulerentur, soláque facies superemineret. Ælian. lib. 9. Var. hist.

Cato senior videns Quendam vehementer obæsum, mirabatur, cui vsui tale corpus esse posset reipub. cuius inter guttur & inguē omnia venter occuparet. Plutar. in Catone. Bruson. lib. 7. cap. 5.

VESPASIANVS Imperator Rom. ventre obæso fuisse dicitur: vnde quidam homo facetus, petenti vt in se aliquid diceret: Dicam, inquit, sed tum demum, quum ventrem exonerare desieris. Bruson. lib. 7. cap. 5.

Anus quædam cùm vidisset Iouianum imperatorem forma quidem conspicuum, sed proceritate atque crassitudine corporis excellentem, atque aliquantulum mente etiam captum, dixisse fertur: O dij immortales, quàm corpulenta est stulticia? Nicephorus Callistus lib. 10. cap. vlt.

SANCTIVS eo nomine primus Hispanorum rex, ab habitu corporis cognomento Crassus, tātam saginæ molem habuit, vt ferre vix posset, & ad eam leuādam nihil intentatum relinqueret. Cordubam profectus, Abdemari regiam, qui Saracenis imperabat, inter experimenta medicorum, quorum magna turba apud Aldemarum erat, herbę cuiusdam vi ad maciem deductus est. Ritius lib. 2. regum Hispaniæ.

LVDOVICVS Crassus, Philippi primi filius, & Gallorū rex, fuit adeò vasta corporis mole, vt ex re sumpserit cognomentum.

MACILENTI.

PHILETAM Coum elegiographum, aiunt macerrimo corpore fuisse. Ferunt eum ferreas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosternetetur, si paulo durius eum afflassent. Ælian. lib. 9. de Var. hist.

CHÆREPHON tragœdiographus (qui res Heraclidarum prosecutus est) nocturnis lucubrationibus sese adeò extenuauit, vt per iocū Noctua diceretur. Hinc etiam natū prouerbiū, Nihil differs à Chærephōte.

SAMYRON poeta quidam macilentus ac tenui corpore, à Stratide comico Canabus vocabatur, teste Polluce. Est enim Canabus lignum gracile, in quod pileum vitilibus aut cētonibus intexitur. Gyraldus Dialogo 7. Hist. poet.

Πολύτεκνοι QVI MVLTOS HABVERVNT LIBEROS. FOECVNDI.

Differt hic locus à titulo, Partus numerosi: quòd illic vnius partus fœcunditas inspicitur, hic verò totius vitæ, diuersis partubus simul collectis, ratio habetur. Consule etiam tit. Liberi boni & multi: illic enim eius habetur ratio, quod parentes fortunatos videntur reddere: hic verò fœcunditatis naturalis.

ADAM, præter Seth, Abel, & Cain, habuit 30. liberos. IAYR septimus iudex Israel, 130. filios.

LIA Labanis F. Lippis oculis deformis, Iacobo patriarchæ in coniugiū data, quamuis inscio, cùm à viro parum curaretur, fœcunditate tamen à Deo fuit donata, ita vt primùm quatuor filios, Rubenem, Simeonem, Leuim & Iudam ei pepererit. Deinde cùm Zilpam ancillam ei subiecisset, Gadum & Aserem obtinuit. Tandem ipsa rursus peperit Issacharem & Zabulonem, & filiam Dinam. Rachel econtrà sterilis diu, ex Bala ancilla, quam Iacobo subiecerat, suscepit pro suis Danem & Nephthalim: multo pòst peperit ipsa Iosephum & Beniaminem. Genes. 30.

ROBOAM habuit vxores 10. concubinas 30. filios 28. filias 40.

GEDEON iudex Hebræorum 70. quos omnes Abimelech, filius nothus Gedeonis, occidi fecit.

Achab 70. vt habetur cap. 10. quarti Regum.

ABDON filius Hillel Pirgathonites, 40. filios, & 30. ex eis nepotes habuit: qui mortuus in Pirgatho terra Ephraim, in monte Amalel sepultus est. Iudicum 12.

PRIAMVS ex Hecuba cōiuge habuit 19. liberos: ex aliis pellicibus 31.

Veteres scriptores de numero filiorum NIOBES non videntur consentire. Homerus sex numerat, & totidem filias. Lasus verò bis septem dicit. Hesiodus nouendecim: nisi verò non sunt Hesiodi illa carmina, sicut multa quoque alia falso ipsi attribuuntur. Alcman decem ponit, Mimernus viginti, & Pindarus totidem. Ælian. lib. 12. de Var. histor.

Cùm Hercules Eleos vicisset, & Augeam regem (qui pro repurgatis agris precium negabat) imperata facere coegisset, Eleorum Fœminæ viduatam viris patriam videntes, vota Palladi nuncupāt, si grauidæ ad primos virorum congressus fierent. Voti compotes, templum Palladi extruunt: eique loco, in quo primus congressus factus est, Badyn nomen obtinuit, atque etiam flumen vicinum. Pausanias lib. 5.

THESPIS Atheniensis Erichthei regis filius, è pluribus fœminis filias 50. genuit cum quibus vocatis ad epulas Hercules sigillatim concubuit: suscepítque totidem liberos mares, qui Thespiadæ dicti sunt. Author est Diodorus lib. 5.

DANAVS 50. filias Ægyptus frater totidem filios habuit. Danaus oraculo acceperat, futurum vt à genero interficeretur. Cùm itaq; filias suas filiis Ægypti dare cogeretur, omnes prima nocte maritos suos iussu patris interfecerunt: sola Hypermnestra Lino pepercit, à quo postea Danaus occisus est.

GILIPPVS Arcadius 9. liberos habuit, quos (vt inquit Vergil. lib. 11.) fida crearat Vna tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gilippo.

Vix quisquam crederet, Herotimum sexcentos ex diuersis pellicibus habuisse liberos, nisi Iustinus ex Trogo scriptum reliquisset, in Epitome lib. 39.

SCILVRVS 80. mares filios habuit. Plutarchus in Apophthegmate.

ARTAXERXES Xerxis filius, habuit ex pellicibus 110. liberos, ex iusto matrimonio tres.

COMBE mulier heroina, cui cognomen fuit Chalcidice, viro coniuncta, centum liberos enixa est. Vnde adagium apud Erasmum: Tanquam Chalcidice peperit nobis vxor. Rauis.

MASINISSA rex Numidiæ, 44, autore Eutropio.

ATTILA Hunnorum rex, 60.

BARRABAS vicecomes in Italia, 36. liberos suscepit.

CONRADVS Moscouiæ dux, 80. ex quibus quatuor tantum legitimi fuerunt.

BABO de Abensperg, nobilis Bauarus, ex duabus vxoribus sustulit 40, liberos, videlicet 32. mares, & 8 fœminas. Sub Friderico III. cùm indicta essent comitia Ratisponæ, & ad sumptus mitigandos cautum, ne nobiles quicunque plures vno seruos adducerent: Babo 32 filiis comitatus, & 33, seruis, ad comitia venit. Ab Imperatore vocatur, quasi edictum neglexisset. Adductis ergo 32 filiis, eodem vestitus genere ornatis, filios eos esse suos monet, quorum quisque suum haberet seruum. Placuit ea πολυτέκνια mirum in modum Imperatori, eámque amplissimis prosecutus est muneribus. Acta hæc anno Domini 1446. Non multis tamen pòst annis præclara hæc soboles penitùs intercidit. Nam anno 1485. Nicolaus huius familię vltimus, à Christophoro Bauariæ duce, quòd partes fratris fouisset, interfectus est.

ATEKNOI. QVI NVLLOS HABVERVNT LIBEROS. STERILES. Orbi natura, non casu.

Pertinet hic titulus, ad Mala fortunæ, si natorum successionem spectes, sin verò causam efficientem, huius erit loci.

ABIMELECHI Gerarorum regis tota domus sterilitate fuit punita, eo quòd rex Saram Abrahami vxorem rapuisset: Eam simulac restituit viro, Dominus iram suam remisit. Gen. 20.

Iabda vxor Ectionis, sterilis. Vide tit. Oracula obscura intellecta.

ALEXANDRIDÆ vxor sterilis primò, mox tres filios peperit. Vide tit. Fidei erga vxorem.

SP. Carbilius sterilitatis causa vxorem, charissimam alioqui repudiauit. Vide tit. Repudij in specie.

CAMBYSES rex Persarum, cùm septem regnasset annos, mēses quinque, obiit in Ecbatanis Syriæ, suo ipsius gladio saucius, nulla vnquam prole suscepta. Eapropter Crœsus eum Cyro patre inferorem esse iudicauit, quia talem non reliquerit filium, qualem Cyrus. Herodotus lib. tertio.

IMPOTENTES IN REBVS VENEREIS.

Differunt hi ab Eunuchis, quòd testes quidem habent, sed falsos, qui testimonium dicere non possunt, vel certè ad testimonij dictionem non admittuntur.

NOACHVS à filio Chamo impotens redditur. Vide tit. Magorum, sub nomine Chami.

ANTONINVS Caracalla ex morbo impotens, cum virginem Vestalē Clodiam Lætam stuprasse diceretur, & illa viua sepelienda esset, clamauit, ipsum Antoninum scire se virginem esse, quódque propter impotētiam virum se præstare non potuerit. Xiphilinus in Antonino.

HENRICVS rex Castulonensis, procreationi impotens. Vide tit. Inuidiæ.

FAMEM PATI, ATQVE SITIM. QVI CIBO penitùs abstinuerunt.

Fames passio est naturalis. Eandem ergo perferre posse, naturæ potentiam arguit, quæ appetitricem facultatem compescere tantisper potest. Hoc ergo in loco eorum exempla referemus, qui à cibo diu abstinuerunt, vel volentes, vel coacti. Volentes abstinent, qui fame carnem suam edomare conantur: de quibus suprà sub tit. Fortitudinis tolerantis, item & Temperantiæ siue abstinentiæ egimus, quatenus à bono animi habitu patientia ista prouenit. hic autem, non fontem consideramus, à quo manat: seu finem, ad quem tendit: sed ipsammet tolerantiam contēplamur. Vt autem famem tolerare ad corporis robur pertinet, hoc verò inter corporis bona refertur: ita fames ipsa per se inter corporis mala externa connumeratur, de quibus infrà agemus.

In Germania, in vrbe COLONIA, Friderico secundo regnante, sæpius quidam ab alienato sensu septem hebdomadas cibo caruit, sola aqua interdùm epota: cùm Albertus Magnus Ratisponensis episcopus, vt rem cognosceret, diligenter eum obseruasset, mulierem quandam Germanicam dies viginti sine cibo mansisse scriptum reliquit.

Augustinus, cùm Casulano rescriberet, affirmauit, temporibus suis quādam quadraginta diebus sine cibo vixisse. Alium quoq; Petrarcha ponit, Venetiis idem fecisse, à multísque eius rei experimentum fuisse factum. Fulgos. lib. 1. cap. 2.

HOC etiam magis mirum est, quod Olympiodorus Platonicus scripsit, Aristotelis, qui rem vidit, testimonio fuisse hominem, qui donec vixit, neque manducauit vnquam, neque dormiuit. Cæterùm in sole manēdo alimentum accepit. Ibidem.

His temporibus Perusię PALVMBA Interamnensis annos nata viginti, sumpta sacra hostia, eadem, nullo alio sumpto cibo, septem annos vixit. Id quod Innocentius octauus pontifex re quæsita diligenter inspexit. Ibidem.

Fuit Eugenio quarto pontifice GALLVS quidam nomine IACOBVS qui in aula Romana amanuensis erat. Is graui valetudine affectus, cùm in patriam rediisset, Hierosolymitanam peregrinationem vouit. Inde ergo Romam Nicolao quinto pontifice reuersus, magna eorum admiratione qui rem inspexerunt, dum obseruaretur, nec bibere nec esse vnquam inuentus est, iuréqueiurando affirmauit, se iam biennium ita vixisse. Ibidem.

Anno

Anno salutis quadringentesimo sexagesimo post mille, Nicolaus Heluetius Vnderualdensis post susceptos ex coniuge quinque liberos, cùm haud longe à pago solitariam ageret vitam, peracto quintodecimo anno sine vllo potu cibóque decessit: veráque inuenta fuerunt quæ prædicebat futura: vitáque prorsus austera fidem faciebat, nihil ab eo de cibi ac potus abstinentia fingi: & tamen Constantiensis episcopus, in cuius diœcesi agebat, profectus ad eum ipsum locum vbi Nicolaus erat, diligenter rem perquisiuit, inuentáque palàm literis mandauit. Qui vt ea de re certior fieret, sub obedientiæ imperio recusantem parum cibi sumere coegit, ob quam rem triduum grauiter stomachi dolore laborauit: id quod ipse vereri se antè monuerat. Nec verò episcopo illi tantùm, verùm multis quoque principibus Germanicis, Gallis atque Italis qui eò profecti sunt, res hæc explorata fuit. Nos quoque cum his locuti, qui viderunt, ac sermones vnà seruerūt, rem extra ambiguum ponimus: præsertim quòd de hac cibi abstinentia diligentius quęsitum est, de qua ipse parcè loquebatur, rémque non miraculo, sed naturæ tribuerat. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

ABARIS fuit Hyperboreus, qui per vniuersum orbem terræ sagittam circumtulit, nihil omnino comedens. Rauis.

In Tullensi territorio, villa Commerciaco, puella duodennis, post sacram communionem in Paschate à sacerdote susceptā, primùm per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & post ad communem hominum vitam rediјt. Anno Domini 823. Sigebertus in Chronicis. Alij ad annum Domini 1322. referunt, vt Fulgosus libro 1. capite sexto.

EPIMENIDES Cretensis à nymphis cibum accipere solitus erat, eúmque intra bouis vngulam conditum seruans, paulatim inde sumebat, adeò vt à nullo hominum vnquam vel edere, vel feces per aluum egerere visus sit. Laertius ex Demetrio.

PVLCHRITVDO CORPORIS TOTIVS. FORMOSI.

IOSEPHVS formæ singulari venustate fuit: eapropter ab heri sui Putipharis vxore ad stuprum fuit interpellatus: Genes. 39.

OLIM creditum est, eos septem diebus formosos fore, qui leporem esitassent. Propterea Martialis Gelliæ deformitati illudens, ait eam nunquam esitasse leporem, his verbis:

Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas:
Septem formosus Marce diebus eris.
Si verum dicis, si verum Gellia mandas:
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

HOMERVS heroum pręstantissimos Hectorem & Achillem, formosissimos facit: quia vera & virilis pulchritudo cum omnium actionū bonitate iungitur. Itaque non ab re Socrates pulchros præ cæteris ad philosophiæ studium admittebat: quoniam vbi vera adest pulchritudo, illic quoque ingenij acumen aderit. In fucata verò & muliebri pulchritudine omnia contrario modo se habent. Sic Nireus apud eūdem κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε, ἀλλ' ἀπάλαμνος ἔην. & vicissim apud Troianos Paris γυναιμανὴς καὶ εἶδος ἄριστος esse dicitur, probríque loco audit, quod omnium formosissimus esset.

DIADVMENVS, formosus omnis adolescens olim appellabatur, id est, diadematus & vittatus. Nam in Elide formæ certamen haberi solitum, Dionysius & Theophrastus scribunt: vincentem quoque armis donari, ac vittatum ab amicis ad templum deduci, coronatíque myrto, arma ipsa Mineruæ consecrari. Volat. lib. 15. Anthrop. & Alex. lib. 5. cap. 8. Fuit alioqui Diadumenus elegantissimus iuuenis, cuius effigiem Polycletus expressit iuuenta molliore. Eiusdem nominis fuit alter, Augusti prægustator, qui in formæ certamine apud Elidem palmam meruit, teste Volaterrano.

LYCVRGI lege sancitum erat, vt apud Spartanos, infantes forma liberali publicè liberaliter educarentur: mancus verò & deformis, in loca vasta & prærupta exponeretur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap 25.

ENDYMION pastor tam formosus fuit, vt à Luna in montibus Cretæ adamatus esse dicatur.

NARCISSVS filius fuit Cephisi, & Lyriopes, à multis Nymphis ob pulchritudinem amatus: cuius desiderio quum Nymphæ ipsæ intabescerent, mutatus est in florem sui nominis. Vergil. in Batarum:

Non illinc Narcissus abest, cui gloria formæ
Igne cupidineo proprios exarsit in artus.

Ouidius lib. 3. Metam.

BELLEROPHON à Sthenobœa, Prœti Argiuorum regis vxore, propter formam adamatus, & ad Venerem (cui tamen assentiri noluit) postulatus est.

ADONIS Myrrhæ fuit filius, Veneri ob speciosam formam dilectus. Verg. Ecl. 10.

Et formosus oues ad flumina pauit Adonis.

Ouid. lib. 10. & Proper. lib. 2.

HYLAM Thyadamantis filium ob formam adamauit Hercules, & Nymphæ rapuerunt.

Herodotus scribit, Hippoclidem Tysandri filium, diuitijs & forma inter Athenienses præcipuum fuisse.

HYAS Atlantis ex Æthra filius. Ouid. lib. 5. Fast.

Nondum stabat Atlas humeros oneratus Olympo,
Quum satus est forma conspiciendus Hyas.

HIPPOLYTVS Thesei filius, fuit etiam pulcherrimus. Virgil.

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Viribus.

PARTHENOPÆVM Meleagri & Atalantæ filium, seu (vt alijs placet) Martis & Menalippes, forma fuisse liberali scribit Statius:

Pulchrior haud illi triste ad discrimen ituro
Frons fuit in syluis, qualis iam casside missa
Parthenopæus erat.

ACANTHVS, Amaranthus & Hyacinthus, pulcherrimi adolescentes, in sui nominis flores mutati finguntur.

GANIMEDES Trois filius, regis Troiæ, ob admirandam pulchritudinem suam ab aquila raptus est in cœlum, vt Iouis pincerna esset: vt est apud Pindarum in fine 1. Olymp.

THAMYRAS poeta & musicus, cum pulchritudine omnes præcelleret, & ab initio mares dilexit: deinde præter eius consuetudinem Musas amauit, ac cum eis cantu certauit. A quibus demùm victus, luminibus & lyra priuatus est: vt est in libro Prouerbiorum Græcorum, θάμυρις μαίνεται. apud Volat. lib. 20. Anthrop.

PHAONEM omnibus hominibus elegantia formæ præstantem, Venus in lactucis abscondit. Alij dicunt eum portitorem fuisse, & hoc officium subijsse. Venisse autem aliquando Venerem traijcere volentem: atque illum, nescientem quisnam esset, libenter promptéque recepisse, magnáque diligentia, quò voluerat, eam auexisse. Pro quibus meritis alabastrū ei cum vnguento dea donauit, quo vnctus Phaon omnium hominū speciosissimus euasit: atque eius amore Mitylenenses fœminæ captæ sunt, præsertim Sappho poetria, Scamandronymi filia. Postremò deprehensus in stupro, trucidatus est. Ælian. lib. 12. de Var. hist.

DEMOCLES puer Atheniensis fuit adeò speciosus, vt ex pulchritudine sua, pulcher Democles ab omnibus vocaretur. Cui (quod paucis admodum formosis contingit) tanta quoque extitit pudicitiæ cura, vt ad declinandam vim Demetrij (à quo petebatur ad stuprum) se in plenum feruētis aquæ lebetem (cùm aliter effugere non posset) coniecerit. Plutarch. in Demetrio.

IASON, Medea apud Ouidium Iasoni loquens:

Et formosus eras, & me mea fata trahebant,
Abstulerant oculi lumina nostra tui.

Habuit Xerxes in exercitu LXVIII. myriades, quæ ratio habet bis & quinquagies centum octoginta tria milia hominum. Herodotus tamen scribit, in tanto mortalium numero neminem fuisse pulchriorem rege ipso, aut proceriore statura.

NISVS Megarensium rex, ob pulchritudinem capillos aureos fertur habuisse.

TERIDATES eunuchus, formosissimus omnium in Asia iuuenum fuisse fertur, quem Artaxerxes in delicijs adeò habuit, vt cùm adolescentem mortem obijsse audisset, non tantum grauissima lamētatione & acerbissimo mœrore affectus sit, sed per vniuersam Asiam squallorem & luctum indixerit. Vide plura apud Ælianum lib. 12. de Var. hist.

Musæus poeta formam Leandri pueri ex Abydo (qui Ero puellam adamauit, & ab ea redamatus est) multis laudibus commendat.

ALEXANDRVM Philippi filium, sine curatione formæ speciosum extitisse perhibēt. Capillos enim disiectos confusósque ei pependisse, qui erāt flaui. Ferunt etiam, formidabile quiddam in facie Alexandri infuisse. Homerus cùm vult significare formosos, arboribus eos comparat: velut,

Ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος. Ælian de Var. hist. lib. 12.

PYTHAGORAS philosophus tam fuit formosus, vt illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboræis venisset. Cùm nudatus aliquando esset: femur eius aureum apparuisse, fama est. Laert.

XENOPHON Grylli filius, Atheniensis, pago Archieus, verecundus admodum fuit, & formosus. Laert. lib. 2.

DEMETRIVS Phaleræus, philosophus, ob formam χαριτοβλέφαρος & λαμπετώ à meretrice quadā appellatus fuit, vt testis est Didymus in Symposiacis, referente Laert. lib. 5.

DEMETRIVS Antigoni regis filius, statura patre inferior fuit: sed ea formæ præstantia, vt eam fingendo pingendóue assequi nemo potuerit. Nam vnà cum venustate & elegantia grauitas terrórque vultui inerat, & heroica quædam ac regia maiestas iuuenili alacritati mixta. Plutarch in Demetrio.

EPHESTION Macedo, vnus è ducibus Alexandri, apud regem primas tulit ob corporis pulchritudinem atque præstantiam. Cui rei argumento est, quòd cùm Alexander deuicto Dario tentoria cum solo Ephestione inuiseret, vbi regiæ mulieres erant: mater Darij obuiam illis procedens, Ephestionem pro Alexandro adorauit, quòd forma maiore & augustiore visus esset. Arrianus Græcus de gestis Alexandri.

MAGNES Smyrnæus puer, præ cæteris mortalibus formosus, Poetica insuper & Musica ornatus, corona insignis, aureóque retinaculo redimitus, ac habitu molliore indutus, ciuitates obibat, multis dilectus, præsertim Gygi Lydorum regi: parentes autē probrū huiusmodi perosi, capta occasione, comam eius raserunt, vestem ornatúmque omnē lace-

rauerũt. Quare iratus Gyges, in Magnesios bellum mouit. Suidas & Pausanias.

Alcibiades Atheniensis, dux inclytus & eloquẽtissimus, facie tam venusta, corpore tam decoro natura præditus fuit, vt propter formam à Socrate præceptore plurimùm sit dilectus. Volat. lib. 13. ca. 3. Respondit huic apud Romanos Scipio cognomento Demetrius, teste Cælio. Plutarchus in eius vita: Hoc, inquit, Alcibiadi concessit natura, sibíque cum paucis commune, vt non modò in pueritia aut adolescentia, sed etiam in omni ætatis gradu maximum semper decorem, ac formosam hominis speciem prætulerit.

PHÆDRVS Eliensis Socrati Platoníque familiaris & dilectus, cuius nomine liber inscribitur περὶ τοῦ καλοῦ puer forma pręstanti, à lenone domino ad merendum coactus, & ab Alcibiade redẽptus, philosophię traditus est. Gel. lib. 2. capite 18.

Galeta omnium formosissimus fuit adolescens, qui ob pulchritudinem & animo insitas peculiares quasdam virtutes, à Ptolemęo rege amatus est de quo copiose Ælian. de Var. histo. lib. 1. & Cælius lib. 7. cap. 35.

TVRNVM à forma plerisque in locis commendat Verg. vt libro 7.

----Petit ante alios pulcherrimus omnes,
Turnus auis atauisque potens. ---- Item:
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice suprà est.

SPVRINA adolescens egregia forma, cùm fœminas viròsque ad libidinem aspectu decoro inuitaret, oris pulchritudinẽ vulneribus spõte dehonestauit. Authores, Valer. de Verecundia, & Ambros. lib. 3. de Virginitate. Volat. lib. 19. Anthrop.

Sex. Aurelius scribit, AVGVSTVM fuisse mitem, gratum, ciuilis animi, toto corpore pulchrum: sed oculis magis, quorum acies clarissimorum siderum modo promicabat.

NICOLAVS Damascenus, vir doctissimus, procero admodum & formoso corpore, ingenio etiam mansueto & iucundo, adeò vt Augustus eo maximè delectaretur: & ab eius nomine palmarum balanos pulcherrimos & maximos, Nicolaos dici prǽciperet, quibus maximè delectabatur. Suidas & Gyraldus Dialogo 8. hist. poet.

ANTINOO Bithynico ex Claudiopoli, mira pulchritudine adolescẽti, tanta, támque elegans fuit forma, vt Adrianus Imper. (à quo adamabatur) templum ei apud Mantineam constituerit, & ciuitatem apud Nilum, eiúsque imaginẽ fecerit insculpi numis. Propterea Hieronymus Adriani cõcubinum eum vocat. Quem cùm in profectione in Aegyptum amisisset, ei Hierosolymis templum dicauit. Volat. libro 23. Anthrop.

Diadumenus Macrini Caracallę Imperatoris filius, cùm sciret se forma omnium esse pulcherrimum, purpura assumpta, equóque insidens, exercitui se spectandum magno fauore dedit. vt est apud Capitolinum.

MAXIMINVS Romanorum Imperator annorum XVIII tanta pulchritudine fuit, quanta nulli visa est. teste Capitolino.

Scribit Ælius Sabinus tantam pulchritudinem oris fuisse in filio MAXIMINI, vt etiã caput eius iam morte nigrum, iam maceratum defluenti tabo, pulcherrimum tamen videretur.

Ferunt ALBIVM Tibullum, poetam elegiographum, corporis forma admodum præstanti fuisse. Vnde Horat. de eo loquens:

Non tu corpus eras sine pectore, dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederant. ----

POETÆ suos quoque amores commendant. Horatius Nearchum, Gygem, Ligurinum, & Lycum: Tibullus Marathum: Catullus Iuuencium & Roscium: Anacreon Bathyllum: Vergilius Alexim: Martialis Cæstum & Testilum, Earinum.

Innocentius VIII. suo tempore inter Alfonsi Siciliæ regis ministros omnium formosissimus fuisse dicitur Volat. libro 22. Anthrop.

PHILIPPVS Francorum rex, qui initio simultates cũ Bonifacio Pontifice Max. deinde professus exercuit inimicitias, tam formosus, faciéque tam venusta fuit, vt ab omnibus cognomẽto Pulcher sit cognominatus. Ritius Neapolitanus libro 2, Regum Francorum.

Alfus filius fuit Gygari Danorum regis, quem tam excellenti forma ac cæsarie extitisse scribit Saxo Grammaticus, vt argenteis nitere crinibus putaretur.

CONRADVS filius Friderici 2. Barbarossæ, Siciliæ rex & Neapolis, tã formosus fuit. vt Absolon vulgò appellaretur: verùm ignauus, & à parentis virtute multum degenerans. Leander Bonon. in Italia sua.

Bartholomæus Capranus, Mediolanẽsis ecclesię antistes, iccirco se ministros forma præstantes quæsiuisse dicebat: quoniam turpes animi, turpia corpora incolerent: improbitatẽ autem in egregia forma perraro cõpertam esse. Aeneas Syl. lib. 2. commẽt. de Rebus gestis Alphonsi. Cõstat tamen Aspasio Rauennati, magistro epistolarum imperatoris Alexandri Mammeæ F. hoc etiam dicterium adscribi.

FORMOSÆ.

REBECCA Isaaci vxor pulcherrima, adeò vt Isaacus Geraris peregrinatus, sororem suam esse dixerit: ne si vxorem esse diceret: à Palæstinis interficeretur. Genes. 26.

SARA Abrahami vxor pulcherrima fuit, adeò vt Pharao Ægyptiorũ rex eam matrimonio sibi copularit, cùm Abraham sororem suam esse diceret, non vxorem, ne ab Ægyptiis interficeretur. Genes. 12.

Eadem 90, ætatis anno ab ABIMELECHO Gerarorum rege rapta fuit. Genes. 20.

Formosas VIRGINES olim ἀλφεσιβοίας vocabant, eleganti epitheto, quòd propter pulchritudinem, facilè amatores & procos inuenirent, à quibus boues aliáque munera acciperent, nondum inuento pecunię vsu. Hinc Mnestra Erisichthonis filia in varias se mutasse formas dicitur. Cõsule etiam titulum Procorum & riualiũ. nam quæ à multis amantur, formosæ esse solent.

Credibile est BERSABEAM, Vriæ vxorem, eleganti fuisse forma, quę sapientissimum illum regem & prophetam sanctissimum Dauidem vsq; adeò titillauerit, vt religionis oblitus, adulterio & homicidio (Vriã enim deuouit morti) suam contaminauerit sanctitatem. Strozapater: Ille sacri vates operis Iesseia proles, Præfecit populo quem Deus ipse suo, Bersabeæ captus forma, &c.

THETIDEM deam maris poëtæ niueam, ἀργυρόπεζαν & formosam faciunt, quòd perpetuis aquis abluatur.

BRYSEIS fuit adeò formosa, vt Achilles eius amore conflagrauerit, eámque, quamuis ancillam, plusquàm puellas omnes adamauerit. Horatius: *Prius insolentem,*

Serua Bryseis niueo colore
Mouit Achillem.

ANTIOPA filia Nictei, & vxor Lyci regis Thebarum, speciosissimam propter formam à Ioue adamata est, ex quo Zetum & Amphionem suscepit. Propertius:

Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanam referas laudibus Hermionem.

ARGIA Adrasti Argiuorum regis filia, & vxor Polynicis, fuit mirum in modum speciosa. Stat. lib. 2. Theb.

Egregiam Argiam, nec formæ laude secundam Deiphylem.

MEDVSA incredibili sua pulchritudine amatores partim in saxa, partim in bruta conuertit. Saxei autem fiunt homines, & in brutorũ transeũt naturam, qui muliercularum forma & illecebris capti, vitam agunt intẽperantem & libidinosam. Platina Dial. ad Stellam contra Amores.

HELENA filia Iouis ex Leda vxore, Tyndari regis Laconiæ, ob eximiam pulchritudinem bis rapta fuit. Primùm adhuc puella à Theseo, secundò iam Menelao nupta à Paride. Propter quam recuperandam, Græci Troianis decennale bellum intulerunt. Eiusdem pulchritudo flexit apud Homerum senes Troianos, qui Scæam portam conscenderant, Paridis & Menelai certamen inspecturi. Eò namque cùm mulier tanti certaminis præmium ascenderet, elegantia formæ adeò mentes sapientissimorum virorum cœpit, vt tantum bellum eius causa merito dicerent esse concitatum. Platina Dial. ad Stellam, contra amorem.

Hermione filia Helenæ & Menelai, matrem forma ferè & fato imitata, cùm Oresti desponsata esset, à Pyrrho rapta fuit.

ATALANTA Arcadis Iasonis filia, à patre exposita, & vrsino lacte nutrita, mox à venatoribus inuenta, pulcherrima omnium virginum euasit suo tempore: non fucata illa, sed vera solidáque pulchritudine: vt quantũ proceritate corporis, & symmetria omnium membrorum reliquas vincebat, tantundem & robore. Ael. lib. 13. Var. hist.

Ariadne filia Minois, forma fuit eleganti, quã propterea Bacchus duxit in vxorem, eiúsque coronam stellis ornatam in astra retulit.

ÆGINAM Asopi regis Bœotiæ filiam, ob excellentem pulchritudinẽ adamauit Iupiter, iacuitque cum ea in specie ignis. Ouidius:

Aureus vt Danaen Asopida luserit ignis.

Galatea nympha formosissima, vna Nereidum, à Polyphemo adamata. Cuius formam rusticus amator rusticè & ineptè laudans ab Ouidio lib. 13. Metam. inducitur:

Candidior folio niuei Galatea ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lasciuior hœdo,
Leuior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hybernis, æstiua gratior vmbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior vua,
Mollior & cygni plumis & lacte coacto,
Et (si non fugias) riguo formosior horto.

Fuit tam elegans & concinna Hippodamiæ pulchritudo, vt ad impetrandas eius nuptias celebrata sint certamina procorum. In quibus quum victor euasisset Pelops, puellam duxit vxorem. Propertius:

Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Aduecta externis Hippodamia rotis:

sed

sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apellæis est color in tabulis.

Idem lib. 2. vocat Ischomachen.

HIERA fuit vxor Telephi, mulier omnium (quas Protesilaus vidit) maxima & pulcherrima.

TYRO puella, Salmonei filia, ob formam Neptuno adamata est. Propert. lib. 11.

LYCASTE Priami filia, tantæ fuit pulchritudinis, vt Polydamas Antenoris ex Theano Hecubæ sorore filius, illam ex concubina vxorem sibi copulauerit. Fuit & alia Lycaste, quæ ob pulchritudinem Venus vocabatur.

CYDIPPE ab Acontio ob formam adamata est. Ouidius in Epistolis.

De Semiramide alij alia dicunt. Ea fuit inter omnes fœminas speciosissima, tametsi remissius & negligentius formam curabat. Cùm venisset ad regem Assyriorum, vocata propter formę pulchritudinem, ille vbi vidit, statim eam deperire cœpit. At illa petijt ab rege munus, stolam regiam, Asiæque imperium ad quinque dies, & eorum quæ in hoc gererẽtur potestatem. Neque frustrata est eam petitio. Cùm verò collocasset eam rex super thronum, & ipsa iam manu sententiáque cunctorum potens esset: mandauit satellitibus, vt regem interficerent. Atque sic Assyriorum imperium obtinuit. Refert hæc Dion. Ælianus libro septimo de Varia historia.

OMPHALE regina Lydorum, fuit facie adeò præstanti, vt ei se submiserit Hercules. Propert. lib. 3.

Herodotus scribit Agaristam, Clisthenis filiam, adeò formosam extitisse, vt ad habendas eius nuptias, celebrata sint procorum spectacula & certamina, quò speciosissimi quique Græciæ adolescentes confluxerũt.

Magnus Alexander, totius propè Orientis victor & imperator, Rhoxanam satrapis barbari filiam matrimonio sibi iũxit, ob solam eius pulchritudinem. Vide Curtium lib. 5.

SISIGAMBIS vxor Darij, nulli suæ ętatis fœminę pulchritudine cessit, teste Curtio: quam tamen victo Dario Alexãder non solùm non violauit, sed & summam adhibuit curam, ne quis captiuo corpori illuderet.

PANTHEA vxor fuit Abradatæ, viri nobilis apud Persas, quam Cyrus expugnatis Assyriorum castris duxerat captiuam. Abradata autem absente, & apud Bactrianos legatum agente, Araspæ Medo seruanda tradita est, qui apud Cyrum affirmauit nondum esse ortam, aut omnino inuentam tota Asia pulchriorem. Xenophon apud Cælium libro septimo, cap. 33.

ASPASIA Hermotimi Phocensis filia, quæ postea Cyro nupsit coacta, omnes sua ætate virgines formæ elegantia superauit. Eius formam Ælian. lib. 12. Var. hist. describit, coma flaua, capillísque paulum crispantibus prædita. Oculos habebat maximos, & aduncum quodammodo nasum, aures breuiores. Cutis tenera, & vultus color ad roseum accedebat: ob quam causam eam Phocenses, cum adhuc infans esset, Milto nuncupärunt. Labra rubicunda, dentes niue candidiores. Plantis etiam pedum valebat, quemadmodum Homerus pulcherrimas fœminas suo quodam vocabulo καλλισφύρους nominat. Vocem habebat suauem & teneram, ita vt ipsa loquente Sirenem audire te diceres: ab omni curiositate muliebri & ornatu aliena. Opes enim plerunque solent hæc subministrare. Illa verò inops, & ab inope parente enutrita, nihil ornatus neque sumptus in formam conferebat. Cyrus itaque Persarum rex eius pulchritudine simul & pudicitia motus, eam in vxorem duxit, & post hunc etiam Artaxerxes. Historia latè descripta est apud Ælianum lib. 12. de Var. hist. à principio.

HERODICE in Cereris Eleusinæ festo, vbi formæ certamen instituitur, primas meruit. Cæl. cap. 9. lib. 13.

THEODOTA fœmina fuit longè formosissima, quæ Socrati summo philosopho suos discipulos, à philosophiæ studio, suo amore captos, abstraxit. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

CLEOPATRA mulierum omnium, quas Iulius Cæsar, dum Pompeium insequeretur, in Ægypto inuenit, formosissima, cuius venustate & oris facundia captus Cæsar, non tantum amauit ipsam, sed in eo etiam bello, quod cum fratribus habuit, pro ipsa, parum iustus iudex aduersariis visus, stetit. Xiphilinus, Dionis Nicæi abbreuiator, in Cæsare.

RHODOPE omnium in Ægypto mulierum fuit formosissima: cui lauanti cùm aquila calceum abstulisset, Memphímque deportatum Psammeticho regi in sinum iniecisset, ipse miratus calcei pulchritudinem, inuestigauit cuius calceus esset. Et Rhodopen inuentam in vxorem duxit. Historiam latius descriptam leges apud Ælianum de Varia historia libro decimotertio.

Plutarchus in Lucullo scribit, Præciam quandam fuisse in vrbe Roma fœminam, venustate formæ nulli secundam, quæ sua pulchritudine Cethegum sibi deuinxerit: adeò vt nihil probaretur Cethego, quod Præcia non iussisset.

VXOR Ageti Lacedæmonij, Alcidis F. quam postea duxit rex Aristõ, speciosissima fuit, ex turpissima talis facta. Siquidem eam claris ortam parentibus nutrix infantem adhuc singulis diebus baiulabat ad Helenæ templum, quod est in Therapne, supra fanum Phœbi: & stans ante simulachrum, deam precabatur, vt alumnam deformitate liberaret. Cui aliquando exeunti de templo, mulier quædam apparuisse fertur, atque interrogasse illam, quidnam in vlnis gestaret? Et cùm nutrix se infantẽ gestare respondisset, iussit sibi ostendi. Cúmque negaret nutrix se id facturam, quòd infantem parentes sui vetuissent ostendi cuipiã, institit prorsus vt sibi ostenderetur. Nutrice puellam ostendente, demulsit illa caput puellæ, & dixit, futuram eam omnium Spartanorum formosissimam. Ab eo igitur cùm ea pristina species decidisset, posteaquam ad nubilem peruenit ætatem, eam duxit vxorem Agetus: Aristõ verò astu Agetum persuasit, vt eam sibi concederet. Herod. lib. 6.

LAMIA, autore Plutarcho, puella fuit speciosissima, à Demetrio rege adamata, quæ & tibijs optimè cecinisse dicitur. Hæc primò canendi modulandíque suauitate gratiam sibi apud omnes comparauit.

LAIS Corinthia meretrix, fuit speciosissima. Ouid. libro primo Elegiarum:

Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse
Dicitur, & multis Lais amata viris.

LVCRETIÆ formam tanti fecerũt Romani, vt eam suis monumentis vbique celebrauerint, & vindicauerint à mortalitate: nec solùm ob eximiam pulchritudinem, verùm etiam ob castitatem, quòd vim Tarquinij gladio sit vlta.

POETÆ quoque amores suos cõmendant. Orpheus Eurydicen vxorem, Horatius Barynem meretricem, Catullus Lesbiam, Cornelius Gallus Lycorim, Propertius Cynthiam, Statius Violantillam Stellę vxorem. Suum cuique pulchrum.

PHRYNE meretrix ætate florens, in conuiuio cui complures aderant fœminæ, quum iuxta morem ioci conuiuialis, quòd vnus quispiam faceret, idem omnes facere cogerentur, prior manũ bis aquæ immersam admouit fronti. Quoniam autem omnes erant fucatæ, aqua per lituram fucorum defluens, rugarum specie vultus omnium deformabat: quum ipsa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, speciosior etiam appareret, diluta facie. Eras. lib. 6. Apoph.

Aristippus Mulierem paruam, sed pulchram conspicatus: Paruum, inquit, malum, sed magnum pulchrum. Vel si mauis inuertere sententiam: Paruum quidem pulchrum, magnum autem malum. Nam καλὸν & κακὸν apud Græcos facilè permutari possunt. Ant. in Meliss. par. 2. sermone trigesimotertio.

FLORA meretrix, quam Cn. Pompeius adamauit, tam nobili forma fuit, vt Cæcilius Metellus, cùm Castoris ædem statuis & tabulis exornaret, ipsius quoque picturam ibi dedicauerit. Plut. in Pompeio.

TERENTIA Mecœnatis vxor, adeò fuit venusta, vt sit aliquando ausa cum Liuia de pulchritudine contendere. Fuit autem Liuia Augusti Cęsaris vxor, quæ eo tempore omnium esse formosissima putabatur. Dion in Augusto.

ZENOBIA orientis regina, quæ fuit inter cæteras formæ laudes tanto dentium nitore, vt inter loquendum ridendúmque non dentibus, sed candidis margaritis plenum os habere videretur (authore Petrarcha) nihil fuit quod ingenio non comprehẽderit. Græcas & Latinas literas calluit, necnon & in rebus bellicis fuit celeberrima. Guido Bitur.

Paulus Diaconus scribit, Theodotem puellam, genere Romanam, forma fuisse conspicua & mirabili, flauis promissísque capillis ad pedes vsque pendentibus: eáque pulchritudine inescatum Cunibertum regem, amore puellæ exarsisse.

Saxo Grammaticus libro octauo Danicæ histor. scribit Suauildam reginam tantæ fuisse pulchritudinis, vt quum vincta loris exposita esset equinis calcibus obterenda, ipsis quoque iumentis horrori fuerit, artus eximio decore preditos surdidis lacerare vestigijs.

PVLCHRITVDO EX PARTE.

Persæ amant Homines aduneo naso, quos Græci grypos appellant, eósque pulcherrimos esse putant: eo quòd Cyrus, quo non alius regum populo fuit charior, eiusmodi specie nasum habuerit. Est autem duplex gryporum genus. vnum, cui statim à fronte nasus insurgit, quod Aristoteles putat esse signum impudentis animi, & ad coruos refert: alterum, cui curuatura nasi à fronte separata est, sed circa medium intumescit, & ad extremum tendens vnci speciem præbet. id Aristoteles putat esse notam magnanimitatis, & ad aquilam pertinere. Plut. in apoph. & Cęl. Rhodig. lib. 24. cap. 26. Antiq. lect.

BVDINI Scythæ, ingens natio, vehementer cæsijs oculis omnis ac ruffa est. Herodotus libro quarto.

DEFORMES, TAM VIRI QVAM MVLIERES, IN *toto corpore.*

Poetæ fabulantur Vulcanum claudum fuisse, ac toto deformem corpore, dicúntque propterea parẽtes infanti non risisse, suóque cubili admisisse. Vergilius. Incipe parue puer: cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est. Ouidius libro secundo Elegiar.

BROTHEVS Vulcani & Mineruæ filius, deformi facie dicitur fuisse.

Ob quam dum plerisque esset ridiculus, animi dolore se in rogum coniecit, teste Ouidio in Ibin:

Quódque ferunt Brotheum fecisse cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

THERSITES Græcus, ex Ætolia profectus ad Troiam, omnium qui ad Troiam nauigauerant deformosissimus & fœdissimus, altero oculo strabone, altero pede claudo, angustissimis humeris, ad pectus vsq; contractis, vertice acuminato, raro capillo, & eo impetigine astricto, describitur ab Homero lib.2. Iliados.

HIPPONACTIS poëte iambographi deformitatem suis tabulis expresserunt Bubalus & Antherinus pictores: eámque imaginem, quòd notabili esset vultus fœditate, proposuere in ridentium circulis magno suo malo. Indignatus Hipponax, vtrunq; suis Satyris tanto retaliauit fœnore vt ambo laqueo se præfocauerint. Plin.cap.5.lib.36.

Ferunt AESOPVM è Phrygia fabulatorem omnium turpissimum extitisse. Fuit enim nigerrimus, vnde illi datum nomen: nam Æsopus & Æthiops idem ferè significant. Corpore præterea gibbosus: verùm ingenio (quo deformitatem illam pensauit natura) clarissimus. Cæl.lib.8.cap.474.

HERMIPPVS poëta fuit Atheniensis, altero captus oculo. Volat.

Aiunt & CORYTHEVM quempiam fuisse hominem notissimæ deformitatis, quíque liberos susceperit patrem infelicissima forma referentes: vnde fluxit adagium, Corytheo deformior. Erasmus.

Aiunt SOCRATEM philosophum fuisse simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus. Propterea quum duæ vxores Xanthippe & Myrrho zelotypia quadam in contentionem venirent, illis inter se iurgantibus dicebat: Quid propter me iurgia simul exercetis, quē adeò deformem peperit natura? Rauis.

DYOCEVS claudus, luscus, omníque ex parte corporis deformis describitur, apud Iustinum lib.3.

PHILOPOEMENES, Achæorum dux omnium potentissimus, cum inuitatus ab amico, hora prandij aduenisset, & ob deformitatem oris, vestitúsq; vilitatem, seruus à matrefamiliâs iudicatus, interrogaretur, num herus ad prandium ferè iam paratum properaret? arrepta securi, ligna ad prandium citius parandum findere cœpit. Verùm iuuentus mox ab hospite, cum obiurgaretur, quòd rex potentissimus findendis lignis in hospitis ædibus daret operam: respondit, Pro deformitate oris, qua seruus ab hospita iudicatus falso esset, totius corporis se pœnas luere. Pontanus.

CRATES Thebanus, & philosophus Cynicus, cùm deformi esset corpore, in certaminibus tamē corpus suum denudare pro more pugnantiū, non erubuit. Verùm cum à spectatoribus ob id derideretur: De oculis, inquit, ô Crates, & reliquo corpore bono esto animo: mox enim videbis eos qui corpus tuum deforme modò turpiter deriderent, morbo contrahi, & omnibus viris destitui: & tum te beatum esse sentient, deformē quidem, sed sanum, robustum, & laboris patientem. Laert.lib.6.cap.5.

Antipater Hieropolites, quum dicturus esset Seueri Cæsaris FILIAM, forma parum felici: & familiarium quispiam interrogaret, quando laturus esset τὰ ἀνακαλυπτήρια (sic appellabantur munera, quæ sponsæ amici deferebant sponso tertio die, quo sponsa debebat exhiberi spectāda) Hermocrates lepidissimè respondit, ἐγκαλυπτήρια μὲν οὐκ ἀνακαλυπτήρια λαβοῦσ· id est, Encalypteria potius, quum talem ducat. ἀνακαλύπτω est retego, ἐγκαλύπτω tego. Quod deforme est, tegi magis oportet quàm retegi. Philostrat.in Sophistis.

Quidam in conuiuio videns VXOREM Anacharsidis: Vxorem, inquit, duxisti satis deformem. Cui Anacharsis: Prorsus ita mihi videtur: sed heus puer, infunde mihi plus, vt reddam eam formosam. Indicare voluit vir sapientissimus, vinum immoderatius potatum adimere homini rectum iudicium. Refert Athenæus lib.9.

SERVILIVS deformosissimos filios habuisse dicitur. Posteaquam enim apud Manlium pictorem cœnasset, filiósque deformes secū duceret, Seruilius inquit: Non similiter Manli fingis & pingis, &c. Macrobius.

Cicero quum VOCONIVM fortè obuiam haberet cū filiabus tribus, insigniter deformibus, tacitè ad amicos dixit versiculum Grecum:

Φοίβου γ' ἄκοντος ἔσπειρε τέκνα. id est:
Phœbo haud sinente hic seminauit liberos.

Sentiens, illum inuito Apolline liberis operam dedisse: siue quòd Apollo pulcher à poëtis fingitur, siue quòd oriente sole fœtus existiment concipi fœliciores. Plut.in Rom.Apophtegmatis.

De VESPASIANO patre narrat Suetonius, quum scurram multa in alios iacientem prouocasset, vt in se quoque diceret aliquid: Dicam, inquit, vbi ventrem exonerare desieris. alludens ad formam Cęsaris, qui faciem habebat cacantis. In cuiusmodi hominem iocus extat. Martialis.

Vtere lactucis, ac mollibus vtere maluis,
Nam faciem durùm Phœbe cacantis habes.

C.Iulius HELIO mancipi sæpius obstrepenti sibi, dixit: Etiam ostendam qualis sis: & Helio instanti, vt ostenderet qualis esset: Iulius digito demōstrabat Gallum in Mariano scuto Cimbrico depictum, nodis distortum, ciecta lingua, buccis fluētibus, cui manceps tum simillimus est visus. Taberna autem erat apud forum, ac scutum illud signi gratia positum. Ingens omnium risus consecutus est. Expectarant enim, vt aliquid in mores illius obiiceret. Eras.lib.6 Apoph.

Mart.lib.3.ait, VETVSTINAM tres habere dentes, tres capillos, pectus cicadæ crus formicæ, rugosam frontem, mammas aranearum cassibus pares, os rictibus crocodili simile, cantum ranarum & culicum, noctuæ visum, hirci fœtorem, & plerasque alias deformitatis inhonestas notas.

Martialis PHILENEM puellam luscam fuisse, & altero lippam oculo, videtur innuere lib.1. vbi ait:

Oculo Philenis semper altero plorat,
Quo fiat istud quæritis modo? Lusca est,

Item libro secundo.

Cur non basio te Phileni? calua es.
Cur non basio te Phileni? ruffa es.
Cur non basio te Phileni? lusca es.

Idem lib.12. ZOILI sui deformitatem sic depingit:

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

COLOMANVS rex Pannoniorum, post Ladislaum dicitur fuisse ore improbo, luscus, claudus, gibbosus, & lingua blæsus. Volat.

CAROLO octauo Gallorum rege, qui regnum nuper occupauit Neapolitanum, erat fœda quædam oris, & corporis totius deformis effigies: summa tamen animi fortitudo, digna rege liberalitas, humanitásque popularis. Pontanus lib.2.cap.34.

DEFORMES EX PARTE.

NARIBVS.

Theophrastus Eresius in Quendam Cassandri amicum simis naribus, iecit hoc scomma: Demiror, inquit, oculos tuos non canere, quū illis nasus sit additus. quòd nasus fistulę speciem prębeberet. Refert Plut.in Symposiacis. Laert.lib.5.cap.2.

ORE.

DORSO.

GALBA corpus habens gibbo deformæ, de quo vulgo iactatum est, Ingenium Galbæ malè habitare: quum apud Cæsarem causam agēs subinde diceret, Corrige me, Cæsar, si quid in me reprehendendū videris: Ego, inquit, Galba monere te possum, corrigere non possum. Corrigitur, quod reprehenditur: corrigitur, quod ex distorto fit rectum. Eras.lib.4. Apoph.

PEDIBVS.

DEMONIDES amissis furto crepidis, precatus est, vt eius qui sustulerat pedibus conuenirent. Visus est bene precari, quum illi magnum precaretur malū: videlicet pedes distortos, quales habebat Demonides. Plutarchus in Lac.

DAMON fuit pædotriba quispiam insigni claudicare deformis, qui quū crepidas retortis suis pedibus congruētes furto amisisset, imprecatus est, vt eius pedibus conuenirent, qui surripuisset. Cælius.

FORMÆ SIMILITVDO.

De similitudine oris, & totius corporis, altiore doctrina præditi subtilius disputant: eorúmque alij in ea sunt opinione, vt existiment illam origini & contextui sanguinis respondere. Nec paruum argumentum ex cæteris animalibus trahunt, quæ ferè gignentibus similia nascuntur. sic Hesiodus in ἔργοις *inquit,* τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν, *vbi de casto loquitur coniugio. Alij negant certam hanc esse naturæ legem: sed species mortalium, prout fortuita sors conceptioni obtulit, attribui, atque ideo plerunque ex speciosis deformes, ex robustis inualidos partus edi. Verùm quoniam ista quæstio in ambiguo versatur, pauca inter alienos conspectæ similitudinis exempla referemus. Val.Max.lib.9.cap.15. Huc referenda sunt quædam ex tit. Qui in clarissimas familias dolo se ingerere tentarunt.*

LIMYRNII vxores habent communes, & liberos communiter alūt, vsque ad annos quinque. Deinde sexto anno, pueris omnibus congregatis, similitudines ipsorum ad viros coniectant, & vnicuique similem tradunt puerum ceu parenti: quem ille acceptum pro filio educat. Stobæus serm.42. ex Nicolai historia de Gentium moribus.

PROCONNESIA ancilla, duplici adulterio geminos edidisse fertur, vtrumque patri suo similem. Solinus cap.4. Polyst.& Plin.li.7.cap.10. Exēpla huius loci pete ex Plinij lib.7.cap.12. Nat.hist.

SEMIRAMIS Nini primi Assiriorum regis vxor, omnium bellicosissima, liniamentis oris persimilis filio Nino: nudæ vtrique genæ, nec erat per ætatem dissona à puerili fœminea vox & statura corporis: nil, vel modicum, grandiuscula differebat à gnato. Eius itaque personam & sexum mentita, multis annis post mariti mortem Assyriis, magna cum laude & imperij incremento, imperauit. Diodor.Sic.lib.3. de Fab.antiq.gestis: Iustinus lib.1. Sab.lib.1. Ennead.1. Rhapsod. Boccat.li.de Claris mulieribus. cap.2.

Antiochus, qui Deus appellabatur, Laodicen vxorem duxit, ex qua natus est ei FILIVS Seleucus. Secundam duxit Berenicem, Ptolemæi regis filiam, ex qua relicto filio infante mortem obiit, successorémque regni Seleucum designauit. Laodice operam dabat, vt is qui ex Berenice genitus fuerat, circumuentus per dolum, è medio tolleretur. Berenice supplex ad multitudinem prodiit, misericordiam & auxilium à subditis flagitans. Qui verò interfecerāt puerum, ALIVM quendam interfecto simillimum produxerunt in populum, cúmque vt ille esse videretur, regio satellitio stipauerunt: Berenicę verò præsidium stipendiariorum Gallorū dederunt, locúmque ei regiæ firmissimum tradiderunt, & iusiurandum atque fœdus inibant. Aristarcho medico, quem secum Berenice habebat suadente, vt pacem cum eis faceret, credidit. At illi iuramento quasi stratagemate vsi, Berenicen statim adorti iugularunt. Quæ verò circa eam e-rant mulieres defensionem parantes, plurimæ ceciderunt. Panariste autē Mania, & Gethosyne, corpus Berenices obruentes terra, ALIAM quandam in lectum collocarunt, quasi illam adhuc viuentem, & vulnus acceptum ex eo sanaturam: ac tantisper subditos persuaserunt, donec accersitus ab ipsis Ptolemæus interfectæ parens veniret: & circummittens occisi filij & peremptæ Berenices quasi superstitum adhuc nominibus inscriptas literas, à Tauro vsque ad Indiam absque bello ac pugna superauit, vsus Panaristes stratagemate. Polyæn.lib.8.

Regi Syriæ Antiocho vnus ex æqualibus, & ipse regiæ stirpis, nomine ARTEMON, per quàm similis fuisse traditur: quem Laodice vxor Antiochi, interfecto viro, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo, perinde quasi ipsum regem ægrum collocauit: admissúmque vniuersum populū & sermone eius & vultu consimili fefellit: crediderúntq; homines, ab Antiocho moriente, Laodicen & natos eius sibi commendari. Val.Max.libro 9.cap.15.

BABYRTHAS patria Messenius, extremæ sortis homo, Dorymacho vultu & omnibus corporis lineamentis, voce denique ipsa tam similis fuit, vt si quis ei capitis ornatum, chlamydémq; illius addidisset, haud facilè fuisset, vter eorum esset, discernere. Vnde cùm ante Messeniorū bellum Dorymachus captus à Messeniis, ad Scyronem vrbis præfectum duceretur, ac nimium insolenter proceribus responderet, Scyron dixisse fertur: Putás ne, nobis te, seu temeritatem tuam curę esse Babyrtha? Polybius lib.4. Hist.fol.123.

Eximiæ nobilitatis adolescens CORN.SCIPIO, cùm plurimis & clarissimis familiæ suæ cognominibus abundaret, in seruilem SERAPIONIS appellationem vulgi sermone impactus est, quòd huiusce nominis victimario persimilis erat: nec illi aut morum probitas, aut respectus tot imaginum, quo minus hac contumelia aspergeretur, opitulata est. Valer. Max.lib.9.cap.15.

Generosissimus consulatus collegio LENTVLI & METELLI fuit, qui ambo in scenam propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter, ex quodam assectarum, cognomē Spintheris traxit: alter, nisi Nepotis à moribus accepisset, Pamphili retiarij, cui simillimus esse ferebatur, habuisset. Val.Max.lib.9.cap.13.& Plin.lib.7.cap.12.

HIBREAM Mylasium copiosæ atque concitatæ facundiæ oratorem, Gymnicorum seruo stramenta gymnasij colligenti tam similem fuisse ferunt, vt tanquam germanum fratrem totius Asię oculi assignarent, ita lineamentis oris & omnium membrorum compares erant. Val.

SCIPIO Serapio in eam appellationem venit, quòd similitudinem mancipij vilissimi Suarij cuiusdam negociatoris referret. Plin.lib.7.c.12.

Qùum M.Antonio triumuiro Toranius Mango DVOS pueros tanquā fratres vendidisset, quòd in omnibus simillimi erant, atque sermo postea indicasset, alterum in Germania, in Asia autē alterum ortum esse, Antoniúsque in eo fraudem sibi adhibitam quereretur, ac puerorum pretium reposceret: TORANIVS callido vir ingenio, ob id tanti se pueros vendidisse respondit, quòd cùm tam diuersis inter se regionibus orti essent, magis mira similitudo fuerit: quæ minus gratiæ haberet, si inter fratres (id quod vulgo natura haud tam raro impartitur) similitudo inuenta esset. Fulg.lib.9.cap.15.

QVIDAM Siculus, qui Rom. Prætori simillimus erat, Prætore dicente, mirari se, quapropter sui tam similis esset, cùm pater suus in eam prouinciam nunquam accessisset. At meus (inquit) Romam frequenter accessit. Ioco nanque lacessitam matris suæ pudicitiam, inuicem suspicione in matrem eius reiecta, audacius quàm virgis & securibus subiecto conueniebat, vltus est. Val.lib.9.cap.15.

Magno Pompeio VIBIVS ingenuæ stirpis, & Publicius Libertinus ita similes fuerunt, vt permutato statu, & Pompeius in illis, & illi in Pompeio salutari possent. Certè quocunque aut Vibius aut Publicius accesserant, ora hominum in se obuertebant, vnoquoque speciem amplissimi ciuis in personis mediocribus annotante. Ibidem.

Cn. Pomp. PATER eò vsque Menogenis coci sui similis esse visus est, vt vir, & armis pręopotens, & ferox animo, sordidum eius nomen repellere à se non valuerit. Ibid. & Plin.lib.7.cap.12.

M. MESSALA consularis & censorius, Menogenis: Curioque omnibus honoribus abundans, Burbuleij: ille propter oris aspectum, hic propter parem corporis motum, vterque histrionis nomen coactus est recipere. Ibidem.

CASSIVS Seuerus orator adeò Mirmilloni armentario similis fuit, vt ei pro crimine obiiceretur. Plin.lib.7.cap.12.

Cn.Pompeius Alexandro Macedoni faciei effigie similis habitus fuit, & interdum etiam Alexander appellatur. Itaque L.Philippus, vir consularis, Pompeio patrocinans, nihil se à ratione alienū facere dicebat, quòd Philippus ipse Alexandrum diligeret. Plut.in eius vita.

M. ANT. triumuir liberali vultu, & barba non indecenti, faciéque lata, & nasi adunciate Herculi similis erat: à quo Antonij genus suum trahere, prognati à filio eius Anteone, dicebātur. Quoties etiam in conspectum multitudinis prodibat, tunicam ad femur cingulo adstringebat, sago denso velabatur, & magno se gladio accingebat. Plut.in eius vita.

IVVENIS quidam Romam venit, forma corporis tam similis Augusto, vt omnem populum spectaculi admiratione suspēderet. Augustus re audita, ad se iuuenem euocatum interrogauit: Fuit ne vnquam, ô adolescens, mater tua Romæ? sensit ille quò pergeret, &, Minimè (inquit) mater, at pater meus sæpè. Facetè & illatam suspicionem repulit, & nouam peperit: & hæc quidem historia sic in Saturnalibus tradita est. Valerius autem Maximus lib.9.cap.15 non Augusti, sed innominati prætoris: neq; matris, sed duorum patrum mentionem facit: pręterea non Romę, sed in Sicilia interrogatum responsúmue commemorat. Percūctante enim magistratu Romano quendam eius prouinciæ, sibi forma corporis simillimum, & mirari se dicente, vnde hæc tanta similitudo, cùm pater suus nūquam in Sicilia fuisset: ille respondit. Pater meus sæpe Romam venit.

CLEMENS quidam Agrippę seruus, domino, quantū ad liniamēta oris attinet, planè persimilis, cùm se Agrippam esse diceret, atque eo pacto magnam pecuniam conflaret, comprehensus tandem à Cęsare Tiberio, interrogatúsque, quomodo Agrippa factus esset? Eodem (respondit) modo factus sum Agrippa, quo tu Cæsar Romanus. sentiens, Tiberium fraude imperatoriam dignitatem esse nactum Dion in Tiberio.

SVRÆ olim in Sicilia proconsuli, piscator omni ex parte tam similis fuit: vt non oratione tantum (balbus enim erat) verùm in gestu quoque dum rideret, non similis Suræ, sed Sura videretur esse: effigiésque ipsa adeò Suram ipsum repræsentaret, vt si vestium discrimē tolleretur, discerni inter se non possent. Fulgos.lib.9.cap.15.

SPORVS Neronis imperatoris libertus, Sabinæ formosissimæ fœminæ ab imperatore adamatæ fuit persimillimus. Quam adeò omnibus lineamentis referebat, vt eum exsecari iusserit Nero, quo Sabinæ loco pro vxore turpiter eo vteretur. Xiphilinus in Nerone.

Inter recentiores æui homines, inuenti sunt nonnulli, inter se discretā penè similitudinem habere. Vidimus nos FRANCISCO Sfortiæ Mediolanensi duci, cuius aspectu nihil gratius, nihil principe magno dignius erat, iuuenem in leui ipsius armatura vultu adeò similem, vt aulæ totius consensu, ob eam similitudinem cognomento Princeps appellaretur: cū Franciscus, vtpote omni in re humanissimus, non sine voluptate in eo tāquam in speculo imaginem suam, ac plerisq; in rebus gestus suos, ac vocem agnosceret, & nonnunquam contemplaretur. Fulg.lib.9 ca.15.

SIGISMVNDVS Malaresta, Ariminensis princeps, adeò effigie Marchesino mimo persimilis fuit, vt cùm Mediolanum peteret, à socero ipsius Francisco Sfortia Mediolanensi duce Marchesinus (eius enim suppudebat) aliò ablegaretur: nam aliquanto dicacior Marchesinus, ob similitudinem, Sigismundum filium suum esse dicebat. Ful.lib.9.cap.15.

Io.Oporinus typographus Bas. HENRICO VIII. regi Angliæ, maximè verò Marchioni ALBERTO Brandenburgensi adeò similis fuit facietenus, vt germani fratres videri possent. Quantum verò in cæteris dissimiles fuerint, nostrum non est in præsentia explicare: ne cum viro principe priuatum hominem contulisse videar. Est tamen & in hoc ipso similitudo quædam, quòd alter bellis Germaniam, alter libris Christianum orbem repleuerit.

SENES LONGÆVI.

Magna pars mercedis Mosaicę legis in lōga vita cōsistere videbatur. Vnde ait Moises: Oculi vestri viderūt oīa opera Domini magna, quæ fecit, vt custodiatis vniuersa mādata illius, quę ego hodie pręcipio vobis, vt possi

tis introire, & poſſidere terram ad quam ingredimini, multóque in ea viuatis tempore. Deut.11.

ADAM annos natus 130. procreauit Sethum, & ſuperuixit 80. annos alios interim liberos vtriuſque ſexus procreans.

SETHVS anno ætatis 100. genuit Enoſſum, & ſuperuixit 807.

ENOSSVS 90. annorum, procreauit Cenanem: & poſtea vixit 815.

CENAN 70. genuit Mahalaleelem, & ſuperuixit 840.

MAHALEEL 65. genuit Iaredum, & vixit poſtea 830.

IAREDVS 162. genuit Enochum, & ſuperuixit 800.

ENOCHVS 65. Mathuſalam, & poſt 300. annos à Deo ſublatus nuſquam extitit.

MATHVSALA 187. genuit Lamechum. Superuixit 782.

LAMECHVS 182. Noachum procreauit. ſuperuixit 595.

NOACHVS 500. genuit Semum, deinde Chamum & Iaphetum. Ex Geneſ. cap.5. Superuixit 400. annos. Geneſ.9.

SEMVS filius Noachi anno centeſimo ætatis biennio poſt diluuium, genuit Arphaxadum, & vixit poſtea 500. annos. Arphaxadus 365. eius filius Cainan 533. Cainan genuit Salam, qui anno 39. genuit Hebrem, & ſuperuixit 403. Heber anno 54. genuit Phalegum. ſuperuixit 430. Phalegus anno 30. genuit Reum: ſuperuixit annos 209. Reus anno 32. genuit Sarugum vixit poſtea 207. Sarugus anno 30. genuit Nachorem, vixit poſtea 200. Nachor anno vigeſimonono genuit Tharam: ſuperuixit 119. Thara Abrahami pater ex Vre Chaldæorum in Chananæam migrans, anno ætatis 205. moritur. Geneſ.11.

ABRAHAMVS 175. annos natus, obijt Geneſ.25.

ISMAEL Abrahami ex Agare ancilla ſpurius, 130. anno vita functus eſt. Geneſ.25.

ISAACVS patriarcha 180. annorum obijt, & à filijs Iacobo & Eſao ſepultus eſt. Geneſ.35.

MOSES propheta centum ac viginti vixit annos: quem per id tempus nullum corporis languorem ſenſiſſe, pro explorato habetur: quin potius & colore & pelle ſe annum quinquageſimum non ſuperaſſe, oculis atque alijs ſenſibus pollens videbatur. Frater autem eius Aaron, quãquam viribus imbecillior, centum ac triginta attigit annos. Fulgoſius lib. 8. cap.14.

CALEPH octoginta quinque fuit annorum, attamen nullum omnino corporis nec animi defectum ſentiebat, vt ipſe fatetur. Ioſue 14.

IOB iuſtus ex terra Hus vſque ad annum centeſimum octogeſimum tertium vixit. Hieronymus apud Volaterranum libro decimoſexto Anthropologiæ.

IVDÆORVM pontifex Ioiadas, quanquam iam permultum ætas hominum declinaſſet, mortuus eſt, cùm cẽtum ac triginta annos expleuiſſet. Fulg.lib.8.cap.14.

SIMON Cleophe, ſecundus Hieroſolymarum epiſcopus, ſub Traiano principe crucifixus fuit, ſatis robuſtus, cùm iam centum & viginti ageret annos. Ibidem.

ESSÆI (vt author eſt Ioſephus belli Iudaici libro ſecundo, capitulo ſeptimo) viuunt quàm longiſſimè, ita quidem vt ad centenariam ætatem communiter deueniant, propter ſimplicitatem victus. Ibidem.

TITHONVS (vt fabulantur poetæ) ab Aurora adamatus, & in cœlum relatus, illiúſque ſucco perfuſus, ad tantam peruenit ſenectutem, vt tandem optauerit verti in cicadam. *Statius* lib.4 Syluarum:

Annos perpetua geres iuuenta,
Quos fertur placidos obiſſe Neſtor:
Quos Tithonia computat ſenectus.

Iuuenalis Satyra 10.

Rex Pylius (magno ſi quicquam credis Homero)
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.
Felix heu nimium, qui per tot ſecula mortem
Diſtulit, atque ſuos iam dextera computat annos.

SIBYLLÆ Cumanæ diuturnam vitam aſcribit Ouidius libro 14. his verbis:

---Nam iam mihi ſecula ſeptem
Acta vides: ſupereſt numeros vt pulueris æquem.
Tercentum meſſes, tercentum muſta videre
Tempus erit, quum de tanto me corpore paruam
Longa dies faciet, conſumptáque membra ſenecta.

De ea Statius libro 1.

---Tu Troica dignus
Secula, & Euboici tranſcendere pulueris annos.

Fertur enim annos ab Apolline petijſſe pro numero pulueris, quem manu prehenderat.

Cælius ſcribit Marin quendam vixiſſe annos 123. cuius antica corporis humana fuerint, poſtica equina.

CYNIRAS rex Cypriorum 160. Impetris Pulutiniorũ inſulæ rex 800. Eius Filius 600.

ÆTHIOPES Macrobij plerique ad centũ viginti annos perueniunt. Hoc beneficij videntur habere ex fonte, cuius aqua adeò inualida eſt, vt in ea nihil innatet, ſed omnia ſubmergantur, quam aſſiduè bibunt. Herod.lib.tertio.

CIRNI, qui Corſicam incolunt, viuunt annis centenis quadragenis.

Hellanicus ait, quoſdam ex gente Epeorum, quæ eſt pars Ætoliæ, ducentos explere annos, eíque ſubſcribit Damiates: hoc amplius affirmans, Litorium quendam ex his maximarum virium, ſtaturæque præcipuæ, trecenteſimum annum cumulaſſe. Val.Max.lib.8.cap.14.

EPIMENIDEM Cnoſium Theopompus dicit ſeptem & quinquaginta & centum annos vixiſſe. Val.Max.lib.8.cap.14. Laert. ex Phaſgone: at Cretenſes eum 299. vixiſſe aiunt.

NESTOR, Nelei filius, & Pyli rex (vnde Pylius eſt vocitatus) trecentos vixit annos. Guido Bitur.

AGESILAVS Lacedæmonius, vir maxima authoritate, iam ſumma ſenectute grauatus, ſæpe per brumam viſus eſt diſcalciatus ac ſine tunica incedere, nullam aliam ob cauſam, quàm vt iam ſenex iuuenibus patiẽtiæ daret exemplum. Ælianus de Varia hiſtoria. Volater.lib.13. capite tertio Anthrop.

MILONEM Crotoniatam, memorię proditum eſt, cùm iam ſenex eſſet, athletáſque ſe in curriculo exercẽtes ſpectaret, ſuos lacertos intueri cœpiſſe, illachrymantémque dixiſſe: At hi quidem iam mortui ſunt. Sentiens ſenectutis ſuæ incommoda, viriúmque ex ſanguinis defectu imbecillitatem. Cælius Rhod.lib.19.cap.20.

CLEANTHES Aſſius philoſophus, ad quendam contumeliæ cauſa obijcientem ſenectutem: Et ego, inquit, abire cupio: verùm vbi reputo me omni ex parte ſanum, ſiue legendum eſt, ſiue ſcribendum, rurſus maneo. Significans, ſe quidem haudquaquam eſſe vitæ cupidum: verùm ob ſenectutem neminem debere è vita decedere, donec vires ſuppetunt ad vitæ munia. Laert.lib.7.cap.2.

SOPHOCLES iam extremæ ſenectutis, à filijs accuſatus eſt dementiæ. At is pro apologia iudicibus recitauit fabulam, quam proximè ſcripſerat: rogans, num ea videretur delirantis. Fertur & hoc dixiſſe: Si ſum Sophocles, non deliro: ſi deliro, non ſum Sophocles. Sentiens, in eruditis ac ſobrijs animi vim non elangueſcere, ſed reuigeſcere potius vſu & exercitatione. Eraſ.Rot.lib.8.Apoph.

DEMOCRITVS Abderites, ſtudioſiſſimus, atque idem doctiſſimus philoſophus, omnem ætatem contemplando inueſtigandóque conſumpſit, ſolus in magna rerum inopia vitam ducens: & tamen centum ac nouem annos attigit, non morbo, ſed longo ſenio mortuus. Quæ res experimento oſtendit, ſtudia, minimè tempora de hominis vita deducere, ſed eam incolumen ac longam præſtare. *Fulg.lib.8.cap.14. Cic.in* 5. Tuſc.

HIPPOCRATES Cous medicus, vixit apud Perdiccam Macedoniæ regem, exceſſit annos natus CIIII. Lariſſæ. Volat. libro 16. Vrbanorum commentariorum.

GALENVS Pergamenus, medica arte vir excellens, nos docuit, quãtum arte ſua poſſet: ſemper enim proſpera valetudine vſus eſt. & cùm deceſſit, nullo antè morbo correptus eſt, ætate vſque ad cẽtum ac quadraginta annos producta. Fulg.lib.8.cap.14.

ANTIPATER Sidonius poeta, vno tantùm die natali ſingulis annis febre corripiebatur: eóque morbo longa ſatis ſenecta conſumptus eſt. Guido Bitur.

GORGIAS Leontinus, Iſocratis, & complurium magni ingenij virorum præceptor, ſua ſententia feliciſſimus. Nam cùm centeſimũ & ſeptimum ageret annum interrogatus quapropter tam diu vellet in vita remanere? Quia nihil (inquit) habeo, quod ſenectutem meã accuſem. Quid iſto tractu ætatis aut lõgius aut beatius? Iam alterum ſeculum ingreſſus, neque in hoc querelam vllam inuenit, neque in illo reliquit. Val.libro 8. cap.14. & Philoſt. in Sophiſtis: & Cic. in Catone Maiore.

Biennio minor Xenophilus Chalcidenſis Pythagoricus, ſed fœlicitate non inferior, ſiquidem (vt ait Ariſtoxenus muſicus) omnis humani incõmodi expers, in ſummo perfectiſſimæ ſplendore doctrinæ extinctus eſt. Val.Max.lib.8.cap.14. Plin.lib.7.cap.50.

ISOCRATES quarto & nonageſimo anno vitæ librum edidit, quem Panathenaicum inſcripſit: ſuperfuit operi annos quinque, fuítque extrema ætas par ſuſcepto labori, *viribus*, iudicio, memoria. Quæ omnia niſi illi abundè affuiſſent, nunquam in tantum ęui profectus tam ſeria ſcribere potuiſſet. Sab.lib.1.cap.7.

Alexander Cornelius in eo volumine, quod de Illyrico tractu compoſuit, affirmat Dandonem quendam ad quingenteſimum vſque annum nulla ex parte ſeneſcentem proceſſiſſe. Sed multo liberalius Xenophõ, cuius περὶ γήρως legitur, is enim Latinorum Regem octingentis vitæ annis donauit: at ne pater eius parum benignè acceptus *videretur*, ei quoque ſexcentos aſſignauit annos. Val.Max.lib.8.cap.14.

ARCANTHONIVS Gaditanus, ſiue Tarteſſius, tam diu regnauit quamdiu etiam ad ſatietatem vixiſſe abundè foret. Octoginta enim annis patriam ſuam rexit, cum ad imperiũ quadraginta annos natus acceſſiſſet: cuius rei certi ſunt autores. Aſinius etiam Pollio non *minima pars* Rom. ſtyli, in tertio Hiſtoriarum *ſuarum* libro, centum illum & triginta annos expleuiſſe commemorat, & ipſe numeroſę viuacitatis haud paruũ exemplum. Val.Max.lib.8.cap.14.

DEMONAX *Hadriani* tempore philoſophus, deceſſit ferè centenarius, funeratus publicè magna ciuium frequẽtia, teſte Luciano, & Volat. lib.15. Anthrop.

PANDORÆ Indiæ populi, vt refert Cteſias, in conuallibus ſiti, ducentos viuunt annos, in iuuenta candidos habẽtes capillos, *in ſenectute* nigros. Plin.lib.7. Val.lib.8.cap.14.

MVSICANI Indiæ populi, centum & triginta annorum ætatem agunt, Seribus tamen vita eſt aliquanto longior. Sabellicus.

HYPERBOREI, gens innocentiſſima, iuſtiſſimáque mortalium, longioris beatiorísq; vitæ bellorum expers, neſcia iurgiorum, *ocióq;* ſemper pacifico fruens, ac habitans inter *lucos* & ſolitudines. Mela & Plin.

CYRVS in eo ſermone, quem moriens habuit, quum admodum ſenex eſſet, negat ſe vnquam ſenſiſſe ſenectutẽ ſuam imbecilliorẽ factam, quàm

quàm adoleſcentia fuiſſet. Xenophon & Cæl.Rhod.lib.19.cap.20.

Iungam his duos reges, quorum diuturnitas Reipublicæ Rom. fuit vtiliſſima. Siciliæ rector Hiero ad nonageſimum annum peruenit: MASINISSA rex Numidiæ, hũc modum exceſſit, regni ſpacium ſexaginta annis emenſus, & ante omnes homines robore ſenectæ admirabilis. Cõſtat eum (quemadmodum Cicero refert libro, quẽ de Senectute ſcripſit) nullo vnquam imbri, nullo frigore vt caput ſuum veſte tegeret, adduci potuiſſe. Eundem ferunt aliquot horis in eodem veſtigio perſtare ſolitum, non antè moto pede, quàm conſimili labore iuuenes fatigaſſet: ac ſi quid agi à ſedente oporteret, toto die ſæpenumerò nullam in partem conuerſo corpore in ſolio duraſſe. Ille verò etiam exercitus equo inſidens, noctem die plerunque iungendo duxit, nihilque omnino ex iis operibus, quæ adoleſcẽs ſuſtinere aſſueuerat, quo minus in ſenectute ageret, omiſit: Veneris etiam vſu ita ſemper viguit, vt poſt ſextum & octogeſimum annum filium generaret, cui *Methymato nomen fuit*. Terram quoque, quam vaſtam, & deſertam acceperat, perpetuo culturę ſtudio frugiferam reliquit. Val.lib.8.cap.14. & Plin.lib.7.cap.48.

MITHRIDATES rex Ponti, ad vltimum vitæ tempus equitabat, iaculabatúrq; & per mille ſtadia, diſpoſitis per interualla equis, vna die diſcurrebat, currus ſex & decem equis agitauit.

APPII Claudij Cæci æuum clade metirer (quia infinitum numerum annorum orbatis luminibus exegit) niſi quatuor filios, quinque filias, plurimas clientelas, rem denique publicam hoc caſu grauatus fortiſſimè rexiſſet. Quin etiam feſſus iam viuẽdo, lectica ſe in curiam deferri iuſſit, vt cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc Cæcum aliquis nominet, à quo patria, quod honeſtum erat per ſe parum cernens, coacta eſt prouidere? Val.lib.8.cap.14.

M.Furius CAMILLVS ætate iam longè exacta, grauia & periculoſa obiuit bella: non minori conſilio & conſtantia, quàm cùm integra fuit ętate. Sab.lib.1.cap.7.

M.VAL. Coruinus, tribunus militum, ſub Camillo reliquias Senonum perſequente, centeſimum annum compleuit, cuius inter primum & ſextũ conſulatum quadraginta ſex anni interceſſerunt: ſuffecítque integris viribus corporis, non ſolùm ſpecioſiſſimis Reipub. miniſteriis, ſed etiam exactiſſimę agrorum ſuorum culturæ, & ciuis & patris familiæ optabile exemplum. Val.lib.8.cap.14. & Plin.lib.7.cap.84.

Huius vitæ ſpacium æquauit L.METELLVS, quartóque anno poſt cõſularia imperia ſenex admodum pont. max. creatus, tutelam cærimoniarum per duos & viginti annos, neque ore in votis nuncupãdis hęſitante, neque in ſacrificiis faciendis tremula manu, geſſit. Val.li.8.cap.14. & Cęlius libro.19.cap.20.

M.PERPENNA, omnibus quos in Senatu rogauerat, ſuperſtes fuit: ſeptémque tantummodo, quos Cenſor collega L.Philippi legerat, è patribus C. reliquos vidit, toto ordine ampliſſimo diuturnior. Val.lib.8.capite 14.

Q.Fabius Max. duobus & ſexaginta annis auguratus ſacerdotium ſuſtinuit, robuſta iam ætate id adeptus. Quę vtraque tempora ſi in vnum conferantur, facilè ſeculi modum expleuerint. Ibidem. & Plin.libro 7. capite 48.

LVCEIA Mima, ludis Romæ cantauit, cùm centum annos ageret. Itẽ GALERIA Copiola Emboliaria, à Pompeio Sulpitióque conſulibus, cùm iam centum ac quatuordecim annos ſuperaret, ludis, qui pro Auguſti ſaluti voti erãt, iterum conducta fuit: quam exploratũ erat multo antè, Mario & Carbone conſulibus, à Marco Pompeio ędile conductam fuiſſe. Fulg.lib.8.cap.14.

EVPHRANOR grammaticus Latinus, cuius diſcipulus fuit Appion, centeſimum excellit annum, & per eam adhuc ætatem docere ſolebat. Guido.

Ouidius PATREM ſuum 90 annos vixiſſe, ait libro 4. Triſtium, dicẽs:

Et iam complerat genitor ſua fata, nouémque
Addiderat luſtris altera luſtra nouem.

POLLIO Romulus, qui centeſimum exceſſerat annum, Auguſto percontanti, qua tandem ratione illum corporis animíque vigorem ſeruaſſet? Intus (inquit) mulſo, foris oleo. Tradit Plinius, naturã hominibus duos dediſſe liquores optimos, oleum foris adhibendum corpori, vinum intus. Mel autem ob humidam calidámque vim, admodum ſenibus accommodum eſt. Nunc mel in totum à menſis ſubmouimus, & oleum corpori infundimus. Eraſ.lib.8 Apoph.

Apollonij Tyanæi AVVS, philoſophus, annos centum ac triginta vixit: vt teſtis eſt Philoſtratus in vita Apollonij, & Volat.lib.13.ca.4. Anthrop.

Exceſſit cẽtum annos, quemadmodum nonnulli ſcribunt, APOLLONIVS Tyanæus philoſophus, aſpectu minimè ſenium fatente: item L. ANNEVS Seneca Cordubenſis centum ac quatuordecim impleuit annos: permulti etiam plus eum vixiſſe putant: viuendi modeſtia & ipſe & Apollonius ad eam ætatem perducti. Fulgoſ.lib.8.cap.14.

ORBILIVS Beneuentanus, grãmaticus Ciceronis tempore inſignis, & plagoſus, vixit propè ad cẽteſimum annum, amiſſa iampridem memoria. Teſtis eſt Tranquillus de claris Grãmaticis: & Volat. libro 17. Anthropologiæ.

Mirum in AVGVSTO notari poteſt, quòd cùm primus fuerit, qui Imperatoris nomen atque titulum ſibi ſumpſiſſet, ſex ac quinquaginta annos imperium rexit: & poſt eum, in tanto numero veterum imperatorum nullus (quanquam in eis aliqui tenera adhuc ætate ad eum honorem aſcendiſſent) in adminiſtratione eum *annorum numerum* impleuerit, etſi inter recentiores quidam ſatis propè acceſſerint. Fulgoſ.libro 8. cap.14.

T.FVLLONIVS Bononienſis, in Claudij principis cenſura, dinumeratis ab eo diligenter annis, ne qua ineſſet fraus, inuentus eſt annos centum ac quinquaginta ſuperaſſe. *Plin.*lib.7.cap.48.

Eo cenſu, quem Veſpaſianus pater, & Titus filius habuerunt, Bononiæ inuentus eſt L.Terentius centum annos impleuiſſe. Ibidem.

Eodem cenſu, ſimiliter Parmentiæ TRES inuenti fuerunt, centum ac viginti annos attigiſſe. Item Placentiæ vnus, centum ac triginta impleuiſſe. Brixelli alius 25.

Præterea eo cenſu quo tota Italia cenſa fuit, apud oppidum VELLEIACIVM in Placentino agro, ſex inuenti ſunt, centum ac decem annos vixiſſe, quatuor *ducentos ac viginti*. Ibidem.

L.TERTVLLA Ariminenſis, Veſpaſianorum cẽſu, centum ac triginta ſeptem annos habere. Item alia Fauentiæ, duos ſuprà centum atque triginta. Ibidem.

SAMVLLA, vt Aſconius Pedianus ſcripſit, mortua eſt, cùm centum ac tredecim ageret annos. Ibidem.

ANNIVS TACITVS iam ſenex, maxima tamen authoritate vir, poſt Aurelij Imperatoris mortem, Metio Falconio maximè adhortãte, in imperatorem electus eſt, licet plurimùm propter ætatem ſe excuſaret: vt eſt apud Suetonium, Optatianum, & Flauium Vopiſum, qui eius vitam ſcripſere.

GORDIANVS iam ſenex in Imperatorẽ electus eſt. Ille verò è grabbato ſurgens, imperium oblatum detrectat, humi protectus ſupplicando: tandem verò minis compulſus eſt rem ſuſcipere. Volater. libro 23. Anthropologiæ

IOANNES Eques de Tampes, Gallus, qui cum Carolo Magno militauit, cùm iam vnum & ſexaginta ſuprà trecentos annos vixiſſet, imperante Contrado ſecundo, Salutis anno ſupra mille centeſimo quadrageſimo ſexto, deceſſit. Eius, itémque aliorum (de quibus eſt dictum) exemplo, ſatis intelligi poteſt, nulla re certius mortem acceſſiri, quàm ſenio: nã aduerſa valetudo, vt grauis ſit, perſæpè tamen curatur, incendia comprimi poſſunt, ne homines ac alia abſorbeant: ruinis *occurri* poteſt, vt lęſius agant: mare quos abſorbet, nonnunquam viuos adhuc reuomit: carnificẽ ſæpe à cæde vel imperium reuocat: ſed ſenij nũquam alius, quàm mortis eſſe finis viſus eſt. Quamobrem quia homini permiſſum non eſt vt ſemper viuat, quod viuendi diuturnitate ei eſt ademptũ: id alia arte, id eſt gloria atque fama, vt reſarciatur, ſtudere debet. Fulgo.lib 8.cap.14. & Ritius lib.2. regum Francorum, qui Ioannem de Temporibus vocant.

Scribit GVIDO Bonatus, aſtronomus ingentis doctrinæ. Salutis anno ducenteſimo vigeſimotertio, ſupra mille, hominem à ſe *viſum*, nomine RICHARDVM, qui ſe cum Carolo Magno ſtipendia feciſſe dicebat, & iam quadringenteſimum annum vixerat. Fulg.lib.8.cap. 14. & Egnatius eodem.

Occultum quidem, cæterùm iuſtum ſemper Dei iudicium eſt, ſiue premia, *ſiue* pœnas, aut ſua, aut aliena manu mortalibus irrogat: vel ob aliam cauſam, quæ homines latet, quibuſdam longius quàm aliis vitam extendat, quanquam non modò non ſobriè viuant, ſed inter epulas ac vina ætatem agant. Itaque perſæpè contingit, vt de eis iudicando homines fallantur, quia diuini iudicij profunda intueri nequeant: interdum quoque quorundam corpora tam robuſtè compacta ſunt, vt quamuis eos in viuendo temperantia nulla tueatur, tamen minus robuſtos, qui modeſtius vitam ducunt, viuendi longitudine excedant: quos credibile eſt longius *victuros fuiſſe, ſi vt corporis viribus* magis valebant, plus etiam ſtudij, vt temperantius vitam agerent, elaborare voluiſſent. Vtriuſque rei exempla, in ATTILA Hunorũ rege perſpecta ſunt. Hic crudelitate inſignis, anno Salutis quadringenteſimoquadrageſimoquinto deceſſit, cũ annos ętatis ſuę centũ ac quatuor & viginti impleuiſſet: tam diu fortaſſe Dei numine ſeruatus, vt corruptos Imperij mores, poſteaquam leniter non corrigebantur, Attilæ ſeuitia mulctaret. Ful.lib.8.cap.14.

Vixit GARTIVS Aretinus vſq; ad annos centum ac quatuor, proſpera ſemper vſus valetudine, deceſſitq; nullo antè affectus morbo qui appareret, niſi quòd aliquantiſper debilitatas vires ſentiebat: quemadmodum Petrarcha ſcriptum reliquit, cui Gartius paternus fuerat proauus. Fulgoſ.lib.8.cap.14. & Egnat.eodem.

Egnat.lib 8.cap.4. Franciſcum Donatum Venetorum ducem, 84 ætatis anno integris viribus adhuc Reipub. operam dediſſe ſcribit, Pariter & THOMAM Contarenum D.Marci procuratorem annos 96 natum, Franciſcum quoque Molinum poſt 100. ętatis annum procuratoria dignitate exornatum teſtatur.

Multa ſunt Animalia, vitã hominis longè ſuperantia, vt cornices, cerui, corui, phœnices: vincuntur tamen à NYMPHIS. De quibus ſic apud Eraſmum ſcribit Heſiodus:

Ter binos deciéſque nouem ſuperexit in annos,
Iuſta ſeneſcentum quos implet vita dierum:
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus.
Alipedem ceruum ter vincit coruus: at illum
Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales:
Quam nos perpetuo decies præuertimus æuo
Nymphæ Hamadryades, quarum longiſſima vita eſt.

HOMINES BREVISSIMÆ VITÆ.

Consule tit. Eorum qui Morte intempestiua & immatura sunt extincti, quoniam magna de illis adhuc expectari poterant. Nos hic solam vitæ breuitatem consideramus: illic verò causam cur longiore vita digni fuerint, vnà tacitè complectimur.

Apud Indos Padæos nulli ferè senes conspiciuntur: quoniam ægrotos similiter & senes occidunt, eísque vescuntur. Herod.lib.3.

CALINGI Indiæ populi, octauum vitæ annum non excedunt, quinto concipiunt. Rauisius.

QVI IN PRIMIS ANNIS EXTINCTI SVNT.

Consule tit. Mortis immaturæ. Illic enim mortis habetur ratio: hic verò vitæ breuis. Vide etiam tit. *Pueri expositi ij.*

MIRO MODO SERVATI, ET A MORTE LIBERATI.

Qui à præsenti nece miro modo eripiuntur, & mortem subterfugiunt, magno corporis bono affecti esse iudicantur. Causa autem huius liberationis fortuita esse videtur. Subiectum igitur inter corporis bona referri debet: causa verò inter externa & fortuita bona connumerari poterit. Sic namque in reliquis etiam bonis fortuna interdum locum habet. Porrò exempla quædam huic loco inseruientia ex tit. Puerorum expositiciorum: item, Eorum qui ab animalibus nutriti sunt & educati, colligi poterunt. item ex tit. Mansuetudinis belluarum erga homines. item, Variorum salutis præsagiorum ex somnijs, ominibus, &c. item, Diuino iudicio absoluti. item ex tit. Charitatis erga inimicos religiosæ.

Diuina prouidentia Moses, vt omnem Israelis progeniem seruaret infans seruatus est: quem parentes crudelissimo Pharaonis edicto subacti, alueo inclusum, in profluentem abiecēre. Reddidit eum terris tumidus amnis, tanquam fatorum conscius: redditum regiæ aulæ intulit fatalis necessitas, vt vnde illi nuper mortis tenebræ intendebantur, regalia sint alimenta exhibita: & quæ nuper domus exitio illi penè fuerat, eadem ad imperium extolleret. Sab.lib.1.cap.2.

Affuit & Ochoziæ filio Iohæ cœli numen, quum omnes à Dauide oriundi, crudelissimo Athaliæ imperio vno tempore sint ferro dediti. Infans mediæ cædi subtractus, pientissimæ amitæ cura tamdiu occultè seruatus est, donec puerascere incipiens, magno hominum consensu in auiti sit regni fastigium restitutus. Ibidem.

Impium & execrabile sit opinari, quæ in Christo recens nato euenerunt, casu & non diuinitùs contigisse. Enimuerò licet ipse Deus esset, atque idem rex regum, omniúmque rerum conditor: cæterùm humanitate amictus, tam salutare mysterium interpolari potuisset, nisi tres illi magicæ disciplinæ affectatores, qui peregrè cum muneribus ad eum venerant, per quietem moniti essent, ne ad Herodem reuerterētur, qui capitaliter puero imminebat. Frustra humanum genus laborat in ijs, quæ prouidentia diuina fiunt. Quid Ægypti latebra Iosepho in somnis demonstrata, quàm in eo non obscura numinis voluntas apparuit? Necari non potuit is, qui vt vnus periret, multa puerorum millia perijsse simul constat. Ibidem.

Mirum fuit quod prophetæ Ionæ euenit, qui cùm ab Ioppe Tarsum versus nauigaret, & orta graui tempestate iactis sortibus ipse inuentus is esset, cuius culpa tempestas orta erat, fassus quòd contra Dei imperium vrbem Niniuen fugeret, in mare à nautis, vt periculum ipsi euaderent, præcipitatus est. Sed cùm Cete ingens ipsum deuorasset, tertio die post ad Euxinum mare incolumem eum in sicco reuomuit. Fulgos. lib.1. capite sexto.

HERCVLES, si poetica fides in his recipienda est, quum in crepundijs infans iaceret, nouercalibus est anguibus petitus: potuítque facilè obnoxia iniuriæ ætas vi subita extingui, nisi tantus ille à cunabulis fuisset, quantum eum esse oportuit, qui omnium terrarum monstra adultus sustulit. Sab.lib.1.cap.2.

IOLE Herculis vxor cùm connubio reiecta esset à marito, è muro sese deiecit. Verùm cùm vehemens ventus amictum quasi sinum inflasset, illæsa descendit: vt scriptum reliquit Nicias Malcota: & Plutarch. capite 27. Parall.

PERSEVS Arcæ ab Acrisio cum matre inclusus Danae, beneficio piscatoris vixit. Adultus cùm in maximam spem ob egregiam indolem venisset, & aui iniuriam vltus est: & suo euentu comprobauit, nullos fermè mortalium in reliqua vita clariores fortunæ benignitate, quàm quos illa à primo statim ortu veluti sæuissima nouerca videatur abiecisse: tanquam enim suę potestatis ostentandæ cupida, eos potissimùm ab initio periculis obiectat, quos ad rerum summam felicitatem euehere mater indulgentissima postea facta velit. Sab.lib.1.cap.2.

SEMIRAMIS fœmina illustris, simili casu infans penè prius periclitata est, quàm in lucem edita. Iacuit infans circa Syriæ stagnum, vel alimoniæ defectu mox interitura, nisi aues, stagni accolæ, iaccti alimenta peropportuna ministrassent. Hinc sublata, inter regios pastores alita, adulta regia fit coniunx: demum sub aliena persona non modò regnum tenuit, sed insigniter etiam auxit. Tanta fuit vna in fœmina indoles, tanta fatorum vis, omni indole potentior. Sabell. libro 1. capite 2. ex Diodoro Sic.lib.3.

TIRGATAO à duobus ex insidijs ferro petita, baltheo ictus excipiēte, seruatur. Vide tit. Pœna coniugalis perfidiæ.

Cycnum aiunt Neptuni fuisse filium, regnasse eum Colonis. oppidum hoc in Troade fuit, ad Leucophryn insulam. Filiā is habuit Hemithean, & Tennem filiū ex Proclea Clytij filia, Caletoris illius germana sorore, quem ab Aiace in prælio interfectum memorat Homerus cùm faces in Protesilai nauem immitteret. Proclea mortua, alteram Cycnas vxorem duxit Philonomen, Craugasi filiam. Ea cùm in priuigni incidisset amorem, repulsam ægrè ferens, Tenen ficta calumnia apud virum criminata est suum, quòd ille inuitam, & repugnantē constuprare conatus esset. Mendacio captus Cycnus, iuuenem cum sorore in arcā inclusos, in mare abijcit. Incolumes illi in insulam exponuntur: cui cùm antè Leucophrys nomē fuisset, de Tenni postea nomine Tenedos fuit appellata. Sed fraude aliquando detecta, ad filium Cycnus nauigauit, quo se illi purgaret, & eius quod per crudelitatem temerè commisisset, facti veniam posceret. Cùm itaque appulisset, & ad saxum siue arboris truncum nauem religasset, Tennes ira impulsus, bipenni retinacula abscidit. Ex eo in prouerbij consuetudinem venit, vt quidquid quiuis præfractè negarit, is Tennedia bipenni præcidisse dicatur, Tennem ipsum ab Achille, dum prædas ex insula agentibus Græcis occurrit, occisum autumant. Pausan.lib.10.

CYPSELVS miro modo seruatus. Vide tit Oraculorum intellectorū.

PHRONYME è mari seruata. Vide tit. Improbitas parentum erga liberos.

CYRVS ex Mandane filia Astyagis Medorum regis, & Cambyse Persa natus, iussu aui (qui territus in somnijs, ne se regno exueret metuebat) ab Harpago exponendus erat in vastissimo monte. Harpagus scelus illud detestatus, facturum tamen sese id metu regis promittit. Negocium committit Mithridati bubulco regio. Cuius vxor Spaco nomine, lingua Medica, Græca verò Cyno, cùm eodem tempore infantem mortuum enixa esset, Cyrum pro suo clàm educandum suscipit, suum pro Cyro iam mortuum feris exponit. A Cyno igitur bubulca Cyrus nutritus, fabulatoribus occasionem dedit, vt à cane alitum dicerent. Tandem cùm iam adoleuisset Cyrus, ab Astyage auo agnitus, in Persiā amādatus fuit. Verùm postea ductu Harpagi in Mediam irrumpens, Astyagem auum viuum cæpit, & imperium Medorum ad Persas transtulit. Herod.lib.1.

SIMONIDEM inter fœlices merito numerandum putamus: qui nauigaturus, per quietem monitus est, vt corpus inhumatum, quod in littore erat, sepulturæ mandaret. Quod cùm fecisset, consilio nauigandi supersedit: & cùm nauigātes naufragio subijcerentur, Simonides solus periculum imminens effugit. Val.Max.lib.1.cap.7. de Somnijs. Cic.lib.1. de Diuinatione.

IDEM, cùm apud Scopam in Cranone Thessaliæ oppido cœnaret, & omnes discumbentes iam in medio conuiuio constitissent, nunciatū est duos iuuenes (Castorem & Pollucē fuisse ferunt) venisse, qui Simonidem allocuturi euocarēt. Ille egressus dum quærit iuuenes illos, interea cœnaculum, vbi epulabatur Scopas, corruit, & omnes qui in eo cœnabant obruti sunt. Quid igitur hac fœlicitate locupletius, quam nec mare nec terra sæuiens extinguere potuit? Val.Max.lib.1.cap. de Miraculis.

PINDARVS, cùm in honorem Castoris & Pollucis carmina scripsisset, simili ratione è conuiuij loco, cui ruina imminebat, ne cum cæteris interiret, vocatus est. Qua de re Solinus, & Cic.lib.2. de Oratore.

ARISTOMENES Messaniorum dux, tercentum Phonijs contra Lacedæmonios sacrificatis, confectus grauissimis vulneribus, captus est cū alijs pluribus. Visum est Lacedęmoniis omnes præcipites dare: reliquos nudos, at Aristomenem propter virtutis opinionem cum armis. Reliqui delati statim obierunt. at Aristomenis scutum attrahens aerem, molliter eum in terram detulit. Qui in altum suspiciens, quanquam circundātia vndique præcipitia videret, tamen non abiecit omnem spem. Sed vniuersum montem circumspiciens, animaduerso specu, & per eum introeunte vulpe, defringens è mortuis os: apprehensa vnius vulpis cauda, quamuis ab ea morderetur, simul exijt, per angustias montis quæuis obuia tollens ac rescindens ossis beneficio, atque ita simul euasit. Egressus autem venit ad Messenios, qui iam ad pugnā ituri erant, & repentè sumptis armis ipse phalangem ducebat. Lacones Aristomenem in armis cōspicati, ducem se gerere, & iterum insequi eum qui à pręcipitio deiectus fuerat, è quibus nemo vnquam saluus euaserat, omnes in fugam cōuersi sunt, rati superiorem humana natura virum esse Polyæn.lib.2.

THERAMENES cùm in quadam domo versatus, inde prodijsset, illa subito lapsu corruit. Atque cum reliqui Athenienses alij aliunde ad eum

confluerent, & inopinatę saluti congratularentur, ille pręter omnium opinionem respondit: O Iupiter, cuínam me tempore reseruas? Nec multo pòst à triginta tyrānis de medio sublatus est, coactus cicutam bibere. Ælian. de Var.hist.lib.9.

PYRRHVS Æacidæ filius, regia domo excidit, premētibúsque à tergo hostium telis in tormenti speciem trans flumen lancea contortus, ægrè seruatus est: dein Glaucię regi commendatus, ad eius pedes miserabiliter obrepsit infans, reptatu (quando verbis non potuit) risúque tempestiuo suam regi salutem commēdaturus, adultus, & in regnum restitutus, Italiam concussit bello, Siciliam subegit, Macedoniam suis opibus adiecit, Lacedæmonem fatigauit: per quæ tantum est gloriæ adeptus, vt imperatoria virtute, clarissimi ducis Hānibalis iudicio, vni veterum imperatorum, Alexādro videlicet regi, cesserit, qui nulli bellica fuit gloria secundus. Sab.lib.1.cap.2.

Regis Volscorum filia fuit CAMILLA, regiáque domo orta. Verùm lubrica & volubilis humanarum rerum sors, infantem adhuc (nisi poëtæ vbique fabulantur) paterni exilij fecit comitem: eandem teli iactu subere inuolueti, à violenti & vorticosi fluminis impetu seruauit, armētali lacte aluit, venatibus exercuit: restituítque demum paterno regno, vt regina ignobili manu, bello non ignobili, caderet. Ibidem.

ROMVLVS & REMVS gemini fratres, cùm Amulij iussu in Tiberim proiecti essent, sensisse videtur prouidus amnis fatale onus, futurúmque gentium decus: & eos in sicco reliquit. Vbi à lupa inuenti, sustētati, & pastorum deinde auxilio regni vindices facti sunt. Liuius lib.1. Dec.1. Plut.in vita Romuli. Iustinus lib.43. Eutrop.lib.1.cap.4. Orosius lib.2.cap.5. Dionys. Halycar.lib.1. & 2. Lactan.lib.1.cap.20. & 21. Sabel.lib.1.cap.2.

CLVSIA Tuscorum regis filia, ne à Valerio Torquato violaretur, è turri sese deiecit, quæ tamen tumefactis à vēto vestibus, sospes in terram delata est: teste Theophilo lib.3. Rerum Italicarum: & Plutar.cap.28. Paral.

Regios interitus magnitudine miraculi REMIGIS casus æquat, quem in littore Tyriorum sentinam haurientem, cùm è naui fluctus abiecisset, altero latere repercussum contrarius fluctus in nauem retulit. Itaque miseri simul ac fœlicis complorationi, permixta fuit gratulatio. Val. Max. lib.1.cap.8.

Cùm APPIVS proscriptum se à Triumuiris nosset, opes quas habebat, seruis suis diuisit: & cùm eis nauem conscendit, vt in Siciliam traiiceret. Orta ingenti tempestate, serui eum in lembum demiserūt, monētes, illic à tempestate tutiorem fore: & ipsi cum naue atque opibus abierunt. Sed ita pro iustitia agente Deo, qui tutius se in naui futuros duxerunt, paulo pòst cum naui demersi sunt. Appius autem, quem serui in lembum demiserant vt mergeretur, in Siciliam vētorum vi incolumis perlatus est. Fulg. lib.6.cap.11.

ZENOBIA Rhadamisti Armeniæ regis vxor, cùm propter populorum rebellionem, vnà cum viro fugeret, & in via pariendi dolore capta esset, ita vt vltrà progredi non posset: virū rogauit vt eā occideret, neq; in hostiū manus venire pateretur. Vir post multas lachrymas vxorē amplexus, ne dedecus pateretur apud hostes, ferro iugulū eius petiit: & mortuā esse arbitratus, in Araxē fluuiū, qui propè erat, proiecit, ne corpore hostes potirentur. Sed postea à quibusdam inuēta pastoribus, cùm adhuc viuere perspiceretur, ad Teridatem mariti hostem perlata fuit. Ibidem.

Omnium maximè illud memorabile, quod in EVSTACHII filiis euenisse proditum est. Fuit is militiæ magisterio clarus, Traiano principe: sed pòst multo clarior martyrio factus. Exercebatur vir fortis per clades & ærumnas ad cœlestis militiæ præmia, bonísque fortunæ aliis alio casu amissis: vxore postremò piratica vi adempta, quum filios duos nondū crepundiis egressos, vado fluminis traiiceret, vnum post alterum amisit. Enimuerò repetens, quem priore ripa reliquerat, dum medium tranat amnem, amborum solicitus, vterque, hic feræ lupæ, ille leonis incursu è patris conspectu abripitur. Sed quàm flebiliter fuerunt illi amissi, tam feliciter postea sunt prouidentia reperti, parentibúsque non sperantibus restituti. Sab.lib.1.cap.2.

Ab Arianis sicarius quidam conductus fuit ad GREGORIVM Naziānzenum tollendum. Ad quem ægrotantem cùm irruisset, conscientia sceleris ductus, flens sese ad pedes eius abiecit, ac facinoris sui veniam ab eo petiit. Greg. Nyssenus testis.

ARCADIVS Imp. paulo ante obitum cùm ædem quandam pulcherrimam Constantinopoli viseret (eam χαρύαν vocant, quòd in ea media, arbor nux, ex qua Acacius martyr suspensus fuerat, spectaretur) & in vicino oratorio preces peregisset: simulac discessit, funditùs diruta ædes illa concidit, nemine tamē læso, quanuis maxima multitudo propter Imperatorem eò confluxisset. Nicephorus lib.13.cap.38.

AVSONIVS in suis Epigrammatis:

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum:
Miscuit argenti lethalia pondera viui,
Vt faceret celerem vis geminata necem,
Sic inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ.

D. MARTINVS in pago Heduorum templum idolorum euertebat. Vnus rusticorum stricto gladio eum petebat. Martinus reiecto pallio, nudam ei ceruicem præbuit. Ille iamiā percussurus, subitò prosternitur, & diuino pauore consternatus veniam petit. Alius quidam cultro eum ferire volens, in ipso ictu ferrum ei excussum, non amplius postea comparuit. Rursus cùm aliquando de cœnaculo grauiter lapsus esset, noctu visus est angelus eius vulnera abstergere, & vnguento illinere. Mane integrè conualuit. Seuerus Sulpitius in eius vita.

SABINVS Canusianus episcopus, venenum sibi à puero porrectum sciens, absque noxa bibit. Vide tit. Doctorum ecclesiasticorum.

MAXIMIANVS Vagaiensis episcopus in Africa Orthodoxus, à Donatistis de excelsa turre deiectus, Dei beneficio sanitati restitutus ad loca transmarina sese contulit. Augustinus contra Cresconium libro tertio, cap.43.

MAXIMIANVS episcopus Syracusanus, ex mari mirabili modo seruatus. Vide tit. Monachorum.

COPRVS, siue Copres, in Aegyto monachus, rectè de catholica fide sentiens, cùm de fidei Christianę articulis cum Manichęo monacho, viro pertinacissimo contenderet, vt re aliqua mira ea probaret, quę verbo dixerat: medios ignes ingressus, in eis horam dimidiam mansit, non incolumis modò sed ne minima quidem læsa capillorum parte.

Quendam monachum nomine BENEDICTVM, qui haud longè ab vrbe Roma habitabat, Gregorius narrat, cū in cella clausus esset, magna lignorum strue circum posita atque accensa: etsi ea quæ circa erant combusta fuerunt, ipsum tamē vnà cum cella eo incendio inuiolatum fuisse, Quare indignatos Gotthos, quòd iis quæ in monachum agebant, nec suam nec Totilæ regis iram explere possent, arbitrarentúrque casu monachum cellámque extincto incendio incolumem mansisse, monachum ipsum succenso furno penitus inclusisse: ad quem postridie reuersos, non sine ingenti admiratione incolumen in furno integris vestibus eum inuenisse. Fulg.lib.1.cap.6.

BENEDICTVS iunior à Totila rege (cùm in cella eum comburere frustra tentasset) fornaci ardenti propter Christum immissus, sequēti die incolumis euasit: anno Christi 538. Iustiniani imp.11. in Campania Italiæ: testis Sigebertus.

ISACIVS Comnenus, Impe. Constantinopolitanus, cùm in Scythia bellum gereret, & sub quercu quadam cum primoribus consultaret, repentè exortus est incerto authore magnus strepitus. Cùm ergo omnes attoniti fugissent, quercus radicitùs euulsa corruit. Ille Cōstantinopolim reuersus, D. Theclæ (cui dies illa, in qua periculum quercus effugerat, sacra erat) extruxit templum magnificentissimum, quod tamen postea pronepos illius Ioānes Alexij filius deiecit, templum nimis magnificum pro dignitate Theclæ existimans, & multo splēdidius Christo Saluatori illic ædificauit. Zonaras.

GVELFI miro modo seruati. Vide tit. Partus numerosi.

LAMISIVS Longobardorum postea rex, cum sex fratribus vno partu editis expositus, & mirabiliter conseruatus. Vide tit. Impietatis parētum erga liberos.

CHRISTIANA & ANATOLIA virgines serpentibus obiectæ. Vide tit. Charitas erga inimicos.

Regnantibus Autarico Longobardorum rege, item Mauricio Augusto in Pelagij pontificatu, cùm Athesis, qui Veronam vrbem mediam secat, adeò excreuisset, vt superato alueo, eius aquæ iam vsque ad fenestras fani, vbi Zeno colitur, ascendissent: in ipsum tamē fanū, neq; à valuis, neq; fenestris, si apertę erant, eius humoris pars vlla ingressa est. Sed magis etiā illud mirum videtur, quòd HOMINES, qui fortè, in fano inuenti sunt, vbi aquæ sæuiebant, à porta ex eis biberunt, & in vasa cæperunt. Fulgos. libro 1.cap.6.

Conradus Sueuus Imp. lege sanxerat, vt rebelles principes capite plecterētur. Lampoldus ergo Comes Germanus, Imperatoris furorem metuens, cum vxore in insula quadam sese occultauit, pastoris habitu. Fortè eò Imp. venabundus accessit, & nocte oppressus in Lampoldi tuguriolo (quem tamen propter habitus & victus mutationem non agnouit) diuerti cogebatur. Media nocte CONRADVS vocem audit, Conrade successor tibi natus est. Excitus ergo, Lampoldi vxorem puerum enixam esse videt. Imperat ergo suis, vt puerum medium dissecent, & cor eximant. Famuli pietate moti leporis cor Imp. offerunt: puerum in sylua arbori impositum & alligatum relinquunt. Illac cùm fortè nobilis quidam iter faceret, infantē suscipit, & pro suo educat, Henrici nomine imposito (qui postea HENRICVS II. Imp. fuit dictus.) Mox in Imperatoris aulam cooptatus, cùm formæ elegantia & robore, ingeniíque dexteritate omnes ad se alliceret, Imperatori suspectus redditur, ne is fortè esset puer, de quo nocturnam vocem audiuisset. Eum igitur è medio tollere statuit. Literas Henrico ad Imperatricem deferendas committit. Paret ille, & fortè ex via fessus, in sacerdotis cuiusdam domum diuertens, in scamno somno opprimitur. Reuersus domum sacerdos, literas (quas sudariolo imposuerat Henricus) clàm aperit, & hæc verba legit: Tabellarium hunc, quàmprimum ad te venerit, charissima coniunx, clàm interfici curato. Scelus tantùm exosus presbyter, manum Imp. imitatus, & erasis literis, substituit hæc: Filiam nostram ei in matrimoniū dato. Doli ignarus Henricus, ad Imperatricem literas perfert. Illa filiam ei collocat. Conradus tandem spe sua frustratus, cùm generum eum se habere intellexisset, quē omnibus modis perditum cupiebat, diuinæ voluntati cessit. & Henricum porrò pro genero suscepit: vtque in imperio succederet, moriens confirmauit: eo denique loci, vbi nocturnam visionem habuerat, cœnobium extruxit, quod Visanam appellauit. Bern. Corius in vita Conradi Sueui Imp.

Regnante apud Gallos Carolo sexto, qui penè amens habebatur, apud eum Philippi Burgundiæ ducis opera accusatus est Ioannes Iuuenalis Vrsinus, Parisiorum vrbi Præpositus: & causa iis demandata fuerat,

qui in Præpositum hostili erāt animo. Iámque circiter quinquaginta testes clàm interrogati falsum dixerant. Cùm contigit, vt iudices in eadem caupona omnes simul cœnarent: & cùm cœnati scripturas agnoscerent, volumen illud, quo testiū dicta continebantur, sub mensam delapsum, iudicum diligentiam fefellit: ita enim abierunt, vt penes aliquem ipsorū esse volumen arbitrarentur. Catellus autem qui sub mensa erat, lasciuiēs, volumen sub lectum detulit, vbi vespere iam facto, cauponis coniunx illud inuenit, ac viro tradidit. Caupo autem, vt rem ad Præpositum pertinere vidit, volumen ad eum detulit. Cùm autem iudices aliud non haberent exemplum, & Præpositus apud testes ijs esset vsus remedijs, quæ ad causam suam necessaria putauit esse, repetitis testibus, iudicum errore atque catelli casu, absolutus fuit. Fulg. lib. 8. cap. 1.

ALBERTVS Pighius, Batauus, homo non indoctus, Adriani pontificis fortunam secutus, Romę vixit. Bononię in celeberrima pompa, cùm transeunte coronato Cęsare Carolo. v. pars lignei pontis iuxta Cæsarem turbæ pōdere corruisset, Albertus tignorum & hominum ruina oppressus, miraculo quodam seruatus fuit. Iouius in Elogijs.

MENTIS ECSTASIS, SIVE RAPTVS.

Consule tit. Contemplationis Theoricæ. Hic separationis animi à corpore ratio habetur, illic contemplationis. Mortuis igitur similes sunt, adhuc tamen viuunt.

PAVLVS apostolus, vas electum Dei, ad tertium vsq; cœlum raptus, ea vidit, quæ oculis auribúsque humanis concipi nequeunt, neque voce exprimi. Quorum admiratione simul & desiderio ducti, fide & pietate ad ea bona percipienda festinemus.

THOMAS Aquinas iugi & assiduæ contemplationi ita sese assuefecerat, vt frequenter in mentis ecstasim cadens, astantibus mortuus videretur: interim tamen recondita diuinarum literarum mysteria hauriebat: & ad se reuersus, fructum huius philosophicæ mortis docendo simul & scribendo alijs quoque communicabat.

EPIMENIDES Cretensis, item Aristeas Proconnesius poetę & philosophi clarissimi, corpus quandocunque libitum esset relinquere, & animo liberè per orbem vagari, atque in corpus denuò redire potuerūt. Quod tamen alij de contemplatione & ecstasi intelligi volunt. Quam nocti occasionem Aristeæ inimici, corpus ita affectum flammis concremarunt, éstque menti peregrè redeunti velut vagina gladio adempta. Sab. lib. 7. cap. 4. & Fulg. lib. 1. cap. 9.

HERMOTIMI Clazomenij anima, quantum videbatur, relicto corpore ceu mortuo per varia errabat loca: eáque postea referebat, quæ ab ijs solis intelligi poterant, qui rebus ipsis interfuissent. Fulgosus ibidem.

QVI MORTVI NON SVNT, SED DISPARVERVNT, AVT *rapti sunt.*

ENOCH, qui cum Deo ambulasse perhibetur, in cœlum raptus subitò disparuit. Marul. lib. 5. cap. 10. ex 5. Genes.

HELIAS prophetarum vnus, curru cœlesti & igneis equis curru sublimis assumptus ex hominum oculis euanuit: nec in terris est ab vllo amplius visus, præterquam in Christi congressu. Viuit adhuc vitam, & vt fides recepta est, humanis gentibus testis olim & vindex futurus. Sabell. lib. 1. cap. 8. ex 4. Reg. 2.

Sed quanto illi beatiores erunt, qui resumpto corpore obuiam Christo in aera rapiendi sunt: nec vt illi per turbinem, sed per resurrectionis gloriam: nec vt illi in cœlum, sed supra cœlum: nec ideo beati futuri, quia ad inferna non descendent, sed quia diuino semper fruentur conspectu. Vis nosse quantum inter se differant? Etiam ipsi Heliæ in fine moriendum est, Antichristo perimente: deinde resurgēdum, Christo resuscitante, vt ad solidam hanc (de qua loquimur) consummatámque perueniat fœlicitatem. Marul. lib. 6. cap. 16.

IOANNES apostolus iam ferè centenarius senex, cùm supremus vitæ dies vrgeret, sepulturam sibi parari iussit: quā dum palàm intrat, ingenti lumine diuinitus operitur. Lux recessit, sed ipse non comparuit. Locus in quo se animum redditurus collocauerat, manna adhuc scaturire cernitur. Illum itaque cum corpore ad cœlum assumptum credimus: tum quia nusquam terrarum reliquiæ eius ostenduntur: tum etiam, quia non incōgruè assumptus videtur. Nam quemadmodum beata virgo carne & spiritu sanctificata, post filium quem genuit, supra cœlum ascendit: sic decuit, vt etiam iste adoptiuus filius carne & spiritu sanctificatus, sanctam sequeretur matrem, & integer eò perueniret, quò ipsa, cui commendatus fuerat, integra abijt. En quanto largior noui quàm veteris Testamēti gratia. Tulit Deus cum corpore Enoch, tulit Heliam: sed vt differret mortem eorum, non vt auferret. Ioānes verò ita sublatus est, vt amplius mori non posset. Illi futuram in fine corporum resurrectionem expectant: *hic multo antè* præuenit, prius resurgēs, quàm esset sepultus: prius cœlum penetrans, quàm putaretur mortuus. Nec mirum, si feruens oleū membris illis nocere non potuit, quæ tanto priuilegio mox donanda erant. Ibidem. Adijcitur miraculo, fontem oleo scatentem ibi repentè ortum, qui iam inde arcano sacróque liquore tam longo æuo manare non desijt. Sab. lib. 1. cap. 8. & Fulg. lib. 9. cap. 12.

ARISTEVM Proconnesium, poetam, Castrobij F. aiunt ingressum in Proconneso fullonicam officinam, decessisse: fullonémque occlusa officina, abijsse denunciatum rem propinquis defuncti. Dissipato iam per vrbem rumore, Aristeum esse vita functum: superuenit quidem Cyzicenus, ex vrbe Artacia, qui dicebat, sese fuisse congressum cum Aristeo apud Cyzicum, atque collocutum. Cùm id iste contendendo asseueraret, propinqui mortui ad fulloniam præsto fuerūt, habentes quæ ad efferendos homines expediunt. Aperta domo, Aristeus nec viuus apparuit, nec mortuus: septimóque deinde anno, cum in Proconneso apparuisset, eos versus fecit, qui nunc à Græcis Arimaspei vocantur: quibus conditis, rursus euanuit. Metapontini in Italia, trecentis & quadraginta annis pòst, aiūt Aristeum, cùm apud ipsos apparuisset, iussisse aram Apollinis extrui, quæ cognomen haberet Aristei Proconnesij, & iuxta eam erigi statuam, quòd diceret Apollinem ad eos solos ex Italicis in ipsorum terram venisse, séque cum illo, qui prius coruus fuisset. Metapontini Delphos ad deum misère scitatum. Pythia dicto audientes esse iussit. Nunc igitur statua extat cognomine Aristei, iuxta aram ipsam Apollinis, in foro extructam, circumstantibus vtrinque lauris. Herod. lib. 4.

CLEOMENES Astypalæus magnitudine enormi fuisse traditur, cæterùm temerario & furioso ingenio, quippe qui multa ediderit facinora, maiore vi semper quàm prudētia. Postremò literarium ludū ingressus, cùm columnam, cui tota loci contignatio incumbebat, temerè fregisset, subita conclauis ruina ingentem puerorum oppressit numerum. Requisitus ob eiusmodi noxam ad supplicium, in sepulchrum sese coniecit, operculúmque superimpositum tenaciter contra vim reuellere nitentium aliquandiu tenuit. Quo demum effracto nusquam apparuit. Sciscitati oraculum Astypalæi, hoc de eo carmen tulêre:

Vltimus Heroum Cleomenes Astypalæus.

Sabell. lib. 1. cap. 8.

ROMVLVM, Romanæ vrbis conditorem, die quo trabeatus sedit ad Capreæ paludem, lustraturus exercitum (casu, an prouidentia, non facilè dixerim) fœda (quod inter omnes cōuenit) tempestate orta, cùm nimbus sedentem obtexisset, qui in concione stabant, fuga & trepidatione dilapsi sunt: nec multo pòst, cùm repentè differenasset, sella vacua apparuit, nec ipse est ab vllo amplius in terris visus. Ibidem.

QVI VARIAS CORPORVM TRANSMVTATIONES PASSI SVNT.

METAMORPHOSES *variæ.*

Consule libros Metamorphoseon Ouidij.

Memoriæ proditum est, Iodamian Mineruæ Itoniæ in Bœotia sacerdotium gerētem, noctu intra sacrum templi septum venisse: Mineruam se ei obtulisse cum palla, in qua medusæ Gorgonis caput inerat. Eo conspecto, statim Iodamian in lapidem obriguisse: eam ob rem mulierem quotidie ad Iodamiæ aram ignem apponentē, ter Bœotorum voce effari, Iodamen viuere, ignem sibi deposcere. Pausanias in Bœoticis.

MORTE REPENTINA, NVLLA PRÆCEDENTE CAVSA, NEC *syncope, nec apoplexia correpti. Absque dolore mortui, vt nobis videtur ex signis externis.*

Mirum videri non debet, res ratione metientibus, eos qui cum virtute agendo Dei gratiam promeruerint, ab eo præcipua etiam munera assequutos esse in vita: & mortem, quæ alijs ad pœnam infertur, his ad solatium dari: vt tanquam transitus à somno, ad nouam vitam sit: quemadmodum in Moyse atque Aarone fratribus perspectum fuit. Nam cùm longum æuum fœliciter vixissent, & viuentibus ostendisset Deus loca ad quæ transituri erant: nulla ægritudine capti, neque alio grauiore signo ostenso, ad ea ipsa loca quæ Deus ostenderat, meliorem victuri vitam demi-

grarunt, nihil aliud quàm somnos se captos ostendentes. Fulgos. lib. 9. cap. 12.

ANANIAS, & vxor eius SAPHIRA, quia fraudauerunt Apostolos precio agri venditi, ad increpationem Petri terribiliter expirarunt. Act. 5.

Argia sacerdos Cereris, à Cleobe & Bithone filiis ad Dianæ templum in curru vecta, quum deam orasset, vt illis præmium daret pro pietate, & quod homini videretur optimum, mortuos in lecto manè reperit. Quod fuit argumēto, matura morte nihil esse melius. autor Cicero lib. 1. Quęst. Tuscu. & Plutarch. in Solone. Zezes 1. Chil. hist. 1. matrem vocat Cydippē, et Herodoto, & sacerdotem Iunonis fuisse asserit.

TROPHONIVS & AGAMEDES, dum ædificato apud Delphos Apollini templo, Deum mercedem laboris postulassent, quod homini esset vtilissimum, paulò pòst itidem mortui inuenti sunt. Cicero.

PHILEMON poeta: dum fortè recitaret partem fabulæ, quam recēter fecerat, ei iam actu tertio iucundos mouenti affectus, coortus imber interrupit: quúmque postera die populus ad reliqua audienda conuenisset, diutius expectantibus nuncius aduenit, mortuum eum esse, caleréq; adhuc in cubiculo. Apuleius lib. 4 Floridorum.

Nicanorem Parmenionis filium, subita correptum morte, scribit Q. Curtius lib. 5. de Gestis Alexandri.

Mithridates rex Ponti morte repētina interceptus, filium reliquit Mithridatem: cuius ea postmodum magnitudo fuit, vt omnium Barbarorū ante se gesta superarit. Volat. lib. 17. Anthrop.

Nullis euidentibus causis obiere, dum calciantur matutino, duo CÆSARES: prætor, & prætura perfunctus dictatoris Cæsaris pater: hic Pisis exanimatus, ille Romæ. Plinius lib. 7. cap. 53.

Q. FABIVS Maximus in consulatu suo pridie Calendas Ianuarij: in cuius locum M. ORELLIVS paucissimarum horarum consulatum petiit. Item VOLCATIVS Gurges senator: omnes adeò sani, vt de progrediendo cogitarent.

Q. ÆMILIVS Lepidus ianua egrediens, incusso pollice limini cubiculi.

C. AVFIDIVS cum egressus in Senatum iret, offenso pede in comitio expirauit.

LEGATVS qui Rhodiorum causam in Senatu magna cum admiratione orauerat, in limine curiæ protinus expirauit, progredi volens.

CN. BEBIVS Pamphilus, prætura ipse functus, quum à puero quęsisset horas.

A. POMPEIVS in Capitolio, quum deos salutasset.

M. IVVENCIVS Talua consul, quum sacrificaret.

C. SERVILIVS Pansa, quum staret in foro ad tabernam, hora diei secunda, in P. Pansam fratrem innixus.

BEBIVS Iudex, dum vadimonium differri iubet.

M. TERENTIVS Corax, dum tabellas in foro scribit.

C. IVLIVS medicus, dum inungit specillum per oculum trahens.

L. MANLIVS Torquatus consularis, quum in cœna placentam appeteret.

L. DVRIVS Valla medicus, dum mulsi potionem haurit.

APPIVS SAVFEIVS scriba, quum à balneo reuersus, mulsum bibisset, ouúmque sorberet.

P. Quintius Scapula, quum apud Aquilium Gallum cœnaret.

Decimus Saufeius scriba, quum domi suæ pranderet.

M. Ofilius Hilarus histrio, sumpta post cœnam calida potione. Hæc ex Plinij lib. 7. cap. 53.

CANINIVS primo die sui consulatus interiit. Vnde exiit Ciceronis iocus: Vigilantem habuimus Caninium consulem, qui somnium in suo consulatu non vidit. Macrob. & Cic. lib. 7. Epist.

ANDRAGORAS periit subita morte, autore Martiale, qui lib. 6. sic inquit:

Lotus nobiscum est hilaris, cœnauit & idem,
Inuentus mane est mortuus Andragoras.

C. OCTAVIVS Augusti pater, repentina morte obiit Molæ, Octauio filio quadrimo relicto, ex Actia, quæ postea Martio Philippo nupsit. Guido Bitur.

Cùm in Turones vrbem Gallicam, ad Martinum, illius vrbis episcopum, PROPINQVI ipsius, Clemens, Primus, Theodorus, Gaudentius, Cyriacus, atque Innocentius profecti essent, vt vnà cum eo viuerēt: cùm in monachali habitu diu cum eo mansissent, quinto ac vigesimo anno post Martini obitum, Aicardo abbati morituros se prædixerunt: nec multo pòst, nullo corporis languore affecti, Christiana communione refecti, ante abbatem ipsum genibus innixi, animam egerunt: & quia, nisi quòd immobiles erant, & eis calor nullus inerat, reliquis in rebus viuētibus persimiles videbantur. Dormiētes appellati fuerunt, in Turonibus, veluti qui sancti haberentur, magno honore sepulti, quorum nos sepulchra religiosè conspeximus. Fulgos. lib. 9. cap. 12. & Egnat. lib. 9. cap. 12.

GENSERICVS rex Vandalorum, dū capta Hispali Beticæ vrbe, templum vellet prophanare, mortuus repentè concidit. Volat.

Theodoricus Italiæ & Ostrogothorum rex, non modicæ æstimationis, qui tempore Iustini Romani imperatoris regnabat, post tricesimum secundum annum sui regni mortuus est subitò apud Rauennam vrbem. Sigebertus.

ALARICVS rex Visigothorum, in Siciliam nauigans, naufragiúmque faciens, non multo pòst apud Consentiam vrbem subita morte defungitur. Sigebertus in Chron.

IOANNES episcopus Constantinopolitanus, qui vniuersalis Patriarchæ nomen sibi vsurpauerat, subita morte obiit. Sigebertus in Chron.

RATHOLDVS dux Frisonum, prędicatione Vulfrandi episcopi ad hoc adductus, vt baptizari deberet, cùm vnum pedem in lauacro haberet, retrahens alterum, interrogauit, vbínam plures suorum maiorum essent, in inferno, an in paradiso? Et audiens, plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens: Satius est (inquit) vt plures quàm pauciores sequar. Et sic tertia die subita morte periit. Sigeber. in Chron.

ALPHONSVS septimus rex Hispaniæ, in itinere sub arbore quadam repentè excessit.

ANDEBVNTVS rex Anglorum, in cœna nimio vini haustu cecidit extinctus.

IOANNES Gulmerius Corbinicus (Corbinum oppidum est in finibus Eduorum) vir potens opibus, augusta maiestate, & Catoniana propè grauitate, dum in templo ad sacrificium & orationem se reclinaret, incerta causa & inexplorato mortis argumento, repentè expirauit, iam plenus annis.

PETRVS Calceonus, vnus eorum qui Ioannam puellam Gallicam Anglorum expultricem flammis deuouerunt, dum radendam tonsori barbam committeret, in ipsa tonstrina repentè decessit. Valerandus Varanius:

Sic & Calceonus (qui censuit esse cremandam)
Pendula dum tonsor secat excrementa capilli,
Expirans cadit, & gelida tellure cadauer
Decubat: vltrices sic pendent crimina pœnas.

RISV NIMIO MORTVI.

ZEVXIS Heracleotes pictor, qui ad Helenam penicillo formandam ingenium omne artísque vires exposuit, cùm vetulam quandam à se fœderrimè pictam inspiceret, effusè secum adeò risit, vt inter ridendum animam efflauerit. Author est Pomponius.

PHILEMONEM vis risus immoderati abstulit. Paratos enim ficos, atque in conspectu positos asello consumente, puerum, vt illum abigeret, inclamauit. Qui cum iam comestis omnibus superuenisset: Quoniam (inquit) tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægrauauit. Valerius Max. libro nono, capite duodecimo.

PHILISTION Nicæus comicus, librum φιλόγελον scripsit, & risu obiit. Claruit Olympiad. 196. sub Augusto. Gyraldus Dialogo 8. hist. Poet.

GAVDIO MORTVI.

ATHLETA Crotoniata, cùm victor è certamine Olympiorum discederet ad Hellanodicas, vt corona potiretur, ex nimio gaudio anima deficiens, mortuus est cum repentino lapsu. Ælianus libro nono, de Varia historia.

Rhodius DIAGORAS tres habuit filios adolescentes, vnum pugilem, secundum pancratiasten, tertium verò luctatorē: quos eadem Olympiade vidit vincere, & coronis insigniri. Cùm autem tres illi filij patris capiti coronas imponerent, & suauissimè amplexarentur, gaudio commotus pater, inspectantibus singulis in manibus filiorum animam efflauit. Gellius lib. 3. cap. 15. Cic. 1. Tuscul. duos tantùm filios coronatos asserit.

CHILO Lacædemonius, vnus ex septem Sapientibus, excessit, vt Hermippus ait, Pisæ, complexus filium in Olympia victorem. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop. ex Plin. lib. 7. cap. 32. & 53.

Philippides comicus, ætate iam prouecta cùm in certamine poetarum præter spem vicisset, inter illud gaudium repentè mortuus est. Gell. lib. 3. cap. 15. Vide tit. Comicor.

Sophocles tragicus poeta, ex insperato gaudio ob victoriam ex tragœdia quadam, repentinò obiit. Val. Max. & Volat. lib. 19. & Plin. lib. 7. cap. 53.

Philetas poeta, animi mœrore periit. Vide tit. Poetarum.

CRATINVS Atheniensis comicus, 97. ętatis anno periit, vel gaudio, cùm ex Pytine fabula victoriam retulisset: vel mœrore, cùm pleno vase vinum (cuius supra modum appetentissimus erat) effundi cerneret. Gyraldus Dial. 6. Hist. poet.

DIONYSIVS tyrannus, regno exutus à Dione, cùm Corinthi ludum aperuisset, & de tragœdiæ victoria nuncium accepisset, præ lęticia expirauit. Plin. lib. 7. cap. 57.

POLYCRITA Naxia, cùm ob eximiam formam prudentiámq; simul Diogneto atque Erythræis persuasisset, vt Naxi obsidionem soluerent, ab exercitu in vrbem reuertens: vbi publico honore atque omnium lęticia excipiebatur, patrię liberatrix appellata, dum vrbis portarū iniret,

mortua concidit.Fulgos.lib.9.cap.12.& Plut.de Claris mul. & Gell. libro 3.cap.15.

Vix verisimile est,in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen:& tamen idem valuit.Nunciata enim Romæ clade, quæ ad lacũ Thrasimenum insiderat,ALTERA mater sospiti filio ad ipsam portam facta obuia,complexu eius expirauit: ALTERA cùm falso mortis filij nuncio mœsta domi sederet,ad primum conspectum redeuntis exanimata est.Genus casus inusitatum:quas dolor non extinxerat lætitia consumpsit.Val.lib.9.cap.12.& Plut.in vita Hannib.

M. IVVENTIVS Talua consul, collega Tiberij Gracchi consulis, cùm in Corsica,quam nuper subegerat,sacrificaret, receptis literis decretas ei à Senatu supplicationes nunciantibus, intento illas animo legens,caligine orta,ante foculum collapsus,mortuus humi iacuit. Quem quid aliud quàm nimio gaudio enectum putemus? En, cui Numantia aut Carthago excidenda traderetur.Val.lib.9.cap.12.

TELLON imperator,cùm suos vicisset hostes,beatus à multis dictus, in illa clara victoria fœlix mortuus est in ipsam victoriæ vesperam.Zezes Chiliad.prima,hist.prima.

BAPTISTÆ Mirandulani exemplum ambiguum,pete ex præcedẽti titulo.

ANIMI MOERORE MORTVI, IRA ET INDIGNATIONE.

HELI sacerdos cladis teterrimæ Philisteo bello acceptæ nuncio consternatus,audita triginta millium Iudæorum, & duorum qui in ea acie steterant filiorum cæde,è solio præceps datus mortem obiit.Quòd si tãtus dolor præuideri potuisset,fuisset illi haud dubiè talis nuncius luctuosus, sed toleratu facilior.Sab.lib.10.cap.5.

SOLOMON,etsi pia omnia sunt mentibus proponenda, anxius tamẽ & fatorum anceps vita decessit, Achiæ prophetica significatione commotus:qui fore dixerat,vt cùm rex à maiorum pietate aberrasset, ipsius regnum in partes dilaberetur.Sab.lib.10.cap.13.

DEIANIRA Herculis vxor,audita mariti morte,superesse noluit, ac propterea dolore animi se peremit.

PHILETAS Cous,criticus insignis,cùm sophisma quoddam soluere non posset,præ mœrore contabuit,præsertim cùm ipse natura sua vsque adeò macilentus esset,vt soleis vteretur plumbeis,ne impetu venti deiiceretur.Gyrald.in 1.Tomo hist.Poetarum.

HOMERVS cùm ad piscatorum ænigma(Quæcunque cæpimus, reliquimus.& quæcunque non cæpimus,habemus)dissoluere non potuisset, mœrore periit.Eundem alij suspẽdio vitam finiisse aiunt.Val.l. 9. cap. 12.

DIODORVS Cronus,dialecticæ professor,pudore expirauit, lusoria quęstione non protinus ad interrogationem Stilponis dissoluta.Plin.lib. 7.cap.53.& Laert.& Fulg.lib.9.cap.12.

ARTAXERXI Persarum regi ex pellice grex conspicuus filiorum centum & quindecim, ex coniuge verò tres extitêre.Inter quos natu maximus Darius,ægrè ferens plurimum, quòd illi pater Artaxerxes Aspasiam nouercam in vxorem denegasset, quinquaginta fratribus sibi iunctis, in Artaxerxis mortem cunctis consentientibus conspirauit. Artaxerxes re comperta,filios omnes interfecit:cæterorum quoque natorum coniuges,innocuósque nepotes occidendo,facinus facinori superiunxit.Eorum autem adhuc sanguine respersus,serò pœnitens,in morbũ grauissimum incidit:dehinc sui tædio confectus,infelix & anxius expirauit.Guido Bitur.

PVB.Rutilius Consulatus repulsam tam ægrè tulit,vt eam ob causam repentinam mortem incurrerit.Idem.

LIVIA Drusilla,Augusti vxor,eo ventris profluuio Nolæ absumpto, præ mœrore non multo pòst expirauit.Guido Bituricens.

IVLIA Pompeio Magno nupta, eum ardenter adeò dilexit, vt cùm Pompeius in comitiis ædilitiis sacrificaturus, hostiæ respergeretur sanguine,& infectas cruore vestes domum remitteret:Iulia cruentas vestes intuita,antequam causam exquireret, suspicata statim quòd Pompeio fuisset violenta manus iniecta, præ timore expirauit eue stigiò. Guido Bitur.

P. TERENTIVS Afer comicus,è Græcia rediens, cùm 108. fabulas ex Menandro conuersas in mari amisisset,præ mœrore obiit,Cn.Cornelio Dolabella, & M. Fuluio Nobiliore Coss. in Arcadia, Stymphali sinu Leucadiæ.Quamuis alij in ipso mari naufragum periisse asserant. Gyral. Dialogo 8.hist.Poet.

XISTVS IIII.summus pont.quum pacem à sociis,præter eius volũtatem & consensum fieri conspiceret,ex animi,vt putatur, dolore podagra insuper aggrauante,in quintum diem expirauit.Volat.lib.22.Anth.

VRBANVS III.pontifex max.Mediolanensis,Frederico Ænobarbo imperante,audito nuncio de Hierosolyma à Soldano capta, dum Venetias proficiscitur parandę classis gratia,Ferrariæ in itinere prę animi dolore moritur.Ibidem.

BENEDICTVS I.pont.Rom.propter dolorem animi, quem ex vastatione vrbis à Longobardis facta acceperat, periit, anno Domini 582. Platina testis.

GREGORIVS pontifex huius nominis nonus,cùm audiuisset quòd Fredericus, auxilio Pisanorum fretus quosdam Cardinales è Gallia accersitos partim cæpisset,partim mari demersisset,ex animi dolore extinctus est.Volat.lib.22.Anthrop.

BENEDICTVS V.Romanus pontifex,Othone imperante, cùm in Germaniam cum eodem imperatore profectus esset,ibi ex animi dolore decessit.Volat.lib.22.Anthrop.

PIVS II.Senensis,Æneas Syluius nomine,pont.max. cùm nihil antiquius haberet quàm contra Turcas Christiani nominis hostes proficisci,nec religiosum suum propositum absoluere posset:per ignauiam cęterorum principum Christianorum,& præsertim ducis Burgundiæ, ex eo dolore discessit.Volat.lib.22.Anthrop.

Inusitatum mortis genus,& penè prodigiosum THEODORICI Ostrogothorum regis fuit. Nam aliquot tempus postquam Symmachum atque Boethium occiderat.cùm ei in cœna magni piscis caput appositũ esset,visus est sibi in eo Symmachi caput videre, inferius labrum in minitantis speciem mordentis:quemadmodum ipse medico Elpidio postea dixit.Qua imagine ita territus est,vt tunc cubare incipiens,nunquam dicere desiuerit,se ea imagine terreri, quoad animam egit.Fulg.lib.9.cap. 12. & Egnat.lib.9.cap.12.

Quantum laboris,quantúmue doloris exhauserit ORSATVS Iustinianus,maritimæ rei imperator, vel hoc ipsum mortis genus acerbissimum declarauit.Quippe qui Mytilenem cum classe profectus,quum vrbem ipsam magno animo inuasisset,acríque prælio oppugnasset,vix tamen ab oppugnatione repulsus:vsque adeò grauiter rem tulit, vt Methonem quum primùm attigisset,in littúsque descendisset, mœrore animi affectus,in ipso Methones ingressu supremum obierit diem.Egnat.li.9.c.12.

DANTES Florẽtinus,poeta in sua lingua omnium clarissimus, cùm sua tempestate bellum Veneti Guidoni Polentano (ad quem profectus erat)mouerent,ille orator missus de pace, miniméque ab eo auditus & acceptus,ex animi dolore,vti existimant,extinctus est. Volater. libro 21. Anthrop.

HERMOLAVS Barbarus,Francisci Barbari ex fratre nepos, ætate florida Romæ ex animi dolore discessit,quòd orator à Venetis missus præter authoritatem senatus,Patriarcha Aquileiensis ab Innocentio fuerat creatus,ac propterea contumax & exul à suis iudicatus.Volat.lib. 21. Anthrop.

BAPTISTA Mirandulanus cùm in singulari certamine Ferrariæ hostem ingenti animo inuasisset,& is territus cum fugeret,statim in equo nutare Baptista cœpit.Itaque cùm putaretur vulnus accepisse,exarmatus sine vllo vulnere,imo sine illatæ percussionis signo,mortuus est inuẽtus magna astantium admiratione, iráne an gaudio nimio expirasset. Inter quos ego quoque interfui,in eorum numero, quibus iudicandi de perduellibus datum onus fuerat.Fulg.lib.9.cap.12.

BONIFACIVS octauus animi mœrore, quòd à Sarra Colũna ex improuiso captus esset,in furorem versus obiit.Fulg.lib.6.cap.11.

NICOLAVS V.pont.max.anno Christi 1455.obiit mœrore animi, ob Constantinopolim à Turcis captam.Platina in eius vita.

AESTV AVT FRIGORE MORTVI.

THALES Milesius Olymp.54.dum spectaret ludos Gymnicos, æstu suffocatus obiit.Laert.lib.1.cap.10.

MVRITA martyr ab Elpidephoro quodam Arriano in exilium missus, ibi fame & frigore periit.

Cùm singulari certamine apud vrbem Meldensem in Gallia, MAVGOTVS Maubertus,& Fochetus Doriachus,Iulio mense inter vehemẽtes solis ardores depugnarẽt,& post primum impetum Fochetus aliquãtisper quieturus secessisset,animaduertens Maugotum in equo nutare, brachium eius inuasit,atque ad terram ipsum pertraxit:& cùm neque ad deditionem appellatus responderet,neque aliter moueretur, detracta galea inuentus est mortuus.Fulg.lib.9.cap.12.

His paucis annis,quibus hæc commentabamur,circa Histrum magnus TVRCORVM numerus frigore consumptus,cùm amnis alioqui violentus magna ex parte concretus glacie,neque nauigabilem se, neque pedibus vadabilem ex hostico redeuntibus præbuisset.Sabellicus libro decimo, capite 5.

D. IOAN.Chrysostomus,episcopus Cõstantinopolitanus, Eudoxiæ Arcadij Imp.coniugis dolo bis in exilium pulsus: quo secundò cùm reuocatus rediret,æstu ob solis ardorem & languore decessit.Palladius & Suidas.

CIBO ET POTV MORTVI. CRAPVLA ET *ebrietate mortui.*

ANACREON Teius poeta,dum aliquando liberius Baccho indulgeret,acino vuæ passæ strangulatus est.Politianus in Nutricia.

Tandem

Tandem acino passæ cadis interceptus ab vuæ. Valer.Max.

ARCESILAS Crantoris discipulus,& Sciti filius philophúsque Cyrenaicus perfectissimus,ex Pithana Colchica ciuitate natus, relicto genitali solo,Sardis perrexit. Mox Athenas profectus, doctissimus euasit. Obiit,vt inquit Hermippus apud Diogenem, cùm vinum immoderatè bibisset anno ætatis LXXX. floruit circa Olymp.CXV. vt scribit Apollodorus in Chronicis.Volat.lib.13 cap.4.Anthrop.

Timagenes Alexandrinus grammaticus,cùm plures libros conscripsisset,ex vomitu post cœnam periit.Volat.lib.20.Anthrop.

Chrysippus,Cleanthis discipulus,73.anno ætatis, cùm in sacrificio dulce merum auidius hausisset, asthmate correptus, quinto pòst die periit. Laert.in eius vita.

DOMITIVS Afer,orator Nouariensis Neronis temporibus, superfluitate cibi redundans,in cœna periisse ab Eusebio dicitur.

SP.SAVFEIVS interiit, cum balneum egressus ouum sorberet. Fulg. lib.9.cap.12.

CLODII Pulchri filius nequissimus,abdomine auidè deuorato, impurum reddidit spiritum.Val.lib.3.cap.5.

DOMITIVM Aphrum,Eusebius scribit,cibi superfluitate redundantem,in cœna periisse.

Iouinianum imperatorem ciborum in stomacho incoctorum cruditate periisse ferunt.Bapt.Egnatius.

SEPTIMIVS Seuerus Imperator,dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni cibum plurimæ carnis incoctæ auidius deuorauit:quem dum concoquere non posset, cruditatem passus,expirauit.Sextus Aurelius.

VALENTINIANVS imperator, Quadorũm legationi respondens, voce impetu sanguinis amissa, sensu integer expirauit. Quod ex intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse multi dixêre. Sextus Aurelius.

ATTILA Hunnorum rex ex Scytharum genere, Pannoniam subegit: postmodum Italiam ingressus,Aquileiam subuertit,& plurimas ciuitates Galliæ,& Germaniæ destruxit.Tandem domum reuersus, cum vino plenus nouis nuptiis operam daret,effuso de naribus multo sanguine suffocatus,& subitò mortuus est.Blondus libro secũdo pen.decadis.& Sigebertus in Chron.

Gregorius Plantaginetus, Clarentiæ dux,à fratre Eduardo quarto Britannorum rege damnatus,vt sibi mortis genus eligeret:Cretici vini potu mergi atque enecari voluit. Nam sicut Britannico potore dignum erat, vt pontando moreretur,elegit.Fulgos.lib.9.cap.12.

ANDEBVNTVM Anglorum regem in cœna quandoque tantum vini sumpsisse,vt eo suffocatus repentè excesserit,asserunt.

Childericum Saxonem,quum aliquando ad ambas vsque aures cibo se ingurgitasset,eo suffocatum fuisse,& repertum in lecto mortuum, Gregorius Turonensis autor est.

Pompeius Columna cardinalis,à Cæsare Caroli V.Neapolitani regni administrationem sortius, post comestas ficus biferas, quas multa niue refrigerarat,in complexu Augustini Niphi philosophi integris sensibus expirauit.anno ætatis 53.Iouius in eius vita.

FAME ET SITI MORTVI. INEDIA VEL A SEI*psis,vel ab aliis confecti.*

ERISICHTHONEM poetæ fabulantur ob neglecta Cereris sacra, in tantam famem redactum, vt propria mẽbra deuorauerit, séque ipsum corroserit.Addũt & filiam eius Metram nomine, in varias formas Neptuni beneficio mutati solitam. Vnde natum adagium, Mutabilior Metra Erisichthonis.Ouidius lib.8.Metam.

Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Cæpit,& infelix minuendo corpus alebat. Idem in Ibin:
Vtque pater solitæ varias mutare figuras,
Plenus inextinctæ conficiare fame.

CLEANTHES philosophus,Zenonis discipulus,dum cibum sibi subtraheret,vt cuidam morbo (quo laborabat) mederetur, nimia inedia se peremit, quòd iter iam sibi confectum esse diceret, 98. ætatis anno. Laertius.

ARISTO poeta ab Atheniensib.fame extinctus est, quòd suis carminibus eorum laudes fuisset insectatus.Ouidius in Ibin:

Vt've parum stabili qui carmine læsit Athenas,
Inuisus pereas deficiente cibo.

ALEXANDER insulsum versificatorem Chœrilum(quem præconem suorum dedignabatur facinorum)inedia suffocauit.Ouidius:

Inclusúsque necem caueæ patiaris, vt ille
Non profecturæ conditor historiæ.

ERATOSTHENES Cyrenæus,Aristonis Chij siue Callimachi poetæ discipulus,& præfectus bibliothecæ Ptolemæi, quum diuturno morbo torqueretur,neque remedium inueniret,cibum sibi substraxit, & inedia se peremit,anno suæ ætatis LXX.Suidas.

Neocles Sicyoniorum tyrannus, à suis ob crudelitatem fame & frigore extinctus est.Ouidius in Ibin:

Aut vt oliuifera quondam Sicyone profecto,
Sit frigus mortis causa faméque tuæ.

SISIGAMBIS Darij Persarum regis mater,inedia extincta est,quum cibo aliquandiu abstinuisset.Curtius lib.4.de gestis Alexãdri,ait eam itineris continui labore,animíque ægritudine fatigatam, inter manus filiarum cecidisse. Demũ.lib.9.die quinto extinctam,quo mori statuerat, cibo & luce dedita opera sibi substractis.

ERISISTHENES à matre inedia interfectus est, quòd malè in bello pugnasset.Ouidius in Ibin:

Obstrictúsque famem patiaris limine tecti.
Vt legem pœnæ cui dedit ipsa parens.

PAVSANIAS Lacedæmonius,eo quòd pecuniam accipiens, Spartã Xerxi se per proditionẽ traditurum promiserat,à patre Agesilao in Palladis Chalciœcæ templo,clausis cocto latere foribus fame consumptus est.Chrysermus lib.2.historiar.& Plut.cap 21.Parall.

THALES Milesius (qui inter septem Græcię Sapientes annumeratus est)cùm senio confectus,Olymp.LIIII.ludos in theatro spectaret, sedens calore sitique interiit.Fulg.lib 9.cap.12.ex Laert.lib 1.cap.1.

ANAXANDRIDES comicus Rhodius, cùm contra Athenienses scripsisset,ab illis inedia necatus est.Gyraldus Dialogo 6.hist.Poet.

ARISTARCHVS grammaticus hydropicus inedia seipsum confecit. Vide tit.Grammaticorum.

CASSIVS Brutus proditionem moliens, à patre Cassio signifero in Palladis templum clausus,fame necatus, & insepultus abiectus est. Clitonymus libro 9. rerum Italicarum,& Plutar. cap. 22. Parall.

C.ALBVTIVS SILVS Nouariensis,orator insignis,iã senior ob vitiũ vomicæ Nouariam venit:cõuocatáq; plebe,causis propter quas mori destinasset in concione redditis, abstinuit cibo, & ita defunctus est:vt recitat ex Tranquillo Volat lib.13.cap.3.Anthrop.

Meuius Vergilij æmulus,poeta & maledicus,cùm Athenienses infami carmine lacerasset,ab iis in carcerem coniectus,inedia periit. Gyraldus Dialogo 4.hist.Poet.

Syllius Italicus poeta,cùm clauo insanabili torqueretur, vitæ tædio seipsum inedia confecit Gyraldus Dialogo 4.hist.Poet.

Pomponius Atticus,eques Rom.Ciceronis amicus, in vltima senectute morbo correptus,seipsum cibi abstinentia necauit.

Messala Coruinus orator ante biennium quàm moreretur,ita memoriam ac sensum amisit,vt vix pauca verba coniungeret.Ad extremum verò enato circa os vlcere,inedia se confecit autor Cælius.

MVRITA martyr ab Elpidephoro quodam Ariano in exilium missus, ibidem fame & frigore extinctus,vitam cum morte mutauit.

GABINVS presbyter,ciuis Romanus,iussu Diocletiani Imperatoris in carcerem cõiectus est,ibíque fame extinctus, quòd Christianam profiteretur religionem.

Orator,Fortunatus,Fœlix & Silinus martyres, apud Alexandriam pro Christi nomine fame,& inedia interfecti sunt.

Richardus Secundus Eduardi filius, puer admodum ab Anglis fame extinctus est,quòd inutilis regno videretur.

VGOLINVS Pisanorum comes, quum à suis expulsus patriam bello oppressisset,tandem captus per proditionem, vnà cum liberis fame absumptus est.

BONIFACIVS Anagninus,huius nominis põtifex max.VIII.à Sciarra Columnense profugo (iussu Philippi Gallorum regis) ex improuiso captus, & in custodiam coniectus, fame periit. Volaterran. libro 22. Antroph.

Benedictus Romanus,huius nominis pontifex max.VI.Othone imperante,à Cincio ciue Romano in molem Hadriani cõiectus, ac fame mori coactus est.Ibid.

Ioannes papa Romanæ Ecclesiæ II.à Theodorico rege Gothorum in carcere excruciatus fame defecit.Sigebertus in Chronicis.

LVDOVICVS Francorum rex,inedia periit,à medicis iniuncta cõtra vim veneni,quod affirmabant ei datum.Ritius Neapolitanus lib.3. Regũ Francorum.

IOSCELINVS Ragis vrbis princeps,dum vino atque libidini vacaret,à Saguino Alapicæ principe capta est Rages. Verùm excitatus à somno,dum serum iam vrbi cuperet auxilium pręstare, interceptus ab hostibus,obscuro carceri custodiendus committitur:vbi neglectus à custodibus, inedia, siti, fastidiísque vermium infestantium, inter compedes & vincula miserrimus animam exhalauit. Guido Bituricens.

SANGVINIS FLVXV MORTVI.

L. Anneus SENECA, 114 ætatis anno, à Nerone iussus sibijpsi mortē consciscere, venas sibi in brachiis & malleolo aperiri curauit. Verùm cū sanguis propter frigiditatem constrictus tardius egrederetur, venenum insuper ebibit. Quod tamen cùm propter constrictionem pororum & venarum ad cor penetrare non posset, in balneum calidum descendit: cuius beneficio pori aperti, & venenum ad cor deductum, & sanguis liberrimè effluxit. Tacitus lib. 15.

PETRVS Thraseas Patauinus, vir Catoniana disciplina & seueritate, propter suspicionem affectatæ libertatis à Nerone damnatus, sibi venas soluit. Rauis.

FLORIANVS imperator, qui Tacito successit, dolens Probum militię peritum à magna exercitus parte fuisse electum, sibijpsi venas incidit, effusóque sanguine consumptus est. Aurel.

VALENTINIANVS Romanus imperator, post diuersas bellorum incursiones mortuus est subita sanguinis effusione. Hieronymus in Chronicis.

ALEXANDER Basilij Macedonis, Imperatoris Romani filius, qui defuncto Leone fratre in imperatorem electus est, sanguine naribus erūpente ob saturitatem post cœnam extinctus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

ATTILA Hunnorum rex, cùm se, vt in Italiam reuerteretur, accingeret, vxore in Pannonia ducta, prima infaustarum nuptiarum nocte, cùm nimio vino cibóque pressus dormiret, manante è naso sanguine, & per os guttur petente, prius enectus est, quàm quispiam rem illam præsentiret. Diuino enim nutu factum videtur, vt illi nimius sanguis guttur obstrueret, qui feræ potius quàm hominis auiditate, ingentem nimis humani sanguinis vim cędendo vastandóque sparserat. Fulg. lib. 9. cap. 12. & Paulus Diaconus.

GRIMOALDVS Longobardorum rex, nono die posteaquam medicis curantibus in lacerto venam aperuerat, cùm arcu columbam peteret, aperta repentè vena, tantum effudit sanguinis, vt cum sanguine vitam quoque ageret. Fulg. lib. 9. cap. 12. & Paulus Diaconus.

ECELINVS Romanus, Patauinorum tyrannus, post infinita propè flagitia, & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turianum, Mediolani principem susceperat) vulneratus, more frendentis belluæ vulnus discerpsit, eóque miseram euomuit vitam.

ATANARICVS Gothorum rex, cùm Christianos tyrannicè persequeretur, sanguine per totum corpus erumpente, scelestum exhalauit spiritum.

IN ACTV VENEREO MORTVI.

CORNELIVS Gallus Prætorius, & TITVS Ætherius eques Rom. inter vsum puerilis Veneris absumpti sunt. Valer. lib. 9. cap. 12. Plinius libro 7. cap. 53.

THEODEBERTVS, Clotharij Francorum regis filius maior, omni muliere corruptior, & ad libidinem solutissimus, in complexu pellicum maturè discesit. Michael Ritius Neapolitanus lib. 1. de Francorum regib.

LADISLAVS rex Apuliæ, dum Florentiam pergit, in itinere, in coitu mulieris, quæ medicatam opera Florentinorum vuluam habuit, extinctus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

BELTRANDVS Ferrerius in Hispania Barcellone, in Venere expirauit. Pont. lib. 1. de Obed. cap. 1.

GALLVM equitem Romanum eodem intemperantiæ ac mortis genere vita excessisse legimus apud eundem.

GIACHETVS Geneua Salucianus, cùm in Saluciano populo nō paruæ existimationis vir haberetur, iámque ætas ingrauesceret, atque ex vxore liberos procreasset, Veneris appetētior, occultè per posticum puellam adhibebat, sub eo prætextu, vt illius rebus, quæ vsurpabantur, tuendis operam daret. Itaque cùm semel admissa puella diutius quàm consueuerat, recipere se ad vxorem ac liberos tardaret, seriórque hora vxorem ac liberos in suspicionem adduceret, ne quid ei aduersi contigisset, quia strepitum nullum, vbi ipse esset, euoluēdorum librorum (vt ei mos erat) exaudiebant: posteaquum vocando pulsandóque non profecerunt, effracto loci hostio, cùm lumen intulissent, inuenerunt, in puellæ complexu eum illius ventri, eo modo, quo venus exercetur, incumbere, atq; vtrunque exanimem, sine vllo violentæ mortis signo esse. Fulg. libro nono, cap. 12.

SENECTVTE NIMIA MORTVI.

Exempla ex tit. Mortis repentinæ, peti possunt,

PLATONEM, philosophorum haud dubiè principem, sunt qui dicant in celebrandis amici nuptiis, quum quietus decumberet, animam derepentè exhalasse. Nonnulli in morbum incidisse, quem à corruptione pediculorum phthiriasim vocant. Plin.

PINDARVS, cùm in gymnasio super gremium pueri, quo vnicè delectabatur, capite posito, quieti se dedisset: non prius decessisse cognitus est, quàm gymnasiarcha claudere eum iam locum volente, nequicquam excitaretur. Cui quidem crediderim in eadem benignitate deorum, & tantum poeticæ facundiæ, & tam placidum vitæ finem attributum. Val. Max. lib. 9. cap. 12.

VIGILIIS MORTVI.

M. ATTILIO Regulo à Carthaginensibus capto, præter cætera tormenta illud non minimum fuit, quòd præfectis palpebris, cùm somnum capere non posset, vigiliis confectus esse dicitur. Polyb. li. 1. hist. Vide tit. Vindictæ nimiæ erga hostes viuos.

PERSEVS Macedoniæ rex, à Paulo Æmylio victus, & in carcerem Romæ detrusus, somno à custodibus (qui hac custodiendi molestia liberari cupiebant) prohibitus, ex vigiliis periit. Ful. glib. 6. cop. 11.

VENENO EXTINCTI, VEL PHARMACO.

Apud MASSILIENSES venenum cicuta temperatum publicè custodiebatur, quod dabatur ei qui causas Sexcentis (id enim senatus eius nomen est) exhibuerat, propter quas mors sibi expetenda esset. Cognitione virili, beneuolentia temperata, quæ neque egredi vita temerè quēquam patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præbet, vt vel aduersa vel prospera nimis vsi fortuna cōprobato exitu terminetur. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Inst. antiq.

GRÆCOS idem fecisse legimus, à quibus hoc institutum ad cæteros superuenit. Memoriæ enim proditum est, in Ialide Græcorum oppido sūmę dignitatis fœminam reddita ratione ciuibus, cicutam petiisse, vt morte sua in Magni Pompeij conspectu clarior fieret. Valer. Maxim. eodem loco.

COORVM insula cùm sit omnium saluberrima, quæque hominum senectutem producat, præsertim mulierum: in hac senio confecti, mortem non expectant: sed antequam aduersa valetudine corripiantur, alij papauere, alij cicuta sibijpsis mortem accersunt. Heraclides in Politiis.

MIDAM Plutarchus scribit, contracta ex somniorum diritate animi ægritudine, quum formidabilis affectio in dies augeretur, nec occurreret remedium mali, tauri sanguine copiosius hausto, concessisse ab humanis.

PHOCION Atheniensis, cum iam cum aliis bonis viris ab Atheniēsibus damnatus esset ad mortem, & carnifex cicutam apportaret: quum bibissent omnes, solúsque Phocion superesset, consumpto ab aliis veneno, carnifex negabat se daturum, nisi numerarentur duodecim drachmę. tanti enim venire cicutæ vnciam. Phocion itaque, ne per illius contentionem mora fieret morti, accito ad se cuidam ex amicis: Quandoquidem, inquit, Athenis ne mori quidem gratis licet, quæso dato huic precium. Plut. in Græcorum apophthegmatibus.

PSAMMENITVS Ægyptiorum rex, victus à Cambyse, cùm denuò ad defectionem sollicitasset Ægyptios, criminis conuictus, epoto cruore taurino periit. Herod. lib. 3.

ANAXAGORAS philosophus, quum annis LXXII. vixisset, ab Atheniensibus in carcerem coniectus, quòd Solem (quem illi reuerebantur) ignitum lapidē vocasset, ibidem epoto veneno interiit. Hermippus apud Diogenem. Plu. in vita Periclis aliter sentit.

THEMISTOCLES Atheniensis, Nicoclis filius, inuidia ciuium relegatus, ad Artaxerxem confugit. A quo dum in patriam pugnare cogeretur, vitam cum morte volens commutauit, hausto sanguine taurino, quē ideo pestiferum potu scribit Cælius, quòd celerrimè coeat, atque obdurescat. Porrò sanguis taurinus recens, anhelitus difficultatem ac præfocationem infert cum spasmo præualido.

ALEXANDER Macedo ab Iola prægustatore, Antipatri ad regnum aspirantis filio, veneno potus est. Vis autem veneni, quod in Macedonia gignitur, tanta est, vt ferrum quoque exurat. Curtius testis est, venenum illud per Cassandram allatum fuisse, traditúmque fratri Iolæ. Conuenit inter scriptores, Aristotelis infamia & maxima nota excogitatum. Authores sunt Cicero in Tusc. quæst. lib. 2. & lib. 1. de Diuinatione. Plut. in Alex. Val de miraculis, Strab. lib. 15.

DEMOSTHENES orator Atheniensis, ex Demadis decreto mulctādus capite, fugiens in Calabriam insulam Ægei maris, in templo Neptuni

ab Archia Tyrio actore trægœdiarum Antipatri (qui Alexandro successit) satellite cùm deprehēsus esset, sumpto calamo, quasi prius literas ad Antipatrum scripturus, venenum illic inclusum exhausit, statímque moribundus cecidit. Volaterran. lib. 15. Anthrop. & Cælius ex Eratosthene.

ARATVS dux Sicyonius, quum multos tyrannos sua virtute sustulisset, Philippo iuniori Macedonię regi cœpit esse formidolosus: propterea veneno lento ac sensim dato ab eo potionatus est. Plutarchus.

SOCRATES ab Atheniensibus iniusta de causa morti deuotus, tritum in calice venenum hausit: cuius vis cùm in præcordia & venas serperet, iacuit resupinus. Cicero 2. Tusc. quæst. & Ouidius in Ibin: & Sabellicus lib. 1. cap. 5.

In ÆTHIOPIA elephantina ophiusam herbam sontes bibentes, insani redduntur. Vide tit. Supplicia varia.

Philopœmenes Megapolitanus Crotusidis filius, post multa egregia pro Acheis facta, ab iisdem cum exercitu contra Dinocratem Messenium missus, lapso equo ab inimicis captus, inque carcerem ductus, ibidem veneno sublatus est ab ipso Dinocrate. Plutarchus in Epitome.

THERAMENES cùm in quadam domo versatus, inde prodiisset, illa subito lapsu corruit. Atqui cùm reliqui Athenienses alij aliunde ad eum confluerent, & inopinatæ saluti congratularentur, ille prçter omniū opinionem respondit: O Iupiter, cuínam me tempori reseruas? Nec multo pòst à triginta tyrannis de medio sublatus est, coactus cicutam bibere: quam forti animo propinauit pulchro Critiæ, qui vnus erat ex tyrannis. Ælianus lib. 9. de Varia hist.

CRITOLAVS Thermopylarum dux (cùm L. Mummius cum Achæis, qui in auxilium Bœotios & Chalcidenses habebant, & Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixisset) veneno sibi mortem consciuit. Liuius 22. lib.

LAODICE regina Syriæ, Antiochum, Deum cognomento, maritum suum, veneno extinxit, ob superinductam sibi Ptolemæi sororem Berenicem.

Aristobulus rex Iudææ, captus à Gabinio, & Romam ductus, in carcere porrectum hausit venenum.

Mithridates iunior, qui annis LVI. bellū cū Romanis varia gessit victoria, post occupatam Asiam, Q. Oppium & Aquilcium in vincula coniectos, Rhodum oppugnatam, Athenas per Archelaum præfectum occupatas: à Lucullo primùm, demum à Pompeio superatus, postremò à Pharnace filio adolescente ingratissimo (qui à patre ad Pompeium defecerat) bello peritus & obsessus, venenum hausit. Quo nihil ad mortem propter sumptum antidotum proficiens, auxilio Galli cuiusdam militis Vitigis nomine se interfecit. Plinius libro 23. capite 9. & Volaterranus libro 17. Anthrop.

STATYRA & ROXANA Mithridatis sorores, quæ annos ferè XL. virginitatē seruauerant, hausto veneno fraternā mortem comitatę sunt. Potest tamen dubitari, an eo perierint: quoniam Plutarchus scribit, Roxanam à Statyra in puteum demersam. Nisi fortasse hoc ad alias eius nominis sit referendum. Rauis.

VENEFICII quęstio & moribus & legibus Romanis ignota, complurium MATRONARVM patefacto scelere orta est: quæ cùm viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, vnius ancillæ indicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centum & septuaginta numerum compleuerunt. Liuius lib. 8. dec. 1. Valer. Max. lib. 2. capite de Institutis antiquis.

VIBIVS VIRRIVS fuit author in Campaniæ defectione, vt ciues sibi ipsis mortem consciscerent. Itaque XXIII. senatores eum secuti domum, post cœnam vino mentem alienati, atque inuicem complexi cum lachrymis, veneno sumpto obierunt. Liuius apud Volaterranū libro 20. Anthrop.

LVCRETIVS poeta physicus, sumpto amatorio poculo, eò furoris raptus est, vt manum sibi intulerit, natus annos plus paulò quadraginta. Quin etiam eo, priusquam moreretur, delirio diu antè fertur laborasse: neque ad scribendum carmen animum appulisse, nisi intersecta interuallataque insania. Politianus in Nutricia:

Nec qui philtra bibit, nimióque insanus amore
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem.

Cælius lib. 9. cap. 36. & Eusebius in Crinitum: & Volat. lib. 16. Vrb. com.

Pater Licinij Cecinnæ, vir prætorius, ob diuturnæ valetudinis tædium et dolorem, sese opio necauit. Plin. lib. 20. cap. 18.

L. VECTIVS à Cæsare subornatus, & præmiis inductus, vt se de inferenda Pompeio nece, à Bibulo, Curione, Catone, Lucullo & Cicerone (quos oderat) solicitatum profiteretur: quum vnum atque alterum, nō sine fraudis suspicione, nominasset, desperato consilij euentu, ab ipso Cæsare interceptus veneno creditur. autor Suetonius, & Appianus lib. 2. bel. Ciuilium.

Lucullum Imperatorem clarissimum, amatorio poculo periisse, testis est Plin. lib. 25. cap. 3.

L. TVBVLVS sacrilegus, ab exilio (quò propter multa flagitia missus fuerat) reuocatus, ne in carcere necaretur, venenū hausit. autor Asconius Pedianus.

M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à C. Cæsare Augusti filio, venenum bibit. Plin. lib. 9. cap. 35.

Idem Plin. lib. 36. cap. 24. scribit, CN. PROCVLEIVM Augusti Cæsaris familiarem, in maximo stomachi dolore, gypso poto consciuisse sibi mortem.

ANNIBAL Amilcharis filius, dux Carthaginensium, post L. Cornelium Scipionem, patrem Scipionis maioris, superatum, Sempronium ad Trebiam, C. Flaminium ad Trasymenum magnis cladibus affectos: P. Æmylium apud Cannas cum toto exercitu deletum, Claudium Marcellum occisum, à Scipione Iuniore postremò victus, & fugatus, ad Antiochum primùm, deinde ad Prusiam Bithyniæ regem confugit, vbi septem occultos exitus è domo confecerat, ne à quopiam intercipi posset. De cuius fide dubitans, quoniam videbat Flaminium legatum à Romanis missum, ac se paulatim à militibus circumseptum, venenum (quod in anulo gerebat) hausit.

ÆGYPTII, cùm viginti legatos Romam misissent, vt Ptolemæum regem, regno à subditis exutum accusarent: rex per insidias omnes, & Dionem in primis, qui eius legationis princeps erat, & à quo constabat se accusatum iri, veneno clàm necauit. Dion Nicæus, in Pompeio.

DRVSVS Tiberij Cæsaris frater, adolescens insignis, à Seiano & Liuilla vxore, quæ cum eodem adulterium commiserat, veneno sublatus est. Dion in Tiberio.

Claudius Romanorum imperator, cùm Claudium Neronem Agrippinę cōsilio, imperij successorem facere nollet, sed alium successorem iam facere vellet, Agrippina eius consiliū præueniens, Locustę venefice opera, veneno, cui nullum remedium adhiberi potuit, in boleto eum sustulit. Xiphilinus in Claudio: & Tacitus lib. 12.

Nero imperator fratrem Britannicum veneno sustulit, opera Iulij Pollionis tribuni, & Locustæ veneficę: cuius corpus vt vidit propter venenū liuore decoloratum esse, gypso obliniendum curauit. cúmque per forum eius efferretur, maximo imbri de cœlo omne gypsum, quod adhuc molle & tenerum erat, sublatum est: vt nefarium scelus nō solùm audiretur ab omnibus, sed etiam apertum ante omnium oculos poneretur. Xiphil. in Nerone: & Tacitus lib. 13.

COSSINVS eques Romanus, amicitia Neronis notus, quum lichene laboraret, vocatus ex Ægypto medicus, vt eius morbo mederetur: quum cantharidum potum pręparasset, eum interemit. Plinius libro 29. cap. 4.

SENECA à Nerone pręceptore coactus, vt quod vellet genus mortis eligeret, venas medico prębuit: veneno demum in balneo hausto periit. Suetonius.

BVRVS à Nerone imperatore veneno extinctus est, eo quòd nimia oris libertate imperatorem reprehendisset. Xiphilinus in Nerone.

Diocletianus Imp. Rom. Nicomedię, seu (vt nonnullis placet) Salonię in patria veneno sublatus est, cùm vixisset annos 74. imperasset 20. Volat. lib. 23. Anthrop. Alij à Licinio & Constantino grauiter literis obiurgatū, quòd Maxentio diceretur fauisse, metu ignominiosę mortis venenū hausisse testantur. Aurel.

Longinus Adriani Imperatoris legatus, à Decebalo Dacorum rege (in quem certabat) circumductus, ebibito veneno seipsum interemit. Dion Cassius.

L. VERVS Antoninus Imperator, cùm ex bello aduersus Marcomannos suscepto proficisceretur Romam, interiit in Altino, non sine suspicione veneni propinati à Lucilla vxore, ob Fabię consuetudinem. Alij dicunt, à Marco, parte cultri veneno illita, qua vuluam inciderit. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

Antonius Romanorum imperator, qui ob insignem eruditionem Philosophus cognominatus est, cùm fœliciter contra Scythas belligerasset, & decies iam imperator appellatus esset, à medicis, qui Commodo gratificabantur, veneno clàm extinctus est. Dion Nicęus, & Xiphilinus in eius vita.

Constantinus Heraclij imperatoris filius quarto imperij sui mense à nouerca sua Martina, & Pyrrho patriarcha veneno extinctus est. Sigebertus in Chron. & Volat. lib. 23. Anthrop.

ROMANVS Iunior, imperator Rom. Romani Lacapeni imperatoris ex filia nepos, qui cum Constantino patre imperium rexerat, Anno imperij 13 ex veneno periit. Volater. lib. 23. Anthrop.

Ioannes Zimisces imperator, post Nicephorum Phocam Constantinopolim profectus, ibidem post annum imperij sextum, & sex menses, potionatus decessit. Rauis.

Henricus VI. Lucelburgensis, imperator post Albertum à Clemente pontifice designatus, dum superata Hetruria, Florētinus salutem iam desperantibus immineret: veneno in Eucharistia, & precioso Christi sanguine, à fatre Pręedicatore dato periit. Anno imperij quinto. Illud autem venenum datum est opera Roberti Sicilię regis. Egnatius, & Volaterranus lib. 23. Anthrop.

CAROLVS Caluus Francorum rex, magnis, nec intermissis itineribus in Italiam contendens, vt Ecclesię dignitatem à Ioanne Romano pontifice imperator declaratus tueretur, opera Sedechię Iudęi, quo medico vtebatur, haustu veneni sublatus est è medio Mātuę. Michael Ritius lib. 1. de Reg. Franc.

Conradus Friderici imperatoris filius, cùm arripuisset imperium, post annum à Monfredo veneno per medicos potionatus, discessit. Volaterr. lib. 23. Anthrop.

OTTHO imperator, cùm Roma discessisset, ab vxore Crescentis, quę eum spe regnandi ad amorem sui pellexerat, venenū ignorans accipiens consumptus est. Sigebert. in Chron.

Ludouicus Francorum rex, cùm venenum clàm propinatum ignorans hausisset, inedia periit, à medicis iniuncta contra vim veneni. Ritius Neapolitanus lib. 3. Francorum regum.

CHILDEBERTVS à Gontranno Aurelianensium rege adoptatus

atque regni hæres declaratus, hausto veneni periit. Michael Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

GREGORIVS episcopus Antiochenus clarissimus, sub Mauricio imp. & multis ab eo legationibus adhibitus, cùm podagra laboraret, & hermodactyli potionem sumpsisset, obiit. Niceph. lib. 18. cap. 27.

MAHOMETES ex Arabia ortus, vastata Syria, expugnatáque Damasco, eius regionis capite, quum Scenitas & Arabas suæ adiecisset ditioni, Anno vitæ 40. veneno à domesticis dato periit. Bap. Egnatius.

ROSIMVNDA, Cunimundi Gepidarum regis filia, interfecto primo marito Alboino rege Longobardorum, secundum quoque Helmigem nomine, Rauennæ principem, veneno præsentaneo perdere conata est. Cuius partem quum hausisset, vbi sensit contagium per venas serpere, euaginato gladio, eam coegit reliquam poculi partem bibere. Quo facto ambo suffocati sunt. Paulus Diaconus.

ANTHARIS Longobardorum rex, Theolidæ maritus, quum sex regnasset annos, insidiis domesticorum apud Ticinum extinctus est venenato poculo, Nonis septembris. Paulus Diaconus lib. 4. de Gestis Longobardorum.

CAROLVM VIII. Gallorum regem constans fama est, atque etiam Volaterranus scribit, veneno suffocatum. Quod à veritate nõ abhorret, quum in Sphæristerio præter spem, ac nihil sibi timens, exanimatus propè concidisse, ac paulo pòst expirasse dicatur.

LOTHARIVS rex Gallorum, Ludouici quarti filius, decessit ex veneno, ab vxore adultera (vt fertur) præministrato. Eius quoque filius LVDOVICVS V. Blanchæ coniugis opera eodem fato periit. Volat.

LVDOVICVS Balbus, dum biennio cum Carolo Crasso fratre suo imperasset, veneno sublatus est: relictis Carolo Simplice, & Carolo Magno, liberis.

LADISLAVS rex Apuliæ dum Florentinos bello aggredi, suæque ditioni submittere constituisset, eorum opera & insidiis veneno suffocatus est. Volat. lib. 22.

GRIMOALDVS Longobardorum rex, cùm nono die post phlebotomiam, accepto arcu columbam percutere nisus esset, vena brachij eius dirupta est, & supponentib. ei medicis venenata medicamina, periit, Sigebertus in Chronicis.

SANCTIVS, eo nomine primus Hispanorum rex, ab habitu corporis cognomento Crassus à pinguedine ad maciem herbæ auxilio deductus, haud multo pòst excessit, nõ sine dati veneni suspicione. Ritius lib. 2. Regum Hisp. prope finem.

BAMBA rex Hispanorum, ex hausto veneni, quod ab Eryngio Recisuindi opera datum rumor est, incidit in grauissimum morbum, & ex eo tandem periit. Ritius Neap. lib. 2. Regum Hispaniæ.

VICTOR III. pont. max. quum vnicum annum sedisset, mortuus est, non sine maxima suspicione dati ab Henrico veneni in calice, dum sacrificaret. Volat. lib. 22. Anthrop.

IOANNES Cornetanus, patriarcha Alexandrinus, quem alij Vitellicũ appellabant, quòd contra Florentinos cum Philippo duce, inuito pontifice Eugenio quarto, conspirasset, per insidias captus in transitu pontis, ac in Hadriani mole custoditus, ab Antonio Rido Patauino, arcis præfecto, veneno sublatus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

Marullus in Epigrammatis scribit, BILIOTVM astrologum aspersis veneno boletis instar Claudij periisse, vbi ait:

Dum cauet astrologus perituris sidera nautis,
Dum sibi boletis non cauet, ipse perit.

GVILERMVS dux Veronensium, nocte quadam cum Florentinis Veronam ingressus, à Carrariensibus captus, & veneno sublatus est. Vol.

Cùm VENETI, duce Vitali Michaele, contra Emanuelem Constantinopolitanum imperatorem classem instructissimam misissent: Emanuel sceleratissimus princeps in Chio insula, compositionis specie Venetos detinuit, & illic fœtes & flumina veneno infecit. Magna igitur pars exercitus amissa, & vniuersa IVSTINIANA familia nobilissima extincta cùm ex ea omnes qui per ætatem arma ferre poterant, ad id bellum exiissent. Eius familiæ perditionem ciuitas ægrè ferês, ad eam reparandã, ex ea gente vnum tantùm superstitem in D. Nicolai fano factis initiatã, impetrata à Pontif. publico nomine religionis solutione, ex cœlibatu ad coniugium trãsire coegit. Cuius deinceps sobole Iustiniana familia mirum in modum propagata, clarissimos viros protulit. Petrus Marcellus in vita Vitalis Michaelis.

IGNE COELESTI ABSVMPTI, FVLMINATI.

Dominus pluit super SODOMAM & GOMORRHAM sulphur & ignem de cœlo, & subuertit quinque ciuitates, detestabili peccato fœrentes. Genes. 34.

CHORE, filius Isahar, cognatus Mosis, ex Leuitarum tribu natus, quũ de sacerdotio cum Aarone contenderet, igne cœlesti periit.

NADAB & ABIHV filij Aaron, offerentes ignem alienum coram domino, deuorati sunt ab igne Domini, & mortui. Leuit. 10.

PHAETON Solis & Clymenes filius, dum currum patris temerè regendum suscepisset, equis insolitum aurigam non audientibus, fecit vt totus conflagraret mundus: ac propterea fulmine percussus, in Padum cecidit, qui ab eo Phaetontæus dicitur.

De GIGANTIBVS, Vergil. lib. 6. Æneidos:

Hic genus antiquum Terræ Titania pubes
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

ENCELADVS gigas, Terræ filius, à Ioue fulminatus est cum cæteris fratribus, quòd Iouem ipsum cœlo detrudere voluisset. Sic quoque Typhœus.

MENIVS Lycaonis filius, quum patre in lupum verso, & domo conflagrante Iouem detestaretur, ab eodem fulmine percussus est. Ouid. in Ibin.

SEMELE Bacchi mater, Iouiali fulmine tacta est, quòd Iouem ipsum orasset, vt secum tantus, quantus cum Iunone, iaceret. Propertius libro tertio.

PRESTER filius Hippomenis, quum deos detestaretur, fulminatus est. Sabellicus.

ASOPVS Oceani filius, dum propter Æginam filiam à Ioue stupratã bellum suis vndis in astra vellet gerere, ab ipso Ioue fulminatus dicitur. Statius:

Donec vi tonitru summotus & igne trisculo, &c.

ÆSCVLAPIVS Apollinis ex Coronide filius, fulmine percussus est, quòd Tyndaridem ad vitam reuocasset, vt ait Plinius libro 29. capite 1. Vergil. lib. 7. Æneid. Hippolytum resuscitatum scribit:

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad limina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Phœbigenam stygias detrusit ad vmbras.

CAPANEVS, maritus Euadnes, in bello Thebano fulmine percussus dicitur. Quod ideo fingunt poetæ, quoniam quum scalis admotis muros vellet conscendere, iactu lapidum ab inimicis oppressus est. Ouid. libr. 4. Tristium:

Quum cecidit Capaneus subito temerarius ictu.

Idem libro tertio de Ponto:

Notior est factus Capaneus fulminis ictu.

SALMONEVS rex Elidis, quum Iouis fulmen in æreo ponte mentiretur, vt crederetur Deus, ab ipso Ioue fulminatus est. Vergilius libro 6. Æneid.

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Græûm populos, mediæque per Elidis vrbem
Ibat ouans, &c.

ATRAX, quum Dosithoem violatam à Ioue prodidisset, deo vlciscente ictus est fulmine. Ouidius in Ibin:

Aut Iouis infesto telo feriare trisculo,
Vt fatus Hippomene, Dosithoëque pater.

MACEDON mulier (à cuius nomine Macedonia dicta est) igne cœlesti vnà cum marito absumpta est. Ouid. in Ibin:

Vt Macedon icta est rapidis cum coniuge flammis.
Sic precor ætherei vindicis igne cadas.

AIAX Oileus ab expeditione Troiana rediens, à Pallade fulminatus est, quòd in eius templo Cassandram virginem stuprasset. Vergil. lib. 1. Æneid.

Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiectaque rates, euertitque æquora ventis.
Illum expirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

Syllius lib. 14. Valer. Flaccus lib. 1. Argon. Ouid. in Ibin. Pol. in Ambra.

ADIMANTHVS rex Philesiorum, cùm Iouem suis indignum sacrificiis iudicaret, ab eo fulmine percussus est. Ouid. in Ibin:

Quæque

Quæque in Adamanthum Philesia regna tenentem,
A Ioue venerunt, te quoque tela petant.

PORPHYRIO filius Sisyphi, paternam in deos imitatus impietatem, itidem cœlesti suffocatus est igne. Ouid. in Ibin:

Vtferus Æolides, vt sanguine natus eodem,
Quo genita est, liquidis quæ caret Arctos aquis.

AVTOLEMI fulmine percussi mortem Marullus in Epigram. sic describit:

Dixerat Autolemo flammas consultus aruspex
Die cauendas postero
Credidit, & rerum dubius de mane, sub amnis
Delituit Ethrusci vadis.
Sed neque sic factum effugit. Nam dum innatat Arno
Ictus crematur fulmine.

ZOROASTRES rex Bactrianorum, Oromasi filius, & artis magicæ repertor, igne cœlesti absumptus creditur. Volater.

AMVLIVS Syluius Albanorum rex duodecimus, fulmine prostratus ecumbuit. Guido.

RHYTVS filius Tyberini regis, fulmine percussus est. Ouidius lib. 14. Metamorph.

---Remulus maturior annis,
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.

TVL. Hostilium, L. Piso apud Plinium author est, fulmine itidem suffocatũ, quòd quædam parum ritè fecisset, & sacrificio Iouem ipsum cœlo deuocare voluisset. Author etiam Plutarchus in Numa Pompilio: & Valer. lib. 9. cap. 12.

MARTIAM Plin. lib. 2. ait, grauidam partu fulmine exanimato superuixisse, citra vllum corporis incommodum. Idem scribit, M. HERENNIVM decurionem, sereno die, fulmine ictum fuisse.

POMPEIVS Strabo proconsul contigit, vnà cum Octauio, vt Mario Cinnæque se opponeret, iuxta vrbis Romæ portam armatus, atque eo insidens, à fulgure periit. Visus enim est eo facto Deus ostendisse, quantopere ciuilia bella damnaret. Fulg. lib. 9. cap. 12.

AVR. CARVS, Aurelij Probi Romanorum imperatoris successor, cùm duos annos imperasset, Ctesiphonte iam capto supra Tigridem, in castris ictus fulmine occubuit. Vopiscus. Infaustum habebant Romani id bellũ quod trans Tigridem susciperent. Fulg. lib. 9. cap. 12.

OLYMPIVS quidam Arrianus episcopus, in Africa dum in balneis sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito triplici iaculo cœlitùs veniente, videntibus multis combustus est. Sigebert. in Chron.

F. Valerius ANASTASIVS imperator Rom. optimus ab initio cùm postremò in sectam Eutychianam lapsus esset, Deum vltorem sensit, fulmine enim ictus subita morte corruit, 27 imperij anno. Volat. lib. 25. fol. 246. & Marcellinus, item Sigebertus in Chronicis: & Fulgos. lib. 9. cap. 12. & Blondus. Is cùm sibi propter perfidiam fulmine pereundum esse ex oraculo cognouisset, cùm aliquando fulmina horrendum in modum perstreperent, è cœnaculo in cœnaculum discurrens, in quodam regio cubiculo mortuus inuentus est. Zonaras tomo tertio suorum Annalium.

CONSTANTINVS imperator pessimi incendij plaga diuinitùs percussus, clamauit adhuc viuus: Igni sum inextinguibili traditus: & sic vnà cum voce vitam amisit. Sigebert. in Chron.

Ioanne IX. pontifice, cùm Sarraceni ex Africa in Italiam traiecissent, atque vrbem Consentiam oppugnarent, eorum REX, qui suis scalis muros vrbis conscendebat, ceu alius Capaneus, fulmine ictus est. Fulg. libr. 9. cap. 12.

HATO Maguntinus episcopus, cuius dolo olim Adelbertus perierat, cùm instinctu Conradi imperatoris Henricum Saxonum ducem interficere conaretur, post triduum spe sua frustratus, fulminis ictu interiit. Sig. in Chronicis.

HIER. Fracastorij mater, dum Hieronymum ipsum etiãnum infantem in vlnis gestat, fulmine tacta periit, infante illæso, futuræ gloriæ non obscuro præsagio.

IGNE ELEMENTARI EXVSTI. COMbusti viui.

BARVCH eo quòd legisset verba, quæ scripserat ex ore Hieremiæ, coram Ioachim rege Iudæ, in igne cũ volumine coniectus est. Hier. 36. Regi Israel pessimo Hela, rebellauit ZAMBRI contra Dominum, & occidit eum: qui post septem dies ingressus est regium thalamum, & succendit se cum ipsa domo regia. 3. Reg. 16.

POLYCARPVS, Ioannis apostoli discipulus, M. Antonio & L. Aur. Commodo imperantibus, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ spectante proconsule cum vniuerso populo in amphitheatro igni traditus est, & inter Martyres relatus. Ex Hieronymo.

THEODVLVS martyr, cùm imperante Iuliano sub Phrygię præfecto minoris Amachio cremaretur, alea voce clamasse dicitur: Volue, si vis degustue iam coctum. Suidas, & Niceph.

LETHVS episcopus ab Honorico Vuandalorum rege, incendio cum multis aliis concrematus est. teste Sigeb. in Chron.

PATERNVS Scotus monachus, Paderburna Germaniæ ciuitate igne concremata, cum maiori ecclesia, egredi nolens propter votum factum, ibique quoque comburi ex nimia superstitione passus est. Sigeb. in Chron.

EVADNE Martis filia, in rogũ mariti sui Capanei apud Thebas mortuũ (idem celebrarentur exequiæ) se coniecit. Ouidius lib. 5. Tristium:

Cernis vt Admeti cantetur & Hectoris vxor,
Aut quæque in accensos Iphias ire rogos? idem lib. 3. de Arte:
Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.

Item Martialis lib. 4. Epigram. Statius lib. 12. Propert. lib 1.

HERCVLES induta tunica, Nessi centauri cruore tincta, in tantas furias raptus est, vt præ impatientia doloris sese in Oeta monte combusserit. Ouid. ad Liuiam:

Qualis in Herculeæ colluxit collibus Oetæ,
Quem sunt imposito membra cremata deo.

Statius libro 12. Thebaidis.

BROTHEVS Vulcani filius, propter oris deformitatem illusus in rogum desiluit, ibique vitam incendio finiuit. Ouid. in Ibin:

Quódque ferunt Brotheum feciſſe cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

Medea ægrè ferens se ab Iasone relictam, sibique CREVSAM seu GLAVCAM Creontis filiam superinductam fuisse, nouæ nuptæ dona quædam misit nuptialia, quæ eidem & toti domui incendium attulerũt. Propertius libro secundo.

Aspice quid donis Eriphyla inuenit amaris,
Asserit & quantis nupta Creusa malis.

Nigidius tamen apud Maserium ait: Corinthi fontem esse Glaucem nomine, in quem se illa præcipitauit, quũ aduersus Medeæ veneficia ignésque id sibi speraret profuturum.

ALCIBIADES Clytiæ filius, dum in Phrygia ab Athenien sibus exularet, percussorũ (qui immissi fuerant) decreto vitus in cubiculo crematus est. Ouid. in Ibin:

Clytiadeque modo circumdatus ignibus atris,
Membra feras Stygiæ semicremata neci. Iust. ib. 5.

NICIAS fuit inter venatores quispiam venandi ardore concitatior, dum feras immissis canibus ardentius insectaretur, in carbonariam præceps decidit fornacem. Cælius cap. 19. lib. 12.

EMPEDOCLES Siculus poeta immortalitatem nouo mortis genere affectans, se in Ætnam coniecit. Vnde Horatius in Arte:

---Dicam Siculique poetæ
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit.--- Item Ouid. in Ibin:
Aut tu Trinacrij salias super ora Gigantis,
Plurima qua flammas sicanis Aetna vomit.

Item Lactantius lib. 3. de Falsa sapientia, cap. 18. Multi ex his qui æternas esse animas suspicabantur, tanquam in cœlum migraturi essent, sibi ipsis manus intulerunt, vt Cleantes & Chrysippus, vt Zeno & Empedocles, qui se in ardentis Aetnæ specum intempesta nocte deiecit: vt cũ repentè non apparuisset, abijsse ad deos crederetur.

BOGES Persa, amicus Xerxis, ab Athenien sibus & Cimone Miltiadis filio obsessus, licet accepta fide posset egredi, abnuit tamen, & ad extremum perstitit. Inde vbi in mœnibus nihil commeatus fuit reliquum, accenso rogo, liberos, coniugem, concubinas, familiam interemit, eósque omnes in pyram coniecit. Deinde omne aurum vrbis atque argentum è muris dispersit in Strymonem, ac postremò se in rogum coniecit. author Herodotus.

CALANVS sophista Indus, cùm longum vale diuisset Alexandro, Macedonibus & vitæ, & quando seipsum è corporis vinculis liberare volebat, extructa & apparata pyra in suburbio Babylonis, ex lignis aridis, & ad prouocandam bonam fragrantiam delectissimis, cedro, vlmo, curresso, myrto & lauro solitum exercitium obiuit (erat autem id cursus) & accedens in media strue constitit, coronatus foliis arundinum, affulgente sibi sole quem ipse adorabat: atque hoc dederat signum Macedonibus, vt pyram incenderet. Quod cum fecissent, ille circumdatus, flammis, immotus constitit: neque antè loco cessit, quàm expirasset. Tunc aiunt Alexandrum cum stupore quodam admiratum dixisse, Calanum potentiores hostes debellasse, quàm se. Nam Alexander cum Poro, Taxila & Dario bellum gesserat: Calanus verò cum labore & morte. Ælianus lib.5. de Var. hist. Cicero de Diuin. lib.1.& lib.2. Tusc. quæst. Plutar. invita Alex. Strabo. lib.15. Valer. Max. lib.1. cap.8. Volaterr. lib.14. cap.2. Vrb. Com.

Laurentius & Tyburtius martyres, pro Christi nomine incendium volentes pertulerunt. Io. Fr. Mirandulan. lib.2. Hymn.

----Iucunda incendia Laurens
Suspicit, Empyrea multum irroratus ab vnda,
Atque per ardentes prunas illæsus abibat,
Maiores in corde ferens Tyburtius ignes.

EMERITA, Lucij Anglorum regis soror, pro Christiana itidem pietate flammis extincta, spiritum Domino reddidit.

EVSTATHIVS Traiani aulicus, dum ceruum in venatione sectaretur, vitò inter eius cornua crucis simulachro, auditáq; hac voce: Cur me persequeris? statim conuersus est vnà cum Theophyta vxore. Quod vbi resciuit Traianus, ambos in tauro æneo comburi iussit. Volat.

SARDANAPALVS Assiriorum rex, ab Arbacto seu Arbace præfecto, ob molliciem, muliebréque mundicias (nam habitum mentitus, fœmineum, inter puellas fusos tractabat, & pensa, omnésque lasciuia anteibat, & libidine) bello petitus: vbi vidit res suas profligari, & pessum ire, etiam ad triarios redigi, ne captiuus traheretur, pyram in regia, amicis dominò supereisse nolentibus, extrui curauit, ac incendio se dedit & hoc solo virum se docuit, quòd nonexpauerit mortem. Iustinus hæc. Ouid. in Ibin:

Inque pyram tecum charissima corpora mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.

DEMOCLES puer, dubium maiore pudicitia, an forma pulchriore, quum à Demetrio Polyorcete ad stuprum traheretur, neque vim tyranni posset effugere, se in proximum aquæ feruentis lebetem conicit, atque ibidem enecauit. Rauis.

Plutarchus scribit, PYTHAGORAM philosophum viuum fuisse à Cyloniis exustum. Laertius ait hoc factum fuisse in Nicoclis Crotoniatę domo, à quodam, quem in disciplinam admittere noluisset.

ZAMARCVS Indus sophistes, imperante Octauio Augusto, siue gloriæ cupiditate permotus, siue senectute (vt mos est regionis) vnius se in ignem coniecit. Xiphilinus, Dionis Nicæi abbreuiator, in Augusto.

Phalaris tyrannus Agrigentinus, dum ciues suos multis torqueret supplicijs, à populo vnà cum liberis & coniuge crematus est: & in eodem tauro, quo reos puniebat, lege talionis suffocatus. Ouid. in Ibin:

Vtque ferox Phalaris lingua prius ense resecta, &c.

PERILLVS, egregius ære artifex, in cueo tauro, quem Phalaridi tyranno ad concremandos in eo aduentantes hospites comparauerat, crudelissimè, prout dignus erat, exustus est. Plutarchus, Orosius, & alij.

Orestilla M. Plaucium maritum, in Asiam cum 60. nauibus profectum secuta, Tarenti ex morbo decessit. Cuius dum celebrarentur exequiæ, & cremaretur cadauer, PLAVTIVS doloris impatiens, & appetens mortis, in rogum se coniecit: quem togarum calceatúmque corpori vxoris iunxerunt amici. Valerius Maximus de Amore coniugali.

P. Catienus Philotimus, patronum adeò dilexit, vt hęres omnibus bonis institutus, in eius rogum se coniecerit. autor Plin. lib.7. cap 36.

Asdrubal dux in tertio bello Punico à Scipione Æmiliano victus, in medias vrbis flammas sese cum filiis iecit. R. uisius.

ASDRVBALIS vxor, cùm à viro impetrare non potuisset, vt ad victorem transfugeret, in medias vrbis flammas cum filiis sese coniecit, Liuius.

Alexander Milesius, Polyhistor cognominatus, libertus Cor. Lentuli, insignis grammaticus, Syllæ temporibus ex incendio extinctus est apud Laurentes. Volater. lib.13. cap.13. Anthrop. ex Suida.

Iulianus imperator factus in Italia, acto per costas pugione, in ignem se abiecit. Aurelio teste.

Phocas imperator, Bonifacio pontifice sedente 65. ignibus concrematus est. Sigebert. in Chronicis.

Chrannus Lotharij Francorum regis filius, eo quòd parenti diu multúmque rebellasset, ab eodem captus, & igni cum vxore & filiabus consumptus est. Sigebertus in Chron.

CAROLVS Nauarrensis rex, Christi anno trecentesimo atque octuagesimo sexto post mille, cùm senio confectus, neruorum quoque dolore laboraret, medicis ita suadentibus, assui toto corpori linteum aqua (quæ viua dicitur) perfusum iussit. Cùm autem qui linteum consuerat, candelæ igne abrumpere filum peracto opere vellet, & parum considerate linteum lumine contigisset, statim totum eò cepto igne exarsit: neque antè ferre opem quisquam potuit, quàm Carolus rex nimis properè sęuiente flamma combustus est. cùm ad repentinas ignis vires accederet, quod pedes ac manus linteo inuolutione vinctus, vnà tantum lingua moueri poterat. Fulg. lib.9 cap.12.

Non minus quoque infelix atque incommoda eorum mors fuit, qui in Parisiorum vrbe, cum CAROLO sexto Gallorum rege personati, syluestrium virorum, totum villosi corpus, formas sumpserant. Nam cum regis frater, Aurelianensis dux, qui in eos fortè incideret, familiariter agnoscere eos vellet, accensum funale personatis admouit, vt eos diligètius intueretur. Itaque cùm flamma vnius velum, quod tenui lino pice illitũ erat, corripuisset, & ignis ob picem repètè sæuiret, ab eo in alios qui propè erant, flamma transiuit, atque ex personatorum numero duobus cum flamma oppressis, vix eo periculo eripi rex potuit. Ibidem.

Nigrinum quendam Ammianus Marcellinus fuisse scribit, qui propter excitatum bellum viuus sit exustus.

VALENS imperator, frater Valentiniani, prælio superatus à Gothis, in tugurio (quò spe salutis confugerat) ab eisdem crematus est. Sex. Aur.

Scribit Plinius lib.7. Natur. histor. AVIOLAM consularem in rogo reuixisse. Sed quoniam subueniri non poterat, prævalente flamma viuum fuisse crematum.

Fama est, CÆSIVM Bassum, poetam lyricum in suis prædiis ardente Vesuuio, latéque vagantibus flammis, cum villa sua conflagrasse.

Clotarius rex Gallorum, cum Conabro Britonum duce bellum gessit, victúmque interfecit, & CROMINVM eius filium nothum vnà cum vxore & liberis cremauit.

OTTHONIS IIII. vxor viua combusta. Vide tit. Pœna iniustæ accusationis.

Innocentius tertius iussit ALMERICVM hæreticum (qui dicebat Ideas in mente diuina creare, & creari) apud Lutetiam comburi. Volaterranus.

Saxo lib.7. historiarũ Danicarum ait, FROTHONEM regem incendio consumptum fuisse, & in antro, quò confugerat, flamma & fumo fuisse suffocatum.

AERIS VENTIQVE VIOLENTIA ABREPTI. & necati.

Consule tit. Eorum qui arena suffocati sunt.

AERIS TETRO ODORE NECATI.

Venenum quod in aere occultæ semina habet, pestilentiam plerunque efficit,
Consule igitur locum pestilentiæ.

DERBICCES quomodo homines terro odore enecent, pete ex tit. Supplicia varia.

MARCELLVS episcopus Rom. fœtore iumentorum à Maximino necatus. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

NAVFRAGI, SVBMERSI AQVIS. IN AQVAS, *flumina, puteos, mare præcipitati.*

PHARAO rex Ægypti, dum Israelitas persequeretur, mare rubrum virga Moysis diuisum ingressus cum toro exercitu periit, & submersus est. Exod.14. Politianus in Nutricia:

----Vt rubras sicco pede transiit undas,
Demerso insignem cecinit Pharaone triumphum.

Multi ex MARTYRIBVS eodem mortis genere extincti sunt, vt Ascla, Anastasius Aquileiensis, Florianus, Hesychius sub Diocletiano, Theogenes sub Licinio, Claudius tribunus sub Numeriano, Calixt⁹ papa sub

sub Alexandro imperatore, Symphorosa sub Adriano: item Apollonius, Philemon, Bassus, Antonius, Protolycus apud Alexandriam, Calixtus & Charisius apud Corinthum: Iocundianus apud Africam, Palatinus & Marina virgo, & infiniti alij hac morte cœlestem meruerunt lauream.

CÆSARIVS Apher genere, & Iulianus præsbyter apud Terracinam sub Claudio in mare præcipitati sunt calendis Nouembris. Volat. libr.14. cap.2.

Theseo in Cretam ad Minotaurum nauiganti, ÆGEVS pater Athenarum rex præceperat, vt si confecto monstro incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum albis veretur velis, vt prospectantibus è portu amicis superstitis vitæ fidem præstaret, Theseum tamen cæpit obliuio mandati. Propterea cùm ille (quibus venerat) remigraret velis, fecit vt pater nihil de filio sibi promittens, è scopulo in mare se deturbarit, & aquis nouum imposuerit nomen. Plutarchus. Quàm fabulam, vel (si mauis) historiam Catullus longo admodum prosequitur filo. Item Ouid. in Ibin:

Vt quit hesęæ fallacia vela carinæ
Vidit, & Iliaca missus ab arce puer.

Huius rei etiam meminit Cælius lib.10. Lectionum antiquarum, cap.25.

ILICE Ibyci Lidij filia, dum amores Martis contemneret, Deo facili ridente, in furorem versa, è scopulo se demisit. Ouid. in Ibin:

Lydia se scopulo (vt virgo) misit ab altis,
Dixerat inuito quæ mala verba Deo.

Ceyx Alcyones maritus, ad oraculum nauigans, naufragium fecit, & obitus est aquis. Quod indignanter ferens ALCYONE mortem mariti secuta in mare se deturbauit, & in auem sui nominis mutata est. Ouid. in Ibin:

Nec tibi sit tumidis melior Neptunus in vndis,
Quàm cui sunt visæ frater & vxor aues.

BRITONA filia Martis, nympha Cretensis, quum esset formosa, perpetuóque virginitatis voto venationi vacaret, ad vim & stuprum Minois regis declinandum se in aquas dedit præcipitem.

ÆSACVS Priami filius, ægreferens Hesperiem puellam (quam fugiẽtem sequebatur) morsu colubri in herba latentis fuisse interfectam, in aquasse demisit: mutatus postea in mergum, vt poetæ fabulantur. Ouid. lib.11. Metamorph.

Dixit, & è scopulo (quem rauca subederat vnda)
Decidit in pontum.----

ETEOCLVS ægrè ferens Mapissam filiam ab Ida, filio Apharei in certamine curuli superatam, ac propterea ex pacto nuptis copulatam, se in Lycormam Actoliæ fluuium demisit, cui & imposuit nomen. autor Domitius Calderinus. Vnde Ouidius in Ibin:

Vtque vel Eueni torrenti flumine mersus,
Nomina des rapidæ, vel Tyberinus, aquæ.

Adhunc ferè modum Plutarchus:

Eueni (inquit) Martis & Steropæ filius, ex Alcippa Ænomai filia Marpissam suscepit filiam. Quam ab Apharete in chorea raptam insequens, dum comprehendere non posset, in Lycormam fluuium se præcipitauit.

GATIS regina Syriæ (quæ postea Atergatis vocata est) piscibus data & deorata dicitur. Antipater Tarsensis apud Volat.

PHRONYME puella ab Etearcho patre, rege Cretæ, suasu nouercæ, in aquas præcipitata est. Vide tit. Impietatis erga liberos.

ARGINVS puer formosus (quem Agamemnon habebat in deliciis) submersus est. Idem Propertius lib.3.

Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
Quæ notat Argini pœna minantis aquæ.

LYCAS, quum venenatam Herculi tunicam attulisset, ab eo in mare Euboicum deiectus est. Ouid. in Ibin:

Quàm qui dona tulit Nessęo tincta veneno,
Euboicáque suo sanguine tinxit aquas.

LEANDER speciosus puer ex Abydo, quum in Sestion vrbem non nullum remotam nauigaret, ad amasiam suam Ero nomine, tempestate obortа periit. Ouid. lib.3. Tristium:

Si tibi tale fretum quondam Leandre fuisset,
Non foret angustæ mors tua crimen aquæ.

HELLE filia Athamantis regis Thebarum, insidias nouercæ cũ Phryxo fratre fugiens, arietem aurei velleris cõscendit, vt eo modo Colchos veheretur. quos quũ per mare ferret aries, cõtigit vt puella pertertita in pontum caderet, & Hellesponto imponeret nomen. Ouid. lib.4. Fastor.

Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
Fœmina, quum de se nomina fecit aquæ.

Idem in Epistolis Heroic. Propertius lib.2.

Athamas rex Thebarum furiis agitatus, Learchum filium dedit morti. Propterea INO Cadmi & Hermionis filia, & eius vxor sibi timens, cum altero filio MELICERTA se in mare præcipitem dedit. Quos in deorum numerum poetæ retulerunt. Cyprianus: Melicerta & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt postmodum maris numina. Ouidiuis libro 4. Metamorph.

Séque super pontum nullo tardata timore
Mittit, onúsque suum----.

HYLAS Thyodamantis filius, cum Hercule (cuius erat amasius) reliquísque Argonautis Colchos nauigans, dum aquam vellet haurire, vnæ pondere subuersus est. simulque clamorib. ab ipso Hercule, sed frustra, acclamatus. Verg. Æglog.6.

His adiungit Hylam, natæ quo fonte relictum,
Clamassent, quem litus Hyla Hyla omne sonaret.
Iuuenal. *Et multum quæsitus Hylas, vrnámque secutus.*

Fabulantur poetæ, eum à Nymphis ob formam excellentem raptũ. Propert. lib.2.

ICARVS Dædali filius, à Creta cum patre fugiens, alarum (quas fecerat pater) fiducia, dum altius in auras euolaret, liquefactis à sole pennis cereis in mare cecidit, quod ab eius ruina Icarium cœpit dici. Seneca in Hercule Oethæo. Ouid. lib.1. Tristium:

Dum petit infirmus nimium sublimia pennis
Icarus, Icareis nomina fecit aquis, Idem lib.8. Metamorph.

Oenomaus ab oraculo monitus, se cum periturum, quum Hippodamia nuberet, procis eam petentibus certamen proposuit, vt cum puella cursũ contenderent, quæ propter Harpynnæ & Psyllæ equorum celeritatem videbatur insuperabilis. Conueniebat autem, vt victi interficerentur, victores eam sibi haberent. Quum ergo Pelops puellam deperiret, eius aurigam MYRTILVM, largitione corrupit: quem propterea Oenomaus in mare (quod ab eo Myrtoum dictum est) demersit. Alij volunt Myrtilum ab ipso Pelope præcipitatum, dum suæ proditionis mercedẽ peteret. Ouid. in Ibin:

Proditor vt senij perituque auriga tyranni,
Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ. Seneca in Thyeste.

SAPPHO puella ex Lesbo insula, è Leucade Epiri promontorio se præcipitauit, quòd à Phaone liberali forma adolescente (quem supra fidem hominum deperibat) mutuò non redamaretur. Strat. libro quinto Syluar.

----Saltúsque ingressa viriles,
Non formidata temeraria Leucade Sappho. Et Polit. in Eleg.
Mascula quæque suos cantat moritura calores,
Leucadij Sappho crimen honórque freti.

EVPOLIS Atheniensis, poeta comœdiographus, nauigans in Hellespontum, quo tempore Lacedæmones opprimebantur bello, naufragio periit.

MENANDER Græcus, poeta comœdiographus, dum in exiguo nataret fluuio, ibidem submersus est. Ouid. in Ibin:

Comicus vt liquidis perijt (dum nabat) in vndis,
Et tua sic Stygius strangulet ora liquor.

THEOXENA mulier à Philippi Macedonum regis militibus in mari septa, quum nullum salutis effugium videret, in mare se deiecit: maritum (qui prius eadem morte perierat) secuta, idque ne in regis potestatẽ veniret.

MILO tyrannus Pysæ, quum subditos multis afficeret torméntis & cruciatibus, ab eisdem in mare demersus est. Ouid. in Ibin:

Vtque Milo sub quo cruciata est Pisa tyranno,
Viuus in occultas præcipiteris aquas.

DERCETO Semiramidis mater, cùm filiam ex adulterio conceptam in desertis exposuisset, tandem facti & sceleris pœnitentia in lacum se præcipitem dedit. Cælius.

ROXANA & STATYRA Darij filiæ, duæ fuerunt Alexandri vxores seu concubinæ. Quarum alteram Roxanam prægnantem Statyra in puteum demersit, solo ducta liuore, quòd Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Plut. in Alexandro.

CLEOMBROTVS seu Theombrotus ex Ambracia, quum legisset opus Platonis de animarum immortalitate à Socrate inscriptum, sponte se præcipitauit. Ouid. in Ibin:

Vel de præcipiti venias in tartara saxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.

Lactantius: Quid (inquit) Ambraciotes ille, qui quum eundem librum perlegisset, præcipitem se dedit, nullam aliam ob causam, nisi quòd Platoni credidit? Quod si sciisset Plato, ac docuisset à quo, & quo modo, & quib⁹, & quę ob facta, & quo tēpore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem, nec Catonem. Cicero lib. 1. Quæst. Tusc. Callimachi, inquit, Epigrāma in Ambraciotam Cleombrotum est, quem ait, quum nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro.

SOTADES poeta plumbeo vasi inclusus, in mare demergitur. Vide tit. Nimię libertatis pœna.

Hyperbolus culeo insutus, & in mare proiectus Vide tit. Ab infimo ad summum euecti, & denuò deiecti.

MARDONIVS Gobryæ F. Darij gener, ex Hellesponto classem Acanthum misit: quę ex Acantho soluens, dum Athon circūuertit, ventus aquilo vehemens in eam ingruit, nauiúmque plęrasque in Athon perpullas, ad trecentas afflixit, vt supra viginti millia hominum interierint: partim à feris rapti, partim quòd natare nescirent, partim quòd petris allisi, (nam sæuissimum circa Athon est mare) partim gelu assumpti. Herodot. libro sexto.

Anno vrbis 500. Cn. Ser. Cœpione & C. Sempronio Blæso Coss. ROM. 260. nauibus in Africam traiecēre, ciuitates aliquas cæperunt, prædam ingentem reducentes naufragium passi sunt. Eutropius.

Nullius casus cladisve memoria atrocior, ac proinde minus debilis, quàm Siculi naufragij quod in decimum annum incidit primi belli Punici. M. Æmylio & Fuluio nobiliore Coss. qui inter Canis & Orionis signa importuosam Sicilię oram legētes, subita tempestate 300. octogintaquatuor naues amisere. Iacuit littus instratum cadaueribus & naufragiis vt nulla hominum memoria maior credatur iactura in mari accepta. Sab. lib. 10. cap. 5.

ALCINOE vxor Polybi Corinthij, Xanthum Samium relicto marito secuta, pœnitentiáque ducta, in mare se præcipitauit. Parthenius in Erot cap. 27.

Tiberinum regem se in Tyberim pręcipitasse, & fluuio (qui prius Albula dicebatur) nomē imposuisse memoriæ traditum est. Ouidius in Ibin: & lib. 4. Fastorum.

ANIVS rex Thuscorum, dum filium Saliam à Catheo adolescēte raptam non posset comprehendere, in fluuium se demisit, quem à suo nomine fecit appellari Anionem.

Orontes Troia diruta, cum Ænea in Italiam nauigans, naufragium fecit. Verg. lib. 1. Æneid.

Vnam, quæ Lycios, fidúmque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, excutitur, pronúsque magister
Voluitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum & rapidus vorat æquore vortex.

LEVCASPIS eadem procella obrutus est, eodem Vergilio teste, qui 6. Æneid. inquit:

Cernit ibi mæstos, & mortis honore carentes
Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem.

MISENVS Æneæ tubicem, dum Tritonem deum marinum ad tubę certamen irritasset, ab eodem in mare deturbatus est. Verg. libro sexto. Æneidos.

PALINVRVS gubernator nauis Æneæ, dum obrepente somno dormitaret, incautus decidit in mare. Neque tamen tunc primùm submersus est: sed quum portui (qui Velinus postea dictus est) adnaret, ab incolis pro bellua marina obrutus est. Vergil. in fine quinti Æneid. & in sexto:

Ecce gubernator sese Palinurus agebat, &c. Ouid. in Ibin:
Aut vbi ventosum superaris naufragus æquor,
Contacta pereas, vt Palinurus, humo.

IVTVRNA Dauni filia, post interfectum ab Ænea Turnum fratrem suum, mœroris impatiens, se dedit in aquas pręcipitem.

ANNA Beli regis filia, post mortem sororis suæ Didonis, Carthaginē ab Iarba occupatam relinquens, ad Battum Melitæ insulæ regem nauigauit. Quo demum relicto, mare ingressa, in Laurentum littus delata est: ibíque ab Ænea cognita, & hospitio suscepta est, non sine mutui cum eo amoris suspicione, adeò vt in odium Lauiniæ veniret. Cuius insidias vt declinaret, se in Numycum fluuium præcipitauit. Vnde Ouid. libro quarto. Fast.

Corniger hanc tumidis rapuisse Numycius vndis
Creditur, & stagnis occuluisse suis. Item alibi:
---Placidi sum nympha Numyci,
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.

MARCVS Marcellus missus ad Masinissam in Aphricam, periit naufragio paulò ante tertium bellum Punicum. autor Liuius. Cicero in oratione ad Pisonem: Marcus Marcellus, inquit, qui ter fuit consul, summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari.

P. Terentius amissis 108. Fabulis (quas è Græcis Latinas fecerat, & conuerterat ex Menādro) se submersit. Quod quamuis plerique falsum opinentur, credibile est tamē. Si enim permulti amisso thesauro ad mortem properauerint, quanta mentis ægritudine vidētur tibi laborare, qui momento perdunt, & in nictu oculi, quod improbo labore, diuturnis vigiliis, magna olei impensa, longo antè seculo fabricauerunt, demum accuratiore studio incudi reddiderunt, & ad vltimam reuocauerunt limam? Est (si periculum non fecisti Lector) insania & rabies maior, quàm vt fidē possit capere. Rauis.

PÆTVM quendam Propertius libro tertio scribit, in Ægyptum causa pecunię comparandę nauigantem, fluctibus obrutum fuisse. Sic enim pecuniam alloquens ait:

Tu Pætum ad Pharios tendentem linthea portus
Obruis insano térque quatérque mari.

CÆRELIA mulier, dum Baias nauigaret, aquis obruta est. Martialis libro primo.

Dum petit è Baulis mater Cærelia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.

QVINTIANVS pręses (sub quo passa est beata Agatha) dum flumen cum equis transiret, ab eorum vno excussus, & in aquas proiectus, miseram exhalauit animam.

Decius imperator, à Gotthis cum toto exercitu profligatus, fugam arripiens, paludis voragine absorptus est, nec postea inuentus. Sextus Aurelius.

ARGYROPYLVS imperator, Zoę vxoris, & Michaelis Paphlagonis eius adulteri dolo, inter balneas aquis immersus obiit. Bapt. Egnatius.

EDIMVNDVM adolescentem Anglorum regem, Atelstanus in nauigio sine remige fluctibus perdendum exposuit, vno tantùm comite. Volaterranus.

Clodomyrus Francorum rex, Gundebaldo Burgundiæ rege superato, SIGISMVNDVM eius filium vnà cùm sorore in puteum demersit.

ASTORGIVS filius Galeoti, Foroliuiensium principis, quum longam obsidionem Cęsaris ab Alexandro pontifice patre missi sustinuisset, ad extremum victus, & Romam ductus, in Tyberim noctu præcipitatus est. Rauis.

FEDERICVS Ænobarbus I. Imperator, cùm in Armenia in magno comitatu amnem Cydnum vado traiiceret, ruente ipsius equo, solus demersus est: & si per errorem nonnulli scripserint, id eum natando egisse, anno imperij 37.

Sfortia Attendulus, pater Francisci Sfortiæ, Neapolitanum regnum cū exercitu petens, in Aterno amne, dum armigero puero, qui mergebatur, opē ferre cōtendit, atque in latus eius rei gratia nimium se inclinat, pondere suo secum traxit equum, & ita submersus, nunquam fuit inuentus. Fulg. lib. 9. cap. 12. & Volat. lib. 23.

GVNDEBALDVS rex, Chilperici Burgundionum regis vxorem, & Clotildæ matrem, ligato ad collum eius saxo, aquis immersit. Sigebertus in Chronicis.

Cùm Aribertus aduersus Baioariorum ducem hostiliter dimicaret, sub incerto marte nox prœlium tandem diremit. Ast non benè tutus Aribertus, auro multo secum sumpto fugam in Gallias arripuit: verùm in Ticino flumine natitās, auri nimio pōdere suppressus, in vndis suffocatus est. Guido Bitur.

DODO interfector sancti Lamberti, cùm pessimo languore cruciaretur, & à vermibus consumeretur, ob intolerātiam fœtoris in Mosam fluuium demersus est. Sigeber. in Chron.

GALEATIVS Mantuanus, Papiæ quum hybernaret, puella (quam vnicè amabat) per iocum imperante, se in fluuium deiecit: autore Pontano.

MARVLLVS poeta, Pontani discipulus (qui à Politiano ęmulo & hoste suo, Mabilius dicitur, & quem ipse Econumum vocat) in amne Cecina submersus est.

LAVRENTIVS LAVRENTIANVS Florentinus medicus, citra vllū corporis incommodum, citráque euidentem morbi causam in puteum se con-

se coniecit, autore Cælio & Crinito: qui ait se auditorem eius aliquando fuisse. Qua etiā morte se extinxit PETRVS Leonius, vir in philosophia excellens, & insigni prudentia. Crinitus.

CONSTANTINVS, vnus ex Constantini Magni successoribus, qui Byzantiis imperauit, duo millia nauium vno naufragio amisit: dignus qui ante imperium vitam amisisset, ob animi impietatem, quam in Leone patre est præter cætera imitatus. Sab. lib. 10. cap. 5.

Transmittebat VALLIA Gothorum rex, exercitum ingentem ex Betica in Aphricam terram, ipsam bello inuasurus, erátque numerosa classis ad id comparata, quæ Gaditano freto subitò tempestate disiecta, fluctibúsque obruta, tantam vim hominum secum absumpsit, vt Siculi naufragij, quod in primi belli Punici tempora incidit, memoriam renouarit. Sab. lib. 10. cap. 5.

PETRVS Leonius medicus, in puteum præcipitatus. Vide tit. Astrologorum.

LAVRENTIVS Laurētinianus medicus celeberrimus, ex melancholia in puteum se præcipitauit. Vide in catalogo Medicorum.

TERRÆ MOTVS.

Vide Prodigia Lycosthenis. Pertinent autem Terræ motus ad externa & fortuita mala, si causam spectes: sin verò hominum interitum, huius erunt loci.

Cum LACEDÆMONII contra seruos Tænarenses per vim ac perfidiam insurrexissent, & eos occidissent (erant autem hi serui ex Eilotarum genere) propter indignationem Neptuni terræmotus insperatò factus Spartæ, fortissimè discussit ciuitatem: ita quidem, vt ex vniuersa vrbe quatuor solùm ædificia relinquerentur. Ælian. lib. 6. de Var. hist.

In HIRPINIS terræmotu grauissimo quassata non tantùm sunt oppida, verùm etiam funditùs euersa. Ceciderunt ea strage in Samnio, Lucania, eáque Campanię parte quę cis Lirim est, ad quatuor & viginti hominum milia. Pont. de fortitudine Heroica lib. 1. cap. 8.

BONIFACIO Romanæ ecclesiæ pontifice 67 sedente, terræmotus maior mense Augusto fuit, & sequuta est clades in populo, percussio scilicet scabierum, ita vt nullus posset agnoscere mortuum suum. Sigebert. in Chronicis.

CONSTANTINOPOLIS anno Domini 741, terræmotu per integrum annum affligitur. Sigebert. in Chron.

ANNO à redēptione mūdi 753, terræmotus terribilis factus est, quo vrbes aliæ quidē ex toto, aliæ ex parte subuersæ sunt: aliæ autē à montanis ad subiecta campestria cum muris & habitationibus suis integrę & saluę, plusquam sex miliaria transmigrauerunt. Sigebert. in Chron.

In MESOPOTAMIA anno à natiuitate Christi 753, terra dirupta vsque ad duo miliaria, aliáque terra minus alba & harenosa de profundo ascendit, & ex ea animal mulinum ascendit, incontaminatum, humana voce loquens, pronuncians incursionem gentis ab eremo aduersus Arabes. Sigebert. in Chron.

Anno Christi 1081, magnus terræmotus cum graui terræ mugitu factus est, sexto Calendas Aprilis, prima hora noctis, portendens fore imminēs malum, quod in toto orbe insonuit, & vnde terra dolet, & doluit. Sigeb. in Chron.

In BVRGVNDIÆ finibus terræmotus 15. Calend. Martij, anno Domini 1156, factus est: & tantus quidem, vt ter in nocte festiuitatis sanctæ Priscæ virginis sentiretur ad Cluniacum. & quoddam castellum quod erat desertum, haud procul à Cluniaco situm, absorptum iret in abyssum: & spacium in quo castellum fuerat, aqua miræ profunditatis repletum est. Robertus Abbas in Chron.

CALINA ciuitas Siciliæ terræmotu cōcussa & prostituta est, & multi in ea perierunt anno Domini 1170. Robertus Abbas in Chron.

In die Apostolorum Petri & Pauli, anno Domini 1171. terręmotus horribilis factus est in transmarinis partibus, quo corruit ciuitas Tripolis, & pars Damasci Antiochiæ plurimum. Agareni etiam non fuēre expertes huius tribulationis: nam Halapre, quæ est caput regni Loradin, & quædam aliæ ciuitates Saracenorum concussæ fuerunt. Robertus Abbas in Chron.

VENETIAS ingens terræmotus concussit anno Christi 1342. Vide tit. Pestilentiæ memorabiles.

EVPHRASIVS episcopus Antiochenus, cùm primùm Hierosolyma venisset, in terræmotu vrbis, quo tunc vehementer sub Iustino Imp. affligebatur, periit. Euagrius lib. 4. cap. 4.

TERRA ABSORPTI. IN TERRÆ HIATVS ET VORAgines præcipitati.

CHORE, filius Aminadab, è tribu Leuitica, DATHAN, & ABYRON, quum insurrexissent in Moysen & Aaronem, excitassēntque populum ad auferendum huic sacerdotium, illi principatum, protinus (vt scribitur Numeri cap. 16.) dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiēs os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum: descenderúntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

AMPHIARAVS vates ad bellum Thebanum profectus vnà cum curru terra absorptus est, vbi oppidum ædificatum vocabatur Harma, id est currus: vt apud Thrasimachum lib. 3. Ædificiorum scriptum est, & apud Plut. cap. 11. Parall.

BATON Amphiarai vatis gentilis, è Melampopidarum genere, cùm in prœliis Amphiarao aurigæ operam nauaret, reiectis à Thebarum muris Argiuis, eodem terræ hiatu, quo ille, cū curru haustus euanuit. Paus. in Corinthiacis.

TROPHONIVS propter fratris Agamedis cædem, terræ hiatu absorptus est. Vide tit. Oraculorum clarorum, de liberis.

Romæ quum ingens vorago paulatim excresceret, & terram absumeret, responsum est ab oraculo, hiatum non posse desinere, nisi quis intrò se demitteret. Quo audito, M. CVRTIVS equo insidēs illuc desiliit. Liuius lib. 17. Proper. lib. 3. Ouid. in Ibin.

Paulo Æmylio in Pyrrhum Epirotarum regem bellante, quum ab oraculo responsum fuisset, Romanos fore victores, si quis eorum in voraginem se demitteret, VALER. TORQVATVS sponte se obtulit. autor Critolaus apud Plut. cap. 12. Paral.

Circa Celenum Phrygiæ oppidum, quum hiatus terræ & ingens vorago multos absorberet: esśétque responsum ab oraculo, voraginem ipsam non prius clausam iri, quàm ad pacāda numina aliquis eò se demitteret: ANCHVRVS Midæ regis filius, datis genitori & Timotheæ vxori cōplexibus, equum ascendit, & eò se demisit. Autor Plut. in Parallelis.

VIVI SEPVLTI. ARENA OBRVTI ET SVFFOCATI.

OPPIA Vestalis virgo, eo quòd stuprum contra leges commisisset, viua in terram est defossa. Liuius lib 22.

MINVTIA Vestalis suspectæ libidinis propter elegantem corporis cultum, viua defossa est. Liuius lib. 8.

Non magis subita quàm grauis & calamitosa fuit iactura illa, cū quinquaginta millia MILITVM à Cambyse rege in Hammonios missa, vbi mediis arenis pransuri accubuissent, orta tempestate perierunt. Sab. lib. 10. cap. 5.

PSYLLORVM finibus quodam tempore quum Auster perquàm validus & diuturnus flauisset, eóque flatu vniuersa eorum aqua exaruisset, dolore moti constituerunt vlcisci iniuriam illam, Propterea communi edicto omnes sumptis armis in Austrum, perinde quasi hostem, inre belli profecti sunt. Atque ita profectis, vētus magno spiritus agmine venit obuiam, & vniuersos cum omnibus copiis, armísque, cumulis arenarum & montibus operuit. Ea ruina omnes ad vnum perierunt. Herod. lib 2.

IOANNES Scotus in vltima Britannia ad Calydoniam syluam natus, doctrinæ scholasticæ insignis & acer disputator, apoplexia correptus, nimis festinato funere pro mortuo tumulatus est: vt frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatóque diu sepulchri lapide, eliso tandem capite perierit. *De alio Ioanne Scoto* Crinitus ex Gallicis Annalibus recitat, eum à coniuratis discipulis, D. Cassiani exemplo, graphiis cōfossum, inulta morte concidisse. Iouius in Elog.

SVFFOCATI FVMO ET VAPORIBVS.

ZOE Nicostrati martyris vxor, à beato Stephano ad catholicam inducta pietatem, crinibus suspensa, fumo subter suffocante periit. Fuit autem Nicostratus Diocletiani scriniorum magister. Volat. lib. 17.

MINOS rex Cretæ, quum Dædalum ad Siciliam vsque persequeretur, à Cocalo eius loci rege (quem Dædalus multis obsequiis sibi demeruerat) per proditionem captus, & in thermis suffocatus est. Ouidius in Ibin.

VITRONIVM Turnum familiarem suum Alexander, eo quòd fumū, vt ipse dicebat, venderet, ad stipem alligatum, fumo suffocari iussit, excitato è stipulis humidis viridíque materia. Nolebat enim ab aulicis suis fumum vendi. Pont. lib. 1. cap. vlt. de Magnanimitate.

Q. LVCTATIVS Catulus orator & consul cum C. Mario quarto suo consulatu Cimbros fudit: ab eodem postmodum vrbe occupata per dissensionem, mori iussus est, frustra pro eo precantibus ciuibus. Itaque in cubiculo inclusus, candentium carbonum vapore suffocatus est. Plin. lib. 17. Florus lib. 3. cap. 23. Augustin. lib 3. de Ciuitate Dei: Volat. libr. 14. cap. 2. Authr. Val. tamen lib, 9. cap. 12. cubiculum recenti calce illitum, multóque igni percalefactum, Catulo vitam ademisse scribit.

PLINIVS Secundus Veronensis, Vespasiani imperatoris tempore cū opus de natura successiuis temporibus conscriberet, in mōtis Vesuui

incendio, dum eius causam indagare cupit, periit. Volaterranus lib.18. Antrop.

IOVINIANVS Imperator, cùm vrbem Romam peteret Dadastanæ (qui locus inter Bithyniam atque Galatiam est) nimio prunarum calore, quæ in cubiculo ad ingens arcendum frigus positæ fuerant, siue vapore cubiculi calce recens incrustati suffocatus est. Fulgos. li.9. cap.12. & Volat. lib.23. Anthr. Vide tit. Mortis immaturæ.

AMALASVNTHA Almarici Hispanorum regis mater, & Theodorici regis Italiæ filia, à Tendio, quem in spem successionis adoptauerat, in balneo suffocata est. Ritius lib.1. reg. Hisp.

QVOVIS ALIO MODO, INTERCEPTO ANHELITV SVFFOCATI.

PSAMMENITVS & THEMISTOCLES hausto sanguine taurino perierunt. Vide tit. Veneno mortuorum.

DRACO Atheniensium legislator, Æginæ in theatro sedens, vestibus ac tunicis pluribus iniectis oppressus est, ibíque sepultus. Gyraldus in 3. Dialogo Hist. poet.

Metrocles philosophus Cynicus senex, seipsum retento anhelitu suffocauit. Laert. in eius vita.

Anacreon Teius poeta 85. ætatis anno, dum passæ vuæ succo tenues & exiles virium reliquias foueret, vnius acini pertinacior in aridis faucibus humor eum suffocauit. Valer. Max. lib.9. cap.12. & Plin lib.7. ca.7. & Volat. lib.13. cap.3. Anthr.

SOPHOCLEM Lucianus & Sotades apud Crinitum, contra Plinij sententiam, dicunt acino vuæ periisse. Val. Max. tamen & Volaterran. fouent partes Plinij, quorum sententiam sequitur Politianus in Nutricia scribens:

Quémque senem meritæ rapuerunt gaudia palmæ.

nisi fortasse de Philippide intelligi malis.

Diogenes Cynicus senex admodum, pallium capiti obuoluit, & spiritum continendo seipsum interemit. Quamuis alij ex bouis crudo pede comesto periisse dicãt, alij à canibus in cruris neruo demorsum, cùm polypum canibus partiri voluisset. Laert. in eius vita.

Tarquinius Priscus, cum ad mensam sederet, os piscis ita transuersum est in gutture, vt nocte illa miserabiliter expirauerit. Id attestatur Hagiographia. Guido Bitur.

MITHRIDATES Armeniæ rex, à Radamisto nepote vnà cum vxore ac liberis, culcitris capiti iniectis suffocatus est. Vide tit. perfidia erga consanguineos.

DRVSVS Pompeius, Claudij Cæsaris ex Herculanilla filius, cùm puer ludens iactum in sublime pyrum ore excepisset, idque altè in guttur descendisset, præclusa anima, mortem obiit. Fulgosus lib.9. cap. 12. ex Suetonio.

FABIVS senator prætorius hausto in lacte pilo, præcluso spiritu animam egit, adeò parua re hominis persæpè mors constat, qui superbè agendo, per amentiam Deo se nonnunquam æquare contendit. Fulgos. lib.9. cap.12 ex Plin lib.7. cap.7.

C. Licinius Macer, vir Prætorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiæ dicerẽtur, in Mœnianum conscendit: cúmque M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subiici. Ac protinus sudario, quod fortè in manu habebat, ore & faucib. coartatis, incluso spiritu, pœnam morte præcurrit. Qua cognitate, Cicero de eo nihil pronunciauit. Valer. lib.9. cap.12.

COMA, maximi latronum ducis Diogenis frater, ad Rutilium consulem, Enna: quam prædones tenuerant, in potestatem redacta, productus, cùm de viribus & conatibus fugitiuorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum, caput operuit: innixúsque genibus, compresso spiritu, inter ipsas custodum manus, ínque conspectu summi imperij, exoptata securitate acquieuit. Torqueant se miseri, quibus extingui, quàm superesse vtilius est, trepido & anxio consilio quãnam ratione vita exeãt quærentes: ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant, tanquam magno apparatu aut exquisita molitione opus sit, vt corporis atque animi infirmo vinculo cohærẽs societas dirimatur. Nihil horum Coma, sed intra pectus inclusa anima finem sui reperit. Enimuerò minimo studio retinendum bonum, cuius caduca possessio tam leui afflatu violentiæ concussa dilabi potuit. Ibidem.

Non minus quoque nouum industriæ genus DVO ad bestias damnati repererunt, vt se ea crudelitate ludibrióque redimerent, quemadmodũ Seneca scriptum reliquit. Nam cum curru ad theatrum deportarentur, vbi feris obiiciendi erant, alter ipsorum cùm dormire se fingeret, adeò caput inclinauit, vt inter rotę radios illud inuolueret, rotáque vertendo collum eius frangeret. Alter autem cùm obtinuisset, vt è curru leuandi ventris gratia descenderet, spongiam quæ in publicis latrinis ad purgandum anum ligno affixa manebat, gutturi tanta vi inseruit, vt confestim præclusa anima periret. Fulg. lib.9. cap.12.

Ad Cęsaris Dictatoris spectacula tot hominum millia conuenisse fertur, vt prę multitudine fuerint elisi, exanimatíque plurimi. Guido Bitur.

Tiberius Cęsar cum grauiter ægrotaret, Caius metuens ne conualesceret, cum caloris indigere persuasit. Itaque multis & grauibus vestimentis coopertum suffocauit. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Augusto.

Attila Hunnorum rex, cùm in nuptiis suis nimium crapulę operam dedisset, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus, in lecto suffocatus est. Sigebertus in Chron.

Carolus paruus Roberti Sicilię regis filius, IOANNAM fratris sui Andreę vxorem puluillo ori iniecto enecauit, quòd illa maritum suum interfecisset. Volat.

IOANNES pontifex à militibus Vuidonis Marchionis raptus, in custodiam trusus, ceruicali super os posito strangulatus est. Sigebertus in Chronicis.

LAQVEO SVFFOCATI. STRANGVLATI, ET SVSPENSI.

ACHITOPHEL cùm videret sibi non ex voto negocium successisse, sed magis Chusai, reuertens domum suspendio interiit. 2. Reg.17.

Benadab rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Israel, fuit demum ab Azahel seruo strangulatus. 4. Reg.8.

Iudas Iscariotes discipulus Christi, posteaquam à Iudęis triginta argenteos accepisset, & Saluatorem humani generis prodidisset, desperans laqueo finiuit vitam. Acto.1.

Arachne Lydia puella, lanificij peritissima, ęgrè ferens opus suum à Pallade (qua cum certamen susceperat) confractum, laqueo iugulum pręfocauit. Ouid. lib.6. Metam.

Non tulit infelix, laqueóque animosa ligauit
Guttur, ac pendentem Pallas miserata leuauit:
Atque ita, Viue quidem, pendem, pende tamen improba, dixit.

IPHIS puer liberali facie, quum ANAXARETEM puellam incredibili amore prosequeretur, neque tamen redamaretur ab ea, laqueo se suffocauit, atque onus infelix elisa fauce pependit, inquit Ouidius lib.14. Demum quum celebrarentur exequiæ, puella mortui miserta, se quoque interfecit. Pont. de Stellis lib.3.

Erigone audita patris Icari morte, laqueo se suspẽdit. Ouidius in Ibin. Stat. lib.5. Syluarum:

-----Nec enim Marathonia virgo
Parcius extinctum sæuorum crimine agrestum
Fleuerat Icarium.----

PHYLLIS Lycurgi Thracum regis filia, ęgrè ferens se relictam & spretam à Demophoonte Thesei filio, quem vnicè deperibat, & ab expeditione Troiana redeuntem hospitio exceperat, vitam laqueo prefocauit, in amygdalum postea (vt fabulantur poetę) conuersa. Pontanus lib.3. de Stellis.

Auctolia Vlyssis mater, quum falso nuncio audiuisset filium Troiam occubuisse, laqueo vitam finiuit.

CALLYCE filia Lyci, hominis sanguinarij & hospites immolantis, relicta à Diomede (quem Troia redeuntem benignè susceperat, & à paternis liberauerat insidiis) laqueo se suspendit. Autor apud Plutarch. Iubas, lib.3. rerum Africanarum.

PHÆDRAM Hippolyti nouercam furię Veneris vsque adeò torruerunt, vt laqueo spiritum sibi interceperit, quòd priuigni (cuius amore ęstuabat impatienter, pruriebátq;) concubitũ non posse exorare. Moriẽs tamen scelerata mulier, literas reliquit, quib. Hippolytum stupri accusabat, suęque mortis vocabat autorem.

Homerum poetarum omnium facilè principem ferunt, quum iam senio confectus ad quosdam nautas diuertisset, propositúmque ab eis ænigma nequiuisset dissoluere, pudore motum se suffocasse laqueo.

MENIPPVS Phœnix philosophus Cynicus, quum esset ex eorum numero, qui aurį cupiditate pruriunt, amissis diuitiis laqueo vitam finiuit. Diogenes Laert.

Hipponax poeta iambographus & amarulentus, grauiter ferens, & indignanter, se à BVBALO pictore deformi facie pictum, ad propellendam iniuriam, tam grauiter in eum scripsit & inuectus est, vt laqueo vitam finire coegerit. Vnde Horatius in Epodo:

Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bubalo.

HELENA post mortem Menelai à Megapentho & Nicostrato filiis Orestis fugata, in Rhodum ad Polyzo vxorem Tlepolemi peruenit. Cui quum suspecta esset ob viri zelotypiam, eiusdem mãdato arbori suspensa est. Pausanias apud Volater.

MARSYA tibicen ab Apolline victus, pependit laqueo. Quod innuit Plinius lib.16. cap.45. Ibi, inquit, platanus ostenditur, ex qua pependit Marsya, victus ab Apolline.

Amata Lauinię mater, ęgre ferens filiam Æneę copulatam, quam contra votum patris Turno nuptam dari volebat, seipsam suspendit, & vitam laqueo finiuit. Amabat enim Turnum, adeò vt cum existimaret eum mortuum, ad mortem ipsa cucurrerit. Vergil. lib.12. Infelix, &c.

ACHÆVS rex Lydiæ, quum noua tributa à populo vellet extorquere, in factione populari suspensus est, pedibus sursum versum erectis, & capite in aquas Pactoli demisso. Ouid. in Ibin:

More vel intereas capti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera teste pependit aqua.

MENON Syriæ præfectus, & Semiramidis maritus, cùm à Nino Assyriorum rege, precibus & minis fatigaretur, vt formosissimam vxorem sibi traderet, laqueo vitam finire maluit sua sponte, quàm regis obedire dictis. Diodor. Sic. lib.3. de Reb. antiq.

MILESIÆ virgines, vt scribit Plutarchus libro primo, quotquot erant fermè in ea ciuitate, nullis causis, nullísque rationibus motæ vitam suspendio finiebant. Quod cùm accideret indies crebrius, nec his mori perseuerantibus vlla quiret adhiberi medela, decreuerũt Milesij, eas virgines quæ suspendio morerentur, nudas cum laqueo efferri. Post quod decretum nullæ postea repertæ fuerunt, quæ voluntariam eam mortem incurrerent, pudore solo deterritæ tam inhonesti funeris. Polyænus lib. octauo.

LEO Byzantius orator & sophista insignis, sibi ipsi mortem consciuisse dicitur. Posteaquam enim Philippus eum in expugnatione Byzantij cõtrarium haberet, epistolas ad Byzãtios scripsit calumnię plenas, si voluissent tantum dare pecuniæ Leoni, quantum petebat, iamdudum esset vrbe potitus. Ciues ergo Leonis domum circumsteterẽ. Ille autem sibi timens, laqueo vitam finiuit: parum Philosophiæ præceptis obtemperãs. Suidas.

Diuersimodè narratur de Cyzico Æneę filio. Aliqui enim dixerunt in cõciliãda sibi Larissa Piasi filia, quam pater ante nuptias adamarat, pugnantem obiisse. Aliqui autem, quum recens vxorem duxisset Cliten, congressum per ignorantiam aiunt cum illis qui in naui cum Iasone nauigauerunt, interiisse, ac omnibus ingens sui desiderium reliquisse: maximè autem ipsi Clitæ. Prostratum enim ipsum amplexa, ac vehementer lamentata, noctu clam ancillis ab arbore quadam se suspendit. Parthen. de Amat. cap.28.

Archilochus poeta Parius, repudium ac repulsam passus in nuptijs Neobules, Lycambis filiæ sibi promissæ, Iambis à se primùm repertis satyricè adeò & grauiter Lycambem ipsum deuouit, & insectatus est, vt eũ cum filia ad furcam impulerit. Vnde Horat.

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

Et Ouid. in Ibin:

Post modò si perges, in te mihi liber Iambus,
Tincta Lycambæo sanguine tela dabit.

APRIES Ægyptiorum rex, populo inuisus, ab Amasi seruo victus, & in vrbe Sai strangulatus fuit. Herod. lib.2.

HERMIAS eunuchus suspendio necatur. Vide tit. Qui ex humili fortuna ad maximas euecti dignitates, ad summam demũo miseriam rediguntur.

MONIMA regina, Mithridatis vxor, in desperatione rerum profligatarum, detractum è capite diadema collo circumligauit, séque suspẽdit, & cum corporis pondere laqueus diruptus esse, dixit: Execrandum diadema, neque in tam tristi ministerio mihi profuisti? Móxque eum super illud humi abiectum insputasset, eunucho regio sese iugulandã obtulit. Guido Bitur.

CAPRONIA virgo Vestalis, stupri comperta, suspendio affecta est. Oportebat enim eas in virginitate persistere, quæ ministerio Vestæ alligabantur.

GIDICA Pomminij Laurentini vxor, dum Comminium priuignum maximè deperiret, neque tamen ad concubitum posset inducere, se suspendit. Dositheus apud Plutarch.

T. Manlius, non is qui filium securi percussit, sed alter, Iuris pontificij peritus, iudex inter Macedones accusatores & filium Sillanum constitutus, audita causa ita pronunciauit: Quum probatum sit, Sillanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum Repub. & prole mea indignum iudico. Itaque Sillanus à patre repudiatus, dolore animi se suspẽdit proxima nocte: cuius exequijs neque pater interfuit, neque suadentibus vt adesset, aures præbere voluit. Val. Max. de Seueritate.

P. Cornelius Lentulus Sura, prætor vrbis, comprehensus in coniuratione Catilinæ, in carcere strangulatus est iussu Ciceronis consulis. Vol. lib.16. Vrb. comment.

CETHEGVS, Statilius, Gabinius, Catilinarij, in carcere iussu Senatus strangulati sunt. Sallust.

COMMODVS post tertium decimum Imperij annum strangulatus est, Læto autore, & Martia concubina. Sextus Aurelius ait, Martiam prius tẽtasse, vt eum veneno perderet.

CORDIANVS senior, qui cum filio à militibus in Imperatorem lectus est, iam octogenarius, filij morte audita, indigus virium ad se tutandum, atque inermis, laqueo se suspendit, ne in manus veniret inimicorum. Volat. lib 23. Anthrop. ex Marcellino lib.26.

ROMANVS II. dictus Diogenes, & Andronicus, Imperatores Constantinopolitani, suspendio necati. Vide tit. Qui ex prospera fortuna ad summam peruenerunt miseriam.

CRESCENS patricius Romæ ab Othone Imperatore debellatus, victus, & ex fuga retractus, membris truncatus, & ad vltimum ante vrbem suspensus est Sigebertus in Chronicis.

SINDVAL rex Britonum, bello à Narsete patricio victus & captus, suspendio demum vitam clausit. Sigebertus in Chron.

AMBROSIVS comes Pergamenorum, ante portam vrbis laqueo (ab Arnulpho rege Longobardiam potenter ingrediẽte, Pergamenámque vrbem obsidente) suspensus est. Sigebertus in Chron.

ANTONIVS Pontadera, prædo omnia infestans, captus à Vitellico patriarcha Alexandrino, ex arbore oliuæ suspensus est. Volat. libro 22. Anthrop.

STEPHANVS Porcarius, cũ in coniuratione Aracelli esse videretur, Nicolaus V. Rom. pontifex Bononiam eum relegauit: & inde clàm redeuntem, ac in incepto perseuerantem, vnà cum cæteris coniuratis deprehensum, in arce suspendit. Volat. lib.22. Anthrop.

ANDREAS Vngarus, iussu & impulsu Ioannæ vxoris, suspendio apud Artellam, quæ nunc vrbs Auersa dicitur, vita priuatur. Ritius Neapolitanus de Siciliæ regibus lib.3.

VALENTINIANVS iunior, cùm apud Viẽnam imperaret pacificè, dolo Arbogastis circumuentus, fracto gutture confestim expirauit: & ab eodem in ligno cubiculi, vt sibijpsi mortem intulisse videretur, adpensus est laqueo. Arbogastes seipsum tandem interemit. Guido. Bitur.

DOROTHEVS & Gorgonius martyres, pro Christiana pietate vitam suspendio finiuerunt sub Diocletiano imperatore: mortuorúmque corpora famelicis canibus obiecta sunt, quæ illæsa remanserunt.

Narses rex Italiæ, Sinduald um Brentorum regem prius victum, donatúmque venia, quum iterum rebellasset, captum in trabe suspendit. Paulus Diaconus lib.2. gest Longobardorum.

Ludouicus Hutinus Philippi Pulchri filius, rex Gallorum, Anguerranum quendam inter Gallos autoritate & opibus pollentem crucifigi fecit. Volat.

Arnulphus VII. Gallorum imp. Bergamo capta, Ambrosium eius loci principem suspendio enecauit. Sabell.

Hadingus rex Danorum, regressus è bello Suetico, vbi ærarium pecunia spoliísque bellicis furto violatum comperit, custodem eius Glumerum suspendio affecit. Saxo Grammaticus.

CRVCIFIXI.

Omnium qui cruce perierunt, nemo maiore ludibrio affectus est, nemo pluribus tormẽtis afflictus, nemo frequentioribus plagis mutilatus, quàm intemeratæ virginis innocens Filius. Nulla in eo peccati scintilla reperta est, nihil deliquit vnquam, mundus ex munda matre natus est. Mundè vixit, iusticiam & æquitatem verbo semper & opere docuit. Neque tamen puduit verpos illos & recutitos canes, liuore & inuidia tabescentes causam machinari, qua eum morti traderẽt. Quam licet nullam teperissent, agnum tamen primùm flagellis vbique membrorum lacerauerunt, frontem corona spinea perforauerunt, faciem immundis deformauerunt sputis, colaphis immanibus totum caput contuderunt, latronis more vinxerunt, vinctum ad maiorem ignominiam traxerunt compitatim, & ad extremum inter latrones veluti latronem suspenderunt. Quod quum ad mortem non putarent sufficere, manus & pedes clauis, latus lancea confoderunt:

Illum ego de Libyca natum iurabo leæna,
Arcadicásque inter delituisse lupas,
Cui tua crux lachrymas non mouerit ô bone Christe,
Ille erit & ferro durior, & chalybe. Hæc Rauis.

DISMAS Ægyptius natione, vnus fuit eorum latronũ qui cum Christo crucifixi sunt. Huic autem Dominus in cruce pepercit, & statim post mortem sua clementia ad cœlum euocauit.

Beatus Andreas & Petrus pro Christi nomine cruci suffixi sunt: hic sub Nerone, ille sub Ægea proconsule: hic capite deorsum demisso, ille sursum erecto. De vtroque Ioannes FranciscusMirandula sic scribit in hymnis:

Extendítque alacer, fingendáque brachia lætus
Porrigit Andreas, versáque sub arbore pendet:
Et caput in terram simili sub stipite Petrus
Præbuit, atque lubens protendit in aera plantas.

PETRVS autem pontif. max. sedit annos XXV. menses VI. è quibus VII. Antiochiæ, reliquos Romæ præfuit, vbi cum Philone philosopho Iudæo aliquando congressus est. Iussu tandem Neronis cruci affigitur, in loco quem nunc montem aureum vocant, trans Tyberim. Volat. lib.22. Anthrop.

SYMEON filius Cleophæ, post Iacobum fratrem Domini Hierosolymarum episcopus, sub Traiano imperatore crucis patibulo spiritum emisit.

PETRVS Aulanus, tempore Diocletiani & Maximiani imperatorum, supplicio crucis vitam finiuit, sub Seuero præside.

ALEXANDER & Epipodius martyres, passi sunt apud Lugdunum sub Antonino Vero, & pro Christi nomine patibulo crucis affixi.

CLAVDIVS, Asterius & Menon, dum Christianam profiterentur

religionem,& gentilem insectarentur hæresim,post multa suppliciorum genera tandem in crucem erecti sunt,eáq; morte spiritum Domino reddiderunt.

S.AGRICOLA Vitalis magister pro fide orthodoxa suffixus est patibulo,tempore Diocletiani & Maximiani imperatorum.Sab.

IVLIA virgo Carthaginensis, dum idola & simulachra deorum contemneret,Christianámque profiteretur religionem , eodem mortis genere animam efflauit.

NEMESIVS martyr sententia Æmiliani iudicis apud Ægyptum inter latrones patibulatus est.

NESTOR episcopus eandem subiit mortem sub Decio Imperatore, & Pollione præside.

ZOE Nicostrati martyris vxor, in furcam erecta, ibidem cum morte vitam mutauit:partim crucis tormento, partim fumo (quem carnifices ad arboris radicem posuerant)suffocata.

SIMON puer Tridentinus,sedente Sixto IIII.pontif. max.à Iudæis clàm comprehensus,ac omnibus cruciatibus prius affectus,demum cruci affixus est.Volat.lib.19.Anthrop.

AMAN superbus & iniquus præcepto regis Ahasueri,in illo eodem patibulo quod ipse parauerat Mardochæo,suspensus est.Esther. cap.7.& 8.

Dario in Græcos bellante, HISTIÆVS Milesius ab Harpago Darij tribuno captus,& cruci affixus est.author Herodotus.

SATASPES Persa Traheaspis filius , à Xerxe rege cruci affixus est , quòd Zopyri filij Megabyzi filiam virginem vitiasset:quódque etiam totam Africam non peragrasset, quod se fecisse ad diluendum stuprum dixerat.Herodotus.

ARTAYCTES vir Persa, Sesti præfectus, ab Atheniensibus Xāthippo Antiphronis filio duce captus,stipiti suffixus est.Herod.

POLYCRATES tyrannus Samiorum,& pater Silosontis , quum tota vita felicissimus fuisset, ad extremum ab Orœte Persa comprehensus, & in furcam erectus,docuit cum Solone,nihil omni ex parte beatum. Herodotus in Thalia,& Strabo lib.14.

Alexander Macedo,mortuo Ephestione(quem vnicè diligebat) medicum eius GLAVCVM cruci suffixit.Plut.in Alexand.

DAPHIDAS grammaticus,cum reges conuiciis aspergeret,& probris notaret,comprehensus,in Thorace monte erectus est in crucem. Vnde est adagium, Cauere Thoracem.Strabo lib.14.Eras. in Chiliad.

HISTIÆVS Milesius in crucem actus, caput sale conditum ad Darium regem Susa delatum.Vide tit.Cupiditas vitæ.

CLEOMENES postquam ab Antigono victus esset, ad Ptolemæum regem fugiens, à Nicanore falsò apud regem accusatus,in carcerem cum aliis coniectus est , vbi omnes mutuis vulneribus concidêre . Rex verò Cleomenem mortuum pelle nudauit,& cruci affixit. Plut.

SANDOX Æolidis præfectus à Dario cruci affixus est , quòd pecunia corruptus iniustè iudicasset. Alex ab Alex.lib.3.cap.5.

HANNO Carthaginēsis, Philippi Macedonis regis temporibus, quòd in filiæ nuptiis principes ciuitatis veneno necare tentasset, captus,ac primùm virgis cæsus,deinde effossis oculis,& manibus cruribúsque fractis, cruci affixus est.Iustinus lib.21.& Oros.lib.4.cap.6.Volat.lib.13. capite.3. Anthrop.

BOMILCHAR Amilcaris filius Pœnorum dux,veniens in suspicionē Carthaginensium, quòd cum Agathocle conspiraret, in medio foro patibulo suffixus est. Vnde ille magno animo de cruce in Pœnos clamitando, eorum & ingratitudinem & crudelitatem illis exprobrando expirauit.Trogus lib.31.Iustin.lib.22.Vol.lib.13.ca.3.Anthrop.

L.Domitius prætor Siciliæ, ILLVM qui sibi aprū dono attulerat, cruci affixit:cùm comperisset vi teli feram captam, quod antea vetuerat.Val. Max lib.6 cap.3.

VAL.BESTIVS à L. Imbrico affixus est cruci , quòd Ruseium ipsius Imbrici filium suæ fidei commissum interfecisset,vt eius auro potiretur. Arist.apud Plut.

LAPIDIBVS OBRVTI. LAPIDIS ICTV INTEREMPTI.

BLASPHEMVS in eremo lapidatus est,filius mulieris Israëlitidis,de viro Ægyptio generatus.Leuit.24.

ACHAM lapidari præcepit Iosue,& totam eius cōburi supellectilem, eò quòd de anathemate Hiericho tulerat:Iosue 7.

Mulier iaciens super caput ABIMELECH fragmen molæ , confregit cerebrum eius:qui vocauit armigerum suum & iussit se interfici : & reddidit ei Dominus malum quod fecerat , interficiens septuaginta fratres suos.Iudic.9.

NABOTH fuit crudeliter lapidatus,impia Iezabel procurāte.3 Reg.21

ZACHARIAM filium Ioiadæ sacerdotis, rex Iuda Ioas iussit à populo lapidari, cùm tamen pater illius restituisset illi regnum , & Athaliam occidisset.2.Paral 24.

STEPHANVS apostolus à Iudæis, qui dentibus in eum stridebant, eiectus è ciuitate & lapidatus est.Acto 7.

PAVLVS apostolus,cùm vnà cum Barnaba in ciuitate Lystris euangelium prædicasset,& homines sibi reconciliasset, à Iudæis lapidatus,extra ciuitatem tractus,& semimortuus,ibi relictus est.Acto.14.

PAVLINA virgo Romana , Artemij præfecti filia , saxis obruta est sub Diocletiano,cum CANDIDA matre,pro Christi nomine. Volat.li. 18 Anthrop.

CHRYSANTVS Alexandrinus, vnà cum DARIO vxore sub Numeriano imperatore pro catholica pietate,saxis obrutus est.Volat.

TELEMATIVS monachus, Romæ celebrato gladiatorio ludo increpans populum, attentius spectaculo inhiantem,lapidatur à populo. Vnde offensus Honorius imperator , gladiatorum ludum edicto suo in perpetuum remouit Sigebertus in Chronicis.

EVSEBIVS natione Sardus, præsul Vercellensis, à Constantino principe Cappadociam in exilium missus, tandem ab Arrianis lapidibus obrutus est.Hierony.apud Volat.lib.13.Anth.

DESIDERIVS Viennensis episcopus, consilio Brunichildis à Theodorico rege lapidibus obruitur,& occiditur.Sige.in Chronicis.

CEBRION Priami filius , à Patroclo in bello Troiano saxo obrutus est.autor Homerus.

CYGNVS Neptuni filius, quum à patre habuisset, vt ferro inuulnerabilis esset,ab Achille apud Troiam lapide extinctus est.

GOES Euxandri F.Mitylenæorum tyrannus à Dario cōstitutus, à Milesiis,qui à rege defecerant , captus, suisq; traditus, lapidibus ab iisdem fuit obrutus. Herod. lib.5.

NEOCLES & DEMOPOLIS Themistoclis filij, quum Atheniensium memoriam refricuissent super legibus, quæ aduersus exules fuerant sancitæ, à paternis inimicis lapidibus obruti sunt. Cæl.cap.12.lib.8.

MARDONIVS Persa(quem Xerxes apud Salaminem victus cum exercitu reliquit, vt belli reliquias confoueret) ab Arimnesto Spartiata saxo obrutus est : quo fato præmonuerat eum periturum Amphiaraus.autor Plut.in Arist.de.

PYRRHVS Epirotarum rex,Antigonum regem prælio victum in vrbē vsq; Argos persecutus,regulæ ictu à muliere deiectę interiit:quam Argiui Cererem fuisse aiunt,assumpta mulieris forma, eóque loci Cereri ex oraculo erectum fanum,& Pyrrhus sepultus.Pausanias in Atticis.

PYRANDER quæstor vrbanus , cùm Athenienses bellum contra Eumolpum gererent,& illis in maxima annonę penuria parcè suppeditaret triticum,in proditionis suspicionem incidens lapidibus ad necem vsque obrutus est.Callisth.lib 3. rerum Thraciæ.& Plut.ca.58.Paral.Alex. ab Alex.lib.2.cap.2 Periandrum vocat.

ÆSCHYLI poëtæ excessus,quemadmodum non volūtarius,sic propter nouitatem casus referendus.In Sicilia mœnibus vrbis,in qua morabatur,egressus aprico in loco resedit,super quē aquila testudinē ferēs,elusa splēdore capitis(erat enim capillis vacuū) perinde atque lapidi eā illisit,vt fractæ testudinis carne vesceretur.Eóque ictu origo & principium fortioris tragœdiæ extinctum est. Val.Max.lib.9.cap.12.

M.POSTHVMIVS Regillensis,tribunus militum,& authoritate consulari ad bellum contra Æquos missus, cùm conscripto exercitu ad Volas cum duxisset, oppidúmq; iamiam oppugnare vellet, prædam militis fore edixit:capto verò oppido cum animum mutasset,à suis militibus lapidibus obrutus est.Liu lib 4.

CINNA in eo bello quòd Romani aduersus Gallos susceperant, cum tritici largitionem surripuisset,simili modo saxis obrutus est,sicuti tertio rerum Italicarum Arist. & Plut.cap.59 Parall.commemorant.

Macrobius scribit, Vatinium in ludis gladiatoriis à populo lapidatum fuisse.

HENRICVS eo nomine primus Hispanorum rex, Alphonsi filius, Octaui regis Castellæ apud vrbem Palantiam, cocto latere vulnus accipit in capite,dum luderet cum sodalibus ex eáq; biduo pòst morte occubuit Ritius Neapolitan.lib.3.Regum Hispa.

GERINVS,Leodegarij Augustodunensis episcopi frater,lapidibus obrutus vitam amisit.Sigeb.in Chron.

Hunaldus dux Aquitaniæ Romam quasi ibi mansurus veniens, deinde ad Longobardos fugiens apostata,ibi non multo pòst lapidibus obrutus malè periit.Sigebertus in Chron.

HERMANNVS tyrannus à Saxonia Lotharingiam repetens, ad concitandos regni motus,dum muro castelli cuiusdam incautè approximat, iacto de turri saxo in capite percutitur & moritur. Sigeb.in Chron.

IN TORMENTIS ET QVÆSTIONIBVS MORTVI.

Consule titulum, Tolerantia tormentorum.

MACAREVS, cùm ob depositam pecuniam hospitem in templo interfecisset, victus auaritia, tormentis examinatus, in ipsis quæstionibus vitam amisit. Ælianus libro decimotertio de Var.histor.

PRÆCIPITATI EX ALTO.

HELI Iudæorum pontifex ac iudex , accepto tristi nuncio de clade, qua Palæstini hostes capta arca,occisísque ipsius filijs, Iudaicum exercitum affecerant : magno subitóque dolore oppressus , cùm à regio solio supinus caderet, effracto collo statim perijt.Fulgosus libro nono, capite duodecimo.

Videns Iehu Iezabel impiam , quæ fuerat multorum causa malorum, iussit eam præcipitari deorsum. Itaque equorum vngulis conculcata, licet esset filia regis, non fuit tradita sepulturæ. Sola enim caluaria capitis inuenta fuit.4.Reg.9.

MENELAVS, qui malitiosè obtinuit modico tempore principatum, de alta turri fuit præcipitatus in cumulum cineris.2.Mach.13.

EVTYCHVS, cùm mergeretur somno graui, de tertio cœnaculo cecidit,& mortuus est.Guido Bitur.

THESEVS exul in Scyro apud Lycomedem , post cœnam more suo deambulans per præcipitia montium, nemine impellente lapsus perijt. Alij verò à Lycomede ex insidijs præcipitatum asserunt. Plutarchus in eius vita.

ALTHEA Thyestis(aliàs Thestij) filia,& Oenœi Ætoliæ regis vxor, quum audiuisset Meleagrū filium suis fratribus intulisse mortem, se præcipitauit, combusto prius fatali stipite , quo cremato Meleagrum ex fato periturum audierat. Boccatius in Genealogia.

TIMAGORAS, quum Meletem Atheniensem liberali forma adolescentem deperiret, eiusdem iussu se dedit in præceps, vt qui in omnibus puero vellet obsecutum. Cuius rei pœnitentia ductus Meles, eandē quoque subijt mortem. Cælius.

PREXASPES inter Persas opibus & dignitate pollens , è turri præcipitem se dedit. Vide tit. Constantiæ in dictis & factis

ASTYANAX Hectoris filius, Troia diruta, Troianísq; omnibus profligatis, ne quid reliquiarum superesset, quod in posterum vrbis & populi ruinam vlcisceretur, ab Vlysse præcipitatus est è turri summa crudelitate. Ouid in Ibin:& Seneca in Troade.

IOLE Herculis filia, & Clusia Tuscorum regis filia, cùm se præcipites dedissent, à vento sinus inflante molliter & absque noxa in terras deciderunt. Vide tit. Miro modo seruati.

M.Curtius armatus equo insidens, in terrę hiatum, vt patriā peste grauissima liberaret, se magna cum laude præcipitem dedit : vt est apud Liuium, Val.& Platinam lib.1.de optimo ciue.

VALERIVS, dum cum Valeria Tusculana filia nesciens cōcubuisset, agnita postmodum culpa, se præcipitauit. Autor Aristides apud Plutarchum.

Annibale Saguntum vrbem Hispaniæ Romanis amicam obsidēte, Mopsus Cretensis fauens Saguntinis, vbi filios vidit interfectos, temperare sibi non potuit, quin se præcipitaret è turri, & filijs comitem daret. Sylius libro secundo.

T.MANLIVS Capitolinus, cùm regni adfectati suspicione in carcerem coniectus esset, populi consensu liberatus est. Rursus cùm in eadem culpa perseueraret, reus factus, de saxo Tarpeio præcipitatus est, domus diruta, bona publicata. Gētilitas eius Mālij cognomine iurauit, ne quis postea Capitolinus vocaretur. Suetonius de Viris illust. Cor.Nepos scriptum reliquit, eum verberando fuisse necatum.

ÆLIVS Saturninus, eo quòd carmina quædam in Cæsarem Tiberium scripsisset, reus in senatu factus, ab eodem è Capitolio præcipitatus est. Dion Nicæus in Tiberio.

NEÆRA puella in Saleatinis, in vico Castriniano, dum obijcitur illi ab inuidis, quòd à Leontio, cui pacta fuerat, sprera ac repudiata esset, nullo dato responso sese statim deiecit in puteum. Pontan.lib.2.capite 15. de Fortitud.heroica.

LYCAS ab Hercule præcipitatus est, quòd ei tunicam cruore Nessi tinctam,& veneno imbutam attulisset. Sabellicus. Ouidius in Ibin.

LYCVRGVS Thracum rex (teste Lactantio) à suis in mare præcipitatus est, quòd primus mero aquam miscuisset.

ÆSOPVS fabulator Phrygius, quum venisset Delphos, ibidem furti ab æmulis falsò accusatus (phialam enim argenteam inter eius sarcinulas clàm posuerant) de rupe insons præcipitatus est. Plutarch. de Sera numinis vindicta.

NAVPLIVS Palamedis pater, quum intellexisset Diomedem & Vlyssem naufragio liberatos (quibus tamē hoc malum per insidias machinabatur) seipsum præcipitauit. Seneca.

Igne fallaci moriturus Argis
Nauplios præceps cadit in profundum.

THESSALVS (à quo Thessalia nomen sumpsit) Hæmonis filius, ab Euryalo quodam aduena ex Ossa monte præcipitatus est. Ouidius in Ibin:

Vtque dedit saltus è summo Thessalus Ossa, &c.

Sabinus Romam obsidentibus, quum Tarpeia virgo Capitolium prodidisset, armillarum & anulorum(quos illi gerebant) pactione, vbi in arcem introducti sunt, obsequij immemores puellam præcipitauerūt. Plutarchus & Liuius testes.

LAPSV ET OFFENSIONE PEDIS
mortui.

NESTORIVS hæreticus, qui duos finxit Christos, Deum & hominem, in Thebeas solitudines relegatus, à vermibus sacrilega lingua corrosa , humo afflictus ex casu perijt. Magdeburgens. in quinta centuria Ecclesiasticæ hist.

EQVORVM LAPSV MORTVI.

BELLEROPHONTEM, quum ad coitum non posset inducere Stenobæa Proti vxor, cum coram marito stupri postulauit. Stenobææ verbis fidem adhibens Prœtus, Bellerophontē periculis obiecit, ac primùm ad superandam Chimeram misit. Quam cum vicisset, elatus victoria in cœlum Pegaso equo alato voluit conscendere : sed vlciscente Nemesi, decidit. Ouid.in Ibin:

Quíque ab equo præceps alienis decidit aruis,
Exitio facies cui sua penè fuit.

AGENOR lapsu equi , inserta ori manu , extinctus est. Ouidius in Ibin:

Vtque loquax in equo est elisus gutture Agenor,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.

CLONIVS, Nipheus, Remulus, Leucagus & Ligeris fratres, Amycus, Thymœtes, apud Vergil.10.11.& 12. Æn. equis excussi, in conflictu moriuntur.

SELEVCVS Callinicius Antiochi cognomento Dei filius, victo Antiocho fratre(qui à latronibus tandem interfectus fuit)& amisso Asię regno, equi casu interijt. Guido Bitur.

DRVSVS rebus gestis maximè in Germania floruit, ac decessit iuuenis admodum, ex lapsu equi. Volat.lib.23.Anthrop.

FVLCO comes Andegauensis in Hierosolymorum regem electus, dum festinat aduersus nostræ religionis hostes, Edessam Mesopotamiæ vrbem oppugnantes, leporémque citato cursu premit, equi lapsu præcipitatus occubuit, anno regni XI. Rit.Neap.de Hierosolymorum regibus.

PHILIPPVS Gallorum rex, puerulus, Ludouici cognomento Grossi filius, cùm à patre regij nominis atque honoris particeps factus esset, equi lapsu, cùm in Parisiorum vrbe forte in porcum incidisset, magno patris dolore decessit. Fulg.lib.9.cap.12.& Ritius lib.2. Francorum regum.

IOANNES primus Castulonensis rex, qui Henrico patri successit, equi lapsu oppressus interijt, anno principatus sui vndecimo. Rit. Neap. lib.3.Regum Hispanorum:& Fulgos.lib.9.cap.12.

BELA rex Pannoniorum, frater Andreæ,& filius Vazulis, regum, decessit lapsus equo, membris luxatis & dilocatis, anno regni sui tertio.

ANTONIVS Vicus, Pamphil.Saxus:

Non equus Antoni sæua te morte peremit
Vice, licet corpus presseris ille tuum.
Frena trahens sed tu mortis tibi causa fuisti.
Non poteras fato candidiore mori.

SCALARVM RVINA MORTVI.

ELPENOR socius Vlyssis , ebrius apud Circen factus, scalarum casu perijt. Ouid.lib.3.de Tristibus,& in Ibin.

ASCLEPIADEM medicum Prusiēsem suprema in senecta scalarum lapsu fuisse exanimatum, Plinius autor est libro septimo. Sic qui ægrotis mederi consueuerat, qui è funere retulerat mortuum, fati insidias vitare non potuit.

PHILOSTRATVM, quum in balneis Sinuessanis esset, nimio haustu vini in ebrietatem lapsum , scalarum casu, non tum primum, sed paulò post extinctum, Martialis ait.

SEIANVS, cùm multis honoribus per fraudem à Tiberio exornatus esset, à quo etiam in consulatu collega est ascitus, demum decreto Senatus è scalis est præcipitatus : cuius corpus triduo magnis opprobrijs affectum à plebe, deinde in flumen proiectum est. Dion Nicæus , in Tiberio.

ÆDIFICIORVM, MVRORVM, STATVARVM, MONTIVM
ruina extincti.

Athenæus è Seléuca Cilicię, philosophus peripateticus doctissimus Augusti tēpore, à ruina domus, vbi habitabat, Romæ oppressus est. Stra.l.14.

ALIDICE Alebæ Larissæi filia, vnà cum viro Lycoride ruina domus extincta est. Ouidius in Ibin:

Lapsurámque domum subeas, vt sanguis Alebæ
Stella Lycoridæ cui fuit æqua viro.

POLYDAMAS athleta tempestate speculum subire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molē sustentaturus. Sed pondere omni corpore humano potentiore pressus, imbribus petitam latebram dementis fati sepulchrum habuit. Val.Max. lib.9.cap.12.

EVPOLIS Nicę Atheniensis filius, prima nocte nuptiarum è ruina thalami vnà cum vxore extinctus est. In libro Epigrammatum Græcorum. Ouid.in Ibin: Sit tibi coniugij nox prima nouissima vitæ. Eupolis vt periit & noua nupta modò.

THEAGENIS inimicus, ab eius statua occisus, cùm eam flagellasset. Vide tit. Iræ immoderatæ erga ratione carentia.

Apud CHIOS paulo ante cladem à Persis acceptam, domus centum viginti pueros literas discentes ruina interemit, vno tantū excepto. Herod.lib.6.

Tranquillus ait: FIDENIS theatri ruina duo & viginti hominum milia periisse, gladiatorio munere. Sab.lib.10.cap.5.

IOANNES pontifex Rom.& huius nominis XXI. Vlyssipponensis, vir admodum literatus, vt qui multa scripserit, rebus agendis tamen parum prudens, Viterbij cùm in lecto iaceret, ex ruina conclauis moritur. Vola. lib.22. Anthro.& Fulg.lib.9.cap.12

Ioannes Britannię dux (cū Clemens huius nominis v. Rom. pont. creatus esset, & ad eius mitræ solennia Lugduni plurimi ex omni Gallia conuenissent) cum multis aliis ruina muri occubuit. Vol.lib.22. Anthrop.

IVGVLATI.

SICHEM, filius Emor, qui oppressit Dynam filiam Iacob, interfectus est à filiis Iacob, & omnis ciuitatis populus. Gen.34.

ISBOSETH feruente sole supra stratum suum dormiens, à filiis Remnon, Rechab, & Banaa iugulatus est. Reg.4.

FIDES, Spes & Charitas, Sophiæ filiæ, propter Christum sub Hadriano principe iugulatæ, & à matre sepultæ sunt. Vol.lib.19. Anthrop.

MINIATES martyr Florentinus, sub Decio in monte, vbi nunc eius templum visitur, iugulatus est. Vol.17.lib. Anthr.

CAVDEMVS Atheniensis à Dario (quem de apparatu sui exercitus percontatus recta monuerat) iugulatus est. Curtius lib.3. de gestis Alexandri magni.

ARRIVM Aprum, Numeriani interfectorem, Diocletianus Imperator coram omnibus iugulauit, non tam iustitiæ gratia, quàm vt Druidæ in Galliis de se olim vaticinium impleret, quod erat: Imperatorem tunc eum futurum, cùm aprum interfecerit. Volat.lib.24. Anthrop.

MAZESES miles, qui Constantem in Sicilia interfecerat, cum menses aliquot tyrannidem exercuisset, à Latinorum Græcorúmq; exercitu iugulatus est. Volat.lib.23. Anthrop.

Leo & Tiberius vsurpatores Imperii, Iustiniano pulso, ab eodem demum in medio circi iugulati sunt. Sigeb.in Chron.

ANGELLOTTVS cardinalis, quòd asperiorem se, & nimis etiā tenacem erga suos præberet, à famulo, quem cubiculi curam habere iusserat, iugulatus est. Pontanus lib.de Principe.

IVSTINIANVS Imperator à Philippico regnum affectante iugulatus est. Sigebertus in Chron.

Antistius, autore Plut. in senatu iugulatus est, quòd ob Pompeium Syllanam sequi factionem videretur.

SERGIVS Galba, quum Pisonem in conflatæ inuidiæ remedium adoptasset, in medio foro ab Othone iugulatus est.

P.COR. Lentulus prætor vrbis, comprehensus in coniuratione Catilinæ, iussu Ciceronis iugulatus est in carcere. Sall.

APRIES ab Amasi superatus, datus est Ægyptiis iugulandus. Herod.

GANDVLPHVS martyr, suasu vxoris adulteræ (cum qua diuortium fecerat) noctu ab adultero iugulatus est.

LVCILLA Nemesij tribuni filia, Romę in via Appia sub persecutione Valeriani iugulata est.

GALSONDA Athanagildi Gotthorum regis filia, à Chilperico marito noctu iugulata est, suasu Fredegundæ pellicis. Volat.

Amalasuntha Gotthorum regina, Atalarici mater, à Theodato (quem mortuo filio regni socium asciuerat) in balneo iugulata est. Paulus Diaco.

GRONTIVS comes à militibus suis iugulatus est, quòd Constantem Constantini filium fecisset perimi. Idem autor.

SECVRI PERCVSSI, DECOLLATI.

SEBA filius Bochri, concitauit populum contra Dauid: & fugiens in Abelam ciuitatem, vbi putabat se habere refugium & auxilium, decapitatus fuit ibidem. 2.Reg.20.

PAVLVS (eadem die, qua Petrus Neronis iussu cruci affigitur, in loco quem montem Aureum nunc vocant) via Ostiensi, quia ciuis Romanus, securi percutitur. Volat.lib.22. Anthrop.

IVLIA comes Eulaliæ, sub præside Daciano capite truncata est. Adonius apud Volat.lib.16. Anthrop.

MARGARITA virgo Antiochena in patria sub Olybrio præfecto post multa supplicia capite truncata est, annorum XV. Volat.lib.17 Anth.

Theodora virgo Antiochena, sub Diocletiano hac extincta est morte.

VICTOR præsul Carteæ vrbis Hispanię, sub Maximiniano non procul Mediolano, hoc supplicio vitam finiuit. Sab.

ALEBAS rex Larissæ vrbis Thessaliæ, à suis satellitibus ob crudelitatē obtruncatus est. Ouid.in Ibin:

Quósque putas fidos, vt Larisseus Alebas,
Vulnere non fidos experiare tuo.

CANTHARVS fuit quispiam Atheniensis caupo, quem Athenienses ipsi ob maleficia & imposturas supplicio capitis affecerunt. Zenodotus apud Erasmum. Val.

TIMAGORAS Atheniensis capitali supplicio affectus est, quòd Darium (ad quem legatus missus fuerat) more Persarum adorasset. Plu.

AQVILII & Vitellij, vnà cùm filiis Bruti, Tarquinios ex vrbe eiectos reducere tentantes, capite damnati sunt. Liu.lib.2. Plin. Secundus cap.10. de Viris illust.

C.PONTIVS cùm à Fabio Maximo, eiúsque filia cōtra Samnites pugnantes victus esset, ductus in triumphum, securi percussus est. Liu.in Epitome.

M. Antonius triumuir ANTIGONVM Iudæorum regem securi percussit, quod antea nulli regum contigit. Volat.lib.13.cap.3 Anthrop.

BASINIANVS Iurisconsultus ab Antonio Caracalla securi percussus est. Caracalla enim, cùm interfecto fratre Geta ei mandaret, vt in senatu & apud populum facinus dilueret: ille autem respondisset, non tam facilè parricidium excusari posse, quàm fieri: ira commotus, sanctissimum virū occidi iussit, Spartianus apud Volat.lib.18. Anthrop.

MAVRITIVS genere Cappadox, successor Tiberij, ob auaritiam militibus infensus, à Phoca cēturione limitis Scythici captus, securi percussus est. Volat.lib.23. Anthro.

SOPATER sophista, Iamblici discipulus, cùm in magna apud Constātinum Magnum fuisset authoritate, calumniam ab inimicis passus, quòd causa caritatis annonæ Constantinopoli fuisset, insons eiusdem imperatoris iussu securi percussus est. Eunap.in lib. Sophistarum.

RVBRIVS Flauius cū à Nerone defecisset, captiuus abductus, & mox ad mortem damnatus est: verùm cum à lictore admoneretur, vt fortiter ceruicem prætenderet: Vtinam, āit, tu tam fortiter ferias. Brus.li.2.cap.1.

DIDIVS Iulianus imperator à Septimio Seuero successore suo in abditas palatij balneas ductus, extenta damnorum modo ceruice, decollatus est. Sex.Aurel.

OPILIVS Macrinus ab Heliogabalo victus, quinquagenario maior obtruncatus est.

Hermelgundus à Leonogildo Hispanorum rege, licet liberorum natu maximus esset, securi percussus est, quòd Arrianorum sectam non probaret. Ritius Neapolitanus lib.1. Reg. Hisp.

CONRADINVS à Carolo, quem Neapolitani primum vocāt, anno Salutis ducētesimo sexagesimooctauo supra millesimum, in potestatem redactus, octauo die Neapolim ductus, & publico iudicio rei capitalis dānatus, & securi percussus est. Ritius lib.3. de Regibus Siciliæ: & Volat.lib.23 Anthrop.

ANTONELLVS & Franciscus Copula, in propugnaculis arcis Nouę à Ferdinando & Alphonso Sicilię rege securi percussi sunt, eorúmque confiscata sunt bona Ritius Neapo.lib.4. Regum Siciliæ.

ROTGANDVS dux Fori Iulij, à Carolo post expugnationem vrbis decollatus est. Sigebertus in Chron.

ADELBERTVS quidam ex primoribus Austrasiorum, per septēnium Ludouico regi rebellis, opera Hattonis Maguntini episcopi ad regem deductus & decollatus est. Sigeber.in Chron.

CICHVS Simoneta securi in Ticinensi arce iniustè percussus. Vide tit. Qui ex prospera fortuna ad summam miseriam peruenerunt.

SAGITTIS, IACVLIS, LANCEIS ET HASTIS CONFECTI.

TITYVS Terræ filius, & maximus gigas, eo quòd Latonam violare vellet, ab Apolline sagittis confossus, & in inferorum locum trusus est, vbi vultur eius iecur quotidie comedit, vt habes apud Vergil.li.6. Æneid. Cernere erat, &c.

PROCRIS Cephali vxor cùm zelotypia laboraret, virúmque ad venationes paratum sequeretur, vt videret cum qua in syluis rem habe- ret:

ret: latitans sub arbustis, à marito (qui feram adesse suspicabatur) confossa est. Fabula est apud Ouidium libro 7. Metamorph. & in prouerb. apud Roterodamum, Procridis telum.

LINVS Thebis natus, ab Apolline sagitta interemptus est. Volat.libro 16. Vrb.com.

ACHILLEM poetæ fabulantur nullibi membrorum præterquàm in talo fuisse vulnerabilem, quòd eam partem mater Thetis non abluisset Stygijs vndis, vt cæteras. Huc ergo iaculatus Paris, euersorem Troiæ peremit. Verg. libro 6. Æneid. & Ouid.lib.12.

ANACHARSIS Scytha, à Sauleo rege eodem modo extinctus est, quòd alienæ gentis sacrificia imitaretur. Herodot. Sunt tamen qui à fratre interfectum velint.

Dædalionis filia Lychione Dianæ (cui se præferebat) sagittis confossa est. Cuius dum celebrarentur exequiæ, pater in puellæ rogum se coniecit. Poetæ fingunt eum ab amicis (ne in ignem desiliret) impeditum, fuisse mutatum in volucrem. Vnde Ouid.lib.11. Metam.

Vt verò ardentem vidit, quater impetus illi
In medios fuit ire rogos, quater inde repulsus
Concita membra fugæ mandat.

LYCOPHRON poeta iambographus, à quodam æmulo traiectus est. Ouidius in Ibin:

Vtque cothurnatum periisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis. Volat.

IRENE virgo à Sisinnio pro Christi nomine hanc oppetijt mortem.

CHRISTINA virgo sub Iuliano, hoc modo passa est.

Beatus Sebastianus, ciuis Mediolanensis, sub imperatore Diocletiano.

NINVS primus Assyriorum rex, cùm deficiētem à se oppugnaret vrbem, sagitta confossus est. Oros.lib.1.cap.4.

ATYS Crœsi filius in venatione ab Adrasto pædagogo hasta traijcitur, dum ille imprudens aprum petit.

IVLIANVS Romanorum imperator apostata (desciuerat enim, cum esset Christianus, à fide nostra) qui tanto Christianos habuit odio, vt eis literarium exercitium interdixerit, deambulans in Parthiæ deserto, subita sagitta per ignotum authorem emissa transfossus est. Guido Bitur.

VALENS imperator Rom. pugnans cum Visigotho, dum sagitta saucius, versúsque in fugam ægrè in cuiusdam villulæ casam deportaretur, ab insequentibus hostibus deprehensus, subito igne consumptus est. Blondus decadis primæ, libro primo.

CALOIOANNES Comnenus, Rom. Imperator, cùm esset in venatione, sagitta venenata, quæ in aprum directa fuit, in manu perstrictus, nullis remedijs curari potuit, quin moreretur. Volat.lib.23. Anthro.

ALPHONSVS.V. Hispaniæ rex, quum in oppugnatione Visei, quod oppidum præsidio firmatum Mauri tenebant in Portugallia, esset, Mauri telo vulneratus interijt. Ritius Neap.lib.3. Regum Hispanorum.

TAGMARVS frater Othonis regis, cùm castrum Heresbruch cæpisset, ibi à rege conclusus, telis intra ecclesiam confossus interijt. Sigebertus in Chron.

STYLIS GRAPHIARIIS INTERFECTI.

ERIXO eques Rom. à populo Romano stylis graphiariis in foro occisus est, quòd ab eo filius nimis sæuè vapulasset. Fulgosus libro nono, capite tertio.

IOANNES Scotus (sed non ille qui nouæ sectæ author fuit) à coniuratis discipulis, D.Cassiani exemplo graphijs fuit confossus. Testis est Iouius in Elogijs, ex Crinito Gallicos annales referente.

STEPHANVS, qui Petro Gnaphæo Theopaschitæ hæretico in exilium à Leone Imperatore eiecto (propterea quòd Deum passum esse diceret) in episcopatu Antiocheno substitutus fuit, à pueris Antiochenorū ciuium (qui Petro fauebant) acutis calamis veluti cuspidibus iugulatus, & in amnem qui vrbem præterlabitur abiectus fuit. Egnatius libro tertio, cap.10. Nicephorus lib.15.cap.28.

AB ARBORIBVS PER VIM REFLEXIS DISCERPTI.

Alexander Macedo Bessum Bactrianorum ducem bello victum, curuatis per vim arboribus alligauit: quas demum tanto impetu concitatas remisit, vt laniata passim membra dissecerint. autor Plutarch.

CORONA mulier sub Antonio Imperatore arboris ramis per vim reflexis alligata, eisdem in aera remissis discerpta est.

PROCOPIVS tyrannus insurgens contra Valētem principem, apud Natoliam, Phrygiæ ciuitatem, victus, reflexis per vim arborum truncis alligatus, & discerptus est. Historia tripartita.

DERBICCÆ hoc genere supplicij, quod Disphendomene dicitur, afficiebat sontes. Vide tit. Supplicia varia.

AB HOMINIBVS EXCORIATI, DISCERPTI, DEVORATI.

Anthropophagi huc referendi sunt, si patientem personam, quæ tali genere mortis absumpta fuit, spectes. Sin verò agentes, eos scilicet qui his cibis delectantur, sic infra ad Ciborum genera pertinebunt: & ratione Crudelitatis, ad vitium Inhumanitatis.

BARTHOLOMÆVS apostolus, regis Syriæ filius, iussu Astyagis excoriatus est. Vnde Io.Franc. Mirandula in hymnis:

Huic etiam pellem Ptolemæi filius ardens,
Deposuit:---

MARSYAS ab Apolline (quem ad tibiæ certamen prouocauerat) victus, & excoriatus est. Ouid.in Ibin:

Mens quoque sic furijs væcors agitetur vt illi,
Vnum qui toto corpore vulnus habet. Idem:
Nudaúe direpta pateant tua viscera pelle,
Vt Phrygij cuius nomina flumen habet.

MEDEA fratrem Absyrtum, & filios ex Iasone susceptos membratim discerpsit: Ouid.in Ibin:

Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere vias.

ORPHEVS Calliopes & Apollinis filius, quū propter liberalem formam à mulieribus adamaretur, ac nihilominus amore sui captas auersaretur, vel quòd esset castissimus, aut (vt aliquibus placet) procliuiore in mares libidine, à Mænadibus inter Bacchi sacrificia occisus est: quique saxa & arbores cantu duxerat, & leones exarmauerat, duras mulierum ceruices emollire non potuit. Ouid.

CAMBLETA Lydorū regem eò voracitatis progressum, vt nocte quadam vxorem quoque absumpserit: quúmque summo mane illius manum in ore comperisset, semet iugulasse: Xanthus apud Cælium autor est.

CLEOMENES Lacedæmoniorum dux, ab Antigono victus, profugit ad Ptolemæum: à quo benignè primum exceptus est: demum tamen Nicagoræ cuiusdam calumnia suspectus rei factus est, & ab eodem excoriatus. Plutarchus.

APPIANVS & Priscus furiosi, morsibus alternis sese dilaniauerunt: mane facto reperti sunt mortui. Guido. Bitur.

MAXIMVS tyrannus, qui inter alia & infinita facinora, Eudoxiam quoque Valentiniano Imperatori relictam vi rapuit, à populo membratim discerptus est. Sigebertus in Chronicis.

MANES hæresiarcha, qui diuinam solùm naturā in Christo ponebat, eo quòd filium Persarum regis, quem reiectis alijs medicis curare pollicebatur, interfecerit, ab eodē rege viuus, cute detracta, necatus est. Suid.

THEODORICI Visigotthorum regis in Gallia milites, Arriani, quia D. Iuliani Aruernensis templum spoliauerant, ab immundis correpti spiritibus mutuis morsibus se inuicem lacerarunt. Gregor. Turon. libro tertio, capite vndecimo.

HERCVLANVS monachus sanctissimus, & Magni Gregorij pont. nutritor, episcopus Perusinus, à Totilæ regis præfecto (qui post septennem obsidionem Perusium expugnarat) capite truncatus, dein excoriatus: tandem è muro præcipitatus est. Sub Iustiniano Imp. Greg. Turon. libro tertio Dialog.cap.13.

A CANIBVS DILACERATI. CANVM *morsibus occisi.*

LYCAON Arcadiæ rex, eo quòd hospites trucidaret, & Ioui membra humana epulanda apposuisset, ab eodem in lupum mutatus, à canibus suis in venatione discerptus est. Volat.lib.16. Anthrop.

ACTÆON filius Aristæi, ex Autonoe filia Caduci, cùm post venationem petisset secretum fluuium, vidit ibi Dianam se nudam lauantem: quæ indignata, mutauit eum in ceruum. & cùm domum redire vellet, à canibus suis laceratus est. Ouidius describit historiam libro 3. Metam. & in Ibin: item Seneca in Thebaide.

LINVS filius Apollinis, ex Psamata Crotopij Argiuorum regis filia, à matre apud Nemæum fluuium expositus, ibidem à canibus laniatus est. Ouidius in Ibin:

Quíque verecundè speculantem membra Dianæ,
Quíque Crotopiadem diripuere Linum.

Statius lib.1. Theb.

NEANTHVS propter chelyn pollinis temerè affectatam, deo

vindice, à canibus discerptus est. Politianus in Nutricia:

Improbus hanc stultè chelyn affectare Neanthus
Ausus. Apollinea pendentem sustulit æde:
Quem tamen indocto ferientem pollice chordas,
Vindice discerpsit rictu nocturna canum vis.

THRASVS puer Delius, Dianæ charissimus, à canibus interfectus est. Ouidius in Ibin:

Prædáque sis illis, quibus est Latonia Delos,
Ante diem rapto non adeunda Thraso.

EVRIPIDES ætatis anno 70. à canibus laceratus dicitur. Nam cùm in vicum Macedoniæ Thracen canis quidam Archelai aberrasset, Thraces illum ex more mactarunt, & simul vorarunt. Archelaus eos talento mulctauit. Euripidis tamen rogatu veniam consecuti sunt. Pòst cùm Euripides per syluas meditabundus incederet, canes reliqui Archelai, ab eo progeniti qui à Thracibus interfectus fuerat, Euripidem circumuenientes dilaniarunt, & ita patrem suum vlti sunt. Alij tamen à canibus à Promero æmulo poëta immissis, alij à mulieribus laniatum ferunt. Vide Gyraldum in secundo tomo hist. poët. ex Suida: & Val. lib. 9. cap. 12.

Noua illa mors fuit qua HERACLITVS Ephesius periit: nam cùm, vt hydropisim curaret, bouino stercore seu seuo, vt Suidas ait, perúnctus, sub sole maneret, fortéq; solum, is qui ministrabat, cum reliquisset, à canibus, cùm feram esse putarent, dilaniatus fuit. Fulgos. lib. 9. cap. 12.

Manes Diogenis seruus, cùm abhorreret ab heri sui seueritate, aufugit, vnde deprehensus, & Delphos abductus, à canibus discerptus est. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

DIOGENES Sinopeus, Cynicus philosophus, iam senex, à Scytalo pirata captus, venundatúsque, cùm liberos Xeniadis Corinthij institueret, & crudum polypum canibus diuideret, ab vno eorum in crure sauciatus, eodem die quo Alexāder Babylone, obiit. Quamuis alij ex retento spiritu occidisse tradant. Laert. in eius vita: & Volat. lib. 15. Anthrop.

CONSYGEM reginam, propter liberiorem cum marito Nicomede rege Bithyniæ ac lasciuiorem iocum, fuisse interfectam à regis cane, scribit. Plin. lib. 7.

VXOR Æmilij adolescentis, zelotypiæ morbo affecta, dum suspicaretur maritum alterius puellæ rapi desiderio, in syluas profectum secuta est. Vbi quum ad explorandam rei veritatem, in dumis & vepribus delitesceret, à canibus feram esse opinantibus laniata est. Recognita, Æmylius seipsum interfecit. Plut. apud Sybarim Italiæ oppidum, hoc commemorat factum.

LVCIANVS Sophista Samosatenus, qui Traiani temporibus floruit, à canibus laniatus est, non sine diuinę vltionis suspicione. Nam cùm primū esset Christianus, à catholica fide postea deficiens, religionem in sectari cœpit. Volat. & Suidas.

AB EQVIS DEMORSI, DECERPTI, LANIATI, CONCVLCATI: vel, *Quibus equi quacunque tandem ratione mortem attulerunt.*

IEZABEL regina Israelitarum, Achab vxor, equę indomitæ caudę alligata, miseréque lacerata est.

HIPPOLYTVS Romanus martyr, è discipulis Laurentij, sub Decio principe, ductus extra portam Tyburtinam, equis indomitis alligatus & discerptus est. Volat. lib. 16. Anthrop.

HIPPOLYTVS falsò accusatus, & suspectus stupri Phædræ nouercæ illati, dum patris Thesei furorem fugeret, arrepta fuga ab equis discerptus est. Fabula extat apud Ouid. lib. 5. Metam.

LIMONE puella adulterij comperta, ab Hippomene patre data est equo famelico deuoranda. Ouid. in Ibin:

GLAVCVS filius Sisyphi (qui apud Potniam regnauit) dum equas humana carne aleret, ab eisdem postremo deuoratus est. Verg. lib. 3. Georg.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potnia des malu membra absumpsere quadrigæ.

DIOMEDES rex Thacię, dū equos suos humana carne aleret, ab Hercule illac iter faciente, equis ipsis datus est in pabulum. Ouid. in Ibin.

Vt qui Threicij quondam præsepia regis,
Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.

Claudianus:

Diráque sanguinei vertit præsepia regis,
Et Diomedæos gramine pauit equos.

ABDERVS, vnus fuit eorum qui ab equis Diomedis Thraciæ regis interfecti sunt, & deuorati. Ægidius Maserius in Val. Argonautica.

Cælius lib. 11. Lectionum antiquarum scribit, TARAXIPPVM quendam fuisse in Isthmo ab equis interemptum.

PYRECHMEN Eubœæ regem victum, Hercules pullis equinis ita alligauit apud Heraclium fluuium, vt in duas dispertiretur partes. Plut. ca. 13. Paral.

HIPPODORVS, vnus Codridarū, eo quòd filiam apud mœchum deprehendisset, currui eam adligari atque discerpi iussit. Ælian.

NEOCLES Themistoclis filius, equi morsu interiit. Plut. in Themistocle.

METIVS Suffetius, dux Albanorum, quòd contra fœdus societatis in bello Fidenatium animum ancipitem & infidum gesserat, iussus est incōcione à Tullo Hostilia quadrigis discerpi. Liu. lib. 1 Dec. 1.

Athenodorus Selymanteus apud Antiochiam Cilicię à Longino cathenis vinctus, & ad Anastasium Rom. Imp. perductus, dilaniatus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

LICIVS imp. quum Herinam vírginem, filiam suam (quòd Christiana esset) equis dedisset conculcandam, ab eorum vno morsu interfectus est. Rauis.

BRVNICHILDA regina Metensium, vxor Sigeberti Frācorum regis, vno pede & brachio multata, ad caudam equę indomitę religata, mēbratim à Lothario rege discerpta est. Sigeb in Chron.

Comminius à Gidica nouerca stupri falsò accusatus, metu Comminij patris currum conscendit, & in fuga more Hippolyti ab equis raptim distractus est. Dositheus apud Plut.

Corsus Donatus Florentinus stapedi adhærens, ab equo miserè conculcatur. Vid. ti. Qui ex prospera fortuna ad summā peruenerunt miseriam.

Theodoricus Gotthorum rex, cùm indomitum equum ascenderet, hastam erectam (quæ ante tabernaculum regium more gentis suæ erecta erat) concussit: illa obliquè in eum illata, latus eius vulnerauit: quo vulnere etiam obiit. Nicephorus lib. 16. cap. 21.

AB APRIS OCCISI.

ELISEVM caluum cùm elusissent pueri, quadraginta duo à duobus vrsis lacerati sunt. 4. Reg. 2.

BRVTHEM Lycurgi filium, ex arbore detractum, aper laniauit. Ouidius in Ibin:

Quique Lycurgidem laniauit ab arbore tractum,
Idmonáque audacem, te quoque rumpat aper.

Volaterranus facit Anceum Lycurgi filium: Domitius verò Calderinus hoc ad Bruthem refert.

Ancæus filius Astypaleæ, Phœnicis & Neptuni filiæ, rex Sami, dum vellet occidere aprum agros suos vastantem, ab eodem est interfectus. Volat. lib. 15. cap. 3.

ADONIS Cynaræ ex Myrrha filius, Veneri ob formam charissimus, dum venaretur, ab apro interfectus est. Ouid. lib. 10. Metam.

Fixerat obliquo iuuenis Cynareius ictu,
Protinus excußit pando venabula rostro,
Sanguine tincta suo, trepidúmque & tuta petentem
Trux aper insequitur, totósque sub inguine dentes
Abdidit, & fulua moribundum strauit arena.

Propertius lib. 1.

DÆDALVM quendam Martialis lib. 1. ait feris obiectum, ab apro laniatum fuisse.

Dædale Lucano quum sic lacereris ab apro,
Quàm cuperes pennas tunc habuisse tuas?

IDMONEM vatem, licet Seneca dicat à serpente interfectum, Ouid tamen in Ibin, & Politian. in Nutritia, ab apro occisum volunt. Ouid. sic.

Quique Lycurgidem laniauit ab arbore tractum,
Idmonáque audacem, te quoque rumpat aper.

Sic Politianus:

Quídue loquar te Glauce senex, plenúmque parente
Idmona, fulminei prostratum dentibus apri?

PHAFILLA Legionis Austurum rex, & Pelagij Portugalensis filius, cùm biennio regnasset, ab vrso in venatione laniatus est: teste Ritio Neapolitano, libro secundo, Regum Hispaniæ, & Fulgosus libro nono, capite duodecimo.

In venatione quoque legitur ab apro interfectus esse, ASTVLFVS Longobardorum rex. Fulg. lib. 9. cap. 12.

A LEONIBVS OCCISI.

ACCVSATORES Danielis, iubente Dario rege Persarum, missi sunt in lacum leonum, & à leonibus deuorati. Daniel. 6. & 14.

Vir Dei, qui venit de Iuda, & nunciauit Ieroboamo successionem officiorum sacerdotum eius, occisus fuit à leone, eo quòd contra imperium Domini comederit panem in domo cuiusdam pseudoprophetæ. 3. Reg. 13.

HYAS Atlantis ex Æthra filius, dum venaretur, à leæna interfectus est. Ouid. lib. 5. Fastorum:

Dúmque petit latebras fœtæ, catulósque leænæ,
Ipse fuit Libycæ præda cruenta leæ,
Mater Hyan, & Hyan mœstæ fleuêre sorores,
Ceruicémque polo suppositurus Atlas.

PAPHAGES rex Ambraciæ, dum occurrisset leænæ catulis suis stipatę, ab eadem interfectus est. Ouid. in Ibin:

Fœta tibi occurrat patrio popularis in arue,
Sitque Paphageæ causa leæna necis.

SATYRVS & PERPETVA martyres, quum nullis tormētis, nullisq; comminationibus ab orthodoxę fidei cultu diuerti possent, leonibus deuoti sunt, & ab eis deuorati, Valeriani & Galeni temporibus, sub præside Tarnutio. Volat.

REVOCATVS & FOELICITAS martyres, à leopardis comesti sunt, imperātibus apud Romanos Valerio & Galieno, sub Tarnutio præside.

EVPHEMIA virgo Philophronis senatoris filia, sub proconsule Prisco vrsis & leonibus obiecta, ab eisdem interfecta est.

IGNATIVS Antiochenus, tertius post Petrum præsul, sub Traiano dānatus ad bestias, cùm in rem præsentem venisset, & rugientes leones audiuisset: Frumentum (ait) Christi nunc dentibus ferinis conterar, vt panis sincerus inueniar. Volat. lib. 16. Anthrop. ex Hieronymo.

A QVIBVSVIS ALIIS FERIS DILANIATI. BESTIIS obiecti. *Ad bestias damnati.*

Exempla aliquot eorum qui bestiis obiecti, ab iisdem illæsi abierunt, pete ex tit. Mansuetudinis belluarum erga homines. Vide etiam tit. Tolerantia martyrum.

PRISCVS, MALCVS, ALEXANDER, martyres apud Cæsaream Palestinæ, passi sunt sub Valeriani persecutione, & pro Christi nomine à bestiis deuorati.

SYLVANVS Tyri præsul, sub Diocletiano imperatore, amore Christianæ pietatis non grauatus est feris exponi.

BASILIVS Macedo Imperator, quum annis xx, imperasset, à ceruo in venatione percussus cornu, interiit.

FLOCELLVS martyr temporibus Antonij Imperatoris passus est apud Augustodunū, & iussu Valeriani præsidis feris expositus, à quibus deuoratus est.

GERMANICVS sub M. Antonino, & L. Aurelio Smyrnæ passus est, ac post infinita propè tormēta bestiis obiectus: à quibus fractim comminutus, vitam cum morte mutauit.

SATVRNINVS episcopus Tolosanus, dum acerrimè pro Christiana fide pugnaret, ferocis tauri cornibus alligatus, membris confractis, & illiso cerebro, Domino spiritum reddidit.

DIRCE mulier dolens maritum suum Lycum Antiopæ amore captū, ANTIOPAM ipsam tauri cornibus alligauit: ad cuius vociferationē propinus accesserūt Zethus & Amphion, eiusdem filij: qui ad vlciscēdam iniuriam matri factam, tauro indomito Dircem alligauerunt, eáque morte extinxerunt. Propertius lib. 3.

PYRENE puella, Bebrycis filia, in Pyrenæo monte ab Hercule compressa, atque à feris ibidem laniata est, & sepulta. A cuius nomine monti quoque impositum nomen.

MILO Crotoniates iam senex, cùm iter faciens in Italia quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, virium periculum facturus, accessit ad eam, insertísque manibus, diuellere conatus est. Quæ arbor excussis cuneis in suam naturam reuocata compressit, eúmque cū tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit. Val. Max. lib. 9. cap. 12. Pausanias apud Cælium à lupis deuoratum asserit.

CRATHIM legibus apud Sybarim pastorem fuisse, qui quum in libidinem esset procliuior, capellam omnium formosissimam deperire cœpit. Quàmque Veneris incendio acrius titillaretur, eam frequenter inibat, ac vti amicam gratè amplexabatur, non sine multa suauitate. Quinetiam munuscula ei offerebat, pabulum videlicet lætius amœniúsque. Molles quoque substernebat accubitus, quibus velut Nympha decumberet, & mollius quiesceret. Quòd contēplatus dux gregis hircus, œstro zelotypię agitatus, dormientem adortus est, eíque sinciput illisit. Hoc ex historiis Græcis adnotant Volat. & Cælius.

ARISTIDES Locrensis morsus à mustella Tartesia, moriens dixit: Multo sibi iucundiorem mortem futuram fuisse, si vel ex leonis, vel ex pardalis morsu obtigisset (quādoquidem necesse fuerit, aliquam mortis occasionem existere) quàm ab eiusmodi contempta bestiola. Ex quibus perspicuum est, eum acerbius ignominiæ morsus, quàm ipsam mortem tulisse. Æl. lib. 14. Var. hist.

HATTO archiepiscopus Moguntinus, à muribus in Rheno fluuio deuoratus fertur, non sine maxima diuinæ vindictæ suspicione, quòd multitudinem pauperum (quibus se eleemosynam daturum simulabat) tempore famis in horreo fecisset concremari. Rauis.

A PISCIBVS DEVORATI.

Vide sub tit. Eorum qui in aquis submersi perierunt.

VEDIVS Pollio Romanus tempore Augusti, quum piscinas magno studio ac diligentia coleret, seruos suos occidebat: eósque piscibus dabat in prædam, vt hominum cruore pasti delicatiores essent.

A MVRIBVS DEVORATI.

HATTO archiepiscopus Moguntinus, cum tempore famis magnam pauperum multitudinem spe eleemosinæ in horreo conclusisset, illic viuos cremari simul curauit. Tandem à muribus in Rheno deuoratus est. Rauis.

A SERPENTIBVS OCCISI.

LAOCOON Troianus, percussa in vterum fatali machina, pœnam luisse dicitur, duobus filiis à serpentibus occisis. Quibus dum præsidio esse vellet, eadem periit morte. Verg. libro 2.

EVRYDICE Orphei vxor Aristeū (à quo adamabatur) fugiens, morsu colubri in herba latentis interfecta est. Ouidius libro decimo. Metamorphoseos.

HESPERIE puella Aesacum, Priami filium (à quo adamabatur) fugiens, serpentis morsu periit. Ouidius libro vndecimo. Metamorpho.

Ecce latens herba coluber, fugientis adunco
Dente pedem strinxit, vulnúsque in corpore liquit.

ORION cùm se iactasset, nullum à terra mōstrum produci posse, quòd non conficeret: Terra ipsa peperit scorpionem, à quo interfectus est. Ouidius libro nono. Metam.

OPHELTES (qui alio nomine Archemorus dicitur) filius Lycurgi regis Nemeæ, dum negligenter ab Hipsiphyle nutrice custodiretur, serpētis morsu extinguitur. Ouid. in Ibin:

Quàm puer Hipsiphyles, quàm qui caua primus acuta
Cuspide suspecti robora fixit equi.

Statius lib. 2. Syluarum, & lib. 5. Thebaidis.

Xanthus historiarum autor, tradit apud Plinium libro 25. TILLONEM à dracone interfectum, ac demum herba (quam balim dicunt) restitutum saluti.

Sulpitius in Lucanum ait, CANOPVM gubernatorem nauis Menelai, aspidis morsu apud Canopum Ægypti vrbem esse interfectum.

AMPYCIDEM Politianus in Nutricia, ſcribit in Libya ſerpentis morſu occiſum, vbi ait:

Ampycidémque pium, Libycis quem ſtrauit arenis
Vipera, fatifero fauces accenſa veneno.

ORESTES furore liberatus, quum Thiſamenem filium imperio Mycenarum ſuffeciſſet, ſerpentis itidem morſu perijt. Ouid. in Ibin.

Seneca in Medea ſcribit, Idmona à ſerpente in Libya cæſum, ibíque ſepultum, vbi ait:

Idmonem (quamuis bene fata noſſet)
Conſcidit ſerpens Libycis arenis.

Ouidius tamen ſcribit, ab apro interfectum.

CLEOPATRA ab Auguſto ſuperata, mordendum aſpidi porrexit brachium, ne in triumphum duceretur. Propert. lib. 3.

Brachia ſpectaui ſacris admorſa colubris,
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

DEMETRIVS Phalereus, cùm Ptolemæo Soteri conſuleret, vt filijs quos ex Eurydice ſuſceperat regnum traderet: ille verò filio, quē ex Berenice genuerat, diadema tradidiſſet: ab eo ipſo poſt patris mortem carceri incluſus, donec aliquid de eo ſtatueret, aſpidem admiſit, & ab eo demorſus manum veluti dormitans obijt, ſepultus in Buſiritide regione prope Dioſpolin. Laert. lib. 5.

PESTILENTIÆ MEMORABILES.

De Peſtilentia hic loquimur in genere, hoc eſt de morbo epidemio, qui contagioſus eſt, & in multos ſimul eodem tempore graſſatur, qualiacunque ſymptomata habeat. Dicitur enim dyſenteria peſtilens, angina, colicus, ſudor, catarrhus peſtilens. Cauſas etiam nihil moramur, qualeſcunque fuerint, ex cœli influxu, aëris corruptione, terræmotu, fame, quod frequētius eſt, & à Græcis affinitate vocabulorū expreſſum, vt etiā Heſiodus inquit, de ferrei ſeculi hominibus loquēs: τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων λοιμὸν ὁμοῦ καὶ λιμόν, ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.

ROMÆ peſtis anno Vrbis 248. M. Val. Voleſo, P. Poſthumio Tuberto, Coſſ.

Item peſtis cum fame T. Geganio Macerino & P. Minutio Augurino Coſſ. anno vrbis 261. Grauiſſima verò anno vrbis 290. P. Seruilio Priſco, L. Æbutio Helua Coſſ. qui peſtilentia abſumpti ſunt. qua adducti Volſci & Æqui vrbem obſederunt.

Iterum fames & peſtis anno vrbis 300. P. Tergemino Curiatio & Sex. Quintilio Varo, qui peſtilentia extinctus eſt. Coſſ. Quo tēpore legati in Græcia pro Solonis legib. afferēdis aberant. Itē anno vrbis 317. M. Corn. Maluginenſi, & L. Papyrio Craſſo Coſſ. peſtis cū terræmotu. Rurſus anno 320. M. Fabio Vibulano, & M. Foſſio Flaccinatore Coſſ. peſtis cum fame.

Peſtis cum fame anno 341. Q. Fabio Ambuſto, & C. Furio Pacillo Coſſ. per duos annos.

Peſtis cum fame anno 361. L. Val. Potito & M. Manlio Capitolino Coſſ. quo tempore Æqui ſunt victi.

Peſtis anno 388. L. Genutio Auentinenſi, & Q. Seruilio Ahala Coſſ. Mortuus M. Fur. Camillus dictator. Inde cùm peſtis inualuiſſet, Cn. Mālius Capitolinus Imperioſus dictator creatus, figendi claui gratia, anno pòſt quàm M. Curtius in hiatum, cum equo deſilijt.

Anno 419. T. Veturio Caluino & Sp. Poſthumio Regillenſi Albano Coſſ. peſtilentia.

Anno 440. L. Papyrio Curſore V. & C. Iun. Bruto Bubulco II. Coſſ. peſtis. Cenſor Appius Claudius.

Anno 461. Q. Fab. Max. Gurgite, & D. Iun. Bruto Scæua Coſſ. peſtilentiæ cauſa Æſculapius Romam vectus.

Annos 477. Q. Fabio Gurgite II. & C. Genutio Clepſina Coſſ. peſtilētia.

Anno 566. M. Æmilio Lepido, & C. Flaminio nepote Coſſ. peſtilentia. Scipio Africanus Linternum exulatum abit.

Anno 572. P. Corn. Cethego & M. Bebio Pamphilo Coſſ. peſtilentia Ingauni Ligures victi, Corſica ſubacta.

AMILCO cùm nauali terreſtríque pugna aliquot ſecunda prælia in Sicilia feciſſet, repentè peſtilentia oppreſſum exercitum ferè totum amiſit. Trogus libro 19.

C. SVLPITIO Betico & C. Lycinio Stolone conſulibus, Romæ intoleranda vis peſtilentiæ orta eſt: que cum infinitos arripuiſſet, ludorum inſtituendorum occaſionem dedit. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Inſtit. Antiq.

Inter miranda illud commemorandum eſt, quod in Babylonis regione, in vrbe Seleucia contigit, imperante M. Antonino. In templo enim Apollinis, fracta capſula aurea, auiditate quorundam Auidij Caſſij militum, egreſſus eſt peſtilens ſpiritus, qui totam eam regionem peſte vaſtauit: viſque eius Romam vſque, atque in totum Occidentem ſe extendit. *Fulgotius libro 1. cap. 6.*

COMMODO Romanorum imperatore regnante, Romæ tanta fuit peſtis, vt vno die ſæpenumero ad 2000. hominum abſumerentur. Multi non ſolùm in vrbe, ſed etiam ferè ſub omni imperio Romano peribāt, cùm malefici homines res oblitas venenis quibuſdā, precio atque mercede adducti, in alios conijcerent, vt innumerabiles homines interirēt. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Commodi.

Sub Maximini imperio, qui Chriſtianos vehementer afflixit, poſt famem grauiſſimam, peſtis in ſingulas domos & ætates horrēda ſęuiit, eos præſertim abſumens, quos propter alimentorum copiam fames abſumere nequibat. Opulenti igitur, & principes, ac præſides, aliíque infiniti, qui magiſtratibus fungebantur, hoc mortis genere miſerandum in modum interibant. Erántque omnia vbique luctu, planctibus & ploratibus plena. Et ad hunc modū duplici veluti armatura mors belligerans, fame ſcilicet ac peſte, totas familias breui tempore abſumpſit. Quæ ſcilicet præmia erant iactantiæ Maximini, & edictorum quæ per ciuitates contra Chriſtianos publicauerat. Euſeb. lib. 9. cap. 8.

CONSTANTINO imperante, circa annum Chriſti 654. peſtilentia grauiſſima tribus æſtiuis menſibus graſſata eſt. Cunctis viſibiliter apparebant bonus & malus angelus noctu ciuitatem circuire: & quoties iuſſu boni angeli malus angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, oſtium cuiuſque domus percuſſiſſet, tot ex eadem domo ſequenti die interibant. Sigebertus in Chronicis.

Bella inteſtina inter Francorum reges ſub Chilperico, ſæuiſſima lues dyſenterica comitata eſt, quę totas ferè Gallias occupauit: Gregorio Turonenſe teſte libro 4. cap. 33. Quo morbi genere perijt Auſtrigildis, impia Gūtranni regis vxor: quæ etiam in ipſo mortis agone non manibus quidem ſed voluntate & teſtamento homicidia patrauit. Perijt eodem contagio Nantinus comes, cuius interitus terrori omnibus miniſterij Eccleſiaſtici hoſtibus & perſecutoribus meritò eſſe debet.

Sub Pelagio ſecundo pontif. ex frequentibus pluuiis tanta inundatio Romæ facta eſt, vt vrbis muros tranſcenderet, & magnam beſtiarū multitudinem, maximè ſerpentium, cum terribili dracone, ſecum traheret. Secuta eſt peſtis, ex qua Pelagius obiit anno Chriſti 590. Platina.

LEONIS Iſaurici tertij Imp. Rom. temporibus, cùm illi qui Aſiam incolebant, Zulemone Admirato Thraciam, inde Cōſtantinopolim triennali obſidione claſſe ingenti cinxiſſent, tandem fame, peſtéque diſcedere coacti ſunt. Quo etiam tempore apud omnes conſtat, è Conſtantinopolitanis ad ccc. millia peſte periiſſe. Volat. lib. 23. Anthrop.

ANNO ab incarnatione Saluatoris noſtri 1006. tanta peſtis graſſata eſt per totum penè orbem, vt ſepelientium tædio, viui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Sigebertus in Chron.

ERAT virginei partus annus milleſimus trecenteſimus quadrageſimus ſecundus, quum Venetiis in Bartholomæi Gradonici locum ſubrogatus eſt Andreas Dandulus: idque præter conſtantem ciuitatis morem, iuuenis admodum natus videlicet annum xxx. id quod tamen & ciuis probitatem, & virtutis cuiuſdam admirandæ indolem in eo principe facilè arguat. Fuit enim & literis ſuprà penè quàm tempora illa ferrēt, ornatiſſimus: & vitæ colore omni adeò florens, vt omnia eius dicta factáque reuocari ad optima vitæ exempla poſſint. Hic igitur dux facilè demonſtrat, quanta ſit neceſſitatis interdum vis, cui nulla virtus nulláque bonitas queat obſiſtere. Quippe qui primùm in vrbe ſenſerit grauiſſimū terræmotum, quo vno tantum cōcuſſa eſt vrbs ipſa, vt ex omni parte ferè corruerit: ſacrarum certè ædium turres interdum inter ſe diſtantes teſtimonium dixerint. Primùm enim diui Syluestri magno interuallo à fundamentis corruit: necnon diuorum Vitalis & Iacobi, qui ad Luprium eſſe dicatur, faſtigium dimiſere, & ad Angeli phanum terribili ſpecie acclinauit, Baſilij læuum templi latus à culmine corruit: id quod non ſine admiratione in hodiernum vſque diem ſpectes. Acceſſit ad hoc malum tam graue, & fames ipſa longè grauiſſima: nec poſtea defuit peſtilentia, quę ſortita initium ab extremo Septentrione, graſſatáque per vniuerſum orbem, cum magna terrarum vaſtatione, non multo pòſt Venetias ipſas quoque irrepſit, vt à principio vis morbi ſit cognita, mutuo ſe amore inuiſentibus ſe inuicem, opémque ferētibus, prout vſus exigeret. Verùm paulatim inualeſcente, ſic deſæuiit malum, vt vix centeſimus euaſerit. Quæ cauſa effecit, vt lata lege promulgatum ſit, vt quicunque Venetias per id tempus migraret, biēniúmque perſeueraret, ciuis Venetus haberetur. Quinetiam dux ipſe non multo pòſt obiit, anno duodecimo peracto: & ne quod malum deeſſet, Marinum Faletrum tyrannidis affectatorem, ſucceſſorem habuit. Egnatius lib. 7. cap. 6.

FLORENTIÆ anno à virginis partu M. cccc. peſtis triginta hominum millia abſumpſit.

LVDOVICO vndecimo Francorum rege imperante, Pariſios adorta peſtis, anno videlicet ſalutis M. CCCCLXVI. ad hominum quadraginta milia occidiſſe dicitur. Ritius Neapolitanus libro tertio Francorum regum.

PESTE MORTVI.

CHII cùm centum iuuenes Delphos miſiſſent, ſacrorum cauſa, duo tantùm redierunt, cæteris peſtilentia abſumptis. Omen hoc fuit proculdubiò eius cladis, quàm à Perſis in pugna nauali ad Miletum acceperunt. Herodotus lib. 6.

FVRIVS Camillus poſt res præclarè geſtas, Romæ peſte obiit. Plutarchus in eius vita.

ROMANÆ mulieres, cùm ſub Tarquinio Superbo propter annonæ caritatem grauidæ cogerentur veſci bubulis carnibus, & propterea peſtilentia

peſtilentia vrbem inuaſiſſet, Taurij ludi diis inferis inſtituti fuēre. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19.

M. ÆLIVS Aurelius Antoninus deceſſit ex peſtilentia, ſexta quàm ægrotaſſet die. Volat. lib. 23. Anthrop.

OPPIANVS poëta (qui de Piſcibus ſcripſit) Roma in Ciliciam patriam reuerſus, ibidem ingruēte peſtilentia ſuffocatus eſt, anno ætatis 30. Vide tit. Poëtarum.

HOSTILIANVS Perpenna paulò poſt aſſumptum imperium, eodē periit fato. Sex. Aurel.

CONSTANTINVS Monomachus Romanorum Imperator, vnà cum coniuge Zoë peſtilentia ferè eodem tempore interierunt. Volat. libro 13 Anthrop.

Volaterranus ait, beatum LVDOVICVM Gallorum regem à ſecunda expeditione in Saracenos redeuntem, peſtilentia paſſim caſtra occupante, vnà cum Ioanne filio periiſſe.

HERMOLAVS Barbarus, eodem modo Romæ expirauit. Crin. li. 1.

DOMITIVS Calderinus patria Veronenſis, vir ingenio clariſſimus, cùm annos 30. natus eſſet, ſecretarius Apoſtolicus factus, peſtilētia obiit. Volat. lib. 21. Anthrop.

ALPHONSVS XI. Hiſpaniæ rex, rerum potitus annis circiter quadraginta, peſtis contagiōe corruptus, obiit in obſidione caſtri de Gibenar, eo die Veneris quo Dominicæ paſſionis memoriam recolimus. Ritius Neapolitan. lib. 3 Regum Hiſpan.

Grauiſſima fuit peſtilentia illa, quæ noſtris temporibus anno Chriſti 1564. GERMANIAM primùm, deinde etiam GALLIAM peruagata eſt. Baſileæ certè nulla domus fuit quam non lues iſta corripuerit. Inter cætera damna, maximum profectò vulnus Academia accepit morte clariſſimi Theologi MARTINI BORRAI Stutgardienſis, qui quarto die poſtquam contagio iſto infectus fuerat, placidiſſimè expirauit, V. Id. Octobr. ætatis ſuæ 64, cùm paucis antè diebus Commentarios in Prouerbia Salomonis abſoluiſſet: minores quoque Prophetas ſcriptis ſuis illuſtraturus, niſi morte præuentus fuiſſet.

FEBRE MORTVI.

PETRONILLA, Petri apoſtoli filia, virgo Romæ febre diſceſſit. Petrus autem cur non ſuccurreret, ſicuti aliis, interrogatus: Hoc ei præſtare reſpondit. Volat. lib 18. Anthrop.

ANTIPATER Sidonius poëta inſignis, omnibus annis vno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cúmq; ad vltimam ætatē peruenisset, natali ſuo certo illo circuitu morbi conſumptus eſt. Plin. lib. 7. cap. 51. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

TITVS Veſpaſianus in agro Sabino, febre interiit.

SERENA Diocletiani vxor, dolore martyrum à marito interfectorum in febrem incidit, qua extincta eſt.

ANTONINVS Pius duodecim milibus paſſuum ab vrbe, apud Loricos in villa ſua febri mortuus eſt. Aurelius.

TACITVS Imp. apud Tarſum febri abſumptus eſt. Sex. Aurelius.

LEO Conſtantini Copronymi filius, Imperator, cùm inſaniret cupiditate circa precioſos lapides, magnam Eccleſiæ coronā vi accipiens, portauit eam: & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à febre mortuus eſt. Sig. in Chron.

GOTFREDVS primus rex Hieroſolymæ, anno poſt vrbem captā febre extinctus eſt.

ALPHONSVS Siciliæ rex, ætate ingraueſcente febre correptus anno Salutis 1458. menſe Iunio, in arce Lucullana, quam vulgo vocant Oui, cùm Neapoli regnaſſet annis XVII, viuis exceſſit. Ritius Neapolitanus lib. 4 de Reg. Siciliæ.

APOPLEXIA MORTVI.

M. LIVIVS Druſus, cùm ex gratia in inuidiam veniſſet, & anxius quoque, vt Latinorum poſtulata differret, qui promiſſam ciuitatem flagitabant, repentè in publico concidit, ſiue apoplecticus, ſiue hauſto ſanguine caprino, ſemianimis domum relatus. Volat. lib. 16. Vrban. Com.

L. VERVS Antoninus Impe. in bellum contra Marcomannos profectus, apud Alpes ſpectans vrbicans voluptates, ſtatuit Romam repetere. Sed in itinere apoplexia correptus, Altinum diuertēs, triduò mutus fuit, móxque periit, anno imperij XI. Capitolinus & Herod.

VALENTINIANVS Imp. contra Sarmatas, qui Pannoniam occupauerant, profectus, voce aliquandiu amiſſa, apoplexia mortuus eſt. Paulus Diaconus.

ATTILA rex Hunnorum, in nuptiis ſuis crapulæ nimium indulgens, erumpente per apoplexiam ſanguine de naribus, in lecto ſuffocatus eſt. Sigebertus in Chron.

FR. Petrarcha in agro Patauino apoplecticus mortuus eſt. Rauiſ.

PAVLVS II. pont. max. dum poſt cœnā cùm architecto Ariſtotele, de traducendo Vaticani obeliſco in plateam baſilicæ Petri ſermonem haberet, repentè ex apoplexia interiit, anno Salutis M. CCCCLXXI. Volat. lib. 22. Anthrop.

CAROLVS octauus, vel iuxta alios nonus Francorum rex, Aprilis nocte ſeptima, quam celeberrimus Chriſtianis dies Palmarum ſequitur, apoplexia periit. Ritius Neapolitanus lib. 3. Francorum regum.

HIER Fracaſtorius Veronenſis philoſophus, medicus & poëta clariſſimus, ſeptuagenario maior, 8. Idus Auguſt. anno Chriſti 1553. dum prandere, apoplexia correptus eſt. Poſt multas autem herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis vſu, manu ſæpius in verticem exporrecta, iis qui aderant innuere voluit, vt celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro ſuccurrerent: quo remedio ille ſe Veſtalem quandam curaſſe adhuc meminerat. Sed re ab aſtantibus nequaquam intellecta, leniter ſub noctem expirauit.

CONRADVS Lycoſthenes Rubeaquenſis, vir de communibus ſtudiis, cùm aliàs, tū eò pręcipuè, quòd Theatri huius fundamenta iecit, prę clarè meritus, cùm ſeptem annis antè dextro latere reſolutus ſcribendi facultatem ferè amiſiſſet, linguæ tamen pedúmque vſu recepto, tandem anno Chriſti 1561, VIII. Ca. Ap. apoplexia grauiſſima correptus, horę ſpacio vitā cum morte expectatiſſima clariſſimus vir commutauit, ætatis ſuę anno 43.

EPILEPSIA MORTVI.

IO. MATTHÆI de Gradis, medici clariſſimi filius, infans adhuc, repentino tubarum clangore territus, in comitialem incidit, & decimo die obiit. Teſtatur pater in Com. X. ad Almanſorem, in cap. de Phrenitide.

PARALYSI MORTVI.

Percuſſus fuit ALCIMVS proditor, & diſſolutus eſt paralyſi, nec vltra potuit loqui & mandare de domo ſua: ſed mortuus eſt cum tormēto magno. 1. Mach. 9.

LACIDES Cyrenæus, nouæ Academiæ princeps, Archeſilai auditor, à puero maximè ſtudioſus, tenuit ludum annis XXVI. Exceſſit ex paralyſi. Olymp. C. XXXIIII. Suidas.

ASTHMATE MORTVI.

IO. Caluinus Geneuenſis eccleſiæ paſtor, anno Chriſti 1564, menſe Maio, ætatis ſuæ ferè 65, ex diuturna quartana aſthmaticus obiit.

PLEVRITIDE, SIVE LATERALI MORBO EXTINCTI.

L. CRASSVS, cùm eſſet quæſtor, & in ſenatu multum contra Philippum conſ. eſſet inuectus, negaſſétque illum ſibi videri conſulem, cuius nō eſſet ipſe ſenator, laterum dolore obiit. Cic. lib. 3. de Orat. & Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

CAROLVS Magnus Aquiſgrani (vbi templum Sancti Martini extruxerat) deceſſit pleureſi, iam ſeptuagenarius, anno Chriſti 814. V. Calend. Februarij.

BONIFACIVS nonus, anno XIIII, & menſe IX ſui pontificatus, eodem periit fato. Rauiſ.

PAVLINVS Nolanus epiſcopus, vir doctiſſimus & ſanctiſſimus, Diui Ambroſij diſcipulus, pleuritide obiit. Vide titulum Doctorum Eccleſiaſticorum.

STOMACHI VITIIS MORTVI.

Conſule tit. Vomitu mortui.

A. PERSIVS ſatyricus, vigeſimo nono ætatis anno periit, ex ſtomachi vitio. Euſebius teſtis.

AMPYCIDEM Politianus in Nutricia, scribit in Libya serpentis morsu occisum, vbi ait:

Ampycidémque pium, Libycis quem strauit arenis
Vipera, satifero fauces accensa veneno.

ORESTES furore liberatus, quum Thisamenem filium imperio Mycenarum suffecisset, serpentis itidem morsu perijt. Ouid. in Ibin.

Seneca in Medea scribit, Idmona à serpente in Libya cæsum, ibíque sepultum, vbi ait:

Idmonem (quamuis bene fata nosset)
Conscidit serpens Libycis arenis.

Ouidius tamen scribit, ab apro interfectum.

CLEOPATRA ab Augusto superata, mordendum aspidi porrexit brachium, ne in triumphum duceretur. Propert. lib. 3.

Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.

DEMETRIVS Phalereus, cùm Ptolemæo Soteri consuleret, vt filijs quos ex Eurydice susceperat regnum traderet: ille verò filio, quẽ ex Berenice genuerat, diadema tradidisset: ab eo ipso post patris mortem carceri inclusus, donec aliquid de eo statueret, aspidem admisit, & ab eo demorsus manum veluti dormitans obijt, sepultus in Busiritide regione prope Diospolin. Laert. lib. 5.

PESTILENTIÆ MEMORABILES.

De Pestilentia hic loquimur in genere, hoc est de morbo epidemio, qui contagiosus est, & in multos simul eodem tempore grassatur, qualiacũque symptomata habeat. Dicitur enim dysenteria pestilens, angina, colicus, sudor, catarrhus pestilens. Causas etiam nihil moramur, qualescunque fuerint, ex cœli influxu, aeris corruptione, terræmotu, fame, quod frequẽtius est, & à Græcis affinitate vocabulorũ expressum, vt etiã Hesiodus inquit, de ferrei seculi hominibus loquẽs: τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα κρονίων λοιμὸν ὁμοῦ καὶ λιμόν, ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.

ROMÆ pestis anno Vrbis 248. M. Val. Voleso, P. Posthumio Tuberto, Coss.

Item pestis cum fame T. Geganio Macerino & P. Minutio Augurino Coss. anno vrbis 261. Grauissima verò anno vrbis 290. P. Seruilio Prisco, L. Æbutio Helua Coss. qui pestilentia absumpti sunt. qua adducti Volsci & Æqui vrbem obsederunt.

Iterum fames & pestis anno vrbis 300. P. Tergemino Curiatio & Sex. Quintilio Varo, qui pestilentia extinctus est. Coss. Quo tẽpore legati in Græcia pro Solonis legib. afferẽdis aberant. Itẽ anno vrbis 317. M. Corn. Maluginensi, & L. Papyrio Crasso Coss. pestis cũ terræmotu. Rursus anno 320. M. Fabio Vibulano, & M. Fossio Flaccinatore Coss. pestis cum fame.

Pestis cum fame anno 341. Q. Fabio Ambusto, & C. Furio Pacillo Coss. per duos annos.

Pestis cum fame anno 361. L. Val. Potito & M. Manlio Capitolino Coss. quo tempore Æqui sunt victi.

Pestis anno 388. L. Genutio Auentinensi, & Q. Seruilio Ahala Coss. Mortuus M. Fur. Camillus dictator. Inde cùm pestis inualuisset, Cn. Mãlius Capitolinus Imperiosus dictator creatus, figendi claui gratia, anno pòst quàm M. Curtius in hiatum, cum equo desilijt.

Anno 419. T. Veturio Caluino & Sp. Posthumio Regillensi Albano Coss. pestilentia.

Anno 440. L. Papyrio Cursore V. & C. Iun. Bruto Bubulco II. Coss. pestis. Censor Appius Claudius.

Anno 461. Q. Fab. Max. Gurgite, & D. Iun. Bruto Scæua Coss. pestilentiæ causa Æsculapius Romam vectus.

Annos 477. Q. Fabio Gurgite II. & C. Genutio Clepsina Coss. pestilẽtia.

Anno 566. M. Æmilio Lepido, & C. Flaminio nepote Coss. pestilentia. Scipio Africanus Linternum exulatum abit.

Anno 572. P. Corn. Cethego & M. Bebio Pamphilo Coss. pestilentia Ingauni Ligures victi, Corsica subacta.

AMILCO cùm nauali terrestrique pugna aliquot secunda prælia in Sicilia fecisset, repentè pestilentia oppressum exercitum ferè totum amisit. Trogus libro 19.

C. SVLPITIO Bætico & C. Lycinio Stolone consulibus, Romæ intoleranda vis pestilentiæ orta est: quę cum infinitos arripuisset, ludorum instituendorum occasionem dedit. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Instit. Antiq.

Inter miranda illud commemorandum est, quod in Babylonis regione, in vrbe Seleucia contigit, imperante M. Antonino. In templo enim Apollinis, fracta capsula aurea, auiditate quorundam Auidij Cassij militum, egressus est pestilens spiritus, qui totam eam regionem peste vastauit: vsque eius Romam vsque, atque in totum Occidentem se extendit. Fulgosius libro 1. cap. 6.

COMMODO Romanorum imperatore regnante, Romæ tanta fuit pestis, vt vno die sæpenumero ad 2000. hominum absumerentur. Multi non solùm in vrbe, sed etiam ferè sub omni imperio Romano peribãt, cùm malefici homines res oblitas venenis quibusdã, precio atque mercede adducti, in alios conijcerent, vt innumerabiles homines interirẽt. Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Commodi.

Sub Maximini imperio, qui Christianos vehementer afflixit, post famem grauissimam, pestis in singulas domos & ætates horrẽda sequit, eos præsertim absumens, quos propter alimentorum copiam fames absumere nequibat. Opulenti igitur, & principes, ac præsides, aliíque infiniti, qui magistratibus fungebantur, hoc mortis genere miserandum in modum interibant. Erántque omnia vbique luctu, planctibus & ploratibus plena. Et ad hunc modũ duplici veluti armatura mors belligerans, fame scilicet ac peste, totas familias breui tempore absumpsit. Quæ scilicet præmia erant iactantiæ Maximini, & edictorum quæ per ciuitates contra Christianos publicauerat. Euseb. lib. 9. cap. 8.

CONSTANTINO imperante, circa annum Christi 654. pestilentia grauissima tribus æstiuis mensibus grassata est. Cunctis visibiliter apparebant bonus & malus angelus noctu ciuitatem circuire: & quoties iussu boni angeli malus angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, ostium cuiusque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Sigebertus in Chronicis.

Bella intestina inter Francorum reges sub Chilperico, sæuissima lues dysenterica comitata est, quę totas ferè Gallias occupauit: Gregorio Turonense teste libro 4. cap. 33. Quo morbi genere perijt Austrigildis, impia Gũtranni regis vxor: quæ etiam in ipso mortis agone non manibus quidem sed voluntate & testamento homicidia patrauit. Perijt eodem contagio Nantinus comes, cuius interitus terrori omnibus ministerij Ecclesiastici hostibus & persecutoribus meritò esse debet.

Sub Pelagio secundo pontif. ex frequentibus pluuiis tanta inundatio Romæ facta est, vt vrbis muros transcenderet, & magnam bestiarũ multitudinem, maximè serpentium, cum terribili dracone, secum traheret. Secuta est pestis, ex qua Pelagius obiit anno Christi 590. Platina.

LEONIS Isaurici tertij Imp. Rom. temporibus, cùm illi qui Asiam incolebant, Zulemone Admirato Thraciam, inde Cõstantinopolim triennali obsidione classe ingenti cinxissent, tandem fame, pestéque discedere coacti sunt. Quo etiam tempore apud omnes constat, è Constantinopolitanis ad ccc. millia peste perisse. Volat. lib. 23. Anthrop.

ANNO ab incarnatione Saluatoris nostri 1006. tanta pestis grassata est per totum penè orbem, vt sepelientium tædio, viui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Sigebertus in Chron.

ERAT virginei partus annus millesimus trecentesimus quadragesimus secundus, quum Venetiis in Bartholomæi Gradonici locum subrogatus est Andreas Dandulus: idque præter constantem ciuitatis morem, iuuenis admodum natus videlicet annum xxx. id quod tamen & ciuis probitatem, & virtutis cuiusdam admirandæ indolem in eo principe facilè arguat. Fuit enim & literis suprà penè quàm tempora illa ferrẽt, ornatissimus: & vitæ colore omni adeò florens, vt omnia eius dicta factáque reuocari ad optima vitæ exempla possint. Hic igitur dux facilè demonstrat, quanta sit necessitatis interdum vis, cui nulla virtus nulláque bonitas queat obsistere. Quippe qui primùm in vrbe senserit grauissimũ terræmotum. quo vno tantum cõcussa est vrbs ipsa, vt ex omni parte ferè corruerit: sacrarum certè ædium turres interdum inter se distantes testimonium dixerint. Primùm enim diui Syluestri magno interuallo à fundamentis corruit: necnon diuorum Vitalis & Iacobi, qui ad Luprium esse dicatur, fastigium dimisere, & ad Angeli phanum terribili specie acclinauit, Basilij læuum templi latus à culmine corruit: id quod non sine admiratione in hodiernum vsque diem spectes. Accessit ad hoc malum tam graue, & fames ipsa longè grauissima: nec postea defuit pestilentia, quę sortita initium ab extremo Septentrione, grassatáque per vniuersum orbem, cum magna terrarum vastatione, non multo pòst Venetias ipsas quoque irrepsit, vt à principio vis morbi sit cognita, mutuo se amore inuisentibus se inuicem, opémque ferẽtibus, prout vsus exigeret. Verùm paulatim inualescente, sic delæuiit malum, vt vix centesimus euaserit. Quæ causa effecit, vt lata lege promulgatum sit, vt quicunque Venetias per id tempus migraret, biẽniũmque perseueraret, ciuis Venetus haberetur. Quinetiam dux ipse non multo pòst obiit, anno duodecimo peracto: & ne quod malum deesset, Marinum Faletrum tyrannidis affectatorem, successorem habuit. Egnatius lib. 7. cap. 6.

FLORENTIÆ anno à virginis partu M. cccc. pestis triginta hominum millia absumpsit.

LVDOVICO vndecimo Francorum rege imperante, Parisios adorta pestis, anno videlicet salutis M. CCCCLXVI. ad hominum quadraginta milia occidisse dicitur. Ritius Neapolitanus libro tertio Francorum regum.

PESTE MORTVI.

CHII cùm centum iuuenes Delphos misissent, sacrorum causa, duo tantùm redierunt, cæteris pestilentia absumptis. Omen hoc fuit proculdubiò eius cladis, quàm à Persis in pugna nauali ad Miletum acceperunt. Herodotus lib. 6.

FVRIVS Camillus post res præclarè gestas, Romæ peste obiit. Plutarchus in eius vita.

ROMANÆ mulieres, cùm sub Tarquinio Superbo propter annonæ caritatem grauidæ cogerentur vesci bubulis carnibus, & propterea pestilentia

pestilentia vrbem inuasisset, Taurij ludi diis inferis instituti fuêre. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19.

M. ÆLIVS Aurelius Antoninus decessit ex pestilentia, sexta quàm ægrotasset die. Volat. lib. 23. Anthrop.

OPPIANVS poëta (qui de Piscibus scripsit) Roma in Ciliciam patriam reuersus, ibidem ingruẽte pestilentia suffocatus est, anno ætatis 30. Vide tit. Poëtarum.

HOSTILIANVS Perpenna paulò post assumptum imperium, eodẽ periit fato. Sex. Aurel.

CONSTANTINVS Monomachus Romanorum Imperator, vnà cum coniuge Zoë pestilentia ferè eodem tempore interierunt. Volat. libro 13 Anthrop.

Volaterranus ait, beatum LVDOVICVM Gallorum regem à secunda expeditione in Saracenos redeuntem, pestilentia passim castra occupante, vnà cum Ioanne filio periisse.

HERMOLAVS Barbarus, eodem modo Romæ expirauit. Crin. li. 1.

DOMITIVS Calderinus patria Veronensis, vir ingenio clarissimus, cùm annos 30. natus esset, secretarius Apostolicus factus, pestilẽtia obiit. Volat. lib. 21. Anthrop.

ALPHONSVS XI. Hispaniæ rex, rerum potitus annis circiter quadraginta, pestis contagiõe corruptus, obiit in obsidione castri de Gibenar, eo die Veneris quo Dominicæ passionis memoriam recolimus. Ritius Neapolitan. lib. 3 Regum Hispan.

Grauissima fuit pestilentia illa, quæ nostris temporibus anno Christi 1564, GERMANIAM primùm, deinde etiam GALLIAM peruagata est. Basileæ certè nulla domus fuit quam non lues ista corripuerit. Inter cætera damna, maximum profectò vulnus Academia accepit morte clarissimi Theologi MARTINI BORRAI Stutgardiensis, qui quarto die postquam contagio isto infectus fuerat, placidissimè expirauit, V. Id. Octobr. ætatis suæ 64, cùm paucis antè diebus Commentarios in Prouerbia Salomonis absoluisset: minores quoque Prophetas scriptis suis illustraturus, nisi morte præuentus fuisset.

FEBRE MORTVI.

PETRONILLA, Petri apostoli filia, virgo Romæ febre discessit. Petrus autem cur non succurreret, sicuti aliis, interrogatus: Hoc ei præstare respondit. Volat. lib 18. Anthrop.

ANTIPATER Sidonius poëta insignis, omnibus annis vno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cúmque ad vltimam ætatẽ peruenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est. Plin. lib. 7. cap. 51. Val. Max. lib. 1. cap. 8.

TITVS Vespasianus in agro Sabino, febre interiit.

SERENA Diocletiani vxor, dolore martyrum à marito interfectorum in febrem incidit, qua extincta est.

ANTONINVS Pius duodecim milibus passuum ab vrbe, apud Loricos in villa sua febri mortuus est. Aurelius.

TACITVS Imp. apud Tarsum febri absumptus est. Sex. Aurelius.

LEO Constantini Copronymi filius, Imperator, cùm insaniret cupiditate circa preciosos lapides, magnam Ecclesiæ coronã vi accipiens, portauit eam: & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à febre mortuus est. Sig. in Chron.

GOTFREDVS primus rex Hierosolymæ, anno post vrbem captã febre extinctus est.

ALPHONSVS Siciliæ rex, ætate ingrauescente febre correptus anno Salutis 1458, mense Iunio, in arce Lucullana, quam vulgo vocant Oui, cùm Neapoli regnasset annis XVII, viuis excessit. Ritius Neapolitanus lib. 4 de Reg. Siciliæ.

APOPLEXIA MORTVI.

M. LIVIVS Drusus, cùm ex gratia in inuidiam venisset, & anxius quoque, vt Latinorum postulata differret, qui promissam ciuitatem flagitabant, repentè in publico concidit, siue apoplecticus, siue hausto sanguine caprino, semianimis domum relatus. Volat. lib. 16. Vrban. Com.

L. VERVS Antoninus Impe. in bellum contra Marcomannos profectus, apud Alpes spectans vrbicans voluptates, statuit Romam repetere. Sed in itinere apoplexia correptus, Altinum diuertẽs, triduò mutus fuit, móxque periit, anno imperij XI. Capitolinus & Herod.

VALENTINIANVS Imp. contra Sarmatas, qui Pannoniam occupauerant, profectus, voce aliquandiu amissa, apoplexia mortuus est. Paulus Diaconus.

ATTILA rex Hunnorum, in nuptiis suis crapulæ nimium indulgens, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus, in lecto suffocatus est. Sigebertus in Chron.

Fr. Petrarcha in agro Patauino apoplecticus mortuus est. Rauis.

PAVLVS II. pont. max. dum post cœnã cùm architecto Aristotele, de traducendo Vaticani obelisco in plateam basilicæ Petri sermonem haberet, repentè ex apoplexia interiit, anno Salutis M. CCCC. XXI. Volat. lib. 22. Anthrop.

CAROLVS octauus, vel iuxta alios nonus Francorum rex, Aprilis nocte septima, quam celeberrimus Christianis dies Palmarum sequitur, apoplexia periit. Ritius Neapolitanus lib. 3. Francorum regum.

HIER. Fracastorius Veronensis philosophus, medicus & poëta clarissimus, septuagenario maior, 8. Idus August. anno Christi 1553 dum pranderet, apoplexia correptus est. Post multas autem herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amisso penitus sermonis vsu, manu sæpius in verticem exporrecta, iis qui aderant innuere voluit, vt celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro succurrerent: quo remedio ille se Vestalem quandam curasse adhuc meminerat. Sed re ab astantibus nequaquam intellecta, leniter sub noctem expirauit.

CONRADVS Lycosthenes Rubeaquensis, vir de communibus studiis, cùm aliás, tũ eò pręcipuè, quòd Theatri huius fundamenta iecit, pręclarè meritus, cùm septem annis antè dextro latere resolutus scribendi facultatem ferè amisisset, linguæ tamen pedúmque vsu recepto, tandem anno Christi 1561, VIII. Ca. Ap. apoplexia grauissima correptus, horę spacio vitã cum morte expectatissima clarissimus vir commutauit, ætatis suę anno 43.

EPILEPSIA MORTVI.

IO. MATTHÆI de Gradis, medici clarissimi filius, infans adhuc, repentino tubarum clangore territus, in comitialem incidit, & decimo die obiit. Testatur pater in Com. X. ad Almansorem, in cap. de Phrenitide.

PARALYSI MORTVI.

Percussus fuit ALCIMVS proditor, & dissolutus est paralysi, nec vltra potuit loqui & mandare de domo sua: sed mortuus est cum tormẽto magno. 1. Mach. 9.

LACIDES Cyrenæus, nouæ Academiæ princeps, Archesilai auditor, à puero maximè studiosus, tenuit ludum annis XXVI. Excessit ex paralysi. Olymp. C. XXXIIII. Suidas.

ASTHMATE MORTVI.

IO. Caluinus Geneuensis ecclesiæ pastor, anno Christi 1564, mense Maio, ætatis suæ ferè 65, ex diuturna quartana asthmaticus obiit.

PLEVRITIDE, SIVE LATERALI MORBO EXTINCTI.

L. CRASSVS, cùm esset quæstor, & in senatu multum contra Philippum cons. esset inuectus, negassétque illum sibi videri consulem, cuius nõ esset ipse senator, laterum dolore obiit. Cic. lib. 3. de Orat. & Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

CAROLVS Magnus Aquisgrani (vbi templum Sancti Martini extruxerat) decessit pleuresi, iam septuagenarius, anno Christi 814. V. Calend. Februarij.

BONIFACIVS nonus, anno XIIII, & mense IX sui pontificatus, eodem periit fato. Rauis.

PAVLINVS Nolanus episcopus, vir doctissimus & sanctissimus, Diui Ambrosij discipulus, pleuritide obiit. Vide titulum Doctorum Ecclesiasticorum.

STOMACHI VITIIS MORTVI.

Consule tit. Vomitu mortui.

A. PERSIVS satyricus, vigesimo nono ætatis anno periit, ex stomachi vitio. Eusebius testis.

SEB. Castalio Allobrox, linguarum cognitione, & Bibliorum puriore interpretatione clarissimus, scholæque Basiliensis ob eruditionem vitæque sanctimoniam decus eximium, anno Christi M. D LXIII. atrophia correptus, quam assiduis studiis, curis & vigilijs, addo etiam vini abstinentia contraxerat, grauissimos stomachi dolores (quos potu lactis intempestiuo magis exacerbauerat) cum lenta febre perpessus, tandem 4. Cal. Ian. ad Dominum migrauit: vt cui pro viribus placere in tota vita studuerat, ab eodem quoque digna laborum suorum præmia acciperet.

HYDROPE EXTINCTI.

ARISTARCHVS grammaticus Alexandrinus, homo doctissimus, quum hydropisi laboraret, seipsum cibi abstinentia interfecit, annos natus LXXII. Hic ille est Aristarchus, qui sub Ptolemæo Philomerore floruit, Olympiade CLVI. cuius & filium erudijt. Scripsit commentarios supra mille. Discipulus fuit Aristophanis grammatici. Fuit autem censura adeò critica, seueróque iudicio, vt prouerbio locum penè fecerit. Eos enim vocamus Aristarchos, qui nihil non examinant, & omnia diligenter expendunt. Duos habuit filios, Aristarchum & Aristagoram degeneres, & patri omnino dissimiles. Rauis.

CRANTOR Solensis, Xenocratis auditor, qui commentarios poematáque varia scripsit, & inter cæteros Homerum Euripidémque semper admiratus est, intercutis morbo interijt. Laert. in eius vita.

HERACLIVS Romanorũ Imperator, qui Cosroen Persarum regem cum quatuor ducibus bellicosissimis profligauit, cùm imperasset triginta duos annos, intercutis morbo interijt. Volat. lib. 23. folio 246.

MICHAEL Paphlagon eo morbo laborans, Michaelem Calopharem hæredem instituit.

HERACLITVS Ephesius philosophus, intercute laborans, cùm bubulo stercore oblitus se soli exposuisset, à canibus laceratus est. Triumphum de clarissimo philosopho canes hydropi cripuerunt.

BENIAMIN monachus in Scethi, miraculis clarus, hydropicus in tantum intumuit, vt in vasta sella tantùm sederet, & mortuus non nisi distruptis postibus extra cellam efferri posset. Sozom. libro sexto, cap. vigesimonono.

VESICÆ AFFECTIBVS MORTVI.

ARISTONYMVS, poeta comicus, Ptolemæi Philadelphi tempore, annos natus 77. obijt è stranguria. Athenæus in Dipnosophist.

GREGORIVS vndecimus pontifex maximus, dum annis octo sedisset, intolerabili vesicæ morbo ac dolore ingenti concessit in fata. Platina.

EPICVRVS Athenensis, cum calculo vrinæ meatus obstrueretur, in calidæ aquæ peluim descendit: & hausto mero, cùm amicos monitorum suorum memores esse iussisset, inter media verba defecit. Laertius in eius vita.

VVLNERIBVS VARIIS MORTVI.

Hue, Iugulati, & Securi percussi, possunt referri.

Comprehenderunt filij Israel Adonibezech, cæsis summitatibus manuum eius, ac pedum: ita enim fecerat ipse septuaginta regibus) adduxerúntque in Ierusalem, & ibi mortuus est. Iud. 1.

Tulit Iahel, vxor Abner Cinæi, clauum tabernaculi, & defixit in cerebrum SISARÆ: qui soporem morti iocians defecit, & mortuus est. Iudic. 4.

ANDRONICVM martyrem Maximus præses circa ventrem papyris inflammatis teret exuri, incensos clauos eius: digitis apponi, ignitum ferrum in os immitti, dentes excuti, contractis malis linguam abscindi, ad extremum capite puniri.

BASSVS episcopus à Perennio præside in eculeo primùm suspensus, demùm laminis ardentibus circa latera appositis excruciatus, fustibus & scorpionibus cæsus, in ignem missus, duobus postremò verubus à talo ad verticem capitis confixus, spiritum Deo reddidit.

ADRIANVS martyr extinctus est crurifragio, sub Maximiano imperatore.

ARCADIO martyri manus primùm, demùm pedes, eóque modo cætera membra seriatim amputata sunt.

AGATHA Carthaginensis virgo, pietatis plena, & martyr, sub Gallo mammillis torta est. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

LEODEGARIVS Augustodunensis episcopus ab Ebroino, post famem, carceris squalorem, oculorum euulsionem, plantarum concisionem, linguæ & labiorum excisionem, tandem capite quoque primatus vitam clausit. Sigeber. in Chron.

TLEPOLEMVS, patria Tiryntheus, Lycinum fratrem Alcumenæ nothum ac filium Electryonis, venientem ex sua patria in vrbem Tirynthia, per seditionem oleæ ramo interfecit. Volat. lib. 20. Anthrop.

CLEOMENES, à Nicagora quodam accusatus apud regem Ptolemæum, ad quem confugerat, & in carcerem cum alijs coniectus, se omnes mutuis vulneribus necauére. Plut.

CLEOMENES rex Spartanorum, seipsum crudelissimè dilaniauit. Vide tit. Qui sibi ipsis mortem conscierunt.

Nouus mortis casus is fuit, quo Alexander Eleus philosophus perijt. Amnem etenim Alpheum pernatans, cùm pectore in acutam arũdinem, quæ aqua tegebatur, incidisset, corpus contodit, atque interijt. Fulgosus libro nono, capite duodecimo.

L. CORN. Merula consularis, & flamen dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in Iouis sacrario venis incisis, contumelioſæ mortis denunciationem effugit: sacerdotísque sui sanguine veruſtissimi foci maduerunt. Val. lib. 9. cap. 12.

M. ATTILIVS Regulus in bello à Carthaginensibus, cum multis alijs captus, arte Xanthippi Lacedæmonij mercenarij ducis: & missus in carcerem, legatus de permutandis captiuis Romam missus, dato fureiurando, vt si non impetrasset, ita demum rediret, in senatu conditionem distiuasit, reiectísque ab se coniuge & liberis, Carthaginẽ remigrans, ibi in arcam ligneam coniectus, clauis introrsum adactis, vigiliis oculos ad solem versando, ac dolore extinctus est. Cæcilius Plin. cap. 40. de Viris illustribus: Augustinus lib. 1. cap. 15 Ciuitatis: Val. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 4. & lib. 9. cap. 2. Front. lib. 2. cap. 3. Florus lib. 2. cap. 2. Cic. lib. 1. Offic. & in Paradoxis. Volat. lib. 13 cap. 3. Anthrop.

PVB. Magius Chilon M. Marcellum pugione interfecit, duo dãs ei vulnera. vnum in stomachum, alterum in caput secundum aurem. testis est Seruius Sulpitius lib. 4. Famil. epist. Cic.

IVLIVS Cæsar Romanorum primus imperator, Lucij filius, in senatu 23. vulneribus à Bruto & Cassio confossus est.

IOANNES Scotus, Christianæ theologiæ disciplina præstantem (dũ eruditionis in Britannia pueris operam daret) facta conspiratione discipuli sui graphijs occiderunt. Crinitus.

Eo bello, quo Totilas Gothorum rex, ac Iustiniani duces inter se decertabant, singulari prælio Vlaris Gothus & Artauadas Armenius, Rom. eques, haud longè à Trebia amne, in cisalpina Gallia dimicauerunt. In quo victor Artauadas, nimis sinistro casu ipse quoque interijt. Nã cùm iuiecta lancea ab equo Vlarim Gothum mortuum prostrasset, & Vlaris hasta humi fixo cuspide aliquãtisper è terra emineret: in eam Artauadas tam grauiter offendit, vt eo vulnere post paucos dies è vita decederet: atque ita contigit, vt qui mortuus humi iacebat, viuentem hostem victorem occidisse videretur. Fulg. lib. 9. cap. 12.

MAVRISIVS seruus, à Neapolitano prætore candenti forcipe concisus est, eo quòd liberum hominem occidisset: tractúsque est per vrbẽ, ridenti simlis. Pont. lib. 2. cap. 7. de Fortitudine.

VLCERIBVS MORTVI.

PIVS III. pontifex max. ex vlcere cruris è quo diu laborauerat, trigesimo post creationem die discessit, anno à Christo nato 1503. Volater. libro 22. Anthrop.

ALPHONSVS II. Neapolitanus rex, veniente in Italiam Carolo VIII. in Siciliam turpiter fugit: & illic manu à pernicioso cancro correpta, vitæ simul & timori finem fecit. Fulg. lib. 6. cap. 9.

ELEPHANTIASI MORTVI.

CONSTANTINVS V. huius nominis Romanorum Imperator, Copronymus cognomine, perijt elephantiæ morbo, quum imperasset annos 35. Volat. lib. 23. Anthrop.

PERDICCAS rex Hispaniæ, morbo leprę correptus interijt. Ritius libro secundo Regum Hispani.

BALDVINVS IIII. Regum Hierosolymorum septimus, leprę morbo correptus, & omni spe prolis abiecta, interijt. Ritius de Regibus Hierosolymorum.

PHTHIRIASI SEV PEDICVLARI MORBO ABSVMPTI.

Quis ambigit, diuina factum vltione, vt Herodes Ascalonita rex Iudææ, Antipatri filius, post interfectos Alexandrum, Aristobolum & Antipatrum filios, trucidatos item innocentes, ad intercipiendum factum virginis partum, vermibus ad extremum toto corpore scatentibus, mortem

mortem sibi conscierit? Autor Iosephus lib. 7. cap. 8.

HERODES Antipas sedens pro tribunali, & vestitus veste regali, cõtionabatur ad populum: populus acclamabat. Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini: eo quòd non dedisset honorem Deo. Et consumptus à vermibus expirauit. Act. 5.

ACRIDOPHAGI Æthiopes phthiriasi moriuntur. Vide tit. Cibus varij diuersorum.

ACASTVM Peliæ filiũ, ferunt ex antiquissimis hoc morbi genere (quæ phthiriasim appellant) interiisse. autor Plut.

ALCMAN vnus ex clarissimis Græciæ poëtis, hac etiam fœditate peremit. Plin. lib. 11. cap. 33. & Plut. in Sylla.

PLATO philosophus, post indefessos suos in omni scientiarum genere labores, annos agens 81. morbo, vti fertur, pediculari discessit. Vola. li. 18. in eius vita.

SPEVSIPPVM Eurymedontis filium, Athenienſem philosophum, Platonis ex sorore nepotem, (sunt qui dicãt mortem sibi intulisse. Plut. tamen, efferuescentibus toto corpore pediculis interisse.

ANTIOCHVM Epiphanem Syriæ regem, (sunt qui dicãt, quum Hierosolymas peteret, curru delapsum, in hanc sordem incidisse, vermibúsq; fuisse absumptum. Vide tit. Sacrilegij.

PHERETIMA Batti F. Cyreneorum regina, cùm ob interfectũ filium suum, Arcesilaum tyrannum Barcæos ope Persarum victos crudelissimè vita esset, viuens vermibus absumpta computruit. Herod lib 4.

PHERECYDES Syrus, Pythagoræ præceptor, miserrimè omnium hominum vitam egit. Pediculari enim morbo correptus, primùm emisit ſũdorem calidum, viscosum, & mucori similem: postea verò prorsus belluinum. Tandem pediculi ereuerunt: cúmque carnes in pediculos dissoluerentur, ac fœda iam turpísque facies euasisset, abstinuit à consortio familiarium, & eos fugiebat. Si verò quis accederet & interrogaret, quomodo haberet? per foramen ianuæ digito, qui prorsus emarcuerat, extẽso, respõdit, ita totum corpus suum habere. Verùm cùm liquefactio mox sequeretur, eo ipso morbo miserè animam exhalauit. Ælian. lib. 4. & 5. de Varia hist. & Heraclides in Polit. & Plin. lib. 7. cap. 51.

CALLISTHENES Olynthius, dum carceris custodia teneretur: præterea & MVMIVS iurisconsultus, eadem tabe passim membrorum corrosi sunt. Plut. autor in Sylla.

Traditum est (inquit idé Plut.) eum quiin Cilicia belli seruilis autor fuit, EVNVM nomine, captum, Romámq; perductum, ex phthiriasi mortem obiisse.

Plin. lib. 7. & 11. cap. 33. Natur. hist. scribit, L. CORN. SYLLAM erodente seipso corpore, & supplicia sibi gignente interfectum. Plut. verò, contractam carnis corruptionem in pediculos fuisse conuersam: adeò vt tunicæ omnes, thermę, lauacra, dapes illius exundantis sordis impleretur: tãtavis epullulabat. Quocirca per singulos dies ingrediebatur aquam, sed nulla erat vtilitas. Celeriter enim inualescebat permutatio, & pedoris magnitudo omnia purgamenta superabat.

GALERIVS Maximinus ex priuato Roman. Cæsar effectus, in Christi nomen arma mouit. Verùm is tandem intrinseca quadam agente rabie, in pestilentem adeò valetudinem incidit, vt putrefactis introrsum vitalibus (Egnat. genitalibus, inquit) non solùm expueret: sed eo quinetiam obsistente, ex auribus, ore, naribúsque non aliter quàm ex putredinis cloaca vermes continuè scaturirent, tanto cum fœtore, vt quocunq; deferretur, statim aër retro sparsim inficeretur odore. A qua tam turpi peste cùm non posset medicorum ope leuari, acerbitate morbi sibiipsi manus intulit.

HONORICVS Vandalorum rex, Arrianus, in Africa phthiriasi periit, cùm 44. Catholicos episcopos in exilium egisset. Sigebertus.

ARNVLPHVS imperator post Carolum Crassum, quum ad rapinas & templorum spoliationes animum conuertisset, iusta numinum ira longa ægritudine dissolutus, vel (vt quidam ferunt) afflictus à minutis vermibus quos pediculos vocant, adeò in corpore eius scaturientibus, vt à nullo medicorum minui possent, mortuus est, Bonifacio 112. pont. max. sedente. Sigebert in Chron. & Cranzius lib. 2.

DODO interfector S. Lamberti, pessimo languore cruciatus, à vermibus consumptus, & ob intolleratiam fœtoris in Mosam fluuium demersus est. Sigebertus in Chron.

ARTHRITIDE ET PODAGRA MORTVI.

LYCON, seu GLYCON, philosophus Socraticus, periit, podagrę morbo annos natus 74. Laërt.

TYRANNION grãmaticus (qui tria librorum milia fertur habuisse) decessit iam senex morbo podagræ. Volat.

SEPTIMIVS Seuerus imperator, decessit morbo articulari, septuagenario maior.

IVSTINVS iunior, graui pedum dolore, anno imperij sui vndecimo obiit.

Q. ENNIVS, periit septuagenarius ex podagra, quam nimio potu cõtraxerat: testis est Q. Serenus, referente Gyral. in 1. de Hist. poët.

PRIAPISMO MORTVI.

HERACLIVS Imperator priapismo moritur. Vide tit. Incæstus ethici cum cognatis.

LVXATIONIBVS, FRACTVRIS.

EMPEDOCLES Agrigentinus, dum celebritatis cuiusdam causa Messanam curru proficisceretur, cecidit, coxámque perfregit, & 77. ætatis anno Megaris obiit. Quamuis alij seipsum in Ætnæ crateres, immortalitatis spe, præcipitasse tradant. Laert.

ZENO Cittiæus, 98 ætatis anno Athenis è schola rediẽs, pedem offendit, digitúmque perfregit. Manu autem terram feriens, dixit illud Niobes, ἔρχομαι, τί μ' αὖ καλεῖς; Venio, qui me vocas? Mox semetipsum strangulauit. Laert. in vita eius.

CAPITIS ILLISIONE AD PARIETEM MORTVI.

XENOCRATES Chalcedonius philosophus, noctu sine lumine domum perambulans, patellæ caput incommodè adeò allisit, vt eo effracto moreretur. Fulg. lib. 9. cap. 12.

Nouum inuenit mortis genus PHASELVS, Herodis Antipæ frater, vt fœrumnis atque ignominia liberaret, cùm proditione à Parthis captus, Antigono hosti deditus fuit. Nam cum manus vinctas haberet, & omnis aliatratio citò moriendi adempta esset, tam grauiter muro caput allisit, vt statim acta anima ostenderet, ingentis animi virum prohiberi morte nõ posse. Ibidem.

PERSÆ venefícos hac pœna afficiunt. Vide tit. Supplicia varia.

Quum L. Opimius consul C. Gracchum Agrarias leges contra autoritatem senatus ferre molientem sustulisset, HERENNIVS Siculus (quo & aruspice & amico vsus semper fuerat Gracchus) comprehensus, dum in carcerem traheretur, capite posti carceris illiso spiritum deposuit. Valer. Max. lib. 9. cap. 12.

Veneti graue cum Genuensibus bellum gerebant, quo tempore Reip. Petrus Gradonicus præerat dux. Electus igitur ANDREAS Dandulus, classis Venetæ præfectus cum Carolo, spectabat quotidie ad Corcyram nigram, quídnam Genuensium classis moliretur. Tandem vero aduenẽte hoste congressus, cùm eo, Ligustica arte fortissimè diu pugnans vincitur, & capitur: Genuámque captiuus cùm traheretur, tanto animi dolore affectus traditur, vt impacto triremi capite sępius, antequam Genuã ingrederetur, animam exhalarit. Egnat. lib. 9. cap. 12.

PETRVM de Vineis ex Capua, iurisperitũ fuisse, Volat. scribit: qui dolens se ob suspicionem coniurationis à Federico secundo (cui prius erat *charissimus*) relegatum, capite parieti illiso, mortem sibi intulit, composito prius de Consolatione libello.

PEDVM LÆSIONE.

CYRINVS episcopus Chalcedonensis, cùm Maruthas episcopus Mesopotamiæ pedem ei calcando læsisset, miserè periit. Vide tit. Pœna falsæ accusationis.

EX SYMPTOMATVM VEHEMENTIA EXTINCTI.

VOMITV MORTVI.

TIMAGENES Alexandrinus, sub Pompeio captiuus Romam ductus, periit ex vomitu post cœnam. Volat.

HIER. Frobenius, typographus Basiliensis, cùm iam inde ab adolescẽtiductu naturæ vomitui assueuisset, per quem sæpe à grauissimis morbis liberatus fuerat: in senecta, cùm ad stomachũ tota vis humorum tanquã ad cloacam præcipitaretur, magni animi constantia doloribus stomachicis crudelissimis per aliquot annos cũ vomitu assiduò perpessis, tandem anno Christi 1563 III. Id. Martij. ad Dominum migrauit, ætatis suę 71. anno, mensibus 7. diebus 7.

CLAMORE NIMIO DISRVPTI.

Q. HORTENSIVS orator, cùm causas in foro ageret, in media oratione clamore disruptus est. vt indicat Q. Serenus his versibus:

---Sic est Hortensius olim
Absumptus: causis etenim confectus agendis
Obticuit, cùm vox domino viuente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua palati.

Volaterranus libro decimoseptimo. Anthropologiæ.

PARTVS DOLORE MORTVÆ.

RACHEL vxor Iacobi patriarchæ, prope Ephratam difficulter peperit: & animam agens, filium Benonim, id est, filium mei doloris, vocauit: at Iacobus Beniaminem, id est filium dexteræ. Genes. 35.

TVLLIOLA filia Ciceronis, Pisoni Crassipedi post Dolobellam locata, in partu obijt. Volat. lib. 20. Anthrop.

IVLIA Pompeij vxor, cùm grauida esset, immaturúmque partum edidisset, terrore quem ex sanguinolenta viri tunica hauserat, perculsa obijt. Plutarch. in Pompeij vita.

IVNIA Claudilla, Caij Caligulæ imperatoris vxor, & M. Sillani viri nobilissimi filia, inter pariendum obijt. Sueton.

DYSENTERIA ET VENTRIS PROFLVVIO MORTVI.

Dysenteriam pestilentem, vide sub tit. Pestilentiæ memorabiles.

TACHOS Ægyptius in Persas profectus, cùm eius nationis ciborum insolentiam ferre non posset, dysenteria correptus, vitam cum morte mutauit. Ælian. libro quinto de Varia historia.

OCTAVIVS Cæsar Augustus imperator, filius C. Octauij & Actiæ, profluuio ventris in eodem, quo pater, cubiculo Nolæ mortuus est, anno suæ ætatis 76. Cuius vxor dicta Liuia Drusilla, mœrore tandem expirauit Guido Bitur.

TRAIANVS Imperator apud Seleuciam, quæ postea Traianopolis dicta est, dum rediret ex Syria, ex profluuio ventris discessit, anno imperij xx. Volat. lib. 23. Anthrop.

Non inusitata modò, verùm prodigiosa quoque Arrij, Armodij filij, hæresiarchæ turpis mors fuit: qui, quo die in vrbe Constantinopoli cum Alexandro catholico episcopo disputandum erat, dum leuare ventrem vellet, in sella familiari cum fæcibus omnia intestina effudit. Intestinorum enim, vitæque, quemadmodum verę erat etiam fidei inanis, remansit. Fulg. lib. 9. cap. 12. & Egnat. eodem.

~~Leo pontifex Romanus Arianus, effusis intestinis [illegible] Vide~~

~~tit. Honorem [illegible] pere.~~

MICHAEL Thraulus (nam lingua erat balbutiente) è Phrygia superiore oriundus, & Romanorum Imperator post Leonem Armeniacum, perijt dysenteria, quum imperasset annos nouem. Volat. lib. 23. Anthrop.

THEOPHILVS Imp. post Michaelem Balbum, dysenteria itidem perijt, anno 12. imperij sui. Idem.

ANASTASIVS II. Romanus pontifex, Theoderico regnante, vir parum secunda fama, vt qui Arcatium hæreticum (quem primò expulit) ab exilio reuocare tentauit, vltore Deo, dum in secessu ventrem soluit, subitò occubuit: teste Gratiano, & Volat. lib. 22. & Fulgos. libro nono, cap. 12.

HENRICVS septimus imperator, eodem symptomate perijt.

SAMSONEM Chilperici regis filium, dysenteria expirasse, testis est Gregorius Turonen.

Idem scribit, Austrigildem reginam eodem modo perijsse.

ALBERTVS Austrię dux, & Romanorum Imperator bellicosissimus, dum Austriam à Turcis repetit, in itinere apud locum qui Villa longa appellatur, dysenteriæ morbo discessit. Volat. lib. 23. Anthrop.

COLICA MORTVI.

ANTIOCHVS, qui multorum torserat viscera, passus durum dolorem viscerum, miserabiliter in montibus vita functus est. 2. Mach. 5.

QVI SIBIIPSIS MORTEM CONSCIVERVNT, SIVE casu, siue consilio.

Efficientis tantùm hic habetur ratio. Modus siue materia mortis in superioribus est declarata. Nam sub vnoquouis titulo mortis exempla reperies, eorum qui vel sua vel aliena manu perierunt.

PONTIVM Pilatum, patria Lugdunẽsem, ferunt nefariæ in Christum sentẽtiæ meritas dedisse pœnas, sibíque mortem intulisse. autor est Gregorius Turonensis:

Tam tibi sit mitis Ponti Pilate Megæra,
Támque tuæ moueant lacrymæ Plutona ferocem,
Quàm merito perijt fato te iudice Christus.

SOPHRONIA matrona Romana, altera Lucretia Christiana, cùm vim Decij principis metueret, consentiente marito, arrepto gladio seipsam transfixit. Eusebius in historia.

PYRAMVS adolescens, & Thysbe puella, incredibili amore flagrantes, quum impediente parentum suspicione suis votis satisfacere nequirent, pepigerunt, vt certo die in remotum locum se reciperent. Quò quũ prior venisset Thysbe, metu leænæ ibidem repertę profugit, in latebras, relicto capitis tegumento. Quod arripiens leæna, venienti pòst Pyramo coniecturam præbuit & argumentum deuoratæ amasiæ, mortémque sibi propterea consciuit. Thysbe paulo pòst reuersa, vbi mortuum amãtem conspicata est, longioris vitæ pertæsa, suo se gladio confodit, &c.

ALCESTIS filia Perilai, seipsam interfecit, vt vmbra sua cõtenti manes, ægroto marito parcerent. Seneca in Medea:

Coniugis fatum redimens Pheræi,
Vxor impendit animam marito.

BIBLIS Mileti filia ex Cyane, quum fratrem Caunum miserè deperiret, neque eius concubitum posset assequi, vrgentibus furiis se occidit, & in fontem postea Naiadum beneficio mutata est Ouid. 1. de Arte:

Biblida quid referam: vetito quæ fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter vlta nefas?

Græcis Thebas obsidentibus, quum Tiresias vates prædixisset Thebanos expugnatum iri, nisi eorum (qui serpentinis dentibus prognati fuerant) aliquis se morti deuoueret, Menœceus vt patriæ saluti consuleret, in ipsis Thebarum mœnibus gladio se confodit, confossum ad hostes deturbauit. Quo viso, protinus abierunt Græci. Statius libro primo Theb.

HYLONOME fœmina centaura & biformis, mortuo marito Cyllaro, gladio suo incubuit. Ouid. lib. 12.

Vt videt extinctum, dictis quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo quod inhæserat illi
Incubuit, moriénsque suum complexa maritum est.

IOCASTA filia Creontis, & vxor Laij, videns filios suos Eteoclem & Polynicem mutuis vulneribus interfectos, horrore tanti facinoris mortem sibi intulit. Stat. lib. 11. Theb.

TEREVM, idem ait perpetrato in Philomelam scelere, ac Ityn, sibi mortem cõsciuisse: mortuóque sacra instituta anniuersaria, in quibus ordei loco calculis vtebantur.

ADRASTVS Gorgij filius, dum Atym Crœsi filium suæ fidei creditum in venatione apri loco percussisset, se super eiusdem tumulum confodit. Herodotus.

AIAX Telamonis filius, ægreferens mortui Achillis arma (quæ supra modum appetebat) Vlyssi data fuisse, inuidia motus, & in rabiem conuersus, mortem sibi intulit. Ouidius lib. 11. Metam.

AMPHION Iouis filius, interfectis ab Apolline quatuordecim liberis, seipsum gladio interemit. Ouidius in Ibin:

Addidit vt fidicen miseris sua funera natis,
Sic tibi sint vitæ tædia iusta tuæ.

Æolus rex Ventorum, audito Canaces filiæ cum Macareo fratre incestu, ad eam gladium misit, vt scelus voluntaria morte dilueret, & vlcisceretur. Quod illa fecit. Plutarchus in Paral.

HÆMON Thebanus iuuenis, quum amore incredibili Antigonem Oedipi & Iocastæ filiam deperiret, ad eius tumulum mortem sibi consciuit. Fuerat autem Antigone iussu Creontis (qui vetuerat Græcorum cadauera inhumari) iugulata, quòd Polynicem fratrem mortuum noctu sepelire voluisset. De huius adolescentis morte Proper. lib. 2.

NICIAS Atheniensis, & Demosthenes, contra Syracusanos pugnantes, ab ijsdem capti, & in carcerem coniecti, sibijpsis manum intulerunt, vt est apud Plutarchum.

SOPHOCLES vltimæ iam senectutis, cùm in certamen tragœdiã dimisisset, ancipiti sententiarum euentu diu sollicitus, aliquanto tamen vna sententia victor, causam mortis gladium habuit. Valerius Max. libro 9. cap. 12.

SONTES sibiipsis manus inferunt, pòta herba ophiusa. Vide tit. Supplicia varia.

ATHENIENSES & Lacedæmonij, quum de Thyreatium agro inter se cõtenderent, tandem ita pepigerunt, vt trecentis militibus summam rei committerent, qui sua pugna omnium litem dirimerent. Vbi omnes interfecti

interfecti sunt, præter vnum Orthryadem Lacedęmoniũ: qui spoliatis prius hostium corporibus, & ad sua castra relatis armis, deinde in scuto sanguine suo, Vici inscripto, cùm puderet Spartam reuerti ob socios interfectos, sibi mortem consciuit. Plutarchus, Val. Max. Ouidius in Fastis, & Volat. lib. 17.

DINOCRATES dux Messenius, victus ab exercitu Achæorum, vrbéque amissa, ne veniret in inimicorum manus, sibiipsi mortem consciuit. Plutarch. in Philopœmene.

CAMBYSES rex, audita Smerdis Magi, qui regnum in Perside occuparat, rebellione, & agnoscens sine causa fratris sui Smerdis interemptorem se fuisse, deflebat Smerdem, Mox (vt erat omni clade afflictus) in equum insiliit, vt celerrimè Susa versus exercitum duceret in Magum. Insilienti in equum vagina gladij excidit, vnde nudatus gladius perstrinxit eius femur, in ea scilicet parte, in qua prius ipse tanquam opportuna adferiendum percusserat Apim Ægyptiorum deum. Vulneratus Cambyses, quódnam illi oppido nomen esset, interrogauit. Illi aiunt, Ecbatana. Sed cùm fuisset iam antea Cambysi redditum ex vrbe Buti oraculum, eum in Ecbatanis decessurum, ipse interpretabatur se in Ecbatanis Mediæ, vbi res eius omnis erat, senem vita functurum: at oraculum in Ecbatanis Syriæ loquebatur. Obstupuit igitur, oppidi nomen audiẽs: tum Magi iniuria perculsus, tum vulnere. Verbáque oraculi expendens: Hoc in loco, inquit, fatale est Cambysem Cyri decedere. Herod. lib. 3.

Cùm CLEOMENIS Spartanorum regis perfidiam erga Demaratum collegam (quem falsis criminibus regno priuarat) Lacedæmonij cognouissent, & is exul Arcadas contra Spartam sollicitaret, Spartani timentes sibipsis, Spartam eum reuocarunt ad pristinam dignitatem. Sed eum reuersum statim morbus insaniæ cæpit, & iam antea subinsanum. Nam vt cuique Spartiatarum obuius erat, in eius faciem infligebat sceptrum. Hæc illum facientem, ac desipiscentem, propinqui soleis ligneis illigauerunt. Qui custodem, digressis aliis, solum remansisse cernens, petiit ab eo gladium. Custode abnuente dare, comminabatur, donec minis territus custos (erat enim seruus quidam) gladium tradidit. Eo accepto, Cleomenes à furiis incipiens sese detruncabat. In longum namque discindens carnes, è tibiis ad femora processit, è femoribus ad coxarum vertebras atque ilia, quousque peruenit ad abdomen, in quo rescindendo expirauit: vt plerique Græcorum memorant, quia Pythiam corruperat ad eam dicenda, quę circa Demaratum acta sunt: vt soli Athenienses, quòd adortus Eleusinam, fanum deorum fuerat depopulatus: vt Argij, quia eos qui è pugna fugerant Argios, ex Argi templo abductos obtrũcarat, & ipsum lucum quem in Argia occupasset, incenderat: vt Spartani, ex ebrietate, qui conuersatione Scytharũ assueuerat. Vide tit. Imitationis malę, in Ethicis Herod. lib. 6.

Athenienses dum mortui Herculis tutarentur liberos quos insectabatur Eurystheus, ab oraculo acceperunt se ab Eurysthei liberatũ iri incursione, si quis è liberis Herculis semet inferis deuoueret. Quo audito, MACARIA eiusdem filia sese spontaneæ morti obtulit. Cælius, & Erasmus in Chil.

CHARONDAS Tyrius quum legem tulisset, ne quis armatus veniret in concionem: & tamen ipse rure veniens, pręter spem aliter fecisset: monitus legis ab eo qui proximè sedebat, vitam sponte reliquit, & gladio suo incubuit: quum tamen culpam dissimulare potuisset, aut defendere. Valer. Maximus de Iusticia.

Superatis ab Alexandro Magno Atheniẽsibus, DEMOCRATES Athenien. (qui Macedonum opibus semper obstiterat) venia desperata, gladio se transfixit. Cur. lib. 5.

SESOSTRIS Ægyptiorum rex, seu senio, seu morbo, siue alia fortuna, oculis captus, seipsum interfecit.

DIOXIPPVS Atheniensis surrepti inter epulas aurei poculi falsò accusatus, dum oculorum coniectum & iniuriam ferre non posset, gladio se interemit. Accusabatur autem non sine inuidia. Nam ægrè ferebant Macedones Horratam Macedonem armatum ab eo inermi, (spectante rege, duello victum, & resupinatum. Curtius lib. 8.

Curtius ait, Boudiceam Britannorum reginam & POENIVM posthumum eius præfectum à Romanis duce Suetonio superatos mortem sibi intulisse, hunc gladio, illam veneno.

Hippo & Miletia SCEDASI Bœoti filię, à iuuenibus Spartanis stupratæ, & in puteum coniectæ sunt, occultandi sceleris causa. Quod vbi resciuit pater, ad filiarum tumulos seipsum confecit. Autor Cælius.

SARGAPISES Thomyris filius, à Cyro rege Persarum captus, dum manicas & brachiorum vincula eximi sibi imperasset, seipsum interfecit. Herodotus.

CLEANTHES philosophus, cognita animarum immortalitate, vitam sponte reliquit, & voluntariam oppetiit mortem. Lactãtius: Multi (inquit) ex his qui æternas esse animas suspicabantur, tanquam in cœlum migraturi essent, sibi ipsi manus intulerunt: vt Cleanthes & Chrysippus, vt Zeno & Empedocles.

TIMANTES Cleonæus athleta, quum & viribus senio defectis, & desuetudine ingentem arcum non posset intendere, quem iuuenis luniabat & flectebat, furori adeò indulsit, vt eam tantum ob rem gladio se perforauerit, Cælius.

CYANE puella à patre Cyanippo incognito per vim stuprata, vbi tandem autorem sceleris agnouit: illum prius, demum seipsam interfecit. Plutarchus, testem aduocans Dositheum libro tertio rerum Siculorum.

IVBA rex Mauritaniæ à Cæsare superatus, sibi mortem consciuit. Cuius filius puer Romam in triumphum ductus est.

Mithridates à Pompeio superatus, filiam nomine Diraptim Menophilo eunucho seruandam commisit in castello quodam, Sinthorio nomine. Quod quum Manlius Priscus obsedisset, defensoresque deditionem parãtes MENOPHILVS sentiret, gladium in viscera sua impegit, veritus, ne captiua puella raperetur, & violaretur. Ammianus Marcellin. libro decimosexto.

MONIMA Milesia, & VERONICE Chia, duæ Mithridatis vxores, audita eiusdem miserabili fortuna, per Bochidẽ eunuchum, ambæ vitam sponte reliquerunt. Nam monima primam se suspẽdit. Sed quum corporis grauitate confractus esset laqueus: O execrãdum, inquit, diadema, quo neque in tam tristi ministerio vti possum. Bochidi postmodũ se dedit iugulandam. Veronica verò calicem veneni hausit: quo per venas serpẽte, quum durius torqueretur & langueret, Bochidis quoque auxilio accelerauit sibi mortem.

DIDONEM suo gladio incubuisse, pro comperto est: sed non omnes eandem mortis causam asserunt. Scribit Ausonius (& ita se habet rei veritas) hoc ab ea factum, vt mortuo marito Sichæo castitatem seruaret vidualem, & furias fugiens Iarbæ Getulorum regis declinaret. Verba eius sunt hæc:

Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam.

Ausonium sequutus Marullus, Didonem sic inducit loquentem:

Nec mihi Phryx nocuit, nec enim Phryga nouimus vllum,
Cura sed antiqui casta tenáxque tori.
Quam ne coniugio Libyci violare tyranni
Cogerer, hac cecidi fortiter vsa manu.

Vtriq; succinit Rhemnius, seu (vt aliis placet) Priscianus, in Geographia Dionysij de situ orbis, dicens:

Quæ regnans felix Dido per sæcula viuit,
Atque pudicitiam non perdit carmine ficto.

Contrà verò Vergilius hoc ipsum ascribit impatientiæ doloris, quem ex Æneę fuga conceperat. Quod tamen fabulosum est. Vergilium plerique omnes poetæ Latini secuti sunt. Ouid. in primis lib. 3. Fastor. & in Epistol. sic ait:

Præbuit, Æneas & causam mortis, & ensem,
Ipsa sua Dido concidit vsa manu.

LVCRETIA puella, rarum Romanæ castitis lumen, ægrè ferens potissimum suæ pudicitiæ florem ab insano & turpissimo tyranno Tarquinio iuniore, Tarquinij Superbi, Romanorum propterea regum vltimi filio, fuisse corruptum & stupratum: impatiens acceptæ iniuriæ, palàm se occidit: fecitque vt populus scelus vlcisceretur, & regũ principatum excuteret.

ARIA mater (nam fuit eiusdem nominis filia) damnato Pæto marito, confodit corpus gladio: quem vulnere educens ipsi Pęto quærenti dedit, vt idem post faceret. Martialis lib. 1.

Casta suo gladium quum traderet Aria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

LABIENVS poeta videns libros suo, ob nimiam carpendi libertatẽ publico decreto comburi, suis superuiuere non potuit monumentis, ac propterea spontaneam oppetiit mortem.

LABEO Marsus in calamitate Macedonica (quum celer hostis premeret) séque natúmque gladio traiecit, ne victoris Octauij vultum sustineret. Pontanus de Fortitudine bellica.

FANNIVS Cepio, deprehensus in coniuratione aduersus Augustum, sibi mortem consciuit. Martialis. lib. 2.

Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

PAPYRIVS Romanus, quum sororem Canusiam grauidam fecisset, & illa gladio à patre misso sibi corpus confodisset, seipsum quoque mortuę sorori dedit comitem. Chrysippus lib. 1. Rerum Italicarum, apud Plutarchum.

P. CRASSVS, Crassi oratoris frater, iurisperitus, quum factionem sequeretur Marianam, ne in manus inimicorum incideret, seipsum interemit. Volat.

M. ANTONIVS triumuir, cùm ad Actium nauali prælio congrediens superatus esset, Alexandriámque confugiens ab eodem obsessus esset: gladio sponte incubuit, anno ætatis 56. Plutarch, in eius vita: & Volat. lib. 13. cap. 3 Anthrop.

CLEOPATRA mortuo Antonio marito, vbi intellexit se ab Augusto in triumphum reseruari, causa declinandæ eius ignominiæ, brachium

aspidi mordendum præbuit: Cæsare Psyllos veneficos, qui serpentis venenum è vulneribus haustu reuocarent & exugerent, frustra admonente. Plut. scribit, eam habuisse venenum in laminula quadam concaua, quam cum crine occultabat: sed tamen neque corpus deformatum, nec aliud vllum apparuisse veneni signum: nec aspidem ab vllo conspectam, sed tractus duntaxat visos: ipsiúsque brachium duas notas habuisse leuiter impressas, & humidas. Quib. Cæsar videtur fidem dedisse. Nam in triumpho Cleopatræ imaginem tulit, cum aspide mordicus affixa. Prop. de ea lib. 3. sic inquit:

Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili,
Accepêre tuæ Romula vincla manus:
Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.

Item Horatius lib 1. Car. Plinius lib. 21. cap. 3.

NEÆRA & CHARMIONE, Cleopatræ ancillæ, spontaneam dominæ mortem imitatæ sunt, autore Plutarcho. Ac semiuiuæ repertæ, reginæ iam mortuæ coronam capite delapsam reponentes, immodico magni animi argumento.

M. IVN. Brutus, vnus ex his qui Cæsarem XXIII. vulneribus in senatu confoderunt: ab Augusto & Antonio, Iulij mortem vlciscentibus apud Philippos expugnatus, desperata iam victoria manum sibi intulit, iuuante Stratone rhetore, anno suæ ætatis trigesimo, ne in manus inimicorũ veniret. Plutar.

CATO Vticensis minor, primi pronepos, grauatè ferens Pompeium (cuius partes fouebat) à Cæsare (cui aduersabatur) superatum, suo quoq; gladio incubuit, lecto prius Platonis Phædone de Animæ immortalitate. Cuius audita morte Cæsarem dixisse ferũt, & se Catonis inuidere gloriæ, & suæ Catonem inuidisse. Sic autem abiit de vita, vt testimonio Ciceronis, causam moriendi nactum se esse gauderet plurimùm. Dictus est Vticensis ab Vtica vrbe Africæ, in qua se occidit, autorib. Plinio libr. 5. & Gellio lib. 13. De eius morte plerique meminerunt. Lactantius: Multi ergo, inquit, ex his qui æternas esse animas suspicabantur, tanquam in cœlum migraturi, sibiipsis manus intulerunt: Ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Socraticæ vanitatis imitator. Item paulo post: Homicidæ, inquit, illi omnes philosophi, & ipse Romanæ sapientiæ princeps Cato: qui antequam se occideret, perlegisse Platonis librũ dicitur, qui est scriptus de Æternitate animarum.

PORCIA filia Catonis, audita morte Bruti mariti apud Philippos interfecti, ferrum poposcit ad inferendam mortem. Quod quum amici recusassent, carbones hausit, & inaudito mortis genere vitã finiuit. Plut. & Val. Max Martial. lib. 1. Epig.

Coniugis audisset fatum quum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis (ait) mortem non posse negari,
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit & ardentes auido bibit ore fauillas:
I nunc & ferrum turba molesta nega.

APPIVS Claudius Regillanus, eo quòd Virginiam, Virginij Centurionis filiam inhonesto amore incensus per fas nefásque stuprare vellet, à Centurionis militib. captus, & in carcerem Romæ coniectus, sibi manus intulit, teste Liuio & Volat. lib. 14. cap. 2. Anthropologiæ.

TAVREA Iubellius Campanus, memoranda vir fortitudine, posteaquam à Claudio Asello Romano in fugam actus esset, à Fuluio Capua capta, manu propria coniuge liberísque interfectis, se postremò ante pedes Imperatoris gladio transfixit. Liuius lib. 2.

AMILCO, cùm pestilentia oppressum exercitum ferè totum amisisset, mœstámque ciuitatem & vlulatibus plenam audiuisset: ipsos diuos suámque incusans fortunam, clausis foribus sibi mortem consciuit. Trogus lib. 19.

MARTIVS, illius filius qui Numam Pompilium ad regnum Romanum vocauit, ordine senatorio ornatus, cùm post obitum Numę in regni disceptationem cum Hostilio venisset, superatus vita se priuauit. Plut. in Numa Pomp.

M. ÆMYLII Scauri filius, cùm ideo quòd in saltu Tridentino hostiũ loco cesserat, in patris conspectum venire non auderet, verecũdiæ ignominia pressus mortem sibi consciuit. Cæcilius, & Front. lib. 4.

PACHVS Catonis senioris seruus, cùm tres puellas è captiuis, quæ sub hasta veniebant, emisset: nec ausus esset eas in domum Catonis heri continentissimi ducere, præ mœrore sibijpsi mortem consciuit. Bruson. lib. 1. de Abstinentia.

OPPIA Vestalis, stupri comperta, sibi mortem intulit, grauioris supplicij metu, ne scilicet viua sub terra defoderetur.

FLORONIA Vestalis virgo, cùm sibijpsi propter stuprum commissum, conscia esset, ne comprehensa viua sepeliretur, sibiipsi mortem consciuit. Vol. lib. 20. Anthr.

CN. CORBANVS, victus à Sylla, exulauit apud Rhodios. vbi comprehensus seipsum interemit. Ideo autem à Sylla bello petitus est, quòd eius legatos de pace violauerat. Liuius lib. 89.

BVSALTIA puella à Calphurnio Crasso (quem proditi patris victorem fecerat) relicta sibi ferro iugulum transuerberauit.

PETRONIVS, qui Q. Ælij beneficio ex humili loco ad equestrem peruenerat ordinem, cùm Ælius Placentiæ præesset, ne in manus hostiũ veniret, gladio incubuit. Valerius Maxim. titulo de Amicitia, libr. 4. cap. 7. & Vol. lib. 18. Anth. Legit autem Valer. pro Ælio, Cælium.

CORNELIVS Merula, Lucij Cornelij consulis nepos, & flamẽ Dialis, partium Syllanarum, ingresso vrbem Mario, in Iouis æde, venis succisis, se necando, mortis contumeliosæ damnationem effugit: sacerdotísque sui sanguine foci vetustissimi maduère. Val. Max. lib. 9. cap. 12. Augustinus de ciuitate Dei lib. 3. cap. 17. Florus lib. 3. cap. 21. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

COR. GALLVS, poeta elegiographus, Virgilij amicus & coætaneus, ab Augusto præfectus Ægypti designatus, Thebarum ciuitatem spoliasse dicitur. Propterea quum repetundarum postularetur, furtíque & populatæ accusaretur prouinciæ, nobilium indignationem formidans, sibi mortem intulit, anno suæ ætatis XLIII. Autor Ammianus Marcellinus, qui lib. 17. Rerum gestarum sic inquit: Longè autẽ postea Cornelius Gallus res tenens Romanas, Ægypti procurator, exhausit ciuitatem pluribus interceptis. Reuersúsque quum furtorum arcesseretur, & populatæ prouinciæ, metu nobilitatis acriter indignatę (cui negocium spectandum dederat Imperator) stricto incubuit ferro. Ouidius lib. 3. Eleg. item Propertius lib. 2.

Et modò formosa qui multa Lycoride Gallus,
Mortuus inferna vulnera lauit aqua.

Alia tamen causa ad inferendam sibi mortem motum volunt plerique quòd scilicet Augusti domo ei fuisset interdictum, vt scribit Tranquillus. Alij ob linguam nimis effrenem. Quod & Ouid. videtur probasse, vbi ait.

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sic linguam nimio non tenuisse mero.

De eo sic Dion. Corn. Gallus ab Octauio Cæsare in Ægyptũ missus, suas statuas in omnibus ferè Ægypti partibus collocauit, & res à se gestas in pyramidibus inscribi curauit Vnde à Largo accusatus, & magno dedecore affectus, mortem sibi ipsi consciuit. Dion in Augusto.

P. CRASSVS, Lucij Crassi oratoris frater, in dãnatione L. Cinnæ Marianarum partium, ne incideret in manus inimicorũ, seipsum interemit. Volat. lib. 14. cap. 2. Anth.

FL. FIMBRIA, satelles Cinnæ, cùm Mithridatem Pergamo expulisset, Ilium incendi iussit: mox arreptis imperij insignibus, à Sylla Pergami oppressus, & à corrupto exercitu desertus, sibi manus intulit. Volat. libr. 16. Anthrop.

DOLOBELLA partium Cæsarianarum, cùm Trebonium vnum ex Cæsaris percussoribus Smyrnæ crudeliter interfecisset, ideóque in senatu vt hostis iudicatus esset, tandem in Syria multis præliis cum Crasso congressus, victus, sibi manus intulit. Contra hunc Cicero in Philippicis inuehitur. Volat lib. 15 Anthrop. & Appian. lib. 4. Bellorum ciuilium.

C. CASSIVS post interfectum Cæsarem ab Antonio & Augusto bello petitus, castra cum Bibulo iunxit apud Philippos. Verùm quum inclinatam videret aciem, vltrò sibi mortem intulit, eodem pugione quo in Cæsarem vsus fuerat, autore Plutarcho: vel (vt alij malunt) Pindaro liberto iugulandum se præbuit.

M. PORTIVM Latronem, præstanti virum memoria, duplicis quartanæ tædio manum sibi admouisse, atque ita functum fato, annotatur in Chronicis.

APICIVS Romanus, pronus in omnem luxuriam, cum iniret secum rationem, quantos sumptus fecisset, & quantum restaret, cognouissétque sibi reliqua esse aureorum centena millia, hoc est CCL myriades drachmarum, timens ne fame mori cogeretur, sibijpsi manus intulit, Dion Nicæus in Tiberio.

PVBLIA Prisca, C. Ruffi Geminij vxor, rea facta cuiusdam sceleris, in senatum venit: ibíque pugione, quem sub veste condiderat, se ipsa interemit. Dion in Tiberio.

PETREIVS dux Pompeianus, à Cęsare in Hispania superatus, se ferro & inedia interemit. Appian. lib. 2.

MVRENA, cùm Romæ senatorum numerus ab Augusto diminueretur, dum à Cæsare diminui suam dignitatem animaduerteret, sibijpsi, quasi coactus ab eodem, cum aliis permultis mortem intulit. Dion in Augusto.

PHOEBE Iuliæ liberta, atque libidinis socia, mortem voluntariam post multis prostitutam pudicitiam consciuit: & ob eam rem plurimùm ab Augusto laudata est, qui iamiam Iuliam ob nocturnas cum scortatoribus comessationes relegauerat. Dion in Augusto.

ASIATICVS apud Claudium Cæsarem accusatus atque condemnatus, conscius culpæ suæ, cùm mortem iam sibi instare animaduerteret, mortem sibijpsi consciuit. Xiph. Dionis abbreuiator in Claudio.

L. SILLANVS, Claudij principis gener, erepta sibi Octauia, datáque Neroni, præ dolore gladio suo incubuit: idque die nuptiarum, ad augendam inuidiam. Corn. Tacitus lib. 12.

C. RVFFVS Geminius, cùm esset impietatis in Tiberium accusatus, tabulas testamenti sui attulit in senatum, in quib. filios suos & Tiberium hæredes faciebat ex ęquis partibus. Tamen accusatus per inuidiam à Tiberio, qui malè ei volebat, nullam aliam ob causam, quàm quòd mollis & effœminatus esset, domum reuertit, antequam aliquid decerneretur. Post vbi intellexit quæstorem adesse ad renunciandam sententiam, qua fuerat condemnatus, se ipse percussit, ac vulnere quæstori demonstrato: Refer, inquit, ad senatum, fortes viros hoc modo mortem oppetere. Diõ in Tiberio.

M. SYL-

M. SYLLANVS, Caligulæ imperatoris socer, postquam sensit se propter virtutem suam & nobilitatem generis grauem esse Caio, ob eámque rem ab eo iniuriam accipere, mortem sibiipsi cõsciuit. Dion in Caligula.

Macho seruus C. Caligulæ temporibus, Calendis quibusdam in lectũ Iouis Capitolini conscendit, déque eo loco multa, & ea quidem grauia vaticinatus, catellum quem secum attulerat occidit, & mox seipsum etiã interfecit, Xiph. Dionis abbreuiator, in Caligula.

In grauissima illa inter Othonem & Vitellium de imperio contentione, quę in bellum ciuile excreuerat, superatis iam Othonianis, VNVS ex equitibus cladem Othoni nunciauit. Cui cùm fidem non haberet, eúmq; fugitiuum atque hostem appellaret: Vtinam, inquit, hæc falsa essent, imperator. libenter enim te victore mortem occũberem: nunc autem, vtcunque sit, moriar, ne videar salutis meæ causa fugisse Atque hæc cum dixisset, manus in omnium conspectu sibi intulit. Xiph. in Othone.

OTHO imperator post acceptæ cladis nuncium, cum elegantissimam orationem ad milites habuisset, quibus persuadebat, vt ad victorem, Vitellium abirent: Non possum, inquit, peior esse eo milite, qui ob nunciatam mihi cladem mortem sibi cõsciuit. Itaque ego illum sequar, ne quid tale videam in posterum, aut audiam. Vos, si me amatis, quæso sinite me mori, vt volo, nolite me cogere vt viuã. Quæ cùm dixisset, secessit in thalamum, séque pugione interemit. Xiphilinus. Tranquillus in eius vita sic inquit: Post hæc sedata siti, gelidæ aquæ potione, duos arripuit pugiones. Explorata vtriusque acie, quum alterum puluino subdidisset, foribus adopertis arctissimo somno quieuit: Et circa lucẽ demùm expergefactus vno se traiecit ictu infra læuam papillam. Irrumpentibúsque ad primùm gemitum, modo celans, modò detegens plagam, exanimatus est, & apud Veliternam (ita præceperat) funeratus, XXXVIII. ætatis anno, & XCV. die imperij.

Sabina imperatrix, Adriani vxor, seruilibus propè iniuriis ab eo affecta, ad mortem cucurrit voluntariam: quòd tam immane ingenium, humaníque generis perniciem pertulisset. Aurelius.

Cyllius Italicus poeta, incurabilis morbi tædio, voluntariam oppetiit mortem annos natus LXXV. Politianus in Nutricia de eo sic scribit:

Ipse obiit plenúsque æui, natóque superstes,
Aspera congenito fixus vestigia clauo.

Piso homicidij reus factus introductúsque in senatum, ac in eo paululum commemoratus, mortem sibi consciuit. Dion in Tiberio.

NERO Domitij & Agrippinæ filius, fax totius orbis, impuráque scelerum omnium sentina, post maiora numero flagitia hostis patriæ à senatu iudicatus, ne quid suis meritis dignum pateretur, aut collo in furcam coniecto virgis cæderetur (vt ait Eutropius) vrbem egressus, sequentibus, Phaone, Epaphrodito, Neophitóque, & Spadone Sporo, semet ictu gladij transegit, ad quartum vrbis miliarium, adiuuante trepidantem manũ impuro eunucho. Periit autem anno ætatis suæ XXXII. Cuius interitu vniuersa Roma adeò gauisa est, vt plebs induta pileis manumissionum, tanquam sæuo exempta domino, triumpharet. Ausonius:

Matricida Nero proprij vim pertulit ensis.

Suetonius ait, eum in inferẽda sibi morte adiutum fuisse ab Epaphrodito à libellis, Eutropius à Sporo eunucho.

DECEBALVS Dacorum rex, à Traiano imperatore debellatus atque victus, posteaquam regiam, regionémque suam omnem à Romanis captam esse cognouit, imminerétq; periculum, ne ipse quoque caperetur, manus sibiipsi intulit. Eius tamẽ caput Romam perlatum est. Dion atque Xiphilinus in vita Traiani: & Volat. lib. 23. Anthrop.

ALBINVS posteaquam contra Seuerum imperatorem bellum mouisset, atque ab eodem cruento prælio victus esset, in ædem quandam ad Rhodanum confugiens, mortem sibi consciuit. Xiphilinus in Seuero.

GALERIVS Rom. Imp. cùm annos imperasset 13. Christianósque suppliciis omnibus adfecisset, morbo graui cruciatus, sibi manum intulit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Magnentius à Cõstantino Imperatore apud Lugdunum superatus, admoto parieti gladio (vt ictum iuuaret) corpus sibi confodit. Quo audito, Decentius eius frater præpostera laquei morte vitam finiuit apud Senonas. Pomponius Lętus.

Cambyses & Zary Dianæ sacerdotes, & magi, missi ad insinuandã Taurino episcopo idololatriã, quum operam lusissent, ac nihil profecissent, gladiis suis se confoderunt. Rauis.

Asimunda rege Danorum in pugna occiso, GVMNILDA eiusdem vxor spiritum sibi ferro surripuit, virúmque fato insecuta est. Autor Saxo Grammat. lib. 1. hist. Danicarum.

ARBOGASTES quum Valentinianum iuniorem apud Viennam dolo strangulasset, vt eidem in imperio succederet, à Theodosio mortem vlciscente superatus, sua se manu percussit. Paulus Diaconus.

Hadingus rex Danorum, suspendio se vulgo spectante suffocauit præ dolore, quem ex Hadingi Sueriuai regis morte conceperat. Saxo.

Dum arcu CALOIOANNES (qui Maurus dicebatur) Imperator Cõstantinopolitanus, in Cilicia aduersus aprum vteretur, adeò magnis viribus arcum contraxit, vt sagitta manum, qua tenebat arcum, traiceret. Quæ cum veneno, vt in venatione moris est, ferrũ illitum haberet, paucis diebus interiit: relicto Emanuele filio, imperij successore, Christo anno centesimo ac trigesimo post mille. Ful. lib. 9. cap. 12.

QVI AB ALIIS VOLENTES SVNT NECATI.

P. LICINIVS Crassus profectus contra Aristonicum Eumenis filiũ, in eo prælio profligato exercitu, ipse ne in hostium manus veniret, baculo barbari cuiusdam oculum petens, eum in sui necem prouocauit. Volat. lib. 14. cap. 2. Anth.

C. Marius iunior à Sylla è Mithridatica victoria redeunte cum toto exercitu fusus, in oppidum Præneste se recepit. Vbi obsessus, quum nulla effugij pateret rima, aut via salubris, se Pontio Telesino prębuit iugulandum. Liuius. Priusquam autem Sylla rediret in vrbem, Marius vniuersam propè nobilitatem interfecerat. Quæ res fuit in causa, vt superatus veniam desperaret. Ferunt Syllam ex eiusdem exercitu duodecim milia morti dedisse. Liuius lib. 88.

ADRIANVS Imperator Mastorem quendam barbarum (quo propter robur & audaciam plerunque vsus fuerat in venationibus) partim minis, partim pollicitationibus impulit & coegit, vt cædem sibi inferret: circumscripsitque locum sub mamilla, quem Hermogenes medicus demonstrauerat. Quo lethaliter percusso, sine dolore expirauit: testis Cassius. Hoc autem fecit incredibili membrorum omnium cruciatu impulsus, qui etiam morbi subtercutanei dolore multos è senatu prius extinxerat, vt scribit Sextus Aurelius.

TORMENTA VARIA.

Apud QVOSDAM mures viuos famelicos ventri nudo admouent: ollam imponunt, ne elabi possint. Clausi mures, & fame rabidi, acutissimis dentibus ventrem miseri cum summo cruciatu erodunt.

Infandum tormenti genus esse aiunt, si plantæ pedum muria vel aqua salsa optimè perfricentur. Admouetur capra, quæ salso sapore allecta, lingua aspera incredibilem dolorem excitat, & risu Sardonio, deliquium hominum inducit.

FAME atque SITI nullum potentius tormẽtum. His torquentur nonnulli, hoc modo. Arentibus siti situla vel aqua vel vino plena ostenditur, liquor ipse de vase in vas transfunditur, sic vt internam cupiditatem & visus & auditus exterior magis accendant. Qui ergo cupiditatibus suis frenum inijcere nequeunt, vt Esaus ius primogenituræ pulmento, sic isti infelices vitam suam aquæ haustu commutant.

AB ANGELIS AVT DÆMONIBVS INTERFECTI.

ÆGYPTIORVM primogeniti omnes nocte vna percussi sunt supernè. Grauis quidem iactura, nec magis grauis quàm subita: cuius causam si Pharaonis animus altius indagasset, nunquam tam dirum sibi & suis peperisset exitium. Sab. lib. 10. cap. 5.

Extorsit SENNACHERIB Assyriorum rex, ingens auri & argenti pondus tributi nomine, Ezechiæ Iudæorum regi, iureiurando interposito, fore vt auro appenso confestim Hierosolyma obsidione solueret. Sed impius rex, ceu sibi, non hosti iuratus esset, ex sua sentẽtia religionẽ interpretatus, ipse cum parte vna copiarum digressus, in alias porrò gentes conuertit bellum: parte tamen exercitus multo maxima ad obsidionem relicta, tãquam multum referret, per se, an per alium suis armis hostis premeretur: éstque scelus id expiatum memorabili Assyriorum cęde, centum octogintaquinque millibus hominum nocte vnã ab angelo interfectis. Sab. lib. 10. cap. 5.

Dæmonium occidit SEPTEM viros Sarę, filiæ Raguelis: sed fuit eiectũ, per boni angeli Raphaelis aduentum. Tobiæ 3. 8.

ÆGEAS proconsul post affectum martyrio Andream, à malo spiritu correptus, momento expirauit.

SVPPLICIA VARIA.

Suppliciorum species hic recensemus, quatenus corpori dolorem, vel certè perniciem inferunt. Possunt autem plurima ex loco Iustitiæ correctiuæ desumi, de pœnis quæ propter varias scelerum formas sontibus irrogantur. Huc in genere tantùm pertinent, quatenus mala corporis existunt. Ea namque, in quibus non tam doloris quàm ignominiæ ratio habetur, ad mala fortunæ referenda sunt.

Apud ATHENIENSES Hyperbolus lapis dicebatur, qui collo noxiorum aquis summergendorum suspendebatur: vt est apud Aristoph.

MACEDONIBVS saxis opprimere delinquentem, antiqui moris erat. Alex. lib. 3. cap. 5.

DERBICÆ Persarum gens in rebus dijudicandis cùm seuerissimi essent, fœda quoque supplicia & inhumana delinquentibus inferebant. Duabus enim sæpenumero scaphis fabrefactis, ibique homine occluso, ita vt manus & caput extarent, tetro odore, & immunda tabe, & longo cruciatu hominem conficiebant. Ibid.

DISPHENDOMENA, supplicij genus, apud Derbices Persarum gentem in vsu erat: qui proceris curuatis arboribus, & criminoso in deflexis cacuminibus alligato, illisque repentè laxatis, lacerum corpus in diuersa distrahebant. Ibidem.

ÆGYPTIIS fuit in more, vt hi de quib. sumendum erat supplicium, ceruices fune innexas tenerent, & frenata ora, vt eo insigni pœnas luituri notarentur: pridie quàm darentur neci, munuscula & cœnam ex regis mensa acciperent. Ibid.

In MEROE si quid rex deliquit, nulla afficitur pœna: sed cunctis auersantibus, & quotidianum congressum negantibus, mœrore & tabe conficitur. Ibid.

Apud INDOS, qui maximi criminis reus agitur, hanc luit noxam, vt à rege tonderi iubeatur, qua pœna nulla insignior fuit. Ibidem. Ex Stobæi serm. 42.

In PERSIDE veneficos vi eò compellebant, vt in amplo lapide caput impingerent: rursúsque alio superinducto, illud effringerent. Alex. lib. 3. capite 5.

In Elephantina ÆTHIOPIA, fontes ophiusam herbam bibere cogebant: qua pota, ita terroribus & falsis imaginibus afficiebantur, vt mortẽ sibi consciscerent. Ibid.

SABACVS Æthiopum rex, Anysin Ægyptiorum regem cæcum regno expulit, & 50 annos in Ægypto regnauit. Hic neminem facinorosorum morte multabat, sed pro sui quemque delicti magnitudine ad agendam certam mensuram aggerum ad vrbem, quam quisque incolebat. Atque ita vrbes sunt sublimiores effectæ, ne Nili inundatione periclitarentur. Herod. lib. 2.

ÆTHIOPVM regem quendam fuisse legimus, qui delinquentiũ crimina non mortis pœna, sed nasi mutilatione puniret: vt eam oris turpitudinem veriti, circumspectius à criminibus abstinerent. Alexander ab Alexand. lib. 3. cap. 5.

Homo quidam Chius, ira contra seruum incensus: Non, inquit, in pistrinum ego te detrudam, sed OLYMPIA ducam. Rectè enim ille putabat multo durius esse supplicium, si Olympiæ in spectaculis à radiis solaribus coqueretur, quàm si in molam ad molendum dederetur. Ælian. de Var. hist. lib. 14.

CERCETÆ illos qui crimen quodcunque commiserunt, templis arcent. Si quis autem nauim gubernans aberrarit, singuli accedentes, in faciem eius inspuunt. Nicol. de Morib. gentium: Stob. serm. 42.

ROMANI parricidas culeo insuebant, & in mare præcipitabant. Culeo autẽ, gallus gallinaceus, simia & vipera insuebatur, & in flumen vel mare præcipitabatur: vt rixa infensorũ animaliũ & fœda laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatẽ, diro cruciatus vulnere interimeretur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

ROMANIS peruulgata pœna fuit, vt leuiter delinquentes, nudatos virgis cæderẽt: aut in Latomias darẽt, qui erat locus custodiæ destinatus crudelissimus, iuxta Tullianum & forum Piscarium, in quem iam morti destinati conijciebantur. Vel si grauioribus criminibus obnoxij, tergo & capite luerent: vel de saxo & robore deijcerentur. Ibid.

AQVA & IGNI interdicebatur illis, quibus commercium societásque hominum, & ne quis eos vrbe, mensa, tecto, aut lare reciperet, vtebatur. Quod genus hodie excommunicationem vocant. Ibid.

Ad BESTIAS damnabantur nequissimi serui, aut hostes infestissimi, & plerunque homines perniciosi & immanes, qui ob multiplicia crimina defectionésque indigni venia erant. Ibid.

Ad AVRIFODINAS & lapicidinas cõdemnabãtur, qui vincti perpetuò opus facerent. Ibid.

QVI in Remp. hostilia molitus esset, furca ceruici inserta, nudus per compita ducebatur: & virgis pro dignitate tractatus, de saxo præceps agebatur, aut vnco tractus in Geomenias deijciebatur. Ibid.

CARCERES ET LOCA SVPPLICIORVM.

ÆTHIOPES delinquentes aureis cathenis vinciebant: & quos morti destinassent, per lictorem mortis signum dabant, quo accepto sibiipsis mortem consciscebant. Ibidem. Ex Diodori Siculi libr. 4. cap. 1. de Rebus antiquis & Herod. lib. 2.

PERSIS carcer fuit nomine LETHES, & domicilium cineribus refertum, ad quod nisi moriturus accedebat nemo. Ibidem.

SPARTÆ erat locus in carcere, nomine DECAS, ad pœnam ædificatus, vbi damnatos mortem oppetere cogebant. Alex. lib. 3. cap. 5.

MESSENII carcerem habẽt, THESAVRVM nomine, sub terra quadrato in saxo, in quo Philopœmenes necatus fertur. Erat autem tam immanis & tætrus, vt neque ventum, neque auram acciperet. Ibid.

THESSALORVM supplicij locus fuit, Corui nomine, præditus, ex quo noxij agebantur in præceps. vnde frequens illud, ἐς κόρακας extat apud Aristophanem. Ibidem.

SYRACVSIS Latomiæ erat locus, opus ex solido saxo in mirandam altitudinẽ depressum, & omni aditu obsepto munitissimum, de quo sontes præcipitabantur Ibid.

In finibus SICILIÆ lapidicinæ extabant, longitudine vnius stadij, latitudine duorum plethrorum. In eo loco tãdiu quidam homines tenebantur, vt inibi matrimonia contraherent: & quidam ex eorum liberis si venissent Syracusas, & equos sub iugo coniunctos cernerent, adeò perterrebantur, vt cum clamore vociferationéque aufugerent. Pulcherrima, iucundissimáque earum spelunca, Philoxeni poetæ cognomentum habebat: in qua cùm versaretur, Cyclopem omnium suorum poematũ præstantissimum elaborauit, paruipendens supplicium à Dionysio sibi constitutum, & condemnationem, sed in ipsis miseriis & ærumnis poeticam artem exercuit. Ælian. de Var. hist. lib. 12.

Apud ÆTHIOPES Macrobios, sontes omnes aureis cathenis vinciuntur. Est enim apud illos rarissimum ac præciosissimum æs. Herodot. libro tertio.

A PARENTIBVS INTERFECTI, AVT FIliis, aut fratribus.

Exempla plurima sub tit. Parricidij *reperies.*

VIRGINIVS filiam Virginiam, Icilio desponsatam, spectante populo & palàm interfecit, vt Appium decemuirum (qui eam stuprare velut seruam tentauerat) in odium & inuidiam populi traheret. Quod & factum est. Namque vt propter illatum Lucretiæ stuprum Romani reges defecerunt, ita quoque immoderata Appij libido finem fecit Decemuirorum magistratui. Liuius, & Syllius lib. 13.

DEVTERIA mulier, timens ne filia sua (quam nubilem & formosam habebat) à Theodeberto rege corrumperetur, eam in flumen præcipitauit apud Viridunum ciuitatem Gregorius Turonensis.

IACOBVS Carrariensis dux v. Marsiliectum Papifauium ducem 4 Patauinum, imperandi libidine è medio sustulit. Verùm non multo pòst à Gulielmo spurio suo euocatus à mensa, multis vulneribus confossus fuit, eo quòd per iurgium Gulielmum bastardum, hoc est nothum vocasset, Bernard. Scard. lib. 3. hist. Pat.

AB AMATORIBVS INTERFECTI, ET AMASIIS.

Vide tit. Odium amasiorum.

Trambelus, Telamonis filius, APRIATES puellæ in Lesbo amore captus multa faciebat, quo puellam illectaret. Verùm quum illa nihilo mitior fieret, meditabatur dolo ac fraude eam circumuenire. Euntem itaque aliquando vnà cum ancillis in paternum rus, non procul à mari situm, ex insidiis adortus adprehendit: & quum illa multo magis pro virginitate sua tutanda obluctaretur, iratus Trambelus, præcipitauit eam in altum mare, & sic quidem interiit illa. Quanquam alij scripserint, eam ob persecutionem Trambeli seipsam præcipitasse. Porrò Trambelum non longè pòst vltio quoque deorum sequuta est. Quum enim Achilles multam ex Lesbo prædam partem abduceret, ille ab indigenis ad auxiliũ ferendum inductus, Achilli se opposuit. In pectore igitur vulneratus, statim concidit. Admiratus robur eius Achilles, spirantem adhuc, interrogauit, Quis & vnde esset? quúmque cognouit cum Telamonis esse filiũ, multo luctu ei tumulum extruit, qui adhuc hodie Heroũ Trambeli appellatur. Parthen. de Erot. cap. 26.

ANTHEVS à Cleobœa, cuius stuprum recusarat. Parthenius in Erot. cap. 14.

ERIPPE, vxor Xanthi, à Celta raptore. Vide tit. Pœna perfidiæ coniugalis. ex Pathenij cap. 8.

HIPPARINVS Syracusiorum tyrannus, ab Achæo amasio occiditur eo gladio, quo contra stupratores iussu Hipparini vti debebat. Noctu enim incognitus eum tentabat Hipparinus. Parthenius in Erot. capite vigesimoquarto.

A CON-

A CONIVGIBVS INTERFECTI.

Consule titulum, Perfidiæ erga coniuges. *item tit.* Veneficij. *item tit.* Pœna perfidiæ erga coniuges.

A LATRONIBVS INTERFECTI, ET SICARIIS.

Consule titul. Latronum. *item,* Monomachiæ occultæ.

ANTIOCHVS & Seleucus fratres, Asiæ Syriæque reges, imperio contendebant. Victus tandem Antiochus à Seleuco fratre, dum trepidus, & ferè solus per deuia & ignota loca salutẽ quærens discurreret, in latrones incidens, ab eisdem occiditur. Seleucus tamẽ, Asia perdita, variisque modis afflictus, ex equo cadens, expirauit. Sic qui eodem ex vtero in lucem exierant, eodem miseriarum globo inuoluti periêre. Guido Bitur.

IBYCVS poeta à latronibus correptus spe prædæ, dum cultros iugulo vidit instare, præteruolantes grues obtestatus est. Aliquanto pòst tempore, dum homicidæ sederent in foro, rursúmque grues superuolarent, per iocum inter se susurrabant in aurem: Adsunt Ibyci vltores. Quo sermone audito homicidij suspectos habuerũt, qui audiuerant, correptósque tormentis ad verum coegerunt, & ex eo quæstionem exercuerunt. Atque re comperta, scelus vlti sunt. Ausonius:

Ibicus vt periit, vindex fuit altiuolans grus.

BARTHOLOMÆVS Cocles, à latrone ante ædes suas securi interfectus. Consule tit. Astrologorum.

BASSIANVS Landus, Placentinus, philosophus & medicus clarissimus, & publicus Theoricæ professor in Patauina schola, Io. Bapt. Montani discipulus & successor, anno 1562. 24. Octobris, noctu domum ex vrbe reuersus, in suis ædibus à sicario quodam septem vulneribus clàm impetitus, vltima Octobris expirauit, secunda noctis hora, & in templo Eremitanorum Patauij sepultus fuit. Causa insidiarum incerta: atque vt de ea constet, quænam tanta esse debuit, quæ nefarios homines ad tantum scelus patrandum, & ad vnicum Patauini gymnasij decus extinguendum impelleret?

A CAPTIVIS TRVCIDATI.

AMAZONES à Græcis ad Thermodontem fluuium victæ, tribus in nauibus captiuæ abducebantur. At illæ Græcos in mari somno oppressos interfecerunt: & cùm nauium regendorum imperitæ essent, vento delatæ sunt ad Mæotidis paludis prærupta, quæ Scytharum liberorum telluris sunt: ibique cum Scytharum iuuenibus commercium habentes, tandem vnà cum illis transmissæ, Tanai trium dierum orientem versus profectę, sedes fixerunt. Herod. lib. 4.

AB IMPRVDENTIBVS INTERFECTI.

Consule tit. Pœna Zelotypiæ.

HELENVS Priami filius, dum venaretur, nescio qua fortuna, Chaonẽ fratrem, à cuius nomine Chaonia dicta est, imprudens peremit. Seruius in 3. Æneid.

ATYS filius Crœsi, cum Adrasto custode suo ad venationem profectus est. Lancea quę in aprum ab Adrasto contorta fuerat, Atyn transfixit.

PELEI filiæ, suasu Medeæ (quę Æsonem Iasonis mariti patrem iuuẽtuti restituerat) gladiis adortæ dormientem patrem, interimunt: spe ductæ, quòd à Medea denuò ad vitam iuuenilem reuocandus esset. Sed illa dolum confessa, Peliam à filiabus imprudentibus occisum reliquit. Ouid. in Metam.

Menalippus Œnei filius, dum in syluis aprum Calydonium venaretur, à Tydeo fratre imprudenter occisus est. Statius lib. 2. Theb.

Pollutus placuit fraterno sanguine Tydeus.

Œdipus cum Laio patre ignoto apud Phocidem congressus, ipsum nescius interemit: matrem Iocastam, patre interempto vxorem duxit. Ouidius in Ibin:

Nec plus aspicias, quàm quem sua filia rexit,
Expertus scelus est cuius vterque parens.

Hesiodus poeta Ascræus, noctu iugulatus est ab ANTIPHO & CRIMENO fratribus: non tamen opera dedita, sed per errorem, dum illi sororis suę interfectorem esse putarent.

MORTIS PRÆCOGNITIO.

Consule Metaphysices locum: ad illum enim propriè pertinet, cùm Diuinationis quædam species sit. Huc tantum referri potest, quatenus mors est dissolutio animi & corporis.

DE MODO MORIENDI. MORS PLACIDA.

Ars præclarè moriendi.

Præclarè moriuntur, qui præclarè vixerunt: teste prouerbio. Interdum tamen etiam malè viuentes, bene moriuntur. Exemplo est latro in cruce. In genere igitur præclarè mori eos dicimus, qui placidè ex vita mortali migrant, siue id propter conscientiæ tranquillitatem & certitudinem fidei contingat, vt in piis hominibus: siue ethica quadam animi magnitudine, morbi clementia. Sępe profectò accidit, vt eorum qui sanctissimi visi sunt, tristis & horrendus sit exitus, hypocrisi & vanæ superstitioni debitus. Sæpe etiam innocentissimos viros cacodæmon in extremo agone tentat. Iudicium igitur hic incertum. Nolite iudicare, & non iudicabimini, inquit Christus. Nos Marulum secuti, eos qui vel suiipsius curam habuerunt orando, vel alios admonuerunt & instruxerunt, referemus: in quorum vtroque Ars bene moriendi consistit. Simul quoque ceterum exempla annectemus, in quorum obitu miracula quædam & prodigia apparuerunt. Mox ad Ethnicos transeuntes, quietæ & placidæ mortis argumenta indicabimus: quæ inter corporis bona non vltimo loco connumeranda est, præsertim cùm ex ipsa morte, tanquam catastrophe fabulæ, tota vita indicari consueuerit.

EXEMPLA PIA.

IOSVE Naue filius, quum diem suum esset obiturus, tribubus Israel conuocatis, enumerauit Dei erga illos beneficia: & vt legem eius obseruarent, eúmque solum, non deos alienos perpetuò colerẽt, hortatus est. Marul. lib. 5. cap. 10.

Rex DAVID morti proximus, dedit pręcepta filio suo Salomoni, Sed cur illi magis, quam cęteris? Quia cæteris ipse pręfuturus erat, & vnius præpositi instructio ad omnium vtilitatem spectabat. Salomon autem, quoniam paternis institutis obsequens fuit, sapientiam & diuitias & gloriam à Deo muneri accepit. Marul. lib. 5. cap. 10. ex 1. Paral. 29.

Tobias, quum & ipse se iam decessurum speraret, sic docuit filium, vt in illo vno omnes docuisse videatur. Deum, inquit, cole, parentes reuerere, eleemosynas da, à vitiis abstine, æs alienum libenter dissolue, nemini fac quod factum nolis tibi, sapientum nitere consiliis: benedic Deo semper, & ab eo dirigi pete. Marul. lib. 5. cap. 10. ex Tob. 14.

Omnis virtutis fons atque origo, Dominus noster IESVS Christus, vti viuendo quomodo viuere, ita moriendo quomodo mori debeamus, nos erudiuit. Mortuꝰ est pro salute nostra, vt nec nos pro salute proximorũ mori recusemus. Pro inimicis orauit, vt & nos dimittamus, si quid habemus aduersus alterum. Animam patri cõmendauit, ne nos quoque discedentem animam Deo commendare prætermittamus, à quo illam accepimus. [redacted]. Domini

est terra & plenitudo eius, Syndone munda inuolutus est, & aromatibus delibutus: vt ostenderet, eos feliciter hinc decedere, qui puritatem cordis & odoramenta virtutum secum ferrent. Die tertia resurrexit, & cœlū ascendit: vt fidem faceret, nos quoque resurrecturos, cœlúmque ascensuros, si tales in fine inueniemur, quales esse debere suo monstrauit exēplo. Ibidem.

APOSTOLI, omnésque reliqui MARTYRES pro iustitia, pro veritate, pro Christo morientes, præstantissimum id esse mortis genus testantur, quod ipsi passi sunt. Sed non omnibus hoc contingit: omnibus tamē ea mens esse debet, vt si fors ita ferret, libenter & ipsi sustinerent. Cuius is animus, vel tunc quum è vita egreditur, fuerit, proculdubiò Martyrum ipsorum coronæ particeps erit. Corda enim perpendit Dominus, magis quàm facta. Dic ergo cum Paulo: Non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Certè talis in moriēte charitas eleuabit doloris angustiæque sensum, & hominem alterius vitæ desiderio accendens faciet exclamare: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Ibidem.

MARIA Magdalena Domini Iesu apostola, cum diem dormitionis suæ iam proximum præsciuisset, nolens absque eucharistiæ sacramento decedere, à Maximino episcopo illud accepit, & ante altare humiliter prostrata spiritum tradidit. Corpusculum odore perquam suaui fragrauit. anima ab angelis in cœlū sublata, pro laborib. quos in terra sustinuerat, perpetuæ quietis fœlicitate gaudere cœpit: & quæ quondam lachrymis lauerat pedes Domini, nunc in conspectu eius exultat sine fine. Ibid.

MARTHA soror illius, reuelato sibi vitæ fine, per annū febris ignib. æstuauit. Cum autem decessura esset, lampades accēdi iussit, & astantibus vt vigilarent iniunxit. Nocte propè media ventus irruens luminaria extinxit, dæmones apparuerunt. Sed cùm illa orasset, soror è cœlo delapsa affuit, malignos spiritus in fugam vertit: ipsam consolata est, lucernas accendit. Tunc & Christus ei præstò fuit, & vt secū veniret hortatus est. Ipsa igitur tam optato itineri se accingens, efferri se sub dio fecit, cineréq; conspergi, & crucem sanctam iuxta apponi, atque euāgelium Dominicæ passionis à Luca scriptum legi. Postremò in manus Domini spiritum suū commendans, obiit. Itaque non minus cùm ad Christum proficisceretur sollicita erat, quàm olim cum ei ministraret: nisi quòd magis gauderet æternitatis hospitio, quàm temporalitatis. Ibidem.

MARIÆ Ægyptiacæ vasta in eremo degenti, & ferarum tantùm sociæ, ne in fine vitæ, sine salutari viatico decederet, Zozimas abbas occurrit. Qui dato eucharistiæ Sacramento, cùm postea defunctam reperisset, reperit simul in puluere scriptū: Sepeli Zozima Mariæ corpus, & terram terra tege, ac pro me ora. Tunc leo ad cauandam sepulturam operā præstitit, Zozimas ad cadauer condendum. Sic ergo & deserti bestiæ, deserti habitatoribus inseruiunt, & in solitudine Christum quærentibus: neque sacra deest communio, cum oportet, neque sepultura. Ibidem.

Nursiæ presbyter VRSINVS quum animam ageret, prorupit in verba salutationis, quasi quos principes viros ad se accedere cōspiceret, & aduētu eorum admodum gauderet. Optatò, inquit, aduenistis domini mei: & gratias ago, quòd præsentia vestra me dignamini, qui vester seruus sum. Deinde tanquam ab ipsis inuitatus: Venio, venio, respondebat. Tūc quid videret, vel quo cum loqueretur, ab iis qui aderant, interrogatus: Nunquid, ait, non conspicitis hic Petrum & Paulum apostolos, qui modò huc intrarunt? Et quum rursum ad illos conuersus, iamiam se venire diceret, relicto corpore abiit. Hoc ferè iis contingit, qui piè castéque vixère, vt decessuri sanctos videāt, ne in morte mortis æternæ pericula formident: & dum tali spectaculo consolantur, vltimæ anxietudinis dolorē non sentiant. Ibid.

IOANNES Ægyptius anachoreta, præter vitæ sanctitatem, futurorum etiam vaticiniis clarus, quum diem postremum sibi imminere cerneret, toto triduo neminem ad se admisit, vt Deum (ad quem gaudens proficiscebatur) liberius expeditiúsque cōtemplari posset. Triduo verò elapso, complicatis genib. orando spiritum emisit. Qui cum tali gestu, talique humilitate egrediuntur, eos ego misericordiam iam adeptos arbitror. Non enim tanta gratia præuenirentur, nisi maior esset secutura. Ibidem.

PAVLVM primum eremitam Antonius abbas orantis gestu expirasse offendit: necdum exanimē putabat, donec nullos (vt solebat) gemitus, nulla suspiria ipsum emittere deprehēdit: indoluítque vehemēter, quòd se relicto mortem obiisset. Nec immeritò cum illo decedere cōcupiuit, cuius etiam defuncti corpus Deum adorare conspexit, imò cuius animā ab angelis in cœlum ferri viderat. Ibid.

Ipse verò ANTONIVS, quum diem qua de terra cessurus erat, multo antè prædixisset, eadem defunctus est. Sed dum adhuc æger spiraret, monachis vitæ monita dedit: insupérque iniunxit, vt quum se humassent, curarent, ne qua ibi humationis vestigia apparerent: & locum nemini vnquam indicarent, ne ab hominibus honoraretur: volens & in morte humilitatem seruare, quàm apprimè in vita coluerat. Ibid.

HILARION abbas ad Hesichium monachum testamenti vice epistolam scripsit, omnes diuitias suas ei relinquens, quæ erant, Euangeliū, tunica saccea, cuculla, palliolum. Et quum plerique religiosi viri ad ægrotantem conuenissent, omnes adiurauit, vt ne puncto quidem temporis post mortem reseruaretur, sed statim se terra operirent, sicut vestitus erat, cum tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico. Quúmque iam extremo āhelitu laboraret, apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times: egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè ānis seruiuisti Christo, & mortem times? In hęc verba beatum exhalauit spiritum, statímque terra obrutum, antè vrbi sepultum quàm mortuum nunciauerunt. Ibidē.

ONOPHRIO in vastissima Ægypti solitudine moranti, & nulli hominum cognito, & consumptis indumentis nudo, quum iam vita excessurus esset, contigit Paphnutiū abbatem videre, à quo interrogatus, nomen vitámque exposuit: & ipsum à Deo sibi destinatum; à quo postera die sepeliendus esset, dixit. Quum ergo animam (vt prædixerat) exhalasset, vidit eam Paphnutius ab angelis in cœlum tolli. Cuius corpusculum suauissimo odore diuinitùs perfusum sepelire volens, instrumentū quo terram cauaret, non habuit. Et ecce accurrunt duo leones, tellurémq; vngibus scalpentes, fossam hominis capacem fecēre. Sicque ipse pallio suo inuolutum, atque ibi depositum, humo quam bestiæ egesserant, operuit. Eo vix sepulto, cella corruit, & palma quę iuxta illā stabat, radicitùs euulsa procubuit, quasi dedignātes aliorum vsui seruire, quę tam exactę sanctitatis viro seruissent. Cuius ergo tam magnifica in terris mors fuit, quā gloriosa vita est in cœlo? Ibid.

PAVLINI Nolani episcopi, vt vita, ita vitæ exitus mirabilis fuit. Cubiculum in quo æger iacebat, ipso expirante intremuit, & eos qui aderāt repentino pauore obstupefecit. Si viri sanctitatē consideres, ideo in morte eius concussum pauimentum dices, vt beatorum spirituum multitudinem ad suscipiendam defuncti animam eò conuenisse testaretur. Dignus quippe tali tunc comitatu fuit, qui dum viueret, omnia quæ habere poterat, indigentibus dabat: & cùm res defecissent, seipsum dedit, vicaria seruitute redimens viduæ filium. Meritò nunc cum angelis gaudet, qui sic homines dilexit. Ibidem.

Ad PROBVM Reatinæ vrbis episcopum, puer qui ægrotanti assidebat, vidit duos viros ingredi candidis vestib. indutos, radiantíque facie lucentes: & mente consternatus, qui essent, clamare magis quàm interrogare cœpit: donec ab episcopo Probo sedatus audiuit, illos Iuuenalem & Eleutherium esse, pro Christi nomine olim supplicia necémque passos. At neque hoc ferre valens, è cella prosiliit, & rem aliis detulit: qui mox vnà cum ipso ad cubiculum accedentes, offenderunt episcopum iam expirasse, aliúmque ibi adesse neminem. Nec dubitarunt, quin ille cum iisdem, quos puer viderat, ad cœlestem beatitudinem possidendā abiisset: dignus vtique martyrum consortio, qui vehementis languoris molestias æquo animo pertulisset. Ibid.

DONATVM presbyterum apud Aureliam Galliarum vrbem ferunt, cùm dies dormitionis eius instaret, nunquam preces intermisisse, donec animam exhalaret. Deprecatio enim misericordiam impetrat, gratiámq; conciliat: vt vitæ huius finis, illius vitæ initium sit, quæ fine caret. Ibidem.

Diuus HIERONYMVS moriturus, humi se collocari iussit, saccóque quo induebatur operiri. Tum discipulis conuocatis, eos vt in Dei seruitio perseuerarent, multum exhortatus est: deinde sacramentum corporis & sanguinis Domini in genua erectus, & lachrymis perfusus, reuerenter hausit. Mox terram prono ore petens, dispansis manibus: Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Post hęc lux multa super eum fulsit. Quidam etiam Angelos vidisse se restabantur, vocémque audisse illum ad patriam cœlestem inuitantium: & ipsius respondentis, quòd libenter cupidéque veniret. Mox discedente luce, anima quoque à corpore suo discessit. Exanime corpus diuinū spirare odorem cœpit, omnia vnguenta suauitate vincentem. Eadem hora diuersis in locis visionibus quorundam ad quantam ille beatitudinem translatus sit, liquidò patuit. Nos eius humilitatem saltem in moriendo imitemur, quandoquidem tantam in viuendo sanctitatem assequi indigni sumus. Ibid.

EVSEBIVS Cremonensis, D. Hieronymi discipulus, cùm post illum mortem obiret, iisdem humiliationibus vsus est. Cæterùm qua hora migraturus erat, repentè caput erigens, oculis pauitantib. circunspicere, & quasi in furorem versus clamitare: Non faciam, non faciam: mentiris, mētiris. Deinde ad terram procliuus faciem abscondere, intremiscere, ac quantum poterat vociferari: Adiuuate me fratres, adiuuate me, ne peccā. Illi verò partim expauidi, partim mœrore concussi rogitabant: Quid habes pater? quæ hæc te exagitat sollicitudo? quid times? An, inquit, non videtis dæmonum cateruam, hic in meam perniciem congregatam? Ille qui præ cæteris horrendus apparet, compellit me ad blasphemias, hæresúmque prauitatem: & tam dirus est, vt contra tueri non ausim. Tūc fratrum supplicationib. dæmones in fugam versi sunt. Et beatus Hieronymus apparens, ipsum ne paueret hortatus est. Eius itaque conspectu Eusebius recreatus, in Domino obdormiuit. Nemò ex incompto aliquo deformíque decedentium gestu animas eorum iudicet, si vir tam sanctus ita se in morte habuit, vt de illo dubitaret, nisi quod contigerat, palàm factum fuisset. Ibid.

Ipse inter quatuor ecclesiæ candelabra numerandus AVGVSTINVS, cū febri correptus, vitæ sibi finem imminere conspiceret, Psalmos, qui pœnitentiales dicuntur, conscribi, & ante se legēdos parieti affigi iussit. Eos dum legeret, lachrymas vbertim fudisse dicitur: neminem ad se accedere passus est, præter medicum, & Discophorum puerum: ne variis multorū interpellationib. ab earum rerum contemplatione auocaretur, ad quas perpetuò fruendas iam se profecturum sperabat. Tandem communione venerabiliter percepta, spiritum reddidit. Sed prius & hoc memoratur dixisse, neminem (quamuis sanctum & perfectum virum) decedere debere, nisi antè confessus communicatúsque fuisset. Nolle enim confiteri, arrogantis esse: nolle communicare, inobedictis. Si autem Augustinus pœnitentiæ precationes cum fletu sibi peragendas putauit, quid nos facere oporteat, qui in nullo ad eum comparandi sumus? Discamus tamen, tunc maximè pœnitendum dolendúmque esse, cùm periculum est, ne dolere incipiamus in æternum. Ibid.

AMBROSIVS episcopus tum doctrina, tum sanctitate notus, cùm animam

nam esset acturus, communione sacra sumpta, expansis latè brachiis, demissáque ceruice, tacitus intra se orauit: atque hoc gestu actúque illi decedere libuit, vt talis Domino occurreret, qualis ipse pro nobis pependerat in cruce. Ibidem.

FRANCISCVM legimus, nudum se super nudam humum deponi fecisse, cum diem expectaret supremum: fratribúsque benedixisse, & Dominico exemplo singulis buccellam panis dedisse, sumpto demùm sanctis viatico vita decessisse. *Sic ergo nudus, sic ad terram vsque humi*liatus, cœlestibus abundauit diuitiis, & supra cœlos exaltatus est: illícque ipsi Seraphim inseparabiliter iunctus, cuius olim stigmata in corpore suo portarat. Ibidem.

DOMINICVS vltimo vitæ die, ne intestatus obiret, hæc se fratribus suis legare dixit: charitatem, humilitatem, voluntariam paupertatem. O beatum virum, qui cùm hinc decederet, nihil habuit quod suis relinqueret præter exempla virtutum quarum qui hæres fuerit, cœlestis quoque regni hæres erit. Ibidem.

ANTONIO Hispano, cuius corpus Patauij in veneratione est, cū aduersa valetudine oppressus iaceret, Christus apparuit: cuius conspectu lętus, atque intimis exultās præcordiis, hymnum voce qua potuit, decantauit, simúlque hymnum & vitam hanc finiuit: illam vitam fœliciter inchoans, quæ finem non habet. Ibidem.

ODILONI Cluniacēsi abbati, quum ęgrotaret, diabolum tetra horribilique forma propius astitisse ferunt: sed mox ab eo contemptum, cōfusúmque discessisse. Ille ergo fugato aduersario, confidentius finem suū expectauit. Quem enim terrere diabolus non potuit, ei ne mors quidem timori fuit. Ibidem.

STEPHANVM abbatem sanctimoniæ singularis virum, ij qui ad ægrotantem conuenerant, præ timore fugientes reliquēre: pars angelos ad eum intrantes viderant, pars nihil viderant, & omnes vnus idémque occupauit pauor. Quum sedato timore rediissent, defunctum inuenēre, quem viuum adhuc dimiserant. Quàm putas gloriosi angelorum cœtus hominis animam excepere, quum eorum aduentum illi etiam qui non viderant, sustinere nequiuerint. Ibidem.

SERVVLVS paralyticus quum extremos iam anhelitus duceret, & quo modo poterat vnà cum iis quos circa se conuocauerat, Psalmos concineret: mox, Tacete, tacete, inquit: nunquid non auditis, quanti & quàm dulces cātus resonant in cœlo? & dum intentos in cœlū oculos tacitus teneret, vita elapsus est. Corpus verò, donec sepulturæ mandatū est, miro odore fragrauit. O felicem optandúmque exitum, quem speratæ beatitudinis duo certissima signa cōmendarunt, in cœlo angelorum melos, in terra suauitas odoris. Ibidem.

HOMOBONVS Cremonensis, multa sanctitate clarus, dum sacra genibus prouolutus audit, expirauit: nemo eum non viuere putabat, donec dum Euangelium legeretur, eodem gestu perseuerātem, neque se, vt solebat, in pedes erigentem viderunt. O fœlicem viri exitum, cuius beatitudinem locus, tempus, gestus testati sunt. Adde etiam defuncti miracula, eo quòd ægroti & à spiritibus vexati, cùm ad tumulum eius adducti essent, conualuere. Ibidem.

ELIZABET Turingiæ Lantgrauij vxor, ex febri iacens, cùm ad parietem se vertisset, apiculæ fortè aduolantis tinnulo cantu admodum delectata, quasi iam angelos cœlo, quo mox itura erat, concinentes audiret: & ipsa Deo laudes voce ad languorem tenui pressaque succinere cœpit. Læta mortem expectabat, iugiter orabat: & cum prope se dæmonem vidisset, vt protinus recederet, iussit. Eo fugato, Christum vidit, à quo ad cœlestem thalamum inuitata mox ire perrexit: & tūc exanime corpusculum diuinum spirauit odorem: quia in odorem vnguentorum Christi, dū viueret, cucurrit. Ibidem.

LVDOVICVS v. Gallorum rex, cum ingentibus copiis ad recuperandam Hierosolymam profectus, partéque iam regionis illius occupata, febris morbo interceptus, nequiuit præstare quod promiserat. Dum autem ęgrotaret, non in sericis, sed in cinere iacere voluit: & extensis ad instar crucifixi manibus, animam efflauit. Sic humiliatus regnum deseruit terrenum, & cùm Christo regnare cœpit in cœlo. Sic deuotus, dum infimam Hierusalem capere nititur, possedit supernam: sic denique magnanimus caduca contemnens, ad illa quæ æterna sunt perpetuò fruenda conscendit. Ibidem.

BONIFACIVS Amerbachius Basiliensis, Iureconsc. clarissimus, morte placidissima & sanctè innocentérque transactæ vitę consentanea, corporis ergastulo exemptus est. Vide tit. Iureconsultorum.

EXEMPLA ETHICA.

TELLVS Atheniensis ciuis, in Repub. bene instituta versatus, filios honestos habuit, & bonos: & ex illis nepotes, omnésque superstites vidit. Tandem apud Eleusinam pro patria pugnans, deuictis hostibus obiit. Eū Solon beatiorem Crœso iudicauit. Secundo loco CLEOBIN & BITONEM Argiuos, qui & robusta corpora habebant, adeò vt in certaminibus sæpe victores fuerint, & victus annui satis. Hi cùm matrem ad phanum Iunonis Argiuæ ducturi essent, neque boues ex agro præstò adessent, ipsi boum iugum subire, & palustro matrem per 45 stadia ad templum pertraxere. Quos cùm omnes pietatis ergò collaudassent, mater etiam ante simulachrum deæ procūbens, precata est, vt daret filiis suis id quod optimum esset. Post sacrificium & epulas in ipso delubro quiescentes iuuenes, dormiendo mortui sunt. Quorum effigies Argiui apud Delphos collocarunt. Herod. lib. 1.

PINDARVS Lyricorum princeps, cùm per eos qui à Bœotiis ad oraculum missi fuerant, sciscitaretur, quid optimum homini contingeret? Responsum accepit, id quod Agamedi & Trophonio accidisset. De his idem Pindarus scripserat, quòd cùm Delphicum templum condidissent, & ab Apolline mercedem petiissent, ille in septimam diem eos reiecit, & interea bono animo esse iussit. Nocte igitur septima placidè obierunt. Hoc oraculo intellecto, Pindarus ea quæ ad mortem pertinerent cogitare cœpit, neque ita multo pòst diem suum obiit. *Plut. in* Consolatoria oratione ad Appollonium.

Aristippus interrogatus, quomodo Socrates obisset dic? Vt ego, inquit, optarim. significās, talē mortē quauis vita optabiliorem nec potuit breuius felicem obitum describere. Dicti tamen argutia in hoc est, quòd philosophus aliud responderit, quàm expectabat percontator. Ille quęrebat de genere mortis, morbo periisset, gladio, veneno, an pręcipitio? ille putās id nihil referre, respōdit, illum feliciter esse mortuum. Laert. li. 2. ca. 8.

PLATO, extremo vitæ tempore gratias egit Naturæ, & suo Genio, quòd homo, non bestia natus esset: Græcus, non Barbarus: quòd Socratis temporibus, à quo sapienter potuit institui. Sab. lib. 10. cap 13.

ANTIPATER Tarsensis mortem obiturus, cùm propter alia quædā suam laudauit fortunam, egítque gratias: túmque quòd ex Tarso profectus, Athenas vsque prosperrima vsus esset nauigatione. Sab. libro 10. cap 13.

HERMES Trismegistus philosophus Ægyptius, moriens iamiam hæc protulit verba: O cœlum magni Dei sapiens opus, téque ô vox patris, quā ille primam emisit, quando vniuersum constituit mundum, adiuro per vnigenitum eius verbum & spiritum cuncta comprehendentem, misereminí mei. Volat. lib. 15. Anthr. ex Suid.

MORS HORRENDA.

Vide tit. Desperationis. Item tit. Pœna persecutorum religionis.

MORTE INTEMPESTIVA ET IMMATVRA ABSVMPTI, SIVE ÆTATEM *spectes, siue conatus.*

Differt hic titulus ab illo, Homines breuissimæ vitæ. Hic enim causam, cur immatura mors videatur, continet: ille verò simpliciter temporis breuitatem recenset.

Inter Hæmi montis ascensum, & Demetrij filij necem, PHILIPPVS Macedoniæ rex Romanum bellum meditatus est: eundem fortassis exitum habiturus, nisi morte interim præuentus esset, quē Perses habuit, cui id bellū nō aliter quàm regnum reliquit hæreditarium. Sab. l. 10. c. 13.

Subegerat totum Oriētem Magnus ALEXANDER, & iam de Aphrica subigenda cogitabat, vt ea subacta, Europam Macedonum armis subigeret: hæ tum erant illius curæ, cùm festinata mors tantas spes abrupit, illustri documento, iuxtà summa & ima æquis à morte spaciis distare. Ibidem.

C. MARIVS septimò consul, & iam propè septuagenarius diem obiit. Cæterùm propinquus morti, Fortunam crudelem apellauit, quòd priusquam consilia & desideria sua peregisset, vita abrumperetur. Ibidem.

LIVIA Medullina Claudij Cæsaris vxor, die nuptiis destinato, mala valetudine extincta est. Guido Bitur.

ALBIVS TIBVLLVS, eques Romanus, & poeta elegiarum, extinctus est media ferè iuuentute, Quam temporis breuitatē Ouid. queritur:

----Nec auara Tibulli
Tempus amicitiæ fata dedēre meæ,

M. CÆLIVS orator acri turbulentóque ingenio, discipulus Ciceronis, immatura morte, iuuenis admodum discessit, ex quo Quintilianus eū longiore vita dignum iudicauit. Eius enim verba sunt: Multum ingenij in Cælio, & præcipuè in accusando, multa vrbanitas, dignúsque vir cui vita longior contigisset. lib. 10. Orat. instit. cap. 1.

MARCELLVS Caij Marcelli ex Octauia, olim M. Antonij vxore filius, discessit admodum puer, magna spe adempta successionis Augusto, qui eum sibi adoptauerat. Volat. lib. 17. Anthrop.

IOVINIANVS Imp. optimus, & orthodoxus, post Constantium Arianum, & Iulianum apostatam ethnicum, sub quo Athanasius ille magnus suis restitutus est, & Ecclesiæ à persecutionibus respirare cæperunt, post octauum imperij mensem, cùm Constantinopolim proficisceretur,

ad Bosphorum venit, in locum Dadastana:vbi cùm post largas epulas,in summo frigore,in cubiculo quod nuper calce incrustatum fuerat,obdormiuisset,à venato illo vapore strangulatus,& à bonis desideratus omnibus obiit:atque vt magis desideratur, Valentis perfidia, qui eum secutus est,fecit:qui Arianis fauens, nouas turbas in Ecclesia Dei, & horrendas persecutiones excitauit.Nicephorus lib.10.cap.43.

ANG.Politianus Andronici discipulus, rem assumpserat perutilem, si per mortem licuisset,authores vetustate aut negligentia collapsos innumeris locis emendare ac restituere.Volat.21.Anthrop.

GEORGIVS MERVLA, patria Alexandrinus, apud Vicecomites Mediolani agitans,eorum historiam sumpserat scribendam, quam morte præuentus non absoluit.Ibidem.

QVI EODEM DIE, QVO NATI SVNT, *mortem obierunt.*

ANTIPATER Sidonius poeta, omnibus annis vno die, natali tantùm, corripiebatur febre, & ea consumptus est satis longa senecta. Plinius lib.7.

Alexander Magnus sexto die Thargelionis natus fuisse dicitur, & eo dem quoque obiisse.Alex.lib.4.cap.20.

Augusto Octauio idem dies susceptiimperij primus, & vitæ supremus fuit.Alex.ab Alex.lib.4.cap.20.

C.IVL.Cæsar Martiis Idibus natus est, & optimatum conspiratione in Senatu interfectus.Sabell.lib.9.cap.4.

CN.Pompeio Magno idem vitæ fuit & mortis dies.Sab.ibidem.

ANTONINVS Caracalla,Carris prope Edessam in Mesopotamia occisus natali suo,VI scilicet Idus Aprilis, à Macrino præfecto prætorio, anno ætatis 29.imperij 6.

GREGORIVS magnus & primus,Rom.pont.eodè die natus & mortuus est, videlicet 4.Idus Martij. Ioannes Diaconus, qui vitam eius scripsit.

GARSIVS, Petrarchæ proauus paternus, centum & quatuor uixit annos, moriens ipso etiam(vt Plato)natalis sui die, in eóque thalamo quo fuerat natus.Guido Bitur.

IN BELLIS INTERFECTI. STRAGES CRVENTÆ.

Infinita sunt huius loci exempla. Nos paucis erimus contenti.Vide tit. Victoria cruenta.

In bello Troiano Protesilaus & Patroclus ab Hectore: Cycnus,Memnõ & Hector ab Achille:Achilles à Paride: Antilochus Nestoris filius ex Eurydice,à Memnone interfectus est.

Tellus Athenensis,vir fœlicissimus,cùm potentia esset maximus in patria,& filij præstantissimi atque optimi,tandem vrgente bello Atheniensium contra Aristogitonas apud Eleusinam,posteaquam hostes superassent ipse in bello occubuit,vt est apud Herodotum in lib.1.

Athenienses semper summo studio nauiũ classem sibi comparauerunt: & pro temporis interuallis nunc victores, nunc victi, amiserunt triremes in Ægypto ducentas,vnà cum supplementis:in Cypro 150.in Sicilia 240.in Hellespontо 200.Armaturæ grauis milites eis perierũt in Sicilia 40000. in Chæronia 1600 Ælian.de Var.histor.lib.5.

LYSANDER Lacedæmoniorum dux inuictissimus,cecidit in acie,superatus ab Atheniensium duce Cononе, in bello Thebanorum terrestri pugna Volat.lib.16.Vrb.Com.

Hostus Hostilius,cùm Romulus aduersus Tatium, qui montem Tarpeium tenebat,processisset:& in eodem loco,vbi nũc Rom.forum est, pugnam conseruisset,fortissimè pugnando cecidit. Cuius interitu consternati Romani,fugere cœperunt:vt est apud Liuium lib.1. & Plutar. in Romulo:item Cæcilium.

L.Æmylius Paulus consul cum Terentio Varrone,temeritate collegæ inire pugnam cum Hannibale coactus,apud Cannas Cecidit.Cuius cadauer ab hostibus inuentum,honorificè tumulatum est,Liuius.

L.Attilius Calatinus,cum ccc.militibus eruptione facta,acriter in prælio pugnans cecidit,& semianimis demum inuentus & sanatus est. Liuius lib 19.& Volater.lib.13.cap.3 Anthrop.

L.Posthumius post Camensem pugnam consul in Galliam profectus, & à Boiis cum exercitu profligatus,ne caperetur, omni vi in prælio occubuit.Cuius inuenti caput præcidentes Barbari, onantes in templo obtulerunt.Idque factum vas erat, quo in solemnibus libarent, vt est apud Liuium lib.22.

P.CORN.Scipio.pater Africani,cũ multas in Hispania victorias consecutus esset,reliqui gessisset memoratu dignissimas, demũ in quodã prælio aduersus hostes inito,cùm se offert,vbi plurimũ periculi erat, subitò occiditur.vt est apud Liuium,& Volat.lib.19.Authrop.

CN.SCIPIO frater, simili penè casu paucis pòst diebus fortiter pugnando interiit.Ibidem.

Q.FVL Flaccus proconsul,in prælio ab exercitu Hannibalis interficitur.Liuius lib.37.

C.QVIN.FLAMINIVS consul, cùm Caio Seruilio inauspicatò iter ingressus,& ab equo quo insederat per caput deuolutus:cum Hannibale pugnans apud Thrasimenum, vnà cum exercitu cecidit: eius verò cadauer inter mortuos ab Hannibale quæsitum,nec inuentũ est.Liuius li.22.

Q.FAB. ALLOBROX, consul contra Allobroges de exercitu Bituiti Aruernorum regis,CXX.millia cecidit.Volat.lib.16.Anthrop.

Lentulus Spinter,cùm præesset Asculi, tempore belli ciuilis, aduentante Cæsare repentè destituit.Periit autem,vt author Lucanus, in sinistro cornu,in pugna Pharsalica,postquam Pompeium adhortatus est, vt in Ægyptum aufugeret.Volat.lib.16.Vrb.Com.

SEMPRONIVS Tuditanus prætor à Celtiberis cum exercitu cæsus est,vt testatur Liuius,& Volat.lib.19.Anthrop.

Nicephorus Romanorum Imperator, posteaquam Poloniam partim viribus,partim fraude captam diripuisset,cum Bulgaris in superiori Mœsia congressus,in bello occubuit Volat.lib.23.Anthrop.

CLODOMIRIS Aurelianensium dux,post obitum patris,cùm matris Crotilde precibus in G5.debaldum arma sumpsisset:exercitu in Burgundiones ducto,in acie fortiter dimicans,fusisque victoriam relinquès, occubuit.Ritius lib.1.de Reg.Francorum.

MEROEVS in Gallorum regẽ suffectus,pro Romanis aduersus Hunnos & Visigothos in campo Catalaunico pugnans occubuit.Michael Ritius Neapolitanus de Reg.Franc.lib.1.

VEREMVNDVS, huius adpellationis Hispaniæ rex tertius, cùm in Alphonsi Quinti fratris locum subiisset, non ita multo pòst orta inter eũ Ferdinandũmque sororis suæ virum simultate,in apertum martem prorupit:collatisque signis apud Caniociem in acie cecidit, anno post initũ regnum x.Ritius Neap.lib.3.Hispan.

Rodericus rex Gothorum à Mauris,à Iuliano sollicitatis, bello petitus, acie cecidit Ritius lib.2.Regum Hispanię.

ALMARICVS Hispanorum rex,cùm è pueris excessit,annis quinque rem per se administrauit (Theodericus enim hactenus firmam ætatem rexerat)& commisso cum Gallis prælio obtruncatus est.Ritius lib.1.Reg. Hispanorum.

ALARICVS Hispanorum rex, qui post Hebricum fratrem Gothis imperauit annis duodecim,in acie cæsus est à Fuldiguino comite, apud Pictauium Ritius Neapol.lib.1.Regum Hispaniæ.

Theodericus primus huius nomin's Hispanorum rex,dum pro Romanis aduersus Attilam pugnaret,Hunnorum regem,in campis Catalaunicis occubuit Ritius Neapolitanus lib.1.Regum Hispanorum.

Sanctius II.Hispanorum rex in acie cecidit, aduersus Saracenos initio prælio.Ritius Neapolit.lib.3.Reg.Hisp.

IN VENERE ET ADVLTERIO INTERFECTI.

Exempla quædam ex tit.Veneno mortuorum,peti possint.Item, Pœna adulterij.

PHAON,quum esset hominum pulcherrimus, à Mytilenæorum mulieribus ardenter appetebatur.Vnde factum,vt in adulterio deprehensus iugularetur:author Cæl.

SVPERSTITVM philosophum Tertullianus in Apologetico contra gentiles ait,de Platonis schola,in adulterio periisse.

ALCIBIADES Athenensis cum Timandra meretrice à Lysandro interfectus est in actu Venereo:vt credibile est,incertum tamẽ.Plut.& Valerianus.

TIGILLINVM præfectum vigilum & prætorij, inter stupra concubinarum & oscula,sectis nouacula faucibus inhonestam clausitvitam Cornelius Tacitus ait.

RODOALDVS Longobardorum rex in libidine deprehensus,cum matrona interfectus est,vt testatur Paulus Diaconus.

IOANNES duodecimus pont.Rom.in adulterio comprehensus, itidem interfectus est.Cuius mors eo turpior est, quo sanctiorem eum esse oportet,qui dignitate cæteros antecellit.Platina.

IN CONVIVIIS INTERFECTI.

AMNON filius Dauidis, à fratre Absalone ad conuiuium vocatus, fratris manu interfectus est: eo quòd sororem Thamar, quam ad insa-

ciam vsque amarat,violasset.2.Reg.13.

GOBOLIAS,quem præfecerat rex Babylonis terræ Iuda,cùm conuiuio Ismaelem filium Nathaniæ,multósque cum eo excepisset,post prandium ab eis interfectus est.4.Reg.vlt.

PTOLEMÆVS filius Abobi,gener summi sacerdotis, fecit conuiuiũ SIMONI & duobus filiis eius, & cùm inebriati essent, occidit eos. 1. Mach.16.

THEVDEGISILLVS Vuisigothorum rex, inter conuiuandum à suis interemptus est.Sigeb.in Chron.

CLITVS ab Alexandro sibi familiarissimo,& omnium charissimo, in conuiuio gladio confossus est.Pont.cap.21.de Immanitate.

PERSÆ ab Alexandro Amyntæ F.in conuiuio oppressi sunt. Vide titulum,Perfidiæ erga legatos.

IN BALNEIS MORTVI, AVT INTERFECTI.

Consule tit.Sanguinis fluxu mortui.

EPICVRVS.Vide tit.Vesicæ affectibus mortui.

AGAMEMNON domum reuersus Troia expugnata, à Clytemnestra uxore & Ægistho adultero in balneo trucidatur.testes Troiani belli scriptores.

ROMANVS IIII.Argyrus Imp.à Zoe vxore secunda in balneo suffocatus est,anno ætatis 46.Zonaras.

IN LATRINIS ET CLOACIS MORTVI.

Consule tit.Eorum qui Ventris profluuio perierant.

GNIVS Carbo summa in Repub.authoritate,cùm partes Marianas sectatus esset,in tertio consulatu suo in Sicilia,iussu Pompeij,dum ventrem apud latrinam exoneraret,trucidatus est.Valer.Max.& Volat.lib.14.cap. 1.Anthr.Plut.in vita Pompeij.

ANTONINVS Heliogabalus,cùm omnibus voluptatibus operam dedisset,tandem ob vitia cunctorum odio contracto,in palatio,atque in latrina,quò confugerat,necatur: in cloacámque demersus, ac inde per cirei spacia vnco tractus,in Tyberim proiectus est,quod nulli antea imperatori contigit.Lampridio teste,& Plutarch.

FOELICVLA virgo, quum nullis tormentis aut pollicitationibus à Christiana religione diuerti posset,iussu Flacci comitis in latrinam detrusa est,& ibidem mori coacta.

IRENEVM & ABVNDIVM martyres Valerianus in cloacam detrudi,& ibidem emori fecit,quòd sanctæ Concordiæ corpus inde extraxissent.

ANASTASIVS Papa,huius nominis secundus,natione Romanus,patre Fortunato,cùm esset in latrina,ac vellet naturæ necessitati subuenire effudit intestina,subitóque mortuus est.Gratian.Guido Bitur.

PRESBYTER episcopatum Auernensem affectans,aluum exonerare volens obiit.Vide tit.Doctorum ecclesiast.in vita Sidonij.

IN CARCERIBVS MORTVI.

IOANNES Baptista,cum dixisset Herodi,non licere ei secum habere fratris vxorem,coniectus est in carcerem,& in eodẽ decollatus.Mat.14. Mar.6.

ARISTOBOLVS & ALEXANDER,Herodis primi Iudæorum regis filij,à parente propter falsam suspicionẽ in carcere sunt necati. Fulg. lib.5.cap.6.

THEOPOMPVS Spartanorum rex,cùm coniectus esset in carcerem, permutato cum vxore habitu euasit.Quintilianus lib.2. & Volat.libr.20. Anthrop.

THERAMENES Athenensis philosophus,iussu XXX.tyrannorum,sicuti Socrates,in carcerem missus,veneno extinctus est.Quod cùm bibisset:propino hoc,inquit,Critiæ:qui causa potissimum eius mortis fuerat. Cicero in Tusc.quæstionibus.

SOCRATES Athenensis philosophus, propter deorum contemptum in carcerem ab Atheniensibus coniectus, cicutámque bibere coactus est.

NICIAS Athenensis,& Demosthenes, duces fortissimi,cùm infœliciter aduersus Syracusanos pugnassent,captiui ducti, & in carcerem conjecti sunt,vbi sibiipsis mortem consciuerunt:vt est apud Plut.

CLEOMENES ad Ptolemæum regem(ab Antigono victus)fugiens, à Nicagora quodam,apud regem suspectus factus,custodiæ cum quibusdam aliis traditus est:qui tamen se omnes mutuis in carcere vulneribus necauêre.Plut.

EVMENES Cappadocię atque Paphlagonię rex,suorũ fraude venit in Antigoni potestatem:cuius iussu carceri traditus, inter cathenas & tenebras mori coactus est miserrimè.Guido Bitur.

ARISTONICVS ex Eumene & pellice natus, à Perpenna consule captus,in triumphum ductus,& postmodum in carcere necatus est. Liuius lib.1.11.

CORNELIVS Asina,pugnans cum Hannibale seniore, Punicæ classis præfecto,vocatus est ab eodem in colloquium, fide data. Sed tamen Punica nequitia captus,in vinculis mori coactus est.Guido Bitur.

C.MARIVS,cùm Sulpitia rogatione prouinciam Sylla ei eriperet, armis victus,Minturnensium paludibus latuit.Inuentus igitur, in carcerem coniectus,& ibi necatus est.Plinius de Viris illust.cap.67.

Q.Capio,præturæ splendore,triumphi claritate, consulatus decoramento,maximéque pontificis sacerdotio quondam conspicuus, in publicis vinculis spiritũ exhalauit. Cuius corpus funesti carnificis manibus laceratum,& dehinc in scalis Gemoniis magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.Guido Bitur.

SYPHAX rex Numidarum,quum à Romanis ad Carthaginenses defecisset,victus à Scipione, & in triumphum ductus, Tyburi in custodia mortuus est.

ARISTONICVS ab Aquilio consule in triumphum ductus, & in carcere suffocatus est.

IVGVRTHA Manastabilis filius nothus,Mizipsæ regis Numidarum nepos, propter Adherbalem & Hiempsalem fratres regni consortes occisos,à Mario bello petitus,victus,& in triumphum ductus: postremò in carcerem coniectus est,vbi expirauit.Plut.in Mario.

AGATHA virgo Cathanensis,sub Quintiano consule in carcere extincta est.

Romanus Martyr,sub Asclepiade præfecto,in carcere præsocatus est.

HENRICHVS tertius imperator,ab Henrico filio captus,& Leodij custoditus,pædore carceris miseram exhalauit animam.Bap.Egnat.

ALDEGISIVS Desiderij Longobardorum regis filius,à Carolo Magno victus,& in carcerem coniectus est,vbi clausit vitam.

CAROLVS Simplex Francorum rex,ad oppidum Peronam cùm olim venisset,ab Heberto Viromandorum regulo,cuius gratia duerterat,in custodiam coniectus est:vbi quoque è vita migrauit,duobus lustris euolutis.Ritius Neapolitanus lib.1 Regum Francorum.

IOANNES Romanæ Ecclesiæ Pontifex 51.à Theoderico Gothorum rege Rauennæ diu multúmque in carcere excruciatus, fame in eodem defecit.Sigebertus in Chronicis, & Cranzius li.secundo ca.2.Metrop.& Volat.lib.22.Anthrop.

ORDONIVS Gothorum rex,quatuor Castellæ comites per interpositam fidem circumuentos,in carcere necari iussit,ob eámque rem Castellæ prouincia defecit ab eius fide.Ritius Neap.lib.2.Regum Hispaniæ.

COELESTINVS V.huius nominis pontif. max. Eremensis prope Sulmonem,Petrus Morenus antea vocatus,cùm ex eremita Pontifex creatus esset,magis tamen solitudini quàm rebus agendis natus, persuasus à Benedicto Caietano,qui postea Bonif.VIII. & eius successor fuit, sese Pontificatu abdicauit mense sexto.A quo postea creato Pontifice captus in custodia interiit.Volat.lib.22.Anthrop.

BONIFACIVS VII.Anagninus pontifex max. à Sciarra Columna ex improuiso captus, & in custodiam coniectus,ibidem fame interiit, Ibidem.

PETRVS de Corbario Reatinę diœcesęos, ordinis Minorum, pseudopontifex à Ludouico Bauaro creatus, & à Bonifacio comite Pisano Romæ captus,Auinionémque ductus,ad Ioannem Pontificem eius nominis XXII,in carcere pædore extinctus est.Ibidem.

IOANNES XV. pontifex Rom.Papiensis mense tertio à Romanis capitur,& in mole Adriani, vt in publica custodia vinctus detinetur, propter impotentiam & tyrannidem:tandem in carcere moritur.Platina.

FRANCISCVS Carrarienſis cùm Vincentiam Venetis adimere conaretur,superatus & captus,Venetiis cum duobus filijs in carcere strangulatus est,anno 1406.Fulg.lib.6.cap. 11.

IN VENATIONIBVS MORTVI.

Consule tit.Zelotypiæ pœna.

ATYS Crœsi Lydorum regis filius,ab Adrasto Gordij F. Phryge per imprudentiam in venatione occisus fuit.Cùm enim Adrastus aprum Olympiuthi iaculo configere vellet,Atys ictum excepit.Herod.lib.1.

SMERDES frater regis Persarum Cambysis,eius iussu à Prexaspe in venatione Susis occisus est.Herod.lib.3.

CAL.IOANNES Comnenus Alexij Imperatoris filius, in vena-

tione sagitta venenata,quæ in aprum directa erat, manu leuiter perstricta,periit.Volat.lib.23.Anthrop.

CHILBERICVS Gallorum rex,cùm in venatione esset, à Lăderico vxoris Fredegundæ adultero,in saltu quodam obtruncatur.Michael Ritius lib.1.de Regibus Francorum.

Fulco rex Hierosolymorum,cùm leporem insequeretur ex improuiso adparentem,equus cui insidebat,super eum se præcipitem dedit,ipsúmque vita & regno priuauit.Robertus Abbas in Chronicis.

PHAFILLA Legionis & Asturum rex,Pelagij regis filius,venationis studiosissimus cùm esset,sempérque in montibus syluísque feris insidians latitaret,demum ab vrso in venatione laniatus est. Ritius Neapolitanus lib.2.Reg.Hispaniæ.

Gualterus Tirellus,Britannus,dum venaretur, arbitratus se telo ceruū petere.Gulielmum secundum Britanniæ regem, cognomento Rufum, patruelem fratrem occidit.Itaque ex venatione, vnde voluptatem quærebat,incredibilem retulit dolorem.Fulg.lib.9.cap.9

Maria, Caroli Burgundiæ ducis filia, Maximiliano à patre Friderico III.Imperatore in matrimonium data, postquam Philippū, Franciscum & Margaretam liberos peperisset,in venatione ex equo cadens, in ipso flore iuuentutæ obiit.Lazius lib.3.rerum Viennensium.

AD ARAS EXTINCTI, IMMOLATI.

Vide exempla aliquot sub tit. Fidei & pietatis erga patriam, qui pro salute patriæ se suósue deuouerunt. Item tit. Humanæ victimæ.

ERICHTHEVS bellum cum Eumolpo gerens, quum ab oraculo accepisset,futuram sibi victoriam,si filiam diis immolaret,paruit, & consensu Praxitheæ vxoris puellam occidit.Euripides apud Plutarch.

IN TEMPLIS OCCISI.

Vide titulum Templorum sanguine profanatorum.

QVI PEREGRE VITA SVNT FVNCTI, VEL IN EXILIO.

Exempla quædam pete ex tit. Exulum.

THESEVS Atheniensium rex,exul in Scyro apud Lycomedem,obiit ex præcipitio.Plut.in eius vita.

Nascentem ÆNEAM vidit Simois in Asia.Raptum absorbuit Numicius in Italia.DIDONI patria fuit Phœnicia,Carthago tumulus.

Cleomeni Lacedæmonio tumulum præbuit Ægyptus.

Critolao duci Achæorum,Thermopylæ:SOLONI,Cyprus.

Demosthenes orator, cum Macedonum regibus diu aduersatus esset, tădem post acceptam cladem Græcorum in Thessaliam à Macedonibus, in Calauream insulam,quæ iuxta Trœzenem est,relegatus fuit. Reuocatus paulo pòst, iterum pòst Lamiacam cladem in exilium eòdem reuersus,ne Archiæ Thurij opera in manus Antipatri veniret,veneno seipsum necauit.Pausanias in Atticis.

Samos genuit PYTHAGORAM, texit Metapontus.

Alexandrum Pella genuit,Babylon peremit.

Cyrum Persis tulerat,Scythia truncum tulit.

DECII extra patriam ceciderunt:pater cum Latinis pugnans, cum Ethruscis filius.

Æmilium Paulum Cumæ, Claudium Marcellum Venusia, Tiberium Gracchum tumulauit Lucania,omnes natos Romæ.

ANNIBALEM, Africæ lumen,cœpit vrna Bithynica. Hæc ex Plutarcho.

Iugurtham peperit Numidia,mortuum vidit Roma.

CICERONEM Arpini ortum,nutritum Romæ,sinus Caietanus vidit exanimen.

Crassum & Pompeium tulerat Roma: hunc Ægyptus, illum Assyria sustulit.

CATONI principium & nomen dederat Roma, finem & cognomen Vtica.

Cornelios Scipiones Roma genuit,Hispania obruit.

CN. NORBANVS à Sylla victus,apud Rhodios voluntariam oppetiit mortem.

DRVSVS obiit in Germania,Marcellinus Baionę,Tarquinius Cumis, Sylla Puteolis expirarunt:Augustus Cæsar apud Nolam Campaniæ. Tiberius apud Campaniæ Misenum.

VERGILIVM dedit Mantua,Brundusium abstulit.

Genuit Ouidium Sulmo,Ponticum exilium suffocauit.

TERENTIVM Carthaginensem,quem Roma docuerat,Arcadia sepeliuit.

HORATIVM Apulum,Ennium Calabrum, Statium Narbonensem, Ausonium Burdegalum,duos Senecas & Lucanum Cordubenses, Plautum Arpinatem,Lucilium Aruncum,Pacuuiū Brundusinum,Iuuenalem Aquinatem,Propertium Vmbrum, Valerium Antiatem, Catullum Veronensem,Varum Cremonensem,Gallum Forliuiensem,Actium Pisaurensem, Cassium Parmensem,Claudianum Florentinum,Persium Volaterranum tumulauit Roma.

P.NIGIDIVS Figulus,quem Lucanus astrologiæ peritum fuisse scribit,mortuus est in exilio, teste Eusebio.

ÆMYLIVS Macer Veronensis,obiit in Asia.

Plinium infantem lauit Athesis,grandæuum extinxit Veseuus.

Traianus in occidente natus,in oriente mortuus est.

Septimius Seuerus ortum habuit in Africa, imperium in Italia,tumulum in Britannia.

THEODOSIVM ortum in Hispania,Mediolanum terra operuit.Hęc Rauisius.

D.Io. Chrysostomus,episcopus Constantinopolitanus, in exilio moritur,apud Comanam Euxini Pōti vrbem.Vide tit.Doctorum Ecclesiasticorum.

IN LEGATIONIBVS MORTVI.

Consule titul. Legatorum.

SER. Sulpitio in legatione mortuo, statua equestris Romæ posita fuit.

DONATVS Acciaiolus in legatione obiit. Vide titul. Pauperes in genere.

MORS MIRACVLIS CLARA. MORTEM SECVTA MIRACVLA.

Mortui qui rapti sunt, vel disparuerunt.

Differt tit. iste à superiori, in quo de iis qui Disparuerunt egimus: quoniam illic mors non intercedit, sed intercedere tantum videtur: hic verò intercedit, & tamen cadauer postea vel rapitur, vel disparet.

Mortuus est MOSES, seruus Domini,in terra Moab, iubente Domino:& sepeliuit eum Dominus, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.Deut.34.1.Reg.8.

Mira sunt, tametsi historica fide & astipulatione multarum quoque gentium recepta & illustrata,quòd de DOMINICÆ mortis terra horrendè mota sit, sol sine physica deliquij causa obtenebratus, sepulchra sua spōte patefacta,quòd sanctorum corpora surrexerint, quorum simulachra sint cum hominibus congressa.Sed omnium illud maximè excellens,ac supra quàm dici possit arduum, quòd tertio pòst die quàm cruci affixus erat Christus,humanæ autor salutis,propria virtute reuixit: obtulitque se suis non vno loco videndum,tractandúmque etiam, vt fides iis accederet,quorum humana ratio non erat capax.Sed desinunt videri hæc mira,dum in quo facta sint,mens reputat.Potuit omnia,quæ operatus est:potuit quidem, & voluit, ne ad lucem oculis admotam caligaret humanum genus.Sab.lib.1.cap.8.

Æquè memorabile est,quod de sacratissimo DEIPARÆ corpore tenet pro certo Christiana pietas, fuisse id virginis obitum cœlo illatum. Oportuit sanè omnis esse corruptionis immune corpus,nulláque humana labe contactum:nec verò vlla(quod satis constat)eius sepulchri vestigia extant in terris,sepultíve corporis memoria, quæ priorum opinioni repugnet.Ibidem.

CATHARINÆ virginis corpus,in terris est angelorum ministerio (vt fertur)in parte Arabiæ,vbi hodie visitur,miraculo collocatum: Syna mons diuę huius conditorio illustratur,colitúrque virgineū corpus vno insigniter loco,quò fuit prouidentia delatum.Sab.lib.1.cap.8.

ALCMENÆ Amphitryonis (quæ Thebani fuit Herculis mater, si vera

vera sunt quæ Græci scriptores de ea memoriæ prodiderūt)cùm defunctæ corpus efferretur,repentè euanuisse aiunt,lapidémque pro cadauere in lectica repertum:Sab.lib.1.cap.8.

Sunt & quæ de ARISTEA Proconnesio traduntur, admiratione dignasi vera est Græcia, cui de omnibus curæ fuit scribere. Oppetiit is mortem in fullonia taberna:quem plerique sub id tempus peregrè domum reuersi,testati sunt,se obuium habuisse, Crotonem versus proficiscentem.Ibidem.

GINARIVS martyr Beneuentanus episcopus fuit,Neapoli pro Christi fide capite mulctatus.Diuersis templis condita caput,sanguísque eius ampulla cōclusus,quo die per vrbem solenniter feruntur,sanguis qui in pilam induruit,cùm in caput incidit(mirum dictu,sed tamen verum est) liquescit totus in ampulla,non aliter quàm tum cum primùm cæso capite ex martyris corpore defluxit. Cùm autem à capite disiungitur, in sphæricam formam,vt antè erat,durescit.Id etsi satis patet,nos tamē vt certius rē intelligeremus,eorum qui in re præsenti fuerūt,intentísque oculis diligentes se spectatores præbuerunt, testimonium habere voluimus.Fulg.lib.1.cap.6.

MORTVI QVI REVIXERVNT.

Exempla quædam pete ex tit. Reuelationum cœlestis gloriæ, & pœnarum inferni.

QVIDAM in itinere à latronibus occisus,in Helisæi tumulum projectus,subitò reuixit.Fulg.lib.1.cap.6.

CHRISTVS IESVS,Dei altissimi filius,& humani generis saluator, tres in vita mortuos suscitauit:filiam videlicet archisynagogi,Mat.9.filiū viduæ extra portam ciuitatis elatum,Mat. 5. & Luc.7. tertium Lazarum, qui iam triduò in terra defossus latitarat.

Adolescens quidam nomine EVTYCHVS,cùm Paulus apostolus sacrum sermonem in aula superiore ad mediam noctem vsque protraxisset,sedens super fenestrā & dormiens,cecidit de cœnaculo tertio deorsum,& subleuatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus,incubuit super eum,& ad vitam pristinam reuocauit. Historiam pete ex cap. 20.Actorum apostol.

THABITA,à Petro apostolo,eiectis omnibus foràs, & positis genubus ante lectum,ad vitam reuocatur:dum clamitat,Thabita surge.Actorum 9.

HIPPOLYTVS Thesei filius,Phrædræ nouercæ,quòd eius libidini non consentiret,insidiis petitus,discerptúsque propterea ab equis suis, immissis rogatu patris à Neptuno phocis,Æsculapij arte reuixit, & Virbij nomine apud Aricinum templum in Italia latuit. Volater. libro 16. Anthrop.

MVSONIVS & CHRYSANTHVS episcopi, in Synodo Nicæna mortem obierunt,antequam fidei omnes subscriberent. Cùm ergo episcopi reliqui ad sepulchra eorum venissent,ac subscriptionem eorū desiderassent,tanquam à viuis chartam subscriptionis apud sepulchra reliquerunt.Miraculosè ergo mortui subscripsere:Chrysanthus & Musonius qui cum patribus omnibus in sancta prima œcumenica Nicæna synodo consensimus,quamuis corpore translati, manu tamē propria nos quoque libello subscripsimus.Niceph.lib.8.cap.23.

D.MARTINVS,antequam ad episcopatum Turonensem vocaretur, in insula Gallinaria tuguriolum extruxerat, & cathechumenum quendā secum habebat.Is Martino per triduum absente, apud D. Hilarium Pictauiensem episcopum,febri correptus obierat. Martinus reuersus, vbi exanimem reperit,cæteris exclusis,solus intrat casulam,(éque super demortui discipuli cadauer prosternit,ac oratione ardenti eum ad vitam reuocat,reuocatum baptizat.Vixit postea plures adhuc annos.

IDEM cùm Lupicini præteriret,& eiulatum in quadam domo audiret,ingressus,seruum quendam laqueo vitam sibijpsi eripuisse inuenit:eū ergo precibus similiter vitæ restituit.Seuerus Sulpitius testis.

MARCELLVS Tudertinæ vrbis non ignobilis ciuis,magis tamen animi probitate notus(vt in dialogo beati Gregorij relatum legimus) cū mortuus iaceret,à Fortunato episcopo ad vitam reuocatus est.At verò nō dissimulauit hoc se oppidò quàm ægrè ferre, quòd diceret, ad quietis beatæ loca iam se perductum fuisse,cùm ad corpus redire iussus est, annuente Domino precibus Fortunati.Vixit itaque iterum moriturus, ita tamen vt beatitudinis præmia quæ acceperat, auxisse potius credatur, quàm imminuisse: adeò seipso melior euasit,dum intermissa amittere timet.

OVO puer suspensus,Vulfrani precibus reuixit.Vide tit.Monachorum octaui seculi.

VRSVS Claronensis à D.Fridolino resuscitatur. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum,sub nomine Fridolini.

GLAVCVM quempiam mortuum ferunt præter omnium expectationem,gustato mellito pharmaco reualuisse.Alij, multis accurrētibus medicis,herba(quam Draconem vocant)vitæ restitutum dicunt. autor Eras. in explanatione illius adagij, Glaucus poto melle resurrexit.

PALICOS Iouis & Thaliæ filios,mortuos semel iterum reuixisse, Æschylus apud Volat.scribit,Vide Macrob.lib.5.

ÆSOPVM ex Phrygia fabulatorem, TYNDAREVM quoque & HERCVLEM reuixisse,testis est Cælius lib.8.Lectionum antiq.

Ferunt,vetustissimum quēdam fuisse MARIN nomine,antica corporis parte humana,postica verò equina, qui equum primus inscenderit, annos 123 vixerit:ac ter mortuus,ter itidem reuixerit.

Ibidem ORVM filium:à Titanibus insidiis interfectum, & in aquis repertum,ad vitam reuocasse,legimus apud Diodorum Siculum lib.1.ca.2. de rebus antiquis.

ARISTEAS Proconnesius Castrobij filius, multoties defunctus reuixit: qui etiam animam,quoties voluit, resumere potuit. Herodotus, Plutarchus in vita Romuli: Volater.libro 13.cap.4.Anthrop.Fulgos.libr. 1.cap.6.

ERVS Pamphilus,cùm fortiter pugnando in acie cecidisset, per decē dies inter cadauera interfectorum mortuus iacuit.Verùm elatus,& rogo superimpositus,magna voce se viuere exclamauit,& ita extincto iam rogo liberatus est,& multa admiratione digna & stupore se mortis tempore vidisse narrauit.Plato de repub.Val.Max.lib.1.cap.8. Macrob. in Som. Scipion.& Fulg lib.1.cap.6.

PAMPHILVS Neoclidis filius,Platonis auditor,inter eos qui in acie ceciderunt decem dies iacuit:triduóque postquam inde sublatus fuerat, impositus rogo reuixit, ac mira quædam tempore mortis visa narrauit. Testis est Plato circa Phædonis principium:& Volat.lib. decimooctauo Anthrop.

ENARCHVS à medicis pro mortuo habitus & relictus (vt in libro de Anima Plutarchus scribit)non multo pòst ad vitam reuersus, verè resurrexisse,spiritúsque eos qui eum vita abstraxerant, grauiter ab ipsorū principe increpitos fuisse affirmauit,quòd eum pro Nicauda coriario accepissent,qui eodem die & hora febri correptus,cùm in lecto iaceret,eo morbo decessit.Neque verò hac re contentus,ad testandam resurrectionem suam,Plutarcho,qui tunc laborabat,breui incolumen eum fore prędixit:atque ita contigit.Fulg.lib.1.cap.6.

Varro,antiquus autor,& doctrinæ plenus,affirmat QVENDAM ad tumulum elatum,pedibus suis domum rediisse: idémque Aquini alium fecisse.Heraclides autem fœminam narrat post septimum diem, qua decesserat,ad vitam rediisse.Ibid.

Magis mirum illud fuit,quòd duobus fratribus,equitib. Romanis euenit:ex quibus maior natu nomine CORFIDIVS,cum ab omnib9 pro mortuo haberetur,& iam tabulæ testamenti recitarentur,quo alterum fratrē hæredē instituebat,in medio funebris apparatus in pedes magna se lætitia erexit,dicēs:Se apud fratrem fuisse,qui filiam ei commendauerat, & ostēderat vbi certā vim auri sub terra conditam haberet: quo sepulturæ eius exequias ex funerali apparatu facto celebraret.Quo hæc dicēte,magna eorum qui aderant admiratione,allatum de morte fratris nuncium fuit,& aurū vbi dixerat inuentum.Idem ex Plin.lib 7.cap.52.

ATTILIVS,Auiola,cùm diu assiduo & graui morbo decumberet,demum vita functus est.Qui cùm post aliquot dies per quos insitus humi iacuisset,ad ignem portaretur ad cremandum, posteaquam ignis corpus eius corripuit,alta voce viuere se exclamauit, & pædagogi sui auxilium implorauit:sed è flammis eripi non potuit. Plin.libr.7.cap.52.Val.Max. lib.1.cap.8.

L. LAMIAS,vir prætorius, vita functus, cum post aliquot dies rogo imponeretur,flammis circumdatus,se non mortuum esse exclamauit:verùm resistentibus flammis,fato subtrahi non potuit.Valer.Max. libro 1. cap.8.

GABIENVS,fortissimus classariorum Cæsaris,à Sex.Pompeio captus, eiusdem iussu incisa ceruice iacuit in littore tota die. Deinde quum aduesperauisset,petiit vt Pompeius ad se veniret:testatus se ab inferis remissum habere,quod nunciaret Plin.cap.52 lib.7.

CÆLIVM Tuberonem functum præfectura, à rogo relatum: idē ait ex testimonio Messalæ Rufi.

ASCLEPIADES Prusiensis hominem elatum ad funus vitę restituit: & cum fortuna sponsionem fecit,ne medicus crederetur, si vnquam ægrotaret.Sab.lib.10.cap.8.

PVELLA quædam mori visa est,quæ habitabat in domo consuli vicina.Efferentibus eam pręcipit Apollonius Tyanæus,deponere pheretrū. Attrectans igitur puellam illique admurmurans, ab ea quæ videbatur planè defuncta,vitam efflagitat,& reuocat:quæ statim etiam loqui incipiens,in paternam domum redit.Volat.in vita Apollonij libr. 10. cap.4. Anthrop.

ATHENA Cataldi(qui postea fuit episcopus)mater,in partu mortua, ab ipso Cataldo primùm nato ad vitā solo amplexu reuocata est. Quod si verum est,mirum in eo futuræ sanctitatis fuit ostentum.Rauis.

INNOCENTIVS pontifex max.huius nominis octauus, ex morbo horis ferè viginti arteriarum motu immobilis adparuit.Fama iam mortis quoquò versus perlata fuit.Iámque Cardinales de ordinandis circa successorem omnibus conuenerant.& tum subitò viuus adparuit, excessítque biennio pòst eodem morbo.Volat.lib.22.Anth.

Cùm pestis in vrbe Roma sæuiret,Italiam procurante Narsete Exarcho,peste in Valeriani aduocati domo correptus est iuuenis natione LIBVRNVS & pastor,ingenio moderato,miniméque malo qui cùm putaretur penè mortuus,statim ad se reuersus, vocato domino, nunciauit ei: Verè se in cœlo fuisse, ibíque intellexisse, quot & qui ex ea domo peste morituri erant.eísque nominatim declaratis,affirmauit dominum super-

uicturum:& vt fides dictis haberetur, ostendit se linguas omnes didicisse:atque ea ipsa hora cum domino Græcè locutus, aliarum linguarum, cum his qui eorum noticiam habebant periculum fecit, cùm antea solam Romanã didicisset. Cùm biduum ita vixisset, penè in rabiem versus, mordicus apprehẽsis manibus, iterum mortuus est: eúmque secuti, quos nominauerat morituros, domino superstite, prædicta ab eo impleuêre. Ful. lib.1.cap.6.

Eric etã inter mira commemorãdum, propter occultã causam, id quod in Germania sub pontifice Innocentio tertio, contigit EVERARDO equiti Germano. Grauiter enim laborans, cùm aliquantisper ceu mortuus mansisset, postea ad se reuersus, dixit, spiritum suum à malignis spiritibus in vrbem Hierosolymam perductum, deinde in Saladini castra (is enim eo tempore ægypti regnum obtinebat) mox ab eo loco perlatũ in Lombardiam, vbi in quadam sylua Germanum amicum suum alloquutus esset. Postremò ad vrbem Romam perlatũ, descripta ipsius situs ac locorũ ædificiorúmque forma, atque effigie principum ipsorum graphicè, vt erant, his futura multa addidit, quæ secuta sunt. Quæ omnia cum mirandam rem faciant, illud tamen admirationem auget, quòd is, quo cum in sylua se locutum aiebat, colloquium habitum eo in loco temporéque, quo is dixerat, confirmabat. Idem, & Egnatius eodem.

REPARATVS (de quo Gregorius scribit) rigẽs frigidúsque, pro mortuo à suis conclamatus, statim ad vitam reuersus, missit ad Laurẽtij in Damasco tanum, in vrbe Roma, qui scisciterentur de Tiburtio sacerdote, quídnam esset? Atque interim dum nuncius reuerteretur, narrauit à se illum esse visum in inferno magnis ignibus cruciari. Reuerso autem nuncio qui ea ipsa hora mortuum esse tiburtium affirmauit, Reparatus quoque statim mortuus est. Fulg. lib.1.cap 6.& Egnat. eodem.

STEPHANVS Romanus, vir & virtute & opibus claruis, Constantinopolim rerum suarum gratia profectus, cum decessisset, iam die ad vesperam inclinata, & ob id curari tunc funus eius non posset, vsque in posterum diem domi retentus est. Quo tempore suscitatus à mortuis, dixit: Se ante quendam iudicem deductum, illícque magnis clamoribus reprehensos eos, à quibus fuerat perductus, quòd iudex non illum, sed Stephanum ferrarium eius vicinum deduci iusserat, missíque ad illum ipsum ferrarium, nunciauerunt eum illa ipsa hora mortuum esse. Hoc autem Gregorius se ab ipso Stephano audiuisse testatur. Fulgos. lib.1.cap.6.

Interdum spiritus humani corporibus inclusi manent. Cæterum motus occulti sunt, deuinctíque sensus adeò, vt viuántne ánnon eiusmodi corpora, non facilè intelligatur. Hoc facit, vt nonnunquam à mortuis suscitati esse dicantur, qui verè nondum perierant: sicuti experimento cognitum est, cùm sepulti sunt aliqui, quos postea euidenter cognitum est adhuc viuos fuisse: ex quibus nonnulli miranda narrantes videntur illic fuisse, vbi nunquam fuerunt: sed eorum spiritus in seipsum collectus, ea comprehendit ac videt, quæ bene habens in varia abstractis cogitationibus propter corporeum visum non cognoscit, quemadmodum Augustinus de CVRINA se vidisse testatur. Hic pagi incola erat in Africa agri Hipponensis, qui cùm in aduersam valetudinem incidisset, ab omnibus penè pro mortuo habebatur, cùm amissis sensibus nullo nutrimento aleretur. In hoc statu cùm aliquot dies fuisset, id solum ne sepeliretur propinquos retinebat, quod aliquantisper per nares in eo reciprocare anima videbatur. Cæterùm cùm postea omnes eum decessisse arbitrarẽtur, repentè apertis oculis dixit, vt statim aliquis ad Curinam ferrarium fabrum, qui vicinus erat, visum quid ageret, properaret: & cùm ea ipsa hora mortuum eum, nũciaretur, affirmauit, se coram iudice quodã ductum, qui vehementer eos spiritus increpuerat, à quibus ipse erat deductus: quoniam Curinam fabrum ferrarium, & non se volebat, ob eámque causam se vitæ restituturn. In hac cestasi visum à se paradisum, multáque alia narrabat: atque inter alia. Hippone ab Augustino se baptizatum, ac monitum vt ita faceret: quoniam quod tunc videbatur factum, visio erat. Bonæ igitur valetudini restitutus, monita impleuit. Fulgosus libro 1. capite 6.& Egnat. eodem.

MORTVI SEPVLTVRÆ ET FVNERIS EXPERTES. MORTVI *neglecti, & ignominiæ affecti.*

Titulo isto comprehendimus eos, qui præter morem à sua gente receptum mortuos tractarunt. Cambyses Amasis Ægyptiorum regis corpus sepulchro erutum igni exussit, ignominiæ causa, cùm nec Ægyptij nec Persæ cadauera comburere soleant (id quod suprà sub tit. Vindictæ immoderatæ erga hostes mortuos, ex Herodoto retulimus) Apud Græcos hoc ipsum gloriæ plenum fuisset. Ergo quod vni genti ignominiosum est, alteri honorificum existit. Mores igitur quarumlibet gentium considerandi erunt, vt mortuorum contemptum, de quo in præsentia loquimur, cognoscamus.

IASON impius, qui insepultos abiecerat multos, ipse illamentatus & insepultus abiectus, nec propriam nec peregrinam habuit sepulturam. 2. Machab.5.

Apud VETERES si qui tyranni malè de repub. meriti, supplicio affecti essent, aut si qui laqueo & morte inhonesta, aut malo letho occubuissent, vel cœlesti numine affati essent, illos cõdi sepulchro, aut humari nõ decebat, sed insepulti abiiciebantur. Alex. ab Alex lib.6.cap.14.

Athenienses eum qui prodicionis reus erat, insepultum abiiciebant, vt indignum qui tellure tegeretur. Ibidem.

Apud ÆGYPTIOS si quem prauis moribus vixisse putarent, cadauer eius in vallibus solitudines abiiciebant. Ibidem.

Persæ damnatorum corpora feris & canibus deuorandã obiiciebant. Ibidem.

Albani olim nefas putabant, curam mortuorum agere. Cælius.

PHOCION, vir sanctissimus, & fortissimus, ab Atheniẽsibus in carcere cicutam bibere coactus est: & decreto cautum, vt cadauer eius extra Atticam deportaretur, neque vllus Atheniensium eius sepulchrũ causa ignẽ accenderet. Conopion itaque vespillo eũ extra Eleusinam deportauit, & igne apud Megarensem quẽdam accenso cremauit. Megarica mulier (à qua ignem petierat) vnà cum ancillis adfuit, inanémque tumulum aggessit, & parẽtauit: ossa in sinum reposuit, noctúque domum portauit, & apud focum defodit, inquiens: Apud vos, dij penetrales, has viri boni reli quias depono. Vos eas patrio busto redderis, vbi Atheniẽses resipuerint. Plut. in Phocione.

DIOGENES Cynicus proiici se inhumatum iussit. Et quidem si canes cadauer suum lacerarent, Hircanam: si vultures, Iberam fore sepulturam dicebat. Si nullum animal accederet, ipsum tempus pulcherrimã sepulturam largiturum afferebat, corpore preciosissimis rebus, sole scilicet & imbribus absumpto. Stob. serm. 120.

Cùm eam sepulturam amici reprehenderent: Bacillum prope me ponite, quo volucres abigam, dixit. At qui poteris? inquiunt illi, non enim senties. Qui igitur mihi ferarũ, ait, laniatus oberit, nihil sentienti? Laert. & Cic. lib.1. Tusc. quæst.

DEMONAX rogatus ab amicis, quomodo sepeliri vellet? Ne vos res ista sollicitos habeat, respondit. Fœtor enim me sepeliet. Indignum autẽ facinus id esse dicentibus, si talis viri corpus laceraretur à canibus: Quid, inquit, incommodi, si & mortuus alicui sum vsui? Eras. lib.8. Apoph.

ZISCA Hussitarum dux, in Bohemia, cùm interrogaretur, *quomodo* sepeliri cuperet post mortem: Pellem, inquit, mortuo mihi detrahite: rebéque feris cadauere, ex cute tympanum facite, quo in prælijs vtamini. Et sic, vt hostes nostri viuẽtis aspectum non ferebant, ita mortui sonũ, fugam adorantes, audire nequibunt. Æneas Syluius lib. 3. commentariorum de rebus gestis Alphonsi regis.

MORTVI SEPVLTVRA DIGNATI.

Pietas erga mortuos ad Humanitatem pertinet, siue Popularitatem, quatenus humanitas hoc dictat, vt homo hominem extremo honore afficiat. Eadem quoque Iustitiæ religiosæ species existit, quatenus homo diuinum animal esse videtur, cùm passim in sepulchrorũ antiquis inscriptionibus D.M.S. legatur: longéque magis, si ad Christianos hæc referas, quorum corpora S.S. templa esse sacra testantur literæ. Huius verò sit loci, quatenus corporis bonum quiddam videtur esse, honesta cadaueris cura. Exempla illustria ex tit. Clementiæ erga hostes victos, petantur.

Inexpiabile quondam scelus creditum est sepulchra violasse, adeò vt lex sacrum esse locum iusserit, vbi corpus hominis demortui iaceret: diceretúque minxisse in patrios cineres, cui omnia sinistrè cadebant, & inauspicatò. Apud nos quoque Christianis damnatur cęremoniis, qui aut lotum in sepulchretis egesserit, aut aliquid aliud ibidem fecerit immundum. Neque hoc ipsum apud nos solùm religiosum est. Nam nulla propè tam efferata gens est, quæ non senserit habendam sepulchrorum rationem, præter paucos Barbaros, qui quum belluino propè ritu inter se degant, nihil mirum, si aliorum vestigiis nequaquam insistant.

Abrahamo tanta cura fuit honestè sepelicndi Satam coniugem suam, quæ 127. anno mortua fuit Cariatharbæ in Chananęa, vt apud Hettęos ab Ephroue Hettæo fundum cum duplici cauerna quadringentis argenti siclis emerit, eregionè Hebronis, in qua Saram sepeliret. Genes. 23.

ISAACVS & ISMAEL patrem suum Abrahamum vita functum sepeliuerunt in duplici cauerna agri, quem ab Ephrone Hettæo vtius redemerat. Genes. 25.

RACHEL sepulta est à marito Iacobo patriarcha in via Ephratæ, quæ Bethlehema est, cùm ex parte Beniaminis filij obiisset. Sepulchro eius imposuit Iacobus cippum, qui etiamnum cippus sepulchri Rachelis dicitur. Genes. 35.

DAVID

DAVID misit ad viros Iabes Galaad, qui sepelierunt corpora. Sauli & filiorum eius, gratiásque egit ipsis. 2. Reg. 2.

IEHV rex Israel, qui fecerat occidi Iezabel, fecit eã sepeliri, eo quòd fuit filia regis. 4. Reg. 9.

Post prælium contra Gorgiam commissum, venit Iudas Machabæus, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus sepeliret. 2. Machabæorum 12.

TOBIAS cum periculo vitæ suæ corpora occisorum rapiebat, & sepulturam eis sollicitus exhibebat. Tob. 1.& 2.

Prima admonitio inter illas salubres quas fecit Tobias filio suo, fuit, de sua & vxoris suæ sollicita sepultura. Tob. 4.

DISCIPVLI beati Ioannis Baptistæ, audientes quòd decollatus esset ab Herode, venerunt & tulerunt corpus eius, & sepelierunt eũ. Mat. 14. Mar. 6.

Dominus Iesus respondit Iudæ murmuranti de vnguento, quòd secũdum sententiam suam venũdari debuisset: Sine (inquit) vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Ioannis 12.

LACEDÆMONII, dum contra Messenios exercitum ducunt, ne milites qui bello cecidérant insepulti manerent, tesseras in brachijs insculptis nominibus habuere. Alex. lib.6.cap.14.

MACEDONIBVS nullum fuit tam solenne militiæ munus, quàm suos sepelire.

ALEXANDER Darij interfecti corpus matri tumulandum præbuit. Plutarchus.

Cùm Hephæstion diem suum obijsset, Alexander iniectis in pyram armis, auro & argento, simul ea cum mortuo igni tradidit, itémque vestem magni precij apud Persas. Rasit etiam omnes bellicosos & fortes, atque seipsum, imitatus in hoc Achillem Homericum illum. Sed hoc, illo violentius & feruidius fecit, cùm circumradens cuerteret muros Ecbatanorum arcis. Vsque ad suos igitur capillos, videtur mihi planè Græco ingenio fecisse: at cùm muros dirueret, tum verò barbarico more luxit, & ilolam permutauit, dolori, amori & lachrymis omnia permittens. Ælian. de Var. hist. lib.7.

Inter Atticas hæc lex etiam scripta fuit, si quis in insepultum cadauer hominis incidat, omni parte id terra obruat, & sepeliat ad occasum spectans. Ælian. lib.5. de varia historia.

ATHENIENSIBVS maximam semper sepeliendorum cadauerum curam fuisse constat, & præcipuè eorum qui bello cecidérant, ita vt qui illos inhumatos relinquerent, quouis supplicio dignos putarent. Iccirco summos duces, quia cæsos nauali pugna in mare deiecerant, grauibus pœnis & capitis supplicio affecere: quibus cùm peremptorum corpora allequi nequirent, illorum ossa & dilecta membra passim strata exquirere, & humo tegere: defunctósque in acie, in tumulo publicè extructo, quotannis pro concione laudare, magnæ curæ fuit. Alex. ab Alex. lib.3. cap.2. et Ælian. lib.5.

NICIAS Atheniensis Corinthijs prælio victis, cùm moris esset eorũ qui vicissent trophæum erigere: planè aspernatus est, vt duorum ciuium cadauera, quibus hostes potiti fuerant, sepulturæ mandarentur. Sabell. li. 2.cap.2.& Alex. lib.3.cap.2.

CIMON Miltiadis filius, vt pater qui obierat in carcere, humaretur, captiuum se præstitit, & seruiturã mancipauit. Alex. libro 6. cap.14. & lib. 3.cap.2.

ALEXANDER Philippi & Olympiadis filius, cum Babylone animam egisset, mortuus iacebat, qui se Iouis filium iactitarat: dúmque eius præfecti regno per seditiones contenderent, ipse sepulturæ expers manebat, cuius etiam egentissimi quique (natura postulante, vt mortui terra occultentur) compores fieri solent. Verùm ille triginta diebus inhumatus, carẽsque sepulchro relinquebatur: donec Aristander Telmissensis, seu diuino numine percitus, seu alio quodam casu correptus, in medios Macedones irruit, & ad eos locutus: Omnes, inquit, omnium seculorum reges Alexandrum felicitate superasse, tam viuum quàm mortuum. Etenim deos immortales sibi notum fecisse, in quacunque terra requiem ipsius corpus primùm esset habiturum, eam felicitate abundantem, & ab omni hostili vastatione in perpetuum liberam fore. Hæc cùm audiissent, pro se quisque summo studio diligentiáq; annitebantur, vt in suum regnum singuli transferrent, & thesaurum posliderẽt, quasi obsidem firmandi imperij & immobilitatis. Ptolemæus, si credere par est corpus eius requisiuit, & maxima festinatione in vrbem Alexandri, sitam in Ægypto, deportauit. Atque reliqui Macedones quietem egerunt. Perdiccas verò persequi ipsum conabatur: nec tam in Alexandrum cura & pietas eum commouebat, quàm prædicta ab Aristandro inflammabãt & incendebant. Postquam verò deprehendit Ptolemæum, acerrima pugna de cadauere orta est: similis quodammodo ei, quæ de simulacro Troiæ, vt canit Homerus, diceus pro Ænea Apollinem in medios heroas impetum feciſſe. At represſit impetum Perdiccæ Ptolemæus. Etenim facto simulacro, Alexandri effigiem referente, veste regia exornauit, & entaphijs honorificentissimis. Deinde in Persicum currum impositum, ferebatur eius magnificè auro, argento & ebore instruxit, atque verum Alexandri corpus apparatu tenui, & vt præsens res ferebat, præmisit per vias occultas & inuias. Perdiccas cùm deprehendisset simulachrum mortui, instructúmque currum, omisit persecutionem, ratus se iam in manibus habere id de quo certarum esset. Ac serò resciuit veritatem, cognouítq; se fallacijs circumuentũ esse, cùm iam amplius persequendi facultas non daretur. Ælian. lib.12. de Var. hist.

ANTIGONVS adolescens Demetrij filius, audita patris morte in Syria, vbi Seleuci iussu ad extremum vitæ tempus custoditus fuerat, eò profectus est, vt eius cineres in Græciam deportaret. Illos verò cùm obuios habuisset, magna veneratione complexus est. Vrna clausit aurea, purpura & diademate instrata: regia nauí sublimiter collocat. circumstabant hastati iuuenes armorum fulgore conspicui, sacrúmque canebant carmen. Xenophantes modulator ætate illa insignis, tanta vocum suauitate, vt remorum pulsum, nautæ præsertim, modulationi accommodarent. Inde Corinthum remigrans, ob omnibus circa nationibus adeuntibus honorandos præbuit: postremò apud Demetriadem regio more tumulauit. Volaterranus libro 13. cap.3. Anthrop. Sabellicus libro primo, capite quarto.

PYRRHVS Epirotarum rex, dum Argos oppugnaret, ictúque regulę prostratus cecidisset, corpus ad Antigonum Macedonię regem relatum, & magnificè sepultum est. Volat. lib.18. Anthrop.

LIBYCI eos qui vel ab elephantis, vel in venationibus, vel in prælijs interfecti sunt, honorificis sepulturis prosequuntur, hymnósque in honorẽ eorum canũt. Est autem hoc argumentum hymnorum, vt dicãt eos se fortes viros præbuisse, qui tantæ bestiæ reluctari veriti non sint. Dicũt enim, glorioſè vitam cum morte commutasse, id demum monumentum esse laudatissimum ei qui terræ mandatur. Ælianus libro duodecimo de Varia historia.

ROMANI & Græci erga mortuos honorandos maximè celebres fuere condendis sepulchris, ponendis statuis, inscribendis titulis, quibus illorum virtus testata esset posteris: quinetiam ludos & spectacula in eorum honorem maximis sumptibus, singulari splendore edidere. Quarum rerum tum Romanorum tum Græcorum scriptorum pleni sunt libri. Pont. cap.33. de Liberalitate.

Apud Romanos tanta fuit sepulchrorum cura, vt publica etiam monumenta sepulturæ, pauperibus, seruis & hostibus ædificarint. Alex. lib. 6.cap.14.

CRANVS Ianigena sororem suam mortuam cum Ianigenis Razenuis suis, & omnibus simul Aboriginibus solenni pompa celebranit, & lucum iuxta Ianiculum solennéque ritus & diem sacrauit. Berosus Babylonius lib.5. de dignitate Chaldæi.

NVMA Pompilius secundus Romanorum rex, cùm sæliciſſimè, non tamen absque ciuium suorum damno & miserando fletu, extremũ clausisset diem, omnes statim multis concursibus conuenerunt Romani, Patricij lectum sustulerunt, deorum immortalium sacerdotes deduxerunt, reliqua turba mixtis fœminis ac pueris nõ vt regis senioris exequijs assistentes, sed veluti ex clarissimis aliquem, quem in ætatis flore desiderarint, singuli sepelissent, & cum ciulatu & fletu sunt secuti. Eum itaque in arca lapidea sub Ianiculo condidere magnificentissimè. Plutarchus in eius vita.

L. Val. Publicola collegæ Iun. Bruto honores funúsque curauit, funebrémque orationem de ipsius laudibus habuit: quæ adeò iucunda fuit Romanis, vt ex eo consuetudo manserit, vt qui strenuè pugnando occubuissent, ab optimatibus laudarentur. Plut.

L. VAL. publicola cum legem de prouocatione à magistratibus ad populum tulisset, moriénsque ratum esse affirmasset, publicè sepultus, & annuo matronarum luctu honoratus est. Cælius.

L. ÆMYLIVS Paulus consul, cùm apud Cannas in strage cecidisset, corpus hostes inuentum honorificè terræ mandarunt. Volat. lib.13. capite 3. Anthrop. ex Liuio & Plut.

HANNIBAL Romanos belli iure cæsos, honore sepulturæ atque exequiarum vacuos esse noluit, quamuis in medio belli ipsius æstu. Pontan. cap.15. de Magnificentia.

SERVIVS Sulpitius posteaquam audiuit M. Marcellum à P. Magio Chiloue pugione interfectum esse, in habitaculum eius perrexit, Marcellum non sine multo sanguine defunctum inuenit: eum in lectica, qua ipse delatus erat, in vrbem à suis lecticariis ferri curauit, funus ei latis amplum, pro ea copia quæ Athenis erat, fecit. Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra vrbem cùm habere nequiret, in nobilissimo orbis terrarum Gymnasio eum sepeliuit, posteaquam curauit, vt ijdem Atheniẽses in eodem loco monumentum marmoreum facerent & locarent. Testatis est ipse Sulpitius in epistola ad Ciceronem, quæ est libro quarto Famil. epistolarum.

L. SYLLA cùm diem obiret, senatus, eques, populus, miles nihil omisit, quod eius funeri præstari posse videretur. Pontanus cap.15. de Magnificentia.

CN. Pompeius Magnus ex Armenia reuersus, cum de rebus omnibus inter reges principésque, qui ipsum adiuuerant, ius dixisset, regnáque omnia, iuxta præclara in bello facinora edita, diuisset, posteaquam Mithridatis regis à Pharnace filio interfecti corpus adferri sibi vidit, statim in monumentis maiorum sepeliri honorificè iussit, ne parum pius in sepulchris defuncti fuisse videretur. Historiam leges apud Dionem Nicæum, in Pompeio.

Dedit Cæsar Augustus Antonio collegæ olim suo, dedit & Cleopatræ reginæ sepulchrum, opere & materia inter pauca memorabile. Sab. lib.10.cap.15.

DEMONAX Hadriani tempore philosophus cùm primis insignis, iam centenarius moriens, publicè, magna ciuium frequentia tertæ mandatus est. Lucianus, & Volat. lib.15. Anthrop.

TOMITANI ciues Ouidio poetę vita defuncto, collata è publico pecunia propter ingenij nobilitatem, tymbon magnificè struxerunt ante oppidi portam in loco maximè celebri, quamuis Ouidius & peregrinus esset, & ab imperatore Romano proscriptus. Pontanus lib. de Magnificentia cap.15. ex ore Georgij Trapezuntij.

SILIVS Italicus, poetarum post Vergilium in carmine heroico facilè princeps (cuius libri de secundo bello Punico & hodie extant,

miro ingenio scripti) quotidie Vergilij sepulchrum inuisere, atque muneribus ornare solitus erat. Pontan. cap. 35. de Liberalitate.

THEODORICVM Longobardorum regem constat, quanquã barbarum, Romanique euertiorem imperij, ac Rauennæ constituentẽ regni sedem, Augusti tamen sepulchrum Romæ instaurandum curasse. Pon. ca. 15. de Magnif.

FERDINANDVS rex Neapolitanorum, non Isabellæ solùm vxoris, aut Heleonoræ filiæ, atque Hippolitæ nurus funera singulari pompa edidit, verùm & Francisci & Blancæ Mediolanensium ducibus, Hippolytę ipsius parentibus, ac Ioanni Aragoniæ regi patruo: Matthiæ Hungariæ regi genero, Friderico quoque Imperatori, qui diuersis ac longinquis in locis è vita migrauerant, exequias rara quadã magnificentia, splendoréque persoluit. Pont. cap. 15. de Magnif.

FERDINANDVS Siciliæ & Neapolis rex cũ trigesimo septimo sui principatus anno obiisset, pompa funeris fuit tam magnificè celebrata, tanto apparatu elatum funus, vt antea nunquam: teste Ritio Neapolitano lib. 4. Regum Siciliæ.

ALPHONSVS Aragonum rex, quum Puteolos obsideret, atque animi laxandi causa littus quotidie peteret, reperit viri Genuẽsis cadauer è triremi hostium eiectum, littori appulsum. Quoviso, celeriter equo desiliit: ilsque qui propè aderant omnibus desilire iussis, aliis negotium dedit vt terram effoderent, alias vt nudum corpus obuoluerent: ipse verò non minimas in sepeliendo homine partes sibi asciuit. Panormita libr. 1. de rebus gestis Alphonsi.

Nostra ætas vidit in ALPHONSO Agidario (qui dux confecto Bætico bello Mauros iterum rebellantes circa Arundam oppugnabat, in qua pugna suorum negligentia fortiter pugnando occubuit) tantam funeris pompam, vt præter regios, propè exequiarum apparatus singulæ ciuitates Hispaniæ suis quæque locis iusta persoluerint, neque minor nunc eius interfecti apud Hispanos fama: quàm Cõsalui fratris celebritas, qui Neapolitanum regnum incredibili felicitate Gallis ademit. Sepulchro talis inscripto regum decreto est addita, vt appareat illum tanquam numen ab omnibus cultum. Huius memoria rẽ que ab eo præclarè gestæ ne penitùs interirent, Iacobi Agidarij cura effectum, qui trophæa & alia monimenta illi erigenda in agro Brixiano curauit. Sabellicus libro decimo, capite 15.

FVNERA ABSQVE LVCTV.

Consule tit. Mortui cadaueris consumptio ab hominibus.

SOLON Athenienſibus flebiles lamentationes & cætera dolorem testantia, velut inania, & nihil proficientia sustulit. Alex. ab Alex. lib. 3. ca. 7.

Apud LOCRENSES luctu mortuos prosequi vetitum est: sed postquã elatum est funus, conuiuia agitant. Heraclides in Politiis.

In COORVM insula viri neque vestium permutatione, neque capillorum rasura vita defunctos lugere solent: matri verò, mortuo tutene, ad lugendum annus datur. Heraclides in Politiis.

MASSILIENSES duas ante portas habebant areas, quarum altera liberorum, altera seruorum. Corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehebantur, sine lamentatione, sine planctu, siue luctu, mox etiam cõuiuio addito. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Inst. antiq. & Alex lib. 3. cap. 7.

TROGLODYTÆ Æthiopiæ populi sepulchra ridiculè penitùs curant. Nam paluri vimentibus corpus ligantes, defuncti cerui cem crutibus applicant. Deinde cadauer in loco editiori positum, lapidibus videntes obruunt: impositóque super saxorum aceruũ capræ cornu, abeunt, nullo dolore moti. Diodorus Siculus lib. 4. cap. 3. de Rebus antiquis.

Apud THRACES, Trausos ac Cesias, item Causiados vsitatum fuisse dicitur, vt in funere exultantes iubilent: eo quòd defunctus Dei beneficio omnibus incommodis & infortuniis, quæ vita fert, ab imminentibus malis atque omni fœlitia formæ ereptus sit. Alex ab Alex. libr. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 7. & Strabo lib. 7. Herod. lib. 5. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Melalib. 2. Solin. cap. 17.

ESSEDONYM traditur mos, vt parentum funera cantibus prosequantur, mox cœnibus propinquorum aduocatis (quod dictu & auditu fœdum est): ipsis cadaueribus, immistis ouillis carnibus, vescantur. Alex. ab Alex. lib 3. cap. 2.

LIBYCI eos qui vel ab elephantis, vel in venationibus, vel in præliis interfecti sunt, honorificis sepulturis prosequuntur, hymnóque in honorem eorum cantant, Est autem hoc argumentum hymnorum, vt dicant eos se fortes viros præbuisse, qui tantæ bestiæ reluctari veriti non sint. Dicunt enim, glorioſe vitam cum morte commutasse, id demum monumentum esse laudatissimũ ei qui terræ mandatur. Æl. de Var. hist. li. 12.

FVNERA CVM LVCTV.

ABRAHAM venit vt plangeret Saram vxorem suam defunctam. Genesis 27.

AARON posteaquam occubuisset, omnis multitudo populi fleuit super eum triginta diebus. Num. 20.

Præclarum studium Hebraicę fuit gentis in MOSEM, qui populum ex Ægypto eductum in libertatem asseruit. Eum enim vita defunctum vniuersa multitudo tricenos luxit dies: diutius luctura (vt credere fas est) nisi mos gentis obstitisset. Sab. lib. 10. cap. 14 ex Deuter. 34.

Est & SAVLO, qui primus in Iudæa rex fuit, non paruus honos post mortem persolutus, quem Philisteo bello cum filiis ad Gelboen monte interfectum, & ad ludibrium gentis crucis patibulo sublatum, Iudei nocte fustulerunt, cadauer funerarunt publico luctu in parte Galaaditanæ terræ, ieiunio septem dierum omnis sexus & ætatis indicto. Sab. lib. 10. capite 14.

DAVID planxit super Saulem, Ionatham, & alios. 2. Reg. 1.

DAVID & omnis populus fleuerunt super Abner, quem occiderat Ioab. 2 Reg. 3.

TOBIAS manducauit panem cum luctu & tremore, eo quòd corpus iugulati proximi in domo habebat, quod nocte sepelire volebat. Tob. 2.

Antiochus, cùm fecisset in Hierusalem hominum cædem magnam, factus est plãctus magnus in ISRAEL, & omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ iedebant in thoro maritali, lugebant. 1. Machab. 1.

Planxit ISRAEL planctu magno in morte MATATHIÆ. 1. Mach. 2.

Fleuerunt omnes de Israhel IVDAM MACHABÆVM, planctu magno dies multos, dicẽtes: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat Israel? 1. Machab. 9.

Interfecto IONATHA & duobus filiis eius cum mille viris, quos retinuerat sibi, à Tryphone, luxit Israel luctu magno. 1. Macha. 12. & 13.

Curauerunt VIRI pij à Iudæis lapidatum Stephanum, & fecerunt plãctum magnum super eum. Act. 8.

SOLON mortem suam lugeri iussit: contrà verò Ennius vetuit.

Mos fuit plerisque populis, mulieres conductitias (præficæ vocabantur) comparare, quæ in eorũ morte lugerent, quibus deessent parentes. Rauis.

SOPHOCLES mortuo Euripide, atrata & pulla tunica se induit, & sine corona suas tragœdias actitari voluit. Gyrald. in 2. tomo Hist. poët.

Luctus ÆGYPTIORVM talis est: Quibuscunque domesticis aliquis decessit homo alicuius momẽti, ibi omnis muliebris sexus familia caput sibi & vultum oblinit luto. Deinde relicto domi cadauere, ipsæ per vrbẽ vigantes se plangunt, sucinctæ, nudatis mamillis: & cum eis proximæ quæque, altera ex parte viri, & ipsi expectorati se verberant. His actis, ita demum ad condiendum portant. Herod. lib. 2.

L. VAL. Publicola, L. Valerij Valesij filius, qui primo de Veientibus & Sabinis triumphauit, cùm legem de prouocatione à magistratibus ad populum promulgasset, exeremam claudens diem, publicè sepultus, & anuo matronarum luctu honoratus est. Cæci.

Quum M. ANTONIVS fleret educatorem suum mortuum, & adolescens ab auleis ministris reuocaretur à declaratione pietatis erga nutritium: Permittite, inquit Antonius, prius illi vt homo sit: neq; enim vel philosophia vel imperium tollit affectus. Iulius Capitolinus.

M. ANTONINVS Verus Romanorum imperator, iamiã moriturus, cùm suos ad grabbatum stare, dolere atque angi videret: Humanum est, inquit, humanis casibus ingemiscere: multóque magis misericordiã prouocare, quæ oculis vsurpantur. Sensit autem, hominem non lignum aut lapidem esse, qui nullis rebus afficiatur, sed animal, quod affectibus misericordiæ tangatur, & compatiatur etiam. Herod. lib. 1.

QVI LVGENDI SINT.

NVMA Pompilius tempus luctus primus apud Romanos constituit, qui puerum trimo minorem nec lugeri nec plangi voluit. Alex. ab Alex. lib 3. cap. 7.

CIMBRI & Celtiberi, si quiin acie mortem oppetunt, gaudio exultant: si autem morbo affecti decedunt, in squalore & luctu sunt. Ibidem.

In THERAVna ex Cycladibus, seruatum legimus, vt pueri citra septẽnium, aut homines vltra quinquagesimum annum indefleti essent, si nuorei entur: quòd illi rapti immaturo funere vix primũ vitæ limen attigissent, isti autem fatis diu vixissent. Ibidem.

QVANTO TEMPORE LVGENDVM SIT.

Solebant plerique ETHNICI diebus nouẽ mortuos flere, vnde Nouendialium sacrorum manauit consuetudo. Rauis.

LYCVRGVS Lacedæmoniis vndecim dierum spatio luctum terminauit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

ÆGYPTII per 72 dies regem defunctum lugent. Ibidem.

LYCII, cùm luctus iis incidit, muliebrem vestem induunt, vt deformitate cultus commoniti, maturius ſtultum proiicere mœrorem velint. Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Inst. antiq.

Apud Romanos luctus & mœror patrius intra lugendi tempora ob plurimas minuebatur causas: vt si liberi nascerentur: si pater aut filius, frater aut vir ab hostibus capti reuertissent, aut cùm propior affinis quã lugeretur, domi natus foret, vel si puella dabatur nuptui. Publicus verò, si lustrum fieret, aut vota soluerentur, vel sacra Cereris instarent. Ille enim casibus domum aut familiam in squalore esse, nequaquam decebat. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

Luctus apud Romanos accepta Cannensi clade triginta dierum spacio ob Cereris sacra finitus est ex Senatus consulto. Cuius rei meminit Liu. lib. 4 Dec. 4. Valerius Max. libro 1. cap. 1. Item post Cannensem cladem ob multorum cædem, & sacrorum Cereris neglectum. Liuius lib. 2 Dec. tertiæ. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

NVMA instituit, ne vltra decem menses filios parentum, aut vxores virorum mortem deflerent. Quod lugendi tempus patri & filio, æquè fratri & sorori commune esse voluit: vltrà verò non licuit, ne luctu indefesso & lachrymis nunquam desinentibus, domus & familia funestaretur. Itaque post annum, parentes filiorum & fratres sororum funera deflere vetuit. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

IDEM filios minores decennio, tot mensibus, quot annis vixissent, à parentibus lugere statuit. Sed nec vxores à viris, nec sponsas lugeri fas putauit. Ibidem.

M. ANTONINVS philosophus, ne vltra quinque dies lugerent Romani, filium sibi morte sublatum, summæ spei adolescentem, edicto inhibuit. Ibidem.

LVCTVS VARII RITVS.

GRÆCI in funere suorum barbam capillumque submittebant, ingemiscentes luctum ostendẽtes. Quem morem à Romanis etiam vsurpatum legimus, vt sorores, defunctis fratribus, & matres filiis orbatæ, in acerbo funeris luctu, cum flebili vociferatione, detonsos crines corpori imponerent. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

IDEM in vsu fuit, vt in luctu capillum manu discindant, & comam vellant: vtque defuncti vxor fletu oculos corrumpat, quasi hoc munus morientis foret. Ibidem.

Apud EOSDEM funesti, & qui exequias duxissent, lapide Lesbio exructas domos incolere cogebantur, quod subtristi essent aspectu. Ibidem.

ARGIVI in mortuorum luctu albas vestes aqua ablutas induebant, & in candido amictu funus comitabantur. Ibidem.

REGIVS Spartanorum defunctis, equites per vniuersam Laconiam obitum regis enunciant: fœminæ per vrbem circumeuntes, ollas pulsitãt. Cùmque hoc fit, necesse est ex singulis domibus duos ingenuos, matrem ac fœminam, luctu fœdari, magnis pœnis (nisi hoc fa rint) impositis. Est autem circa funus regum eadem ferè consuetudo Lacedæmoniis, quæ barbaris Asianis. Posteaquam enim mortem obiit rex, oportet eius requisis adesse ex omni regione necessarios quosque Spartiatarum, qui sint numero vicinorum. Quorum, posteaquam multa millia in vnũ coacta sunt, promiscuè cum mulieribus & ſeruis frontes suas intrepidè pũgunt, & vlulatu immenso vtuntur, vltimũ quenque regum dicentes semper fuisse optimum. Qui verò regum in bello periit, eius simulachrum etiam expressetunt, in thoro efferunt. Cuius tumulatione decem dies iustum est: nullúsque magistratuum consessus, sed luctus continens. Herod. lib. 6.

MACEDONES defunctos suos detonsis crinibus lugebant. Vnde & Archelaum Macedoniæ regem, Euripidem Tragicum intimum familiarem, crinibus detonsis luxisse legimus. Alex. lib. 3. cap. 7.

SYRACVSANI candido amictu velati, & fronde coronati, Timoleontem vrbis defunctum extulere, & perpetuos honores cõdito in foro sepulchro decreuere. Ibidem.

PERSÆ detonsi coniugibus & liberis, lacera veste, lugubri vlulatu corpora mortuorum efferebant, atque vt animi mœrorem externis etiã ostenderent, in funere clarorum virorum, seipsos, equos & iumenta tondebant. Ibidem.

ÆGYPTII sui regis mortem communi mœsticia lugent, vestes lacerant, templis clausis forum non frequentant, festa solennia nõ agunt dies septuaginta duos, luto deturpantes capita, ac findone subtus mammas cincti, vnà viri mulieréque ducenti fermè aut trecenti circumambulant bis in die, nouantes luctum, atque ad numerum cùm cantu virtutes regis numerant. Cibis animantium, coctisque, ac vino, omníque mẽsæ apparatu per 72. dies abstinent: non lauaeris, non vnguentis, non stratis lectis, non venereis vtuntur, sed tanquam defuncto filio per eos dies mœrentes lugent. Diodor. Sic. lib. 2. cap. 2. de rebus Antiq. & Alex. libro tertio, capite septimo.

Apud Eosdem cùm quis defunctus est, propinqui omnes deturpato luto capite, lugentes ciuitatem, quoad mortuus sepeliatur, circumeunt. Interim neque lauantur, neque vinum aut cibum, nisi vilem, sumunt, neque vestibus vtuntur splendidis. Diodor. Sic. libro secundo, de Rebus antiquis.

IDEM posteaquam defuncti nomen deplorassent, & ter viua aqua cadauer asperſissent, omni munere absoluto, supremum salue & vale, tanquam nunquam eos visuri vltrà, conclamabant, & postea licet omnes clamabant, qua voce populum missum faciebant. Alex. ab Alex. libro tertio, capite septimo.

MILESII rasis capitibus mortuos deplorare solebant. Qui mos etiam apud Barbaros inoleuit frequẽs, vt in funere & casibus aduersis iuuenes tonderent comam & barbam. Ibidem.

In Lycia affines & propinqui in funere muliebres vestes induebant, vt ea vestitus deformitate pertæsi, citius à lachrymis abstineant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & Val. lib. 2. cap. 1.

CARTHAGINENSES in luctu comas & ora lacerant, & vbera verberant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

Apud Romanos in exequiis illud obseruatum est, vt si qui serui ab eo qui iam efferebatur, manumissi, aut libertate donati essent, illi præcipuè qui fide insignes à domino cogniti forent, heritem interitum miserantes, pleni lachrymarum, elatum corpus præcederent pileati, aut alba lana capitibus velatis. Qui quanto plures erant, tanto plus hominis lãditque dabant. Ibidem.

ROMANÆ matronæ, tempore luctus purpuram autúmque deponebant, atráque vestes induebant, nec illa resumere donec eluxissent licebat. Ibidem.

TEMPVS HVMATIONIS VEL COMBVSTIONIS.

GRÆCI defunctorum suorum corpora decem & septem diebus antequam cremarentur, seruabant, totidémque noctibus. Alexander ab Alexandro libro tertio, capite septimo.

MORTVI CADAVERIS CONSVMPTIO.

AB HOMINIBVS.

INDI Patri occidunt senes, & quoscunque in morbum incidentes, atque illis vescuntur. Herod. lib. 3.

INDI Gallatiæ parentibus suis vescuntur defunctis. Igne comburere illos, piaculare ducunt. Vide tit. Prudentiæ in redarguendis aliorum opinionibus.

Apud ISSEDONES extremæ Scythiæ populos, quoties pater alicui decessit, omnes eius propinqui pecora adducunt: quæ vbi mactauerunt, concidunt: concidunt & mortuum patrem illius, à quo in conuiuium recipiuntur, commixtíque omnibus carnibus conuiuium exhibent: capitum defuncti denudatum purgatúmque inaurant. eóque pro simulachro vtuntur, agentes illi quotannis maiores hostias, ceremoniásque. Herod. lib. 4.

MASSAGETIS nullus vitæ terminus propositus est. verùm vbi quis admodum consenuit, eum conueniẽtes proximi quique cognati immolant, & cum eo pecudes aliquot, quarum carnibus pro epulo coctis vescuntur. Quod genus obitus apud eos beatissimum habetur. Morbo exuctos non edunt, sed terra operiunt: calamitatem esse iudicantes, quòd immolationem non sint consecuti. Herod. lib. 1.

DERBICVM (est Persica gens) hæc fuit consuetudo, vt parentum & affinium, qui succubuerant, corpora comederent, & maximæ pietatis & honestatis munus hoc esse putarent. Alex. lib. 3. cap. 2.

HYBERNI cadauera sanguine coniunctorum, conuocatis amicis omnibus, lauto conuiuio parato consumebant: & plurimùm de cadauere peruorasse, laudi ducebant. Ibidem.

A BRVTIS QVIBVSLIBET.

PARTHI honestissimam sepulturam vulgò auium & canum laniatus putauere: nudáque tantum ossa quæ superterant, terræ mandare assueuerant. Alex. ab Alex lib. 3. cap. 2.

MAGI auium & canum laniatibus cadauera è viuis exemptorum obiiciebant, & deuoratorum deinde ossa colligentes honorificè sepeliebant. Ibidem.

A VOLVCRIBVS.

BRACHMANES, Iberi, Taxilli, cadauera defunctorum vulturibus exponebant. Alex. lib. 3. cap. 2.

BARCHEIS (quæ apud Colchos gens est) agnatos morbo extinctos, velut ignauos & degeneres tradere igni: in bello autem absumptos, tanquam fortes & strenuos obiicere vulturibus mos erat. Alex. lib. 3. cap. 2.

A PISCIBVS.

LOTOPHAGIS & Ichthyophagis nulla sepulchrorum habetur cura, sed defunctos in mare proiiciunt: parum referre arbitrati, igni, terra

vel aqua obruantur. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.& Rhod.lib.9.cap.42.

PÆONES defunctorum ſuorum corpora nec ſepelierunt, nec cremarunt: ſed in flumina deiecerunt, vt à piſcibus & aquatilibus conſumerẽtur. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

A CANIBVS.

MASSAGETÆ eos qui morbo pereunt, tanquàm impios canibus dant in prædam. Bello verò interfectos honore maximo proſequuntur.

HIRCANI, gens horrida & inculta, canes pro ſepulchris habuerunt, qui ſepulchrales dicti ſunt. Hos affluenti cibo nutriebant: & ſuos quiſq; canes nutriebat in vita, à quibus mortuus laceraretur. Atque hoc eximiũ & ſolenne putabatur funus. Alex.lib.3.cap.2.

IGNI.

Apud GRÆCOS rogo extructo, & pyra cupreſſo circundata, propter grauem cremati corporis nidorem, ne tetro odore abigerẽtur proximi, illius oculos antequam cremaretur, patefaciebãt, ac cœlum digito oſtendebant, animæ domicilium. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7& 2.

HERACLITVS defunctorum cadauera igni conſumenda eſſe voluit, vt ad originem ſuam reuertantur: ex igne enim omnia cõſtare dixit. Ibidem.

PHRYGIBVS igni imponere mortuos, antiquiſſimus mos fuiſſe proditur. Ibidem.

CARTHAGINENSES cũ prius terra obruerent fato defunctos, poſtea à Dario admoniti, mutato conſilio, igni tradidere. Ibidem.

Optimatibus THRACVM tales ſunt ſepulturæ. Plorato triduum cadauere, mactatiſq; omnifariis hoſtiis, conuiuantur. Illúdq; defletũ prius, deinde combuſtum ſepeliunt, aut aliter humo contegunt. Aggeſtóq; deſuper tumulo, cùm alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipuè certa cum ratione monomachiam. Herod.lib.5.

Cùm PERIANDER Corinthi tyrãnus, Cypſeli F. ad Theſprotos, qui ſunt ad flumen Acherontem, miſiſſet nuncios, ſciſcitatum mortuorum oraculum de hoſpitis depoſito, Meliſſa vxor Periandri iam defuncta apparẽs, negauit ſe indicaturam aut dicturam, vbinam depoſitum eſſet collocatum, quoniam ipſa algeret, quia nuda eſſet. Nihil enim ſibi prodeſſe veſtes, cum quibus ſepulta fuiſſet, vtpote non concrematas. Cuius rei, quòd vera loqueretur, teſtimonium foret, quòd Periander in frigidum furnum panes ingeſſiſſet. Hæc Periandro renunciata, ob illud fidẽ fecere quòd ipſe cum Meliſſa quamuis defuncta coierat. Itaq; ſtatim poſt eum nuncium per præconem edixit, vt omnes Corinthiæ mulieres ad Iunonis templum prodirent. Eò tanquam ad diem feſtum quàm ornatiſſimè poterant cùm iſſent mulieres iſtæ, diſpoſitis clàm ſatellitibus, eas omnes ſine diſcrimine exuit, ingenuas pariter & ancillas: atque eas veſtes ad foueã comportatas, Meliſſam precando cremauit. Hæc vbi fecit, & nuncios iterum eóſdem miſit: tunc ei Meliſſæ idolum expoſuit, vbínam depoſitũ hoſpitis collocaſſet. Herod.lib.5.

CORNELIVS Sylla primus ex patriciis, decedẽs igni ſe cremari voluit apud Rom. talionem veritus. Nã ipſe corpus Marij & eruta oſſa ſubuertit, & in Anienem miſit. Inde manſit diu conſuetudo defunctos cremandi. Alex.lib.3.

GERMANIS ſtruem rogi nec veſte, nec odoribus cumulare licet: ſed ſua cuique arma, & ſuus equus adiicitur rogo, corpora verò clariſſimorũ virorum, niſi ex lectiſſimis lignis certi generis cremari, ſine vllo funeris ſolenni permittitur. Ibidem.

AQVA.

In SCYTHIA gens eſt, quæ parentum cadauera inter niues & glaciẽ truncis affixa arborum detinet, illa terræ mandare pro ſcelere próq; flagitio arbitrata. Alex.lib.3.cap.2.

TERRA

THALES, cùm omnia ex aquis conſtare diceret, defunctos terræ mãdari iuſſit, vt humore diſſoluerentur. Cuius ſententiam ſecuti Antonini Cæſares, voluerunt vt abolita cremandi cõſuetudine, corpora defunctorum humarent Romani in poſterum. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

ATHENIENSES, cum omnibus ferè Græcis, corpora non cremabãt, ſed funebri veſte terræ mandabant. Ibidem.

CYRVS apud Xenophontem non auro nec argẽto condi, ſed terræ corpus reddi, velut matri, voluit. Alex. ab Alex.li.6.cap.14.

ROMANOS olim ab ortu vrbis defuncta corpora humi condere, neq; cremare conſueuiſſe, illud argumento eſt, quòd Numæ Pompilij corpus in arca lapidea poſt multa ſecula à Gneo Terentio in Ianiculo inuentũ eſt. Martianus.

ARABVM & Sabæorum mos eſt, vt regum & ſummorum ducum elata cadauera, in loca tetra & inculta ſtercore obruant, ac cœno fimóque aggeſto terræ imponant. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2. Cæl.lib.9. cap.43.

PANEBII, ſi quando rex moritur, corpus quidem defodiũt, caput verò auratum in templo auguſtiſſimo conſecrant & dicant. Ibidem.

MODVS ET LOCVS CONSERVANDORVM CADAVERVM, VEL CI-*nerum. Sepulchra, Vrnæ, Loculi.*

Differt titulus iſte à titulo ſuperiori, in quo de pietate erga mortuos egimus. Quoniam illic in vniuerſum quicunque honos mortuis oblatus conſideratur, hic verò loci in quo honeſtè mortui reponuntur, ratio habetur.

ABRAHAM emiſſe agrum Ephron Hethæi ſcribitur, in quo antrum erat. Eo antro pro ſua ſuorúmq; ſepultura vſus eſt. Ibi primùm ipſe, dein de Iſaac, poſtremò Iacob depoſiti recubuere. Deſine peccator magnifica tibi extruere monumenta, & immodico ſumptu ſtipendis artifi cum operibus exornare. Ecce qui cum Deo colloquebantur, ſepeliri voluerũt in ſpelunca: & ne impenſas defuiſſe credas, diuites erãt. Dicit enim Scriptura de Abrahã: Erat diues valde in poſſeſſione auri & argẽti. De Iſaac: Et locupleratus eſt, habuítque poſſeſſiones ouium & armentorum & familiæ plurimum. De Iacob: Ditatúſque eſt homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos. Marul.lib.5.cap.10.ex Gen. 3.

Noluit IACOB ſepeliri cum malis hominibus in Ægypto: ſed adiurauit Ioſeph, vt eum mortuum ad patrum ſuorum ſepulturã deferret. Hoc ipſum repetiit poſt benedictionem filiorum, inſtante morte ſua: quod Ioſeph ſollicitus adimpleuit. Gen.47.& 48.30.

Cùm adiuraſſet IOSEPH fratres ſuos, atq; dixiſſet: Deus viſitabit vos, aſportate vobiſcum oſſa mea de loco iſto, & mortuus eſt. Gen.54.

AARON pontifex maximus à Deo electus, peregrè moritur, & Dei iuſſu in monte Hor ſepelitur. Nulla ibi exequiarum pompa, nullus manis honor, niſi triginta dierum multitudinis luctus fuit. Quippe plurimorum lachrymæ multo melius defuncti probitatem teſtantur, quàm ſuper flui funebres apparatus. Marul.lib.5.cap.10.

Poſt hunc mortuus eſt ſeruus Dei MOYSES, & ſepultus in valle terræ Moab, & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentẽ diem. Quid eſt quòd tantus vir in valle ſepultus dicitur, niſi quia quanto maior es, tanto debes te gerere ſubmiſſius: in morte præſertim, quæ ſola ęquat ſeruum domino, pauperem diniti, ſtultum ſapienti, omnéſque pariter cõficit atque conſumit? Quid eſt præterea, quòd ſepulturæ eius locus ignoratur: niſi vt illorum arguatur fatuitas, qui niſi in marmoreis conditoriis, affabrè ſculptis, atque ad vnguem læuigatis, auróque linitis, & in celebri loco poſitis, putreſcere neſciunt. Quinetiam inciſis in lapide literis nomina conſcribunt, quaſi quicquam ei prodeſſe poſſit, vt qui fuerint, poſteri cognoſcant: cùm ipſimet dum viuerẽt non cognorint, magis inani gloriæ quàm virtuti ſtudentes. Moyſi ſepulchrum ignoratur, ſed vitæ illius integritas ac ſanctitudo nullis vnquam ſeculis obliterabitur. Quiſquis illi ſimilis eſſe curauerit, profectò non quæret quo loco ſepultus iaceat, ſed vbi ſempiternus viuat. Ibidem.

Pœna VIRI Dei, qui panem contra diuinum mandatum in domo mali prophetę comedit, fuit, quòd non fuit ſepultus in ſepulchro patrum ſuorum. 3. Reg.13.

Sepultus fuit DOMINVS per Ioſeph & Nicodemum, in ſepulchro nouo, exciſo in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Matth.27. Marc.16. Lucæ 23.

BABYLONII defunctorum corpora melli immergunt. Alex.libro 3.cap.2.

TROGLODYTÆ Æthiopes ſepulchra ridiculè penitùs curant. Nam Paliuri viminibus corpus ligantes, defuncti ceruicem cruribus applicãt. Deinde cadauer in loco editiori poſitum lapidibus ridẽtes obruunt: impoſitóque ſuper ſaxorum aceruum caprę cornu, abeũt, nullo dolore moti. Diod.Sic.lib.4.cap.3.

PHRYGIÆ populi mortuos ſacerdotes non defodiunt, ſed ſuper lapidibus decem cubitis erectos ſublimes conſtituunt. Ale.ab Ale.li.3. c.2.

COLCHI mortuos ſuos in pellibus ſepeliunt, & inſutos ex arboribus ſuſpendunt. Ælian.lib.4.de Var.hiſt.

Apud ÆTHIOPES Macrobios hic mos eſt curandi mortuos, poſteaquam mortuum ſiue Ægyptiorum, ſiue aliorum more arefecerunt, totum gypſo inducunt: picturáque exornantes, repræſentant quoad poteſt effigiem eius. Deinde cippum ei è vitro (quod apud illos multum eſt, & facilè effoditur) circundant: in cuius medio mortuus interlucet, nihílque odoris ingrati, neque fœditatis vllius exhibens, ſed omnia ipſi illi mortuo ſimilia habens. Hunc cippum maximè propinqui intra ædes annum tenent, offerentes ei omnium rerum primitias, hoſtiáſque: anno exacto efferunt, circáq; vrbem ſtatuunt. Herod.li.3.& Diod. Sic.li.3.de Rebus ant.

SCYTHÆ regum ſepulchra apud Gerrhos ſunt, vbi Boryſthenes iam nauigabilis eſt. Ibi cùm rex eorum deceſſit, ingentem ſcrobem effodiunt forma quadrata. Accipiunt mortuum corpore incerato, aluo euulſa atque expurgata: (vt etiam Plin.lib.9.cap.45.docet) quam vbi ſilere contuſo & thymiamate, apiíque ſemine & aniſi expleuerunt, conſuunt rurſus: impoſitúmque plauſtro cadauer, ad aliam gentem ferunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt quæ regij Scythæ: aurem decidunt, crinem circum tondent,

brachia circuncidunt, frontem naſúmque ſauciãt, ſiniſtram manum ſagittis traiiciunt. Poſtmodum regis cadauer carpento ferunt ad aliam gentem, cui imperitant: quæ ipſos comitatur ad eos, vnde primum venerant. Vbi iam mortuum circunferentes, luſtrauerunt ſingulas gentes, quibus imperauit rex: apud eos deponunt, qui in extremis Gerrhis habitant, & in ſepulchris. Quem poſtquam ſuper thorum in loculo viderunt, haſtis hinc atque hinc defixis, deſuper ligna diſponunt, deinde pallio contegũt. In reliqua loculi ſpacioſitate aliquam eius pellacum ſtrangulatam ſepeliunt, & eum qui vina miſcebat, & cocum, & equiſonem, & miniſtrum, & qui erat à nunciis: nec non equos, & aliarum rerum omnium primitias, quinetiam phialas aureas. nam argẽteum & æreum nihil in vſu habent. His actis, humum certatim atque auide iniiciunt, cupiẽtes tumulum quàm maximum efficere. Circumacto anno, rurſus hoc agunt: E famulis regis intimos ſumunt. Sunt autem famuli regum ingenui Scythæ, & quos ipſe rex iuſſerit. nam nullus venalitius ei miniſtrat. Horum miniſtrorũ quinquaginta cùm ſtrangulauerunt, ac totidem præſtantiſſimos equos, eductis inteſtinis, expurgatis paleis implent ac conſuunt. Et vbi dimidium fornicis ſuper duo ligna reſupinatum ſtatuerint, alterúmque dimidiũ ſuper altera duo ligna, & item alia multa huiuſcemodi defixerint, tum ſuper ea equos imponunt, craſſis tignis in longum ad ceruicem vſque traiectos, ita vt priores fornices ſuſtineant armos equorum, poſteriores verò iuxta femora ſuſcipiant vteros, vtriſque cruribus ſupernè pendentibus. Equos infrenant, corúmque habenas ad palos extentas alligant. Dehinc ſuper eorum ſingulos, ſtatuunt ſingulos quinquaginta iuuenum ſtrangulatorum, hunc in modum: vnicuique eorum rectum ſtipitem per ſpinam ad ceruicem vſque transfigunt: quod inferius ſtipitis extat vltimum, infigunt tigno illi, quo equus transfixus eſt. His equitibus ſepulchro circumpoſitis abeunt. Hunc in modum reges ſepeliunt. Alios autem Scythas, cùm deceſſerunt, proximi quique in plauſtris collocatos ad amicos circunferunt. Eos ſinguli amicorum excipientes, epulum cadauer comitantibus prębent, tam propinquis quàm cæteris. Ad hunc modum quadraginta diebus priuati homines circumaguntur: dehinc humantur tali tamen ratione prius purgati. Vbi caput exinaniuerunt, abluerúntque, circa corpus ita agunt: Tria ligna ſtatuũt mutuo inclinata, circa hæc prætendunt lanea pilea, quàm maximè poſſunt conſtipantes, & in ſcapham, in medio lignorum pileorúmque poſitam, lapides coniiciunt ex igne perſpicuos. Poſtea cannabis ſumptum ſemen ſub pileis occulunt, ſupra lapides igne perſpicuos: vnde ſit thymiama, tantum reddens vaporem, quantum apud Græcos nullum thuribulum reddit. Hoc odore ſtupentes Scythæ, eiulant quod apud ipſos loco lauacri eſt. Neque enim lauãt omnino corpus, ſed vxores eorum infundentes aquam, corpora ad lapidem aliquem ſcabrum conterunt cypreſſo & cedro & thuris ligno. Deinde perfrictum corpus cùm intumuerit, illud faciémque medicamentis oblinunt. Id eas ſimul beneolentes facit: ſimul poſtero die, medicamentis amotis, mundas ac ſplendidas. Herodotus lib.4.

ÆGYPTII, ſi quis vita exceſſerit, cadauer ad ſaluatores deferunt, qui oſtendunt iis qui portauerunt, exemplaria mortuorum lignea pingendo aſſimilata. Et eorum vnum accuratiſſimè fabrefactum eſſe aiunt: cuius ego nomen ſi nuncupauero, haud faciam ſanctè. Alterum illo inferius, ac vilioris precij. Tertium, viliſſimi. Ea dicentes ſciſcitantur ab his, ad quod exemplum velint effingi mortuum ſuum. Iſti conuento de precio, illinc abeunt. At hi qui relinquuntur in ædibus, hunc in modum diligentiſſimè condiunt corpus. Ante omnia incuruo ferro cerebrum per nares educunt, vt quanque partem educẽtes, ita locum eius medicamẽtis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem aluum protrahunt: quam vbi repurgarunt, ac vino Phœniceo expleuerunt, rurſus odoribus contuſis refarciunt: tum omenta complentes contuſa myrrha pura, & caſia, & cæteris (excepto thure) odoribus, iterum conſuunt. Vbi hæc fecère, ſaliunt intrò abditum ſeptuaginta dies. nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta dieb. cadauer vbi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis loris inuoluunt, gũmi illinentes: quo Ægyptij glutinis loco plerunque vtuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſúmque ita reponũt. Hic autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumptum, ita comparant. Clyſterem vnguine, quod è cedro gignitur, complent. Deinde ex hac aluum mortui, ipſam neque ſcindentes, neque extrahẽtes, ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu, inferciunt: & tot, quot dixi, diebus ſale condiunt: quorum dierum vltimo cedrinum vnguem, quod prius ingeſſerant, ex aluo egerunt: quod tantam habet vim, vt vnà ſecum aluum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuíque tantùm cutis & oſſa relinquũtur. Vbi iſta fecère, ex quo ſic tradidère mortuum nihil amplius negocij ſuſcipiunt. Tertia censitura hæc eſt adornandi corũ mortuum: Qui tenuiori ſunt fortuna, dilutionibus ventrem abſtergunt, arefaciúntque ſale ſeptuaginta per dies, deinde tradũt reportandum. Vxores tamen inſignium virorum non ſtatim vita defunctas tradunt cõdiendas: ac ne eas quidem fœminas, quæ cõſpicuæ valde & maioris momenti fuerint, ſed triduo atque quatriduo defunctas. Ea de cauſa facientes, ne cum fœminis ſalinarij concumbant. Deprehenſum enim quendam aiunt coeuntem cum recenti cadauere muliebri, delatúmque ad eiuſdem artificij ſocios. Herod.lib.2.

PERSÆ cadauera non prius humant, quàm aut ab alite, aut à cane tracta fuerint. Poſtea cera condiunt, & terra obruunt. Herodotus libro primo.

XERXES Darij filius, effoſſo vetuſti Beli monumẽto, vitream vrnam reperit, vbi iacebat in oleo mortuus: non tamẽ plena fuit vrna, vacuúmque à ſummis labris ferè palmę ſpacium habuit. Adiacebat vrnæ columna exigua, in qua ſcriptum continebatur: eum qui ſepulchrum aperuiſſet, neque repleuiſſet vrnam, peſſimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expauit, & oleum celerrimè iuſſit infundi. Non tamen impletum eſt. Qui iterum infundi iuſſit, neque ſic incrementum accepit, donec fruſtratus omni labore infundendi, clauſo monumento ſumma cum mœſticia diſcederet. Neque verò falſum eum habuerunt, quorum prænuncia ſignificatríxque extiterat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu aduerſus Græcos conſcripto, magnam cladem accepit: reuerſúſque turpiſſima morte vitam finiuit, noctu in ſtratis à proprio filio peremptus. Ælian.lib.13.de Var.hiſt.

ANAXAGORAS cùm Lampſaci moreretur, quærẽtibus amicis, velletne Clazomenas in patriam afferri, ibidémque ſepeliri: Non neceſſe eſt, inquit. Vndique enim ad inferos tantundem viæ eſt. Cicero in Tuſc. libro primo, Laertius libro ſecundo, capite tertio, Bruſon. libro quarto, capite decimo.

Apud Græcos lege cautum erat, vt qui patrimonium prodegerat, ſepulchro patrio non humaretur, ſed externo. Alex. ab Alex. libro ſexto, capite 14.

Apud Athenienſes ſtatutum erat, vt ſingulæ tribus ſingulas arcas, in quibus cadauera & diſperſas reliquias illorum qui bello ceciderant, ſuæ cuiuſque tribus inquiſita colligerent, & in expeditione vehiculis ferrẽt. Ibidem.

SOLON pœna coercuit illos, qui ſepulchra delerent, aut in gentilia alienum inferrent. Ibidem.

PLATONIS inſtitutio fuit, vt in agro inſœcundo ac ſterili ſepulchra conſtituerentur, ne viuentibus officerent. Ibidem.

MEGARENSES tria aut quatuor defunctorũ corpora ſingulis condebant tumulis prona. Ibidem.

SAITANI, reges ſuos & imperatores intra ſepta templi ſepeliebãt: hócque ſepulturæ genus optimum, & pietatis vltimum officium exiſtimabant. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

GYMNESIARVM incolæ inciſa & defecta cadauera in vrnam imponunt, deſupérque ingentia ſaxa accumulant. Ibidem.

LYCVRGVS ſepulchrorum vniuerſam ſuperſtitionem ſuſtulit, permittens vt non ſolum intra ciuitatem humarentur cadauera, verùm etiã vt monumenta templis vicina haberentur. Submouit & funebres expiationes: nec conceſſit vt quicquam vnà cum cadauere ſepeliretur (nam aliæ nationes, ſi quid fuiſſet viuo chariſſimum id mortuo addebant in ſepulchro: damnoſa ſimul ac ridicula ſuperſtitione, quaſi mortui ſentiãt aliquid) ſed in puniceo amictu, & oleæ foliis ex æquo poſito omnes ſepeliri iuſſit. Vetuit etiã titulos & inſcriptiones addi monumentis, præterquam eorum qui in bello cecidiſſent. Suſtulit autem & luctus & funebres nænias, quas reliquorum hominum vulgus incredibili ſumptu & apparatu, etiam per conductos ploratores celebrare conſueuit. Eraſ. ex Plut. in Lacon.

Extat in Alopecis Atticæ buſtum Anchimolij, iuxta Herculis templum quod eſt in Cynoſargi: qui Anchimolius Lacedæmoniorum dux à Piſiſtratidis, quos expellere conabatur, cæſus fuit. Herodotus libro quinto.

SOCRATES iam moriturus, cum percontaretur à Critone, quemadmodum ſepeliri vellet? Multam verò operam, inquit, amici, fruſtra conſumpſi Critoni eum nõdum perſuaſi, me hinc auolaturum, neque quicquam me relicturum. Veruntamen Crito, ſi me aſſequi volueris, aut ſicubi nactus eris, vt tibi videbitur ſepelito. Bruſon.lib.4. cap.10. ex 1. Tuſc. quæſt. Cic.

IDEM cicutam bibiturus, à quibuſdam interrogatus, quomodo ſepeliri vellet? Eo modo, dixit, quo vobis facillimum fuerit. Stobæus ſermone 120.

ROMANI quidam defuncta ſuorum corpora in domibus, quas ſinguli immolabant, doliis & vaſculis condebant. Qua ex cauſa Lares, quos domeſticos vocant deos, colere cœperunt. Alex.ab Alex.lib.3.cap.3.& libro 6.cap.14.

Apud Eoſdem cùm duodecim Tabularum lege, ne intra vrbem ſepelire liceret probè cautum eſſet in agris quiſque ſuis ſepulchra & loculos, in quibus cineres ſuorum conderent, habuere. Cineres tamen illorum qui triumphaſſent, aut imperatorum ſummorúmque ducum, qui Rempub. auxiſſent, virginúmque Veſtalium, in vrbem ferri & foro condi licebat. Ibidem.

ROMANI antiquitùs neminem in vrbem ſepeliebant, niſi hos tantum qui optimè de Repub. meriti eſſent. Ideóque ferunt Hadrianum imperatorem aureorum quadraginta pœnam ſtatuiſſe in eos, qui in ciuitate ſepulchrum feciſſent. Crinitus lib.21.cap.12.

HADRIANVS & Antoninus Pius, Rom. Imperatores, ius antiquum renouantes, ne cui intra vrbem ſepelire liceret, edictis decretiſque ſanciuère. Alex.lib.6.cap.14.

TRAIANVM Auguſtum ſepulchrum in Romano foro meruiſſe primum legimus, quod & poſteris deinceps datum eſt. Ibidem.

Apud ROMANOS, ſingulos ſingulis ſepulchris condi, diu conſuetudo permanſit: quod ab Athenienſibus quoque vſurpatum fuit. Ibidem.

Apud Eoſdem tota familia ſepulchri patrisfamiliâs particeps erat primùm: ſed procedente mox tempore, ne in genus & poſteros ſepulchra deſcenderent, lege fuit ſancitum, donec nouo poſtea edicto ad genus & familiam recideret. Ibidem.

QVO SITV CADAVERA SEPELIRI CONSVEVERINT.

SOLON in bello de Salamine suscepto, ducem egit: & captis duobus templis, duces Atticos in eos imposuit, atque hostium arma suis militibus induenda dedit: sicque per insidias multos Megarensium circumueniens, inermes trucidauit. Vicit autem eos non eloquentia, sed argumẽtis ipsis & rebus eos confutauit. Aperiens enim vetustos & antiquos loculos, ostendit omnes Athenienses versus occasum patrio more iacere. Megarenses verò temerè & sine discrimine sepultos esse. Iudicarúntque causam Lacedæmonij. Ælian.lib.7.de Var.hist.

MEGARENSES & Phœnices ad occidentem, Athenienses verò oriẽtem versus, mortuos suos vertere solebant. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

PHOENICES defunctorum suorum corpora occidentem versus ponebant, cùm aliæ gentes orientem versus verterent. Ibidem.

APHRI, corpora eorum qui ex hac vita migrarent, summa solennitate occidentem versus sepeliebant. Ibidem.

Sepeliunt pastorales Afri defunctos, vt Gręci: pręter NASAMONES, qui illos sedentes sepeliunt, obseruantes, vt dum quis cœpit agere animã eum sedentem constituant, ne supinus expiret. Herod.lib.4.

DIOGENES rogatus à Xeniade, quomodo sepeliri vellet? In faciem, inquit. Percontanti causam: Quoniam, inquit, paulo pòst futurum est, vt inferiora fiant superiora. Huc alludẽs, quòd id temporis Macedones rerum potirentur, atque ex humilibus fierent excelsi: quòd si inuerterentur omnia, fore vt cadauer etiam ex prono fieret supinum. Fortassis illud sensit, nihil referre quo statu corpus exanime sepeliatur: qua in re magna erat vulgi superstitio: porrectis enim in portam pedibus efferebantur, stãtes cremabantur, & hodie stantes, vt audio, sepeliuntur Iudæi: certè supini sepeliuntur omnes Christiani. Eras. Diogenis dictum extat apud Laërt. lib.6.& Brusonium lib.4.cap.10.

LACON quidam, quum homines defunctos in sellis sedentes videret: Absit, inquit, vt hic sedeam, vnde seniori assurgere fas non est. Ostendit autem facetissimo dicterio, mortem horrorem incutere hominibus, vitã autem omnibus esse dulcissimam. Brusonius libro quarto, capite decimo.

ORNATVS CADAVERIS.

GRÆCI cadauera defunctorum vino & vnguento inspergere solebant, cúmq; odoribus effusi in lachrymas in vrna condere, & linteo ventilare. Veste etiam alba cadauer, coronísque ornant, & pæana canẽtes sepulchro inferunt. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

SOCRATI cicutam bibituro Apollodorus preciosum pallium obtulerat, vt eo indutus moreretur. At ille recusans donum: Quid, inquit, hoc meũ pallium quod viuenti conuenit, mortuo non conueniet? Vsque adeò etiã in morte frugalitatem vir sanctissimus obseruauit. Eras. libro tertio Apophthegmatum.

Apud LACEDÆMONIOS qui strenuam in militia operam nauassent, ac pro patria fortiter occubuissent, oliua & aliis ramis redimiti, laudibus vehebantur: ac demum amicti purpura preciosissima, gloriosè ac honorificè sepulchris mandabãtur. Ælian.lib.6.de Var.hist.

SICYONII Aratum è viuis exemptum, veste alba & coronis sepulchro intulêre Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

ROMANI in diebus luctus, cum funus facerent, pellibus induti, pulláque ornati, illorum corpora qui magistratus & honores gesserant, in prętexta purpura togáque consulari & senatoria, viros triumphales in tunica Iouis, plebeiorum in toga plebeia, aut pallio efferre solebant. Ibidem.

Apud INDOS & ÆGYPTIOS seruatum est, regum funebres tunicas, quo cineres cremati à reliqua fauilla distincti iaceant, ex licio, quod igne non absumitur, conficere, iísque ad rogum defunctũ corpus induere. Ibi.

Cares morte sublatos milites non exuunt: sed vnà cum armis militaribus honorificè sepeliunt. Ibidem.

NASAMONES defuncti corpus calida abluebant aqua, vngebãt preciosissimis vnguentis: candido amictu induebant, ac diebus septem seruare solebant, ara constituta, vbi odores incenderent; quæ acerra dicta est. Ibidem.

MVNERA MORTVIS DARI SOLITA.

ALBANIS pecuniã cum mortuis sepelire in loculis, mos erat patrius. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

Apud QVOSDAM trientem in os defuncti, tanquam naulum imponere moris fuit: quem apud inferos dari pro portorio, opinio fuit. Ibidem.

ÆTHIOPVM præcipuus mos erat, vt comas ad rogum radant, corporíque & igni imponant boues & pecora: equósque & canes in ignem mittant, vinum & oleum fundant. Ibidem.

SINDONES tot pisces defunctis dabant ad sepulturam paratis, quot hostes, qui humaretur, confecisset. Ibidem.

Apud priscos GERMANOS, dum igne accenso corpora defunctorum cremarentur, pro dignitate, próque opibus, quibus quisque potens erat, amici & affines, quíque coniunctissimi aderant, quæ chara habebant, & præcipui cultus, cum gemitu & questu miserabili in luctus & grauissimi doloris signum ignibus iniiciebant. Ibidem.

QVI FVNVS EFFERVNT.

Apud ROMANOS filij tecto capite, in veste pulla parentes magno cum luctu efferre consueuêre. Alex.ab Alex lib.3.cap.7.

PAVLVS Æmylius, cùm fatis cessisset, post triumphum Macedonicũ, à Macedonũ legatis in exequiis humeris sublatus est ad sepulturam. Ibi.

Q. Metello defuncto, filij tres consulares, duo triumphales, vnus censorius, & alter prætorius, lectum subiêre. Plin.lib.7.cap.44.

L.SYLLA dictator, cum è viuis exemptus esset, Senatores & sacræ virgines pheretrum extulerunt. Alexend.lib.3.cap.7.

DIOGENES interrogatus, num seruum ancillamúe haberet: negauit. Quúmq; percontator adiecisset: Quis igitur te efferet, si moriaris? Cui domo, inquit, erit opus. Multi superstitiose soliciti sunt, quomodo, & per quos efferantur. Hac cura prorsus vacabat Diogenes, non dubitãs quin futurus esset aliquis, qui cadauer eiiceret: vel ob id, quò domum faceret vacuam. Quanquam illi contigit honorifica sepultura. Laërt.lib.6. Bruſ. lib.4.cap.10.

FVNERIS COMITES.

GRÆCI, ne fraudarentur solenni honore mortui, octauo ante sepulturam die per pręconem funus indicebant, vt omnes ad honestãdas exequias confluerent. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

Apud EOSDEM fœminæ virique in candida veste, cùm coronis, amplissimi viri exequias prosequuntur, & velut in publico luctu promiscuè complorant. Ibidem.

INDORVM peruulgata historia est, vt viro defuncto, quæ charissima coniunx in vita fuerat, eodem igne absumatur, vnáque cremetur. Ibidẽ.

THRACIBVS & GETIS erat mos, vt viro defuncto, præcipuè dilecta cõiunx, maximo cultu ornata, ad tumulum ductaà propinquiore mactetur, eodémque tumulo humetur. Ibidem.

GERRI & TAVRI Scythæ gentes, defuncto rege, in tumulo, vbi cadauer odoribus delibutum erat, præcipuam concubinarum, pincernam, coquum, agasonem ac ministrum vnà tumulare, equósq; & quinquaginta ex ministris ad rogum præfocare assueuerant. Ibidem.

GALATARVM mos fuit, vt defuncti familiares & affines inscriptas epistolas ad rogum coniiciant, velut apud inferos mortui illas mox lecturi forent. Ibidem.

ROMANI tibicines & præficas funeri adhibebant. Consule tit. Funebres laudationes.

POMPA ET ORNATVS FVNERIS.

LYCVRGVS funebrem pompam vetuit. Vide tit. Modus condẽdi cadaueris.

GRÆCIS vsurpatur, vt imperatore aut duce fato perfunctis, funus efferatur solenni pompa & apparatu regio, captiq; & milites circa rogum digladientur, ouésque ac boues mactentur. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

In exequiis cupresso fores ornare fuit moris, quòd hæc arbor sit Plutoni sacra. Blond.

ROMANI in funere clarorum virorum, insignia honorum quos gessisset, vtpote fasces, secures, arma & dona militaria pręferebant, coronásque omnis generis, quas in vita meruisset: itẽ vexilla, vrbium dona, spolia hostium, expressos cera vultus, & decora maiorum, totiúsque familiæ longo ordine simulachra. Alex.ab Alex. li.3. cap.7.

CAIVS Cæsar in amitæ suæ funere, Marij statuas pro decore familiæ detulisse fertur, ne quid esset, quod exequiarum apparatum diminueret. Ibidem.

FVNEBRES LAVDATIONES.

A CECROPE

A CECROPE Atheniensi institutum fuit, vti de mortui laude in funere oratio haberetur inter propinquos. Pont.cap.15. de Magnif.

GRÆCI defunctorum laudes solenni oratione & longo petito prooemio prosequuti sunt. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

IIDEM in luctu mortuorum nænias sæpe decantare apio coronati, & defuncti laudes recensere carmine, quod Ialemon vocant, résq; memoratu dignas claro præconio celebrare consueuerant. Ibidem.

PERICLEM primum apud Græcos fuisse legimus, qui carmine & laudibus eos qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerãt, prosequutus fuit. Ibidem.

Apud ÆGYPTIOS si rex aut quiuis alius extremum clausisset diem, antequam condatur in arcam cadauer, permittitur lege volenti mortuum accusare. Si comprobaretur malè vixisse, iudices sententiam ferebant, cadauer sepulchro priuandum esse: si bene, ad laudes mortui vertuntur: & à pueritia incipientes, omnes eius virtutes enumerant. Quo facto, inuócatis aliis inferis, præcantur vt defunctum iam inter pios locẽt. Ad quæ verba omnis multitudo correspondet, gloriam mortui extollẽs. Diod.Sic.lib.2.de Rebus ant.cap.2.& Fulg.lib.2.cap.1.& Alex.lib.3.cap.7.

ÆGYPTII defunctos laudaturi, nulla opum aut nobilitatis mentione facta (siquidem hæc non hominis propria, sed fortunæ bona dicuntur) in eis religionem iustitiámque extollebant: vt hoc laudis genere exornata mortuorum memoria, viuentes ad has sectandas virtutes efficacius accẽderentur. Fulgos.lib.2.cap.1.

GALATÆ funebrem orationem in magnatum exequiis habuerunt, in quibus grandes natu, aut proximi necessarij de laudibus defuncti disserebant, ac illorum dicta factáque egregia, totiúsque vitæ cursum recensebant. Alex.ab Alex.lib.3.cap.7.

LIBYCI eos qui ab elephantis, vel in venationibus, vel in præliis interfecti essent, honorificè sepeliebant: hymnósque in eorum laudem lęta voce cantabant, quòd tam honestè ac gloriosè vitam cum morte commutassent. Ælian.lib.12.de Var.hist.

Apud INDOS, multis seculis viguit mos, vt cùm moritur quispiam, pro foribus domus, magistratus, cui hoc munus impẽdebat, anteactam vitam morésque describat, vt vitia eius, laudésque innotescant omnibus. Alex. ab Alex.lib.3.cap.7.

ROMANI habebant tibicines, qui post vltimam conclamationem pręcedentes funus, næniam funebrem, qua laudes defuncti & facta recensebant, pudorem, integritatem & fidem canerent. Is enim modus erat ad mœrorem acccommodatior. Quod ideo institutum ferunt, quasi in illas æternas amœnitates ac in sedes & concilia piorum post funera recepti videantur. Ibidem.

IIDEM præficas, quæ luctui præessent, aduocare, vel precio conducere in exequiis solebant, quæ cantu & funebri carmine lamentarentur: vitámque & præclara gesta, summásque virtutes, non sine miseratione laudarent. Nonnunquam mimos, qui personas effingerent, ac facta dictáque repræsentarent, adhibuerunt. Ibidem.

P.VAL. Publicola mortuo Bruto, supremas ipsius laudes accurata oratione prosequutus est: & inde quoque apud Romanos institutum est, vt clarorum virorum in funeribus solennis laudatio esset. Ibidem.

APPII Claudij decemuiri defuncti laudationẽ plebs Rom. æquis & benignis auribus audiuit. Ibidem.

SCIPIONEM, hominem clarissimum, in funere supremo, vt hominem diuinum, Fabius Max. commendauit. Ibidem.

Apud ROMANOS quamuis à principio virorum tantùm gesta in funere laudarentur, attamen cùm Camilli tempore collatum à mulieribus aurum esset, quo se populus Rom. à Gallis redimeret: cautũ fuit, vt in earum quoque funeribus solennis laudatio esset. Itaque POPILIA prima à Crasso filio laudata fertur. Alex.ab Alex.lib.4. cap.8.& lib.3.cap.7.

C.IVLIVS Cæsar, secundus à Crasso, defunctam suam vxorem in funere laudauit. Alex.lib.4 cap.8.

INFERIÆ ET PARENTALIA,

Mortuo apud GRÆCOS vel principe, aut quouis alio magnæ autoritatis viro, duodecim hostes velut victimę occidebantur: quemadmodũ quosdam Troianorum Patroclo contumulauit Achilles.

GRÆCI paucis à morte diebus, ferialia litabant defunctis obsequia: obseruatúmque vt reliquo corpore combusto, plerunq; digitum membrumúe, aut crines seponerent, quibus tanquam cadaueri iusta persoluerent & parentarent. Alex.lib.5.cap.26.

ARGIVORVM institutum fuit, vt defuncti affines statim ab excessu Apollini sacrificent, & trigesimo pòst die Mercurio, Apollinísque sacerdoti ordeum dent, ignémque extinguant, & rursus accendant, &c. Alex.li.3.capite 7.

DELPHI apud aram Epitymbiæ Veneris manes euocabant, & defunctis parentabant. Alex.ab Alex.lib.3.cap.26.

IIDEM cùm Pyrrhi tumulum nullo honore antea coluissent, postea cùm didicissent illum contra Gallos pro Delphis adfuisse, Pyrrhi manibus in posterum parentarunt. Ibidem.

DELII pueri & puellæ, Hyperboreis virginibus vita functis, tonsis crinibus parentasse dicuntur: quos fusis inuolutos, supra illarum monumentum puellæ deponunt, pueri verò in sepulchris.

Apud PLATÆENSES manibus peremptorum ciuium dabantur inferiæ: & præcedente tibicine, vehicula multa lauro & myrto fusca cum coronis sequebantur: mox lactis vini & olei libationes succedebant: facto sacrificio manes aduocantur, & his poculo propinatur. Hoc modo defunctos, velut claro præconio excitos, expiari putabãt. Alex.lib.5. cap.56.

Apud ALBANOS, manibus defunctorum parẽtare, aut iusta persoluere, nulli permittitur, eo quòd defunctos nulla ope humana egere putabant. Ibidem.

Ad TEREI sepulchrum si qui parentant aut immolant, ordei loco calculis vtuntur. Ibid.

ÆGYPTII, dum manibus defunctorum parẽtant, post preces oppleti lachrymis, tumulum amplexantur & coronant. Ibidem.

AVGILÆ, qui vltra Cyrenem sunt, nullos deos, præter defunctorum manes, putabant: & ab illis, vbi tumulis incubuêre, per somnia responsa accipiebant. Ibidem.

In insula quæ ABALOS dicitur, si quando homo mersus in flumen nõ appareret amplius, centum annis funus illi faciebant, & manes ita expiabant. Ibidem.

ESSEDONES purgatum defuncti caput inaurant, illíque quotannis hostias mactant, & iusta persoluunt. Ibidem.

ROMANI floribus ornare sepulchrum, sacrificio atq; epulo defunctis parentare solent, nonnunquam thure & mero supplicare sine tibicine. In acie cæsis, fuit tam ara quàm annua parentatio constituta. Ibidem.

DECIVS & Brutus mense Decembri parentabant, contra Romanorũ constituta, qui mense Februario mortuis inferias dare consueuerant. Ibi.

TRAIANVS imperator, in ea domo in qua Alexander Macedo morte sublatus fuit, eius manibus parentasse & sacrum fecisse dicitur. Ibidem.

SEPVLCHRORVM ET MONVMENTORM sumptus

Consule tit. Magnificentiæ in sepulchris.

Sepulchra inter priuata numerat opera magnificentiæ, Iouianus Pontanus: quòd ea aut vnius sunt, aut singularum familiarum. Mirum tamen in modum ad vrbium ornatum conferunt, quæ maiores nostri sacra esse voluêre: & mirificam quandam vim habent excitãdi ad virtutem & gloriam, præsertim vbi benemeritis posita sunt: cap.11. de Magnif.

GRÆCI sanciuêre, ne quis maioris operæ sepulchrum excitaret, quã quod decem homines triduo perficerent, néue Hermas in Ceramico apponere, aut longo petito prooemio epigramma inscribere fas foret. Alc. lib.6.cap.14.

ALEXANDER Macedo decies mille talenta in Ephestionis funus contulit. Pont.lib.33.de Liberalitate: & Volaterranus lib.15. Anthrop.

NINVS Assiriorum primus rex, cùm in clade cum Zoroastre Bactrianorum rege cecidisset, sepultus est sepulchro ingentis molis, altitudine nouem stadiorum, latitudine verò decem, ei cõstructo. Ctesias apud Diodorum Sic.lib.3.

ARTEMISIA regina Halicarnassi, defuncto marito Mansolo, quem vnicè semper dilexerat, sepulchrum fecit, inter septem orbis miracula à Plinio numeratum. Ad funus quoque ornandum primos Græciæ oratores accersiuit: teste Suida.

DEMETRIVS, rex nouis sepulturis modum statuit, sanxítque super defuncti cineres erigi columellam, quæ vltra cubitos tres non extaret. Alex.lib.6.cap.14.

INDI operosa sepulchra, vt grauia defunctis, aspernati, humili tumulo mortuos suos sepeliunt. Alex.lib.6.cap.14.

ÆGYPTII in domorum ædificatione negligentes, miro sumptu superbáque magnificentia construere sepulchra consueuerant, operáque prodigiosæ pyramides: quòd existimarent, defunctorum domos sempiternas, viuorum verò domicilia esse velut vitæ momento transeuntis diuersoria. Iidem mortuos condiunt, & eos domi seruant. Cicero li.primo Quæst.Tusculan.

ÆGYPTII sepulchrorũ tres habent species, Sumptuosã, Mediocria & Humillima. In prima exponunt argenti talentum, in secunda minas viginti, in vltima parum quid sumptus irrogant. Qui funera autem mortuorum curant, primùm à defuncti amicis explorant, quanti velint celebrari funus. Conuentione facta, corpus defuncti accipiunt, & iusta impẽsa curant. Primus Grammaticus (ita enim appellatur) describit quantum à sinistra parte defuncti incidendum sit: deinde qui dicitur Scissor, habens lapidẽ Aethiopicum, latus aperit, subitóq; cursu, persequẽtibus qui astãt,

Lapidésque cum execratione in eum iacientibus,fugit. Existimant enim odium inhærere,quicunque amici corpus vulnere illato violaret.Curatores postea corporis, quos Salitores appellant, per scissuram corporis interiora præter renes & cor ducebant,& vino Phœniceo & rebus odoriferis lauabant, & vngebant preciosis vnguentis dies amplius triginta. Curatum dabant deinde cadauer defuncti amicis, qui singulis eius partibus, etiam superciliorum palpebrarúmque pilis integrè seruatis, domi magnis sumptibus conditis,posteris ostendebant.Diodorus Sic.lib.2. de Reb.antiq.& Herod lib.2.

MYCERINVS Cheopis F. Ægyptiorum rex, cum filiam vnicam excellentiori aliquo genere sepeliret,quàm cæteri, fecit ligneam bouem vacuam,quam cùm inaurasset,in ea filiam sepeliuit defunctam.Neq; humo bos hæc condita est,sed ad Herodoti vsque memoriam in propatulo fuit in vrbe Sai,apud regiam,in cõclaui quodam exornato deposita: cui singulis diebus omnifarij odores inferuntur, noctibus autem perpetuò incensa lucerna astat.Effertur è conclaui quotãnis: quoniã patrem orasse dicitur,vt defuncta quotannis solẽ semel intueretur. In altero contiguo conclaui imagines stant concubinarum Mycerini:vt in vrbe Sai sacerdotes aiebant Stant enim colossi, id est grandia simulachra, circiter viginti,è ligno fabricati,nudi plerique:qui quarum sint mulierum,non cõstat.Sunt qui de hac boue & colossis hæc fabulosa referant:Mycerinũ amore filiæ suæ captum,vim ei intulisse: deinde illam cùm præ mœrore se suspendisset,patrem in hac boue sepelisse: matrem autem manus ministrarum,quæ filiam patri prodidissent, præcidisse: & nunc earum hæc esse simulachra eius mali,quo d viuæ passæ fuissent.Herod.lib.2.

ÆTHIOPES ditiorum monumenta ex auro, tenuiora ex argẽto faciunt,inopes autem fictilibus vasis sepeliunt.Alex.ab Alex.libro 6.capite decimoquarto.

TROGLODYTÆ paliuri virgis mortui ceruicem cum pedibus alligantes efferunt: deinde cadaueri lapides aggerentes, cornu capræ inibi ridentes apponunt:hoc pro exequiali pompa,próque funere existimantes Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

IBERI defunctis tot obeliscos apponebant, quot hostes propria manu interfecissent, vt suæ quisque virtutis præmia diis infernalibus ostenderet.Ibidem.

SEPVLCHRALI apud Romanos lege cautum erat, ne ampliori opere excitaretur sepulchrum,quàm quod tribus vel quinque diebus absolueretur:nec maiori lapide, quàm qui laudes sepulti & titulos honorum acciperet.Alex.libro sexto,capite decimoquarto,& Cicer.secundo, de Legibus.

L. SYLLA legem promulgauit, qua funebres impensæ & ambitiosæ exequiæ,atque ad rogum munera,nec non conuiuiorum impendia,præscripto fine taxabantur.Alex.lib.6.cap.14.

C.Cæcilius Claudius Isidorus,obiens mortem,se funerari iussit sestertiorum vndecim milibus.Plin.lib.24.capite decimo,& Volat.lib.14. cap. secundo,Anthrop.

LICINIVS tonsor, vir ditissimus, sepulchrum magnis sumptibus & grauissimis impensis sibi fieri voluit: qua sepultura illa ætas nihil indignius iudicabat, quàm hominem ignobilem iacere tam regiè. Vnde ob rei indignitatem poeta ille:

Marmoreo Licinius tumulo iacet,at Cato paruo,
Pompeius nullo.Credimus esse deos?&c.

Pontanus capite decimo,de Magnificentia.

HADRIANVS in iis spectaculis quæ in honorem Troiani patris edidit,balsama & crocum per theatri gradus diffundi iussit. In honorem etiam socrus aromatica populo dedit. Pontanus capite decimoquinto, de Magnificentia.

PROBVS Imperator in sepeliendo Aradione nullis sumptibus pepercit.Posteaquam enim singulari certamine eum vicisset,sepulchrum, cuius latitudo trecẽtorum esset pedum,ei condidit. Pontan. capite duodecimo,de Magnificentia.

ALFONSVS quàm fuerit effusus in Ferdinandi patris sui sepultura, difficile explicatu est, cùm supra decem & septem aureorum millia in illius funus effuderit.Idem capite decimoquinto,de Magnificentia.

SEPVLCHRORVM INSCRIPTIO.

Vide Commentarios nostros Epitaphiorum.

LYCVRGVS defuncti nomen tumulo inscribi vetuit, nisi illius, qui fortiter pro patria occubuisset,& operam in bello Reipub.nauasset. Alexander libro sexto,capite decimoquarto.

In antiquorum monumentis crebrò reperias has literas, H.M.H.N. S. Hoc monumentum hæredes nõ sequatur:quasi ad posteros ius sepulchri huius non pertineat. Alij verò interpretantur, Hoc monumentum hæres non sequatur:nam cùm sit inanime, loco se mouere nequit: sed hæres (siue hæredes, in singulari nominatiuo, more antiquo) sequatur monumentum.Perelegans amphibolia in verbo Sequatur.

EPVLÆ ET VISCERATIONES FVNEBRES.

Vide tit. DE Visceratonibus & Epulis.

A CECROPE Atheniense institutum est, vt post obductam terram amici conueniant,ac vicini, epulantes in honorem defuncti. Pontanus capite decimoquinto,de Magnificentia.

ALIBI ab iisdem propinquis epulæ opiparæ mittuntur,quibus familia ipsa quæ funesta est vescatur,ac dolorem sedet.Pontanus eodem loco:& Alex.libro tertio,capite septimo.

MASSILIENSES duas arcas ante portas habebant, quarum altera liberorum,altera seruorum corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehebantur,sine lamentatione,sine planctu, sed cum necessariorum conuiuio.Valerius Maximus libro secundo,capite primo.de Instit.antiquis.

SCYTHÆ post funus amicos excipientes,epulum præbebant cadauer comitantibus.Alex.libro tertio,capite septimo.

In ITALIAE oppidis compluribus propinqui comparatis epulis in mortui ædes conueniunt ad discumbendum, ne quo genere honoris funus ipsum defraudetur. Pontanus capite decimoquinto, de Magnificentia.

LVDI FVNEBRES ET SPECTACVLA.

Inter præclara VETERVM instituta illud in primis commendatione dignum,quòd quorum vita fuisset perspectior, eorum funera tum è priuata,tum è publica pecunia magnificentius persequerentur,ludis etiam interdum editis, qui funebres dicti sunt. Pontanus capite decimoquinto de Magnificentia.

GRAECI Archemoro vetustissimos in Nemæa ludos instituerunt. Nisi fortè antiquiores sunt, quos Acastus in Iolco Thessaliæ primus celebrasse dicitur.Sabellicus libro decimo,capite decimoquinto.

ISTHMIA certamina fuerunt in secunda fama, Scyronis à Theseo interfecti memoriæ data.Ibidem.

ACHILLES ad Troiam Patrocli funus magnificis ludis prosequitur. Similiter ÆNEAS patris Anchisæ in Sicilia ad Drepanum. Ibidem.

GRAECI gymnica certamina & equestria in defuncti memoriam populo dabant, nonnunquam nauium cursus & naumachiam exhibebant.Alexand.libro tertio,capite septimo.

ΑΠΟΘΕΩΣΕΙΣ. SACELLA ET SACRIFICIA.

Vide quæ sub tit. Præmia fortitudinis bellicæ, à nobis dicta sunt.

Alexander,qui Orientem domuit,Ephestione defuncto, mulis & equis detonsis,vrbium pinnacula diruit: tubas & cætera instrumenta vetuit in castris canere:postremò diuinos illi honores & sacrificia vt semideo indixit, oraculum secutus tria millia histrionum funebribus ludis adhibuit,omnem Cusseorum gentem trucidauit,testatus eas se dare inferias Ephestionis manibus:denis millibus talentũm defunctum extulit. Sabellicus libro decimo,capite decimoquinto.

Plebs Rom.duobus Gracchis ab optimatium factione interfectis, statuas sacelláque his posuit locis, in quibus icti conciderant: coluítque tanto studio, vt quotidie in his sacrificia fierent. Inde illud Corneliæ matris, habere tandem filiorum corpora digna suis virtutibus sepulchra.Sabellicus libro decimo,capite decimoquinto.

STATVAE.

Consule tit. Præmia fortitudinis bellicæ.

Nulli

Nulli Quiritium maior honor contigit in funere, quàm L.CORNELIO Syllæ,qui Rom.omnium primus ciues proscripsit suos.ex thure & aromate à mulieribus congesto statua legitimæ magnitudinis compacta est,senáque lectorum millia in defuncti memoriam strauit ciuitas. Sab. libro.cap.15.

LYSANDRO Lacedæmonio aram & sacrificia post mortem instituit Græcia:PHOCIONIS cineres aliunde repetitos,publico sumptu funerauit Atheniensis ciuitas, statuam æream defuncto erexit, accusatorem capite damnauit:non suum modo iudicium pertæsa,sed iudicij autorem. Quod & SOCRATI datum planè constat: quem cum infensa damnasset ciuitas,damnatum statua decorauit.Ibidem.

EXERCITATIO CORPORIS.

Exercitatio corporis quatenus cum virtute iungitur,ad certas virtutum species referenda est:& sub titulis, Studij in exercitatione theorica,mechanica,siue ethica,explicata fuit. Quatenus verò exercitatio ista corporis robur promouet, sic ad studium in exercendis corporis bonis pertinet.Quatenus denique robur coniunctum habet exercitatio:sic hoc etiam libro sub actionum motiuorum bonitate,roboris actiui species tum extra palæstram tum in palæstra,diligenter explicatæ fuerunt.In præsentia igitur, eorum qui corpus quomodolibet sanitatis vel roboris ergo exercuerunt,exempla recensebimus.

LYCVRGVS Lacedæmonum legislator, pueros impuberes non in forum,sed in agrum deduci præcepit, vt primos annos non in luxuria, sed in opere & laboribus agerent:nihil somni causa substernere, vitámque sine pulmento degere,neque prius in vrbem redire,quã viri facti essent. Iustinus lib.3.

LACEDÆMONII temporis parsimoniam magnopere colebãt, nulli permittentes,vt ocio vel ludicris consumeret. Itaque cùm nunciatum esset Ephoris Lacedæmoniorũ, eos qui Deceleiam tenebant,deambulationibus vti pomeridianis,miserunt ad eos qui præciperent,vt omni relicto ocio,ad labores honestáque negotia se conferrẽt.Non enim oportere Lacedæmonios deambulationibus aut inertia, sed exercitio corporis bonam valetudinem parare,& tueri.Ælian.lib.2.de Var.hist.

IIDEM infantes suos non ocio & ignauia, sed labore assiduo, iuxta Lycurgi leges educabant.Quare & prouerbio increbuit, solas Lacænas viros parere.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

EORVM virgines nondum adultę,in discorum iactu,cursibus & palęstra exercebantur nudæ:quod studium à Laconibus,qui summi palæstritæ fuerunt,excolebatur in primis. Id quod Plato non improbauit,censétque ne non modò puellæ,sed & anus luctarentur cum viris,vt patientes laborum facilè res arduas subirent.Ibidem.

CRETENSES filios suos ab ineunte ætate assiduis laboribus firmabant,ne senes iam ocio torpescere honestum ducerent. Vnde legimus, semper laboriosis exercitationibus,vtpote currendo,algendo, æstuãdo, arduas difficilésq; vias peragrando, omnes consumpsisse iuuentutis annos.Ibidem.

GYMNOSOPHISTARVM probabilem consuetudinem, qua suos ab ocio reuocarunt,fuisse legimus:qui adolescentes nequaquam ad cibũ potúmue admittebant,nisi prius quid ea luce laboratum, quidq; effectũ esset,coram senioribus bona fide indicassent.Alex.ab Alex.lib.5.cap.21.

AMASIS edicto non prius cibum capiebat Ægyptiaca iuuentus,quàm 180 stadia percurrissent:indignos quippe cibo & potu omni putabat, qui non aliquid prius laborassent, quod ad vitæ emolumentum prodesset Diod.Sic lib.2.cap.1.

LVCANI filios suos in labore assiduo educarunt, vt nullum alium cibum apponerent, nisi quem è venatione domum reportassent. Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

Apud CADVRCOS,ACARNANES & ÆTHIOPES vsum vetustissimũ fuisse legimus, vt saxa ingentia fundis intorquere,aut sagittas & iacula ingentis ponderis vibrare à teneris assuescant, vt hominem non ad ocium,sed ad laborem natum esse intelligerent.Ibidem.

GERMANI laboriosis semper exercitationibus, vtpote currendo, algendo,æstuando,arduas difficilésq; vias peragrando,exercuerũt iuuentutem:item pugnæ quoque simulachris,in quibus verbera plagásque dare & accipere cogebant,quo viri iam facti, optimi milites essent.Ibidem.

NVMA Pompilius, Romanorum post Romulum rex,ne populus ocio marcesceret,agros diuisit, Terminum & agrorum fines separantem deũ adiunxit:sigillatim qui obseruarẽt,quíque agros circumirent,statuit: interdum & ipse quoque spectans, & ex operibus ciuium mores cõiectans, inertes autem & negligentes vituperans & abiiciens, maximo supplicio castigabat.Plut.in Numa.

SOCRATES cum ad vesperam vsq; deambulasset strenuè, interrogatus cur id faceret?respondit:Quo melius cœnem.Ostendit vir sapientissimus,vsum deambulationis, qua agitantur homines vt eo melius cibum capiant,& deinde ambulatione consumant. Refertur hoc eius dictum à Cic.lib.5.Tusc.quæst.

CYRVS Persarum rex non ad prandium aut ad cœnam se conferebat, nisi antea ex multo labore & exercitatione corporis sudasset. Xenophõ lib.1.de Cyri instit.Stobæus serm.27.

IDEM cùm non ignoraret,ocium esse exercitus pestem pręsentissimã, voluit vt milites semper opus in castris facerent:& nunquam inunctus,nisi sudore præuio,cibum sumeret.

Apud BALEARES insulas,matres pueros à prima statim infantia hoc labore assuefaciebant, vt nisi oblatum cibum baculo aut funda prius attigissent,eo vesci prohiberent. Ea ratione laboribus cibum quærendum esse docebant.Alex.ab Alex.lib.2.cap.25.

ANTONINVS Bassianus Caracalla,præterquam quòd se cũ militibus exercebat,iter semper onustus armis pedes fecit.Alex. ab Alex.li.1.c.20.

AVRELIANVS Cęsar nullum prę cęteris reliquit vacuum diem,quin se pilo,sagittis ac militaribus armis exerceret. Ibidem.

OCIVM ET QVIES CORPORIS.

Ocium ad locum Vrbanitatis pertinet, quatenus in ocio sectando vel mediocres sumus,vel nimij.Exempla igitur inde petantur diuersarũ animi relaxationũ. Hic solius quietis ratio habetur:quoniam exercitationi tanquam quieti opponitur,siue honestum sit,siue inhonestum.Consule etiam tit.Ignauiæ in exercitatione theorica,mechanica,ethica: item Eorum qui sese magistratibus sponte abdicarunt,item. Post conuiuia quid agendum.

Conditor rerum omnium DEVS, in hebdomada septimum quiescere mortales diem iussit:vt eo exemplo doceret,post certa spacia, animi atq; corporis in labore interlaxamentum quærendum esse:ob id præcipuè,vt cum eius cultui operam damus,agendarum pro tot eius meritis gratiarũ non immemores simus:tum postea, vt etiam salutari hoc exẽplo doceamur,longos labores,vt leuiores fiant, intermissione aliquando oportere leniri,vt per hunc modum instauratis viribus promptiores animo corpore que ad nouos perferendos labores reddamur.

P.SCIPIO,qui primus Africanus appellatus est,requiescens à reipub. pulcherrimis muneribus,ocium sibi sumebat aliquãdo: & à cœtu hominum frequentiáque interdum tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat.Cato apud Ciceronem lib.3.Officiorum,à principio.

SOCRATES dicebat,sororem libertatis esse pigritiam: testésq; huius rei fortissimos,maximæq; libertatis populos adducebat, Indos & Persas,qui vtrique segnissimi essent ad laborandum.Phrygas verò,& Lydos, ad opus faciendum promptissimos esse,qui cum seruitute degerent.Æli. de Var.hist.lib.10.

CIBI VARII DIVERSORVM.

EX VEGETABILIBVS, FRVCTIBVS, *seminibus.*

Ægyptij pane vescuntur,quem ex farre conficiunt, & collestem nominant.Vino vtuntur facto ex hordeo:desunt enim in ea regione vites. Victitant quoque cum piscibus,partim crudis,& ad solem arefactis, partim salsugine conditis:cum auibus,sed crudis,prius tamen sale cõditis,coturnicibus,anatibúsque,atq; paruis auiculis.Cæteris autem vel volucribus, vel piscibus,quæ ipsis in proximo sunt (præter illa quæ ab eis sunt recepta pro sacris) partim assis,partim elixis.Herod.lib.2.

AEGYPTIIS palustrib. ad victus facilitatem quedam sunt excogitata.Siquidem cùm fluuius plenus campos inundauit,in ipsa aqua exoritur ingens vis liliorum,quæ Loton Aegyptij vocant. Ea vbi demessuerunt, ad solem exiccant.Deinde quod medium loti est,papaueri dissimile,postquam coxerũt,ex eo faciunt panes assos. Est autem huius loti radix quoque esculenta, etiam suauitate præstanti orbiculata, mali magnitudine. Sunt & alia lilia rosis similia,& ipsa in flumine nascentia:quorum fructus in alio calice germinans è terra,simillimus specie est fauo vesparum. In eo esculenta quędam instar nuclei oliuæ coagmentata innascuntur,quæ & tenera comeduntur,& arefacta.Iam verò iuncum annuum vbi è paludibus excerpserunt, superiorem eius partem amputant, quam in aliud quiddam conuertunt:quod relictum est inferius longitudine cubitali, id edũt pariter,ac venũdant.Eo si qui admodũ suaui vti cupiunt,in lucułẽto furno torrefactũ ita comedũt.Sũt preterea ex eis qui solũ piscib' victitãt,

quos vbi cæperunt, exenteratos ad solem desiccant, exiccatísque deinde vescuntur. Herod. lib. 2.

LOTOPHAGI, Africæ populi, è solo loti fructu victitant, qui est instar fructus lentisci, suauitate assimilis fructui palmarum: ex quo vinum conficiunt. Herod. lib. 4.

MEDI, qui ad Aquilonem vergunt, ex frugiferis arboribus alimenta sibi conquirunt, ex tostis amygdalis panem conficientes. Poma persiccant, teruntque, inde conglobant in massas. Vino vtuntur, quod ex certo radicum genere conficiunt. Vescuntur & ferarum carnibus: nam mitia pecora negligunt. Rauis.

HALISONES Scythiæ populi, vescuntur cæpe, lente, allio & milio.

SPERMOPHAGI, Æthiopiæ populi, fructus qui æstate ex arboribus decidunt colligentes, absque labore edunt, reliquo tempore herbam in vmbrosis nascentem locis decerpunt, quæ vitæ subuenit egestati. Diodorus Sic. lib. 4. cap. 3. de Reb. antiq.

RHIZOPHAGI, Æthiopiæ populi sunt, qui radices arundinũ, quas ex propinquis locis effodiunt, magna cura lauantes lapidibus terunt, quoad molles factæ cohæreant: deinde placentas ad modũ lateris, quantum manus capit, factas, atque ad solem decoctas mandunt: quem solum cibum cùm per omnem vitam suauem atque affatim habeãt, eóque pacem continuam inuicem seruent, cum leonib. tamen bellant. Nã aere circùm æstu feruente, è deserto leones ad eos egrediuntur, & vmbræ causa, & vt minores venentur feras: adeóque iamdudum ea deleta esset à leonibus natio, nisi natura præsidium tulisset. Nam sub ortum Canis, culicum multitudo ad ea loca aduolat, & leones partim mortũ, partim vocis sono propellunt territos. Diodor. Sic. lib. 4. cap. 3. de Rebus antiquis.

In Scythiæ montana homines quidam calui habitant, ex arboribus viuentes, quibus Ponticum nomẽ: magnitudo ferè eadem quæ fici, fructus fabæ similis, etiam nucleo. Id vbi mite fuerit, vestibus exprimunt: & quod ab eo crassum & nigrum defluit, nomine aschy, id aut lingunt, aut lacte commixtum potant. Ex ipsius quoque crassitudinis fæce massas ad esum componunt. Neque enim multum est eis pecorum, vtpote nõ studiosis rei pecuariæ. Herod. lib. 4.

NASAMONES Pœni sub æstatem relictis ad mare pecoribus, conscendunt ad locum Ægilem, decerpturi palmulas. Nam palmæ illic & permultæ sunt, & spatiosæ, & fructiferę omnes. Ex quibus vbi palmulas præmaturas decerpserunt, ad solẽ siccantes matures faciunt, deinde lacte maceratas sorbillant. Herod. lib. 4.

Diogenes quum in opiparo conuiuio videret Platonem nihil attingẽtem lauticiarum, sed oleis duntaxat vescentem: Quid accidit, inquit, vir sapientissime, vt cum ob huiusmodi mensas Siciliam profectus sis, hic à paratis abstineas? Ad hæc Plato: At hercle Diogenes, & in Sicilia huiusmodi ferè cibo contentus eram. Quid igitur, inquit Diogenes, necesse erat Syracusas nauigare? An tum Attica non ferebat oleas? Hoc dictum quidam adscribunt Aristippo. Laert. lib. 6.

GORDIANVS Iunior, olerum & pomorum appetẽtissimus fuit. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

EX AVIBVS.

EX INSECTIS VARIIS, VT *locustis, pediculis.*

BVDINI, Scythiæ populi, pediculos eſtant. Sabellicus libro sexto, capite primo.

MANDI Indorum populi, locustis viuunt. Quidragenos tamen annos non excedunt.

ACRIDOPHAGI Æthiopiæ populi, deserto contermini, homines sunt paulo cæteris breuiores, macilenti, ac supra modum nigri. Veris tẽpore flante Zephyro, & Libyco, locustas permagnas artificiosè capiunt, quas sale (quod regio plurimum ferat) superinfuso, diutius seruant, cibum gustu eis suauem: hic est solus eorum per omne tempus locustarum victus. Neque enim pecora nutriũt, neque pisces edunt, procul à mari positi, neque vllum aliud vitæ adminiculum habent. Corpore leues sunt, veloces cursu, & vitæ breuis, vt qui longissimè viuunt, quadragesimum non excedant annum. Finis eorum non solùm mirabilis est, sed etiam incredibilis. Nam propinquante senecta, pediculi alati, non solùm visu varij, sed specie horridi ac turpes, in corporibus nati, ventrem primò, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primùm veluti scabiei cuiusdã pruritu allectus, corpus scalpit, voluptate simul & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, simul effluente sanie, morbi acerbitate ac dolore percitus, vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat. Tanta verò vermium copia effluit, aliis super alios tanquam ex perforato vase scaturientibus, vt deleri nequeant. Et hoc pacto siue cibi, siue aeris causa miserum sortiuntur vitæ finem. Diodorus Sic. libro nono, capite tertio de Rebus antiquis.

EX PISCIBVS.

PÆONES Prasiadem paludem incolentes, piscibus etiam equos alũt. Vide tit. Habitationes viles & sordidæ.

SORITÆ Indorum piscibus viuũt, quos vnguibus dissectos sole torrent, & ita panem ex iis faciunt.

In Rhodo qui pisces in deliciis habet, eum populares quasi liberalem commendant. Cui verò magis arridet carnium eius, ij agrestes & ventres calumniæ causa appellantur. Ælian. lib. 1. de Varia historia.

Apud Babylonios tres sunt familiæ, quæ nullo alio nisi piscibus victitant. Quos captos vbi arefecerunt ad solem, hæc faciunt. In pilam deiiciunt, ac pistillis pinsunt: deinde linteis conseruant, vnde quispiam vult conspergit, offamque facit: alius verò in modum panis torret. Herodotus libro primo.

EX QVADRVPEDVM CARNIBVS, VEL *quibuslibet eorundem partibus.*

ISAACVS patriarcha, cùm ferina delectaretur, Esaum præ Iacobo adamabat. Genes. 25.

AGRIOPHAGI vescuntur leonum & pantherarum carnibus. Rauisius.

ALANI Scythæ, carnibus tantùm absque pane vescuntur. Idem.

P. SYRVS mimographus nullam cœnam sine abdomine suillo sumebat, & primus etiam Suminis nomen imposuit. Plinius testis.

ZYGANTES Afri minio inficiuntur, ac similis vescuntur, quarum affatim gignitur iis qui in montibus degunt. Herodot. lib. 4.

EX LACTE CASEO, *&c.*

BISALTÆ Scythiæ populi, nutriuntur equorum sanguine, permixto lacte: vt docet Verg. lib. 3. Georg.

MENISMINI Æthiopiæ, viuũt lacte Cynocephalorum, quorum armenta pascunt, maribus interemptis, nisi sobolis causa.

ZOROASTRES annis viginti caseo vixit in desertis.

Fuit quispiam nomine Philinus, qui tota vita nullo vsus est potu, nullo cibo præterquam lactis.

EX CARNIBVS HVMANIS.

MELANCHLÆNI Scythiæ populi, omnes indumenta nigra gerũt, vnde & cognomen habent: humana carne vescuntur, institutis Scythicis vtentes. Herod. lib. 4.

CASYRI Indorum ad Scythas versi, humanis corporibus vescuntur.

HENIOCHI populi in Ponto, gaudebant humanis carnibus.

Ætate beati Hieronymi Scoti vescebãtur humanis carnibus. Et quum per syluas porcorum greges & armentorum reperirent, tamen pastorum nates, & fœminarum papillas solebant abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari. Iidem nullam propriam habebant coniugem, sed pro libidine more pecudum lasciuiebant.

EX SERPENTIBVS, TESTVDINIBVS.

CANDEI, seu Ophiophagi, vescuntur serpentibus, quarum fertilissima est eorum regio.

CELENOPHAGI Carmaniæ populi, non alia quàm testudinum carne viuunt.

POTVS VARIVS DIVERSORVM.

ÆTHIOPES Macrobij carne tantùm cocta, & lacte aluntur. aquam bibunt ex fonte, in quo loti efficiuntur perinde atque inuncti, violam olentes. Ea aqua adeò inualida est, vt in ea ne liguum quidem vel palea innatare possit, sed omnia pessum eant in profundum. Hæc aqua illis præstare videtur, quòd sint longæui, & plerique ad centum viginti annos perueniant. Herod. libro tertio.

TROGLODITÆ Aethiopes vtuntur potu, idiotæ paluri succo: potentiores verò ex quodam flore expresso, qui est deterrimo nostro musco persimilis. Diodor. Sic. lib. 4. capite tertio.

CIBORVM QVORVNDAM ODIVM, & fuga.

Consule tit. Abstinentiæ.

EX VEGETABILIBVS.

AEGYPTII fabas nec seruant, nec comedunt: sacerdotes ne aspiciunt quidem. Herodotus libro secundo.

PELYSIOTÆ non comedunt cæpe. Capillum tondunt senescente luna.

EX ANI-

EX ANIMALIBVS.

IVDÆI nervo cõtrahente, qui est in cauo femoris, non vescũtur: quoniam in eo perstrictum fuit cauum femoris Iacobi patriarchæ, dum luctaretur cum angelo. Genes. 32.

ATLANTES Africæ populi, nulla animante vescuntur. Herod. lib. 4.

EGYPTII pisces non gustant, arietibus similiter & ouibus abstinent. Herod. lib. 2.

Ab Ægypto ad Tritonidem lacum pastoricij Afri sunt, carne victitantes ac lacte, nihil vaccinum gustãtes: quia nec Ægyptij gustant suem, nec alentes quidem vaccam. Nec Cyrenææ fœminæ ferire sibi fas putant, ob Isidem quæ est in Ægypto, cui etiam ieiunia & dies festos agunt studiosè. At mulieres BARCAEÆ non modò gustu vaccinæ carnis, sed etiam suillæ abstinent in vniuersum.

ÆGYPTII suillum pecus detestantur adeò, vt si quis porcum attigerit, cum indumentis omnibus in flumine abluatur. Propterea subulci s interdicitur templis omnibus. Herod. lib. 2.

ABSTEMII

DEMOSTHENEM, oratorum omnium qui vnquam fuerunt principem, abstemium fuisse memoriæ prodiderunt. Cuius exemplo & argumẽto, eos acrioribus ingeniis homines pronunciarunt, qui vino non vtuntur. Cæl. Rhod. lib. 28. cap. 36.

ANNI CONSTITVTIO OPTIMA, PRO FERtilitate & abundantia annonæ.

Hæc quoque inter secundaria corporis bona connumerari debent, si corpus spectes, cuius alimentis hæc ipsa accommodantur. Alioqui si efficientem causam consideres, Deum siue naturam, agentem occulta ratione, inter fortuita locum habere possent.

ROMÆ L. Opimio consule, quo anno C. Gracchus occisus est, ea cœli temperies fuit, quam cocturam vocant, solis opere, natali vrbis 634. Itaque omnium vini generum summa fuit bonitas. Plin. lib. 14. cap. 4.

In ITALIA anno vrbis 702. Cn. Pompeio Magno 3. solo consule, tantus fuit olei prouentus, vt prouinciis quoque miserint. Plin. lib. 15. cap. 1. & Plut. in Pompeio.

ANNI MALA CONSTITVTIO, PRO ANNONA.

EX INVNDATIONE.

EX FRIGORE.

Anno vrbis 353. frigus fuit maximum: quo tempore Romani Anxur receperunt.

EX ÆSTV NIMIO.

EX SICCITATE.

Cùm apud HALIARTES Bœotos summa esset siccitas, vnus è primoribus Delphos missus, accepit oraculum, aquam sese inuenturum, si primum Halyartum sibi obuiam factum redeunti interemisset. In patriã reuerso, filius impubes Lophis primus occurrit. Pater stricto gladio puerum transuerberat. Ille adhuc spirans, cùm huc illuc curstitaret, vbicunq; humi fusus esset cruor, inde aquæ eruperũt. Ex eo fluuius Lophis dictus. Pausanias in Bœoticis.

Anno vrbis 325. T. Quintio Penno Cincinnato, & C. Iulio Mentone Coss. siccitas in Italia fuit ingens.

FAMES MEMORABILES.

Exempla hic summæ famis & penuriæ referemus. Famis tolerantium voluntariam in Temperantiæ locis reperies: coactam, ad corporis robur passium relegamus. Hic enim non quantum ferat homo, sed quid ferre cogamur, consideramus. De quæ sic Sabellicus: Fames inter tetra & lacrimosa in vestibulo inferni, vt vates summus ingeniosè fabulatur, omnium quæ inibi sunt, teterrima, & ad omne scelus suadendum efficacissima existit. Ex nullo malorum fonte fœdiora manarunt exempla. Filiorum cædes & infandæ epulæ hinc sunt, hinc præcipitationes, aliæq; festinatæ mortes: & quod omnium atrocissimum est, reperti sunt qui seipsos laniarunt, quando obscœnos morsus in alios vertere non potuerunt. Sab. lib. 10. cap. 7. Consule tit. Pestilentiæ memorabiles.

Fames compulit ABRAHAMVM primò, vt ex Chananæa in Ægyptũ fugeret. Gen. 12. Deinde vt Gerara ad Abimelechum regem se cõferret. Gen. 20.

Similiter etiam ISAACVM, vt Gerara ad Abimelechum Palæstinorũ regem descenderet. Gen. 26.

Sub Pharaone rege vbertas magna integro fuit septennio. Quam secuta est totidem annorum fames in Ægypto. Vide locum Somniorum fames & vbertatis, ex Genes. 41.

SAVL, cùm acriter contra Dominum peccasset, ipse cum omnibus qui de domo sua erant, punitus est: & etiam post mortem eius facta est fames in terra. 2. Reg. 21.

SAMARITANOS (quo tempore Ioram Hierosolymarum rex rerum potiebatur, & arcta obsidione à Benadado Syriæ rege premebantur) qui alio nomine Adadus, & Adeger nuncupatur, fames apud eos tanta inualuerat, vt asini caput, octoginta argenteis numis veniret. Itaque cùm Ioram vereretur, ne fame oppressi deditionem Samaritani facerent, ipse vrbem circuendo, murorum custodiam obibat, fretus ipsius præsentia motum populum, sibi à rebellione temperaturum. Cùm igitur hoc munere fungeretur, audiuit in propinqua domo tumultuãtium simul hominum fieri strepitum: cuius rei causam cùm quæreret, egressa mulier, acerbè queri cœpit, quod cùm ipsa cum socia muliere pepigisset, vt ambæ filiorũ carne præsentem fortunam superarent: ipsa quæ suum interemisset, cuius cibo ipsa comesque mulier in eam horam virissent, nunc comitem fœminam filium abdidisse, atq; initam pactionem seruare nolle. O sæuam profectò nimis, miserandámq; necessitatem. Quid enim aliud de te dicam? cum nullis cohibita frenis maternum affectum, vt vsque ad filiorum cædem, atq; vescendas eorum carnes progrederetur, sui immemorem reddidisti? Ful. lib. 7. ca. 6. & Egnat. eodem: & Sab. lib. 10. cap. 7. ex 4. Reg. 6. & 7.

BABYLONIORVM vrbem Darius Persarum rex obsidebat, à quo desciuerant, quòd insitum eis à natura impium erat odium. Vrautem commeatus, quos in vrbe habebant Babylonij, diutius extenderent, ex toto fœmineo sexu, cum singulas viris omnibus delegissent: reliquas, ne eis attenuis illorum nutrimenta, per quos vrbs defendebatur, consumerent, strangulauerunt. Fulgos. lib. 7. cap. 6.

GNEIACVS Ægyptiorum rex, cùm in Arabiam cum magno exercitu profectus esset, & deficiente comeatu in desertis ac asperis locis cibũ vilem ab idotis sumere cogeretur, vt stomachum latratem placaret, falsus est nullum cibum magis iucundum vnquam fuisse: & adeò quidem, vt omnem luxum damnarit, & huius frugalitatis tabulam Thebis in templo Iouis poni voluerit. Diod. Sic. lib 2. cap. 1. de Rebus antiquis.

Tempore Atyis, Manis regis filij, annonę difficultas per vniuersam Lydiam valde grassabatur, adeò vt LYDI, qui tum miserè degebant, non cessantes remedia huic malo quærere, alius aliud excogitaret: inuentúmque tunc ab iisdem aleæ tesserarúmque ludum, & pilæ, cæterorúmque ludorum omnium genera aiant, præterquam talorum. Horum enim inuentionem sibi non vendicant Lydi. Porrò ad famem discutiendam, altera quidem dierum in totam lusibus occupabantur, ne videlicet ciborũ quærendorũ solicitudine distorquerentur: altera verò à lusibus abstinẽtes, pascebantur. Atque hoc modo vixerunt annis circiter duodeuiginti. Cùm autem malum istud non remitteret, sed magis atque magis inualesceret, factum est vt eorum rex Lydos bifariam diuideret: & hos quidem sorte ad permanendum in suis sedibus destinaret, illos verò aliquò abiegaret eo lonos. Et quidem his qui isthic permanerent, rex ipse pregeret imperare: illis autẽ qui deducendæ coloniæ erant destinati, filiũ suũ præficeret, cui nomẽ Tyrrheno. Hi è Lydia excedẽtes, primũ diuertere ũ Smyrnã. Hic mox fabricatis nauigiis, quibus ea quę nauigationi cõmoda videbantur, imponerent: ad victum sedẽsque quærendas oram soluerunt: donec varias nationes pertranseuntes, ad Vmbros peruenerunt: & ciuitatibus constructis, pro Lydis (propter regij filij, qui eos deduxit, nomenclaturam) nomen commutarunt, & Tyrrhenos sese dixerunt. Herodotus lib. 1.

Cùm CAMBYSES Persarum rex contra Æthiopes Macrobios expeditionem pararet, nondum quinta itineris parte cõfecta, per arenas, tanta commeatus penuria exercitum inuasit, vt cùm herbis carerent: milites, sortiti ex seipsis decimum quenque comederint. Cambyses veritus mutuam suorum depastionem, retrò redire coactus est. Herod. li. 3.

Thasij sterilitate magna vexantur. Vide tit. Vltionis immodicæ ergo ratione carentia.

ALEXANDRI exercitus aduersus Bessum, Bactrianorum ducem, tanta laborauit fame, vt singulæ amphorę succi ex fisama, vænirent ducentis

quadragenis denariis. Singulæ verò mellis amphoræ, denariis 30. Amphoræ vini totidē. Tritici nihil omnino aut exiguū admodū reperiebatur. Itaque frugum penuria milites herbis, & piscibus famē leuabāt. His demum alimentis deficientibus, iumenta (quibus onera portabāt) interfecerunt, & eorum carne traxerunt vitam. Cúmque eos ligna deficerēt, crudas carnes deuorabant. Sed tamen silphium, quod ibi multum copiosśimque erat, adiumentum ad concoctionem præstabat. Ælianus lib. 12. & Curtius lib. 6.

Apud Laconas quodam tempore serpentum multitudo emergens, sequentem portendit famem: quæ tanta extitit, vt Spartani ipsi annonæ raritate serpentes illos in cibum commutauerint. Rauis.

MELVS oppidum est Thessaliæ, quod Nicias Atheniensium dux expugnauit, nō tam machinis bellicis, quàm fame. Hinc fames Melia, prouerbio locum fecit. Idem.

Senserunt & Athenæ aliquando portentosam famem, atque omni æuo memorabilem. Sylla, qui postea Romæ dictator fuit, eam vrbem obsidēte, emit misera ciuitas medimnum tritici mille drachmis: vulgo & omni ignobili multitudine graminibus circa vrbem nascentibus, & calceis coctis auidius vescente. Sab. lib. 10. cap. 7.

Venit in Eadem vrbe trecentis drachmis tritici modius, Demetrio Antigoni rege Syriæ res Atticas grauiter affligente. Delapso mure è tecto, pater cum filio vt eum sibi quisque caperet, nō verbis, verùm etiam pugnis decertauit: fame ita vrgente, vt non modò immunda bestia vesci non abhorrerent, verùm etiam insitum à natura affectum atque reuerentiam obliuiscerentur. Fulgos. libro 7. capite sexto & Sab. libro decimo capite sexto.

PTOLEMÆVS nunquam esuriens comederat. Cui cùm peragranti Ægyptum comitibus non consecutis sordidus panis datus esset, nihil est visum illo pane suauius. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

PETILINI, dum suam Rom. pop. fidem præ cæteris Brutiis aduersus Pœnos probare contendunt, longa obsidione fatigati coria ex scutis detraxere, vt quoquo modo possent, inde sibi victum quærerent. Sab. libro 10. cap. 7.

Pœnis Rom. presidium ad Cassilinum obsidentibus, sorex trecentis est argenteis numis emptus, inuidioso precio, sed auctione magis inuidiosa: quippe quæ vitam emptori tribuit, ademit institori. Ibidem.

SAGVNTHVS vrbs Hispaniæ, olim amicissima Romanis, longa Pœnorū obsidione eò famis redacta est, vt ciues extructo in foro igni, suas res omnes in eum coniicerent, séque ac suo postremò liberos eodem præcipitarent, ne venirent in manus inimicorum. Hinc Saguntina fames, dicitur de extrema rerum penuria. Hanc autem famem triste prius portenderat prodigium. Nam quum ferè enixa mulier esset, infans in vterum regressus, ciuitatis excidium significauit. Eutropius.

CALAGVRIVM vrbs est Hispaniæ, Quintiliani patria: cuius incolæ à Cn. Pompeio obsessi, vt fidem Sertorio præstarent, in tantam famem durauerunt, vt vxores suas ac liberos in vsum extremæ dapis conuerterent, quum nullum aliud animal in vrbe superesset.

PERVSIVM oppidum Ethruriæ, in quo M. Antonius obsessus ab Augusto, quum extrema fame laboraret, annonæ penuria coactus est deditionem facere. Hinc fames Perusina, in prouerbium abiit. Lucan.

His Cæsar Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis.

Adiiciatur his Rom. pop. exemplum non vulgare, quod verum esse demonstrat, nihil mētitum fuisse eum qui scripsit, ieiunam plebem nihil præter famem timere. Enimuerò insigni quadam annonæ caritate, Pop. Rom. tametsi sub tyranno verius quàm principe constitutus, fame tamē vrgente, Claudium imperatorem clamore & conuicio in publico exceptum, fragminibus panis ita instrauit, vt fugienti similis per posticum sese in palatium receperit. Sab. lib. 10. cap. 7.

ROMÆ anno vrbis 313. Proculo Geganio Macerino & L. Menenio Lanato II. coss. fames tanta fuit, vt multi inopia coacti sese in Tyberim præcipitarint. Quo tempore Sp. Melius annonæ largitione regnum affectabat.

Quum ingens rei frumentariæ Romæ esset penuria, Pompeius titulo quidem annonę procurator, re autem vera maris terræque dominus declaratus, in Africam, Sardiniam ac Siciliam nauigauit: multáque frumenti vi collecta, properabat ire Romam: verùm quum ingenti tempestate oborta naucleri detrectarent nauigationem, ipse primus nauim ingressus, iussit anchoras tolli, clamans: *Vt nauigemus, vrget necessitas: vt viuamus, non vrget.* Significans, patriæ periclitantis habēdam rationem, potius quàm priuatæ incolumitatis. Siquidem reipublicæ subleuandæ curis immori, pulchrum est: ac patriam in extremo discrimine nostra cessatione deseri, turpissimum est. Hic monemur, non animalia bruta tantùm omissa libertate venire in seruitutem, verùm etiam homines indomitos fame domari. Docemur item, publicæ saluti priuatam incolumitatem posthabendam esse. Plutarchus in Rom. Apoph.

Non grauis modò, sed horroris quoque plena necessitas illa fuit, ad quam obsidione Titus Vespasianus Iudæos deduxit. Nam præterquam quòd omni immundo cibo, quin ipso quoque humano stercore vescerentur, & quotidie permultos fames absumeret, inuenta est mulier, nomine Maria, quæ filium trimum, occisum, igne assaret, vt eius carnibus, quem ipsa pepererat, miserandum in modum sibi vitam prorogaret. Detectáque res est per eos, quos stimulante fame assatarum carnium odor ad eam traxerat. Cùm autem in tanta necessitate eam deprehendissent, præ horroris magnitudine retrocesserunt, minúsque graue sibi duxerunt fame confici, & ipsam mortem obire, quàm impio sceleratóque cibo in eum morem vesci. Fulgos. libro 7. capite sexto & Sabell. libro decimo, cap. 7.

BYZANTIVM, cùm Seueri Romanorum imperatoris tempore grauiter obsideretur, posteaquam cibus vsitatus Byzantinos defecit, comedêre pelles animalium maceratas. Quibus postea cōsumptis, magna pars nauigauit obseruatis procellis, cæterísque tempestatibus, vt nemo eis posset occurrere. ídque faciebant, vt vel interirent, vel commeatum cōpararent. Idem fecêre in agris etiam. Qui verò manebant in vrbe, vt fuere debilitati, cœperunt mutuò contra se conuerti, séque inter se comedere, &c. Vide Xiphilinum Dionis abbreuiatorem, in Seuero.

Sub imperio Maximini & Licinij persecutorum Christianæ religionis, fames fuit tanta, vt vna tritici mensura bis mille & quingentis Atticis vēderetur. Factum inde est, vt per ciuitates infinita hominum multitudo fame confecta, mortua sit: maior verò per vicos & agros pestilenti morbo. Alij igitur quæ charissima & preciosissima haberent, pro tenuissimo cibo ditioribus vendebant: alij possessionibus suis paulatim diuenditis, ad extremam egestatem redacti sunt. Quidam modicas graminis minutias mandentes, & lethiferis herbis promiscuè vescentes, valetudinē corruperunt. Nonnullæ etiam per ciuitates nobiles fœminæ, ad extremam inopiam redactæ, ad agros mendicandi gratia se receperunt. Et alij quidem viribus exhausti, velut exanima simulachra, huc illuc vacillantes, nutantésque & collabantes, in mediis plateis procidebant: supiniq; palmis extensis, vt pauxillum sibi cibi porrigeretur, suppliciter orabant: atque in extremis constituti, animámque agentes, esurire se clamabant, ad hanc etiam vocem perferendam vix valentes. Sic igitur in medio foro, & per angiportus, mortua ac nuda corpora pluribus diebus inhumata, & proiecta, miserabile visentibus spectaculum exhibebant. Cùm & canum cibi nonnulli fierent: ob eámque causam potissimùm aliqui canes interficerent, veriti ne rabidi facti, ad vorandos & laniādos homines cōuerterentur. Euseb. lib. 9. cap. 8.

Sub imperio Iuliani apostatæ terræmotus fuerunt grauissimi, ædificia & domus passim ruebant: adeò vt tutum nusquam esset, vel domi vel sub æthere morari. Pręterea siccitates immensæ, omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum est, vt homines necessariorum ex terra fructuum inopia, carnibus animantium brutorum, Alexandrię & in Ægypto, vesci coacti sint: vt Sozomenus indicat libro sexto, cap. 2. Et Theodoretus lib. quarto, capite quarto scribit, famem illam ingētem, ob impietatem Iuliani, & frumētum ecclesiis à Constātino donatum, raptum, sub Iouiniano adhuc durasse.

Decimo Mauricij anno, post maximam siccitatem, quinque locustarum agmina, innumerabili multitudine, quicquid in aruis virescebat depascentia, ingentem per Italiam famem biennio fecêre. Palmerius.

In Galliis decimo Mauricij imp. anno, tāta fuit annonæ caritas, vt plurimi homines fame extincti sint. Gregorius Turonensis libro septimo, capite 45. Hispanias quoque locustarum agmina grauiter afflixerunt. Idem lib. 6. cap. 33.

Fuit maxima ea necessitas, qua Italia laborauit, imperante Iustiniano, cùm Gothi Belisarium in vrbe Roma inclusissent. Eo enim tempore, cùm per totam Italiā fames valida esset, in Liguribus inuentæ sunt quædam matres filiorum carnibus vixisse, quos antè fames ipsa absumpserat. Hoc Darius Mediolanensis antistes prodidit, cui in literas mittere fuit curæ suæ diœceseos fœminam obscuri nominis, inedia subactam, filij à se interfecti carnes esitasse. Sabell. libro decimo, capite septimo & Fulgos. lib. 7. cap. 6.

Eo etiam ipso tempore, Procopius Græcus scribit, duas Mulieres, quæ apud Ariminum hospitatoriam cauponam exercebant, fame coactas, decem & septem homines diuersis temporibus interemisse, qui fortè seorsum apud eas hospitatum iuerant: quo tempore cubitum profecti, iam alto somno indormiebant, atque eorum carnibus sibi alimenta parasse. quod postea vnus detexit, qui ipsis cædem peragentibus inuigilabat, à quo ambæ interfectæ fuerunt. Fulgosus libro septimo, capite sexto.

Eo anno quo hæc prodebamus, in nonnullis Flaminiæ regionis, & Piceni agri locis, tanta rei frumētariæ caritas incidit, in magno Italiæ motu, vt agreste & inops vulgus vltimum remedium inuenerit in arborum radicibus, & herbis arefactis, tusisque, & in panis speciem subactis. Sab. lib. 10. cap. 7.

Cùm Franciscus Sfortiæ filius Mediolanum obsideret, adeò est arcta annona ciuibus laboratum, vt proditum sit memoriæ, tritici modium vicenis aureis numis veniisse. Ibidem.

Obsidebant Galli Consaluum Agidarium ab initio intra Baruli mœnia, quod Apuliæ oppidum nequaquam contemnendum sit. Obsidebant autem tanta animorum obstinatione Galli Hispanum hostem, vt nihil omnino intra oppidum inferri posset. Quare Consaluus & reliqui milites, de scutis suis pellem trahere sunt coacti: quibus excoctis accuratius, vterentur frumenti reliquorúmque cibariorum loco. Egnat. lib. 7. cap. 6. & Sab. lib. 10. cap. 7.

Saxo ait, Hunnos quadam tempestate in tantam famem redactos, vt nec canibus pepercerint, quibus ad pastum vterentur.

LEONE V. Romanæ Ecclesiæ cētesimo primo pontifice sedente, tanta fames Germaniam attriuit, vt etiam pater filium suum deuorare voluerit. Quo tempore Rabbanus archiepiscopus multam beneuolentiam pauperibus exhibuit. Anno 851 Sigebertus in Chron.

SARRACENI regnante Leone tertio huius nominis imp. (testibus Lādulpho & Bibliothecario) ex Africa Hispaniam, ac decimo pôst mense Aquitaniam inuaserunt: qui Asiam incolebant, Zeulemone Amirato Thra-

ciam, inde Constantinopolim triennali obsidione, classe ingenti cinxere: tandem tamen fame pestéque discedere coacti sunt. Volat. lib. 13. Anthropologiæ.

Anno Christi 1095. fames diu cōcepta grauissimè omnes afflixit, factúsque annus calamitosissimus, multis fame laborantibus, pauperibus per furta & incendia ditiores grauiter vexantibus. Sigebertus in Chronicis.

In GALLIA fames permaxima grassata est anno Domini 1146. in qua Ecclesiæ Christi enituit liberalis munificentia, quæ in sustentationem pauperum multa expenderunt modiorum milia. Quo tempore in Lingonensi patochia apud Morinandum, vbi pauperes innumeri quotidiana stipe alebantur, quidam homines occidisse, & corū carnes coctas vendidisse deprehensus à pauperibus patibulo est appensus. Robertus Abbas in Chronicis.

FRANCI per deserta Syriæ dolo & astu Græcorum, & crebro assultu Turcorum detrimenta maxima passi, fama nimia cruciati, quidam equorum & asinorum carnibus vescebātur. Sícque cum multo labore & damno, multis fame pereuntibus, vix tandem Seleuciam venerunt. Robertus abbas in Chron.

SITIS MEMORABILIS.

HAGAR Ægyptia Abrahami ancilla, domo pulsa cum Ismaele filio, à Sara, in desertis Bersabæ siti periisset, nisi angelus ei puteum ostendisset. Genes. 21.

SVS sitim patientissimè fert. Vide tit. Iusiurandum fraudulenter interpretatum.

LYSIMACHVS in Thracia superatus à Dromocheta, quum ob sitis impatientiam tum se tum exercitū dedidisset, posteaquam bibit, iam factus captiuus: O dij, inquit, quàm breuis voluptatis gratia me ex rege fecistis seruum? Plutarch. in reg. & imperat. Apoph.

ARTAXERXI iam siti deficienti, Peribarzenes eunuchus, cum aliud non liceret, à rustico quopiam sordidum vtrem detulit, putris aquæ cotylis octo continentem. Eam aquam cùm rex totam ebibisset, rogatus, Ecquid illi placuisset ille potus? Deos testatus est, se nunquam vinum potasse iucundius: nec vllam aquam, quamuis purissimam, sibi visam suauiorē. Ac post nactus eum hominem qui eunucho aquam dederat, è paupere ditem fecit. Tanti refert, in tempore dare munus. Erasm.

Xerxes Persarum rex, cùm in bello magna vini & aquarum simul penuria esset, neque siti remedium vllum inueniretur, in exercitu proclamatum est, Si quis aquam ex Choaspo haberet, vt regi eam bibendam daret. Et inuentus est quidam, qui pauxillum haberet, ídque putridum. Bibit igitur illam Xerxes, & eum qui dederat benefactoris loco habuit: quoniam nisi illa fuisset inuenta, periisset siti. Ælianus lib. 12. de Varia historia.

DARIVS rex, multis antea epulis & poculis fastiditis, cùm aquam turbidam & cadaueribus inquinatam in fuga bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius. nunquam enim sitiens biberat. Platina lib. 2. de Optimo ciue.

SEVERVS Romanorum imp. cùm contra Osroenos, Adiabenos & Arobes duxisset, posteaquam transiit Euphratem, cùm ea regio naturà sit in summa inopia aquæ, ac tum magnis solis ardoribus exsiccata atque arida esset, puluis tantam molestiam exhibebat, vt nec iter iam facere milites possent, nec loqui: sed hoc vnum verbum efferre poterant, Aquā aquam. Quæ vt inuenta est, Seuerus qui antè quàm inueniretur, pariter laborabat cùm cęteris, poculum postulauit, plenúmque aquę coram omnibus exhausit. Post hunc cæteri omnes biberunt, atque ita recreati sunt. Xiphilinus in Seuero.

LOCVS CONVIVIORVM. MODVS DISCVMBENDI.

Vide tit. Primæ sedes.

Apud INDOS, solus rex in lecto ex stramentis facto accubat, cæteri sedentes epulantur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

INDIS, vt cuique in mentem venit, in quacunque parte lecti discumbere licet. Non enim apud eos honorum personæúe ratio in mensa habetur. Ibidem.

Græci non modò loci dignitate viros fama præcellentes in mensa, sed poculis maioribus & carne opimiore honestabant. Ibidem.

Cretensibus accubantes vesci, instar magni criminis erat. Itaque stantes epulabantur. Ibidem.

Græci in toris ex boum tergoribus assidentes, ordine ludunt, & vescūtur. Ibidem.

GALLI dum cœnant, in stramentis assident, & cibum diuidunt. Ibidem.

CATO iunior post ciuile bellum, non accumbens, vt prius, sed sedens cibo parciore vsus est. Ibidem.

Terentium Varronem & Hannibalem, post res afflictas, non sedentes vt antea, sed stantes cœnitasse legimus. Ibidem.

Romanis locus honoratior erat, qui summus in mensa fuit, licet nonnulli in medio discubuisse honoratius putarint. Ibidem.

TEMPVS CONVIVIORVM, PRANDII ET COENÆ.

Apud PRISCOS seruatum est, vt prandia in vsu non essent: sed qua hora cœna apparabatur, ea prandium fieret, quod tempus nona esse consueuit, sæpe octaua. Ante mediam verò diem pransum fuisse, vel antelucanam cœnam fecisse, crimini dabatur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

Indi horam prandij aut cœnæ non nouerunt: sed vt cuique libitum, commessabantur. Ibidem.

Æthiopum mos erat, vt vnico cibo contenti, diebus singulis alerent, non saginarent corpus. Ibidem.

Persis in meridie vesci semel tantum, consuetudo fuit. Ibid.

Tarentini, præ cæteris, matutinis se poculis ingurgitare solebant. Ibid.

ALEXANDER Macedo appetente nocte cœnasse, & primo diluculo prandio accubuisse dicitur. Ibidem.

EVMENES matutina hora prandium fecisse, legitur apud Homerum lib. 14. Odyss.

Diogenes nullam temporis horam prandio definiuit. Alex. ab Alexād. lib. 5. cap. 21.

Romanorum antiquissimos, licet noctu cœnasse nonnulli opinati fuerint, constat tamen post multas ætates vsum inualuisse, vt meridianis horis vescerentur. Ibidem.

CICERO ante occasum solis perrarò discubuit. Ibidem.

GALBA ante lucem semper vescebatur, teste eodem.

PRIMÆ MENSÆ FERCVLA.

ÆGYPTIORVM mos traditur, vt in familiaribus cœnis brassicā prę-sumant in primis: quo edulij genere, ebrietatem discuti arbitrantur. Alex. lib. 5. cap. 21.

GRÆCI ante reliquas dapes, sal velut amicitiæ symbolum hospitib. apponebant: & vino mandentes, oleo perungunt, & sale, quod aduersus ebrietatem remedium esse putabant. Ibidem.

Romani lactucas à principio conuiuij edebant, vt eo remedio ebrietatem discuterent. Ibidem.

BELLARIA. CIBI SECVNDÆ MENSÆ.

Apud MAIORES semen candidi papaueris cum melle, & lactuca plerunque mensas secundas fecit. Deinde vt vua, ficus, pyrum, & alia pomorum genera darentur bellaria, in vsu fuit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

Græcis oua cum turdis, & leporinis carnibus, & mellitis placentis, secundæ mensæ fercula frequentius data sunt, quibus erat iste mos, vt in fine cœnæ linguas igne torridas post sermones degustandas darēt. Ibidem.

ATTICA bellaria fuisse traduntur lauta & eximia. Ibidem.

PLATONIS bellaria fuêre, ficus, cicer, faba, myrti baccæ, & ex fago glans prunis tosta. Ibidem.

Heliogabalus pro luxus affluentia parasitos in secundis mensis nouo genere edulij saginauit. Ibidem.

PERSÆ cibis vtuntur perpaucis, bellariis permultis. Hinc est quòd dicunt, Græcos etiam à cibo sumpto esurire, quoniam mensis secundis parcissimè tantùm vtuntur. Herod. lib. 1.

HOMINES A FERIS ET ANIMALIBVS NVTRITI & educati.

Consule tit. Puerorum exposititiorum. Item tit. Miro modo seruati.

Heliæ, ex præcepto Domini, corui deferebant panem & carnes: & postea angelus Domini panem & aquam eidem ostendit. 3.Reg.17. & 19.

Blasium Sebastæ episcopum, cùm Diocletiano ecclesiam vastante ad deserta sine viatico declinasset, aues aluerũt, donec inuentus in Christi confessione vitam finiuit. Non solùm igitur in necessitate seruum suũ Deus non deseruit, sed etiam prærogatiua passionis honestauit: esurienti misit cibos, latenti martyrij coronam. Marul.lib.4. cap.2.

Benedicto abbati, cum saxeæ rupis olim spelunca clauso panis defecisset, presbyter quidam diuinitùs monitus, prandiolum suum attulit: & quoniam tunc solennis paschæ dies erat, secum cibum liberius capere hortatus est. Deo gratias egit Benedictus, tum quòd sibi de victu in tempore prospexisset, tum quò sacerdotem suum sibi in solitudine vidẽdum obtulisset: talíque lætus hospite, gratanter ea quæ allata erant, vnà cum illo comedit. Ibidem.

Lvpvs Senonum archiepiscopus, cùm secum cœnantibus vinum defecisset, sperare omnes in Domino iussit, nec metuere sibi quod sperassent defuturum. Vix dum sermonem finierat, cùm nunciatum est, cados vini plenos ante ianuam stare, ipso qui attulerit incognito atque incerto, neque inter conuiuantes dubitatum est, quin à Deo missi fuissent. Ibi.

Ægidivs abbas ad Rhodani ostia latebram sibi eligens, triennio nulli cognitus cerua lac præbente nutritus est. Postea inuentus, atque inde eductus, præesse monachis cœpit. Igitur quamdiu hominum cõmercio caruit propter Deum, bestiæ obsequio dignus fuit. Ibidem.

Erasmvs episcopus, Diocletiani persecutionem fugiens, in monte Libano à coruis pascitur, ab angelis visitatur, feræ etiam syluestres posita ferocitate illi blandiuntur. Ibidem.

Antoninvs martyr Apameæ passus, cùm de via fatigatus sitiret, & arctis loci solum nullis rigaretur aquis, preces ad Deum fudit: virga humum percussit, atque inde fons emanauit: cuius potu refocillatus, iam cõfidentius ad martyrium cucurrit. Ibidem.

Basolvs Rhemensis abbas in Galliæ partibus, dum montem solitarius incoleret, nec aquam haberet: Deum precatus, fontem de rupe manare fecit, qui etiamnum fluere dicitur. Ibidem.

Franciscvs, dum rustici cuiusdam sitim in solitudine miseratur, procumbens Dominum deprecatus est: móxque humus fonticulum emisit, cuius haustu rusticus qui iam moribundus sicco ore anhelabat, recreatus vixit. Ibidem.

Pavlvs primus eremita speluncam habens in inferiore Thebaide, palmarum fructus ab initio esitauit. Deinde dimidiatum panem quotidie illi coruus ministrauit. Sabel.lib 2.cap.2. Quum autem eò venisset Antonius, vt Paulum ipsum videret, coruus integrum attulit panẽ, & propter nouum hospitem cibum duplicauit.

Menna eremita ab apibus nutritus. Vide tit. Paupertatis Religiosæ.

Ferunt Iovem educatum fuisse à capra, à cuius nomine dictus est Ægiochus. Politianus in Nutritia:

---Siquidem Cretæa fertur in Ida
Capra Iouem puerum fidis aluisse papillis.

Polyphemvs Cyclops nutritus est à lupa. Syllius lib.14.

Ætnæo Polyphemus erat nutritus in antro.
Atque inde antiquæ nomen feritatis amabat.
Vbera præbuerat paruo lupa.---

Penelope ab Icaro & Peribœa parentibus in mare proiecta, à Penelopibus auibus nutrimentum suscepit, atque etiam nomen, quũ prius Arnea diceretur.

Ex Phrygia manauit hæc fama: infante adhuc Mida somnum carpẽte, formicas in os eius irrepsisse, magnóque studio & labore frumenta importasse.

De Platone dicitur, quòd apes in ipsius ore fauum effecerint.

Pindarvm, cùm è patria domo fuisset expositus, aluerunt apes, pro lacte mella præbentes, Ælian.de Var.hist.lib.12.

Philonomia Victimi & Arcadiæ filia pastoris cuiusdam concubitu prægnans facta, quum gemellos Parrhasivm & Lycastvm peperisset, metu patris ambos abiecit in Erymanthum: vbi in concauam quercũ delati, lupam repererunt, quæ abiectis propriis catulis eosdem lactauit. Plutarchus.

Atalanta à patre exposita, ab vrsa suscepta & enutrita est. Vide historiam sub titulo Solitariæ vitæ, ex Ælian.lib.13.de Var.historia.

Semiramis infans à matre Dercete, vt stuprum celaretur exposita, iacuit infans circa Syriæ stagnum, vel alimoniæ defectu mox interitura, nisi ab auibus alimenta accepisset. Hinc nomen duxit. nam Syrorum lingua Semiramis auem sonat. Diod.lib.3.Sabel.lib.1.cap.2.

Peliam Neptuni & Tyrûs filium, ab equa: sed & Alopes Priamíque filium Alexandrvm, ferunt à vulpe, (alij ab vrsa) educatum esse: Ægistvm verò Thyestæ & Pelopiæ filium, à capra, vnde & nomen habuit. Ælian.lib.12.de Varia hist.tradit.

Telephvs Herculis filius, ex Augea (siue Agaue) filia Alcæi Arcadiæ regis, aui iussu expositus, in syluis à cerua nutritus, deinde dono datus Teutranti regi Mysiæ, pro filio educatus est, Telephúsque adpellatus, quasi à ceruo nutritus. Diod.lib.5.& Ælian.lib.12.

Camilla Volscorum regina infans adhuc exposita, in ripa relicta, & armentali lacte nutrita est. Sabell.libro 1.cap. 2. Vergil.lib.7.Æneid.

Cyrvs Mandulæ filius, Persarum rex potentissimus, cuius latè imperium valuit, ab Astyage auo per Harpagum expositus cùm esset, canis Sparcon vbera infanti præbuit: & à feris tam diu defendit, donec à pastore, à quo educatus postmodum est, inuentus fuit. Herod.lib.1. Musarum: & Iustinus lib.1.Alex.lib.2.cap.31.

Hiero rex Syracusanorum, à patre, quòd ex sordida ancilla natus esset, expositus est. Sed paruulum & humanæ opis indigentem, apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluẽre. Iustinus lib.23.Alex. li. 2.cap.31.

Romvlvs & Remus infantes, à Rhea Syluia virgine Vestali editi, Amulij iussu in Tiberim proiecti sunt, & à lupa seruati: Romam postmodum pastorum auxilio condiderunt. Testes sunt, Liuius, & omnes alij qui de Romanorum historia scripserunt.

Habidem Hispaniæ regem, feræ, canes, sues, & cerua, incredibili pauerunt humanitate. Rauis.

CONVIVÆ. NVMERVS CONVIVARVM. CONVIVIA *publica.*

Spartanis communia erant conuiuia. pauperes cum ditioribus eodem vescuntur obsonio, festisque diebus nigrum ius & panem igni duratum apponunt: & vt regi duplum obsoniorum detur, lege sancitum erat: non quidem satietatis gratia, sed vt posset obsonio quem vellet honorare. Alex.lib.5.cap.21.

Apud Indos cùm comessationes in propatulo, Laconico more facerent, aram mensæ in modum constituebant: in eáque carnibus appositis, quilibet conuiua è sua & quasi propria sede ad mensam vadit, & quã vult partem capit: atque in sedem reuersus, carnibus & pane vescitur. Ibidem.

Athenienses in celebri epulo, quod Syssitia vocant (quamuis συσσίτια Laconum propriè esse dicantur) tenuiores cum ditioribus vnà conueniunt, & æqualem obsoniorum partem ferunt. Ibidem.

Apud Veteres, cùm paucissimi conuiuæ erant, non minores tribus: cùm plurimi, non vltra nouem, in eadem mensa eisdémque lectis cœnitabant. Tametsi vetus feratur adagium. Septem conuiuium, nouem conuicium facere: quòd scilicet ob strepente multitudine, tumultuentur potius, quàm sobrio conuictu sint. Ibidem.

Græcis quatuor aut quinque conuictores vnis mensis adhibẽre satis erat. Ibidem.

Homervs princeps poetarum, omnísque adeò philosophiæ fons, vsque ad decem conuiuium probauit Ibidem.

In Platonis Symposio octo conueniunt, & viginti. Ibidem.

L. Vervs imperator, præter exempla maiorum, cum duodecim solẽni conuiuio primus accubuisse dicitur. Ibidem.

ANTE CONVIVIA QVID AGENDVM.

Persarvm reges ante cibum de modestia disputabant, quemadmodum ante sacrificium de iustitia, ante bellum de fortitudine. Alex.ab Alex.lib.5.cap.21.

Apud Gymnosophistas paratis instructísque mensis, antequã dapes apponuntur, adolescẽtes singuli, qui ad epulum conueniunt, quid generi humano lucrifecerint, quòdve sapienter dictum factúmue fuerit illa luce, coram senioribus exprimere conguntur. Et qui deses, nihil in medium quod frugi sit, affert, impransus manet. Ibidem.

Exercitia ante prandium, pete ex tit, Exercitatio corporis.

Ægiptia iuuentus Amasis edicto non prius cibum capiebat, quàm centum octoginta stadia percurrisset. Rauis.

INTER CONVIVIA QVID AGENDVM.

Spartiani excellentium virorum laudes, & ignauorum fœda scelera in epulis cantare ad lyram solebant. Alex.ab Alex.lib.5 cap.21.

Persarvm mos erat, inter pocula de rebus seriis consultare: & post comessationes, si quid sanctiore fœdere concludi vellent, concubinas aduocare, tanquam ea adhiberent fœderi, quæ apud eos sancta & chara sunt. Ibidem.

Bactriani inter pocula de bellis consultant. & si quid complacitum est, fide & fœdere firmant. Ibidem.

Apud Galatas & Celtas, ad mensam, postquam vino incaluerant, ex prouocatione dimicabatur ad vulnera vsque. Ibidem.

Apud

Apud Samnites inter epulas erat mos digladiari, quemadmodum apud Indos: qui cùm post epulas aureos crateres circumtulissent, strenuitatis & fortium factorum periculum faciebant. Ibidem.

Nero Romanorum imperator, post spectacula publica, cœnam sumptuosissimam in ipso theatro (in quo tabernas atque diuersoria ædificauerat) dedit. Epulabantur autem in tapetis purpureis, & mollibus stragulis, cæteri in tabernis lætabantur: intrabántque lupanaria, & cum omnibus mulieribus, quæ tum ibi consederant, palàm rem habebant, & impudenter. Aderant autem pulcherrimæ & clarissimæ ancillæ, liberæ, scorta, virgines, vxores multorum ciuium, nõ solùm plebeiæ, sed etiam nobilissimæ & puellæ & mulieres: vbi poterat quisque ea quam cuperet potiri, negare licebat nemini. Multitudine congregata quilibet ex plebiis hominibus potabat, faciebátq; iniuriam libidinosè. Tum enim seruus cum domina, præsente domino suo, & gladiator cum virgine nobili, inspectante patre, rem habuerunt, &c. Xiphilinus in Nerone.

POST CONVIVIA QVID AGENDVM.

Veteres finito conuiuio, eruditas confabulationes, deinde fides & tibias, ac symphonias adhibuerunt, quibus maiorum laudes carmine decantabant. Alex.ab Alex.lib.5.cap.21.

Græcis vetustissimo more vsurpatur, vt postquam magnificè epulati fuerint, de bellis decernant. Ibidem.

A Græcis ænigmata & griphi post conuiuia proponebantur. Quorum captiones soluenti, præmium carnis portio: non soluenti pœna erat, vt salsum hauriret poculum. Ibidem.

Apud Babylonios, post epulas, mulieres summa velamenta exuũt, & amiculis reuelatis (prò pudor) pudibunda ostendunt, in omnémque licentiam iocorum pudorem omnem abiiciunt. Ibidem.

Abydeni in hospitali mensa & cõuiuiis, postquam opiparè epulati fuerint, infantes admittunt garrulos & festiuos ad suauiandum, vt his obstrepentibus garrientibúsque conuiuæ alacriores fiant. Ibidem.

Sybaritæ non psaltrias modò, & histriones, sed equos quoque composito saltu ad symphoniæ cantum psallentes introducunt post epulas. Ibidem.

Romani in conuiuia introducebant moriones, vt oris deformitate & stulticia conuiuas oblectarent: nonnunquam petulantes & improbos scurras, qui lasciua licentia & impudentissimis iocis derisui essent. Ibidem.

T. Pomponivs Atticus, libellos post conuiuium lectitare solitus erat. Ibidem.

Octavivs picturas vniuersas thesauri loco, finita comessatione ostendebat, vt eorum expleret desiderium, quos hospitio excepisset. Ibidem.

Tiberius ex lectione quotidiana quæstiones post conuiuium discutiendas proponebat. Ibidem.

Nero Cæsar citharœdos primi nominis finito conuiuio aduocabat, vt fidibus mulcerent hospitum animos. Ibidem.

Alexander Seuerus interdum inter edendum, sæpius tamen finito conuiuio, vel ipse aliquid legit, vel cæteris legentibus benignas aures præbuit. Ibidem.

Idem post epulas quoque catulos cum porcellis & perdices ad pugnam sæpe commisit, vt aliquid delectationis inde caperet. Ibid.

Hadrianus imperator, comœdias, lectores & poetas admisit, qui aliquid recitarent, quod animum post conuiuia recreare posset. Ibidem.

Heliogabalvs sortes conuiuales post cœnam proponebat, vt alius haberet decem camelos, alius muscas, vel auri libras, aut decẽ oua, vrsos, glires, & lactucas decem. Ibidem.

Alfonsvs rex statim post prandium, vel Antonium Panhormitam, vel alium è doctis viris audiebat: vt qui dignum iudicaret, animum quoque cibo suo, post pastum corporis, reficere. Pontan.cap.1.de Conuiuentia.

EXCREMENTORVM E CORPORE EXPVLSIO.

Natvralis, per consvetas excernendi vias, *nimirum per vomitum, secessum, vrinam, menses, sudorem, &c.*

Ægyptij vomitu sese purgare consueuerunt. Vide tit. Studium in conseruandis corporis bonis.

Apud Ægyptios fœminæ stantes mingunt, viri sedentes. Herod. lib.2. Huc referatur Hesiodi præceptum, lib.2. ἔργων.

ARTIFICIALIS.

HABITATIONES SVMPTVOSÆ ET SPLENDIDÆ.

Consule tit. Magnificentiæ in ædificiis.

Alcinoi domum, auro, argento, electro & ebore fulgentem describit. Homerus lib.7. Odyss.

Indorvm regum regia argenteis imaginibus tota distinguitur: eámq; ex auro vites percurrunt, fultæ aureis columnis Alex.lib.5 cap.24.

Tyrios adeò editas maximis contignationibus domos aliquando struxisse legimus, vt parum abfuerit quin tota Tyræ motu corrueret. Ibidem.

Arabes & Sabæi domorum tecta habent augustissima, ex ebore, auro, argento, sumptuoso lapide & smaragdo Ibidem.

Nero Cæsar post incensam vrbem, dimensis vicorum ordinibus & viarum spaciis, statuit, ne vltra præscriptum ædificia tollerentur. Ibidem.

HABITATIONES VILES ET SORDIDAE.

Consule tit. Frugalitatis in habitationibus.

Athenienses, cùm antea specus & abditos saltus incolerent, primi latericias ædes calce & cęmentis construxẽre. Alexand.ab Alexãd. lib.5.cap.25.

Agesilai domum ab inopi & priuata haud dissimilem fuisse, historiæ testantur.

A principio vrbis Romæ, tam simplex vitę cultus fuit, vt rudi cæmento constructas domos, & scandulis aut stramentis contectam fuisse vrbẽ per annos 400. vsque ad Pyrrhi bellum, constet Alex. ibidem.

Cn. Pompeii domus ad tertium vsque triumphum, non magnificentius extructa fuit, quàm priuati & egeni ciuis. Ibidem.

Indorum magna pars in subterraneis ædificiis vitam degit Ibidem.

Medi diuersoria habent magnis recessibus circundata, & nemoribus manu consitis. Ibidem.

Phryges olim & Troglodytæ sub effossis tumulis, se à tempestate defendunt. Ibidem.

Ægyptii & Britanni ex arundinibus domicilia sibi faciunt Ibidem.

In Meroe ex palma ædes, & ex aliarum arborum ramis & foliis conficiunt. Ibidem.

Æthiopes subterraneas domos facientes, in his cum filiis & tota familia degunt. Ibidem.

Gallis domicilia puteis & cratibus intexere, mos erat. Ibidem.

Massilienses ex paleis sibi domos conficiunt. Ibidem.

Baleares in saxis concauis, & cuniculis ad corporis magnitudinem dimensis habitant. Ibidem.

Mardorvm gens specus infodiunt montibus, in quos se, coniuges & liberos recipiunt. Ibidem.

Dardani foueas sub fimo & sordidas ædes inhabitant. Ibidem.

Ligvres montanas speluncas & vastissimos specus incolebant. Ibidem.

Germani prisci non cohærentibus ædificiis habitabant, sed suam quisque domum spacio circumdabat, propter metum incendiorum. Ibidem.

Britanni & Svevi primitùs in tuguriis vnà cum armentis habitarunt. Ibidem.

Scythæ & Nomades, quia fusi per agros sunt, carris, quocunque sors tulit, pro tecto & lare vtuntur Ibidem.

Hyperboreis nemora vel luci, aut sparsa tuguria domus sunt. Nam præaltas syluas & rupes inuias incolunt. Ibidem.

Spitamæi Pygmæi ex ouorum putaminibus & pennis ædificia sibi comparant. Ibidem.

Chelonophagi, partim ex alga, partim ex testudinum testis domus aduersus tempestates tegunt. Ibidem.

Ichthyophagi ex ostreis marinis, & piscium ossibus domorum tecta conficiunt. Ibidem.

In promontorio Africæ, quod porrigitur vsque ad Herculeas columnas, est effossio salis, decem dierum itinere: & incolæ domicilia sua faciũt ex micis salis. Isti enim iam tractus Africæ vacant imbribus. nam si plueret illic, non possent manere parietes salis Herod.lib.4.

Afrorum pastoralium domicilia sunt virgultis compacta, suspensis circa lentiscos, & ea quoquò versus vertatilia. Herod.lib.4.

Scythæ calui sub arboribus cubant, per hyemẽ quidem, vbi arborẽ pileo albo firmóq; contexerint: per æstatẽ verò, sine hoc pileo. Her.li.4.

Pæonas Prasiadem paludem incolentes, non cæpit Megabyzus Da-

rij præfectus:tentauit tamen expugnare eos. Incolunt autem hunc in modum:In media palude compactæ erant sublicæ,tenuem à continente ingressum vno ponte habentes.Has sublicas tabulata sustinentes, olim communiter omnes ciues statuebant.Mox è lege hunc in modum statuendum censuerunt,vt pro singulis vxoribus,quas quisque duceret(ducunt autem singuli multas vxores)ternas desigeret sublicas è mõte sumptas,cui nomen est Orbelus.Hoc habitantes modo, obtinent singuli super ea tabulata tugurium,in quo degunt:& fores inter tabulata compactas,deorsum ad paludem ferentes.Paruulos liberos per pedem reste illigant,metuentes ne illi in aquam deuoluantur.Herod.lib.5.

MOSYNI Asiæ septentrionalis populi,turres incolunt ligneas.Rauis.

PARAMEDESIDÆ,agreste hominum genus, Bactrianis ad occidentem coniuncti sunt.Tuguria latere primo struunt in montibus,foramine supernè relicto,vnde lumen accipiunt.Altis præmuniũtur niuibus.

HAMMONII populi Africæ, dispersis tuguriis habitant Medium nemus pro arce habent,triplici muro circundatum.

HEPTACOMETÆ Barbari sunt in Ponti regione,quorum nonnulli super arbores degunt,alij in turribus.

TROGLODYTÆ populi specus excauant,quas habẽt pro domibus.

BVRGVNDIONES dicti sunt,quòd olim vicos habitarent, qui corũ lingua Burgi vocantur.

VRBES, REGIONES SALVBRES.

MINERVA in vrbe Athenarum ædificanda loci salubritatẽ, aerísque subtilitatem,fœturæ ingeniorum accommodatissimam secuta est.

APRI ob aeris temperiem maximè salubri sunt corpore.Vide tit.Studium in conseruanda sanitate.

LOCROS & CROTONEM pestilentia nunquam inuadit,teste Plinio.

VENETIIS ea pars vrbis quæ ad D.Nicolai phanum est, pestilentiæ minus obnoxia est,& magis longæuos homines producit. Testis est Egnat.lib.8.Exemp.cap.4.

VRBES, REGIONES, LOCA QVAEVIS INSALVBRIA.

BOEOTI ob aeris impuritatem crassis ingeniis præditi fuerunt.Vnde Horat.

Bœotũm crasso iurares in aere natum.

THRACES ob crassum regionis(quam incolunt)aerem, crassum itidem habent cerebrum:obliuiosi planè sunt,desides & torpescentes, ita vt quatuor numerando non ascendant. Guido Bitur.

Cum quidam ex medicis Platoni consilium daret, vt relicta ACADEMIA,loco pestilentissimo,in Lyceum scholam transferret: nequaquam obtemperauit,dicens,se producendæ vitę causa ne in Atho quidem summitatem transmigrare velle.Ælian.lib.9.de Varia historia.

FLVVII ET FONTES MEDICATI ET SALVBRES.

TEARVS Thraciæ fluuius,fertur ab accolis omnium amnium esse optimus,cum ad alios morbos,tum ad scabiem curandam, vel hominum vel equorum.Eius fontes duodequadriginta sunt,ex eadem petra manãtes,partim frigidi,partim calidi.Herod.lib.4.

REGIONES, VRBES, FERTILES OMNIBVS IIS QVAE AD *vitam commodè degendam conferre possunt.*

Consule locum,Bonorum fortunæ,vbi de Diuitiis publicis egimus illic enim opulentiæ,hîc adiumentorum corporis ratio habetur.

REGIONES, VRBES, FERACES EARVM RERVM, QVAE ETSI *vitæ commodis nihil prosunt,neque obsunt tamen.Vt FONTES mirabiles,PLANTÆ admirandæ,&c.*

Apud AMMONIOS in Africa,est fons Solis,cuius aquas sub matutinũ quidem tepet:sub horam qua forum frequentissimum est, frigescit: sub meridiem multo frigidior est,eáque hora hortos irrigant.Declinato iã die remittitur frigus,donec sol occidit:tunc tepescit, magis ac magis calescens ad mediam vsque noctem,quo tempore feruens exæstuat.Præterita nocte media,ad auroram vsque,refrigescit.Herod.lib.4.

REGIONES ET VRBES, FERACES EARVM RERVM QVAE *vitæ commodis obsunt: vt FERARVM,serpentum,&c.REGIONES infestæ propter feras.*

NEVRI Scythiæ populi,vna ante Darij expeditionẽ æstate coacti fuerant solum vertere,propter serpentes. Nam serpentum cùm magna vis ex ipsorum solo est edita,tum maior supernè è locis desertis ingruerat, adeò vt relicto suo loco cum Budinis habitauerint. Herod.lib.4.

HERCVLES ex Stymphalide palude innumeras aues,quæ ea loca infestabant,sua virtute expulit.Diod.Sic.lib.4.cap.3.

CHALCIDENSES,qui incoluerunt Cleonas,Elymnio Athi ciuitate pulsi sunt à muribus:qui omnia illorum bona ita deuorabant, vt neque ferro parcerent.Heraclides in Polit.

In MEDIA adeò ingens passerum inoleuit copia, iacta absumentiũ semina,vt homines ad alia migrare cogerentur loca.Diod.Sic.lib.4.cap.3.de Rebus antiquis.

ACRIDOPHAGI Æthiopiæ populi,deserto contermini,adeò locustarum multitudine veris tempore,flante Zephyro & Libyco,vexantur, vt ni artificiosè ignibus eas comburerent,penitus consumerentur. Ibid.

HIS cognata est regio,quam nemo inhabitat propter multitudinem aranearum & scorpionum.Tãtam enim harum bestiarum excreuisse copiam ferunt,vt morsibus pestiferis incolæ patriam deserere,& ad alia loca confugere compellerentur.Ibidem.

ATTARIOTAS ranæ è nubibus pro guttis aquæ in terram delapsæ adegerunt,relicta patria ad eam,in qua nunc quoque sunt,oram confugere.Ibidem.

LIBYÆ quædam ciuitates leonum vi,ab desertis locis ad eas aduentantium,desertæ sunt.Ibidem.

In ITALIA murium multitudo syluestrium è terra prodiens, plures solum patrium linquere coegit.Ibidem.

Suffossum à cuniculis in HISPANIA oppidum, à talpis in THESSALIA,à ranis ciuitatem in GALLIA pulsam,à locustis in AFRICA, ex Gyaro Cycladum insula à muribus fugatos(teste Theophrasto) AMYCLAS in Italia à serpentibus deletas,ascribendum est miraculo.Plin. libr. 8.cap.29.&57.

REGIONES STERILES, ASPERAE, SAXOSAE.

Consule locum,Paupertatis publicæ.

Stratonicus musicus SERIPHI agens, hospitem suum percontatus est,ob quam causam illic homines iuberentur vertere solum: quum ille respõdisset,flagitiosos apud Seriphios exilio mulctari:Quin tu quoque, inquit,aliquid flagitij committis,vt ex his locorum angustiis emigres? Notans regionem esse incommodam;& oppidum frigidum. Erasm.6. Apoph.

REGIONES AMOENAE.

CALLISTA insula prope Peloponnesum,in qua Cadmus Agenoris F.Europam quęritans,Phenices quosdam cum Membliare consanguineo suo reliquit loci pulchritudine allectos: vnde & nomen obtinuit καλλίστη.Postea à Thera Autesionis F.Thera fuit appellata.Herod.lib.4.

REGIO-

REGIONES NON AMOENÆ.

Chalcedon in loco minus amœno sita,quàm Byzantium.Vide tit.Iudicij prudentis de rebus aliorum extra iudicium,sub exemplo Megabyzi.

REGIONES ODORIFERÆ.

REGIONES FOETIDÆ ET OLENTES.

REGIONES TEMPERATÆ.

REGIONES INTEMPERATAE.

ÆSTV ET SICCITATE.

Auster PSYLLIS Pænorum populis omnia receptacula aquarum areferat.Erat autem omnis eorum regio quæ intra Syrtim est, aquarum inops,ob id isti publici colloquio atque cõsilio expeditionem fecère aduersus austrum. Eos cùm ad arenas venissent, auster spirans illic obruit. Terram eorum Nasamones occuparunt.Herod.lib.4.

FRIGORE.

Diogenes,quodam ei exprobrante,Te Sinopenses Ponto exulem esse iusserunt:At ego,inquit,illos hac damno pœna,vt in Ponto extremísque Euxeni littoribus inclusi perpetuò maneant.Diogenes mutarat patriam, sed melius:exulebant potius,qui infelici regioni erant adscripti.Laertius lib.6.Brusonius lib.2.cap.29.

REGIONES ET VRBES VEL NATVRA VEL ARTE *munitæ,contra hostium incursiones.*

MELES primus Sardium rex, Lydorum tertius, cùm ex pellice leonem sustulisset, oraculo edoctus, quacunque parte vrbis circumlatus esset, inexpugnabilem fore vrbem: cum per cæteram partem murorum circunduxit, quacunque poterat arx oppugnari: per eam autem partem (tanquam inexpugnabilem atque præcisam) circunducere prætermisit, quæ ad Tmolum fluuium vergit. Ab ea parte Hyrœades Mardus, qui sub Cyro Persarum rege militabat, conspicatus quendam Lydum pridie descendisse ad recipiendam galeam illinc deuolutum, aduertit animum atque considerauit: dehinc ipse conscendit, & post eum alij Persæ subinde, atque alij frequẽtes.Ita vrbs Sardis capta est, & Crœsus regno exutus.Herodot.libro primo.

VESTITVS VRBANVS DIVERSORVM, IN GENERE.

Vide Lazarum Baysium,qui de Vestimentis ex professo scripsit.Vestitus sacerdotum & magistratuum petatur ex loco Bonorum Fortunæ.

IOSEPHO filio natu minimo, pater Iacobus tunicam versicolorem fecerat: eum enim præ cæteris amabat, quia senex eum genuerat. Genes.37.

GRÆCORVM antiquissimos,pelles leonum pardorúmque,ouium & caprarum,item luporum à principio induisse,Homerus autor est.

THESSALIS demissa chlamys erat omni tempore accommodatior. Alex.lib.5.cap.18.

INDI dissimiles habitus corporis,mira specie variarunt.Namque alij radi aiunt:nonnulli piscium, ferarum, aut auium pellibus amicti sunt: plerique lino,multi lana vestiuntur,alij in cultu corporis ita accurati, vt faciem coloribus pingant,candidam vestem induant,aurum gestent, lapillísque ornentur.Ibidem.

PERSÆ amictum habent æstate purpureum,hyeme varium. Quinetiam crassiore vtebantur veste, laxa & fluxa cinctura, & nonnunquam stola etiam Semiramidis siue Medica,cum armillis & torque.Ibidem.

AFRÆ mulieres super vestem amiciuntur nudis pellibus caprinis fimbriatis,ac rubrica delibutis, à quibus ægeis, id est, caprinis pellibus, Ægidas denominanère Græci.Herod lib.4.

Babylonij duabus amiciuntur tunicis,vna linea vsque ad pedes demissa,altera super hanc lanea:postremò candida & breui penula circundantur.Calceos gerunt gẽtis more,soleis similimos. Capita habentes comata mitris redimunt, vnguentis toto corpore delibuti. Anulum signatoriũ singuli gestant,& sceptrum affabrè factum,cui superstat aut malum, aut rosa,aut lilium,aut aquila, aut aliud quippiam. Nam absque insigni gestare sceptrum,ipsis nefas est.Herod.lib.1.

ÆGYPTII vestem tantummodo lineam,calceos papyraceos gestant. Herod.lib.2.

Vestibus amiciũtur lineis ÆGYPTII, circa crura fimbriatis,quas Calasires appellant:super quas candida ferunt lanea amicula, tanquam superiecta.Laneæ vestes neque in ædes sacras gestantur, neque vnà cum cadauere sepeliuntur:profanum enim id est.Herod.li.2.

In eo prælio,quo Cambyses Persarum rex Psammenitum regem Ægypti superauit, ossa eorum qui in acie ceciderunt, cùm iacerent fusa, vt ab initio distincta fuerant, sursum erant Persarum, deorsum Ægyptiorum. Sed Persarum capita adeò fragilia sunt,vt si velis ferire, vel solo calculo perforare possis:Ægyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas.Cuius rei causa hæc est, quòd Ægyptij statim à pueris radere capita incipiunt,& os capitis ad solem redditur compactum.Quę eadem causa est non caluescendi.nam ex omnibus hominib' paucissimos quis Ægyptios caluos videat.At PERSIS fragilia sunt capita, quoniam prima infantia assuescunt operire capita,gestantes pilea,tiarásque.Herod.lib.3.

MEDIS operimenta corporum sunt tyara, cidaris, pileus, manicatæ tunicæ,anaxyrides,& stola.Rauis.

Assyriorum mos erat duplici amiculo vestiri: altero lineo ad pedes demisso,altero laneo, quod superinduebatur.Alex.lib.5.cap.18.

MARDORVM genti proprium fuit, crassiorem vestem, & non vltra genua induere,próque capitis ornatu fundam fronti annectere. Ibidem.

MARVSIIS crassam vestẽ,aut laceram quam induebant,pro tempore variare vetabatur.Ibidem.

Mauri leonum,pardorum & vrsorum tergoribus,alij serpentum & piscium coriis velantur.Ibidem.

Massagetæ ex arborum corticibus amictus intexebant.Ibidem.

GELONII nulla alia re quàm hostium cutibus vestiuntur.Ibidem.

TROGLODYTÆ ex serpentum aut piscium corio, vestimenta sibi consuebant.Ibidem.

Hyperborei septentrionales populi, excoriatas beluarum pelles habẽt pro vestimentis.Verg.lib.3.Georg.

Talis Hyperboreo septem subiecta Trioni,
Gens effrena virûm Riphæo tunditur Euro,
Et pecudum fuluis velantur corpora setis.

PONTICI populi aduersus frigoris iniuriam braccis vtebantur. Ouidius:

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

GYMNITES Æthiopiæ nudi degunt.

SCYTHIÆ magna pars tergore vulpium & murium operta incedit. Alex.lib.5.cap.18.

GYMNESIARVM incolæ iunceo ornantur amictu.Ibidem.

GNIDANORVM vxoribus, qui iuxta Lotophagos sunt, magni æstimabatur fimbrias pelliceas ferre plurimas,quas munera adulterij sumebant:illáque præcipuæ dignationis erat, quæ pluribus fimbriis muniretur.Ibidem.

CVRETIBVS qui Ætoliam incolunt,longas stolas puellares inducere mos fuit.Ibidem.

MELANCHLÆNI in Scythia omnes nigra veste amiciuntur, quod ipsum gentis nomen declarat.Sed in his illud dirum & detestabile, quòd ab esu humanæ carnis non abstinent.Sabellicus libro sexto, capite 1. ex Herod.lib.4.

Germani sago cum fibula,aut si desit fibula, spina conserta: locupletes verò stricta veste,singulos artus exprimente.Alex.lib.5.cap.18.

Apud GALLOS, MEDOS, SCYTHAS, aliósque barbaros, braccæ longis femoralibus,auro pictæ,intonsæ,& varij coloris, quas Anaxyrides Græci vocant,in vsu fuerunt.Ibidem.

GALLIS nobilioribus tinctas gestare vestes,aut saga hirsuta virgata: hyeme verò crassiora,æstate subtiliora,longis villis,mos fuit.Ibidem.

BELGÆ hirsuto sagulo corpora munire solent.Ibidem.

Apud VECTONES & CANTABROS, mulieres monilia ferrea collo circundare,& à fronte protensum vmbraculum,quod attrahant cùm ve-

lint,& retrahant,magni decoris putabatur.Ibidem.

BRITANNI reliqua nudi,ventrem & ceruicem ferro cingunt. Ibid.

HISPANI primùm breue sagulum,mox stolas & togas Romano more accepêre,quare Stolati & Togati dicti sunt.Ibidem.

ROMANORVM patricij,& qui nobilitate præstant, quique honestè geniti & liberaliter educati erant,bullam in pectore,lunulas in pedibus habebant.Erant enim fibulæ eburneæ corniculantes instar lunæ,quod à Numa institutum ferunt.Ibidem.

PATRICIIS Romanis,tyriæ muricis purpura dabatur,cùm equester ordo & plebeius purpuram nõ indueret,cuius vsum antiquissimum Plinius notauit.

PVRPVRA plebeia fusca & obsoleta erat,non murice aut cocco, sed herbarum succis infecta.Ibidem.

PRÆTEXTAM supra tunicam quisque honoratus & nobilis apud Romanos habebat:quam quidem pueri patricij aliquando purpuream induebant.Inde enim prima commendatio ineuntis ætatis, & specimen virtutis haberi cœptum est.Ibidem.

MACRIANORVM familiæ viri Romæ in auro & argento,mulieres verò in reticulis,in dextrocheriis,& in omni ornamentorum genere Alexandrum Magnum exsculptum semper habuerunt:quòd existimẽt iuuari in omni actione,qui eum gestaret in auro vel argento.Volat.lib.17. Vrban.Com.

CETHEGOS amictus diuersus à cęteris distinguebat,quos Cinctutos vocat Horatius,siue habitus,siue pallium ad cinctum reductum fuerit, constat eos exerto brachio procedere solitos.Lucanus:Exertique manus vesana Cethegi.Volat.lib.14.cap.2.Anthr.

ALEXANDER Mammeæ in animo habebat,omnibus officiis genus vestis proprium dare,& omnibus dignitatibus,vt ex vestitu dignosceretur:& omnibus seruis,ne ingenuis miscerentur,néue seditiosi essent.Verùm Vlpianus & Iulius Paulus consultores Principi dissuaserunt, plurimarum rixarum causam fore dicentes,si abiecti homines, per vestitum prodiri iniuriis exponerentur.Iis itaque authoribus res moderata est.Rutil.in vita Vlpiani.

VESTITVS MILITARIS DIVERSORVM.

GRÆCORVM veteres,pelles fluuiatilis canis pro capitis tegmento vice galeæ tulêre,equinásque iubas & caudas in galeis,aut pennas struthiocameli,nonnunquam leonis pellem. Alex.ab Alex.lib.1.cap 20.

Militari lege apud SPARTANOS statutum erat, vt in bellum proficiscentes purpura indurentur:partim vt color etiam aliquam grauitatẽ præ se ferret,partim si in clade aspergerentur sanguine,hostibus terribiliores existerent.Ælian.lib.6.de Var.hist.

AGIS Lacedæmoniorum dux bellicosissimus , adeò corporis sui vestitum & ornatum omnem neglexit,vt semper gregario militi similis visus sit.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

AGESILAVS bellicis artibus cum primis clarus, cùm semper haberet exercitum nontam armis quàm vestimentis optimè ornatum,ipse tamen vilissimo corporis cultu vtebatur.Iis semper suas copias instruxit armis,vt omnia ærea punicea viderentur.Ibidem.

GYLIPPVS maximus imperator sordida veste & semilacera,& cultu neglecto,cùm aduersus hostes pugnandum esset,manus conseruit.

XENOPHONTIS tum alia honesta bonáque curæ fuerunt , tum vt haberet arma pulchra & expolita.Aiebat enim, si vicisset , elegantissima quoque se stola ab hostibus indutum iri:& si vitam amittat in prælio , eũ quodam decore iacere in armatura splendida.Nam hanc esse strenuo & forti viro monumentum,quod reuera ipsum ornaret.Dicitur autem scutum habuisse Argolicum,thoracem Atticum , galeam Bœotico artificio factam,& equum Epidaurium.Ælian.lib.3.de Var.hist.

ALEXANDER Macedoniæ rex inuictissimus,cùm regio habitu,tum Siculo amiculo & lineo thorace,auro gemmisque ornatus semper bella gessit.Eius cassidem cristata iuba & pennæ candidissimę circumcingebant, nonnunquam insigne fuit Epiparpoma.Alex.lib.1.cap.20

ANTIOCHVS exercitum omnem auro argentóque ornauit,ita vt nõ tantùm aureas galeas & arma, verumetiam aureos clauos crepidis subiectos milites habuisse constet.Alex.lib.2.cap.29.

ARTAXERXES Persarum dux,ducturus contra Cyrum exercitũ, rubro milites sagulo ornauit, Cyrus albo.

CYRVS cassidibus æneis & conis albis suos semper milites ornauit decentissimè.

PYRRHO Epirotarum regi & PHILIPPO Macedoni hircina cornua,HAMMONIS arietis caput,ACHÆIS pennæ varius distinctę coloribus,aliis rubras cristas suprà cassidem deferre moris fuit.

ROMANI milites in bellũ profecturi,& præcipuè equites, galeas vrsinis pellibus tectas,quo truculentiores visu essent,induebant. Pariter equinas iubas & caudas,aut pennas struthiocameli : leonis quoque nonnunquam pellem pro conis habuisse,& galeis affixisse constat.

Galeis quoque,thoracibus & scutis ex cruribus boum coriis vti volebãt.

AVXILIARII apud Romanos milites , præter sagas togásque & rectam tunicam,album & rubrum paludamentum, quo socios ab hostibus internoscerent,nil habebant.Alex.lib.1.cap.20.

L.LVCVLLVM cum thorace squamolo & amicto purpureo prælia iniisse,compertum ex Romanorum historiis est.Ibidem.

C.GRACCHVS legem tulit ad populum,de vestibus publicè militibus dandis,sine stipendiorum diminutione:& inde institutum,vt singulis militibus sagæ togæque in hybernis denur.Ibidem.

L.SYLLA Imperator chlamydato fibi,& crepidato Neapoli ambulare,deforme non duxit.Val.Max.

C.IVLIVS Cæsar ferrur milites tam cultos habuisse,vt etiam auro & argento politis armis ornaret.Alex.ab Alex.lib.2.cap.29.

IDEM vt in conflictu bellorum cunctis innotescereret,ad prima signa nouo colore amictus,& diuerso armorum habitu insignis prodiisse traditur.

VIRIATVM Lusinatum,cibum vestitúmque , quibus pastor aut venator vti cõsueuerat,nunquam deseruisse aiunt:licet imperator & victor per 14 annos continuos,consules exercitúsque Romanos attriuisset.Panormita lib.1.de Rebus gestis Alphonsi,cap.42.

SERTORIVS pictas chlamydes militibus suis dono dedit.Alex.ab Alex lib.2.cap.29.

CONIDVS centurio in bello contra Marsos miraculo fuit,quòd poculum supra cassidem,modò suscitans flammam, modò remittens,deferebat.Alex ab Alex.lib.1.cap.20.

AVRELIANVS imperator gregariis militibus,vt aureis fibulis corpus ornarent,priuilegio dato concessit.Alex.ab Alex.lib.2.cap.29.

SAMNITES cum pinnis muralibus digladiantur,in prælio verò cristatis galeis.

GALLI non modò scuta,sed suas quoque galeas corallio ornabant, militaturi in longinquis regionibus,virgatis vestibus cum torque aureo vtuntur.

GALATÆ partim cornua,partim quadrupedum habuêre effigies in galeis.

CARES gallos gallinaceos pro conis habebant.

TEVCRI,MYSI & TRACES super cęas galeas bouis aures & cornua apponunt.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

CYMBRI & TEVTONES rictibus apertis animalium texêre galeas.

ABRADATÆ Persarum duci conus hyacinthinus erat.

GELONI hostium cutibus ornati,quo truculentiores aspectu essent, bellum suscipiunt.

CYDONES fortissimi,vt Homerus inquit,habebant arcus,caprinis pellibus ornati semper.Iuuenalis apud Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.

THRACES pullas induti tunicas,in acies prodeunt. Contrà MYSÆ candido amictu.SAMNITES dicolori veste nonnunquam. BOII & INSVBRES auratis sagulis.

THRACIBVS in more fuit,è pelle vulpina cassides ferre: sicut ALBANIS & HYBERIS.cùm ferinis galeis pugnare.

BRITANNI bellum suscipientes,corpus glasto inficiunt.Est autem folium hæc herba,quæ atro colore inficit,& hominem decolorem facit.

PARDORVM mos fuit,leonum pellibus ornari,vt non tantùm armorum strepitu,sed corporis quoque aspectu hostibus terrori essent.Ibidem.

SACÆ Scythica gens bellicosissima,nemotis cristatisque ornata galeis,pugnat aduersus hostes.Ibidem.

APHRIS,Caunis,Numidis & Massagetis in bellum profecturis , russatas vel puniceas ferre vestes moris erat , vt eo argumento vulnera & sanguinem effusum non internoscerent,confidentiúsque & sine pauore dimicarent.

ARII Germaniæ populi habebãt nigra scuta,tincta corpora. Nigras ad prælia noctes legebant,ipsáque formidine atque vmbra feralis exercitus terrorem inferebant,nullo hostium sustinente nouum,ac velut infernum aspectum.Rauisius.

CALCIAMENTA DIVERSORVM.

PERSÆ calceo vruntur alto & duplo,vt magni adpareant:quemadmodum Assyrij parui, Ægyptij papyraceo,Babylonij soleis Thebanis similimo, Crotenses militari,Nabathei sandalio.Alex.li.3.ca.18.

INDI ex arborum corticibus calceos faciebant,& nonnunquam soleas pedibus addebant.Ibidem.

Apud ÆGYPTIOS inuptas puellas calceis vti non licet,vt euagandi licentia cohiberetur:cum nudo pede extra septa prodire, nefas foret. Ibidem.

HISPANI è sparto,LIGVRES Cantabrico,GALLI agrestes perone, incedebant calceo.Ibidem.

ATHENIENSES elaboratæ artis calceos habebant,qui Iphicratides dicti sunt.Ibidem.

Apud ACHÆOS calcei fœminarum fuêre albi & tenues.Ibidem.

LYCVRGVS pro calciamentis pedum nuditatem instituit, Censebat enim huiusmodi exercitatione longè facilius & locum accliuem ascendere quempiam posse,& turius decliuem descendere , & saltare & resilire: & celerius discalciatum currere,si pedes exercuerit,quàm calciatũ. Xenophon in Laconum Repub.Stob.serm.42.

PHOCION,ARISTOXENVS,SOCRATES,in mediis frigoribus nudi incessisse dicuntur.Alex.lib.5.cap.18.

EMPEDOCLES Agrigentinus calciamentis æreis incedere solitus erat.Ibidem.

ANTIGENIDES Thebanus musicus , primus calciamentis Milesiis luteoribus vsus dicitur.Suid.

DEMETRIVS Antigoni eò vanitatis processit,vt aureo calceo vteretur.Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

AVGVSTVS altiusculo calceo vsus est,vt procerior videretur.Ibidem.

C.CALIGVLA imperator Romanorum,socco muliebri pro calceis vsus est.Ibidem.

CARINVS calceos gemmatis sigulis ornatos habebat.Ibid.

DIOCLETIANVS calceis gemmatis in publicum sæpe processisse dicitur.Ibidem.

HELIOGABALVS,cum vulgare calciamentorum genus contemneret,gemmato calceo vsus est.Ibidem.

Olim ROMANI lunulas in calceis gestabant, ne nimis extollerentur indulgentia fortunæ fauentis:sed admonerẽtur instabilitatis rerum humanarum:exemplo lunæ,quæ modo clarissima nitet otbe pleno, modò omni splendore viduata,ad nihilum redit.Guido Bitur.

VESTITVS MOLLIOR ET DELICATIOR.

Consule tit.Luxus in vestitu.

ARISTIPPVS Socraticus,Milesiam chlamydem,aliquando amictum viliorem induebat,cætera nudus.Alex.lib.5.cap.18.

PYTHAGORAS Samius,alba veste amiciebatur , & gestabat coronã auream atque anaxyrides.Ælian.lib.12.de Varia historia & Alexand.lib. 5.cap.18.

ARISTOTELES gaudebat mundo cultu,& elegante,comámque delicatius tondebat anulis præterea digitos onerabat,& in hoc placebat sibi nimium.Quo factum est, vt molliciei suspectus haberetur.

DEMOSTHENEM tradunt cultu corporis nitido nimis,& accurato fuisse,adeò vt moles(quibus lasciuiebat)tunicularum ab æmulis probro datę sint.Quinetiam notatus est, vt parum vir,quódq; polluto esset ore. Gell. lib.2.cap.1.& Alex.lib.5.cap.18.

HERACLIDES Ponticus philosophus,vir fuit mollioris habitus,vt pro Ponico Pompicus vocaretur.Diogenes in eius vita.

LYCONEM Troade,Stratonis discipulus,habitu mollis fuit.Diogenes.

HIPPIAM & Gorgiam purpureis vestibus amictos , in publico versatos esse,fama est.Æl.lib.12.de Var.hist.& Alex.lib.5.cap.18.

EMPEDOCLES Agrigentinus præter purpuram,etiam calciamentis æreis incedebat.Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.ex Ælian.lib.12.

ALEXANDER Macedo regio semper habitu, tum Siculo amiculo , & lineo thorace,duplicita ac ferrea casside,auro & gemmis ornatus,bellum gerere solitus erat.Alex.ab Alex.lib.1.cap.20.& lib.5.cap.18.

DIMETRIVS non modò diademate,sed veste ex auro & purpura cõspicuus erat.Alex.lib.5.cap.18.

PARRHASIVS pictor quo genere vestitus sit vsus,vide sub tit. Certamina artium.

ANTISTHENES Sybarita nobilem vestem elaborauit , in qua varij dij & terræ erant depictæ.Hæc quotannis in Lucinæ Iunonis templo ostendebatur.Aristot.de Admirando auditu.

ROMVLVS primus trabea regia,quæ ex purpura immixto albo erat, vsus est.Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

CATONI Vticensi ludos in veste purpurea spectanti facultas à senatu,quo summo honoris gradu,tributa est.Idem.

MANTONIVM tunica ad coxam cincta,& villosa chlamyde vsum , ferunt.Idem.

LENTVLVS Spinter in ædilitate bis tincta purpura indutus est primò,cuius valor denariis mille in libras taxabatur.Idem.

Q.HORTENSIVS orator, vestitu victúque mollis. nam vt bene amictus iret,facié in speculo quæritabat : vbi se intuens , togam corporis sic applicabat,vt rugas non sorte,sed industria locatas nodus astringeret & sinus ex composito defluens,modum lateris ambiret. Is igitur quondam cùm incederet elaboratus ad speciem,collegæ de iniuriis diem dixit,quòd sibi in angustiis obuius,offensu fortuito strictura amtogę destruxerat.Capitale putauit,quòd in humero suo locum toga muraillet. Hæc Macrobius apud Volat.lib.17,Mentionem facit Gellius li.1.ca.5.& Alex. lib.5.cap.18.

ÆMYLIVS Pauli filius,Publio Sulpitio Gallo , quòd tunicis manus vsque operientibus vteretur,vt probrum obiectauit.Talares enim & manicatas aut distinctas induere tunicas, flagitij loco habitum apud Romanos est.Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

Cicero VERREM,quòd cum talari tunica & pallio purpureo incederet,notauit:eùm eo tempore substrictas,breuésque tunicas citra humeri desinentes Romani haberent.Ibidem.

C.IVLIVS Cæsar post multa clara facinora,atque actos triumphos , petiit,vt publico decreto in conuentibus regia veste indui , coronáque laurea ornari perpetuò sibi liceret.Idem mollioribus vestibus vtebatur, & interdum caligis paulo altioribus, ac rubri coloris, laticlauo quoque fimbriato laxiore cinctura.Quam mollitiem corporis Sylla adeò suspectam habuit,vt eum occidere etiam voluerit.Deprecantibus autem nonnullis:Ego(inquit)hoc vobis gratificabor,vos verò hunc malè præcinctum cauete.Quam rem etsi Cicero non intellexerit , tamen imprudens ait:Nunquam putaui Pompeium ab homine malè præcincto superaturũ iri.Xiphilinus Dionis Nicæi abbreuiator in Cæsare:& Alexand.libro 5. cap.18.

MECOENAS eo quòd molliori veste discinctus fuisset, Malacinus dictus est.Alex.ab Alex.lib.5.cap. 18.

AVGVSTVM quaternis tunicis,togísque,nec restrictis nec fusis, cum thorace laneo,femoralibúsque & tibialibus incessisse,memoriæ proditũ est. Ibidem.

C.CALIGVLA Romanorum Imperator in eam prolapsus est insolentiam,si non dementia dicenda est,vt deorum vestimenta indueret, in quibus nunc bellicosam virginem,nunc mulierem repræsentabat:atque ita commutatis subinde vestibus,varias formas capiebat , & cætera omnia potius quàm homo videbatur.Xiphilinus.

IDEM cùm Deum se esse fingeret,in sacrificiis deorum ornatu induebatur,in plateis serico & triumphali vestitu incedebat.Idem.

LOLLIA Paulina,Caij principis vxor, sestercio quadringenties æstimatam tunicam ex margaritis habuisse fertur.Solinus & Plinius.

NERO Imperator citharœdi habitu interdum in scenam est progressus,interdum parua tunica indutus,cui que floribus ornata:ac linteũ circum collum habens,senatores salutauit,interdum etiam discinctis tunicis per vrbem ambulauit.Xiph.

EVNDEM nullam vestem bis induisse,sæpiúsque in ornatu tragico cũ cothurnis prodiisse,constat ex Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

DOMITIANVS Cæsar præsedit certamini,in stadio,crepidatus,purpurea amictus toga Græcanica,capite gestans coronam auream cum effigie Iouis,Iunonis & Mineruæ,assidente Diali & collegio Fluuialium sacerdotum.Pontanus cap.4.de Splendore.

HELIOGABALVS,cùm nimis sumptuosus esset,primus holoserica vestimenta induit.Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

GALIENVS imperator,cum chlamyde purpurea,gemmatis fibulis, & persæpe tunica etiam aurata prodiit.Idem.

GORDIANVS tunicam & togam pictam primus ex Cæsaribus, dum priuatus ageret,propriam induisse fertur:neque ex Capitolio , vt moris erat,publicam desumpsisse.Idem.

VESTITVS FRVGALIS ATQVE TENVIS.

Consule tit.Frugalitas in vestitu.

EXEMPLA RELIGIOSA.

Qui spiritalibus virtutum indumentis animam suam tegere & ornare student,non opus habent corporis indumentis,nisi quantum naturæ necessitas requirit.ADAM & EVA in paradiso nudi erant.Tunc illis parãdę vestis cura irrepsit,cùm propter mandati transgressionem inde eiecti , terram colere,hoc est,terrenis occupare se negociis cœperunt. Sed ne tunc quidem vsqueadeò conditionis humanæ obliti sunt,vt carnem iam morti obnoxiam luxuriosè vestiendam putarent.Consuerunt folia ficus , & fecerunt sibi perizomata,tunici denique pelliceis contenti vixerunt. Marul.lib.3.cap.8.& Sab.lib.2.cap.8.

IOANNES Baptista,quo non surrexit maior inter natos mulierum,de pilis camelorum vestem contextam, & pelliceam zonam circa lumbos habuisse dicitur.Et de illo ad turbam Dominus : Quid existis, ait,in desertum videre?hominem mollibus vestitum?ecce qui mollibus vestiuntur,in domibus regum sunt.Aspera vtique vestis & cilicina continentiæ vitæ indicium est,mollis & delicata lasciuioris. Et vt habitacula quoque de moribus hominum nonnihil attestari cognoscas, desertum prælatum est aulis regum.In his namque voluptatis mundanæ mancipia versari solent,in illo Christi serui:Marul.lib.3.cap.8.& Sab.eodem.

Fuit CHRISTO regi summo vnica vestis arte ineffabili contexta verius quàm sarta.Magnum in opificio miraculum,sed maius adhuc in vsu: neque quidem vsquequaque tritior facta est perpetuo vestitu,neque minus habilis,sed ad corporis modulum augescere:estque vestis hæc fatidico spiritu multo antea præuisa,quæ Caluatia teste abiit in sortem,ne scinderetur.Sab.libro tertio cap.8.

APOSTOLIS in Euangelio iussum legimus,ne solliciti essent in perquirendis quibus operirentur:sed considerent in eo qui lilia , id est momentaneam creaturam tam eximio vestit candore: multo magis vestiturum ipsos,quos ad imaginem suam rationis capaces , æternæque vitæ destinatos condiderit.Quærite,inquit,primùm regnum Dei, & iustitiam eius,& hæc omnia adijcientur vobis. Marul.libro 3 capite 8. Veruntamen quia modicum quid terrenæ opis adiumentique sufficere debet ei,

cui multa reposita sunt in regno cœlorum:iisdem iussum est, ne duas tunicas habeant,non vt simplici tunica cōtenti sint, si frigoris intemperies non patitur:sed ne metu futurorum aliam induant,aliam reseruent. Superflui itaque amictus sollicitudo reprimitur,non necessarij cura.In calciatu quoque sandaliis tantùm vsos constat, quæ in actorum libro alio nomine caligæ appellantur. Quod sanè calciamenti genus non operit pedem:sed sicuti expositores dicunt,suffulcit.Igitur ne calciarium saltem paulò cupidius nobis expetendum duceremus,exemplo ostenderunt satis esse,si ea pars pedis tecta sit,quæ terram terit, nuda relicta quæ cœlū spectat.Rectè enim & religiosè incedentem cœlo patere,non terræ, decet:Deo, non hominibus.Ibidem.

Apostolorum principi PETRO nihil amplius tegumenti fuisse creditur,præter tunicam & pallium:nihil aliud calciamenti,præter caligas.Illud in Clementis libro relatum dicunt,hoc in Apostolicis Actis legimus, dicente ad eum angelo:Præcingere,& calcia te caligas tuas. [redacted] Ibidem.

Bartholomæum apostolum collobio albo, palliolóque purpureo, & sandaliis vsum,memoriæ proditum est:sed hoc miraculi adiicitur, quòd quinque & viginti annos vestimenta eius nec sordes vllas, nec vetustatē contraxerint,nec sandalia subtrita sint. Veruntamen hunc etiam communis nuditas piscatoribus parem fecerat, nisi purpureus color regiæ stirpis insigne fuisset.Sed hic ideo reseruatus est,vt indicio foret, quanta ille reliquerit vt Christum sequeretur.Marullus libro tertio, cap. 8.& Sab.lib.2.cap.8.

Iacobus Iustus,frater Domini ob formæ similitudinem appellatus, & vt Egesippus ait,ab vtero matris suæ sanctus, non laneum, sed lineum habuit amiculum.Ad hæc,quod ad corporis cultum pertinet, nunquam attonsus est,nec oleo vnctus,nec balneo vsus.Sic indutus,sic obsitus, etiā apud Iudæos in tāta veneratione fuit,vt soli permissum sit sancta sanctorum intrare,& Deo laudis sacrificium pro populo offerre.Ibidem.

Ioannem apostolum sola syndone amictum Hierosolymis aliquando incessisse,ex Euangelio constat: quoniam dum à Iudæis apprehenderetur,ea relicta nudus effugisse dicitur.Nudi ergo nudum Christum sequamur,ne ab aduersariis comprehendamur.Ibidem.

AVRELIVS Augustinus episcopus,veste non magis compta,magísve ambitiosa,quàm illic quibus præerat,vti voluit. Si quis excultiorem sibi dono offerret,acceptam venum iubebat dari,vt pecuniam inde exactam cum aliis communicaret, quandoquidem vestis ipsa communis esse non posset. Itaque clericis suis dignitate præstitit, habitu atque vestitu par fuit.Ibidem.

BERNHARDVM abbatem veste quidem satis vili,sed minimè squalenti vsum,memorię proditum est. Ac etiam dicere solitum,tunicam sordibus obsoletam,testem desidiæ atque socordiæ esse:& eius immundiciē interdum ad hypocrisim spectare,quæ inanis gloria dum videatur, contemni quæritur. Cùm ergo etiam cilicio sub veste latenti carnem attereret,vbi id rescitum est,& ipsum deposuit.Nec vnquam deinde asperius indumentum,quàm cæteri fratres,ferre voluit,ne fortè illis præstare sanctitate videretur,quorum se ipse minimum reputaret.Ibidem.

Stephano abbati Grandimōtensis ordinis auctori,qui in Moreto Aquitaniæ monte vitam solitariam duxit: tametsi rudis modicúsque amictus fuerit,hoc tamen admirationem auget,quòd sub eodem & æstiuos calores,& brumę frigus pertulerit, nunquam quicquam panni sibi vel addēs, vel demēs.Vtramque profectò diuersorum temporum molestiam leuare posset solertia,nisi vtramque tolerare mallet in Deum charitas. Ibidem.

Apollonius apud Thebaidam in finibus Hermopolis,collobio stupeo, quod lebithen vocabant,operiebatur: neque tamen vllum capitium habuit,sed lineo linteolo collum capútque obuoluebat. Et hoc magis mirandum,quòd cùm 40.annos in deserto manens peregerit,eius tegmina neque vsu consumpta,neque vetustate labefactata ferantur: vt indè facilè appareat,quanti apud Deum sit humilis habitus,& absque vlla simulatione contemptus.Ibidem.

Paulus primus eremita,cùm nihil haberet, nisi quod inculta solitudo suppeditare poterat,tunica de palmæ foliis contexta nuditatem texit. Et qua ille veste in necessitate vsus est,hanc ipsam Antonius,cùm defunctū sepelisset,habuit in deliciis,non nisi festis solennibus eam induens:quam etiam diuus Hieronym⁹ plurimi faciens: Si mihi,inquit, Dominus optionem daret,multo magis eligerem tunicam Pauli cum meritis eius, quā regum purpuram cum regnis suis.Ibidem.

Palmeis tegminibus,& illi quatuor in vastissima Ægypti eremo à Panucio inuenti, IOANNES, ANDREAS, THADDEVS & PHILIPPVS, amicti erāt.Hunc tamē tam syluestrem vestitum,haud multo tempore pòst,cum veste immortalitatis commutarunt. Tanto nunc fœlicius cœlesti lumine illustrantur, quanto antea perusta solis ardoribus cute contemptius squalebant.Ibidem.

SERAPIONEM abbatem primitùs quidem sola tunica simplicíque palliolo contentum,deinde his etiam carere pietas compulit:quippe seipsum despolians,pauperes contexit. Nec erubuit nudus incedere, dum nuditatem misereretur alienam.Ibidem.

Timotheo in Ægypti solitudine degenti,ea duntaxat corporis pars nō fuisse nuda perhibetur,quàm barba comáque nunquam tonsæ contexerant.Et hunc Panucius inter bestias incedentem cùm vidisset, syluestre magis quàm humanum animal ratus expauit. Mox cùm loquentem attendisset,agnouit Dei seruum:simulque didicit,satis indutum esse,qui cū Christo nudus esset.Ibidem.

ONOPHRIVS nudus in vlteriori deserto ab eodem Panucio repertus,verenda tantummodo foliis arborum operuerat, Consumptis enim vestibus,quæ secum attulerat, alia deinde quàm quæ natura dabat, non quæsiuit.Cúnque vita functus esset,sanctam animulam eius visibili specie ab angelis in cœlum ferri visam tradunt. Et quisquam nostrûm paululum vsu detritos ferre dedignabitur pannos, cum nudi etiam ab angelis honorentur?Ibidem.

Hilarionem abbatem accepimus,nihil aliud quo corpus suum operiret habuisse,præter saccum ac pelliceum empedyten, rusticúmque sagū. Capillum semel in anno paschæ die totondisse, nunquam lauisse: quòd superuacaneum esse diceret mundicias in cilicio quærere: neque tunicā alteram sumpsisse,nisi cùm prior penitus discissa esset.Ibidem.

D.Hieronymo saccea tunica erat.Hanc Eusebius discipulus eo defuncto accepit,honoríque habuit,tactu eius valetudinarios curans, & ad vitam mortuos reuocans.Cuius quæso regum auro gemmísque refulgens, aut cocco purpuráque rubens vestimentum, tantæ vnquam virtutis fuit, quantæ sancti huius saccus iste cilicinus?

FRANCISCVS Minoritarum pater,tunica vna, & ea sanè crassi admodum fili, impolitæque texturę vtebatur,quam pro cingulo præcinxerat funis nodo adstrictus,vbi cōmittebatur,nō fibula.Caput & ceruix cuculla velabātur:pedes prorsus nudi erant,nisi fortè ligneis socculis veluti sandaliis,ne terram cōtingerent,suffulti.Multis tunc habitus iste ludibrio erat.Cuidam nuditatem hanc hyemis tempore calumniāti, ac petenti vt guttulam sibi sudoris venderet:eam se Christo,non hominibus vendere, respondit Franciscus.Idem.

ELIZABET Pannonum regis filia, & Christi ancilla,quàm poterat abiectiore amictu se velabat.Scissuras,alterius interdum coloris panno assuto,quo vilior appareret,resarciebat.Itaque vna de grege mendicantiū videbatur: contemnique gaudebat,vt humilitatem conseruaret. Maluit ergo sic pannosa,sicque despecta in xenodochio pauperculis morbo affectis ministrare,quàm in regis patris aula, cum amisso marito ab eo in Pannoniam accersiretur,sericis auróque renitere, atque omnibus venerationi esse.Christo enim placere volebat,non mundo.Ibidem.

TORAM Deo dicatam virginem in monasterio Thebaidis memorāt, nunquam noua tunica,aut nouo melote, aut nouis calceis vsam: semper aliis sororibus recentia cessisse, & ab iisdem sibi sumpsisse vetustiora tritioráque, vt quanto cęteras forma pręstabat(erat enim omnium pulcherrima)tanto inconcinniore magísque inepto habitu se deuenustaret. Neque enim ignorabat,animi,non corporis decore sponsam Christi excellere debere,vt cœlesti thalamo digna sit.Ibidem.

MARIA Ægyptiaca turpis aliquando voluptatis quęstui dedita,omni ornamentorum genere sese decorabat: nec à pigmentis fucóque abstinens,vt placeret viris.At postquam conuersa Christo seruire cœpit,tantæ illi vestitus nullus curæ fuit, vt eo consumpto quem secum ad eremum tulerat,nuda in solitudine viueret.Et quia sine tecto degebat, æstus pluuiásque corpore nulla in parte velato excipiens,nigriciem quandam cutis sitúmque cōtraxerat,sed iam non paucis miraculis clarebat.Vide ergo quantum interfuit inter ornatum illum,& nuditatem istam.Ille impudicitiæ fomes fuerat, iste meritum præbuit mirandæ sanctitatis.Ibidem.

[redacted]

EXEMPLA ETHICA.

Consule titulum Frugalitatis in vestitu.

HERCVLEM Alcmenæ filium,Nemeæi leonis amictum exuuiis, cætera nudum egisse, vetus Græcia fabulata est. Italia quoque Græcos imitata,id vnum tegumēti genus illi assignat.Nec (vt videre est) in vno Hercule figurando id faciunt,sed in cęteris quoque heroibus.At Nessi tunica,qua ille consumptus est,& Homeri carmen de iis qui ad Troiam militarunt, receptę opinionis fidem eleuat.Sab.lib.2.cap.8.

LYCVRGVS pro vestium varietate instituit vno amictu quotannis Lacones assuefieri,ratus & aduersus frigora & aduersus calores melius hoc pacto muniri.Xenophon in Repub. Laconum: & Alex.libro 5. cap.18.

Aristidem trita lacerna indutum in publicum prodiisse. Alex. ab Alex. scriptum reliquit lib.5.cap.10.

Quinque & quadraginta magistratus gessit PHOCION Atheniensis: sed quo sit vestis genere interim vsus, calceandi ratio in eo demonstrat: inoleuit adagium inter vrbanos, vt cùm immensum frigus & intolerabile significare vellent, Phocion, dicerent, calceatus est.Sab.lib.2.cap.8.

EPAMI-

EPAMINONDAS,magnus ille dux,munerúmque contemptor, vnicam tantùm habebat vestem, eámque sordidam:quam si fortè mitteret ad fullonem, ipse se domi continere,ob indigentiam alterius, cogebatur.Ælian.lib.5.Historiarum.

CLEOMENES sæpius breui tunica amictus apparuit. Alex. ab Alex. lib.5.cap.18.

XENOPHON cum thorace ambulare solitus est.Ibidem.

MENEDEMVS Lampsacenus Cynicus tunicam sumpsit pulli coloris,baltheo puniceo strictam: pileum Arcadicum duodecim elementis intextum:Tragici ad hæc cothurni,virga fraxinea manibus erat, & prolixior barba:habitus(vt dicere liceat)magis superstitiosus, quàm sapientiæ affectatore dignus.Sab.lib.2.cap.8.ex Diogene Laert.lib.2.cap.18.

Sinopæus DIOGENES (quod neget nemo) Cynicæ affectator disciplinæ,pallio vixit vnico contentus:tanto Antisthene rigidior,eius sectæ princeps pallium duplicauit:baculum & peram primus sumpsit. Sab. lib. 2.cap 8.ex Diogene Laert.

CRATES philosophus Cynicus mantica & sordido palliolo amictus, in publicum sæpe prodire solebat.Alex.lib.5.cap.19.

ZENO nullum discrimen vestis esse inter ciues, sed eosdem amictus viros ac mulieres ferre præcipiebat. Eundem etiam tenui pallio in publicum processisse tradunt.Ibidem.

DION Prusæus sophista,pelle leonis vestitus in publicum processisse dicitur.Volat.lib.15.Anthr.

AGATHO Atheniensis lupina pelle indutus fuit. Philostratus in vita Herod.& Volat.lib.3.cap.3.Anthrop.

APOLLONIVS Tyanæus linteis vestimentis corpus suum munire consueuit,interdum etiam purpura.

ANTIGONVS & HIERO,agresti,& regi vix decoro habitu in publicum processerunt.Alex.lib.5.cap.18.

CATO Porcius,qui à nobilissima censura,quam gessit, Censorij tulit cognomen,nunquam toga vsus est pluris quàm drachmis cētum empta. Sed maius in VTICENSI huius pronepote frugalitatis exemplum qui sine calceis sine tunica,cæterùm funiculo cinctus,per forum cum familiaribus postprandium deambulauit.Item nudis pedibus,veste fusca & sine tunica,sola toga accinctus, ius in foro dixit, idque veteri instituto. Alex. ab Alex.lib.5.cap.18.& Sab.lib.2.cap.8.

VESPASIANVM veste & habitu neglectò, & vix à gregario milite differente,in publicum sæpissimè processisse,memoriæ proditum est. Alex.ab Alex.lib.5.cap.18.

Mulierum(quibus apud omneis gentes ornatus est corporis peculiarior ferè quàm viris)vnum apud Romanos inclaruit exemplum: nec ad vnam aliquam fœminam,sed ad vniuersam pertinens familiam. In SARRANORVM gente nulla vnquam est linea veste vsa, ob mollitiem & luxum repudiata.Plerique hominum nudi agunt,vel quia texturam ignorent,aut potius non egeant:nec in eo continentiam spectant, sed commodum.Sed nunc mores censentur,& vitæ moderatio, non gentium ritus.Sab.lib.2.cap.8.

SEVERVS Imperator vili amiculo & exigua veste adopertus,& à plebe vulgari nihil differens,in publicum processit.Alex.ab Alexand.libr.5. cap.28.

TACITVS Imperator Rom.simili cultu cum æqualibus vsus est.Nam in toga,qua priuatus vtebatur,in imperio sæpe visus est.Ibidem.

ALPHONSVS Aragonum rex,cùm moribus & autoritate potius quā purpura & diademate suis regem se ostendere niteretur, vestitu cultúque corporis tam moderatè vsum legimus, vt hac in re parum à popularibus suis discrepasse, sæpenumero visus sit.Panormita libr.1. de Rebus gestis Alphonsi.

VESTITVS IMMVTATVS, IN EODEM SEXV.

Vide quæ suprà sub loco Stratagematum annotauimus, de simulato habitu.

VLYSSES Homericus post euersionem Troiæ,cæteris Græcis patriā repetentibus,vi tempestatis vexatus, cùm decē adhuc annis in mari errasset:pôstque longos errores tandem in Ithacā,ab Alcinoo rege Phæacum naue donata, venisset, & mendici habitu domum suam ingressus esset, à nemine cognitus est.Homerus lib.23.Odyss.

FAMVLA Helenæ ornatu regio instructa,à Rhodiis pro Helena interfecta est.Vide tit. de Pietate famulorum erga dominos. Ex Polyæni libro 1.

PARISADES rex Ponti,aliam vestem habere solebat,cùm militum inspectionem faceret:aliam, cùm periculum aduersus hostes subiret:in alia, si quādo fugam tempus postularet,fugiebat. Nam ordines instruēs, ab omnibus cognosci: periclitans,nemini hostium notus esse: fugiens neque suos,neque hostes scire qui esset,voluit.Polyæn.lib.7.

HIPPARINVS veste & lingua simulata,ab Achæo amasio interficitur.Vide tit.Eorum qui propriis inuentis seu consiliis perierunt,ex Parthenij Erot.cap.24.

ANTONIVS veste famuli(cùm fama esset Cæsarem in Hispania esse mortuum)noctu ad Fuluiam vxorem venit,dixitque se à M Antonio tabellarium missum esse.Illa rogat,an valeret Antonius:Ipse nihil. Cúmq; epistolam legeret(erat enim scripta amatoriè)protinus in collum inuadit.Cicero in Philip.

ALEXANDER III.pont.max.Venetias habitu fugiens, manus Federici subterfugit.

Rex Atheniensium CODRVS,cùm ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum confugit: pérque legatos sciscitatus est, quónam modo illud tam graue bellum discuti posset?Respōdit Deus:ita illi finem fore,si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem non solùm totis Atheniensium castris,sed etiam contrariis percrebuit. Eóque factū est,vt ediceretur,ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognouit,depositis insignibus imperij familiarem cultum induit:ac palantium hostium globo sese obiecit,vnúmque ex his falce percutiens, in cædem suam compulit.Cuius interitu,ne Athenę occiderent,effectum est. Val. lib.5.cap.6.

EVSEBIVS Samosatenus,episcopus orthodoxus,à Valente Imp.Ariano in Thraciam relegatus, assumpto militari habitu circumijt Syriam, Phœniciam & Palæstinam,Ecclesias confirmans,& Episcopos constituēs. Tandem sub Gratiano Samosatam rediit.Socrates lib.3.cap.25.

VESTITVS MVTATVS DIVERSI SEXVS.

VIRI QVI HABITVM MVLIEBREM *finxerunt.*

HERCVLEM,tot alioqui monstrorum domitorem, amor coegit, relicta(quæ virum decet) virtute,ad muliebres transire delicias, séque in puellam transformare,& fœminam mentiri, vt liberius cum Omphale regina Lydorum lasciuiret:qua etiam iubente fusos & lanas rudibus illis manibus(quibus portenta subegerat)attrectauit. Quod ei magno dat probro Deianyra apud Ouidium loquens:

Crassaque robusto deducis pollice fila,
Æquáque formosæ pensa rependis heræ.

Item apud Propertium sic loquitur:

Idem ego Sidonia feci seruilia palla
Officia,& Lyda pensa diurna colo:
Mollis & hirsutum cœpit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

Græcis ad expeditionem Troianam proficiscentibus,quum Thetis dea præuideret ACHILLEM filium ibidem interfectum iri,cum ex antro Chironis dormientem rapuit,& puellaribus tunicis indutum, præmonitúmque ne se masculum cuipiam proderet,inter filias Lycomedis regis occuluit.Quarum vnam Deidamiam grauidam fecit, Pyrrhúmque ex ea suscepit.Verùm quum Græci oraculo didicissent, Troiam sine Achille capi non posse,missus est Vlysses,vt Græcorum omnium astutissimus,ad explorandum rei veritatem: quoniam iam facti suspicio & rumor ferebatur.Vt ergo proderet Achillem,cistiferum se finxit: attulitq; mercatoris instar,fusos,acus,monilia,& cætera id genus, quæ puellā decēt,cum arcu & sagittis.Quū ergo Achilles relictis puellaribus instrumētis arcum intendisset, vires suas & sexum prodidit, & eo commento repertus est.Ouid.lib.1.de Arte:

Turpe nisi hoc matri precibus tribuisset Achilles,
Veste virum longa dissimulatus erat.

Statius libro quarto.

CLISTHENES malè audiit,& Comicorum laceratus est satyris,quòd parum vir haberetur, séque cultu indecoro in fœminam transfiguraret. Vnde adagia nata,Clisthenem video,Clisthene intemperantior.

Eadem nota inuritur CLEOCRITVS,quòd ad maiorem lasciuiam tunicis & vestibus fœminam mentiretur.

Omnium(quos eneruauit mollicies,& deliciæ corruperunt)principem locum,maiorémque apud posteros ignominiam meruit Assyriorum rex SARDANAPALVS:qui eò illecebrarum se demisit,vt relicta maiestate (qua princeps tanto debet excellere,quanto sublimior est cęteris)positis masculi sexus indumentis,mentitus sit fœminam,intérque puellas & eunuchos euiratior spadone delituerit.Quę fuit causa, vt ab Arbace præfecto, lasciuiam tam corruptam,peroso,ad incendium domus (in quam victus se receperat)& voluntariam mortem sit coactus.

EVCLIDES Megaricus,quum Socraticæ disciplinæ cupidissimus esset,neque tamē auderet Athenas ire(vbi profitebatur Socrates)quòd ca-

pitale foret, si quis Atheniensium Megaris, aut Megarensium Athenis, propter mutuum vtriusque vrbis odium, deprehenderetur: muliebri veste indutus ad audiendum philosophum sub ipsam noctem itabat, ac demum ipso auroræ diluculo reuertebatur. Gellius cap.10.lib.6.

THEOPOMPVS rex Spartanorum captus, & permutato cum vxore habitu, ex custodia venit vt mulier. Quintilianus lib.2.

Dinocrates Messenius in conuiuio temulentus, muliebri habitu choreas duxisse dicitur. Volat.lib.15.Anthrop.

NARVALIS iuxta Sueuos præsidebat pontifex, qui muliebri ornatu semper ingrediebatur. Alex.ab Alex.lib.2.cap.8.

Apud COOS sacerdos muliebri veste amictus, & mitra caput ornatus, Herculi sacrum faciebat. Ibidem.

In ATTIDE viri ornatu muliebri, mulieres verò virili, Veneri rem diuinam faciebant. Ibidem.

P. CLODIVS, inimicus Ciceronis, vt omnibus vitiis inuolutus, ita quoque mœchus nouissimus fuit. Ille vt suo furori atque libidini satisfaceret, indutus vestimentis muliebribus, sacris bonę deę interfuit: & Pompeiam, Q. Pompeij filiam, Syllæ neptem, ac Cæsaris vxorem, corrupit. Testis est oratio Ciceronis pro Milone, & Asconius Pedianus.

Athenodorus Augusti Cæsaris amicus, cùm admonere ipsum vellet, vt ab insidiatoribus sibi caueret, muliebri ornatu in cubiculum Cæsaris, in lectica pro muliere vectus est. Cùm ad eum Cæsar accessisset, tenens pugionem Athenodorus in manu, de lectica desiluit, atque Cæsarem in hæc verba increpauit: Annon times Cæsar, ne te aliquis eodem modo ingressus, interficiat? Cui Augustus non iratus fuit, sed ingentes gratias etiam egit. Dion in Augusto.

Cephaleniæ regnum gessit filius Pronesi, homo summæ inclementiæ, qui non vltra duo festa suis cōcessit, neque plus decem in mense diebus in vrbe conuiuium agitare, omnésque virgines ante connubium ipse cognouit. Eum ANTENOR, arrepto ense, muliebribúsque vestimentis amictus, in lecto trucidauit. Quem ob eam causam populus summis honoribus ornauit, atque ducem elegit: & puella, cuius nomine ipse fuerat ingressus, ad magnam gloriam dignitatémque peruenit. Heraclides.

MVLIERES QVÆ VIRILEM HABItum sumpserunt.

EVPHROSYNA apud Alexandriam virgo nobilis, nuptias fugiens, in quoddam cœnobium, vbi pater degebat, aufugit, ignota habitu virili, in quo sub nomine Smaragdi perseuerauit vsque ad extremum, annos videlicet XXXVI. & in morte patri se manifestauit. Volaterranus lib.15. Anthrop.

THEODORA virgo Antiochena, & martyr, in patria sub Diocletiano ad lupanar ducta, cum milite quodam pio, qui prius ad stuprum putabatur ingressus, amictum mutauit: ille pro virgine remansit, illa pro milite discessit. Qui úmque alter item ad stuprum ingressus virum pro virgine inuenisset, credita magicis hoc carminib. facere, capite miles damnatur. At tum illa accurrens, sese ostendit, vt illum seruaret. Vterque igitur cæsus. Ambrosius lib.2.de Virginibus.

MARINA virgo, natione Græca, sexum quoque dissimulauit, honesta de causa, vt admitteretur in cœnobium quoddam, in quo soli viri recipiebantur, vbi ad mortem vsque sanctissimè vixit nomine Marini. Volateran.lib.17.

Eugenia filia cuiusdam Philippi, inter Romanos potentissimi, virum mentita est in cœnobio, quo se inclusit, vt Domino commodius seruiret. Marul.lib.1.cap.7.

Pelagia mulier fuit Antiochena, voluptatibus & illecebris primùm deditissima: vt quæ nulli rei attentius vacaret, quàm corpori comādo. Tandem tamen meliore ducta spiritu, vbi aspernari cępit, quod pridem amabat maximè, virum se finxit. Et ne rediuiuus aliquis pristinæ vanitatis fomes denuò repullularet, relictis hominum colloquiis, secessit in solitarias nemorum latebras, vbi ad mortem perseuerauit constantissimè.

Dicæarchus apud Cælium testis est, LASTHENIAM, MANTINEAM, & AXIOTHEAM PHLIASIAM, Platone vsas pręceptore, & ornatu virili auditorium nonnunquam intrasse.

SEMIRAMIS Assiriorum regina, cùm certò intelligeret graue esse populo fœminam pati principātem, mortuo marito virum mentita est: vt tantisper imperaret, dum filius Ninus adolesceret, regnóque fieret idoneus. Iustinus lib.1. Diord.lib.3. Sabel.lib.1.En.1.Rhaps.

BERENICE (quam Græci Pherenicem appellant) filia, mater & soror Olympionicarum, vt ait Plinius, habitu virili ludis interfuit. Pausanias, Ælianus de Varia hist. & Val.

In Attide viri ornatu muliebri, mulieres verò virili, Veneri rem diuinam faciebant. Alex.ab Alex.lib.2.cap.14.

PHOCIONIS vxor vestem mariti gestabat, neque opus habebat vel croco, vel taratino, vel anabola, vel encyclio, peplo, vel tinctis coloratis tunicis. Ælianus lib.7.de Varia historia.

Hypsicratea Mithridatis regis vxor, Persico virili habitu induta, tonsis capillis, victum à Gn. Pompeio Mithridatem per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est. Boccatius cap.76.de Mulieribus claris, & Volat.lib.17.Anthrop.

Leucippus muliebrem habitum mentitus. Vide sub tit. Castitatis, Daphnes exemplum, ex Parthenij Eroticis cap.15.

IOANNES Anglicus, pontifex, vir nomine videbatur, sexu tamen fœmina fuit: cuius inaudita temeritas orbi notissima est. Sunt qui dicant, Gilibertam nominatam virginem, eámque à scholastico iuuene adamatā quæ virum simulans, in Papam electa est: móxque clàm grauida facta, cū pręter spem propinquior esset termino, ex Ianiculi amburbiale sacrum celebrans, enixa publicè, & in omnium conspectu peperit. Volat. in Vitis pontificum. Sigebertus in Chronicis: & omnium copiosissimè Boccatius de Claris mulieribus, capite 99.

VIGILIÆ DEDITI. VIGILANTES.

Vigilantiam hoc in loco intelligimus, quatenus corporis accidens est, vigilias posse sustinere: absque manifesta corporis læsione. Nam vigiliæ præter naturam, morborum sunt symptomata, nec præsentis sunt instituti. Exempla plurima pete ex tit. Studij in exercitatione literaria mechanica.

Traditum est, in ea eremo, cui Euagrius abbas præfuit, fuisse monachos, qui sedendo somnum caperent, non iacendo, magis repugnantes sopori quàm dormientes. Hi profectò iure suo dicere poterant: Omnes nos filij lucis & filij diei sumus, non noctis neque tenebrarum: igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. Marul. lib.1. cap.10. & Sab.lib.2.cap.3.

Honophrio neque tectum vllum, neque certus quietis locus fuit. Ibi somnus erat, vbi per desertum vaganti nox occurrisset. Sed & ipsa quoque nox peruigilio magis quàm dormitione peragebatur, vt illud seruaret à propheta dictum, In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Ibidem.

ARSENIVS tam breui quidem somno naturæ satisfecit, vt etiam dicere solitus sit, Monacho satis esse, si horam vnam dormierit. Surrepenti somno obnixè repugnans, illum improbum seruum appellabat, quoniam non vocatus sese ei ingereret, & inuitum traheret ad quiescendum. Sabbatis omnibus hoc diligentissimè obseruauit, vt cum occidente sole orare cœpisset, non nisi exoriente cessaret. Itaque semper sic cum somno pugnauit, vt sabbatorum noctibus nihil ei cederet: aliis tam parum, vt etiam naturam vicisse videretur. Ibidem.

Non mediocre ordinis Prædicatorum ornamentum Vincentius, diem penè totum sermonibus ad populum faciendis, noctem multam obsecrationibus, lectionibúsque, partem eius minimam somno dicitur impendisse. Cubitasse autem, cùm durius, sarmentis substratis: cùm mollius, paleis: cùm honestius, sacco. Marul.lib.1.cap.10. & Sab. lib.2 cap 3. qui Innocentium vocat.

Petrus eiusdem & ordinis & sanctitatis vir, dum etiam ipse interdiu prędicando excubat, & noctu deprecando, psallendo, legendóque vigilat, ad martyrij vsque palmam peruenit: & quia per omnia sanctorū apostolorum vitam expresserat, ad eorum prouectus est & gloriam. Ibidem.

BERNHARDINVS de collegio Minorum, etiam antequam religionem profiteretur, religiosi uitam vixit. Quódque ad rem pertinet, tunc quoque ad offerendum Deo laudis sacrificium noctu consurgens, ne quiete occuparetur, contemptis lecti stratis, super pauimento vestitus iacere cōsueuerat. Cùm hoc vigiliarum præludio ad monasterium venit: tanto deinde minus somno concessurus, quanto perfectius viuendi subibat institutum. Et quoniam sacris initiatus omni sanctitatis genere pręcelluit, etiam vigilantissimum fuisse nemo dubitat. Quod ergo noctu didicerat vigilando, hoc die alios docuit prædicando. Multósque qui peccatorum oppressi veterno, in morte dormiebant, excitauit, in salutem. Dederat enim Dominus verbum euangelizanti, dederat voci illius vocē virtutis. Nisi somni semper parcissimus fuisset, nunquam tantum in Dei seruitio profecisset. Marul.lib.1.cap.10. & Sab.lib.2.cap.3.

Bernhardus abbas præcipuus, vigiliarum obseruator, dum ad eas capessendas alios hortatur, dicere solebat: Dormientem monachum Deo mortuum esse, nec sibi nec vlli vtilem. Huic sententiæ si contrariam apponere voluerimus, dicendum erit: Vigilantem monachum Deo viuere, necnon & sibi & aliis vsui esse. Iam ex hac oppositæ inter se diuersitatis comparatione nemo ignorare poterit, nisi qui animo magis quàm oculis dormitauerit, quantum vigilia sopori pręstet: quantū hęc iuuet, quantum ille officiat: quàm altera appetenda, alter fugiendus sit. Iidem.

Idem quoque cōuersationis eorum, quibus præerat, non segnis speculator, si quem ex fratribus aliquando stertentem persensisset, parum religiosè illum dormire aiebat, modum modestiámque ab eis exigens, sicuti cæteris in rebus, ita etiam in dormiendo. Quòd si breuis etiam somni ronchus viris religiosis vitio datur, quomodo non dabitur nimia dormitio? Cui quantumcunque temporis indultum fuerit, tantum à spiritalium actionum exercitatione computabitur cessatum. Scriptum autem est: Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua. Ibidem.

Legimus in MONASTERIO illo Thebaidis, in quo Euphraxia virgo summis effulsit virtutibus, moris fuisse, in terra cilino stragulo tecta cubitare: ac quoties aliqua sororum minus pudici somnij præstigiis ludificatam se cognouisset, abbatissæ confiteri, & quantum visa displicerent,

cinere stratis insperso testari. Quis igitur dubitat, quin iis quę somnia tum crimen vt commissum dolebant, dormitio ipsa multoplus solicitudinis attulerit, quàm quietis? semper verentibus, ne quam eiusmodi somniorum speciem menti obuersari contingat. Præter hæc autem Euphraxia cùm quicquam tale per quietem passa fuisset, biduanis triduanísque ieiuniis sese macerabat, vt in cinere iacens, etiam cōtra obdormiuisset, cibos potius quàm abominationes somniaret. Ibidem.

IOVEM vigilantem facit Iliad. 2. Homerus:

ἄλλοι μὲν θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
εὗδον παννύχιοι, Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος,
ἀλλ' ὅγε μερμήριζε κατὰ φρένας. Id est:
Tum reliquos omnes diuósque hominésque tenebat
Pernox somnus: at insomnis Saturnius vnus,
Pectore sollicito voluebat.---

AGAMEMNONEM, cæteris dormientibus, solum vigilantem facit Homerus Iliados κ. his verbis:

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ,
ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχε γλυκερός, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα. Id est:
At reliqui Danaum proceres noctem vsque per omnem
Dormibant, placido correpti membra sopore.
At non Atridem pastorem Agamemnona plebis,
Somnus habet dulcis, versantem pectore multa.

ENDYMIONIS in Latmo pernox cura, poetarum fabulis adumbrata fuit, Sab.lib.2.cap.3.

ÆNEAM suum Vergilius aliis dormientibus aut vigilantem facit, aut excitat, fingitque cogitabundum & sobrium, & de futuris agitantem animo. Roterodamus in prouerb. Non decet principem solidam dormire noctem.

EPAMINONDAS dux Thebanus, cùm Thebani ciues festis quibusdam diebus solutius compotationibus indulgerent, licentiúsque voluptatibus fruerētur, ille solus vigil ac sobrius arma lustrabat, & vrbis mœnia perlustrabat. Rogatus verò cur id faceret? Respondit, se νήφειν καὶ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῇ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθεύδειν. id est, Sobriū esse se ac vigilare, quò reliquis liceret temulentos esse, ac dormire: quemadmodū refert Plutarchus in libello aduersus ducem imperitum.

Tantum abfuit vt ARISTOTELES, excellenti vir ingenio, somno & quieti indulserit, vt nocturnis lucubrationibus ænea pila vsus dicatur, cui altera manu compressa labrum subiiciebat, vt si longa vigilia fatigatus obdormisset, strepitu cadentis pilæ expergisceretur. Pulchrum hoc & conducibile, quia disciplinarum studiis datum: sed multo id pulchrius, & ad salutem aptius, si peruigilium illud sibi cœlestium rerum meditatio vendicasset. Sab.lib.2.cap.3.

PERSARVM rex hunc habuit morem per omnem vitam, vt nunquā satis, prout potuisset, dormiret. Semper enim habuit cubicularium quempiam, cui hoc muneris erat mandatum, vt manè regium thalamū ingressus, his verbis illum expergefaceret ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μεσορομάσδης ἠθέλησε: Id est, Surge rex, ac negocia curato, quæ te Mesoromasdes curare iussit. Plutarch. in libello aduersus ducem imperitum.

Maiori AFRICANO non tam pietas curæ fuit, quàm ciuium de se opinio, cùm antelucanis horis adolescens Capitolium ascendebat, assidebátque solus Ioui, vel verius dæmoni, futuras hostium strages & excidiū Carthaginis animo versans. Sab.lib.2.cap.3.

POMPONIVS Lætus Procellius laboris studiosissimus fuit, noctibus enim totis vigilabat, libros ipsemet scriptitādo. Volat.lib.21. Anthr.

SOMNO DEDITI.

MAXIMIANVS, MALCHVS, MARTINIANVS, DIONYSIVS, IOHANNES, SERAPION & CONSTANTINVS, septem dormiētes (vt vulgo vocant) socij apud Ephesum Decij infestationem in vicinum montem Cælium fugientes, ac sub cauerna quadam latitantes, quanquā diligenter quæsiti, nunquam inuenti sunt. Demum martyrium ferre amati, post cibum Dei prouidentia sopiri, vsque ad annum XXX Theodosij Iunioris, annis CXCVI dormiuerūt. Eo tandem tempore die Resurrectionis excitati, tanquam hesterna die obdormiuissent ad vrbem (vti solebāt) accesserunt: vbi rem prodidit noui hominum habitus, sermo, & nummi aliter signati. Volat.lib.19. Anth. Sigisbertus in Chronicis, anno post natū Christum 447 factum affirmat.

Poetæ fabulantur, ENDYMIONEM beneficio Lunæ (à qua adamabatur) impetrasse, vt perpetuum dormiret somnū immortalis, & expers senij. Hinc adagium natum, Endymionis somnum dormire: in homines somnolentos & desides. Cicero lib.1 Quæst. Tuscul. & Plin.libr.7 cap.52. Endymion verò (si fabulas audire volumus) quando in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondum, opinor, est experrectus.

SMYNDIRIDES Sybarita dicebat, se nec orientem vidisse solem, nec occidentem, annis plus minus viginti: quòd etiam de se prædicabat Ponticus HISTIEVS.

EPIMENIDES Cretensis, tempore Pythagoræ, missus à patre Argisarcho in agrum, ad custodiendum pecus, in quodam antro obdormiuit LXXV annos. Experrectus verò cùm videret omnia mutata, domū reuertens, à fratre omnia didicit. Apuleius libro 2 Floridorum: Laert. libro 1. cap.11. Vixit annos CL. dormiuit quinquaginta, vt vult Sab. libro septimo, cap.4.

SCIPIO somno nimium deditus fuisse traditur, adeò quidem, vt pop. Romanus somnolentiam ei exprobrarit. Plut. in Polit.

SOMNVS MERIDIANVS.

PHILIPPVS quum interdiu dormiret, Græcique ad fores conuenientes criminarentur illum: Nolite admirari, Parmenio inquit, si nunc Philippus dormit: nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat. Bruson.li. 6.cap.8.ex Plutarcho.

PROCI Penelopes ab Homero luxuriosissimi introducuntur. Inter cætera somno quoque meridiano indulgent. Hoc enim innuere videtur poeta, Odysseæ α quando inquit:

μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα,
πάντες δ' ἠρήσαντο παραὶ λεχέεσσι κλιθῆναι.

SOMNIA.

Insomnia somni sunt accidentia. Ouidius lib. 11. Metamorph. somni ministros facit tres numero, quorum vnus Morpheus homines imitatur, Icelus siue Phobetor bruta, tertius Phantasus ea quæ anima carent exprimit. Exempla horum ex Artemidoro pete: prætereа etiam ex loco Præsagiorum per insomnia.

In monasterio THEBAIDIS, in quo Euphraxia virgo effulsit, moris fuit: vt quoties aliqua sororum minus pudica somnia habuisset, abbatissæ confiteretur, & cinere stratis insperso pœnitentiam ageret. Marulus libr. 1.cap.10.

Plutarchus in libro de Oraculis scribit, CLEONEM ex Daulia multos quibus vixerat annos, nulla vnquā insomnia vidisse. Quod & Thrasymedi contigit.

ATLANTES, Africæ populi, nulla insomnia vident. Herod.lib.4.

DE STRATO, SIVE CVBANDI MODO, TAM DVRO, quàm delicato.

IACOB patriarcha recedens à parentibus suis, & inuisere volens socerum suum Laban, in itinere quiescēs, post solis occubitum, lapides sup posuit capiti suo, & dormiuit. Genes.28.

Beatus HIERONYMVS ad Eustochium virginem scribens, dum quibus in eremo corporis fatigationibus contra vrbanarum voluptatum cogitationem contenderit, enarrat, de ipsa etiam cubandi austeritate mentionem faciens: Si quando, inquit, repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Et quisquam securū se arbitrabitur, si vel in stratis paleis, vel vili tomento cūbitauerit, vel puluinum quàm compellit necessitas quieti indulserit? Non potest resistere diabolo, qui facilè superatur à somno. Marul.libro primo, cap. decimo.

MARTINVS Turonensis episcopus (sicuti de illo Eusebius ad Seuerum scribens testatus est) substrato humi cilicio cubans, frangebat somni molliciem lectuli rigore. Itaque nunquam tam altè consopitus est, vt sentire non posset furem illum, qui perfosso pariete pedetentim ingrediens, expilat stertentium domos. Diabolus enim semper vigilat, vt eos qui non vigilat perdat, perimat & mactet. Ibidem.

IDEM sanctissimus præsul, cùm in monasterio quodam suæ diœcesis reuerenter susceptus, hora quiescendi cellam ingrederetur, cubiculo paulo apparatius instructo offensus, stragula paleásque euertit: & in nudis tabulis (sicuti vestitus erat) sese collocauit, iámque delibutis leni sopore membris quiescebat, cùm stramenta quæ eiecerat, igni succēsa iacentem excitarunt. Illico exurgens ac trepidans, cùm cellæ exitum,

per quem effugeret, fumo omnia inuoluente, non inueniſſet, ad orationem ſe vertit. Mox flammæ vis illa omnis extincta, fumúſque conſumptus illæſum reliquerunt. Et impletum eſt in eo illud Prophetæ dictum, Probaſti cor meum Domine, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & nõ eſt inuenta in me iniquitas. Potuit quidem illi quieſcenti turbare ſomnũ repentinus ardor, nocere non potuit. Quoniam qui ſic dormiunt, Dominus pro eis vigilat. Ibidem.

PASTVMIO quamdiu in eremo moratus eſt, nudum, atque interdũ ſpartis ex induſtria ſcrupulis aſperatum ſolum lectus fuit. Quid hoc eſt, niſi nolle vnquam ita reſoluto corpore obdormiſcere, vt mens ad Deum non vigilet? Hinc ſanè & Eſaias propheta ſemper cum Deo eſſe anhelãs, ait: Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Marul. ibidem. & Sab. libro 2. cap. 2.

Beatum HILARIONEM *Hieronymus* refert, ſuper nuda humo, ſtratúque iunceo, vſque ad mortem cubitaſſe. Sciebat enim, eos qui exquiſitioribus culcitris per luxum vtuntur, prophetæ verbis deuoueri, dum ait: Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. Ibidem.

Germanus Antiſiodorenſis epiſcopus, lectulum ſuum cilicio ſaccóque & cinere ſtrauit, vt non lectum, ſed luctum, & doloris potius quàm quietis locum diceres. Inſuper ipſe quoque (vt in vita eius ſcriptum legitur) ſic iacens, identidem ſuſpirare ingemiſceréque audiebatur, ita vt cùm parumper iacuiſſet (ad nocturnas enim ceremonias celebrandas primus exurgebat) multo minus dormiſſe putaretur quàm iacuerat. O te fęlicem Germane, qui in cinere dormiẽs, in vitam euigilaſti ſempiternam, aſcendens ad illud Chriſti beatorúmque omnium immenſum, inæſtimabile, cœleſte, diuinúmque contubernium. Quàm exigui *temporis* labor, quàm ingentis iucunditatis tibi peperit quietem? Ibidem.

PAVLA illa Romana, quæ ſummam generis nobilitatem ſuperauit vitæ ſanctitate, in grauiſſima etiam febre (vt Hieronymus inquit) mollia lectuli ſtrata non habuit, ſed ſuper duriſſimam humum in ſtragulis cilicinis quieſcebat (ſi tamen illa quies dicenda eſt) quæ iugibus penè orationibus dies noctéſque iungebat, illud implens de Pſalterio: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Ibidem.

Idem auctor ASELLÆ virginis ſanctitatem efferens laudibus, ait: Vnius cellulæ clauſę anguſtiis, latitudine paradiſi fruebatur: idem terræ ſolum & orationis locus extitit, & quietis. Ibidem.

OTHILIÆ virgini, quamuis monaſterij in quodam Bauariæ monte ſibi præpoſita eſſet, pro ſtragulo vrſina pellis, pro puluillo ſaxum erat. Solebat enim vt in cæteris religioſæ conuerſationis laboribus, ita & hac in parte grauius onus ſibiipſi quàm aliis quibus præerat virginibus imponere. Super vrſi autem pelle cubãs, magíſque vigiliç quàm ſomno indulgens, cõculcauit vrſum illum, quem Dauid typum gerens Chriſti ſcribitur interfeciſſe: & de quo per Hieremiam dicitur, Vrſus inſidians factus eſt mihi. Lapidem verò capiti ſupponens, placuit lapidi illi qui factus eſt in caput anguli, qui fecit vtraque vnum: cui nunc inſeparabiliter iuncta, & ipſum quocunque ierit ſequens, concinit canticum nouum, quod in *Apocalypſi nemo poteſt dicere niſi fuerit virgo.* Virginitas autem ipſa in tantis quidem verſatur periculis, vt ne quando corrumpatur cuſtodiri à vigilantibus raro poteſt, à ſomnolentibus nunquam. Marullus lib. 1. cap. 10. & Sab. lib. 2. cap. 3.

ATALANTA, virgo pudiciſſima, omne hominum conſortium fugiẽs: ſyluis mõtibus & ſolitudine delectata, continuis venationibus operã dedit. Stratis autem lectóque vtebatur ferinis pellibus, cibo beſtiarum carnibus, potione aqua: veſtitu tenui, incultóque, & eiuſmodi qui non abhorreret à Diana, amiciebatur. Ælian. lib. 13. de Var. hiſt.

Quid Sinopæo illo DIOGENE, aut cultu neglectius, aut victu deſpicacius, aut cubatu durius, habuit vnquam vita hominum? Pallio duntaxat vno vſus eſt, cæterà nudus, oleribus & pane contentus: humi iacens ſomnum capiebat, aut cùm mollius, in dolio: deditque hæc ille non pietati, ſed naturæ, ad quam omnia referebat: quicquid illa poſceret, ius fáſque eſſe ratus. Sab. lib. 2. cap. 3.

SMINDIRIDES Sybarita adeò in luxuriam molliciemque prolapſus eſt, vt cùm omnes Sybaritæ deliciis vacarent, vitáque diffluerẽt, hic omnes longè poſt tergum relinqueret. Proinde quodam tempore in roſarum foliis recumbens, ſomnúmque in iis capiens, expergefactus dixit, Se tubera ex nimia lecti duricie inflicta habere. Ælian. lib. 9. de Var. hiſt.

Cubabat humi Barchinus HANNIBAL, adoleſcens adhuc, inter ſtationes militum, quanquam imperatoris filius, militari ſagulo coopertus. Verùm durior ille cubatus non ad pietatem, ſed ad futuram feritatem: non ad continentiam, ſed ſæuitiam ſpectabat, non pietas illi curæ eſſe, ſed immanitas: vt ſatius fuerit ei dormire, quàm per hæc bellum & ſibi & patriæ calamitoſum meditari. Sab. lib. 2. cap. 3.

M. CATO, vir illuſtris, pellibus hœdinis pro ſtragulis eſt vſus, trium ſeruorum comitatu contentus. Platina lib. 2. de Opt. ciue.

M. ÆLIVS Aur. Antoninus philoſophus, annos duodecim habitu *philoſophi in pallio* vixit, ac humi cubitauit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Ioannes Andreæ Iuriſperitus, per viginti annos pelle tectus vrſina, citra lecti delicias, noctibus cubabat, frequentibúſque vigiliis ſeipſum macerabat. Volat. lib. 21. Anthrop.

BARBATI ET COMATI.

SPARTANI licet patrio more barbam ad cutem raderent, Lycurgus tamen eorum milites promiſſo capillo & comatos eſſe voluit, aut vt venuſtiores, aut vt viſu terribiliores eſſent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18. ex Xenophonte de Repub. Lac. & Stob. ſerm. 42.

HOMERVS paſſim Gręcos vocat καρηκομόωντας, id eſt cæſarie inſignes,

Pedaſij qui mediterraneam ſupra Halicarnaſſum incolunt, aliique vicini, maximam diligentiam adhibent, vt eorum ſacerdos Palladi ſacram barbam habeat. Id quod ter illis accidiſſe putatur. Herod. lib. 1.

AVSES Africæ populi, anteriorem capitis partem crinitam geſtant. Herod. lib. 4.

Ægyptij omnes capillos nutriunt, barbam tamen tondent. Rauiſ.

Circa maritima Africæ, occaſum verſus, MACÆ populi ſummum capitis verticẽ radunt, in medio capillos creſcere ſinentes, hinc atque hinc in orbem tondentes. Herod. lib. 4.

MAXYES Africæ populi, dextram capitis partem comatam geſtant, ſiniſtram radunt, corpus minio tingunt: aſſerentes, ſe à Troianis eſſe ortundos. Herod. lib. 4.

Colunt Ægyptum verſus, Pœnorum primi ADYRMACHIDÆ, qui eiſdem ferè, quibus Ægyptij, moribus vtuntur. Veſtem geſtant qualem & alij Pœni, vxores eorum in vtroque crure armillam æream. Eædem capitis comam alunt, quarum quæque ſuos (quos capit) pedũculos prę mordet, atque ita abiicit. Herod. lib. 4.

LYCII comam barbámque alere tanti fecerunt, vt ne crines tonderent, æra pœnæ *nomine* Mauſolo regi Cariæ ſoluere non dubitarent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

INDI capillum pectunt ſæpius quàm tondent, barba ſemper intonſa. Ibid.

Scythas & Parthos, quo maiorem terrorem hoſtibus incutiant, hirſutis barbis & crinibus fuiſſe legimus. Ibidem.

Thraces quidam à re Acrocomæ vocati, antias in frontem muliebriter demittunt. Cælius lib. 4. cap. 23.

EVBOICI comam per tergum fuſam alunt, atque ideo Opiſthocomæ vocantur. Idem.

Agathyrſi Scitis vicini, capillos habent cæruleos, quos vnà cum toto corpore diuerſis coloribus inficiunt. Rauiſius.

ÆTHIOPES tortos habent crines Orientales quidem planiores, Africani verò criſpiſſimos.

Machyles populi Africæ, comam in occipitio nutriunt, capillóſque decutiunt in ſiniſtra parte. Minio linunt corpora, ſéque à Troianis *prognatos* fabulantur. Herod. lib. 4.

CVRETES inſtar mollium puellarum comam fouebant, nec ſuccidebant.

SICAMBRI Germaniæ populi, ad vtranque Rheni ripam habitãtes, flauos habent capillos, quos vbi ſatis creuerunt, quodam artificio in nodum complicant. Martialis lib. 1.

Crinibus in nodum tortis venère Sicambri.

HISPANI quondam oblectabantur capillorum longitudine. Vnde Martial.

Hiſpanis ego contumax capillis.

Crinem ſibi ſine vllo artifice formoſi quatiebant, non aliter quàm iubam generoſa animalia.

SVEVI Germaniæ populi ſolebant obliquare crinem, nodóque ſubſtringere. Principes habebant ornatiorem capillum, quàm plebeij. Rauiſ.

DEMONAX *percontanti, quàm philoſophiæ* ſectam potiſſimùm amplecteretur? Quis, inquit, tibi indicauit me eſſe philoſophum? Móxque vehementer ſecum ridens, abiit. Interrogatus quid rideret? Annón magnopere ridiculum, inquit, ſi tu me ex barba iudicas philoſophum, ipſe barbam non habens? Eraſ. lib. 8. Apoph.

Dionyſij quæſtor, nomine Simus, natione Phryx, oſtendit ARISTIPPO ſuas ædes vndiquaque ſplendidas, etiam pauimento precioſis teſſellis conſtrato. Itaque omnibus circumſpectis, Ariſtippus ſputum oris reiecit in barbam Simi: & ob id indignanti, hoc colore ſe excuſauit, quòd in tota domo nihil videret ad excipiendum oris recrementum opportunius. Innuens, in tota domo nihil eſſe fœdius, aut immundius, barbati facie: quum eam hominis partem oportuerit eſſe mundiſſimam. Quanquã hoc dictum magis quadrat in Cynicum aliquem, quàm in Ariſtippum, vtcunque illi aſcribatur. Laertius lib. 2. cap. 8.

Hadrianus imperator, primus ex Cæſaribus promiſſa barba inceſſit, & capillo. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

VITOLDVS Lituaniæ dux, adeò differentem moribus & habitu à ſuis popularibus ſeſe præbuit, vt illos tonderi edicto iuſſerit, ſibi tanquã maieſtatis inſigne barbam intonſam retinuerit: at quum id non ſuccederet, caput ipſe genáſque raſit: capitalem pœnam in eos comminatus, qui ſuo exemplo barbam aut comam deponerent. Hic dicere ſolebat, Plebem legi, legem autem principi ſubiectam eſſe oportere. Tyrãnica ſanè vox. Magiſtratus enim, quum legum cuſtos ſit, primùm imperatis parẽre decet, vt ſubditi habeant exemplum quod honeſtè intueantur, & ad legum obſeruationem incitentur. Æneas Syl. lib. 4. Commentariorum in res geſtas Alphonſi.

HIERONYMVS Rhætus, Academiæ Baſilienſis olim profeſſor, interrogatus cur tam canam aleret barbam, támque promiſſam? reſpondit: Promiſſam alo, vt memor ſim me virum eſſe, non fœminam: canam autẽ, vt intelligam me ſenem eſſe, & iuueniles *mores* abiiciam. Lycoſthenes in Apophtheg.

CAPIL-

CAPILLI VEL BARBA DETONSA. TONdendi varij ritus.

RASVRA olim varia erat. Videtur autem diuidi poſſe tum ratione capitis quod radebatur, tum ratione inſtrumenti. Caput enim vel totum radebatur, & hæc κουρὰ ἐν χρῷ, id eſt vſque ad cutim dicebatur, ſiue nouacula fiat (vt hodie Turcæ & baiuli apud Venetos) ſiue forfice. Vel radebatur pars tantùm. Et ſic rurſus vel dicebatur σκάφιον, vel κῆπος. σκάφιον ſimilitudine ducta à ſcapha, in rotundum tondebantur per capitis ambitum, vti hodie apud nos ruſtici. Vertex erat comatum, at nulla cęſaries promiſſa, ſed *ceruix nuda erat: itaque nullo alio cultu egebat tonſura iſta.* κῆπος verò, id eſt hortus, cæſariem habebat promiſſam vſq; in humeros, & cincinnis ornabatur, facies ſola libera erat. Cùm itaque aſſiduo cultu egeret ne cincinni turbarentur, & cæſaries implicaretur, κῆπος fuit dicta. Iam verò ſi reſpiciamus inſtrumentum, raſura vel fiebat nouacula, ξυρῷ, & hæc ξύρησις propriè dici videtur: vel διὰ ψαλίδων ἢ διπλῆς μαχαίρας, forficibus: & hæc fortaſſis κουρὰ propriè dicitur.

THESEVS, cùm ex ephebis exceſſiſſet, Delphos profectus, more priſco, crinem Deo conſecrauit, & ſynciput tãtum totondit: quod de Abantibus Homerus ſcribit, id tonſuræ genus Theſeis propter ipſum nuncupatum fuit. Plutarch. in Theſeo.

IDEM in pugnis anteriores capitis crines abradere ſolebat, præparans ſe, ne quis eum apprehendere ac tenere poſſet. Poſt Theſeum ab omnibus Græcis ea radendi conſuetudo ſeruata eſt, quam raſuram Theſeidem appellabant. Imitantur hanc raſuram præ cæteris Græcis Abantes. Quod etiam Homerus teſtatur:

τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες.

Polyænus libro primo.

MAXYES Aphricæ populi, dextram capitis partem comatam geſtãt, ſiniſtram verò tondent. Herod. lib. 4.

MACHLYES Afri, occiput crinitum geſtant, tonſa anteriori parte. Herodotus libro quarto.

AVSES (vel vt Strabo vult, Anaſes) anteriorem partem crinitam habent, occiput verò tonſum. Idem.

MACÆ ſummum capitis verticem radunt, in medio capillos creſcere ſinentes, hinc atque hinc in orbem.

SABINORVM ſacerdotes æneo cultro tonderi ſolebant.

CVRETAS ferunt & Ætolos pariter, cum barbati, & à fronte capillati eſſent, & crinibus ab hoſtibus raperentur: frontem abraſiſſe cum barba, & occipite cæſariem tantum nutriſſe. Alex. lib. 5. cap. 18.

ARABES quemadmodum Dionyſium, ita puellarum capillum tondere aiunt. Tondentur autem in rotundum, tempora ſubradentes. Herodotus libro tertio.

IIDEM barbam abradunt, præterquam in ſuperiore labro. Rauiſius.

ÆGYPTIORVM ſacerdotes tertio quoque die totum corpus radũt, ne quid eis inter deorum cultum vel pediculi vel alterius ſordis creetur. Herodotus libro ſecundo.

Apud Indos comam tonderi iuſſu regis, maximi ſupplicij loco habebatur. Vide tit. *Supplicia varia.*

ARGIVI, cùm barbati crinitíque antea eſſent, victi à Lacedæmoniis, amiſſis Tyriis, deplorandæ calamitatis cauſa, capillos omnes totonderunt, vouentes ſe non reſumpturos, niſi Tyrias *recepiſſent.*

SYBARI à Crotoniatis direpta, omnes Mileſij capita barbáſque deraſerunt, & ingentem luctum ediderunt. Ibidem.

Apud Athenienſes vetus fuit conſuetudo, vt qui ex ephebis exceſſiſſent, Delphos profecti de comis deo primitias darent, anteriorem capitis partem abradendo. Plutarch. in vita Theſei.

ALEXANDER Magnus, Macedonum barbas radi ſuadebat ne pugnaturi cominus, barbis ab hoſtibus apprehenderentur. Plutarchus & Eraſ. lib. 4. Apoph. Alex. ab Alex. libro quinto, capite decimooctauo. Eius ætate primus Corſes barbam raſiſſe dicitur. Rauiſius.

DIONYSIVS, cùm *nulli* tonſori crederet, ipſe ſibi candentibus iuglandium putaminibus barbam adurebat.

P. TICINIVS Mena anno ab Vrbe condita 454. primus tonſores Romam è Sicilia adduxit: & *inde vt iuuenes raſitarẽt* barbam, capillúmque tonderent, inſtitutum manſit, Plin. lib. 7. cap. 59. ex Varrone.

Barbam quotidie raſitandi, togatorum primus morem Aphricanus induxit, cùm intonſa olim eſſet Romana ciuitas. Retulit conſuetudinem hanc Aphricani omnium ſtudioſiſſimè Cæſar Auguſtus, cunctorum alioqui principum, qui Romæ rerum potiti ſunt, laudatiſſimus. Sab. lib. ſexto, capite ſecundo ex Plin. lib. 7. cap. 59.

Tranquillus in vita C. Caligulæ, de eius inuidia contra omnes ſcribens, cum ait pulchros & comatos, quoties ei occurrerent, occipitio raſo ſolitum deturpare.

Commodus Imperator, & Alexander Phereus, malorum conſcij, nullum tonſorem admiſerunt, qui barbas raderet, ne forſan ab eo interficerentur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Apud Germanos Cattóſque nefas fuit barbam capillúmue tondere, niſi quis ex acie hoſtis caput retuliſſet. Ibidem.

TVRCI à Caſpiis portis erumpentes, Armeniámque infeſtantes, cùm peſtilentia fuiſſet grauiſſima, ſuaſu Chriſtianorum *in modum crucis* ſe totonderunt: & quia per hoc ſignum ſalus patriæ reddita eſt, hunc tondendi ritum tenuerunt. Sigebertus in Chronicis.

FRANCISCVS primus Gallorum rex, vt pecunias à ſacrificulis extorqueret, barbas Eccleſiaſticis omnibus abradi iuſſit. Illi verò ingenti pecunia barbas redemerunt.

PEDICVLORVM INTERFECTORES.

ADHYMACHIDAE Pœni capitis comam alunt, earúmque vxores pediculos, quos capiunt, præmordent & abiiciunt. Herod. lib. 4.

PISCATORES Arcades in littore Ienſi pediculos quærentes, ocioſi nimirum propter piſcium penuriam, Homero quęrenti, Nunquid haberent? reſponderunt:

ὅσ' ἕλομεν, λιπόμεσθα. ὅσ' οὐχ ἕλομεν, φερόμεσθα.

indicantes, quòd pediculos captos & occiſos reliquiſſent & abieciſſent: quos verò non cæpiſſent, in veſtimentis geſtarent. *Plutarchus* in eius vita, & Herodotus.

Cùm AGESILAVM Lacedæmoniorum regem, aræ Palladis aſtantem, vt bouem immolaret, momordiſſet pediculus, non auerſus eſt: ſed arreptum palàm omnibus occidit: Per deos, inquiens, equidem inſidiatorem vel in ipſa ara confodiendum puto. Quo ſignificauit, inſidias molientibus nullam aram aut aſylum tutum eſſe oportere. Plutarchus in Laconicis. Eraſmus libro primo Apophthegmatum.

BALNEORVM DIVERSI RITVS.

Apud Græcos nulla fuit perſonarum vel ordinis in balneo diſtinctio. Diuites nãque cũ pauperibus lauare, & patricios cum plebeijs nullo diſcrimine licebat. In quibus *tanta plerunque hominum* cuiuſque ordinis turba conuolabat, vt balneatores pertæſi ære granum, quod vertigines facit, carbonibus iniicerent, vt tædio odoris exirent. Alex. libro quarto, capite vigeſimo.

EPHESII, cùm præpoſitum balnearum lapidibus appeterent, quòd balneum non calefeciſſet, ſummoperè reſtitit, cum frigida aqua lauare ſatius duceret. Ibidem.

Apud Maiores balnea nocturno tempore, aut ante auroram nulli patuiſſe, nec cuiquam lauare licuiſſe à primis tenebris ad auroram vſque ſequentem: teſtatur Alexander ibidem.

M. AGRIPPA, vt populo placeret, 170. balnea ſeu lacus in prouinciarum formam Romæ gratuita præbuit: in quibus etſi calida prius abluerent, poſtea, vt à balneis corpora multa frigida ſtringerent, conſtitutum ferunt. Alexander. libro quarto, cap. 20.

HADRIANVS Cæſar ante octauã, niſi valetudine laboraret, publicis balneis neminem admiſit, tempúſque lauandi à meridie ad veſperam deſtinauit. Ibidem.

ALEXANDER Seuerus, ne quid populo incommodaretur, nocturna balnea, oleo pro luminibus præbito, conceſſit. Quæ cum antea promiſcua eſſent, viris æquè & mulieribus, ipſe poſt Antoninum philoſophum lauacra miſta ſubmouit. Ibidem.

ANTONINVS ob popularem gratiam balneum ſine mercede exhibuit, cùm antea ſinguli quadrantem expromerent. Ibidem.

COMMODVS imperator tanto ſtudio balnea proſequutus fuit, vt ſepties atque octies diebus ſingulis lauaret. Ibidem.

GORDIANVM & Galenum æſtate quinquies, hyeme verò bis in die lauaſſe legimus. Ibidem.

LVSITANIS ſimul & Spartanis calida aqua corpus abluere, lege vetitum eſt. Ibidem.

Apud Celtiberos obſeruatum eſt, vt in balneis non aqua, ſed lotio diu ſeruato lauentur, dentéſque & gingiuas pumicent. Quod Cantabri etiam fecerunt. Ibidem.

ASSYRIIS licet lauare diebus ſingulis peculiare ſit, tamen poſt Venerem, & in morte præcipuum. Ibidem.

CARTHAGINENSIBVS diſtincta fuiſſe balnea, ſatis conſtat, patriciorum & plebeiorum: morémque præualuiſſe, vt in quibus patricij lauabant, ad illa plebeij non accederent. Ibidem.

ÆTHIOPES *Macrobij fonte abluũtur, in quo loti*, perinde ac oleo vncti, membris agiles fiunt, & violam olent. Ibidem.

DARDANENSES Illyrides lege vetabantur balneare, contra conſuetudinem. Ter enim ſolùm per vniuerſam vitam lauari ſolebant: poſt partum, cum nuptias inirent, & cùm morerentur. Aelianus libro quarto de Varia hiſtoria: & Alexander libro quarto, capite vigeſimo.

SCYTHÆ nullo fonte lauant, ſed vxoribus aquam fundentibus, corpora ſcabro lapide conterunt, cupreſſo, cedro, & thuris ligno confricantes. Alexander libro quarto, cap. 20.

BALNEORVM NEGLECTVS.

SCYTHÆ corpus omnino non lauant. Vide tit. Ritus ſepeliendi.

FVCI, ET NIMIVS CORPORIS CVLTVS, in genere.

Consule tit. Luxus in cultu corporis.

THAMAR nurus Iudæ, filij Iacob, volens socerum allicere, vt ex illo cõciperet, depositis viduitatis vestibus, ornauit se, & assumpsit teristrum. Genes. 38.

Audito aduentu Iehu, qui occiderat Ioram regem Israel, IEZABEL depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput tuum. 4. Reg. 9.

Testatur IVDITH, quòd ornamenta quæ assumpsit, deceperunt Holofernem. Induit enim te vestimento lætitiæ, vnxit faciem suam vnguento, colligauit cincinnos suos mitra ad decipiendum ipsum. Iudith. 16.

Veteres ATHENIENSES, purpureas vestes induere solita sunt, & variis amiciri tunicis. Corymbis implicarunt capillos, & os aureis cicadis, aliisque ornamentis ex auro appositicijs circundantes, in publicum processerunt. Et quocunque ibant, sequebantur pueri cum sellis claudicantibus, ne temerè in quouis loco sedere cogerentur. Manifestum est autem, mensam etiam & alias vitæ rationes ipsis fuisse delicatiores. Ælian. lib. 4. de Var. hist.

LYSICRATES abiit in vulgi fabulam, quòd iam senio confectus capillos fucaret, vt speciosus videretur, & iuuenis. Cuiusmodi ridetur apud Martialem Ollus, apud Horatiũ Vxor pauperis Ibyci.

PHILOSTRATVM Aristophanes quẽdam laciuiũ sculè se ornantẽ, Cynalopeca vocabat, vocabulo ex cane & vulpe concinnato.

CLISTHENES comicorum conuiciis lacer. tus est, quòd parum vir haberetur, séque cultu indecoro velut in mulieremtrans figuraret. Quod fecisse dicitur Assyriorum rex Sardanapalus, vt liberius inter fœminas lasciuiret.

MIRACLES nescio quis fuit concinnatulus, qui vnguẽtatos auratósque capillos fertur habuisse. De hoc Val. Flaccus lib. 1. Argon.

—— Simul armiger ibat
Semiuir, impubémque gerens sterilémque iuuentam.

MASSILIENSES luxu perditi muliebrem in modum ornabantur, comis vnguento delibutis, capillísque religatis. Hunc ortum adagium, E Massilia venisti.

ARISTOTELES decorus habitu, & nitido vestitu fuit, tonsa coma, digitis redimitus auro. Alex. ab Alex. lib 5 cap. 18.

ALEXANDER Romanorum imperatoris regijs Cyclas dedit, quæ plus sex vncias auri non haberet, cum reticulo, & pallium auro aspersum. Ibidem.

HIPPODAMVS Milesius natura studiosus, ob ambitionem morosus, crinium proritate & sumptuoso ornatu. Arist. lib. 2 Pol.

DEMETRIVS Poliorcetes, cùm obsidione cœpisset vrbes, statim suipsius curam quàm maximam habere studuit. In venustate enim conseruanda comparandâque multos annos consumpsit, capillos decorè pectendo, & rufos faciendo, faciem pinxit & inunxit, quo formosissimus ab omnibus iudicaretur. Ælian. lib 9. de Var. hist.

MEDORVM, oculis pictis incedere, colorato capillo, coma protensa circa collum momili, & armillis circa manus, cap. velato, veste pellucida, & fluida, mos erat. Alex. lib. 5. cap. 18.

MAVRIS & Britãnis in more fuit, vt cincinnis ornati essent, rutulis comis: & tam composito capillo, vt in incessu vix se contingi paterentur, omni corporis parte abrasa, præter caput & labrum. Ibidem.

BRITANNI præterea glasto corpus inficiebant, vt hostibus horridiores viderentur. Hinc passim à poëtis picti Britanni vocantur.

HYPOREÆ Æthiopiæ populi, atri coloris, tota corpora rubrica illinũt.

ZYGANTES Afri simiis tantùm vescuntur: corpus minio inficiunt. Herod. lib. 4.

Phryne mererrix cum fuisset in conuiuio quodam, cui complures adorant FOEMINÆ, iúmque iuxta motẽ ioci conuiuialis, quod vnus quispiam faceret, idem omnes facere cogerentur: prior manum bis aquæ immersam admouit fronti. Quonia autem omnes erant fucatæ, aqua perlituram fucorum defluens, rugarum specie vultus omnium deformabat: quam ipsa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, speciosior apparet, etiam diluta facie. Eras. Rot. lib. 6. Apoph.

Diogenes Cynicus videns VETVLAM deformosissimam curiosius se exornantem: Frustra te ornas, ait: nam si vinos tuo lenocinio allicere voles, plurimùm falleris insana: si verò defunctorum vmbras, ne quæso differas diu. Stobæus.

Lais Corinthia, insigne scortum, MYRONEM salsissimè repulit: sed præstat hoc Ausonij verbis referre:

Cauè rogabat Laidis noctem Myron:
Tulit repulsam protinus.
Causamque sensit, & caput fuligine
Fucauit atra candidum.
Idémque vultu, crine non idem Myron.
Orabat oratum prius.
Sed illa formam cum capillo comparans,
Similémque non ipsum rata,
Forsasse & ipsum, sed volens ludo frui,
Sic est adorta callidum:
Inepte, quid me quod recusaui rogas?
Patri negaui iam tuo.

Eras. lib. 4. Apoph.

IVLIA Cæsaris Augusti filia, cum maturè canos habere capillos cœpisset, habebat complices, quæ canos capillos sublegebant. Verùm quum Augustus pater interuenisset clàm, canos capillos super vestes filiæ vidit, quos euulserant: cum autem aliud agens, rem dissimulasset, demùm post multa interrogauit filiam. Verum post aliquot annos cana esse mallet, an calua? Quinque illa respondisset, se canam esse malle: Cur ergo, inquit, tuo iussu & instinctu istæ ante tempus caluam te facere student? Et sic prudenter mendacium in filia deprehendit. Eras. lib. 4. Apoph. ex. Suet.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm triumphalem currum ascenderet, non defuerunt qui admonerent, vt triumphantium more vultum minio illiniret. Verùm rex cùm hoc contẽneret, dixisse fertur: minium Baccho soli conuenire, qui non solùm triumphi, sed vini etiam reperror extitisset. Antonius Panormita de Reb. gest. Alphonsi.

QVI FVCOS ET CVLTVM SVPERFLVVM NEGLEXERVNT, aut odio habuerunt.

De ESTHER legitur, quòd quando debuit intrare ad regem, nõ quæsiuit muliebrem cultum, sicut faciebant aliæ mulieres. Esth. 2.

LACEDÆMONIORVM fœminis omnis ornatus & mũdus muliebris ereptus est. Neque enim comam nutrire datur, neq; aurum gestare. Heraclides de Polit.

ARCHIDAMVS rex, cùm Spartæ hominem fucata barba & infecto capillo concionantem audiuisset, profari vetuit, & in medio affatu exigi iussit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

PHILIPPVS Macedo, cùm ex amicis Antipatri arbitrum delegisset, quem aduertisset barbam & capillum inficere: protinus gradu deiecit, & iudicare vetuit, velut mendacem. Adeò barbam vel comas inficere coloribus, imbellis & eneruati hominis esse putauit. Ibidem.

Genas fœminis ROMANI radi, duodecim tabularum interdicto cautum est. Plin. lib. 11. cap. 37.

IVS ANVLORVM, ET QVI ANVLIS sint vsi.

Apud PERSAS non solùm anuli, sed monilia, & alia huius generis ornamenta deferre nequaquam licebat, nisi regis munere collatum esset. Proinde donari annulo à rege, amicitiæ signum erat: eo argumento illos in intimam sodalitatem & vinculum maximi fœderis admittere significãtes. Alex. ab Alex. lib 2. cap. 29.

Apud Babylonios anulum signatorium singuli gestant. Ravis.

Romani iudicibus & equestri ordini, hísque quibus & auo paterno sestertia 400 census fuisset, ferreos primùm annulos, deinde aureos dabãt, quo insigni equester ordo à senatorio discretus noscebatur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

IDEM legatis ad exteras gẽtes profecturis anulum aureum, velut insigne munus dabant. Sed foris tantum aureo, domi ferreo vtebatur. Ibid.

Apud Eosdem licet Equites aureis interdum anulis ornati sint, non omnibus tamen passim deferre licuit: quia nisi ex primoribus militum, aut si re magna & existimatione magna forent, aut præfectus, centurio, decurio, aut tribunus exercitui præessent, vel à principe aut prætore aureo anulo donati fuissent, illis impunè vti non licebat. Ferreo quippe militibus vti permittebatur tantum. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

IDEM in sponsalibus & solenni nuptiarum die digitum minimo proximum anulo excolebant, & velut pignus amoris præcipuum ducebant, vt is in summo honore foret, quo duce mutuus amor vsq; ad cordis ima penetraret. Alex ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Apud EOSDEM, cùm promiscuus anulorum vsus esse inciperet, libertus anulo donatus, velut ingenuus iudicabatur viuens: ita vt haud

haud secus quàm quiuis liber magistratus & honores gerere, & reliqua ingenuorum munia obire posset, & equestris nomen assumeret. Morte autem obita hæreditatis & bonorum partem, vt quilibet libertus, & seruitute exemptus, patrono dare cogebatur. Ibidem.

CARTHAGINENSES pro numero expeditionum, milites pluribus anulis donabant. Ibidem.

ALEXANDER Macedo, deuicto Dario, quas destinabat in Asiam literas, Darij annulo imprimebat: quas verò in Europam, suo.

ISMENIAS Thebanus legatus ad regem Persarum missus, quum sciret ex consuetudine gentis nihil ab ipso rege impetrari posse, nisi prius quis adorans procumberet: vbi in eius fuit conspectu, anulum de indutria ad pedes cadere permisit, vt in eo colligendo reclinatus, videretur adorasse regem.

NONI senatoris anulus præ cæteris laudibus celebratur, cuius gẽma xx. millibus sestertiis taxata est, vnde & ab Antonio proscriptus fuit.

HELIOGABALVS adeò anulorũ multitudine delectatus est, vt singulis diebus nouos variarit, eundémque interdum bis induerit.

APOLLONIVM Tyanæum anulos ab Iarca principe Gymnosophistarum dono datos, instar numinis habuisse ferunt, ita vt singulis diebus per vices variatis, maximorum decretorum particeps fieret. Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 9.

Gestare in digitis anulos ingentis precij Alphonsus senior Siciliæ rex consueuerat: & ne lauandis manibus gemmis officeretur, loturus anulis digitos exuebat: seruandósque ministris, qui opportunius se offerrent, dare solebat. Cuidã igitur semel cùm anulos tradidisset, qui oblitum regem arbitrabatur, & propterea in vsum suũ eos verterat: Alphonsus rem dissimulauit, atque pro eis alios induit anulos, consuetúmque morem seruauit. Itaque post aliquot dies loturo Alphonso cùm idem astaret, qui primos habuerat, & non restituerat: manum porrexit, tanquam à rege anulos, vt olim egerat, accepturus. Alphõsus autem retracta ad se manu in autem, submissa voce ei dixit: Hos obseruandos tibi anulos dabo, si prius alios, quos dedi, restitueris. Liberali profectò rege, humanóque, atque animo ingenti prædito digna vox, quæ maiori laude quàm stylo mei vires ferent efferenda videatur. Fulgosius libro quarto, capite octauo: & Egnat. libro quarto, capite octauo.

MATERIA ANVLORVM

Anulus apud veteres Rom. pronubus sponsæ dono mittebatur à viro, ferreus, durissimus, & sine gemma, antiqui victus parsimoniam ac frugales mores significans. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. ex Plin. lib. 33. cap. 1.

ANVLORVM apud Romanos aureorũ non equitibus modò, tanquam bellicæ virtutis insigne, sed & senatoribus & militiæ primoribus datum fuit. Ibidem.

Moris quoque fuit aureos anulos in luctu & funeribus funestísque casibus Reipub. deponere, & ferreos sumere. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, smaragdum habuit pro gemma signatoria. Vide tit. Cælatorum & sculptorum.

FIGVRA ET IMAGO IN ANVLIS expressa.

SELEVCI anulus fatalis scriptis celebratur, in quo anchora efficta videbatur, cuius imago in femore posteris familiæ natiua apparuit. Alexander ab Alexandro libro secundo, cap 29.

PYRRHVS Epirotarum rex, gemmam in anulo habuisse dicitur, in qua Apollo & Musæ cum suis insigniis, non tantùm effictæ, sed natiua specie fuerunt. Ibidem.

EPICVLI imagines frequenter in anulis habuere veteres, hoc fausti omnis generi & nomini suo esse arbitrati. Ibidem.

SCIPIO Africanus Sardonychem, quòd sola gemmarum ceram non referret, in anulo suo habuit. Ibidem.

APHRICANI filius vt suam in patrem pietatem declararet, eius imaginem perpetuo anulo insculptam digitis gestauit. Ibidem.

SYLLA anulum habuit, in quo traditus Iugurtha insculptus erat. Ibidem.

MACRIANORVM familiam ferunt hoc habuisse proprium, vt Magni Alexandri imagines tam viri quàm fœminæ in anulis deferrent. Ibidem.

LENTVLVS aui sui figuram & imaginem anulo suo insculpi fecit, ne eius amor citius quàm par esset, animo excideret. Ibidem.

C. PLINIVS iunior proconsul Bithyniæ, eruditione & dignitate illustris, Quadriga in sigillo vtebatur. Ioan. Catanæus in eius vita.

LOCVS ANVLORVM, IN QVO DIGITO gestentur.

ANTIQVITVS digitum minimo proximum in nuptiis & sponsalibus anulo exornabant, eo quòd tenuissimus inde neruus ad cordis pectoralia tendere diceretur. Alex. lib. 4. cap. 26.

GALLI & Britanni medio tantum digito anulos adiiciunt, illum præcipuo honore excolentes. Alex. lib. 4. cap. 26.

NVPTIALEM anulum in sinistra manu tantum habere fas erat, ne vsu attereretur. Quod erat propriũ nuptialis anuli, ex ferro durissimo facti. Reliquos verò anulos, siue ex ferro, siue auro, quacunque manu deferre licuisse compertum est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

ROMANI, cùm reliquos digitos omnes anulis ornarent, solum Medium digitum nudum & honore destitutum reliquêre. Alexander ab Alexandro libro quarto, capite vigesimosexto.

ANVLI NEGLECTI.

Apud CATTOS anulum gestare, ignominiæ loco ducebant, tanquam vinculo nexi forent: quo se aliter liberari non posse ducebant, nisi aliqua hostili cæde se exoluissent. Alexander ab Alexandro libro secundo, capite decimonono.

FINIS LIBRI DECIMIOCTAVI.

THEATRI VITAE HVMANAE
LIBER DECIMVSNONVS.
DE BONIS FORTVNÆ.

LATISSIME patet locus iste, quandoquidem in omni vitæ genere Fortuna locum habere videtur. Voco autem Fortunam (quam veteres deam esse finxerunt) monstrum humani intellectus, qui propter abditarum causarum ignorantiam nescio quæ portenta confingit: cùm tamen in vniuersum omnia ea quæ fiunt, diuina in primis prouidentia, deinde humana solertia & industria administrentur. Præclarè enim Satyricus: Nullum numen abest, si sit prudentia. Sed nos Te facimus Fortuna deam, cæloque locamus. Tacitè innuit, ex defectu prudentiæ, siue causarum ignoratione, atque etiam ex numinis neglectu, Fortunam à plerisque constitui. Nos ergo, qui Christianam pietatem simul & solidiorem philosophiam profitemur, Fortunam pro occulta quadam diuinæ maiestatis virtute ponimus & interpretamur: vt quarumcunque rerum causas certas & manifestas, hoc est naturales ac rationi humanæ consentaneas reddere non possumus, eas à Fortuna fieri dicamus. Cùm ergo in omnibus vitæ humanæ partibus inopinata quædam præter omnem expectationem sæpissimè accidant, ea omnia fortuita censeri, & inter fortunæ bona generali quadam significatione connumerari possent. Verùm quia non modò efficientis causæ, sed etiam materiæ ratio est habenda, idcircò ea κατ' ἐξοχὴν vocamus bona fortunæ, in quibus fortuna miris modis ludere potest. Talia autem sunt bona externa, hoc est quæ nec in animo nec in corpore hominis subsistũt, sed extra hominem reperiuntur: & bona tamen dicuntur, quatenus scilicet ad vsum humanum conuerti possunt, quamuis actu non conferant. Nam vt in præcedentibus monuimus, bona corporis secundi generis, ex bonis fortunæ deprompt̃ur: neque alio inter se differunt, quàm quòd bona fortunæ extra corpus sunt, nec nisi mediatè corpori conferunt: bona verò secunda corporis, extra corpus quoque reperiuntur actu, corpori tamen immediatè admoueri & prodesse possunt. Externa igitur bona fortunæ ea sunt, quæ actu extra corpus reperiuntur variis fortunæ casibus obnoxia: potentiam tamen in se habent, vt corpori adhibeantur, & inter bona secunda tam animi quàm corporis connumerentur. Nam verbi gratia: Opes si ad vestitum aut alimenta referantur, iam non amplius fortunæ bona, sed corporis secunda bona censeri debent, quamuis vtrobique externa adhuc sint. Pariter Honores externa sunt bona fortunæ: at si iam pro merito vnicuique tribuantur, Iustitiæ distributiuæ materia (Ex qua) eruntque aut si debito modo expetantur, ad Magnificentiam pertinebunt. Fortuita autem bona hæc externa dicuntur, quoniam vt in bonis animi recta ratio principatum obtinet, in bonis corporis ipsa natura: ita in bonis istis externis, quia extra hominem sunt, casus & mutationes variæ accidere possunt: quandoquidẽ nec rationis imperio planè moderari, nec naturæ bonitate omnino coerceri possunt. Quare κατ' ἐξοχὴν Fortuna in his locum habere dicitur. Data quinetiam sunt homini externa hæc bona, vt his veluti adminiculis & adiumentis quibusdam reliqua bona, corporis scilicet, & animi, melius conseruare queat. Quãdoquidẽ ex his ipsis ea quæ secundi generis bona censentur, oriri solent. Atque vt prima bona in ipso homine sunt & subsistunt, siue in animo, siue in corpore: secunda verò circa hominem conspiciuntur: ita bona fortuita extra hominem omnino sunt, & hac veluti forma à reliquis bonis secundis, quæ itidem externa videntur esse, differunt. Illa enim externa dicuntur, quia non sunt in homine, quamuis circumstent, & actu applicentur homini: hæc verò externa vocantur, quia nec in homine sunt, nec circa hominem: hoc est actu non applicantur homini, sed extra hominem posita sunt: potentiam tamen habent vt applicentur aliquando, & tunc ex bonis fortunæ fiunt bona secunda vel corporis, vel animi. Materiã autem horum bonorum numero certo comprehendere difficilè est. Aristoteles in primo Rhetoric. τὰ ἐκτὸς ἀγαθα, τὰ λεύκλω, hoc est, ea quæ extra hominem posita circumstant, enumerat: εὐγένειαν, εὐτεκνίαν, πλῆτος, δόξαν μὴ πολυφιλίαν, εὐδοξίαν, τιμὰς καὶ εὐτυχίαν. His nos patriæ & parentum incolumitatem, nepotum quoque & amicorum salutem iungimus: coniugia insuper præclara, victorias, libertatem & seruitutem. Hæc enim etsi Aristoteles non commemorauit, tamen ratio ea addenda esse persuadet. Illud magis mirum videri potest, quòd εὐτυχίαν hîc inter species fortuitorum bonorum connumerat, quæ potius genus horum omniũ esse videtur. Cuius rei ea ratio afferri potest, quòd eo in loco Arist. duo genera fortuitorum bonorũ ponit: alterum quidem, cuius causam manifestè conspicimus: verbi gratia, quòd nobilitas à parentibus proueniat, diuitiæ ex mercatura, & sic de cæteris. alterum verò, cuius causam nos ignoramus, quamuis effectum ante oculos positum habeamus: & hoc quamuis latissimè se extendat, communi tamen nomine εὐτυχίας exprimitur. Sic diuitiæ si cui absque manifesta causa accidant, εὐτυχίαν pariunt. Et hæc diuisio ex efficientis natura sumitur. Efficiens enim causa gemina est: altera quidem princeps, Natura, siue Deus, quæ vnicuique modò pro merito, modò præter meritum tribuit, quam vulgus Fortunam vocat: altera verò non princeps, sed coadiuuans, & agens: vt qui nobilitatem, imperia, diuitias, honores aliis tribuunt, aut sibiipsis acquirunt. Et princeps quidem causa, Deus scilicet omnia in omnibus operatur vel effectiuè vel permissiuè. Non principes verò concomitantur interdũ, causęque secundæ appellantur, quarum actio à superiori illa pẽdet: & quia sub sensum manifestè cadunt, effectus quoque manifestã causam habere dicitur. Interdum autem causę secũdę vel nullę adsunt, vel admodũ sunt obscurę, nobísque ignotæ: & tunc, quia manifesti effectus certa causa assignari nequit, ad primam & principem causam deuoluimur, quam Fortunam appellari diximus: & secũdum genus bonorũ fortuitorum sub εὐτυχίαν comprehendimus. Huic sententiæ etiam Arist. in 2. Physic. astipulatur, vbi de Fortuna ex professo agit. Diuidit tamen eo in loco id quod fortuitum est. Nam si magnum aliquod bonum eueniat, εὐτυχίαν propriè vocat: sin mediocre, ἀγαθὴν τύχην. Contrariorum eadem est ratio, δυστυχίας scilicet & κακῆς τύχης. Et hæc quidem de causis bonorum fortunæ, eorúmque differentiis, iis præsertim quæ ab efficiẽte sumuntur. De materialibus, in titulorum typo describendo fusius agemus: interim quoque efficientis habita ratione, ſicubi opus esse videbitur.

IN bo-




Diuitiarum, cognomina partiamur tum in
Modum circa eas versãdi. Qui quidem cõsistit partim ἐν
κτήσει, videlicet ἐν
Ab aliis, vel
Natura, vt
Continens terra facta è mari.
Insulæ quæ emerserunt.
Casu. THESAVRI casu reperti.
Donatione. Hæreditate.
λήψει, hoc est acquisitiõe. Æquirimus vel
Propria industria, exempla acquisitionis vel in rer
Volẽtes, in
Genere. opes propria industria & labore acquisitæ.
Specie, vel per
Commutationem.
Pecuniã. Exẽpla pecuniæ
Acceptę. Eius
Neglectę
Materia
Forma
Nolẽtes, vel
Dolo, vt furto, latrocinio, &c.
Vi aperta. Cuius generis sunt
Vectigalia. Tributa. Exactiones,
Prędа bellica.
φυλακῇ. OPES
Recondere, tã privatim quã publicè, THESAVRI repositi.
Ærarium publicum.
Amissas recuperare.
Non dare aliis. IMMVNITAS vectigalium.
χρήσει, ἐν
δαπάνῃ δόσει
DIVITIARVM ostentatio in sumptu, donatione, &c.
Numerum. DIVITES in
Genere.
Specie. Possessio diuitiarũ alia
Publica, tum verum
Inanimatarũ. VRBES & regiones opulentæ
Naturæ beneficio, tum
Frumento.
Vino.
Metallis.
Arte & industria. EMPORIA nobilissima.
Animatarũ: vtputa
Hominũ. cuius generis sunt
Populosę vrbes & regiones.
Coloniæ aliò missæ.
Exercitus numerosi.
Brutis. REGIONES abundantes pecoribus, pecudibus & feris.
Priuata, tũ
Inanimatarũ. vtputa
Metalli tam facti quàm infecti.
Domorũ, Nauiũ, Ædificiorum.
Agrorum, Pascuorum.
Animatarũ, videlicet Mãcipiis, Seruis, Pecoribus, Pecudib.
Paupertatis, in
Publicæ. Paupertas
Naturalis. REGIONES steriles frumento, vino, pecoribus, &c.
Accidentalis.
Regum, Ducum, Rerumpub.
Vrbiũ & regionum
Euersa rum ab
Hominibus quomodocũq.
Terræmotu.
Illuuionibus.
Aeris impetu.
Incẽdiis.
Occupatarũ ab
Hostib⁹
Animalibus.
Priuatæ. MENDICI, Pauperes, priuati.
Genere, tum
Specie, respectu
Efficientis QVI ex diuitibus pauperes euaserunt culpa
Aliena, vt puta
Furto.
Bello & obsidione
Propria, vt Prodigalitate, ocio
Ære alieno.
Patientis. PAVPERTAS
Voluntaria.
Non voluntaria.
Nobis & in duas diuiduntur species, animarum in
Immediatè, quoniam bona vel mala fortunæ ipsis habentibus adsunt, non aliis. Et proinde etiã Felicitatem PROPRIAM appellabimus, distinctionis doctrinę gratia. Sic rursus cùm sit ingens bonorum varietas, diuidi possit quòd etsi omnia in eo conueniãt quòd nobis adsint, possidentur tamen vel à
A. Si bona & mala fortunæ singillatim spectes, sic felices & infelices dicemur ab ij
Aliis, & in nos conferuntur, GLORIA scilicet & Honor. Vide signum C.
Mediatè. Vide signum F.
ἐξουσίαν. Vide signum B.
ἐξουσίαν


Genere. DIVISIONES rerumpublicarũ tum ex
Materia, ex variis scilicet ordinibus ciuium. TRIBVS variæ.
Forma siue cõstitutione Reip. quæ vel est
Bona.
Regnum.
Aristocratia.
Democratia, siue Politia.
Mala
Tyrannis.
Oligarchia, siue Timocratia.
Anarchia.
Publicas, eásque Politicas, in
Actiuam, Imperandi scilicet aliis. δύναμεις dicitur. Omnis politia & œconomia diuiditur in eos qui imperant, quique parẽt. Quorum cùm rursus variæ diuisiones esse possint, idcirco operæ præcium erit recensẽre δυνάμεις tum
Quas dignitates apud varias gentes obtinuerint. MAGISTRATVS varij diuersorũ, ordine secundũ temporum seriẽ enumerati. Exẽpla igitur asserantur tum Magistratuum
Superiorũ, quos gesserũt. Sic triplex magistrat⁹. Alij
Consulunt. Exempla
Virorum. SENATORES.
Mulierũ.
Regunt domi Remp. Exempla REGVM, PRINCIPVM apud gentes varias. Deinde etiam seorsim MVLIERVM, quæ populos rexerũt. Aij foris in bello, Duces, Imperators, Dictatores.
Iudicant. IVDICES. Electio IVDICVM.
Inferiorũ & minorũ. Quales sunt
Legati, quorum varium est munus.
A secretis.
Præfecti annonæ.
Præcones.
ἀρχῆσεως, videlicet QVI
Quanto tempore magistratus gesserint. MAGISTRATVS
Longi.
Breues.
Specie. Ratiohabẽda est tum
ἐξουσίαν. in genere potestatem appello, eamq; diuido in
ἐξουσίαν
ἕξεως. In quæ spectantur duo, nimirum
λήψις. Acquiritur dignitates & magistratus vel
Aliorum beneficio, per institutionem, successionẽ, sortitionem. ELECTIO magistratuũ varia.
Propria industria per
Dolum.
Vim bellicam.
φυλακὴ REGNORVM & imperij conseruatio per
Vim.
Dolum.
Priuatas & œconomicas. δυνάμεις siue ἀρχὴ
παῖδικὴ, Parentum in liberos.
ἀδελφικὴ, Primogenitorum ius & authoritas.
γαμικὴ, mariti in vxorem.
δεσποτικὴ, tum dominorum in seruos, tum seruorũ erga se inuicem, quales sunt CVRATORES rei domesticæ.
Passiuam, parendi scilicet. vide signum *.

- *Passiuam. *parendi scilicet, uel nõ parendi superiorib. Cõtrariorum hic est habenda ratio: videlicet*
  - Libertatis, *quæ nullum habet superiorẽ, qui imperare possit uel corpori uel fortunis. Est autem alia*
    - Publica, *Rerum publicarum & ciuium, in quorum potestate est leges ponere, uel antiquare.* GENTES *liberæ.*
    - Priuata & *domestica. Aly igitur libertatem hanc*
      - A parentibus *suis acceperunt, ita vt naturà liberi esse videantur, & proinde libertatis acerrimi vindices existant.* LIBERTATIS *studium in priuatis.*
      - Acquisiuerunt, *abiecta seruitute. Nam cum*
        - Serui *aliorum essent, manumissi sunt, & redempti.* LIBERTI. *manumissi.*
        - In *carceribus detinerentur, liberati sunt.* CAPTI *ab hostibus aut magistratu, sed denuò liberati.*
        - Tuti *non essent, in* ASYLA *confugerunt.*
  - Seruitutis. *In qua obseruare debemo*
    - Publica, *Rerumpublicarum & populorum, qui uel naturà seruiunt, uel bello subacti potentioribus seruire coguntur.*
    - Species *varias. Est enim* SERVITVS
      - Priuata. *Exẽpla in*
        - Genere. SERVI *empti aut venditi.* ANCILLÆ.
        - A parentibus *proueniens.* VERNÆ.
        - Specie. *Quia seruitus alia*
          - Volentes, *nõ coacti, quando se*
            - Vendi *ultrò sinũt.* VOLVNTARIA *seruitus.*
            - Carceri *sponte offerunt.*
          - Propria *culpa contracta. Quidã enim cũ liberi essent, seruituti sese addicunt*
          - Nolentes, *sed coacti, uel à*
            - Magistratu. *ut qui*
              - Mancipia *fiunt, secundum leges.*
              - In *carcerem & vincula conijciuntur.*
            - Hostibus,
              - Vænundantur.
              - Carceribus *includuntur.*
              - Obsides *dantur.*
            - Prædonibus.
    - Accidentia, *Nempe*
      - Quomodo *serui à liberis dignoscantur, videlicet*
        - Nomine. SERVORVM *nomina.*
        - Notis *& characteribus quibusdam.* NOTÆ *& stigmata seruorum.*
      - Coniugia *seruorum.*
      - Officia *seruilia.*
      - Seruorum *uænundatio & supplicia.* SERVI *quantum domino subiiciantur.*

C. eudo-

- Nomine *solo. Exemplaria. Nomina igitur*
  - Noua vel
    - Imponuntur *causa effectus, vel*
      - Præteriti *aut præsentis: vt propter*
        - Animi *bonos malósue*
          - Habitus.
          - Affectus.
        - Corporis *bona, maláue.*
        - Fortuitos *casus.*
      - Futuri, *boni maliue ominis gratia.* NOMINA *quæ fatis suis consona fuerunt.*
    - Non *imponuntur.* NOMINIBVS *carentes.*
  - Vetera, *vel*
    - Transferunt, *tum*
      - Publicè. A QVORVM *nominib. denominãtur, sunt*
        - Vrbes, *regiones, montes, maria, flumina.*
        - Menses.
        - Homines, *vt*
          - Sacerdotes.
          - Reges.
      - Priuatim. A QVORVM *nominibus appellatæ fuerunt*
        - Familiæ.
        - Priuatæ *quæuis aliæ personæ*
    - Seruantur, *& honoris ergò in alios vel*
      - Non *transferuntur.* NOMINA *in alios honoris ergò non translata.*
      - Immutantur. NOMINA *vel honoris vel ignominiæ causa immutata.*
      - Non *seruantur, sed vel*
        - Negantur, *vel salutis causa, vel dedecoris: vt puta,* NOMEN *familiæ negare alicui.*
        - Abolentur. NOMEN *alicuius abolere.*
- Verbis, *& vel*
  - Oratione
    - Honorifica, *vel*
      - Voce *viua, vel*
        - Elaborata *& rhetorica, viuos vel mortuos prosequi.*
        - Vulgari, *vel*
          - Publica, *Præconis:* PRÆCONIVM *propriè.*
          - Priuata, *quorumuis aliorum.*
      - Scripta, *publicè aut priuatim viuos aut mortuos celebrare, monumentis literarum, historiis, literis, epitaphiis & elogiis in marmore incisis.*
    - Ignominiosa, *quæ vel exprimatur*
      - Voce *viua.*
      - Scripto. *Cuius generis sunt Inuectiuæ, libelli famosi, Pasquilli.*
  - Rebus, *siue signis & indiciis quibusdam. Vide signum.*.*

Caudẽ ἐξαν *Arist. in primo rhet. veluti formam* τῆς ἀξίας *ponit. Est enim tacita quædam de virtute alterius existimatio, animis hominũ impressa, quam aliàs Authoritatem & Maiestatem vocant. Succedit posteà* τιμὴ, ὡς σημεῖον ἐυεργεσίας *honos, qui in apertum deduxit hanc existimationem, & signo aliquo declarat. Proinde gloria veluti forma est interna existimatio: materia verò, externa significatio, siue honor ipse. Idem esto iudicium de Ignominia, quæ Gloriæ opponitur. Honor igitur & ignominia infertur vel*

- Honoris. Honor aliter
  - Simplex, *in quo nihil aliud præter honorem consideratur, siue exhibeatur*
    - Gestibus *externis, tum*
      - Viuis, *per*
        - Motum. *vtputa*
          - Occursus *honorificus.*
          - Comitatu *honorare.*
        - Quietem. PRIMÆ *sedes.*
        - Congressum *& salutationem, quæ viua voce fit, vel gestibus externis per deosculationem, apertionem capitis, ἐκφώνεις, &c.*
      - Mortuis. *Honorem exhibere mortuorum*
        - Vestibus.
        - Monumentis *& ædificiis.*
    - Interna *opinione virtutis, per actiones et passiones quasdã, quibus testamur nos præconceptam quandam opinionem habere de bonis illorũ (quos colimus) tum*
      - Internis, *Animi scilicet, vel*
        - Theoricis. PLVRIMVM *tribuere eruditioni aliorum.*
        - Practicis, *vel*
          - Mechanicis. PLVRIMVM *alicui in mechanicis tribuere.*
          - Ethicis *plurimũ tribuere alterius*
            - Prudentiæ, *tũ in consultãdo, tũ in cõsiliys amplectẽdis*
            - Fortitudini.
            - Tẽperãtię. *Nihil turpe in alterius præsẽtia cõmittere*
            - Iusticię, *committendo ei*
              - Cõpositionem *dissidiorũ quorumlibet.*
              - Arcana *consilia, regnorũ administrationem, depositũ, &c.*
      - Externis, *tum*
        - Corporis.
        - Fortunę, *vtputa quòd ea sint imperij maiestate, cui parẽre debeãt omnes. Obedientia*
          - publica, *tam sacra quàm profana.*
          - Priuata.
  - Compositus *simul cum bonis aliis, quæ vnà cum honore exhibentur. Vide signum* D.

* *Quæ quoniam varia sunt, idcirco seperabimus Honoris & Ignominiæ species à se inuicem. Recensebimus igitur signa*

- Ignominiæ. *Vide signum* E.

D. Varia

D. Varia *sunt bona, quibus cum honor iungitur: eáque vel nonnunquam, vel etiam cum posteritatem bonum. Sic ergo honoris signum exibit. Bona.*

- Interna *animi, in theoricis simul & practicis, per animi cultum promouere, augere, conseruare.*
- Externa
  - Corporis, *tum*
    - Viuis *conferre. vtputa*
      - Alimenta; *conuiuia.* Hospitium.
      - Habitationem, *ædes.*
      - Vestitum, *& cultum corporis, tum personis*
        - Publicis
          - Sacerdotibus.
          - Regibus
          - Magistratibus
          - *quibuscunque aliis.*
        - Priuatis, *virtutis ergò*
      - Mortem *non inferre.*
    - Mortuo *cadaueri largiri, vt sepulturam.* HONORES *cadaueri mortuo exhibiti in sepeliendo.*
  - Fortunæ *of ferre. Verbi gratia.*
    - Diuitias, *Dotem, munera qualiacunque sint, virtutis ergò concedere.*
    - Δυνάμεις, *magistratus tum*
      - Sacros.
      - Profanos *quoslibet.*
    - Conuersationem *iucundam*
      - Amicorum. AMICITIAM *honoris ergò cum alio contrahere.*
      - Coniugij. CONIVGIA *honorata.*
    - Libertatem, *tum*
      - Extra *iudicium alicui donare.*
      - In *iudicio concedere, non condemnare, absoluere.*
    - Ciuitate *donare.* IN *numerum ciuium recepti.* Templa *& Aræ erectæ.*
    - Monumenta *& sepulchra.* Statuæ. Pepla. Imagines.
    - Festos *dies instituere, vel obseruare.* Triumphum *concedere. Vide locum.*
    - Ouationes. Coronæ. Trophæa. Spolia.

E. Ignominia *bonorum contraria est, & proinde eosdem admittit diuisiones. Est enim alia*

- Gestibus *& ceremoniis externis erga*
  - Viuos. NVLLVM *in congressu quotidiano honorem vel salutando vel aliis gestibus exhibere.*
  - Mortuos. MORTVORVM *vestibus, monumentis, nullus exhibitus honor.*
- Simplex, *quę constat vel*
  - Theoricis. INTERDICERE *scriptioni & exercitatiõi literarię.*
  - Interna *opinione, quã per actiões quasdam testamur: quibus actionibus deroganus bonis aliorũ*
    - Internis *animi tũ*
    - Practicis
      - Mechanicis.
      - Ethicis, *vt*
        - Prudentiæ, *non consulendo, vel consiliis non parendo.* Fortitudini.
        - Temperantiæ. Iustitiæ.
  - Externis, *tum*
    - Corporis. SPERNERE *alterius robur, vel formam.*
    - Fortunæ. IMPERIO *alterius obedire nolle.*
- Composita *cum iis malis, quæ officiãt vel bonis*
  - Internis *animi vt,* CVLTVM *ingenij interdicere.*
  - Externis *tum*
    - Corporis, *in*
      - Viuis: *vt*
        - Alimenta *denegare,* Domos *demoliri.*
        - Supplicia *ignominiosa.*
        - Mors *ignominiosa.*
      - Mortuis. CADAVERI *mortuo nullum honorem exhibere.*
    - Fortunę, *videlicet*
      - Diuitiis. *vt*
        - Hæreditate *exuere, & præterire.*
        - Bonis *interdicere.* Bona *publicare.*
        - Libros *exurere.*
      - Magistratibus, *tum*
        - Non *concessis.* REPVLSA.
        - Ereptis. MAGISTRATV *dejicere.*
      - Libertatem *adimere. In vincula conjicere.*
      - Sacris *interdicere,* Templis *arcere.*
      - Ciuitate
        - Non *donare.*
        - Eijcere. *Exempla* EXILII *in*
          - Genere, *varij modi.*
          - Specie, *vel*
            - Voluntarij.
            - Non *voluntarij.*
      - Festos *dies tollere, vel negligere.*
      - Monumenta *non erigere, destruere, &c.*
      - Triumphum *denegare.* Statuas, *imagines, trophæa ignominia afficere.*
      - Imagines *& picturæ turpes.* Arma *erepta, & in trophæum erecta.*



FELICES

FELICES DEI BENIGNITATE.

Consule tit. Benignitatis Dei erga homines.

FELICES NATVRÆ BENEFICIO.

Huc pertinent tituli, Regionum fertilium, quos sub loco Diuitiarum publicarum inferius enarrabimus: quatenus illic effectus, hîc efficientis ratio habetur.

QVI SVIS INVENTIS, ARTIBVS AVT CONSILIIS, se suóve perdiderunt.

Huc refer titulum, Consilium malum consultori pessimum: item, Qui in proprias leges peccauerunt, Est autem hæc summa infelicitas, vt in qua idem & agens & patiens esse videtur, proprióque gladio iugulari.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, magicæ artis inuentor (vt est apud Orosium lib. 1. cap. 4. Trogum li. 1. & alios) volens olim videri Deus, astris infectus, velut scintillas quasdam ex stellis producebat, vt rudes in stuporem miraculi traherentur. Tandem ab ipso dæmone, quem importunius frequentabat, succensus est. Clemẽs in suo Itinerario: & Antoninus tom. 1. tit. 1. cap. 1.

Lycurgus orator legem scripsit, ne mulieres in festo Mysteriorum, curru vecherentur. Quæ verò id fecisset, mulctam lueret, quam ipse idoneam quæstus constituerat. Prima verò ipsius vxor aduersus hoc præscriptisma deliquit, atque damnata pœnam subiuit. Ælian. lib. 13. de Var. hist.

Clisthenes Atheniẽsis, primus exilij supplicium introduxit, atque ipse primus eo damnatus est. Ibidem.

ZALEVCVS legislator Locrensium iussit, vt adultero deprehenso, neque oculus effoderetur. Quæ verò minimè expectarat, ea præter spẽ atque opinionem ipsi fortuna quædam obtulit. Nam filius eius deprehensus in adulterio, pœnam à paterna lege statutam luere debuit. Ibi ne, quod semel omnium sententiis confirmatum erat, irritum fieret: ipse pro altero filij oculo, sibi alterum eximi iussit, vt ne prorsus cæcus fieret adolescens. Ibidem.

PERICLES dux Athenienſium, cùm legem scripsisset, vt nemo ad gubernandã Rempub. accederet, nisi qui vtroque parente ciue natus esset, retigit eum ipsum legis vltio. Duos enim filios Patroclum & Xanthippum, quos legitimos habebat, cùm pestis morti dedisset, nothi superfuerunt tantùm, quibus potestas administrandi Rempub. per legem patris erepta erat. Ælian. lib. 6. de Var. hist.

PERILLVS in laborando ære faber egregius, postquam vaccam ex ære Phalaridi tyranno construxisset, vt nouum & crudelissimum tormenti genus, quo hospites aduentantes ad se torquere solebat: rãdem tyrannus in eum coniecit artificem: dignum profectò vt suo inuento crudelissimo, crudeliter quoque periret. Plutarchus in Parallelis cap. 73. Plin. lib. 34. cap. 10. Cicero in Orat. 5. Verrina. Quid. lib. 1. de Arte. Valer. Max. lib. 9. cap. 2. Orosius lib. 1. cap. 20. Claud. lib. 1. in Eutrop.

Sic opifex tauri, tormentorúmque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat ære dolori
Primus in expertum Siculo cogeate tyrãno
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum, &c.

ARVNTIVS Paterculus, cùm audiuisset Æmylium Censorinum crudelissimum tyrannum, magnifica munera offerre iis qui noua quædam tormenta, & inusitatum cruciandi genus inuenissent: equum ex ære fabricatum, vt in eo excruciandos iniiceret, tyranno donauit. Ille autem tum demique ad æquitatis cogitationem conuersus, muneris authorem primum intrusit, vt quam cæteris pœnam excogitarat, ipse subiret, patereturque. Aristides Milesius, & Plutarch. cap. 75. Parall.

QVI BENEFICIIS SVIS SE SVOSVE PERDIDERVNT.

Exempla quædam pete ex tit. Ingratitudinis.

CONATV, OFFICIO, INDVSTRIA SVA ALIIS prodesse, vel obesse.

Vide tit. Bonorum vel malorum. Illic enim prudentiæ in consulendo ratio habetur: hîc verò euentus boni vel mali, qui in alios ex consilio dato redundauit.

FELICES PROPTER CONVERSATIONEM BONORVM.

Consule tit. Imitationis theoricarum & practicarum virtutum.

Si inuenti fuissent decem viri iusti in quinque peccatricibus ciuitatibus, propter illos pepercisset, Dominus vniuersis petente Abrahamo. Genes. 18.

LOTHVS, cùm in oppidum Sigoris se conferre vellet, à Domino obtinuit, vt oppido illi parceret, ne vnà cum Sodomitanis periret. Genes. 19.

Laban propter Iacobi præsentiam, cuius seruitio quatuordecim annis fuit vsus, mirum in modum ditatus fuit. Genes. 30.

Propter IOSEPHVM benedixit Dominus domui Putipharis, Ægyptij magistri equitum, cui is seruiebat. Gen. 39.

Saul misit lictores ad capiendum Dauid, morantem cum Samuele & aliis prophetis. At illi prophetare cœperunt. Venit Saul, & prophetauit ipse quoque cum eis. 1. Reg. 11.

Propter IOSAPHAT regem Iuda Deum colentem, Elisæus propheta impetrauit aquas dari exercitui, in quo erant duo alij mali reges. 4. Reg. 3.

Audito crudeli mandato regis Nabuchodonosor, quòd debebant interfici cuncti sapientes Babylonis: DANIEL indicauit negocium sociis suis, vt quærerent simul misericordiam à Domino, & reuelata est per noctem visio Danieli. Vnde occasione Danielis serui sui pepercit rex, magis & sapientibus Babylonis. Dan. 2.

Veniebat IVDAS Machabæus ad capiendam Scythopolim ciuitatem: sed propter Iudæos qui intus habitabant, erga quos Scythopolitæ benigni fuerant, nil eis mali fecit. Imò gratias agens, hortatus est eos de cætero, erga genus suum benignos esse. 2. Machab. 12.

Homines qui erant cum PAVLO in naui, grauissima tempestate obortа, fuerunt omnes seruati. Nam dixit angelus Domini: Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum, Act. 27.

P. Rutilij adolescentiam, ad opinionem & innocentiæ & Iuris scientiæ, P. Mutij domus vehementer commendauit: vt est apud Ciceronem lib. 2. Officiorum.

INFELICES PROPTER CONVERSATIONEM CVM MALIS.

Innumera huius loci exempla possent afferri. Hesiodus in Ἔργοις πολλάκι γ' ξύμπασα πόλις κακῷ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ, ὅστις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανᾶται. Vide tit. Improborum consortium fugere. Item ex tit. Incestus profani, exempla quædam peti possunt. Item tit. Malæ imitationis in theoricis & practicis.

Quandiu fuit ABRAHAM cum peruersis hominibus in Hur Chaldæorum, non legitur ei Dominus apparuisse, licet bonus fuisse credatur.

Sed postquam inde exiuerat, multoties diuinis apparitionibus fuit visitatus. Gen.13.15.17.18.

Cùm quidam de Sauli prosapia superstites essent, contra Domini mãdatum, fames totam Iudæorum terram miserè afflixit. Illis tandem cruci affixis, Gabaonitarum opera, fames cessauit. 2.Reg.21.

ACHAN, cùm ex præda Hiericuntis clàm quædam surripuisset, populus Israel in prælio superatus fuit. Iosue 7.

Cùm ex diuino mandato omnes Palæstini ab Isaelitis occidẽdi essent, neque illi tamen paruissent, sed cum quibusdam fœdus percussissent, malè à Domino multati sunt. Iudicum 1 & 2.

IOSAPHAT rex Iuda, licet rectè vixisse prædicetur coram Domino: quia tamen amicitia illi intercesserat cum Ochozia rege Israel omnium pessimo, per prophetam Eliseum arguitur, & classis quam cum ipso communem habebat, prius quàm in Tharsis, quó missa fuerat, peruenisset, naufragio periit. Rursum alias naues communicatis impensis ædificare ab Ochozia tentatus, renuitiam damno satis edoctus, ne innocenti quidem securum esse cum perditis hominibus commercium. Marul.lib.3. cap.7. ex 2.Paralip.20.

Quandiu IVDAS Machabæus cõfidens de diuino auxilio gessit bella pro populo suo, bene ei successit: cùm verò iniuit amicitiam & societatẽ cum gentilibus Romanis, licet tunc potẽtissimis, citò pòst superatus fuit, & in bello cecidit. 1.Mach.2 & 9.

Simile accidit Ionathæ, fratri Iudæ. 2.Machab.12.

Cùm IVLIANVS apostata rerum potiretur, nouis & horrendis prodigiis totus orbis fuit diuersis in locis exagitatus, terræmotibus, eluuionibus, exustionibus, mõstris, ita vt ipsa rerum natura talem belluam abominari videretur. Niceph.lib.10.cap.35 & 37.

BRVTA, VEL QVÆVIS ALIA ETIAM INANIMATA, felicitatis aut infelicitatis causæ.

Vide tit. Eorum qui miro modo seruati sunt, vt puta à brutis.

FELICES.

Præclara est Solonis sententia, Ante obitum neminem beatum dici debere. Omnis enim motus non ab ipso fluxu, sed à termino ad quem fluit, & à forma quam assequitur, denominari consueuit. Vita autem perpetuus est ætatis decursus, in qua variæ offensiones obuenire possunt, quæ fluxus huius æquabilitatẽ interrumpant. Fit quoque interdum, vt eodem felicitatis tenore ad extremum vsque diem vita perduret: verùm finis ipse mœroris & acerbitatis plenus, infelicitatis causam præbet. Proinde quando de felicitate loquimur, modò intelligimus veram felicitatem & solidam, in qua termini extremi cum fluxu medio ijdem planè sunt: modò non veram, sed interpolatam & mixtam felicitatem, interuentu scilicet malorum, in qua termini à fluxu medio, aut à se inuicem dißident. verbi gratia, felix ortus & obitus, vita media ærumnis plena aut infelix ortus & obitus, vita media felix: aut felix ortus & vitæ cursus, obitus miserrimus & infelicißimus. Variis nam que modis hæc inter se mutuò opponi possunt, cùm neminem reperias, in quem omnia ista æqualiter cadant: hoc est, qui vel omnino sit felix, vel omnino infelix. Cæterùm quod ab initio huius Theatri monuimus, diligenter obseruandum est: nimirum, felicitatem aliam perfectam esse, quam Beatitudinem & εὐδαιμονίαν propriè appellari diximus, omnibus scilicet bonis animi, corporis & fortunæ instructam: aliam verò imperfectam & superficiariam quodammodo, felicitatem & εὐτυχίαν propriè dictam, quæ in externis tantùm corporis aut fortunæ bonis consistit. Et prior quidem illa, cuius ideam quandam Aristoteles nobis descripsit, in hominem mortalem non cadit. Posterior verò etsi in hominibus reperitur, varia tamen, mutabilis, inconstans, atque mixta: vt simpliciter & absolute nullus etiam ex his felix dici queat. Et corporis quidem bonorum copia Libro præcedente declarata est: fortunæ verò nunc explicabitur, à potiori semper denominatione facta. Conuertamur nunc ad species varias.

MVLTIS FORTVNÆ BONIS VEL VNO EODEMQVE TEMPORE, *vel certè in tota vita insignes. Quæ εὐτυχία etiam, siue Felicitas vulgò appellatur.* FORTVNATI & FELICES *in genere.*

Nefas sit (reor) & implum, ea quæ in MOSE euenerunt, cæcæ sorti, fortunæque voluminibus, non diuinæ voluntati imputare. Sed si quis vulgò temerè accesserit, nónne nouum putet & inauditum, deam, quam stulti fingunt, tam nouum lusisse ludum? Infans Moses parua inclusus cista, & in Nilum proiectus, cùm sine spe vlla salutis veheretur, crocodilo, cæterísque beluis id flumen innatantibus prædæ esse potuit. Cæterùm suo vagitu proditus, à regis filia & cœtu puellarum cum plausu excipitur, fitque regiæ domus alumnus, mox regni successor destinatus: ex seruo ingentis exercitus imperator factus, Æthiopicum bellum confecit. Eundem, vt inconstans est & varia, repudiauit, repudiatum exilio damnauit, damnatũ restituit, suæque genti vindicem ducémque designat: in asserenda libertate per medios fluctus pelagi pedestrem ducit exercitum, per deserta & inculta loca alit: ingentes hostium exercitus inermis fundit, legibus populum instruit. Sed qui hæc fortunæ opera credit, cum Leucippo delirat qui cœlũ & omnia quæ cœlo teguntur prouidẽtiæ ademit. Sab.li.7.ca.7.

An & DAVIDI parum indulsisse dixerit vanus hic vanissimæ rei cultor? qui ab ouium pastione accersitus, rex inunctus est, ex tot fratribus minimus natu: aut quòd penè puer Philistæum, immani statura virum, quẽ omnis Iudæa formidauit, vno ictu ex prouocatione peremit: quòd Saulum regem sibi infensum, bis cædi opportunum habuit, cum hoste nunquam infeliciter conflixit, quòd regnum furto ademptum breui recepit, inoffensaque vixit valetudine ad extremum vitæ prolémq; numerosam reliquit, & ex ea regem ex sententia designauit, vt posteritatis etiã securus moreretur. Ibidem.

SOLOMON, qui regnum per manus ab illo accepit, præter affluentes regni opes, sapientia humana omnes alios antecelluit mortales, ad quam cognoscendam ab extimis terris reges venêre. Templum omnium quæ in terris fuere, augustissimum condidit, conditum dedicauit, multa tam piè quàm sapienter scripsit: obiitque grandis natu, liberis & regno incolumi. Sed prouidentiæ sunt hæc, quæ prophanum vulgus mauult fortunæ fuisse. Ibidem.

PHILIPPVS Macedo, cùm eodem tempore accepisset hæc tria nuncia: quòd equestri cursu quadrigarum Olympia vicisset: quòd eius dux Parmenio Dardanos expugnasset: quòd demùm vxor Olympias ei filium Alexandrum peperisset, illicò tensis manibus in sublime: At tu, ô Fortuna, pro tantis bonis leui aliquo me malo affice.

Innumeris gradibus beneficiorum Q. METELLVM à primo originis die, ad vltimum vsque ætatis tempus, nunquam cessante indulgentia, ad summum beatę vitę cumulum Fortuna perduxit. Nasci enim in vrbe terrarum principe voluit, parentes ei nobilissimos dedit: adiecit animi rarissimas dotes, & corporis vires, vt sufficere laboribus posset: vxorem pudicitia & fœcunditate conspicuam conciliauit. Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextam largita est: fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, vnum etiam censorium, duos triumphales, & quartum prætorium videret: vt tres filias nuptui daret, earúmque sobolem sinu suo exciperet, tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia: cùm interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ. Hunc autem vitæ actum eius consentaneus finis excepit. Nam Q. Metellum vltimæ senectutis spacio defunctum, leníque genere mortis, inter oscula complexúsque charissimorum pignorum extinctum, filij & generi humeris suis per vrbem latum rogo imposuerunt. Val.lib.7.cap.1. Ei decem illa ornamenta affuerunt, quæ felicissimo ciui, in ciuitate felicissima possunt contingere. fuit enim strenuus bellator, orator optimus, imperator felicissimus, maximas res suis auspiciis gessit, summis honoribus vsus, insigniter sapiens, senator ornatissimus, pecuniam honesta ratione quæsiuit ingentem: plures liberos reliquit, clarissimus fuit in clarissima ciuitate. Cæterùm ne fortuna cũ vno semper eadem esset, hunc felicitatis cursum subito reflatu damnauit priuauítque hominem luminibus: ne non his tantùm, quæ in eum indulgenter contulerat, bonis frui non posset: sed etiam vt luce illa & splẽdore, in quo viuebat, priuaretur. Sab.lib.7.cap.8.

M. CATO Censorius summo omnium consensu obtinuit, vt & esset & diceretur Optimus senator, optimus orator, optimus imperator. Guido Bitur.

Quàm indulgenter, & in quàm multis fors hæc cũ AVGVSTO principe egerit, popularis illa Rom. ciuitatis acclamatio indicio est, in noua principum creatione: vbi in bonum omen sæpe est repetitum, Felicior Augusto, Traiano melior. Sed in hoc quoque magna censentur fortunæ volumina. nondum viginti natus annos, consul fuit. Imperator duxit exercitum. Maioris auunculi cædem vltus est ad satietatem: grauissima bella, Mutinense, Pharsalicum, Siculum, Perusinum, Ambracium, Ægyptiacum & Cantabricum, ex sententia confecit. Ianum tertio clausit: terrarum orbis regimen ad se receptum, ad extremum vitæ pacatissimè rexit: & hæc blandientis fortunæ. Cæterùm hæc eadem tam sæpe est & atrociter aduersis interpolata, vt difficile sit iudicare an mortalium quis-

quam fuerit Illam volubiliorem expert⁹. Vicit ille ad extremum omnibus bellis, sed sæpe interim exagitatus est, bis maris sæuitia classibus exutus. Italiæ fames vni imputata, inimicorum coniurationes, filiæ & neptis publicata adulteria, legionum cędes, amicorum suspiciones, infelicitatis argumenta tam multa præter hæc & magna, vt difficile sit iudicare, fueritne alternatio rerum, & inconstantia subscribẽtis fortunæ, an blandientis: quæ leua dulcissimos fauos manu ferret, dextera absinthium. Sab. lib.7.cap.8. & Volat.lib.23. Anthrop.

AGRIPPINÆ Augustæ inter fœminas Romanas, quæ ante eam fuerunt vni contigit, vt Romani principis vxor, soror, mater ac filia haberetur. Germanici enim filia fuit, quem Tiberius imperij successorẽ adoptauerat: Claudium Augustum, virum habuit, Caligulæ soror erat, denique Neronem peperit. Fulgos.lib.8.cap.16.

Constantinus Magnus præter alias animi dotes, ingentésque victorias ex hostibus Barbaris partas, receptáque Italia, Maxentio tyranno intra biennium victo, primus ex Romanis principibus Christianam pietatem est amplexus: Byzantiúmque Imperij sedes transferens, nouámque Romam appellari iubens, filiis relictis hæredibus, vitæ finem fœliciter sortitus est. Cui certè magnificentius nihil accidere poterat. Egnat. libro 8. cap.16.

FELICITAS SVMMA, NON SECVRA.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, cùm summa frueretur fœlicitate, admonitus ab Amasi Ægyptiorum rege, vt aliquo saltem, quamuis leui incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem: anulũ in mare proiecit, quem habebat charissimum, eiúsque iactura vehementer se dolere simulabat: cùm piscator quidam captum piscem Polycrati dono obtulit, quo exẽterato anulus in visceribus repertus est, quem Polycrates abiecerat. Ibi tunc Amasis Polycrati amicitiam renunciasse dicitur, cùm videret apertè, Fortunam ad grauiores casus eum reseruare. Nec defuit euẽtus. Ab Oronte enim Darij regis pręfecto, in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affixus est.

Philippus Macedoniæ rex, cùm vno eodémque tempore tria nuncia accepisset, equestri cursu quadrigas suas Olympia vicisse, Olympiã vxorem Alexandrum filium peperisse, Parmenionem denique ducem suum Dardanos vicisse: sublatis in cœlum oculis: At tu, inquit, Fortuna pro tot bonis leui aliquo nos affice malo.

CROESO Lydorum regi petenti, An se quisquam felicior esset? Solon respondit: Neminem ante mortem beatum dici debere. Nec multo pòst Cyrus Crœsum victum pyræ imposuit, vt combureretur. Ibi tunc: O Solon Solon, alta voce Crœsus inclamauit. Cyrus admiratus ignotum nomen, quísve deorum aut hominum esset, quem infelix rex in extremo discrimine inuocaret: postquam causam didicit, Crœsi inconstanti felicitate motus, eum liberari iussit, & in posterum honorificè apud se haberi voluit.

FVRII Camilli, & PAVLI Æmylij successus prosperos, non parua secuta sunt infortunia. Vide tit. Amor erga patriam extra bellum.

Africanus posterior in votis pop.Rom. deos precari voluit, non vt meliores ampliorésque res pop.Rom. facerent, sed potius eas perpetuò incolumes seruarent. Vide tit. Vota nuncupata.

Theramenes, cùm è quadam domo egrederetur, & illa subitò corruisset, exclamauit: O Iupiter cui me iam infortunio reseruas? Nec multo pòst à triginta tyrannis Atheniensium fuit interfectus. Ælianus.lib.9. Var.hist.

Prudens verbum fuit cuiusdam Spartani erga DIAGORAM Olympicis ludis. nam cùm victores Diagoras vidisset coronari filios, atque ex filia filiósque nepotes, eáque re multum lætaretur, dixit: O Diagora, nunc pulchrum moriendi tempus esset: magna enim prudentia ostendit, fieri non posse, vt tãtus fœlicitatis cumulus, alicuius rei infelicitate, ante mortem non compensetur: & tunc moriendum esse, cum viuentem plus vita delectat. Fulg.lib.7.cap.2.

AMBROSIVS episcopus, cùm apud diuitem quendam hospitandi gratia diuertisset, & ille se nihil vnquam in vita aduersi passum iactaret: euestigiò cum suis recessit, dixítque, ideo se inde fugere, ne vna cum homine perpetuis prosperitatibus vso simul pęreat. Haud ita procul excesserant, & respicientes, vident ędes illas cum omnibus qui ibi erant, terræ hiatu iam absorptas. Quàm ergo melius agitur cùm iis, qui identidem seculi huius premuntur angustiis: vt illic fœlicitatem quærant, vbi casus timeri non possit. Marul.lib.5.cap.3.

C. IVL. Cęsar Dictator, cum hoste quinquagies collatis signis (quoties Romanorum ducum nemo) conflixit. Verùm iam exacta ętate modũ adhibere voluit, veritus (vt credere est) ne fortunam, quam toties secundã habuisset, aduersam semel experiretur. Sabellicus lib.1.ca.6. Ethnicorum exempl. De senectute.

INFELICES ET INFORTVNATI.

Qui toto vitæ tempore infelices sint, nulli reperiuntur. Namque, vt poeta inquit, ---χαλτοῖσιν μεμίσγεται ἐσθλὰ κακοῖσιν. Fit tamen denominatio à potiori.

FORTVNÆ MIRA VARIETAS ET VICISSITVDO.

MOSES Israelitidis mulieris F. à matre propter metũ tyranni Pharaonis expositus, à filia Pharaonis exceptus, in aula magnificè educatur. Cúmque iam adoleuisset, & copiis Ægyptiorũ præfectus, magna strage Æthiopes vicisset, alerétque iam certam spem regni per successionem indipiscendi, repentè sunt illi omnia mutata. Perierat, nisi fuga solum vertisset: éstque repẽtè ex duce exul factus, ex successore infestissimus: pauit proinde alienas oues diu in Troglotytide. Reuisit demùm iacentem fortuna, sed prouidentia verius dixerim: & qui nuper seruiebat, vt par regi obiicitur: qui oues versabat, sexcentis hominum millibus præficitur: qui vni Batueli erat notus, apud omnes, omnibus fit gentibus illustris: & demùm qui suæ erat libertatis, indigus fit alienæ assertor. Vsqueadeò vis hæc (quæcunque est) omnia humana versat, lætis tristia miscens, & læta tristibus, nulla re magis quàm varietate gaudens: & quà non expectatur, ferè se ingruens. Sabel.lib.7.cap.8.

Nihil fuit DAVIDE sanctius, nihil SOLOMONE sapientius, nec tamen domus vlla atrocioribus pluribúsque sugillata est probris, vt Dauidis iuuenta dissimuletur, soceri sæuitiæ & furori obnoxia, vt mutuæ filiorum cædes, adulterium parricidio auctum, filiorum stuprum, Absolonis defectio, domesticum bellum, & contentio de summa rei: & mox, Solomonis præuaricatio, regni scissio. Vt nulli regum lares atrocius sint à domesticis vexati, nulli ab externis gentibus sanctius & venerabilius culti. Sab.lib.3.cap.9.

IOAS, cùm in crepundiis esset, omni virili stirpe Dauidicæ gentis crudelissimo Athaliæ imperio vno die extincta, vita donatus est, regno spoliatus. Puer tamẽ adhuc regnum recepit: receptum turpiter amisisset, nisi illud aliquãto turpius omni regia gaza fuisset ab eo redemptum. Ad postremum, ferrum, quod infans aliena effugit solertia, sua ipsius effugere non potuit. Sab.lib.lib.7.cap.8.

Inconstantissima vita fuit DEMETRII eius, cui Nicatoris cognomentum fuit. Nam cùm in prælio pater Demetrius Soter, Seleuci filius, aduersus Alexandrum Balantem, qui se Antiochi Epiphanis filium ferebat, vitam cum Syriæ regno amisisset, & ob eam causam ipse in Cretam profugere coactus esset: inde amicorum ope adiutus, Alexandro magnis viribus resistente, profecisset, nisi fortuna inexcogitato casu cum sublatisset. Nam cùm Ptolemæus Philometor, cuius filiam Alexander duxerat, genero opẽ in eo bello magnis viribus ferret, detecta proditione, quã in eum Alexander moliebatur, mutata in Alexandrum voluntate, iniuriam vlcisci decreuit, Itaque ereptam ex eius matrimonio filiam, Demetrio Nicatori coniunxit: fœderéque inito, cùm in Alexandrum arma, quæ antè pro eo habuerat, conuertisset, Alexander in Arabiam pulsus, illic est occisus, relicto filio Antiocho, quem Græci Theon appellarunt: qui Diodori Apameni, Tryphonis cognominati opera, Demetrium in Syria persecutus, paruo tempore, vt pater, regno eũ deiecit. Nicator verò, cùm se in Ciliciam recepisset, seruante eum ad alios grauiores casus fortuna, misso Syriaco bello, à Græcis quibusdam vocatus, in Parthiam se contulit, fretus Parthica expeditione confecta, facilius Syrię se recepturum esse regnum. Sed in contrarium res ei cessere: quippe in prelio à Parthis captus, apud eos in carcere est asseruatus. Variante autem sępius Syrię fortuna, post Antiochi Theonis ac Diodori mortem, item fratris Antiochi Soteri, qui in prelio à Parthis cęsus fuerat: Nicator à Parthis liberatus est, atque in aui regno restitutus. In quo variante iterum fortuna, haud diu mansit: nam ab Alexandro Zebenna, qui apud Ptolemæum Phisconem regem Ægypti in magna gratia erat, motis in eum armis, superatus pulsúsque, cùm Ptolemaidem ad Cleopatram coniugem se recepisset, ab ea reiectus, dum ceu attonitus inde abiret, in fuga captus, ac demùm crudelissimè interemptus fuit: cùm inter hos varios casus, Nicatoris finem (vt persæpe solet) lachrymis fortuna terminasset. Fulgosus libro 6.cap.11.

Varij etiam & miserandi casus fuerunt HYRCANI, Iudęorum regis atque pontificis: qui à fratre Aristobulo pulsus, & postea per Pompeium recuperato regno, cùm omnibus quę antè possederat, eius possessionem quadraginta annos quiete retinuit. Deinde à nepote Antiocho, Aristobuli filio, atque Parthis pulsus, desectis auribus, in Parthiam captiuus est deductus. Cùm autem temporis lapsu postea Antigono Herodes successisset, & arte magnísque promissis iterum in Iudæam perductus Hyrcanus, post tantam calamitatem in priuata fortuna quieturum se speraret, propter falsas suspiciones ab Herode occisus fuit: in cóque Assamoncorum regnum finem accepit: in quo fortuna visa est voluisse, quàm magnę varietatis atque inconstantię ipsius vires sunt, ostendere. Ibidem.

C. MARIVS maximę fortunę luctatio est, omnes enim eius impetus tam corporis quàm animi robore fortissimè sustinuit. Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, quęsturam Romę petere ausus est: patientia deinde repulsarum irrupit magis in curiã, quàm venit. In tribunatus quoque & ædilitatis petitione consimilem campi notam expertus, præturæ

candidatus supremo loco inhæsit, quam tamen non sine periculo obtinuit. Ambitus enim accusatus, vix atque ægrè absolutionem à iudicibus impetrauit. Ex illo Mario, tam humili Arpinate, tam ignobili Romę, támque fastidiendo candidato, ille Marius euasit, qui Africam subegit, Iugurtham regem ante currum egit: qui Theutonicorũ Cymbrorúmque exercitus deleuit: cuius bina trophæa in vrbe spectantur: cuius in fastis consulatus leguntur: cui post exilium Consulem creari, proscriptóque facere proscriptionem contigit. Quid huius conditione inconstantius, aut mutabilius? quem si inter miseros posueris, miserrimus: si inter felices, felicissimus reperietur. Val.lib.6.cap.11.

Proscripsit L. SYLLA Fustidium senatorem, seruatúsque est magis casu quàm hominum consilio. Idem postea annos sex & triginta à fortuna ampliatus, in Antonij, Lepidi & Octauij proscriptionem incidit: & quod ipsi sit fortunæ magis inuidiosum, constat tum demùm proscriptum: non quia hostis esset, sed quòd priore proscriptione seruatus. Sab.lib.7.cap.8.

METELLVS, qui fuit L. Metelli nepos, à Cotinio Labeone tribuno plebis violenter ad supplicium raptus, periisset haud dubiè, & ignominiosè admodum: eo consilio à tribuno arreptus, vt ex Tarpeia rupe præcipitaretur, nisi filiorum occursu, tribunorum intercessione ægrè impetrata, periculo subtractus esset. Cæterùm hic qui tam atrociter tunc periclitatus est, ex victoria non ignobili, Macedonici cognomen tulit: ac vita defunctus, à quatuor filiis est rogo illatus, vno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, & vno censorio: sed vix in hoc tãtum boni, quantum iniuria illa contumeliæ. Quanquam si paria sint, comparẽtúrque bona malis, nunquam tamen hæc cum illis æquilibrium facient. Sab.lib.7.cap.8.

Lusit in P. VENTIDIO fortuna, lusitque ad derisum vsque mortalium, & vitæ huius ludibrium. Ventidius bis puer ductus in triũpho est: idémque primus Romanorum ducum de Parthis triumphauit. & qui mulio fuit à principio, mox inopem iuuentam in caliga egit: dux factus eam gentem bello fregit, quæ vna omnium ad oriẽtem solem Romanos fregerat conatus. Ibidem.

Varij & mirandi casus LEPIDI atque BALBINI fuerunt. Nam Lepidus olim Triumuirorum primus, vtpote qui potentior erat, ius vitæ fortunarúmque in Romanos ciues habuerat. Sed postea ab Octauio triumuiratu depulsus, Romam venire coactus est: illic Balbinum rogare oportuit, qui superiore anno proscriptus fuerat. sed postea pace cũ Pompeio facta, Romam reuersus, Consulatum obtinuerat. Paruo enim tempore fortuna, quæ Lepidum ad tantam potentiam extulerat, eò deiecit, vt rogare eũ cogeretur: qui Lepido rerũ potiẽte, vnus maxime infelix ipsum rogabat: cuius etiã calamitas hoc magis augebatur, quòd Balbini seruis inuisus, aditu ad Balbinum prohibebatur. Qui enim aliis audiendo se difficilem præbuerat, apud alium sibi quoque restrictum ad res agendas aditum sensit. Fulg.lib.6.cap.11.

Varij ac graues A. VITELLII casus fuerunt. A Galba enim, in Germaniam ad regendos exercitus missus, in viaticum pecuniarum rationem nullam habebat, nisi vxoris margaritas vendidisset: quæ postea cum socru, in parte alienarum ædium habitauit. Ipse quoque, dum ab vrbe discederet, vix à creditoribus explicare se potuit. Is tamen ex tam humili fortuna ab exercitu in Germania creatus Imperator, Romam venit, Augusti nomine salutatus. Cæterùm fortuna, quæ tam feliciter arridere iis iniuriis visa est, breui tantam fœlicitatem in miseriam luctúmque conuertit: captum atque vinctum Vespasiani militares duces per vrbem traxerunt, apposito gladij mucrone sub mento, ne vultum obtegere ab iniuria posset, cùm cœno sordibúsque eum pueri incesserent. Cæsus per hũc modum, & ad scalas Gemonias coniectus, ad quas aliorum corpora proiiciebantur, quibus sepeliendi ius negatum erat. Tam variam fortunæ vim habuit: vt qui tam paruo tempore vtriusque fortunæ casus, tam variè tam grauiter tulerint, perpaucos fuisse arbitrer. Ibid.

Iam decimum annum IVSTINIANVS 2. Constantinopolitanus Imperator imperabat, cùm eo ipse tempore, quo se in imperio firmiorem arbitrabatur, à Leontio patricio captus, & imperium & nasum simul amisit: atque in exilium Chersonam, quæ in Ponto est, missus fuit. Leontius tertio anno post malè ademptum imperium, pari sorte qua Iustinianus, & naso & imperio priuatus, à Tiberio Absimaro, quem Punici exercitus per seditionem ad occupãdum imperium iuuerant, in carcere ita vt erat asseruatus est. Deiecto Leontio, Tiberius imperium occupauit, suspicionum plenus, vt eorum natura fert qui malis artibus in magnam fortunã conscendunt. Is cùm accepisset iuuenem patricium, Philippum Bardanium nomine, in somnis vidisse, capiti suo aquilam insidere, arbitrabatur ea re imperium portendi, eúmque in exilium Chersonam misit. Tollere quoque è medio Iustinianum decreuerat. Cæterùm Iustinianus re intellecta, ex virtute compulsus opem sibi parare, ad Chaganum Turcarum regem profugit: atque eius sorore in matrimonium accepta, cùm eius quoque opera cum Trebelio (Bulgarorum, qui inter Scythas numerantur, rege) fœdus iniuisset, magnis viribus ab vtroque adiutus, depulso Tiberio imperium recuperauit: inuentúmque in carcere Leontium, post longa tormenta publicè interemit, & propter priora mala suspiciosus, vt Tiberius, cùm eum bello cæpisset, ipsum quoque occidit. Cùm eodem modo perdere Philippicũ vellet, & Chersonam euertere, quòd in ea exulem se contemptum fuisse dicebat, contra multorum sententiam, qui ad humanitatem atque clementiam eum hortabantur, magna classe Chersonam profectus, à Cheronensibus atque Philippico, quos desperatio ad rebellionem impulerat, armis exceptus, atque insuper ab exercitu proditus, in fuga vnà cum Tiberio filio captus fuit. Ambos Philippicus securi percussit: qui de exule imperator factus, nec multo pòst ab Anastasio proditus, & lumina & imperium amisit. Ibid.

Magna quoque SANCTII II. Castulonensis regis fortunæ uarietas fuit. Nam cùm ingentibus copiis fratrem Garsiam, Gallíciæ atque Portugalliæ (Lusitaniæ enim portio est) regem obsedisset: is in rerum desperatione, ab vrbe eruptione facta, prælio Sanctium superauit: interim autem, dum Garsias fugientes insequitur, Aluarius Hauez Sanctium ab hoste recepit: & cùm ei Rodericus Biuar cognomento Cidus se coniunxisset, statim prælij mutata fortuna, ambo ex victore Garsiam captiuum fecerunt. Inde cum se hoc fortunæ successu Sanctius in alium fratrem Alphonsum Legionensem regem conuertisset, conserta manu superatus est. Per noctem autem collectis copiarum suarum reliquiis, Sanctius ex rerum desperatione ad tentandam fortunam compulsus, fratrem Alphõsum ob victoriam securè nimis agentem, & propterea imparatum adortus, fudit ac cœpit. Cæterum instaurato validius à Legionẽsibus exercitu, cùm iterum pugnasset, nouo prælio fusus Sanctius, ducebatur captiuus, nisi fortè Cidus superueniens, denuò ex hostium manibus eum recepisset: & cum Legionensibus egisset, vt contenti Alphonso, qui ipsorum rex erat, liberato, Sanctium liberè dimitterent. Ita paruo temporis momento, Sanctius bis se dominum eorum inuenit, à quibus ipse captus fuerat. Quo experimento clarè ostenditur, nullius prælij quenquam victorem dici posse, nisi posteaquam bellum finitum est. Ibid.

PETRVS Alphonsi 2. filius, magnis criminibus populis inuisus, ab eis regno pulsus fuit: atque Henricus eius frater nothus ei suffectus. Quamobrem, premente fortuna, Petrus Bononiam ad Galetanum principem Eduardi 3. Britannici regis filium se recepit, eius ope adiutus Henricum eiecit, qui in Aragoniam se contulit: vnde prius exul, ad capiendum regnum à populis vocatus venerat. Illic cùm exul miseram traheret vitam ægrè ferentibus Gallis, Petrum Britannorum armis restitutum, Beliramis Elaquignius, Galliæ magnus Connestabulus (ea enim post regem supprema dignitas est) Henrici causam suscepit: profectis iam inde Britannis, Petrum in arce Menteila obsedit. Cùm autem vltra resistere posse desperaret, duplex ab eo casu fama manauit. alij ferunt noctu accepta fide, ad Connestabuli tẽtorium venisse: alij profugum ab arce, in hostium manus incidisse. Vtcunque res fuit, constat, cum in Connestabuli tentorio esset, Henrici fratris manu, qui tunc fortè illic erat, interemptum fuisse. Ibidem.

GREGORIVS septimus, qui ita fregit Hẽricum tertium, vt brumali tempore nudis pedibus ad se ire coegerit, in Adriani molem metu compulsus, Romam vidit à Normanis incensam, & Clementem aduersus se pontificem creatum. Postremò ne in vrbe quidem, vbi dignitatis fastigiũ fuerat adeptus, contigit mori: Nullus Romanorum pontificum maioribus est fortunæ fluctibus iactatus, nullus susque deque magis vtranque vicem pertulit, vt prouidentia factum videri possit, quo ad humanæ vitæ exemplum fortuna & virtus in vno componerentur. Sab. libro septimo, cap.8.

Petrus Pannonum rex, cùm à proceribus pulsus esset, Aba in regno sufficitur. Petrus Henrici imperatoris ope adiutus, Aba interempto, regnum recuperauit. Sed quo tempore firmiorem se in regno esse putauit, noua eum grauíque calamitate fortuna circumuenit. Nam à principibus Vngaricis clam vocato Andrea, qui è regis Stephani stirpe ortus, ab Vngaria pulsus, per orbem terrarum inops errabat, captus, atque oculis priuatus, in carcere haud diu, pòst miserandum in modum periit. Sed ne Andreæ quidem fœlix hæc, vt videbatur, fortuna perpetuam se præbuit, nam cùm filium admodum puerum, diademate imposito, regni successorem, imò præsentem possessorem facere vellet: Bela eius frater, qui mortuo Andrea ad regnum aspirabat, adeò grauiter rem tulit, vt illato bello eum prælio vicerit, atque interemerit. Itaque partum post exilium Pannonium regnũ, ei acerbæ mortis causa extitit: satísque apertè ostensum est, in occulto manere ea quæ meliora sunt, persæpéque ab hominibus mala sua optari. Fulg.lib.6.cap.11.

HENRICVS sextus, qui tempestate nostra Britannicum regnum obtinuit, cum duodecimum annum non excederet, patri Henrico quinto successit. Britannicis autem populis per discordiam ad arma compulsis, ipse in prælio à Varuichense comite captus fuit. Sed haud lõgè pòst, apud sanctum Albanum à regina Henrici coniuge amicísque eius superato Varuichense comite, captiuitatem exuit. Cæterùm cùm ad Londinum vrbem Henricus cum victore exercitu veniret, Londinensi populo seditione agitato, cui Varuichensis ac Marchiæ comites opem tulerant, iterum Henricus prælio superatus capitur, regnúmque ad Marchiæ comitem postea Eduardum quartum nuncupatum defertur. Sed hoc non contenta fortuna, post duodecimum annum, quo Henricus carcere maceratus erat, Varuichensis comes aduersus Eduardum amorem in odium conuertit, coniunctóque Georgio Clarenensi comite, Eduardi fratre, Henricus liberatus atque in regno restitutus est. Eduardus autem in Belgicæ Galliæ partem, quæ nunc Flandria nuncupatur, fuga se recepit. Vnde post sex menses in Britanniam cum exercitu reuersus, Henricum non solùm regno depulit, verumetiam cępit, atque in carcere interemit. Ibid.

Reprehendi iure possemus, si insignẽ varietate fortunæ fœminam, quã præsentia tempora tulerunt, præteriremus. Hæc fuit ELISABELLA Aragonia. Cui quid maius ad honestandos natales dari potuit, quàm vt magnorum regum filia, neptis atque proneptis, fratrem, ac mox etiam patruũ Neapolitani regni possessores videret? quã vt ipsa auunculi filio, ętate, forma, atq; fortuna clarissimo, vtpote qui in Mediolanẽsi ducatu patri successerat, ipsa quoq; in ętatis flore nuberet? Sed postea, quæ acerbiora hostilẽ in eam induta animũ fortuna infligere potuit, quàm vt auitum regnum, puella, Turcarum armis infestum, in summo discrimine versari videret? quàm vt parentem, fœminam omnibus animi bonis in cœlestiũ

numero magis quàm inter mortales referendam, ante nubiles annos amitteret? quàm vt nupta cum viro, quamuis integra ætate essent, ceu pupilli grauius quàm sub tutore tenerentur: quàm vt auo, à Gallorũ rege Carolo 8. inferri arma videret? quàm vt belli formidine, è bona mente depulsum, parentem à regno profugum, & fratrem à patre successorem regni factum, inimicorum armis eiectum audiret. Grauissima hæc fuerunt. Sed quid quòd, postea frater recuperato regno, in ipso florentis ætatis ereptus est? & patruus, qui fratri successerat, Gallicis armis tunc regno depulsus est, cum rebus compositis se quietum regni possessorem fore putaret? Accedunt etiam miseranda magis fortunæ mala, quòd viro orbata, filium in paterni ducatus successione præteriri, & se ipsius iure priuari vidit, ac deinde sibi auunculi manu extorto Mediolanensi ducatu, dotem adimi: filium quoque ipsum in Galliam, apud exteras gentes in custodiam duci. Minus quidem sæua sunt, quæ postea ei contigerunt: siquidem in Neapolitanum regnum profecta, Bariensem ducatum, alias quoque nonnullas vrbes indepta, principatus formam aliquam retinere videretur: sed pristinæ ac maiorum fortunæ si hæc conferantur, non plus veterem restituisse dignitatis splẽdorem dici possunt, quàm solis fulgorẽ nocturnum atque exiguum sidus æquare. Ibidem.

FRANCISCVS Carrariensis iunior à Galeatio Vicecote Patauino principatu deiectus, patre eius in vinculis posito, cùm in Germania aliena ope victum quęreret, mutatis rebus, vt sæpe, Venetorum Florentinorúmque armis adiutus, Patauinum principatum recepit, eíque etiam Veronam addidit. Qua felicitate non contentus, cùm pro more humani ingenij, maiora etiam parare cuperet, molitus Vincentiam Venetis adimere, prælio superatus & captus, vniuersa quæ possidebat amisit: deductúsq; Venetias cum duobus ex liberis, quos habebat, vnà cum eis miserandũ in modum strangulatus est, Salutis anno 406. supra mille. Ibid.

Nulla vnquam scena tam volubilem egit fortunam, quàm sese ipsa his paucis annis spectandam præbuit in Neapolitano regno. Tradidit Ferdinandus senior regnum per manus ALPHONSO iuniori: is eodem anno, quo regnare cœpit, Gallorum metu regnum Ferdinando filio reliquit. Galli, qui Caroli Octaui ductu, bellum intulerant, Ferdinando eiecto, omnia occupant. Carolo abeunte intra annum Ferdinandus Neapolim cum regno recipit, receptum moriens Federico patruo tradidit habendum. Is à Ludouico rege, qui Carolo successit, pellitur. Galli demùm ab Hispanis, qui ex fœdere in regni partem venerant, non vno prælio victi, Caiecta nouissimè deiiciũtur. Et per hęc fortunę volumina penè plures numerantur reges, quàm anni, à maioris Ferdinandi interitu ad Hispanorum victoriam. Quę rerum inconstantia fecit, etiam illud in ore multorum, esse Neapolitanum regnum asino perquàm simile, qui clitella cum sarcinis deiecta sistit cursum, & agasonem respicit, onus iterum subiturus. Sabell.lib.7.cap.8.

Vno victus prœlio LVDOVICVS Sfortia, florentissimo excidit principatu. Sed vix tam celeri desperatione cessit, quanta paucis inde mensibus virtute & indole Mediolanum & circumiectas vrbes recepit, exercitum instaurauit, Gallos perculit. Erátque iam victor, cùm recentior vis multo priore infestior, in hostium potestatem deiecit, subita militum defectione proditum: vt tam breui successu ampliatus à fortuna dici possit, non adiutus. Ibidem.

Quanquam mores vno tenore incolumes seruasse videatur IOANNES Iacobus Triuultius in Gallico regno Marescalli honore insignis, variè tamen eũ fortuna habuit: adeò vt quamuis de viuẽte scribenti pudor atq; assentationis suspicio difficilem materiã faciant: tamẽ propter rerum magnitudinẽ, in quibus vitæ cursum hactenus trãsegit, sine iniuria præteriri videatur nõ posse, in eorũ numero, de quibus varietate fortunę mentionem facere cœpimus: in paucis enim enixius vires suas fortuna exercuisse videtur, si diligenter primordia eius cum mediis, mediáque cũ postremis collata fuerint. Sub principe nato honestior ortus contingere vix potuit, quam vt Mediolani parentem nancisceretur. Frãcisco Sfortiæ & ante post indeptum ducatus honorem, propter gentis nomen ac virtutem grauissimo: quàm vt ab eodem principe ipse quoque vehementer in prima ætate diligeretur. Sed nec minore gratia apud Galeacium fuit, qui Francisco patri in regno successit, inter eius pręcipuos sodales semper annumeratus. Ad potentiam quoque maiorem conscendit postea, sub Bona Galeacij coniuge. Siquidẽ post Galeacij mortem in eorum ascitus fuit numerum, qui primas in principatus administratione partes tenebãt. Cęterùm his successibus plurimùm etiam addidit, posteaquam Mediolanensis ducatus moderatio ad Ludouicum Sfortiam, Galeacij fratrẽ, translata fuit: omnibus enim tam externis quàm domesticis bellis, quę Ludouicus, dum nepotis personam sustineret, gessit, magna ex parte primarios honores Triuultius sustinuit. Id ostẽsum fuit, cum iis qui ad Venetos Parmensi agro defecerãt, illata arma fuerunt: cùm Ferraria, quam Veneti inuaserant, defenderetur, cum motum ab eisdem bellum à Mediolanensis vrbis finibus, in Brixianum atque Veronensem agrum translatum fuit: cũ Innocentius 8. pontifex, suscepta contra Ferdinandum Arragoniũ arma, omittere coactus fuit: cùm Bochalini tyrannide liberatam vrbem Auxinum, Innocentio 8. atque Romanę ecclesię ipse restituit. His rebus blandiri plurimùm Triuultio, & tanquam indulgens in eum parens esse visa est fortuna: quę haud multo pòst, ceu nouerca facta, cùm erga eum Ludouici immutasset animum, nónne ea quę citra mortem homini grauissima sunt intulit? cùm patrię finibus ipsum cedere coegit: & illa cum Arragoniis regibus Neapoli ad sustinendam vitam quęrere, quę domi debere propter res bene gestas largè ad augendam dignitatem expectare videbatur? Sed haud longo tempore immorata his malis fortuna, pręstitit, vt Triuultium exilij sedes altius eueheret, & ab Arragoniis regibus inter primarios militares duces creatus, nihil de pristina fortuna, dum res ipsorum stetit & tueri sua armis voluerunt, desiderare posset. Quid postea Carolo 8. Gallorum rege Neapolitani regni possessore facto, nónne ab eo benignè exceptus pristinam fortunam incolumen seruauit? cui vnus ipse quoque pręstitit, vt in Galliam rediturus, cum parua manu, Italię lõgitudinem, inter armatos populos, hostilésq; exercitus calcaret: & Astam vsque, id est in suos incolumen se reciperet. Idem etiam cum Ludouicus 12. qui paulo pòst Carolo in Galliarum regno successit, repetere tanquam hęreditario iure debitum Mediolanensem ducatum armis decreuisset: nónne effecit, vt quanquam viribus minimè inferior Ludouicus Sfortia, 16. die omnibus relictis, in Germaniam profugeret? atque inde 5. mense pòst reuersus, cùm iam ducatus magnam partem recepisset, apud Nouariam in regis potestatem veniret? Alia quoque, ad fœlicitatem cum virtute testandam, Triuultius egit, vt magis fortunæ varietas ostenderetur, sed quia expeditionum alios habuit comites, non est vt vnius decori ascribamus, quod ad plurium laudem pertinere posse videtur. Illud quidem ipsius erit proprium (quo magis, quanta sit fortunę vis, pateat) quòd in patriam reuersus, eorum possessor est factus, quę ab iis parata fuerant, quorum opera ipse patria caruerat. Quod autẽ de expeditionibus communiter à Triuultio cum aliis confectis diximus, ad Transalpinorũ motus id pertinet: quibus reprimendis, etsi ipsius virtus enituit, solius tamen decori ea res cedere non debet. cui Carolus Ambosia intererat, qui magno nomine regis personam in Italia sustinebat: qui paucis annis pòst, armis, de Ioannis Bentiuoli manu, vrbem Bononiam extorsit, ac Iulio secundo pontifici atque Romanę ecclesię liberam restituit. Ibidem.

QVI EX PROSPERA FORTVNA AD SVMMAM *miseriam peruenerunt.*

Consule titulum, Crudelitatis erga principes & tyrannos.

ADONIBEZECH Cananæorum rex, in prœlio à Iosue Iudęorum iudice captus, amputatis manuum pedúmque digitis, miserrimè in vita seruatus est: siquidem viuere is dici potest, qui eo modo habitus, in longam potius mortem coniectus videtur: fassus enim fuit, ea se morte septuaginta reges vicinarum vrbium affecisse: cùm longo eos tempore, veluti canes, sub mensa ad pedes suos pauisset. Fulgos.lib.6.cap.11.

Fuit IZABEL Ionabal Tyri atque Sydoniæ regis filia, Achab coniunx, qui in Samaria regnabat, ac Ioram mater: & tamen quæ fœlix visa est esse, ab Iehu milite duce suo, qui ab ea rebellauerat, filio regnóque simul priuari se conspexit, & postea ab alta turri præcipitem demitti. Demum corpus eius equorum pedib. detritum, esca canib. datũ, vt cum Iehu conquiri corpus ad sepulturam iussisset, nihil præter manuum digitos fuerit inuentum. Fulg.ibid.

PROTAGORAS Abderites, Menandri Thracum ditissimi filius, & Democrati primis annis auditor, in exilium pulsus ab Atheniensibus, quum sparsas toto orbe triremes Atheniensium videret, paruo se acatio credens, insulas continente permutauit: vbi tũc mercede dicitur primus omnium profiteri cœpisse. Plato cùm videret eum arte Rhetorica intumescentem, verbáque ex poetica plus iusto ostentantem, eius sermonem elegantissimè expressit. Hæc ex Sophistis Philost.

ALCIBIADEM Atheniensem, quasi duæ fortunæ partitæ sunt: altera quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam præstantissimam, fauorem ciuium propensum, summa imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimum ingenium assignaret. altera, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patrię, violentam mortem infligeret. nec aut hæc, aut illa vniuersa: sed varia, perplexa, freto atque æstui simillima. Valer.Max.lib.6.cap.11.

DIONYSIVS tyrannus Syracusiorum, possidebat nõ pauciores quadringentis seremes & quinqueremes, pedestres copias ad centum millia hominum, equitum nouem millia: in promptu habebat omnem apparatum bellicum quingentis nauibus. Reconditum frumentum ad centum modiorum myriades, & armentarium scutis, gladiis, hastis, tibialibus innumeris, thoracibus & catapultis plenum refertúmque, &c. Verùm paulo pòst sensit labante fortuna, omnium suarum rerum perniciosissimas vicissitudines. Rebus enim cùm destitueretur, crudelissimè etiam filios suos vidit mactari, virgineum pudorem filiabus eripi, atque deinde nudas trucidari. Ipse etiam cùm ex nimia violentia oculis laboraret, sedẽs in tonstrinis, risum hominibus mouit: & in media Gręcia, turpiter & pręter decorum, miserrimam vitam traduxit. Ælianus libro 6. de Varia historia.

IDEM iunior filius, Dionysij superioris à fortuna ad summam fœlicitatem euectus, cùm nimium fœlicitati suę fideret, multa contra dignitatem fecit, quę maximum postea exitium ei attulerũt. Cùm enim libidinosissimè Locrẽsium virgines magna cum ignominia prostituisset, à Dione regno exutus, statim varias vitę vicissitudines expertus est. Nam ob extremã mendicitatem cùm stipem petere cogeretur, tympana pulsando extremã

ætatem exegit. Ælian.lib.9.de Var.hist.Iustin.lib.21. cum Valerio Maximo lib.6.cap.11.Corinthi propter inopiam,puerulos literas docuisse asserunt.Vnde prouerbium, Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ.

Ad inuidiam vsque POLYCRATIS Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit:nec sine causa. Omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere,spes certum cupitæ rei fructum apprehendebat:vota nuncupabantur,simul & soluebantur:velle ac posse in æquo positum erat , semel duntaxat vultum mutauit perquàm breui tristitiæ salebra succussum,tunc,cùm admodum gratum sibi annulum de industria in profundum,ne omnis incommodi expers esset,abiecit:quem tamen cõtinuò recuperauit,capto pisce,qui eum deuorauerat. Sed hunc,cuius felicitas semper plenis velis prosperum cursum tenuit, Orontes Darij regis præfectus,in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affixit:ex qua putres eius artus, & tabido cruore manantia mẽbra:atque illam lęuam,cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat,situ marcidam Samos amara seruitute aliquandiu pressa,liberis ac lętis oculis aspexit.Valer.Max.lib.6.cap.11.

Sequitur hunc SIPHAX rex,consimilem fortunæ iniquitatem expertus:quem amicum hinc Roma per Scipionem,illinc Carthago per Hasdrubalem vltrò petitum ad penates deos eius venerát.Cæterùm eò claritatis euectus,vt validissimorum populorum non tantùm arbiter, sed & victor victoriæ existeret,parui temporis interiecta mora, cathenatus à Lælio legato ad Scipionem Imperatorem pertractus est : cuiúsque dextram regio insidens solio arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit.Caduca nimirũ & fragilia,puerilibúsque cõsentanea crepundiis sunt ista:quæ vires atque opes humanę vocantur,affluunt subitò, repentè dilabuntur,nullo in loco , nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt,sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta,quos in sublime extulerunt,improuiso recursu destitutos,in profundo cladiũ miserabiliter immergunt. Itaque neque debent existimari , neque dici bona,quæ inflictorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicant. Ibidem.

Q.CEPIO præturæ splendore,triumphi claritate,consulatus decore, Maximi põtificis sacerdotio,vt senatus patronus diceretur,assecutus , in publicis vinculis spiritum deposuit : córque eius funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemoniis iacens,magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.Ibid.

M.CRASSO pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit: sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem immisit.Siquidem bona eius à creditoribus,quia solidum præstare non poterat,venierunt.Itaque amara sugillatione non caruit:cùm egens ambularet,diues ab occurrẽtibus salutabatur.Ibidem.

GN.Pompeius potentissimus Romanorum est habitus,ita vt Agamemnon(quòd ipse quoque mille nauibus imperasset)vocaretur.Verùm intra octo illos dies,quibus olim de Mithridate & piratis triumphauerat, iam à Cæsare victus,in Ægyptum fugiens, per insidias obtruncatus est. Xiph.Dionis Nicæi abbreuiator,in Pompeio.

SEIANVS à Tiberio in consulatu collega ascitus,magnis laudibus à Cæsare,& ab omni populo,non tamen sine fraude,affectus , cum superbiens multa contra imperij dignitatem perpetrasset,à fortuna fluctuante in cinerem quasi coniectus est.Tiberius quippe,cùm iam occasionẽ nactus esset eum occidendi , omnes qui eum manè vt potiorem comitati fuerant in senatum,eum paulo post in carcerem trahebãt,vt abiectum & nefarium hominem:& cui coronam paulo antè dederant, eundem postea vinculis constringebant:quémque antea satellites stipabant vt dominum,eum deinde vt fugitiuum custodiebant,donec senatus decreto ad scalas Gemonias est præcipitatus. Cuius corpus triduo magnis opprobriis affectum,tandem in flumen proiectum est.Dion in Tiberio.

Domitius NERO ab immensis deliciis,quib.antè vtebatur,in omni re sua immodicus,omnium odio eum premente,in serui sui domum profugit:atque illic vrgente siti,qui aureis gemmatísque vasis assueuerat, veluti nouus Diogenes,quia aliter non poterat,è caua manu poculum sibi fecit : & cùm calcei deessent , atque ipsi in nudis pedibus per cannetum nuperrimè desectum transeũdum esset,vt occultè locum peteret in quo latêre posset,magna ex parte pronus,per terram in quadrupedis speciem perrexit,atque ne acuti cannarum stipites læderent, vestem subdidit. Ad hanc necessitatem redactus est,qui olim vrbes,prouincias ac regna dare consueuerat,vt calceos in pedes non haberet,manúque pro pedibus vteretur:& deficiente vase,manum pro poculo adhiberet. Ful.li.7.cap.6.

MAXIMVS Herculeius,Diocletiani opera iussúque è priuato homine Augustus factus,non mulro pòst Diocletiani suasu imperium deposuit,atque ad pristinum vitæ gradũ reuersus est.Cùm autem breui postea huius facti eum pœnituisset,Diocletiani filium Maxentium spoliare regno(quòd eum Maxentius exercitui præfecerat)conatus, vix militum effugere impetum potuit.In Gallia quoque,quò se ad Constantinum generum contulerat,cùm deprehensus esset, pares tetendisse insidias in fuga comprehensus,miserè suspendio vitam finiuit.Ful.lib.6.cap.11.

ROMANVS 2.qui Diogenes dictus fuit, Constantipolitanus Imperator,in bello à Belsech Turca Persarum rege captus,deinde auro redemptus,cùm se tutiore putauit esse loco,contemptus à suis ceu iners & excors,luminibus simul atque imperio priuatus est.Ibid.

Pulsus in exilium ANDRONICVS,à patruele fratre Emanuele secũdo imperatore,ortis seditionibus,ad Turcas profugit. Cæterùm postea reuocatus ab eodem, prouinciæ Ponticæ præfectus est. Interim, cùm Emanuele defuncto,filium impuberem,qui successerat, Alexius patruus regeret,auaricia atque crudelitate insignis:vt eius administratione,quæ omnibus inuisa erat,remedium daretur , Andronicus à populo vocatus est.Qui Constantinopolim profectus,& pupillum & patruum occidit,cũ ipsorum stirpe,ita vt vnus Isacius eam vim effugeret. Per hunc modum Andronicus imperio potitus,dum acerbè Isacium insequitur , quia fuga parere sibi salutem desperaret,coegit vt impar præter omnem rationem arma tentaret.Quamobrem,id quod omnium minimè Andronicus verebatur,& propterea paratos milites in vrbe nullos habebat,noctè Isacius Constantinopolim ingressus,populum ad arma exciuit: obsessóque in palatio Blaquerna Andronico,paruo tempore locum expugnauit,atque Andronico manus iniecit.Quem primùm effosso oculo , nudum in asino auersum constituit,asini cauda pro imperatorio sceptro data , cùm caput illi reste tanquam diademate cinxisset.Deductus autem per totam vrbem Andronicus,tandẽ furcis suspensus,fœdissimè vitam amisit. Ibid.

CLODOALDVS,filius Clodomiri regis,cùm vidisset fratres suos à patruis Childeberto & Clotario regib.interfectos,fuga sibi consuluit,auxilio procerum:& relicto regno presbyter factus est.Miraculis claruit,& vitam duriter exegit.Vincentius lib.21.cap.60.

AVITVS Aruernensis,ciuis & senator à Maximino Valentiniani Imp. parricida lectus est magister militum,pręfectus Galliæ prætorio,Visigothis amicissimus,& cum eorum rege Theodorico iuniore & Euricofratre fœdus ad Tholosam percussit. Eorum auxilio apud Treuirim occiso Maximo,purpuram induit:& à Gallis,Senatu populóque Rom.Augustus declaratus,Romámque profectus, cum Marciano Orientis Imp. fœdus iniit,& Pannonias amissas post multa secula Romano adiecit imperio. Mortuo Marciano,Leo Magnus Imperator Orientis,Maioranus Occidentis Cæsar salutatus est:qui Auitum vicit,victum Placentię episcopum constituit,teste Gregorio Turonense lib.2.cap.11.Niceph.lib.15.cap.11.ipsum post octauum Imperij mensem fame obiisse scribit.

Fuit Bruneusch Atagildi Gothi Hispaniarum regis filia,Sigiberti Metẽsis regis vxor:quæ cum postea ex Atriana catholicam se fecisset,& mutato nomine BRVNICHILDA diceretur,haud multo pòst, viro à fratre eius Childerico Gallorum rege occiso,ipsa in exilium acta fuit.Cùm autem clàm Merouco Childerici filio nupsisset,vt noua affinitas in eam Childerici animum leniret,comprehenso Merouco,ab irato patre,quia inuisas ei nuptias fecerat,denuò vidua facta est:quia Meroueus cum patris iram ferre non posset,sibijpsi manus iniecit.Post aliquot tempus, cũ Childericum,qui in regno Metensi patri successerat , accepisset mortuũ esse:magno labore assecutus est,vt ad regendam nepotum Theodeberti atque Theoderici infirmam ætatem proficisci posset:quibus,liberísque eorũ mortuis,à Clothario secundo,qui ad se vnum Gallicarũ rerum summam traxerat,regno se priuari vidit:atque inde grauissimis criminibus falsò insimulatam,miserandum in modum discruciari.Nam non contẽta fortuna,nudã nudo ac macilento equo imposuisse , atque per tota castra spectandã traduxisse:egit,vt pedibus ipsi equo alligata,per saxa , per vepres ac dumenta traheretur,dilaniatáque crudelè in modum corpus totum,vitã ageret.Res profectò & mira,& commiseratione digna, vt regũ filiæ,regum coniuges,ac regum matres,in eam calamitatem venirẽt,ad quem ne humili quidem fortuna ortus,nisi rarissimè & grauibus patratis facinoribus, vllus vnquam peruenit.Fulg.lib.6.cap.11.

BELISARIVS Iustiniani Imp.archistrategus,deuictis Persis,vltráq; Euphratis ripam deiectis,non multo pòst in Aphricam missus, Vandalos omnes eiecit , Gilimerémque eorum regem cæpit , déque eo postmodum triumphauit.Hinc in Italiam exarchus missus,Gothicum omne nomen contudit,Romam libertate donauit , de Vitige Gothorum rege apud Rauennam capto , Gothísque ipsis omni Italia pulsis triumphauit, omnibúsque in prouinciis maximè insignis semper extitit.Et ecce fortunæ(si qua est)vim subitam, víxque credibilem.nam captus oculis , in Sophiæ templo panem mendicare quotidie coactus est:frequenter hac voce vsus,Panem Belisario date,quẽ virtus extulit,inuidia oppressit.Egnat. lib 6.cap.10.& Pont.lib.2.cap.8.de Fort.domest.

Variam valde fortuna se ostendit in HENRICO quarto,& RICHARDO secundo,ambobus Britanniæ regibus.Indignatio vehemens Britannos populos cœperat,quòd Richardus cum Carolo sexto Gallorum rege pacem atque affinitatem iunxerat : cùm antè ipse ob eam suspicionem patruum ducem Glosestrensem interemisset,& filium Henrici Derbitensem comitẽ,fratrem patruelem , Parisios relegasset. Post autem aliquot annos,cùm Richardus parata classe, aduersus Yrlandenses (Batauorum enim populi sunt)nauigaturus esset,Londinensis primarius Britãniæ populus ad se Henricum vocauit,coniunctísque viribus , vtrique arma in Richardum mouerunt.Cùm omnes eum deseruissent , in vrbe Fluic obsessus,breui Henrici fidei se credidit . Demùm in Londinum vrbem deductus,cùm iudicium de eo ritè actum fuisset , indignus regno Richardus iudicatus est,atque coram eo ipsius magistratus occisi . Eo metu impulsus Richardus,regia veste atque diademate ornatus , cùm palàm per contumeliam nothum se,atque sacerdotis filium appellari audiret: Henrico regnum tradidit,imposito ei manu sua regio ornatu , quẽ ipse duos & viginti iam annos gesserat. Ita exauctoratus , & in carcere conditus, mortem obiuit.Henricus autem cõfirmatis cum Gallorũ rege induciis, de exule rex ob eam ipsam causam factus est, propter quam Richardus regno pulsus fuerat.Fulgos.lib.6.cap.11.

IOANNES 13 pontifex , populo Rom.ad arma per seditionem compulso,in vinculis habitus,miserrimè diem obiit:vt quidam tradidère,fame confectus.Ibid.

Idem 23.post quartum indepti Pontificatus annum , cum esset in Constantiensi concilio , damnationem suam confirmare : deinde Pontificatum deponere coactus,cùm fugam tentaret,in insula Rheni , cui sancti Marci nomẽ est,in carcere asseruatus est: atq; ab eo loco ad Bauariæ ducem transmissus,in vrbem Heydelbergam , illinc Manheyta in castrum deportatus,triennium per ignominiam , in rerum omnium necessitate peregit.Coempta demùm(ab occultis amicis adiutus magno auri pondere)fuga,Florentiam petiit,vbi Martinus quintus erat , eius in Pontificatu successor.Illic non sine omnium admiratione , ac simul commiseratione(quia in fugitiui hominis forma , lachrymabundus, humi genu nixus,supplicare aliis cernebatur:cui principes, reges , Imperatórque ipse non modò paruerant , verumetiam pedes venerabundi consueuerãt deosculari:qui præterea multos ad Cardinalatus honorem euexerat,qui tunc in eo consilio Pontifici assidebant)pontificatu priuatus,ingẽtis muneris loco,Cardinalatum accepit.Ibidem.

CONRADINVS Sueuus in Italiam aduersus Carolum 1. Neapolitanum Siciliæque regem, venit,cùm ius sibi in illis esse regnis diceret.Illic cùm superatus, ac mutata veste fuga sibi consulere vellet , anuli indicio cognitus,captus,inusitato miserandóque in regem more,in medio Neapolitano foro securi percussus,carnificis manu caput amisit : quod Germaniæ,Siciliæ atque Neapolis regnorum diademate ornari consueuit. Ibidem.

Ætate nostra miserabilẽ in casum HENRICVS incidit , qui olim Pomeraniæ ducatum obtinebat.Ea autẽ regio Polonis paret , ad mare Balticum sita,quæ pars recẽtiori nomine Sterlingorum sinus dicitur. Aquinus Noruegię rex,Olao filio impuberi testamento matrem Margaritam nutricem reliquit:& ante pubertatem filio decedente,Margaritæ ipsi regnum.ipsa ergo virtute insignis fœmina,ac potius inter excellentes belli duces,quàm inter mulieres referenda,aduersus Albertum Naupolẽsem ducem armis regnum egregriè defendit,bellóque superatum hostem in triumphum duxit.Quæ postea mortuo Olao filio,regni successorẽ Henricum constituit,quem Pomeraniæ ducem diximus,qui ei vicinus erat.Is cùm in Noruegia,Suetia,Daciáque annos quinque & quinquaginta regnasset,quo tempore senium se per quietem traducturum arbitrabatur, à Christophoro Bauariæ duce,tam multarũ prouinciarum regno pulsus est , sola ei Gothica insula concessa. Sed postea mortuo Christophoro , cui Carolus successit,intra breue tempus,ipsa quoque Pusilla insula,vbi exulare magis quàm regnare dici poterat, Hẽrico adempta est,qui iam decrepitus in Pomeraniam miserandum in modum redire coactus fuit, Neque verò CAROLO fortuna certior fuit.Nam cùm aduersus Deum hominésque impiè se gereret, Ioãnis episcopi opera concitatis ad arma populis,ipse quoque in exilium,in paruam fluminis Vistelli insulam pulsus fuit,in qua diem suum miserè obiuit.Ibid.

Varij fuêre eorum casus, de quibus iam dictum est:sed CASTRVCII Castracani Interminellensis Lucensium ducis admirandus extitit. Hic vrbe Luca pulsus per Guelfam factionem , in Gallia atque Britannia aliquot tempus militauit.Inde Lucam reuersus,vbi rerum potiebatur.Vgucio Fagiolanus,non lucentium solum,sed etiam Pisanorũ princeps, Vgucioni,quia Gibillinæ factionis fautor Castracanus putabatur,suspectus , in vincula cõiectus fuit. Cũ autẽ Vgucio Nerio filio imperasset,minimis quibusdam criminibus Castrucio obiectis,eum capite mulctare: Nerius verò Pisas ad patrem scripsisset,Non posse id sine tumultu fieri, propter amicorum,quos Lucæ Castrucius habebat,multitudinem: Pisis Vgucio discedens , vt huius rei gratia Lucam peteret, vix ex vrbis conspectu abierat,cùm populus Pisanus,clausis portis,arma arripuit, statímque de eo Lucensem populum certiorem fecit.Lucenses quoque ex composito arma capiunt,& vrbis portas claudunt.Ita paruo momento Pisas atque Luca Vgucio exclusus,pulcherrimum principatum amisit.Cæterùm à Lucensib.per tumultum effracto carcere, Castrucius liberatus , vt vir præstans,& Vgucionis hostis,à Lucensib.princeps creatur,& à Ludouico Bauaro Imp.titulum Lucensium ducatus impetrat : cui haud longè pòst Pisas atq; Pistorium vrbes addidit.Fortuna igitur rebus,vt eius est mos , variè mutatis,principatum ademptum ei qui Castrucium morti damnauerat,ad damnatum transtulit:& eum qui dominus fuerat , in exilium egit.Ibidem.

EX FELICIBVS INFELICES REDDITI, QVI MOX TAMEN *ad pristinam fortunam redierunt.*

IACOBVS patriarcha(in quo nescias maiórne sanctitas fuerit,an prudentia)sæpius humanarũ rerum inconstantiam expertus est. Nam cùm opibus & liberis Chananæorum esset longè princeps, orbatur repentè filiorum charissimo:sequitur hunc luctum dira fames:& qui cæteris mortalibus opitulari erat solitus,ad alienas cogitur opes confugere.torquet senem desiderium decem filiorum in lõginquam frumentationem profectorum.additur duplex luctus,& obsidis relicti,& alterius filij in suspectam terram ablegandi: & vnius viuax senectus tot modis torquebatur, cùm & is quem diu luxerat,& quibus demum timebatur, repentè restituuntur:eámque terram,quam nuper impensius horrebat,Iosephi cupidus,natali solo prætulit,in Ægyptũ cum tota domo profectus : vbi honorificè à rege acceptus, agrúmque ex sententia adeptus,in ocio & diuitiarum affluentia extremum vitæ tempus exegit.Sab.lib.7.capite 8.

Quid magis subitum esse potuit,quid minus euitabile, quàm cùm subita domus ruina cohortem illam obruit filiorum IOBI senis,etsi iusti & innocentis,humanis tamen casibus obnoxij? Secuta est iumentorum , pecorum,frugum calamitas.Accessit ærumnarum cumulo fœdissima tabes corporis,& putrescentis dira mendicitas:vt ex omnium nuper florẽtissimo,miserrimus haberetur.Sed quàm præcipiti lapsu corruit,tam celeri recursu omnia quæ amiserat recepit.Ibid.

DION Hipparini filius,in exilium missus à Dionysio , cum bis mille militibus eum rursus expugnauit : effecítque vt in quo statu ipse fuisset antea,in eum iam suæ calamitatis autorem detruderet. Ælian. libr.4.de Var.historia.

L.LENTVLVS consularis,lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus,Censor cum L.Censorino creatus est.Quem quidem fortuna inter ornamẽta & dedecora alterna vice versauit,consulatui illius damnationem,damnationi censuram subijciendo:& neque bonis eum perpetuis frui,nec malis æternis ingemiscere patiendo.Valerius libro sexto,capite vndecimo.

Cn.CORNELIVS Scipio Asina,Coss.à Pœnis apud Liparas captus, cùm belli iure omnia perdidisset,lætiore fortunæ vultu adiutus cuncta recuperauit,consul etiam iterum creatus.Quis crederet , illum à duodecim securibus ad Carthaginensium peruenire cathenas? quis rursus existimaret à Punicis vinculis ad summa imperij peruenturum fastigia ? sed tamen ex consule captiuus,& ex captiuo consul factus est.Ibidem.

AVGVSTO Cæsare imperante,facta proscriptione eorum qui in Iulij mortem aut conspirauerant,aut conscij fuerãt,cùm multi intra & extra vrbem interficerentur,etiam qui proscriptos clàm retinerent , atque defenderent:constat tamen plerosque proscriptos,qui incolumes euaserant,postea esse restitutos,atque ad reipub.gubernationem admissos.Ex quo intelligi potest,quanta sit rerum humanarum varietas , & fluctuantis fortunæ inconstantia.Dion.

ADELADA Augusta mortuo Imp.Lothario,Italiæ rege , à Berengario,qui imperium occupauerat,in carcere habita est,in Gardensi arce:in qua aliquot tempus tam angustè vixit,vt rerum omnium inopia premeretur.Inde cùm clam Veronam profugisset,in Leardi episcopi domum , atque ab eo in villa sua occultata,eius opera Ottoni primo nupsit:recuperatáque libertate simul cum imperio,cùm ex viro Ottonem 2.genuisset,ab eo Berẽgarios euerti,& carceris sui graues pœnas sumi vidit. Ful. lib.6.cap.5.

ANTONIVS Grimanus Venetus,qui postea dux fuit,cùm bello Turcico Imperatorem in Peloponneso ageret,& ingenti classe , nescio quo fato,Methonem oppidum,& reliqua continentis Græciæ castella amisisset,classísque etiam Turcica incolumis abiisset:domum reuocatus , carcerique inclusus,coactus est causam suam agere in maiori comitio:relegatúsque intra Dalmatiæ insulas indicta pœna,si fines violasset. Cæterũ ille,quum aliquot dies priuatus omni dignitate ibi egisset , mox Romã ad filium Cardinalem transfugit:cuius etiam opera adiutus,ab exilio reuocatur,dignitásque illi procuratoria primùm restituitur.Hinc defuncto Lauretano principe longè clarissimo,illi subrogatur dux. Egnatius lib.8. capite 1.

Quid memorabilius Victore Pisano totius rei maritimæ præfecto? Qui Nicolao patre natus , quum præclaras victorias ex diuersis hostibus patriæ peperisset,paternóque nomine illustris maximè censeretur (quasi fortuna ipsa vno eodémque loco semper stare sciat) Ligustico ad Clodiam bello exardescente vniuersæ maritimæ rei præficitur, omnium votis atque suffragiis. Quare cùm in Polensi littore cum tota classe quadraginta penè triremium agens, Ligurem ipsum hostem expectaret, ad omnem euentum animo constantissimo paratissimóque , sic vel præfectorum quorundam ignauia, vel fortunæ varietate , fatóque subitò est oppressus, vt vniuersam classem amitteret, Venetiásque cum paucis veniens carceri includeretur. Qui mox Clodia amissa totius populi voto expetitus,classi vniuersæ præficitur, magna certáque omnium spe præclari alicuius facinoris,nisi illum repentinus morbus,& ex eo improuisa mors sustulisset.Egnat.lib.6.cap.10.& lib.8.cap.1.

ARGON Tartarus,cùm arma in Tangodor Cham patruum cæpisset (qui rex erat Tartarorum in Perside atq; Armenia,& alio nomine Mahumetes dicebatur)prælio superatus ac captus,cùm ad mortem damnatus,Taurisium in Armeniam perduceretur,incidit in principem Tartarum,olim Argi parentis ministrum,à quo nocte proxima,vi facta,liberatus est,& Tartarorum princeps salutatus:Taurisiúmque , vbi morti designatus erat,vt princeps est deductus.Coactis autem illic copiis,in Mahumetem inuectus,eum interemit:atque per hunc modum in ipso Tartarorum regnum firmatum fuit, anno Salutis , ducentesimo octuagesimo quinto supra mille.Fulg.lib.5.cap.11.

MELECHNASER(qui fratri Melaeassaraph in Ægypti regno,ita volentibus Mamaluchis,successit,Salutis anno ducentesimo nonagesimo quinto supra mille)cùm propter teneram nimis ætatem, gubernator ei Gurboga Tartarus esset datus,qui alio nomine Melechadel dicebatur: regno spoliatus ab eo,in carcere conditus fuit , vbi per aliquot tempus infelicem duxit vitam,Sed quãquam Gurboga regno à Lachin Melechnaser pulsus esset:tamen nunquam captiuitatis finem habuit,nisi postea quam Lachinzs à suis cæsus fuit:tunc per Mamaluchos liberatus Melechnaser,atque in regno restitutus,longum tempus regnauit. Ibidem.

LVDOVICVS quartus,qui Caroli filius fuit , cum eo adhuc puero pauoris plena mater,post viri mortem,in Britanniam ad patrem se contulisset,& Rudolphus Burgundio Galiicum regnum occupasset , Rudolpho pòst aliquot annos defuncto,cùm Galli principes Ludouicum reuocassent , regnum recepit, ac patrem vltus est. Sed haud multo pòst , cũ Normandi in bello captum in carcere asseruarent , fortasse illic vitam

amisisset, nisi Lotharium filium obsidem pro his quę ab eo Normandi perierant, dedisset. Per eum itaque modum carcere liberatus fuit. Ibidē.

LVDOVICVS Aurelianensis dux pugnans aduersus regem Galliç, captus cùm esset, & in carcere custodiretur ad supplicium, à Carolo octauo rege, aduersus omnium sententiam atque opinionem absoluitur: atq; ab ipso rege, reserato carcere, equo impositus in regiam deducitur: nec multos pòst annos Carolo ipso absque liberis decedente, Galliarum rex creatur. vno patrum ac procerum consensu. Pontanus libro 2. de Fortuna, cap. 2.

CAZIMIRVS Poloniç rex (alio nomine Carolus appellatus) adhuc puer, post mortem Mestui regis Poloniç, patris sui, à regno in exilium pulsus, in abbatia Cluniaca, monachali habitu sumpto, septimo exilij sui anno, cum minimè amplius se in regnum putaret reuersurum, apertam in regnum viam inuenit. Nam cum sine duce regnum discordiis esset agitatum, & propterea dilaniaretur, vicinorum præda factum, cùm tantis malis vnius ipsius reditu occurri posse videretur, à populis in regnum vocatus fuit: atque à Benedicto nono pontifice ei concessum, vt monachali habitu deposito, regnum susciperet, atque vxorem ducere posset. Quod cùm egisset, liberos procreauit, & regni successores reliquit. Fulg. lib. 6. cap. 1.

BELA Vngariç dux (quæ secunda à rege in Vngaria potestas erat) cùm à Colomanno Vngariæ rege luminibus priuatus esset, quanquam in eas tenebras ac miseriam coniectus, minimè tamen animum cum lumine amisit: sed in Græciam profugit, vt meliori se fortunæ seruaret, quæ non defuit. Nam mortuo Colomanno, eius filius Stephanus Belam in patriam reuocauit: & cum sine liberis mortuus esset, in regno Bela successit. Itaque cùm annos nouem cæcus regnasset, filium Geisam secūdum successorem reliquit. Ibidem.

Mortuo Ludouico Vngariæ rege, MARIA eius filia regni hæres, sub matris Elizabethæ tutela regebatur: réxque, & non regina, gentis illius more nuncupabatur. Neapolitanus rex Carolus, qui eo nomine postremus fuit, Mariæ patruus, à multis Vngarici regni proceribus vocatus, cū ad eius regni fines cum valido exercitu venisset, etsi quo animo venerat (quamuis ipse propinquitatis beneuolentiam prætenderet) reginas non latebat: tamen quia resistendi facultas nulla erat, exceptus fuit, primò sub gubernatoris illius regni nomine: deinde cùm deteriora impendere viderentur, vt ipsarum reginarum postulatione Vngariæ regno coronaretur. Cùm hæc non sine reginarum ingenti dolore fierent, etsi fortuna rursum ab inuitis extorquebat, atque ipsæ quanquam in priuatam iam fortunam redactæ, in arce tamen Budæ manerent, sub aliarum rerum prætextu, rex Carolus inferiorem arcis partem, vbi reginæ habitabant, ab eis vocatus, Elizabethæ reginæ consilio, in caput lethale vulnus accepit: infusóque vulneri veneno, cùm præterea in carcere conditus esset, haud multo pòst animam egit, infantibus Ladislao & Ioanna secunda liberis Neapoli relictis. Ad hæc in Carolum patranda, reginas Pannonius eques iuuerat, qui gentis illius more, dum iter fit, armatus, subducendæ vxoris prætextu, ad eas iuerat. Per eum igitur reginæ tota arce potitæ, pristinam fortunam recuperasse videbantur. Sublato enim hoste, paruo negocio, consilio atque arte magis quàm viribus, in regni, quod eis magno exercitu Carolus ademerat, possessionem redierant. Itaque cùm eo metu solutæ, Budā profectæ, inuisere regni fines vellent: Ioānes Horuath Bauus (id præfecturæ nomen est) multis barbaris comitatus, in eas impetum fecit. Cùm autem in earum conspectu, omnibus qui Caroli neci interfuerant, caput ademptum fuisset, in tam fœdo spectaculo, in quo omnia sanguine madebant, reginæ, vt in ipsas quoque crudeliter sæuiretur, expectabant. Sed tunc à vi temperatum est: & conuiciis ingentibus oneratæ, ad arcem, quæ in Ioannis potestate erat, deductæ fuerunt. Illic ab Elizabetha iureiurando multipliciter certior factus Ioannes, filiam Mariam conspirationis in Carolum factæ consciam non fuisse, eam in carcere asseruauit: Elizabetham autem, id est matrem, vulnere, affectam, dum primus in mulieres ipsas impetus fuit factus, noctu in flumen demersit. Neque verò hoc satis fortunæ visum est (ostendere enim in tanta calamitate voluit, quantæ ipsius vires essent) nam cùm eo ipso tempore, quo Carolus interemptus fuit, reginæ Sigismundum Marchionem Brādeburgensem, quòd ei Maria desponsata fuerat, vocauissent, is iam ad regni fines venerat. Quamobrem territus Ioannes Horuath, cùm Mariam reginam sacramento adegisset, vt omnem iniuriam remitteret, ad virum eam dimisit: verùm à Sigismundo ea in arce, quam tenebat, obsessus, captúsque, in magnis cruciatibus mortem obiit. Cùm autem intra breue tempus Sigismundus ad imperium conscendisset, Maria quæ paulo antè de regno, ac paulo pòst de vita, magno in discrimine versata erat, Augustę nomen indepta, quàm varij sint fortunæ casus, & quàm etiam in miseris rebus spes tamen haberi possit, exemplo mortalibus extitit. Ibidem.

Perrarò puerorum regna quietem atque iusticiam sortiuntur, sicuti inter alios & in Ladislao Alberti filio prospectum fuit. Nam cùm ad eum per mortem patris Vngariæ Boemiæque regna, præterea etiam Austrasię ducatus peruenissent, ipséque regi potius quàm alios regere dici posset: adeò creuêre odia inter Ioannis Huniadis Vaiuodæ Vngariæ gubernatoris filios, atque Vlrichum Ciliæ comitem, Austrasiæ gubernatorem Ladislao affinitate coniunctum, vt Ciliæ comes, eorum opera, in vrbe Alba, dum in templo esset, occideretur. Ob eam cædem reuersus Budam rex, comprehensis Vaiuodæ filiis, maiorem natu Ladislaum securi percussit: minorem natu MATTHIAM, in custodia asseruauit. Cùm autem secum postea in Boemiam eum deduxisset, & sine liberis illic decessisset Georgius Pogibratius, illius regni gubernator, à Boemis ad regnum vocatus fuit. In Pannonia quoque legitimus rex in Ladislai morte ereptus erat. Itaque cum intelligeret Georgius, Matthiam & propter virtutis paternæ memoriam, & propter magnas propinquitates similiter, à Pannoniis electum regem, multis ab eo promissis oneratus, in Pannoniam ad capessendum regnum dimittitur. Vbi qui antè cathenis in custodia fuerat vinctus, regio diademate decoratus fuit. Fulgos. lib. 6. cap. 11. & Pont. lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 2. de Fortuna.

Matthiæ Coruini casibus haud dissimilis IACOBI Lusignani fortuna fuit. Nam in Petri Cypri regis adhuc pueri coronatione, cùm controuersia inter Venetos atque Genuenses de procedendi forma esset orta: atque Iacobi opera, regis patrui, quidam Genuensis nationis cæsi fuissent, Genuenses vt iniuriam vlciscerentur, missa in Cyprum ingenti classe, præfecto Admiralóque Petro Fulgoso, Dominici ducis fratre, vrbem Famagustam per arcem ingressi sunt, reginæ viduæ opera, quæ cum filio malè à Iacobo habebatur. Illic inter alios captus Iacobus, ac Genuam perductus, cum quibusdam aliis in turri Pharea asseruatus est. In ea cum nouē mansisset annos mortuo demum Petro rege, sine liberis, quia iure hæreditario regnum Iacobo debebatur, à Cypriis populis ad regnum electus est: missique Genuam ab eis legati, Iacobum à Genuensibus petierunt. Genuenses autem accepta Famagusta, magnúmque pacti census nomine auri pōdus, atque alia quædam, Cypris Iacobum dedêre. Qui à Genuensium duce ac magistratibus, à turri, in qua captiuus sine vlla libertatis spe degebat, ad nauem ingenti honore sub vmbella perductus est. Fulgosus ibidem.

Cum Bonifacius 8. Anania vrbe in LATIO ortus, nimium Guelfo nomini addictus, acerbè Iacobum Ioannémque Columnenses cardinales ambos, item SARRAM eorum fratrem insequeretur, non contentus ecclesiasticis eos honoribus priuasse: patrimonium etiam, atque alia bona quæ possidebant, ademit. Itaque cùm vitę suę Sarra vehementer timeret, diu per nemora errans, furtim his cibis, quos à pastoribus accipere poterat, alebatur, nemini propter Bonifacij odiū ac vires se credere ausus. Squalore igitur confectus, cùm insuper promissa barba demissique capilli totum obtegerent hominem, effigiem prorsus à consueta specie mutauerat, ac lacera veste tectus, ferę potius, quàm homini similis videbatur. Huius vitæ iam propter longitudinem impatiens, ad mare descendit, vt videret si quo modo inde ad tutiora loca abeundi viam inuenire posset. Illic à piratis Cathalanis (qui vt pecora in victum raperent, ad terram descenderant) captus: non ausus se, ne Bonifacio pontifici venderetur, detegere, remigariam seruitutem patienter accepit. Cùm postea piratę cum triremibus Massiliam attigissent, non ignarus Sarra, inter Philippum Gallorum regem cognomine Pulchrum, ac Bonifacium pontificem, graue odium atque inimicitias esse, clàm se ei detexit: redemptúsque à piratis, in Galliam ad Philippū perducitur. Qui cùm in Italia mortuus putaretur, in eam cum pecunia missus est: iussique pauci quidam Galli milites, non simul, sed sensim sequi, vt sub alio prętextu Italiam petiisse viderentur. Sarra igitur, cum Anagninis ciuibus Gibellinæ factionis inita conspiratione, scalis vrbem ingressus, Bonifacium securè in patria agentem, neque aliquid minus quàm Sarrę arma veritum, cępit: ei primum thesauros omnes ademit: deinde re verbóque non secus atque in hostem inuectus, vinctum Romam deduxit, vbi eum Tyberi immersisse putatus est: quanquam quidam scripserunt, Sarram à vi in Bonifaciū temperasse: sed Bonifacium, nimia indignatione, propter hunc casum, in furorem versum interiisse. Fulgos. ibidem: & Sab. lib. 7. cap. 8

CALIR Bassa, cùm consilio armísque polleret, omnia penes Mahumetem Turcarum regem, patrémque eius, moderamine suo gerebat: & tamen nulla legitima declarata causa, siue quòd eius magnitudo Mahumeti suspecta esset, siue quòd eius thesauris, qui ingentes erant, inhiaret, Mahumetes mane vnius diei Calir strangulari iussit. Ibidem.

Varia atque miseranda sors fuit GVLIELMI tertij Neapolitani Siculique regis. Nā cùm Gulielmus hoc nomine secūdus, sine liberis decessisset, regnáque ad Tancredum hæreditario iure peruenissent: aduersus Pontificem pro feudo contumaciter agentem, Celestinus 3. pontifex ex Panormitano virginum monasterio, Constantiam olim Rogerij regis filiam, iam anum, ad se acciuit, eámque matrimonio coniunxit Henrico Friderici Ænobarbi filio. Hinc graue cum Tancredo bellum est ortum. In quo cùm ipse decessisset, Gulielmus tertius eius filius in regno successit. Cum eo Henricus insidiosè pacem cùm iniuisset, fraude Gulielmum comprehendit, eúmque cum tribus sororibus vinctum in Germaniam misit. Illic non contentus eum luminibus priuasse, vt spem quoque successionis adimeret, genitales partes execuit. Itaque Gulielmus exemplum humanę varietatis satis grande reliquit, cùm se ex ingenti rege cū sororibus ad eam gentem captiuum vidit deductum, cuius linguam non norat: & exectis genitalibus, non tolli solùm propagandi nominis sui spem, sed ad grauiorem etiam calamitatem reseruari, prorsus extincta Guiscarda gente, ex qua olim permulti magni reges prodierant. Ibid.

CORSVS Donatus, ciuis Florentinus, & opibus & amicorum numero in patria plurimum poterat, ciuilibus discordiis in exilium pulsus, Caroli Senzaterræ opera, qui eum ad Pontificem miserat, vt vrbem Florentiam pacaret, in patriam restitutus est. Illic Nigræ parti adiunctus, Candidam eiecit: neque Nigrorum solùm, sed totius vrbis princeps habebatur, adeò enim opes aliáque omnia adiumenta auxerat, vt ciuilem statum transcendisse videretur, præsertim posteaquā Vgutionis Fagiolani, Pisani principis, filiam duxit vxorē. Quamobrem populo in suspicionem venit, tanquam tyrannidem in vrbe affectaret. Furens igitur arma populus atque libertatis vexillum cępit, ad Corsi ędes profectus, oppugnare eas cœpit. Ipse autem frustra conatus se armis tueri, cùm in momenta singula augeri aduersum se populi arma, eósque qui pro se arma

arma cœperant imminui videret, clàm in equum conscendit: & cùm milites quidam insequerētur, ipse aduerso casu ab equo delapsus, cùm pes ephippij retinaculis vinctus adhæsisset, collisus detritúsque vitam amisit, illic sine vllo honore tumulatus. Cum aliis exemplis ostensum sit, magno his stetisse, qui nimium fortunæ crediderunt: in hoc particulatim declaratur, multo plus eos delirare, qui populari gratia freti, ad honores conscendere nituntur, cùm plebis animis nihil incertius sit. Nam quod citò eius opera homines consequuntur, id longè celerius per ruinam & cladem adimitur. Ibidem.

ALVARVS Luna Aragonius, quanquam nobili ortus genere: tamen quia minimè legitimus erat, in magna rerum inopia versabatur. Cæterū vir erat magna industria, maioríque animo præditus. His virtutibus apud Ioannem Castulonensem regem in eam gratiam conscendit, vt nō contentus rex eum ad Sancti Iacobi magisterium, atque ad Castulonensem Connestabulatum euexisse, ab eo & se & regnum regi pateretur: vnus pecuniam publicam, vnus arma tractabat, vni etiam secreta omnia credebantur: propter hæc tantum sibi contraxit inuidiæ, vt eum patrueles regij, regina ipsa, filius quoque regius graui odio insectarentur. Itaq; ob eam rem per factiones diuisum regnum grauiter laborabat. Sed tandem mutata fortuna, rex Ioannes, qui ad eam diem immobilis erga Aluarum manserat, expugnari se delatorum scelere permisit: tulítque, vt Aluarus comprehenderetur, atque publicè in valle Olithana bonis publicatis interficeretur. Ibidem.

CICHVS Symoneta (quem nos ipsi vidimus) non magnis, honestis tamen natalibus ortus, in Calabria, Francisci Sfortiæ Mediolanensis ducis, & post eum Galeacij filij, consiliorum in moderando imperio particeps ob fidem egregiam, atque longi seruitij merita, & opibus & honoribus plurimum auctus erat: & quem locum apud Sfortianos principes patrem ac filium habuerat, incolumem etiam apud filij coniugem, illiúsque filiū tenebatur: eúmque diutius obtinuisset (nam & singulari prudentia præditus erat, & in multorum beneuolentia versabatur) nisi fortuna inuidisset, quæ in humanis rebus firmi atque diuturni nihil esse patitur. Eum enim, ceu scopulum, inter Galeacij fratres, ac cōiugem obiecit: & quia Cichus, vt viduę ducis ac pupilli saluti consuleret, Galeacij tres fratres, cum Roberto Sanseuerino, quorum magnitudo animúsque iam formidolosus esse cœperat, in exilium egerat: Ludouicus ac Robertus, armis in patriam reuersi, cùm res suas cum Galeacij coniuge composuissent, in Cichum, fœmina duce permittente, sæuierūt: direpta domo, populatis possessionibus, filiis per orbem terrarum sparsis, ipsum demum post grauia tormenta, senio iam confectum, neque de dominis quos habuerat, neque de populis aliqua in parte malè merētem, in Ticinensi arce securi percusserunt. Ibidem.

Vererer, si LVDOVICVM Sfortiam omitterem: de his scribens, quos variè fortuna affecit, atque in graues coniecit casus, id odio ne dedisse videret, quod ante omnia abesse ab historico debet. Nam patrui scelere, olim à Genuensi principatu deiectum, ipse quoque Nouensi oppido me, vt patruo meo morem gereret, profugere seminudum coegit. Sed vt hęc in me egerit, erepta post aliquot annos restituit: nec minus iucunda fuerunt quæ postea amicus præstitit, quàm grauia quæ hostis antè fecerat. Post Cichum igitur ei locum dabimus, quia non minus sæuè à fortuna habitus, inācipiti reliquit, dulcioráne fuerint quæ secūda fortuna assecutus est, an acerbiora quæ omnibus honoribus quos optare poterat, cumulato, ceu irata postremò inflixit. Pueriticiam eius non commemorabimus, in qua magnam indolem præ se ferebat: non parentes, nisi quatenus ducibus patre, auo ac proauo ortum, cùm postremò omnia amisit, ostendamus in grauiorem casum conijci non potuisse. Resecabimus igitur omnia, in quibus nulla insignis in eo visa est fortuna fuisse. Ab exilio reuersus (nam mortuo Galeacio fratre, cedere patrio solo coactus fuerat) non exilio solùm finem fecit: verùm suscepta etiam nepotis tutela, diu Mediolanensis rei moderamen, sine controuersia obtinuit. In eo statu, bello quo Florentinus populus Sixti 4. pontificis, ac Ferdinandi regis Neapolitani armis premebatur, finem fecit. Idem Ferdinandum ipsum, occupata à Turcis regni parte, grandi pecunia iuuit, Robertum Sanseuerinum in ministranda Mediolanensi re honoris participem, finibus expulit. Parmensis agri principes, qui cum Venetis sentiebant, cùm per alios debilitasset, postea præsens ipse debellauit. Ferrariam contra Venetorum arma defendit. Illatum Mediolanensi agro à Venetis bellum, in ipsorum viscera, per magnos militares duces transtulit, ac deinde dandæ pacis penes eum honor fuit. Haud multo pòst, iterum laborantem Ferdinandum principum suorum rebellione, in regnū armis asseruit: atque Rom. ecclesiæ opem tulit, vt de Boccalini tyranni manibus vrbs Auximum eriperetur. Genuam, quæ sub duce Bona Galeacij coniuge defecerat, vt imperium agnosceret, compulit. Alexandri 6. pontificis inopiam, pontificatus initio (nam parando pontificatu omnium egens factus fuerat) gratuita pecunia, atque ea ingenti sustentauit. Carolo Sabaudiensi duci, vt principatus sui proceres ad officium cogeret, auxilio fuit: ac postea Ludouicum Salucienscm marchionem patria extorrem, & cum eo alios proceres, quia per inuidiam pulsos apparebat, restituit. Blancam neptem, Maximiliano Romanorum regi, matrimonio iunxit. Venienti Carolo 8. Gallorūm regi, ad Neapolitanam expeditionem, cùm odia cum Aragonio Ferdinando, atque eius filio Alphonso intercederent, & pecuniam & arma dedit: redeuntem confecta expeditione, quia suspectus erat factus, vnà cum Venetis, prohibere conatus: ad Tarrum amnem, in Parmensi agro, non sine suorum clade pugnauit: & cùm antè Hastam vrbem Aurelianensi duci eripere tentasset, vt sibi in aperta suspicione à Gallorum armis caueret, ipse Nouariam amisit: ac demùm confecta cum Gallis pace, recepit. Non contentus titulo regendę nepotis rei, fauentem fortunam habuit, vt Dux ipse à Roman. rege crearetur. His rebus quid maius aut ipse optare, aut fortuna præstare potuit? & tamen omnia quæ in vita optare poterat assecutus, ea momento penè amisit. Mutata enim fortuna, quòd dum ad recipiendas Pisas Florentinum populum, veterem quidem amicum, sed tunc nullo fœdere coniunctum, iuuare contendit, Venetos fœderatos parum cautè læserat: Ludouici 12. Gallorum regis, & Venetorum ipsorum bello diuersis partibus, eodem tempore petitus, partum patris virtute Mediolanensem ducatum, cum neque milites, neque pecunia deesset, Alexandro pontifice simul annitente, intra 16. diem (quia ita trahere fata videbantur) amisit: cùm interim è tanto eorum numero, quos ipse in periculo seruauerat, nullus opem ferret: & domestici, quos in magnam fortunam extulerat, eum prodidissent. Sed hæc vtcunque ferri poterāt, quia amisso principatu, libertate tamen fruebatur. Cæterùm hanc quoque amisit, ex Germania 5 mense pòst reuersus, cùm Nouariam de Gallorum manibus magna virtute recepisset. Transalpinorum enim magna manu conducta, cùm plus apud eos hostium artes, quàm fides, valuissent, desertus à suis, & in Galliam perductus: non se solùm atque Ascanium fratrem captiuum sensit, sed insultantium quoque inimicorū, quorum ipse vitæ necísque potestatem habuerat, contumelias ac iurgia corā pertulit. Cuius vt fortuna grauior fieret, cùm postea spes aliqua liberato Ascanio fulgere visa esset, Romæ ad cumulandas ærumnas decessisse eū audiuit: exemplo humano generi semper futurus, vt neque nimia mortales optare velint: & quàm periculose spem in eorum ope reponāt, qui diuersam habeant linguam, diuersisque moribus vtentes: hoc etiam mali habeant, quòd in longinqua regione agentes, vt velint, rarò in tempore opem ferre longinquitas permittit. Ibidem.

OBSCVRI, VEL OBSCVRO LOCO NATI,
qui clari euaserunt.

ET PRIMVM DOTIBVS
ingenij.

PYTHAGORAS Samius philosophus, ob doctrinæ magnitudinem eius sectę princeps fuit, quam pòst Italicam nominauerunt. Nexarchus pater eius, in tenui fortuna anulorum sculptor fuit. Fulg. lib. 5. cap. 4.

BION Borysthenites, percontanti Antigono Homerico versu:

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες,

Sentiens, se traductum de generis ac gentis ignobilitate, respondit ingenuè: Pater meus libertus erat, cubito sese emungens. significans, eū fuisse salsamentarium. Addebat, illum Borysthenitem fuisse genere, non facie, sed in fronte gestare scripturam amari domini: matrem fuisse è lupanari. quum cætera item nudè commemorasset, adiecit versum Homericū:

ταύτης τῆς γενεῆς, τοῦ τοῦ πατρὸς εὔχομαι εἶναι.

Laert. lib. 4. cap. 7.

SOCRATES non solùm hominum consensu, verumetiam Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, Phanarete matre obstetrice, & Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum culmen gloriæ excessit, neque immeritò. Nam cùm eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cæca vagarentur, mensurásque solis & lunæ & cæterorum siderum loquacibus magis quàm certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum cōplecti auderent: ab his indoctis erroribus abductum animum suum, intima conditionis humanæ, & in secessu pectoris repositos affectus scrutari coegit: si virtus per seipsam æstimetur, vitæ magister optimus. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 4.

Socrates cuidam dicenti, ANTISTHENEM philosophum matre Threiicia natum esse, patre autem non tā barbaro, sed Atheniensi: Quid, inquit, an tu putas virum adeò præclarum ex vtroque parente Atheniēsi nasci potuisse? Facetè vir sapientissimus notauit corruptos Atheniensiū mores: indicans, potius è Thrace, Scytháue nasci posse virum bonum ac præclarum, quàm ex Atheniēsi. & hoc igitur quod habebat virtutis Antisthenes, matri Hybridi potius ascribendum, quàm parēti. Laert. in eius vita. Erasm. lib. 3. Apoph.

ANTISTHENES Atheniensis philosophus dicebat, obscuritatem esse bonum par labori. Aduersus illud Epicuri λάθε βιώσας. Multi student ignoti esse, quo viuant in ocio. At ignobilitas quoniam patet quorumlibet contemptui, non minus adfert negociorum, quàm famæ claritatis. Cuidam opprobranti quòd esset Hybrida, hoc est, non è duobus ingenuis natus, sed ex patre Atheniensi, matre Phrygia: Nec è duobus, inquit, luctatoribus natus, & tamen luctator sum. Sentiens, non tam referre vnde natus sis, quàm qui sis. Is verè liber est, quem philosophia liberum facit: & is verè Gręcus est, qui Græcorū disciplinis institutus est,

Laertius libro sexto, capite primo.

EIDEM cum quidam obiecisset, quòd matrem haberet Phrygiam: Et deorum, inquit, mater Phrygia est. Ridiculum arbitrãs, cuiquam probro dari patriam, quum in damnatissimis regionibus interdum nascantur omnium fœlicissima ingenia. Ibidem.

Anacharis Scytha, patre Guyro, matre Græca natus, quod genus Hybridarum à Græcis dicebatur. Laertius.

SOSTRATVS tibicen, cùm ei parentum obscuritas à quodam obiiceretur: Atqui (inquit) propter hoc ipsum admirationi magis esse debebam, quoniam genus à me incipit. Stobæus serm. 84. Maximus serm. 63. ad Socratem refert, nisi librarij fortè lapsus est.

MENEDEMVS Eretriensis, pauperis architecti filius, Phædri discipulus, nobilis inter Socraticos philosophus fuisse dicitur, ita vt illi statuæ fuerint positæ, vt author est Antigon. Carystius apud Volat. lib. 17. & Diogenes Laert. & Fulg. lib. 3. cap. 4.

Idem quum aliquando decretum tulisset ad populum, quidam ita tetigit illum, vt diceret: non esse sapientis neque tabernaculum conseuere, neque decretum scribere. Subnotans, quòd ex patre coriario natus esset, ipse quondam eiusdem opificij: nam olim tabernacula è pellibus caprarum consuebantur. Laert. lib. 2. cap. 18.

TYRTAMI philosophi, Lesbij genere (qui, tanquam diuinitùs datum loquendi genus haberet, Theophrastus postea fuit appellatus) fullo pater fuit. Fulgos. lib. 3. cap. 4.

Demosthenes Athenien sis, patre eiusdem nominis admodum paupere, vt qui cultellos factitaret, studio & industria in summũ oratorem euasit. Volater. lib. 15. Anthrop.

Euripidis tragicorum principis mater olera vendidit, pater incertus est. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 4.

ÆSCHINIS fama maior est, quàm vt vllius testimonio egeat: & tamen certis autoribus traditum est, Athenis natum patre inopi abiectóq; in tantum, vt publicè lucanicas venundaret. Fulgos. lib. 3. cap. 4.

Nicodorus ex obscuris parentibus natus, diu pugillatoriam artẽ exercuit, sæpéque victor in stadiis proclamatus est. At cùm in extremo ætatis suæ tempore vires deficerent, apud Mãrinenses legislator iustissimus factus est: & in reipublicæ gubernatione longè vtiliorem se patriæ ciuem præstitit, q̃ cùm in palæstra victor pronunciaretur. Ælian. l. 2. de Var. hist.

Magna olim fama Romæ atque in Italia ALPHENVS Varus Cremonensis sutor fuit. Profectus Romam paruo tempore sub Ser. Sulpitio ad tantam ciuilis disciplinæ scientiam peruenit, vt consul factus fuerit, & mortuus (quod raris contigit) de publico sepulturæ honorem assecutus sit. Fulg. lib. 3 cap. 4. Vide tit. Iureconsultorum.

Virgilio Maroni, quòd pater, vt victum pararet, figulinam exercuerit, aut etiam, vt quidam alij, operarius esset: non obstitit, quin inter eos qui obscuro orti loco grande nomen compararunt, principatum excellenti fama non teneat: quod ei nomen & doctrinæ magnitudo & carminis excellentia inter poetas peperit. Ibidem.

HORATIVM quoque Flaccum, lyrici carminis venustas, & STATIVM Papinium Thebais ac Sylua ad grande nomen pertulêre. Neque obstitit quòd Libertinus parens vtrique dicatur fuisse. Ibidem.

ÆTIVS, cùm Constantini Magni temporibus pauper ab initio natus esset, aurificinámque ob inopiam exercuisset: paulo post ita sese exercuit tum in aliis, tum præcipuè in medicinæ studiis, vt inter huius artis principes enumeraretur. Eius vitam copiosè describit Eunapius Græcus author. Volat. lib. 13. Anthrop. cap. 3.

DIGNITATIBVS ET MAGISTRATIBVS SACRIS.

Piscatores piscatorúmque filij fuerunt PETRVS apostolus ac IOANNES euangelista, tantúmque his initiis postea diuinæ gratiæ virtutisque assecuti sunt, vt nominis sui sanctimoniæque magnitudine totum terrarum orbem repleuerint: quorũ memoria iam post tot secula apud Christianos omnes, ceu qui in cœlestium numero primariis locis à Deo recepti creduntur, summa in veneratione est. Fulgos. lib. 3. cap. 4.

SIXTVS prim⁹, pastorali ortus tugurio, ad summũ Pontificatũ conscẽdit.

Ioannes 22. pontifex, ad Pontificatum virtute atque doctrina conscendit. In quo mores non per luxum ac desidiam corrupit, sed veri Pontificis sustinendo personam, Ludouici Bauari imperatoris efferatum animũ atque superbiam armis atque animi vigore contudit. Cui rei cùm multa alia per virtutem præclarè gesta addidisset, à vita discedens, Ecclesiasticũ imperium opibus atque existimatione longè maius, quàm acceperat, reliquit: & tamen pro explorato habetur, patrem ei natione Gallum, tanta inopia fortunęque humilitate fuisse, vt cerdonica arte vitam tueretur. Fulgos. lib. 3. cap. 4. & Egnat. lib. 3 cap. 4.

Thomas, natione Lunensis, ciuis Sarranensis, cuius mater oua & pullos vendebat, sub Friderico 3. Imperatore, cùm primò medicus esset, Subdiaconus factus, Bononiæ studiis profecit, aditus benignitate Nicolai Albergotti cardinalis S. Crucis. Missus deinde cũ Ioanne Carualialla Hispano ab Eugenio in Germaniã, Basiliẽsis Cõcilij, ac neutralitatis (vt ipsi barbaro vocabulo vocabant) tollendæ gratia: fautorem tunc Rom. pontificis Æneam Picolominæum, qui postea Pius fuit secundus, apud Fredericum Imperatorem nactus, omnia ex voto reportauit: ac sic in senatus ordinem receptus, vltimo in summum quoque Pontificem creatus est. Anno 147. & Nicolaus Quintus vocatus. Volat. li. 22. Anth & Fulg li. 3. c. 4.

Franciscus Ruuerus Sauonensis, Minorum ordinẽ professũs, patre nauta ortus, ad Pontificatum ascendit, & Sixtus 4. dictus est. Fulg. lib. 3. cap. 4.

INNOCENTIVS Octauus ab ineunte ætate coactus est ob paupertatem famulari, & inter Alphõsi Siciliæ regis ministros victum sibi comparare. Mox tamen Xisto 4. successit in pontificatu.

PIVS 11. Senensis, Æneas nomine, gente Picolominæus, apud Corsinianum castrum Senensium ob paupertatem parẽtum natus, in ipsa adolescentia peregrinatus, cùm magnam præ se ferret indolem atque ingenium, in Frederici imperatoris dignationem venit, eiúsque magister epistolarum factus est. Postremò rebus magnis, & legationibus etiam adhibitus est. Quúmque Eugenio in abrogando Basiliensi concilio magnoperè Romanæ fauisset Ecclesiæ, à Nicolao præsul Tergestinus, deinde Senensis, mox à Calisto Cardinalis, denique eius successor factus est. Volater. lib. 22. Anthrop.

Cùm quæreret aliquis ex Thoma Sarzanensi (qui postea maximum pontificatum adeptus, Nicolaus quintus appellatus est) qualis esset Eugenius papa quartus? At, inquit, hoc facile cognitu est: qualis familia est, talem & principem inuenias. Innuere autem volebat, nimirum obscurum ac vinosum esse hominem. Fuit enim loco adeò humili natus, vt ab oppido patriæ Sarzanæ admodum frigido, Lucensis agri cognomentum acceperit. Volat. etiam hoc in eo reprehendit, quòd nimio bibendi studio teneretur, perquisitis vndique vinorum generibus: quod vitium à parentibus fortassis, vt hæreditarium, animo insitũ fuit. Æneas Syl. lib. 4. Comment. de rebus gestis Alphonsi.

Æneas nostra non sine admiratione PETRVM Riarium Sauonensem vidit, ordinem Minorum profitentem: qui, quanquam non ignobili prorsus genere ortus, inops tamen, panem, vt ordinis eius mos est, mendicabat. Eum Sixtus quartus, cui diu in ordine suo ministrarat, ad Cardinalatum euexit, & præterea Constantinopolitani quoque Patriarchatus honore decorauit. Is in tantis opibus, tãtáque aureorum vasorum, ædificiorum, ac omnis generis vestium pompa, tam prodigè (ne largè dicamus) vixit, vt æquari multis regib. posset: Luculló que potius ac Xerxi, quàm Francisco aut Bernhardino (quorum ordinem profitebatur) videretur conferendus: atque omnes qui eius originis noticiam haberent, in admirationem conuerteret. Ful. lib. 6. cap. 10.

Robertus, fabri ferrarij Carnotensis filius, fortuna ad Attrebatensem Tornacensemque simul episcopatum euexit. Ibidem.

IOANNES Balua cardinalis, in Pictonibus, caligarij sartoris filius, astu fœliciratéque simul in eam fortunam eum Ludouico 11. Gallorum rege peruenit, vt regem vnus pro arbitrio regeret, & per eum se ad Cardinalatum euexerit. Quanquam postea deprehensus in regem conspirasse, in vinculis diu habitus fuerit, ac demum Sixti pontificis opera liberatus, Romam inops iuerit: vbi eum se gessit, vt sub Innocentio 8. postea mortuus ingentes reliquerit opes. Ibidem.

A simili gradu ad maiorem GVLIELMVS Brissonettus Turonensis cum Carolo 8. Ludouici filio conscendit. Nam apud eum ita gentem suã extulit, vt in eius propinquis quatuor Galliæ totius primariæ publicæ pecuniæ procurationes ac quæsturę, permultique, alij magistratus inuenirentur: ita, vt per ipsum ciúsque propinquos, omnis regia pecunia tractaretur, quibus eas sibi suísque quas volebat partes faciebat: eóque puerilem Caroli ætatem perduxit, vt penes Carolum regis tantum esset nomen, cæterùm regendi feuendique regni potestatem arbitriúmque Guilelmus haberet. Ob quam fœlicitatem Cardinalatus honore insignis factus, insuper Rhemensem episcopatum, atque titulum vnius è duodecim Galliæ paribus accepit. Ibidem.

Simili fortuna LVDOVICVS Patauinus vsus est, qui chirurgus erat, cùm ab Eugenio 4. in Cardinalium numerũ receptus fuit, & Aquileiensis patriarchatus honore factus insignis, opum magnitudine & apparatus magnificentia, excedere, nedum multos æquare reges putatus est. Tantũ sibi spiritus assumpserat, immemor generis, vt primus sit ausus Cardinalibus canes, equósque alere, conuiuiorum lauticię, ac suppellectilis, pluscuam illi ordini par erat, splendorem inducere. Volat. lib. 22. Anthrop. & Fulg. Ibidem.

Ioannes Vitellicus, patria Cornetanus, patriarcha Alexandrinus, ex humili loco in senatum ascitus, à pontifice deinde Eugenio 4. legatus Romam missus, tumultum compressit. Volat. lib. 22. Anthrop.

IOANNES Antonius, natione Campanus Theramnensis episcopus, omni scriptorum genere nulli ætate nostra secundus (vt pote qui præconum in dicendo laudẽ si non superauit, æquare saltem visus est) Cauellis Campaniæ pago (vnde ei Campano cognomentum fuit) ortus est, atque in eo puer pastoricians, vt antè pater, atque eius maiores, exercuit. Natura deinde iuuante, literarum prouectus in tantum percepit, vt scholę Perusinæ diu præfuerit: mox à Pio 11. Præsul factus, in contubernio Senensis cardinalis fuit. Volat. lib. 21. & Fulg. lib. 6. cap. 10.

MAGISTRATIBVS PROFANIS.

Imperatores.

AVGVSTVS Cæsar equestri familia ortum se scribit, vetere & locuplete. Vnde M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat, testionem è pago Turino, & auum argentarium. Cicero verò in epistola, eum nepotẽ argentarij, & filium adstipulatoris vocat. Volat. lib. 17. Anthrop.

Vespasiani, qui ad Romanum imperium virtute conscendit, ac duos filios, qui in imperio successerunt, reliquit, maiores Reate orti sunt, & vilexerunt. Inter eos T. Petronius centurionis ordinem, Sabinúsque filius primipili honorem non excessit. Fulg. lib. 3. cap. 4.

C. Aurelius Valerius DIOCLETIANVS, Iouius cognominatus, patre notario aut liberto: Dalmata, ob virtutem post Cari principis mortẽ, in expeditione contra Persas, vbi ordines ducebat, Imperator factus est. Volat. lib. 23. & Fulg. lib. 3. cap. 4.

L. SEPTIMIVS Seuerus, cùm maiores ex equestri tantùm ordine habuisset, sub M. Antonino varias prouincias consulares regens, iuuante Ælio Læto, exercitui Germanico præfuit: & vbi de morte Cõmodi compertum est, imperator Romanorum ab exercitu declaratus. Volaterran. libro

libro vigesimotertio Anthrop.

OPILIVM Macrinum seruum quidam putauerunt: sed liberatũ postea, lupanari operam suam locasse: relegatúmque non multo pòst in Africam, causarum actorem factum esse (alij gladiatorem fuisse aiunt) & postea in Aphricam munerum causa missum. Vndecunque autem emerserit, hoc liquet, ex humili fortuna, virtute atque industria sua, per Caracallam palatio præfectum, ad imperium deinde conscendisse. Dion in Macrino.

P. ÆLIVS Pertinax, patre libertino Ælio Successo mercatore natus, ab eodem nomen Pertinacis inditum, quòd lignariæ negociationi pertinaciter intenderet. A M. Antonino senator factus, prouincias consulares quatuor rexit. Mox à Commodo cum Perenne legato ad exercitum in Britanniam missus, seditiones multas compressit. Quamobrem cùm insensas legiones, ob corruptam disciplinam haberet, cedens sponte officio legationis alio successori, curam alimẽtorum suscepit. Postremò proconsul Africę factus, extincto Commodo ab exercitu, consentiente senatu, Imperator Romanorũ lectus est, cùm esset septuagenario maior. Capitol. & Fulg. lib. 3. cap. 4.

Par quoque originis obscuritas MAXIMVM Pupienum per virtutem mãcum Balbino eò deduxit, vt ipsum Senatus populúsque Romanus adversus Maximinos imperatorem delegerit. Etenim ferrario fabro ortum fuisse, quidam dicunt: alij fabro, qui plaustra conficeret. Fulgos. libro tertio, cap. 4.

MAXIMINVS è Thracia oriundus, patre Micea Gotho, matre Ababa Alana natus, opilio fuit à puericia, & à Seuero principe ob magnitudinẽ robustæque vasti corporis meruit in exercitu promoueri. Reuersus deinde post eius mortem in patriam, tempore Alexandri, vrbem repetiit: à quo ob fortitudinem tribunus leg. 4. factus est, addito laticlauo. Interfecto verò in Gallia Alexandro à militibus, in eodem loco cùm nec senator adhuc esset, statim vnà cum filio primus, sine senatus consensu, Imperator à militibus factus est. Capitolinus, & Fulgosius libro sexto, capite decimo.

MARTIANVS humili genere natus, suis rebus gestis & arte militari in imperatorem electus est, ducens Theodosij Imperatoris sororem, quo tempore Valentinianus in Italia imperabat. Volater. lib. 23. Anthrop.

PHILIPPVS inter Arabes haud bono genere ortus, virtute rei militaris promotiones cùm meruisset, in Persida post mortẽ Misithei à Gordiano præfectus prætorio creatur, & exercitui præficitur, & sic tandem à militibus Imperator declaratur. Idem.

Nihilo clariore ortu M. IVL. Licinius ad augustale culmen ascendit, propter virtutem, bellique gerendi scientiam Galerio Maximo Augusto comes datus. Is in Dacia puer patrem admodum inopem, in ratione cultúque agrorum iuuit. Cæterùm postea rustico opere in militare munus cõuersus, quatuordecim annos imperatorium sceptrum, miserando tamẽ fato, rexit. Fulg. lib. 3. cap. 4.

BONOSVS Imperator non modò ciuis Romanus non fuit, sed peregrino sanguine in Britannia natus, patre inope, ac magistro ludi literarij, ad Augustale solium euectus est. Ibidem.

VAL. Aurelianus, humili sanè genere ortus in Sirmio, aut Mœsia, aut Dacia, ingenti sua virtute apud Valerianum (vt eius indicant ad præfectũ vrbis Ceionium, & item ad Antonium Gallum Cos. epistolæ) maximo in honore fuit, diuersíque temporib. ducatus, tribunatus & vicariatus præbẽt. consecutus, sub Claudio equitibus ferè omnibus præfuit. Postremò in Imperatorẽ Romanũ electus, multa bella fœlicissimè gessit: vt Theocius, qui eius temporis scripsit historiam, testatur. & Volat. lib. 23. & Fulg. lib. 3. cap. 4.

AVRELIVS PROBVS è Sirmio Pannoniæ, patre Maximo, qui ordines duxit, tribunus militum à Valeriano factus: mox ab eodem, quòd in Syria aduersus Zenobiam strenuè dimicasset, deinde Firmum tyrannum in Ægypto superasset, honoribus auctus est. In qua expeditione Taciti imperatoris morte nunciata, Imperator ab exercitu, consentiente senatu, salutatus est. Vol. lib. 23. Anth.

VALENTINIANVS imperator patrem habuit, funes torquentem.

Longè minore fortuna, post Anastasium ad imperium prosiliit FL. VAL. Iustinus primus, neporémque Iustinianum reliquit. Thrax enim ignobili loco ortus, fubulcus ob inopiam fuit: inde bubulcus factus, postremò operam suam lignario fabro locauit. Fulg. lib. 6. cap. 10.

MAVRITIVS Cappadox, qui ab initio notarius fuit, deinde vigilum præfecturam sub Iustino secundo gessit: in Oriente imperator creatus, Tiberio 2. socero successit, vigintique annos imperium rexit. Ibidem.

A simili officio ad imperium THEODOSIVS tertius, in Oriente conscendit, Adramytteus genere, publicanorum enim scriba fuit. Ibidem.

BASILIVS, qui olim Abbati minister fuerat, captiuus inter venales Cõstantinopolim ductus, à Michaele Constantinopolitano imperatore in eam fortunæ magnitudinem euectus est, vt post imperatorem primus haberetur. Is demum, domino per scelus occiso, ad imperium in eius accendit locum. 17 annis imperauit, nõ minus infamiæ propter proditionem, quàm honoris propter Augustale nomen assecutus. Ibidem.

IOANNES ZEMISCES, Magister scholarum Orientis, in imperatorem post Romanum Iuniorem lectus est, imperauíque sex annis, vnà cũ Basilio, & Constantino pueris, Romani filiis, quorum sororem Theodoram in matrimonium duxerat. Volat. lib. 23. Anthrop.

REGES, *& Tyranni.*

Haud excellentiores putari oues, quas DAVID, patérque eius ISSAI, atque maiores pauerunt, quàm Agathoclis fictilia possunt: & tamen vt hic Syracusis, atque in magna Siciliæ parte regnauit: ita ille meliore fortuna partum totius Iudææ regnum possedit, tanta morum sanctitate ac sapientia, tanto animi atque corporis robore, vt post eum Iudæa verum regem nullum habuisse putetur, qui ex Dauidis stirpe non descenderit. Hoc quoque tempore per terrarum orbem, vt sapiẽs sanctúsque ac fortitudine clarus habetur. cuius Psalmi dum per omnem terram diuinas laudes resonent, qualis & quàm Deo gratus vates esset, ostendunt. Fulg. lib. 3. cap. 4.

Ptolemæus primus Lagi filius fuit, Lagus autem sub Philippo Macedonum rege inter equites annumeratus est, nullo alio honore maior. At PTOLEMÆVS sublimiore gradu apud Alexãdrum militauit. In cuius morte Syriæ atque Ægypti regnum sib vendicauit: à quo qui secuti sunt reges, per longum tempus Ptolemæi nomen ceu peculiare tenuerunt. Fulg. lib. 3. cap. 4. & Alex. lib. 1. cap. 2.

SELEVCVS inter Alexandri successores annumeratus, Asia Syriáque, ac multis aliis rebus potitus, cùm obequitanti Alexandro pedibus officiũ præstare consueuisset, virtute in tam excellentem fortunam conscendit. Fulg. lib. 6. cap. 10.

EVMENES Cardianus, inter Alexandri Magni successores annumeratus, virtute atque prudentia nullo eorum inferior, adeò inope abiectóque patre in Peloponneso natus est, vt se familiámque vecturis, quas curru præstabat, aleret. Ælian. libro 12. patrem Eumenis tymbaulon fuisse asserit.

ABARTHOMIVS cùm irrigare hortos Alexandro Magno consueuisset, ab eo Sydoniæ rex constitutus est, vt facto Alexandri magnitudo testata maneret. Fulg. lib. 6. cap. 10. ex Q. Curtio.

GYGES Candaulis Lydorum regis pastor regius, annulum habuit, in quo erat gemma tantæ virtutis, vt ea ad se versa inconspicuus esset, versa verò ad alios conspicuus. Propterea legatus ad regem missus, annuli beneficio ipsum interfecit, & stuprata regina rex è pastore factus est. Plato libro 2. de Repub. & Roterodamus in prouerb. Gygis anulus. Cicero 3. Offic. Volat. lib. 16. Anthrop. Aliter tamen de eo scribit Herod. libr. 1.

Cymis TELEPHANES regnauit, qui Cymensium terram excoluit, & plantis frumentisque conseuit: Lydi verò cum graui dominatu premerẽtur, atque audiuissent Cymæ quendam esse, missa legatione in regnum eum accersiuerunt. Hic in officina fabri plaustrarij seruus erat. Cui Lydi cum liberationis precium persoluissent, cum assumpserunt. Cúmque Cymensis quidam, qui currum ei fabricandum elocasset, abire prohiberet: atque multi, ne impedimento esset, iuberent, non destitit, sed cum mordace quodam scommate dixit, sibi permagnum videri, currũ à Lydorũ rege confectum possidere. Heraclides.

ASPASIA Hermotimi filia, Phocensis, in orbitate & penuria, modestè tamen & liberaliter educata, cùm forma cæteras virgines & morum simul honestate excelleret, Persarum regina facta est. Primò enim Cyro, à quo plurimum amabatur, nupsit: & eo interfecto, ab Artaxerxe etiam matrimonio copulata est. Historiam lectu dignissimam leges apud Ælianum de Var. hist. lib. 12. à principio.

ARTAXERXES humili apud Persas loco natus, imperium à Parthis ad suos transtulit, & Artabanum triplici prælio cum tota deleuit familia.

DARIVM, Hystaspis filium: audio Cyri pharetrophorũ extitisse. Herod. lib. 3. eum Cambysis satellitem fuisse. Vltimus verò Darius, qui superatus ab Alexandro est, serua natus fuerat. ARCHELAVS Macedonum rex serua Smicha progenitus erat. MENELAVS verò Philippi auus, in spuriis numerabatur. Huiúsque filius AMYNTAS, minister Æropæ seruus esse creditus est. PERSEVS, quem Paulus Romanus expugnauit, natione Argiuus erat, & parente quodam ignobili prognatus. Ælianus libro 12.

CLEON Sicyoniorum tyrannus, pirata fuit. Ælianus libro 12. de Var. historia.

ANTIGONVS Philippi filius, qui monoculus erat (vnde Cyclops appellatus est (sub Polysperge stipendia fecit, & latrocinia exercuit. Ælian. libr. 12.

AMASIS Ægyptiorum rex, cùm ab Ægyptiis contemneretur, quòd obscuro loco natus ad regium culmen peruenisset: ex aureo vase, quod ad turpes vsus seruierat, Iouis simulachrum confecit, confectúmque collocauit in vrbis eminentissimo loco. Quod cùm religiosè coleretur, indicauit, simulachrum ex eo vase constatum esse, in quo prius Ægyptij vomebant, mingebant, pedésque lauabant: nunc autem religiosissimè coli. eodémque modo sibi contigisse, qui prius plebeius, nũc eorum rex esset. Hac itaque fictione suorum subditorum animos sibi deuinxit. Herod. lib. 2.

DEMETRIVM Phalereum, è familia Timothei & Cononis seruum prouenisse ferunt. Ælian. lib. 12.

ARSACES, premente inopia, latrociniis per iuuentam operam dedit: coactáque exulum manu, quos Parthos nuncupant, deuicto Seleuco & Mandragora, in regem Parthorum assumptus est: quos ita instituit & formauit imperans, vt diem victoriæ tanquam natalem libertatis post multos annos solennem celebrarent: eiúsque nomen tam sanctum esset vt qui post illum regnarunt Parthorum reges, cognomen Arsacis sibi posterísque illustri titulo propagatum adoptarint. Alex. ab Alex. lib 1. ca. 2. Fulg. lib. 3. cap. 4.

Incunabula TVLLI Hostilij agreste tugurium cœpit: eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata. Validior ætas imperium Romanum rexit, & duplicauit. Senectus excellentissimis ornamentis decorata, in excellentissimo maiestatis fastigio fulsit. Valer. libro tertio, cap. 4.

SERVIVS Tullius, Romanorum rex, ex serua captiua natus Ocrisia, Lucio Tarquinio Prisco successit, à Romulo primo rege in ordine sextus, qui omnium fœlicissimè Romanorum imperio præfuit: cui quidem diutissimè imperium obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare contigit, ad summam autem, vnde processerit, aut quò peruenerit, statuæ ipsius titulus abũdè testatur, ferui cognomine & regia appellatione perplexus. Val.lib.3.cap.4. Liuius lib.1. Dec.1. Florus lib.1. cap.6. Dionys.lib.3. Eutrop.lib.1.cap.9. Ouid.lib.6. Fastorum. Plin.cap.7. de Viris illust. Alex. ab Alex.lib.1.cap.13.

TARQVINIVM Priscum ad Romanum imperium occupandum fortuna in vrbem Rom. aduexit: alienum, quòd exactum: alieniorem, quòd ortum Corintho: fastidiendum, quòd mercatore genitum: erubescẽdum, quòd etiam exule Demarato natum patre. Cæterùm ram prosperum conditionis suæ euentum, industriumq; pro inuidioso, gloriosum pro inuiso reddidit. Dilatauit enim fines Romani populi, cultum deorum nouis sacerdotiis auxit, numerum Senatus amplificauit, equestrem ordinem vberiorem reliquit: quódque laudum eius consummatio est, præclaris virtutibus effecit, ne hæc ciuitas pœnitentiam ageret, quòd regem de finitimis potius mutuata esset, quàm de suis elegisset. Val.lib.3.cap.4.

Herodes Antipatri F. rex Iudææ, qui Antipater filius fuit Herodis cuiusdam ædituj, in templo Apollinis ad Ascalonem sito. Antipater à prædonibus raptus, cum pater eum ob paupertatem redimere non posset, virtute emersit: & à C. Iulio Cæsare Iudææ tutor constitutus Herodes, titulum regis ab Augusto accepit, is qui pueros innocentes occidit. Iosephus Antiq. Iudaicarum lib.17.cap.8.

Longè vilior AGATHOCLIS parentis fortuna fuit, nec tamen paternæ obscuritatis filium puduit: qui quanquam penè tota potitus Sicilia, quia figulinam pater exercuerat, in conuiuiis inter aurea vasa fictilia quoque adhibebat, vt eodem tempore & paternæ obscuritatis, & magnitudinis in quam ipse euaserat, species repræsentaretur. Fulgos. lib.3.cap.4. ex Iustini lib.22. & Val.lib.13.cap.3.

Celebratur SEVERI imp. dictum: Omnia fui, sed nihil expedit. Sentiens, sese ex humili loco, per literarum ac militiæ officia, plurimis gradibus fauore fortunæ ad imperij fastigium fuisse perductum: sed nihil fœliciter cessisse, aut nulla in re sibi placuisse. Ælius Spar.

Ad hunc honorem, à seditiosis exercitibus, in Germania aduersus Galienum promotus est MARTIANVS, quanquam triduum tantum post creationem vixerit. Is in prima iuuenta ferrarius faber fuit. quod ei in contumeliam, à percussore, qui eum interemit, obiectum est, cum diceret: Martianum ipsum ensem excudisse, quo occidebatur. Fulgosus libro 6. cap. 10.

EVGENIVS tyrannus, qui à Theodosio rebellare ausus est, antè magister ludi fuerat: mox Valentiniani à secretis scriba: postremò Augustũ se compellare ausus est. Fulg. ibidem: & Egnat. lib.6. cap.9.

ATHENAIS Leontij sophistæ Athenien sis filia ethnica, à Theodosio iuniore honestè amata, cùm sacris vndis baptismi lustraretur ab Attico Magno episcopo Constantinopolitano, pro Athenai Eudocia dicta est, quia regi optimè placuisset. Gyraldus Dialogo 5. Hist. poet.

Non minus famæ inter Bohemos sibi peperit PRIMISLAVS, qui inopi atque rustico patre, dum arauit (sicuti Romæ Cincinnato contigit) à Bohemis ad ducatum vocatus, Libyssæ ipsorum duci vir datus est. Id autẽ equi augurio Bohemorum gens egit, quòd infrenatus recta ad Primislaum supra aratrum manducantem equus cucurrit: ea re impletum arbitrata, quod ei prædictum erat, scilicet apud Bohemos regnaturum, qui super ferream mensam manducabat. Eius adeò felix principatus fuit, vt Pragam vrbẽ muro cingeret: permultásque leges, quibus Bohemi vixerunt, conderet. Ea autem viri illius apud Bohemos reuerentia fuit, vt in primario templo ligneas soleas, quibus arans vtebatur, diutissimè seruarint: easque ceu sacram rem nouis regibus, dum diademate ornarentur, præferrent. Vbi autem, cùm ad ducatum vocatus fuit, arans est inuentus, templum conditum est: accolæque pagi illius, in quo ipse agebat, omni onere immunes facti fuerunt. Fulgos. lib.3.cap.4.

MAHVMEDES inter Arabas obscurissimis parentibus ortus, tum à puero ducendis locandisque camelis operam impendens, viduæ nuptiis auctus, Sergium nostratem monachum sibi fortè adiunxit: à quo vno persuasus, nos de Christo ridicula prodere: Iudęos verò, qui tum latè vagabantur, maximè impios, quod innocentissimum virum supremo supplicio affecissent, sic ad regnum gentis primùm aspirauit. Quòd vt facilius efficeret, diuinitatem simulandam sibi duxit. Duplici igitur hac arte vsus, faciléque leuissimæ primum omnium genti re approbata, armis coacta latronum manu, principatum gentis, in qua natus erat, occupauit: hinc copiis auctis bellum in Persas mouit, vt tamen prima acie victus, tum Sæpe nitharum Arabum opibus adiutus, qui ab Heraclio Byzantino principe desciuerant, victor. Tantum iam illi imperij fortuna clargita est, vt non solùm gentes omnes ad Orientem positas ditioni suæ subegerit, sed hac tanta labe vniuersum orbem infecerit: qui tandem inter scorta versatus assiduè, veneno cõsumptus esse creditur. In quo homine nescias quid potissimùm admirẽre, calliditatem primùm ingenij, & vafriciam, an gentis illius tantam stultitiam, an nostrorum principum (quod verius sit) negligentiam atque socordiam, qui ingruescentis tanti mali primordia non perspexerint, aut adultam tantam orbi labem armis (quod facilè factu fuerat) tum non oppresserint. Egnat. lib.3.cap.4. & Fulg. lib.3.cap.4.

OTHOMANVS primus Turcarum princeps, agrariis parentibus ortus, principio generis obscurissimo, breui tempore latronum in Bithynia, quæ sedes illi fuerat, comparata manu, vexare proximum quemque cœpit: mox etiam castellum extruere haud longè à Prusia ausus, tantas vires sibi assumpsit, vt Græcorum etiam rebus infestus, partem multò maximam Asię ad se subsq; traxerit: Orchanique filio post 20. & 8. imperij sui annum hærede relicto, ingentes opes, & Bithynię fermè totius sceptrum reliquerit. Egnat. lib.3.cap.4.

TAMBVRLANES, quem auorum nostrorum ætas armis iusticiáque priscis principibus æqualem, regni autem atque exercitus magnitudine Xerxe maiorem, nedum parem vidit, quantum percipi potuit: à Scythis ortus est, nõ regia stirpe, aut insigni aliquo stemmate, sed patrem extrema inopia pastorem habuit. Inter pastores ipse nutritus, & puerilibus ludis à pastoribus rex creatus, astu nouáque industria eos, vt iureiurando impetrata se facturos pollicerẽtur, impulit. Pecora igitur venũdare eos, atque vt à tam inopi vita se vindicarent, arma equósque comparare iussit. Hoc numero (ad quingentos enim peruenerant) quasdam mercatorũ societates, quæ per eas regiones magno numero præsidij gratia cõmeare solent, & vulgo Caruanæ dicuntur, armis deuicit: atque in partienda præda adeò se inter comites iustum liberalémque præstitit, vt mutatæ conditionis pastores non modo non pœniteret, sed fide amoréque erga nixius ei deuincerentur. Ad compescendam prædonum audaciam mille equitibus dux in eius regionis fines, vbi hæc aduersus mercatores gesta erãt, à Persarum rege missus: cùm à latronum duce in colloquium vocatus esset, latronis arte verbísque delinitus, ex hoste comes ei factus est. Interim inter Persarum regem fratrémque eius orta controuersia, fratris causam latronum duces susceperunt: cui postquam regnum asseruere, maiori exercitus parte ab eo impetrata, dum cum eo fingunt in exteris gentibus imperium parare velle, compulsis ad rebellandum populis: breui se, qui antè latronum princeps erat, Persarum regem fecit. Quòd autem ischia debilitatus erat, eius nomini Temir (quod Scytharũ lingua femur significat) lang Persæ addiderũt, quod verbum prisca lingua ischia debilitatum ostendit, coniunctísque ambobus verbis Temir lang nuncupatus fuit. A nobis autem verbo ob linguarum dissimilitudinem vitiato pro Temir lang, Tamburlanus est dictus. Hic Perfico regno Armeniam, Syriam, Babylonémque, atque ingentes alias gentes addidit, vrbémque Marcantam ambitu maximo condidit. Baiaziti Turcarum principi congressus ad Stellam montem, qui maximis copiis illi occurrerat, memorabili prælio vicit, cæsis omnibus eius copiis, eóque capto, quem in cauea adseruandum ita voluit, vt eo adducto, quotiescunque equum conscenderet, collum eius pede premeret. Marcantam postea vrbem à sese in Persis conditam, innumerabili hominum multitudine repleuit. Illud interim prętetire minimè debeo, moris illi fuisse, vt quotiescunque vrbem aliquam inuaderet, primo die tentorium album exponi iuberet: quasi verò significaret, dedentibus sese ciuibus nihil omnino nociturum. Quòd si in alterum diem facere neglexissent, tum rubrum tẽtorium exponi curabat, veluti sanguine omnia repleturus, quòd si in tertium etiam diem obstinati perstitissent, nigrum fumosúmq; explicabat, veluti igne fumóque quicquid superesset consumpturus, quod diligenter asseruari perpetuò voluerit. Huc adde, 150. annos vix expletos, quibus ille tantis præfuit rebus: nec sobolẽ tanti imperij in posteros suos transmisisse. Egnat. libro tertio, capite quarto. & Fulg. eodem.

Sed quam aliam magis mirandam, ab humili sordidóque loco mutationem, ad ingentem fortunam, quàm SVLTHANORVM Ægypti esse dicemus? Eos enim videmus prius oportere seruos fuisse, quàm ad eum honorem conscendant, manúmque illam, quæ aureum tantorum regnorum sceptrum acceptura est, necesse est ante defricandis equis, aut culinæ immundis ministeriis deseruisse. Ex tam sordidis autem initiis, in eam principatus sublimitatem efferuntur, vt ceu numina à populis suis colantur: estque Ægyptus tota, item Arabia, Iudæa, Palæstina, Mesopotamia, denique Syria omnis pareat, quorum singulæ partes quondam magnorum regum sedes fuere. Fulg. lib.6.cap.10.

Insignis, ab infima fortuna ad ingentem ascensus Mahumetis Auelanaginar Arabis in Hispania fuit. Regnante enim Alphonso Legionensi rege, adeò is fauentem habuit fortunam, vt è bubuleo, à Mauris, ad Beticæ, siue (vt nunc ferunt) Granatæ regnum fuerit euectus. Ibidem.

ABDELMONIO qui se totius Africæ regem fecit, parens dicitur fuisse Sigulus. Cæterùm à falsis prophetis Mahumetanæ legis eum sibi populorum fauorem conciliauit, vt pulso vero rege, regium nomen inuaderet: atque rex creatus Africæ, magnam quoque Hispaniæ partem adderet. Fulg. lib.3 cap.4.

DANIEL sacerdos quidam, cuius ingens apud Francos erat opinio, primò palatij præfectus: deinde à præfectura ad Regale fastigium prouectus est, & pro Daniele Chilpericus appellatus. Michael Ritius libr.1. de Regibus Francorum.

PIPINVS frater & eremita in Soractę, ob ignauiam Childerici Francorum regis, decreto Zachariæ Romani pontificis ex præfecto prætorij rex creatus est. Ritius lib.1. de Regibus Francorum.

BABA, cùm studiosus agriculturæ esset, ab aratro ad principatum Leonis Romani pontificis beneficio euectus est. Electus ergo in Hispanorũ regem, Mauros Hispanię littora cum classe ducentarum septuaginta nauium ingressos, ingenti prælio fudit, classémque igni succendit. Ritius Neap. lib.2. Reg. Hispaniæ.

CONSTANS ex monacho in regem, à Vuortegirno cõsule Gemuseorum electus est: qui & vice episcopi, capiti eius diadema imposuit. Sigeb. in Chronicis.

Ad regium solium, magnúmque nomen LAMVSIVS tertius Longobardorum rex ascendit, qui à matre, quæ publicè quæstum faciebat, cum aliis fratribus tum cum ipso ortis in fossam proiectus, vbi aqua stagnabat (quæ Longobardorum lingua Lama nuncupatur) fortè in ea ab Agelmundo Longobardorum rege conspectus est: atq; hasta, quam is manu tenebat, tactus, quia infans eam apprehendit & tenuit: Agelmundus illius tam teneri vigore permotus, nutrirí infantulum iussit, atque à Lama, in qua eum primò viderat, Lamusium nominauit. Is adeò virtute excelluit, vt Agelmũdo in regno succederet, atque eius stirps magna gloria vsque ad Alboinum in Longobardis regnaret. Fulg. lib.3.cap.4.

Quibus viis ad dignitatibus & magistratibus, tam politicis quàm bellicis, Consules, Prætores, Duces.

IPHICRATES Athenien sis, vir militari scientia insignis, posteaquã Lacedæmonios prælio deuicit, atque Epaminundæ feros animos retudit: in eam existimationem venit, vt Persarum rex Artaxerxes Ægypto arma illaturus, ducem eum quæsierit: miniméque barbarus rex, indignum sibi duxit, Græcæ se virtuti subiicere: & tamen tanti viri, patrem sutorem fuisse constat. Initium gloriæ inde consequutus est, cum ipse saucius hostem armatum ac viuũ corripuit, & in suam nauem transtulit. Hunc cum Harmodius haberet contemptui, quòd ex parentibus esset abiectissimis: Meum (inquit) genus à meipso sumit initium, tuum autem in te finit. Plutarch. Guido Bitur. Fulgos. lib.3.cap.4.

CALLICRATIDES, Philippus & Lysander, Mothaces in Lacedæmonia vocabãtur. Quod nomen imponebatur iis, quos patres in Gymnasia locupletum exercitatum mitterent. De iis Lycurgus, qui id cõcesserat, legem tulit, vt qui in liberorum disciplina permanerent, eis ad publicas dignitates & officia gerenda in rep. Lacedæmoniorum aditus pateret. Ælian. lib.12.

MANDRO fuit quispiam, qui ex nauiculario factus est imperator. Hinc adagium, Fuit & Mandroni siculna nauis.

PHOCION, Iustus cognomine, patrem habuit, qui cochlearia concoqueret.

THEMISTOCLES, qui Barbaros nauali prælio fudit, solúsque deorum voces in oraculis proditas explicare potuit, Thressæ cuiusdam filius erat, quæ Abrotonus appellata est. Ælian. lib.12.

HYPERBOLI, Cleophontis & Demadæ patres, rametsi principes in Athenien sium repub. extiterunt, difficulter quis retulerit. Ælianus libro duodecimo.

METRODORVS Sceptius, licet propter nominis famam pauperrimus fuerit, clarum tamen coniugium apud Carthaginenses adsecutus ehcémque in amicitiam Mithridatis regis venisset, ad eum cum vxore migrauit, in honoréque fuit. Ex Strabone recitat. Volat. lib.17. Anthrop.

Miro gradu TER. Varro ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit: & quidem fortuna parum duxit, sordidissimæ mercis captus inquinari solito, duodecim fasces largiri, nisi etiam L. Æmilium Paulum dedisset collegam: atque ita se in eius sinũ infudit, vt cùm apud Cannas culpa sua vires populi Romani exhausisset, Paulum quoque, qui prælium committere noluerat, occidere pateretur, illum in vrbem incolumem reduceret. Quinetiam Senatum gratias ei agẽtem, quòd redire voluisset, antè portas eduxit, extudítque, vt grauissimæ cladis autori Dictatura deferretur. Val. Max. lib.3.cap.4.

Non parnus consulatus rubor M. Perpenna, vtpote qui Cos. antè quàm ciuis: sed in bello gerendo vtilior aliquanto Reipub. Varrone imperatore. Regem enim Aristonicum cæpit, Crassianáque ftragis punitor extitit: cùm interim cuius vita triumphauit, mors Papia lege damnata est. Namque parrem illius, nihil ad se pertinentia ciuis Romani iura compleram, Sabelli iudicio petitum, redire in pristinas sedes coegerunt. Ita Marci Perpennæ nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis similc imperium, caducus triumphus, aliena in vrbe improbè peregrinatus est. Ibidem.

MARCI Porcij Catonis incrementa publicis votis expetenda fuerunt, qui nomen suum Thusculi ignobile, Romę nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo literarum Latinarum monimenta, adiuta disciplina militaris, aucta maiestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato. Ibidem.

P. RVTILIVS non publicanum in Sicilia egit, sed operam publicanis dedit. idem vltimam inopiam suam autorato sociis officio sustentauit. Ab hoc postmodum Consule leges vniuersi Siculi acceperunt, acerbissimóque prædonum ac fugitiuorum bello liberati sunt. Portus ipsos (si quis modò mutis rebus inest sensus) tantam in eodem homine varietatem status admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animaduerterant, eundem iura dantem, classésque & exercitus regentem viderunt. Ibidem.

T. Antidius cùm Asiatici publicani exiguam admodum particulam habuisset, postea totam Asiam proconsulari imperio obtinuit: nec indignati sunt socij, eius parére fascibus, quem aliena tribunalia adulantem viderant. Gessit se etiam integerrimè ac splendidissimè, miróque id modo demonstrauit, pristinum quæstum suæ fortunæ, præsens verò dignitatis incrementum moribus suis imputari debere. Ibidem.

C. MARIVS humili loco natus in villa Priuernate Arpinas, septies consul fuit, legatus primùm Metello in Numidia, criminando consulatum adeptus, Iugurtham captum in triumphum duxit. In proximum annum consul vltrò factus, Cimbros in Gallia apud aquas Sextias, Teutones in Italia in campo Sammidio vicit, déque his triumphauit, vsque ad VII. consulatum ex ordine. Liuius, & Plinius de Viris illustribus & Plutarchus.

M. ÆMYLIVS Scaurus, quamuis pater eius patricius carbonariam exercuerat, ille tamen multis apud Romanos dignitatibus exornatus est. Ædilis enim iuri reddendo magis quàm muneri edendo studuit. Prætor aduersus Iugurtham pugnauit. Consul legem de sumptibus, & libertinorum suffragiis tulit, Censor viam Æmyliam struxit, vt est apud Cæcilium in eius vita.

P. VENTIDIVS Bassus, quem Picenum fuisse genere, scribit Aulus Gellius Noctium Atticarũ libro quintodecimo, capite 4. vir fuit humillimo loco natus. Cuius mater à Gneo Pompeio Strabone, Pompeij Magni patre, bello Sociali, quo subegit Asculanos, capta est. & puer ipse inter cæteros ante currum Imperatoris, matris sinu vectus est. Postea cùm adoleuisset, victum sibi satis ægrè quæsiuit, quem & sordidè reperit in fricandis & tergẽdis mulis. Demùm Caio Cæsari notus, cũ eo profectus est in Gallias, eiúsque amicitiam captans, Tribunus plebis, deinde Prætor creatus est. Sed eo tempore iudicatus hostis à senatu cũ Marco Antonio: pòst tamen coniunctis partibus, non pristinam modò dignitatem recuperauit, sed & pontificatum, ac exin consulatum adeptus est. Quam rem tam ægrè tulit populus Romanus, qui Ventidium Bassum in curandis mulis victitasse cognouerat, vt vulgo per vias scriberetur:

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens:
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Eundem etiam Suetonius Tranquillus à Marco Antonio prouinciis Orientalibus præpositum esse scribit: & Parthos in Syriam irrumpentes tribus prælijs fudisse, de quibus primus ipse triumphauit. Tandem mortuus, publico funere sepultus est. Guido Bitur. In eodem etiam illud eximium, quòd eodem anno prætor & consul est factus. Val.lib.6.cap.10.

SPARTACVS Thrax, Romæ in ludo gladiatorio Lentuli inter gladiatores, ad edẽdos ludos asseruatus: inde cùm profugisset, cum quatuor ac septuaginta aliis gladiatoribus adeò vires auxit, vt confecto septuaginta millium virorum exercitu triennium cum Romanis bellum gesserit, partis sæpius ingentibus victoriis. Qui demum ad eas vires atque in eam existimationem peruenit, vt solus Lucinius Crassus, Romanorum omnium illius tempestatis potentissimus, idoneus haberetur, qui ei resistere posset. Tantum enim sibi nomẽ armis comparauerat, vt de seruo acgladiatore, gerendo bello par Romanis factus, videretur. Fulgos. lib.6. capite decimo.

Ingẽs victoriarum cursus, egregiorúmque facinorum fama fuit in Viriato Lusitano, in Hispania. Nam cum Romanis quatuordecim cõtinuos annos bellum gessit, exercitibus ducibúsque eorum victis, atque etiam captis. M. Ventidium prætorem, & Gn. Plancium deuicit. Cl. Mimeriũ & C. Nigidium oppressit. In priuata enim fortuna hoc annorum spacio populi illius potentię restitit, cui Carthaginis, cui Antiochi, cui Tigranis ac Mithridatis, totius denique terrarum orbis immensæ vires atque opes non sufficerant: maioráque præstitisset, nisi à suis prodicum, cùm maiora moliretur, mors intercepisset: & tamen parentes eius, ipsúmque pastoricia exercuisse ferunt. Quibus initiis venator, ac postea latro factus, militari virtute eò euasit, vt in Hispania (qua inde ortum suum duxerat) alius nullus maiore fama res gesserit. Fulgosus libro tertio, capite 4. ex Liuio & Cæcilio.

Quantum Felici atque Pallanti Claudij Cæs. seruis fortuna aspirauit, & ad quantam potentiam eos extulit? Pallas enim imperium regebat tanta existimatione, vt offerente ei senatu consularia ornamenta, ostenderit dignitati suæ indecorum ea accipere. Opes autem ipsius adeò creuerunt, vt querente Claudio inopia se laborare, dictum fuerit, vt à Pallante se adoprari curarer, quoniam ita dies futurus. Neque verò hæc ipsius fortunæ satis fuerunt: consulatus, præturæ, atque alij magistratus ipsius consilio atque arbitrio dabantur. Felix autem Iudææ gubernandæ præfectus, in eum dignitatis sublimem gradum peruenit, vt Agrippę regis neptem vxorem duceret. Fulg. lib.6.cap.10.

CLEANDER, cui post mortem perennis magna apud Commodum Romanorum imperatorem fuit authoritas, seruus inter seruos venũdatus, vnà cum iis vt baiulus esset, Romam deductus est. Progrediente verò tempore vsque adeò est auctus, vt cubicularius Cæsaris factus, pellicem eius Damostratiam in vxorem duxerit, & præter alios multos Saoterium Nicomedien sem, qui ante ipsum eũdem honorem habuerat, interfecerit, quanquam & ille potentissimus erat. Eundem etiam fortuna ita erexerat, vt suo arbitratu dignitatem Senatoriam daret: nec eam solùm haberet venalem, sed etiam officia militaria, procurationes, imperia, & postremò res omnes. Dion Nicæus, & Xiphilinus in vita Commodi.

SADRAGESILVS Dagoberti pædagogus, è ludimagistro dux Aquitaniæ.

EVTROPIVS eunuchus ab Arcadio imp. factus est cõsul, adeò in homine natura moribúsque tam vili, fortuna vires suas ostendit. Nam si orientales populi seruituri assueti, à seruis reguntur (id quod nostra quoque ætate fieri videmus) insita à natura ignauia: longúsque vsus facit, vt res non nam noua, & propterea non mira videatur. Sed quòd Romanus exercitus, ingenio seruus, in quo par animi ac corporis ineſſe robur consueuerat, homini eunucho (si modò euiratus sexus hominis nomen recepit) parueri: quo res ipsa plus habuisse difficultatis videtur, eo etiam magis est miranda. Hoc igitur cogit vt huiusmodi hominum siue virtutem, siue fortunam dicere malimus, non ingentem solùm, verùm maximam quoque fateamur fuisse. Fulg. lib.6.cap.10.

ABLABIVS genere Ægyptius, ex humili loco natus, eò peruenit, vt præfectus prætorij Constantini principis in magna dignatione sit habitus, adeò, vt nihil cum Constantino filio imperij rector relinqueretur. Eutropius in vita Ædesij: & Volat. lib.13.cap.3. Anthrop.

NARSES eunuchus, Iustiniano imperatore ex muliebri seruitio sum-

ptus, secretis ac regiæ gazæ præfectus: deinde cum exarchatus honore in Italiam missus, magna industria, multísq; præclarè gestis Gothicam barbariem penitùs Italia depulit: quàm 17 annos tanta prudentia iustitiáq; rexit, vt cū à Sophia Augusta, Valerij Iustini secundi (qui Iustiniano successerat) coniuge, per inuidiam reuocatus esset, Italia ab Augusta rebellare potius decreuerat, quàm illi parēdo perpeti vt, Narses exarchatu cederet. Ioannis autē tertij opera pontificis postea Iustino recōciliatus, cōsul creatus fuit. per id tempus & Romæ & Venetiis, de manubiis atque hostium præda permulta templa condidit. Itaq; qui eius victorias considerauerit, ac simul tempus, quo diu Italiam ad consulares fasces, atque Italicum exarchatum, ex tam infima fortuna naturáq; euectus rexit, lōgè maiori ad ea gerenda, ętate, quàm ille vixit, opus esse dicet: fortasséq; si Scipione superior non videbitur, illi eum æquando non errauerit. Ful. lib. 6. cap. 10.

EVRYTHRIVS eunuchus à Leone imperatore exarchus in Italiam missus fuit, vt semiuir, qui paulò antè culinæ seruiuerat, tot tantósque regeret populos. Fulg. lib. 6. cap. 10.

IACOBVS Mutius Attendulus, Cotiniola, tenui vico Æmylia via inter Fauentiam Rauennámq; vrbes ortus, Sfortia ipse nuncupatus, Sfortianæ genti primum nomen dedit. Is Ioannem patrem, cuius nondum obscurata memoria est, inopem Cotiniolæ accolam habuit agrorum cultorem. Ipse autem Mutius castra secutus, primus militiæ rudimenta sub Boldrino celebri duce inter lixas calonésque posuit: virtutéque ad eum conscendit locum, vt Ioannæ, quæ postrema Andegauensis generis Neapoli regnauit, omnium militarium copiarum dux esset post obitum Boldrini, & magni Conestabilis honorem cum ea gesserit, multorum populorum in eo regno imperium assecutus. Moriens autem Francisco filio, qui postea Mediolanensem ducatum adeptus est, ingentem exercitum reliquit, non sine magna fama, & Sfortiacæ factionis nomine, cui complurium regum atque imperatorum affinitas coniuncta fuit. Nisi Aterni amnis vi absorptus esset, dum aduersus Brachium properat, Aquilam obsidentem, maximum amplissimúmque nomen summæ virtutis & fœlicitatis suæ Italiæ suísque posteris reliquisset. Egnat. lib. 6. cap. 9. & lib 3. cap. 4. & Fulg. eodem.

IDEM, quum à Sergiano magno Senescalcho, ad exprobrandam generis nouitatem, ligonis fabula obiectaretur: In hoc, inquit, vti video, stirpis origine pares sumus: quum Adamus mortalium primus, terram & ipse foderit. Sed ego certè, quod iure diffiteri non potes, illo meo ligone multò nobilior euasi, quàm tu tuo pene & penna. Quo scommate lepidè admodum hominem trāsfixit, quum in eo tantam cum inuidia dignitatem stupro quæsitam, & patrem eius ad prætoris tribunal, ignobilem scribam, adulteratóque testamento falsi damnatum, scitissimè notasset. Paulus Iouius in vita Iacobi Mutij, cap. 84.

ECQVIS non Cotoniolæ togatæ, Gallia oppidulo non sese debere plurimum lubens volénsque fateatur? quum præter Sfortiam ipsum, præclarámque eius sobolem, quę vno Francisco Sfortia Mediolani principe glorietur, MICHAELEM Attendulum quoq; ediderit? Qui præter alias res præclarè gestas, dum Florentinos aut Romanos pontifices tuetur imperator, nouissimè vniuersis copiis à Veneto senatu præfectus, dum aduersus Mediolanenses in Cisalpina Gallia bellum gereretur, Philippo duce vita functo, feliciter & summa fide sanè omnibus illis præfuit, quāuis ipse Franciscus Sfortia Mediolanensibus copiis præesset. Cæterùm non possum non prius illud adscribere, fuisse scilicet ea tempestate viros in primis illustres militari gloria non paucos, quorum nomina nunc repetere non indignum duxerim. Erat in castris Venetis, Michaël Attendulus ipse princeps, erant in eisdem castris Ludouicus Gonzaga, Bartholomæus Coleo, qui non multo antè ad Venetos transierat, Gētilis Leonessius, Tiberius Brandolinus, Ioannes Comes Romani sanguinis, Guido Rangonius, Albertus Bodiēsis, Cęsar Martinengus, Nicolaus Guererius, & cum his ad duodecim equitum millia, ac vis peditum ingens. In Francisci verò Sfortiæ Attenduli castris vigebant & hi, quos nominare non pigeat, Alexander Bosius & Corradus fratres, Rubertus Seuerinas, Franciscus & Iacobus Piccinini, Guilielmus Mōferratēsis, Carolus Gonzaga, Aloysius Vermius, Ioannes Tollētinus, Christophorus Torellus, & Bartholomęus Quartarius. Erántque in his castris sexdecim equitum milia. Qui omnes obscuro loco nati, intra Italiæ fines militari virtute clari celebrésque habebantur. Dum verò Franciscus ipse Carauagiū obsideret, variaréntque sententiæ complurium, in obsidione leuandum esset oppidum: Michaël ipse auersatus eorum sententiam, qui nequaquam leuandam obsidionem apertè censerent, cùm loci iniquitate, tum hostium numero ac robore: tandem ex legatorum sententia, & aliorum ducum, post diuturnam grauémque vtriusq; exercitus pugnam victi sunt Veneti memorabili acie, vt tamen Michaëlem ipsum senatus Venetus semper magni fecerit, eiúsque consilio sit vsus, donec ille supremum obierit diem. Egnat. lib. 6. cap. 6.

SOCRATES iam moriturus, cum percontaretur à Critone, quemadmodum sepeliri vellet? Multam verò operam, inquit, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nondum persuasi, me hinc auolaturum, neq; quicquam me relicturum. Veruntamen Crito, si me assequi volueris, aut sicubi nactus eris, vt tibi videbitur sepelito. Bruson. lib. 4. cap. 16. ex 1. Tuscul. quæst. Ciceronis.

IDEM cicutam bibiturus, à quibusdam interrogatus, quomodo sepeliri vellet? Eo modo, dixit, quo vobis facillimum fuerit. Stob. serm 120.

Petri Rearij Sauuonēsis, Cardinalis frater, HIERONYMVS nomine, nulla maiori fortuna, quàm frater, cùm honestiore se negocio exercere non posset, in patria, vili mercede, publicanorum scriba fuit. Is à Sixto pontifice Foroliuij atque Imolæ vrbium, nonnullorúmque aliorum locorum principatu honestatus, ad Neapolitani quoque regni Conestabulatum (qui post regem primus est honor) & militarium Pontificis copiarum ducatum ascendit: in cuius manu ita esse Pontificis voluntas putabatur, vt regum principúmque legati, item magni antistites, Pontificis aliqua in re assensum cupientes, prius Hieronymum adirent, tanquam ad Pontificis flectendam mentem pernecessarium. Neque verò is solus fuit, qui per Sixtum pontificem ab infima ad magnam fortunam creuerit: etenim haud paruus eorum numerus fuit, quos propter sanguinis propinquitatem, humillimo natos loco (vt alia minora taceam commoda) Cardinalatus honore, ducatibus, ac vrbis Romanæ præfectura insignes reddidit. Fulg. lib. 6. cap. 10.

IACHEVS Cordes Bituricensis, qui inops, minora mercimonia per propinquam patriæ regionem venditabat, idémque ob rerum tenuitatē mercibus suis non institoris modò nomen, sed iumenti quoque officium præstabat: postea apud Carolum VII. in eam peruenit gratiam, vt principes ipsos opum magnitudine superaret: & quod maius est, per eum Carolus regnum totum administraret. Ibidem.

CATAMELATA pistoris Narniensis filius, cùm lignatum puer à patre missus esset, amissa in sylua falce lignaria, dum patris iram veretur, prętereuntem secutus est militem: breui autem is euasit dux, vt à Veneto senatu, virtutis ergò propter res bene gestas contra Philippum Mediolani ducem, statuam equestrem in maximè celebri Patauij loco positam solus ea tempestate meruerit. Pontan. lib. 1. cap. 5. de Fortuna: & Egnat. lib. 6. capite. 9.

Quis vnquā poterit obliuisci, vel potius non libenter meminisse BARTHOLOMÆI Coleonæi Bergomatis? Qui sua virtute, militaríque sciētia ac fœlicitate, tantū apud Venetos valuit, vt illum gratissimi patres patricio donarint ordine, semperq; propter egregiā eius fidē in magno pręcio habuerint. Quare ille testamento condito, & gratum se ac memorem Veneti nominis ostendit: & ipse dux ac Senatus, quo tantę virtutis monimentum perpetuum foret, in Gemellorum æde marmoreum sepulchrū, & statuam illi equestrem in eadem Gemellorum area (quæ hodie quoq; visitur) erexit. Egnat. lib. 6. cap. 9.

NICOLAVS Picininus, de breuitate corporis sic cognomento dictus, lanio patre apud Perusium editus, cuius etiam ignoretur nomen: tantum postea militari laurea clarus euasit, vt nescias, quem illi præferre in hoc genere possis. Nam & in Hetrutria aduersus Florentinos, & in Vmbria Picenóque contra ipsum Franciscum Sfortiam, eundémq; in Cisalpina Gallia Venetorum imperatorem sic se gessit, vt quamuis variante interdum fortuna, omnium iudicio rei militaris peritissimus haberetur, vt planè principatum illi tribuerent. Quem tamen postea post exantlatos pro Philippo principe immēsos labores (vt parum abfuerit, quin Philippus ipse imperium amitteret, ni Picininus ipse ad maxima quæque audēda ardens Philippi rem sustinuisset) ab eodem alienatus Philippus, mori Mediolani coegerit. Egnat. lib 3. cap. 4. & Fulg. eodem.

BLASIVS Axaretus, Genuensis ciuis, aurifice patre ortus, & ipse in tabellionum ordinem ascitus, quòd vnā tantum triremi piratarum triremem cœperat, tantum sibi nominis comparauit, vt classi suæ Genuenses aduersus Alphonsum Siciliæ regem eum præfecerint: quo tempore arcta obsidione is Gaietam vrbem premebat. Nauali igitur prælio Blasius regem ipsum vnà cum Ioanne fratre, Nauariæ & ipso rege, magnóque aliorum principum atque equitum numero deuicit, ac captos secum duxit. Itaque à Philippo, vt eius virtuti honos haberetur, in Vicecomitum gregem adoptatus, cum aliis quoque expeditionibus præfectus victoriā retulisset, per omnem Italiam celeberrimus est factus. Huius igitur ortus ex argentario operario, quem in vrbe Genua nobilis fortunæ locum dici potest habuisse? quæ verò, duobus vno prælio captis ingentibus regibus, cum magna procerum manu, dici potest victoria maior aut dignior, de qua homines cum laude loquerētur? Profectò & ortus ignobilitatem magnam omnes fatebuntur: & huius victoriæ gloriam nulli eorum cedere, quę gloria plurimum insignes fuerunt. Nam si non armis, sed dolo Iugurtha capto, Marius adeò gloriatus est, vt armis cum Sylla decertarit, quia Iugurthę capti gloriam sibi vendicabat: si Perse quoque rege delecto, qui alioquin inter ignauos numerandus erat, Paulus Æmylius, propter laudis cupidinem, in eam sui obliuionem venit, vt duorum filiorum funera sine doloris significatione præteriret: quanto Blasij gloria maiori censeri debet, qui Paulo Marióq; fortuna inferior, duos reges, Perse atq; Iugurtha maiores, non dolo, sed vera virtute, vna cū multis principibus cœpit? Hoc quidem solo fortasse Mario atque Paulo minor videri poterit, quòd illis partis victoriis triumphorum honos exhibebatur: Blasius, quòd captíuos reges duci Philippo. qui Genuensi imperio potiebatur, & non patriæ tradidit, tantę victoriæ fulgorem alicuius perfidię nota maculasse putatus est. Fulg. lib. 3. cap. 4.

QVI EX HVMILI FORTVNA AD MAXIMAS DIGNITATES *euecti, ad summam miseriam denuò sunt redacti.*

HERMIA eunuchus, Trapezuntij ciuis seruus, Athenas profectus est, vt studiis operam daret. Audito igitur per aliquot tempus Platone, doctus euasit. Itaque in Asiam, quæ patria erat, cùm domino reuersus, virtute sua patriæ vrbis imperium sibi peperit: ab infima enim fortuna, quæ seruilis est, debilitatóque per euirationem sexu, in eum excellentem gradum industria, quam per doctrinam parauerat, euectus est. Sed postea finis miserabilis fuit. Captus enim, cùm in colloquium cum Menone Rhodio venisset, & ab eo Persarum regi datus, suspendio vitam finiuit. Fulgos. lib. sexto, cap. 10.

ZEBENNA negociatoris Protarchi filius, Euergetis Ptolemæi fictione, & fortunæ præsidio factus est Syriæ rex. Sedens igitur in throno regio, mercimoniorum oblitus, & in stolidam superbiam delapsus, insolenter agere: & in Euergetem, qui eum promouerat, ingratus esse cœpit. Quod tam ægrè tulit Euergetes, vt cùm sciret Griphū Demetrij regis filium Syriæ titulo magis quàm regno insignitum, superuiuere, eum statim suscitarit in Zebennam. Victus igitur Zebenna, fugit in Antiochiam: vbi pecuniis exhaustus, cùm nequiret stipendia militibus persoluere, Iouis simulachrum ex auro solidum auferre sategit. Sed audito sacrilegio, confestim in eum irruit frequens omnium ciuium concursus. Zebenna fugiēs, maris tempestatibus agitatus, & à sociis desertus, captus est à latronibus: & Gripho viuus transmissus, à quo statim miserè occisus est. Guido Bitur.

HYPERBOLVS Atheniensis, post Cleonis potentiam ad principatum Athenarum euectus sua versutia, cùm prius lucernas æreas factitaret, & plumbum æri misceret, vt pondere ementes falleret. Eius pater stigmatias in Argyrocopœo (officina vbi cuditur pecunia) seruiuit, mater panes vēdidit. Sed è Repub. eiectus propter improbitatem, Samúmque profectus, culeo insutus, in mare deiectus est, inimicorum insidiis. Gyraldus Dialogo sexto. Hist. poet. Contra eum fabulam scripsit Plato comicus.

SERVIVS Tullus, cui regnum incidit in ipso vrbis primordio, nulli deorum tulit acceptum præterquam fortunæ, quòd ex seruo regnum esset adeptus. Sed cui potius acceptum referre potuit homo in Cimmeriis ortus tenebris? ex serua seruus natus, diadema tulit: excussit id insigne illi subita fortunæ mutatio. Solio deiectus, præceps ex curia agitur, crudeliter interficitur: & quod omnium atrocissimum fuit, filia per iacētis corpus egit currum. Sabell. lib. 7. cap. 8.

C. Marius Arpinas, ex humillima fortuna ad septimum vsque consulatū euectus, patre lignario fabro genitus: consulatu adepto missus in Teutones, eos mira virtute superauit, eorúmque regem Theotobocū cæpit, captus triumpho reseruauit. Inde cōuersus in Cymbros, eos pari fœlicitate duplici pugna strauit, occisóque corū rege Beleo Iugurthā superauit in Africa. Tandem Romā rediens, Capitolium triumphans ascendit. Postea cùm Mithridaticum bellum L. Syllæ consuli decretum esset, id ęgerrimè ferens Marius, quasi iā aspernatus videretur, decreto cœpit obsistere, adiutus suffragio Sulpitiæ legis: qua prohibebatur, ne cui absenti prouincia designaretur. Sylla verò, qui ad conterendas reliquias Socialis belli tūc fortè in Campania cum exercitu morabatur, hæc audiēs, repentè legiones in Romā & Marianos conuertit. Quò cùm citato cursu peruenisset, per Exquilinam Collinámque portam, igne faciēte viam, ingrediens, victor Capitolinam arcem occupauit. Fugiens autem Marius tandem captus, Minturnēsibus, vt in carcere seruaretur, traditus est. Sed clàm in Africam secessit: vbi hominum manu tumultuaria congregata, exercitum in L. Syllam duxit: sed victor iterum effectus Sylla, M. Mariū, C. Marij fratrem, fugientem ex fuga retraxit, & effossis oculis, abscissis manibus, cruribus fractis, membrísque cæteris laceratis, interficit: caput resectum, & Præneste, quo C. Marius abierat, transmissum est. Quo viso, iam fractus rebus aduersis, vltima desperatione correptus, ne in manus inimicorum viuus incideret, cum Thelesino pepigit, vt alter alterū trāsfoderet. Verùm cùm Marius in Thelesinū violentius irruisset, nec à Thelesino ictu suo mortuo ferè læsus fuisset, seruo cuidam secandam ceruicem præbuit. In quem mortuum adhuc Sylla tantum fremuit, vt iam sepultum cadauer in fluminis alueum proiici iuberet. Guido Bitur.

Apud Commodum imperatorem Cleander seruus, imperatorio cubiculo præerat, atque ipsius imperatoris custodiæ curam habebat, quinetiam Palatinæ præfecturæ curam gerebat. Sed auaricia rapinísq; populo Rom. inuisus factus Commodus, occidi eum cum filiis iussit, corporáque ipsorum per vrbem trahi. Fulg. lib. 6. cap. 10.

Imperante Galieno, cùm Celsus priuatam in Africa vitam ageret, vbi tribunus per aliquot tempus fuerat, ob insignē iusticiam venerabilémque aspectum, Passieni opera, qui in Africa proconsul erat, item Pomponiani, qui fines Libicos tuebatur, ab exercitibus Imperator creatus fuit. Sed cœptum hunc fauorem mutāte fortuna, Galienæ opera, Galieni imperatoris propinquæ, post septimum diem interfectus est, & corpus à canibus deuoratum. Ibidem.

In Siciliam traiecerat Robertus dux Calabrię, Caroli secundi Neapolitani regis filius: atque in ea aduersus Federicum vrbem Panormū obsidebat. In castra Robertum virum Iolanta secuta erat: fortéque euenit, vt pariendi necessitas eam vrgeret. Cùm aliæ illic matronæ non essent, obstetricis officium diligenter præstitit Catinensis mulier Philippa nomine, quæ quondam piscatoris vxor, lauando victum quæritabat. Illi postea ortus puer alendus est datus. Qui etsi haud multo pòst decessit, Philippa tamen in aula ad Iolantis seruitia mansit. Præerat eo tempore Roberti culinæ, Raimundus Campanus. Is seruum Maurum emerat, quem baptismatis charactere insignitum, à nomine suo appellauit. Cùm autem ipse ad maiorem esset fortunam euectus, curauit vt Raimundo Mauro culinæ præfectura traderetur. Inde Campano Raimundo rex Philippam coniugem dedit, cùm antè equestribus cum ornamentis donasset. Interim Iolanta decedit, & Robertus Sanctiam ducit vxorē. Penes eam quoque honesto loco Philippa remansit. Ei, Robertus ad regnum euectus, Ioannam primam ex filio Carolo Calabrię duce neptem regendā dedit, & Philippæ virum domus administrationi præfecit. Cui in eo honore mortuo, filius sufficitur: & cùm is quoque decessisset, relicta Sanctia filia, Robertus alius frater in eo honore succedit. Interim auo patréque defunctis, Ioanna prima regnum accipit: atque Andreæ patrueli, qui in Pānonia erat, nubit. Cùm in hoc statu res essent, tanta fuit Philippæ fœlicitas & industria, vt filius eius Robertus, à domus administrandæ præfectura, ad magni Connestabulatus honorem conscendēret: & neptis Sāctia, Morconi comiti in matrimonio collocaretur, ipsáque arbitratu suo regni habenas moderaretur. Cæterùm cùm postea Andream Ioanna sustulisset, atq; ex Pannonia profectus Ludouicus rex Ioannæ ad vlciscendam Andreæ fratris mortem arma intulisset: à principibus Neapolitani regni, Ludouici studiosis, Philippa cum omnibus suis capta est, cùm ipsa Andreæ mortem molita putaretur. Habita per varia tormenta eius rei disquisitione, omnes è Philippę stirpe, Philippa ipsa spectāte, occisi sunt: & post eos ipsa quoque, inter omnium conuicia, candentibus forcipibus totum dilaniata corpus, viua tandem combusta est: quam fortuna visa erat ex lotrice, in eum sublimem gradum, ad regendum ingens regnum, euexisse, vt quo altior eius fuisset fortuna, grauior quoque casus atque ruina foret. Ibidem.

IOANNES Vitellius, paruo loco, Corneti ciuitate Ethrusca ortus, à prima ætate literis operam dedit: postea mutatis studiis, libros armis atque equis mutauit, stipēdia cum Tartalia (militaris insignis dux fuit) prima fecit: eius quoque precibus à Martino quinto pontifice protonotariatus honorem adeptus est. Deinde ab Eugenio quarto in Cardinalium numerū receptus, Ecclesiastico equitatui præerat. Atque per hāc potentiam, aut vi, aut alia arte, Eugenio successurus putabatur, aut fortasse viuentem etiam Pontificatu deiecturus. Sed fortuna, quæ ad eam diem vehementer arriserat ei, quem in tam sublimem locum extulerat, terga dare cœpit. Nam cùm armatus Ecclesiasticum equitatum trans amnē Tyberim duceret, per pontem, qui arci sancti Angeli adhæret, repentè tēsis cathenis, ad pontis portam, ita vt vltra progredi prohiberetur, cernentibus suis vulneratus ac captus, intra arcem tractus est, eáque nocte necatus. tum nudus in publicum elatus est, vt per ludibrium à populo Rom. spectaretur. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Haud feliciorem finem sortitus est Paulus Guinisius, qui ex priuato ciue patriæ suæ Lucæ factus tyrannus, inter opulentissimos Italiæ principes nomen assecutus erat. Mirum enim in modum fortuna eum extulerat: & cùm eius temporibus bello Italia arderet, is in summa pace, ac rerum suarū quiete versabatur. Triginta igitur iam annos Lucæ rerum potitus, cùm liberos adultos haberet, militari arte præditos, ad omnes fortunæ casus satis se munitum tutúmque arbitrabatur, cùm repentè à populo Florentinum bellum est illatum. Sed cùm subsidio ei Philippus Mediolanensis dux Franciscum Sfortiam misisset, orta suspicione, tanquam cum populo Florentino Paulus de vendenda ei Luca ageret, captus à Francisco cum liberis ac fortunis, Mediolanum missus fuit: vbi in arce Modœciensi, tetro carcere conditus, miserè vitam finiuit. Filij quoque tandem liberati, vitam per omnia extrema traxerunt. Aurum quod Venetiis à Paulo, cùm fœlix esset, vt ad grauiores casus subsidio foret, depositum erat, Veneti inuaserūt: quia quibusdam in rebus à Paulo violatam fidem esse criminabantur. Ibidem.

Fuit Petrus Vinea ciuis Campanus, obscuro natus loco, cæterùm doctrina atque eloquentia, quantum ætas illa tulit, apprimè insignis: quem ob eam rem Federicus Secundus adeò dilexit, vt arcanorum suorum omnium participem faceret, ac penes se omnium rerum moderatorem haberet. Cæterùm per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nutrimenta habet, atque virtutis perpetua est insectatrix, Federico in suspicionem adductus, tanquam cum Pontifice sentiret (quo cum Federicus bellum gerebat) luminibus est priuatus. Cuius rei impatiens, atque ob id in furorem conuersus, in Sancto Miniato, quod Ethruriæ oppidum est, sibi ipsi manum consciuit. Ibidem.

PETRVS Landoes, caligarij sartoris filius, non quæstor tantùm, sed principis sui ducis Francisci, qui postremus fuit, in Venetis & Morinis (quibus, vt sæpè dictum est, nunc Britonum nomen est) ceu dominus factus: in eam apud omnes inuidiam venit, vt ducis nepos, Orangiæ princeps, atque alij quidam Britonici proceres, in ipsum manus iniecerint, & suspendio interemerint. Ibidem.

PETRVS Brochias, ex chirurgo per Philippum Gallorum regem diues factus, honorem primùm cum eo obtinuit, inter eos qui regij cubiculi administratione insignes habebantur: solúsque omnium rerum moderamen sustinebat. Tandem insimulatus, quòd regis arcana detegeret, publicatis eius fortunis, suspendio vitam finiuit.

Similiter Enguerra Marignianus, cùm diu post Philippi mortem, Philippum cognomine Pulchrum ita rexisset, vt vnius ipsius arbitrio omnia in eo regno gererentur: à Carolo Valois comite, pueri regis tutore, paruis quibusdam & nullius momenti criminibus aspersus, publicè suspensus fuit: ex tam magno rerum fastigio, in extremam calamitatem deturbatus. Ibidem.

Hoc quoque ipsum Oliuerio Damæ contigit, post Ludouici vndecimi Gallorum regis mortem. Nam cum ei tonsor fuisset, quanquam natus in Belgica parte Galliæ (cui Flandriæ est nomen) immensis congestis opibus, in eam apud regem gratiam peruenerat, vt omnium consiliorum eius particeps, permulta, quæ alios latebat, ipse nota haberet, magnísq; de rebus multas legationes obiret. Cæterùm mortuo Ludouico, qui filium ipsius Carolum adhuc impuberem regebant, obiectis quibusdam criminibus eum vnà cum fortunis omnibus damnarunt. Is igitur apud Parisiorum vrbem, vbi furcæ extructæ sunt, suspensus, miserabiliter vitam amisit. Ibidem.

Non minus apud Ioannam secundam, quàm Philippa Cartitinensis cum prima, gratia valuit, IOANNINVS Carazolus Roseus, ignobili

gente ortus:nam qui nobiles putantur,non Roseorum, sed Schirzorum cognomentum ferunt. Hic cùm in aula amanuēsis esset, in eius flammas Ioanna secunda incidit,ita vt perditissimè eum deperiret. Primùm Auellinij comitatu,sub vxoriæ dotis nomine, eum donauit: postea ad Melphitensem quoque ducatum,atque ad magnum Connestabulatum extulit. Illum postea finem,quem aula infida atque inconstans prestare solet, Ioanninus tulit. Ab ea enim magnitudine,ad quam turpis amor repentè eum extulerat,non minus quàm ascenderat,celeriter corruit. Nam eius imperio,quę tam multa propter amorem dederat,crudeliter opibus honoribúsque spoliatus, ac cæsus fuit. Ibidem.

In nullo fortuna magis lusisse videri potest, quàm in FRANCISCO, quem passim omnes Carmaniolam ab oppido, in quo genitus est apud Allobrogas,nūcupabant. Natus igitur rusticanis parentibus,militiā mox secutus,sic breui enituit penes Philippum Mediolani principem,vt non dubitaret Philippus summam rerum illi tradere. Cuius ductu maximas & amplissimas victorias ex diuersis hostib. sit adeptus. Mediolanensēque imperium auxerit. Verùm non multo pòst,mutata Carmaniolæ sors est:siquidem inuidia in illum graui exorta,propter Genuensium seditiones compositas,Philippus ita illum odisse cœpit, vt ille coactus relicta Mediolani vxore,rebúsq; omnibus suis neglectis, vix ad Venetos transfugerit. A quibus benignè exceptus,imperatórque copiarum ab eisdem dictus,præclaram victoriam ad Maclodium,fuso profligatóque Philippi exercitu ad Maclòdiam,superatísque præclaris eius ducibus,primum sit consecutus. Brixia,Bergamóque opulentis Cisalpinæ Galliæ ciuitatibus, Veneto nomini additis:sicq; confirmatis Venetorum rebus,vt inter clarissimos suæ ætatis duces haberetur. Cæterùm malo quodam suo fato, quum ad Philippum inclinari cœpisset eius animus, proditionis conuictus,iure optimo à Venetis supremo supplicio fuit affectus. Egnatius libro sexto,capite nono.& libro tertio,capite quarto. & Fulgosus libro 3. capite 4.

FELICITAS PROPRIA: QVANDO ALIQVIS ex iis bonis,quæ sibi adsunt,beatus existit.

DIVITIARVM SPECIES VARIAE.

CONTINENS TERRA FACTA EX MARI.

ÆGYPTVS,Delta dicta,quoniam trianguli speciem præbet,mari & Nili extremis duobus brachiis circumscripta,accessio terræ est,ac fluminis donum,ad trium vsq; dierum nauigationem, quòniam Nilus annua inūdatione ea loca cœno oblimauit. Quod inde patet,quoniam cùm Ægyptum versus in alto cursum tenes, procul ab ea adhuc diurna nauigationis spacio, patieris sensum cœni etiam in aqua vndecim alta passus. Nilus itaque siccaneum fecit. Attestatur huic quoque rei humus ipsa fragilis,& minimè petrosa. Item quòd nongentis antè annis Nilus octo cubitis,vt minimum assurgens,irrigabat Ægyptum, quæ supra Memphim est:at Herodoti ætate nisi quindecim aut sedecim cubitos ascenderet,regionem non transcendebat. Itaque idem aliquando Ægyptiis cōtinget, quod illi Græcis euenturum asserunt, videlicet quòd aliquando magna spe decepti,esurituri sint. Græci quidem,si Deus pluuiam illis non largiatur cœlitùs:Ægyptij verò,si Nilus tātum terræ aggerat, vt aggeres ipsos transcendere nequeat, cùm alioqui nullis planè imbribus illorum regio irrigetur,sed sola Nili inundatione. Herod.lib.2.

Achælous per Acarnaniam fluens in ECHINANDVM insularum mare,iam eas media ex parte fecit continentem. Idem.

EA quæ sunt circa Ilium, Ephesum & Mæandri planitiem,fluminum illuuie siccanea sunt facta. Idem.

INSVLÆ QVÆ EMERSERVNT.

THESAVRI FORTVITO REPERTI. OPES *fortuitò acquisitæ.*

MILESII iuuenes,cùm iactum retis à piscatoribus emissent, & illi tripodem aureum eduxissent,controuersia inter eos orta,quòd illi pisces vēdidisse,hi iactum emisse se dicerent. Consulto Apolline, sapientissimo dandum esse,oraculum respondit. Dedit ea res septem Græciæ sapientibus occasionem. Laët.in Thalete.

PARIAS portitor Ithacensis,thesaurum in pice reperit. Vide tit. Gratitudo *pro quibusuis muneribus.*

BOEOTVS septuagenario maior,cum thesaurum reperisset,eum tamē reliquit,tanquam nihil ad se amplius pertinentem. Stob.serm.12.

Herodes Atticus genus ex Æacidarum sanguine ducebat,patre ARTICO,cui diuitiarum initium ex thesauro prope domum reperto fuit. Itaq; eò Atticus peruenit *magnitudinis*,vt sub Hadriano multis in Asia præsideret ciuitatibus, centum boues vno die Mineruæ sacrificaret, moriens quotannis minam populo Attico viritim legaret. Philostrat.in eius vita.

POLYCRATES Samiorum tyrannus,fortuna & opibus clarus,perpetua vsus fœlicitate,cùm leniendæ fortunę causa anulum sibi charissimum in mare proiecisset,cum à piscatore recepit, capto pisce qui eū deuorauerat. Strab.lib.14.

Herodotus scribit, AMINOCLEM virum fuisse Magnesium, qui in excauanda terra multa pocula aurea & argentea,thesaurósque Persarum inuenerit.

ÆSOPVS fabulator Phryx,thesaurum inuenit. Vide tit.in Theoricis recti.

In primo lib. Græcorum Epigrammatum talis narratur historia:

> ἰχθύας ἀγκίστρῳ, τὶς ἀπ' ἠόνος εὐτριχοβάλλων
> εἵλκυσεν ναυηγῆ κρᾶτα λιπότριχεα.
> οἰκτείρας δ' ἕνεκα τὸν ἀσώματον, ἐξ ἀσιδήρου,
> χειρὸς ἐπισκάπτων, λιτὸν ἔχωσε τάφον.
> εὗρε δὲ κευθόμενον χρυσοῦ κτέαρ. ἦ ῥα δικαίοις
> ἀνδράσιν εὐσεβίης οὐκ ἀπόλωλε χάρις.

TIBERIVS II Imperator,thesauros Narsetis eunuchi in puteo reperit. Hac ratione Deus liberalitatem eius erga pauperes recompensare & fouere voluit. Sigebert.in Chron.

MAMERCVS Capretanus piscator, de more ingressus mane cymbā, id agebat,vt de piscatu sibi familiæque obsonium compararet,& panem. Cùm iecisset rete in altum,indéq; illud post leua ad littus traheret, halga grauidum subduxit:iratúsque halgam in littus cùm proiiceret, capsulam aureorum plenam cum halga eiectam in arenam fregit, domúmque ex paupere diues rediit. Pont.lib.2.de Fortuna,cap.31.

EVTYCHVS Sabinus,pransus cùm esset,conuersus ad vxorem: Nescio quid,inquit,boni mihi præsagit animus. Atque euestigiò cùm Romam properaret,iter ingressus,cùm de æstu, déque itinere fessus sub arborem consedisset, animaduertit vetus ædificium, quod erat secundum viam,paulo antè corruisse,factúsque ruinæ propior, in scriniolum incidit argento plenum. Pontan.lib.2.de Fortuna,cap.13.

IDEM cùm audiret à præcone venale fieri oleum vilissimo precio, ad forum cùm accessisset,nemine de oleo emendo tunc sollicito, cæteris aspernantibus,commouit eum desubitò appetitus quidam. Emit igitur, mercatoribus qui aderant propositum irridentibus: sequenti vero anno cùm nullus esset ex oliuis prouentus,tertio & quarto siccitas,estus, vredines,bruchi quoque frondibus ramusculísque fecissent iniuriam:quinto anno tantum lucri ex oleo illi obuenit, vt decuplo etiam vendiderit. Ponta.eodem loco.

TAMBVRLANES Imperator Persa, vas aureæ monetæ à rustico inter arandum inuentum accipere noluit. Vide tit. Non accipere ea quæ honestè possis.

Robertus Guiscardi ex Gallia in Italiam cum exercitu profectus,pulsis Græcis & Saracenis, Apuliam occupauit: statuámque reperit circa caput æneum circulum habentem, his literis inscriptum: CALENDIS MAII ORIENTE SOLE, AVREVM CAPVT HABEBO. At SARACENVS quidam magicæ artis peritus à Roberto captus, notato termino vmbræ ipsius statuæ, Calendis Maij oriente sole,effosso loco thesaurum inuenit, quo se à Roberti manibus liberauit. Platina in Leonis noni vita. Paulò aliter Petrarcha, in libro Exemplorum de Prudentia,vbi inquit: Erat in Sicilia,vt aiunt, ingens statua quæ in loco notissimo, ab extrema hominum memoria intacta permāserat, in qua literis vetustissimis insculptum erat, Calend. Maiis habebo caput aureum. Enimuerò id ludicrum commentum quidam credidêre: alij nudum verborum sonum secuti, eò vanitatis excesserant, vt in die Cal. statuæ caput terebrarent: vbi cum nihil præter solum marmor inuenissent, fabularum ac risus materiam vulgò dederant. Vnus tandem antiquitatem statuæ simul atque artificium contemplatus, cogitánsque in re tam seria aliquid præter fabulam latêre, scripturam ab omnibus conspectam, sed à nemine intellectam,acutiori penetrauit ingenio. Siquidem die Cal. redeunte,animo atq; oculis intentus,ortum solis operiens, locum vbi caput statuæ primis radiis vmbram iaceret, diligenter animo consignauit. Illic postea clàm fodiens,magnum auri pondus reperit.

DONATIONE ACQVISITA BONA.

Consule Liberalitatis, ἐνδόσει, locum.

Alcmæon

Alcmæon Megaclis filius, Atheniensis,eos Lydos,qui Sardibus à Crœso Delphos ad oraculum ierant, comiter accepit. Cuius beneficentiam Crœsus à Lydis quos ad oraculum miserat,cùm audiuisset,hominem accersiit: & vbi aduenit, eum donauit tanto auro, quanto semel corpore suo ferre posset. Alcmæon igitur pergrandem tunicam amictus, ingenti in ea sinu relicto,cothurnísque laxissimis calceatus, ad thesaurum perrexit, ad quem ducebatur. Ibi in aceruum ramentorum procumbens, primùm cothurnos quibus erat indutus, auro refersit. Deinde omnem sinum suum,atque etiam crines ramentis subigēs,& parte in os desumpta,è thesauro processit,ęgrè trahens cothurnos,cuiuis alteri rei,quàm homini similis:cuius os cùm turgidum esset,& omnia onusta, id cernēs Crœsus,in cachinnúmque erumpens,ea omnia illi donauit: nec minora his alia dona dedit. Ita domus Alcmæonidum vehementer locupletata est. Herod.lib.6.

HÆREDITATE ACQVISITA BONA. HÆREDES INSTITVTI.

Consule titulum,Testamenta iustè vel iniustè rescissa:ibi enim eorum leges exempla,qui etiam inuitis testatoribus hæreditatem adierunt. Item tit. Testamenta iniusta,siue Qui præter opinionem hæredes habuerunt. Denique tit. Adoptatorum.

ABRAHAMVS hæredem ex asse filium legitimum Isaacum constituit, quem ex Sara susceperat. At Ismaelem spurium cum matre Agare in Arabiam ablegauit. Concubinæ Ceturæ filios sex ornatos muneribus in orientem dimisit,à quibus Brachmanum gens,quasi Abrahamitarum ortum suum duxit, naturali magia & mathematicarum disciplinarum cognitione celeberrima. Genes.cap.25.

FLORA meretrix,hæredem pop.Romanum instituit,qui Florentalia in eius honorem celebrauit. Volat.lib.16.Anthrop.

ATTALVS Philometor,rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, testamentum in hunc modum scripsit:Populus Romanus bonorū meorum hæres esto. Florus habet historiam lib.2. cap.20. Plin.lib.33. cap.11. Volat.lib.5.cap.2. Iustinus lib.36. Strabo lib.14. Eusebius in libro Temporum:Augustinus lib.13.cap.11. Ciuitatis:Appianus in Mithridatico:Eutropius lib.4.cap.3. Oros.lib.5.cap.7. Liu.lib.58.

L.CORN. Balbus Gaditanus consul, qui animi magnitudine omnes homines suæ ętatis facilè superauit,moriens drachmas 25. populo Rom. viritim reliquit. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Augusto.

C.IVL. Cæsar Octauium moriens nominis ac bonorum suorum hæredē instituit, eo quòd ipsum pro filio sibi & Romano imperio educasset. Vide Dionem in Augusto.

LVARVS, & Plocius Tucca, viri doctissimi, amici Virgilij, hæredésque ex parte testamēti relicti, iussu Augusti carmina Æneidos emēdauerunt,hac lege, vt nihil adderent:vt Seruius tradit.

AVGVSTVS Cæsar testamēti tabulas fecit, quæ post eius statim mortem à Polybio in senatu lectæ sunt. Tiberius ex besse,Liuia ex triente,vt nonnulli putant, hæredes scripti erant. Nam Augustus, vt eam augeret suis facultatibus, petiuerat à senatu, vt liceret sibi tantundem ei etiam cōtra leges relinquere. Ab his hæredibus scriptis multa prædia, magnāque pecuniam plerisq; hominibus propinquis suis & extraneis legauit: nec senatoribus solùm, sed etiā equitibus regibúsque. Ad hæc reliquit populo Rom. aureorum millia quadringenta. Sed & militibus lagata reliquit:stipatoribus quidem suis viritim ad decem aureos,iis autem qui erant in præsidiis vrbis collocati,singulis eius summæ dimidium: cæteræ multitudini vrbanæ tres aureos viritim dari iussit. Præterea mandauit, vt quæ sibi hæreditas testamento obuenisset à parētibus filiorum impuberum, ea cum fructibus perceptis restituerentur iis, cùm in adolescentiam peruenissent. Dion Nicæus, in Augusto.

HERODES Atticus Fauorinum philosophum patrem nominare solebat eúmque postea suorum liberorum hæredem instituit. Philostratus apud Volat. lib.16. Anthrop.

ANTONINVS Pius testamēto liberalitatē suam plurimis legatis manifestissimam fecit. Pontanus capite quadragesimosecundo de Liberat.

In Gallia IVLIANVS Cæsar à Constantia Augusto desciuerat,qui in Oriente aduersus Persas bellum gerebat. Is audita Iuliani rebellione, cùm relictis Persis in Europam ad eos compescendos motus regrederetur, in itinere ad Tauri radices, apud Mopsucrenem morte correptus, antequam decederet, testamento Iulianum hæredem reliquit: tanto præter omnium opinionem, quanto viuentes discordib. inter se animis fuerant. Fulgos.lib.7.cap.9. & Egnat. eodem.

PHILIPPVS Maria, dux Mediolanensis,habuerat duces rei militaris clarissimos, & de se optimè meritos: habuerat Franciscum Sfortiam generum,Blanchæ filiæ suæ maritum,cui semper viuens fauere visus est: & tamen moriens neglectis omnibus sibi coniunctissimis, nec filiæ suæ memor,infestissimum sibi antea Alphonsum Aragonum regem, imperij totius hæredem reliquit: vt omittam alienigenam illum, nec Italici sanguinis satis amantem. Egnat.lib.7.cap.9. Fulg.eodem.

SENATVS Venetus à Bartholomęo Coleono Bergamēse,cuius opera sæpe felicissimè in grauissimis expeditionibus vsus fuerat, hęres ex asse institutus est. Argenti signati ducenta millia florenorum reperta. Bergomi sepultus,sed equestri tum statua à Senatu ornatus Venetiis in DD. Ioannis & Pauli area. Obiit anno millesimo quadringentesimo septuagesimoquinto. Bernardinus Corius in historia Mediolanensi.

OPES PROPRIA INDVSTRIA ET LABORE *domi partæ.*

Consule tit. Liberalitatis & Auaritiæ ἐν κλήσει.

Diuitias non nisi magno labore acquiri,præter alia, docet etiam Græcum etymon. Nam ἀργύριον *dictum esse videtur* παρὰ τὸ τοῖς ἀργοῖς οὐ ῥεῖν, *quòd pigris & ociosis hominibus non fluat, sed diligentibus tantùm & industriis. Scimus enim quanto labore & periculo è terra effodiatur,quanto iam effossum acquiratur.*

ANYTVS diuite & sapiente patre Anthemione natus, non casu quodam aut alicuius largitione opulentus euasit (quemadmodum Thebanus Ismenias Polycratis pecunias nactus) sed prudentia propria, atque vigilantia. Plato in Menone.

LAMPIS negotiator interrogatus, quomodo sibi parasset diuitias? Magnas,inquit,haud difficulter:exiguas verò,cum labore ac tardè. Sētiens,initiò paulatim magnáque vigilantia corradi pecuniam: cæterùm parata iam ingenti sorte,facile esse amplis lucris ditescere. Plut.in libello, An seni sit capessenda Resp.

ÆSOPVS Tragœdus familiarissimus propter æqualia studia Ciceroni,tam diues ex histrionica factus, vt sestertio centies ei patina steterit:filium Apitium reliquerit adeò diuitem simul & prodigū, vt is vniones aceto liquefactos cœnis adponeret: vt ex Plinio refert Volat. libro 13.cap.3. Anthrop.

SENECA philosophus,Neronis quondam præceptor,ter millies sestertiûm acquisiuit.

COMMVTATIONES RERVM ABSQVE PECVNIA.

OMNES gentes, omnésque populos apud prius seculum mercibus res inuicem commutasse,vel coriis boum numorum loco,aut bobus pecudibúsque,aut ferreis virgis,historiæ tradunt. Alexan. libro quarto, capite quinquito.

INDI & Esseni,item Græci apud Homerum,Romani similiter, Massyli Africæ populi,pecora & mapalia pecuniæ loco habuerunt. Armeni, Scythæ,Seres & Satmatæ. Sic etiam in Britannia gens quædam inhospita est iuxta Scyllitam insulam.

PECVNIAE MATERIA, ET INVENTORES.

Νόμισμα μέτρον ἁπάντων συναλλαγμάτων ἐστὶν, *vt in Ethicis Arist. testatur. Omnium namque rerum precium pecunia circumscribi & definiri potest. Oportet igitur vt pecunia ex materia preciosa paretur: quæ tamen ne omnino sit rara, nec facilè corrumpatur. Inuenta sunt ergo à veteribus metalla, duratione simul (vt ita loquar) & æstimatione ad omnes vsus commutationis atque contractuum summopere idonea. Exempla huius rei afferamus, præsertim de materia pecuniæ, primísque inuentoribus.*

BYZANTII ferri massam pro numo appendebant, cùm æris & pecuniarum vsus illis non esset. Alex.lib.4.cap.15.

Apud Persas Darius ex auro, in Latio Saturnus ex ære numum repperisse primùm traditur. At posteritas in memoriam Saturni, qui puppe delatus erat ad eos, numo puppis effigiem impressit. De quo meminit Ouidius,inquiens:

> *At bona posteritas puppem formauit in ære,*
> *Hospitis aduentum testificata Dei.*

LYDI aureum & argenteum numum, cùm tunc nullus foret, inuenisse tradunt. Tametsi ÆGINÆ argentum primò signatum nonnulli crediderint: hi apud ELEOS pondera, & ex argēto numos à Phædone inuentos putarint.

LACEDÆMONII Lycurgi legibus omnem auri argentiq; vsum amouentes, ferrum & rudem massam vasti pōderis pro pecunia habuere.

ROMANIS auri argentíque signati longo tempore nullus vsus fuit. Pecudibus enim & iumentis bobúsque res permutare, sontésque plectere solebant: æstimabatúrque bos centussibus, ouis verò decussib. Coriis verò boum numos percussos à primis originib. iudicare licet, quòd Numa Pompilius scorteos asses, congiarium populo dedisse fertur. Interiecto deinde tempore, ære graui Romanos vsos comperimus: quo appenso, non numerato, debita exoluebant.

ROMANI post Decemuiros ære graui vsi sunt, debitáque exoluerunt. Quod æs graue, massa æris fuit, non percussa aut signata: sed appendi, nō numerari solita. Ibidem.

SERVIVS Tullius rex Rom. primus nota pecudum æs signasse proditur: vnde & pecunia dicta est in posterum. Cuius rei causa in vetustissimis numis, bouis, pecudis, aut suis signum expressum apparet. Alex. lib. 4. cap. 15. & Blond. de Ro. triumph.

Ærea quinetiam pecunia ROMANVS populus vsus est vsque ad tempora Pyrrhi regis. Mox argentea signare cœpit. Post verò Carthaginis victoriam percussit aureum numum. Guid.

SERVIO Cepione & Cn. Sempronio consulibus, post Attilium Regulum, argenteus numus primùm signatus est Romæ: in quo altera parte Ianus bifrons, altera nauis prora incussa fuit. Tametsi quinque annis ante primum bellum Punicum argentum Romæ signatum multi crediderint. Alex. lib. 4. cap. 15.

Romæ fertur Liuius Drusus in tribunatu tertiam æris partem argento miscuisse, & signo victoriæ pariter numū percussisse, cui Victoriato nomē

LVSITANI grauis sarcina æris, vel frusto argenti fæpius numi loco vsi fuēre. Ibidem.

VARIORVM NVMISMATVM IMAGINES.

De Romanis numismatibus copiosè & graphicè Aeneas Vicus Parmensis.

Apud Romanos SERVIVS Tullius nota pecudum æs signasse proditur, vnde & pecunia dicta est. Cuius rei causa in vetustissimis numis bouis, pecudis, aut suis signum incussum apparet. Alex. lib. 4. cap. 15.

Apud EOSDEM Cn. Sempronio & Seruio Cepione coss. argenteus numus figuratus est, in cuius altera parte Ianus bifrons, altera nauis prora incussa fuit. Alex. lib. 4. cap. 15, & 24.

LIVIVS Drusus signo victoriæ apud Rom. numum percussit, cui Victoriato nomen dedit. Alex. lib. 4. cap. 5.

ROMANI in triente & quadrante rates quoque incussere. Ibidem.

GRÆCI & ATHENIENSES Tetracinam, Ciscophoros ac Philippeos numos habuerūt, qui bouis imaginem longo tempore habuere in cussam tunc primùm à Theseo inuentos.

ELIS Græcorum numus in quo bouis imago sculpta erat.

ATHENIENSIBVS fuerunt Oscenses, Stateres, Darici, Philippei & Alexandrei, qui ex auro cudebantur: in quibus mulæ cum curru videbātur effictæ.

ATHENIS noctua cum Mineruæ facie incudebatur.

TROEZENII cùm Neptunum præcipuum colant, Tridentem numo effictum habuēre.

PERSICVS numus sagittarium incusum habuit, qui Daricus etiam dictus est. Hinc Agesilaus Lacedæmoniorum rex, ex Asia discedens aiebat se triginta sagittariorum millibus à rege Asia depelli: tot enim Daricorū aureorum millibus Athenas ac Thebas deportatis, ac in plebis moderatores distributis, Timocrates effecerat, vt populus hostilem animum aduersus milites susciperet. Plut. in Lacon.

GERMANI prisci serram, qui serrati nominabantur.

DARDANI duos insculpsere gallos, RHEGINI leporem & currū, CEPHALENES equum, THASII Persen, ARGIVI murem, MITYLENÆI Sapphus imaginem: TARENTINI Taran. Neptuni filium, qui delphino vectabatur: ASPENDII palæstras, LOCRI & OZOLÆ hesperum stellam, PELOPONENSES testudinem: CYZICENI altera parte Cybelem, altera leonem: TENEDII securim, & facies duas eadē ceruice promnentes: CORINTHIACI pegasum, GERGITHII Sybillam.

ROMANI postea imagines Cæsarum & regum, cum inscriptione & titulis, in numis expressere. Quare Nero Cæsar in habitu citharœdi se numo insculpsit.

Seuerus imperator habitu Alexandri numos figurauit.

Galenus post occisos satrapas Persarum, monetam, qua Persas captos ducebat, sculpi numos iussit.

Octauius Augustus nota sideris Capricorni, sub quo in lucem editus erat, argenteum numum percussisse dicitur. Alex. ab Alex. cap. 4. lib. 5.

PECVNIÆ CONTEMPTVS ET NEGLECTVS.

Pecuniæ contemptus Liberalitatis ἐυλήψει vel κλήσει species est, si recta ratione fiat: sin absque iudicio, Prodigalitatis. Nos hic eius meminimus, non quatenus diuitiæ simpliciter contemnuntur, sed ipsa pecunia: qua cùm olim omnes caruerint, hodie etiamnum quidam carent, non tam necessitate, quàm voluntate.

BALEARES omnem auri & argenti materiam execrantes, nullius generis numos ad se adferri permittebant. Alex. lib. 4 cap. 15.

CARMANI & BOMBYCATII, qui in Tigri sunt, omnia metalli genera rerum permutatione coementes, illa in profunda terrarum & abditas solitudines defodiunt, ne pecuniæ commercio eneruentur. Ibidem.

OPVM ACQVISITIO PER FRAVDES ATQVE DOLOS.

Consule tit. Fœnoris iniusti. Item Furti, Latrocinij.

VECTIGALIA, TRIBVTA, EXACTIONES, QVAE VEL A

ciuibus, vel ab hostibus exiguntur, nomine Reipublicæ, principis, victorumue.

Exempla aliquot suprà ex titulo, Prudentiæ in exigendo tributo, petere poteris.

LACONES, præter amicorum ministeria, aliud nihil tributi nomine pendebant. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 19.

INDI, æquali omnes premuntur onere: nam quartam fructuum partē regibus annis singulis pendere coguntur. Ibidem.

SYRIA à quarto decimo masculi, à duodecimo fœminæ, ad quintum & sexagesimum annum tributa conferunt, teste Vlpiano, apud eundem.

Apud ÆGYPTIOS vectigalia tres in partes diuidebantur: quarum prima portio ad sacerdotum collegia spectat, quam incolæ libēter & magna cum autoritate illis offerebant, tum propter deorū curam, tum propter doctrinam qua plures eruditi sunt. Hanc partem tum ad sacrificiorū ministeria, tum ad priuatæ vitę commoda impertiunt, &c. Altera pars ad reges spectat, quam & ad bella, & ad vitæ cultum, & ad liberalitatem erga strenuos viros pro meritis impendunt. Tertiam percipiunt milites, & qui belli sunt instituti ministerio. Diod. Sic. lib. 2. cap. 2. de rebus antiq.

ANTHYLLA Ægypti vrbs insignis, datur peculiaris in calceamentavxori regis Ægyptiorum, ex quo tempore cœpit esse ditionis Persarū Herod. lib. 2.

SESOSTRIS Ægyptiorum rex, posteaquam Ægyptum diuortia aquarum effodissent, quibus Nili aqua excipieretur tum ad sitim, tum ad vim hostium arcendam (prius. n. equis & plaustris agendis oportuna erat regio) in omnes Ægyptios soli quadrati æquam portionem viritim per sortem diuisit: atque hinc prouentum instituit, imposita certa pensione, quam illi quotannis soluerent. Quòd si cuius portionem alluuione fluuius decurtasset, re regi indicata ex residuo proportione taxatum vectigal pendebatur. Atque hinc Geometria orta, videturin Græciam transcēdisse. Herod. lib. 2.

MIRIS Ægyptiorum rex, vectigal piscium, qui in stagno capiebantur, vxori concessit tum ad vnguentorum vsum, tum ad reliquum corporis cultum. Id talentum argenti singulis diebus pendebat. Diod. Sic. li. 2. cap. 1. de Rebus antiquis.

PERSARVM regis quantum tributi ex tota Asia collegerint, pete ex tit. Auaritiæ in tributis colligendis.

Cum regi magno Persarum omnis plaga, cui imperat, sit distributa in ipsius atque exercitus eius alimentum, præter tributa: ex duodecim, quibus annus constat, mēsibus quatuor regio Babylonia, octo reliquis cuncta omnis Asia alit. Ita huius regionis potentia tertiam Asiæ partē æquiparat;

rat: & eius principatus, quem satrapiam Persæ vocant, omnium prouinciarum longè est optimus: adeò vt Tritechmæ Artabazi filio, qui pro rege tributum hoc exigebat, singulis diebus singulę argenti plenę artabę penderentur. Est autem artaba mensura Persica, capacior quàm Atticus medimnos, tribus chœnicibus Atticis. Herod. lib. 1.

VICI circa Babyloniam ad præbenda cibaria canibus regum cogebantur, reliquis exempti oneribus. Alex. lib. 4 cap. 10.

COLCHI centenos pueros, & totidem virgines, suis regibus dare dicuntur, reliquorum tributorum immunes. Ibidem.

CAPPADOCES Persis quingētos equos, & mulorum duo milia annua dedisse, constat ex Alex. lib. 3. cap. 24.

Cappadocibus confines sunt CILICES, maris accolæ, vbi Cyprus insula est sita, qui tributum annuum regi pendunt quinquagena talenta. Herod. lib. 5.

LEPTIS in Africa singula indies talenta Carthaginensibus vectigal pendebat. Alex. lib. 4. cap. 10.

In MACEDONIA ex effassione æris, singula talenta in singulos dies Alexandro pendebantur. Ibidem.

PRISCIS Romanis ex agris & noualibus decima seminum dabatur, vectigalis nomine. Namq; aratores decimam frumenti populo Romano pendere cogebantur. Ibidem.

Apud EOSDEM, qui liberi erant, nihil omnino tributi soluebant: stipendiarij autem, ad militum opus stipendia pendere cogebantur. Ibid.

Apud EOSDEM ædiles, exhausto atque inopi ærario, nouum vectigal constituebant, quo Reipub. oneribus consuleretur. Alex. ab Alex. lib. 4. capite 4.

ROMANOS debellatis victisque gentibus, nationibúsque tributi nomine non aurum, sed argentum indixisse, testes sunt historiæ. Ibidem.

IDEM à Corsis centum millia pondo cerę, tributi nomine exegerūt. Ibidem.

Post interfectū Iulium in senatu, cùm vrbs ob tot bellorum incōmoda penè exhausta esset pecuniis, & in tanta Antonij cum Octauio contentione & cæteris bellicis rumoribus, opus esset magna pecunia: CIVES Romani omnes suarum facultatum quintam & vicesimam partem contribuēre: senatores verò in singulos lateres, quos habebant in ędibus vrbanis, non suis solùm: sed etiam alienis, in quibus habitabāt, quatuor obolos persoluerunt. Insuper ditissimi quique seperatim alia multa contulerunt. Præterea arma, cæteráque militibus necessaria, multę ciuitates, multíque priuati homines gratis & suaspontę supped itabant. Xiphilinus, Dionis Nicęi abbreuiator, in Augusto.

OCTAVIVS Augustus, cum Cornelio & Valerio Messala consulibus tres & viginti exercitus alere cogeretur in diuersis regionibus, ac magna iam opus esset pecunia, iussit dari sibi vigesimam partem hæreditatum, legatorum, ac donationum quæ mortis causa fiebant: nisi si qua essent proximis agnatis, aut pauperibus hominibus relicta. Idq; fecit, quasi in commentariis Cæsaris hoc genus tributi reperisset. Dion in Aug.

IDEM sub Munatij & C. Silij consulatu tributum ex ædibus agrisque conferri iussit: neque tamen definiit, à quibus, aut quemadmodum persolui vellet: sed aliquot homines misit in diuersas partes orbis, à quibus prædia priuatorum hominum, atque adeò ipsarum ciuitatum describerentur, vt metu damni incommodíque maioris, mallent vigesimam soluere: id quod euenit. Dion in Augusto.

TIBERIVS imperator pecunię causa neminē occidebat, nullius bona proscribebat, nulla vi atque violentia exigebat pecuniam. Etenim Æmilio Recto, qui ad se aliquando miserat maiorem summam pecunię ex Ægypto, cui præerat, quàm imperata fuisset, rescripsit in hæc verba: Tōderi, inquit, oues meas volo, non deglubi. Dion Nicæus in Tiberio.

OPES BELLO ACQVISITAE PRÆDA

ex hoste.

ISRAELITÆ ex præcepto Domini pugnantes contra Madianitas, tantam victoriam habuerunt, vt triginta duo milia virginum fuerint in præda: & tamen de populo Israēl non fuerūt nisi duodecim milia pugnatorum, de quibus ne vnus quidem mortuus est. Num. 31.

DAVID obtenta victoria de Amalechitis, misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem. 1. Reg. 30.

CYRVS deuicta Asia, XXIIII milia pondo auri inuenit, præter vasa ærea, aurúmque factum, & in eo folia ac platanum, vitémq;. Qua victoria argenti quingenta millia talentorum reportauit, craterémque Semiramidis, cuius pondus quindecim talentorum erat. talentum autem pondo octuaginta pendebat. Plin.

DARIVS vectigalem sibi fecit Asiam, ex qua quotānis DLXXV millia talentorum accipiebat: præter aliud tributum, quod ex Africa: & iis qui Europam Thessalia tenus incolebant, eidem afferebatur.

Victo Dario, inuenit ALEXANDER Magnus in Perside CLXXX millia talentorum: quum tamen Darius septem millia fugiens rapuisset.

M. FVL. Nobilior Ætolos superauit, de quibus quās vrbem ingressus, triumphánsque, multa argenti ac auri pondera in ærarium intulit, præter signa tabulásque pictas quas abstulit. Volat. lib. 16. Anthrop.

L. CORN. Lentulus proconsul, tulit ex præda XLIII milia pondo auri, LXXX millibus ex præda CXX asses diuisit. Liu. lib. 41.

ROMANI cùm Ainur bello cępissent, (sub tribunis militaribus quatuor, primum stipendium ex publico datum, anno Vrbis 347.

Anno vrbis 457, Appio Claudio Cæco II. & L. Volumnio Flamma Violens coss. Samnites cæsi, & ingens præda Rom. allata est.

SCIPIO Africanus, victa Carthagine MCCCCLXX pondo auri inde transtulit: item argenti cælati millia CCCCL. vasorum aureorum pondo centum millia. Rauis.

PAVLVM Æmylium, deuicto Perseo rege Macedonię, vasorum aureorum auríque & argenti signati tantum detulisse ferunt, vt ex illo populus Romanus tributum pendere desierit. Alex. ab Alex. lib. 6. ca. 6. & Sab. lib. 2. cap. 1.

In Tolosano Galliæ oppido, à Q. CEPIONE direpto, inuēta sunt auri pondo CX millia, argenti pondo quinquies decies centena millia.

Cùm CAROLVS Magnus Budam veterem, quam Sicambriam prius appellabant, vbi erat aula Chabæ regis Vngarorum, cœpisset: Chabas in vincula coniectus, sibi mortem conscīscit, & Carolus priuatas opes militibus distribuit: thesauros verò Chabę ab Vngaris multis annis spoliatione plurimarum gentium collectos, sibi adscribit: atque ita Franci, qui hactenus pauperes fuerant, facti sunt hac præda opulentissimi: & Pannonia, populi Romani prouincia, ab exera gente vsurpata, ad Romanum principem reducta est paucis ex Frācorum exercitu desideratis, sed Hunorum nobilitate propemodum prorsus deleta. Carolus per Syrmium seu Sabariam, traiecto Danubio per Dacium & Iazyges & Metanastas, ad insulam cum classe redit, in quam Vngari cum liberis & vxorib. cōfugerāt: & per triduum oppugnatam cœpit, anno Domini 791 & 792. Regino libro secundo: Sigebertus: Adon ætate sexta. Bonfinius decad. 1. lib. 9. rerum Vngaricarum: Aduent. libro quarto: Saxonia Crantzij libro secundo, cap. 16. Annales Francorum. Blond. Decad. secunda, lib. 1. Vrspergensis, & Antoninus tit. 14. cap. 2. parag 5. Henricus de Erphordia. ca. 69.

THESAVRI REPOSITI. AERARIVM PVBLICVM. FISCVS.

REGES Persarum ex instituto Darij, ex tota Asia & parte Africæ, colligebant annuatim auri & argenti talenta Eubœica 14560. Id tributū hunc in modum thesaurizant. Liquefactum aurum argentúmque in fictiles fidelias infundunt. Expletas mox fidelias subinde frangunt: ex eóque auro argentóue, quoties pecunia indigent, tantum concidunt, quantum vsus postulat. Herod. lib. 3.

AMISSAS OPES RECVPERARE QVACVNQVE

ratione.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, cùm smaragdum gemmam signatorium in mare medium abiecisset, vt tanta iactura diuturnam suam prosperitatem quodammodo refrenaret (ita enim persuasus erat facere

ab Amasi rege Ægyptiorū) accedit sexto pòst die, vt piscator quidā piscē grandē atq; pulchrū à se captū dono Polycrati offerret. Quo exēterato, in intestinis gemma inuenta, & Polycrati restituta fuit. Herod. lib. 3.

IMMVNITAS VECTIGALIVM.

PERSÆ soli ex tota Asia, ex instituto Darij regis, ad ferendū tributum non adigebantur, sed munera portabāt. ÆTHIOPES Ægypti conterminos quos Cambyses in expeditione contra Macrobios Æthiopes sumpta subegit, tertio quoq; anno munera portabant: nimirum binos semodios auri rudis, & ducenos fasces ebeni, & quinos Æthiopes pueros, & vicenos grandes elephantorum dentes. Colchi eorūmq; finitimi ad mōtem vsq; Caucasum quinto quoq; anno afferebant centenos pueros totidēq; virgines. Afferebant & Arabes millena quotannis talenta thuris. Herod. lib. 3.

DIVITIARVM OSTENTATIO IN SVMPTIBVS FACIVNDIS, IN

largiendo, in ipso denique vsu & abusu.

Exempla plurima ex tit. Libertatis, Magnificentiæ & Prodigalitatis petantur. Sab. libro octauo, capite sexto sic ait: Sic certè est, vt sapientiorum quidam aiunt, Nullus vnquam bonus optauit diuitias, nullus sapiens probauit. Neque enim hominē meliorē faciunt, neque sapientio-

rem:quin instrumenta insunt luxuriæ, & omnium vitiorum alimenta. Verùm quia nihil tam malum est, vt non in eo aliquid insit boni, ne bellum auro indixisse videamur, si quid est quapropter hoc tantopere sitiunt mortales, aut expeti debet, solus vsus est: quem in omnibus bonis Plato vir summus tanti fecit, vt nisi is adsit, nolit auri montes dari, nolit artem quæ immortalitate hominem donare possit. Sunt igitur expetenda hæc, vt homo homini prodesse possit. Quod ij sensisse videri possunt, qui non sibi solis, sed amicis, hospitibus, vniuersæ ciuitati diuitias compararunt: vt Nicias Atheniensis, cuius beneficentiam celebrat vetus comœdia. Cæterùm quia mundo adhuc recenti, modico contenta fuit vita: perquàm pauca sunt vetera diuitiarum exempla, nisi regiæ opes censeantur.

Plerique veterum suam satis opulentiam prodiderunt arduis conatibus, quibus rerum naturæ faciem mutare voluerunt: vt Nicanor Seleucus, qui excogitabat perfodere spacium à Bosphoro Cimmerio ad Caspium mare, quod interuallum erat CL. mil.

HERODES Atticus tanta fuit rerum opulentia, vt Isthmum vellet perfodere, & maria coniungere diuersa, si per Imperatorem licuisset, quod tamen frustra tentauerat Nero.

PYTHEVS Celenæus tam diues fuit, vt Xerxem, & cum eo immensum exercitum ad 788000 ex toto Oriente conflatum, hospitio exceperit. Donauerat is Dario, qui Xerxis fuit pater, platanum auream, cum aurea vite. & ob eam rem Persarum plerisque notus, sciscitatus ab eo Xerxes, quantum possideret. Parata habeo, inquit, bis mille talenta argenti, quadragies centum millia aureorum numûm, Daricorum septem millibus minus: quæ regi ad tam numerosum exercitum alendum dono detulit, testatus vectigalia prædiorum satis supérque sibi suffectura ad lautè & beatè viuendum. Demiratus rex hominis libertatem, vt cum eo beneficentia certaret, & aurum hospiti remisit, & quod ad quadragies centum millia deerat, ex suo hospitem suppleuit. Sabel. libro octauo, cap. 6. ex Herod. & Plinio.

Cælius ait, Mæandrum Protagoræ patrem tanta rerum opulẽtia præcelluisse, vt Xerxem Persarum regem domo & donis excipere ausus sit. quod iam de Pythio memorauimus.

DIONIS Syracusani opes immẽsæ fuerunt, & regia in viuendo propemodum pompa & suppellex: Plutarcho teste.

DEMADEM Atheniensem vel ex eo ditissimum iudicamus fuisse, quòd pecunias amplissimas tam facilè effudit, mirificámq; pecuniæ vim in res turpes contulit. Lege enim Atheniensium cautum cùm esset, ne quis peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum mulcta indicta ei qui ludos ederet: Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltarent, mercede conductos in theatrum induxit, centies mille drachmis solutis. Pont. cap. 3. de Magnificentia.

LVERIVS Aruernus, pater Bititi (qui Bititus cum Maximo Æmyliano & Domitio Ænobarbo ducentorum hominum exercitu conflixit) tantis delitiis diuitiísque circumfluxit, vt aliquando ostentandarum opum gratia curru vectus campum ingrederetur, numos aureos argenteósque huc atque illuc spargens. Quibus colligendis, amici atque comites occupati sequerentur. Rauis.

ÆSOPVS tragœdus, amicus Ciceronis, arte histrionica ad tãtam peruenit opulentiam, vt sexcentis sestertiis ei patina steterit: reliqueritque filium adeò diuitem, vt is vniones liquefactos cœnis apponeret.

L. LVCVLLVS, quum reip. infensus, priuatæ vitæ se dedisset, ædibus & prætoriis extructis, hortis & cœnationibus amœnissimis incredibili sumptu paratis, & Bibliotheca libris vtriusque linguæ cumulatissima, opes bello quæsitas cõterere non potuit. Idem Pompeio & Ciceroni extemporariam apparauit cœnam impendio quinquaginta millium, tanta epularum & rerum lauticia, vt conuiuas in admirationẽ traheret. Idem perfodit montem, & flumen immisit in piscinas, quæ reciprocæ fuerũt.

C. Antonius ludos scena argentea fecit. Item & L. Murena.

M. CRASSVS negabat diuitem esse, nisi qui redditu annuo legionẽ posset alere. In agris suis possedit sestertiûm bis millies: hoc est ære nostro, quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Nec satis fuit, inquit Plinius, nisi totum Parthorum esurisset aurum. Harum autem diuitiarum maximam partem ex ciuilibus bellis atque incendiis comparauerat, calamitates publicas in suam vnius vtilitatem vertẽs. Nam quum trecenta solùm talenta ex paterna hæreditate accepisset, priusquam aduersus Parthos exercitum duceret, septem millium & centum talentorũ summam coegisse traditur, quum etiam decimam partem facultatũ suarum Herculi consecrasset, & publicum epulum dedisset populo, ac tres minas ciuibus viritim contulisset. Seruos habuit circiter quingentos, fabrilis artis & architecturæ peritos: quibus nõ solùm ad propriç domus extructionem vsus est, sed ciuibus ædificare volentibus eorum operas mercede locauit.

Pompeio res gerente circa Iudæam, Ptolemæus octona millia equitum sua pecunia tolerauit. Mille conuiuas totidem aureis potoriis, mutans vasa cum ferculis, saginauit.

CÆSAR Dictator duodeuiginti millia tricliniorum strauit, Rom. populo immensum auri pondus profudit, in spectaculis congiario populi. Sed hæc spolia & rapinæ orbis terrarum verius quàm patrimonium, propterea in ordinem venire non possunt. Sab. lib. 8. cap. 6.

IDEM in munere patris funebri, omni apparatu arenç argẽteo vsus est.

CAIVS princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIIII.

NERO Pompeij theatrum operuit auro in vnum diem, quod Tyridati regi Armeniæ ostendit.

PLINIVS iunior tanta fuit opulentia, vt ducenta millia numûm pro accessione precij agrorum contempserit, emptrice Cornelia hoc petente, vt suis ipse verbis docet ad eandem fœminam scribens: Tu quidem (inquit) honestissimè, quòd tam impense & rogas & exigis, vt accipi à te iubeam precium agrorum non ex DCC. millibus, quanti illos à liberto meo, sed ex nongentis, quanti à publicanis partem vigesimam emisti. Inuicem ego & rogo & exigo, vt non solùm quid te, verùm etiam quid me deceat, aspicias. Idem Plinius patriæ suæ donauit annua sestertia tricena, quæ à nobis DCCL. aureis æstimantur. Hanc eius opulentiam pluribus verbis describit Budæus.

DIVITES IN GENERE.

ABRAHAMVS & LOTHVS Haranis F. (qui Abrahami frater fuit) ditissimi fuerunt pecore, auro & argento: cúmque simul concordes habitarent inter pastores, tamen iurgia subinde oriebantur: eámque ob causam placuit vtrique, vt discederent à se inuicem: Abrahamus quidem in vallem Mambræ, Lothus verò Sodomam & Gomorram. Genes. capite decimotertio.

REGIONES ET VRBES FERTILES FRVMENTO.

Non videtur mihi bonitas Africæ cum bonitate Asiæ atque Europæ comparanda, præter vnam Cynipem, quæ tellus fluuio cognominis est. Hæc optimæ cuique telluri par est prouentu fructus cerealis omnino cæteræ Africæ. Etenim pulla & vda fontibus, ac secura siccitatis aeris, ac ne imbre, qui sit vehementior, læditur: nam in eo tractu Africæ pluit. Eo prouentibus fructuum terræ, totidem mensuræ illic, quot è Babylonica tellure percipiuntur. Bonum solum & illud est, quod Euhesperitæ colũt. nam quoties id eximiè seipsum hubertate superat, centuplum reddit. Ad illud Cynipum, circiter trecenta. Porrò Cyrenaica regio, quæ huius Africæ editissima est, quam pastorales incolunt, treis in se plagas continet admiratione dignas. Primam, quæ maritima est, quòd in eo iam fructus maturi metuntur, vindemiantúrque. His compositis, in plaga quæ supra maritimam est, medios fructus legunt, quos colles appellant. Dum hi fructus adornantur, ij qui sunt in editissima plaga coquuntur atque maturescunt. Itaque dum primi fructus bibuntur atque eduntur, vltimi adueniant. Atque hunc in modum ad octo menses perceptio fructuum Cyrenæos occupat. Herod. lib. 4.

IORDANIS tota planicies in Palæstina irrigua est, & Iouani pomarij similis, aut Ægyptij soli: quam sibi delegit Lothus, quando ab Abrahamo propter iurgia pastorum discessit. Genes. 13.

BABYLONIA regio omnium longè optima est, duntaxat ferendo frumento. Nam in arboribus ferẽdis, ficu, vite, olea, nequaquam de principatu contendit: Cereris autem fructu procreando adeò ferax est, vt nũquam non ferè ducenta reddat: & vbi præstãs bonitate se vincit, etiam ad tricena, quaternûm ferè digitorũ latitudine triticeis, atque hordeaceis foliis ibi nascẽtibus, milij verò ac sesami proceritatem instar arborum. Herod. lib. 1.

Inter Scythiæ fluuios Borysthenes, secundum Istrum omnium maximus, & omnium aliorum (præter Ægyptium Nilum, cum quo non licet alium comparare) vberrimus, pascua præbens amœnissima, & accommodatissima pecoribus, necnon optimorum ac singulariũ affatim piscium, idem ad potandum suauissimus, liquidus inter turbidos fluens, iuxta quẽ sementis optima fit, & herba non satiua, etiam altissima. In cuius quoque ostio ingens vis salis sua sponte concrescit. Præbet idem ingentia cete, ad salsuram spinis carentia, quæ antacæcos appellant. Herod. lib. 4.

Qui ad Memphim Ægypti habitant, neque proscindunt aratro terram, neque agros colunt: sed posteaquam Nilus irrigarit arua, tunc in suum quisque rus semine iacto, sues immittit: cõculcatóque à suibus semine, messem expectat. Itaque maximè illaboratum inter omnes mortales fructum percipiunt. Herod. lib. 2.

SMYRNA Æoliæ frumentis abundat. Vide tit. Emporia nobilissima.

VINO.

MELLE.

Apud Zygantes Africæ populos, magnam vim mellis apes conficiunt; sed multò plus opifices viri facere dicuntur. Herod. lib. 4.

LACTE.

SALE.

AFRICÆ promontorium quoddam. Vide tit. Habitationes viles & sordidæ.

In PERSIA puteus quidam sal, oleum & asphalthum profert. Vide tit. sequentem.

METALLIFODINIS.

Pice.

In ZACYNTHO insula sunt complures lacus, quorum qui maximus, septuaginta quoquò versus pedum est, altitudinis duûm passuum: in hũc virgines contum, cuius in summitate myrtus alligata est, demittunt: deinde referunt myrto picẽ, odorem quidem asphalthi habentem, sed cætera præstantiorem pice Pieria: eámq; in scrobem quem iuxta lacum foderunt effundunt, & vbi multum illius aggesserunt, ita è scrobe in amphoras transfundunt. Quicquid autem in lacum decidit, id sub terram means redditur in mari, quod à lacu quatuor stadiis abest. Herod. lib. 4.

In stathmo Cissiæ regionis, qui dicitur Anderica, 210 stadiis procul à Susis, puteus est, qui trifarias rerum species exhibet, in hunc modũ. Hauritur quidem celoneo (id est, instrumento ciconia) pro situla autem dimidiato vtre ad ciconiam alligato, quo in puteum decusso quicquid hauritur, mox in cisternam diffunditur: atque hinc aliò effusum, triplici varietate concrescit, in asphalthum quidem & salem protinus: inde etiam in oleum quod Persæ Rhadinacem appellãt, atrum, ac grauiter olens. Hoc loci rex Darius locauit Eretrienses: quem ad meam vsq; memoriam tenuere, seruantes pristinam linguam, inquit Herod. lib. 6.

Auro. Montes & fluuij auriferi.

INDI raras habent aurifodinas, maiorem partem acquirunt ex arena. Vide tit. Prudentia in acquirendis diuitiis.

ÆTHIOPIA terrarum habitatarum vltima. Hæc & auri multum fert & vastos elephantes prominentibus vtrinq; dentibus & cùm agrestes omnes arbores, tum verò ebenum, nec non viros maximos pulcherrimósque & æui longissimi. Herod. lib. 3.

Apud MACROBIOS Æthiopes sontes aureis cathenis vinciuntur, propter auri copiam. Ibidem.

Iuxta Zygantes in Africa insula est CYRANE, in cuius portu virgines pennis volucrum pice illitis, ramenta auri referunt è limo. Herod. li. 4.

PACTOLVS fluuius Lydiæ, medium forum Sardium interfluens, æ. ramenta auri è Tmolo illis defert, deinde flumini Hermo immiscetur, & ille mari. Herod. lib. 5.

THASIIS erat prouentus ex continenti, atque ex metallis. Ex fossiticia quidem metallorum aureorum materia, septuaginta talentorum: ex Thasiis autem metallis minus, sed tamen frequenter ita, vt si Thasij forẽt immunes tributorum, fuerint eis in summam prouentura quotannis ex continenti atq; ex metallis ducenta talenta: & quando plurimum, trecẽta. Quæ metalla ipse quoq; inspexit & tamen longè admirabiliora fuere, quæ PHOENICES ij qui cum Thaso eam insulam condiderunt, inuenêre: quæ insula ab hoc Thaso Phœnice nomen obtinuit. Hæc autẽ Thasi Phœnicea metalla sunt, inter locum qui vocatur Ænyrorũ & Cœnyro rum sita: atque e regione Samothraciæ ingens mons indagando euersus est. Herod. lib. 6.

Argento.

LAVRIVM breui via à Sunio promontorio distat, vbi olim argenti metalla Atheniensibus fuere. Pausanias in Atticis.

Aere.

Plumbo.

CIVITATES OPVLENTÆ ET LOCVPLETES. EMPORIA *nobilissima.*

THEBÆ Ægyptiorum opulentissima ciuitas. Vide tit. Perfidia parentum erga liberos.

TARTESSVS emporium nobilissimum. Vide tit. Mercatorum.

CADYTIS vrbs Assyriorum, qui Palæstini dicuntur, non minor quàm Sardis, emporium habet celebre. Herod. lib. 3.

Vetus emporium in Ægypto fuit sola NAVCRATIS vrbs. Quòd si quis in aliud aliquot Nili ostium applicuisset, is necesse habebat deierare, se venisse inuitum, dato iureiurando quòd eadem naui ad Canobicũ nauigaret: & si id minus per contrarios ventos posset, onera fluuialibus nauigiis circumagere lustrando Delta, donec perueniret Naucratem. Ita Naucratis in honore erat. Herod. lib. 2.

SMYRNA in Hermæi sinus recessu, emporium fuit celebre olim, vnde frumenta è vicinis agris conuecta, à peregrinis coemebantur. Herod. in Homeri vita.

CIVES MVLTI. VRBES ET REGIONES POPVLOSÆ CENSVS *populi actus.*

Gens THRACVM secundum Indos omnium maxima est, quæ si aut vnius imperio regeretur, aut idem sentiret, inexpugnabilis foret, & omnium gẽtium multo validissima. Sed quia id arduum illis est, & nulla ratione contingere potest, ideo imbecilles sunt. Herod. lib. 5.

THRACIA multitudine hominum adeò abũdat, vt nisi Galliam forte excipias, cuiuis nationi hominum frequẽtia anteponi posse videatur: quod in causa fuit, vt vniuersam ante Roman. nemo imperio suo adiecerit. Philippus tantum Macedo. & Alex. F. mox etiam Lysimachus, partem illius tenuerunt. Pausan. in Atticis.

ROMÆ anno Vrbis cond. 256. Coss. A. Sempronio Atratino, & M. Minutio Augurino, censa sunt 120 millia.

Rursus anno 288. T. Quintio Capitolino Barbato III. & Q. Fabio Vibulano II. Coss. censa sunt ciuium capita 124 214.

Anno Vrbis 294. Q. Fab. Vibulano III. & L. Corn. Maluginensi Coss. quamuis superioribus annis pestilentia max. vrbem afflixisset, censa sunt capita 132 419.

An. Vrbis 488. M. Val. Max. Q. Mamilio Vitulo coss. censa ciuium capita 292 334. An. pòst bellum Punicum primum cœpit.

An. Vrbis 639. M. Acilio Balbo, C. Porcio Catone coss. censa sunt ciuiũ capita 394 336.

COLONIÆ.

Ciuitates & regiones populosæ Colonias aliò mittere consueuerunt, ne multitudine sua laborent. Proinde sicuti ciues multi patriam opulentam hominibus reddunt, ita quoque coloniæ ipse inter felicitatis species videntur numerandæ.

BATTVS Polymnesti F. viri inter Theræos insulanos spectati, ob linguæ vitium Delphos adiit. Cui consulenti Pythia respondit, vt in Libyen habitatum iret. Theræi ergo, cûm septem annis in Thera non pluisset, & omnes præter vnam arbores exaruisset, ex oraculo Battum cum duabus biremibus in Africam miserunt, qui tandem à Pœnis ad Cyrenen vsque ducti, illic habitauerunt. Herod. lib. 4.

THESSALI Cumas in Æolia ædificarunt, anno post bellum Troianũ 150. Rursus Cumani Æolesin Hermęi sinus recessu vrbem Smyrnam annis 18. pòst ædificarunt, sic dictam ab vxore Thesei Thessali, hominis diuitis, & in Cumana colonia primarij In quam coloniam cùm etiam Critheis filia Melanopi Magnesij, ciuis Cumani, à Cleonacte Argiuo tutore suo missa esset, eo quia ex furtiuo concubitu prægnans foret, Smyrnæ Phemio ludimagistro nupsit, & ad fluuium Meletem filiũ peperit, Melesigenem dictũ, qui postea Hom. fuit appellatus. Herod. in vita Hom.

EXERCITVS NVMEROSI *Pleraque ex Textoris Officina.*

MOSIS exercitus habuit DCIII millia. Imbellis autem popelli DL millia. Tota summa millies mille & centum quinquaginta. Ioseph. libro tertio.

Hieroboam rex Israëlitarum, in exercitu (quem contra Abyam Iudæorum regem duxit) habuit 80 millia bellatorum. Abyas verò XL.

Ad vindicandum Helenæ raptum, GRÆCI armauerunt in Troianos

DCCCLXXXVI. bellatorũ millia. Contra verò Troiani habuerũt DCLXXVI. millia. Carinas circiter mille. Dares Phrygius.

NINVS III. Assyriorum rex, aduersus Bactrianos exercitum duxit anno mundi 1956, ad decies septies centena millia peditum, equitum millia ducenta, curruum falcatorum paulominus decem millibus & sexcentis. Bactrianos subegit, victo Zoroastre rege. Diod. Sic. lib. 3.

SEMIRAMIS mortuo Nino marito, contra Staurobatem Indorum regem exercitum duxit, militum terdecies, centena millia, equitum millia quingenta, currus ad millia centum. Victa Semiramis, saucia, fuga salutem quæsiuit. Ibidem.

SESOSTRIS rex Ægypti (qui insuetam seruitijs Arabiam subegit, maximam Libyæ partem occupauit) habuit in pedestribus copiis sexcẽta peditum millia, equitum verò XXIIII. curruum bello aptorum octo millia & viginti. Diogenes lib. 2.

PELOPIDAS dux Thebanorum, duxit contra Syracusanos septuaginta millia millitum.

ACHÆORVM exercitus in Cleomenem ducem Spartanorum, fuit viginti millium peditum, equitum mille.

ATHENIENSES in Syracusanos certaturi duce Alcibiade, habuerunt sugra CXL. triremes, centum & quinque millia peditum, tum sagittarios & funditores mille & trecentos: tormentorum præterea ac machinarum in expugnandis vrbibus copiam ingentem. Plut. in Alcibiade.

ARTAXERXIS exercitus, regis Persarum in Cadusios, habuit triginta peditum millia, pedites mille. Sabel.

XERXES rex Persarum, in Græcos dimicaturus, habuit de regno suo septingenta millia, de auxiliis trecenta, rostratas naues mille & ducentas, onerarias ad tria millia. Toto numero habuit tria millia nauium, in quibus fuerũt hominum myriades XXIII. Terrestris autem exercitus fuerunt centum & septuaginta myriades, equitum octo. Herod. lib. 7.

MARDONIVS Persa (quem Xerxes apud Salaminem reliquit, vt dissipatos milites resarciret) habuit in exercitu peditum ducenta millia, equitum viginti millia. Victus est tamen apud Platæas à Pausania Lacedæmonio, turmis longè minoribus stipato. Cæcilius cap. 62. lib. 16.

Certaturus in Alexandrum Darius, habuit sexcenta hominum millia. Plutar scribit, Dario fuisse decies centena millia militum.

DARIVS Persarum rex aduersus Scythas pugnans, cum octingentis militum milibus in expeditionem profectus est. Diod. Sic. lib. 3. de Reb. antiquis.

ALEXANDRI copiarum qui minimum asserunt numerum, trecenta millia peditum, equitum verò quinque fuisse tradunt. Fertur in Asiam traiecisse cum millibus armatorum non amplius XLVIII. Iustinus lib. 2.

Antigonus Philippi filius, & pater Demetrij Poliorcetis Macedoniæ regis, habuit in exercitu contra Seleucum Syriæ principem, & alios reges, supra LXX. millia peditum, equitum verò decem millia. Item elephantos LXXV.

ANTIGONI exercitus habuit peditum viginti millia, equites trecentos.

ANTIOCHI exercitus CCC. millia armatorum, quibus Romanos inuasit. Falcatis etiam curribus, & elephantis aciem instruxit. autor Plutar. in Ruffo.

SELEVCVS verò, & Antiochus eius filius, armarunt in ipsum Antigonum XCIII. millia peditum, equites supra decem millia: elephantos quadringentos, currus centum & viginti.

DEMETRIVS Antigoni & Stratonices filius, & Macedoniæ rex, habuit in copiis peditum decem millia, equitum decem naues, quingentas.

CARTHAGINENSES Siciliam cum septuaginta millibus militum, ducentis triremibus, & mille nauibus inuaserunt. Quos tamen superauit Timoleõ dux Corinthiorum, corúmque castra diripuit, desideratis decem millibus.

PERSEO Macedoniæ regi in Paulum Æmylium dimicaturo, fuere quatuor millia equitum, peditum verò XLVIII. millia.

EVMENES rex Pergami habuit in exercitu cõtra Macedones XXXVI. millia bellatorum.

TIGRANI regi Armeniæ fuere ducenta quinquaginta quinque armatorum millia contra Romanos: qui è tanto exercitu peditum centum millia, equitum verò quinquaginta, Lucullo duce, interfecerunt.

MITHRIDATES rex Ponti habuit peditum centum millia, equitum decem, currus falcatos nonaginta. Cælius ad hunc modum de Mithridate: Habuit (inquit) equitum quinquaginta, peditum CCL. millia: machinarum verò ac omnis bellici instrumenti par eius summa. Depugnabant cum eo reges dynastæque Armeniæ, ac Scytharum, qui circa Pontum incolunt, supráque Mæotidem paludem.

Senonum dux Brennus (qui primus Romanam superbiam retudit) habuit CCC. millia.

DIONYSIVS ex vnica Siciliæ ciuitate Syracusis exercitum peditum centum viginti, equitum duodecim milium confecit. Diodorus Siculus de Rebus antiq.

ROMANI paulò ante Hannibalis tempora, futuri belli præuidentes magnitudinem, censu in Italia tum ciuium, tum sociorum, qui bello apti essent, habito, decies centena fermè millia hominum descripsere. Diod. Sic. lib 3. de Rebus antiquis.

Certum non est quantæ fuerint Annibalis copiæ. Alij centum millia peditum, & viginti equitum fuisse dicunt. Quidam aiunt addita ex Gallis & Liguribus LXXX. millia peditum, decem equitum. Quamuis autem exactus ad fidem numerus dari nequeat, hoc tamen argui potest, numerosum habuisse exercitum, quòd amissis in Alpium traiectu triginta millibus, adhuc Romanorum potentiam non expauerit. Plutar.

TERENTIVS Varro consul, & Æmylij Pauli collega, habuit in exercitu octo & octoginta hominum milia contra Carthaginenses.

QVINTVS Flaminius in bello cõtra Philippum Macedoniæ regem, habuit XXVI. millia hominum.

L. Æmilius & Attilius consules, principio sui consulatus quatuor legiones vrbanas in Gallos armauerunt, quarum singulis quinque millia & ducenti pedites, equites verò trecenti inerant. Habebant & ex sociorum auxiliis triginta millia peditum, equitum verò duo millia. Cui numero Thusci & Sabini septuaginta addiderunt millia, vbi primùm Galli Apœninum transire nunciati sunt. Post hoc Vmbri & Sarsennatæ Apœnini incolę viginti millia contulerunt. Samnites LXX. millia peditum, equitum septem millia. Iapigenses & Mesapij quinquaginta millia peditum, equitum XVI. millia: Lucani XXX. millia peditum, equitum tria millia: Marsi, Maricini, Ferentani & Vestini, peditum viginti millia. Eóque modo cæteræ totius Italiæ vrbes, suas suppetias contulerunt, ita vt numerus exereuerit ad septies centena millia peditum, equitum verò LXX. millia. Polybius.

Exercitus Marij & Catuli cõtra Cimbros habuit quinquaginta hominum millia, cum CCC. militibus. Plut.

Exercitus Crassi contra Parthos habuit peditum legiones septem, equitum quatuor millia, ac totidem velites.

L. Luculli copiæ in Mithridatem Armeniæ regem, fuerũt triginta millia peditum, equitum duo millia, cum quingentis.

Bellans in Parthos, M. Antonius habuit LX. Romanorum peditum millia, & his auxilia equitum adiuncta Hispanorum & Gallorum decem millia: cæterarum nationum equitum peditúmque trecena millia. Plutarchus.

Exercitus M. Antonij contra Cæsarem Augustum habuit peditum centum millia, equitum XXII. naues quingentas.

POMPEIVS in bello contra Piratas, habuit quingentas naues, peditum CXX. millia, equitum quinque. Plutarch.

POMPEII in Cæsarem dimicantis acies habuit XL. millia peditum, equitum in sinistro cornu septem millia, in dextro quinque. Præterea Orientis auxilia, totam vrbis nobilitatẽ, Senatores, Prætorios, Consulares.

HELVETIORVM in Galliam Aquitanicam irrumpere volentum tempore Iulij Cæsaris, exercitus habuit trecenta hominum millia. Volat. in Geogr.

C. IVL. Cæsar in acie habuit peditum LXXX. millia, equites non amplius mille. autor Eurropius.

Exercitus CÆSARIS contra Antonium habuit naues ad ducentas quinquaginta, peditum LXXX. millia, equitum XXII. Plutarchus in Cęsare.

PARTHORVM exercitus in Antonium, habuit CCCC. millia equitum.

NERVII (quos Lucanus rebelles vocat, quíque nostro tempore Tornacenses vocantur) in bello contra Cæsarem, sexaginta hominum millia amiserunt.

CAROLO Martello Gallorum regi, fuerunt trecenta armatorum milia.

RADAGASTVS Gothorum rex (qui floruit Arcadij & Honorij Imperatorum temporibus) habuit in exercitu supra ducenta bellatorum millia. autor Paulus Diaconus.

THEODORICVS Clodouei primi filius, in Italiam cum LXXX. millibus traiecit: quibus impetu repentino Belisarij copias fregit, omnémque Transpadanam subiugauit regionem. Volat.

TAMBVRLANES Tartarorum rex, Euphratem fluuium cum sexcentis peditum millibus, equitum verò trecentis traiecit: quo numero Asiam minorem obtinuit, regem Turcarum Baiazitem captiuum duxit: Scythas, Medos, Albanos, Mesopotamiam, Parthiam, Persiam, Armeniam sibi subiugauit. Volat. in Georg.

VECTIGES rex Gothorum, post Attalaticum filium Amalasunthæ reginæ, ad obsidionem vrbis Romæ cum ducentis armatorum millibus profectus est. Volat.

Soli Aruerni (modica Gallorum portio) ducenta bellatorum millia obiecerunt Æmyliano maximo ad Isaræ & Rhodani confluenta. Strabo.

Bela quarto, Andreæ Hierosolymitani filiò, apud Pãnonios regnante, Tartari cum quingentis armatorum millibus Pannoniam ingressi sunt, à quibus superatus Bela aufugit. Volat.

BVNDVICA fœmina Anglica, contra Romanos, qui omnem Britannis libertatem Neronis tempore ademerant, pugnam instituens, comparato exercitu ad centum viginti millia hominum, manus cum Paulino, qui iam Monam insulam subegerat, feliciter conseruit. Xiphilinus in Nerone.

VRBES, ET REGIONES ABVNDANTES.

FERIS.

CICVRIBVS ANIMALIBVS.

Equis.

CILICIA equorum feracissima. Eapropter Dario Persarum regi annuatim trecenti sexaginta albi equi, & argenti quingenta talenta pendebantur, quorum centena & quadragena erogabantur in eam Ciliciæ regionem, quæ equos producebat. Herod. lib. 3.

Bobus.

Bobus.

A. LOTOPHAGIS triginta dierum spacium est ad eos, apud quos gignuntur boues præpostere pascentes. Ideo autem præposterè pascuntur, quòd cornua inflexa anterius habent, & ob id cessim euntes pascũtur. Nam offensantibus in terra cornibus progrediẽdo pasci nequeunt: alioquin nihil differentes à cæteris bobus, præter crassitudinem pellis, atque duritiem. Herod. lib. 4.

Ouibus.

In ARABIA sunt ouium duo genera admiratione digna, quæ nusquã alibi visuntur: quorum vnum caudas habet tam longas, vt non sint tribus breuiores cubitis. Si quis trahi sinat, hulcera contracturæ, dum per terram atteruntur. Nunc vnusquisque pastorum hactenus est doctus arte fabrili, vt plostella faciant, quæ singularum ouium caudis subligẽt, semper quæ plostella caudas ipsos alligent. Alterum genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit. Herod. lib. 3.

Piscibus.

PÆONES Prasiadem paludem incolentes, equis & subiugalibus pisces pro pabulo præbent. Piscium enim tanta est copia, vt quoties quis ianuam compactam reclinauerit, demissam fune sportam vacuam, aliquanto pòst retrahat piscium plenam. Quorum duo sunt genera, vnum quod vocant Papraces, alterum Tilones. Herod. lib. 5.

Auibus.

DIVITES AVRO ET ARGENTO, AVT QVOVIS ALIO METALLO, *tam cælato quàm non cælato. Pecunia, Vasa, & reliqua eiusdem generis.*

Quantæ fuerint opes DAVIDIS, coniectare est ex verbis eiusdem, qui cap. XXII. Paralippomenon ita loquens ad Salomonem inducitur: Confortare, & viriliter age, ne timeas, neque paueas: ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentum. Historia Regum scribit, Dauid habuisse argenti mille millia talentum, id est decies centena millia, & auri cẽtum millia, quæ mille millia talenta argenti valent. Propterea Budæus ait, opes Dauid decies fuisse maiores opibus Darianis.

Fuerunt & immanes SALOMONIS diuitiæ, vt testatur quod li. 3. Regum, cap. 10. scriptum est, hoc modo: Non erat argentum, nec alicuius precij putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurũ & argentũ. Et paulò inferius: Fecitq; vt tanta esset abundãtia auri & argẽti in Hierusalẽ, quanta & lapidum. Consumpsit in templi sui columnis & vasis aureis quadragies sexies centena millia: argenti verò ad clauos & alia instrumenta MCCXXXII talenta. Æris verò in colũnis, fornicibus, & cæteris talenta XVII millia. Rauis. Quantum Solomon rex possederit, sacræ literæ nihil obscurè demonstrant: quibus proditum est, decem millia talenta auri, totidem & amplius argenti ab eo possessa: biiugum equorum quadragena millia, bissena equorum ad pugnam expeditorum: sed auri argentiq; partem multo maximam in apparatum templi, & regiam sumptuosissimè ædificatam, impẽdit: felix opibus, felix vsu: sed multo felicior sapientia, qua mortales omnes antecelluit. Sab. lib. 8. cap. 6.

IONATHAS vir fuit diues & potens: ob quam causam illius amicitiam rex Alexander plurimùm desiderabat. Itaque aurum, argentum, & alia xenia dedit Demetrius: vt habes 1. Machab. cap. 11.

TANTALI diuitiæ prouerbio locum fecerunt: quẽ prædiuitem fuisse ostendit carmen illud ex tragœdia apud Plut. de exilio, Viam dierum n sero iugera.

INDORVM regio teste Curtio, diues est non auro modò, sed margaritis & aliis gemmis, ad luxum magis quàm ad magnificentiam exculta.

MIDAS rex fuit Phrygiæ, cui propter Bacchum hospitio susceptum, concessum est, vt quicquid vellet optaret, voti futurus compos. Optauit autem, vt quicquid corpore contigisset, in aurum verteretur. Tantæ fuerunt eius diuitiæ, vt in prouerbium abierint.

ISMENIAS Thebanorum locupletissimus fuit. Guido Bitur.

Nobilitauit census CIMONEM Atheniensem, nobilitauit & NICIAM: sed vtrunque nobiliorem fecit liberalitas. Sunt & CALLIÆ Atheniensis diuitiæ nihil ad posteros obscurę. Sed SCOPADVM, qui Cranonem in Thessalia habitarunt, omnium in Græcia celeberrimæ, vt quas Critias tyrannus inter pauca vota sit sibi optare solitus. Sab. lib. 8. cap. 6.

DEMADES orator Atheniensis, plurimùm & opibus & potentia valuit: ita quidem, vt nihil præter Macedonum & Antipatri gratiam quęreret. Plut. & Volat. lib. 15. Anthrop.

DAMIANVS Ephesius Sophista: circa M. Antonij principis tempora, diuitiis multis ac potentia inter suos non vulgari præditus fuisse dicitur. Philost. in Sophistis: & Volat. lib. 15. cap. 1. Anthrop.

TVRDITANI gens diues, vt quæ à Carthaginensibus quondam inuenta sit, præsepibus vtens argenteis: vti Strabo commemorat.

CALLICRATES fuit quispiam Carystius, qui ciues suos omnes opibus longè præstitit. Hinc adagium natum: Vltra res Callicratis.

MYNIAS fuit quispiam sua ætate mortalium ditissimus, qui primus thesaurum recondendis pecuniis struxisse fertur.

Herodotus scribit, RHAMPSINITVM regem immanem pecuniæ copiam habuisse, quam nemo regum posterum adæquarit.

ANTIOCHVS Magnus, Syriæ rex, tantis affluxit diuitiis, vt in Romanos certaturus exercitum collegerit ornatissimum, in quo plerique milites hastis scutísque aureis & argenteis enitebant. Propterea quum ostentasset Annibali copias illas tanto munitas apparatu, rogassétque nũquid satis essent Romanis facturæ? Pœnus ignauiam imbellium militum eius eludens: Satisfacturæ, inquit, etiam si auarissimi fuerint Romani.

Fuit & ACHÆMENES rex Persarum ditissimus. Horatius. lib. 2. Carminum.

Non tu quæ tenuit diues Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Liciniæ?

CLEOPATRÆ diuitiæ arguuntur ex coctilibus illis muris, inter septem orbis miracula numeratis: ex cratere, cuius pondus erat XV talentorum: ex apparatu conuiuij, quo Antonium excepit: ex vnionum sorbitione, & multis aliis sumptibus.

POLYCRATES Samiorũ tyrannus, quoad vixit, non tam fortunę dici potuit alumnus, quàm partus. Sed mors infamis & ærumnosa tandem eum docuit satis infœlicem. Fuit etenim ab Orœte Persarum satrapa captus, & patibulo miserè suffixus. Guido Bitur.

CROESVS Lydorum rex, Alyattis filius, cùm Græcos partim subegisset, partim socios atque amicos sibi adsciuisset, tãtum imperio & opibus creuit, vt se fœlicissimum dicere non dubitaret. Volat. libr. 14. cap. 2. Anthrop.

POPVLVS Rom. septem annis ante primũ bellum Punicum habuit in ærario auri pondo DCCXXVI millia, argenti XCII millia, & extra numerũ CCCLV millia. Item Sex. Iulio & L. Martio cõsulibus. LXXIIII auri pondo. Cæsar primo introitu vrbis in ciuili bello suo ex ærario protulit laterum aureorum XXVI millia, & numero pondo CCC.

M. CRASSI, qui in Parthis periit, maiórne fuerit census, an habendi cupiditas, haud quisquam facilè dixerit. Ferunt sępe ex eo auditum, diuitem esse neminem, nisi qui annuo redditu legionem alere posset. Quòd si animus hominis diues, non arca appellanda est, fuit M. Crassus nunquã diues, cùm hominum opinione esset togatorum omniũ ditissimus. Sab. li. 8. ca. 6. & Volat. lib. 14, cap. 2.

Quamuis numerosæ fuerint Crassi diuitiæ, Plin. tamen facit L. COR. Syllam ditiorem, vbi de Crasso loquens ait: Quiritum post Syllam ditissimus.

L. LVSCIVS, Syllanarum partium amplius sexcenties possedit.

TARIVS Ruffus infima natalium humilitate consulatum militari industria meritus, circiter mille sestertiũm liberalitate Augusti cõgestum, agris coemendis exhausit.

Idem Seneca testis est, LENTVLVM augurem eodem Augusto imperante, quater millies sestertiũm possedisse.

PALLAS Claudij libertus, Crasso ditior fuisse perhibetur vicies & quinquies centenis millibus. Plinius præter Pallantẽ ait, CALLISTVM & NARCISSVM Claudij principatu fuisse opulentiores. Narcisci autẽ diuitiæ in prouerbium venerunt, quum Iuuen. dicat:

Nec Crœsi fortuna vnquam, nec Persica gaza
Sufficient animo, nec diuitiæ Narcißi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia.

De Pallante Iuuenalis Satyra 1. Hi duo, Pallas & Narcissus, liberti fuerunt Claudij, quos decreto quoque Senatus, ingentibus præmiis & magistratibus ornari passus est. Tacitus scribit, Pallãtem ipsum sestertij ter millies possessorem fuisse: & lib. 14. ait, Neronem veneno interfecisse hunc Pallantem, quòd immensam pecuniam longa senecta detineret.

HELIOGABALVS mensas & capsas habuit argenteas. Primus etiam cacabos, vasa deinde centenaria argentea sculpta, & nonnulla stigmatib. libidinosissimis inquinata habuit. Ælius Lampridius.

Quid VENETIÆ? in quibus ne amplissimæ quidem diuitiæ, magnæ sunt admirationi, ob ciuitatis opulentiam. Nec enim vnius domus opes hic conspicuæ sunt, tametsi domesticæ puellæ mille libræ auri olim appẽsæ sint dotis nomine, regio matrimonio locatæ, tantúmque nunc possideat, quantum Venetorum priuatim nemo: nec alij multi, quibus immẽsæ sunt diuitiæ congestę, sunt cuiquam admirationi. Vbi ex his qui sordidum quæstum faciunt, tantum quidam auri congessere, vt ad inuidiam fortunę creuerint. Erit itaq; vt vera hęc, ita peculiaris vnius ciuitatis laus in hac relatione: vt nulli hominum fuerint vnquam (Rom. duntaxat exceptis, quibus totus orbis prędę fuit) qui publicè priuatímque plus possederint, quàm Veneti, qui Adriam accolunt. Sab. lib. 8 cap. 6.

Attingit fama hęc & sacerdotium. Desierunt esse in humanis, cùm hæc commentaremur, DVO supremi ordinis antistites (parcitur nominibus, religionis causa) tantum congesti auri cęlatíque argenti cum aulico apparatu vterque reliquit, quantum priuatim diu in Italia possedit nemo, præter vnam domum, cuius exempla proxima continet relatio. Ibidem.

Clatuit Florentię COSMVS Medices immenso pecuniarum auctu tã diues, vt hoc nomine non Italici solũ, sed Christiani etiã nominis reges

omnes,& summi duces cum eo hospitium iunxerint, literis, muneribus & omni officio certãtes:manfit claritas familiæ incolumis, vsque ad Caroli octaui in Italiam aduentum.Quo tumultu Cosmi proneporibus ciuili seditione domo eiectis,domestica gloria multiplici clade conuulsa, facilè ciuitatis principatu cessit.Ibidem.

DIVITES SPLENDIDIS AEDIFICIIS, *nauibus,&c.*

P.Clodius(quẽ Milo occidit)habitauit domo, empta sestertiis CXLVII. millibus.

Cuidam Lampem Æginetam efferenti,ac fœlicem prædicanti, quòd prædiues videbatur,multorum nauigiorum Dominus. Lacon: Nihil(inquit)moror fœlicitatem de funibus pendẽtem.Sensit autem, non in manu nostra esse, quæ in fortunæ sunt imperio , & ea præsertim quæ nauibus committuntur.Plut.in Lacon.

CICERO, homo nouus Arpinas (vt improperabat inimicus) præter dignitatem consularem eò diuitiarum peruenit , vt habitaret domum, quæ fuerat M.Crassi,Romanorum ditissimi.

MAMVRRAM Catullus dixit habere quicquid habuisset comata Gallia.Cornelius Nepos adiecit, eum totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuisse,omnes solidas è Carystio aut Lunensi.

DIVITES AGRIS.

Vergilius scribit,Sichæum Didonis maritum,fuisse ditissimum agri inter Phœnicas. Quæ opulentia fuit ei exitio : impulitque Pygmalionem regem Tyri,vt eum interficeret.Quantum autem auri & argenti habuerit,hinc suspicari licet,quòd eius thesauris profuga Dido, æmulam Romani imperij Carthaginem ædificauit.

GALESVS fuit in Latio quispiam ditissimus agrestis gazæ.Vergilius lib.7.Æn.

Corpora multa virûm circa seniorque Galesus,
Dum paci medium se offert, iustissimus vnus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum,quina redibant
Armenta,& terram centum vertebat aratris.

DORYLAS ponitur ab Ouidio libro 5.Metam.ditissimus agrestis opulentiæ,vbi ait:

Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri,
Dines agri Dorylas,quo non possederat alter
Latius,aut totidem tollebat sarris acervos.

LICINIVS Cæsaris libertus,tantum agrorum fertur habuisse,quantum peruolarent milui.

DIVITES SERVIS, MANCIPIIS, ET PECORIBVS.

ABRAHAMVS cùm ditissimus fuerit, seruis quoque ita abundauit, vt vernas 318.armare potuerit : quibus quinque reges, qui regem Sodomorum prælio vicerãt,& Lothum fratris sui Haranis F. captiuum abduxerant,cum ingenti præda,cecidit,& Lothum liberauit.Genes.14.

Habuit Iob septem millia ouium , tria milia camelorum , quingenta iuga boum,quingentas asinas , reliquíque pecoris armentum numerosissimum.

CISSAMIS Cous fuit gregibus pecuariis supra modum diues.

ERICHTHONIVS Phrygiæ rex secundus , & Dardani filius(vt authores sunt Homerus & Diodorus Siculus) equorũ in pasturis tria millia habuit.Guido.

Percontanti cuidam , cur Lacedæmonij Helotis (sic apud illos dicebantur,quorum conditio media erat inter seruos & ingenuos)committerent colendos agros , ac non ipsi potius eos colerent? Quoniam, inquit,non ipsorum causa, sed nostra, Helotas nobis comparauimus.Videlicet sulticiam eorum taxans,qui mancipia ad ostentationem alunt otiosa , & seruos socios ac ministros voluptatum habere malunt , quàm frugiferis operis occupatos.Plutarch.in Lacon.

M.CRASSVS, ille diues , magnam seruorum turbam domi alebat: quorum præcipuam agebat curam,discentibus adstans interdum,& ipse docens eos, dicens: hanc oportere præcipuam esse patrisfamiliãs sollicitudinem,quot sint rei familiaris animata instrumenta. Idem sensit Aristoteles.

C.Cæcilius Claudius Isidorus,C.Asinio Gallo,& Martio Cyrino consulibus,ad VI.Cal.Febr.testamento suo edixit,quamuis multa ciuili bello perdidisset,tamẽ relinquere seruorum quatuor millia CXVI. iuga boum tria milia DC. reliqui pecoris CCLVII. miliain numerato pondo DC. milia,& funerari se iussit sest.XI.milibus.Plinius lib.24.cap.10. Volat.lib. 14.cap.2.Anthrop.& Sab.lib.8.cap.6.

Iam verò si quis Italiæ vrbes contempletur,plures in his reperientur, quorum diuitiæ non indignæ sint quæ in hunc ordinẽ rediganur. Nam & Romæ nuper fuere hoc nomine illustres,Margani,Crucei, Bubali, & omnium maximè Transtyberina regione duo Matthæi fratres , ex quibus semel domestico conuiuio adhibitus, audiui tantam sibi rei pecuariæ rationes creuisse , vt quingentos canes ad stabulorum custodiam in agris alerent.Sab.lib.8.cap.6.

PAVPERTATIS VARIAE SPECIES.

REGIONES STERILES ET INOPES.

FRVMENTO.

VINO.

ANIMALIBVS.

Ceruus & aper prorsus in Africa nullus est.Herod.lib.4.

In Heleo agro Græciæ, muli nequeunt gigni , quamuis nec locus sit frigidus,neque vlla alia causa appareat. Aiunt Helienses ipsi, ex imprecatione quadam id sibi contigisse. Itaque cum tempus aduenrat conceptus equarum, in loca finitima equas educunt. Ibi posteaquam admiserint asinos,eas reducunt.Herodotus lib.4.

METALLIS.

MACROBII Æthiopes vt auro abundant,ita ære & ferro carent, ideò vt sontes aureis cathenis necti consueuerint.Herod.lib.3.

PAVPERTAS PVBLICA, REGVM, DVCVM, REIPVBLICAE.

Consule tit.Inopiam suorum dissimulare.Item,Æstus in parandis stipendiis.Item,Ad inopiam hostes redigere,&c.

In PHILOPOEMENEM Achæorum ducem, qui multos haberet equites & armatos , sed pecuniarum indigus , T. Flaminius ita ludebat: Philopœmen,inquiens,manus habet & crura,ventrem non habet. Ac tali quidem specie corporis erat Philopœmen. Quintius autem equites ac pedites armatos , manus & crura ducis appellabat: sed quoniam non habebat quo aleret militem,negabat illum habere ventrem.Plutarch.in Rom.apophthegmat.

REGIONES, CIVITATES EVERSAE ET DEPOpulatæ *ab hostibus.*

Cùm ad Ladam insulam Iones cum Persis pugna nauali congressi,superati essent; Miletus ab hoste capta, incensa & euersa est. Milesij, qui effugerunt, vnà cum Samils Zanclam,Siciliæ oppidum,occuparunt. Herodotus libro sexto.

REGIONES VEL CIVITATES TERRAEMOTV PERditæ,vel saltem concussæ.

Consule locum Mortis,de iis qui terræmotu perierunt.Hic ciuitatum & regionum euersarum ratio habetur,illic genus Mortis priuatorum consideratur.

IVDÆI cùm sub Iuliano apostata templum Hierosolymitanũ restaurarent, terræmotu maximo & igne cœlesti ac infernali fundamenta disiecta, & operæ consumptæ fuerunt.Nicephorus lib.10.cap.32.& 33.

BVRDEGALENSIS ciuitas terræmotu concussa est , anno Childeberti regis quinto. Extendit sese terræmotus istius sæuitia ad Hispanię fines,& Pyrenæos vsque mõtes:qui motus violẽtia labefactati, rupti fuêre, & ruina sua plurimos homines ac pecora prostrauerunt.Greg.Turonen. li.5.Historiæ,cap.35.

Anno secundo imperij Mauricij (vt Sigebertus annotat in Chronico) terræmotus Antiochiam, & sexaginta millia hominum perdidit. Periit tũ simul Asterius Gregorij Antiocheni episcopi persecutor miraculosè seruato eius vrbis episcopo.Euagrius lib. 6. cap. 8. Meminit etiam eius mirandæ cladis,Gregorius Turonensis,lib.10. Historiæ , cap.54.in Mauricio.

ILLVVIONIBVS PERDITAE AVT AFFLICTAE REGIOnes,*& vrbes.*

Sub Iuliano IMPERATORE apostata, ALEXANDRIA maris æstu sic inundata est, vt eo in locũ suum regresso , in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ.Diem eum quo recessit,inter anniuersarios sacrum deinceps celebrarunt Alexandrini,& Deo pro liberatione gratias egerunt.Nicephorus lib.10.cap.35.

Anno quinto Childeberti, qui ferè in initium Mauricij imperij incidit, mense Septembri,continuis viginti diebus imbres tanta vididerunt,vt plurimis in locis sementem facere nemo posset.Fluuij præterea,Ligeris, Fluueris(quem Melacrem vocant alij)Rhodanus,Araris, omnésque torrentes longè latéque supra ripas effusi,plurimum accolis detrimenti dederunt. Lugdunensis ciuitatis muros Araris cum Rhodano coniunctus, aliqua ex parte subuertit. Gregorius Turon.lib.5.cap.35.Annonius lib.3. cap.31.de gestis Francorum.

AMBRONES Galliæ populi , quum subita maris inundatione sedes suas amisissent,animum rapinis adiecerunt,& latrociniis.

Anno Mauricij 3.Calendis Octobris, dira aquarum alluuio & fulmina fœdissima,Venetiarum & Liguri terras oppressere : & mox Romæ atrocissima pestis,ex serpentum fœtore ad littora proiectorum exorta , & secuta est.Deinde sexto Mauricij anno impia Longobardorum gens Romã oppugnans,assiduis imbribus turbinúmque tempestatibus adeò perpulsa est,vt obsidionem soluere cogeretur. Subsecuta est deinde tanta vis aquarum,vt innumerabilis penè hominum pecudúmque multitudo per Italiam,ac maximè Romæ pericrit. Tyberis ita se effudit , vt altitudine Romanę vrbis mœnia superaret,& ingentem serpentum aliarúmque venenatarum animantium colluuiem adueheret.Inde mox anno sequenti, Palmerio autore , ex cadauerum putrefactione iterum pestis sæuissima orta est,qua Pelagius papa & infinita hominũ multitudo Romæ interiit. Heinricus de Erphordia,nono Mauricij anno hæc facta esse scribit:nam mirè hic variant autores.

VENETOS, Bartholomæo Gradonico duce, Euãgelista Marcus protexit.Nam cùm aquæ supra consuetum excreuissent,ita vt non leue periculum Venetæ vrbi immineret,mane piscator senex retulit,dum tempestas sæuiret,à tribus se venerandi aspectus requisitũ , eos vsque in portus fauces duxisse:qui,sedata tempestate, omnes in vrbe remanserunt:in sancto Georgij fano vnus,alius in sancto Nicolao : tertius cùm alios duos Georgium & Nicolaum esse dixisset,se Marcum esse Euangelistam ostẽdit:imperauitque, vt quod viderat narraret,quia ab vrbis principe abundè laboris sui,dum eos traiiceret, mercedẽ esset accepturus.Vt autem iis quæ narraret,fidem penes homines inueniret,annulum donauit, quem piscator ostendebat.Itaque re audita,Veneti constituto piscatori annuo stipendio,supplicationes decreuerunt.Fulgosus lib.1.cap.6.& Egnat.eodem.

VRBES INCENDIIS VASTATAE, AVT CERTE AEDIFICIA PRAECLARA.

IONES cùm à rege Dario defecissent,authore Aristagora Milesio, superato Tmolo Sardis aduenium,eáque occurrẽte nemine capiunt: omnísque eius vrbis loca,præter arcem , quam Artaphernes Persa tutabatur.Erant Sardibus domus pleræque arundinaceæ:sed quæ lateritiæ , tamen ex arundinibus lacunaria habebant.Harum vnam quidem è militibus etiam incendisse,repentè ignis è domo in domum elapsus , totam vbem absumpsit.Crematis Sardibus, deflagrauit vnà templum Cybeles indigenæ deæ:cuius prætextu postea Persæ templa quæ in Græcia erant, cremauerunt.Herod.lib.5.

Argi lucus à Clemone incensus.Vide tit.Vrbes desolatæ.

Etretria à Date Darij duce,septimo obsidionis die capta,& incensa,cives in seruitutem rapti.Herod.lib.6.

APOLLINIS templum Daphnæum in Antiochiæ suburbio (quod Gallus Imp.Christianis cõcesserat,& ibi etiam Babylę martyris reliquias reposuerat)cùm Iulianus apostata denuò idolis coinquinaret, eiecto Babylæ cadauere,ignis incerto authore coortus tẽplum integrum absumpsit.Nicephorus lib.10.cap.28.

ROMÆ Capitolium conflagrauit,& libri Sibyllini exusti, anno vrbis cond.669.L.Corn.Cinna IIII.& Cn.Papyrio Carbone I I.coss.Sylla reuocato,& Cinna interfecto.

Iovinianvs Imp.à coniuge instigatus , Antiochiæ templum magnificentissimum , quod Hadrianus in honorem patris Traiani extruxerat,& Iulianus apostata in bibliothecam redegerat, vnà cum libris omnibus cremari iussit.

PATAVIVM anno Christi 1174.4.Non. Martij , totum fere incendio fuit absumptum,cùm occultè ignis in ædes aduersæ factionis à scelesto quopiam iniectus esset(contendebant autem inter se Iordanus S. Benedicti Nouelli prior,& Luscus Trãsalgandinus patricius.)Ad 2614. domorum ea clade cõflagrarunt.Extat eius rei testis,lapis ad basilicam D.Acanthiani positus, M.C.LXXIIII.ARIST.PADVA.Bernard. Scardeonus in hist.Patauina.

Constantinopoli cùm D.Ioannes Chrysostomus episcopus à coniuratis,& ab Eudocia Imperatoris cõiuge,in exilium pelleretur, ignis è medio throno,in quo ille concionari consueuerat,diuinitùs emicans,derepentè in sublime ascendit,& tecto consumpto,violentóque vento excepius proximã Senatus curiam meridiem versus, quamuis lõgiusculè distitã,intermediis ædificiis illæsis inuasit, & trib.horis integrã absumpsit. Inde serpens,vicina ædificia deuorauit:ab ea ædicula sola abstinens, vbi sacra vasa asseruabantur. A crepusculo ad auroram vsque duravit incendium.Nicephorus lib.13.cap.21.

REGIONE ET VRBIBVS EXVTI POPVLI AB HOSTIbus.VRBES ab hostibus occupatæ.

Consule titul.Exules voluntarij.Si spectes agentes,ad Diuitias pertinebit locus iste:si verò patientes, ad Paupertatem.

Cùm Scythes ZANCLÆORVM rex in Sicilia vrbem quandam obsideret,ANAXILEVS tyrannus Rheginus Samiorum ope, qui ex pugna nauali ad Miletum contra Persas commissa effugerant.Zanclam viris defectam occupauit.Herod.lib 6.

Argonautarum posteri cùm à Pelasgis,qui fœminas Athenienssium , & ex Braurone prædati sunt, essent eiecti è Lemno,Lacedæmonem nauigarunt,& considentes apud Taygetum ignes accenderunt. Quos Lacedæmonij cùm aspexissent,nuncium misere scisciratum , quinam & vnde essent.Illi respondent, se MINYAS esse , ab his heroibus oriundos, qui in Argo nauigassent:quíque cum Lemnum appulissent,illic eos procreassent.Lacedæmonij iterum scisciratum,quid sibi vellet ipsorũ aduentus?Illi se respondent à Pelasgis eiectos,redire ad parentes , oraréque vt sibi liceret vnà cum eis habitare, tum bonorum , tum agrorũ participes. Id quod Lacedæmoniis placuit cùm ob alia, tum præcipuè quòd Tyndaridæ Castor & Pollux in Argo nauigauerant. Receptos Minyas & agris impertierunt,& in tribus coaptarunt.Ibi confestim repudiatis iis quas in Lemno duxerant vxoribus , cum aliis matrimonia contraxerunt. Longo deinde interiecto tempore elati superbia , cùm alia flagitiosa perpetrarunt,tum regnum affectarunt . Quo nomine Lacedæmonij cùm morte mulctandos censuissent,comprehensos in carcerem coniecerunt. Quosquinque Lacedæmonij more plectendos censent,eos noctu plectunt, interdiu neminem. Cùm ergo essent in illos animaduersuri , exorati sunt ab eorum vxoribus,quę cùes erant,& primorum Spartanorum filiæ,veniam ingrediendi carcerem,& cum suo cuiusque viro colloquendi,nullum in illis dolum esse suspicantes. Horum permissu Minyarum vxores ingressæ carcerem,omni veste quam gestabant viris tradita, illorum vestem illę sumpserunt. Ita Minyæ muliebri veste amicti,è carcere prodierunt,rursúlque apud Taygetum consederunt.Herod.lib.4.

ARGII apud Tirynthum à Cleomene rege Lacedæmoniorum cæsi , plures in lucum Argi fuga elapsi sunt. Quos cùm Cleomenes redemptione simulata euocatos interimeret , reliqui re cogita prodire amplius noluerũt.Itaque Cleomenes ignem luco iniecit, & Argios omnes viuos exussit.Ex eo igitur Argos ita viris desolatum est , vt serui eorum res omnes susceperint,atque magistratus administrarint , dum filij cæsorum ad puberem adoleuere ætatem:qui sese in suum ius asserentes, ac reuersi Argos,mancipia eiecere.Serui eiecti, prælio Tirynthum obtinuere,cæterus quidem,dum fuit in eis mutua beneuolentia,& donec ad eos venit vates quidam Cleander,genere Phygasæus,ab Arcadia.Is persuasit seruis,vt dominos adoriretur.Vnde bellum inter eos diuturnum extitit,donec Argij ægrè euasere victores.Ob hoc igitur aiunt Argi Cleomenem ad insaniam redactum,malè periisse.Herod.lib.6.

REGIONES OCCVPATAE AB ANIMALIBVS.

Consule tit.Regiones infestæ feris.Hic amißionis,illic ferocitatis ratio habetur.

PAVPERES PRIVATI. ITEM
Mendici.

Exempla pete ex tit.Qui obscuro loco nati clari euaserunt.Item ex tit.Furum,Prædonum,&c.item ex tit.Mechanicarum artium sordidißimarum.

RVTH Moabitis,non magnis diuitiis abundabat,quando ibat ad colligendum spicas,quæ metentium manus fugerant, quæ ad manus pauperum pertinebant.Ruth.2.

De LAZARO,in sinu Abrahæ ab angelis deportato, nullum aliud iustitiæ opus,vel causam gloriæ,Scriptura allegare videtur, nisi quòd ipse receperat mala in hac vita mortali.Et ideo Deus voluit eum consolari in alia.Lucæ 16.

IRVS Ithacensis mendicus turpissimus fuit,quem Vlysses pugillatu superauit.Homer.lib.18.Odyss.

HOMERVS cæcus ex peregrinationibus redditus,Smyrnæ primum, deinde Cumis,tertio in Phocea paupertatis subleuandæ ergò carmina sua ostentabat,& stipem ab auscultantibus exigebat.Item & Sami,comitantibus pueris.Herod.in eius vita.

Gellius scribit,PROTAGORAM sophistam adolescẽtem,victus quærendi gratia vecturas onerum corpore suo factitasse.

Plinius scribit,PROTOGENEM pictorem contentum fuisse casula, quam habebat in horto suo.

PAVSON fuit pictor insigni tenuitate.

MENOETES fuit Arcas quispiam,occisus à Turno,cuius paupertatẽ describit Verg.lib.12.his verbis:

Et iuuenem exosum nequicquam bella Menœtem
Arcada,piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat,paupérque domus,nec nota potentum
Munera,conductáque pater tellure serebat.

TELENICVS homo fuit adeò notæ paupertatis,vt Seriphij prouerbium inde formauerint.

ACOETES paupertatem suam apud Ouid lib.3. Metamorph. his verbis exprimit:

Ille metu vacuus,nomen mihi dixit Acœtes,
Patria Mæonia est,humili de plebe parentes.
Non mihi quæ duri colerent pater arua iuuenci,
Lanigerósque greges,non vlla armenta reliquit.
Pauper & ipse fuit,lignóque solebat,& hamis
Decipere,& calamo sitientes ducere pisces.

CONNA tibicen fuit pauperrimus,qui nihil habuit præter oleastrũ.

BAVCIS mulier,& PHILEMON eius maritus,in maxima paupertate consenuerunt.Ouidius lib.8 Metam.

HECALE nomen est pauperrimæ fœminæ,apud Ouid.lib.2.de Remed. Am.

Cur nemo est Hecalem,nulla est quæ nouerit Irum?
Nempe quòd alter egens,altera pauper erat.

CAVNIVS fuit quispiam pauperculus: qui quum vtriculum aquæ sitienti Artaxerxi porrexisset,ab eo ad summam rerum opulentiam euectus est.

Fuit & LYSISTRATVS summæ paupertatis homo,adeò vt prouerbio locum fecerit.

TELEMACHVS quispiam Acarnensis,qui ob paupertatem fabis sæpenumero victitabat.Hinc Telemachi olla prouerbio locum fecit.

CALLIAS Atheniensis comicus,filius Lysimachi,tam egenus fuit, vt ob paupertatem Schœnion,quòd funes torqueret,sit dictus.Volat. libr. 14.cap.2.Anthr.

ARCHESTRATVS Syracusanus,poeta extremæ paupertatis.Consule titulum Poetarum.

PLATO Aristonis filius,cùm paupertate premeretur,in militiam profectus est,vt victum sibi pararet. At deprehensus à Socrate, vendidit arma,animum mutauit:eiúsque suasu ad Philosophiam se contulit.Ælian. lib.3.de Var.hist.

HIPPIAS philosophus Elæus,ad id inopiæ deuenit,vt vestem, anulum,crepidas,& soccos,quæ cultu erant necessaria,suis manibus laboraret.Alex.ab Alex.lib.3.cap.11.

CLEANTHES philosophus Stoicus,Planij filius,ex Asso ciuitate Troadis natus,qui Zenonis Cittiæi scholæ successit,& eam,authore Strabone,postea Chrysippo Solensi reliquit:diebus aduersus ignorantiam,noctibus autem aduersus paupertatem depugnauit. Nam inopia cogente, ex puteis ad irrigandos Atheniensium hortos, noctu aquam hauriebat, qua mercede liberalibus studiis interdiu vacabat.Ea demum quæ à Zenone suo præceptore mente conceperat,boum ossibus & testis fictilib. perscribere solebat,cùm pecunia non suppeteret ad emendam papyrũ. Laertius.

DION Prusiæus sophista,dum Domitiani tempora fugeret(quo imperante Philosophia exulabat) victus gratia opus in agro factitauit. Philostratus in Sophistis.

EVRIPIDIS mater lucellũ faciebat in vendendis olerib.autore Plin. Ei nomen erat Clito,patri verò Mnesarchus.

CODRVS poeta suorum temporum pauperrimus, adeò vt eius nomen in prouerbium abierit. Vxorem habuit proculam: teste Iuuenale Satyra tertia.

ENNIVS poeta,quem Rudiæ genuère vetustæ (vt Syllius Italicus canit)sed Eusebius Tarentinum illum facit,in Auentino habitans:tam pauper fuisse dicitur,vt vnius ancillæ ministerio vsus dicatur. Volat. libr.15. Anthrop.

PLAVTVS comicus paupertate ductus,in mola asinaria victum quærebat interdiu,vt nocturno tempore studiis vacare posset. Crinitus in eius vita:& Volat.lib.18.Platina Dialog.de Vera nobilitate.

IVLIVS Phrygius,natione Hispanus,vel,vt alij volunt,Alexandrinus, à Cæsare Romam aduectus,studiose & auide imitatus est Cornelium Alexandrum grammaticum Græcum, familiaris Claudio Licinio historico:qui eum admodum pauperẽ discessisse tradit,& liberalitate sua quoad vixerit,sustentasse.Suet.apud Volat.lib.16.Anthrop.

M.Pompilius ANDRONICVS grammaticus,qui multa composuit,adeò inops atq; egens, vt coactus sit præcipuum illud opusculum Annaliũ elenchorum XVI milibus numûm cuidam vendere:quos Orbilius nactus magno auri pondere redemisse se dicit.Tranquillus apud Volat.eod.fol. 134.Suet.cap.7.

Q.HORATIVS poeta,sua poemata inopiæ causa scripsisse,& Mecœnati dedicasse fatetur:cum ait.

---Paupertas impulit audax,
Vt versus facerem,&c.---

Volater.libro 17.Anthrop.

M.VAL.Martialis poeta,& epigrammatum scriptor,relicta Roma,vbi annos triginta commoratus erat,& reuertens in Hispaniam,tam pauper fuit,vt Plinij viatico adiutus sit.Plinius Nepos in epistola quadam:& Volat.lib.17.Anth.

Sunt qui dicant,LVCILIVM poetam satyrographum publico funere fuisse elatum.

Apud Horatium IBYCVS nomen est pauperis, cuius vxor dicebatur Chloris.hæc Horatij sunt verba:

---Vxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ.

Catullus FVRIO cuidam pauperrimo,sequentibus illudit versiculis:

Furi,cui neque seruus est,nec arca,
Nec cymex,neque araneus,neque ignis:
Verùm est pater,& nouerca quorum
Dentes vel silicem comesse possunt.

Martialis lib.2.HYLI paupertatem eludit his verbis:

Vnus sæpe tibi tota denarius arca
Quum sit,& hic culo tritior Hyle tuo.

Idem THELESINVM turpi quæstu diuitem factum,ridet his verbis ex libro sexto.

Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum,mensas,prædia solus emit.

APHER apud eundem nomen est viri extremæ paupertatis, vbi ait: Quum

Quum sis tam pauper,quàm nec miserabilis Apher.

Ab eodem ridetur CINNA quispiam, quòd quum pauper esset, pauper videri vellet.Sic enim inquit:

Pauper est Cinna,& vult videri pauper.

CODRI poetæ pauperrimi,& PROCVLÆ eiusdem vxoris paupertatem sic describit Iuuenalis Satyra 3.

Lectus erat Codro Procula minor,vrceoli sex,
Ornamentum abaci,necnon & paruulus infrà
Cantharus,& recubans sub eodem marmore Chiron:
Iámque vetus Græcos seruabat cista libellos,
Et diuina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus:quis enim negat?& tamen illud
Perdidit infelix totum nihil. vltimus autem
Ærumnæ cumulus,quòd nudum,& frustrà rogantem,
Nemo cibo,nemo hospitio,tectóque iuuabat.

AËTIVS medicus,ex Antiochia Syriæ oriundus, Constantini Magni temporibus,pauper ab initio,aurificinam ob inopiam exercuit. Eius vitã describit copiosissimè Eunapius,Græcus author.Volaterran. lib.13. cap.3. Anthrop.

DONATVS Acciaiolus Florentinus,qui in Ethica commẽtarios doctissimos edidit,cùm in legatione discessisset, nihil diuitiarum filiis ob paupertatem reliquit, filiæ verò ob eius in rempub. merita haud aliter quàm Pauli Æmylij aut Aristidis ære publico nupserunt. Volat.libro 21. Anthrop.

ANDRONICVS Thessalonicensis in Græca disciplina post Theodorum secundus, Romæ apud Cardinalem Nicenum viuens, & maximo emolumẽto docens:sed sicuti plerique eius generis alij, coactus est egestate vrbem deserere.Ibidem.

THEODORVS GAZA, patria Thessalonicensis, vtroque eloquio clarissimus,cùm Romam venisset, maxima ibi paupertate vixit. Ibidem.

SEB. Castalio Allobrox, vir doctissimus & sanctissimus, cùm Genua Basileam cum vxore migrasset,tanta paupertate premebatur, vt fame illi pereundum fuisset, nisi Io. Oporinus typographus eum sua liberalitate sustentasset, & ad Bibliorum conuersionem animum addidisset. Munus inde publicum Græcas literas profitendi adeptus, maiorem occasionem tenuitatis subleuandæ habuit, maximè cum nominis sui fama (quam tamen nunquam affectauit,bonorum omnium testimonio)ex remotissimis gentibus discipulos ad se pertraheret. Moriens eas reliquit opes,quæ Christiano homine,thesaurum suum in cœlis quærente,dignæ erant. Discipulorum igitur Polonorũ sumptibus funeratus, & præclaro elogio cohonestatus,viris porrò piis atque doctis liberalitatem suam erga sobolem satis numerosam exercendi, materiam reliquit amplissimã.

EX DIVITIBVS PAVPERES FACTI CVLPA ALIENA: VT
propter furtum,bonorum publicationem,obsidionem,&c.

Consule tit.Ad inopiam hostes redigere.item,Inopiam suorum dißimulare.

ORIGENES Adamantius,decimo Seueri principis anno, vigente in Christianos insectatione,à Leonida patre cum sex fratribus & matre vidua relictus,annos natus 17.pauper admodũ, cùm bona propter religionem confiscata fuissent, vixit.Hieronymus & Eusebius lib. 6.apud Volat. lib.7.Anthrop.

BALDVINVS Imperator, vsque adeò necessitate rerum omnium, & præcipuè pecuniæ oppressus est,graui hostium obsidione intra Byzantina mœnia compulsus,vt primùm sacra tẽplorum vasa, tum reliqua ornamenta distraxerit. Plumbum deinde, quo superiorum ædium sacrarum partes tegebantur,abstraxerit.Nouissimè, ne quid mali deesset, vnicum filium Venetis etiam tradiderit oppignorandum: id quod (vt opinor) stomachum legentibus omnibus mouerit. Egnat.lib.7.cap.6.

QVI EX DIVITIBVS PAVPERES FACTI SVNT CVLPA
propria,vtpote.

PRODIGALITATE.

DIMADES orator Atheniensis,cum primò ita opibus & potentia valeret, vt nihil aliud quàm Macedonum & Antipatri gratiam in Repub. quæreret,ad tantam paupertatem adactus est, vt eiectus ex ciuitate (sepies enim falsi accusatus erat)non habuerit,vt pecuniam,qua illũ Athenienses mulctarant,persolueret.Plutarchus.

ACCIVS NAVIVS augur,cùm propter artis suæ præstantiam,non tantum à Tarquinio Prisco,verùm etiam ab aliis quampluribus adamaretur, & diuitiis ornaretur, ad tantam paupertatem postea peruenit, vt sues pascere cogeretur.Cicero testis est lib.1.de Diuinatione.

C.Caligula Imp.non habuit vnde filiam dotaret,ob sumptus citra modum factos: stetitque Calendis Ianuariis in ædium vestibulo ad captandas strenas & stipes,quas plenis ante eum manibus ac sinu diuersa turba fundebat.Tam pauper euasit vel nimia largitione, vel immodica auaricia,ille,qui aliquando super immensos aureorum aceruos, patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spaciatus est,& toto corpore grunnientium porcorum instar aliquandiu volutatus.Suetonius.

OCIO ET IGNAVIA.

ÆRE ALIENO NEXI.

RELIQVATORES apud Iurisconsultos dicuntur, qui in tergum æs alienum cum fœnore non exoluunt, sed partem æris alieni & fœnoris debent.

PERSÆ dicebãt,duo esse peccata inter homines turpia:quorum primum est,debitorem esse:alterum,mentiri.Coniunxerunt autem hęc duo ideo nimirum,quòd vnum rarò sit sine altero, qui enim ære alieno obstricti sunt,pollicentur indies se satisfacturos, nec tamen præstant quod promissum est semel atque iterum.Recitatur ab Herod.

HESIODI parentes Dius Ampelidis filius & Pycimede, propter æs alienum Cumas Æolicas relinquere coacti, Ascram Bœotiæ migrarunt: vbi educatus Hesiodus,Ascræus postea cognominatus fuit: quamuis re vera Cumæus esset.Gyraldus Dialogo 2.Histor.poet.Vide titul. Similes casus.

Phormio Atheniensis,Asopichi F.cùm & vitæ integritate,& maiorum splendore Atheniensium cuiuis par esset,ita accidit, vt ære alieno obrutus,in Pæaniensem curiam secederet.Vbi cùm à rep.seiunctus degeret, est ei tamen ab Atheniensibus classis imperium decretum.At enim Phormio se illud suscepturum negauit,quòd apud milites nondum ære alieno dissoluto,nihil esset auctoritatis habiturus.Sed cùm eum classi imperare Athenienses omnino vellent,omnem quàm debuit,creditoribus pecuniam dissoluerunt.Pausanias in Atticis.

T.ANNIVM Milonem sumptu profusum adeò fuisse ferunt,vt DCC. millia sestertiûm debuerit. Quod inter prodigia Plinius lib.36. & Volat. lib.17.Anthrop.numerant.

C.CVRIO tribunus plebis sexcenta æris alieni sestertia debuisse fertur.Valerius Maximus.

Catullus FORMIANVM quendam incessit vt decoctorem, & ære alieno oppressum,vbi ait:

Ista turpiculò puella naso
Decoctoris amica Formiani.

M.ANTONII triumuiri pueritiam, alioqui haud prauè institutam, Curionis familiaritas corrupit.Is enim homo voluptatis mãcipium, quo magis sibi obnoxium haberet Antonium, in potationes, scortationes, sumptúsque graues & luxuriosos Antonium cõiecit,adeò vt præter ætatis rationem sexagies sestertiûm æris alieni conflarit.Plut.in eius vita.

Crassus,diues & re & cognomine fuit. Ad extremum tamen eò peruenit miseriæ,vt ab occurrentibus diues per iocum salutaretur,cuius hæreditas neque creditoribus satisfacere posset.Val.libro sexto,capite vndecimo.

ACILIO Prætorio post consumptum ingens patrimonium paupertatem confitenti,Tiberius:Sero inquit experrectus es.

EQVITE Romano quodam defuncto,compertum est, illum tantum habuisse æris alieni,vt summa ducenties numûm excederet: ídque dum viueret,celauerat.Quum igitur res illius auctioni subiicerẽtur, vt ex pecunia creditoribus satisfieret:Augustus iussit sibi emi culcitram illius cubicularem:ac mirantibus hoc præceptum:Habenda est (inquit) ad somnum mihi conciliandum illa culcitra,in qua ille tanto ære alieno obstrictus, somnum capere potuit. Nam Augustus ob ingentes curas sæpe maximam noctis partem ducebat insomnem. Macrob.libro secundo, cap. 4.Satur.

VAL. Cato,nobilis grammaticus,qui multos docuit nobiles,ad Poeticen maximè idoneus,ad extremam vixit senectutem in summa pauperie,abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat:vt author est Bibaculus apud Suetonium de illustribus Grammaticis,capite decimo.

A.VITELLIVS, qui postea imperator fuit,in Germaniam ad regẽdos exercitus missus, cùm viaticum nullum haberet, & ære alieno grauissimo obstrictus esset, vxoris margaritas vendere fuit coactus. Fulgos. lib.6.cap.11.

PETRVS cardinalis à Xysto IIII. pontifice max. ad eam dignitatem
euectus,tam prodigus fuit,vt ducenta aureorũ millia consumpserit,bre-
uíque tempore LX.millia æris alieni contraxerit.Volaterran.libro vige-
simosecundo Anthrop.

PAVPERTAS VOLVNTARIA. RELIGIOSA.

Paupertas inter fortunæ mala connumeratur.Vt autem fortunæ bona interdum prosunt,interdum obsunt,pro vario vsu:ita quoque fortunæ mala.Sic ergo paupertas per se mala,per accidens interdum prodest,quatenus scilicet ingenium & industriam hominis excitat,aut à malis libidinibus hominem retrahit,per quas alioqui in præceps rueret.Paupertas igitur præclara est,& non modò non mala,sed etiam bona,omniúmque artiũ magistra,si in generosum animum cadat:quemadmodum vicissim malesuada & turpis egestas à poetis appellatur,si vilem & ignauum hominem occupet,Cæterùm quia alij volentes,alij nolentes,pauperes esse conspiciuntur,primò de voluntaria paupertate agemus,eáque religiosa:mox ethicam subnectemus.Religiosæ autem plurima exempla ex loco vitæ solitariæ & monasticæ peti poterunt.

Exemplum paupertatis amandæ habemus in domino SALVATORE,
qui fuit de paupere matre natus,& à paupere fabro nutritus:pannis,non
pellibus inuolutus,in præsepio reclinatus : & pòst in purificatione vir-
ginis oblationem pauperum parentes pro eo in templo obtulerunt. Lu-
cæ secundo.

Circuiens IESVS ciuitates & castella,non habebat vbi caput reclina-
ret.vnde ait:Vulpes foueas habent,&c. filius autem hominis non habet
vbi caput suum reclinet.

Adolescenti de ingressu ad vitam æternam quærenti dixit DOMINVS:
Si vis esse perfectus,vade & vende vniuersa quæ habes,& da pauperibus.
Mat.19.

IOANNEM Baptistam inopiæ solitudo & herbæ sic aluêre, vti diuina
vox eius homines ad Dei cognitionem , atque ad bene viuendum inui-
tarit.Pont.lib.2.de Fort.cap.6.de Fortitudine heroica.

MATTHÆVS,cùm quæstuosissimum publicani munus à Christo vo-
catus reliquisset,ingentésque neglexisset opes , in eo ita proposito quo-
ad vixit perdurauit, vt nihil vnquam diuitiarum amplitudini tribuerit:
Christíque acta & mores diligentissimè perscribens,Apostoli & Euange-
listæ duplici munere perfunctus,in cœlestes emigrarit sedes.Egnat.libr.
4.cap.4.

BARTHOLOMÆVS apostolus regio stemmate ortus , audita semel
Christi voce:illi,falsu omni perpetuo dicto vale,relictisque regiis opi-
bus,adhæsit,vt nunquã postea ab incœpto diuelli potuerit. Hũc nescias,
an ipsi etiam Matthæo præponere velis,qui priuatum aurum suum pri-
uatásque opes contemnere ausus est: hic verò Rege natus , regiam stir-
pem , regiásque opes claritatémque nominis neglexit.Vtcunque sit,in-
sertus piscatoribus hominibus cultu,alia multo grauissima passus est : tũ
ne Christi discipulũ sese negaret,coram regibus primus à capite ad cal-
cem excoriari sese passus est.Ibidem.

Petrus,Andreas,Iacobus,Ioannes piscatu sibi victum quærebant,reli-
ctisque retibus & naui secuti sunt Christum,& dixerunt:Ecce dimisimus
omnia,& secuti sumus te.Constat igitur , eos & ante apostolatum fuisse
pauperes, & in apostolatu pauperiores. Eisdem insuper præcipitur , ne
quid auri,ne quid argenti possideant,non pecuniam in zonis , non perã
in via:non duas tunicas,non calciamenta,nõ virgam habeant. Quid hac
vita tenuius?quid hoc angustius statu? Veruntamen quibus rerum copia
interdicitur,iis nosse mysterium Dei datur:his curandi,ligandi, soluendi
potestas conceditur:& vt dæmoniis imperent,hominibus euangelizent,
angelis exæquẽtur,cum Christo regnent,impertitur. Verè ergo Domi-
nus esurientes impleuit bonis,& diuites dimisit inanes,quod eligere cõ-
tempsit.Marul.lib.1.cap.8.& Sab.lib.8.cap.5.

Quod de iis dicimus,idem de RELIQVIS apostolis dicẽdum,quan-
doquidem eadem lex omnibus pariter dicta sit , & omnes Dominicis
mandatis æquè obnoxij fuerint,neque alicui plus alio quicquam habere
possideréue,aut aliquo frui vtíue licuerit. Vnde etiam interrogat illos
Dominus dicens : Quando misi vos sine saculo & pera & calciamentis ,
nunquid aliquid defuit vobis?Et respondent,Nihil.Vt ex hoc etiam in-
telligas,quantumuis inopi homini nihil vnquam defuturum , cui affue-
rit Christus.Marul.Ibidem.

PAVLVS vas electionis & gentium doctor,nihil omnino diuitiarum
possedit,vt ex eius epistolis vbique liquet. Pontan. libr.2.cap. 6.de Fort.
domestica.

Nónne paupertatis amator ANTONIVS Ægyptius fuit , qui à patre
in magnis opibus relictus,bona quæ acceperat,pro Christi nomine dis-
persit:monachorúmque multorum rector,in tanta rerum inopia deces-
sit,vt testamento nihil præter melotem palliúmque Athanasio,Serapio-
ni alteram melotem:& discipulis qui eum sepeliuerũt,cilicium relique-
rit.Fulg.lib.4.cap.4.

ABRAHÆ Ægyptio vasta in solitudine,clausa etiam cellula degen-
ti,nihil omnino supellectilis erat,præter catinum vestémque cilicinã,&
rusticũ sagum.Sic vsque ad quinquagesimum ætatis suæ annum(qui vitæ
vltimus fuit)dicitur perdurasse,ita vt nihil vnquam amplius concupiue-
rit.Bona enim,& ea non modica,in quibus hæreditario rure absens suc-
cesserat,egenis dilargiri mandauit,ne obolum quidem passus ex his ad
se deferri.In summa igitur inopia tam diues fuit, vt nihil appeteret : in
summis opibus tam largus,vt omnia donaret,semper diuitiis præferens
paupertatem.Marul.lib.1.cap.8.& Sab.lib.8.cap.5.

MENNÆ Samnitum prouinciæ solitario(vt Gregorius tradit)paucula
tantum apum alucaria victum suppeditabant.Eò accedens quidam Lon-
gobardus latro,frustráque ne aliena raperet monitus , sacrilegas apibus
intulit manus.Sed sicut Esaias ait,Væ qui prædaris,nónne & ipse præda-
beris? Continuò sceleris vltor Deus,raptorem tradidit sathanæ , vexari-
que permisit.Indoluit autem Mennas inimici casum.Sciebat enim & ini-
micos diligere,vt obediret Christo.Indoluit ergo ita, vt vellet nec apes
habuisse.Et cùm decretum ei fuisset,nihil in vita possidere,nihil quære-
re , proximi vici beneficio sustentatus est , in diem panem afferentibus ,
quos ille præceptis imbuebat salutis.Marul.lib.1.cap.8.ex Gregorij dia-
logorum lib.4.

Narratur & aliud de ILLO miraculum,quo facilè cognoscas,pauperis
virtutem diuitum potentię anteferendam.Sæpe enim syluestres vrsos fe-
rula,qua gradus ambulando firmabat,à suis aluearíis dicitur abegisse.Et
qui frequenter venatorum tela contempserant,ferulæ ictum imbelli se-
nis manu molliter vibratę pertimescebant.Proh facinus indignum:pau-
perem belluæ fugiunt,& lædere formidant:hominis auaricia quod inui-
deret inuenit,& quod inuiderat rapuisset,nisi in operibus manuum sua-
rum comprehensus peccator,prius pœnas dedisset,quàm cœptum pere-
gisset scelus.Non est autem passus Dominus eam paupertatem ludibrio
esse malis,qua boni mercantur sibi diuitias regni cœlorum.Ibidem.

HILARIONEM abbatem adolescentulum in solitudine habitantem,
tota nocte quæritantes latrones inuenire nequiuerunt,cùm nec locus il-
lis ignotus esset,grassationib.eorum frequens, nec hominis nuper illuc
appulsi sedes.Vt autem illuxit,inuentum de improuiso circumstetêre , &
mirati quòd intrepidus expectaret rei euentum : Quid tu hîc,inquiunt,
adolescens,si te adorirentur latrones?Nudus latrones non timet,respon-
dit.At si vitæ,aiunt,præsens intentaretur periculum? Nec id quidem ti-
met,inquit,qui paratus est mori.Tunc illi stupentes,tantam in tam tene-
ra ætate constãtiam atque in Deum fidem,paritérque noctis errorem re-
uoluentes,extemplò animos demittunt,propositum mutant,crimen cõ-
fitẽtur:& quẽ vel terrere,vel spoliare venerant, eidem veniam poscen-
tes supplicant,& impetrata reuerenter discedunt. Marul.libr.1.cap.8. &
Sab.lib.8.cap.5 & Fulg.lib.4.cap.4.

IDEM sanctus ad Siciliam nauigio applicans cum discipulo suo Za-
nano,nec aliud habens quòd pro mercede vectori daret,euãgelium ma-
nu sua olim exaratũ cœpit offerre.Sed qui accipere rogabatur , cùm ni-
hil eos habere cerneret præter codicem illum,& ea quibus tecti erant,
oblatum recusauit:neque deinde quicquam exigere voluit, & inopiam
eorum miseratus omni debito solutos dimisit. O & periculorum victrix
paupertas,& libera pensionum,inter rapacissimos latrones securitatem,
inter mercenarios nautas inuenisti tibi remissionem. Hi operam gratis
pręstiterunt, illi terrere non potuerunt,offendere noluerunt.Cui vnquã
locupletum hoc contigisset,qui quocunque sese verterint , neque inui-
dia , neque insidiis carere possunt ? Et dum omnia metuunt , quan-
tum diuitiis , tantum animi sollicitudinibus abundant. Marulus i-
bidem.

At verò HILARIONI pauperculo tametsi penè nihil esset , cùm ta-
men nihil appeteret,nihil deerat. In secretiori Siciliæ angulo manens
successiuis temporibus ligna colligebat,vt venditis vitam sustentaret: ac
demum mereretur audire,Labores manuum tuarum quia manducabis ,
beatus es & bene tibi erit.Detestabatur autem monachos,qui infidelita-
tem quandam præ se ferre videbantur,victui prouidentes in futurum, &
curam habentes sumptuum,aut indumentorum , aut cæterarum huius-
modi rerum,quæ non magni momenti sunt,quasi quicquam ex his dees-
se possit Deo seruientibus,cum nequam seculo seruientibus non desit.
Ibidem.

QVENDAM ergo de fratribus cùm percepisset hortuli fructus in-
tentius custodire,& habere aliquantulum numorum,à consuetudine sua
submouit ac repulit.Ille in gratiam reduci cupiens , ciceris virentis sca-
pos dono fratribus misit, quos mensæ appositos solus Hilarion grauiter
olere persensit,& in cicere fœtore mittentis auariciam dixit : statímque
totum proiici iussit , ne mutas quidem greges tam fœtidam frugem co-
mesturas clamitans:& sic ẽfecit euentus. Fasciculo enim illo ante boues
in præsepium proiecto,non modò gustare noluerunt, sed mugientes at-
que auersi perfractis stabuli repagulis diffugerunt,præcipitatiore impe-
tu proruendo , quàm si stimulis verberibúsque agitarentur. Hinc pater,
neutiquam esse communicandum,neque cum iis qui sua cupidè seruant,
neque qui aliena turpiter appetunt:& cupiditatem tanquam malum vi-
rus omnibus quidem , sed præcipuè Christi seruis vitandam fugiendám-
que.Marul.lib.1.cap.8.& Sab.lib.8.cap.5.

Quantum autem illam cauerit idem ipse omnis sanctitatis exemplum
HILARION,cùm ex his quæ diximus perspicuum sit , tum ex epistola
quam spiritum Domino redditurus iam octogenarius ad Hesitium di-
scipulum suum scripsisse fertur : Diuitiarum,inquit, mearum hæres esto.
Hæ autem sunt , euangelium , tunica saccea , cuculla, & palliolum.Qui
tantam tenuitatem diuitias suas vocat,satis declarat, quàm à diuitiarum
cupiditate semper fuerit alienus.Ibidem.

ALEXIVS nobilis Romanus sub Honorio principe , clam patre Eu-
phemiano in Syriam abiens , in tantum adamauit paupertatem , vt gau-
deret se à seruis patris,qui ad quærendum eum missi fuerant , non agni-
tum fuisse,& eleemosyna donatum.Ex his quæ emendicabat in diem vi-
uens,quicquid sibi supererat,aliis impartiebat , nihil sollicitus in crasti-
num.Tali vitæ tenore cùm 17.annos in Syria peregisset , tandem prodi-
tus,Romam rediit,& maioris etiam in paupertate constantiæ exemplum
domi quàm foris dedit.In paternis enim ædibus pro mendico susceptus,
nec vlli cognitus,nec ipse se prodens, totidem peregit annos . Mortuus
postremò 16.Cal.Aug.anno 398.indicauit,quod viuens celauerat , relicto
breui chirographo,quo quis esset.quídve egisset, descriptum contine-
batur:vt tunc demum se manifestum faciendo , cùm pro temporali ino-
pia diuitias esset recepturus sempiternas,& patri adhuc orbitatem suam
lugenti causam præberet consolationis , & nobis materiam imitationis.
Marul.lib.1.cap.8.ex hist.Lombardica.Egnat.lib.4 cap.4.& Sab.lib.8.cap.
5.& Volat.lib.13.& Fulg.lib.4.cap.4.

Pari paupertatis voto ardens Minorum pater FRANCISCVS, & ne-
scio an etiam magis in proposito firmus,Ioannis Bonimantui,qui in Ita-
lia Eremiticam vitam profitebatur,authoritate persuasus , neque perse-
cutionibus auerti potuit,quin nudus nudum Christum sequeretur . Iam
primùm Romam profectus,cùm pauperculo cuidam occurrisset, suas cũ
illius vestibus permutauit.Quibus indutus,mendicantium turbæ se con-
iunxit,& cum ipsis die illo consedit,cum ipsis manducauit,ipsis sese exæ-
quari concupiuit. Iam tum tacitus gloriari videbatur , ac dicere , Ego
mendicus sum & pauper . Dominus sollicitus est mei. Cùm autem ha-
beret fortasse non parum pecuniarum , vt qui antehac mercaturæ
operam dederat , & egenis distribueret , ídque percrebuisset : à patre,
cuius pietatem in furorem verterat auaricia,manum sibi iniici,iniuriám-
que irrogari ęquanimiter tulit , atque eidem quicquid sibi reliquum vel
pecuniæ, vel tegumenti fuit,tam lubenter concessit , quàm auidè pete-
batur. Simúlque abdicatione impetrata,& nudus,& lætus abiit : nec mi-
nus lætus quàm Ioseph , cùm de manu adulteræ dominæ relicto eua-
sit pallio. Nec minus nudus , quàm adolescens ille , qui reiecta syndo-
ne pharisaicas effugit manus.Nuditatis pudorem, libertatis gaudium su-
perabat , in illam forsan erumpens vocem : Dirupisti Domine vincula
mea,tibi sacrificabo hostiam laudis. Exinde vili tunica contentus , dete-
ctísque incedẽs vestigiis,verbum Dei disseminare cœpit,sanctorum apo-
stolorum vitam aggressus effingere, sicuti nuditate , ita pręedicandi cura.
Victu quàm tenuissimo vtebatur : & tamen vinci se dolebat , si quis ipso
pauperior apparuisset:paupertatem Dominam suam vocabat, se nõ mo-
dò pauperem constituens,sed etiam pauperum seruum . Dum cum fatri-
bus posita mensa recumberet , super mensarium lectorem de virginis
puerperæ in Bethleem hospitantis angustia mentionem fecisse audiuit,&
continuò consurgens humi resedit atque ait : Nunquid ego peccator,
ego nequam & inutilis seruus,ad mensam sedere debeo , cùm Dei geni-
trici in diuersorio locus non fuerit ? cùm mundi opifex ac Dominus na-
tus sit in stabulo,reclinatus in pręsepio?Sic dicens , panem suum prouo-
lutus in terra cum gemitu comedit.Ibidem.

IOANNES Alexandrinus patriarcha(qui pauperes Dominos suos ap-
pelabat)cum ex hac vita migraret haud parum lętatus fuisse dicitur,dum
gratias Deo ageret,quòd morienti sibi nihil superesset præter vnum nu-
mum,quem statim indigenti dari pręcipit.Annuum quippe illi patriarcha
tus vectigal , annuæ in egenos eleemosynæ erant , nihil sibi reseruanti
præter Christum.Neque enim quicquam aliud suum esse aiebat:asserens
ideo sacerdotibus neque possessionem,neque partem , neque hæredita-
tem inter reliquas tribus datam , quoniam pars & hæreditas & possessio
eorum esset Dominus.Ibidem.

Hieronymus Christianę religionis acerrimus assertor,non domum,nõ
fundum habuit.Pont.lib.2.cap.6.de Fort.dom.

Alexander Scotiæ regis filius , sororis Mechtildis hortatu à patris re-
gno atque opibus ceu à peste in Galliam simul cum ea profugit.Illic ouiũ
religiosi conuentus pastor factus,omnem vitam egit, nullísque ad mor-
tem notus.Fulgos.lib.4. cap.4.

Temporibus nostris PHILIPPVS, Balearium regis filius, multorum
sacerdotiorum quæ possidebat cura deposita,eò se volẽs redegit , vt vno
adiutore contentus viueret : atque ex inopia eam voluptatem capiens,
quam alij ex magnarum opum vsu consequuntur,ab eo tempore victum
mendicauit.Ibidem.

Antigonus ciuis Florentinus , quum vniuersas facultates pauperibus
impertiuisset , pauper adeò decessit , vt eius funeri defuerit sumptus.
Rauisius.

ELIZABET regis Pannonum filia , Ludouicóque Lantgrauio Thu-
ringiæ principi matrimonio iuncta,non ignara dictum à propheta,Si di-
uitiæ affluant,nolite cor apponere : cùm inter opes luxúmque potentiæ
secularis versaretur,paupertatem animo affectabat.Interdum domi sola
cum ancillis manẽs,vilissimum sumebat amictum,totámque sese ad pau-
percularum morem componebat, dicens, haud alio se ornatus genere
vsuram,siquando tandem dignatus fuerit pius & misericors Dominus li-
berius viuendi copiam sibi concedere . Ad hæc quoties ad ecclesiam au-
diendæ euangelicæ prædicationis gratia accedebat , non nisi inter infi-
mas fœminarum sibi deligebat considendi locum. Vt iam apertè concu-
piscere videretur,se de illarũ numero fieri, quarum tam libenter inibat
consortium.Defuncto itaque viro,omnia quæ habere potuit , indigenti-
bus dedit parúmque putauit fortunas tantùm pro Christo impendisse,ni-
si amore illius etiam seipsam addiceret seruitio miserorum. Igitur post-
quàm constructo xenodochio non modicam egenorum ægrotantium
turbam coegisset,ministram se eorum fecit . Cúmque à patre in Panno-
niam reuocaretur,noluit eò ire,talem vitam præponens regno.Hinc vbi
eam postremò in sanctorum gloria receptam miraculorum patuit indi-
ciis,apparuit verum esse quod propheta ait : Quia melius est modicum
iusto,super diuitias peccatorum multas. Et verissimum , quod à Domino
dicitur:Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
Væ autem diuitibus,qui habent consolationem suam. Argentum eorum
& aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini , dicit Domi-
nus.Marul.lib.1.cap.8.& Sab.lib.8.cap.53.& Fulg.lib.4.cap.4.

PAVPERTAS VOLVNTARIA ETHICA.

Consule tit.sub loco Liberalitatis,Non accipere vnde honestè posis.

LYSANDER Lacedæmonius qui exercitum Spartanorum duxit , &
Athenas vrbem potentissimam Lacedæmoniis parêre coegit , moriens
nullam argenti drachmam reliquit. Quin cum eius generi non inueni-
rent,vnde vxores dotem assequerentur:dimittere eas decreuerant , nisi
magistratus,vt eas retinerent, proposita graui pœna coegisset. Fulgosus
lib.4.cap.4.

Ephialtes cum dux ei paupertatem exprobraret : Cur non,inquit,etiã
alterum dicis,quod iusticiam colam? Ostendit autem vir sapientissimus,
paupertatem,etiamsi multarum virtutum nutrix sit, cunctis exosam esse.
Ælianus lib.13.de Var.hist.

LAMACHVS tanta semper paupertate vixit , vt quoties ab Athe-
niensibus dux creabatur,pro pallio & crepidis mutuam ab amicis pecu-
niam sumere cogeretur,cum vnde compararet non esset.Alex.ab Alex.
lib.3.cap.11.ex Plut.in Nicia.

Phocion Atheniensis,qui quinquies & quadragesies imperatoriam di-
gnitatem legitur iniisse,maxima cum laude perpetuò fuit pauper , cum
ob summas dignitates à populo sibi traditas facilè diues esse potuisset.
Huic etiam cùm pecuniarum aceruus à Philippo rege dono mitteretur,
nequaquam accipere voluit: hortantibus autem oratoribus , vt si iis ca-
rere posset,filiis tamen eas acciperet,quibus esset valde difficile paternã
dignitatem in tanta paupertate tueri:respõdit , Si mihi fiant similes libe-
ri,hic idem agellus,qui me ad hanc dignitatem euexit, illos educabit:sin
dissimiles,nolo eorum luxuriam his opibus alere. Dignus de quo sit diu
inter Græciæ sophistas quæsitum,maiórne Alexander esset, an Phocion,
qui Alexandri aurum contempsit.Sabel.lib.8.cap.5.

ARISTIDES Atheniensis,cognomento Iustus, multo iustius se pau-
pertate gloriari posse credidit,quàm Calliam Atheniensium ditissimum
amplissimis opibus:nulli dictitans eam rem indecoram esse , nisi qui in-
uiti pauperiem ferrent.Mortuus iam senex,sumptus funeri defuit.Publi-
ca igitur impensa funeratus,& filiæ ex publico dotatæ , filióque Lysima-
cho argenti minæ centum & totidem agri consiti iugera erogata.Plutar-
chus in eius vita:& Fulg.lib.4.cap.4.

ARISTIDES ille Iustus , cum diues quidam paupertatem ei obiice-
ret,dixit:Mihi quidem nihil adferret mali paupertas,tibi verò diuitiæ nõ
paucas perturbationes.Antonius in Melissa part.1.serm.33.

Hiero cum vituperaretur,quòd cum multos rhetoricari docuisset,ipse
egeret : Atqui inquit, non docui eos ditescere neque studere pecuniæ.
Maxim.serm.12.

Thebanus ciuis EPAMINONDAS, cuius virtute egregiísque facino-
ribus nullus audiẽdo satis expleri posset, in tanta rerum inopia decessit,
vt domi eius vnum tantum ferreum spiculum , neque prætetea alia res
vlla necessaria sit inuenta.Itaque cùm è suo nihil haberet , vnde funus
duceretur,publica impensa tumulatus est.Fulgos.li.4. cap.4.Iustinus lib.
6.Ille quoque(vt Ælianus scribit) tam pauper fuit, vt vna veste tantùm
vteretur:quam si quando fuisset opus reficere , domi se continere coge-
batur.

AGLAVS Psophidius Arcadum pauperrimus,ætate iam senior, terras
agelli sui nunquam excesserat:contentus tamen sorte sua , fœlicissimus
erat.Nam postquamGyges regius pastor,annuli beneficio trucidato Ly-
dorum rege,& eius vxorem compressisset , & ita ad regiam maiestatem
peruenisset:consuluit oraculum,an quispiam eo esset fœlicior. Cui deus:
Aglaus Psophidius,respondit.Valer.lib.7.cap.1.& Plinius.

ANAXAGORAS Clazomenius,qui sępe dicebat, Nemo simul & vir-
tutes & diuitias possidere potest:etiam amplum patrimonium suis spon-
tè concessit,paupérque studiis adhęsit.Laertius.

SOCRATES pauper semper fuit,pedibus nudis incedens,sordido pal-
liolo contentus:honores & omnia terrena contemnens , diuitias pręser-
tim,Ibidem.

Epictetus philosophus patria Hieropolitanus, quàm pauper fuit , tam
diis & philosophię amicus.

DEMONAX philosophus (qui floruit Adriano imperante) nullum
vnquam sibi viaticum pręparauit:sed quum esuriret,proximam domum,
quam apertam videbat,ingrediebatur, & victum ibi quęritabat. Cętena-
rius decessit,elatus publico sumptu.Volat.lib.15.Anthrop.

Quidam philosophiæ affectatores haud obscuri nominis, vsque adeò diuitias contempsere, vt non modò aliunde oblatas non acceperint: sed eas etiam, in quibus nati essent, sponte publicarint: & in his DEMOCRITVS Abderites, diligens naturæ contemplator, qui nihil denium præter ingenium possedit. vel quia noluit, vel quia non debuit. Sab. lib. 8. capite 5.

DIOGENES Cynicus solitus est ioco dicere, sibi tragicas execrationes occurrisse, quòd esset ἀνέστιος, ἄπολις, ἄπατρις, πτωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἡμερόβιος: id est, domo, ciuitate, patriáque carens, pauper & erro. Laert. libro 6. alludens ad locum aliquem è tragœdiis. De Oedipi execrationibus, vide in Chiliadibus Erasmum. Dolio contra frigora & calores, eóq; parum integro, fuit contentus: poculum fregit, rusticum cauis manibus potantem intuitus: cætera aspernatus. Tam felix ab Alexandro Macedone iudicatus est, vt multis audientibus dixerit, Diogenẽ malle se esse quã alium quenquam, si non rex & Alexander esset. Sab. lib. 8. cap. 5.

IDEM desertus ab omnibus hominibus, solus relinquebatur, cùm neque propter egestatem ipse quenquam reciperet, neque ipsum hospitio quisquam acciperet: omnibus enim inuisa erat eius in reprehendendo acrimonia, deinde in agendo loquendóque sese morosum & difficilem præbebat. Proinde tristitia Diogenes confectus, summas foliorum extremitates manducabat. illa enim suppetebant. Mus verò accedens, decidentibus frustulis vescebatur. Diogenes igitur, cùm diligenter rem spectasset, subridens, animo recepto: Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniẽsium lauticia. Et quid tu Diogenes ægrè fers, te cum Atheniensibus non cœnare? Atque sic opportunum gaudium ipse sibi conciliauit. Ælian. de Var. hist. lib. 13.

IDEM vulgo Canis dicebatur. Sunt autem canum multa genera. sunt enim venatorij, sunt aucupatorij, sunt custodes ouium & ædium, sunt qui habentur in deliciis. Ergo percontanti qualis ipse canis esset (lepidè respondit) Esuriens, Melitæus: satur, Molossæus: quòd cibi appetens, blãdiretur: saturatus, morderet. Laert. lib 6.

IDEM posteaquam inopia compulsus cœpisset mendicare, his verbis solebat aggredi: Si cui alteri dedisti, da & mihi: sin nemini, à me incipe. Significabat, se non inferiorem ceteris mendicis: itaque vt qui daret quibuslibet, daret & Diogeni: qui verò tam parcus esset, vt nemini quicquã daret, huic tempus esse, vt aliquando dare incipiat. Laert.

ROMANI prisci adeò parci fuère & tenues, vt non minus crimini darent indomitas cupiditates non refrenasse, aut paternam non seruasse paupertatem, quàm ingentes maiorum facultates largitionibus abligurisse. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

Regio imperio propter nimiam Tarquinij superbiam finito, Consulatus initium P. VAL. Publicola cum Iunio Bruto auspicatus est. Idémque postea tres consulatus acceptissimos pop. Rom. gessit, & plurimorum ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificauit: cùm interim fastorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarũ quidem impensam sufficiente decessit, ideóque publica pecunia ductæ sunt. Non attinet vlteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari. Abũdè enim patet quid viuus possederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit. Val. Max. lib. 4. cap. 4.

Quantæ amplitudinis M. MENENIVM Agrippam fuisse arbitremur, quem senatus & plebs pacis inter se faciẽdæ autorem elegit? quantæ scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis. Hic nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, vt sepulturæ honore caruisset. Idcirco perniciosa seditione diuidua ciuitas, manibus Agrippæ in vnum contrahi voluit: quia eas pauperes quidem, sed sanctas animaduerterat: cuius vt superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita extincti, hodie quod amplissimum est patrimonium, Romana concordia. Ibidem.

In C. FABRICII, & Q. ÆMYLII Pappi principum seculi sui domibus, argentum fuisse confitear oportet: vterque enim patellam deorũ, & salinum habuit. Sed eo lautius Fabricius, quòd patellam suam corneo pediculo sustineri voluit. Pappus quoque satis animosè, qui cùm hæreditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non putauit. Ibidem.

Illi etiam prædiuites, qui ab aratro accersebantur, vt Coss. fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant: deliciarúmque ignari, vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant: imò verò quos pericula Reip. imperatores accersebant, angustiæ rei familiaris (quid cesso proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant. Ibidem.

C. FABRICIVS, ciuis Romanus, paupertatis exemplum & norma, oblatas à Samnitibus diuitias neglexit, cuius filiæ præ nimia paupertate de publico dotatæ fuerunt. Hinc Pyrrhus Epirensis nec auro, nec pollicitationibus expugnare potuit, vt secum esse vellet, ac proximum à rege principatum obtinere. Plin. de Viris illust.

L. QVINTIVS Cincinnatus septẽ iugera agri possedit. ex his tria, quę pro amico ad ærariũ obsignauerat, mulctę nomine amisit. Pœnam quoque pro filio Cesone, quòd ad causam dicendam non occurisset, huius agelli reditus soluit. & tamen ei quatuor iugera aranti, non solùm dignitas patris familię constitit, sed etiam dictatura delata est. Angustè habitare nunc putatur, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. Val. lib. 4. cap. 4.

M. CVRIVS Dentatus ex fictili vase apud focum rapas comedere solitus erat. nihil aliud habens de preda hostili, quàm cadum ligneum, quo vti ad sacrificia consueuerat. Plin. cap. 33. de Viris illustribus.

L. ÆMYLIVS PAVLVS, cuius rerum gestarum tabula Romæ publicata: & cui deuicto Perse Macedoniæ rege concessum à plebe & senatu erat, vt ludis Circensibus triũphali veste vteretur: ad tãtam peruenit paupertatem, vt eo mortuo duos filiabus, nisi diuenditis possessionibus, nõ potuerit exolui. Plinius Secundus cap 56. de Viris illustribus: & Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

Quid ÆLIA familia, quàm locuples? Sedecim eodem tempore Ælij fuerunt, quibus vna domuncula fuerat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta: & vnus in agro Veiente fundus, minus multo cultores desiderans, quàm dominos habebat, inque maximo circo Flaminio spectaculi locus. Quæ quidem loca ob virtutem publicè donata possidebãt. Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus Perse rege deuicto, Q. Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret. Taceo enim quòd princeps ciuitatis filiam ei nuptui dedit, cuius pecunia tam ieiunos penates videbat. Quin ipse quoque Paulus adeò inops decessit, vt nisi fundus, quem vnum reliquerat, venisset, vxor eius dotem vnde reciperet, non extitisset. Animi virorum & fœminarum vigebant in ciuitate, eorúmque bonis dignitatis æstimatio cũctis in rebus ponderabatur: hæc imperia conciliabant, hæc iungebant affinitates, hæc in foro, hæc in curia, hæc intra priuatos parietes plurimum poterant. Patriæ enim rem vnusquisque, non suam augere properabat: paupérque in diuite, quàm diues in paupere imperio versari malebat. Atque huic tam præclaro proposito illa merces reddebatur, quòd nihil eorum quæ virtuti debentur, emere pecunia licebat, inopiæque illustrium virorum publicè succurrebatur. Val. Max. lib. 4. cap. 4. Plin. li. 24. cap. 11. & Vol. lib. 13. Anthrop. cap. 3. Sex. Ælium Cattum in fictilibus prandentem, Ætolorum vasa argentea dono data respuisse asserunt.

ATTILIVM Calatinum, qui ad eum accersendum à Senatu missi erãt ad imperiũ pop. Rom. suscipiendum, semen aspergẽtem viderunt. Sed illæ rustico opere attritæ manus, salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessundederunt: quæque modò aratrum boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt. Nec fuit iis rubor, eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Attilius: sed multo magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini, anxia diuitiarum comparatio. Val. li. 4. cap. 4.

Eiusdem nominis & sanguinis ATTILIVS Regulus, (à serendo Serranus dictus) primi Punici belli gloria, cladésque maxima, cùm in Africa insolentissimæ Carthaginis opes crebris victorijs contunderet, ac prorog. tum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognouisset: Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse: occasionémque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento discessisse: ideóque petere, vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset vnde vxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquàm Senatus à Coss. accepit, & agrum Attilij ilicò colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis præberi, résque quas amiserat, redimi publicè iussit. Tanti ærario nostro virtutis Attilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit. Val. lib. 4. cap. 4. Front. lib. 4. cap. 3. Plin. cap. 40 de Viris ill. Liuius lib. 18. epit.

Cùm secundo Punico bello CN. SCIPIO ex Hispania Senatui scripsisset, petens vt sibi successor mitteretur, quia filiam virginem adultæ iam ætatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset: senatus, ne Respublica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit: consilióque vxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam eius ex ærario erogauit, ac puellam nuptui dedit. Dotis modus quadraginta millia æris fuit, qua non solùm humanitas Patrum C. sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest nanque adeò fuerũt arcta, vt TATIA Cęsonis filia maximam dotem ad virum decem millia æris attulisse visa sit: & MEGVLIA, quia cum quingentis millibus ęris mariti domum intrauit, dotatæ cognomẽ inuenerit. Idem Senatus Fabricij Lucini, Scipionisque filias, ab indotatis nuptiis liberalitate sua vindicauit: quoniã paternæ hæreditati, præter optimam gloriam, nihil erat quod acceptum referent. Val. Max. lib. 4. cap 4. & Front lib. 4. cap. 3.

P. SCIPIO funus de publico exolutum, ob rei familiaris angustias. Pont. lib 2. cap. 6. de Fort. domest.

SCIPIO SVARIVS tam egenus in vita fuit, vt suis bonis funus solui non potuerit: sed asses à populo, quo humaretur, locati sunt: vt est apud Plinium lib. 2. cap. 3.

M. VAL Leuinus, quem Romani consulem habuerunt, & qui Corintho vrbe armis potitus est: cuius spoliis non vrbs Roma solum, sed penè tota Italia exornata fuit: tam pauca de Corinthi atque aliarum vrbium, quas deuicit, præda sibi retinuit, vt à Senatu, cùm ipse non haberet, filia eius de publico dotem acceperit. Fulg. lib. 4. cap. 4.

M. SCAVRVS, quantulam à patre hæreditatem acceperit, in primo libro eorum quos de vita sua scripsit, refert, ait enim, sibi decem sola mãcipia, totúmque cẽsum quinque atque triginta millia numûm relictum. In hac enim ille pecunia, futurus senatus princeps, nutritus est spiritus. Hęc igitur exempla respicere, his acquiescere solatiis debemus, qui paruulos census nostros nunquam querelis vacuos esse finimus. Nullum autem, vel admodum parui ponderis argentum, paucos seruos, septem iugera aridæ terræ, indigentia domestica, impensa funera, inopes dotum filias: sed egregios consulatus, mirificas dictaturas, innumerabiles triũphos cernimus. Quid ergo mendicam Fortunam, quasi præcipuum generis humani malum, diuturnis conuiciis laceramus? quæ vt non abundantibus, ita fidis vberibus Publicolas, Æmylios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisque paria robora virtutis aluit. Exurgamus potius animis, pecuniæque aspectu debilitatos spiritus, pristini temporis memoria recreemus. Val Max lib. 4. cap. 4.

Felix & gloriosa fuit paupeŕties MASSVRII Sabini iurisconsulti, qui bono-

bonorum tenuitate pressus, non habuit vnde viueret, ni discipulorum ope fuisset adiutus, author est Pomponius in lege secunda, Digestis de Origine iuris.

PAVPERTAS NON VOLVNTARIA. PAVPERES *qui se diuites esse simulant.*

Huc refer tit. *Eorum qui malis artibus lucrum facere student, vt* *Lenocinio, furto, rapina, &c.*

SALACON, vt author est Suidas, cùm pauper esset, se diuitem simulabat, à quo superbi, Salacones denominati, & Salaconia superbia.

ΔΥΝΑΜΕΙΣ ET POTESTATES VARIÆ.

POLITIARVM VARIÆ DIVISIONES, SECVNDVM *conditiones ciuium.* TRIBVS *variæ.*

De Atheniensium *Repub.* *Carolus* *Sigonius: de* Rom. *Vuolfgangus* Lazius, *copiosè scripserunt.*

CLISTENES Sicyoniorum tyrannus, Argiis infensissimus, ne forent eędem Sicyoniis tribus, quæ Argiis, nomina immutauit: ex quibus Sicyones plurimum ridiculos reddidit. Quippe suis & asini cognomina tribubus pristinis imposuit, præterquam tribui suæ, cui à suo ipsius imperio nomen indidit, id est, ab Arche. itaque hi tribules Archelai vocabantur. Cæterorũ alij Hyatæ, id est, suales: alij Oneatæ, id est, asinales: alij Chœreatæ, id est, porcales, His tribuum nominibus Sicyonij & Clisthene imperante, & eo defuncto, ad sexaginta annos vsi sunt: quæ postea in alia transtulerunt, Hylleas, Pamphylos, Dyamanates: quartæ tribui quam adiecerunt, imposito cognomine Ægiales, ab ægilo Adrastifilio. Herodot. libro 5.

CLISTHENES Alcmæonides, liberatis Athenis à tyrannide Pisistratidarum: cùm populus Atheniensis fuisset antea exagitatus, postea quàm omnium autoritatem ad suam vnius redegit: tum tribuum nomina veterã Iouis filiis, Peleonte, Aegicoro, Argadeo & Hoplete censuit immutanda: & plures ex paucioribus faciendas, decem pro quatuor: & totidem Phylarchos, id est tribunos, à tribuum præfectura. Ita populo in tribus distributo atque composito, multum superabat Isagoram Tisandri F. qui erat contrariæ factionis. Imitatus autem est Clisthenem Sicyonium, auũ maternum. Ibidem.

ATHENIS decem tribus fuisse legimus, quarũ suffragiis pacis bellique temporibus Respub. stetit. Hæ à regibus, qui imperitarunt, dicebantur, & singulæ in decem alias partes distribuebantur. Alex. ab Alex. libr. 1. cap. 17.

THVRIORVM vrbs in decem tribus diuisa fuit, quas ex gentibus, quæ in ciuitatem ascitæ fuerant, denominarunt. Siquidem ex Arcadibus, tres Arcadicæ: reliquæ verò Bœotia, Amphictionia, Dorida, Lyda, Achenaida, Euboida, & Nesyotis nomina tulére.

HELEI, cùm duodecim tribus haberent, postea bello Arcadico parte agri amissa, in octo relapsi sunt: rursus restituto agro, eo venére, vt decẽ fierent. Ibidem.

CORINTHIOS legimus, posteaquam in vnam ciuitatem asciti fuére, in octo tribus distinctos fuisse, quorum tamen nomina nuspiam prodita sunt. Ibidem.

PYRENSES inita cum Attalo societate de noua tribu Attalida decẽ veteribus adiicienda conuenerunt. Ibidem.

SPARTÆ Ægida & Pitana præcipuæ tribus fuére, ex qua Menelaus oriundus fuit. Ibidem.

PERSÆ vrbes in quatuor sæpe curias diuisere. Vnam pueri tenebant, & qui erant ætate imbelli, ad primã vsq; lanuginem. Alterã adolescentes primo flore ætatis, quibus ad militare munus satis erat virium & roboris. Tertiam ætate matura viri. Quartam senio affecti, qui nullo impliciti negocio, militiæ muneribus vacabant, vitámque in ocio exigebãt. Ibidem.

HYBEROS apud Albanos in quatuor genera diuisos comperimus. Vnum ex optimatibus, ex quibus deliguntur reges. Secundum ex sacerdotibus. Tertium ex agricolis & militibus. Quartum ex plebeiis & popularibus. Ibidem.

MEGARENSES olim in quinque tribus omnem regionem diuisere, vt ordinis distinctio fieret. Ex quibus alij Heraci, nonnulli Piraci, alij Megarenses, plerique Transpodicei, vltimi Cynosurci dicti sunt. Ibid.

INDI non per ætates & tempora, sicut Persæ, sed per munera & artes singulos populo in septem tribus partiti fuère in philosophos, agricolas pastores, artifices, milites, ephoros & consiliarios. Qui licet essent pauci, & seuerissimis moribus astricti, tamen examussim facta regum pensitabant, & certa lege examinabant.

Sunt in Ægypto septem hominum genera, quorum alij sunt sacerdotes, alij Calasiries, & Hermotybies, hoc est, pugnatores: alij boum pastores, alij subulci, alij institores, alij interpretes, alij gubernatores nauales. Herod. lib. 2.

ROMANAS tribus, quas 35 fuisse constat, vnde dictæ, quæque singulis nomina fuerint, pete ex Alex. ab Alex lib. 1. ca. 16. Blond. lib. 3. Rom. triũphantis.

RERVMP. VARIAE CONSTITVTIONES SECVNDVM VA- *riam politiæ formam.*

REGNVM.

REGIVM nomen tam Grecis quàm Romanis lõgo tempore inuisum fuisse, & à nullis in Græcia vsurpatum, nisi à philippi & Alexandri posteris, memoriæ proditum est. Ex Alexandri ducibus, Eumene adhuc viuente, neminem regium nomen sibi vendicasse, satis constat: sed præfectos appellari solitos. Eumene defuncto, Athenienses Antigono & Demetrio immodicè obsequentes, inter plurimos honores regium illis nomen, velut altius fastigium, detulére. Licet apud Sicyonios primûm Ægialæum regnũ in Græcia tenuisse multi asseuerent. Alex. lib. 4. cap. 23.

ARGIS licet vnus rex foret, tamen annis singulis amouebatur. Ibidem.

Perside liberata à fœda Magorum tyrannide, cùm inter septem tyrãnicidas de rerum summa consultaretur, & OTANES quidem democratiam, MEGABYZVS aristocratiam, DARIVS verò Hystaspis F. regiũ statum amplectẽdum censuisset: Dario reliqui quatuor assenserunt. Qui paulò pòst astu equisonis Oebaris, rex fuit electus. Herod. lib. 3.

ARISTOCRATIA.

MASSILIENSES rem omnem vrbanam per optimates & aristocratiam regentes, omnes legum æquitate superabant: consilium ex sexcentis viris instituentes, quos Tamitos, id est honorificos appellabant. Val. Max. meminit lib. 2. cap. 1. de inst. antiq. Strabo lib. 4.

TIMOCRATIA ET POLITIA.

ATHENIENSES, cùm regio antea vterentur imperio: postea regio dominatu abrogato, libertatem tuentes, popularem statũ delegère. Alex. lib. 4. cap 23.

MARDONIVS Gobryæ F. Darij gener, in Siciliam cum exercitu profectus eiectis tyrannis, popularem ibi statum in ciuitatibus cõstituit. Postea in Hellespontum profectus est. Herod. lib. 6.

TYRANNIS.

ATHENIENSES *tyrannide pressi,* ignaui extiterunt. vide tit. Libertatis studium.

CLEOMENES rex Lacedæmoniorum, Pisistratidas Athenas reducere conatur: socij tamen reliqui eum talia molientem reliquerunt. Vide tit. Fides erga socios.

OLIGARCHIA.

DEMOCRATIA ET ANARCHIA.

ΔΥΝΑΜΕΙΣ SIVE MAGISTRATVS PVBLICI.

Res politicæ vel sacræ sunt, vel profanæ. Sacrarum curam habẽt Sacerdotes. *In profanis opus est primò* Rege, *qui quid agendum sit præscribat: nec legibus tantùm, sed exemplo quoque populum ducat atque regat. hinc* Rex *dicitur: & apud* Lacones *reges ipsi* ἀγίδες, ἀγεσίλαοι, ἀπὸ τοῦ ἄγειν *vocabantur.* βασιλεὺς *certè,* ὡς βάσις τοῦ λαοῦ *more* Attico *nuncupatus fuit, quòd basis esset populi: quandoquidem,* Claudiano *teste,* Regis *ad exemplum totus componitur orbis. Ingeniosè igitur* Homerus *reges vocat* ποιμένας λαῶν, *siue metaphoram spectes à pastoribus*

desumptam, siue etymon, ὡς ποιοῦντες ἐμμένει νόμοις, non pascuis, sed legibus. Verumenimuerò quia multa peccata in vita hominum oriuntur, secundus iam à rege erit Iudex, qui vnicuique pro merito tribuit. Distincta ergo hæc sunt officia secundum rationem, quæ tamen sæpe in vnaquaque eádémque persona reperiuntur, vt vnus & idem sit rex simul ac iudex: quemadmodum in arte medica vnus & idem est artifex, qui sanitatem conseruat (quod regium est) & qui morbos curat (quod iudicis proprium esse videtur.) Neque in his superstitiosi sumus, modò res intelligatur. Iam verò quia nec rex solus, nec iudex omnia administrare aut inuenire potest: habent magistratus alios minores, quos non principes appellauimus, quorum subsidio nituntur. Nunc ad exempla conuertimus. In quibus Sacer magistratus primum obtinet locum: qui alioqui ad Metaphysicos & Iusticiam religiosam pertinet, meritò diuinæ scientiæ & administrationis. Secundas partes tribuimus Regi, tertias Iudici.

SACERDOTES VETERIS LEGIS.

Sacerdotum autem duplex est ordo, diuinus, & profanus siue ethnicus. Diuinum voco, quoniam à Deo opt. max. in veteri lege primùm, deinde etiam in noua institutus & confirmatus est. Profanum verò siue ethnicum, quoniam ab hominibus & à gentibus idololatris constitutus fuit: quorum institutio in genere quidem mala non fuit, quia Deo cultū exhibere volebant: at in specie reprehendēda, quòd non vero Deo, sed dæmonibus sacrificarent. Venia tamen digni sunt propter ignorantiam: eóque differunt à Magis, quòd ethnici sacerdotes dæmonas quos deos esse falsò credebant, coluerunt: at Magi dæmones, quas dæmonas esse sciunt, horrenda impietate & blasphemia venerantur. Sed iam de sacerdotibus Hebræis agamus, ex Pauli Constantini Phrygionis Chronico.

MELCHISEDECH rex Salem, id est Hierosolymæ, sacerdos fuit, qui nouum sacrificij genus Deo panem & vinum obtulit, & Abrahamocex victoria redeunti obuiam processit. Primus item typum Domini nostri gessit. Eius enim genealogia ignoratur, sicuti & Christi: sine humano patre, secundum diuinitatem verò ineffabilis. Volat. lib. 17. Anthrop.

AARON summus sacerdos à fratre Mose consecratus, anno imperii Mosis tertio.

ELEAZAR filius successit, Anno Mosis 39. Numeri 20. Obiit anno Iosue 28.

HELI summus sacerdos, & iudex Israelitarum 17. regnauit annis 40.

ELEAZAR F. Aminadabi, Heli casu perempto, ab Israelitis electus: cùm Philistæi arcam Domini, quam sex mensibus captam detinuerant, in domo Aminadabi in Gabaa reposuissent, in qua 20. annis permansit.

ABIATHAR summus sacerdos, anno Sauli 6.

SADOCH de familia Phinees, anno Solomonis 2. cùm iam pridem David victis Philistæis, statim sub regni initia arcam Hierosolymam reduxisset.

AHIMAS, anno Roboami 12.

IOAHAS, anno Iosaphat regis 7.

IEHOIARIB, anno Ichoram regis 6.

IEHOIAPHAT, anno Ochoziæ regis 1.

IEHOIADA & PHADAIA summi sacerdotes, anno Athaliæ septimo & vltimo Iehoiadæ F. fuit Zacharias propheta. Ioam puerum in regnum restituit, occisa Athalia, & in omni pietate eruditi. Post 27. annos eo mortuo, Ioas in idololatriam lapsus, Zachariam lapidari iussit.

ZEDARIA, anno Amaziæ 4.

AZARIA, anno Oziæ siue Azariæ regis 43.

VRIAS, anno Achas regis idololatræ 7.

NERIIA, anno Ezechiæ regis optimi 8.

HOSCHÆIA, anno Manassis regis 19.

HILKIIAH v, anno Iosiæ 23.

AZARIA, anno Iehoiakim 8. Capta inde ciuitas sancta, & rex Zidkia excæcatus Babylonem abductus, per 70 annos.

IEHOSVA Iosedei F. post reditū ex captiuitate Babylonica, duce Zorobabel, anno primo.

IOACHIM F. Iehosuah, anno post liberationem è Babylone 39.

ELIASIB patri in sacerdotio successit, anno post liberationem circiter 73.

IVDAS patri Eliasib in sacerdotio successit, anno post liberationem 113.

IOANNES Iudæ F. frater Iesu, anno post lib. 151. Hic Iesum fratrem in templo Hierosolymis interfecit.

IADDVS Ioannis F. frater Manasses, anno post lib. 184.

ONIAS Iaddi F. anno post liberationem 225. post mortem Alexandri Magni tertio.

SIMON F. Iustus appellatus, liberationis 243.

ELEAZARVS anno liberationis 274. Sub quo 70. interpretes ad Ptolemæum Philadelphum missi.

MANASSES, anno lib. 296. vel vt alij, 308.

SIMON, Oniæ F. liberationis anno 329.

ONIAS, F. Simonis Iusti, anno lib. 333.

SIMON, Oniæ F. anno 362.

ONIAS, Simonis F. anno 364.

IESVS, qui & Iason, Oniæ frater, anno 371.

ONIAS, qui & Menelaus, ab Antiocho sacerdotium fratri Iasoni ereptum obtinuit, anno 372.

ALCIMVS à Lysia Antiochi duce summus sacerdos constituitur, cùm de genere sacerdotum non esset, anno 384.

IVDAS à populo summus sacerdos designatur, anno 388.

ARISTOBVLVS quintus Iudæorum dux pariter & sacerdos, post Babylonicam captiuitatem primus diadema sumpsit.

HYRCANVS sub Alexandra 7. Iudæorum regina post Babylonicam captiuitatem, anno 468. quo tempore Pharisæi Remp. gubernarunt.

ANANELVS ab Herode 12. Iudæorum rege summus sacerdos constitutus, eóque mox priuatus, in locum eius Aristobulum (qui & Ionathas) suffecit. Sed non multo pòst, Aristobulo ab Herode interfecto, Ananelus restitutus est.

IESVS Sabetis F. anno Herodis 8.

Herodes anno 14. deposito Iesu SIMONEM summum sacerdotē constituit, cuius filiam in vxorem duxit, & ex ea filium suscepit Herodem.

Herodes anno 37. & vltimo regni Simonem socerū sacerdotio priuauit, & MATHIAM Theophili F. pontificem designauit, cùm anno antè Iesus Christus seruator noster natus esset. Iosephus lib. 17. cap. 6.

IOZARVS summus sacerdos anno vltimo Archelai. Quo in exilium relegato, Cyrenius Iudææ præfectus ANNANVM summum pontificē designauit, anno post Christum natum 12. Eo postea deposito, Val. Gratchus præfectus ISMAELEM Iabi F. suffecit, anno post Christum 17. Tertio pòst anno ELEAZARVS Annani F. pontifex designatus. Anno pòst SIMON Camithi F. à Graccho sacerdos constitutus.

IOSEPHVS, qui & Cayphas, & Simoni in pontificatu annuo successit, anno natiuitatis Christi 22. Olymp. 200.

IONATHAS Annani F. sacerdos à L. Vitellio Syriæ præfecto constitutus, deiecto Caypha, anno Christi 39.

BOETHVS Simonis F. pontifex, anno Christi 44.

MATHIAS frater Ionæ, anno 45.

ELIONEVS pontifex, anno 46.

IOSEPH Canni F. anno 47. Anno 72. die Septembris 8. capta & exusta Hierusalem à Tito Vespasiano.

SACERDOTES NOVÆ LEGIS.

[illegible]

EPISCOPO-

EPISCOPORVM ET PONTIFICVM ROMANORVM CATALOGUS, *Anno mundi 4006. cæperunt.*

Anni Christi.		Ordo. Pontifientus.		*Anni Christi.*		Ordo. Pontificat.	
44	*D. Petrus* Apostolus.	1	25	687	Vacat sedes M.II.D.21.		
70	*Linus* Thuscus.	2	12		*Benedictus* II. Rom.	80	M.10.
82	*Anacletus.* Alij falsò Cletum substituunt.	3	12	688	*Ioannes* V. Anthiochenus.		M.11.
94	*Clemens* I. Romanus.	4	9		*Conon* Thrax.		M.11.
103	*Euaristus* Græcus.	5	8	689	*Sergius* I. Antiochenus.	81	I4
111	*Alexander* I. Romanus.	6	10	701	*Ioannes* VI. Græcus.	82	3
121	*Sixtus* I. Rom.	7	8	704	*Ioannes* VII. Græcus.	83	3
129	*Thelesphorus* Græcus.	8	11	707	*Zosimus* II. Syrus.	84	D.20.
140	*Hyginus* Græcus.	9	4		*Constantinus* I. Syrus.	85	7
144	*Pius* I. Aquileiensis.	10	15	714	*Stephanus* I. aliis.		
159	*Ancetus* Syrus.	11	11		*Gregorius* II. Rom.	86	I7
170	*Soter* Fundanus.	12	8	631	*Gregorius* III. Syrus.	87	II
178	*Eleutherius* Græcus.	13	13	742	*Zacharias* Græcus.	88	I0
191	*Victor* I. Afer.	14	12	752	*Stephanus* II. Rom.	89	5
203	*Zepherinus* Rom.	15	18	757	*Paulus* I. Rom.	90	I0
221	*Calixtus* I. Rom.	16	5	767	*Constantinus* II. Pseudopapa deiectus.	91	I
226	*Vrbanus* I. Rom.	17	8	768	*Stephanus* III. Siculus.	92	4
234	*Pontianus* Rom.	18	6	772	*Hadrianus* I. Rom.	93	24
240	*Antherus* Græcus mense vno. Cui suffectus.	19		796	*Leo* III. Rom.	94	20
241	*Fabianus* Rom.	20	12	816	*Stephanus* IIII. Rom.	95	I
254	*Cornelius* Rom.	21	2	817	*Paschalis* I. Rom.	96	7
255	*Lucius* Rom.	22	M.8.	824	*Eugenius* II. Rom.	97	3
257	*Stephanus* I. Rom.	23	2	827	*Valentinus* Rom.	98	D.40.
268	*Sixtus* II. Græcus.	24	II		*Gregorius* IIII. Rom.	99	I6
277	*Dionysius.*	25	9	843	*Sergius* II. Rom. prius Os porci dictus. Primus nomen suum abnegauit.	100	3
282	*Felix* Rom. I.	26	5		*Leo* IIII. Rom.	101	8
283	*Eutychianus* Thuscus.	27	M.10.	846	*Ioannes* VIII. Anglus, fœmina.	102	2.M.3.
298	*Caius Dalmata.*	28	I5	854	*Benedictus* III. Rom.	103	2
307	*Marcellinus* Rom.	29	9	856	*Nicolaus* I. Rom.	104	I0
308	*Marcellus* I. Rom.	30	I	857	*Hadrianus* II. Rom.	105	5.M.9
314	*Miltiades* vel Melchiades Afer.	31	6	867	*Ioannes* IX. Rom.	106	I0
314	*Sylvester* I. Rom.	32	20	873	*Martinus* II. Gallus.	107	I.M.8
334	*Marcus* Rom.	33	M.8.	883	*Hadrianus* III. Rom.	108	I.M.3
335	*Julius* I. Rom.	34	I6	885	*Stephanus* V. Rom.	109	6
352	*Liberius* Rom.	35	I7	886	*Formosus* Portuensis.	110	6
369	*Damasus* I. Hispanus.	36	I8	892	*Bonifacius* VI. Thuscus.	111	D.I5
387	*Vrsinus*, qui & Syricius Romanus.	37	I4	898	*Stephanus* VI. Rom.	112	I.M.3
401	*Anastasius* I. Rom.	38	3		*Romanus* Rom.	113	M.3. D.2I
404	*Innocentius* I. Albanus.	39	I5	899	*Theodorus* II. Rom.	114	D.20
420	*Zosimus* I. Græcus.	40	2		*Ioannes* X. Rom.	115	2.D.20
422	*Bonifacius* I. Rom.	41	4	900	*Benedictus* IIII. Rom.	116	3.M.4
426	*Celestinus* I. Campanus.	42	I0	902	*Leo* V.	117	D.40
436	*Sixtus* II. Rom.	43	8	905	*Christophorus.*	118	M.7
444	*Leo* I. Thuscus.	44	2I	906	*Sergius* III. Rom.	I I9	7.M.4
465	*Hilarius* Sardus.	45	6	907	*Anastasius* III. Rom.	120	2.M.2
471	*Simplicius* Tiburtinus.	46	I5	9I4	*Lando* Rom.	121	M.7
486	*Felix* II. Rom.	47	9	916	*Ioannes* XI. Rom.	122	I3
493	*Gelasius* I. Afer.	48	5	917	*Leo* VI. Rom.	123	M.7
500	*Anastasius* II. Rom.	49	2	930	*Stephanus* VII. Rom.	124	2
502	*Symmachus* Sardus.	50	I5	93I	*Ioannes* XII. Rom.	225	5
516	*Hormisda* Frusinonius.	5I	9	933	*Leo* VII. Rom.	126	3
525	*Ioannes* I. Thuscus.	52	3	938	*Stephanus* VII. Germanus.	127	3
527	*Felix* III. Samius.	53	4	94I	*Martinus* III. Rom.	128	4
531	*Bonifacius* II. Rom.	54	2	944	*Agapetus* II. Rom.	129	8
533	*Ioannes* II. Rom.	55	2	947	*Ioannes* XIII. Rom.	130	9
535	*Agapetus* I. Rom.	56	I	954	*Benedictus* V. Rom. deponitur. Succedit	13I	M.5.
536	*Liberius* vel Sylverius, Campanus.	57	I	963	*Leo* VIII. Eo pulso, reuocatur.	132	I.M.5
537	*Virgilius* Rom.	58	I8	964	*Iohannes*, & sedet annis 8.		8
555	*Pelagius* I. Rom.	59	6		*Benedictus* VI. Rom.	133	I
564	*Ioannes* III.	60	I3	973	*Donnus* II. Rom.	134	2
577	*Benedictus* I. Rom.	6I	4	974	*Bonifacius* VII. Rom.	135	M.2.
581	*Pelagius* II. Rom.	62	I0	976	*Benedictus* VII. Rom.	136	8
591	*Gregorius* Magnus Rom.	63	I4		*Ioannes* XIIII. Rom.	137	M.8.
605	*Sabinianus.*	64	2	984	*Ioannes* XV. Rom.	138	M.4.
	Defecit sensim Apostolica integritas.	65	I	995	*Ioannes* XVI. Rom.	139	I0
607	*Bonifacius* III. Rom.	66	8	995	*Gregorius* V. Saxo.	140	2
608	*Bonifacius* IIII. Valeriensis.	67	3	997	*Ioannes* XVII. Placentius.	14I	I
615	*Theodatus*, vel Deusdedit Romanus.	68	5	998	*Sylvester* II. Gilbertus magnus Gallus, Diaboli ope Pontificatum acquirit.	142	5
1114	*Stephanus* II.	10	18
1132	*Bela* II. Almi fratris Stephani F. à Colomanno prius excæcatus.	11	10
1141	*Geisa* II. Belæ cæci primogenitus.	12	20
1162	*Stephanus* III. Geisæ F.	13	10.M.9.
1172	*Ladislaus* Belæ cæci F. quem expulit Stephanus	14	M.6.
1173	Ladislai frater, à Bela M.5. Inde III. fratre pulsus, M.5. quem expulit frater, & regnauit.		18
1191	*Emericus* Belæ F.	15	8.M.7.
1200	*Ladislaus* Emerici F.	16	M.6.
1201	*Andreas* II. Belæ F.	17	35
1236	*Bela* IIII. Andreæ II. F.	18	35
1271	*Stephanus* V. Belæ F.	19	2
1273	*Ladislaus* IIII. patri successit, Budam cæpit.	20	17
129	*Andreas* III. nepos Andreæ II. Austriam bello domuit. Sub quo Bonifacius papa Carolum Robertum, Caroli II. Siculorum regis nepotem, regem designauit.	21	12
1302	*Venceslaus*, aliis Ladislaus, Venceslai Bohemiæ regis F.	22	3
1305	*Otho* dux Bauariæ à Ladislao Vaiuoda Transyluaniæ captus.	23	4
1310	*Carolus* omnium Vngarorum consensu rex factus.	24	32
1343	*Ludouicus* Caroli F.	25	40
1383	*Maria* Ludouici F.	26	2
1385	*Carolus* rex Neapolitanus fraude regnum inuasit, & occisus est.	27	2
1387	*Sigismundus* Caroli IIII. F. marchio Brandeburgensis, Mariæ reginæ maritus.	28	51
1438	*Albertus* socero in regno successit.	29	I.M.9.
1440	*Ladislaus* infans Alberti F.	30	18
1458	*Matthias* Huniades.	31	33
1491	*Vladislaus* Casimiri Poloniæ regis F. Bohemiæ rex, in regnum ascitus.	32	26
1517	*Ludouicus* II.	33	10
1527	*Ferdinandus* Annam Ludouici sororem in matrimonium habuit.	34	37

POLONIÆ REGES.

An.Ch.		Ord.	Reg.
963	*Mieско*, qui & Miezlaus, XIIII. Poloniæ rex, primus ex Christianis.		37
1001	*Boleslaus* Miezlai F. Bohemos, Morauos & Russos domuit.		25
1023	*Miezlaus* II. Quo mortuo, Richza regina cum Casimiro F. regno pellitur: ipse monasterium Cluniacum intrat. Polonia sex annis sine rege miserè vastatur.		9
1040	*Casimirus* ex monasterio reuocatur.		18
1059	*Boleslaus* Casimiri F. Audax.		20
1083	*Vladislaus* Hermannus primus Polonorum monarcha non fuit coronatus.		21
1103	*Boleslaus* Crzyuousky.		36
1140	*Vladislaus* primogenitus Boleslai.		6
1146	*Boleslaus* Crispus electo fratre regnat, & Conradum imp. hostem sua vincit humanitate.		28
1174	*Mieczslaus* tyrannus mox deiectus, & electus frater, *Casimirus* II.		21
1195	*Lesko* Albus patri successit, quater regno exutus, & restitutus tandē à Suatepolko Pomeraniæ præfecto victus.		33
1228	Interregnum.	15	
1243	*Boleslaus* Pudicus ex Vngaria reuocatus.		37
1280	*Lesko* Niger		10
129	*Boleslaus* Masouiæ dux, mox regno pulsus.		7
	Henricus Probus eodem anno periit.		
	Vladislaus statim deiectus.		
	Przimislaus similiter		
	Venceslaus tandem multis præliis cum Vladislao congressus. Vladislaus iterum electus, & in coronatione depositus.		
1297	Interregnum.		3
1300	*Venceslaus* Bohemiæ rex.		6
1306	*Vladislaus* Cubitalis tertiò ad regnum tutandum assumptus. A Teutonicis fratribus victus.		27
1333	*Casimirus* Magnus Vladislai F. anno regni 31. Academiam Cracouiensem instituit.		38
1371	*Ludouicus* Vngariæ rex.		12
1383	*Heduigis* Ludouici filia patri succedit: Guilielmo duce Austriæ repudiato, Iagelloni duci Lituaniæ nupsit, qui cum baptismate Vladislai nomen suscepit. A quo Polonorum regum series, Academiam Cracouiensem instaurauit.		49
1435	*Ladislaus* iunior, Vngariæ etiam rex, à Turcis cæsus.		10
1445	*Boleslaus* dux Mazouiæ.		
1447	*Casimirus.*		46
1493	*Ioannes* Albertus.		9
1502	*Alexander* dux Lituaniæ fratri succedit.		5
1507	*Sigismundus* dux Lituaniæ fratri in regno succedit, Bonam Sforziam duxit.		41

BOHEMORVM REGES.

Vratislaus

An.christi.		Ord.	Reg.
1087	*Vratislaus* rex primus, equo lapsus periit.		7
1094	*Conradus* frater.		M.7.
	Vladislaus Vngariæ regis Filius Bohemiam rexit.		
1110	*Vladislaus* Bohemiæ ducatum occupat.		
	Sobieslaus dux.		
1140	*Vladislaus* dux à Friderico Imp. rex creat. an. 1160.		
1102	*Przimislaus.*		
1148	*Ottacarus* à Rodolpho Haspurgensi victus & interfectus.		33
1183	*Venceslaus.*		
1305	*Radulphus* imp. F.		
1306	*Henricus* Carinthiæ dux.		
1312	*Ioannes* Henrici Imp. F. in Italia multas subegit ciuitates.		
	Carolus, Ioannis F. qui Academiam Pragæ instituit, & eius nominis IIII. fuit Imp.		
1346	*Venceslaus* Caroli F. in seditione occisus.		
1363	*Ioannes* Ziska Bohemiam bello vexat. Hussitarum dux, Sigismundus Koriburh à Vitoldo Lituanię duce ad regnum suscipiendum missus.		
1419	*Vladislaus* Poloniæ regis F. cum Matthia rege pacem fecit. Rex etiam Vngariæ factus.		45
1422	*Georgius* à papa hæreticus iudicatus.		
1462	*Vladislaus* Poloniæ regis F.		
1472	*Ferdinandus* Austrius.		
1527			

BRITANNORVM REGES.

Eugenius Scotorum rex à Maximo, anno Christi 377. Cum exercitu Scoti Britannia pulsi.

An.Christi.		Ordo.	Reg.
379	*Maximus* regnum Britanniæ vsurpat. Inde Rom. imp. ductus à militibus. Quo cæso, & Victore eius F. ab Arbogaste interfecto.		14
392	*Gratianus* Britannus insulam occupauit Quo sublato, à militibus electus.		
394	*Constantinus*, & postea Imp. factus Scoti in Britanniam redeunt.		
449	*Vortigerus* dolo Britanniam occupat: qui auxilia Anglosaxonum contra Scotos & Pictos vocās, à Romanis defecit.		
480	*Ambrosius* Aurelius Rom. in Britannia imperium accepit, & à Saxonibus interficitur. Cui successit Vterpendragon frater.		
501	*Arthurus* Vteri F. rex clarissimus: qui si diutius vixisset, totam Britanniam ab Anglosaxonum iugo liberasset. obiit anno 542.		
548	*Constantinus* post Arthurum vir impius, rex Britannorum.		
600	*Cadoualadrus* Britanniæ rex visione monitus, relicto regno Romam discedit. Angli interim tota Britannia potiti sunt.		

ANGLORVM REGES *apud Cantium.*

569	*Edelbertus* Christi fidem cum suis Anglis recepit, anno 601.	5	56
625	*Edbaldus* patri succedit.	6	25
650	*Ercombertus* F. Edbaldi.	7	25
675	*Egbertus* non diu regnauit. Successit *Lotharius* F. quo interfecto, regnauit *Edricus.*		2
685	*Vitredus*, Egberti F.		
812	*Edeluolfus* vltimus rex Cantij, victus ab occidentalibus Saxonibus, & regnum occidentali Angliæ iunctum.		

REGES BERNICIÆ ET DEIRÆ. QVÆ REGNA *diuisa primùm, tandem in vnum regnum Northumbriæ coaluerunt.*

An.Mundi.		Ord.	Regni.
507	*Alla*, vel Ella, primus Northumbriæ rex in Deira regnum inchoat.		30
	Adda.		
	Clappas.		
	Theodulfus.		
	Frendulphus.		
	Theodoricus.		
	Edelricus		
	Edelbertus.		
617	*Eduinus* anno regni II. Christianus efficitur & in prælio cadit. Partiuntur inter se regnū *Osricus* & *Enfredus*, qui fidem abnegantes interficiuntur.		
636	*Osualdus* Edelfredi F. pius à Penda Merciorum rege victus.		9
644	*Osuinus* frater Osualdi, Deiræ & Berniciæ rex, Merciorum regem Pendam interfecit, eósque Christi fidem suscipere coegit.		
672	*Egfredus.*		
687	*Alfredus* doctissimus fuit.		15
727	*Ceolulfus*, cui Beda familiaris fuit, & monachus factus, substitutus		19
735	*Egbertus* patruelis.		8
768	*Edelbertus*, quo pulso		22
780	*Osualdus* regnat, sed tandem pellitur.		11
781	*Osredus* se sponte abdicat.		
	Adelredus vltimus rex.		4

MERCIORVM REGES.

633	*Penda* Merciorum tyrannus, ab Osuuio in prælio interfectus.		
677	*Edelredus.*		30
707	*Chunredus* cum Offa rege Orientalium Saxonum Romam profectus, monachus fit.		5
	Celredus.		
712	*Edelbaldus* in summa pace regnauit.		40
753	*Offa.* Regni Merciorum inclinatio.		
757	*Osoluus.*		
758	*Altredus* regno pulsus.		10
775	*Offa* regnum suum pontifici tributarium fecit.		
777	*Egfredus.*		M.4.
	Cenulfus.		24
801	*Cuthelmus.*		
	Ceuolfus.		
	Bernolfus.		
	Ludouicus.		
	Berthufus. Post quem Dani regno Merciorum potiti sunt.		

ANGLOSAXONVM IN BRITANNIA.

Cùm Britannia subinde à Pictis & Scotis vexaretur, neque Rom. suppetias ferre possent, Vortigerus rex Saxones in Britanniam vocauit: quorum dux fuit Hengistus. Illi sub specie ferendi auxilij, magnam Britanniæ partem occuparunt.

An.Christi.		Ordo.	Regni.
	ORIENTALIVM.		
449	*Hengistus* dux Anglosaxonum Orientalem Britanniam occupat, & appellat regnum Orientalium Anglorum.		25
474	*Otha* & *Osca*, Hengisti filij.		
618	*Carpualdus* cum tota gente Christianus efficitur.		19
630	*Sigibertus* scholam Cantabrigiensem instituit.		
711	*Offa* cum Chunredo Merciorum rege Romā profectus, ambo monachi fiunt.		
	Sutredus ab Egberto victus, & regnum Occidentalibus Saxonibus iunctum, anno 828.		
	AVSTRALIVM.		
485	*Ella* Australium Saxonū regnum inchoat: cui successere, *Sisca*, *Edelualchius*, *Berutius* & *Aldinius*. Deinde hoc regnum ab *Ino* Occidētalium Anglorum regno adiunctum est.		

	OCCIDENTALIVM.		
520	*Cerdicius*, vltimus fuit Saxonum, qui suis ex Germania auxilio venit cum copiis, & Occidentale Saxonum regnum restituit.		
740	*Ino* regnum suum pontifici tributarium facit.		
784	*Bitrichus.*		16
800	*Egbertus*, qui pulsis Danis, Northumbriæ regnum suo adiecit, anno Christi 827. Et porrò statuit, vt omnes Angli & Saxones (exceptis Scotis) Angli dicerentur, & insula ipsa Anglia posthac vocaretur. Itaque Anglorum deinceps reges enumerabimus.		37
	ANGLORVM.		
837	*Ereluolfus.*		20
857	*Edelbaldus.*		M.6.
	Edelbertus.		5

An.Christi.		Ordo.	Regni.
863	*Edelredus* cum Danis bellum assiduè gessit.		6
872	*Alfredus*, qui anno regni 24. Oxonienſem ſchola inſtituit.		28
900	*Eduardus*.		24
925	*Adelſtanus* Eduardi F.		16
941	*Edmundus* frater Adelſtani, à ſicario in conuiuio interficitur.		6
947	*Eldredus*.		9
955	*Eduinus* Edmundi F.		4
959	*Edgarus*.		16
975	*Eduardus* II.	29	3
978	*Ethelfredus*, qui dum baptizaretur, in baptiſterio cacauit.	30	38
1016	*Edmundus*.		1
1017	*Canutus* ſolus Daniæ & Angliæ rex.		20
1038	*Haraldus* Canuti F.		4
1040	*Canutus* Daniæ & Angliæ.		2
1042	*Eduardus* III. pius & ſanctus rex, qui leges communes promulgauit.		24
1066	*Haraldus* Goduini F.		1
1067	*Guilielmus* Normanniæ dux.		22
1089	*Guilielmus* Ruffus patri ſucceſſit.		13
1101	*Henricus* I. cuius anno 19. bellum Anglicum cæpit contra Francos, quod diu durauit.		35
1136	*Stephanus* Francorum.		20
1155	*Henricus* II. Andegauienſis.		34

An.Christi.		Ordo.	Regni.
1189	*Richardus*, qui Ioppen inſtaurauit.		12
1201	*Ioannes* Richardi frater, Normanniæ dux.		17
1218	*Henricus* III. Ioannis F. cuius anno 41. Hugo puer à Iudæis crucifixus eſt.		56
1273	*Eduardus* III I. qui nunc primus dicitur.		34
1308	*Eduardus* II. ab vxore Iſabella (quę ſoror fuit Caroli Pulchri Gallorum regis) pulſus, in carcere occiſus eſt. Suffectus filius.		19
1327	*Eduardus* III. nobis ſextus.		50
1377	*Richardus* II.		22
1399	*Henricus* IIII.		14
1414	*Henricus* V.		9
1423	*Henricus* VI. puer vnius anni.		38
1461	*Eduardus* IIII. poſt victoriam rex appellatus. Henricus 6. regno reſtitutus. Eduardus rurſus Henricum capit, & in carcere enecat. Vnde *Eduardus* V. ponitur à Chronologis		23
1483	*Richardus* III. Gloceſtriæ dux fraude regnum occupat.		2
1485	*Henricus* VII. Richemondiæ Comes, Caroli 8 Francorum regis ope regnum occupat.		23
1509	*Henricus* VIII. qui anno regni 26. à pontifice defecit, Sub quo Thomas Morus occiſus.		39
1548	*Eduardus* VI. Henrici F.		6
1554	*Maria*, Philippo Hiſpaniarum regi nupſit.		
	Elizabetha virgo.		

DANORVM REGES.

An.Ch.		Ord.	Reg.
796	*Gothricus* in expeditione cõtra Friſios interfect'.		
810	*Olaus* Daniæ & Suetiæ rex, Gothrici F. non diu.		
821	*Hemingus* Gothrici ex fratre nepos.		
860	*Canutus*.		
869	*Iuarus*, ab Anglis occiſus. Succedunt filij.		
	Agnerus & *Hubo* 15. die poſt cædem patris Anglos vincunt, & Merciorum regnum occupant.		
880	*Frotho*.		
887	*Haraldus* Frothonis F. vel Gormonis.		
902	*Gormo* III. huius nominis Haraldi F. ſummus hoſtis Chriſti, præ ſenio viſum amiſit.		
926	*Haraldus* V. huc nomine Danorum rex, Gormonis III. F. ab Otthone I. Imp. victus, fidē Chriſti ſuſcepit.		
1014	*Olaus* patri Suenoni ſucceſſit.		
1038	*Canutus* III. poſt patrem.		
1042	*Magnus* Olaui F. rex Noruegiæ, regnum Daniæ ad Noruegios tranſtulit.		
1055	*Sueno* II.		
1067	*Haraldus* Suenonis F.		2
1069	*Canutus* IIII. Suenonis F.		10
1079	*Olaus* III. fratri ſucceſſit.		10
1090	*Ericus* Canuti frater, cum regina Botilda terram Sanctam viſens in Cypro ambo moriuntur.		13
1102	*Haraldus* Erici F. Daniæ interim præfectus.		2
1104	*Nicolaus* Suenonis minimus F. Erico ſuffectus.		30
1132	*Canutus* Erici F. à Magno Nicolai F. occiſus.		
1135	*Ericus* Canuti frater regno ſolus potitur.		

An.Ch.		Ord.	Regni.
1140	*Ericus* V. I. Aquini F. Erici Magni nepos.		
1150	*Sueno* III. Erici V. F. cum Canuto Magni F. de regno certat.		
1163	*Valdemarus Suenonem regno exuit.*		24
1185	*Canutus* F. Valdemari cum patre diu regnauit ſolus, an. 18.		18
1203	*Valdemarus* II. F. ſuccedit. Qui primus ſalutatus eſt rex Danorum & Vandalorum.		40
1243	*Ericus* VII.		9
1252	*Abel* fratrem fraude occidit. A Friſiis cæſus.		
1253	*Chriſtophorus* frater.		7
1260	*Ericus* VIII.		27
1287	*Ericus* IX.		34
1321	*Chriſtophorus*.		12
1314	*Valdemarus* III.		42
1376	*Margarita* Valdemari F. cum F. Olauo, an. 12. quo mortuo, ſola an 23.		55
1411	*Ericus* Pomeraniæ dux à Margarita trium annorum puer adoptatus.		28
1439	*Chriſtophorus* dux Bauariæ.		9
1448	*Chriſtiernus*.		34
1482	*Ioannes* ſolus		32
1514	*Chriſtiernus* II. ob crudelitatem regno pulſus, exulat in Germania.		9
1523	*Fridericus* Daniæ & Norueg. curam ſuſcipit. *Gothauus* à Suetis rex ſalutatur.		11
1535	*Chriſtianus* à proceribus rex eligitur.		

SCOTORVM REGES.

An.Chriſti.		Ord.	Regni.
377	*Eugenius* Scotorũ rex, à maximo rege Britannorũ cęſus, cum exercitu, & Scoti Britannia eiecti.		
405	*Eugenij* regis ex *fratre pronepos* cum fratribus *Barno* & *Tenago* totum Scotię regnum ad mare cęperunt.		
511	*Contanus* Scotorum rex, victus ab Ida rege Berniciæ.		
543	*Eugenius*, ſiue Archadius.		
615	*Eugenius*.		
684	*Eugenius*.		
722	*Amberkletus*.		
742	*Achaius*.		
807	*Congallus*.		
820	*Dungallus*.		
827	*Alphinus*.		
837	*Kenedus*.		
856	*Donaldus* Kenedi frater.		
862	*Conſtantinus*.		
875	*Etous* Alpes dictus, Kenedi Magni F. à Gregorio Dongalli F. victus.		
	Gregorius		
890	*Donaldus* Kenedi Magni nepos.		

An.Chriſti.		Ordo.	Regni.
903	*Conſtantinus* Ethi F. Eduardum multis bellis ſollicitauit. Monachus inde factus.		30
933	*Malcolmus* Donaldi F.		16
949	*Indulfus* Conſtantini F.		12
961	*Duffus* Malcolmi F. qui dum latrones perſequitur, à ſuis deſertus, in cubicalo interemptus eſt.		
	Culmus Indulfi F. Sardanapalo mollior. A virginis patre, quam ſtuprauerat, interfectus.		
	Kenedus II.		
1004	*Malcolmus* II.		6
1034	*Duncanus* nepos Malcolmi ex filia Beatrice.		17
1041	*Machabeda* Duncanum interfecit, filios eius expulit		39
1057	*Malcolmus* Commor Duncani F.		
1096	*Donaldus* Bane à patruo Duncano notho pulſus regnum recepit.		9
1098	*Edgarus* pulſo Donaldo.		17
1107	*Alexander* Ferſi.		29
1124	*David* frater Alexandri.		12
1153	*Malcolmus* auo ſucceſſit.		49
1166	*Guilielmus* Malcolmi frater.		38
1213	*Alexander* II. Guilielmi F.		*Alexander*

An.christi.		Ord.	Reg.
1150	*Alexander* III. ſuperioris F. puer octo annorum.		
1187	Scoti per regentem regnum adminiſtrant, qui dictus fuit Guilielmus Vallaces, hic Scotiam ab Anglis liberauit. ſed victus ab Eduardo.		37
1300	*Ioannes* Comingus regens eligitur. Scotia ſubacta ab Anglo. Robertus Briſeus Scotorum rex electus, ab Odemaro Valentiniano regni præfecto Anglo vincitur.		
1330	*Thomas* Ranulphus Scotiam regit.		
1332	*Eduardus* Baliolus rex Scotiæ.		
1342	*Dauid* Bruſeus.		29

An.christi.		Ord.	Reg.
1373	*Robertus* Dauidis ex filia nepos. Cuius progenies ad noſtra vſque tempora durauit.		19
1390	*Ioannes* primogenitus Roberti, patri ſucceſſit, & Robertus III. dictus eſt. Schola S. Andreę in Scotia fundata.		16
1424	*Iacobus* I. è carcere liberatus, à cognatis interficitur		24
1448	*Iacobus* II. patri ſuccedit.		14
1462	*Iacobus* III. anno ætatis ſeptimo.		29
1491	*Iacobus* IIII.		23
1514	*Iacobus* V. qui Magdalenam regis Franciæ filiam vxorem duxit.		7

MVLIERES QVÆ POPVLOS REXERVNT.

Exempla ex ſerie regum iam propoſita peti poſſunt: tamen quia illuſtria valde ſunt exempla, ea ſeparatim tractare placuit.

DEBORA, cùm propheticum haberet ſpiritum, viginti annos Iſraelis populum rexit, iudicauitque: & ne minus armis ac bello, quàm pace aut religione, in adminiſtranda re Iudaica excelluiſſe videretur, Chananæorum exercitum, Siſara duce, conſilio ſuo deuicit. Fulg. lib. 8. cap. 16.

CANDACES Æthiopiæ regina adeò bellicis rebus claruit, vt Meroe regnum magna animi fortitudine non tantùm adminiſtrarit, ſed omnes quoque poſt ſe reginas ſui nominis participes fecerit. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 2.

SEMIRAMIS defuncto marito Nino, Aſſyriis (ſexum mentita) annis 42. imperauit, virili magnitudine & fortitudine. Nec hoc illi dignitatem regni ademit, ſed admirationem auxit, quòd mulier non fœminas modò virtute, ſed etiam viros anteiret. Cuius fortia facta lege apud Diodorum Sic. lib. 3. Iuſtinum lib. 1. Sab. lib. 1. Enn. 1. Rhapſod. & Bocat. cap. 2. de Claris mulieribus.

HELERNA, quæ & Crana & Carna dicitur, filia Iani, apud oſtia Tybrina regnauit, donata à patre albo ſceptro. Poſt mortem à Crano frater ibidem in luco ſepulta, ſacris inſtitutis. Ouid. in Faſtis:

Ædiacet antiquis Tyberino lucus Helernæ,
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.

Volat. lib. 15. Anthrop.

THEVTA Illyricorum regina, ob caſtitatem meruit, vt longo tempore viris fortiſſimis imperaret, & Romanos ſæpe frangeret. Guido.

MESA Varia, vrbe Emeſa, quæ in Phœnicia eſt, orta, Iuliæ ſoror fuit, olim Septimij Seueri imperatoris cõiugis. Hæc mortuo Baſſiano, à Macrino, qui ei ſucceſſerat in imperio, in Phœnicium remiſſa, aſtu mentiendoque conſecuta eſt, vt nepotem ex filia, Heliogabalum nomine, cùm nondum quartumdecimum excederet annum, in imperio conſtitueret. Ipſa ſub eo Romanum imperium, quamdiu vixit, adminiſtrauit: quòd eam egit Alexandro imperãte, quem vt Heliogabalum, cui æquè auia erat, arte ſua ad principatum euexerat. Hac gloria inſignis facta, quæ cui nulli, aut rariſſimis contigit, vt fœmina in Senatu ſederet, ac verba faceret, nomen ſuum inſcriberet, cætera imperatorũ munia obiret: item mœnia imperatoria pompa ſepeliretur, atque in diuarum Romanarum numerum reciperetur, omnium iudicio fœlix atque prudẽs habita. Fulgoſus libro octauo, capite 16.

ZENOBIA Palmyrenſium regina, mortuo Odenato marito, cùm Orientis regnum tueretur, armata in virili veſte exercitui præfuiſſe, & imperatoris nomen tuliſſe dicitur, cuius auſpiciis pleraque egregiè geſta in hoſtes fuêre. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2. Genialium dierum.

AMALASVNTHA Theodorici regis Italiæ filia, & mater Almarici Hiſpanorum regis, defuncto iam filio in imperio ſucceſſit, Tendiſimque ſobrinum ſuum in ſpem ſucceſſionis adoptauit. Ritius libro 1. Regum Hiſpanorum.

IRENE Conſtantini VI. mater Leonis, vxor cùm filio imperauit annos 10. Expulſa tandem à filio mater, quæ omnia magna prudentia adminiſtrabat, paulo pòſt à ciuibus in priſtinum ſtatũ reſtituta, annos tres ſola imperio præfuit. Volat. lib. 23 Anthrop.

VICTORIA AVGVSTA, mater Victorini, & Mater caſtrorum dicta, inter 30. tyrannos ponitur, in Gallia rexit impetum. Volat. libro 20. Anthrop.

ZOE primò Romani Argyropoli, deinde eo interfecto Michaelis Paphlagonis vxor, imperatorum Romanorum: quibus defunctis, ipſa primùm cum Michaele Calaphate conſanguineo, deinde ſola quoque toto Romano imperio virili virtute, ac omnium fauore præfuit. Volat. libro 23. Anthrop.

THEODORA ſoror Zoæ imperatricis, Michaelis mater, ſenatu conſentiente, biennio rexit imperium: ab eunuchis amicis paternis, qui potentes erant, confirmata: quum ſenatus Nicephorum quẽdam, qui Bulgariæ præerat, imperatorem elegiſſet. Ibidem.

EVDOCHIA Conſtantini Ducæ imperatoris Romani vxor, ex qua tres mares ac fœminas totidem acceperat, viro defuncto, vnà cum filiis paruis imperio ſucceſſit: cuius tempore Turcæ in Meſopotamia Cæſariã & Antiochiam, multáque loca imperij vaſtabant. Ibidem.

AGNES Henrici tertij mater, vnà cum filio imperium rexit cuius facta nefandiſſima cùm filius minimè probaret, à rerum adminiſtratione amota eſt. Ibidem.

Inter Buaos Libyes, vir cæteris viris, mulier autem imperat mulieribus. Stobæus ſermone 42. ex Nicolao de Moribus gentium.

DVCES ET IMPERATORES IN BELLO. DICTATORES.

TRIBVNI *militares.*

Exempla pete ex tit. Fortitudo ducum bellica. item ex tit. Triumphorum, maximè verò Regum, paulo antè deſcripto. Et quia infinitus eſt numerus horum, neque ſucceſſio continuata, ideirco clariſſimorum tantùm exempla enumeranda hìc erunt.

MILTIADES Cimonis F. (eius qui Piſiſtrati tyrannidem fugiens, ter Olympicam palmam quadriiugo vicit certamine, iiſdem equabus) ad Marathonem vnus ex decem ducibus, quos Athenienſes contra Perſas pugnaturi ſibi præfecerant, Callimacho Aphidnæo Polemarcho vndecimo exiſtente, cùm cæteri duces prælium cum Medis committere diffiderẽt, ſolus reſtitit, & Callimacho idem perſuaſit. Itaque cùm dies ſui imperij veniſſet, acie inſtructa memorabili eiade Marathonia Perſas affecit. Herod. lib. 6.

DATIS Medus, dux Darij contra Eretrienſes & Athenienſes, in locum Mardonij ſuffectus. Vide tit. Magiſtratu deiecti.

Anno vrbis 252. Poſthumo Cominio Aurunco, & T. Lartio Flauo Coſſ. T. Lartius Flauus primus dictator dictus, Sp. Caſſius magiſter equitum, contra motus Tarquiniorum. Euſebius.

A. Poſthumius Albus Regillenſis, ad lacum Regillum Latinos vicit, anno Vrbis 256 qui Tarquinios reducere tentabant.

Anno Vrbis 259. cùm plebs in Sacrum montem ſeceſſiſſet, M. Val. dictator dictus.

L. QVINCTIVS Cincinnatus, dictator, & L. Tarquitius Flaccus magiſter equitum, Æquos vicerunt, Vrbis anno 295. Ille idem anno 314. Dictator iterum creatus, cùm Sp. Melius largitione frumentaria regnum affectaret, C. Seruilius Hala magiſter equitum Melium ad dictatorem venire recuſantem interfecit.

Q. SERVILIVS Priſcus dictator, Poſthumius Ebutius magiſter equitum, anno 317. Captæ Fidenæ. Dictator iterum anno 335. Æquos vicit, & Lauicanos, capto Lauico oppido.

M. ÆMILIVS Mamertinus dictator I. anno 316. iterum anno 319. tertiò, anno 327. & A. Corn. Coſtus magiſter equitum, de Veientibus triumpharunt.

P. Corn. Rutilium dictator anno 345. de Volſcis & Æquis triũphauit.

M. Fur. Camillus dictator anno 356. Veſis captis triumphauit. Anno rurſus 361. iterum Dictator de Gallis triumphauit. Anno 365. Dictator. III. de Volſcis triumphauit. Anno 385. Dictator IIII. L. Æmylius magiſter equitum, cùm lex de conſulatu altero plebi communicando à tribunis ferretur. Dictator V. anno 386. in agro Albano Gallos vicit. Tertio poſt anno peſte obiit.

L. FVRIVS Camillus dictator bello Aurunco creatus, anno 408. Aurunci victi, Sora Volſcorum vrbs capta.

L. PAPYRIVS Curſor dictator ſine Coſſ. anno 429. Cæſis Samnitum 20000. triumphauit.

Q. FAB. MAX. Rullianus dictator, Q. Aurelius Ceretanus magiſter equitum, anno 444. Sacricula capta, Samnites cæſi.

Anno vrbis 467. Hortenſius Dictator, ſeceſſionis populi in Ianiculum reducendæ cauſa legem tulit, vt plebiſcita omnem populum Quiritium tenerent, & pro legibus obſeruarentur. Liuius lib. 11.

TRIBVNI militum primùm creati tres fuerunt anno vrbis 309. cõſulari poteſtate prioris anni: conſulibus exiſtentibus M. Genutio Augurino, & C. Curtio Medullino Fuſo. Creati autem ſunt L. Attilius Longus, T. Clælius Siculus, & A. Sempronius Atratinus. Qui ante finem anni magiſtratum deponentes, locum denuò Coſſ. fecerunt, vt poſt quartum ferè menſem eligerentur Coſſ. L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus. Rurſus anno 315. Tribuni militares tres creati. Poſtea etiã vſus obtinuit, vt quatuor, quinque, ſex, prout neceſſitas poſtulare videbatur, crearentur.

AVGVSTVS ſemel & vicies fuit imperator dictus apud Romanos.

Apud Græcos PHOCION vigesimum imperator nominatus est. ARATVS decimum & septimum imperatorem gessit. PELOPIDAS ter & decies, PHILOPOEMENES octauum: quem apud Achæos intra annũ bis gerere non licebat, sicut apud Spartanos bis eundem classis præfectũ fieri lege vetabatur. Alex. lib 1. cap. 2.

BELISARIVS Iustiniani imperatoris dux, Græcus homo, Persas in Oriente vicit, Vandalos in Africa, ducto in triumphum Gilismere: Gothorum in Italia gentem, capto Vectige rege, superauit. Post hæc Africã repetens, Vandalorum gentem, redintegratis viribus, bella renouãtem, reip. Rom. subdidit, rege eorum Guntario interfecto. Victor inde Romã reuersus, crucem auream, vbi res eius gestæ cælatæ fuerant, Petri basilicę obtulit. Volat. lib. 23. Anthrop.

IVDICES.

Vide tit. Iudices iusti. item, Prudentia in iudicando.

IVDICIORVM VARIA LOCA.

Apud Athenienses ea vrbis regio, quæ Areopagus dicitur, inde nomen accepit, quòd eo in loco ab initio Mars capitis causam dixerit, cùm Neptuni F. Halirrhothium in stupro filiæ Alcippes deprehensum occidisset. Eodem verò in loco Oresti de matris cæde iudicium est constitutum. Extat adhuc Mineruæ Areæ (id est, deprecatricis) ara, quam Orestes iam absolutus, dicitur dedicasse. Scabella ibidem, quæ saxa esse videntur, duo sunt argentea, quibus accusatores & rei insident: alterum Contumeliæ, Impudentiæ alterum vocant. Proximè dearum est ædes, quas Athenienses Seueras: Hesiodus in eo quem de Gentilitate deorum fecit carmine, Erinnyes nominat. Earum serpentibus esse crinem implicitum, primus omnium finxit Æschylus. Sunt etiam apud Athenienses alia iudicia, sed multo minus illustria. Eorum vnum Parabystum, alterũ Trigonum nominant. illud ab obscuro vrbis loco, in quo leuissimæ prorsus causæ cognoscuntur: hoc à loci forma nomen sumpsit. Batrachij verò & Punicei, à coloribus, in hunc vsque diem nomina permansere. Maximum verò omnium, & quò frequentissimi conueniunt, Heliæam vocant. In eo foro, quod Palladium appellant, cædis causæ agitabantur, atque in eo quidem primùm Demophontem causam dixisse, nemo ambigit: cuius verò is criminis reus fuerit, non satis inter omnes conuenit. Diomedem quidem tradunt Ilio capto, cùm in patriam reueheretur, per noctem vię errore ad Phalerum appulisse. Vbi cùm Argiui, qui cum eo erant, in agrum tanquam hostilem populabundi excurrerent, vt qui aliam quàm Atticam terram inter tenebras crederent, Demophontem aiunt, & ipsum nescientem Argiuorum eam classem esse, ad propulsandas populationes accurrisse. Vbi, cùm aliquot interfectis Palladio erepto domum abiret, ab eius equo Atheniensem hominem subuersum, elisúmq; interiisse. Demophôntem itaque alij ab eius qui interfectus fuerat propinquis, alij verò ab Argiuorum multitudine reum factum memorãt. In Delphinio causam dicunt, qui se iure occidisse defendunt. Quo in loco Theseus, cùm Pallanta, eiúsque filios, res nouas molientes, interemisset, absolutus est. Ante Theseum enim, interfectorem necesse erat exilij causa solum vertere, aut talionis pœnam suscipere. In Prytaneo de ferro, aliisq; inanimis iudiciũ fit, cuius rei hoc initium fuisse arbitror. Erechtheo Athenis regnãte, bouem sacerdos, is qui Buphonus est appellatus, ad Poliei Iouis aram mactauit, statímque relicta bipenne è finibus excessit. Bipennis iudicio absoluta est. Et eum quidem ritum quotannis seruant. Dicuntur autem alia quoque sensu carentia lege plecti. In Piræei maritima parte gurges quidam est: vbi qui in exilium abeunt, si quod nouum fuerit in eos crimen conflatum, è naui, iudicibus in littore consistentibus, causam dicunt. Ac Teucrum aiunt primùm omnium eo se in loco Telamoni purgasse, cùm de Aiacis cæde culpa vacaret. Pausanias in Atticis.

LEGATI ET ORATORES AD RES COMPONENDAS

tam priuatim quàm publicè missi.

Legatorum nomen latißimè patet, & pro quouis magistratu sumitur, cui obeundi muneris alicuius, foris præsertim, officium delegatur. Sic Legatos appellabant Romani eos, qui consulibus consultorum loco addebantur, in prouincias profecturis. Interdum quoque legati ipsi, consulum loco prouincias administrabant belláque conficiebant. Et priores quidem illi ad consultores pertinent: posteriores verò inter reges, duces, consules, connumerari debent, quorum personam sustinent: & propterea nostris hodie Vicereges, Viceduces, Vicarij, Locum tenentes barbarè appellãtur. Nos in præsentia de Legatis, hoc est, de Oratoribus, qui pacis bellíue causa ad amicos hostesúe mittuntur, agemus: quorum exempla aliquot ex tit. Legati in precio habiti: item, Legati violati, petenda erunt.

Apud GRÆCOS, nisi præconibus adhibitis, legatos minimè hostium fines ingredi decebat: neq; legationis munere fungi quenquam, ni prius infusa aqua ab iisdem, manus abluisset, Iouíque coronatis poculis propinasset. Alex. lib. 5. cap. 3.

Apud ROMANOS, si qui legati, qui iure gentium sancti erant, violati essent, vt hi dederentur, qui iura gentium temerè violassent, per fœciales cauebatur. Erat enim veteribus ius legatorum sanctum & inuiolabile, cum hominum præsidio munitum, tum diuino iure defensum, quod etiã inter bella & hostium tela incolume seruabatur. Ibidem.

POLYCRATIDES, vnus cum cæteris missus orator ad duces regios, quum ab his interrogaretur, vtrum priuatim venissent, an publicè missi? Si impetramus, inquit, publicè: sin minus, priuatim. Vox, pij candoris in patriam index. Si cessisset ex sententia legatio, gloriam volebat reipubl. cedere: sin minus, ignominiam repulsę ad patriam non pertinere. Plut. in Lacon.

AGESILAVS tanti legati munus fecit, vt quamuis imperator maximus, legatorum tamen officia obire non dubitarit. Alex. ab Alex. li. 6. c. 3.

LACEDÆMONES vnum legatum ad Demetrium regem miserant. Stomachante autem tyranno, ac vociferante: Vnúmne Lacedæmonij legatum ad me? Satis, inquit legatus, vnus ad vnum. Brus. lib. 2. cap. 1.

LACONES olim quum ad Lygdamum tyrannum issent legati, atque ille congressus sæpius differret, dicẽs se molliter habere: vrbanè, Dic (inquiunt legati) per deos non venisse cum illo colluctaturos, sed collocuturos. Brus. lib. 3. cap. 30.

AGIS Archidami filius, cùm ad Philippum regem legatus mitteretur, solus regem sine comitatu accessit. Verùm cùm rex admiraretur. Veni, inquit, vnus ad vnum. Quo dicterio taxauit superuacaneum legatorum aliorum sumptum, quum Reipub. negotia per vnicum sæpenumero expediri possint. Plut. in Lacon. Apoph.

LACRINES legatus Lacedæmoniorum ad Cyrum cum quinqueremi missus, qui illum à bello Ionibus inferendo dehortaretur. Herod. libro 1.

MYRSVS Lydus, Gygis F. ab Orœte præfecto Sardium ad Polycratem missus, vt eum spe colloquij, & pecuniæ accipiendæ eliceret, & caperet. id quod & factum est. Herod. lib. 3.

AMASIS legatus ad defectores ab Aprie rege mittitur. Vide tit. Odij subditorum erga principes.

PATARBEMIS ad Amasim legatus, cùm re infecta rediret, ab Apriæ rege crudeliter fuit tractatus. Vide tit. Odij subditorum erga principes.

SCYLAX Caryandes à Dariò rege legatus missus, ad ostia Indi fluuij indaganda. Vide tit. Liberalitatis in inuestigandis regionibus.

Darius rex ingressus in Scythiam inopia laborabat. SCYTHÆ autem legatos ad eum miserunt cũ muneribꝰ: aue videlicet, mure, rana, & quinque sagittis. Darius pro mure terram, pro rana aquas, pro aue equos, pro sagitta seipsos tradere interpretatus est. Gobrias hoc dicere dona conie ctabat: O Persæ, nisi vt aues aduoletis, aut vt mures subeatis terram, aut vt ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis, his sagittis confecti. Bruso. lib. 3. cap. 30.

ISMENIAS THEBANVS, apud regem Persarum legatus, cùm sciret nihil se impetrare posse, nisi pronus regem adoraret: postquam in regis cõspectu fuit, anulum de industria ad pedes cadere permisit. quem se flectendo collegit, atque hoc modò Græcorum dignitati, & regis superbiæ satisfecit. Ælian. de Var. 2. hist. lib. 1.

LEO BYZANTIVS cùm Athenas legatus missus esset, agitatámque videret inter eos lõga contentione seditionem, in concionem ascendẽs, risum populo excitauit, obesus admodum, ventricosúsque apparens. At ille nihilo magis perturbatus: Quid ridetis, inquit, Atheniẽses, quòd vobis videar pinguis? Scitote, mihi vxorem longè pinguissimam esse, talésque ac tanti cùm simus, cõcordes breuis admodum lectulus capit, discordes nec tota quidem domus. Philostratus.

METRODORVS Sceptius à Mithridate rege legatus ad Tigranem missus, à rege desciuit. Tigranes verò inuitum eum ad regẽ remisit, qui seu regis opera, seu morbo in itinere excessit. Strabo apud Volat. lib. 17.

ARISTION quidam erat Atheniẽsis, quem consueuerat Mithridates ad Græcas ciuitates legatum mittere. Hic cum Atheniensibus egit, vt in amicitia Romanis Mithridatem prę ferrent: nemini tamẽ id præterquã de plebe seditiosissimo cuique persuasit. Pausanias in Atticis.

PROCVLVS & VELESVS legati ad Numam Pompilium, vt regnũ Romanum susciperet, Romulo iam sublato missi sunt: quorũ primus Romuli, secundus Tatij partibus fauebat: vt habes apud Plutar. in vita Numæ Pompilij.

T. Q. FLAMINIVS legatus ad Prusiam, vt Hannibalem peteret, missus, causa fuit, vt ad Antiochum ille fugeret. Plut. in eius vita.

M. POPILIVS Lænas, legatus ad Antiochum Epiphanem, qui Ptolemæum regem amicum pop. Rom. obsederat, missus nunciatum, vt à sociis pop. Rom. abstineret: cunctantem, responsúmque differentem, virga circumsepsit,

circũsepsit, ne vltra spacium illud differendo exiret. Ex quo territus Antiochus, bellum omisit. Liuius 45. Valer. Max. Plinius tamen C. Octauium pro Popilio ponit, manifesto errore.

C. FABRICIVS ad Pyrrhum legatus missus de redimendis captiuis, vt patriam desereret, magnis pollicitationibus ab eo frustra inuitatus est. Liuius lib 14.

CL. MARCELLVS vnus è trib. legatis missus ad Masinissam in Africam, vt ait Liuius lib. 50. periit naufragio, paulò ante cœptum bellũ Punicum tertium. Volat. lib. 17.

Quum tres essent designati, qui LEGATI proficiscerentur in Bithyniam, quorum vnus podagra teneretur, alter caput haberet vulneribus confossum, tertius væcordia laborare videretur: Cato ridens dixit, Populi Romani legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor. Brusonius.

CORNELIVS Centurio legatus in creatione consulis Octauij imperatoris, ensis capulum in curia ostendens, ait: Hic faciet, si vos non feceritis. Volat. lib. 23.

M. ÆMYLIVS Scaurus orator insignis, legatus ad Iugurtham, vt eũ ab oppugnatione Cyrthæ & à seditione Adherbalis amoueret, missus est. Salustius in Iugurtha.

Q. CICERO frater, legatus Cæsaris in Gallia, 14 legationibus prę fuit. Volat. lib. 20.

FORTVNATVS libertus Agrippæ regis Iudęorum, legatus apud Caligulam. Vide tit. Dominandi libido.

GEMINIVS, cum in Asiam missus esset ad Antonium triumuirum (qui Cleopatræ amoribus victus tum regebatur) vt daret operam, quo cum Octauiano redintegrari communis amicitia posset, atque in mutuã concordiam rediretur: vocatus ab Antonio in conuiuium, atque præsente Cleopatra mandata exponere iussus, nulla aut ipsius amplitudinis, aut Cleopatræ præsentis ratione habita: Quæ tibi, inquit, Antoni, dicere iussussum, cum sobrio, & alio loco, quàm vbi nunc sumus, tractanda sunt. Sed vtcunque, rem vnam vel ebrius dicere mihi posse videor: scilicet res tuas omnes bene successuras, si Cleopatram in Ægyptum dimiseris. Liberè notans & Antonij ebrietatem, & eius in Cleopatram immodicum amorem. Plut. in vita Antonij.

Apud ALEXANDRIAM cùm seditio fuisset exorta inter Iudæos & Græcos, terni ab vtrisque legati partibus mittũtur ad Caium imperatorem. Pro parte Græcorum erat quidam Appion grammaticus: Philo verò Iudæus Alexandrinus, legationi præerat Iudæorum: vt est apud Iosephũ libr. 28.

AGAPETVS Romanus, Iustino imperante, missus à Theodato rege Gothorum, ad Iustinianum legatus, de excusanda morte Amalasuntæ, cuius author fuerat, conciliato imperatore, ab eodem de Eutychiana sedatentatus, constantissimè renuendo effecit, vt Imperator ipse ad sanitatem rediret. Volat. lib. 22. Anthrop.

EPIPHANIVS Ticinensis episcopus sanctissimus, varias legationes pro Theodorico Gothorum rege & aliis obiit, sempérque rebus ex sententia confectis rediit. Euodius in eius vita.

LATINVS Romanus è familia Fraiapanum, episcopus Ostiensis, profectus in Hetruriam legatus, pacem inter Guelfos & Gibelinos composuit. Volat. lib. 21. Anthrop.

HENRICVS Dandulus Venetorum legatus, eo quòd paulò liberius quædam locutus esset, contra ius gentium ab Emanuele Constant. imperatore oculis orbatus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

Vix tantum gloriæ septem consulatus C. Mario attulisse crediderim, quantum DOMINICO Triuisano D. Marci procuratori Memphica vna legatio. Tempore enim illo quo Venetæ res vndique afflictarentur (ne id etiam deesset mali) Veneti mercatores ab Alexandrinis pessimè tractabantur. Id quod Senatus ægrè ferens, Petrum Balbum, quem paulò antè rei maritimæ Imperatorem dixerat, ad Laseraphum Sultanum legatum decernit. A quo non suscepta legatione (quod quidem tunc vni sibi licebat) Triuisanus ipse rei Venetæ procurandę præficitur. Quem quũ ad se aduentantem audisset Sultanus, princeps alioqui ea tempestate lõgè potentissimus, tanti viri publica fama excitus, statim cum ingẽti principum virorum manu illi occurrit: móxque magnificentissimo regióque apparatu exceptum, penes se in summa amicitia per aliquot menses habuit. Sed Triuisanus renouato ex Reipublicæ dignitate fœdere, rebúsque omnibus compositis, regiis etiam literis commendatus, summa sua cum gloria domum rediit. Egnat. lib. 8. cap 16.

FRANCISCVS Dandulus Venetus orator missus in Galliam ad Clementem pontificem max. vt eum infestiorem Veneto nomini propter Ferrariam receptam placaret, quum multa & varia secum agitasset consilia, neque à Pont. ipso iratiore quicquam impetraret, inusitati facinoris obeundi (quod quidem neque antea, neque in hanc ipsam ætatem auditum sit) consilium iniit. Nam quo tempore Clemẽs ipse cœnitaret, quadrupes effectus, catenáque ferrea collo pressus, ad pontificis pedes canis in morem sese substrauit. Quo nouo spectaculo Pontifex ipse attonitus, illum in gratiam recepit, Venetóque nomini iniuriam dimisit, vt postea respublica Veneta gratissima & iucundissima illi fuerit, cui mortaliũ omnium congressum consuetudinémque interdixerat. Egnat. lib. 6. cap. 2.

BESSARION cardinalis Nicenus, initio Xysti põtificatus, dum sponte legatus in Galliam ad componendam Ludouici regis & Caroli Burgundi pacem, tanquam extremum Deo munus oblaturus, proficiscitur, alteri suspectus parti, rebus infectis reuersus est: & in itinere Rauennæ labore fessus, animíque dolore pessundatus, moritur. Volat. lib. 21. Anthr.

DANTES Florentinus, poeta in sua lingua insignis, cùm Veneti Guidoni Potentano bellum inferrent, apud quem in ocio vixerat, pulsus à suis in exilium missus legatus de pace, minimè à Venetis acceptus est, nec auditus. Ibidem.

LEGATI CONSVLIBVS ADDITI LOCO CONSVLTORVM.

Apud ROMANOS vnusquisque cõsulum, suum habebat legatum, quo præcipuo consultore ac ministro consiliorum in rebus gerendis, delectúq; habendo, totáque administranda prouincia vtebatur. Alex. ab Alex. lib. 6. ca. 3. vbi multa de legatorum munere & officio doctissimè disserit.

A. GABINIVS legatus, rebus aduersus Lucanos prosperè gestis, multis oppidis ęxpugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Liuius libro 76.

Q. FAB. Maximus, Quinto filio consuli legatus aduersus Samnites, ad Suessulam obuiam prodiit. Alex. lib. 6. cap 3.

T. Q. Flaminius legatus in Græciam cum Mannio Accilio Cons. contra Antiochum & Ætolos, ad confirmandas in fide Romanorum socias ciuitates missus est. Plut. in eius vita.

Q. FVLVIO Consuli graui vulnere affecto, cùm exercitui & castris præesse nequiret, aduersus Hãnibalem, ex patrum decreto TRES legati additi fuêre. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

M. CLAVDIVS L. Cornelij consulis aduersus Boios pugnantis legatus fuit: qui cum literas de negligentia consulis Romam scripsisset, effecit vt triumphus Cornelio denegaretur. Ibidem.

P. SCIPIO Africanus, L. Scipioni fratri aduersus Antiochum fuit legatus: cuius autoritate factum est, vt victo Antiocho, de Antiocho & omni Asia Africanus triumpharet. Ibid.

C. LÆLIVS legatus in Hispaniam Africano profectus, in expugnatione Carthaginis nouæ præpositus classi fuit, vt Liuius testatur. Idem missus à Scipione ad Syphacem legatus pro amicitia, tribunos peritissimos rei militaris specie seruorum secum duxit, explorandæ regionis gratia, vt ait Frontinus, in qua legatione Syphacem populo Romano amicum reddidit. Volat. lib. 16. Vrban. Com.

FL. FIMBRIA ciuis sæuissimus, satelles Cinnæ, Valerio Flacco consuli legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu ducem interficiendum curauit. Volat. lib. 16. Anthr.

CN. POMPEIVS bello Piratico, contra tot prædones & communes hostes omni genere rapinarum grassantes, cùm solus superesse nequiret, quinque & viginti legatos accepit, tametsi aliquando solus ipse legati munus obiret. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

C. MARIVS, Metelli consulis fuit legatus, qui triumphauit de Iugurtha. Ibidem.

SERGIVS GALBA, Galbæ oratoris nepos, C. Iulij Cæsaris in Gallia legatus fuit, cui tamen infensissimus erat. Volat. lib. 16. Anthr.

LABIENVS, Cæsaris in Gallia legatus, magnas sub eo res gesserat. Demum bello ciuili transfugit ad Pompeium, cui Cæsar eius bona quæ habebat, in potestatem remisit. vnde Lucanus:

-Dux fortis in armis,
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis, &c.

Volaterran. libro 16. Vrban. Com.

C. CÆSARI imperatori (cuius in re militari præcipua virtus fuit) dum contra efferas gentes bellum parat, decem legatos consilij socios decreuit Senatus, quibus adiutoribus & ministris magnas res gessisse fertur. Alex. ab Alex. lib 6. cap. 3.

PERENNIVS legatus cum Commodo ad exercitum in Britanniam missus, seditiones multas compressit. Volat. lib. 23. Anthrop.

LEGATI AD REMPVB. GERENDAM, AVT BELLA CONFICIENDA,

loco Consulum aut Principum foras missi, domíue relicti. Hodie VICEREGES *&* VICEDVCES *vocant.*

AVR. SCAVRVS legatus à Cymbris fuso exercitu captus est: & cùm ad consilium ab his euocatus, eos deterreret, ne Alpes transirent, Italiã petituri, eóque diceret Romanos vinci minimè posse, à Belo rege feroci iuuene occisus est. Liuius lib. 67.

VENTIDIVS Marci Antonij fuit legatus, qui de Parthis nouo exemplo, solus & sine consule triumphauit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

LONGINVS Traiani Cæsaris legatus fuit, qui in colloquio circumuentus, captus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

MARTIVS Turbo, legatus Traiani imperatoris, per quem Actiũ Lupum fugauerat præfectum, eíque prouinciæ L. Quietum præfecerat. Ibidem.

ÆGIDIVS Carilla ab Innocentio VI. pont. max. legatus ad res Italiæ componendas missus est. Hic enim Hispanus è gente Carilla, in rebus

agendis longè prudẽtissimus, statum Ecclesiæ eo tempore variis tumultibus exagitatum, absente pontifice pacauit. Iterum ab Vrbano Sexto in Italiam missus, Barnabam Vicecomitem, statum pontificis turbantẽ, compressit. Præterea quoque ab Vrbano v. Lemouicense legatus in Italiam mittitur. Volat. lib. 22. Anthrop.

IVLIANVS Cæsarianus, legatus cum Vladislao Pannoniæ rege aduersus Turcas ab Eugenio quarto pontif. maximo missus, & cæsus est. Ibidem.

Ioannes Neapolitanus pont. max. huius nominis XXIII. Baltassar Cossa vocatus, vir potius militari quàm sacræ idoneus disciplinæ, legatus diu Bononiæ fuit. Tandem autem cùm in Constantiense concilium se contulisset, conuictus aufugit, & captus est. Ibidem.

IOANNES Eduardi filius (ex præclarissima Columnẽsium familia, ex qua C C. viri præclarissimi omnium claruerunt) cardinalis S. Praxedis, legatus in expeditione Hierosolymitana fuit, Anno M. C C XX. martyrium ferè passus. Nam inter duos postes à barbaris hostibus inclusus, iamiam secandus erat: nisi illos diuina prouidentia, eius constantia fidéque permotos, flexisset. Ibidem.

IOANNES Cornetanus, quem Vitellicum nominabant, patriarcha Alexandrinus, ex humili loco in senatum adscitus, duci propior quã sacerdoti, absente Põtifice legatus, tumultum Romæ compressit: statumque reliquum, ac terras rebelles pacauit, de sontibus sumendo supplicium. Ibidem.

A SECRETIS.

PREXASPES Persarum satrapa, Cambysi regi à secretis, cuius opera Smerdes frater Cambysis interfectus fuit. Cuius postea filium Cambyses sagitta interfecit, ægrè ferens se ab eo ebrietatis causa reprehensum fuisse. Herod. lib. 3.

PRÆFECTI ANNONÆ.

IOSEPHVS Iacobi F. à Pharaone rege vniuersæ Ægypto præfectus fuit vt annonæ magister esset. Vide Genes. librum.

PRÆCONES.

TALTHYBIVS fuit Agamemnonis præco. Herodot. & Homerus.

ÆTHALIS siue ÆTHALIDES, propter eloquentiam Mercurij filius creditus, telis claruit: & fuit præco, cui quandoque inter viuos, quandoquè inter mortuos esse concessum est. Valer. Flaccus lib. 1.

ARCHIAS præco fuit, qui tres Olympiadas vicit, & statuam meruit.

NERO Romanorum imperator, cùm in omnibus vrbibus certaret, in quibus fiebant certamina, quotiescunque præconio opus erat, CLVBIO Rufo viro consulari vsus est. Xiphilinus in Nerone.

MAGISTRATVVM ELECTIO.

Vide tit. Præmia Iustitiæ, Magistratus & imperia. item, Præmia virtutis bellicæ magistratus.

Præceperat Dominus MOYSI, vt tolleret duodecim virgas iuxta numerum tribuum filiorum Israel, & nomen Aaron erat in tribu Leui, quas cum posuisset in tabernaculo, sequenti die inuenit uirgam Aaron germinasse. Num. 17.

IN MEROE nemo summum gerebat imperium, nisi qui prævalido corpore cæteris antestaret. Alex. lib. 4. cap. 23.

GORDII regem obœsum & præpinguem esse voluerunt, vt ex corporis mole animi indolem cæteri iudicarent. Ibid.

Apud MEDOS, nisi qui viribus excelleret, præcipuóque robore cæteris emineret, iure gentis nemo rex eligitur. Ibid.

In LIBYA qui citatissimo cursu valeret, pro rege habebatur. Ibidem.

Apud CATHEOS Indicam gentem, qui insigni corporis formâ cæteris anteiret, in regem eligebatur. Ibidem.

ÆTHIOPES, si quando regiæ stirpis vir deesset, aliquem maximarum virtutum, quique opibus & robore præcelleret, regem eligebant. Ibidem.

SYDONII neminem, nisi de regia stirpe & familia natus esset, ad regnum admiserunt. Ibidem.

Apud SABÆOS post constitutum regem, primus ex nobilioribus iure gentis ad successionem regni aspirat: cui hoc proprium est, vt extra septa prodire non audeat, quo plus venerationis inesset. Ibidem.

Cretenses non tantùm peregrinos humaniter hospitio excipiunt, sed in conuiuiis etiam principibus longè anteponunt, & ad magistratus gerendos sæpenumero uocant. Heraclides de Politiis.

TAPROBANES insulæ incolæ, Herculem colunt. Populus regem eligit, senecta clementiáque venerandum, & liberos non habentem. Et si postea gignat, abdicant, ne fiat hæreditarium regnum. Rectores ei dant XXX. Nec nisi multorum sententia quisquam damnatur capite. Appellatio est ad populum. Rex si deliquit, morte multatur, nullo interimente, sed auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus. Rauis.

Iidem eos qui liberos haberent, nequaquam in reges eligebant, ne regnum hæreditario iure sibi vendicaret. Alexand. lib. 3. cap. 5.

Apud PERSAS rex fit nemo, nisi magorum disciplinis imbutus esset. Apud eosdem nefas etiam illegitimum tenere regnum, si legitimus superueniret. Regia autem dignitas non nisi morte mutabatur. Ibidem.

PERSARVM & Lydorum reges, antequam sceptra inirent, sacris initiari oportebat. Qui modus erat, vt vestem, quã gestauit Cyrus, primùm indurent, mox terebinthum & caricas gustarent, poculúmque lactis ebiberent. Alex. ab Alexand lib. 1. cap. 28.

ATHENIENSES non solùm idoneis ciuibus gerendam rempub. & militiam administrandam commiserunt, sed sæpe etiam peregrinos ciuibus antetulerunt, eósque reipub. gubernationi præfecerunt: siquidem eos bonos honestósque viros cognouissent, & ad hæc munera subeunda accommodatos. Itaque APOLLODORVM Cizycenum sæpissimè belli ducem creârunt Athenienses, quãuis esset peregrinus. Item Heraclidem Clazomenium. Cùm enim se dignos laude præstitissent, non iudicati sunt indigni, qui Athenienssũ imperium tractarent. Ælian. lib. 14. de Var. hist.

REGII iudices Persarum ex populo deliguntur: sũtque perpetui, nisi delicti alicuius rei fuerint. Hi ius dicunt, & legum sunt interpretes. Herod. lib. 3.

ipsum ab immortali Deo ad regnum esse vocatum arbitrati. Fulg. libr. 1. cap. 1. ex Haitonis Armeni cap. 16. de Tartaris.

Nouus ritus is videtur, quo principes Austriæ vti solent, cùm primò possessionem ineunt Carinthiorum ducatus (illis enim Carinthij parent) neque tamen hoc ab re fieri videtur. Nam haud longè ab illo oppido, quod sancti Viti dicitur, in conualle, vbi adhuc reliquiæ conspiciuntur ingentis vrbis, cuius nomen de viuentium memoria excidit, magnum lapidem, qui illic est erectus, quo die Austriæ princeps ad ineundam ducatus possessionem venturus est, Rusticus forte in ea gente delectus cõscendit: mediúsque inter macilentos bouem atque equam magna rusticorum manu septus consistit. Invallem autem descẽdit Austriæ princeps, rusticana amictus veste, quem permulti eius regionis principes armati cum signis adeunt, inter quos Goritiæ comes primarium obtinet locum. Rusticus à longe venientem principem conspicatus, ceu admiratione captus, Lybumica lingua (qua illi vtuntur) astantes alios rusticos rogat: Quis sit is qui tam superbo incessũ atque apparatu ad se veniat? illi aiunt regionis ipsius principem esse. Iterum rusticus petit: An is æquus sit iudex? communem patriæ salutem curæ habeat? liber an seruus fidei honore dignus, & si ritè Christianus? Quæ omnia cùm astantes affirmarint, iterum rogat, Quo iure is à lapide se velit abigere. Ad hoc tunc Goritiæ comes iam factus vicinior, respondet: Abigere te vult, datis seraginta aureis numis, hísque animalibus quæ circum te sunt, te cum familia tua onerum immunitate donato, vltra principales vestes quas deposuit. His auditis, rusticus leniter percussa principis maxilla monet, vt iustus esse velit: acceptísque animalibus quæ iuxtà extant, domum reuertitur. Princeps autem saltu in lapidem se recipit, stríctum vibrat ensem, atque omnibus qui petierint iustitiam se ministraturum pollicetur: & descendens inde templum ingreditur, principalésque vestes atque officium resumit. Postea peracto conuiuio, in pratis tribunal ad audiendos populos conscendit. Fulg. Æn. Syl. de Europa.

Hodie in GALLIA, dum regnum ineunt reges, veste amiciuntur in veterem Germanicum morem formata, quam in hunc vsum religiosè seruant. Sicuti in PANNONIA diadema, quod sancti Stephani, quondã eorum regis, fuisse arbitrantur. alio enim creatum regem insignire nefas putant. Id declaratum fuit in Vladislao, qui etiam Poloniæ regnum habuit. Nam cùm hoc diadema penes Fridericum tertium esset, diu coronationem distulit. Id quod sex annos etiam egit Matthias Coruinus. Adeò penes multos antiquarũ consuetudinũ religio valet. Fulg. li. 2. ca. 1.

GONDEBALDVS Burgundiorum rex, cùm relicta gentilium superstitione, verum Dei cultum recíperet, ac à Remigio Remensi pontifice ex aqua lustraretur: oleo quoque, quod à columba cœlitùs allatum fuit, vt rumor est, vngitur. Ex eóque mos durat, vt Francorum reges, quum diadema atque honoris insignia accipiunt, eo tingantur. teste Michaele Ritio lib. 1. de Regib. Francorum.

MAGISTRATVS ACQVIRERE VEL DOLO VEL ui aperta.

Consule tit. Æstus in tyrannide occupanda.

MAGISTRATVM, REGNVM, IMPERIVM, VEL DOLO, *vel aperta vi tueri & conseruare.* QVI LONGO TEMPORE MAGISTRATVS GESSERVNT.

Vide tit. Regum variorum, vbi annos Imperij cuiusque annotauimus:

Cõtigit THEODORICO Gothorum regi non vulgaris felicitas: fuerunt chi Christiani nominis, etsi Arriana labe infecti. Is Italiæ imperio potitus, vix tam feliciter est terram ipsam adeptus, quàm pacatè postea annos LX. & amplius possedit. Sab. lib. 7 cap. 7 Eum Zeno Isauricus Imperator ita dilexit, vt statuam ei erexerit. Volat. lib. 23. Anthrop.

MAGISTRATVS BREVES.

Cicero, cùm CANINIVM consulem in postremo anni die à Cæsare factum videret, qui tamen postero die consulatum pro more alteri traderе cogebatur, iocosè de breui eius magistratu iudicans: Consulem, inquit, habuimus vigilantissimum & fortissimum, qui in toto suo consulatu somnum non vidit. Xiphil. Dionis Nicæi abbreuiator, in Cæsare.

CANNIVS Reuilius, cùm paruo tempore consul fuisset, sex videlicet meridianis horis, hunc in modum audiuit: Consulem habuimus tã fouerum, támque censorium, vt in eius magistratu nemo prandens sit, nemo cœnauerit, nemo dormierit. Eras. lib. 4 Apoph. Cuspinianus in consulibus.

Cicero in VATINIVM, qui paucis diebus consul fuit, ita iocatus est: Vatinij anno magnum ostentum fuit, quòd eo consule nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuisset. nam his totus annus distinguitur. Macrob. lib. 2. cap. 2. Satur.

IDEM cum morbo laboraret, & eo nomine in Ciceronem inueheretur, quòd ægrotantem non accessisset: Volebam, inquit Cicero, in tuo venire consulatu, sed me nox occupauit. Ibidem.

Idem Cicero, ad Hunc consulem congratulandi ac associandi gratia pluribus euntibus: Maturemus, inquit, vt hominem ante tui consulatus exitum præueniamus. Plut. Talis fuit autem sub Galieno imperatore post ea Marius tyrãnus, vt scribit Trebellius Pollio, qui vna die factus est imperator, altera visus est imperare, tertia interemptus est.

M. Votacillus Pitholaus in C. SERVILIVM, qui vno tantùm die cõsul fuit, ita lusit, Antè flamines, nunc consules diales fiunt. Abusus est voce, Diales: quasi à die deducta sit, ac non magis à Ioue, cui flamines instituebantur. Ibidem.

PATRIA POTESTAS ERGA LIBEROS.

ἀρχὴ πατρικὴ.

Vide tit. Seueritatis parentum erga liberos. Item tit. Pœna inobedientiæ liberorum.

Adeò veteres ROMANI, magni semper in liberos paternum ius fecere, vt regum temporibus, ex Romuli instituto, patri filios bis vendere permissum esset, nisi ei pater vxorem dedisset, aut vltro ducere volenti assensum præstitisset. Fulg. libro secundo, capite primo: & Sabellicus libro tertio, cap. 1.

POTESTAS INTER FRATRES IVS PRIMOGENITVRÆ. PRIMOGENITI.

Consule tit. Præmia bonorum fortunæ, vt primogenituræ.

Primogenitura olim omnis felicitatis cumulum in se habuit. Apparet in Esaõ & Iacobo, Isaaci filiis: quorum cùm ille ætatis prærogatiuam pro edulio lentium Iacobo vendidisset, & ius primogenituræ, & benedictionem paternam amisit. Genes. 25.

MARITI POTESTAS IN VXOREM.

ἀρχὴ γαμικὴ.

Vide tit. Perfidiæ coniugalis pœna.

DOMINORVM POTESTAS ERGA SERVOS.

ἀρχὴ δεσποτικὴ.

Consule tit. Pœna perfidiæ erga dominos. Item, Dominorum erga seruos crudelitatem præcauere.

SERVILIA IMPERIA SERVORVM ERGA SERVOS:

vtpote CVRATORES *rei domesticæ.*

Patizithes magus,curator rei domesticę Cambysis regis.Vide tit. Perfidiæ erga principes.

LIBERTATIS VARIÆ SPECIES.

POPVLI GENTESQVE LIBRÆ, ET LIBERTA-*tis studiosæ.*

Pellenenses ab Troia nauigantes,ad Phlægram appulerunt. Captiuæ Troades cum Græci in terram descendissent, non ferentes captiuitatem,naues incenderunt.Erat inter captiuas etiam Enthria , Priami sorор.Græci nauigiorum inopia coacti,terram Sicyoniam occuparunt , & extructa ciuitate regionem pro Phlægra Pallenen appellarunt.Polyænus lib.7.

Indathyrsvs Scytharum rex , cùm Darius rex Persarum ab eo peteret , vt sibi tanquam domino terram & aquam muneris loco offerret,rescripsit:solos sibi heros,Iouem progenitorem,& Scytharum regiũ solium esse.Scythæ seruitutis nomen indignati,collatis viribus Dario ita restitêre,vt nisi fuga per Istrum elapsus fuisset , vitam cum exercitu amisisset.Herod.lib.4.

Amazones captiuæ Græcos in mari trucidant. Vide tit. A captiuis trucidati.

Quum Philippus in agros Lacedæmoniorum duxisset exercitum, résq; in eo esset statu,vt probabile esset eos ad vnũ omnes interituros,rex dixit cuidam Spartiatę:Quid nunc facietis Lacedæmonii? At ille:Quid, inquit,aliud,nisi quòd fortiter moriemur ? quando nos soli Græcorum liberi esse,non aliis parêre didicimus . Nemo seruire cogitur , qui mori paratus est.Quàm dulce bonũ est libertas quæ morte emitur? quàm misera res seruitus,cui mors anteponitur ? Quid igitur mentis dicimus his esse,qui se sponte dedunt in eam seruitutem,vnde nec dato peculio possunt redimi,nec gratuita manumissione liberari?Plut.in Lacon.

Athenienses quandiu tyrannis subiecti fuerunt,nullis finitimorum in bello pręstantiores erant:liberati verò tyrannis, multo omnium primi extitêre.Vnde liquet,eos dum tyrannis parebant,de industria peccasse,tanquam domino laborãtes:at libertate parta,sibi ipsi quisque rem gerere properabant.Herod.lib.5.

Esseni populi occidentalis Iudææ, tanta sunt libertatis auiditate, vt principem vnum solúmque fateantur Deum.Rauis.

Cantabricæ mulieres,ne in hostium manus venirẽt,filios prius, deinde seipsos occidisse leguntur.Rauis.

Antoninus Caracalla,Romanorũ imperator, cum Cennis gente Celtica bellum post captum Osroenorum regem gerens,cùm victoria potitus esset,vxores Celticæ captæ,& à Romanis interrogatæ,vtrum vendi, an occidi mallent?Mori se malle,responderunt. Quæ cùm postea essent venditæ,ob amissæ libertatis dolorem , ac seruitutis iugum impositum, sibiipsis mortem consciuerunt,occisis prius filiis,ne & ii seruire cogerẽtur.Dion Nicæus,& Xiphilinus in Antonino.

LIBERTATIS STVDIVM IN PRIVATIS.

Consule tit. Fortitudinis,quatenus mortem oppetere,quàm hostibus se dedere,maluerunt.Item tit.Tyrannicidarum,& odij tyrannorum.

Cùm interfectis Magis septem Persarum proceres de statu Reipub. consultarent , & Darij sententiæ de rege eligendo quatuor alij assensissent.Otanes,qui Democratiam suaserat (vti Megabyzus oligarchiã) libertatis studio ius suum regni renunciauit, ita vt nec ipse aliis , nec alij ipsi imperarent.Herod.lib 3.

Craterus Alexãdri Magni pręfectus,homo prędiues,inuitarat Diogenem, vt ad se commigraret,cui respondit:Malo Athenis salem lingere, quàm apud Craterum opipara frui mensa:sentiens, libertatem quamuis inopem,omnibus diuitum deliciis præferendam , vbi minuitur libertas. Laert.lib.6.cap.2.

Idem prædicantibus beatum Callisthenem philosophum,quòd apud Alexandrũ apparatu splendido exciperetur:Imò,inquit,infelix est,quòd illi prandendum cœnandúmque sit , quum Alexandro visum fuerit. sentiens,nihil esse beatum,si absit libertas.Hic est Callisthenes , Aristotelis discipulus,quem Alexander tandem coniecit in carcerem , vbi & periit. Quidam pro Callisthene supponunt ipsum Aristotelem , cuius felicitatẽ prædicantibus,quòd cum regis filio viueret:Aristoteles,inquit,prandet, quum vult Alexander:Diogenes,quum vult Diogenes.Laert.libro sexto, cap.2.

Simonem Atheniensem Pericles ad se inuitauit, pollicens sese omnia necessaria præbiturum.At Simon negauit se venditurum libertatem. Delectauit hunc imago muris syluestris,paruo viuentis:potius quàm domestici in summis deliciis, sed perpetua cũ solicitudine versantis. Laert. lib.2.cap.14.

Lacon quidam interrogatus,quid artis sciret?Liber,inquit, esse, Ea gens nec disciplinis philosophorum , nec opificiis exercebatur : tantum inuictis animis libertatem tuebatur , nec hominibus nec vitiis seruire docilis.Plutarch.in Lacon.

Buris & Spartis Lacedæmonij , sponte profecti sunt ad Xerxem regem Persarum,daturi pœnas,quas Lacedæmonij iuxta oraculum pendere debebant,eo quòd oratores Persarum occidissent.Quos cùm Xerxes vidisset,interficere noluit,sed apud se manere iussit.Cæterum quum regis dux instaret, rogans , dicerétque fore vt in pari honore haberentur cum his qui inter regis amicos primas tenebant,hunc in modum responderunt: Scimus quàm ingens bonum sit libertas,quam nemo sanus vel cum Persarum regno commutaret.Plut.in Lacon.& Bruson lib.3 cap 32.

Lacæna, quum in auctione præco rogaret illam,quid sciret? Liberа,inquit,esse,significans,sese captiuam quidem esse , cæterùm ad illiberalia iussa non parituram. Itaque quum emptor imperasset quædam non conuenientia liberæ:Plorabis, inquit, qui tibiipsi talem inuideris possessionem,móxque sibi necem consciuit.Plutarchus in Apophteg.Lacænarum.

Pver Spartanus captus ab Antigono rege , ac sub hasta venditus , in cæteris omnibus quæcunq; putabat ab ingenuo decẽter fieri posse, obsequens erat ei qui ipsum fuerat mercatus:cæterùm iussus adferre matulã, haud sustinuit,dicens Non seruiam.At quum instaret herus , puer conscenso tecto,dixit : Senties cuiusmodi mercatum feceris. móxque sese è sublimi præcipitem dedit, ac periit. Captiuus esse poterat , seruilia facere non poterat,ac semet in libertatem morte asseruit . Plutarchus in Laconicis.

Astycratidas, posteaquam Agis superatus est apud Megalopolin in prælio aduersus Antigonum,cuidam dicenti:Quid nunc facturi estis Lacedæmonij?Macedonibúsne seruituri? Quid tandem,inquit?num Antigonus vetare potest,quo minus in pugna pro patria mortem oppetamus?Plut.in Lacon.

Lacon quidam adhuc impubes captus,clamabat : Pugnans quidem captus sum , seruire tamen nolo .Verùm cùm Paulo pòst iuberetur seruili fungi ministerio,illusum parieti caput rupit. Seneca Epist.11. Plutarch. autem,se è tecto præcipitem dedisse ait.

LIBERTI. MANVMISSI.

Vide tit.suprà,Libertate donare,quatenus honoris species est.Consule etiam tit.Liberalitatis,de redimendis captiuis,& manumittendis seruis. Item,Dominorum amor erga seruos.

Apud Lacedæmonios qui serui mancipio eximuntur, fronde coronati incedunt,& templa circumeunt. Qui à tyrannis liberati erant, Ascripti uocabantur.Alexand.ab Alexand.lib.4.cap.10.

Apud Romanos libertatum triplices fuisse species legimus. Nam plerique manumissi,liberi simul & ciues Romani erant,quę maior libertas & ex vindicta appellatur.Alij testamento , vel in ęde sacra , aut ante Cõsulem,vt inquit Caius.Nonnulli censu fiebant liberi, quo genere manumissionis etiam ciuitatem Romanam assequebantur.Ibidem.

Antiqui moris fuit, vt qui ex seruitute in libertatem vocabantur , raso capite ad prætorem itarent ; apud quem bis térque caput percussus , vel per lictorem percuti iussus,virgula,quæ Vindicta dicta est,aut festuca in eum iacta,cùm eũ vertisset dominus,prætoris iussu seruitute eximeretur. Quiq; libertatem eo modo nactus fuerat, manumissus vindicta dicebatur. Quo genere manumissionis libertatem vnà & ciuitatem Romanam assequebatur.Ibidem.

Vespasianvs constitutione cauit , vt si serua mulier hac lege vęniret, ne prostitueretur : si contra legem venditionis prostituta foret,vt esset libera,prostituénsque ius patronatus non haberet. Alexand. lib.4 cap.22.

Apud Veteres, si quem vinculis relaxaret dominus,catenas à manibus pedibúsque,quibus vinctus fuerat seruus,interdum incidebant, ita vt vinculorum pars in corpore maneret. Quo argumento significabant,seruum minus iustè vinctum fuisse,neque iustam seruitutem seruisse,nullúmque ius patroni domino competiisse:illúmque pristinæ libertati,ac si nunquam vinctus fuisset,restitutum.Alex.lib.3.capite 20.

Feronia libertorum dea erat,in cuius templo tam serui quàm addicti ex compedibus & ergastulo libertorum munia accipiebant. Alex. ab Alex.lib.4.cap.10.

Phædrvs Eliensis,Socrati Platoníque familiaris ac dilectus, cuius nomini liber inscribitur περὶ τοῦ καλοῦ, seruus,& à leone domino puer forma præstanti ad merendum coactus,ab Alcibiade redemptus , philosophiæ se tradidit.Gellius libro secundo , capite 18. & Volater. libro 18. Anthrop.

Lacedæmonii cùm bellis attriti,non vltra mille ac quingentorum numerum explerent,paucitas Cleomenem ipsum compulit,vt seruos ad eum numerum libertate donaret, quo nouem milia conficerentur,atque sedem seueræ nimium gentis,cui nihil erat pensi pro libertate vitam effundere,seruis suis communicaret.Fulg.lib.7.cap.6.

Diogenes Cynicus seruus fuit.Quem cùm emere vellet Xeniades Corynthius,& quid artificij nosset percontaretur: Noui , inquit Diogenes,hominibus liberis imperare.Tunc Xeniades responsum miratus, eundem emit,& manumisit:eíque filios suos tradens,Accipe(dixit) liberos meos,quibus imperes.Gell.lib.2.cap 18.

Epictetvs philosophus patria Hieropolitanus , conditione seruus,peruenit vsque ad M.Antonini tempora, cuius dissertationes Aurelianus tribus voluminibus Græcè conscripsit.Volat.15. Anthrop. Testatur & Macrobius,qui eius refert distichon hunc in modum:

> Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
> καὶ πένοις ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτων.
> *Seruus Epitectus genitus sum,corpore claudus,*
> *Paupertate Irus:dijs at amicus eram.*

Alcman poeta lyricus,& amatorij carminis inuentor , seruus Agesidis fuisse scribitur,qui eum propter ingenij dotes amplissimas liberum fecit. Ælianus de Varia historia : & Volaterranus libro 13. capite tertio. Anthrop.

Volsinienses,quum seruos suos omnes manumisissent , ab eis postea oppressi sunt.

Servivs Tullus seruus,Rom.postea rex.Vide tit. Qui ex humili fortuna euecti,denuò deiecti sunt.

Vindicivs seruus coniurationem Tarquiniorum & filiorum Bruti detexit,donatúsque propterea libertate,ex sententia Valerij Publicolæ fuit,ex quo postea manumissioni vindictæ nomen mansit.Plut.

Avr.Opilius,Epicuri cuiusdam libertus,philosophiam primò,deinde Rhetoricam,nouissimè Grammaticam docuit.Eius elucubrationes enumerat Suetonius cap.5.de Illustr. grammat.

Servivs Nicanor,Marci libertus,primus ad famam,docendíque dignitatem peruenit:scripsitque præter commentarios,satyram quoque,vt testatur Suet.de Illust.Gram.cap.4.

Menippvs seruus fuit,cuius libros M. Varro in Satyris æmulatus est:quas alij Cynicas,ipse Menippeas appellat.Gel lib.2.cap.18.

Q.Cæcilivs Epirota,Tusculi natus, Attici Satrij equitis Romani libertus,primus dicitur Latinè ex tempore disputasse,primúsque Vergilium & alios poetas nouos prælegere cœpisse. Refertur inter illustres Grammaticos à Suetonio,cap.15.Volat.lib.14.cap.2. Anthrop.

C.Melissvs Spoletinus grammaticus,muneri datus Mecœnati,ac manumissus ab eo.Tranquillus de Illust.Gram.

Valerivs Cato,Burseni cuiusdam libertus,ex Gallia,insignis Grãmaticus,& poeticæ præceptor.Suet.de Illust.Gramm.cap.10.

Corn.Epicadus, L.Corn.Syllæ libertus, calatórque sacerdotio augurali,filio eius Fausto gratissimus fuit. Quare nunquam non vtriusque se libertum edidit.Librum,quem Sylla nouissimum de rebus suis imperfectum reliquerat,ipse suppleuit.Suet.cap.11.de Illust.Gram.

Voltacilivs Plotus,rhetor Latinus,Pompeij Magni libertus,ludum Romæ aperuit:vt author est Eusebius.

L.Taberivs Heros emptus de catasta,propter literarum studium manumissus ab Hero:docuit inter cæteros Brutum & Cassium.Quem tãta honestate præditum dicunt,vt temporibus Syllanis proscriptorum liberos gratis & sine mercede in disciplinam receperit.Tranquillus de Illust.Gramm.cap 12.Alij Hieram vocant.

Tyrannion iunior Amysenus,Estiæi Amyseni grammatici discipulus,à Lucullo è Phœnicia captiuus Romam ductus,à quodam Diamãte Cæsaris liberto emptus :deinde dono datus Terentiæ Ciceronis , ab eóque liber factus,ludum Romæ aperuit,teste Suida.Volat.lib. vigesimo Anthrop.

Verrivs Flaccus libertinus,docendi genere maximè claruit.Namque ad exercenda discentium ingenia,æquales inter se committere solebat,proposita non solùm materia quam scriberẽt,sed & præmio quod victor auferret.Quare ab Augusto quoque nepotibus eius præceptor electus est.Docuit deinde in atrio Catilinæ, vbi sestertia centena in annũ accepit.Suet.cap.16.

L.Crassitivs,genere Tarentinus,ordinis Libertini, cognomine Pasides,mox Pansam se cognominauit,versatos est circa Scenicam,dũ mimographos adiuuat.Deinde in Pergula docuit , donec commentario Smyrnæ edito inclaresceret.Idem cap.17.

Scribonivs Aphrodisęus,Orbilij seruus,propter insignem eruditionem,qua præditus erat,à Scribonia Libonis filia,quæ prius Augusti vxor fuerat,redemptus & manumissus est.Idem cap.18. Docuit quo Verrius tempore,cuius etiam libros de Orthographia rescripsit,non sine insectatione studiorum,eiúsque morum.

P. Terentivs Afer,Carthagine natus,libertus Romę Terentij Lucani fuit:cúmque esset egregia indole,à patrono eruditus est.Volat. libr. 20.Anthrop.

Lavreatvllivs Ciceronis libertus,doctus , cuius de balneis Epigramma legitur apud Plinium.

Tirotvllivs,M.Tullij Ciceronis libertus , tribus voluminibus eius vitam descripsit:teste Pædiano.

P. Catienus Philotimus seruus fuit,qui hæres omnibus bonis institutus,coniecit se in rogum patroni.autor Plin.lib.7.

Atteivs,Atteij Capitonis libertus,scripsit libros philologiæ , quẽ postea Tyrotullius,Plinius,Macrobius,Capella,Boetius,Latinorúmque alij sunt imitati:ex Græcis verò Athenæus,Pausanias,Ælianus,&c.Volat. lib.24 Anthrop.

Narcissvs Claudij Cæsaris fuit libertus,qui Messalinæ instinctu finxit se somniasse,Appium Syluanum(quem ob denegatum concubitũ Messalina persequebatur odio)Cæsaris interfectorem fore. Propter cuius figmentum Appius crudeliter ab imperatore occisus fertur. Xiphil. in Claudio.

Eiusdem liberti Pallas & Callistvs, qui ad maximas opes peruenerunt.Vide tit.Diuitum.

Ventidivs Bassus,mulos fricare & tergere solitus , vsque ad Consulatum euectus est.Vide tit.Ex infimo loco ad magistratus euecti.

Cleander bainlus,postea Commodi Cæsaris cubicularius. Vide tit.Ex infimo loco ad magistratus euecti.

Phaon,Neronis imperatoris libertus fuit fidissimus , cum quo desperatis omnibus rebus aufugit,& imperatori suasit vt in speluncæ harenas se conderet.Suet.in Nerone.

Anicetvs,autore Cornelio Tacito ,libertus fuit Neronis,& Mnester Agrippinæ.

Zozimvs libertus fuit Plinij oratoris.

Ventidivs Vitelliorum seu Aquiliorum seruus,cùm de opprimẽdis Cõsulibus coniurationem indicasset, primus libertate & ciuitate donatus est apud Rom.teste Liuio,apud Alex.ab Alex.lib.4.cap.10.

Amantivs spado,libertus Anastasij:qui domino extincto , ad eum qui præerat exercitui,cum magno auri pondere venit , vt Theocritianũ deligerent.Volat.lib.23.Anthrop.

CAPTI AB HOSTIBVS AVT MAGISTRATV, SED rursus liberati.

Vide tit.de Captiuis liberatis,sub loco Honoris,& liberalitatis.

Loth nepos Abrahæ,cùm captus esset,ab eodem liberatur celeriter. Genes.14.

Abdemelech Æthiops,cùm Hieremias propheta esset in lacũm leonum,in quo non erat aqua,sed lutum,curauit apud regem vt extraheretur.Hierem.38.

Apostoli Saluatoris nostri, posteaquam summa fide vineam Christi plantassent,à principibus sacerdotum captiui in custodiam publicam ducti,& ab angelo Domini per noctem recluso carcere liberati sunt. Actor.5.

Petrvs in carcerem ductus,catenis duabus, sedecimque militibus diligentissimè custoditus est.Ab angelo tamen Domini porta ferrea vltrò aperta,solutis vinculis eductus & liberatus est.Act.cap. 12.

Pavlvs apostolus & Silas,cùm essent in carcere laudantes Dominum,subitò terræmotus factus est magnus,ita vt mouerentur fundamenta carceris:& statim aperta sunt ostia omnia,& vniuersorum vincula soluta sunt.Actor.16.

Miltiades tyrannus Doloncorum, Crœsi regis opera liberatus. Vide tit.Amor regum vicinorum inter se.

Lacedæmonii redimi patiebantur hostiũ singulos binis minis. Herod.lib.6.

Tiberivs Gracchus,tribunus plebis, Scipionem cognomento Asiaticum,& superioris Africani fratrem , peculatus accusatum & damnatum,à duro carceris supplicio liberauit,quamuis hactenus Corneliorum gentis acerrimus inimicus fuisset.Plutar.in vita Gracchorum:& Plin. de Viris illust.item Alex.ab Alex.lib.1.cap.18.

M.Calphvrnivs tribunus militum,Lucium Attilium Collatinum consulem iniquo loco à Pœnis circumsessum sua virtute & opera trucidatis hostibus liberauit.Liuius libr.19.Volater.libro 13.capite tertio Anthrop.

Q.Minvtivs consul contra Volscos & Sabinos bellum gerens , ab eis in Algido obsessus,à L.Q.Cincinnato dictatore liberatus est. Quare à Minutio & ab eius exercitu corona obsidionali donatus est: vt ex

Liuio recitat Volat.ibidem.

QVIR. Culeo, senator Romanus, captus à Carthaginensibus, redemptus est ab Africano maiore, ac curtum eius cum pileo capiti impositio secutus. Liu li.10.de Secundo bello Punico.

Decebalus Dacorum rex à Traiano imperatore captus: cuius vestimẽta cùm sauciis militibus diuidisset, vt vulnera in clade accepta ligarent, dimisit iterum. Volat.lib.23 Anthrop.

ALEXIS Angelus à Turcis captus, & à fratre Isacio magni auri pondere liberatus est. Ibidem.

AVCTOR Metensis episcopus captiuus abductus est: sed Hunnis cæcitate percussis, cũ captiuis suæ vrbis liberatus est. Sigebertus in Chron.

CAROLVS Aurelianensium dux, ab Anglis, apud quos captiuus per annos XXV. fuerat, quater centenis aureorum milibus datis, postliminiò dimissus, ad sua demum remissus est. Ritius Neap. lib.3. Francorum regum.

IOANNES Francorum rex, Philippi Valesij regis frater, cùm patrum prosperè cum Ricardi Anglorum regis Edouardo filio manum conserit, accepta clade viuus in hostium potestatem venit, & cum eo circiter equites cẽtum septuaginta: cum quibus Burdegalam deductus, acceptis conditionibus, & promissa grandi pecunia, quarto pòst anno dimissus est. Ibidem.

ASYLA APERTA.

Qui asyla aperiunt, omnes quidem in eo conueniunt, quòd reis sese colligendi, suæque saluti consulendi securitatem præstare dicunt: differunt, quòd alii simulatè tantùm hoc agunt, non iusticiæ causa, vt afflictis & insontibus opem ferant, sed priuatæ vtilitatis gratia. Sic Romulus asylia aperuit, & seruis fugitiuis, hominibúsque facinorosis collectis, orbis dominæ Romæ fundamenta iecit. Itaque cùm exẽpla aliquot ad Iusticiam, quædam ad Calliditatem, quædam etiam ad Magnificẽtiam referri possint, sub loco Libertatis Asyla comprehendere voluimus: nec ea quæ generis sunt eiusdem, distrahere cogeremur. Est enim Asylum veluti carcer quidam Libertatis, cùm nec verè liberi, nec verè capti possint dici. Vorrò violatorum Asylorum exempla, sub iniusticia religiosa recitauimus.

A prognatis Herculis nonnulli asylum ATHENIS primò institutum arbitrantur, ad quod à patribus oppressis confugere fas erat, post quod in Rhetæo littore fuit Aiacis asylum, & in Sigæo Achillis. Alexand. lib.3.cap.20.

CADMVS dum Thebas conderet, primum asylum aperuisse fertur, ad quod fugiẽtes sine discrimine serui aut liberi ab omni pœna tuti erãt. Ibidem.

Athenien sibus Thesei sepulchrum id iuris habuit, vt serui ad id confugientes nexu soluerentur. Ibidem.

PALLADIS Chalcioeci templum velut asylum Lacedæmonij venerantur, in quo nocentes etiam capitis damnati incolumes fiunt. Ibidem.

EPHESI templum Dianę erat, quod eius iuris fuit, vt ad illud cõfugientes mancipio soluerentur. quod Alexander ad stadium produxit. Ibidem.

PAVSANIAS, cùm apud Spartanos in Chalcioecum Mineruæ templum tanquam ad asylum fugisset, obstruso aditu, fame necatus est. Ibidem.

In APHRODISIO & Papho Veneris, apud Stratonicenses & Triuiæ templa, Siculis Palysci ara, in Peloponneso Hermionæ fanum sacrũ Cereri & Proserpinæ, in Epheso Artemisium, Pergami ædes Æsculapij, in Græcia Calydoniæ Palladis templum, tantæ dignationis fuêre, vt capitalem fraudem ausi, aut pecunia iudicati, qui ad illa confugissent, noxa pecuniáque exoluerentur. Ibidem.

In THRACIA Dianæ templum inter Clitorium & Cyneam erat pro asylo, in quo vndequaque cõuolabant homines, vt ab hominum insidiis tuti essent. Ibidem.

In TENARO Neptuni fanum erat, ad quod Cleombrotus confugit. Ibidem.

Demetrius rex templum Hierosolymitanum asylum commune esse voluit. 1. Machab. 1.

CORCYRÆI trecenti pueri Sami ad aram Dianæ confugiunt. Ibi.

In CALAVRIA insula in Ægæo, Neptuni templum erat, ad quod Demosthenes cùm aufugisset, ab omni violẽta incursione Achaiæ mansit illæsus. Alex. lib.3.cap.2.

ROMVLVS, posteaquam Romam ædificasset, vt populosa ciuitas redderetur, Asylum patefecit, vt est apud Liuium lib.1.Dec.1. Ibidem.

Apud ROMANOS si quis nocens ad Flaminem accederet, illo die ab omni pœna criminis tutus erat: qui si vinculis nexus foret, eisdem solutus soluebatur. Alex. lib.6.cap.12.

APVD veteres, tametsi seruos profugos leges susciperi vetarent inuitis dominis, tamen qui bello capti ad imperatorum & regum statuas confugissent, velut ad asylum, nexu soluebantur & immunes erant. Alex. ab Alex. lib.3.cap.20.

CINNA in bello Ciuili, cùm per præconem edixisset, vt serui ad eũ confugientes velut ad asylum liberi forent, illósque ad pileum vocasset, magnas perditissimorum seruorum manus coegisse fertur. Ibidem.

DOLOPOLIM si seruus aufugisset, impunitatem petens, omni nexu soluebatur. Ibidem.

DIANÆ Leucophrienæ perfugium oppressis inuiolabile fuit. Ibidem.

In CONOPO ad Herculis templum serui confugientes, si initiati erant, opprimi aut vi cogi non poterant. Ibidem.

Apud MOLOSSOS, Samothraces, Crotoniates, & Messenios ad deorum aras confugisse pro asylo habitum est, velut Ithacensibus Iouis seruatoris ara. Ibidem.

Apud SCYTHAS, qui ad Riphæos confugissent, tãquam sacrosanctos, sui iuris & arbitrij erant. Ibidem.

In LIBYA oppidum fuisse legimus, ad quod si seruus lapidem importasset, asyli particeps, liber & sui potens erat. Ibid.

In ÆGYPTO, in Osiridis asylum iuxta Saym, si qui serui confugerẽt, ab omni seruitute liberabantur. Ibidem.

LEPIDVS & Antonius, cùm plus satis in eos qui Iulij mortis conscij fuerant sæuissent, & totam ferè vrbem interfectorum sanguine maculassent: Iulio demum Cæsari sepulchrum construxerunt in foro, vbi eius cadauer combustum fuerat, eóque qui ad ipsum confugerent, tutos & inuiolatos esse voluerunt. Xiphilinus. Dionis abbreuiator, in Augusto.

In ASPENDO Pamphiliæ pro asylo fuere Tiberij statuæ: ad quas qui se recepissent, impunitate delicti donabantur. Alexand. ab Alexand. lib.3 cap.20.

In Parthenio mõte PANOS delubrum erat, & locus nomine Aula omnibus animalibus velut asylum: quem leones & lupi, dum feras insectantur, adire non audent, sed protinus subsistunt, & feras relinquunt. Alex ab Alex. lib.4.cap.82.

In Dianæ Ætoliæ luco, in Venetis fabulantur, canes dum feras insequuntur, vbi ad lucum confugerint, ab insectatione quiescere. Ibidem.

Idem in montibus, quos Græci MÆNALOS vocant, Aristoteles prodit: ad quos vbi feræ à canibus impetuntur, tanquam in tutissimam arcem se recipiunt, ipsíque vltra præscriptum progredi non audent. Ibidem.

BONIFACIVS. v. Campanus, Heraclio imperatore, vir laudatissimus, instituit, vt ad templa confugientes salui essent. Volaterran. lib.22. Anthrop.

ALARICVS Gothorum rex, cùm Honorio imperante ingentibus copiis in Italiam venisset, atque ob Stiliconis perfidiam Romam expugnaret: antequam vrbis populationẽ permitteret, edixit, ne eorum corpora ignominia vel vulnere afficerent, bonáve diriperent, qui in Apostolorũ templa se recepissent. Fulgos. lib.1.cap.1.

CLODOARDVS, Clodomiris Francorum regis filius, cùm Theobaldum Clotariumque fratres per insidias à Theoderico Metensium rege trucidari, ob imperij successum videret: fuga adornata, cædéque elapsus, ad aram inspoliati fani, quod Asylum vocãt, peruenit, ibíque reliquum vitæ tempus summa sanctimonia vixit. Ritius lib.1.de Reg. Francorum.

SERVITVTIS VARIÆ SPECIES.

SERVITVS PVBLICA.

ATHENIENSIS populus seruiuit Macedoniæ regibus: CARTHAGO Romanis, pòst & Vuandalis. Ipsa mundi caput ROMA, pressis tãdem cervicibus, Gothorum iugum seruiliter traxit. Nõ multis antè annis CONSTANTINOPOLIS cum reliqua Græcia religandas manus Turcarum insolentiæ præbuit. Pontanus libro secundo, capite septimo, de Fortitudine.

Callicratides interrogatus, quod genus hominum essent IONES? Liberi, inquit, mallised serui boni, significans, illos nescire imperare, ac libertate vti, sed seruitutẽ equo animo ferre: videlicet referendos ad secundum hominum genus, iuxta distinctionem Hesiodi, qui per se quidem non sapiunt, sed parent rectè sapienti. Plut. in Lacon.

ÆGYPTII pòst mortem Sethonis Vulcani sacerdotis, à quo malè fuerant tractati, in libertatem sese asseruerũt. Quam cùm ferre non possent, duodecim sibi rursus reges elegerunt, in totidem partes tota Ægypto diuisa. Inter quos & Psammetichus fuit, qui postea rursus obtinuit. Herod. lib.2.

SAMII libertatem à Mæandrio oblatam accipere recusant. Vide tit. Pietatis erga patriam.

IONES

IONES Pontem in Istro custodiebant, ex iussu Darij. Scythæ eos spe libertatis pontem soluere volebant. Iones id polliciti, pontis partem soluerunt, vt extra teli iactum essent. Cæterùm cùm Darius fugiens ad Istrum peruenisset, pontem denuò iunxerunt. Sic Darius sibi consuluit. Eam ob causam Scythæ, Iones tanquam non liberos, sed pessimos & ignauissimos omnium hominum iudicant: déque eis tanquam de seruis loquentes, mancipia dominos amantia esse aiunt, & infectatione, dignissimos. Herod. libro quarto.

CAPPADOCES, cùm liberi essent, libertatem à Romanis deprecati sunt, asserentes illam se ferre non posse: sed sub regibus esse malle. Alex. ab Alex. lib.2.cap.27.

Polycrates Samiorum tyrannus, Lesbios opem Milesiis ferentes nauali prælio cæpit, & vt fossam Sami mœnia ambientem effoderent coegit. Herodotus libro tertio.

SERVI EMPTI AVT VENDITI.

Moris erat olim, vt pedes seruorum venalium creta notarentur. Vnde Iuuenalis Sat.1.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

THRACVM populus peculiare fuit, sale mancipia commutare. Hinc adagium, Sale emptum mancipium.

Seruis argento comparatis primum vsi sunt Chij.

Serui feruntur esse in Pannonia, ipsa seruitute seruiliores.

ELIEZER Abrahami seruus, Damascenus, hæres illius futurus erat, nisi Isaacum Abrahamo Dominus dedisset. Genes. 15.

IOSEPHVS à fratribus ob inuidiam Ismaelitis in Ægyptum venditus fuit. Genes. 37.

MELANTHIVS seruus fuit Vlyssis, quem Vlysses ipse reuersus ab expeditione Troiana interfecit.

SCITON seruus Democedis, Crotoniensis medici. Vide tit. Medicorum præmia.

MYS seruus fuit Pythagoræ, vel Epicuri, secundum Gellium.

POMPILIVS seruus fuit Theophrasti Peripatetici.

DAPHNIS fuit seruus, quem Cn. Pisaurensis vendidit M. Scauro trib. milibus, & 700. sesterriis.

PARONETEMVS seruus fuit, & spado, quem Sutorius Priscus magna pecunia vendidit Sciano.

ÆSOPVS philosophus Phryx genere conditione seruus, tempore Cresi Lydorum regis, cui suas fabulas dicauit. Volaterranus lib.13. cap.3. Anthropologiæ.

DIAGORAS Milesius, quem in poetarum numero inuenies, cùm seruus esset, ob physionomiam à Democrito mille drachmis emptus est. Emicuit Olymp.88. Suidas.

MANES Diogenis seruus, cùm heri sui seueritatem ferre non posset, ab eo aufugit. Verùm non longè pòst deprehensus, & Delphos perductus, à canibus laceratus est, fugæ pœnam hero persoluens. Ælianus li. decimotertio, de Varia historia.

MYCITHVS seruus fuit Anaxilai Messenij, Rhegynorum tyranni, qui moriens liberos suos eidem commendauit.

PERSEVS, Zenonis Stoici.

Ammianus ait, Eunum ergastularium fuisse seruum, qui in Sicilia duxerit captiuos.

EVPORVS seruus fuit C. Gracchi, qui dominum ex Auentino fugientem, qua potuit ratione tutatus est, ac super occisum animam scissis proprio vulnere visceribus effudit, inquit Macrobius.

HERMIAS, eunuchus seruus. Vide tit. Qui ex humili fortuna euecti, denuò deiecti sunt.

STATIVM Cæcilium comœdiographum seruum fuisse, nomen ipsum arguit. nam Statius erat nomen seruile. Gellius lib.4. cap.20.

PLOTIVS, Manlius, Antiochus, & Staberius Erotes, nomina sunt seruorum apud Plinium lib.35.cap.16.

CHILO seruus fuit Porcij Catonis.

PACHVS seruus Catonis Censorij, qui mortem sibi conscinit.

DEMETRIVS, seruus fuit Pompeij, autore Plutarcho in Catone Vticensi.

MENIPPVS item, cuius libros M. Varro in Satyris æmulatus est.

SERVÆ ET ANCILLÆ.

AGAR Ægyptia, ancilla fuit Abrahæ: à cuius nomine Agareni dicti sunt, qui & Saraceni, à Sara eiusdem Abrahę vxore nominantur, quã Sara vito suo cupiditate prolis subiecit. Genes. 16. & Ioseph. lib.1. Antiquit.

ZILPA Liæ coniuncta fuit ancilla, à patre Labane, cùm Iacobo matrimonio iungeretur. Sicut Bala Racheli sororiuxtaque Iacobo fuit supposita. Genes. 29. Vide tit. Fœcunditatis.

PLEVSA, fuit ancilla Dianæ, de qua Martial. lib.2.

Et cecidit sectis ictta Pleusa comis.

Apud eundem lib.7. Lagopice nomen est ancillæ.

ELOS ancilla fuit Athamantis, à cuius nomine dicta est vrbs Achaiæ, Elos.

TECMESSA, Aiacis Telamonij. Horat.

Mouit Aiacem Telamone natum,
Forma captiuæ dominum Tecmessæ:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta.

GALANTIS ponitur ab Ouid. ancilla Alcmenæ matris Herculis, lib. nono vbi ait:

Vna ministrarum media de plebe Galantis,
Flaua comas aderat, faciendis strenua iussis.

Plinius libro trigesimosexto, capite 27. facit OCRISIAM Tanaquilis reginæ ancillam.

CYBALE ancilla fuit pauperis cuiusdam Simili, cuius paupertatem Vergil. describit in Moreto.

Exuit interea Cybale quoque sedula panem.

GYGE ancilla fuit Parysatidis reginæ Persarum, & matris Cyri. Plutarchus.

THRESSA Thaletis fuit ancilla, quę Thaletem ipsum in foueam collapsum obiurgasse dicitur, quòd cœlestia scire cuperet: quum ne prospicere quidem potuisset, quæ ad pedes essent. Theodoricus Cyrenensis.

LARDANA apud Herodotum nomen est ancillæ, à qua fluxerunt Heraclidæ.

Herodotus in Euterpe scribit, Rhodopen Thraciam ancillam fuisse Iadmonis Samij.

TITVLA, seu Philotis, nomen est ancillæ Romanæ apud Plutarchũ in Camillo, & apud Macrobium lib.1. Saturnalium.

NEÆRA & Charmione, duæ fuerunt Cleopatræ ancillæ, quæ sponte naneam dominæ mortem secutæ sunt, ac suis gladiis se confoderunt. Plutarchus.

LATRIS ancilla fuit Cynthiæ Propertianæ, lib.4.

Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab vsu est.

CYPASSIS ancilla fuit Corynnæ. Ouid. lib.2. Eleg.

Comendis in mille modis perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi deas.

PROCONNESIA ancilla est apud Plinium, quæ eiusdem diei coitu alterum domino similem, alterum procuratori eius peperit.

CHIONIA, beatæ Anastasiæ fuit ancilla.

CYPRIÆ mulieres translatæ in Syriam, currum inscensuris regum vxoribus humeros subincurubãt, vt eis suppedanei loco gradum struerent, & scalarem præberent vsum. Cælius capite decimotertio libro vndecimo.

VERNÆ.

SPLACHNOPTES verna fuit, Pericli Athenien sium principi charus.

QVI VOLVNTARIAM SERVITVTEM SVBIERVNT.

Consule tit. Seruitutis publicæ.

FILII Israel in deserto penuriam patientes, dicebant se super ollas carnium in Ægypto sedere malle: sed non faciebant mentionem de grauissima seruitute, aut seueritate, qua vexabantur. Exod. 16.

Dicebat Populus in deserto: Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. cùm tamen tunc seruitute grauissima premerentur: nunc liberi in deserto pane angelorum, id est, cibo sapidissimo, sine labore dato, cœlitùs alerentur. Num. 11.

Narrantibus exploratoribus conditiones terræ promissionis, voluit Populus contra voluntatem Domini in Ægyptum redire, & nequaquam vltrà procedere. Citò verò pòst voluit contra voluntatem Domini nimium festinare. Num. 14.

PHRYGIBVS familiare fuisse legimus, proprios vẽdere filios in eximio ætatis flore, vt si in seruili specie multos labores perpessi essent, redempti ad omnia aptiores essent.

CRETENSES & Lacones ingenuos filios seruilia munia subire cogunt, vt seruitutis recordatione libertatem magis amarent.

INDORVM gentes nonnullæ pueris adolescentibus, etiam si magnę fortunæ, & amplis opibus forent, pro seruis vrebãtur: vt eam sortem experti, quantum decus libertatis foret, agnoscerent. Ibidem.

DIOGENES quum Xeniadæ seruiret, amici agebant de redimẽdo. At

ille: Nequaquam, inquit: an nescitis leones non iis seruire, à quibus alun-
tur? sed altores potius seruire leonibus? Nam leo vbicunq; est, semper
leo est. Laërt. lib. 6.

Nulla seruitus tam voluntaria fuit, quàm PAVLI Nolani antistitis, & ob id fortasse omnium maximè celebranda. posteaquam is omnia sua Vandalicis temporibus impendit, in Nolanis ciuibus ex Africa redimendis, seipsum (quando nil præterea reliquum erat) hostibus dedit, vt viduæ filium redimeret. Hic regij cultor horti, tam fideliter dextréque id obibat munus, vt merito esset omnibus charissimus. Cæterùm nihil æquè illi profuit ad gratiam promerendam, ac de eius sanctitate inter barbaros opinio, secutáq; diuinatio de futura rerum mutatione. Cui cùm euentus abundè respondisset, tantum apud nouum regem meruit, vt cum suis populis libertate donatus, magnáque frumenti copia, triumphanti similis Nolam remeauerit. Sab. lib. 8. cap. 2.

SERAPION quidam Ægyptius eremita, paruo se precio vendidit, vt seruus effectus, dominum suum ex vinculis idololatræ solueret, atque ad veram libertatem reduceret. Petrarch. lib. 2. Dial. 7. de Remed. fortunæ. Consule tit. Charitatis fraternæ.

PETRVS telonarius, seruum se Christi causa venalicium fecit. Vide tit. Humilitatis religiosæ.

LIPARITANVS quidã iuuenis, vt patrem à prædone liberaret, Neapolim profectus, voluntaria seruitute remis pro patre sese addixit. Pontanus lib. 2. cap. 4. de Obedientia.

FANTINVS Syracusanus Balzanio diuiti viro pro seruo se locauit. Vide tit. Orationis effectus.

QVI CARCERIBVS SE SPONTE OBTVLERVNT.

Consule titulum, Amicitiæ priuatorum.

LIBERI ET MANVMISSI DENVO IN SERVITVTEM *sua culpa redacti à magistratu.*

APud ATHENIENSES decretum erat, vt contumax & ingratus seruus libertate donatus, sub mancipio in posterum esset, eo quòd libertate vti nescisset. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. de Inst. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20

Apud ROMANOS si seruus ex clementia domini libertate donatus, dominum suum detulisset, domino in seruitutem restituebatur. Ibidem.

VESPASIANVS edicto statuit, vt liberta, quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. Alex. lib. 4. cap. 22.

IN CARCERES ET VINCVLA CONIECTI à magistratu.

Vide tit. In carceribus mortui.

IOSEPHVS innocens carceri includitur, quasi Putipharis vxorem cõstuprare voluisset. Genes. 39.

FILII Iacobi patriarchæ decem in ægyptum frumentandi causa profecti, à Iosepho præfecto Ægyptij, fratre ipsorum, in vincula coniiciuntur per triduum, tanquam exploratores. Liberãtur postea, relicto Simeone obside: & fide data, sese adducturos Beniaminen fratrem natu minimum. Genes. 42.

HIEREMIAS propheta à Sedechia rege, quòd mala vaticinatus esset, in carcerem coniectus est. Hierem. 38.

IOANNES Baptista, quòd Herodi dixisset, non licere ei habere vxorẽ fraris, ab eodem coniectus in carcerem, ibidem decollatus est. Matth. 14. Marc. 6.

S. LEODEGARIVS Augustodunensis episcopus, ab Ebronio captus, & cũ fratre suo Gerino grauiter afflictus est. Sigebert. in Chron.

EPAPHRAS episcopus Collossensium, fidus Christi minister, vt testatur Paulus ad Colossenses 1 & 4. simul cum eodem Paulo captiuus Romę seruatus est: velut ex epistola ad Philemonem colligitur.

BAP. PLATINA, patria Cremonensis, Apostolicis quondam abbreuiator, vir vndecunq; doctissimus, vt declarant eius lucubrationes, quæ de gestis Romanorum pontificum cum aliis extant, à Paulo pontifice secundo bonis omnibus & dignitate spoliatus: post equulei suspensionem, in carcerem crudelissimè detrusus est, vbi ad mortem vsque Pauli detentus fuit, à Sixto mox liberatus. Ioannes Tritemius Abbas, de scriptoribus Ecclesiasticis.

IOANNES ANTONIVS Marzanus, triginta quatuor annis in vinculis ab Alphonso Sicilię rege habitus, & deinde eius quoq; iussu à carnificè interemptus est. Ritius lib. 4 Regum Siciliæ.

AB HOSTIBVS CAPTI, VENDITI, AVT IN *carceres coniecti.*

Consule tit. Eorum qui carceres moderatè tulerunt.

MANASSES rex Iuda vinctus catenis, captiuus in Babylonem ductus est, quem deinceps Dominus reduxit in regnum suum. 2. Paralip. 33.

Miserandi casus fuerunt Malachiæ, qui etiam Ioachim dictus est, Hierosolymorum rex, cum opera Nabuchodonosor Chaldæorũ regis, deiecto à Iudaico regno Ioachim, qui Iechonias quoq; dictus fuit: ipse nepotis loco suffectus est, cum nominis in SEDECHIAM permutatione. Nã cùm vana spe inductus, præstaro pactum tributum negligeret, à Nabuchodonosor rege magnis viribus obsessus, dum euasurum se arbitratur, vndecimo quo regnare cœperat anno, cum vxore ac filiis captus, omnes antè filios interimi, patriã ac templum simul incendi cùm vidisset, erutis oculis Babylonem perductus, illic cũ coniuge, in carcere, inter homines lingua moribúsq; diuersos, diem suum obiit. Ful. lib. 6. cap. 11.

IONATHAS Machabæus, cùm fermè omnem dimisisset exercitum, cum mille comitibus quos retinuerat, captus est à Nicanore. 2. Mach. 12.

SAMII captiuos Athenienses noctuæ figura insita signabant, ATHENIENSES verò Samios vicissim nauis signo deformabãt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

MARYANDINI à Milesiis subacti, vendebantur in contemptum. Rauis.

Lacedæmonij MESSENIOS, quòd iterum & iterum defciuissent, in seruitutem redegerunt, cósque durius etiam quam reliquos seruos tractarunt, ne denuò res nouas molirentur. Hinc adagium, Seruilior Messena.

THESEVS cum Pirithoo in Thesprotidem profectus, vt regis vxorẽ raperet, magna exercitus parte amissa captus est, & in vinculis ad Cichyrum contectus. Est autem ad Cichyrum Acherusia palus, Acheron amnis & Cocytus, aqua insuauissima. Hinc poëtæ Theseï ad inferos descensus occasionem sumpsere. Pausanias in Atticis.

SESOSTRIS Ægyptiorum rex, cùm Scythas & Græcos subegisset, maximam multitudinem gentium captiuarum in Ægyptum secum duxit: earũmq; opera vsus est ad lapides immensæ magnitudinis in templũ Vulcani pertrahendos, & ad diuortia aquarum effodienda, vt Ægyptum prius equis & plaustris agendis idoneam contra vim hostium munirer. Ab eo enim tempore inequitabilis, & plaustris inhabilis regio extitit, propter multiplices fossas vniuersa loca occupantes, in quas Nilus inundans reciperetur, ne loca arida siti laborarent. Herod. lib. 2.

SPARGAPISES Tomyridis Massagetarum reginæ F. à Cyro captus, cùm se liberalius vino ingurgitasset: postquam ad se redit, & vbi locorũ esset cognouit, exorauit à cyro, vt vinculis solueretur. Solutus, manus sibiipsi intulit. Herod. lib. 1.

AGATHOCLES Lysimachi F. à patre contra Dromichætem & Getas missus, à Getis captus est: Lysimachus filiam Dromichęti despondit, & ea parte Thraciæ cessit, quæ trans Istrum est. Pausanias in Atticis.

DEMOCEDES Crotoniensis, medicus Polycratis Samiorum tyranni, captus cum eodem ab Orœte Sardium præfecto: inde ad Darium regem perductus, quem à luxatione tali curauit. Herod. lib. 3.

Persarum nauticæ copiæ parta victoria nauali contra Iones circa Miletum hybernantes, altero à profectione anno haud difficulter insulas cõtinenti adiacentes ceperunt, Chium, Lesbum, Tenedum: quarum insularum vt quanque capiebant, euerriculabant. Euerticulabant autem hunc in modum: Viri manum mutuo tangentes, à mari aquilonari ad australe pertranseunt. Post hæc omnem insulam peragrant, venando homines. Herod. lib. 6.

ÆTHIOPES omnium nationum sunt serui, finitimorum præda, cæterorum mancipia. Rauis.

CROESVS Lydorum rex, qui templa oraculorum omnium quæ tũm fuêre, multis & magnis muneribus ornauit, quique in lateres aurum & argentum fudit: à Cyro Persarum rege bello captus, quod reliquum ætatis superfuit, in seruitute vixit. Platina lib. 1. de Falso & vero bono.

NICIAS Athenien sis, genere clarus, missus imperator vnà cum Demosthene contra Siculos, ambo in bello capti sunt à Syracusanis: in carcerémq; coniecti, sibimet manus intulere. Plut.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus Craustidis filius, pro Achęis multa fortiter in bello gessit. Verùm equo in prælio lapso corruens, ab inimicis captus, & ad Dinocratem Messenium (cuius opera Messenij rebellauerant)

bellauerant) perductus, ab eodem veneno in custodia sublatus est. Plutarchus in Epitome.

M. ATTILIVS Regulus, cum nulla erga Carthaginenses ad extremum redactos misericordia moueretur, pacémque suppliciter petentibus negaret, mox ipse eò redactus est, vt eadem illa suppliciter à Carthaginensibus iam victus, & captus, absque venia petere cogeretur. Polyb. lib. 1. Historiarum.

Rex Macedonię Perses, amisso regno, simúlque ingentibus thesauris, à Paulo Æmylio ductus in triumphum, perpetuo carceri damnatus est: cuius cùm vigiles tæderet, somno ab eis prohibitus, eo tormento periit. Neque verò his malis ipsius fortuna contenta fuit: sed filium eius Alexandrum in eam coniecit miseriam, vt notarium professus, scribendo vitam duceret. Fulgos. lib. 6. cap. 11.

PSEVDOPHILIPPVS post Philippum Demetrij regni hæres, à Demetrio Syriæ rege, ad quem auxilij gratia contra Romanos venerat, captus ac Romam missus, custodiæque traditus est. Volat. lib. 18. Anthrop.

IVGVRTHA regno amisso, Romam ductus, & in carcerem coniectus est: vbi in carceris ostium iocatus fuisse dicitur. Pont. lib. 2. cap. 7. de Fortitudine domestica.

MARCVS cùm in Bruti partibus præturam gessisset, hostis iudicatus est: & postea in Philippicis campis superato Bruto, vt plerique alij, captus fuit. Astu verò, cùm seruum se fingeret, à Barbula emptus est. Qui cùm in eo & prudẽtiam, & ingenium animaduerteret esse, aliis eum seruis ac simul domui gubernandæ præfecit. Sed cùm indies re ipsa videret, modestiæ atque veræ vrbanitatis plus in eo quàm communiter in seruis soleat esse, secretò compellatum efficacibus verbis vrgere cœpit, vt sin rebellium numero esset, illud ne occultaret, quoniam eius liberandi rationem initurus esset: sed Marcus risu discutere rem quærebat, negans ex eo numero se, sed verè seruum esse, eos quoque quibus antè seruierat, tempúsque quo venũdatus fuerat, ceu rem veram, appositè narrabat. Verùm Barbula vt certiora hac de re argumẽta eliceret, dixit, Velle se Marcum Romam secum ducere: ratus si inter rebelles haberetur, præ timore Romam ire recusaturum. Marcus autem non minus quàm Barbula ingeniosus, affirmat libenter secuturum. Profectus igitur ad vrbem cum Barbula, dum ad Consulis valuas dominum moratur, à ciue Romano agnitus est: qui Barbulæ, ceu amico, eum detexit. Is nulla mentione de hoc cum Marco facta, statim ad Agrippam profectus, per eum ab Augusto impetrat, vt Marco ignoscereturiratq; eum postea ad Augustum deduxit, à quo in amicorum numerum acceptus est. Non multo pòst, Barbula inter Antonij amicos, post Actiacam pugnam captus est, atque incognitus à Marco emptus. Sed cùm Marcus, paulo pòst Barbulam ẽse cognouisset, ab Augusto salutem eius impetrauit. Horũ casibus fortuna satis varietatem suam expressisse videtur, cùm eum qui prætor fuerat, seruum fecit. nec multo pòst egit, vt dominum, cui prætor seruierat, Marcus seruum haberet. Fulg. lib. 6. cap. 11.

DEMOCRITVS Ætolorum dux Romam adductus, vinculis alligatur. Elusis tamen custodibus, cùm è carcere effugisset, denuò comprehensus, gladio sese transfodit. Guido Bitur.

AVGVSTVS Cæsar victa Britannia, plurimos Britannorum captiuos Romam duxit, eósque ad officia theatralia scenicis donauit: dedit insuperaulæa & peristromata, quæ Britanni serui ferrent, & suis quæque locis disponerent: quinimò in aulæis istis victoriæ Augusti depictæ erant, & Britanni serui etiam, qui aulæa ista populo spectanda exhiberent, intexti conspiciebantur: vt notat Seruius in 3. Georg. vbi poeta inquit: Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

NIGER Pescennius à ducibus Seueri principis per Æmylianum superatus apud Cyzicum circa paludem, fugiẽs sauciatus, captus, & ad Seuerum deductus est, trucidatúsque, ac caput eius suffixũ Romã missum. Ex Spartiano recitat Volat. lib. 17. Anthrop.

PLACIDIA Honorij imperatoris soror, ab Athaulpho captiua abducitur ex vrbe Roma: quam tamen in vxorem mox duxit. Sigebertus in Chronicis.

Gothorum rex Rhadagastus, cùm in Italiam aduersus Honorium, cum ducentis equitum milibus venisset, à Stilicone consule inter Fesulanos montes obsessus, cùm eius fugeret exercitus, ipse in Stiliconis potestatem venit. A quo catenis vinctus, & per omnem Italiam ductus, turpiter interiit: omnibus admiratione captis, cùm eum captiuum atque vinctũ cernerent, ad cuius famam paulo antè omnes præ formidine cõtremuerant. Fulg. lib. 6. cap. 10. & Egnat. eodem.

ZENOBIA Palmyrænorum regina, à Valerio Aureliano capta, & in triumphum ducta est. Volat. lib. 23. Anthrop.

COSMAS Italus monachus, captus à Saracenis, Io. Damasceni præceptor fuit. Vide tit. Monachorum octaui seculi.

ÆMYLIANVS inter Mauritanos ortus, imperator ab exercitu nominatus, à duce Galieni Theodoro captus, atque imperatori Galieno vinctus missus est. Author Trebel. Pollio.

VALERIANVS Cæsar, licet optimus fuerit, & à fortuna in summum honoris fastigium euectus: infœlix tamen apparuit, postquam vis illa virgórque animi, atque antiquum belli decus exoleuit. Quippe in expeditione in Persas cùm fœdissimo euentu pugnasset, à Sapore Persarum rege captus, cò vsque deiectus est, vt post afflictas fortunas, nulla verecundia pristinæ maiestatis, contra decus imperij, regi Persarum equum ascensuro, humi prostratus, dorso gradum faceret. Alex. lib. 6. cap. 25. Genial. dier.

DIOGENES Constantinopolitanorum imperator, cùm audisset Belzethemum Persarum regem, bellum aduersus Syriam & Asiam parare, Antiochiam defensurus contra Persas, congregatis copiis, expeditionem assumpsit. Demum fractus hostibus obuius, post diutinam pugnam, cæsis suis, victus, atque vius captus est. Statuit autem Belzethemus in Græcorum omnium ludibrium, vt quoties cum proceribus suis consultaret, Diogenes guttur pedibus eius subiiceret. Guido.

CONSTANTINVS VI. cùm matrem Irenen, quæ imperij socia illi data erat, & cum qua decem annos quoque imperauerat, reiecisset: illa paulo pòst à ciuibus imperio restituta, annos tres sola imperio præfuit, ac filio in carcerem cõiecto oculos effodit, in quo breui tempore extinctus est. Volat. lib. 23.

ISACIVS Angelus à fratre suo Alexio (quem à Turcis captum magno redemerat) beneficiorum immemor, captus, excæcatus, & in carcerem coniectus est. Ibidem.

LEONTIVS patricius Constantinopolitanus, cùm post profligatum Iustinum quartum, tres annos imperasset, Tyberio cognomento Apsimaro, viro Constantinopolitano, qui Africæ præerat exercitui, captus, truncatisque naribus in custodiam missus est. Ibidem.

MOSEYDES Tartarorum rex, magni Tamburlani nepos, cùm aduersus Vllancassanũ Persarum regem, cum innumerabili exercitu profectus esset, quòd ei in gerendo bello consilium deerat, fusus ac captus, atque ad Vllancassani pedes cum vxoribus deductus (quarum ex gentis more magnum numerum habebat) primùm diuidi eas vectoribus: deinde multis contumeliis affectus, se captiuum dedi Vzaibaicharæ, qui ab ipso rebellauerat, vidit: à quo per dedecus necatus fuit. Fulgosus lib. 6. capite vndecimo.

LVDOVICVS Romanorum imp. ab Adalgiso duce Beneuentano, contra quem bellum susceperat, captus, & iureiurando adactus, ne posthac rebellaret, liberè ab eodem dimissus est. Verùm cùm paulo pòst Berengarium bello vexasset, ac vicisset apud Veronam, securior esse cœpit. Igitur dum minus circumspiceret, insidiis captus & excæcatus est. Albertus Cranzius lib. 2. cap. 23. Metropoleos.

VENCESLAVS, Sigismundi imperatoris frater, imperator & ipse, cùm imperio parum vtilis videretur, à fratre captus, & in vincula coniectus est. Volat. lib. 23 Anthrop.

SIGISMVNDVS Caroli quarti filius, Venceslai frater, Augustorum imperator factus proceres 32. in Pannonia necari iussit. Ob quam rem & ipse postea captus est, ac viduę, cuius maritum interfecerat, traditus. Ibidem.

HENRICVS imperator, in vrbe Meresbruch à fratre obsessus, proiectis armis ad pedes eius procidens, & misericordiam eius implorans, in custodiam inclusus est. Sigebertus in Chronicis.

Præerat vniuersæ Venetæ classi, quæ nonaginta & amplius triremium numerum expleret, Andreas Dandulus, publicæ rei negociis multis cùm domi forísque celebris, tum naualibus prælijs non paucis dux insignis. Tanto igitur apparatu nauium instructus, apud Corcyram nigram Ligurì hosti congressus, iam victoriam in manibus habere videbatur, quum vctorum aduersa vi iactatus, & quindecim Ligusticarum nauium occursu improuiso ex insidiis oppressus est. Qua ex re iactati Veneti, oppressique ita sunt, vt vniuersa classis partim capta, partim mersa fuerit: ipséque etiam Andreas sit captus. Qui dum captiuus Genuam duceretur, patriæ fuum: que casum ingemiscens, spiritum tandem emisit, fuo capite fæpius prætoriæ puppi illato. Egnat. lib. 6. cap. 10.

Nihil Nicolao Pisano senatore sua ætate clarius, nihil illustrius fuit, qui memorabilem victoriam naualem classis imperator circa Corsicam insulam contra Ligures retulerat: & ad Caristum Eubœæ eoldem summa fœlicitate oppreſſerat. Qui tandem non multo pòst ab iisdem Genuensibus circa Sapientiam (quæ non longè insula à Methone est) ita oppugnatur, vt cum tota classe Venetus imperator opprimeretur, captiuúsque Genuam duceretur. Ibidem.

LEO III. Romanus pontifex, Carolo Magno regnante, dum supplicationes agit à Gregorio institutas, apud ædem Syluestri captus, & Palchalis primicerij ac Campuli presbyteri fraudibus ferè ad mortẽ cæsus, in cœnobium Erasmi relegatus est. Volat. lib. 22. Anthrop.

ANASTASIVS, Benedicto Romanę ecclesiæ centesimo secundo pontifice depósito, cùm põtificatum inuasisset, ab Imperatoris legatis detectus, & in carcerem coniectus est. Sigebertus in Chronicis.

LEO Romanæ ecclesiæ 118. põtifex max. post triginta dies ordinationis suæ à Christophoro presbytero suo captus, & in carcerem trusus est, per Romanæ ecclesiæ inuasionem. Ibidem.

BROCCARDVS Persicus nouem circiter annorum carcerem perpessus est: quæ tamẽ sic pertulit, vt interim plura scripserit, vérúbus etiam multa iocatus. Pont. lib. 2. cap. 7. de Fortitud. domest.

GISVLPHVS auxilio Gotfredi Beneuenti Leonem nonum Romanorum pontificem apud Teate, quod oppidum Maurocinorum Ciuitam vulgò vocant, cum copijs occurrentem superauit & cæpit: summo tamen honore deduci in vrbem curauit, prosequentibus eius iter omnibus Beneuenti sacerdotibus. Ritius Neapol. lib. 1. Regum Siciliæ.

IOANNES Neapolitanus pont. max. Balthasar Cossa vocatus, vir potius militari quàm sacræ idoneus disciplinæ, in Concilium Constantiense vocatus, Cosmo Medice eius amicissimo dissuadente, profectus est: vbi crimin ibus conuictus, inde aufugit, captúsque apud Aldeburgen castellum triennio custoditus, nullis nisi Germanis ministr. ntibus, quorum linguam minimè nouerat. Anno 1412. Volaterranus libro vigesimosecundo Anthrop.

CAROLVS Malatesta victus captúsque à Philippi Mariæ Mediolanensis ducibus admirabilem in captiuitate præ se gessisse animi firmitatem, à Pontano lib. 2. cap. 7. de Fortitud. scribitur.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm nauali prælio contra Philippum

ducem Mediolanensem, qui Caietanis auxiliũ tulerat, pugnasset, captus & ad Ducem perductus, non minus victoris quàm victi faciem & animũ habere visus est. Panormita lib.1.

LVDOVICVS Maria, qui post turpissimam illam fugam vocatus à nobilitate ac popularibus, Mediolanum eiectis inde Gallis receperat, cùm maximã Heluetiorum manum ac Brigantum ad stipendia conduxisset, configendúmq; Gallico cum exercitu esset, inter ipsas acies ac tubarũ penè cantus, à suis proditus est, atq; captus. Pontan. de Immanitate, ca. 8.

OBSIDES DATI.

SIMEON obses datus Iosepho à nouem fratribus, donec illi adducerent fratrem Beniaminum, fidémq; facerẽt se non esse exploratores. Genes. 42.

Post Agin bello superatũ Antipatro postulanti, obsides PVEROS quinquaginta, Eteocles, qui tum Ephorũ agebat, respondit: Se pueros non daturum, ne si licenter vixissent, fierent indociles patriæ disciplinæ, itaq; ne ciues quidẽ essent: cæterùm senes ac mulieres se duplo numero daturũ. Verùm Antipatro dira minitanti, ni acciperet postulata, populus vnà voce respondit: Si imperas acerbiora morte, facilius moriemur. Hunc animum in vno alteróue ciuium reperire, fortasse non ita magni miraculi esse videatur: in vniuerso populo tantum esse consensum, prodigiosum est. Hoc exemplo simul admonemur, quanta sollicitudo debeatur ætati teneræ ad probitatem educandæ, quando licenter educatos iuuenes illi non putarunt habendos pro ciuibus: perinde quasi mater abdicet filium ex se natum, nisi probitate morum maioribus suis respondeat. Plutarchus in Laconicis.

A PIRATIS AVT LATRONIBVS CAPTI, *& venundati.*

IO Inachi filia, à prædonibus rapta. Parthenius cap. 1. Eroticôn.

DIOGENES, cùm ei capto latrones malignè cibum præberent, nec præsenti fortuna, nec illorum immanitate deterritus, dixit iniquissimum esse, cum porcelli agníque venales saginentur diligentius, hominem præstantissimũ animal, inedia macerari, quasi hoc pacto non redderetur vilior. Itaque accepto quantum sat erat, cum iam esset vendendus inter cæteros, sedit, & prandebat bono animo, impartiens etiam proximis. Philo, Quòd omnis probus liber.

BIAS philosophus, conseruis demisso vultu mœrentibus, eo quòd iam à latronibus capti essent, animaduertens quendam ex aspectu plus satis effœminatum esse, accedens inquit: Tu me emito, viro enim opus habere videris. Sic ille pudefactus cauillo, quod non esse vanum erat sibi cõscius, in turbam se abdidit: cæteris audacem coniectorem, sed veridicum stupentibus. Philo Iudæus lib. Quòd omnis probus liber.

BION Borysthenites philosophus, quum olim cum scelerosis nauigãs, incideret in prædones: illis dicẽtibus, Actum est de nobis, si agnoscamur: Et de me, inquit, nisi agnoscamur: bonis innotuisse, salus est. Laërt. lib. 4. cap. 7.

PLATO diuinus ex Sicilia rediens Æginam, captus, ac minis 30 venundatus est, deinde ab Aniceri Cyrenæo redemptus. Volat. lib. 18. Anthrop.

C. IVLIVS Cæsar adolescens adhuc, à piratis captus circa insulã Pharmacassam, cùm tanquam ab ignoto viginti tantum talenta pro redemptione exegissent, quinquaginta persoluit: tacitè illorum stoliditati illudens, quòd quem captiuum habuissent, ignorarent. Inter iocos præterea omnibus illis crucẽ minitatus est. Pont. lib. 1. cap. 8. & Val. lib. 6. cap. 11.

ANTIPATER Herodis Ascalonitæ æditui F. captus à piratis, neq; ob paupertatem à patre redemptus, tandem Iudææ tutor constitutus est à Iulio Cæsare. Vide tit. Eorum qui ex infimo ad summum ascenderunt.

OTTO 2. ex Germania in Italiam profectus, cũ in Calabria aduersus Græcos bellum gereret, ab Alexio atq; Constantino imp. prælio superatus est. Fugiens autem, cùm in paruam nauem conscendisset, incognitus à piratis est captus, atq; in Siciliam perductus, illic precio redemptus, cũ Romam rediisset, intra paucos dies captos ipsos piratas, qui eum cæperant, omnes suspendit. Fulg. lib. 6. cap. 11. & Egnatius lib. 6. cap. 10.

Erat SARRA Columnius facilè princeps Romanæ ciuitatis, authoritate, opibus, sobolis præstantia, quippe cui duo erant filij in supremo antistitum ordine collocati, gestabant puniceum galerum, quod vix duobus aliis datũ facilè reperias. Et cum is ita opibus & dignitate floreret, subitò fortunæ reflatu verius quàm Bonifacij insectatione (fuit is Romanorum pontifex huius nominis octauus) repentè afflictus, filios dignitate priuatos, & in ordinem redactos vidit castella circa vrbem suæ ditionis direpta & incensa, ipse hostis indicatus, & à prædonibus captus, dissimulata persona, seruitutem maluit seruire, quàm fateri quis esset. Reuisit eũ fortuna, ac Massiliæ agnitus, redemptúsque, cum modica manu in Italiam reuersus, pontificem incautum opprimit, in vincula coniicit, coniectum luctu & mœrore carceris cõficit, princeps loci recipitur, restituuntur filij, opes ampliantur, maioréne fortunæ ludibrio, an obsequio, ne ipsequidem expedire potuerit, qui per hæc exercitus fuit. Sab. lib. 7. capite 8. & Fulg. lib. 6. cap. 11.

SERVORVM NOMINA.

Apud ATHENIENSES seruis nomina Aristogitonis & Harmodij indere nefas erat. Vide tit. Nomina quæ honoris ergò in alios non transferuntur.

ROMANORVM serui peculiari nomine Statij, Dionysij & Strichi vocati sunt: Atheniensium Daui & Getæ: Lacedæmoniorum Helotæ, & ancillæ Chalcides: Argiuorum Gymneţæ: Cretensium Epharmiotæ, Clarotæ & Mnotæ: Thessalorum Penestæ: Syracusanorum Eustatoni: Mariandynorum Doryphori: Sicyoniorum Corynephori, siue Catanocophori: Arcadum Prospelatæ.

DOMITIANVS Metium Pomposianum supplicio affecit, quòd nomina Magonis & Hannibalis indidisset seruis, tanquam clarissimorum virorum nomina seruili contagio polluisset. Alex. ab Alex. libro tertio, cap. 20.

SERVORVM NOTÆ ET CHARACTERES.

ATHENIENSES Samios bello captos, Sameæ nauis signo deformarunt: & nonnunquam seruis literas inusserunt, qui literati dicti sunt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

SAMII captiuos Athenienses, quos seruorum loco habebant, noctuæ figura signarunt. Ibidem.

SYRACVSANI, vt discrimen ingenuæ & seruilis personæ notaretur, seruis equi characterem inusserunt. Ibidem, & Plutarchus etiam.

CONIVGIA SERVORVM.

ÆGYPTIIS nullus ex serua genitus habetur seruus aut illegitimus: quia solùm patrem ingenuitatem, & genus præstare, matrem verò nata libus nihil conferre putabant. Alex. lib. 4. cap. 22.

PERICLES Athenis author fuit, vt qui ex serua, aut non legitimo cõiugio nati essent, vel turpi nota affecti forent, ciuium in numerum non ascriberentur. Ibidem.

IVLIA lege sanctissimè cautum erat, ne serua cum homine libero, vel liber cùm serua, matrimonio copularetur. Ibid.

CLAVDIVS Cæsar ingenuarum mulierum, & liberarum coniugium cum seruis tanto odio prosequutus fuit, vt præter legem ingenuitatis, pretérque instituta maiorum, filios inde progenitos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse: iuráque libertinorum nancisci, & ingenuitatis amittere, lege sanciuerit. Alex. lib. 2. cap. 22.

Apud LYCOS serui nascuntur ex patre libero, matre serua. Seruitus enim & libertas à matre ducitur, vti & familiæ cognomen. Herod. libro 1. Quòd ipsum in GERMANIA etiamnum hodie obseruatur. Nam si libertus (Libeygen lüt Germanis appellantur) duxerit liberam, filij inde suscepti patris quidem nomen assumunt, at matris conditionem: sin verò liber libertam duxerit, filij quoque liberti erunt.

OFFICIA SERVILIA VARIA.

Qui plura desiderat, videat locum Mechanicarum artium.

SYRIS serui imperant. Nam cum apud eos soli serui militent, ex illis creatur imperator, cuius virtutem habent exploratissimam.

CRETENSES seruis suis (quos vacabant Epharmiotas) permittebant omnia præter gymnasia, & armorum professionem.

ELEATRI serui, qui præficiuntur ciborum ministerio.

TRAPEZOPORI dicuntur serui mensam curantes.

APOLIDES

APOLIDES dicuntur viles serui, qui sine ciuitate in opus perpetuò dantur, & deportantur in insulas, ad metalla, salinas, & sulphurarias.

CAPSARII dicuntur, qui seruanda in balneis vestimenta mercede suscipiunt.

SALVTIGERVLI, qui iussu domini aut dominæ, hunc vel illum salutant.

HERCITÆ, serui sunt, qui versantur in agris.

MEDIASTINI, qui in media domo inter seruos abiectissima queq; munia obeunt. Horatius: Tu mediastinus tacita prece rura petebas.

MESONAVTÆ serui sunt, qui in nauibus munia omnium contemptissima obeunt. Hæc Rauisius.

GRAMMATICI quoque olim, & pædagogi, serui erãt. Medici quinetiam Quæstuosæ enim sunt artes istæ, & à seruis æquè atque à liberis possunt administrari. Quamuis reuera tales sint, vt non nisi in eos qui natura liberi sunt, quamuis conditione καὶ νόμῳ serui sint, cadant. Duplex enim libertas ista ab Aristot. in primo Politicorum statuitur.

SERVI QVANTVM DOMINO SVBIICIANTVR. SERVORVM venundatio, & supplicia.

Consule titulum, De dominorum potestate erga seruos, quem sub domestica siue priuata δυνάμει *superius comprehendere voluimus. Huic autem loco inseruit, respectu seruorum, in quos ius habent domini non imperandi tantùm, sed etiam corporis & bonorum omnium possessionem.* [redacted] *Bona omnia quæ seruus acquirit, aut acquisiuit, domini propria esse indicantur. Hoc ipso igitur seruitus antiqua differt à noua, quòd etsi officia eadem sunt vtriusque, ius tamẽ domini erga seruos non est idem. Nam nec corpus nec fortunas serui dominus possidet: sed officium tantùm, seu ministerium. Quàm bene autem vbi ex nimia hac libertate sit prospectum, iudicent ij qui mores hominum corruptos nimia peccandi licentia corrigere ex officio coguntur. Vide etiam tit. Seueritatis dominorum erga seruos. Item, Pœna perfidiæ erga dominos.*

DE GLORIA ET HONORE.

Gloria inter omnia fortunæ bona principatum obtinere videtur. quandoquidem nihil aliud est, quàm virtutis præmium; ita quidem vt multi etiam virtutem ipsam solo gloriæ præmio proposito studiosè sectari non erubescant. Quo autem sublimior est virtutis gradus, maiórque cumulus, eo etiam excellentius honoris genus eidem conueniet. Honores ratione materiæ varij sunt, quorum dignitas & præstantia magis ex hominum arbitrio quàm ex rei natura pendere videtur. Maximi tamen illi esse indicantur, qui diis immortalibus tribui solent, tacita nimirum veneratio, & apertus deinde cultus. Veneratio tacita, quia minimè fucata est, & in animo penitissimè recondita latet, omnibus aliis honoribus externis, qui per hypocrisin adulterari possunt, præfertur: [redacted] *Gloriæ enim fundamentum, & veluti forma est, præconcepta de alicuius virtute existimatio: externum verò accidens atque signum est honor. Hoc namque ipso differt honor à gloria, quo materia à composito: & vicissim honor ab existimatione siue* εὐδοξίᾳ, *sicuti materia à forma. Quatenus igitur homo diuinam excellentiam mente concipit, admiratur & veneratur: eatenus supremum ac maximum gloriæ fastigium oritur, quod Maiestatem vocant. Hinc deducta metaphora, seu potius analogia, supremos quoque honores, qui clarissimis viris tribuuntur, Maiestatis nomine complectimur: quos etiam ipsos non tam externa significatione, quàm interna veneratione & admiratione metimur. Hoc innuit Val. Max. lib. 2. cap. 5. cùm inquit: est & illa quasi priuata censura, maiestas clarorum virorum sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio: potens in amplitudine sua obtinenda. Grato enim & iucundo introitu animis hominum illabitur, admirationis prætextu velata, quam rectè quis dixerit longum & beatum honorem esse sine honore. Est ergo Maiestas nihil aliud, quàm summa virtutis summa veneratio, modò cum externa significatione honoris, modò absque illa. Itaque Deo propriè conuenit, primò & per se: analogicè verò hominibus diuinis, in primis magistratui, regibus scilicet & iudicibus, quos deos Sacræ literæ nuncupant (hinc Maiestatem imperij deducunt) mox quibusuis aliis clarissimis viris etiamsi nullo sint magistratu insignes: in quibus hoc genus honoris eo excellentius esse videtur, quòd illis minus quàm magistratui competere iudicetur. Habent Valerius, Sabellicus & Campofulgosus titulum de Maiestate, hoc est de summo genere honoris, quem nos in suas species materiales diduximus: cùm superuacaneum nobis esse videretur, honores ratione quantitatis diuidere. Illud satis erit scire, quòd Maiestas pro summo honore & veneratione ponatur. Atque vt fides partim in eo cui fiditur, partim in eo qui fidit, considerari solet: in priore quidem, quatenus iusticiæ fundamentum in se habet, in posteriore verò quatenus iusticiæ opinionem de alio concepit: sic quoque Maiestas in eo cui honor iste confertur, summam virtutem præsupponit: in eo autem qui honorem hunc alteri defert, Virtutis perfectissimæ existimationem. Propterea vulgata loquendi consuetudine, Maiestatem diuinam venerari, hoc est, idipsum quod nos in Deo admiramur, tacita veneratione colere dicimur. Iam verò in hominibus virtutis quoque mediocris existimatio & suiipsius confidentia Grauitatem parit, quæ à Maiestate secundum magis atque minus differt. Arist. in 2. Rhetoric.* βαρύτητα *duplicem facit, aliam quidem cum seueritate iunctam, quam* βαρύτητα *propriè appellari vult: aliam vero cum lenitate & modestia temperatam, quam* σεμνότητα *vocat, & definit esse* μαλακὴν καὶ εὐσχήμονα βαρύτητα. *Hinc Grauitatem suam tueri illum dicimus, qui existimationem virtutis suæ animis hominum impressam, tam dictis quam factis conseruat, auget, & illustriorem reddit. Ipsa autem existimatio tacitus est honor. Porrò à Maiestate differt Authoritas, quoniam species quædam maiestatis authoritas esse videtur. Voco autem authoritatem, præconceptam de alicuius virtute existimationem: quæ ad quiduis dicendum, credendum & agendum alios impellat. Græcam fortassis originem habet hoc nomen, quasi* αὐθαίρετον, *hoc est per se expetendum sit & fugiendum, etiam nulla interposita ratione. Authoritas enim alicuius in hoc ipso cernitur, quando multos habet qui nutum eius sequantur, cùm nihil absque ratione ab eo fieri sibi persuadeant. Sic Pythagoræi habebant suum illud* αὐτὸς ἔφα: *& Auerroes primum magistrum nihil absque forti ratione vnquam protulisse asserit. Non igitur rationem sequuntur, quia nulla adhuc allata est: sed credunt subesse rationem. Hæc est authoritas, quam etiam inter præceptorem & discipulum in tradendis addiscendísque præceptis intercedere oportet:* δεῖ γὰρ τὸν μανθάνοντα πιστεύειν, *teste Aristotele. Et sanè quo maior ratio subesse videbitur, eo quoque authoritas maior erit. Quapropter Dei summa & prima est authoritas, quia solidissimam rationem habere creduntur omnia ea quæ diuino ore tradita sunt, quamuis intellectus noster propter sui infirmitatem eam percipere & assequi nequeat. Secunda deinde authoritas est magistratus atque legum publica. Tertiò in loco est priuata, secundum omne genus virtutum & statuum. Est igitur authoritas species quædam, siue effectus Maiestatis, quatenus eos non modò tacitè venerantur, sed etiam eos in omnibus dictis atque factis lubentes ac volentes sequuntur. Proinde Authoritas Maiestatem præsupponit. Summi itaque honores Maiestatis & Authoritatis nomine comprehenduntur. Sunt alij quidam minores, populari fastu valde exculti & fucati, qui plebeculæ oculos mirum in modum perstringunt: Triumphi videlicet, statuæ, trophæa, & similia, in quibus solis summum gloriæ fastigium positum esse multi arbitrantur. Si materiam spectes, excellentissimi sunt honores: sin formam consideres, ipsam scilicet* εὐδοξίαν, *longo interuallo à Maiestate deficiunt. Sed de his satis in præsentia, pro honoris differentiis cognoscendis, quæ à quantitate, seu potius ab ipsa forma sumuntur, & vt constaret, quónam Maiestas referenda esset. Nunc ad Exempla conuertamur, quorum series ex generali typo superius descripto petenda erit.*

NOMINA VARIA.

De nominibus tractare, ad Dialecticum & Rhetorem pertinet. Nos hic ea consideramus, quatenus vel vitia vel virtutes sequi solent. Nam cùm rei naturam nomen imitetur, hominibus improbis nomina turpia, probis splendida conuenient. Itaque siue à primo statim ortu sint imposita, siue ex bonis aut malis quibuslibet immutata, nouata, addita, huius loci erunt, tanquam notæ quædam & indicia honoris aut infamiæ. Cæterùm an pro merito, an præter meritum tribuantur, iustitia videbit. Nos solam nominationem honorificam vel turpem hic obseruamus. De varia autem nominum impositione, qui volet, videat Plin. lib. 18. cap. 3. Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 6. Plut. in Coriolano, & Solinum cap. 4. Polyhistor.

NOMINA A VIRTVTIBVS IMPOSITA.

A SAPIENTIA, SCIENTIA, ARTIbus & disciplinis theoricis.

IOSEPHVS, cùm Pharaoni regi somnium, quod cęteri diuini non po terant, interpretatus fuisset, Saphnathopaneas, id est occultorum repertor appellatus fuit à rege. Genes. 41.

Sed quàm sagax Iosephus, tam sapiens, ac nescio an plus etiam, SOLOMON rex Dauidis filius, cuius nomen in sapientiæ appellationem abiit in ora hominum. Hunc vt audiret, ab extremis vsq; terris pręcpotens venit regina. Cognouit illa sapientissimum regem, magnísque muneribus ornauit hospitalem regiam, ipsa multo maioribus affecta, multo enim sapientior quàm venerat, in suum est regnum reuersa. Sab. lib. 6. cap. 3.

Sequitur nomenclatura ingens recentiorum Theologorum, in quibus multi eò dignationis venêre, vt sola appellatione sint abundè noti: hinc Seraphici, Angelici, Subtilis, Irrefragabilis, & mille alia piorum cognomina, quæ in veritate asserenda primas vendicant. Ibid.

PALAMEDES Nauplij filius, propter omnium rerum cognitionem πάνσοφος dictus est. Vide tit. Poët.

PERICLES propter summam eloquentiam, qua fulgurare, & tonitrua ciere videbatur, Olympij cognomen meruit. Plut. in eius vita.

ANAXAGORAS Clazomenius, præceptor Periclis, Mens dicebatur, vel propter admirabilem scientiam: vel quia primus mundi fabricam nō ad fortunam, sed ad Mentem retulisset. Plut. in Pericle.

CALLIMACHVS propter studium miræ artis, Calotechnos: sicut alter, ob artis calumniam Cacotechnos appellatus fuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

THEOPHRASTVS ex Ereso Lesbi ciuitate philophophus insignis, primò Euphrastus, deinde Theophrastus, ob oris & eloquentię suauitatē vocatus est: cùm antea Tyrtamus appellaretur. Volat. lib 20. ex Ælian. de Var. hist.

ANTIPHONTEM Rhamnusium, Atheniensem versificatorem & sophistam λογομάγειρον vocabāt, quasi orationis coquum, eo quòd oratione excellens esset. Steph. Grammaticus apud Volat. lib. 20 Anthrop.

ARCHILOCHVS Parius iambographus τέττιγα, id est cicadam seipsum vocabat, quòd loquax & vocalis esset, nullíq; necessitati obnoxius. Vnde conuicianti respondit τέττιγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας. Lucian. in Pseudologista.

SOPHOCLES tragicorum princeps, μέλιττα propter sermonis dulcedinem dictus est. Gyraldus Dialogo 7. historiæ Poët.

HERMES Trismegistus dictus est, quòd apud Ægyptios max. philosophus, maximus rex, & maximus sacerdos extiterit. Mos enim erat Ægyptiis ex philosophis sacerdotes, ex sacerdotibus reges eligere. Alij eū sic vocatum putant, quòd primus inter Ethnicos ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα asseruerit, vt mirū sit eum lumine intellectus eò peruenisse, quō miseri Iudæi etiam sacris inuitati testimoniis pertingere nequiuerunt.

PLEIADES poëtæ septem, à numero stellarum Pleiadum, à Zeze enumerantur: Theocritus, Nicander, Callimachus, Apollonius, Homerus tragicus, Aratus, & obscurissimus Lycophron. At Theocriti interpretes enumerant Theocritum, Aratum, Apollonium, Æantidem, Philicon, Homerum tragicum, & Lycophronem. Hephæstion tamē inter tragicos septem hoc nomine constituit: Homerum Myrus Byzantiæ poetrię filium, Sositheum, Lycophronem, Alexādrum, Aanntidem, Sosiphanem, & Philiscum.

ÆMYLIORVM genus scribit Plutarchus, à dulci facundia leporéque dictum. αἱμύλια enim lepiditas dicitur, vnde etiam Lepidi cognomen assumpsere. Volat. eodem.

Si linguæ vis, & dicendi facultas spectanda est, cui fando vnquam contigit, vt non homo, sed eloquentia loqui crederetur? non hoc Pericli, tametsi fulgurare & ciere tonitrua sit dictus: nō Hyperidi, qui Pericli proximus eloquentia floruit: non demùm ipsi Demostheni, quem dicēdi vi nullus potuit æquare. Vnus M. CICERO felicitate quadam adeptus est, vt eius nomen pro eloquentia in ora hominum abierit: is dein Catilinā vrbe expulit, Antonium proscripsit, Agrariam legem abrogauit: & quod omnium felicissimè illi contigit, Latinum sermonem non auxit solùm, sed lōgè etiam latéq; propagauit, quòd multo pulchrius fuit, quā si Rom. auxisset imperium. Sab. lib. 7. cap. 7.

ÆLIVS Grammaticus cognomine duplici. nam & Præconius, quòd pater eius præconium faceret, vocabatur: & Stylo, quòd orationes nobilissimas scribere soleret. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthop. ex Tranquillo.

STESICHORVS poëta lyricus, ex Himera Siciliæ ciuitate, eo quòd primus citharæ cantu chorum constituerit, ita dictus est. primo enim Tisias vocatus est. Suidas.

ASPASIVS Byblius appellatus est, quòd de byblo, id est papyro librū condiderit. Hadriani principis tempore floruit. Suidas.

P. NIGIDIVS Figulus cognominatus est, eo quòd responsurus interroganti, cur gemini dispari conditione nascerentur, commentum rotæ meditatus est, quæ reuoluta breui momento, maxima percurrit spacia. Cuius meminit August. in 1. de Ciuitate.

M. ANTONINVS, qui pòst Pium Antoninū Roma gubernauit imp. cū in omnibus Philosophiæ studiis excellentissimus esset, ob insignem illā eruditionem, quam ex Sexto Bœoto philosopho hausit, Philosophus cognominatus est: & se etiam hoc nomine magis delectari asseruit, quàm nomine Imperatoris. Dion, & Xiphilinus in eius vita.

IVL. Paulus Iureconsf. Patauinus, qui anno Christi 230. sub Alex Seuero Imp. floruit, propter eruditionem Coryphæus Iureconsultorum dictus est. testis Politanus.

DION historicus, ob insignem facūdiam Chrysostomus appellatus est: sicuti etiam IOANNES episcopus Constantinopolitanus, inter Ecclesię patres non postremus.

PIERIVS presbyter Alexādrinus, sub Caro & Diocletiano, tantę eruditionis, vt Origenes iunior vocatus sit. Hieronymo teste.

LACTANTIVS, à lacteo Tullianæ eloquentiæ flumine dictus videtur, in quo præceptorem suum Arnobium vicit Testis D. Hieron.

A PRVDENTIA.

FRANCISCVS Dandulus Venetorū dux, Canis cognominatus, quòd cùm apud Clementem pont. pro Venetis legatus fuisset, neq; alia ratione iratum Pont animum placare posset, propter ereptam Ferrariam, catena collo innexa quadrupes Pontificem cœnantem accessisset, eóque cōsilio Pont. iram vicisset. Egnat. lib. 5. cap. 3. & lib. 6. cap. 2 & 4.

A FORTITVDINE, ET QVAVIS illius specie.

Reportauit ex insigni tolerantia nomen haud ignobile IOB, patientissimus mortalium iudicatus, ac proinde patiens nuncupatus. Versa est hominis æquanimitas illa, & perpetua animi temperis in prouerbiū, vt tam piè hodie quàm verè sit Iob in ore omnium, supremam in aduersis tolerantiam significare volentium. Sab. lib 6. cap. 3.

PTOLEMÆVS Ægypti rex, Lysandrę frater, ab alacritate & promptitudine, qua in rebus gerendis vtebatur, Fulmen dictus est. Pausanias in Atticis.

IMPERATORIS nomen prætorib. olim magnarum laudum titulus fuit. Quippe hoc honore velut insigni munere, milites summos duces honestabant, iísque præcipuus honos habebatur semper. Postea autem illos tantum, quorum ductu & auspicio conflatum fuisset bellum, & sub quib. X. hominum millia vno pręlio cecidissent, aut saltē duo millia (quæ postea consuetudo increbuit) vel deniq; M occubuissent, aut pręcipua victoria potiti essent) Imp. nomine dignos iudicarunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap 2. Genial.

METELLVS, quòd Sertorium hominem seditiosum & Rempu. Rom. perturbantem prælio vicisset, non immeritò Imp. inde nomen tulit. Ibidem.

CN. POMPEIVS quòd in Aphrica Domitium superasset, quódque ex 20 millib. hostium vix M M M effugissent, toto conspirante exercitu Imp. nomine fuit salutatus. Qui licet se Imperatorem nominari permiserit, nunquam tamem epistolis aut chirographis hoc nomen vsurpauit. Ibid.

M. CRASSO, quòd vrbem Zenodotium trans Euphratem imbelli certamine & incruento Marte vicisset, ideóque Imperatoris nomen sibi arrogasset, magnæ inuidiæ fuit, cum non multo negocio tantum nomen vsurpasse videretur. Ibidem.

CICERO, quòd Parthos ad Amanum profligasset, Imp. nomine honestatus est à suo exercitu. Ibidem.

CVRIONEM ferunt ad Vticam, quod eius opera, conductis commeatibus omnium rerum copia abundaret exercitus, imperatoris nomē sibi asciuisse. Ibidem.

IVLIVS Cæsar Caij Cæsaris pater, quòd Syllanis temporibus multa Samnitum & Lucanorum millia ad Eserniam interfecisset, ab exercitu imperator fuit appellatus. Idem.

TIBERIO & TITO Cæsaribus, in bello Germanico fusis hostibus & fugatis, expugnatis deinde Hierosolymis, miles victor Imperatoris nomen dedit, & trophęum posuit. Ibidem.

Scipio in bello ciuili inter Pompeium & Cæsarem, vt pecuniam à prouincialibus cogeret, se Imp. dixisse fertur. Ibidem.

ZENOBIA Palmyrensium regina, cùm Orientis regnum tueretur, armata virili veste exercitui præfuisse, & sola Imperatoris nomen tulisse dicitur

dicitur, cuius auspiciis pleraq; egregiè gesta in hostes fuêre. Alex. lib. 1. capite 2.

FABIVS cognomen accepit Maximi, SCIPIO Magni. Scipio quadā æmulatione erga Fabij gloriam afficiebatur. Itaq; rogabat eum: Quî fit, vt tu conseruandis dūtaxat exercitibus, Maximi cognomen adeptus sis: ego cùm hostibus confligendo, Magni, cùm Annibalem cominus facto prælio deuicerim? Respondit Fabius: At nisi ego tibi milites conseruassem, tu non habuisses quibus cum potuisses vincere. Polyænus libro octauo.

Cognomen Magni non vni veterum Imperatorum, regúmq; contigit: sed externorum nulli verius, iustiúsq;, quàm Alexandro Philippi filio, vt Quiritium vni POMPEIO præclarè est datum. Sab. libro 6. capite tertio.

CAROLVS, qui Pipino Francorum regi & patri successit, à rerum gestarum magnitudine & excellentia Magnus est appellatus. Ritius lib. 1. de Reg. Francor. & Sigebert. in Chron.

Non æquitatis & iuris fuit studium, sed fortitudinis & inuicti animi exemplum, illud in MARCO Marcello, qui vndequadragies dimicauit col latis signis, cognomen rei conueniens demùm adeptus, vt secundo Punico bello aduersus Pœnos, Romani sit populi gladius nuncupatus: quippe qui Rempublicam immensis cladibus aliis super alias afflictam bellica virtute restituit: docuítq; Pœnum posse vinci, à quo Romani toties victi essent. Sab. lib. 6. cap. 3.

Marcelli ferocia non magis profuit patriæ, quàm FABII Maximi prudentia & maturitas. ille ferocissimos hostis spiritus fregit: hic artes, quibus non minus stetit res Punica, quàm armis. Non defuit igitur & Fabio suus honor, qui Cunctator cognominatus est, & Rom. populi clypeus. Sab. lib. 6. cap. 3.

Q. FABIO Maximo dictatori magister equitum Minutius scito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, æquatus, partito exercitu separatim in Samnio cum Hannibale conflixerat. Vbi temerè inito certamine, pestiferum habiturus exitum, subsidio Fabij conseruatus, & ipse eum patrem appellauit, & à legionibus suis patronum salutari voluit: ac deposito æqualis imperij iugo, magisterium equitum, sicut par erat, dictaturę subiecit, imprudentísq; vulgi errorem gratæ mentis significatione correxit. Val. lib. 5. cap. 2.

Contigit & C. MARIO suus appellationis honos, qui Cymbris, Theutonis & Ambronib. duplici pręlio cæsis, réq; publica in pristino statu retenta, Tertius est vrbis conditor nuncupatus. ALTER enim à Romulo est Camillus dictus, qui Senonas Gallos ex capta vrbe expulit: hic tertius, quòd capere volentes non solùm arcuit, sed occidione cecīdit. Sab. lib. 6. cap. 3.

Quid quòd variatum est nonnunquam in appellationibus cum fortuna? Quamdiu MARIVS iunior ciuile bellum feliciter tractauit, Martis est filius nuncupatus: mox rebus partium fractis, pristinæq; fortunæ destitutus, non Martis, sed Veneris filius est dictus. Ibid.

M. MANLIVS primus in Manliorū familia amplissima & vetustissima claritatem nominis obtinuit, Capitolinúsq; ob defensum Capitolium dictus est. Plin. de Viris illust.

Consueuerunt veteres, & præcipuè ROMANI, ex oppidis & prouinciis captis & subactis, ducibus suis cognomenta dare, ad perpetuam rei tam bene gestæ memoriam, quorum præcipuos nunc referre lubet.

L. VAL. Potitus, cùm Volscos, Equósq; ad Algidum magna laude debellasset, & triumphus ei negaretur, suadente Icilio, triumphauit, sine Senatus authoritate: ideóq; Maximi cognomen adeptus est: teste Plut.

MARTIVS, quòd fortem strenuámq; operam Reipub. nauasset, capto Volscorum oppido Coriolis, nomen Coriolani in posterum concedente senatu, sibi sumpsit. Alex. ab Alex. li. 2. cap. 11.

Q. CÆCILIVS Metellus, à domita Macedonia Macedonicus vocatus est. Item Felix, ob rerum successum appellatus est.

Q. METELLVS huius filius, Balearicus, à victis insulis Balearibus.

Q. CÆCILIVS Metellus, Numidicus dictus est, quòd de Iugurtha rege Numidiæ triumphasset. Volaterranus libro decimoseptimo Anthrop.

METELLVS, cùm in eo bello quod Romani contra Cretenses gesserunt, totam insulam cæpisset, & contra Pompeij Magni impetum (qui per id tempus habebat totius maris imperium & continentis) totum hoc bellum confecisset, Cretensis cognominatus est. Dion Nicæus, vel eius abbreuiator Xiphilinus, in Pompeio.

L. METELLVS Dalmaticus, à victis Dalmatis, vt author est Pedianus in actione 3. contra Verrem.

Q. TVRNIVS, qui Garamantes vltra Æthiopes horridos & incultos bello vicit, Garamanticus nominatus, ob modestiam & vitandæ inuidiæ causa à Garamantici cognomine abstinuit. Alex. ab Alex. libro secundo, cap. 11.

P. SCIPIO qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, Carthaginensibus bello victis, Africani cognomen tulit. Ibidem.

SCIPIO prioris Aphricani nepos adoptiuus, ob Aphricam & Numidiam bello domitā, minor Aphrican⁹ & Numantinus appellatus est. Ibi.

SCIPIO alter ex deuicto Antiocho, & Asia subacta, Asiaticus cognominatus est. Plut.

L. MVMMIVS deleta Achaia & Corintho, Achaici cognomen tulit, licet Corinthi superati prima laus Macedonici Metelli fuerit. Is enim omnem Achaiam ita bello afflixit, vt rebus afflictis Mummis superueniens, leui certamine expugnatam Corinthm victoriæ suæ ascripserit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

FABIVS ex Allobrogibus debellatis, Allobrox nominatus est à Romanis. Ibidem.

GABINVS secundus, ex Caucis Germanica gente, Caucius appellatus est. Ibidem.

MARCVS Valerius à Messana in Sicilia subacta, Messalæ cognomen sibi vendicauit iure. Ibidem.

P. SERVILIVS ex Isauria in Cilicia domita, Isauricus appellatus est. Ibidem.

COSSVS ex Getulis nomen Getulici sibi sumpsit. Ibidem.

BRVTVS ex Callecis cognominatus est Callecus. Ibidem.

TRAIANVS Romanorum imperator, cùm contra Dacos immanissimos Barbaros belligerasset, atque Decebalum eorum imperatorem cū exercitu fudisset, subiecissétq; eam ditionem omnem Romano imperio, Dacicus cognominatus est. Vide Dionem Nicæum, atq; Xiphilinum in eius vita.

Idem, cùm fœliciter contra Armenios Parthósque Romanorum atrocissimos hostes pugnasset, eosdémque Romano subiecisset imperio, Optimus à senatu cognominatus est. Adhæc Nisibi Batnísque captis, Parthicus etiam cognominatus est. Sed cognomine Optimi multo magis gloriari videbatur, ex quo natura moréſque eius suauissimi magis quàm arma cognoscerentur. Dion Xiphilinus.

M. ANTONINVS victis Celtis, qui trans Rhenū habitabant, atq; Marcomannis, qui aliquoties fœliciter contra Romanos pugnauerāt, & Marcum Vindicem præfectum interfecerāt, Germanicus cognominatus est. Dion, & Xiphilinus.

SEVERVS Imperator, & reliqui post eum Cæsares, ex Arabia, Adiabena, Parthia, Armenia & Germania, aliísque bello domitis gentibus & nationibus, quas suo ductu & auspicio conquisiuere, Arabici, Adiabenici, Parthici, Armenici & Germanici, sicut Sarmatici, Aphrici, diuersis titulis cognomenta cæpere. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

OTHO IIII. Imp. qui 38 annis imperauit propter rerum gestarum magnitudinē, Mundi miraculū appellatus est. Bern. Corius in eius vita.

Familiæ ZVINGERORVM originem (quandoquidem nostris omnia debemus) hic referre non pudebit. Sub initia Heluetici fœderis, cùm Lucerna quoque sese Heluetiis iungere tentaret, Austriacę domus nobilitas tota democratiæ huic aduersari summis viribus nitebatur. Erat tunc quidam Fridericus à Brandis, ex Baronum à Brandis nobili prosapia nothus, in re militari præter iuuenilem audaciam exercitatissimus. Is cum Lucernenses infestis armis signísque sæpius vexasset, quosdam etiam custodum in portis hostilibus forti dextera obtruncasset, militare symbolū in vexillo suo exprimi voluit, quod vulgo ein Zwingen vocant. Sunt autem tres anuli (quales bubalorum naribus immitti solent) cathenatim connexi. In prælio tandem Sempachensi fortiter pugnando occubuit. Qua occasione autem gens nostra Spiseros sese postea appellari voluerint, pete ex tit. Liberalitatis bellicæ.

A TEMPERANTIA.

PHOCION Atheniensis ob frugalitatem Chrestus seu Bonus est cognominatus Alex. ab Alex lib. 2. cap. 11.

EVRIPIDES Tragicus poëta, Veneris omnino abstinens fuisse dicitur, ex quo μισογύνης, id est osor mulierum dicebatur. Suidas.

Laodice Agamemnonis filia, eò quòd sine lecto & matrimonio defuncto patre ad senectutem peruenerit, Electra dicta est. Ælianus de Varia historia.

ALPHONSVS secundus legionis Hispaniensis rex, Castus ideo cognominatus est, quòd in ipso matrimonio, cum legitima vxore perpetuā virginitatem seruauerit. Fulg. lib. 4. cap. 3.

A MODESTIA.

P. VERG. Maro, à morum probitate & verecundia Parthenias dictus est. Gyral. Dial. 4. hist. poët.

A MOLLITIE, IMPVDICITIA, immodestia, &c.

DEMOSTHENES propter molliciē Batalus ab Æschine vocatus est. Fuit autem Batalus Ephesius, scriptor lasciuorum carminum. Gyrald. in 3. Dialogo hist. Poët.

A LIBERALITATE ET BENEficentia.

CLEOMENES propter insignem suam erga meritos beneficentiam, Benefactor est nuncupatus. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

PTOLEMÆVS, eo quòd neminem læderet, benefaceret verò omnibus, Benefactoris cognomen promeruit. Ibidem.

A CLEMENTIA ET SEueritate.

Abierunt Manliana imperia apud Romanos in prouerbium, estque

& ipse Manlius Torquatus Imperiosus appellatus: qui filium altæ indolis securi percussit, quòd præter militarem disciplinam in hosté ex prouocatione dimicasset. Sab. lib. 6. cap. 3.

Q. FABIVS Max. Dictator, propter benignam naturam Ouiculę cognomen meruit. Volat lib. 16. Anthrop.

L. CASSII prætoris Romani tribunal, propter nimiam seueritatem Scopulus reorum dicebatur. Val. lib. 3. cap. 7.

ANTONINVS Romanorum imperator, Adriani successor, à senatu Romano Pius cognominatus est, propterea quòd initio principatus sui multis reis factis, postulatísque nonnullis nominatim ad supplicium, neminem puniuerit. Idem etiam cùm nimium curiosus esset, ponerétque maximam diligentiam in minimis quibusdam rebus indagandis, Cuminisector cognominatus est. Dion Nicæus, & Xiph. in eius vita.

LVDOVICVS Caroli magni filius, huius nominis Francorum rex primus, à clementia morum Pij cognomentum assequutus est. Michael Ritius libro primo de Regibus Francorum.

A CIVILITATE ET VRbanitate.

TITVS Vespasianus, Humani generis deliciæ, propter mansuetudinem & humanitatem, appellatus est. Fulg. lib. 5. cap. 1.

NICOLAVS Vrsinus pontifex Rom. huius nominis tertius, ob morum vitæque honestatem vulgò Compositus dictus est. Volat. libro 22. Anthrop.

ANDREAS Dandulus Venetorum dux, ab eloquentia & comitate vulgò Comesinus dictus est. Egnat. lib. octauo, cap. 16.

AB HVMILITATE.

GREGORIVS pontifex, qui diuorum est numero ascriptus, primus pontificum in diplomatum præfatione se seruorum Dei seruum inscripsit. Quo nihil fieri potuit, aut eius qui hoc potuit pietati conuenictius, aut doctoris summi præcepto similius. Sab. lib. 6. cap. 2. & Fulg. li. 4. ca. 10.

A VERITATE.

CAROLVS Francorum rex, cùm esset homo sine fuco & fallaciis, Simplex est adpellatus. Ritius Neap. eodem loco.

A TACITVRNITATE.

THOMAS Aquinas, cùm in coæquales pueros taciturnus esset, Bos mutus à plerisque vocabatur. Verùm magister eius, cognito illius ingenio: Bos, inquit, iste mutus talem mox edet mugitum, vt vocem eius vniuersus admiraturus sit mundus. Marul. lib. 4. cap. 6.

A PIETATE RELIGIOSA.

Multi hominum extitere, quibus aut virtus, aut vitium, aliusúe casus appellationem inuenêre, quorum alij alia causa: sed nulla maior augustiórque fuit, quàm ea quæ Christo Deiparæ filio contigit piorum omnium consensu, vt Redemptor sit mundi, sit & Saluator dictus, cùm seruatorem, vindicem, assertorem elegantius dicere potuisset humana pietas. Sab. lib. 6. cap. 3.

Mirum est quod de Iacobo minore (fuit is Christi discipulus) proditum est memoriæ, quia puer adhuc incredibili quadam, ac supra ætatem sanctitatis opinione imbuit omnium mentes. Sanctus vulgò appellatus est. Auxit opinionem hãc de eo receptam summa vitæ austeritas. Enimuerò neque vinum bibit vnquam, nec vllum carnis nouit vsum, intonsus vixit, vnguenti & balnei expers: adeò precando numini deditus, vt eius genua in camelorum speciem occalluerint. Ibidem.

IVDAS Lebbæus, siue Thadæus, vnus ex 12. Christi Apostolis, à feruenti religionis studio Zelotes cognominatus est. D. Hieron. in Com. 4 cap. ad Galatas.

SAVLVS subiugato Paulo proconsule, quem apud Cyprum Christi fidei subiecit, sibi Pauli deinde nomen sumpsit: teste Origene in Præfatione Commentariorum epistolæ Pauli ad Romanos.

IOANNES episcopus Alexandrinus, ob eximiam in Christum liberalitatem, nomen Eleemosynarij promeruit. Sigebertus in Chronicis.

ALPHONSVS Petri Cantabriæ ducis maximus natu filius, cùm Arrianum dogma, quod à Recharedi regis morte rursus in Hispania pullularat, eradicasset, vrbésque & oppida complura eiecto Maurorum presidio recepisset, Catholicus est cognominatus. Ritius Neap. libro secundo Regum Hispaniæ.

PTOLEMÆVM Ægyptiorum regem, eo quòd deorum simulachra à Cambyse disiecta restituisset, Euergetem in posterum & Beneficum appellarunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2.

GALLVS etiam viuens Sancti cognomen meruit, ob pietatem. Vide tit. Monachorum Septimi seculi.

THEOTIMVS episcopus Tomitanus, ab Hunnis qui ad Istrum habitabant, Romanorum Deus propter miracula vocabatur. Prædones occurrentes sola orationis vi compescuit. Cùm clypeo innixum verba facientem ad populum, Hunnus quidam spe prædæ capere vellet, & elata manu laqueum collo iniicere pararet, manus eius inuisibilibus vinculis in aere immobilis perstitit: nec prius loco potuit moueri, quàm precibus Theotimi intercedentibus. Niceph. lib. 12. cap. 45.

A IVSTICIA ETHICA.

Nomina regum varia apud varias gentes, pete ex tit. Reges diuersorum.

ARISTIDES Atheniensis, ab æquitate & innocentia Iustus cognominatus est: fuítque illi eiusmodi appellatio inuidiæ. Ostracismo damnatus, cùm ignominiæ causam pro concione requisiuisset, responsum est: non posse ciuitatem pati vnum aliquem ciuium ab omnibus iustum prædicari. Sab lib. 6. cap. 3.

Gratior auditu appellatio Publicolæ, quæ P. Valerio Valesi filio meritò contigit: non magis quia ex publicæ libertatis assertoribus fuit vnus, quàm quòd illam assertam lege & popularibus exemplis stabilisset, maximè cùm legem de prouocatione à magistratibus ad populum promulgasset. Cæcilius, & Sab. eodem.

L. VALERIVS Potitus post Decemuiralem inuidiam, plebem in partes concitatam, legibus & conditionibus suis mitigauit: vnde Potiti nomen adeptus est. Volat. lib. 20. Anthrop.

Q. FABIVS Rullus censor, cùm quosdam viros è libertinis genitos amoueret è senatu, patrésque à plebe dissidentes reconciliasset, Fabius Maximus cognominatus est. Quem honorem nulli nisi Valerio quoque qui idipsum fecerat, tribuerunt. Volat. lib. 16. Anthrop. Sed hunc in modum de eo loquitur. Liuius lib. 9. Q. Fabius cum Pub. Decio censor, ne comitia in humillimorum manu essent, omnem forensem turbã excretã in tres tribus coniecit, Vrbanásque adpellauit. Adeóque gratum fuit, vt Maximi cognomẽ, quod victoriis non pepererat, propterea sit assecutus.

Q. METELLVS Pius appellatus est, quòd patrem assiduis precibus & lachrymis ab exilio reuocauerit. Volat. lib. 17. Anthrop.

CORNELIVS ideo Scipionis nomen primò sortitus est, quòd patrem luminibus carẽtem pro baculo regere solitus sit, quem Scipionem Grammatici appellant. Vnde quoque & posteri ab eo Scipionis nomen sumpserunt. Macrob. & Volat. lib. 19. Anthrop.

Pater patriæ Quiritium primus. M. Cicero curiæ decreto est appellatus, dein & Augustus id tulit cognomen, Cæsaribus postremò ambitiosè magis quàm veré adoptatum. Sab. lib. 6. cap. 3.

ANTONINVS Romanorum imperator, ideo pius cognominatus est, quòd socerum ætate confectum manu subleuarit: vel quòd multos cædi destinatos ab Hadriano surriperet, seu potius quòd multos post mortem honores Hadriano decreuerit. Volat. lib. 23 Anthrop.

A MECHANICIS ARTIBVS.

CALLIAS Atheniensis comicus, Lysimachi filius, cognominatus est Schœnion, quòd funes ob paupertatem torqueret. Volat. lib. 14. capite 2. Anthrop. ex Suida.

C. LICINIVS Stolonis cognomen adeptus est, quòd agriculturæ diligentissimus fuerit: plantásque & arbores ablaqueare, & resectis fruticibus, quos stolones vocant, curare soleret: vt refert Columella.

FABII apud Rom. primi Fodij sunt dicti, eo quòd in venatione fossis vterentur. Tractu deinde temporis pro Fodiis Fabij, duarum literarum immutatione appellati fuêre. Plut. in Fabij Max. vita.

P. ÆLIVS Pertinax Imp. ab Ælio Successo natus, ab eodémque nomen Pertinacis habuit, quòd lignariæ negociationi pertinaciter intenderet. Ille præterea Chrysologus cognominatus est, quòd bene loquendo haud bene faceret. Volat. lib 23. Anthrop.

Apud Germanos iam olim consuetudo fuit fabris ferrariis, quam etiamnum hodie pertinacissimè seruant, vt quicunque artem fabrilem exercere volunt, ab artis illius operibus aut instrumentis cognomen assumere cogantur, gentilicio familiæ suæ nomine & insignibus reiectis.

NOMINA A VARIIS VITIIS IMPOSITA.

De nominibus à virtute impositis superius: nunc de iis quæ ex vitio imponuntur, vituperio plena non per se, sed propter vitiosum animi habitum, cuius veluti symbola sunt & indicia externa. Quæ à malis corporis vel fortunæ pendent, dedecus nullum pariunt: eáque propter non sunt huius loci, sed à nobis sub Honoris appellationibus crassa Minerua explicata fuêre. Vera laus virtutis est, turpitudo & dedecus vitij. Nunc ergo de nominibus ex vitioso habitu inditis agamus.

PAVSANIAS Cappadox, vrbe Cæsarea, Herodis discipulus, quia pingui lingua, more Cappadocũ, pronũciabat, colligendo consonantes longa,

longa contrahendo, & breuia producẽdo. Cocus vulgò vocabatur, quòd ex multis sumptuosis cibis obsonium præparere videretur. Philostratus in Sophistis.

LIVIVS Salinator, eo quòd in censura sua salis vectigal primus omnium commentatus esset, Salinatoris cognomen accepit. Volat. li. 16. Vrbis. Com. ex Liuij lib. 29. & Cecilio.

ACCA Laurentia Faustuli pastoris, qui Romulum & Remum in ripa Tiberis inuenit, vxor propter corporis formosissimi quęstum, Lupa vocata est. Vnde ad nostra vsque tempora meretricum cellulæ lupanaria appellantur: testis est Liuius lib. 1. Dec. 1. Plut. in vita Romuli, & alij qui de Romanorum historia scripserunt.

XENARCHVS Rhodius à bibacitate dictus est Metretes. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

OCHVS Artaxerxes Persarum rex, qui Apim ægyptium interfecit, propter crudelitatem & cædes Machæræ cognomen obtinuit.

DIOTIMVS Atheniensis χόνης, hoc est Infundibuli nomen à bibacitate meruit: & ab eadẽ quoq; Xenarchus Rhodius Metretes dictus fuit. Ælian. lib. 2.

PTOLEMÆVS rex, ob vitæ turpitudinem Lamyrus dictus fuit. Ibidem.

PTOLEMÆVM alium ægyptium regem defamatissimum, quòd super cętera flagitia & dedecora choraulam & tibias exerceret, Auleten cognominarunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2.

NOVELLIVS Mediolanensis, ad proconsulatum vsque ex prætura promotus, ob tres vini congios vno impetu epotos, spectante Tiberio principe, Tricongios nominatus est. Plin. apud Volat. lib. 17. Anthrop.

FABIVS ob deuoratum luxu patrimonium, Gurges vocatus est: cuius tamen insecuta virtus, vitia prioris ætatis compensauit. Macrobius apud Volat. lib. 16. Anthrop.

CAROLVS Francorum rex, Ludouici Carloni filius, ob ignauiam dictus est Maleferiatus, quum serium nihil ageret. Ritius Neap. lib. 1. Reg. Francorum.

ANTIGONVS à rapacitate dictus est Hierax. Alex. ab Alex. li. 1. ca. 11.

L. LVCVLLVS, qui Mithridatis Pontici opes fregit, ob insanas villarum ædificationes, aliáque sumptuosiora opera, Xerxes Togatus à suis est ciuibus dictus. Sab. lib. 6. cap. 3.

DEMOSTHENES ob morum feritatem Arges serpentis nomine vocatus est. Alex. ab Alex. lib 2. cap 11.

Vidit sua ætas ATTILAM Hunnorum regem, magnóque hominum consensu Flagellum Dei nuncupauit: non quia è cœlo sit hominibus mali aliquid (id enim impium sit credere) sed quòd numinis permissu Barbarus multis cladibus Italiam affecerit. Sabellicus libro sexto, capite tertio.

TARQVINIVS Superbus (ne Stercurij, Belligeri, Bifrontis, & alia vetusta, fabulosáque cognomina repetantur) Romanorum regum vltimus, ob eam rem nominatus est, quòd Tullum socerum suum regno & vita spoliatum insepultum abiecisset: etsi reliqua eius vita sæuitię & crudelitati dedita, non tam fuit digna eiusmodi appellatione, quàm exilio & calamitate, in quam superbissimus rex, cum scelerata coniuge & liberis incidit. Ibidem.

TYRANNION Amisenus, Estiæi Ameseni nobilis grammatici discipulus, prius dicebatur Theophrastus: mutauit autem nomen, quòd inter æquales superbis versaretur moribus. Volaterranus libro vigesimo Anthrop.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, qui summum bonum in corporis voluptate ponẽbat, à Diogene Canis regius est appellat⁹, quòd diuitum esset assecla. Iactatum inter eos scomma Horatius perpulchrè versibus includit: Si pranderet olus, patienter regibus vti Nollet Aristippus: si sciret regibus vti, Fastidiret olus, qui me notat, &c. Horat. Epist. lib. 1. epistola ad Sceuam.

DEMOCHARES, ob linguam procacem παῤῥησιαστὴς appellatus est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

ARISTOGITON orator Atheniensis, propter impudentiam Canis ab Atheniensibus vocatus est. Volaterranus libro 13. capite quarto Anthrop.

Non tulit Attica ciuitas in Aristide nomen ab æquitate & innocentia inditum: at in CALLIA crudelis & iniusti vocem ferre potuit. Hic quia improbus, retentus est in ea ciuitate, vnde is fuerat eiectus, qui omnium eius ætatis hominum fuit iustissimus: manifesto leuiatis argumento in multitudine, quæ amat leuiter, oditque leuius. Sabel. libro sexto, capite tertio.

PTOLEMÆVS Ægyptiorum rex, Philadelphus, Philometor & Philopator, ob neces parentibus & fratribus germanis illatas, per antiphrasin & irrisionem vocatus est. Alexand. ab Alexand. libro primo, capite secundo.

ANTIOCHVS Macedoniæ rex, quòd multa promitteret, parum autem pręstaret, Dolus cognominatus est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

L. TREBONIVS tribunus plebis, cùm in suo tribunatu patres insectari, & leges suo libitu ferre videretur, Asper cognominatus est. Liuius lib. 3. Dec. 1.

ORDONIVS, eius nominis quartus Hispaniæ rex, Alphonsi filius, cùm non iure regium sibi nomen arrogasset, populósque non in pace continuisset, Mali cognomentum meruit. Ritius libro secundo, Regum Hispanorum.

NOMINA AB AFFECTIBVS *imposita.*

ISAAC Abraham F. appellatus fuit: quoniam cùm angeli Saræ prædicerent conceptum, risit illa, neq; dictis illorum fidem adhibuit, eo quòd iam nonagenaria esset. Gen. 21.

RHADAMANTHVS Iouis & Europæ F. sic dictus, quòd Europa mater rosarum incredili amore fuerit allecta, quas Iupiter in taurum mutatus ore ferebat, ita vt taurum conscenderet. ἀπὸ τῆς μανίας περὶ ῥόδα. Alij tamen croci florem fuisse contendunt, Eustatius Odyss. ξ.

DEMOCRITVS omnes deridebat, & aiebat insanire. Vnde etiam Gelasimum, id est risorem, eum ciues appellarunt. Dicunt etiam in primo congressu cum Democrito, Hippocratem de ipso tanquam de stulto sensisse. Postquam verò ipsi familiaritas intercesserat, mirum in modum admiratum esse hominis sapientiam. Ælian. de Var hist. lib 4.

M. CRASSVS auus eius, quem bella Parthica rapuerunt, eo quòd nũquam in vita riserit, Agelastos cognominatus est. Solinus capite quarto. Polyhistor. Cicero de hoc quoque Tuscul. quæst. libro tertio, & de Finibus 5.

NOMINA A BONIS VEL MALIS CORPORIS IMPOSITA, IN *quibus tamen nihil insit dedecoris, cùm à nobis non pendeant.*

A NATIVITATE ET ORTV.

Primogenitum suum Eua CAINVM nominauit, quòd illum enixa dixisset, Adepta sum virum à Ioua. Inde Abelem peperit. Mox SETHVM: sic dictum, quòd Deum sibi reposuisse prolem alteram in locum Abelis à Caino perempti diceret. Gen. 4. Itaque iam statim ab initio non fortuitò nomina imponebantur, sed cum ratione. Turpe enim foret, animantibus omnibus ex sui natura singulis indita fuisse nomina ab Adamo, & hominem solum nominibus propriis carere. Proinde idẽm Adamus mulierem ex sua costa productam ISCHAH vocauit, hoc est viraginem, quoniam virum propagasset, & adiumentum. Gen. 2. Eandem post lapsum EVAM nuncupauit, quòd esset omnium viuentium mater. Gen. 3.

IOSEPHVS Iacobi F. cùm in ægypto apud Pharaonem sapientiæ nomine in magna esset existimatione, & ex Asenatha Potipheræ Heliopolitani pontificis filia sustulisset liberos: grandiorem natu vocauit Manassem, quòd ei Deus omnium dolorum, ipsiúsque patriæ domus obliuionẽ attulisset: minorem autem Ephraimum nuncupauit, quòd eum fœcũdasset Deus in terra suæ miseriæ. Gen. quadragesimo primo.

IACOBI patriarchæ duodecim filiis qua occasione indita fuerint nomina, pete ex Gen. 30

Tulit vna omnium Christi MATER virginalis appellationis decus. Estque ita & piè & sanctè comparatum, vt vbi nomen virginis, vox cœlo grata, inferis inuisa, gentibus popularis, ore effertur, hic Annæ filia Christi parens nominari, nec vlla virginum alia intelligatur Sab. libro sexto, cap. tertio.

Critheis Melanopi Magnesij F. qui Cumam æolicam inhabitabat, cùm ex furtiuo concubitu concepisset, & à Cleonacte tutore cuidam Ismeniæ Thebano, qui Smyrnam incolebat, obtrusa esset: ad festum quoddam cũ aliis mulierculis egressa, iuxta fluuium Meletem filiũ peperit, qui propterea MELESIGENES dictus fuit, temporis inde progressu Homerus. Herod. & Plut. in eius vita.

DAPHNIS, eo quòd infans sub lauro expositus esset, nomen adeptus est. Ælian. lib. 10.

ASCANII filius, eo quòd in syluis natus, Syluius cognominatus est: qui cùm secundus ab Ascanio Albæ regnum suscepisset, omnes post eum Albanorum reges Syluij cognominati sunt, testibus Liuio, Eutropio, Messala Coruino, & aliis.

AGRIPPÆ, eo quòd in nascendo non caput, sed pedes primi exierãt, qui partus difficillimus ægerrimúsque habetur, dicti sunt, ab ægritudine & pedibus. Solinus cap. 4. Polyhistor. & Gell. lib. 16. capite decimosexto: ex Varrone.

SCIPIO Africanus minor, eo quòd defuncto parente excisus vtero in diem venerat, primus Romanorum Cæsar dictus est, teste Solino. lib. Polyhist. & Syllio Italico lib. 13.

GALEATIVS primus, Matthæi Magni Vicecomitis, Mediolanensiũ principis filius, sic dictus, quòd cùm eum mater Burra in multo gallorum cantu enixa esset, & infans apertis oculis altè vagiret, per iocum Gallatzum appellasset. Quod nomen cùm ancillæ cum risu sæpius repeterent, ominosum id visum est, quòd gallus Martia auis esset: quódque ea nocte puerum nasci contigisset, qua felici prælio ad Decimum interfectis Turrianæ familiæ proceribus, ab Otthone Vicecomite parta est ea insignis victoria, quæ principatus Vicecomitum initium fuit. Iouius in eius vita.

A BONA ACTIONE CORPORIS.

ARTAXERXI Mnemonis cognomen, eo quòd memoria valeret, datum est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

VALERIANVS Cæsar propter promptitudinem manuum in tractãdis armis, Carpici cognomen meruit, à carpo. Quod tamen postea Imperator factus, modestiæ causa respuit. Alex. lib. 1. cap. 11.

GRATIANVS Imperator, Valentiniani pater, Funarius est dictus: quòd funem portanti quinque etiam robustissimi milites extorquere nequirent. Cælius libro vndecimo, capite decimotertio.

A FORMA, STATVRA ET PROportione corporis.

Nomina à formæ similitudine indita, pete ex tit. Formæ similitudo.

MELAMPVS vates, poeta & medicus excellentissimus, filius Amythaonis, sic dictus, quòd nigris fuerit pedibus. Nam cùm eum mater peperisset, in loco arboribus denso exposuit: in quo cùm pedes minus obtegerẽtur, sole sunt nigri facti. Theocriti interpretes in tertio Eidyllio.

ASPASIA Hermotimi filia Phocensis, propter roseum cutis colorem Milto vocabatur. Hanc quamuis pauperem Cyrus Persarum rex in vxorem duxit. Ælian. lib. 12. Var. hist.

ARTAXERXES, quòd altera manu longior esset, Macrochir siue Longimanus cognominatus est. Alexander libro quarto, capite vigesimosexto.

PLATO philosophus diuinus, & omnium quotquot sunt philosophorum sanctissimus, ab initio Aristoclis nomen habuit: & ob frõtis siue humerorum latitudinem, Plato appellatus est. Volat. lib. 18. in eius vita.

PHISTOS & Cyrippos ab excellentia crurum à Græcis dictos esse liquet. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

PITTACVM Mitylenæum, qui vnus ex septem Græciæ Sapientibus fuisse dicitur, cùm latos haberet pedes, Sarapodam vocat Alcæus. Ibidem.

Plancij Romani, ex planicie plantæ: sicuti Pansæ, à latitudine, teste Festo appellati sunt. Volat. lib. 18. Anthrop.

M. ACTIVS comicus, Plotus primùm dictus est, à pedum planicie, lingua Vmbrorum: deinde Plautus. teste Sex. Pomp.

P. SCIPIO Nasica iunior, Serapion vocitatus est, quòd Serapioni victimario seruo persimilis omnino foret. vt est apud Val. Max. de Similitudine formæ: & Volaterranum lib. 19 Anthrop.

Scipio Suarius cognomen sortitus est, ob similitudinem Suarij cuiusdam negociatoris. Idem.

VARRO sophista à forma nasi, ciconiæ comparis, Pelargus cognominatus est. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 11.

M. CVRIVS Dentatus dictus est, quòd cum dentibus procreatus sit. Solinus cap. 4. Polyhist.

L. CORNELIVS, quia faciem habebat albam, rubore plurimo permixtam, Syllæ cognomentum adeptus est. Eapropter quidam ex Atheniensium scurris eum appellauit Morum farina conspersum. Plut. in eius vita. Quamuis Macrobius lib. 1. Saturn. cap 17. incerto authore, propter inspectionem Sibyllinorum librorum, primo Sibyllam, deinde Syllam cognominatum asserat.

Q. FAB. Max. Verrucosus dictus, propter paruam verrucam supra labium enatam. Plut. in eius vita.

CICERONIS cognomen à cicere, quòd primus eius familiæ in extremo naso fissuram obscuram, qualis est in cicere, habuerit. Plutarch. in Cicerone.

PHILIPPVS Francorum rex, qui initio simultates cum Bonifacio pontifice maximo, deinde professas exercuit inimicitias, à formæ prçstãtia Pulcher cognominatus est. Ritius Neap lib. 2. Reg. Francorum.

PIPINVS ex Austria profectus, & Childerico Francorum rege ad Theodoricum fugato prætorio præfectus, Pusilli cognomen à breuitate corporis habuit. Rit. lib. 1. de Francorum regibus.

SANCTIVS eo nomine primus Hispaniæ rex, ab habitu corporis cognomentum Crassi adeptus est. Ritius Neap. libro secundo de Regibus Hispaniæ.

AB AFFECTIBVS CORPORIS.

MELESIGENES poetarum deus, Homeri appellationem meruit, vel quia à natiuitate cæcus fuisset, vel quia peregrinationibus longinquis Colophone visum amisisset. Nam cùm Cumam reuersus esset, & de alẽdo Melesigene deliberaretur, vnus è senatoribus repugnauit, inquiẽs: Si semel Homeros, id est cæcos alendos susciperent, futurum vt turba cæcorum tandem opprimantur. Atque hîc primum Homeri nomẽ Melesigeni inditum. Lingua enim Cumæorum ὅμηρος, quasi μὴ ὁρῶν dicitur: vel certè quòd comite & duce itineris indigeat, vt Plut. & Herod. At Arist. in 3. de Poetica scribit, cùm Lydi ab Æolibus premerentur, & Smyrnam relinquere statuissent, principésque per præconem edixissent, vt quicunq; ipsos sequi vellet, vrbe egrederetur: ibi tum Homerus quoque adhuc puer ait, & se velle ὁμηρεῖν, id est sequi. & hinc Homeri nomen ductum Heliodorus verò lib. 3. Æthiopicæ historiæ inquit, Mercurij & vxoris sacerdotis Thebani in Ægypto Homerum fuisse, & indicium stupri in vtroque femore iam inde à natiuitate habuisse villos prælongos. Cùm igitur ignominiæ vitandæ causa solum vertisset, & in Grçcia erraret, nomen, genus & patriam occultans: propter hanc corporis notam vulgò dictus fuit ὁ μηρός, hoc est, is qui femur pilosum habet. μηρὸς enim femur significat.

CORNELIVS Cossus tribunus militum, ab aspera facie ita appellatus est. Cossos enim Festus eos qui rugosi sunt, & aspera facie, dicit vocari, à similitudine vermium, qui in ligno nutriuntur: eodémque modo vocant hodie vulgo Itali paruos in cute tumores. Volat. li. 4. ca. 2. Anthrop.

ACACIVS orator insignis, eo quòd altero oculo captus esset, μονόφθαλμος appellatus est. Volat. lib. 13. cap. 3. Anthrop.

HORATIORVM antiquissimus Cocles, id cognomentum assecutus est, quòd in prælio alterum oculum amiserit. Volaterranus libro decimoseptimo. Anthrop.

MICHAEL Romanorum Imperator, quòd lingua esset balbutienti, Thraulus siue Balbutiens cognominatus est. Volat. lib. 23 Anthrop.

LVDOVICVS Francorum rex, Caroli Calui frater, ab impedimento linguæ Balbus cognominatus est. Ritius Neapolitanus lib. 1. de Regibus Francorum.

ANTIMACHVS poeta quidam melicus (non Colophonius ille) Psecas cognominat' est, quòd sputo eos quibus cũ loqueretur, perfunderet. Est enim Græcis ψεκὰς, leuis illa aspersio. Gyrald in 3. Dialogo hist. poet.

A MORTIS GENERE.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, qui secũdùm Orosium, Plinium, Iustinum & alios, magicas artes inuenisse dicitur, ab accidentario casu post obitum demum ita nominatus est. Præstigiator enim cùm esset, & deus videri vellet, dum multum astris intẽtus scintillas quasdam ex stellis produceret, tandem ab ipso dæmone succensus est: quem fulmine ad cœlum eleuatum, & in deorum numerum relatum putabant, vocantes in posterum Zoroastrem, quasi viuens astrum. Vide Clementem in Itinerario suo: & Antoninum tom. 1. tit. 2. cap. 1.

IACOBVS martyr Persa genere, metu mortis idolis sacrificauit. Sed mox pœnitens, martyrium sustinuit alacriter, & à præfectis membrorum nodis Denodatus dictus est. Marul. lib. 2. cap. 12.

A CAPILLIS ET BARBA.

EPICRATES orator Atheniensis, eo quòd propensam ad pectora barbã ferret, Sacesphorus est à Platone in comœdia vocatus, quasi scutum præ se ferens. Volat. lib. 15. Anthrop.

CONSTANTINVS V. interfecto patre Constãte in Sicilia, ephebus adhuc Byzantio soluens, in Siciliam nauigauit, ibíque patris interfectores milites cum Mezentio tyranno sustulit. Postea è Sicilia rediens, cùm promissam barbam referret, πωγώνατος dictus est vulgo Constantinopolitano. Paulus Diaconus lib. 19. Rerum Rom.

CLODIVS Francorum rex, Feramundi filius, cui quoque in imperio successit, à promisso capillo Capillatus dictus est: vt est apud Michaelem Ritium Neapolitanum, de Regibus Francorum lib. 1.

CAROLVS Ludouici regis Francorum filius, cui à morte patris obtigit imperium Franciæ, à casu capillorum Caluus cognominatus est. Ritius Neapolitanus lib. 1. de Reg. Francorum.

A VESTITV.

PORPHYRIVS philosophus, Tyrius genere, prius Malchus vocabatur: deinde ob vestem regiam purpuream, qua ob nobilitatem vtebatur, Porphyrius appellari cœptus est. vt Suidas & Eunapius apud Volat. lib. 18. testantur.

L. METELLVS, quòd vlceris causa frontem fascia circumdedisset, Vittati seu Diademati cognomen tulit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 18. Plut. in vita Coriolani.

MECOENAS, quod mollioribus vestimentis quàm par esset, indueretur. Malacinus dictus est. Alex. ab Alex. lib 5. cap. 18.

C. CALIGVLA, cum esset magna ex parte in exercitu educatus, & caligis militaribus pro vrbanis vteretur, ita cognominatus est. Dion Nicæus in Tiberio.

ANTONINVS Bassianus, Seueri parentis sui in imperio Romano successor, post Parthicum bellum iam finitum, non solum quòd spectabat ad cætera, viuebat in exercitu contra mores institutáque maiorum: sed etiam proprium genus indumenti in modum penulæ excogitauit. Id barbarum, disscissũmque, & consutum erat ex multis partibus: eóque indutus erat semper, ex quo Caracallus cognominatus est. Dion Nicçus, & Xiphilinus in Antonino. Alij tamen eum, quòd nouo vestis genere populum donasset, Caracallæ nomen tulisse asserunt. Alexander ab Alexandro libro quinto, capite decimooctauo & Volaterannus libro vigesimotertio. Anthrop.

M. POPILIVS consul, cùm sacrificium obiret læna amictus (erat enim flamen Carmentalis) plebis contra patres seditione nunciata, cum læna prodiit in concionem, & seditionem compescuit. hinc Lenę agnomen meruit. Cicero in Bruto.

A BONIS VEL MALIS EXTERNIS ET FORtuitis imposita nomina.

Cùm

Cùm Abramo Dominus fœdus iniit, & numerosam posteritatem promisit. Eam igitur ob causam non amplius Abramum, sed ABRAHAMVM appellari voluit, hoc est, patrem multarum gentium: & vxorem nõ amplius Saraim, id est, principem meam (populi videlicet Israëlitici) sed Saram, id est, principem (matrem videlicet omnium credentium, siue Israëlitæ fuerint, siue gentes. Principis enim nomẽ latius patet, quàm principis meæ.) In semine enim Abrahami Christo, omnes gentes terrarum benedictionem consecuturæ erant. Gen. 17.

ESAVS, cùm prærogatiuam ætatis suæ Iacobo fratri pro edulio ex lẽtibus confecto, quòd ruffum erat colore, vendidisset, Idumi nomen inuenit. Gen. 25.

THESEO nomen hac occasione inditum est. Pater eius Ægæus, cum Æthra Pitthei Trœzeniorum regis filia, rem habuit: eámq; cõcepisse suspicatus, gladium & calceos sub saxum cauum & ingens abstrusit. rem soli Æthræ aperuit: dedítq; mãdatum, vt si filium peperisset, adultum eum, cùm sublato saxo potuisset eas reliquias eximere, vnà cum his, nemine conscio (propter 50. Pallantis filios Ægæo infestos) ad se mitteret. Æthra igitur filium edidit, qui propter reposita sub saxo, vnde cognosceretur, monumenta, θήσευς ἀπὸ τῶ θέσθαι dictus fuit. Plut. in Theseo.

CYPSELVS, à Cypsela mensura frumentaria, in qua latuit, nomen habuit. Vide tit. Oraculorum intellectorum.

Aiunt quidam sermones Delphici, HERCVLEM Iouis & Alcmenes filium, ex genere nominatũ esse Heraclidem. Interiecto deinde tempore, quadam de causa oraculum consuluisse, & compotem factum quorum gratia venerat, Præterea seorsim etiam hæc audiuisse à Deo:

Heraclem te alio Phœbus cognomine dicit:
Gratificando etenim decus immortale tenebis.

Ælian. de Var. histor. lib. 2.

ÆGYSTHVS Thyestis & Pelopiæ filius, expositus, à capra nutritus, inde nomen traxit.

PENELOPE ab Icaro & Peribœa in mare proiecta, à Penelopibus auibus seruata est. Inde nomen traxit, cùm prius Arnea vocaretur.

SEMIRAMIS Nini Assyriorum regis vxor, quæ defuncto marito 42. annis sub viri prætextu Assyriis magna cum laude imperauit, ab auibus dicta est: lingua enim Syriaca auem significat. Ab iis quippe infans, cùm à matre Derceto propter adulterij euitandum crimen exposita esset, nutrita dicitur: vt est apud Diodor. lib. 3. & Sab lib. 1. cap. 2.

DEMARATVS filius Aristonis Lacedæmoniorum regis, nomen habuit, quòd populus omnis vota fecit, vt Aristoni regum optimo filius nasceretur. Herod lib. 6.

Theras Autesionis F. genere Cadmæo, missus in coloniam Lacedæmonis, tutor erat Eurysthenis & Proclis, filorum Aristodemi. Adultis pupillis regnum restituit. Verùm inuitus, & ipse imperij aliorum impatiens, in Callistam insulam, quæ postea Theras ab eo fuit dicta, nauigauit. Cùm autem filius negaret se nauigaturum cum eo: Relinquam ergo, inquit, ouẽ lupis. Ex quo dicto nomen adolescenti impositum est OILYCVS, id est, Ouilupus. Herod. lib. 4.

SPHINAS Gymnosophistarũ Brachmanũ princeps, à Taxile persuasus, ad Alexandrum Magnum venit: & cum eo congressus, Indica voce Cale (id est, salue) regem salutauit. Inde à Macedonibus Calanus dictus est. Plut. in Alexandro.

HOMERVS Troiani belli scriptor, cùm ex adulterio Critheidis conceptus esset: eáque ob pudorem, Smyrnam coloniam tunc à Cumæis duce Theseo ductam mitteretur, apud fluuium Melen, vrbi vicinum, in lucẽ editus, à fluuio eodẽ Melesigenis nomen accepit. Herodotus in eius uita.

L. SEPTIMVS Seuerus Pertinax Imperator Romanorum, cùm iam senectute grauatus Eboraci morbo corriperetur, virum Antonini nomine in somnis successurum sibi vidit. Ideoque antequam euomeret animam, relictis Bassiano & Geta filijs, Antoninorum nomina indidit: vt testis est Spartianus.

CN. Pompeius Agamemnonis cognomen meruit, quòd mille nauibus piratico bello imperasset, vt ille mille Græcorum nauibus ad Troiam. Xiphilinus in Pompeio.

T. POMPONIVS Atticus, nobilis eques Romanus, & amicus Ciceronis non vulgaris, posteaquam vidit Cinnano tumultu Rempub. Rom. esse turbatam, Athenas secessit: vbi longo tempore moratus, & ciuitatem, & omnium gratiã, moribus elegantissimis promeruit: vbi linguam ita probè didicit, vt Attici cognomen assequeretur. Teste Nepote apud Volat. lib. 18. Anthrop.

FABIVS cognominatus est Ambustus, quòd olim adolescens fulmine tactus in naribus fuerit. Hinc etiam pullus Iouis, quasi dilectus ab eo videretur, & mutata litera postea Rullus dictus: & Eburnus, à candore, vt Festus ait apud Volat. libro. 16. cap. 1. Anthrop.

VALERIVS Coruinus tribunus militum, eo quòd duce Camillo reliquias Senonum persequente, coruus ab ortu solis volans, Galli prouocatoris galeæ insedisset, cum quo ipse pugnabat, Coruinus dictus est. Cæcilius.

CORNEL. ASINA, cùm fundum emisset, sponsórque precij ab eo expeteretur, postera die asinam onustam sacculis pecunia plenis in forum adduxit pro sponsore. Vnde cognomentum accepit. Macrobius: & Volaterranus libro 14. capite 2 Anthop.

DEMETRIVS Antigoni Macedoniæ regis filius, ideo Poliorcetes, id est expugnator dictus est, quòd machinam bellicam ferret secum in expeditionibus, quę vrbes expugnaret, appellatam πολιορκητὴν vt ait Volat. lib. 15. Anthrop.

LAMISSIO Longobardorum rex secundus post Ibor, & Agion, sic dictus, quòd à lama, id est, à voragine fuerit extractus. Nam cùm mater eius meretrix septem vno partu enixa filios in piscinam proiecisset, réxque Agelmũdus iter faciens, eos hasta reuolueret, is hastam eius firmiter tenuit. Ab eo igitur nutritus, eò virtutis processit, vt in regno ei succederet, & necem eius contra Bulgaros vltus sit. Sigebert. in Chron.

GVELFI, à miro fortunæ casu dicti. Vide tit. Partus numerosi.

TROGLODYTÆ Æthiopes parentum nomina minimè indunt filiis, sed tauri, arietis, ouis: & hos quidem patres, has matres (quoniam ab his, non à parentibus) quotidianus præbeatur victus, appellant. Diod. Sic. lib. 4. cap. 3.

NOMINA QVÆ FATIS SVIS CONSONA FVERVNT.

Pertinet propriè locus iste ad omina, quandoquidem diuinationem quandam in se continere videtur. At quia nominum prima impositio fortuita est, inter Fortunæ bona connumerari debuit: & ne ea quæ sunt eiusdem generis distrahere videremur, post eas nominum impositiones, quarum causa manifesta vel præsens est, hîc referri, quoniam ominosam appellationem euentus similis secutus est.

GREGORIVS Magnus pont. Rom. hoc nomen meritò habuit. Tanta enim vigilantia Dominicum gregem pauit, tanta diligentia episcoporum vitam & doctrinam examinauit, vt ad Apostolorũ normam proximè accesserit, & omnes alios Pont. sequentes longo interuallo post se reliquerit. Ioannes Diacon. in eius vita. lib. 2. cap. 12.

MARCELLVS Ceruinus cardinalis, vir doctissimus, & inter sui ordinis homines etiam sanctissimus, cùm Iulio III. in pontificatu successisset, & de more nouum nomen assumere iuberetur: Nec nomen, nec mores, respondit: Marcellus fui, Marcellus ero. Magna certè in illo restaurandæ & emẽdandæ religionis spes fuit: quem tamen impiorum Sarabaytarum mores ferre non potuerunt. Itaque cùm vix mensem vnum aut alterum in pontificatu vixisset, magno totius orbis cum mœrore obiit: nihil de pristino vitæ statu discedens, vt nec periculoso summæ dignitatis fastigio, nec improborum commercio à pietate declinarit. Marcellus ergo fuit, tum vitę semel cœptæ constantia, tum quòd Vergilianum illud & nominis & euẽtus similitudine in eum dici potuit: Tu Marcellus eris. Sed quid amplius? Ostendent terris hunc tantùm fata nec vltra Esse sinent.

NOMINIBVS CARENTES.

A Garamantibus decem dierum itinere collis est salis, & aquç, accolentibus hominibus, quibus nomen est ATLANTIBVS: solis omnium hominum, quos ipsi nouimus, innominatis. Nam sales quidem apud eos vocãtur atlantes: singulis autẽ eorũ nullũ nomen imponitur. Herod. l. 4.

A QVORVM NOMINE MVNDI PARTES, REGIONES, VRBES, *maria aut flumina nomen traxerunt.*

Orbis partes vnde nomen habuerint, incertum est. LYBIA, siue Africa, à plerisque Grçcorum fertur sortita nomen à Lybia quadam muliere indigena. ASIA verò, ab vxore Promethei: quanquam Lydi hoc sibi nomen vendicant, asserentes, ab Asio Manei filio, Asiam appellatam, non ab vxore Promethei: & Sardibus familiam quandam esse vocatam Asiadem. EVROPA autem neque an sit mari circumflua, neq; vnde hoc nomen acceperit, neq; quis nominis autor extiterit, ab aliquo mortalium compertum est: nisi quod didicimus, ab Europa Tyria nomen accepisse regionem: nec antè, sicut cæteras, nomen habuisse. Tamen illam ex Asia fuisse constat, neque in hanc commeasse terram, quæ nunc à Græcis vocatur Europa: sed è Phœnice tantum in Cretam, & è Creta in Africam. Herod. lib. 4.

ÆGÆVS Atheniensium rex, mari Ægæo. ERYTHRA rex, mari Erythręo, seu rubro. HELLE soror Phryxi, Hellesponto. Icarus Dędali filius Icareo. Myrtilus auriga Oenomai, Myrtoo. Hesperides puellæ, Hesperio

Tyrrhenus rex Lydorũ,Tyrrheno. Tyberinus rex Tyberij,fluuio Thuſcorum.Euenus,Eueno. Marſyas tibicen Marſyę fluuio.Anius rex Thuſcorum,Anioni,qui & Anienus & Aniẽ dicitur.Abſyrtus frater Medeæ, Abſyrto Colchorum flumini.

Ab Ione Dyrrachi nepote,Ionum mare dictum eſt: quem imprudens Hercules in acie peremptum in mare proiecerit. Sabellicus libro decimo,capite decimoquinto.

A QVORVM NOMINIBVS MENSES APPELLAtionem *ſuam deſumpſerunt.*

L. IVNIO Bruto, Romanæ libertatis vindici,is habitus eſt honor,vt ab eius nomine menſis Quintilis fuerit appellatus Iunius,quo menſe deceſſerat.

A QVORVM NOMINIBVS REGES POPVLORVM *dicti ſunt.*

Athenienſium reges à Cecrope,qui Athenis regnauit primus, Cecropidas appellarunt.Hic enim omnem multitudinẽ in oppida 12.digeſtam partitus fuit,quàm Theſeus obuiam eundo periculis, ne hoſtium præda foret, velut vnius corporis alumnos, in vnam poſtea vrbem ſociauit & coegit.Alex.lib.1.cap.2.

INDORVM reges alios Palibrotos,alios Sandracoctos, nonnullos Taxiles:ſequente nomine in quemcunque imperium tranſiret, ob eximiam in bello virtutem denominatos fuerunt.Ibidem.

ARGIVORVM reges dicuntur Abantiadæ,Perſarum Achæmenidæ, Ægyptiorum Pharaones,Syriæ Antiochi,Arabum Arabarchæ, Libycorum Libyarchæ,Thebanorum Labdacidæ.

PERSARVM reges,qui ſpadones in regnũ aſciti fuere,Bagoios nuncupari,memoriæ proditum eſt apud Alex.ab Alex.lib.1.cap.2.

ASSYRIORVM reges Tigranes dicti ſunt.Cùm enim Seleucidarum imperium ab Alexandro ad 70.ſupra 200,annos prouectum fuerit, Tigranis cognomen à primo illo qui Aſſyriis pręfuit,ſummæ iuſticiæ temperamẽto,poſteri deſumpſere, ita vt per ea tempora ſupra 14. Tigranes reges denominati ferantur.

MOLOSSORVM reges Pyrrhidæ,à Neoptolemo Achillis filio,qui & Pyrrhus dictus eſt,cognominati ſunt, eo quòd ille primus ea loca inhabitaſſet.

ARSACES vocabant reges ſuos Parthi,ab Arſace.Ille enim cùm vir fortis & ſtrenuus eſſet,& premente inopia latrociniis obnoxiam iuuentam ageret,coacta exulum manu,quos Parthos nuncupant, deuicto Seleuco & Mandragora,in regem Parthorum aſſumptus,illud ita inſtituit & formauit,vt diem victoriæ tanquam natalem libertatis multis pòſt tẽpeſtatibus ſolennem celebrarint. Qui poſteaquam fato functus eſt, tanto honori ipſius memoria fuit, vt celebre apud poſteros reges cognomen Arſacis ex ſuo nomine reliquerit.

In Meroe,quod Candace mulier regnum tenuiſſet, reginas in poſterum Candaces cognominari memoriæ proditum eſt. Quæ obſeruatio conſtans diu permanſit.

ÆGYPTI reges Ptolemæi cognominati ſunt, à Ptolemæo nimirum Lagi gregarij militis filio,qui poſt res præclarè geſtas rex factus, Ægypti regnum magna probitate & fœlicitate adminiſtrauit.

PONTI reges Mithridatis nomina ſumpſere. Is enim cum quo populus Rom. aſſiduò belligerauit,à primo Mithridate ſextus adnumeratur,quem Eupatorem vocitarunt.

BITHYNOS ob prioris Nicomedis claritatem,qui militiæ & domi clarus,Nicomedis cógnomen regibus indidiſſe putant.

SYLVII Albanorum reges cognominati ſunt à Syluio Aſcanij filio, qui eo quòd in ſyluis natus eſſet,Syluius cognominatus eſt.

MVRRHANI cognomen Latinis regibus,à Murrhano,qui in Latio regnauit,inditum eſt.

CÆSARES Romanorum, nomen à Scipione Africano (vt quidam volunt)habere dicuntur:qui eo quòd defuncta parente,vtero exciſus in diem veniſſet, primus Romanorum Cæſar dictus eſt. Solinus capite quarto.

A QVORVM NOMINIBVS SACERDOTES *dicti ſunt.*

MEGABYZVS ſacerdos Dianæ Epheſiæ eunuchus, à cuius nomine cæteri dicti ſunt.Megabyzi.Plinius libro decimoquinto.

MELISSA fuit ſacerdos Cybeles, à cuius nomine cæteræ eius deæ ſacerdotes Meliſſæ poſtea dictæ ſunt,Alex.ab Alex.lib.2.cap.8.

A QVORVM NOMINIBVS FAMILIÆ DENO*minatæ ſunt.*

LYCII à matribus familiæ nomen ducunt,non à patribus.Et nobilitas ſiue ingenuitas à matre in liberos deriuatur, non à patre. Itaque ſi mater ſit ingenua, quamuis pater ſeruus ſit, filij quoque ingenui cenſentur.Herod.lib.1.

A QVORVM NOMINIBVS QVIVIS ALII *dicti ſunt.*

ASPASIA Periclis pellex(de qua ſub tit. Pellicum)ea fuit authoritate,vt Cyrus Perſarum rex Pellicum dilectiſſimam Milto,Phocẽſis Hermotimi filiam,Aſpaſiam vocari voluerit.Plut.in Pericle.

PAMPHILVS presbyter Laodicenus, Euſebio Cæſareæ Palæſtinæ tam fuit acceptus,vt Euſebius cognomen Pamphili ſibi aſſumpſerit. Euſebius lib.3.

CÆCILIVS presbyter Carthaginenſis,D Cyprianum ad fidem Chriſti conuertit. Itaque Cyprianus poſtea Cæciliani prænomen ſumpſit. Hieronymus in Catalogo,& in Com.in Ionam.

QVORVM NOMINA HONORIS ERGO ALIIS *impoſita non fuerunt.*

DOMINI & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti nomen, in quo omnes terræ generationes benedictæ fuerũt,angelis venerandum, hominibus adorandum, dæmonibus tremendum, conſtanti Chriſtianorum pietate nulli poſthac impertiendum religioſa obtinuit conſuetudo. Nam cùm præter illum nulla ſit ſalus,nulli quoque creaturæ Saluatoris appellatio conuenire poterit.

ARISTOGITON & Harmodius,cùm Hipparcho Piſiſtrati F. occiſo Athenas tyrannide liberaſſent,præter ſtatuas, quas meruerunt, publica deteſtatione Athenienſes ſanxerunt, ne quando eorum nomina libertati deuota,ſeruis indere liceret.Alex.lib.3.cap.26.ex Gell.lib.9.cap.2.

NOMEN MVTATVM IN MELIVS, VEL DETERIVS.

Exempla paßim ex ſequentibus titulis ſumi poterunt:hic enim mutationis nominis,illic noui nominis,quod non habebant,impoſitionis habetur ratio.

NOMEN FAMILIÆ ALICVI DENEGATVM.

NOMEN ALICVIVS DELERE ET OBLITERARE.

ERATOSTHENES Dianæ Epheſiæ templum opulentiſſimum incendio vaſtauit,famæ immortalis captandæ gratia. Epheſij comprehenſum hominem diris affecerunt ſuppliciis: & edicto ſanxerunt, ne quis eius nomen in aliqua hiſtoria exprimeret.

M. MANLIO Capitolino,propter affectati regni ſuſpicionem de ſaxo Tarpeio præcipitato, gentilitas Manliorum iurauit, ne quis in poſterum Capitolini nomine ſalutaretur.Suetonius de Vir. illuſt.

[redacted]

[redacted]

HONORIFICVM VIRTVTIS TESTIMONIVM VIVA VOCE, ELAborata tamen oratione,expreſſum.

Vide exempla aliquot ſub tit.Funebris laudatio. Ariſt.in primo Rhetor.tex.25.vbi de genere Demonſtratiuo diſputat, tres laudationis famulas conſtituit, ἔπαινον, ἐγκώμιον, *&* μακαρισμὸν, *ſiue* εὐδαιμονισμόν. *De quibus nos diſtinctè, in Tabulis & Commentariis noſtris in eum locum egimus.*

Cùm ATHENIENSIS quidam apud Ariſtonem recitaret funebrem orationem,conſcriptam in laudem eorum qui fuerant à Lacedæmoniis in bello cæſi:Quales igitur,inquit,noſtros eſſe putas, qui iſtos vicerunt? Mos erat apud Athenienſes,vt qui in prælio cecidiſſent, publicitùs oratione laudarentur,quam illi vocant Epitaphium: in hac magno artificio amplificabantur & ciuitas Athenienſis,& populus:poſtremò peculiariter hi qui fortiter in bello mortem oppetiſſent.At vir generoſi animi, non inuidit arte exaggeratis Athenienſium laudibus, ſed eas in ſuæ gentis gloriam retorſit.Plut.in Lacon.

VIRTVTIS TESTIMONIVM VIVA VOCE A PRÆCONE *publicè exhibitum.* PRÆCONIVM *propriè,*

PHARAO Ioſephum currui imponit, & ante eum proclamari curat, flectite genua,ob ſomnij interpretationem.Geneſ.41.

ATHENIS lex iubebat,vt ſi quis coronaretur in ſenatu,in ſenatu præconium fieret:ſi verò à populo,in concione.Alex.lib.5.cap.8.

HONORIFICA DE ALICVIVS VIRTVTE EXISTIMATIO, tiiua voce inter priuatos expreſſa.

Vide tit.Bellicæ fortitudinis præmium, honeſta gratulatio.

Nemæis ludis, cùm Philopœmenes Megalopolitanus (poſteaquam apud Mantineam nobilem illam victoriam conſecutus fuit)luſtrato exercitu omnium in ſe ora conuertiſſet, & citharistæ permulti cantoréſque intereſſent,canente hos verſus PYLADE, Per hunc ducem Græciæ vrbes libertate omnes ornatæ fuerunt:conuerſi omnes populi in Philopœmenem, maximo ac lætitiæ pleno clamore eius virtuti hos conuenire verſus teſtati ſunt.Fulgoſ.lib.2.cap.5.

Ilium profectus ALEXANDER Macedo, Achillis ſtatuam coronans: O te fœlicem,inquit,Achilles,cui viuo talis amicus, mortuo talis contigerit præco: de Patroclo loquens, & Homero, quorum ille fidiſſimus Achilli fuit amicus, hic defunctum Iliade tota celebrauit. Cicer. pro Archia.

PHILIPPVS Macedoniæ rex potentiſſimus,dicere ſolebat:Athenieſes ſibi magnopere beatos videri,qui quotannis inuenirent decem quos belli duces crearent:quum ipſe multis annis vnum duntaxat belli ducem reperiſſet,Parmenionem.Significans,inutile eſſe Reipub. ſubinde mutare duces:ſed ſatius eſſe,quem idoneum ac fidum nactus ſis,eum non mutare. Tum in bello non referre quàm multi ſint duces, ſed quàm bello gerendo accommodi.Plutarchus.

De PHOCIONE quoties in concione dicturus aſſurgeret,ad amicos proximos dicere ſolebat Demoſthenes,rationum ipſius ſecurim ſurgere. Nam Phocion erat in dicendo breuis, ſed acutus. Solebat autem ferè à Demoſthene diſſentire.Plutar.in Demoſth.

ARCHILOCHVS Parius poeta,hymnum in Herculem compoſuit, cuius initium hoc fuiſſe addunt:

χαῖρε καλλίνικε τήνελλα ἄναξ ἡράκλεις.

Quo poſtea carmine in ſacris certaminibus victores omnes ornabãtur, ter à ſpectatoribus repetito.Eſt verò Tenella vox à tinnitu fidis effecta, vt Taratantara à tubæ ſonitu.Gyraldus Dialog.9.hiſt.poet.

SOCRATES à Pythio oraculo ſapientiſſimus eſt indicatus, cùm Chęrephon tragicus amicus Socratis illud conſuleret:

ἀνδρῶν ἁπάντων σωκράτης σοφώτατος. Laertius teſtis.

Quum hi verſus,quos de Amphiarao ſcripſit Æſchylus, in theatro recitarentur apud Athenienſes:

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα. id eſt.

Neque enim videri,at eſſe ſtudet vir optimus,
Segetem profundam mente ſtudioſa colens,
Conſilia quando hinc germinant ſalubria:

Totus populus in ARISTIDEM vertit oculos,agnoſcens hoc laudis in eum competere.Plut. in Græc.apoph.

PLATO tantum tribuebat Ariſtoteli, vt quum ille fortè fortuna non adeſſet in Academia,exclamarit, ἄπεστιν ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος: id eſt, Abeſt veritas philoſophus.Rurſus quum alio tempore abeſſet,dixit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν: Non venit intellectus,innuens,ſe ab illo vno intelligi.Eraſm.lib.8. Apohthegmatum.

DEMOCRITVS, cùm ignotus veniſſet Athenas, colloquio de Philoſophia cum SOCRATE habito,dixit:Hic philoſophus ſimilis eſt pentathlo:quòd calleret naturalia, moralia, mathematica, ad hæc diſciplinas quas ἐγκύκλους vocant,denique omnium artium peritiam. Laertius lib.9. cap.7.

LYCVRGVS Lacedæmonius, cùm Delphos ad oraculum proficiſceretur,ſtatim vt atrium ingreſſus eſt,Pythia ſic cecinit, teſte Herodoto libro primo:

ἥκεις ὦ λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι:
δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι, ἢ καὶ ἄνδρα.
ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ λυκόεργε.

DARII iudicio nemo Perſarum Zopyri Megabyzi, vnius è ſeptem F. præſtantia facta ſupergreſſus eſt:neque eorum qui prius, neque eorum qui poſterius extiterunt,pręter vnum Cyrum:cui nullus vnquam Perſarũ ſe dignum,qui illi compararetur, exiſtimauit. Fertúrque Darius hoc dictum ſæpenumero vſurpaſſe:prœoptaturum ſe Zopyrum nihil eſſe cladis paſſum,quàm viginti ſibi Babylones, vltra illam quam aſtu Zopyri receperat,acquiri. Eum tamen egregiè remuneratus eſt, dando quotannis, quæ apud Perſas ſunt honorificentiſſima, atque alia multa: tum tradita Babylone immuni,quo ad viueret,in peculiarem portionem.Huius Zopyri filius fuit Megabyzus:qui dux exercitus extitit in Ægypto aduerſus Athenienſes & ſocios.Atque huius Megabyzi filius Zopyrus ille, qui ad Athenienſes transfugit à Perſis, Herod.lib.3.

DARIVS è Scythia fugiens, per Iſtrum & Boſphorum Thracium in Aſiam nauibus ipſe tranſiuit,relicto in Europa exercitus duce Megabyzo Perſa, cùm 80.millibus militum, cui Darius aliquando hunc honorẽ habuit,vt hoc verbum inter Perſas diceret, cùm eſſet eſurus mala punica: ſimulac primum malum aperuit,interrogatus à fratre Artabano,nũquid tantum hominum ſibi optaret,quantum illic eſſet acinorum; reſpondit, ſe præoptare tot ſibi eſſe Megabyzos,quàm Græciam ſubditam. Herod. libro quarto.

Cùm PINDARVS per totam Gręciam magna eſſet famæ celebritate,ad gloriæ faſtigium eundem euexit Pythiæ vox, qua Delphi iuſſi ſunt æquam omnium,quæ Apollini deferrentur, primitiarum partem Pindaro tribuere.Pauſanias in Bœoticis.

PYTHAGORÆ tanta veneratio ab auditoribus tributa eſt, vt quæ ab eo acceperant,in diſputationem deducere nefas exiſtimarent. Quinetiã interpellati ad reddendam cauſam,hoc ſolùm reſpondebant, αὐτὸς ἔφα. *Val.lib.8.cap.16.*

Q. SCÆVOLA (quem Lucius Craſſus in conſulatu collegam habuit) Aſiam tam ſanctè & tam fortiter obtinuit, vt Senatus deinceps in eam prouinciam ituris magiſtratibus,exemplum atque formam officij Scęuolam decreto ſuo proponeret.Ibidem.

Q. CATVLVM populus Romanus voce ſua tantùm non ad ſidera vſque euexit.Nam cùm ab eo in roſtris interrogaretur,ſi in vno Põpeio Magno omnia reponere perſeueraſſet,abſumpto illo ſubiti caſus incurſu,in quo ſpẽ eſſet habiturus:ſummo cõſenſu acclamauit,In te. Vim honorati iudicij admirabilem: ſiquidem magno Pompeio cum omnibus or-

namentis,quæ retuli,duarum syllabarum spacio inclusum Catulum æquauit.Ibidem.

Inhærent illi voci posterioris Africani,septem C. MARII consulatus,ac duo amplissimi triumphi:ad rogum enim vsque gaudio exultauit. Qui cùm apud Numantiam sub eo duce stipendia equestria mereretur & fortè inter cœnam quidam Scipionem interrogasset, si qui illi accidisset,quémnam Respub. æquè magnum habitura esset imperatorem? respiciens se supra ipsum cubantem, Vel hunc,dixit.Quo augurio perfectissima virtus,maximam orientem virtutem viderítne certius,an efficacius acciderit,perpendi vix potest.Illa nimirum cœna militaris, speciosissimas tanta in vrbe Mario futuras cœnas ominata est. Postquam Cimbros ab eo deletos initio noctis nuncius peruenit,nemo fuit qui non illi tanquam diis immortalibus apud sacra mensæ suæ libauerit.Ibidem.

SCIPIO minor,iuuenis etiamnum,tantam habebat opinionem fortitudinis & prudentiæ, vt Cato senior interrogatus de his qui apud Carthaginem militarent,in quibus erat & Scipio iunior, Homerico versu responderit:

Ille sapit solus,volitant alij velut vmbræ.

De Tiresia dictum est apud Homerum, Odysseæ κ Plutarchus in Rom. Apoph.

EPIVS Stolo Musas,si Latinè loqui voluissent, Plautino ore locuturas affirmauit Varro testis apud Quintilianum.

Cùm M. Tul.Cicero quosdam versus P. VERG. Maronis ex Bucolicis recitari audiuisset,carminis maiestate motus dixit:Spes altera Romæ(sibi primas tribuens)quod hemistichium ipse mox in Æneida suam transtulit.Gyraldus Dialog.4.Hist.poet.

Idem tanti EVRIPIDEM fecit,vt ad Tyronem scribens, dicat singula Euripidis verba singulas sententias continere,citãs hunc eius senarium:

ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

HERODOTVS Halicarnasseus,cùm Ionica lingua historiam in Samo insula composuisset(patria extorris,propter Lygdamis tyrannidem, qui nepos Artemisiæ reginæ fuit)eámque in frequenti Græciæ conuentu Olympiorum recitasset,sic placuit vniuersis, quasi Musas loquentes audirent:adeóque libris,qui nouem sunt, Musarum nouem indidere nomina.In eius vita.Floruit anno ab Vrbe condita 400.

Cùm Syllæ potentiam veritus Cicero,in Græciam nauigasset, & Rhodi APOLLONIVM oratorem accessisset, & ab eo Græcè declamando exerceretur,in maximam sui admirationem omnes pertraxit:adeò vt Apollonius neque inter audiendum hilari vultu fuerit, & finita oratione diu secũ tacitus sederit.Causam rogante Cicerone,in hæc verba prorupit:Te quidem,ô Cicero,& laudo & admiror. Græciæ autem fortunam miseror:cernens ea,quæ sola nobis relicta erant ornamenta, te etiam Romanis addere,doctrinam & facundiam.Plut.in eius vita.

PLOTINI testimonium de Porphyrio,pete ex tit. Poetarum,sub nomine Porphyrij.

Inter NERONEM & Thraseam graues intercedebant inimicitiæ:verũ cuidam multa criminose iactanti de Thrasea,dicentíque,causam ab illo perperam esse iudicatam,obstitit Nero exclamãs:Vtinam me tam Thrasea diligat,quàm est iudex rectus & æquus.Hostis hosti testimoniũ perhibuit de fama periclitanti.nullum autem grauius testimonium,quàm inimici de inimico.Eras.6.Apoph.

IVSTINIANVS II.Imp.cùm ope Terbellis Bulgarorum regis Cõstantinopolim cuniculis actis recepisset, Leontium patricium(à quo eiectus fuerat)& Apsimarum (qui Leontium naribus & auribus truncatum in monasterium detruserat)vinctos in pompa sibi præduci fecit:eosdémque pedibus conculcans,acclamante populo, Super aspidem & basiliscũ ambulabis,& conculcabis leonem & draconem:tandem iussit decollari. Paulus Diaconus lib 19.

Cùm in Gallia Arbogastes comes esset, & post longa bella multásque de hostibus victorias pacem inuisset,in cœna cum Galliæ PRINCIPIBVS, rogatus est ab eis, An Ambrosium nouisset?qui cùm & nosse se, atque ab eo amari respondisset,subiunxerunt principes qui id petierant: Haud igitur mirum est,si nos bello vicisti,qui Ambrosij amicitia vteris. Nam si stare solem iuberet, dicto is audientem esset habiturus solem.Partas igitur de nobis victorias, non amplius Arbogastes tibi, non Romani imperij viribus,non Romanorum exercituum virtuti, sed Ambrosij vnius sanctitati tribuimus.Adeò in ingentem apud omnes maiestatem sanctitatis,quam virtute atque sapientia parauerat, Ambrosium fama extulerunt.Fulgosus libro secundo,capite quinto: & Egnat. lib.2.cap.5.

GREGORIO pontifici maximo(qui vnus ex columnis est ecclesiæ Christi)dum sacra faceret,& iuxta ritum ad plebem conuersus, Pax Domini vobiscum,diceret,angelica vox cunctis audientibus respondit, Et cum spiritu tuo.Exinde mos inoleuit,vt pontifici ea verba repetenti,nihil à clero respondeatur, vt scilicet dignum se exhibeat, cui angeli respondeant, non homines Præstare eum cæteris vitæ sanctitate debet, qui præstat officij dignitate.Marul.lib.6.cap.16.

BEDA Venerabilis presbyter,cùm cæcus ecclesiam ingressus,à quodã per iocum audisset,populum concionem expectare:suggestum ascendit, neminéque prætente,cùm benedictionem dedisset,saxa visa sunt respõdere, Amen.

HIER.Fracastorius Veronensis, medicus & poeta insignis, Syphilida (hoc est,morbum Gallicum)æterno carmine decantauit, tanta omnium admiratione.vt cùm Neapolim ad Iacobum Sanazarium transmissa esset à Petro Bembo card.

Sanazarius ipse(Hyppolyto Medice card.& Io Bap.Montano acri Fracastorij æmulo,magnáque nobilium manu præsente)hunc vnum esse cõfessus sit,à quo non Pontanus modò,verumetiam ipse accurata carminis dignitate,viginti annorum lima ac labore perpoliti,esset victus.

SCRIPTO PVBLICO CONCOEPTA VIRTVTIS TESTImonia & elogia.

Huius generis sunt ea testimonia, quæ ex populi vel principis decreto virtuti alicuius tribuuntur. Item elogia in quibus decretum nullum est, sed tantum commendatio virtutis. Plurima autem huius generis in Commentariis nostris Epitaphiorum describentur. In præsentia quædam ex Roma Georgij Fabricij, viri doctissimi, & de literis preclarè meriti, afferemus. Illud interim hic obseruandum, quatenus monumenta & statuæ inscriptiones habent, sic ad hunc locum pertinere: quatenus verò signum sensibile continent, sic inter signa honoris referri debere. Ne quis vel confusionem vel ταυτολογίαν reprehendat.

Decretum ATHENIENSIVM de philosopho, pete ex tit.Honores philosophis exhibiti.

Tergeste in Istria,in muro oppidi,ante ædem S.Laurentij, tale decretum HIPSANII extare dicitur:

KL. NOVEMBR.

HIPSANIVS LENTVLVS NEPOS

IIVIR. IVR. DIC. VF.

Fab. Seuerum clarissimum virum,multa iampridem in Remp. N. beneficia contulisse,vt qui à prima sua statim ætate id egerit, vti in tuenda patria sua,& dignitate & eloquentia cresceret:nam ita multas & magnificas causas publ.apud optimum principem Antoninum Aug. Pium adseruisse, egisse, vicisse,sine vllo quidem ærarij nostri impendio:vt quamuis admodum adolescens,senilibus tamen & perfectis operibus ac factis patriam suam,nósque insuper sibi vniuersos obstrinxerit. Nunc verò tam grandi beneficio,tam salubri ingenio,tam perpetua vtilitate R.P.N. adfecisse,vt omnia præcedentia facta sua, quanquam immensa & eximia sint,facilè superarit:nam in hoc quoque mirabilem esse C.V.virtutẽ, quòd cotidie benefaciendo,& in patria sua tuenda,ipse se vincat.Idcirco quamuis pro mensura beneficiorum eius, impares in referenda gratia simus:interim tamen pro tempore vel facultate,vt adiuuet, sæpe facturus idem,venerandam esse C.V.beneuolentiam, non vt illum proniorem habeamus(aliud enim vlt ita natus non potest facere) sed vt nos iudicantibus gratos præbeamus,& dignos tali decore, talique præsidio. Q.F.P.D.E.R.I.C.primo censente calfurnio certo spacio.

Cùm Fab.Seuerus vir amplissimus atque clarissimus,tanta pietate,tantáque affectione R.P.N.amplexus sit, itaque pro minimis maximisque commodis pius excubitor,eius omnem prçstantiam auxerit, vt manifestum sit id eum agere,vt non modò nobis,sed proximis quoque ciuitatibus declaratum velit esse,si non aliquam patriæ suæ gratiam,& ciuilia studia,quæ in eo,quamuis admodum iuuene,iam sint peracta atq; perfecta:ac senatoriam dignitatem hac maximè ex causa concupiuisse, vti patriam suam,cùm ornatam,tum ab omnibus iniuriis tutam defensámque seruaret,interim apud iudices à Cæsare datos, interim apud ipsum Imperatorem,causis publ.patrocinando,quas cùm iustitia diuini principis,tum sua eximia ac prudentissima oratione, semper nos cum victoria firmiores remisit. Ex proximo verò, vt manifestatur carminibus literísque Antonini Aug. Pij, tam feliciter desiderium publicum apud eũ sit prosecutus, impetrando vti CARNI CATARIQVE attributi à Diuo Augusto PIO R.P.N. prout qui meruissent talia, absque censu per Ædilitatis gradum in curiam nostram admitterentur, ac per hoc ciuitatem Romanam adipiscerentur,& ærarium nostrum ditatum iam compleuit & vniuersam R.P.N.cum eo mœniis amplauit, admittendo ad honorum communionem & vsurpationem Romanæ ciuitatis,optimum & locupletissimum quenque: vt scilicet,qui olim erant tantum in reditu pecuniario,nunc & in illo ipso duplici quidem per honorarij numerationem reperiantur:vt & ipsi sint,cum quibus munera decurionatus, vt paucis iam onerosa,honestè de plano compartiamur. Ad cuius quidem gratiam habendam,vt in secula permansuram eiusmodi beneficio oportuerat quidem,si fieri posset,ac si verecundia C.V.permitteret,vniuersos nos nobilium ire,& gratias legitimas L L.iuxta optimum principem agere.Sed quoniam certum est nobis,onerosum ei futurum tale nostrum officium:

officium:illud certè proximè fieri opportunè triumpho, statuam ei auratam equestrẽ,primo quoque tempore,in celeberrima nostræ vrbis parte poni,& in basi eius hanc nostram consensionem atque hoc decretum inscribi,vti ad posteros nostros tã volũtas amplissimi viri, quàm facta permaneant:petíque à Fabio viro egregio, patre Seueri, vt quandoquidem commentum hoc & ipsius sit prouidentiæ, quã R.P.N. infatigabili cura gubernat, & in hoc prius publici beneficij, quo & nobis & Imperio ciuem procreauit atque formauit, cuius opera studioque ornatiores & tutiores indies nos magis magísque sentiamus: vti ea placuisse in hãc rem aditum suum legari mandaríque permittat,vti gratias publicè C.V.mandatu nostro agat,& gaudium vniuersorum singulorúmque ac voluntatẽ, vt magister talium rerum in noticiam eius perferat, censuerunt.

Decretum Duumuirum descriptum à Georg. Fabricio Neapoli apud Hadrianum Gulielmum,ex Antiquitatibus Ioan.Pontani.

L. ANNIO L. F. COL. MODESTO
HON. EQVO PVBL.
K. IVN.

In curia basilicæ Augustinianæ scribundo adfuer. T. Opius Seuerus, Vigetius Liberalis,Iulius Capretanus,Granius Longinus.Quod C. Aufidius Trasea.T. Claudius Quadrinus II uiri. V. R.de confirmanda auctoritate,memoria honorand. statuáque ponenda ANNIO MODESTO, Anni Numisiani ornati viri filio.Q.D.E.R.P.F.D.E.R.L.C.

Cùm Annius Numisianus V.C.ad singulorum testimo.pertin.qua probitate morum, qua quiete vitæ, quod vnicum in dolore præsidium est, meruerat adfectuum nostrorum consolationem, atque candorem ordinis nostri,bonum ciuem piúmque patrem,in tam graui fortunæ iniuria, qua potest dignatione,auocare à tristicia Placere huic ordini auctoritatem,in eam rem ante hanc diem factam, confirmari:permittique Annio Adiecto lib. eius statuam ponere Annio Modesto, loco adsignato à II. uiris nostris,quo testatior sit erga eum affectus Reip.nostræ. Conlaudamus,quòd in vita præstiterit,Censuer.

Adiectus lib. L. DDD.

Decretum NEAPOLITANVM, descriptum à Fabricio in agro Neapolitano,in villa Bernardi Martirani,quæ PetraAlba dicitur, antea non impressum.L.Munatio Concessiano V P. patrono coloniæ, pro meritis eius erga ciues, munifica largitate olim honorem debitum præstantissimo viro præsens tempus exegit, quo etiam MVNATI Concessiani filij sui Demarchia cumulatiore sumptu, liberalitatis abundantia, vniuersis exhibuit ciuibus,ob quæ testimonia amoris sincerissimi REG. primaria splendidissima HERCVLANENSIVM patrono mirabili statuam ponendam decreuit.

Decretum ROMANVM inter pontes Cestium & Fabricium,in domo quadam,refertur in Epigram.Vrbis.Ragonio Vincẽtio Celso V. C.à primo ætatis introitu,in actu publico,fideli exercitatione versato,cuius primæuitas officio ædilitatis, vrbanæ aduocationis exercita, fidem iunxit ingenio,prudentiæ miscuit libertatem:ita vt nemo de eius industria, nisi ille contra quem susceperat,formidaret.Cuius accessus ętatis amplissimi honoris,& qui solet senioribus prouenire,ornamenta promeruit. Nam rexit annonarjam potestatem VRBIS ÆTERNÆ ea æquitate, vt inter omnes qui ad eum animo litigantis intrassent. parentem se plerũque magis his quàm iudicem præbuisset.Hinc etiam factum est,vt Mensores nos Portuenses, quibus vetus fuit cum Caudacariis diuturnúmque luctamen,voti compotes abiremus,vt vtrumque corpus & beneficio se & victoria gratularetur affectum.Notum vt hoc esset iudicio publ. iam posito magistratu,statuam patrono præstantissimo testimonium gratulationis exsoluimus.Dedicata VIII. Cal Sept.Fl.Timasio & Fl.Promoto VV. CC.Coss.

Decretum POP. ROMANI Romæ in domo Cardinalis Vallæ ad circum Flaminium.Flauio Stiliconi clarissimo viro, bis consuli ordinario, magistro vtriusque militiæ,Comiti domesticorum,& stabuli sacri,adque ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ, ad columen regiæ adfinitatis euecto,socio bellorum omnium & victoriarum,adfini etiam diui THEODOSI Augusti,itémque socero Domini nostri HONORI Augusti,populus Romanus, pro singulari eius circa se amore, adque prouidentia,statuam ex ære argentóque, posteris ad memoriam sempiternam ponendam decreuit.

Decretum ROMANVM, in Messana Siciliæ ciuitate inuentum, refertur in Petri Appiani antiquitatib. S.P.Q.R.Appio Claudio,Q. Fabio,Coss. altero Messanam Siciliæ ciuitatem, classe præfecto reserante, percepit Hieronem Syracusanorum regem, Pœnorúmque copias Hieroni coniunctas,tam celeriter superatas, vt Ap.Claudium Cos. ad hãc rem gerendam,potius ciuitas suæ virtutis admiratorem, quàm belli susciperet adiutorem. Nam rex Pœníque vrbis non tam multitudine quàm animosa nobilitate propulsi,uictoribus se dedidere congressis. Qui ante consulis aduentum,vltra Leontinum profugi,pacem exposcentes, Romanorum gloria,Messanensium nobilitate, propriáque mulcta, CC. talenta ærario soluenda supplices impetrarunt.Ob quod statuit vrbem ipsam titulo nobilitatis extolli,aliísque prouinciæ ciuitatibus sacerdotes dare, eiúsque ciues Romanorum honore, & Siciliæ caput illic fungi potestate Romana, lapides eius à Leontino vsque ad Phædas extendi. nam id spacium, cæteris deficientibus, Romanæ ditioni seruauit. Chirographum hoc factis Romanis adiunctum,laudem ciuitatis ostentans ascribi,Romanámq; gratitudinem merito respondere.Adprobatum est hoc decretum patrũ, à Cn.Calatino Pl.tribuno,post V.C.anno quadringẽtesimo octuagesimo tertio,Rempublicam primo bello Punico conturbante.

Decretum aliud eodem in loco repertum.S.P.Q.R.Seruio Fuluio Flacco,P.Calpurnio Pisone Coss. vrbem Messanam prouinciæ Siciliæ, tributis cuiuslibet vectigalis,fixi mobilísque pondere per omnia secula liberauit. Quia dum Siciliæ graue formidabiléque bellum seruile multitudine conspiratorum, instructu copiarum, potentiæque magnitudine subiugasset: quod prius Romanos prætores dispersérat, consules quoque terruerat, seruos Messana sagaciter habitos,pace maturè frenatos: quin vno P.Calpurnio consule designando,lucem Siculis,Romano postimulos addidit,& à se futurum compar abstulit nocumentum. Vtque se à vili seruitute eripiens preciosa libertate gauderet,ex hoc etiam præsens chirographum fastis Romanis adiunctum,laudem ciuitatis ostẽtans, decreuit ascribi,vt gratiam meritis Romana circumspectio coæquaret.Adprobatum est præsens patrum decretum ab Octauio pl.tribuno, post V. C. anno sexingentesimo vigesimo,Rempublicam bello seruili turbante.

Decretum SEN. ET IMPP. Romæ in regione Harenulæ, ex Epigr. vrbis.KALEN.IVN. Anitio Paulino Iun.C.V.Procos.Asiæ & Hellesponti,consuli ordinario,præf.vbi vice sacra iudicanti, ob meritum nobilitatis,eloquij,iustitiæ,atque censuræ, quibus priuatim ac publicè clarus est, petitu populi Ro.testimonio senatus,iudicio DD.NN. Triumphatorum Augg.Cæsarúmque florentium,statuam secundam auro superfusam locari S.P.P.

Decretum SVESSANVM, descriptum à Fabricio Suessę in Campania, è marmore cuidam parieti incluso,antea non excusum.L.Mamiliano Liciniano V. C. filio Mamiliani Liuiani V. P. ex Correct. nepoti Mamiliani Crispini,ex com.pronepoti,Mamiliani Maximi V. P. communi ab origine patrono omnibus honoribus muneribúsque innocenter in patria sua functo, cumulante dignitate originis suæ, nunc oblato fidem decreto amore & beneficiis deuincti, ordo populúsque Suessanus statuam ad perenne testimonium ponendam censuerunt. L.DDD.

SVESSÆ in Campania,apud portam S.Dominici,editum ab Appiano, C.Tetio Chresimo Aug.Lib.huic ordo decurionum, quòd pro salute & indulgentia Imp.Antonini Pij Felicis Aug & ex voluntate populi munus familiæ gladiatoriæ ex pecunia sua, diem priuatum secundum dignitatē coloniæ ediderit,honorem bis illi,quem quis optimo exemplo in colonia Suessa habuit,& vt aquæductus in domo eius flueret, commodísque publicis,ac si Decurio,frueretur,& Tetio Chresimo filio eius, ob merita patris honorem Decurionatus gratuitum decreuit ordo decurionum & Augustalium,& plebs vniuersa.

Decretum TIBVRTINVM. Tiburi legitur ante templum S. Pauli, ponitur inter Epig. Vrbis C. Popilio C.F. Quir.Caro Cedoni Cos. VII. viro Epulon.sodali Hadrianali, Legato Imp. Cæsaris Antonini Aug. Pij Propr.Germanię super.& exercitus in ea tẽdentis, curatori oper. publicor.Pręf.ęrari Satur.Curatori viar. Aurelię veteris & nouę, Cornelię & Triumphalis, legato legionis X. Fretensis. à cuius cura se excusauit, Prętor.Tribuno plebis Q. Diui Hadriani Aug.in omnibus honoribus candidato,Imperator Trib.Laticlauio leg.III.Cyrenaicę, donato donis militaribus à Diuo Hadriano ob Iudaicam expeditionem, Xuiro Stlitibus iudicandis,patrono municipi Curatori maximi exempli Senatus P.Q.Tiburs optimè de Republica merito D.

Decretum ASCVLANORVM,Romę,in domo Cęsia. C.Sallio Aristęneto,C.V.Septemuiro Epulonum,sodali Augustali,Iuridico per Picenum & Apuliam,Curatori viarum Aurelię,Cornelię, Triumphalis, prætori & Tutelario Quęstori designato,& eodem anno ad Edilitatem promoto,Xuiro Stlitibus iudicandis, oratori Maximo, Decuriones & plebs colonię Asculanorum propter humanitatem,abstinẽtiam,efficaciam. Curantibus A.Firilo prisolano & Tetieno Proculo.

Decretum CÆNIENSIVM,Bergomi in templo S.Alexandri,refertur in Antiquitatibus Appiani.P.Mario.Vot.Luperciano Eq.R.Eq.Pub.omn. honor. Mnicipal.adept.iudici.de Select.Sacerd.Cęninẽ.coll.Fabr.Cens. Dand. M. B.Patron.cuius eximia liberalitas post multas largitiones huc vsque enituit, vt Lucar. IIIII næ redemptum à Rep.sua vniuersis ciuibus suis in perpetuum remitteret. Huius tot & tam ingentia merita ita remuneranda censuerunt, vt effigiem IIII V. perpetua veneratione celebrarent L.D.D.D.

Decretum INTERAMNATIVM, ex Epigr.Vrb. T. Flauio T. F. Clu. Isidoro Eq.Rom.patriduorum Eq.Pub.omnibus honorib' honestè functo Quinq.II.Auguri Sacer.Pont.Pręf.sacror patrono municip.Interamnat. Narn. Casuentinorum. Vindenatium. V.B & quicquid in egregiũ hominem laudis dici potest,in hoc sit beneficio naturę colatum: possessores Inquilini negotiantes vię stratę, cultores Herculis Karissimo. L.D.D.D.

Decretum Histonien.Repertum in Apulia: refertur à Lilio Gyraldo, L.Valerio L. F. Prudentio. Hic cùm esset anno XIII. Romę certamine sacro,lustro sexto, claritate ingenij coronatus est inter poetas Latinos, omnibus sententiis iudicum.Huic plebs vniuersa municipum Histonięsium ære collato,statuam decreuit,curatoribus P.

Decretum Lugdunense. In Lugduni vrbis antiquitatibus refert Symphorianus,legitur autem in æde S.Irenæi. Q. Tullio Seuerino Sequano, omnibus honoribus intersuos funct.patrono splendidissimi corporis N. Rhodanic.& Arar.Cui ob innocent.morum,ordo ciuitatis suę bis statuas decreuit,Inquisitori Galliarum tres prouinciæ Gall.

ROMÆ in marmore quadrangulo,ex Antiq.vrbis.

CRONIO Eusebio V.C. Æmilia addita prædictæ prouinciæ, contuitu vigilantiæ & iustitiæ eius,& Rauennatensium ciuitate, quæ antea Piceni caput prouincię videbatur: vicario Italiæ, quæ potestas supra dicto viro ob testimonium anteacti honoris est attributa, petitione sena-

tus,contemplatione vitæ,atque eloquentia eius ab inuictiss. principibus est delata.

A tergo.

Dedicata VI.Eidus Nouembr.Cos.Fl.Mallio THEODORO V.C.

Elogium L.Metelli. vbi inuentum, ignoratur. S.P.Q.R.

L. Metel.Pont.II.Cos.Dict.Mag.Eq.XV.vir. ag. dand. qui primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho.Primarius bellator, optumus orator,fortissimus Imperator.Auspicio suo maximas res gessit, maximo vsus honore,summa sapientia,Max.S.N. partam ex æquo pecuniam Mag.Sing.L.reliquit.Clarissimus in ciuitate fuit: tributum ei, vt quoties in Senatum iret,curru veheretur ad curiam, quod à condito æuo nulli alij contigit.

Elogium P.Æmilij.Etiam ignoratur locus.

P. Æmilius Imp.Macedoniam terrarum imperio potitam cæpit, cuius vno die LXXII vrbes vendidit.etiam Indiæ victor,per vestigia Liberi patris atque Herculis, Romana signa circumtulit.

Elogium Portij Catonis:inuentum Dianij,in Hispania.

Hic hostium reliquias profligauit Cato,vbi & sacellum miro artificio conditum,& æream Palladis effigiem reliquit.Pareant ergo, & noscant omnes Senatus & Po.Romani imperium, deorum numine, & militum fortitudine,& tueri & regi.

Elogium Q.Fabij Maximi:inuentum Aretij,editum in Epigr.Vrbis.

Q.Fab.Maximus Dictator bis,Consul V.Censor,Interrex II.Æd. Cur. Q.II. Trib.Militum,Pontifex,Augur.Primo consulatu Ligures subegit, ex ieis triumphauit.Tertiò & quarto Hannibalem compluribus victoriis ferocem subsequondo cohercuit.Dictator Magistro equitum Minucio,quo ius populus imperium cum dictatoris imperio adæquauerat, exercitui profligato subuenit,& eo nomine ab exercitu Minutiano pater appellatus est.Consul quintùm,Tarentum cæpit,triumphauit.Dux ętatis suæ cautissimus, & rei militaris peritissimus habitus est, princeps in senatum duobus lustris lectus est.

Elogium C.Marij Romæ,iuxta trophæa Marij in Esquilino.

Caius Marius Cos.VII.Pr.Tribunus Pl.Q.Augur,Tribunus Mil. extra sortem bellum cum Iugurtha rege Numidiæ Procos.gessit.Eum cæpit,& triumphans in Iouis ædem secundo consulatu ante currum suum duci iussit.Tertiùm Cos.absens creatus est.IIII.Cos.Teutonorum deleuit exercitum.V.Cos.Cimbros fudit,ex ieis & Teutonis iterum triumphauit. Rempublicam turbatam seditionibus,Tr.pl.& Prætor.qui armati Capitolium occupauerant,VI.Cos.vindicauit.Post LXX annum patria per arma ciuilia pulsus,armis restitutus,VII.Cos.factus est. De manubiis Cimbricis & Teutonicis ędem Honori & Virtuti victor fecit, veste triumphali, calceis puniceis.

Elogium Cn. Pompeij,Romæ in templo Mineruæ prope Pantheum.

Cn.Pompeius Magnus Imp.bello XXX annorum confecto,fusis, fugatis,occisis,in deditionem receptis hominum vicies semel centenis LXXXIII.M.depressis aut captis nauibus DCCCXLVI oppidis,castellis MDXXXVIII in fidem receptis:terris à Mæoti lacu ad Rubrum mare subactis,votum merito Mineruæ.Cùm oram maritimam à prædonibus liberasset,& imperium maris populo Romano restituisset,ex Asia,Ponto, Armenia, Paphlagonia,Cappadocia,Cilicia,Syria,Scythis, Iudęis Albanis, Iberia, insula Creta,Basternis,& super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphauit.

Elogium L.Munatij Planci:inuentum Caietæ,in Campania.

L.Munatius L.F.L.N.L.Pron.Plancus Cos.Cens.Imp.iter. VII. vir Epul. triumphauit ex Rhetis.Ædem Saturni fecit de manubiis,agros diuisit in Italia Beneuenti,in Gallia colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.

Elogium L.Sicinij Dentati.Quem Romanum Achillem nominatum scribit Sex. Pompeius.

L.Sicinius Dentatus Trib.pl.centies vicies præliatus,octies ex prouocatione victor,XLV cicatricibus aduerso corpore insignis,nulla in tergo. idem spolia cæpit XXXIIII.donatus hastis puris IIXX.phaleris XXV.ciuicis XIII.aureis VIII.mural.III.obsidional.I.fisco æris X.captiuis XX. Imperatores VIIII ipsius maximè opera triumphantes,secutus.

Elogium T.Plautij:in agro Tiburtino:ad pontem Lucanum supra Anienem.

Ti.Plautio M.F.Ani.Siluano Æliano pontif.Sodali Aug. III viro A.A.A.F.F.Q.Ti.Cæsaris,Legato Leg.V.in Germania,Pr.Vrbano, legato & Comiti Claud. Cæsaris in Britannia,Consuli,Procos.Asiæ Legat. Propræ. Mœsiæ, in qua plura quàm centum millia ex numero Transdanubianorum ad præstanda tributa,cum coniugibus ac liberis & principibus ac regibus suis transduxit. Motum orient. Sarmatar. compressit, quamuis partem magnam exercitus ad expeditionem in Armeniam misisset, ignotos antè aut infensos P.R.Reges signa Romana adorituros, in ripā, quam tuebatur,perduxit.Regibus Bastarnarum & Rhoxolanorum filios Dacorum fratrum captos,aut hostibus ereptos,remisit:ab aliquibus corū obsides accepit,per quos pacem prouinciæ & confirmauit & protulit. Scytharum quoque rege,de Cheronensi,quæ est vltra Borysthenem,obsidione summoto,primus ex ea prouincia magno tritici modo annonā P.R.adleuauit. Hunc legatum in Hispaniam ad Præfectur. vrbis remissum,senatus in præfectura triumphalibus ornamenti honorauit,auctore Imp.Cæs.Aug.Vespasiano,verbis ex oratione eius Q.I.S.S.Mœsiæ ita pręfuit,vt non debuerit in me deferri honor triumphalium eius ornamentorum,nisi quòd latior ei contigit mora titulus.Præfecto vrbis, hunc in eadem præfectura vrbis Imp.Cæsar Aug.Vespasianus,iterum Cos.fecit.

Elogium Oct. Augusti.

Imp.Cæsari Diui F.Augusto pontif.max.Imp.XIIII.Trib. Pot. XVIII.S.P.Q.R.quòd eius ductu auspiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant,sub imperium Po.Ro.sunt redactæ.

TESTIMONIA PRÆCLARA SCRIPTO CONCEPTA PRIVATO,

uato, vt literis,libris,&c.

Quanti ARISTOTELIS doctrinæ maiestas facienda?cum Philippus Macedonum rex,vir prudentissimus,nato Alexandro ad eum scripserit: Non tam se suscepto filio lætari,quàm quòd Aristotelis natus ætate, ab eo posset ita erudiri,vt dignus Macedonico regno euaderet.Maiore spe in ęius institutione posita,quàm vel in regno,vel in cæteris, qui tunc viuerent,philosophis.Fulg.lib.2.cap.5.

Cæsar dictator de Cicerone quamuis hoste scripsit,omnium eum triūphorum lauream adeptum esse:& quidem tanto maiorem, quanto plus est,ingenij Romani terminos in tātum promouisse,quam imperij.Plin.lib.7.cap.30.

VERBIS IGNOMINIOSIS ALIQVEM LACESSERE.

Consule tit.Obtrectationum.

SCRIPTIS ALIQVEM PROSCINDERE. PASQVILLI.

Libelli famosi.Inuectiuæ.

AVTHORITATIS INDICIA.

Authoritatem in præcedentibus, quando de honore & gloria disputauimus, Maiestati coniunximus, tanquam causæ effectum, aut generi speciem. Nam nihil aliud est, quàm præconcepta quædam virtutis cuiuscūque existimatio, quæ nos ad quiduis agendū dicendúmue impellit. Sic discipuli authoritatem præceptoris in discendo sequuntur, cùm nihil absque ratione ab illo doceri posse sibi persuasissimum habeant. Quatenus ergo eùδοξία est tacita, sic cum maiestate eadem est authoritas: at quatenus hanc ipsam exstimationem suam indicio aliquo declarat, sic ab eadem differt. Indicia autem, siue notæ, variæ sunt.

OCCVR-

OCCVRSVS HONORIFICVS. DIGITO MONSTRARE.

Consule tit. Peregrinationes eruditionis & virtutis causa susceptæ. Magni enim sunt illi, propter quos suscipiuntur.

ABRAMVS cùm victoriam de quinque regibus habuisset, Melchisedechus Solymæ rex, & supremi Dei sacerdos panem protulit & vinum, eúmque faustis ominibus fuit prosecutus. Sodomæ quoque rex Baram eum fortitudinis ergò laudauit.Genes.14.

REGINA Saba ex intima Æthiopia Hierosolymas profecta est, vt Salomonis regis sapienti frueretur colloquio.

IOACHIM summus sacerdos Hierosolymorum,audita fama Iudithæ, quæ interfecto Holoferne Bethuliam patriam in libertatem asseruit, Bethuliam vsque cum magno presbyterorum comitatu venit,vt faciem eius videret,cuius præclara facta totum Orientem in sui admirationem trahebant.

PLATO cùm aliquando ad Olympia descendisset, Græcorum omniū ora in se conuertit:eodémque tempore Dioni congressus est,cōtra Dionysium bella mouenti. Laert.lib.3.

Empedocles cùm ad Olympia peregrinaretur, omnium oculos atque voces in se conuertit.Laert.lib.7.

Quid damnatione,quid exilio miserius? Atqui P.RVTILIO conspiratione publicanorum perculso,autoritatem adimere non valuerūt. Cui Asiam petenti, omnes prouinciæ illius ciuitates, legatos eius secessum opperientes obuiam miserunt.Exulare aliquis hoc loco, an triumphare, iustius dixerit?Val.lib.2.cap.5.

Potest & M.CATONIS è Cypro cum regia pecunia reuertētis appulsus ad ripam Tyberis memorabilis videri, cui naui egredienti consules, & cæteri magistratus,& vniuersus S.P.Q.R. officij gratia præstò fuit:non quòd magnum pondus auri & argenti, sed quòd M. Catonem classis illa incolumen aduexerat, lętatus.

Demetrius Pompeij libertus, tantæ existimationis fuit, vt expectatus quondam Antiochiæ.oppidani tunc fortè Catoni eò venienti occurrentes,ab eo petierint,vbínam Demetrium reliquisset: cùm Cato indignaretur,quòd sui gratiam egressam turbam putaret. Plutarchus in vita Pompeij.

SCIPIO minor, quum iam tertium à Senatu fuisset emissus, quò, vt tradit Clitomachus,

Vrbes atque homines cernat bene legibus auctas,

vtque gentium,ciuitatum ac regum inspector esset: posteaquam peruenit Alexandriam, nauique egressus, capite pallio tectus incederet, Alexandrini vndique accurrentes, flagitabant vt caput nudaret, faciémque id desiderantibus ostenderet. Quum se nudasset, clamore & plausu testati sunt gaudium suum. Quúmque rex Alexandriæ vix interim ob delicias ac molliciem corporis æquaret Romanos incedentes, Scipio voce submissa Panætio insusurrauit in aurem:Iam, inquit, Alexandrini nonnihil ex nostra peregrinatione fructus cæperunt, quibus per nos contigit videre regem ambulantē.Nam Athæneus ex autoritate Posidonij scribit, Ptolemæum perquàm obœso corpore nunquam antea pedibus ambulasse.Plutarch.in Rom.Apophtheg.

Dominico Triuisano, Veneto legato,quàm honorificè occurrit Laseraphus Sultanus,pete ex tit.Legati ad componendas res missi.

IOANNI Campegio Bononiensi, in Patauium Gymnasium (quo ad publicam literarum professionem fuerat inuitatus)proficiscenti,ab vrbis magistratibus Gymnasiarchisque magna hominum frequentia obuiam itum est.Sabellic.

Franciscus Paulæ eremita, vir natione Calaber, à tertiodecimo anno vsque ad sexagesimum eremiticam egit vitam, obsonio nullo cibos suos molliente.Missis igitur à Ludouico vndecimo Gallorum rege, ad Ferdinandum seniorem Neapolitanum regem oratoribus, qui precibus multis hoc peterent:vix tandem à Sixto quarto pontifice ita iubente,adduci Franciscus potuit, vt in Galliam ad Ludouicum se conferret: à quo per omne regnum,quò iter habuit,præmissis sacris,ceu si cardinalis cum legationis honore illuc tenderet,exceptus fuit, quanquam literarum expers esset, ab eo rege eiúsque filio,Carolo Octauo, consiliis de magnis rebus adhibebatur,sententiáque eius præferebatur:Alexandróque sexto pontifice hoc præbente, princeps quintę regulę factus fuit, quę postea ab eo nomen accepit.Fulgos.lib.2.cap.5.

Francisco Sfortię Mediolanenses hostes occurrerunt ad Briuium: quibus ille obuiam profectus inermis,capitéque detecto, tantum authoritate orísque maiestate apud illos valuit,vt abiectis armis, omnes sese illi subiecerint, manúsque ipsius apprehendentes osculati sint,& non multo pòst mutato cōsilio ducem illum in vrbem deductum cuncti salutarint. Egnat.lib.2.cap.5.& Fulg.eodem.

HIER. Fracastorius,medicus,philosophus & poeta excellentissimus, in tanta fuit existimatione, vt cùm Carolus V. Imp. Pescaria in Algeriam expeditione profecturus trāsiret, & Fracastorius è Caphiis villa sua proxima spectatum quoque descendisset, Madrutius Tridentinus princeps solum ipsum innumerosa hominum turba Cęsari digito demonstrarit, Hic est Fracastorius ille,inquiens.

COMITATV HONORARE.

Exempla quædam ex tit.Triumphi comites,de ciuibus seruatis qui triumphantis currum sequebantur,peti poterunt.

REGIBVS Spartanis centum delecti viri in militia custodes adsunt. Herod.lib 6.

REGIBVS Spartanis licet, quibuscunque libeat ciuibus inniti. Herodot.lib.6.

M.Porcium Catonem admiratio fortis ac sincerę vitę adeò venerabilē senatui fecit, vt cùm inuito C.Cęsare Cos. aduersus publicanos dicendo in curia diem extraheret, & ob id eius iussu à lictore in carcerē duceretur,vniuersus senat⁹ illum sequi non dubitaret:quę res diuini animi perseuerantiam flexit.Val.lib.2.cap.5.

C.DVILLIO quòd in nauali pręlio Carthaginensium classem fudisset,pręter curulem sellam,vt quoties à cœna rediret, funale pręferretur, & tibicen pręcineret, concessum est ex senatus decreto. Plin. cap. 38. de Viris illust.Valer.li.3. cap.6.Flor. lib.2. ca.2. Cic. de Senect.Alex.ab Alex. lib.4.cap.11.Syllius Italicus lib 6.circa finem.

L.METELLO,qui oculis orbam senectutem egit,datum est,vt quoties in senatum iret,curru veheretur,vt eius de republica merita cunctis innotescerent.Plin.lib.7.cap.43.

CAROLVS Zenus Venetus, decem annos apud Galeatium Vicecomitem in summa gratia fuit & authoritate. Cùm in patriam redire cuperet,id omnes Insubres ægerrimè tulerunt, & vndique ad Galeatium legatos miserūt,vt tantūvirū apud se retineret,nec ab ea procuratione abire sineret. Tandē Carolo in patriā redeūte, rebúsque pace belló q; pręclarè gestis florente,legati Genuensiū, qui publico nomine Venetias venerant,priuatim domum illius sępe subiere,sermonémque cum eo familiarem miscere soliti erant,atque etiam domo quandoque exeuntem in publicum benignissimè comitari.Tametsi meminissent, Genuensem classem sępè Caroli Zeni virtute victam:Bichinoniam nauim eiusdem Caroli auspiciis captam, Clodiam consilio & opera illius pręcipuè receptam: victum nauali apud Methonem prelio memorabili Bucicaldū,qui Gallici vir sanguinis, tunc rem Genuensium administrabat: vt iure optimo Camillum alterum dicere possis hunc ipsum.Egnatius libro secundo, capite quinto.

PRIMÆ SEDES. Προεδρείαι.

LACEDÆMONII si vnà cum Atheniensibus contra hostes dimicarent,miles Atheniensis sinistrum,Lacedęmonius dextrum semper in acie tenebat locum.Alex.lib.4 cap.7.

Cùm aduersus Mardonium & Medos,ATHENIENSES & Tegeates dimicare vellent,magna orta est contentio inter milites, cùm dextrum cornu in acie Athenienses sibi vendicassent.Ibidem.

Reges Spartani primi sunt in expeditionibus,& postremi in reditu: & in spectaculis seorsim à reliquis pręsident Herod.lib.6.

SPARTANIS regibus licet suo arbitrio assidere in senatu, qui constat ex duodetriginta senibus:si eò non accesserint, eorum maximè propinqui duo senatores,ius regum obtinent duos calculos ponendi, tertiū pro seipsis.Herod.lib.6.

Apud ÆGYPTIOS ad dextram locari magnus est honos habitus, in medio verò maximus.Quod ęquè apud Romanos obseruatum est. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19.

PSAMMETYCHVS Ægypti rex,cum pugnaturus aduersus Assyrios ignominiæ loco Ægyptios in sinistra, mercenarios verò & externos in dextra phalangis locauisset, exercitus alienationem & dissidium passus est.Alex.ab Alex.lib.4.capite 7.ex Herod.lib.2.

CYRVS Persarum rex conuiuas,quo honoratius exciperentur, in sinistra locare solitus est, eam enim partem velut cordi affinem digniorē ducebat.Xenophon.

Cùm Crœsus Lydorum rex,amplissimis muneribus Delphos affecisset, illi vicissim Crœso Lydisque donarunt primas in consulendo oraculo partes,ac denunciationem,primúmque in sedendo locum:immunitatem pręterea & ius perpetuum cuique volenti ascribi in numero Delphorum. Herod.lib.1.

BERENICE,cui soli omnium fœminarum gymnico spectaculo inter

esse permissum est:cùm ad Olympia filium Euclea certamen ingressum adduxisser, Olympionico patre genita, fratribus eandem palmam assecutis latera eius cingentibus. Val.Max.li.8.cap.16. Vide tit. Pœna nimij studij in spectaculis.

ROMANI si aduersus hostes pugnandum esset, seniori duci dextrum in acie cornu: sinistrum verò (quia minus curæ & solicitudinis habet) iuniori credebant. Alex.ab Alex.lib.4.cap.7.

M. VAL. Volesi filio, quòd Sabinos fudit, & castris exuit, locus in circo ad spectandum cum sella curuli, posterisque permissus est. Alexan. libr. 4.cap.11.

C. DVILLIO, qui Carthaginensium classem fudit, curulis sella decreta est: & vt quoties à cœna rediret, cum funali & tibicine incederet. Val. lib.3.cap.6.& Cic.in lib.de Senect.

ÆLIORVM familia Romæ in Maximo circo flaminio spectandi locum certum habuit, virtutis ergò concessum. Val.Max.

SALVTATIONES ET QVICVNQVE ALII HONORES IN CONGRESSIBVS EXHIBERI SOLENT.

Caput aperire, Deosculari manus, aut faciem, aut frontem, aut pedes, corpus inflectere, & Persico more adorare, Προσκυνήσεις, ἐντάσεις, Loco cedere, Assurgere.

Salutatio inter Affectuum accidentia superiore loco connumerata fuit: in præsentia verò rationem illius habemus, quatenus honoris speciem iunctam habet.

IACOBVS, cùm ex Mesopotamia in Chananæam rediret & Esaum fratrem cum 400 hominibus obuium haberet, septies ante illum procidit, vt eum sibi placaret. Genes. 33.

TOTILA Gothorum rex, Benedicti abbatis Cassinatis fama impulsus ad eum in Cassinatem montem profectus est videndum, etsi tunc ipsum susceptæ aduersùs vrbem Romam expeditio occupatum habebat. Vt igitur in eius conspectum venit, & solus sederet senio & squalore obsitus Abbas: tamen vt eum intuitus est, quanquam adhuc lõgè ab eo esset immanis ac barbarus rex, quem imperij Romani magnitudo non mouebat, senis & inopis Abbatis authoritate motus est. Ad terram enim concidit humi vtroque nixus genu, sanctóque homini, ceu eius conspectu indignus, appropinquare non audebat. Neque Abbatis hortationibus antè se mouit, quàm Abbas ad eum profectus manu sua ipsum leuauit. Potuit enim homunculi virtus apud ferocis regis verendam potentiam id efficere, quod nulla humana potentia, vt præstare Totila vellet regi alicui, ne dum priuato homini, effecisset. Tali igitur experimento edocemur, longè plus virtutum morúmque sanctimoniam sæpè quàm arma efficere. Fulg.lib.2.cap.5.

GLAVCVS Epicydis filius Spartæ, tanta iustitia præditus fuit, vt multi hospites ad eum videndum Lacedæmonem peterent. testis est Herod.

ALEXANDER Macedo solt Phocioni, Atheniensium duci in literis scribebat, χαίρειν. Ælian.lib.1.Var.hist.

IMPERATORVM dextras victrices, ob fortia facinora milites deosculari apud Romanos patrij moris fuisse, legimus apud Alexand. libr. 2. cap.19.

AP. SCIPIONEM Africanum in Linternina villa latitantem, complures prædonum duces videndum eodem tempore fortè confluxerunt. Quos cùm ad vim faciendam venire extimuisset, præsidium domesticorum in tecto collocauit, erátque in his repellendis & animo & apparatu occupatus. Quòd vt prædones animaduerterũt, dimissis militibus, abiectisque armis ianuæ appropinquant: & clara voce nunciant Scipioni, non vitæ eius hostes, sed virtutis admiratores venisse, conspectum & cõgressum tanti viri, quasi cœleste aliquod beneficium, expetentes. Hæc postquàm domestici Scipioni retulerũt, fores reserari, eósque intromitti iussit. Qui postes ianuæ tanquam aliquam religiosissimam aram, sanctũque templum venerati, cupidè Scipionis dexteram apprehenderunt: ac diu osculati, positis antè vestibulum donis, quæ deorum immortalium numini conciperari solet: elati, quia Scipionem vidisse contigisset, abierunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius? quid etiam iucundius? Hostis iram admiratione sui placauit, spectaculo præsentiæ suæ latronum gestientes oculos obstupefecit: delapsa cœlo sidera hominibus si se offerant, venerationis amplius non recipient. Val.Max.lib.2.cap.5. Egnat.lib. 2.cap.5.

A Gadibus homines Romam venisse, Hieronymus scribit, vnius T. LIVII videndi studio, cùm facundiæ eius fama ipsos traxisset. Maiori admiratione Liuiũ intuiti, qui populi Romani res gestas scripsisset, quã vrbem illã, quæ res ipsas ediderat: multis admiratione captis, quòd in vrbe orbis terrarum principe, in qua innumerabilia erant, quę spectare homines cupere possent, aliud esset, quod ij Gaditani plus quàm vrbẽ ipsam cernere desiderarent. Fortasse enim ij putarunt ex Liuij aspectu melius se veterem Romanam frugalitatem, fidem, synceritatem atque integritatem, & his virtutibus ferocium ciuium adiunctos animos lacteo eloquentiæ fonte expressos, quàm ex statuis aut ædificiorum magnitudine comprehensuros. Fulg.lib.2.cap.5.

ISIDORVS Alexandrinus presbyter, sub Theophilo episcopo (primum monachus) tantæ fuit etiam Gentilib.admirationi, ut vmbram eius reuereri sint Palladius testis.

IOANNES episcopus Bergomensis, tantæ sanctitatis fuit, vt etiam Reges domini ei assurgerent. Platina in Ioanne v.& Sabellicus Enneadis 8.libr.6.

RODOLPHVS Comes Habspurgẽsis, cùm in aula Friderici II. Imp. (qui eum è sacro fonte leuarat) esset: quamuis pauperrimus esset, in tanta tamen apud omnes propter virtutem & pietatem existimatione fuit, vt cùm Cæsarem adiret, omnes ei principes assurgerent. Augurabãtur proculdubio sub tanta virtute orbis terrarum dominium (quod multis post annis in eius stirpe contigisse videmus) latére. Cuspinianus in Cæsaribus.

FRANCISCVS Sfortia inter Italos principes clarissimus, adeò grato venerandóque fuit aspectu, tantúmque nomen ei virtus etiam inter hostes pepererat, vt maiestatis plenũ dicere possimus fuisse. Hosti quoque formidolosus, quod rarò coniunctum inuenitur, apud eundem venerationis habebat plurimum. Id eo bello, quod Mediolanensi populo intulerat, quo postea ad Ducatũ euectus fuit apud Bripium, in amnis Abduæ ripa clarè apparuit. Nam cùm vt opem ferret castellis quibusdam repentino hostium incursu laborantibus, progrediendi studio, aperto capite inter hostes perlatus esset, ab eis genu humi posito adoratus, deosculandæque manus studio, omnibus ad eum accurrentibus, communis omnium militum parens nouúmque Mars salutatus fuit. Quid enim aliud hostibus circumspectum te Francisce tunc defendit, quàm maiestas nominis tui? quæ vt te mirarentur ac venerarentur, omnes eos compulit, ad quos te contulisti. Nempe multo maius id in te fuit, quàm in Scipione cùm in latrones incidit, quod illi vt spectarent Scipionem, ad eum iuerant: hi correptis armis castella Francisci Sfortiæ inuaserant, vt adimerent. Fulg.lib.2 cap.5.

GEMIS Ottomanni congressum cum Pontifice, pete ex tit. Eorum qui captiuitatem forti animo tulerunt.

PETRVS Laurentij Celsi Venetorum ducis pater, principem filium nunquam æquo animo adire salutandi causa poterat: quòd grauiter ferret se patrem iam senio grauem, ad nouum exemplum cogi, vt aperto capite filio occurreret. Qua re tandem filius animaduersa, prudenter excogitauit, vt pileo suo crux aurea imponeretur, quam vsam pater non grauatò salutaret: quam crucem ad hunc vsque diem principes Veneti retinent. Egnat lib.9.cap.11.

VESTES, ÆDES, OPERA QVÆVIS DEFVNCTORVM *religiose colere.*

ALEXANDER Macedo cùm in Ilium peruenisset, & quidam Paridis lyram se ei ostensurum promisisset: Apage, inquit, sed Achillis citharam exhibe, qua heros præstantissimus animum à bellicis fatigationibus recreare solitus fuit.

Apud NOVVM murum (qui locus inter Smyrnam & Cumas Æolicas medius est) ostendebatur ad Herodoti vsque tempora, annis 630 & amplius, locus, in quo Homerus sedens carmina sua legenda exhibuerat, & in magna habebatur veneratione: memoratúrque populus arbor ab Homero adiuentu in eodem loco enata. Sed paupertate postea pressus, Cumam rediit. Herod.in eius vita.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator erga Alexandrum ita erat affectus, vt armis poculisque similibus iis quibus ille vsus fuerat, vereretur, eíque complures statuas in castris, atque adeò in vrbe collocaret, compararétque phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum 1600, eámque phalangem Alexandri nominauit. Hi vrebantur eodem armorum genere, quo viuo Alexandro armati fuerant, galea nimirum facta ex crudo bouis corio, thorace ex lino triplici, scuto ex ære, lancea longa, hasta breui, crepidis, gladio. Quibus rebus minimè cõtentus, eundem Alexandrum Orientalem Augustum appellauit. Dion Nicæus, & Xiph.in Antonino.

PRIMISLAO regi suo tantum honoris tribuerũt Bohemi, vt ligneas soleas, in quibus arans inuentus erat, diu seruarent, & nouis regibus præferrent. Vide tit. ex infelicibus felices redditi.

TVMVLOS ET MONVMENTA VENERARI.

LYCVRGI legislatoris Laconum sepulchrum fulmine tactum, scribit Plutarchus: idque nemini præterea, quàm Euripidi tragico poetæ contigisse post funera scribit. Certissimum enim hoc deorum beneuolentiæ signum esse, stolidi gentiles arbitrabantur.

ALEXAN-

ALEXANDER Macedo cùm ad Troiam venisset, Achillis tumulum floribus coronauit, in hæc verba prorumpens: O felix adolescẽs, qui laudem tuarum præconem habueris. Promittente quodam, se Paridis lyram ei ostensurum. At ego Achillis malim, respondit, qua post res præclarè gestas heroicum animum relaxare solitus fuit.

Posteaquam Antonio Cleopatráque in Ægypto deuictis, Augustus Alexãdriam ingressus est, id quod primùm in ea vrbe optauit conspicere, ALEXANDRI Magni corpus fuit, quod non verborum solùm, sed etiã coronæ prosecutus honore, totum floribus conspersit: rogatúsque an Ptolemæorum Ægypti regum inspicere corpora vellet, respondit: Regesse, & non mortuos videre voluisse. Graui testimonio ostendens, inter eos reges vnum esse Alexandrum, qui virtute ac fama viueret. Laus profectò, quæ sine alio teste Alexandri maiestatem testaretur. Cùm ab orbis terrarum principe profecta, in quo prudentia esset, adulatione atq; errore caruerit. Fulg.lib.2.cap.5.

SOLYMANNVS, expugnata Buda Hungariæ regia, vbi regum statuæ & monumenta conspiciebantur, solius Matthiæ Coruini tumulum videre voluit, cúmque venerabundus adiit, quòd hunc solum regem fuisse diceret.

GEORGIVS Castriottus Scanderbechus (hoc est, Alexander dux) à suis dictus, Epiri despota inuictissimus, tanta fuit etiam apud hostes authoritate, vt cùm post eius mortem Mahumetes Epirum diriperet, apud Lyssum Scanderbechi sepulchrum Turcæ religiosè quæritarent: admirabũdique vsque adeò piè venerarentur, vt eruta sepulchro ossa diriperent, quum quisque se bello inuictum tutúmq; fore crederet, si fructulum ex ossibus inuictissimi Imperatoris loco amuleti ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret. Iouius in eius vita ex Marino Barletio Scodrẽse.

ALFONSVS Aragonius audiens, à quibusdam Caietanis malè literatis, M. Tullij sepulchrum extare adhuc iuxta Formias (sibi enim villa Ciceroniana insignis olim fuit, nunc autem Mola vocatur) in via Romana vetustis literis inscriptum: eius rei visendi percupidus, statim eum locum accessit: & sentibus rubísque primò tumulum purgãs, móxque legere incœptans, non M. Tullij, sed M. Vitruuij inscriptionem inuenit. qua lecta, vultum risu soluens dixisse fertur, Caietanos ex Minerua oleum quidem accepisse, sed sapientiam amisisse. Constat autem Alphonsum Ciceronianæ lectionis tam studiosum fuisse, vt perrarò eius tædio affici potuerit. Panorm.lib.1.de reb.gest.Alphonsi.

IN THEORICIS PLVRIMVM ALICVI TRIBVERE.

In discipulo requiritur opinio ista de præceptore. Χρὴ γὰρ τὸν μανθάνοντα ὅτιοῦν πιστεύειν, *vt inquit Arist. vide tit. Artis suæ vnusquisque optimus est. siue, Vnicuique in arte sua credendum.*

IN MECHANICIS PLVRIMVM ALICVI TRIBVERE.

ALEXANDER Macedo edicto vetuit, ne quis se præter Lysippum ære, Praxitelem marmore, Apellem coloribus fingeret.

IN ETHICIS PLVRIMVM ALICVI TRIBVERE SECVNDVM *varias virtutes.*

PRVDENTIÆ OPINIO, IN CONSVLENDO. *Authoritatem in consiliis sequi. Vide tit. Legislatorum.*

Crotoniatæ summo studio à PYTHAGORA petierunt, vt Senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consiliis suis vti pateretur. Post mortem domum eius Cereris sacrarium fecerunt: quámque diu illa vrbs viguit, & dea in hominis memoria, & homo in deæ religione cultus est. Val.lib.8.cap.16.

FORTITVDINI ALTERIVS MVLTVM *tribuere. Pacem cum alio ob metum facere. Exempla pete ex tit. Carceres æquo animo ferre, sub loco Fortitudinis:*

ABIMELECHVS Gerarorum rex, in Palæstina, cùm Isaaci prosperitatem & opulentiam videret, quamuis eum expulisset: tamẽ cum eo fœdus vltrò percussit, ne alter alteri noceret. Genes.26.

LVDOVICVS Bauariæ dux fortissimus, ab Henrico eiusdem familiæ principe captus, ac in carcerem coniectus, cùm animum infractum & inconcussum etiam facici liniamentis ostendisset, partim apud custodes, partim apud Henricum principem, qui varia ex eo interrogabat, tantum autoritate & maiestate sua potuit, vt hostes non captum, sed liberum esse pronunciarent. Æneas Syluius lib.3. Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

ALPHONSI Aragonum regis tanta fuit autoritas, vt etiam victus à Genuensibus, Philippi Mediolanensis ducis opera, nihilominus conditiones dixerit, & victores victo metu cessérint, victoriam casu non virtute consecutos arbitrati. Panormita lib.4.de rebus gestis Alphonsi.

TEMPERANTIÆ ALIORVM PLVRIMVM *tribuere. Omnem turpitudinem in aliorum præsentia fugere.*

Huc pertinet Pudor ingenuus:

MENEDEMVS Erethriensis, in obiurgando summæ erat authoritatis & grauitatis. Cùm Eurylochus Cassandræus discipulus eius, cum Cleippide Cyziceno adolescente à rege Antigono accerseretur, renuit, metuens ne id Menedemus persentiscceret. Cùm autem adolescẽs animi dubius hæreret, non quidem compellauit eum Menedemus: sed sumpta festuca, in puluere depinxit illorum discessum. At cùm inspectantibus omnibus adolescens se magna notari ignominia videret, pudore suffusus abiit. Laert.lib.2.

M. PORTIO Catone ludos Florales, quos Messius ædilis faciebat, spectante, populus, vt Mimæ nudarentur, postulare erubuit. Quod cũ ex Fauonio amicissimo sibi vnà sedente cognouisset, discessit è theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret. Quem abeũtem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem iocorum in scenam reuocauit: confessus, plus se maiestatis illi vni tribuere, quàm vniuerso sibi vendicare. Quibus opibus, imperiis, quibus triumphis hoc datum est? exiguum viri patrimonium, astricti continentia mores, modicæ clientelæ, domus ambitioni clausa, paterni generis vna imago, minimè blanda frons, sed omnibus numeris perfecta virtus, quę quidem effecit, vt si quis sanctum & egregium ciuem significare velit, sub nomine Catonis definiat. Val.lib.2.cap.5.

IVSTICIÆ ALTERIVS PLVRIMVM TRIBVERE, *ita vt eius authoritati & seditionum & bellorum compositio permittatur. Authoritas in bellis, seditionibus, inimicitiis tam priuatis quàm publicis componendis. Consule tit. Pacificorum.*

Bello inter se decertantes Ptolemæus atque Alexander Macedonum reges, spretis multis vicinis regibus, solum PELOPIDAM Thebanum controuersiarum suarum arbitrum fecerunt, pluris bonitatem eius quã regna vitésque aliorum facientes. Itaque nullo stricto gladio, nullo effuso sanguine, pacem quam dixerat, seruarunt. Fulg.lib.2.cap.5.

CRATES Thebanus, tantæ fuit authoritatis philosophus apud cunctos, vt Demetrium Poliorcetẽ, Thebas obsidentem, sua authoritate ab obsidione patriæ remouerit. Plut.& Volat.lib.14.cap.2.Anthrop.

LEO BYZANTIVS auditor Platonis, Philippo contra Byzantium venienti occurrens: Dic age, inquit, Philippe, quæ te causa trahit oppugnatum nostra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, qua vti potiar veni. Leo excipiens: Atqui respondit, non instrumento bellico, sed Musico amantibus est opus. Quo dicto ducem à bello Byzantio auertit: cùm Demosthenes multa super hoc apud Athenienses, Leo verò pauca apud Philippum verba fecisset. Philost.& Volat.lib.16. Vrban.comm.

M. POPILIVS Lenas consul cùm esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum læna faceret (erat enim flamen Carmentalis) plebis contra patres seditione nunciata, vt erat læna amictus, ita venit in cõcionem, seditionémque cùm authoritate, tum oratione sedauit. Cicero in Bruto.

SCIPIO tumultuantis populi vociferatione impeditus, Me, inquit, ne militum quidem armatorum clamor vnquam terruit, neq; hominũ tumultus terrebit: quorum Italiam scio nouercam esse, non matrem. His verbis repressi sunt, & tumultuari desierunt. Polyæn.lib.8.

SCIPIONEM Æmylianum, adolescentem admodum, à Lucullo cos. petendi auxilij gratia ex Hispania in Africam, missum, Carthaginenses & Masinissa rex de pace disceptatorem, velut cos. & Imperatorem, habuerunt. Ignara quidem fatorum suorum Carthago: orientis enim illud iuuentæ decus, deorum atque hominum indulgentia, ad excidium eius alebatur, vt superius cognomen Africanum capta, posterius euersa Corneliæ genti daret. Val.lib.2.cap.5.

APOLLONIVS Tyanæus philosophus, excellenti doctrina sua, ac singularis innocentiæ fama, quanquã adhuc sileret, nondum peracto Pythagoreorum quinquennio, multas Asiæ inter se decertantes vrbes so-

lis nutibus ad pacem redegit.Id præcipuè Aſpẽdij egit,quę vrbs in Pamphilia eſt.Nam cùm illic propter annonæ caritatem inopes contra opulentiores tumultuarentur,nutu inopes repreſſit : ditibúſque perſuaſit, vt erga tenues largos ſe præberent. Quibus ex rebus aucta eius veneratio, etſi inops nudiſque pedib⁹ iter faceret,non ſolùm apud Aſiæ vrbes,apud quas ceu numen colebatur,verùm etiam à Babyloniis Indiſque regibus magnis honoribus exceptus fuit , & omni neceſſaria re adiutus. Fulgoſ. lib.2.cap.5.

Decertarant longo difficiliq́ue inter ſe bello Veneti,& Franciſcus Sfortia Mediolanenſium dux : quos ad ineundam pacem , neque Pont.max. authoritas , neque regum principúmque Italiæ preces flectere vnquam potuere : cùm SIMONETVS Camerinas, ex eremitica familia Sfortiæ duci familiaris & notus,& Venetiis quandoque commoratus, negotium hoc ſuſcepit.Erat autem hic propter vitæ ſanctitatem in ſummo cultu & veneratione.Venetiis igitur ſoluens,Mediolanúmque profectus,tentato prius Sfortiæ ducis animo,cui ille negare nihil eſt auſus,ſtatim Venetias rediit.Principe igitur & patribus ipſis facilè perſuaſis, pax inter eos inita eſt. Vnde hodie cœnobium in ſtagnis Murianum petentibus extat, D. Chriſtophoro dicatum, perpetuóque pacis nomine dictum : tantum recta religio,veræque pietatis cultus in mortaliũ animis ſępe valet. Egnat. lib.2.cap 5.& Fulg.lib.2.cap.5.

Cùm graue bellum in Italia gereretur,& Venetarum copiarum dux FRANCISCVS Sfortia Mediolanenſis eſſet , Veneti & Philippus Mediolanenſis dux cum fœderatis ſuis controuerſiarum arbitrum fecerunt Franciſcum : non minus illius fidei credentes , quàm antea ſæpe militari eius virtuti feciſſent.Eius igitur iudicio pars vtraque ſtetit, & ipſe omniũ Italicorum principum militaris dux creatus , initæ etiam pacis cuſtos atque conſeruator,quod antè nemini aut rariſſimis contigit , declaratus fuit.Fulg.lib.2.cap.5.

PETRVS Lauretanus maritimæ rei pręfectus ad Callipolim Turcicã claſſem primus vicit:ad Rapalum Franciſcum Spinulam Genuenſem cœpit,cum octo triremium gubernatoribus,tribúſque conſiliariis: mox D. Marci procurator creatus , ſeditionem in area Marciana à claſſiariis remigióque , quod frequens ex Iſtria & Dalmatia conuenerat in ſupplementum Padanæ claſſis contra Philippum Mediolani ducem, concitatã, licet æger,aduentu ſuo compreſſit.Quam nec Ducis imperium , nec decemuirũm autoritas,nec ſatellitum copiæ auertere potuerunt,priuati viri maieſtas coercuit,ita vt trepidi omnes diffugerent. Egnat.lib.7.cap.1. & lib.2.cap.5.

IVSTICIÆ ALTERIVS MVLTVM TRIbuere in committendis arcanis conſiliis,regnorum adminiſtratione,depoſito,&c.

Quæ regna?aut quæ victoriæ?vel quę doctrina tantũ maieſtatis in homine aliquo poſuit , quantum integritas bonitáſque ZENONI Yciæo Cyprio philoſopho peperit?Apud eum enim , dum Athenis moratus eſt, ciues portarum vrbis claues poſuerunt,tutiore eas eſſe loco quàm quouis in templo putantes:certius illi,quamuis peregrino,communem ſalutem quàm vlli conciuium ſuorum credentes.Cuius virtutem vt populus Athenienſis,quanti à ſe facta eſſet,teſtaretur,aurea ſtatua corona inſigni donauit.Fulgoſ.li.2.cap.5.

AVTHORITATEM IMPERII SEQVI, TAM PRIVATIM QVA PVBLICE.

Obedientia,tam ſacra quàm profana.

Vide ſub tit. Obedientiæ ſubditorum,tam profana quàm religioſa.

Iacobi authoritatem ſecuti filij Iſrahel , patriis ſedibus penatibúſque relictis,cum tota domo in Ægyptum migrauêre.Sabel.lib.1.cap.7.

Mouerunt proculdubio ISRAELITAS prodigia,quæ in Ægypto facta dicuntur,vt Pharaonis minas,& imperium quodamtenus contemnerent. Sed Moſis autoritas multo impenſius perpulit , vt ſine armis, ſine commeatu per deſerta & diſpendia viarum , ſexcenta millia hominum vnum ſint ducem ſecuta,vt cùm certa relinquerentur, quærerẽtur incerta.Sabellic.lib.6.cap.8.

Hæc eadem in cauſa fuit, vt tam numeroſa multitudo ducem per medios maris fluctus vadentem,ſit intrepidè ſecuta : leges ferentem audierit,conflatilem vitulum ſuſtulerit , inermis in armatam aciem iuerit , in quo aliquid demum eſſe crederet,quod ſupra faſtigium humanitatis eſſet,ſecundum cœli numen præcipuè venerabile.Ibidem.

Acceſſit & Ioſuæ,qui poſt hunc dux fuit,ſua autoritas: cuius iuſſu circa Iordanem omnis virilis ſtirpis gens circumciſa eſt : eodem autore triginta regibus bello victis, æternum obſeruationis fœdus cum Deo ſanxerũt Iſraelitæ, omnis Chananæorum terra tributim & viritim victori populo diuiſa eſt.Ibidem.

Nec IVDÆ, qui Machabæi cognomen tulit , eſt parum à ſuis datum cuius ductu permodica Hebræorum manus cum validiſſimis hoſtium copiis ſæpius conflixit.Quod,niſi egregia ducis autoritas affuiſſet, nulla ſubiici neceſſitate potuiſſent, vt rebus gentis atrociter afflictis , cum eo hoſte manum confererent , cui toties cædenda terga obuertiſſent. Ibidem.

DAVID regius vates maxima apud ſuos authoritate polluit . Cùm plures eſſent illi filij natu grandes,legitiméque orti, ipſéque Solomonẽ minimum natu,& ex aliena coniuge conceptum,regem declaraſſet,tantum abfuit vt quiſquam viuo patre ſit aliquid mouere auſus , aut ſignum irati animi dederit,vt eo etiam defuncto , regium nomen cum ipſo inoffenſum illi manſerit,vt ſacræ teſtantur literæ:& Sabel lib.1.cap.7.De decrepita ætate.

CHRISTI ſaluatoris authoritatem apud ſuos diſcipulos quis ſatis oſtendere poteſt? qui eius dictis obedientes fuêre , cum eos mitteret in caſtellum, vt aſinam cum pullo adducerent.Non interrogabant,cur iam equitare vellet , qui hactenus pedes fuerat : non diffidebant quicquam: non dubij erant,an abducẽdi aſinam facultas daretur,&c. Item in nuptiis Canæ Galileæ tantum valuit Chriſti authoritas, vt iuſſu eius citò hydriæ replerentur aqua.Item apud Petrum, cui dixerat , vt mitteret hamum in mare,& extraheret piſcem,in quo inueniret numum,quo ſatisfaceret illi qui efflagitarat.

Magna apud Saracenos habita eſt MOSIS Ægyptij eremitæ maieſtas,quam illi virtus & morum ſanctitas peperit.Nam Mauuiam Saracenorum reginam prępotentem ab idololatrico cultu ad Chriſti fidẽ perduxit.Valentiniano enim imperatori ſcripſit,ſi Moſem Ægyptium eremitam,& non alium ad eam epiſcopum ac fidei doctorem mitteret , ad Chriſtianam religionem ſe tranſituram eſſe. Perſuaſa,ſine illo non bene ſe hoc opus impleturam. Fulgoſ.lib.2.cap.5. Egnat. lib.2.cap.5. Mainam reginam vocat,& ſub Iuſtiniano floruiſſe ſcribit.

AMBROSIVS Theodoſium Imperatorem Mediolani agentem,magnóque agmine aduentantem,ab aditu templi pręſens repulit, quòd ille Chriſtianos homines non paucos indicta cauſa Cõſtantinopoli interfici iuſſiſſet.Quod factum vſque adeò omnium qui aderant animos mouit,vt ſumma illa in Ambroſio maieſtas , veluti vox de cœlo demiſſa , cunctos perterrefecerit . Sed & ipſe Theodoſius cum ſumma animi ęquitate domum rediit,ſibi cõſcius illatę iniuſtæ cędis,nimium ſubitę.Quare legis in Chriſtianorum perniciem latę,factique pœnitens ſui,non multo pôſt conciliatus Ambroſio,templum iniit,& benignè ab eodem exceptus eſt. Egnat.lib.2.cap.5.

In ſciſſura quam Chriſtianę Eccleſię contentiones illę iniecerant,quibus inter ſe de Pontificatu decertabant Innocentius ſecundus,ac Petrus Leo ciuis Romanus,qui Anacletum ſe nominauit,cùm Innocentius ſe in Galliam recepiſſet , vt ſaluti ſuę conſuleret, vrbi Romę multíſque aliis gentibus inuiſus,adeò vt iam Gallorum quoque ſtudia erga Innocẽtium tutarent : BERNHARDVS Clareuallenſis abbas,qui in Gallia ſacras habebat conciones , Innocentij partes tanquàm veri Pontificis ſuſcepit. Itaque Galli eius virtutem doctrinamq́ue tanti fecerunt , vt nullo alio facto iudicio,Bernhardi ſententiam in deligendo ex Pontificibus altero ſecuturos ſe affirmarint . Nam etſi ſecularium principatuum ea res non parum intererat , atque vrbs Roma cum ingentibus prouinciis viríque doctiſſimi permulti pro altera parte ſtarent: Galli tamen vni Bernhardo plus tribuentes,Innocentium pontificem acceperunt . Fulgoſus libro ſecundo,cap.5.

D.REMIGII Remenſis epiſcopi tanta fuit etiam apud hoſtes authoritas , vt Alarichus Gotthus rex Arianus apud eum pro puella cuiuſdam ſui aulici dæmoniaca intercederet : & Clodouæus rex Gallorum adhuc paganus,cum toto exercitu eum veneraretur . Nam cùm miles quidam vrnam ex Remenſi eccleſia abſtuliſſet, ad preces Remigij rex eam reddi iuſſit:cúmque alter non ſtatim paruiſſet,ſupplicium propria manu de eo ſumpſit.Hincmarus in vita Remigij.

In Æthiopia,qui in Meroe ſunt,circa deorum ſacra cultúmque,dediti ſacerdotes, tanta pollent apud omnes autoritate , vt ſi regibus mortem nuncient,ſtatim ſua ſponte eandem oppetant. Diodorus Sic.lib.4.cap.1. de Rebus antiquis.

CLEON, Cleontis filius,maxima apud populum Atheniẽſem authoritate ſemper fuit , qui de plectendis Athenienſibus ſententiam in ſenatu protulit.Thucydides lib.3.

Regibus Spartiatarum ius datur,bellum in quacunque libuerit regionem inferendi, vt id nùlli Spartiatarum prohibere fas ſit,alioqui piaculari crimine teneatur.Herod.lib.6.

Virtutis ac maieſtatis magnum argumentum fuit illud , quod NVMÆ Pompilio contigit. Cùm enim per legatos eum vt Romam regnatum veniret Pop. Rom. vocaſſet , id autem haud ſine difficultate impetraſſet , eum ipſum populum Numa adeò audientem dicto ſemper habuit , vt ipſo regnante nulla vnquam ſeditio mota fuerit , nullóſque is corporis cuſtodes habuerit . Vrbem autem,quæ Marte orta , Martialibúſque rebus aucta erat , iiſque etiam alebatur nominis ſui maieſtate atque virtute ad religionem anteactę vitę prorſus contrariã traxit.Quod igitur maioris vnquam maieſtatis exemplum, aut huic par inueniemus? ſcilicet peregrinum hominem , in priuato ortum educatúmque ſtatu, precibus ad id vocari , ad quod nonnulli conſules ſenatoréſque cùm aſcendere armis quæſiuiſſent, nequiuerunt, aut ſaltem ſine armis aut ſu-

ſpicione non retinuerunt.Hoc non vires Numæ, non ingenij ſagacitas aut opes,ſed virtutis fœlix profectò maieſtas peperit.Fulg.lib.2.cap.5.

Q.CAPITOLINVS quinquies conſul,tantum apud tribunos potuit, vt ſua authoritate plura quàm certamine obtinuerit.Liuius lib.3.

M.ÆMYLIVS Scaurus tantum conſul ſua authoritate potuit, vt Opimium contra Gracchum,Marium contra Glauciam & Saturninum, priuato armaret conſilio.Cæcilius.

P.SCIPIO Aphricanus,qui Annibalem vicit, militarem ſeditionem eſt nonnunquam expertus.Fuit in eo alioqui tanta de ipſius virtute opinio,vt multi Italici nominis,qui iam ſtipendium erant emeriti , ſponte ſecuti ſint illũ, Aphricã prouinciam extra ſortẽ adeptum.Sab.libr.6.ca.8.

Hâbuit ſub ſignis ANNIBAL,cùm bellum in Italia geſſit , Aphros , Numidas,Mauros,Hiſpanos,Baleares,Gallos,Ligures , & Italici nominis numerum ingentem:tanta tamen in eo fuit autoritas,vt nullam in tãta hominum colluuione,tam longo bello,ac tam varij euentus ſit ſeditionem expertus.Ibidem.

Eſt C. IVL.Cæſar Dictator militari ſeditione aliquando exagitatus,ita tamen,vt in nullo ducum maiora interim extiterint autoritatis exempla,quorum vnum ſatis ſit referre:Dum Aphricam bello petit,Romæ legionarij mota ſeditione miſſionem efflagitabant:obtulit ſeſe ille nihilo ſecius ſæuienti multitudini,omnibus amicis fruſtra reuocantibus.Cæterùm vno verbo,quo eos Quirites,& non milites appellauit, adeò circũegit,vt reſponſum ſit,ſe milites eſſe , non Quirites : móxque exautorati ægrè præcibus tenuerunt,vt in integrum fuerint ab eo reſtituti.Sic circa Placentiam ſexta legio multata:ſic C.Caſſius Pompeianorum ducum vnus,cum plures ductaret naues in Helleſponto ad bellum inſtructas, eidem Cæſari ceſſit paruo nauigio ſedenti:tanta vni ducum autoritas non ſolùm inter ſuos fuit,ſed ſuperfuit etiam apud hoſtes. Ibidem.

HONOREM EXHIBERE IN BONIS ANIMI QVALIBVSCVNQVE promouendis, augendis,conſeruandis.

HONOREM EXHIBERE PER BONA CORPORIS.

CONVIVIA, ALIMENTA PVBLICA, vel priuata.

Apud SPARTANOS quoties aliqua publica viſceratio ſit , primi in cœna reges diſcumbunt : & iis primis diſtribui incipit duplum omnium quàm cæteris conuiuis, libamináque immolatorum & coria eorum ſunt. Singulis quoque Calendis ſingula pecora vtrique regi è publico dantur Apollini immolanda,& farinæ medimnus, id eſt ſex modia , & vini Laconicus quartarius.Herod.lib.6.

IISDEM ad cœnam non euntibus,mittuntur binæ chœnices , id eſt , ſemodia farinæ:& vini ſingulæ cotylæ, id eſt , ſextarij præſentibus dupla dantur omnia.Eadem ratione à priuatis quoque inuitati ad cœnam , honorantur.Ibidem.

ROMANÆ cuidam fœminæ,quamuis ignobili , quæ matrem carceri incluſam lacte ſuo ſuſtentauit,vita matris data eſt dono,& ſimul vtrique perpetua alimenta muneris loco conceſſa.Sab.lib.4.cap.6.Val.lib.5.cap. 4.& Plin.lib.6.cap.36.

ATTILII Serani liberis & vxori poſt eius mortem alimenta publica decreuit Senatus Rom. Valer.

MELCHISEDECHVS rex Solymæ,& ſupremi Dei ſacerdos , Abrahamo à cæde quinque regulorum reuertenti, panem & vinum protulit, eique fauſtis ominibus gratulatus eſt.Geneſ.14.

Apud SCYTHAS ſemel quotannis ſinguli regionum principes miſcent vinum crateri:de quo Scythæ omnes hoſtium homicidæ bibunt : nemo guſtat,qui nihil præclari operis ediderit,ſed ſine honore ſeorſum ſedet.Quæ res apud eos maximæ eſt ignominiæ.Qui verò cõplures cædes fecerũt, hi duobus pariter,quos habẽt,calicibus potant. Herod.li.4.

SEB.Caſtalionis liberis, ob ſanctam parentis memoriam data alimenta.vide tit.Honores mortuis exhibiti.

HOSPITII HONOS.

PHOCIONI integritas atque iuſtitia eam peperit maieſtatem , vt quoties ab Athenienſi populo cum exercitibus aut claſſibus dux mitteretur,ab amicis ciuitatibus fœderatíſque apertis vrbium portis liberè cũ militibus exciperetur, non vt Athenienſis,ſed tanquam ipſarum vrbium ciuis,cùm longè ſecus cum aliis duobus ageretur. Clauſis enim portis,ac portubus cathenatis,armati,tanquam non amicos expectarent , ſed ceu inſidiarum plenos hoſtes arcere oporteret,omnes pro muris excubabãt. Fulg.lib.2.cap.5.

Athenienſem THEMISTOCLEM virtus partæque ingentes victoriæ in eam nominis exiſtimationem extulerunt, vt patria pulſus cùm ad Barbaros ſe recipere cogeretur,Xerxes Perſarum rex , Græci nominis acerbiſſimus hoſtis,ſingulari eum honore lætitiáque exceperit: ſæpiúſq; inter ſuos dixerit, videri ſibi fœlicem ſe eſſe,quod ei fortuna Themiſtoclem amicum dediſſet.Cuius rei tanta eum lætitia cæperat , vt ſæpe noctu experrectus, miniſtros rogaret,An ſecum Themiſtocles eſſet.Huiuſmodi autem verbis congruentia addidit facta : vrbes enim opéſque ingentes ei dono dedit. O venerandam maieſtatem , maioríque laude , quàm vt mediocri poſſit cuiuſquam efferri facundia , dignam. Tantum támque ſuperbum regem,pluris exulem hominem (quem hoſtem habuerat) quàm tanti regni faſtigium,tantáſque opes,quantas poſſidebat, ob vnam virtutem facere,quæ Themiſtoclis animum ſecuta erat, victoriis ingentibus ornata : adhuc enim Perſico ſanguine penè madebat. Fulgoſus lib.2.cap.5.

ÆDES ET PVBLICÆ HABITATIONES priuatis conceſſæ.

Sexdecim eodem tempore fuerunt ÆLII,quibus vna tantùm fuit domũcula,vnus in agro Veiente fundus,ac in maximo circo Flaminio ſpectaculi locus:& eas tantùm poſſeſſione ob virtutem publicè donatas poſſidebant.Valerius.

VESTITVS VARIVS HONORIS ERGO CONCESSVS magiſtratibus.

SACERDOTIBVS.

SACERDOTVM veteris legis veſtitum,pete ex tit.Sacerdotes colere & revereri.

PHÆCASII Alexandrinorum atque Athenienſium ſacerdotes fuere, quibus candida ſolùm ferre calciamenta licebat:antiſtes ſacrorum purpuram induit.Alex.ab Alex.lib.2.cap.8.

INDIÆ vates & ſacerdotes,vt religionem ſibi cordi eſſe viuo demõſtrarent exemplo,corallium ſemper ferebant.Ibidem.

Apud ÆGYPTIOS qui ſacra miniſtrant ſacerdotes,capite raſi ſunt, cùm apud alios comati incedant:à quibus eſt vſurpatum, ex philoſophis ſacerdotes,& ex ſacerdotibus probatiſſimum in regem eligere.Ibidem.

ARABVM pontifices lineas veſtes induunt,mitras geſtant cum ſandalio.Ibidem.

Apud NARVALES iuxta Sueuos præſidebat pontifex, qui muliebri habitu ſemper ingrediebatur.Ibidem.

HERCVLIS in Tyro ſacerdos cum infula & purpura incedit, & poſt regem proxima dignitate fungitur.Ibidem.

Apud PHOENICES Solis ſacerdos veſte, auro & purpura varia maculeata,ad imos pedes fluxa incedebat:& tanquam ſplendoris ſignum,& ampliſſimi honoris prærogatiuam,coronam ex auro gemmíſque ferebat.Ibidem.

Numa Pompilius,ſummus religionum cultor,inter cætera inuenta & conſtituta, FLAMINEM Iouis aſſiduum ſacerdotem legiſſe fertur, qui re & exiſtimatione magna fuit : eúmque inſigni veſte , toga prætexta & curuli ſella ac lictore adornaſſe, duóſq; illi Flamines adſciuiſſe, vnũ Marti,Quirino alterum,quibus ſacra faciendi & victimas immolandi datum munus eſt.Alex.lib.6.cap.12.

REGVM ET IMPERATORVM ORNATVS ac inſignia.

PRISCI reges haſtas,quas ſceptra nuncupant,pro diademate geſtarunt.Alex.ab Alex.lib.2.cap.28.

BABYLONII reges,extra domum ſine ſceptro prodire aut conſpici nefas ducebant:in quorum apice diuerſas effictas ſpecies figuráſq; habebant, vtputa mali,roſæ,lilij,aquilæ,alteriúſue auis.Ibidem.

INDORVM reges pro regio ornatu habent, vt foras prodeant, aurea mitra plurimis gemmis diſtincta,& ſindone amicti , tympaniſque & tintinnabulis præcedentibus.Regia ſceptra ex ebeno tantùm geſtabant. Ibidem.

MEDIS,PERSIS & ARMENIIS regibus inſignia erãt cidaris cum cerulea faſcia,albo diſtincta,vel tiara amictúſque purpureus quadrangulari figura.Ibidem.

PERSARVM Lydorúmque regum inſigne fuit interdum cãdys diadematis loco.Perſarum quoque reges obſeruarunt, ex myrrha & labizo odorata capitis inſigne regium ferre, pallámque picturatam & auro diſtinctam induere.Ibidem.

NVMIDIS regibus ſceptrum in ſiniſtra,& candida in fronte vitta, inſigne fuit regale.Ibidem.

MACEDONVM regum,chlamys,chauſa,& crepida ac diadema.

ASSYRIORVM, tiara diademate obuoluta,& tunica purpurea,& partim alba,quam niſi rex induere nemo audebat.

SARDIS curru vehi,& rectam ferre tiaram,ſolis regibus dabatur.

Apud SICVLOS purpurea veſtis,argenteus baculus,& purpura gemmis extructa cum diademate.

PHOENICIBVS,SYRIS,& CILICIBVS,chlamys cum crepidibus & candicans diadema.Ibidem.

ÆGYPTIIS regibus nunc leonis, nunc tauri, aut draconis effigies imaginem, aut ignem arborémve effictam supra caput ferre, regij dominatus insignia fuerunt. Diadema nonnũquam aspidis imagine distinctum erat. Ibidem.

Ægyptij Amasim in regem eligentes, galeam capiti imponunt. Vide tit. Odij subditorum erga principes.

SYRI stolam & sceptrum pro regio diademate habuerunt. Alexand. vt suprà.

LYDIÆ reges sceptri loco securim habuisse feruntur, sicut Labradeus Iupiter in Caria pro sceptro & fulmine securim ferebat. Alex. ab Alex. lib.1.cap.28.

Batavi & Germani regem quem delegêre, attollere humeris, & scuto exceptum subcollare per vices pro regio fastigio consueuerunt.

Pharnacem regem latiorem scyrpum, dum in regem à militibus assumptus est, pro diademate manibus habuisse ferunt.

AMASIS rex, dum concionaretur, pro regali suo ornamento galeam accepit. Alex.lib.1.cap.28.

ANTIGONVS hederam pro diademate, pro sceptro verò thyrsum gestauit. Ibidem.

CLEARCHVS Heracliensium tyrannus, auream sibi aquilam præferri iussit, purpuream vestem, auream coronam, & cothurnos excellenti cultu, instar tragicorum regum. Ibidem.

ROMANORVM reges non tantùm lictores cum fascibus & securibus, sed etiam apparitores suos habebant, qui astabant lateri ad corporis tutelam: & si quando opus esset, ad imperium nutúmque præstò essent. Ibidem.

Regium diadema tam Romanis quàm exteris gentibus candida fuit fascia, quod insigne à Libero patre inuentum Plinius notauit. Ibidem.

EORVNDEM regibus diadema, trabea & purpureus amictus non quadrangularis, sed semicircularis, insignia regij dominatus fuêre. Ibidem.

Iisdem lituus cuspide incurua, (qui etiam virga auguralis erat) sceptri loco est habitus. Ibidem.

Romulus parto regno, cùm sella curuli trabeâque & reliquo ornatu se augustiorem fecisset: duodecim etiam lictores constituit, qui fasces securésque maiestatis insignia præferrent. Ibidem.

TVLLVM Hostilium, Romanum regem, primò purpuratum, & fascibus in publicum prodiisse legimus. Ibidem.

Tarquinius Priscus sceptrum habuit eburneum, in cuius summitate fuit figura aquilæ, & corona aurea. Ibidem.

CÆSARVM Romanorum quidam eò vesaniæ processerunt, vt sacrũ ignem (qui tantùm regibus Persarum mos erat) velut imaginem imperij sibi præferri sinerent, eóque præcipuè insigni & singulari ornatu vterentur. Alex.lib.1.cap.28.

MAGISTRATVVM RELIQVORVM INSIGNIA ET ORNAMENTA.

Apud ATHENIENSES & omnem ferè Græciam, vt discrimen personarum notaretur, magistratus non lictores, sed lixas simul & virgas habuerunt, vice lictorum, quas λειτέργυς nuncupant. Alex.ab Alex. lib.1.cap.27.

Apud Romanos, apud quos nomen regium inuisum erat & intolerabile, laurea capitis decorum, & distincta radiis corona, & purpurea chlamys insignia imperij fuêre. Ibidem.

DICTATORI Romano pro honore summi imperij, quòd plurimum iuris & potestatis haberet, vigintiquatuor lictores cum fascibus & securibus concedebantur. Ibidem.

CONSVLIBVS Rom. in vrbe 12. lictores, cum fascibus tantùm, demptis securibus, præibant: foris verò, vt in decreta sibi prouincia, cùm castris & legionibus præessent, fasces cum securibus, vnáque lictores apparitoresque præcedebant. Iidem quoque in prouinciam profecturi, non tantum lictoribus & fascibus, sed paludamẽto quoque ornabantur. Quoties insigni victoria potiti essent, ob res prosperè gestas, laureatis fascibus ornabantur prælatis. Ibidem.

PROCONSVLIS apud Romanos insignia erant eadem quæ consulis. Nam & lictores, fasces, secures, prætextam, curulémque sellam in prouincia sibi decreta velut consul retinebat. Ibidem.

TRIBVNI PLEBIS solum viatorem apparitorémque à prima origine, sine lictore habuêre. Postea verò quàm prouincias sortiri cœpêre, & illis cum imperio præesse, etiam lictores habendi tribuno facultas data est. Iidem quandoque consulari potestate, sella curuli, & consulari prætexta, lictoribus & fascibus consularibus, insignes erant.

PRÆTORES Vrbani apud Rom. sex lictores cum fascibus in vrbe: in prouincia verò decreta pro maiestate imperij secures quoque habuerũt. Alex.ab Alex.lib.2.cap.15.

PAVLVS Æmylius, cùm prætor esset, cum duodecim lictoribus præturam gessit, vt dignitas consularis adiuncta prætoriæ videretur. Ibidem.

EIDEM in Hyberniam profecturo, album paludamentum, ac ministros albatos, cum modico comitatu, tributos comperimus. Alex.ab alex. lib.1.cap.27.

Vetus apud Rom. fuit institutum, vt præfecti prouinciarum, & præsides, Senatoribus ex claris maioribus peregrè agentibus, quo conspectior dignitas & honoratior foret, lictores cum bacillis darent. Ibidem.

Quæstores, cùm prehensionem & vocationem non haberent in vrbe nec lictore vtebantur, nec viatore: in prouinciis tamen, quas sortiti fuerant, habebant. Interdum tamen cùm pro imperio & maiestate crimina vindicarent, in vrbe lictores cum securibus sæpe habuerunt. Ibidem.

VESTITVS DVCVM VENETORVM.

Est Venetiis hoc in more consuetudinéque positum, vt quotiescunque DVCI in publicum prodeundum est, præeant primum ipsi duci tubicines: præeat vmbella, & vexilla, aureúsque puluinus, ad hæc cathedra aurata, quæ Dux ipse comitatus externorum principum legatis, qui adsunt, non multo pòst consequitur, ornatissimo vestium apparatu, & capitis tegumento ita composito, vt cornu in tergum extet: quo planè insigni testetur, se quidem Principem esse totius reipub. vt tamen senatorius, qui amplissimus consequitur ordo, præcipuam cum eo sibi vendicet partem, quod & patricius principem subsequens, gladium vagina aurea tectum gerens facile ostendit. Nam quum alij reges & principes præferri nudũ ensem velint, supremæ suæ potestatis argumentum, quasi alienæ sententiæ non egeant, ipse vagina tectum pone egerat: vt nec celeritatem ad vlciscenda facinora præmaturam significet (quod etiam Romanorum consulum fasces alligati denotabãt) nec sui arbitrij penitus totam esse Rempub. sed subsequentis senatorij ordinis summam esse potestatem. Huc accedit, quòd singulis hebdomadibus semel forum magistratúsque omneis, qui iuri dicundo præsunt, obit: monétque vt iusticiæ memores nihil odio aut gratiæ tribuant. Vt tamen progrediens, siquem tenuioris fortunæ hominem supplicem viderit, eum benignè audiat, ipsique præsentem opem afferri iubeat. Egnat. libro 2.cap.1.

VESTITVS ET CVLTVS CORPORIS, *virtutis ergò concessus, ab aliis diuersus.*

Vide sub tit. Vestitus varij diuersorum.

PHARAO Iosephum byssina veste, torque aureo & anulo de suo manu ob somnij interpretationem ornat. Gen.41.

LACEDÆMONII, cùm Argiuos vicissent, lege edixerunt, vt in posterum comati essent, prius enim capita tondebant. Vide titul. Monomachiarum.

A MORTE INFERENDA SOLA GRAVItate absterreri.

C. MARIVS in profundum vltimarum miseriarum abiectus, ex ipso vitæ discrimine, beneficio maiestatis emersit. Missus enim ad eũ occidẽdum in priuata domo Minturnis clausum, seruus publicus natione Cimber, & senem & inermem & squalore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit: sed claritate viri obcæcatus, abiecto ferro attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, deuictæque suæ gentis interitus animum comminuit, etiam diis immortalibus indignũ ratis ab vno nationis eius interfici Marium, quam totam deleuerat. Minturnenses autem maiestate illius capti, compressum iam & constrictum dira fati necessitate, incolumem præstiterunt: nec fuit eis timori asperrima Syllæ victoria, cùm præsertim ipse Marius eos à conseruando Mario absterrere posset. Val. libro secundo, cap.5.

Ingens amicitiæ exemplum AVGVSTVS ostendit, cùm deuicta Cleopatra, in Ægypto Alexandriam vrbem cæpit. Alexandrino enim populo, qui in theatro conuenerat, tribus de causis ignosci à se dixit. Primam affirmans, vrbis esse pulchritudinem: secundã, Alexandri amorem, qui eius vrbis conditor fuerat: tertiam, suum esse in Arrium philosophum amorẽ, quem amicum habebat, manu eum designans, vt à populo cognosceretur. Fulg.lib.4.cap.7.

Ambrosius Mediolanensis episcopus tantæ apud omnes authoritatis fuit, vt ne hostes quidem eum vel lædere vel reprehendere auderent. Ipse quinetiam Pelagius nihil in illius libris, quod reprehendi posset, esse dixit. August.lib.4 cap.11. Confessionum.

EPIPHANIVS Salaminæ Cypriorum metropolis episcopus, tanta fuit apud omnes veneratione, etiam hæreticos & Arianos, vt Valens Imp. Arianus vim ei nullam intulerit. Piaculum enim hæretici existimabant, virum tanta præstantem pietate & eruditione, persecutione aliqua incessere. Socrates libro sexto, capite duodecimo. Sozomenus libro octauo, cap. decimoquarto.

PAVLINVS presbyter Antiochenus sub Eustathio episcopo, eo in exilium pulso, eam populi partem, quæ orthodoxa fuerat, instituere cœpit, & in fide retinere: cúmque Ariani speciosissima templa occupassent, ipse in parua quadam æde docebat, etiam Arianis ipsis eius caniciẽ & humanitatem colentibus, vt nihil ei molesti essent, ne ipse quidem Valens Imp. orthodoxorum persecutor summus. Socrates lib.3.cap.6.& 9.

LEO 43. Rõ. põt. Attilam Gotthorũ regem, ad vrbis direptionem properantem, cum altero consulum & parte Senatus non modica ei occurrens, ita flexit, vt præter omnium expectationem & exercitus sui voluntatem vrbi parceret. Platina in Leone: & Sabellic. lib.1. Enneadis 8.

IDEM post Vandalorum regem Gensericum crudelissimum tyrannũ ad vrbem vocatum ab Eudoxia, in vltionem sui perempti coniugis Valentiniani, ita demulsit, vt spoliis & direptionibus contentus, à cædibus & incendiis abstineret. Platina in Leone.

SEVERINVS monachus Afer, qui apud Noricos & Vindelicos Christum prædicauit post mortem Attilæ, cùm Hibuldus Alemannorum rex cum exercitu Batauiam properaret, specie visendi Seuerini, reuera autẽ occupandæ vrbis, obuiam regi processit: cúmque authoritate sua permouit, vt ab incœpto desisteret. Paruit ei rex Barbarus, & captiuos omnes Romanis remisit. Ad eum quoque Odacer Rugorum regulus venerabũdus venit, cui Italiæ regnum prædixit, & Romæ excidium. Phrisingensis lib.4.cap.30. & Eugypius.

HVNGARI conspirantes in SIGISMVNDVM imperatorem, cùm aut capturi regem, aut si non succederet, occisuri, in palatium irruissent, videntes regem armatum, & singulare certamen non recusantem, statim ita obstupuere coniurati, vt sibi quisque timens abierit re omni infecta. Æneas Syluius lib.3. Comment. de rebus gestis Alphonsi.

FVNERA ET EXEQVIÆ, ET ἀποθεώσεις. HONORES CAdaueri mortuo exhibiti.

Huc refer omnes titulos de Sepultura, quos inter corporis bona superius retulimus, quatenus extremum hoc pietatis munus est, quod homini ab homine tribui poßit, & præstari. Et cadaueris quidem cura inter corporis bona nõ malè fortaßis referetur: at pompa ipsa, & reliqua adhiberi solita, inter honores propriè connumerari debent. Nos tamen, ne ea quæ vnius generis videntur esse, in diuersa loca distraheremus, in bonis corporis hæc omnia comprehendimus. Inde ergo petantur. Hoc tantùm in loco pauca quædam honoris erga mortuos exempla referemus.

ATHENIENSES ex Scyro insula Thesei ossa per Cimonem repeti curauerunt. Aquila rostro & vnguibus terram remoliens, locum vbi situs esset indicauit. Athenienses læti, illustri pompa obuiam progressi sunt. Plut. in vita Thesei.

THEMISTOCLIS ossa Athenienses ex Magnesia reportari in patriã curarunt, pœnitentia ducti quòd eum aliquando proscripsissent: eiúsque filiis reditum concesserunt. Sepulchrum in Piræeo erectum. Pausan. lib.1.

ANTIOCHI regis pietatem in patris funere excipiendo, pete ex tit. Pietatis erga parentes.

SOPHOCLEM tragicum poetam defunctum sepeliri Liber pater iussit, obsidentibus Athenas Lacedæmoniis, & Lysandro eorum rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur extra vrbem humari delicias suas. Lysander vbi intellexit Sophoclem mortuum, pacem funeri dedit. Solin. & Plin. lib.7.cap.30.

Apud ROMANOS duodecim Tabularum lege sancitum est, ne quis in vrbe vel sepeliretur, vel combureretur. Cineres tamen eius qui triumphasset, aut imperatoris qui hostes bello domuisset, vel armis Rempub. auxisset, in vrbem ferre licebat. Alex.ab Alex.lib.3.cap.2.

NVMÆ Pompilij funus non Romani ciues tantum, sed vicinæ quoque vrbes celebrarunt. Lectum patricij tulere, sacerdotes comitati sunt: quisque pro se non vt regem, sed tanquam patrem luxere. Corpus non crematum, sed sub Ianiculo duæ arcæ lapideæ positæ sunt. In quarum altera corpus illius, in altera libri sacrorum repositi fuerunt. Sepulchrum eius post 400 annos vi imbrium detectum, apertæ arcæ, & à Petilio prætore perlecti libri, authoritate Senatus exusti fuerunt Plut. in Numa.

PYRRHVS Epirotarum rex, Argos ingressus, suis cedentibus, de fenestra dimissis saxis ad terram prostratus fuit. Humi autem iacens, à Zotypo inuentus, cùm vt caput adimeret galeam ei Zotypus detraxisset, parũ abfuit quin inuiolatus ab eo relinqueretur, adeò Pyrrhi conspectu perterritus est. Cæterùm facinoris horrorem vincente auaricia, Zotypus ob præmium quod inde sperabat, ad amputandum caput reuersus, adeò vecenter operi manum apposuit, vt vultum conspicere non auderet, sed citis ictibus gladio collum, & pro collo interdum os ipsum percutiens, vix tandem adimere reliquo corpori caput potuit. Neque profectò mirum videri debet, vt Pyrrhi regis excellens virtus intrepidúsque animus quæ etiam in mortuo corpore videbantur præfulgere, à se Zotypi vilem cupiditatem, vtpote à regis virtute prorsus alienam, iniecto horrore repellerent. Fulg. lib. 2. cap.5.

VAL. Publicola Romanæ libertatis vindex, quíque ter ex hostibus victis triumphauit, tam pauper discessit, vt publico sit sumptu funeratus, quoniam domestico non potuit. Sab.lib.2.cap.1.

MENENIO Agrippæ iusta à populo facta, collatis in capita sextantibus. Pont.lib.2.cap.6.de fort.domest.

Cùm ÆMYLII Pauli exequiæ celebrarentur, ac fortè tunc principes Macedoniæ legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto sponte sua sese subiecerunt. Quod aliquanto maius videbitur, si quis cognoscat, lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse adornatã. Quantum enim Paulo tribuerunt, propter quem gentis suæ cladium indicia per ora vulgi ferre nõ exhorruerunt? quod spectaculum, funeri speciem alterius triumphi adiecit. Bis enim te Paule Macedonia vrbi Rom. illustrem ostendit, incolumem spoliis suis, fato functum humeris. Valer.lib.2. cap.5.

Romani Imperatorũ optimè de Repub. meritorum cõsecrationem sic fieri voluerunt. Imperatore, vel eo qui in Deos referendus esset, defuncto, pyram in tabernaculi formam cõstruebant, quod auro, ebore, signísque & tabulis pictis exornatum mirificè, alio desuper breuiori, vsque ad tertiam contignationem erigebant. Aquila cum omnium odorum aggestu in summo culmine locata, lectóque constrato purpura & auro, in quo defuncti effigies iacebat, senatus, equester ordo, ac viri triũphales, quique amplissimos honores gesserant, procedentes lectum deferebant in pyram, cum carmine & hymnis, omnibúsque humanis diuísque aggestis honoribus. Demum incensa pyra, cùm vapore & fumo aquila agitata, è summo culmine tabernaculi aera petiisset, religio incussa fuit, ipsius animam per inane cœlum petiisse, ipsúmque defecato quod mortale erat & caducum, in numero cœlestium & concilio deorum recipi & haberi. Alex.ab Alex.lib.6.cap.4.ex Herodiano.

Pulchrum facinus, & in primis memorabile, quod in ea vrbe, quæ futura erat caput & arx omnium gentium, virilis gratitudo cum muliebri toties certarit. Enimuerò matronæ ob insignem pietatem à MARTIO Coriolano matri exhibitam, eum quamuis hostem & exulem extinctum menses decem luxêre. Sab.lib. 7 cap.1.

BALDVINVS III, Hierosolymorum rex quintus, septem & viginti natus annos, cum mortem obiisset sine vllis liberis, & à Berytho Hierosolymas efferretur, quòd in ea vrbe sepeliri voluerat: non eius regionis solùm Christiani homines lachrymis ipsius mortem prosecuti sunt, qui vndique spectandi gratia ad viam qua ferebatur concurrebant, verùm etiam multi Turci doloris ob eam mortem socios se præbuere. Quinetiã cùm Noridanum Damascenorum Sulthanum quidam monerent, in ea morte occasionem offerri, Christianos homines, qui in Syria degebant, dum rege carerent, atque in dolore versarentur, opprimendi: mortui regis virtute motus Noridanus respõdit, Nullo modo se assensurũ, vt Christiani vexarẽtur, donec iusto dolore defunctum bonum regem suũ prosequerentur: quem eiusmodi esse dicebat, vt ei similis in orbe reliquus nullus esset. O admirãdæ virtutis vires, in tenera ætate iam maturæ, quæ hostem quoque ad regem illum laudandum etiam in morte coegisti: quę odium, quod motum bellum alebat, diuersæque religionis studia, quæ solent plerunque implacabilia esse, superasti. O nunquam reticenda barbari hominis in colenda virtute bonitas, cùm militarem auariciam, dum funeris ceremoniæ peragerentur, à præparata præda continuisti. Fulg. lib.2.cap.5.

Cùm SIMEONIS Stylitis eremitæ corpus Antiochiam transferretur à Martyrio episcopo, sub Leonis magni imperio, Ardaburius oriẽtis præfectus exercitu suo idem comitatus fuit, ne vicinarum vrbium impetu in itinere eriperetur, quòd omnes sese, sanctissimi viri reliquiis felices futuros arbitrarentur. Nicep.lib.14.cap.51.

ODETTVS Fuxius Lautrecus, dux Gallus fortissimus, in obsidione Neapolis peste moritur. Negat ei sepulturæ honorem hostis Aurantius. Eius cadauer Hispanus miles in cella vinaria multo obrutum sabulo contumulauit, neque emptori Gallo vllo precio dare voluit. Romani Lautreco quotannis in Laterano templo ad cenotaphium solennibus inferiis parentant, tanquam vrbis liberatori, quandoquidem aduentu suo captũ ab Aurantio Clementem VII liberauit. Vigesimo pòst anno Ferdinandus Corduba, magni Consalui nepos, Lautreci corpus erutum, precióque redemptum, quamuis hostis, marmoreo tumulo ornauit. Iouius in eius vita.

MERETRIX Mediolanensis ignobilis, cùm ad D. Gothardum Ioannis Mariæ tyranni corpus à ciuibus fœdè laceratum iaceret, sola ex omnibus humanitatis non oblita, cum recentium rosarum aceruo operuit. Iouius in vita Ioan. Mariæ.

[redacted]

DOTEM, MVNERA QVÆVIS, HONORIS ERGO CONCEDERE.

Vide locum Iusticiæ distributiuæ, de iis præmiis quæ vel doctis hominibus, vel in bellica arte exercitatis dantur. Item, Liberalitatis locum.

LYSIMACHO, Aristidis Iusti filio, cuius meminit Demosthenes in oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας, ob merita patris erga Rempub. qui propter abstinentiam & iusticiam pauper admodum decesserat, data sunt publicè centum talenta. Plutar. in Aristide.

M. VALERIO, fratri Poplicolæ, Romæ honoris loco concessum est, vt fores eius non introrsum trahendo (quod Romæ in vsu erat) sed in viã publicam pellendo aperirentur. Qui mos Græcorum fuit. Et hinc passim apud comicos Græcos, atque etiam Latinos, qui scenam à Græcis mutuati sunt, Crepuere fores, legitur. Nam qui domo egrediebantur, ne prætergredientes incautos non expectata apertione impellerent, interius fores pulsare solebant, vt sibi cauerent prætereuntes. M. Ant. Muretus lib. 3. Var. lect.

CN. SCIPIO postres in Hispania prosperè gestas, in summa paupertate decessit: nec ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publicè dotauit senatus. Front. lib. 4. cap. 3.

REGIBVS Spartiatarum immolatarum hostiarum pelles dabantur tum in bello, tum domi, quotcunque rei diuinæ causa mactare libuisset. Herod. lib. 6.

FLORENTINI Donati Acciaioli filias ære publico nuptui locant. Vide tit. Pauperes in genere.

DIGNITATES ET MAGISTRATVS, HONORIS causa aliis delati.

Magistratus variæ sunt differentiæ, omnes tamen generali vocabulo δυνάμεως comprehenduntur. Hoc autem in loco non quatenus potentiam veluti formalem rationem continent, sed quatenus honoris ergò aliis tribuuntur, eos consideramus. Primùm igitur de sacris dignitatibus agamus: quæ dignissne an indignis tribuantur, Iusticiæ est indagare ipsa dignitas, tanquam honoris symbolum, præsentis est loci.

DIGNITATES SACRÆ.

Vide exempla aliquot sub tit. Eorum qui dignitates oblatas respuerunt, item sub tit. de Electione magistratuum.

HYRCANVS, alio nomine Ioannes nuncupatus, primus solúsque inter Hebræos fuit, qui princeps, Pontifex atque propheta simul esset: haberétque vnus trels gentis suæ primarios honores, inter quos, prophetię munus, humana fraude minimè paratur. Fulg. lib 8. cap. 16.

Regibus Spartiatarum honoris ergò tribuuntur duo sacerdotia, Iouis Lacedæmonij, & Iouis cœlestis. Herod. lib. 6.

AMBROSIVS præfectus Mediolanensis, tantæ apud suos fuit authoritatis, vt mortuo episcopo Auxentio, cum illi quamuis inuitum substituerent. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

NECTARIO Tarsensi ad episcopatum Constantinopolitanum aditum fecit sola grauitas morum, & authoritas. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

Remigius 22. ætatis anno, Bennadio episcopo Remensi mortuo suffectus est, nolens & inuitus, propter singularem pietatis opinionem Repugnantis caput inusitatus luminis radius circumfulsit, & oleum incerto authore capiti eius instillauit. restis est Hincmarus in eius vita.

THALASSIVS, ex præfecto Illyrici Cæsareo, episcopus etiam inuitus construitur. Consule tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

Germanus præfectus Antisiodorensis, in episcopum etiam nolens eligitur. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

Non potest nisi mira res ipsa quoque dici, & cui supra modum propitiam se fortuna præbeat, ea quæ THOMÆ Sarrano contigit: qui vno atque eodem anno episcopus, cardinalis ac pontifex creatus est, & in pontificatu Nicolaus quintus appellatus. Lõgè enim hoc difficilius atque rarius fuit, quàm Pompeio ante legitimum tempus triumphare. Fulg. lib. 8. cap. 16. & Sab. li. 7. cap. 7.

Vacante Apostolica sede, iam secundo anno, per Nicolai quarti põtificis mortem propter graues Cardinalium in eligendo successore contentiones, vnanimes tandem conuenerunt Cardinales, vt PETRVM Moronum eremitam pontificem crearent: arbitrati illum vnum ad tantam dirimendam contentionem, lapsæque in deterius Ecclesiæ corrigendos mores, remedium esse posse. Boni enim illius viri sanctitatis opinio, inopiáque humili consociata spiritu plus valuit, quàm versuta eorum doctrina, opésque, qui locum, quem ipse non quærebat, inuadere moliebantur. Electus igitur à sacro senatu, secularibúsque multis principibus, in Æquorum vrbem Aquilam exceptus, veculus eremita, asinæ insidẽs, horrida amictus veste, omnes in admirationem venerationémque simul haud aliter permouit, quàm si redemptorem Hierosolymam Palmarum die ineuntem viderent. Humilis enim illius vestis, atque penulis animalis, quod senex insederat, imperium, Cardinalium fulgens purpura candidique equorum greges subierunt, virtutem ceu cœlitùs missam, quæ sub tam humili latebat habitu adorantes. Huic enim humilitati Deus hoc prærogatiuæ munus concessit, vt qui ei aduersarentur, cámque fugiunt in alias ipsam adorare cogantur. Fulg. lib. 2. cap. 5.

SVLPITIA Seruij Paterculi filia, Q. Fuluij Flacci vxor, (cùm Senatus libris Sibyllinis per Decemuiros inspectis cẽsuisset, vt Veneris Verticordiæ simulachrum consecraretur, quo facilius virginum mulierúmque mens à libidine ad pudicitiam conuerteretur: & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, de sanctissima fœmina iudicium facerent) cunctis castitate prælata est. Val. lib. octauo, capite decimosexto.

Verum specimen honoris à SCIPIONE quoque Nasica oboritur. Eius namque manibus & penatibus, nondum quæstoris, Senatus Pythij Apollinis monitu, Pessinũte accersitam deam excipi voluit: quia eodem oraculo præceptum erat, vt hęc mysteria matris Deũm à sanctissimo viro præstarentur. Explica totos fastos, constitue omnes curtus triumphales, nihil tamen in eorum principatu speciosius reperies. Ibidem.

DIGNITATES PROFANÆ, IMPERATORIÆ & REGIÆ.

Consule tit. Electio magistratuum. item, Præmia fortitudinis bellicæ, & Iusticiæ.

SAVLVS, cùm duas asellas amississet, ad prophetam Samuelem se contulit, vt amissas inueniendi ab eo indicium acciperet. Sed propheta Saulum Iudæorum regem vnctione sanxit. Itaque qui rei vilitatem, quã Saulus quærebat (vix enim inter iumenta asino vilius aliud dici potest) & eius rei magnitudinem quam à propheta vnctus accepit, non modò non peritam, sed ne optatam quidem considerarit, ei varia & mira res esse profecto videbitur. Fulg. lib. 6. cap. 11.

AMASIS legatus ab Aprie ad defectores missus, ab illis in regem creatur. Vide tit Odij subditorum erga principes.

TELEPHANES, cùm Cymensium terram excoleret, ac in Plaustrarij officina seruiret, Lydi graui dominatu pressi, missa legatione, liberationis precium plaustrario persoluerunt, atque telephanem seruum regem fecerunt. At Cymensis quidam, qui ei currum fabricandum locarat, dũ abitum Telephani prohiberet, atque multi ne impedimento esset iuberent: non tamen destitit, sed cum mordace quodam stomacho dixit, sibi permagnum videri, currum à Lydorum rege confectum possidere. Heraclides in Politiis.

PROCVLVS cùm in conuiuio (vt fit) latrunculis lusitaret, & decies imperator ipse exisset, statim scurra tum quidã (vt sunt parata ingenia blandientium) Salue, inquit, Auguste: & allata purpura (vt mos erat) eius humeros ornauit, cúmque adorauit. Qua ille occasione vel oblata, vel arrepta, Imperatoris officium sibi asciscit, & vulgò vt imperator salutatus est. Quod apud Græcos retulit author Onesimus, & apud nos Flauius Vopiscus, libro ad Bassum secundo. Crinitus de honesta disciplina libro 11. cap. 11.

REGILLVS Imperator planè ludicrum principium ac ridiculum habuit, ad Augusti nomen occupandum. Nam cùm quæstio de analogia propriq nominis moueretur, & Valerius tribunus diceret, Regilliani nomen à regno deductum esse, Et nos regem faciemus, astantes dixère: eóque nomine putarunt illum imperatoria dignitate honestandum. Acita demum iocante fortuna, Regillianus cùm die sequente processisset, Imperator est à principibus salutatus. Crinitus li. 11. c. 11. de honesta disciplina.

Theodosius 1111. Adramyttij in Asia natus obscuris parentibus, ab exercitu Opsiciano ex publicorum vectigalium exactore contra Anastasium, Imp. appellatus est. Imperauit menses 7. D. 6. coactus à Leone, 111. Imp. imperio sese abdicauit, & clericus factus est.

ANDREAM Dandulum hoc in loco ducem longè clarissimum nunquam prætermiserim. Cui Veneti patres, omnísque reliqua ciuitas, propter summas illustrésque animi dotes, iuueni adhuc (quippe qui tres & 30. annos ageret) Ducalem honorem demandarunt, summo cum hominum gaudio & lætitia. Et is quidem maxima animi virtute & præstantia, aduersante etiam fortuna ipsa, sic principatum ipsum administrauit vndecim annos, vt Iaderam receperit, Genuenses ad Caralim Sardiniæ memorabili prælio vicerit, Archiepiscopum Mediolanensem flexerit, Iustinopolitanos rebellantes domuerit. Quum interim sors ipsa tamen contendens, vrbem grauissima pestilentia, terræmotu, aquarúmque mole opprimere conteuderet. Ab hoc ferunt res Venetas duplici stilo conscriptas, quippe qui eloquentia excelleret, comésque semper existeret, vndo Comitinus postea cognominatus fuit. Egnat. lib. 8. cap. 16.

Sequitur Dandulum ducem clarissimum ANDREAS Contarenus, & ipse dux, cui magnifica multa nec volenti nec molienti contigere. Primùm

enim quum patres illum ducem creare contenderent, semper reluctatus est. Tum verò mortuo Cornelio duce, quum omnium studio, & penè vniuersæ ciuitatis clamoribus expeti sese vnum cerneret, statuit sibi ab vrbe discedendum, ísque Patauinum fundum confugiendum, vbi ignotus delitesceret. Sed nescio quo pacto ardentior ciuitas effecta, vnum illum absentem cæteris omnibus antepositum. Quod vbi ille resciisset, & de fuga cogitaret, cognatorum & amicorum consilio Venetias reuisere tanquam priuatus statuit, quum bonorum publicationem & exilium illi interminati essent publico nomine, nisi Reipub. obtemperasset. Quare vix adductus, inito principatu, sic Venetam Rempub. administrare cœpit temporum iniquitate penè oppressam, vt & ipse ad recipiendum Clodiam fœuienti etiam hyeme accedere non dubitarit. Qua tandem recepta, triumphantis more in patriam rediit Calendis Iuliis, qui dies Venetis sacer augustúsque est. Egnat. lib. octauo, capite decimosexto: & libro secundo, capite quinto.

Virtutis opinio Polonos Christianos rege carentes compulit (aliis regulis quamuis Christianis postpositis, quorum in propinquo multos habebant) gentis suæ regnum ad Iagellum idolorum cultorem, Lituaniæ principem deferre. Qui postea in sacro fonte per baptismum regeneratus, Ladislai nomen accepit. Adeò omnes illæ nationes iustum cum, & humano ingenio esse, nullâque regia carere virtute putabant. Fulgosius libro secundo, capite quinto.

CONSVLATVS, ÆDILITATIS, PRÆTVRÆ, tam domi quàm foris.

M. Valerium duabus rebus insignibus dij pariter atque ciues speciosum reddiderunt. Illi, cùm quodam Gallo cominus pugnanti coruum pugnatorem subiicientes: ij tertium & 20. annum ingresso, consulatum largiti. Quorum alterum decus vetustæ originis optimi hominis gens Coruina amplexa, cognomen vsurpat: alterum summo subiungitur ornamento, tam celeritate quàm principio cõsulatus gloriando. Val. Max. lib. 8. cap. 16.

Traduxi subinde nobis ornamenta sua Scipiones commemoranda, Æmylianum enim populus ex candidato ædilitatis consulem fecit, eundémque cùm quæstoris comitiis suffragator Q. Fabij Max. fratris filij, in campum descendisset, consulem iterum reduxit. Eidem Senatus bis sine sorte prius Africam, deinde Hispaniam dedit. Atque hæc neque ciui cupido, neque senatori ambitiosõ: quemadmodum non solùm vitæ eius seuerissimus cursus, sed etiam mors clandestinis illata insidiis declarauit. Ibidem.

L. FVLVIVS Tusculanus, cùm & ciuis & consul Tusculi fuisset, & ad Romanos transisset, tam fœliciter egit, vt Tusculum extra sortem velut prouinciam assequutus, triumphum Romæ de sua patria egerit, eo ipso anno ciuitate donatus, & consul factus. Alex. ab Alex. libro 6. capite 6. & Sab. lib. 7. cap. 8.

M. PERPENNA fœlicitas celebratur: qui quamuis natione Græcus esset, Romę tamen præter omnem consuetudinem non solùm consul factus est, sed de Aristonico Gallo quoque triumphum duxit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6.

L. MARTIVM equitem Romanũ duo exercitus, P. & Cn. Scipionum interitu, victoriáque Hasdrudalis lacerati, ducem legerunt: quo tempore salus eorum in vltimas angustias deducta, nullum ambitionis locum relinquebat. Val. lib 8. cap. 16.

C. MARIVS, in duabus Ædilitatis petitionibus, curulis scilicet & plebeię, vna die bis repulsam tulit, & septies deinde consul fieri meruit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 4.

L. LVCVLLVS, cùm ante adultam fratris ætatem, magistratus petere nollet, tantum gratia & fauore valuit, vt absens vnà cum fratre ædilis relatus fuerit. Ibidem.

CN. POMPEIVS Magnus eques Romanus, proconsul in Hispaniam aduersus Sertorium pari imperio, cùm Pio Metello principe ciuitatis, missus est. Nondum vllum honorem auspicatus, bis triumphauit. Initia magistratuum à summo imperio cœpit, tertium consulatum decreto Senatus solus gessit. De Mithridate & Tigrane, de multis præterea regibus & gentibus, plurimísque ciuitatibus & prædonibus vnum duxit triumphum. Val. lib 8. cap. 16.

EIVSDEM gratiam maximam penes populum Rom. fuisse, id testatur, cùm congregato in comitiis populo, vt Mithridatico bello prætor crearetur, Rolcius obstaret: monito populo, vt alium eligeret, ac comitem ei Pompeium daret, digito eum designans, vt qui audiendi facultatem in tumultu non habebant, digito qui designabatur intelligerent. Nam tunc arbitratus Pompeij maiestatem lædi populus, si comes fieret, indignatione vniuersus est motus, sublatóque in eam magnitudinem clamore, vt superuolantes corui in populum attoniti caderent, non antea comitiis discessit, quàm vni Pompeio prætura, & quicquid ipso dictante expeditioni videretur necessarium esse, decerneretur. Fulgos. lib. 2. capite 5. Itaque de se liberè profitebatur, quòd omnem magistratum quem Pompeius Magnus gesserat, & citius esset nactus quàm ipse expectasset, & citius deposuisset quàm ab aliis expectatũ esset. Quòd citò suscepisset imperium, vel fortunæ fuit, vel præmaturæ virtutis: quod maturè deposuit, animi moderati erat, non ad tyrannidem spectantis, sed ad Reipublicæ commodum. Plut. in Romanorum Apoph.

Tot tantáque sunt quæ Carolo Zeno Veneto magnifica contigere, vt vix satis scias, quod ex illis potissimùm præponas. Sed rerum ordinem secuti, id dicemus, quod primum ad summam eius gloriam & magnificentiam accessit. Veneti sanguinis vir, vniuersæ Cisalpinæ Galliæ imperium, cui Vicecomites tunc præerant, ita rexit, vt integro quinquennio (alij decennio legunt) sine vlla omnino querela cuncta gubernarit. Cúmque inde in patriam redire vellet, vir à Galeatio duce impetrare potuit, vt suos viseret. A quibus ita statim receptus est, vt rei maritimæ vniuersæ Imperatorio nomine præesset, Genuensíque bello finem imponeret, quòd Bucicaldo duce Francisci sanguinis Venetis intulerant. Ardente mox Ligurum bello rei maritimæ præfectus, Bichinioniam nauim admirandæ magnitudinis, armatorúmque plenam, triremibus suis sic aggressus est, vt duplici vulnere affectus, eam tamen incredibili virtute expugnauerit, prædámque omnium fermè ducentorum & amplius aureorum ad principem detulerit: naualibúsque Ianuensium copiis à Clodia reiectis, præcipuus author eius restituendæ Veneto senatui fuerit. Peracto mox bello, Hierosolymam inuisens, dum regreditur, ex itinere reuocatus à Cyprio rege, Ligusticum omne nomen inde sustulit suo ductu, Cyprique Insulæ regnum vnus asseruit. Egnatius libro octauo, capite decimosexto.

EQVESTRIS DIGNITAS.

Apud Achæos equester ordo semper excelluit. Alex. ab Alex. libro secundo, cap. 29.

Apud Chalcidenses tanta peculij ratio habita est, vt qui essent locupletes, equitum nomina ferrent. Ibidem.

CRETENSES, equirum ordinem & vetustate & dignitate lõgè præcipuum in magno precio habuêre. Ibidem.

CAPVÆ equitibus plerunque est honos habitus: iisque Romæ ciuitas data est, quòd bello Latino à Romanis non defeciissent. Ibidem.

Apud Gaditanos equester ordo maximæ celebritatis fuisse dicitur. Siquidem vno censu 400. Gaditani bello egregij huius ordinis censi referuntur. Ibidem.

C. GRACCHVS Tiberij frater, & Liuius deinde Drusus tribunus plebis, equestrem ordinem cum senatorio confundere decreuerunt: & vt sententiam in senatu eos dicere liceret, lege sacrata, deinde plebiscito sanxerunt. Ibidem.

FABIVS Rutilianus, apud Rom. flos ordinis equestris, & inter ornatissimos fuisse proditur, qui magister equitum cum Papyrio Cursore aduersus Samnites militauit. Ibidem.

NERO Cæsar ordinem Augustanorum equitum primus instituit, reliquis per eum ordinibus offensis & ferè destitutis. Ibidem.

QVÆVIS ALIÆ DIGNITATES.

ARISTOTELES Theophrastum successorem sibiipsi deligit. Vide tit. Iudicare de rebus aliorum, extra iudicium, delectis arbitris.

IOSEPHVS in tanta apud Ægyptios gratia fuit, Deo fortunante, vt primùm Putipharis magistri equitum domo præfectus fuerit: deinde in carcerem præter suum meritum detrusus, à carceris magistro vinctis omnibus præpositus: tandem è carcere liberatus, secundus à Pharaone extiterit, & Ægyptum vniuersam rexerit. Genes. 39. & sequentibus.

AMICITIAM CVM ALIQVO HONORIS ERGO *contrahere.*

CONIVGIA HONESTA ALICVI VIRTVTIS ERGO concessa.

Coniugia fortunata paulo pòst recensebuntur, quatenus eos qui coniugia ista obtinuerunt, felices reddunt: at in præsentia rationem illorum habemus, quatenus honoris ergò coniugia talia offeruntur.

PHARAO rex, Iosepho propter somnij interpretationem Potipharę Heliopolitani pontificis filiam in matrimonium collocat, ex qua ille suscepit Manassem & Ephraim. Gen. 41.

CORNELIA Scipionis Africani filia, Gracchorum mater, post mariti Tib. Gracchi obitum à Ptolemæo rege ad nuptias regnique societatem vocata, conditionem repudiauit. Plut. in Gracchis.

Tib. Gracchus, cùm virdum ex ephebis excessisset, in Augurum collegium præclarę indolis causa cooptatus est. Cùm autem vnà cœnarent sacerdotes, Appius Claudius vir consularis & censorius, princepsque senatus, amicè Tiberium compellauit, & nuptias suæ filiæ Claudiæ ei obtulit. Quas cùm ille lubenti animo accepillet, facta sponsione domum reuertens Appius, ab ipsa Ianua vxorem magna voce vocauit, ô Antistia,

inquiens, Claudiam nostram viro despondi. Et illa mirata: Quæ, inquit, huius tantæ festinationis causa est? nisi eam Tib. Graccho tradidisti? Plut. in Gracchis.

MEGACLES Atheniensis, Alcmæonis F. solus ex omnibus procis dignus fuit iudicatus, cui Clisthenes Sicyoniorum tyrannus filiam suam Agaristiam desponderet. Herod. lib. 6.

OTTHO Vrseolus, Petri Vrseoli ducis Venetorum, optimi optimus F. patri in ducatu suffectus, virtutum suarum splendore Getiam Pannoniæ regem ita mouit, vt filiam ei suam nuptum locaret. Petrus Marcel. testis.

In FRANCISCO Foscaro, qui postea dux Venetorum fuit, summum virtutis specimen, summa indoles, ingeniíq; vis eluxit. Non multo antè Foscara familia reuocata ab exilio erat, in quo natus fuerat Franciscus Foscarus, re familiari non admodum opima & grandi. Is cùm adolescens Riuoaltum de ciuitatis more ad mensam Priulam, quæ tunc celeberrima in vrbe habebatur, frequens adiret, eum intuitus Nicolaus Priulus mensæ præfectus, totiúsq; oris specimen admiratus, sermonémq; cum eo frequentiorem conferens, non dubitauit eius animum attentare, an de vxore ducenda quandoq; cogitaret. Cæterùm quum ille respondisset, nec rem sibi ampliorem esse, nec eam ætatem quæ satis esse videretur vxori ducendæ, liberísque gignendis: postremò conditionem illi obtulit, sese illi suam filiam daturum. Quod ille admiratus, illudíque sese suspicans: Vtinam, inquit, dignus essem tanta cognationis amplitudine, quæ me & reliquam familiam in primis honestaret. Atqui non multis pòst diebus, amicis, affinibúsq; aduocatis, totiúsq; rei consilio patefacto, filiam Francisco despondit, superaddita dote pro tempore satis ampla. Ex qua affinitate celebrior mox factus, ad summum dignitatis gradum propter singulares eius virtutes est euectus. Egnatius libro tertio, capite primo.

LIBERTATE DONARE.

Vide titulum, Libertorum. Differt enim titulus iste ab illo, quòd hîc vt honoris præmium est libertas, illic verò per se consideratur, quatenus scilicet seruituti opponitur. Consule etiam titulum Liberalitatis, in captiuis redimendis aut liberandis.

Captum ab Æginetis PLATONEM Anicetus Cyrenæus pecunia sua redemit, & liberum abire iussit. Pont. cap. 16. de Liberal.

CROESVS rex, authoritate sua Miltiadem captum liberat. Vide tit. Amor vicinorum regum inter se.

EVRIPIDIS tragicorum principis tanta fuit authoritas apud Syracusanos, vt cùm duce Gylippo Syracusani maximam cladem Atheniensibus intulissent, Niciam & Demosthenem Imperatores occidissent, multos captiuos duxissent: multi captiuorum cùm versus Euripidis memoria tenerent, ob eos ipsos libertate sint donati à Siculis hunc poëtam summè admirantibus: qui postea Athenas reuersi, Euripidi pro libertate data gratias agebant. Multi per ciuitates Siciliæ dispersi ac vagi, victum sibi horum versuum recitatione comparabant. Plut. in vita Niciæ.

Rex ANTIOCHVS bello quod cum Romanis gerebat, filium SCIPIONIS Africani superioris à militibus suis interceptum, honoratissimè excepit: regiísque muneribus donatum, vltrò & celeriter patri remisit, quanquam ab eo tum maximè finibus imperij pellebatur. Sed & rex lacessitus, maiestatem excellentissimi viri venerari, quàm dolorem suum vlcisci maluit. Val. Max. lib. 2. cap. 5.

EPIPHANIVS episcopus Ticinensis, tanta fuit authoritate apud hostes, vt cùm Theodoricus Gotthorum rex, capto Ticino præsidium imposuisset, Barbari milites eum patris loco venerarentur: & vrbe egredientes, ei cum lachrymis valedicerent. Præterea capto ab Odoacro rege Herulorum Ticino, à victore rege ciuibus suis fiscalium tributorum immunitatem impetrauit ad annos quinq;. A Theodorico durissimæ legis in omnes, quotquot sponte se hostibus Herculis coniunxerant, latę relaxationem impetrauit. Ad Gundobaldum regem Galliç Lugdunũ, à Theodorico missus pro captiuis redimendis, sex millia Ligurum sine precio, precibus tantũ & pietate sibi donatos, patriæ restituit. Euod. in eius vita.

PAVLINVS Nolanus episcopus in Valentiniani tertij imperatoris morte, à Genserico Vãdalorum rege cum Nolanis ciuibus permultis captiuus in Africam perductus, ob conspectus venerationem, mansuetósq; mores, atque ingentem virtutem, dignus habitus fuit, qui non solùm liberaretur, verùm etiam vt reliqui Nolani captiui cum eo, datis nauibus, atq; in multos menses commeatu, sine vllo precio, in patriam remitterētur. Fulg. lib. 2. cap. 5. & Egnat. lib. 2. cap. 5. & Sab. lib. 8. cap. 2. Fuit autem seruitus illa voluntaria. Vide tit. Seruitutis voluntariæ.

IVDICIO ABSOLVERE.

Quantum porrò honoris Athenis XENOCRATI, sapientia pariter ac sanctitate claro, tributum est? cùm testimonium dicere coactus ad aram accessisset, vt more eius ciuitatis iuraret, omnia se verè retulisse: vniuersi iudices consurrexerunt, proclamarúntque, ne iusiurãdum diceret: quódque sibimetipsis postmodum dicendæ sententiæ loco remissuri nõ erant, sinceritati eius concedendum æstimarunt. Val. Max. lib. 2. cap. 5.

EPAMINONDAS reuersus è Laconica, capitis arcessebatur, quòd Bœotarchiam quatuor integros menses contra legem gessisset. Collegas igitur iussit, vt in ipsum culpam deriuarent, quòd eos inuitos coegisset. Ipse verò in curiam ingressus, non meliores rebus gestis rationes habere se [illegible]ebat: & se quidem interfici postulabat, verùm inscribi columnæ, quòd nolentes repugnantésque Thebanos Epaminõdas coegerit, vt Laconicam, quingentis antè annis intactam ab hostibus, incendio ferróque vastarent, & vt ædificaret iterum Messanam trecentis atque triginta annis desolatam: quòd Arcades bello in societatem compulerit, & Gręcis libertatem restituere coegerit. His auditis, pudore affecti iudices, liberum pronunciarunt. Cúmque regrederetur è curia, & Melitensis catellus blandiretur cauda, dixisse fertur ad præsentes: Hic mihi, inquiẽs, pro beneficio gratiam reponit. at Thebani, de quibus sepe multúmque sum pręclarè meritus, mortem mihi iudicio inferre voluerunt. Ælian. de Var. hist. lib 13.

Posteaquam P. SCIPIO Africanus post egregia sua facta, à Petelio Atteio trib. pleb. (quòd prædam Asiaticam non totam in ęrarium contulisset) accusatus esset, Scipióque die iudicij adueniente publicè clamitasset: Hic est ille dies, Quirites, quo Hannibalem vici, Carthaginem tributariam feci, patriam hanc maximo periculo liberaui. Eamus hinc in Capitolium, gratias diis immortalibus acturi. Excitatus his verbis populus Romanus, beneficia hominis innumerabilia in memoriam reuocauit, ex quo omnium gratia absolutus est. Historiam pete ex Liuio, Plutarcho, & aliis.

M. SCAVRVS, cùm pro rostris accusaretur, quòd à rege Mithridate ob Remp. prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: Estenim Quirites iniquum, cùm inter alios vixerim, apud alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos, quorum maior pars honoribus & actis meis interesse non potuit, interrogare. Varius Sucronensis M. Æmylium Scaurum regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidisse ait, M. Æmylius Scaurus huic se affinem esse culpę negat. Vtri creditis? Cuius dicti admiratione pop. Rom. commotus, Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit. Val. Max. libro tertio, cap. 7.

Quid plus honoris tribui potuit Cos. quàm est datum reo Q. METELLO? qui cùm causam repetundarũ diceret, tabulæque eius ab accusatore expostulatæ, & ad nomen inspiciendum circa iudicium ferrentur: totum consilium ab earum contemplatione oculos auertit, ne de aliqua re quæ in his relata erat, viderentur dubitasse. Non in tabulis, sed in vita Q. Metelli argumenta syncerè administratæ prouinciæ legēda sibi iudices crediderunt: indignum rati, integritatem tanti viri exigua cæra & paucis literis perpendi. Val. Max. lib. 2. cap. 5.

CIVITATE DONATI. IN CIVIVM RECEPTI *numerum*.

COTYS vbi cognouit, quòd Athenienses honoris gratiâ ciuē ipsum suæ ciuitatis declarassent, pro auxilio quod illis aduersus Dorienses impenderat, gratiam reponere studentes: Per Iouem, inquit, & ego illis vicissim meæ gentis ius dabo. Sentiens, nihilominus honorificũ esse, Thracem, quàm Atheniensem appellari. Eras. Rot. lib. 5. Apoph.

Quum Athenienses SERVVM Antigoni, honoris gratia, perindo vt ingenuum in ciuium numerum ascripsissent: Nequaquã, inquit Antigonus rex, velim vnum Atheniensem à me loris cædi. significans, per illos factum, vt vnum ciuem Atheniensem posset loris cædere, quippe seruũ: sed Athenis esse plures vno commeritos, vt à rege loris cæderentur, qui seruum alienum, quod in ipsis fuit, manumitterent. Plut. in Apoph. Reg.

Alexandro Magno CORINTHII per legatos ius suæ ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus quum risisset Alexander, quidam è legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquã donauimus, præterquàm tibi & Herculi. Hoc audito, lubens accepit oblatum honorem, quem illi commendabat partim raritas, partim cum Hercule laudatissimo viro societas. Plutarchus in Alexan.

TYRTÆVS Atheniensis poëta, à Lacedæmoniis ciuitate donatus. Vide tit. Poëtarum.

ARCHIAS & THEOMPANES poëtæ, propter eruditionem Romana ciuitate donati. Vide tit. Poëtarum.

Iacobus Carrariensis 5. dux Patauinorum, Veneto senatui adeò charus fuit, vt eum & ciuitate (quod maximi muneris loco haberi solet) & magnifico palatio, prope D. Paulum, donarint. Fuit enim bello & pace illustrissimus princeps. Bernard. Scard. lib. 3. hist. Pat.

TEMPLA

TEMPLA ET ARÆ HONORIS ERGO ERECTÆ ET consecratæ.

Consule tit. Iustitiæ religiosæ, Aræ & templa religiosè dedicata. Item tit. Ἀποθεώσεις *fortium virorum.*

Aræ, templa, imagines, oratoria, sacella, festi & solennes dies, ieiunia, vigiliæ, & omnifariam cerimoniæ, quas Christo regi, & sacratissimæ eius militiæ decreuit humana pietas, tãto sunt cæteris honoribus, qui in terris decernuntur, maiores, sanctioréſque, quanto sanctior fuit illorum vita, quàm cæterorum hominum, qui omni æuo floruêre. Sab. libro 10. capite 14.

Miratur hodie Byzantium augustissimum Sophiæ templum, quo nullum fuit olim in terris sanctius: quia Christo sit sacrum, qui vera est sapientia. Nunc sacrorum ratio mutata, & ob eam rem minus venerabile est. Ibidem.

Habet & Roma, sanctior Byzantio, quòd in hoc genere miretur, Barionæ basilicam in Vaticano, & Hostiensi via alteram Tarsensi Paulo sacrã, vtramque immani amplitudine & apparatu visendo. Religio vtrobique ingens, sed Vaticanæ ob pontificiam domum maior celebritas. Ibidem.

Obtigit & Ioanni Zachariæ filio augustum & opulentum phanum Lateranense religione, cæremonia & donariis nobile: tum quia Pontificis sit maximi sedes, longè nobilissimum. Ibidem.

Sacrauit PANTHEON pia posteritas Deiparæ virgini in eadem vrbe, opus cùm sua mole, tum quòd vna sit testudine complexum, inter pauca memorabile. Ibidem.

Statuerunt & Francisco Asisiati municipes sui templum augustissimũ, pulchrum & venerabile: Mediolanenses diuo Ambrosio. Sed omnium opulentissimum Veneti diuo Marco, quo nullum est hodie in terris opulentiore, magísque visendo apparatu. Ibidem.

Consecrarunt & Prophani ex suis quosdam, cœlóque intulerunt, non iusticiam, non pietatem & innocentiam intuentes, sed vitæ commoda: id demum rati Deum esse, hominem iuuare, ceu nulla melior ratio iniri possit cœlum affectandi. Hic quia vitem inuenit ad morum perniciem, illa quia triticum ad ventris voluptatem, cœlo digni iudicati sunt. Sed omnia quæ his delira decreuit vetustas, tam lõgum sit credo, quàm non necessarium ponere. Ibidem.

GRÆCIA summo consensu ad Amphiaraum decorandum incubuit: locum in quo humatus est, in formam conditionémque templi redigēdo, atque inde oracula capi instituendo. Eius cineres idem honoris possident, quòd Pythicæ cortinæ, quod aheno Dodonæ, quod Hammonis fonti datur. Val. Max. lib. 8. cap. 16.

MONVMENTA ET SEPVLCHRA HONORIFICA.

Consule locum Bonorum corporis. illic enim ratio habetur conditi corporis: hîc verò honoris defuncto delati in monumentis & sepulchris magnificis erigendis Quatenus denique monumenta inscriptiones & commendationes honorificas habent, sic ad Testimonia virtutis publico scripto comprehensa pertinet, de quibus paulo antè egimus: fusissimè verò in Commentarijs nostris Epitaphiorum. Vide etiam tit. Magnificentiæ in sepulchris. illic namque magnificentiam extruentis, hîc eius cui extruitur merita, quibus honor talis exhibetur, consideramus.

IENSES Homerum, qui in ipsorum littore æger obierat, Athenas traiecturus, magnificè sepeliuerunt, & tale epigramma inscripserunt, teste Herod. & Plut.

ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

STATVÆ.

Plura exempla pete ex Iustitia distributiua, quibus ob varias virtutes statuæ sunt positæ. Obseruandum interim, quòd Statuæ merito adiunctarum inscriptionum, ad Testimonia virtutis scripto expressa pertinent. De quibus suprà.

CHRISTO seruatori statua à muliere hæmorrhoissa erigitur Cæsareæ. Vide tit. Gratitudo pro sanitate recuperata.

SESOSTRIS Ægyptius rex solus imperio Æthiopiæ potitus est, & monumentum sui reliquit ante ædem Vulcani lapideas statuas duas tricenûm, vnam suam, alteram vxoris: quatuor autem vicenûm cubitorum, totidem filiorum. Huic statuæ longo pòst tempore, cùm Darij Persæ statua anteponeretur, non tulit id sacerdos Vulcani, negans Darium tales res gessisse, quales gessisset Sesostris Ægyptius: quippe qui cùm alias nationes non pauciores quàm Darius, tum verò Scythas subegisset: eóque iniquum esse, huius ante illius sisti donaria, qui rebus gestis non esset illum supergressus. Hæc locuto sacerdoti, tamen ignouisse Darium ferunt. Herod. libro secundo.

IDEM bellicosissimus, quascunque gentes nanciscebatur feroces, & vehementer studiosas libertatis, in earum regionibus cippos statuebat, inscriptos literis sui nominis & patriæ: & quæ referrent, ipsum illos vi subegisse. Quarum verò vrbes nullo prælio, nullóque negocio cepisset, his cippos inscripsit: tum eisdem literas, quas scripserat eis gentibus, quę viriles extiterant, tum muliebria genitalia: planum facere volens, illos haudquaquam viriles extitisse. Ibidem.

Circa Ioniam duæ Eiusdem figuræ visuntur in petris incisæ: vna quidem, quà ex Epheso in Phoceam itur, altera verò qua è Sardibus Smyrnam versus. In quarum vtraque insculptus est vir magnitudine quinûm palmorum, dextra spiculum tenens, sinistra arcus, cæterámque item armaturam Ægyptiacam & Æthiopicam gestans: & ex altero ad alterum humerũ euntes sacræ literæ Ægyptiacæ sunt incisæ, in hæc verba, Hanc Ego Religionem meis obtinui Humeris. Ibidem.

HOMERO statua Colophone posita fuit, cum tali inscriptione, qua probare nituntur Colophonium fuisse, referente Plutarcho:

Υἱὲ Μέλητος Ὅμηρε, σὺ γὰρ κλέος Ἑλλάδι πάσῃ
καὶ Κολοφῶνι πάτρῃ θῆκας ἐς ἀΐδιον.
καὶ τάσδ' ἀντιθέῳ ψυχῇ γεννήσαο κούρας
δισσὰς ἡμιθέων γραψάμενος σελίδας.
ὑμνεῖ δ' ἡ μὲν νόστον Ὀδυσσῆος πολύπλαγκτον,
ἡ δὲ τὸν Ἰλιακὸν Δαρδανιδῶν πόλεμον

DARIVS Oebaris equisonis astu ad regnum Persarum euectus, viribus omni ex parte stabilitis, ante omnia simulachrum è lapide factum statuit hominis equo insidẽtis, inscriptis in hęc verba literis: Darius Hystaspis, tum equi virtute (cuius nomen legebatur) tum Oebaris Equisonis Persarum Regnum Adeptus. Herod. lib. 3.

Aristoteles affirmat, eas columnas quæ nunc Herculis appellantur, antequam hoc nomen sortirentur, Briarei dictas esse. Postquam verò Hercules terram maréque purgasset, & sine dubio benemeritus esset de genere mortalium, in honorem eius Briarei memoriam ipsos deleuisse, & Herculis columnas nominasse. Ælian. lib. 5. de Var. hist.

Alexander Magnus cum multas statuas Mileti vidisset, Eorum qui in Olympiis ac Pythiis vicerant, eásque prægrandes: Vbi, inquit, erant tam magna corpora, cum Barbari vestram vrbem obsiderent? Salsè taxauit illorum stultam ambitionem, & in statuis tantam positam virtutem, in corde verò timiditatem. Eius dictum leges apud Plutarchum in Regum & Impp. Apoph.

HARMODII & Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes rex ea vrbe deuicta, in regnum suum transtulit. Longo deinde interiecto tempore, Seleucus in pristinam sedem reportandas curauit. Rhodij quoque eas vrbi suæ appulsas, cùm in hospitium publicè inuitassent, sacris etiam puluinaribus collocauerunt. Nihil hac memoria felicius, quæ tantum venerationis in tam paruulo ære possedit. Val. lib. 2. cap. 5. & Plin. lib. 34.

MENEDEMO philosopho Athenis ob ingentis virtutis ac doctrinæ meritum, quòd raro aliis contingit, positę fuerũt statuæ: atque in eo maior virtutis quàm natalium habita ratio est. Patre enim ortus est, qui mechanicum opus consuendis tentoriis conficiebat. Fulg. lib. 3. cap. 4.

GORGIÆ Leontino studiis literarum ætatis suæ cunctos præstanti, adeò vt primus in conuentu poscere, qua de re quisque audire vellet, ausus sit, vniuersa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cùm cæterorum ad id tempus auratas collocasset. Val. Max. lib. 8. cap. 16. & Plin. lib. 33. cap. 4.

PAVSANIÆ duci Lacedæmoniorum, in æde Palladis Chalciœci fame necato, quia Spartam Medo prodere conabatur, propter pestilẽtiam sæuam statua Lacedæmone posita est. Qua erecta, pestilẽtia quæ per totam Lacedæmoniam miris modis grassabatur, continuò sedata est. Historiam habes apud Thucydidem, & Volaterranum libro decimooctauo Anthrop.

ISOCRATES orator Atheniensis, sua eloquentia statuam in Olympia meruit.

CONONI Atheniensium duci, & Euagoræ, positæ sunt statuæ propè Iouis seruatoris simulachrum. Plutarch. in Euagora.

DEMOSTHENI mortuo Atheniensis populus erexit statuam, cui

hoc inscripserunt: Si pares ingenio vires Demosthenes habuisses, nunquam Græciæ dominatus fuisset Macedo. Plut. in eius vita.

POLYDAMAS Herculei roboris athleta, qui leonem in Olympia inermis iugulauit: & correptum inuscatæ magnitudinis taurum, quamuis præbido impetu prosilientem, retinuit, quadrigásq; tota vi concitatas altera manu remoratus est, statuâ meruit in Olympia. Cæl. lib. 7. cap. 56.

CYLON quamuis tyrannidem affectasset Athenis, nihilominus tamè ob excellentem formam (quæ nullum non allicit) statua ænea honestatus est. Cæl. lib. 13. cap. 7.

ASTYLO Crotoniatæ (quum tribus continuis Olympicis vicisset stadio) posita est statua.

AVTOLYCVS Pancratiastes statuam habuit in Prytaneo. testis apud Volat. Pausanias.

DEMETRIVS Phalereus auditor Theophrasti, ab Atheniensibus (quorum Rempub. summa virtute ac prudentia decem annos administrarat) CCCLX statuis honoratus est. Quas cum postea inuidia dissecisset, satis habuit hæc dicere: At virtutes non euerterunt, quarum gratia eas erexerant. Laërt. & Plin.

EVNOMIO Locrensi artis citharœdicæ præstantia statuam peperit, quam Volatet. adhuc in Italia Locris ostendi testis est. Euthymius apud Plin. legitur.

HERODES sophista viginti pueris ob virtutem compluribus in locis statuas posuerat. Hac de re quum accusaretur à Quintiliis Græciæ præfectis, quòd superuacaneis impendiis indulgeret: Quid, inquit, vobis incõmodi est, si ego ludo de saxis meis? Philost.

Mithridates PLATONIS gloria motus, eidem statuam dicauit: egregium Sylonis opus, quam hoc modo inscripsit: Mithridates Rhodoatæ filius, hanc Platonis imaginem Musis dicatam erexit. autor Plut.

PHRYNE meretrix statua donata est ob formam & pulchritudinem, cuius causâ prius in iudicio fuerat absoluta, quum tunicam à pectore deduxisset. Quintil. lib. 2.

PTOLEMÆVS Philopator HOMERO poëtarum maximo, templum cum statua dicauit. Ælian. apud Volat.

EPICVRVM Atheniensem philosophum ob doctrinam statuis æreis patria decorauit. Tortel.

Athenienses PHOCIONI suo principi mortuo æream statuam dicauerunt, ob plurima in Remp. beneficia, inuentásq; eius reliquias publicis sumptibus tumulo mandauerunt. Plut. in eius vita.

BEROSO ob verissimas rerum prædictiones statuam posuere Athenienses inaurata lingua. Plin. lib. 7.

ARCHIAS Hyblæus, quum tres ordine Olympia simul & Pythia vicisset, statuam cum Epigrammatis inscriptione meruit. Volat. in Philip. 3.

ROMANI equestres & pedestres statuas dextra porrecta effingebant, vt in dextra magnam viro messe authoritatem maiestatémq; hoc argumento notarent. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Quidam BRVTI statuæ subscripsit, Vtinam viueres: quòd opera Bruti Tarquinius ex vrbe depulsus esset. CÆSARIS statuæ subscripserant hos versiculos:

Brutus, quia reges eiecit, consul primus factus est:
Hic quia consules eiecit, rex postremus factus est.

Eras. lib. 4. Apoph.

NVMA & Seruius statuas apud Romanos sua virtute meruerunt. autor Plinius.

CAIA, seu Tanaquil, mulier laudatissima, & Tarquinij vxor, statuam in templo meruit.

MINVTIO Augurino statua extra portam Trigeminam erecta est, à populo stipe collata, quòd farris precium in trinis nundinis ad assem redegisset. Plin. lib. 18 cap 3.

TREBIVS in ædilitate assibus populo frumentum præstitit. Quam ob causam & ei statuæ in Capitolio & Palatio dicatæ sunt. Plin. Ibid cap. 3.

HORATIO Cocliti statua fuit, quòd Ethruscorum aciem in Sublicio ponte solus sustinuisset, donec pons à tergo interrumperetur, quo cum in Tyberim decidit. Plut. ait fuisse positam in æde Vulcani.

CHLOELIÆ virgini Romanæ, equestris statua posita est in via Sacra, quòd armata & equo insidens Tyberim traiecisset, ad declinandum vim Porsenæ Ethruscorum regis. Liui. lib. 2 & Plut. in Paral.

Plutarchus in vita Publicolæ, ait positam fuisse PORSENÆ statuam iuxta curiam.

Statuam auratam nec in vrbe, nec in vlla parte Italiæ quisquam prius aspexit, quàm à M. Attilio Glabrione equestris PATRI poneretur, in æde Pietatis. Eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bebio Pamphilo cõs. ipse dedicauerat, compos voti factus, rege Antiocho apud Thermopylas superato. Val. lib. 2. cap. 1. & Liu. lib. 10. Dec. 4.

M. CLAVDIVS Marcellus, quum propter Gallos iuxta Padum, & Annibalem apud Nolam superatos, oppugnatas item Syracusas, in præmiũ virtutis statuam habuit in æde Palladis, cum Epigrammate.

MVTIO Scæuolæ (qui coram Porsena Ethruscorum rege Romam obsidente dextram flammis admouerat, vrbémq; obsidione liberauerat) Romani statuam erexerunt, éique prata dederunt trans Tyberim.

Chæronenses statuam lapideam in foro propè Liberum patrem publicè L'VCVLLO constituerunt. Autor Plut. in Cimone.

IVNIO Rustico philosopho statuam erexit M. Antonius Imperator. Capitolinus.

Mantuani, mortuo VERGILIO multis pòst seculis statuã in celebriore suæ vrbis loco erexerunt: tanti adhuc viri memores, quem multis antè diebus suffocauerant Pareg. Pontan. de Obedientia.

VERRIVS Flaccus grammaticus, nepotum Augusti præceptor, statuã habuit in Prænestæ oppido. Tranquil. de illust. Grammaticis.

M. PORTIVS Cato fuit Rom. adeò gratus, vt Senatus statuam ei consularem in templo collocauerit, cum inscriptione restitutos ab eo mores testante. Plut. in Catone censore.

TITVM Coruncanum quum Tensa Illyricorum regina liberius locutum occidisset, mortuum Senatus statua decorauit. Plin. li. 24. cap. 6.

VESTRITIVS Spurina, lyricus poëta, in Bructerum regem Imperator constitutus, parta victoria triumphalem meruit statuam. Plin. Iunior Epist. 7. lib. 2.

Nerua Cocceius Imperator, statuas & imagines SOSIÆ, PALMÆ, & CELSO constituit, ques viros præ cæteris coluit, & summo in honore habuit. autor Dion Cassius.

IOSEPHVS Iudæus propter libros de captiuitate Iudaica scriptos, statuam Romæ obtinuit.

ANTONIO Musæ medico, Roma statuam Æsculapio proximam locauit, ob Augustum morbo sanatum. Suet. in Augusto.

OCTAVIO oratori Romano S. P. Q. R. statuam erexit, quòd legatus ad Antiochum missus, regem ipsum respondere sine cunctatione & mora compulisset. Plin. hoc ascribit Cn. Popilio. Crinitus lib. 7. cap. 3.

CLAVDIO Secundo Romanorum imperatori, statua cum aureo clypeo erecta est, quòd Gothos Macedoniam vastantes magna attriuisset clade. Eutrop.

Notatum est ab autoribus, L. ACTIVM poëtam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, quum breuis admodum esset. Plin. cap. 5. lib 34.

Arcadius & Honorius, petente Senatu, statuam CLAVDIANO poëtæ Alexandrino in foro collocari iusserunt.

Meruit & statuam Athenis Fauorinus philosophus, quæ (quum in odiũ Hadriani veniisset) disiecta est. Philostr. apud Volat.

L. Hermius nales veteranus, in via Æmilia coloniam militum deduxit, & à LIVII Salinatoris (sub quo cõtra Asdrubalẽ meruerat) nomine vicum Liuiũ appellauit (qui etiamnum hodie Castelluzzo dicitur, vno miliari ab vrbe Foroliuij distans) & in medio foro statuam Liuij erexit, his versibus.

Liuius ecce fui Romanus, conditor vrbis
Huius, & hanc volui terram coluisse Quirites
Magnanimos, populíque dedi cognomen & arma.

His initiis vrbs creuit, quæ nomen Fori Liuij obtinuit. Hæc ex Annalibus Foroliuiensibus recitat Leander Bononiensis in Italia sua.

Interamnæ, in platea:

A. POMPEIO L. F. CLV. Q. PATRONO MVNICIPI ITERAMNATIS, QVOD EX MVLTIS PERICVLIS ET DIFFICVLTATIBVS LIBERATVM ET CONSERVATVM EST EX TESTAMENTO L. HÆC STATVA STATVTA EST DEDIC. IDIB IVL. IMP. AVRELIO ANTONINO AVG. PIO. FEL.

BENEVENTI, sub quadam statua:

T. NONIO MARCELLINO
V. C. COS. CAP. PATRONO
DIGNISSIMO, OB INSIGNIA BENEFICIA QVIBVS
LONGA POPVLI TABEDIA
SEDAVIT VNIVERSA
PLEBS BENEVENTANA
CENSVIT PONENDAM.

OPPIANVS poëta, ex Anazarbo Ciliciæ ciuitate (qui de piscibus scripsit) à suis ciuibus magnifica statua honoratus est, cùm hoc Elogio: Oppianus sum suauiloquens vates, quem crudelis atq; inhumani inuidia fati ante diem eripuit. Quòd si longius in luce moras dedisset, nullus mihi par gloria mortalium in terris foret. Volat.

ANNII Taciti, ac Floriani, fratrum ac Romanorum Imperatorum statuæ lõgo tempore apud Interamnem ciuitatem fuere: quòd illic eorum cænotaphia sint constituta in proprio solo. Vopiscus.

ALEXANDRO Magno Antoninus Caracallus, eo quòd armis pocuissq; similibus iis quibus Alexander vsus fuerat, vteretur, complures statuas in castris & in vrbe collocauit. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Antonino.

AVRELIANO statuas argenteas in Capitolio, in curia, in templo Solis, in foro Traiani à Tacito imperatore decreta esse, testatur Flauius Vopiscus.

THEODORICO Ostrogothorum regi, Zeno Isauricus Imperator Romanorum statuam statuit. Volaterranus libro vigesimotertio, & Sigebertus in Chron.

PEPLVM.

GRÆCI eos imperatores, qui hostem fugassent, trophæo donabant: qui occidissent, aut funditus euertissent, triumpho, vel encomio, & peplo. Fuit autem peplum, velum, in quo singula fortia facta, atque acerrima prælia & maxima effingebantur: illúdque pro immortali memoria exponere palàm, & templis dicare assueuerãt. Alexander ab Alexandro libro primo, capite vigesimosecundo.

IMAGINES.

Imagines ipsæ huius sunt loci. At Inscriptiones imaginibus coniunctæ, ad testimonia virtutis scripto expressa, referri debent.

ANTIQVITVS ea fuit obseruata consuetudo, vt nobilibus viris defunctis, illorum imagines tam circa limina domus, quàm pro foribus locarẽtur: vt defunctorum desiderium repræsentatæ illę species leniret, posterósque ad præclara facinora domi forisque obeunda inuitarent. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 24.

Superiori Africano consulatus citerior legitimo tempore datus est: quod fieri oportere, exercitus Senatum literis admonuit. Ita nescias, vtrum illi plus decoris patrum conscriptorum autoritas, an militum cõsilium adiecerit. Toga enim Scipionem ducem aduersus Pœnos creauit, arma poposcerunt. Cui quæ in vita præcipua assignata sunt, & longum est referre, quia multa: & non necessarium, quia maiore ex parte iam relata sunt. Itaque quod hodie quoque eximium eius memoria capit, adiiciam. Imaginem in cella Iouis opt. max. positam habet, quæ quotiescũque munus aliquod Corneliæ gentis celebrandum est, inde petitur, vnique illi instar atrij Capitolij est: tam hercle, quàm curia superioris Catonis effigies, ad eius generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui vilissimum Reipub. senatorem tantùm non semper secum habitare voluit: omnibus numeris virtutis diuitem, magísque suo merito quàm fortunæ beneficio magnum, cuius prius consilio quàm Scipionis imperio est deleta Carthago. Val. Max. lib. 8. cap. 16.

Legitur, M. Antoninum Philosophum propter doctrinam virtutémque in eam veniße existimationem, vt eo imperante, palàm dicerent homines, Platonis impletum esse verbum, quo dicebat: Tum orbem terrarum fœliciter habiturum, cùm contigisset vt philosophi rerum potirentur. Ob id igitur ipso mortuo velut incestus atque sacrilegus est habitus ciuis, qui domi eius non habuisset imaginem: dignum ducentes, vt aut metallo, aut saltem pictura eius virtutis seruarent memoriam, cuius vita natura diuturniorem passa non erat. Id quod in contrarium antè de Caio Nerone, ac Domitiano visum erat, quorum memoriam extinguere propter sceleratam nefandámque vitam quæsiuerunt. Fulgos. libro secundo, capite quinto.

VAL. Messala primo bello Punico consul Messanam expugnauit, ac Carthaginenses in Sicilia vicit, proposuit in latere curiæ Hostiliæ, anno vrbis cccccxc. Volat. lib. decimoseptimo.

MELETIVS episcopus Antiochenus verè orthodoxus, qui acriter contra Arianos pugnauit, Constãtinopoli in synodo subTheodosio moritur: tanto sui desiderio relicto, vt imaginẽ eius in parietibus ac tabulis depingi, atque in anulis exculpi curauerint. Nicephorus lib. 12. cap. 14.

Bergomi in æde D. Alexandri:

P. MARIO.
VOT.
LVPERCIANO.
EQ. R. Q. PVB. OMN.
HONOR. MVNICIPAL.
ADEPT. IVDICI. DE. SELECT.
SACERD. CÆNINEN. COLL.
FABR. CENT. DEND. M. B. PATRON.
CVIVS EXIMIA LIBERALITAS POST
MVLTAS LARGITIONES HVC VSQVE
ENITVIT, VT LVCAR. IIIIII.
REDEMPTVM A REP. SVA VNIVERSIS
CIVIBVS SVIS IN PERPETVVM
REMITTERET. HVIVS TOT ET TAM
INGENTIA MERITA ITA
REMVNERANDA CENSERVNT,
VT EFFIGIEM IIII V. PERPETVA
VENERATIONE CELEBRARENT.
L. D. D. D.

DIES FESTI HONORIS ERGO INSTITVTI, *vel obseruati.*

PERSÆ diem festum inter cæteros religiosissimè colunt, eum quem μεγαφανίαν appellant, quo Smerdes Magus, qui regnum inuaserat, vnà cum fratre Patizithe & cæteris Magis à septem Achæmenidibus cæsus fuit, & Persarum imperium Medis hac ratione ereptum. Herod. lib. 3.

IIDEM, ex omnibus diebus natalem suum quisque religiosissimè & splendidissimè colunt. Herod. lib. 1.

INDI, si à rege abluantur capilli, festum diem agunt.

LAVRENTALIA festa instituerunt statim condita vrbe Romani, in laudem Accæ Laurentiæ, quæ Romulum & Remum geminos aluisse dicitur. Vt est apud Plutarch. in vita Romuli.

SYLLIVS Italicus, Vergilij natalem Neapoli ad eius monumentum religiosè colebat: item & Ciceronis manes. Agros, vtriusque in summo cultu habuit, Ciceroníque Academiam instaurauit. Gyrald. Dialogo 4. Hist. poet.

PETRVS Gradonicus Venetorum dux, eo quòd illius prudentia & vigilantia Baiamontis Teupuli coniuratio detecta & euersa fuisset: hoc fuit affectus honore, vt dies ille quo dux creatus fuit (qui D. Catharinæ dicatus est) inter festos Veneriis commumeretur. Egnat. lib. 3. cap. 2.

NORIDANVS Damascenus Sultanus, mortuo Balduino II I. Hierosolymorum rege: quamuis Christianos opprimere posset, tamen ob memoriam tanti regis noluit, priusquam tempus luctus esset exactum. Vide tit. Honores cadaueri mortuo exhibiti.



QVI

QVI TRIVMPHVM CONCESSERINT.

Post abrogatos Decemuiros, cùm M. VALERIVS consul æquiculorum gentem bello deuicisset, & M. Horatius eius collega Sabinos, negate eis triumphum Senatu, penes quem honoris illius dandi ius erat, quia nimium populares habebantur: à populo per L. Icilium trib. pleb. eum impetrãtes (id quod antea nunquam factum erat) non solùm nõ permittente senatu: sed penè in eius contemptum, ambo triumpharunt. Veterũ igitur morem, per Senatum eiusmodi honorem obtinendi, tum Senatus parua æquitatis ratio, tum ipsorum consulum ambitiosa mens eluserit: cõtigitq; vt sæpe in eiusmodi rebus solet, vt huius contentionis vtraq; pars infamiam ferret. Senatus videlicet, antiqui honoris amissi, & consules, quòd eius rei autores fuissent, cui totis viribus obsistere debebant. Fulg. lib. 2. cap. 3. ex Liuij lib. 3.

M. RVTILIO dictatori, de plebe homini, deditis & victis hostibus, sine Patrum autoritate, solo iussu populi triumphare licuit. Alex. li. 6. ca. 6.

QVI TRIVMPHARE POSSINT, AVT DEBEANT.

Apud ROMANOS ex duobus imperatoribus in magistratu positis, illi qui in supremo gradu est, soli triumphare permissum fuit. Ideo consul cùm dictatore aut prætore non triumphabat, ne minor potestas maiori æquari diceretur, néue auspicia, quæ maioris magistratus sunt, cùm minoribus confunderentur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 23.

LVCTATIVS Cos. & Q. Valerius prætor, circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleuerant. quo nomine Luctatio Cos. triumphum Senatus decreuit. Cùm autem Valerius sibi quoque eum decerni desideraret: negauit id fieri oportere Luctatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori æquaretur: pertinaciúsque progressa contentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa: nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaque iudex inter eos conuenit Attilius Catalinus, apud quem Valerius in hunc modum egit: Consulem ea pugna in lectica claudum iacuisse, se autem omnibus imperatoriis partibus functum. Tunc Catalinus prius quàm Luctatius causam suam ordiretur: Quæro (inquit) Valeri à te, si dimicandum nécne esset, contrariis inter vos sententiis dissensisses, vtrum quod consul, an quod prætor imperasset, maius habiturum fuerit momentum? Respondit Valerius: Non facere se controuersiã, quin priores partes Cos. essent futuræ. Age deinde (inquit Calatinus) si diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio staretur? Item respondit Valerius, Cos. Iam mehercule (inquit) cùm de imperio & auspicio inter vos disceptationem fusceperim, & tu vtroq; aduersarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est quod alterius dubitem. Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris, fecundum te litem do. Mitificè iudex, quòd in manifesto negotio tempus terri passus non est: probabilius Luctatius, quod ius amplissimi honoris constanter defendit. Sed nec Valerius quidem improbè, quia fortis & prosperæ pugnæ, vt non legitimum, ita se dignum præmium petiit. Val. lib. 2. cap. 3.

P. SCIPIONI ob recuperatas Hispanias, M. MARCELLO ob captas Syracusas triumphus non fuit decretus, quòd ad eas res gerẽdas sine vllo missi erant magistratu. Probentur nunc cuiuslibet glorię cupidi, qui ex desertis montibus, Myoparonúmque piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Carthaginis imperio abrupta Hispania, & Siciliæ caput abscissum Syracusæ, triumphales iungere currus nequiuerũt, & quibus viris? Scipioni & Marcello, quorum ipsa nomina instar sunt æterni triumphi. Sed clarissimes solidæ veræq; virtutis autores, humeris suis salutem patriæ gestantes, etsi coronatos intueri Senatus cupiebat, iustiori tamen referuandos laureę putauit. Ibidem.

Non permisit Romanus senatus etiam in peregrino homine præmio suo virtutem carere, vt eo exemplo ciuium animi ad eam magis accenderentur. CORNELIO enim Balbo Gaditano, Æthiopibus atque Garamãtis bello superatis, cum ciuitatis iure, vt triumphans quoque vrbem iniret, nouo exemplo concessit. Fulg. lib. 2. cap. 3.

CN. POMPEIVS, cùm Syllanis temporibus Domitium in Africa superasset, nondum neque consul, neque senator, sed tantum Rom. eques, per importunitatem à Sylla triumphum extorsit. Et cùm nõ satis sibi duceret curru vrbem inire, quem quatuor insignes equi traherẽt, pro equis elephãtos adhibuisset, nisi portarum vrbis angustiæ, per quas iunctæ beluę ingredi non poterant, hoc agere volenti obstitissent. Adeò insuetarũ rerũ ambitio homines interdum obcęcat, & glotię cupidine omnes ducũtur: quę ita iudicii confundit, vt maior pars, cùm in sui æstimationem venit, plerunq; opinione fallatur: antea lios id malũ generosiores inuadis mẽtes, & longius à ratione quàm alios aufert. Quæ res etsi sæpe magnas secum traxit calamitates, id tamen eam interdũ tolerabilem facit, quòd persæpe comes ei virtus aliqua insignis est, per quam ingens aliculus gestæ rei conscientia hominum effert. Ibidem.

VENTIDIVS, de Parthis & Pacoro, sine M. Antonio consule, cuius legatus erat, nouo exemplo triumphauit. Alex. ab Alex. lib 6 cap. 3.

Cùm Senatus populúsq; Romanus vellet, vt sicuti Æl. ADRIANVS Traiano in principatu successerat, ita etiam quia Traianus morte interceptus, triumphum deuictis Parthis ducere nequiverat, ipse pro eo triũpharetille curauit, vt pro Traiano Traiani effigies triumpharet: æquius enim duxit, & moderationi suæ conuenientius, curare vt honos Traiano debitus, eius statuæ ipso mortuo deferretur: quàm se eos ferre honores, qui pro alienis rebus decernebantur. Fulg. lib. 2. cap. 3.

Septimius SEVERVS, deuictis Parthis triumpho vti recusauit. Nam cùm vehementer podagra laboraret, triumphalis currus agitationem ac tędium vitare, quàm sequi triumphalis pompæ cupidinẽ maluit. Fortasse Vespasiani memoria commonitus, qui cùm de Iudæis triumpharet fastidio longi apparatus, tantæq; agitationis affectus: ea se meritò perpeti tędia dixit, quia iam senio confectus triumphalis pompæ vanitatem appetiisset. Ibidem.

IVSTINIANVS Augustus, per Bellisarium ducem suum superatis Persis, Vandalorúmq; rege Vildemare, siue Gilimere, atq; recepta Africa non solùm non occupauit duos illos triumphos: sed illi concessit, qui sudore ac sanguine suo rebus fœliciter gestis eos meruerat. Itaque postremus fuit Bellisarius, qui sub Imperatoribus post August. triũphauit. Ibid.

FRANCISCVS Sfortia, Mediolanensium totiúsque penè Lombardiæ parto imperio, vrbem Mediolanum inituru, paratum cum triumphali honore auratum currum reuit: dicens, eiusmodi ornamenta Imperatoribus deberi. Eodem enim facto & victoria illa, quæ rara hominibus cõtigit, hostes, & insolentis animi affectus, qui plerunque victoriarum sunt comites, superauit. Nam rebus fœliciter gestis triumphum mereri, haud paucis commune fuit: cæterùm honore illo, quem meritus esset, & paratum haberet, quæ modestia non vti, fortasse vnius ipsius Francisci Sfortię, aut si plurium, certè perpaucorum aliorum fuit. Fulg. libro secundo, cap. 3.

DE QVIBVS TRIVMPHANDVM SIT VEL NON SIT

Ob lenia prælia quidem IMPERATORES Rom. triumphos sibi deerni desiderabant. Quibus vt occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinq; millia hostium vna acie cæcidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum excelsius vrbis futurum decus maiores existimabant. Cæterùm ne tam præclara lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quã L. Marius & M. Cato tribun. plebis tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prędio, aut amissorum ciuium falsum numerum, literis senatui ausi essent referre: iubétq; eos, cùm primùm vrbem intrassent, apud Quæstores vrbanos iurare, de vtroque numero verè ab his senatui esse scriptum. Val. lib. 2. cap. 3.

Quamuis quis præclaras res, maximéq; vtiles Reipublicę ciuili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est, neque vllæ supplicationes decretæ sunt, neque equo aut curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, vtpote non externo, sed domestico partę cruore. Itaque & Nasica Tiberiũ Grachum, & Opimius C. Gracchi factiones mœsti trucidarunt. Ibid.

QV. CATVLVS Marco Lepido collega suo cum omnibus copiis seditiosis extincto, moderatum præ se ferens gaudium, in vrbem reuertitur. Ibidem.

C. ANTONIVS, Catilinę victor, absterso gladios in castra retulit. Ibid.

L. CINNA & C. MARIVS hauserant quidem auidi ciuilem sanguinem: sed non prótinus ad templa deorum & aras tetenderunt. Ibid.

L. SYLLA, qui plurima bella ciuilia confecit, cuius crudelissimi & insolentissimi successus fuerunt, cùm consummata ac constructa potentia sua triumphum duceret, vt Græciæ & Asiæ multas vrbes, ita ciuium Rom. nullum oppidum vexit. Ibidem.

Si contra piratas, seruos, aut fugitiuos, vel aliud genus hominũ Romano nomine indignum bellatum foret, tanquam belli causa erubescenda, quamuis parta victoria, aut hostibus fusis, auersisque, nemini triumphare licebat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

QVINTVS Fuluius Capua capta, & L. Opimius, Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem à Senatu petierunt. Vterque editis operibus magnificus, sed neuter peritæ rei compos. Non quidem inuidia patrum C. cui nunquam aditum in curia esse voluerunt: sed summa diligentia obseruandi iuris, quo cautum erat, vt pro aucto imperio, non pro recuperatis, quę pop. Roman. fuissent, triumphus decerneretur. Tantùm enim interest, adiicias aliquid, an detractum restituas, quantum distat beneficij initium ab iniuriæ fine. Valerius libro secundo, cap. 3.

QVANDO TRIVMPHANDVM SIT.

Apud ROMANOS in primis fuit obseruatum, vt qui imperatores rebus bene gestis, post multa facinora militaria, domitis hostibus triumphum postularent, pacatam prouinciam successori in primis traderent: exercitúmque victorem & opimum præda, testémque virtutis & ignauiæ cuiusque, meritique & immeriti, Romam reducerent. Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 6.

C. MARIVS, cùm consul Theutones bello vicisset, Romam vocatus, triumphum distulit, conspicatus patriam aduentantibus Cymbris in periculo versari. Catulo igitur collegæ iunctus, apud Vercellas eos fudit: & cùm ob geminatam victoriam duplex triumphus ei offerretur, vno tantùm contentus, voluit vt collega simul triumpharet. Fulgosus lib. secundo, capite tertio.

Quod insolenter in ouatione sumere visus est Tiberius, quia in morem triumphantis ouans vrbem ingressus, stillud correxit, cùm decretum à Senatu triumphum propter deuictos domitósque Illyrios distulit, vitrico atque vrbe tota propter Varrianam cladem consternata. Prudenter enim plus habere apud se virium publicum dolorem, quàm priuatum suum honorem atque lætitiam, ostendit. Ibidem.

ROMANI cum qui magnis perpessis cladibus, & nimium cruenta victoria esset potitus, tanquam lugubri & parui compendij, quòd multis funeribus, non autem multis commodis Rempub. affecisset, triumpho dignum nequaquam existimabant. Alexander ab Alexandro lib. primo, capite vigesimosecundo.

M. FABIVS, quòd fratrem bello amiserat, triumphare noluit, cùm ei triumphus decerneretur. Alexander ab Alexandro libro sexto, capite sexto.

SEPTIMIVS Seuerus deuictis Parthis, cum pedum valetudine laboraret, triumphum oblatum recusauit. Ibidem.

LOCVS TRIVMPHI.

M. PAPYRIVS Masso, cùm ei Romæ negaretur triumphus, in Albano primus triumphauit. Alexander ab Alexandro libro sexto, capite sexto.

L. PAPYRIVS Crassus, cùm Priuernates intra mœnia fugasset, ac pro rebus bene gestis triumphus ei denegaretur, in monte Albano triumphauit: & pro laurea, myrtea corona est vsus. Volat. lib. 18. Anthrop.

L. PAPYRIVS Dictator de Samnitibus triumphans, forum ornauit. Alex. ab Alex. lib. 6 cap. 6.

DOMITIVS Ænobarbus deuictis Aruernis, nullo triumpho decernente senatu, elephanto vectus, velut triumphans totam Italiam perambulauit. Ibidem.

M. ANTONIVS in triumuiratu Orientem sortitus, cùm ex Parthico bello rediret (fortassè Syllano exemplo motus, vt pro lege voluptatem haberet: & sicut in Pompeio ætatem Sylla, ita sibiipse locum dispensaret) non Romæ, quæ orbis caput & domina erat, sed nouo more Alexandriæ magna exercitus indignatione triumphauit. Fulgosus libro secundo, capite tertio: & Alexander ab Alexandro libro sexto, capite sexto.

MODVS TRIVMPHI CVM POMPA.

ANTE TRIVMPHVM.

Apud Rom. moris erat ab Imperatore triumphum ducturo, Coss. inuitari ad cœnã: deinde rogari, vt venire supersedeant, ne quis eo die quo ille triumpharet, maioris in eodem conuiuio sit imperij. Val. li. 2. ca. 3.

IN TRIVMPHO POMPA.

Triumphi.

Imperator triumphans, equis & curru vehitur cum filiis suis.

ROMVLVS de Veientibus sine curru triumphum egisse dicitur. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6.

P. VAL. Publicolam, quòd Thuscos bello vicerat, quadriiugo curru primùm triumphasse ferunt: alij Tarquinium Priscum. Ibidem.

FVR. CAMILLVM, quod antea licuit nulli, in triumpho albentibus equis vrbem iniisse traduntur. Ibidem.

M. FVLVIVS in triumpho, quem de Ætolis & Cephalænia habuit, carpentis vectus est. Ibidem.

IVL. CÆSAR ad lumina 400. in Capitolium triumphans ascendit, elephantis lychnos dextra sinistráque gestantibus. Quod ideo institutum fuisse ferunt, tum vt spectatior triumphi apparatus esset: tum vt lumina, si fortè tenebris obortis, pompæ triumphali non sufficeret dies, ad arcendas tenebras præstò forent: ipséque triumphans luminibus circà adhibitis, conspectior fieret. Alexander ab Alexandro libro quinto, capite decimonono.

NERO Cæsar monstrifico inuento Hermiphrodytas equas portenti loco ad currum duxit. Alex. ab Alex lib. 6. cap. 6.

HELIOGABALVS triumphans quaternis canibus, mox tigribus vectus est. Ibidem.

ALEXANDER Seuerus Imperator, cùm de Persis triumpharet, non curru triumphali, sed pedibus sequente curru quatuor elephantorum Palatium ascendit. Ibidem.

SESOSTRIS Ægypti rex, sorte ductos reges annis singulis ad currum iungebat, vt ea pompa per omnium ora triumpharet. Ibidem.

L. PAVLVS Æmylius deuicta Macedonia filios duos impuberes, triumphans in curru duxit, quorum alterum triduo post amisit. Alex. libro 5. cap. 19.

GERMANICVS Cæsar, currum quinque liberis onustum in triumpho duxit. Ibidem.

Comites triumphi, qui præcedunt. Hostes victi, ciues seruati, equi, elephanti, spolia & præda hostilis.

L. FVRIVS Camillus in prætura sua de Gallis triumphauit: in cuius tamè triumpho nec captiuos præcessisse, nec spolia prælata, nec milites sequutos esse. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. testatur.

M. AQVILIVM de Antiocho & Ætolis, sine militibus & exercitu triũphasse constat.

QVINTVS Terentius Culeo, prætoria familia natus, & inter paucos Senatorij splendidi ordinis, optimo exemplo Africani superioris currum triumphantis, qui captus à Carthaginensibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens, secutus est. Autori enim libertatis suæ, tanquam patrono, accepti beneficij confessionem spectante populo Romano meritò reddidit. Val. lib. 5. cap. 2.

T. FLAMINIVS, cùm de Macedonia & Nabide triumpharet, Romanorum supra duo millia captiuorum, qui bello capti ab Hannibale diuenditi fuerant, quos per vniuersam Græciam conquisitos redemerat, secum duxit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6.

GN. CORNELIVS de Insubribus & Cenomanis triumphauit: cuius in triumpho currum, turba Cremonensium Placentinorúmque colonorum, ab eo obsidione & seruitute exempti, præcessere. Ibidem.

AVRELIANVS Cæsar Zenobiam aureis catenis vinctam carpento in suo duxit triumpho. Ibidem.

AVGVSTVS post bellum Actiacũ Alexandrino triumpho, cùm Cleopatram ducere nequiret, ipsius imaginem quæ manu sibi mortem cõsciuerat, exanguem detulit. Ibidem.

T. Quintius Dictator Prenestæ in deditionem accepto, signum Prenestæ duxit triumphans. Ibidem.

M. ANTONINVS philosophus, & Verus, triumphi die mille puellas virgines in equis triumphalibus vexêre. Alex. lib. 5. cap. 19.

Q. CÆCILIVS Metellus primo bello Punico aduersus Pœnos speciosissimum egit triumphum, XIII. ducibus hostium, & CXX. elephantis in eo ductis. Liuius libro decimonono: & Volaterranus libro decimoseptimo Anthrop.

CVRIVS Dentatus post fugatum ex Italia Pyrrhum, elephantos in triumpho suo duxit. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6.

L. CÆCILIVS Metellus, rebus aduersus Pœnos fœliciter gestis, primo Punico bello centum & viginti elephantos in triumphum duxit. Ibidem.

P. CORN. Nasica triumpho Gallico præter multa memorãda, equorum gregem bello captorum in triumpho duxit. Ibidem.

AVRELIANVS Cæsar præter alia spectatissima, tigrides, alces & camelopardales in triumphi sui pompa ostendit. Ibidem.

L. LVCVLLVS longas & rostratas naues vltra centum in triumpho duxit. Ibidem.

L. MVMIVS de Achæis triumphauit, signa ærea tabulásque pictas in triumpho tulit: neque de tot opibus quicquam in domum suam intulit. Volat. lib. 17. ex Liuij lib. 60.

CN. MANLIVS deuicta Asia, monopodia & abacos & triclinia grata, vestémque stragulam in triumphum detulit. Alexander ab Alexan. lib. 6. cap. 6.

CN. POMPEIVS victo Mithridate, ebenum triumphans primò omnium ostendit: & in tertio triumpho, quem de Asia & Ponto habuit, inter solennia aluearium cum tesseris lusorium è gemmis duabus, magnitudinis miræ, detulisse dicitur. Ibidem.

Milites qui currum triumphalem sequuntur.

MILITES diuersis conuiciis triumphantes incessebant, ne prospera illa fortuna plus æquo superbirent & insolescerent. Sic triumphante Cæsare milites dixerunt:

Gallias subegit Cæsar, Nicomedes Cæsarem. Item:
Romani seruate vxores,
Mœchum caluum vobis adducimus.

Ventidium Bassum in Parthico triumpho secuti milites, decantarunt:

Qui mulos fricabat, factus est consul.

QVI DE HOSTIBVS TRIVMPHARVNT.

Consule

Consule tit. Iustitiæ distributiuæ, de præmiis bellicæ fortitudinis Imperatorum. Item tit. Ambitionis, triumphos indignè petere, aut agere. Ea quoque, quæ de iure triumphandi in præcedentibus allata sunt, huic loco inseruire possunt. Qui cupit infinita huius tituli habere exempla, petat ex Blondi Foroliuiensis decimotertio de Roma triumphante libro.

Hoc maximè cognitum est, à condita vrbe ad Vespasianum & Titum, debellatis deuictísque nationibus, ROMANOS viginti supra trecentos triumphos egisse, ex Samnitibus quatuor supra triginta triumphos: plures de Gallis, quàm de reliquo orbe terrarum. Alex. ab Alex. libro sexto, cap. 6.

ROMVLVS de Acrone Ceninensium duce fortissimo, curru quatuor equorum triumphauit, teste Dionysio Halicarnasseo.

IDEM de Veiis triumphauit idibus Octobris, cùm magnam captiuorum vim abduxisset. vt est apud Plut. in Romulo.

Cùm Veientes olim & Tarquinienses pro Tarquiniis contra Romanos arma mouissent, & velut æquo marte vtrinq; pugnatum foret, quòd vno plus Hetruscorum in acie cecidisset, nec hostium quisquam postero die in conspectu esset, digna res triumpho visa est. Itaque P. VAL. Cõsul, quamuis collega morte sublato, de Veientibus & Tarquinensibus triumphum egit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

MENENIVS Agrippa Lanatus, de Sabinis triumphauit. Liuius & Plinius cap. 18. de Viris illust.

FVRIVS Camillus, postquam Veios decennali obsidione domuisset, de iis triumphauit. Cui crimini datum, quòd albis equis triumphasset, ab Apuleio tribuno plebis damnatus est. Plin. cap. 23. de Viris illust.

Q. MARTIVS Tremulus, cum P. Cornelio Aruina consul, de Hernicis triumphauit: statuáque ei propterea equestris decreta, quæ ante templum Castoris in foro posita est. Liuius lib. 9. & Volat. lib. 17. Anthrop.

GN. FVL. Flaccus Q. Fuluij frater, cum L. Corn. Scipione consul factus, de Samnitibus triumphauit. Volat. lib. 16. Anthrop.

M. ATTILIVS Regulus consul, fusis Salentinis triumphauit, primúsque Romanorum ducum in Aphricam classe traiecit. Cæcilius, & Volat.

L. ATTILIVS Collatinus ante clausum Ianum, Sardos tumultuantes vicit, ac de his triumphauit: vt est apud Liuium lib. 19. & Volat. lib. 13.

CORNELIVS & BEBIVS consules, quòd Ligures Apuanos expectantes bellum in deditionem accepissent, & ad duodecim millia in alias terras traduxissent, de Liguribus velut acie victis triumpharunt. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

L. PAPYRIVS Cursor de Samnitibus triumphauit, vt est apud Plin. de Viris illust. Dictator dictus, aduersus Hetruscos profectus, apud Longulum & Vadimonis lacũ, eos insigni clade afflixit: secunda apud Rosellas. victor itaq; triumphauit. Volat. lib. 18. & Liuius lib. 9.

L. PAPYRIVS Cursor eius filius, nobilis. de Samnitibus præter omnes superiores, excepto patre, triumphum reportauit. Ad Aquilonam cæsa hominum tria millia, CCCCXL. capta verò CCCC millia. Volat. libr. 8. Anthrop.

Q. FABIVS Gurges, cùm malè aduersus Samnites pugnasset, senatúsque de eo remouendo ab exercitu ageret: parentis tamen sui, Fabij videlicet Maximi consiliis & opera adiutus, cæsis Samnitibus triumphauit, C. Ponium & Herennium ducem Samnitum in triumphum ductum securi percussit, aliquot matronas ad populũ stupri damnatas pecunia mulctauit: ex quo ære Veneris ædem, quæ prope circum est, faciundam curauit. Hęc Liuius in Epitome.

A. POSTHVMIVS Tubero magister equitum in bello contra Volscos à Q. Cincinnato consule eius genero Dictator dictus, de eisdem triumphauit. Quam victoriam funestauit mors filij, viri magna virtute: quem quòd iniussu eius occasione rei bene gerundę pugnã iniisset, securi percussit. Liuius lib. 4.

L. LVCRETIVS Tricipitinus, cum T. Veturio Gemino consul contra Volscos profectus, nobilem retulit triumphum: eorum nomine propè de leto, X millibus & CCCCLXX cæsis. expositáque deinde omni præda in campo Martio, vt suum per triduum cognitum abduceret: reliqua vẽdita, cui domini non fuêre. Liuius lib. 3.

L. ÆMYLIVS Paulus Iunior, primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus est, de Liguribus triumphauit, rerum gestarum ordinem in tabula pictum publicè posuit. Iterum consul Perseum Macedoniæ regem apud Samothracas cæpit, quem vinctum fleuit: & assidere sibi iussit, demúmque in triumphum duxit. Liuius.

LIVIVS Salinator deuicto ad Metaurum Hasdrubale & Pœnis, iustissimè triumphauit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

CLAVDIVS Petilius consul, Dictatore Q. Seruilio Hala, de Tiburtibus & Gallis triumphauit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

CN. MANLIVS contradicentibus decem legatis, in crimen adductus, acta per se causa in senatu, crimine absolutus, de Gallogręcis magnificè triumphauit Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

C. SVLPITIVS Politus, dictator creatus, reliquias Brenni apud Prænestę stratagemate vicit, multis cum agasonibus in insidiis collocatis, vnde triumphum egit. Frontinus lib. 2. & Liuius lib. 7.

Q. CÆCILIVS Metellus Numidicus, de Numidiæ rege Iugurtha triumphauit. Volat. lib. 17. Anthrop.

P. PHILO proconsul, cui propagatum imperium sæpe fuit, Græcis in Campania debellatis, qui rupto imperio defciuerant, de Palępolitanis simul & de Græcis triumphum egit. Alex. libro secundo, capite vigesimoseptimo.

SERVILIVS proconsul de Cilicibus & Isauris, quòd indomita ingenia debellasset, triumphasse fertur. Ibidem.

P. SCIPIO Africanus de Antiocho & omni Asia triumphauit: hincq; Asiatici cognomen reportauit. Alexander ab Alexandro libro sexto, capite tertio.

A. POSTHVMIVS Albinus missus ad Iugurtham, posteaquam auro corruptus patriam magno damno affecisset, de Vaccæis & Lusitanis triũphauit. Liuius lib. 64.

ASINIVS Pollio, orator celeberrimus, de Dalmatis triumphauit, Salona expugnata, ex qua victoria Saloninum tunc fortè natum vocauit. In cuius honorem Seruius dicit ægłogam edidisse Vergilium. Author huius rei est Eusebius.

M. ÆMYLIVS Scaurus consul, Ligures domuit, & de his triumphauit. Cæcilius.

METELLVS, cùm exercitu in Cretam missus, totam eam insulam Pompeio Magno (qui eo tempore maris imperium obtinebat, & continentis) repugnante subegit, ac de Cretensibus non tantùm triumphauit, sed à rerum in hoc bello gestarum gloria, Cretensis etiam cognominatus est. Dion Niceus, vel eius abbreuiator Xiphilinus in Pompeio.

C. MARIVS septies consul, Arpinas, humili loco natus, legatus primùm Metello in Numidia, criminando consulatum adeptus, Iugurtham captum in triumphum duxit. In proximum annum vltrò consul factus, Cimbros in Gallia apud aquas Sextias, Teutones in Italia in cãpo Samnidio vicit, déque his triumphauit, vt est apud Liuium & Plin. de Viris illustribus.

L. LVCVLLVS consul cum M. Cotta ad bellum Mithridaticum est profectus, vbi primùm magno cœnore Asiam liberauit. In eóque bello maximis reb. gestis, Tigrane cęteríq; expugnatis, Pompeium, non belli, sed penè triumphi successorem habuit. Triumphauit tamen, quamuis aduersante Memmio. Volat. lib. 16. Vrb. Com. ex plut.

POMPEIVS Strabo, Magni Pompeij pater, qui Nouocomum coloniam deduxit, in bello sociali imperator delectus, de Picẽtibus triumphauit. Volat. lib. 18. Anthrop.

GN. POMPEIVS, Strabonis filius, qui Syllę partibus adhesit, ab eóq; ad vlciscendos inimicos missus in Africam, Domitium prius expugnauit: Iarbam regem cæpit, de quo triumphauit, nondum patientib. annis. Quã obrẽ ab exercitu Syllę Magnus consalutatus est. de Mithridate & Aristobulo Iudęorum rege triumphum, cum ex Oriente redisset, biduò egit, prænotatis gentium titulis victorum, quę à Plinio, itemq; à Plutarcho ordinè adnotantur. Ei hoc ferunt præcipuum contigisse, quòd è tribus orbis partibus speciosos egerit triumphos. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

VENTIDIVS Antonij legatus, de Parthis egregiam reportauit victoriam: cuius tamen victoriæ gratia apud Antonium tò inuidiam incidit, qui ob res præclarè ab eo gestas illi inuidere cœpit. Post mortem tamen Antonij primus ciuium Romanorum de Parthis triumphauit, qui triũphus ei decretus à senatu fuit: & eo libentius, quòd eodem die eandem cladem Parthis intulit, quam ab iis populus Romanus. Crassi temporibus acceperat. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Augusto.

C. IVLIVS Cęsar quater eodem mense triumphasse dicitur. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. In vniuersum quinquies triumphauit, primũ triumphũ egit Gallicũ sequentem Alexandrinũ deinde Ponticum, huic proximũ Africanum, nouissimum Hispaniensem.

AVGVSTVS tres egit triumphos curules continuo triduo, Dalmaticũ, Actiacum, Alex. Alex. eodem.

Traianus imperator, cùm ob res fœliciter gestas, morte prequentus, triũphare nequiret, illius tamen defuncti imagini Hadrianus triumphũ exhibuit.

L. SEPT. Seuerus Pertinax, cõpositis rebus vbanis repetit Orientem: vbi fœliciter pugnans Parthos, Arabas, Adiabenos subegit, déq; his reuertens triumphauit, titulis illorum sumptis: cuius rei memoriam testãtem, arcum nobilem videmus hodie sub radicibus Capitolij. Ibidem.

VAL. Aurelianus, cũ sub Claudio omnib. ferè equitib. præesset, conuersus post alia egregia facta in orientẽ, Zenobiã Palmyrenorũ reginã capiã in triũphum duxit. In Galliã profectus cũ exercitu, Tetricũ in potestatẽ redegit. Mox in Ægyptum properãs, sublato Firmo tumultuãte, regionẽ eam pacauit. Postremò Romã reuertus, de his omnibus nobilem triumphum egit, sequentibus ducibus. Ex Flauio Vopisco & Eutropio.

AVR. Probus, Rom. imp. à militib. consentiente Senatu declaratus, initio principatus in Gallias mouens, Germanorum maximã edidit stragẽ: ciuitatib. Lx in potestatem recepris. Francis & Boemis superatis, Romæ triumphum egit. Volat. lib. 23. Anthrop. Hic vltimus Rom. Cęsarum triũphasse dicitur: quamuis alij Belisarium, qui sub Iustiniano meruit coronam, postremum omniũ triumphasse contendant. Alex ab Alex. li. 6. ca. 6.

Belisarius sub Iustiniano principe postremus omnium, veterem illam Roman. triumphandi consuetudinẽ retulit. Primùm enim de Persis à se victis, memorabiliq; bello superatis, tũ verò de Gilimere Vandalorũ rege, quem triũphali curru in vrbem Constantinopolim captiuũ induxit, vniuersáq; Africa in potestatem redacta: postremò de Totila Gothorũ rege, omniq; Italia suo ductu de Barbaris recepta, cum vrbe ipsa Roma memorabiles triumphos egit. Egnat lib. 2 cap. 3.

IOANNES X. pontifex max. cum Alberico Hetruriæ Marchione de Saracenis, qui diuersa Italię loca, maximè in Campania occupauerant, triumphum Romam retulit. Volat. lib. 22. Anthrop.

Obſoleuerat iampridem in terra Italia vetus ille celebríſque triumphandi mos, qui in vrbe Roma cœptus, multíſque annis fœliciter confectus, ſuis Imperatoribus virtutis eorū præclarè rebúſque ab hiſce bello geſtis teſtimonium reddiderit, quod poſteri etiam tantæ laudis cupiditate incenſi libentius ſequerentur. Sed mox Roma ipſa, reliquáque (proh nefas) Italia à Barbaris vexata, vix vnus ſupererat, qui tantæ glorię & decoris meminiſſet. Cæterùm Caſtrucius Caſtrocanus Lucenſis princeps, præter alias animi virtutes inſignes, hanc vnam Italico nomini Princeps reſtituit. Nam quum diu bellum cum Florentinis gereret, vno tandem memorabili prælio cum Raimundo Cardionio eorum duce fœliciſſimè functus, anno Salutis 1326. ad Altum paſſum (ſic enim locum illum appellant) eo capto, Lucam vrbem triumphali curru Raimundo inter captiuos præeunte ingreſſus eſt: quaſi verò barbaro homini inſultare, ſimúlque eum admonere vellet, ſupereſſe adhuc Romanæ vrbis aliquod veſtigium, ſi modò per Italici ſanguinis homines ab Italico Imperatore militaris res gereretur. Egnat. lib. 2. cap. 3. & Fulg. eodem.

BLASIVS Aſſaretus delectus à Genuenſibus Imperator aduerſum Alphonſum Aragonum regem, qui Neapolitanum regnum vendicare ſibi omne ſtudebat, eum medio mari ad Caietam adeptus, tanta virtute & fœlicitate cum eo pugnauit, vt quamuis rex nauium numero ſuperior eſſet, reíque gerendæ ipſemet cum fratre præeſſet, fuſa deiectáque omni claſſe, captáque cum ipſo rege prætoria naui, & ipſum Alphonſum, & fratrem cum non paucis principibus viris in triumphum duxerit. Quæ victoria multo fœlicior Genuenſi reipublicæ contigiſſet, ſi ea moderatius aliquanto atque prudentius vti ſciuiſſent. Egnatius libro ſecundo, capite tertio.

Nil poterat Innocentio pontifici maximo fœlicius commodiúſque accidere, quàm quod eo bello contigit, quod illi cum Alphonſo iuniore Ferdinandi regis filio gerendum fuit, ſi modò in ipſa fortuna rei ab illo bene geſtæ plus conſtantiæ affuiſſet. Robertus enim Malateſta miſſus à Veneto ſenatu ad ipſum Pontificem, qui ſuppetias illi laboranti ferret contra Alphonſum ipſi inſultantem, & iuxta mœnia vrbis Romæ licentius agentem, ſic cum Alphonſo congreſſus eſt: vt quamuis ille inſolentius ageret, Turcico etiam milite adiutus, quem Hydrūte capto ad ſe traxerat, memorabili prælio inito victoria penes Robertum ipſum ſteterit. Quare ille triumphātis more vrbem ingreſſus, iucundiſſiméque ab ipſo Pont. & patribus ac populo ſuſceptus eſt, vt tamen in illo meritò hoc aliquantum doleas, quòd intra triduum poſt victoriam tam celebrem vita functus, diu illi frui tanta fœlicitate non licuit. Ibidem.

ALPHONSVS ſenior Siciliæ atque Aragonum rex, pari virtute Neapolim vrbem triumphali curru eſt inuectus vigeſimo anno, poſtquam multo labore magníſque periculis ſuſceptum bellum in Neapolitano regno omnibus in poteſtatem redactis abſoluit. Fulgoſus libro ſecundo, capite tertio.

OVATIO.

ROMANI duces, qui in hoſtes victricia tulerunt arma, ſi ea quæ geſſerant, triumpho digna non forēt, perſæpe minoribus triumphis & ouatione honeſtati ſunt, quam Græci ὀϊὰν nuncupant. Ouandi autem cauſæ erant, ſi non debellati hoſtes penitus: ſi non in ſua & ſibi conſtituta prouincia, ſed in aliena res acta eſſet: ſi alieno auſpicio res geſta eſſet: ſi nondum pacata penitùs prouincia: ſi bella non ritè indicta: ſi non cum hoſte legitimo, ſed cum ſeruis, piratis, vel fugitiuis bellum fuiſſet: ſi incruento prælio hoſtes fugati: aut ſi ex prouincia exercitus non deportatus, nec ſucceſſori traditus foret. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 17. vbi de Pompa quoque ouantium. & Gell. lib. 5. cap. 6.

M. FABIVS Ambuſtus, cùm C. Petilio conſule, qui de Tiburtibus & Gallis triumphauit, ouans vrbem ingreſſus eſt. Liuius lib. 7.

L. MANLIVS proconſul ex Hiſpania reuertens, cùm in æde Bellonę triumphum ob res bene geſtas peteret, exemplum obſtabat: quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis qui exercitum non deportaſſet triumpharet, niſi perdomitam pacatámque prouinciam tradidiſſet ſucceſſori. Medius ergo honos Manlio habitus eſt, vt ouans vrbem intraret. Liuius lib. 2.

TIBERIVS Cæſar, viuente adhuc vitrico Auguſto (quanquam nec res in Rhetis atque Vindelicis geſtæ, neque ætas triumphum mererentur) omnia ouationis nomine triumphalia habuit ornamenta. Nam cùm mos eſſet, vt ouantes vrbem laureati quidem, ſed pedibus inirent, ipſe curru inuectus, nullo veri triūphi honore, niſi nomine, caruit. Primúſque huiuſmodi ouationis autor fuit. Fulg. lib. 2. cap. 3.

L. POSTHVMIVS poſt Cannenſem pugnam conſul in Galliam profectus, à Boiis cum exercitu profligatus, & interfectus fuit. Barbari eius caput præcidentes, ouantes in templo obtulerunt. Idque in poſterum ſacrum vas erat, quo in ſolennibus libarent: vt eſt apud Liuium lib. vigeſimoſecundo.

POSTHVMIVS Tiberius, bello Sabino victor, quòd haud multo negocio hoſtem fudiſſet, primus fuit qui ouans vrbem ingreſſus eſt. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 17.

VETVRIVS, qui cum Lucretio Tricipitino contra Volſcos & Æquos fœliciter pugnauit, ſine legionibus ouans equo in vrbem vectus eſt. Idem.

CLAVDIVS Nero, cùm vnà cum Liuio fœliciter in ſecūdo bello Punico contra Haſdrubalem dimicaſſet, ſine exercitu equo ouans vrbem iniiſſe proditur. Idem.

M. CRASSVS de fugitiuis & Spartaco, quos collatis ſignis vicerat, ex conſulto ſenatus, lauro coronatus ouaſſe traditur. Idem.

TIBERIVS Cæſar, cùm de Vindelicis mœſta ciuitate propter repentinum incommodum triumphare nollet, non equo, ſed curru, cum triumphalibus ornamentis, lauro ornatus, vrbem ingreſſus eſt. Idem

CORONÆ.

LACEDÆMONIO ne manubias quidem hoſti detrahere licebat. qui ſe ſtrenuos præbuiſſent, & occubuiſſent, oliua & aliis ramis redimiti, laudibus vehebantur: qui verò perfectam & abſolutam virtutem præſtitiſſent, ij etiam amicti purpura, glorioſè ſepulchris mandabantur. Ælian. de Var. hiſt. lib. 6.

Receptus fuit Romæ mos, vt quoties inſigni victoria conſules potiti eſſent ob res proſperè geſtas, laureatis faſcibus prælatis incederent: literáſque laureatas Romam mittere, aut nuncios cum iaculis laureatis aduenire, nauémque lauream, aut vittatam, fœlicis victoriæ ſignum erat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 27.

Lauream nec Senatus cuiquam dedit, nec quiſquam ſibi dari deſiderauit, ciuitatis parte lachrymante. Cæterùm ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi ob ciues ſeruatos corona danda eſt. Valerius Maximus lib. 2. cap. 3.

P. CORNELIO Aruina & C. Mario Rutilio conſulibus, palmæ primùm victoribus dari cœptæ. Alexander ab Alexandro libro quinto, capite octauo.

CIVICA corona appellatur, quam ciuis ciui, à quo ſeruatus eſt, in prælio teſtem vitæ ſalutíſque perceptæ dat, eáque fiebat è fronde querna, quoniam cibus victúſque antiquiſſimus querceus fuerit. Fiebat etiam ex ilice, quod genus ſuperiori proximum eſt: vt ſcribit in Comœdia quadam Cæcilius, & Gell. lib. 5. cap. 6. & Blondus libro ſexto Rom. triumph. & Alex. lib. 4. cap. 18.

OBSIDIONALIS corona, ſpectatiſſimum inſigne erat: quam ij qui liberati ſunt obſidione, dant duci. Hæc ex illo fiebat gramine, vbi ciues obſidione eſſent liberati, qua nulla nobilior publica militari lege definitur. Quippe cæteras Imperatores & duces ſingulis militibus tradunt: graminea verò, velut maximum decus præferens, ab vniuerſo tantum exercitu ſeruatori ſuo concedebatur. Ibidem.

MVRALIS corona, ex auro, qua donatur ab Imperatore qui primus murum ſubiit, inque oppidum arcemúe hoſtium per vim aſcendit: & idcirco quaſi muri pinnis decorata eſt. Ibidem.

NAVALIS ſiue Roſtrata corona eſt, qua donari ſolet maritimo prælio, qui primus hoſtium nauem armatus tranſiliuit: eáque quaſi nauium roſtris inſignita eſt, & ex auro fiebat. Ibidem.

CASTRENSIS, qua donat eum Imperator, qui primus hoſtium caſtra pugnans introiuit, quæ ex auro contexta valli inſigne habet. Ibidem.

OVALIS corona myrtea eſt, qua vtebantur Imperatores, qui ouantes introibant vrbem. Ibidem.

ROSTRATA corona dabatur iis, qui primi in pugna nauali in hoſtium naues pugnaturi tranſilirent: quam coronam primus accepit M. Varro bello Siculo, ab Auguſto. Ibidem.

SEPVLCHRALIS vel funeralis corona ex apio fiebat, quibus maiorum ſepulchra, & cadauera mortuorum ornabantur: de quibus ibidē.

ATTALVS primus Pergami rex, Romanorum amicus (vt Liuius in tertio de bello Macedonico, & Florus) pro eis in claſſe Rhodiorum aduerſus Philippum pugnauit, coronam auream ſenatui dono miſit: gratias agens, quòd Antiochum authoritate legatorum de finibus eius mouiſſet. Volat. lib. 13. cap. 4. Anthrop.

L. ÆMILIVS PAVLVS iunior, cùm primo conſulatu, quem poſt tres repulſas adeptus eſt, de Liguribus triumphaſſet, rerum geſtarum ordinem in tabula pictum (ſtatuæ loco) publicè poſuit: vt eſt apud Liuium & Vol. lib. 13. cap. 3. & Plin. cap. 56. de Viris illuſtribus.

C. CALIGVLA noui generis coronas, ſolis, lunæ & ſiderum ſpecie commentus eſt. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 18.

ANTONINVS Caracalla Romanorum imperator, coronatus eſt in pluribus equorum certaminibus. Obtinuerat enim DCCLXXXII. quod antè contigerat nemini. Dion Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.

TROPHÆA.

Apud Græcos ſimul & Romanos in locis quibus cum hoſtibus decertaſſent & viciſſent, aut aliqua inſigni clade affeciſſent, victores duces pro monumento laudis cum ampla inſcriptione trophæa ponebant, nunc marmorea, nunc ænea: nonnunquam autem, ſi materia non ſuppetebat, lapides in ingentem cumulum aggerendo, vel inſignem arborem excisis ramis, ibíque hoſtium ſpolia ſtatuendo, in memoriā poſteritatis bonis & fortibus viris pro tropheis erigebāt. Ea tamen conditione, vt quāuis duces fœliciter rem geſſiſſent, & inſigni victoria potiti eſſent, ſi tamen

tamen precario ab hoſte aliquīd petiiſſent, nec trophæo donarentur, nec encomio. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

GRÆCIS, qui primum æneum & lapideum trophæum ſtatuere, non magnoperè probati ſunt, quòd regum tantùm nomina illis inſcriberent: nec militum operam aut fortitudinem, quibus victoria parta fuerat, annotarent. Ibidem.

Apud LACEDÆMONIOS cùm dux fortiter dimicaſſet, & cruento Marte, magnáq; hoſtium clade viciſſet, trophæi loco gallum Diis immolabat. Qui verò deditione & pacto, nec nimium cruēta victoria potitus, belli mala vitaſſet, bouem. Ibidem.

IIDEM quòd Perſas parua manu viciſſent, porticum Perſicam de manubiis trophæi loco extrùxere. Ibidem.

AGESILAVS, deuictis magna fortitudine & fœlicitate hoſtibus, inter Athracem Natheriúmq; trophæum erexit. Ibidem.

ORTHRYADES Lacedæmonius, cùm ſolus contra Argiuos fortiter pugnando euaſiſſet, ex cæſis ſcruta corripiens, trophæum erexit, proprio inſcribens cruore: Ioui, in cuius poteſtate ſunt trophæa. Chryſermus lib. 3. rerum Peloponneſiacarum: & Plut. cap. 5. Paral.

CARANVS, deuicto Ciſſeo rege, cùm trophæum poſuiſſet, noctu veniens leo, illud euertit & diſiecit. Inde velut fœdi oſtenti maliq; ominis, vetitum eſt, ne in poſterum reges Macedonum quęſitis victoriis tropheą ponerent. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

PERICLES Athenienſis in rebus bellicis cùm omnium eſſet peritiſſimus, nouies pro patria trophæum poſuit. Ibidem.

ARTEMISIAM deuicta Rhodo, trophæi loco duas ſtatuiſſe imagines æneas: vnam Rhodiæ ciuitatis, alteram illi ſtigmata inurentem, pro æterna memoria dedecoris, ignominiæq; acceptæ, memoriæ proditum eſt. Ibidem.

NVMENIVS Antiochi dux, cùm in Arabia, æſtuante vadoſo & reciproco mari, prælio nauali contra Perſas victor fuiſſet, mox æſtu reuerſo, pedeſtri certamine ibidem victor, gemina trophæa Ioui & Neptuno poſuit. Ibidem.

MACEDONVM regibus, quamuis hoſtes viciſſent, trophæum erigere non licebat. Rauiſ.

SESOSTRIS Ægypti rex, ſi cū hoſtibus qui magno certamine dimicaſſent, & præſenti animo reſtitiſſent, rem geſſiſſet, ibi trophæum cum coleis & virili membro erigebat: ſi verò remiſſo & languido animo, per ignauiam ſegniter victi, aut nullo negocio victi eſſent, cōtra eos muliebri genitali conſtituto, tanquam in deſides & ignauos trophæum ponere conſueuit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22. ex Herod. lib. 2.

ROMVLVS cùm Acronem Cenienſium ducem, qui Romanum agrū propter raptas puellas occupauerat, ſingulari prælio viciſſet, quo votum gratum Ioui & ciuibus ſpectatu redderet iucundum, quercum grandem præcîdit, & inſtar Trophæi formauit: Acroníſque arma ordine ſingula compoſuit, aptauítque. Ipſe veſte pręcinctus, & caput fluente coma lauro coronatus, trophæum ſubrectum, dextro humero innixum ſubiens, ibat: victorioſúmq; pæana, exercitu in armis ſequente, ciuibúſq; cum gaudio & admiratione ſuccinentibus, canebat, &c. Plut. in vita Romuli.

POSTHVMIVS Albinus pugnans aduerſus Samnites, lethali vulnere accepto cecidit. Nocte autem concubia, paululum recepto ſpiritu, raptis ex interfectis hoſtibus clypeis, trophæum erexit: tinctáq; cruore dextra, titulum inſcripſit, Romani de Samnitibus Ioui, in cuius poteſtate ſunt trophæa. Ariſtides Mileſius lib. 3. Rerum Italicarum: Plut. cap. 6. Paral. Liuius lib. 9. Dec. 1. à princip. Plin. cap. 30. de Viris illuſt.

FABIVS Æmilianus ad Rhodanum deuictis Gallis, ex candido lapide velut monumentum magnæ laudis, trophæum tulit. Alex. ab Alex. libr. 1. cap. 22.

DOMITIVS Aenobarbus ac Fabius Maximus contra Allobroges, turres fixis hoſtilibus armis erexere. Ibidem.

C. MARIVS de Iugurtha Numidarū rege, & Cymbris, duplici eſt trophæo donatus. Ibidem.

L. SYLLA contra Archelaum potitus victoria, finxit ſtemma, in quo Martem, Victoriam, Venerem, & ſe Venuſtum inſcripſit. Ibidem.

CN. POMPEIVS Magnus, deuictis Hiſpanis & Alpinis gentibus, trophæa in Pyrenęis montibus, quà in Hiſpaniam iter eſt, excitauit. Ibid.

IDEM, cùm iam poſſet Italiæ imperio poſt tot in bello exantlatos labores potiri, atq; Romæ propter ampliſſimam potentiam, quam habebat, ſolus regnare, tamen noluit. Parta tamen victoria, tropheą ſingularū rerum abs ſe geſtarum in pompam triumphi miſit: quorum vnum erat clarum & ornatum in primis, cui inſcriptum erat, Orbis terrarum. Dion Nicæus in Pompeio.

VIRIATVS Luſitanus potitus victoria cōtra Romanos, trabeas & cōſulares faſces triumphi loco in montibus figebat pro trophæis. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

Q. CÆCILIVS Metellus, deuicto Sertorio, non ex marmore, non ex ære, non congeſtis lapidibus, non truncato demùm ex arbore, ſed ex auro puriſſimo ſibi trophæum erigi voluit. Ibidem.

Q. FLAMINIVS de torquibus Gallorum, aureum ſibi in perpetuā rei tam bene & fœliciter geſtæ memoriam erigi curauit. Ibid.

CLAVDIVS deuictis Boiis ex torquibus Gallorum, vnum magni pōderis in Capitolio donum, poſt trophæum, poſuit, victoriæ & triumphi perpetuum teſtimonium. Ibid.

OCTAVIVS Auguſt. ex auro roſtratæ columnæ in foro tropheū fixit. Ibidem.

GERMANICVS Cæſar deuictis nationibus inter Rhenum & Albim congeriem marmorum, ſtructis molibus, Tiberio ſacrauit. Ibidem.

SPOLIA.

Conſule tit. Iuſtitiæ diſtributiuæ, præmia quæ dantur fortitudini bellicæ. Item ſub tit. Nobilitatis, quæ ſpolia hoſtibus nobilium affigi conſueuerint.

Apud SCYTAS coria hoſtium circumferunt, & ex eorundem capitibus bibunt, hoc veluti ſigno fortitudinis ſuperbientes. Vide tit. Crudelitatis erga hoſtes mortuos.

ROMVLVS vrbis autor & parens, de Acrone Ceninenſium duce, poſt raptas Sabinas opima ſpolia (quæ ter ſolùm à Romanis ducibus, qui fortem ſtrenuámque operam Reipublicæ nauarant, delata fuiſſe comperimus) Ioui Feretrio detuliſſe fertur. Liuius lib. 1. Dec. 1. Plin. cap. 2. de Viris illuſt. Plut. in Romulo: & Volat. lib. 13. cap. 3.

CORNELIVS Coſſus tribunus militū, de Larte Tolumnio, rege Veientum, quem acie vicit, & manu confecit, ſecunda Ioui Feretrio ſpolia opima, dux ea tempeſtate inclytus, detulit. Liui. lib. 4. Dec. 1. Plin. cap. 25. de Viris illuſt. Plut. in Romulo: & Volat. lib. 14. cap. 2.

CLAVDIVS Marcellus manu ſtrenuus, & bonus imperator, de Viridomaro Gallorum duce, ſeu Britomaro (ita enim alij vocant) apud Claſtidium victum opima ſpolia tertius à Romulo reportauit. Florus libr. 2. cap. 4. Oroſ. lib. 4. cap. 13. Eutrop. lib. 3. capite primo. Plin. libro tertio, capite 20.

C. MEMMIVS anno ab Vrbe condita 430. deuictis nauali prælio priſcis Latinis & Antioribus eorum Roſtra nauium ærata in foro poſuit, appellaríque forum Roſtra cœpit: vt autor eſt Liuius lib. 8.

IGNOMINIÆ ET DEDECORIS VARIÆ ſpecies.

IN CONGRESSV QVOTIDIANO NVLLVS EXHIBITVS honor. Loco non cedere. Sedes infima.

DAMONIDAS, quum à chori magiſtro poſtremum in choro locum accepiſſet: Euge (inquit) chorage, reperiſti, quo pacto & hic locus, cum per ſe ſit inhonoratus, fiat honorificus. Generoſus adoleſcentis animus, qui fiducia ſui non metuit ne locus abiectior eſſet dedecori: ſed citius futurū arbitrabatur, vt per ipſum locus fieret honoratior. Id enim ſępenumero factum legimus, vt hominis virtus magiſtratui per ſe contempto & humili dignitatem cōciliarit. Plut. in Lacon. Hoc alij AGESILAO tribuunt. Vide tit. Indolis Ethicæ.

Dionyſius rex, quum offenſus eſſet ab ARISTIPPO philoſopho, hominem ad cœnam vocauit, & iuſſit eum in cōuiuio infimum omnium accumbere. hic Ariſtippus nihil offenſus: Hunc, inquit, locum, ô rex, illuſtrare vis, ac honorificum reddere. ſignificans, non locum reddere hominem viliorem, ſed ex dignitate hominis honorem addi loco. Laërt. lib. 2. cap. 8.

HILARIVS in conſeſſu epiſcoporum non admiſſus, terram miraculoſè pro ſede habuit. Vide tit. Honorem eripere dignis.

Serapion SEVERIANO non aſſurgit. Ea res multas turbas peperit. Vide tit. Obtrectatorum.

MORTVORVM MONVMENTIS HONOREM NON EXHIBERE.

INTERDICERE SCRIPTIONI ET EXERCITATIONI literariæ.

L. SYLLA cuidam poëtæ ignobili, ne quid ſcriberet amplius, interdixit. Vide tit. Præmia poëtarum.

INTERDICERE EXERCITATIONI MECHANICÆ.

PRVDENTIÆ ALICVIVS DEROGARE, NON CONSVLENDO, *vel consilio alterius non obsequendo.*

Vide tit. Eorum qui bonis consiliis non paruerunt.

FORTITVDINEM ALTERIVS NEGLIGERE, CONTEMNERE.

IVSTICIÆ ALTERIVS NON FIDERE.

BONA CORPORIS ALIORVM SPERNERE, CONTEMNERE.

CVLTVM INGENII PROHIBERE ET INTERDICERE.

IVLIANVS apostata Christianos à Græca philosophia addiscenda arcere nitebatur, vt ingenij cultu destituti, minus Ethnicis philosophis resistere possent. Vide tit. Prudentia in animi bonis promouendis.

MITYLENENSES, cùm maris tenerent imperium, sociis qui desciuerant hanc pœnam imposuerunt, vt liberos suos non docerẽt amplius literas. Ælian. lib. 7. Var. hist.

ALIMENTA DENEGARE.

MELESIGENES poetarum princeps, à Cumanis eiicitur, cùm ei publica alimenta dare negarent. Vnde Homeri nomen habere cœpit. Vide tit. Nomina ab affectibus corporis imposita.

ÆDES DIRVTÆ ET DEVOTÆ.

Vide tit. Seditionis pœna.

ROMANVM macellum, perpetuæ ignominiæ nomine, dirutis ædibus pernicioſiſſimi ciuis, extructum fuit.

SP. CASSIVS affectatæ dominationis ſuſpectus, ſupplicio capitali affectus eſt, domo eius diruta. Val. de Seueritate. Liuius lib. 2.

AVGVSTVS Cæſar Ouidij Pollionis crudeliſſimi hominis domum funditùs euertit, atque in eo loco Liuiæ porticum ædificauit: & cùm ex Hiſpania & Gallia multas colonias aduexiſſet, templum etiam Quirino LXXVI. columnis ornatum extruxit. Dion Nicæus in Auguſto.

BAIAMONDI Teupoli patricij Veneti, qui in Rempub. conſpiratat, ædes dirutæ, & in publicam carnificinam verſæ ſunt.

LVDIBRIO ET IGNOMINIA QVALIBET CORPVS AFFICERE, *abſque dolore tamen, aut morte.*

Huc referantur ſupplicia ignominioſa magis quàm acerba. Nam in quibus dolor adeſt, ea ad corporis mala pertinent.

ANDRONICVS Imperator ab Iſacio, aſino auerſus imponitur: cauda dextræ, loco freni ſiue ſcepiri, additur, ſicque per vrbem Conſtantinopolim ductus, tandem ſuſpendio periit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

CORBIS ignominiam. Vide tit. Æris alieni non diſſoluti pœna.

ARGIVI, cùm comati eſſent (vnde κωμικόμωντες dicũtur) victi à Spartanis comam depoſuêre. Vide tit. Monomachiarum.

MORS IGNOMINIOSA.

Conſule locum Mortis variæ. Hîc ſolius ignominiæ, quæ morti iuncta eſt, ratio habetur.

CADAVERI MORTVO HONOREM NVLLVM EXHIBERE.

MORTVI *ignominia affecti.*

Conſule tit. Sepultura neglecta. illic enim cadaueris cura conſideratur, hic verò ipſa ignominia. Vide etiam tit. Vindictæ immoderatæ ergà hoſtes.

HÆREDITATE EXCVSSI, ET PRÆTERITI.

Abdicationem ſuperiùs enumeranimus, quatenus paterna nobilitate filium priuat: hic verò, quatenus fortunæ bonis eundem multat, locum habere poteſt. Generalior tamen eſt locus iſte, quàm vt ſolam Abdicationem comprehendat: & propterea Hæreditate excuti quinis poſſunt, amici, nepotes, & ſimiles, ad quos tamen hæreditas vel iure vel voluntate ſpectare videbatur. Itaque huius etiam loci erit tit. Teſtamenta iniuſta, reſpectu eorum qui ſunt præteriti. Item, Teſtamenta iuſtè vel iniuſtè reſciſſa, propter eos qui hæreditate priuati ſunt.

VELIVS Bleſus, vir conſularis, Regulum præſentem inter hæredes ſcripſit, quia is ægrũ diligenter curare videbatur. Cæterùm poſteaquam ſcriptus fuit hæres, & medicos hortaretur, vt citò Bleſum conficerent, ne diutius ægritudinis moleſtia laboraret: ceu id Bleſus perſenſiſſet, aperto poſt eius mortem teſtamẽto, Regulus inter hæredes non inuentus, perfidiæ ſuæ pœnas luit. Fulgoſ. lib. 7. capite nono.

METELLI filios Romæ à patre hæreditate excuſſos eſſe legimus, qui tamen teſtamentum illegitimum patris irritum facere noluerunt: ſatius arbitrati, bonorum extorres fieri, quàm qualemcunque patris voluntatem non tueri. Alex. lib. 6. cap. 10.

BONIS INTERDICERE, MVLCTARE, PVBLICARE.

Conſule tit. Teſtamenta iurè reſciſſa.

Q. FABII filius Allobrogis, à patre degenerans, adeò libidinosè & intemperanter vixit, vt exhæredatum eum à Quinto Pompeio prætore, nemo ægrè tulerit. Parentis enim amplitudo, turpitudini filij nil profuit. Platina in dial. de Vera nobilitate, ex Val. lib. 3. cap. 5.

Q. SERVILIVS CEPIO conſul cum Cn. Manlio, contra Cimbros in Italiam ruentes miſſi, apud Rhodanum victus profligatúſque eſt, amiſſis de exercitu hominum LXXX. mill. Ex iuſſu igitur pop. Rom. Cepionis, cuius temeritate id acciderat, bona publicata ſunt. Liuius lib. 67.

A MAGISTRATV REPELLERE. REPVLSAM PASSI.

Conſule tit. Honores & reliqua virtutis præmia indignis denegata.

QVINTVS Ælius Tubero à Q. Fabio Maximo epulũ populo Rom. nomine P. Africani patrui ſui dante, rogatus vt triclinium ſterneret: leſtulos

ctulos Punicanos pellibus hœdinis ſtrauit, & pro argenteis vaſis Samia expoſuit. Cuius rei deformitas ſic omnes offendit, vt cùm alioqui vir egregius haberetur, comitiiſque prætoriis candidatus in campũ L. Paulo auo & P. Africano auunculo nixus deſcendiſſet, repulſa inde abiret notatus. Nam vt priuatim ſemper continentiam probabant, ita publicè maxima cura ſplendoris habita eſt. Quocirca vrbs Rom. non vnius conuiuij numerum, ſed totam ſe in illis pelliculis iacuiſſe credens, ruborem epuli ſuffragiis ſuis vindicauit. Val. lib. 7. cap. 5.

P. SCIPIO Naſica, togatæ potentiæ clarum lumen, is qui conſul Iugurthæ bellum indixit: qui matrem Idæam è Phrygiis ſedibus ad Rom. aras focóſque migrãtem, ſanctiſſimis manibus excepit: qui multas & peſtiferas ſeditiones autoritatis ſuæ rubore oppreſſit, quo principe Senatus per aliquot annos gloriatus eſt: cùm ædilitatem curulem adoleſcens peteret, manúmque cuiuſdam ruſtico opere duratam more candidatorum tenacius apprehendiſſet, ioci gratia interrogauit eum: Num manibus ſolitus eſſet ambulare? Quod dictum à circumſtãtibus exceptum, ad populum manauit, cauſámque repulſæ Scipioni attulit. Omnes namque ruſticæ tribus paupertatem ſibi ab eo exprobratam iudicantes, iram ſuam aduerſus contumelioſam eius vrbanitatẽ diſtrinxerunt. Igitur ciuitas Rom. nobilium iuuenum ingenia ab inſolentia reuocãdo, magnos & vtiles ciues fecit: honoribúſque, non patiendo eos à ſcurris peti, debitum autoritatis pondus adiecit. Ibidem.

Nullus error talis in L. ÆMYLIO Paulo conſpectus eſt: ſed tamen aliquoties fruſtra conſulatum petiit. Idémque cùm iam campum repulſis ſuis fugaſſet, bis Conſul & Cenſor factus eſt, amplíſſimum etiam dignitatis gradum obtinuit: cuius virtutem iniuriæ non fregerunt, ſed acuerũt: quoniam quidem nota ipſa accẽſam cupiditatem ſummi honoris ardentiorem ad comitia detulit, vt populum quem nobilitatis ſplendore & animi bonis mouere non poterat, pertinacia vinceret. Ibidem.

Quintum Cæcilium Metellum, pauci & mœſti amici conſulatus duplicirepulſa afflictum (propter ſeueritatem nimiam) triſticia ac rubore plenum, domum reduxerunt. Eundem de Pſeudophilippo triumphantem, vniuerſus Senatus lętum & alacrem in Capitolium proſecutus eſt. Achaici etiam belli, cui ſummam manum L. Mummius adiecit, maxima pars ab hoc viro profligata eſt. Et ne ergo populus cõſulatum negare potuit, cui mox duas clariſſimas prouincias aut daturus erat, aut debiturus, Achaiã & Macedoniam? Et quidem hoc facto, meliore eo ciue vſus eſt: intellexit enim quàm induſtriè ſibi gerendus eſſet cõſulatus, quem tanto labore impetrari ſenſerat. Ibidem.

Quid tam excellens, quid tam opulentum, quàm L. SYLLA? diuitias & imperia largitus eſt, leges vetuſtas abrogauit, nouas tulit. Hic quoque in eodem campo, cuius poſtea dominus extitit, repulſã prętura ſugillatus eſt: omnia loca petiti honoris (ſi quis modò deorum formam & imaginẽ futuræ eius potentiæ populo Roman. repræſentaſſet) impetraturus. Ibidem.

Sed vt comitiorum maximum crimen referam, M. PORTIVS Cato plus moribus ſuis præturæ decoris adiecturus, quàm prętexta eius ſplendoris ipſe laturus, conſequi illam à populo aliquando non potuit: prorima dementiæ ſuffragia, quæ quidem ſatis graues pœnas erroris ſui pependerunt: quoniam quem honorem Catoni negauerant, Vatinio dare coacti ſunt. Ergo ſi verè æſtimare volumus, non Catoni tunc prætura, ſed prætura Cato negatus eſt. Ibidem.

P. RVTILIVM fratris repulſam conſulatus tam ægrè tuliſſe, refert Cicero in lib. de Oratore, apud Fannium ſuiſſe ſcriptum, vt eam ob cauſam è vita receſſerit. Pont. lib. 2. cap. 5. de Fort. domeſt.

VESPASIANVS quinquies repulſam ædilitatis tulit, tandem Imperator euaſit.

C. MARIVS Curulis & Plebeiæ ædilitatis repulſam paſſus vna die, ſepties deinde conſul factus. Alex. ab Alex. lib. 4. cap 4.

LEONTIVS ſacerdos, priuati ordinis vir, damnatus à Pontifice, nõ multo poſt non ſolùm loco ſuo reſtitutus eſt, ſed etiam Antiochenum patriarchatum eſt adeptus. Magnum fortunæ exemplum: quippe qui in ordinem redactus, deinde in eam dignitatem ſit euectus, vt inter diui Petri apoſtolorum principis, & Ignatij ſucceſſores, adnumerari poſſit. Ignatius lib. 7. cap. 5.

Detur & hoc in loco par ferè exemplum THEODOSII, qui facerdotij dignitate priuatis ab Eugenio pontifice, mox reſtitutus à Gregorio quarto, Saguntinæ præfuit eccleſiæ, non mediocri ſua cum laude, & cum Saguntinorum omnium vſu non vulgari. Ibidem.

Obierat diem ſuum poſtremum THOMAS Mocenicus clariſſimus Venetorum dux, erãtque ea tempeſtate viri patricij non pauci celebres, qui ad hanc dignitatem ciuitatis ſtudio non aruo euocarentur: inter quos Franciſcus Foſcarus procuratoria dignitate inſignis vnus erat, qui præſtare cæteros videretur, ſi non ætas recentior illi obſtaret. Vicit tamẽ ſua quadam beneficentia, & arte: PETRO Lauretano, & aliis ſenioribus repulſis, præter multorum ſpem, dux creatus eſt. Ibidem.

Erant in Chriſtophoro Mauro multæ præclaræque virtutes, quę dignum illum in omni ſua ætate quibuſuis honoribus facerent. Sed illud præ cæteris maximè memorabile, quòd Chriſtianæ pietatis præcipuus verſúſque cultor haberetur. Nam & penates ſuos prętier cætera ſacro cœnobio extruendos dedicauit. Id quod hodie quoque non ſine omnium admiratione ſpectatur: in quo cœnobio Diui Franciſci religio in primis hodie eniteat. In qua ſanè familia, cùm ſemper aliàs inſignes aliquot religione viri præſtiterint, Bernardinus tamen Senenſis eadẽ tempeſtate floreret, qua Chriſtophorus ipſe iam D. Marci procurator inſignis haberetur: cui conſtanter affirmaret futurum, vt poſt mortem Foſcari principis ipſe dux crearetur in eius locum. Cæterùm abrogato principatu Foſcaro ipſi, quum ſumma principis dignitas repulſo MAURO, Paſchali Maripetro demandata eſſet: admirabundus ipſe tacitus ſecum, Bernardini vaticinium irridere, quod tamen veritatis plenum fuit. Siquidem Maripetro ſucceſſor eſt datus, qui illo abrogato viuentéque ſucceſſerit. Vtinam verò immortalis Deus longiorem huic principi vitæ vſum, & Romano pontifici ad Anconam ſedenti, eſſe voluiſſet: facilè enim Turcarum imperium eorum ductu & auſpicio in obſcuro iacuiſſet. Ibidem.

Non potuit non mirari vniuerſa ciuitas, eiſdem comitiis Nicolaum de Canali, virum altioqui clarum & literis & aliis multis animi dotibus, ſed maritimæ rei haud ſanè satis peritum, præpoſitum fuiſſe PETRO Mocenico, qui aduerſus Turcas imperator contenderet. Quem poſtea Chalcide amiſſa, cum ſumma ignominia reuocarunt, ipſúmque poſtea Petrum Mocenicum in eius locum præfecerunt: qui multis prę clariſque geſtis domum reuerſus, dux poſtea iure optimo declaratus eſt.

Neminem hodie ſupereſſe arbitror literis aliquanto cultiorem, cui BERNARDI Iuſtiniani nomen & virtus ignota ſit. Qui Leonardo patre genitus, diui Marci procuratore, literis Græcis atque Latinis ornatiſſimo, patri ipſi omni virtutis genere ſucceſſit, in Rep. magnis variíſque honoribus ornatus, nullámque vnquam repulſam paſſus, procurator deinde diui Marci, in locum clariſſimi viri Petri Mocenici creatus fuit. Marco igitur Barbadico principe vita functo, quum haud dubiè omnis ciuitas Bernardum ipſum creandum acclamaret, tulit tamen repulſam, Auguſtino fratre illi ſuffecto: vel quòd breuiſſimi fuit ipſius Marci principatus (quod prætor omnium ſpem euenit) vel quòd & ipſe frater multis honoribus functus, & procurator etiam dictus, nõ indignus hoc tanto faſtigio creditus eſt. Ibidem.

GABRIEL Condulmarius Romanam curiam ſecutus, Senenſiſque epiſcopus à Gregorio vndecimo pontifice Romano declaratus, ab ipſis Senenſibus, ſtatim reiectus repulſúſque eſt. Quem tamen non multo pòſt eadem ætas pontificem Romanum vidit, & venerata eſt, in Martini locum ſuffectum. Vt ridere interdum ſecum potuerit, quum Senenſium iniurię tantę meminiſſet. Fuit enim pontificatus ipſius vel maximè inſignis. Nam & Italicas res, cùm ſuas & Pontificias & reliquorum Italię principum inter ſe diſcordias ſatis fœliciter ſedauit, tum quòd Græcorum imperatorem Ioannem Palęologum & reliquam Græciam in Italiã exciuit. Vbi Florẽtino cõcilio peracto, & ipſe Cõſtantinopolitanus princeps, & patriarcha, cum ſacris reliquis viris prętentes interfuere, ſubſcriptionẽque ſua comprobarunt, quod ad eam diem ſumma animorum obſtinatione aduerſati fuerant. Illud verò etiam non prętereo, Beſſarionem antiſtitem Nicenum propter ſingularem eius eruditionem & bonitatem, in Cardinalium cœtum ab eodem Eugenio aſcitum, in quo numero pręcipua cum authoritate & laude ad ſupremum vſque diem vixit. Ibidem.

REGNO, TYRANNIDE, MAGISTRATV PRIVARE ET deiicere.

Conſule tit. Pœna tyrannidis.

Cùm aliquot dies Lacedęmonij duce Cleomene Piſiſtratidas tyrannos obſediſſent Athenis in arce, Spartam abiere. Interea filij PISISTRATIDARVM, qui clàm extra regionem ſeponebantur, intercepti ſunt. Quo ex facto omnes eorum res perturbatę ſunt, & pro redimendis filiis ad voluntatem Athenienſium tranſegerunt, vt quinque diebus ex Attica excederent. Móxque in Sigęum, quod eſt ſupra Scamandrum, conceſſerunt, cùm ſex & triginta annos regnaſſent, oriundi è Pylo atque à Nelo ex eiſdem prognati, ex quibus ij qui fuere cum Codro ac Melantho, qui prius aduenticij, tamen Athenienſium reges euaſere. Herodot. lib. 5.

Mardonius Gobryis F. gener Darij, ob filiam Artozoſtram, cum nauſragium ad Athon montem paſſus eſſet, pręfectura deiectus fuit (erat enim dux exercitus Perſici contra Græcos miſſi) & in eius locum ſuffectus Datis genere Medus, & Artaphernes, Artaphernis fratris ſui filius. Herod. lib. 6.

DEMARATVS rex Spartanorum, à Leotychide accuſatus, quòd Ariſtonis regis filius non eſſet, ſed ex adulterio matris natus: conſentiente etiam Pythia, quę à Cleomene Demarati inimico corrupta fuerat, regno deiectus, ad Medos tranſfugit, & in magno apud illos honore habitus. Herod. lib. 6.

Si qui in magiſtratu auarè, ſuperbè & inſolenter ſe geſſiſſent, ipſos ante tempus finiti honoris imperio deſiſtere, & de gradu deiici iubebant Romani.

TARQVINIVS Superbus primus fuit, cui apud Rom. abrogatum

fuit imperium. Propter insolentiam enim regno pulsus, in perpetuo exilio cum vxore & filiis diem clausit extremum. Liuius lib.1.Dec.1.

L. MINVTIVS consulatum deponere à Q. Cincinnato coactus est, quòd castra eius hostes obsedissent. Liuius lib.3.Dec.1. Valer.Max.libr.2. cap.2.

FVL. Flaccum cohortis præfectum & tribunum militum senatu mouit frater Fulnius, quòd legiones domum iniustus misisset. Val.Max.lib.2.ca. 2.Front.lib.4.

SERGIVM & VIRGINIVM tribunos consulares, post exactos reges, quòd malè ad Veios pugnassent, à dignitatis gradu deiectos esse legimus apud Alex.ab Alex.lib.4.cap.6.

CN.MANLIVM & Seruilium Cepionem proconsules, quòd ipsorum temeritate clades ingès accepta fuisset, & à Cimbris cæsi & castris exuti essent, abrogato imperio ante tempus finiti honoris, Senatus magistratu abire, & insignia imperij dimittere coegit. Ibidem.

C. COTTA Publium Aurelium Pecuniolam, militúmque præfectum, virgis cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coegit, quòd eius culpam obsidione Liparitana ager incessus, & castra penè capta essent. Val. Max.lib.2.cap.2.

ROMANI equites cùm defluxis moribus degenerarēt, Tiberius Cæsar equestrem splendorem illorum contagio pollui arbitratus, ne equites in posterum imperatorum latera tegerent, edicto vetuit. Alex. ab Alex.lib.2.cap.19.

IVSTINVS imperator, labijs & naso priuatus, deiectus est ab imperio, trusúsque in exilium. Demùm reallumptus, cæcus est miserrimè. Guido.

MARCIANVS filius Anthemij Imp. Contra Zenonem Imp. Cōstantinopolitanum pro imperio Constantinopoli pugnans (quia ad se pertinere asserabat) victor quidem extitit: verùm quia rem in crastinum distulit, à suis desertus, solus ad templum Apostolorum supplex confugit. Inde extractus, primùm Cæsaream Cappadociam, deinde Tarsum Ciliciæ abductus est, vbi capite raso presbyter factus est. Niceph.lib.16.cap.22.

FL. LEONTIVS Imp. cùm annos 3 imperasset, à Tiberio Apsimaro coactus, in monasterio Dalmatij monachus factus est.

ANASTASIVS Arthemius à Theodosio publicorum vectigalium exactore imperio deijcitur: & in ordinem redactus, presbyter ordinatur, ne de imperio posset cogitare amplius: relegatus inde Thessalonicam, cùm res nouas moliretur, & ad Bulgaros transfugisset, à Leone III, qui Theodosio III successerat interficitur. Cuspinianus in eius vita.

THEODOSIVS III. à Leone Cnone duce Orientalium copiarum imperio deiectus, data fide, quòd monasticam vitam amplexurus esset, incolumis dimittitur. Idem.

CYRVS Constantinopoli præfectus, à Theodosio iuniore sacris initiatur. Vide tit. Doctorum Eccles.

BASILISCVS ex Cæsare episcopus creatur. Vide tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

NICEPHORVS, CHRISTOPHORVS & NICETAS filij Constantini VI. Copronymi, cum patre & fratre Leone III. imperarunt annis X. Postea ab ipsorum nepote Constantino VII deiecti, clerici facti sunt.

STAVRATIVS Nicephori filius, anno imperij 7. à Michaele Rangabe coactus, monachus factus est in monasterio Thebraica à se condito.

MICHAEL RANCABES, cùm annum vnum imperasset, à Leone V. in monasterium insulæ Protes cum filio relegatus est.

ROMANVS Lecapenus coactus à Stephano filio suo, cum quo 23 an. imperarat, imperio se abdicauit, & in monasterium insulę Protes relegatus est.

BARDAS Phocas, Leonis Phocæ Imp. F. contra Ionnem Zimiscem Cæsar Cappadociæ ab exercitu Orientali dictus, & à Ioanne victus, clericus factus, in Chium insulam relegatus est.

MICHAEL VII. Ducas Patapinacius, imperij anno 6. à Nicephoro Botaniate coactus, monachus factus in monasterio Studij, & non longe pòst Metropolites Ephesi creatus, obiit in monasterio Manuelis. Zonaras.

NICEPHORVS III. Botaniates, exacto Michaele VII, imperauit annis 3. sed ab Alexio Comneno Isaaci filio (quem Megadomesticum creauerat) Constantinopoli in monasterium Peribleptæ detrusus est.

BENEDICTVS XIII. (schismaticus, in errore pertinax, in Constantiēsi consilio communi decreto ab honore pontificio deiectus est. Fulg. lib. 1.cap.1.

GREGORIVS VI. ac SYLVESTER III. vnà cum BENEDICTO nono, imperante Henrico primo, cōsilij decreto in vrbe Roma, pontificatus honore priuati sunt. Ibidem.

GREGORIVS XII. & IOANNES 23. patrum nostrorum memoria in concilio Constantiensi, cui imperator Sigismundus interfuit, vtrò pontificatus titulo cesserunt. Ibidem.

HOSTASIVS Rauennæ dominus, à suis ciuibus relegatus est, quòd in ocio & ignauia torpesceret, publicæque administrationi ineptus videretur.

LIBERTATEM ALICVI ADIMERE. IN *vincula conijcere.* SERVVM *efficere.*

Consule locum Seruitutis. Quatenus enim ignominiam coniunctam habet, præsentis est tituli.

SACRIS INTERDICERE AQVA ET IGNI INTERDICERE.

Vulgò Excommunicare, & anathematis fulmen in aliquem contorquere.

LEO III. imperator, cùm imaginum hostis esset, à Gregorio III, pontifice Romano excommunicatur. Crantzius lib.2.cap.2. Metrop.

Apud ÆGYPTIOS subulcis vniuersis tēpla interdicta fuēre. Herod. lib.2. Apud Hebræos menstruatis, & his qui impetiginem haberent.

In CHÆRONEA sacerdos locum tenens pro ædibus Matutæ clamitat: Non seruum ingredi, non seruam: non Ætolum, non Ætolam. his enim sacrificio adesse non licebat. Alex.ab Alex.lib.4 cap.17.

Apud DRVIDAS & CERCETES Galliarum populos, sacrificio interdicere, grauissima pœna notabatur. Eos enim, quibus sacris interdictū erat, inter impios conscelerátosque habebant. Alex.ab Alex.lib. 3. cap.5. & Strab. sermone 42.

Apud MAGOS, qui lentigines habent, tanquam inuisi diis immortalibus, ab aris procul arcentur: cum iis, quibus viuētibus exequię factæ sunt. Alex.ab Alex.lib.4.cap.17.

IN NVMERVM CIVIVM NON ASCRIPTI.

Consule titulum Inhospitalitatis.

EXILII VARIÆ SPECIES.

OSTRACISMVS exilij genus apud Athenienses erat, quod ab ostraco testula nominabant, per quam suffragia ferebant. Qui mos talis erat, vt in testulis nomen audacis & pernicioli, aut etiam nimium iusti bonique ciuis, comitiis inscriberent: & cuius plures essent testæ in vnam cōiectæ, is de concilij sententia ab aris focisque reiectus, ciuium vitaret aspectum, & 15 aut 10 annorum exilio solum verteret. Alex.ab Alex. libr. 3.cap.20.

PETALISMVS exilij erat genus apud Syracusanos, quo efferentis se ciuis audaciam virtutémque comprimerent. Hi autem non testula, sed in oleæ frondibus suspecti ciuis nomen inscribebant: & cuius folia plura existerent, illius conspicuam magnitudinem quinquennali exilio multabant. Ibidem.

In SERIPHO insula & apud nonnullas circa Caucasum gentes, pro criminibus maximis nullum morte afficiebant: sed exilio multari, vrbéque & agro exterminari, legimus apud Alex.ab Alex.lib.3.cap.5.

Apud exteras gentes cùm solum vertere, & in exilium agi pro supplicio minimè dari soleret (quia non pœna, sed supplicij diffugium erat) sōlis ROMANIS pro maleficio exilij pœna fuit. Eius autem triplex genus erat, authore Martiano. Aut enim omnium locorum interdicebatur accessus, præter vnum: aut in insulam deportabatur: aut sicut Claudius Cæsar quosdam multasse dicitur, vltra tertium lapidem ab vrbe egredi vetabatur. Tandem Claudius Cæsar lege sanxit, vt hi quibus prouincia interdictum esset, vrbe quoque summouerentur. Alex.lib.3.cap.20.

IN EXILIVM ACTI VRBE EXPVLSI. PROSCRIPTI.

Exules non voluntarij.

Consule titulum Doctorum Ecclesiasticorum.

CAIN primus exul fuit, toto orbe proscriptus à Deo optimo maximo, propter parricidium. Omnes metuebat, cùm perpauci tamen adhuc essent homines. Agitabant enim illum scelerum suorum furiæ. Itaque vt dit. Genesis quarto.

HAGAR Ægyptia ancilla, cum filio suo Ismaele ex Abrahamo susceptо, domo pellitur à Sara, eo quòd Isaacum filium irrisisset. Genes.21.

IOANNES APOSTOLVS à Domitiano imperatore in Pathmum relegatus est, vbi (vt Dorotheus tradidit, Tyri episcopus) Euangelium suum scripsit.

HELENA Tyndari & Ledæ filia, cùm post destructam Troiam Menelao marito restituta, Spartā venisset, post aliquot dies Menelaus obiit. Eo mortuo, statim Helenam expulerunt duo ciues Spartani, Nicostratus & Megapethus, quòd eius causa tot ruinæ tóque clades fuissent subsequutæ. Igitur regno & marito priuata, Rhodon exil profici scitur ad Polyzo reginam. A quo hospitio susceptа, famulis inuisa esse cœpit, quòd Tlepolemus Polyzo maritꝰ expirasset apud Troiam, interfectus à Sarpedone Lyciæ rege. Die quadam fingentes se velle recreari, persuaserunt Helenę, vt vnà viridarium ingrederetur, vbi curas omnes semouerent, & mentem fastiditam diuersis ludis & cantionibus refocillaret: quibus malè cauta mulier consensit. Illæ verò vnanimes laqueum eius collo imposuerunt, & ad proximam arborem suspenderunt. Guido Bitur.

Psammetichus in exilium ab vndecim regibus agitur. Vide tit. Oracula clara imperij

CLISTHENES Athenienſibus exilij legem primus tulit, qui haud multo pòst sua lege damnatus pœnas luit. Alex.ab Alex.lib.3.cap.20. ex Æliano.

ARISTIDES Athenienſis post multa benefacta quæ in patriam suā collocauerat, ob inuidiam, per Ostracismum in exilium actus est. Qui tamen tertio anno pòst, quum Xerxes ductaret exercitum per Bœotiam & Thessaliam, reuocatus est cum aliis. Plutarchus in eius vita. Itaque ab amico quodam percontatus, Quam ob causam exilium ei tam molestum fuisset: respondit, Propter ignominiam patriæ, à qua iniustè in exilium missus esset, & ob eam iniustitiā vbique malè ab omnibus audiret. Stob. ex Serino, serm.37.

Anaxagoras Clazomenius, cùm ab Athenienſibus esset dānatus exilio, euidam dicenti, Priuatus es Athenienſibus: Imò illi (inquit) me. Sentiens, Athenienſibus magis opus esse Anaxagora, quàm contrà. Laertius lib.2. cap.3.

Fertur, cùm THEODORVS cognomento Impius, Athenis profugus, venisset ad Lysimachum, & quidam ex optimatibus eam fugam exprobrasset, simúlque fugæ causam, quòd negaret deos, & iuuenturem corrumperet, respondisse: Non profugi, sed idem mihi accidit quod Herculi. Nam & ille ab Argonautis fuit expositus, non ob crimen vllum, sed quòd vel solus esset iustum onus nauis, & cæteri vectores vererentur ne prægrauata subsideret: ita ego quoque migraui propter magnanimitatē, quam cùm Athenienſium rectores non valerent assequi, inuidere maluerunt. Philo Iudæus lib. Quòd omnis probus liber.

Lysimachus offensus libertate EIVSDEM, dixit illi: Quoniam istis eas moribus, patria te eiecit. Sanè, inquit, quòd me vt Semele Bacchum ferre non posset. Sentiens, se maiorem esse, quàm vt à malis ferri posset, à quibus tamen non tam suo quàm ipsorum malo pulsus esset. Semele Bacchum conceperat ex Ioue fulminante: quumque fœtum igneum ferre non posset, infans exectus est, & Iouis fœmori insutus. Plut. in Regum & imperat. Apoph.

Pausanias Plistonactis filius, è patria profugus, quum Tegeæ laudaret Lacedæmonios, cuidam dicenti: Quin igitur manssisti Spartæ, sed fugere maluisti? Quoniam, inquit, nec medici apud sanos, sed apud ægrotos versari solent. Salsissimè conuicium exilij retorsit in Tegeatem, quòd eius gentis corrupti mores egerent Spartana disciplina. Plut. in Lacon.

THEMISTOCLES, cùm pulsus primùm Athenis, & mox tota Græcia, venisset ad Persarum regem, ditissimus ab eo factus est. Verùm Themistocles cum magnifica dona, quibus à rege honoratus erat, intueretur, dixit. O pueri, perieramus, nisi perissemus. Perire autem videtur, qui cogitur exulare: at Themistocli fœliciter cesserat suum exilium. Plut. in Regum & imperatorum apoph. Verùm cùm postea à Xerxe compelleretur, vt pugnaret contra patriam, tauri sanguine hausto, seipsum necauit. Suidas.

Hippias dux Athenienſis in exilium pulsus, Darium contra patriam eciuit. Volat. lib.16. Anthrop. Instinus lib.2.

Thrasybulus Athenienſis exul, comparato exercitu, XX X. tyrannorum dominationem Athenis sustulit, iuuante Lysandro Lacedæmoniorum duce, exulésque reduxit. Insuper plebiscitum tulit, quod ἀμνησίαν vocāt, qua iniuriarum memoria deleretur, exulibus iureiurando adactis. Cuius Cicero in Philippicis, & Valerius meminēre.

THVCYDIDES historicus missus Amphipolim, eo tempore quo rex Philippus eam occupauit, in suspicionem venit proditionis. Quare in exilium actus, in Ægina substitit: inde in Scaptam syluam. In eo casu fortunam æquo animo tulit, nunquam nec queri nec flere visus, neque Brasidam exilij sui authorem in sua historia vnquam accusare. Volat. lib.20. Anthrop.

MELEVS PELASGVS profugus à patria, cùm Pythiam de sede consuleret: respōsum est, πάσα γὴ πατρίς, Omnis terra patria. Volat. lib. 17. Anthrop.

Demosthenem Athenienſes in exilium miserunt, quòd pecunia fuisset corruptus ab Harpalo, qui fugerat ab Alexandro, & Athenas se receperat. Inter fugiendum fertur subinde respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixisse: O Pallas vrbium domina, quot tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone, & populo? Noctua, quum sit auium inauspicatissima, tamen Palladi sacra est: quemadmodum & draconem habet pro gestamine: populus autem bellua est multorum capitum, pessimā gratiam referre solita optimè de se meritis: velut Socrati, Phocioni, Scipioni, & aliis compluribus. Plutarch.

Dion Syracusanus, cùm apud Dionysium tyrannum maximo in precio haberetur, tandem incidens in suspicionem, ab eo in exilium pulsus est. Plutarchus in vita Dionis.

DIONYSIVS Syracusanus, posteaquàm Dionem propter suspicionē in exilium misisset, eo quòd Syracusanos liberare tentasse diceretur: ab eodem postmodum Spesippi viri fortissimi & amicissimi auxilio in arce obsessus, captus, & in exilium missus est. Plutarch. in Dione.

Philistum Syracusanum (qui res Siculas libris duodecim complexus est) Dionysius senior in exilium pepulit, vbi tamen bonam historiæ partem absoluit.

TARQVINIVS Superbus, qui occiso Seruio Tullo regnum scelestè occupauit, missus est in exilium cum Tarquinio Collatino filio suo, propter stupratam ab ipso filio Lucretiam.

Tullia, Seruij Tulli filia, acta est in exilium, quòd super faciem parentis mortui currum duxisset.

Furio Camillo crimini datum est, quòd post subactos Veios albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset. Itaque die dicta à L. Apuleio tribuno plēb. damnatus est, & Ardeam in exilium missus. Plin. cap.24. de Viris illust. & Liuius lib.69.

L. OPIMIVS, quod in consulatu Fuluium Flaccum consularem, & C. Gracchum tribunitium oppressiller, ob inuidiam in iudicio circumuentus, & in exilium actus est. Asconius Pædianus super orationem Ciceronis in Pisonem scriptam.

Q. CÆCILIVS Numidicus, quia cùm qui se T. Gracchi filium mentiebatur, in censum non receperat, idémque in legem Apuleiam per vim latam noluerat iurare, in exilium actus, Smyrnæ substitit. Claudia exintro rogatione reuocatus, quoniā in ludis fortè de reditu literas in theatro recepisset, nō prius legere dignatus est, quàm spectaculum finiretur. Volat. lib.17. Anthrop.

M. POPILIVS, cùm à Numantinis, cum quibus pacem factam Senātus irritam cēsuerat, cum exercitu fusus fugatúsque esset, ob rem sua culpa malè gestam in exilium actus est. Volat. lib.18. ex Liuij lib.55.

Decius Magius, quum Annibali Capuam intranti solus assurgere nollet, ab eodem relegatus est. Quum autem in exilium traheretur, aperto capite vociferans: Habetis, inquit, libertatem Campani, quam petiistis. Semper enim patriæ deditionem dissuaserat. Liuius lib 25

M. Marcellus Mitylenis suum exilium quàm forti & infracto animo tulerit, nulli non constat. Reuocatus tandem à Cæsare, Athenis à Magio Chilone contubernali ex sola inuidia occisus fuit. Pontan. lib.2.cap.4. de Fortitud. domestica.

P. Rutilius vir summæ innocentiæ, legatus C. Marij proconsulis, à publicanorum iniuriis Asiam defendens, iniusus equestri ordini, penes quē iudicia erant, repetundarum damnatus, in exilium missus est. Vt est apud Liuium lib.70. Actus in exilium à partibus Syllanis, & à Sylla deinde redeundi potestate facta respondit, illud quod à Seneca lib.6. de Beneficiis ponitur: Malo vt patria meo exilio erubescat, quàm reditu mœreat. Volat. lib.19. Anthrop.

Q. METELLVS Pius inter proscriptos à Sylla, cùm ad posticū vxoris suæ accessisset, & admissus non fuisset, ibidem se transuerberans, fores sanguine respersit. Volat. lib.17. Anthrop.

C. Marius, qui apud Romanos sēpties consul fuerat, accepta nauicula, posteaquam ei Sulpitia rogatione prouinciam Sylla eripuerat, in Africā traiecit, vbi diu exulauit. Mox Cinnana damnatione reuocatus est, vt est apud Plinium de virisilluſt. cap.67.

M. ÆMVLIVS LEPIDVS, cùm elatus impērio primas sibi partes vēdicasset, & exules reuocare vellet, & Octauium (cum quo Africam fortitus erat) sprevisset, ad Circeios in Sardinia, in perpetuum exilium relegatus est. Volat. lib.13.cap.3. Anthrop.

M.T. CICERO ob Clodij inimicitiam in exilium actus est: quod æquo animo, vt philosophum decet tulit. Eius causa XX. hominum millia vestem mutauēre. Rediit Pompeio & Lentulo Coss. tanta vrbis lætitia, vt quasi aulsa sedibus suis Roma, omnis ætas ordóque obuiam procederet. Quæ omnia ex eius orationibus, & pridie quàm iret in exilium, & postquam rediit, discet deprehendere.

Q. CICERO frater, proscriptus vnà cum filio, percussorem rogauit se ante filium absumi, filium contra se ante patrem: vterque igitur interfectus est. Appianus.

T. Annius Milo ob cædem Publij Clodij pulsus est Marsiliam in exiliū, vbi lumbricos legit: vt autor est Dionysius in Romana historia.

OVIDIVS NASO exilium per septem annos non solùm tulit fortiter, verùm multa quoque in eo scripsit. Cuius quid esse potest illa voce firmius?

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet?

Pontanus lib.2. de Fort. domest. cap.4.

Cassius Seuerus orator, multos annos exilium passus est: ob quæ fortunæ tenuitatem vix panno verenda contectus, in egestate maxima fatis concessit. Guido Bitur.

VISTILIA Labeonis coniunx, ob stupri licentiam, qua infamabatur, in insulam Seriphon relegata est. Cornel. Tacitus lib 2.

IVLIAM filiam Augustus propter impudicitiam Pandateria insula clausit. Mox venia impetrata, cum in eandem recidisset infamiam, Rhe-

ganis, qui ad Siculum fretum accolunt, custodiendam tradidit. In eâdem demum insulam AGRIPPINAM suam, libidinis nota proditam, Nero quoque clausit. Tacitus lib.14.& Vadianus in lib.2.Melæ.

CAPITO Asiæ procurator, cùm milites haberet, facerétque multa quasi præsset ei prouinciæ, ob id accusatus à Tiberio, actus est in exilium. Dion in Tiberio.

CARINA Secundus orator, exilio à C.Caligula Romanorum imperatore damnatus est, quòd exercendi sui causa contra tyrannos declamasset. Xiph.in Caligulæ vita.

OPPIANVS poeta, ex Anazarbo Ciliciæ ciuitate, cùm Seuero principi Anazarbum venienti, paulo negligentius & irreuerentius cæteris ciuibus obuiam iuisset: ægrè id ferente principe, in exilium in Melitam insulam Adriatici maris cum patre Agesilao actus est, vbi poema de piscibus scripsit. Volat.lib.17.Anthrop. Vide tit Poetarum.

MARIVS Priscus, proconsul Africæ tépore Domitiani, damnatus repetundarum, quòd Africam expilasset, in exilium actus est. Ibidem.

ORIBASIVS Pergameus vel Sardianus, cùm Iuliani principis medicus esset, succedentium principum inuidiam bonis priuatus, in exilium ad Barbaros missus est: vbi tanta gratia & opinione hominum ob doctrinam & medicinæ experiméta vixit, vt pro deo penè colereturr: & sic placatis demum principibus, rediit, bonáque amissa recuperauit. Eunapius in libro Sophistarum.

METIVS Pompusianus, qui Vespasiano olim imperium prædixerat, à Domitiano in Cyrnum relegatus est, eo quòd vniuersi orbis descriptionem atque picturam domi in tabula haberet: atque conciones regum & cæterorum principum, quæ sunt apud Linum scriptę, studiosè euolueret. Xiph.in Domitiano.

DOMITILLA Flauij Clementis Romanorum consulis vxor, à Domitiano imperatore in Pandateriam relegata est. Xiphil. in Domitiano.

CASPIVS Asclepiodotus Nicæus cùm Soranum Senecæ philosophi fratrem, iniustè Romæ propter conspirationem in Neronem factam, accusatum, contra Egnatij philosophi falsum testimonium defendisset, ac bonitatem integritatémque hominis multis testimoniis comprobasset, à Nerone in exilium missus, à Galba postea reuocatus est. Xiphilinus in Nerone.

CINNA quidam Tuscus à Nerone exilio mulctatus fuit: quòd cùm esset præfectus Ægypti, locus esset in balneo, quod Neroni venturo in Alexandriam paratum fuerat. Xiph.in Nerone.

P. EGNATIVS Celer philosophus, propter assentationem atque malas apud Neronem imperatorem artes, licet multis pecuniis atque honoribus auctus esset, ab eodem in exilium missus est. Ibidem.

RVFFVS Musonius philosophus, eo quòd in falsam suspicionem cõiurationis in Neronem incidisset, in exilium missus est. Ibidem.

ANNEVS Cornutus, vir apud Romanos doctrina & eruditione clarissimus, à Nerone imperatore (qui eius opera in scribendis carminibus potissimum vtebatur) nullam aliam ob causam exilio damnatus est, quã quòd nonnullis existimantibus quadringentos libros à Nerone scribi oportere, nimium multos esse dixerit. Ibidem.

D. IVNIVS Iuuenalis, cùm Paridem Pantomimum, Domitiano charissimum histrionem, in Satyris suis perstrinxisset, iam octogenarius in exilium missus est ad præfecturam cohortis, tendentis in extremam Ægypti partem, ad Pentapolim vrbem. testis Gyrald.in 1.tomo Hist. poet.

IRENE Constantini quinti Romanorum Imperatoris mater, cùm post excæcatum & in carcerem coniectum filium (cum quo decem annos regnauerat) tres annos sola imperasset, expulsa demum à Nicephoro patricio successore ipsius, in exilio vitæ reliquum egit. Volat. libr.23. Anthrop.ex Sigeb.

ANDRONICVS Comnenus, cùm Alexium pupillum, ut imperio potiretur, occidisset, à populo ob crudelitatem in exilium pulsus est. Ibid.

MARTINA, Heraclij vxor, cùm veneno sustulisset Constantinum iuniorem priuignum, à Senatu ante Biennium imperij capta, & in exilium in Cappadociam missa est, lingua matri, naribus autem filio Heraclonæ abscissis. Volat.lib.23 Anthrop.

IVSTINVS IIII. Imp. quem nonnulli Iustinianum vocarunt, Constantini III. filius, vltimúsque ex stirpe Heraclij coniuratione Leontij patricij Constantinopolitani, & Gallinici patriarchæ, captus, atque in exilium in Pontum missus est. Ibidem.

PHILIPPICVS, cùm apud Tiberium III. Imp. in suspicionem affectati imperij venisset, in Pontum relegatus est. Ibidem.

MICHAEL Curopalates, cognomento Rancabe, gener Nicephori Imperatoris, cui quoque & ipse successit, coniuratione Leonis Armeniaci captus, in insulam primam in exilium missus est. Ibidem.

MICHAEL Calaphates, cùm Zoen Michaelis Paphlagonis antecessoris & consanguinei vxorem, cum qua se regnaturum promiserat, eiecisset: populus indignatus, cùm Zoé maximè amaret, armis domum circumdat. Ille in concionem prodiens, saxis obruitur: fugiénsque tandem capitur, atque oculis mulctatus in exilium mittitur. Ibidem.

PAVLVS Diaconus Aquileiensis à Carolo Magno relegatus est ad Diomedis insulam, quòd Desiderio Longobardorum regi ciuidem Caroli inimico faueret. Vide tit. Poetarum.

CLEMENS Romanus pontifex, à Domitiano ad Traiani tertium annum peruenit, ab eo exilio mulctatus est. Fugiens itaque in insulam peruenit, vbi duo millia Christianorum offendit, ad secanda marmora damnatorum. Volat.lib.22. Anthrop.

MELETIVS è Sebasta Armeniæ ciuitate, contra decretum concilij, Arrianus, factus est præsul Antiochiæ. Tamen inde rursus in exilium pulsus est, quòd præter opinionem ipsorum, non Arrij, sed nostram fidem defendere cœpisset. Euseb.

ANTHEMIVS præsul Constantinopolitanus, eo quòd autor cædis Amalasunthæ fuerat, à Iustiniano Imperatore, instigante Agapeto pontifice maximo, in exilium pulsus est. Volat.lib.22.Anthrop.

SYLVERIVS Cãpanus, pont.max. Iustiniano Imperante calumniam passus est apud Bellisarium. Itaque accusante Vigilio diacono, Theodora Iustiniani ac Antonina Bellisarij vxoribus instigantibus, coactus Pontificatu se abdicare, in insula Pontia in exilio moritur, quòd Authemium episcopum reducere ab exilio voluit. Ibidem.

LAMPERTVS præsul & ciuis Traiectensis sub Pipino rege ab impiis ciuibus in exilium pulsus est. vbi cùm septem annos consumpsisset, regis iussu reductus est: & ab iisdem ciuibus, quorum errores reprehenderat, occisus. Ibidem.

BONIFACIVS Romanus, cùm in summum pontificem creatus esset, alij verò Eulalium quendam elegissent, magna populi discordia, ambo simul ab Honorio imperatore in exilium missi sunt. Bonifacius tamen paulo pòst reuersus est. Ibidem.

BASSVS presbyter, cùm accusasset Sixtum tertium Romanum pontificem, ille calumniam in concilio episcoporum discussit. Ex quo Bassus à Valentiniano in exilium pulsus est, Ibidem.

DESIDERIVS Viennensis episcopus à Theoderico rege in exilium missus est. Sigebert.in Chron.

BOETHIVS insignis philosophus, imperante Zenone, annitente sibi Symmacho, cùm authoritatem Romani senatus contra Theodericum regem Italiæ tueri nititur, ab ipso in exilium missus est, ibique librum de Consolatione philosophiæ edidit. Sigebert.in Chron.

THRASAMVNDVS Vuandalorum rex, in Africa clausis catholicorũ ecclesiis ducentos viginti episcopos in exilium misit. Idem.

EVGENIVS episcopus Carthaginensis, cum sacerdotibus suis plus quàm quingentis, mulctatur exilio post infinitas cruciatus. Idem.

IOAN. CHRYSOSTOMVS Eudoxiam, Arcadij vxorem, multósque sacerdotum infesto habens, episcopatu pellitur, & in exilium mittitur. Sed populo pro hoc tumultuante, reuocatur. Secundò verò in exilium missus, terramoru regiam vrbem grauiter concutiente, à ciuibus reuocatur. Idem.

EVSEBIVS Vercellensis præsul, ob religionem & doctrinam à Constantino principe missus est in Cappadociam, in exilium.

HYLARIVS præsul Pictauiensis, qui scripsit in Arianos, relegatus est in Phrygiam.

IOANNES Gothus, præsul Gerũdensis, quum sub Phoca principe Arrianam sectam oppressisset, ab hæreticis relegatus est. Rauis.

EVSTATHIVS Pamphilius, præsul Antiochenus, sub Constantino principe in exilium pulsus est Traianopolim Thraciæ ciuitatem, quòd Arrianorum placita refellitisset. Rauis.

FVLGENTIVS episcopus, sanctitate, sapientia & scientia, stylo & facundia præclarus, multa ab Arrianis pro vera fide perpessus, diutino in Sardinia exilio à Thrasimundo Vuãdalorum rege maceratur. Sigebertus in Chron.

PONTIVS diaconus, vt est author Hieronymus, missus vnà cum Cypriano in exilium, egregium volumen de vita & martyrio Cypriani edidit.

COLVMBANVS ex Hybernia, Gregorij tempore, cùm Theodericum Francorum regem secundum paulo libertius corripuisset, ab eodem in exilium actus est: sæpéque reuocatus, nunquam redire volens. Volat.lib. 21.Antroph.

MARTINVS pontifex per Olympium exarchum, Constantini Iunioris filio Constãte inbẽte cõprehensus, in perpetuũ exiliũ missus est, quòd Paulum patriarcham in synodo Præsulatu deiecisset, ac Cyri Alexandrini, Sergij & Pyrrhi condemnationem probauisset. Sigeb.in Chron.

VALERIANVS episcopus octogenarius, nolens diuina sacramenta profanis tradere, à rege Genserico omni vrbe & domo exclusus, reliquũ vitæ vsque ad mortem nudus, sub nudo aere exegit. Ibidem.

RAHERIVS episcopus, à rege Hugone episcopatu pulsus, quòd Boiariis faueret, Papiæ exulauit, vbi & librum de suis ærũnis luculenter edidit. Idem.

RAGINERIVS Metensis comes, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentinianas euocatus à Brunone archiepiscopo & archiduce Lotharingiæ, captus, & irreuocabili exilio damnatus est. Idem.

DANTES Florentinus poeta, Florentia in exilium pulsus est: fugiéque ad Canem grandem Veronæ principem, cùm eum contra Florentinos dimicare compulisset, ob linguæ licentiam eius odium contraxit.

Post annos quatuor, cùm in patriam redire tentasset, etiam Henricum VI ad Florentiæ obsidionem ducendo, spe omni amissa, Rauennam profectus est, ibique in ocio vixit. Volat.lib.21.Anthrop.

PETRVS de Vineis ex vrbe Capua iurisperitissimus, Friderico II. Imp. charissimus, ob coniurationis suspicionem in exilium missus est: cuius meminit Dantes Can XIII. primæ partis: & Volat.lib.25.Anthrop.

NICOLAVS Canalis Venetus, Turcico bello, quod cum Othomano gerebatur classi præpositus, Petróque Mocenico maioribus comitiis arcelatus, Chalcidem insulam diu obsessam acerrimè tutatus est. Mox nerelatus, Chalcidem insulam diu obsessam acerrimè tutatus est. Mox negotio quo fato quum multa tentare posset, negligétior redditus, eam magno cũ detrimento Reip. Venetæ & totius ferè Christianæ pietatis excidio amisit. Qua ex re domum reuocatus, abrogato illi imperio, carcerique inclusus, in perpetuum exilium mittitur. Fuerat is iam à primis iuuenæ annis apud vniuersos gratiosissimus, ita vt semper præmaturè amplissimis honoribus sit functus. Egnat.lib.6.cap.10.

Cùm Dominicus Vrseolus Venetorum ducatum occupasset, & pulsus esset: DOMINICVS Flabianus dux electus, plebiscitum interposuit, vt Vrseola familia ciuitate ciiceretur, ranquam seditiosa, eique ducatu omnibúsq; aliis magistratibus interdiceretur. Ingratus populus stolidè hoc decreuit, Vrseolorum ducum priorum erga rempub. præclara merita ve-

oblita, vel parui pendens. Petrus Marcellus.

EXVLES VOLVNTARII. QVI PATRIAM SPONTE *reliquerunt, quacunque de causa.*

IACOBVS Esai fratris iram, propter interceptam patris fausam precationem fugiens, in Haranem Mesopotamiæ ad Labanem auunculum se contulit, cui 14.annis pro duabus filiabus seruiuit. Genes.28.& 29.

IACOBVS patriarcha cùm 20.annis apud Labanẽ seruiuisset, liberis & pecudibus auctus, videns se Labani inuisum esse, eo ad tonsuram ouiũ profecto, cum omnibus suis copiis clàm aufugit in Chananæam. Genes.31.

Homerus cùm Mercurio patre natus, ex vxore cuiusdam sacerdotis Ægyptij, spurius esse putaretur, ignominiæ vitandæ causa sponte sua in exilium abiit, & per Græciam oberrans, omnes in sui admirationem pertraxit. Vide tit. Deorum filij, ex Heliodoro.

SCYTHÆ persequentes Cimmerios, ingressi Asiam, Medorum imperium occuparunt, & illud 28.annis obtinuerunt. Postea in patriam reuersi, cum seruis, quibus sese vxores eorum interea copulauerant, bellum gerere fuere coacti. Herod.lib.4.

PHOCENSES cùm ab Harpago Cyri regis Persarũ duce obsiderẽtur, naues cum vxoribus & liberis, opibúsque vniuersis conscenderũt, & in Corsicam abierunt. Harpagus defertam Phoceam occupauit. Quinetiam communi consilio se mutuis execrationibus deuouerunt: & ferreã massam candentem in mare demergentes, iuramento confirmarunt, nõ prius se de repetenda patria cogitaturos, quàm massa illa vadis imis leuata supernataret. Herod.lib.1.

TEII Iones cum illorum vrbem Harpagus Cyri regis dux, admotis aggeribus cæpisset, omnes conscensis nauibus traiecerunt in Thraciã: ibique vrbem condiderunt Abdera, cuius fundamenta iecerat prius Timesius Clazomenius. Herod.lib.1.

Lyncus filius Inachi, ad quærendam sororem Io missus, cùm illam inuenire non posset: patris iram metuẽs, domum reuerti noluit. Parthenius cap.1.Eroticõn.

LYCVRGVS Lacedæmonius, filius Eunomi, volens iusticia Lacedæmonios imbuere, non dignum neque bonum præmium abstulit. Erutus est enim illi oculus ab Alcandro, vt quidam putant, ex insidiis, iactu lapidis: vt alij sentiunt, ictu baculi. Dicitur autem de iis, qui alia, quàm proposuerunt, consecuti sunt. Euphorus verò dicit, eum in exilio fame periisse. Ælian. lib.13.de Var. histor. Iustinus voluntario in exilio eum abstinentia cibi obiisse scribit: & cineres in mare proiici iussisse, ne quando Spartam relati, ciues sacramento liberarent, qui ad eius vsque reditum leges suas se inuiolatas conseruaturos sacrosanctè polliciti fuerant. Iustinus lib.3.& Plutarch.in eius vita.

DION Prusæus sophista, fugiens Domitiani tempora, quando philosophia exulabat ad Germanos & Getas se sponte contulit, ignotus omnibus: vbi tunc Traianus nondum imperator res gerebat. Cùmque Domitiano interfecto animaduertisset tumultuantes milites, & ad res nouas erectos, extemplò nudus, vt erat, cucurrit, & ex altissima ara cõcionatus, illud Homericum præfatus est, At nudus tacitè prodit consultus Vlysses. Séque Dionem summum philosophum esse manifestauit. Philostratus in sophistis.

Conon dux Athenienſis nauali prælio à Lysandro victus, sponte in exilium fugit, ad Artaxerxem Persarum regem in Cyprum. Cuius opibus fretus, paucis pòst annis reuersus, cùm exercitu Lacedæmoniam irrupit, prædas egit, omnia ferro ignéque vastauit. Lacedæmonij contra eum Lysandrum ducem cùm misissent, qui illum prius nauali pugna vicerat, ab eo nunc terrestri victus est. Volat.lib.14.cap.2. Anthrop.

Apollonius Alexandrinus poeta, adhuc adolescens cùm Argonautica scripsisset, & ab aliis poetis malè audiret, patriam fugiens, Rhodũ venit ibique versatus, Rhodius potius quàm Alexandrinus cognominari maluit. Gyraldus Dialogo 3. Hist poet.

Euripides poeta, cùm histrionem suum aliquando cum vxore sua misceri reperisset, in Macedoniam abiit, Comicorum veritus calumnias, & ab Archelao rege benignè susceptus est. Gellius.

ARISTOTELES cum iudiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam, qualis esset ciuitas Athenienſium? respondit: Pulcherrima, sed in ea pyrus super pyrum, & ficus super ficum conseneleit: sycophantas intelligens. Et interroganti, cur reliquisset Athenas? respondit: Quoniam noluisset committere, vt Athenienſes bis peccarent in philosophiã. Obscurè Socratis mortem innuens, & suum periculum. Ælian. de Varia historia. lib.3.

Protagoras Abderites, Menandri filius, & auditor Democriti, accusatus ab Athenienſibus, quòd Persarum magiam & religionem didicisset, spõte exulauit. Rauis.

LIVIVS Salinator cùm de Illyriis triumphasset ex inuidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia, cõdemnatus, in exilium abiit voluntarium: vbi longo tempore sordidatus, promissáque barba moratus est. Vrgente verò Italiam Hannibale reuocatus, consul factus est. Volat.lib.16. Vrban.com.ex Cæcilio, & Liuij.29.

METELLVS Numidicus, qui de Iugurtha triumphauit, in exilium ire, quà Saturnini tri.plebis iniquissimas leges pati maluit. Pont. lib.2.de Fortuna, cap.4.

P.Scipio Linternis in villa sua sibi elegit exilium, qui ciuitatem nũ modò tot victoriis exornauerat, auxerátque imperio: verumetiam à calamitosissimo & diuturno bello Punico liberauerat. In ingrata gratia neciueres quidem suos manere voluit. Pontan lib.2.cap.de Fortitud. domest.

P.RVTILIVS cons. Cnei Manlij collega, relegatus est à Syllanis, deinde quum reuocaretur: Malo, inquit, vt patria exilio meo erubescat, quàm reditu mœreat.

L. Apuleius Saturninus tribunus pleb. cùm propter Agrariam legem (quam per vim tulerat) aliásque igem factiones vidi ret se odiosum plerisque principibus, Rhodum profectus est in volũtarium exilium. Liuius lib.69.

ALEXIS nobilissimus Romanorũ, cuius tota vita graphicè descripta extat, prima nuptiarum nocte sponsam relinquens, pro Christo peregrinatus est per decem & septem annos: & tandem apud Edessam Syriæ vrbem Marię imaginem videns, inde fugit, & ad portum Romanum appulsus, à patre suo pauper excipitur: ibique nulli cognitus, decem & septem annos agens, tenore vitæ suæ in charta descripto, obiit, & diuina voce manifestatus est. Sigebertus in Chron.

FESTOS DIES TOLLERE, VEL NON OBSERVARE.

MONVMENTA NON ERIGERE, VEL ERECTA *destruere.*

TRIVMPHVM DENEGARE.

Consule tit. De quibus triumphandum sit, vel non sit.

STATVAS, IMAGINES, TROPHÆA VEL VIVENTIVM, *vel mortuorum ignominia afficere.*

ARATVS, quo tempore Sicyonem patria à Nicoclis tyrannide liberauit, omnes tyrannorum imagines statim sustulit: de Aristrati autem tyranni, qui Philippi tempore floruit, imagine diu deliberauit. Pictus enim erat currui victori insistens Aristratus à Melantho, omnibúsque eius sociis, & Apelles quoque operam suam eò contulerat: vt quidem polemo periegetes narrat. Opus erat spectatu dignissimum, ita vt artificium animum Arati inflecteret: ruit súsque tamen odium tyrannorum incitaret, vt deleri mandaret. Nealcem tum ferunt pictorem, Arati amicum, cum lacrymis deprecatum: & cùm non obtineret, dixisse: Tyrannis non eorum bonis, bellum esse indictum: itaque victoriam & currum relinquendum, se Aristratum de tabula sublaturum. Id cùm concessisset Aratus, deleuit Aristratum Nealces: & palmam, nihil aliud ausus ei operi affingere, in lo cum eius appinxit: ferũt tamen, deleto Aristrato, pedes eius infra currum demissos superfuisse: Plut. in vita Arati.

NERONI Romanorum crudelissimo imperatori multæ statuæ erectæ sunt, in quarum vna à vertice currus appositus est, cum inscriptione Græca: Nunc demum agon est, trahe tandem. Notatum est hac inscriptione & statua, in Cæsare aurigandi studium, simúlque denunciarum periculũ. Alteri cuiusdam eius statuæ & ascopera alligata est, cum hoc titulo, Ego quid potui? sed tu culleum meruisti. Solent enim parricidæ culleo insui, & Nero matrem occiderat. Culleus itaque sese excusans dicit, Ego quid potui? paratus, si quis te insuat: sed siue insuatis, siue non, tu tamen culleũ meruisti. præterea columnis statuarum illud ascriptum erat, Galli te cantando excitarunt. Indignissimè enim ferebat Galliarum defectionem. Sueton.in Nerone.

BARTHOLOMÆO Coleono Bergomensi, viro in disciplina militari exercitatissimo, propter res bene gestas, & quia Senatum Venetum hæredem scripserat, statuam equestrem ex ære deauratam in area

s s.Ioannis & Pauli collocarunt.Inuidi quidam patriam ei exprobrantes nocte quadam ſcopam manibus,& collo ſaccum applicarunt,quæ baiulorum ſymbola ſunt,quorum Bergomenſis ager feraciſſimus eſt. Bernar. Corius in hiſt.Mediolanenſi.

PLACILLÆ ſtatua,iam mortuæ,ab Antiochenis magnis affecta contumeliis.Vide tit.Seditionis vrbanæ.

PETRVS Aponenſis,philoſophus & medicus clariſſimus, hæreſeos accuſatus,pendẽte lite anno Chriſti 1315 moritur,& Patauij apud D. Antonium honorificè tumulatur. Inquiſitores oſſa eius eruenda contendunt,& igni cremanda.Marieta illius concubina noctu furtim ſurrepta, in ſepulchro fracto apud D Petrum Patauij abſcondit. Inquiſitores ergo cùm in cadauer ſęuire non poſſent,effigiem eius in medio foro combuſſerunt,publicè lecta condemnationis ſententia.Bernard.Scardeonus li. 2.claſſe 9.hiſt.Patauinæ.

IMAGINES ET PICTVRÆ TVRPES.

ARMA EREPTA ET IN TROPHÆVM ERECTA.

De ſpoliis ſuprà quoque,quatenus victori honorem pariunt:hic autem,quatenus victo dedecus afferunt.

FELICITAS ALIENA, QVÆ PARTICIPAtione quadam in nos deriuari videtur:quoniam ijs qui felices ſunt,aliqua ratione coniuncti ſumus.

PATRIA INCOLVMIS.

PATRIA DIVES ET OMNI GENERE BONORVM affluens.

Conſule ſuprà titulos Diuitiarum publicarum.Regiones & vrbes populoſæ, fertiles,opulentæ, &c. Hic enim ratio habetur patriæ,quatenus diuitiæ illius etiam ad ciues videntur pertinere,ita vt patriæ opulentia ciuibus honori ſit, & exiſtimationi:illic verò ſimpliciter & per ſe opulentia regionum & vrbium conſideratur.Exempli gratia:Romanæ vrbis opulentia ad locum Diuitiarum referenda eſt, ſi per ſe conſideretur:ſi verò ad Romanos ciues,qui reipublicæ membra ſunt,& huius ipſius opulentiæ aliquatenus participes,ſic inter alienæ felicitatis ſpecies pertinebit.

PATRIA CLARA ET ILLVSTRIS.

Publica hæc & communis eſt ratio nobilitatis,quando ciues à patria gloriantur. At longè verior ea,quando patria à ciuibus ſplendorem acquirit.

SOCRATES pro tribus donis naturæ gratias agebat: quòd homo, quòd Græcus,quódque Athenienſis natus eſſet.

THEMISTOCLI Seriphius quidam obijciebat in iurgio,quòd patriæ magis gloria quàm ſua virtute niteretur,reſpondit : At neque tu ſi Athenienſis eſſes,nobilis:nec ego,ſi Seriphius.Sentiens, gloriam ſuã ſe patriæ debere,quòd niſi Athenis natus eſſet, materiam rerum agendarum & virtutis exercendæ non habuiſſet:ipſam tamen actionem ſuam eſſe,ab interno habitu(quo Seriphius ille deſtitutus,nihil vnquam præclari agere potuiſſet)profluẽtem.

Antiſthenes ridere ſolebat ATHENIENSES, ſubinde gloriantes quòd non aliunde eò commigraſſent,nec patriam ſedem mutaſſent vnquam:dicens,hoc laudis illis eſſe cum teſtudinibus cochleiſq; commune.Nam & hæc animantia nunquam mutant domicilium,in quo naſcuntur.Laert lib.6.cap.1.

Ariſtoteles Stagirita CVIDAM glorianti, quòd eſſet à magna celebríque ciuitate,dicebat,Hoc nihil referre: ſed, an celebri patria dignus eſſet.Laert.lib.5.cap.5.

PRINCIPES BONI ATQVE IVSTI.

Conſule tit.Reges iuſti.

CIVES MVLTI. CIVITATES *& regiones populoſæ.*

Superiore loco titulum hunc enarrauimus,quatenus ad diuitias publicas pertinet:at hoc in loco,quatenus multitudo ciuium patriam fidelem reddere videtur.

CIVES NOBILES, GENEROSI, FORTES, ET QVIBVSVIS *alius animi,corporis aut fortunæ bonis inſignes.*

Patriæ ſplendor non tam ab ædificiis & propugnaculis,quàm à ciuium virtute prouenit.Propterea etiam Ariſt. inter ſpecies τῆς εὐγενείας in 1.Rhet.19.publicam hanc nobilitatem,quæ patriæ à ciuibus præclaris contingit,enumerat.Conſule tit.Certamina bonorum fortunæ inter ſe.

HOMERI patria & parentes ignorantur. Euſtathius cauſam affert, quòd ne ipſe quidem hoc proferre voluerit, vt ex hac concertatione vrbium & populorum inter ſe,ſibi plus authoritatis acquireret. Pindarus Chium & Smyrnæum fuiſſe aſſerit,& in Chio adhuc Homeridarum genus ſupereſſe.Simonidem Chium,Antimachus & Nicãder Colophoniũ, Ariſtoteles Ienſem,Ephorus Cumanus,& Herodotus Cumanum ex Æ- tolia,natum tamen ad Meletem fluuium Smyrnę Cumanorum coloniæ. Alij Salaminium è Cypro.Ariſtarchus & Dionyſius Thrax Athenienſem. Heliodorus in 3.Æthiopicôn,Thebanum ex Ægypto facit. Alij Babylonium.Suidas etiam Lucanum,aut,ſi diis placet, Romanum à nonnullis appellari,ſcribit.Videtur ſanè Græcus fuiſſe, & concertationem hanc propter Homeri peregrinationes ortam.Elegans eſt diſtichon de vrbibus iis quæ de Homeri natalibus concertant:

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶς, χίος, ἰός, ἀθῆναι.

Vide Plutarchum & Herodotum.

Nec Homero tantùm id contigit,verumetiam omnibus iis qui in quocunque genere diſciplinarum excelluerunt apud Græcos,præcipuè autẽ poetis.Quod ex ipſorum catalogo colligere poteris.

HIMERENSES & CATANENSES,Siciliæ populi, diu inter ſe de Steſichori lyrici poetę patria certarunt:illis quòd apud ſe vixiſſet,his verò quod ſepulchrum eius apud Catanam extra portam,Steſichoriam ob id dictam,haberetur, ſuum eſſe dictitantibus.Phalaris ergo Aſtypalæus iudex delectus,pro Catanenſibus pronũciauit,quòd apud Catanã ſtudiis literarum operam nauaſſet,& ingenij cultum feciſſet, cuius merito tantus euaſiſſet.Gyrald.Dialogo 9.Hiſtoriæ poet.

Inter Græciæ populos maximè de antiquitate,& deorũ muneribus cũ Athenienſibus certant Argiui,non aliter quidem, quàm inter Barbaros cum Phrygibus ægyptij, Memoriæ itaque proditum eſt,Cererem Argos venientem à Pelaſgo hoſpitio acceptam,ibi ex Chryſanthide de filię raptu cognouiſſe.Interea Trochilum ſacrorum antiſtitem ab Agenore Argis

pulſum in Atticam veniſſe:cúmque Eleuſine vxorem duxiſſet, Eubuleum & Triptolemum genuiſſe.Hæc Argiui. Athenienſes verò, & finitimi,Triptolemum Celei filium fuiſſe,qui primus frugum cultum, & ſationem tradiderit,nihil dubitant.At Muſæus carminibus Triptolemum Oceani & Terrę filium prodidit:& Orpheus Ebuleo & Triptolemo Dyſaulem patrem fuiſſe:eos à Cerere frumenta ſerendi rationem accepiſſe, quòd ex illis primùm Ceres filiæ raptum cognouiſſet Chœrilus Athenienſis in ea fabula,cui Alope nomen eſt,Cercyonem & Triptolemum fratres fuiſſe,ex Amphictyonis filiabus,ſcripſit:& Triptolemo Rharon, Cercyoni Neptunum patrem fuiſſe.Pauſan.in Atticis.

P. PAPINIVS Statius pater, poeta(cuius tamen carminum nihil extat)quamuis ignobili genere ortus : ad tantam tamen nominis claritatem ex eruditione peruenit, vt duæ vrbes de eius natalibus certarint, Sellæ ſcilicet Epirotarum,& Neapolis Cumanorum. Danthes his etiam Toloſam Galliæ adnumerat.Gyrald.Dial.4.Hiſt.poet.

De CAROLI Magni Imp.natali ſolo certant inter ſe Gallia & Germania.Illud tamen conſtat,Aquiſgrani natum,imperij Germanici habenas rexiſſe:quæ quanto Gallicis illuſtriores fuerunt,eo etiam plus iuris Germania in aſſerendo Carolo habuiſſe videtur.Ipſa certè imperij poſſeſſio penes legitimos hæredes remanſit, cuius vſufructum Gallia aliquandiu habuit.

AMICOS HABERE MVLTOS, POTENTES, INTIMOS.

Conſule tit.Amicitiæ.Illic enim amoris mutui,qui vitia vel virtutes ſequitur:hîc verò felicitatis amicorum ratio habetur, quæ in nos quoque,quorum amici ſunt,redundare videtur.

L. SYLLA,Felix cognomine,inter fortunas ſuas duas præcipuas ducebat:alteram,quòd Pium Metellum haberet amicum:alteram,quòd vrbẽ Athenarum non ſubuertiſſet.Plut.in Rom.Apoph.

NOBILITAS GENERIS. NOBILITATIS INSIgnia *& notæ.*

ATHENIENSES olim ſe αὐτόχθονας eſſe gloriabantur καὶ γηγενεῖς, in eiúſque rei ſignum τέττιγας χρυσοῦς erant,hoc eſt cicadas aureas in pileis ferebant:quòd inſtar cicadum eam terram habitarent, ex qua nati eſſent. Euſtath.Iliad.γ.

ÆGYPTII cum PHRYGIBVS de antiquitate generis certant. Vide tit.Prudentiæ in rebus occultis expiſcandis & inueſtigandis.

Erat Herodi ſophiſtæ Regilla nomine vxor,eam ob peccatum haud ita momenti magni iuſſit à liberto Alcimedonte cædi. Fortè tunc geſtabat vtero,agebatúrque à conceptu menſis iam octauus. Igitur hominis imprudentia,ingeſtis in ventrem plagis,immaturo partu naturæ conceſſit.Eo nomine poſtulatur Herodes cædis apud Romanum ſenatum ab vxoris fratre BRADEA.Is maiorum claritate longè princeps, nec minor nobilitatis oſtentator,argumentum generis ferebat in calceis epiſphyrion menoides eburneum,fibulam corniculantem, qualis fermè figura eſt in luna decreſcente.Prodiens igitur is magno paratu, ad peragendũ reum,de cauſa quidem pauca ferè,aut nihil,in laudib. verò propriis totus. Cùm multa iam de familia perilluſtri emugiſſet homo imperitus, ſcommate illum excepit Herodes:Tu,inquiens in aſtragalis geſtas nobilitatem.Eſt autem aſtragalus Latinè talus,&c.Cælius Rhodig.lib.11. cap. 17.Antiquitatum.

Apud ROMANOS,autor Plutarchus eſt,omnes qui nobilitate præſtarent,lunulas in calceis ſolitos geſtare:vnde & lunata pellis Martiali, & apud Satyricum Poetam,Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ. In id argumentum rationes adferuntur plures.Ibidem.

Apud EOSDEM in atriis nobilium, & foribus, ac circa domorum limina,hoſtium deuictorum ſpolia,enſes,clypei,galeæ,currus, deuictarũ nauium roſtra,veluti auitæ gloriæ & fortium factorum ornamenta, affigebantur:quæ quanto vetuſtiora eſſent, tanto plus decoris & maieſtatis habebant. Alex.ab Alex.lib.5.cap.24.

GELONORVM nobilitas hoſtium cutes,in fortium factorum inſigne documentum,ſuis relinquebant.Ibidem.

GALATARVM nobiles,qui vltra Rhenum habitant,ſpolia hoſtium ſanguine perfuſa,& trunca capita foribus affigunt, ad rei bene geſtæ teſtimonium.Ibidem.

Apud BELGAS nobilium mos fuit,cæſorum hoſtium capita hoſtibus tanquam ſpolia affigere,in fortium factorum memoriam & exemplum. Ibidem.

In Ægypto in domorum veſtibulis,alas vulturum proponere,indiciũ nobilitatis & vetuſtatis familiæ erat.Ibidem.

ÆGYPTII,Græci,Scythæ,Perſæ & Lydi,omnes eos qui artificio incumberent,pro ignobilibus ducebant:qui verò militiæ,generoſos.Alexand.ab Alex.lib.5.cap.18.

THESPIENSES,miniſteriũ aliquod didiciſſe, vel aruo ſtuduiſſe,omnem polluere generis nobilitatem crediderunt. Itaque illorum paupertas maximè inſignis fuit.Ibidem.

ARVERNI olim gloriabantur ſe oriundos à Troianis,ac propterea dici volebant Romanorum fratres.Lucanus lib.1.

Aruernique auſi Latios ſe fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi,--

HEDVI olim dicti ſunt fratres Romanorum.Corn. Tacitus ait, Heduos omnium primos ſenatorum in vrbe ius adeptos fuiſſe,datúmque id fœderi antiquo:quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cũ populo Romano vſurparent.

THRACIB.punctas notis habere frontes,nobile iudicatur : non habere notatas punctis,ignobile.Herod.lib.5.

SCYTHÆ nobilitatis oſtentandæ cauſa, phialas in baltheis geſtant. Vide tit.Regum electio.

Lycurgus LACEDÆMONIORVM legiſlator, cùm conaretur ciues ſuos à moribus præſentibus ad temperatiorem viuendi rationem traducere:Nec nobis,inquit,ô ciues, nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit,niſi omni ſtudio & opera illa ipſa geſſerimus,per quę ille mortalium omnium clariſſimus ac generoſiſſimus extitit. ac per omnem vitam quæ honeſta ſunt & diſcamus,& exerceamus.Reperit vir ingenuoſus viam,qua multitudini philoſophicis rationibus nõ ſatis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret.magis enim mouent ac penetrant in animos,quæ cernuntur,quàm quæ audiuntur.Quod autem ille fecit in ciuitate,hoc cuique patrifamiliâs in ſua domo,cuique moderatori in ſuo grege faciendum eſt.Plut.in Lacon.

SENECÆ ex Annæorum familia Cordubenſi illuſtriſſima,quæ etiamnum hodie floret.Tres in primis ex ea fratres prodierunt doctrina & moribus clari, Annæus Seneca, Annæus Gallio, Annæas Mela.Inde Seneca tragicus.Mela Pomponius,Lucanus,& alij.Gyraldus Dialogo 8.Hiſt. poet.

Cùm aliquis ALPHONSVM Aragonum regem clariſſimum, à nobilitate maximè laudaret,quòd ſcilicet eſſet rex,regis filius, regis nepos, regis frater:at iſtiuſmodi rex hominẽ interpellans,dixit:Nihil eſſe quod in vita minoris ipſe duceret,quàm quod ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non ſuam,ſed maiorum ſuorum eſſe:quippe qui iuſtitia, moderatione,atque cum excellentia ſibi regnum comparaſſent : ſucceſſoribus quidem oneri regna cedere:honori tunc demùm, ſi virtute potius quàm teſtamento illa ſuſcipiant. Panorm. libr. 2. de Rebus geſtis Alfonſi.

GENERIS, NEPOTVM, SIVE FAMILIÆ PROSPERITAS *& perpetua ſucceſsio.*

ABRAHAMO Dominus promittit poſteritatem tam numeroſam ex Iſaaco,vt & ſtellas cœli,& arenam maris multitudine vincat.Geneſ.15. Item ex Iſmaele ſimiliter,ex quo duodecim principes naſcituros promittit.Geneſ.17.Id quod HAGARI matri Iſmaelis angelus promiſerat.Geneſ.16.

ANTIGONVS vt potentia & ætate maximus fuit ſucceſſorum Alexãdri,ita etiam ſola illius familia ab inteſtinis cædibus pura fuit: ſolúſque ex omni Antigoni poſteritate Philippus filium ſuum necauit.Plut.in Demetrio.

HERACLIVS Imp. ſolus ex ſua ſtirpe ſex Auguſtos ordine habuit. Secutus eum eſt in imperio Conſtantinus III.filius:quo interfecto vi veneni à Martina nouerca,ſucceſſit Heraclonas Martinæ ex Heraclio filia:verùm poſt biennium regno deturbatus,& in eius locum Conſtans filius Conſtantini ſuffectus:cui poſt 27 annos ſucceſſit Conſtantinus 4. filius:huic Iuſtinianus minor,ſiue Iuſtinus tertius filius:eiúſque filius Tiberi⁹,in quo defecit progenies Heraclij, occiſus à Philippico Bardanio.

D. BENEDICTI familia quàm clara euaſerit,& quot docti homines & prælati ex ea prodierint, pete ex tit. Monachorum.Benedictus.

GENERIS SIVE FAMILIÆ PROPE INTERCIDENTIS *& intermorituræ,reparatio.*

Huc referri possunt exempla quædam ex tit. Senes qui genuerunt. Item ex tit. Cupiditas habendæ sobolis.

Redierat VITALIS Michael dux Venetus, ex Græciæ prouincia, in qua biennium fermè immoratus fuerat aduersus Manuelem co ıstantinopolitanum principem: redieràtque cum ipsa classe penitùs exhausta, vt non nautæ, non præfecti, non reliquus vllus apparatus superesset, siue pestilentia idipsum accideret subitò exorta, siue aquis veneno omnibus infectis Manuelis opera, in quas Veneti incurrerant. Sed præter alia incommoda illud fuit longè grauissimum, quòd Iustiniana omnis familia ad internecionem vsque periisset, nemine domi relicto virilis stirpis, in quo familiæ restituendæ spes vlla foret. Id quod sæpe animo reputans dux ipse: tandem id occurrit, superesse vnum Nicolaum, qui Benedicti religionem iam aliquot annos professus esset, sed & sibi vnicam superesse domi filiam Annam, quam despondere illi cuperet, si per Alexandri pontif. max. gratiam illi daretur. Cui petitioni Pontifex assensus est, restituendæ tantæ sobolis honestissima causa. Quare quum ex eo fœlici coniugio mares liberi, & fœminæ aliquot editæ essent (dictu mirum) & Nicolaus ipse, & vxor eius Fœlicia de ineunda religione iterum cogitare cœperunt. Sic igitur ad diui Nicolai in littore, maritus rediit, sacris iterum imbuendus: & vxor ipsa non longè à Trocello cœnobium extruxit, quod diuo Adriano dicatum esse voluit. Quanta igitur in vtroque abstinentia, quàm legitimæ Veneris vsus, vt nullis opibus, vt nulla cupiditate flagrantes, in Deum ipsum conuersi tantum, in recepta religione vterque decesserit? Egnat. libro 4. capite 3. & Marcellus in vita Vitalis.

PARENTES PROBI.

Huc referri possent Deorum filij, si generis nobilitatem spectes, At nos inter bona corporis eosdem retulimus: efficientis causæ, quæ ad generationem concurrit, ratione habita.

BASILIVS Magnus Cæsariensis episcopus, passim gloriatur, Deóque gratias agit, quòd à Christianis parentibus Helenopontano ludimagistro, & Eumele Cappadoce natus sit: quódque à Macrina nutrice (quæ superior ætate Gregorium Neocæsariensem audiuerat) nutritus esset. Eius certè auus in vehementi illa persecutione sub Maximino cum suis cognatis in specum montis secessit, ibíque per septēnium solo pane se suósque miraculosè sustentauit, tandem constanter martyrium passus est.

PARENTES DIVITES.

PARENTES NOBILES.

THEAGENES Thasius Herculis F. non Timosthenis. Vide tit. Roboris corporei indicia in pueritia.

PAVLAM Romanam matronam (cuius vitam pete ex tit. Monacharum) D. Hieronymus laudat, quòd nata sit patre Rogato Græco, ex Agamemnonis stirpe oriūdo: matre Blesilla Romana, ex Scipionū Gracchorúmque familia: virum habuerit Toxotium clarissimum, sanguinem suū ex Ænee & Iuliorum cognatione trahentem.

PARENTES VIVI ET INCOLVMES.

EPAMINONDAS ex omnibus præclarè gestis illud sibi iucundissimum accidisse dicebat, quòd vtroque parente viuo, Leuctrica pugna vicisset Lacedæmonios. Plutar. in Græcorum Apophthegmati.

ADOPTATI.

TELEPHVS Herculis filius, ex Augæa Alcæi regis Arcadiæ filia, aui iussu expositus in syluis, & à cerua nutritus, donóque datus Teutrati Mysiæ regi, pro filio educatus est. Diodo. lib. 5.

T. ANNIVS Milo è Lanuuio municipio familia Papia adoptatus est à Tito Annio auo materno. author Asconius Pedianus in oratione pro Milone.

SCIPIO Æmilianus, qui Africanus Minor dictus est, ab Africani Maioris filio adoptatus fuit, cùm filius esset Pauli Æmylij. Volaterran. lib. 19. Anthrop.

TIBERIVS Cæsar, ex Tiberio Nerone & Liuia genitus, ab Octauio Imperatore adoptatus est: quē & ipse successorem imperij reliquit. Cuius adoptionis quandoque Augustum pœnituit: in senatu tamen eum excusauit, naturæ vitia esse, non animi, dicens. Xiph. in Claudio.

CLAVDIVS Romanorum imperator, Neronem adoptauit. Vnde post mortem Claudij, licet Britannicus optimo iure imperio succedere deberet, quòd esset naturalis eius filius, quódque valeret viribus corporis, & flore ætatis vigeret: iure tamen ciuili propter ius adoptionis imperium ad Neronem pertinere iudicatum est. Xiphilinus, & Dion Nicæus in Nerone.

Piso nobilis adolescens, à Galba primum dilectus, & post modùm adoptatus est. Volat. lib. 18. Anth. & Tacitus in Historia principum.

A. Vlpius Nerua Traianus, genere Hispanus, ob virtutem & disciplinā rei militaris adoptatus est à Nerua Cocceio, cui in imperio quoque successit. Volaterran. lib. 23. Anthrop.

Traianus Imperator, HADRIANVM consanguineum à patre sibi cōmendatum adoptauit, cum nullos ex Plotina coniuge, aut aliunde liberos suscepisset. Ibid.

VERVS ab Ælio Traiano Hadriano Imperatore Romanorum adoptatus est, de quo futura hoc carmine Hadrianus pronunciabat: Ostendent terris hunc tantum fata, nec vltra esse sinent, ---&c. Antea autem L. Ceionus Commodus appellatus fuit, paternum genus ex Hetruria, maternum ex Fauentia trahens. Quem deinde L. Ælium Verum Antoninū appellauit. Ibid.

Annium Antonium, qui postea Pius vocatus est, L. Ælio Vero defuncto, Hadrianus Imperator adoptauit: hac tamen cōditione, vt ipse M. Antoninum filium fratris vxoris suæ Faustinæ, & L. Verum Ceionis filium adoptaret. Hoc pacto liberorum nepotúmque successioni cōsuluit, cùm Sabinam vxorem sterilem habuisset. Ibid.

Antoninus Pius Romanorum imperator, M. ANTONINVM adoptauit imperij successorem. Qui posteaquam imperium adeptus est, statim socium & participem imperij cæpit Lucium Verum, Lucij Commodi filium. Dion Nicæus, & Xiphilin. in M. Antonino.

Iustinus minor Imperator Rom. Tiberium adoptauit, quem & regni successorem esse voluit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Iustinianus à Iustino Romanorum Imperatore adoptatus est, cuius sororis filius cùm esset, in regno quoque successit. Ibid.

ARDABVRIVS Asparis filius, à Leone Imperatore huius nominis primo adoptatus est. Ibid.

AVRELIVS Hispanorum rex, cùm prolem non haberet, ad inuidiam periculúmque declinandum. Veremundum Phronillæ filium in spem successionis adoptauit. Ritius lib. 2. de Reg. Hisp.

TENDIVS Hispanorum rex, ab Amalasintha Theodorici Italiæ regis filia, & Almarici regis matre, adoptatus est in spem successionis: quam deinde in balneo suffocari curauit. Ritius Neap. lib. 1. reg. Hisp.

Hildebertus filius Grimoaldi, à Sigeberto rege Francorum in filium & regnum adoptatur. Sigeb. in Chron.

GONTRANNVS Aurelianensium rex, quia liberis carebat, in speciē successionis Childebertum (amisso patre, bona regni parte à Chilperico spoliatum) adoptauit. Orta autem mox inter eos, Theodorici Massiliensis episcopi causa, graui dissensione, Gontrannus adoptionem reuocauit. Michael Ritius Neap. lib. 1. de Reg. Francorum.

LIBERI BONI, AVT MVLTI. ΕΥΤΕΚΝΙΑ ΚΑΙ πολυτεκνία.

Claritas liberorum in patrem propriè non redundat, neque nobiles facit parentes. Nouerunt hoc Iureconsulti, qui Ascendentium & Descendentium rationem habent. Felices tamen dicimus esse parentes, numerosa, eleganti & præclara sobole. Huc refer tit. Qui multos habuerunt liberos, ex loco Bonorum corporis.

Antiquitas

Antiquitas non paruæ ascribit felicitati, quòd DIAGORAS Rhodius duos Olympionicas filios eodem die victores coronati conspexerit. autor Cicero libro primo Quæst. Tuscul.

Plinius tribuit magnæ felicitati, quòd LEMPEDO mulier Lacedæmonia regis filia, regis vxor, & regis mater fuerit.

SCILVRVS Scytharum rex, felix reputatus est, quòd filios mares habuerit octuaginta (vt inquit Plutarchus) Felix itidem PRIAMVS quinquaginta, triginta ORODES Parthorum rex, centum quindecim Persarum rex ARTAXERXES, septuaginta Erotinus rex Arabū: APPIVS verò Claudius, vt de eo scribit Cicero, quatuor habuit robustos filios, & quinque filias: tantam domum, tantas clientelas regebat & cæcus, & senex. Guido.

Quum mulier quædam Ionica de texto quodam suo vt precioso gloriaretur, LACNÆNA ostēsis quatuor filiis quos habebat moribus compositissimis: Huiusmodi, inquit, decet esse honestæ probęque mulieris opera, deque his gloriari. Plut. in Apoph. Lacon.

DIAGORAS, cum in Olympicis vidisset filios suos victores coronari atque ex filia filióque nepotes, eáque re multum lætaretur, Lacedæmonius quidam dixisse fertur: Nunc ô Diagora, pulchrum esset moriendi tempus. Ostendens, fieri non posse, vt tantus fœlicitatis cumulus, alicuius rei infœlicitate ante mortem non compensaretur: & tunc moriendum esse, cum viuentem plus vita delectat. Fulg. lib. 7. cap. 2.

BERENICE, siue Pherenice filia, soror & mater Olympionicarum. Vide tit. Honoris, προεδρίαι.

ÆSCHYLVS tragicus Atheniensis, nouæque Tragœdiæ inuentor, filios habuit Euphorionem & Bionem, itidem tragicos: præterea nepotem ex fratre vel sorore Philoclem tragicum, cuius filij duo Morsinus & Philippides: Morsimi filius Astydamas, qui filium habuit Astydamantem: omnes tragici. Vt mirum sit, in eadem familia octo illustres extitisse tragicos poetas. Gyraldus Dialogo 6. Hist. poet.

Maxima ornamenta esse matronis liberos apud Pomponium Rufum Collectorum libro sic inuenimus: CORNELIA Gacchorum mater, cū Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima seculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: Et hæc (inquit) ornamenta mea sunt. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit, eo quidem certius, quàm qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ mētis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta, & huius horridior aspectus, solidis & certis bonis abundet: quod melius personis, quàm verbis repræsentabitur. Valer. Max. lib. 4. cap. 4.

BASILIVS Helenopontanus ex Ponto, quinque sustulit ex Eumele liberos, & ex iis Gregorium Nyssenum, Basilium Magnum Cæsariensem & Petrum Sebastæ episcopos, in Christi Ecclesia athletas inuictissimos. Nazianzenus testis.

PETRVS de Vbaldis, medicus Perusinus, tres filios habuit Iureconsultorum max. Qui deinde & ipsi nepotes patri & pronepotes Iureconsultos dedēre. Vide sub tit. Ireconsul. Baldum.

REGINA filia Mastini Scaligeri, ex Thadeo Carrariensi nupsit Barnaboni, Vicecomiti Mediolanensi principi, & ex eo suscepit 4 mares, & 12 filias. Quarum prima nupsit Petro Cypri regi, secunda Ludouico primogenito regis Galliæ, tertia Bauariæ duci, quarta Austriæ duci, quinta Galeacio Vicecomiti, sexta Leopoldo Austriaco, auo Friderici 3. Imp. septima Bauariæ duci, octaua Friderico regi Siciliæ, nona Friderico Gonzagæ, decima Ernesto duci Monachi, vndecima Federico fratri eius iuniori, duodecima Dimundo Cantiæ comiti, primogenito regis Britāniæ. Ex quarum generosa prole omnes ferè principes, qui nunc rerum potiuntur, prodierunt: vt regina ista veluti Cybele quædam fuerit, & nomē Matris deorum meruerit. Bernardinus Scardeonus lib. 3. hist. Pat.

IACOBVS Rudinus, omnibus iis quæ in hominem cadere possunt, & animi, & corporis, & fortunæ dotibus à summo patre luminum ornatus: ad extremum quoque, cęteris ex ordine politicis functus honoribus, tribunus plebis in nostra vrbe creatus, filios & nepotes plures septuaginta numerare potuit. Namq; ex prima vxore Dorothea Ilenflammia Ioan. Iacobum, Catharinam & Dorotheam liberos sustulit. Ex secunda Dorothea Schmidia Ioan. Iacobum alterum (priore illo defuncto) & Valeriam quæ Lucæ Iselio primùm, deinde Theod. Zuinggero nupsit. Ex tertia denique Anna Erenfelsia (Vvilhelmi Vvœlflini vidua) Iosephum (qui in cunis decessit) Ioan. Iacobum tertium, Rudinæ gentis columen, Salomen Ambrosij Frobenij vxorem, & Asterien, quæ Basilio Amerbachio Iureconsl. locata fuit. Vidit interim viuus numerosam nepotum seriem, quódque diuinæ benignitatis non obscurum est indicium, diuitias tanta successione dignas, honestis adeptas artibus. Quòd etsi maior pars tam lætę posteritatis eo viuo decessit, tamen non modò non labefactari, sed & cōfirmari tanta felicitas videtur. Præcesserunt illi, & authorem sui generis in terra verè viuētium nunquam interituris gaudiis, summis votis expectant. De quo nos aliquando hunc in modum lusimus:

Abramo Dominus numerosæ posteritatis,
Spem dederat clemens, ob fidei meritum:
At Rudio charam sobolem lætósque nepotes,
Incolumi & viuo cernere posse dedit.
Sic semper placuit superis, sempérque placebit,
Relligio & Pietas, cúmque Pudore Fides.
His stetit auspiciis Rudiorum clara propago.
Stabit & æternum, dante volente Deo.

FRATRES FIDI ET CONCORDES.

Consule tit. Amoris fratrum mutui.

CONIVGIA FORTVNATA.

Præclara coniugia nobilitatem quoque pariunt, maximè si vir sit nobilis & illustris, sequitur enim mulier virum. Nos hîc de fortunatis tantùm agimus coniugiis: vt locupletes maritos vel vxores adipisci tranquillè & amicè diúque simul viuere, & similia. Consule tit. Amoris coniugalis. Item, Coniugia honoris ergò concessa.

RAAB Hiericuntina meretrix, quæ exploratores à Iosue missos abscondit lini stipulis, excisa vrbe, sola cum suis seruata est, & Salmoni vni ex principibus Iuda matrimonio iuncta, ex quo deinde coniugio Christus per successionem nasci voluit.

OLITORIS Ægyptij vxor, ad regios admissa thalamos. Vide tit. Coniugalis castitas.

ASPASIA Hermotimi Phocensis pauperis filia, propter pudicitiam & formam primùm à Cyro, deinde à fratre eius Artaxerxe in vxorem accepta fuit. Ælian. lib. 12. Var. hist.

RHODOPEM meretricem, in Ægypto ferunt pulcherrimam fuisse. Cui aliquando lauanti, inopinatorum atque inexpectatorum amans fortuna contulit munus, non isto animo, sed fortuna venustatéque dignum. Cùm enim lauaret, atque vestimenta famulæ custodirent, aquila deuolās alterum calceum abstulit eúmque secum deportauit Memphim: Iudicium verò cùm forte Psammetichus exerceret, in eus sinum aquila calceum iniecit. Psammetichus autem miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem atque concinnitatem, & auis factum: statim mandauit, vt per vniuersam Ægyptum quæreretur fœmina, cuius is calceus esset. Eámque inuentam, licet meretricem, in vxorem duxit. Ælian. lib. 13. de Varia historia.

Phocionis VXOR, cùm à nobilissima quadam Ionici generis matrona in amicitiam recepta, auri torques, monilia, preciosúsque mundus muliebriter ei ostentaretur. At meus, inquit, ornatus non est talis, sed Phocion me ornat, iam vicies Atheniensium imperator. Sabellicus libro octauo, cap. 5.

MARIANVS Sozinus Senensis, iurisconsultorum prudentissimus, cū minus solito literis operam daret, ob id reprehēsus à quodam, respondit: Ideo minus libros iam euoluo, quia vxorem duxi. Rursus interpellatus, Cur Socrates vxoratus, non itidem philosophiæ studia neglexisset: Xantippe (ait) morosa fuit, & deformis: mea autem vxor proba est, & forma decenti. Æneas Syluius de dictis Sigismundi & Friderici tertij imperat. & lib. 3. de Rebus Alphonsi.

DOMINI CLEMENTES, HVMANI MANSVETI.

Si seruos spectes, hæc ipsa quoque non exigua est felicitas, tales dominos nancisci: si verò dominos, ad virtutem Humanitatis, item Fidei erga seruos exempla hæc referenda erunt.

SERVI FIDELES, ATQVE BONI.

Fideles habere seruos, ad domini felicitatem refertur. Ipsa fides iusticiæ œconomicæ Distributiuæ species existit.

INIMICI HVMANI, MITES, IVSTI,

INIMICI RECONCILIATI.

PACIS TEMPORA. SVB QVIBVS REGIBVS pax floruit.

Pax inter externa bona principatum obtinet. Eapropter non modò populi, qui ea fruuntur, felices erunt: verumetiam reges, sub quibus ea felicitas contigit. Causæ autem pacis, vtpote victoria, clementia, studium pacis, suis locis iampridem fuerunt declaratæ.

IANI templum Romæ pacis significandæ causa claudebatur. Itaque primùm sub Numa Pompilio rege II. Rom. fuit clausum. Secundò anno Vrbis 518. Consulibus C. Attilio Bulbo II. & T. Manlio Torquato, bello Punico primo pace cum Pœnis facta. Tertiò anno Vrbis 724. sub C. Cæsare Octauiano Augusto.

VICTORES ILLVSTRES, ET FORtunati.

Pertinet hic titulus ad locum Fortitudinis propulsantis, tanquam effectus illius. Hic tantùm eorum exempla afferemus, qui in vincendo fortuna potius quàm arte aut robore vsi fuerint: quales sunt ij qui semper victoriam obtinuerunt, nunquam sunt victi.

TIMOTHEVS dux Atheniensium, prospera fortuna per omnia credebatur vti: dicebátque fortunam rerum bene gestarum causam esse, Timotheum verò nullius. Proinde pictores eum in castris taxantes fingebant, atque Fortunam supra caput pendentem, ciuitates quasi in rete quoddam conducere. Interrogante Themistocle, quánam re per vniuersam vitam maximè fuisset delectatus? Cum inquit ingredientem Olympicum stadium, totum theatrum intẽtis oculis contueretur. Ælian. de Var. hist. lib. 13.

Fortuna adeò in bello indulsisse credita est AGESILAO Lacedæmonio, vt *Critias* Atheniensium tyrannus inter pauca quæ sibi optare sit solitus, Agesilai victorias omnium impensissimè optauerit. Sabellicus lib. 7. cap. 7.

PHILIPPVS Macedonum rex, cùm eodem die nuncium accepisset quadrigas suas in Olympicis ludis vicisse: item Parmenionem ducem suũ hostes prælio fudisse: ac præterea natum sibi filium esse Alexandrum: veritus, ne fortuna cùm tot bona eodem tempore cumulasset, mutata, grauioribus malis hanc fœlicitatem repensaret, dixisse fertur: O fortuna celeriter potius aliquid paruæ molestiæ, ad pensanda hæc tãta bona, quàm differendo, maiora mala afferto. Fulg. lib. 7. cap. 2.

ALEXANDRI felicitas, omnium maxima in re bellica, qui penè puer in domanda Græcia adeò Philippum patrem iuuit, vt Macedonum primus in Sacram, Thebanorum opibus fractis, omnem Græciam ad imperium retraxit: Asiam transgressus, triplici prælio Persarum regnum, quod tamen maximum fuit, euertit, ac penè plura perpetuo victorię cursu subegit regna, quàm cæteri duces vrbes: & quod omnium prosperrimum fuit trium propè annorum spacio ab Europæ limite ad Gangem Macedonica promouit arma. Sab. lib. 7. cap. 7.

SELEVCVS in acquirenda victoria fuit omnium longè fortunatissimus, quippe qui à victoriarum fœlicitate Nicanor, id est Victoriosus, cognominatus est: à quo pariter Nicephorium & Nicopolis ciuitates conditæ sunt, à victoria deducto vocabulo. Guido Bitur.

T. Q. FLAM. filius, annos natus XXX. consul cum Sex. Ælio factus, Philippum Macedoniæ regem prælio fudit, castris exuit: deinde Thessaliam, quæ est vicina Macedoniæ, iuuantibus Ætolis & Acarnanibus, vexauit. Ciuitates quoque Græciæ quæ sub rege Philippo erant, per præconem liberas esse pronunciauit. Demetrium filium obsidem accepit, quem postea in regnum restituit. Nabim Lacedæmoniorum tyrannum subegit, eiúsque filium obsidem item accepit. Reuersus deinde Romam, contra Attilium postmodùm & Ætolos vicit: teste Plut. & Plinio de Viris illust.

M. FVLVIVS Nobilior prætor in Hispaniam profectus, deinde biennio pòst cõsul tempore belli Macedonici cum Cn. Manlio, eodem tempore quo ille Gallogræcos, Fuluius verò Ætolos superauit: de quib. ouãs vrbem ingressus est. Posthæc Ambraciẽses qui defecerant, vicit: à quibus accusatus, quòd crudeliter omnia diripuisset, à consule defensus est. Quã victoriam per se magnificam Ennius amicus, qui comes eius profectionis fuerat, celebri carmine perscripsit. Volat. lib. 16. Anthrop.

Sicinius Dentatus tribunus plebis, ob fortitudinem Achilles Romanus appellatus est, cuius bellorum successus fœlicissimi semper fuère. Pugnasse quidem fertur centum & viginti præliis, quibus cicatricem posteriorẽ nullam, anteriores autem quinque & quadraginta tulit: fuítque donatus aureis coronis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quatuordecim, quòd ciues quatuordecim ex media morte raptos seruauerit. Torquibus tribus & octuaginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeuiginti, phaleris quinque & viginti: triumphauítque cum imperatoribus suis triumphos nouem. Authores sunt Gellius & Varro.

Indulsit & SCIPIONI non parum imaginaria fortunæ potestas, quã sibi stulta mortalitas effinxit: is cùm per ætatem adhuc magistratum capere non posset, extraordinarium imperium adeptus, quatuor Carthaginensium duces & totidem exercitus Hispania expulit: omne Hibericũ nomen quod Punico cesserat imperio, ad Romani nominis obsequium retraxit: mox Aphricam adeptus, nocte vna bina castra binósque deleuit exercitus. Siphacem regem Romani nominis hostem cæpit. Carthagini castra admouit. Annibalem ex Italia reuocatum, ad Zamam ingenti prælio victum, ad eam desperationem compulit, vt qui fax belli, dúxque ab initio fuerat, petendæ pacis suis ciuibus impulsor verius quàm autor factus sit. Sab. lib. 7. cap. 7.

L. Corn. Sylla Felix ob successus appellatus est. Mulier enim quondam obuiam ei puero, Salue, dixit, puer, & tibi & Reipub. fœlix: quę postea videri amplius non potuit. Volat. lib. 19. Anthrop.

CN. POMPEIVS, de omnibus terris triumphauit, Aphrica, Asia & Europa, antè imperator quàm miles, prius triumphalis quàm senator aut consularis: nullus Romanorum ducum de tot gentibus vno die triumphũ egit: nullus Rom. ducum victor tot percurrit terras: mille castella ex hoste cæpit, vrbes octingentas, parem nauium numerum. Sed præclarum hunc fortunæ cursum, ciuilis belli infamia fœdauit, quod extremo vitæ tempore gessit: aut quia voluntarium fuit, aut certè quia non necessariũ. Sabel. lib. 7. cap. 7. Octauius Cæsaris filius, qui primus Augusti nomine salutatus est, inter alia sua vota Pompeij fœlicitatem & in omni re fortunam exoptauit. Plutarch. in lib. de Romanorum fortuna: & Crinitus lib. 13. cap. 1.

Summa felicitas in bello contigisset C. IVL. Cæsari dictatori, nisi ciuilis belli nefas decus alibi partum ad extremũ deturpasset. Nullus imperatorum sæpius collatis signis dimicauit, nullus prosperius, ad centum millibus perduellionum bis vna die cæsis: nullus ferociores vicit gentes. Europam cæde domuit, Aphricam consilio, Asiam celeritate. Sab. lib. 7. cap. 7. Prælio Pharsalico superior, in Ægyptum nauigauit, eique regno constituto, simul & in reditu Pharnace superato, vnius diei de eo victoriam tribus protulit verbis, VENI, VIDI, VICI. Volaterran. libro 23. Anthrop.

CAROLVS Magnus Imperator in tres partes regni sui tres exercitus misit: vnum trãs Albiam, qui Saxones debellauit: alterum in Pannoniam, qui reliquias Hũnorum & Sclauos compressit: tertium contra Britones, qui eorum perfidiam contudit. Sigebertus in Chron.

HENRICVS Dandulus in locum Aurei Mastropetri creatus, Pisanos ad Metronem nauali prælio vicit, Polam recepit, Iaderam auxilio Gallorum subegit. Mox Alexium Isacij Imperatoris filium, quem frater excæcatum carceri incluserat, in regnum restituit. Alexio interfecto, Murciphlum interfectorem persecutus fugauit. Imperatorium nomen à Gallis oblatum recusauit, & Balduino concessit. Magnam interim Constantinopolitani imperij partem Venetorum ditioni adiecit, & perpetuum patriarchatus honorem stabiliuit. Cretam subegit. Senio confectus, in atrio Sophię cum summa dignitate sepultus requiescit. Egnat. lib. 7. cap. 1.

Franciscus Sfortia Iacobo Attendulo genitus, qui postea Sfortia dictus est, adolescens, clarus militari gloria celebrísque fuit. Victo enim Braccio ad Aquilam, eiúsque exercitu profligato, mox in Neapolitano regno semper victor, restituta re Pontificibus Romanis, magna sibi Piceni parte addita, tum Philippi Mediolanẽsis principis dux optimè de eo meritus, sed mox ab ingratissimo illo discedens, quòd Blancam filiam sibi in vxorem promissam negaret, Veneti nominis Imperator amissum penè Cisalpinæ Gallię imperium, Venetis suo ducto auspiciísque restituit. Inde imperij sui exacto tempore, Philippo ob insignem eius virtutem reconciliatus, ducta ea vxore, Florentinis maximè laborantib. pręcipuam opem tulit. Iterum Philippo mortuo, dum soceri imperium repetit, Veneto nomini aliquanto infestior (nam ad Carauagium Venetas copias Mediolanensis Imperator fudit) Mediolano mox potitur: tantúmque authoritate felicitatéque sua valuit, vt in summa concordia & pace Mediolanensem principatum diu florens retinuerit, & filiis suis fruendum in summo ocio reliquerit: si modò liberi, Ludouicúsque ipse, paternas virtutes retinuissent. Egnat. lib. 7. cap. 1.

INFELI-

INFELICITATIS ALIENÆ, QVÆ IN NOS PARticipatione quadam deriuatur, species.

PATRIA OBSCVRA ET IGNOBILIS.

IESV Christo Seruatori perfidi Iudæi patriam obiecerunt, quòd Nazaræus esset: item parentes, quòd fabri filius esset: illud, quia in Nazaret Galileæ vico educatus: hoc, quia à Iosepho nutritus erat. Iulianus Imperator apostata eum Galilæum & Christianos Galilæos nominauit, maiore perfidia an impietate, dubium.

GREGORIO Nazianzeno Theologo summo Ariani obiecerunt sæpe, quòd Nazianzi (ignobili oppidulo Cappadocię propè Cæsaream) patre Gregorio natus esset, tenuis fortunæ homine, quiq; ex Hypsistariorum hæresi esset (medium quid ea inter Iudaismum & Ethnicismum habebat) quamuis postea conuersus, Nazianzi episcopus factus fuerit. Ipsemet testis in oratione ad Arianos.

BION Borysthenites. Vide tit. Parentes ignobiles.

Cum ANACHARSI in iurgio à quodam obiiceretur, quòd Barbarus esset: Et Græci, inquit, apud Scythas barbari sunt.

PRINCIPES MALI, INSIPIENTES, Iniusti, TYRANNI.

Vide tit. Tyrannorum, sub loco Iniustitiæ. Hic namque subditorum ratio habetur, qui quoniam sub tyranno viuere coguntur, infelices existunt: illic verò ipsorummet tyrannorum crudelitas perpenditur. Nota est illa Dei opt. max. vox, Dabo pueros principes eorum.

CIVES HVMILES, INGLORII.

CIVES IMPROBI, PAVPERES.

Quum ARGIVI Thebanorum essent socij, Atheniensium oratores in Arcadiam missi, vituperarunt vtranque gentem: & Callistratus rhetor Orestem & Gedipodem ciuitatibus exprobrabat. nam Orestes Argiuus fuit, Oedipus Thebanus. Interim surgens Epaminõdas: Fatemur, inquit, apud nos fuisse qui patrem occiderit, apud Argiuos qui matrem necarit, sed eos qui hæc patrarunt, nos expulimus, Athenienses receperunt. Tanto compendio conuicium retorsit in autores. Plut. in Græcorum apoph.

AMICOS NVLLOS HABERE, PAVPERES, infidos.

GENERIS IGNOBILITAS, ET OBSCVRITAS.

Consule tit. Eorum qui humili loco orti, clari euaserunt.

L. CORN. Sylla patricio quidem genere natus, sed humili prorsus & paupere. Ex maioribus eius, Ruffinus consulatum gessit, maiore ignominia quàm honore. quoniam cùm deprehensus esset argenteorum vasorum supra decem libras possedisse, Senatu eiectus est. Ab illo cætera progenies humili statu vixit, & ipse Sylla tenui patrimonio educatus fuit. Plut. in eius vita.

M. TVLLIVS, quum ob Ciceronis cognomen dicteriis incesseretur, ab amicis admonitus vt aliud sibi cognomen asciseeret, respondit: se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum. Nam hæ familiæ cum primis illustres erant apud Romanos, quum Tullius esset nouus homo. Cognomen autem ideo patebat cauillis, quod à cicere vilissimo legumine dictum videretur. Quasi verò non & Fabij à fabis, & Lentuli à lente cognomen habuisse viderentur. Parum illustris est, qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis: pulcherrimum autem nobilitatis genus est, quam sibi quisque propriis virtutibus conciliat. Nec fefellit M. Tullius, Ciceronis enim nomẽ hodie decantatius est, quàm trecenti Catuli aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis & imaginibus. Plut. in Apoph. Rom. & in Cicerone.

EIDEM cùm generis ignobilitas obiiceretur: Satius est, inquit, meis gestis florere, quàm maiorum opinione vti: & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Cicero in oratione contra Sallustium.

IOANNES Huniades, regni Hungarici administrator, cùm misisset ad Huldricum Siciliæ comitem, vt ad se veniret in castra: hoc facere planè noluit, & ad se missis respondit: Non ego comes & princeps, & tam nobili familia natus, ad te veniam, hominem nouum, & nostra ætate nobilitatum. Quod cum accepisset Ioannes: Non ego (respondit) tuis maioribus, sed tibi me comparo: quanquam neque illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, maius lumen posteritati meæ comparaui: atque vt in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur, ita in me domus Nistricẽsis exornatur. Æneas Syluius de dictis Sigismundi & Friderici Imp.

GENERIS DEFECTVS. FAMILIÆ QVÆ interciderunt.

In quibus quæ regum familiæ defecerint, petes ex tit. Regum.

LYCVRGVS Spartanorum legislator, vnicum filium habuit, Antiorũ nomine, in quo genus defecit. Plut. in eius vita.

GLAVCI Epicydidis F. genus paucis annis extinctum, ob perfidiam in deposito. Vide tit. Perfidiæ in deposito.

In NERONE Cæsarum stirps defecit.

PARENTES IGNOBILES, OBSCVri, incerti.

Vide tit. Obscuro orti loco, qui clari euaserunt.

BION genere Borysthenites fuit. Cum ab illo rex Antigonus sciscitaretur;

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι δὲ πόλις, ἠδὲ τοκῆες.
Ede tuum nomen, patriam, genus, atque parentes:

Sentiens se ab aliquo traductum fuisse apud regem, sic respondit: Pater quidem meus libertus fuit, cubito se tergens (significabat autem, illum succidam & lardum vendere solitum (Boristhenites genere, non habens faciem, sed in facie scripturam acerbissimi domini: mater autem ex lupanari, nimirum quã huiusmodi ducere potuit. Deinde pater nescio quid in rem publicanorũ committens, cum tota domo venũdatus est. Me adolescentulum haud ingratum orator quidam emit. Is moriens, mihi omnia reliquit. Ego tabulas ipsius exurens, Athenas concessi, ibíque philosophatus sum,

ταύτης τῆς γενεῆς, τοῦ πατρὸς εὔχομαι εἶν. hoc est,
Huius me esse patris, generis me glorior huius.

Laertius libro quarto.

IDEM Antigonum aliàs eandem ob causam sic allocutus est. Atqui ô rex benefacis, cùm indiges sagittariis, quòd nõ interrogando genus, sed scopũ proponendo, optimos illorũ tibi deligis. Sic igitur amicos explo-

ra,non vnde nati,sed qui & quales sint. Sensit vir sapientissimus, veram nobilitatem nequaquam ex patria & parentibus,sed ex virtute & vitę innocentia metiendam esse.Stob.serm.84.

NICIAS, Demosthenes, Lamachus, Phormio, Thrasybulus, Theramenes, viri clarissimi,qui eodem tempore floruerunt, incertas habuerũt matres.Plut.in Alcibiade.

Pollenius Sebennius, homo omnium mordacissimus, cùm audiuisset SEVERVM imperatorem adscriptum esse Marci familiæ: Gratulor tibi, inquit,Cæsar inuictissime, quòd patrem demùm inueneris: quasi antea patrem non habuisset, propter ignobilitatem & obscuritatem generis, Xiphilinus in vita Seueri.

PARENTES IMPROBI.

ABRAHAMI pater Tharam idololatra fuit.

Ex incesto concubitu FILIARVM Lothi cum patre, quem vino tomulentum fecerant,nati sunt filij pessimi. Ex maiore natu filia Moabus, à quo Moabitæ,ex minore Benammi, à quo Ammonitæ, idololatræ & sceleratæ gentes originem suam traxerunt.Genes.19.

PAVPERES PARENTES, ET *ignobiles.*

D. HIERONYMI Stridonensis, Doctorum Ecclesiasticorum præcipui, pater Eusebius pauper fuit, & ignobilis: ita vt Hieronymus ipse in Epistola ad Nepotianum,se in paupere natum domo, ac rustico tugurio vesci coactum milio & pane cibario,scribat.

PARENTES LIBIDINOSI. INDE FILII NOTHI ET spurij,ex illegitimo parentum amore.

Hoc quoque inter ea mala quæ à parentibus in filios deriuantur,referri debet. Nulla enim hîc filiorũ culpa est, sed sola parentum. Quamuis à prudentibus legislatoribus constitutum sit, vt nothus patriis quidem bonis vtatur, post mortem autem nõ in nepotes suos aut filios deuoluantur, sed magistratui cedant:nec ea tantum quæ à patre accepit, verumetiam ea quæ acquisiuit. Nam qui ex illegitimo matrimonio natus est, seruus esse videtur Reipublicæ. Nos pauca hîc exempla,illustrium tamen personarum,referemus.

IEPHTHE, iudex Israelitarum,matrem habuit meretricem. Itidem PHARES & ZARAM, ex Thamar geniti.

ÆNEAS Troianus spurius, è Venere natus dicitur, quam vbique vt matrem coluit.

HOMERVS Critheidis(quæ Melanopi Magnesij, Cumam Æolicam inhabitantis,filia fuit)filius ex furtiuo concubitu Pater incertus,Herod. teste.Plutarchus tamen ex Ephoro Cumæo asserit,Critheida Atellis Cumani filiam,à parente Mgoni fratri commissam,à perfido patruo constupratam,& tegendi sceleris causa Phemio ludimagistro Smyrnæo desponsatam fuisse.Heliodorus tamen lib.3. Æthiopicæ historiæ, Ægypti sacerdotis vxorem à Mercurio compressam Homerum peperisse inquit.Vt vt sit,Homerum certè, qualis & quantus fuit, ex illegitimo thoro natum, constantissima fama est.

Themistoclis pater fuit Neocles,de familia Phreariorum,tribu Leontide,obscurus homo:mater non legitima, Thracia,Abrotonum nomine: secundum alios,ex Neanthe vrbe Cariæ,nomine Euterpe. Itaque Themistocles in gymnasio Cynosarges tantum exercebatur extra vrbem, in quo spurij tantùm conueniebant.Plut.in Themistocle.

Archidamus Zeuxidami F. Lacedæmoniorum rex, ex Lampridone Agidem, ex Eupolia Agesilaum sustulit. Agis ex Timæa Leotychidam habuit: verùm quia eo tempore Alcibiades ex Sicilia exul Spartam venerat,Leotychidam rex pro suo agnoscere noluit, sed spurium esse dictitauit.Hæc res effecit,vt mortuo Agide LEOTYCHIDAS regni successione priuaretur, & Agesilaus ope Lysandri ad regnum eueheretur. Plut.in Agesilao.

Romulus & Remus ex stupro Martis, vt Liuius & alij volunt, velut Ocrho Phrisingensis,sacerdotis cuiusdam nati sunt.

GRATIANVS monahus S.Probuli, natione Tuscus, doctor Bononiensis,author Decreti,spurius fuisse traditur.Volat.lib.22. Anthrop.

IO.ANDREAS, patre Andrea presbytero,& matre concubina natus, apud Nugellium agri Florentini oppidum, Iuris scientia virtutibúsque aliis natalium pudorem texit.Volat.22.Anthrop.

Lamusius tertius Longobardorum rex,matre meretrice natus,& expositus.Vide tit.Ex humili loco reges facti.

ABDICATI FILII.

Exempla quædam,pete ex tit. Filij aut nepotes degeneres.

PHYLEIVS à patre Augea rege Eleorum,abdicatus. Vide tit. Perfidiæ in locatione.

HORTENSIVS orator,& Fuluius Flaccus scelestissimos filios,& parricidij convictos,bonis se abdicaturos iurarunt.Sed postea mutatis animis,hæredes reliquerunt. Alex.lib.6.cap.10.

METELLVS filios suos Romæ ab omni hæreditate excussos voluit. Cuius testamenti seriem filij Pij irritam facere nequaquam voluerunt, ne qualemcunque parentis voluntatem non tueri viderentur.Ibidem.

ATTILIA Variola, cùm à patre octogenario hæreditate excussa esset,Centumuirali tamen iudicio ad patris bona admissa fuit,pro eo quòd vndecimo die pòst, nouercam ei superduxerat, velut decrepitus pater ætate desiperet.Ibidem.

L.Q.CINCINNATVS filium Cæsonem petulantissimum abdicauit, qui & à Censoribus ad Volscos & Sabinos confugit. Volaterranus libro decimonono Anthrop.

POSTHVMI.

SYLVIVS Posthumus, rex Latinorum XII. à Lauinia post mortem Æneæ patris in lucem editus, ab Ascanio fratre liberaliter educatus: & quia Iulius Ascanij F.adhuc impubes erat,in regno substitutus fuit.Ab eo deinde omnes Albanorum reges Syluij appellati fuêre. Regnauit annis 29.Eutropius.& Gell.lib.2.cap.16.Noct.Att.

LIBERI A PARENTIBVS NON EDVCATI.

Consule tit. Puerorum expositiciorum.

PARENTES MORTVI, VITRICI, NOVERCÆ.

Hæc contrà inter mala fortunæ referenda sunt quandoquidem vt plurimùm in huiusmodi minus est veri amoris,frequenter odia,rixæ & contentiones,præsertim apud nouercas,quæ cum fœminæ sint,affectibus prauis liberalius indulgent. Eáque de causa semper malæ videntur esse,vel quia imperiosa sunt & tetricæ,vel quia in locum veræ matris successerunt.

SEMIRAMIS Nini Assyriorum regis nouerca fuit, eiúsque amore flagrauit. At ille profugus, à suo nomine Treuerim denominauit. Sigebertus in Chronicis.

HIPPOLYTVS à Phædra nouerca stupri falsò accusatus,dum Thesei patris

patris furorem vellet declinare,discerptus est ab equis.

NOVERCA Phronimen apud patrem falsò defert.Vide tit.Impietatis parentum erga liberos.

PHILONOME, nouerca Tennis.Vide tit.Miro modo seruati.

ARSINOE, Agathoclis nouerca.Vide tit.Impietatis parentum erga liberos.

SELEVCVS Callinicus rex Syriæ,dum nouercam Berenicem Ptolemæi sororem expulisset,ab ipso Ptolemæo bello petitus est. Iustinus libro vigesimoseptimo.

STRATONICA nouerca Antiochi, cuius amore captus, simulato morbo eam à plus satis indulgente patre obtinuit. Vide tit. Amor parentum erga filios.

IVLIA Bassiani Antonini Caracallæ nouerca fuit: cuius captus illecebris Caracalla,eam in matrimonium accepit:teste Spartiano.

MARTIANA Heraclij Imp.vxor,Constantini nouerca:à qua imperij sui mense quarto veneno sublatus est.Sigebertus in Chronicis.

LIBERI NVLLI. STERILITAS AVT ORBITAS.

Consule locum Malorum corporum. Illic enim efficientis ratio habetur:hîc ipsius effectus, qui parentes reddere videtur infelices.

HEBRÆI sterilitatem olim pro certissimo diuinæ iræ argumento abominabantur,quandoquidem benedictioni quæ Abrahamo facta est, contraria erat.

IDEM mortes filiorum non minus quàm sterilitatem diuinæ iræ indicium esse arbitrabantur, quoniam generis successio (quam Abrahamo Deus summæ benedictionis loco promiserat) hac ratione impediebatur.Eius rei causa frater defuncti fratris vxorem duceret, & semen fratri suo excitare lege iubebatur.

CLEOMENES Anaxandridæ F.Spartæ non diu imperauit,ac sine liberis decessit,vna duntaxat relicta filia,nomine Gorgo.Herod.lib.5.

FILII AVT NEPOTES QVI À PARENTVM MAIORÚMque suorum claritate degenerarunt.Filij degeneres & improbi

Si vitia spectes,ad suos quæque locos referenda erunt:sic verò filios,qui à parentum virtute degenerant,sic ad ignauiam practicæ imitationis pertinebunt. Si denique parentes ipsos respicias,qui notam quandam infelicitatis ex filiorum improbitate videntur contrahere,sic huius prioris erunt loci.

ADAM Cainum filium pessimum habuit, Noe Chamum: Abraham Ismaelem, Isaacus Esau: Iacobus Ruben maledixit, qui patris thorum genialem incestauit: Ioseph um à fratribus venditum diu desiderauit, Heli filios pessimos in clade amisit.

Tam nota est Mosis gloria,ac virtutis magnitudo, vt indicari non egeat:& tamen qui olim pastor Hebræum populum dura cervice seditionibúsque insignem rexit, magnísque contentionibus perpetuum sacerdotium fratri ac successoribus reliquit, nónne Eliezer & Gersam filios iuxta legem ex se ortos indignitatis successione præteriit?Etenim in eis neque ingenium, neque vllum intuitus est virtutis genus, quod tanto posset onere sufficere.Atque ob eam rem in Hebræorum historia de eis nisi pererigua, vt de abiectis mos est,mentio est facta. Fulgosius lib.tertio,capite quinto.

SAMVEL prophera, qui iudicia in Israel exercebat, cùm propter grandem eius ætatem filij populum regerent, rapinísque dilaniarent, Saulum primum ac nouum regem in Israel constituit, ne filiorum auaricia & scelus(id quod iam agi cœperat)ipsius iusticiam ac bonitatem macularet.Fulgosius lib.3 cap.5.ex 1.Reg.8.

Inter infelicissimos iusta causa numerãdus est Oedipus,qui patre Laio interfecto,matri se cõmiscuit, & ex ea liberos suscepit Eteoclem & Polynicem,qui mutuis vulneribus seipsos interfecerunt.

SOPHOCLES tragicorũ princeps,filios habuit pessimos,inter quos Iophon,& ipse tragicus,eum accusauit, vt vecordem & delirum: petens vt bonis ei interdiceretur. At Sophocles Oedipum Coloneum tragœdiam iudicibus legens,quam tunc scribebat,omnium suffragiis absolutus est.Gyrald.Dialogo 7.Hist.poet.

ARISTARCHVS insignis ille grammaticus, filios habuit ignauos planè & degeneres, Aristarchum & Aristagoram.Ibidem.

STILPON Megarensis, habebat filiam parum secundæ famæ. Cuidam igitur dicenti, Dedecorat te filia: Nihilo magis,inquit, quàm ego illam decoro.Sentiens,neminẽ alienis factis dehonestari,sed suis quenque moribus æstimandum esse.Plut.libro de Tranquillitate:& Laert.lib. 2.capite 12.

ARISTIPPVS philosophus, cùm degeneres filios adeò negligeret, quasi ex ipso nati non essent:accusatus à quodam, qui seueritatem eius improbabat:An non,inquit,& pituitam & pediculos è nobis natos, velut inutiles, procul à nobis abiicimus? Sensit philosophus, eos nequaquam habendos pro filiis,qui à parentum & maiorum suorum laude dignis virtutibus turpiter degenerarent.Laert.lib.2.

Chabriæ Athenienses,qui magnis virtutibus magnísque victoriis apud Athenienses excelluit, & qui multo fœlicior fuisset, si nullis progenitis liberis è vita discessisset, filius fuit Ctesippus, adeò à paterna virtute degener,vt persæpe Phocionem eius tutorem,virum alioquin patientissimum, vecordia Ctesippi dicere coegerit. Ea quæ ob Ctesippi stolidam mentem perferebat, ad referendam cumulatè pro acceptis à Chabria meritis gratiam abundè sufficere.Fulg.lib.3.cap.5.

PHILIPPVS Macedo,& Alexander eius filius, diuerso fuêre ingenio.Hic arte,ille apertè bella tractabat:prudentior hic consilio,ille animo præsentior ac magnificentior.Iram pater dissimulare,ac vincere: illi vt exarsisset,nec dilatio vltionis, nec modus erat.Patri mos erat, de cõiuio in hostes procurrere, periculis se temerè offerre: Alexandro non in hostes procurrere,sed in suos sæuire. Regnare hic cum amicis volebat,ille in amicos imperium exercebat. Amari pater malle, ille metui. Frugalitati patet, luxuriæ filius magis deditus erat.Iustinus.

Antigonus secundus Adolescenti cuidam qui patrem habuerat for-

tem,quanquam ipse non admodum, vt videbatur,bonus erat miles,postulanti vt patris stipendia caperet:At ego,inquit,ô adolescentule, non ob patrias,sed ob proprias cuiusque viri virtutes mercedem ac munera dare soleo.Hoc sermone iuuenem extimulans,vt patriis fortitudinem æquaret,si quantum ille capere solebat,vellet accipere.Apud Græcos maior est dicti gratia ob vocum affinitatem ἀνδραγαθίας, παρεγαθίας: quæ vox posterior ad prioris imitationem efficta est.Plutar.in Reg. & impp. Apoph.

Nicostratus Argiuus,quum ab Archidamo sollicitaretur, tum ingenti promissa pecunia,tum cuiuscunque vellet Lacænæ coniugio, vt Cromnum traderet,respondit: Archidamum non ducere genus ab Hercule, quòd Hercules obiens orbem, soleat improbos afficere supplicio, ipse contrà ex probis faceret improbos.Lacedæmonij verò hoc nomine potissimùm gloriantur,quòd originem ducunt ab Hercule. Plut. in Græc. Impp.apoph.

Superioris Africani filius Scipio,in tãta domestica gloria ortus,à parvulo admodum regis Antiochi præsidio capi sustinuit: cùm voluntaria morte abstumi satius fuerit, quàm inter duo fulgentissima cognomina patris & patrui,altero oppressa Africa iam parto, altero iam maiore ex parte recuperata Asia,surgere incipiente,manus vinciendas hosti tradere,eiúsque beneficio precarium spiritum obtinere:de quo mox. L. Scipio speciosissimum deorum hominúmque oculis subiecturus erat triũphum.Val.Max.lib.3.cap.5.

IDEM præturæ petitor,candidam togam adeò turpitudinis maculis obsoletactam *in campum detulit, vt nisi* gratia Ciceroij, qui patris eius scriba fuerat,adiutus esset,honorem à populo impetraturus non videretur.Quãquam quid interfuit,vtrum repulsam,an sic adeptam præturam domum referret? quàm cùm propinqui ab eo pollui animaduerterent, id egerunt,ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet, insupérque è manu eius annulum,in quo caput Africani sculptum erat,detraxerunt. Dij boni,quas tenebras quo fulmine nasci passi estis?Ibidem.

Possedit fauorem plebis Clodius Pulcher,adhærénsque Fuluianæ stolæ pugio,militare decus muliebri imperio subiectum habuit. Quorum filius Pulcher,præter quam quòd eneruem, & frigidam iuuentam egit: perdito etiam amore vulgatissimæ meretricis infamis fuit, mortísque erubescendo genere cõsumptus est:abdomine enim auidè deuorato, fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.Ibidem.

Q.Fabij Max. Allobrogici & ciuis, & Imperatoris clarissimi filius Q. Fabius Max. quàm perditam luxuria vitam egit? cuius vt cætera flagitia obliterentur, tamen abundè illo dedecore mores nudari possent, quòd ei Q.Pompeius prætor vrbanus paternis bonis interdixit:neque in tanta ciuitate,qui illud decretum reprehenderet,inuentus est: dolenter enim homines ferebant pecuniam, quæ Fabiæ gentis splendori seruire debebat,flagitiis dissici. Ergo quem nimia patris indulgentia hæredem reliquerat,publica seueritas exhæredauit.Ibidem.

Q.Hortensij, qui in maximo & ingenuorum ciuium, & amplissimorum prouentu,summum autoritatis atque eloquẽtiæ gradum obtinuit, nepos Hortensius Corbio omnibus sordis abiectiorem & obscœniorem vitam exegit: ad vltimúmque lingua eius tam libidini cunctorum inter lupanaria prostitit, quàm aui pro salute ciuium in foro excubuerat.Ibidem.

M. CICERO filius, cùm parens eius fuerit abstinentissimus, binos congios haurire solitus est, teste Plinio,& temulentius M. Agrippæ scyphum impegit.Volat.lib.20.& Val.Max.

LVCRETII filius ad supplicium tractus, patrem aduocat, eique na-

sum mordicus auellit: ipsum accusans, quòd primos errores non emendasset, & cùm licuerit, paterna castigatione viam peccandi non præclusisset. Guido Bitur.

Princeps suorum temporum METELLVS Pius in Hispania aduentus suos ab hospitibus aris, & thure excipi patiebatur: Attalicis aulæis cōtectos parietes læto animo intuebatur, immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat, palmata veste conuiuia celebrabat, demissásque lacunaribus aureas *coronas* velut cœlesti capite recipiebat. Et vbi ista? nō in Græcia, neq; Asia, quarum luxuria seueritas ipsa corrumpi poterat, sed in horrida & bellicosa prouincia, cum præsertim acerrimus hostis Sertorius Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret. Adeò patris illi sui Numidica castra exciderant. Val. lib. 9. cap. 1.

Consimilis mutatio in domo CVRIONVM extitit. Siquidem forum Romanum & patris grauissimū supercilium, & filij sexcenties sestertiûm æris alieni aspexit, contractum famosa iniuria nobilium iuuenum. Itaque eodem tempore, & in iisdem penatibus diuersa secula habitarunt. Frugalissimum alterum, alterum nequissimum. Ibidem.

AVGVSTVS Rom. imp. Iulias filiam ac neptem *in* Pandateriam insulam, Campaniæ proximam relegarat: pòst etiam Agrippam, prius adoptatam, pòst ob sordidum ac ferox ingenium abdicatam. Ad omnem horū mentionem solebat exclamare versu Homerico:

αἴθ' ὄφελον ἄγαμος τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. Id est:
O vtinam cælebs vixissem, orbúsque perissem.

Nec aliter illas appellabat, quàm tres vomicas, seu tria carcinomata sua. Quin & testamento cauit, ne, si quid accidisset Iuliæ filiæ & nepti, sepulchro suo inferrentur. Eras. lib. 4. Apoph. ex Suetonij Tranquil. Augusto.

IVLIA Augusti Cæsaris filia, cùm ob vestitus nimiam licentiam ab amico quodam admoneretur, ac adhortaretur, vt se ad paternæ frugalitatis exemplar componeret, respondit: Pater meus obliuiscitur se Cęsarem Rom. esse, at ego memini me Cæsaris esse filiam. Macrob. li. 2. ca. 5. Saturn.

Qantum Germanicus animi vigore, prudētia, atq; morum honestate præstitit: tantum eius filius CALIGVLA animi ignauia, libidinibus atq; stultitia ab eo degenerauit. Defunctum Germanicum non Rom. tantùm populus, amicæq; gentes, sed barbari quoq; lachrymis, ceu communem parentem, prosecuti sunt. At filius Caligula ob scelera, ne publica quidē sepultura dignus est iudicatus. Fulg. lib. 3. cap. 5.

M. ANTONIVS philosophus, qui *Romæ* imperauit, omnium virtutū singulare exemplum, COMMODVM filium imperij, & nō virtutum hæredem habuit: atq; ob eam rem non sine magno dolore magnum persæpe sui desiderium reliquit. Ibid.

P. CORN. Licinius Valerianus Augustus, virtutis magnitudine inter clarissimos principes commemorādus erat, *si virtuti par in eo* felicitas fuisset. Hoc patre ortus est GALIENVS, adeò propter sceleratos mores patri dissimilis, vt propter insignē vecordiam, XXX tyrannis imperij inuadendi occasionem dederit. Ibid.

Carus, qui Probo Augusto æquè animi bonis, vt in imperio successerat, & qui animo ingenti finibus auctis singulari sanctitate populos rexerat, CARINVM filium imperij successorem habuit, moribus adeò patri dissimilem, vt pater eum & vita & imperio priuaturus fuerit, nisi iniqua nimis Rom. *Imperio* fortuna hæc animo agitantē Carū, repentina morte intercepisset. Ibid.

Henricus II. Imp. iustitiæ, pietatis atque catholicæ fidei cultor, HENRICVM tertium reliquit, à paternis virtutibus prorsus degenerem. Ful. lib. 3. cap. 5. & Egnat. lib. 3. cap. 5.

Enituēre in LVDOVICO *Pio Gallorum rege præcipuæ* quædam animi dotes, vt magni Caroli fratrem agnoscere possis, vnde præter cætera Pij cognomentū sibi asciuit. Huius verò LIBERI, & auo & patri dissimiles, nulla non infamia notari possūnt: quippe qui patrem suum in custodia habuerint, exutúmq; regno clausum tenuerint duriori custodia: donec fremēte vniuersa Gallia & *Germania*, inuicti tamen, patrem liberum dimiserint: qui recepto regno, multis virtutis exemplis abundarit. Stephano & Paschali pont. maximis ad sese venientibus, tanta benignitate & munificētia receptis, vt in hodiernum vsq; diem cōstans memoria benefactorū illius duret. Egnat. lib 3. ca. 5. & Ritius Neapol. lib. 1. de reg. Franc.

Alphonsus rex, Neapolitanum regnum adeptus, fusis fugatísq; Gallis, talem sese principem in illis terris gessit, vt Christiana pietas, verēq; religionis cultus cum fortitudine & iustitia in eo semper excelluerit. Verùm FERDINANDVM eius filium, licet non legitimo matrimonio natum, regémq; mortuo illi suffectum, quis indignum Alphōso patre iudicauerit? nisi si quis eum regni successorem asserat, cuius filius Alphōsus haudquaquam auo similis, tandem à Gallorum rege Carolo vita regnóq; priuatus est. Egnat. lib. 3. cap. 5.

Carolus IIII. Bohemiæ rex, ob virtutem ad imperium vocatus, non pacatum solùm tenuit imperium: verūetiam virtute sua obtinuit, vt Romanorum rex VENCESLAVS filius creatus, paterni imperij successor designaretur. Sed mortuo patre ob scelus atq; ignauiam, non modò patri in imperio non successit: sed etiam ea quam iam assecutus erat dignitate, priuatus est. Fulg. lib. 3. cap. 5. & Egnat. eodem.

NORADINVM Damascenum Sultanum, propria ignauia ab imperio deiecit, quòd ei patris Saladini virtus pepererat. Damasci enim regnum ei Saladinus reliquerat, vnde ob ignauiam à populis exactus est, Saphadino patruo ei suffecto. Fulg. lib. 3. cap. 5.

FR. BVSALVS ciuis Rom. duos filios mutuis vulneribus se petentes, vidit, totidem ob seditionem securi percussos: alium qui nouercam interfecit, filiam verò quæ pręsente marito venenum hauserit. Rauis.

FRANCISCVS *Sfortia*, Mediolanensis dux, omni virtutis genere inter Chrstianos principes plurimum excelluit. At inter filios natu maior, GALEACIVS ambitiosus, mulierosus, & planè indignus tanto patre. In PHILIPPO, qui secundus fuit, si corpulentiæ, quam in iuuenta præ se tulit, par ingenium fuisset, de eius vecordia concitari rumores, dicendi minorem materiam prębuissent. LVDOVICVS religionis simulator egregius, superbus, auarus, libidinosus, partum armis à patre imperium, à Ludouico 12 Gallorum rege, cùm numero militum superior esset, victus, 16. die amisit. Fulgo. lib. 3. cap. 5 & Egnat. lib. 3. cap. 5.

Ioannes Galeatius, qui Mediolanensis ducatus titulus indeptus est, suis carus, hostibus formidolosus, magnam Italiæ partem possedit, quam ingenti virtute ac gloria parauerat. Inter filios quos reliquit, IOANNES nomine, ei in ducatu successit, Phalaride ipso crudelior, à suis occisus est. GABRIEL spurius, haud amentia dispar, amissis Pisis, quas possidebat, Genuæ securi palàm percussus est Fulg. lib. 3. cap. 5.

Occurrerunt mihi VENETORVM antiquorum exempla: quę si cum *nostræ* ætatis conferantur, non possis non maximè admirari, quónam huic loco in primis congruere videantur. Nam si cētum abhinc annis nostræ ciuitatis mores & instituta tecum animo voluas, & *cum* recentioribus nostris compares: facilè animaduertas, quę maiores nostri pręcipuè vindicarunt, odióq; in primis habuerunt, ea maximo studio ac pręcipuo cultu recepta. Quis enim nescit, maiorum iudicio pro nefariis ciuibus propè eos esse habitos, qui agros in continenti possiderent? Extāt adhuc aliquot conciones in Senatu habitæ à Thoma Mocenico, duce clarissimo: quibus suadet, abstinere omnino publicè & priuatim continentis possidendæ. Ecquid illud dicam, quòd secundo loco subnectimus, summo probro id passim *fuisse*, cùm publicè tum priuatim, si quis domi filiū haberet, qui sacris addictus esset, sacerdotiáq; expeteret impensius. Hæc igitur duo sunt (vt cætera interim omittam) quę à maioribus vindicata nostris, hodie recentiores sic amplexi sunt, vt vix vnam aut alteram familiā inuenias, quæ non amplissima latifundia sibi pararit, quæq; ex liberis vnum non domi habeat, qui amplissima sacerdotia possideat, nec maiore studio quotidie flagret ea augendi. Egnat. lib. 8. cap. 6.

FRATRES PERFIDI.

Consule tit. Odij fratrum inter se.

REPVLSA IN CONIVGIO, VEL AMORE.

Consule tit. Odium procerum: &, Odium amasiorum. Illic odij, hîc simul etiam ignominiæ, quæ odium concomitatur, ratio habetur.

CN. Pompeius quo suam factionem redderet firmiorem, per Munatiū petiit, vt CATO neptium duarum alteram sibi, alteram filio suo daret. Cato iussit, reuersum Munatium Pompeio renunciare. Se quidem per mulieres capi non posse, beneuolentiam tamen illius sibi gratam esse: amicitiam etiam, quę quauis affinitate firmior esset, polliceri, si quę Reipub. conducerent, sequeretur. Cęterùm aduersus Rempub. nunquam daturum obsides. Neptes in matrimonium datas, obsidum nomine signans. Sunt qui narrent, non neptes, sed filias in matrimonium à *Pompeio* petitas. Eras. 5. Apoph.

CONIVGIA MALA, MOROSA, INFELICIA, DISsensionis plena.

Huc pertinet tit. Repudij, & Perfidiæ coniugalis.

NABAL durus & pessimus, & maliciosus, habuit vxorem Abigail, quæ erat prudentissima & speciosissima. 1. Reg. 25.

SVSARION comicus, morosam habuit vxorem. Vide tit. Poëtarū comicorum.

SOCRATES

SOCRATES Xanthippem imperiosissimam patientissimè tulit. Dicere solebat, tria se mala assecutum: Grammaticam, paupertatem, & perniciosam vxorem Xanthippem: quorum duo iam effugisset, perniciosam vxorem effugere non potuisse. Antonius par. 2. Meliss. serm. 34.

PITTACVS Mitylenæus, cùm in vxorem duxisset sororē Draconis, filij Penthili, superbam & rixosam: monuit postea amicum, duceret sibi parem. Vide tit. Prudens consilium in re vxoria, ex Laert.

EVRIPIDES duas vxores habuit. Priorem Chœrilem (siue Chœrinen, Suida teste) filiam Mnesilochi, ex qua tres sustulit filios: Mnesilochē histrionem, Mnesarchidem mercatorem, & Euripidem qui circa solutam orationem scribendam versatus est. Ea autem adulterij nomine repudiata, posteriorē duxit Melitto, quam itidem reliquit, cùm eam cum histrione Ctesiphonte in adulterio deprehendisset, eámque ob rem publicè in theatro à Comicis incesseretur, & in Macedoniam ad regem Archelaum abiit. Gell. lib. 15. cap. 20. Athenæus lib. 13.

Quum Gorgias sophista recitaret in Olympicis ludis apud Græcos orationem de concordia, Melanthus quidam: Hic, inquit, de concordia totius Græciæ disserit: qui sibi, vxori & ancillæ, tribus duntaxat, vt concorditer viuant, nondum persuasit. Eras. 6. Apoph.

ARVNTIS Tarquinij & Tulliæ dispar coniugium. Vide tit. Mores dissimiles.

M. PACVVIVS tragicus clarissimus, flens ait Actio, vel Ario vicino suo: Amice arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima vxor mea se suspendit: postmodum secunda, nunc etiam tertia. Cui Arius: Mirorte in tot successibus lachrymas inuenisse. Et iterum: Dij boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit? Et tertio: Amice, dede mihi de arbore illa surculos quos seram. Valerius quidam in epistola ad Ruffinū. Cicero historiam hanc de Siculo quodam refert, in 2. de Orat. Gyraldus Dialogo 8. Hist. poet.

CATO Censorius Paulam vxorem violentam ac superbam, humili ortam progenie duxit.

HADRIANVS Sabinam habuit coniugem duram, peruersam, moribus asperam dignámque repudio. Guido Bitur.

Alphonsus Neapolitanorum rex, cùm percontaretur Antonium Panormitam, quínam Neapoli nobiles essent viri venandi studiosi, an item scriptores de natura canum aliquid prodidissent? Respondit Panormita: Tu verò, ô rex, equitem hūc (aderat enim) interroga, quippe qui annos supra quadraginta cum hoc genere animalium sit ita conuersatus, vt noctes quoque ipsas cum canicula cubitauerit: hic tibi & canum naturas describet, & illorum instituendorum artes tradere potest. Erat autem is Eques Neapolitanus, quem honoris gratia non nominauerim. Cúmque his dictis subrisisset: Antonius indicauit, sub caniculæ nomine vxorem illius significari, mulierem omnium clamosissimam pariter, & rabiosissimam. Pontanus.

GREGORIVS Haimburgensis, scientia iuris & facundia inter omnes Germanos facilè princeps, cum domum ex curia Cæsaris, in qua diu fuerat versatus, reuertisset, atque non longè ab oppido Nurenbergensi amicum offendisset, qui vxorem suam viuere & bene valere diceret: Si viuit vxor, inquit, ego sanè obij. Innuit autem, morosam vxorem mariti mortem esse, Æneas Syluius lib. 3. Commentariorum de Rebus gestis Alphonsi.

TRISBONIVS iurisconsultus, & Alphonsi Aragonum regis consiliarius, cùm trecentos aureos Alphonseos, quòd supererat dotis, furto surreptos perdidisset, ac propterea animo angeretur, & esset sibi vxor, & illa quidem admodum morosa, regem Alphonsum dixisse ferunt: Lōgè illi melius fore, si vxorem, quàm pecuniam, fures abstulissent. Panormita lib. 1. de Rebus gestis Alphonsi.

CAVPO quidam abundè comis, cùm hospes vociferantem diutius vxorem eius, rixantémque cum ancillis, parum æquè ferret, conuersus ipse ad hospitem: Et quæ, inquit, amice impatientia est tua? Duos, inquit, & triginta annos huius clamores dies noctésque æquissimè ipse perfero, tu verò ne dieculæ quidem sextantem ferre eam potes? Quo dicto & hospitem leniit, & vxorem ab ira ad risum conuertit. Adrianus Barlandus.

VIDVI ET VIDVÆ.

THAMAR Iudæ nurus, Erem primò, deinde Onanim maritos habuit, quos Dominus propter obscœnam libidinem necauit, Genes. 38.

DOMINI IMPERIOSI, GRAVES, INHVMANI, PERFIDI.

Consule tit. Crudelitatis & Perfidiæ erga seruos.

SERVI PERFIDI.

Vide tit. Perfidiæ erga dominos.

INIMICI GRAVES, POTENTES, INHVMANI, PERFIDI.

VICTI TVRPITER.

Relata sunt, Victor & victus. Vbi ergo illustris est victoria, ibi victi sunt infames, Exempla igitur ex tit. Victoriæ illustris petantur, sub loco Fortitudinis: atque etiam ex titulo Pusillanimitatis. Præterea ex tit. Eorum qui ab hostibus capti fuerunt.

TEMPVS VNIVERSALE FELICITATIS ET INFELICITATIS,

Qui maiori parte vitæ felices, vel infelices fuerunt.

Vide tit. Felicium & Infelicium. Illic enim coniunctio fortuitorum bonorum perpendebatur: hîc verò tempus ipsum.

TEMPVS PARTICVLARE FELICIVM VEL INFELICIVM

casuum. Et primùm

DIES FELICES.

Ex Calendariis historicis clariss. virorum Pauli Eberi & Michaelis Beutheri, multa huius loci exempla possunt depromi. Si Religionem spectes, Religiosæ erunt Iusticiæ: sin ipsum felicem successum, ad Fortunæ titulos pertinebunt.

Vetusti fuit moris in Creta insula, nobiles puellas ex omni iuuenum cœtu sibi sponsum optare. Eiusdem fuit gentis (nam hoc quoque proditum est) lætos dies candido notare calculo, tristes atro. Sed multo plures Thracum hoc fuisse malunt. Potuit (scio) vtriusque commune id esse, sed in his translatitium, aut illis. Cęterùm cuiuscunque gentis fuit inuentum, nescias ambitioso magis astu, an vana hominum persuasione sit mos ille inductus, per quem seipsum homo circumscriberet: cùm tristis diei ac funesti non aliunde sit exordium, quàm ex hoc ipso, quem stulta mortalitas felicem existimauit. Sab. lib. 6. cap. 1.

PROFESTI dies dicti sunt, quòd procul à religione essent, in quibus Rempublicam & priuatam gerere licebat, qui comitiales, comperendinos & præliares continebant. Comitiales fuēre, quibus cum populo agi licebat, concilio coacto, nisi si quæ feriæ conceptæ essent, quibus non liceret. Comperendini dies erant, quibus vadimonium dicere & vadare permissum erat. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20.

Quarto die mensis, quem Athenienses τὸν ἑκατομβαιῶνα dixerunt, duas clarissimas pugnas feliciter Græcia depugnauit ad Leuctra & Geraftum, quibus vniuersæ genti libertas quæsita est. Sab. lib. 9. cap. 4.

Mense Andromione Athenienses in Chio ingentem pugnam feliciter depugnarūt, & ad Salaminem multo felicius aduersus Xerxem cum tota Græcia. Vicit & Timoleon Corinthus Carthaginenses ad Granicum amnem in Sicilia. Ibidem.

IIDEM quartam decimam Boedromionis, aut secundũ Bœotios sextam & vigesimam Panimi mensis, quòd Artabazum & Persas è Græcia fugassent, fœlices habuêre. Alex.lib.6.cap.20.

Eum diem, in quo Attalus morte sublatus est, PHILIPPVS Macedo, vt lætum & fortunatum mirificè obseruauit, quòd triplici gaudio delibutus esset. Quadrigas enim suas eo die Olympia vicisse accepit, & Parmenionem duçem hostes fudisse, natúmq; sibi Alexandrum filium fuisse. Alex.lib.4.cap.20.

XERXES eum diem, in quo rex dictus est, tanquam imperij natalem singulis annis insignem celebrauit, & diademate ornatus cœnam proceribus dabat. Ibidem.

CYRVS diem, qua Scythas & Sacas clade afflixit, adeò felicem habuit, vt eam *Sacam* appellarit Ibid.

TIMOLEVNTEM Syracusanorum ducẽ, pręcipuas victorias semper Syracusanis natali suo dedisse proditum memoriæ est, adeò quidem, vt ipsius diem natalem Siculi velut multiplicis victoriæ autorem agerent festum. Ibidem.

SYRACVSANI, quartam supra vigesimam mensis Maij (quem Carnium vocant, quòd Athenienses cum toto exercitu ad Asinariam flumẽ, memorabili clade profligassent, præcipuè felicem habuerunt. Ibid.

PERSÆ eam diem, qua Magi, qui regnũ occuparant, interempti sunt, tam solennem habuerunt, vt illam Magophoniã, hoc est Magorum occisionẽ appellarent, qua die nulli magorum extra limen prodire fas est. Herod.lib.3.

INDI. 12 die Decemb. vnà cùm rege ad flumen egrediuntur, vt equos & nigros tauros diis immolẽt. Quo facto, multo fœliciores se futuros in posterum arbitrantur. Alex.lib.4.cap.20.

ASSVNI festam diem Mutiam nuncuparunt, quòd Q. Mutius Asiam singulariter rexerat. Ibid.

PARTHI diem, qua Arsaces Seleucum vicit, tanquam initium libertatis, faustum fœlicémq; obseruarunt. Ibid.

ROMANI Sextilibus Calendis ex veteribus domibus migrare, & nouas incolere consueuerunt, illásq; veluti boni euentus & fortunatas obseruarunt. Ibid.

IIDEM octauum Calend. Aprilis lætitię diem colebant, quem Hilaria nuncupant, quo tempore sol Zodiaci peragrato spatio, per omnes signorum stationes ad nos reuertens, longiores noctibus efficit dies. Ibid.

C. IVLIVS Cæsar idibus Iulij natalẽ suum fortunatas semper habuit, & fœlices. Ibidem.

Sextus Thurgelionis dies, apud Carthaginenses multis auspicatissimus erat. In eo enim *Socratis natalis dies fuisse proditur*, & Alexandri Macedonis: qui qua die in lucem editus, eadẽ defunctus quoq; fertur. Ibid.

DIES ATRI, NEFASTI, ET INFELICES.

Græciæ ὁ μεταγειτνιών infaustus fuit mensis, quo in Chæronea Philippus, & ad Cranonem GRÆCI prælio superati sunt, bis Thebæ captę & excisę. Cùm mysteria tenerent, eisdem diebus Athenienses Macedonum præsidium accepere, & ab Attalo sunt reges dicti. Sab.lib.9.cap.4.

PERSÆ sexto Andromionis die ad Marathonem ingenti pręlio victi, tertio eiusdem mensis ad Platæas & Micalem. Ibid.

ROMANOS, atris & infaustis diebus, pontificum iussu, non modò à bellis gerendis & Reipub. cura, sed à rebus quoq; diuinis & deorum sacrificiis abstinuisse legimus. Sæpius tamen cùm hostium vim propulsarent, nulla se religione teneri putarunt: & neglectis infelicium dierum obseruationibus, prosperè dimicarunt, imitati Homericum Hectorem, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Alex.lib.4.cap.20.

DIES manibus sacros, cùm mundus patêre dicitur, quib. occulta deorum Manium sacra apparẽt, plerique veluti atros & ominosos obseruauerunt, illósq; veluti fœdi exitus & ancipitis fortunæ detestati sunt. Namq; FABII Seruilium pontificis maximi disciplina traditum est, vt atro die Manibus diis parentare non liceret, ne infesti manes fierent. Alex.ab Alex.lib.5.cap.26.

FERIIS Latinis statis vel communibus, aut Saturnalibus ac diebus festis ac sacris, ludisq; publicis, licet fausti fœlicésque dies forent: tamen prælium committi, vel rei militaris delectum haberi, aut quoquam peregrè proficisci, tãquam piaculari die, ominosum apud Rom. erat, dirum atq; pestiferum. Alex lib.4.cap.20.

POSTRIDIE Calendas, Nonas & Idus mensis cuiusque religiosos & ominales & infaustos putauêre Romani, eo quòd maximis cladibus populum Rom. tum affectum esse constaret. Ibid.

AVGVSTVS mirum in modum obseruauit, ne postridie nundinarum quoquam proficisceretur, aut nonis quicquam rei seriæ inchoaret, quòd illas infortunatas multis fuerat expertus exemplis. Ibid.

IDVS Martias, quòd illis C. Cæsar coniuratorum manibus cæsus occubuisset, placuit *Parricidium* vocari, ideóq; inter atros & ominosos receptæ. Ibidem.

ROMANI. *16* Caled. Aprilis inter tristes numerãt, in quo cultores matris Deûm plangere & lamentari incipiebant. Ibid.

Mense Maio dies, quibus REMVRIA celebrantur, vt occisi Remi vmbra placaretur: & Nonis Iulij, quæ Caprotinę dictę sunt: & dum Feralia seu Parentalia diis manib. fiunt, tam nuptiis quàm itineri ominosos, exitiales & euitabiles dixerunt. Ibidem.

Inter atros & nefastos dies numerarunt Romani, Dies post Idus Quintiles ad 15. Calend. Sextiles, ob duplicem cladem insignes: quo ad Cremeram Fabij cæsi, & quo ad Alliam fœdè Romani à Gallis fusi fugatíque fuêre, quibus grauiter afflicta, & in extremum discrimen adducta Romana fuit Respublica. Ibidem.

QVINDECIMA Iulij mœstissima fuit Athenis, in qua mulieres ieiunium seruabant, & sacra Adonia celebrant. Ibid.

Ante QVARTVM Nonas Sextiles populus Romanus, ad Cãnas insignem cladem passus, eum diem inter atros & nefastos numerauit. Ibid.

Dies XV. Calend. Sextilium ceremoniis publicis sacra fuit. Qua cùm VITELLIVS concilium edixisset, neglectæ religionis ergò pontificatum amisit Alex.lib.4.cap.20.

TARGELION *mensis plerisque manifestum infortunium fecit*, in quo Alexander Macedo apud Granicum duces regis, & Darium clade afflixit, & Carthaginenses à Timoleone in Sicilia victi fuêre. Ibid.

CHALCEDONII cuiusque mensis vigesimam primam diem funestam & portentosam habuêre, quòd illa Darij præfectus ipsorum pueros castrauit, & in Persidem misit. Ibid.

PERSÆ tertiam & sextam mensis Boedromionis tanquam lugubres & defamatissimas vitarunt, quibus diebus in pugna Marathonia, & ad Platæas, & ad Mycalen à Græcis victi, magnas clades perpessi sunt. Ibidem.

CARTHAGINENSES nonum diem mensis Metagitnionis pluribus calamitatibus inuisum & detestabilem habuêre, quo magnis infelicitatibus & infortuniis oppressi sunt. Ibid.

ALCIBIADES *reuocatus* ab exilio, eáque die, qua funesta colebantur sacra, vrbem ingressus, non multo pòst occisus fuit. Ibidem.

DIES IISDEM SIMVL FELICES ET INFELICES.

Huc pertinet tit. Qui eodem die nati sunt & mortui.

Ea die qua Crassus magno dedecore profligatus, à Parthis cęsus fuit, eadem post aliquot annos Ventidius Pacorum, & Parthos singulari victoria vicit. Alex.ab Alex.lib.4.cap.20.

Ea die qua à Cimbris profligato exercitu Romani cæsi fuêre ingenti clade, eadem postea Lucullus contra Tigranem & Armenios, quos magna clade debellauit, & castris exuit, gloriam tulit insignem. Ibidem. & sub titul. Superstitiones fugere.

SIMILES CASVS ET EVENTVS.

